



A. 10

Digitized by Google

12-3-5-8

Digitized by Google

Digitized by Google

MICHAELIS ETTMÜLLERI
PHILOS. ET MED. D.

Hujusque in Illust. Lipsiensi Academia Profess. Publ. & Practici, dum viveret, longè felicissimi & celeberrimi,

OPERA OMNIA

MEDICO-PHYSICA, THEORETICA ET PRACTICA.

EDITIO POSTREMA,

Accuratissimè ad mentem Auctoris recognita, mendis omnibus castigata, ac prioribus Editionibus duplo auctior, utpotè quæ omnes Auctoris Tractatus, Exercitationes, ac Collègia, ab eodem tàm publicè, quàm privatim habita, congruis in locis harmonicè connexa complectitur, ut nihil ampliùs desiderari queat.

Cum Indice locupletissimo ad calcem totius Operis.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS. M.DCC.

Apud Joannem Jacobum Hertz.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



SERIES MATERIARUM ET TRACTATUUM

In Secundo hoc Tomo contentorum.

COLLEGIUM PRACTICUM DOCTRINALE.

LIBER I. Praxeos.

Art.XV.

Digitized by Google

LIBER II.

Praxeos.

Art.II.

LIBER III.

De Morbis Sexui Virili propriis.

LIBER IV.

De Morbis Mulierum.

Art.XV.

Digitized by Google

LIBER V.

De Morbis Infantum.

LIBER VI.

Chirurgia Medica.

Art.III. *De*



MICHAE-



I. N. J.

MICHAELIS ETTMULLERI

PHILOSOPH. ET MEDICINÆ DOCTORIS, Facultatis Med. Adsessoris, & P. P.

COLLEGIUM PRACTICUM DOCTRINALE.

PROLOGUS GENERALIS.



Um placeat vobis mecum vosmet exercere in Praxi, non possum non facere, quin facilem me præbeam, atque exorato Divino Numine, ad eam me accingam. Quod hanc itaque attinet: dividitur vel in *Vulgarem* seu *Ordinariam*, vel *Extraordinariam*. *Vulgaris* seu *Ordinaria*, quam hoc loco pertractabimus, adhuc est manca, & in quamplurimis mutila, idque duabus ex causis:

I. Est *defectus* sufficientium *experimentorum* in Macro- & Micro-cosmo, super quæ solida Theoria, hoc est aliorum, minus sensibus obviorum phænomenon, ex illis sensibus nobilioribus observatis, eorumque fiendi modis, applicatio & fiendi ratio fundari possit. Ob id tam studiosè hodie excolitur Chymia & Anatomia, ut ibidem ex observatis Microcosmis melior corporis humani operationum notitia, partim per Anatomen, partim per Chymiam detecta, etiam obtineri queat. Ex his Pathologia constituenda.

II. Causa est *defectus genuinorum & generosorum remediorum* in Praxi tam universalium, quàm genuinorum specificorum, quæ nempe in se efficacia sint, &, sine stomachi labore pharmaceutico, sponte suâ vim medicamentosam exerant. Unde qui supra vulgatam & ordinariam Praxin in Medicina excelluerunt Practici, hoc vel ope solidioris Theoriæ, vel ratione generosorum remediorum, præstiterunt. In quibus ultimis sublimiores Chymiatri, ac horum antesignani BASILIUS VALENTINUS, PARACELSUS, HELMONTIUS, POTERIUS, &c. excelluerunt.

Hinc in Praxi vulgari ratione prioris, Theoriæ nempe, defectu vix circa radicem morbosam, sed potiùs circa ejus producta, versari datur: Ratione posterioris interdum anus aut Empiricus meliùs, maximè industrio & erudito Medico, curare observatur, & tam sæpè affectus in se curabiles incurabilium inscribuntur catalogo.

Dixi: Praxin vulgarem vix circa radicem morbosam, ut plurimum minus cognitam, à priori hactenus imperscrutabilem, occupari, sed vel circa causam occasionalem, vel circa productum morbosum tantum, hoc vel corrigendo vel tollendo; unde sæpiùs à posteriori, rariùs à priori, curare solemus. Rem exemplo declarabo: Spinâ digito infixâ externè, vel internè vitiosum fermentum, spinæ instar lædens, sentiunt, ut ibi externè Tumor, inflammatio, abscessus in chirurgia; hic verò internè affectus chronici frequentiùs ex digestione partis cujusdam, vel publica vel privata, læsa, Acuti verò ex fermento peregrino, aut sanguinem aut spiritum inquinante, proficiscantur. Hinc si spina maturè removeatur, omnia evanescunt symptomata; qui verò vel anodynis, vel discutientibus, vel maturantibus, negotium tractant, naturæ quidem motum imitantur, & eam adjuvant; sed à posteriori saltim, quam à priori, spinæ nempe evulsione, commodiùs levare potuissent. Sic in maligna febre contagium insensibile est, quod morbum infert; hoc vel sublato, vel appropriato remedio destructo, cessat febris: Contagium est leve, quod in lue Venerea peccat, & fermenta digestiva hebetat; hoc sublato, facilè omnia curantur, quæ difficillimè & tædiosissimè per sudores aut salivationes aliàs mitigantur: Sic fermentum aut spina est exile, quod circa unum ac tantillum effluvium acrius, nares insigniter vellicans, impetuosum sternutationis spasmum facit; his sublatis, vel per appropriata correctis, cessant effectus; qui per opium à posteriori saltem palliantur. Sanè frequentissimè in Praxi occurrit, ut non nisi à posteriori productis morbosis ac symptomatis occurratur, à priori verò causa seu spina intacta relinquatur; idque vel ob causæ genuinæ ignorantiam, vel appropriati remedii defectum, Medicis ignorantibus optimè se agere opinantibus, scientibus verò tacitè ingemiscentibus, & suos defectus adhuc deplorantibus.

Per *Extraordinariam* Praxin intelligo eam, quæ rarò instituitur & observatur, eaque differt à vulgari seu ordinaria duobus modis:

I. Ratione remediorum.
II. Ratione modi.

Illo, dum administrantur remedia, tàm vulgaria quàm sublimiora & generosa, *Arcana* dicta, plus in recessu habentia, legitimâ tamen methodo, quibus paucis citò, tutò, & jucundè curatur: Hoc, dum Praxis per Curas magneticas, transplantatorias & amuleta, instituitur. Hinc in talibus medicandi rationibus nec venæ sectionibus, nec fonticulis & vesicatoriis, nec purgantibus, tantoperè opus habemus, quia sola data vomitoria, & diuretica ac sudori-

dorifera, applicata cum appropriatis, utramque faciunt paginam.

Ut ergò reformetur Praxis Ordinaria, & Theoria magis perficienda per repetita experimenta & Observationes Anatomicas & Chymicas, & hinc remediis vel appropriatis particularibus, vel generosis universalibus, adeoque plurimis scopis satisfacientibus, sedulò opera danda erit. De utraque Praxi hic agemus, extraordinariam tamen, tanquam sublimiorem, ad finem reservabimus, & appendicis loco in aliquibus Lectionibus prosequemur.

Ad Ordinariam pergo, in qua non levis varietas est, tàm ratione methodi, quàm ratione remediorum; hanc igitur, quantum possibile, correctam jam dabo: in qua circa quemvis affectum præternaturalē ordine pertractandum, quinque capita observanda veniunt, quibus consideratis, totus morbus innotescit.

I. Caput *Historia morbi* est, ubi enarratur Invasio & Modus, affectusque Accidentia, ubi sic omnis diagnosis ejusdem, & omnia signa dignoscantur & eruantur.

II. *Subjectum* seu *Pars Affecta*: ubi distinguendum est inter *subjectum Inhæsionis* & *Radicationis*. *Subjectum Inhæsionis* est istud, quod maximè & primariò afficitur: *Subjectum Radicationis* vocatur propriè focus fomesque morbi, & quod maximè suscitabulum est causæ morbificæ. Dabo exemplum: Multi laborant vertigine, idque ob stomachi vitium; ubi subjectum inhæsionis est caput, vel cerebrum, radicationis verò stomachus.

III. Caput erit *Cognitio & Evolutio causarum*, tam remotæ quàm proximæ, tàm materialis quàm formalis, seu considerentur tam in se, quàm respectu alterationis præternaturalis, quam corporis quibusvis partibus inducunt. Sub his causæ nonnaturales, naturales & præternaturales complectuntur, item characteres hæreditarii, & contagia extrinseca.

IV. *Prognosis*, quæ in unoquoque affectu determinanda, vel ritè instituenda est.

V. Est *Methodus Medendi* seu *curatio affectus*, quæ complectitur tam methodum medendi generalem (nam generalia debent præcognita esse, antequam ad specialia fiat progressus) quàm specialem cum cautelis Practicis, cum jam in specie pertractandi sint affectus; & remedia, simplicia & composita, nunc universalia, nunc specifica, interna & externa; unà cum Casibus, Historiis & Observationibus Practicis.

Theoria autem & Praxis Medica in antecessum præsupponenda: Ubique observandum est, ut super fundamenta Chymica & Mechanica, adeoque experimenta, Theoria & Praxis Medica fulciatur, ac res difficilis & obscura in Tyronū gratiam dilucidetur, ita ut in functionibus naturalibus primatum obtineant experimenta Chymica, in animalibus verò Mechanica aut Mechanico-Mathematica. Nam corpus nostrum est machina hydraulico-pneumatica, cujus movens liquor spirituosus per Chymiā explicandus: siquidem natura semper & ubique geometrizat. Jam verò, si ritè & cum laude Praxin aggredi; inque ea feliciter progredi velitis, ante omnia quatuor præsuppono necessariò à vobis præcognita:

I. Ut exactè calleatis seu cognitam ac perspectam habeatis *naturam subjecti* Medicinæ naturaliter constituti, ut benè sciatis, quomodo fiant naturales corporis humani operationes & functiones, uti & præternaturalē statum: *Naturale enim seu rectum est norma, ad quam examinatur & emendatur præternaturale seu curvum*. Uno verbo: calleatis Physiologiam & Pathologiam, adeoque cognita sit vobis Theoria secundùm varietatem Thesium & hypothesium, tam veterum quàm recentiorum.

II. Requiro, ut exactè *sitis versati in materia Medica* secundùm omnia tria regna.

III. Tertium est, ut cognita sit vobis *Pharmacia*, i. e. præparationes medicamentorum, & artificiosæ compositiones: Nisi enim cognitas habeatis simplicium vires, & componendi rationem seu methodum præscribendi formulas, certum est, quod in multis habebitis impedimenta in Praxin.

IV. Nec sine commodo præsupponitur cognitio methodi generalis, cui specialis hæc eò meliùs superstruetur.

Pergo ad rem, & quidem duabus aut tribus lectionibus tractabo Prolegomena, seu ea, quæ erunt fundamentalia in omni Praxi: attentè percipiantur, quia continent fundamentum dicendorum.

PROLEGOMENON.

CAPUT I.

DE FACULTATIBUS MEDICAMENTORUM.

CUm totius corporis œconomia, tàm naturalis quàm præternaturalis morbosa, à modernis per principia mechanica, secundùm particularum minutissimarum, ex quibus omnes ejus partes, tam continentes quàm contentæ, constant, figuram, magnitudinem, situm; & inde natam texturam, eorumque motum & quietem explicantur, hæcque hypothesis per experimenta Chymica optimè illustretur; ob id etiam medicamentorum Facultates, secundùm quas certam vim habent alterandi corpus, & inde natos eorundem effectus, optimè ex iisdem principiis materialibus deducuntur.

Adeoque simplicium quorumcunque in tribus regnis vires & proprietates non ex suppositis potiùs, quàm demonstratis, Elementorum manifestis quatuor Qualitatibus primis, multò minus ex ignoratis hactenus occultis proprietatibus determinandæ sunt; sed ex specifica eorum virtute, ex singulari nempe particularum materialium textura in unoquoque subjecto definiendæ erunt, quæ ipsa ex semine primam suam nanciscitur originem, adeoque *texturæ* talis *materialis intimus* quasi *nucleus medicamentosus crasis seminalis* ob id vocari solet.

Ut rem exemplo declarem: Cochlearia scorbutum curat, non quatenus præsupponitur calida, sed ex specifica textura particularum ejus minutissimarum; dum nempe hæ constituunt concretum adeò acre, subtile, penetrans, quod acidum vitiosum in scorbuto peccans sui miscelā corrigit, destruit, & in aliam quasi naturam transmutat, cujus texturæ nucleus seu specifica crasis in istis volatilibus & acribus particulis, seu, ut aliàs vocantur, sale volatili acri, præcisè consistit; reliquo corpore ceu effœto nihil virtutis medicamentosæ antiscorbuticæ obtinente: Sicut etiam Creta Sodæ seu ardori ventriculi succurrit, non quatenus frigida, sed quatenus minutæ particulæ ita sunt conformatæ & contextæ, ut quæcunque acida, quæ attingunt, mox imbibant, & ita cum acido in stomacho novum concretum invicem efficiant; quo fit, ut vitiosa ista effervescentia, quæ ab acido antea fiebat, remittebat, & consequenter Soda cesset.

Textura talis minutissimarum particularum in concretis, earumque seminalis crasis, cùm certò à priori definiri adhuc nequeat, ob id secundùm particularum quarundam in concreto magis prædominantium, in specie per particularum salinarum, *acidi* nempe & *alcali* seu *urinosi*, proprietates circumscribi solet; Quia

I. Dictæ salinæ particulæ pro materialium textura primatum obtinent inter alias, nempe pingues seu sulphureas, aqueas, terreas particulas, utut hæ ipsæ omnes probabilissimè ex aqua sola primam habeant originem.

II. Quia ex iis effectus quam plures materiales deduci possunt.

III. Quia aliàs in omnibus tā naturæ quā artis operibus mirabiles planè ac simul potentes se exhibent; Et

IV. Ipsa simplicia & particularia remedia saporū variorum

rum

rum sensu, proximè ex salinis principiis derivandorum, ceu tot differentiis medicamentorum craseos indicibus se nobis subinde exhibeant.

Habemus enim *Acida* & *Alcalina* in Vegetabilibus salina principia: Illa in acetosis fructibus, succis, lignis, &c: Hæc in antiscorbuticis, vulnerariis, &c. In animali regno præ cæteris sal alcali volatile, copioso oleo temperatum (sub quo occultatum est acidum) luxuriat: In mineralibus verò imprimis acidum dominatur, nunc crudum, nunc pinguedinis tegmine sulphureum, quod vel fixius, adeoque temperatius & nobilius, ut in metallicis, vel volatilius & acrius, ut in reliquis.

Cæterum sub generali isto acidi & alcali conceptu specialis horum in unaquaque specie, &, ut dixi, seminalis differentia attendenda est, secundùm quam specificas & sibi proprias qualitates seu dotes obtinent: hinc v. g. sal alcali in Armoracia specificum est antihypochondriacum: Sal volatile oleosum in chelidonio majori specificum anti-ictericum: acidum spiritus salis est speciale diureticum: acidum spiritus nitri est specificum Carminativum, &c.

Quoad speciales ac simplicium & inde paratorum remediorum vires, ea quæ *Calida* dicuntur, ut piper, sinapi, aliaque: operantur, vel quatenus immediatè sensus afficiunt, nempe linguam, & ita eam partium quarundam acrimoniâ feriunt, quæ dilutæ fibras & nervulos ita subeunt, ac si essent ignis corpuscula, uti hoc per spiritum nitri illustrari potest: vel quatenus mediatè tales particulæ massam sanguineam dissolvere, fermentationem ejus ratione salis volatilis oleosi intendere, & ita ejusdem incalescentiam, & consequenter caloris in partibus sensum augere valent; qualia sunt salia volatilia oleosa, imprimis olea destillata, aut spiritus inflammabiles, quia sulphur sanguinis insigniter dissolvunt, ejus resolutionem promovent, & ita sanguinis incalescentiam augent.

Frigida è contrà sunt, quæ vel nullam talem impressionem motivam in partes sensiles faciunt, vel eam ab aliis particulis commotis exaltatam sistunt, quâ ratione saturnus frigidus, & inflammationes arcere dicitur: vel quatenus Massam sanguineam plus minus inspissando, aut fermentationem ejus intensiorem coërcendo, conceptum ejus calorem ita infringunt; uti interno usu sunt acida, & imprimis nitrata.

Sicca sunt ea, quæ substantiam humidam corporis, vel roridam nutritivam, vel serosam distributivam velut imbibuntur; calcinata omnia, v. g. cornu cervi ustum: aut eandem dispergunt, & resolvunt, ut evacuantia omnia, imprimis sudorifera.

Humida è contrà erunt, quæ vel substantiam talem suggerunt, ut probè nutrientia temperata, passulæ, amygdalæ dulces; item potulenta, cerevisia, &c: vel illorum absumptionem sistunt, ut blanda anodyna, & quascunque evacuationes inhibentia.

Invaluit hactenus falsa persuasio, quod quam plurima simplicia ceu Aperitiva ad viscerum, hepatis, lienis, mesenterii, &c. obstructiones, utut ferè semper imaginarias, commendentur: cum tamen talia, v. g. Absinthium, Centaurium minus, filix, salia fixa & volatilia, spiritus salis ammoniaci, Martialia, acidulæ, &c. prosint saltim, quatenus vitiosos & præternaturales in corpore succos acres, salsos, & acriores, in specie acidos, & inde vitiatam sanguinis crasin, indeque derivata præternaturalia vitia bilis, lymphæ, succi pancreatici, digestionum errore subnata, corrigunt, emendant, & in statum naturalem reducunt, nunc acidum nimium destruendo, nunc idem austerum corrigendo, nunc bilem inertem sale volatili acuendo, nunc acriorem oleoso temperando &c; siquidem ab horum succorum ametria, indeque natis vitiosis effervescentiis in primis viis, & inde læsa sanguinis fermentatione naturali, non autem à fictis obstructionibus, morbi in specie chronici oriuntur; unde talia aperientia putata propriè *Alterantia* appellanda erunt.

Alterantia autem ista in genere bino modo prodesse observantur:

I. Quatenus acidum vitiosum in corpore, in specie circa primas vias, destruunt; illud vel absorbendo, ut Martialia, terrea, calcinata; vel istud sui misceli in salsum tertium transmutando, ut alcalia, tàm fixa quàm volatilia; vel illud temperando, ut oleosa seu pinguia, tàm volatilia quàm fixa: quæ inter primi generis etiam *Invertentia*, & respectu effervescentiæ ab acido inductæ *Præcipitantia*, appellari solent.

II. Quatenus alcali vitiosum in corpore, imprimis bilem & massam sanguineam corrigunt & emendant; istud vel acuendo simili alcali; vel temperando acidis, item oleosis seu pinguibus: Nam & hæc duo, acidum & alcali, ex quorum conjunctione compositum tertium emergit, ut in Macrocosmo, ita & in microcosmo, primariam merentur considerationem.

Præter alterantia hæc generalia, quæ universaliter vel acida vel amara, &c. corrigunt, ad alterantia specialia, quæ specialem causæ morbosæ peccantis nocendi rationem corrigunt, vel alterant, *specifica* seu *appropriata* dicta, respiciendum: scilicet absinthium febribus tertianis in specie, China Chinæ Quartanis, Myrrha Mensium defectibus, &c. medentur, utut sub generali amarore generaliter sale volatili oleoso, acidi peccantis destructivo, pollere dicantur.

Interim duo hæc acria, acidum & urinosum, corrigentia, sunt medicamenta temperata nullâ salium facultate excedentia, indeque sapore dulci aut planè nullo, aut blandâ oleositate vel mucilaginositate se nobis exhibentia, ut sunt passulæ, Glycyrrhiza, amygdalæ dulces, semina frigida, mucilago seminis cydoniorum, sulphur commune, Gummi Arabicum, lac, pinguedines animalium, &c. Hæc ipsa internè acre quodcunque, in specie salsum dum obtundunt, dicunturque *Temperantia*: dum quasi inviscant, dicuntur *Incrassantia*: dum fauces leniunt, & recrementis tussi eiiciendis quasi vias lubricant, dicuntur *Expectorantia*: dum extrà imposita acre dolorosum mitigant, & ita fibrarum ex dolore spasmum seu crispaturam remitti faciunt, *Anodyna*: dum eodem modo moderatè ab acido coagulatos succos blandè fundunt, *Emollientia*: dum acrimoniam temperant, & temperando utrumque acre, horum amicam unionem in salsum tertium, adeoque pus promovent, *Maturantia* seu *Suppurantia* dicuntur.

Emollientibus contrariari videntur *Adstringentia* dicta, quæ ratione texturæ stypticæ quodammodo austeræ, in specie ex terreo cum acido plus minus compositæ, operantur, & vel fluida quodammodo incrassando aut coagulando sistunt, vel fibras partium sui additione stringunt, & ita angustant, ut alumen, terræ metallicæ cum acidis, animalium partes calcinatæ, plantago, gallæ, acacia nostras, &c.

Ad ista alterantia pertinent etiam *Febrifuga* dicta, quæ febribus intermittentibus in specie medentur; & operari videntur, quatenus fermentum acidum febrile obtundunt, figunt, alterant, & destruunt: qualia sunt alcalia, & his cognata, tam volatilia, ut spiritus salis ammoniaci, absinthium, centaurium minus, carduus benedictus, quàm fixa, ut antimonium diaphoreticum, mater perlarum calcinata, sal fixum absinthii, &c. Quinimò pertinent etiam ad ista ea, quæ *Menses pellere* dicuntur; & vel acidum simpliciter absorbendo, ut Martialia; vel substantiâ suâ volatili sanguini certam fermentativam turgescentiam conciliando, ut volatilia, myrrha, crocus, rosmarinus, spiritus & sales volatiles, &c. operationes suas exercent.

Ad alterantia ista etiam *vulneraria* pertinent, quæ acidum præternaturale & vitiosum, mitius quidem in vulneribus, acrius in ulceribus, blando suo & temperato alcali delent, & ita consolidationem, remoto acido corruptivo fermento, promovent; sive externè applicentur locis affectis; sive internè propinentur, ut in stomacho nimio deleto acido, & chylo certo modo alterato, facilior fiat sanatio: ut cancri fluviatiles, eorumque lapilli, saturnus, plantago, &c.

Cæterùm, dum Aperientia dicta ex vulgato sensu rejecerim, non removenda erunt *Incidentia* seu *Attenuantia*, & externo usu *Resolventia* dicta, quæ acrimoniâ suâ salinâ, nunc salsâ temperatâ, ut tartarus vitriolatus, sal ammoniacum, &c; nunc acidâ, ut spiritus salis dulcis, spiritus viridis æris, oxymelque; nunc alcalinâ, ut Armoracia, aromatica, absinthium, spiritus salis armoniaci, &c. viscida incidunt, aculeis suis penetrant, & ita coagulata plus minus, aut indurata mollia & fluxilia faciunt, quæ inter externo & interno usu gummata imprimis eminent.

Experientiâ etiam compertum est, præter specificam

vim & crasin, quâ mediante certis humorum & causarum morbosarum vitiis medentur remedia alterantia, eorundem quædam certis quibusdam visceribus aut partibus magis amica aut inimica existere: qua ratione aromatica omnia cerebro & nervis, amara hepati, acida stomacho, terebinthinata renibus, &c. amica: è contrà cantharides vesicæ, cepacea oculis, vitriolacea pulmonibus, Mercurialia nervis inimicissima esse solent: non quod talia proprio impetu eò ferantur, sed quod per corpus communi circulo cum sanguine aut sero & lympha circumrepta, vel certis in partibus & locis ratione determinatæ figurationis minimorum promptiùs se insinuant, & ita certas alterationes alibi insensiles dictis in locis inducant, vel certas morbosas causas quibusdam partibus in specie hostiles singulariter corrigant: qua ratione cinnabaris antimonii specificum cephalicum, item Antiepilepticum dicitur, quatenùs speciale istud acidum, quod cerebrum afficit, & in nervis convulsiones infert, præ aliis remediis optimè tollit: fœniculum appropriatum ophthalmicum dicitur, quatenus vel causas morbosas oculis præsertim infensas tollit & mitigat, vel humores oculorum claros & perspicuos conservat specifico suo sale volatili blando.

Porrò ad alterantia modò dicta vel maximè etiam pertinent aromatica, quæ odore plus minus forti, aut penetrante & sapore acri plus minus amaricante, crasin suam in sale volatili oleoso constitutam habent, quod in eorum oleo destillato, totius crasin integram possidente, patet, ratione cujus cum activa sint, penetrantia, adeoque sanguinis fermentativum motum stimulent, sal volatile oleosum sanguinis, & consequenter bilis augent, Calida vulgo & Sicca constituuntur, ut galanga, caryophylli, mentha, rosmarinus, castoreum, terebinthina, &c. Ratione hujus salis volatilis oleosi temperant hæc ipsa aromatica omnem acrimoniam, cruditates viscidas resolvunt, adeoque cruditati acidæ, & inde congestis sordibus in intestinis & stomacho, indeque enatis flatibus, ex acido in materia viscida oriundis, optimè conducunt: ob id etjam aromatica omnia stomachica; item *Carminantia* seu *Flatuum Discussiua* esse solent.

Nervis porrò & cerebro, & inde compositis membranosis partibus, quibus acidum quodcunque inimicissimum esse solet, optimè prosunt, quas fovent & recreant, adeoque earum affectibus specificè succurrunt: ob id *Nervina*, ac *Cephalica*, ac *Uterina*, esse solent aromatica, *Mensibusque* simul *movendis* dicata.

Quin & cum ipsum sal volatile oleosum aptissimum sit, quod volatilisando & fermentando abeat in spiritus volatiles, eodem modo analogos spiritibus nostris vitalibus & animalibus, exinde *vis* eorum *confortativa*, ac, ut vulgò vocant, *cordialis*, proximè emanat; hinc spiritus & aquæ confortantes, aquæ vitæ, aquæ apoplecticæ, &c. ex talibus ordinariò componuntur.

Porrò ultra alterantia sunt & generalia remedia evacuantia, quæ inter, præter purgantia, sunt Diuretica, & Sudorifera: *Diuretica* sunt varia ac multiplicia, quæ nunc ad renes delata eos abstergunt, & impedimenta urinæ excretionis removent, ut salia volatilia quæcunque; nunc urinarium serum acuunt, ut Raphanacea, & ex insectis petita remedia, ut cantharides; nunc fermentum renum specificâ alcalinâ virtute acuunt; ut nitrosa volatilia; quæ inter primariò modò dicta insecta etiam eminent.

Sudorifera verò sunt, quæ acida absorbendo sanguini fluorem, & majorem dissolutionem conciliant, ac ita seri uberiorem & faciliorem secretionem, & cum eo sordium imbibitarum excretionem promovent, adeoque alcalinæ plus minus sunt naturæ, tàm volatilia, ut spiritus & sal volatile cornu cervi, sanguinis humani, succus & Extractum cardui benedicti, &c. quàm fixa; ut antimonium diaphoreticum, sal cardui benedicti, cornu cervi sine igne, &c.

Aut, quæ suo modo huc pertinent *Alexipharmaca*, utut hæc sint *duplicia*: partim *sudorifera*, & ita contagia maligna elicientia; partim *alterantia*, & venena in sua crasi invertentia & corrigentia; ut v. g. nitrum invertit virulentiam antimonii & arsenici, ipsum antimonium fixum, in specie cum nitro paratum, invertit virulentiam causæ malignæ in febribus malignis.

Atque hæc ferè sunt generaliora remediorum particularium in Praxi vulgari capita. Quibus meritò præferenda erunt *Universaliora*, & quæ pluribus Indicationibus simul satisfaciunt, adeoque pluribus in casibus applicari possunt, Remedia; qualia non esse impossibilia, præter experientiam PARACELSI. HELMONTII, BUTLERI: de quibus *scripta* HELMONTII, item RONDEN *Tract. Elixir arboris vitæ*, aliorumque, vel opium suo modo probabile reddit, quibusvis ferè in morbis legitimo usu salutare, & quod quæcunque ferè urgentia symptomata mitigat; utut palliativè potiùs spirituum & humorum effrænos motus sopiendo, quàm eradicativè affectus tollat.

Talia universalia, aut ad talium naturam proximè accedentia, sunt ex regno vegetabili & animali, præter opium ritè paratum, in specie salia volatilia oleosa, quodcunque acre causæ peccantis in morbis mitigantia, & ita noxas inde inductas corrigentia; ob id à SYLVIO adeò decantata: hinc sulphura mineralium & metallicorum fixata, simili ratione universaliter acidum & urinosum peccans temperantia, & vi singulari anodynâ quæcunque in morbis urgentia tollentia, quæ inter speciatim recensetur *sulphur vitrioli fixum* seu *oleum ignis veneris* HELMONTII, & cum eo paratus *Mercurius diaphoreticus* seu *aurum Horizontale*, item tincturæ solares legitimæ, item sulphura antimonialia tàm sicca, quàm ex his paratæ *tincturæ antimonii* VALENTINI, & similia alia plus minus Universalia.

CAPUT II.

DE CONSTITUTIONE CORPORIS HUMANI VITALI, EJUSQUE LÆSIONIBUS IN GENERE.

M*Edicinæ Objectum* est *Corpus humanum vivens*, quatenus sanabile: *Illud* quidem *materiale*: *Hoc formale*. Ut corpus hoc rectè consideretur, attendendum est tam ad ipsam structuram corporis materialem, quàm ad ejus actum vitalem formalem. Illa, nempe structura corporis humani, se habet instar artificiosissimæ machinæ hydraulico-pneumaticæ. Hic se habet instar principii moventis spirituosi, & dictam machinam dirigentis.

In structura hujus machinæ materiali duplex partium differentia imprimis consideranda est: nempe dum partes quædam sunt nerveæ, seu, ut aliàs vocantur, *spermaticæ*: aliæ verò sunt *sanguineæ*. *Illæ* sunt nihil aliud, nisi mirabilis fibrarum textura, quæ prima partium stamina constituit, & primitus in ovo ex ejus colliquamento delineatur, & effingitur: *His* fibris postmodum *per coaguli modum sanguis hinc inde adhærescit*, unde parenchymata sanguinea nascuntur; quæ duæ partes certo situ & nexu invicem cohærentes, materialem corporis structuram constituunt.

Constant autem materialiter dictæ partes non ex quatuor illis vulgaribus Elementis, ex quibus corpora naturalia quæcunq; constare aut componi finguntur; cùm talis quaternio à nemine adhuc evidenti ullâ ratione, nec ullâ certâ vel saltem probabili experientiâ, fuit confirmatus; sicut hoc eleganter docet BOYLE *in Chym. sta sceptico*.

Existentiam quidem Aquæ, Terræ, & Aëris, nemo negabit, cùm hæc sint maximæ portiones globum nostrum componentes, ac receptacula seu diversoria reliquorum variorum corporum: sed an materialiter unà cum igne omnia componant mista? dubitatur meritò: utut de aqua seorsim considerata res certissima sit, eam mistorum reverà ingredi compositionem: ut taceam THALETIS sententiam, *omnia ex sola aqua materialiter constare*, asserentis; quam hypothesin jam optimè confirmavit & illustravit HELMONTIUS *in suis scriptis*, speciatim *Complexionum & Mistionum Elementalium Figmentum*: quæ ipsa magis illustravit DAVID von der Becke *Tractat. Meditat. & Experimenta circa rerum naturalium Principia*.

Ignem quod attinet: modernorum persuadent experimenta, ignem nostrum usualem (nam de *cælesti* in corpore solari concentrato & inde in universam mundi machinam, imprimis ipsos planetas, ut & tellurem, sub nomine radiorum & luminis evibrato, non sumus sollicití. utut multa persuadeant, eundem itidem ex *sulphure resolut* constare) nil aliud esse, quàm dissolutionem corporum dictorum sulphureorum, i. e. in re-

cessu

cessu pinguium acidorum, in sui particulas immediatè minimas, factam imprimis mediante aere, cujus dissolutionis effectus duo inseparabiles sunt: Calor & Lumen; sicuti hoc sufficienter explicavit BECKIUS *Tract. supra citato pag. 61.*

Viget ignis imprimis in *flamma*, quę est rarefactio & dissolutio fumi; *fumus* verò est flamma inspissata, constans particulis ulteriùs rarefactibilibus, elevatis per motum aeris, à calore rarefacti: hinc flamma quęcunque extincta abit in *fumum*, fumus condensatur in *fuliginem*; & ita flamma, fumus, fuligo, fuliginis oleum, acidum pingue, sunt unum idemque corpus, pro vario resolutionis aut condensationis statu, diversimodè modificato.

Cum verò videamus, omnia corpora fieri seu generari, nutriri & corrumpi successivè & insensibiliter, adeòque per minimas particulas; ita ut ex minimorum horum corpusculorum syncrisi seu unione certa, diacrisi seu separatione, metastasi seu transpositione, varia fiant, intereant, & alterentur diversimodè corpora, potius multivarias tales particulas, ceu principia corporum materialia ac elementa assumamus: de quo videatur BOYLE *Tractatu de Origine Formarum & Qualitatum.*

Cum verò omnes hę particulę sint materiatę, adeoque quantę, necessariò proprietates suas quantitativas & mechanicas, adeoque determinatam figuram ac magnitudinem, certum ad se ordinem & situm habebunt, unde per variarum talium particularum mediante motu unionem & texturam diversa necessariò fiant corpora, multipliceśque horum affectiones. Particulę tales per mutuam texturam constituunt mediante motu corpora mista; qui tamen motus non vagus, sed determinatus est, tam in materię compositione, quàm ejus varia conformatione, adeo ut non nisi vi seminum determinata ex istis particulis motu fermentativo à seminibus alteratis varia efformentur corpora.

Particulę tales, quę immediatè corpora constituunt, & in quę etiam eadem immediatè resolvuntur, numero quaternario pro explicandis corporum phęnomenis commodè deprehenduntur, nempe sunt:

1. Salinę, nempe acidę & alcalinę, & ex his duobus enixę seu salsę.
2. Pingues.
3. Aqueę: &
4. Terreę.

Quę quidem sunt proxima corporum principia naturalia, non tamen ultima elementa, sed hujus respectu potiùs principiata sunt, ex aliis particulis simplicioribus priùs contexta; unde & sub resolutione in alias successivè facessunt particulas, utplurimum aqueas: ita ut quamplurima, quę maximè videntur composita, primò ex aqua per multiplicem particularum aquearum mutationem mechanicam in alias particulas modò dictas, vi seminali factam oriri, & tandem ultimò destructâ seminum potestate tandem in aqueas redire soleant.

Sub generali enim acidi & alcali nomine innumerabilis salium, tanquam particularum magis activarum, diversitas comprehenditur, cùm tàm urinosa quàm acida mille modis pro varietate concretorum, in quibus existunt, secundùm proprietates mechanicas differant: unde & tam variis modis inter se & cum aliis combinari, ac diversi saporis diversissimè salia salsa exinde oriri possunt, pro quorum omnium varietate speciales quamplurimę operationes naturales explicandę sunt in corporibus.

Imprimis *Fermentationes* & *Effervescentiæ* dependent à salium activitate: est scilicet *Fermentatio* motus intestinus particularum minutarum, ortus à mutua salium, acidi & alcali, resolutarum in se invicem activitate, qua omnes reliquę mistum componentes particulę variè inter se permiscentur & agitantur, usque dum sequitur aut ultimi talis misti resolutio, aut nova ejusdem alteratio, à salium istorum nova unione, aut saltem contemperatione, dependens. Idem planè est *Effervescentia*, nisi quod in hac puriora, adeoque acriora existant salia, unde & fortiori invicem collidantur motu.

Ex talibus particulis, in specie salinis & sulphureis, etiam sanguis & chylus, succi corporis nostri primogenei, constant; unde & consequenter totum corpus materialiter ex iisdem erit compositum; id quod confirmat resolutio ejus mechanico-chymica.

Quod si plures tales particulę coëant in unam massam, constituunt *partes similares*, ex quarum coagmentatione *dissimilares* exsurgunt: Sicut hę ipsę fibris & vasis appensę & connexę, ac inde in debitam conformationem super basi fibrarum *Organicas partes*, certis functionibus mechanicè exequendis destinatas, constituunt. Ita ut ratione materię ex Qua, partes vel similares vel dissimilares dicentur; ratione verò superinductę conformationis mechanicę, secundùm quam ceu instrumenta certis usibus inserviunt, Organicę appellari solent, in quibus organis fibrę, harumque mechanica textura fundamentum constituunt: de quibus vid. GLYSSONII *Anatome Hepatis in Prolegomenis.*

Textura ista particularum minutarum, componens partes similares, constituit reverà earundem *Temperamentum elementale*; sicuti eędem particulę texturam liquidam sanguinis compingentes, quasi crasin constituunt: unde *Temperamentum Vitale*, quod aliàs in Calido & Humido consistere dicitur, in totum corpus pro varia sanguinis materiali miscela varium derivatur.

Constituunt hęc ipsa simpliciter corporis machinam: Jam necesse est, consideremus ejus *activitatem vitalem*: nempe dum machina hęc in motu est diversimodè, dicitur *vivere*, ut ita, *vita* formaliter in hujus machinę motu seu actuatione consistat: Quod si motus isti omnes penitus cessent, ita ut irrevocabiles sint, *Mortua* esse dicitur: Quod si rectè & debitè omnes istos motus peragat, ad quos per se apta nata est, *Sana* dicitur; nam *Sanitas* est vitę integritas: sin verò perversè aut vitiosè, & quasi erroneè, moveatur, dicitur *ægrotare*; nam *morbus* est vitę labefactatio.

Principium istud internum, quod actuat & movet hanc machinam animalem, vitale ab effectu appellatum, quod aliàs etiam speciali nomine anima dicitur, non est aliqua substantia immaterialis; quia

1. In quibusdam est divisibile,
2. Quia aliàs esset indestructibile; &
3. Quia in non-rationalibus est planè in intelligibile.

Sed est revera ens materiale toti viventi coextensum, & propter actionum varietatem omnibus partibus ac organis intimè pręsens, simulque ob earundem celeritatem, vehementiam & diuturnitatem summè activum & mobile.

Hęc & alia attributa non conveniunt pręterquam subtilissimę cuidam & volatilissimę ac mobilissimę materię, ob id in schola Medica, analogicè licet, *spiritus* appellatę: nempe nil aliud hoc nomine intelligitur, quàm sanguis aut succus huic analogus in aliis brutis seu animalibus in subtilissimam substantiam resolutus, & exactissimè volatilisatus in pręcordiis, tam per continuam ejus fermentationem, quàm non intermissam aeris inspirationem; unde ulterius pro totius machinę actuatione unà cum sanguine distribuitur.

Resolutio talis sanguinis, & in substantiam spirituosam volatilisatio, propter crasin ejus salinam volatilem oleosam, & quasi nitro-sulphuream, fieri vix potest, quin cum insigni ejus incalescentia & ęstuatione contingat, & fiat quasi quędam ejus accensio: vid. WILLISIUS *in Responsione Epist. ad Highmorum de affectibus hystericis & hypochondriacis*; videatur etiam HELMONTIUS *Tractatu, In sole Tabernaculum*, &c. *Tractatu Blas Humanum*, item *Tractatu Spiritus vitæ.*

Sanguinis ita attenuati & resoluti, & quodammodo accensi, subtilissimę portiones, & quasi flammeę sunt isti Spiritus, qui & ob id à quibusdam luminosi seu lucidi dicuntur, cùm in sua natura plures lucis proprietates possideant; qui dum in sanguinea massa micant & gliscunt, Vitales dicuntur; dum verò in cerebro & nervis liberiori lumine radiant, Animales appellantur: sicuti hi ipsi, dum ova fœcundant sub fœcundo congressu, Genitales dici solent. Et hoc est, quod alii animę brutalis substantiam bipartitam faciant, nempe igneam seu flammeam, & lucidam: vid. WILLISIUS *de anima brutorum*, CORNELIUS *von der Linden de anima hominis vitali*, & KOLHANS *de spiritu animali*, BARTHOLINUS *de luce animalium*, HORSTIUS *de Flammula cordis*, SCHYL *in Præf. super Cartesium de Homine.*

Pro natura tamen sanguinis, ceu materię ex qua, substantia hęcce spirituosa reverà naturę salinę volatilis oleosę seu salinę sulphureę esse videtur, quę per fermentationem & aëris resolutionem in sanguinem volatilisata, & celerrima agitatione à pręexistente jam in sinistro cordis ventriculo simili substantia accensa, instar occultę flammulę corruscat, totum corpus calefitac,

facit, & à putredinis corruptione conservat: Uno nomine, habet se instar subtilissimi & rectificatissimi spiritus vini calefacti insigniter & quodammodo accensi.

Spirituum horum subtilissima & quasi radiosa textura lucida necessariò mutuam adhæsionem requirit, quę abrupta, aut in quodam loco intercepta, non sine periculo evanescit; hinc in suspensis discontinuitas hujus texturę spirituosę in causa est, quod in momento omnis facultas princeps cerebri pereat; hinc & syncopizantibus repentè corpus frigidum, & quasi mortuum jacet.

Denique horum spirituum accensione quasi quædam genitorum calor per totam machinam se diffundit, pro operationum quarumcunque facilitatione. Non ergo *Vita animalium* pręcisè consistit in calido seu calore, cùm quamplurima sint frigida, & ipsa animalia calida suas habeant vicissitudines secundùm magis & minus; Estque *calor* saltem consequens quoddam necessarium vitę in animalibus calidis. Hujusmodi ergo *spiritus* volatiles reverà sunt idem cum eo, quod alii *animam*, alii *spiritus insitos & influos*, alii *calidum innatum*, alii *ignem animalem*, alii *flammulam vitalem*, alii alio nomine insigniverunt.

Fundamentum ergò *vitæ* consistit in sanguine (vel succo huic analogo in aliis animalibus non sanguineis) utpote ex cujus penu continua spirituum & concatenata est reparatio vel regeneratio: Hujus ergò legitima crasis & inde oriunda debita fermentatio ac spirituascentia & incandescentia, & spirituum independens hypostasis plus vel minus dissipabilis, radix est vitę sanę vel ęgrę, longę vel brevis, &c.

Hęc omnia homo cum brutis habet communia, ipsi soli propria est *Anima Rationalis*, substantia reverà spirituosa, immortalis & inalterabilis, cum corpore hominis animali nihil habens commercii, & ab œconomia animali, ejusque functionibus planè exclusa, solas intellectus & voluntatis operationes immateriales seu inorganicas, sibique proprias peragens. Ex unione tamen ejus cum corpore animali *sensuum* pręsupponit *ministeria* & exercitia in intelligendo, ut occasione certarum spirituum animalium motionum sibi formet conceptus & phantasmata, unde in intelligendo pro harum exorbitantiis subinde & ipsa aberrat; sicut è contrà pro voluntatis imperio certum spiritibus istis animalibus motum pro voluntario motu interdum imperare valet.

CAPUT III.

Concernens

PRACTICA GENERALIA

circa

FACULTATEM VITALEM.

IN legitima methodo instituendi Praxin, ante omnia in corpore humano pro fundamento observanda imprimis differentia fundamentalis duarum facultatum, totum corpus gubernantium & conservantium, nempe vitalis seu naturalis, & animalis; harumque fundamenta. Genitalis autem ad animalem refertur: Vitalis in sanguine & spiritu vitali, & inde derivatis reliquis succis, & visceribus sanguinis alterationi dicatis, consistit. In his fundata est Facultas vitalis, quę conservat corpus in Esse vitali: Hęc verò animalis in spiritu animali, cerebro ac cerebello, & inde nato systemate nervoso & partibus nerveis, radicata est. Ratione prioris ad duo instrumenta naturę mechanica, acidum & urinosum, tàm in sanguine quàm chylo, ac inde derivatis succis, bile, succo pancreatico, lympha, &c. respiciendum, ut horum dyscrasia, anomalię, varii motus, &c. ritè cognoscantur, & maturè emendentur: ratione posterioris ad multiplices nervorum distributiones & varias partium cum his connexiones, indeque natos consensus varios, probè attendendum, & hinc natis malis dolorosis ac convulsivis maturè occurrendum.

Ut res pateat clariùs, in sanguine & inde derivatis succis, &c. duplex considerandus motus; nempe vel integrę massę sanguineę circulatorius, vel particularum ejus minutissimarum intestinus seu fermentativus. Ab his duobus dependet proximè vita hominis, ita ut uno intercepto pereat alter.

ARTICULUS I.

DE

MOTU SANGUINIS CIRCULATORIO.

QUod attinet *motum sanguinis circulatorium* seu *localem*: attendendum omninò Practico Medico est, ut conservetur in ęquali tenore, pręcaveaturque omnis ejus stagnatio, vel quod impedimentum huic sanguinis circulo affert. Pręstamus id mediante Pharmaciâ & Chirurgiâ: Mediante Pharmaciâ per sudorifera sanguinem colliquefacientia, quasi attenuantia, & ita velociorem quidem, ęqualem tamen, motum per vasa conciliantia. Chirurgia sanguinis emissiones suadet, quibus imminuimus quantum, & facimus, ut in vasis nimis repletis liberior sanguinis fluxus fiat. Id autem quàm optimè fit per sectiones tàm arteriarum quàm venarum, tàm vasorum majorum quàm minorum, per scarificationes & cucurbitularum impositiones, ac per hirudines. *Effectus* sanguinis evacuationis *primarius* est imminuere sanguinis quantum, & ita indicatur imprimis à Plethora ad vasa (ad vires enim illa non datur) tàm vera quàm apparente, quę sui imminutionem postulat: *Secundarius* sanguinis missionis effectus est sanguinis liberiorem circulum promovere, quod veteribus *Ventilatio* dicitur, sive sanguis stagnet in toto, sive in parte, ubi inflamationem parit, ac in toto corpore stagnans, affectum suffocatorium infert.

Huc etiam Revulsio, Aversio, Derivatio, &c. pertinent, quę non videntur legibus circulationis obstare, utut plures putent: modo rectè explicentur. Ex hypothesi autem Veterum explicare Aversionem, Revulsionem, & Derivationem, est impossibile; Stante enim sanguinis circulo, impossibile est rationem dare revulsionis & aversionis, quia impossibile est, sanguinem in aliquam partem fluentem, ex corde per alium locum evacuandi, revellere: v. g. impossibile est, ut sanguis, qui ascendit ad oculum inflammatum per partes circulandus, possit per venam sectam pedis aut brachii revelli, ut eò non fluat. Ut ergò pateat, quid de his hypothesibus habendum, dicendum: quod venę sectio si fiat, fiat evacuando & sanguinem imminuendo: Imminuto ergo sanguine, in specie si sit plethora, tàm simpliciter talis, quàm secundùm quid, & sectâ venâ, movetur sanguis omnis faciliùs, largiùs & promptiùs, quoniam majus occupat spatium in depletis nonnihil vasis: Unde & ille, qui stagnans subsistit in vasis in loco inflammationis, sublatâ plethorâ non adeo vehementer ampliùs sistitur, quin potius ad motum imminutum redintegrandum nonnihil disponitur.

Nihilominus tamen queritur: *an delectus venarum in venæ sectione sit habendus*? Resp. quod respectu unius membri nullus respectus habendus; Si enim vena secanda in brachio, perinde est, sive basilica sive mediana secetur, quia omnes oriuntur ex uno trunco: Respectu autem diversorum membrorum maximè selectus habendus; Statuitur enim in œconomia microcosmi duplex *regio*, *inferior* & *superior*, respectu cordis tanquam centri, quod mittit sanguinem respectu arterię descendentis in inferiorem, & respectu arterię adscendentis in superiorem regionem. Cor est terminus, à quo movetur sanguis; & istę regiones, superior & inferior, sunt terminus ad quem movetur sanguis: Si ergò malum quoddam est in regione superiori, & ratione hujus venę sectio instituenda, ac ego seco venam in inferiore regione, verbi gratiâ pede, tunc dicitur certo sensu *Revulsio Universalis*, nempe quando sanguis in parte superioris regionis corporis in inferiori evacuatur, dum hic ipse in superiori regione in quodam loco stagnat: Nam exinde hoc habemus commodi, quod dum in regione inferiori evacuamus sanguinem, hic ipse propter minus obstaculum promptiùs movebitur inferiora versus, quàm superiora, dum scilicet ex corde erumpit in arteriam magnam: dum enim factâ inflammatione in parte superiore rami arterię magnę adscendentis sunt infarcti, tunc in ramo arterię descendentis ob amplius spatium sanguis è corde erumpens potiùs inferiora quàm superiora versus propellitur, & ita revellitur, seu ad inferiora retrahitur.

Por-

Porrò, quando sanguis in quadam regione stagnando dat inflammationem, si secatur vena in regione eadem, in loco vicino, ubi pars affecta seu morbosa est, dicitur *Aversio* seu *Revulsio particularis*; sicut si sanguis evacuetur in contrario, dicitur *Revulsio Universalis*: sic v.g. in ophthalmia si sanguis evacuatur in pede, est *Universalis*; dum evacuatur in brachio, est *particularis Revulsio* seu *Aversio*: dum nempe sanguis superiora versus facto foramine in loco vicino inferiore evacuatur, estque nihil aliud, quàm sanguinis stagnantis per locum proximum evacuatio. Et hæc Aversio seu Revulsio particularis non habet locum, nisi jam prægressa fuerit Revulsio universalis.

Tertium denique, quando secatur vena loco affecto proxima, dicitur *Derivatio*, in qua derivatione debent incidi eæ venæ, per quas aliàs sanguis stagnans naturaliter solebat fluere: v.g. pono *anginam*: In ea si vena non in collo, ubi sanguis stagnat, sed in pede secatur, dicitur *Revulsio Universalis*; in brachio quocunque, tanquam in loco ejusdem regionis, si instituitur, *Revulsio particularis* seu *Aversio* audit; si sub lingua raninæ, tanquam loco affecto proximæ, dicitur *Derivatio*; quoniam per has sanguis in faucibus stagnans naturaliter debet refluere, & hæc est *Derivatio*. Ponam ulterius *inflammationem uteri*: in hac *Revulsionis* gratiâ instituitur venæ sectio in brachio, sed in regione reposita: *Aversionis gratiâ* in eodem, sed remoto loco, nempe in pede; & *Derivationis gratiâ* in labiis vulvæ; scilicet apponuntur hirudines, qui modus *Italis* & *Hispanis* frequens esse solet, & AMATO LUSITANO in frequenti usu fuit.

Quæritur: *an hæc Revulsio, Aversio & Derivatio adhuc habeant locum ob circulationem sanguinis?* Affirmatur: verùm non sensu veterum, sed alio: de quibus venæ sectionibus, prout circulationi sanguinis applicari debent, vid. HIGMORUS *in Disquis. anat. Corp. Hum. pag* 150. Hoc negotium sanè plus habet in recessu, quàm æstimatur, quod demonstrabo per exempla, & rationes: Quod attinet exempla Revulsionis, Derivationis, &c. seligo in FORESTI *lib.* 28. *Obs.* 3. quò revulsionis efficaciam in muliere monstrat. Mulieri enim cum actu fluerent menses nimium, aperta ei vena in brachio fuit, unde subitò menstruum fuit restrictum: sed pòst ordinario tempore, quo ei vena secta fuit in brachio, sensationem cum aliquali dolore percepit, insignem palpitationem in brachio passa fuit, quo tempore & mensium fluxus recurrit, & ista palpitatio non cessavit, nisi vena aperta fuerit. *Secundum exemplum* habet LINDANUS, expertus Practicus, in *Collegio suo Practico Manuscript. in Hartmannum*, ubi refert exemplum Chirurgi Amstelodamensis, qui laboravit ophthalmiâ oculi dextri, ad quam vocatus Medicus senior, tundit venam in brachio dextro, unde magis magisque inflammatio fuit aucta: ratio, quia sanguis in motu sursum jam erat impeditus; unde facta apertione in parte superiori promptiùs adhuc superiora versus movetur sanguis propter metum vacui, adeòque inflammatio augetur; sunt enim duo rami, unus distribuitur in brachium, alter adscendit in caput: Videns hoc Medicus sequenti die, in brachio sinistro venam secavit, & exinde sinister oculus, anteà illæsus, fuit etiam inflammatus: hoc videns ipse tertio die repetit venæ sectionem in brachio dextro, & tunc æger omninò in dextro oculo redditus fuit cœcus; unde denuò secavit venam in brachio sinistro, exinde istius oculi auxit inflammationem: His ita factis TULPIUS peritus vocatus statim jussit venæ sectionem fieri in pede, unde sensim oculi ab inflammatione fuerunt liberati. *Tertium* dat GABELCHOVERUS *in Cent.* 4. *Obs.* 92. qui refert, quod mulier sub fluxu mensium applicari passa fuerit cucurbitulas cum scarificatione in regione dorsi superiori: restricti menses varia accidentia intulerunt, quæ, cùm diu vexarunt ægram, nec cessassent, nisi ægra quoad menses in statum naturalem fuerit restituta. Reverà Revulsio, Derivatio, &c. adhuc certis circumscribuntur regulis: Ratio, quia non eadem ampliùs cum Veteribus, qui putarunt, omnem sanguinem in unum locum fluere; sed omnes hæ sanguinis detractiones vel revulsiones tantum operantur, quantum evacuatur sanguis, & quatenus, imminuendo, sanguini conciliatur liberior circulus, & sub spatio, quo extra corpus effluit, dum in vasis inanitis liberior ex corde affluit, loco affecto levantur. Verùm vix juvat levamen tamdiu, quamdiu vena est aperta, & actu sanguis effluit; simul enim atque eadem clauditur, etiam sanguis denuò æqualiter per sua vasa circulatur: tamen eo ipso, quo loco inanitioni opposito liberiùs influit sanguis, eo quod imminuta fuit sanguinis quantitas, minus subsistit in loco inflammationis, quia etiam vasis nonnihil inanitis per ramos vicinos faciliùs movebitur, quàm ut omninò in loco inflammationis stagnet: Unde quando revellimus, primariò quidem evacuamus sanguinem: (2.) dum fluit, adhuc ipsi promptiorem motum ad regionem contrariam conciliamus: & (3.) dum denuò clausum est vas, propter inanita & imminuta vasa, nimium incrementum inflammationis impedimus, & certum levamen ægro conciliamus. Res est facilis, modò distinguantur duæ regiones corporis. Ad hunc usum ventilatorium referendi sunt & alii usus venæ sectionis secundarii, dum nempe per accidens medetur partui difficili, urinæ suppressioni, casui ab alto, &c.

Venæ sectio ergò evacuatoria ubique institui potest; in ventilatoria autem certus eligatur locus.

ARTICULUS II.

DE

MOTU SANGUINIS INTESTINO, ET INDE ORTA CACOCHYMIA.

Motus *sanguinis* & inde natorum succorum *fermentativus*, præsupponit duo salia, eaque volatilia, insigniter activa, nempe acidū & urinosum, seu alcali. Hæc in massa sanguinea instituunt motū intestinum seu fermentativum, dum internè temperantur & colliquantur mutuò per particulas sulphureas pingues, diluuntur per aqueas, figuntur per interpositionem particularum terrearum. Hæ particulæ salinæ sunt fundamentum istius motus, ita ut rationem principii activi obtineant, reliquæ verò passivi. Origo & fundamentum harum particularum, & inde dependentis motus fermentativi sanguinis, est ex semine, unde oritur crasis sanguinis materialis seminalis, quæ uti in quolibet homine varia, ita exin varietas est motus fermentativi sanguinis, unde etiam varietas Idiosyncrasiæ, quæ maximas turbas dant in Praxi. Prout enim variat crasis seminalis, sic variat motus fermentativus, qui in jugi tenore per legitimum usum sex rerum non naturalium conservatur, sicut per illegitimum usum harum læditur sanguinis crasis, & consequenter vitiantur salia, indeque oriuntur Cacochymiæ, i. e. particularum dictarum salinarum ametriæ seu degenerationes à crasi naturali, anomaliæ, & variæ inde natæ effervescentiæ, quarum fundamentum consistit in his duobus salibus, sed à statu naturali corruptis: ita ut in genere cacochymia sit vel acida, in qua acidum vitiosum est; vel alcalina, in qua sal urinosum vitiosum: quæ maturè à Medico cognoscantur & emendentur.

Instrumenta curationis desumuntur ex triplici fonte:

1. Pharmaceutico.
2. Chirurgico.
3. Diætetico.

Quoad remedia, quæ ex fonte Pharmaceutico desumuntur, non levis interea intercedit differentia; triplex enim ex eodem modus curationis exsurgit, quod eundem quidem habet scopum præfixum, sed non eadem incedit via.

Primus curationis modus fit per generalia, nimirum in genere laxando & alterando. Talem methodum imprimis habuit SYLVIUS *in sua Praxi*, quam *uivis tyroni artis medicæ summoperè commendo*, quia *facillima est ac perspicua*: ubi enim quis altiùs in Medicina progressus, statim videbit, quid in recessu habeat ejus Praxis?

Secundus curationis modus fit *per particularia & specifica*, dum nimirum præmissis præmittendis adhibentur appropriata, quorum usu ceu falce quadam radix morbi demetitur: v. g. suppono aliquem laborare dysenteria maligna; hic præmisso aliquo purgante Rhabarbarino, curatio vulgò instituitur (1.) per adstringentia, (2.) per lac, &c. ceu temperantia, (3.) per consolidantia; estque curatio universalis. Potiùs autem adhibentur specifica, qualia sunt priapus ceti, hæmatitis præparatus, cruor leporinus (*imprimis leporis mense Martio in fuga capti*) os sepiæ præparatum,

ratum, & similia, sociatis imprimis etiam opiatis. Qui modus curandi nuspiam in Praxi observatus, hodiè tamen colitur.

Tertius curationis modus fit per arcana seu panaceas, aut remedia polychresta dicta. Hæc sunt, quando Medicus nobili aliquo remedio instructus, eo præmissis præmittendis quosvis ferè morbos curare tentat: hinc dicit HELMONTIUS: *Pauca sunt, quæ Medicum nobilitant*; paucissimis enim remediis tantum præstabit, quantum tota sæpè Pharmacopœia non præstat.

Dicam autem fundamentum triplicis hujus differentiæ: In genere præsuppono, *causam morborum* in genere esse duplicem:

1. *Efficientem* seu *formalem*, quæ est *spiritus impetum faciens*: Nam *à quocunque fiunt actiones sanæ in statu sano, ab eodem & fiunt actiones morbosæ in statu ægro*; Et à quo fiunt actiones naturales in corpore nostro, ab eodem & fiunt actiones præternaturales.
2. *Materialem* seu *Occasionalem*, cujus scilicet occasione spiritus in hujusmodi actiones perversas trahuntur, uti sunt sapor & odor, seu fermentum peregrinum (vocet quis ut lubet) à quo vel immediatè, ut in contagiis, vel mediatè, mediantibus scilicèt humoribus, spiritus in actum educuntur: v. g. *laborat quis febre quartanâ atroci propter causam aliquam irritantem (quæ est acidum sui generis fixum,) huic si ex inspe- rato diarrhœa supervenit* (quale exemplum nuper mihi in Praxi obtigit) *cessat paroxysmus, non quidem planè* (fit enim paulò post ut plurimum recidiva) sed ad quoddam tempus. Fuit hic causa materialis acidum aliquod in glandulis collectum, irritans spiritum. Jam qui per universalia curant, respiciunt saltem causam morbi materialem & occasionalem in genere, eamque ut removeant, contendunt, reliqua naturæ morborum curatrici relinquunt.

Consistit autem *causa* hæc *occasionalis* juxta HIPPOCRATEM in intemperantia, hoc est in eo, quod humoribus, vel spiritibus debitè assimilari nequit; *vis* enim *irritatica consistit in textura vitiosa particularum minimarum*, quâ spiritus irritati morbum producunt. *Texturæ* hujus *humorum materialis nucleum constituunt Acidum & Urinosum, in statu naturali volatiliter existenti*, à qua etiam qualitates dependent & variant: acidum temperatur ab oleo & destruitur ab alcali; alcali tamen passivè se habet, informatur enim ab acidò; acidum autem activè se habet. Jam qui per universalia curant, nil magis opus habent, quàm ut corrigant illud acidum, ac datâ portâ quanto ocyus eliminent. Objiciat quis: At multi dicuntur de bile, de sale ejus volatili urinoso, à cujus turgescentia multi quoque oriuntur morbi, quæ per acida alterantur. Rectè, concedo id quidem: Verùm, bilis reverà est aliquod salsum volatile oleosum; quando enim bilis peccat, revera semper peccat salsum ejus volatile oleosum, quod figentibus acidis, antimonialibus aut vitriolicis, est corrigendum: sic dicunt in erysipelate bilem peccare, sed falsò; nam acidum volatile peccat.

Revera enim Cacochymia oritur proximè à vitio acidi vel alcali; quæ salia, si pro subjecto habent materiam aqueam vel serosam, oritur *cacochymia serosa*, vel *Catarrhi*; vel si materiam viscidam, tenacem & crassam, *pituitaria* seu *chylosa* vocatur. Unde vulgata aliàs quadruplex cacochymia, biliosa, melancholica, pituitosa, & serosa, cum dictis facilè conciliari potest: Nam quod veteres vocarunt cacochymiam biliosam, hoc moderni per sal volatile oleosum à sanguine & bile, à statu naturali declinans, explicant: Veterum verò cacochymiam Melancholicam jam explicant per acidum vitiosum; quæ dum hærent in muco viscido, exhibent veterum cacochymiam pituitosam: dum verò diluuntur à subjecto seroso seu aqueo, constituunt illorum Cacochymiam serosam.

Origo ergò omnis *Cacochymiæ* est ex vitio salium, à seminali crasi successivè degenerantium. Remota autem origo cacochymiæ est simpliciter ex digestionibus læsis, speciatim ex errore digestionis primæ; his læsis, læditur crasis omnium succorum, unde cacochymia; sive statuantur digestiones tres, sive quatuor, sive sex.

Tribus autem modis fit: vel ob digestionum Relicta, Transmutata, & Transmissa, uti distinguuntur ab HELMONTIO. Ob *Relicta*, si recrementa vitiosa emittenda & expurganda retinentur in corpore, in partibus & partium culinis: Ob *Transmutata*, si ipsæ digestiones aberrant, vel vitio fermenti, vel objectorum fermentandorum, ut non ritè fiant, digerenda variè mutentur, & in multiplices sordes abeant: Ob *Transmissa* cacochymia oritur, si recrementa digestionum ex una transferantur in aliam, ex prima in secundam, &c. Undè hic habenda ratio primæ digestionis in stomacho.

Fundamentum omnis *cacochymiæ* est cacochylia, ut adeò verum illud vulgare sit: *Cacochylia est mater cacochymiæ, & hæc consequenter cachexiæ*. nempe digestio prima in stomacho est fundamentum omnium digestionum. Ex his causis oriuntur cacochymia acida & urinosa.

In specie peccant hæc salia; & 1.) quidem sal volatile urinosum (quod cum sulphure bilem constituit) nimiâ quantitate, nimiâ acrimonia, interdum nimiâ oleositate & pinguedine, interdum singulari & anomalo vitio, pro diverso usu rerum non-naturalium: v. g. per sapores rem explicabo: Inter plantas antiscorbuticas cochlearia, absinthium, fumaria, &c. omnia habent sal volatile in se, & tamen etiam in specifico sale volatili est differentia: simili ratione & nostri corporis sal volatile variis modis potest variari secundùm sapores, & diversis ac variis modis variare fermentationem. Causæ, quæ vitio hujus salis dant occasionem, sunt imprimis alimenta aromatica, item alimenta acria & penetrantia, quæ partim augent, partim acrius reddunt hoc ipsum sal volatile massæ sanguineæ. Accedunt vigiliæ, exercitia, iracundia, & similes affectus, qui nunc exasperant & acrius reddunt, alio modo dispenunt hoc ipsum sal volatile, & inde totam massam sanguineam. (2.) E contrà acidi vitia sunt, quando hoc est nimis excessivum, i. e. copiosum, aut quando est nimis acidum, aut quando vitiosum, i. e. sapore rancido, aut vitiosè salso, aut aluminoso austero, aut alio simili inquinatum. Ubi est nimis copiosum aut inquinatum, massa sanguinea spissescit, & tardè circulatur: Ubi est vitiosum, variæ istæ in effervescentia sanguinis contingunt anomaliæ, quæ scorbuticis & hystericis familiares. Causæ sunt variæ, assumpta imprimis acida, plus minus talia, item aër frigidus inspiratus, qui acido oculto videtur impregnatus, tristitia, mœror, curæ, deficiens motus, & similia augent partim, partim acrius reddunt acidum.

Hæc duo, *acidum, & urinosum*, rectè vocantur *duo pugiles* à SWALVE *Tr. de sale alcali & urinoso*, qui continuâ pugnâ fatigant massam sanguineam, ut fit in fermentatione; quamdiu æqualibus & proportionatis viribus concernunt, tamdiu consistit sanguis in aliquali motu & fermentatione naturali; simul ac verò alterum deficiat aut labascat, fit vitiata fermentatio, & totus massæ sanguineæ status turbatus.

Quæritur: *quomodo his occurramus*? Resp. duobus modis: Nempe vitia hæc

1. Alterando.
2. Vitiatos succos evacuando.

Alterantia sunt vel generalia, vel specialia seu specifica: *Evacuantia* sunt etiam totuplicia, vel generalia, pluribus in casibus usualia, vel specialia, ad certam causam morbosam eliminandam determinata.

Alterantia generalia sunt, quæ acidum vitiosum & alcali vitiosum corrigunt, indéque natam præternaturalem effervescentiam sistunt, eorum ametriam in debitam harmoniam restituunt, &c. ex quibus interdum evadunt absorbentia, Præcipitantia aliàs dicta: *alterantia specifica* sunt, quæ hoc alcali, hoc acidum, certâ ratione degenerans, transmutant.

Unde qui porrò per specifica curant, hi respiciunt quidem ad causam materialem, non tamen per generalem, v. g. acidi, dulcis, vel amari alicujus &c. conceptum, sed per specifica, quibus hoc vel illud acidum in specie corrigunt: Sic v. g. in pleuritide peccat acidum, in soda peccat acidum, in stranguria, exulceratione renum, podagra, nephritide, dysenteria, &c. etiam peccat aliud acidum. Hæc distincta non sunt unum acidum, sed distinctè curantur. Sub quolibet affectu acidum peccans specificum habet saporem, secundùm quem nunc hunc nunc istum morbum producit; nunc

nunc coagulatur sanguis, ut in pleuritide, nunc urinam inquinat, & facit stranguriam: sic dens apri & lucii piscis specialiter destruunt acidum in pleuritide, licèt generaliter per omnia alcalia fixa enervetur: lapilli cancrorum, acidum aliàs quodcunque corrigentes, destruunt acidum in stranguria, &c. Hinc illa, quæ maximè hanc vel istam causam corrigunt, dicuntur *specifica*, vel *appropriata*. Acidum enim, sicut variat secundùm sapores diversos, ita specifici sapores, aut specifica horum salium vitia, nobis à priori incognoscibilia, remedia alterantia specifica seu appropriata, per experientiam cognita, requirunt: Ita v. g. dum in scorbuto peccat acidum vitiosum, non quæcunque alcalia conveniunt, sed appropriata tantùm, quæ scilicet præter hoc, quod acidum corrosivum corrigunt, etiam specificum acidum in scorbuto corruptum, emendant: Ita in ictero flavo non quæcunque amara conveniunt, sed specificum istud amarissimum, chelidonium majus (quod tamen superat absinthium) quod ipsum præter alcali naturam generalem, specificam vim habet, specificum in ictero peccantem saporem corrigendi.

Et hinc est, quod HIPPOCRATES, quem omnes adhuc laudant, *Tr. de veteri Med.* (est Tractatus cedro dignus) in eo totus sit, ut reiiciat qualitates elementares, tam ex Theoria Medicorum, quàm ex Praxi, & omni conatu se monstret Chymicum, dum defendit totis viribus, quòd peccet amarum, dulce, salsum, insipidum, & sexcenta alia, & quod etiam his saporibus morbosis per medicamenta, specificos quoque sapores habentia, sit occurrendum. Igitur attendunt hic Authores sapores istos, quos corrigere tentant.

Modus hic est optimus curandi, in Praxi Medica primariò considerandus, & in quovis speciali casu evoluendus; in quo ipso fida experimenta chymiæ, cæcorum manuductricis, sunt consulenda. Hæc enim appropriata maximum habent usum, ubi Generalia non satis faciunt, & citò & tutò id præstant: sed expertum requirunt Medicum.

MEMBRUM PRIMUM.

De Cacochymia Acida.

QVoad generalia verò, quæ acidum corrigunt, contraria alcalia nunc volatilia sunt, nunc fixa, tàm in quanto quàm in quali, sive reverà talia, quæ acidum destruunt, sive alcalibus similia terrea, absorbentia: v. g. ex regno vegetabili omnia salia urinosa vel cineritia, absinthii, tartari, cardui-benedicti, centaurii minoris, &c. destruunt acidum, & coëundo in salsum mutant; item omnia aromata, & aromatica, qualia absinthium, mentha, fœniculum & cooleosa, & pinguia, quæ obtundunt, & quasi aculeos acidi, sive sint expressa, sive, quod melius, destillata, ut omnes spiritus inflammabiles, spiritus vini, nasturtii, cochleariæ, &c. olea destillata, caryophyllorum, macis, &c. quò & camphorata pertinent. Ex regno animali acidum destruentia sunt: Spiritus & omnia volatilia, quæ abundantissimè ex animalium partibus eliciuntur, ut cornu cervi, cranii humani, viperarum, spiritus urinæ, vel salis ammoniaci, sanguinis humani, item partes animalium quævis duræ, ut cornua, ossa, ungulæ, lapilli cancrorum, maxilla lucii piscis, dens apri, ebur, os sepiæ, unicornu, cornu cervi ustum, & sine igne, testæ cochlearum, reliquaque conchylia, & producta Marina, quæ potenter corrigunt acidum, ita ut eorum attactu planè mutetur, & ex iis emergat sapor urinosus. Ex regno minerali destruunt acidum sulphura mineralium fixa, ut antimonium diaphoreticum, quæcunque terrea fixa & lapides, ut creta, terra sigillata, corallia, hæmatites, osteocolla, silex calcinatus, & concreta metallica, istud absorbendo, & edulcorando: Mars primariò, & omnia Martialia, promptissimè id absorbent, & dulcificant. Post Martem eminet Saturnus, saccharum Saturni, & omnia Saturnina, quæ attactu acidi saporem dulcem saccharinum acquirunt: Aurum & solaria remedia habent potentissimam vim, contumacissima absorbendi acida, præsertim acidum vinosum, quale est acidum podagricorum, & ita podagram compescunt; Specialiter quoque absorbent acida tartarea in corpore. Augent verò hæc acida, quæcunque assumpta talia, vel læsa digestio prima, in specie Panis, Vinum, &c. quæ habent acidum gratissimum nobis, maximè stomacho, unde acidum nativum per panem ritè paratum sustentatur, & per Vinum in recta dosi conservatur, si non excedatur, aliàs acidùm præter naturale fit, & sic concurrit vitium digestionis primæ: Acidum item augent positivè dulcia, v. g. saccharata, mellita, &c. quæ omnia, utut primà fronte dulcia, & acidis quasi contraria videantur, in recessu tamen habent acidum egregium, spiritum nempè insigniter acidum & corrosivum, qui per destillationem ex retorta, vel per fermentationem facilè excitatur. Excipiuntur tamen ab his passulata.

Pro corrigendo autem acido in genere, sufficiunt sequentes formulæ:

℞. *Lapill. Cancr. præp.*
Corall. rub. præp.
C. C. usti præp. an. ℈j.
Sal. tart.
Absint. vel *card. bened.* an. gr. xv. vel xvj
Olei destillat. cumini,
Caryophyll. an. gutt. xij.
Laud. opiat. ferm. gr. v. vel vj. ad viii.
M. f. *pulvis* pro 4. vel 6. dosibus, S.
Pulvis præcipitans pro aliquot vicibus.

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒiß.
Unicorn. fossil.
Corall. rub. præp.
C. C. usti præp. an. ʒß.
Salis absinth. ʒj.
Nuc. moschat. ℈ij.
M. f. *pulv.* S. *ut anteà.*

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
Oss. sepiæ ʒß.
Corall. rub. præp.
Cretæ præp. an. ℈j.
Salis absinth. ℈ij.
Nuc. moschat. ʒß.
M. f. *pulv.* S.
Pulvis præcipitans.

℞. *C. C. usti præp.* vel *spod. præpar.* ʒß.
Corall. rub. præp.
Crystall. præpar.
Terræ sigillat. vel *salis absinth.* an. ℈ß.
M. S.
Pulvis præcipitans.

Usurpetur ante evacuationem, ubi peccat materia acida.

℞. *Salis absinth.*
Lapill. Cancr. præp. an. ʒß.
M. f. *pulv.* pro duabus dosibus.
Potio destruens acidum:

℞. *Aquæ card. bened.*
Fœnicul. an. ℥iß.
Spiritus salis ammoniaci ʒiß
Lapill. Cancr. præpar.
Corall. rub. præp. an. gr. xv.
Salis fumar. gr. xij.
Olei destillat. caryophyll. gutt. vj.
Syr. menthæ ℥j.
M. S.
Potiuncula præcipitans benè agitanda.

Hæc sunt ingredientia talia, quæ in genere acidum corrigunt. Præ cæteris tamen omnibus Mars in corrigendo acido, in primis viis peccante, primatum obtinet.

Ex volatilibus pro corrigendo, & destruendo acido austero hypochondriaco, & hysterico talis sit formula:

℞. *Aquæ majoran.*
Menthæ vel *rosmar.* an. ℥iß *ad* ℥ij.
Vitæ matth. ʒiij. vel ʒvj. ad ℥j.
Ess. Castor. ʒiß
Spiritus sal. ammoniaci vel hujus loco *liqu. C. C. succin.* ʒß ad ʒj.
Syr. fumar. ʒß. vel ʒvj. ad ℥j.
M. f. *Potio.*

De qua capiatur sæpe *cochlear j.*

Non nunquam adduntur *Corall. rub. præp.* & *lapill. Cancr. præp.* an. gr. xv. ad xxiv. vel ʒß; item *Olei destill. caryophyl.* gutt. iij. vel vj.

MEMBRUM II.

De Cacochymia Alcalina.

QUod attinet *Cacochymiam alcalinam*, hanc, si alcali acrius fuerit, quæcunque acida, alcali destruentia, & in

& in tertium ſalſum coeuntia, tàm vegetabilium, ut acetum, ſuccus citri, berberum, cydoniorum, &c. quàm Mineralium, ſpiritus eorum acidi, ſimplices & compoſiti, ſpiritus vitrioli, ſalis; Nitroſa imprimis, ut nitrum probè depuratum nitrum Vitriolatum ſeu arcanum duplicatum Mynſichtii, tartarus vitriolatus, hepaticum rubrum; item ſpiritus nitri cum ſpiritu vini dulcificatus, qui mirè convenit in Cacochymia billoſa, duplici ex cauſa, partim quod deſtruat acrimoniam ſalinam, partim quod figat ejus mobilitatem volatilem, quò minus in efferveſcentias præternaturales erumpere poſſit; item ſulphurea mineralia, & metallica cum nitro fixata, ut ſunt, Sulphur commune, omnia antimonialia cum nitro aut ſpiritu nitri fixata, antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale, &c. adeò ſunt decantata; quæ optimè acrimoniam, & oleoſitatem volatitem temperant, indeque inflammabilitatem facilem figunt quaſi & corrigunt, ſimulque anodyna ſunt, & mediante ſudore hæc fixata & correcta per poros evacuant. Nitrata quidem ratione amaroris, deſtruunt ſal alcali volatile, ratione ſulphuris copioſi adjuncti in omnibus nitratis corrigitur oleoſitas, & nimia figitur, ne veniat efferveſcentia. Optata quoque non ſunt negligenda, quæ obortas hinc nimias efferveſcentias, palliativè quidem, potenter tamen, domant, & refrænant, ſimulque conjunctos ſæpiùs feroces ſpiritus compeſcunt; vel ſi cacochymia urinoſa oleoſa, corrigitur per ſpiritum, & ſalia volatilia, ut ſalis ammoniaci, cornu cervi, &c.

Acidum augmentant, & acuum omnia acida aſſumpta, in ſpecie acetum deſtillatum, ſpiritus vitrioli, & ſalis. Sal volatile oleoſum, & inde natam bilem, augmentabunt in corpore ſimiliter quæcunque ſalia volatilia, tàm acria, quàm oleoſa, & hinc omnia aromatica, & ſpirituoſa, ut aqua cinnamomi, ſpiritus cochleariæ, ſpiritus cornu cervi, &c. item remedia amara, qualia in ictero & febribus intermittentibus uſitata, ut acrius reddant ſal volatile oleoſum: v.g. ex abſinthio, centaurio minori, chelidonio majori, mentha, olea deſtillata aromatum &c.

In ſpecie pro corrigendo ſale volatili acri ſeu bilioſo, indéque nata phlogoſi, alvi fluore bilioſo, ſiti, &c. v.g. in febribus ardentibus.

℞. *Nitri antimoniat.* ʒj.
Arcan. dupl. ʒß vel ℈ ij.
Bezoard. miner. ℈j.
M. f. *Pulvis.*
Div. in 3. par. æq. S.
Pulvis refrigerans pro tribus vicibus.

℞. *Nitri antimoniat.* vel *arcan. dupl.* ʒß.
Bezoard. miner. ℈j.
M. pro duabus doſibus.

℞. *Nitri antimoniat.* ʒß.
Arcan. dupl. gr. xv. vel ℈ j.
M. f. *Pulvis.*

Item.

℞. *Ebor. ſine igne,*
Pulv. hepat. rub. an. ʒß.
M. f. *Pulvis.*
div. in 2. par. æqual.

℞. *Pulvis hepat. rub.* ℈ ij.
Lapill. Cancr. præp. ℈j.
M. div. in 2. vel 3. part. S.
Pulvis digeſtivus: doſin unam mane, alteram veſperi.

Uſurpetur ante evacuationem, ubi peccat ſal volatile oleoſum.

Item pro eodem ſcopo:

℞. *Aquæ acetoſ.*
Rubi idæi an. ℥iß
Succ. citri rec. vel *cyaon. rec.* ℥j.
Antimonii diaph. ℈j. vel ℈ ij. ad ʒj.
Bezoard. miner. ℈ ß ad ℈j.
Syr. rubi Idæi vel *acetoſ. citri* ʒ vj ad ℥j.
Spirit. nitri dulc. q. ſ. ad gratiam.
M. f. *Potio*, D. S.
Potio refrigerans, & alterans pro aliquot vicibus.

Uſurpetur pro aliquot doſibus, pro doſi cochl. ij.

℞. *Aquæ Rubi idæi* ℥ iij.
Succ. ejuſd. ʒ iij.
Antimonii diaph. ʒj.
Syr. rubi id. ʒß.
Spirit. nitri dulc. q. ſ. pro grato ſapore.
M. D. S.
Potio refrigerans pro aliquot vicibus.

Vtraque verò, *acida* nempè, & *alcalina vitiata*, temperant, & quaſi obtundendo corrigunt remedia ſulphurea, pinguia, & oleoſa, ex omnibus tribus regnis, quæ, quaſi catholica celebrantur, tàm volatilia quàm fixa. In regno vegetabili temperata ſunt imprimis emulſiones ex ſeminibus oleoſis, v.g. amygdalis dulcibus, pineis, piſtaciis, ſeminibus quatuor frigidis majoribus, & minoribus, papaveris albi, &c. Hæc ſiquidem oleoſitate ſuâ temperant omne acre, acidum & urinoſum, in corpore: quod etiam faciunt olea deſtillata vegetabilium, ſed cautiùs uſurpentur ob oleoſitatem, qua valdè inviſcant: Mucilagines, & gummi Arabicum, Tragacantha, ſaccharum, glycyrrhiza, althæa, Malva, & omnia ejuſmodi emollientia, olera eſculenta, rapæ, item opiata; ſed palliando. Ex minerali regno lac, ſerum lactis, item gelatinæ animalium, &c. Præ cæteris ſulphura Mineralium, & hinc metallica fixa, ſunt adeò nobilia, cùm non ſolùm temperent omne acidum acre in corpore, & hinc Cacochymiam, ſed etiam ſimul vi anodynâ prædita ſint, adeòque hæc ſulphura fixa in tanto pretio apud practicos habeantur, quatenus ad univerſalium remediorum claſſem propiùs accedunt: id quod ſulphura antimonialia, exque his paratæ tincturæ, item tincturæ ſolis, &c. ſufficienter confirmant. Pertinet huc quoque aqua calcis vivæ.

MEMBRUM III.

De Cacochymia Pituitoſa, & Seroſa.

TErtiò quoque radicantur ſalia peccantia in ſubjecto, nunc viſcido, nunc ſeroſo; unde *Cacochymia pituitoſa, & ſeroſa*. Facilè ex Cacochymia ſeroſa oritur viſcida, & nonnunquam in certis ſolſi partibus, ubi frigus accedit, vel aliæ cauſæ; v.g. in arthritide vaga ſupervenit ſæpè fixior morbus, v.g. Iſchias, podagra, chiragra, nephritis, &c. ſine dubio ex pituitoſa Cacochymia.

Cacochymia ſeroſa Evacuationibus, & ſerum ſeu lympham alterantibus, ſaltem tollitur; ſi verò *hæc ſalia* hærent *in ſubjecto viſcido*, & *Cacochymiam pituitoſam* conſtituunt, corrigitur per Alterantia, Incidentia, Attenuantia, & Reſolventia, imprimis per ſalia alcalia fixa, volatilia, & ſalſa, quæ aculeis ſuis penetrant, & ita coagulata plus minus indurata, mollia & fluxilia faciunt: quò pertinent omnia ſalia digeſtiva dicta, imprimis tartarus, qui eſt concrementum ſalſum, & corrigit mucos viſcidos tenaces, qui dicuntur Cacochymia pituitoſa; & tartarea, ut cremor tartari, ſeu cryſtalli ſalis tartari, tinctura tartari, ſpiritus tartari, ſalis ammoniaci, ſal volatile tartari, ſpiritus carminativus, terra foliata tartari ejuſque liquor, tartarus vitriolatus, nempè genuinus, qui paratur ad imitationem TACHENII *in clave Medicinæ Hippocraticæ*; eſt nobile remedium: item arcanum duplicatum Mynſichtii, quod eſt ſal polychreſtum, multi uſus in Praxi, item ſal ammoniacum, ſal digeſtivum hypochondriacum, &c. quibus ſubinde aut lapilli cancrorum, aut corallia præparata, aut ſimile quid, ad infringendum magis acida, admiſcenda: imprimis gummata, ſagapenum, maſtix, myrrha, in ſpecie ammoniacum & galbanum, quæ omnia mirabiliter conferunt in attenuando ſucco viſcido; Spiritus æris viridis, gummi ammoniaci cum ærugine, acetum deſtillatum, ſpiritus ſalis dulcis, oxymel, &c. hic ſunt optima; nec non vegetabilia aromatica acriora, ſeu ſalina volatilia oleoſa, vulgò aperientia, & febrifuga dicta, viſciditates incidere, & ita magis abſumere ſolent; ut abſinthium, carduus-benedictus, centaurium minus, taraxacon, mentha, armoracia, roſmarinus, fœniculum, angelica, galanga, & omnia intensè amara; ſicut de colocynthide notum eſt, quod itidem in muco viſcido probè conducat.

Sit ergo *Digeſtivum*, præmittendum purgationi *pro incidendâ materia viſcida pituitoſa*, ut ſubſequatur evacuatio minus doloroſa, & torminoſa:

℞. *Tartari vitriolat.*
Salis hypocondr. an. gr. xv.
Abſint.
Card. bened. an. ℈ß.
M. f. *Pulvis.*
div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis digeſtivus pro duabus vicibus.

℞. *Tartari violat.* ʒj.
Salis card. bened ʒß.
Flor. Salis armoniaci vol. gr. xv.
M. f. *Pulvis.*

Div.

Div. in 3. partes. ʒß.
℞. *Tartari vitriolati.* ʒß.
Lapill. Cancr. præp. ℈j.
Salis Tart. ℈ß.
M. f. *Pulvis.*
Div. in 2. part. æqu. S.

Pulvis digestivus pro duabus vicibus.
℞. *Tart. vitriolat.* ʒß.
Salis absinth.
Lapill. Cancr. præp. an. gr. xiv.
M. f. *Pulvis.*
Div. in duas vel tres partes æqu. S.

Pulvis digestivus pro aliquot vicibus.
℞. *Crem. Tart.* ʒ j.
Tartari vitriolat. ʒß.
Salis absinth.
Cichor. an. ℈ß.
M. f. *Pulvis.*
Div. in tres partes æqual.

Capiantur unâ vel altera die ante evacuationem.
℞. *Salis ammoniaci depur.* ʒiß.
Mastich. ʒß.
Cinnam. ℈ j.
Salis absinth. gr. vj.
D. S.

Pulvis stomachicus pro 4. vicibus.
Usurpetur bis in die, manè ante prandium, & à meridie aliquot horis, duabus præter propter ante cœnam.
In forma liquida.

℞. *Aquæ Menthæ* ℥ j.
Arcan. dupl. ℈ j.
Lapill. Cancr. præp ℈ß.
Sal. tartari gr. v.
Syrl de Hyssop. ʒß.
M. S.
Potio digestiva pro duabus vicibus.
℞. *Liqu. Terræ fol. Tartari* ʒß.
D. S.
Digestiva Essentia.
De qua capiantur manè, & à meridie 30. vel 40. gutt.
℞. *Aquæ menth.* ℥ ij.
Cinnam. ʒ vj.
Gum. ammoniaci aceto sol. ʒ j.
Tartari vitriolati. ℈ j.
Syr. rosar. ℥ j.

Misc. pro duabus vel tribus dosibus.
Assumpto digestivo, propinetur purgans sequenti die, & sic feliciùs operabitur, & sine molestia.
Fundamentum tertii curationis modi per arcana, consistit in eo, quod una tantum detur causa materialis, & occasionalis morbi; hinc

1. *Quædam arcana* respiciunt causam formalem morborum, nimirum spiritum, cujus motum, & orgasmum figere ac inhibere tentant. Ejusmodi panaceæ seu arcani imaginem habemus in opio. *Sanè nullam febrim scio (nisi excipiantur continuæ lentæ, & hecticæ) quæ non curare possit opium ritè adhibitum*, aliisque remediis sociatum.
2. *Quædam arcana* quodvis acre, præprimis in primis viis hærens, ac irritans spiritus, corrigere possunt, adeòque dato ejusmodi correctore acris in primis viis orti, datur reverà panacea. Hujus panaceæ etiam vestigium *suggerit nobis Sylvii sal volatile oleosum*, quo præmissis præmittendis plurimos morbos felicissimè, maximoque cum lucro, curavit.

MEMBRUM IV.

De Succorum Cacochymicorum evacuantibus universalibus.

EA, quæ cacochymiæ vitiatos succos evacuant, sunt varia, uel universalia, vel particularia: Universalia, si non totum evacuant corpus, operatio tamen ejus ad totam corporis machinam se extendit: Hæc in quintuplici sunt differentia: vel enim sunt Emetica seu Vomitoria; vel Cathartica seu purgantia, in specie sic dicta, per inferiora; vel Diuretica seu urinam cientia; vel Diaphoretica seu sudorifera; vel Sallivantia, seu quæ ptyalismum concitant, nempè cum Mercurio facta remedia. Hi sunt quinque modi remediorum evacuantium universalium. Particularia verò sunt Apophlegmatismi, Errhina, Sternutatoria, item quæ interdum ex utero, ano, & vesica excernunt: de quibus *in Institutionibus* sufficienter egi.

TITULUS PRIMUS.

DE VOMITORIIS.

NUnc igitur agam de Evacuantibus universalibus, & primò quidem *de Vomitoriis*, quorum sanè ingens est copia in omnibus tribus regnis. Si tamen selectus vomitoriorum est instituendus *ex regno ani* [illegible] nullum, quod sciam, prostat vomitorium, excepta *rasura unguium bovinorum*. Hæc enim *per noctem vino generoso infusa, mane que filtrata ac hausta, egregium est Vomitorium*; quod etiam Nobilissimi CNOFFELII, *Medici Regis Poloniæ*, eupariston Castrense fuit. Ex regno vegetabili asarum, nicotiana, elleborus albus, oleum olivarum, succus raphani rusticani, Iuli sambuci & ebuli cum aceto & oleo olivarum præparati, oleum ex arillis baccarum sambuci, & succus vermicularis.

Inter hæc excellit *asarum*, quod tanquam optimum Veteribus jam dudum innotuit: Nam in DIOSCORIDE (tanquam in Patriarcha, qui primò *de Materia Medica* scripsit) prostat, quod asarum purget, phlegma evacuet, &c. In hoc asaro singularia sanè reperiuntur: Nam *folia & radix saporem habent ingratum acrem ac mordicantem*, qui in sua differentia exactissimè æmulatur saporem Zingiberis, vel Zedoariæ. *Ab hoc sale essentiali acri dependet primò vis vomitoria*; cùm enim particulæ hæ acres, membranas ac fibras ventriculi, imprimis copiosiores circa pylorum, vellicant, fibræ istæ constringuntur, sicque vomitus excitatur. *Prætereà & attendendus sapor iste acris specificus Zedoariæ æmulus, à quo vis alterativa dependet*, item febrium chronicarum, & quartanarum curativa, item vi. quoque urinam ciendi, splenemque inflatum corrigendis Hæc omnia ex ipsa asari textura desumenda. Præterea etiam *notabile est, quod asarum planta sit hyeme latissimè virens, æstate verò marcida*, certo judicio, continere id singulare balsamum: conf. CARDILUCII *Tract.* egregius *de peste*, *in quo de hoc asaro non inelegantem habet discursum*.

Dixi etiam, quod asarum curet Febres. Notum est, quod STROBELBERGERUS (optimus sui temporis Medicus) *in Tract. de methodo curandi febres, contra quartanam maximè commendet, si nimirum ternâ vice in vino calido, imprimis ingruente paroxysmo frigido febrili, dosi à ℈ij ad ʒ j cum ℈ß piperis albi hauriatur*. Verùm methodus hæc est vana. Concedo quidem, impossibile esse absque repetito Emeticorum usu curari posse quartanas: Concedo etiam, quod optimum sit antiquartium. *Tentavi* hoc, scilicet *asarum cum pipere longo; & certè, si hoc aliquoties repetatur, quartana cessat*. Par ratio est in remittentibus Tertianis chronicis (quæ quò diuturniores, eò pejores) quæ repetito hujus asari usu curatæ fuerunt. Modus igitur curandi ac utendi asaro est triplex:

1. *In forma* { *Pulveris.*
2. *Infusi.*
3. *Decocti.* }

I. *Quoad pulverem*, observandum: *quò exactiùs asarum in alcohol redigitur, seu minutiùs pulverisetur, eò meliùs vomitum, urinam, & sudores ciet*; particulæ enim ejus eò meliùs se insinuare possunt ventriculi plicis: *E contra grosso modo pulverisatum asarum non tam benè operatur, sed alvum magis laxat. Datur adulto à* ʒß *ad* ʒ j; *Rustico verò robusto ad* ʒ iv: propinatur in vino calido generoso in febribus, & quidem haustu pauló largiori.

II. *Quoad Infusa*: reperiuntur folia viridia.
Pro *infuso remissiori*.
℞. *Fol. asari* No. IX.
Quæ scindantur in segmenta minuta, infundanturque per noctem in
Aquæ card. bened. ℥ iv.
Hydromel. simpl. ʒß.
Manè Colatura detur, quæ mitiùs purgat.

Pro

Pro infuſo fortiori:

℞. *Folia aſari virid.* etiam No. IX.

Terantur in mortario, vel marmoreo vel lapideo alio; addendo *hydromel ſimplex* tamdiu, donec folia in ſuccum redigantur: hoc deinde diluitur cum

Aquæ Card. bened. ℥ ij.

Eſtque præſtantiſſimum Vomitorium.

III. *Quoad Decoctum, ſi decoquatur radix aſari in aqua, amittit vim Vomitoriam, & tantùm fit Diureticum: ſi autem in Vino decoquatur, manet vis emetica, fitque vinum emeticum.* Primus obſervavit hoc HELMONTIUS; confirmavit verò ZWELFFERUS, & BOYLE *in Principiis ſuis Philoſophicis*. Ratio in ſuſpenſo eſt: Dicam quod ſentiam: *Superiùs* dixi, vim aſari alterativam in ſale eſſentiali fixo non adeò volatili conſiſtere. *Dum igitur in aqua decoquitur, partes ſalinæ volatiles avolant, Decoctum amaricat, & fit tantùm diureticum: Si autem in vino decoquitur, penetrat vinum texturam concreti*, antequam ſcilicet particulæ avolent ſalinæ. *Decoquitur* etiam *radix aſari cum hydromelite, quod tamen non eſt emeticum, ſed egregium* potiùs *pectorale, mucum pectoris optimè incidens.*

Igitur ſolum tantùm inter vomitoria vegetabilia excellit aſarum, reliqua ſunt vitanda, imprimis ex nicotiana; nam ſubindè excruciant ægros miſerè.

Hinc *rejicio* in ſpecie *Tabacum*, potentiſſimum vomitorium, & quidem ob ſummam, quam habet, violentiam. Sanè *olei Tabaci guttula una, vel altera ſummè eſt venenoſa*; Videmus enim quantas in corpore noſtro excitet turbas, unde metuendum, ne graviſſima ac periculoſiſſima exinde oriantur ſymptomata. *Scio infantes, qui unguento ex pulvere Tabaci, in tinea capitis illito, in convulſiones, cardialgias, lipothymias, choleram, ſudorem totius corporis, &c. inciderint.* *Vſurpatur* autem *nicotiana pro vomitorio* triplici potiſſimùm modo:

1. *In fumo:* ſi enim *parum fumi deglutiatur, mox fit vomitus, in non aſſuetis* ſcilicet.
2. In *Infuſo*, ſi infundatur *vino*, ac filtratum mane bibatur: Vel

   ℞. *Tabaci opt. Virgin.* qu. pl.

   Infundatur cum Spiritus Vini q. ſ. per noctem:

   Manè propinetur de *Colatura* cochlear unum, & ſanè mirè præſtat vomitum.
3. In *Maſticatione*: ſi ſcilicet *piſi magnitudine* Tabacum maſticatum cum ſaliva in ventriculum deſcenderit, ſubitò excitatur vomitus.

Caveamus igitur *à Nicotiana*. *Poteſt* autem *corrigi ejus venenum per univerſalem Vegetabilium venenorum correctionem, nimirum per ſalem tartari, & per nitrum fixatum*; hoc enim additum exhibet eſſentiam parum vel nihil emeticam, ſed è contra quibuſdam laudatur in empyemate, aſthmate humido, in ſpecie verò *ſyrupus nicotianæ*. Cùm autem alia tutiora proſtent, hoc facilè carere poſſumus.

Rejicio *Helleborum album*; utut enim apud veteres fuerit uſitatiſſimus Helleboriſmus, tamen quoad helleborum album in deſuetudinem abiit. Dici nequit, quàm ſtupenda ſymptomata inferat helleborus albus. Non datur in omnibus tribus regnis violentius emetico-catharticum remedium, quàm helleborus albus, quod expertus loquor. *Suaſi mulieri cuidam Materialiſtæ nodulum ex helleboro nigro parare, miniſtri verò Officinæ infundunt helleborum album, hinc ſecuti vomitus, cardialgiæ, ſudores frigidi*, &c. Ego ſtupefactus ſtatim perſpexi, helleborum fuiſſe album. Sanè, præter ſupra & infra factam hypercatharſin, adeò œconomiam animalem afficit, ut ſuffocationis periculum immineat. *Nihilominus* tamen *in ſternutatoriis apoplecticorum* tantùm *locum obtinet*, aliàs nulli autor eſſem, ut eo nec externè, nec internè uteretur.

Veteres quidem *Elleboro albo frequenter* uſi fuerunt: Verùm hi longè robuſtioris conſtitutionis fuerunt, vel illi in Græcia elleboro albo gaviſi fuerunt mitiori, & climatis ratione minus truculento: *Notum* enim *eſt, variare vires medicamentorum pro diverſitate climatis*. Accedit, quod ipſi non abſque vino generoſo dulci elleborum album adhibuerint; hinc nullum dubium, quoniam dulcedo vini temperare acrimoniam hellebori potuerit. *Unum* tamen *monebo*: *Mania* eſt affectus curatu difficillimus, qui *ſine vomitoriis curari nequit*. Iam Maniaci poſt antimonialia, & aſſumpta vomitoria, parum levantur; hoc autem unicum eſt genuinum purgans, nimirum Elleborus albus, inque hoc caſu tutò & neceſſariò uſurpari poteſt: Utut enim operentur antimonialia, tamen id nulla cum *ἰσονομίᾳ* fit: Solus ergò helleborus albus eſt, qui vi ſpecificâ alterativâ juvat Maniacos:

℞. *Rad. elleb. albi* ℥ j.

Infund. vino, coquatur, aut maceretur primò per noctem in loco calido: *Vinum hoc prius coctum* abiiciatur; eſt enim nimis acre, radici reſiduæ *aliud Vinum Rhenanum* ſuperinfundatur, & hoc *cum radicibus* tantùm in infuſione ſtet per noctem: Manè *colatura* detur à ℥ jß, ad ſummum ℥ ij. hinc propinetur Maniaco, à quo cicurabitur Maniacus; horum enim eſt ſpecificum.

Porrò rejicio etiam triviale illud Vomitorium, ſcilicet *oleum olivarum, cujus ℥ v. cum aqua tepida miſcent*: ſed nocivum eſt vomitorium; mirè enim *inde laxatur tonus fibrarum & membranarum ventriculi*, undè poſt propter *atoniam debilis redditur ventriculus*.

Rejicio etiam Vomitorium Plateri ex ſucco Raphani ruſticani, non vulgaris, *ab* ℥ ij. *ad* ℥ iij. cum hydromelite propinatum. Eſt vomitorium ſubinde potens, ſed in ventriculo robuſtiori ſæpè paulò diutiùs hic ſuccus moratur, agitque in mucum ventriculi, ac eundem reſolvit, unde gravis inflatio oritur.

Inter Vomitoria vegetabilia etiam numeravi Iulos ſambuci & ebuli: Hi cum aceto & oleo olivarum in forma acetariis parantur, de quibus aliquot buccellæ ſumptæ ſtrenuè operantur; doſis tamen eſt incerta; nunc plus nunc minus ſumitur, hinc etiam incerto modo operantur, ac denique conqueruntur ægri de debilitate ventriculi, atoniam enim ventriculi relinquunt. *Equidem oleum ex acinis baccarum ſambuci* expreſſum, paucarum guttarum doſi exhibitum, *potens eſt vomitorium*, unde & à BLOCHWITIO contra icterum laudatur: ſed cùm aſarum noſtrum præſtet, hoc ſufficere poterit.

Denique Sedum minus ſeu Vermicularis, aut illecebra, acerrima planta antiſcorbutica eſt, *cujus ſuccus cum vino expreſſus potenter vomitum ciet*. Novi quod in febribus tertianis certum hujus habent effectum, ſi ſcilicet hujus recentis cum vino tritæ ac ſubactæ Vermicularis ſuccus expreſſus ante paroxyſmum hauriatur, Quidam etiam decem ſeptimanis febre tertianâ conflictatus, ſucco hoc liberatus fuit.

Pergo ad Regnum minerale, quod ſuggerit Vomitoria antimonialia & vitriolata: omnium optima, potentiſſima, & tutiſſima ſunt antimonialia; Vitriolata & Mercurialia vomitoria ſtomacho membranoſo maximè ſunt hoſtilia, ſummèque proſternunt ejus robur, in ſpecie ſal vitrioli vomitivum, quia ventriculo valdè adhæret, quicquid de hoc ANGELUS SALA dicat; adeòque pauca antimonialia ritè uſurpata ſunt inſtar omnium. Et quidem pro aliquot vomitoriis millenariis ſufficit *unicum vitrum antimonii*, tàm in forma liquida quàm ſicca; & in caſu rigoroſiori ad Turbith Minerale Crolli vel Mynſichtii confugiendum. Iam de vitro antimonii dicendum, & quare illud elegerim, etiam tradendum.

Antimonium eſt metallum ſuo modo imperfectum: id autem quod propriè vocari debet, eſt regulus, in quo ejus textura metallica potiſſimùm conſiſtit, hic propriè eſt antimonium, reliquum tantùm eſt ſulphur commune minerale copioſum; utut enim facie nigra appareat, tamen eſt purum ſulphur commune. Iam ergò cum Regulus ſit metallum imperfectum, ſimili modo de acido & urinoſo, i. e. de ſulphure & Mercurio participabit. Notandum: *Quæ in Regno vegetabili vocantur acida, & urinoſa, ea in Regno minerali ſulphurea & Mercurialia dicuntur*, ita ut in quovis metallo ſulphureo lateat acidum, & in quovis metallo Mercuriali Urinoſum etiam adſit. Igitur antimonium ſeu regulus *etiam ſulphur & Mercurium* habebit. Sulphur hoc antimonii internum eſt de natura ſolari, ſeu ad perfectionem ſulphuris ſolis proximè accedens, ita ut ſit aurum imperfectum, aut in fieri adhuc: parte verò Mercuriali accedit ad naturam Saturni, quem etiam quidam ex antimonio parare conantur; ſaltem quod antimonium gaudeat ſulphure ſolari, eoque non adeò fixo, nec non adeò volatili. Igitur *regulum antimonii à ſulphure externo purgatum alii ceu ſubiectum lapidis Philoſophorum elegerunt*, vocarunt, que Saturnum Philoſophorum: confer. SCHROEDERUS *Pharm. l. 3. cap. 1. pag. 421.* Uti enim Saturnus dicitur Pater Deorum, ita antimonium etiam ſic vocarunt, cùm ex ejus ſulphure fixato à ſulphure externo depurato ac magis fixato Lapidem Philoſophorum elaborare ſtudent: Videatur PHILALETHÆ (ſcriptor eſt Anonymus, Anglus tamen) *Introitus ad apertum & occultum Regis Palatium*, & M. A. N. *C. append. anni* (neſcio cujus) ibi

Ibi hujus Lapidis Philosophorum fit mentio: conf. cum his PANTHALEONIS *Tumulus Hermetis apertus*, ubi Processum PHILALETHÆ examinat. His jungatur BECHERI *supplementum secundum*, & quoad præparationem lapidis Philosophorum in via sicca, sufficit ejus demonstratio.

Igitur in antimonio duplex est sulphur: externum, & internum.

1. *Externum* est minerale istud, quod regulo adhæret.
2. *Internum* est fixius, ad naturam solis accedens, quod cum Mercurio regulum antimonii constituit.

Quoad externum, istud minerale non differt à sulphure communi. *Probatur*: sumatur *aqua fortis*, & iniiciantur *frustula antimonii grosso modo contusa*, sic operabitur aqua fortis in regulum; nimirum acidum minerale rodit regulum, contrà acidum seu sulphur externum separatur; tunc cum cochleari *in aqua calida* accipitur perfectum sulphur, non differens à sulphure communi, nisi quod parum sit viridius, quàm commune sulphur. Alio autem modo elicitur sulphur antimonii:

℞. *Antimonii* qu. pl.
Huic pulverisato affundatur
Oleum vitrioli rectificatum.
Destillentur per retortam, sic sublimabitur: sufficienter Sulphur.

Sulphur hoc minerale nudum si usurpetur, vim catharticam, regulo autem junctum, nullam possidet.

Quoad alterum sulphur fixius metallicum: h. e. naturæ solaris. Differentia utriusque hujus sulphuris patet in præparatione reguli antimonii; Antimonium enim cum alcalibus fusum regulum amittit, arripitque tantùm sulphur commune. *In specie vitrum antimonii non fit, nisi quando sulphur externum penitus exhalaverit.*

Dicendum igitur, quid sit vitrum antimonii? *Vitrum in genere est concretum artificiale, ex acido sulphureo & alcali terreo, invicem arctè colliquatis, & strictissimè unitis*, compositum nimirum ex arena & alcali cinerum. *Probo* hoc *ex resolutione*: acidum enim arenæ rodit alcali cinerum, hinc colliquata ac juncta in vitrum abeunt. Par ratio est, si ex arena, vel Saturno calcinato & minio fiat vitrum Saturni, aut si cum lapide pyrite seu arena fiat vitrum Saturni. *Probo id ulterius per resolutionē*, si vitrum arte factum cum salis fixi ana colliquescant in crucibulo, post in aqua solvantur, sic præcipitabitur per acetum arena, quæ forma pulveris in fundo remanebit. Vid. quoad Theoriam vitrorum, præter TACHENIUM *in Hippocr. Chymico*, BECHERUS *in sua Minera arenaria perpetua*.

Jam videatur, quale sit Vitrum antimonii? *Constat* igitur hoc *ex acido sulphuris fixioris* colliquati, arctèque cum parte alcalina Mercuriali juncto: Acidum enim sulphuris antimonii paulò fixius mediante sulphure arripit substantiam Saturninam, quæ duo coaluerunt in pellucidum vitrum, hinc *pro facilitanda fluxibilitate vitri additur borrax aut sal tartari*, quæ sunt alcalia, ac motum intestinum augent, fluxumque vitri antimonii promovent. Jam differentia videtur inter vitrum commune, & antimonii: Videatur DAVISSONIUS *in sua Pyrotechn.* (scriptor rarus, sed elegans:) Nimirum *in vitro communi ingredientia longè sunt fixiora, firmiùs unita, & intimiùs colliquata; quæ omnia in minori gradu sunt in vitro antimonii*. Nam

1. *Vitrum antimonii* sub fluxu potest adhuc sublimari, quod non fit in vitro communi.
2. *Vitro antimonii* aliquod decedit, si infundatur; vitro autem communi infuso nullo modo potest aliquid absumi.

Iam igitur quæritur: *Quare in specie Vitrum antimonii seligatur pro tot crocis, syrupis, &c. ex antimonio parandis*: Resp. Uti in omni evacuante, juxta violentiam solutivam, attendenda vis alterativa specifica respectu morbi; ita & hoc in antimonio attendendum. *Non sufficit vis evacuans seu Vomitoria, sed & anodyna temperativa analeptica, quæ in ejus sulphure fixiori latet*, attendenda est. Dum præparatur vitrum antimonii, separatur sulphur externum, & tantùm remanet fixius sulphur internum solare, cum pauco admodum sulphure externo minerali pertinaciùs adhærente.

In hoc *vitro antimonii habetur*:

1. *Ex acrimonia vitriolica* particularum antimonialium *remedium stimulans*.
2. *Ratione sulphuris fixioris* interni juncti & remedium confortativum, temperativum, ac cujusvis acidi correctivum.

Præparationem & correctionem vitri antimonii videbitis in *Collegio nostro Chymico & Pharmaceutico*.

Iam dicam, *in quo consistat vis vitri antimonii emetica*, alterativa, & anodyna &c.; est enim mitius venenum, sub quo elegans Medicina latet. Dixi supra, sulphur externum non purgare, sed tantum regulum: *Igitur in particulis fixioribus antimonii vis emetica consistit*. In quibusvis enim antimonialibus purgantibus ex acido sulphuris, cum substantia Saturnina coalescente, fit concretum Vitriolicum, à quo oritur molestia ventriculi, & consequenter vomitus, hoc est, quod alii dicunt, in sale fixo antimonii esse vim emeticam. Dabo exemplum. Gustetur parum Mercurii vitæ, & sapor vitriolicus nauseabundus se exeret; in hoc enim vis emetica Mercurii vitæ consistit; quod probo, si enim loco aquæ communis cum oleo tartari per deliquium præcipitetur, longè mitiùs operatur; acidum enim infringit alcali, ut magis salsum evadat. Pari modo *in vitro antimonii est textura vitriolica: hæ particulæ quasi vitriolicæ ventriculum vellicant, ut exinde vomitus sequatur: e.g. solæ particulæ acidæ pingues sunt, quæ acre quodvis volatile figunt, & impetum spirituum blandè vi anodynâ sistunt.*

Antequam igitur ad utendi modum accedamus, quædam dubia sunt eximenda: *Dubium* scilicet *sunt in reguli particulis*, junctis cum Mercurio & sulphure, consistere vim emetico-catharticam. Obiiciat quis: quod omnis crocus metallorum consistat simpliciter ex sulphure antimonii externo, & nihilominus habeat vim egregiè emeticocatharticam. Respondeo: Verum est, esse sulphur externum, quod crocum constituit, sed non solum; insunt enim etiam partes regulinæ, utut paucæ, sufficientes tamen, à quarum particularum consortio, sulphuri externo adhærentium, croci metallorum vis cathartica dependeat. Nam ut mediantibus salibus alcalicis fixis separetur ab antimonio sulphur externum, quod est acidum, salia alcalia fixa hoc imbibunt, & sic regulum dimittunt: *Sulphur* autem *antimonii externum dum per alcalia dissolvitur, acidum rodit alcali*, & *sic semper* huic *aliquid de regulo antimonii adhæret, ut ita hujus ratione vim emeticam habeat*; si quis enim ex croco metallorum exactè partes regulinas separare posset, certus sum, illum nullam vim emeticam habiturum. *Alterum dubium* est, quod dixerim, sub calcinatione antimonii fumum exhalantem, & in flores sublimatum esse sulphur externum antimonii, & tamen hi flores albi seu fumus hic est summè emetico-catharticus, ita ut non in substantia, sed in infuso tantum usurpari queat: Respondeo: ut sulphur externum sub igne quodvis metallicum secum rapit, sic etiam hic sulphur externum rapit secum ex regulo plures particulas regulinas, à quibus vis emetica dependet.

His remotis, consideremus usum seu potiùs utendi modum: *Usurpatur tantum in infuso* cum Vino Rhenano, & syrupo; nunquam verò, quoquomodo etiam correctum, in substantia; cruda enim antimonialia assumpta loco Infusorum, sæpè nociva sunt, aut ad minimum fallacia. Recipiuntur in specie vitri huius antimonii, vel croci metallorum, vel Mercurii vitæ, qui genuina est antimonii proles, gr. V. aut plura, infunduntur in Vinum Rhenanum, filtratum bibitur, ut sequatur vomitus; quia vinum Rhenanum est acidulum, & optimè impraegnatur antimonialibus particulis: sive multum sive parum de antimonio infundatur, nihil refert, modò determinetur quantitas vini hauriendi, non quantitas vitri aut substantiæ antimonialis infundendæ; quia liquor recipit, quantum recipere valet, Si enim gr. V. *vitri antimonii* Unciis tribus *Vini* infundantur, eundem effectum habebunt, ac si gr. xx. infunderentur; nam vis antimonii est inexhausta, ut docet WALÆVS *in methodo medendi*: Habeatur ergo ratio vini, non antimonii. Optimè præparare docet KERKRINGIUS *in Comment. super currum Triumphal. antimonii Basilij Valentini pag. 144. & 169.*

Præscribatur igitur ex tempore:

℞. *Vitrii antimonii* vel *croc. metall simplic.* aut *absinthiac.* vel *Mercurii vitæ* gr. iv. v. vj. aut viij.
Infundantur in
Vini Rhenan. generosiss. vel *absinth.* q. s.
Stent in loco tepido per noctem: manè filtretur exactè per chartam emporeticam: *Filtraturæ* ℞. ℥j. vel ℥jß. ad summum D. S.

Vinum emeticum.

Hauriatur, & sic tutò ac jucundè operabitur:

Addi

Addi etiam possunt *Aquæ cinnamomi* ʒ ij.

Non ineptum est etiam quorundam inventum, quando ex vitro antimonii parvos calices vomitorios fundunt: his vini q.s. v.gr. ℥j. infundunt, relinquunt in satis tepido loco per diem, manè filtratum hauriatur, & sic egregium habebitur Vomitorium. Talis calix ad plures sanè annos servari potest, nec quicquam ipsi sensibiliter decedit.

Pertinet huc etiam MARTINI RULANDI *calix ex ligno ordinario tornatus*, quem *internè pice* obduxit, *huicque adhuc liquidæ frustula vitri antimonii grosso modo contusi inspersit* post vini ℥ j. vel sufficientem quantitatem infusam per noctem in loco calido relinquit, manèque filtratum, hauriendum præbuit.

Secundus modus est, *ut loco horum Vinorum usurpetur in consistentia syruporum*. *Syrupum* seu *oxysaccharum emeticum* optimum parare docet LUDOVICI *in sua Pharmacia pag. 212*: nempe

℞. *Croci metallor.* ʒ ij. ℈ ij.
Infundatur per triduum in loco calido in
Aceti Vini ℥ x.
Sæpiùs agitata liquorem, dehinc filtra,
& adde
Sacchari albi ℥ x.

Vitro clauso in aqua calida detinendo, spontè saccharum solvitur, & si lubet tingitur cum
Essent. flor. papav. errat. ʒ j.

Hic modus est certus & tutissimus, aliàs incertus semper.

Dosis ʒß ad ʒ vj.

Ad hujus ferè, aut oxysacchari emetici Angeli Salæ imitationem:

℞. *Vitri antimonij* ʒ iij. vel v.
Infund. *Aceto Vini puro*, stentque per aliquot dies in digestione, subinde agitando *acetum*: Post filtretur, ipsique ana *sacchari albissimi* addatur, sicque habetur syrupus elegans à ʒ iij. ad ʒß. in robustioribus ad ʒ vj. propinandus.

Vel potest etiam fieri *syrupus emeticus citratus* hoc modo:

℞. *Vitri antimonij pulver.* q. s. v. g. ʒß. vel ʒ j.
Infundatur in
Succ. citri rec. per aliqualem resident. dep.
℔ß ad ℔ j.
Stent in digestione blandi caloris subinde agitando: filtrato liquori addatur
Sacchari ana;
vel e. s. q. *sacchari*, coquatur ad syrupi consistentiam.

Habebitur sic syruptus elegans, cujus dosis ʒß esto.

Præscribitur sequenti modo:

℞. *Aquæ menth.* ℥ vj. vel ℥. j.
Cinnam. c. Vin. ʒ ij.
Syr. emet. ʒß. (ubi varietur dosis pro varietate præparationis.)
Syr. Nicotianæ ʒ ij.
M. S.
Mixtura emetica pro una vice.

Alium Syrupum vomitorium habet LOTICHIUS *in Consil. pag. 52.*

Tertius modus In infuso sit Sapa vomitoria, quâ olim Sylvius frequenter in Belgio usus fuit, utut tamen ejus descriptio prostet in *Appendice* TILEMANNI *de materia Med.* quæ ita fit.

℞. *Vitri antimonij pulverisf.* ℥ j.
Infundatur in *musti rec.* vel loco hujus *succi cydon. rec.* ℔ j. plus minus:

Stent in digestione loco calido per aliquot dies & noctes, hinc filtretur exactè, vel per linteum, vel per filtrum chartaceum: liquor filtratus leni igne evaporetur ad consistentiam mellis seu Rob liquidioris vel spissioris, ita tamen ut Rob liquefactum ad gutt. v. vel vj. seu, ubi spissius est, ad pisi unius vel duorum dari possit dosin, in quocunque vehiculo.

Sufficientes movet vomitus, & est remedium euporiston.

Ad hujus imitationem prostat hîc Lipsiæ in Officina Linckiana ad insigne Leonis *syrupus rubi idæi emeticus*, qui sine saccharo paratus à ℈ j. ℈ ij. ad ʒ j. leniter vomitus ciet.

Vomitoria hæc tutissima ac perpetui sunt usus.

Post hæc in forma sicca eminet Tartarus emeticus Mynsichtii, qui tutissimum est Vomitorium antimoniale: vid. MYNSICHT. *in Armament. Medic. Chymico pag. 13:* correctus à LUDOVICI *in Pharmacia*.

Dixi suprà: Vitrum antimonij non in forma sicca debere adhiberi, quia constet, vim hujus emetico-catharticam, quam in minutissimis suis moleculis diffundit in liquorem infusum, esse inexhaustam. Metuendum igitur, ne, si aliquid de vitro antimonii in substantia recipiatur, hoc in rugis ac plicis ventriculi hærendo, ita hypercatharsin continuam, & choleræ periculum, excitet.

Dicis: cur igitur tartaro emetico, qui est pulvis antimonialis, utimur? *Resp.* Tartarus emeticus est infusum antimoniale in forma sicca. Hoc quidem videtur paradoxon, sed tamen verum. Tartarus est filius seu privignus quasi vini: Scilicet est acidum vini cum alcali terreo saturatum: sive ergo per infusionem, sive solutionem, idem acidum vini in forma sicca imprægnetur, quod post filtrationem coagulando ac crystallisando de substantia crassa antimoniali nil retinet: ergo idem est, ac si acidum vini infundendo in forma fluida rodat vitrum antimonii, quàm sit solutio tartari in forma sicca: *Optimus* igitur *Tartarus emeticus ex vitro antimonij fit*, si

℞. *Vitri antimon.* ℥ ij.

Teratur cum ana *cremoris tartari*, ebulliant cum affusione *aquæ communis* q.s.; dum fervent omnia, tepidè filtrentur, & in frigido crystallisentur, & ita in forma sicca, humida, & media, habemus Tartarum emeticum. Dosis sunt gr. ij. vel iij. ad summum, in robustioribus gr. iv, rarissimè gr. v: & quidem in Melancholicis affectibus contumacioribus, ubi & gr. vij. propinantur. In Maniacis ordinaria dosis nil operatur ob acidum figens, ideò augeatur dosis. Præscribitur cum tantillo sacchari, ut sine nausea assumatur, ita:

℞. *Tartari emet.* gr. ij. iij. ad iv. vel v.
Sacch. albiss. gr. vj. vel ℈ß.
M. f. *Pulvis*, S.
Pulvis emeticus.

Addi possunt *olei destillati menthæ* gutt. ij. Item, quando per inferiora volumus simul stimulare, additur scammonium sulphuratum: e. g.

℞. *Tartari emet.* gr. ij.
Scamm. Sulphurat. gr. ij. vel iij.
Sacch. albiss. gr. iv. vel v.
M. f. *Pulvis*.

Assumatur in cochleari uno vel altero jusculi gallinacei, vel carnis: saccharum inservit pro corpore pulveris nam duo vel tria grana sunt nimis tenuia, ne pereatris hujus medicamenti in cadendo, aut altera ratione.

In forma *Boli*:

℞. *Cons. Menthæ* ʒ j.
Mercurij vitæ gr. ij.
C. *Syr. cinnam.* parum, f. *Bolus*.
D. S.
Bolus emeticus pro una vice.

℞. *Rob. junip.* ʒß.
Tartari emet. gr. ij.
Scamm. Sulphurat. gr. j.
C. *Syr. cort. aur.* f. *Bolus*.

Dicis: non tamen protinus sulphurata aurata sunt rejicienda. *Resp.* Verum est, si quis igitur tutum habere vellet *sulphur antimonij auratum*, huic sequentem commendo methodum:

℞. *Antimonij*,
Tartari,
Nitri an. part. æqual.

Antimonio fluenti in tigillo superinjiciantur *tartarus*, & *nitrum*, detonentur mutuò, & tunc peractâ detonatione fluant, ut separetur regulus: Materia fusa in cono fusorio est bipartita, regulusque exactè separandus. Si autem suspicio quædam adsit adhuc reguli quid admixtum esse, rursus detonetur tartarus cum nitro, & fluant, solvantur scoriæ in aqua communi, & recipiatur solutio tartari fervida per linteum transmissa; sic præcipitetur crocus seu sulphur antimonii, continuando id tamdiu, donec nil amplius præcipitetur. Separetur hoc sulphur, ac edulcoratum exsiccetur, liquor filtrum transiens evaporetur, quousque velit crystallisari, serveturque usui.

Ratio præparationis in eo consistit: nimirum sub detonatione prima abeunt in alcali fixum nitrum, & tartarus, quod promptè absorbetur à sulphure antimonii externo ratione acidi sui occulti, & sic regulus spontè cadit, qui ante ab acido detinebatur: scoriæ igitur istæ sunt turgidæ sulphure externo & particulis regulinis. Præcipitatio fit cum tartaro: nimirum mitius hoc acidum est; nam etsi sulphur cen-

centies in aqua fervida ebulliat, non omne tamen acidum ablues. Hoc sulphur dosi gran. v. vel vj. propinatur: infanti à gr. ß ad gr. j. Si præcipitatio fiat duplex, hæc posterior mitiùs operatur priori. *Quò sæpiùs ex scoriis antimonii separantur sulphura, eò evadunt fixiora, minus cathartica, ac potiùs diaphoretica anodyna.*

Præscribitur sequenti modo:

℞. *Crem. tartar.* ℈ß.
Sulphuris antimonii vitr. par. gr. vj.
Scamm. præp. gr. ij.
M. f. *Pulvis.* D. S.
Pulvis emeticus pro una vice.

Liquor filtratus est essentialis tartari, sulphure antimonii ex scoriis imprægnatus. Hic liquor est abstergens ac muci primarum viarum resolutivus, diureticus, ac lithontripticus: uno nomine, egregium remedium.

Hæc vomitoria blanda & tuta sunt, sufficiuntque pro 1000 hominibus. Plura hac de re, qui legere cupit, adeat sincerissimum *Fratrem* BASILIUM VALENTINUM, *cum Commentario* KERKRINGII (qui Commentarius omnium est optimus) *in curru suo Triumphali antimonii*: scripsit etiam *in hunc currum Triumphalem antimonii Commentarium* PETRUS JOHANNES FABER (cujus scripta tamen minus sunt bona; speciosus enim est in verbis, egenus in rebus) qui autem nihil habet in recessu. Post hunc scripsit etiam ALEXANDER *Hucthenvon. de mysterijs antimonij libros duos* egregios, in quos commentatus HEINRICUS THOLDENIUS. Verùm quæ adduxit ibi THOLDENIUS, partim sunt dubia, partim falsa.

Dixi quidem, hæc sufficere remedia: tamen si duro nodo applicandus sit durus cuneus, ad Mercurium accedendum est: *Ex hoc sufficit Turbith Minerale, vel Crollii, vel Mynsichtij.*

Turbith minerale in genere notat omne remedium catharticum ex Mercurio paratum. Præmoneo hic: alio modo Mercurium vivum considerari, prout est in sua essentia; alio modo, prout est in sua existentia. Loquor igitur primò de Mercurij natura. *Mercurius vivus in sua natura est liquor metallicus ex aqua & terra subtili æquabili proportionato specifico principio seminali* (quod principium consistit in acido sui generis) progenitus. Hæc invicem contexta subministrant liquorem hunc, nimirum Mercurium. *Repræsentat igitur Mercurius alcali metallicum, h. e. tale concretum, quod promptissimè ab acido alteratur, & ab alcali liberatur per acida.* Hinc etiam est, quod nihil magis queat agere in Mercurium, quàm acida, & contrà nil magis Mercurium ex spissa sua consistentia in liquorem fluxilem redigere possit, quàm alcalia. *Acida* autem illa *sunt vel occulta vel manifesta*, quæ imprimis in spiritibus acidis mineralibus sunt conspicua.

Prout igitur sulphura acida variant, ita & variat Mercurius, ita à sulphure communi coagulatur in cinnabarin, & contrà à sulphuribus metallicis, qua sunt fixiora, coagulatur in metallum imperfectum. Quoad acida manifesta, notum est, quod à spiritu salis, nitri, sulphuris, vitrioli, &c. promptè coaguletur; tamen hic differentia observanda: Dum Mercurius coagulatur ab acido salis communis, hoc fit, ut maneat volatilis Mercurius; dum verò coagulatur à spiritu nitri, vitrioli, &c. ita coagulatur, ut magis maneat fixus: hinc est, quod facillimè Mercurius vivus cum sale communi paratus igne sublimetur, è contrà Mercurius cum spiritu nitri paratus facillimè coaguletur. *Axioma igitur est egregium: spiritus salis communis & spiritus nitri habent effectus duos oppositos: spiritus salis communis resolvit, sed nitri plus minus figit.* Hoc ita probo: Mercurius vivus resolvatur in spiritu nitri; si autem abstrahatur spiritus nitri, hoc acidum agit in alcali, & Mercurius in fundo manet; si verò solutioni huic à spiritu nitri factæ injeceris sal commune, præcipitatur à sale communi, ex præcipitato hoc separato sublimato, ignique commisso, fit Mercurius corrosivus: sal commune hic volatilisat, sal verò nitri figit Mercurium. Certum ergò fit, Mercurialem liquorem ab acidis tantum coagulari. Jam quod etiam resuscitetur Mercurius vivus à Salibus urinosis, exinde probo: quando scilicet ex cinnabari volo resuscitare Mercurium, addo sal tartari, urinæ humanæ, Cineres clavellatos, &c. sic prodibit Mercurius vivus. Hoc est fundamentum controversiæ istius prolixæ, de præparandis Mercurijs corporum metallicorum. Modò igitur quis noverit vinculum Mercurij, & acidum saturandi, quòd faciunt alcalia, sal tartari, urinæ, Cineres clavellati, & sic spontè fluit Mercurius. Fuit hic Mercurius in essentia, quem aliàs etiam vocant Mercurium Virgineum, item Mercurium de Mercurio: Iam consideremus Mercurium in sua existentia. Hic non est amplius Virgo, sed maximè adulteratus; cùm enim sit liquor, cum quovis acido connubium agit, hinc etiam est, quod semper sulphur Mercurio adhæreat, ita ut nunquam Mercurius purus eruatur. Sulphur igitur acidum subtilissimum, pertinacissimè alcali puro adhæret.

Dixi: *Mercurium non posse resolvi nisi ab acidis, quod probo*: si recipiatur Mercurius vulgaris, & in diuturnam digestionem reponatur, sic successivè Mercurius vivus abit in rubrum pulverem, simillimum Mercurio in aqua forti præcipitato. Jam unde est principium hoc? Resp. est sulphur externum quasi adulteratum, quod ab igne actuatum ita præcipitatur: ab hoc sulphure externo, juncto cum Mercurio vivo, dependet emesis, salivatio, &c. à quibus dicitur siccus Mercurius. *Hicce Mercurius in corpore nostro absorbet quævis acida, quæ à quibusvis alijs remedijs intacta manent, ita ut fixissima etiam acida in corpore humano à Mercurio absorbeantur.* Dum verò ipsi adhæret contagium sulphureum, hinc est, quod *attenuet, dissolvat, & colliquefaciat humores, tàm utiles, quàm inutiles, tam naturaliter, quàm præternaturaliter viscidos, ut sub forma spissioris salivæ possint excerni*: & ita in lue v. g. Venerea per salivationem curanda, ratione substantiæ suæ alcalinæ, absorbet acidum Venereum; dum verò liquefacit viscidum, facit id ratione acidi istius sibi admixti. *Certè Mercurius vivus ex se mitior est, seu ejus acrimonia minus sensibilis est, unde ex se facilè nec vomitum, nec secessum ciet*: si verò diutiùs intra corpus retineatur, ptyalismum & secessum facit, & ita potiùs partibus fluidis in corpore nostro; quàm partibus solidis afficiendis, inservit. Sunt qui aliquot libras Mercurii vivi sine noxa hauriunt, nihilque incommodi inde sentiunt, præterquam quod caligas semper solvere cogantur. Curavi mulierem iliacam ex alvi obstructione laborantem gravissima, cui Mercurium vivum cum potiunculis ad ℥ iij. propinavi, ac tamdiu continuavi, donec ℥ xxiv. Mercurii in corpore haberet: Hic ad quartum usque diem hærebat, dein salivare cæpit, donec tandem Mercurius humores istos viscidos ac pertinaces solvit, alvumque strenuè laxavit.

Quod attinet Mercurium ita præparatum, ut fiat Vomitorium, dixi præparationem ejus per acida fieri, quæ eum figunt: acida autem ex vitriolo magis figunt. Jam ergò notetur: sicuti Mercurius vivus per se partibus solidis est innoxius, ita acidis sociatus nocet: quò enim copiosiora adhærent Mercurio sublimato acida, eò violentiùs purgat suprà & infrà; quò verò minus, eò mitiùs operari solet: v. g. Mercurius *sublimatus* est *corrosivus propter copiosiora concentrata acida; si autem addatur Mercurius vivus, ita ut fit minus acidus, est remedium tutum & suaviter laxans*: Sic Mercurius præcipitatus cum spiritu vitrioli vel sulphuris, quò crebriùs, & rigorosiùs abstrahuntur spiritus acidi, adeòque etiam, quò minus acidi est in Mercurio, eò fixior, & simul minus purgatorius, quò magis est acidi in Mercurio (si mitiori igne abstrahatur) magis purgatorius erit; verbi gratia, spiritus nitri, semel abstractus, dat Mercurium minimè tutum intra corpus assumendum; si autem abstrahatur summo igne spiritus nitri, ita ut acidum non maneat in ipso, Mercurius tunc est fixior, & minus purgatorius, propter acidi paucitatem. *Rationem verò quod minus purget Mercurius sæpiùs abstractus, gustus suggerit; gustentur enim omnia cathartica, semper habebunt saporem vitriolicum.* Ex hoc acido fit quasi concretum Vitriolicum, quod rodit ventriculum, & sic vomitum ciet. Fundamentalem Mercurii præparationum videb. in TACHENII *Hipp. Chymico*, & in FRANCISCI SYLVII *Praxi lib. 4. Tr. 6. §. 20. & Tract. 3 §. 14. seqq.* vbi multa habet de Mercurio egregia.

Pro nostro scopo Vomitorio selegimus Turbith minerale Crollij vel (quod tutius est) Mynsichtij. *Modus Crollij in Basilic. Chym. pag. 122. 123. & 124.* descriptus, sequens est:

℞. *Mercurii* ℔ß.
Infundit
Spiritus Sulphur. per. camp. rectif. ℔ j.

Abstrahit *spiritum hunc sulphuris* forti igne, idque tribus vicibus, quartâ vice parum *novi spiritus sulphuris* addit, & abstrahit tamdiu, donec arena & fundus retortæ candeat: hoc facto *caput mortuum album* infundit in aquam

aquam pluvialem seu destillatam, digerendo edulcorat, donec nil acrimoniæ ampliùs in aqua percipiatur, & sic pulvis præcipitatus albus fit penitus flavus: Hoc præcipitatum flavum phiolæ longo collo immittit digestioni in cinerum igne per octo dies, ut, si quid adhuc de substantia Mercurii non rite ab acido fixatum superfuerit, hoc sublimetur in summitate phiolæ, & pulvis in fundo resideat: pulverem hunc recipit, & ter spiritum vini affundit, terque deflagrare sinit.

Ratio hujus præparationis est: vult scilicet Crollius mediante acido ligare fluorem Mercurii, eligit acidum sulphuris, quod medium est inter acidum salis & nitri, spiritum verò sulphuris eligit pro spiritu vitrioli rectificato, quia non semper hic purus habetur: nam semper aliquid de sua minera ipsi adhæret; hinc est, quod spiritus vitrioli limpidissimus, si parum stet, fiat obscurus, cùm scilicet particulæ metallicæ præcipitentur; item quod successu temporis insignem æstum contrahat, quod consistit in motu acidi concitatiore. *Abstrahit ternâ vice spiritum sulphuris*, ut sic mediante igne particulæ acidæ melius uniantur cum Mercurialibus. *ne tamen nimis fiat corrosivus, adhuc semel abstrahit. Edulcoratio fit in aqua destillata*, omnes enim edulcorationes debent fieri cum aquis destillatis, nam concreta Mercurialia ferè sunt salsa: jam aqua communis etiam est salsa: ergo vix solvet Mercurialia. Spiritum vini deflagrare permittit, ut quicquid est corrosivum, ab oleo spiritus vini temperetur, & sic remedium tutum evadat.

Usus hujus Turbith mineralis Crollii est ad gr. iv vel v, pro scopo vomitorio. Non datur autem in forma pulveris, ne attactu suo gingivas rodat, faucesque lædat; sed potiùs in forma boli vel pilularum: v. g.

℞. *Turbith miner. Croll.* gr. v.
Theriac. opt. q. s. pro incorporatione:

Aut etiam

Turbith hoc minerale redigatur cum *succo liquiritiæ Hispan.* in formam *pilularum*.

MYNSICTII autem *Turpethum minerale ita paratur*:

℞. *Mercurium sublimatum corrosivum*:

Eumque solvit in *Aqua communi*, solutionem præcipitat cum *oleo tartari per deliquium*; præcipitatum hoc cum *aqua destillata* vel *aqua communi calida* crebriùs edulcorat, ut quicquid adhuc copiosi salis, tum acidi, tum urinosi, adsit, hac abluatur: tandem *spiritum vini* aliquoties desuper deflagrare sinit, ut penitus edulcoretur, & quicquid adhuc adsit, sub flamma ignis avolet. Ipsa verò edulcoratio cum aqua mellis non est necessaria, sed superflua.

Hujus dosis est à gr. v ad vj, ac eodem modo ac præcedens propinatur.

Usus hujus Turbith est, ut morbos fixos, & ab aliis remediis planè inalterabiles, quantum possibile, tollat ac corrigat, & partim viscidum, fomitem morbosum, potentissimè incidendo, partim acidum quodvis vitiosum fixissimum absorbendo, partim ex vitriolica sua textura ventriculum ad purgationes stimulando: Lues Venerea, Gonorrhœa maligna inveterata, item scabies ferina, Lepra, gutta rosacea, quæ ab acido oriuntur specifico, sine hoc turpetho minerali vix corrigi possunt: hinc inveteratas quartanas subinde Turpethi usus ante paroxysmos eradicat, hinc, modò constent vires ægri, tutò hoc turbith adhiberi potest, sic usum cosmeticum obtinet; nam acida ista, quæ vel Saturnus, vel oleum tartari corrigere nequeunt, hoc Turbith optimè corrigit.

Operatur ratione suæ substantiæ, qua absorbet quodvis acidum; ratione sulphuris externi operatur colliquescendo humores viscidos; ratione sulphuris & vitriolicæ suæ texturæ nauseam, sicque vomitum efficit.

Rejicitur autem hic *sal vitrioli vomitorium*: Nam necessitate coactus quædam de eo dicenda. Nimirum ANGELUS SALA, Vicentinus, Chymicus celebris, sincerus & industrius, *in suis scriptis Chymicis*, & speciatim *in Tr. de Ternario Emeticorum*, miré extollit sal Vitrioli vomitorium, ita ut etiam *mannam vomitoriam* vocitet. Juxta hunc B. D. JOANNES LANGIUS *in Misc. Curiosis*, etiam hoc sal vitrioli vomitivum extollit. Videndum igitur, quomodo fiat? quidque in recessu habeat?

Paratur hoc sal vitrioli vomitorium sequenti modo: *Vitriolum* calcinatur usque ad colorem obscurè prunneum, deinde *caput mortuum pulverisatum* cum *aqua communi* elixiviatur, solutio hæc filtrata igne blando evaporatur, & concrescunt crystalli, quæ ferè colorem florum persicorum æmulantur, & ipsum sal vitrioli Vomitorium constituunt.

Calcinatur ad colorem prunneum ideo; si enim tantùm ad colorem rubrum calcinaretur, loco salis vitrioli acquireretur inter elixiviandum genuinum Vitriolum, aliàs hoc non fit. Est itaque hoc sal non spiritus, non oleum, non caput mortuum vitrioli; nam hoc nihil suggerit; sed potiùs pars acida Vitrioli, quod priùs in forma spiritus & olei fuit destillatum: Hæc pars cum particulis mineralibus colliquata per retortam non transit, sed in ea permansit. *Constat* autem *acido vitriolico*, cum substantia vitrioli arctiùs colliquato; *omne verò Vitriolum constat ex acido sulphuris, & minera Martis vel Veneris invicem mixtis*. Igitur sal vitrioli vomitorium nil aliud est, quàm purius Vitriolum, seu in quo est plus acidi concentrati corrodentis, minus substantiæ mineralis metallicæ solutæ. *Probo hoc: si enim aliquandiu aeri expositum fuerit* hoc sal vitrioli, successivè ex mutatione texturæ motu insensibili candidissimum effloreseit in vitriolum viridescens, & ita regeneratur.

Quoad usum hujus salis vitrioli: sanè, si quis unquam illud gustarit, nauseosissimum est remedium, quod tantos horrores excitat in ventriculo, ut non tantùm ad nauseam & vomitus stimuletur, sed & per aliquot dies languores nauseosos patiatur ventriculus: imò sub operatione hujus salis vitrioli tantoperè tonus ventriculi laxatur, ut vix dici queat. *Vis ejus vomitoria non est à spiritu sulphuris, nec à minera Martis; nil enim in his emetici est*, & *utimur* quotidiè iisdem absque vomitu; *sed est potius à Venere, cujus tantillum vel mirum* quantum integram massam sanguineam afficere queat. Nam si in ℔ j. *salis vitriolici* saltem ℈ß sit *mineræ corrosæ Veneris*, erit mirè vomitorium; mirè enim dilatativa est vis Venerea, ventriculoque Venerea sunt inimicissima.

Nocent autem Vomitoria:

1. Herniosis,
2. Gravidis; &
3. Mulieribus, quæ patiuntur prolapsum sinus pudoris & procidentiam uteri.

Vid. MYNSICHT *in Armamen. Chymico pag.* 15. ubi *de Tartaro emetico*.

Si vomitus difficilis, sumitur haustus cerevisiæ calidæ, vel jusculum pingue; sic is promptiùs succedit: si vomitus sequatur nimius, sumitur haustus vini Rhenani tepidi; sic omnis vomitus statim sistitur, & in præcordijs cruciatus facilè evanescunt, licèt à fortioribus antimonialibus stomachus irritatus fuisset: & licèt vice primâ rei jciatur, reiteratum tamen cum buccella panis, vomitus certè sistit; item opiata aromaticis sociata, hinc Theriaca in vino assumpta, vox vomitum cohibent, aut etiam eadem Theriaca cum spiritu vini crocato ventriculo calidè applicata.

TITULUS II.

DE PURGANTIBUS PER ALUUM.

SEquuntur nunc *purgantia*: si enim per artem varia recrementosa per alvum reijciantur, vocatur in specie *Purgatio*.

Locus purgationis sunt *Intestina*, in quibus cùm non præexistant ea, quæ eijciuntur, ventilanda erit, antequam ulteriùs progrediar, quæstio; *Per quænam loca in Purgatione artificiali transferantur excrementa in intestina?* quando v. g. assumuntur pulveres jalappæ, rhabarbari, hellebori, & similes, quomodo per intestina expurgentur ista excrementa? *Resp.* Loca ista, per quæ feruntur eò ex massa sanguinea, esse tantùm duos ductus istos, choledochum, & pancreaticum, quibus natura tunc temporis quasi abutitur; unde & quæ excernuntur, frequentissimè flavedine tincta conspiciuntur: Hi enim ductus sunt naturaliter distincti, ut quicquid ex massa sanguinea in ijs fuit separatum, ad intestina amandent; quia nulli alii apparent ductus: simul tamen probabilis admodum PECHLINI videtur sententia, *Tractatu eleganti de Purgant. cap.* 36, simul etiam per glandulas miliares post intimam intestinorum membranam sitas mediantibus tubulis & parvis ductibus, ex dictis glandulis in intestina hiantibus, simul recrementa varia ex sanguine secreta in intestina deponi. m verò

licet multi cum PLEMPIO & aliis Autoribus statuant, quod per vasa etiam mesaraica in Purgatione artificiali separentur excrementa; respondeo tamen, quod sit contra legem naturæ universalem, quæ talis est, & per experientiam confirmatur, quod nempè nunquam fiat secretio cujusdam materiæ secernendæ ex massa sanguinea sine certo ac determinato cribro, per quod tanquam per filtrum separetur excernendum ab utili massa sanguinea: sin verò immediatè, & contra tale instrumentum separatiuum, ut sic dicam, aliquid separetur è massa sanguinea, tunc hoc fit promiscuè nunc cum ipso sanguine, uti hoc patet in fluxu hæmorrhoidali, & in hæmorrhagiis quibuscunque criticis, nec non in vomitu sanguineo splenicorum: interdum periodico & salutari &c., ita ut omninò existimem, per vasa mesaraica quæcunque nil in Purgatione deferri ad intestina, sed quicquid defertur, deferri eò per ductum pancreaticum, & choledocum, & glandulas dictas intestinales miliares.

Equidem optandum esset, darentur vera purgantia, hoc est, quæ sordes saltem excrementitias ex corpore eliminarent, citra utilium nutritivorumque succorum depravationem simultaneam: Verùm vulgò dicta purgantia non sunt talia, sed sub blandiente nomine virulentiam nocivam gerunt absconditam; hinc sanos & ægros æqualiter vexant, & tot sordes evacuant, quas impossibile esset citrà vitæ periculum in corpore existere. Hinc etiam tam insignis oritur virium debilitatio post purgantium usum, morbis sub antiqua contumacia persistentibus, dum interim varia & gravia inferunt symptomata, in specie convulsiones. propterea etiam tàm studiosè corrigi jubentur.

Omnia sanè purgantia nociva & virulenta sunt stomacho, solâ aloe & rhabarbaro exceptis: operantur enim promiscuâ suâ virulentiâ, & fermentativâ colliquatione tam recrementosos quàm alimentitios corporis succos resolvunt & colliquant, & quas non inveniebant sordes, corrumpendo nempe succos efficiunt, nisi eorum virulentiam robustior paulo stomachus ratione succi fermentativi acidi plus minus correxerit.

Operantur scilicet purgantia duplici ratione: vel irritando, & acrimoniâ suâ amarissimâ pertinaciter vellicando intestina; unde non tantùm horum spasmi & violentæ contracturæ (*lacerantes*) intestinorum, indèque propulsiones excrementorum sequuntur, sed simul etiam hiantia in ea orificia vasorum, cholodochi & pancreatici, item glandularum miliarium, simul irritata & vellicata eructant uberiùs sua contenta. Unde etiam est, quod hi duo succi, si naturaliter sint constituti, ut plurimum tingant excrementa à purgantibus colore subpallido & subflavo; qui color sæpiùs oritur ex bile tingente, copioso tamen succo pancreatico diluta: sin verò vitiosè hi succi constituti sint, aut si remedium assumptum habeat vim tingentem, qualia sunt Rhabarbarum, aloe, remedia Martialia, & similia, tunc varii coloris varia oriuntur excreta. Vel secundâ ratione operantur, sanguinem & inde natos succos fundendo quodammodo, & simul colliquefactione in corruptelam resolvendo; unde sordes tam variæ ante remedium non præexistentes post purgans assumptum in corpore generantur. Sub hoc tamen motu, quicquid heterogeneum est in sanguine, & à vitalitate proscriptum, faciliùs alteratur, & consequenter eiicitur, quàm quod magis vitale ac utile erit.

Omnia scilicet purgantia habent acrimoniam volatilem insignem, utut non semper æquè faucibus perceptibilem; quæ in vegetabilibus fundata est in sale volatili oleoso acri, ratione adjuncti olei insigniter amaricante, indeque viscideitatem insignem adiunctam habent: in mineralibus verò vis laxatiua in textura sulphurea vitriolica, aut sulphure volatili acri quasi arsenicali, radicata est. Hinc etiam omnia acida destruunt purgantia vegetabilia varia, quatenus destruunt eorum sal volatile acre; item salia fixa, ver. gr. sal tartari corrigit purgantia, quatenus corrigit eorum oleum, & inde natam viscideitatem, colliquefaciendo texturam resinosam purgantis, tollit; sicuti etiam fermentatio purgantium eadem mitigat, ferociamque non nihil domat: In mineralibus verò ea, quæ figunt sulphur volatile, quæ inter eminet nitrum, tollit eorum, v. g. antimonii, malignitatem purgantem, eamque saluberrimè diaphoreticam reddit.

Promiscuè ergò agunt purgantia in succos corporis nostri, tàm nutritivos, quàm excrementitios; unde spontè suâ ruit Divisio purgantium in cholagoga, phlegmagoga, & melanogoga; quin unum alterumve purgans loco omnium sufficiat: utut pro circumstantiarum ratione nunc debilius nunc fortius purgans eligendum sit. Nihilominus tamen pro morborum varietate solet interdum aliqualis selectus horum purgantium institui, quatenus sub generali virulentia laxatiua in quibusdam vis specifica causæ morbosæ alteratiua est recondita hujus vel illius morbi, ob quam aliqualis selectus habendus: qua ratione helleborus niger præter virulentiam laxatiuam etiam specialem habet vim contra affectus melancholicos; Rhabarbarum ad affectus renales: ubi per alvum euacuandæ sordes tenaciores, in specie acidæ, præ reliquis confert colocynthis ritè præparata, quæ in hypochondriacis, morbis mulierum chronicis, in lue Venerea, gonorrhœa virulenta, &c. bona est, utut varia purgantia conueniant; in specie tamen Mercurius dulcis, si aliis permiscetur, uti euacuat, ita specialiter corrigit.

Laboramus abundantiâ purgantium: ex regno autem animali nil suppetit, cum in hoc nullum detur. Ex Vegetabilibus ergò ex omni purgantium caterua 4. vel 5. mitiora & tutiora pro scopo medico sufficiunt, v. g. jalappa, senna, helleborus niger, qui nobilis, aloe, Rhabarbarum, &c. quibus, pro stimulis nunc de scammonio, nunc, ubi fortiùs agendum, de extracto trochiscorum alhandal, addi potest. Ex mineralibus sufficit Mercurius dulcis. omnibus præfertur antimonium per inferiora saltem purgans ritè paratum. Hæc sufficiunt pro 1000 hominibus purgandis.

Modus usurpandi est varius, prout unum vel alterum remedium huic vel illi formæ aptum est; usitatissimè præscribuntur purgantia in forma pilularum, inter quas ex Extracto catholico, variis additis terminantibus, in specie Mercurio dulci, ubi mitiùs laxandum, massa pilularum de ammoniaco debito stimulo, sufficiunt. Verùm in compositionibus veterum officinalibus, qualis de hiera, &c. purgantia sunt crudi in substantiâ addita minus correcta, ideò illa hodie non frequenter præscribuntur. Moderni sumunt Extracta purgantium horum, siue sint simplicia, siue composita, quæ optimè fiunt per spiritum vini tartarisatum, vel beneficio tincturæ tartari vulgaris, ut ratione salis tartari corrigatur aliquo modo vis laxatiua excedens venenosa. Pro pilulis usualibus *aloeticæ* ad imitationem LUDOVICI concinnatæ, vel TILEMANNI, præstant. Inter pulveres pulvis jalappæ compositus sufficit. Infusa inter, sennatum cum Rhabarbaro aut helleboro est optimum. In forma Electuarii purgantia in parva dosi commodissimè usurpantur, si per fermentationem parantur: (sic paratur colocynthis in minuta frustula concisa, elaterium, scammonium, in specie esula, tithymalus, & tractatur sic, ut aliàs opium: de quo vid. Dn. LANGELLOT *Epist. ad A. N. C.* ubi elegantem modum divulgavit.) Optimè succedit cum succo cydoniorum vel pomorum Borsdorffianorum, addito sale tartari, fermentationi committitur, dehinc filtratur, & inspissatur ad consistentiam *Rob* vel *Electuarii*. Sic fermentatum ratione hac à ℈j. ad ℥ß. ad summum ℥j. propinatur: benè sapit, validè operatur, licèt correctum sit per fermentationem. Quibus placet, ex hoc Rob cum spiritu vini *Essentia* aut etiam *Extractum* præparari potest, & erit remedium magis tutum.

Quod attinet *Jalappam*: hujus vis *solutiva* juxta HELMONTIUM *ex* HIPPOCRATE, *deprædatur aliquid de vitalibus facultatibus nostris*. Hoc autem de aloe & Rhabarbaro vix dici potest. *Jalappa* igitur *est planta hodierno seculo tantùm ad nos allata, ac Veteribus penitùs incognita*. Nam ex Indiis Occidentalibus, regione nempè Mexicana afferri solet. Dicitur aliàs *Mechoacanna nigra*: huic congener alia *Metalitta* dicta, viribus texturâque ferè eidem cum Jalappa conveniens. de qua vid. SCHROEDERUS *Pharmac. Append. pag. 29.* Quoniam verò ignoramus, quid sit? (utut quidam substituant eam radici huic Jalappæ) eam omittimus. Hæc Jalappa nostris in hortis culta crescit, diciturque communiter *Flos mirabilis*, ab aliis *Mirabilis Peruvianus*, *Jelseminum Peruvianum*, estque juxta MORISSONIUM planta heteroclita, nullique florum speciei respondens. Probo autem (utut contrarium statuat WEDELIUS *in Diss. de Jalappa cap. 21.*) quod idem sit flos, qui in hortis nostris crescit, cum Mexicana Jalappa, hisce modis:

1. Quia radix nostra in taleolos discissa eâdem facie apparet ac Jalappa, ita ut ovum ovo non possit esse similius.

2. Ex effectu; nostra enim æquè purgat ac exotica: Nimirum ℈ß. vel ℈ ij. nostræ tantum præstant, quàm ℈ j. exoticæ; hæc enim magis est resinosa; nostra verò minus; adeoque hujus ratione dosis nonnihil augenda, quod ipsum in climatis differentia consistit. Imò observatum fuit, quod succus foliorum floris Mirabilis inspissatus, cum sacchаro in syrupi consistentiam redactus, ac infantibus propinatus, suaviter eos laxaverit. Confirmarunt hoc HOFERUS *in Hercule Medico*, item HORSTIUS (*Pater*) *in Observat.* Solus quem miror, GEORGIUS HEINRICUS VELSCHIUS (Vir inexhaustæ lectionis) *in Decad. Curat. & Histor.* in quodam loco negat Jalappam nostram esse eandem cum Mexicana; non tamen addit rationem: sed opinor, eum deceptum fuisse libro illo rarissimo, qui vocatur *Thesaurus Mexicanus*, *Romæ impressus*, *à* FRANCISCO HERNANDEZ collectus, & post ab ANTONIO RECHO in ordinem redactus. In hoc fit ejus quidem mentio, nihil tamen de vi ejus laxativa dicitur. Hinc suspicor, VELSCHIUM exinde fuisse deceptum.

Usus radicis *jalappæ* Medicus est vel *generalis*, vel *specialis*:

1. *Generalis* est, quod ab ejus radicis assumptione alvus soleat provocari, & excrementa serosa plus minus flava egredi, citra tamen ventriculi subversionem & intestinorum extorsionem.
2. *Usum specialem* scilicet quod concernit: humidioribus subjectis tantùm convenit; hinc etiam ad cachexiam pituitosam, hydropem, fluorem album, affectus catarrhales, &c. laudatur: in specie hydropicis, imprimis à BORELLO *Histor. & Obs. Medico-Phys. Cent. 2. Obser. 23. pag.* 128. tanquam appropriatum remedium commendatum. Vis operandi consistit in ejus particulis resinosis, id est oleosis, ab acido fortiter concentratis, adeòque in particulis acido-salsis oleosis.

Probo hoc:

(1.) Si enim mediante spiritu vini resina ex radice jalappæ extrahatur, caput mortuum nil quicquam valet.

(2.) Quò pinguior & faciliùs inflammabilis est resina, eò melior & efficacior est Jalappa; hinc sequitur, quod extractio non in aquoso menstruo, sed oleoso aut spiritu vini fieri debeat.

Malè igitur facit Medicorum vulgus, qui in nodulis infundit radicem jalappæ vino, cerevisiæ, aut aquæ communi: si enim hanc 100 amphoris aquæ infunderent, nihil tamen resinosæ substantiæ, sed tantùm mucilaginem quandam extraherent.

Modus operandi est *duplex*:

1. Particulis suis viscidis ventriculo & intestinis adhærendo provocat eorum spasmos, & sic contentorum excretionem.
2. Operatur etiam, quatenus subacta in primis viis, humores attenuat, dissolvit, acrimoniâ sua liquefacit, sicque in serosum liquamen vertit.

Probo hunc duplicem operandi modum binis exemplis:

(1.) Si recipiatur resina jalappæ, eaque cum sacchаro assumatur, hæc dosi gr. xv. sufficienter, cum insignibus tamen ventriculi torminibus, operabitur: Resinosa enim substantia ei & parietibus intestinorum adhuc adhæret, hinc spasmos, tormina, &c. ac tandem evacuatio, & in prædispositis hypercatharses.

(2.) Si verò recipiatur hujus resinæ jalappæ ℈ß, & cum uitello oui subigamus, fit solutio blanda; nam uitellum oui oleosam resinam resoluit. Potio hæc grata cum aqua fœniculi uel menthæ, aut cum syrupo propinata, sine torminibus operatur. Ergò partim irritando, partim liquefaciendo, operatur resina jalappæ.

Utendi modus est *duplex*: usurpatur enim vel in *forma solida*, vel *fluida*. In *forma solida*, si recipiatur pulveris ℈ j. (quæ est ordinaria dosis,) operabitur quinquies, sexies, si scilicet in substantia usurpetur: Vel, ut meliùs operetur, jungitur cum tartaro, vel tartaro vitriolato; quoniam detergendo viscidum loco stimuli additur: v. g.

℞. *Crem. tart.* gr. xv. ad ℈ j.
Pulv. jalapp. ℈ß. gr. xij. ad gr. xv.
Olei destill. anisi vel *macis*. gutt. j. vel ij.
M. f. *Pulvis*, S.
Pulvis purgans.

Propinetur in vehiculo seruido, ut meliùs dissoluatur tartarus.

Si stimulum addere lubet:

℞. *Pulv. jalapp.* ℈ß. gr. xv. vel xvj.
Crem. tar. uel *tart. vitriol.* uel *arcan. duplic.* gr. xii. ad xv.
Scamm. præp. gr. j. uel ij.
Olei destillat. anisi, uel *ma..s*, vel *cinnam.* gut. ij.
M. D. S. vt anteà.

Vocatur *vegetabile purgans polychrestum*, ad plures usus sufficiens.

Vel alia ratione præscribitur:

℞. *Pulv. jalapp.* ℈ß ad gr. xv.
Nitri purif. ℈ß (vel *nitri* gr. iv. ad vj. & *salis tart.* gr. iv.)
Scamm. prep. gr. j. vel ij.
Olei destillat. anisi uel *macis* gutt. j. vel ij.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis laxativus pro una vice.

Sine torminibus purgat. Vel

℞. *Crem. tart.* ℈ j.
Resin. jalapp. ℈ß.
Sal. tart. gr. vij.
Olei destillat. anisi gut. ij.
M. f. *Pulvis*.

In forma *Boli*:

℞. *Conf. flor. tun.* ʒß.
Crem. tart. gr. xv.
Pulv. jalapp. ℈ß.
Olei destillat. macis gutt. ij.
Cum syr. rosf. sol. f. Bolus, S.
Bolus purgans.

℞. *Pulp. passul.* ʒ ij.
Pulv. jalapp. ℈ j.
Scamm. sulphurat. gr. j.
Syr. fumar. q. s. f. *Electuar.* S.
Electuarium purgans.

In *Pilulis*:

℞. *Extr. cathol.* gr. xii.
Mag. jalapp. gr. iv.
Extr. troch. alband. gr. ii.
M. f. *Pilulæ* S.
Pilulæ purgantes.

Quoad *formam fluidam*: usurpatur in *Essentia*, qualis fit, si ℞. *Spiritus vini* aut *alius appropriatus*, & affundatur *radici jalappæ* cum *cortice citri*: Vid. BARTHOLINUS *in Epist.* E. g.

℞. *Spiritus vini*, uel *alius Spiritus rectif.* ℔ j.
Rad. jalapp. ℥ iv.
Cort. citri ʒ vi.
Croci (qui coloris gratiâ additur) gr. v.

Stent hæc in infusione in loco tepido, filtretur liquor, ac usui asseruetur, diciturque *Essentia citrata*, cuius dosis ab ʒß ad ʒ vi. Estque hæc nil aliud, quàm resina liquefacta, quæ ita propinatur; si enim abstrahatur spiritus uini, remanet resina liquefacta.

In forma *Mistura*:

℞. *Aquæ hyssopi* ℥ i.
Cinnam. ʒ iii.
Pulv. rad. ialapp. gr. xv.
Extr. troch. alband. gr. ii.
Syr. cichor. cum Rhab. ʒ iß.
M. f. Potio: S.
Potiuncula purgans.

Item si ipsa resina in forma misturæ desideretur: v. g.

℞. *Res. ialapp.* ℈ß. ad gr. xii.
Salis tart. gr. vi. ad vii.
Cum s. q. syr. rosf. simpl. uel *solutiv.* aut *similis suavioris*, fiat *syrupus gratus*.

Sal tartari huic potioni admisceatur, ut resinam corrigat, eiusque in ventriculi plicis pertinacem adhæsionem prohibeat.

In forma *Emulsionis* si desideretur:

℞: *Sem. Melon. exc.* ℈ß.
Resin. ialapp gr. vi, vii, viii, ix, ad xiv.

subigatur: deinde affundatur.

Aquæ

Aquæ tepidæ rosar. vel *menthæ* vel *alius appropr.* ℥j.
& redigatur in *liquorem lacteum*; (oleum enim seminis solvit resinam, & sic coeunt in formam emulsionis:) add.

Aquæ cinnamomi ʒij.

& edulcoretur cum *syrupo rosato solutivo*, aut *alio quodam grato*, aut *rotul. manus Christi*,

M. D. S.

Emulsio laxativa pro una vice.

Addi etiam possunt *scammonii sulphurati* gr.ij. aut *extr. troch. alband.* gr.j. cum gr.viij. *Sal. tartari*. Denique D. HARTWIGIUS cum vitello ovi seq. modo propinavit:

Resinæ jalapp. sumit gr.vij, viij, vel ℈ß. in robustioribus verò g. xij. & xv. subigit cum *vitelli ovi* dimidia parte, vel cũ integro vitello: hinc affundit *aquæ fœnicul.* vel *menthæ* ℥ß, vel q. s. ut fiat *emulsiformis Potio*: addit deinde *Aquæ cinnam.* ʒj. vel ʒij. & *sacch. aut syr. cynnam.* parum pro edulcoratione;

D. S.

Emulsio purgans.

Suaviter & copiosè operatur. Propinavi hanc misturam fœminæ robustæ, quam copiosè suprà & infrà inde pugavit, citra tormina tamen & anxietates. Ubi igitur paulò exactiùs purgandum est, hæc mistura potest recipi.

Post Ialappam *pergo ad Sennam*, quæ unum ex optimis & mitissimis est Pugantibus. *Hæc* primatibus Medicinæ, Veteribus *Græcis, fuit incognita*, nihilque de hac apud HIPPOCRATEM. Cum verò Ars Medica à Græcis ad Arabes, Saracenos & Mauros fuerit devoluta, Arabes in locupletanda ea fuerunt occupati, nobisque fruticem hanc notificarunt. Dicitur autem *frutex Alexandrina*, quod *propè Alexandriam* in Ægypto optimæ notæ *invematur*. *Simillima frutex hæc est coluteæ vesicariæ*, unde subinde hujus folia illius foliis adulterantur, nam colutea etiam vesicas, in quibus semen reconditum, habet, non tamen est planta eadem. *Differunt in eo, quod flos sennæ genuinus sit stellatus albus, flos autem coluteæ papilionaceus & luteus*: Præterea vesicæ sennæ sunt compressæ, coluteæ verò vesicæ sunt turgidæ. Differentiam hanc habet JUNGJUS (Vir Eruditus) *in Doxoscop. propè finem*. Nihilominus tamen cognata videtur colutea sennæ ex eo, quod colutea in dupla dosi tantum præstet, quantum senna in simplici, quod primus docuit BARTHOLINUS *Cent. 5. Hist. 60.*

Hujus sennæ Alexandrinæ *tantùm in usu sunt folia*, *& quidem ordinariò sine stipitibus*; hi enim sunt fibræ corticis, hinc longè fortiores quàm ipsa folia, torminaque excitant, quare etiam reiiciuntur. Sunt qui putant, ideò non recipi stipites, quod adstringant, quod tamen est falsum; Nam ideò potius *reiiciuntur, ne nimis torminosum sint remedium*.

Horum autem *foliorum sennæ exsiccatorum usus est* vel *generalis*, vel *specialis*. *Generalis* est, dum ab eorum usu alvus aliquoties laxatur, plerumque tamen cum torminibus circa umbilicum: Quæ reiiciuntur, sub habitu seroso, viscoso, flavedine tincto, conspiciuntur: Interim tamen unum ex mitioribus est purgantibus. *Specialis* est, dum pro purgatione per ἐπίκρασιν in usu est, ideòque potiùs in morbis chronicis, quàm acutis, (cùm in his potiùs vomitus, quàm purgantia conducant) usurpatur.

In morbis igitur chronicis usurpatur, imprimis, dum producta morbosa eliminat, & viscosa evacuat: hinc v. g. in quartanis, febribus aliis chronicis, affectibus hypochondriacis, hystericis, in scorbuto, ictero nigro, & in specie Melancholia hypochondriaca, senna est inter usitatissima laxativa; unde à Veteribus relata inter Melanagoga, quæ succum melancholicum, i. e. acidum, vitiosum, à vitio primæ digestionis natum, per ἐπίκρασιν purgant, *in specie in affectibus Melancholicis*: non est adeò acris seu caustica, quàm alia purgantia, unde siccioribus tantum ac calidioribus conducit.

Vis ejus operandi residet in substantia mucilaginosa, unde tantùm per menstrua aquosa (scilicèt per aquam, serum lactis, cerevisiam, aut vinum) extrahitur cum vel sine ebullitione mucilago, cujus nucleus est quasi resina subtilis ac acris, à qua vis laxativa dependet. Hæc autem *mucilago est nunc volatilior, nunc spissior ac tenacior*: *Volatilior* blandè operatur, sine insigni alteratione: *Posterior autem crudelia* tormina excitare solet. *Cavendum igitur*, ne sub infusione in loco calido mucilago ista spissior unà extrahatur, sicque ægrum maximis torminibus vexet; *hinc ordinariè*, ut eò meliùs operetur, *corrigentia vel stimulantia*, nimirum tartarus, & zinziber, *addi* etiam *solent*. Zingiber additur, quoniam ejus acrimoniâ corrigitur vis stimulatrix laxativa sennæ; tartarus verò vel cremor, vel sal tartari additur, ut horum medio mucilago ejus eò meliùs detergatur, & attenuetur, ne tanta tormina excitet: *Nunquam igitur senna absque tartaro vel Zingibere præscribenda.*

Modus utendi duplex est: vel in substantia seu forma pulveris, vel in infuso adhibetur. In formâ pulveris datur ordinariè à ʒß ad ʒj. In infuso dantur ordinariè ʒij. ad ℥ß. Quoad *pulverem*: prostat in officinis *pulvis sennæ Montagnana* (Profess. Patauini) compositus ex *tartaro* & *senna*; qui feliciter usurpatur ad hunc usque diem: quoniam autem est nauseosus, raró hodiè adhibetur. *Qui ergò in formâ pulveris sennam præscribere volunt*, ita ut per ἐπίκρασιν tantùm operetur, v. g. in morbis chronicis ubi alvus siccior & phlogosis adest, item in scorbuticis, hypochondriacis, &c. sequentem *in modum præscribat*:

℞. *Crem. Tartari,*
Fol. senn. sine stip. an. ʒij.
Zingib.
Semin. anisi,
Cinnam.
Galang. an. ℈ß
M. f. *Pulvis.*

De hoc pulvere capiat æger pro liberanda alvo, vel in prandio cochleari uno jusculi, vel quantum cultelli cuspis capere potest, & suaviter laxabit.

Quoad infusum: malè infunditur senna à ʒij ad ℥ß: senna certè multum largitur & requiritur plus menstrui. *Iam ergò senna cum tartaro aut infunditur, aut simpliciter ipsi coquitur: Quæ infunditur* simpliciter, ipsi pro solutione additur Sal tartari; si verò coquitur, additur Cremor tartari; folia enim sennæ non nisi ebulliendo solvuntur cum Cremore tartari. *Interim rarior fit sennæ usus in forma Decocti cum tartaro*, quo mucilaginosa substantia tenerior evaporat, & spissior tantùm remanet; *sed potiùs in infuso utimur*. Raró tamen infunditur sola absque helleboro nigro, qui plerumque additur & blandè operatur: v. g. pro dosi una præscribatur talis *potio laxativa*, & quidem per blandam *decoctionem cum Cremore Tartari*:

℞. *Fol. senn. sine stipit.*
Rad polypod. an. ʒiij.
Crem. tart. ʒj.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.* vase clauso:
℞. *Colatur.* ℥iij.
adde
Aquæ Cinnam. ʒiij.
Syr. borrag. ℥ß
M. S.

Potio laxativa pro una vice.

Per solam verò *infusionem cum sale tartari*:

℞. *Fol senn. sine stipit.* ʒij. iij. vel ℥ß (non ultrà ℥ß)
Zingib. vel *sem anisi* ℈j.
Salis tart. gr.xv. ad ℈j.

Infundantur in s. q. *Aqu. simpl.* vel *fumar.* vel *cichor.* Stent in loco tepido per noctem: manè colaturæ recipiatur qu. pl. Si mitiùs operari debet, recipiantur infusi senn. ℥ij. si vehementiùs, recipiantur ℥iv.

Colaturæ addantur
Aquæ cinnam ʒij. vel ʒiij. ad ℥ß.
Syr. de succo cherm. vel *rosat. solut.* ʒij. vel ℥ß.
M. D. S.

Potiuncula purgans pro una vice.

Sunt Potiones gratæ palato, & elegantissimæ: Leviter operantur, non hypercatharsin inferunt. Color ruber est à sale tartari.

Vel, quod melius est, cum hellebore nigro aut Rhabarbaro sequenti modo:

℞. *Fol. senn. sine stip.* ʒiß vel ʒ ij. ad ℥ß.
Rad. helleb. nigr. ʒß. ad ʒj (vel Rhabarb. ʒj. ad ʒij.)
Sem. anisi ℈j ad ʒj, vel *Zingib.* ℈j. ad ʒß.
Sal. tart. gr.xv. ℈j. ad ʒß.

Infund. in s. q. *Aqu. simpl.* vel *beton.* vel *fumar.* vel *hyssopi* vel *cichor.* stent in loco tepido per noctem:

Colaturæ ℞. ℥ij. iij. vel iv. adde
Aquæ cinnam. ʒiij. vel ℥ß.
Syr. de pom. vel *rosat. solut.* vel *alius pro edulcorat.* ℥ß.
M. D. S.

Potiuncula laxativa.

Possunt etiam de colatura recipi ℥vj. pro duabus dosibus. *Quod si pro pluribus dosibus infundatur*, v. g. in Melancholia

cholia hypochondriaca; qui enim habitus sunt ficcioris, ijs minus acria, calefacientia, sed potiùs humectantia conducunt, & sequens infusum locum habet, quo etiam in aluo adstricta ad plures dies, creberrimè etiam in doloribus colicis feliciter usus sum:

℞. *Passul. min.* ℥ ß.
Contun. in mortar. marmor. affundendo
Aquæ fervidæ ℔ j ß.
Vel ebulliant passulæ conquassatæ in Aqua communi:
℞. *Decocti hujus fervidi* ℔ j ß.
Infunde
Fol. senn. sine stipit. ℥ iij.
Crem. Tart. ℥ j.
Flor. violar. p. iij.

Stent in loco tepido, vitro bene clauso, donec frigescant, frigefactus liquor detur pro lubitu; vel omni mane vel vesperi, vel alternis diebus, in Melancholia hypochondriaca pro scopo evacuandi, primasque vias apertas servandi, & sordes eliminandi, capiat æger ℥ iij. vel iv. Ultra octo dies autem hoc infusum vix asservari potest; mox enim acescit.

Quod si in morbis chronicis, febribus in v. g. quartana ad hecticas declinante, & febribus intermittentibus chronicis confirmatis, in quibus evacuatio ante paroxysmum fieri debet, *Infusum sennæ* expetatur, sequens esto:

℞. *Fol. senn. sine stipit.* ℥ iij.
Rad. helleb. nigri ℥ j ß.
Zingib. ʒ ß.
Sal. Tart. ℈ ij.

Potest etiam addi *radix acori*.
Incisa ac contusa includantur *nodulo*, infundanturque *aquæ*, vel *cerevisiæ fervidæ* ℔ j ß,
& in loco tepido successivè frigescant.

De hoc infuso æger quartanarius hecticus recipiat duabus vel quatuor horis ante paroxysmum ℥ ii. vel iii. & exinde blandè evacuabitur.

Ubi infantes immorigeri purgandi sunt:

℞. *Fol. senn. sine stipit.* ʒ j ad ij.

Hæc sola includantur *nodulo*, iniiciantur que *cerevisiæ*, quam potant, sic sufficienter evacuabuntur, præsertim si parum *salis tartari* addatur.

Pergo ad *Helleborum nigrum*, ita dictum à suis *radiculis nigris*; *flore* enim est *candidissimo*, aut *interdum* etiam *roseo*: E contrà *radix ellebori albi est alba*, *flos* verò *nigricans*. Dicitur & *Veratrum* helleborus à vertendo, quod mentem soleat vertere. Eligitur imprimis *Styriacus*, Germanis dicitur *Niers Wurtz*. *Ex hac radice radiculæ tantùm recipiantur*; in medio enim radix est lignosa, quæ non eligitur. Constant autem radiculæ hæ partim ex cortice radicis, partim ex ipsa radice lignosa: *Jam in omnibus lignis in cortice dupla, sicque maior, vis est, quàm in ipso ligno*, ita ut cortex ligni sancti in simplici dosi, tantum valeat, quantum ipsum lignum in dupla dosi, quod probè notandum. *Planta est planè singularis*; viret enim perpetuò, in specie sub *intensissima hyeme*, *mense nimirum Decembri & Februario*, *sub ipsa etiam nive lætissimè florescens*. Radix saporis est per quam acris, pungentis: tamen sine singulari ardore: habet ergò in se acrimoniam similem isti, quæ in antiscorbuticis deprehenditur, adeòque acrimonia ista non adeò caustica ac acris est. Hinc *notandum, quod ex radice calcinata nullum ferè aut paucissimum sal fixum acquiratur*; totum enim concretum particulis volatilibus constat.

Usus ejus est vel generalis, vel specialis. *In genere Ellebori internum usum sequitur perturbatio ventris ac tormina, hinc secessus serosi*, aquosi & mucilaginosi, &c. A Veteribus inter melanogoga refertur. *In specie* PARACELSUS *maximi fecit hanc plantam, quam* ubique *in scriptis suis* laudat, eamque *mutato nomine Dauram vocavit*, *dicitque*: Elleborum *quatuor morbos Cardinales curare*, nimirum *apoplexiam*, *epilepsiam*, *arthritidem*, *& nephritidem*. Certum equidem est, quod in morbis chronicis, præsertim qui nervosum genus afficiunt, epilepsia, item in mania, Elleborus niger singulare quid obtineat.

Quoad *operandi modum, duæ facultates in eo distinguendæ*: *Facultas laxativa, & alterativa*. *Facultas laxativa* consistit in mucilagine acriore, quæ primis viis adhærens easdem stimulat: *Facultas alterativa* consistit in particulis volatilibus & facilè evaporabilibus quasi scorbuticis, hinc vim corrigendi habet specificum istud acidum, quod Melancholicos, scabiosos, quartanarios, &c. vexat. Certè sunt, qui ex radice hanc parant Essentiam, quæ non laxat, sed alterat. *Vis igitur alterativa præprimis usus ejus primarius est*. Vis ejus *consistit tàm in mucilagine quàm in resina*; unde tàm per menstrua aquea, quàm oleosa, v. g. per spiritum vini, quo resina acris elicitur, extrahi potest. Ista autem præcipitatio magis placet, quando per menstrua aquosa extrahitur. Imò frequentissimum est, ut uterque modus conjungatur pro *Essentia* tam laxativa, quàm alterativa obtinenda.

℞. *Rad. rec.* minutim incis. qu. pl.

Infund. in s. q. *aquæ communis*: ebulliat leniter vase clauso, stent in digestione; continuetur hæc, quousque tingatur; omnia hæc mixta evaporent ad consistentiam *Rob*. Capiti mortuo affundatur *spiritus vini*, sic elicitur *Essentia* resinosa; pòst abstrahitur spiritus vini, & utraque extracta, tam extractum mucilaginosum, quàm & aliud resinosum scilicèt, misceantur, cui, si aliquid salis tartari pro correctela aliquali adderetur, vix erit improbandum.

Modus alter unus jam superest: *Nempè in substantia rarò aut nunquam adhibeatur*; nimis enim acrimonia sua volatili turbat corpus, adeò, ut referat & ANGELUS SALA, quod radiculæ hellebori fonticulis impositæ mirè corpus turbarint. Recipiatur ergò potiùs in Infuso, aut Extracto. De cætero in usu etiam est radix Ellebori non præparata. In officinis quidem usitatum est, ut radix aceto infundatur: verùm sic mirè castratur. Error hic exinde natus: Observarunt enim, omnia purgantia esse medium quoddam inter venenosum & medicamentosum, in genere quod toti systemati nervoso sint inimica: Hanc contrarietatem corrigere conati sunt Veteres per aromatica, ut verbi gratia per mastichen, zingib. &c: Verùm, cùm hæc correctio à posteriori tantùm fiat, & malum tantum productum, non hostis ipse eodem profligatur, illa parum valet. *Dein omnium purgantium vegetabilium vim tam acida quàm alcalia enervant*: *V. g.* acida, ut phlegma aceti, spiritus vitrioli, phlegma vitrioli acidulum, &c. omnia purgantia vegetabilia corrigunt, quia texturam eorum resinosam concentrando penitus enervant, ita ut nec dissolvi commodè, nec in partes solidas aut fluidas agere queant sic igitur radix Ellebori potiùs castratur. Ex opposito *Salia fixa etiam quævis corrigunt purgantia*, alio tamen modo: sic sal tartari corrector est omnium vegetabilium purgantium; nam non dissolvunt salia fixa texturam resinosam, sed visciditatem purgantium maturè removent, commiscibilitatem eorum cum humoribus corporis nostri promovent: sic resinæ purgantes per salia fixa resolutæ, facilè in nobis subiguntur, & in corpore nostro alterantur:, *Ergò radix Ellebori cum aceto præparata nil valet*: usus potiùs est radicis recentis selectæ in infuso, ubi menstrua aquosa eliciuntur. *Infunditur* autem *elleborus rarò solus*; *sed ferè cum senna*, ita ut modò senna, modò Elleborus in dosi prædominetur; semper tamen & sal tartari pro correctore resinositatis additur, ut sic suaviùs operetur. *Seligatur aqua in infuso pro illis, qui medio modo se habent*; *serum lactis autem in scorbuticis ficcioribus*, in hypochondriacis, & qui *ustulatum* viscerum habent: Porrò in scabiosis & sanguine scorbutico imbutis. *Eligitur autem Vinum* pro utcumque sanis. Sit igitur v. g. in scorbuto sequens formula:

℞. *Rad. Elleb. nigri* ʒ ij.
Fol. senn. sine stip. ʒ j.

(addi etiam potest aliquid de polypodio, nasturtio &c.)

Infund. in s. q. *seri lactis depurati* per noctem: mane

℞. *Colat.* ℥ iij.
adde
Spiritus cochlear. ʒ j
Aquæ cinnam. ʒ ij.
M. f. *Haustus purgans* pro una dosi.

De cætero in nodulis frequentissimus est Ellebori usus; hic enim modus optimè convenit pro pluribus dosibus.

Quoad *Extractum*: vel recipi potest Extractum compositum superiùs dictum, vel quod alii compendiosiùs faciunt:

℞. *Radiculas hellebori nigri* incisas, infundunt *vino Rhenano*, digerunt tamdiù, donec *unum* sapore & colore *ellebori* imprægnetur, pòst inspissant ad consistentiam Rob.

Qui melius habere cupiunt, addunt sub infusione *sal tartari*, sicque habent *Extractum Ellebori nigri correctissimum*.

Quodvis igitur horum extractorum habueris, solum illud,

illud, quod cum spiritu vini extrahitur, est suspectum, facitque tormina. Præterea optimè & in forma pilularum Extractum Ellebori adhibetur, v.g. in Epilepsia habituali omnium optimè sumitur cum Mercurio dulci:

℞. *Extr. hellebori nigri ritè par.* ℈ß. ad gr. xv.
Mercurij dulc. ℈ß. vel gr. xv. ad ℈. j. pro ratione subiecti:
Adde pro stimulo
Extr. troch. alband. gr. j. ad iij.
(vel *scamm. Sulphurat.* gr. j. vel ij. & *extract. troch. alband.* gr. j. vel jß. vel ij.)
Cum f. q. Ess. menthæ, vel *salviæ*, vel *ligni sassafr.* aut *sancti f. pilulæ*.
D. S.
Pilulæ sanguinem purificantes.

Vel pro purgando scorbutico aut cachectico etiam nostro climati peculiari:

℞. *Mass. Pillular. Tartar. Querc.*
Extr. belleb. nigr. an. gr. xij. ad gr. xv.
Scamm. præp. gr. j. ad iij.
Cum f. q. solut. Martis c. f. p. f. pil. pro una dosi:

CNOFFELIUS (egregius ille Paracelsista) in usu habuit *pilulas balsamicas* dictas, tantum non polychrestas, quarum basis est Elleborus niger, suntque egregiæ in morbis chronicis pro scopo blandè evacuandi. Pilulæ ipsæ sunt seqq.

℞. *Mass. pilular. de tribus Ruffi.*
Extr. Elleb. nigri an. ℈ß.
M. f. *Pilulæ.*

Jussit capere ante cœnam. Conferatur etiam de his M. A. N. C. *German in Append.* Si voluit formulam habere magis compositam, addidit & miscuit

Tart. vitriolat. gr. v.
Resin. jalapp. gr. j.

Hæc compositio revera est tutissima, qua etiam feliciter semper usus fuit in morbis chronicis, blandè enim operantur.

Aloë autem, pilulas de tribus Ruffi ingrediens, ita præparata sit, ut pars ejus gummosa magis, quasi extravertatur, resinosa verò infringatur vel separetur. Ad imitationem harum pilularum seqq. præscribere soleo:

℞. *Mass. pilular. de tribus Ruffi*,
Extr. Elleb. nigr. an. ℈ß.
Vitrioli Martis ad albed. calc. gr. v.
Scamm præp. gr. j.
Cum f. q. ess. gum. ammoniaci: f. *pilulæ*

Quales hypochondriacis nostratibus proficuæ existunt.

Sunt qui destillando etiam liquorem ex belleboro nigro elicere satagunt; sed effectus nondum voto respondit. Sic BORRICHIUS (vir in rebus naturalibus expertissimus) *in sua Sapient. Hermet. contra Conring.* refert: se ex radice hellebori nigri per balneum Mariæ destillasse aquam, quæ autem maxima tormina excitavit in corpore.

Ali

℞. *Rad. Elleb. nigri.* ℔ß

Infundunt in Mens. j. *vini Rhenani*, destillant per alembicum, *aiuntque suaviter purgare*: sit autem fides penes experientiam. Ipsa folia Ellebori in formam *Essentiæ* redacta, citra vim solutivam tantùm sunt alterativa, & in specie in Melancholia hypocondriaca proficua. Conf. THIERMAIERI (Medici Bavari) *Consil. & Curat. Med.* ubi *de Elleboro* multa sunt egregia: item CLAUDIUS THEODATUS *Pant. Hygiastb.* ubi etiam multa ex aliis Autoribus non indigna congessit.

Post Elleborum nigrum sequitur *Aloë*, quæ duplex: vel *Asiatica*, vel *Americana*: Nam tàm in America, seu India Occidentali, quàm in Asia seu India Orientali crescit. *Aloe Americana* non est in usu, sed utimur saltem *Aloe Orientali. Asiatica*; *Planta ipsa nil* aliud est, quàm *species semperviri*, *& utut vocetur sempervivum maximum marinum*, tamen etiam in locis intermediis, ipsis & collibus, largiter crescit. *Planta est ingens, foliis crassis ac acutis succo turgida*, &c.

Ex hac planta ferè exsiccata (non ex radice) elicitur succus, qui postmodum inspissatus instar piceæ resinæ ad nos adfertur; hinc prout succus hic præparatur, & sub præparatione vel impurior vel purior existit, catenus *quadruplex est*: *Aloe enim dividitur in caballinam, hepaticam, succotrinam*, *citrinam* seu lucidam. Omnium purissima est lucida (*Picis aurei coloris instar est.*) Iuxta hanc *est Succoterina* quæ ex Insula Succotara Indiæ Orientalis ad nos adfertur. *Cæterùm Hepatica ita dicta*, quod ex obscuro rubro, & lividi coloris veluti hepar sit, vix recipitur, nisi pro usu externo in unguentis: *Caballina* est *omnium pessima*; variis enim sordibus inquinata: dicitur ita, quod caballis seu equis soleat propinari. Ergò *succus hic expressus* (pro more aliorum succorum vegetabilium) *est concretum non simplex*, sed in duas alias partes divisibile, nimirum est concretum *ex parte ex substantia gummosa*, & ex parte *ex substantia resinosa constans*. Hoc autem facilè probari potest:

℞. Aloe:

Cui affundatur *aqua*, tunc substantia gummosa liquescit in aqua; substantia autem resinosa in fundo instar picis manet, quod contra lotionem observatur.

Malè nimirum in officinis recipi solet respectu sui epi laxativi aloe lota, sed nihil valet, quia substantià sui gummosâ maximam partem privata est. *Hæ binæ substantiæ (resinosa & gummosa) binis quoque facultatibus prædictæ sunt*: substantia *mucilaginosa* seu *gummosa laxat*, inspissata nimirum & more usitato ante prandium vel manè adhibita: Contrà *substantia resinosa* adstringit, detergit viscidum, amaritie suâ balsamicà quasvis humorum alterationes corrigit, bilem acuit, in specie in atonia ventriculi colluvieque ejus serosa resina hæc egregium est remedium. Præterea in specie adhærendo hæmorrhoidibus, easdem ad sui fluxum provocat. Novi quendam, qui sibi *usu pilularum aloeticarum provocavit fluxum hæmorrhoidalem, non secus ac fluxus urinæ cruentus hoc usu fuit concitatus*. Veteribus, tam *Græcis* quàm *Arabibus*, *aloë fuit usitatissima*, ita ut basis fuerit omnium pilularum. Integram etiam sumpserunt absque molestia, & quidem tàm pro scopo laxandi, quàm pro scopo ventriculum roborandi. *Egregium quoque remedium est aloe, si pulvis ejus vulneri recenti inspergatur, aut etiam, si spiritu vini infusa imponatur* plagis; sic enim absque suppuratione & putredine juvat. *Moderni tamen aloen minus usurpant, tum ob nauseosum amarorem ac odorem, tum quod omnibus subjectis æquè conveniat.* Qui enim sunt constitutionis siccioris, macrioris ac calidioris, ijs minus conducunt aloetica, sive laxare sive exsiccare velimus. *Moderni igitur distinguunt purgantia in ea, quæ fiunt confertim & una vice, & in ea, quæ successivè fiunt, &, ut vocant, per ἐπίκρασιν*: v.g. si in morbis chronicis purgare volo, propino purgantia successivè & per epicrasin operantia: si negotium fit per pilulas, vocant pilulas usuales. *Pro scopo evacuandi minus convenit aloe, sive integra sumatur, sive substantia ejus gummosa tantum ad ʒ j propinetur. Potissimùm ergo usus ejus est in pilulis usualibus.* In morbis chronicis successivè ægris pilulæ hæ convenient; verbi gratia: Laborat quis malo hypochondriaco vel hydrope; vel corripitur mulier affectibus hystericis: *In his omnibus morbis chronicis confirmatis purgationes* fortes non semper conveniunt, sed tantùm per ἐπίκρασιν instituendæ, non ut radicitùs tollamus morbum, sed ut successivè peccans evacuemus; ita ut, si ver. gr. non possum confirmatos affectus hystericos penitus tollere, tamen præcaveo symptomata, si scilicet quavis septimanâ vel menstruo spatio hisce pilulis usualibus utar. *Et quidem sumitur integra, scilicet in substantia in subjectis humidioribus: pars ejus gummosa in subjectis calidioribus aut aridioribus*: verbi gratiâ. *si cuidam hypocondriaco succulento aut lautè viventi pilulæ aloeticæ, quovis mense aut singulis 14. diebus usurpandæ, essent præscribendæ*:

℞. *Aloes lucid.* ʒ ij.
Gum. Ammon. in acetum liquef. decanter (*dicitur in aceto liquef. si enim depuretur, & evaporet. magnam pateretur jacturam Gum. ammoniacum*) ʒ j.
Tart. vitriolat. ʒß.
Cum f. q. ess. gum. ammon. f. *pilulæ minores.*

De quibus capiat æger vesperi duas horas ante cœnam, numero impares, v.g. 10. 15. &c quæ altero manè blandè evacuabunt.

Si verò hæ pilulæ usuales præscribendæ a Icterum prono, loco aloes lucidæ recipio aloen liquidam, cum aqua communi, aut aqua cichorii, aut succo hujus extractam: Sicut & *loco Glasstanarum aut Francofurtensium pilularum* sequentes *pilulæ usuales* parari possunt:

℞. *Aloen lucidam*, cum *aqua cichorii*, vel *fœniculi* in leni digestione *extractam*.



Alii

℞. *Succum cichorii, rosarum, violarum*, &c. cujus ope elicitur mucilago, quæ filtrata ac inspissata in Extractum nigrum abit.

Ex hoc solo fiant pilulæ parvæ ex uno grano ij. vel iij. Conf. LUDOVICI *Pharmac pag.* 134.

Hic est optimus & simplicissimus aloës usus. *Quòd si quis usuales, magis compositas, desideret*, is modò dicto Extracto gummoso aloes addat Extractum gummi ammoniaci: v. g.

℞. *Extr. gummi aloes* ℥ß.
Ammoniaci ʒ ij.
Vitrioli Martis ad albed. calc. ʒ j.
Troch. alband. gr. xij.
Cum s. q. Ess. Martis f. *pilul.*
Dosis harum sint xv. vel xx.

Hæ pilulæ erunt egregium præservativum, in morbis chronicis sub decremento lunæ ante novilunium assumendæ.

Post aloen, quæ cum Rhabarbaro sola habetur innoxia, *ad hoc Rhabarbarum pergo*, plantam polychrestam, & ægris egregiè proficuam. Nominatur *Rha*, à fluvio Asiam & Europam circa regionem septentrionalem secernente, qui fluvius hodie in Muscovia *Wolga* dicitur: vid. OLEARII *Itinerar. Pers.* Nam frequentissimè ibi crescere perhibent, unde etiam *Rhea* vocatur.

Hic autem moneo, Rha esse duplex: vel Barbarum, vel Ponticum: Rhabarbarum est *vel verum, vel Monachorum: Ponticum* est *vel verum Thracicum, vel vulgare*, dictum *centaurium majus*. Hæc probè sunt distinguenda, aliàs confusio oritur.

Rhabarbarum verum, quod hodie in officinis recipitur, est Sinense, nullumque aliud habemus verum Rhabarbarum, quàm quod ex Sina ad nos affertur.

Rhabarbarum Monachorum dicitur, quòd in claustris Monachorum vestigia hujus Rhabarbari inveniantur: Nam Monachi commentati in Mesven & Arabes de materia Medica, ignorarunt Rhabarbarum, ejusque loco substituerunt Hippolapathum majus. Quia verò Hippolapathum hoc à Monachis nobis pro vero Rhabarbaro obtrusum, adhuc hodiè dicitur Rhabarbarum Monachorum.

Dixi *Rha Ponticum duplex esse: vel verum Thracicum, aliàs verum Alpini Rha* dictum, qui primus hoc ex semine progerminare fecit. Dicitur Rha Ponticum, quod in regione juxta Pontum Euxinum imprimis repertum fuit. Et hoc ab ALPINO in peculiari *Tract. de Rhabarbaro* verè est descriptum. *Opponitur huic Rhabarbarum vulgare*, quod nihil aliud est, quàm centaurium majus, quod ab ignorantibus Pharmacopœis pro Rhabarbaro fuit habitum. *Nostrum tamen Rhabarbarum Sinense toto differt cœlo ab illo Rhabarbaro Dioscoridis*. Nam Rha Veterum fuit *Rha Ponticum verum Alpini*, unde veteres de vi laxativa Rha monuerunt, de qua tamen nil GALENUS, nil DIOSCORIDES habent. *Omnia verò hæc Rha*, tàm verum Sinense, quàm adulteratum, item Ponticum seu Thracicum, *sunt de genere Lapathorum*, ad quæ tanquam genus hæc Rhabarbara ceu species pertinent. Conf. MUNTINGIUS *de Britann. Veterum, ubi egregia de hoc* habet. *In specie tamen horum Lapathorum quædam laxant magis, quædam minus*: Nam *Sinense Rhabarbarum & Hippolapathum quidem laxant; hoc tamen in dupla, illud autem in simplici dosi*. *Radix Rhabarbari veri* est lutea, parum rufescens, ponderosa, egregiè amara, os adstringens ac *duplici substantia gaudens*:

1. *Volatili acriuscula*, quæ in subjecto aquoso mucilaginoso fundata est, quæque levissimo igne avolat, ut nihil de ea remaneat; in qua tamen vis laxativa residet.
2. *Fixiori adstringente* amaricante, absorbente, anodyni.

Hæ sunt potiores posterioris substantiæ fixioris facultates: Hinc uti ratione prioris substantiæ blandè laxat, ita posterioris respectu adstringit, & ad omnes fluxus, omnesque laxos & dissolutos morbos, confert; si enim in substantia assumatur, primò blandè laxat, pòst adstringit. *Hepati adeò consecrata Veteribus, ut anima hepatis* fuerit dicta: Uti enim ipsi hæmatoseos negotium hepati tribuerunt, ita hodierni hanc vim de tono hepatis explicare debent: Hinc ictero, hydropi, &c. conducit. PARACELSUS *multum ei in nephritide tribuit*, quod verum etiam est: Nam præterquam, quod urinam suo colore tingat, observatum quoque fuit, Rhabarbari usum etiam in nephritide conducere, quatenus scilicet renum spiritum insitum confortando, vel fermentum vitiosum corrigendo, juvat.

Utendi modum quod attinet, Veteres dosi ʒ j *in substantia exhibuerunt*, quæ dosis nimis magna est; *In infuso potiùs cum aliis*, aut in pulvere adhibetur. Quoad infusum, in usu est v. g. *in febribus tertianis* sequens:

℞. *Summ cent. min.* M. j.
Rhabarb. el. ʒ ij. vel ʒ iij.
Fol. senn. sine stip. ʒ j.
Salis tartari. ℈ß.

Infund. in f. q. *Vini absinth.* per noctem: manè colaturæ ℞. ℥ iij.

D. S.
Vinum absinthiacum purgans.

Prætereà etiam usurpatur in infuso pro pluribus dosibus, nimirum cum *passulis pro scopo hepatico*, ut vocant, seu pro scopo temperandi & dyscrasia sanguinis, *in ictero, cachexia, &c. corrigenda*; v. g.

℞. *Passul. min. conquass.* ℥ j ad ℥ j ß.
Rhabarb. el. ʒß ad ʒ vj.
Cinnam. ʒ ij.
Infundantur in
Aquæ comm. ℔ j ß

Stent vase clauso per 24. horas in Balneo Mariæ: mane coletur.

Est potio grata, ægrisque admodum proficua. *Rarum est, quod præcisè* pro scopo purgandi assumatur, sed potiùs pro atonia viscerum corrigenda adhibetur. In hunc finem in hæmorragiis nimiis, pro scopo præservativo & correctivo in fluxibus alvi, & in iis, qui ad hydropem inclinant, adhibetur: v. g. *in dysenteria*, ejusque principio, sæpiùs similis pulvis mihi fuit in usu:

℞. *Rhabarbari electi.*
Corn Cer ust. an. ʒß.
Extr theriacal. gr. iv. (aut hujus loco *laud. opiati* gr. j ß
Olei destillat. cinnam. gutt. j. vel ij.
M. f. *Pulvis.*

Communiter Rhabarbarum tostum recipitur; sed nil valet: sumendum igitur potiùs integrum, non verò tostum. Sic in fluxu hæmorrhoidum sequens præscripsi remedium:

℞. *Rhabarb. elect. non tosti* gr. xv.
Hæmatit. præp. ℈ß
Corall rub. præp. gr. v.
M. f. *Pulvis.*

Laxat alvum, & simul hæmorrhoides sistit. Sic in Electuariis etiam contra hæmorrhagias nimias narium, uteri, &c. semper addendum est Rhabarbarum: in specie pro cachecticis & hypochondriacis sunt, qui parant *Electuarium alterans*, bilem inertem acuens, tonum hepatis restituens, simpliciter ex passulis & Rhabarbaro: sed *in specie in ictero flavo expertum est* sequens remedium:

℞. *Passul. min. conquass.* ℥ iv.
Rhabar. el. exactè pulveris. ʒß.
Cum s. q. Syrupi rosar. solut. M. pro *Electuario.*

De quo capiat æger manè quantitatem nucis moschatæ. Isti etiam, qui reconvalescunt à morbis acutis, recipiant hoc Electuarium, & ingens solamen percipient.

Sunt *etiam, qui Electuarium ex Extracto Rhabarbari parant cum spiritu vini; sed hoc nihil* valet: Alii cum aqua parare solent, rectiùs & prudentiùs quidem, quamvis & hoc limam mereatur. *In officinis prostat syrupus de cichorio cum Rhabarbaro*, qui infantibus statim post partum propinatur, ut meconium, & varias istas sordes, quas in utero contraxerunt, evacuet: Acui hic syrupus potest cum ℈ j vel ʒß syrupi emet. Angeli Salæ. Alii habent Elix. proprietatis cum Rhabarbaro, quod laudo. Prostant etiam alia.

Restat Scammonium & Colocynthis; quæ duo rarò simpliciter pro purgatione adhibentur propter vehementiam & violentiam: sed ferè semper loco stimuli aliis purgantibus adduntur, nimirum, quando non sumitur integra alicujus purgantis dosis, sed abbreviatur, tunc additur de his aliquid pro stimulo: v. g. sint præscribendæ pilulæ purgantes, tunc recipitur *massæ pilularum tartarearum Quercet.* ʒß ad minimum; si verò alia addantur, recipitur *harum pilularum* ℈ j, & adduntur *scamm. præpar.* gr. ij. & *trochisc. albandal.* gr. j. pro stimulo.

℞. *Massæ*

℞. *Mass. Pilular. de hier. cum agar.*
Amm. Querc. an. ℈ß
Scamm. præpar. gr. ij.
Trochis. alband. gr. j.
Cum Oleo destillat. macis f. *pilulæ.*
℞. *Mass. pilular. de hier. cum agar.* gr. xij xv, ad ℈j
Gum. ammoniaci cum aceto solut. ℈ß
Scamm. Sulphurat. gr. ij.
Extr. troch. alband. gr. j.
Cum S. Q. Essent. absinth. vel *lignor.* vel ligni *sassafr.*
f. pilulæ pauciores, vel plures, prout placet.
Sunt polychrestæ. Addi etiam *Extract. absinth.* ℈ß. potest.
℞. *Extr. Cathol. Andern.*
Panchym. Cr. an. ℈ß.
Gum. ammon. cum aceto liquef. gr. xij.
Scamm. sulphurati,
Extr. troch. alband. an. gr. j.
Cum Tinctura Tartari f. *pilulæ.*
℞. *Extr. panchym. Croll.* gr. xv.
Gum. ammoniac. cum aceto sol. ℈ß.
Scamm. sulphurat.
Extr. troch. alband. an. gr. j. vel ij.
Cum *Elix. propr.* vel *Tinctura tart.* f. *pilulæ.*
℞. *Extr. panchym. Cr.* vel *alius* gr. xv ad ℈ j.
Absynth. gr. vj.
Scamm. sulphurat.
Extr. troch. alband. an. gr. j. vel ij.
Cum tinctura Tart. vel *vitrioli Martis*, vel *Elix. propr.* f. *pilulæ.*
Item in pulveribus:
℞. *Tartari vitriolat.* gr. xij. ad xv.
Scamm. sulphurat. gr. ij. vel iij.
Troch. alband. vel *Extr. bor.* gr. j. vel ij.
M. f. *Pulvis* pro dosi:
Cui etiam addi potest
Olei destillat. anisi gutt. ij.

Hic pulvis 5. 6. vel 7. purgat, uti aliàs bona purgatio comparata esse debet; quia digestivum tartarisatum promovet omnium purgantium vim. Pulvis hic non fit molestus, mihi valdè familiaris. Purgantia enim non nimis violenta sint, nec in magna dosi præscribantur; sed lenia, & quæ vel sexies vel septies tantùm ad excretionem stimulant:

In Bolis:
℞. *Pulv. hypocond. laxat.* ʒ j.
Scamm. præp. gr. j. ad ij.
Cum conf. rosar. laxat. f. *Bolus*,
D. S.
Bolus purgans.

Jam ergo scammonium considerandum venit, quod nihil aliud est, quàm *succus inspissatus præstantissimus convolvulorum*; quæ ita dicuntur, quod assurgendo palmitibus adhæreant: Græcè Σμίλαξ, Germanicè *die Winden*.

Hæc Smilax dividitur in lævem & asperam: Ad asperas pertinet sarsaparilla: *Levis iterum est vel major, vel minor: Major dicitur* convolvulus major sylvestris; & huic *opponitur minor*, cujus folia etiam lactescunt. Ad convolvulos hos læves pertinet scammonium, simillimumque est convolvulo nostro majori læui, & radice tantùm differunt. Reperitur in Syria, *præfertur tamen scammonium Antiochenum*, ita dictum, quod circa Antiochiam crescat. Ex hoc exprimitur *succus*, qui *inspissatus dat scammonium.* Hic autem *succus duplici modo elicitur: vel radix ingens recipitur, & desuper abscinditur*, hinc in medio sui perforatur, reponiturque in locum tepidum, sic in medio foraminis copiosum lac transudat, qui succus lacteus repositus optimum dat scammonium: *vel radix & planta simul contunduntur*: succusque exprimitur; est tamen scammonium hoc modo adulteratum. Priori modo Veteres suum scammonium præpararunt.

Adulterari etiam solet scammonium cum lacte esulino aut tithymalino; succus enim esulæ aut tithymali mirè accedit ad formam scammonii. *Adulterium autem hoc duplici modo cognosci potest*:

1. *Scammonium genuinum* non est adeò acre, quàm lac esulinum.
2. *Scammonia genuina*, cum aqua simplici trita, spirat odorem aromaticum non ingratum; quod ipsum vim ostendit alterantem, quod non facit adulteratum.

Jam *scammonium* hoc est *succus compositus pro more vegetabilium ex gummosa & resinosa substantia. Resinosa autem est duplex: vel acrior, vel magis iners, insipida, ac picea.* Prior *cum spiritu vini, posterior mediante aqua elicitur. Posterioris modus est v. g.* si

℞. *Scammonium*:

& teratur cum *aqua simplici*, fit mistura quasi lactea: Gummosa substantia, aut cum contenta resina picea decantatur cum aqua; spissa verò materia remanens nullius est pretii, nisi quod tormina excitet. *Modus hic est* BRENDELII, describiturque in *Chymia* sua *in artis formam redacta*, quam quibusvis aliis præfero.

Præparatur tamen etiam seorsim resina cum spiritu vini; laxat hæc, moderatè tamen, præsertim cum aliis mixta. *Prostat in officinis pulvis Cornachini Comitis de Warwick*, de quo *Autor peculiarem librum* conscripsit, qui conducit ad quosvis morbos acutos. Basin ejus constituit resina scammonii; v. g.

℞. *Resin. scammon.* ℈ß.
Antimonii perfectè cum nitro alcalis (vulgò sumitur antimonii diaph. sed malè) gr. viij.
Crem. Tart. gr. iij.
M. f. *Pulvis.*

Hic pulvis diversimodè operatur; modò enim laxat, modò vomitum excitat. Ad hujus pulveris imitationem aliquoties felici *cum successu in tertianis* præscripsi sequens:

℞. *Resin. scamm.* gr. xij.
Antimon. diaph. gr. ix.
Crem. Tart. gr. v.
M. f. *Pulvis.*

Prodest imprimis in sanguineis, pituitosis, &c. In *subjectis macris, biliosis, melancholicis*, &c. *non æquè succedit. Resina* scammonii autem *in hoc pulvere non tam pro scopo laxandi, quàm alterandi recipitur.*

Usus scammonii in genere est, ut sit stimulus in purgantibus. In specie sub usu ejus excrementa excerni solent tenuia, fluida, paulò acria; vnde Veteribus inter *cholagoga relatum. Operandi modus est duplex*: Nimirum *substantiâ sua resinosâ adhærendo & vellicando; substantiâ verò sua gummosâ colliquefaciendo humores*, & in serosum liquamen permutando, operatur: Tamen in se non adeò vehemens aut virulentum est remedium, quàm illud est, quod vulgò prostat; cùm non nisi ex ipsa radice habemus scammonium: *Inò etiam infantibus scammonium propinari potest*, & *si pulveribus salinis addatur*, satis operatur: Sic in usu est, si præscribatur:

℞. *Crem. Tart.* gr. xv.
Tart. vitriol. ℈ß.
Scamm. præpar. gr. ij.
Troch. alband. gr. j.
M. f. *Pulvis.*

Hic pulvis 16. vicibus, blandè tamen, operatus fuit.

Vel:
℞. *Pulp. Passul.* ʒ j ß.
Tart. vitriolat. vel *Salis digest. hyp.* vel *Salis ammoniaci.* gr. xij.
Resin. jalapp. gr. vj.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Cum *syr. rosf. sol.* f. *Bolus*, S.
Electuarium purgans pro una vice.

Simili modo *aliis catharticis additur*, v. g. si sit præscribenda Potiuncula ex Extr. Ellebori nigri & scammonio, pro stimulo non recipiatur resina, quam in odio habeo, quia tormina excitat. Recipiatur ergò potiùs *scammonium pulverisatum*, huic affundatur *succi cydon. per se depurati* q. s. probè agitentur, & in digestionem ponantur, sic extrahitur mucilago, quæ inspissata, vel in forma extracti, vel pulveris sumenda.

Veteres alium modum pro scammonio corrigendo habuerunt: loco enim *succi cydon. receperunt pomum cydonium, cui excavato indiderunt scammonium, vocaruntque postea Diagrydium.*

Correctio scammonii per sulphur nil valet. Fundamentum consistit in eo, ut spiritus acidus incensi sulphuris corrigat scammonium.

Jam verò
1. *Sulphuris fumus acidus* penetrans inæqualiter afficit scammonium: quædam enim particulæ plus, quædam minus alterantur.
2. *Spiritus ejus acidus* castrat & enervat scammonium.

Ergò Brendeliana correctio omnibus præstat. Si ulterius corrigere placeat, Emulsioni addatur oleum tartari per deliquium, sed tum in majori dosi danda. *Rarum aliàs est, scammonium per se proscopo purgandi adhiberi*, interdum tamen fit, ut vel in substantia vel resina adhibeatur: v. g. Potio sequens in forma emulsionis grata præscribi potest:

℞. *Resin. scamm.* ℈ß. gr. xii. ad gr. xv.
Teratur cum
Sacchari ℨj. vel ℨiij,
affundendo sensim
Succi citri vel cydonior. ℥ß. vel ℨvj. ad ℥j.
Misc. exactè, fiat *Potio lactea*:
quæ blandè & eleganter operatur.

Vel

℞. *Scammon. crud.* vel *præpar.* ℈ß. ad gr. xv.
Teratur c. s. q. *Aquæ rosar. cum pauco oleo tartari per deliquium acuata*, in mortario lapideo, ut fiat *Emulsio*: quæ decantetur à fecibus, & addito pauco *aquæ cinnamomi* edulcoretur cum *sacchar*o vel *syrupo quodam*, & erit *Potio grata*.

Tandem sese offert Colocynthis, cujus etiam unicus est usus pro stimulo. Species est cucurbitæ sylvestris, vehemens purgans. Germanis vocatur *Coloquinthen*. Arabes vocant Handal, ac cum præposito Articulo al, quod idem est ac Hic, Hæc, Hoc, vocatur alhandal. In usu tantum est pulpa hujus cucurbitæ maturæ, quæ ex Ægypto exsiccata ad nos affertur: semina ejus minus sunt in usu, utut LOBELIUS eorum usum deprædicet.

Usus ejus est vel generalis vel specialis: Generalis est, quod inter vehementissima vegetabilium emineat purgantia; nam cum gravissimis torminibus purgat. *Quoad usum specialem*, proverbium est Practicum: *Quæ alia non attingunt, ea attingit Colocynthis*, adeòque ad pituitas vitreas Veteribus dictas, seu mucilaginosissimos humores, prodest; hinc inter phlegmagoga primatum ducit, ac in lue Venerea præ aliis laudatur.

Colocynthis hæc
1. *Saporis est amarissimi*,
2. *Simul adhæsivi*; &
3. *Sub minimo multum diffusibilis*.

Ab his particulis est, quod usum colocynthidis sequitur æstus insignis, sitis clamosa, inflammatio ventriculi, tormina ventris, hypercatharsis, imò periculum convulsionis: modò igitur ejus nimia acrimonia temperetur.

Cæteroquin sanè latet in ea vis resolutiva & laxativa humorum tartareorum, hinc in colocynthide est vis menses stimulandi juxta HELMONTIUM; hinc fœtum & secundinas pellit. In specie cachecticis conducit, unde & quibusvis Elixyriis anticachecticis addi solet colocynthis. *In correctione colocynthidis commendo, ut extrahatur cum menstruo aqueo potiùs, quàm spirituoso*; aqua enim temperat resinam colocynthidis. *Veteres per gummi tragacanthæ, oleum commune, laudanum*, &c. correxerunt, in trochiscos subegerunt, & vocarunt Trochiscos alhandal: *Alii cum urina humana* correxerunt. Optima tamen correctio est, quæ *fit cum sale tartari essentiali*, & si diutiùs digeratur cum sale tartari, acrimonia ejus perit, remanetque tantùm sapor amarus.

Utendi modum quod attinet: nunquam per se exhibetur colocynthis, nisi in fortiori clysmate. Recentiores colocynthidem petiæ includunt, uti hoc imprimis urget LOBELIUS; quod valdè risi, cùm petia vix correxerit virulentiam ejus: Igitur potiùs in infuso, vel in forma Trochiscorum, vel extracti adhibeatur. *In infuso nodulis* laxativis additur dosi ℨß ad ℨj in subjecto robusto. *Optimus modus est in forma Trochiscorum* ad gr. j. vel ij. pro stimulo; non enim utor aliâ ratione colocynthide, quàm sub forma Trochiscorum. *Extractum nunquam*, quia minus tutum, usurpare licet: nam propter resinositatem insignia tormina excitat. *Sunt qui dicunt: si poma colocynthidea recipiantur, ac incisa destillentur per alembicum*, sic adscendere oleum, quod satis purgat. Sed sit fides penes experientiam.

Restat *Mercurius dulcis*, qui Extractis purgantibus commodè additur, ut fiant pilulæ polychrestæ in morbis chronicis, quales lues Venerea, scabies ferina, epilepsia inveterata, & alii contumaciores affectus: v. g. ponam talem scabie ferinâ laborantem:

℞. *Extr. panchym. Cr.* vel *ellebor. nigr.* gr. xv.
Mercurii dulc. ℈ß. ad gr. xv.
Scamm. sulphur. gr. j. vel ij.
Extr. troch. alhand. gr. j. vel iß.
Cum ess. menthæ vel ligni sassafr. f. *pilulæ*,
quæ vocantur Mercuriales, S.
Blut-reinigende Pillen.

Vel

℞. *Conf. fumar.* ℨj.
Mercurii dulc. gr. xv. ad ℈j.
Scamm. præp. gr. v.
C. *syr. rubi idæi* f. *Bolus*.

TITULUS III.
DE
DIURETICIS.

INter Purgantia generalia, convenientia sunt *Diuretica*, per urinæ copiosum fluxum sordes recrementosas evacuantia, suntque ea vel *volatilia* vel *fixa*: E. g. *Diureticum volatile* sit:

℞. *Aquæ petrosel.* ℥ij. vel iij.
Ononid. vel *ackeleng.* ℥j.
Malvat. juniperin. ℨvj. ad ℥j. vel ℥iß.
Spiritus lumbr. per putref. ℨiij.
Tartari vol. vel *carmin.* ℨß. ad ℨvj.
Syr. hed. terr. vel *fœnic.* ℨiij. ad ℨvj.
M. f. *Potio*, cochleatim sumenda.

℞. *Aquæ heder. terr.*
Ononidis,
Petrosel. an. ℥j.
Malv. juniperin. ℥iß.
Spiritus lumbr. terrestr. per putref. rect. ℨiij.
Salis ammoniaci ℨiß.
Syr. hed. terr. ℥j.
Dosis 2. 3. vel 4. cochlearia.
M. f. *Potio*.

℞. *Aquæ hed. terr.*
Ononid.
Petrosel. an. ℥j.
Malv. juniper. ℨvj.
Spiritus lumbr. per putref. ℨiij.
Olei destillat. terebinth gutt. iij. vel *junipir.* gutt. vj.
Syr. heder. terr. ℨvj.
M. D. S.

Mixtura diuretica pro aliquot viribus.

℞. *Aquæ fragor.* ℥ij.
Tincturæ tartari ℨij.
Syr. hed. terr. ℥ß.
M. f. *Potio*.

℞. *Aquæ fragor.* ℥iij.
Sal. essent. tartar. ℨiij.
Clyss. urinosi ℨj.
Syr. hed. terr. ℥ß.
M. f. *Potio*.

℞. *Aquæ fragor.* ℥iij.
Lapill. cancr. præp.
Spiritus salis dulc. an. ℨj.
Syr. hed. terr. ℥ß.
Misc. pro *Potione*:

Pertinent huc tartarea volatilia, spiritus tartari volatilis probè rectificatus, *tinctura nephritica Ammelungi*, quæ paratur ex *silicibus solariis* (sunt certi silices, qui maculas flavas hebent, propè Saalfeldium reperiuntur) *nitro, tartaro*, & *minera antimonii Ungarici*, invicem mistis, & per *retortam tubulatam* paratur, non rectificatur. Modus observandus: Dissolvitur *nitrum* in *aqua simplici*, & post miscetur cum *reliquis speciebus*, seponitur in cellam, ut probè subigatur, & postmodum destillatur. Est *tinctura nephritica solaris* multi usus, non saltem pro diuresi, sed & sudore, in affectibus maximè scorbuticis non contemnenda.

Non cedit huic *spiritus carminativus* polychrestus *de tribus Doct.* MICHAELIS, destillatus ex *tartari* & *nitri* ana per *retortam tubulatam* in receptaculum, in quo aliquantulum *spiritus vini tartarisati*: liquor destillatus aliquoties à *sale tartari* vel à *capite mortuo proprio* probè rectificatur, & ita asservatur; & sic est *spiritus tartari volatilis* egregiè diureticus, & ob vim discutiendi flatus dictus *carminativus*, usus egregii in morbis multis.

℞. *Spiritus sal. ammoniaci*,
Lumbr. terrestr. an. ℨij.
M. S.

Spiri-

Spiritus diureticus: 40. *usque ad* 50. *guttas*.
Bis in die assumatur in haustu vini, aliàs fit sudoriferum; in vino verò ratione alcali mutatur in salsum:

℞. *Tincturæ tartari tartarisat.* ℥ß.
Dos. 50 gutt.

℞. *Tincturæ tartari* ℥ij.
Chyl. urinos. ℨj.
M. D. S.
Tinctura diuretica.
Dos. 40 gutt. Vel

℞. *Spiritus Carmin. de tribus* ℨiiß.
Lumbr. terr. ℨiß.
M. S.
Spiritus diureticus.
Dosis 40. guttul.

℞. *Liqu. terræ fol. tartari* ℨiij.
Spiritus sal. ammoniaci ℨiß.
M. S.
Mixtura diuretica.
Dosis 40 gutt.

Pertinent huc succinum, & sal volatile succini, diureticorum apex, oleum destillatum succini, petroleum, omnia raphanacea, aromatica, alliata, cepæ, &c. quibus præ aliis adnumero persicariam acrem, quæ mirabile est diureticum, & simul præservativum, nephriticum; Alkekengi, Terebinthina, oleum destillatum terebinthinæ, Juniperus, oleum destillatum, & spiritus bacc. juniperi; in specie *Malvaticum juniperinum*, quod fit ex *spiritu baccarum juniperi*, *rob juniperi* affuso & digesto; camphora, urina humana, & inde natum sal ammoniacum, ejusque spiritus, lumbrici & eorum spiritus per putrefactionem paratus, & sal volatile; spiritus & sal volatile bufonum, propter vim alimenti bufonum, quia vescuntur muscis de cantharidum genere, scarabæi Majales, & ubi fortiter agendum, infusum asellorum, & cantharidum ritè paratum: e. g.

℞. *Canthar. pulveris.* ℈j.
Infundantur in
Vini Rhen. opt. ℥iij. vel iv.

Stent in loco tepido per aliquot dies & noctes, filtretur per chartam, S.
Vinum diureticum.

Dosis gutt. x, xv ad xx adscendendo, in haustu tepidi jusculi; vel hujus infusi cochleare permiscetur aliis septem cochlearibus vini vel cerevisiæ: de qua mistura una die cochl. j, altero die 2, & sic adscendendo, propinentur: vid. BARTHOLINUS *Cent.* 5. *Histor. Anatom.* 82. & *c.* 4. *Epistol. pag.* 93. 305. & 400. Interdum excitat vesicæ exulcerationem, & mictum cruentum, qui curatur statim per uberiorem haustum lactis, præcipuè cum sale tartari. Omnibus præfertur succus betulæ, de quo vid. HELMONTIUS *de Lithiasi*. Fermentat instar vini, degenerat tandem in acetum acre; & in nephritide planè est singulare remedium. Vel fiat *Decoctum diureticum*:

℞. *Herb. fragar.*
Parietar. an. M. jß.
Rad. 5. *aperient.* ℨx.
Bacc. alkekeng.
Juniper. an. ℨvj.
Sem. fraxini,
Cicer. rubr. an. ℨiij.
Crem. tartari ℨij.

Coqu. in *Aqua petroselin.* & *Alkekengi*: In colat. lib. jß. dissolve
Rob. juniper. ℨij.
Syr. alth. Fern. ℨj.
Spiritus salis cum spiritu frag. dulc. q. s. pro grato sapore.
Vel;

℞. *Ras. ligni juniperini* ℨiij.
Coqu. in s. q. *aquæ simplic.*
℞. Colatur. lib. jß.
Cui ferventi infund.
Bacc. jun per. rec. ℨiij.
Rad. fœnic. ℨj.
Terræ fol. tartari ℨiij.

stent in infuso per noctem: Colatura edulcoretur cum *syrupo de* 5. *radicibus*.

Diuretica fixa in specie sunt omnia salia artificialia salsa composita, qualia tartarus vitriolatus, nitrum, *sal digestivum hypochondriacum*, quod fit, si destillatur *spiritus salis ammoniaci ex sale ammoniaco & sale tartari*; remanet *caput mortuum* salsum, quod potens est Diureticum: item salia vegetabilium ritè calcinando parata; uti sunt sal stipitum fabarum, sal genistæ, & suo modo sal fimi columbini, &c: sunt salia salsa, & calcinatione diuturna fiunt alcalisata: item mediæ & quasi temperatæ naturæ sunt Rob juniperi, semen violarum, milii solis, & ex his paratæ Emulsiones concinnæ pro urina pellenda; Extr. alkekengi; item vinum, in quo silices candefacti aliquoties extincti fuerunt: v. g.

℞. *Tartari vitriolat.* gr. xv.
Salis genist. ℈ß.
M. D. S.
Sal diureticum.

℞. *Tartari vitriolat. ritè par.* ℨiß.
Salis stip. fabar.
Genist.
Fimi columbini an. ℨß.
M. f. *pulvis* pro aliquot dosibus.

Sumatur in vino: vid. HOFFMANNUS *in Meth. Medendi*.

Addi pro lubitu etiam possunt *olei destillati terebinth. vel baccar. juniperi*; gutt. iv, v. vel vj.

℞. *Tartari vitriolat.*
Salis fim. columb. an. ℨß.
Salis stip. fabar.
Genist. an. gr. xv. ad ℈j.
M. f. *pulvis*.
Hauriatur in vino:

℞. *Tartari vitriolat* ℨß.
Salis stipit. fabar. vel *alius* ℈j.
Olei destillat. bacc. juniper. gutt. iv.
M. pro duabus partibus.

℞. *Tartari vitriolat.* ℈j.
Lapill. cancr. præp. ℨß.
Salis stere. columb. gr. xv.
Vol. succini ℈ß.
M. f. *pulvis*,
div. in 3. part. æqu. S.
Pulvis salinus diureticus cum vino sumendus.

℞. *Arcan. dupl.* ℨß.
Salis stip. fabar. vel *stere. columb.* vel *genist* ℈j
Olei destillat. bacc. juniper. vel *terebinth* gutt. iv.
M. f. pulvis pro duabus dosibus.

℞. *Tartari puri*, vel *crem. tartari*, vel *nitri puri*, vel *nitri antimoniat.* ℈ij.
Sal. tartari ℈j.
Olei destillat. terebinth. vel juniper. gutt. iij.
M. pro duabus part.

Vid. *Tartarus tartarisat.* LUDOVICI *in Pharm. pag.* 391.

℞. *Salis genist.*
Stip. fabar.
Lapill. cancr. præp. an. ℈ß.
Salis vol. succin. gr. iij.
M. f. *pulvis*.

℞. *Crem. tartari* ℈ij.
Lapill. cancr. præp. ℈j.
M. pro duabus dosibus, in vehiculo fervido assumendis.

℞. *Terræ fol. tartari* ℨiß.
Lapill. cancr. præp. ℨß.
Misc. pro tribus dosibus.

℞. *Crem. tartari* ℈ij.
Vitrioli martis ritè par ℈j.
M. pro duabus dosibus.

℞. *Salis essent. tartari* ℨj.
Vitrioli martis ℨß.
M. in mortario lapideo, hinc exsicca, pro quatuor dosibus.

Diureticæ etiam sunt acidulæ naturales, item spiritus salis & nitri dulcis.

In forma *Boli*;

℞. *Rob. juniper.* ℨj.
Lapill. cancr. præp. gr. xv.
Tartari vitriolat. ℈ß.
Misc. pro *Bol.*

Pro Electuario diuretico:

℞. *Conf. violar.* ℨj.
Rob. juniper. ℨß.
Lapill. cancr. præp. ℨij.
Arcan. dupl. ℨj.
c. s. q. *syr. hed. terr.* fiat *Electuarium*,
aspergendum cum *spiritus salis purum*.

TITULUS IV.

DE

SUDORIFERIS.

SEquitur tandem Evacuatio per sudorem, ob id diaphoresis dicta. Fit sudor, quando sanguis quacunque causa resolutus, & quasi liquefactus, crebriori circulo per universum corpus rapitur, sub quo motu simul attenuatur latex ejus aquosus seu vehiculum sanguinis, quod copiosiùs dissolvit & imbibit salia heterogenea aliasque particulas recrementosas, per sanguinis fermentativum motum separatas, simulque, dum per partes solidas circulatur, salsâ istâ acquisitâ lixiviali virtute mundificat eas, sordesque sub nutritione relictas abstergit. Quicquid intereà sub circulari hujus sanguinis, ejusque serosi laticis motu, defertur in vasa capillaria peripheriæ corporis, penetrat in glandulas miliares intercutaneas, per quas tunc guttularum minutissimarum formâ tandem extra corpus ejicitur. De glandulis miliaribus STENO & MALPIGHIUS videatur.

Quoad sudorifera remedia: sumimus nunc *volatilia*, nunc *fixa*: Priora sunt omnia salia volatilia, & eorum spiritus, tàm ex regno animali, quàm vegetabili. Ex animali eliciuntur per simplicem destillationem, ut sal volatile & spiritus cornu cervi, urinæ humanæ, salis ammoniaci, qui soboles est urinæ, & polychrestus; spiritus cranii & sanguinis humani, viperarum, tàm macria, quàm pinguia, quæ potentissima sunt. Illa, ubi sine caloris intensione artificiali provocare volumus sudorem; Hæc ubi simul calorem intensiorem reddere animus est. Ex regno autem vegetabili sunt omnia salia volatilia, quæ beneficio putrefactionis fiunt, & subsequente destillatione; qui spiritus volatiles hoc in passu egregii sunt. Pertinent huc etiam Theriaca & Mithridatium, Electuarium diascordii Fracastorii, & compositiones theriacales cum aceto imprimis vel vino assumendæ, quæ copiosè sudorem eliciunt; spiritus volatiles oleosi, v. g. spiritus theriacalis camphoratus, florum sambuci, roris marini, &c. Pertinet huc tinctura Bezoardica camphorata, Mixtura simplex, nec non olea destilata, ut oleum succini, caryophyllorum, camphoræ genuinum; item olea destillata empyreumatica ex ossibus animalium aliisque, quæ priùs aliquoties à capite mortuo rectificentur; sic enim deponunt fœtorem, & ad aliquot guttas assumpta, copiosissimos & fœtidos sudores eliciunt, ut oleum destillatum tartari, ligni Guajaci, buxi, &c: quæ cùm nihil alind sint, quàm resinæ vi ignis colliquatæ, patet, quòd hac ratione etiam ipsa resinosa concreta vim sudoriferam exinde obtinebunt, ut angelica, ess. lignorum, theriacales ex aromatibus resinosis; item vegetabilia intensè amara, & quasi incidentia, qualia sunt: Absinthium, carduus benedictus, radix vincetoxici, flores, baccæ, & succus sambuci, radix chinæ, cortex chinæ-chinæ, ligna exotica quæcunque, sassafras, &c. domestica, ut lignum quercinum, &c.

Formulæ Sudoriferorum volatilium:

℞. *Salis ammoniaci vol.* gr. xv.
Campb. gr. ij.
M. S.
Sal sudoriferum pro una vice.

℞. *Aquæ fumar.* ℥j.
Spiritus C. C. cum sal. vol. ʒj.
Syr. card. bened. ʒij.
M. pro Potione S.
Potiuncula sudorifera pro una vice.

℞. *Aquæ fl. samb* ℥j.
Spiritus bacc samb. ʒj.
Sal. ammon. ʒß. ad ʒj.
Campb. (quæ potens & nobile est sudoriferum) gr. ij.
Syr. card. ben. ℥ß.
M. f. *Potio* pro una dosi, S. ut anteà.

℞. *Aquæ card. bened.* ℥ijß.
Spirit. sal. ammon. ʒj. vel *sal vol. sal. ammon.* ℈j.
Olei destill. caryophyll. gutt. j. vel ij.
ygS. fœnic. vel *corr. aurant* ℥ß.
M. pro haustu sudorifero.

℞. *Aquæ scorzon.* ℥j.
Cinnam. ℥ß.
Spiritus theriac. campb. ʒß.
Salis vol. C.C. gr. xij.
Succini gr. vj.
Syr. scord. ℥ß.
M. f. *Potio*, S.
Haustulus sudoriferus.

Quoad sudorifera fixa: sunt omnia salia lixivialia fixa, ritè alcalisata; nam si remaneant salsa, diuretica potiùs proveniunt: item sulphurea metallica. & mineralia fixa; unde omnia antimonialia per nitrum fixata, ut antimonium diaphoreticum, Bezoardica mineralia, simplicia & composita, antimonium diaphoreticum Martiale, aurum diaphoreticum, cinnabaris antimonii, &c. Pertinent & huc suo modo animalium cornua & partes osseæ cum & sine igne præparatæ, ut ossa hominum sine igne, cornu cervi ustum & sine igne præparatum, cranium humanum præparatum, mineralia, terra sigillata, unicornu fossile, &c. Præ cæteris fixum polychreston est *antimonium diaphoreticum Martiale*, compositum ex *antimonio* & *Marte*, cum triplo *nitri* fixatum: cujus compositionem docet LUDOVICI *in Pharmac. pag.* 330: multi usus est in morbis chronicis, ut ictero, febribus, scorbuto, &c. Nobile conjugium est sulphur antimonii & Mars, quæ duo reverà conferunt pro usu sudorifero interno. Lapis Bezoar nil valet, quia inter 1000 vix unus est genuinus, sed vel adulterinus, vel artefactus: huic præfertur calculus humanus, qui optimum sudoriferum est, in morbis pestilentialibus insigniter proficuum.

Formulæ *sudoriferorum fixorum*:

℞. *Antimonii diaph.*
Cornu Cervi sine igne,
Salis card. bened. an. gr. xij.
M. pro *pulvere*, hauriendo jejuno stomacho in vehiculo calido.

Vel

℞. *Antim. diaph simpl.* seu *martial.* ℈j.
Salis card. bened. ℈ß.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
Ol. destillat. caryophyll. gutt. ij.
M. f. *pulvis* pro una dosi: S.
Pulvis sudoriferus pro una vice.

℞. *C. C. sine igne* gr. xv.
Cinn. antim. ℈ß.
Bezoardi solis. gr. iv.
M. S. ut supra.

℞. *Corn. cerv. sine igne,*
Nitri antim. an. gr. xv.
M. f. *p. l. a.*
Sign. ut suprà.

℞. *Rob samb.* aut *juniper.* ʒj ad ʒij.
Corn. cerv. sine igne ℈j. ad ʒß.
Antim. diaphor. ℈ß.
Cum *syr. rubi idæi f. Bolus*, S.
Bolus seu electuarium pro una vice.

℞. *Rob. samb* ʒj.
Antimonii diaph. ℈j.
Extr. card. ben. gr. vj.
Cum *syr. fumar. f. Bolus.*

℞. *Extr. card. ben.* ℈ß.
Laud. op gr. j. vel ij.
Cum ol. destillat. anis. vel *tartari rectif. f. pilulæ*,
D. S.
Pilulæ sudoriferæ & somniferæ.

℞. *Extr. card. bened.* ℈ß. ad ℈j.
Theriacal. gr. v.
Cum ol. succin. f. pilulæ: S. ut ante.

℞. *Extr. lignorum* gr. xv.
Croci gr. iij.
Cum *ol. tartari fœt. rect. f. pilulæ.*

Sudorifera mista *ex fixis & volatilibus*:

℞. *Antimonii diaph. martial.* ℈j.
Sal. vol. viper. gr. v.
& quando æger est inquietus,
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
M. f. *pulvis.*

℞. *Aquæ scabios.*
Flor. sambuc.
Ulmar. an. ℥j.
Cord. Herc. Sax. frig. ʒvj.
Spirit. theriac. campb ʒiij.
Antimonii diaphor ℥ß.

Corn.

Corn. Cerv. sine igne ℈j.
Sal. vol. Corn. Cerv. ℈ß.
Campb. gr. iij.
Syr. scord. ℥j vel ℥jß.
M. S.
Potio sudorifera semper bene agitanda pro 4. vicibus.
℞. *Aquæ fl. sambuc.* ℥j.
Corn. cerv. sine igne ʒß.
Sal. vol. corn. cerv. gr. v.
Syr. fl. tunic. ʒij.
M. f. *Potio.*
℞. *Aquæ flor. samb.* ℥j.
Theriac. Androm. vel *Elect. diascord. Frac.* ʒj.
Salis vol. viper. gr. vj.
Campb. gr. j.
Syr. rubi idæi ℥ß.
M. D. S.
Haustulus sudoriferus pro una vice.
℞. *Aquæ card. bened.* ℥ij.
Cliss. urinos. ʒij
El. diascord. Frac. ʒj.
Syr. card. ben. ℥ß.
M. D. S.
Haustus sudoriferus.
℞. *Tincturæ bezoard.* ʒj.
D. S.
Tinctura sudorifera pro duabus vicibus.

In robusto verò corpore & casu periculoso pro una dosi ʒj. sufficit.

Hæc sufficiant, quoad motum sanguinis fermentativum restituendum, & quoad alterationem ejus succorum.

CAPUT IV.

DE FACULTATE ANIMALI.

Absolutâ ita consideratione Facultatis vitalis generali Practicâ, pergimus ad Facultatem animalem, tanquam alteram Principissam vitæ, in spiritibus animalibus & systemate nervoso fundatam. Quoad spiritus animales: attendenda est eorum substantia, hinc torpor & volatilitas: sed de his commodiùs *infrà de somno & vigiliis* agam. Quoad systema nervosum: in hoc attendendum primò ad nutrimentum, quod est chylus, qui immediatè eas partes nerveas nutrit, ob id etiam labes suas, in specie suum acorem, facilè illis affricat, nervosis partibus per se Ihimicissimum. Secundò attendendum ad eorum structuram, quæ quanta est, tota constat ex subtilissimis & delicatissimis fibrillis, nunc coacervatis in nervos, nunc hinc inde separatis & distributis. Nam & ipsum cerebrum, tanquam basis systematis hujus, fibrarum talium delicatissimarum tegmine glanduloso inclusarum, est systema; unde consequenter ex hac textura, omne reliquum systema musculorum, membranarum, nervorum, tendinum, oritur: de quo vid. MALPIGHIUS *Tract. scrutinium viscerum*, item WILLISIUS *in Anat. cerebri & nervorum.*

In hoc systemate nervoso maximè considerandus est debitus fibrillarum tonus, seu legitima earum tensio, quæ tensio fibrillarum nervosarum dependet partim à propria textura, quâ instar chordarum sunt tensæ, partim ab influxu & radio spirituum animalium, debitum tonum fibrillarum nervosarum conservantium. Hæ fibrillæ nerveæ, in debito tono constitutæ, organon sunt motus & sensus. Motus omnis fit ab his fibris, ceu instrumentis, mediantibus spiritibus animalibus, dictarum fibrarum contractuਮ promoventibus; estque omnis vel animalis vel naturalis. Ratione utriusque obnoxiæ sunt hæ ipsæ fibræ vel defectibus paralyticis, vel etiam motibus convulsivis & spasmodicis, qui, spasmodici scilicet, insequuntur proximè præcedentem irritationis sensum, indeque natum rapidiorem spirituum motum. Irritatio hæc in specie est vel à frigore externo, vel si à causa interna, ordinariò oritur à vitioso acido: Utraque nervis sunt inimicissima. Hinc acidum destruentia penetrantia, simul tamen temperata volatilia oleosa, adeòque aromatica nervis sunt amicissima: hinc quæcunque aromata & vegetabilia aromatica suaveolentia, salia volatilia, aliaque simplicia prædita salibus volatilibus, & olea destillata, nervis amicissima, item sulphura metallica, quæ omnia acidum peccans corrigunt & destruunt, *Nervina* & *Cephalica* dicuntur, & in omnibus affectibus in motu vitiato ortis, sive atonia aut paralysis sit, sive motus depravatus, sive motus convulsivi, conveniunt; v. g. rosmarinus, mentha, salvia, majorana, lavendula, spica, stœchas Arabica, melissa, flores liliorum convallium, castoreum, omnia etiam propriè sic dicta aromata, ut Cardamomum, macis, cubebæ, galanga, &c. & omnia ex his parata, spiritus & olea destillata, cumque his parata salia volatilia oleosa: Acidum etiam temperat succinum & succinata, rectè ab HELMONTIO nervorum solamina dicta, sal volatile succini, ejusque oleum destillatum, quod præcellens est; spiritus salis ammoniaci anisatus, aliaque innumerabilia: quò etiam faciunt sulphura antimonialia, & metallica fixiora ad affectus paralyticos & convulsivos adeò usitata, in specie ad paralyticos aurum diaphoreticum Poterii, ad convulsivos cinnabaris antimonii, & alia sulphurata similia, vi singulari anodynâ prædita, salia volatilia oleosa nervina artificialia, in specie succinata; item ex sanguine & cranio humano parata; imprimis si salia horum volatilia cum oleosis aromaticis fuerint reddita oleosa, in systemate nervoso affecto sunt optima, & in specie acidum lædens & irritans destruendo omnes turbas promptè amovent, v. g. sal volatile oleosum Sylvii, cujus tamen præparationem non sincerè detexit; speciatim sal volatile oleosum præstans fit ex fuligine. Non difficile est salia volatilia oleosa præparare. De *modo Sylviano* vid. BARNERI *Tract. spir. vini non acidus.* Eleganter procedit cum succino sequenti modo:

℞. *Calcis vivæ,*
Salis ammoniaci an. part. æqual.
Hisque addatur tertia pars *succini.*

Mistura irroretur modicè cum *spiritu vini tartarisato*, destilletur per retortam vitream in arena, & prodit spiritus salis ammoniaci succinatus, separandus ab oleo, & iteratà rectificatione egregius fit in affectibus nerveis.

Similiter cum aliis oleis destillatis possunt fieri salia volatilia: elegans est hoc:

℞. *Cinnamomum* vel *caryophyllos:*
affunde
Spiritum vini probè tartarisatum:

Stent in digestione aliquandiu: spiritus vini tinctus (nam intensè rubescit) affundatur mixturæ ex *salis ammoniaci* & *calcis vivæ* ana: Destillentur per retortam more consueto forti igne; sic prodit spiritus urinosus, sapore & odore aromatico insigniter præditus, colore aureo vel sanguineo.

Pertinent & huc pro cura systematis nervosi alia salia volatilia composita, in specie liquor cornu cervi succinatus, nobilissimum remedium in motibus convulsivis partium internarum. Fit ex parte anatica salis volatilis cornu cervi probè depurati, & salis volatilis succini, crebrioribus cum spiritus vini extractionibus seu cum aqua simplici solutionibus depurati: Hæc duo salia miscentur cum spiritu cornu cervi rectificato, & ad perfectam unionem aliquoties cohobentur. Hujus frequentiùs imposterum erit mentio.

Si ex tempore præscribenda sit mistura ad nervorum atoniam, & affectus à nimia sensilitate nervorum convulsivos polychresta, fit v. g. sequens formula:

℞. *Aquæ Menth.*
Fœnic.
Melis. an. ℥j.
Ess. castor. ʒiij.
Liqu. C. C. succin. ʒij.
Spiritus sal. ammoniaci simpl. vel *dicto modo oleos.* ʒj.
Laud. opiat. gr. ij. vel iij.
Syr. cort. aurant. vel *de Canella* ℥vj.
M. f. *Potio.*

Capiat æger cochlear j: non quidam benè sapit, sed certa est mixtura.

Basin hujus constituit laudanum opiatum cum sale volatili, quod tollit sensilitatem nervorum, & irritationem sensuum. Acidum irritans destruunt salia volatilia oleosa, addita castoreo & adjunctis.

Fibræ legitimæ tensæ sunt instrumentum sensus: sensus autem, ut notum est, sunt vel externi vel interni: ratione illorum externorum in specie considerandum est

1. *Systema nervosum, hujusque* major vel minor *sensilitas.*
2. Ratione sensus naturalis *partium mutuus consensus.*

Sen-

Sensus consistit in motione fibrillarum nervosarum, facta ab objecto externo. Variat autem systematis nervosi sensilitas, prout fibrillæ nerveæ magis vel minus sensiles ac teneræ, adeóque ab objecto externo nunc faciliùs, nunc difficiliùs mobiles, ideóque magis vel minus sensiles sunt. Hinc mulieres semper sunt sensiliores viris, & infantes adultis; quippe infantes tàm facilè in dolore dentitionis patiuntur convulsiones & motus convulsivos, ob delicatum systema nervosum. Ideò sensilitas hæc attendenda est in Praxi valdoperè, tùm propter spirituum in individuis varietatem, tùm præprimis propter selectum remediorum adhibendorum, quæ pro majori vel minori sensilitate intenduntur & minuuntur.

Quoad symptomata: quorum systema nervosum est sensilius, obnoxii sunt motibus convulsivis, magis mutationes tempestatum, & majores vel minores alterationes in morbis percipiunt. Imprimis habenda est ratio orificii stomachi sinistri, prout enim hoc sensile, vel non, varia infert symptomata. Sensilitas specialissimè in stomacho & circa præcordia obvia est; unde levi occasione anxietates præcordiorum, jectigationes, item lipothymiæ, frequentia illa in morbis symptomata superveniunt iis, qui paulo sensibilius habent nervorum systema. Quæsiti enim de dolore, monstrant scrobiculum cordis; & sic nunc anxietates, lipothymiæ, nunc alia symptomata, circa stomachi orificium primum habent fomitem atque originem; idque propter nervos ibidem magis nudos quàm in reliqua superficie interna, ubi tunicâ mucosâ magis teguntur: vid. WEPFFERUS *in cicut. aquat. Hist. 19. Noxa pag.* 85. Ex hoc dirigant se Medici in remediorum selectu: Tales enim sensiles à levioribus remediis magnam patiuntur alterationem; alii è contrà à fortioribus non alterantur. Mulieres egregiè nos vexant in Praxi ob mollem structuram: si molliusculæ & succulentæ, habent genus nervosum subtilissimum, & sensiliores sunt præ aliis, inde levi morbo facilè alterantur, & proinde cogunt Medicos, ut in iis acriora & volatilia cum circumspectione usurpent, quæ aliàs in viris sine delectu adhibentur.

Consensus partium deducendus quoque ex harum fibrillarum nervosarum ramificatione varia. Cum enim ille supponat sensum, & fiat, quando una parte laborante altera pars & sensu simul afficitur, necesse est, ut fundamentum omnis consensus, & morborum per consensum, in structura & textura nervorum in specie nervosarum membranarum, quæratur; ratione quarum cum aliis connexæ consentiunt, non connexæ non consentiunt. Consistit ergò consensus partium in connexione unius cum altera: qui triplici imprimis solet fieri ratione, ita quidem, ut omnis propriè dictus *consensus fiat ratione saltem nervorum*: Consentiunt nempe partes nerveæ triplici modo:

1. *Quatenus fibræ nerveæ sunt continuæ*: qua ratione imminente vomitu tremit labium inferius; Vel
2. *Quatenus sunt contiguæ*: quarum ratione calculus vesicæ subinde stimulum infert alvi, & tenesmum excitat; quia collum vesicæ & intestinum rectum invicem incumbunt: sic affecto orificio stomachali, sequitur singultus.
3. *Consensus* partium fit *ratione connexionis* mediantibus funiculis nerveis: qua ratione consentiunt renes, ureteres & intestina, stomachus & caput, &c. quatenus hæ partes habent nervosos funiculos ex uno plexu ortos; unde in nephritide rene à calculo affecto, supervenire solet vomitus & colica: & sic una parte affecta & reliquæ afficiuntur. Et notum est, fœminas nephriticas hystericæ passioni esse obnoxias, & ex affecto stomacho oriri vertiginem ob consensum cerebri cum stomacho.

Hi sunt tres modi consensus partium ratione structuræ nerveæ, quatenus partes sunt continuæ, contiguæ, & per funiculos nervosos connexæ.

Nunc considerandum systema nervosum, quatenus in eo fit motus animalis. *Motus* enim dividitur aliàs in *animalem* motum simpliciter seu spontaneum, & *naturalem* scilicet seu secundum quid: *Ille* peragitur in nervis, à spiritibus excitatis ratione prægressi sensus; quando e. g. moveo pro lubitu manum, est motus spontaneus: at qui fit sine nostro arbitrio aut prægressa sensatione, est v.g. motus intestinorum peristalticus, diaphragmatis, motus cordis pulsativus, &c. qui omnes fiunt per fibrillas nerveas diversimodè contextas, ratione certi toni fibrarum nervosarum, per quem sunt aptæ, ut contrahantur & crispentur; tono enim fibrarum læso, læditur motus. Considerandus ergò tonus læsus in nervis, ita ut vel deficiat vel depravetur? Deficit in *atonia*, unde motus cessat, & oriuntur affectus paralytici seu resolutiones partium, in quibus omnis motus cessat. V. g. si quis laborat atonia brachii, fit paralyticus: stomachus laborat atoniâ, si ingesta cum sonitu, tanquam in lagenam vitream, ingeruntur, & spontè effluunt, unde cessat modus retentionis & restrictionis; qualis atonia ventriculi etiam in lienteria observatur, ubi per pylorum resolutum effluunt cruda alimenta.

Causa hujus atoniæ

1. Est defectus spirituum animalium, conservantium in debito tono fibras; Vel
2. Læsio ipsarum fibrarum, in specie earum quasi nimia distensio & laceratio, ita ut non amplius in tonum debitum redeant.
3. Vel ipsarum relaxatio à copiosiore lympha, vel acri vel acida. Si lympha est copiosior, tùc nervi flaccidi fiunt, unde si resoluti, cessat motus; si sunt in nimia tensione, oriuntur motus convulsivi, familiares in corpore humano, iique tàm partium internarum, quàm externarum: v. g. convulsiones internarum sunt vomitus in stomacho, tormina colica, palpitatio cordis, &c. è contrà convulsiones epilepticæ sunt in partibus externis.

Oriuntur in genere ex corrugatione & crispatione partium fibrillarum nervosarum, unde partes commotæ necessariò corrugatæ ac convulsæ fiunt. Ratio hujus crispaturæ præternaturalis consistit in rapido spirituum animalium motu, excitato ob irritationem seu sensationem violentam in quadam parte nervea: Sic v. g. in vulneribus capitis, si stylo acuto pungatur cerebri membrana, sequitur convulsio epileptica totius corporis, quia irritatæ membranæ, cum reliquis membranis continuò invicem crispantur: sic quando in venæ sectione vel vulneribus punguntur nervi, sequitur ejus partis, cujus nervus est irritatus, convulsio. Fiunt ergò depravationes tonorum partium fibrosarum vel nervosarum ex violenta sensatione, ratione cujus irruentibus spiritibus animalibus crispantur.

Nimiam sensilitatem nervosi systematis, tum *spirituum impetuosiorem motum*, & inde nata *symptomata spasmodica*, quin etiam faciles nimis partium consensus, optimè sistunt opiata, & omnia similia Narcotica ritè parata: item antimonialia sulphura metallica fixa, vi singulari anodynâ prædita. Cum tamen opiata propter narcoticam virulentiam sint suspecta, non nisi probè correcta, vel *per fermentationem*, quæ correctiones omnes superat, vel *per digestionem* cum salibus aut alcalibus fixis, in specie cum sale tartari, adhibenda sunt. Suspecta autem sunt omnia virulenta Narcotica, ut hyoscyamus, nicotiana, & reliqua Narcotica, nec adhibenda, nisi probè correcta sint.

Primus modus per fermentationem est HELMONTII, qui fermentavit cum succo cydoniorum, idque tribus vicibus, postmodum cum spiritu vini, aut in forma liquida, essentiæ, aut sicca in Extracto, adhibuit, ut didici ab amico, qui hunc modum ab HELMONTIO juniore habuit communicatum. Fermentatio hæc etiam cum succo pomorum, aut alio appropriato quodam stomachico, institui potest. Angli in frequenti usu habent, nec potuerunt mihi satis decantare singularissimas ejus virtutes. De fermentatione hac opii vid. etiam LANGELOTT, *in Epist. ad A. N. C.* & BARTHOLINUS, cui à LANGELOTT fuit communicatū, *in Epist. Cent.* 3. *Epist.* 45. *pag.* 188.

Præparatio ex BARTHOLINO est sequens: *Vidi id sanè non sine insigni voluptate, cum unà cum appropriato succo corrigente, scilicet succo cydoniorum, leni calore ad fermentandum exposuissem. Exspirabat primò volatile illud sulphur fœtidum, cerebro cordique adeò infestum, si quis eo propior fa-ctus, idque copiosius cum aere hauserit. Ego sanè cum meo ipsius damno expertus sum, cum primâ vice pararem: Cautior dein factus, elegi locum aeri maximè pervium. Colligitur dein sensim sensimque reliquum, quod inest impurioris substantiæ: atque ea, quæ levis spumosaque est, superiorem; ea verò, quæ crassa & terrestris est, imum occupat locum, utraque in magna quantitate, ea tamen imprimis, quæ inferiora petit. Mirum quàm puri parum adsit. Est liquor pellucidus, rubini instar rutilans, medio consistens loco, qui à dictis accuratè separatus, balneoque vaporis ad spissioris Extracti consistentiam redactus, circulatur tandem per unum aut alterum mensem cum alcool vini, ut quod crudi reliquum est, exequatur, adque debitam maturitatem deducatur*, &c.

Usus ejus est amplissimus, atque extendit se ad omne ferè morborum genus, exceptis soporosis, vel naturam motu inordinato peccantem sedando, viribus defectam reficiendo, doloribus & vigiliis consumptam placidissimâ quiete refocillando, vel humores nimium effervescentes compescendo, vel spiritus paulò concitatiores ad temperiem reducendo.

Adjungo ut plurimum appropriata cuique membro remedia, inque magnis ardoribus flores nitri, nitrum perlatum, sal Ducis Holsatiæ: sequenti tamen compositione familiarissimè utor:

℞. *Pulv. diacherm A. S.* ℥ij.
Salis Ducis Holsat. cum auro parat.
Flor. nitri an. ℥ß.
Ess. Opii nostr. gutt. LIV.
Misc. optimè.

Dosis est gr. xv, xviij, xx pro adulto, quam dimidium tantùm granum Essentiæ opii ingreditur; verò enim ad gr. j. aut iß adscendo, & non nisi in magnis doloribus & vigiliis, &c.

Hæc sunt verba D. IOELIS LANGELOTTI, & desumpta ex BARTHOLINI *Epist. loco citato*. Labor tamen hic minùs succedit, aut si succedit, evadit opium à virulentia narcotica non tantoperè separatum & correctum, uti dicitur; vel videtur, LANGELOTTUM encheirises quasdam subticuisse, vel remedium non adeò nobile acquisivisse, ac ipse prædicat.

Secunda correctio opii beneficio *alcali fixi*, primariò salis tartari, hinc nitri per carbones fixati, priori vix inferior est: Nam sal tartari, ut obiter moneam, corrigit & omnia purgantia, & præprimis etiam corrigit opium; sive addatur insimul vinum, sive, quod melius est, addatur spiritus terebinthinæ, & est Laudanum opiatum multarum virium, à quibusdam in secretis habitum. Instituitur aliàs correctio hæc cum sale tartari sequenti modo:

Opium solvitur in *lixivio salis tartari*, digeritur & inspissatur: Vel

℞. *Opii*,
Sal. tart vel *olei tartar. per deliq.* an. ℥j.

Ponantur simul in digestionem, ut fiat massa crassa: cui affundatur

Spiritus vini opt. ℥ij vel iij.

& statim habetur *tinctura optima*, filtretur & usui asservetur.

His duobus modis correctum opium nobile remedium evadit, quod semel pro semper, ne prolixior videar, commendo, maximè ad affectus nerveos à nimiâ sensilitate, & affectus spasmodicos, semper cum appropriatis nervinis propinandum.

Huc pertinet & *Laudanum hystericum Conerdingii, Archiatri Brunsvicensis.*

℞. *Laud. opiat. per ferm. par.* ℥ij.
Extr. Zedoar. ℥j.
Calam. arom. ℈j.
Castor. gr. xv.
Spec. diacalam. ℈j.
Croci ℈ß.
Bezoar. Orient.
Occident. an. ℈ß.
Cum oleo destillat. succini q. s. f. *pilulæ*.

Dosis gr. vj. cum s. q. *sacchari* pro lubitu. Loco hujus fieri potest *extemporaneum*:

℞. *Extr. Zedoar.* gr. xij.
Castor. gr. vj.
Laud. ferment. gr. iv.
Cum ol. destil. succini f. pil. no. 36. pro tribus dosibus.

Multa sanè præstant in Medicina opiata, adeò ut SYLVIUS dicat: *Se malle non esse Medicum, quàm carere laudano opiato.*

Imminutam sensilitatem verò & *motus defectum*, plus minus *paralyticum*, adeòque *spirituum animalium torporem*, corrigunt optimè omnia acria aromatica, ut castoreum, & supra dicta salia volatilia oleosa, succinata, vegetabilia aromatica, aquæ vitæ, cordiales, apoplecticæ, &c.

CAPUT V.

DE

AUCTORIBUS PRACTICIS.

QUoad methodum Practicam: respectu horum fundamentorum præ cæteris teram vestigia SYLVII, prout conscripsit *Ideam Praxeos*, & vestigia WILLISII secundùm principia *in Pathologia cerebri* & *motibus convulsivis*. Ratio, quod jungam hos duos, est hæc, quod neuter solus sufficiat, juncti meliùs: *Ille in sua Praxi* quàm optimè principiorum salinorum, acidi & alcali, effectus & varias inde natas effervescentias, correctiones, adeòque humorum dyscrasias, explicuit, & mederi iisdem docuit: de motibus verò convulsivis tacet: WILLISIUS *vero citato loco*, (qui primus in hoc puncto oculos aperuit) utut, ante eum HOCHSTEDTERUS *in Observationibus* ut & PISO *de colluvie serosa*, quoad motus convulsivos antea occultatos, multa prodidit, & viam WILLISIO hoc in passu jam olim stravit. Imprimis WILLISIUS curiosissimus fuit, & huic scopo egregiè satis fecit, hinc & legi meretur *ejus allegatus Tractatus de morbis* convulsivis, & hinc cætera scripta Practica, præsertim *utrumque volumen Pharm. Rational.* ubi hinc inde etiam de nervosi generis pathematis tractat. Quod attinet Praxin Sylvii: in duobus locis cautè legendus, & quodammodò corrigendus:

1. Quod nimis multa effervescentiæ isti bilis & succi pancreatici tribuat, & ubi prior subinde causa sufficeret, eam in adjumentum vocet, ut nihil dicam de effervescentia in dextro cordis ventriculo ex bile adscendente, & lympha descendente, nec demonstrata hactenus, nec facilè demonstrabili.
2. Quod multa nimis tribuat vaporibus, fumis & halitibus, ex effervescentibus succis in primis viis exhalantibus, &c. qui ut plurimum tamen nihil habent in recessu, eosque jam dum excussit HELMONTIUS. Inde quoque in affectibus per consensum nervosum SYLVIUS etiam hos fumos accusat: Ubi enim hi ipsi ab eo adducuntur, subsunt ut plurimum motus spasmodici & convulsivi nervorum, ex irritatione partium sensilium abdominis, quibus inseruntur, in spasmos contractorum; unde & aliæ partes, cum quibus connexi surculi conjunguntur, continuato tali spasmo per consensum simul affici solent: quod e. g. patet in nephritide, dum tormina intestinorum & vomitus superveniunt; item in asthmate convulsivo mulierum hystericarum.

WILLISIUM verò quod attinet: hujus copula elastica interea in medio est relinquenda, donec certior ejus ratio constet: quin in affectibus spasmodicis acidum, aliudve dolorosum, irritans, & mutuus nervosarum partium consensus intereà sufficiant.

Hi ex Modernis imprimis Tyroni sufficiunt. Veteres quod attinet Scriptores: horum omnium loco sit SENNERTUS, cujus libri Practici nobis instar locorum communium sint; maximè enim dictus hic vir in eo sedulus fuit, ut omnes affectus ordine declaret: Nam ex omnibus Scriptoribus antecessoribus collegit flosculos. Vel loco hujus sit FORESTUS, ejusdem nempe *Observationum libri*, in cujus *scholiis* tota ferè Praxis secundùm veterum sententiam conscripta apparebit, per curationes plus minus illustrata. HELMONTIUS sedulò omnibus legendus est; cùm accuratiorem post PARACELSUM non habeamus. Judiciosè autem legatur, ne decipiamini; quia ejus Theoria interdum nimis est subtilis, ac subinde vix intelligibilis; Lectori saltem veternum excutit, & nolentem volentem ad ulteriorem indaginem excitat: Imitatio Practica est impossibilis, quamdiu ejusdem scilicet generosioribus destituimur remediis, sine quibus eum imitari non possumus. Imo ipse in pluribus locis habet figmenta, e. g. sit, ejus *Actiò Ignota Regiminis*, ubi multa habet, quæ optimè ad *systema nervosum Willisianum* possunt applicari. Interim quantum possibile, eum imitari conemur; optimam enim suggerit methodum à priori curandi: Experimenta ejusdem, tam Chymica quàm Medica, optima sunt, & quantum hactenus constat, certissima.

Qui ergò utiliter Helmontium legere cupit, observet:

1. Ne totum mox perlegere tentet, ob prolixitatis & confusionis metum.
2. Ut Anatomicis & Chymicis fundamentis probè instructus sit; &
3. Ut, quæ legit, tanquam paradoxa existimet, ulteriori meditatione digna, & ratione & experientiâ aut confirmanda, aut reiicienda.

Adeòque legantur in principio *sequentes Tractatus*:

Pro-

Promissa Autoris.
Venatio scientiarum.
Causæ & Initia Naturalium.
Archeus Faber.
Physica Aristotelis & Galeni Ignara.
Elementa.
Terra.
Aqua.
Aer.
Progymnasma Meteori.
Complexionum ac Mistionum elementalium Figmentum.
Imago fermenti impraegnat massam seminis.
Formarum Ortus.
Natura Contrariorum Nescia.
Spiritus Vitæ.
Calor Efficienter non digerit, sed tantùm Excitativè.
Triplex Scholarum Digestio.
Sextuplex Digestio alimenti humani.
Pylorus Rector.
Tartari Historia.
Inventio Tartari in morbis temeraria.
Alimenta Tartari insontia.
Tartarus non in Potu.
Custos Errans.
Demens Idea.
Scabies & ulcera scholarum.
Asthma & Tussis
Latex humor neglectus.
Cauterium.
Tria prima Chymicorum Principia, neque eorum Essentias de morborum Exercitu esse.
De Flatibus.
Victus Ratio.
Pharmacopolium & Dispensatorium Modernorum.
Potestas Medicamentorum.
In Verbis, Herbis & Lapidibus magna est Virtus.
Butler.
De Fontibus Spadanis Paradoxa.
Humidum Radicale.
Lunare Tributum.
Magnetica vulnerum curatio.
Infantis Nutritio ad vitam longam.
Arcana Paracelsi.
Arbor vitæ.

Quoad *observationum scriptores Practicos*, quales BORELLUS, SALMUTH, TULPIUS, RHODIUS, BARTHOLINUS, &c. legendi sunt cum judicio exacto, attendendo in his ad duo:

1. Raritatem & varietatem casuum.
2. Effectum remediorum subinde consignatum.

Quoad *prius*: ad initium & finem seu terminationem morbi attendatur, ponderentur omnes circumstantiæ climatis, ægri, vitæ generis, &c. si allegantur, ut sic ad evolutionem causæ possimus pervenire. Eligantur etiam Autores, qui non de fide sunt suspecti. Si circumstantiæ non sint notatæ, modò huc modo illuc cogitatio dirigenda ad conceptus varios, ut ita versatile ingenium acquiramus, & inquiramus quid sit magis vel minus probabile, ut in casu simili de causa & origine ejus eò melius possimus judicare. Ubi explicatio circumstantiarum & Theoria simul notata est, consideranda eadem, ex quibus principiis procedat? an ex Galenicis? an Paracelsicis? an sit purus Helmontianus? an verò hodiernus? & si possibile, cum probabilioribus concilietur. Instar omnium sit BURNETT *in Thes. Pract. o.*

Quoad posterius: effectus probè considerandus est, tàm remedium ipsum, & hujus efficacia per se, quàm, qua ratione, quo tempore, & quibus circumstantiis adhibitum fuerit? æstimando: Conferantur similia exempla ejusdem Autoris, & ad juvantia & lædentia intendatur animus; iterata enim exempla constituunt experientiam, quæ una in causarum indagationem nos deducit. Hinc circumstantiæ probè pensitandæ, quatenus vel promovere, vel impedire, vel immutare talem remedii effectum potuerint; quid aliud, vel melius, vel succedaneum, adhiberi potuisset; hoc enim modo Praxis habitualis facilè acquiritur: è contrà, nisi dicta probè considerentur, decipimur, quæ causa est, quod euporista & specifica sæpiùs non succedant, quia non sunt eædem circumstantiæ.

PRAXEOS LIBERI. AD SPECIALIA:

OPtima methodus est, & facilè applicabilis ad Praxin, & intelligibilis, quam primò instituit Poterius, & dein Sylvius, procedentes secundùm ordinem functionum in corpore, sic sine confusione tractantur. In corpore autem nostro functiones eæ sunt primariæ, quæ nutritionem spectant, quia corpus nostrum conservatur per nutrimentum: tamdiu quippe vivimus, quamdiu nutrimur. Nutrimenti ergò assumptio & distributio est prima è functionibus primariis totius corporis. Assumimus autem alimenta, stimulati per appetitum, qui, quando fertur in sicca, vocatur *Fames*; in liquida verò, vocatur *Sitis*. Ordinem ergò in morbis humani corporis observo, quem natura in nutriendo corpore; & incipio de appetitu animali, seu Fame & Siti.

SECTIO I.

DE APPETITU ANIMALI, ET FAME LÆSA.

PRæter necessitates assumendi alimenta externa ad conservandum esse vitale corporis nostri, ulteriùs sensilem stimulum ventriculo implantavit natura in fame & siti: quarum ille in molestiæ cujusdam sensu circa orificium ventriculi superius seu sinistrum, ab acido volatili fermentativo excitato, oritur; unde ab ista sensili perceptione & vellicatione excitatur desiderium solidorum alimentorum, quod *Fames* dicitur. Nam omnia, quæ dictum acidum spirituosum conservant, & famem conservant; quæ augent, famem augent; quæ destruunt, etiam famem destruunt. Pluribus de appetitus natura vid. MOEBIUS *in Fundamentis Medicis cap. 8. pag. 100.* Prout autem variat hoc *acidum esurinum*, tàm in animalium speciebus, quàm in hominum individuis, sive naturali à causa, sive præternaturali ex vitio alteratum, etiam determinata fames oritur, secundùm quam succo tali appropriata saltem appeti solent: & cùm acidum tale ab assumptorum alimentorum in stomacho reliquiis subinde alterari soleat, exinde consuetudo, ejusque insignis potentia, originem ducit, secundùm quam consueta, licet deteriora, magis appe-

appetuntur, & feliciùs digeruntur, aliis insuetis licet melioribus.

Sicut è contra *determinata* quorundam alimentorum *aversatio* oritur, vel à vi imaginationis, utplurimum matris gravidæ, stomacho infantis certum quasi characterem imprimentis; hinc enim puer per totam vitam abhorret à pane ob matris tædium, ex denegato ipsi pane nimis desiderato obortum; teste SCOTTO *in Physica curiosa lib. 3. cap. 27. pag. 533*: Vel à quadam læsione, ab assumpto quodam inducta stomacho, & hujus læsionis quasi ibidem infixa memoria; hinc verò virgo assumens fortiter laxativum cinnamomo larvatum, ex tædio & nausea hujus Purgantis postmodum per aliquot annos cinamomum ferre non potuit.

Caseum imprimis non pauci aversantur ex eo, quod matres vel nutrices, dum adhuc lactant, denuò reddantur gravidæ; unde lactis à graviditate iterata insignis alteratio, indeque ejus in stomacho infantis prompta coagulatio, & quasi caseatio, unde noxæ stomacho inductæ causâ infans per totam vitam abhorret caseum: vid. SCHOTTUS *in Tr. de Aversat. Casei*, item DIGBY *Tr. 1. de Natura corp. pag. 38.* GRAEFF *de Org. Viror. generat. inservient.* item KERKRINGIUS *Spicil. Anat. pag. 50.* Fames hæc animalis præternaturaliter tribus læditur modis:

1. Quando *imminuitur*, aut interdum penitus cessat, ut in anorexia.
2. Quando *depravatur* omninò, & fertur in vitiosa objecta, ut in Pica vel Malacia.
3. Quando *augetur & excedit*, ut in appetentia canina, & Bulimo.

CAPUT I.

DE

INAPPETENTIA, ANOREXIA seu FAME IMMINUTA.

Quod attinet *Inappetentiam* seu *anorexiam*: illa est, si ægri destituuntur desiderio ad alimenta, quod naturaliter habere debebant; & quidem nunc simpliciter, ita ut nullum planè stimulum habeant, nunc secundùm quid, si in accessione ad mensam nullum habent appetitum, dum autem edere incipiunt, eundem renovant. Si cum hoc prostrato adest simul horror ab alimentis, vocatur *Fastidium*.

SUBJECTUM.

Subjectum hujus affectus est orificium stomachi superius seu sinistrum, in quo uti est sedes naturalis famis, ita etiam in præternaturali fame affectum est.

CAUSÆ.

Quoad *Causas*: nota est rejecta Veterum hypothesis de suctione vasorum ventriculi in assignanda causa appetitus, & rectiùs introducta fermentorum doctrina: unde alimentorum digestionem & famem oriri dicimus à succo stomachi fermentativo, vellicante orificium ventriculi sinistrum; famem verò diminutam à defectu vellicationis istius in orificio ventriculi sinistro sensili: quæ vellicatio sanè, uti est causa famis seu appetitus alimentorum naturalis, ita certè defectus illius erit causa formalis proxima anorexiæ.

Vellicatio ista, uti naturaliter fit ex fermento salino sæpiùs acidiusculo seu acido spirituoso, quod, subtiliter rodendo aut morsicando tunicas interiores ventriculi & orificium stomachi sinistrum, spiritus animales movet, & famem excitat, nisi habeat in quod agat, scilicet cibos liquidos, qui diluunt fermentum atque saturant, ne ita vehementiùs agere possit in tunicas ventriculi; ita fames imminuitur, & per consequens aboletur vitio orificii stomachi, quando hujus nervi sunt affecti, ita ut non sentiant stimulum; aut vitio fermenti digestivi.

Defectus vellicationis seu subtilis rosionis est causa generalis, reliquæ sunt speciales.

Jam in specie quoad orificium sensile: deficit sensus vellicationis in stomacho ob nervos ejus, vel propter spiritus animales affectos, si nempe particulæ fermenti digestivi activæ salino-volatiles obtunduntur. Hi nervi sunt sextum, vel secundùm Neotericos, octavum par, per quos spiritus animales copiosiùs affluunt, qui, sive per essentiam, sive per consensum sint affecti, anorexiam inferunt: sic nephritis, propter convulsionem per consensum afficiens plexum orificii sinistri nerveum, ut non percipiat sensum à fermento molestum, appetitum deiicit. Ratio est, quoniam renibus affectis & dolentibus, etiam reliqui nervi ex *plexu Falloviano* seu mesenterii, levi spasmo & convulsione simul afficiuntur. Unde non tantùm dolorem stomachi & vomitus excitant, sed præterea sunt causa, quò minus percipi possit vellicatio in stomacho à fermento facta, & sic appetentiam deiiciunt: quod etiam usu venit in colica & affectibus omnibus intestinorum, hernia itidem &c. in quibus ratione continuitatis stomachus simul plus minus afficitur. Hinc affectus omnis, afficiens stomachum, solet inferre prostratum appetitum; quò etiam pertinent tumores, vulnera & ulcera: de quibus vid. SCHENKIUS *Obs. pag. 335. & 346.*

Quoad spiritus animales: hi inappetentiæ causa sunt, quando narcoticis stupidiores redduntur, indeque nervi minus sensiles: vel quando motus eorum à fortiori objecto ut amore, curis, meditationibus ita immutatur, ut vel non ferantur sufficienter ad stomachum, vel facta ibidem impressio non sufficiat determinando spirituum motui à fortiori objecto perturbato: sic notum est, laudanum opiatum & quæcunque opiata aliave Narcotica immodicè ingesta appetitum prosternere: vid. WILLISIUS *de Anat. Brutor. P. 2. cap. 3. & in Pharm. Rational. P. 1. Sect. 7. cap. 2.* Ratio est, quia stupidum suo modo reddunt superius orificium ventriculi, ut quasi insensibile fiat, & non percipiat vellicationem. Hinc notum est, quod nicotiana ejusque fumus notoriè inhibere soleat appetitum, propterea quia partim est narcotica, & nervoso generi stuporem inducit, partim quia imprægnata est sale volatili oleoso admodum penetrante, quod obtundit & temperat salinam vim stomachici fermenti. Facit huc inventum Indorum, quod refert SENNERTUS *l. 3. Prax. P. 1. Sect. 2. cap. 2. pag. 97.* ex MONARDE, dum ipsi ad fallendum appetitum utuntur medicamento, facto ex foliis tabaci & conchyliis fluviatilibus calcinatis, quæ duo in Mass. Pilul. cogunt & assumunt. Quæ pilulæ duplici ratione appetitum prosternunt; nunc quoniam ratione foliorum tabaci orificium stomachi insensile reddunt; nunc ratione conchyliorum calcinatorum salino-acidam vim fermenti stomachici absorbent & præcipitant, & ita ad multos dies appetitum reprimunt: Hinc milites usurpant fumum tabaci pro fallendo & sufflaminando appetitu. Pertinet huc, quod deliria, tristitia, terror, triste ex inopinato allatum nuncium, &c. subitò appetitum deiiciant, non secus ac alia graviora animi pathemata quælibet, item magni dolores, quatenus hæc omnia conspirant, ut spirituum animalium motum ita immutent, ut partim non dirigantur ad stomachum pro supplemento fermenti digestivi, partim spiritus vehementiùs commoti in cerebro non recipiant impressiones in orificio stomachi factas, utplurimum istis minus vehementes: sic parili ex causa ex subitanea pedis luxatione optimus etiam HELMONTIO prostratus fuit appetitus.

Quoad digestivum fermentum: imminuitur & cessat fames I. quando fermentum digestivum in stomacho est obrutum à copiosa materia viscida aut pituitosa, ita ut nequeat spicula sua exerere in nervos, & hinc non vellicet orificium stomachi; vel redditum hebes ac iners, i. e. minus acre à materia vel substantia pingui. Saliva itidem viscida & glutinosa, fermentum stomachale inquinans, ordinariò appetentiam dejectam solet inferre: frequens est hæc in febre lenta laborantibus, & hecticis, qui conqueruntur de saliva glutinosa, & habent simul appetitum prostratum, unà cum compressione stomachi: Idem etiam accidit in Hypochondriacis quibusdam, qui de imbecillitate corporis continua cum appetitu prostrato & glutinosa saliva conqueruntur; Saliva enim plurimum in recessu habet, & multum facit ad appetitum, vel prostratum vel auctum, maximè in morbis chronicis, præcipuè si qualitatibus salinis sit imbuta, sicut in catarrhis vel coryza quandoque accidit. *Symptomata hæc, ex vitio salivæ* unicè dependentia, *curantur* optimè per vinum medicatum infusionis radicis armoraciæ & cochleariæ, adjuncto helenio. Observavi siquidem, quod, cùm aliquoties hauserint, curati fuerunt; viscidam enim salivam, obruentem & destruentem appetitum, correxit mihi sæpiùs. Item inordinata aut nimis copiosa alimentorum, imprimis non facilè dige-

digestibilium, unâ vice ingestio: unde gulones, qui unâ vice plus ingurgitant, quàm par est, per aliquot dies postmodum habent dejectum appetitum; alimenta enim copiosiùs assumpta loco chyli degenerant in mucum nimium, quem nisi aliqui priùs diluant, sive abluant potu vini, sive subacido haustu, famem haud sentiunt. Cerevisia, seu potus non ritè defæcati, præsertim recentiores, tartarum & fæces in stomacho præcipitantes, appetitum stomachi prosternunt; hujus enim fundo inhærentes debilitant fermentum digestivum. Sic pinguia quæcunque copiosiùs assumpta, superingesto potu frigido, viscidum & cruditatem nidorosam in stomacho primisque viis cumulant, & iners reddunt ventriculi fermentum: hinc SENNERTUS *Pr. l. 3. P. 1. S. 1. c. 1.* notabile habet exemplum ex *Avicenna* de quodam, cui per 10. dies appetitus penitus fuit dejectus ex assumta ℔j olei violacei, in quo cera & adeps in emplastri consistentiam dissoluta fuere: pinguedo ergò admodum frangit vires fermenti stomachici. Item acida vel austera cuncta, quatenus nempe difficiles digestiones cum puncturis stomachi faciunt, & vomitus acidos cient, sæpè quoque appetitum summè prosternunt. Item spiritus vini crebriùs & copiosiùs assumtus ex se & ordinariè prosternit appetitum, propterea, quoniam acrimoniam acido-salsam fermenti stomachi temperat, & coercet: Nam spiritus vegetabilium virtutem habent temperandi & corrigendi acrimoniam humorum in corpore nostro; hinc spiritu vini copiosè sumpto altero die oritur anorexia, utut moderatè sumptus excitet. Item fit non rarò, ut aliquando bilis pinguior, & præternaturali motu suo ex intestinis in stomachum regurgitet: vid. SYLVIUS *Pr. l. 1. pag. 15.* Unde & deiicitur appetitus, quatenus fermentum digestivum alteratur, & percipitur in ore sapor amaricans, & tales affliguntur insimul sodâ, quod nunquam nisi ex cruditate nidorosa, & ex oleositate bilis, est: Et certum est, bilem appetitum prosternere, sive in ventriculo reperiatur, sive in massa sanguinea abundet sal volatile oleosum; quoniam præcipitat acidum, quo minùs possit augeri fermentum stomachi, à quo oritur vellicatio. Denique excernenda varia subitò suppressa, alterantia, & inquinantia contenta corporis, etiam immutando plus minus succum stomachi esurinum, anorexiam inducunt, ut mensium suppressio; item intermissus coitus, &c. Sic SCHENCKIUS *in lib. 3. de Inappetentia Obs. 1 p. 320.* observat viduam ex desuetudine Veneris subitanea, & ex mœrore contracto, in insignem anorexiam prolapsam.

II. Secundum fermenti digestivi vitium in anorexia est, quando deficit in stomacho, cujus defectus non potest non causari appetitum dejectum: id quod fit ob varias causas, in specie, quando vel in toto corpore imminuitur, vel ad stomachum non defertur, partim propter conturbationem spirituum, partim omnium humorum in corpore: hinc enim quibusvis in febribus, primariò continentibus, ardentibus scilicèt ac malignis, secundariò intermittentibus, penitus cessare solet appetitus, defectu acidi vitalis in stomacho labefactati ob humorum, adeòque lymphæ, plus minus factam alterationem, & imminutionem in universo corpore, nec non pinguedinem sanguinis, aut abundantiam bilis & salis volatilis oleosi, destruentis acorem in nobis. Sanè, qui ob volatilitatem bilis patiuntur orgasmum, hi facilè incidunt in appetitum deficientem: item ob id tempore æstivo, aëre calido & squalido, minus quàm hyberno, esurimus. Rationem dant nonnulli, quod multa in aëre volitent insensibilia, maximè tamen operosa, maximè quidem salia volatilia, quæ dent causam, ut deficiat acidum in massa sanguinea; unde utplurimum æstivo tempore propter abundantiam salis volatilis ex aëre attracti debilitetur fermentum stomachi, & deiiciatur appetitus; qui contrà tempore hyberno augeatur propter acidum, quo tunc aer impraegnatus sit. Arbitror tamen potiùs: ibi rariores & subtiliores spiritus magis absumi; hic verò eosdem magis concentrari, unde varia fermenti activitas accedit: & crebrior quoque potus tunc temporis admissus, qui diluit ventriculi fermentum, lubricumque inducit ipsi statum, unde dictus affectus seu appetitus prostratus. Cæterùm præ aliis assumpta multum huc faciunt: sic potus nimius appetitum prosternit, diluendo nimis & abstergendum fermentum digestivum; item vinum, de quo HIPPOCRATES *l. 2. Aph. 21*: e g. potus recens, vel cereuisia, vel seri lactis usus nimius, admodum solèt prosternere appetitum: de quo Tym. in Cas. l. 3. Cas. 2. pag. 111. Ratio est facilis: in sero enim lactis est sal volatile admodum temperatum, plus minus nitrosum (ratione cujus refrigerare & laxare dicitur) quod obtundit & temperat acrimoniam fermenti stomachici, & exinde cessat appetitus. Tandem calculi in stomacho geniti etiam appetitum prosternunt. de quo Hoferus in Herc. Med. pag. 137. ubi subministrat exemplum appetitus prostrati lethalis cum nausea, ex calculis duris & copiosis in stomacho repertis. Non secus ac alcalia assumpta, item acidum absorbentia, ut creta, bolus, cornu cerui ustum, terra sigillata, & Martialia, appetitum enecare solent: de quibus notissimum est, quod notabiliter appetitum deiiciant, obtundendo penitus activitatem ac acrimoniam fermenti digestivi. Sic acidum etiam ab urina obtunditur, e. g. in febribus famelicis, ubi propter acidum nimis volatile multum edunt, & corpora tamen non augentur, hinc urina propria commendatur.

Hinc patet, quid anorexia seu fames deficiens sit? scilicet defectus vellicationis in stomacho, & quidem orificio sinistro; unde deficit desiderium naturale alimentorum.

DIAGNOSIS.

Quod attinet signa: In Diagnosticis non opus est prolixitate, quoniam ex se patent.

PROGNOSIS.

Nunquam bonum signum est appetitus prostratio, in specie ista, quæ citra causam manifestam aut citra stomachi oppressionem, ex defectu acidi naturalis in stomacho, vel ejus omnimoda extinctione oritur, ut in principio malignorum affectuum evenire solet: in sanis morbum imminentem, in morbosis semper aliquid mali, denotat; siue morbus hic fuerit chronicus, (vid. HIPPOCRATES *sect. 7. aphor. 6.*) siue acutus, (vid. GALENUS *in Hipp. Sect. 2. Aph. 6.*) Multum enim situm est in stomacho ad totius microcosmi vigorem: unde semper suspecta Medico.

Qui obnoxii sunt affectibus chronicis conuulsiuis, podagricis, colicis, nephriticis, &c. hisque subitò & sine causa appetitus deficit, est signum imminentis paroxysmi: nec hi ipsi sunt securi de cessatione morbi, nisi priùs redeat appetitus.

Speciatim post quaslibet febres, tàm continuas quàm intermittentes curatas, bonus redire debet appetitus: quamdiu hic non redit, aut qui rediit denuò prosternatur, semper pertimescimus recidiuas febres. Verissimum enim est, in qualicunque etiam statu versetur æger, illud HIPPOCRATIS: *In omni morbo constare mente, & bene se habere ad ea, quæ offeruntur, bonum*: vid. *sect. 2. aphor. 33.* si scilicèt æger adhuc aliquantulum sine nausea, & sine grauamine stomachi, assumit.

Si ægri quidem appetunt, sed quæ offeruntur, fastidiunt, malum signum est; deprauatum enim etiam mox defecturum innuit appetitum.

Si in morbis, etiam apparenter leuibus, appetitus mox prosternitur, rarò bonum signum est, & unum ex primariis signis morborum malignorum. Deinde appetitus in principio & statu morbi defectus non est adeò malum signum, modò in declinatione reuertatur: Sed si appetitus in fine aut declinatione morbi de nouo prosternatur, vel recidiuæ, vel alterius cujusdam noui morbi metum incutit. Si in principio morbi continuò duret, periculosum est signum, quia virtutis vitalis magnam dejectionem & graviorem morbum denotat, præcipuè in quartanariis: item si à tumoribus similibusve ventriculi incurabilibus morbis anorexia dependeat.

Si pueri anorexiâ corripiantur, periculum subest, utpote qui naturâ voraces sunt, & multo alimento opus habent.

Denique est fatale signum, quando ægri in acutis febribus vel summa virium debilitate & prostratione subitò alimenta vel potum, quæ antea fastidiverunt, avidè appetunt, & assumunt: quod quidem exhilarat adstantes, sed terrere debet Medicum.

CURA.

Methodum medendi quod spectat: in anorexia curanda imprimis habenda ratio causarum, tàm proximæ quàm remotæ, ut maturè remoueantur; his enim sublatis tollitur effectus. Hinc si e. g. à causa externa spiritus turbentur,

tur, si per consensum nervi afficiantur, &c. ad hæc ipsa scopus dirigendus venit.

In specie, quod hic agendum superest Medico, est

1. Ut ante omnia expurgentur ea, quæ vitiosa hærent in stomacho; & hinc
2. Corrigendum aut restituendum fermentum stomachi digestivum.

Dico, *quoad fieri potest*: Nam fermentorum est magna vis, & non possunt facilè hæc ad lubitum Medici tractari: imò per artem restituere, impossibile est; attamen potest per ea, quæ causas removent, & stomachum evacuant.

Inter omnes autem causas appetitus læsi, sunt vel mucus copiosior stomachum replens, & hinc inertia stomachalis fermenti, obruti à pinguedine vel bile. Quæ ergò has causas removent, sunt stomachum evacuantia, & mucum copiosiorem atque pinguedinem, obruentem activitatem fermenti, abducentia; unde utplurimum vomitoria, aut per inferiora purgantia, præmittenda veniunt.

Vomitoria sunt optima: hæc enim sunt, quæ commodissimè & immediatè molestum stomacho humorem vel lentorem expurgant, & unum vomitorium plus & meliùs evacuat in affectibus stomachi, quam decem purgantia alia per inferiora. Vomitoria conveniunt antimoniata, quæ utut operentur per vim stomacho inimicam & malignam, non tamen prohibet, quò minus legitimè præparata & cautè exhibita, optatus sequatur effectus. Usurpantur vel in forma sicca, vel liquida, in infusis nempe antimonialibus. In forma sicca:

℞. *Tartari emet. Mynſ.* gr. iij.
Sacch. gr. vj.
M. f. *pulvis*, S.
Pulvis Emeticus.

In infusis antimonialibus elegans est modus WALÆI *in methodo medendi*, qui rectè monet, non attendendam esse quantitatem antimonii infundendi, sed potiùs quantitatem liquoris, in quam fieri debet infusio. Nam sive infundantur iv. vel vj. grana Mercurii vitæ, sive ℈ß, perinde est; modò justa accipiatur liquoris quantitas. Sic v. g. ℈j. Mercurii vitæ est salutaris, si infundatur in ℥j Vini Rhenani: sicut è contrà gr. vj. tantùm sunt lethalia, si in ℥vj vini infundantur pro dosi una; antimonium enim non plus de se diffundit, quàm possunt recipere liquores. De vitro antimonii, croco Metallorum, tàm vulgari quàm absinthiaco Mynsichtii, & aliis, idem verum est: v. g.

℞. *Croci metall. absinthiac.* gr. v.
Infund. in ſ. q. *Vini Rhenani*.

Stent per noctem in digestione in loco calido: mane filtretur per chartam bibulam.

℞. *Hujus* ℥j.
D. S.
Vinum Emeticum.

Tutiùs hæc infusa adhibentur, quàm si ejusmodi antimoniata in substantia porriguntur, ob metum remanentium particularum in stomacho, quæ hypercatharses aliaque mala minantur. Sed hæc etiam præcaventur, si subinde haustus cerevisiæ calefactæ, aut alius liquoris superbibatur, quo diluitur materia emetica, si post vomitionem haustus vini vel potus cum cydoniorum miva vel succo, Martialibus aut terreis vel præparatis mixtus, propinetur. Syrupus emeticus Angeli Salæ à ℨiij, ℥ß ad ℨvj, est egregius. His vomitoriis, ut ventriculum à materia crassa & viscida oneratum adjuvemus, addatur & non nihil spiritus æruginis, tàm simplicis quàm compositi, seu qui paratur ex viride æris & gum. ammoniaco, ut qui est singularis in incidendo ventriculi muco viscido. Quando ergò appetitus est prostratus propter præsentiam materiæ crassæ & viscidæ in stomacho, sequens paretur Vomitorium:

℞. *Aquæ hyſſop.* ℥j. vel ℥ij.
Cinnam. ℨij.
Acet. ſquillit.
Syr. emet. an. ℥ß.
Spiritus viridis æris compoſ. seu *aſthmat.* ℈ij. ad ℨj.
M. S.
Potiuncula Emetica.

Quod Vomitorium egregiè operatur.

Iis verò, qui non apti ad vomendum, aut à vomitoriis abhorrent, præscribantur purgantia per inferiora, qualia ex generalibus suprà dictis peti possunt. Interea specialiter præpollent aloetica omnia, quæ amica sunt stomacho, sordes mucilaginosas detergunt, & easdem exhauriunt, licèt amara sint: Verum enim est proverbium: amarum prodest stomacho. Variæ sunt pilulæ ex aloë, v. g. *pilulæ Francofurt.* seu *Angelicæ* dictæ: vid. HOFFMANNUS *Clav. Schrœderian. pag.* 150: quæ stomacho gratæ sunt, & in anorexia blandè evacuando conveniunt. *Pilulæ aloeticæ* usuales LUDOVICI, quas videb. *in ejus Pharm. pag.* 179., item pilulæ aloëphanginæ cum scammonio acuatæ. Assumenda est aloë non lota; quoniam ex aloë lavando exhauritur mucilago purgans, relicta parte adstringente: vid. HELMONTIUS: potiùs succoterina sumatur, quæ pellucida est, & præparetur, si lubet, per crebriorem insuccationem, e. g. succo rosarum, violarum, vel alio, pro *aloe rosata, violata*, &c. Quilibet hic potest abundare suo sensu. Hæc pro evacuatione leniori assumuntur manè cum custodia; pro scopo verò stomachum saltem successivè purificandi, capiantur vespertino tempore unâ alterâve horâ ante cœnam: pro quo scopo hæc purgantia etiam cum aliis commutari possunt, v. g. cum Decocto tamarindorum, si scilicet cruditas nidorosa simul adsit: conf. RONDELETIUS *Pr. l.* 3. *c.* 13; item per Decoctum passularum cum fol. sennæ ad imitationem TIMÆI à *Guldenklee*. Ubi fortiùs agendum est, Veterum compositio, nempè Mass. Pilul. de hiera cum agarico, quæ in officinis prostat, meritò præfertur reliquis: in affectibus biliosis præscribo sæpiùs à gr. xv. ad ℈i. addendo simul pro muci stomachum obsidentis incisione vel gummi ammoniacum; aut pro ejusdem correctione Extractum absinthii, &c. cum forti & acuto stimulo. Hic moneo de Purgantibus, illa debere tantum tribus aut quatuor, vel ad summum sex vicibus purgare, demonstrante hoc ipsum HELMONTIO, & CNOFFELIO *Tr. de Febre epidem maligna*; non verò imitandam esse vulgi pravam consuetudinem. Dabo exemplum: In mucilagine viscida ex stomacho evacuanda præscribo talem formulam:

℞. *Maſſ. pilul. de hier. cum agar.* g. xii. ad xv.
Extr. abſinth.
(vel loco hujus *gum. ammoniaci acet. ſol.*) gr. viii vel ℈ß.
Scamm. ſulphurat. gr. j.
Extr. troch. alband. gr. ß vel gr. j. ad ij.
Cum Elix. Propr. Parac. aut *Eſſ. abſinth.*
f. *pilulæ*, S.
Pilulæ stomachales laxativæ.

Eædem pilulæ de hiera cum agarico conveniunt quoque egregiè hypochondriacis, qui leniter sunt purgandi; sed tunc temporis adduntur appropriata, ut Extractum seu Essentia Martialis liquida, aut gummi ammoniacum; nam hoc potens est in detergenda & resolvenda materia viscida stomachum incrustante. Dabo exemplum pro hypochondriaco leniter purgando:

℞. *Maſſ Pil. angelic.* vel *de hier. cum agar.* ℈ß. vel gr. xlj.
Gum. ammoniaci aceto ſol. ℈ß.
Scamm. roſat. gr. ij.
Extr. troch. alband. gr. j.
Cum Eſſ Martis f. *pilulæ*, D. S.
Pilulæ laxativæ.

Quæ mucum viscidum incidunt & blande evacuant.

Vel

℞. *Maſſ. pilul maſtichin.* gr. xv.
Extr. abſinth. gr. xii.
Troch. alband. gr. j.
M. f. *pilulæ*.

Vel præscribatur *pulvis catholicus, purgans* sine ullo symptomate copiosè in Hypochondriacis: v. g. in subjecto facilis solutionis

℞. *Tartari vitriolat.* gr. xv.
Scamm. ſulphur. gr. iv.
Troch. alband. gr. j.
Olei deſtillat. cumin. gutt. ij.
M. f. *pulvis*, S.
Pulvis laxativus.

Ubi stomachus mucilaginosâ materiâ fuit infarctus, sequens profuit:

℞. *Aquæ hyſſop.*
Menthæ an. ℥ß.
Tartari vitriolati,
Extr. agar. an. gr. vi.
Scamm. ſulphurat. gr. ii.
M: *Potio*, S.
Potiuncula laxativa.

Et hæc etiam de Purgantibus sufficiant.

Postquam præmissa fuerint evacuantia, usurpentur ea, quæ corrigunt stomachi appetentiam dejectam: qualia sunt, quæ vi salina volatili, nunc acri, nunc oleosâ aromaticâ, pollent, & sordes mucilaginosas stomachi resolvunt & abstergunt: nam his detersis spontè appetitus revertitur. Eadem etiam conveniunt, quando pinguia assumpta, & bilis sunt causa appetitus dejecti: hinc conducunt acida blanda seu temperata, stomacho grata, & appetitum egregiè restaurantia, quia præter vim stimulandi pro simili lentorem incidendi & attenuandi conveniunt usu, ac præterea blanda suâ adstrictione tonum stomachi plus minus per opiata, copiosa potulenta, spiritus vini abusum, aliisve modis resolutum, firmant. Sed observandum: quod per acida provocare quidem seu irritare nonnihil possimus tamen, sed genuinam pro stimulo digestionis præparare, Medico impossibile est, adeoque optimum est, removere potiùs impedimenta: quo facto ipsa natura appetitu debito se resocillat seu recolligit. Parciores ergò & cauti magis in acidorum usu esse debemus, cùm appetitus talis per acida quasi arte factus, subindè plus noceat quàm prosit. Nam occasione acidi stimuli plus ingerunt ægri, quàm naturali fermenti virtute degerere valent; unde cruditates acidæ sic colliguntur, 1000. malorum matres. Sanè vix, præterquam à cremore tartari, usum proficuum in hoc casu observavi ab acidis, præsertim mineralibus, nisi forsan spiritus salis, & vitrioli Philosophicus, ab HARTMANNO adeò commendati, præprimis cum spiritu vini aut aromatico dulcificati, in atonia ventriculi, hanc restituendo, aliquid opus contulerint; adeòque aromatica, præsertim acriora paulò, imprimis observavi proficua.

Quod attinet medicamenta, quæ his scopis satisfaciunt: sunt primò stomachica salina volatilia, tàm acria quàm oleosa, item aromatica & nervina; hinc mentha, in specie crispa, absinthium vulgare & Romanum, pulegium, salvia, rosmarinus, & in genere omnia nervina, sapore subacri & odore aromatico prædita, quæ omnia conveniunt in appetitu dejecto. Unde etiam in genere omnia aromata, præprimis cinnamonum, Galanga, caryophylli, Zinziber crudum & conditum, Zedoaria, &c. optimè conveniunt, & eliminando ex stomacho: imprimis Zedoaria satis est decantata & usitata, ubi flatus sunt molesti in stomacho: sic grana piperis integra deglutita cruditates acidas egregiè destruunt; sicut & de Zingibere PLATERUS observavit, quendam post quartanam diuturniorem, ex cruditate acida ortam, apepsiâ gravatum, solo hujus usu diuturniore se restituisse. His aromatibus sunt confinia semina calida, majora & minora; nam & hæc sali volatili oleoso sunt prædita: item etiam radix helenii recens singulare stomachicum est: non minoris virtutis est calamus aromaticus verus, cujus loco, cùm hic sit rarissimus, commodè substituitur radix acori veri, quæ tam cruda quàm condita, & mane comesta, elegans est in corrigendo stomacho, & recreando appetitu dejecto. Radix armoraciæ seu raphani rustici, item radix ari, sive recens usurpetur minutim incisa cum cochleari spiritus baccarum juniperi, vel spiritus vini; vel eadem simpliciter in loco umbroso exsiccata, (sed non juxta Dispensatoria præparata,) & pulverisata, quò acrior, eò melior, convenit insigniter in appetitu dejecto, & hinc dicitur vulgò *radix digestiva*, quæ non solùm consumendo & absumendo materiam in ventriculo restitantem, & appetitum imminuentem, sed etiam fodicando & irritando ventriculi parietes, & sic spiritus animales eò concitatiùs commovendo, operatur. Plebejum quidem hoc, sed optimum sanè est remedium: seligatur saltem substantia intermedia acris, cùm extima superficies, propter sal volatile in auras evaporans, sit insipida, & cum dimidio extracti tormentillæ mixta, egregium suggerit pulverem stomachalem contra anorexiam.

Juxta hæc omnia amaricantia acriora appetitum provocant, pituitam mucilaginosam incidendo ac abstergendo, ut fermentum digestivum, impedimentis his sublatis, pristinam recuperet activitatem, simulque ventriculi tunicam nerveam vellicent. Hinc varia prostant ex his composita officinalia, ut species diatrion-pipereon, species aromaticæ, & similia; ex simplicibus hisce paratæ essentiæ & Elixyria, *Elixyr menthæ* cum *spiritu proprio* per infusionem paratum, addito pauco *saccharo*; Elixyr stomachale Quercetani, febrile Mynsichti; Essentia menthæ, Zedoariæ, absinthii simplex & composita, pulegii, calami aromatici, & simil. admodum conveniunt in hoc affectu. TIMÆUS à *Guldenklee* facit mentionem Essentiæ panis cum vino Malvatico destillatæ, quæ omninò non erit rejicienda; nam spiritus panis per retortam destillatus, acido-volatilis est, inter stomachica remedia singularissimus.

Ex hactenus dictis paratur *Vinum medicatum stomachale*, imprimis in malo magis chronico:

℞. *Herb. absinth.*
Menth. an. M. j.
Rad. acori veri ℥ij.
Gentian. ℥ß.
Sem. 4. calid. maj. an. ʒij.
Incis. includ. *Nodulo*, S.
Nodulus pro vino stomachico.

Capiat æger omni die bis haustum, addendo omni haustui gutt. 6. *spiritus salis dulcis*.

Vel

℞. *Herb. menth. crisp.* M. iij.
Rad. acori veri rec. ℥ij.
Helen. vel *armorac. rec.* ℥j. ad ℥jß.
Zedoar. ʒvj.
Cinnam. ʒiij.
Misce pro *nodulo vino* infundendo:

De quo æger manè & à meridie aliquot horis ante pastum, aut etiam in ipso pastu bonum haustum capiat, & egregiè appetitus allicitur.

Item

℞. *Herb. Menthæ* M. ij.
Card. ben. M. j.
Absinth.
Summ. cent. min. an. M. ß.
Rad. enul.
Caryophyll. an. ℥ß.
Sem. sinapi vel *erucæ* ℥j.
Cinnam. ʒij.
Caryophyll. ʒj.
Incis. & cont. includ. *nodulo*, qui infusus s. q. Vini, capiatur omni manè ad lubitum.

Quando simul laxandum:

℞. *Herb. menthæ* M. ij.
Summ. absinth. M. j.
Rad. ari
Helleb. nigri crud. an. ℥ß.
Enulæ,
Fol. senn. sine stip. an. ℥j.
Sem. anisi
Fœnic. an. ʒvj.
Galang.
Zedoar.
Zingib. an. ʒij.
Sal. tartar. ʒiij.
Incis. & contus. D. S.
Nodulus purgans pro vino.

Imo sola radix armoraciæ recens, cum ana rad. helenii rec. vino Rhenano vel absinthite aut cerevisiæ infusa, omni mane hausta, egregium est remedium; quod insigniter commendat GABELCHOVERUS *C.* 1. *Cur.* 14. in appetitu prostrato ex nimia visciditate & glutinositate salivæ cum nausea ac amarore in ore: pituitam mucilaginosam incidit ac abstergit, unde humor fermentalis, remotis his vitiis, activitatem pristinam recuperat, atque ventriculi tunicam nerveam simul stimulat. Idem præstat piperitis vino infusa & propinata, vel sufficiat haustus vini generosi, vel panis triticeus vino intinctus, sensim sensimque deglutitus.

Facit huc *Observatio* 1. THONERI *l.* 2. *pag.* 141., qui fastidium ciborum ingens cum insigni virium prostratione & amarore oris curavit:

℞. *Rad. cichor.*
Herb. absinth. Rom.
Roris mar.
Card. bened. an. M. j.
Cent. min. M. jß.
Decoqu. in *Vini* vel *Aquæ* Mens. ß. ad consumptionem tertiæ partis:

De quo mane & vesperi capiatur ℥ß.

* Similem videb. observationem in FORESTO *l.* 18. *Obs.* 8. Conf. etiam RIVERIUS *in Obs.* 1. à PACHEQUO *communicata*, & *l.* 9. *Prax. pag.* 547., qui habet exemplum appetitus dejecti, per agrimoniam, absinthium, & centaurium

taurium minus in forma Decocti ad aliquot dies ita aucti, ut etiam canina appetentia ferè secuta sit. Decoctum fuit tale:

℞. *Fol. agrimon.*
Com. absinth.
Summ. cent. min. an. M. ß.
Coqu. in aqua.

De *Colatura* cepit æger bonum haustum cum pauco *saccharo*.

Præterea conveniunt etiam acida volatilia, non nimia, sed potius temperata, ad appetitum provocandum, quæ inter, præter tartarum primas vias simul blande abstergentem & relaxantem, excellunt cydonia, quocunque modo usurpata; in his enim absoluta quasi cura est appetitus prostrati, imprimis cum vomitu aut alvi fluxu plus minus conjuncti: hinc ZACUTUS LUSITANUS non satis commendare potest cum medicamentis ex cinnamomo. Facit huc quoque pulpa cydoniorum plus minus aromatisata, & syrupus cydoniorum simplex & aromatisatus, omniaque cydoniata; unde misturis ad stomachum roborandum cydoniorum succus aut syrupus permiscetur: e. g.

℞. *Aquæ menthæ* ℥ij.
Cinnam. ʒij. ad ʒvj.
Succ. cydonior. ℥j. ad ℥iß.
Syrup. cydon. simpl. vel *aromat.* ℥ß. vel ʒvj.
M. f. Potio. S.
Potiuncula corroborans stomachum.

Capiatur pro lubitu. Item

℞. *Aquæ menth.* ℥j.
Cinnam. ℥ß.
Spiritus theriacal. ʒiß.
Laud. opiat. ferm. gr. ij.
Syr. cinnam. ℥ß.
M. S. ut suprà.

Item spiritus mastichis acidus & panis nobilis est in affectibus stomachi omnibus; sicut & corrigit omnia purgantia stomacho adversa: item spiritus minerales acidi, cum spiritu vini ritè dulcificati, v. g. spiritus salis dulcis, vel spiritus nitri dulcis, & spiritus vitrioli dulcis à gutt. x, xij. vel xv. ad xx. vel xxx. pro una dosi, semper bihorio ante pastum in vehiculo, præsertim calido, præter propter usurpati. Dulces sint ideo, quia non dulcificati, nimis sunt acres: cùm autem in nobis omnes succi sunt temperati, unde in Praxi temperatis remediis inhæreamus; remedia enim, quò magis temperata, eò magis grata, quia sine alteratione corporis operantur. Excellunt hæc inter, *spiritus vitrioli volatilis*: non autem vulgaris sit, sed præparetur beneficio *spiritus vini* ex *vitriolo regenerato*. Item sal volatile succini acidum, ab adjuncta pinguedine liberatum, ad gr. xij. vel xv, subinde ante pastum usurpatum. Item spiritus viridis æris volatilis ad gutt. xx. vel xxx. assumi potest. Optimum consilium est, ut maritentur hi spiritus cum vegetabilibus stomachicis vel aromaticis: hinc videmus *Elixyr proprietatis* ceu compositum aromaticum, quod optimè convenit in anorexia, habere adjunctum *spiritum* acidum *sulphuris* vel *salis*, ut ita eò melius operetur: cujus dosis est ad gutt. 30. vel 40. jejuno stomacho usurpatum. Vel

℞. *Elix. propr.* ʒij.
Essent. absinth.
Menth. vel *cal. arom.* an. ʒj.
M. S.
Elixyr stomachale.
Vel
℞. *Conf. pulp. citri* ℥iß.
Menth. vitriolat. ℥j.
Pulv. hepat. rub. ʒij.
Spiritus salis coagul. ℈ij.
Cum s. q. *syr. cydonior. aromat.* f. *Electuarium*,
D. S.
Electuarium stomachale.

Conveniunt etiam acetum pro condimentis in cibis, aut acetum volatilisatum & affusum Zingiberi, semini erucæ vel sinapi, & Zedoariæ, & sic usurpatum; uti & acetum squilliticum. Huc quoque pertinet pulvis hepaticus rubeus, *seu Pulvis ebriosorum* Dresdensium. Nec negligenda sunt Elixyria stomachalia, quorum non vilissimum est *Elixyr stomachale compositum D. Michaelis*, in quo conjungi aromata salina & oleosa cum spiritu salis seu vitrioli Philosophico, sequenti modo:

℞. *Herb. menthæ crisp.* M. iv.
Absinth. Rom.
Roris mar. an. M. ij.
Salv.
Pulegii,
Melissæ an. M. j. vel M. ij.
Rad. acori veri rec. ℥iij. vel *exsicc.* ℥j.
Pimpin. vel *enulæ* ℥ij.
Cyperi orient. ℥j.
Gran. mast. ʒvj. vel ℥iß. ad ℥ij.
Sem. 4. cal. mai. an. ℥ß.
Sinapi ʒvj.
Ras. sassafr. ℥iij.
Zedoar.
Galang. an. ℥iß. ad ℥ij. vel ℥iij.
Cubebar.
Nuc. moschat.
Macis,
Cinnam.
Zingiber.
Caryophyll. an. ℥iij. vel ℥ß.
Sem. coriandri ℥j.

Irrorentur cum *spiritu salis* vel *Vitrioli Philos.* (qui reverà est spiritus salis, è butyro antimonii aquâ diluto & rectificato) ad gratum saporem & subtilem acorem: extrahatur cum *spiritu menthæ crispæ* in loco calido: post filtrationem adde

Extr. stomach. compos. vel *acori veri*, quantum potest in Ess. dissolvi.
Dosis ℈ß. ad gutt. 50. 60. usque ℈j.

Hoc Elixyr stomachale in scorbuto & malo hypochondriaco conjungitur cum spiritu cochleariæ hoc modo:

℞. *Elix. stomach.* ℥iij.
Spiritus cochlear. ℥iß.
M. S.
Elixyr stomachale.

De hoc sumantur bis de die gutt. 30. ad 40. & insigniter appetitum renovat, & stomachum confortat: Vel

℞. *Elix. vitriol. Mynf.* ℥ß.
D. S.
Elixyr corroborans stomachum.

Dosis 30. gutt. bis in die, manè in vehiculo calido, vesperi in frigido, semper bihorio ante pastum.

Interdum etiam Essentiæ ambræ aliquid addatur; ambra enim singulare est stomachicum, & convenit in specie in affectibus senum.

De cætero alcalia eadem ratione ac aromatica operantur; v. g. sal cardui benedicti, item Tinctura tartari acrior, i. e. sale alcali quasi caustico facta, ad 40. gutt. usurpata: impedimenta stomachi removet, & acri stimulo appetentiam stimulat.

℞. *Tincturæ tartari acerr.*
Elix. propr. sine acido an. ℥iij.
M. D. S.
Mixtura stomachalis.

Item convenit *Essentia piperis* cum *spiritu vini tartarisato* parata.

Pertinent huc etiam salsa, v. g. *sal ammoniacum* crudum, quod est egregium stomachicum, incidens, quod *antea dixi* de gummi ammoniaco, & alterans viscida, eaque extra stomachum removet, adeòque multùm facit ad renovandum appetitum. Est quasi *sal salsum*, ex *sale communi* & *sale volatili urinæ*, quæ dant sal salsum tertium. Quibusdam solet præscribi sal ammoniacum cum salibus vegetabilium fixis: sed est error insignis. Ratio est: Quia salia fixa alcalia arripiunt acidum salis communis; unde avolat sal volatile salis ammoniaci, & sic fit salsum fixum: potius omittantur salia fixa, & præscribatur sal ammoniacum solum, vel lapilli cancrorum adjungantur. Idem sal ammoniacum convenientissimè cum aromatibus jungitur, & constituit pulverem stomachalem compositum: Sic pro stomacho detergendo & appetitu restaurando:

℞. *Flor. salis ammoniaci*, vel *sal. ammoniaci depur.* ℥j.
Spec. diatrion piper. vel *cubebar.* vel *alius aromat.* ℈j. vel ℥ß.
M. pro tribus vel 4. dos. S.
Pulvis stomachalis.

Qui capiatur omni mane.
Vel

℞. *Salis ammoniaci depur.* ℨj.
Zingib.
Spec. diatrion piper. an. ℈ß. ad g. xv.
M. D. S.
Pulvis stomachalis pro tribus dosibus.
Item:
℞. *Rad. ari exsicc.* ℨj.
Lapill. cancr. praep.
Salis absinth. an. ℈j. ad ℨß.
Ol. destillat. caryoph. gutt. iij.
M. pro tribus dosibus D. S.
Pulvis stomachalis pro tribus vicibus.
℞. *Rad. ari crud.* ℨß.
Piperis ℨß.
Zingib. ℨß.
Flor. sal. ammoniac. ℨij.
Olei destillat. cal. arom. ℈j.
M. f. *pulvis*, S.
Pulvis stomachalis pro aliquot vicibus.
℞. *Lapill. cancr. praep.* ℨjß.
Galang.
Salis ammoniac. depur. an. ℨj.
Piperis,
Zingib. an. ℨß.
M. f. *pulvis*.
℞. *Conf. summ. absinth.*
Rad. enul. an. ℥ij.
Zingib. cond. ℨvj.
Spec. diatrion piper ℨiij.
Salis ammoniaci ℨj.
Cum syr. cydon. f. Electuarium, S.
Electuarium stomachale.

Vel usurpetur vinum absinthit. cum sale ammoniaco: quò etiam faciunt tartarea remedia, ut cremor & crystalli tartari, tartarus vitriolatus, item Panacea Holsteinensium, sal tartari essentiale & similia: Item
℞. *Liquor. terrae fol. tartari* ℨß.
D. S.
Essentia stomachalis: 40. *guttae pro dosi, bis in die.*

Pertinent & huc pulveres stomachales salini, inter quos etiam est *pulvis stomachalis D. Michaelis*, quia in appetitu prostrato convenit:
℞. *Rad. ari exsicc. crudè pulverif.* ℔ij.
Arcan. dupl. seu *Panac. Holsat.* ℔j.
Salis absinth.
Costi Arab.
Rad. acori veri an. ℥ij.
Cinnam.
Caryophyll. an. ℥jß.
Macis,
Piper. longi,
Zingiber.
Cubebar.
Cardamom.
Gran. parad.
Zedoar.
Sem. coriandri an. ℥j.
M. f. *pulvis*.
Dosis ℈j. ad ℨß.

Egregiè convenit in affectibus stomachi, ubi obrutum est fermentum stomachale à cruditatibus.
Vel
℞. *Pulv. rad. ari* ℨj.
Arcan. dupl. ℈ij.
Olei destillat. menth. an. gutt. vi.
M. f. *pulvis*, S.
Pulvis stomachalis: dosis quantum mucro cultri capit.

Huc pertinet etiam *pulvis stomachalis Birkmanni*, qui in ZWELFFERI *Animadvers. in Pharmac. August. pag.* 163. describitur.

Si anorexia ex vitio spirituum animalium & nervorum, ambra ejusque Essentia aliis stomachicis juncta singulariter convenit: item vinum, spirituosa & aromatica: potissimùm verò Essentia melissae & pulegii, praeprimis si juxta HARTMANNUM cum olei destillati baccarũ juniperi aliquot guttulis, aut calami aromatici acuentur: item Balsamus Peruvianus, si vel aliquot guttae in haustu vini, aut cum sacharo propinentur, vel cum vitello ovi sorbilis assumantur, quod RIVERIUS *in Pr. l. 9. cap. 1.* ceu expertum commendat; unde tinctura seu *Essentia Balsami Peruviani cum tinctura è tartaro parata*, in hoc passu foret usurpanda. Egregium quoque est *Electuarium stomachale Paracelsi*, cujus descriptio datur in *Tom. 5. Oper.* Nempe
℞. *Rob juniper.* ℨvj.
Pulv. Zingib. ℨß.
Acori veri,
Macis an. ℨij.
Cubebar. ℨj.
Cum f. q. *sacch.* f. *Electuarium.*
Dosis ℨj. ad ℨij.

Vel praescribantur *condita* sequentia *polychresta*, i. e. multi usus, in quamplurimis stomachi affectibus chronicis, pro senibus:
℞. *Rad. cich. cond.*
Scorzon. cond. an ℥j.
Conf. menth. crispae,
Absinth. Pont. an. ℥jß.
Fl. cichor.
Rosar. rubr.
Anthos,
Pulv. Zedoar. an. ℨj.
Acori veri,
Cinnam. acerr.
Zingib. an. ℨj.
Mithridat. vel *Theriac.* ℥ij.
Cum f. q. *syr. menthae crispae* f. *Electuarium.*
D. S.
Electuarium stomachale.
Item:
℞. *Conf. Menthae crisp.*
Absinth. Pont. an. ℥jß.
Ros. rubr. vel *anthos* ℥j.
Rad. cichor. cond. ℨß.
Acori veri cond. ℨiiß.
Pulv. Zedoar. ℨvj.
Mag. corall. cum succo citri
Cinnam. an. ℨij.
Zingib.
Caryophyll.
Tincturae corall. an. ℨj.
Cum f. q. *syr. menthae crisp.* f. *Electuarium irrorandum cum*
Spiritu salis dulci.
D. S. ut *anteà*.
Vel
℞. *Conf. ros. rubr.* ℥ij.
Menthae ℥j.
Zing. in Ind. condit. ℨvj.
Acori veri cond. ℨiij.
Spec. diapiper. diamosch. dulc. ℨiij. vel ℥ß.
Cum syr. flor. tunicae f. *Electuarium.*

Si expetantur *Morsuli stomachales*:
℞. *Conf. fl. anthos* vel menthae ℥ß.
Rad. ari cond. vel *Zing. cond.*
Spec. morf. Imperat. vel *pulv. stomach. Birkm.* an. ℨiij.
Extr. Zedoar. ℨß.
Cum f. q. *sacch. in aqua foeniculi* vel *menthae sol.* ℥viij.
f. *Morselli*,
irrorandi cum *oleo destillato menthae*.
D. S.
Morsuli stomachales.

His adjungi possunt *Rotulae bibitoriae Dodonaei*, quas dedi in *Collegio Formular. Class.* 1.

Si pinguia aut biliosa prosternant appetitum, commodè praedictum Elixyr proprietatis, tàm solùm, quàm cum amaris mixtum, & remedia ex absinthio, usurpari possunt; quae pinguedinem quamcunque potenter domant. *In febribus*, praesertim intermittentibus, *ad revocandum appetitum* amara talia, v. g. praeter dicta, *Elixyr febrile Mynf.* sunt optima, quod Elixyr videbitis in *ejus Armament. Chym. pag.* 254.

Si à Narcoticis prostratus sit appetitus, acida eum revocant.

Quod *si* verò, ut non rarò, v. g. in hypochondriacis, fieri solet, *acidum praeternaturale ventriculi appetentiam turbet*, absorbentia, v. g. lapilli cancrorum, creta, ebur &c. locum habebunt: item *Elyxir proprietatis sine acido*; item *cum spiritu salis ammoniaci paratum*; Essentia absinthii tartarisata, spiritus salis ammoniaci, simplex & aromatisatus.

Nec

Nec *Externa* seu *Topica* ad anorexiam negligenda, sed sub linimentorum, epithematum, emplastrorum, &c. formâ applicanda: inter quæ convenit crusta panis vino generoso, vel acidulo vel malvatico, aut aceto, probè ebria, pulvere nucis moschatæ, macis, caryophyllorum, aliorumque aromatum aspersa, & ita instar scuti stomacho tepidè applicata: item Elixyr menthæ calidè cum frustulo panis intincto ventriculo impositum, applicando desuper laterem calefactum, admodum convenit, præsertim in spirituum defectu. Balsamum Anglicum ventriculo illitum mirè etiam appetitum provocat. Convenit etiam oleum stomachale Cratonis, mastichis, nucis moschatæ, menthæ, absinthii, caryophyllorum, Balsamum Peruvianum, tacamahaca, ceratum ex ladano, emplastrum stomachale Cratonis, Hartmanni, &c. E. g.

℞. *Olei expr. nucist.* ʒiß.
Destillat. caryophyll. ℈j.
Absinth.
Menthæ,
Juniperi an. ʒß.
M. D. S.
Balsamus confortans stomachum.

℞. *Empl. stomach. Hartmanni*, vel *de tacamah.* q. s.
Malax. cum *Balf. Peruv.* & inducatur super *alut.* sub forma scuti stomachalis,
D. S.
Emplastrum stomachale.

Pellis vulturis similiter in forma triangulari stomacho applicata, est expertum remedium: Vidi ego aliquot experientias felicissimas, utut videatur ridiculum. Egregia quoque est *cera catholica Barrbi*, cujus descriptionem communicavi in *Collegio Schrœderiano* P. 2.

Pergo ad

CAPUT II.

DE

APPETITU DEPRAVATO.

Quod attinet *appetitum depravatum*, est hic vel in *appetendo*, vel *aversando*. In *appetendo* est, si aliquid intensiùs, vel suetum vel insuetum, cum maximo desiderio appetunt, ut in *Pica & Malacia*: vid. SYLVIUS *Pr. lib.* 1. *c.* 2. Contrarium vitium est *in aversando*, si certum edulii genus aversatur, qui affectus speciali nomine caret. Vocatur aliàs *certorum ciborum fastidium*, quando scilicet determinatè fastidiuntur cibi, v. g. omnimodè aversantur caseum.

ARTICULUS I.

DE

FASTIDIO seu AVERSATIONE DETERMINATA.

Fastidium hoc seu *Aversatio*, est vel *nativum*, vel *adventitium*: ita, ut *nativum* non tantùm per dispositionem hæreditariam à parentibus in prolem peragatur, sed frequentiùs à matris imaginatione dependeat, ob quamcunque causam gestationis tempore pro ingratis judicata, alimenta aversantis: *Adventitia* verò post nativitatem excitatur:

1. Vel à mero quodam præjudicio, hæc vel illa alimenta pro ingratis habente.
2. Vel ab alimentis ipsis, in nimia copia vel ad nauseam oblatis, vel iisdem non satis mundè paratis vel oblatis.
3. Aliquando verò ab humorum, e. g. vitiosorum, ventriculi fermentum corrumpentium affluxu, ut in gravidis sæpè observatur, quorum indolem explicare difficile est, nisi ex aliis conjunctis symptomatibus eam forsan augurari liceat.

Cùm autem rariùs occurrat in Praxi, consideremus potiùs

ARTICULUM II.

DE

PICA ET MALACIA.

Pica in genere est appetitus ita depravatus, quando quocunq; tempore insusitata penitus appetuntur; Malacia verò est appetitus quidem nimius, usualium tamen, ita ut usitata, sed cum nimis intenso appetitu seu desiderio appetantur, unde & interdum plus, quàm conducit, comedunt. Sic v. g. Pica est, quando gravida appetit insueta, e. g. crudas animalium carnes, condimenta & medicamenta in majori quantitate, e. g. Zingiber & Theriacam: vid. PLATERUS *Obs. pag.* 239: imo planè absurda, v. g. carbones, cespites, corium, atramentum, cretam, plumbum: vid. TULPIUS *lib.* 4. *Obs.* 43. SALMUTH *C.* 2. *Obs.* 62: imo stercora: vid. BORELLUS *Cent.* 4. *Obs.* 2: vel noxia tandem, ut calx viua &c., quod refert FERNELIUS. Malacia verò est, quando certum edulii genus, v. g. haleces: vid. TULPIUS *lib.* 2. *Obs.* 24: & alios cibos & potus usitatos, sed utrumque appetitu nimio & inconveniente, appetunt: patiuntur sæpè anxietates præcordiorum, languorem universi corporis, & superuenit uomitus uariorum humorum.

SUBJECTUM PATIENS seu PARS AFFECTA.

Pars affecta primaria ordinariò statuitur stomachus, imprimis orificium sinistrum seu superius, ejusque fermentum: Ubi enim fundamentum est, & quasi residet appetitus naturalis, ibi quoque residebit præternaturalis & depravatus. Sed si ritè rem cosideremus, manifestum evadit, distinctum in hoc morbo complicato esse subjectum patiens: appetitum nempe læsum & Phantasiam depravatam, gustum, odoratum, auditum, seu horum sensuum organa.

Phantasiam affici, ex eo certum est, quod homines, dum stomachus appetitu sensili, ut sic dicam, afficitur, seu à fermento digestivo vellicatur, ferantur singulari affectu in tam varia, ut sunt creta, corallia, murorum calces, carbones, atramentum, &c. Namque non stomachus seu fermentum præcisè, sed phantasia est, quæ determinat appetitum ad hoc vel illud, e. g. in Pica. Objectum quidem stomachum stimulat, sed hic non declarat: sicut enim in fame, præter vellicationem ventriculi, phantasiam concurrere, ex Physiologicis suppono; ita non vellicatio prava, sed phantasia prava, quæ appetitum animalem regit, objecta determinat, & uti aliàs melancholici feruntur in certa objecta, sic tales ægroti incidunt in objectum cum eduliis, in quod feruntur: Ergò & utique phantasia vitium habet. Si inter fermentum stomachi, ejusque in nervos operationem, & inter appetitum hinc consequentem animalem, intercedit intermedium phantasiæ opus, necesse est, ut priùs phantasia, quæ id, quod à reliquis sensibus externis & interno communi susceptum fuit, componendo & dividendo quasi actu perficit, pravè afficiatur, à quacunque causa occasionali fiat, quæ tamen frequentissimè in ventriculo fomitem seu nidum sibi eligit: Adeóque Picæ & Malaciæ sordes primaria in facultate animali, i. e. subjectum inhæsionis in spiritibus animalibus erit locandum.

Quod gustus afficiatur, certum est ex eo, quod aliæ quoque res fœtidæ & pessimi saporis, & à quibus in statu sano ægri maximè abhorrent, cum insigni voluptate deglutiantur; quin & interdum dicant, habere talia suavissimos sapores. Exemplum videbitis in SALMUTH *C.* 3. *Obs.* 62. de virgine, quæ omnia candida, & inter alia etiam calces parietum abrasas, ac cerussam, singulari voluptate devoravit, & earum deprædicavit suavitatem ac dulcedinem. Hic certum est, fuisse depravatum gustum, calx enim est admodum acris, At BORELLUS *Cent.* 4. *Obs.* 2. habet exemplum de Virgine picante, quæ stercora humana comedit, quæ non sunt adeò sapida, & tamen cum insigni gustu appetita deglutivit: unde certum est, affici gustum sine dubio à lympha salivali corrupta, & gustum depravante, quia aliàs talia ingerere non possent. Res illustrari potest ex eo, quod suppressio mensium in mulieribus creberrimè det Picam, quando scilicet sanguis sepa-

separatus, in vasis uteri, ab externa vel alia causa coagulatus, stagnans inquinatur, indeque ad corruptelam sui tendens, ob denegatam excretionem sensim sensimque regurgitat in totam massam sanguineam; unde consequenter & afficitur lympha, quæ, uti per internam tunicam stomachi glandulosam transsudando, ad supplementum fermenti digestivi concurrit, ita eadem spirituum vehiculum salivæque materia existit. Dum igitur saliva infecta est, non potest non lingua simul affici, & gustus depravari, unde saliva non minus, quàm fermentum stomachi vitale, simul affectum est in Pica. FRACASSATUS equidem *in Epist. de Lingua pag. 255.* gustandi hanc in Pica depravatam voluptatem à papillis nerveis vitiatis in lingua deducere nititur: sed ego consultius puto, si fundamentum constituatur in saliva.

Afficitur etiam odoratus, quatenus res fœtidæ cum singulari jucunditate naribus admoventur. Exemplum affecti odoratus habet SALMUTH *C. 2. Obs. 62 & 63.* de virgine picante, quæ insigniter delectabatur à fœtore veterum librorum, à tineis blattisque erosorum, situque prorsus corruptorum, ita ut nares per totos dies in tales libros immitteret, & odorem suavem, uti dicebat, hauriret. Item BORELLUS *citato loco* aliud exemplum habet de virgine picante, quæ intensissimè afficiebatur odore corii, tanquam balsamo; quare semper in ore detinuit & masticavit, ut perciperet odorem suavem, quæsivitque calceos vetustissimos, quorum odorem fœtidissimum moscho & ambræ comparavit.

Hæc probant esse non simpliciter affectum stomachum, sed insimul phantasiam spiritusque animales, & hinc gustum & odorem, cæteraque sensoria. Id quod ulteriùs confirmatur ex eo, quod picantes non præcisè in alimenta ferantur, aut in talia, quæ alimentorum loco ab iis ingeri possunt; sed etiam in alia aliorum sensuum, non præcisè gustus aut tactus in stomacho, objecta: v. g. dum pica impellit mulierem ad exsuctionem venti ex follibus, vel dum alia per picam appetit fragorem carbonum fossilium pedibus contritorum. Qualia exempla cùm præcisè ex stomacho, secundùm certam famis vel sitis modificationem affecto, non oriantur, (conf. *Acta Societ. Reg. Volum. 1. pag. 447.*) distinguendum ergò videtur inter subjectum Inhæsionis, quod reverà stomachus, & objectum Denominationis, quod est facultas animalis, ratione spirituum animalium in phantasia alteratorum.

CAUSÆ.

Quod attinet *causam appetitus* talis *depravati*, certum est, hærere in fermento digestivo stomachi: Nam sicut in genere appetitus oritur à fermento stomachi digestivo vitali naturaliter ritè constituto; ita in specie etiam ab eodem alterato appetitus vel auctus vel depravatus in Pica & Malacia originem ducit. Videmus enim quod omnia animalia habeant in suo genere determinatum stomachi fermentum digestivum, ratione cujus fermentum istud se habet, ceu appropriatum agens menstruum in objecta appetita, ac sub isto certo modo determinetur eorum appetitus; hinc unaquæque species fertur in cibum certum; sic canis appetit ossa, sciurus fructuum nucleos, felis mures, ciconia ranas, anser avem, bos gramem, carduelis carduum, homo panem, &c. nulla alia è ratione, nisi quod activitati suæ appropriatum objectum postulet specificum in illis stomachi fermentum. Unde simili ratione Pica & Malacia oriri videtur; nimirum dum certa ratione alteratum & determinatum est fermentum stomachi, ut in insueta & singularia, nunc hoc nunc illud, v. g. cretam, carbones, arenam, atramentum, &c. ardenter feratur. Sed in quo consistat ista specificatio fermenti, ut in singulis speciebus certo modo determinetur, & ita in unoquoque speciei individuo appetitus determinetur ad hoc vel istud? à priori adhuc est imperscrutabile. Ideæ certæ spiritibus impressæ, quas hic habere volunt nonnulli, & intellectu & explicatu sunt difficillimæ, utut nativa quorundam ciborum appetentia per certam spirituum in utero matris alterationem facilè & accuratè explicari queat.

Quæritur: *in quo consistat alteratio & depravatio determinata fermenti stomachalis?* Res est ardua. Probabile videtur, hoc ratione causæ occasionalis, utplurimum in ventriculo existentis, acquirere singularem acrimoniam, eamque acrem salsam, plus minus corrosivam, cujus occasione tàm determinata & sensilis fit vellicatio, pro cujus varia impressione in orificium stomachi phantasia exinde decepta, tàm varia edulia, aut quæ horum loco ingeruntur, imò & subinde ridicula, appetit. Depravationem istam fermenti quoad occasionales causas confirmant exempla eorum, qui ex scabie retropulsa Picam cretæ inciderunt: vid. M. A. N. C. *Ann. 1. Obs. 83. pag. 299.* item FEHR *Tr. de absi. ibid pag. 98.* Sic cum scorbuto interdum Pica & Malacia complicari solet, de quo vid. HORSTIUS *Obs. pag. 395. l. 7. Obs. 35.* Illustrat etiam illud assertum HILDANUS *Centuria 1. Observatione 37.* dum refert: Picam obortam ex ulcere faucium, in quo pus generatum; unde appetebantur haleces, pisces, & carnes salitæ & infumatæ, & similia salsa, quæ optimè deglutiebantur; res non appetitas verò, juscula, &c. fastidiebat, & nullo modo deglutire poterat, dum interim superiora, licet graviora & morbo nociva, sine ullo nocumento benè digerebat. Fundamentum consistit in hoc: nempe ex ulcere faucium extillans pus in stomachum, alteravit ejus fermentum digestivum, istudque pro natura puris acrioris acido-salsi singularem impressionem fecit in orificio stomachi, & ad comestionem halecum & similium salitorum quasi stimulavit; ut exinde talis inordinatus, determinatus tamen, appetitus fuerit. Hinc & mensium suppressio in mulieribus, in quibus vitiosum abundat acidum, frequentissimè Picam infert, alterando sanguinem, lympham, & his mediantibus consequenter etiam salivam, & ipsum stomachale fermentum.

In specie malum hoc frequentius observatur in mulieribus gravidis, quanquam his non solùm: RIVERIUS tamen curiosum exemplum habet *C. 4. Obs. 93.* de fœle aliquandiu picante, non quidem gravida, sed etiam sterili, quæ devoravit calcem, carbones, & similia: sed cùm hæc fuit gravida, potiùs liquor genitalis, vel aliud simile excernendum corruptum & suppressum, occasionem malo suggessit: sic picæ simile exemplum de cane venatica gravida videb. *in Actis Societ. Reg. Volum. 1. pag. 447.* Non tamen hoc universale esse, probare possunt & confirmare similiter puellæ adhuc impuberes picantes; v. g. pica in puella 8 annorum observata in M. A. N. C. *Ann. 4. Obs. 143. pag. 150.* Sic pueri, item infantes picantes, subinde observantur, imprimis ex matre chlorosi laborante, quod testatur RIVERIUS *in Praxi*, & PETRUS JOHANNES FABER, qui in *Curat. 62.* habet exemplum de proprio filio 3. annorum picâ laborante, qui arenam, cineres & terram efflagitare, & magno cum crepitu iis vesci solitus fuit, lac verò & alios cibos omninò respuit. Conf. etiam M. A. N. C. *Ann. 6. Obs. 139. pag. 202.* FORESTUS *libro 18. Obs. 7.*: & FONSECA *l. 7. Obs. 91. in Schol.* habet exemplum de pueris, crustas & calces parietum avidè deglutientibus. Gravidæ ergò non solùm, sed & steriles hoc vexantur malo; aliæ etiam mulieres, sæpe virgines, quibus menstrua suppressa. quorum exempla specialia prostant in FONSECÆ *Observationibus.* Nec mulieres tantùm, sed etiam viri non rarò picâ & malaciâ laborare deprehenduntur: Nam sicut certum est, laborare viros affectu suffocationi hystericæ simili; ita etiam prostant exempla virorum similiter picâ laborantium: Exempla multa videbitis in SCHENKII *Observat. l. 3. Obs. 1. pag. 319.* ubi *de Pica*: Ut nihil dicam de curiosa observatione, quam habet BARTHOLINUS *Cent. 5. Hist. Anat. Hist. 79.* de marito picante, nauseante & vomente, cujus conjux gravida nausearet & vomeret: simile exemplum vid. in M. A. N. C. *Ann. 2. Obs. 215. pag. 216.* & MARCELLO DONATO *in sua Hist. Med. l. 5. c. 1.* Quod si intensior sit picantis matris gravidæ appetitus, malum hoc non rarò est hæreditarium: quale exemplum habet FONSECA *l. 2. Consil. 29.* de puella 14. annorum, quæ à tenera ætate infantili calcem parietum, & laterum fragmenta sæpè appetiit, & deterreri nullo modo potuit. Ratio, quia mater gravida quoque testas & calcem commedere solita fuit; unde charactere hæreditario affecta fuit. Quò etiam facit historia, quam habet TULPIUS *l. 2. Obs. 24.* Novi hic mulierem, quæ impensè delectata cuspidibus acutis cretæ, cujus mater gravida Melancholiâ hypochondriacâ correpta, his delectata fuit.

Ex his patet solutio binarum controversiarum: Nempe I. *an in pica appetantur noxia? an verò contraria?* id est, *an appetantur ea, quæ conveniunt cum fermento stomachi? an verò, quæ non conveniunt?* Resp. cum videamus tales ægros appetita avidè sumere & digerere sine noxa, patet,

quod

quod similia tanquam grata à stomacho appetantur, i. e. appetunt ea, quæ sunt similia, & quæ se habent ut objecta convenientia ad activitatem fermenti stomachici vitiati, seu in quæ possit agere & digerere; reliqua omnia, quæ non potest solvere, respuuntur. Uti enim acidum esurinum naturaliter constitutum fertur saltem in appropriata sibi, seu in quæ commodè agere potest; ita istud simili modo in præternaturali ejus alteratione, inconsueta & singularia ardenter appetit; & quidem talia saltem, quæ ipsi sunt quasi similia, aut quæ promptè potest digerere.

Hæc deinde manu nos ducunt ad resolutionem II. Quæstionis: *An in pica, quando subinde extraordinaria ingeruntur, hoc ne fiat sine aut cum nocumento ægri?* nam ex talibus assumptis, cretæ aliorumque usu, prostant exempla, quod devorata sint hæc insueta & inordinata, & tamen non nocuerint. Respondetur: sicuti in ordinario victu sobrietas est cardo diætæ, & alimenta etiam non optima moderatè assumpta conducunt, immoderatè verò nocent; ita pariter in pica rarò nocent talia assumpta, licèt insolita, modò sobriè nec nimiâ quantitate ingerantur, à quibus non appetitis non levis aliàs contingeret læsio; hinc enim æger picans sæpè aliquot cochlearia Theriacæ, aliaque mulier ℔j Zingiberis, devoravit sine ulla insequente alteratione & noxa, teste PLATERO *Obs. l. 1. pag.* 223. Quò facit Observatio TULPII *lib.* 2. *cap.* 24. de muliere gravida; quæ gestationis tempore 1400. haleces, sed non unâ vice, devoravit sine noxa: Item stupendum est exemplum, quod habet PLATERUS *l. a. pag.* 240. de puella, quæ cepam sub cineribus coctam Theriaca impletam (quæ anteà buboni pestilentiali fuit imposita) sine noxa devoravit, cùm tamen certum fuit, cepam veneno fuisse imprægnatam: sic Medicus quidam Gallus, *de la* FORGE, *in Comment. super Cartes. de Homine pag.* 285. *&* 286. refert exemplum de puella picante, quæ comedit lapides, qui tamen fuerunt gratiores, quando priùs ad tempus radiis lunæ expositi fuerunt. Ac sanè plurima talia prostant exempla absurdorum & noxiorum sine incommodo assumptorum: Sic LINDEMANNI uxor, Melancholiâ hypochondriacâ laborans, araneas *majores, Kreutz Spinnen*, ubique locorum anxiè collegisse ac devorasse innoxiè, dicitur. Fermentum enim fertur in similia, & determinat assumenda: quod sapit, non nocet, quia digeruntur, modò servetur dosis: si nimium devorant appetita, nocent. Si igitur assumuntur ordinatè, nec unâ vice nimis copiosè, non nocent. Aliàs optimi etiam cibi in statu sano inordinatiùs ac copiosiùs assumpti, etiam fiunt venena.

Ex hactenus dictis definiri potest Pica, quod sit appetitus variarum rerum absurdarum, ex phantasia corrupta, quacunque occasione vitiata, originem ducens. Adeoque sub hac latitudine *subjectum Picæ* erunt spiritus animales, vel vitiati, vel vitiatè moti, quatenus exinde opus phantasiæ depravatur, ut crebrior occasio fit ex ventriculo & hujus fermento alterato, ubi subjectum Radicationis erit.

Causa proxima erit vitiatus spirituum motus, quatenus phantasiæ munia turbat.

Causa remota occasionalis est multiplex, mensium defectus, graviditas, fermenti digestivi alienatio, & quæ sunt aliæ plures circumstantiæ, semper hìc probè observandæ.

Uno nomine: videtur Pica & Malacia revera esse species Melancholiæ hypochondriacæ, quia ejusmodi homines alia ut plurimum melancholiæ signa præ se ferunt, in qua ad certum quoddam phantasma, occasione fermenti stomachalis præternaturaliter alterati, dirigitur imaginatio; unde & tam delirus appetitus, & desiderium ad certum quoddam edulium, vel hujus loco aliud quid inusitatum assumendi, supervenit. Uti enim melancholici tales feruntur in certum objectum, si putant v. g. se esse cucurbitam, uti exemplum novi: ita picantes habent phantasma depravatum, quod velint habere atramentum, edere coriũ cum lana, &c. Hinc & cura eadem, phantasiam nempe saltem demulcendo, ac in melancholicis nonnunquam fieri solet, in hoc malo facilè instituitur: vid. Panarollus Pentec. 3. Obs. 38.

Nempe tali casu

(1.) Imprimis stomachus evacuandus.

(2.) Fermentum vitiatum acrius acido-salsum factum, saturandum, imprimis per Martialia, vel per alia appropriata alterandum; Et

(3.) Stomacho acidis moderatis & ipsi gratis succurrendum.

SIGNA.

Quod attinet *signa*: res est clara, quoad *diagnostica*.

Quoad *Prognosin*: distinctè paululum & circumspectè pronunciandum: Nam citra noxam possunt comedi res appetitæ, sed sobriè: melius tamen est consueta, quàm planè inconsueta, imò noxia, appeti. Quamvis enim fœminas talia præternaturalia sæpiùs sine damno assumpsisse observatum fuerit; quatenus tamen ex copioso rerum absorptarum esu tractu temporis pravi tandem humores inde generantur, hincque fiunt corporis languor, cacochymia, hydrops, &c. potissimùm cùm vix semper sine noxa talia assumant, sed ab iisdem vel ad vomitum urgeantur, vel alia mala patiantur: quale quid, præter SALMUTH *C.* 1. *Obs.* 41., BRASSAVOLUS *in Comment. Sect* 5. *Aph.* 24. de muliere testatur, quæ mota desiderio assumendi glaciem, in gravia incidit symptomata.

In prægnantibus imprimis observandum: eas denegationem rei appetitæ non semper ferre posse, quia per hanc fœtus non saltem variâ ratione defœdentur; vid. PANAROLLUS *Pentec.* 1. *Obs.* 12.; sed interdum trucidentur: Cum notum sit de muliere, quæ duabus vicibus dentes in pectus cujusdam viri immittere, atque sic binis morsibus petere gestiit, qui vir autem primum quidem morsum pertulit, alterum verò recusavit: unde factum, ut duos filios in lucem ediderit, unum viventem, alterum mortuum. Jucundius exemplum habet SALMUTH *C.* 1. *Obs.* 41. de muliere gravida, quæ picâ laborans summam habuit libidinem vellicandi barbam lanionis, unde magnam partem illius evulsit; quod etiam alterâ vice fecit; tertiâ verò vice lanio denegavit; hinc peperit tres fœtus, unum mortuum, & duos vivos. Unde vel ipsis connivendum, vel quantum possibile persuasionibus ad saniorem mentem deducendæ. Interim rectè PANAROLLUS *Pentec* 2. *Observat.* 50. inquit: *Temperantia mulieribus picâ laborantibus optimum remedium.*

CURA.

Quoad *Curam*: suprà jam formatæ fuerunt indicationes, & cum præsertim Pica & Malacia in stomacho fundata sit, remediis stomachicis curanda venit. Ante omnia evacuandus stomachus vomitorio. Obseruetur tamen status ægri: *An subjectum patiens sit gravida? an verò non?* In gravidis cautiùs vomitus prouocetur; nempe iis saltem, quæ facilè vomunt, & adhuc in primis versantur gestationis mensibus: in ultimis, quarto, quinto & sequentibus mensibus non sine periculo propinantur: Ergò tunc cautiùs discamus mercari. Vomitoria suprà in generalibus dedi. FABER pro vomitorio utitur sale vitrioli vomitiuo, ut & Infuso Mercurii vitæ: sed Mercurius vitę tutiùs exhibetur, quàm sal vitrioli vomitiuum, ex eo, quoniam hoc tantùm est vitriolum ad albedinem calcinatum, hinc inimicissimum stomacho, cujus robur atque vires deiicit & prosternit: Mercurius vitę per se est satis tutus. Nec inepti sunt, qui cum desideratis vomitoria miscent, aut hęc illis superbibere jubent; sic enim pręsentia rei exhibitę ejus desiderium tollit, & humor prauus simul euacuatur: vid. SENNERTUS *Pr. lib.* 3 *S.* 2. *c.* 5.

In vomitione autem respicienda est habilitas subjecti, prout inclinant ad vomitum: si picantes ad vomitum non aptę, aut circumstantię quędam vomitum prohibeant, Purgantia per inferiora administranda, & quidem mitiora ex pilulis, pręprimis aloeticis; quibus admiscendum est aliquid Mercurii dulcis ritè parati: aut parentur pilulę, quas superiùs dedi. AGRICOLA miscet cum Extracto hellebori nigri, purgando mulieres non grauidas, ex mensium suppressione Picâ laborantes, hoc modo:

℞. *Mercurii dulc.*
Extract. helleb. nigr. an. ℈ß.
Colocynth. gr. j.
Cum succo cydonior. f. pilulæ, S.
Pilulæ laxativæ.

Vel

℞. *Mercurii dulc. ritè par.* ℈j.
Extr. belleb. nigr. gr. xv.
Trocb. alband. gr. ij.
Cum ess. menthæ f. pilulæ, S.
Pilulæ laxativæ.

Conveniens quoque est, ut Purgantia propinentur simul cum re appetita, imprimis ut fallantur ægri: v.g. in appetentibus cretam aut arenam, aut calcem vivam, optimum est, ut cuncta permisceantur mechoacannâ albâ, vel pulvere jalappæ, aut similibus.

Quod si verò totam humorum massam malè se habere ex signis innotescat, juxta SYLVII *Praxin lib.* 1. *cap.* 2. §. 51, sudores quandoque blandos per antimonialia movere conveniet.

Præmissa Evacuatione opera danda, ut alteretur vitium in ventriculo, ac corrigatur labes fermento stomachi digestivo inducta, quod fieri nequit, nisi causa istius removeatur. Hinc si v.g. menses suppressi sint, revocentur: si aliquid affectionis hypochondriacæ subsit, hæc tollatur. Hinc dentur stomacho grata & appropriata acida blanda, spiritibus volatilibus nonnihil temperata; sic enim fit, ut acor fermenti naturalis reducatur, & appetitus depravatus corrigatur: quæ inter in regno vegetabili excellunt succus & syrupus cydoniorum, limonum seu citri, aurantiorum, granatorum acidorum, &c. quoniam sunt singularia stomachica. Specialiter etiam commendatur à quibusdam contra picas aqua pampinorum vitis, primo vere ex vitium surculis incisis exstillans, quæ est imprægnata subtili tartaro, seu aciditate volatili, ratione cujus corrigit ventriculi labem, & appetitum reducit. Usurpetur solitarie, vel convenienter etiam diluatur cum spiritu theriacali, vel aqua in Julebis. FORESTUS *l.* 18. *Ob.* 17. puellam picantem curavit per syrupum de absinthio sæpiùs usurpatum, propinando postmodum purgans ex foliis sennæ. Commendantur etiam cappares cum aceto conditi ceu experti, quibus nonnunquam etiam solent addi semina carminativa, anisi, fœniculi, carvi, &c. Essentiam corticum aurantiorum cum essentiæ croci pauxillo, in pica à menstruorum suppressione adhibuit cum successu Quercetanum imitatus Fermisius: vid. VELSCHIUS *Mittomim. Cent.* 3. *Obs.* 12. Radices petroselini cum Decocto cicerum propter vim diureticam præmisso vomitu: Haustus vini generosi itidem conducit, quoniam in vino singularis vis est restaurativa stomachi, imprimis si sit infusum super folia menthæ vel portulacæ, & Herb. absinthii. LINDANUS *in Coll. super Hartmannum* specificè commendat conservam rosarum cum spiritu vitrioli acidulatam; cui addit pulverem Zedoariæ in hac forma;

℞. *Conf. rosar.* ℥j.
Pulv. Zedoar. ʒj.
Spiritus vitriol. q. s. ad grat. aciditat.
M. f. *Electuarium*, S.
Electuarium stomachale.

De hoc subinde aliquid assumitur ter de die, maneo meridie, & vesperi: continuetur tamdiu, donec cesset affectus, nam dicit esse expertum.

Loco conservæ rosarum melius esset, si reciperetur *conserva menthæ crispæ vitriolata*; nam est singularis in hoc affectu: v.g.

℞. *Conf. menthæ crisp. vitriolat* ℥iv.
Pulv. Zedoar. ʒj, ℈iv, ʒiß ad ʒij.
Syr. cydon simpl. vel *aromatic.* q. s.
f. Electuarium.

De quo sæpè æger capiat pro lubitu.

Item convenit aqua cinnamomi cydoniata, vel sola, vel cum Elixyr menthæ imprægnata, & acidulata cum tantillo spiritus vitrioli Philosophici; v.g. præmissis præmittendis fiat *mixtura stomachalis* talis:

℞. *Aquæ menth.*
Meliss. cum vino an. ℥iß.
Succ. cydon. ℥j. vel *hujus & succi citri* an. ℥ß.
Elix. menthæ ʒß. ad ʒvj.
Spiritus salis dulc. ʒß.
Syr. de succo cydon. pro lubitu.
(nam syrupi non bene præscribuntur in magna dosi propter admistum saccharum.)
M. f. *Potio.* S.
Mixtura stomachica.

℞. *Aquæ menth.*
Meliss. cum vino an. ℥j.
Cinnam. cydon. ℥ij.
Elix. menthæ ʒj.
Succ. citri,
Cydon. an. ℥ß.
Spiritus salis dulc. ℈i.
Syr. cydon. ℥j. ad ℥iß. vel q. s.
M. f. *Potio.*

℞. *Aquæ menthæ*
Meliss. an. ℥j.
Succ. cydon. ʒvj.
Elix. menthæ,
Syr. cydon an. ℥ij.
M. f. *Potio.*

℞. *Aquæ menthæ*
Meliss. an. ℥j.
Cinnam. cum vino vel *cydoniat.* ʒvj.
Succ. cydon ℥j.
Spiritus salis dulc. parum.
M. f. *Potio.*

De his misturis capiantur subinde cochl. aliquot.

Succi si beneficio sulphurationis à fermentatione præserventur, 100 annos durant.

SYLVIUS *in Praxi*, modernorum commendare solet salia volatilia, non communia, sed oleosa, seu oleis vegetabilium imprægnata: Sed cautè adhibenda, quoniam sunt generosa nimis, & metus est, ne aliquando causent abortum.

Imo Narcotica quoque, v.g. Theriaca & Mithridatium, magnarum observantur virium.

Interdum in graviori malo, imprimis gravidarum, saturandum & absorbendum est fermentum acre in stomacho; unde ad pulveres cachecticos & Martialia confugiendum est: (vid. BRENDELIUS *Consil.* 103. Ideo RIVERIUS *Cent* 4. *Obs.* 93. specificè commendat *pulverem stomachalem Quercetani* seu *Birkmanni* completum, qui vid. in SCHROED. *Pharmac. l* 2. *pag.* 266. & ZWELFFERI *Animadv. in Pharmac Augusta an:*) nec non crocum Martis aperitivum, & hunc expertum dicit in Pica mulierum, ex quacunque causa orta. Dantur & alii pulveres cachectici, quorum basis est Mars, loco cujus etiam corallia, terræ, perlæ, mater perlarum, ebur, & similia absorbentia, fermentum saturantia, adhibentur: quibus præmissis purgatio per pilulas Mercuriales instituenda venit.

Quæstio est: *an venæ sectio conveniat picantibus gravidis? & quibus ob mensium suppressiones hic affectus venit, etiam conveniat?* Ratio dubitandi oritur; quia in talibus ex mensium suppressione talis supervenit. Equidem de iis, in quibus menses suppressi, dubium non est, quin saphænæ sectione, suo tempore institutâ, multùm adferatur auxilii. Interim non opus est, ut præcisè venæ sectio semper in tali affectu administretur, nec nisi plethora aliave Indicantia adsint, quæ venæ sectionem suadeant, cùm natura per hæmorrhoidum fluxum quendam liberaverit; Nam venæ sectio per se opem non fert. Sic enim refert RHODIUS *in Cent.* 1. *Obs.* 57. de quodam, qui scabie fœdatus, & malaciâ insigni laboravit, & curatus fuit solo hæmorrhoidum fluxu. Faciliùs autem is curari potuit: nam hic fluxus salutaris fuit, venæ sectio verò non ita. Unde si tentandum esset aliquid in tali affectu, ad naturam Melancholiæ hypochondriacæ accedente, hirudinum ad hæmorrhoides applicatio interdum utilis videtur.

Ulteriùs observetur in gravidis, ne inferatur noxa fœtui, eas non semper denegationem rei appetitæ ferre posse; si enim denegatur ipsis res appetita, læduntur infantes. Ex tali casu observauit SCHOTTUS *in Phys. curiosa* puerum à pane abhorrentem, ex vitio matris, cui picanti denegatus fuit panis. Aliud MARCUS MARCI refert *de ideis*: Grauidam scilicet cum appetitu summo usam fuisse carpionum capitibus, increpata ab hoc, aversata fuit, ediditque puerum, cujus dimidia pars capitis fuit instar capitis carpionis: Vid. porrò SALMUTH, qui jucundum habet exemplum *C.* 1. *Hist.* 34. Si res appetita à muliere non planè contra naturam est, e. g. arsenicum, & haberi potest, concedatur; non verò in nimia dosi. Interim imitemur artificium PANAROLLI, ut nempe persuasionibus & fraude defraudentur, i. e. modò ægrorum desideriis adstipulando, modò vel directè vel indirectè eadem detestando. Erat autem tale: Habuit puellam 12 annorum, devorantem corium inauratum, persuasit ei, pessimum habere saporem, illiniuit Decocto colocynthidos cum particula asæ fœtidæ; percipiens saporem, spontè cessavit: vid. *Pentec.* 3. *Obs.* 38. & 50. Si verò res non possit haberi, tunc maximè, juxta persuasiones rationales, dentur dicta saturantia, fermentum stomachale & acidum stomachi ritè restaurantia. Item huc spectant vomitoria, ejusmodi absurdis commixta, quatenus his etiam abo-

abominatio quædam rerum desideratarum, dum ventriculo ingrata censentur, excitatur.

ARTICULUS III.

DE

FASTIDIO ALIMENTORUM.

Vid. SYLVIUS *Prax. libr. 1. cap. 3. pag. 33.* Contrarium verò vitium modò explicatis affectibus est *Fastidium alimentorum*, quod est nausea & horroris seu aversationis species.

CAUSÆ.

Aversatur autem ventriculus, quæ ipsi sunt nociva, dum hujus fermentum pinguedine vitiatum est, sive sint assumpta pinguia, sive cruditas nidorosa, sive saliva biliosa, stomachum lædens: sicut etiam ingenitum, seu ex certa læsione superveniens fastidium, semper præsupponit præcedens nocumentum: v. g. fastidit & horret virgo cinnamomum, quia anteà cum hoc laruatus fuerit pulvis purgans violentus, à quo stomachus admodum fuerat læsus. Præ cæteris frequentiùs horrent ægri febricitantes carnem, quia læduntur ab ejus assumptione, quatenus non digeritur, sed in cruditatem nidorosam, & in liquamen amarulentum, degenerat, à quo offenditur ventriculus. Horrent ægri tales cerevisiam lupulatam, partim propter amarorem, cùm tales ægri subinde de molesto amarore in ore, aut de fructibus nidorulentis conquerantur; partim quod non digeratur, sed & ipsa facilè nidorem hostilem contrahat: Unde vel aquam vino temperatam, vel cerevisiam secundariam desiderant, cùm talia facilè transeant, & suavi subacido sapore amica sint stomacho. Observavi exinde, quibus ægris adhuc cerevisiam benè bibentibus, crebriùs propter urgentia symptomata, & repetitè, exhibitum fuit opium, granulatim licet, quod exinde horrorem cerevisiæ contraxerint, propter nauseosum opii amarorem, ventriculum offendentem. Hinc quibus amara dantur purgantia, resinosa præsertim, ut siti subinde urgentur, ita cerevisiam ferè horrent, aquosa vel acidula ferè appetentes: Ob id Julepi aciduli tam grati sunt talibus. Ob id, quamdiu cerevisia benè sapit quibusvis in morbis, præsertim acutis, bonum signum esse solet. Abstemiam à vino videb. in M. A. N. C. *Ann. 4. Obs. 103*: à pane *Ann. 6. Obs. 158.*

CURA.

Ad restaurandam autem suavitatem & facilem assumptionem cerevisiæ & carnis, nil melius observavi, quàm Elixyr proprietatis Paracelsi ritè paratum & propinatum; Ab hoc enim adhibito appetitus talium redit, eoque curatur fastidium. Absinthium, uti etiam remedia ex mentha, imprimis Elixyr menthæ, cum spiritu acido quodam acidulatum: hinc cydoniata, succus seu vinum, & syrupus cydoniorum, cydonia condita, & similia, optimè conferunt.

Substitimus in affectibus, qui pertinent ad appetitum, quos inter restat

CAPUT III.

DE

APPETITU NIMIO.

Appetitus nimius est, quando augetur, ita ut plus quàm naturæ legitimus cursus permittit, appetamus. Hic duplici vocatur nomine; uno *Appetentia canina*; altero *Bulimus*.

ARTICULUS UNICUS.

DE

APPETENTIA CANINA ET BULIMO.

Appetentia canina, vulgò *Heisbunger*, dicitur à similitudine canum: quoniam taliter affecti alimenta non comminuunt, sed copiosè deglutiunt, interdum etiam evomunt, instar canum. Bulimus verò, vulgò *Lupi stomacum habens*, vox Græca ratione compositionis, à βȣ multum, & λιμὸς, i. est voracitas nimia, denotat ingentem famem. Dicitur βȣλιμὸς ideo, quia Græci consueti omnibus rebus insignioribus vocabulum βȣ præposuerunt: vid. VOIGT *de albed. nivis pag. 100.* Vulgò quidem appetentia canina & Bulimus confunduntur, & pro eodem affectu habentur: sed male. Hæc inter autem talis est differentia: appetentia canina est continua, inordinata, & ferè inexplebilis fames, quando ægri instar canum avidè ingerunt alimenta intensè appetita, quæ aut promptè digerunt, aut, quod frequentiùs contingit, denuo indigesta evomunt. Bulimus verò est tàm intensa fames, per intervalla saltem recurrens, ut ægri ob id etiam propter stomachi orificium superius molestiùs affectum, per ejusdem consensum animi deliquium patiantur: vid. SENNERTUS & RIVERIUS. Non tamen semper cum canina appetentia conjunctus est vomitus, ut testatur observatio SENNERTI *l. 3. Pr. P. 1, Sect. 2. c. 4. pag. 101.* Bulimus verò est ingens fames cum lipothymia seu defectu animi conjuncta.

SUBJECTUM.

Subjectum morbi sine dubio est orificium stomachi sinistrum.

CAUSÆ.

Causa autem appetitus aucti, tàm in Bulimo, quàm appetentia canina, est vel in vel extra ventriculum. In ventriculo causa proxima est succus acidus vel nimis corrosivus in stomacho residens, isque volatilis vel penetranter activus, adeòque non à materia viscida irretitus seu fixus, sed subtilis & quasi spirituosus in stomacho, orificium sinistrum insigniter vellicans seu morsicans: in quo ipso omnes omninò Medicorum sectæ conveniunt. Veteres enim, dum producunt succum Melancholicum, hoc ipso succum acidum in stomacho confirmant: nam Hippocrates ordinariè Melancholicum succum per acidum describit, dum subinde Melancholiam comparat cum aceto acerrimo. Dum ergò dicunt Veteres, imprimis AVICENNA, melancholiam esse causam Bulimi & appetentiæ caninæ, eo ipso dicunt esse acidum: PETRÆUS, & antiqui Galenici, adducunt bilem porraceam & æruginosam, seu mixturam illam, primariò ex acido insigni stomachi & bile resultantem: unde etiam infantes, quibus frequens est rejectio talis bilis porraceæ & æruginosæ, tunc temporis patiuntur tormina ventris, & exulcerationes ani; propterea, quoniam acidum etiam has exulcerationes producit: quæ tamen curantur per illa, quæ acidum absorbent. Hinc idem est, ac si dicant, peccare acidum corrosivum in stomacho. Hermeticorum schola, uti microcosmi actiones & operationes per macrocosmum definit, confugit ad spiritum salinum esurinum & Vitriolicum famelicum, qui spiritus salinus acidus & acris cùm sit acerrimus in stomacho, ut quicquid ingeritur, promptè celeriterque concoquat, & à quo omnia assumpta, tanquam à fortissimo menstruo, dissolvantur. In hoc omnes conveniunt, quod acidum sit nimium, vellicans stomachum. Nec deest experientia: siquidèm acida assumpta, imprimis verò acetum, succus citri, spiritus vitrioli & similia, uti naturaliter appetitum stimulant; ita & à similitudine effectuum poterit argumentari, quod talia intensiora in stomacho famem caninam præternaturalem intendant. Confirmat hoc etiam experientia eorum, qui laborant appetentiâ nimiâ; quæ enim eiiciuntur in appetentia canina per vomitum, acida plus minus viscida esse solent: teste FONSECA (fuit Medicus Papæ) *l. 2. Consult. 86.* ubi exemplum habet cujusdam adolescentis, qui singulis mensibus per vomitum rejecit succum crassum insipidum nigrum, postmodum verò successit appetentia canina, quo tempore ea, quæ rejecit, omninò fuerunt acida: Sic HORSTIUS *l. 4. obs. 4.* observavit, quod juvenis appetitu canino laborans acida insignia evomuerit. Confirmant hoc etiam Hypochondriaci & Melancholici, qui ob acidum notorium laborant appetentiâ caninâ; & BLASIUS *Observ. Anat. pag. 122.* ventriculum inexplebili fame laborantis acidum spirasse nidorem testatur: Ob simile enim acidum excedens canes non tantùm ingerunt dura ossa, sed eadem etiam feliciter digerunt.

Præter acidum, etiam acrimonia urinosa seu alcalica,

lica maximè volatilis & activa, Famem caninam causare probabile reddit, quod iis, quibus bilis per ductum peculiarem ad ventriculum defluit, & voraces quoque observentur: vid. VESALIUS *de Hum. Corp. Fabr. l.5. c.8.* & *Mœbius Fund. Phys. cap.*10.: præprimis cum POTERIUS *C.2. obs.96.* testetur, se acidis famem caninam curasse.

Huc etiam pertinet orificii & membranæ nerueæ ventriculi nimia sensilitas qua spiritus copiosiùs allecti continuam famem excitant. Atque hæ quidem ordinariæ sunt appetentiæ caninæ causæ.

Extraordinariè etiam euenit, ut appetentia canina interdum oriatur à vermibus latis, siue in ventriculo producantur, siue ex intestinis hunc conscendunt; quatenus alimenta, & chylum absumendo, ventriculum verò rodendo, appetentiam caninam inducunt. Exempla sunt rara: quædam tamen hinc inde tàm à Veteribus, quàm etiam modernis Medicis, allegata: Exemplum à TRALLIANO *lib.7. c.14.* ZACUTO LUSITANO *Med. Princ. Hist. l.2. Hist.68.* & SCHENCKIO *l.3. ubi de appetitu canino Obs.2. pag.*318., de muliere, intensissimo appetitu affecta, curata tamen per usum Hieræ, i. e. medicamenti ex aloë parati, cujus usu vermem 12. cubitos longum excreuit, & ita à fame canina liberata fuit. ZACUTUS LUSITANUS, qui *l.a.* refert hoc, elegantem habet discursum de hac materia. Vid. etiam MARCELLUS DONATUS *Hist. mirab. lib.4. cap.2.* BURNETTI *sepulchret. lib.3. Sect.2. Obs.9.*: & à modernis obseruatum, scorbuticos non rarò à lumbricis latis cum appetitu canino vexari. Sic B. D. MICHAELIS aliquando retulit, curasse se fœminam scorbuticam similiter appetentiâ caninâ laborantem, quæ post usum succi nasturtii aquatici rejecit lumbricum, latum insignis longitudinis, & exinde appetentia canina promptè cessauit.

Verùm, *an vermes soli possint inducere caninum appetitum?* meritò dubitatur, propterea, quoniam taliter appetentes, ut promptè appetunt, ita promptè digerunt, quod fieri nequit à vermibus. Putarim ergò, unà cum vermibus in intestinis simul adesse acidum succum esurinum nimium, à quo & appetentia oriatur, & etiam digestio, quæ non solos præsupponit vermes: Hi autem dubio procul vellicando, & morsicando, malum insigniter augebunt.

Extra ventriculum ansam ex rebus non naturalibus præbet inedia, & longior alimentorum denegatio; ex præternaturalibus omnes euacuationes chyli & sanguinis immoderatæ.

Cæterùm, utut tales, caninâ appetentiâ laborantes, multa devorent, & citò digerant, rarò tamen solent pinguefieri, sed potiùs emaciantur. Ratio est; quoniam in talibus ob acidos succos, & acriores etiam in corpore luxuriantes, massa sanguinea redditur aspera & minus nutritiua. Nutritio namque nostri corporis fit objectivè seu materialiter à succo blando, pingui, chyloso & subdulci; unde eorum, qui probè nutriuntur, massa sanguinea est semilactea, quod videmus in infantibus. In his verò, cùm desit talis succus pinguis chylosus, & potiùs abundet acidum, fit, ut propter asperitatem massæ sanguineæ minus nutriantur, sed potiùs emacientur. Videmus hoc in scorbuticis, qui laborant atrophiâ propter excessivum acidum rancidum, specifici tamen saporis, à quo massa sanguinea aspera reddita minus potest nutrire corpus. Unde rarum est exemplum, quod habet AMATUS LUSITANUS *C.7. Curat.37.* de muliere melancholica, ingenti fame correpta, quæ ob id multa & copiosa deuorabat, & cùm arida fuisset & emaciata, exinde tamen postmodum pinguis fuit reddita: Rarum, uti dico, hoc est: interim si consideremus statum mulieris ægræ, quæ fuit melancholica, patet solutio dubii.

Adeòque rarior affectus est fames canina, utut SCHENCKIUS *lib 3. ubi de fame canina, Obs.6. pag 319.* famem caninam periodicam observarit quotannis circa solstitium inuadentem, & quidem tantummodò 20. dierum spatio persistentem, consequente ingenti ciborum fastidio; qui ipse itidem obseruationem habet famis caninæ epidemicæ grassantis, *c. l. Obs.1. pag.318.* Sicut etiam rarum est, quod observatus fuit appetitus caninus epidemicus, quo fuit quispam curatus beneficio boli Armenæ, cujus usu vermes copiosè ejecti sunt: vid. FORESTUS *lib 2. Obs.28. in Schol.*

Quod attinet Bulimum cum animi deliquio: easdem habet causas; utut mitiores: attamen propter orificii stomachalis, & membranæ nerveæ nimiam sensilitatem cum aliquali spirituum animalium dispendio aut torpore, ad lipothymiam tandem disponit. Distinguendum autem hic est inter appetitum verum & falsum: Falsus enim est, qui etiam interdum ægris ferè in ultimo mortis agone evenit, & est quasi imaginarius, & venit ex aliquali impetu delirioso, quia ægri nesciunt, quid agunt, & malum signum est, præprimis si per totum morbi cursum sine appetitu fuerint.

SIGNA.

Quod attinet *signa*: *Diagnosis* est facilis.

Quoad *Prognosin*: affectus hic ut plurimum est citra periculum; facilè enim restituuntur, nisi ob animi deliquium interdum immineat morbus, aut exinde deficiat æger, præprimis si ventriculo adhuc repleto illud contingat, aut magnas evacuationes & colliquationes corporis sequatur.

Post morbos, imprimis febres, in statu reconualescentiæ sæpiùs solet invadere appetentia, caninæ similis; quæ tamen est sine periculo, signum potiùs est naturæ se recolligentis. Cæterùm nisi ægri sint moderati & temperati, aut si nimis comedant, solent pati recidivam: vid. RIVERIUS *Prax. l 9. c 2.*

Quæ canina appetentia cum vomitu aut frequentioribus dejectionibus perseverat, periculosa est, quatenus in cachexiam, hydropem, tabem, &c. degenerare solet.

Bulimus superveniens morbis chronicis, quartanæ, hydropi, &c. rarò est citra suspicionem funesti eventus.

CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac duæ primariæ attendendæ sunt *Indicationes*:

1. Est, ut temperetur acidum istud acre volatile, ut acrimoniam suam penitus amittat.
2. Ut temperatum ita, & corrosivitate suâ exutum, evacuetur.

Quoad prius: dixi, acidum temperandum esse; quia aliàs, si humorem velimus purgare, antequam temperetur à sua acrimonia, metus est, ne evacuantibus irritatum grauia inferat symptomata. Si enim sursum velimus evacuare per vomitum, metus est, ne cholera morbus concitetur; uti rectè putat HARTMANNUS: si velimus per inferiora purgare, metus est, ne exulceret intestina, & ita inferat affectum dysenteriæ similem.

Ea, quæ acre acidum istud temperant, ex superioribus sunt notissima, in specie triplicia: (1.) aut sunt salia alcalia dicta, tàm volatilia quàm fixa, præsertim posteriora, quæ acidum omne absorbent, & in salsum aut insipidum transmutant: Sic v. g. si spiritui vitrioli acido, imò acidissimo, addatur sal tartari fixum, exinde spiritus vitrioli omnem aciditatem amittit, & fit planè insipidus. (2.) Temperant acidum corpora terrea, & marina, absorbentia communiter dicta, quæ acidum in se absorbent, imbibunt, & ita ejusdem actiuitatem temperant: Sic v. g. si aceto acerrimo infundantur lapilli cancrorum, fit ut acetum corrodat eos, qui absorbent in se omne acidum, & exinde acetum fit insipidum. (3.) Corrigunt acidum omnia ea, quæ acrimoniam ejus obtundunt, qualia sunt pinguia, aut mucilaginosa, hisque similia, quæ obtundunt, & hebetant acidum: vid. BARBETTE *Prax. pag.*120.

Quod attinet *materiam Medicam*: inter alcalia seu salia fixa & volatilia pertinet sal tartari, aut oleum tartari per deliquium, sal absinthii, in genere salia fixa vegetabilium omnia, sal cardui benedicti, centaurii minoris; item salia volatilia, quæ inter eminet sal urinæ, &c. Hæc si usurpentur, potenter coercent appetitum quemcunque nimium; Item spiritus urinæ, spiritus cornu cervi, & similia volatilia. Pertinent huc etiam cepæ, allium, & similia simplicia, sale volatili acri prædita. Inter terrea sunt lapilli cancrorum, corallia, margaritæ, creta, lapis hæmatites, cornu cervi ustum, & similia, quæ absorbent acidum, & ita temperant, ut deponat acrimoniam. Bolus Armena huc pertinet, non minus quàm terra sigillata; hæc namque acidissima acida temperant: item Mars & Martialia omnia, quæ, quoniam acidum quodcunque imbibunt, non tantùm in appetentia canina, sed in specie in malo hypochondriaco sunt conuenientissima; sive sit limatura Martis cruda, sive crocus Martis aperitivus quicunque, sive Tinctura Martis quæcunque. Hoc obserue-

tur

tur in *præparatione Martialium* pro hoc usu, ne præparentur eadem nimis acidis; ubi enim Mars ab acido semel est saturatus extra corpus, tunc sanè nunquam intra corpus acidum amplius potest absorbere. Quibus nunc opiata commodè addi possunt: v. g. dabo exemplum pulveris præscribendi, temperantis acidum contra appetentiam caninam, ex modò citatis subjectis:

℞. *Limatur. Martis minutiss. pulv.*
Corall. rub. præpar. an. ℈ß.
Lapill. cancrorum præp. ℈j. vel ʒ ß.
Matr. perlar. præpar.
Lapid. carpionum præp. an. ℈j.
Croci Orient. gr. v. ad ℈ß.
Laud. opiati gr. ij.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis Præcipuans.

Sufficit pro duabus vel tribus dosibus, prout magis vel minus appetit æger, & manifestè appetitum minuit, in jusculo pingui assumptus.

Si volumus remedium ex salibus, potest sufficere hæc formula:

℞. *Antimonii diaphor.* ℈ß.
Salis absinth.
Cent. min. an. ℈j.
Vol. Cornu Cervi vel *urinæ*, aut *alius* ℈ß.
Eleosacch. anisi aut *alius* (pro odore & sapore) ℈ß. ad gr. xv.
Prout magis vel minus volumus medicamenti saporem.
M. f. *Pulvis* pro dosib. duab. aut tribus, S.
Pulvis Temperans.
Vel
℞. *Salis card. bened.* ℈ß.
Matr. perlar. præp.
Lapill. cancrorum præp.
Ossis sep. an. ℈j.
M. Pro tribus dosibus.

Item urinæ potus famem nimiam sedat.

Denique quod attinet *oleosa*: sunt quælibet *olea expressa*, & in specie *olea destillata*. *Expressa* sunt olea amygdalarum dulcium, lini, quod egregium in pleuritide, butyrum, jus pingue: *Destillata*, ut oleum anisi, carvi, & præ cæteris caryophyllorum, quod potens est in absumendo acido quocunque; unde etiam rigores febriles ab acido ortos compescit. Pertinet huc etiam vitellum ovi ad duritiem cocti, quod teste HARTMANNO, valdè convenit in appetentia canina propter copiosum oleum, acidum excedens egregiè obtundens, unde etiam inde paratum oleum ovorum, uti notum est, convenit, quia hoc oleum ex vitellis ovorum obtundit vim accidi in appetentia canina, ut cesset, & exinde appetitus ad naturalem statum redeat. VILLANOVANUS refert: quendam sibi hunc affectum pane calente, & amurca olei imbuto, sustulisse: mulierem verò bovis liquatum adipem cum pari calentis olei quantitate duabus vicibus bibisse, sicque caninam appetentiam cum quinque dierum fastidio commutasse.

Observandum autem, ne pinguibus ejusmodi utamur, ubi vomitus simul urget, ac si melius se incipiat habere æger, ab ulteriore eorum usu abstineat.

Commendantur præter modò dicta etiam alia, v. g. cochleæ, cancri fluviatiles, caro suilla, hæc enim est impraegnata suo copioso sale volatili, & propter pinguedinem difficillimæ digestionis seu coctionis, unde enervat vim corrosivam acidi esurini. Commendantur in diæta cerebra animalium, imprimis butyro frixa; cerebra animalium enim in totum sunt oleosa & pinguia, & obtundunt acrimoniam corrosivam succi acidi in appetentia canina: Item convenit amylum & oryza cum multo butyro & lacte cocta; hæc namque sunt oleosa. Similiter pertinent huc pineæ, & pistaciæ, oleosæ non minus, quàm amygdalæ dulces.

Ratione olei destillati conveniunt spiritus omnes vegetabilium inflammabiles: hi namque nihil aliud sunt, quàm olea volatilisata per fermentationem, & constant ob id blando acido pingui, imprægnato sale volatili plantæ. Unde spiritus vini, aut solum vinum dulce, & generosum, appetentiam caninam sedat, ut HIPPOCRATES *sect.* 2. *aph.* 21., GALENUS *in Comment. in hunc locum*, & ZACUTUS LUSITANUS *l.* 2. *de Med. Princip. Hist.* 69. testantur. Loco spiritus vini simplicis convenit spiritus menthæ aut salviæ; aut vinum generosum, cui infusa salvia & absinthium, usurpari possunt; horum enim sal volatile oleosum temperat omne acidum. Faciunt huc quoque Essentiæ absinthii, pulegii, melissæ, &c. quæ ab HARTMANNO commendatur, imprimis si cum his maritentur olea destillata, v. g. carvi, & similium; hæc enim citra noxam temperant acidum in stomacho. Hincque à SYLVIO commendatur *Potio* sequens:

℞. *Aquæ menth.* ʒ ij.
Cochlear.
Tincturæ cinnam. cum spiritu Vin. par. an. ℈ß.
Syr. absinth. ʒ j.
Miscuit pro Potione.
℞. *Olei destillat. macis,*
Iuniperi an. ℈j.
Misceantur.
Dentur 2. vel 3. guttæ pro dosi.

Denique hic non ineptè vel sociantur, vel subiiciuntur opiata, aliaque Narcotica, adeòque sensum ventriculi stupefacientia, quo minus orificium sinistrum percipiat vellicationem. Hæc ipsa tamen cautissimè sunt usurpanda, quoniam palliant tantùm affectum, non verò reverà curant. Huc pertinet laudanum opiatum notum, cujus loco substituitur Theriaca, uti etiam mithridatium, quæ duo enim opio ceu basi sunt superstructa, & cum sale absinthii assumpta, acidum destruunt, & per sudorem nonnihil immi nuunt. Pariter solanum furiosum seu maniacum cum vino infusum, si hauriatur, quamcunque appetentiam deiicit, uti expertus est GESNERUS *in Epistolis*, qui videatur, quoniam est admodum elegans Discursus.

Ubi ita temperatum fuerit acidum, expurgandum est: Nam hic succus facessit omninò in serum, ut possit evacuari citra noxam. Purgatio instituenda est per vomitum, vel per secessum. Quoad purgantia seu evacuantia: præter illa, quæ aliàs in malo hypochondriaco præscribuntur, convenit imprimis Extractum panchymagogum *Crollii*, item Extractum agarici, item senna, & medicamenta ex aloe parata: e. g. juxta Poterium *C.* 3. *Obs* 96., pilulæ de hiera simplici Galeni. Imitandus venit hac in parte FORESTUS *sect.* 3. *lib.* 18. *Obs.* 5. *pag.* 138., qui habet exemplum appetentiæ caninæ in Monacha cum vomitu ciborum, simulque humorum acidorum, in fine vomitus sentiente aliquid amarulenti, quod fauces vellicavit, quæ solùm fuit curata per has pilulas:

℞. *Mass. pilular. hier. simpl. Gal.* ℈j.
(meliores sunt *Zwelfferi.*)
Rhabarb. opt. aut extr. ℈ß
Cum s. q. infusi vel syrupi rosar.
f. l. a. *pilulæ.*

Quæ cùm aliquoties fuissent mane usurpatæ, vomitus morbusque cessavit: & hac ratione etiam alius juvenis fuit curatus.

Dixi antea: succum acidum temperatum sub forma seri posse evacuari: unde etiam ad purgantia refertur jalappa, quæ mirè serum expurgat; hinc pro ejus evacuatione potest præscribi pulvis purgans ab amico quodam expertus:

℞. *Pulv. rad. jalapp.* ℈
Resin scamm. gr. v.
Sal. Tart. vel *Tart. vitriolat.* gr. iij. ad v.
Limat. mart. sine acido præp. (si adsit nimia acrimonia). gr. v. ad ℈ß.
M. f. *Pulvis laxativus.* S.
Laxier Pulver.
℞. *Extr. aloes cum aqua tartarif. par.*
Corall. rub. præpa at. an. ℈ß
Gum. ammon ac. cum aceto sol. ℈j.
Extr. martis ℈ij.
Trochisc. alhand. ℈ß.
Cum ess. myrrh. f. pil. n. 130: pro dosi 10. vel 15.

Quæ suprà dixi de Theriaca, etiam confirmantur à FONTANO *in Curat. & Respons. pag.* 74., ubi refert de ancilla, insatiabili appetentiâ tribus mensibus detenta, unà cum crebro vomitu; quæ ipsa cum assumpsisset vomitorium ex antimonio, & sese vino postmodum recrearet, assumpta ʒ j. Theriaces omninò fuit curata. Bolum Armenam superiùs recommendavi, quod confirmat FORESTUS *l.* 21. *Obs.* 28. *in scholio*, ubi refert morbum quendam, famem epidemicam appellatam, ex eo quod ista fame epidemica correpti, fuerunt sanati solo usu Boli Armenæ, ita quidem, ut pòst ejus usum simul copiosissimi vermiculi fuerint rejecti. Non minus notatu digna est

Obser-

Observatio MEARÆ, qui in *Hist. Med pag.* 159. refert Bulimum repentinum sponte naturâ, succedente gravi diarrhœa, curatum.

Bulimum ergò quod attinet: cùm sit defectus virium propter nimiam famem, curatur optimè per vinum generosum; quod quò generosius est, eò magis satisfacit scopo Medici. Omnes enim Autores ab HIPPOCRATE ad hanc usque ætatem commendant Vinum, idque generosum, quod abundat sulphure & spiritibus volatilibus, quo potentiùs possit temperare acidum, imprimis Vinum Malvaticum, vel Hispanicum, vel Frontiniacum, aut loco Vini simplicis potest fieri Vinum Hippocraticum, cui Nux Moschata & cinnamomum similiaque infusa fuerunt: Hoc sanè Vinum multum conducet. Præterea mica panis vino intincta naribus applicata præ cæteris curat Bulimum: Item commendatur odor vini: item panis, ipsiusque odor speciatim commendatur ad Bulimum à LANGIO *l.* 2. *Epist.* 28. Vinum, licèt alias naturaliter augeat famem, in Bulimo tamen ratione animi deliquii remedium est: magis tamen convenit, si frustulum panis vino intinctum comedatur: Nam certum est, quod vinum & panis Bulimi paroxysmum citò coërceant.

Tandem Theriaca prodest: præcipuè haustus vini generosi, imprimis Hispanici vel generosi alius, maximè valet, in quo Theriacæ parum solutum; Sic eò melius conveniat, quatenus sensibilitatem orificii stomachi sopit.

SECTIO II.

DE

SITI LÆSA.

SItim quod attinet: est appetitus humidi præternaturalis auctus, consistens in vellicatione aut insignioris molestiæ sensu circa fauces, h. e. in expansione pharyngis oriunda ab acrioribus salibus salsis, aut acrioribus alcalinis, membranas faucium, linguæ, palati, vicinarumque partium vellicantibus & pungentibus, concurrente subindè salivæ non ritè diluentis dicta salia acria, nec abstergentis, defectu, sitim ita exasperante: Conf. SCHWALBE *Tr. Querel. Ventr. pag* 154. Cujus sitis molestia stimulemur ad assumenda liquida aquea, quò simpliciora, eò meliora, cùm postulentur à natura cum saltem in finem, ut pro vehiculo, tàm solidorum alimentorum intra corpus distribuendorum, quàm excrementorum extra corpus eliminandorum, inserviant.

Ille liquidorum Appetitus, sitis, naturæ cursu ad solam aquam fertur ex quo omnia animalia, solâ aquâ purâ & simplici sunt contenta: sed non pro scopo nutritionis, sed pro vehiculo nutrimenti. Homines verò per artem nutrimentum simul cum vehiculo isto conjungunt, ut videmus in cerevisiis, dum simplicis alicujus, v. g. hordei, grana incoquuntur aquæ, & ita mucilaginem hordei nutritivam eliciunt, & sic pro potu aquam nutritivam acquirunt.

Læditur sitis seu Appetitus humidorum, præter naturaliter imprimis, quando augetur seu intenditur: raròenim morbosè deficit sitis, nisi in delirantibus, quando sæpè in morbis acutis squalida lingua & aridissimis faucibus sunt, & tamen non sitiunt, vel propter sensus in faucibus totalem abolitionem, vel quòd sub delirio sitim non percipiunt, & tunc iis etiam nolentibus potûs propinandus est. Rariùs depravatur in morbis, idque sine periculo, dum nempè ægri potum consuetum horrent, & alium simpliciorem inconsuetum, aut etiam absurdum, desiderant, ut febricitantibus evenit.

CAPUT PRIMUM.

DE

SITI NIMIA.

QVod attinet *Sitim Nimiam*, ante omnia distinguendi sunt ejus gradus. Est enim vel *moderata*, vel *intensa* seu *clamosa*: *Illa* v. g. ab exercitio, loquela diuturna, cum ariditate faucium: Hæc in febribus post assumpta purgantia; assumpta venena acria.

PARS AFFECTA.

Illius subjectum sunt saltem fauces, vel speciatim dicta pharynx seu expansio œsophagi in summitate ipsa: *Hujus subjectum* est simul orificium ventriculi sinistrum, seu vulgò dictus stomachus, seu radicalis sedes Famis & Sitis. Illa facilè & breviter, interdum uno haustu, vel repetitâ saltem calida faucium eluitione, est corrigibilis: hæc repertis etiam pluribus haustibus vix est extinguibilis. Dictæ partes vellicatæ à sale acri & salso inducere possunt istiusmodi appetitum liquidorum vel humidorum, Sitis dictum. Videmus enim quod post usum salitorum aut piperatorum habeamus magnam sitim, ubi nihil aliud percipere possumus, nisi vellicantem & mordicantem sensum in faucibus & larynge: quod monstrat, Sitim esse in faucibus: undè sitis ab assumptis vel gargarisatione potest tolli, abluendo nimirum fauces.

CAUSÆ.

Quoad Causas: *Causa proxima* est Vellicatio quædam & molestia singularis, fauces affligens, partim positivè, partim privativè: Positivè, si reverà sal aliquod volatile nimis acre & copiosum, fauces aut orificium stomachi sinistrum rodens, pungens & vellicans est; unde prout causa talis vellicans in vehiculo plus minus glutinoso seu viscido hæret, indeque faciliùs seu difficiliùs eluitur, magis vel minus contumax esse solet: Privativè, quæ instar causæ occasionalis se habet, secundùm quam intenditur. Huc concurrit simul salivæ, fauces aliàs abluentis & diluentis, defectus, qui solus Sitim quoque inferre potest: v. g. post diuturnam loquelam, purgantium potentiorum usum. Sic qui noctu dormiunt ore aperto, evigilantes sitiunt. Istud autem sal acre contrariam habet rationem cum causa vellicante, quæ in Fame peccat, sive hoc sal sit alcalino-salsum de genere bilis, uti fit in febribus, sivè sit purè salsum, ut in hydropicis & scorbuticis, item in catarrhis à lympha salsa oriundis, obvium. Undè uti in Fame urget acrimonia acida; ita acrimonia salsa, vel simpliciter vel alcalina, inquinat salivam, unde continua sitis. Hinc etiam est, quod esurientes nunquam patiantur Sitim, & Sitis non attendat Famem; acidum enim in Fame obtundit acre. Hujusmodi salia aut Lympham salivalem imprægnantia, linguam, fauces & gulam vellicant, & ita Sitim producunt.

Quoad causas remotas: Sunt hæ vel externæ vel internæ: Externæ varia assumpta acriora, v.g. Aromata, Salita, Piperata, Purgantia, Arsenicum, Mercurius sublimatus: Internæ, quæ vellicant, sunt ferè triplices.

1. Est *acrimonia alcalina bilis* plus minus oleosa, indeque plus minus amarulenta, & glutinosa, ibi sitis magis esse solet molesta: Si oleositas bilis amaricans, sitis solet esse ferè inextinguibilis: Nam hoc sal volatile oleosum facilè inquinat lympham & salivam, quæ salsa reddita necessariò sitis fit cum amarore oris; Sic enim Febribus continuis correpti in æstu cum effervescentia salis oleosi, de intensione Siti ut plurimum conqueri solent, eâque magis vel minùs intensâ, prout in talibus orgasmus bilis ex intestinis in stomachum regurgitat, aut prout nidorulentum acrius magis vel minus infecerit stomachum, ac prout parcior salivæ tunc solet esse proventus.

II. Causa remota est *acrimonia salsa*, uti *lymphæ* in genere, ita lymphæ salivalis in specie, nempè in affectibus quibusdam catarrhalibus, febribus catarrhalibus, Cachecticis, Hydropicis, &c. in quibus ordinariò admodum urgere

gere solet sitis, ob serum maximam partem extravasatum, & Massæ sanguineæ detractum, hinc defectu suo partim immediatè, partim reliquam lympham reddendo, salsam, tale quid præstat; non secus ac in quibusdam scorbuticis, in quibus lympha salivalis salsior, ac simul plus minus glutinosa existens, fomes est contumacis hujusmodi sitis, quia nimis intensa sunt salia.

III. Causa Sitis, naturalis & præternaturalis est *saliva pauca*, non sufficiens abluendo os & fauces; hinc post purgantia sequitur Sitis, quia exhausta est & subducta lympha. Hinc qui diutiùs loquuntur, percipiunt sitim, quia deficit saliva ordinaria: hinc in febribus, præter salia biliosa acria, nimus urgens est sitis propter defectum salivæ; quæ in febricitantibus est familiaris, adeò ut lingua arida & non rarò fissa deprehendatur. Facit huc saliva viscida & glutinosa, & plus minus acris salsa, ut in phthisicis, hecticis, tabidis; item febrientibus ac similibus, item ex morbis convalescentibus. In talibus enim saliva glutinosa, viscida & salso-acris, uti famem non leviter imminuit, ita contrà sitim pertinacem ex faucium ariditate, linguæ glutinositate, &c. solet inducere, cùm pro abstergendis faucibus minus apta sit.

Ad modò enarrata Salivæ vitia multum tribuunt Spiritus influi, vel materialiter eam simul alterantes, vel ad secretionem ejus plus minus tribuentes. Hinc illorum defectus vel absolutus in imbecillioribus, defatigatis, &c. vel respectivus, dum inæqualis eorum in corpore fit motus, & si quædam saltim loca specialiùs diriguntur, ut in magnis doloribus, iracundiis, paroxysmis febrilibus imminentibus, aut jam inchoantibus, Sitis ordinariò ex saliva parciore, viscidiore & glutinosiore, indeque cum faucium ariditate seu siccitate, affligere solet.

Præter dicta probè etiam notandum: quod in siti simul sit habenda ratio stomachi & pulmonum, quæ duo in provocanda siti multum conferunt: Stomachus quò minus esurit, & magis æstuat, eò intensior est sitis: quò magis æstus sanguinis in pulmonibus, eò magis æstuat pulmo; Id quod ex vomica pulmonum, item ex empyemate, patet.

Hæc scilicet omnia in eo conspirant, ut gravem molestiam & vellicationem circa fauces inferant, & ita sitim admodum intensam reddant. Verùm ad Sitim vel augendam vel imminuendam multum facit consuetudo; Hi enim, qui adsueti sunt magnis potationibus, crebriùs solent sitire: Exemplum huc faciens elegans habet ALEXANDER DEODATUS *in suo Valetudinar pag. 26.* de puella septenni admodum siticulosa & bibacula, idque propter nutricem siticulosam, à qua fuerat lactata, quæ per consuetudinem ita fuit, & sic in infantem cum lacte hoc malum transtulit.

In genere *differentia sitis* observetur: quod nempè quædam affligat cum ardore febrili: quædam sine eo; quod posteriùs in catarrhosis, scorbuticis, hydropicis, &c. obvenit, & probè hæc differentia notanda in cura.

S I G N A.

Signa diagnostica æger scit.

Quoad *Prognosin* verò: nil per se sitis in recessu habet, cùm per accidens saltem, prout est intensa vel non, ratione causæ morbosæ.

Sitis nimia & inordinata absque causa externa semper statum decidentiæ denotat, adeoque morbum imminere portendit.

Quæ à causis externis excitatur, potu assumpto facilè sedatur; quæ verò à causis internis procedit, pro illarum diversitate variat.

Si æger sitiens, hoc est, in quo omnes causæ, circumstantiæ & indicia sitis, ut lingua arida, os glutinosum aut exsuccum, æstus insigni corporis, in febribus ardentibus & malignis, non conqueratur de siti, malum signum est: quia aut innuit adesse delirium, aut innuit deficientem sensum partium in lingua, & omnimodam omnium Facultatum, corpus gubernantium, prostrationem, adeòque imminentem mortem. Vid. HIPPOCRATES *Sect 4. Aphor 48.*

Sitis in febribus aliisque affectibus brevioribus cum horum solutione sponte evanescit: In hydrope verò aliisque chronicis vix sedatur.

Sitis in febribus ardentibus parca, est admodum suspecta; Undè non adeò sit securus tunc Medicus.

Cum naturaliter cum Fame nulla sit sitis, & contrà: adeòque, quamdiù acidum esurinum in stomacho dominatur, deficiat sitis; Sin verò salsum aut acre contrarium, urgeat sitis: Ob id in siti plus minus clamosa, illius nempè naturalis defectum semper concludamus; Sicut etiam sitis talis defectu illius aliqualem adhuc præsentiam, & plus minus dominium colligamus.

Quando ægris, dum bibunt, potus deglutitus cum sonitu delabitur, *quando sonat: GlucK, GlucK*, pessimum signum est; innuit enim stomachi tonum planè resolutum.

C U R A.

In Cura ergò seu Methodo medendi tres Indicationes dominantur.

1. Tollatur causa fauces irritans, nempè temperetur acrimonia salina fauces vellicans.
2. Augeatur materia seri & lymphæ salivalis per aquosa diluta.
3. Ne nimis ingurgitetur potus, & gravetur ventriculus, fallatur Sitis, si sit nimia.

Quod attinet hos scopos, & quidem indicationem primam. hæc pro varietate varii, varia largitur remedia. Ea, quæ causam irritantem tollunt, partim sunt acida & magis austera, partim temperata, quæ acrimoniam vellicantem aut urinosam, plus minus oleosam, seu bilem, aut salsam, corrigunt & emendant. Acida nimirum sint ex vegetabilibus acetosa & similia, item pruna acida, fructus citri, aurantiorum, granatorum acidorum, rubi idæi, berberes, ribes, cydonia, cerasa, & omnium horum succi item primi omnium, tamarindi, qui in febribus præter hoc, quod sitim compescant, etiam æstum impediunt, & blandissimè alvum subducunt. Ex his succis parati syrupi eundem habent usum; utut non adeò potentem, propter admistum saccharum. Pertinent huc succi expressi ex sempervivo, & portulaca. In sempervivo esse singularem vim contra æstum, probant anginosi: Item tàm acetum simplex, quàm rosaceum, violaceum & rubi Idæi: sic aquæ destillatæ portulacæ, lactucæ, nymphææ, imprimis aqua fragorum. Tincturam rosarum & violarum prætereo: Imprimis convenit Tinctura florum bellidis, quæ est egregia in siti compescenda. Pertinet huc *hepaticum rubeum*, pulvis scilicet acidus, ex *cremore tartari*, *spiritu vitrioli* & *Tinctura santali* constans. Ex Mineralibus phlegma vitrioli acidulum, modò legitimè destilletur, ut participet aliquid de sulphure vitrioli, item phlegma sulphuris, spiritus mineralium acidi, tàm simplices, quàm compositi, Clyssi dicti, in specie sulphuris, vitrioli, vitrioli Philosophici seu spiritus salis: in febribus æstuosioribus spiritus vitrioli, cum julebis, & potulentis assumpti, quorum guttulæ paucæ sitim meliùs compescunt, quàm alia potus genera, qua destruunt acrimoniam. *Clyssus* in specie paratur ex sulphuris antimonii, & vitrioli ana: destillantur per retortam, sic spiritus volatilis sulphureus prodit, qui optimus in febribus ardentibus & siti: de quo SCHROEDERUS *in Pharm. ubi de antimonio.* Clyssi tales commodè potui ordinario vel Julebis possunt instillari ad sistendam sitim, vel guttulæ X. XX. ad XXX. (prout acris) dentur pro dosi.

Temperata sunt subdulcia aut sub-pinguia, lac & serum lactis, *Germ. Molcken* imprimis nitro volatili turgidi, quod in febribus, imprimis scorbuticis, æstum compescit, sive solùm propinetur, sive solvatur in sero lactis nitrum antimoniatum, sive aqua destillata seri lactis, modò legitimè destilletur. Modus utendi est, ut accipiatur seri lactis mensura j. Huic indatur pomum citrium in taleolos incisum, sic enim acidum citri ex sero lactis præcipitat, quicquid caseosi aut butyrosi in eo continetur. Coletur ut fiat clarum: usurpetur pro potu. Loco cibi etiam sumi potest. Loco lactis naturalis fiunt artificialia seu emulsiones, quæ sitim temperant, ex seminibus frigidis majoribus, ut portulacæ, lactucæ, papaveris albi; aut etiam emulsio paratur ex hordeo. Conveniunt item passulæ, glycyrrhiza, imprimis cum radice Chinæ aut sassafras decocta, & propinata.

Ea, quæ pro secundo scopo serum & lympham salivalem augent, sunt quæcunque potulenta ventriculò grata majori dosi assumpta, quæ vino, vel cinnamomi alteriusve, aromatis gratioris tantillo, contemperata; itaut julebi utrique scopo satisfaciant. Verum est, aquam simplicem appetere naturam: sed in illa, præsertim frigida, aut nimis copiosa propinanda simus cauti; prostant enim exempla

pla eorum non pauca, qui ex nimio aquæ frigidæ potu sunt demortui. Tria recenset AMATUS LUSITANUS *c.2. Curat.62*; item SCHENKIUS *lib.3.Observ.* exemplum habet, quendam ex subito aquæ frigidæ post pastum potu mortuum esse: Similia exempla extinctorum à frigido potu videbitis in MARCELLO DONATO *in Hist. Med. Mirabil.l.4. c.6.* Sin verò non immineat mors, metus est, ne periculosum asthma inducat, idque propter coagulationem sanguinis in præcordiis, ab aqua frigida factam: Tale obseruauit GABELCHOVERUS *in C.2. Cur.17. & 18.* Alias noxas prætereo. Rarissimum est, quod habet BARTHOLINUS *Cent.3. Obs.89.* de mulieribus Gronlandicis, per aquam frigidam potam à variolis curatis: Sed, uti dixi, rarum hoc est, & potiùs ipsarum idyosincrasiæ tribuendum, quàm imitandum. Rarò ergò, aut nunquam aqua simplex vsurpanda: potiùs conueniunt hic appropriata, quæ salium acrimoniam blandâ aciditate temperant.

Tertio scopo ordinariè satisfaciunt gargarismata, eluitiones faucium, mucilagines linguæ & faucibus illitæ; quoniam sitis est faucium affectus.

Ex his variæ possunt fieri formulæ, imprimis ex acetosa vulgari: nam acetosæ radix, folia, & semen, decocta, liquorem seu aquam tingunt colore rubeo instar vini; & recens expressus succus Vinum rubellum colore & suavi acidulo sapore elegantissimè refert; unde ægri decipi possunt talibus. Platerus describit tale medicamentum: sc. radicem & folia acetosæ coquit in aqua, in quo decocto soluit postmodum syrupos aut succos appropriatos, hoc modo:

℞. *Decoct. rad. & fol. acetos.* ℔ j.
adde
Succ. acetos. rec. expr. ℥ iij.
Syr. rubium vel *berber.*
Granator. an. ʒ vj. ad ℥ j.
M. pro Julebo, S.
Iulebus refrigerans contra Sitim.

Gratus est gustui, sitim, in specie febrilem, simul compescit, & alvum apertam seruat.

Usitatum aliàs est Decoctum hordei simplex; hoc enim subpingue est, unde egregiè temperat salia siticulosa, ut:

℞. *Decoct. hordei simpl.* ℔ j.
Succ. citri
Cydon. aa. ℥ j. vel ℥ j ß. ad ℥ ij.
Tinctur. flor. bellid. vel *papaver. errat.*
Rosar. an. ʒ j: vel ʒ ij.
Syr. acetos. citri vel *ribium* ℥ j ß.
Spiritus vitrioli aut *Salis* q. s. pro grato acore,
M. D. S.
Iulebus refrigerans contra Sitim.

In febribus Malignis Decoctum hordei cum C. C. aut radice scorzoneræ præscribitur; quia decoctum hordei simplex est nimis crudum & flatulentum, nec syrupi semper necessarii sunt: loco ergò Decocti præscribi potest:

℞. *Decocti rad. scorzoner.*
Cichor. aa. ℔ ß.
Succ. rubi idæi ℥ ij.
Citri,
Tincturæ Flor. Bellid.
Rosar. aa. ʒ ij.
Syrup. rub. Idæi,
Acetos. citri an. ℥ j.
Spiritus sulphuris q. s. pro grato sapore.

℞. *Decoct. alterant.* vel *Citri Mynf.* ℔ j.
Tincturæ Flor. bellid. ℥ ß.
Syr. rubi Idæi
Scabiosæ an. ℥ j.
M. pro *Iulepo*.

Interdum Julebi instar Tincturarum per infusionem ex tempore parandi præscribuntur, qui sunt gratissimi. Modus est hic:

℞. *Flor. rosar. rub.* vel *bellid.* ʒ vj.
Irrorentur cum
Spiritu sulphuris q. s.
Infundantur in
Decoct. hord. ℔ j. ß. ad ℔ ij.

Stent in loco calido, donec suaviter rubescat liquor: Colaturæ, imprimis si leniter abstergere animus est, adde

Syr. Iujubin.
Acetos. citri
Ribium an. ℥ j.
(vel horum loco *Syr. rubi idæi* ℥ iij.)
M. pro *Iulebo* grato.
Vel

℞. *Decoct. hord.* ℔ ij.
Flor. rosar. rub. ℥ ß.
Succi citri ℥ ij.

Stent in calore moderato, per aliquot horas: post blandam ebullitionem Colaturæ adde

Syr. ribium ℥ ij.
M. f. Iulebus.

Loco Decocti hordei interdum non sine fructu præscribitur etiam *Decoctum Tamarindorum, in specie quando alvus nimis clausa*, simul blandè laxanda est: cui accedit tinctura rosarum, violarum, & bellidis, paratæ cum phlegmate vitrioli: Modus sit talis:

℞. *Pulp. Tamarind.* vel *Tamar. contus.* ℥ ij.
Coq. in s. q. *aquæ simpl.* vel ℥ ij. ß.
Colaturæ adde
Tincturæ flor. bellid. cum phlegm. vitrioli par. ℥ j. vel ℥ ij.
Violar.
Rosar. aa. ℥ j.
Syr. ribium,
Berber. an. ℥ j.
M. D. S.
Iulebus aperitivus contra Sitim.

Conueniens etiam est Decoctum Tamarindorum cum passulis, egregiè temperans ac simul alterans, præsertim istis in casibus, ubi aciditas Tamarindorum non nihil suspecta videtur.

℞. *Tamarind.* ℥ ij.
Passul. min. conquass. ℥ j. ß.
Coqu. in s. q. *Aquæ*.
Colaturæ feruenti infund.
Cort. citri rec. ℥ j.
Colaturæ refrigeratæ adde
Tincturæ rosar. ℥ ß.
M. pro *Iulebo*.

Sunt nonnunquam subjecta, quæ nequeunt perferre acida. in tali casu optimum est nitrum simpliciter depuratum secundùm methodum TACHENII *Hipp. Chym. in fine*, ad aliquot drachmas usque ad ℥ ß. vel ℥ j. mensuræ potionis ordinariæ, vel decocti hordei, vel aquæ appropriatæ additum: & ita assumptum egregiè confert ad effervescentiam massæ sanguinis, & sitim febrientium temperandam: vel quod melius nitrum antimoniatum, sulphure antimonii in præparatione antimonii diaphoretici fixatum, cum hanc habeat vim contra malignitatem pestis, hinc egregiè temperat salia, & sitim coërcet, quin etiam fomitem sitis plus minus glutinosum ac viscidum resoluit & abstergit: conuenit etiam hydropicis, quoniam urinam mouet: Ex. grat.

℞. *Decoct. alicujus* ℔ j. ad ℔ j ß.
Nitri præpar. ʒ j. vel ʒ ij. usque ad ʒ iij.
& ℥ ß.
Misc. S.
Potio refrigerans contra Sitim.

Præscriptionis formula, quæ est grata, cùm aliàs nitrum sit nauseabundum, est hæc:

℞. *Decoct. hordei* ℔ j ß.
Aquæ cinnamom. ℥ j.
Nitri depurat. vel *antimoniat.* ʒ j.
ad ʒ j ß.
M. S.
Potus contra Sitim.
Vel

℞. *Aquæ acetos.*
Semperviv. an. ℥ iij.
Rosar.
Succ. semperviv. an. ℥ ij.
Nitri depur. ʒ j ß.
Syr. Violar. ℥ j ß.
M. F. Potio. S.
Potio refrigerans contra Sitim.

Si acrimonia salsa, ut in hydropicis, scorbuticis, & phthisicis, spiritus salis & nitri dulcis est optimus, quatenus est diureticus. Ratione nitri serum lactis, Germ. *MolcKen*, egregium etiam est remedium ad sistendam Sitim, in specie febrium scorbuticarum. Certum enim est, quod non rarò scorbutici vehementer conquerantur de acrimonia salivæ salsa, & hinc orianda siti, quæ non meliùs compesci potest, quàm sero lactis, quod nitro volatili, sed & oleoso tempera-

to turgidum, alvum simul apertam servat, salia quævis acria corrigit, ac per urinas expurgat. Modus utendi est nunc solitariè, nunc *cum succo citri acidulatum*, si nempè *succus citri* vel *acetum destillatum* instilletur, vel cum toto aut dimidio *pomo citrio in taleolos inciso* Mens. j. *sori* aciduletur; Sic enim omne crassamentum butyrosum, & superfluum caseosum, fundum petit: postmodum colatur, & leniter exprimitur, & serum acidulum clarum, gustu suave, contra sitim superest. Aut quod melius est: Sero lactis infunditur succus cochleariæ & acetosæ, agitantur simul, & per pannum colantur, & fit serum lactis admodum appropriatum contra scorbuticorum sitim. In febribus ardentibus serum lactis leviter acidulatum cum syrupo aut succo quodam, aut cum nitro antimoniato, est elegans. Inter quę temperando sistunt sitim, præter serum lactis, est imprimis ipsum quoque lac: item passulæ, exque his parata Decocta, quibus suo modo & radices Chinæ, item lignum sassafras, pro circumstantiarum ratione, addatur. Lac quidem, nisi febris aliavè circumstantia illius usum interdicat, utpotè quod acrimoniam quamvis notabiliter temperat, præprimis scorbuticam, hincque excitatam sitim, compescit. Emulsiones etiam suprà dixi convenire ad temperandam sitim, ab acrimonia salsa oriundam, ex seminibus frigidis majoribus, item granis hordei, amygdalis dulcibus, & similibus. Emulsionis hujusmodi crassæ dabo formulam *ad imitationem Sylvii*:

℞. *Hord. ad crepatur. coct.* ℥ij.
(vel *solius* vel additâ *amygdal. dulc.* ℥ j.)
Cum *Decocto* hord. f. *Emulsio* ad ℔ j.
vel ℔ j ß.
cui adde
Iulebi rosarum aut *Syr. violar.* q. s. pro grato sapore: Et erit Emulsio satis conveniens. S.
Emulsio refrigerans contra Sitim.

Faciunt huc etiam juxta eundem SYLVIUM juscula carnium gelatinosa, cum aqua multa parata magisque nitrata.

Quod si in scorbuticorum, hecticorum aut phthisicorum siti temperatis contra acrimoniam salsam utendum sit, præter serum lactis convenit Decoctum radicis Chinæ cum radice liquiritiæ: de qua videb. TIMÆUM à *GuenlenKlee l. 3. Epist. 29. p. 687.* ad cujus imitationem præscribi potest ita:

℞. *Rad. Chinæ in taleol. incis.* ℥ j. vel ℥ j. ß.
Liquiritiæ ℥ iij. ℥ ß. ad ℥ vj.
Rasur. ligni sassafr. ℥ vj.
Sant. rubri ℥ ij. vel iij.
Incisa & contusa infund. in
Aquæ comm. ℔ vi. vel iix.
Stent in Balneo Mariæ per noctem; manè adde
Passul. min. conquass. ℥ j ß. ad ℥ iij.
Coq. igne lento, vase benè cooperto ad
℔ iv.

De quo æger quotidiè subindè pro lubitu capiat bonum haustum in scorbuto, phthisi, lue venerea, & similibus; manè calidè, & à meridie frigidè.
D. S.
Potus contra Sitim.

Quod si hic quidam acidum aut citri aut acetosæ addere velit, pro me erit concessum.

Mentio facta est radicis liquiritiæ: hæc cum semine fœniculi decocta temperat sitim, quando oritur præcisè ab acrimonia salsa, qualis affligit phthisicos, hecticos, empyematicos & catarrhosos: in quibus casibus non adeò conveniunt acida, aut hæc saltim parcissimè; Sed potius propinanda sunt temperata, talia ex glycyrrhiza, passulis, & similibus: præscribitur vel sola, vel cum hordeo, aut aliis. Exemplum sit tale:

℞. *Hord. crudi* M. j.
Passul. min. contus. ℥ j. vel ℥ j. ß.
Semen anisi,
Fœniculi an. ℥ j. vel ℥ j. ß.
Rad. liquirit. ras. & incis. ℥ ß. vel ℥ vj.
Coqu. in Mens. ij *Aquæ font.* ad consumptionem tertiæ vel quartæ partis: circa finem addendo
Cinnam. opt. ℥ j ad ℥ j ß.

De Colatura bibat æger, quantum lubet.

Hoc aliquando in imminente tabe scorbutici, cum siti læsa, saliva glutinosa, & appetitu dejecto, salubriter præscripsi. Vel

℞. *Hordei mund.* M. j.
Passul. min. ℥ j.
Crem. Tartari ℥ ij.
Cum s. q. *Aquæ simplicis* coqu. invicem ad crepaturam hordei.
Colatura. D. S.
Potus alterans & laxans.

Sed de his aliisque salivæ vitiis corrigendis conf. SYLVIUS *l. 1. Prax. cap. 51. & 52.* Ex omnibus, quæ salivam, viscidam ac glutinosam attenuant, & resolvunt, imprimis excellit sal ammoniacum, internè subindè usurpatum.

Denique in leviori malo pro fallenda siti conveniunt gargarismata quæcunque, quæ os abstergunt, & fauces eluunt, ac simili ratione licèt non tollant, saltem minus torquere faciunt. Convenit itaque imprimis aqua communis, in qua nitrum depuratum vel antimoniatum dissolutum: item cerevisia secundaria calidè gargarisata, ac diversæ oris collutiones, quæ aliàs in febribus continuis præscribuntur; præsertim quando lingua est arida, scabra, plus minus nigricans. In talibus casibus succus sempervivi majoris; item mucilagines linguæ & faucibus squalidis & aridis illinendæ, ex semine psyllii, cydoniorum, malvæ cum aqua rosacea & sempervivi majoris, aut cum phlegmate vitrioli extractæ: & horum mucilaginum ℥ j, solet convenienter addi ana vel dimidium succi sempervivi expressi, aut cydoniorum, & immisceri tantillum nitri depurati bene, vel salis ammoniaci: v. g.

℞. *Aquæ sempervivi maj.* ℥ iii.
Succi ejusdem ℥ i ß.
Mucil. sem. cydon. cum aqua spermat. ranarum extr. ℥ i.
Salis ammoniaci ℥ i.
M. S.
Mucilago refrigerans contra Sitim.

Liquor detineatur in ore aliquamdiù, hinc denuò expuatur.

Vel
℞. *Mucil. Sem. cydon. cum aqua sempervivi extr.* ℥ i ß.
Succ. sempervivi rec. expr. ℥ i vel ℥ i. ß.
Nitri ℥ i. ad ℥ i ß.
M. S. ut *antead.*
℞. *Mucil. sem. cydon. cum phlegm. vitrioli extr.* ℥ j ß.
Syr. rubi idæi vel *violar.* ℥ vi.
M. S. ut supra.

Hæ mixturæ linguæ impositæ eandem denuò tractabilem reddunt, & fauces blandè humectando, sitim quidem sedant & fallunt, non autem radicitus tollunt. Citrus quoque in taleolos incisus, sacchāro inspissatus, vel ribes conditi, aut etiam aliquid de syrupo rubi idæi, acidulato cum pauco spiritus salis dulcis, in ore contineri potest. Quò etiam rotulæ aut morsuli ex sacchāro, cum succo citri aut berberum parati spectant: item silices parvulæ, aut crystallus ore volutata: vid. BORELLUS *Cent. 2 Obser. 68.* Quò spectat quoque mastix. MINDERERUS *in Medic. Militari,* siccum panis frustum aut globulum plumbeum hinc inde in ore volvi iubet.

Sunt etiam quidam, qui omne manè tantùm non continuâ siti torqueri solent, & tantum sani sunt: talem sitim optimè sistit Vinum absinthites jejuno stomacho haustum; temperat enim oleum vitiosum, Massam sanguineam inquinans.

Denique observandum, quod æstuantes, aut intensius laborantes, aut magis defatigati, siticulosi existant, in quibus optimum levamen est spiritus vini Cochlear j, qui parte suâ volatili oleosâ temperat, & tollit acrimoniam salium, ex defectu spirituum in laboribus dispersorum ortam: Conf. hic in specie *Act. Anglic. Vol. 1. pag. 405. & 578* Huius loco & Vinum vetus generosum non erit inconveniens.

CAPUT II.

DE SITIS DEFECTU.

SEcundum in Siti Vitium est *Sitis deficiens*. Sitim imminutam aut deficientem quod spectat: affectus est rarus,

rarus, imprimis in juvenibus: Nihilominus tamen prostant exempla, ubi non tam in morbo, quàm citra illum, non rarò ad longum tempus omnis potus fuit neglectus: quales historias videb. in PLATERO *Observ.* 237. & LOTICHIO *lib.*4. *Obser.*1. & 2., ubi exemplum singulare habet de puero ab omni vino & cerevisia, nec non aqua abhorrente, & qui ne aquam quidem unquam gustaverat, utut egregiè & athleticè vivens, & quod magis mirandum, progenitus fuerit à patre insigni helluone. BORELLUS *Cent.*2. *Obs.*68. similem Observationem habet de abstinentia à potu per sex annos; item per annum integrum: & simile ferè exemplum videre est in RHODIO *C.*2. *Observ.*56., ubi juvenis nunquam potans introducitur; qui tamen multùm delectabatur fructibus succulentis, qui dederunt materiam copiosam lymphæ salivali, & muco, undè non facilè potuit sitire: nam ubi adest copia muci, non est sitis. BORELLUS *l. a.* habet observationem de Medico, qui nunquam sputum rejecit, nec mucum, utut optimè sanus: Cæterum ista lympha, quæ per screatum excernitur, ipsi fuit conversa ad fauces, undè raram habebat sitim, & propter humectationem insufficientem difficulter loquebatur. Notum præterea est, ex HIPPOCRATE, quod splenetici sint salivatores; hinc facilè fieri potest, ut tales splenetici satis diù à potu abstineant: Exemplum habet PANOROLLUS *in Pentecost.*2. *Obs.*19. de Splenetico quodam, per trimestre spatium nil omnino bibente. Quod verò delirantes nonnulli poculenta haud appetant, oblata detrectent, non est huius loci, sed inter delirii effectus numerandum.

PROGNOSIS.

De cætero, si ægri non conquerantur de siti, quæ tamen in febribus ardentibus vel ratione aliarum circumstantiarum, adesse debebat, pessimum est signum; innuit enim deficientem sensum partium in lingua & magnam mentis alienationem.

CURA

Sitis deficiens, si non in delirantibus observari contingat, aut ab humiditatis aqueæ minusque salsæ in ventriculo & faucibus abundantia, aut à ventriculi stupore videtur dependere; adeòque illius imminutionem, & ventriculi per acriora stimulationem & excitationem postulat: quod præstant sal cardui benedicti, tinctura tartari probè acris, & tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, arcanum tartari, sal ammoniacum cum aromatibus mistum, Elixyr stomachale Michaelis, Proprietatis, cum & sine acido.

CAPUT III.
DE
SITI DEPRAVATA.

Sitis *depravatæ* rarissima exempla sunt, quæque sine fame depravata rarò existit, dum quædam subiecta aceto præ aliis delectari potibus interdum observamus, & ferè ad historias de pica vel Malacia pertinet, cum quibus unam eandemque causam & curam exigit.

CURA.

In febribus ardentibus convenit imprimis vel aqua simplex, vel cerevisia secundaria, cui addatur dimidium Vini Rhenani, addendo pomum Citri unum alterumve in taleolos incisum, quæ mista sufficiunt pro Iulebo; quibus in malignis optimo consilio addi potest gelatinæ C. C. rec. ℥ j. in Mensura istius Misturæ. Vel

℞. *Crem. tartari.* ℥ß.
Sacchar. ℥ ij.
Aquæ font. Mens. j.

Coque paulisper ad dissolutionem tartari: remove ab igne, &

injice
Cinnamomi frustulatim concis. ℥ ij.

tegatur probè, & in loco frigido frigescat: adde, si placet, flores papaveris erratici.

Vini saporem refert, & potus est gratissimus, & verè universalis.

Cætera ad Fastidia cerevisiæ recensenda sunt: de quibus *suprà actum*.

Absolvimus ea, quæ pertinent ad Famem & Sitim læsam: Excipiunt hæc Deglutitionis & Masticationis læsiones.

SECTIO III.
DE
ALIMENTORUM MASTICATIONE.

Solida alimenta assumpta, antequam stomacho transmittuntur, priùs in ore ad meliorem sui transmutationem per masticationem præparantur, beneficio comminutionis & contritionis à dentibus, imprimis maxillaribus, & beneficio eorum cum saliva permistionis & subactionis. De dentibus vide MOEBII *Fundamenta*. Sunt autem ossa sui generis, & primariò à musculis temporalibus moventur.

Saliva est Lympha sui generis in glandulis conglomeratis maxillaribus & stomaticis copiosis, tàm palatinis, quàm sublingualibus, è sanguine arterioso emulcta, & in os propriis ductibus effusa; constans primariò copiosâ parte aqueâ, quæ subtili & occulto acido volatili est impregnata, undè attenuatiuam, incisiuam & fermentatiuam obtinet vim: propter quos fines etiam alimentis sub masticatione permiscetur, ut huius medio ad meliorem fermentationem in stomacho, & faciliorem fermenti stomachici ingressum præparentur, cùm saliva hæc cum fermento dicto magnam analogiam & convenientiam, adeòque homogeneam quodammodo habere videatur Originem ex glandulis salivalibus videbit. in STENONIS *Observat. anatomicis ac variis Oris, oculorum, &c. vasis*, item WARTHONIO *in Adenographia c.*24. Eiusdem verò usum vid. in DEUSINGII *Exercitationibus de Nutrimenti animal. Elaboratione pag.*3.; item *in Appendice huius Exercitationis p.* 303.

Panis biscoctus Salivâ impregnatus materiam farinæ fermentat.

In Saliva est vis ammoniacalis.

Præter quem usum primarium Salivæ, dum nempè parte aquosâ alimenta resoluendo, salinâ acidulâ eadem incidendo & penetrando, adeòque instar fermenti, farinaceæ massæ additi, fermentationem in stomacho facilitat; secundariò etiam confert saliva:

1. Fermentum stomachale ex parte restituendo.
2. Fauces & gulam pro faciliori deglutitione lubricando.
3. Linguam, & os pro promptiori illius motione & loquela humectando.
4. Sitim aliàs perpetuò molestam restinguendo.

Tanta autem ciborum præparationis in ore est necessitas, ut horum comminutionem non sufficientem quàm plurima animalia ruminando resarciant; Sicuti Salivæ deglutitæ, reliquias ciborum in fermentum mutantis, deficientem permistionem aves in ingluvie absoluunt: vid. MARCUS SEVERINUS *Medic. Hippocratica pag.*303. Observantur enim homines ruminantes, quorum ventriculus musculosus: vid. BARTHOLINUS *in Cent.*5. *Historia* 16., item RHODIUS *in Cent.*2. *Historia* 59., item HORSTIUS *lib.* 4. *Obser.*9. & *seqq.* Anatomen ingluviei videbitis in BARTHOLINO *Cent.*4. *Epist. p.*235. & 342. *Alimentorum assumptionem & Masticationem læsam* quod attinet: accuratè & succinctè secundùm Theoriam pro more complexus est SYLVIUS *lib.*1. *cap.*4. *Prax. De salivæ secretione & motu vitiatis l. a. cap.*51. & 52. Primaria, quæ hìc occurrunt, vitia sunt, quando aut imminui-

minuitur aut deficit plus minus; vel quando deprauatur Masticatio. In imminuta aut deficiente masticatione primaria vitia sunt, vel musculorum moventium (ad quos etiam musculosa congeries, linguam constituens, pertinet; de cujus tamen malis *infra*, ubi de *Gustus vitiis*;) unde Spasmus Cynicus & Tortura oris: vel Maxillarum, & cum his dentium molarium.

CAPUT PRIMUM.

DE

MUSCULORUM MASTICATIONI INSERVIENTIUM VITIIS, IN SPECIE.

DE

SPASMO CYNICO ET TORTURA ORIS.

QUoad musculos mouentes, primariò musculi temporales & hinc musculi genis & labiis communes, sui considerationem merentur, cum in finem à natura Magistra fabricati, ut præter ornatum decentem, mouendæ maxillæ inferiori, & ad superiorem conuenienter, idque validè, adducendæ inseruiant.

Vitiatur horum musculorum motus, quando vel Spasmo laborant, adeòque convulsi, seu pertinaciter eorum fibræ contractæ & rigidæ persistunt, adeoque interior maxilla superiori constanter adducta persistit: vel quando iidem paralysi laborant, & fibræ eorum relaxatæ & flaccidæ inferiorem maxillam pondere proprio deorsum labi permittunt, absque reductione ad superiorem. Convulsio ac Paralysis temporalis musculi rara est, quin cum convulsionibus universalibus epilepticis & resolutionibus universalibus apoplecticis concurrat, quibus curatis universaliter, & particulariter horum affectus cessat; ridentibus, vel potius canibus ringentibus nisi interdum speciale musculi vulnerati, vel alio modo affecti, subsit vitium, particularibus remediis externis, pro casuum varietate, & cum aliis similium partium similibus affectibus conuenientia vel analogia, curandum.

Genis & labiis inservientium musculorum simultanea conuulsio aut paralysis pariter non nisi aliis grauioribus hujus generis aliarum partium internarum affectibus superueniunt, & tunc speciatim utriusque faciei partis conuulsio & oris hinc facta utrinque diductio, tanquam in videntibus, vel potiùs canibus ringentibus, *Spasmus Cynicus* dicitur. Sin verò alterutra saltem faciei Musculorum pars vel conuellatur, vel paralysi afficiatur, & exindè recta oris figura in alteram partem distorqueatur, in conuulsione quidem pars sana ad ægram conuulsam, in paralysi pars ægra resoluta ad sanam, *Oris Tortura* speciatim dicitur: in qua modò dicta oris ad alterum latus distorsione oculus alter ritè claudi nequit, nec æger debitè exsufflare, quando exspuere jussus, ex altero tamen oris latere id præstare potest. Quod si æger jubeatur ridere vel litteram O pronunciare, facilè apparebit, alteram faciei partem liberè movere non posse. Quòd si pars faciei dura sit cum sensibili plus minus dolore, & hæc aliam rectè se habentem ad se trahat, à conuulsione illius lateris malum esse, palam fit. Sin verò pars affecta mollis, laxa & minus sensilis (& ejus oculi inferior palpebra ferè decidit) ad sanam partem trahatur, à paralysi malum esse ostenditur.

CAUSÆ.

Causæ equidem, tam externæ quàm internæ, hujusmodi convulsionum & paralysium suo tempore, ubi de his in genere tractabimus, evoluentur. In specie nunc in radice ac principio nervorum, ad faciei alteram partem derivatorum, hæret malum; tumque dimidium faciei totius, quin etiam aliæ illius lateris partes, plures vel pauciores, simul afficientur. Sin verò specialiter vel in musculo uno alterove faciei, vel in nervi cujusdam surculo speciali, ad hos derivato, Malum hæreat, illa saltem facies pars, quam iste musculus regit, occupata apparebit: sic verbi gratiâ, Torturam oris à paralysi tali particulari putat EPIPHANIUS FERDINANDUS *in Hist. Med.* 12. natam, ex sæpiùs repetita applicatione aceti acerrimi, cui fuerat immaceratum lithargyrium, ad foueas in variolis delendas: non secus ac HENRICUS *ab* HEER *in Observat.*17. notat, quendam ex ebrietate sopitum & totâ nocte niue verberatum, Torturâ oris maximâ exindè laborantem, dextrâ genâ fenestræ viciniore omninò resolutâ. Torturam verò oris ex Spasmo natam obseruauit PLATERUS *lib.* 1. *Observat.*138. & 139.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*. Tortura Oris, si per se extiterit, malum est difficile, aut tardè curabile: si verò acutis morbis superueniat, eaque ex Spasmo, periculosissima; quò etiam pertinet *Aphorismus* HIPPOCRATIS 49. *Sect.* 4. In febre non intermittente, si labium aut supercilia, aut oculus, aut nasus peruertatur, imbecilli iam corpore, in propinquo jam mors est.

In specie superueniens Spasmo vel paralysi reliqui corporis apoplexiam, vel epilepsiam universalem, inde mortem portendit: Conf. *lib.*2. *Prognost. T.*8. & FONTANUS *in Methodo dignoscendi Morbos cap.* 2. *pag.* 8. & 10.

CURA.

Cura præmissis universalibus, i. e. primas vias laxantibus, aut ulteriori efficaciâ fortiùs purgantibus, & sudoriferis ex aromaticis & volatilibus, quin & interdum Decocto sudorifero ex lignis, per aliquot dies continuato, siquidem ex paralysi fuerit malum, utpotè frequentiùs; posteà Vesicatoria nuchæ vel ad aurem affectam applicentur; ubi etiam cucurbitæ scarificatæ admoveri possunt. Hinc Castoreum, tàm internè quàm externè usurpatum, est optimum: Extractum ejus in ore detineatur: Essentia castorei extrinsecùs loco affecto crebriùs illinatur, præsertim cum Tincturasiæ dulcis siue Benzoës commista, quam commendat TIMÆUS à *Gulden Klee in casibus pag.* 73. Quin & essentia rirosmarini, salviæ, &c. similiter admoveri possunt. Nucha item & vertebræ colli aquâ viræ (i. e. spiritu vini) rectificatâ foueri, & illiniri oleo destillato, chamomillæ, succini & terebenthinæ debent. In ore detineantur Masticatoria: v. g. Rotulæ Plateri.

℞. *Nuc. Moschat.* ℨij.
Rad. pyrethri,
Angel.
Semin. staph. agr. vel *sem. coriandri*,
Sinapi an. ℨj.
Angel. (vel *cumini.*)
Cubebar. an. ℨß.
Piper. ℈ß.
Mastich. ℨjß.
Ceræ q. s.
M. F. *Rotulæ*.

Aut castoreum in in Spiritus vini dissolutum; aut fiat gargarisatio, vel diuturna in ore retentio Decocti radicis pyrethri cum semine erucæ.

Ex spasmo si fuerit malum, universalia ista similiter locum habent, uti & sudorifera, & hinc quælibet ex & cum castoreo parata remedia. Speciatim obseruanda & fructuosè imitanda. Cura PLATERI *l. c.* per Narcotica aromatica, mediante sudore & somno, hujusmodi affectum curantis, ver. gr. Mithridatium, syrupum papaveris, opiata & similiter. Euporiston optimum ex semine graminis, *Hen-Saamen*, instar fotus usurpatum. Plura de hoc affectu videbit. in SENNERTO *l.*2. *Prax. par.*1. *cap.*8., item in TIMÆO *von GuldenKlee in Cas.*, *p.*73. M: A. N. C. *Anno* 3. *Observat.*332.

CAPUT II.

DE MAXILLARUM VITIIS.

MAxillarum & his mediantibus dentium molarium vitio læditur Masticatio, quando maxillæ immobiles vel in partem, vel in totum fuerint: idque vel ob luxationem, in qua os nimis hiat, à quavis violentia externa factam, interdum ex oscitatione vehementiori adeòque nimio oris hiatu inductam, facilè tunc per inflictam alapam, vel per percussionem, sub mento, tunc curabilem: vel ob tumorem, aut faucium in tonsillis inflammatis, aliavè ratione nimis tumentibus, in quibus vix os aperiri potest; aut Parotidum, liberum in sua cavitate maxillæ processibus motum impedientium: vel quando nutritionis priuatæ errore, aut universalis ex Massa sanguinis quasi decubitus ratione, lentus tartareusvè humor junctionem illam maxillæ cum ossibus temporum repleuerit, adeòque motum liberum illius impediverit, ut in Scorbuto interdum contingere affirmat SENNERTUS. Quæ tamen omnia mala facilè patent, eorumque ex aliorum similium graviorum curatione medicatio manifesta est. Conferatur quoad maxillarum hos & similes affectus, SENNERTUS *l.* 2. *c.*17. His ferè modis imminuitur aut deficit maxillæ motus, ad assumptionem & masticationem requisitus.

ARTICULUS UNICUS.

DE DENTIUM STRIDORE.

DEprauatur, quando tremulè mouetur maxilla, unde sonus ex dentium crebriore collisione natus supervenit in affectu, ob id *stridor dentium* dicto. Oritur propriè à spasmo reciproco musculorum in genis, abductioni & adductioni mutuà operà inservientium, qui aliquali convulsio motu affecti stridorem talem inferant.

CAUSÆ.

Specialiores hujus *Causæ* sunt vel frigus externum, vel vermes seu lumbrici intestinorum, ex qua causa stridor dentium nocturnus infantibus familiaris existit: Sicut & ex causis aliis, convulsionibus communibus, oriri potest. Speciatim etiam per consensum fieri solet, in febrium nempè rigoribus, in quibus non rarò est stridor dentium, ob consensum cum partibus circa præcordia membranosis.

PROGNOSIS.

Sine manifesta causa superueniens adulto dentium stridor, malum portendit, aut apoplexiæ aut epilepsiæ imminentis.

In febribus dentibus stridere malum, præsertim si deliranti id accidat.

CURA.

In *Cura* causis sublatis, & ipse affectus morbosus cessat; optimum tamen remedium est Balsamus Peruvianus, extrinsecùs usurpatus.

CAPUT III.

DE DENTIUM VITIIS.

DEntium vitio Masticatio læditur, quando vel deficiunt, vel, præsentes licet, vacillant, aut carie, & stupore affecti, aut dolore afflicti fuerint.

ARTICULUS I.

DE DENTIUM DEFECTU.

CAUSÆ.

DEficiunt dentes vel proprio, vel alieno, gingivarum nempè vitio, *infra, ubi de dentium vacillatione*, prolixius explicando. Proprio vitio, dum euelluntur, aut excutiuntur, à quavis causa externa, vel ita alterantur, ut tanquam minùs viuentes non ampliùs cum gingiua viua cohærere queant, sed spontè sua decidant. Uti enim mortificatum, v.g. cariosum os, cum vicinis partibus, vità communi & proprià pro ratione spiritus influi & insiti gaudentibus, uniri nequit, sed necesse est, ut excidatur & separetur, quo cum viuo osse partes subjacentes molles, viuentes, consolidatione debità, nutrimento mediante, uniri denuò queant; ita dens minus vitalis non jungitur amplius gingiuæ, sed ab hac separatus excidit. Idque (1.) si mortuus fuerit propriæ ætatis, adeòque senii sui ratione: de qua vid. HELMONTIUS *Alimenta Tartari insontia* §.25. (2.) Si ab externis nimis lædatur & vitietur, ut sunt nimis frigida, copiosiùs assumpta, dentibus inimicissima, & quæ senium eorum accelerant; item nimis acida, dentes & gingiuas quasi amburendo alterantia; item nimis calida, eaque vel crebriùs assumpta, vel dentibus admota, à quibus successivè ita penetrantur & arroduntur dentes, ut frustulatim tandem excidant. Quod facit peruersa plurium consuetudo, dolores dentium vel aceto simplici, vel per coctionem medicatam curantium, à quibus stupescunt non solum omninò dentes, & insensibiles sic fiunt subtiliores illorum intimæ fibrillæ; sed & ipsi dentes simul mortificantur & corroduntur. Par ratio est opiatorum sæpius usurpatorum. (3.) Nimis viscida & glutinosa dentibus inimica sunt, ut sunt omnia dulcia, saccharum, Ficus, uti & caseus: Hæc ipsa enim, ut promptè & tenaciter dentibus adhærendo, transpirationem eorundem propter necessariam nutritionem impediunt, ita & successivè acorem attrahunt, qui continuatà sui adhæsione, successivè eosdem alterat: hinc & lac & qualibet lacticinia, ob hanc rationem inimica dentibus observantur, eosque ad sui corruptionem seu cariem & successivam deficientiam disponere. Hæc ipsa gingiuas simul plus minus alterando, & laxiores ac flaccidiores reddendo, indeque nutrimentum, pro dente per gingiuas transmittendum, corrumpendo, ipsos dentes insigniter lædere valent. (4) Carie denique plus minus exesi dentes à lapide dentali seu lithodonto obsessi, seu sordibus variis inquinati, nigrique ac fœtidi redditi, minus firmiter cohærent, sed successivè decidunt: Quæ posteriora vitia non nisi ex vitiata dentium nutritione privata, undecunque primitus orta, originem ducunt. In quem finem noto, nutriri dentem non solùm per propria sua vascula, arteriolas & venulas, circa sui radicem implantatas, sed lateraliter etiam ex adhærentibus ipsis gingiuis; undè & tam firmius eorum, quousque sani sunt, est nexus, ut dens ceu osseum concretum, ex se indolēs, quousque gingivis inuestitur, acutissimi tamen sit sensus, adeò mutuæ vitæ & nutritionis centes sunt participes. Ac sanè particularis, ac præ aliis partibus propria dentibus est nutriendi & augmentandi ratio, adeò ut, cùm continua attritione necessariò imminuantur, nisi novà eaque continuà augmentatione reparentur, brevi penitus absumerentur. Quod ulteriùs ex eo patet, quod uno evulso vel elapso vicini utrinque se dilatare magis soleant, & ex opposito ipsi respondens oblongari non nihil, & in prioris spatium aliquantulum subintrare observetur.

DIAGNOSIS.

Dentium defectus per se, partim αὐτοψίᾳ, partim ex relatione, patet.

Causarum verò diversitas dignoscitur vel ab antecedente violentia externa, vel diuturna Mercurii tractatione, vel ab hoc producta salivatione, vel à scorbuto: utpotè quibus prægressis, vel præsentibus, de causis certi erimus.

PROGNOSIS.

Dentium defectus si fuerit à causa externa, de vicinis nihil metuendum, modò adhuc sint firmiores. Si verò oriatur à causa interna, v. g. scorbuto &c., reliqui facilè sequuntur, & successivè elabuntur.

CU-

C U R A.

Quoad *Curam*: dentes excidentes aut deficientes reparare, solius naturæ est, quæ in junioribus per recentium dentium subnascentiam priores alveolis suis extrudit, & defectum ita restituit. Quamdiù itaque dentium novorum primordia & quasi semina intra gingivas restitant recondita, novi dentes post priorum defectum renasci facilè possunt: id quod non tantùm genuini seu *sapientiæ* dicti *dentes* comprobant, sed quod etiam interdum in senectute dentes renati observati fuerint. Arti quod relictum est, saltim defectus illos naturæ nonnihil supplere potest, artificiales dentes ex ebore, vel dente hippopotami fabricatos, in istorum locum substituendo, pro loquelæ saltem gratia, non autem pro melioris Masticationis beneficio. Equidem exempla quædam prostant dentium sanorum, ex homine recenter revulsorum, in proprios vel alienos alveolos denuò insertorum, firmiter cum gingiva coalitorum, tanquam si nunquam dens defuisset, ita ut etiam masticatio fortis hoc modo perfici potuerit: sed quoniam adeò incerta res nondum confirmata est, eam in medio relinquo: vid. *Observationes Schenkii pag.* 202. *ex* PARÆO *l.* 1. *cap. de dentibus*, item RIUERIUS *in Observ. Communic. p.* 357. *vel* 685. & BORELLUS *l.* 1. *Observat.* 10. *pag.* 18.

Quod si dentes elabantur aut ab incauta Mercurii tractatione, aut salivatione, conveniunt medicamenta Solaria, aut ipsa folia auri deglutita, &c. Ubi autem malum fuerit à scorbuto, acrimonia feri scorbutica temperanda, quod *infra suo loco patebit*.

ARTICULUS II.

D E

DENTIUM CARIE, FOETORE, ET VERMIBUS.

C*Ariem* igitur *dentis* quod attinet: est hæc arrosio dentis, nunc maior nunc minor, quâ insensibiliter substantia eius absumitur, & nunc successivè excavatur, nunc altero latere pedetentim consumitur, donec successivè magis corrosus frustulatim excidat. Inchoat Malum ut plurimum in parvo puncto extrinsecùs, quod nigrescit primitus, hinc foraminulum aperitur, sicque ad interiora eius penetrat, quæ quò teneriora ac molliora, indeque faciliùs dissolubilia, eò promptiùs absumuntur, & dentem cavum reddunt. Conjungitur tunc, ad interiora ubi penetrauerit corrosio, dolor, nunc maior nunc minor, prout radicem dentis nerveam diversimodè simul arroserit. Ex corroso ita dente nata sanies, ubi per dentis foraminulum relictum, ceu per fistulam, liberum spatium effluendi haud nacta fuerit, sed interiora magis ac radicem dentis unam alteramve, speciatim in maxillaribus, vitiauerit, acrimoniâ suâ nunc gingivam, nunc ipsam maxillam arrodit, & præsertim per illa huius foramina, per quæ vasa in dentes subeunt, sensim extra effluit, & tubercula nunc in gingivis, nunc sub maxillis, excitat, quæ tandem exesa saniosum acre liquamen fundunt. Et licet curetur tale tuberculum & excitatum ulcusculum, subinde tamen quoties ex carioso dente sub nutritione vitiatâ noua sanies generatur, recidiuat, & interdum in fistulam vel gingiuæ vel maxillæ degenerat, adeò ut talia curari nequeant, nisi dens læsus euulsus fuerit.

Fœtorem etiam subinde dentes cariosi inferunt, halitum oris infici entem, præsertim si maior fuerit eorum cuacuatio, ut alimenta carnosa retenta in eadem putredinem attrahere queant.

Imò ex nutrimenti dentis cariosi proprii corruptione, aut alimentorum masticatorum in iisdem retentorum putredine, *Vermes* in eorum cauitatibus generantur, grauissimorum dolorum aliorumque Malorum Autores.

C A U S Æ.

Causa Cariei est læsa dentis quacunque occasione nutritio, siue gingiuarum vitiatarum, & à contiguo dente abscedentium, indeque eius lateralem nutritionem impedientium, (unde scorbutici gingiuæ vitio omnium frequentissimi Cariem patiuntur,) eueniat culpâ, siue ipse dens sub nutrimenti assimilatione, aut hujus successiua transpiratione frustratus, ex illius corruptela, & in acidum corrosiuum degeneratione, Cariem pedetentim contrahat. Acidum itaque ex nutrimento dentis degenerato, dentem corrodens cariem inducit.

Causæ remotæ rationem habent tàm omnia dentes alterantia suprà allegata, quàm infrà circa gingivas, quoad dentium vacillationem, alleganda.

P R O G N O S I S.

Caries dentium maturè curanda, aliàs sæpiùs recurrentes odontalgias, tubercula & paruos abscessus gingiuarum aut sub maxillis, interdum etiam fistulas, circa dicta loca inferre potest.

C U R A.

Quoad *Curam* cariosorum dentium, præsentissimum equidem remedium est dentis cariosi euulsio, interdum etiam necessarium, si longiùs processerit Caries; cùm facilè aliàs contiguus dens contagio carioso infici, & hinc idem Malum contrahere possit: Ut tamen confirmatam Cariem aliâ ratione, quàm euulsione, curari non posse. Quamdiù verò vel non dum eò usque processerit malum, vel propter pericula, sub dentium euulsione interdum obseruata, hæc nimis metuatur, remediis res tentanda est, Cariei scilicet progressum ulteriorem inhibendo.

Evulsio appropriato peragitur instrumento, ac succedit eò meliùs, quò minùs firmiter dens hæserit, & quò magis idem vacillauerit. Quò autem disponatur ad facilem magis, & minus dolentem evulsionem, remedia quædam à nonnullis adhiberi solent; ver. gr. Tithymali succus denti inditus: aut si ex eo & sale ammoniaco formentur globuli, aut cum farina triticeâ pasta, & cauitati dentis indatur.

Præter Tithymali lac alia ex simili lacteorum genere pari virtute pollent: ut Lac ficulneum farinæ admistum; vel ex lacte Tithymali cum farina triticea subacto fiat pasta, quæ frixa in pinguedine ranæ facit dentes sine dolore cadere: vel farina siliginis misceatur cum lacte cataputiæ instar pultis, indatur denti cauo, sicque aliquamdiu permittitur, breui sic cadere affirmant. Succus pariter chelidonii maioris, cauis dentibus inditus, eos frangit & eiicit. PETRUS ASSELINÆUS certum prodidit, quod si cicada, æstate inter segetes cantando se oblectans, contusa imponatur denti corrupto, tunc integrum illum eximi posse: vid. VELSCHIUS *Mitomim. Cent.* 2 *Observ.* 82. *annex. Anno* 4. M. A. N. C. Pinguedo item ranarum viridium, dentibus affricata, aut iisdem indita, dentium casum promouet: nempè coquuntur ranæ in olla vitreata affusâ aquâ communi, & pinguedo quædam innatabit, quæ dentis euulsionem promouet. Vel

℞. *Gumm. ammoniac.*
Sem. hyoscyami.
Succ. eiusd. an. ʒj ß.
Mixtis addatur
Pinguedo ranæ viridis, & *ceræ* parum, f. *Vnguentum* denti extrahendo applicandum vel indendum.
D. S.
Vnguentum Singulare pro dentibus.

De urina & dente canino, huic usui proficuis, vid. SENNERTUS *l.* 2. *Prax.* § 1. *c.* 10. *p.* 27.

Cariei verò ulterior progressus per artem & medicamenta inhibetur, efficacissimè imprimis per inustionem dentis cariosi in loco carioso cum Cauterio actuali, siue ex ferro, siue, ob subtilitatem commodiorem ex argento vel auro facto; quo facto, auro foliato dens cauus repleatur; præseruatur enim sic à maiori putredine & corruptione: Vel ex cera, cum myrrha probè subacta, vel potiùs cera viridi propter admistam æruginem, impleatur dentis cariosi excauatio. Ipsa Myrrha denti indita egregia est in hoc casu. Conf. hic RIVERIUS *in Observ. Communicat. p.* 283. & 663, ubi refertur, quod dentes terebinthinâ impleantur, & cauterio actuali dens inuratur in carie. Loco actualis cauterii, ubi necessum visum fuerit, potētiale adhibeatur: Sic aqua Fortis denti carioso admota, vel spiritus salis gutt. j. vel ij. bombaci inditæ, ac denti adhibitæ, mirè corrosionem juvare, & cariem præseruare dicitur: item Zingiber in oxymelite coctum & in cauernam dentis immissum, præseruat corruptionem. Coralliorum pulvis denti cauo inditus, vel os

sepiæ, item camphora Cariei ulteriorem progressum inhibent: vel ex pulvere coralliorum alborum, cum melle rosato linimentum crassius redactum, dentibus illitum, Cariem inhibet. Vel

℞. *Corall. rub. præp.*
Ossis sep. pulv.
Corn. Cer. usti præp. an. ℈ ij.
Myrrh. el. ʒß.
Camph. gr. v. vel vj.

Cum s. q. *Mucil. tragac.* f. *pilulæ*, dentibus cariosis excavatis indendæ. S.

Pilulæ singulares pro dentibus.

Fœtorem dentium ablata Caries sponte curat; Sin minus, gallia Moschata cum cypero & mastiche mista, denti cado indatur. Tollitur & fœtor dentium, si abluuntur aqua, in quâ sal ammoniacum dissolutum, post prandium & cœnam.

Vermes ex dentibus elicere subindè necesse est. Præstat hoc optimè sabina in vino decocta, & in ore retenta, quæ copiosè vermes elicit. Mucum seu reliquias chyli interiori tunicæ ventriculi suilli seu pyloro adhærentes, calentes adhuc, denti dolenti impositas, vermes elicere, traditur in M. A. N. C. *Ann. 9. Observ.* 187. Fumus item seminis hyoscyami specificus est, per infundibulum, susceptus ore, mirabiliter vermes expellit. Conf. *Acta Medic. Haffniens. Volum. 1. pag. 209.*: Suffitus item seu fumus ex fructu halicacabi contuso, cum cera mixto, facta exindè pasta, in laminam ferream ignitam injecta, fumum suggerit, quo, ore excepto, catervatim vermes cum sputo copioso rejecti, & crudelissimi dolores sopiti, observati fuerunt. Spiritus sulphuris quoque dentibus cum bombace inditus vermes optimè necat, & dolorem inde oriundum placat: vel ex pulvere gallarum, cum succo radicis pyrethri imprægnato paratur remedium, quod denti inditum vermes expurgat. Sevum cervinum, quantum contra Vermes dentium valeat, vid. BARTHOLINUS *Cent. 3. Histor. 96.*

ARTICULUS III.

DE

LAPIDE DENTALI, SEU LITHODONTO, ET DENTIUM NIGREDINE.

Quoad *lapidem dentalem* seu *Lithodonton* (ut vulgò ex vana persuasione vocant Tartarum dentium) hujus ortum & Genesin optimè delineavit HELMONTIUS *Tract. alimenta Tartari insontia* §. 22.

CAUSÆ.

Nempè nutrimentum dentium laterale ex gingivis depravatum, sub sui perfecta cum dente assimilatione frustratum, & vitiatum, sicque in excrementitiam plus minus naturam degenerans, adhærescit saltem superficie tenus denti, ibique, quia iam ad duritiem dentalem ex aliquali sui pro nutriendo dente alteratione, determinatum fuit, ad induresscentiam quasi lapideam dentalem coagulatur saltem, & talem, plus minus tamen friabilem, duritiem acquirit, simulque, quicquid mucilaginis ciborum ac potuum imbiberis, simul sese fortiter indurat. Nunquam igitur sanæ gingivæ, & quæ cuspidali figurâ ad dentis medium assurgunt, hancque firmo amplexu retinent, dentalem hunc lapidem generare solent; benè autem laxæ, flaccidæ, cruentæ, minusque aptè dentibus adhærentes, adeòque externis injuriis ad sensilem dentis partem aditum permittentes, nec commodum nutrimentum suppeditantes, sed potius etiam laudabile pervertentes, hoc malum inducunt.

Par omninò est ratio *sordidorum, nigrorum, aliove modo malè coloratorum dentium*. Quidquid enim hic subest vitii, non nisi productum morbosum & frustratâ & depravatâ privatâ dentium nutritione enatum, seu externa illa suprà circa dentium casum, speciatim viscida, & dulcia, primam occasionem suggesserint, seu gingivarum morbosus status, alterando nutrimentum dentium, & vitiando lateralem eius nutritionem in causa fuerit. Sanè ut scorbuticis nil æquè familiare est, ac gingivarum pervarias subire passiones, speciatim cruentam flacciditatem, ita & in talibus dentium nigrities, & sordities frequentissima est. *Nigrities* sanè dentibus adhærens, quid nisi extrauenati ex gingiuis, plus minus corrupti, & acore infecti cruoris, dentibus adhærentis, vestigium est, à cuius hostili præsentia, ut irritantur gingiuæ, & inuiscantur dentis pori, ita ex facili hinc acescentia erosio & cariei successiuus progressus. Iuxta læsionem gingiuarum & dentium læsio, indeque sordium excrementitiarum pluralitas ac veritas æstimanda: Hinc & ab inunctione Mercuriali pro cura luis venereæ, similive concitata saliuatione, uti notabiliter vitiantur gingiuæ, ita nigrescere subitò, & pluribus sordibus inquinari obseruantur dentes.

DIAGNOSIS.

Quoad *diagnosin*: Dentium Tartarus & Nigredo spontè nobis innotescunt: nec causarum signa distinctiva necessaria sunt, cùm inter internas unica tantùm adsit, utut externarum variæ dari possint, ut ex *supra dictis* patet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Lithodonton & dentium nigredo gingiuis, uti & dentibus ipsis, maximè nocent; quia ad totalem erosionem, crebriorem dolorem, aut præmaturum casum, facilè disponuntur.

CURA.

Tophi dentium seu Lithodonton, eorumque sordities & nigrities, curantur per ea, quæ sordes dictas abstergere, vitiosum earum acidum, gingiuis & dentibus hostile, absorbere, & hinc blanda adstrictoriâ vi gingiuarum tonum roborare valent. Quod si longiùs processerit malum, & tenacior mucus dentes vitiauerit, potenter incidentia & dissoluentia, & quicquid heterogenei fuerit, absumentia, & quasi exedentia, adhibenda erunt, habendo semper respectum ad scorbutum plus minus præsentem. Conuenient igitur in leviori modo os sepiæ, Corn. Ceru. ustum, mandibulæ lucii piscis, testæ ovorum calcinatæ, cinis nicotianæ, rorismarini, urina calida, cum qua fricantur subindè dentes & gingiuæ, Tartarus calcinatus, aut parum Salis Tartari, aut aluminis usti, cineres vegetabilium, ut nicotianæ, &c.

Duriora subiecta lapidea ex silice, pumice, &c. vitanda sunt, quia crebriori usu gingiuas atterere, & absumere valent, ut rectè monet ZWelferus in Pharm. Reg. pag. 101. nisi ubi fortius agendum; tunc enim, paulò tamen rariùs, adhibita minus nocent. Exempli loco sit farina Virginea Mynsichtii, egregiè dentes dealbans, & à tartaro corrosiuo purgans.

Hisce modò dictis conuenienter radix Iridis Florentinæ additur, partim quia & ipsa conueniat, partim propter odoris gratiam, propter quem ultimum finem non inepta. Paratis dentifriciis, aliquot guttæ olei destillati caryophyllorum, aut ligni Rhodii, possunt addi: Ex. gr.

℞. *Corn. Cer. usti* ʒ iij.
Corall. ʒ j ß.
Rad. Ireos Flor. ℈ ij.
Alum. usti,
Sal. tart. an. ℈ j.
M. f. *pulvis*: qui irroretur cum
Spiritu cochleariæ,
addendo
Olei destillat. caryophyllor. guttas aliquot
D. S.
Pulvis dentifricius.

Quod si dictis pulueribus color purpurascens conciliandus, *Cocciongliam in aqua aluminis solvamus*, & cum hac adspergamus puluerem, qui exindè rubescit: sed leni admotus igni idem purpurascit.

Quod si pertinacius fuerit Malum, sordes tenaciores, obstinata nigrities, firmiùs dentibus impacta, ac firmiùs conglutinata lithodonton, optimum remedium est spiritus salis cum melle ad gratiam saporis, vel quantum placet, mistus, & ita gingiuis illitus. Spiritus Vitrioli suspectus est, cuius loco oleum sulphuris in s. q. aqua communis dilutum, vel cum melle rosato subactum, adhiberi potest. Pertinet

et huc Opiata BORELLI *c.2. Obseru. 65.*, ad grauius malum præsertim conueniens. Non incommodum est, si recipiatur Vinum, cui permisceatur spiritus sulphuris, ut acescat: huic immittatur radicula polypodii per viginti quatuor horas: quæ siccata, & loco dentifricii adhibita dentes firmat, mundat, & candorem iisdem inducit. Et ea, quæ de spiritu vitrioli refert RIUERIUS *in lib. 6. Prax. c. 2.*, potiùs spiritui salis, quàm spiritui Vitrioli applicanda veniunt: Quò etiam facit ejusdem liquor ex alumine usto, hîc egregiè conveniens.

Pulvis dentifricius Principissæ Altenburgensis.

℞. *Oss. sepiæ*,
Corn. Cer. ust.
Pumic. præp. an. ℥ iij.
Moschi ℈ j.
M. f. *Pulvis*: cui adspergatur
Spiritus rosar. ℥ß.
& siccetur: Interim
℞. *Gran. Chermes*,
Santali rubri an. ℥ß.
Spiritus Vini q. s. pro extrahenda Tinctura.
Irrora aliquoties prædictum pulverem & sicca.
D. S.
Pulvis dentifricius.

Non incommodum est, hujusmodi pulveribus dentifriciis salem ammoniaci subinde addere, dentibus, gingivæ, ac omnibus oris partibus imprimis conueniens. Vel

℞. *Aquæ plantag.*
Sedi min. an. ℥ ij.
Sal. ammon.
Sal. Tart an. ʒß ad ʒ j.
M. filtra, D. S.
Aqua pro dentibus.

Quâ ipsa dentes ab omni pastu abluuntur, & gingivæ blandè fricentur.

Sanè sal ammoniaci in aquâ solutum, pro dentium ab omni pastu ablutione, fœtorem eorum imprimis tollit: Sicuti matutina mundificatio cum urina humana dentes & gingivas à quàm plurimis malis præservat.

MEMBRUM IV.

DE DENTIUM VACILLATIONE.

Dentes sæpè etiam vacillant, seu minùs firmiter gingivis connectuntur.

CAUSÆ.

Quod attinet *Causas*, dentes hoc vitium contrahunt vel propriâ, vel alienâ, scilicet gingivarum, culpâ: Propria eadem est, sed in minori saltem gradu, quæ & dentes decidere penitus & cadere facit: de quo sæpiùs sufficienter actum: Aliena gingivarum culpa consistit in eo, quod fibrosa illarum caro vel mollis, vel flaccida, vel simul tumida, vel etiam non nihil exulcerata, adeòque in omnibus his casibus plus minus cruenta, simul evadat. Rarum est, quod in SCHENKII collectis *Obseru. l. 1. cap. de Dentibus pag.* 200 refertur, ex defluxione in dentium alveolos, hos gypseâ pituitâ interdum impleri, ut dentes extrudantur: suspicor tamen, non tam ex defluxione, quàm Lapidis seu tophi dentalis uberiori incremento, potiùs vitium hoc ortum traxisse. Ista verò mala gingivarum oriuntur frequentissimè salivæ, vel in genere acrioris, vel in specie scorbutico sapore, seu vitrioso acri sale inquinatæ culpâ, à qua tonus fibrarum gingivarum resolvi & emolliri, penetrari eædem, & plus minus successivè non raro sensili admodum cum pruritu erodi assolent, vasulis sanguineis, unà per diæresin vitiatis, sanguinem paulatim fundentibus.

Posteà & Mercurii usus, tàm pro salivatione excitanda, & hinc acrioris & præternaturalis cujusque copiosioris salivæ profluvio, quàm faciei pro usu cosmetico applicatus, ordinario gingivam valdoperè laxare, & omnes dentes hinc mobiles quasi reddere solet. Huc pertinet etiam opiatorum usus in Odontalgia.

DIAGNOSIS.

Dentium vacillatio ex relatione facilè innotescit. Causarum verò signa distinctiva cognoscuntur, vel ex antecedentibus, e. g. Odontalgia prægressa, salivatione Mercuriali, vel conjunctis, v. g. scorbuto, &c.

PROGNOSIS.

Dentium vacillatio, quæ ab Odontalgia oritur, ut plurimum spontè remittit.

Quæ & à salivatione Mercuriali, hac cessante, pariter cessat, modò non adsit gingivarum nigredo.

Vacillatio dentium à scorbuto interno sæpè est diuturna, qua dentes tandem facilè elabuntur. Quod si ulteriùs cedat negotium, vitiari magis gingivæ, exulcerari, profundiùs absumi eædem, vel corrumpi etiam, & ad gangrænam disponi assolent. Malum, quod in genere Scorbutus, appellatur.

Quod si firmior paulolùm gingivarum fuerit textura, relaxata eadem nihilominus sanguinem uberiùs in se recipit, & spuriâ intumescit & excrescit carne laxâ, flaccidâ & sordidâ, & facilè ad tactum cruorem stillante, in gingivarum hinc dicta excrescentia seu dentium superincarnatione.

CURA.

Ut igitur removeantur hæc mala, præmissâ debitâ radicis morbosæ internæ curatione, gingivæ flaccidæ, tumidæ, cruentæ &c. adstringendæ; exulceratæ absorbentibus & mundificantibus ac adstringentibus consolidandæ; corruptæ, & plus minus gangrænatæ, ab ulteriore Mali progressu præservandæ. Conveniunt igitur flores rosarum rubrarum, flores aquilegiæ, & ex his paratum Unguentum de aquilegia ad scorbutum oris præsertim proficuum: Descriptio prostat in TILEMANNI *Mat. Med.* Cornu Cervi, & Ebur ustum, lacca & Myrrha, alumē, tam crudum quàm ustum, lapilli cancrorum, folia quercus, ligustri, radix Ireos Florentinæ, bistortæ, tormentillæ, flores malvæ arborescentis, nasturtium aquaticum, ruta, salvia, rosmarinus. Ex his vel fiunt pulveres dentifricii, cuius exemplum vid. in BARTHOLINO *Cent. 6. Histor. 54.* qui elegans est pro dentibus scorbuticis: imbuatur ulteriùs cum spiritu Cochleariæ, ut ita meliùs approprietur. Item

℞. *Flor. Malvæ arbor. rubr.* ℥ß.
Corn. Cer. usti præp. ʒ ij.
Alum. usti,
Nuc. Moscb. an. ʒ j.
M. f. *Pulvis subtilissimus.* S.
Pulvis dentifricius.

Quo post oris collutionem, & dentium purificationem, bene fricentur gingivæ. Vel ex iisdem fiat Decoctum: v. g. ruta in vino decoquatur, quo calidissimè os eluatur, egregio cum successu contra hos affectus scorbuticos. Salvia, item rosmarinus, decocta in aqua cum pauco addito alumine, egregius est gargarismus ad dicta dentium vitia. Vel

℞. *Herb. salv. opt.* M. ijß.
Flor. malvæ hort. rubr. M j.
Rad. polypod. ℥ß.
Fiat Decoctio in *Aquæ font.* q. s.
Colat. ℔ j. adde
Mel. rosat. ℥ ijß.
Nitri antimoniat. ʒ iij.
Alum. usti,
Terr. sigill. an. ʒ j.
Misc. pro *Dentiluvio.* S.
Aqua pro dentibus.

℞. *Herb. salv.*
Cochlear. an. M. iij.
Coque in s. q. *lactis*:
Colatur. ℞. ℔ j. adde
Succ. Cochlear. rec. ℥ ij.
Syrup. aquileg ℥ iv.
M. pro Gargarismate.
D. S. ut anteà.

Aliquandiu in ore teneatur.

Pertinet huc *Gargarismus de Tormentilla Mynf. p. 403. Decoctum ad gingivas roborandas Poterii in Pharmac. p. 313.* Si quoque aliud quid, certè myrrha & lacca in istis gingivarum vitiis sunt præstantissima: Hinc Tinctura laccæ, Mynf. est nobilissimum remedium in scorbuto & putredine gingivarum & oris, cui commodè Myrrha associari solet. Nam sola myrrha crebriùs masticata præseruat

egregiè contra scorbutum oris. *Tinctura laccæ* prostat *p. 46. armamentar.* MYNSICHTII, & confer. M. A. N. C. *Ann.6. App. Tit. 10. pag.76.* B. D. MICHAELIS Tincturam *laccæ* parabat ita:

℞. *Phlegm. vitrioli* qu. v.
in quo dissolv.
Alum. usti q. s.
Solutionem hanc digere cum
Lacca pulverisata,
donec tingatur.

Non inconsultum foret, si addatur Myrrha, vel promiscuè ejus Tinctura. Vel

℞. *Lap. Medicament.* ℥j.
Solve in
Aquæ Plantagin. ℔ j
Colatura D. S.
Aqua pro Dentibus.

Huic immissa spongiola applicetur loco affecto.
Vel

℞. *Aquæ Sedi min.*
Prunell. an. ℥j.
Spiritus cochlear. ʒij.
Mellis rosat. ʒvj.
Spiritus salis q. s. pro grato sapore.
M. S. ut anteà.

Humectetur linteum & fricentur dentes & gingivæ, à scorbuto malè se habentes. Vel

℞. *Aquæ prunell.*
Salv. an. ℥j.
Spiritus Cochlear. ʒ j.
Alum. usti. ʒß.
Mell. rosati ʒvj.
M. S.
Mixtura pro dentibus, & gingivis.

Porrò ulteriùs mel rosaceum, cum spiritu salis tantillo usque ad gratum acorem impraegnatum, omnia ulcera & putredinem partium in ore sanat, si præsertim ex scorbuto originem ducant, in specie, si simul cum Decocto salviæ subindè abluantur gingivæ. Egregium quoque est *Linimentum Hartmanni ad hos gingivarum affectus*, quod describit in *Praxi Chymiatr. pag.123.*, sed cui nonincommodè myrrha addenda venit, ad imitationem SENNERTI *in Prax. lib.3. p.5. sect.2. cap.7 pag.633.* Cui simile est elegans *Linimentum contra oris & gingivarum scorbutum*, quod habet DECKERS *in Comm. in Prax. Barbette p.156.*; cuius loco possit etiam recipi:

℞. *Alum. crudi* ʒjß.
Flor. aquileg.
Fol. Salviæ an. ʒij.
Rad. Ireos Flor. ʒjß. vel ʒiij.
Myrrh. el. ℈ ij.
Cum s. q. Mellis rosati f. Linimentum,
Egregium ad vacillationem dentium scorbuticam.
Vel

℞. *Rad. bistort.* ʒiij.
Flor. rosar. rub. ʒj. vel ʒjß.
Balaust. ʒj.
Alum. usti ℈ ij.

Irroretur aliquot guttis olei *destillati caryophyllorum*, & impraegnetur largiter *Spiritu cochleariæ*, qui ad oris scorbutum est egregius. Vel

℞. *Pulv. rad. bistort.* vel *tormentil.*
Flores balaust.
Rosar. rubr. an ʒj.
Myrrh. el.
Alum. usti an. ℈j. ad ʒß.
Mell. rosat. q. s.

Melli ad ignem liquefacto inspergantur sensim pulveres, f. *Vnguentum*.
D. S.
Vnguentum pro dentibus contra Aphthas, & Scorbutum.

Hoc illinantur gingivæ & partes malo scorbutico affectæ.

Quò etiam pertinet *Linimentum* SCHROEDERI, *p.300. l.2. c.87.*

℞. *Rad. Ireos Florent.* ʒ j.
Pumic. ʒjß.
Alum. usti ʒß.
Lapill. Cancr. præp.
Corall. rub. præp. an. ʒ j.
Excipe cum *melle rosato*,
D. S. ut anteà.

Linimenta hæcce, tàm pro gratia odoris quàm propter vim specificam, oleo destillato caryophyllorum impraegnari possunt.

Præter hæc in excrescentia gingivarum scorbutica succus quoque Cochleariæ, cum alumine usto mistus, perquàm egregius est. Sicuti ad hæc ipsa gingivarum vitia ex scorbuto nulli cedit vermicularis, cuius decoctum cum alumine & melle nobile experimentum est, gargarisando usurpatum: vid. M. A. N. C. *Ann.6. Observ.22. p.50.* It DIGBY *Medic. Experimental. P.2. p.78.* Itidem egregia est mixtura pro his gingivarum malis ex aqua calcis vivæ cum alumine crudo & usto, ac radice Ireos Florentinæ; quod in mentem revocat aliam non inconvenientem Misturam efficacissimam in scorbuto oris, nempè cremorem aquæ calcis vivæ supernatantem saliformem:

℞. *Huius Cremor.* ʒ iij.
Gummi laccæ ʒij.
Vitriol. Cypr. gr. vj.
Aquæ rosarum,
Salv. an. ℥jß.

Solve calore levi, ut probè impraegnetur à Lacca.
D. S.
Mixtura pro dentibus contra scorbutum oris.

Mixturâ hâc laventur gingivæ, & egregii usus erit.

Ac meritò extollitur usus laccæ; Nam B. D. MICHAELIS aliquaudo putredinem gingivarum scorbuticam tantam, ut gangrænam minaretur, & propter intensissimum fœtorem nemo juxta ægrum commorari posset, per solam Tincturam laccæ, præmissis internis universalibus, feliciter restituit. Vel

℞. *Gum. laccæ* ʒj ß.
Alum. usti ℈j.
Excipe cum
Mellis rosati ʒvj.
adde
Spiritus salis parum pro grato sapore.
D. S.
Linimentum contra putredinem gingivarum.

Affricetur subinde gingivis. Juxta Laccam hanc nobilissima est Myrrha; v.g.

℞. *Fol. Salv.*
Alum. ust.
Maxill. Lucii pisc. calcin.
Myrrhæ an. ʒjß.
Mellis q. s. pro linimento ad fricandos dentes,
D. S. ut anteà.

Quod si efficacius postuletur, aliquot guttis *spiritus salis* impraegnetur.

In graviori morbo ulteriùs procedendum est, atque sic, præter Linimentum Hartmanni supra laudatum, ad Vnguentum Ægyptiacum, cum melle rosato probè permixtum, deveniendum, pro graviore exulceratione aut indè metuendis malis gingivarum curandis. Vel

℞. *Alum. usti*,
Salis ammoniaci an. ℈j.
Mastich.
Thuris. an. ʒß.
M. f. *Pulvis*, S.
Pulvis dentifricius contra putredinem gingivarum.

Affricentur gingivæ, posteà quàm ante & pòst *Decocto salviæ, tormentillæ ac rosarum rubrarum* os elotum fuerit.

Imò interdum aquâ forti gravior gingivarum luxuries sedanda. Conf. item *Linimentum* SENNERTI *lib.2. Prax. p.1. cap.16. p.52.* Aut denique aquæ virides ex viridi æris, pauco auri pigmento, alumine, & quibusdam Vulnerariis, addito melle in aquam infusis & decoctis, hic commodè adhiberi possunt: quo affrictæ gingivæ à luxurie, flacciditate & putredine, defenduntur: e.g. fit vel Decoctum viridis æris in Decocto quodam, vel *aqua viridis Hartmanni Prax. pag.110.*, vel *Aqua Viridis* PLATERI cuiùs descriptio prostat *in fine Observationum eius*. Harum basis est viride æris cum vino, aut melius aceto: associantur quoque Colcothar, cerussa, alumen, &c: Vid. SCHROEDERI *Pharmacop.*

ARTI-

ARTICULUS V.
DE
DENTIUM STUPORE.

S*Tupore* tandem seu *Hæmodia* affici dicuntur dentes, sicque Masticationem impedire, quando speciali doloris genere afficiuntur.

SUBJECTUM.

Pars affecta in dentium stupore est horum periostium tactu quasi semi-privatum.

CAUSÆ.

Causæ sunt vel *internæ* vel *externæ*. *Interna causa* est lymphæ salivalis aciditas: Inter *externas* sunt acida, vel assumpta, vel vomitu rejecta.

DIAGNOSIS.

Diagnosis ex ægri relatione patet.

PROGNOSIS.

Dentium stupor à causa externa spontè remittit, nisi objectum fuerit magis contumax.

A causa interna dependens, ut plurimum est diuturna, & sæpè redit.

CURA.

Curat stuporem dentium portulaca recens masticata; caseus tàm recens, quàm vetustus, adeòque alcali manifestiore dives; siliqua ceracea masticata; item calidum ovi vitellum ad duritiem coctum applicatum. Omnium optimum est calida urina applicata.

MEMBRUM VI.
DE
DENTIUM ALGORE.

AFfine dentium stupori est *Algor dentium*, dum frigoris attactu notabiliter alterantur: Nempè acidum & frigus inimicissima existunt dentibus, undè illorum nimiâ impressione afficiuntur fibræ illorum interiores & quasi irritantur, ut à cujusve objecti actione specialis quidam dolor in dentibus percipiatur, Masticationis negotium insigniter impediens.

CURA.

Algorem hunc spiritus vini dentibus affrictus, vel panis calens masticatus, vel vitellum ovi assatum, calidè masticatum: item Theriaca dentibus affricta, huic malo medetur.

SECTIO IV.
DE
DEGLUTITIONE LÆSA.

CIbus ita in ore præparatus ulteriùs protruditur inferiora versus, quæ actio deglutitio dicitur, fitque, dum linguæ beneficio ad gulæ partem superiorem, eiusque expansam cavitatem, *Pharynx* dictam, devolvitur: cibus protrusus imprimis à sphinctere, se angustante, promovetur, & occlusâ laryngis rimulâ deorsum pellitur, quæ pulsio per fibras carneas musculosas, œsophagi tunicas cruciatim investientes, motuque peristaltico se successivè contrahentes, continuatur, donec cibus in ventriculum ingeratur: ita ut *actio* hæc fibrarum musculosarum, & spirituum animalium beneficio peracta, in principio *voluntaria*, in progressu verò *involuntaria*, dicenda sit. Fibrarum musculosarum ipsiusque œsophagi accuratam Anatomen videb. in WILLISII *Pharm. Rat.*

Deglutitio læditur, quando vel impeditur seu imminuitur, aut deficit, vel quando depravatur. Imminuitur

1. Oesophagi ex parte,
2. Stomachi, seu orificii ventriculi superioris culpâ.

Oesophagi vitium est (I.) quando tàm musculorum eius tria paria, fauces sui ampliatione efformantium, unà cum sphinctere, paralysi resolvuntur, quàm ipsa musculosa eius tunica simili malo corripitur. De posteriori vid. WILLISIUS *Pharm. Rat. Vol.* 1. *p.* 11.: *de priori* TULPIUS *l.* 1. *obseru.* 42. (II.) Propter ejusdem convulsionem & spasmum: quando propter eius contracturam & angustiam nimiam alimenta non possunt deorsum protrudi. Sivè hoc fiat (1) vel à tumoribus, tàm propriis, quàm partium vicinarum: Illud quando inflammatur *Synanche*, aut quando scirrhoso tumore obsidetur, quando à caruncula excrescente vitiatur; exempla quorum vid. in RHODII *obs.* 46. & 47. *C.* 2: Hoc, quando tonsillæ, aspera arteria, aut uvula intumescunt, inflammantur. Sive hoc fiat (2) ab arcta nimis clausura & strictura fibrarum eius; idque nunc ex spasmo seu convulsione; quo pertinent Hypochondriaci subindè, non secus ac mulieres hystericæ, gulæ adstrictionem, & contracturam per nervorum spasmos ob consensum patientes, quod alii ex vaporibus stypticis ex hypochondriis elatis, fauces stringentibus, malè derivant: Nempè pertinet huc gulæ strictura ab utero, cuius mentionem facit HELMONTIUS *Tract. Asthma, & Tussis* § 13. Hinc etiam in epileptico paroxysmo difficillima aut nulla solet esse deglutitio: Sicuti & stupenda convulsio & contractio faucium à vermibus videri potest in THONERO *lib.* 2. *Observat. pag.* 94. Nunc ex illarum nimia exsiccatione in febribus ardentibus continuis; Quò suo modo etiam pertinet defectus saliuæ, deglutitionem plus minus impediens, quia non satis madet gula; post exercitium etiam nimium potest sequi. Nunc ex illarum ab assumptis constrictione & conglutinatione; quo HOCHSTEDTERI *facit Obseru. Decad.* 3. *C.* 5. de adstrictione gulæ ex potu vini Malvatici, in quo radix consolidæ majoris infusa fuit; undè acetum soluit illud: hinc ancilla virginitatem minus præsentem balneo eius adhibito palliauit. Sive hoc fiat (3) ab obstructione, propter deglutita varia, aut maiora in faucium isthmo sive principio œsophagi hærentia, uti boli Majores, nux Persica, ovum gallinaceum, &c. aut acuta gulæ infixa, ibique tam sui insolitâ præsentiâ, quàm propter dolorem, & huius occasione inflammationem aut abscessum, deglutitionem impedientia; v. g. ossicula, spinæ piscium, aciculæ gulæ infixa.

Orificium superius ventriculi seu stomachus in culpa est, quando ritè licet, per œsophagi iter demissa, nihilominus admittere debitè recusat: id quod fit imprimis, quando quâcumque occasione irritatus seu lacessitus, contumaciùs se stringit & claudit, adeòque assumpta ulteriùs progredi impedit. Id quod fit (1.) quando vel inflammatum, vel excoriatum, aut plus minus exulceratum, vel tumore quocumque, à priori nullo modo cognoscibili, obsessum fuerit: quò facit curiosa & notabilis Observatio WILLISII *Pharm. Rational. Volum.* 1. *pag.* 45. (2.) Quando copiosiores, plus minus acriores, flatus in eiusdem angustiis inclusi fuerint, quorum inimicâ præsentiâ utrumque, speciatim superius, orificium ad pertinacem sui stricturam irritatur; unde assumpta non nisi difficulter admittit, aut admissa eadem copiosi flatus eructantes insequuntur, eaque plus minus simul unà reijciuntur: quò facit non inelegans *Obser.* RIUERII 2. *de Morbis infrequentibus*, item PLATERI *Obser. lib.* 1. *pag.* 223. (3. Quando quacunque de causa nauseat, aut assumenda horret ventriculus; nam & sic orificium claudit, non assumpturus sibi hostilia. Hac ratione familiare est febricitantibus, quæ-

quælibet liquida aut esculenta fluida deglutire, sed carnes, ova frixa vel similia pertinaciter respuere, & oblata nullo modo, aut non nisi difficulter, admittere. Pertinet huc Observatio AMATI LUSITANI *Cent.6. Cur. 49.*, ubi post screatum sanguinis, & assumptorum corruptionem, deglutiendi omnimoda difficultas etiam aquæ, solâ vini assumptione salva. Conferatur HILDANUS *Cent.5. Observ.34.*

Tandem *depravatur deglutitio*, & imprimis triplici modo:

1. Fit sæpiùs in morbis, ut liquida optimè possint deglutiri, non solida: vid. PLATERUS: Id quod fit ob vitium gulæ: in specie ob ejus angustiam vel tumorem.
2. Accidit nonnunquam, ut solida facilè deglutiri possint, non verò liquida; quæ hausta subitò cum suffocationis metu per os & nares redeunt: quale exemplum habet SANCHEZ.

Vitium hoc fit propter laryngem, ob epiglotidem non perfectè claudentem laryngis rimulam, quæ à solidis quidem deprimitur, liquida verò dum in laryngen apertam penetrare inchoant, ex suffocationis aut doloris sensu cum impetu regurgitant, & quà data porta per os & nares prodeunt: Quo pertinet durities ossea epiglottidis non ritè claudentis laryngem: de qua vid. Barbette in Anat. Practica, & in Coll. nostro Institut.

3. Depravatur, quando in eodem assumptorum vel solidorum vel liquidorum genere quædam facilè, quædam difficulter, quædam omninò non deglutiri possunt: de cujus ratione infrà, speciatim ex nausea ventriculi, constabit.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin* igitur: Deglutitio quò magis vel minus tollitur, eò magis etiam vel minus periculum vitæ imminet.

A paralysi musculorum faucium nata difficilis deglutitio, periculosum & difficulter curabile malum est.

Quod si ob spirituum mouentium defectum, & adeò insignem virium resolutionem, prout in acutis interdum accidit, malum evenit, pessimum signum, & mortis futuræ indicium.

Si cum sonitu; quasi in lagenam vacuam, decidit potus, malum. In vulneribus si accidat ex convulsione Deglutitio læsa, periculosum: sicut aliàs convulsiones faucium in acutis periculosæ, in Chronicis minus.

Si à tumoribus per se quidem, & ex interna causa naturali oritur malum, pro tumorum vel facilè, vel difficulter, vel omninò non curabilium natura, prognosis facilis est: sic v. g. ex ulcere œsophagi cancroso omnimoda, adeòque lethalis deglutiendi impotentia: sic ob œsophagum cartilaginosum factum deglutitio penitus abolita: vid. *ann.* 3. M. A. N. C. *Observ.*170.: adeòque lethalis.

Deglutitæ res alienæ in faucium isthmo vel hærent, vel extra hunc, vel ad ventriculum tandem descendunt. Dum in faucibus hærent, præter inimicam sui præsentiam interdum simul dolorem excitant, unde tumor, inflammatio, abscessus, iique vel lethales: de quo vid. HILDANUS *Cent.1. Obs.35.* item *Cent.5. Obs.35.*, ex ossiculo œsophago infixo tumor, dolor, Febris, inflammatio, Mors: vel hoc rupto abscessu rei peregrinæ cum pure excretionem, aut descensum faciunt: Conferatur itidem HILDANUS *Cent.1. Observat.33*, ubi mulier ossiculum devoratum, quo penè suffocabatur, septimo tandem die, excitatâ suppuratione, egesserit: Vel per alia plus minus vicina loca exitum sibi quærunt: Quò facit exemplum notabile PARÆI *l.24. c.29. Chirurgiæ* de graminis ramulo deglutito, qui posteà integer per intercostale spatium erupit: Idem HILDANUS *Centur.1. Observ.33*, ubi spina piscis putrari per biennium infixa, pòst excitato abscessu in extrema colli parte extracta: sicuti etiam ossicula, ex læsione claviculæ sinistri lateris secedentia, tussi post semestre spatium excreta, legantur in M. A. N. C. *ann.4. Observ.175.*

Dum verò ad ventriculum quocunque modo descendunt, vel inferiùs per anum successivè denuò excluduntur; dum v. g. miles metu, ne in itinere spoliaretur, sex ducatos deglutivit, eosque post aliquot dies Clystere abstergente sine noxa rursus reddidit, teste MICHAELIS. vel dum fistula deglutita tertiâ die sine noxa per alvum fuit reddita, Autore Bartholino C.1. Hist. anat.57. Vel in stomacho pertinaciùs hærentes varia mala inferunt; dum v.g. pylorum obstruunt, quæ obstructio, si contumacior fuerit, mortem comitem trahit, Autore KERCKRINGIO *in Spicilegio Observat.1.* Conferatur etiam HILDANUS *C. 9. Observ.35.*

Quò etiam pertinent aciculæ, quarum quædam sine periculo, quædam cum summo periculo deglutitæ observantur: conf. M. A. N. C. *ann.4. p.77.* Vitri frustula ut annulus, cujus asperitate excitatam dysenteriam notat ZACUTUS LUSITANUS *l.2. Med. Princ. Histor.84.* Cæterorum huc facientium affectuum Prognosis, ex dictis facilis est.

CURA.

Cura horum affectuum pro eorum varietate, & mali inde nati diuersitate, etiam variat. Si paralysis, ex generali paralysium & convulsionum cura patebit: in specie tamen si vitium paralyticum circa fauces, & principium œsophagi in culpa sit, convenit Decoctum salviæ & erucæ cum vino paratum, in ore aliquamdiù detentum: vid. PLATERUS *l.1. p.209. Observ.* Item Decoctum erucæ & sinapi, pulegii, nasturtii: item nux Moschata masticata & deglutita est egregia: item aquæ vitæ infusionis thymi, simili ratione in ore detenta, vel & infusionis florum lavendulæ cum aliquot granis castorei simili modo in ore detenta: item aqua apoplectica, epipletica, &c. in ore detenta: essentia castorei, spiritu theriacalis cum essentia castorei junctus, cerasorum nigrorum, anisi, liliorum convallium, aqua Anhaltina, item succus salviæ mistus cum synapi, item mistus cum nuce Moschata & castoreo, & instar linctus deglutitus: terebinthina cum aqua primulæ veris mediante vitello ovi mista, successivè deglutita valdè convenit: item oleum succini destillatum, aut oleum destillatum anisi, salviæ, &c. guttatim inter fauces injecta, egregiè conducunt.

Externè collum regioque vicina inungenda oleo lumbricorum terrestrium, costino, spiritu lumbricorum terrestrium cum oleo destillato succini, anisi, lavendulæ, caryophyllorum, & similium. Quod si tumores harum partium œsophagum angustent, & ita deglutitionem impediant, pro generali tumorum Curatione, vel [illegible] *discutientibus Sculteti*, & [illegible], vel suppurantibus, siquidem cogniti fuerint quales sint, removendi sunt.

Clausura faucium & œsophagi à Spasmo, aromaticis & nervinis, blandis opiatis, additis tam internis, quàm externis, curanda. Ad deglutitionem spasmo quasi impeditam, pertinet etiam suo modò, quando in febribus ardentibus aut malignis sine faucium tumore aut læsione sensibili, sed ex ariditate faucium & linguæ, & proprii œsophagi exsiccatione, deglutitio abolетur: id quod pessimum signum esse solet; fibræ enim musculosæ & laryngis quasi convulsæ & exsiccatæ sunt, ut deglutire non possint: levari tamen potest non nihil per *gargarismum* CORNARII *Observ.10.* ex aqua tepida cum pauco aceto, vel etiam per mucilagines seminum cydoniorum cum aqua spermatis ranarum vel prunellæ paratas, faucibus crebriùs illitas, & blandè deglutitas. Externè *Unguentum* ZACUTI LUSITANI *Prax. admir.* ad hunc affectum, compositum ex *unguento Filii Zachariæ*, unguento rosato, resumptivo, oleo amygdal. dulcium, violarum, & mucilaginibus cum lacte muliebri.

Salivæ defectus potu præsertim vini vel cerevisiæ secundariæ resarcitur; item crystalli frustula in ore circumacta salivæ copiam non nihil provocant.

Assumpta externa pro sui varietate oppositis curandâ; ut in illo HOECHSTEDTERI exemplo, propinato acido strangulatio & faucium angustia sublata fuit.

Ad spasmum œsophagi, deglutitionem impedientem, pertinet etiam, quando Hypochondriacis aut hystericis fauces quasi constringi, & cum loquela plus minus impedita deglutitio inhiberi solet, propter spasmum dictarum partium. Curatur imprimis absorbentibus acidum primarum viarum appropriatis, simulque vi aromaticâ nervis conducentibus: hinc Martialia, bolus Armena, terra sigillata, maxillæ lucii piscis, dens apri, corallia, Corn. Cervi ustum, nux Moschata, opiata. D. MICHAELIS curavit spasmum ex malo hypochondriaco cum pulvere absorbente ex creta. Lapilli cancrorum, item essentia castorei & castoreata, spiritus salis armoniaci & similia in talibus pathematis sunt optima: vid. SENNERTUS *in Prax. l.3., sect. 1. c.1. p.7*, SCHENCKIUS *l.3.*, WILLIS *Pharmaceut. Rational.*

Rational. p. 45. Res alienæ variæ subinde degluriuntur non levem molestiam inferentes: Inter quas sunt frusta vitri, pro quorum noxa avertenda, & ut sine damno per inferiora tandem excludantur, convenit in specie puls paulò spissior ex oryza vel milio, vel panico, debitâ copiâ assumpta, sine omni desuper ingesto potu: idquod etiam suo modo in aciculis à mulieribus deglutitis confert, item in spinis piscium aliisve acutioribus ad stomachum delatis obtinet: Sic per hujusmodi spissiora involute res deglutitæ acutiores sensim ex ventriculo per intestina ulteriùs promoventur. Aciculæ deglutitæ subinde gravia inferunt symptomata: Interim tamen, si ventriculo sint infixæ, adhibet HILDANUS *Centur. 6. Obs.* 36. olei amygdalarum dulcium & saccharum, in forma Electuarii mista, ante pastum, ut ita dolor per oleũ leniri, per saccharum verò ulcus fortè præsens abstergi possit. Nam quanta mala inferre possint aciculæ, videatur in HILDANO *Obs.* 32. *Cent.* 1. THONERUS *pag.* 136. aciculam per vias urinarias observavit. De Cultrivoro Prussiaco DANIELIS BECHERI *Professoris Regiomont. Kerkringius in spicilegio Anatomico obs.* 44. Aliàs res deglutitæ in faucibus vel hærentes, vel etiam in asperam arteriam, aut ejusdem ramos, ex improviso dilapsæ, aut intra œsophagi superiorem tractum adhuc hærentes; ea iterum artificiosè eximenda veniunt, vel ulteriùs promoveantur, deorsum trudendo, vel tussi vel artificiali sternutatione, vel in specie excitatô vomitu per vomitorium liquidum infusum denuò foras ejiciuntur, propinando simul crebriùs emollientia oleosa pro viis magis lubricis reddendis: Aut denique, si his modis non succedat negotium, instrumentis res tentanda; in quem finem vel forcipes rostris longis, vel Instrumentum WILLISII *Pharmac. Ration. Vol.* 1. *pag.* 48. aut HILDANI *C.* 1. *Obs.* 36. aut hujus succedanea *c.* 6. *obs* 34. vel Candela cerea, vel spongiola cum filo, item pro aciculis hamulus HILDANI *C.* 1. *Observat.* 31. adhibeatur, quo foras extrahantur; quia periculum aliàs est, ne diutius in œsophago hærendo, tandem ex dolore inflammationem & abscessum suppuratum, si non mortem ipsam, inferant: Conf. HILDANUS *Cent.* 5. *obs.* 35. Denique observandum est, subinde *res quasdam duriores in isthmo faucium diutiùs hærere* cum tussi, & variis symptomatis quasi phthisicis, quæ omnia re extraneâ interdum sponte excretâ evanescunt: vid. HOCHSTEDTERUS *Decad.* 6. *obs.* 10. BORELLUS *Cent.* 4. *Obs.* 63. PANAROLLUS *Pentecost. obs.* 7. *In stomacho si fuerit vitium, pro* [illegible] *ex causa*, vel mala ejus methodicè curanda, vel instrumento WILLISII *Pharmac. Rational. Volum.* 1 *p.* 45. utendum. Si *ex secunda causa*, Carminativa externa & interna propinanda, *infra de inflammatione stomachi* dicenda. Quoad *tertiam causam*, stomacho gratis & acceptis insistendum.

Depravata Deglutitio, cum quædam curabilis, quædam non curabilis, illa verò nervorum ex vitio speciatim oriatur, partim ex *jamjam supra tractatis*, & prolixè satis allatis ac dictis, partim *suo loco dicendis*, Curatio manifesta erit.

SECTIO V.

DE

CHYLIFICATIONE LÆSA.

De *Chylosi* seu *Chylificatione* notum est, quomodo fiat: Nempè promota i a alimenta ad stomachum, transmutantur ibidem in liquorem pultaceum secundùm Veteres cremori ptisanæ similem, *Chylus* appellatum; idque non effectivè à calore, sed beneficio fermentationis planè singularis, quam calor stomachi & ambientium viscerum non leviter promovet: de qua Chylificatione videantur MOEBIUS *in Fundament. p.* 168, HELMONTIUS *hinc indè in suis scriptis*, in specie *Tractat. sextuplex Digestio*, item *Sylvius in Dissertationibus Medicis Dissert.* 1, item CHARLETON *in œconomia animali Exerc.* 2, item THOMAS CORNELIUS CONSENTINUS *Progymnasm. Medic.* & quidem 6, denique KERGERUS *Tr. de Fermentat. sect.* 3, GORRÆUS *in definitionib. Medic.*, LANGIUS *in Epistola pag.* 276, DIEMERBROEK *p.* 29. *& seqq. Anatom.*

Fermentatio hæc, qua transmutantur alimenta in Chylum, dependet imprimis à succo subtili acido salino, seu fermento spirituoso in stomacho saltem reperibili, qui partim instar Menstrui dissolvit cibos, partim volatili aciditate cum alimentorum particulis dissolutis, in specie salinis alcalibus, fermentationem efficit, & ita utráque actione successivè eadem in aliam essentiam, liquorem nempe plus minus spissum lacteum, salsum, volatilem, temperatum, Chylum dictum, quem non immeritò liquidiori cremori vel ptisanæ assimilant, transformat: Et si tantillum adsit aciditatis, attactu bilis in perfectam salsedinem veniat: sub qua actione spiritus primarii Efficientis, mediante necessario vehiculo acido esurino, locum obtinent. Hinc ea omnia, quæ vel sunt duriora, adeoque difficulter solubilia, vel quæ sunt sale volatili multum depauperata, ut alimenta vel exsiccata, vel sale condita, vel fumo indurata, difficilis solent esse digestionis.

1. Quod alimenta acquirant certam determinationem ad istud subjectum alendum, unde in prima digestione fundamentum consistit totius nutritionis in toto corpore.
2. Quicquid non ita mutatur, non fit perfectè nutritivum, sed alterativum: Nam quæ nutriunt nos, perfectè subiguntur, & hæc fiunt sine omni molestia: Si autem vitiatur digestio, & in primis viis depravatur, emergunt cruditates.

Simile fermentum acidum volatile, alimenta contrita levi calore in vitro paucarum horarum spatio in liquorem salsum lacteum instar chyli artificialis convertens, Chymia, naturæ æmula, docuit curiosos, cum primis TACHENIUM *in Hippocrate Chymico c.* 13. *p.* 88: quale menstruum etiam ex vitriolo artificiosè parat *Eruditus* BOYLE *in Philosoph. Experimental. P.* 2. *p.* 20., mediante quo alimenta non in chylum tantùm artificialem, sed hunc etiam postmodum in liquorem rubrum instar sanguinis mutavit. Carnes salitæ sale volatili depauperatæ non benè digeruntur; Carnes verò infumatæ adhuc difficiliùs. Maximi momenti negotium est hæc alimentorum fermentativa digestio, cùm hoc ipso eadem disponatur, & ad heterogeneorum maturè in intestinis separationem, & ad promptiorem volatilisationem & spirituascentiam in præcordiis: id quod sine exacta fermentatione fieri nequit. Hinc in iis, in quibus imminuta, aut cruditate acidâ depravata est hæc fermentatio, ut in Cachecticis, in his debita sanguini maturitas & spirituascentia, adeoque debitus corpori deficit vigor.

Præsentiam Acidi talis salini esurini & fermentativi testantur ructus acidi in sanis, & quorum optimus est stomachus, naturaliter subindè præsentes, qui etiam apepsiis, lienteriis, dysenteriis &c. supervenientes, restituti fermenti digestiui indices habentur: hinc & Acida volatilia, speciatim panis, tàm grata & amica sunt stomacho, quatenus suo modo sunt homogenea: undè & à Martialium usu frequentes ructus nidorosi sulphurei erumpere solent, similes iis, qui sensibiliter odoratu percipiuntur, quando limaturę Martis spiritus acidus, nempè salis, affunditur. Unde & pinguia, quę acrimoniam fermenti hujus obtundunt, uti appetitum prosternunt, ita etiam digestionem in stomacho turbare & impedire solent.

Origo fermenti hujus primariò est ex tunica stomachi glandulosa interna, ex qua talis lympha fermentativa quasi transudat, quę in rugis ejus obvias habet reliquias quasdam alimentorum priùs digestorum, morâ diuturniori non leuiter acescentes, & à saliva continuò deglutita insigniter subactas, & ad fermenti aliqualis naturam exaltatas, quę omnia mutuâ unione fermentum istud digestivum stomachale constituunt. De tunica ventriculi interna glandulosa videatur THOMAS CORNELIUS CONSENTINUS *in progymnasmat. p.* 232. item WILLIS *in Pharmaceutica Rationali p.* 12: quam in specie confirmat ventriculus porcinus, de quo observ. *Anatom. Amstelodamenses p.* 25. Et ita fermentantur alimenta, & ea, quę

quæ priùs in stomacho acescebant, successivâ fermentatione transmutantur ita, ut aut planè, aut maximam partem, deposito isto acore abeant in massam, nunc insipidam dulcem, nunc salsam, nunc acidulam, semper talem naturaliter volatilem, idque varia sub temporis mora, dum in uno citiùs, tardiùs in altero, ob varias circumstantias, negotium hoc absolvatur.

Chylificatio hæc & alimentorum fermentatio læditur tribus modis:

1. Quando plus minus imminuitur, & tandem planè aboletur, ut non sufficienter aut nullatenus digerantur alimenta.
2. Quando augetur.
3. Quando insigniter depravatur, unde innumeræ alimentorum emergunt corruptiones: ad quas refertur etiam suo modo, si sub digestione copiosi Flatus nascuntur, stomachum distendentes, inflationemque stomachi inferentes.

CAPUT I.

DE

CHYLOSI IMMINUTA, ET ABOLITA.

Chylosis imminuta & abolita aliàs dicitur *Coctio & Chylosis læsa*, ratione modi fermentativi dicitur *Pepsis læsa*, *Apepsia*, & *Dyspepsia*; quæ ultima nil aliud est, quàm assumptorum in liquamen vitiosum conversio, ita ut è cibo potuque non Chylus laudabilis, sed vel pituita, vel humor acris, alcalicus aut nidorosus, fiat. Hærent siquidem alimenta ultra ordinarium tempus in ventriculo, nullam planè vel exilem admodum mutationem in consistentia, colore & odore experiuntur, sed cruda aut semicocta, per quamcunque viam excernuntur; ita ut partes vel non, ut in Apepsia, vel non sufficienter, nutriantur. Malè in abolita Chylificatione ingeruntur cibi, quia obsunt potius, quàm ut nutriant: undè HIPPOCRATES in morbis acutis à tenui alimento incipiendam suadet nutritionem. Aucta verò Chylificatio, ut ut paucissimi, præter Sylvium, eam inter ventriculi symptomata referant, dum omnem digestionem læsam imbecillitatis ventriculi nomine exprimunt, fit quando aut citiùs, quàm decet, absolvitur, adeoque hanc plethora habitusque corporis athleticus, quem HIPPOCRATES *l. 1. aphor.* 3. periculosum admodum pronunciat, sequitur: aut quando intra consuetum, aut digestioni finitum tempus nimis immutantur alimenta, ut ne sic quidem convenientem corpori alendo materiam præbeant: simili modo ac massa quævis, nimium diutius fermentata, corrumpitur & acescit: quæ tamen nimia digestio vix concipi potest. Quando enim cum Chyli acescentia contingit, cum HELMONTIO *Tr. Pylor. Rector*, ad Chylificationem potiùs depravatam accensenda erit: quæ fit, quando alimenta talem nutritionem experiuntur, cujus intuitu ad nutriendum corpus ineptissima; ad infinita enim mala producenda aptissima redduntur. Quæ depravationes alimentorum alio nomine rectè *Cruditates* dicuntur; quare, licet sint innumeri modi, dum varias ob causas digestiones possunt vitiari, in specie binæ istæ *Cruditates*, acida & *nidorosa*, maximè peccant. Cruditas *pituitosa*, quam SENNERTUS & RIVERIUS jungunt, ad Chylificationem imminutam potiùs referenda erit.

Cruditas acida est, quando alimenta abeunt in liquamen acidum fixum, plus minus viscidum, nec sufficienter attenuatum & volatilisatum, fundamentum & origo tantum non omnium morborum Chronicorum: Siquidem omnes isti affectus, quos Practici quidam Veteres, ut ex eorum lectione notum, ex *Antipraxia viscerum* seu inæquali eorundem intemperie, stomachi nempè calore debili seu intemperie frigida, & hac nunc simplici, nunc verò composita, complicata cum intemperie hepatis calida, derivant, reuerà ex cruditate stomachi acida nascuntur. Sanè lectio frequens Practicorum, etiam modernorum, & imprimis Italorum & Gallorum, vos docebit, quod hi omnes accusent inæqualem Intemperiem stomachi frigidam & hepatis calidam. Verùm hac in parte meritò laudandus HELMONTIUS, qui priùs caliginem discussit, & calorem non effectivè, sed dispositivè tantum, digerere statuit, & sufficienter confirmavit, quando potiùs fermenta & fermentationes læsas ceu causas proximas introducit læsarum digestionum. *Nidorosa Cruditas* est, quando eadem corrumpuntur ita, ut abeant in liquamen putrilaginosum horridi saporis & odoris, & omnino nutritioni ineptum, quod *nidor* vocatur: qualis percipi solet ex esu pinguium, aut ovorum cum butyro frixorum, nec adeò benè postmodum in stomacho digestorum; tunc enim exhalant ructus graveolentes, nidorosi, qui solent comparari communiter cum cruditate nidorosa, à qua illi etiam dependent.

CAUSÆ.

Chyloseos ergò læsæ causa proxima erit vel in fermenti stomachici seu subjecti vitio, vel erit in vitio assumptorum alimentorum, seu Objecti haud ritè proportionati. In fermento quidem, quando non sufficienter, nec legitimè digerit, sed depravatum alimenta potiùs corrumpit. Imprimis fermentum stomachi deficiens, spirituum animalium vel defectu, vel ad alias partes impetu, hinc parciori ad ventriculum affluxu, frustratur Chylificationem, per *causas de appetitu prostrato allegatas*: hinc debilitati ut minus appetunt, ita minus etiam aut planè non digerunt; aut spirituum defectu, aut in loco quodam dolentes, v. g. Nephritici, aut gravioribus animi perturbationibus quasi præoccupati vel diuertuntur, vel arcentur; aut quod conceptâ nauseâ spontè abhorreant digestionem assumptorum: stomacho enim non nunquam per consensum affecto, ut in nephritide, languet appetitus, & tunc vitiatur digestio prima; sicut etiam in vulneribus capitis in stomacho cruditates nascuntur. Animi etiam pathemata, Terror, Pavor, &c. etiam turbant digestionem primam, & cruditatibus acidis occasionem præbent: Quò etiam facit motus corporis, qui moderatus promovet digestionem: sic etiam somnus repentinus post pastum, dat occasionem Cruditatibus. Quæ omnia pathemata agnoscunt spiritus variè affectos: elegans exemplum videbitis, apud HELMONTIUM *Tr. Pylor. Rect.* §. 20.

Deindè idem fermentum digestiuum, vel non satis acre, vel non satis volatile non sufficienter digerere valet: contrà nimis acidum fixum, aut à vitioso & peregrino acore, vel salso vel alio vitioso sapore, vel facilè acescentibus, ut dulcibus, in stomacho corruptum, uti fit in hypochondriacis & Scorbuticis, Cachecticis & aliis morbis Chronicis, dissoluit quidem promptè alimenta, sed eadem non ritè fermentando, debitè volatilisare nequit, nec in salsedinem debitam abit; quin potiùs nimio acore eadem in massam vitiosè acidam transmutat, ex quibus imprimis cruditas acida emergit. Quod si verò propter pinguia copiosiùs assumpta, aut oua, butyro nimis frixa & condita, hebetetur fermenti actiuitas, aut etiam ex peruerso bilis motu per vascula fellea ex intestinis hæc ipsa in stomachum aliquantulum regurgitet, ab huius sale volatili oleoso debilitatur, alteratur etiam exindè fermenti actiuitas, adeò ut assumpta alimenta non possint conuenienter digeri, quin propter talem præsentiam bilis, vitiantis fermentum, successiuè putrescant potiùs & cruditatem nidorosam constituant.

Quod si eueniat, ut quâcunque occasione vitiosæ reliquiæ ex præuiis digestionibus vel rugis stomachi firmiùs affixæ sint, vel intra ejus cauum etiam copiosiores aut parciores ut plurimum pituitæ viscidæ aut acidæ sub forma hæreant, & harum præsentiâ impeditur fermenti actiuitas, cessat appetitus, deficit digestio. Inertia talis fermenti digestiui sæpe etiam inducitur in peruersa curatione morborum, si remedia sunt pulueres fixiores, quales antimonium fixum ac salia fixa, & copiosè, in specie in acutis, præscribuntur. Obseruandum quoque, quod in reconvalescentia febrium intermittentium adsit labes stomachalis, ob inertiam fermenti stomachalis, nimis hebetati, aut nimis fixati à copiosis talibus Ingestis.

Equidem in unoquoque indiuiduo, tàm brutorum, quàm in specie hominum, peculiaris & à priori non perscrutabilis fermenti est varietas, ratione diuersi usus assumptorum: unde fit, ut non tantum appetitus variet, sed etiam, ut ipsa variet alimentorum digestio, ita ut ea quæ unus appetit auidè, ea facillimè digerat, alius è contrà respuit, aut non sine molestia digerit. Appetitus sanè est index, qui loquitur & monstrat quasi, quæ sint assumenda: Nam quæ facilè assumuntur, facilè digeruntur; quia ea tantùm appetuntur, quæ appropriata sunt fermento stomachi, & quæ ipsi sunt amica, consequenter facilè dissoluit, & facilè fermentat. Hinc inculcat nobis HIPPOCRA-

CRATES *in aphorismis*: *Quod appetita faciliùs longè digeruntur, quàm non appetita*. Ex hoc fundamento etiam consuetudinis magna adeò est habenda ratio: Idem HIPPOCRATES *in omnibus morbis consueta, licet acteriora, insueti, licet melioribus, esse præferenda* dicit: Ratio est hæc, quia ab omnibus assumptis semper quædam reliquiæ in plicis & rugis stomachi hæreant; quæ si non ingrediuntur materialem compositionem fermenti, uti multi volunt, certum tamen est, quod non nihil aut certo modo per consuetudinem, fermenti digestivi naturam quodammodo alterent, & ita modificent, ut ab ipsis saltem similia alimenta magis appropriata reddantur. Hinc ab assuetis minus alteramur, quia fermentum iisdem quodammodo est homogeneum, & nulla est dyscrasia inter assumpta & fermentum, sed hoc se habet ad illa, ut proportionatum agens: E contrà insueta sunt molesta; quoniam non habent convenientiam cum illo partes alimenti. Hinc etiam ii, qui certa quædam nonnunquam abhorrent edulia, incipiendo à minima dosi, & successivè ascendendo, eadem sibi successivè familiarissima reddunt; qua ratione & venenorum victui quidam assueti dicuntur, quatenus iisdem successivè fermentum stomachi alteratum & mutatum, talia olim hostilia, tanquam amica, facilè arripit. Si ergò ex his alteratur fermentum, à crasi seminali degenerat, & præternaturalem acquirit saporem: unde talis læsio & perversus sapor fermenti stomachalis in Morbis chronicis maximas turbas dat, eosque contumaces reddit.

Hæc fueruntvitia fermenti stomachalis: superveniunt & vitia ipsius stomachi, si scilicet est laxus, quod malum in morbis malignis obvium, imò lethale est; vel exulceratus; vel excoriatus; vel patitur excrescentiam.

Quod attinet vitium Chyloseos alterum: alimenta assumpta sunt Causæ Chyloseos læsæ, quando eadem certâ ratione digestioni sunt inepta; quod fit imprimis vel propter eorum quantitatem, dum sunt nimis copiosa, vel propter eorum qualitatem, dum sunt vitiosa, & digestioni aliàs inepta, aut ipsi assumptionis ratione ventriculo molesta. Quando enim copiosè nimis ingeruntur, & varia nimis assumuntur, non possunt digeri, quoniam fermentum ventriculi digestivum se habet in solutionis actu instar menstrui, habet determinatam activitatem, ultra quam non pergere potest: sicut unumquodque menstruum fermentativum, quod solvit & fermentat, requirit proportionem objecti debitam, in quod agere debet.

Habeatur ergò ratio quanti, ne plus assumatur, quàm fermentum digestivum solvat & volatilisetur: Nam à nimia alimentorum quantitate obruitur in tantum fermentum stomachale, ut nec iisdem solvendis, nec convenienter fermentando volatilisandis, sufficiat: hinc sæpius nimiâ quantitate alimentorum oritur cruditas acida, dum assumpta recipiunt quidem acorem fermentativum, sed propter nimiam copiam non sufficienter fermentationi instituendæ evolvuntur, sicque loco chyli in forma pastæ crudæ plus minus acidæ nunc in stomacho hærent, eum gravant, ructus movent, nunc hinc inde in intestinis colliguntur. Quantitas tamen hæc absolutè determinari nequit, utpote quam idiosyncrasiæ, ætatis, vitæ generis, aliarumque circumstantiarum diversitas variat; & certitudo de his vix alia reperiri potest, nisi quam ex mente HIPPOCRATIS *de Veteri Medic. Text. 16.* corporis sensus determinat.

Præter quantitatem, in specie varietas nimia ciborum etiam turbat digestionem: ut ut enim magna, adeòque alcahestica ferè sit fermenti stomachalis potentia, undè & semel varios admodum cibos potest dissolvere & fermentare; certum tamen est, quod non sit universalis, quin magis determinatur ad hunc vel illum cibum: Si ergò pinguia cum acribus, acida cum dulcibus, aromata cum vino aut spiritu vini, fructus horæi cum aliis dyspeptis, lac cum fructibus horæis & acidis, & quasi quadrata cum rotundis, tàm promiscuè ingeruntur, etiam certum est, quod fermentum, dum promptiùs agit in unum quàm alterum, & sic citiùs unum vel alterum fermentescit, necessariò exindè digestio non leviter vitietur, & pessimæ oriuntur corruptiones & cruditates; quarum comes est mucus copiosus in ventriculo residuus: vid. KERGERUS *de Ferm.* Nam id, quod non rectè digeritur, vix nec absque difficultate per pylorum trasmittitur, undè vel copiosus mucus obruit stomachum, vel retenta diutiùs in stomacho, tepore loci in putredinem & omnimodam corruptionem abeunt, & ulterius vitiatur Chylosis. Od id rectè HELMONTIUS sobrietatem seu moderatam assumptorum quantitatem cardinem totius diætæ esse dixit; ea varietate enim ciborum emergit cruditas nidorosa. Quantitas ergò alimentorum debita, quam præscribit appetitus, observetur.

Quoad alimentorum qualitatem, eam præscribit simpliciter appetitus, secundùm quem delectus est habendus; nam verum *proverbium* est: *quod sapit, nutrit*: Et nil denegetur ægro, multò minus sanis, de alimentis, modò ea appetant. Nam quæ cum appetitu assumuntur, feliciter & sine labore digeruntur, modò non excedatur in quanto; quia semper reliquiæ hærent in stomacho, à consuetis alimentis non recedentes.

Determinantur autem appetitus, & indè alimentorum assumendorum qualitates, tàm per consuetudinem, quàm per Idiosyncrasiam. Quoad consuetudinem: alimenta ventriculo molesta sunt, quando non justo & consueto tempore, vel eadem, prioribus nondum integrè digestis & excretis, de novo ingeruntur: Consuetudo siquidem in cibandi tempore multum valet, quantum HIPPOCRATES *de Victu acutor. Text. 15.* scribit: nam & his, qui bis in die alimenta capiunt, & his, qui semel, repentinæ mutationes noxas & morbos inducunt: Quod si autem quis intempestivè alimenta nova ingerat, statim is ventriculi gravitatem, oscitationes, anxietates, borborygmos, &c. percipiet; ita, ut AVICENNA hoc errore nullum alium deteriorem profiteatur, si nempè nutriens super nutriens, quod non digestum, demittatur.

Observetur etiam idiosyncrasia in quibusdam, ubi res cuidam est inimica, alteri grata: unus cum desiderio avidè caseum devorat, alter verò non: ideò attendendum, ne talia propinentur, quæ aversantur aliàs, quia facilè corrumpuntur, & præsertim varias turbas in præcordiis, Cruditates nidorosas, generant. Quantum valeat appetita res, panis tantùm monstrat, quem non fastidimus. Ratio, quia fermento stomachi est amicissimus, idque propter spiritum acidum volatilem in pane copiosum, & quasi homogeneum, & symbolizantem cum fermento stomachali. Undè etiam panis, ratione acoris fermentativi in panificio concepti, vel ratione spiritus istius acidi volatilis adjuvat, ut reliqua assumpta promptiùs colliquescant, & consequenter chylificentur ac digerantur: undè panis quò meliùs est fermentatus, adeòque in eodem magis exaltatus spiritus ejus acidus volatilis, eò est nobis salubrior; quò minùs verò fermentatus, & quò magis spissior & glutinosior, eò magis nocivus est, & eò promptiùs abit in mucum crassum seu pastam viscidam & crudam in stomacho. Ut ut autem panis ex omnibus alimentis sit nobis familiarissimus, tamen uti omnis repletio mala, ita panis pessima; quia nimius exindè acor assumpta omnia impręgnat: & quia panis motus fermentativus est nimius, impeditur digestio, quatenus illius ratione non alteratur chylus in salsum; hujus verò ratione non subigitur debitè, & subjectum tale debitam vitalem crasin seu characterem à fermento digestivo recipere nequit, impeditur adeoque notabiliter digestio, cùm pasta viscida & cruda relinquitur subinde in stomacho. Ex hoc etiam decidendum est; *quare quidam Vinum copiosius ferre queant? alii minus?* nempè quorum volatilius ac subtilius, adeoque minus potens est fermentum digestivum, ut v. g. in pluribus literatis, hi utplurimum lędunter à vino, hujus acido pręualente acori fermentatiuo spirituoso naturali, cùm nec debitè subigi nec corrigi, nec appropriari tali subjecto potest; unde in talibus ęstus facilis ab acido, ebrietas à sulphure: hinc plures hypochondriaci, item cordis palpitationibus laborantes, tardiùs inebriari solent: vid. LANGIUS *Misc. Cur. p. 39.*

Juxta hanc qualitatem alimentorum, pręcęteris observande sunt eorum durities & viscidítas: Duriora difficulter solvuntur, & viscidiora difficulter fermentantur; hinc dura aut viscida alimenta lędunt digestionem primam & cruditatem acidam inducunt, faciuntque, ut in stomacho oriatur pasta cruda viscida ob talia ingesta. Non ergò permittenda nimia varietas alimentorum, cum in alimentis variis etiam varię sint proprietates speciales: varia enim alimenta ad cruditatem nidorosam disponunt.

Pertinent huc pinguia difficulter digestibilia, laboremque magnum fermento stomachali facientia, eò quod aqueis portionibus, quę tamen ad coctionem requiruntur, non misceantur. Pręter ciborum varietatem potus nimius, au etiam nimis confertim ingestus, vel aquea que-

quævis sunt, quæ insigniter turbant digestionem: ratio, quia

1. Potus nimius nimis diluit fermentum stomachi spirituosum digestivum, istudque nimis diluendo quodammodo hebetat.
2. Quia facit alimentorum in stomacho fluctuationem, quæ ubi nimia fuerit, impedit nonnihil legitimam fermentationem.
3. Quia tonum stomachi lædit, eundem distendit, ejusque fibras laxat & flaccidas reddit, ut, digesta licet, non adeò commodè per pylorum emitti possint: hinc eadem præter tempus in stomacho detenta corrumpuntur, & in vitia varia abeunt.

Huc etiam referendæ seræ nimis potationes, quarum rationes LOWERUS *de Corde p.* 140. reddit. Quò etiam spectant, quando absque ullo, vel non sufficiente potu, cibi solidiores assumuntur, cùm maceratione necessaria hac ratione defraudentur. Digestio alimentorum tandem læditur, quando alimenta non sufficienter masticantur, ita ut Masticationem qui negligit, Arabibus animam suam odisse dicatur: vid. HELMONTIUS *de Victus Rat.* §. 21. GREMBS. *Arbor. vitæ l.* 2. *c.* 1. & 3. & MOEBIUS *Fundam. Physiol. c.* 9.

Ex his facilè patet, quid habendum sit de Veterum Intemperie inæquali: nam eandem non habere fundamentum in re, patet ex eo: quod sanguis qui calorem, & sic dictam temperiem vitiat, omnibus partibus distribuitur æqualiter, & proportionaliter movetur ad hepar & ventriculum: Quamdiu ergò sanguis debito calore viget, & quamdiu æquali proportione circulatur, tam ad hepar, quam ad ventriculum, tamdiu sanè his ipsis etiam debitam conciliabit temperiem, & eodem modo debitè calebit hepar, atque calet ventriculus. In ista ergò, quam dixi, Veterum Intemperie, experientia vos docebit, quod reverà semper subsit vitium fermenti stomachici, quod sit nimis & vitiosè acidum, nec satis volatilisatum, quin simul obrutum copioso muco crasso & viscido: Proptereà instituitur in talibus cura non cum iis, quæ calefaciunt stomachum & refrigerant hepar; sed quæ vim habent attenuandi & dissolvendi, imò etiam volatilisandi & temperandi nimium fermenti acorem.

Præter has causas primarias Chyloseos læsæ, secundariæ non nullæ adsunt, quæ, quatenus retentionem aut expulsionem turbant, etiam Chylosin vitiant: quale exemplum non incognitum est. Procidentiam cartilaginis ensiformis, quam sæpius causam fuisse chyloseos læsæ, & similium stomachi symptomatum, testis est expertus *Zacutus Lusitanus in l. Med. Princ. Hist.* 56. *quæst.* 36; item verrucæ ventriculo adnatæ, Chylosin turbare valent: quale exemplum habet FORESTUS *in C.* 18. *Obs.* 18. & 30. Notum etiam est, quod renes afflicti calculo propter consensum nervorum, qui intercedit ventriculum & renes, similiter soleant turbare digestionem. Curavi fœminam nephriticam, cui, quando urgebat dolor, languebat appetitus, & bibebat Coventum; cum verò dolores cessarent, redibat appetitus cibi & potus, & bibebat amaram cerevisiam, quam in paroxysmo bibere non potuit.

Pressiùs jam paulò & accuratiùs Cruditas nidorosa & acida consideranda venit. *Acida cruditas* in acido plus minus viscido, digestionis defectu enato, consistit: *Nidorosa* verò *cruditas* nihil aliud est, quàm putredinis inchoatæ species.

I. Cruditas acida oritur

1. Ob acidorum humorum in toto corpore abundantiam.
2. Ob acidorum frequentiorem usum, vel etiam eorum, quæ licet non actu acciditatem manifestam præ se ferunt, reconditam tamen, & superveniente fermentatione se magis exerentem possident: qualia sunt saccharum & mel; quæ non minus in ventriculo acescere, quàm extra hunc, spiritum acidissimum fundere, satis notum.
3. Ob usum aromatum acrium & magis oleosorum, v. g. piperis, caryophyllorum, Zinziberis, &c. utpote quæ vel propter aciditatem reconditam, vel acidorum acrimoniam exaltandi energiam, sæpius sodam & cruditatem acidam producunt.

Cruditas nidorosa ut pateat, observetur:

1. Eam contingere in febribus, præsertim acutis, in quibus fermentum digestivum, ejusque debitus acor deficit; undè appetitus cessat, & alimentorum nausea supervenit, & cerevisiæ consuetæ lupulatæ seu nimis amaricantis horror adest; acidis contrà delectantur.
2. Oriri eandem à bile similibusque humoribus alcalinis, ad ventriculum copiosiùs delatis.
3. Oriri frequentiùs ab assumptis, quæ aut ejusmodi nidorosam dispositionem in se habent, qualia sunt pinguia, oleosa, fixa, fermentum digestivum & ejùs acidum plus minus obtundentia; quod faciunt in specie ova, lac & lacticina, oleosa: aut quæ, si cum ventriculi fermento coeunt, nidorem contrahunt; v. g. limatura martis, quæ deglutita non nunquam ructus æquè nidorosos movet, ac si menstruo acido immergatur, aut cum eodem conspergatur.
4. Quando assumpta quælibet in stomacho diutiùs morantur seu retinentur: rectè ob id monet HELMONTIUS: *non putandum, quod chylus vitri instar in fornace subindè excellentiùs coquatur, quò diutiùs retineatur*; nam morâ nimia alienatur potius & corrumpitur.
5. Nidorosa Cruditas emergit ex horæis fructibus, facilè putrescibilibus; undè postmodum Diarrhœę, &c.
6. Dulcia, quę sub diurno calore ad amaritiem prosunt, v. g. passulę, glycyrrhiza, &c. eadem in stomacho facilè Cruditatem nidorosam contrahunt, sub qua amarescunt, seu, ut aliàs dici solet, bilescunt.
7. Cruditatis nidorosę pręsentis sunt signa ructus, de quibus suprà. Sic ęgri *sentiunt nauseosum saporem, eructant saporem ignis putridi & piscium putridorum, ac sentiunt amarorem & saporem nauseosum.*

Ex his presuppositis verè sequitur, fieri Cruditatem nidorosam, quando fermentum stomachi vel deficit, vel assumptis plus minus ad hanc tendentibus ac dispositis infringitur. Undè debito modo nec fermentalem acorem contrahunt, nec digeruntur assumpta, sed morâ sui in loco calido humido ad corruptionem plus minus, pro natura assumptorum scilicet, vel animalium vel vegetabilium, ordinariò facilè putrescibilium, disponuntur. Undè pro putredinis natura alcali emergens, agens in pingue, saporem tetrum, vix explicabilem, subindè amaricantem, repręsentabit. Prę cæteris hoc illustrant ova, quibus vix citiùs quid aliud nidorem contrahere observatur; hinc etiam eadem ad duritiem cocta, breui post tamen nidorem eructant: Deindè facillimè ova cum butyro frixa nidorem concitant: alcali nempè ovorum copiosum agit non solùm in proprium oleum, sed simul in abundantius adjectum butyrum, undè & hujus additi ratione & acidum stomachi magis obtunditur, adeòque ejus activitas sic parili ex ratione & nidoris vis intenditur: Hinc tetri ructus erumpunt, qui indicant quidem inchoatam fermentationem, sed depravatam, & in ipsa actione ex inertia fermenti digestiui deficientem; undè ex putredine Contentorum ructus tales tetri oriuntur. Accedit pylorus in furorem actus, qui portas transitus claudendo, irritatus ab hostili Contento, dicta digerendo retinendoque, magis magisque eorum putredinali corruptioni occasionem prębet.

DIAGNOSIS.

Quoad signa diagnostica, ea sunt facilia: Nam in Chylosi plus minus imminuta, pręter ea, quę habet SENNERTUS *l.* 3. *Prax. p.* 128, conqueruntur ęgri de dolore grauatiuo stomachi duabus horis post pastum: item conqueruntur ęgri de ructibus, etiam quinque vel sex horas ab alimentorum assumptione molestis, iisque non acidis, sed nunc insipidis, nunc putridis, nunc sulphureis, nunc genuinum assumptorum odorem & saporem adhuc repręsentantibus: qui fiunt, si assumpta non digeruntur; unde diu à pastu assumpta planè non, seu leviter imminuta, rejiciuntur: percipiunt dolorem gravativum circa pręcordia post pastum plus vel minus obtusum: item conqueruntur tales ęgri de appetitu maximè & ferè semper dejecto, de inflatione stomachi à pastu: item adest sępè tensio & distensio pręcordiorum. Pręterea in talibus subjectis, imprimis hypochondriacis, mox post pastum adsunt phlogoses seu rubor faciei, quasi essent ebrii: in quibus semper observandum, quod semper fiant à stomacho, eo nempe copioso muco nimis acido, ab alimentis non rite digestis residuo, onerato: item conqueruntur etiam ęgri tales utplurimum de difficili respiratione, ita quidem, ut respirationis

tionis impedimentum percipiant in præcordiis, in specie dum dorso incumbunt, ob tensionem insigniorem hypochondriorum: item matutino tempore solent habere os pituitâ & muco viscido plenum, qui reverà est ex stomacho, dum per recubationem nocturnam regurgitat & pedetentim ad œsophagum tendit, & ita matutino tempore excernitur: urinæ à statu naturali recedunt, dum modò tenues & aquosæ, modò crassæ & rubræ turbidæ apparent. Omnia hæc symptomata fiunt in digestione nimia imminuta & abolita, propter succum fermentativum crassum & obrutum, qui minus potest fermentare, quin potius alimenta sub forma liquaminis aut pastæ viscidæ acidæ & flatulentæ in stomacho subsistunt. Cæterum quando depravata est digestio, illam testantur imprimis ructus. Subindè vertigine corripiuntur, imprimis jejuni, qualis vertigo, imprimis in nondum senescentibus, semper radicem habet in stomacho. Hæc & similia signa ut plurimum etiam in malo hypochondriaco occurrunt, tam in principio quàm incremento, cum hujus mali radix revera hæreat in stomacho.

Cruditas acida cognoscitur ex soda, ructibus acidis & copiosioribus; item in talibus ægris solent præ cæteris copiosiores esse flatus, & quæ rejiciunt, aut natura aut arte, per vomitum sunt admodum crassa, viscida, ac pituitosa; interdum serosa, plus minus acida: alvus subindè est contumax, ob fæces ab acido vitioso coagulatas & induratas: alvus plerumque est adstricta.

Cruditas nidorosa ructus habet fœtidos aut saltem horridos instar ovorum frixorum, aut piscium putridorum; atque hinc non saltem, præprimis matutino tempore, percipiunt saporem peregrinum & abominabilem, quasi cinereum seu ligni putridi, quem sufficienter exprimere nequeunt: subinde amaror cum cardialgia & aliquali nausea percipitur ex ore & stomacho: quæ aut naturæ instinctu aut vomitu rejiciunt, sunt liquida, sunt flava, & aut omnino insipida, aut quodammodo amaricantia, aut insipido-dulcia, aut ex amarore dulcescentia. Præterea habent alvum sæpius plus solito apertam, & tales cruditate nidorosâ laborant.

Cruditatem pituitosam pondus frigidum in ventriculo habens, & hujus gravativus dolor indicat.

PROGNOSIS.

Quod attinet *signa prognostica*: certum est, in Chyloseos læsione & cruditatibus consistere fundamentum quamplurium morborum, in specie chronicorum, quatenus vitium digestionis primæ non in secunda, multò minus tertia corrigitur: nam cacochylia est mater Cacochymiæ, adeò ut ex cruditate acida & ejus variis differentiis omnes febres intermittentes, malum hypochondriacum, scorbutus, nisi hic oriatur per contagium massæ sanguineæ communicatum, cachexiæ, passiones colicæ, pathemata arthetica, calculi renum, affectus melancholici, in massa sanguinea deficiens hæmatosis, reverà originem ducant. item similis acor in stomacho, vitians alimenta, est origo morborum cutaneorum, scabiei, serpiginum, herpetum forsan & erysipelatum.

In genere omne acidum seu acor vitiosus subinde in corpore oberrans, fundamentum habet in vitiosa digestione ex corruptione acidi. Arthritis ipsa, dum vinum acescit in ventriculo, aut potulenta ex vitioso acore tincta, proruunt in corpus, ex hac acida stomachi cruditate habet suum ortum: Imo omnes isti affectus Chronici, de quibus in posterum plura, qui aliàs ex obstructione viscerum & mesenterii, hepatis & lienis, eorumque antipraxia ex frigida intemperie oriri dicuntur, reverà ex vitio Chyloseos, & in specie, quando fermentum stomachi est nimis acidum, nec ritè volatilisatum, dependent.

CURA.

Quoad *Curam*: Digestionis vitia, quæ à causis externis dependent, facilè corriguntur, causis illis sublatis, & meliore victus ratione instituta. Impossibile est arte promoverè vel instituere Chylosin; Est enim opus simpliciter naturæ, & dos vitalis fermentorum appropriata, juxta Helmontium, nullâ arte imitabilis. Ob id adjuvemus saltem naturæ opus, & corrigamus fermentum ventriculi, quantum fieri potest, & reducamus in naturalem statum.

1. Impedimenta quæcunque, mucum nempè & succos in stomacho hærentes, utpote crassos & viscidos & acidos, removendo: quod imprimis fiat per Vomitoria, & hinc purgantia, in specie aloetica.
2. Stomachum extergendo aromaticis volatilibus, sale alcalino oleoso constantibus.
3. Stomacho sensilem quasi stimulum addendo blandioribus acidis ipsi gratis.

His tribus modis curatur Chylosis læsa.

Quoad *primum scopum*: Vomitoria primum obtinent locum, cruditates, omnesque sordes post digestionem relictas, veluti crudiores succos, removentia: inter quæ superiùs dictum, Infusa antimonialia esse præferenda, in quibus non tam esse ponderandam substantiam, quàm liquorem, in quem fit infusio; veriverbium enim est. quod *hypochondriacis ebrietas usque ad vomitum salubris* sit. Imprimis pro materia viscida & tenaci in stomacho resolvenda & removenda, commodè propinatur Vomitorium:

℞. *Aquæ Hyssopi* ℥ij.
Cinnam. ℥ij.
Spiritus gum. ammoniaci ʒß. ad ʒj.
Oxym. squill.
Syr. emet. an. ℥ß.
M. S.
Haustus Emeticus pro una vice.

Post Vomitoria Purgantia impedimenta removent: inter quæ massa pilul. de hiera cum agarico in subjectis paulo robustioribus conducunt, ex qua superiùs dedi formulas. Præter hanc pilulæ mastichinæ sunt elegantes, & stomacho appropriatæ; nam mastix est singulare stomachicum, ratione spiritus acidi volatilis. Inter leniora alvum evacuantia, est aloe, maximè pilulę aloëphanginę ex aromatibus factę, ęęque ad imitationem ZWELFFERI *correctæ*; *vid. ejus animadversion. in Pharmacop. Augustanam*; stomacho enim conducunt, & vi aromaticâ tonum ejus restituunt. Si volumus eas laxativas reddere, uno alterove grano scammonii acuentur; sic magis conveniunt ad detergendas sordes muculaginosas, stomacho sępè adhęrentes. Dabo exemplum hoc modo egregium:

℞. *Mass. pilul. aloephang. vel de ammon.* gr. xvj. ad ℈j.
Tartari vitriolat. gr. vj.
Scammon. sulphurat. gr. ij.
Extract. troch. alband. (quod egregium est ad pituitam viscidam incidendam) gr. jß.
Cum tinctura tartari (quę stimulat, & est salina abstergens) f *pilulæ*, S.
Pilulæ stomachales laxativæ.

℞. *Mass. pilul. de hier. cum agar.* vel *familiar. Zwelff.* vel
Extr. Panchym. Crollii, vel *Cathol.* gr. xv.
Gum. ammoniaci in aceto squill. sol. vel *Extr.* aut *succ. inspiss. absinth.* ℈ß. vel gr. xij.
Extract. troch. alband. gr. j. vel ij.
Scammon. sulphurat. gr. j.
Cum elix. propr. vel *Ess. menthæ*, vel *spiritu mastich.* f. *pilulæ.*
D. S. ut *anted.*

℞. *Mass. pilul. mastich.* ℈j.
Extr. absinth. ℈ß.
Troch. alband.
Scamm. sulphurat. an. gr. ij.
Cum ess. ligni sassaf. vel *arc. tartari*, vel *Elix. propriet.* f. *Pilulæ*,
D. S.
Pilulæ stomachales purgantes.

℞. *Mass. pilul. de ammoniaco Querc* ℈j.
Extr. martis cum spir. prop. ℈ß.
Troch. alband. gr. ij.
Olei destillat. mac. gt. j. vel ij.
Cum tinctura tartari f. *pilulæ deaurandæ.*
D. S. ut *anted.*

Potest etiam beneficio remediorum salinorum, imprimis ex tartaro, fieri pulvis laxativus, & stomachum egregiè evacuans.

℞. *Tartari vitriolat.*
Cremor. tartari an. ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr. iij. vel jv.
Troch. alband. gr. j. vel ij.
Olei destillat. anis. gutt. ij.
M. f. pulvis, D. S.
Pulvis stomachalis laxativus.

Nam

Nam ultra 2. vel 3. sedes vix operabitur, pro constitutione tamen subjecti.

In forma liquida pro subjectis facilis purgationis, præprimis mulieribus delicatis, fiat talis potio:

℞. *Aquæ absinth.* vel *hyssopi*,
Menthæ an. ℥ß.
Tartari vitriolati,
Extr. agar. an. ℈ß.
Troch. alband. gr. j.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Syr. rof. solut. ℥ß.
M. D. S.
Haustulus purgans.

Descriptionem *formulæ domesticæ* seu *universalis* habet SYLVIUS *c. 9. §. 52.* item *c. 14. §. 50.* Exemplum talium pilularum, sordes in primis viis abstergentium, quæ Francofurtensibus aut Glassianis substitui possunt, sit:

℞. *Gum. ammoniaci aceto sol.* ℥ß.
Mastich. el. gr. xv.
Aloes succotor. gumm. præp. gr. ix. vel xij.
Extr. troch. alband. gr. iij.
Cum ess. menth. f. *pilulæ no.* 60. S.
Pilulæ stomachales laxativæ pro aliquot vicibus.

De quibus sit dosis una vice x, xij, xv, præter propter, idque omnibus tribus vel quatuor septimanis pro lubitu.

Omnes sordes viscidas detergunt, resolvunt, & ita cruditates acidas, & mala inde nata præcavent: conveniunt in morbis Chronicis, Cachecticis, hypochondriacis.

Aliam adhuc compositionem loco pilularum Glassianarum communicavi in *Colleg. Pharmac. in Ludov. Coll. Formul.* Pertinent huc *pilulæ de ammoniaco Quercetani* in SCHROEDERO, *familiares Zvvelfferi Pharm. Reg. p. 66.* & *pilulæ Talemanni famigeratissimæ, in Idea Form. & Coll. Form.*, item *pilulæ Benedictæ Schrœderi*. Modum parandi aliàs videbitis in LUDOVICI *Pharm. ad mod. nov. seculum accommod. p. 179.* item *Tr. de sale tartari vol. in fine*. Alii non incommodè cremorem tartari in hunc finem adhibent, à ʒiß ad ʒj in jusculo carnis vel pulli benè calido, horâ unâ alterâve ante prandium, quavis septimanâ semel usurpando.

Alterantia contra Chylosin læsam sunt ea, quæ constant sale volatili aromatico blando, quæ si maritentur cum subtilibus acidis, fiunt egregia remedia. Ex his imprimis commendantur *semina*, quæ vocantur *minora calida*, anisi, carvi, petroselini, cumini, & post hæc præ cæteris galanga & Zingiber. PLATERUS *in Obs. l. 2. pag. 406.* egregia aliquot habet exempla Chyloseos & Cruditatis, vitio stomachi & primarum viarum, curatæ per usum Zingiberis, sive crudum sit sive conditum, ac potest omni mane usurpari. Radix acori veri condita manè comesta quascunque cruditate & apepsias corrigit. Nux moschata quidem etiam est elegans; sed quia est nimis oleosa, & ob id obtundere solet fermentum stomachi, aliis subinde est temperanda, imprimis simplicibus stomachicis dictis, quæ sunt satis nota.

Præ cæteris palmam obtinebunt absinthium & mentha, quæ sunt duo singularia stomachica; hinc à quibusdam laudatur Vinum absinthites, quod mirabiliter sordes & vitia digestionis primæ eliminat. Post absinthium Myrrha, nec non Zedoaria, item acorus, rosmarinus, & lignum sassafras, & quàm plurima suprà in appetitu imminuto seu anorexia allegata insigniter conducunt. Item acida spirituosa præ cæteris conducunt, ut spiritus salis dulcis, qui est optimus, item spiritus nitri dulcis; spiritus mastichis benè rectificatus est egregius, mistus cum spiritu menthæ. Magnam etiam meretur considerationem *Elixyr Proprietatis Paracelsi*, quod tamen ob ingredientem liquorem Alcahest, præparare non possumus. HELMONTIUS aliâ ratione in substantia præparavit, qui *videatur*. Vulgò præparatur cum *spiritu vini*, acuato cum *spiritu sulphuris* aut *vitrioli acido*, lege communi: hinc duplex habetur, *cum & sine acido*. *Elixyr sine acido* paratur cum *alcali fixo*: cum *lixivio* nempe salis tartari solvuntur species, hinc inspissatur: inspissato magmati affunditur spiritus vini *tartar satus*; & admodum est hoc utile mulieribus & infantibus in cruditatibus acidis; in quibus etiam aliisque affectibus, *cum alcali volatili* paratũ mirè prodest, si *spiritus salis ammoniaci cum spir tu vini paratur* & *speciebus* affunditur. Dicatum est sexui sequiori, cujus dosis gutt. xxx. Aliàs Elixyr proprietatis cum acido per se in cruditatibus nidorosis maximè conducit, mistum cum spiritu cochleariæ, qui egregiè convenit: e. g.

℞. *Elix. propriet.* ʒiij.
Spiritus cochlear. ʒj.
M. S.
Elixyr stomachale.

Dosis gutt. 60. mane.

Convenit etiam egregiè *Elixyr vitrioli Mynf.* ritè paratum à ℈ß. ad ℥ß. & *Elixyr stomachale D. Michaelis*, cujus *superiùs facta fuit mentio*. Essentia melissæ, menthæ, pulegii, rorismarini, ligni sassafras, myrrhæ, cum spiritu vini tartarisato paratæ, omnes conveniunt, si acidulentur cum parva quantitate spiritus salis, vel spiritus vitrioli; sic enim concipiunt subtilem volatilem acorem: v. g.

℞. *Ess. melissæ* ʒj.
Spiritus vitrioli Philos. ʒij.
M. S.
Essentia stomachalis.

Dosis gutt. 40. vel 50.

℞. *Elix. stomachal.* ʒij.
Spiritus mastich.
Cochl. an. ʒj.
M. S.
Elixyr stomachicum.

Dosis 30. vel 40. gutt. bis in die.

In nimia & contumacissima ventriculi mucilagine optimus est spiritus asthmaticus, vel solus vel mistus: ut

℞. *Elix. stomach. Doctor. Michael.* ʒj.
Spiritus asthmatic. ʒß. vel ℈ij.
M. S. ut *anteà*.

Dosi 25. vel 30. guttularum est egregium & optimum remedium. Cydonia, & omnia ex his parata, ut succus, syrupus, &c. mirè conducunt ad juvandam digestionem. Interdum etiam fiunt *Vina medicata*, ut Vinum absinthites, vel fiat Vinum tale medicamentosum juxta SYLVII *Praxin* ex absinthio, mentha, radice gentianæ, & acori veri, aliisque aromaticis, quibus de mace, vel Zinziberis aliquid, potest addi: e. g.

℞. *Herb. menth. crisp.*
Calam. montan.
Absinth. an. M. ß. vel M. j.
Rad. enul. camp (quam superiùs commendavi cum rad. armorac.)
Acori veri rec. an. ℥j.
Galangæ ʒiij.
Cinam. ac. ʒiij.
Macis ʒj. (tantum; quia nimis oleosa)
Semin. anisi ʒiij. ad ʒvj.

Concis. & contus. includuntur *Nodulo*, S.
Nodulus pro vino stomachico.

Nodulus hic infundatur in Mens. j. Vini *Rhenani*, stent per horas 12. in loco calido: De quo capiatur ante pastum bonus haustus, singulis haustibus addendo *spiritus salis dulcis* (qui acidum volatile) gutt. xv. vel loco hujus *Elixyr proprietatis*, imprimis cum *spiritu cochleariæ* factum & paratum. Vel

℞. *Herb. menth. crispæ*,
Absinth. an. M. j.
Rad. enul. ʒvj.
Zingib. vel *Zedoar.* ʒiij.
Cinam. ac. ʒij.
Semin. anisi ʒß.

Incis. & contus. includ. nodulo, *vino* infundendo, ac in eodem ceu vehiculo *spiritus salis dulcis* gutt. xv. ad xx, assumuntur,

D. S. ut *anteà*.

Item:

℞. *Herb. absinth. rec.* M. ij.
Menthæ M. j.
Radic. acori ver. rec ℥ß vel iij. (aut hujus loco *Zingib.* vel *Zedoar.* ʒiij.)
Cinam. ʒiij.
Includ. *Nodulo*. D. S.
Nodulus pro vino stomachico.

Electuarii loco sufficiat rob baccarum juniperi, impregnatum pulvere Zinziberis aut macis, addito pauco saccharo ad *imitationem* PARACELSI.

Conveniunt ulteriùs egregiè salina, mucum incidentia & abstergentia, inter quæ sal ammoniacũ, vel vulgariter depuratum, vel ad imitationem HARTMANNI *c. 25:* nobile est stomachicum in Chylosi læsa, propinatum ℈ß. ad

ad gr. xv. In Vino abſinthite ſeu vino infuſionis ligni ſaſſafras. Poſt hoc non minus etiam nitrū vitriolatum ſeu *arcanum duplicatum Mynſ.* egregium eſt in affectibus ſtomachicis, aut etiam tartarus vitriolatus ad imitationem TACHENII paratus, imprimis ſi cum aromaticis ſpeciebus diatrion pipereon, aut cum ſpeciebus diagalangæ, aut ſtomachicis Mynſichtii, cubebis, ſimilibuſque pulveribus ſtomachicis miſtum: item terra foliata tartari ſeu ſal tartari eſſentiale, hepaticum rubrum, aut cremor tartari, vel ſolus vel cum ſale tartari, vel ſimilibus pulveribus ſtomachicis miſtus. De ſpiritibus dulcificatis res nota eſt: nec mixtura ſimplex eſt inelegans, cum ex acido volatili temperato conſtet; item ſpiritus carminativus de tribus, de quo infrà mentionem faciam, egregiè convenit. Noti aliàs ſunt *pulveres ſtomachici Birckmanni* & *Quercetani*, in quibus baſis eſt radix ari ſale volatili acri & penetrante imprægnata: cum verò in arida radice maxima pars ſalis volatilis avolet, & ob id inanis non nihil evadat, melius eſt, ut infuſio fiat cum radice helenii in vino. Præterea pertinet huc pulvis ſtomachalis D. MICHAELIS, cujus compoſitionem *ſuprà de anorexia* dedi. Vel

℞. *Rad. aron.* ʒj.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Salis abſinth. ℈j.
Olei deſtillat. caryoph., *Macis* an. gutt. iij.
M. f. *pulvis* pro tribus doſibus, S.
Pulvis ſtomachalis.

Vel

℞. *Pulv. rad. aron.* ʒß.
Flor. ſal. ammon. ʒij.
Piper. nigri ʒjß.
Zingiber. ʒß.
Olei deſtill. calam. arom. ℈j.
M. f. *pulvis.*

Convenit item *Tragea ſtomachalis*, quam dedi *in Colleg. Pharmacevt. Schrœder. P. 2. Claſſ. 1.*, vel hujus loco ſal volatile oleoſum egregium eſt. POTERIUS in uſu habuit *ſpecificum ſtomachicum*, quo plura præſtitit in ſuis ægris: deſcriptio nullibi proſtat: nemo ſcit præter *filium* POTERII, Bononiæ degentem. Interim probabile eſt, quod fuerit remedium antimoniale ex regulo antimonii martiali paratum, ad imitationem ferè antimonii diaphoretici. Ad ſpecifica ſtomachica pertinent etiam Chocolata, quæ eſt ſuccus inſpiſſatus ab Indis ex fructibus cacaum, Germanicè Koc Koff Nuſ, conditus cum cinamomo & pipere: Hæc in vino vel lacte cocta & pota, eſt egregium ſtomachicum, & ſimul antiſcorbuticum: vid. ZACUTUS LUSITANUS *l. 2. obſ. 7. Prax. admir.* In viribus roborandis etiam conducit. Angli ergò hauſtum de hac operariis propinant pro meliori operum promotione.

Hiſce pro ſenibus annumeranda venit ambra griſea & medicamenta ambrata, quæ in Chyloſi læſa ſenum ſunt optima; vel in forma ſicca cum *ſaccharo*, vel liquida uſurpata, cum ſpiritu nempe *menthæ*, vel *meliſſæ*, vel *ſalviæ*, in *eſſentiam ſtomachicam* redacta.

Non minoris pretii eſt *berba Thee*, planta apud Chinenſes & Japonenſes ſingularis virtutis: ad nos tamen ſicca adfertur, quæ herba Sinenſibus & Japonenſibus elegantiſſima eſt medicina, quæ non tantùm ſtomachum roborat, ſed & præprimis liberat & præſervat à calculo & arthritide, morbis Chinenſibus & Japonenſibus propter hujus plantæ frequentiorem uſum incognitis; item in cephalalgia potenter convenit, præſervat ab ebrietate, & ſomnium arcet, ſtomachum imprimis conſortat & vigilias citra virium debilitatem etiam ad tres dies noctesque protrahit. Uſus eſt, ut folia, quantum pugillus magnus capit, aut infundantur, aut ebulliant in aqua ſimplici fervida, adjecto pauxillo ſacchari, & iſtud Infuſum aut Decoctum poſtmodum ſubinde calidè hauriatur, ac talis unus pugillus pro tertia ad minimum vice ſufficit. Eſſentia quoque ejus paratur beneficio ſpiritus roris majalis, qui ammoniacalis ſalis vi eſt impregnatus. Item Elixyr Menthæ convenit: Vel

℞. *Aquæ cinnam. ſpirituoſ.* ℥vj.
Elix. menth. ʒiij.
M. S.
Hauſtulus ſtomachalis.
Doſis cochl. 1. vel ij. in fine paſtus.

Conducit etiam eſſentia piperis cum ſpiritu vini parata, & *eſſentia compoſita ex ſalvia, Zedoaria, & myrrha*, cum *ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo* parata, doſi 40. gutt; item aquæ ſtomachicæ maſtichinæ: e. g.

℞. *Maſtich. el.*
Rad. acori vulg. an. ℥iij.
Galang.
Caryophyll. an. ℥j.
Cinnam. ℥jß.
Zingiber.
Macis an. ℥ß.

His ſolum affunditur *Vinum malvaticum*: digerantur in loco calido, hinc per Balneum Mariæ deſtillantur. *Doſis* eſt cochl. j. vel alterum per intervalla ante prandium vel cœnam per horam unam; item linteum multiplicatum eo madeſactum commodè applicari poteſt regioni ſtomachi.

Hæc in genere de Chyloſeos læſione.

In ſpecie quoad *Cruditatem nidoroſam*, ceu ſæpiùs incorrigibilem, id quod corruptum, evacuandum eſt. Convenit autem vomitus, aut Evacuatio per Rhabarbarum & Tamarindum. Præterea curatur per præcipitantia terrea, inter quæ eminet cryſtallus præparata. Poſt horum exhibitionem miré conducunt Julebi acidulati, & ſubacida volatilia, cydoniata, ſuccus citri, ſuccus & ſyrupus portulacæ, item conſerva roſarum aut menthæ vitriolata, ſpiritus ſalis dulcis, vitrioli dulcis, Elixyr proprietatis, ſpiritu maſtichis, pulvis hepaticus ruber, cum ebore ſine igne, cremor & cryſtalli tartari cum coralliis rubris: e. g.

℞. *Crem. tartari*, vel *pulv. hepat. rub.* ʒj.
Corall. rub. præp. ℈j. ad ℈ij.
M. f. *pulvis* pro 4. doſibus.
D. S.
Pulvis ſtomachicus.

℞. *Pulv. hepat. rub.*
Ebor. ſine igne an. ʒj.
Olei deſtillat. macis vel *nuc. moſch.* gutt. ij. vel iij.
M. f. *pulvis* pro aliquot doſibus.
D. S. ut *anteà.*

℞. *Salis digeſt. hypochondr.* ʒß.
Lapill. cancr. præp. ℈j.
M. f. *pulvis* pro duab. doſibus.
D. S ut *ſuprà.*

℞. *Arcan. dupl.* ℈ij.
Oſſ. ſep. præp. ℈j.
Pulv. nuc. moſch. gr. vj.
M. pro duab. vel tribus doſibus.
Sign. ut *ſuprà.*

℞. *Arcan. dupl.* ℈ij.
Spec. diatrion piper. ℈j.
M. pro duab. doſ.
D. S. ut *ſuprà.*

℞. *Liqu. terræ fol. tartari* ʒiij.
D. S.
Eſſentia ſtomachica.

Dentur pro doſi 40. ad 50 guttulæ.

℞. *Spirit ſalis dulc.* ʒß.
D. S.
Spiritus ſtomachalis.

Doſis ſunt gutt. 30.

℞. *Aquæ menthæ* ℥jß.
Cinnam. ℥ij.
Succ. cydonior. ʒvj.
Syr. acetoſ. citri. ʒß.
M. f. *Potio.* S.
Hauſtulus ſtomachicus.

℞. *Aquæ menthæ* ℥ij.
Cinnam. cum vino ℥ß.
Syr. cydonior.
Portul. an. ʒiij.
Spiritus nitri dulcis parum.
M. pro *Potione.* S.
Hauſtulus confortans ſtomachum.

Cruditas verò *acida* corrigitur per abſorbentia & acidum deſtruentia, ac aromatica volatilia, ut cochleariam, centaurium minus, Rhabarbarum in nodulis, abſinthium, & omnia ex ipſis parata, ut radicem helenii & armoraciæ, acori veri, Vinum & cereviſiam abſinthitem, eſſentias, &c. item caryophyllos, nucem Moſchatam, Zingiber; de quo refert PLATERUS, Pontificios poſt jejunii quadrageſimalis tempus cruditates, ex piſcium eſu collectas, optimè pulveris Zingiberis uſu corrigere, & mala inde

nata

nata avertere: per essentiam & spiritus vegetabiles volatiles, menthæ, salviæ, cochleariæ, & similiter: item *aquam vitæ Matthioli*, spiritū antiscorbuticum, nasturtii, piperitidis, quæ est planta acerrimi sapioris, & potentissima in corrigenda stomachi cruditate acida: essentiam ligni sassafras, & similia, quæ acorem temperant. Cinnamomisata huc etiam conferunt, galanga, mentha, fœniculum, rosmarinus, tinctura tartari acris, elixyr proprietatis sine acido & volatile, spiritus salis ammoniaci volatilis, tartari volatilis, cornu cervi & carminativus de tribus, & similia alcalia volatilia, imprimis cum spiritibus vegetabilibus commista, ut fiant salia volatilia oleosa: quale est spiritus salis ammoniaci anisatus, caryophyllatus. Sin acidum nimium, conveniunt salia omnia fixa, ut sal absinthii, cardui benedicti, tartari, artemisiæ, item sal digestivum hypochondriacum, arcanum duplicatum, *Pulvis Stomachalis Quercetani* & *Michaelis*, lapilli cancrorum, creta, cornu cervi ustum, ebur, &c. quæ acidum absorbent.

Destructo acido, purgantia demum adhibenda: nisi enim hæc methodus observetur, nihil per purgantia evacuabitur; sed tormina & motus convulsivi excitantur. Usus cancrorum fluviatilium mirè proficuus est, præprimis si cum testis assumantur, cum egregiè acidum absorbeant: quod ne iterum augeatur, ab omnibus omninò acetariis, acidis aliis & acescentibus abstinendum est.

In *Cruditate pituitosa* salina omnia, sive alcalia, sive acida, sive salsa, vel sola, vel cum aromatibus mixta, conducunt. Vitentur, quæ mucum viscidum aut pituitam generare apta nata sunt, v. g. caput vitulinum, pedes bovini, pisces, alimenta crassa, ova sorbilia, &c.

Externè ad Chylosin imminutam conferunt olea nonnulla destillata suaveolentia, plus minus aromatica, & itidem parata Balsama, quoniam hæc sunt stomacho grata. Hæc inter excellens est oleū angelicæ destillatum, menthæ, caryophyllorum, macis, baccarum juniperi &c.; *oleum stomachale compositum Cratonis* itidem est egregium; speciatim oleū destillatum mastichis flavum rectificatum extrinsecùs illitum. Vel

℞. *Olei stomachal. Crat.* ℥ij.
Destillat. menthæ ℈j. vel ʒß.
Caryophyllor. vol *macis* gutt. vj. ııx. ad ℈ß.
Zedoar. ℈ß.
M. S.
Oleum externum ad illinendum regionem stomachi.

Illinatur stomachi regioni, applicando desuper laterem calefactum.

Vel

℞. *Olei menth. per infus. & coct. par.* ʒij.
Expr. nuc. Mosch ʒj.
Olei destillat. menthæ ʒß.
Macis,
Caryophyll. an. ℈ß.
M. S. ut *antea*.

Pro Balsamo sufficit oleū nucis Moschatæ expressum cum oleo destillato corticum aurantiorum & macis mistum; vel *Balsamus Stomachalis Timæi*, cujus descriptionem dedi in *Collegio Institutionum*. Item Balsamus Peruvianus regioni præcordiorum illitus, etiam est egregius.

℞. *Olei expr. nucist.* ʒiij.
Destill bacc. juniper. ʒj.
Calami arom. ʒß.
Macis ℈ß.
M. pro *Balsamo*, S.
Balsamus stomachalis.

Præterea Tacamahaca, galbanum, Mastix, &c. in forma emplastri seu sicuti stomachalis regioni stomachi applicentur: e. g.

℞. *Tacamahac.* p. iij.
Balf. Peruvian. p. j.
Cum f. q. *Theriac.* seu *oleo destillato* quodam, *bacc. juniperi*, *&c.* fiat *Emplastrum*:
D. S.
Emplastrum stomachale.

Item

℞. *Tacamahac.* p. iij.
Gum. carannæ p. j.
Malax. cum *Balf. Peruv.* vel *oleo destillat. menthæ*, postquam igne liquefacta fuerint:
D. S. ut *antea*.

Vel

℞. *Emplastr. stomachal. Crat.*
Tacamab. an. q. s.
Liquefacta malax. cum *Balsamo Peruviano*.
D. S. ut *supra*.

Pertinet huc *scutum stomachale de styrace* HARTMANNI *in Praxi Chymiatr. pag.* 167, item *Empl. de Tacamahaca* SCHROEDERI *Pharm. l.* 2. *cap.* 53. *n.* 18. *pag.* 201., item *Emplastrum stomachale* MYNS. *in armam. Chym. pag.* 504. Tandem spongia vino generosissimo, cui simplicia stomachica fuerunt infusa, impraegnata, stomachi regioni imposita seu applicata, idque calidè, itidem in usu est. Omnia denique externa in Chylosi læsa conveniunt, quæ *in Anorexia dicta*, & *suo loco de vomitu & diarrhæa* dicentur.

CAPUT II.

DE

FLATIBUS IN STOMACHO ET INTESTINIS.

QUando sub Chylificatione vitiata simul generantur copiosi flatus, iique insigniter stomachum distendunt, dicitur *Inflatio stomachi*: Quod si flatus cum sonitu non semper grato per os erumpant, dicitur *Eructatio*: Sin copiosi admodum suprà & infrà simul erumpant, ut in malo hypochondriaco, dicitur *Cholera sicca*; qui tres affectus parum inter se differunt, & uno modo curari possunt. Flatus hi si in stomacho retineantur, satis sunt molesti, imò interdum tàm atroces, ut pessima inducant symptomata. Sic BARTHOLINUS exemplum habet *C.* 2. *Epist.* 81. *p.* 687. fœminæ, quæ ventriculum adeo habuit inflatum, ut gravida habita fuerit.

Flatus cum neque ad vapores neque ad exhalationes referri possint, (vid. *Kergerus Tr. de Ferm.* §. 3. *c.* 3. *p.* 223. *& sequentibus*,) meritò ab HELMONTIO ad tertiam quandam classem hujusmodi entium, nempè ad Gas seu spiritus incoercibiles referuntur, quod gas ipsi est substantia subtilis at spirituosa, in corpus visibile incoercibilis, nec immediatè reducibilis, genita ex mistis corporibus per motum fermentationis aut effervescentiæ.

Sunt autem *varia gas*: *Sylvestria*, *pinguia*, *aquea*, *sicca*. *Sylvestria* sunt, quæ vocantur communi nomine flatus; nullo enim modo possunt in corpus aut visibile aut palpabile reduci aut coerceri, secus ac in vaporibus; inde frustrà & incassum laborant, qui magno alembico volunt capere flatus seu spiritum fermentantis vini, quia impossibile est, ut coerceantur in aliquod corpus.

Reperiuntur etiam flatus in aliis locis, si materia & causa efficiens commoda adfuerit, non tantum in tumoribus flatulentis; sed & observandum est, quod in venæ sectione non levis flatus proruperit, quamvis à ventriculo & intestinis, aliisve partibus, sæpè communicentur; ita ut qui nunc in stomacho exagitant, mox ad Massam sanguineam delati flatus, præcordiorum anxietates, difficultates spirandi, &c. procreent, & sæpiùs ex vulneratis vasis sanguineis prorumpant.

Natura eorum obscurissima est, & ordinariò solent confundi cum exhalationibus & vaporibus, qui tamen toto cœlo differunt.

Quoad attinet Vapores: ii sunt effluvia humida, beneficio caloris resoluta, à frigore tenui in guttas condensabilia, unde halitus condensati flores, fuligo, dicuntur. cum quibus nullum commercium habent flatus; siquidem vapores & halitus calore solvuntur, & frigore constringuntur; neutrum autem horum flatus patiuntur.

Ex his patet: flatus esse producta nova corporum cum aliis nullo modo conferenda; undè ab HELMONTIO tanquam nova entia, novo nomine appellantur *gas*; generatio ergò eorum est de novo, cum non præexistant formaliter in assumptis, sed materialiter fiant demum in stomacho, idque nec à calore, nec à frigore per se, sed tantum ab acido præternaturali per vitiosam fermentationem, ex & in materia crassa, viscida & pituitosa: hinc est, quod Veteres dixere, oriri flatus à Melancholia; hoc enim est nil aliud, quàm acidus succus. Unde in mulieribus hystericis, hypochondriacis, scorbuticis, cachecticis, similibusque, vitio fermenti ventriculi mucagine acidâ obruti, vel succi pancreatici nimis acidi, copiosissimi generantur flatus, propter acidum fermentans materiam pituitosam

& viscidam etiam quibuscunque ex cibis, ita ut causa efficiens non ructuum solùm, sed & flatuum sit acidum. Materia ergò ex qua, seu subjectum, sit viscidum seu mucilaginosum pingue.

Remotis his dubiis, pressiùs examinabimus flatuum horum naturam, & consideremus flatus artificiales, qui in notitiam eorum nos ducunt. Equidem, quod obiter insinuo, nonnulli dicunt: quod ventus est in macrocosmo, flatus est in Microcosmo: sicuti Paracelsus Part. 4. Cardines mundi distinxit per flatus. Sed hæc parum ad rem facere videntur; ventus enim est motus aëris vi elasticâ elati.

Modus generandi & elevandi fit nunc per vitiosam fermentationem, ut patet in panificiô, cerevisia & musto; nunc per effervescentiam: i.e. materialiter existunt ex mistis, non formaliter. E. g. Spiritus nitri metallico corpori dissolubili, imprimis Marti vel Veneri, affusus, corrodendo & dissolvendo excitat strepitum, effervescentiam, copiosas bullas, imo & flatus emergunt copiosissimi, & quidem adeò fortes, ut possint etiam fortiora vasa diffringere: vid. BECHERUS *in Phys. subterran. c. de liquefactione*: si destillatur tartarus, formalem effervescentiam sub destillatione concipiet, ita ut, nisi patulæ sint quædam rimulæ, flatus sub effervescentia tàm violenti surgunt, ut minimè coërceri valeant; sed omnia propter flatus copiosissimos diffringantur: Item si acetum destillatum, aut succus citri superfundatur coralliis, ostreis, lapillis cancrorum, &c. flatuum tantus strepitus & bullarum proventus oritur, ut nisi detur porta, diffringatur: Sic etiam farina omnis quocunque modo tractata, sive cocta, sive frixa, sive macerata, non parit flatus; si verò acorem contrahit, & fermentetur, spontè flatus insignes eructat: Similiter ac fructus horæi, eorumque succi, in specie mustum quocunque naturaliter modo, coquendo, destillando, &c. tractatum, nullum gas, ut vocat HELMONTIUS, flatulentum eructat, si non fermentet; simul verò atque fermentare, & inde acidum ejus activum fieri incipit, flatus copiosissimi & impetuosissimi erumpere solent, qui etiam, nisi detur spatium, fortissima dolia diffringunt: conf. HELMONTIUS *Tr. de Flatibus*, & KERGERUS *l. a.* Sic si accipiat quis butyrum antimonii & affundat spiritum nitri, intensa fit effervescentia, & tantus flatuum impetus, ut nisi vas sit apertum, coërceri nequeant. Unum adhuc urgebo: poma matura quæcunque ratione tractentur, nil flatuum emittunt; quando autem calore fermentationem accipiunt, & fortiter agitantur, disrumpitur cortex propter flatuum proventum, qui pomis anteà non inexistebant, sed de novo per fermentationem generati sunt.

Equidem verum est, esse multa alimenta, ex quibus præ reliquis generantur flatus: uti sunt raphani quicunque, armoracia, allium, cepæ, uvæ recentes, poma cruda, castaneæ, aliique fructus horæi, cerevisia novella & infæcata, mustum, caseus, & similia. Verùm hi gignuntur non in omni stomacho; nam robustus hæc, ut ut maximè flatulenta, sine flatulentia digerit; sed tantum in defectuoso, aut qui aliis simul cibis copiosiùs se nimis ingurgitavit, in hoc, ex alimentis etiam optimis & non flatulentis, per vitiosam fermentationem copiosissimi exsuscitantur flatus. Quod non insint assumptis, patet ex eo; quod duo homines, alter sanus, alter æger, v. g. hypochondriacus, iisdem alimentis utentes, prior nullos generet flatus, posterior copiosissimos. non insunt ergò alimentis, aliàs æqualiter generarentur. Ratio est diversitas fermentorum in stomacho, unde hypochondriaci & hystericæ ferè ex omnibus alimentis eliciunt flatus, quod alia non faciunt subjecta, quia in illis abundat acidum vitiosum. Certum interim est, alimenta quædam in quibusdam magis esse apta, ut exinde facillimè elaborentur flatus, quàm in aliis: e. g. præter jam dicta, eadem alimenta, quæ constant sale volatili acri, interim in stomacho sano nihil obesse possunt. Nempè talia flatulenta, sale volatili acri abundantia, incidunt & attenuant mucilaginem stomachi, & postmodum cum acido stomachi concurrendo in subjecto ita viscido, ex iis generantur copiosissimæ bullæ, in quibus bullis salia tandem coeunt, & pedetentim resolvuntur, & tandem flatus fiunt.

Nisi ergò occasione talium ingestorum nati sunt flatus, de subjecto materiæ viscidæ seu pituitosis humoribus confirmatur suspicio. Quod verò adsit in talibus talis mucilago viscida, experientia testatur; quia in vomitu eructant copiosa crassa, viscida, tenacia, plus minus acida. Interim rarum est exemplum, quod habet RHODIUS *Centur. 2. Observ. 32.* de subitanea ventriculi & abdominis inflatione ex esu pinguium post usum Decocti Chinæ.

Quæritur: *quomodo ex acido fermentante in materia viscida generentur flatus?* In farina res nota est, quod in ea sint duo salia, Acidum & Urinosum, ratione quorum talem vim habet germinativam: ex farina aquâ subacta fit pasta tenax insigniter viscosa, in qua, addito fermento, incipiunt resolvi salia, & emergit acor: acidum enim agit in alcali, undè fermentando salia impedita impetuosiùs tumultuantur, donec viscositas resolvatur & imbibatur: Patet etiam in musto, quod tractatum beneficio ignis, & inspissatum, relinquit copiosum succum viscidum, cujus acor, qui in omni musto est, frangit in alcali, adjuncta viscidities resolvitur in substantiam volatilem: vid. HELMONTIUS.

Patet ergò, quod flatus non insint in rebus, sed fiant per motum fermentativum ab acido in materia viscida. Hæc etiam intelligenda sunt de Colica flatulenta.

PARS AFFECTA.

Pars primariò *affecta* est stomachus, tam cavum ejus ratione flatuum, quàm necessariò orificium superius, cujus clausura connivet vel non, distendit, intendit vel non.

CAUSÆ.

Causa proxima distensionis stomachi sunt flatus in stomacho, geniti ab acido fermentante in materia viscida. Quò etiam pertinet compressio: quemadmodum enim aër naturâ suâ vim quandam elasticam seu expansivam possidet, ratione cujus ille compressus instar plumæ seu lanæ cujusdam semper se iterum explicare conatur, hincque vapores vel alia corpora leviora sibi contigua propellit, & ventum excitat; ita venti in microcosmi cavitatibus undulantes, si harum coarctatione comprimuntur, aut per naturam suam expansivam, aut à calore viscerum magis agitati, vel novorum accessu superati, angustius hoc spatium evitare conando, unusque eorum alterum agitando, ventum microcosmi seu flatum producunt: quod exindè evidens fit, quod circa coli illam flexuram arctissimam (inque coli inflammatione, teneris rigidisque ejus fibris) cum cæteroquin idem Colon amplissimum in hypochondrii sinistro spatium occupet, subsistat, Flatuum copia, & impetus major inde observatur, atmosphærâ scilicet illa intestinorum compressâ.

Remotæ sunt materia, vel assumpta vel retenta. Assumpta sunt omnia talia, quæ viscidiores generant succos, quæ ad flatus disponunt. Quoad retenta; constat, quod cruditas acida inducat flatus, ut fit in hypochondriacis, scorbuticis, cachecticis, quorum mala omnia oriuntur ex cruditate acida, in quibus ordinariò generantur flatus.

Porrò de flatu naturali & præternaturali, item de quadruplici ructuum *differentia*, dum alius est *acidus*, ut in hypochondriacis & jejunis; alius *nidorosus* non nihil, graveolens, ex cruditate nidorosa; alius *specificus* seu is, qui simplicium assumptorum odorem & saporem simul refert, v. g. post esum cepaceorum, armoraciæ, raphani, piscium; alius *insipidus*, quando adsunt flatus sine certo ac determinato sapore. Conf. Helmontius Tr. de Flat. Interdum, licet rariùs, adest etiam ructus *fœtidus*, pessimæ notæ, & admodum horrendus. *Flatus naturales* sunt, qui semper & in omnibus subjectis reperiuntur, imprimis in jejuno (quod patet in dissectis animalibus, ubi jejunum reperitur totum flatibus repletum) hunc in finem ordinati, ut conservent parietes intestinorum distentos, ne invicem collabantur, & consequenter pori continuò in intestinis maneant patuli. Hi gignuntur in nobis ex muco naturali intestinorum acido, concurrente simul sale volatili oleoso seu bile pingui, fiunt flatus inde sulphurei fœtidi: quod exindè patet, quia sunt inflammabiles. Quare autem fœteant flatus? ratio petenda ex artificiis Chymicis, ubi deprehendimus, subjecta sulphurea & pinguia si solvuntur ab alcalibus, & præcipitentur ab acidis, fœtorem dare insigniter nares ferientem: Sic si cum *antimonio, tartaro, & nitro, crocus metallorum* vel *regulus antimonii* paratur, scoriæ istæ antimonii nil aliud sunt, quàm sulphur antimonii dissolutum ab alcali: quæ si solvuntur simplici aquâ, nullum fœtorem edunt; si verò hæc solutio præcipitatur ab acidis [illegible] destillato, spiritu vitrioli, nitri, &c. [illegible] fœtor. Sic flatulentiâ in nobis fœtent, quatenus oriun[illegible]

cum concurrente bile, cujus sal volatile & proprium oleum resolutum præcipitatur ab acido, & dat flatus fœtidos. Et notissimum est, quò magis pinguia sunt salia, eò magis fœtent flatus; quò minus pinguia salia, eò minus fœtent.

Præternaturales Flatus sunt, qui sub digestione prima, secunda, & tertia per materiam viscidam pinguem ab effectore acido generantur.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica* in inflatione stomachi, notandum: (1.) quando erumpunt ructus, satis se prodit malum; quando verò hi ipsi, propter orificium stomachi sinistrum firmiùs clausum coercentur in cavo ventriculi, adsunt præcordiorum angustiæ: (2.) deinde eadem præcordia sunt admodum distenta: (3.) si eadem tangantur, renisus quidam ibidem percipitur: (4) ægri conqueruntur de difficili respiratione, propter distentum stomachum, & hinc impeditum diaphragmatis motum, in primis dum supini incumbunt; & dolor interdum tantus est, ut æger nesciat, quò se vertat; interdum ita, ut animi deliquia immineant. quod in hypochondriacis est frequens: (5.) subinde quoque percipiunt flatulentias quasdam in stomacho, quando se jactitant ex uno latere in alterum, ut describitur à FORESTO *l. 18. Obs. 39. in schol.*

Gravitas & distensio talis quandoque non solùm circa ventrem ipsum percipitur, sed & totum pectus occupat; aliquando verò retrò & inter collum & dorsum, ac ipsas vertebras irruit. sæpè autem utrumque latus subit; interdum aliquando verò tumorem circa os ventriculi efficit, & tunc ructus inanes fiunt, parum alleviantes; & flatuum, qui per alvum excerni consueverunt, eruptio inhibetur: Augetur malum, si ante perfectam restitutionem cibum largiùs accipiant; sic enim magis membra inflantur, & cum dolore distenduntur.

In genere distensio stomachi interdum usque adeò est molesta ægro, ut nesciat, quorsum se convertere debeat? interrogatus de passione, dicit: *es seyt bin alles zu enge forne:* imò hæ anxietates interdum eo usque procedunt, ut respirationes valdè difficiles reddantur: Si emittunt ructus, levantur; eructaturi, de insigni angustia præcordiorum conqueruntur.

Inflatio ergò est Intumescentia, orta à flatibus, genitis ab acido per fermentationem in subjecto viscido.

PROGNOSIS.

Quod attinet signa prognostica: nulli flatus sunt boni, excipiantur jejuni, licet melius sit, si cessant; innuunt enim stomachum sub digestione plus minus defectuosum; unde ordinarium sunt hypochondriacorum symptoma.

Inflatio ventriculi, quæ in convalescentibus fit, recidivam morbi prioris significat.

Ut ut autem per se parum in recessu habeant inflatio stomachi, & Ructus, diutiùs tamen durantes, nec facilè corrigibiles, metum futuræ tympanitidis, seu hydropis sicci injiciunt.

Ructus, qui ejiciuntur fœtidi, pessimæ sunt notæ, & à GABELCHOVERO *in Cent. 2. Cur. 15. in annotationibus*, admodum funesti declarantur: imo monet Medicos, ut sibi caveant à taliter eructantibus, ne fœtore contagium malignum in pulmones inspirent.

Rarum est, quod BARTHOLINUS *in Actis Med. Haffniens. p. 199.* & RHODIUS *C. 2. Obs. 52.* observarunt, externa frictione corporis quocunque in loco ructus continuos.

CURA.

Flatus cùm fiant per fermentationem vitiosam, ab acido præternaturali in subjecto viscido excitatam, in Cura

1. Attenuanda & expurganda materia viscida, crassa, & pituitosa in stomacho & primis viis circa fauces hærens; hinc Purgantia optimè hic conveniunt, ut pilulæ laxativæ cum gummatibus.
2. Per Medicamenta aromatica salino-volatilia oleosa discutiendi flatus, ut faciliùs per guttur inferius erumpant: & simul acidum fermentativum temperandum vel corrigendum.
3. Flatuum impetus per nitrum & nitrata, flatulentias figentia, & fermentationis motum sistentia, penitus coercendus & figendus.

Quoad I. Conveniunt medicamenta Vomitoria, citiùs & tutiùs evacuantia è stomacho fomitem morbosum, maximè antimonialia: imprimis à Rulando usurpatur aqua benedicta. Vomitoria si non commoda, aloëtica imprimis conveniunt, & pilulæ ex iis paratæ; hinc & pilulæ masstichinæ, vel aloëphanginæ, ad ventriculum crebriùs eructantem usurpatur; quibus semper addatur gummi ammoniacum, galbanum, succos viscidos resolventia & evacuantia: e. g. *ad affectus stomachi chronicos* & sæpe recidivantes, ex materia viscida acida oriundos, optimè conveniunt tales pilulæ usuales:

℞. *Gum. ammoniaci in aceto sol.* ʒß.
Mastich. el gr. xv.
Aloes succot. gr. ix.
Extr. troch. alband. gr. iv.
Cum essent. menthæ f. pilulæ Num. 60.
D. S.
Pilulæ pro aliquot vicibus.
Dosis 12. vel 15. &c.

Alia formula talium pilularum *in affectibus hypochondriacis, hystericis, scorbuticis:*

℞. *Gum. ammon. acet. solut.*
Vitriol. martis solar. an. ʒß.
Aloes luc. gr. xv.
Mastich.
Myrrh. an. ℈ß.
Extr. troch. alband. gr. viij.
Cum s. q. *essent.* vel *olei destillat. menthæ f. pilulæ* No. 105.
D. S. ut *antea.*
Vel
℞. *Mass. pilul. de ammon. Querc.* vel *Extr. cathol.* ℈j.
Mercurii dulc. gr. xv.
Extr. troch. alband. gr. ij.
Olei destillat. cum. gutt. j. vel ij.
Cum ess. Zedoar. f. pilulæ.
D. S.
Pilulæ pro una vice.

Quidam etiam commendant pulverem sennæ laxativum, qui non est inelegans. Vel

℞. *Pulv. jalapp.* gr. xij.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Nitri gr. vj.
Olei destillat. carminat. cujusd. gutt. j. vel iij.
M. f. *pulvis*, S.
Pulvis purgans pro una vice.

Subtracto fomite, in specie mirè conveniunt simplicia aromatica, Carminativa dicta, i. e. salia volatilia oleosa, acidum temperando & corrigendo, viscidumque incidendo, qualia sunt radices angelicæ, gentianæ, aristolochiæ rotundæ, acori veri, galangæ, cortices aurantiorum, nux Moschata, cardamomum, caryophylli, macis, Zingiber, Zedoaria, cinnamomum, & ex his destillata olea: è salinis volatilibus oleosis simplicibus carminantibus paratæ misturæ, v. g.

℞. *Aqu. fœnicul.*
Menthæ an. ʒiß.
Carmin. cum vino ʒj.
Spiritus anisi,
Essent. cortic. aur an. ʒiij.
Olei destillat. macis gutt. v.
Syr. cort. aurant. ʒvj.
M. f. *Potio* cochleatim haurienda,
D. S.
Potiuncula contra inflationem.

FORESTUS *in suis Obs. l. 18. Obs. 39.* in stomachi Inflatione cum dolore ejus intolerabili & distensione, idque ex esu ciborum flatulentorum nimio & multo, & potu musti, tale habet experimentum: decoxit flores chamomillæ, tam vulgaris, quàm, quæ est nobilior, Romanæ, minutim incis. an. M. j & adjecto pauco semin. anisi, fœniculi & carvi, in cerevisia: Hoc Decoctum cum bibisset, & copiosos flatus per superiora & inferiora æger emisisset, & ita feliciter curatus fuit. Speciatì oleũ Chamomillæ Saphirinũ mirabile carminans est, item ejus aqua, essentia, & omnia ex chamomilla. Multi asserunt, quod oleũ chamomillæ destillatũ, colore cæruleo tingatur, quãdo destillatur

per

per alembicum cupreum: sed non est: Nam si in balneo per alembicum destillatur, etiam fit cœruleum.

Porrò semina quatuor calida majora, ut anisi, cumini, fœniculi, carvi, & minora, quæ revera sunt solamen pauperum, uti Helmontius dicit; eorumque in vino paratum Decoctum, optimè prosunt: item olea eorum destillata, vel cum his & spiritu salis ammoniaci vinoso, *methodo superius indicata*, fiat sal oleosum, quod in flatibus omnibus egregium est. hinc spiritus anisi, salis ammoniaci anisatus pectoralis, item seminis dauci, baccæ lauri, juniperi, exque his parata quæcunque.

Post convenit castoreum, quod est singulare remedium ad omnes affectus flatulentos, maximè muliebres & hypochondriacos, vel in substantia, vel ejus extractum & essentia, imprimis cum spiritu salis ammoniaci vinoso facta, aliaque ex eo parata remedia; item ex Myrrha atque Theriaca: Cortices etiam aurantiorum sunt nobile aromaticum ad acidum stomachi corrigendum, & flatus discutiendos, item eorundem essentia, & oleum destillatum, spiritus salis ammoniaci cinnamomisatus, & in genere quæcũq; aromatica sale volatili oleoso largiter imprægnata. Ratione cinnamomi species omnes aromaticæ officinales hic expetuntur: Vel

℞. *Semin. coriandr.* ℥ß.
Anisi,
Fœnicul. an. ʒij.
Zedoar.
Zingiber.
Galang.
Sal. ammoniaci an. ʒj.
Specier. diatrion. piper. ʒjß.
Ol. sacch. aromat. ʒij.
M. f. *Tragea grossa.* S.
Tragea stomachica.

Ulterius ex compositis sunt aquæ stomachicæ usitatæ, tàm simplices quàm compositæ, fœniculi & menthæ, aqua carminativa Dornerellii, aqua cinamomi cydoniata, syrupus corticum aurantiorum; item syrupus baccarum lauri vel juniperi: de quibus vid. HORSTIUS *l. 4. Obs. 4.* & *l. 5. Obs. 2*, quin etiam spiritus anisi: Essentia chamomillæ Romanæ, olea destillata *seminum suprà monitorum* carvi, anisi, corticum aurantiorum, cinnamomi; item balsamus sulphuris terebinthinatus & anisatus in contumacioribus ructibus est optimus: omnibus his meritò præfertur *spiritus carminativus de tribus*, qui fit ex tartaro & nitro, pelliturque per retertam adaptato Recipiente magno, cui spiritus vini tartarisatus inest; postmodum rectificatus fit spiritus elegantissimus odoris urinosi, potentissimus in quibuslibet flatulentiis, distensione, aliisque stomachi affectibus, dolore & lipothymia, aut aliis symptomatibus, & in specie conducit hypochondriacis.

Ex his variæ concinnari possunt formulæ:

℞. *Aquæ menthæ* ℥ij.
Carm. Dorner. ℥j.
Spiritus theriac. camphor. ʒiij.
Carminativ. de trib. ʒjß.
Laud. opiati gr. iij.
Syr. cortic. aurantior. ʒvj.
M. f. *Potio.* S.
Mixtura stomachica confortativa.

Detur in paroxysmo, ubi nullus ardor aut æstus: Vel

℞. *Aquæ menthæ* ℥ij.
Chamomill. Rom. ℥j.
Zedoar. ℥ß.
Carm. Dorner. an. ℥ß.
Spirit. carminat. de trib. ʒjß.
Essent. opii ʒj.
Syr. cort. aur. ℥j.
M. f. ut *anted.*
Vel

℞. *Aquæ chamomill.* ℥iij.
Essent. castor. tartarif. ʒjß.
Spiritus sal. ammon. anis. ʒj.
Syr. cort. aur. ʒiij.
M. S. ut *suprà.*

℞. *Elix. propriet. sine acido* ʒiij.
Essent. castore i ʒij.
Opii ʒj.
M. D. S.
Elixyr corroborans stomachum.
Dosis 40. guttulæ.

Tandem etiam spiritus nitri nobilissimum est carminativum, imprimis *dulcificatus* & temperatus cum duplo spiritus vini, digestus & cohobatus aliquoties *pro spiritu nitri dulci anticolico* D. MICHAELIS, mihique; sic magis appropriatus redditus. Hic enim, ut ut sit acidus, præfertur tamen reliquis, figendo potenter erumpentes spiritus flatuosos, & impediendo fermentationis & effervescentiæ motũ, adeoque quascunque flatulentias cohibet: speciatim confert, si cum flatibus conjunctus sit ardor, seu æstus, aut etiã superveniant vagæ phlogoses, quæ nunc citò iterum evanescunt, nunc citò aduolant, & solent oriri ex bile, cum acido in intestinis concurrente & vitiosè effervescente; quibus in casibus peculiaris est spiritus nitri. Experientiã semper confirmatus sum in adultis & infantibus, quando cum flatibus simul adscendunt sudores anxiosi, incalescit facies, & rubor venit, quod tunc conveniat maximè spiritus nitri, qui figit effervescentiam in primis viis. Melioratur adhuc, si pro dulcificatione ejus loco spiritus vini simplicis sumitur spiritus appropriatus, v. g. spiritus anisi, menthæ, baccarum juniperi, aut etiam spiritus vini aliquis aromaticus, seu *spiritus vini carminativus* ex vegetabilibus compositus, i. e *spiritus vini vegetabilibus aromaticis carminativis* affusus, digestus, & aliquoties cohobatus: cujus exemplum exhibet SYLVIUS *l. 1. Prax. c. 9. §. 18.* ubi de ructibus, qui propter delectum simplicium est elegans;

℞. *Rad. angel.* ʒj.
Imperator.
Galang. an. ʒjß.
Fol. rorismar.
Majoran.
Rut. hort.
Basilic.
Summit. cent. min. an. M. ß.
Bacc. lauri ʒiij.
Semin. angel.
Levist.
Anisi an. ʒß.
Zingib.
Nuc. Moschat.
Macis an. ʒjß.
Cinnam. ʒvj.
Caryophyll.
Cortic. aurant. an. ʒj.

Concisis & contusis crassè, affunde
Spiritus vini Malvat. vel Hispan. ℔xl.

Digerantur per biduum in Balneo Mariæ, hinc ad siccitatem destillentur: quicquid ascenderit, magmati iterum affundatur, per biduum digerantur, mox tres quartæ partes denuò destillentur, & asserventur spiritus destillatus pro usu.

Convenit & *ejus Mixtura polychresta extemporanea contra flatus & ructus*, & omnes morbos flatulentos, sequens quæ fit instar omnium:

℞. *Aquæ fœnic.*
Menthæ an. ℥ij.
Spirit. vini rectif. vel *Aq. vitæ Matth.* vel *spiritus carmin. Sylv.* ℥j.
Spiritu nitri gutt. xx.
Olei destillat. macis gutt. vj.
Laud. opiati gr. iij.
Syrupi menthæ ℥jß.
M. S.
Mixtura stomachica confortativa cochleatim sumenda
Dosis cochlear. ij.

Ad hujus imitationem præscribere soleo sequenti modo:

℞. *Aquæ menth.* ℥ij.
Carmin. ʒvj.
Elix. menth. ʒß.
Spirit. nitri dulc. gutt. xv.
M. S. ut *anted.* Vel

℞. *Aquæ menth.* ℥ij.
Carmin. Dorner. ℥j.
Spirit. nitri dulc. ʒj. ad ʒjß.
Antim. diaphor. ʒj.
Laud. opiati gr. iij.
Syr. cinnamom. ʒvj.
M. S.
Mixtura contra inflationes.
Vel

℞. *Aq. chamomill. Roman.* ℥ij.
Fœnicul. ℥j.

Spiritus theriacal, camphor. ℨj.
Vitrioli dulc. ℈ij. ad ℨj.
Laud. opiat. gr. ij.
Syrup. hyssopi ℨß.
M. f. *Potio*, S.
Mixtura confortativa contra inflationes,

Mixturæ hæ propinentur, ubi phlogoses & æstuationes urgent.

Item spiritus nitri theriacalis ad 20. vel 30. gutt. convenit. Porrò ambra in ructu contumaci ceu singulare specificum commendatur à Zacuto Lusitano l. 2 Prax. admir. Obs. 7. cum sacharo in forma pulveris usurpata.

In *Ructibus fœtidis* pilulæ mastichinæ conveniunt imprimis.

Item ad *Ructus acidos diuturnos* præ cæteris conveniunt *grana piperis*, vel *integra* vel *modicè confracta*, No. v. vel vj. manè jejunè deglutita: vid. RIVERIUS *Obs.* 37. *Morb. infrequent.* Item convenit armoracia: Sicuti ad acidum destruendum in flatulentis affectibus alii laudare solent talos leporis pulverisatos, aut talos suillos, lapillos cancrorum, cornu cervi præparatum, imprimis ustum, ebur ustum, corallia rubra præparata, antimonium diaphoreticum &c, ut hæc terrea fixa eò promptiùs absorbeant acidum in flatibus peccans. Unde ex his aromaticis & terreis possunt fieri pulveres egregii; e. g.

℞. *Corn. Cerv. usti præp.* ℨiß.
Cryst. præp.
Ebor. usti præp. an. ℨß.
Salis absinth.
Chamomill. an ℈j.
M. f. *pulvis*. S.
Pulvis pro aliquot vicibus.

Dosis ℈j. ad ℨß. Vel

℞. *Aquæ Menthæ* ℥iij.
Cinnam. spirituos. ℨiij.
Lapill. cancr. præp. ℨj.
Syr. fœniculi ℨiij.
M. D. S.
Potiuncula pro aliquot vicibus.

Essentia absinthii omni pastu in cerevisia usurpetur, item succus expressus, Vinum absinthites, quatenus corrigit causam materialem flatuum: ab omni pastu, vespertino usurpatur pulvis ex coralliis, osteocolla, & osse sepiæ an. pulverisatis in spiritu vini juniperino. Vel

℞. *Ebor. usti*,
Corall. rub. præp. an. ℨß.
Spec. diatrion piper. ℨj.
Extract. Zedoar.
Cort. aur. an. ℈ß.
cum s. q. *sacchari in aqua fœniculi solut. f. Rotulæ*, irrorandæ cum
Olei destil. al. macis aut fœnic. gutt. iij.
M. D. S.
Rotulæ stomachales confortativæ contra inflationes.

Ubi nimia & contumacissima mucilago flatuum & ructuum causa, optimus est *spiritus asthmaticus*, vel solus, vel mistus *cum duplo elixyr stomachalis Michaelis*; dosis gutt. xx. vel xxx. Est egregium remedium.

Externè olea, tàm destillata quàm decocta aut infusa, carminantia supra citata commodè possunt illiniri, fovendo desuper locum, latere calefacto. Reliquis prefertur oleum destillatum sapphirinum chamomillæ, seminum carminativorum: Vel

℞. *Ol. expr. nuc. Mosch.* ℨiß.
Destillat. bacc. juniper. ℨj.
Macis ℈ß.
M. S.
Balsamus stomachalis.
Vel

℞. *Ol. chamom.* ℨß.
Expr. nucist. ℨij.
Destillat. cort. aur.
Fœnic.
Menthæ,
Zedoar. an. ℈ß. ad ℈j.
M. pro Linimento, S.
Linimentum stomachale.

Aut *Fotus humidus* externè applicandus, qualem dedi *in Collegio Formul. pro torminibus colicis*: Vel

℞. *Spiritus anisi* ℥ij.
Vini camphor. crocat. ℥ß.
Theriac. ℨiß.
M. S.
Epithema contra inflationes.

Applicetur cum panno coccineo imponendo desuper laterem calefactum.

Item applicetur emplastrum de baccis lauri, malaxatum cū oleo Chamomillæ, absinthii, menthæ, vel Juniperi. Vel

℞. *Tacamahac.* p. iij.
Balsam. Peruv. p. j.
Liquefacta misc. cum *Theriaca* in *Emplastrum*.

Item spiritus vini *infus. aromaticorum*, extrinsecè applicatus calidè convenit.

Clysmata carminantia etiam commodè simul injici possunt, qualia præscribi solent in cardialgia, colica flatulenta, &c. Clysmata etiam ex urina humana, imprimis pueri, vel sola, vel cum carminantibus cocta: e. g.

℞. *Rad. angel.* ℨj.
Sem. anisi,
Fœnicul. an. ℨij.
Ferm. pistor. ℨß.
Coque in urina *pueri*:
℞. *Colatur.* ℨij. adde
Mell. despum. ℨj.
Ol. destillat. carvi ℈j.
Misce pro Clystere in tympanitide. Vel

℞. *Spec. carmin.* M. j.
Rad. levist. ℥vj.
Sem. anisi ℨiij.
Coque in s. q. *urinæ hum.*
℞. *Colatur.* ℥vj. ad ℥viij.
adde
Elect. de bacc. lauri ℥vj.
Mell. mercurial. ℨj.
Sal. ciner. clavell. vel *vitri antimoniati.* ℨß.
M. f. Enema.

SECTIO IV.

DE

ASSUMPTORUM IN STOMACHO RETENTIONIS LÆSIONE.

CAPUT I.

DE

VOMITU ET NAUSEA.

Notum est, quod omnia alimenta, quæ per os ingeruntur, trasmittantur ad stomachum, ut ibidem retineantur, digerantur, & in salsum tertium transmutentur, tandem digesta naturaliter per pylorū seu inferius stomachi orificium transire debeant: Si autem fiat, ut hujusmodi ingesta rejiciantur denuò per os sursū ex stomacho, est motus præternaturalis. In eum namque finem est constructum œsophagi iter, ut alimenta assumpta deriventur in ventriculum: quando verò varia humida, sanguis, pus, acida, biliosa, &c. subinde per superius ejus orificium & connexum œsophagum ejiciuntur, vocatur Vomitus, quem ordinariò nausea præcedere solet. Jam quod attinet *Vomitum*: *Vomitus* revera nil aliud est, quàm convulsio pylori, qui nervosus & fibrosus est, & hinc systole totius ventriculi per irritationem imprimis orificii superioris gravem & nimiam; Dum enim, ut omnium optimè HELMONTIUS expressit *Tract. Pyl. Rect.* §. 2. 6. 21, pylorus irritatus fortiter se contrahit, & constringit, fit, ut continuato fibrarum

brarum tractu, subitò sequatur motus totius ventriculi peristalticus inversus, qui à pyloro progreditur usque ad stomachum, & in orificio sinistro terminatur: idque propter fibras nerveas, tàm circulares quàm transversas, stomachi tunicam mediam intertexentes, & in specie ab orificio sinistro ad dextrum protensas, similiter constrictas; hanc pylori & totius stomachi convulsionem ad orificium sinistrum usque sequitur similis gulæ convulsio, indeque omnium contentorum ex stomacho in gulam, & sic per consequens ex gula in os protusio. Est enim pylorus, uti rectè inquit HELMONTIUS, Rector & Præses retentionis & transmissionis alimentorum in stomacho, & omnium in stomacho reperibilium & excretorum; unde in Pyloro subest ista pars, quæ in vomitu affligitur, dum sui aperturâ naturali transmittit inferiora versus ventriculi contenta, & sui contracturâ præternaturali superiora versus regurgitare facit eadem ipsa contenta. Vera esse ea, quæ modò dixi, confirmat ocularis experientia: Conferatur, quoad vomendi modum, OLAUS RUDBECK, *Professor Suecus*, Anatomicus insignis, *in suis Observationibus anatomicis*, HEMSTERHUSII *Messi aureæ annexis in Octavo*: Hic *in Observat. 20. p. 309.* ita inquit: *canis vivus dissectus vomitionis actum palam fecit: primò pylorus se contrahebat, mox systole totius ventriculi ab orificio inferiori ad superius sequebatur, ac tandem œsophagi materiam effundentis.* Confer. simul de modo KERKRINGIUS *spicil. anatomico observ.* 1. de vomitu lethali à nummo deglutito, & intra circulum pylori hærente, ac WILLIS *in Pharmac. Rationali Part. 1. sect. 2. c. 1. p. 83.*, ubi, quo modo fiat vomitus? explicat; item quæ habet HELMONTIUS *allegatus*, quando ait: *Si aperto pyloro vomitus contingeret, in duodenum maxima evomendorum pars decideret*: unde hujus pylori primarium est peccatum in iis, qui lienteriâ corripiuntur.

Nausea præcedit vomitum; quæ *nausea* vulgò dicitur laxatio nimia orificii superioris; quod tamen omni nò falsum est: quin potius nihil aliud est, quàm inane vomendi desiderium, & consistit in nimia orificii superioris vel sinistri ventriculi clausura, & firmiore constrictione, propter irritationem ejus loci à re molesta factam; quod innuere videtur RIVERIUS, quando in *Praxi l. 9. c. 7.* orificii dicti robur accusat: sicut fortior constrictio pylori dat vomitum. Nam quod in nausea adsit talis constrictio & angustatio orificii stomachi superioris, patet ex eo, quod nausea reverà sit species fastidii, quo aliquid abhorremus, & differt à vomitu secundùm magis & minus: quando enim vel integer stomachus, vel speciatim orificium ejus superius seu sinistrum à re molesta vellicatur, & hoc exinde nonnihil convellitur, fit nausea; unde in omni fastidio, & in specie in nausea, tam difficulter deglutimus, dum boli deglutiti in gula circa orificium superius ventriculi hærere videntur, & ulterius propter nauseam & ventriculi constrictionem inferiora versus descendere non possunt. Deinde, quando comedimus nauseantes aliquid, tunc sanè post deglutitionem rei molestæ sequitur ructus, non verò antè; quia scilicet anteà stomachus erat clausus, qui per intrusionem deglutiti aperitur, & sic sequitur ructus. Qui nauseant ex vino, post nauseam ructant cum molestia & difficultate: hinc est, quod, quando audimus res horridas, vel quando olfacimus res ingratas, hoc ipso nauseamus, dum totus stomachus ex contrarietate, & bina ejus orificia se quasi contrahunt. Claudit se orificium superius ex quodam horrore Objecti molesti, quod fastidit; unde si nauseantibus res ingrata detrudatur, hoc ipsum sæpius, antequam stomachum intrat, per superiora reiicitur, ex pertinaci scilicet stomachi clausura. Est igitur nausea stomachi quædam constrictio respuentis rem ingratam: sicut si continuetur irritatio à re molesta istius loci, ita ut fibræ exinde usque ad pylorum protensæ exindè convellantur, adeòque fortior pylori, & consequenter totius stomachi, superveniat strictura, & convulsivus spasmus, nauseam sequitur vomitus: vid. HELMONTIUS *in Tr. Pylor. Rector.* Orificium enim inferius superiori magis est robustum, unde & fortius, superius verò magis sensibile; unde illud in vomitu necessariò vi convellitur, superius autem se aperire, & pressuræ pylori cedere debet.

Cùm ergò constet, vomitum esse constrictionem convulsivam, patet, illum referendum esse inter actus non voluntarios, adeò ut rarus sit vomitus voluntarius: quale exemplum BARTHOLINUS *C. 1. Histor. anat. 79.* observavit. In his certè voluntariè vomentibus videtur adesse similis stomachi structura, atque est in hominibus ruminantibus: qualia exempla etiam videre potestis in AQUAPENDENTE, & in HORSTII *Obs. l. 4. Obs. 9.* & citato BARTOLINO *C. 5. Histor. 36.* in Monacho ruminante, cui duo cornua quasi procreverunt. Nempè in his ruminantibus observatus fuit stomachus solito fibrosior & carnosior, quasi vestimento musculoso esset indutus, ratione cujus, tanquam per musculos, voluntariè movetur stomachus, & fit regurgitatio ciborum in os pro ruminatione; aut voluntariò reiiciuntur penitus per vomitum. Musculi enim, uti notum, sunt instrumentum motus.

PARS AFFECTA.

Subjectum nauseæ & vomitus, seu *Pars affecta*, est ventriculus, & quidem ratione orificii sinistri in nausea; ratione pylori autem in vomitu.

CAUSÆ.

Quod attinet Causas vomitus & Nauseæ: *Causa proxima* est, quicquid vehementer irritare, h. e. difficili molestiæ sensu afficere potest orificium stomachi superius & inferius; hinc enim fit, ut, irritatis fibris nerveis, copiosiùs eò deriventur spiritus animales, à quibus impetuosiùs irruentibus, convulsivus stomachi excitatur motus. Irritatio autem est præternaturalis molestia, ac violenta sensatio: sensatio est violenta impressio, ab objecto facta in parte sensibili; quæ impressio in partibus externis vocatur *dolor*, in internis vocatur *irritatio*. Si ergò adest irritatio superioris orificii, fit nausea; sin inferioris, fit vomitus.

Quæritur: *Si in nausea orificium superius sit strictum, quomodo fiat vomitus? quomodo strictura?* Resp. Testatur id structura anatomica ventriculi, quod pylorus longè robustior & nervosior sit, quàm superius orificium; inferius enim in motu, superius verò in sensu præpollet. Licet stringantur æqualiter & in nausea & in vomitu, validior tamen est clausura pylori, unde sequitur motus stomachi peristalticus inversus, & superior strictura debilis cedere debet. N.B.

Causa remota est omne id, quod quacunque ratione molestiæ insignioris sensu stomachum afficere potest.

DIFFERENTIÆ.

Ratione hujus observandæ sunt Differentiæ vomitus, quando vomitus est vel *naturalis*, vel *artificialis*. *Artificialis* elicitur arte, vel mechanicâ, dum intruditur digitus in os; vel pharmaceuticâ, scilicet per remedia vomitoria stomacho ingrata.

Naturalis vomitus est vel spontaneus, vel nõ spontaneus: *Ille* est, quam instituit natura, irritate à quadam materia vitiosa & stomacho molesta; estque iste, qui vulgò oriri dicitur ab errore externo, nempè ab assumptis, v. g. alimentis pinguioribus, vel ingurgitato nimio potu: *Hic*, seu *non spontaneus* verò est vel *morbosus*, seu etiam præternaturalis, quando ea vomuntur, quæ vomi non debebant, v. g. sanguis; & oritur vi morbi affligentis stomachum. Hic iterum est vel *symptomaticus*, qui occasione alterius morbi, certo modo per consensum stomachum afficientis, evenit, ut in paroxysmis febrium intermittentium; vel denique est *criticus*, qui evenit in statu morbi, beneficio naturæ solventis & emittentis materiam morbificam coctam, & se ipsam cum salute ægri exonerantis. *Symptomaticus* est vel per essentiam primariò affecto stomacho, vel per consensum secundariò eodem laborante. Si *per essentiam* seu primariò stomachus laborat, causa irritans, i. e. humores seu excrementa acria, vel in eo generantur, vel aliunde eò deferuntur; in specie vel ex copiosis arteriis stomachum ubique cingentibus; vel ex intestinis, in specie duodeno, per vitiosam regurgitationem succi biliosi & pancreatici in ventriculum. Formale vomitus est in motu. *Vomitus per consensum* fit, si ob connexionem nerveam cum alia parte affectâ sequitur vomitus: e. g. ex plaga capitis: *Vomitus* ratione materiæ excretæ alius est *alimentorum*, alius *medicamentorum*, alius *purulentus*, aliusque *sanguineus*. Ulteriùs *vomitus* ratione efficientis remoti est, vel *voluntarius*, vel *coactus*: de voluntario *supra dixi*; coactus seu *non voluntarius* est ordinarius, scilicet si quis vomit coactâ voluntate.

Per essentiam fit vomitus propter causam irritantem in stomacho existentem, quæ sunt vel contenta liquida, vel ipse ventriculus affectus, v. g. inflammatus, vulneratus, aut

aut exulceratus, aut excoriatus, adeòque facilè irritabilis. Prior causa infert vomitus leviores, facilèque curabiles: Posterior verò contumaciores, interdum lethales. Imprimis vomitus admodum diuturni & continui, aut qui nullis cedere volunt remediis, sæpius vitium vel pylori, vel partis solidè adhærentis præsupponunt, ita ut hic sit vel omninò occlusus, vel scirrhosus, vel tumore alio affectus, cujus non pauca hinc indè prostant exempla. Sic SALMUTH C. 1. *Histor.* 20. dicit: quod scirrhus pylori interdum eveniat Hypochondriacis, qui vomitus continuos ciborum inducat: item BARTHOLINUS C. 4. *Hist.* 47. ex pyloro, callo obducto, vomitus continuos observat: RHODIUS *Cent.* 2. *Observatione* 63. habet vomitum perpetuum à *steatomate*, (quod est certa quædam excrescentia ventriculi) utrique scilicet orificio adnato. Vomitum ex ulcere vidit HILDANUS C. 5. *Observ.* 36, ex fistula SCHNEIDERUS *de Catarrhis*: speciatim *p.* 439. & ex gangræna BALLONIUS *Libr.* 1. *Consil.* 43. Sicut in morbis malignis post vomitus continuos & contumaces, atque insequentem mortem, observatum fuit, quod eschara quasi & incipiens gangræna in eorum stomacho reperta fuerit. Pertinent huc *Vomitus Scorbuticorum*, sæpius contumacissimi propter sal acre scorbuticum, vel cum saliva, vel per arterias, vel quacunque ratione ad stomachum delatum, eundem pertinaciùs vellicans.

Hæ & similes causæ imprimis inducunt Vomitum per essentiam.

Quod attinet contenta liquida Vomitus inferentia: sunt vel assumpta, vel retenta, vel transmutata, vel transmissa errore quodam ex intestinis. Ad transmissa pertinet vomitus in principio paroxysmorum febrium intermittentium, dum nempè succi ex pancreate & felle in intestinum duodenum effusi, violenter effervescendo pylorum irritant vicinum, aut etiam in ipsum stomachum regurgitant, & ita vomitum inferunt: item si bilis per insertionem ductus cholodochi vitiosam, item sanguis congrumatus, pus, (aut extra vasa ventriculo propria effusa, aut cum aliis humoribus ex vicinis membris, imo toto corpore, huc derivata,) huc deferantur: quò etiam fæces alvi spectant, in iliaca passione interdum vomitu rejectæ, & clysteres & suppositoria vomitu rejecta. Mirabilia interdum excreta ex stomacho per vomitum sunt rejecta, inter quæ est rete illud artificio quasi humano contextum, de quo vid. KERKRINGIUS *in spic. l. anatom. Observ.* 6. Observatus etiam fuit vomitus butyraceus, licèt æger butyrum non comederit; sericeus, cochlearum, bufonum, lacertarum: vid. BARTHOLINUS C. 5. *Histor.* 94. & SCHENKIUS *Obs.* & M. A. N. C. *ann.* 3. Notum est, quod assumpta, sive quantitate nimiâ ingesta, ut commessationibus & crapulis dediti experiuntur, sive qualitate quacunque vitiosa, acria & rancida, pinguia, laxantia gulam & pylorum, aut ventriculo aliàs inimica & molesta, & præprimis, quæ vel individuali fastidio abhorremus, vel antimonialia, mercurialia, aut similia acria, irritando stomachi tunicam nerveam, scilicet vomitoria & venena, vel quæ in eodem facilè corrumpuntur, quod gulonibus, item infantibus lactantibus frequens malum, vomitum, inferant. sicuti videmus tantillum odoris antimonialis (ita rectè cum HELMONTIO vocatur) quod impregnat Vinum infusionis antimonii, citra corporalem ejus motum, stupendos non rarò inducere vomitus. Ita ab arsenico vomitum lethalem SALMUTH C. 1. *Obs.* 10: ab helleboro albo BONETTUS *Sepulchret. l.* 3. *sect.* 8. *obs.* 6: ab assumpta Gilla Theophrasti HEINRICUS *ab* HEER *Obs. opp. dorav. Obs.* 26: ex abusu infusi agarici & foliorum sennæ LIBAVIUS *in Cista Med.* HORNUNGII *Epist.* 76: & à croco metallorum HILDANUS *Cent.* 4. *Obs.* 51. *atque* 79. annotarunt. Furor enim Archei stimulati contractis fibris conatur ventriculo ejicere contenta. Faciunt huc etiam pinguia, aut crebriùs aut etiam copiosiùs assumpta; idque duplici ex ratione: pinguia enim ceu difficillimè digestibilia, reluctando fermento acidosalino, non leves inferunt molestias & gravant stomachum: præterea orificium superius laxant; unde, dum ex irritatione horum supervenit pylori constrictio, ex laxitate stomachi facilè supervenit vomitus post pinguia. Huc pertinent decem uvæ ultra tres menses succi plenæ rejectæ, quarum mentionem facit KERKRINGIUS *loco alleg.*; & pisces eadem ratione excretus, qualem BORELLUS *Cent.* 1. *Obs.* 9. vidit: item suo modo vomitus sebaceus in M. A. N. C. *ann.* 3. *Obs.* 253.

Retenta sunt v. g. recrementa post digestionem primam in stomacho: Transmutata sunt Cruditates variæ, nidorosæ, & acidæ: Quò etiam pertinent vermes, nauseam & vomitum excitantes: de quibus RIVERIUS *Cent.* 1. *Obs.* 28, & BARTHOLINUS *Cent.* 1. *Histor.* 47, & C. 3. *Hist.* 14, M. A. N. C. *ann.* 3. *Obs.* 258, & MOEBIUS *Instit. Med. lib.* 2. *P.* 2. *c.* 5. *p.* 183.

Vomitus per consensum seu secundarius est ferè frequentissimus, & fit, si causa conjuncta sit extra ventriculum, motusque hi ab extraneo quodam ipsi imprimantur. Partes ventriculum in consensum trahentes duplicis generis sunt: ita ut vel ratione continuitatis, quæ partibus cum ventriculo intercedit, œsophago scilicet, diaphragmati & intestinis, vel ratione istarum partium, cum quibus stomacho, intervenientibus nervis, est connexus; nervorum enim affectio est sentire & consentire. Sic œsophagi pars superior, si digito tantùm vel quocunque modo irritetur, si non statim vomitum, vomendi tamen conatum, excitat: diaphragmatis concussio tussim, illiusque validior concussio, vomitum pedissequum habens, confirmat: cujus phænomeni ratio, præter viscerum omnium abdominis, hinc ventriculi propter vehementiorem compressionem, partium est continuitas, quam cum ventriculi orificio superiore diaphragmatis fibræ celebrant; licet communionem neruorum, quæ partes has duas intercedit, aliquid huc conferre, non adeo improbabile sit. Intestinorum tandem affectus eo modo accusandi sunt, quatenus iisdem illorum motus peristalticus vel in totum, vel ex parte invertitur, eoque ad ventriculum continuato, hic exagitatur, & concutitur: hinc notoriè sequitur vomitus in dysenteria, passione colica, iliaca, & vermibus, propter consensum tunicarum interiorum, ventriculo & intestinis continuarum. Sic interdum dolorem colicum excipit vomitus propter contiguitatem stomachi; nam etiam consensus superficialis cum stomacho talem vomitum facit. Curavi nuper Hypochondriacum graui dolore coli superiori hyeme in hypochondrio sinistro affectum, qui continuos vel vomitus, vel inanes vomendi conatus patiebatur; cum enim dolor fuerit in sinistro latere, in quo splen insons ut plurimum reperitur, facilè patet, quod fuerit per consensum, quem etiam postmodum curavi. Quæ per communes sibi neruos mouent vomitus, sunt præsertim caput, renes, hepar, atque lien: Sic in nephritide, seu renibus calculo affectis, ordinariò superuenit vomitus, quia renes ex eodem plexu mesenterii hauriunt neruos, ex quibus nonnulli ad stomachum deriuantur: pariter ac abdominis reliqua viscera vomitus sympatheticos excitant, qui à solis illorum spasmis deduci debent, quoniam neruos à plexibus mesenterii communes cum ventriculo possident: item in passionibus mulierum hystericis crebriùs oriuntur vomitus, & quidem interdum salubres; nam in his partes membranosæ insigniter conuelluntur: item in contusionibus cranii, aliisue similibus vulneribus capitis sæpissimè superueniunt biliosi vomitus, propter membranas cerebri, stomacho & reliquis partibus, præsertim internis, plus minus communes; aut genus neruosum ad inordinatum motum concitatum, quod colligitur à tremore, conuulsionibus & deliriis, eundem vomitum concitantibus. Hinc HIPPOCRATI tales vomitus *Coac. Præn. sect.* 5. §. 384. periculosissimi, ob causam, scilicet genus neruosum admodum irritatum, veniunt. In specie mulieres patiuntur vomitus insignes, non tamen per essentiam, propter suppressionem menstruorum, sed etiam per consensũ, quando nempe virorum sunt cupidæ, ob spiritus animales affectos, & indè succum fermentatiuum stomachi alteratũ: vid. HILDANUS C. 4. *Obs.* 32, ubi rectè dicit, quod sæpè vomitus diuturnus & pertinax affligat viduas, moniales, & virgines adultas, defectu Veneris, & vitio liquoris genitalis in iisdem retenti: item THEODATUS *in Valetudin. p.* 172. recenset vomitus contumaces, eosque periodicos siue certo tempore affligentes, ex retento in muliere semine post remissionem coitus: ita HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 137. *Edit. in* 12. habet exemplum vomitus post quamcunque cibationem, oborti ob mensium suppressionem, accedente simul quadam pectoris constrictione. Quò etiam referendi vomitus spontanei salutares, qui periodicè infestant nonnullos, idque ferè ex viscerum abdominis, ventriculo plus minus vicinorum vel connexorum uitio: tale exemplum refert SCHENCKIUS *lib.* 3. *Obs.* 1, dum quidam singulis mensibus per biduum bilem utramque & cum pituita conjunctam vomere solitus, vitam ad multos annos produxit. Hi omnes vomitus spiritus ani-

animales variè affectos pro causa agnoscunt, ut superiùs dixi: Imprimis ii hoc malo vexantur, qui vitio nonnullo splenis sunt affecti, ut videre est apud Forestum in lib. 18. Obs. 17. de quodam, qui circa lienem subindè dolebat, idque per certa intervalla, unde certis ferè periodis humorem melancholicum (uti loqui amat FORESTUS) sæpè etiam omninò atrum, evomuit: Sic BORELLUS *in C. 3. Obs. 93. p. 270. & 279.* insigniter commendat utilitatem vomitus menstrui: & apud PANAROLLUM *in Pent. 1. Obs. 22.* habetur vomitus matutinus ordinarius, multa admodum symptomata præservans; item vomitus septennis salutaris in puella ob mensium suppressionem. In gravidis primis & ultimis mensibus vomitus obvius est: Sicut LOTICHIUS *Obs. pag. 442.* refert, quod signum conceptionis in viragine extiterit: ZACUTUS LUSITANUS *l. 2. Prax. Obs. 13.* de quodam, qui singulis mensibus, duobus diebus, quatuordecim vel 15. libras per vomitum excernebat humoris nigerrimi & pici liquidæ similis, qui exinde omnino salvus ad annum 80. produxit vitam; & *Obs. sequenti* refert, quendam tribus quibusvis mensibus atrabilario vomitu periodico laborantem usu chalybis curatum, apertis hæmorrhoidibus, per quas evacuabatur sanguis; & *lib 3. Prax. admir. Obs. 115.* recenset perniciosissimum vomitum menstruum seu singulis mensibus materiæ, massæ globiformis instar, concretæ. Facit huc vomitus studiò prolectus in hypochondriacis, si scilicet singulis mensibus, aut sex hebdomadibus, semel largiùs mero se ingurgitant, & hinc vomitum artificialem non citra sanitatis commodum instituunt. Elegans quoque & admodum ridiculum est exemplum PLATERI *in Observ. p. 655.* de frequenti vomitu, post amputatum caput secuto: Simile inter rara referendum est exemplum BARTHOLINI *C. 4. Histor. 44.* de vomitu contagioso in familia quadam, qui malignitatis fuit suspectus, & similiter alios per contagium affecit. Pertinet huc vomitus continuus lethalis ex corruptione & sphacelo pancreatis, quod cùm substratum sit ventriculo, sphacelosum factum, illum facilè irritare potuit: vid. BARBETTE *in sua Praxi l. 4. c. 2.* Item vomitus contumax lethalis ob pancreas lapidosum vel scirrhosum factum, recensetur à PANAROLLO *Pentec. 1. Obs. 44.* Inter uomitus causas est & depressio cartilaginis mucronatæ, quam BARBETTE *Anat. Pract. l. 4. c. 4.* & DECKERS *in Praxin ejus p. 156.* annotarunt.

Inter ea, quæ vomuntur, etiam est pus, & sanguis purulentus & cruentus.

Spleneticis valdè familiares sunt Vomitus quicunque continui, tam cruenti, quàm non-cruenti. *Vomitus splenetici non-cruenti* subinde periodicè nonnullos affligunt, præcedente non rarò dolore tensivo circa regionem splenis, idque cum talium ægrorum euphoria: vid. FORESTUS *l. 18. Observ. 17.* item BORELLUS *Cent. 3. Obs. 93.* & in *Append. dictæ Centur. pag. 279.*

Vomitus puris fit ex variis locis, pure vel in ipso ventriculo ex hujus abscessu, ratione ductus continui, v. g. œsophagi & intestinorum, vel ex aliis partibus per metastasin translato ad stomachum: quòd testantur observationes, abscessus hepatis, pancreatis, lienis, mensenterii, &c. fuisse evacuatos per vomitum, quatenus ratione arteriæ cœliacæ & venæ portæ communicant: sicut ab abscessu hepatis vomitu rejectum pus BONETTUS *in sepulcbr. l. 4. Obs. 40.* testatur: de quibus *infrà plura*, ubi *de Inflammationibus*.

De *Vomitu sanguinis* tractabo *infrà peculiari capite*.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*: de illis vix opus est, ut multa dicam, cum satis manifesta sint: Imminente enim vomitu patiuntur ægri aliquam molestiam circa præcordia, & monstrant regionem cordis: huic supervenit vertigo, cum qua salivæ copiosus fluxus evenit, tremor labii inferioris, tandem violentus conatus stomachi, quo reiiciuntur omnia in stomacho.

Causæ autem quia variant, determinantur hoc modo: Differentia nempè vomitus per essentiam & per consensū probe attendenda est, quia in hac versatur cardo totius curæ, & artificiali conjecturâ hic opus est.

Nempe vomitum esse *per consensum hariolamur*, si partes quædam suo modo consentiunt cum stomacho, vel ob vicinitatem texturæ cum nervis affectæ, ita ut vel doleat, vel passa læsionem plus minus sensilem, subitò superveniat vomitus, stomacho antea robusto.

Sæpè affectus hi per consensum, ratione originis sunt adeò occulti, ut non nisi artificiali signorum syndrome præcognoscantur, donec manifesti fiant: v. g. interdum calculus & colica faciunt vomitus, ubi calculus non statim sentitur: attentus ergò in hoc sit Medicus.

In specie vomitus *per essentiam cognoscitur*, si post repetitos vomitus, & stomacho exinanito sæpè supersit inanis vomendi conatus, illius gravitas, tensio & inflatio, cibi fastidium, ructus acidi vel nidorosi, similiaque signa observantur: Et quidem, si tumor vel ulcus subsit, nullis remediis mitigari potest excretio, imò pus in posteriore casu simul excernitur: Sin verò vulnus, ex loco aliisque illius circumstantiis hoc concludere licet.

Quod si verò per consensum laborat stomachus, patet. Si aliquando ante vomitum percipitur quædam molestia in regione stomachi, si primo vel secundo die percipitur nausea, vomitus ipse est contumax, nullaque arte corrigibilis, & omne assumptum denuò reiicitur; & quidem, si nulla sit suspicio partium contiguarum, talis vomitus oritur ob vitium singulare in stomacho vel partibus vicinis, ob scirrhum aut callum, aut simile vitium.

Utrum verò humor ad vomitum stimulans in cavitate ventriculi liberè fluctuet? vel rugis aut tunicis ipsius inhæreat? dignoscitur: quod ille leuissimo conatu & sine alimento reiiciatur, contingat à pastu quædam ventriculi tensio & anxietas; aut si post pastum vomitus contingat, ut plurimum soli tamen humores vitiosi excernuntur: hic verò ab ingestis præprimis demum cibis contingit, citra verò illos nausea admodum molestat, & reiiciuntur alimenta sine humoribus, aut cum illis maximo demum cum connatu viscidi & crassi valde.

PROGNOSIS.

Prognostica quod spectat: In genere vomitus omnis, qui non est nimius, ut plurimum est salutaris.

In specie causæ remotæ ante omnia probè considerandæ sunt, cum ipsis vomendi conditionibus, cùm pro earum ratione variet Prognosis. Hinc enim vomitus, qui est à causa externa, vel ex mensium suppressione, qualis in gravidis, vel vomitus in principio morborum spontaneus non nimius, vel vomitus in declinatione morborum Criticus, potius salutares sunt, quàm periculosi: Sin verò nimius, à pharmaco præsertim aut veneno, vitæ periculum portendit.

Si à tumore similique conformationis uentriculi morbo contingit, pro hujus faciliori aut difficiliori curâ de uomitu sedando modò major modò minor spes est:

Vomitus ab humore uiscido difficillimè curatur, dum HILDANUS *Cent. 4. Obs. 32.* de quadam Religiosa refert; eam per 31. annos singulis diebus pituitam uiscidam, bile interdum intermixtam, euomuisse.

Vomitus chyli & alimentorum frequentior, malus est, potissimum si cum febre fiat: vid. HIPPOCRATES *Sect. 7. aphor. 37.* Semper enim ratione excretorum obseruandus est *aphor. 2. Sect. 1.* in Vomitionibus, quæ sponte fiunt, si qualia oportet, euacuentur.

Vomitus liuidus, præsertim plus minus graueolens, aut uomitus uermium, superueniens in morbis, præsertim malignis: item uomitus humoris fusci & obscurè nigricantis ut plurimùm sunt lethales.

In morbis malignis uomitus continuus & protractus pessimum signum est.

Ordinarium quidem est, ut in morbis malignis ex contagio haustis in principio morbi adsit nausea & uomendi conatus: Sed si in progressu morbi superueniat uomitus, isque pertinaciter perduret, pessimum est signum, & plerumque mors sequitur. In benignis morbis optimum signum est uomitus, siue in principio sit, siue in statu, ut fit in febribus intermittentibus, ardentibus benignis; innuit enim uim naturæ adhuc laudabilem.

Vomitus, qui superueniunt casui ab alto, percussioni, & aliis læsionibus capitis, funestum sunt signum; innuunt enim grauem læsionem cerebri, cranii & meningum, & nisi tempestiuè instituatur trepanatio, mors superuenit.

Vomitus hypochondriacorum & scorbuticorum, item spleneticorum, aut qui lienis & aliorum uiscerum scirrho, aliisque chronicis laborant affectibus, periodicus, est saluberrimus: cui superuenientes hemorrhoides leuamen morbi certum tutumque afferunt.

Vomitus porraceus, æruginosus, nigricans, item ex multis humoribus constans, seu variegatus ac fœtidus, valdè periculosus est: vid. HIPPOCRATES *Prognost. loco allegato* §. 11. 12. &c. & RIVERIUS *l. a.*; nisi tales à certorum ciborum cruditate aut corruptione proveniant: niger verò, qui affectibus melancholicis obnoxiis, aut quibus ab assumptis talis contingit, non semper est periculosus.

Vomitus ex pituita & bile permixtus, uti commodissimus est; ita sincerior, seu pituitosus aut biliosus tantùm, deterior observatur: vid. HIPPOCRATES *Prognostic. Text.* 12. §. 9. & 10. & *l.* 1. *Prædiction. Textu* 881. item RIVERIUS *Prax. l.* 9. *c.* 7. *p.* 413. & 414.

Pariter stercum alvi & ano injectorū vomitio semper lethalis existit: vermium verò aliorumque toto genere præter naturam rejectio, utut ratione causæ mala quidem sit, bona tamen ratione effectus dicitur.

Denique Vomitus Criticus est laudabilis, symptomaticus verò periculosus: vid. DECKERS *in Praxi Barbett. pag.* 128.

Modò attendamus Causas, faciles erimus in Prognosi.

CURA.

Quod attinet methodum medendi: in hac

1. Causarum remotarum irritantium habenda est ratio, eæque ante omnia removendæ, sive per essentiam sive per consensum vomitum inferant: quod etiam de nausea intelligendum.
2. Sensus ventriculi, speciatim pylori, acutus, & nimius spirituum impetus, ceu causa efficiens formalis, opiatis aut similibus anodynis, quippè quæ non parum auxilii in his affectibus præstant, leniendus & sufflaminandus.
3. Medicamenta ventriculo grata aromatica volatilia suaveolentia, admistis blandè acidis adstringentibus pro fibrarum debito tono firmando, & labefactato restituendo, usurpanda.

Pro his scopis obtinendis observandum:

I. Non quemlibet vomitum esse sistendum: non spontaneum, aut motum instinctu naturæ, sed saltem eum, qui aut nimius aut symptomaticus, adeoque ex vi causæ morbosæ cum virium ægri dispendio accidit. Vomitus Criticus sinendus est, nisi sit nimius: vomitus mulierum gravidarum non est supprimendus, nisi excedat, quia tunc evacuatur corpus primis mensibus, & puerperium inde ipsis salubre evenit; non tamen excedat modum. Pluribus evenit in principio morbi vomitus, qui non sistendus; sed si maturè vult supprimi, illum promoveamus.

II. In vomitu scorbutico non conveniunt calida aut acria aromatica, quæ malum magis exasperant, sed potiùs absorbentia seu acrimoniam salis scorbutici mitigantia & temperantia; qualia sunt lapilli cancrorum, ebur sine igne, corallia, antimonium diaphoreticum, item juxta EUGALENUM lac, præprimis caprillum, cum succo nasturtii aut cochleariæ mistum; ut sic cessante acrimonia cesset vomitus: vid. DORINGIUS *Centur.* 2. *Ep. vel.* 30.

III. Vomitum sanguinis citò compescere optimè est, aliàs ob copiosam perfusionem sanguinis ac spirituum sequuntur lipothymiæ ac syncopes lethales.

IV. In vermibus semper procurandus, nec alvus sit adstricta, sed alternis ad minimum diebus, vel arte, vel natura, alvi dejectio promovenda.

V. In omni Vomitu unicè observetur, ne alvus sit adstricta, sed quantum modò possibile est, aperta teneatur, vel arte vel naturâ: hinc lenes clysteres tantùm non in omni vomitu, imprimis contumaci, commendantur, ut, quod irritat ventriculum, derivetur ad intestina, & eliminetur. Iidem tamen in pauca quantitate injiciantur, ne ventriculi fundus colo incumbens exindè comprimatur & irritetur: conf. GABELCHOVERUS *Cent.* 2. *Cur.* 43. Purgans blandum interdum convenit, quod revellendo simul videtur operari, quale *ex superioribus de appetitus læsione* petere licet; cui tamen tantillum opii addendum.

VI. Somnus, quantum fieri potest, conciliandus: Nam & hic motum humorum quemcunque, tam progressivum quàm intestinum, sistit, irritationes lenit, & evacuationem quamcunque cohibet.

VII. Ab errore externo, imprimis à veneno ingesto, si fit vomitus, non est sistendus, sed tamdiu hic usu remediorum continuandus, quamdiu est suspicio veneni aliquid adhuc superesse, & medicamenta in ventriculo remaneant. Promoventur in tali casu vomitus, assumendo potulenta, in specie pinguia, acrimoniam excessivam venenorum corrigentia: Omne venenum vegetabile & minerale consistit in excessiva acrimonia nobis hostili; non verò ita res se habet cum animalibus, ubi alia ratio.

VIII. In nausea, inappetentia seu anorexia, & similibus stomachi humoralibus affectibus, maturè his occurrēdum, nec diu cum vomitoriis cunctandum, ne præternaturalibus humoribus aliorsum raptis, frustra instituatur vomitio: Conf. M. A. N. C. *ann.* 8 *Obs.* 42. *p.* 71.

Quod ergò attinet remedia ad vomitum directa: quæcunque causa sit irritans, removenda, sive sit per essentiam vomitus, sive per consensum. Curato enim morbo, hoc ipso curatur vomitus, sive curato ileo, curatus etiam est Vomitus; Unde si fuerit per essentiam vomitus, evacuanda est causa irritans. Causam autem, quæ removent, sunt varia, pro causarum varietate. Pro hoc scopo usurpant quidam Vomitorium, & quidem mediocre, præprimis si assumpta copiosiora prava & quocunque modo stimulantia, item humores excrementitii in ventriculo tale quid præstent: vid. VALLESIUS 2. *Epidem. Lect.* 5. HOFFMANNUS M. M. *l.* 1. *c.* 9. & RIVERIUS *l. a p.* 414. *c.* y. *In stomacho visceso, qui omnia evomebat, & phlegma tamen elevare non poterat*, proficuum erat sequens:

℞. *Aquæ Menth.* ℥iiß.
Cinnam. ℥vj.
Spiritus Matricb. ℥iij.
Theriacal. camphor.
Essent. Croci an. ℥iß.
Spiritus salis dulc. gutt. xv.
Syr. nicotianæ ℥j.
M. f. *Potio*, S.
Mixtura stomachalis dissolvens, cochleatim sumenda.

Aut etiam blandum purgans suprà jam recommendatum. Utraque interdum ad modernorum imitationem cum parva opii dosi usurpanda: sed rariùs fit; nam vomitus spontè cessat, causâ irritante evacuatâ: Si opus est, salubre est consilium RIVERII, quod *dabatur infra in doloribus Colicis.* Quod si verò per consensum vomitus fuerit, curato primario morbo, etiam curabitur vomitus: hinc v. g. qui à partium inflammatione, turgescentia sanguinis enormi, aut solenni quadam illius excretione suppressa, optimè venæ sectione curatur, ventriculo ut tali aliàs minus adæquato remedio: vid. RHODIUS *c.* 2. *Obs.* 66. & 67. BARBETTE *Prax l. a. c.* 2. & WILLISIUS *Pharm. rat. P.* 1. *S.* 2. *cap.* 3. Intereà saltem sistatur opiatis sensus consensus.

Quæ irritationem stomachi sensibilem, & nimium spirituum impetum compescunt, sunt opiata, & alia anodyna, quatenus spirituum in fibris ventriculi impetum refrænant, sensum stomachi obtundunt, ejusque perceptionem hebetant. Omnes vomitus compescuntur laudano opiato, quod primarium vomitus sistens est, præprimis si à vomitorii nimio impetu tale quid fuerit: vid. SYLVIUS *Prax. l.* 1. *c.* 15. & WILLISIUS *loco allegato*. Potest etiam usurpari essentia opii, Theriaca, Mithridatium, Philonium Romanum, Electuarium de ovo, diascordii Fracastorii, quod nobilissimum est; essentia & extractum theriacale cum laudano opiato, syrupus papaveris, crocus, tam internè quàm externè adhibitus: e.g. in vomitu simpliciter compescendo, demulcendo ventriculum nimis irritatum:

℞. *Aq. Menth.* ℥ij.
Mastichin. superiùs descript. ℥ß.
El. diascord. Frac. ℥ij. vel ℥iij.
Succ cydon. ℥vj.
M. f. *Potio*, S.
Potiuncula confortans.

℞. *Aq Menth.* ℥iß.
Cinam. cum vino ℥iij.
Essent. opii ℈j. ad ʒß.
Syr. Menthæ ℥iij.
M. f. *Potio*, S. *ut suprà.*

Expertus etiam est *sequens Bolus* in vomitu, singultu & similibus:

℞. *The-*

℞. *Toeriac.* ʒß.
Laud. opiat. gr. j.
Olei destil. macis gutt. ij.
Cum succ. cydon. f. *Bolus*.
D. S.
Electuarium pro una vice.

His *pro tertio scopo* adjungantur stomachica benè odorata & aromatica, ventriculo grata, quæ in omnibus remediis stomachicis, siue sit nausea siue vomitus, addenda sunt. Nam uti fœtida nauseam inferunt, sic aromatica suaveolentia solantur stomachum. Hæc inter primaria sunt cydonia, & quæcunque cydoniata, in specie Vinum cydoniatum per fermentationem, mentha, absinthium, melissa, radices Zedoariæ & cyperi, cortices citri & aurantiorum, mastix, caryophylli, nux Moschata, macis, præ cæteris cinnamomum, & hinc Aqua cinnamomi simplex & cydoniata, syrupus de canella, seu de Cassia Myns., essentia cinnamomi & Cassiæ ligneæ Myns., Elixyr menthæ, *Aqua Mastichina Mynsichti*, item *Decoctum Ioelis* ad quemvis vomitum præstantissimum ex caryophyllis & Mastiche; quod videb. apud SENNERTUM *l.2. Prax. de Vomitu p.155.* Nempè

℞. *Caryophyll. crassiuscule contus.* ʒ j.
Mastiche ʒß.
Rosar. rub. p. j.
Simul mixta coquantur cum
Vini rubri ℔ß.

In vase clauso ad medias, fit *Potiuncula Ioelis p.124.* Item essentia & spiritus Mastichis, qui est egregius, menthæ, theriacalis camphoratus, Elixyr proprietatis Paracelsi: de quo vid. HORSTIUS *l.4. Obseru.15.*, Elixyr Vitrioli Mynsichti, Balsami Peruviani aliquot guttulæ, & ejus Tinctura ad imitationem Willisii parata; hinc simplicium istorum extracta, & olea destillata. Camphora cum speciebus dia-Moschi assumpta commendatur à RIVERIO. Quoad astringentia, excellunt cydonia, syrupus de rosis siccis, qui blandè adstringit, syrupus coralliorum Quercetani; hinc succus granatorum, acetum vini, rosaceum, præprimis acetum Zedoariæ per Infusionem, optimè convenit: Decoctum & extractum radicis tormentillæ, bistortæ, quo vix præstantius remedium hoc in casu datur; extractum absinthii, ligni aloes. In specie confert spiritus vitrioli cum conserua menthæ, absinthii, rosarum, &c. præsertim spiritus vitrioli Martis, qui primarium specificum est ad sistendum vomitum: nam præter acorem stomacho gratum habet simul saporem adstringentem ob consortium substantiæ metallicæ, quam cum vitriolo secum vehit; ubi etiam spiritus vitrioli Philosophicus, item cum spiritu vitrioli vel spiritu nitri ex terra sigillata paratus *liquor stypticus*: vid. PRÆVOTIUS *p.41. in selectis*. Modus est hic: Terra sigillata Strigensis imbibitur anteà pulverisata cum spiritu Vitrioli, vel spiritu nitri ad consistentiam pultis, quæ puls concrescit in loco frigido in lapidem & fit concretum aluminis. lapis hic tritus & puluerisatus in loco frigido & humido fluit in liquorem, qui liquor blandè acidulus vel solus usurpatur, *nomine liquoris styptici*, ad gutt. XX. vel XXX. vel cum *aquali parte spiritus cerasorum nigrorum* digeritur, donec perfectè unjantur: qui liquor admodum potens est, validè adstringit, & ratione terræ sigillatæ malignitati resistit. Hinc dicitur à PRÆVOTIO & BARTHOLETO *aurum Potabile ex terra sigillata*; quia terræ sigillatæ inest aliquid de primo ente auri. Tinctura Martis adstringens similiter est conveniens, & omnes ex Marte paratæ Tincturæ hic conveniunt. Alumen mixturis additum pro hoc scopo, & adstrictiua & absorbentia terrea primaria sunt, ut Bolus Armena, terra sigillata, Corallia, & omnia ex iis parata medicamenta: Conserua rosarum menthæ vitriolata. Ex his omnibus præ cæteris palmam præripit succus cydoniorum: hinc spiritus vitrioli prodest; Nam spiritus seu oleum vitrioli ad aliquot gutt. v. vel vj. in haustu Vini Malvatici admodum commendatur à RULANDO & HARTMANNO in vomitu diuturno, dosi coch. j. vel ij. donec sistatur vomitus. Alii Mixturam hanc præscribunt ita:

℞. *Aquæ Menthæ* ℥ ij. vel iij.
Cinnam. ʒ vj.
Succi cydon. ℥ j.
Spiritus vitrioli rect. gutt. v. vel vj.
Olei destill. cinnam. gutt. iij.
M. S.
Adstringens potiuncula stomachalis.

Capiatur cochleatim, v. g. cochl. j. per vices & felicissimè operabitur: cui interdum gr. j. vel ij. ad summum gr. iij. *laudani opiati* possunt addi, & sic erit efficacior. Vel

℞. *Aquæ cinnam. simpl.* vel *cydon.* ℥iij.
Spiritus vitrioli ℈ß.
Olei destillat. cinnam. gutt. iij. vel iv.
Syrup. Menthæ, ℥ j.
M. f. *Potio*, S.
Adstringens Mixtura stomachalis.

Item

℞. *Aqu. Menth.*
Rubi Idæi. an. ℥ j ß.
Cinnam. ʒ vj.
Spirit. theriacal simpl. camphorat. ʒ iij.
Succi Cydoniorum ℥ j.
Essent. Ambræ. ℈ß. vel ℈ j.
M. S. ut anteà.

In specie conuenit in vomitu nimio, qui in febribus accidit, cum animi deliquio, aut ubi extrema frigent, propter ambram, quæ stomacho pergrata; ambra enim est optimum analepticum.

Item ubi non sufficit acor adstrictorius, ad alumē confugiendum, quod in omnibus fluxibus sanguinis & aliorum succorum potentissimum est: & sanè insignis Practicus sequentem Mixturam in secretis habet contra vomitum, lienteriam, alvi fluxum & similes affectus, ubi moderatà aut paulo fortiori opus est adstrictione. Formula est hæc:

℞. *Aqu. Menthæ.*
Cinnam. an. ℥ j ß.
(Vel *Aqu. Menth.* ℥ ij.
Cinnam. spirituos. ℥ j.)
adde
Spir. vitrioli ℈ß.
Olei destill. mac. gr. iv. vel v.
Aluminis gr. iv. vel 4.

M. pro *haustula* cochleatim capiendo in vomitu, tam sanguineo quam communi, lienteria, & aliis diarrhæis.
D. S. ut *anteà*.
Vel

℞. *Aq. Menth.* ℥ ij.
Cinnam. cydon. ℥ j.
Spir. Nitri dulc. theriac. ʒ j.
Alum. gr. iv.
Syr. corall. Querc. ʒ vj.
M. f. *Potio*.

℞. *Aq. Menthæ*
Fœnicul.
Cinnam cydon. an. ℥ j ß.
Succi cydon. ℥ j ß.
Liq. styp. supra dict. ℈ j. ad ʒß.
(potenter enim adstringit.)
Syr. corall. Querc. ℥ j.
M. D. S.
Adstringens potiuncula.

Theriacæ ʒ j. cum aceto assumpta etiam confert. Vel paretur Bolus ex *theriaca*, & *spiritu vitrioli* ad gutt. ij. vel iij. In vomitu febrium, præsertim malignarum, remedium elegans est *salis absinth.* ℈ j. cum cochleari succi limon. vel granatorum misti: vid. RIVERIUS *Centur 1 Obseru.15. & C.2 Obseru 99.* E. g.

℞. *Aquæ Cinnam.* ℥ j ß.
Succi Citri ℥ j.
Salis absinth. ʒ j.
Corall. rub. præp. ℈ ij.
Syr. de ros. sicc. ʒ ij. vel iij.
M. S. ut *supra*.

Si pituita crassa in causa sit, pro hujus incisione conueniunt aromatica & incidentia salina, ut spiritus salis vel nitri theriacalis. Sin verò malum ab erosione & inflammatione tunicarum ventriculi, conueniet linctus ex mucilagine seminis psyllii, cydoniorum, cum Syrupo solutiuo: vid. BARBETTE *Prax. loco allegato c.134. & 136.*

Inter *Externa* ad vomitum compescendum, præter illa *de Anorexia relata*, conueniunt crusta panis seu panis tostu, s. aceto vini vel vino adstringente, aut in quo cydonia ebullierint, vel vino maluatico ebrius, hinc pulueribus aromaticis, caryophyllis, cinnamomo, mace, &c. adspersus, & ita externè stomacho calidè applicatur: item spiritus Vini camphoratus, vel Balsamum Anglicum calidè cum linteis multiplicatis sæpiùs admotum, est egregius: item

Item fotus humidus ex Decocto absinthii, menthæ, melissæ, pulegii, & similibus aromaticis in vino vel aceto decoctis, cum linteis multiplicatis vel spongiâ calidè admotus: E. g.

℞. *Comar. absinth.*
Herb. menth. an. M. ij.
Rad. acori veri,
Leuist. an. ℥vj.
Cyperi solaris.
Galang. an. ℥ij.
Mastich. ℥ß.
Caryophyll.
Macis an. ℥ ij.

Concis. & contus. includ. *sacculo interpassato*, in forma *oblonga* vel *triangulari*, qui ita paratus & probè calefactus imponitur stomacho; vel calefactus irroretur cum *vino*, & calidè imponatur parte humidâ stomacho; vel coquatur *in vino, spiritu vini, aceto*, &c. & ita fervidus applicetur.

D. S.
Sacculus extra applicandus.

℞: *Herb. Menth. crispæ* M. ij.
Nuc. Mosch. ℥ß.
Caryophyll. ʒ ij.
Macis,
Cinnam. an. ʒ j.

M. f. *Pulvis grossus*: excipiatur cotone, & includ. sacculo interpassato, irroretur cum *spiritu vini theriacali*, vel *oleo destillato menthæ* ac *baccar. juniperi.*

D. S.
Externæ species stomachales.

Item Theriaca, vel sola, vel cum Balsamo Peruviano probè mista, illinitur externè copiosè regioni stomachali; vel alutæ inducta emplastri formâ admovetur: vel ad imitationem HOECHSTEDTERI irroretur Theriaca cum aceto rubi idæi, & applicetur ragioni stomachali. vid. in *Decade* 7. *Cas.* 6. Item fiant Linimenta suaveolentia ex Theriaca, additis oleis destillatis; vel fiat Linimentum ex oleo nucis Moschatæ expresso, tanquam corpore, cum oleo destillatæ macis, carvi, menthæ, Zedoariæ, &c., & aliquot guttis olei destillati caryophyllor. acuatum externè inungitur: E. g.

℞. *Olei expr. nuc. Moschati* vel *oleo destill. bacc. juniperi* ʒ j ad ʒ ij.
Destillat. Menthæ.
Caryophyll.
Macis an. ℈ß.
Cinnam. gutt. v.
M. D. S.
Balsamus stomachalis.

Item oleum Mastichinum, absinthii, cydoniorum, menthæ, oleum stomachale Cratonis & cum oleis subactum emplastrum stomachale Cratonis, *de Caranna*, quod est singulare; Compositio ejus secundùm BARBETTE *in sua Praxi*, ubi *de vomitu*, *p.*158. est hæc:

℞. *Spec. arom. ros.*
Mastichis el.
Oleo expr. nuc. Moschat. an. ʒ i.
Destillat. cort. citri
Macis. an. ℈ß
Gum. carannæ q. s.
M. f. *Emplastrum*:

Inducatur super alutam, obducatur cum *sindone rubra* in forma *scuti stomachalis*, D. S.
Emplastrum stomachale.
Vel

℞. *Emplastr. stomachal. Crat.*
Tacamahac. an. q. s.

Malax. cum s. q. *olei stomachal. Craton.* vel *Balsam. Peruviani*: induc super alutam, f. scutum stomachale absque sindone, irroretur cum oleo destillato menthæ,

D. S.
Emplastrum stomachale.

Plura Externa huc faciunt, quæ *suprà dedi*, ubi *de Chylif. læsa*, & quæ *suo loco de Diarrhæa laudantur.*

Sacculus croci ventriculo admotus, egregiè Vomitum sistit, etiam eum, qui nauigantibus solet esse familiaris: de quo eleganter videbitis historiam in BACONIS *Verulamii Histor. Vitæ & Mortis pag.* 121. Egregia sunt Cataplasmata, facta ex fermento, additis pulueribus aromaticis, quale est Mynsichtii ad singultum, quod optimum est in quibuscunque stomachi affectibus, in specie in Vomitu; vel quod addit DECKERS *in Barbette Praxim*, *ex Colleg. Lensoniano* D. MICHAELIS desumptum:

℞. *Pulvis menth.*
Rosar. rub. an. ʒ j.
Mastic. ʒ j.
Nuc. mosch. No. iij.
Caryophyll.
Cinnam.
Macis. an. ʒ ij.
Croci. ʒ i.
Fermenti acerr. ℥ vi.

Cum s. q. *Acet. rosac.* f. cataplasma planè singulare, D. S.
Emplastrum stomachale.

Ad imitationem horum in contumaciori vomitu, aut morbo nauigantium, tale stomacho applicandum venit:

℞. *Ferment. acerr.* ℥iii. vel iv.
Pulv. menthæ ℥ i.
Zedoar. ʒß vel ʒ vi.
Nuc. Moschat. No. ii. vel iij.
Macis,
Caryophyllor.
Cinnam. an. ʒ j ß. vel ʒ ii.
Sem. anisi,
Cumini,
Fœnicul. an. ʒ iij.
Acet. rosar. parum.

Misc. ad consistentiam *Cataplasmatis*, applicandi ventriculo in vomitu nimio.

D. S.
Emplastrum stomachale.

Loco nucis Moschatæ & reliquorum aromatum Cataplasma hoc guttis aliquot olei destillati macis & caryophyllorum irrorari potest.

Hæc quidem in genere de vomitu curando.

In specie tamen considerandum; quis, & qualis vomitus curandus? In hunc finem

I. *Artificialis Vomitus* non est curandus, nisi per accidens sit nimius; tunc enim supprimendus.

II. *Spontaneus* non est curandus, quia fit cum euphoria ægri, quicquid etiam reiiciatur, nisi sit nimius, adeòque debilitetur æger, vel nisi atonia stomachi ex crebriori vomitu metuenda sit: tunc enim curandus, causam irritantem remouendo, aut eius genesin præcavendo, aut genitam alibi reuellendo & auertendo per Venæ sectionem, aut hæmorrhoidum, hirudinum applicationem, apertionem.

III. *Non-spontaneus Criticus* non est curandus, nisi, quod ratum, sit nimius; tunc enim, ut vomitus artificialis, sistendus.

IV. *Non spontaneus symptomaticus* curandus est, observando præprimis: an sit per consensum? an per essentiam? Si per consensum, primarius morbus, quantum possibile, curandus est: Interea, ne alia mala à vomitu excitentur, opiatis irritatio stomachi sistenda, vel auctus stomachi sensus leniendus, & appropriatis roborandus: v.g. si ex nephritide à capitis vulnere æger sæpiùs vomat, unà cum primarii morbi curatione, misturis aromaticis, cum opio aut papauerinis mistis, nimius vomitus nonnihil compescendus. Sin verò *per essentiam* sit vomitus, considerandum: *an vitium sit in eiusdem fibris aut nervis, supra modum undecunque irritatis?* vel *in ipso eius corpore*, quando *exulceratus, excoriatus?* &c. an verò vitium *consistat, in causa quadam materiali* seu occasionali, eum plus minus irritante. Hujus ratione consideretur: *an sit per Protopathiam? an* verò per *deuteropathiam?* hoc est, *an causa peccans materialis in eo generetur? an verò aliunde deferatur?* Sin vitium est in ipso stomacho, hoc debitis modis curandum, & sensus auctior opiatis sopiendus? Sin *causa materialis occasionem suggesserit*, siue humor peccans fuerit, siue fermentum saltem peregrinum, adeòque vitium vel in stomacho generatum, vel in eo radicatum, adeòque per *πρωτοπάθειαν*, tale vitium materiale vel corrigendum vel eliminandum: hinc opiatis & appropriatis, plus minus adstringentibus, ventriculo succurrendum, & ulterior generatio præcavenda. Sin verò *per δευτεροπάθειαν* sit malum, & aliundè transmissa materia peccans, hæc vel corrigenda, vel per alvum evacuanda, vel alibi auertenda: qua ratione grauidis nimiùm vomentibus venæ sectione in brachio interdum succurrimus.

Non

Non spontaneus morbidus, omninò quocunque modo curandus, v. g. sanguinis vomitus, causæ etiam eius sollicitam habendo rationem. Conf. hic pluribus WILLIS *Pharm. Ration. Vol.1. pag.76. & seqq.*

In specie *Vomitus antihcmus* est sistendus: *e. g.* post assumptum Vomitorium vehementiùs aut diutiùs ægrum vexans, conuenit Fotus externè calidè applicatus, ex absinthio, mentha & aromatibus sacculo inclusis, & in vino decoctis: item haustus vini generosi non nimis frigidi super vomitiones seu hypercatharses ab antimonialibus sistit. Theriaca etiam, si vires ferant, aut pilula unica laudani opiati aut parum essentiæ opii, in elixyr menthæ prodani opiati... Præsentaneum etiam remedium dicitur potus lapinatæ. Præsentaneum etiam remedium dicitur potus lapillis cum pane cocti, aut panis vino generoso acido intinctus & comestus. Clyster itidem ex lacte, in quo Theriaca dissoluta, iniiciatur: item crusta pannis tosta, Vino generoso imbuta, cum pulueribus aromatum inspersis applicetur.

Si Nausea aut Vomitus immineat ab assumpto medicamento vel *ingrato* vel *fœtido*, convenit masticatio corticum citri recentium, cui subindè de pulpa aliquantulum adhæreat; vel panis tostus aceto intinctus, & puluere caryophyllorum inspersus, ori ac naribus admoueatur.

Plura de Vomitionibus nimiis per medicamenta factis, earumque medendi ratione, vid. WILLISIUS *in Pharmac. Ration. pag.75.*

CAPUT II.

DE

VOMITU CRUENTO.

CAUSÆ.

Iam sequitur *Vomitus sanguinis* seu *Vomitus Cruentus*, qui est, quando reiicitur sanguis per os: Et fit vel ex aperta quacunque ratione arteriola aut venula stomachi, idque vel vitio suppressarum consuetarum sanguinis aliorumve humorum Euacuationum; vel denique vitio splenis, adeòque ex dehiscente vase brevi in stomachum; vel denique vitio Pancreatis, in quo una altera vè vena à lympha eius præter naturam acidiore exesa, aut aperta, refundunt sanguinem in duodenum, qui regurgitat in stomachum, & sic non rarò Vomitus cruentos inducit.

Remotæ causæ, ob quas fit interdum Vomitus cruentus, sunt primariò suppressæ consuetæ sanguinis in corpore excernendi euacuationes: hinc post hæmorrhoidum & mensium suppressionem ex robore naturæ superuenit Vomitus cruentus: idque tam in grauidis, quàm non grauidis. Exempla talia non sunt rara, & referuntur à RULANDO *in Curat. Empiric. Cent.3. Curat.4.*, CORTHUMMIO *de Morb. atton. c.70. §.33.*; & ab HOECSTEDTERO *Dec. ad. 2. Cas.6.* refertur exemplum Vomitus sanguinei admodum periculosi propter suppressos menses in virgine: item SCHENCKIUS *l.3 Observ.* similem habet Obseruationem Vomitus sanguinei propter suppressos menses. Fit quidem non rarò, ut prægnantes ipsæ ex mensibus retentis interdum affligantur Vomitu tali sanguineo, idque ferè sine periculo; est enim motus naturæ, quos non facilè licet alterare: vid. M. A. N. C. *Ann.9. & 10. Observ.6.* & SALMUTH *C.2. Hist.54.*, qui refert de prægnante Vomitu sanguinis contumaci afflicta eousque, donec scilicet ipso conceptu edito ab onere liberaretur: & simile ferè exemplum habet SCHENCKIUS *l.4. Observ.* de grauida, quæ sanguinis Vomitum per 7. menses perpessa fuit, & tandem feliciter peperit. Ad hanc consuetarum euacuationum suppressionem pertinet ulcus consolidatum antiquum tibiarum, vomitum cruentum inferens: vid. RHODIUS *Cent. 2. observ. 65.* Ratio duplex est: partim quod sanguis, ante sub forma puris euacuatus, suppressus: partim quod fermentum acre ulcerosum multiplicans erosit vascula arteriosa in pulmonibus. In mutilatis vomitus cruentus non rarò contingere solet, pede manuque ablata, ubi natura sanguinem redundantem per Vomitum reiicit: vid. CORTHUMMIUS *l. de Morb. attonitis c.70. §.35.*

Spleneticis tandem valdè familiares sunt vomitus cruenti. Quoad modum: certum est, quod per splenem nil immediatè veniat in stomachum; sed fiat beneficio vasorum breuium, arteriosi & venosi, quæ rarò ferè & nunquam oriuntur ex splene, sed ex arteria cœliaca, splenica, & vena splenica ante ingressionem horum vasorum. Quando ergò splen scirrhosus, vel alio modo infarctus, non potest admittere sufficienter sanguinem per arteriam splenicam affluentem, qui tamen stagnando in dicta arteria, ob denegatum spatium non potest remeare conuenienter ad splenicam venam, lege circulationis, Impedito ergò sanguinis motu in arteria & vena splenica, stagnat quodammodo in arteria splenica, in specie circa vas eius breue, antè nempè ingressum arteriæ in lienem, quod vas breue ad ventriculi seu stomachi fundum subrepit. Sub tali occasione stagnatio sanguinis impediti facta, tandem per vas breue apertum sanguis arteriosus in stomachum euacuatur: hinc subindè ante vomitum sanguinis percipiuntur pulsationes circa dorsum in latere sinistrò, ubi sunt costæ nothæ inferiores, & breui post ruptionem vasis breuis arteriosi sequitur sanguinis vomitus, talibus subjectis, ubinde salutaris. Zacutus Lusitanus in l.2. Med. Princ. Hist.10. aliquot recenset exempla spleneticorum & similium, quos sanguinis vomitus similiter subleuauit: qualia etiam habentur in PLATERO *l.3. observ.* & SCHENCKIO *l.3. obser.*

Non tamen semper è splene sunt cruenti isti fluxus, uti hoc communiter existimant, quin & ex hepate, citra liennis noxam, vomitus sanguinis fieri potest: de quo conf. HOECHSTEDTERUS *Dec.1. Cas.5. p.145.* Miræ sanè ut subindè sunt humorum metastases & translationes, ita & vasorum anastomoses, & apertiones. Conf. de vomitu sanguineo, an ex splene an ex hepate? SCHENCKIUS *l.3. obs.1.* THONERUS *in obs. pag.140.* SENNERTUS *Prax. l.3. P.5. Sect.2. cap.2. pag. 507.* BARTHOLINUS *Cent.3. Hist.36. C.4. Hist.60* HORSTIUS *l.4 obs. var.5.* Obseruationem rariorem habet RIVERIUS *Cent.4. observ.6.* de rustico, qui cùm aquam fluminis potasset, ac inscius hirudinem simul hausisset, hæc lateribus stomachi infixa, continuum sanguinis vomitum induxit.

Denique ex pancreate subindè fieri sanguinis Vomitum, ex eo ferè patet, quod interdum tales sanguinem vomentes conquerantur de dolore profundo sub hypochondrio dextro: locum scilicet monstrant inscii, ubi inseritur ductus pancreaticus in intestinum duodenum: & præterea talem Vomitum sanguinis sæpiùs sequi solet & puris vomitus, quod fit non, nisi ex pancreate exulcerato, vel per abscessum nonnihil vitiato. Et tales Vomitus pancreatis præ ceteris solet præcedere dolor grauatiuus & obtusus in superiori lumborum regione, ubi situm est pancreas. Habeo hac in parte consentientem SYLVIUM, qui in *l.1. Prax. cap.15.* dicit: quod utplurimum sanguis, qui simul per ventriculum & per aluum reiiciatur, oriatur ex pancreate, quando scilicet vasculum eius quoddam à succo acriore corrodatur: unde sanguis in intestina excidens, partim inferiùs deferatur, partim ex irritatione duodeni sursum in ventriculum propellatur; & etiam pus, quod reiicitur per vomitum, huc pertinet, quod ex pancreate est.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *Dignosin Vomitus Cruenti*: Non rarò decipiuntur Medici, qui vomitum materiæ nigricantis habent pro cruento: vid. HOECHSTEDTERUS *Dec. 2. cas.4 & 5.*, ubi grumosa & nigricantia rejecta refert, quæ putata sunt sanguinem grumosum fuisse: sed falsò; fuerunt enim succi atrabilarii vulgò noti, nati partim vitio digestionis primæ, partim ob miscelam variorum humorum in intestinis, ex qua miscela oriuntur. Si ergò reiiciuntur fluida rubicunda, innuitur reiici sanguinem arteriosum. Si obscura fluida grumosæ instar substantiæ hepatis, est semper sanguis venosus: Si verò non adeò obscurus: sed saltem nigricans cum sensu dolorifico morsicante, vel cum sapore acerbo aut austero, reiicitur, talis non est sanguis, vel saltem non solitarius, sed simul acidi succi, qui sui miscela atramenti instar humorem nothum cruentum emergere faciunt. Noui Medicum, deceptum ab alio, qui se ingurgitauit vino cerasino, illud suprà iterum & infra reddens; iste Medicus putauit, esse sanguinem nigrum.

PROGNOSIS.

Vomitus sanguinis diuturnus malus est.

Vomitus spleneticorum cruentus, aut qui aliorum viscerum chronicis affectibus laborant, periodicus, saluberrimus est.

In quocunque sanguinis vomitu' sæpiùs recurrentes supervenientes hæmorrhoides salutem asserunt morbi certam.

Excretiones sanguinis sursum aut deorsum in exanthematis, variolis, morbillis & similibus lethales sunt: vid. HOECHSTEDTERUS *Dec.1. Cas.8.*

Vomitus Cruentus vitio Evacuationis solennis suppressæ, v. g. obstructionis mensium, &c. non adeò est nocivus, nisi excedat; quia Observationes testantur, nonnullis ordinariò ferè menses vomitu fuisse rejectos: vid. PANAROLLUS *Pentec.1. observ 6.* BARTHOLINUS *Centur.5. Hist.32.* & TIMÆUS *à GuldenKlee l.4. Casu 12.*

LINDANUS in Vomitu sanguinis hoc instituit Prognosticon: sanguinem ægri reiiciunt ex ventriculo duplici formâ; vel grumosum seu crassum & atrum; vel tenuem fluidum, & nigrum instar atramenti, & acrem. Neutrum autem est atra bilis, per vitiosum succorum in intestino duodeno concursum facta: quibus enim atra bilis exit, ij postridie moriuntur quod ipse: dicit, aliquoties vidi. Nam atra bilis longè differt à sanguine, quæ omnes partes exeundo quasi cauterizat.

CURA.

Vomitus sanguinis, si criticus, non sopiendus: Morbidus verò consideratur vel absolutè, pro ut est excretio sanguinis simpliciter præternaturalis; vel respectivè, respectu causarum antecedentium, quæ sanguinem vel coacervant, vel in specie ad ista loca diffundi faciunt. In vomitu igitur cruento curando, posterioris huius ratione Causæ antecedentes removendæ, idque extra paroxysmum, vel excretiones consuetas revocando, vel viscerum vitia corrigendo. Prioris ratione, idque in primo paroxysmo, sanguinis motus, ne nimis in ventrem effundatur, corrigendus, vel revellendo vel avertendo; sanguis verò jam effusus, duplicia postulat remedia:

1. Vasa aperta adstringentibus sunt coërcenda, ut sanguis sistatur.
2. Sanguis effusus plus minus congrumatus relictus resoluatur & ejiciatur.

Quibus subinde venæ sectio vel in brachio, vel in pede, aut etiam, per hirudines, hæmorrhoidum apertiones, in corpore vel simpliciter plethorico, vel in quo sanguinis evacuatio suppressa est, subinde præmittendæ sunt; hæmorrhoidum enim fluxus quasi vicaria est evacuatio.

Remedia inter quæ conveniunt, pro primo scopo, sunt adstringentia, quæ ex cydoniis, plantagine & portulaca parantur, imprimis succus & syrupus: item absinthium, & præ omnibus aliis succus radicis urticæ majoris, quæ radix urticæ majoris vel decocta tantùm vel infusa similiter est admodum experta. Præterea convenit syrupus de symphyto Fernelii, de quo vid. BARTHOLINUS *Cent.3. Obs.61.* Item expertissimus in Anglia contra vomitum est *Syrupus sequens*, paratus *ex succis foliorum plantaginis & radicis symphyti maioris* vel caltatrippæ, quem non solum valdoperè commendat BOYLE *in Philosoph. Experimental. Vol.1. p.110*, sed *descriptionem eius videb.* etiam in *Digby Recept. Vol.1. pag 175.*

℞. *Rad. Symphyt. maj. rec. collect.* ℥ vi.
Fol. Plantagin. M. ij.

Concidantur, & contundantur omnia in mortario, & exprimatur *succus* fortiter per prælum, è quo *non depurato* cum s. q. *Sacchari* (parte j. vel dupla) f. s. a. *Syrupus*: de quo usurpetur sæpiùs quotidie cochleatim.

Catholicus est ferè in quacunque sanguinis rejectione compescenda. Aliàs ad supprimendum sanguinem oleum seu spiritus vitrioli eminet, qui simul stypticâ vi vasa firmat, hinc aqua urticæ majoris & foliorum plantaginis, acidulata cum spiritu vitrioli, sumitur cochleatim, egregiè vomitum sistit, & pro hoc scopo ab HARTMANNO & RULANDO maximè commendatur in *Thesauro pag. 284.*; ubi habet exemplum horrendi vomitus sanguinis curati per hanc mixturam:

℞. *Aquæ Radic. urtic.* ℥ vj.
Spiritus seu *Olei vitrioli* q. s.
ut acescat modicè, M.S.
Aqua Sanguinem sedans.

Verba Autoris sunt hæc: *Benè diluta & frigida pota firmarunt ventriculum, sanguinisque profluvium instar miraculi represserunt, quam etiam potionem plures alii Autores admodum laudare solent.*

Simile exemplum videbitis in *Observ.* RIVERII, ubi similis vomitus eodem modo fuit curatus.

Porrò semen hyoscyami Heurnio usitatum: crocus Martis adstringens, imprimis iste, qui ex vitriolo Martis in aqua soluto iniectione olei tartari per deliquium præcipitatus & edulcoratus. Tincturæ Martis adstringentes, item terra sigillata, catechu. aliæque terræ medicatæ, lapis hæmatites, præsertim cum blandè acidis propinata. Ex his BIERLINGIUS *in aduersar. Curat. p.107. & 109. sequentia* præscribit *Electuaria.*

℞. *Conserv. rosar.* ℥ ii.
Hæmat. præpar. ʒ i ß.
Croc. Mart. adstringent. ʒ i.
Sem. hyosc. albi ℈ ii.
Cum *Syr. portulac.* f. *Electuarium*, S.
Electuarium Sanguinem sedans.

De quo dosis quantitas nucis auellanæ. Item

℞. *Conserv. rosar.* ℥ i ß.
Spec. diatrag. frig. ʒ ii.
Bol. armen. ʒ j.
Semin. hyosc. ℈ ii.
Syr. myrtill. q. s.
M. D. S.
Electuarium Sanguinem sedans.

Item Tinctura *vitrioli Martis* est egregia in quacunque hæmorrhagia: Modus præparandi est hic:

℞. *Terræ, vitrioli Martis probe calcin. & edulc.*
(aliàs enim Vomitus movet, quod vidi) qu. v.
Soluatur in *Spiritu Salis*:

Solutio abstrahatur per retortam in arena ad mellis consistentiam, cui affunde Spiritum vini *bene rectificatum*, ponantur in digestionem loci calidi ad aliquod tempus, & euadet Tinctura rubicundissima, per filtrum à remanentia separanda. Hæc Tinctura saporis subdulcis adstringentis datur à guttis 15. ad 20. & 25. in aqua appropriata, & egregiè confert. FORESTUS *in suis obser. l.18 obs.18.* habet mixturam ex trochiscis de carabe & terra sigillata, cum aquis convenientibus dilutis, quæ præmissâ venæ sectione habet effectum singularem in sanguine fluente sistendo, & concreto simul dissoluendo; quæ mixtura descripta est in SENNERTO *l.3 Prax. de Vomitu p.158.*, est prima formula in vomitu sanguinis; nempè:

℞. *Aqu. burs. pastor.*
Portulac.
Plantag. an. ℥ i.
Troch. de carabe
Terra sigillata. an. ℥ ß.
M. S.
Potio adstringens.

Ad cuius imitationem:

℞. *Aqu. burs. pastor.*
Plantagin.
Portul. an. ℥ i.
Acet. rosac. ʒ iii. vel ℥ ß. ad ʒ vi.
Troch. de carab.
Terr. sigillat. an. ʒ i ß.
Syr. myrtin. ʒ vi. ad ℥ j.
M. D. S. *ut antea.*

SYLVIUS habet Misturam ad quamcunque sanguinis excretionem, & in specie ad vomitum sanguinis, polychrestam, in Praxi l.1. cap.9. §.20., quæ primâ fronte quidem inanis apparet, sed quod ipse testari possum, admodum est proficua. Formula hæc est:

℞. *Aqu. plantag.* ℥ j.
Cinnam. ʒ vi.
Aceti destill. ℥ ß.
Corall. rub. præp. ʒ ß.
Sanguin. dracon. ℈ ß.
Laud. opiat. gr. ii.
Syr. myrtin. ℥ i.
M. D. S.
Potiuncula adstringens.

Hæc Mixtura sæpius cochleatim sumpta curabit plerasque vasorum rupturas, & supra multorum expectationem sanguinis effluxum breui tollet.

Quod si metus est à coagulatione sanguinis, addi potest prædictæ misturæ *lapill. 69. præp.* ʒ ß., ut & *antimonii diaphor.* ℈ j. atque ita usurpari. Cum autem hæc Mixtura propter sanguinem draconis, quem non habemus genuinum, sit suspecta, ad huius imitationem sequenti modo corrigi potest:

℞. *Aq.*

℞. *Aq. plantag.* ℥ ij. vel iij.
Cinnam. ℥ iij. vel ℥ vj.
Aceti destillat. vel *rosac.* ℥ iij. vel ℥ß.
ad ℥ vj.
Corall. rub. præp. ℨß.
Terr. sigillat. gr. xv. ad ℈ j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. Myrtin. vel *alius appropriat.* ℥ß. vel ℥ j.
M. D. S.
Potiuncula sanguinem sedans.

Loco aceti addi quoque possunt gutt. xii. *Spiritus vitrioli*. Capiatur cochleatim.

Item

℞. *Aquæ plantag. cum spiritu vitrioli* vel *Nitri modò suprad. acidul.* qu. v.
Cui addatur
Terræ sigill. pro lubitu, e. g. ℈ j. vel ℨß.
M. S. *ut antea.*

Detur subindè cochleatim.

Efferuescit quidem, sed non diù durat, & acquirit saporem adstringentem aluminosum.

℞. *Aqu. hyperici,*
Plantag. an. ℥ ij.
Succi plantag. rec. expr. vel *cydon.* vel *granator.* ℥ vj. vel ℥ j.
Hæmatit. præp. ℨß.
Boli armen. præp. ℈ j.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. de symph. ℥ vj.
M. D. S.
Potiuncula sanguinem sedans.

℞. *Aqu. urtic. mai. cum spiritu vitrioli acidul.* ℥ iv.
Cinnamom. spirituos. ℥ j.
Terr. sigillat. ℈ ij.
Hæmatit. præp. ℈ j.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. de symph. Fern. ℥ vj.
M. S. *ut antea.*

Ad vomitum sanguinis in Phthisica, quæ inter alia imprimis de dolore in latere dextro sub hypochondrio querebatur, ubi, pancreas inseritur intestino, profuit sequens potio:

℞. *Aqu. plantagin.*
Tormentill. an. ℥ j.
Cinnam.
Aceti destillat. an. ℥ vi.
Corall. rub. præp. ℨß.
Troch. de carabe ℈ j.
Terr. sigill. ℈ ß.
Mumiæ gr. vi.
Laud. opiat. gr. i.
Syrup. de symphyt. Fern. ℥ i.
N. F. Potio, S.
Potiuncula sanguinem sedans.

Commodè & lapilli Cancr. possunt addi, quando nempè metus est coagulati sanguinis adhuc in stomacho hærentis; quod patet ex angustiis præcordiorum, ex imminente lipothymia, ex difficili Respiratione, pulsu debili, ventriculi inflatione, facieque citrina ac pallida; quibus interdum superueniunt Phlogoses. In his enim usurpentur sanguinem grumosum dissoluentia, ut lapilli Cancr. cum aceto soluti, vel corallia præparata in vino acido, antimonium diaphoreticum, succinum, trochisci de carabe, & de terra sigillata, camphora. In specie sperma ceti à ℨß. ad ℥ j. in jusculo calido, vel haustu cereuisiæ dissolutum & assumptum, mirabile est ad dissoluendos sanguinis grumos: relictos verò oportet per Rhabarbarum, simile vel laxans educere, aut etiam vomitorio leniore euacuare. Conf. BONETTI *sepulchret. p.733. §.9.* & RIVERIUS *Cent.4. Oserv.26.*

In vomitu sanguinis vitio splenis; in quo copiosiore aut æger interdum deficit, aut viribus licet resumptis, in incurabilem ascitem delabitur, noto: ad præseruationem & fundamentum curationis, & indè metuenda plurima mala, nil meliùs conuenire, quàm martialia aperientia dicta, & hinc absinthium, omniaque ex eo parata. Conf. DODONÆUS *in Hist. stirp. p.24. & in obseru. p.47.*

EXTERNE ad Vomitum cruentum scutum ex theriaca cum croco, aceto rubi idæi irroratum, conuenit ex HOECHSTEDTERO *Dec.2. Casu 5*: vel panis tostus, cui in vino maluatico vel aceto intincto sit adspersus caryophyllorum puluis, Autore HARTMANNO *Prax. Chymiatr. p.177.* Puris interdum excretio non statim sistenda, sed blandè potiùs promouenda; ulterior tamen simul eius prouentus impediendus. Quorum illud præstant, præter antimonium diaphoreticum, velantihecticum Poterii, & lapilli cancrorum in aceto assumpti, myrrhata, aloetica, sulphurea, itē saccharum saturni, vitrioli martis, & ex his duobus parata Tinctura antiphthisica, dosi gut. XXX. vel XL. usurpanda in Decocto quodam vulnerario, e. g. in Decocto Cherefol. aut plantag. aut comar. hyperici. Vlteriorem puris prouentum impediunt Balsamus sulphuris anisatus, aut ex floribus antimonii paratus à gutt. iii. viij. ad x: vid. SYLVIUS *Prax. l.1. c.9. §.22. p.48.* Absoluimus ea, quæ quoad retentionem contentorum in stomacho peccant, pergimus ad

SECTIONEM VII.
DE
DOLORIS SYMPTOMATIBUS STOMACHI.

NOtum est, & frequenter in Praxi experimur, quod ægri conquerantur de grauissima anxietate & angustia circa præcordia, & dolore cordis, & similibus, & simul nesciunt, quid conqueruntur; de his & eorum symptomatibus aniculentis, quibus tam multum negotii nobis faciunt, agemus.

CAPUT I.
DE
ANGUSTIA, ET ANXIETATE PRÆCORDIORUM.

QUod attinet anxietatem & angustiam præcordiorum, notum est, cor ex se nullo sensu, nullaque molestia corpori esse molestum: Cæterum sæpius euenit, ut in præcordiis, hoc est, ut explicat Fernelius l.4. de Febr. c.10., regione circa ventriculum, diaphragma, jecoris cauum, lienem, pancreas, in specie ventriculo, eiusque superiore orificio, adeòque in ea regione, quæ costis nothis, anteriora & versus sternum se inflectentibus circūscribitur, non rarò sint anxietates & insignes molestiæ, item frequentes dolores ægris grauissimi: & quidem si ægri conquerantur de angustiis præcordiorum, siue ventriculi regionis, siue non explicabili molestia illius loci, quando propterea sunt inquieti, adeòque ex nimiis anxietatibus hinc inde in lecto se volvunt & jactitant, dicitur in specie *Anxietas*. Sin dolor sit, qui in ea regione frequenter affligit, & quando ægri intento digito monstrant in fouea ista, quæ dicitur *scrobiculus cordis*, in specie vocatur *Dolor stomachi* seu *Cardialgia*; præprimis si unà cum dictis anxietatibus & angustiis præcordiorum jungatur insignis dolor compressiuus & constrictiuus, ut dicant: *Animo æger, & cor mihi videtur rumpi; vix sum apud me*; quod innuunt cum contorsionis sensu. Quando verò cum his anxietatibus, & angustiis conjunctus sit sensus Morsicationis & erosionis, vocatur Cardiogme, *Membra occupat metus mortis*. Anxietates illas optimè illustrat vomitus imminens ab assumpto vomitorio, qui uti maximè anxios reddit ægros: *Omnia ipsis sunt angusta: Cœlo, terraque grauari videntur; mortis sentiunt periculum*. Cardialgiam verò repræsentant dolores illi, qui post deglutitos grandiores bolos, aut duriora assumpta, nos sensibilissimè & interdum atrocissimè affligunt, quod vocant *compressionem stomachi*.

PARS AFFECTA.

In utroque casu Malum semper oritur ab affecto plus minus orificio ventriculi sinistro: præsupponenda nempè hic sensibilitas huius orificii, & inde nata procliuitas ad sui contracturam, variosque spasmos: da qua *suprà in Prolegom. actum*. Conueniunt adeoque & differunt anxietates & Cardialgiæ: Illæ quasi vagæ; Hæ fixæ: Illæ simpliciter ab irritante, subindè non commodè explicabili, molestia; Hæ à conuulsiua constrictione. Anxietates istas dico oriri omnes quibusvè in morbis simpliciter ab affectis præcordiis, seu speciatim ventriculo; uti non solùm ostendunt angustiæ istæ, quæ vomitum ab assumpto medicamento immediatè præcedunt; sed & mulieres hystericæ subindè de grauissimis anxietatibus vagis conqueruntur, in quibus simpliciter affectum esse orificium stomachi superius, testantur ructus subindè superuenientes, à quorum eruptione sensibile leuamen percipiunt: Item in febribus, v. g. intermittentibus, nunc præcedunt, nunc in ipso paroxysmo affligunt anxietates multiplices: quæ quod sint ex stomacho, confirmatur ex eo, quod à frigido potu affatim hausto ordinariò insigniter exasperantur, & non nisi vomitu superueniente resoluantur: In febribus, tam benignis quàm malignis, grauissimæ anxietates, quæ frequenter affligunt ægros, itidem simpliciter sunt ex molestato orificio sinistro stomachi, & partibus membranosis affectis, nullo verò modo ex corde affecto. Etsi enim sudor videatur leuare in talibus malum, tamen revera in stomacho est, & cessante sudore redeunt: nempè suppresso sudore effluvia ista, quo insensibiliter aut sensibiliter aliàs difflantur, retenta, affligunt præcordia & membranosas eorum partes; unde anxietates: parili ferè ratione, atque in diarrhœis, quò copiosiori diaphoresi gaudet corpus, & minor erit diarrhœa, sed quò minor est diaphoresis, eò copiosior alvi fluxus. Porrò esse anxietates ex præcordiis, ostendunt grauissimæ istæ præcordiorum angustiæ, & subindè lethales anxietates cum hypocondriorum extensione, præcurrentibus lipothymiis, sudore frigido, &c. quæ superueniunt interdum contorsioni vertebrarum: hinc est, quod ii, qui cœnâ largiore se replent, noctem insequentem inquietam patiuntur, dum hinc inde se jectigare ob anxietatem coguntur saltem propter stomachum, ex nimia repletione malè affectum. Quotiescunque ergò ægri vel anxii sunt, vel de anxietatibus conqueruntur, *cordis sentire anxietates*, qui affectus est frequentissimus, certi esse possumus, semper & simpliciter fontem & radicem habere in stomacho, speciatim circa sensibilissimum eius sinistrum orificium. Unde etiam, quando ægri dicunt, *Cor & animam mihi suffocat*, falsò vocant cordis angustiam, putantes laborare cor. Profectò cor est musculus ferè indolens, aut si tantillum irritatur, sequitur eius motus conuulsiuus, qui vocatur palpitatio cordis. Iam verò tales ægri nullam palpitationem talem patiuntur, hinc minimè cor esse affectum constat; potiùs, uno verbo videtur ille affectus, quem PETRUS SALIUS DIVERSUS *adstrictionem ventriculi* vocat, quatenus nempè, utroque ventriculi orificio arctiùs constricto, flatus aut quævis materia rarescens spatium sufficiens sese explicandi non reperit, hinc ventriculum distendendo diaphragma comprimit, & respirationem difficilem reddit. Malum simpliciter hæret in spasmo orificii stomachi sinistri, à quacunque causa grauiter affecti. Excipio tamen saltim affectus suffocatorios, seu in spirationis negotium turbantes; Nam & hi anxios reddunt ægros: Quæcunque reliquæ anxietates oriuntur ex stomacho.

CAUSÆ.

Causæ, quæ anxietates tales pariunt, sunt nunc manifesta acriora, vel stomacho hostilia assumpta, ut Mercurius sublimatus, Arsenicum, lac coagulatum, fungi &c.; nunc alimenta sub digestione corrupta, ut fructus horæi, vitiata; nunc contenta peregrina, ut flatus & humores æruginosi; nunc miasmata & fermenta aliundè suscepta, ut in peste morbisque contagiosis, *ut suo loco videbimus*: nunc ipsi ventriculo impressum vitium, inflammatio, eschara &c.; nunc neruorum vitia convulsiua, orificium eius aut membraneas partes vicinas inficientia, ut in vertebrarum contorsione.

CURA.

Curantur anxietates hujusmodi nunc per alcalia aromatica & oleosa, seu carminatiua & discutientia, & effervescentes succos, in specie acidum, corrigentia; uti sunt vitriolata & nitrata, in genere per ea, quæ succos vitiosè effervescentes corrigunt, & halitus indè elatos resoluunt & discutiunt. Semper ergò est habenda ratio morbi adjuncti, humorum efferuescentium & reliquarum causarum, pro quarum varietate etiam Cura varianda: e. g. anxietates in hystericis optimè per salia & Castorina curantur: id quod etiam obtinet in hypochondriacis: in aliis cum phlogosi & æstuatione junctis anxietatibus spiritus vitrioli aut nitri dulcis, aut Tinctura bezoardica vel mistura simplex, similiaque conueniunt: quibus opiata, si ferat ægri conditio, subindè addenda sunt.

CAPUT II.
DE
CARDIALGIA.

QUoad Cardialgiam seu Cardiogmum: est, quando à causa quadam, grauiter & continuò ventriculi orificium sinistrum irritante, hujus dolorifica constrictio & conuulsiua crispatura, quæ cum insigni dolore semper juncta est, oboritur. Regio stomachi, præsertim in scrobiculo cordis, Veteribus vocata fuit καρδία, quæ vox, ut ut propriè significet cor, nihilominùs tamen, quoniam talis dolor stomachi seu orificii superioris, sæpius in consensum trahit cor totumque corpus, ut exindè non rarò sic dictæ lipothymiæ, syncopes, sudores, & glutinosi frigidi, ut moribundorum, circa caput, virium omnimodæ prostrationes, & non rarò stupenda & horrenda symptomata oriantur; propterea vocarunt dolorem hunc Cardialgiam, quasi dicere voluerint dolorem cordis; cum tamen non laboret cor, sed afficiatur orificium ventriculi sinistrum. Et quidem iste dolor orificii superioris est admodum molestus & intensissimus, ac subindè propter symptomatum frequentiam & vehementiam toti corpori periculosus: propter quam causam etiam HELMONTIUS *ibidem* statuit sedem animæ & Duum-Viratum, seu conspirationem lienis cum stomacho, ceu sede animæ, cuius duum-viratus jus se extendat in omnes operationes animales homini proprias.

Obseruanda hìc imprimis est differentia hominum: quidam habent orificium stomachi sensilius; quidam minus: Illi, uti sæpiùs anxietate & cardialgiâ laborant, ita crebriùs lipothymiam incurrunt, quæ tamen non terreat Medicum: Contrarium est in reliquis.

PARS AFFECTA.

Nobilis pars est hic locus affectus: nam leue vulnus, si attigerit hoc orificium sinistrum, ferè est lethale: imò plaga cum manu fortiori inflicta mortem inferre potest: quale exemplum recenset BARTHOLINUS *in C. 5. Histor. 34*, ex pugno nempè stomacho violentiùs applicato subortam esse mortem. Non rarò epileptica superueniunt pathemata ob dolorem eius ventriculi, à bile prasina euenientem: de quo vid. AMATUS LUSITANUS *C. 1. Cur. 20*. Nec mirum est; quia orificium stomachi, maximè nerueum & admodum sensibile, consensum facilè cum toto systemate neruoso facit; undè isto affecto, totum neruosum genus compatitur, & in spasmum ac conuulsionem pertrahitur.

Cardialgiæ autem hæ, sicut anxietates, interdum sunt vagæ, interdum fixæ. Vagæ nunc cessant, & iterum incipiunt; hærent unicè in stomacho & intestino duodeno; oriuntur ex efferuescentia succorum heterogeneorum, maximè bilis cum aliis succis præternaturaliter fermentantibus; undè simul percipiuntur phlogoses. Cardialgiæ verò & anxietates fixæ oriuntur ex simili causa, sed continuò agente.

Ex his patet, *subiectum* seu *partem affectam* esse orificium stomachi superius sinistrum, sensibile admodum, quod irritatum conuulsiui quid patitur, & ita quò magis sensile, adeò plus minus intensum dolorem, & grauiora adhuc symptomata & accidentia, etiam aliarum partium, patitur. Obseruandum hic simul, quod Cardialgia non semper

per

per præcisè affligat in parte abdominis anteriore epigastrica, quin potiùs sæpè in dorso sentitur, non tantummodo in suprema lumborum regione, aut circa ultimas vertebras thoracis, sed sæpè dolor sequitur ductum œsophagi, ita ut sæpe intra scapulas sursum adscendere videatur, & fit à spasmodica contractione & motione œsophagi, stomacho continuati.

CAUSÆ.

Causa proxima Cardialgiæ est insignis læsio & contractura convulsiva dicti orificii ventriculi, utpotè partis sensibilissimæ, ex molesta irritatione oriunda, qua læsione, ratione nervorum plurium & majorum ac spirituum animalium insigniter affectorum, postmodum facilè totius microcosmi œconomia turbatur, & gravia symptomata oriuntur, vel potiùs totum nervosum genus in consensum trahitur, & actionum animalium consequenter insignis læsio & prostratio supervenit. Si causa irritans sit acris & corrosiva, oritur sensus corrosionis insignis seu morsicationis, cum angustiis junctæ.

Causa remota est omne id, quicquid lædere potest dictum orificium, & ad dolorificum ejusmodi spasmum concitare, sive hoc fiat immediatè & per essentiam, sive per consensum saltem, dat Cardialgiam.

Per consensum non adeo frequentes sunt Cardialgiæ, ut ut interdum in nephritide, in specie in contorsione vertebrarum dosi, *cùm quis sibi malè fecerit*, gravis dolor observari soleat; levis quidem est hæc res, sed neglecta, paucis hebdomadibus crudelia infert symptomata, quod ipse vidi: item à depressione & induratione cartilaginis ensiformis: vid. Ballonius Epidem. l. 2. p. 242. & Sennertus Prax. lib. 2. P. 2. c. 26: aliarumque partium vitiis, e. g. calculis in vesicula fellea contentis: vid. KENTMANNUS *de Calculis*; à lapide in intestino jejuno: vid. SCHNEIDERUS *l. 3. de Catarrh. c. 7*: item à scirrho pancreatis, & mesenterii: vid. RIVERIUS *Cent. 1. Obs. 90.* Interdum hysterica passio gravior Cardialgiam per consensum infert, quod observavi in muliere hysterica, quæ semper dicebat: *ibi malum residet*; patiebatur ardorem stomachi, qui ardor oriebatur à bile effervescente cum acido; excretâ materiâ dicebat. *malum evanuit*: Quò spectat mensium suppressio, Cardialgiæ, frequens causa.

Per essentiam verò vel ipsius stomachi aut partium vicinarum subest vitium, vel in stomacho contentorum, & horum vel intus genitorum, vel extrinsecùs assumptorum. In specie quoad contenta, ceu frequentiores Cardialgiæ autores, Cardialgiam frequenter inferunt flatus, imprimis in stomacho vacuo oberrantes, plus minus eum distendentes: hi namque flatus ex potenti utriusque orificii strictura inclusi angustiùs, vago motu vagas & insignes anxietates, ac subinde cardialgias inducunt, in specie acriores acidi ac rosivi, aut simili vitioso acore inquinati; unde hypochondriacis & hystericis frequens est hoc malum: vid. RHODIUS *Cent. 2. Obs. 70.* in quibus ægri jacent ita, ut videatur ipsis cor ferè destrui, dum dicunt: *cor sibi id est suffocari*; ut etiam postulent interdum venæ sectionem: sed malè, in specie, si ipsi corripiantur quadam febre intermittente; tunc enim in principio paroxysmorum, in quibus fiunt inquieti & se jectigant, graves anxietates, interdum Cardialgiæ, à flatibus oriri solent, qui, si cum impetu per os prorumpunt, sunt ructus. Fit hoc ex effervescentia succorum in primis viis, præsertim in stomacho, undè vellicantur ejus orificium, & Cardialgia infertur, quæ in febribus intermittentibus curatur optimè per Clysmata.

Porrò sunt excrementa quæcunque in stomacho stabulantia, quæ inter ferè primatum obtinet materia viscida glutinosa & acida, pituita vitrea dicta, orificio stomachi sinistro impacta, quæ dicitur oriri à tartareis humoribus; hæc enim acore vitioso inquinata, rodunt & vellicant, & quasi perterebrant stomachum, undè isti dolores, qui post pastum horam unam vel duas ægros vexant: Item excrementa talia, quæ vulgò bilis porracea, & æruginosa à colore viridiusculo vocari solet, in quibus acidum peccat corrosivum, gravissimas præcordiorum angustias & molestissimas cardialgias inferunt: vid. PLATERUS *l. 2. Obs. p. 436. & 498*, AMATUS LUSITANUS *l. 1. Cur. 20.* ZACUTUS LUSITANUS *Pr. adm. lib. 2. Obs. 1*, & PANAROLLUS *Pent. 1. Obs. 20.* Excrementa hæc oriuntur partim ex corruptione assumptorum sub digestione prima, v. g. uvarum: vid. RHODIUS *Cent. 2. Observat. 53*: partim verò transmittuntur ex Intestinis, in specie ex duodeno in stomachum; quando enim bilis, vel naturaliter vel præternaturaliter constituta, occurrit acido paulò intensiori, vel pancreatico, vel stomachico, tunc ex horum tam solitaria quàm simultanea cum Chylo miscela abeunt in varios & distinctos humores diversarum proprietatum, nunc nigros, nunc virides, nunc feculentos, nunc alio colore vitioso præditos. In specie in bile porracea & æruginosa peccat acidum pancreatis nimium, forsan simul vitiosè austerum; unde talia evomentes sæpius patiuntur stuporem dentium ex vitioso acido, ex quo cum bile amara concrescit liquor viridis acris & corrosivus deterrimi saporis, & qui in stomacho, si non vomitum aut Choleram morbum, certè gravissimas angustias & cardialgias inferre solet: vid. BONETTUS *l. 3. S. 7. Obs. 22*, HOLLERIUS *Obs propr. 21*, & BORELLUS *C. 1. Obs. 53*: sive per se vitiata extiterint talia contenta, sive occasione vitiosorum fermentorum ad motus & excretiones præternaturales concitata fuerint. Comprobat hoc ulterius *experimentum* GRAFFII de succo pancreatico, qui cum reciperet bilem flavam ex folliculo fellis canis aperti, eamque misceret cum spiritu vitrioli insigniter acido, accepit misturam ex nigro viridescentem, & ita id, quod vulgò dicitur bilis æruginosa seu isatodes, uti videre potestis in *Tr. de succo pancreatico*. Vndè etiam infantibus familiaria sunt excreta porracea seu viridia, eaque semper cum torminibus alvi juncta, quæ ducunt originem ex vitio & corruptela lactis, quod acore vitioso imprægnatum, non ritè digeritur, sed præternaturaliter acescit, levique bilis permistione viridescit; undè etiam talia excreta tenellorum non rarò solent excoriare podicem, propter nimiam acrimoniam, & ordinariò inferre tormina, propter aciditatem intestina rodentem: hinc, quod obiter moneo, per lapillos cancrorum, semine anisi, &c. talia infantum excreta curantur; quoniam talia corrigunt acorem, & vitium lactis emendant. Et observatum fuit, quod in gravissimo statu Cardialgiæ ex talium succorum per vomitum rejectione levamen percipiant ægri, maximè in febribus ardentibus. Huc etiam pertinent lapides & calculi in cavitate ventriculi collecti aut tunicis adnati: vid. HOEFERUS *Herc. Med. c. l. 3. c. 1.* & BONETTUS *l. 3. S. 7. Obs. 31.* Præterea assumpta vitiosa & extraordinaria nimis acria similiter inferre solent cardiacam passionem: Sic Valeriola lib. 1. Observ. 7. & Salmuth C. 1. Obs. 9. intensissimam cardiacam passionem referunt, ortam ex improviso haustu mercurii sublimati loco emulsionis amygdalarum, quam curavit VALERIOLA per crystallum propter acidum destruentem, per theriacam cum butyro recenti, obtundente & temperante acrimoniam corrosivam ventriculum erodentem. Sed præterea quoque PLATERUS *in Obs.* Cardialgiam lethalem ob arsenicum propinatum; BONETTUS *Sepulchret. l. 3. S. 7. Obs. 2. & 3.* BARTHOLINUS *Cent. 2. Hist. 18.* à veneno; PETRUS JOHANNES FABER *in Curat.* exemplum habet cardialgiæ intensæ cum pravis symptomatibus, ex usu nimio casei recentis & mollis, in ventriculo postmodum coagulati. cui simile fieri solet, si lac quodcunque intempestivè haustum, aut si acidum quodcunque, v. g. vinum (vid. AMATUS LUSITANUS *Cent 6. Obs. 56.* item FORESTUS *l. 18. Obs. 13.*) superingeratur, indeque coaguletur & grumescat in stomacho; tunc enim deterrima symptomata, in specie syncope, præcordiorum anxietates, sudores frigidi & similia symptomata, oriri solent, ut ob id lac coagulatum inter venena à quibusdam fuerit relatum. De cardialgia à potu frigidæ vid. RHODIUS *Cent. 2. Obs. 71.* Balsami Sulphuris abusu *Act. Haffn. Volum. 1. c. 131.* Dixi *cap. anteced.* de hirudine cum potu assumpta, vomitum sanguinis producente; hìc verò, quod rarum est, ex RHODIO *C. 2. Obs. 72.* cardialgiam crudelem induco ex hirudinibus productam, naribus, ut fieri solet in Gallia, pro hæmorrhagia artificiali excitanda applicatis, postmodum per nares in gulam, & orificium stomachi sinistrum irrepentibus: quæ cardialgia curata fuit, quod obiter moneo, per aquam salitam propinatam, propterea, quoniam sal admodum contrariatur hirudinibus. Parili nempè ratione hirudines ano applicatæ, ut hemorrhoides provocent, nonnunquam ingrediuntur intestinum rectum, & gravia inferunt symptomata: in tali casu

solent

solent elici mediante clystere ex aqua salita; sic enim promptè egrediuntur: Non secus ac vermes subindè Cardialgiæ sunt autores. patet ex eo, quod his excretis soleat cessare, obseruante eodem RHODIO C.2. *observat.* 73; Vid. etiam M. A. N. C. *Ann.3. observ.*258, Cardialgiam quoque intulerunt lacertæ, ut habet GESNERUS *lib.2. Histor. Animal. cap. de lacerta*; pediculi, vid. HEURNIUS *de morbis capitis cap.*7; lumbrici, vid. HERCULES SAXONIA *Prælect. Pract. P.*2. *c* 7. §. 4. HEINRICUS *ab* HEER *Observ.* 16. & RHODIUS *l. a.* Elegans est, quod habet PLATERUS *in Observat.* de Cardialgia intensissima & cruciatu maximo ob deglutitam anguillam viuam, quam postmodum mortuam, & veluti excoriatam, per alvum excrevit. Signum hæc excoriatio est, quod iam fermentum stomachi inceperit agere in anguillam; undè tantùm exteriùs rosit. Hoc etiam videmus in piscibus voracibus, v. g. lucio, qui pisciculos minutos ita sensim sensimque digerit. Cardialgiam etiam PLATERUS habet ob deglutitum scarabæum: aliud exemplum habet intensæ cardialgiæ, obortæ ob deglutitionem cochlearis, quod ipsum sequenti die per anum reddidit. Pertinet huc vitrum deglutitum. & acicula deglutita, per urethram iterum excreta, cardialgiam, angustias præcordiorum, respirationem difficilem, & dolorem punctorium ventriculi, inferentes.

Quod ipsum attinet ventriculi aut partium vicinarum vitium, cardialgiam inferens, varium admodum esse potest: Sic HILDANUS C. 3. *Observ.* 20. observat dolorem ventriculi, primo leuem, hinc grauissimum cum dolore capitis, tandem vagè omnes corporis partes vicissitudine mira affligentem, lethalem: in aperto cadavere ulcus cavum magnum & fœtidum circa orificium ventriculi sinistrum fuit inuentum: quale etiam observavit DODONÆUS *Observ. Med. cap.*25: non secus ac RIUERIUS *Cent.*1. *Observ.*90. notat ventriculi dolorem diuturnum lethalem; ubi, aperto cadavere, inventus scirrhus, pancreas, mesenterium, jejunum & pylorum occupans: Similes tumores, ventriculo dolorem inferentes, observavit HIPPOLITUS BOSEUS *de Facultat. anal. lect.*2. *pag.*21 & ZACHINUS *P.*2. *Observ.* 11.

Hi ipsi dolores stomachi seu cardialgiæ, utut vagum sint symptoma, non rarò sunt periodici, statuto tempore ac periodo affligentes. Hinc inde huius rei prostant exempla, quale imprimis est singulare BARTHOLINI *C.*3. *Histor.* 50. ubi recenset tales ventriculi dolores periodicos alternis diebus statuto tempore affligentes: Sic GUARINONIUS *in Cons.* 170, habet intensum ventriculi dolorem, menstruo tempore affligentem in muliere.

DIAGNOSIS.

Quoad *signa diagnostica anxietatum & Cardialgiæ*: recensentur ab ægris, qui conqueruntur, se insignes molestias in præcordiis sentire, monstrantque regionem sterni inferiorem & scorbiculum cordis; quæsiti, non possunt verbis sufficienter exprimere molestiam: quibus sæpè accedunt jactigationes corporis, & inquietudines, vigiliæ, respirandi difficultas, item imminentia subindè animi deliquia; quæ ordinariò præegreditur vertigo aut scotomia: anxietates has insequuntur faciei liuor, extremorum refrigerationes, & subindè sudores frigidi: ægri interdum quasi exanimati jacent, interdum ex doloris acerbitate se mirè jactigant, nescii ferè quid agant.

Præ cæteris autem obseruandum; quod hæc Cardialgia seu stomachi dolor non semper affligat in parte abdominis epigastrica anteriore, quin potiùs è regione ventriculi dorsum atrociùs affligat sæpius, non tantummodò in suprema lumborum regione, aut circa ultimas vertebras pectoris seu thoracis, ubi scilicet incumbit stomachus pancreati, sed, quod magis mirandum, sæpè cardialgia sequitur ductum œsophagi, ita ut dolor talis sæpè intra scapulas sursum adscendere videatur, utut inferiùs circa vertebras dorsi seu thoracis sit grauior illo, quæ adscendit inter scapulas, & fit à spasmodica contractione & motione: quin imò non rarò ægri conqueruntur solummodò de dolore compressiuo intra fauces, qui dolor re verà ex stomacho, per continuatum œsophagi ductum ad fauces deriuatur.

Porrò observanda distinctio: ne forsan Cardialgia paulò inferiùs protensa seu protracta habeatur pro dolore colico, & colicus dolor in ea parte coli, quæ immediatè substernitur stomacho, habeatur pro cardialgia: qualia exempla SCHENKIUS *in observat.* recenset *l.* 3. de quibusdam Medicis deceptis, curantibus quendam in anteriore stomachi regione dolorem sentientem, tanquam cardialgiâ laboraret; quem tamen errorem detexit unicus clyster injectus, dum nimirum hoc ipsò fuit sedatus dolor colicus, aliàs enim nihil præstitisset clyster. Id quod in specie dignoscitur, considerando circumstantias loci dolentis, & hinc antecedentia & consequentia: Nam ut plus magis sursum versus protenditur dolor in cardialgia, qui in colica vera, quasi deorsum versus umbilicum & lumbos vel renes descendit; & rarò etiam sola affligit cardialgia, quin si pauló atrocior fuerit, horrenda infert symptomata. *Causarum signa*, an sint humores? an flatulentiæ? an per consensum renum? an per consensum alius alterius partis? præter hoc, quod facilè patent, recensentur à SENNERTO *in Praxi*.

PROGNOSIS.

In *Prognosi*: Dolor ventriculi seu Cardialgia, licèt adstantibus videatur terribilis, & ægris funesta, tamen ex se leve malum est, & nihil habet in recessu, modò mox curetur: si tamen sit acerbior, ut diutiùs protrahatur, propter syncopes metum, non contemnendum malum est, propter periculosiora, quæ aliàs superveniunt, symptomata: unde magis periclitantur in cardiaco hoc affectu, qui os ventriculi admodum sensile habent, aut obnoxii passionibus convulsiuis; item qui raræ aut teneræ sunt texturæ, in talibus nempè, vel etiam in aliis, si interdum est extremorum refrigeratio, ac sudor circa frontem ac tempora frigidus, lypothomia ac syncope, aut convulsiones superveniunt, res periculo non caret; metus enim est, ne dicta symptomata excedant, & sic majus periculum immineat: Sic in febribus, cuius symptoma existit, præsertim continuis & acutis, tàm benignis quàm præsertim malignis; dum ægri simul de æstu & ardore insigni circa ventriculum, vel quæ aliàs dicitur Soda, aut etiam de vera Cardialgia conqueruntur, res meritò suspecta, ut plus admodum periculosa, est: vid. HIPPOCRATES S. 4. *Aphor.* 65: signum siquidem est, partim magnam adesse humorum saburram, partim ingentem ventriculi inflammationem cum subsequente sphacelo, partim nervorum orificii ventriculi stricturam spasmodicam.

Pessima anxietas & anxiosissima Cardialgia solet oriri ex acri & mordicante humore, in specie bile porracea, vel æruginosa; hinc est ista, quæ ex lacte oritur coagulato, quemadmodum *Actor. Haffniens. Volum.* 2. *Observ.* 87. constat.

Ista, quæ oritur ex pituita viscida, plus minus acida, contumacior quidem est cæteris, minus tamen molesta, ac minus gravibus symptomatibus stipata esse solet.

Cardialgia post alimenta vitiosa assumpta sæpè quidem est molestissima; rursus tamen remittit, modò non superuenerit febris.

Cardialgia in puerulis sæpè epilepsiam, in adultis verò morbos chronicos, eosque molestissimos, excitat.

Cardialgia denique à lumbricis & flatu ut plurimum minus periculosa; interdum tamen ex lumbricis ventriculum mordentibus grauissima symptomata oriuntur, ex quibus ægri repentè deficiunt; ut etsi dispositio flatuosa habitualis facta fuerit: vid. RIVERIUS *lib.* 9. *cap.*10.

CURA.

Quod attinet Curam: in hac

1. Maturè removenda imprimis causa stomachum irritans aut lædens qualiscunque, sive sit interna, sive sit externa; item sive per essentiam, sive per consensum fuerit.
2. Placandus est stomachi dolor aut natæ inde angustiæ, tàm per generalia oppiatà intermista, quàm per specialia aromatica appropriata; unde Theriaca ad ℈ ij. egregium est anti-cardialgicum; ita tamen, ut quamvis causæ sublatio ordinariè primum locum obtinere debeat, interdum tamen

tamen anodyna & narcotica, si dolor nimis urgeat, præmittenda veniant.

Primam quod attinet *Indicationem*: quæ causam irritantem removent, in affectu per essentiam, nempè humoralium contentorum, siue assumptorum, siue intus genitorum vitiorum, per se planum est, quod excellant vomitoria, quæ AMATUS LUSITANUS, FABER, & omnes Autores, ubi necessarium, commendant. Si verò est per consensum, curetur morbus primarius: ver. gr. nephritis, in qua dentur anodyna. Hinc in principio febris intermittentis & ardentis, si æger patitur Cardialgiam enormem, maturè propinetur Vomitorium, aliàs est metus, ne æger incredibilia pathemata incurrat. In febribus malignis ordinariò observatur Cardialgia, ubi vitium est in sinistro orificio stomachi; hinc in malignis, quæ oriuntur à contagio, præmittenda Vomitoria antimonialia, aliàs ob graviora symptomata vix speratus effectus sperandus. Observamus hoc quoque in petechiis, quæ sunt malignæ, contagiosæ, & acutæ, in quarum cura si detur vomitorium in principio morbi; morbi cursus absolvitur sine anxietatibus: si negligitur in principio, incredibilia symptomata ægros affligunt. Præ ceteris tamen vomitoria antimonialia præcellunt, quæ interdum sunt v. g. aqua benedicta Hartmanni aut Rulandi; vel quidam solent commendare, si vinum absinthites in poculum Vomitorium Rulandi infundatur. Paratur *hoc poculum* de *ligno juniperi cum pice & Vitro antimonii grosso modo imprægnatum*, qualem modum habebitis in *Collegio Ionstoniano* D. MICHAELIS; est admodum elegans hoc poculum.

Vel

℞. *Tartari emet. Mynf.* gr. ij. ad iij.
Olei sacchar. anisi,
Chamomill. an. gr. v.
M. S.
Pulvis vomitorius pro una vice.

℞. *Aquæ Chamomill. Rom.*
Menthæ an. ℥ß.
Spir. carminat. Sylv. ℨß.
Syr. emet. Ang. Sal ℥ß.
vel ℨ vj.
M. S.
Potiuncula vomitoria pro una vice.

Post Vomitoria, & quidem in malo minus acuto, usurpanda sunt purgantia: sed quoniam hæc per se ventriculo sunt inimica & molesta, irritando ejus orificium sinistrum, facilè possunt exasperare malum; propterea convenientissimum est, ut iisdem addantur opiata, simili modo ac de vomitu dictum fuit: qui modus usitatus est apud modernos, utut etiam opiata omnium humorum excretiones sistant, & etiam hypercatharses removeant; nihilominus tamen convenientibus purgantibus permista, eadem blandè & suaviter, nec adeò vehementer, operari faciunt. Hujus rei aliàs horrenda Veterum Practicorum prostant vestigia: nam ut plurimum usurparunt Electuarium diaphœnicum cum Philonio Romano, sub hac formula:

℞. *Elect. diaphœn.* (quod etiam purgat) ℥ß.
Philon. Roman. (propter opium) ℈ ij.
Misceantur pro *Electuario*;

Quod purgat blandè, & simul dolorem sistit: de quo videre potestis RIVERIUM *in sua Praxi*, ubi *de Vomitu*, *l.9. cap.7. pag.* 415. item de Cardialgia *cap.*10. *pag.* 433. ac SCHULZIUM *in Consilio* 114. aliosque. Verùm quoniam talia Electuaria ferè sunt nauseosa, commodiùs à modernis præscribitur talis formula; quæ etiam in Colica est proficua: v. g.

℞. *Tartari vitriol.* vel *arcan. duplic. Mynf.* gr. xij. vel xv.
Scammon. sulphurat. gr. ij. vel iij.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
Extr. troch. alband. gr. j.
Olei destillat. carvi vel *chamom. Rom.* gutt. ij.
M. f. *Pulvis*, S.
Pulvis laxans, & sedans dolores.

Laxat per inferiora, & hoc facto sistet dolorem.

Vel

℞. *Mass. pilular. aloephang. cum scamm.* gr. xv. ad ℈ j.
Extr. troch. alband. gr. j.
Laud. opiat. gr. j. ad gr. jß. vel ij.

Olei destillat. succini gutt. iij.
Cum essent. Menthæ vel *absinth.* f. *pilulæ.*
D. S.
Pilulæ laxantes & sedantes dolorem.

℞. *Mass. pilul. de hier. cum agar.* ℈ j.
Scamm. sulphurat. gr. j.
Laud. opiat. gr. ij.
Cum essent. absinth. f. *pilulæ.*
D. S.
Pilulæ stomachales laxativæ.

℞. *Mass. pill. de ammon. Querc.* gr. xijß.
Mag. jalapp. gr. v.
Scamm. sulphurat.
Laud. opiat. an. gr. j.
Cum *essent. castor.* f. *pilulæ.*
D. S.
Pilulæ stomachales laxativæ.

℞. *Mass. pill. de ammoniac. Querc.* gr. xij.
Auri fulmin. gr. v.
Cum *essent. castor.* f. *pilul.*
D. S.
Pilulæ stomachales laxativæ.

Certum est, quodadmodum conuenienter possint misceri opiata cum purgantibus; ubi tamen simul observandum, quod opium, quoniam omnes spirituum & humorum motus sistit, si addatur purgantibus, eius respectu purgantium dosis plus minus augmentanda sit, ne supprimatur omninò minor Purgantis dosis. Et conveniunt talia purgantia opiatis mista, in specie iis, qui obnoxii sunt hypercatharsi aut facilè vexantur torminibus intestinorum, ut mulieribus, quæ ex leui purgatione suffocationem uterinam incurrunt. Item conuenit talis mixtura iis, qui facillimè sunt solutionis alvi, quemadmodum reperiuntur, ubi duo grana scammonii octies purgant; in his enim remora injicitur purganti. Item conuenit hæc mixtura iisdem, qui acidis corrisivis succis abstidant, ac lymphâ acriori qui falsò acidâ turgent, in specie scorbutico-hypochondriacis, quibus per purgantia commotis ob succos crudos & acidos gravissima superueniunt abdominis tormina: hoc ne fiat, commodè permiscetur laudanum opiatum, aut saltem die uno aut altero cum Digestiuo præmittitur. De hac mistura vid. HOEFERUS *in Herc. Med. pag.*124; sicut moderni Belgæ, SYLVIUS, & eius discipuli, utuntur tali mistura laudani opiati cum purgantibus. POTERIUS, Scriptor nobilis, curauit aliquando Cardialgiam aliis omnibus reluctantem, in suis *Observ. Cent.*1. *Cur.*24. mediantibus laudatissimis suis pilulis catholicis. Compositio prostat *in eiusdem Pharmacia spagyrica*, & habet exemplum de dolore ventriculi intensissimo periodico, quotannis certis temporibus, certisque diebus redeunte, qui aliis quam plurimis irritis tandem à POTERIO curatus fuit per *pilulas Catholicas*, quæ sunt hæ:

℞. *Aloes succotr.* ℥ß.
Myrrhæ ℨ ij.
Mastich. ℨ j.
Croci Orient. ℨ ß.
Magnes. Saturn. meteoris. ℨ j.
Cum *syr. ros. solut.* f. *Massa*:

Cujus *dosis* à gr. xv. ad xxiv.
Valdè commendat has pilulas.

Præcipuum autem ingrediens, quod obscurè proponit, est *Magnesia saturnina meteorisata*, quæ videtur esse Flores antimonii correcti, per inferiora saltem purgantes; Magnesia saturnina enim aliàs est antimonium per meteorisationem nil aliud inelligit quàm in flores sublimationem.

Quod si *Cardialgia* oriatur *à flatibus*, aut exhalationibus ex efferuescentia humorum in intestino duodeno obvia, nempè ex bile & succo pancreatico (nam succus pancreaticus & bilis commisti, dum efferuescunt, halitus acres in stomachum mittunt) uti contingit interdum in febribus intermittentibus, item in paroxysmis hypochondriacis & hystericis; in talibus casibus optima sunt clysmata carminativa seu aromatica, ex iis nempè, quæ flatus discutiunt, & blandè intestina abstergunt, origano, pulegio, chamomilla, cum sale tartari parata, quæ in paroxysmis febrium intermittentium, paroxysmis hystericis &c., sunt optima, nunc simplici, nunc partitis vicibus injecta: ver. gr.

℞. *Herb. menthæ*,
Flor. chamomill. an. M. j.

Rad. angel.
Bacc. lauri,
Iuniperi, an. ℥ß.
Sem. anisi,
Fœniculi,
Salis tart. an. ʒ ij.
Coqu. in f. q. *Aqu. simpl.*
℞. *Colatur.* ℥ ix.
adde
Electuar. de bacc. lauri ℥ j.
Olei destillat. anis.
Fœniculi an. ℈ ß.
M. pro *Clysmate*, S.
Clysma contra flatus.
Quod tepidè applicetur. Vel
℞. *Herb. Chamom.* M. ij.
Flor. sambuci M. j.
Rad. levist. ℥ j.
Semin. 4. cal. maj. an. ʒ iij.
Sal. tart. ʒ j ß.
Coque in f. q. *Aqu. simpl.*
Colat. ℔ j. adde
Elect. de bacc. lauri,
Hier. cum agar. an. ℥ j.
Olei destillat. bacc. juniper. ℈ ij.
M. f. *Clysma* pro duabus vicibus, S.
Clyster contra flatus. Vel
℞. *Herb. calaminth.*
Origan.
Rutæ an. M. j.
Fol. lauri M. ß.
Sem. anisi,
Cumini,
Dauci an. ℥ j.
Sal. tart. ʒ j ß.
Coque in f. q. *aqu.*
Colaturæ ℥ ix. adde
Elect. lenit. ℥ j.
Olei anethi,
Rutæ an. ℥ ß.
M. f. *Enema*, S.
Clyster contra flatus.

Sal tartari ndditur propter duplicem scopum; (1) ut menstruum acuet: (2) ut vi salinâ incidat.

℞. *Herb. menthæ* aut *calami mont.*
Origan.
Puleg. an. M. j.
Flor. Chamomill. vulg. aut *Rom.* M. ß.
Rad. angel. ℥ ij. vel ℥ ß.
Bacc. lauri ʒ iij.
Semin. anisi,
Dauci,
Fœnicul. an. ʒ j.
(semina hæc egregia sunt Carminativa)
Coque in f. q. *Aqu. simpl.* & Vrin. *human.*
Colatur. ℥ viij. vel ℥ ix. adde
Elect. lenitiv.
De bacc. lauri an. ℥ ß vel ʒ vj.
Olei destillat. anisi,
Fœniculi an. ℈ ß.
Vitell. ovi No. j.
M. f. *Chrisma*, S.
Clyster contra flatus.

Iniiciendum tepidè, vel una vice, vel, si flatuum obstiterit præsentia, duplici vice applicetur.

RIVERIUS in tali casu habet Clysmata ex solo vino albo aut Hippocratico cum oleis destillatis carminativis parata, quæ non sunt inelegantia.

Quæstio est: *an venæ sectio conveniat?* quod negatur; per se enim in Cardialgia tollenda nil emolumenti habet: unde, quando prostant exempla Cardialgiarum, per venæ sectionem curatarum, verè sunt casualia, quàm ex lege artis exhibita. Exemplum tale habet RIVERIUS *C.* 1. *Observat.*44. de dolore vehemente, ventriculi & lienis regionem occupante, qui aliis omnibus irritis, venæ sectione tandem fuit curatus; vel cardialgia propter alium affectum ex sanguine nata fuit, & cum hoc suo modo conjuncta, ratione cuius venæ sectio indicata fuit, ut v.g. in mensibus suppressis, item si à sanguinis turgescentia nimia dependeat: vid. FORTIS *C.*2.*Cons.*86. Pertinent huc etiam exempla THONERI *in Obs. pag.*153. de dolore ventriculi immani; & ingenti in Plethorico, aliis irritis venæ sectione subitò incantamenti instar curato; idque propterea, quia tantum adfuit suspicio inflammationis stomachi, quæ tamen non est sufficiens.

Sensum doloris tollunt imprimis Papaverina & opiata; vid. WEDELIUS *Opiol.pag.*116.; quæ inter Veteribus in usu fuit Philonium Romanum ad ʒ j., item pilulæ de cynoglossa ad ℈ß. Modernis in usu est laudanum opiatum, cum decocto flor. chamomill. usurpatum, & laud. hystericum: item usurpetur sequens mistura specifica contra dolorem stomachi & præcordiorum, aut ad Cardialgiæ omnes causas;

℞. *Aq. chamomil.* ℥ iij.
Cinnam. ℥ j.
Elix. menth. vel *Citri* vel *aurant.* ʒ iij.
vel ʒß. vel ʒ vj.
Olei destillat. chamomill. vulg. vel *Rom* gutt. vi.
Laud. opiati gr. ij. & iij. ad vj.
Syrup. de hyssopi ʒ vj.
De Canella ℥ j.
M. D. S.
Mixtura dolorem sedans pro una vice.

De qua capiantur pro dosi duo vel tria cochlearia, & in genere anxietates dispellit.

Mixtura hæc diversimodè specificari potest; hinc potest, huic etiam addi spiritus salis ammoniaci, aut sin ardoris sensus simul adsit, spiritus nitri dulcis: E. g.

℞. *Aq. Chamomill.* ℥ ij.
Carminat. Dorner. ℥ j.
Elix. menthæ ʒß.
Spiritus nitri dulc. ʒ j ß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syrup. cinnam.
Menth. an. ʒß.
M. S. *ut anteà.*

Xel etiam pro causarum varietate addi possunt pulveres quidam terrei fixi absorbentes, & quidem omnia in debita dosi;

Vel
℞. *Ess. flor. Chamomill. Rom.* ʒ ij.
Menthæ,
Opii. (Perinde enim est, sive opium in forma sicca sive liquida adhibeatur.)
Spiritus anisi an. ʒ j.
M. D. S.
Essentia dolorem sedans.

Dosis 30. ad 40. guttul. Vel
℞. *Spiritus sal. ammon. anisati* ʒ j ß.
Essent. opii ʒ ß.
M. Pro tribus dos. S.
Essentia dolorem sedans.
℞. *Spiritus carmin. de trib.* ℥ iij.
Essent. opii ʒ ß ad ʒ j.
M. S.
Essentia dolorem sedans.
℞. *Spiritus carminativ. de trib.*
Essent. castor. an. ʒ j ß.
Opii ʒ ß. ad ʒ j.
M. S.
Essentia dolorem sedans.
℞. *Spir. Corn. Cerv. cum sale vol.* ʒ j.
Essentia opii ʒ ß.
M. S.
Mixtura dolorem sedans.

Dosis gutt. XLV.

Convenit etiam Tinctura tartari acerrima, ter in die à 40. ad 50. guttas.

Aliàs quæ in Cardialgia in genere conveniunt pro causarum ratione; vel appropriata stomachico-aromatica blanda in casu, quando flatus aut similia adsunt; vel absorbentia, in bile præsertim seu recrementis porraceis: ut taceam propria ventriculi vitia debitis modis curanda. Aromatica talia ad Cardialgiam usitata præ cæteris sunt radix angelicæ & enulæ campanæ, fœniculi; Herb. & semen fœniculi, anisi, Herb. rorismarini: specificum est chamomilla, tam vulgaris quàm præstantiori cum effectu Romana, quæ nobile est aroma, unà cum vi anodyna, & omnia ex his parata remedia, quia sunt expertissima in Cardialgia, & non habent in hoc passu illi conferendum. Sanè RIVERIUS, AMATUS LVSITANUS *Cent.*4. *Cur.* 59. vix sufficienter possunt commendare aquam chamomillæ destil-

destillatam in Cardialgia flatulenta, si ad ℥ iij. propinetur; hinc decoctum chamomillæ ceu expertissimum mirificè à FORESTO ad Cardialgiam commendatur. Alii essentiã florum chamomillæ cum proprio spiritu paratam commẽdant. D. MICHAELIS paravit Essentiam hanc cum spiritu vegetabili carminativo, i. e. spiritu vini à specificis seu simplicibus carminativis abstracto; quæ essetia à ʒß. ad ʒ j. propinata in affectibus stomachi & Cardialgia erit convenientissima & elegantissima. Alii oleum destillatum saphirinum chamomillæ vulgaris, & Romanæ meritò extollunt in haustulo vini assumptum, aut oleo nucis Moschatæ mixtum & exteriùs illitum, admodum est conveniens ad tollẽdam cardialgiam: vid. *Act. Med. Haffniens. Vol. 1. pag. 213.* & *Vol. 2. observ. 87 p. 208.* PAULI *Quadrip. Botan. p. 252.* in specie AMATUS LUSITANUS *Cent. 3. Cur. 30.* FORESTUS *l. 18. Observ. 20.* Post chamomillam ulterius conveniunt Decoctum ligni sassafras, hyssopus, summitates anethi, menthæ crispæ, itẽ flores anthos seu rorismarini, & flores verbasci, qui sunt singulariter anodyni. In specie cortices citri & aurantiorum, & ex his parata Elixyria, Tinctura & oleum destillatum corticum aurantior. Ex dictis simplicibus destillatę aquæ, aqua chamomillæ, florum sambuci, hyssopi & cinnamomi conveniunt. Vinum absinthites similiter est utile, uti etiam ad dolorem acrem vinum decoctionis nucis Moschatę, qui laudatur insigniter à STOECKERO *in Praxi* ad dolorem acrem: item spiritus Vini anisatus seu spiritus & oleũ destillatum anisi, spiritus salis ammoniaci simplex & anisatus, est egregius in cardialgia. In urgente casu potest propinari elixyr menthæ, item olea destillata carminativa: e. g. oleum destillatum carvi experimentum est THONERI *in Observ. p. 136.* ad gutt. iv. vel v. usurpatum: duo enim *cit. loco* exempla habet curatorum à vehementissimo totius abdominis, itemque à sævo ventriculi dolore: item *eodem loco* habet exemplum ingentis doloris stomachi, qui per intervalla, præsertim à cibo assumpto, usque ad scapulam se extenderit ex sympathia cum ventriculo, cujus orificium superius alligatũ septimæ dorsi vertebræ; qui dolor insignis 5. guttis olei destillati succini subitò fuit curatus. Huic simile est oleum anisi & cumini.

Et hæc conveniunt in specie in anxietatibus vagis.

Quod si percipiatur, simul ardor in regione stomachali, tunc modò dictis aromaticis commodè adduntur blanda acida, quæ ardorem refrænant, v. g. succus & syrupus granatorum acidorum, rob & syrupus cydoniorum, succus Citri, syrupus acetositatis Citri; & speciatim spiritus nitri dulcis, imprimis ex spiritu nitri cum duplo spiritus anisi dulcificatus; & similia.

Si oriatur Cardialgia & stomachi anxietas à succis acrioribus, acidis, ex bile porracea & æruginosa, prassina dicta, in qua acidum cum alcali effervescens dominatur, eadem propinantur acidum effervescens destruentia: v. g. testæ cochlearum marinarum, mater perlarum, pulvis Marchionis, Corn. Cerv. ustum, ebur ustum, lapilli cancrorum, in specie Crystallus præparata: v. g.

℞. *Crystall. mont. præp.* ʒ j.
Corall. rub. præp. ℈ j. vel ʒ ß.
Corn. Cer. usti præp. ʒß vel ℈ ij.
Laud. opiat. gr. ij. vel iij.
M. pro tribus dosibus, S.
Pulvis dolorem sedans.

℞. *Matr. perl. præp.* vel *corall. rub. præp.*
Cinnab. antimonii vel *nativ.*
Antim. diaphor. martial. an gr. viij.
Laud. opiat. gr. j.
Olei destillat. caryophyll. gutt. j.
M. f. *Pulvis*, S.
Pulvis dolorem sedans.

Capiantur hi pulveres in aqua chamomillæ, imprægnata cum essentia castorei.

Nempè in tali bili æruginosa, teterrima symptomata ventriculo inferente, crystallus montana præparata specificum alexipharmacum bilis æruginosæ rectè dicitur LANGIO, qui adhuc loquitur more Veterum; licet difficulter solvatur per menstrua, tamen convenit, ut destruat acidum corrosivum in his prædominans.

Si mucilago viscidior Cardialgiam inferat, addenda erunt tartarea, & gummata, ut cremor tartari, & gummi ammoniacum.

Pertinet huc Cardialgia intensissima & periculosissima, nata ex hausto mercurio sublimato, in qua convenit oleum amygdalarum dulcium cum lacte mistum. Quidam solo lacte; quidam verò cum oleo tartari per deliquium temperato, utuntur pro potione, cujus historiam & curam refert VALERIOLA *l. 1. Obser. 7.*, qui casus cum sit singularis, & non inelegans, ejusdem remedia paucis communicabo.

Primò præscripsit Fomentum exteriùs proficuum:

℞. *Fol. hyosc. albi*
Absinth. Rom. an. M. ß.
Mastich. ℥ iij.
Crystall. purif. ℥ ij.
Coquatur in
Ol. rosar.
Violac.
Liliac.
Anethi an. ℥ iv.
Vini rubri ℔ ß.
ad humiditatis consumptionem.

Coletur.

Et hoc remedio applicato mirum levamen percepit. Interim postmodum præscripsit hanc potionem:

℞. *Crystall. præp.* ʒ j.
(ratio quoniam acidum Mercurii sublimati arripit crystallum, & enervatur.
Theriac. ℈ ij.
Butyri rec. ʒ j.
(ad demulcendam acrimoniam Mercurii sublimati)

In *Decocto hordei* q. s. misc. & pro aliquot vicibus propinat.

Talibus scilicet obtunditur acidum corrosivum Mercurii sublimati, ac sensilis dolor ventriculi mitigatur. Loco butyri in lacte solùm propinassem.

NB. Hyoscyamus externè, & crystallus internè, perfecerunt totam curam: nam crystallus externè in fomento nihil præstat, nititurque ejus tutor hypothesi vulgari. Per crystallum montanam etiam curata est à THONERO in jure gallinaceo usurpatam. SCULTETUS *in Arman. Chir. P. 2. Observ. 59.* terram sigillatam cum syrupo consolidæ majoris in erosione ventriculi dolorifica ut singulare remedium commendat.

Pertinet huc suo modo elegans casus, quem habet THONERUS *in Observ. 2. pag. 136.* de dolore ventriculi punctorio, qui fuit curatus per ℥ ij ß. Olei amygdalarum dulcium, in jure galli propinati; quo facto intra 3. horas acicula per vias urinarias fuit excreta, & exinde dolor omnis subitò disparuit. Facit huc etiam, quando oritur similis dolor ex deglutitis vitri frustulis, aciculis, aut similibus, ubi conveniens est, ut usurpetur puls pinguis ex milio aut oryza facta, eaque non nimis fluxilis, sed aliquantisper spissa, quæ assumitur absque subsequente potu; sic enim fit, ut huic pulti involuta frusta vitri vel aciculæ, aut similes res acutæ mistæ pulti, citra noxam ex ventriculo per pylorum dilabantur.

Reliquæ causæ appropriata sua exigunt remedia; hinc v. g. aquæ salsæ potu cardialgiam ab hirudine curatam refert RHODIUS *Cent. 2. observ. 72.*

In Cardialgia à vermibus

℞. *Elix. propriet. sine acido* ʒ ij.
Spir. sal. ammon. ʒ j.
M. S.
Elixyr stomachale.

℞. *Essent. absinth. tartarif.* ʒ ij.
Spir. sal. ammon. ʒ j ß.
M. S.
Essentia stomachalis.

In doloribus ventriculi senum gravioribus, aut etiam in aliis Cardialgiis cum gravi virium dejectione & Lipothymia junctis, elegantes sunt *pilulæ Poterii*, quas describit C. 3. c. 30. ita:

℞. *Ambræ gris.* gr. ij. vel iij.
Moschi
Croci Orient. an. gr. j. vel ij.
Opii Thebaic. (*ritè præpar.*) gr. iv.

Misc. f. *pilulæ*. quæ in senibus & viribus dejectis sunt convenientissimæ.

Idem POTERIUS *citato loco C. 31.* habet exemplum diuturni doloris ventriculi, aliis omnibus irritis tandem decocto ligni sassafras per 20. dies continuatos curati.

Item absinthium ejusque essentia senibus vigilantibus prodest: Sic ZACUTUS LUSITANUS *lib. 2. Med. Princ. Hist. 58. observatione 10.* exemplum habet de impor-

importuno ventriculi dolore potu vini absinthitis curato. WEDELIUS Essentiæ suæ carminatiuæ addit essentiam castorei & anodynam, cum oleo caryophyllorum gutt. j. vel alteri: valet & in singultu & in inflammationibus ventriculi, dosi gutt. XXX: miscet cum elixyr proprietatis, quando cruditates ventriculi adsunt. Descriptionem Essentiæ huius Carminativæ videb. in eius Opiol. pag. 119.

Quod attinet Externa: interdum hic maximè conueniunt Linimenta suveolentia ex oleis imprimis destillatis concinnata, quorum compositio est facilis: v. g. ex oleo chamomillæ destillato, item Mastichis destillato, macis, caryophyllorum, & guttulis quibusdam olei destillati cinnamomi: quæ si acria fuerint, excipiuntur cum oleo chamomillæ infuso, mastichis, nardino, & oleo stomachali Cratonis, item cum oleo nucis Moschatæ expresso in mulieribus; item Balsamo Peruviano: addi etiam potest oleum destillatum succini ob convulsiones stomachi, quibus resistit. Modus præscribendi est hic:

℞. *Olei destill. chamomill.* ʒ j.
Macis,
Caryophyllor. an. ℈ß. vel gutt. xv.
Balsam. Peruviani ʒß.
Cum olei expr. nuc. Mosch. q. s. f. *Balsamus*.
D. S.
Balsamus stomachalis externè adhibendus.

Vel

℞. *Olei stomach. Craton.* ʒ ij.
Destillat. succini ʒ j.
Angelic.
Caryophyll.
Macis an. gutt. iv.
Cinnam. gutt. ij.
M. D. S.
Oleum dolorem sedans.

℞. *Olei destill. bacc. iuniper.* ℈ j.
Caryophyller.
Macis an. gutt. vi.
Expr. Nuc. Mosch. q. s.
M. S.
Balsamus dolorem sedans.

Illinatur regio præcordiorum, imponendo desuper laterem calefactum.

Item

℞. *Olei expr. nuc. Mosch.* ℈ ij.
Destil. absinth.
Menthæ,
Caryophyllor. an. gut. v.
Balsam. Peruvian. gutt. vj.
M. D. S.
Balsamus stomachalis.

℞. *Olei expr. nuc. Mosch.* ℈ ij.
Destillat. caryophyll.
Menth. an. gutt. v.
Balsam. Peruvian. ℈ j.
M. D. S.
Balsamus stomachalis.

Post linimenta externa conueniunt ulteriùs Emplastra, regioni stomachi applicanda; quæ inter elegans est Emplastrum carminatiuum Mynsichtii; item, si suspicio sit flatuum, emplastrum de baccis lauri. Ex omnibus excellit Tacamahaca, per experientiam POTERII singulariter commendata in *L. 3. c. 32. p. 240.*, quæ sola in forma Emplastri regioni stomachi applicata, acerbissimos dolores curavit, & hactenus crebrâ experientiâ eius usus fuit confirmatus; quod etiam fuit in frequenti usu D. MICHAELIS: Loco eius sumi potest gummi carannæ, non minoris efficaciæ: Præscribitur vel simpliciter ita:

℞. *Tacamahac.* vel *gummi carann.* p. ij.
Theriac. part. j.

Liquefacta in mortario calido, misceantur pro emplastro; sic finit dolorem; quod malaxetur cum *Oleo destillato succini* in convulsione stomachi; vel loco Theriacæ *tacamahaca* misceatur cum p. j. *Balsami Peruviani* pro confortatione stomachi. Inducatur super alutum in forma scuti stomachalis, S.

Emplastrum stomachale.

Applicetur ut adhæreat. Non autem priùs sindone obducatur, potiùs nudè imponatur. Si illud auferre velimus, illinamus oleo calido. Est nobile remedium in huiusmodi affectibus stomachi, in specie in Cardialgiis; unde *Emplastrum stomachicum de Tacamahaca Schrœderi* commodissimè usurpari potest. Ipse POTERIUS *circa finem Pharm. spagyricæ* excellens habet Emplastrum ex Tacamahaca compositum pro affectibus stomachi hac forma:

℞. *Olei destillat. mastich.* ʒß.
Menthæ,
Absinthii,
Nuc. mosch.
Caryophyll. an. ʒ j.
Tacamahac. ℥ j ß.
Ceræ Citr. ℥ iv.
M. f. *Ceratum.*

de quo accipiatur q. s. pro *scuto stomachali.*

Item conuenit Emplastrum ex ana *tacamahacæ & cerati stomachalis Cratonis*, quæ liquefacta in mortario calido malax. cum *Balsamo Peruviano.*

D. S.
Emplastrum stomachale.

Iam quoque omnia, quæ de tacamahaca dicuntur, intelligenda etiam sunt de gummi carannæ, nobilioris forsan usus: vel ex ana *gummi carannæ & tacamahacæ*, in mortario calido liquefactorum, & cum *Balsamo Peruviano* malaxatorum, fit Emplastrum inducendum in alutam in *forma scuti stomachalis*, & imponendum regioni stomachi. Cæterùm videatur, quod attinet naturam gummi carannæ & tacamahacæ, MONARDES *de simplicib. Comm. in Clus. p. 318.*

Denique post huiusmodi Emplastra usurpantur externè etiam Fotus vel Fomentationes ex aromaticis, absinthio, mentha, hyssopo, floribus chamomillæ simplicis & Romanæ, origano, majorana, semine fœniculi, carvi, baccis iuniperi, &c. regioni stomachi applicandi: iique duplici sub forma, aut ut species coquantur in aqua & aceto, aut in vino, & istud decoctum pannis linteis triplicatis aut quadruplicatis applicetur stomacho; vel ipsæ species insuuntur sacculo, coquuntur parumper aquâ vel vino, & ita sacculus applicatur regioni stomachi, subindè renouandus. Fotus potest esse talis, quem commendat inter alia FORESTUS *in l. 18. observ. 22.*; ad cuius imitationem

℞. *Herb. absinth. nostrat.*
Pont.
Flor. chamomill.
Meliot.
Rosar. rub.
Herb. menthæ an. M. j.
Sem. anisi
Carvi an. ʒ ß.

Coque in s. q. *aqu. comm.* Colat. ℔ ß. adde
Theriac. ʒß.
Aqu. rosar. ℥ ij.
Aceti rosac. ℥ j ß.

M. pro Fotu, ventriculi regioni applicando. S.
Fotus externus.

Sacculi fiunt meliores ita:

℞. *Com. absinth.*
Herb. majoran.
Flor. Chamom. Rom. an. M. j.
Bacc. juniperi cont. ʒ vj. ad ℥ j.
Sem. anisi,
Carvi,
Cumini,
Fœnicul. an. ʒ j ß.

Incisis & contusis impleatur *saculus oblongus interpassandus*, qui ebulliat in *Vino* aut *Aqua*, & ita, quàm calidè fieri potest, imponatur regioni stomachi, repetendo crebriùs.

D. S.
Sacculus externè applicandus.

Vel

℞. *Comar. absinth.*
Herb. majoran.
Menthæ an. M. j.
Flor. Chamomill. M. *Rom.* ij.
Bacc. juniperi cont. ℥ ß. vel ʒ vi. ad j.
Sem. anisi,
Carvi,
Dauci,
Fœnic. an. ʒ i ß. vel ʒ ij.

Inci-

Incisa & contusa includ. sacculo interpassato. S.

Species ad fotum.

Coquantur in *vino*, & tepidè cum spongia applicetur stomacho: vel sacculus probè calefactus irroretur cum *Oleo destillato succini*, *menthæ*, vel *Chamomillæ*, & applicetur.

℞. *Herb. origan.*
Rorismar. an. M ij.
Rad. acor. veri,
Galang. an. ℥ ß.
Caryophyll.
Cinnam.
Macis an. ℥ j.
Bacc. lauri,
Sem. anisi,
Carvi,
Fœnicul. an. ℥ ij.

Incisa & cont. includ. sacculo, qui *Vino generoso* ebulliat, & applicetur. S.

Species ad fotum.

Omnibus in casibus satisfaciet hyoscyamus, quem in Cardialgia scorbutica præprimis commendat DRAWIZIUS vnà cum aliis anodynis: e. g.

℞. *Fol. hyosc. albi,*
Malvæ sub prunis coctæ & debitè pistat. an. ℥ iij.
Farin. hord.
Lent. ana, cum Decocto lent. ad debitam consistentiam reduct., ℥ ij.
Muc. tragac. ʒ v.
Sem. psyll.
Cydon. an. ℥ ij.
M. f. Cataplasma, S.
Puls dolorem sedans.

Quod si dolor stomachi & ventris sit occasione refrigerationis corporis externæ, & inde natorum flatuum, tunc conueniens est, simplex quidem, sed admodum bonus, sacculus Montagnanæ. Formula est hæc:

℞. *Furfur.* M. iij.
Milii tosti M. ij.
Salis comm. decrep. M. j.
Misceantur.

Calefiant in sacculo, & applicentur.

In Colica, quoque est elegans.

Mulieres interdum vitio, ut putant, matricis, & eius occasione impuritatibus congestis, contumaces dolores in orificio ventriculi superiori percipiunt, quos in casu tali tollit sequens:

℞. *Vnguent. pomat.* ℥ ß.
Sevi hircin. ℥ j.
M. f. *Linimentum*, S.
Vnguentum lenitivum.

Quibus inungatur scrobiculus cordis manè, meridie, & vesperi aliquot diebus.

Pertinet huc etiam doloris ventriculi peculiaris species, œsophagum simul molestans, Ardor stomachi, quem Germani vocant *den Soods*.

CAPUT III.
DE
ARDORE VENTRICULI.

NOn rarò enim ebullit præter naturam in stomacho materia excrementitia, undè insignis ardor & dolor stomachi percipitur, ut quasi copiosi fumi sulphurei per gulam ascenderent. Malum hoc à primaria passione vocatur *Ardor stomachi*, iis verò, qui Germanos sectantur, *Soda*.

PARS AFFECTA.

Subjectum est stomachus ratione contentorum, & orificium sinistrum cum œsophago ratione æstus.

CAUSÆ.

Causa ejusmodi *proxima* est effervescentia nimia in stomacho, orta ab acido vitioso nimio, effervescente cum quodum alcalino pingui seu oleoso, & cruditate nidorosa. Acidum enim & alcali, dum effervescunt, inducunt ardorem plus minus intensum, prout plus vel minus olei vel sulphuris ipsis adjunctum fuerit. Nam effervescentia sola non infert ardorem; si autem oleositas adest cum efferuescentia, tunc talis calor intensus emergendo adscendit, siue bilis regurgitet in stomachum, siue sint assumpta biliosa, vel alcalina, vel nidorosa &c.; quod alcali simplex non facit, nisi addatur oleosum, quod patet per mechanicam.

Causæ remotæ sunt variæ: quædam respiciunt nunc acidum, nunc alcali urinosum; undè alimenta vel nimis acida, v. g. Vinum, acetum &c., vel pinguia assumpta, cruditati nidorosæ ansam præbentia, ardorem ventriculi excitant. Hinc ii, qui sunt iracundi, aut quibus facilè acrior bilis ex duodeno in stomachum regurgitat, obnoxii semper huic affectui propter efferuescentiam bilis cum acido stomachi, tunc temporis vitiosi, obortam: item hypochondriaci plures in quibus similiter acidum in stomacho prædominatur, quando mellita, aut saccharata, & alia dulcia facilè acescentia assumunt, propter horum facilem efferuescentiam cum acido facilè sodam incurrunt: imò etiam aromatica, aut acria, v. g. allium & cepæ, assumpta copiosiùs, efferuescendo cum acido, non rarò sodam inducunt. Plura, quoad causas, *dixi suprà de Cruditate acida*.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica ex ægrorum relatione patent; quando nempè circa præcordia conqueruntur de dolore granatiuo, sub forma aquæ ebullientis sensim sensimque adscendentis, & fauces inferiora versus constringentis: quem dolorem etiam ructus nidorosi & amarescentes tandem, comitantur.

PROGNOSIS.

Nil habet in recessu, imprimis qui post alimenta assumpta obseruatur, cum facilè cesset: qui tamen sine causa manifesta affligit, morbum Chronicum ut plurimum constituit.

CURA.

Occurrimus facilè sodæ, modò temperemus maturè acrimoniam humorum efferuescentium, aut destruamus acidum vitiosum, subjungendo, si opus fuerit, vel Vomitorium, ad quod tamen rarò recurrimus; vel laxativum.

Conueniunt igitur v. g. lapilli cancrorum, uti & ebur ustum, bolus Armena, corallia præparata, lapilli carpionum vel percarum, crystallus præparata, lac lunæ, unicornu fossile & similia. Præ cæteris creta & terra martialis; hinc species diacretæ, & morsuli de creta Mynsichti sunt expertissimi; vel horum loco

℞. *Cretæ præp.* ℥ ij.
Nuc. mosch.
Ebor. usti præp. an. ℥ j.
Vnic. fossil.
Corall. rub. præp.
Lapill. Cancr. præp. an. ℈ ij.

Cum ℥ iv. vel vj. *Sacch. in aqu. portul. solut.* f. *Morsuli.*

Quibusdam usitatum est etiam lateres combustos intensiùs rubescentes pulverisatos cum saccharo mistos, aut in morsulos redactos propinare; nam & hi, quoniam participant de terra Martiali, unde rubedo, potenter compescunt quamcunque efferuescentiam. Album græcum seu stercus canis ossa vorantis à multis est probatum. Quibusdam etiã in usu est siliqua ceracea comesta, quæ sodam solet brevi suffocare. Conserua fructuum cynosbati ad ℥ j. dosi auellanæ cujusdam magnitudinis insigniter conuenit: sed hic observetur, quod fibrillæ istæ in interiore parte fructus, quibus adhærent semina, non sint separandæ. Syrupus & conserua ex summitatibus quercus commendatur ab HORSTIO *l. 4. Observ. p. 194.* Portulaca, ejusque succus, & syrupus, aut ipsa planta recens assumpta, sunt egregia; ut & succus sempervivi: nitrum etiam depuratum vel antimoniatum in aqua florum sambuci solutum, itẽ cremor tartari ad ʒ ß. datus, quo ardor ventriculi jam desperatus fuit sublatus: v. M. A. N. C. *Ann. 3. Obs. 210. p. 386*: vel *specificum* illud KERGERI *de ferment. contra febres*, corallia nempè cum *cremore tart.* v. g.

℞. *Crem. tart.* ʒ j.
Corall. rub. præp. ℈ j. vel ʒ ß. ad ℈ ij.
M. *Pro dosibus duabus*, S.
Pulvis vaporans.

His denique addatur nux Moschata, quia oleo temperata est. Ex his variæ possunt fieri formulæ, E. g.

℞. *Cretæ præp.* ʒ ß.
Corn. Cervi usti præp. ℈ j.
Corall. rub. præp. gr. xv.
M. pro *dosibus duabus*, S.
Pulvis vaporans.

℞. *Cretæ præp.*
Farin. later. an. ℈ ß.
Nuc. Mosch. gr. v.
M. f. *Pulvis*, S.
Pulvis vaporans.

Vel

℞. *Arcan. dupl.* ℈ ij.
Off. sep. pulv. ℈ j.
Nuc. Mosch. gr. vj.
M. *Pro dos. duabus*, S.
Pulvis vaporans.

Vel

℞. *Arcan. dupl.* ʒ ß.
Cretæ præp.
Unicorn. fossil.
Nuc. Mosch. an. ʒ ß.
M. f. *Pulvis*, S.
Pulvis vaporans pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Spec. diacretæ Mynf.* ʒ j ß.
Arcan. duplic.
Nuc. Mosch. an. ʒ ß.
M. S. *ut antea.*

Vel

℞. *Cretæ albissim. præp.* ʒ iij.
Corall. rub. præp.
Ebor. usti præp.
Crystall. præp. an. ʒ ij.
Nuc. Mosch. ʒ ß.
M. f. *Pulvis.*
D. S. *ut anteà.*

Vel cum s. q. *Sacch.* f. *Morsuli.*

℞. *Conf. Summ. querc.* ℥ j.
Cretæ præp. ʒ ij.
Nuc. Mosch. ʒ j.
Cum s. q. *Syr. portul.* f. *Electuarium.*

Inter Evacuantia, temperatis succis & sedato effervescentiæ motu, optimi sunt Tamarindi in Decocto, aut Infuso usurpati; laxant nempè & refrigerant egregiè, ac in biliosis hunc affectum sedare solent: vel usurpetur Rhabarbarum aliavè similia: vel ubi purgatione validiore opus,

℞. *Mass. Pilular. de ammoniaco Querc.* gr. xij.
Magister. jalapp. gr. iij.
Scamm. sulphurat.
Extr. troch. alband. an. gr. ij.
Cum Elix. propriet. f. *pilulæ.*

Habuimus symptomata ventriculi dolorosa: sit nunc

SECTIO VIII.
DE
FÆCUM ALVINARUM A CHYLO SEPARATIONE, ET SUCCORUM PANCREATICI ET FELLEI EFFERVESCENTIA VITIOSA.

De hac communiter altum apud Autores est silentium, nihilominus necessum est, ut de ea agatur. Præsuppono hic ex Physiologicis, quod Chylus tenuis in stomacho ex alimentis productus elabatur successivè per pylorum in intestina, apparenter quidem homogeneus, cum tamen non paucæ partes heterogeneæ, œconomiæ animali conservandæ ineptæ, subsint, in intestinis, antequam aliorsum pergant, probè separandæ. Nempè habet se Chylus ad instar lactis, in quo ad sensum, licèt homogeneo, fæculentiæ tamen caseosæ subsunt, in intestinis præcipitandæ. Separatio hæc fit mediantibus duobus hisce succis, bilioso & pancreatico, in fine duodeni & principio jejuni in intestina effusis, ibidem chylum diluentibus, blandam in & cum eodem effervescentiam excitantibus, eundemque alterantibus, & ita simul crassiores, viscidiores, & quasi caseosas eius partes præcipitando, per alvum evacuando separantibus: ita sicut chylificatio in stomacho fiat beneficio fermenti salini volatilis acidi, ita & fæcum separatio fiat in duodeno à fermento bilis primariò, licèt & lympha pancreatica etiam aliquid conferat. Si fit, ut vitietur hic alteratus chylus in intestinis & depravetur, non possunt non exinde emergere varii morbi: Aut enim nulla planè fit fæcum separatio, & alteratio, ut in fluxu icterico, item cœliaco sufficienter patet; de quo negotio videatur SYLVIUS *in Dissertat.* Medica 2; in icteri specie enim ex obstructo folliculo fellis excrementa sunt candida, unde corporis tabescentia: Vel perversa fit separatio, unde Massa sanguinea cacochymica. Bilis quidem excrementorum Catalogo malè olim fuit adscripta, cum in se reverà balsamicus sit liquor, & condimentum quasi balsamicum, chylo pro ipsius & totius Massæ sanguineæ conservatione ab omni corruptione putredinali additum, instar Myrrhæ cujusdam aloësve: unde & vermium facilem ex chylo generationem, quantum possibile prohibet: vid. HELMONTIUS *Tra. Sextuplex Digest.* Præterea quoq; bilis sale suo volatili oleoso, ceu essentiali eius constitutivo, si quid manifesti & præternaturalis acoris adhuc in chylo deprehendatur, hoc, utpote toti corpori hostile, destruit, & in salsum tertium volatile transmutat, simulque chylum totum optimè diluit, & fluxiliorem ac liquidiorem reddit, & ita per accidens fæcum excretionem simul nonnihil promovet.

Nec improbabile est, alii quod asserunt, bilem oleositate sui sulphureà occultà, utut in se appareat flava, quasi tingere chylum, adeòque primam pro faciliori in sanguinem transmutatione dispositionem addere, ut hujus sulphureæ Tincturæ medio exaltari faciliùs, ac in rubrum sanguinem converti possit; cuius defectu Cachexiæ & leucophlegmatiæ anasarcæ, & quædam hydropes ex parte oriri videntur: sicut pictores, quando colores lucidiores volunt reddere, addunt sel seu bilem; cùm omnis color ruber ex sale volatili cum oleo volatili digestis constet; non secus ac ex sale volatili cornu cervi & spiritu vini fit Tinctura rubicunda: Ergò in cachexiis, anasarca &c., sæpius bilis deficiens ex deficiente hæmatosi oritur.

Concurritur cum bile eodem in loco succus pancreaticus, subindè acidus, plus minus tamen, in animalibus repertus, qui chyli dicto modo à bile alterati crassiores & quasi caseosas partes leniter coagulando præcipitat, & blandà quadam cum bile fermentatione, quæ in statu præternaturali subindè in effervescentiam degenerat, dictarum fæcum separationem insigniter adiuvat: De hoc succo, adeòque ipso pancreate, vid. GRAFFIUS *Tract. de succo pancreatico*, item SCHWALBE *Tractatu Pancreas Pancrene.* Hi duo succi, bilis nempè, constans sale volatili oleoso, & succus pancreaticus, constans acido temperato, subeunt chylum, hunc attenuant, incidunt, resolvunt, & facta blandà fermentatione, crassiores ac fæculentiores partes à reliquis tenuioribus temperatis & nutritivis separant, & hæ posteriores transcolantur in vasa lactea.

Chylus ita in intestinis tenuibus alteratus & perfectus, & à scybalis recrementosis separatus, motu intestinorum peristaltico successivè secundùm eorum ductum promovetur, ita quidem, ut succus tenuior nutritivus intret vasa lactea, fæces verò præcipitatæ ulteriori motu per intestina crassa, in quibus debitam consequuntur consistentiam, usque ad intestinum rectum protruduntur, & ita foras emittuntur. Iam verò in interno intestinorum pariete imprimis considerabilis est mucus eadem intestina oblinens, qui nil aliud est, quàm crassior Chyli pars (dum ejus tenuiores portiones per intestinorum foraminula transcolantur) relicta, quæ oblinendo intestina ab illorum succorum acrimonia eadem defendit, simulque lubricando chyli fæcumque motum faciliorem reddit.

Ana-

Anatomen tamen intestinorum exactam videbitis in WILLISII *Pharm. Rationali*. Motus peristaltici seu lumbricalis visibile exemplum videbit in HELMONTIO *Tract. de Flat.* §. 48. Ab hac chyli in intestinis perfectione, & chymi nutritivi à scybalis fæculentis separatione, maximè vita, vel sana vel ægra, dependet, post legitimam nempè stomachi digestionem: aliàs enim, si nihil separatur utilis ab inutili, frustratur corpus suo nutrimento; sin verò vitiosè separentur, ita ut maneant excrementa Chylo permista, & ita subintrent massam sanguineam, nil aliud, quàm insignis huius cacochymia vel vitiosi limus sanguinis status, expectandus venit. Certè multum in recessu habet status vel naturalis vel præternaturalis succi fellei & pancreatici, & ab his vel legitima vel vitiata chyli perfectio, & ab eorum invicem concursu naturalis vel præternaturalis facta fermentatio, ita ut dispositivè & excitativè ad morbos quoscunque ferè concurrant horum succorum vitia, vitiatam plus minus stomachi digestionem præsupponentes; vitæ enim fundamentum consistit in crasi sanguinis.

In hoc certè puncto, imprimis ex vitio horum duorum succorum in duodeno, & ibidem blandè obortâ effervescentiâ, chyli secretione, & sic porrò, maximam partem morborum, in specie chronicorum, & omnia in intestinis obvia symptomata, originem ducere, quamplurimi Moderni statuunt, quos inter præprimis est SYLVIUS; qui cum magno satis applausu suo tempore Triumviratum hunc statuit intestinalem, nempè ex bile flava, & succo pancreatico, & denique ex pituita, composita partim ex saliva continuò deglutita, partim ex reliquiis chyli in stomacho digesti, & per intestina transcolati: adeò, ut ex stomacho, digestione vitiatâ, in specie cruditate acidâ, & ex vitiosa constitutione horum duorum succorum tantùm non omnes morbi chronici originem suam ordinariè habeant.

Nam hæc tria, si rectè se habeant, blandam ac temperatam in intestinis excitant efferuescentiam; sin verò vitiantur, tunc vitiosè separatur à fęcibus alvinis chylus, qui ab eorum vitio, imprimis à bile, inquinatus & depravatus, similiter Massam sanguineam, & tandem totum corpus, inficiet & inquinabit, unde varia mala nunc abdomen affligunt, nunc successivè in totum corpus redundant: hoc enim in loco non tantummodò radicem paroxysmorum febrium intermittentium, sed prætereà colicæ, diarrhœæ, Mali hypochondriaci, suffocationis sic dictæ uterinæ, & similium quam plurimorum, statuit. Nam hi succi permisti, per necessitatem naturæ inuiolabilem effervescentiam inducunt, ex eo, quoniam impossibile est, ut sal volatile, quale est in bile, & acidum, quale est in succo pancreatico, concurrant sine efferuescentia: quæ tamen, his succis legitimè constitutis, est blanda & temperata; his verò succis vitiatis, eadem est vehemens & impetuosa, aut inter se mutuò, aut etiam cum Chylo, imprimis si hic nimis acidus, nec ritè volatisatus fuerit, ut in hypochondriacis contingit: hinc scilicet est, quod tunc Hypochondriaci sæpè sub hypochondrio dextro, ubi nempè hi succi inseruntur in duodenum, patiantur varia symptomata abdominis, nunc phlogoses & ardores, ex bile præprimis nimis copiosa & nimis oleosa, nunc verò per fermentationem talem vitiosam in pituita ab acido vitioso factam oriuntur flatus, rugitus, murmura, ructus, borborygmi, distensiones, & similia quamplurima abdominis symptomata, qualia, v.g. in Hypochondriacis sæpius observantur. Imò Cachexiæ, icteri cujuscunque species, si non ex stomacho, quod rariùs fit, ut plurimum ex vitiatis his duobus succis, vitiosam cum chylo efferuescentiam, & præternaturalem fæcum separationem constituentibus, radicaliter oriuntur: dum v. g. in iracundis, in territis, &c. varia abdominis symptomata, dolores, æstuationes, diarrhœæ & similia symptomata contingere solent, oriri hæc ipsa videntur ex vitiosa efferuescentia horum duorum succorum, per animi motus, indeque natam sanguinis vitiatam fermentationem, præter naturaliter constitutorum, & vitiosè ex suis ductibus dejectorum.

SAUSÆ.

Causæ verò, quæ Chyli hanc perfectionem in intestinis, & debitam à fæculentiis separationem depravant, est vel ipse chylus vitiosè in stomacho genitus, vel est vitium succi fellei, aut pancreatici, vel utrorumque, vel saltem alterius vitiatorum: quibus subindè accedit etiam suo modo mucus iste pituitosus, intestinorum parietes naturaliter aliàs oblinens.

In *chylo* ipso est, si hic depravatè digestus, & quidem pro ratione vitæ gentis sedentariæ, scilicet ubi ut plurimum laboramus cruditate acida; exinde enim & mucus viscidus in intestinis & toto corpore generatur, qui ineptus est pro suscipienda fermentatione.

Secundum vitium est in bile, ejusque sale volatili oleoso, quod non ritè se habens, non ritè transmutat chylum in salsum tertium, nec fæces separat.

Primaria autem bilis vitia sunt:

1. Quando abundat, chylus cum illa dilutus fit nimis oleosus; & tunc expurganda est.
2. Quando eadem nimis acris & salina est: tunc vel acidis blandis, v.g. spiritu vitrioli, nitri, & salis dulcibus, aut succis acidis vegetabilium, citri, ribium &c. præcipitanda & corrigenda; vel oleosis volatilibus obtundenda: Acida enim dulcificata conjungunt se cum bile, & illam temperant.
3. Quando eadem est oleosa nimis & pinguis, ratione cujus obtunditur acrimonia salina maximè necessaria; & tunc salibus volatilibus, aut acrioribus aut aromaticis, acuenda.
4. Quando deficit, vel simpliciter in folliculo felleo, vel quando non defertur ad intestina ob mucum orificii, eiusque oppilationem à calculo, (deficiente bile deficit secretio fæcum,) aut iners est, spirituosis aromaticis volatilibus salinis oleosis, v.g. spiritu salis ammoniaci, Corn. Cerv., essentia absinthii, centaurii minoris &c. est similiter restauranda.

Lympha pancreatica peccat:

1. Quando abundat; & tunc euacuanda.
2. Quando, quod frequentiùs accidit, est nimis acida, aut nimis austera (ratione cuius austeritatis pertinaces alvi obstructiones, dolores intestinorum torquentes, & suffocationes uterinæ oriuntur) similivè vitioso sapore imprægnata; tunc alcalia, tam fixa, ut sal centaurii minoris, absinthii, sal tartari, quàm volatilia, ut spiritus salis ammoniaci, sal volatile urinæ, Corn. Cerv. &c. acidum illud absorbendo; ita omnia terrea, ut creta, corallia, lapilli cancrorum, & metallica Martialia, Antimonium diaphoreticum, &c. absorbendo vel aromatica seu volatilia oleosa, ver. gr. castoreum, galanga, Zedoaria, olea aromatica destillata macis, caryophyllorum; spiritus vini; & similia, blandè obtundendo, eam corrigent.
3. Quando deficit: & tunc blandè acida subtilia, aut spirituosa, qualia acida vegetabilia, spiritus minerales dulcificati, ut spiritus nitri dulcis, succus cydoniorum &c., speciatim alimentosa, Vinum & acetum, conducunt.

Verùm cum sæpius tàm complicata symptomatum fit syndrome, & etiam tam singularia horum succorum vitia & corruptiones, ut vix artificiosa conjectura Medicus cognoscere possit, quodnam primarium vitium? Ob id talia, quæ omni genere hos succos vitiatos, eorumque vitiosas fermentationes corrigere valent, & quæ universaliter ferè horum vitia corrigunt, in promptu esse debent: qualia sunt salsa temperata, arcanum duplicatum Mynsichtii, spiritus carminativus, item acida volatilibus permista, spiritus anticolicus seu spiritus nitri dulcis, duplo nempè aut triplo spiritus anisi junctus, & in specie opiata. Nam hæc opiata quascunque vitiosas effervescentias, ac præternaturalē succorū statum, feliciter sistunt ac tollunt, imprimis si appropriatis permista fuerint. Imprimis conducunt hìc misturæ ad imitationem Sylvii conscriptæ: e.g.

℞. *Aq. Cherefol.*
Menth.
Carminativ. an. ℥ j.
Cinnam. ʒ vj.
Acet. rutac. vel *vini*, vel *acet. destillat.* ℥ j.
Lapill. Cancr. præp. ʒ j.
Antimonii diaphor. ℈ j.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. sceloty rb. For. ℥ ß. vel ʒ vj.
M. S.
Mixtura bene circumagitanda.

℞. *Aqu. Card. bened.*
Endiu.
Menthæ. an. ℥ i.
Aceti destill. ℥ vi.
Spiritus nitri dulc. ℈ j.
Lapill. Cancr. præp. ʒ ß.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Syr. cort. aurant. ℥ß. vel ʒ vj.
M. D. S.
Mixtura bene circumagitanda.

Usurpetur cochleatim.

℞. *Aqu. fumar.*
Hyssopi,
Menthæ an. ℥ j.
Mixt. simpl. ʒ j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. scorbut. For. ℥ j.
M. pro aliquot dosib. S.
Mixtura benè circumagitanda.

℞. *Aquæ Menth.*
Antiscorb. Dorner. an. ℥ j ß.
Tinct. bezoard. ʒ j.
Lapill. Cancr. præp. ʒ ß.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Laud. opiat. gr. iv.
Succi cydonior.
Syr. acetos. citri an. ℥ ß.
M. S.
Mixtura benè circumagitanda.

Hæ misturæ conueniunt in dubio statu, quando nescimus, quinam succorum peccet.

Mucus denique *pituitosus* peccat:

1. Nimiâ copiâ; & tunc evacuandus per colocynthidem imprimis.
2. Nimiâ crassitie & visciditate; & tunc incidendus per salia, tam salsa, tartarum vitriolatum, &c. quæ eundem abstergunt; quàm alcalia: item attenuandus & resolvendus per salina volatilia aromatica, in specie per gummata.
3. Quando deficit; & tunc augmentandus per alimenta viscida, aliquamdiù assumpta.

Hæc sunt primaria humorum in hoc loco peccata, quæ datâ operâ corrigenda, ne exindè mala oriantur plurima; his enim causis actio bilis impeditur, chylus viriosè diluitur, & fæcum separatio impeditur sensibiliter. Ex hisce duobus, nempè ex vitio chyli sub digestione prima, & ex vitiata eiusdem perfectione sub digestione secunda in intestino duodeno, emergit fons non tantum omnium morborum, & omnis cacochymia, exceptis nempè morbis à contagio, & iis, quæ dependent à parentum charactere hæreditario. Aliàs ex his functionibus læsis primariò omnes morbi chronici, qui ordinariò obstructionibus hepatis, lienis aut mesenterii, originaliter adscribuntur; secundariò acuti, oriuntur: Sive enim peccent conjunctim, sive separatim, necessariò exinde vitiatur crasis sanguinis, unde oritur cacochymia totius corporis, adeòque efflorescunt varii morbi & symptomata: non secus ac plura mulierum circa menses vitia radicem primam circa has partes figunt. Undè, si quæ obstructiones, tumores, aut similia mala viscerum abdominis in chronicis morbis subindè obseruantur, producta potissimùm morbosa asserenda sunt.

Hæc in genere præmonere volui secundùm modernorum hypothesin, propterea, quia dabitur occasio, ut horum subindè mentionem injiciam: Sufficit hic, quod obiter insinuo, SYLVIUS, quoad Theoriam, *in Dissert. Medicis*, quæ benè applicabiles ad Praxin: quoad Praxin verò, idem SYLVIUS videatur *l. 1. Prax cap. 10. & 11.* qui instar omnium. Nemo unquam hoc negotium tanto studio tractauit, præter SYLVIUM: eius hypotheses facilè sunt applicabiles, licèt interdum impingat; tamen tyroni eum commendo. Occasionem sumpsit ex HELMONTIO *Tr. Sextuplex. Digestionis* qui Tractatus aliàs est elegans, modò corrigantur quidam errores in eo, iuxta hodiernæ experimenta.

Pergo ulteriùs ad

SECTIONEM IX.
DE
CONTENTORUM IN INTESTINIS EXPULSIONE LÆSA.

Dictum est superiùs, quòd Chylus, seu id, quod è stomacho dilabitur, in intestinis separetur in duas partes; quarum pars alimentitia ulterius promoveatur intra corpus per vasa lactea sic dicta; pars verò excrementitia, in intestinis relicta, post aliqualem moram extra corpus excrementorum nomine exterminatur.

Expulsio hæc contentorum in intestinis læditur, tribus modis.

1. Quando diminuitur, ita ut aut rara sit, aut ad tempus omninò nulla: id quòd fit in alvi Retentione, item in tarda Ejectione.
2. Quando augetur in alvi fluxibus variis, diarrhœa, Cholera, Lienteria, Cæliaca.
3. Aut denique quando depravatur, ita ut cum dolore, cum torminibus, aliisvè similibus stipata contingit symptomatis: item quando retinenda excernuntur, dum loco fæcum rejicitur sanguis, vel alia, ut pus, uti fit in dysenteriis, fluxibus hæmorrhoidalibus, &c.

CAPUT PRIMUM.
DE
EXPULSIONE ALVI CONTENTORUM DIMINUTA.

ARTICULUS PRIMUS.
DE
ALVI RETENTIONE.

CAVSÆ.

QVod ergò attinet *Alvi Retentionem*, dum parum vel nihil aut admodum tardè fit contentorum intestinalium excretio: cujus causa est vel in ipsis contentis expellendis, vel in ipsis intestinis expellentibus.

Quod attinet expellenda contenta: hæc ipsa inferunt retentionem alvi, quando non perveniunt usque ad intestinum rectum propter deficientem peristasin seu motum peristalticum, ut istud excretione irritent; cessante enim stimulo, cessat alvi excretio. Nam in statu naturali fit necessariò fæcum exclusio, si sub debita consistentia molli ab intestinis per motum peristalticum protruduntur usque ad rectum intestinum, ubi stimulant alvum, quod solum sensibile nobis: in naturali statu fæces nos non urgent, nisi eò perveniant, & ab ijs irritetur intestinum rectum.

Fit aut hoc (1.) propter eorum paucitatem ex alimentis paucis assumptis: (2) Propter eorum ad motum peristal-

periſtalticum ineptitudinem; quando enim inepta ſunt in motu, fit ut ſtagnent in inteſtinis, eorumque, imprimis coli, cellulis, jejuni maximè & ilei, ut non poſſint protrudi: vid. KERKRINGIUS *in ſpicil. ſuo Anatom. Obſ.* 39.

Inepta ſunt ad motum contenta, tribus ex occaſionibus: I. Propter eorundem exſiccationem & indurationem, v. g. ob paucitatem potus, in iis qui parcè vivunt, in febribus ardentibus poſt nimios ſudores, poſt graviorem corporis motum, &c. Aſſumpta etiam quædam duriora & auſtera ſimiliter fæces plus minus indurant, ut panis cruſtæ & ſpiræ, quæ ipſæ aſſumptæ nimiâ copiâ propter viſciditatem & tenuitatem ſuam non rarò ſolent duriores dare fæces, indeque etiam alvi periculoſiſſimam obſtructionem: vid. MOEBIUS *Inſtit. pag.* 453. Sic res comperta eſt de Meſpilis alvi adſtrictionem cauſantibus, ita ut etiam epilepſia aliquando ſupervenerit; præprimis hoc faciunt eorum lapilli, *ſive oſſa*; hinc vulgò fructus hi dicuntur Germ. *Arsklammern*. Item ova ad duritiem cocta ſimiliter inſigniter ſolent alvum adſtringere: Exemplum habet CORNARIUS *in ſuis Conſil. Conſ.* 4. de quodam, qui ex eſu quatuor ovorum ad duritiem coctorum jejuno ſtomacho, inſignem alvi adſtrictionem paſſus fuit, ita ut poſt aliquot dies in fæcibus alvi, per medicamenta laxativa eductis, adhuc integra eorum fruſtula vitelli & albuminis ovorum apparuerint: Item fructus nonnulli horæi cum pellicula tenaci obducti & deglutiti, quales ſunt uvæ criſpæ, Germ. *die Stachelbeeren*: item uvæ vitis, Germ. *die Weinbeeren*, ſi ſcilicet comedantur unà cum pelliculis: nam hæ pelliculæ admodum reluctantur ſtomacho in digeſtione, quin crudæ & indigeſtæ dilabuntur ex ſtomacho inſigniter acidæ; undè dum coacervantur cum reliquis contentis in inteſtino colo, fit ut exindè incraſſentur, & inviſcentur contenta, ac hinc indè in globos quaſi cogantur, & pertinaciſſima alvi obſtructio ex talium pellicularum eſu nimio ſequitur. Sic ab eſu immoderato nucum caſtanearũ conſtipationem alvi obſtinatam in matre lactante & infantulo lactato obſervavit TIMÆUS *von Guldenklee l.* 5. *Caſ.* 15. *p.* 215: Item ceraſa, & imprimis eorum nuclei integri devorati: vid. HELMONTIUS *Tr. ſextupl. Digeſtio*, KERKRINGIUS *Obſerv.* 6. SCHENKIUS *Obſ. l.* 3. *ſub Tit. de Excrement.* 1; ubi in cive Dresdenſi obſervavit JOHANN-FRANCISCUS HILDESIUS per tres ſeptimanas adſtrictionem alvi ob numeroſa ceraſa cum nucleis comeſta, qui nuclei poſt id tempus rurſum alvum ſubierunt: Item vita ſedentaria utplurimum duriores reddit fæces propter deficientem in motu excretionem, cùm inteſtina minus agitentur & commoveantur; hinc indè ſubſiſtunt & difficulter detruduntur in inteſtinum rectum: Quies & ſomnus nimius multa etiam poſſunt: de quibus vid. HOECHSTEDTERUS *Decad.* 4. *Caſ.* 1 *p. m.* 336, hinc utplurimum Studioſi, ſcribæ, & virgines netrices, & ſartorum famuli ſutorumque (de ultimis tamen, nempè, *de ſutorum famulis*, res non abſolutæ ſemper veritatis eſt; plerumque enim largior potus vitium hoc impedit) hoc malo laborant: In quiete enim & ſomno languidior exercetur reſpiratio, ob quam tardior in inteſtinis motus, undè ſcybala ſenſim ſenſimque magis exſiccantur, imò ob exceſſum quietis & ſomni ſucci acidi auſteri adaugentur: vid. etiam nonnulla huc facientia *ſub Tit. Anorexiæ*.

Facit huc etiam II. Fæcum alvinarum nimia viſciditas & glutinoſitas, pertinaciùs parietibus inteſtinorum adhærens, ratione cujus ſubinde impedimento eſt, quò minùs fæces poſſint excerni: unde ii, qui copioſè utuntur viſcidis alimentis, ſive qui eadem in pituitam excrementitiam, ſive mucum viſcoſum, ex tranſmutata digeſtione, tranſmutant, ſolent eſſe obnoxii alvi adſtrictioni: aut qui muco viſcido vel acido vel auſtero abundant, in ſpecie pituitâ, quam vocant, vitreâ, alvi ſolent eſſe obſtructioris; idque eò magis, quò parciùs bibunt, aut quò parciùs moventur; fęces enim à muco & pituita ſimili involutæ & coagulatæ in inteſtinis hærent, ut hæc non ſentiant ſtimulum fęcum. Vndè interdum hypochondriaci, de quibus poſtmodum, obſtructionem alvi incurrunt: In talibus enim deficiente motu, minus quaſi concuſſis inteſtinis, fęces retentæ pedetentim tenaciorem conſiſtentiam acquirunt, indeque alvum clauſam patiuntur.

Præterea III. Fęces condenſatæ & coagulatæ alvi obſtructionem inducunt; idque ex vitio acidi, vel ſtomachici, vel pancreatici in inteſtinis prædominantis, imprimis ſi ſimul auſterus plus minus fuerit iſte acor. Notum enim eſt, quod bilis & ſuccus pancreaticus, uti ſeparant cremorem nutritium ab excrementis ita ſimul excrementis certam conſiſtentiam tribuunt, ſecundùm quam nunc magis nunc minus ſunt fluxilia. Vndè uti abundans alcali oleoſum bilis diluit fæces & fluxiles facit, ita acidum vel ſtomachi vel pancreatis vitioſum, aut nimium, aut auſterum, fęces iſtas nimis coagulat, hinc & indurat, quia impeditur activitas bilis oleoſæ, facientis ad mollitiem fęcum. Hinc plures hypochondriaci, &, quod idem eſt, mulieres hyſtericæ, laborant ordinariò alvo obſtructâ, & alvi excreta ſunt fermè nigricantia propter auſteritatem nimiam ſucci pancreatici, cujus auſteritate induratæ fęces, diutiùs in inteſtinis ſubſiſtunt: hinc etiam in quadam Icteri ſpecie ſolent aut omninò, aut maxima ex parte, induratæ & condenſatæ eſſe fęces; hinc alvus ſegnis & tarda, propter bilis abſentiam, (in iſto ſcilicet ictero, ubi denegatur tranſitus bilis in inteſtina) & conſequenter acidi in inteſtinis abundantiam.

Et hę ſunt cauſę, propter quas alvus vitio fęcum plus minus ſupprimitur: ſuperſunt cauſę, quando ulteriùs vitio ipſorum inteſtinorum non ſufficienter propellentium ſupprimuntur fęces.

Vitio autem horum plus minus tardior eſt alvus & obſtructa variis ex cauſis. (1.) Quando eadem non tranſmittunt fęces, vel ſunt inepta ad tranſmiſſionem, vel non ſufficienter propellunt: Inepta ea ſunt ad tranſmiſſionem, ſi ea obſtructa, aut infarcta, aut nimis anguſtata, v. g. in inflammatione eorum; undè indureſcunt & quaſi nimis coaleſcunt: ac ordinariò alvus ſupprimitur in tumoribus hærentibus intra veſicam urinariam & inteſtinum rectũ, vel inter vulvam & anum in mulieribus: Exemplum vid. apud TULPIUM *l.* 3. *c.* 10. Huc pertinet anus imperforatus: de quo vid. FABRICIUS HILDANUS *C.* 1. *Obſ.* 3. BENIVENIUS & PARÆUS & JOB *van* MEEKERN *c.* 22. *p.* 166. Affectus autem hic parum attenditur; perforato enim ano ceſſat ſymptoma: Item in gangræna, in qua pellis eorum corrugatur, undè malum eſt deſperatum: Exemplum habet BARTHOLINUS *Cent.* 6. *Hiſt.* 38. de coalitu ilei ex inflammatione inteſtinorum, cumque ſubſequente gangręna, undè obſtructiſſima alvus ſecuta; & BARBETTE *in ſua Praxi l.* 4. *c.* 7. *p.* 198. *Edit. parva Deckers*, lethalem alui obſtructionem notat ex gangręna coli, ubi recto annectitur: Item, quando coaleſcunt poſt eorum exulcerationes, aut poſt dyſenterias; nam poſt dyſenteriam nonnunquam in fine coaleſcunt, & ſub ſanatione inuicē conſolidantur inteſtina, ut exindè nō rarò poſtmodum lethalis alui ſuppreſſio ſequatur: Conf. Johannes Rhodius Cent 2. Obſerv. 77. Marcellus Donatus cap. 10. l. 4. pag. 361. & M. A. N. C. Ann. 2. pag. 140; ubi alvus ſuppreſſa lethalis fuit ex ulcere inteſtini recti: Et in paſſione iliaca ſimilis accedit alui obſtructio. Pariter excreſcentia carnea in inteſtino quodam enata alvi obſtructiones infert: conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. *p.* 137. & RHODIUS *Cent.* 2. *Obſ.* 82.

Pręter hanc anguſtationem inteſtina (2.) non promovent fęces, quando deficiunt in ſuo motu periſtaltico, idque ob affectionē vel paralyticam, vel conuulſivam: Quoad priorem quidem, dum reſolutę fibrę motui periſtaltico ſunt ineptę & inteſtina ſunt inſenſilia, etiam ceſſat inteſtinorum motus periſtalticus, ut in ſtupore ani: nam ſenſu abolito inteſtinorum, etiam tunc temporis aut parum aut nihil excernitur & expellitur; hinc non rarò fruſtrà apoplecticis ſtimulatur alvus per clyſmata, inteſtinis interdũ paralyſi affectis & inſenſibilibus redditis: Quoad poſteriorem, oritur inteſtinorum affectio convulſiva, quando ex irritatis inteſtinis ſequitur pertinax fibrarum contractura, vel quando undecunque ipſę fibrę inteſtinorum in uno alterove loco ſpaſmo contractę non promovent contenta, ob impeditum periſtalticum eorum motum: id quod fit v. g. in omni colica convulſiva, in colica ſcorbutica, & ſimilibus inteſtinorum doloribus, ubi fibris inteſtinorum ratione doloris irritatis, & ſpeciatim plus minus contractis, in loco ſpaſmo correpto, fęces hærent, undè alvus pertinaciſſimè ſuppreſſa eſſe ſolet. Undè & ferè tunc fruſtrà acriora propinantur purgantia, lenioribus magis proficuis; cùm illa, irritando ſuâ acrimoniâ, malum exaſperent; hæc autem emolliendo, inteſtinorum ſenſum quaſi demulcendo, magis proficua ſunt: Sic etiam in nephritide pariter obſtinata eſt alvus ordinariò, propter conſenſum cum fibris inteſtinorum ſpaſmo convulſis, unde & tormina tunc non rara ſunt. Frequens eſt gravidis, partui vicinis, alvi adſtrictio, ob uterum & grandiorem fœtum, qui inteſtinum rectum comprimit.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*, sunt hæc: si ægri rarò & non quotidiè, sed interdum ad aliquot dies, interdũ etiam septimanas, non ejiciunt fæces: vid. *Obs.* PANAROLLI *Pent.* 3. *l.* 5., ubi observat aliquem, qui interdum in 15. diebus, interdum ad 20, interdum post 3. menses demum solitus est exonerare alvum, sed rarum & infrequens hoc est.

Symptomata autem hujus obstructionis sunt varia: dolores abdominis gravativi, compressivi, nunc vagi, lancinantes, supervenit nausea, vomitus interdum, capitis symptomata, inquietudo, jectigatio corporis, vigiliæ, vertigo, & Cephalalgia.

Docent hæc, quid sit alvi obstructio!

PROGNOSIS.

Alvi suppressio malum est frequens & quidem pro circumstantiarum conditione nunc plus nunc minus periculosa. Pertinacior si fuerit, subinde est lethale malum, nunc immediatè & per se, nunc mediatè, insequente nempe ileo: de quo postmodum.

Deinde si non semper infert lethum, nihilominus per experientiam quorundam patet, quod alvus pertinaciùs clausa subindè gravia inserat symptomata, nunc interdum animi deliquia: item quod nonnunquam in ipsa excretione alvi superveniant ex conatu naturæ hæmorrhagiæ nariũ: Exemplum tale habet SALMUTH *c.* 3. *Obs.* 26. de alvo nimium obstructa, ita ut in excretione scybalorum sanguis per nares prosiliat. Fæces in alvo nimis obstructa in intestino colo coacervatæ & coagulatæ interdum decipiunt medicos, ut tales ægros habeant pro spleneticis: Nam vulgaris est consuetudo, ut omnia symptomata in latere sinistro seu hypochondrio sinistro adscribantur falsò spleni; unde cum in latere sinistro colon sit angustius & propterea intorqueatur deorsum versus renem, hinc sæpiùs fit, ut ibidem locorum hærentia scybala, talia inferant symptomata, quæ vulgò spleneticis attribuuntur, & non rarò pro spleneticis habentur: Exemplum talis pro splenetico habiti habet SALMUTH *Cent.* 1. *Obs.* 24. & *c.* 2. *Obs.* 98. de quodam, in quo per annum unum & semis, scybala retenta dolorem tensivum & tumorem hypochondrii sinistri intulerunt, ut indè propter talia symptomata pro splenetico fuit habitus, postmodum tamen paucis emollientibus adhibitis curatus fuit; & eventus detexit, quod tantùm ab induratis scybalis ortum traxerit istiusmodi affectus: Conf. item SYLVIUS *l.* 1. *Prax. cap.* 14. §. 57. *p.* 168. PANAROLLUS *c.* 1. *Obs.* 1. de quodam refert qui non solùm 10. 15. & 20. dies incolumis servatus est, sed contigit, inquit, *alvum ita exsiccatam fuisse, ut usque ad 3. menses sanus perfectè extiterit, forsan terrestreitas ciborum naturæ vi conversa est in sanguinem*. Hæc ille. Imò in talibus etiam purgantia propinata, quia sunt sine effectu, ægros & Medicos fallunt; sæpiùs enim evenit, ut in talibus per purgantia evacuentur copiosè liquida & tenuiora, ipsis crassioribus & viscidioribus fæcibus ac muco adhuc remanentibus, uti jam olim hoc observavit SENNERTUS *in Praxi l.* 3. ubi *de Alvi Retentione pag.* 202. *&* 285. Hic ipse quoque SENNERTUS *de colica* observavit mucum viscidum rejectum ad instar intestini fuisse excavatum: sicut & LIPSIUS ex vita sedentaria, pertinacem alvi incurrit obstructionem, quam crebriori usu spiritus vitrioli sustulit; facta alvi solutione scybala aut potiùs mucus prodiit in longum protractus, adeò ut ipse LIPSIUS unà cum excrementis intestina se redditurũ putarit.

Tandem omnis alvi obstructio semper solet augere stomachi & capitis pathemata, & nisi in iis fluat alvus, in deterius labitur status: Unde, omnibus præmonentibus Practicis, in vulneribus capitis, in cephalalgia, in melancholicis, & quibuscunque capitis affectibus, semper opera danda est, ut sit libera alvus & aperta, non quidem propter vapores ascendentes, sed propter consensum, quem mediantibus nervis copiosissimis omnia interna viscera, in specie intestina, habent cum suo principio, cerebro. Quælibet itidem mali hypochondriaci pathemata ab alvo obstructa exacerbantur.

Obstructio alvi contumacior in hominibus tenerioris ætatis sæpissimè producit epilepsiam, in specie autem eam quæ dependet ex vitio excrementorum: per repletionem enim irritantur tandem intestina, & ob consensum totum sys[tema n]ervosum convellitur.

Alvi obstructio cum passione illiaca est lethalis, si non remittit.

Obstructio alvi cum passione colica morbum extremè exasperat.

Prægnantium obstructio contumacior, reddit partum valdè difficilem.

Obstructio alvi ex paralysi intestinorum utplurimum est lethalis.

CURA.

Quod attinet *Curam*: in ea ante omnia consideranda est causa morbosa proxima, quæ removenda; sic enim symptoma immediatè solvitur: Unde

1. Fæcum contentarum ratione conveniunt ea, quæ emolliunt, earumque visciditatem & austeritatem corrigunt, adeoque fluida & mobilia excernenda reddunt.
2. Conveniunt ratione intestinorum, quæ vel eorum angustiam tollunt, vel eadem plus minus sensilia vellicant, ac blandè stimulant; uti sunt acriuscula plus minus amaricantia & irritantia: vel denique irritationem in iis, & indè natum eorum spasmum tollunt, ut lenientia anodyna.

Ea, quæ emolliunt, sunt talia, quæ & fluxilia faciunt, & vias lubricant, ut aquosa, oleosa, mucilaginosa, dulcia, & hinc gummata. Quæ eadem stimulant & leniter irritant, sunt acria, tàm salina quàm specifica purgantia, & horum instar, intensè amara: fæcibus enim fluxilibus & intestinis leviter irritatis, eorum motu peristaltico concitato, ejiciuntur contenta. Quæ irritationem vel spasmum intestinorum sistunt, sunt anodyna seu lenientia, mucilaginosa & temperata, oleosa, hinc narcotica & opiata. Quæ intestinorum mala, vel curabilia, ut inflammationem, exulcerationem; vel incurabilia, ut coalitum &c. levant, ex affectus ratione patent. Quæ dictis Indicationibus satisfacit materia Medica, imprimis internè sunt oleũ Amygdalarum dulcium recens nempè expressum ad ℥ij. iij. vel jv. quod optimè & blandè alvum subducit, siue assumatur per se, siue in cereuisia calida, vel juscula pinguia: Vel

℞. *Ol. amygdal. dulc. rec. expr.* ℥iß.
Syr. rosat. solut. ℥j.
M. pro Haustu.

Sic medicamenta ex Jalappa, ex foliis sennæ, & ex scammonio prosunt: item aloetica; de quibus notetur, non esse adhibenda in frequenti alui obstructione, uti & Rhabarbarum; quia talia medicamenta præter virtutem laxativam in se continent subsequam aliquam adstrictoriam, nisi hæc corrigantur per adjuncta Antimonialia ritè parata, & in casu externo in Clysteribus usurpanda. Sal sarmentorum vitis saturatum cum spiritu salis (vocatur aliàs *sal salatum*) blandè etiam aluum subducit irritando nervos. Item conveniunt insigniter oua sorbilia cum butyro assumpta, eaque, quò magis sorbilia, eò magis seu plus mouent alvum, emolliendo æquè ac austeritatem corrigendo: de quo prostat Obs. in HOEFERI *Hercule Medico*, quod scilicet oua sorbilia assumpta aluum fluxilem & parvam quasi diarrhœam in uno alteroue subjecto produxerint: vid. etiam BARTHOLINUS *c.* 6. *Hist.* 65. & BRASSAVOLA *de Purgantibus c.* 2. Item copiosus etiam potus promouendo contenta aluum fluidiorem reddit, quoniam aut induratas aut exsiccatas fæces diluit: vid. BARTHOLINUS *Cent.* 5. *Hist.* 40. ubi refert pertinacem alui obstructionem largo vini haustu curatam: id quod in specie aut hypochondriacis aut laboriosis necessarium est, item mulieribus, ut eò promptiùs exeant fæces. Potus hic nunc est usitatus seu ordinarius alimentosus, nunc medicatus; quę medicatio imprimis fit, quando potulenta alterantur resoluentibus emollientibus & laxantibus, in specie cum passulis, quę sunt egregium remedium ad blandè laxandum alvum, & nihil aliud, quàm mustum concentratum, temperatę in se, & quę blandam irritandi vim obtinent; unde vel passulę nudę assumptę conveniunt, imprimis hypochondriacis & scorbuticis, quibus aluum sustinent apertam; nam purgatio iis nocet: vel cum passulis, earumque pulpa, tantillum permiscetur cremoris tartari aut arcani duplicati; e. g.

℞. *Pulp. passul.*
Tamarind. an. ℥iß.
Cryftall. tartari ʒiij.
Pulv. rad. jalapp. ʒij.
Scamm. sulphurati. ℈j.
Ant. c. nii per infer. purg. ʒß.

Cum

Cum f. q. *Syr. rof. folut.* f. *Electuarium*, D. S.
Electuarium laxans, sumendum mane & vesperi, pro dosi quantum capiunt duo cuspides cultri.
Vel
℞. *Pulp. passul.* ℥iß.
Arcan. duplic. vel *tartar. vitriol.* ʒiß.
Extr. troch. alband. gr. iij. v. vel vj.
Cum f. q. *syrup. pomor.* f. *Electuarium*, S.
Electuarium laxativum.

Conveniunt ergò specificè *passulæ laxativæ*, quarum variæ sunt descriptiones, uti videbitis in Dispensatoriis. Fiunt ex *passulis* cum *cremore tartari* & *Senna*: præscribo ℥ß. pro dosi; e. g.
℞. *Fol. Sennæ sine stip.* ℥ij.
Crem. tartari ʒij.
Decoque in aquæ ℔j. ad consumptionem tertiæ partis:
℞. *Decoctum expressum*, & infund.
Passul. min. ℔ß.
Decoque ad mollitiem, & adde
Syr. rosar. solut. ℥vj.
M. D. S.
Passulæ laxativæ; 1. *cochlear plenum ante cœnam.*
Vel
℞. *Fol. senn. sine stip.* ℥ij.
Cinnam.
Gingiber. an. ℈ij.
Aquæ endiv.
Vini opt. generos. an. ℥vj.
Infunde per noctē manè bulliant ad consumptionem tertiæ partis: Colaturæ adde
Prun. enucl. Ungar. N. xx.
Decoquantur cum
Sacchari ℥ij.
ad consistentiam syrupi: adde
Aquæ cinnam. ℥ß.
Syr. rosar. sol. ℥ijß.
D. S.
Pruna laxativa.

De prunis his laxativis ante cœnam assumat patiens tres vel quatuor, juxta THONERUM *Obs.* 2. *l.* 2. Vinum passulatum similiter egregium est delicatulis, quod alvum adstrictam blandè educit; item *Vinum passulatum laxativum Timæi in Epist. l.* 3. *Epist.* 26. *p.* 624; ad cujus imitationem MEIBOMIUS sequenti modo præscribit:
℞. *Passul. min.* ℥ij.
Fol. senn. sine stip. ℥j.
Cinnam. ʒij.
Incisis & contus. affundit ℔. iij. *vini* per horas 24. de Colatura propinat ante cœnam bonum haustum.

Ipse sæpè ad hujus imitationem præscribo *Decoctum passularum cum senna*, quod ex *Diss. de Dolore hypochondriaco* notum est; vidi egregios effectus; e. g.
℞. *Pass. min. contus.* ℥ijß.
Conquassentur in mortario, ut fiat pasta, coque in
Aq. comm. ℔. iij.
Colaturæ ferventi ℔. jß. ad ℔. ij. infunde
Fol. sennæ sine stip. ʒiij.
Flor. violar p. iij vel *sem. anisi* ʒij.
Stent in loco calido per noctem: manè ℞. Colatur:
D. S.
Potio laxativa.

De quo capiatur haustulus pro libitu manè, præprimis in hypochondriacis, hystericis, affectibus melancholicis, & blandè stimulat.

Facit huc serum lactis probè depuratum, quod in febribus, tàm ardentibus & malignis, quàm hypochondriacis & scorbuticis, si alvum habent obstructam, (id quod fit ex succo pancreatico nimis austero & acido coagulante fæces) ac simul phlogosi ac æstuatione laborant, aliisque in casibus ad alvum suaviter laxandam conducit. Ratione nitrositatis suæ, in alcali volatili oleoso fundatæ, temperat egregiè succi pancreatici vitiosum acidum, plus minus austerum, ac demulcet acrimoniam salis scorbutici, simulque emollit fæces, sive solitariè usurpetur, sive, si fuerit debilius, cum syrupo Rosarum solutivo adhibeatur, sive infusione & ebullitione aliquali tamarindorum magis gratum & laxativum reddatur; sicque potus erit appropriatus in obstructione alvi febrium ardentium & scorbuticarum.

Nota: aliàs quoque sunt Decocta vel jusculа pullorum, imprimis in quibus herbæ emollientes, v. g. folia malvæ, herb. parietariæ, violaria, mercurialis & similia ebullierint: qualia Decocta successivè usurpata similiter blandè alvum subducunt: vid. Decoctum emolliens ex radice althææ HORSTII *Obs. p.* 273. M. A. N. C. *Ann.* 3. *p.* 372. BARBETTE, & HARTMANNUS: loco quorum etiam recipi potest:
℞. *Rad. althææ* ℥j. ad ℥ij.
Herb. malvæ vel *brancæ ursin.* M. j.
Pass. minor. ʒvj.
Coqu: in f. q. *aquæ*:
Colaturæ ℔j. vel ℔jß. adde
Fol. senn. sine stip. ʒij. ʒiij. vel ℥ß.
Cremor. tartari ʒjß.
Stent per noctem, blandè ebulliant ad dissolut. *tartari*, manè iterum coletur: Colaturæ adde
Syrupi de spina cervin. ℥j. pro lubitu, q. f.
M. S.
Potio laxativa.

Est emolliens blandum, successivè alvum stimulat. Item Decoctum de Ficubus Massiliensibus seu quibuscunque aliis similiter alvum subducit, imprimis si decoquantur in potu ordinario seu Decocto hordei simplici. Fiunt etiam conservæ laxativæ violarum & rosarum elegantes, quando loco sacchari his additur manna electa Calabrina, & flores recentes violarum & rosarum cum hac conjunguntur in conservam, quæ mista cum pulpa passularum & tantillo cremoris tartari, blandissimè & suaviter alvum subducunt. Quod si duriores fæces, aut copiosus mucus, aut viscidus, aut pituita vitrea intestina incrustarit, & alvi obstructionis fuerit fomes, nil melius est gummate ammoniaco & galbano, in vehiculo appropriato dissoluto, sive solo, sive stimulo laxativo acuato. v. g.
℞. *Aq. menthæ* ℥j.
Gum. ammon. acet. sol. ʒj.
Syr. rosar. sol. ℥ß.
M. pro *duab. dosibus*, S.
Potiuncula laxativa ad 2. *vices.*

Hæc Potio in duas partes divisa sit: mirabiliter dissolvit mucum & evacuat; si verò contumacior sit alvus, acuetur hæc potio stimulantibus. Ubi ergò mucus tenax, in iis præscribo talem formulam:
℞. *Aq. Menth.* ℥j. vel ℥jß.
Cinnam. ℥ß.
Gum. ammon. acet. sol. gr. xv. vel ℈j. usque ʒß.
Tartari vitriol g. vj. viij. ℈ß. ad gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. ij. vel iij.
vel *hujus* & *extr. troch. alband.* an. gr. j.
Syr. de pomis, vel *rosat. solut.* ℥ß. vel ℥j.
M. S.
Potiuncula laxativa.

Insigniter mucum viscidum educit. In mollioribus subjectis gummi ammoniaci sufficit.

Tandem salina & tartarea remedia, ut crystalli & cremor tartari, vel solus ad ʒj. in jusculo feruido, præsertim in quo herba quædam emolliens priùs decocta fuerit, propinatus; vel cum granis duobus scammonii sulphurati vel extracti trochiscorum alhandal acuatus: item horum loco etiam ipsum sal essentiale tartari an. ʒß. ad ʒj. usurpatum usque ad ʒij. in vehiculo calido, vel solum vel dicto modo acuatum, aut etiam tinctura tartari legitimè per spiritum vini parata pro senibus. Grauioribus & contumacioribus in malis ad Mercurium viuum potest fieri confugium, ad ℥ij. vel iij. pro una vice, vel in jusculo carnis pinguiore, vel in oleo amygdalarum dulcium propinatum: vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 225. & 315. Vel alii laudant Vinum, in quo mercurius viuus per mensem in loco tepido fuerit infusus, intercedente crebrà agitatione, aut aliquamdiu ebullierit; quod Vinum, relicto mercurio, non tantùm lumbricos enecat, sed insigniter aluum, etiam pertinacissimam, reserare dicitur, si ad cochleare unum vel alterum propinetur. In desperatissima alvi obstructione, irritis aliis, mirabile quidem obtinet aurū fulminans non adeò exactè edulcoratū, à gr. vj. vij. vel viij ad x. usq; cum extracto hellebori nigri in pilulas redacto: nam tales pilulæ ex auro fulminante ceu extremum commendantur præsidium: Conf. ROLFINCCIUS *in Chym. pag.* 339. Vel
℞. *Syr. rosat. solut.* ℥ß.
Auri fulmin. gr. xij.
Troch. alband. gr. j.
M. S.
Succus aperiens pro una vice.

Sanè

Sanè in adulto quartanario ex gr. v. auri fulminantis, cum nitro antimoniato ante paroxysmum propinati, effectus suavis laxationis observavi: Nitrū antimoniatū torpida irritat Intestina, ut facilior fiat excretio, & respectu talis nitri adjuncti aurum fulminans mira præstat in hoc affectu. Quoties itaque animus est, hoc aurum fulminans loco laxativi porrigere, non nimis edulcorandum, ut sapor salinus aliquantisper remaneat: nam quò magis est edulcoratum, eò magis est diaphoreticum; vel quò minus edulcoratum, eò magis catarcticum: Item hoc aurum fulminans in affectibus infantum intestinalibus, in specie flatulentis, cum torminibus conjunctis, est optimum remedium: Deinde & hoc singulare est, quod in adultis fęces nigerrimo colore inficiat, tàm aurum fulminans, quàm auri cum spiritu salis solutio. Fortiora enim purgantia minus conveniunt in pertinaciori & fatali alui obstructione, ne irritando intestina, horum spasmos dolorosos & tormina excitando, malum exasperetur; undè cautissimè in talibus casibus tractētur purgantia, ne præpostero horum, præsertim acriorum, usu intestina magis contrahantur & excrementa indurentur, ac ex continuata irritatione dolorosa ægri in morbum iliacum adducantur.

Externè quæ applicantur, sunt primariò quidem, uti notum est, Clysmata, eaque ex emollientibus & lubricitantibus parata, quæ nota sunt omnibus: v.g.

℞. *Herb. althææ,*
Chamomill.
Melil.
Malvæ an. M℥. vel Mj.
Rad. lil. albor. ℥iß.
Sal. tartari ℨj. ad ℨij.
Coque in *aqua simpl.* vel *sero lactis caprill.*
Colaturæ ℥ix. adde
Salis gemm. ℨj.
Ol. lil. alb.
Mell. rosat. an. ℥j. vel ℥iß.
M. pro Clysmate emolliente in induratis fęcibus tepide injiciendo.
D. S.
Clyster emolliens.

Injecto Clysmate æger aliquamdiu lateri dextro incumbat, ut feratur usque ad intestina.

Vel

℞. *Herb. Malvæ,*
Melil. an. M. ij.
Rad. althææ
Lil. alb. an. ℥ß.
Coque in s. q. *Aquæ simpl.*
Colatur. ℥ix. adde
Electuar. benedict. laxat. ℥j.
Ol. sem. lini,
Rapæ. an. ℥ß.
Vitell. ovi n. j.
M. pro *Enemate*, S.
Clyster 2. emolliens.

Virtutem irritandi intestina torpida obtinet quoque mel inter Clysteres assumptum, sive simplex sive compositum: v.g. Mel rutaceum, rosaceum, mercuriale, & ad imitationem mellis etiam manna Calabrina; sicuti enim apes ex floribus optimis succum eliciunt, eumque transformant in mellis consistentiam, ita à calore Solis ex floribus & foliis præstantior succus in aërem elevatur sub forma roris cujusdam, qui deinceps cum succo transudante incorporatus & à frigore coagulatus in foliis arborum reperitur sub forma Mannæ.

℞. *Spec. emoll.* M iij.
Flor. samb. M. 1.
Coqu. in s. q. *lactis bubuli*;
Colatur. ℔j. adde
Mell. Mercurial. ℥iij.
Vitell. ovor. num. iij.
Misc. pro *Enemate pro duabus vicibus.* S.
Clyster emolliens.

Vel sola Clysmata ex lacte bubulo cum melle & saccharo, pro scopo laxativo injecta, sufficiunt.

Superiùs dixi; quod internè conveniant passulæ in alvi obstructione: ad eandem imitationem sunt, qui decoquunt passulas in jure vituli, & colaturam Decocti instar enematis injiciunt cum laudabili effectu. Item si ex nephritide vel simili affectu alvus obstructa sit, Clysteres emollientes terebinthinati perquàm sunt proficui: item clysmata ex solo oleo expresso seminis lini, item ex oleo seminis rapi, sunt admodum experta: v.g.

℞. *Ol. express. sem. lini,*
Rap. an. ℥iv. vel v.
Dia-coloc. Quercetan. ℨvj. vel ℥j. ad ℥iß.
M. pro *Clysmate*, in alvo contumaciori egregio, aliis irritis, S.
Clyster emolliens.

Sanè PRÆVOTIUS alvi segnitiem gravem solo oleo communi benè maturo, ad lib. j. per Clysterem injecto, levavit: Sic RULANDUS *in Thes. Pract. Cent. 4. Obs. 99. p. 233.* exemplum habet alvi per tres hebdomadas obstructæ, ita ut nullis neque clysmatibus neque suppositoriis moveri posset, tandem injectis singulis horis ℥iv. olei olivarum, alvus emollita, & multa scybala rejecta fuerunt: Sic idem RULANDUS *c. 9. Curat. 53.* quendam rusticum, qui similiter ob scybala indurata alvum habuit obstructam, curavit per clysma ex oleo seminis lini ad ℥v., quod injectum nunc solum, nunc cum ℨß. trochiscorum alhandal, egregiè alvum obstructam curavit: e.g.

℞. *Ol. rapar.* in quo ℨj. *trochisc. alhand.* ebull. ℥viij. adde
Vitell. ovi n j.
Mell. rosac. ℥j.
Misc. pro *Enemate*, S.
Clyster emolliens.

Ubi autem Emollientia hæc pro solvenda alvo non suffeceri it, his præmissis, ad alia quædam paulo acriora accedendum erit; & quando jam metus est induratarum fęcum, egregium est sal gemmæ, quod à ℨß. ad ℨj. usque ad ℨiß. vel ℨij. clysteribus additum, quascunque fęces induratas potentissimè resolvit & fluxiles facit; nihil namque magis emollit fęces duras, ac intestina ad eorum expulsionem irritat, quàm sal gemmæ. FORESTUS *l. 21. Obs. 5.* optimè in fęcibus induratis à ℨj. ad ℨij. cum Decocto emolliente simplici usurpavit: Sic LINDANUS commendat in obstinatissima alvi obstructione, si fit clyster vel enema solummodo ex juscula carnis cum melle, cui addatur sal gemmæ à ℨß. usque ad ℨij.

℞. *Herb. Chamom. cum flor.* M. iij.
Flor. samb.
Verbasc. an. M. j.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colaturæ ℥ix. adde
Sal gemm. ℨj.
Mell. ros. ℥j.
M. pro *Enemate*, S.
Clyster emolliens. Vel

℞. *Decoct. emoll.* ℥ix. ad ℔. j.
El. benedict. lax. ℥j.
Salis gemm. ℨj.
Mell. rosat. ℥ß.
M. pro *Enemate*, S.
Clyster emolliens. Vel

℞. *Spec. emoll.* M. ij.
Stercor. ovill. ℥j.
Coque in s. q. *aquæ.*
Colaturæ ℥viij. adde
Sal. gemm. ℨiß.
Vitell. ovi. n. j.
Mell. mercurial. ℥iß.
M. f. *Enema*, S.
Clyster emolliens.

Ubi flatus simul adsunt, clysteribus addi potest
Ol. destill. cumini,
Carvi an. ℈ß.

Quod si sal gemmæ non sufficiat, commodissimè in Clysteribus incoquitur, vel pulpa Colocynthid. in nodulo ligata; vel etiam trochisci alhandal. v.g.

℞. *Decocti parietar.* vel *emollient. ex Melil. chamom. & violar.* ℥viij. vel ix. in quo ebulliant
Pulp. colocynth. in nodul. ligat. ℨi.
Colat. adde
Salis gemm. ℨi. ad ℨii.
El. benedict. laxat. ℥i.
M. f. l. a. *Clyster*, S.
Clyster stimulans.
Vel
℞. *Spec. emoll.*
Carmin. an. M. j.
Pulp. coloc. in pet. lig. ℈ii.

Co-

Coque in *aqua simplic.*
Colaturæ ℥ix, adde
Salis gemm. ℥j.
El. benedict. lax. ℥ß.
M. f. *Enema*, S.
Clyster stimulans.
℞. *Herb. mercurial.*
Parietar. an. M. j.
Pulp. coloc. in pet. lig. ℨj.
Coque in s. q. *aquæ* :
Colaturæ ℥ix. adde
Mell. mercurial. ℥j.
M. pro *Enemate*, S.
Clyster stimulans. Vel
℞. *Flor. chamomill.*
Melilot.
Violar.
Verbasc. an. M. j.
Pulp. colocynth. in pet. lig. ℨß. ad ℨj.
Sem. lini ℨvj.
Coque in *aqua simplic.*
Colaturæ ℥viij. vel ix. adde
Salis gemm ℥j.
El. benedict. laxat. ℥ß. ad ℥j.
M. f. *Enema*, S.
Clyster stimulans.
Addi etiam potest *vitell. ovi* N. j.

Sed obseruetur: quod in his, ubi acria stimulantia, ut sal gemmæ, colocynthis &c. ingrediuntur, oleosa & mucilaginosa omittenda sint; olea enim obtundunt salinam acrimoniam, & sic non possunt incidere & stimulare. Vel ubi Colocynthis non est sufficiens, tanquam ad ultimũ, ad antimonialia, est confugiendũ, si scilicet loco colocynthidos ℨj. croci metallorum Decocto superiùs dicto emollienti incoquatur: nam hoc extremum est remedium; cujus usum crebriorem factum videbitis *in Obs.* RIVERII, qui aliquot habet exempla Decocti in Clysteribus admodum feliciter; Vel quod magis approbem, Infusum fiat croci metallorum, cujus ℥iij. aut iv. Decocto emollienti jam facto admiscentur, & sic conjunctim injiciuntur, additis simul reliquis convenientibus. Formula sit hæc:

℞. *Decoct. emoll. usit.* ℥v. vel vi.
Infusi croc. metallor. ℥ii. vel iii. ad iv.
Salis gemm. ℨi.
Elect. benedict. laxat ℥i. ad ℥iß.
M. f. l. a. *Clyster*, feliciter stimulans, S.
Clyster stimulans.

Loco infusi talis ex tempore potest *syrupi emetici* ℥i. ad ℥iß. addi; feliciter enim stimulat.

Vel: ℞. *Spec. emoll. usit.* M. ii.
Croci metall. in pet. lig. ℨi. ad ℨiß.
Coque in s. q. *aquæ* ad ℥x.
Colaturæ adde
Salis gemm. ℨi.
Elect. benedict. lax. vel *lenitiv.* ℥i.
Misc. pro *Enemate*, S.
Clyster stimulans.
℞. *Decoct. scor. reg. antimonii* ℥ix. ad ℔. i.
Salis sarment. vitis ℨi.
Elect. benedict. lax. ℥i.
Mell. rutac. ℥ß.
Misc. pro *Enemate*, S.
Clyster stimulans.

Cæterùm in Clysmatum usu speciatim obseruandus est intestinorum status. ubi enim intestinorum motus deficit, & hæcce minus sensilia stimulum indigent, acria saltem stimulantia usurpanda sunt modò dicta: Curam videbitis sub titulo Apoplexiæ & Paralyseos. Ubi verò irritatis intestinis, indeque dolorosis eorum spasmis, aut ubi aliàs suspicio est intestina quocunque loco affecta aut irritata, ibidem contrahi arctiùs, & spasmo affici, ibi stimulantibus & acrioribus malum exasperatur: emollientibus & lenientibus saltem tunc insistatur, etiam eadem subinde per os propinando.

Applicatis clysmatis, si ulterior necessarius fit stimulus, imprimis applicentur suppositoria, eaque multiplicia Communiter parantur ex sale & melle, & cum pulvere radicis hellebori nigri; sicut videre est in officinis Pharmaceuticis. SYLVIUS *de alvo obstructa c.* 11. *§.* 38. *seqq.* subministrat, & omnibus præfert, suppositoria ex alumine, idque ad imitationem ANGELI SALÆ, qui in suis scriptis, & quidem *in Appendice pag.* 840. facit mentionem suppositoriorum ex alumine factorum; quæ suppositoria similiter admodum commendantur à SYLVIO, uti dixi: sive fiant ex aluminis rupei frustulo, in longum in formam suppositorii conciso, & oleo amygdalarum dulcium, vel liliorum alborum illito: vel si alumen pulverisatum uniatur cum tragacantha, in aqua liliorum alborum soluta, compingatur in suppositorium aluminosum, in alvo adstricta stimulanda admodum conducit. LINDANUS ex cocto melle atque sale marino gemmeove parata commendat; ita quidem, ut in talibus suppositoriis, pro adultis quidem possit sumi ℈j. ad ℨj. unà cum granis tribus vel iv. trochiscorum alhandal, & ita fieri suppositorium acre: in parvulis verò loco trochiscorum alhandal possunt sumi species hieræ picræ Galeni, eæque cum pauca quantitate salis gemmæ permisceri cum melle in suppositorium satis acre. Vel

℞. *Supposit. acut.* N. ij.
illinantur *oleo diacoloc.* S.
Suppositorium sedis.
℞. *Pulv. jalapp.* ℈j.
Salis gemm. ℈ß.
cum s. q. *Mellis* ad debitam consistentiam cocti f. *suppositorium*, S.
Suppositorium sedis.

Cæterùm obseruetur, quòd, ut eò melius operentur Suppositoria & Clysmata, iis præmittenda sint medicamenta emollientia siue lubricitantia & incidentia, per os, ne frustra iis irritetur alvus, & sequatur, quod sæpè fit, inflammatio intestini recti. Sub horum usu sit insessus seu Balneum ex emollientibus confectum; sub egressu verò è balneo usurpentur etiam Unguenta externè abdomini illinenda, vel sacculi simpliciter lenientes & emollientes, plus minus Anodyni, in lacte cocti, ubi nempè spasmus &c.: vel in scibus durioribus vel intestinorum spasmo; BORELLUS *Q.* 1. *Obs.* 12. *seq.* laudat:

℞. *Fol. Malvæ*,
Alth.
Plantag.
Absinth. an. M. j.
Flor. chamomill.
Melil. an. M. ß.
Sem. fœnugr.
Lini,
Cum. an. ℈j.
Coque in *Vini Albi* q. s. usque ad consumptionem duarum partium, fiat *Fotus*, & post fotum sequens inungatur Linimentum:

℞. *Ol. amygd. dulc.*
Violarum,
Lilior.
Rosar.
Chamomill.
Nardin. an. ℥ß.
Adip. anf. vin. ℥j.
Ceræ q. s.
M. f. *Linimentum*: in quo dissolvatur parum *Emplastri de baccis lauri.*

E contrà applicantur interdum unguenta acriora stimulantia ad concitandam vim intestinorum motricem labentem, sive promovendum intestinorum motum peristalticum, cum felle tauri, sale gemmæ &c. acuata. Commendatur Zibethum umbilico inunctum. (obiter moneo, in colica hoc inunctum esse secretum:) præterea Emplastrum ex felle tauri & colocynthide umbilico applicatum est egregium: Exemplum habet SCHENCKIUS *l.* 3 *Obs. de Excrementis*, in puella, quæ per tres menses non deposuit alvum, curata tamen per tale Emplastrum, non omissis aliis. Item *oleum colocynthidos* per vesicam destillatum nobile & singulare quid est: Maceratur priùs in *aqua communi*, & destillatur; sic prodit *oleum paucum*, cujus una alterave gutta umbilico illita, alvum satis stimulat: quod etiam faciunt extracta purgantium non nimis inspissata, quæ cum oleo colocynthidos umbilico largiter illita alvũ segniorem satis stimulant. In officinis prostat Unguentum de Arthanita, quod malaxatum cum s. q. olei dia-colocynthidos Quercetani, & abdomini toti illitum, alvum optimè reserat: D. MOEBIUS ad hoc, tanquam ad sacram anchoram consuetam, consugit, applicando supra umbilicum, quod etiam commendat CLAUDINUS

de

de Ingressu ad Infirmos, l.10.c.2. Alii commendant tale Linimentum in alvi obstructione:

℞. *Olei amygd. dulc. rec. expr.*
Pingu. anserin.
Butyr. Majal.
Vng. Dialthææ an. ℥ ij.
Salis gemmæ ʒß.
Spec. hieræ simpl. ℈ j. ad ℈ ij.
Colocynthid. gr. xvj. ad ℈ j.
Diagryd. gr. iv. vel v.
M. f. *Vnguentum*.

Quod commendat, ut illinatur abdomini ad mouendum aluum, SOLENANDER *Conf.29. sect.3. pag. m.* 306.

Vel

℞. *Vnguent. de Arthanit.*
Martiat. an. ℥ j ß.
Pingv. anserin. ℥ j.
Sal. gemmæ ʒ ß.
Diagryd. ℈ j. ad ʒß.
Cum f. q. *Olei irillor. ebuli. f. linimentum*.

Conueniunt etiam linimenta opomphalia, inter quæ est Emplastrum ex felle tauri supra dictum, si nempè fiat ex felle tauri cum aloe hepatica, sale gemmæ & modico scammonii; v. g.

℞. *Aloes hepat.* ℥ ij.
Fell. tauri ℥ j.
Scammon. ℥ ß.
M. inuicem, optimè tere:

Cum f. q. *Butyri non salsi*, vel *pinguedin. porcin. f. Linimentum* molle: quo umbilicus inungendus, & si fortiùs agere velimus, plantæ pedum. Vel

℞. *Elater.* ʒ iij.
Scamm. ʒ j ß.
Extract. troch. alband. ʒ j.
Cum f. q. *Olei diacolocynth.* redige *in Linimentum*.

Quâ ratione nonnulli etiam in alvi obstructiore commendant, ut plantis pedum applicetur Linimentum, factum ex oleo populeo, cum hiera picra usitata, quod alvum emollit & soluit. Sic

℞. *Testam. iugulandis*, imple cum *pinguedine anserina*, applica umbilico, simulque abdomen illine eâ. Item

℞. *Pomum assatum*: subige cum *pinguedine anserina*, & abdomini illine.

Item pulpa pomorum Borsdoffianorum cum pauco croco subacta & abdomini toti instrata conuenit quoque. De suppositoriis iam monui: Sunt qui dicunt, quod in desperata alvi obstructione nil melius sit, quàm digitus intinctus oleo seminis rapi vel lini (quod oleo communi seu oleo olivarum melius in obstructionibus alvi) immittatur ano; hinc enim potentissimè solvi asserunt.

Alii etiam sunt modi, quibus juvantur alvo adstrictâ laborantes, inter quos observatu dignum est exemplum, quod recenset MEIBOMIUS *Tra de usu Flagrorum in Re Venerea p.7.* de quodam Principe, qui non potuit alvum deponere, nisi priùs à seruo flagellatus. Præterea tussis & sternutatio similiter adjuvant nonnihil excretionem alvi: sic Platerus in Obs. p.220. habet exempla quorundam, qui ob duritiem excrementa ægrè potuerant per podicem excernere: his crebriorem tussim imperabat, ut beneficio istius tussis, diaphragmate moto, infrà excrementa eliciantur. Fit nonnunquam, ut aut à podice nonnihil læso, aut excrementis crassioribus aut induratis, hæc hæreant, ut non nisi insigni dolore possint excerni, uti etiam fit in hæmorrhoidibus, ut animi sæpè deliquium patiantur ægri. In tali casu idem imitandus venit PLATERUS, qui fomentat cum oleo, & simul imperat sternutationem & tussim, & sic feliciter alvi suppressionem tollit, & fæces retentas eiicit: Vid. *l.c.p.346.*

Alvus nimis obstructa interdum causa est, ut per alienas vias, & naturæ planè contrarias, ventriculum & gulam, sursum versus ejiciantur contenta; ad quam Expulsionis intestinalis læsionem primariò refertur Iliaca Passio.

ARTICULUS II.
DE PASSIONE ILIACA.

I*liaca passio* est consequens contumacioris alvi. Definitur, quod sit motus peristalticus intestinorum inversus, ubi cum dolore circa umbilicum intensissimo excrementa alvina motu retrogrado per os eiiciuntur, à contumaciori alvi obstructione.

Distinguitur ab excretione illa per alias vias de novo apertas facta, v. g.

1. Per umbilicum apud SCHENCKIUM *l.3. Obser.4. & 5. sub titulo: stercora alieno loco excreta.*
2. Per fistulas ex intestinis perforatis, *Obseru.6. apud eundem*; & penem cum urina *Obs.7. citati Autoris*: simile apud BORELLUM *c.3. obser.16.* & HILDANUM *Cent.1. observ.74.*
3. Ulteriùs mulieribus quibusdam per naturalia, v. g. *Obser.8.*; per ulcus vesicæ & intestini recti; *Observ.10.* per partem pedis superiorem *Obser.11.* SCHENCKIUS *l.3. p.293. Editionis in folio.*

Quando ergò alvus ita obstruitur, ut per superiora eliciantur excrementa, vocatur Ileos seu morbus Iliacus, Convolvulus & Chordapson, quod tenue intestinum tactu deprehendatur convolutum instar chordæ, cuius causa rectè dicitur motus intestinorum peristalticus inversus; ita ut reverà id, quòd est vomitus in stomacho, hoc est iliacus morbus in intestinis. Nam quando incipit talis inversio motus peristaltici in pyloro, fit vomitus; quando verò incipit motus iste peristalticus inversus in quodam loco intestinorum, in specie in fine ilei circa principium coli, ubi propter valvulã frequentior est sedes ilei morbi, tūc fit morbus iliacus.

Est enim unus continuus tractus eiusdem substantiæ similiter connexæ, à summitate œsophagi usque ad extremū podicis hiatum: totus tractus est una substantia mebranacea, fibris circularibus nerveis, obliquè tamen incedentibus composita, quę substantia nunc est amplior, nunc angustior: amplior est, dum constituit stomachum, angustior est, ubi œsophagum & intestina, in specie colon & tenuia, efficit. Vndè sicut in statu naturali unus continuus est motus à summitate œsophagi usque ad podicem, quo ingesta successivè motu peristaltico naturali protruduntur, ita si quodam in loco invertatur hic motus, ut fiat contrario modo sursum versus, tunc oritur excretio contentorum per superiora, non per podicem: quæ excretio interdum est vomitus, si incipiat motus peristalticus inverti à pyloro: hinc etiam, si iste motus peristalticus inverti incipiat circa insertionem ductus pancreatici & cholodochi, in specie oriri solet cholera; si verò motus hic inverti incipiat in ileo, seu alio quodam intestinorum loco, est ileos, siue locus inversionis motus peristaltici sint intestina tenuia, siue sint crassa. Nam & interdum podex siue extremum intestini recti, est locus, ubi incipit talis inversus motus; qua ratione non tantummodò clysteres alvo iniecti, sed etiam suppositoria per os denuò rejecta fuerunt, existente tunc simul valvulâ coli vel rupta, vel exesa, vel relaxata, vel alio modo irritata, quando scilicet hic motus, inversus incipit ab extremitate coli: frequentiùs tamen in ileo magis convoluto, & in quo magis viget motus peristalticus, sedes huius morbi esse solet speciatim eo in loco, ubi inseritur intestino colo.

Reverà igitur ileos complicatus affectus est: nempè ex pertinaci alvi obstructione, & motu intestinorum peristaltico inverso, vel naturaliter impedito, adeò, ut quicquid motum naturalem peristalticum sistere, vel potiùs impedire, & è contrà irritando ad motum præternaturalem inversum cogere potest, causa sit ilei; & vice versâ sequuntur etiam hæc duo se mutuò, & nunc ex alvo obstructa irritantur intestina, ut ex contractura fibrarum sequatur inversio motus; nunc ex irritatione contrahuntur fibræ, sicque tollitur naturalis intestinorum progressivus motus, & è contrà præternaturaliter sursum invertitur eorum actio.

PARS AFFECTA.

Subjectum seu *Pars affecta* sunt intestina, nunc tenuia nunc crassa, nempè ileon, jejunum, Colon &c. Veteres quidem crediderunt tenuia hìc saltem affici: attamen contrarium testatur experientia, dum coli reliquorumque intestinorum diversi loci passim inflammati in cadaverum sectionibus observantur, licèt sæpè ileon, & post principiũ coli, sit sedes partis affectæ: primariò tamen eo in loco est pars affecta, ubi motus peristaltici est inversio; nam intestinum rectum fœtui in utero prorsus occlusum, & quidem intus, passionem hanc intulisse diebus plus minus 8, observavit IOHANNES POSTHIUS: vid. *Observ. Anatom. in anatomiam Realdi Columbi p. m.* 52. Facilè quoque fieri potest, ut per consensum afficiatur mesenterium & aliæ vicinæ partes. Sistitur & invertitur naturalis hic motus, & præternaturalis infertur, nunc vitio contentorum, nunc vitio intestinorum: Illorum collectorum, vel retentorum induratorum,

terum, ac intestina infarcientium; Horum vel inflammatorum, vel gangrænatorum, vel ingressorum mutuò, vel coarctatorum, vel ulceratorum, vel hernia translocatorum, vel convulsorum &c.: His nempè causis quibusvis irritantur intestina, plus minus sistitur motus contentorum deorsum, undè alvus obstructa, & prouocatus motus contentorum sursum inuersus, unde ileus morbus.

CAUSÆ.

Causa motus talis compressiui seu *peristaltici inversi* est irritatio quæcunque intestinorum, in certo quodam eorum tractu, ita tamen, ut intestinum irritatum non possit benè deorsum versus moueri: quando enim irritatur in quodam loco intestinum naturaliter, succe. siuè magis magisque deorsum versus deprimitur undè, si ex quacunque causa aliquod impedimentum adsit, quod motum intestini irritati inferiora versus cohibeat, molesta verò irritatio nihilominus continuet, necessariò fibris contractis motus sursum versus excitatur: exemplū sit de farcimin̄ibus conficiendis.

Causa ergò *proxima* intestinorum affectorum *formalis* est spirituum animalium impetus, motum illum concitans: *Materialis* est contumax eorum obstructio, quam insequitur distensio ab urgentibus & cumulatis fæcibus, qua facta spiritus animales concitantur, & fibrosæ intestinorum portiones irritantur ad motum inuersum, uti ventriculus ob nimiam repletionem vomitiones instituit.

In specie *causæ occasionales* irritantes, excrementorum transitum per intestina plus minus impedientes, sunt variæ. HILDANUS *Observ. Cent. 1. observ. 61.* asserit, quod præcipua causa seu radix Ilei consistat imprimis in fine intestini Ilei circa cæcum, & in principio coli, ubi est valuula, & quod coacervatio & induratio scybalorum in dicto loco, & consequenter angustatio & continua stimulatio intestini, sit causa frequentior iliaci morbi: quibus accedunt quæcunque angustationes præternaturales in dicto loco: hinc c. l. ex scirrho & ulcere canceroso in cæco, quod ileum oppleuerat ut nil ad colon penetrare fuerit, hunc affectum obseruauit: Sic etiam NICOLAUS FONTANUS *in Consiliis & Responsis p. 84.* post iliacam passionem lethalem obseruat materiam induratam & quasi lapidosā sine ullo voluulo circa intestinum cæcū pertinaciter adhærentem, illudque ita extendentem, ut extrahi non potuerit. Herniā subsequitur iliaca passio, nisi hernia inueterata adsit, & exitus major; in omnibus enim herniis est obstructio alui. Quando ergò diù morantur excrementa, acescunt, & acidum austerum intestina constringit, eorum membranas vellicat, undè motus inversus peristalticus: per adhibita ligamenta autem intestina ad situm naturalem redeunt. Quoties in sequiori sexu morbum iliacum obseruare contigit, herniam vel umbilicalem vel inguinalem adesse, tutò ferè prædicere possumus, & nunquam fallit, quamvis ob exilitatem patientes ipsæ non obseruare soleant: vid. M. A. N. C. *ann. 8 observat. 93.*: & quia non possunt expelli excrementa per intestina, in umbilico & scroto convoluta, hinc non sine horrore sursum versus excrementa eiiçiuntur. Assumpta austera & similia pertinaciter aluum occludentia etiam huc faciunt: hinc ileos ex usu nimio mespilorum aut aliorum duriorum & austeriorum obseruatus fuit. Ileon pertinacem ex usu malorum cydoniorum nimio obseruauit ZACUTUS LUSITANUS *lib. ult. Prax. N. 2. Obs. 2.*, curatum, aliis irritis, stercore vaccino recenti toti abdomini ter illito: *Idem l. c.* dolorem iliacum ex fæcibus induratis ob esum copiosum auellanarum, per balneum oleagineum & epoti omenti arietini liquefacti ℔ j. curatum: Pariter *l. 2 Medic. Princ. Hist. 97. obs. 16*, ex pyrorum crudorum ingurgitatione nimia obstructis intestinis volulum obseruauit. FORESTUS *l. 21. Obs. 23.* describit ileum ab arsenico sumpto propter huius corrosiuam irritationem, per oleū amygdalarum dulcium, concitato vomitu, curatum. Obseruata quoque fuit inflammatio & ileos, si ægri post nimium motum, calorem, & sudorem, ingurgitarunt frigida, & est interdum lethalis. Ulcera pariter intestinorum corrodentia, impediendo motum peristalticum, huc pertinent; hinc rectè KERKRINGIUS *spicil. obs. 42.* iliacam passionem interdum ab ulceribus intestinorum grauioribus cum inflammatione potiùs, quàm eorum intorta conuolutione, oriri asserit. Ulteriori itidem consideratione relinquo, quod PEYERUS *de Intestinorum gland. pag. 79.* affirmat, interdum lympham in plexu quodam glandularum intestinalium austeriorem & stypticam factam, pertinacem stricturam efficere posse. PANAROLLUS *in Pent. 1. Observat. 50.* quatuor habet species ilei à diuersitate causarum differentes: *primam causam* dicit esse herniam: *secundam* vult esse conuolutionem intestinorum: *tertiam* dicit esse adstrictionem intestinorum (quæ tamen non procedit) præsertim ilei ad instar farciminis lucanicæ: & *quartam* vult esse descensum intestini unius in cauitatem alterius.

Examinemus has causas. Vulgaris est persuasio, convolvi intestina; undè RIOLANUS dicit: Volvulum instar digiti complicari. Verùm ista convolutio intestinorum est falsa; hypothesis enim nondum est pro vera agnita, quod intestina ita convolvi queant: quamdiu enim ea mesenterio adhærent, impossibilis est talis conuolutio, demonstrante hoc ipsum HELMONTIO *in Tr. de flatibus*, ubi acutè RIOLANUM refutat: unde & nata hinc appellatio volvuli, quando ileos dicitur *volvulus à volutatione*, est absurda. Nec quenquam offendat, quod hinc indè apud Autores, etiam Barbettum, fiat mentio intestinorum conuolutorum, per anatomen in iliacis obseruatorum. nam arbitror, subesse tum semper gangrænam intestinorum, in qua corrugari inuicem ac complicari solent, & ita apparenter convolvi videntur intestina; hinc RIVERIUS *Cent. 3. Observ. 26.* notat passionem iliacam lethalem, in qua ileum tribus complicationibus conuolutum & complicatum, & quasi compactum in unam massam circa finem illius, & tota hæc portio gangrænā affecta fuit: vid egregius Discursus in KERKRINGII *spicil. anat. Observ. 42. pag. 95. & 96.* ubi iliacam passionem ex ulceribus intestinorum & inflammatione refert.

Verùm descensus intestini unius in alterum, siue superioris in cauitatem inferioris, siue ingressus inferioris in cauitatem superioris, est satis frequens, & *in Praxi* à SYLVIO aliquoties obseruatus: vid. *l. 1 Prax. c. 15. §. 18. & seqq.* Duæ sunt causæ, secundùm SYLVIUM, inflammatio, & ingressus intestini in aliud (descensus à superiori in inferius intestinum incurabilis est: herinæ subindè etiam ingressum ejusmodi excitant in colica.) Causa huiusmodi ingressus sunt subindè flatus, diuersimodè intestinum tenue distendentes, quo fit, ut in uno loco magis dilatetur intestinum, quàm in altero, cum nimio motu, & inordinata jectigatione corporis ægri in lecto: ægros nempè, dicit SYLVIUS in torminibus solere se variè contorquere, & corpus suum variè mutare & agitare: hac corporis violentā contorsione & agitatione facilè fieri, ut intestinū à flatibus distentum admittat partem istius intestini flatu non distenti, & propter angustiam loci fieri, ut se inuicem ineant, & ita se mutuò ingrediantur; undè necessariò impeditur motus naturalis; & quia mutuus hic ingressus cum dolore est, infert motum peristalticum inuersum; in specie in morbis intestinorum dolorosis, in conuulsiuo spasmo intestinorum, facilè mutuò introeunt; uti non rarò conuulsio infert obstructionem, ita non rarò colica conuulsiua, maximè scorbutica, ileon infert, quæ colica est frequentissima, & oritur vitio intestinorum conuulsiuo & constrictiuo, à quo clauditur aluus: vid. DRAWIZIUS *de Scorbuto*, qui urget has conuulsiones & spasmos conuulsiuos intestinorum. Et sanè ingressus hic mutuus intestinorum est frequentissima veri ilei causa, cuius fiendi modum oculariter obseruauit PEYERUS *de gland. intestinor. p. 83.* Præter exempla SYLVII etiam videbitis in SCHENCKIO *l. 3. Obser.* factam mentionem ingressus intestinorum tenuium in ileo ad digiti longitudinem. item apud REALDVM COLVMBVM *l. 15. p. 487. de Re anatom.*, BLASIVM, & PLEMPIVM *in Fund. Med. c. de mesenterio*, item HEINRICVM *ab Heer observ. 24. §. 4.* Ingressus hic intestini in intestinum semper habet subsequam alteram causam, inflammationem & gangrænam, attestantibus hoc *exemplis* quamplurimis *supr. cit.* Denique inflammatio intestinorum, & hanc subsequens gangræna, quatenus corrugat intestina, subindè dant affectum huncce lethalem: conf. KERKRINGIUS *in spicil. anat. obs. p. 42.* item BARTHOLINUS *in Ep. c. 4. Epist. 92. p. 529.* & *Epist. 93. p. 542.* ubi ingressum unius intestini in alterum habet. HELMONTIUS *Tract. de flatib. §. 31.* inflammationem à fæcibus induratis dependere asserit: dubium tamen est, utrum fæces producant inflammationem? an inflammatio fæcum indurationem: nam vero non videtur simile, in ileo contentam materiam ita posse indurari, ut protrudi ab intestinis continuò motu peristaltico agitatis nequeat. Itaque oriri primò inflammationem credibile est. deinde verò fæcum indurationem ob viam denega-

negatam; utut satis sit probabile, in crassioribus intestinis hoc facilè posse evenire: Ansam autem inflammationi præbent succi intestinorum præternaturaliter acidi, qui fracedine suâ sanguinem, intestinorum substantiæ influentem, inquinant, inflammationesque causantur; quo pacto forsan etiam subortum est contagium, inferens ileum, teste ALEXANDRO BENEDICTO *lib.29. c.8.* & OLAO BORRICHIO *in Epistolis Bartholini citatis*.

De inflammatione videatur in BARBETTE *Chirurgia p.198.*, quæ si sequitur volvulum talem ex ingressu, fieri aliter nequit, quàm ut sese jungat febris aliqua; quam si vulnerariam quis vocitaverit, à vero non multùm aberrabit. Nanciscitur autem febris malignæ indolem, degenerante inflammatione in gangrænam & Sphacelum. Gangrænam ilei observavit CASPAR BARTHOLINUS: vid. *Cent.6. Hist.58. Hist.anat.* THOMÆ BARTHOLINI; item RIVERIUS *Cent.3*: Intestinum rectum nigrum, & gangrænâ corruptum vidit etiam GUIDO PATINUS.

Dum hæ duæ causæ, nempè inflammatio & ingressus intestinorum mutuus, constituuntur cum SYLVIO, innuuntur saltem frequentiores causæ. Nam observavit etiã CASPAR BARTHOLINUS & POSTHIUS, uti iam dictum, Ileon ob intestinorum coalitum; quare & hic cohalitus obstructionem & insequentem inflammationem producere valet: vid. M. A. N. C. An.9. Obs.93, ubi exemplum adducitur, quod obstructio & inflammatio in uno eodemque subjecto quandoque concurrant. Hinc Sennertus aliud Ilei & motus inversi intestinorum genus observavit in hypochondriaco, qui ex hypochondriis crudos humores & crassos evomuit, prætereaque integrum etiam Clysterem superveniente epilepsiâ & cæcitate: In hoc subjecto necesse fuit, ut erosa fuerit *valvula* dicta *Bauhini* in colo; aliàs impossibilis fuisset transitus Chysteris: id quod ipsum forsitan factum est ab humoribus acribus inibi hærentibus.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*: eadem per se sunt clara; quando nempè nil aut parum descendit per inferiora, hinc successivè abdomen indurescit & intumescit, superveniunt murmura variique motus in abdomine; successivè ægri nauseant, sæpèque percipiunt vomendi conatum, supervenit vomitus, primò quidem omnium ingestorum, successivè recrementorum variorum flavescentium, & tandem per os contenta intestinorum excrementa, quæ aliàs per podicem essent excernenda, vomitu rejiciuntur; modò adest habitus fœtidus, interdum lipothymiæ; tormina itidem subindè crudelissima ægros vexant, & anxietates vix explicabiles eosdem fatigant: tandem sudor admodum frigidus syncopticus advenit: dolor abdominis interdum est intensus, ut etiam clysmata injecta interdum per os prodierint: adest interdum pulsatorius & ardens dolor in certo abdominis loco, si scil. adest inflammatio intestinorum; adestque simul ut plurimum febris lipyria, ubi nempè frigent extrema, interiora verò utuntur; ubi fæces vel prodeunt per os, vel imminent prodire: urina supprimitur, quod vesica in consensum trahatur: vires omnes languescunt, singultus supervenit, qui prodromus convulsionum & epilepsiæ, quæ huic tragœdiæ tandem finem imponit.

Imprimis autem hic notanda sunt, quæ Ileum præsentem aut futurum esse, monstant. Et quidem imminentem ileum produnt: (1) Alvus pertinaciter suppressa, ita ut podex interdum intro retractus appareat, ut neque specillum neque fistula clysmatica intrudi possit, est prænuncius: (2) Intestinorum tenuium crudelia tormina: (3) Incipiens nausea & vomitus: Quod si (4) superveniunt singultus, ferè mors est in olla.

In fiente nonnunquam sequitur aliqualis dejectio excrementorum tenuium & fluidorum; in facto verò nulla: Imminet aut jam adest in facto Ileo Vomitus frequens succi biliosi cum excrementitiis humoribus: Quando intestina crassa, primariò colon, affecta sunt, adest simul podex interiora versus restrictus, ita ut ne fovea appareat, & tanta sit angustia podicis, ut ne specillum quidem introire possit; si podex autem liber est, tunc intestina tenuia sunt affecta, magis tamen superiora, ut jejunum, quãdo magis nausea & vomitus urgeat: ubi majores dolores circa regionem epigastricam cruciant ægros, ileon est affectum. Si jam adest inflammatio, patiens nec febrit, nec horrore concutitur, adest dolor in certo abdominis loco pulsatilis ac ardens, item febris lypiria, sitis & ardor quasi quidam ventriculi: si jam adest sphacelus, cessat dolor, sæpiusque adest sudor frigidus, difficilis respiratio ob consensum nervorum, tandemque supervenit lipothymia, in nonnullis etiam epilepsia. Equidem & in colica interdum analoga symptomata observantur; quanta tamen hæc inter sit differentia, videatur SENNERTUS *l.3. Prax. pag.247. ubi de Ileo*; item RIVERIUS *in Pr. l.10. c.2.* Nam sæpiùs gravior colica pro iliaco morbo à timidis Medicis habetur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: rarò evadunt Iliaci; omnis enim ileus est periculosus & peracutus affectus, in quo plures intereunt, quàm convalescunt; unus tamen faciliùs curatur, quàm alter.

Qui tales sunt ex inflammatione intestinorum, ut plurimum, si non semper, moriuntur: qui ex gangræna, semper est lethalis.

Ileos, ubi etiam stercoris vomitus supervenit, ut plurimum est exitialis, & à quo pauci convalescunt. Si tamen ex hernia superveniat vomitus, non adeò desperatus est, quàm si ex aliis causis: vid. præter SENNERTUM *in Pr. l.3. ubi de Ileo pag.248*, M. A. N. C. *Ann 2 Obs.25. p.370. Ann 6. Observ.44. & Ann.8 observ.93.* utut etiam ileos ex hernia non sine periculo sit.

Qui ex scybalis est induratis, vel ex mutuo intestinorum ingressu, curari potest.

Si ingressus fiat per adscensum, curari potest; sin verò per descensum, est incurabilis, teste SYLVIO.

Si ex usu legitimo opiatorum succedat quies atque somnus & doloris remissio, salva res est; si verò non, desperata.

In ileo dolor iste acutissimus subitò sine causa manifesta deficiens, gangrænæ intestinorum signum est.

Facit hunc *Aphorismus* 10. HIPPOCRATIS *sect.7. Ab Ileo vomitus, aut singultus, aut surditas, aut convulsio, aut desipientia, malum.*

Si contingat cum stranguria, nisi febre superveniente copiosior urina fluxerit, iuxta HIPPOCRATEM *sect. 6. aphor.44.* lethalis est; cùm juxta allegatum HIPPOCRATEM *sect.7. §.3.* febris convulsionem solvat: item si febris acuta cum parotidibus adsit: item si alvus citra causam manifestam fiat aperta: vid. TULPIUS *l.2. observ.4.* & RHODIUS *c.2. obs.79.*

Arabes quinque gradus Ilei constituerunt:

1. Periculosissimus is est, quando stercus vomunt.
2. Si sudor ex toto sit fœtidus.
3. Cum spiritus, qui respiratione emittitur, est fœtidus.
4. Cum ructus est fœtidus.
5. Cum per alvum crepitus fœtidus exit.

De hujusmodi Iliacorum fœtore, cons. PANAROLUS *Pent.3. Observ.16.*

CURA.

Quod attinet Curam, consistit in eo:

1. Ut irritatio intestinorum sistatur.
2. Ut excretio contentorum naturalis quacunque ratione promoveatur.

Undè prout causa irritans varia, & prout multipliciter alvus sisti potest, varianda subindè specialis Cura.

Ea, quæ usurpantur, sunt tàm interna quàm externa. In genere, quoad multiplices istos scopos, adhuc observandum:

I. Ubi stercora dura adsunt, aut ubi saltem præsupponuntur talia, ibi nil agi potest, nisi hæc ipsa indurata clysteribus priùs emolliantur: nam si diu nimis exspectent ægri sine præsidio, & stercora postmodum per superiora ejiciantur, rarò, vel cum magna difficultate, evadunt. Testantur hoc non solùm curæ Foresti l.21. Observ.22. & seqq. sed etiam rustica, quæ cùm per quinque aut plures dies noctesque ex ileo omnia per superiora rejiceret, necquicquam retinere posset, Clystere emolliente injecto servata est. Excretio igitur retentorum omni studio promovẽda venit.

II. In Ileo morbo quæcunque purgantia fortiora, aut etiam leviter stimulantia, per os exhibita, non conveniunt, nisi jam sedata sit omnis intestinorum irritatio, & hinc ortus motus eorum inversus: nam subsistente irritatione, & durante aut imminente vomitu intestinali, purgantia quæcunque, tam lenia quàm fortiora, semper evadunt vomitoria,

ria, & ita malum non leviter exasperant. Per os igitur, quantum possibile est, fugienda sunt ceu venena; revera enim motus iste inversus augetur, & vomitui stercorum, si non adsit, occasio suppeditatur. Conf. SYDENHAM *Tr. de Meth. curand. Febr. p. 67. & 68*, qui admodum est elegans, quando dicit: quod non applicanda sint purgantia, nisi prius restituto in integrum ventriculo, atque adeò ad motum naturalem deducto; quod verissimum est. Vid. JOEL *Prax. l. 4. Sect. 3. c. 6*, DRAWIZIUS *de Scorbut. qui dolores causat, c. 8. p. 562*, M. A. N. C. *Ann. 2 Obs. 238*. Atque hæc imprimis de stimulantibus per os intelligenda sunt; quæ enim clysmatum formâ injiciuntur, tutiùs usurpantur. Potiùs ergò laxantia adhibenda.

III Observandum: licèt periculum præsens vitalium sit, metuendum tamen, nisi sequatur multa excretio, & revocetur omninò motus humorum deorsum, qui sursum ferebatur, non extra periculum esse ægrum. Nam quia totus venter inferior commotus est, non priùs securitas credenda erit, quàm sequitur alvi profluvium, aut sponte, aut per artem provocatum. Unde mortui sunt nonnulli, incuriâ istâ, de quibus Medicus jam securus erat, ut dicit BALLONIUS *l. 2. Conf. 24*. Semel ergò cessante morbo iliaco seu vomitu stercoreo, non mox à cura abstinendum: prospiciatur igitur ægro, ne in recidivam cadat, aliàs facilè.

IV. Etiam observetur, quod in hoc affectu ægri subindè summâ virium dejectione laborent, & non rarò animi deliquiis; propterea Medicus semper aquã aut spiritũ theriacalem camphoratũ, aut spirituum vini cum aqua Cinnamomi, præsertim propter ventriculi labem, aut spiritum rosarum ambratum, Confectionem AlKermes, quo viribus consulatur, aut similia refectiva in promptu habere debet. Animi deliquium oritur ex fœtore, quo tales sunt affecti: Jam omni fœtida spiritibus nocentissima judicantur. De fœtore hoc consulatis PANAROLLUM *Pent. 4. Obs. 16.* de juvene quodam, volvulo tandem mortuo, qui fœtidissimum odorem non tantùm in omni vomitu & ructu, sed etiam tandem ex toto corpore, exspiravit.

V. *De opio* quæritur: *an usurpandum sit?* Resp. Opiata propter irritationem & præternaturalem motum & dolorem interdum usurpanda; sed cautè: sistunt quidem irritationem & motum peristalticum inversum, quò remotò, ileos non adest; sed simul impediunt alvi excretionem. Propterea considerandum est, quod magis urgeat? Nempe si (1) magis affectum inducat irritatio, præmittenda sunt opiata, & hinc subjungantur, quæ alvum stimulant, & feces educunt: sin verò ex obstructione undecunque orta natum sit malum, hæcque adeò magis urgeat, danda sunt, sed non, nisi relaxatâ seu apertâ alvo, ad irritationis & motus peristaltici inversi memoriam quasi tollendam, aut recidivam præcavendam. (2) Quando aliis omnibus irritis, aut in specie propter continuum vomitum nihil intromitti potest, perpensis omnibus circumstantiis, ad compescendum stomachi furorem propinentur. Non tamen expectetur, donec vires deficiant penitus, sed his utcunque adhuc robustis Opiata usurpanda, appropriatis tamen stomachicis juncta; e. g. cum aqua menthæ spirituosa, aqua cinnamomi, &c. ut aliquandiu sufflaminato motu peristaltico inverso, alia remedia meliùs operentur. Porrò (3) in spasmo intestinorum à sale acri scorbutico, nervos mesaraicos aut fibras afficiente, ut in colica scorbutica, ad remissionem illius usurpari possunt, ut remittente spasmò, alia abstergentia aut Evacuantia eò meliùs operari possint. (4) In Inflammatione intestinorum fugiantur, ne ad citam gangrænam hæc disponant; fugiantur opiata, si mors est in olla, ne prostituantur remedia aliàs salutaria: De quo opii usu in passione iliaca conf. WEDELIUS *in Opiol. p. 120*, item M. A. N. C. *Ann. 2. Obs. 238. p. 340*, & *Ann. 9. & 10. Obs. 114. pag. 279*.

VI. In ipso morbo, à quacunque causa fuerit, ægri vitent frigida quævis, tàm alimenta quàm medicamenta; quin calida intus & extra usurpentur. Omnis potus frigidus fugiendus, sed calidis ventriculus demulcendus: jam convalescentes tanquam puerperæ tractandæ; nec sese aeri frigido exponant, nec in victu peccent; quin in & post affectum victus tenuis ordinetur, & non nisi cochlearia aliquot jusculi gallinacei sorbeantur, ova sorbilia &c. assumantur, quemadmodum & admotis externis studiosè se à frigore præservent ac defendant: hinc parodoxon satis videtur, quod HIPPOCRATES *l. 2. Epidem. Sect. 6.* in volvulo tenui seu molli (idest flatuoso) frigidum vinum multum meracum commendet: vid. VALLESIUS *Commentar. in hunc locum*, & HORSTIUS *Centur. Probl. Dec. 6 Qu. 2*.

Conveniunt ergò in hoc affectu quamplurima suprà ad alvum adstrictam laudata; uti sunt, ratione quidem alvi clausæ, clysmata abstergentia & emollientia & ex vino, urinâ pueri, & seminibus carminantibus parata, à ZACUTO LUSITANO *l. 7. Medic. Princ. Histor. 97. Obs. sequ. commendata*. Simplicia emollientia, & ex his parata clysmata, item oleum lini, raparum, sesaminum, &c. clysmatis instar usurpanda, satis sunt cognita: quò etiam pertinet clysma emolliens WEDELII *in* M. A. N. C. *Ann. 2. Obs. 238*. Quod si hæc emollientia non satisfaciant, & opus sit stimulo, ipsis incoquitur colocynthis; item oleosa dicta applicantur, quibus incocti sunt trochisci alhandal, vel oleum diacolocynthidos mixtum: vid. RULANDUS *in thes. Pract. p. 232*, ubi habet observationem de ileo periculoso, curato per Clysterem ex olei seminis lini ℥ vj. cum trochiscor. alhandal ʒ j ß. parum bullitis: hoc benè inunxit umbilicum, reliquum injecit: excretis copiosis, hoc solo curavit. Quo pertinet Clyster Hartmanni ex iure pisorum, extracto elulæ, oleo lini, in quo trochisci alhandal ebullierint. Vel

℞. *Herb. Mercurial.*
Parietar.
Flor. lil. alb.
Samb. an. M. j.
Semin. napi ℥ j.
Coq. in s. q. aquæ:
Colaturæ ℥ x. adde
Infus. Antimonial. ℥ j ß.
Sal. Gemmæ ʒ j.
Mell. Mercurial. ℥ j.
M. f. *Enema*, S.
Clyster aperiens

Vel

℞. *Herb. malvæ*,
Parietar. an. M j.
Flor. meliss.
Sambuc. an. M. ß.
Coque in s. q. *aquæ simpl.*
Colatur. ℥ viij. adde
Sal. gemmæ ʒ j.
Syr. emet. Ang. Salæ ℥ j.
M. f. *Enema* in fæcibus induratis viscidis, S.
Clyster aperiens

Facit huc POTERIUS *Obs. & Curat. l. 2. c. 83.* de iliaca passione, per oleum supra & infra infusum curata. RIVERIUS commendat pro Clysmate decoctum intestinorum & omenti vervecis, in quo butyrum & parum salis gemmæ dissoluta sint; sed in induratis fæcibus: item LINDANUS laudat Clysma ex Decocto hordei, vel alio, addito nitro ad ʒ iij, idque in specie, si malum adsit, aut metuendum ex inflammatione intestinorum: vel ad imitationem ZACUTI *l. 2. Med. Princ. Obs. 97.* ex SCRIBONIO LARGO fiat Clysma ex oleo cum ruta & nitro decoctum, quo iliacum morbum cum vomitu stercorum curavit. Quòd si verò vel motus peristalticus inverti incipiat in intestinis crassis, aut ab ipso podice, qui tunc est retractus, injecta talia stimulantia rarò, imò nunquam, scopo satisfaciunt, sed potiùs irritant: valent tantùm in intestinis tenuibus, in crassis verò affectis per superiora curamus: vid. M. A. N. C. *Ann. 3. Obs. 209*. Propterea omnes benè observentur circumstantiæ, & usurpentur, quæ nullo modo stimulant, sed simpliciter emolliunt & relaxant. Emollientia & relaxantia sunt juscula, acrimoniam plus minus temperantia, & blandè abstergentia, ut juscula gallinaceas, vel sola, vel cum chamomilla aut plantis emollientibus decocta: v. g.

℞. *Herb. malvæ cum flor.*
Flor. chamom. Rom. an. M. j.
Rad. alth.
Liquirit. an. ℥ ß.
Coque in *jusculo gallinaceo*:
Colaturæ ℔ j. vel ℔ j ß. adde
Liqu. terræ fol. tartari ʒ vj.
Olei amygd. dulc. ℥ vj.
M. f. *Potio*, S.
Potio emolliens.

De qua in fecibus induratis ad ℥ jv. pro dosi, probè agitando, haurienda.

Subindè etiam pinguia, intestina lubricantia, in usu sunt, qualia sunt oleũ commune aut oleũ amygdalarum dulcium, sed recens, ad ℥ iii, in jusculo calido assumendum: item vinum malvaticum cum ʒ ß. spermatis ceti:

Vel

℞. *Olei Amygdal. dulc.*
Vini malvat. an ℥ iij.
ac. Theri ℨ j.
M. pro *Potione*, S.
Potio emolliens.

Vel

℞. *Decoct. pass. min. cum tamarind.* ℔ ß.
Olei amygd. dulc. ℥ ij. vel iij.
Syr. de pom. ℥ j ß.
M. S.
Potio aperiens.

Item

℞. *Crem. tartari* ℨ j.
Scamm. praepar. Brendel. gr. ix.
Extr. troch. sc. alband. gr. iij.
Olei destill. anisi gutt. vj.
M. f *pulvis*.
Div. in 3. partes aequales, S.
Pulvis aperiens.

Raparum Decoctum, tam crudarum quàm priùs assatarum, copiosiùs haustum est laudatum; vel decoctum florum chamomillae adjecto butyro non-salito tepidè haustum: nec minus succus pomorum Borsdorffiensium putridorum mirabilis est in tali Iliacorum casu: conf. M. A. N. C. Ann. 6. Observ. 114. p. 153. Et sanè observavi in quodam iliaco, quod post injectum clysma ex olei rapar. ℥ jv, lini ℥ iij, diacolocynthidos Quercetani ℨ vj. invicem miscendo, idque saepius repetitum, cùm simul bina poma Borsdorffiana vasa comedisset, copiosi secessus foetidi cum flatibus indè fuerint subsecuti: sic in muliere ex bubonocele utriusque lateris cum gravissimis alvi torminibus, ac imminente ileo propter spasmum intestinorum, me frustrà plura tentante, nihilominus vetula accedens applicatione pulpae pomorum Borsdorffianorum putridorum cum pauco croco, & super totum abdomen instratione, mulierem levavit, & alvum reseravit.

Quod si haec, & quae supra de alvo obstructa fuerunt commendata, non sufficiant, in pertinaci alvi clausura conveniunt bina remedia, quae instar omnium sunt: nempè globuli plumbei Musquetarum & Mercurius vivus. Conveniunt Globuli bombardarum seu musquetarum, si faecum induratarum retentio, sive conglutinatio intestinorum aliqualis adsit, sive ingressus intestini inferioris in superius ileum excitaverit: quo in casu inferius detruditur in suum locum; sed praemisso imprimis usu olei amygdalarum dulcium recens expressi, juscuil pinguioris, similisvè fluidi, ut horum medio quasi lubricentur viae. Globulos hos primùm credo introduxisse HELMONTIUM *Tr. de Flat.* §. 3. Ubi verò inflammatio, vel pangraena, vel hernia, vel ingressus intestini superioris in inferius, excitaverint affectum, nihil possunt, quia potiùs exasperant malum: vid. de his globulis, praeter HELMONTIUM, HEINRICUS *ab* HEER *Obs.* 2. & M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 96. *p.* 155. pluresque alii Autores. WELSCHIUS *Hecatost.* 2. *p.* 19. *Obs.* 33. cum Saturno Mercurium in amalgama redigere, hincque globulos parare docet. Rarum est, quod ileus ex omphalocele per dictos globulos curatus fuerit, Autore WELSCHIO *loco citato*: sic ZACUTUS LUSITANUS *l.* 2. *Praxeos admirandae Obs.* 27. dicit & observat, quod pilae plumbeae primò 12, post 18, parvae tamen, (Germanicè Schrott) curent & curarint ileum desperatum ex nimia castanearum crudarum ingurgitatione seu ingluvie, ac faecibus indè induratis natum; sicut etiam habet exemplum ilei, orti ex pyris crudis copiosè ingestis. Verùm hi globuli non semper adeò sunt tuti, quia interdum diutiùs in corpore morantur: tale exemplum de tali globulo observatum, qui 11. die tandem redditus fuerit per alvum: taceo, quod non semper sufficiant: vid. FONTANUS *in Consil. pag.* 85.

Globulis ergò plumbeis praeferendus Mercurius vivus: sed probè sit depuratus & copiosè ingestus, in dictis casibus nempè, ubi utiles sunt globuli plumbei; sed dico; satis copiosè assumi debere. Communiter ad ℥ j. praecipitur ut capiatur in oleo lini, vel oleo amygdalarum dulcium, aut cum oleo communi & saccharo, movendo non nihil aegrum desuper; quod quidem non contemno, sed puto tamen, Mercurium ad aliquot uncias assumendum esse, ad minimum ℥ iij. vel jv, interdum etiam à ℔ ß. ad ℔. j. ut eò melius penetrare possit, applicando simul externè fomenta blandè emollientia, & postmodum simul ac per alvum ejectus est, (nam si minor est dosis, tardè & difficulter redditur,) propinetur aegro olei amygdalarum dulcium ℥ ß. cum olei destillatò anisi ℈ ß. ut lubricentur denuò & emundentur intestina: commodum etiam est, ut praemittatur aliquamdiu oleũ amygdalarum dulcium recens ab ℥ ß. ad ℥ j. vel ℥ ij, vel sperma ceti in vehiculo calido, ut eò meliùs lubricentur viae. Aliquando ERBENIUS, *Archiater Polonus*, propinavit ad ℔. iij. Mercurij vivi, praesẽte febri, in pertinaci obstructione alvi, & quę variis antea adhibitis catharticis & fortissimis enematis reserari nõ potuit: Ut ergò promptiùs operaretur assumptus Mercurium, aegrum post deambulationes primùm, mox saltationes, currui demum impositum hinc inde cum violentia & impetu, *super strata & rura culta*, trahi jussit, qui postmodum domum reversus in somnum incidit, manè verò reperit stercora cum Mercurio vivo in lecto, utut per 3. dies noctesque illum detinuerit. Historiam videbitis *in Dissert. mea de Dolore Hypochondriaco c.* 5. §. 5. Vel immittatur aeger in Balneo Aquę tepidę vel Decocti emollientis tepidi, postquam Mercurium ita assumpsit, ut internus Mercurii usus promoveatur per externum istum fotum. Prostant exempla, propinatum fuisse Mercurium ad ℔. j. imò ad ℔. iij: vid. HEINRICUS *ab* HEER *Obs.* 27. ZACUTUS LUSITANUS *loco allegato Observat.* 35. & PARAEUS *l.* 16. *c.* 58. Quia verò globuli & Mercurius frigore suo aliquantum intestina laedunt, post horam usum ZACUTUS *loco allegato* clysterem ex vino generoso; HEINRICUS *ab* HEER *l. a.* ex vino Cretico injicere jubet; quod aliis emollientibus & anodynis enematis praestare licebit: imò quia interdum Mercurius aliquoties & in majore quantitate exhibitus retinetur, hinc dolorem colli, & intumescentiam gingivarum movet, & exin salivatio imminet, his etiam partibus succurrendum per mel rosarum, syrupum violarum, &c, & Mercurii exitus per Clysteres omni studio promovendus, & reliquiae ipsius per interna solaria, v. g. Bezoarticum solare, antimonium diaphoreticum, aliaque diaphoretica, consumantur: qui vult videre plura de Mercurio in Iliaca passione, videat RIVERII *Prax. p.* 456. item HENRICUM *ab* HEER *in c. l.* RHODIUM *in C.* 2. *Obs.* 80. & in *Obs.* HEINRICI à MOINICHEN, *Cultro anatom. Lyseri annexis*, *pag.* 244. Et quidem, quod Mercurius sit melior globulis plumbeis, patet ex FONTANO, qui in *Consil. & Respons. p.* 85. iliacam passionem tandem Mercurij ope curatam refert, postquam aeger 3. bombardae globulos sine successu devoravit. Propinavi ego alicui ℔ ß. sed irrito successu; & cùm aliam dosin sumere vellet aeger, epilepsiâ superveniente interibat. Curavi tamen mulierem *quamdam* verberibus laesam in capite, cum febre superveniente, pertinacissimâ alvi obstructione laborantem, cum abdomine hinc indurato, tumido & doloroso, & praesertim in hypochondrio sinistro tumore duro, unde mali causa, ut tandem quoque singultire inciperet, quae integras duas libras Mercurii vivi successivè deglutiit cum salute. Cùm enim metuerem jam imminentem ileum, die 14. Junii exhibui:

℞. *Aqu. Menth.* ℥ j.
Mercurii vivi depur. ℥ iij.
Olei amygdal. dulc. ℨ vj.

Mista hausit pro una vice sine alteratione. Die 15. Junii:

℞. *Aqu. menth.* ℥ j.
Cinnam. ℨ iij.
Mercurii vivi purg. ℥ iij.
Olei amygd. dulc. ℨ vj.
Misc.

Sed iterum sine effectu. Vesperi sequens ordinavi Clysma:

℞. *Decoct. flor. chamom.* ℥ iij.
Aqu. benedict. ℥ ij.
Sal gemmae ℨ j.
Misc. pro *Clysmate*.

Sed omnia frustra. Die 16. Junii Potio eadem Mercurialis denuò hausta fuit: sed frustrà; undè dolor hypochondrii sinistri intendebatur, abdomen durum evadebat, & singultus major. A meridie dedi:

℞. *Aqu. Menthae* ℥ j.
Cinnam. ℨ ß.
Mercurii vivi purg. ℥ v.
Syr. rosat. solut. ℨ vj. M.

Hausit frustrà.

Externè ad emolliendas faeces praescripsi:

℞. *Pingu. anserin.* ℥ iij.

Qua

Qua calidè crebriùs abdomen inungebat.

Die 17. Junii præscribebam:

℞. *Lact. bubul.* ℥ viij.
Terebinth. cum vitell. ovi sol.
Sal tartari an. ʒ iij.

M. pro Clystere, qui pro duabus vicibus, sed frustrà, applicabatur.

Potio Mercurialis proxima denuò hausta fuit manè, & iterum de novo hausta vesperi, ita ut æger ℔. ij. Mercurij in corpore haberet, unde & varios motus in abdomine percepit: sed alvus clausa manebat; ideò & eodem die Insessus pro semicupio ordinatus fuit:

℞. *Herb. & flor. Chamom.* M. vj.
Malvæ rec. M. iij.
Flor. sambuc. M. ij.
Bacc. lauri ℥ iij.

Coquebantur in aqua.

Insidebat ægra, continuando intereà semper litum abdominis cum axungia anserina.

Die 18. Junii Insessus idem & clysma continuabantur. Mercurius pertinaciter in corpore subsistebat, uti & 19. & 20. die. Hôc tempore dolebat collum, tumescebant gingivæ, vacillabant dentes, & Mercurio retento salivatio superveniebat; undè pro faucibus & collo leniendis

℞. *Mell. rosati* ℥ j.
Syr. violar. ℥ ß. ad ℥ j.

Miscebantur.

Pro abdomine verò illinendo:

℞. *Ungu. de arthanit.* ℥ j.
Olei diacoloc. Quercet. ʒ ij.

Miscebantur pro *Linimento*, quo inungebatur abdomen.

Die 21. cùm eadem adhuc persisterent, & ultra octiduum Mercurius vivus in corpore hæreret, pro fæcibus duris & tumore in colo sub hypochondrio sinistro emolliendo cum dicto unguento præscripsi:

℞. *Emplastr. de cicuta*,
Gum. Ammoniaci aceto sol. an. q. s.

Miscebantur pro *Emplastro*, quod malaxatum cum *oleo tartari fœtido*, inducebatur super alutam, & applicabatur integro hypochondrio.

Die 22. Junii:

℞. *Decocti spec. emoll.* ℥ viij.
Salis cin. clavell. ℥ vj.
Mell. despum. ℥ iij.

Miscebantur pro *Clysmate*, sæpiùs iterando.

His & similibus factum est, ut pedetentim soluta alvus, Mercurio successivè in pauca quantitate apparente. Continuabatur clysmata, unguenta supra dicta, donec die 29. Junii nocte ex improviso lectũ copioso Mercurio vivo repletum fuerit: hinc pro alvo aperta servanda, & Mercurio, fauces adhuc affligente, eliciendo, die 3. Julii præscripsi:

℞. *Lact. vaccin.* ℔. j.
Salis ciner. clavell. ℥ ß.
Mell. rosat. ℥ jv.

Miscebantur pro Clystere, qui pro duabus vicibus applicabatur.

Sed cùm die 23. Julij adhuc Mercurii vestigia superessent, ordinavi Decoctum Hochstedteri ex rad. enulę & fęniculi pro sudore; item Bezoardicũ solare sequenti modo:

℞. *Pulv. Bezoard. senn.* ℈ j.
Bezoard. solar. ℈ ß.

Miscendo pro pulvere.

Vomitus copiosæ materiæ viscidæ creberrimus supervenit ab hoc medicamento, & ita continuatis internè jusculis, externè clysmatibus, successivè convaluit.

Præter hæc dicta, ratione irritationis plus minus intensæ, internè etiam præter anodyna & opiata suprà laudata, jusculà pinguia emollientia, quæ acrimoniam temperant, & indurata emolliunt, usurpari solent; quorum historiam videbitis in RIVERIO. Imprimis Jusculum Decoctionis malvæ, aut Decoctum florum meliloti & chamomillæ, item juscula Decoctionis raparum, quæ & leniunt, & simul blandè abstergunt; item Decoctum hordei cum melle & nitro assumendum. SYDENHAM ubi de eorum symptomatis, in principio morbi pro sistenda irritatione & compescendo vomitu laudat ℈ j. salis absinthii cum succo limonum assumpti, superingestâ subindè aquâ menthæ: ac sanè remedium hoc non est contemnendum. Observavi in iliaco, quod post hanc potiunculam, ad illius imitationem conscriptam, & vomitus cessaverit, & dolor abdominis multùm remiserit.

℞. *Aqu. Menthæ* ℥ iij.
Spiritus theriac. campl. ʒ j ß.
Salis absinth. ℈ j. ad ʒ ß.
Syr. de spina cervi. ʒ vj. ad ℥ j.

M. S.

Potiuncula stomachalis contra vomitum.

Hæc potio mutatis mutandis sæpiùs repetita optimum effectum in Iliacis solet habere: Vel

℞. *Aqu. Menthæ* ℥ ij.
Cinnam.
Zedoar. cum vin. an. ʒ ß.
Salis absinth. ʒ ß.
Laud. opiati gr. ii. vel iij.
Syrupi de spina cervina ʒ vj.

Misc. pro *Potione*, S.

Potio stomachalis lenitiva.

℞. *Aqu. fœniculi*,
Menthæ an. ℥ j.
Spiritus theriacal. camphor. ʒ ij.
Olei sacch. cinnam. gr. xij.
Laud. opiat. ferm. gr. ij.
Syr. fœnicul. ℥ ß.

M. D. S.

Ut antea.

Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ fœnicul.*
Menthæ an. ℥ j ß.
Carmin. cum vin. ℥ j.
Spiritus sal. ammoniaci anisat. ʒ j ß.
Essent. opii ʒ j.
Syr. menthæ ʒ vj.

Misc. & detur in principio, S.

Potio lenitiva, cochleatim sumenda.

Item spiritus terebinthinæ à PETRÆ O ceu egregius commendatur ad sistendam irritationem. Commendatur etiam theriaca in haustu vini calidi generosi ad ʒ j. assumpta, quando scilicet malum non est ab inflammatione, multum præstat; item syrupus papaveris & similia. Vel

℞. *Succin. præpar.*
Antimonii diaphor.
Cinn. antimonii an. ℈ ß.
Laud. opiati gr. ij.
Camphor. gr. i.

M. f. *pulvis*, S.

Pulvis lenitivus.

℞. *Cinn. Antimonii* ℈ ß.
Dent. hippopot.
Bezoard. mineral. an. gr. viii.
Camphor.
Laud. opiat. an. gr. ij.

M. f. *pulvis*, S.

Pulvis lenitivus.

℞. *Corn. Cerv. sine igne*,
Dent. hippopot.
Cinn. Antimonii an. ℈ j.
Sal. vol. Corn. Cerv.
Succin. an. gr. v.
Camphor. gr. ij. M.

Divide in 2. partes, S.

Ut antea

Si *ab inflammatione* malum fuerit, post abstinentiam alimentorum à RIVERIO adeò commendatam, cæteris paribus, venæ sectio proficua erit, tàm in brachio quàm crure, repetita, cũ Clysteribus emollientibus, anodynis, ex lacte cũ pauco sacchàro, mucilagine seminis psyllii, & nitro.

Vir juvenis corripiebatur colicâ, ad quam aliàs proclivis erat, eàque Tauchæ concitatâ, occasione animi pathematum, perfert eam per noctes 2. & 1. diem, hinc rhedâ domum vehitur sub pessimæ viæ conditione acerbè dolens.

Die Mercurii vesperi cum rediisset, accedens, offendo illum de continuis copiosæ, viscidæ & biliosæ materiæ vomitibus conquerentem, unà cum exquisitissimis abdominis iliacis torminibus, cum totius regionis infra umbilicum duritie, & ad tactum renitentia: contactum autem doloris causâ ferre non poterat: alvus utcunque fluida, pulsus celer, frequens admodum, magnitudine moderatus, durus, sitis intensa, stupor manuum reciprocus. Suspicabar inflammationem intestinorum in quodam ilei loco, occasione dolorum & motionis in rheda excitatam: forsan ingressus quoque in quodam ilei loco partis superioris in inferiorem simul aderat. Ordino Clysma, quo applicato spasmus ma-

manuum & pedum supervenit, retentum tamen per dimidiam horam benè evacuavit. Internè essentiam theriacalem camphoratam cum medio essentiæ opii præscripsi, bis assumendam.

Die Jovis eadem adhuc omnia, saltem dolor remissior; intendebatur verò ariditas faucium & linguæ, sitis clamosa, calor mediocris, &c. ex quibus cum superioribus signis collatis confirmabar adesse quandam intestinorum tenuium in quodam loco inflammationem: potum, nisi probè calidum, revomebat: quoties aliquid biberet, toties dolores recrudescebant. Internè eadem continuanda jussi unà simul cum potione analeptica cum essentia opii, quam tamen subindè revomuit; interdum tamen quies unius alteriusvè horæ somnolentæ; externè litum anodyno-carminativum applicui; sed omnia symptomata eadem. Inter alia

℞. *Flor. sulphuris* ʒ ß.
Maxill. lucii p. e. ℈ j.
Laud. opiat. gr. 1.
M. f. *pulvis* pro duabus dosibus vespertinis.

All quale levamen percepit; flatus & murmura infra umbilicum augebantur, clysmatis usu die Veneris vesperi, & die Saturni manè, alvus laxata fuit; pulveres continuati, mador subfrigidus cum pulsu suprà descripto affligebat. Tandem appetente die Solis aliquoties liquamina stercorea fœtidissima evomuit cum insigni virium prostratione, ita ut perfectus ileos adesset:

℞. *Aqu. Menth.* ℥ iij.
Spiritus theriacal. simpl. ʒ iij.
Salis absinth. ℈ j. ad ʒ ß.
Syr. de spina cerv. ʒ j.
M. pro *Potione*.

Cepit hanc, & vomitus cessavit, nec de dolore abdominis unquàm amplius conquestus fuit. A meridie potionem ad imitationem SYDENHAMI *a* præscriptam repetere jussi, & tandem à nullo remedio in toto morbi cursu, quàm ab hac formula, melius & sensibilius levamen percipere potui; unde per plures noctes continuare jussi simul ordinando Clysma suprà allegatum ex oleo raparum, lini & diacolocynthidis Quercetani, quod sæpiùs etiam repetitum non sine fructu fuit, & crebriores secessus spontanei hoc insecuti fuerunt; præsertim cùm die Martis bina poma Borsdorffiana successivè deglutivisset, hinc enim nocte sequenti copiosi secessus fœtidi cum flatibus depositi fuerunt. Intereà die Solis, Lunæ & Martis æger de difficillima respiratione, & anxietate summa conquerebatur, vix loquendi habens potentiam, & pessimo pulsu ac madoribus supra allegatis colliquativis subindè frigidis, quin & singultu subinde superveniente, quoties nempè respirationis difficultas & præcordiorum anxietas remitterent.

Externè sedulò usurpavit litum, latere calefacto superimposito:

℞. *Ungu. dialthææ* ℥ vj.
Olei Chamomill. ʒ ß.
Destill. juniperi,
Terebinthin. an. ʒ i ß.
Miscendo pro *Linimento*.

Quoties later calidus non incumberet abdomini, toties pejus habebat æger.

Diebus ultimis de testiculi sinistri superiora versus retractione convulsiva, item de penis intra corpus retrocessione tali, ut parum emineret, conquerebatur, alvus sat commodè fluida erat: undè ex inflammatione intestinorum gangrænata mortem supervenisse arbitror.

Si *ab hernia*, tractetur saltem hernia intestina reponendo, ut suo loco videbimus: imò in casibus desperatis cum sectione quoque: vid. DURETUS *in Holleri Prax. cap. de hernia*, PARÆUS *l. 7. cap. 15.* & BARBETTE *Anat. Pract. l. 4. c. 2*; testaturque RIVERIUS *in Praxi*, quosdam pedibus suspensos liberatos fuisse. Aliàs Clysteres acriores non negligendi sunt, dum ROLFINCIUS *l. 7. Confil. 5.* repetitis clysteribus antimoniatis fœminam iliacam ab hernia restitutam fuisse refert.

Sin *ab ulcere*, res desperata satis est, & solis emollientibus atque laxantibus operandum.

Sin *à gangræna*, est incurabilis.

Hisce internis, ad ilei curam usitatis, etiam simul externa, partim alvi excretionem promoventia, partim emollientia & suaviter lenientia usurpantur.

Oleum igitur destillatum chamomillæ cæruleum cum pinguedine taxi, anseris, anatis, &c. permistum, universo abdomini crebriùs illinendum: vel Galbanetum Paracelsi, cum unguento de arthanita & dialthææ mixtum, & oleum chamomillæ vulgaris, vel anethinum, & diacolocynthidis Quercetani, crebriùs illinatur abdomini, lintea probè calefacta desuper applicando: e. g.

℞. *Ung. dialth.*
de arthan. an. ℥ j ß.
Pingu. taxi.
Olei dia colocynth. an. ℥ j.
M. f. *Linimentum*.

Item ZACUTUS LUSITANUS *l. ult. Praxeos mon. 2. Obs. 2.* curat ileon pertinacem ex esu malorum cotoneorum induratis fæcibus contractum, aliis omnibus irritis, per stercus vaccinum recens crebriùs repetitum toti abdomini instratum.

Si *dolor* urgeat, quod est frequens symptoma, convenit omentum agni castrati recentissimè & calidè abdomini impositum; mirè enim solet lenire dolorem & mitigare symptomata. Quidam etiam sanguinem vespertilionis, tanquam specificum, hypochondriis illinunt; uti etiam, si exuviæ serpentum cum oleo rosaceo decoctæ ventri toti applicantur: vel fit etiã insessio in Balneo Decoctionis plantarum emollientium, ut beneficio insessionis in balneo relaxatio fiat, & compescatur dolor: e. g.

℞. *Herb. chamomill. cum flor.* M. iv.
Malvæ,
Melilot. cum flor.
Parietar. an. M. iij.
Bacc. juniperi ℔ ß.
Incisa & cont. misceantur pro *Balneo*.

Applicantur etiam cataplasmata ex pomis Borsdorffianis putridis cum tantillo croci; vel ex stercore ovillo cum lacte cocto.

Veteres, & jam quoque moderni, in casu, quo intestina à copioso stercore fuerunt repleta, unà cum præsentia flatuum, applicarunt follem, & flatus copiosos in intestina injecerunt, cum in finem, ut flatus intestina nimis distendentes scybala iisdem impacta à parietibus abscedere facerent, & postmodum separata stercora faciliùs per clysmata, vel aliis modis, possint elici. Videre potestis hunc applicandi modum in HIPPOCRATE *l. 3. de morb. Text. 15.* §. 24 AMATO LUSITANO *C. 1. Curat. 116.* item in RIVERII *Prax. p. 456.* uti etiam in EPIPHANIO FERDINANDO *Histor. 74.* ZACUTUS LUSITANUS *in l. 2. Prax. Admirandæ Obs. 28.* habet tale exemplum ilei, ex usu nimio oryzæ semicrudæ ob retentas fæces per applicationem follis curati; quæ cura tamen nullius est usus.

Denique, cùm omnia alia videntur frustranea, deliberandum est, an audiendum sit consilium BARBETTE, quod habet *in sua anatome ad Praxim applicata p. 148.* qui dicit: aliis nil juvantibus apertionem abdominis esse instituendam, & manuali operâ intestinorum situm corrigendum.

Subsistimus adhuc in læsa contentorum in intestinis Expulsione, & progredimur nunc ad

CAPUT II.

DE EXPULSIONE CONTENTORUM AUCTA.

QUando nempè aut citiùs, aut crebriùs, aut frequentiùs, aut copiosiùs, ejiciuntur copiosa excrementa & contenta. In genere vocatur *alvi fluxus*, qui alvi fluxus pro excretorum varietate vario modo nocet, & varia sortitur nomina, dum distinguitur in Diarrhœam, Lienteriam, Dysenteriam.

ARTICULUS I.

DE DIARRHOEA.

COmmunissimus alvi fluxus est, qui vocatur *Diarrhœa*, quæ est humorum variorum plus minus naturalium aut corruptorum diversimodè constitutorum per alvum copiosus effluxus, utplurimum ortum habens ex massa sanguinea, per fermentationem excrementa segregante, & in intestina amandante: hinc enim pro varietate excrementorum, quæ solent effluere, variant Diarrhœæ, quæ sunt

sunt nunc conjunctæ cum torminibus, nunc cum flatuum proventu, interdum sine iis, interdum in intestino recto pulsatione, nunc pituitosæ, nunc serosæ, nunc biliosæ, nunc viridescentes, nunc cruentæ, sine torminibus tamen, nunc purulentæ, quando nempè pus per inferiora rejicitur, & qui sunt alii modi. Observata quoque fuit *Diarrhœa pinguis & oleosa* instar butyri: vid. M. A. N. C. *Ann.2.Obs.20 p* 35. Interdum *Diarrhœa lapidosa*, vel copiosi lapides per alvum excreti, ut refert SCHENKIUS *in Obser.* 1., ubi etiam habet exemplum Diarrhææ tandem lethalis, in qua sæpiùs ossa, & ossicula, & quidem copiosè, fuerunt excreta: etiam observata fuit verminosa ex fructibus horræis corruptis; vid. HORSTIUS *l.4 Obser.16.*: sed mittimus has Diarrhœas mirandas. *Purulenta Diarrhœa* speciatim oritur ex prægressa ruptura cujusdam aut abscessus aut ulceris mesenterii, pleuriticorū, &c. Sic enim PARÆUS *in suis Oper ib.* ex ulcere artuū pus per alvum rejectum refert: sic habentur exempla Diarrhœæ saniosæ ex rupto jecoris abscessu: vid. BENEDICTUS SYLVATICUS *Cent.3.Cons.15.*

Præ cæteris observandæ sunt differentiæ Diarrhęarum ratione causarum fiendique modorum: dum nempè Diarrhœa est vel artificialis, qualis est purgatio seu catharsis per medicamenta instituta ratione veneni alcalini; vel est naturalis citra artem Medicam, sed ipso naturæ motu instituta: & hæc est vel spontanea, vel non spontanea, quæ fit naturâ coactâ. Illa, spontanea, quæ facilè in corpore cætera sano excitatur, & nullum morbum præcedaneum habet, quâ excernuntur ea, quæ debent, vel ob causam & errorem externum, ut v. g. fructibus horæis assumptis, esu cucumerum: talia enim inferunt Diarrhęam, quatenus in stomacho fermentantur, & sic successivè pessundant fermentum stomachi, & massam sanguineam fermentando, orgasmum bilis excitant, qualis notissimus est. Huc etiam pertinet refrigeratio corporis nocturna. Vel ob internam materiæ morbificæ metastasin, quando propter aliquam evacuationem suppressam fit Diarrhęa; qualis v. g. pleuritidem in sene sexagenario solvit; de quo v. PANAROLLUS *Pentec.1.Obs.36.*: aut quando pleuritidi suppuratæ supervenit Diarrhęa purulenta: Hæque diarrhęæ cum euphoria relinquantur, quia fiunt ad salutem ægri. Faciunt huc Diarrhęæ, quæ dicuntur oriri ab hepate, cerebro, liene, &c. V.g. ZACUTUS LUSITANUS *l.2. Praxeos Admir. obs.22.* refert fluxum diuturnum cerebralem, cauterio ad bregma indito curatum: idem *l.1. Med. Princ. Histor.76.* refert alvi fluxum ex debilitate brachii unius subortum, eo corroborato sanatum: sic refert RHODIUS *l.2. observ.84.* insignem Diarrhęam ex urinæ suppressione natam, dum fuit rejecta per pancreas urina, per renes aliàs secernenda: sic lochia suppressa interdum excitant diarrhęam, puerperis non insalubrem, ob materiæ metastasin: similis Diarrhęa videtur esse ista, quam refert MEARA, *Hibernus, contra Willisium in Historiis Medicis Varior. pag.131.*, de diarrhęa serosa, ut ipse inquit, oriunda ex capite, quæ remotè ex massa sanguinea orta videtur, utpotè quæ quoties suppressa fuit, toties copiosi pediculi generati sunt, ipsâ verò fluente, ipsi pediculi evanescebant: sic SCHENKIUS *l.3. observ.* diarrhęam ex disrupto lienis abscessu notat: & SYLVATICUS *c.3. Consil.18.* refert Diarrhęam saniosam cum febre & jecoris abscessu, ex bubone sub axilla.

Omnes hæ diarrhęæ saltem spontaneo naturæ motu, per metastasin nempè materiæ, & variam ex uno loco ad alterum translationem seu motum, originem duxerunt. Vel denique spontanea diarrhęa excitatur ob spontaneum humorum motum, ubi ex quacunque causa vitium bilis, ejusque sal volatile oleosum, ordinariò subesse aut simul jungi solet, quatenus regurgitat in stomachum, ejusque acidum destruit, unde anxietates, sitis, & tandem diarrhęa supervenit. Tales sunt diarrhęæ, quæ ex mutata diæta in peregrinationibus, item quæ tempore verno aut autumnali quibusdam suâ spontè superveniunt diarrhęæ.

Non spontanea est vel morbus vel morbi. Diarrhęa, quæ est morbus sunt istæ, quæ subindè ægros affligunt, sive externè, sive internæ occasionis ratione; item quæ alterationi corporis post fructus horæos superveniunt. Hujusmodi diarrhęa interdum est vel *epidemica*, quæ utplurimum simul contagiosa: alia *non epidemica* seu *communis*. Diarrhęa contagiosa per halitum contagiosum multiplicatur, & simul est maligna, quæ interdum in acutis anxietates, symptomata graviora, & sudores frigidos sæpè habet comites. Denique diarrhęa morbosa alia est *accidentalis*, alia est *habitualis*: *Accidentalis* in morbis externis ex improviso venit: *Habitualis* est, quando nempè quidam diù & subindè ad longum tempus habent alvum laxiorem, vel qui levi ex causa solutionem alvi crebram habent. Testantur observationes, talem alvum solutam quosdam ad annum unum, vel aliquot etiam, affligere.

Diarrhœa morbi, seu quæ contingit in morbis, est nunc *symptomatica*, nunc *critica*. *Criticæ diarrhœæ* fiunt, quando in acutorum morborum statu & declinatione materia cocta, seu fæces massæ sanguineæ, fermentando separatæ & præcipitatæ, sero involutæ per convenientia loca filtratæ & cribratæ separantur, & ita confertim per intestina amandantur. Quò & pertinent *Diarrhœæ sanguinis*, utut raræ, & quidem per modum criseos affligentes: quales diarrhęas aliquot observavit RHODIUS *in C.2. obser.85* ubi habet de diarrhęis sanguinis criticis, in febribus ægros ad salutem vindicantibus: quale exemplum nullus unquam Authorum annotavit.

Symptomatica Diarrhœa in morbis est, quæ in principio aut incremento morborum & febrium malignarum, ex turgescentia massæ sanguineę fermentativa, similique orgasmo, & speciatim ex fermento maligno eam colliquante, quæ periculosa, aut in phthisicis vel in hecticis subindè oritur; quæ si non semper, saltem utplurimùm est maligna. Symptomaticas istas inter sunt primariæ *colliquefactivæ* dictæ, seu *fluxus alvi colliquefactivus*, quando ægri cum paucis alimentis copiosissima varia excernunt. Oritur ex sale acerrimo volatili, unde morbus acutissimus oritur, talesque diarrhęæ præter ardentes & malignas febres, ut & pestilentiales, imprimis phthisicos & hecticos vexant: siquidem phthisicis ordinariò aliquandiù ante mortem superveniunt; hinc & phthisici quamplurimi ab injecto clysmate saltem usuali copiosas patiuntur dejectiones, & à levi etiam propinato medicamento insigniter evacuantur, sed simul admodum læduntur: ob id simus cauti in laxandis phthisicis. Colliquativa dicitur, quia ros partium nutritivus, ac ipsa massa sanguinea, ex texturæ mutatione ita satiscunt, ut instar liquaminis serosi copiosè per alvum evacuentur, cum junctâ notabili corporis emaciatione, viriumque sensili prostratione. Sanè quibuslibet tabidis, undecunque id mali contraxerint, de facili talis imminet diarrhęa. Diarrhęæ etiam quædam observantur periodicæ, per certum tempus affligentes, & redeuntes, idque in habitu nonnihil cacochymico, & debiliore fermenti stomachi activitate. Exemplum habet FORESTUS *in lib.27. Observ.2.* de diarrhęa quadam spontanea, quâ serosi & alii humores excernebantur, singulis ferè tribus mensibus recurrente, præprimis si olusculis humidis, præsertim peponibus, vesceretur: Sic diarrhęam etiam menstruam refert SCHENCKIUS *l.3. Observationum*, quæ diarrhęa declinante lunâ cum variis torminibus afflixit, ita, ut tandem ægrum etiam interfecerit.

PARS AFFECTA.

Pars affecta ut cognoscatur, duo suppono.

1. Quod excreta ista, quæ per diarrhęam rejiciuntur, non sint actu in intestinis; nam interdum in ægris excrementa ad 40 vices rejiciuntur. Certum ergo est, materiam hanc effluentem deferri ad intestina, partim ex ventriculo ratione assumptorum, partim ex massa sanguinea, per ductus tàm pancreaticos, quàm choledochos, ac vasa excretoria glandularum intestinalium. Unde si ita dicta excrementa per vasa coledocha magis transcolentur, & à bile simul concitata magis tingantur, fit *Diarrhœa* dicta *biliosa*: si verò per pancreatica vasa uberiùs materia effunditur in intestina, aut per glandulas miliares, dicitur *serosa* &c.: sicut, si ipsa excreta paulò crassiora & viscidiora, ac minus tincta fuerint, & sic chylus nondum assimilatus sanguini esse videtur, dicitur *Diarrhœa pituitosa*; quæ tamen vel ex vitio chylificationis, vel ex vitio intestinorum, quibus incipiens imminet dysenteria, originem habet. Aliàs una est Diarrhęa in radice.
2. Recrementa ista, quæ sub cursu excernuntur, antè non præextitisse in massa sanguinea talia: siquidem tanta saburra sanguini permista esse haud potuisset sine subitanea vitæ noxa, cùm aliàs sani fuerint; sed fieri materialiter ex sanguine corrupto per degenerationem.

Pars ergò affecta, seu *subjectum radicationis* est imprimis massa sanguinea, interdum turbata, & sub forma talium sordium corrupta. Subjectum *Denominationis* sunt intestina, quatenus per ea talis fluxus fit; & stomachus, quatenus in hoc hæret causa occasionalis, sine qua fit nunquam diarrhęa: Et sic intestina instrumentaliter tantum & purè passivè se habent, massâ sanguineâ primariò affectâ existente.

CAUSÆ.

Quoad causas: scrutabimur in eas, quæ diarrhœam morbosam inferunt, utpotè cùm exindè cæteræ species facilè judicari, aut earum fiendi ratio explicari possit. Cùm ergò omnis diarrhęa, à quacunque causa dependeat, fit purgatio quædam naturalis, sive à causa externa sive interna oriatur, sive contagiosa & maligna sit, sive non, eodem planè modo se habebit, atque hypercatharsis à medicamento vegetabili purganti oriunda. Jam verò inferunt purgantia hypercatharsin duobus modis: Vel

1. Irritando tantùm simpliciter stomachum & intestina, unde uberior liquorũ, qui in iis locis vel naturaliter transcolantur, vel transcolari apti nati sunt, effluxus: quod faciunt subindè vomitoria antimonialia, resinæ acriores purgantium vegetabilium; item Mercurius sublimatus; item vermes: vid. in RIVERIO *Observat. Cent.1. observ.28.* Vel
2. Fermentando, & ratione salis volatilis acris, destruentis acidum sanguinis nativum ac vitale, colliquefaciendo Massam Sanguineam, speciatim chylum quasi musteum, nec adeò perfectè sanguini assimilatum; unde partes colliquatæ, sic excrementosæ & putrefactæ redditæ, sero involutæ, per convenientes vias ad intestina amandantur, idque per ductum, partim pancreaticum, partim biliosum, in quibus transcolatorio modo eæ à massa reliqua separatæ & præcipitatæ, ejiciuntur & expelluntur; uti fit à laxantibus, venis infusis, aut quando odoribus purgantium, aliisvè similibus modis, quidam purgantur, licèt non levis copia per glandulas miliares in intestina etiam transeat: vid. PECHLINUS *de Purg.*

Ex utraque etiam causa Diarrheæ quoque, & excessivus earum gradus, Cholera, oriri solent.

1. Ab irritatione quidem: ut à Mercurio sublimato, aut aqua forti, POTERIUS observavit.
2. A fermentatione: ut à fructibus horæis, à contagio fermentativo aliundè suscepto.

Ibi simplex acrimonia rerum irritando hoc malum infert: ob id affectus suâ naturâ levior est. Hic simul fermentum præternaturale acre salinum adest, plus minusmalignum, fermentando agitans, turbans, & colliquefaciens humores & Massam Sanguineam, & in sordes mutans; estque naturæ nunc acidæ, nunc volatilis: quod fermentum acre similiter prosternit fermentum stomachi. Undè nunquam observatur diarrhęa, in qua non stomachus semper simul sit labefactatus; nisi cùm fermentum stomachi prosternitur, etiam non fit diarrhęa: Undè ibi temperantia imprimis & opiata: hic juncta absorbentia sudorifera, plus minus acidum absorbentia, conveniunt.

Confirmatur porrò causa diarrheæ per purgantia artificialia, quorum vis consistit in sale volatili acri alcalino oleoso, quasi bilioso, quod testatur eorum sapor acris, amaricans, nauseosus: undè omnia purgantia inimica sunt stomacho & fermento digestivo; hinc fit, quod sumpto purgante oris amaror, sitis, inedia, & alia pathemata, quæ in diarrhęa & Cholera adsunt, sint præsentia. Hinc purgantia corriguntur per acida, quatenus destruitur sal volatile oleosum: sic & diarrhęa. Quicquid ergò more remediorum purgantium vel fermentando alterare & colliquefacere potest massam sanguineam, vel intestina acriùs irritare & stimulare, est causa ut oriatur diarrhęa: Undè per præcipitantia sudorifera, fermentationem in sanguine præternaturalem compescentia, & hinc per opiata, omnem humorum motum, simulque irritationis sensum in intestinis compescentia, optimè curatur Diarrhęa: Hinc fructus horræi tàm facilè excitant diarrheas.

Ex dictis manifestum evadit: causam diarrheæ proximam seu occasionalem (supposito nempè ubique spiritu impetum faciente, ceu causâ efficiente, formali proxim.) esse humorem acrem, seu potiùs minimum ejus fermentum, nempè acre, vel irritans intestina, vel inquinans ac plus minus colliquefaciens massam sanguineam. Fermentum illud acre volatile atque alcalinum, ac occultè acidum, specifici tamen saporis, esse videtur, quod cum bile, vel in intestinis vel in folliculo felleo, commistum talem texturam, saporem & naturam acquirit, quod purgantium naturam seu crasin imitatur, & ita similem cum iis effectum producit.

Fermentum hoc sæpiùs quoque acidum esse, usitatissima juvantia persuadent: qualia præter opiata sunt Corallia, terra sigillata, Corn. Cerv. ustum, hæmatites, & Martialia, tormentilla, ejusque extractum acre, Vinum absinthites, pastus oryzæ, item puls amygdalarum dulcium cum lacte &c.: talia nempè omnia temperando, ac in specie corrigendo acido inserviunt.

Juxta has causas proximas, causa interna remota seu occasio disponens corpus ad diarrheam, nunc est fermentum stomachi digestivum, nunc est ipse internus naturæ per humores concitatæ motus: Fermentum stomachi, quando non debito modo se habet (nam in omni diarrhęa est appetitus prostratio; quando autem appetitus redit, cessat diarrhęa;) sed labefactatum, adeòque vel debile, vel vitiatum est, hincque quod cibos nec fermentet, nec bilem digerat, indè subitò hujus culpam alvus luit, ejusque fluxus excitatur. Undè quæcunque acidum spirituosum stomachale quocunque modo destruere, è contrà bilem augere, vel in orgasmum præternaturalem concitare valent, ad alvi fluxum disponunt: sicuti quorum potens est stomachi acidum esurinum, à propinatis purgantibus difficulter laxari solent, & rariùs habent diarrheam; quia acidum stomachi destruit fermentum acre alcalinum oleosum, quod agitando sanguinem, infert diarrheam. Ab interno naturæ motu provenit diarrhęa, aut per motum criticum, aut symptomaticum: de quibus jam dictum. Accedit his simul habitus corporis, multùm ad diarrheam promovendam faciens: nam iis, qui densæ sunt texturæ, & cutim habent spissam, adeòque parum transpirant, uti sæpiùs quotidie egerunt, quàm qui poros habent apertos; ita & illi diarrheis magis obnoxii, uti rectè annotat GABELCHOVERUS *Cent.3. Cur.73. in Schol.*; quia transpiratio insensibilis impeditur, & turgescentia sanguinis promovetur: propterea id, quod retinetur, per alvum solet deponi. Rationem in glandulis intestinorum quærere nititur PEYERUS *Tr. de glandulis intestinorum pag.86.* Hinc in qualibet diarrhęa tàm sedulò opera danda, ut vel copiosiori insensibili transpiratione, aut sensiliore sudatione, corpus perspirabile conservetur.

In specie ubique causæ antecedentes examinandæ, an ab errore externo? an verò ab interno fermento aut contagio? an ab humorum orgasmo oriatur malum? Ex his etiam differentiarum diarrheæ essentialium patet ratio: Et speciatim *epidemica* plus minus *maligna* aut *contagiosa*, ex fermento alcalino salino acri maligno, vel ex inquinamentis aliis stomacho hostilibus, vel cum aere inspirato, vel cum assumptis ingesto, vel excretis ægrorum suscepto, se consestim multiplicat, & primitùs oritur. Diarrheæ *habitualis fundamentum* in vitio fermenti digestivi, ab assumptis alterati, & bilis à naturali crasi alteratæ, residet: Illud non ritè digerit & subigit, nec tali corpori appropriat assumpta: hæc, nempè bilis, non ritè perficit & separat eadem ab excrementis, quin hæc potiùs mutuâ miscelâ saporem acrem intestina irritantem, & ad celeriorem expulsionem stimulantem, acquirunt: quibus occasionibus & ventriculus & intestina adeò irritabilia successivè evadunt, ut à levissimo objecto, v.g. ab ordinario potu, ad excretorium motum seu sui contracturam irritentur. Viscera etiam, ut hepar, pancreas &c. & in tono soluta, humorum transcolationi occasionem suggerere possunt, unde talia effluunt, quæ aliàs retineri deberent. Diarrhęa *colliquativa* fundamentum habet in deficiente plus minus acido stomachali, & acriori è contrà redditâ bile, undè partim Chylus acris salsus evadit, intestina stimulans, partim ista acrimonia salsa massam sanguineam resolvit, colliquefacit, ut in sua textura fatiscens in serosum salsum liquamen abeat, quod per glandulas intestinales & pancreas secretum sub tali diarrheæ specie excernatur. Diarrhœa omnis oleosa & pinguis, si non est ab assumptione nimia pinguium, oritur ex colliquefactione pinguedinis corporis, adeoque conjuncta est cum ejusmodi macie & tabe lethali.

Quoad *causas remotas externas*, diarrheam excitantes, sunt

funt partim frigidi potus, partim ipsa assumpta, facilè fermentabilia aut corruptibilia. Notum enim est, quod inter assumpta fructus horæi, item cucumeres, melones, pruna, uvæ, &c., utpotè facilè fermentescibiles, diarrhœam inferant.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica, quæ ex relatione ægri patent, antecedentia & consequentia optima dant signa: semper adest nausea insignis, & ut plurimùm appetitus dejectus, sitis è contrà aucta, & dejectio virium, interdum aliqualia simul vexant tormina, aut murmura, vel borborygmi, immediatè scilicet excretionem antecedentia: Malo ingravescente tandem veniunt præcordiorum anxietates, lipothymiæ, & sudores frigidi, maximè circa frontem, tandem mors, nisi maturetur cura.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: in hac ante omnia exactè observandæ sunt differentiæ Diarrhœarum: nam ex harum consideratione & cum viribus ac statu ægri collatione, manifesta se exerit prognosis.

In specie omnis diarrhœa critica spontanea non nimia, si excernuntur ea, quæ debent, idque cum euphoria ægri, salutaris est; sin minus, contra: vid. HIPPOCRATES *aphor.2.l.1.*

Nec rejicienda est ea, quæ ob materiæ metastasin, vel spontaneum humorum motum, accidit.

Symptomatica verò diarrhœa in principio morborum, aut etiam morbis malignis cum excretione cutanea junctis, superveniens, si non semper, certè ut plurimùm, est mala: Sic ver. gr. Diarrhœa superveniens peripneumoniæ, est pessima; & omnis talis alvi fluxus in principio morborum superveniens, utplurimum malus est: Quia (1) impedit coctionem materiæ morbificæ, seu legitimam heterogenearum fæcum separationem, per naturalem humorum fermentationem. (2) Quia vires prosternit. (3) Quia subsequens est febrilis colliquationis: id quod patet, quia rejecta tunc temporis utplurimùm sunt fœtida. Ergò talis diarrhœa symptomatica semper sistenda, aut saltem ita cohibenda, ne fiat nimia. Undè semper errant Medici, qui tunc purgantia indicari existimant, quando scilicet supervenit talis diarrhœa. Sed rectè dicit LINDANUS, ipsos tunc nescire, quid sit superveniens morbo? nam cum talis diarrhœa superveniat tantummodò morbo propter summam materiæ cruditatem, eamque sæpiùs malignam, non debet sanè irritari aut exasperari purgantibus. Pertinet huc & *sect. 6 Aphorism.15.* HIPPOCRATIS, & *l.5. Epidem. Text.4.* & *l.1. de morb. Text.* *Longâ diarrhœâ laboranti superveniens vomitus, morbum solvit*: Hinc ubi in diarrhea habituali urgent stomachi symptomata, nausea, vertigo, anxietates præcordiorum vomitus blandus instituatur: Item *Aphorism. 17. sect.6.* *Ophthalmiâ laborantem alvi profluvio corripi, bonum est*: nempè fit tunc diarrhea ex metastasi: conf. GALENUS *in l. contra Iulium cap.1.*: Item *Aphorism. 29. sect. 7.* *Leucophlegmatiâ detento diarrhœa superveniens, morbum solvit*; ex dicta nempè nunc ratione: conf. M.A.N.C. *Ann.* *pag.215.*

In quacunque diarrhea, quò magis valet stomachi appetitus, eò melius est; quò magis prostratus, eò pejus: & redeuntes ructus acidi, vel rediens appetitus, diarrheam declinantem innuunt.

Omnis diarrhea epidemica contagiosa, est maligna & periculosa.

Si spontanea venit diarrhea, brevi intereunt.

Omnis quidem diarrhea est periculosa: sed hoc non est universale. Interdum diarrhea in habitioribus & succulentioribus mediocris est: interdum in prægnantibus alvi fluxus usque ad finem partus sine noxa est. HIPPOCRATES quidem *Aphorism. 34. sect. 5.* dicit: *mulieri utero gerenti, si alvus multum fluat, periculum est, ne abortiat*; quia spiritus debilitantur, fetus fit imbecillior, instar ponderis jacet in utero, uterus in suo tono relaxatur, neque sufficiens est ad retinendum fetum, unde irritatus convellitur, & dolorem exhibet, fetumque excludit, unde abortus. Sed limitandus hic Paragraphis: Sicut idem rectè hic SCHULZIUS *Cons.340.* observat: ..., inquit, *videris fluorem ad sistendum inobedientem*, (nempe in gravida) *ne multum urgeas; ferunt enim nonnunquam prægnantes ejusmodi evacuationes usque ad partum citra noxam: uti contigit in uxore fratris mei*, inquit, *quæ prægnans per quatuor menses, sanguinolentas dejectiones etiam cum rasura intestinorum passa est, nec ullo medicamento sisti poterat, tandem excluso fætu sano & incolumi sponte suâ intermisit*. Vid. itidem Platerus, quoad hoc punctum, de Gravida in Observat. pag.802.; item de simili alvi fluore & dysenteria gravidarum Ballonius lib.2. Consil.57. Ubi ergò apparet, hanc diarrheam esse sine insigni læsione, tunc faustus conatus naturæ, & tantummodò ratio stomachi habeatur. Ratione excretorum notetur; quò magis hæc à statu naturali recesserint, adeòque quò deterioris conditionis fuerint, eò cæteris paribus diarrhea deterior habenda est: hinc si crassa admodum, aut alba, aut viridia, aut crocea, aut spumantia dejiciuntur, hæc omnia mala sunt: item mala est dejectio pauca, glutinosa, alba, subpallida, lubrica: exitiosa verò est nigra, utut non semper, æruginosa, pinguis, livida, fetida &c.; innuunt enim hæc fermentum sanguinis colliquefactivum magnum putridum. Versicolor quidem diuturnior est, sed nihilominus exitialis.

Omnium periculosissima est Diarrhea colliquativa, & quidem semper in morbis acutis: & si talis tabidis aut hecticis superveniat, plerumque lethalis est: & quibus Phthisicis, vel confirmatis, vel quibus capilli defluunt, spontè superveniens diarrhea, semper est colliquativa, & eosdem ad orcum deducit.

In Diarrheis sudor & urina ordinariò suppressæ: si iterum copiosiùs profluant, de alvi fluxu cessaturo spes quædam illucescit.

CURA.

Ante omnia considerandum: an & quæ sit curanda? an est, an relinquendus sit naturæ motus? an verò festinetur cura? Sinenda est diarrhea spontanea, quæ vitio assumptorum, vel ratione metastaseos materiæ morbosæ evenit, cùm motus naturæ non corrigendus, nisi excedat, indeque vires dejiciat: Item critica Diarrhea etiam curanda non est, nec turbandus faustus conatus naturæ, sed prospiciendo saltem appropriatis stomacho, ut conservetur appetitus, ne superveniant ejus symptomata; observantur enim tales interdum spontè cessare. Imò interdum promovendæ sunt hæ ipsæ.

Curanda verò est, vel (1) Diarrhea artificialis nimia sive hypercatharsis, si scilicet copiosa egeruntur; de quo videatur Willisius in Pharmateutic. rational. p.110.

Vel (2) Diarrhea spontanea, si excessiva & ex errore externo: In tali, excessiva sæpè conjuncta sunt funesta stomachi symptomata, ut nausea, vomitus: ne prosternat vires, aut superveniat cholera, maturè sistenda.

(3) Diarrhea symptomatica omnis, seu ea, quæ in principiis morborum, maximè acutorum, aut incremento supervenit, & conjuncta cum prostratione virium, anxietatibus ægrorum, interdum cum syncope, qualis primariò remedia postulat, sistenda & compescenda est.

(4) Diarrhea epidemica aut maligna contagiosa curanda est ob periculum prostrationis virium; cùm sæpè fint lethales.

(5) Habitualis Diarrhea curanda est, quæ ob inveteratum stomachi malum, aut hepatis tumorem: hæc enim ad tabem deducit ægrum.

Quoad ergò methodum medendi: observatâ causarum remotarum diversitate, diarrheæ quàm maximè curari debent, ut symptomaticæ & epidemicæ, his indicationibus levantur:

1. Fermentatio præternaturalis Massæ sanguineæ compescenda, aliorumque contentorum colliquefactio fermentativa inhibenda, & fermentum salinum acre, nunc acidum, nunc simul alcalinum, seu biliosum, adeòque æruginosum, destruendum, idque moderatè acidis incrassantibus & adstringentibus.
2. Blandis sudoriferis junctis, massa sanguinea repurganda, ac fermentativa substantia eliminanda; sic curatio erit magis fida seu tuta.
3. Acre irritans, quodcunque temperandum absorbentibus, vulgò Præcipitantibus dictis.
4. Irritationis sensus auctus opiatis theriacalibus vel similibus sopiendus, adeòque hinc natus spirituum impetus, & efferus humorum motus localis, iisdem sistendus.

5. Blandè evacuanda sunt excrementa, occasionem subministrantia, si quæ sunt.
6. Stomachus, quantum possibile, & appetitus læsus, ejusque tonus plus minus resolutus, apprimè restituendus.

Pro his scopis meliùs consequendis sequentia probè observanda sunt axiomata:

I. In quovis alvi fluxu, qualiscunque etiam sit, ventriculi semper summam habendam esse curam, cùm semper hic sit labefactatus: quò magis enim functio stomachi appetitiva læsa, eò periculosior est diarrhœa, & appropriatis maturè succurrendum stomacho: imò certum est, diarrhœam non posse curari, nisi stomacho appetitus redeat; hinc calidus potus & calidus fotus apprimè conveniunt: ipsi scilicet ægri observant, subitò atque potum saltem frigidiusculum ingerunt, quod mox alvi stimulum sentiant: item parcus potus in quavis diarrhœa convenit, cùm FORESTO *annotatio l.22. observ.4.* bibendi abstinentia omnem alvi fluxum maximè solvat. Pro resoluto autem ventriculi tono restituendo conveniunt Vinum & vinosa, cydoniata, mastix, & ex hac parata medicamenta, Vinum Absinthites, menthæ, cinnamomum, &c. reliquis medicamentis admiscenda. Calidi fotus sunt varii, tàm sacculi, quales supra circa vomitum ordinati, quàm emplastra, præsertim ex tacamahaca, cum balsamo Peruviano & aromaticis applicata.

II. In Diarrhœa symptomatica aut maligna nullo modo purgandum. Pessimus mos est, quod in morbis acutis, aut aliis in principio supervenientibus, purgantibus velint succurrere: potiùs diarrhœa symptomatica tractetur per blanda laxantia, scilicet ut materia morbosa removeatur, naturæque motus promoveatur. Diarrhœa omnis, illata ex turgescentia causæ morbosæ, vis naturæ est: nam in tali se habet passivè, non activè, ut promoveatur purgantibus. Non ergò symptomatica diarrhœa irritanda est per laxantia, sed sistenda aut moderanda est, ne fiat excessiva præternaturalis; quia

1. Impedit coctionem materiæ morbosæ, & separationem legitimam.
2. In principio acutorum morborum vires prosternit; &
3. Est consequens colliquefactivum; quod patet, quod rejecta sunt sæpè livida, fœtida, ac horrida.

III. In diarrhœa epidemica contagiosa maligna, & quidem in principio, ubi vires integræ, alexipharmaca, tam acidum quàm alcalinum fermentum peccans destruentia, & per sudorem ejicientia, primatum obtinent: hinc theriacalia, item spiritus & essentia theriacalis, Tinctura Bezoardica cum opio, antimonialia fixa, terræ sigillatæ primatum ducunt, speciatim si à fermento præternaturali humores ipsi ad colliquationem disponantur: nam si à simplici irritatione intestinorum est Diarrhœa, non æquè necessaria sunt; undè in epidemica pariter atque contagiosa magis, quàm aliis speciebus, conveniunt: æger simul quietus, & in loco calido se contineat.

IV. In nulla diarrhœa in principio evacuatio per alvum, ut quibusdam mos est, dum in principio dant rhabarbarum, vel syrupum rosarum solutivum, instituatur, sed sistendus est effervescentium humorum impetus, quo facto, cessat diarrhœa. Sufflaminato humorum impetu, ubi, quod notandum, necesse fuerit, vel clysmatis blandis alvus eluenda, vel blando laxativo, aut rhabarbarino aut tamarindis, intestina abstergenda, idque in casu, quando adhuc hærent reliquiæ recrementorum, quæ intestina irritant: conf. hic SEPTALIUS *in animadv. & Caut. Med. l.7. §.89.* Potiùs ergò spectatores motus aliquamdiù naturæ erimus, quamdiù non excedit, & morbificæ causæ potissimùm rationem habeamus.

V. Utut vomitus in diarrhœis sit periculosus, tamen ubi ventriculus maximè laborat instituatur, cautè tamè, adeòq; ubi in principio diarrhœæ, aut in statu, maximè urgent stomachi symptomata, nausea, vertigo, anxietates præcordiorum, & exindè diuturnior evadit affectus: idque ex HIPPOCRATE *sect.4. aphor.17.* item *aphor.15. sect 6.*, qui sunt aurei, & l.2. de rat. victus.

Vir consistentis ætatis, habitusque cæteroquin sani, in itinere ante 3. menses diarrhœâ ita infestatus est cum appetitu prostrato, siti & imbecillitate virium, qui curatus quidem quoad diarrhœam per debita remedia, deficiebat nihilominus adhuc dum appetitus, & pauca comedens qualibet tamen nocte quinquies vel sexies per alvum reddebat liquida. Malum simpliciter videbatur esse ex cruditate stomachi nidorosa: siquidem omni manè patiens hic ructus nidorosos, persensit, quod signum fermenti digestivi depravati. De cætero exhibui vomitorium, undè melius ad tempus habebat, sed non diu post recidivabant pathemata, non tamen atrociter; Ex quibus patet, in habitualibus Diarrhœis, ex læso stomacho natis, Vomitoria esse optima.

VI. Adstringentia, quà talia, non conveniunt in diarrhœis; quid enim juvat stringere & arctare partes alvum irritantes, & excernẽda retinere, dum omnia adhuc sunt in motu? Omnium Practicorum testimonia perhibent, quod, si in principio maturiùs adhibeantur, aggravent morbum, dum sæpiùs metastaseos in aliam partem nobilem, aut supervenientium convulsionum, febrium, & gravissimorum symptomatum abdominis supervenit metus: sic enim ex diarrhœa, cydoniatis intempestivè suppressâ, ileum lethalẽ observavit BALLONIUS: vid. BONETTUS *Pharos Medic. pag.413.* Nec stomachus aut intestina tali laborant laxitate nimia, vel resoluto tono, non magis scilicet, quàm in hypercatharsi. Non igitur, nisi in diarrhœa diuturna iam curata, pro primarum viarum tono redintegrando, propriè dicta adstringentia, cydoniata v. g. aut ex mespilis desumpta, conducunt. Cui autem lubet in principio hæc usurpare, adjungat semper sudorifera. Cætera, quæ sapore stypticο plus minus impraegnata sunt, v. g. tormentilla, terra sigillata, Cor. C. ustum, saccharum Saturni, &c. non tàm adstringendo, quàm specificâ sui texturâ saporem fermenti vel humoris peccantis corrigendo, absorbendo, prodesse potiùs videntur.

VII. Ridiculè nimis à quibusdam Medicis Vinum prohibetur, quia peccet bilis, vel adsit febris: ne ergò calidis irritetur, interdictum volunt: sed falluntur. Vinum enim in diarrhœa est potus medicamentosus, quatenus est ventriculo amicum, tàm simplex generosum, quàm medicatum, & viribus attritis tanquam refocillativum ægris est propinandum; hypercatharsin enim sæpe haustus calidi vini curavit. Sic diarrhœam trimestrem desperatam vino rorismarini curatam refert WELSCHIUS *Hecatost. 2. pag.29*: sic in diarrhœa post purgantia, post fructuum horæorum abusum, Vinum absinthites egregiè confert.

Quoad remedia, quæ conveniunt in diarrhœis, opera danda est, ut

(1) Sint stomacha grata.
(2) Motum fermentativum sanguini inductum sistant per contraria.
(3) Sudorifera adhibeantur.

Inter hæc ex regno vegetabili primatum ducunt theriacalia, adeòque opium & omnia opiata: nam opium quoscunque motus & evacuationes corporis, præter sudorem, compescit, hæmorrhagias sistit, paroxysmos febriles inhibet, vomitus sedat &c., in genere omnes humorum motus, sive sint effervescentiæ, sive alii, potenter compescit, undè semper cum absorbentibus & diaphoreticis miscetur opiũ correctum. Propter hoc opium Theriaca in aceto assumpta expectando sudorem est egregia, de qua, & speciatim de electuario diascordii, jam *supr. dixi*, & considerationem meretur effatum FORESTI *l.22. obs.17.* Tales jure merentur laudes contra quoscunque alvi fluxus, imprimis Chǫlericos, ita ut veteres non satis illam potuerint laudare, cùm maximè ab opio vim suam habeat sudoriferam, assumitur à ʒj. ad ʒij., egregiè confert: & quidem, quò magis est recens, eò potentiùs operabitur: compescit mordacitatem humoris & torporem inducit; quoniam minus infractæ sunt opii vires. Eadem theriaca commodè etiam regioni umbilicali & stomachi illinitur, sive sola, sive cum Balsamo Peruviano mista, aut etiam aliquot guttis olei destillati macis impraegnata. Nobilius est electuarium diascordii Fracastorii, egregium planè. Ovi vitella bina, cum albumine quoque ad duritiem cocta, cum aceto rosaceo irrorata, & quasi acidulata, experimentum sunt præstantissimum HELMONTII *in Tr. Pylorus Rector pag.184.§.22*, aliquoties à me expertum, etiam in diarrhœa, quæ iam per 4. dies pertinaciter theriacalibus restiterat, & nunquam fefellit: conf. M. A. N. C. *Ann.8.pag.67.* Interdum addo pulverem nucis moschatæ vel macis. Sunt qui recipiunt Boli Armenæ & nucis moschatæ ana, miscent cum uno alterove vitello ovi ad mollitiem cocti, & ita sine sale assumunt contra diarrhœas; quod experimentum est STOECKERI *in sua Praxi*. Malum cydonium cerâ impletum & assatum, comestumque egregiè convenit.

Quibusdam etiam, ceu probatissimum commendatur sevum hircinum (multa sanè latent in hirco) quod liquefa-

ctum

ctum cum tantillo farinæ triticeæ misceetur, ut fiat instar pulmenti, quod pulmentum subindè assumptum laudatur insigniter contra diarrhœam. Tormentillæ radix, ejusdem Decoctum, & in specie *Extractum ejus* cum aqua quadam aut spiritus Vini factum, præmissâ, si opus est, leui purgatione abstersoriâ, v. g. rhabarbaro, myrobalanis, unâ alterâve vice à ʒ ß. ad ʒ j. usurpatum in convenienti vehiculo, ut jusculo calido, aquâ cinnamomi cum vino, cydoniatâ, aqua menthæ, &c. egregium est in omni diarrhœa & dysenteria, tàm benignis quàm malignis epidemicis, & omnibus aliis medicamentis præcellit: addi potest, si opus est, laudanum hystericum, vel laudani opiati gr. j. ad ij. Faciunt etiam huc plantago, ejus radix, & semen, item portulaca: quæ duo quacunq; ratione usurpentur, egregia in diarrhœa sunt; uti etiam folia myrthi, flores balaustiorum, lysimachia flore luteo & purpureo. Diarrhœam in specie compescunt fructus austeri, quatenus pontici: quales sunt fructus myrtillorum, cydonia, mespila condita, aut, quod præstat, cruda; horum enim succus cum succo persicariæ maculatæ mixtus, & leni igne ad tertiam partem inspissatus, maximum est remedium. FORESTUS *l. 22. Obser. 1.* aliquoties feliciter expertus est vsum mespilorum in quibusdam, diarrhœâ continuâ laborantibus, qui aliis irritis, his mespilis fuerunt curati. Item addi potest non ineleganter sorbus torminalis, quæ est egregium specificum in diarrhœis etiam epidemicis, item in diuturnis, quæ abusu fructuum horæorum superveniunt: folia habet instar vitis, Germ. *Ebes beer* vocantur: nota est mulierculis, quæ colligunt fructus, dum incipiunt maturescere, nondum tamen perfectè maturi sunt, & saporem austeriusculum habent, exprimunt succum, & inspissant in consistentiam rob, quod nobile remedium est in diarrhœa: superioribus annis, dum grassabatur diarrhœa, aliis irritis egregiè profuit, dosis Cochl. j. in vehiculo quodam. In ejus locum etiam rob sorbi aucupariæ potest substitui: sed hoc est inferioris conditionis, utut egregiè etiam conveniat stomacho. Spongia salicis exsiccata, & ad ʒß. data, in quibusdam singulariter commendatur ad diarrhœas: hæc ipsa spongia aliàs commendatur ab Hartmanno ad Choleram paucorum granorum dosi, si in aqua quadam styptica propinatur: sicuti etiã ʒ j. seminis sophiæ Chirurgorum quod præstantius est, atq; semen plantaginis suprà laudatum. Residuum ab extracto rhabarbari, aut etiam Rhabarbarum tostum, scopis multis satisfacit, adstringit, acrimoniam humorum temperat, & tùm temporis potenter sudorem movet. Nux moschata & macis communia sunt, & omnibus nota contra diarrhœam remedia, eorumque olea destillata internè & externè conveniunt. Gelatina Corn. Cerv. ℥ j ß. in potu ordinario dissoluta est admodum specifica in diarrhœis, in specie epidemicè grassantibus.

Denique cinnamomum, ex quo aqua & oleum est destillatum, præstans est remedium ad diarrhœam. Ulteriùs malum cydonium, ejusdem succus recens, item miva cydoniorum aromatisata, & cydoniata quælibet sunt egregia in diarrhœa quacunque; unde miva cydoniorum aromatica cum theriaca mista, additis aliquot guttulis olei destillati cinnamomi, vel macis, experimentum est sæpiùs probatum LOTICHII *in Observationibus*; quibus si addantur aliquot grana laudani opiati, erit bolus eò magis efficax:

Vel

℞. *Miv. cydon. aromatis.* ℥ ij.
Aquæ cinnamom. spirituos. ℥ vj.
Terræ sigill. ʒß. vel *Bezoard. mineral.* gr. xv.
Laud. opiati gr. ij.
Olei destill. cinnam. vel *macis* gutt. ij.
M. D. S.
Potiuncula cochleatim sumenda.

Capiatur subindè cochleatim.

Itali lignum lentiscinum, seu lignum, ex quo transudat Mastix, laudant, & ubi potest haberi minori pretio, est admodum elegans. Decoctum hujus ligni potum insigniter notum est, in cujus locum Decoctum mastichis, sive gummatis ex lentisco secreti, ceu stomachicum nobilissimum in quibuscunque diarrhœis usurpari potest. Fuit secretum D. OSWALDI contra diarrhœam in aqua appropriata vel potu ordinario. Præscribi potest ita, ad imitationem nempè TILEMANNI *in Materia Medica*:

℞. *Aquæ plantagin.*
Fol. Querc.
Tormentill.
Rosar. an. ℔ ß.

Vel harum loco

℞. *Aqu. simpl.* vel *pluvial.* ℔ j ß. vel ℔ ij.
Mastich. el. ʒ ij. vel ʒ iij. ad ℥ ß.
Macis ʒ j.
Coquantur: Colaturæ adde
Aquæ cinnam. ℥ j.
Misc. pro *Potu ordinario*, S.
Potus pro aliquot vicibus.

Vel edulcoretur cum *rotul. manus Christi perlatæ* vel *syrupo mastichino* vel *cydoniorum pro Iulebo*. S.

Iulep.

Qui crebrò tepidè hauriatur; a STOEKCERO enim & plurimis aliis egregiè in diarrhœa commendatur.

Potest etiam de *succo cydoniorum sulphurato* addit parum.

Loco hujus Decocti Stœckerus impregnat aquam fumo Mastichis: scilicet adjiciunt Masticben supra prunas candentes, fumum excipiunt ollâ novâ vitreatâ, & mox ollam fumo benè repletam implent aquâ simplici vel appropriatâ; hoc subindè repetunt, donec subtilem Mastichis saporem acidulum aqua contraxerit, quæ est potus stomachicus egregius conveniens in diarrhœa & dysenteria. Inter aquas appropriatas sunt imprimis aqua tormentillæ, pimpinellæ, plantaginis & portulacæ: ex succis sunt succus cydoniorum & granatorum, rob & muscus prunorum sylvestrium, quod rob commodissimè loco succi hypocistidis potest substitui. Aliàs aqua chalybeata, item serum lactis chalybeatum, uti & acetum chalybeatum, convenit. Decoctum granorum juniperi stomacho gratum & dureticum, laudatur à Riverio; urinam enim promovendo necessariò alvum exsiccat: item decoctum Corn. Cer., priapi cervi, ceti, &c. pro potu ordinario assumptum, corrigendo & temperando egregiè convenit in quibusdam diarrheis, speciatim epidemicè grassantibus, aut aliàs contagiosis. ELLENBERGIUS, quondam *Medicus Hallensis Saxo*, pro potu ordinario Mens. j. *cerevisiæ*, in qua decoxit *sacchari albi* ℥ ij. & *gummi Arabici* ℥ ß. propinat. Porrò terræ istæ minerales sigillatæ, Bolus Armena, terra Solaris in aurifodinis, quæ habet principium metallicum, sulphureum acidum, ratione cujus convenit figendo fermentum alcalinum & promovendo sudorem. Ut autem promoveatur, maritetur cum spiritu Vitrioli Martis; sic naturam acido-austeram acquirit, uti est in liquore styptico: de quo suo loco dictum; qui præmisso blando diaphoretico aptus est ad gutt. xx. Hinc martialia, crocus martis & terra Vitrioli dulcis (est caput mortuum elixiviatum) quatenus temperant quodcunque acre, & in specie acida absorbent, simulque vi sudoriferâ pollent, sunt convenientissima in quacunque diarrhea, in specie, si cum vehiculis acidulis assumuntur, aut cum spiritu vitrioli irrorentur, sic enim magis adstrictoria evadunt.

Inter absorbentia etiam sunt coralliata, cornu cervi, crystallus, smaragdus; sic nempè ZACUTUS LUSITANUS *l. 1. Med. Princ. Histor. 22.* & *Obs. annexa* diarrhœam diuturnam & ingentem refert, ex veneno ab amasia in cibo propinato, aliis irritis per smaragdum percurratam ad gr. xij. in cons. cydoniorum; sic in diarrheis biliosis, nempè in bile æruginosa & porracea dictis, crystallum laudare solet, quam pro hoc scopo sequenti modo præscribere soleo:

℞. *Crystall. præp.* ℈ ij.
Bezoard. martial. ℈ j.
Laud. hyster. gr. ix.
M. f. *Pulvis* pro duabus dosibus, S.
Pulvis pro duabus dosibus.

Facit huc similiter lapis *hæmatites*, qui quoscunque fluxus alvi insigniter refrænat, tàm *naturalis*, quàm ex *sacchoro saturni & vitriolo Martis* præparatus *artificialis*, à ℈ ß vel gr. xj. ad gr. xv. & ℈ j. in aqua appropriata: nam & ipse hæmatites naturalis ex Marte & Saturno vim suam habet in sistendo sanguinis fluxu, & compescendis etiam diarrhœis: de quo vid. M.A.N.C. *Ann. 2. Observ. 43. p. 227.* & GLAUBERUS *pag. 6.* Præparatio est genuina: nam saccharum saturni per se egregium est in diarrhea ab acrioribus humoribus nata, & à multis non incommodè commendatur, in specie in maligna & pertinaci diarrhea, & dysenteria, & ubi imprimis excrementa sunt nimis acria, mistum cum croco Martis adstringente, non tàm præcisè adstringendo, quàm vitiosos sapores absorbendo: Conf. POTERIUS *Cent. 3 c. 77. Cent. 2. cap. 39. & 81*, ubi gravia alvi profluvia croco Martis prostant curata.

Ex hactenus dictis plures concinari possunt formulæ: ver. gr.

℞. *Aqu. plantagin.* ℥ iij.

Cinnam. ℥ j.
El. diascord. Fracast. ʒ ij.
Corall. rub. præp. ℈ ij.
Terræ sigill. ℈ j.
Syr. myrtin. ℥ j.
M. f. Potio: S.
Potio adstringens sudorifera.
Vel
℞. Aqu. tormentill. ℥ iij.
vel hujus loco plantag. & portul. an. ℥ iß.
Acet. vini vel rosac. ʒß. vel ʒ vj.
Elect. diascord. Fracast. ʒ ij.
Terræ sigillat. ℈ ij.
Antimonii diaphor. ℈ j. ad ʒß.
Syr. cydonior. vel syr. de ros. sicc. ʒß. vel ʒ vj. ad ℥ j.
M. D. S.
Ut anteà.

Cochleatim capiat æger probè tectus in lecto, pro duabus aut tribus dosibus, sudorem expectando: acida nempè cum terrâ sigillata ac similibus propinata, texturam aluminosam quasi acquirunt.

℞. Aq. Menth. ℥ ij.
Cinnam. cum vino vel cydon. ℥ j.
Acet. destill. vel simpl. ʒ vj.
El. diascord. Frac. ʒ j. ad ʒ ij.
Antimon. diaphor. vel terræ sigill. ℈ j. vel ʒß.
Syr. cydonior. vel Mivæ cydon. aromat. ʒß. ad ℥ jß.

M. pro duabus dosibus, vel per intervalla 1. vel 2. Cochlearia.
D. S.
Ut anteà.
Vel
℞. Aqu. Menthæ ℥ ij.
Theriacal. Aug. vel Cinnam. ʒß.
Spiritus theriacal. camph. ʒ iij.
El. diascord. Fracastor. ʒ jß.
Terræ sigill. ʒß.
Syr. Cydon. ʒ vj.
M. D. S.
Mixtura adstringens sudorifera.

Usurpetur pro tribus dosibus expectando sudorem, capiendo dosin primam manè, alteram à meridie hora quarta vel quinta, tertiam post mediam noctem, vel expectando alterum manè. Vel

℞. Aqu. menthæ ℥ ij.
Cinnam. ʒ ij. vel ʒ vj.
Extr. tormentill. gr. viij.
Croci Martis adstring.
Laud. hyster. an. gr. vj.
Syr. cydon. ʒß.
M. pro una dosi, S.
Mixtura adstringens sudorifera, pro una dosi.
℞. Aqu. menth. ℥ iij.
Spiritus nitri dulc. ʒß.
Terræ sigill. ʒ j.
Laud. opiati gr. iij.
Syr. cydonior. ℥ j.
M. S.
Potiuncula adstringens bene circumagitanda, pro aliquot dosibus.

Pro temperanda acrimonia humorum:
℞. Amygdal. dulc.
Sem. papav. alb. an. ʒß.
Cum s. q. Decocti Corn. Cerv. f. Emulsio ad ℔ß.
adde
Aqu. cinnam. ʒ vj.
Terræ sigill. albæ,
Corall. rub. præp.
Corn. Cer. usti præp. an. ʒß.
Edulcoretur cum Julepo rosar. S.
Lac temperans bene circumagitandum, pro aliquot dosibus.
Vel
℞. Conf. rosar. vitriolat. ʒ j.
Terræ sigillat. ʒß.
Olei destill. mac. gutt. j.
Laud. opiat. gr. ij.
Cum Syrupo Myrtino f. Bolus, D. S.
Electuarium adstringens, pro una dosi.
Vel
℞. Conf. rosar. rub. ʒ j.
Bezoard. miner. gr. xv.
Laud. opiati gr. jß.
Olei destill. cinnam. gutt. ij.
Cum Syrupo cydon. f. Bolus, S.
Bolus adstringens. Vel
℞. Conf. Menth. vitriolat. ℥ jß.
Electuar. diascord. Fracast. ʒß.
Terræ sigill. ℈ ij. ad ʒ j.
Antim. diaphor. Martial.
Extr. rad. tormentill. an. ʒß.
Cum syrupo imperator. f. Electuarium, aliquoties de die sumendum dosi ʒ ij. S.
Electuarium adstringens.

Mulier quædam corripiebatur diarrhœa simplici, sed tunc epidemica, cum varia & multiplici phlogosi: primò die 8. vel 10. vicibus; secundo 40. vicibus dejecit: undè virium insignis prostratio, anxietas præcordiorum, inquietudo, &c. Vocatus à meridie ordinabam:

℞. Terræ sigillat. ℈ j.
Antim. diaphor.
Extract. tormentill. cum Spiritu Vini par. an. ʒß.
Laud. ferment. gr. ij.
M. f. Pulvis.
Divid. in 2. part. æqual.

Capiebat unam vesperi, alteram post mediam noctem in vehiculo sequenti:

℞. Aqu. scord.
Tormentill. an. ℥ j.
Cinnam. ʒ j.
Spiritus theriacal. camph. ʒ j. ad ʒ ij.
M. f. Potio.

Cessabant hinc dejectiones, sed tamen nox inquieta absque somno fuit. Manè

℞. Cor. Cerv. sine igne,
Bezoard. Martial.
Extr. tormentill. an. ℈ß.
Theriac. gr. ij.
M. f. Pulvis.

Capiebat in isto vehiculo: cessarunt ferè in totum dejectiones: Sed, utut se cogeret, sudorem tamen nullum extorquere potuit. Vesperi

℞. Corall. rub. præp.
Corn. Cerv. sine igne an. ℈ß.
Extr. tormentill. gr. v.
Theriacal. gr. jß.
M. pro pulvere.

Dormivit benè, nonnihil sudavit. Manè conquerebatur de insigni circa præcordia molestia, & dolore compressivo: signo contentorum adhuc recrementorum circa primas vias, sed per ista remedia ab excretione cohibitorum. Hinc

℞. Spiritus carm. de trib. ʒ ij.
Dosis gutt. 40. bis in die.

Passiones hystericæ supervenerunt, ab istis nempè retentis occasionatæ, quæ tamen sequenti mane per ternas dejectiones alvinas spontaneas fuerunt levatæ: undè continuato spiritu curata est.

In Diarrhœa torminosa cum copiosis secessibus nigricantibus, appetitu prostrato, siti intensa &c., primò ad abstergendas primas vias, & ad removendas, si quæ adsint, sordes, & temperandum simul nimium impetum humorum:

℞. Conserv. menth.
El. diascord. Fracast. an. ℥ ij.
Rhabarb. el. ʒ j.
Corall. rub. præp. ℈ ij.
Cum s. q. Syrup. corall. Quercet. f. Electuarium.

De quo capiebant sæpiùs pro lubitu: cujus usu cùm imminueretur quidem nonnihil alvi fluxus, non tamen penitus sisteretur, ac tormina simul urgerent:

℞. Ess. tormentill. ʒ ij.
Opii ʒß. ad ʒ j,
Miscendo.
Dosis 40. gutt. bis vel ter. in die.

Denique ovum ad duritiem coctum, cum aceto rosaceo profuit.

Tandem in *Diarrhœa epidemica maligna*, cum modò dictis semper alexipharmaca, sudorifera præprimis usurpanda erunt, quæ etiam conducunt in quacunque diarrhœa; nunquam enim diarrhœa sine sudo-

sudore curatur. Sudorifera sunt antimonialia fixa, aliaque satis cognita: miscenda tamen semper appropriata; cum spiritu theriacali conjungatur spiritus Mastichis, cum terra sigillata, sal volatile viperarum & similia. Superiori anno, cùm grassaretur hic Diarrhœa epidemica, non absque applausu medentium aliquoties usum vidi egregium hujus pulveris, etiam ubi jam adesset delirium:

℞. *Terræ sigillat.*
Antimon. diaphor. an. gr. xv.
Pulv. macis vel *Nuc. Mosch.* gr. iv.
Sal. vol. viperar. gr. vj.
M. f. *Pulvis pro una dosi*: S.
Pulvis adstringens.

Cui interdum *laudani opiati* gr. j. vel ij. addi possunt.
Usurpatur in s. q. vini aciduli.

℞. *Terræ sigill.* vel *Corn. Cerv. sine igne.* gr. xxiv. vel ʒ ß.
Extract. tormentill. gr. xv. vel ℈ j.
Sal. vol. Corn. Cerv. gr. vj.

M. pro *duabus dosibus*, vel *robustiori pro unica dosi*, expectando sudorem: cui etiam *laud. opiatum*, vel *extractum theriacale* in debita dosi addi potest; S.

Pulvis adstringens.

℞. *Aqu. plantag.* vel *tormentill.* ℥ iij. vel iv.
Gelat. Corn. Cerv. ʒ vj.
El. diascord. Fracastor. ʒ j ß. vel ʒ ij. ad ʒ iij.
Antimonii diaphor. ℈ j. vel ʒ ß. ad ℈ ij. vel *Bezoard. mineral.* ℈ j.
Extr. tormentill. ʒ ß. ad ʒ j.
Syr. cydonior. ℥ ß. vel ʒ vj. ad ℥ j.

M. pro *duabus dosibus*, expectando semper sudorem.
D. S.
Potio adstringens pro duabus dosibus.

℞. *Aqu. Menth.* ℥ iij.
Corn. Cerv sine igne ℈ ij.
Bezoard. miner. ℈ j. ad ʒ ß.
Extr. theriacal. gr. vj.
Syr. cort. aurant. ʒ iij.
M. pro tribus dosibus, S.
Pro adstringens pro tribus dosibus.

In eadem diarrhœa maligna gelatina Corn. Cerv. soluta & potui addita, semper egregium habuit effectum.

Vir quidam gravi diarrhœa malignâ decumbebat, & junctis febrilibus symptomatis, cui inter alia optimè profuit

℞. *Aquæ menthæ*,
Scord. an. ℥ j ß.
Cinnam. ʒ ij.
Acet. vini ʒ vj.
Theriac. Androm. ʒ j ß.
Bezoard. miner. ʒ ß.
Syr. cydonior. ʒ iij.
M. f. *Potio.*

Capiebat pro lubitu, & ad diaphoresin corpus disponebat; hinc vitellum ovi durum cum aceto assumpsit.

Externè interpolatis vicibus clysma ex lacte ordinatum fuit, propter tenesmum similiter graviter urgentem. In *Diarrhœa à veneno*, per inscitiam poto, laudatur Smaragdus ad gr. xij. in cons. cydoniorum assumpta. Ut verò stomacho simul succurramus, optimè ipsi conducent cydoniata, speciatim vinum cydoniatum, pro lubitu subindè hauriendum. Vel fit Mistura cydoniata, urgente siti subindè cochleatim loco Iulepi haurienda, intermedio reliquorum remediorum tempore.

℞. *Aq. rubi Idæi* ℥ ij.
Cinnam. cydon. ʒ j.
Succi cydon. ℥ j ß.
Spiritus vitrioli Martis gutt. vj. vel *Spiritus salis* dulc. gutt. xv.
Syr. cydon. aromat. ʒ vj.
M. D. S.
Potio confortativa sive mixtura stomachalis.

Item pro scopo stomacho succurrendi conducit haustus vini generosi, item vitellum ovi cum aceto.

Externè contra diarrhœam prævalet theriaca, imprimis recens, ventriculo vel umbilicali regioni imposita & illita, vel sola, vel cum ana Balsami Peruviani aut olei destillati mastichis mista, quæ irroretur aliquot guttis olei cujusdam destillati, in specie macis: sicuti & balsama stomachalia ordinariò conducunt. Item fomenta, parata ex aromaticis, absinthio, mentha, melissa, caryophyllis in vino decoctis, & ita regioni stomachali & umbilicali cum linteis applicatis: Item olea destillata aromatica macis, menthæ, Carvi, &c. extrinsecùs illita: v. g.

℞. *Theriac. Andr. rec.* ʒ j. vel ʒ ij. ad ʒ iij.
Olei destill. bacc. Iunip. vel *menth.* ʒ ß. & ʒ j. ad ʒ j ß.
Caryophyllor.
Macis, vel *nuc. moschat.* an. gutt. iij. v. vel vj. ad ℈ ß.
M. f. *Linimentum*, S.
Vnguentum ad ungendum stomachum, & ventrem.

Stomacho & umbilico illinatur, imponendo laterem calefactum. Convenit quoque crusta panis tosta cum vino austero vel aceto ebria & imprægnata, & pulvere nucis moschatæ, caryophyllor. aspersa, calidè admoveatur stomacho: Vel

℞. *Ferm. acerr.* ℥ iij.
Pulv. fol. menthæ ℥ j.
Zedoar. ℥ ß.
Caryophyll.
Galangæ,
Zingiber, an. ʒ ij.
Acet. rosac. q. s.
M. f. *Cataplasma*, illinendum linteo, S.
Emplastrum adstringens singulare.

Item balsam. seu linimentum factum ex oleo macis destillato, & oleo menthæ & carvi destillatis, & cum s. q. olei nucis moschatæ expressi fiat Balsamum, stomacho & umbilico illinendum: e. g.

℞. *Olei destillat. menthæ* ℈ j.
Zedoar. ℈ ß.
Caryophyll.
Cinnam. an. gutt. ij.
Cum s. q. *Olei* nucist. expr. f. *Balsamum*, S.
Balsamum adstringens.

Quando opus est leni intestinorum abstersione, tàm in principio quàm declinatione, tunc imprimis usitatum est rhabarbarum, idque nunc in substantia ad ℈ j. cum conserva rosarum usurpatum; vel rhabarbarum tostum ad ʒ ß vel ℈ ij. cum pulveris nuc. Mosch. gr. v. vel viij. usurpatum; vel in forma sicca; vel cum syrupo rosarum solutivo: vel syrupus rosarum solutivus propinatur in Decocto hordei; cui additur ℈ j. præter propter terræ sigillatæ: e. g.

℞. *Rhabarb. el.* ℈ j. vel ʒ ß.
Nuc. Moschat. gr. viij.
Laud. hyster. gr. iij.
M. f. *Pulvis*, S.
Pulvis abstergens.
Vel

℞. *Rhabarb. tosti* ℈ ij.
Cortic. myrobal. citr. ʒ ß.
Cum *cons. rosar.* fiat *Bolus*, S.
Saccharum solutivum.

Vel etiam detur blandum Decoctum tamarindorum, quod suaviter alvum laxat, & stomacho amicum est. Sed non conveniunt talia, nisi in declinatione pro reliquiis exterminandis; vel in principio, quando nempè excernenda varia, vel in primis viis congesta sunt, vel ad hæc loca aliunde moventur, vel quando ex fructibu horæis malum recens natum est, tunc, ut removeantur sordes istorum locorum, ne ab iis supprimatur, vel retardetur vis appropriatorum remediorum, in principio blanda talis abstersio locum habet.

Clysmata etiam anodyna ex lacte in tali intestinorum vellicatione, in specie, si in crassis fuerit malum, optimè conveniunt: quorum tunc habetur indicatio, quando crebriùs, & tamen parciùs, deijciunt ægri, peccante magis acrimoniâ, quàm copiâ excernendorum.

℞. *Lact. Chalybeati* ℥ viij.
Vitelli ovi an j.
Olei chamomill.
Mellis rosac. an. ℥ j.
M. f. *Enema*: S.
Clyster leniens.

℞. *Flor. chamomill.* M. ij.
Verbasci M. j.
Rad. althææ ℥ j.
Sem. cydonior. ʒ ij.
Coqu. in s. q. *lactis vaccini*:
Colat. ℥ viij. adde
Theriac. ʒ j.

Tere-

Theriac. ℥ j.
Terebinth. cum vitello ovi sol. ℥ iij.
M. f. *Enema*, S.
Clister leniens.

Si ab acrimonia oriatur dolor in ano, & excoriatio intestini recti & podicis, confert clysma ex lacte, vel simplici vel chalybeato: item fotus ex lacte calido, cum spongia applicato: vel lactis decoctio cum floribus verbasci, chamomillæ, foliis hyoscyami &c., applicetur.

Nuperrimè sub cura habui Chirurgum, qui intra 24. horas ultra 100. vices sellare coactus est, cum appetitu stomachi nullo, pulsu crebriori, forti tamen & robusto: Huic tandem, postquàm in causas antecedentes inquireram, & ægrum ultra septimanam in hypochondrio sinistro dolorem obtusum, qualis aliàs spleni tribuitur, percepisse audiveram, præscripsi Clysma ex lacte calybeato cum terebinthina, eò quod parum quidem, sed sæpiùs dejiceret: quo præmisso, ordinavi hunc pulverem:

℞. *Corn. Cerv. usti præp.* ʒß.
Hæmatit. præp. gr. xv.
Terræ sigillat.
Nuc. Moschat. an. gr. viij.
Laud. opiati gr. ij.
M. f. *Pulvis*:
Divide in duabus *part. æqual.*

Hujus æger accepit dosin, unam hinc diarrhœa cessavit adeò, ut post hunc saltem bis dejecerit.

Si ergò præsumptio fuerit humorum acrimoniæ peccantis, clysmata lenientia locum habent.

Atque hæc in genere pro Diarrhœa Cura.

In specie jam considerandæ sint Diarrhœarum differentiæ, de quibus, an & quales sint curandæ vel relinquendæ? *ex supra dictis* patet. Nempè (1) artificialem, (2) spontaneam ab errore externo, (3) ex humorum metastasi, (4) ex humorum spontaneo motu, & (5) criticas non esse curandas, sed relinquendas, nec naturæ motum turbandum; quin spectatorem saltem agere; & si deficere videatur, moderatè stimulandum.

Sin verò tales Diarrhœæ futuræ sint nimiæ, adeò ut ob ventriculi vitium hinc læsa ejus fermentatio, vel bilis defectus, aut ejus corruptela, vel intestinorum *atonia*, aut facilis irritabilitas hinc metuenda sit, sistendæ veniunt moderatè.

Indicium, quando curandæ vel non curandæ sunt tales Diarrhœæ, præter dicta imprimis suggerit ventriculi appetitus, & coctio, quibus salvis, nil nocet Diarrhœa.

Sanandæ igitur sunt:

1. Diarrhœæ modò dictæ, si sint nimiæ.
2. Diarrhœa morbus, tam simplex quàm epidemicus.
3. Diarrhœa symptomatica, præsertim colliquativa.
4. Diarrhœa habitualis.

Quibus omnibus generalis ista cura applicanda venit.

In specie in *Diarrhœa artificiali*, si sit *ex hypercatharsi*, conveniunt (1) narcotica, quæ sensum irritationis tollunt, & inde natos quoscunque humorum motus sistunt, ut opiata: hinc theriaca & electuarium diascordii cum aqua cinnamomi usurpatur: (2) Diaphoretica terrea, quæ humorum turgescentiam compescunt, & acrimoniam temperant: v. g. terra sigillata, antimonium diaphoreticum, cornu cervi sine igne, item hæmatites vulgaris, vel artificialis, cum sacchara saturni & vitriolo Martis; hæmatites enim est filius Saturni & Martis: hinc Vinum Rhenanum generosum, speciatim Vinum absinthites, item spiritus & essentia theriacalis, sive per se sive cum aliis, e. g. essentiâ anodynâ, mista egregia est in Diarrhœa ex hypercatharsi.

℞. *Antimonii diaphor.* gr. xij.
Terræ sigill. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. *Pulvis*:
D. S.
Pulvis adstringens.
Vel

℞. *Theriac. Androm.* ʒ j ß.
Corn. Cerv. sine igne gr. xv.
Cum *spiritu Menthæ* f. Bolus, S.
Electuarium adstringens, pro una dosi.
Vel

℞. *Aquæ menth.* ℥ j.
Cinnam. cydon. ʒ ß.
Spiritus theriacal. camphor. ʒ j ß.
Antimonii diaphoret. ℈ j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syrup. cydon. ʒ ß.
M. S.
Potio adstringens. Vel

℞. *Aqu. tormentill.* ℥ j ß.
Spiritus theriac. campb. ʒ j ß.
El diasc. Frac. ʒ j.
Bezoard. Iovial. ℈ ß.
Syr. cydonior. ʒ vj.
M. f. *Potio*: S.
Ut anteà.

Æger in lecto calido detineatur.

Abdomini, imprimis regioni epigastricæ, emplastrum ex theriaca imponatur: vel Fotus ex Decocto absinthii, Menthæ, cum aromatibus in vino decoctis.

Quod si tormina, aut alvum egerendi conatus adsint, Clysma ex lacte tepido, in quo theriaca dissoluta sit, injiciatur, aut etiam Clysma ex vulnerariis nonnihil adstringens & blandè abstergens. Confer. M. A. N. C. *Anno.* 3. *Observ.* 303. *pag.* 525.

Diarrhœa nimia ob errorem externum, v. g. fructus horæos, &c. per absorbentia & figentia sistitur.

℞. *Corall. rub. præp.*
Corn. Cerv. usti an. ℈ j.
Nuc. moschat. gr. xij.
Essent. opii. gutt. x v.

M. pro *duabus dosibus*, in haustu cerevisiæ calidæ, vel *Vini absinthitis calidi* assumendis, S.
Pulvis adstringens.

℞. *Terræ sigill.* gr. xij.
Corall. rub. præp. gr. v.
Laud opiat. gr. ij.
M. f. *Pulvis*: S.
Ut anteà.

℞. *Ess. menthæ* ʒ ij.
Opii ʒ j.
Olei destillat. cinnam. gutt. xij.
M. S.
Essentia adstringens.
Dosis gutt. 45. ad 50.
Vel

℞. *Aqu menth.* ℥ ij.
Cinnam. Cydon. ʒ vj.
Spiritus theriacal. camphor. ʒ ß.
Corall. rub. præpar.
Corn. Cerv. usti præp. an. ʒ ß.
Laud. opiati gr. iij.
Syr. Cydon. aromatis. ʒ vj.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.

Capiatur cochleatim, expectando sudorem.
Vel

℞. *Theriac.* ʒ j.
Terræ sigill. ʒ ß.
Cum s. q. *Syr.* vel *succi Cydonior.* f. *Bolus.*
D. S.
Bolus adstringens, pro una dosi.
Vel

℞. *Conserv. Menth. vitriolat.* ʒ vj.
Cort. citri cond.
Diacydon cum aromat. an. ʒ ß.
Terræ sigillat. ʒ j.
Confect. Alkerm. ℈ j.
Cum *Miva cydon.* f. *Electuarium.*
Electuarium adstringens.

Si *ex metastasi* nimia futura sit Diarrhœa, radix mali est evellenda, & præsertim cùm Catarrhosi tali Diarrhœæ sint obnoxii, præsertim nocturnæ, ut rectè insinuat Ballonius: vid. BONETTI *Pharos Medic. pag.* 411. (undè & à cerebro Veteres talem diarrheam deduxerunt, sed malè) Avertentibus, & aliorsùm Derivantibus, adeòque Vesicatoriis aut Fonticulis Diarrhœa talis erit lenienda. Egregiam *Observationem* talis *Diarrhœæ Catarrhalis* vocatæ, per Vesicatoria curatæ, videbitis apud ZACUTUM LUSITANUM.

Diarrhœa *ex spontaneo humorum motu nimio*, pariter ut ea, quæ ex errore externo oritur tractanda, ventriculo imprimis succurrendo: ubi amara, ut absinthium & theriaca, speciatim conducunt: Vel

℞. *Rad. ari* ʒ ij.
Torment. ʒ j.

Pi-

Piperis ℥ß.
M. f. *Pulvis*.
Dosis quantum capit cultelli cuspis, in vino.

In *Diarrhœis* quasi *habitualibus*, ad aliquot annos durantibus, conveniunt internè imprimis Martialia quæcunque, & aromatica stomacho grata: imò thermæ. Sic RIVERIUS *l.2. Observ.* 47. mentionem facit alvi fluxus per octennium durantis, thermis curati: quibus ipsis thermis etiam curatus fuit alius alvi fluxus diuturnus, cum ulceribus conjunctus *teste eodem, citato loco, Observ.* 49.

Colliquativa Diarrhœa vix, nisi curato primario morbo, auferri poterit: interim temperantibus ac blandè adstringentibus ulterior ejusdem progressus, quantum possibile, cohibendus.

ARTICULUS II. DE CHOLERA.

SUmmus Diarrhœæ gradus, & qui rarò absque malignitate existit, est *Cholera*, ista nempè affectio, quando cum summo impetu ex singulari violentia variæ sordes recrementosæ, tàm sursum per os quàm deorsum per anum, expurgantur, concurrente simul ventris ac intestinorum dolore, plus minus vehemente, inflatione & distensione hypochondriorum, cardialgia, siti, pulsu celeri & frequenti, interdum parvo, insigni præcordiorum angustia, nec raris intervenientibus lipothymiis, supervenit inquietudo & jectigatio, partium extremarum frigus, sudor frigidus, imprimis circa frontem, & prostratio virium, tandem quoque adveniunt singultus & convulsiones, prodromi lethalitatis.

Omnia hæc symptomata sunt atrociora, prout causa efficiens occasionalis acrior & malignior extiterit. Malum acutum hoc à diarrhœa differt secundùm magis & minus, nulloque sui præcedente præsagio suboritur; ultra 2. vel 3. dies non durat, rarò ad quartum; sæpè funestum existit, & dicitur *cholera humida*, in qua varii succi, nunc acres, nunc insipidi, peccant. Nam præter hanc etiam Cholera *sicca* datur, *notha* nempè, in qua saltem flatus copiosi suprà & infrà, vel per utrumque guttur, eructantur, frequenter in lipothymiam cedens, ac in hypochondriacis subindè observabilis.

Humida Cholera est, quæ jam consideranda venit; cujus *causa* est eadem cum causis diarrhϾ, nisi quod gravior, & pro operandi ratione magis efficax existat; hinc vel acre quoddam venenum, v. g. Mercurius sublimatus, Arsenicum, aut simile quoddam assumptum, continuò vellicans & rodens intestinum imprimis duodenum, & stomachum, choleram infert: vel fermentum malignum acre alcalinum, concitans Massam sanguineam, eamque fermentativo motu colliquefaciens, indeque simul succum felleum & pancreaticum turbans, choleram infert: Scilicet similis tunc est ratio, atque helleborina, scammoniata, Colocynthica, aliave graviora purgantia simul suprà & infrà purgare solent: siquidem purgantia talia acria & intensè amaricantia, vel incautè usurpata, vel iis propinata, qui stomachum ac intestina habent sensibiliora, eadem symptomata, atque in Cholericis obvia sunt, concitare solent, nempè sitim, anxietatem, æstum præcordiorum, extremorum frigus, tandem convulsiones, ac mortem.

Acre hoc, sive irritans, sive colliquefaciens, sive (idque utplurimùm) utrumque fuerit, nunc humoris copiosi facie se exhibet, ex assumptis nempè vel in se vitiosis, vel saltem intus corruptis genitum; nunc verò, idque utplurimùm in vehementiori affectu, & qui spontè suâ ex interna oritur causa, sub mole minima existit, adeòque rectè fermentum malignum appellari potest.

PARS AFFECTA.

Subjectum seu *Pars affecta* Choleræ proximum est intestinum duodenum cum Pyloro, & principium jejuni, ibidem scilicet, ubi inseruntur isti ductus, Pancreaticus, & Cholodochus: Hæ enim partes à succis acribus plus minus & contrariis eò effusis irritatæ ac vellicatæ, in convulsivum stimulantur motum, adeòque ex peristaltico motu sursum ac deorsum naturaliter simul succos hos acriores, aut insigniter corruptos emittunt.

CAUSÆ.

Causa proxima sunt vel fortis ac insignis irritatio ab acri, tàm assumpto venenoso, quàm in corpore præternaturaliter genito; vel colliquefactio & conturbatio Massæ sanguineæ, indeque natorum succorum, à fermento peregrino acri maligno de natura alcalina, cum ipsis confuso, quod fermentum vitiosum Massam sanguineam fermentando alterat, transmutat, & corrumpit ita, ut partes corruptæ ac vitiosæ sero involutæ, tandem per abusum (nam reverà abutitur natura his viis) ductus colodochi & pancreatici ad intestina ablegantur, & ibi concurrendo & effervescendo hanc tragœdiam choleræ agunt; undè simillima infert symptomata, atque purgantia acria maligna assumpta. Prioris exemplum est Cholera, quam observavit POTERIUS *Centur.* 2. *c.* 59. à potu aquæ fortis nata: posterioris exemplum suggerunt v. g. purgantia maligniora inconsultò propinata. Nam quod tale vitiosum fermentum sit, quod Massam sanguineam inquinet, patet ex eo, quòd, utut non rarò ab alimentis corruptis occasionaliter inchoetur Cholera, nihilominus tamen excrementorum quantitas est tanta, ut alimenta, aut quævis assumpta omnia, & quocunque modo corrupta, longè superet: quæ excrementa non oriuntur, nisi ex Massa sanguinea, quæ communis fiscus & promus condus est totius œconomiæ animalis. Hinc etiam est, quòd purgantia, si sint nimia, non rarò Choleras excitent, in istis scilicet, in quibus copiosa salia contraria, præsertim acida, per medicamentum purgans fermentante motu ad intestina detruduntur, & ibidem tàm effervescendo, quàm mutuâ sui miscelâ vitiosum saporem acquirendo, tàm violenter intestina stimulant, & Choleram excitant: uti interdum in hystericis, scorbuticis & similibus, observari solet. Hinc etiam est, quod fructus horæi, aut ipsius aeris vitio in liquamen acre quasi vitriolatum corrupti, aut in stomacho imbecilliori sub digestione vitiati, in talem Chylum vitiosum a . fermentativum abeant, ut & intestina irritando, & Massæ sanguineæ crasin turbando & colliquefaciendo, Choleram excitent. Undè etiam ex ista commotione præternaturali Massæ sanguineæ, symptomata febrilia non rarò adsunt, tam ratione pulsus, quàm ratione caloris & Cephalalgiæ. Imò facit huc imprimis historia AMATI LUSITANI *Cent.* 3. *Hist.* 88. de muliere cacochymica cholerà correpta cum febre, supervenientibus tandem menstruis, in qua, quando effluebant menses, alvus erat adstricta, simul verò atque menses supprimerentur, cum febris insigni augmento redibat Cholera, & sic vicissim; quod innuit effervescentiam febrilem in Massa sanguinea; quæ Massa sanguinea per menses fluentes, tùm his suppressis per Choleram morbum, evacuabatur, idque cum effervescentia. Sic adjunctus dolor ventris & intestinorum, inflatio eorum ac distensio, effectus genuini contentorum acrium effervescentium, dicta confirmant.

Dum ergo confluunt per ductum felleum & pancreaticum succi varii, plus minus corrupti, ex eorum miscela, & concursu emergit humor tertius diversi coloris & proprietatum, adeòque nunc bilis æruginosa, nunc porracea, nunc alia similis, tàm suprà quàm infrà rejici videtur, & in specie dum movetur, bilisque intensiùs imprimis à fermento maligno (quo nomine nihil aliud concipere possumus, quàm summam acrimoniam, etiam in minimo interdum efficacissimam, nervosis partibus sensibilissimam, & summam præternaturalem impressionem, humoribus verò in singulari textura sua mutationem inferentem) concitata, tàm graviora ac periculosa circa præcordia in regione stomachi, & præsertim in lumbari dextra, ubi intestini duodeni situs, symptomata excitare solet. Peracutum enim est malum Cholera, quodque graves anxietates præcordiorum, extremorum refrigerationes, lipothymias, sitim, pulsus intermittentes, singultus, non rarò convulsiones cum pulsu parvo, celeri & frequenti, inducit: simili ratione atque eadem à malignioribus purgantibus quotidie observamus. Hinc etiam est, quod theriacalia, sudorifera, & malignitati resistentia, primariò in hac Cholera sunt attendenda: undè etiam PANAROLLUS *Pent.* 1. *Obser.* 28. Choleram à veneno quasi putredinali asserit, & IOHANNES COLLE *l.* 3. *Med. Pract. ubi de morbis malignis*, inter affectus ventriculi malignos reponit. Accedit & hoc, quod interdum aut critica hæc sit evacuatio, febres aliosque morbos universales solvens, aut quamvis symptomatica, qualis illa, quam RIVERIUS *Cent.* 3. *Obser.* 78. & *Obser. à Pacio* quo

quo comm. refert, alias tamen sanguinis commotiones ac impuritates pro causa agnoscat, v. g. humores nidorosos aut bilem sic dictam atram, qualem à quodam, praecordiorum angustiâ & obstructione viscerum laborante, ἄνω καὶ κάτω maximo cum impetu rejectam fuisse TULPIUS *lib.* 2. *obs.* 21. refert. In genere quaecunque & qualiacunque symptomata fortem ac deleteriam antimonialem purgationem, aut helleborum album sequuntur, aliudve violentiùs catharticum, ea similiter obvia sunt in Cholera. Iam verò notum est, quod dicta rectè inter venena corpori inimica reponantur: Ergò: &c.

Haec in genere de Causis & fiendi modo.

Quoad remotas occasionales causas, quae fermentum corruptivum & Choleram producunt, sunt vel internae vel externae. Hae in specie sunt assumpta varia plus minus praeternaturalia: Illae verò interna, aut ex assumptis intus genita, aut spontaneâ contentorum corruptelâ nata, ac putredine malignâ inquinata: frequentiores tamen causae sunt, vel assumpta fermentando facilè corruptibilia, & in nidorem biliosum transmutabilia, nisi debitè à fermento ventriculi subigantur; vel medicamenta assumpta acriora plus minus maligna; vel denique certa venena, aut acrimoniâ corrosivâ, at propriâ suâ naturâ Choleram inducentia.

Quoad assumpta: notum est, quod ex usu persicorum aliorumque fructuum horaeorum facilè effervescibilium, & postmodum putrescendo in nidorem biliosum alcalinum degenerantium, oriantur Cholerae: vid. TIMÆUS *von Gulden Klee l.* 3. *Casu* 8. *pag.* 119.; quin ex malorum persicorum esu Choleram contractam in se ipso observavit ZACUTUS LUSITANUS *l.* 2. *Prax.* *Admir. Obser.* 15.; sicut ex esu eorundem nimio, superbibitâ cerevisiâ, mulier septuagenaria Cholerâ correpta fuit, quae 300. vicibus unâ die aquam insipidam per alvum, & 100 vicibus pituitam per os, rejecit cum febre & delirio: vid. FONTANUS *in Analect. c.* 35. *Exempl.* 12. *pag.* 162.. item ex esu melonum eandem Choleram observavit ZACUTUS LUSITANUS *l.* 1. *Prax. Admir. Obs.* 16.; itidem ex esu fructuum praecocium cum ovis frixis, superbibitâ frigidâ, observavit Choleram ingentem idem ZACUTUS LUSITANUS *lib.* *II. Praxeos Admir. Histor. c.* 1. *n.* 7., ita ut aeger biduo 300. vicibus ejiceret copiosum humorem aquosum, & 60. vicibus evomeret. Hinc etiam mustum, cerevisia novella, Vinum non ritè defaecatum &c., facillimè choleram inducunt, si eorum fermentativa vis ad massam sanguineam forsan digestionis errore deferatur: Sic SCHENKIUS observavit Choleram ex musto, esu fungorum, potu frigidae, ambulatione cum pedibus nudis, & lotione pedum in aqua frigida, quae singula periculosam choleram induxerunt: vid. *l.* 3. *obser.* 3. Ex vino acido in nimia quantitate ingurgitato RIEDLINUS *Obs.* 51. Phaseolis, cepis, fungis BRASSAUOL. *l.* 9. *in Hippoc. de Victu Acutorum l.* 4. *Text.* 103. ex nimio raphani esu choleram itidem observavit AMATUS LVSITANUS *c.* 2. *obs.* 32. ratione salis acris, quo corrupto, insigniter potest depravari etiam sanguis: Ex esu nimio lactis, uti subindè interdum est Cholera, ita ex ejus nimia corruptione (nam lac facillimè fermentatur & corrumpitur) Choleram observavit HEINRICVS *ab* HEER *in Obs. oppido rara* 15. Sic ex oryza cum lacte parata, sed frigidè assumpta, itidem Choleram observavit ZACVTVS LVSITANVS *loc. cit. obs.* 16. speciatim ova barbi & lucii piscium insigniter choleram inferunt: de quibus SCHENKIVS *l.* 7. *observat.*, item TIMÆVS *in cas. l.* 1 *c.* 7. *p.* 118., qui ipse per esum barbi contraxit Choleram.

Haec omnia praeternaturaliter fermentum in stomacho corrumpunt, & degenerant in liquamen acre, in quibus praeponderat alcali oleosum, quae partim irritant intestina, partim deferuntur ad sanguinem & choleram inferunt: prout plus vel minus maligna, eò etiam vis pronata fermentativa volatilis major vel minor.

Post assumpta imprimis sunt medicamenta purgantia nimis generosa, aut fortiora, aut inconcinnâ dosi, vel subjecto, cujus contenta quaelibet sunt acriora, propinata, quae non rarò inducunt choleram: vid. RIVERIUS *c.* 2 *obser.* 19. item in RHODIO *Cent.* 2. *obs.* 69., quod est rarum exemplum, dum refert: quod ex assumpto antimonio non ritè correcto singulis hebdomadibus per biennium colica periodica per aliquot horas excitata fuit recurrens: Ita FORESTVS *l.* 18. *obser.* 44. Choleram periculosissimam observat ex taleolis radicis hellebori albi, vino infusis, concitatam, curatam per ℥ ij. pulveris florum nymphaeae albae, ceu proprii ejus antidoti: Sic acria ferè omnia, & venena quaedam acria, uti sunt Aqua Fortis, Antimonialia, Arsenicalia, Mercurialia, in specie Mercurius sublimatus corrosivus, item praecipitatus, acrimoniâ suâ nunc pylorum, nunc duodenum, rodendo crebras inducunt Choleras. Inter internas causas, febres malignae in principio sui interdum adjunctas habent Choleras, utplurimum lethales: sic & Cholerae epidemicae, plus minus malignae, subindè observatae fuerunt, qualem refert SYDENHAM *Tr. Observat. de Morbis acutis sect.* 4. *c.* 2. *p.* 239. Sic WILLISIVS *in Phar. Ration. Vol.* 1. *S.* 3. *c.* 3. *pag.* 119. Choleram malignam refert etiam epidemicam, quam tamen sub nomine dysenteriae non cruentae describit. Saepiùs satis pestilentiales observantur, seu pestem in sinu gerunt, v. g. illa, cujus RIVERIUS *Observ Morb. Infrequentium* 26. meminit. Rarum etiam est, quod ab occlusa fontanella Choleram à se observatam refert IOHANNES MICHAEL FEHR *Tr. de Absinth. p.* 106. Vt nihil dicam de singulari idiosyncrasia, cujus ratione ex audito tonitru cholera subindè enata: vid. *Acta societ. Reg. Volum.* 1. *pag.* 446. Ratio hujus est in HANNEMANNI *Methodo Cognosc. simpl. Veget. §.* 35. *p.* 71. Sicuti notatu dignum est, quod habet FONSECA *l.* 1. *Cons* 84. de Cholera, in qua evacuabantur sursum & deorsum nigra, idque vi io lienis obstructi ob menses deficientes. Tandem PANAROLLVS *Pent.* 1. *Obser.* 11. observavit in viro choleram sanguineam; *oben und unten Glut*, cum maximis symptomatibus, occasione nimiae Veneris contractam; cui cùm aliquando ferociùs incumberet, in tàm copiosam sanguinis choleram incidit, ut etiam mortis periculum immineret, per ℈ iv. lapidis haematitis, in vino seu succo granatorum acidorum assumpti, curatam, postquam ad 12. libras sanguinis rejecerat, cum omnium admiratione: quod planè singulare est, & non memini me apud ullum Autorem tale quid legisse.

Omnia quae suprà de Purgantibus dicta in diarrhoea & Cholera, hic conveniunt. Ergò, ut in hypercatharsi vehementiori & diarrhoeis, ita etiam in Choleris, ad duo imprimis respiciendum est: Vel (1) ad acre irritans, istudque utplurimum acidum, nunc solitarium, nunc bili permistum, indeque cum hac effervescens, & ita bilem aeruginosam omnium pessimum constituens, à qua etiam gravissima Cholericorum circa praecordia symptomata: Vel (2) ad fermentum malignum fermentativo motu colliquefaciens massam sanguineam, & conturbans inde derivatos succos, estque materiae alcalinae acris simillimae purgantibus gravioribus.

DIAGNOSIS.

Quod attinet signa diagnostica: ex superiùs facta enarratione symptomatum clara sunt: ex quibus etiam

PROGNOSIS

est facilis.

Cholera, quae sponte suâ sine causa manifesta externa corripit aegros, utplurimum est funesta ac ferè lethalis.

Cholera periculosissimum & peracutum est malum, intra biduum, vel triduum, imò 24. horas, aegrum jugulans: utut ex RHODIO *superiùs alleg.* constet in quodam ex Antimonio minus decenter praeparato Choleram ad bienniū, per intervalla tamen, & quidem per periodos, afflixisse. Periodum ferè observat tertianariam, ita nempè, ut de tertio in tertium diem moveatur, seu plus minus exasperetur.

Cholera, quae supervenit in principio febrium, imprimis malignarum, utplurimum est funesta, utut in declinatione quarundam febrium interdum possit esse salutaris, si nempè fiat per modum criseos, quod tamen rarissimum est.

Propter malignitatem cautissimè tractanda cholera; suspecta enim admodum est propter metum recidivae; cùm saepiùs aegri jam reconvalescentes ex superventu inopinatae recidivae obeant: vid. HORSIUS *l.* 4. *Obser.* 8., ubi notat, cholericam passionem ferè curatam, ex potu vini non ritè defaecati, lethaliter recidivantem.

Minus periculosa est cholera, ubi stomachus non affectus, ubi non lipothymiae & anxietates praecordiorum sunt.

Quò perturbatio ventris major est, & quò magis patitur ventriculus, eò periculosior est cholera, & etiam periculosiora habet symptomata, eòque citiùs mortem infert.

Quò

Quò magis à statu naturali recedunt excrementa, speciatim si fuerint livida, aut si fuerint fœtida, aut si fuerint nimis corrosiva, qualia sunt ea, quæ dicuntur æruginosa, & porracea, utpote interraneis quibusvis hostilia; item cùm loturæ carnis simile quid excernitur, eò periculosior est cholera: & longè adhuc majus malum, si nigra aut livida rejiciantur, ut ex TULPII *Observ. l. 4.* innotescere potest. Sin tamen aliquando oriatur Cholera per Crisin, potest esse salutaris, uti monui.

Cholera colliquefactiva, mutans habitum corporis, semper ferè lethalis est.

CURA.

In Cura eadem medendi ratio est choleræ, quæ vomitus atque diarrhœæ, utut remedia magis efficacia, aut magis selecta subindè adhibenda sint. Maximè attendendæ sunt causæ: *an oriatur ab assumptis? an à fermento maligno?* propter quod summâ circumspectione opus est, quoniam Cholera suspecta est propter metum recidivæ; sæpiùs enim ægri jam convalescentes ex superventu inopinatæ recidivæ obierunt.

1. Temperandum est quodcunque acre, quod choleram infert, & blandè in principio morbi per leniter sudorifera evacuetur.
2. Destruendum est fermentum malignum alcalinum, quod choleram excitat.
3. Hinc utroque in casu opiatis humorum & partium motus sistendus; &
4. Appropriatis odoriferis stomachus roborandus. Dico odoriferis: nam in omnibus intestinorum & stomachi affectibus sunt egregia odorifera, sive internè sive externè usurpentur, quibus sæpè solis potest alvus sisti. Sanè multum hisce tribuit HELMONTIUS, qui solo emplastro odorifero sæpè desperatissimas curavit Choleras.

Pro his scopis meliùs obtinendis, observetur:

I. Semper medicamentis anti-cholericis addenda esse alexipharmaca bezoardica, vel ipsa remedia propinata ex se vim habeant alexipharmacam; quia causæ ejus utplurimùm sunt malignæ, ut rectè monet LANGIUS *Commentario in Fabrum*; unde non satis sumus tuti in Cura.

II. In principio morbi benè considerandus naturæ motus, idque in specie, si ab externis assumptis facilè fermentescibilibus vel putrescibilibus oriatur malum; tunc enim benè considerandus naturæ motus. *Si enim, monente Hippocrate, evomuntur ea, quæ debent, confert, & facilè ferunt*, Undè ex tali causa, v. g. ab alimentis corruptis & similibus, nata cholera non subitò nimis est supprimenda, & ab adstringentibus fortioribus in initio est abstinendum & cavendum; nec vomitus & alvi dejectio statim ab initio cohibeantur, quia suppressa excrementa commota adhuc aut fermentativa, siue à fermento maligno per colliquationem transmutata fuerint, sive ex assumptis genita detineantur, sub cinere gliscunt, & novum ac deterius incendium minantur: uti hoc rectè monet FORESTUS *lib. 18. Observ.* 45. item AMATUS LUSITANUS *Cent. 3. Cura* 88. Undè inimico visceribus incluso facilè multa ac gravia symptomata supervenire possunt: sicuti è contrà, si catharticis excretionem promovere velimus (quod SYLVIUS *Prax. l. 1. c. 15. §. 29.* & RIVERIUS *Praxeos l. 9. c. 9.* contendunt) juxta SYDENHAM *l. a.* oleum igni adderemus. Igitur cùm lenissimi Cathartici operatio novos insuper excitet tumultus, spectatorem potiùs naturæ agere debemus, aut saltem in principio juxta Riverium & SYDENHAM acre istud abstergendum blandè ac diluendum; hinc demùm opiatis morbi impetus frangendus.

III. Opiata nunquam satis laudanda sunt remedia in cholera & omni alui fluxu, quæ sanè nunquam omittenda, & in majori quàm consuetâ dosi, e. g. ad gr. iv., præscribenda: sin tamen magna adsit virium dissolutio seu prostratio, magna laudani dosis juxta RIVERIUM non est exhibenda, sed meliùs est, partitis vicibus propinare, adeòque in minori dosi, in grano uno vel duobus subsistendum, semper cum appropriatis analepticis miscenda, & etiam bis in die exhibenda: quinimò si tardiùs accesserit Medicus, ita ut æger vomitu ac dejectionibus ad plures horas fuerit exhaustus, jamque graviora symptomata, v. g. extremorum frigus, immineat, in tali casu, omissis quibusvè aliis auxiliis, mox ad sacram laudani anchoram est accedendum; sicuti aliàs, opiata in choleræ cura nunquam omittenda sunt, cum Bezoardicis & antimonio diaphoretico mixta.

IV. A nimio potu, in specie frigido, quantum possibile, abstinendum: haustus tamen vini moderatus optimè convenit, nisi pro scopo abstergendi & temperandi vel serum lactis, vel decoctum hordei cum syrupo Rosarum, vel Decoctum pulli aquosius, aut simile; diluentia enim mirè prosunt. Sed omnia, quantùm possibile, tepidè exhibenda.

V. In declinatione morbi, ubi cessat impetus, adstringentia & stomachum roborantia usurpetis ubi convenient.

Medicamenta igitur, quæ dictis conveniunt scopis, sunt mentha, & omnia ex mentha parata; cùm hæc, ceu singulare specificum, stomachum suo modo pacificans, commendetur à Tralliano, quoniam nempè singularissimè convenit; undè etiam ejus succus insigniter commendatur ad Choleram: Portulaca item & scordium ac plantago, sive in decocto cum syrupo cydoniorum & confectione alchermes, aut electuario diascordii, sive eorum succus cum mentha, propinentur: Pariter semina 4. frigida majora, amygdalę dulces, & similia, & ex his paratæ emulsiones, propter vim temperandi acrimoniam humorum effervescentium à quibusdam commendantur; quas tamen minus probo, quia laxant stomachum: Aromata oleosa, nux moschata, caryophylli, & similia, commendantur similiter: Acida item, effervescentiam sanguinis nimiam compescentia, commendantur: Sal prunellæ à Riverio commendatur, ubi cum Cholera conjunctus est ardor & sitis. Aliàs internè præterea conveniunt terra sigillata, & terra Solaris, & Martis Solaris; est terra, quæ reperitur in auri fodinis, coloris flavi, & quæ impprægnata est primo ente auri, & soluta cum spiritu salis, dat tincturam insigniter adstringentem, & quæ fluxibus malignis epidemicis, alvi præ cęteris, convenit. Reperitur itidem in Martialibus fodinis terra Martialis, quæ similiter imprægnata est primo ente & semine Martis. Similiterque hic commendatur Crystallus præparata ad ℨß. & ceu singulare laudatur specificum, bilem æruginosam temperans. Iuxta Crystallum & Smaragdus est, qui acerrimi istius succi corrosivi uim infringit, speciatim ubi iam convulsiones imminere videntur. Ulteriùs Martialia, imprimis antimonium diaphoreticum Martiale est egregium; hinc Corn. Cerv. ustum, Ebur sine igne, corallia rubra, in usu sunt.

Quoad differentias causarum: *in cholera à causa nimis acri nata*, adeòque à venenis corrosivis aut similibus excitata, v. g. *Arsenico, Mercurio sublimato, aqua forti*, &c. conveniunt imprimis pinguia & oleosa, acre tale obtundentia: ut Oleum amygdalarum dulcium, aut butyrum non salitum, quæ corrosivitatem demulcent: item lac, cui semper appropriata, ut terra sigillata, admisceri possunt; acidum enim & pinguia & lactea potenter temperant. Conveniunt intereà acre istud absorbentia, ut terræ minerales sigillatæ, crystallus præparata, quæ crystallus in bile æruginosa seu porracea, in qua activè acidum pręvalet, ceu appropriatum laudatur à LANGIO *in Epist. l. 1. c. 4.* & *l. 3. c. 1.* item ZACUTO LUSITANO *in l. 2. Praxeos Admir. Observ.* 15., qui hunc crystallorum usum insigniter similiter expertus est; Videri etiam potest HEINRICUS *ab* HEER *in Obs. 1.* ubi choleram, inepto usu fontium spadanorum ortam, usu crystalli montanæ cum succo cydoniorum, vel limonum, & berberum, unoque alterovè clystere curavit! Exempli loco sit POTERIUS, qui *l. 2. cap. 59.* ab Aqua Forti, pro vino epota, nauseam, vomitus, dysenteriam, febrim cõtinuam refert. quæ tamen omnia curavit per lac & emulsionem amygdalarum dulcium cum gr. xv. terræ sigillatæ aut lemniæ: hinc noctu per theriacæ ℈ ij cum aliquot granis dictæ terræ; tandem propinavit lac vaccinum chalybeatum cum ceræ flavæ ℨ j pauxillo nucis moschatæ & dictæ terræ Lemniæ addito: Conf. SYLVIUS *c. 15. §. 46. in Praxi.* Extrinsecùs fotum ex absinthio, mentha, rosis siccis, mace, nuce Moschata & aliis ordinavit. Dictis addi potest salis tartari, quod absorbet, in specie Mercurii sublimati corrosivam vim sistit.

Si *à perverso usu* & effervescentia *fructuum boræorum* oriatur malum, præter blanda abstergentia, eorumque colluviem evacuantia, conducunt. Præcipitantia dicta, salia alcalia, terrea: ut sal absinthii, sal tartari, terra sigillata, ac ebur ustum: quibus opiata semper addenda: ad imitationem nempè cerevisiæ vel musti effervescentium impetuosiùs, dictis mediis cohibitorum. Vel

℞. *Aqu. torment.* ℥ j.

Cin-

Cinnam.
Menth. an. ℨß.
Spiritus vitrioli gutt. xv.
Elect. diascord. Fracast. ℨjß.
Terræ sigillat. ℨjß.
Croci Martis adstr. ℨß.
Syr. cydonior. ℥jß.
M. f. *Potio*, quæ etiam in diarrhœa convenit.
D. S.
Potio confortans.

Si verò *à fermento maligno* per modum nimiæ purgationis excitata fuerit cholera, conveniunt blandè acida, illud destruentia ac præcipitantia, sudorifera blandis opiatis mista expectato sudore; v. g. succus & Syrupus granatorum, ribium & berberum, syrupus coralliorum, portulacæ, spiritu vitrioli, imprimis spiritus vitrioli Martis, & cum spiritus nitri aut vitrioli paratus liquor stypticus, cujus suprà feci mentionem: item solutiones coralliorum cum succo citri aut limonum; tinctura item sulphuris vitrioli insigniter convenit; uti etiam in principio morbi Tinctura Bezoardica, Mixtura simplex, quæ & effervescentiam Massæ sanguineæ compescit ratione spiritus vitrioli blandè adstringendo, & sudorem movendo malignitati occurrit terræ minerales cum blandè acidis propinatæ, hinc terra sigillata cum spiritu vitrioli est egregia; item Antimonium diaphoreticum, antimonium diaphoreticum Martiale, Bezoardicum Solare, Ioviale, & Martiale, ebur sine igne vi absorbendi, & sudoriferâ, itidem conveniunt.

Præ cæteris laudatur opium, & omnia ex opio parata remedia, quæ inter præcellit ad choleram electuarium diascordii Fracastorii, cujus dosis ad summum convenit in cholera à ℈ ij. ad ℨ j. Compositio est ex adstringentibus alexipharmacis & sudoriferis: est quidem quodammodò rudis & theriacalis, nihilominus quoad ingredientia, est satis elegans, utut loco ejusdem vel sola conserva menthæ cum terra sigillata & aliquot granis laudani opiati admodum conveniat. Theriaca & Mithridatium, & ex his facta extracta theriacalia, spiritus & essentia theriacalis & menthæ quibus in majori malignitate semper addenda est camphora.

Ex dictis facile est, varias formulas concinnare: Sic SYLVIUS in quacunque humorum attemperatione, & hinc orta cholera curanda, hanc Misturam commendat:

℞. *Aqu. plantagin.* ℥ij.
Fœniculi ℥j.
El. diascord. Fracast. ℨij.
Syr. papav. albi ℥j.
M. f. Potio: S.
Potio confortans.
Vel alio modo:

℞. *Aqu. menthæ,*
Cynnam. cydon. an. ℥j.
Spiritus theriacal. ℨjß.
Liqu. stypt. ℈ß.
Laud. opiati gr. iv.
Syr. coraller. ℨvj.
M. f. Potio: S.
Vt anted.

℞. *Aquæ plantaginis,*
Portulac. an. ℥jß.
Cynnam. cydon. ℨvj.
El. diascord. Fracast. ℨij.
Crystall. præp. ℨß.
Antimonii diaphor. ℈j.
Terræ sigillat. gr. xv.
Syr. papav. albi ℥j.
M. f. *Potio* pro aliquot dosibus, S.
Potio confortans.
Vel

℞. *Aqu. Portulac.* ℥iij.
Cinnam. ℨvj.
Spiritus theriacal. camph. ℨiij.
Nitri dulc. ℨß.
Elect. diascord. Fracast. ℨij. vel ℨiij.
Antimonii diaphor. Martial. ℨß. vel ℈ij.
Syr. portulac. ℥j.
M. f. *Potio* pro aliquot dosibus: S.
Vt anted.

Capiatur cochleatim, expectando sudorem parvum.

℞. *Aqu. Menthæ* ℥iij.
Ebor. sine igne ℈ij.
Crystall. præp. ℨß.
Terræ sigillatæ ℈j.
Laud. opiati gr. iij.
Essent. opii ℨß.
Syrupi portulac. ℨvj.
M. f. *Potio*: S.
Vt anted.

℞. *Aq. portulac.* ℥iij.
Cinnam. ℨß.
Spiritus theriacal.
El. diascord. Frac. an. ℨij.
Conf. alkerm. ℨj.
Ebor. sine igne ℨß.
Syr. corall. Quercetan. ℨvj.
M. f. *Potio*: S.
Potiuncula confortativa adstringens.
Vel

℞. *Aqu. Menth.* ℥ij.
Portulac. ℥j.
Terræ sigill. ℈ij.
Crystall. præp. ℨß.
Laud. opiat. gr. vj.
Syr. Menthæ ℨß.
M. f. Potio: S.
Vt anted.

℞. *Aqu. Menth.*
Rubi idæi an. ℥jß.
Spiritus theriacal. camph. ℨiij. ad ℨvj.
Terræ sigillat. ℨj.
Corall. rub. præp. ℨß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. rubi idæi ℨvj.
M. D. S.
Vt anted.
Item

℞. *Theriac.* ℨj.
Terræ sigillat. ℈ij.
M. f. *Bolus*: S.
Bolus confortativus adstringens, pro una dosi.
Detur in cochleari aceti vini.

℞. *Theriac.* ℨj.
Terræ sigill. ℈j.
Crystall. præp. gr. xij.
Cum *syr. Menthæ* f. *Bolus*, S.
Vt anted.

℞. *Conserv. Menth.* ℨj.
Terræ sigillat.
Corall. rub. præp.
Crystall. præp. an. ℨß.
Laud. opiati gr. ij.
Cum *Syrup. corall. Quercet.* f. *Bolus*: S.
Vt anted.

℞. *Conserv. menth.* ℨiij. ad ℨß.
Crystall. præp. ℨj.
Terræ sigillat. ℨß.
Laud. opiat. gr. iij.
Cum *Syrup. menth.* vel *portulac.* f. *Electuarium* pro duabus dosibus, S.
Electuarium confortativum adstringens pro duabus dosibus.

℞. *Conf. menthæ vitriol.* vel *rosar. rub.* ℥j.
Theriac. ℨij.
Terræ sigill. ℈ij.
Cum *Syr. cydon. aromat.* f. *Electuarium*: S.
Electuarium confortativum adstringens.

℞. *Ebor. sine igne,*
Crystall. præp. an. ℨß.
Laud. opiati g. iv.
M. f. *Pulvis.*
Divide *in duas part. æqual.*
D. S.
Pulvis confortativus adstringens.

℞. *Terræ sigill.* vel *Antimonii diaphor.* ℈j.
Bezoard. solar. vel *Ioviale.* ℈ß.
Laud. opiat. gr. jß.
M. f. *Pulvis*, qui nobilis est in cholera.
Dentur duæ *doses*: S.
Vt anted, pro duabus dosibus.
Vel

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. Menthæ* ℥ij.
Cinnam.
Aceti bezoard.
Spirit. theriacal. camph. an. ℥ß.
Syr. acetos. citri vel *cydon.* q. s.
M. pro *vehiculo istorum pulverum*: S.
Potio confortans pro vehiculo pulveris.
Vel
℞. *Crystall. præp.*
Ebor. sine igne, vel *Unic. veri præp.* an. ℈j.
Boli Arm. ℈j. ad ℈ß.
Laud. opiati gr. vi.
M. f. *Pulvis* pro *aliquot dosibus*: S.
Pulvis confortans, & adstringens pro aliquot dosibus.
℞. *Aq. Menthæ* ℥iv.
Cinnam.
Essent. theriacal. an. ʒij.
Syr. corallior. ʒvj. ad ℥j.
M. D. S.
Potio pro vehiculo pulveris.

In hoc capiatur pulvis, subinde hauriatur unum vel alterum cochleare ejusdem.

Ante aliquot annos mihi occurrit studiosus, qui ex nimia compotatione incurrit in choleram, cui propinavi hunc pulverem.
℞. *Ebor. sine igne* ℈j.
Bezoard. lauial. gr. v.
Pulv. anod. confort. ℈ß.
M. pro *Pulvere*:
Quem assumebat, & cum theriaca illinebat ventriculum, & ita bene se habuit adjuncto sudore.

TIMÆUS *Von Gulden Klee* in cholera, & profluvio alvi vehementissimo, & similibus fluxibus, commendat suam *Opiatam Bezoardicam*; cujus compositio est hæc:
℞. *Theriac. Androm.* ℥ij.
Conf. de hyacinth. ℥ß.
Pulv. Bezoard. Senn. ʒij.
Misceantur.
Vid. ejus Descriptio medicamentorum singularium p. m. 422.

Quod attinet *Externa* in cholera; conveniunt quæ imprimis stomachum respiciunt, quæ inter eminet theriaca, simili ratione atque suprà in Diarrhœa laudata sunt, in specie spiritus Vini, aut aromaticus, aut camphoratus, seu largiter camphorâ imprægnatus, in specie à Vegetabilibus cordialibus & aromaticis abstractus, cui ex tempore singulis unciis ʒj. camphoræ calidè, cum linteo multiplicato ad ʒiij. præcordiis celeri manu applicetur. Hoc ipso æger, qui per quatuor noctes diesque pertinaci cholerâ suprà & infrà, etiam generosissima remedia, rejecit, curatus fuit. Conf. HEINRICUS *ab* HEER *in Observationibus*: Vel
℞. *Spiritus vini camphor.* ℥iij.
Theriac. ʒjß ad ℥iij.
M. pro *Epithemate ventriculi*: S.
Externa mixtura stomachalis.

Proficuum etiam est panis tostus vino generoso intinctus, & pulveribus aromaticis adspersus.

Rarò evenit, modò dentur interna, ut, sive in principio, sive progressu, opus sit abstersione intestinorum laxativis vel clysmatis. Si tamen opus est, ut in cholera errore imprimis diætæ enata, vel reliquiæ quædam in intestinis hærentes abstergendæ, vel continuò eædem alvum stimulantes & quasi tenesmum inferentes, removendæ sunt, imprimis si ex corruptione alimentorum in stomacho nata sit Cholera. In tali casu SYLVIUS *Praxeos l.* 1. *c.* 15. §. 29. partim pro excretione per superiora adjuvanda, partim inferiora versus promovenda, propinat vomitorium antimoniale, admisto laudano opiato: Formula hæc est:
℞. *Oxysacch. Vomitiv.* ʒij.
Laud. opiat. gr. ß vel gr. j.
Aquæ menthæ q. s.
M. f. *Haustus.*
Quo equidem propter vomitorii vim haud facilè imitari jusserim, potiùs, ut temperarem, simulque abstergerem serum lactis solum, vel cum ℥j. alterave syrupi rosati aut violarum solutivi temperatum, vel blandum Tamarindorum Decoctum cum eo paratum, imprimis si adsit nimia sitis, cùm temperet effervescentiam sanguinis, exhiberem, vel infusum blandum ex Rhabarbaro, & bolum ex eodem cum conserva rosarum, exhibendi suaderem: item pulpa tamarindorum ad ℥j. in sero lactis dissoluta non est frustranea. Applicantur etiam clysmata lenientia, cum theriaca imprimis admista, addendo ʒij. vel iij. Theriaces uni clysmati ad imitationem RIVERII, qui subindè suis clysteribus admiscet theriacam non absque fructu; nempè Clysteribus ex lacte addit theriacam ad ʒij. & ʒiij. interdum ad ℥ß: vid. RIVERIUS *l.* 3. *Observ.* 78. ubi casum choleræ periculosum habet. Loco theriacæ interdum permiscetur electuarium diascordii, quod similis ferè est usus.

Si cholera sit *à remedio purgante*, ut exinde oriatur *hypercatharsis*, tunc vel solum sufficit laudanum opiatum, quod in quacunque hypercatharsi est præsentissimum remedium, si cum vino bibatur. In *Diarrhœa post usum vini emetici* pertinaci, cum successu præscripsi:
℞. *Essent. theriacal.* ʒij.
Opii ʒß ad ʒj.
Mista propinabatur ad gutt. 40. bis vel ter in die. Uti etiam notum est, quod theriaca à ʒj. ad ʒij. ac theriacalia ratione opii præ cæteris in quacunque hypercatharsi conveniant, in haustu vini generosi calidi, aut absinthitis assumptam, sicut RIVERIUS *Cent.* 2. *obs.* 19. habet observationem de cholera ex superpurgatione admodum periculosa, propinatis gr. vj. laudani opiati exoptatè curata. Similiter idem RIVERIUS curavit senem 70. annorum, propinando interdum Decoctum plantaginis & portulacæ, de quo superiùs, cum syrupo cydoniorum & electuario diascordii ac confectione alchermes, singulis noctibus exhibendo granum j. vel ij. laudani opiati. Facit quoque *Cent.* 3. *obser.* 78. mentionem choleræ cum tertiana febre malignæ: casus fuit admodum periculosus, qui tamen fuit curatus præscripto clysmate ex *jusculo* cum *confectione Alchermes* ad ʒiij. & *theriacæ rec.* ʒj., quo subitò vomitus & alvus suppressa fuit: deindè ad præcautionem semper duabus horis ante paroxysmum gr. ij. *laudani opiati* propinavit, & sic præservavit, & curavit. Simile exemplum habebitis in *Obs.* 4. *communicata* à PACHEQUO.

Plura huc conferri possunt, quæ dixi *suprà artic.* 1. *de Diarrhœa*.

ARTICULUS III.
DE
LIENTERIA.

Ad alvi fluxus auctos pertinet etiam *Lienteria*, l. e *intestinorum levitas* seu *Diarrhœa assumptorum*, quæ est, quando assumpta omnia, prout fuere ingesta, per alvum egeruntur: aut est talis alvi fluxus, in quo parum aut leviter aut omninò non immutata, per alvum egeruntur assumpta, ita ut tunc referant exactè proprietates suas omnes.

PARS AFFECTA.

Pars affecta primaria est ipse stomachus, maximè pylorus. Revoco in memoriam hîc, quod rectè pylorus ab HELMONTIO dicatur *Rector*; si enim pylori orificium non ritè clauditur, dilabuntur alimenta ex stomacho, & tunc supervenit Lienteria; quia non ad debitum tempus persistunt in stomacho. Cùm verò in naturali statu ad legitimam digestionem requiratur, ut fermentum digestivum debitè dissolvat & alteret alimenta, ut stomachus convenienter eadem retineat, sanè ex contraria causa necessariò oritur Lienteria.

CAUSÆ.

Causæ ergò Lienteriæ sunt investigandæ vel in fermento stomachali non digerente, vel in pyloro non retinente. Nempè

1. Succus stomachi fermentativus, aut omninò deficiens, aut iners, aut ex retentis variis impeditus, Lienteriam efficit.
2. Quando pylori tanta est laxitas, & è contrà reliquarum stomachi partium tanta irritatio, ita ut non debitè retineat, quin potiùs assumpta per pylorum dilabantur quàm reverà excernantur, etiam Lienteria oriri solet: idque, uti dixi, in specie, quando cum hac pylori laxitate vel levissi-

ma conjungatur stomachi irritatio aut molestia.

Prior Lienteria vulgò dicitur oriri à facultate concoctrice læsa: *Posterior* verò à retentrice labefactata & expultrice irritata. *Causa* ergò *proxima* est fermentum stomachi digestivum labefactatum, aut iners, aut deficiens, cui accedit stomachus præternaturaliter irritatus, & pylorus laxatus, ita ut sic assumpta ad sufficientem usque dissolutionem retinere nequeat, sed per alvum promoveantur. Sola enim laxitas pylori vix videtur adæquata causa, nisi accedat simul hujus & reliquarum partium ventriculi irritatio, quatenùs pylorus non ex inferiore ventriculi parte, sed hujus eminentiore loco prodit.

Ad has causas proximas collimant cæteræ remotæ, ventriculum & pylorum ad irritationem & laxationem disponentes. Illustrant hoc observationes Autorum. Sic FORESTUS *lib.20. Observ.29. & 30.* Lienteriam observat admodum contumacem, ortam ex ulcere ventriculi. In hoc enim ulcere non tantùm fuit notabilis alteratio succi fermentativi stomachi à pure acri salso, & ob id imminuta digestio, sed præterea etiam stomachus ab ulcere doloroso continuò irritatus quælibet assumpta sui contractione mox deinde ejecit: curatum tamen fuit hoc ulcus & per consequens etiam Lienteria (1) abstergendo & mundificando per aquam mulsam; item per decoctum hordei cum melle rosaceo: postmodum (2) consolidando cum decocto radicis symphyti majoris cum terra Lemnia vel alia sigillata propinata, vel cum lacte vaccino, item pulvere equiseti. Sic Lienteriam ex irritatione stomachi ab acriore humore in eodem retentò ortam, GABELCHOVERUS *Cent.2. Observ.47.* observavit, dum refert exemplum cujusdam, qui borborygmis & debilitate stomachi non nihil affectus, omnia potulenta in ea forma, quæ assumpsit, per alvum denuò egessit: Curatus tamen fuit per abstergentia & temperantia, imprimis serum lactis.

Porrò inter remotas Causas crebrior & nimius potus etiam subindè ad Lienteriam disponit, idque propter relaxationem nimiam stomachi, præsertim pylori, oriundam: hujus enim fibræ relaxatæ non possunt sufficienter se constringere, & propterea succedit Lienteria seu alimentorum crudorum egestio. AMATUS LUSITANUS *Cent.6 Cur.7.* lac, prout desumptum, ejectum observavit, quam lienteriam ex nimio muco in ventriculo putat, & per oxymel cum speciebus hieræ picræ & rhabarbaro curavit. Sic THEODATUS *in Valetud. p.28.* puellam nimis siticulosam & bibulam ex nutrice bibula lienteriâ affectam ex relaxato pyloro in hoc malum incidisse refert. Denique Scorbutus non rarò secum conjunctam habet Lienteriam, primùm observante BARBETTE *in Praxi*; cùm tamen continuò in Praxi occurrat, ut excrementa à talibus assumpta, sicut fuerunt ingesta excernantur. Malum est difficile & admodum contumax in scorbuticis, & originem ducere videtur ex irritatione stomachi ex sale acri scorbutico, tàm per membranam stomachi glandulosam, eò delato, quàm cum saliva deglutito: cùm enim gingivæ scorbuticorum, non rarò laborent ulceribus, saliva in stomachum descendens non potest non molestiam contrahere eidem; & cùm alimenta, dum masticantur, hâc ipsâ salivâ impraegnentur, tunc stomachus ad præmaturam excretionem stimulatur, ut non possint diutiùs retineri, sed vel levissimâ laxatione pylori denuò ejiciuntur. Sicut acriùs irritatus stomachus infert vomitum, aut vesica urinaria ab urinæ acrimonia, calculo, aut ulcere vellicata, frequentem micturitionem seu stranguriam; sic certa quædam venena lienteriam excitare solent; membranæ enim ventriculi hujusque fibrarum transversarum contractione, alimenta expelluntur, quæ diutiùs morari conveniebat: vid. MOLINETTI *Exercit. anatomico pathol. l.2. c.4. pag.281.* Tandem ab errore externo, & assumptis fructibus horæis, interdum periculosa evenit Lienteria, in quo observatum est, quod potus parum immutatus redditus fuerit, quæ sæpè est lethalis; innuit enim fermentum stomachi planè deletum ab ipsis assumptis, diarrhœam excitantibus.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*; res est aperta.

Ut autem causas ejus distinguamus, notandum, quod in illa, quæ ex digestione stomachi debiliore oritur, semper sit halitus fœtidus & acidus, appetitus dejectus, flatus stomachi, murmura abdominis, & similia.

Quæ à laxitate pylori, ex causis antecedentibus, & proximarum reliquarum denegatione colligitur.

Quæ verò ab irritatione, ex mordicatione, rosione & ardore ventriculi, & acrium per superiora ac inferiora rejectione dijudicatur: quibus accedunt acrimoniæ scorbuticæ, similiave in toto signa.

PROGNOSIS.

Prognosin quod concernit:

Lienteria scorbutica est malum periculosum, difficilis curationis, & facilè recidivans: imò si graviores morbos excipiat, utplurimum lethalis evadit: vid. BARBETTE *Prax. l.4. c.3. §.6.*

Lienteria periculosa est in prægnantibus.

Lienteria diù durans, uti tandem atrophiam & tabem, ita summam virium prostrationem necessariò comitem habet; ut taceam, ad Cachexiam quoque successivè eandem disponere.

Lienteria, quæ gravioribus supervenit morbis, sive acutis, in specie in febribus ardentibus & malignis, sive chronicis, est periculosa, & similiter lentâ tabe ægrum interficit, quia difficulter curatur propter virium insignem dejectionem, quæ tamen deberent restaurari per assumpta.

CURA.

In *Cura* observandum:

1. Stomachum esse roborandum, & tàm aromaticis quàm moderatè acidis blandè adstringendum, ut ita fermenti stomachalis vigor redire queat, & pylori fibrarum laxitas restituatur: adeoque pro hoc scopo conveniunt omnia illa, quæ tàm in anorexia quàm apepsia fuerunt insinuata.
2. Irritationem in stomacho maturè esse sistendam, tollendo acrimoniam humorum quorumcunque, in specie salsorum, & sopiendo ventriculi sensum: adeoque pro hoc scopo, quæ in vomitu, cholera, aut diarrhœa fuerunt laudata, locum invenient.

Pro quibus scopis feliciùs obtinendis, notandum est:

I. Quod in præsentia excrementorum ventriculi pituitosorum vel similium, conveniant quidem vomitoria, eadem tamen admodum lenia. Fortiora enim vel quantitate vel qualitate, in specie oleositate nimiâ infesta, quæ, veteribus fuerunt in usu, tonum ventriculi facillimè destruunt, aut certè malum irritant. Quod si minus purgatio per superiora locum habeat, fiat levis evacuatio per inferiora; blandior nempè, & quæ præter vim absterfivo-laxativam simum nonnihil adstringit, & stomachum roborat: uti sunt aloetica, Rhabarbarum, panacea stomachi, Myrobalani, &c.

II. Si metus vel suspicio veneni adsit, ordinaria methodus relinquenda, & hoc per convenientem viam evacuandum, iisque per alexipharmaca, aut veneno per specifica, resistendum. Quod pariter observandum est, si Lienteria ex fungis vel aliis fructibus horæis copiosiùs assumptis, & facilè corruptibilibus, similibusq; occasionibus externis contracta fuerit, ubi appropriatis alexipharmacis obviã eatur.

III. Cavendum est juxta FORESTUM *l.22 Observ. 22.* in hoc fluxu à fortioribus purgantibus, uti etiam à magna eorum dosi, adeòque, quantum possibile, cum iis procedendum, quæ aliqualem adstrictionem alvi participant; utut in principio, præsentibus recrementis fortiùs irritantibus, non statim ad ea procedere debeamus, quæ fluxum adstringunt. Convenit ergò inter laxativa Rhabarbarum cum Vino: Sic HELIDÆUS PADUANUS *in Observ. p.126.* puerum trium annorum, gravi Lienteriâ affectum, curavit per ℈j. Rhabarbari cum succo cydoniorum vel vino ante cœnam exhibiti: Adduut etiam species hieræ picræ: pilulæ pariter mastichinæ conveniunt hoc in passu, quæ ex blandis Purgantibus, stomachicis ac aromaticis sunt compositæ, ad gr.xv. vel ℈ j. tutò possunt ordinari; item pilulæ aloeticæ.

Medicamenta ergò, quæ ad Lienteriam conveniunt, quòd attinet, ferè sunt eadem, quæ suprà ad vomitum fuere laudata, iisdem simul observatis cautelis, suntque omnia stomachica blandè acida, & aromatica: qualia sunt v. g. Absinthium, Mentha, uti etiam salvia, cinnamomum, in specie cydonia & omnia cydoniata, mespila condita, nux Moschata, & macis, galanga, Zingiber, item Corallia, solutiones & syrupus coralliorum Quercetani:

undè

unde refert FABER *in Cur.65.* de Lienteria, præmissâ purgatione, curata aquâ cinnamomi & syrupo coralliorum. Hinc coralliata, & speciatim paulò elegantiores tincturæ Coralliorum, maximè sassafrata, in aqua vel spiritu cinnamomi propinatæ, conveniunt insigniter in Lienteria, cùm ratione participationis substantiæ coralliorum acre quodvè temperent, & ratione menstrui stomacho utplurimùm gratæ sint. *Harum tamen præparatio* admodum variat: non inutilis est modus pro hoc scopo, quando corallia solvuntur in succo citri: solutioni filtratæ, & inspissatæ ad consistentiam rob, postmodum affunditur menstruum debitum, & extrahitur tinctura: quod menstruum est nunc spiritus antiscorbuticus compositus in tinctura *coralliorum antiscorbutica*, quæ erit conveniens in lienteria scorbutica, nunc extrahitur cum spiritu rosarum ambrato ad reficiendas vires imbecilles, tàm ex senio quàm ex Venere, nunc affunditur essentia aut spiritus ligni sassafras, atque tinctura *coralliorum sassafrata*, in lienteria egregia, & qui sunt alii modi. In Lienteria scorbutica, uti dico, convenit tinctura coralliorum antiscorbutica, quia utrique scopo succurrit. Corallia possunt etiam in succo limonum solvi: de qua solutione capiatur cochlear, & est egregia. Præterea convenit Zingiber in India conditum, uti & nux moschata in India condita, item myrobalani conditæ; potenter enim adstringunt. Elixyr proprietatis, tàm commune legitimè paratũ, tam sine acido, non est inelegans. Alumen etiã legitimè applicatum aliis irritis valet in quacunque viscerum laxitate, & à PETRÆO *in diss. Harmonica* laudatur ceu singulare, & præsentissimum remedium in hoc affectu, pulvere tenus cum aliis in liquida aut sicca forma; Mistura supra in Vomitu commendata, & hic notanda. Optimum est Alumẽ dulcificatũ: de quo videantur *Scripta* POTERII, & DARIOTTI *im guldenen Chymischem Schabtdstlein*. Dicit etiam quod pudenda seu priapus cervi & tauri insigniter conveniant, si pulverisata à ℥ ß. ad ℥ j. in vino medicato propinentur. Vinum quoque absinthites Chalybeatum convenit, aut Vinum insusionis absinthii, melissæ, pulegii, menthæ &c., legitimo usu erit proficuum. FORESTUS *l.22.Obs.28.* refert lienteriam desperatam, ex qua orta macies, curatam aliis irritis hoc remedio: exhibuit nempè vitellum ovi pulvere nucis moschatæ unius inspersso, super tegulam ignitam seu calefactam assatum, quo ipso fluxus desiit, & æger probè convaluit: unde loco hujus euporiston HELMONTII ad Diarrhœam ex vitello ovi unico vel duobus ad duritiem coctis, cum pulvere nucis moschatæ & aceto rosaceo etiã locum inveniet, cujus usum felicem & ego in diarrhœis observavi. Tandem succus citri, cydoniorum &c., cum aqua cinnamomi, miva etiam cydoniorum aromatica cum pauca terra sigillata mista, & hinc leviter aliquot guttis spiritus vitrioli irrorata, similiter laudatur: item conserva Rosarum vitriolata cum terra sigillata vel cum theriaca mixta, lienterias curant.

Quæ Irritationis sensum tollunt, sunt theriaca & theriacalia, laudanum opiatum & omnia opiata, item Electuarium Diascordii Fracastorii. Ex his facile est plura componere. Facit huc imprimis *Electuarium Sennerti n.1. in sua Praxi, ubi de Lienteria pag.295.* quod est expertum. Vel

℞. *Conserv. menth.* vel *Rosar. probè vitriolat.* ℥ iij.
Theriac. opt. vel loco hujus *Diascord. Fracastor.* ℥ j ß. ℥ ij. vel ℥ iij.
Ol. destil. menthæ gutt. vj.
Cinnam. gutt. iij. vel iv.
Cum *Miva cydoniorum aromatisata* aut *succo cyd.* f. *Electuarium*:

Cui etiam potest addi *terra sigillata* vel alia similis à ℈ ij. ad ℥ j. pro lubitu, S.

Electuarium confortans stomachum.

De hoc detur crebrò portio nucis juglandis vel castaneæ ad instar, donec Lienteria cesset: & simili formâ, ex AMATO LUSITANO desumptâ RIVERIUS feliciter est usus: vid. *Pr. Med. l.10 c.4.* AMATUS autem LUSITANUS *l.2.c.56.* hoc solo senem lientericum curavit. Panis biscoctus in spiritu vini maceratus, & hinc theriacâ illitus & comestus, etiam convenit in Lienteria. Aliquando cuidam in lienteria scorbutica præscripsi sequens Electuarium:

℞. *Corall. rub. præp.* ℥ j.
Terr. sigillat.
Lapill. Cancr. præp. an. ℈ j. vel ℥ ß.
Ammon. gr. xv. ad ℈ j.
Galang.
Zingiber.
Cubebar. an. ℈ ß.
Miva Cydonior. aromatis.
Succi Cydon. ana q. s. f. *Electuarium molle*:
D. S.
Electuarium stomachale.

De quo pro temperanda acrimonia irritante scorbutica, & inde nata corrigenda lienteria, medietatem cochlearis sumebat æger, & convalescebat. Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℥ ij.
Corall. rub. præp.
Antimonii diaphor. an. ℈ ij.
Salis vol. Corn. Cerv. ℈ j.
Olei destill. macis,
Menthæ an. gutt. vj.
M. f. *Pulvis.*
Dosis ℥ j. manè & vesperi.

His etiam laudanum opiatum addi potest.

Denique spiritus mastiches, decoctum mastichis cum aliis mixtum, eius spiritus acidulus, syrupus mastichinus TIMÆI *Von Guldenklee*, quem *in Epist. pag.456.* describit, cum oleo destillato menthæ & cinnamomi, & omnia similia in vomitu usitata, optimè hic conducunt. Præter comunia adstringentia, ut sunt Mastix, terra sigillata, tunica interna stomachi gallinacei &c., commendatur præ cæteris coagulum leporis & hædi siccatum & ad ℥ j. propinatum. De aliis adstringentibus, spiritu salis, liquore styptico, ceu notis, non est ut multa dicam. Observandum saltem, an magis tonus stomachi roborandus appropriatis adstringentibus? an magis acre vellicans abstergendum & temperandum?

Externè in laxitate stomachi, ut debitus ejus tonus restituatur, convenit sacculus sequens pro Fotu:

℞: *Com. absinth.*
Herb. menthæ an. M. j.
Flor. Chamomill.
Rosar. rub. an. M ß.
Mastich. ℥ ij. vel ℥ iij.
Caryophyll.
Nuc. Moschat. an. ℥ j.
Zedoar.
Zingib. an. ℥ ß ad ℥ j.

Includantur *sacculo interpassando*, qui in *vino* coctus vel maceratus tepidè ventriculo admoveatur, & subindè repetatur.

℞. *Com. absinth.*
Herb. major.
Menthæ an. M. j.
Chamom. cum flor. M. iv.
Mastich. ℥ iij.
Caryophyll.
Nuc. Moschat. an. ℥ j ß.
Zedoar.
Zingib. an. ℥ j.
Sacculo interpassato inclusa S.
Sacculus pro stomacho.

Ebulliat in vino, & crebrò applicetur stomacho. Qui si non suffecerit, plura externa applicanda, *suprà in appetitu prostrato, Chylificatione læsa*, & *vomitu* laudata. Cataplasma ex fermento & pulveribus aromaticis *suprà in vomitum laudatum*, hic & in quibuscunque affectibus stomachi maximè locum habet: Formulam quoque videre potestis in *Colleg. Ionstoniano* MICHAELIS: sicut & Emplastrum stomachale de laudano Cratonis, vel solum, vel mistum unà cum tacamahaca & balsamo Peruviano, de *quo superiùs*, egregium est contra lienteriam. RULANDUS recipit solùm micam panis, eamque aceto imprægnatam regioni stomachi non absque successu applicat.

ARTICULUS IV.

DE

COELIACA.

Lienteriam excipit *Cœliacus fluxus* sive *Chylosa alvi excretio*, quando nempè alimenta assumpta quidem digeruntur in stomacho, sed digesta sub forma chylosa cum excrementis unà per alvum excernuntur; quam tamen RIVERIUS lienteriæ saltem gradû remissiorem credit.

Duplex hujus Cœliacæ, annotante SYLVIO *Pr. l.1. c.13. §.3. & 4.* fiendi est *modus*.

1. Quando Chylus non secernitur à fæcibus alvinis in intestinis, sed simpliciter, prout ex stomacho solet dilabi, fine alteratione foras emittitur, cum debilitate ægri & insigni languore virium; unde excreta grisea, plus minus albicantia Chylosa invicem permista apparere solent.
2. Quando fit quidem secretio chyli ab excrementis, cæterùm propter defectum distributionis chyli hic quidem secretus, tandem cum excrementis confusus nihilominus excernitur.

Prior passionis cœliacæ species, quãdo scil. nulla secretio chymi ab excrementis contingit, fit vitio bilis, quando nempè bilis ad intestina non defertur, ut ibidem possit instituere secretionem istam, h. e. quando bilis in intestinis deficit, quod fit in icteri ista specie, in qua obstructus est porus cholodochus: nam solus succus pancreaticus non potest perficere chylum, aut debitam secretionem instituere fine bile, in qua maximum momentum situm est: aut deferatur licèt bilis ad intestina, si tamen hæc est iners, & in sua crasi vitiata, i. e. non sufficienter salina acris, sed potiùs tantummodò oleosa ac nimis pinguis, aut potiùs nimis serosa vel aquea, tunc similiter nulla excrementorum à chymo nutritivo potest fieri separatio, hujusvè debita perfectio; undè vel cœlici fluxus species emergit.

Posterior Cœliacæ species fit, quando patentibus ductibus, cholodocho & pancreatico, fit quidem secretio Chyli, sed nulla distributio, quia obstructa aut infarcta sunt orificia vasorum lacteorum in intestina hiantium, & muco obsita, undè non potest eadem subintrare chymus nutritivus, adeòque propterea excrementa cum chymo nutritivo excernuntur.

CAUSÆ.

Causa proxima prioris est obstructio vel infarctus dictorum ductuum, sive à calculo sive à muco, sive ab alia re: Cæterum notum, chylum perfectionem ultimam accipere in duodeno, accedente fermento felleo, quo obstructo, nulla fit separatio chyli à recrementis, undè chylus crudus.

Causa proxima posterioris est obstructio vel infarctio vasorum in intestina tenuia hiantium: nam licèt fiat separatio recrementorum à chylo, per peristroma tamen istud intestinis incumbens, per quod tanquam per filtrum cribratur aut transcolatur chymus nutritius, si incrustatum sit mucagine viscida ac tenaci, dicta orificiola simul infarciente, non potest admittere succum chylosum nutritium, atque propterea confusa excrementa cum chymo nutritio excernuntur.

In his autem celiacis fluxibus ventriculus utplurimum est salvus, quia chylus perfectus excernitur: uti hoc observant TRAMBESARIUS *in Consf.1. l.5.* Interdum enim fit legitimè digestio prima, licèt secunda vitietur: sicut taliter affecti non rarò insignem habent appetitum, quod observat FORESTUS *l.22. Observ.26.* in muliere, in qua appetitus adhuc fuit salvus. Interim tamen hoc non universaliter adeò asserendum, quin nunc magis nunc minus salvus videatur: id quod docet curiosa *observatio 76.* M. A. N. C. *Ann 4. & 5. pag.63.*, ubi quidam post cujuslibet generis carnium esum fluxum chylosum patiebatur: In hac nempè carnes, quia non benè in chylum perfectum digerendo transmutabantur, sed probabiliter nidoroso sapore corrumpebantur, etiam indè factus chylus separationi ac perfectioni ulteriori in intestinis ineptus, fluxum chylosum concitabat. A piscibus nihilominus etiam durioribus, tàm recentioribus quàm salitis & fumo induratis, non idem patiebatur, quia sine dubio ventriculi fermento magis appropriati, & hinc meliùs digesti fuerunt. Vitium ergò totum fluxus celiaci est vel in ipso chylo malè digesto, adeòque inepto subeundæ alterationi bilis, vel in ipsa bile non secernente, vel in poris intestinorum non admittentibus chylum.

Causa remota est omne id, quod folliculum felleum aut cholodochum obstructum, aut mucum copiosum in intestinis facit. Si orificia vasorum lacteorum aut à muco viscido obstruuntur, e. g. in infantibus aut senibus, quibus malum hoc satis frequens est; aut à coalitu & cicatrice intestinorum post diuturnos alvi fluxus, præsertim dysentericos, hinc membranæ intestinorum interioris erosionem, constipantur: quale quid illi, qui per Indiam Orientalem, iter faciunt, ob dysenterias locis illis familiares, sæpiùs experiuntur. Huc etiam pertinet glandularum mesenterii obstructiones ac dispositio scirrhosa, à quibus fluxum cœliacum ortum esse, diversæ autorum Observationes testantur; ver. gr. DIEMERBROCCIUS *Anat. l.1. cap.8.*, M. A. N. C. *Ann.2. Obser.152.*, & RIVERIUS *l.10. cap.4.*

DIAGNOSIS.

Signa distinctiva, seu quibus distinguere possumus, à qua causa oriatur fluxus celiacus, sunt facillima. Nam ubi deficit bilis, ejusvè actio, excreta per alvum omninò sunt albicantia vel grisea, aut saltem pallida; item omnia invicem sunt permista, nec ullum cujusdam pa... vestigium secretionis: Vbi verò obstructa sunt orificia vasorum lacteorum, tunc excreta sunt tincta bile, flavescunt nonnihil, & sic porrò; & præterea chymus talis cum excrementis hinc inde confusus tantùm apparet, ita ut certa quædam differentia Chymi nutritivi & recrementosum in excretione conspicua sit.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: malum est satis grave, si diutiùs duret, quo æger vel maciem vel atrophiam incurrit, & tandem ad lethalem tabem perducitur; quamvis fluxus celiaci alia species citiùs, alia tardiùs ac difficiliùs curetur: ver. gr. quæ ab humorum visciditate difficiliùs sanatur, quàm quæ à bilis affluxu denegato, nisi forsan hujus causa fuerit malum difficulter mobile, v. g. calculus, meatum cholodochum obstruens.

Imò incurabilis est illa, quæ à cicatrice intestinorum, & coalitu osculorum vasorum lacteorum, glandulisvè mesenterii induratis oritur.

CURA.

In *Cura primæ speciei* cœliaci fluxus folliculus felleus obstructus, aut causa ista obstruens removeatur illis, de quibus *infrà de ictero* dicetur. Imprimis acuenda est bilis iis, quæ sale volatili acri & oleoso constant, adeòque plus minus amara sunt, seligendo imprimis stomacho simul grata vel accepta: nam bilis debitâ salsedine prædita non permittit obstrui suum ductum. Quando ergò obstruitur, est inertia bilis ejusque deficiens acrimonia salina. In *secunda specie* abstergendus est mucus adhærens parietibus intestinorum, aut removenda quæcunque impedimenta, chyli distributionem inhibentia.

Utrique scopo satisfaciunt simplicia vel aromatica, vel blandiora, vel acriora intensè amaricantia, bilem & ejusdem acrimoniam augmentantia, ductusque cholodochi & vasorum lacteorum obstructiones resolventia. Primarium est absinthium, mentha, agrimonia, capillus veneris, carduus benedictus, radices quinque aperientes dictæ, radices Cichorii, cujus amaror nitrosus egregiè in specie convenit, intestina abstergit; & in genere omnia amaricantia. Novi celiacum, tantùm cum solo vino absinthite fuisse curatum. Item convenit rhabarbarum, fœniculum, radix rubiæ tinctorum, semen anisi, fœniculi, imprimis ciceres rubri, quorum Decoctum à quibusdam insignitur commendatur: gummata sæpiùs laudata, mucum viscidum, vasa lactea obstruentem, resolventia, in specie gummi ammoniacum, & mixturæ ex his conflatæ, item pilulæ ex his gummatibus conveniunt. Gummata hæc destillata suggerunt spiritum acidum volatilem, in hoc casu optimum, maximè si conjungatur cum ærugine, & destilletur spiritus viridis æris *compositus*, sive componatur viride æris cum parte dimidia foliis gummi ammoniaci, seu addatur unà sulphur: sic destillando per arenam ex retort. prodit spiritus acidus volatilis, qui ad mucum dissolvendum est optimus: de quo *postmodum, ubi de asthmate*. Veteribus in usu fuit in tali casu, ubi resolvenda & abstergenda pituita, oxymel tàm simplex quàm scylliticum, cum aqua vitæ juniperina: loco horum utimur potiùs dicto *spiritu viridis æris composito*, dicto *asthmatico*.

Remoto muco, subministranda sunt salia alcalia mucum abstergentia, & orificia vasorum lacteorum infarcta optimè

optimè reserantia: ideò convenit Tinctura tartari, tàm vulgaris, quàm Tinctura scoriarum reguli antimonii ob alcali tartari & nitri, quod imbibit spiritus vini in tali Tinctura: item tinctura tartari composita locum inveniet; hæ enim tincturæ, sale alcali impraegnatæ, aperiunt, bilem acuunt, & pluribus intentionibus satisfaciunt. Convenit etiam tinctura martis pomata, liquor terræ foliatæ tartari, uti cum & ex eo parata tinctura vitrioli martis Zvelfferi, aliæque essentiæ martiales apertivæ cum menstruis temperatis non nimis acidis paratæ. Quibus tandem salia volatilia omnia ad meliorem penetrationem commodè possunt administrari; spiritus salis ammoniaci, vel simplex vel oleosus factus additis aromaticis, vel per se, vel cum spiritu cochleariæ mistus, spiritus urinæ, spiritus *carminativus de tribus*, cujus *suprà feci mentionem*, ex tartaro, nitro, & spiritu vini, ad gutt. 20. vel 30. in aqua menthæ vel alia appropriata, aut haustu vini absinthitis usurpatus, spiritus tartari volatilis per fermentationem, sive cohobationem à sale fixo, de quo videatur TACHENIUS; & similia volatilia aromatica, bilem acriorem reddentia, & visciditates intestinorum abstergentia, cum spiritu cochleariæ, nasturtii, &c. mista. Quidam commendant adstringentia, sed non conveniunt, potiùs malum exasperant. FRAMBESARIUS *loc. supr. cit.* ceu specificum commendat pendendum sive priapum cervi.

Quod attinet externa in cœliaca: parum aut nihil operantur, nisi concurrat vitium ventriculi in Chylificatione læsa, in quo casu applicari possunt, quæ *suo loco dicta*.

CAPUT III.

DE

EXPULSIONE CONTENTORUM ALVI DEPRAVATA.

ARTICULUS PRIMUS.

DE

DYSENTERIA.

NOn rarò depravatur alvi fluxus in excretionibus dolorosis, quando præter Chylum aut similia ex alvo ejicitur sanguis, æquè ac pus seu sanies, cum ventris dolore ac torminibus, quas inter primatum ducit *Diarrhœa cruenta*, aut secundùm legitimum veterum usum dicta *Dysenteria*.

In genere quicunque alvi cruentus fluxus secundùm Veteres, Hippocratem, & coætaneos aut successores ejus, Dysenteria appellari solet, solis hœmorrhoidibus exceptis, quibus adhuc stat sua authoritas: undè in hoc generali sensu apud Veteres *tres* sunt *gradus* sive potiùs *differentiæ Dysenteriarum*.

I. *Prima differentia* est, quando sine intestinorum vitio, motu & impetu naturæ, ex quacunque causa sanguis bonus in toto corpore abundans ex venarum orificiis in intestinis apertis effunditur, & per alvum excernitur: differens saltem loco effluxus ab hœmorrhoidibus, in quibus saltem venæ ani aperiuntur; in hac verò dysenteria etiam reliquæ ad superiora intestina secundùm totam eorum longitudinem, perque omnes eorum anfractus, distributæ. Talis dysenteria interdum evenire solet iis, quibus aut membrum aliquod amputatum fuit, e. g. pes, brachium &c., tunc enim non potest non abundare sanguis in toto corpore: quale exemplum refert HILDANUS *in Obs. Cent.* 2. de juvene, cui duæ tibiæ amputatæ fuerunt, qui post curam dysenteriâ lethali fuit correptus: aut in quibus solennes evacuationes sanguinis suppressæ in quibusdam locis, sanguis per alvum sibi viam quærit, v.g. mulieribus, quibus supprimuntur Menses; tunc enim non rarò fit Diarrhœa cruenta. Non rarò talis diarrhœa cruenta supervenit hominibus spleneticis aut Melancholicis, item quibus vomitus cruentus, etiam interdum talis diarrhœa cruenta familiaris est: Pertinent huc dysenteriæ notæ scorbuticorum, de quibus vid. HORSTIUS *in suis Obs.* 17. *Obs.* 35. *p.* 393. dum scorbutici sæpiùs sanguinem excreverunt, qui neque hæmorrhoidalis, neque diarrhœa genuina fuit, ed diarrhœa nota ex anastomosi vasorum in intestinis orta. Sic pariter ex ulcere mesenterii interdum diarrhœa cruenta oriri solet: talis sanguinis excretio item est usitata iis, qui laborant, utut rarò, ulcere pancreatis; quale Sylvius in Pr. observavit, quod ulcus apertum interdum pus, interdum autem non parum sanguinis effudit. Pertinent huc etiam Dysenteriæ criticæ singulares: de quibus vide Rhodius in sui Observationibus, quales nullus Autorum unquam observavit.

II. *Secunda species dysenteriæ* seu fluxus alvi cruenti est iste fluxus, quo sanguis tenuis & aquosus, & loturæ carnium similis, uti appellant, sine dolore excernitur, quod propter hepatis imbecillitatem fieri dicitur, & aliàs *Fluxus Hepaticus* appellatur; quia falsò præsupponunt oriri vitio hepatis non ritè sanguificantis; sicuti hoc nomen ipsi omnes Veteres tribuunt, utut hepar in se sit insons. Tacebo jam de hoc; est enim reverà nil aliud, quàm apertio vasorum internorum sive superiorum hæmorrhoidalium.

III. *Tertia species dysenteriæ* est, quando ob vitium intestinorum spasmodicum cum insignibus torminibus, & cùm muco albescente, hinc cum purulenta materia, sanguis ejicitur, quę tertia species κατ' ἐξοχὴν dysenteria dicitur, prout hodiè id nominis venit; estque nil aliud, quàm *Diarrhœa cruenta torminosa*, sicuti reliquæ diarrhœæ cruentæ ferè semper sunt absque torminibus.

PARS AFFECTA.

Pars affecta in dysenteria sunt intestina, nunc crassa: vid. SPIGELIUS *anatom. p.* 179. PANAROLLUS *Pentec.* 1. *Obs.* 9. & BARTHOLINUS *Cent.* 6. *Histor.* 2.; nunc tenuia, quod præsertim sectiones cadaverum, quales BARBETTE P. *l.* 4. *c.* 5. & M. A. N. C. *Ann.* 3 *Obs.* 116. testantur, disparitas quædam signorum, de qua *in Diagnosi* dicetur, credere jubet: nunc conjunctim, quod HORSTIUS *l.* 4. *Obs.* 20. docet; quatenus scilicet ab Objecto vellicantur, irritantur, & spiritus insitus incandescit. Læduntur autem intestina, si ab objecto sensili vellicantur & irritantur, & tandem fit, ut talia pathemata sequantur.

CAUSÆ.

Causa dysenteriæ est vel *efficiens proxima formalis*, vel *materialis*, sive *occasionalis*: *Illa* est spiritus influus, sed occasione dolorosâ ad præternaturalem impetum provocatus, & dolorum torminosorum & excrementorum, sanguinis ac muci, profusionis primus artifex.

Sed misso hoc, ceu causa universali, *causa* imprimis particularis seu *occasionalis* irritationis talis consideranda venit. Hoc est acre quodcunque internum, pertinaciter intestinis adhærens, eaque in tantum continuò vellicans, & stimulans, ut propter irritationem continuam tandem sanguis effluat, idque cum insigni dolore: ab acri objecto enim intestina membranosa vellicata & puncta se contrahunt, undè tormina, cum ad locum læsum fiat uberior sanguinis affluxus, & per læsionem vasa aperiantur, & sanguis profundatur: e. g. qui acrioribus sternutatoribus utuntur, post crebram sternutationem sanguinem emungunt. Optimè fiendi modum dysenteriæ ostendit hypercatharsis, quòd purgantibus acribus, v. g. antimonio, propinatis violenta fiat vellicatio, quâ intestina spasmo afficiuntur, & sic hypercatharsis cruenta supervenit.

Acre autem hoc in specie est acidum membranis intestinorum nervisque inimicissimum: undè v. g. mulieres hystericæ, acrioribus, acidis & erodentibus succis turgidæ, & quæ aliàs vel systema nervorum sensibilius obtinent, aut affectibus intestinorum spasmodicis obnoxiæ sunt, mediocribus etiam purgantibus facilè graves dysenterias incurrunt, quatenus intestina à purgantibus fortiùs vellicata, & ab acido acri excoriata & erosa, cum gravissimis torminibus sanguinem fundunt: unde quodcunque acre fortiùs intestina vellicans, simulque plus minus sanguinem & reliquos inde derivatos succos exagitans, facilè Dysenteriam excitare potest. Novi bina exempla in hystericis, quæ habuerunt systema nervosum intestinorum sensibile, quòd gravem dysenteriam incurrerint.

Porrò, ratione hujus causæ materialis distinguenda est ante omnia *dysenteria*, dum alia est *benigna*, vel *maligna*: *Benigna* utplurimum sine febre est, item sine contagio, & tantùm sporadicè seu sparsim quosdam saltem homines in hoc vel isto loco affligit. *Maligna* verò Dysenteria utplurimum conjuncta est cum febre maligna, interdùm pestilentiali, simulque epidemicè grassatur, ac sæpè integram regionem devastat, & potenti, contagio se multiplicat; *de quo postmodum*.

Dysenteria benigna est sporadica, seu levissima, ut dixi, oritur ex acri quocunque, frequentiùs tamen ex acri acido plus minus corrosivo, intestina potentiùs irritante, & plus minus excoriante; & ita tormina & sanguinis effluvium excitante; sive oriatur ex assumptis talibus, aut corruptis, aut in acorem peregrinum degenerantibus; aut denique oritur, ex succo pancreatico nimis corrosivo, vel per se tali, quando non temperatur sufficienter à bile, vel propter irritationem à purgantibus copiosiùs in intestina effuso. Nil enim magis est inimicum partibus nerveis, & intestinis, quàm frigus & acidum; unde, si tale quocunque errore ad intestina pervenerit, membranas nervosas rodit, excoriat, & ad sanguinis profusionem disponit. Rara nempè est Dysenteria benigna, quæ fit vitio sanguineæ massæ, sed ferè tantum ex contentorum in intestinis corruptione & depravatione. Hinc notum est, quod imprimis fructus horæi sive autumnales, qui facillimè corrumpuntur, & corrupti, vel in corpore alterati, & non ritè digesti, intensum & fortem acorem contrahunt, dant dysenteriam: quos inter fructus pepones, melones imprimis & cucumeres eminent, uti etiam pruna cerea, Germ. *Diespillinge*, quæ ipsa non paucos Dysentericos reddidisse refert FORESTUS *l.2. obs.23.*, SENNERTUS *in Praxi*, & MOEBIUS *in Instit.* Saccharum, item cibi dulces & melliti, in stomacho corrupti, imprimis in hypochondriacis aut hystericis, in quibus subjectis vitiosâ fermentatione vel nimis acescunt, vel sui miscelâ cum bile orgasmum excitant, & camarinam nimis movent, dysenteriam interdum inferunt: Esus item uvarum nimius, uti etiam musti, plus minus fermentando & acescendo facilè ad dysenteriam disponit; nam mustum corruptum similiter acescit: Purgantia etiam fortiora, uti antimoniũ, aut Colocynthis, aut similia, irriando acriùs & vellicando intestina, & ita acrium succorum ad ea derivationem promoventia, dysenteriam benignam non rarò inferunt, ordinariò in subjectis systematis nervosi subtilioris: Mercurius etiam vivus pro Cura Luis Venereæ extrà illitus dysenteriam interdum inferre observant Galli, sæpiùs per inunctionem Mercurialium Luē Veneream curantes: Sic ulcus pedum diuturnum curatum Dysenteriam intulit lethalem: vid. M.A.N.C. *Ann.2. obs.* 213. *pag.*314. Ex vermibus quoque Dysenteriam excitari, v. RIVERIUS *l.3.Obs.3.* & BARTHOLINUS *Hafniens. T.v. Obs.31.* Sic & usu aceti in plumbeo vase asservati observata fuit Dysenteria à SENNERTO; vel etiam aquis in canalibus plumbeis diutiùs asservatis: Adamas devoratus nec minutissimè tritus Dysenteriam infert, quod certum est; ratio, quia ejusdem ramenta propter angulorum acutiem incidendo & perforando non possunt non lædere intestina; cùm notum sit, solum vitum non ritè comminutum tale quod præstare: vid. ZACUTUS LUSITANUS *in l.1. Prax. Admir. obs.*18. item *l.2. obser.*10. de Dysenteria, tabe & morte ex Adamante impolito devorato. Sed dico: adamas non minutim tritus; alias enim minutissimè pulverisatus pro dysenterię cura adhibitus fuit, uti refert WORMIUS *in Mus. p.*103. *ubi de Adamante*: Item ex asperitate annuli deglutiti observavit ZACUTUS LUSITANUS Dysenteriam, quali dysenteriæ puls crassa ex oryza mederi potest.

Hæ causæ, sive errore externo sive interno, inferunt Dysenteriam benignam, in quibus peccat acidum acre intestina errodens. Sed hæc fuit Dysenteria benigna, quæ non multùm facessat negotii.

Quoad *endemiam Dysenteriam*, nullibi hujus mentionem factam observavi, præterquam in SYNDENHAM *observ. circa morbos acutos p.*247. §.4. *c.*3. qui talis endemicæ Hybernorum Dysenteriæ mentionem facit.

Epidemicam quod attinet: hæc omnium frequentissima est, & autumnali præsertim tempore aut hujus confiniis, solet affligere. Oritur ab acri acerrimo, intestinis specifico suo sapore insensissimo, eoque sub mole minimâ efficacissimo, adeòque saltem fermento subtili tot mala inferente. Hoc nunc acrius est, animonialis aut helleborinæ, vel colocynthideæ quasi prosapiæ; nunc mitiùs: undè nunc maligna, nunc benigna, utraque insigniter contagiosa.

Maligna plus habet in recessu, & imprimis observanda vis ejus contagiosa, quæ se per contagium malignum mirificè in corpore humano propagat: non enim solùm per sedes communes promptissimè inficit, sed etiam, quod observatu dignum est, per instrumenta Clysterum potest alium inficere, teste HELIDÆO PADUANO *Italo in Observ. pag.*104. Dicit enim, sæpiùs dysenteriâ corripi eos, quibus clyster infunditur, instrumento non benè abluto, quo anteà dysentericus fuit usus: sicut etiam HORSTIUS *in Observ.* dicit: *instrumenta scarificationi apta, non purgata, ejusmodi ulcera contagiosa excitare.*

Exempla talium dysenteriarum epidemicarum plus minus malignarum sunt frequentissima; imprimis scripsit de hac la Maniere de Fluxu dysenterico epidemico; item WILLISIUS *in Pharm. Rat. P.* 1. *p.*119. & 125. it. SCHENKIUS *in Obs. lib.* (ni fallor) 6. *ubi de Morbis malignis*, BARTHOLINUS *Cent.*2. *Hist. anatom.*65. non minus quàm AMATUS LUSITANUS *Cent.*3. *Cur.*90. Et quidem talis dysenteria maligna non promiscuè quæcunque animalia affligit: nam dysenteria interdum in homines solùm, interdum in bruta tantùm grassatur, dum SALMUTH *l.*3. *Obs.*55. canes saltem & feles dysenteriâ contagiosâ malignâ laborantes observat, quod rarum est. Oriuntur hujusmodi epidemicæ dysenteriæ ex causa externa plures affligente, in quorum corporibus exaltatum contagium fermentativâ vi se multiplicat, imprimis propter aerem plus minus præternaturaliter alteratum, & alimenta inquinantem, ex aquarum vitio, ac fructuum horæorum corruptela & inquinamento. Sic dysenteria lethalis ex esu brassicæ capitatæ, noxio rore infectæ, refertur in M.A.N.C. *Ann.*3. *Obser.* 88. *p.*143., Item post diuturnam siccitatem & ætatem squalidam, ubi rubedo corripuit fructus, aut miasma malignum exit ex terra, foliis arefactis instar arsenici adhęrens: quale fuit miasma anni hujus seculi 24. & 66. in quibus mirabiliter grassata fuit dysenteria, ubi post aerem squalidum fructus corrupti: Post aerem squalidum, & indè hinc inde efflorescentiam candidam instar vitrioli saturni in canalibus plumbeis tectorum, superveniente pluviâ & flore isto ita abluto, ac aquas inquinante, anno 1644. dysenteriam pertinacem in Belgio ortam observavit LINDANUS *in Coll. privat. ad Hartmannum*. In consideratione hujus dysenteriæ malignæ contagiosæ, cùm omnia contagia consistant in miasmate fermentativo, massam sanguineam inquinante, & consequenter succos alterante, rectè arbitror sensisse WILLISIUM *de causa Dysent. Tract. de febribus c.*10. *pag.*186.: quod scilicet talis dysenteria non oriatur ab humore aliquo vitioso in internis visceribus producto, qui acrimoniâ suâ corrodat (non ita; quoniam tantillus fermentativus odor potest etiam summè inficere;) sed rectè dicit, causam ejus esse miasma quoddam sanguini impressum, adeòque intimè ipsi confusum, inde ad intestina latum, iis imprimis inimicum, acrimoniam hostilem afferens, intestina irritans, vasorum oscula reserans, & sanguinis excretionem faciens. Nempè miasmata talia videntur esse naturæ quasi antimonialis, de natura colocynthidis aut scammoniatæ, aut similis, quæ in specie intestina saltem acrimoniâ suâ vellicare aut afficere, simul tamen & Massæ sanguineæ crasin fermentativâ suâ vi pervertere valent, aut simili ratione, ut Arsenicum, quod gustu dulce est, & etiam extrà non citò sentitur, intrà autem cum symptomatibus multis mucos cruentos facit; undè ratione prioris tormina, & hinc cruentæ dejectiones, ratione posterioris febris maligna adjuncta esse solet. Tale esse fermentum contagiosum, quod fermentando corrumpit sanguinem, & ipsi acrimoniam aut naturam intestinis insigniter hostilem imprimit, nullum esse dubium: sicut enim butyrum antimonii partibus nervosis illitum ulcera excitat, ita in intestinis similis causa acida ejusmodi exulcerationes excitare potest.

Quod attinet progressum in dysenteria: est talis: in principio, dum dolores & tormina intestinorum urgent, excernuntur liquida albicantia, plus minus mucilaginosa, seu mucus albicans, hinc sanies & pus cum sanguine. Unde prout nunc plurimum de sanguine, nunc plus de muco excernitur, dividunt vulgò dysenteriam *in rubram, & albam*: Sanguis, qui excernitur, equidem ex vasis, vel anastomosi vel diæresi apertis profluit; mucus verò quid præcisè sit? controvertitur. Sanguis, qui profunditur, non est præcisè ab excoriatione aut exulceratione intestinorum, ut vocant: nam utut hoc in benigna ab acrimonia succorum acido-corrosiva simpliciter oriunda locum habeat, in maligna tamen, & in qua tantillum saltem miasma acre, contagii medio propagatum, causæ proximæ vices obtinet, non opus est tali excoriatione: Sufficit ab istius contagii acerrima & intestinis inimicissima acrimonia continuò & tàm fortiter stimulari intestina, ut hac ex irritatione & crebriori contractione tandem proprium cruorem fundant & exprimant, simili modo atque à pulvere sternutatorio for-

fortiùs vellicantur nares, ut mucum crebriorem, & tandem largam hæmorrhagiam fundant; ita ut cruoris profusio sit saltem consequens, & effectus alterationis in intestinis: nempè spina alicubi infixa ex doloris occasione affluxum sanguinis uberiorem, indeque, ubi denegatur hæc excretio, tumorem facit. Similis spina & tantillum acre alicubi rodens in benigna, vel miasma virulentum intestinis hostile in epidemica & maligna; hinc vellicatis intestinis, & horum repetiti spasmi, & insignior sanguinis fluxus excitatur, undè tumentibus sanguine intestinis eadem rubent, & non rarò inflammantur, & per aperta partim, partim erosa vasa, cruorem profundunt.

Nempè hoc est indignatio Archei intestinalis, seu spiritus insiti, cruorem proprium furiosè profundentis, ex irritatione ab occasionali fermento, uti loquitur HELMONTIUS, acri, intestinis insigniter hostili, undè & tormina, & sanguinis per anum profusio, aut muci extravasatio, copiosè superveniant: hinc etiam rectè dicit, quod dysenteria à pleuritide tantùm differat in radice seu loco affecto, cùm quoad causam conveniant.

Mucus hic sub cursu morbi interdum est valdè copiosus. Multi admirantur, unde sit? non sanies est, aut pus; utut sint, qui dicunt, quod nihil aliud sit, quàm pituita, quæ naturaliter oblinit parietes intestinorum; quod tamen non potest esse propter nimiam & excessivam, qua subindè excernitur, ejus quantitatem, pro qua capienda intestina ipsa interdum non sufficerent. Probabilior videtur HELMONTII sententia, qui dicit: destillare mucum talem ex intestinis læsis, & esse nihil aliud, quàm nutrimentum intestinorum irritatorum proximum, sed depravatum, aut frustrà intestinis infusũ: simili modo enim ac pars exulcerata plorat liquorem, qui nihil aliud est, quàm nutrimentum istarum partium; ita nutrimentum hoc, cùm intestinis læsis, excoriatis & exulceratis assimilari nequeat, ex parte læsa nunc sub forma muci, nunc saniei, nunc puris in cavum eorum destillat, prout diversi sunt gradus corruptelæ hujus alimenti proximi: iam sæpè sanguinem unà effundunt *loturæ carnium similem*.

Tres autem *gradus* in hac dysenteria imprimis observandi sunt:

1. Quando tantùm adsunt atrocia tormina cum excretione mucosa & cruenta.
2. Quando cum torminibus copiosus mucus plus minus præternaturalis & cruentus excernitur, quemque vulgò dicunt esse abrasionem aut aliqualem excoriationem intestinorum.
3. Quando in tantum suscepit malum augmentum, ut jam in intestinis læsis sequatur perfecta exulceratio.

Quod *in graviori dysenteria pus* generetur in intestinis, patet ex anatome: non enim tantùm in intestinis, sed & in glandulis mesaraicis pus copiosum colligitur & abraditur. Ista autem abrasio iterum est triplex, secundùm ista nempè, quæ unà cum muco interdum excerni observantur:

1. Quando saltem interiora velamenta bombycina, seu crusta ista, quæ intestinorum carni obducitur, abraduntur.
2. Quando jam aliquid de intestinorum tunica crassa abraditur. HIPPOCRATES vocare solet ramenta intestinorum *in sect.7. aphor.64.*
3. Quando jam ipsorum intestinorum substantia crassiuscula sive caro quasi frustulatim eroditur, & tunc exeunt carunculæ, ut dicit HIPPOCRATES *sect. 4. aph.26.* qui tertius gradus est acerbissimus, & mortiferum signum.

Carunculæ tales, quarum passim apud Autores fit mentio, quid sint? explicatu obscurum est. Sanè substantiæ intestinorum membranosæ non videntur esse: potiùs glandulæ intestinales tumefactæ, & morbi progressu à substantia intestinorum separatæ, & ita excreta carnium, sive moleculorum carnosarum speciem referentes.

Tandem, *an sit exulceratio in intestinis* dysenteriâ affectis? uti vulgò asseritur, meritò dubitatur; & rectè hoc negat Holdehoffius Tr. de Err. Medic. pag.33. ex eo, quòd aliàs dysenteriæ cura per specifica tàm citò fieri non posset: ut taceam, tantùm non impossibilem curatu videri talem exulcerationem, cùm aliarum partium membranosarum exulcerationes, ut laryngis, item fistulæ ani, sint utplurimùm incurabiles. Ergò non nisi in diuturniori dysenteria, eâque graviori, tandem excoriatio, & forsan aliqualis exulceratio, locum habebit, quæ in ordinaria non statim statuenda erit.

Dolor acerrimus, qui torquet dysentericos, non est promiscuè & simpliciter ex corrosione aut exulceratione intestinorum, utut hæc videatur totalis causa; sed ferè maxima ex parte est ex convulsione & corrugatione spasmodica intestinorum, quà intestina irritata spasmo quodam correpta se conveliunt & contrahunt, & motu quasi vermiculari se torquent, sub quo tàm insignes sunt dolores. Præsuppono hîc suprà dicta de systemate nervoso: subindè retrotrahitur umbilicus, quod signum est manifestum motus convulsivi; hinc successiva sunt tormina, non continua, sed remittunt, prout malum nunc mitius nunc gravius est. Tormina hæc ordinariò præcedunt excretionem, nisi intestina gangrænata sunt, quando sub ista spasmodica contractione intestina simul propellunt, & ulteriùs cogunt contenta, & ita ad excretionem stimulant.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica ex dolore & excretione imprimis desumuntur.

Dysenteria nempè præhendit ægros cum insignissimis intestinorum doloribus & torminibus: subsequuntur dejectiones, & quoties dejicitur alvus, ingens cruciatus, & intestinorum depressio cum dolore, & molestissimo viscerum omnium quasi descensu, adest: dejectiones non sunt stercorosæ, sed variarum rerum, nunc simpliciter mucosæ, nunc intermistim sanguineæ, nũc simpliciter sanguineæ, quæ aggravescente morbo fiunt putrilaginosæ, & interdum membranarum speciem referunt.

Quando sanguis simul excernitur plus minus, *Dysenteria cruenta, sive rubra* appellatur: si verò mucosa superabundent, aut solitaria sint, in specie *Dysenteria alba* vocatur.

In maligna sæpiùs est conjuncta febris plus minus intensa, eaque interdum petechialis, lingua subalbida mucilagine densè obsita, & si vehementiùs æstuet corpus, nigra etiam & sicca observatur, unà cum summa virium prostratione; ægri sunt anxii, & inquieti, sitiunt insigniter: subindè præcedente ulteriùs morbo, sanguis sincerus copiosus confestim effluit; id quod corrosionis majorum aliquot vasorum in intestinis & mesenterio argumentum est. Nonnunquam intestina inflammantur, indeque gangrænâ incurabili afficiuntur: aphthæ interdum fauces obsident, imprimis, quando adstringentibus intempestivè adhibitis suppressa fuit dysenteria: afficitur successivè simul intestinum rectum, undè ordinariò dolorosissimum tenesmum patiuntur ægri: supervenit non rarò ani procidentia, appetitus prostratus, interdum nausea & vomitus urgent ægros: non rarò succedit singultus tanquam pessimum signum, & vigiliæ, ut etiam interdum deliria, & tandem quoque lethales convulsiones superveniant. Grassatur communiter in Incolas instar Pestis, estque contagiosa, seque tunc temporis sub forma febris malignæ multiplicat.

Causarum signa partim ex excrementorum conditione, partim à signis humorum in corpore abundantium, partim à vitæ genere, v.g. militari, ac diæta, similibusque circumstantiis petuntur.

An maligna & pestilens sit? colligitur ex eo: si commune fuerit malum, pluresque cum symptomatis malignitati propriis, v. g. anxietate præcordiorum, petechiis &c., moriantur.

Ante omnia autem pro meliori cura sciendum est: an tenuia an crassa intestina afficiantur? Denunciant hoc locus, & modus doloris, tempus exitus excrementorum, & horum varia mistio. (1.) Locus doloris arguit tenuia intestina affecta, qui est circa & infra umbilicum, ubi situm ileon & jejunum; in crassis verò affectis est magis circa latera infra & juxta stomachum, secundùm nempè coli ductum. (2.) Quoad modum doloris: hic longè vehementior est affectis intestinis tenuibus, ac si cultris hinc inde discinderentur, aut quasi aciculis pungerentur; qui è contrà dolor remissior & nonnihil obtusior est in crassis. (3.) Celer excretio post dolorem crassa intestina affecta, tardior verò excretio tenuia intestina labefactata arguit; eò quod à loco affecto ad podicem longior via sit. (4.) Si tenuia afficiantur, permista magis & confusa invicem sunt excrementa, stercus, sanguis, & mucus, propter longius iter, quod mutuò conficiunt: in crassis verò intestinis minus sunt confusa, sed potiùs sunt aperta vesti-

vestigia distinctionis à se invicem. (5) Tenuia affecta magis ad vomitum stimulant ægros, præsertim quò propiùs respectu ventriculi afficiantur; crassa minus: unde & anxiosi magis sunt, & pejus se habent ægri in tenuibus affectis, quàm in crassis. Consulatur quoad hoc punctum & prognosin in dysenteria SENNERTUS, qui satis est accuratus, & RIVERIUS.

PROGNOSIS.

Quoad prognosin:

Benigna minus est periculosa, maligna periculosa.

Quò magis tenuia afficiuntur intestina, eò periculosiùs laborat æger, & econtrà.

Considerandum etiam; an dysenteria habeat febrim? item an adsit vomitus? Sanè omnis dysenteria, præsertim epidemica, cum febre juncta periculosior esse solet, quam quæ sine febre; & quò magis acuta & malignior hæc fuerit: siquidem & petechiæ in febribus talibus observatæ fuerunt.

In dysenteria quasi pestilentiali eò periculosiùs laborat æger.

Ista dysenteria, quæ cum vomitu affligit, & cui ferè se adjungere solet singultus, est deterim; cùm periculum subsit, ne ipse stomachus plus minus affectus sit: Quò magis enim affligitur stomachus cum cibi fastidio, eò periculosior est: si non adest vomitus, & ægri alimenta assumunt cum appetitu, talis non est lethalis, nisi culpâ Medici fiat.

Dysenteria, in quibus excreta sunt viridia, nigra, aut varia, aut admodum graveolentia, sunt pessima: item dysenteria, quæ ab atra & porracea bile, ut vocant, incipit, nullâ præcedente febre, nec coctionis signis apparentibus, exitiosa est, teste HIPPOCRATE *Sect. 4. aphor. 22. & 24.* & FONTANO *in Methodo generali pag. 62. cap. 5, 6, 7, & pag. 77*, propter corrosivum acidissimum succum, valdè erodentem intestina; item quæ à dejectione biliosa aut æruginosa, hinc magis erodente: vid. HIPPOCRATES *Sect. 7. aphor. 23.* Omnium tamen crudelissima videtur, quæ à pituita acida atque salsa, utpotè qui humor ratione tenacitatis difficilè abstergitur.

Si dysenteriæ ructus superveniat, vel crepitus ventris, bonum signum est, scilicet redeuntis suo modo fermenti digestivi.

E contrà convulsiones ac deliria, dysenteriæ supervenientia mortem utplurimùm significant.

Si à dysenteria laborantibus veluti caruncula dejiciuntur, lethale est, teste HIPPOCRATE *Sect. 4. aphor. 26*, utplurimùm quæ profundius ulcus denotant: vid. SENNERTUS *Prax. lib. 3. P. 2. Sect. 2. cap. 7. pag. 334. & 337.*

Dysenteria indolens sæpè mali est ominis; [illegible] enim seu gangrænam intestinorum, indeque inductam insensibilitatem ostendit: conf. *de Dysent. epidemica quorundam indolente* M.A.N.C. *Ann. 2. Obs. 43. p. 82.* item BARTHOLINUS *Actis Med. Hafniens. Volum. 2. pag. 183.* RHODIUS *Cent. 2. Obs. 88.*

Quando adest tenesmus in dysenteria cum hiatu ani, ita ut clysteres injecti statim elabantur, aut cum tanta podicis adstrictione, ut nihil possit intromitti; certum plerumque est mortis signum: vid. *la* MONIERE *Tr. supra cit. cap. 5. pag. 164. & 191.* Nempè hic tumor, illic paralytica constitutio intestino recto inducta ex virtutis animalis prostratione adest.

Dysenteria, si est symptoma febris malignæ aut variolarum, periculosa est, & ferè lethalis.

Dysenteriæ superveniens febris, aut quæ aderat, si intenditur, malum est; quoniam inflammationem aut insignem intestinorum corruptelam ostendit.

Lienteria superveniens dysenteriæ diuturnæ, est admodum mala.

Aphthæ dysenteriæ supervenientes, utplurimum lethale sunt indicium.

Gravida cum dysenterico tenesmo correpta, frequentiùs abortum patitur; idque cum periculo, imprimis si grandior fuerit fœtus. Interdum tamen dysenteria gravidis ante partum salutaris observata fuit, teste FORESTO *l. 22. Obs. 34.* item AMATO LUSITANO *Cent. 2. Obs. 51*, quia post partum plerumque hac liberantur; testante HIPPOCRATE *Sect. 2. Prædict. Text. 30, & l. 5. Epidem. Text. 33, l. 7. Epidem. Text. 40*, & SENNERTO *Prax. l. 3. pag. 243.* per bina exempla hoc comprobante. Sit autem benigna, non maligna, non nimis gravis & non longè ante partum; aliàs est periculosa, & mors in olla: epidemica tamen gravidis non lethalis observata fuit in M. A. N. C. *Ann. 3. Obs. 17. pag. 22.*

Dysenteria cum oris amarore vel vomitu bilioso in principio, malitiosissima esse solet, in specie in principio: vid. SAVONA. *in suis Decis. Med. Decis. 31. p. 80.* & M. A. N. C. *Ann. 8. Obs. 63. p. 106.*

RIVERIUS *Cent. 2. Obs. 63.* ex maculis in facie erumpentibus in dysenteria; item ex singultu dysenteriæ in progressu morbi superveniente, signum prognosticum lethale ominatur: imminent enim convulsiones, & afficitur systema nervosum insigniter; cùm singultus sit signum convulsionis diaphragmatis, quæ superveniens, malum; in principio autem singultus non adeò funestus.

Si in dysenteria post aurem sinistram vel dextram nigra macula vel tubercula appareant, æger citò moritur; in quo equidem incertus est Sennertus; signum tamen certum esse vult HOEFERUS *in Herc. Med. p. 192.*

Veneris exercitium dysenteriam curat: id quod RIVERIUS *in Pr.* notat ex AMATO LUSITANO *Centur. 2. Curat. 47*, qui refert, quendam dysenteriâ epidemicâ laborantem, celebrato cum uxore coitu, sanatum.

Ii, qui ex dysenteria intereunt, præcipuam mortis causam habent intestinorum gangrænam: vid. RIVERIUS *l. 3. Obs. 2.* Ac sanè quidam dysenterici ante mortem absque pulsu toti algidi, adhuc tamen de interiorum intensissimo æstu conqueruntur: Conf. M.A.N.C. *Ann. 8. Obs. 63. pag. 106.*

Dysenteria à causa externa, ut à fructibus horæis, non adeò periculosa est; quæ autem ab interna, sæpè periculosa: in qua, si sanguis sincerus excernatur, periculosior est, ob vasa majora erosa.

Quò magis vel minus intestina exulcerata sunt, eò gravior vel mitior aut melior dysenteria est.

Dysenteria, quâ intestina crassa affecta, utpote symptomata minus periculosa habens, ac à clysteribus multum levaminis admittens, non adeò periculosa est; ut & quæ à mania oritur: vid. HIPPOCRATES *Sect. 7. aphor. 5.* Conf. M.A.N.C. *Ann. 3. Obs. 116. p. 215.*

Spleneticis superveniens dysenteria, bonum signum est: vid. HIPPOCRATES *Sect. 6. aph. 48*: nisi hæc longior extiterit; tunc enim aut ex lienteria, aut hydrope pereunt, juxta *Sect. 6. aphor. 43. & Coac. Sect. 3. Prænot. 295. & 296.*

Pariter & Podagricis salutaris observatur dysenteria, juxta *l. 2. Prædict. Text. 15.*

De cætero senes & pueri ex hoc morbo sæpiùs pereunt, quàm qui mediâ ætate constituti sunt: vid. HIPPOCRATES *Sect. 2. Text. 30.* & SENNERTUS *Prax. lib. 3. pag. 243.*

CURA.

Quoad Curam: in genere pro meliori medicationis ratione, atque scriptorum Practicorum utiliori lectione, observandum ante omnia: an benigna, an verò maligna fuerit dysenteria? item an à causa interna vel externa? & hæc vel assumptis acribus, vel contagio nata fuerit? Nempe epidemicæ non sunt præcisè malignæ; id quod notatum in M. A. N. C. *Ann. 8. Obs. 163. p. 106.* Et ex his considerationibus variarum dysenteriarum, variat subindè apud Practicos medendi ratio, uti patet legenti ex *la* MONIERE, WILLISIO *Pharm. Rational.* SYDENHAM *in Obs. de Morb. acutis* &c.

Quoad Methodum medendi: in hac sequentes Indicationes observandæ:

1. Irritatio intestinorum sistenda, tàm acre vellicans corrigendo, quàm opiatis, aliisque anodynis & appropriatis sensum irritationis nonnihil sopiendo, indeque provocatum spirituum impetum compescendo. Ea verò, quæ acre vellicans corrigunt, sunt; vel generalia, istud aut obtundentia aut absorbentia, vel specialia, specificum saporem dysentericum corrigentia.
2. Præcipitantibus sive absorbentibus & blandis sudoriferis, in specie in dysenteria maligna, Massa sanguinea ventilanda, & miasma contagiosum

sum eliminandum. Interdum in benigna blandè abstergentibus & laxantibus intestina eluenda.

3. Noxa intestinis illata debitis vulnerariis, item adstringentibus sive stypticis ac similibus restituenda.

Methodus hæc diversa est à methodo vulgari, quia vulgò respicitur saltem ad productum morbosum, nempè ad intestinorum exulcerationem; non verò respiciunt radicem morbi seu acre istud vellicans, undè tot mala oriuntur: Hinc jubent communiter (1) evacuare intestina purgando: (2) Clysteribus eadem abstergere: (3) Dolorem urgentem sedare; & (4) Ulcera purificare & consolidare. Sed in hac methodo sæpè feliciter moriuntur ægri, & qui evadunt, naturæ, non artis beneficio obtinent.

Pro his scopis autem meliùs obtinendis, observentur sequentes regulæ:

I. Quod anodyna & narcotica à multis quidem ceu Necrotica in dysenteria proclamentur; quod exemplo illustrat *l. 3. Obs.* 10. THONERUS & ZECHIUS *Cons.* 37: sed falsò; idque saltem vitiò præconceptæ hypotheseos: quin potiùs expertus ille Practicus LINDANUS in hac tota cura semper ab anodynis & narcoticis curam incipiendam suadet, in quo consentiunt ferè omnes moderni, qui omnes opiatis, cum appropriatis junctis, miram vim tribuunt in dysenteria curanda: vid. BARBETTE *in Tr. lib. 4. c. 5. de dysent. pag.* 180. HORSTIUS *lib.* 10. *Obs.* 3. HOEFERUS *in Herc. Med. p.* 195. THEODATUS *in valetudin. p.* 340. WEDELIUS *in Opiol. pag.* 121. Undè etiam tot prostant exempla feliciter curatarum dysenteriarum per sola opiata: Sic RIVERIUS *in l. 1. Obs.* 64. refert dysenteriam in fluxum hepaticū mutatam cum febre & summà virium prostratione, per laudanum opiatum curatam: vid. etiam *l. 2. Obs.* 37. 44. *&* 84. item *l. 3. Obs.* 4. *l. 4. Obs.* 87, in specie WILLISIUS *in Pharm. Ration. Vol.* 1. *Sect.* 3. *c.* 3. *p.* 128. *& p.* 300. nec non LUDOVICI *in* M. A N. C. *Ann.* 4. *Obs.* 207. HELMONTIUS *Tr. Butleri*; & MARCUS MARCI *in vitriolo narcoticum & anodynum sulphur*, placans dolores, dicit esse: *Terra vitrioli dulcis* pro hoc scopo sublimatur cum *sale ammoniaco*, & est *Arcanum Anglorum*.

II. Sed non dandum, uti dixi, opiata in principio solùm, sed potiùs aliis, præsertim appropriatis, mista, idque in specie specificis & absorbentibus sudoriferis in dysenteria maligna, e. g. theriaca cum osse humano & hepate viperino: item si opus fuerit, blandè intestina abstergentibus, in specie Rhabarbaro, in benigna jungi debent; sic meliùs & tutiùs operantur.

III. Laxativa in dysenteria maligna nihil valent, sed nocentissima sunt: potiùs irritatis intestinis crabrones excitamus, & vires dejicimus: in benigna verò suam merentur laudem, in principio usurpata; sic enim eluunt alvum. Si autem in principio morbi Laxativum propinatum fuerit, mox ab hujus facta operatione opiatum subjiciendum. Nempè quoad abstergentia primas vias ac blandè laxantia, habenda simul ratio tàm subjecti patientis plus minus cacochymici, quàm causæ antecedentis, *an* sit *ab assumptis?* an sit *à contagio?* idque tam propter impetum dysenteriæ majorem vel minorem, quàm propter alia in subjecto cacochymico metuenda symptomata. Cacochymiam igitur in principio convenientibus laxare, non inconveniens est; uti &, si à fructibus horæis malum ortum fuerit, præmisso tamen quoque sedativo, v. g. vespere antecedente; imò laxanti quoque opiatum addere convenit. Quando itaque primæ viæ abstergendæ, ac alvus blandè laxanda est, fit in principio vel rhabarbaro vel sero lactis; de quibus infrà: in progressu morbi penitus abstineamus. Adhæc ii ipsi qui in principio suadent purgationem, non sine cautela hoc faciunt: Volunt nempè, si dysenteria oriatur ab humore atrabilario, acerrimo & maximè corrosivo, quod tunc ferociam illius potiùs temperando purgandum sit. De modo purgandi optimè scripsit LUDOVICUS SEPTALIUS *in animadv. & Caut. Medic. l. 7. p.* 224.

IV. Vomitus in dysenteria planè sunt inane quid, in malignis planè nocivi, nisi dysenteria sit ab hypercatharsi, aut assumpto veneno. Pro majori illustratione rem exemplo & observatione confirmabo. Vir juvenis dysenteriā gravi conflictatus, in principio quidem nonnihil cruenta, sed in progressu tota mucosa, excernebat: aderat simul febris continua: hunc sine evacuantibus rhabarbarinis mox per opiata & specifica aggressus sum curare; successit quidem cura, sed magno labore & sub continuo calidæ cerevisiæ potu, laterumque calefactorum pectori & abdomini applicatione: subindè sudores spontanei, præsertim vespertini, erumpebant cum euphoria. Cessante dysenteriā durabat adhuc febris continua lenta cum gravamine ventriculi & appetitu penitus dejecto, copioso, nempè muco ventriculum obsidente: ob id ordinavi Sal Ammoniacum cum paucis lapillis cancrinis, cujus repetito usu attenuatus quidem nonnihil fuit mucus, sed non rejectus: coactus ergò propinavi vomitorium ex syrupi emetici ℥ß. idque eò magis, quod vesperi præcedente æger spontaneo vomitu varia mucilaginosa excrevisset: sed vomitorium nihil effecit, utut anxium reddiderit ægrum, muco nempè in ventriculo copioso obtundente remedii vim, tamen copiosa mucosa screatu & tussi rejecit, febre lenta adhuc perdurante, quibus rejectis multum levatus fuit. Excrevit autem illa ex ventriculo: nam & stimulum tussis in regione scrobiculi cordis percipiebat, & quæ exscreabat, illinc prodire asserebat: ob id misturam ex aqua hyssopi, syrupo nicotianæ & oxymelite squillitico ordinavi, cujus usu rejecit quidem copiosiùs, sed crebriores etiam denuò secessus passus fuit; propterea intermisi, & præscripsi sequentem pulverem:

℞. *Rad. ari non præp.* ʒij.
Lapill. Cancr. præp. ℈ij.
Miscendo:

Omni manè largam dosin capere jussi; quo assumpto, ut penitùs ex ventriculo eradicentur mucosa, 40. guttas Tincturæ tartari benè acris omni manè capere jussi; sicque convaluit.

Ex hoc casu didici:

1. Necessarium esse in dysentericis benignâ laborantibus, præmittere laxantia; si enim hoc in principio fecissem, tantam muci saburram in declinatione morbi circa ventriculum & primas vias non habuissem: Nam quoniam dysenteria erat benigna in corpore crudi succis infarcto, hi ipsi motu febrili correcti, & in mucum temperatum conversi, circa primas vias depositi; sed antidysentericis & opiatis remediis detenti, postmodum istas turbas dederunt.

2. Didici in dysenteria, si malum sit vel ex ventriculo, vel declinante morbo, nihilominùs adhuc foveatur à dyspepsia ventriculi, Vomitoria mitiora tutò posse propinari. Vomitoria equidem in dysenteria magis, quàm diarrhœa, sunt periculosa, propter metuendam ventriculi læsionem. Sin autem dysenteria sit à pharmaco maligno aut veneno, & materiæ relictæ quædam pars in ventriculo hæreat, conveniunt. Conf. SENNERTUS *l. 3. Prax. p.* 352.

De cætero si conveniunt, magis in benigna, quàm maligna locum habere videntur (*la* MONIERE tamen *Tract. de fluxu dysenterico maligno* observavit subindè in primo principio vomitoria fuisse proficua: Et arbitror hoc ita esse, in casu nempe, quo contagium malignum inspirando haustum, ventriculum saltem adhuc obsideat) idque si superiora intestina laborent, si cacochylia adsit, aut malum foveat, nec non humorum in primis viis, intestinis & ventriculo, molesta saburra; si denique natura eò vergat, ægrique eidem faciliùs auscultent, viribusque adhuc constent, &c. Vomitu namque diuturnas dysenterias curatas vidit MERCATUS.

V. Sudoris tàm per se, quàm diaphoreticis provocati, in specie habenda est ratio in dysenteria epidemica plus minus maligna. Sanè cùm hic ante aliquot annos in universa hac regione grassaretur dysenteria epidemica maligna, pastores pagani suos rusticos solis sudoriferis, præprimis tincturâ Bezoardicâ, curarunt. Eodem tempore quidam rusticus, & ipse dysenteriâ malignâ correptus, sumpsit balsami sulphuris gutt. xx. & ultra, cujus repetito usu per repetitos sudores ipse fuit curatus. Undè dicit PETRÆUS *in suis Dissertationibus*, quod rectè faciant Hermetici, qui dysenteriam non tàm purgantibus, quàm diaphoreticis aggrediuntur, & statim correcto aere baccis juniperinis, alternis diebus potionem Paracelsi pestilentialem, aut Aquam theriacalem, aut simile diaphoreticum alexipharmacum propinent: post expulsionem veneni postmodum curativo appropriato utantur. Hinc etiam ipse la MONIERE refert, quod sudor primis

mis morbi diebus vel sponte prodiens, vel debito sudoriferorum usu prolicitus, dysenteriam frequenter supprimat, serosis humoribus foràs propulsis. Quò magis ergò corpus transpirat, & magis sudoribus afficiuntur, mitior est dysenteria. Exinde apparet, eandem ferè, quæ in febribus continuis & malignis, methodum medendi observandum esse.

VI. Adstringentia, ut talia, in principio & progressu morbi nil valent; potius graviter nocent. Certè nil pejus est, quàm uti in dysenteria adstringentibus: siquidem non relaxata, sed irritata sunt intestina: imprimis nocentissima sunt intempestivè, h. e. ante appropriata & alexipharmaca in maligna, & ante abstergentia laxativa in benigna, exhibita: interdum saltem in declinatione morbi commodè usurpari possunt. Nam validè adstringentibus, maximè in principio, dysenteria suppressa, subindè graves excitat affectus, nunc paresin contumacem, nunc abscessus mesenterii: vid. *la* MONIERE: Sic enim MARTINI *in Tr. de Morbis Mesenter. p.* 44. inflammationem & abscessum mesenterii periculosum notat ob dysenteriam sinistrè adstringentibus curatam & suppressam: sic etiam paresin ex dysenteria intempestivè suppressa observavit VELSCHIUS *de Ægagrop. Diss.* 2. *p.* 16: sic in quos morbos dysenteriæ adstringentibus suppressæ subindè desierint, vid. HILDANUS *l.* 3. *Obs.* 42. & 46

VII. Venæ sectio frustranea est in quacunque dysenteria; in maligna enim nociva, nisi forsan gravis evacuationis sanguinis suppressio aliud suaserit: in quo tamen casu cautè fiat, adeoque nemini Autor sum, ut imitetur SYDENHAM *in Obs. de Morb. acutis p.* 252. *Sect.* 4. *c.* 3.

VIII. Clysmata rarò sunt usurpanda: Nam utut hæc vulgò sint usitatissima in dysenteria, tamen sæpiùs sunt pessima: scilicet enim usu malum exasperant potiùs, quàm leniunt. Usus laudem habet, vituperium meretur abusus. Locum non habent, nisi (1) ubi affecta sunt intestina crassa; ad tenuia enim eorum vis non pertingit. (2) In benigna, ubi cluendæ sordes quædam. (3) Ubi acrimonia insignior temperanda. (4) Quando nimis affliguntur tenuia intestina superiora & pylorus, ut quasi per accidens revulsorio stimulo liberentur. (5) Ubi consolidatio necessaria. Non tamen crebriùs aut copiosiùs injiciantur; quia (α) omnes Clysteres, qualescunque fuerint, etiam ex lacte, intestina tanquam aliquid peregrinum, plus minus irritant & vellicant, & ita malum quodammodo exasperant, & reverà motus spasmodici fiunt: vid. HELMONTIUS, qui accuratus est, quoad usum clysmatum in Dysenteria. (β) Quia tenesmus sæpè graviter per clysmata exasperatur; & (γ) quia ipsa intestina irritata mox denuò clysteres rejiciunt, & ita propter suas contracturas & spasmos dolores exasperant, parum juvare possunt: In declinatione ergò morbi usurpanda.

IX. Stomachi in tota cura dysenteriæ summa semper habenda est ratio, non secus ac in quibusvis alvi fluxibus. Quò magis enim furit, eò pejor erit status morbi, & quò meliùs se habet, vel appetendo nonnihil, vel alimenta quædam perferendo, eò major spes salutis adest: èconträ appetitus penitus dejectus, aut vomitus superveniens, aut etiam singultus, pessima sunt signa. Ob id semper simul appropriatis, internè pariter & externè, stomacho succurrendum est; cujus ratione Vinum, præsertim in adjuncto vomitu, non nocet absolutè consideratum; acoris verò ratione nonnihil suspectum videtur: Modicè autem propinatum, stomachum restaurat, & in dysenteria epidemica salubre est. Anno 1666. cùm dysenteria maligna epidemicè grassaretur in Misnia, præsertim ruri, observatum fuit, quod ægri, dum laborarunt vomitu in dysenteria, cerevisiam, julepum & Laxativa omnia evomuerunt, Potum vini autem calidi conducibiliorem fuisse ægris potu cerevisiæ; eumque citiùs retentum, nec adeò subitò per vomitum fuisse rejectum.

X. Caveant sedulò ægri, ne corpus refrigerent, sed quantum possibile, calidum illud & blando madore irroratum conservent, præsertim pedes: nam quò calidiora conservantur extrema, eò meliùs habent ægri; si verò tantillum refrigerentur, præsertim pedes, acerbiores superveniunt dolores. Eadem ex ratione à frigidæ potu, quantùm possibile, abstineant; simul enim atque potus non calidus ingeritur, subitò tormina & alvi excretio, crudeliter superveniunt; hinc juscula decoctionis gallinarum sæpiùs sorpta, licet minus grata, sunt summè proficua.

XI. Denique quieti sint ægri, & quantum possibile, omnem corporis jectigationem remittant, nec ex lecto surgant, sed saltem per patinas substratas colligant rejicienda. Sanè, referente *la* MONIERE *c.* 6. *p.* 104, quies tantæ fuit utilitatis, ut, qui statim à morbi principio decubuerunt, nec veriti sunt in lecto, vel in pulvinari, vel super lintea dejicere, morbi violentiam facilè superarunt: sic quò magis quiescunt, eò minùs fluxus exacerbatur.

Nec XII. negligenda venus, cùm eam tanquàm salubrem commendat RIVERIUS. Refert AMATO LUSITANUS *in sua C.* 2. *Cur.* 47. de quodā dysenteriā epidemicā laborante, qui celebravit cum uxore coitum, & manè sanus evasit.

Plures Cautiones, quæ ad Praxin faciunt, videbitis in WILLISII *Pharmac. Rational. Vol.* 1. *pag.* 131. & 132, item SEPTALIO *citato loco pag.* 220, qui est elegans; item in HOLDERHOFF *de Erroribus Medicinæ ubi de dysenteria.*

Remedia alterantia in dysenteria, acre vitiosum peccans temperantia, & irritans sistentia, sunt vel communia, vel specifica; ita enim melioris cognitionis ergò distinguere lubet. Communia sunt & conveniunt, vel quatenus adstringunt, ut styptica, vel quatenus consolidant, ut vulneraria, quæ blando suo alcali, demonstrante HELMONTIO & TACHENIO, acidum in ex ulceratis intestinis temperant & absorbent, vel quatenus in genere omne acre corrosivum destruunt, istud vel obtundendo, ut pinguia, oleosa, lacticinia; vel succos acidos & corrosivos imbibendo & absorbendo, ut terræ medicatæ, ossa animalium, corallia & reliqua alcalia. Specialia verò seu medicamenta specifica sunt ista, quæ speciatim acre dysentericum, ut sic, emendare, & consequenter vim ac impetum spiritus insiti coercent, & singulari proprietate dysenteriam propriè curare valent, & quorum vim & energiam antidysentericam longa experientia confirmavit. De distinctis his distinctè.

Inter hæc eminent priapi, priapus cervi, ceti, & tauri, cranium humanum cum usnea, tragæa granorum actes, sanguis leporis, hepar serpentum, ungula equina, stercus caninum; sicut & generalia absorbentia commodè cum specificis misceri possunt. Priapus ceti est omnium optimus, quem laudat D. MICHAELIS: post hunc est cervi priapus; vilissimus est priapus tauri. Facit mentionem horum priaporum HELMONTIUS *in Pleura Furente*, eosque commendat non magis contra dysenteriam, quàm in specie contra pleuritidem, in qua ipsa hi priapi sunt experti. Usurpantur vel in forma sicca vel in forma humida: In forma sicca, quando nempè exsiccantur lentè in furno, hinc raduntur, & quantum fieri potest, comminuuntur, cujus rasura (non præscribuntur pulverisandi) præscribitur à ℈ ß. ad ℈ j. in jusculo calido, sive in potu lactis, sive in aqua foliorum quercus, aut etiam in potu cerevisiæ calidæ; idque subindè repetatur, & unum est ex optimis contra hunc morbum remediis, vel solum, vel cum laudano opiato usurpatum. Superiori anno pauper, desperatā dysenteriā correptus, remedium à me petebat, & præscripsi ei sequens:

℞. *Rasur. priapi cervi* ℈ ij.
Laud. hyster. gr. ix.
M. f. pulvis pro duabus dosibus.

Vel

℞. *Conserv. rosar. antiq.* ℥ ß.
Rasur. priapi cervi ℈ ij.
Laud. opiat. gr. iij.
c. s. q. *syr. cydon. arom. f. Electuar. pro* 2 *dosibus.*

D. S.

Electuarium adstringens pro 2. *dosibus.*

In forma liquida præscribuntur in Decocto, quod ad aliquot uncias crebriùs haustum similiter est expertum, à quibusdam in secretis habitum. Non tantùm per se potando, sed etiam pro vehiculo aliis inservit remediis, v. g. cum eodem emulsiones parando ex seminibus appropriatis, semine papaveris albi, pineis, amygdalis dulcibus, &c, ubi Decoctum horum priaporum est liquor appropriatus, quo fiunt tales emulsiones: e. g.

℞. *Sem. papav. albi*
4. *frig. mai.* an. ℈ iij.
Amygd. dulc. ℈ ij.
c. s. q. *Decocti priapi cervi* vel *ceti f. Emulsio*: adde
Terræ sigillat. albæ ℈ i.

Unio.

Vnic. fossil.
Corall. rub. præp. an. ℥ ß.
Syr. papav. albi ℥ ß.
D. S.
Lac confortativum adstringens.

Sic fit Julepus in dysenteria conveniens:
℞. *Decocti priap. ceti vel cervi* ℔ j ß.
Aqu. cinnam. ℥ j. ad ℥ j ß.
Syr. corallor. Querc. ℥ ij. vel iij.
M. pro *Julebo*: S.
Julepus confortativus adstringens.

Hauriatur crebriùs imprimis nocte, quo dysenteria invalescit: est grati saporis, & optimè convenit.

Superiori anno aliquoties præscripsi non sine effectu:
℞. *Fol. hed. terrestr.*
Plantag.
Sanguis. an. M. j.
Flor. rosar. rub. p. iij.
Rad. tormentill. ℥ j ß.
Ras. priapi ceti vel cervi ℥ iij.
Incisa & contusa coquantur in s. q. aquę simpl.
Colaturæ ℔ iij. adde
Aquæ Cinnam. ℥ j.
Syr. Cydon. arom. ℥ ij. vel iij.
M. D. S.
Potio confortativa adstringens.

Plura qui cupit videre de efficacia horum priaporum, adeat Dorncrellium Tract. German. de Dys, item Stokerum in sua Praxi p. 38. in quem commentatus est Tholdius.

His priapis multiplici experientiâ ferè apud omnes confirmatis, subindè alia permiscentur, & fiunt *pulveres* compositi *antidysenterici*; v. g. multi commendant hunc pulverem:
℞. *Priapi cervi* ℥ ß.
Rad. symph. major.
Tragacanth.
Nuc. Mosch. an. ʒ iij.
Terræ sigillat.
Bol. Arm. præpar.
Corn. Cerv. usti præp. (imbibit omne acidum potenter) an. ʒ ij.
Zedoar. ʒ i ß.
M. f. *pulvis*: D. S.
Pulvis adstringens.

Hunc pulverem multùm commendat EURERUS *Tr. de Dysenteria pa.* 25. qui Tract. est admodum elegans. Vel ut alii componunt:
℞. *Ras. priapi cervi* ℥ j ß.
Terræ solar. Hung. vel *sigill.*
Corn. Cerv. sine igne an. ℥ j.
Corall. rub. præp.
Pulv. tormentill. an. ʒ iij.
M. f. *pulvis*:
Aliò modò:
℞. *Terræ sigill.* ℥ j. vel ℥ j ß.
Ras. priapi cervi ℥ j.
Corn. Cerv. usti sine igne ʒ vj. ad ℥ j.
Corall. rub. præp.
Pulv. tormentill. an. ʒ iij.
M. f. *pulvis*: S.
Pulvis adstringens.

Cujus dosis ʒ j. bis vel ter in die in vehiculo quocunque calido. Vel
℞. *Ras. priapi cervi* ʒ ij.
Corn. Cerv. sine igne
Antimonii diaphor. an. ʒ j.
M. f. *pulvis*.
Divid. in tres partes æquales, S.
Vt antea

Addi his pulveribus possunt *laudani opiati* grana aliquot, & gutta *olei cinnamomi*.

Vehiculum pro dictis pulveribus esse potest:
℞. *Aqu. card. bened.*
Menthæ an. ℥ j ß.
Cinnam. ʒ vj.
Ess. opii ʒ ß.
Syr. card. bened. ʒ vj.
M. D. S.
Potiuncula confortativa ad pulverem.

Juxta priapum cervi, Corni Cervi est egregium remedium, quod multis scopis ad curam dysenteriæ satisfacit, quod facilè patet, sive ustum assumatur, sive sine igne præparatum propinetur, imprimis ejus & eboris gelatina: v. g. sit Julepus propinandus ad dysenteriam:
℞. *Decoct. hord. cum Corn. Cerv.* ℔ i ß. (loco hujus potest sumi *Decoctum priapi cervi* pro lubitu)
Gelatin. Corn. Cerv. ℥ ß. vel ʒ vj. ad ℥ j.
Aquæ Cinnamom. ʒ vj.
Syr. de symph. Fern. ℥ j.
M. f. *Iulepus*: S.
Iulepus confortativus.

Capiatur pro lubitu.

Aqua Cinnamomi additur propter stomachum, cui est convenientissima, cùm in dysenteria ratio omninò sit habenda stomachi, imprimis quando affecta sunt intestina tenuia, & sequi solet vomitus.

Vel etiam Gelatina corni cervi & Gelatina priapor. dictor., maximè priapi cervi, dissolvuntur in potu ordinario hoc modo:
℞. *Gel. corn. cerv.*
Priapi cervi an. ℥ j.
M. S.
Gelatina ad potum.

Hæc Gelatina super igne liquescit, cujus dosis cochl. ij, vel iij. in Mens. j. cerevisiæ vel potus ordinarii, & crebriùs usurpari potest. Non alterat saporem cerevisiæ, & tamen egregiè confert; sunt enim hi priapi concretum quasi medium inter cartilagines & ossa.

Quidam commendant pro potu Decoctum corni cervi cum radice pimpinellæ, uti est RIVERIUS, utpote qui pimpinellam, sanguisorbam scilicet (altera enim nimis acris foret) ceu expertam in dysenteria commendat: vid. RIVERIUS *Cent. 3. Obob.* 84.

Juxta corni cervi etiam aliorum animalium, imprimis violenter interemptorum, ossa & cornua in dysenteria sunt usitata & egregia, partim sine igne præparata, partim & usta. Usta quidem, qualiacunque sint, coincidunt vi absorptivâ, temperativâ & diaphoreticâ: sed & non usta conveniunt. De ossibus bovinis calcinatis, quæ multùm commendantur, item ossibus humanis calcinatis aut sine igne præparatis, quæ similiter sunt admodum utilia, ex homine nempè violenter interempto desumpta, utpote in quibus de mumia vitali sive spiritu insito nonnihil adhuc superest, nihil dicam: saltim moneo, quod rasura cranii humani, vel cranium humanum sine igne ad ʒ j, vel sola vel cum opiatis, sunt egregium specificum in dysenteria, imprimis desumpta ex homine violenter interempto. Exempla prostant, quod dysenteria contumax beneficio rasuræ pulverisatæ cranii humani ad ʒ j. propinatæ fuerit curata, quæ etiam experta est ab Illustri *Dno* BOYLE, *Anglo*, ut ipse mihi narravit: videatur etiam commendata hæc rasura apud Riverium in sua Praxi lib. 10. cap. 6: Hinc etiam usnea cranii humani, tàm suspensi quàm rotâ fracti, singulare specificum est in dysenteria à ℈ ß. vel gr. xv. ad ℈ j, sive solùm sive cum aliis propinata. Taceo polychrestum ejus usum in hæmorrhagiis omnibus de hac usnea & arcanis sub eadem sepultis contra quamcunque hæmorrhagiam, vid. HELMONTIUS *de Magnet. Vulner. Curat.* Unum adhuc moneo de hac usnea: experimentum egregium factum est in Anglia, uti retulit mihi unus ex Collegio Experimentali Regio: Curasse quendam secari venam: verùm, utut sanguis floridus exsilierit, tamen arrepta usnea subitò suppressum fuisse; cùm verò deposuisset usneam, denuò confertim exiisset; simul ac verò denuò manu arripuerit, cessasse cum insigni præsentium admiratione. Narrat hoc ipsum etiam BOYLE *in sua Philosophia Experimentali*, *Anglico idiomate conscripta*. Porrò dens hippopotami, & hujus loco unicornu verum, est singulariter expertum in dysenteria, si præparatum à ℈ j. ad ʒ ß. vel ℈ ij. ad ʒ j. propinetur. De hoc dente: vid. WORMIUS & BARTHOLINUS. Confert imprimis hic dens hippopotami tunc temporis, ubi imminent convulsiones, utpote contra quas est singulare remedium. Certum est, quod obiter adjungo, experimentum contra hæmorrhoides nimium fluentes; item contra nimiam hæmorrhagiam uteri, seu nimium mensium fluxum, est experimentum HOECHSTEDTERI.

Uva quercina singulare dicitur specificum, quod à non paucis commendatur, uti potestis videre in SENNERTO *cap. de Dys. p.* 359, item SCHENKIO *l. 3. Observ.* Verùm cum non semper reperiatur hujusmodi uva quercina, sub

sub radice quercus collecta, in defectu hujus non incommodè potest substitui viscum quercinum, aut etiam fungus quercinus, vel fungus sorbi aucupariorum; hi ipsi enim similiter sunt egregii.

Post uvam quercinam est *Tragea granorum acles*, seu panis insuccatus cum succo baccarum Sambuci, & est egregium specificum à plurimis expertum. Laudes videbitis in HARTMANNI *Praxi Chym. p.* 19. item BORELLO *l.* 2. *Obs.* 40. Optimus præparandi hunc pulverem modus est hic: (nam vario modo præparatur:)

℞. *Succi granor. acles rec. expr.* q. v.

Ex quo per subsidentiam clarificato cum *farina secalina* conficitur massa, è qua ordinario modo panis formetur, qui bis in fornace ad debitum duritiem coquitur, ut redigi possit in pulverem: Ex pulvere isto cum *succo baccarum sambuci* iterum formetur panis, & priori modo coquatur, id quod tertiâ vice similiter repetatur: Deinde ubi tertiâ vice similiter pulverisata ista pasta fuerit, addatur.

Sang. lepor. crudi rec. (de quo postmodum) ℥ jv.
Pulv. priapi cuiuscunque, uti notum est, vel *ceti*, vel *cervi*, vel *tauri* ℥j ß. vel ℥ ij.
Succi gran. sambuc. rec. q. s.
M. f. *Massa*; quæ denuò in clibano blandè siccetur & pulverisetur.

Addatur, si lubet, *sacchari* ad pondus omnium.

Dosis est ℥ ß. sine saccharo verò à ℥ j. ad ℥ ii. Inspergatur pani tosto, vino intincto, & ita assumatur.

Quidam conjungunt *succum granatorum maturorum* cum *succi sambuci* ana, & cum *farina frumenti* q. s. faciunt pastam, & superiori modo procedunt.

Facta est mentio sanguinis leporini, qui similiter singulare est specificum antidysentericum. Observandum autem est, quod non accipiendus sanguis ex lepore sponte mortuo, aut frigore enecato, sed potiùs, quantùm fieri potest, in fuga capto, &, dum ita à canibus fatigatur, & summo sub periculo & pavore mortis constitutus est, jugulato; tunc enim sanguis est optimus, qui duplici modo usurpandus: aut enim hic sanguis linteo mundo excipitur, quod linteum siccatum haustui cerevisiæ vel potui ordinario per noctem infusum dysenteriam curat: aut ipse sanguis leporis, superiori modo capti, exsiccatus & pulverisatus ad ℥ ß. vel ℥ j. propinetur; nobile & expertum est remedium: vid. HELMONTIUS *Tr. Potestas Medicaminum* §. 28. Et usum hujus lintei expertus est desideratissimus noster Præceptor, D. MICHAELIS, felicissimo sæpiùs cum successu. Commendat & hunc sanguinem SchmucK *in Thesauriolo Secret.* 10. *Thes.* 2. RHUMELIUS *p.* 415. & MINDRERUS *in Medicina militari*.

Juxta hunc sanguinem non minoris etiam est usus sanguis pavidi agni, qui etiam priùs perterrefactus & in articulo mortis constitutus, juguletur, & sanguis dicto modo colligatur, & usurpetur: Multum in recessu habet; & loco sanguinis leporini convenienter à quibusdam substituitur; sic enim pavor, ejusque idea sigillat sanguinem totum, ratione cujus remedium est ad dysenteriam. Usurpatur igitur pulvis talis sanguinis, tàm leporini quàm agnini, à ℥ ß. ad ℥ j. imprimis in succo vel syrupo cydoniorum: cui si addere velimus vel mumiam, vel aliquid simul de lapide hæmatite, perinde est. De sanguine agnino vid. etiam RHUMELIUS *in Iatro-Herm. p.* 415. item MINDERERUS *in eleganti sua Medicina Militari*. Porrò inter specifica dicta hepar serpentum & viperarum ritè exsiccatum & pulverisatum etiam nobile est specificum, & primum ferè locum meretur in omni dysenteria, seu communi seu benigna, seu epidemica maligna: vid. M. A. N. C. *an.* 2. *Obs.* 127. *p.* 209. Dosis à ℈ ß. gr. xv ad ℈ j. vel solum, vel cum crystallo mixtum, quæ bilis porraceæ & dysenteriæ Antidotus prædicatur à LANGIO *in Epistol.* 1. & experimento comprobatur ab HEER *in ejusmodi Observatione de Cholera*. D. MICHAELIS in frequentissimo simul ac expertissimo & felicissimo fuit usu, cui communicatum fuit à D. ELLENBERGIO, *Medico Hallensi*, qui satelliti Principis fluxu desperato laboranti in haustu vini rubri propinavit, tàm felici successu, ut intra horam fuerit suppressus fluxus: e. g.

℞. *Pulv. hepat. viper.* ß.
Crystall. præp. vel corall. rub. præp. ℈ j.
Laud. opiati ferm. gr. ij.
M. pro *duabus dosibus*: S.
Pulvis adstringens.

Vel

℞. *Pulv. hepat. viper.* ℈ j. ad ij.
Extr. tormentill. ℈ j. ad ʒ ß.
Laud. opiati gr. ij. vel *laud. hyster.* gr. jx.
Olei destillat. mac. gutt. ij.
M. pro *duabus dosibus*: S.
Pulvis confortans.

Vel

℞. *Extr. tormentill.* gr. xxjv.
Hepat. viperar. ℈ j.
Lapill. Cancr. præp. ℈ j.
Laud. hysteric. gr. ix.
Olei destillat. cinnam. gutt. ij.
Misce divid. in *duas partes æquales*: S.
Pulvis.

Vel

℞. *Pulv. priapi ceti* ʒ j ß.
Hepat. viper. ʒ ß.
Corall. rub. præp. ℈ ij.
Laudan. opiati gr. vi.
Olei destillat. cinnam. gutt. jv.
M. *pro* 6. *dosibus*: S.
Pulvis.

Anno 1669. cum acerbissimæ hic grassarentur dysenteriæ epidemicæ, hoc pulvere felici cum successu gravissimam curavi dysenteriam:

℞. *Pulv. hepat. viper.* (*vel serpent.*) *exsicc.* gr. xv.
Crystall. præp. ℈ ß.
M. fiat *Pulvis*:
Detur in triplo.

Prima dosis assumebatur manè; secunda à meridie hor tertiâ vel quintâ; tertia dosis post mediam noctem. Certè miratus sum efficaciam hujus pulveris, quam nunquàm credidissem. Vehiculum erat sequens:

℞. *Aqu. tormentill.* ℥ ii. vel iij.
Cinnam. cum. vin. vel cydoniat. ʒ. vi. vel ℥ j.
Spiritus theriacal. camphorat. ʒ ii. vel iii.
Syr. de symphyto Fernel. ℥ ß. vel ℥ j.
M. tàm *pro vehiculo dictorum pulverum*, quàm etiam cochleatim usurpando.

Vel

℞. *Aq. plantagin.* ℥ ii.
Menthæ ℥ i.
Cinam. ʒ iii.
Syr. diacod. ℥ ß.
M. D. S.
Potiuncula confortativa.

Vel

℞. *Troch. de carab.* ʒ j.
Hepat. viperar. ℈ i.
M. f. *pulvis*.
Divide in 2. partes æquales. S.
Pulvis.

Capiantur in dicto vehiculo.

WEDELIUS felleam vesiculam ante hepatis exsiccationem separari jubet: hæc enim stimulandi vim habet: undè & in partu difficili bilis viperarum adhibetur non sine fructu, uti cum HELMONTIO idem asserit. Interdum etiam addebam terram sigillatam & ossa bovina an. ℈ j. felici cum successu. Præscribebam crystallum præparatam, ut absorberet & imbiberet, sicque temperaret acidum; inserviunt enim speciatim bili porraceæ vel æruginosæ corrigendis; undè specificum est crystallus in cholera, à bile porracea orta: hepata verò præscripsi ratione malignitatis, ob quem felicem usum ingreditur *Pulverem antidysentericum D. Michaelis*, qui est talis:

℞. *Hæmat. præp.* ℔. i.
Cornu cer. cum antimonio ustr.
Croci Martis adstring.
Mag. corall: cum succo citri an. ℔ ß.
Medull. saxor. ℥ iv.
Pulv. hepat. serpent. vel *viper.* ℥ ii.
M. f. *Pulvis*.

Dosis à ℥ ß. ad ℥ i. usurpabatur feliciter. Conf. HOFFMANNI *Clavis p.* 108.

Præter hepata viperarum sunt, qui insigniter etiam commendant hepata ranarum viridium, qui pulvis simili usu dicitur fuisse *Secretum Paracelsi antidysentericum*, de quo sit fides penes autorem.

Non ignotum est etiam, quod à multis commendetur pomum excavatum, cum cera & gummi Arabico repletum,

tum, assatum, & comestum tanquam specificum antidysentericum. Laudatur admodum tale pomum ab HARTMANNO *in Pr. Chymiatr. p. 196.* uti etiam ab HORSTIO *l. 4. Observ. 20.* item *in Problem. p. 70. Dec. 60. Quæst. 5.* Sanè AMATUS LUSITANUS *in l. 6. Curat. 14.* multiplici ceræ usu curatam dysenteriam observat. Loco pomi communis melius est, si usurpetur pomum cotoneum maturum, utpotè cum hoc non sit inelegans contra dysenteriam remedium: Autor est VALERIOLA *l. 8. Obs. 4.* Præscripsi aliquando experimenti gratiâ:

℞. *Gum. Arab.* ʒ j.
Mastich. ℈ j.
Pulverisatis adde
Laud. opiati gr. ij.

Hic *Pulvis pomo excavato* indebatur ac assabatur, & totus comedebatur, erat esus in sapore adstringentissimus: sed non vidi adeò magnum effectum, utut non sit contemnendum remedium.

Quò etiam pertinet pulvis *dysentericus Cratonis* ex *gummis Arabico*, *corallis* & *tragacantha*.

Porrò stercus canis seu Album Græcum vulgò commendatur, & admodum expertum est remedium pro pauperculis, speciatim si canis per sex dies noctesque probè ossibus fuerit nutritus: nam superiùs commendavi ossa. Dosis est à ʒ ß. ad ʒ j. addito pauco sacchara in vehiculo lactis caprilli, vel simplicis vel chalybeati: Nam hoc stercus, vile licèt, reverà tamen non ignobile & singulare est experimentum in dysenteria & omnibus hæmorrhagiis, etiam desperatis. Sanè FRANCISCUS *Ioel in sua Praxi de Dysenteria*, & FORESTUS, uti etiam MINDEREUS *in Medic. Militari*, idem multis nominibus commendant, Sic rusticam mulierem quæ ultra 4. septimanas gravi uteri fluxu laboraverat, mediante hoc stercore felicissimè curavi.

Ungula equina, seu istud cornu molliusculū, quod ex ungulis equinis exscinditur, quando ferramenta applicantur, exsiccata, & pulverisata, ad ʒ j. frequēter propinata, optimū est remedium ab EVRERO ad Dysenteriam cōmendatissimum; quam ungulam caballinam in butyro vel pinguedine tostam, & quidē ex equa, itidem specificè laudat HELMONTIUS *Tract. Pylor. Rector. §. 22.* item *Tract. Ignota Actio Regim. §. 41.* Videri etiam potest LANGIUS *Comment. in Fabrum*, qui & ipse adstipulatur HELMONTIO, ejusque asserta approbat. Curat etiam epilepsiam; sed cautela hæc observetur, ut ungula collecta sit ex equa, quæ non lascivit; aliàs plurimùm obest, quàm prodest.

Satyrioni multa attribuunt in hoc morbo, idque imprimis, qui PARACELSI terunt vestigia, qui insigniter illam commendat in quamplurimis morbis. Duæ vel tres radices potui infusæ & ita potatæ singulariter commendantur contra dysenteriam, undè & radix satyrionis à multis admodum laudatur.

Aqua suberata, sive aqua, in qua suber bullierit, pro potu ordinario, item pulvis suberis combusti, arcanum dicitur contra dysenteriam, expertum à BORELLO *Cent. 1. Obs. 23. & 57.* & à RIVERIO *in l. 4. Observ. 87.* Quidam etiam commendant insigniter julos Iuglandis, tempore vernali in Majo arboribus adnascentes, qui sereno cœlo collecti, siccati & pulverisati, & ad ʒ j. in Aquis appropriatis propinati, à multis commendantur. Huc pertinet Tormentilla, ejusque pulvis & extractum; rob, item sorbi torminalis, & hujus defectu sorbi aucupariæ, ceu ex Diarrhœa cognita, præsuppono. Unicornu fossile, terra Vitrioli dulcis ex vitriolo martiali saltem desumpta, quibusvis martialibus longè præferenda: quæ martialia juvant quidem, ubi ab acido specialiter originem trahit dysenteria, malumque est levius, quia acidum saturant; in reliquis autem casibus, dysenteria nempè contagiosa, aut maligna, vel epidemica, minus proficua videntur. Sulphur, hujusque flores sunt præstantes. Lignum fraxini iustò tempore collectum, ad ʒ j. pulveretenus in vino calido adhibitum, singulare est specificum in dysenteria.

Tandem alumen inter alia quàm plurima etiam laudatur ad dysenteriam: & quidam tantummodò recipiunt tria aluminis frustula magnitudinis pisi, propinant in vino rubro calido, & pretiosum dicunt esse arcanum. Alii, quod magis approbo.

℞. *Alum. crud.* ʒ ß.
Cinnam: ʒ j ß.

Redigunt in formam pulveris, & ita in vino rubro dosi ℈ j. propinant.

Sicut etiam aluminis aliquot grana aliis pulveribus mista sunt optima.

Sicut etiam aluminis aliquot grana aliis pulveribus mista sunt optima.

Hæc ferè sunt specifica.

Progredimur ad ea, quæ communiter & generaliter ad dysenteriam usurpari solent, & pleraque simplicia styptica, adstringentia, & acidum absorbentia, & pinguia istud obtundentia, ac aliàs in diarrhœa, cholera & vomitu usitata; item quælibet vulneraria magis usitata sunt, ver. gr. plantago, portulaca, tormentilla, pimpinella, sanguisorba, persoliata, hedera terrestris, centumnodium, lysimachia, potentilla, folia quercus, millefolium, bursa pastoris: radix tormentillæ, plantaginis, Nymphææ, filipendulæ, consolidæ majoris, pœoniæ, bistortæ, enulæ: flores rosarum rubrarum, balaustiorum, juli corylini, flores papaveris rheados, bellidis, hyperici, cimæ quercus (NB. in quercu singularia latitant contra hunc morbum) semina plantaginis, acetosæ, portulacæ, nasturtii, aquilegiæ, persoliatæ, papaveris albi, &c. STOEKERUS *in sua Praxi* tanquam expertum commendat semen papaveris contusum, cum vitello ovi, & frixum in cineribus. Mala cydonia, mespila, sorba, myrtilli, spongia cynosbati (cujus aliàs ʒ j. commendatur ad quascunque hæmorrhagias) nux moschata &c.: hinc omnes dictorum simplicium succi, syrupi, extracta, succus plantaginis & hederæ terrestris ceu singulares laudantur. In fine dysenteriæ valdè confert succus absinthii, & menthæ depuratus, ac saccharo in syrupum redactus; habet enim mentha cum absinthio mista miram vim corroborandi ventriculum. Aqua bursæ pastoris, cinnamomi, quercus &c., commendatur specificè ab HORSTIO; ab aliis aqua tormentillæ, plantaginis, cinnamomi cydoniata, syrupus de rosis siccis, myrtinus, plantaginis, portulacæ, cydoniorum, coralliorum Quercetani, de symphyto Fernelii, papaveris: imò si dysenteria à multo fructuum usu contigerit, in ipso principio valdè laudat hic syrupum de absinthio cum aqua cinnamomi vel theriacali RIVERIUS *in Praxi*, ubi de Dysenteria. Melius erit ejus Decoctum.

Præ cæteris convenit lac crebriùs usurpatum, in principio serosius, e. g. caprillum abstergendi fine, in progressu lac bubulum consolidandi & glutinandi fine: hinc & ex lacte parata remedia frequenter à quibusdam in dysenteria laudantur, quia temperant humores acres, irritationem intestinorum sic sistunt, & quibusdam additis, simul adstringunt: lac amygdalarum dulcium & seminum, sive emulsio cum aqua chalybeata parata, ut oleositas omne obtundat acidum: item lac chalybeatum, tàm medicamenti quàm alimenti vices sustinet. De jejunio ejusque usu vid. HOLTERHOFF *loc. cit. p. 39.*; item quomodo in metu coagulationis corrigendum, & ne vitiosè concrescat, præcavendum? videatur *Pharos Medicor.* BONETTI ex BALLONIO *pag. 426.*; nempè in specie chalybeandum.

Eò præstantiùs evadit lac, si appropriata in eo decoquantur: nempè lac chalybeatum, in quo radix symphyti majoris decoquatur, de quo bonus haustus calidè propinetur ægro ter in die, quod, ut suprà dixi, singulare est specificum. Vel

℞. *Lact. rec.* in quo 5. vel 6. deleatur *ferrum ignitum* M. j.
Huic incoquantur
Rad. symph. major.
Tormentill. an. ʒ j.
Ad tertiæ partis consumptionem.
D. S.
Lac sanans.

De Colatura ter in die propinetur bonus haustus.

Vel

℞. *Ras. priapi cervi* ʒ j ß.
Rad. tormentill. ʒ j.
Coqu. *in lactis* ℔ ij.
Colatura misc. cum pauco *sacchara*,
D. S.
Lac adstringens.

Sed NB. absit febris.

Si ipsum lac solitarium videatur incommodius, dimidio aquæ, vel communis vel cujusdam appropriatæ, diluatur, invicem ebulliant, & ita crebriùs propinentur. Convenit itidem Decoctum Orizæ in lacte cum vitellis ovorum & succo hederæ terrestris.

Præterea Essentia & syrupus symphiti majoris, essentia vul-

vulnerariæ compositæ, Extractum theriacale, tormentillę, &c. usurpantur, quæ extracta cum laudano opiato dant elegantes pilulas nocturnas: item spiritus theriacalis camphoratus, tinctura corallorum sassafrata, tinctura sulphuris vitrioli, liquor stypticus ex terra sigillata cum spiritu nitri, à *Barbolettio liquor aureus* dictus, tinctura hæmatitis, & theriacalia quæcunque, item mixtura simplex in principio dysenteriæ malignæ.

Præter dicta etiam terræ minerales conveniunt, ut terra sigillata, ossa humana calcinata, terra vitrioli dulcis, i. e. quæ per crebriorem lotionem dulcis reddita, & loco omnium crocorum Martis adstringentium esse potest, ex cujus ʒß. ter propinata FABER *Cur. 28. p. 324.* puerum curavit. Hinc AGRICOLA hunc commendat *Bolum*:

℞. *Terræ vitriol. dulc.* ℈ß.
Off. microcosm. calc. gr. xij.
Theriac. ʒß.
M. pro Bolo. Vel

℞. *Theriac.* ʒß. ad ʒj.
Terr. sigillat.
Vitrioli dulc. an. gr. xv.
Off. microcosm. præp. gr. xij.
M. f. *Bolus*: S.
Bolus adstringens pro una dosi.
Vel

℞. *Theriac. Andr.* ʒj.
Hæmatit. præp. ℈j.
Off. microcosm. præp. gr. xv.
Sacchar. saturni gr. vj.
M. f. Bolus: S.
Vt antea.
Vel

℞. *Rob sorbi tormin.* ʒjß.
Bezoard. Martial. gr. xv.
Terr. vitr. dulc. gr. vj.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
M. f. *Bolus*: S.
Vt antea.

Item bolus armena, antimonium diaphoreticum, myrrha, (est balsamica, & elegans, imprimis ejus essentia) sulphur & flores sulphuris, succinum (hoc est singulare) sunt egregia, imprimis lapilli cancrorum præparati, umbilicus marinus præparatus, trochisci de terra sigillata & de carabe ad ʒj. insigniter conferunt, non tantùm in dysenteria, sed etiam in sputo sanguinis: E. g.

℞. *Aqu. plantag.* ℥ij. vel ℥iij.
Cinnam. ℥ß. vel ʒvj.
Acet. rosaci, vel *acet. dest.* ʒiij. vel ℥ß. ad ℥j.
El. Diascord. Fracast. ʒj. ad ʒij.
Trochisc. de carabe, vel *de terr. sigill.* an. ʒß.
Lapill. Cancr. præp. ℈ij.
Antim. diaphor. ℈j.
Syrup. Myrtin. ʒvj. vel ℥j.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.

Modus hic per mixturam præscribendi est Sylvianus.

Vel ℞. *Aq. plantag.*
Portulac. an. ℥jß.
Cinnam. ʒvj.
Acet. rosac. ℥ß.
Trocb. de carab. ʒj.
Corn. Cerv. usti præp. ℈ij.
Sacchar. saturni ℈ß.
Syr. Myrtin. ʒvj. vel ℥j.
M. D. S.
Mixtura adstringens confortativa.

℞. *Aq. plantag.* ℥iij.
Cinnam.
Acet. rosac. an. ʒvj.
El. diascord. Frac. ʒj.
Terræ sigill. ʒß.
Sacch. Saturni ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. myrtin. ℥ß.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.

℞. *Aqu. plantag.* ℥iij.
Spiritus theriacal. camphor. ʒiij.
Extract. tormentill. ʒjß.
Corall. rub. præp. ℈j. ad ℈ij. } vel loco
Terræ vitr. dulc. gr. xv. ad ℈j. } horum
Laud. opiat. gr. iij. } *trocb. de*
Syr. myrtin. ℥j. } *carab.* ʒjß.
M. f. *Potio*: S.
Vt antea. Vel

℞. *Aq. Menthæ*,
Plantag.
Tormentill. an. ℥j.
Cinnam. ʒvj.
Trocb. de carab. ʒj.
Cran. human. sine igne ℈ij.
Laud. opiat. gr. vj.
Syr. de symph. Fern. ℥j.
M. f. *Potio*: S.
Vt antea. Vel

℞. *Aqu. plantag.* ℥iij.
Cinnam. ʒvj.
El. diascord. Frac. ʒjß.
Theriac. Andr. ʒj.
Terræ vitrioli dulc. ʒß.
Laudan. opiat. gr. iij.
Syr. myrtin. ℥j.
M. f. *Potio*: S.
Vt antea.
Vel

℞. *Aq. plantagin.* ℥ij.
Tenell. Corn. Cerv. ℥j.
Acet. destill. vel *simpl.* ʒvj.
El. diascord. Frac. ʒij.
Antimonii diaphor. ʒß.
Syr. Cydonior. ℥j.
M. f. *Potio* pro *tribus dosibus*: S.
Mixtura adstringens confortativa pro tribus dosibus.

Vel ℞. *Aqu. plantag.*
Scord. an. ℥jß.
Acet. vini vel *rosat.* ʒiij. ℥ß. ad ℥j.
El. diascord. Frac. ʒj. ad ʒij.
Corall. rub. præp. ℈ij.
Extract. tormentill. ʒß.
Syr. cydon. aromat. ℥ß.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.
Vel

℞. *Aq. plantaginis* ℥iv.
Cinnam. spirituos. ʒij.
Acet. vini ℥ß.
El. diascord. Frac. ʒij.
Corn. Cerv. usti præp.
Extr. tormentill. an. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. cydon. ʒij.
M. S.
Vt antea.
Vel

℞. *Aq. plantagin.* ℥ijß.
Menth. ℥jß.
Cinnam.
Acet. vini an. ℥ß.
El. diascord. Fracast. ʒij.
Corallor. rub. præp. ℈ij. ad ʒj.
Extract. tormentill. ʒß.
Syrup. plantag. ℥ß.
M. D. S.
Potio confortans ad quietem.
Vel

℞. *Aqua menthæ* ℥ij.
Serpill. ℥j.
El. diascord. Frac. ʒjß.
Terræ sigillat.
Corn. Cer. usti præp. an. gr. xv.
Pulv. hepat. viperar. ʒß.
Syr. cydonior. ℥ß.
M. f. *Potio* pro *tribus dosibus*: S.
Vt antea.

Sic *in dysenteria* cum copiosa sanguinis rejectione per inferiora, ultra biennium durante, *ab usu potionis purgantis blandæ* ex gummi ammoniaco in aceto soluto, cum scammonio sulphurato, & extracto trochiscorum alhandal; quæ tamen in virgine delicata cachectica, cui non ritè fluebant Menses, cum tumore abdominis flatulento, nato ex muco acido-viscido, ultra 15. imò 18. secessus procuravit, profuit hæc Mistura, cùm optima specifica in cassum adhibuerat:

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. plantagin.* ℥ ij.
Cinnam. ʒ ß. vel ʒ vj.
El. diascord. Frac. ʒ j.
Troch. de carabe ʒ ß. ad ℈ ij.
Hæmat. præp. ℈ j. ad ℈ ij.
Antimonii diaphor. gr. xij.
Syr. card. bened. vel *planteg.* ℥ ß.
M. pro *Potione*:

Quæ mixtura cochleatim sumpta omnia pacata reddidit.

Habui quoque agnatam mulierem, 27. annorum natam, texturæ aliàs delicatæ, & fermenti digestivi stomachici adeò teneri, ut etiam blandiora quoque remedia, tàm alterantia quàm laxantia, eandem graviter affecerint: Præterea hæc scorbuto hæreditario affecta & hystericis passionibus obnoxia, tussim stomachalem patiebatur, ex acido viscido stomachi obortam: pro qua curanda præscripsi, præmissis præmittendis, has pilulas:

℞. *Gum. Ammoniaci in aceto sol.* ℈ ß.
Aloes luc. gr. iij.
Extr. troch. alband. gr. ß.
Laud. hyster. gr. v.
M. f. *pilulæ*.

Cepit has vesperi ante cœnam, manè aliquoties cacavit, semelque vomuit, & sana reddita fuit. Hinc interjectis aliquot mensibus tussis rediit, undè easdem pilulas iterum præscripsi, quibus assumptis in copiosissimos vomitus, hypercatharses cruentas cum tenesmo, ex quibus hinc vires prosternebantur, passionemque hystericam incidit: in quo casu inter alia remedia hunc pulverem proficuum experta est:

℞. *Corall. rub. præp.*
Corn. cerv. usti præp.
Antimonii diaphor.
Terræ sigillat. an. gr. vij.
Laud. hyster. (cujus ordinaria dosis aliàs sunt gr. vj. in subjecto vero delicato dedi) gr. jv.
M. f. *pulvis*.

Hunc pulverem aliquoties deglutivit non sine successu, Passionis verò hystericæ satisfecit Elixyr uterinum D. Michaelis; sicut tenesmo sacculi ex floribus verbasci & chamomillæ in lacte bullitis, ut & clysma ex lacte simplici, addito tamen pauco sacchari: quibus adhibitis restituta est feliciter.

In forma pulveris aliàs sequentes etiam mihi familiares sunt.

℞. *Troch. de carabe* ʒ j.
Pulv. hepat. viperar. ℈j.
Laud. opiat. gr. iij.
M. f. *pulvis* pro duabus dos. S.
Pulvis adstringens,

Quibus addi etiam possunt *olei destill. cinnam.* gutt. ij.

Vel

℞. *Troch. de carabe* ʒ j.
Flor. sulphuris ℈ ij.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro *duabus dosibus*: S.
Vt antea.

Vel

℞. *Flor. sulphuris* ʒ ß.
Bezoard. Martial. gr. xv.
Terræ sigill. gr. iij.
M. f. *pulvis* pro dosi: S.
Vt antea.

Vel

℞. *Terræ sigillat.*
Flor. sulphuris an ʒ ß.
Antimonii diaphor. Martial. gr. xvj.
Vitrioli Martis ad albedin. calc. gr. viij.
M. pro *duabus dosibus*: S.
Vt antea.

Vel

℞. *Corn. cerv. præp.* ʒ ß. ad ℈ ij.
Laud. hyster. gr. v.
M. f. *pulvis*: S.
Vt antea.

Vel

℞. *Corn. cerv. usti præp.* gr. xv.
Bezoard. Martial. ℈ ß.
Laud. hyster. gr. v
Olei destill. cinnam. vel *macis* gutt. j. vel ij.
M. f. *pulvis*: S.
Vt antea.

Propinetur in vehiculo calido; convenit in statu.

Vel

℞. *Extr. tormentill.* ℈ j.
Terræ sigillat. gr. xvi.
Corn. cerv. usti præp. ℈ ß.
Laud. opiat. gr. ij
M. f. *pulvis*.
Divide in 2. *partes æquales*: S.
Pulveres adstringentes.

Vel

℞. *Extr. tormentill.*
Corn. cerv. usti præp. an. ℈ ß. ad gr. xij.
Vnic. fossil. gr. v.
Laud. opiati gr. j.
Olei destillat. macis gutt. j.
M. D. S.
Pulvis confortativus adstringens.

Vel

℞. *Extr. tormentill.* ℈ ß.
Corn. cerv. usti præp.
Lapill. Cancr. præp.
Laud. hyster. an. gr. v.
Olei destillat. cinnam. gutt. j.
M. S.
Vt antea.

Sic etiam crocus martis adstringens à ℈ ß. ad ℈ j. & hinc rubricà fabrilis, quæ multum de Marte participat, conveniunt: pulvis Bezoardicus SENNERTI cum aliis compositis in malignis: pulvis Saxonicus adstringens Bezoardicus, thus, myrrha, gummi Arabicum, putamina ovorum anserinorum, ossa bovina, ebur, maxilla lucii piscis, dens hippopotami, os sepiæ, talus porcinus calcinatus, qui commendatur à BARTHOLINO *Cent.* 5. *Histor.* 97, & saccharum saturni, quod nobile est remedium, & vobis (NB.) sit commendatum, plus in recessu habet in gravissimis torminibus, temperando specificè & corrigendo saporem dysentericum, à ℈ ß. ad gr. xv. cum aliis mineralibus usurpatum; unde etiam, cum hoc saccharo saturni præparatur tinctura antiphthisica, quæ est elegans in exulcerationibus internis quibuscunque. Pertinet etiam huc Michaelis liquor stypticus, & tinctura illa Martis adstringens ex terra sic dicta solari, cum spiritu salis paratus: Conf. HOFFMANNI *Clav. Schrœd. pag.* 133.

His & additur Theriaca, Mithridatium, electuarium diascordii Fracastorii, laudanum opiatum, & similia nota. Qui *præservationis gratia* aliquid postulat:

℞. *Theriac. Andr.* ℥ iij.
Ras. priapi cerv. ʒ vj.
Pulv. rad. tormentill. ʒ ß.
Extr. ejusd.
Vnic. fossil. an. ʒ iij.
Antimonii diaphor. ʒ j ß.
Laud. opiat. ferment. gr. xv.
c. s. q. *succi cydon.* f. *Electuarium*:
D. S.
Electuarium præservativum.

Vel

℞. *El. diascord. Frac.* ʒ j ß.
Ras. priapi cerv. vel *cerv.* ʒ i.
Troch. de carabe ʒ j ß.
Flor. sulphuris ʒ j.
c. *succo cydoniorum* f. *Electuarium*: S.
Vt antea.

De quo capiat æger manè à meridie & sub introitu lecti, pro lubitu.

Vel

℞. *El. diasc. Fracast.* ʒ j ß.
Ras. priapi cervi ʒ j ß.
Antimonii diaphoret. ʒ j ß.
cum *succo cydonior.* f. *Electuarium*;
D. S.
Vt antea.

De quo manè quantitatem castaneæ perservativè; curativè, autem in die.

Quod si vel in principio vel in declinatione dysenteriæ benignæ laxativa pro primis viis abstergendis usurpanda veniant, cautè hoc fiat; quandoquidem ii, qui in dysenteria

vulnerariæ compositæ, Extractum theriacale, tormentillæ, &c. usurpantur, quæ extracta cum laudano opiato dant elegantes pilulas nocturnas: item spiritus theriacalis camphoratus, tinctura corallorum saffatrata, tinctura sulphuris vitrioli, liquor stypticus ex terra sigillata cum spiritu nitri, à *Bartholetto liquor aureus* dictus, tinctura hæmatitis, & theriacalia quæcunque, item mixtura simplex in principio dysenteriæ malignæ.

Præter dicta etiam terræ minerales conveniunt, ut terra sigillata, ossa humana calcinata, terra vitrioli dulcis, i. e. quæ per crebriorem lotionem dulcis reddita, & loco omnium crocorum Martis adstringentium esse potest, ex cujus ʒß. ter propinata FABER *Cur.* 28. *p.* 324. puerum curavit. Hinc AGRICOLA hunc commendat *Bolum*:

℞. *Terræ vitriol. dulc.* ℈ß.
Off. microcosm. calc. gr. xij.
Theriac. ʒß.
M. pro *Bolo*. Vel

℞. *Theriac.* ʒß. ad ʒj.
Terr. sigillat.
Vitrioli dulc. an. gr. xv.
Off. microcosm. præp. gr. xij.
M. f. *Bolus*: S.
Bolus adstringens pro una dosi.
Vel

℞. *Theriac. Andr.* ʒj.
Hæmatit. præp. ℈j.
Off. microcosm. præp. gr. xv.
Sacchar. saturni gr. vj.
M. f. *Bolus*: S.
Vt antea.
Vel

℞. *Rob sorbi termin.* ʒjß.
Bezoard. Martial. gr. xv.
Terr. vitr. dulc. gr. vj.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
M. f. *Bolus*: S.
Vt antea.

Item bolus armena, antimonium diaphoreticum, myrrha, (est balsamica, & elegans, imprimis ejus essentia) sulphur & flores sulphuris, succinum (hoc est singulare) sunt egregia, imprimis lapilli cancrorum præparati, umbilicus marinus præparatus, trochisci de terra sigillata & de carabe ad ʒj. insigniter conferunt, non tantùm in dysenteria, sed etiam in sputo sanguinis: E. g.

℞. *Aqu. plantag.* ℥ij. vel ℥iij.
Cinnam. ℥ß. vel ʒvj.
Acet. rosaci, vel *acet. dest.* ʒiij. vel ℥ß. ad ℥j.
El. Diascord. Fracast. ʒj. ad ʒij.
Trochisc. de carabe, vel *de terr. sigill.* an. ʒß.
Lapill. Cancr. præp. ℈ij.
Antim. diaphor. ℈j.
Syrup. Myrtin. ʒvj. vel ℥j.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.

Modus hic per mixturam præscribendi est Sylvianus.

Vel ℞. *Aq. plantag.*
Portulac. an. ℥jß.
Cinnam. ʒvj.
Acet. rosac. ℥ß.
Troch. de carab. ʒj.
Corn. Cerv. usti præp. ℈ij.
Sacchar. saturni ℈ß.
Syr. Myrtin. ʒvj. vel ℥j.
M. D. S.
Mixtura adstringens confortativa.

℞. *Aq. plantag.* ℥iij.
Cinnam.
Acet. rosac. an. ʒvj.
El. diascord. Frac. ʒj.
Terræ sigill. ʒß.
Sacch. Saturni ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. myrtin. ℥ß.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.

℞. *Aqu. plantag.* ℥iij.
Spiritus theriacal. camphor. ʒiij.
Extract. tormentill. ʒjß.
Corall. rub. præp. ℈j. ad ℈ij. } vel loco
Terræ vitr. dulc. gr. xv. ad ℈j. } horum
Laud. opiat. gr. iij. } troch. de
Syr. myrtin. ℥j. } carab. ʒiß.
M. f. *Potio*: S.
Vt antea. Vel

℞. *Aq. Menthæ*,
Plantag.
Tormentill. an. ℥j.
Cinnam. ʒvj.
Troch. de carab. ʒj.
Cran. human. sine igne ℈ij.
Laud. opiat. gr. vj.
Syr. de symph. Fern. ℥j.
M. f. *Potio*: S.
Vt antea. Vel

℞. *Aqu. plantag.* ℥iij.
Cinnam. ʒvj.
El. diascord. Frac. ʒjß.
Theriac. Andr. ʒj.
Terræ vitrioli dulc. ʒß.
Laudan. opiat. gr. iij.
Syr. myrtin. ℥j.
M. f. *Potio*: S.
Vt antea.
Vel

℞. *Aq. plantagin.* ℥ij.
Tenell. Corn. Cerv. ℥j.
Acet. destill. vel *simpl.* ʒvj.
El. diascord. Frac. ʒij.
Antimonii diaphor. ʒß.
Syr. Cydonior. ℥j.
M. f. *Potio* pro *tribus dosibus*: S.
Mixtura adstringens confortativa pro tribus dosibus.

Vel ℞. *Aqu. plantag.*
Scord. an. ℥jß.
Acet. vini vel *rosat.* ʒiij. ℥ß. ad ℥j.
El. diascord. Frac. ʒj. ad ʒij.
Corall. rub. præp. ℈ij.
Extract. tormentill. ʒß.
Syr. cydon. aromat. ʒß.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.
Vel

℞. *Aq. plantaginis* ℥iv.
Cinnam. spirituos. ʒij.
Acet. vini ℥ß
El. diascord. Frac. ʒij.
Corn. Cerv. usti præp.
Extr. tormentill. an. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. cydon. ʒij.
M. S.
Vt antea.
Vel

℞. *Aq. plantagin.* ℥ijß.
Menth. ℥jß.
Cinnam.
Acet. vini an. ℥ß.
El. diascord. Fracast. ʒij.
Corallor. rub. præp. ℈ij. ad ʒj.
Extract. tormentill. ʒß.
Syrup. plantag. ʒß.
M. D. S.
Potio confortans ad quietem.
Vel

℞. *Aqua menthæ* ℥ij.
Serpill. ℥j.
El. diascord. Frac. ʒjß.
Terræ sigillat.
Corn. Cer. usti præp. an. gr. xv.
Pulv. hepat. viperar. ʒß.
Syr. cydonior. ʒß
M. f. *Potio* pro *tribus dosibus*: S.
Vt antea.

Sic *in dysenteria* cum copiosa sanguinis rejectione per inferiora, ultra biennium durante, *ab usu potionis purgantis blandæ* ex gummi ammoniaco in aceto soluto, cum scammonio sulphurato, & extracto trochiscorum alhandal; quæ tamen in virgine delicata cachectica, cui non ritè fluebant Menses, cum tumore abdominis flatulento, nato ex muco acidoviscido, ultra 15. imò 18. secessus procuravit, profuit hæc Mistura, cùm optima specifica in cassum adhibuerat:

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. plantagin.* ℥ ij.
Cinnam. ℥ ß. vel ʒ vj.
El. diascord. Frac. ʒ j.
Troch. de carabe ʒ ß. ad ℈ ij.
Hæmat. præp. ℈ j. ad ℈ ij.
Antimonii diaphor. gr. xij.
Syr. card. bened. vel *plantag.* ℥ ß.
M. pro *Potione*:

Quæ mixtura cochleatim sumpta omnia pacata reddidit.

Habui quoque agnatam mulierem, 27. annorum natam, texturæ aliàs delicatæ, & fermenti digestivi stomachici adeò teneri, ut etiam blandiora quoque remedia, tàm alterantia quàm laxantia, eandem graviter affecerint: Prætereà hæc scorbuto hæreditario affecta & hystericis passionibus obnoxia, tussim stomachalem patiebatur, ex acido viscido stomachi obortam: pro qua curanda præscripsi, præmissis præmittendis, has pilulas:

℞. *Gum. Ammoniaci in aceto sol.* ℈ ß.
Aloes luc. gr. iij.
Extr. troch. alband. gr. ß.
Laud. hyster. gr. v.
M. f. *pilulæ*.

Cepit has vesperi ante cœnam, manè aliquoties cacavit, semelque vomuit, & sana reddita fuit. Hinc interjectis aliquot mensibus tussis rediit, undè easdem pilulas iterum præscripsi, quibus assumptis in copiosissimos vomitus, hypercatharses cruentas cum tenesmo, ex quibus hinc vires prosternebantur, passionemque hystericam incidit: in quo casu inter alia remedia hunc pulverem proficuum experta est:

℞. *Corall. rub. præp.*
Corn. cerv. usti præp.
Antimonii diaphor.
Terræ sigillat. an. gr. vij.
Laud. hyster. (cujus ordinaria dosis aliàs sunt gr. vj. in subjecto vero delicato dedi) gr. jv.
M. f. *pulvis*.

Hunc pulverem aliquoties deglutivit non sine successu, Passionis verò hystericæ satisfecit Elixyr uterinum D. Michaelis; sicut tenesmo sacculi ex floribus verbasci & chamomillæ in lacte bullitis, ut & clysma ex lacte simplici, addito tamen pauco sacchari: quibus adhibitis restituta est feliciter.

In forma pulveris aliàs sequentes etiam mihi familiares sunt.

℞. *Troch. de carabe* ʒ j.
Pulv. hepat. viperar. ℈j.
Laud. opiat. gr. iij.
M. f. *pulvis* pro duabus dos. S.
Pulvis adstringens,

Quibus addi etiam possunt *olei destill. cinnam.* gutt. ij.

Vel

℞. *Troch. de carabe* ʒj.
Flor. sulphuris ℈ij.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro *duabus dosibus*: S.
Ut antea.

Vel

℞. *Flor. sulphuris* ʒ ß.
Bezoard. Martial. gr. xv.
Terræ sigill. gr. iij.
M. f. *pulvis* pro dosi: S.
Ut antea.

Vel

℞. *Terræ sigillat.*
Flor. sulphuris an ʒ ß.
Antimonii diaphor, Martial. gr. xvj.
Vitrioli Martis ad albedin. calc. gr. viij.
M. pro *duabus dosibus*: S.
Ut antea.

Vel

℞. *Corn. cerv. præp.* ʒ ß. ad ℈ ij.
Laud. hyster. gr. v.
M. f. *pulvis*: S.
Ut antea.

Vel

℞. *Corn. cerv. usti præp.* gr. xv.
Bezoard. Martial. ℈ ß.
Laud. hyster. gr. v

Olei destill. cinnam. vel *macis* gutt. j. vel. ij.
M. f. *pulvis*: S.
Ut antea.

Propinetur in vehiculo calido; convenit in statu.

Vel

℞. *Extr. tormentill.* ℈ i.
Terræ sigillat. gr. xvi.
Corn. cerv. usti præp. ℈ ß.
Laud. opiat. gr. ij
M. f. *pulvis*.

Divide in 2. *partes æquales*: S.
Pulveres adstringentes.

Vel

℞. *Extr. tormentill.*
Corn. cerv. usti præp. an ℈ ß. ad gr. xij.
Unic. fossil. gr. v.
Laud. opiati gr. j.
Olei destillat. macis gutt. j.
M. D. S.
Pulvis confortativus adstringens.

Vel

℞. *Extr. tormentill.* ℈ ß.
Corn. cerv. usti præp.
Lapill. Cancr. præp.
Laud. hyster. an. gr. v.
Olei destillat. cinnam. gutt. j.
M. S.
Ut antea.

Sic etiam crocus martis adstringens à ℈ ß. ad ℈ j. & hinc rubrica fabrilis, quæ multum de Marte participat, conveniunt: pulvis Bezoardicus SENNERTI cum aliis compositis in malignis: pulvis Saxonicus adstringens Bezoardicus, thus, myrrha, gummi Arabicum, putamina ovorum anserinorum, ossa bovina, ebur, maxilla lucii piscis, dens hippopotami, os sepiæ, talus porcinus calcinatus, qui commendatur à BARTHOLINO *Cent.* 5. *Histor.* 97, & saccharum saturni, quod nobile est remedium, & vobis (NB.) sit commendatum, plus in recessu habet in gravissimis torminibus, temperando specificè & corrigendo saporem dysentericum, à ℈ ß. ad gr. xv. cum aliis mineralibus usurpatum; unde etiam, cum hoc saccharo saturni præparatur tinctura antiphthisica, quæ est elegans in exulcerationibus internis quibuscunque. Pertinet etiam huc Michaelis liquor stypticus, & tinctura illa Martis adstringens ex terra sic dicta solari, cum spiritu salis paratus: Cons. HOFFMANNI *Clav. Schrœd. pag.* 133.

His & additur Theriaca, Mithridatium, electuarium diascordii Fracastorii, laudanum opiatum, & similia nota. Qui *præservationis gratia* aliquid postulat:

℞. *Theriac. Andr.* ℥ iij.
Ras. priapi ceti ʒ vj.
Pulv. rad. tormentill. ʒ ß.
Extr. ejusd.
Unic. fossil. an. ʒ iij.
Antimonii diaphor. ʒ i ß.
Laud. opiati ferment. gr. xv.
c. s. q. *succi cydon.* f. *Electuarium*:
D. S.
Electuarium præservativum.

Vel

℞. *El. diascord. Frac.* ℥ ß.
Ras. priapi ceti vel *cerv.* ʒ i.
Troch. de carabe ʒ j ß.
Flor. sulphuris ʒ i.
c. *succo cydoniorum* f. *Electuarium*: S.
Ut antea.

De quo capiat æger manè, à meridie & sub introitu lecti, pro lubitu.

Vel

℞. *El. diasc. Fracast.* ʒ j ß.
Ras. priapi cervi ʒ ß.
Antimonii diaphoret. ʒ j ß.
cum *succo cydonior.* f. *Electuarium*:
D. S.
Ut antea.

De quo manè quantitatem castaneæ perservativè; curativè, autem in die.

Quod si vel in principio vel in declinatione dysenteriæ benignæ laxativa pro primis viis abstergendis usurpanda veniant, cautè hoc fiat; quandoquidem ii, qui in dysen-

teria

teria statim eunt ad purgantia, non curant, sed omnia deteriora faciunt; qui verò priùs sistunt spirituum impetum, ac tormina sufflaminant, optimè curant, dicit LINDANUS. Quandò igitur ad incipientem dysenteriam quis venit, dato anodyno, & hinc conciliato somno, eùndum est ad purgationem, & blandè saltem eluenda intestina, vel in principio detur blandum laxans, mistum cum opiato, vel præmisso laxativo mox subjungatur opiatum. Inter purgantia sufficit aloe, vel usurpetur imprimis Rhabarbarum, quod tutum est, nunc crudum, nunc leviter tostum, ut partibus volatilibus exhalatis reliqua substantia interea styptica minus laxet; & hinc myrobalani: nam præter vim laxativam simul vim anodynam Rhabarbaro tribuit HOLDERHOFF *l.c.*: nunc solum usurpatur, nunc cum laudano opiato; hinc v.g.

℞. *Conserv. rosar.* vel *el. diascord. Frac.* ʒ ß. ad ʒ j.
Rhabarb. opt. pulverif. ℈ j. ad ℈ ij.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
cum *syr. cydon.* vel *de rosis sicc.* M. f. *Bolus*.
Detur *in duplo*: S.
Bolus abstersivus pro una vice.

Usurpetur vesperi & si opus est repetatur manè; si enim primâ vice non sufficienter abstergit, reiteretur. Vel

℞. *Conf. rosar. antiq.* ʒ j. vel ʒ j ß. ad ʒ ij.
Pulv. rhabarb. ʒ ß. vel ℈ ij. ad ʒ j. vel *tosti* ℈ ij.
Laudan. opiat. gr. j.
Syr. de rosis q. s.
M. f. *Bolus*: S.
Ut anteà.

Vel

℞ *Pulp. passul.* ʒ ij.
Pulv. rhabarb. el. ʒ ß. ad ʒ j.
Laudan. opiat. gr. j.
M. f. *Bolus*; S.
Ut anteà.

Vel

℞. *Aqu. plantaginis* ℥ j.
Cinnam. ʒ j.
Pulv. rhabarb. el. ʒ ß. ad ʒ j.
Laud. opiat. gr. j.
Syr. myrobal. ʒ ß.
M. S.
Potio laxatura bene circumagitanda.

Vel

℞. *Rhabarb. el.* ʒ ij.
Flor. rosar. rub. p. j.
Infunde in s. q. *seri lactis*:
Colatura ℥ ij. vel iij. adde
Syr. de rof. sicc. ʒ iij. ad ℥ ß.
M. S.
Potiuncula laxativa.

Vel

℞. *Aquæ plantagin.* ℥ j.
Pulv. rhabarb. ʒ j.
Laud. opiat. gr. j.
cum *syr. myrobal.* vel *cydon.* q. s.
M. D. S.
Ut anteà.

Laxantia talia commodiùs manè propinantur: somnifera verò seu opiata tutiùs & consultiùs sub noctem dantur, quia rarò de die agunt, noctu verò feliciùs ægri dormiunt; adhæc circa noctem ordinariò exasperatur dysenteria. Fit interdum, ut dysenteriâ correpti patiantur dolorem gravativum obtusum & compressivum sub umbilico, quasi materia ibidem incuneata hæreret, undè facilè oriri suspicio possit, quasi pathema hoc oriretur ex suppressis per opiata secessibus, qui tamen non est; quin potiùs ex continuato spasmo intestinorum, in quodam loco pertinaciùs vellicatorum, originem ducit: undè externè lenientia, item later calefactus abdomini applicatus molestissimum istum dolorem compressivum & gravativum in abdomine sistunt.

Si *Dysenteria maligna*, omittenda laxativa, & nunc in principio, nunc sub cursu morbi, sudorifera usurpanda veniunt, specificis juncta: e. g.

℞. *Corn. cerv. sine igne* ℈ j.
Antimonii diaphor. ℈ ß.
Sal. vol. viperar. gr. v.
Laudani opiat. ritè par. gr. j.
M. f. *pulvis*: S.
Pulvis adstringens.

Vel ℞. *Corn. cerv. sine igne* gr. xxiv. ad ʒ ß.
Terra sigill. ℈ j.
Sal. vol. corn. cerv. vel *extract. theriac.* gr. vj.
M. pro *duabus dosib.* S.
Ut anteà.

Vel

℞. *Pulv. Bezoard. Lud.* ℈ j.
Corall. rub. præp. vel *Antimonii diaph.* ℈ ß.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. *pulvis*: S.
Pulvis adstringens singularis.

Vel acui potest *sale volatili*, aut *viperinis*, aut etiam *extracto tormentillæ*.

Vel

℞. *Usn. cran. hum.*
Bezoard. miner. vel *solar.* an. ℈ ß.
M. f. *pulvis*: S.
Pulvis adstringens confortativus.

Qui olim etiam usitatus erat D. LANGIO.

Vel

℞. *Aqu. menthæ* ℥ j.
Spiritus theriac. campb. ʒ j. ad ʒ ij. (in omnibus alvi fluxibus prodest)
Antimonii diaphor. ℈ j.
Off. hum. calc. ℈ ß.
Extr. theriacal. gr. v.
Syr. card. bened. ℥ ß.
M. f. *Potio* pro *unâ vice*; S.
Potio adstringens confortativa.

Ubi nimia dissolutio sanguinis adest, liquor stypticus sive aurum potabile Bartholetti ex terra sigillata & spiritu nitri aurum convenit.

℞. *Quin. Essen. Cinnam.* ʒ j. (nobile remedium)
Menthæ ʒ ß.
M. D. S.
Confortans tinctura: 20. *usque ad* 25. *guttæ*.

Vir consistentis ætatis, dysenteriâ epidemicâ ex contagio occasione pavoris affectus, cum per 6. vel septem dies saltem diarrhoeâ simplici jam laborasset, quæ successivè in dysenteriam mutabatur, magis tamen mucosam, minus cruentam, *Albam* communiter dictam. Die saturni vesperi vocatus præscripsi:

℞. *Aqu. scord.*
Menth. an. ℥ j.
Aceti vini ℥ ß.
El. diascord. ʒ ij.
Terræ sigill. ʒ ß.
M. pro duabus dosibus.

Sudavit, & melius habuit.

Die solis admodum debilis, siticulosus & anxius erat; & quoties cerevisiam biberet tantillum frigidiusculam, aut potiunculam, toties in continenti urgebant secessus: Verùm ad juscula calida vel haustum calidum non item; non secus atque dum probè tectus stragulis, & munitus pedibus vel operculis abdomini aut pedi admotis probè caleret, & consequenter nonnihil sudaret, toties angustiæ & anxietates præcordiorum cessabant, *& si sudaret*, dicebat, *bene se habere nihil timere*; simul verò atque vel lecto surgeret, vel pedes nudaret, subitò anxietatibus præcordialibus tum sensu molestiæ torminosæ abdominis vel crebriori dejectione afficiebatur, undè & calidè custodiendum & calidum potum propinandum suasi per totum morbi cursum. Hinc die solis præscripsi:

℞. *Antimonii diaphor. Martial.* ʒ ß.
Terræ sigill. gr. xv.
Cornu cervi usti præp. ℈ j.
M. pro *duabus dosibus*:

Quas in *vehiculo calido jusculi gallinacei* vel *vini* capiebat, & sic melius habebat; unde & pro sequente nocte adhuc unam dosin capiendam monui. Sed utut opiata tàm suprà quàm sequentibus diebus simul propinarem, tamen parcissimus & minimè talibus proportionatus sequebatur somnus; id quod ferè obtinet in dysenteria, ut opiata in crebra & magna dosi ferre queant cum parco vel nullo somno, & minori virium prostratione, quam ex torminibus & secessibus patiuntur, aut opiata aliàs inferre solent. Ergò die lunæ præscripsi:

℞. *Raf. priapi cervi* ʒ j.
Laud. opiat. gr. iij.
M. pro duabus *dosibus*.

Vesperi præscripta *Potio* sequens:

℞. *Aq.*

℞. *Aqu. plantagin.* ℥ij.
Cinnam.
Spir. theriac. camphor. an. ʒij.
Acet. vini ʒß.
El. diascord. ʒj.
Lapill. Cancr. præp.
Antimon. diaphor. an. gr. xv.
M. f. *Potio*:

Capiebat pro lubitu.

Die Martis præscripsi:

℞. *Corn. Cerv. usti præp.* ʒß.
Mag. Corall. cum *succo citri* ℈j.
Terræ vitrioli dulc. ℈ß.
N. pro duabus *dosibus*.

Unam cepit manè, alteram circa mediam noctem in vehiculo cerevisiæ calidæ, cumino probè conditæ; vesperi verò tincturæ bezoard. gutt. L. cepit, quam posteà omni manè repetitam semper cum successu bono propter sudorem assumpsit, sicque evasit. Nam & alii huic malo tunc temporis obnoxii in principio bis vel ter acceptâ hâc tinctura mediante sudore facilè evaserunt; sicut aliis essentia theriacalis anodyna D. MICHAELIS ad 40. guttas optimè contulit:

Die ergo Mercuri, Iovis, & Veneris eadem tinctura Bezoardica manè capiebatur; à meridie verò mixtura ex electuario diascordii. Sed cùm nihilominus quotidiè ter vel quater, etiam noctu totidem vicibus, pateretur adhuc secessus mucosos cum pauco somno, sine torminibus tamen, nullo appetitu, siti iam tamen moderata, judicavi hancce morbi protractionem iam saltem ex vitio stomachi non digerentis oriri: Undè die Saturni jussi manè capiat ovi vitellum induratum cum aceto rosaceo, cujus usu optimè habuit: propterea vesperi bihorio ante cœnam idem repetere jussi. Sub cursu morbi externè pro coercendo tenesmo graviter urgente jussi capere stercus columbinum, hoc cum aceto calido probè subigere, & tàm abdomini insternere, quàm podici applicare, & sæpiùs calidè renovare, cujus usu commodè habuit.

Quibus & similibus, tàm generalibus, quàm specificè legitimâ methodo usurpatis, ubi mitigatum fuerit malũ, pro restituenda intestinorum noxa ab ulceribus inducta, pro tertia Indicatione in declinatione morbi conveniunt Potiones vulnerariæ, quibus nempè abstergantur & consolidentur intestina, & purificetur sanguis. Conveniunt etiam tunc *Balsamus sulphuris* tàm *commune* cum *oleo terebinthinæ*, aut *oleo anisi*, aut *oleo baccarum iuniperi*, aut *oleo succini* præparatum, quàm Balsamum sulphuris nobilius, quod nobis descripsit POLEMANNUS *Tr. de sulph. Philosophorum*, qui videatur: Fit ex *sulphure aurato antimonii*. Potiones vulnerariæ possunt præscribi hoc modo ad imitationem SYLVII *l. 1. c. 53. §. 52.*

℞. *Heder. terrestr.* M. j. vel ij.
Alchymill. seu *pyrol.*
Plantag. an. M. j. vel M. jß.
Summit. hyperic. florent. M. j.
Rasur. Corn. Cerv. ʒß. vel ʒjß.
Coque in s. q. *Aqu. simplic.*
Colaturæ ℥iix. ℥ix. vel x. adde
Syrup. Corallor. Quercet.
De symph. Fernel., *Cydonior.* an. ℥
M. pro *Potu*.

De quo bis vel ter æger quotidie bonum haustum capiat, qualibet vice 8. vel x. xij. ad xv. guttas *balsami sulphuris terebinthinati* vel *anisati* simul assumendo.

Item balsamum Peruvianum præter hoc, quod vomitum in dysenteria molestum supprimat, etiam intestinis læsis ad ℈ß. mirè conducit. Propinatur in forma pulveris cum saccharo albo aut coralliis præparatis mistum; vel in vitello ovi assumptum & dissolutum egregium est; sicuti etiam Clysteribus felici cum successu addi solet: Conf. M. A. N. C. *Ann 3. Obs. 77. p. 127.* & *Ann. 8. Obs. 63. p. 106.*

Item ℞. *Herb. heder. terr.*
Plantag.
Tormentill. an. M. j.
Fl. balaust. p. iij.
Ras. priapi ceti ℥iij.
Coque in *aqu. ferrarior.*
Colaturæ ℔ij. adde
Syr. corall Querc.
De symph. Fern. an. ℥ iij.
M. S.

Potio adstringens vulneraria pro aliquot vicibus.

Hæc sunt Interna, commendata in dysenteria.

Iuxta hæc Interna, non negligenda Externa; quæ inter imprimis conveniunt interdum clysmata pro certis scopis injicienda: sed non adeò frequenter usurpentur, ne magis intestina irritentur, ac crebriora superveniant tormina.

Clysmata autem ista sunt aut temperantia acrimoniam humorum, adeòque simul anodyna, aut sunt consolidantia exulcerationem, seu intestinorum læsionem. Imprimis quando urget tenesmus, vomitus, tormina crassiorum intestinorum, tunc conveniunt anodyna clysmata, quæ & temperant, sicuti in fine morbi vulneraria usurpanda. Ea, quæ temperant, & vi anodynâ pollent, sunt clysmata ex lacte, vel solo, vel in quo saccharum injectum, injicienda tepidè: vel lac cui interdum ratione doloris incoquuntur flores chamomillæ & aliquot capita papaveris, addito parum sacchari: vel clysmati ex lacte addantur theriacæ ʒij.; sic interdum lac chalybeatum, in quo dissoluta ℥ß. plus minus sevi hircini, cum vitello ovi diluti, ne iterum concrescat, est elegans: e. g.

℞. *Lac. vaccin.* vel *simpl.* vel *chalyb.* ℔j.
Sevi hirc. (quod est optimum; cujus loco etiam cervinum usurpari potest) ℥j.

Mixta injiciantur pro *Clystere*: S.

Clyster leniens.

℞. *Flor. melilot.*
Sambuci,
Verbasc. an. M. j.
Cap. papav. cum *sem.* N iij. ad v.
Coque in s. q. *lact. bubul. Chalybeat.*
Colaturæ ℔j. adde
Theriac. ʒj.
Sevi cerv. vel *hirc* ℥ß. [illegible] ʒvj.
Vitell. ovi q. s. pro solvendo sevo.
Misc. pro *Enemate*: S.

Ut antea.

Loco capitum papaveris addi potest *Philonium Romanum* ad ʒij. omissâ Theriacâ, vel *laudani opiati* gr. ij.

Quibusdam expertum est clysma, quod recipit lactis quantum sufficit, in quo decocta sint radix symphyti majoris & ciceres rubri: cui additur

Pingued. caprin. cum vitello ovi dissol. ℥j.
M pro *Clysmate*.

Porrò etiam commendantur Clysmata vulneraria sive consolidantia, inter quæ imprimis commendo clysmata terebinthinata, quæ ad imitationem SYLVII *l. a. §. 51.* & BARBETTE, præscripta in affectibus intestinorum & uteri sunt singularissima: v. g.

℞. *Lact. rec. chalyb.* ℥iv. vj. ad ijx. ix. & ℔j. (non in nimia copia: loco etiam lactis assumi potest Decoctum quoddam vulnerarium aut aliud appropriatum.)
Terebinth. in vitello ovi sol. (sic enim fatiscit in liquorem) ʒij. vel ʒiij. ad ℥ß.
Mellis rosac. ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j.
M. f. *Clyster*: S.

Clyster sanans.

Cui etiam *theriaca* ad ʒj. vel ʒij. addi potest.

De hoc enemate dicit SYLVIUS: Tali enemate, & quidem unico, circa initium vel adeòque maturè injecto, curavi non semel dysenteriam cum puris dejectione conjunctam. Dabo aliud exemplum, quod habet BARBETTE *in Praxi sua*:

℞. *Terebinth.* cum *vitello ovi sol.* ʒij.
El. diascord. Frac. ʒjß.
Pulv. rosar. rub. ℈j.
Lact. vaccin. ℥viij.
M. pro *Clysmate*:

Quod idem ceu expertum commendat.

NB. Pulveres tamen Clysteribus admisti, dum quidam addunt terram sigillatam, trochiscos de carabe, rosas rubras, non adeò conveniunt; si enim remanent in intestinis, iisdem adhærent, malum irritant & exasperant.

Hæc fuerunt clysmata anodyna temperata: sequuntur nunc vulneraria & consolidantia clysmata, qualia sunt abstergentia & mundificantia: v. g.

℞. *Herb. bursæ pastor.*
Plantag. an. M. j.
Rad. symph. maj. ℥j.
Coque in s. q. *aqu. simpl.*

Colaturæ ℥ iv. ad ℥ vij. adde
Bals. Peruv. in vitello ovi dissol. ʒ j. vel q. s.
M. f. *Clysma*: S. [illegible]
Clyster sanans.

Tepide injiciatur.

Balsamum Peruvianum in Clystere in duabus virginibus, in quarum excrementis carunculæ seu portiones quædam velut carneæ apparuerunt, cum successu adhibuit. Pertinent huc clysmata ex cancris fluviatilibus, & eorum Decoctis, quæ similiter egregiè conveniunt. Modus præscribendi est talis:

℞. *Juris Cancr. fluviat. contus. vel coct.* ℥ viij. vel ℥ x.
adde
Sevi hircini cum vitello ovi solut. (vid. MORELLUS p. 247.) ʒ j.
M. l. a. *pro Clysmate*: S.
Ut antea.

Acre corrosivum absorbet, & vulnerariâ vi prodest insigniter in dysenteria.

In dolore adhuc urgente addatur *syrupus papaveris* à ʒ vj. ad ℥ j.; ita enim præscribit DEODATUS.

℞. *Juris Cancr. fluv.* ℥ iv. vel ℥ vj.
Succi Cancr. fluv. contus. expr. ℥ iij.
Colaturæ calidæ adde
Vitell. ovi N j.
Syr. de symph. Fern. ℥ j.
Papav. albi ℥ ß.
M. pro *Clysmate*.

℞. *Decocti Cancr. fluv.* ℥ viij.
Terebinth. cum vitello ovi solut. ʒ iij.
Olei lilior. alb. ʒ vj.
Misc. pro *Clysmate*.

Oleum lini in dysenteria præsentaneam præstat operam: vid. ROLFINCIUS *Chym. p.* 222.

Inter Externa ulteriùs commendantur applicanda, quæ interdum sunt: 1. Inunctiones; quo pertinet theriaca, abdomini largiter illita, item emplastra theriacalia TIMÆI *l.* 3. *Casu* 18., & linimenta ex oleo mastichis, cydoniorum, myrtino, hyperici, absinthii, menthæ, nardino, hyoscyami, nucis moschatæ expresso, & similibus, acuatis cum destillatis macis, menthæ, ceræ, chamomillæ, anethi, anisi, fœniculi, similibusque appropriatis, quæ calidè largiter tàm ventriculo quàm universo abdomini illinenda. Porrò regioni stomachali omentum vervecis recenter extractum, & oleo hyperici irroratum imponendum, quod insigniter commendatur. Addunt quidam theriacæ & his oleis etiam terram sigillatam, corallia, crocum Martis adstringentem: sed est ridiculum; nihil enim hæc operantur, cum ulteriùs penetrare nequeant. Par sit judicium de emplastris ex talibus & similibus paratis, uti est contra rupturas, & emplastrum stypticum Mynsichtii.

NB. Fomenta etiam in forma sacculorum varia applicantur, quæ inter egregii sunt sacculi ex foliis quercus in aceto coctis, abdomini & podici applicati, Rulando in ejusdem Praxi usitati: ad cujus imitationem præscripsi superiori anno hos sacculos, & egregium observavi effectum.

℞. *Fol. querc.*
Furfur. tritic. an. M. iij.
Fl. chamomill.
Verbasc. an. M. ij.

Concisa includantur *sacculis duobus*, uno rotundo majore, altero oblongo minore: immergantur aceto calido, & major applicetur umbilico, minor verò podici urgente dolore tenesmode; crebriùs repetantur, & egregiè conferunt.

D. S.
Sacculi lenitivi.

℞. *Flor. Chamomill.*
Linar.
Sambuci,
Verbasc. an. M. ij.
Sem. fœnugræci,
Lini an. ℥ j.
Bacc. junip.
Lauri an. ℥ j.

Incisa concludantur *sacculo interpassando*, abdomini applicando.

D. S.
Sacculus lenitivus.

Vel

℞. *Herb. verbasci cum flor.* M. ij.
Flor. chamomill.
Sambuci an. M. j.

Incisa & contus. includantur *sacculo*: S.
Ut antea.

Vel

℞. *Herb. linar.*
Flor. verbasc. an. M. ß.
Sem. aneth. ʒ j ß.
Papav. alb. ʒ j.
Hyoscyam. ʒ ß.

Incisa & contusa includ. *sacculo interpassando* pro tenesmo: S.
Ut antea.

WEPFERUS admovet spongiam è decocto florum verbasci in lacte cum levamine.

℞. *Theriac.* ʒ vj.
Ol. destill. mac. ʒ j.
M. f. *Linimentum*: S.
Unguentum lenitivum.

Vel

℞. *Theriac. Androm.*
Ol. expr. nuc. mosch. an. ʒ ij.
destillat. macis ℈ j. vel ʒ ß.
M. pro *Balsamo*: S.
Balsamus lenitivus.

Inungatur regioni stomachali & umbilicali, imponendo desuper laterem calefactum.

Omnia aliàs conveniunt, quæ *suprà de Vomitu & diarrhœa* dicta fuerunt. Item

℞. *Ol. expr. nuc. moschat.* ʒ ß.
Balsam. sulphur. anis. ʒ ij.
Peruvian. ʒ j.
M. f. *Linimentum.*

Porrò notabile est, quod excretio fæcum sanguinolentarum super caput mortuum vitrioli vel vitriolum modicè calcinatum, vi quasi sympatheticâ singulariter conveniat in dysenteria, id quod CNOEFFELII fuit secretum; aut pulvere sympathetico cruor ejus adspergi potest. Æger ergò semper fæces deponat super caput mortuum vitrioli, vel excrementa primâ vice excreta cum salis communis manipulo misceantur. Quo etiam facit persicaria cum vino decies chalybeato in mortario contusa, & ad cataplasmatis consistentiam cocta; applicatur lumbis & spinæ juxta renes; refrigeratum denuò applicetur, post aliquot horas in fimo equino sepelitur, sicque morbus curatur: vide AGRICOLA *Chirurg. parv. pag.* 820. Tandem suffitus ex rasura Corn. Cerv. podice exceptus, quando nempè rasura Corn. Cerv. injicitur prunis candentibus, & fumus exhalatus per infundibulum excipitur: item suffitus aceti, super laminam ferream candefactam effusi, item suffitus ex Zingibere ano excepti crebriùs, & quoties alvum dejiciunt ægri, sunt egregii, & modernorum quorundam, in specie Anglorum, qui dysenteriam sic curarunt, experimenta elegantia, maximè in dysenteria cum tenesmo. Quæ plantis pedum applicantur, non magni facio, ideòque hoc etiam prætereo.

Plura qui cupit de Dysenteria, adeat imprimis SENNERTUM, qui tàm *in Praxi l.* 3. quàm *peculiari scripto de Dysenteria*, fusissimè de eadem tractavit.

Pergo ad

ARTICULUM II.
DE
TENESMO.

Tenesmus dysenteriæ cognatum, & utplurimum conjunctum malum est; nam ordinariò dysenteriæ etiam supervenit, adeò ut ferè id, quod in intestinis superioribus est dysenteria, hoc in intestino recto est tenesmus. Germanicè vocatur *der Stuelzwang*, quibusdam *der Arschkutzel*. In genere nempè consideratus, est assidua cupiditas egerendi per alvum, in qua ipsa tamen parum, idque ferè saltem nonnihil mucosum, aut viscosum, aut cruentum, aut purulentum, aut nihil omninò, excernitur.

PARS AFFECTA.

Pars affecta est intestinum rectum, imprimis ubi anus cingitur sphinctere musculoso, ibi sensibile admodum est, & si leviter irritatur, Tenesmus adest.

CAUSÆ.

Causa tenesmi proxima efficiens formalis est spirituum eò provocatorum impetus: Cujus *Causa occasionalis* est irritatio continua intestini recti, quod quacunque occasione ita stimulatum & irritatum spirituum vi se contrahit, & ita egestionem urget.

Irritatur autem intestinum rectum & stimulatur vel per *consensum* ratione aliarum partium, vel per *essentiam*. *Per consensum* etiam observatur aliquid in nephritide seu dolore renum, quia tunc temporis sub motu calculi contingit tenesmus propter quosdam nervos ex plexibus mesentericis ad intestinum rectum derivatis, ex quibus etiam alii ad renes distribuuntur: Observavit id TIMÆUS *Von Guldenklee*, & ego etiam. Item calculus vesicæ, ubi imminet urethræ, in viris frequenter tenesmum inducit, pondere suo & irritatione colli vesicæ similiter irritans intestinum rectum: confer. HORSTIUS *in suis Problem. pag.70. Dec.6. Quæst.6* item TIMÆVS *Von Guldenklee in Epist. p.241.* Adhæc mulieres propinquæ partui tenesmum interdum patiuntur, propter uterum incumbentem intestino recto.

Hi sunt Tenesmi per consensum.

Per essentiam frequenter oritur Tenesmus, si malum hæret in ipso intestino recto, primariò à muco tenaci acido seu pituita viscida acida, firmiter intestino recto agglutinata, & illud plus minus rodente, vellicante, hinc excoriante, & tandem planè exulcerante: quâ ratione ordinariò dysenteriæ supervenire solet, propterea quod, quæ excernuntur, acida & acria corrosiva, & simul glutinosa, intestinis pertinaciter adhærent Item anus inflammatus similiter non rarò infert tenesmum; unde & hæmorrhoidibus cæcis, indeque plus minus tumentibus aut dolentibus, tenesmus, ceu frequens comes, se associat. Pertinent huc etiam ascarides intestinum rectum morsicantes, & rodentes, qui utplurimùm etiam, si non semper, tenesmum inferre solent: vid. FORESTVS *l.21. Observ. 29. in schol.* Tandem purgationibus violentioribus aut post aloen crudam sæpiùs usurpatam etiam supervenit Tenesmus, partim propter excrementa acriora excreta, & intestino recto nonnihil adhærentia, & illud plus minus stimulantia, partim verò propter particulas purgantium resinosas, visciditate suâ dicto intestino pertinaciùs adhærentes & hoc continuò stimulantes. Faciunt etiam hic omnes excoriationes, exulcerationes, aut fistulæ internæ intestini recti, pertinacem etiam Tenesmum junctum habentes.

DIAGNOSIS.

Diagnosis est clara per se, imprimis ex relatione ægri.

PROGNOSIS.

Tenesmus ex se consideratus, leve est malum: si tamen habeatur causarum ratio, variat prognosis.

Nempè qui per consensum, est absque periculo; per essentiam verò subindè procidentiam ani infert.

Interim si processerit, & non ritè curatur, inducitur excoriatio intestino recto, & non rarò in ulcus sordidum degenerat, quòd ulteriùs tandem facilè in fistulam ani abit, difficulter sanabilem, sed per sectionem curandam: quales fistulæ hic locorum sunt raræ; in Anglia verò frequentes.

In gravidis gravior Tenesmus, si non semper, subindè tamen abortus est causa; vid. *Prognosis in Dysenteria*, & HIPPOCRATES *Sect.7.§.27.*; id quod confirmat *la* MONIERE *de Dysenteria c.5.pag.169.*; nempè prægnans dysenterica tenesmo correpta semper abortum passa est; & cum periculo, si grandior fuerit fœtus.

CURA.

Cura varianda est pro causarum ratione: Ante omnia causa vellicans removeatur; undè &, si per consensum fuerit Tenesmus, curato priori morbo & ipse evanescit. Intereà opiatis vellicatio intestini spasmodica maturè sistatur. Si per essentiam fuerit, imprimis causa materialis, humor acris, acidus & viscidus, corrigatur & abstergatur; Excoriatio verò indè nata aut exulceratio jam facta mundificetur, & denique consolidetur. Conveniunt ergò clysmata mucum abstergentia, & vi anodynâ irritationem sistentia in pauca quantitate, nempè ad ℔ß. injecta, simul hæc vel ex simplici lacte, vel cû sevo hircino permisto. Nam & fotus lactis tepidi tenesmi molestiam lenit. Aliàs nudum Decoctum cicerum rubrorum cum floribus verbasci instar Clysmatis cum sevo hircino, vel cum melle rosaceo injectum, cui & sal tartari additum, satis est conveniens: e.g.

℞. *Flor. verbasc.* M j. vel ij.
Semin. cicer. rub. ℥ij.
Sal. Tart. ʒj.
Coque in s. q. *Aqu. simpl.*
Colaturæ ℔ j. adde
Sevi hircini cum vitello ovi dilut. ʒvj. ad ℥jß. vel ℥ij.
Mell. rosati ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j.
M. pro *Clysmate*, pro *duabus vicibus* applicando: S.
Clysma lenitivum pro duabus vicib s.

Formulam elegantem habebitis in SENNERTI *Praxi, ubi de Tenesmo*, quam etiam commendat D. MICHAELIS, in qua basis sunt lumbrici terrestres, ex quibus parata Clysmata etiam in dysenteria sunt egregia: e.g.

℞. *Flor. verbasc.* M j.
Rosar rub. Mß.
Lumbric. concis. ℥j.
Sem. fœnugr.
Psyllii an. ʒij.
Coque in lacte recenti, ubi magis dolor leniendus; vel in sero lactis, ubi materia peccans abstergenda:
Colaturæ ℔ j adde
Mell. rosac. ʒvj. ad ℥j. vel ℥jß.
M. f. *Clyster pro duabus* infundendus vicibus: S.
Vt anteà.

Præ cæteris appropriatum remedium in Tenesmo est verbascum, seu, ut aliis vocatur, Tapsus barbatus, quocunque modo externè usurpatum, speciatim Decoctum ejus aut florum in lacte, cum spongia vel linteis multiplicatis instar fomenti ano admotum: nam dolorem lenit, acrimoniam temperat, fluxionem repellit, ac speciatim tenesmum quemcunque, etiam dysentericum, curat. Facit huc suffimigium ex verbasco & terebinthina Mynsichtii, quod egregiè convenit; vel fiunt simul sacculi ex verbasco, foliis quercus & anserina, qui vel in lacte decocti, vel loco ejus in aceto fervido ebulliti, podici applicentur. Vel

℞. *Herb. linar.*
Verbasci an. M j.
Flor. chamom.
Verbasc. an. M j. vel ij.
Include sacculo, *in lacte chalybeato* coquendo: D. S.
Sacculus dolorem sedans.

Æger in sella perforata Decocto ferventi insideat, & fumum exsurgentem excipiat; vel in lacte chalybeato cocta linteis multiplicatis calidè applicetur; vel includantur sacculo interpassato, & calidè parti dolenti admoveantur. Optimi clysteres fiunt ex jure capitis aut carnis vervecinæ cum aliquot guttis olei destillati Philosophorum vel ceræ; hoc enim oleû ceræ mirabile est in exulceratione intestini recti, potenter abstergit & consolidat. Loco olei ceræ aut similium, etiam balsamum Peruvianum simili ratione applicatum, est efficax. Præter dicta & suffitus Tenesmum sistunt, in specie suffitus ex latere candefacto vel limatura Martis candente, aceto ferventi infuso, ano exceptus, à quibusdam etiam multum est commendatus. Aliàs fiunt etiam suffitus ex thure, myrrha, galbano, nuce moschata, rosis & similibus: item fumus Decoctionis sabinæ ex aqua & aceto, lamine ferreæ aut lateri calefactis infusæ, pro fotu exceptus, est egregius. STOECKERUS *in Praxi* mirabiliter juvare dicit suffimigium de thure & pice, super carbones vivos projectis. Quod si verò graviùs urgeat Tenesmus, etiam possunt applicari glandes sive suppositoria, parata ex sevo hirci, vel melle inspissato, cui pilulæ de cynoglossa vel nonnihil de opio additum fuerit; quæ in gravi dolore Tenesmi ita applicanda: conf. AMAT. LUSIT. *C.3. Hist. 97.* Sed vereor, ne sola applicatio suppositorii, irritando intestinum, malum exasperat.

Tandem, ubi nonnihil exulceratus fuerit anus, conveniunt Injectiones ex vulnerariis paratæ, illinendo postmodum cum oleo rosarum & lumbricorum terrestrium, probè in

in mortario plumbeo agitatis; vel etiam cum solutione lithargyrii in aceto subactis & in linimenti consistentiam redactis; vel cum unguento poppleo, de tutia, aut unguento diapompholygos, aut de cerussa camphorato; aut etiam dicta linimenta levi suppositorio ex sevo hircino cum pulvere thuris, tutia & similibus excepta ad mundificandum & consolidandum ulcus ita applicentur; vel *unguenti albi camphorati & diapompholygos* ana, cum pauca *terra vitrioli dulci ritè parata*, subacta, & in consistentiam unguenti redacta, quocunque modo, vel linteis vel aliis applicatur, vel ano intruditur.

Denique ad consolidandum & mundificandum ulcus in Tenesmo enatum, oleũ Mastiches optimè convenit ad aliquot guttas in aqua menthæ, plantaginis, aut pulegii exhibitum, quod valdè laudatur, conferens etiam, si ex ipsa dysenteria fuerit malum. HILLERUS *in C.1. Curat.* 75. refert Tenesmum Chronicum & admodum contumacem, quem post multa alia frustranea curavit oleo vitrioli rubello in jusculo carnis exhibito, à quo purulenta multa excreta fuerunt. Hæremus adhuc in Fluxibus alvi, & quidem in iis, in quibus excernitur sanguis. Ordine pergendum jam est ad

ARTICULUM III.
DE
FLUXU HEPATICO.

FLuxus Hepaticus modernis rarissimè visus, adeò ut ob id non pauci omninò dubitent dari reverà talem fluxum, utut hi, non quidem antiquissimi, sed majoris ævi, multa de eodem clamitent & scribillent, adeò ut etiam VARANDÆUS conscripserit specialem *Tract. de Hepatitide*, seu de hoc affectu, aut alvi fluxu vitio hepatis contingente.

Est veteribus hic fluxus hepaticus, quando nempè sanguis aquosus & imperfectus, tenuis, atque, ut vocant, loturæ carnium similis, absque dolore aut gravioribus symptomatibus per alvum copiosè rejicitur.

Appellationis ratio desumpta fuit, prout à Veteribus describitur, ex præconcepta hypothesi majorum, quod nempè hepar sanguificet; adeòque cùm hunc fluxum oriri voluerunt ex deficiente sanguificatione in hepate, ob id eum fluxum Hepaticum vocarunt. Sed talis fluxus hepaticus Veterum est reverà non-ens; si enim exactè consideremus exempla eorum, qui referuntur hoc fluxu laborasse, ea longè aliud quid persuadent, scil. nil aliud, quàm fluxum hęmorrhoidalem, ex hęmorrhoidibus superioribus oriundum. Undè nunquàm hepatis vitiò hoc fieri dicendum est, cum hepar de sanguificandi munere jam sit depositum.

CAUSÆ.

Quod ergo attinet Diarrhęam cruentam, dysenteriæ contra-distinctam, tres sunt tantùm casus, in quibus Diarrhęa talis sanguinea indolens, Fluxus hepaticus Veteribus dicta, oriri solet: Nempè 1. quando uberiùs fluunt hęmorrhoides internæ & superiores, qualem sub nomine hepatici fluxus intelligit BARBETTE *in sua Praxi*.

2. Quando talis fluxus remanet post dysenteriam, jam curatam, in qua propter depauperatam massam sanguineam, & excoriatâ interiore intestinorum membranâ, vasa sanguifera excoriata nondum perfectè consolidata; sic enim etiam subindè aliquid de sanguine tenuiore transudat, & sic indolens talis sanguinea Diarrhęa, &, ut SYDENHAM vocat, Dysenteria habitualis, superesse solet; unde dysenteriæ superveniens fluxus cruentus, nullo modo talis fluxus hepaticus statuendus.

3. Quando quacunque occasione vasa quædam sanguifera in intestinis, vel per anastomosin, vel per diæresin, aperiuntur, & ita hæmorrhagiam intestinalem excitant.

Eædem etiam causæ internæ, quæ v. g. hæmorrhagiam narium excitare valent, eæ etiam similem hæmorrhagiam intestinis inferre valent, in specie acrimonia sanguinis, perforans plus minus orificiola intestinalium vasorum; quæ causa eò est promptior, quò serosus magis sanguis simul existere solet: qualis affectus exemplum suggerit DEODATUS, qui fluxum hepaticum ac diarrhęam cum fluore uterino & profluvio Mensium immodico in vna fœmina simul observavit *in Valetudin. pag.* 241. Conf. etiam BONTIUS *de Medicina Indorum p.* 24. Quâ ratione etiam huc pertinet Dysenteria notha scorbuticorum, cujus facta est mentio suprà, nisi & hęc forsan ad hæmorrhoides pertineat. Adhæc ex suppressione consuetæ cujusdam sanguinis evacuationis etiam fluxus cruentus talis oriri potest. Quò pertinet Observatio FORESTI *l.* 22. *Observat.* 20. de fluxu sanguinis puri ex vita otiosa, & sanguinis narium fluxu usitato suppresso, venæ sectione in brachio curata. Sic ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Medic. Princip. Histor.* 84. observat sanguineum fluxum hepaticum in iis, in quibus artuum aliquis pręcisus; item ab omissa exercitatione solita, & similibus causis: quæ quidem coacervare possunt sanguinem utilem, & ita dare occasionem, ut quocunque in loco erumpat, non autem possunt inducere verum hepaticum Fluxum. Exemplum tale proponit DEODATUS *l. a. pag.* 217., non minus quàm BORELLUS *Cent.* 1. *Obs.* 99. Tandem occasione insignioris cujusdam & confirmatæ obstructionis in quodam viscere abdominis, propter impedimentum circulationis sanguinis interdum arteriæ mesentericæ aperiuntur in intestina, & talem fluxum cruentum excitant. Quò pertinet BARTHOLINI *Histor.* 41., *Centur.* 6. ubi notat cruentas dejectiones, supervenientes Mesenterii obstructionibus salutares. Sic sanguinis miros fluxus in lienosis videbitis recensitos in MARCELLO DONATO *l.* 4. *Histor. Med. Mirab. cap.* 9. Quò facit *Observat.* 20. FORESTI *l.* 22. *in s. hol.* excretionis sanguinis viri, in indurato splene facta salutaris. Adeò ut de fluxu Hepatico, & ipsi simili, meritò dubitent Moderni, cùm rarissima, imò ferè nulla, prostent exempla. Ob id BARBETTE *l. a.* vult, quòd talis fluxus, dictus Hepaticus, sit tantummodò apertio superiorum venarum hæmorrhoidalium, per quas evacuetur sanguis, & subindè per anum defluit, & effluit: quæ sententia etiam mihi videtur verissima.

Quibus tamen placet defendere talem fluxum, qui à Veteribus vocatus fuit Hepaticus, ipsi nullam aliam possunt assignare Causam, quàm nimiam sanguinis aquositatem & tenuitatem, ob nimiam seri abundantiam, quod ipsum abundans serum in tantum tenuem & fluxilem reddat massam sanguineam, simulque vasa sanguifera, imprimis mesaraica copiosiora adeò laxet, ut exindè sanguis aquosus per vasa laxata facilè & copiosè transudare possit.

Vndè *remota causa* erit partim Chylificatio læsa, partim seri excretio vitiata seu impedita. Chylificatio læsa, quando aut copiosis assumptis potulentis aut alia quacunque ex ratione chylus non lacteus & legitimæ consistentiæ, sed tantummodò tenuis, aquosus & admodum fluxilis generatur. Vndè si postmodum vel vitio renum vel vitio debitæ motionis corporis, vel alia quacunque ex causa supprimitur seri excretio, non potest non exindè subsequi sanguis aquosus & facilè transudabilis. Sed, uti dixi, verissima est sententia eorum, qui statuunt, quod non reverà sit talis fluxus, sed tantùm oriatur ex apertione venarum hæmorrhoidalium superiorum: de quo paulò pòst plura.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*: per se patent.

PROGNOSIS.

Quoad Prognosin: Eandem similiter statuunt, quæ solet statui in fluxu nimio hęmorrhoidum, aut aliis præternaturalibus sanguinis excretionibus: scilicet excretio nimis copiosa & frequens sanguinis tandem corpus ad cachexiam, hinc hydropem, tabem & similia symptomata necessariò disponit, ut propterea fluxus hepaticus dictus, in juvenibus interdum difficulter, in senibus verò nunquam ferè aut rarò curetur. Præsupponit semper scilicet in corpore vitium, à quo ipso fluxus dependet, & cujus respectu magis vel minùs curabilis evadit.

CURA.

Quod attinet curam: pro causarum antecedentium seu remotarum varietate variat; aliàs eadem est, quæ reliquarum hæmorrhagiarum: Conveniunt etiam eadem remedia styptica, quæ vel in diarrhœa usurpantur, vel quæ ad

ad nimium hæmorrhoidum fluxum adhibentur, vel denique, quæ alias hæmorrhagias qualcunque in genere supprimere solent: unde si fit hæmorrhoidum apertio, harum lege curetur, præsertim per martialia, in specie per tincturam sulphuris vitrioli. Si sequitur dysenteriam, eadem est Cura, quæ dysenteriæ levioris.

In specie, quæ ad fluxum supprimendum commendantur, sunt imprimis ex tormentilla, plantagine, sanicula, coralliis, agrimonia, & ex urtica majore petita remedia: succus plantaginis, portulacæ, & succus urticæ majoris, uti quemcunque sanguinis fluxum sistunt, ita in specie ad fluxum hepaticum commendantur: quibus si misceatur succus saniculæ, eò est convenientior. Cum his succis misti syrupi coralliorum, item papaveris albi, eorum vires intendunt. Conveniunt etiam Martialia, quæ omnia per se semper adstringunt, tàm terra Martialis in mineris Martis frequens, quàm etiam crocus Martis adstringens, & lapis hæmatites cum succo granatorum; aut tinctura sulphuris vitrioli sive tinctura Martis adstringens: de quibus alibi; quia præparationes eorum sunt variæ, adeòque habendus delectus. Agrimonia sive Eupatorium specificum est Poterii, qui dicit, se Decocto Eupatorii desperatam Hepatitidem curasse. Cum hoc Decocto sive parata essentia ex succo Eupatorii (non ex herba sicca, uti procedunt Pharmacopœi) si misceatur tinctura sulphuris vitrioli, aut legitima lapidis hæmatitis tinctura (quæ parcâ manu administratur) erit Mistura maximè conveniens; v. g.

℞. *Essent. agrim. dicto modo par.* ℥ß.
Tincturæ sulphuris vitrioli ʒ ij.
Essent. anod. cum *succ. cydon.* (de quo suo loco) vel *quocunque modo parat.* ʒ j.
M. S.
Tinctura adstringens.

Dosis 30. guttulæ.

Non sine ratione addo essentiam opiatam, propterea quoniam Practicorum Observationibus constat, fluxum hepaticum post dysenteriam laudani opiati usu curatum. Unde opiata non negligenda. Id quod affirmat etiam BONTIUS *in Medic. Indorum c. 4.*, qui dicit, optimum remedium ad fluxum hepaticum esse extractum opii vel croci.

Si acrimonia plus minus serosa dictum malum inducat, Rhabarbarina, item vulneraria & adstringentia cum opiatis conducunt: hinc terræ, de quibus res nota est, quod adstringunt ut terra sigillata, Corallia, Trochisci de Carabe, unicornu fossile, &c. conveniunt. Sed, ut obiter moneam, *duæ* sunt *species*, quæ *unicornu fossilis* veniunt nomine. *Prima species* reverà sunt ossa animalium calcinata, calcinatione vaporosâ à vapore humido & calido è terra elevato: Videbitis etiam in officinis materialium, quod talia ossa dentur perfecta pro unicornu fossili, quæ linguæ adhærent instar Corn. Cerv. usti, adeò ut non sint habenda pro vero unicornu fossili in hoc affectu proficuo. *Altera* potius *species*, quæ est verum unicornu fossile & species margæ, quæ interdum superveniente spiritu salino coagulatur, ut in veram abeant duritiem lapideam, ita tamen, ut quasi per cancellos sit divisa nunc marga nunc concrementum ejus lapideum. In hac pars mollis, linguæ admodum adhærens seu marga, adhibenda in fluxu hepatico. Item non inconsultum est ad sudores & sudorifera decurrere ad imitationem VARANDÆI, qui *l. c. pag.* 173. dicit: *Quidam putant in progressu morbi non inutile esse sudores Decocto quodam, ut seminis Milii, radicis chinæ vel sarsaparillæ, provocare, quia sudores alvi fluxum imminuere solent, raptâ aliorsum serosâ materiâ, & hepar calefaciunt, quod experiri non erit inutile:* Si enim æger sudet, & leviter id ferat, magna erit salutis spes, minorisque in hepate noxæ signum. Nam quicunque magna hepatis imbecillitate, scirrho aut obstructione tenentur, vix unum sudoris guttulam emittere possunt. Pro hoc scopo lignum lentiscinum, ex quo fluit Mastix, item lignum cotoneum, decoctum instar aliorum lignorum & propinatum singulariter commendatur in hoc morbo; Nam, ut rectè dicit VARANDÆUS *citato loco*, ubi contumacior fuerit hic morbus, quod etiam tunc temporis necessum sit accedere ad Decocta lignorum, ut istorum beneficio provocatis sudoribus minus fluxilis evadat materia sanguinea, & ita minus possit transudare per intestina. Porrò gelatina Corn. Cerv. parata vel insuccata cum aqua cinnamomi, à LINDANO in tali casu tanquàm experta commendatur.

Denique passulæ singulariter in hoc morbo conveniunt; hæ enim multum faciunt ad laudabilem sanguinis crasin, & æquabilem fermentationem conservandam: In passulis quippè multa latitant, quæ aut sanguinis dyscrasiam, aut ejus vulgò sic dictam temperiem corrigunt; sunt enim reverà mustum concentratum, quod blandè fermentando multum valet ad corrigendam vitiatam sanguinis fermentationem. Facit huc *Observat.* 20. *l.* 22. FORESTI, ubi nil aliud ægrum vexavit, quàm talis diarrhœa cruenta, ex sanguine acriore nata. Casus est hic: Quidam sanguinem purum rejiciens, adeòque excoriatione cum paucis ventris torminibus & tussi valida, cum expectoratione humoris crudi & urina suppressa, hac sola Potione curatus, quæ lubricat, mitigat dolorem, & urinam provocat:

℞. *Fol. Malvæ,*
Violar. an. M j.
Herb. hyssop. M ß.
Radic. liquirit. rasæ ℥ j ß.
Fœnicul.
Petroselin.
Uvar. pass. an. ℥ j.
Pruna Damasc. No. xv.

Coque in *Cerevisia*, qua continuò utens æger sanabatur.

Nec abludit cura PETRI IOHANNIS FABRI, qui notat fluxum hepaticum ex potu aquæ frigidæ & usu lactucarum cum aceto multo, curatum, præmissâ purgatione ex extracto Rhabarbari, syrupo coralliorum cum aqua cinnamomi sæpiùs sumpta.

Quod si suppressa quædam sanguinis excretio malum induxerit, hac in ordinem revocatâ, & intereà Venæ sectione revulsoriâ institutâ, curetur.

Quod si tandem impedimentum sanguinis circulo ex infarctu aut tumore visceris injiciatur, hoc, quantum possibile, sublato, & venæ sectione revulsoriâ administratâ, fluxus cruentus sufflaminandus erit.

Sed pergo. Notum est, ut dixi, Modernorum sententiam esse, quod fluxus hepaticus sit reverà apertio venarum hæmorrhoidalium superiorum; quare me converto ad

ARTICULUM IV.
DE
HÆMORRHOIDIBUS.

IN quibus plura se offerunt agenda. Hæmorrhoides, quoad vim etymi, nihil aliud notant, quàm quemcunque sanguinis fluxum. propriè tamen usurpatur tantummodò de fluxu sanguinis ex externis venis ani seu intestini recti; vocatur Germ. *vena aurea*, quia solùm ad usum ægrorum vasa hæc stillant sanguinem, quæ vasa sunt venæ & arteriæ; secundùm leges circulationis sanguinis. Dantur quidem etiam Hæmorrhoides muliebres, sive evacuatio sanguinis ex vasis externis vulvæ: de quibus tamen, cùm non sint hujus loci, inter morbos mulierum agendum.

Hæmorrhoidalia hæc vasa, ratione insertionis in intestinum rectum, sunt duplicia: nempè *hæmorrhoides superiores* seu *internæ*, & *inferiores* hæmorrhoides seu *externæ*. Externæ extrinsecè podicem lambunt: utræque constituunt arteriam ac ejus sociam venam.

Quoad originem, arteria hæmorrhoidalis superior seu interna oritur ex arteria mesenterica inferiore; venæ verò superiores sive internæ oriuntur ex ramo mesenterico sive vena splenica venæ portæ: unde dixerunt veteres, sed falsò, per hunc ramum mesentericum evacuari splenem per hæmorrhoides; cui tamen asserto repugnat lex inviolabilis sanguinis circulationis.

Quoad vasa hæmorrhoidalia externa sive inferiora, horum arteria quidem oritur ex trunco hypogastrico arteriæ iliacæ internæ, quæ arteria hypogastrica, præter venam hæmorrhoidalem, copiosos ramos ad uterum mittit: Venæ verò externæ oriuntur ex vena cava, nempè ex ductu ejusdem hypogastrico, ex quo etiam vena pudenda, item vena, quæ ad musculum clunium, item vena, quæ ad intestinum rectum derivatur, & hæ sunt hæmorrhoides externæ. Iam verò cùm ex hoc ramo hypogastrico, arterioso pariter ac venoso, deriventur etiam in mulieribus vasa ad collum uterinum, per quæ vasa in iisdem fit excretio menstrua, adeò ut ista vasa hæmorrhoidalia ad anum, & vasa menstrualia uteri, oriantur ex

uno trunco, exindè facilè patet, quî fiat nonnunquam, ut sæpiùs in mulieribus menstruationis defectus compensetur fluxu hæmorrhoidum; siquidem interdum in habitioribus post 48. annos ordinario menstruo fluxui succedunt hæmorrhoides, interdum mensium obstructorum loco fluunt hæmorrhoides. Exemplum vid. in HORSTII. *Observat. lib.4.Observat.12.* & *Probl. Decad.6. quæst.8*: Conf. BARTHOLINUS *in Act. Med. Haffniens. Vol.1. pag.165.* Subindè etiam cum mensibus, sed raro simul fluunt hæmorrhoides: Conf. M. A. N. C. *Ann.2. Observ.24. pag.39.*

Antequam ulteriùs pergamus, melioris doctrinæ ergò ante omnia differentiæ hæmorrhoidum sunt attendendæ: nempè hæmorrhoides in genere sunt vel *furentes*, vel *fluentes*: Illæ sunt dolentes, & alio nomine dicuntur *cœcæ*, ex eo, quoniam non sunt apertæ, sed oculis quasi clausis connivent; unde propter clausuram furibundè dolent & tument. *Fluentes*, sive alio nomine *apertæ* dictæ, sunt, quæ apertè sanguinem fundunt, & nunc confertim rivuli instar, nunc successivè guttatim effundunt: Priùs si fiat, signum est affectæ arteriæ: si guttatim & pedetentim effluat, venæ sunt affectæ, sicque fit excretio, maximè si fæces alvi ejiciuntur, tunc enim ante excretionem conatus est pressorius. Hæmorroides hæ fluentes sunt vel spontaneæ, vel non spontaneæ: *Spontaneæ* sunt beneficium naturæ se ipsam exonerantis, in morbis chronicis oriuntur, vel apparent, & subindè in apparenter sanis cum euphoria solent emitti; ideò Germanis vocatur, *Vena aurea*. Hæmorrhoides non spontaneæ sunt vel criticæ vel morbidæ: *Criticæ* sunt, quæ morbum acutum in declinatione beneficio naturæ se ipsam exonerantis solvunt, adeòque salubres sunt: *Morbidæ* verò sunt, quæ maleficio sanguinis aut propter quamcunque causam in perniciem ægri in morbi principio oriuntur, irritatâ naturâ ab impetu causæ morbificæ, adeòque sunt nocivæ & præternaturales. Hemorrhoidum fluxus subindè est frequens viris, rarò quidem nostris, magis autem Italis; in his enim, viris nempè, hic fluxus hæmorrhoidalis quasi vicarius est menstruationis muliebris. Hinc enim prostant exempla virorum, per statas periodos hæmorrhoidum fluxum patientium, ita ut interdum singulis mensibus, interdum singulis septimanis, nonnullis in viris redeant: ob id etiam alio nomine hemorrhoides fluentes dividuntur in *erraticas*, quæ in salubres, & *periodicas*. *Erraticæ* sunt, quæ nullum certum recursus tempus observant: *Periodicæ*, quando eædem, imprimis in viris, certâ & singulari periodo, recurrunt; qualis periodationis hæmatodes exempla in viris videb. in M. A. N. C. *Ann.4. Obs.44.* & *69.*, item in AMATO LUSITANO *C.5.Cur.3.* de viro, qui singulis mensibus per hæmorrhoides habuit evacuationem instar mulieris per uterum: imò, quod in quibusdam viris suppressus menstruus hæmorrhoidum fluxus periculosam hæmoptysin in iis induxerit. Mulieribus etiam interdum, utut rarò, accidunt hæmorrhoides, sed tunc temporis utplurimum eæ conjunctæ sunt cum vitio mensium, quod vel supprimantur, vel naturali regula emanserint, quia tunc superveniunt hæmorrhoides loco menstrui. In his autem subjectis, ubi sunt, nunc certus ordo observatur, nunc sunt sine ordine. Aliquot scio exempla, quòd in habitu corporis succulentiore & turgidiore partium post 40. annum, quando naturaliter fluere desinunt Menses, superveniat fluxus hæmorrhoidum periodicus, ita ut, cùm in his certâ periodo fiat evacuatio per uterum, hanc naturaliter cessantem insequatur hæmorrhoidum fluxus. Imò interdum à junioribus ex mensium obstructione præternaturali oriuntur hæmorrhoidales fluxus, fluentes periodicè, qualia exempla subministrat HORSTIUS *l.5. Observat.45.* In gravidis pariter, quibus naturaliter connivent Menses, interdum superveniunt hæmorrhoides, mensium loco in gravidis fluentes: exemplum habet SCHNCKIUS *l.3. Observat. de Hæmorrhoidus*. Id quod fluit per apertas hæmorrhoides, ordinariò est sanguis, similis cætero in corpore sanguini, adeòque nunc floridus, nunc obscurus, nigricans: interdum tamen loco sanguinis etiam alii excrementitii succi, v.g. humor, vel albidus & aquosus, nonnihil viscidus, aut etiam aliæ variæ aquositates, sub hæmorrhoidum forma per has venas emulgi solent; quæ ipsæ mucositates hæmorrhoidales sunt similes fluori albo in mulieribus, qualis hæmorrhoidum fluxus nothi, ut sic dicam, exempla videb. in SENNERTO, *ubi de Hæmorrhoidibus p.427.* item SCHNEIDERO *l.3. de Catarrh. cap. 7. pag. 270. & seq.* item M. A. N. C. *Anno 1. Observat.75. pag.180.* Interdum etiam aqua citrina, & loturæ carnium similis, aut similis aquositas, effluit in istis hæmorrhoidibus, quas vesicales appellant: Vid. FORESTUS *l.23. Observat.5.* sic fluxum hæmorrhoidum ichorodes, ejusque curam, videbitis in VELSCHII *Hecatost. 2. pag.62.*

Effluunt autem interdum hæmorrhoides spontè citra arbitrium aut intentionem ægri: observavit tamen contrarium Panarollus Pentec. Observatio.47. de quodam, qui, si voluit, ex intentione intensè potuerit promovere & sistere hunc fluxum hæmorrhoidalem.

Hæ sunt hæmorrhoides fluentes.

Quod attinet *Hæmorrhoides furentes* seu *cæcas*: hæ sunt nihil aliud, quàm incipiens inflammatio ani; ordinariò enim ferè insequuntur se mutuò, ex impedito sanguinis fluxu & refluxu per venas hæmorrhoidales: sanguis enim evacuandus, dum propter clausuram osculorum in istis vasis, & fibrarum vellicatarum stricturam, non potest excerni, nec remeari, necessariò stagnat, stagnatione partium porulos arctat, & in iis subsistit, atque sic tumorem ac inflammationem inducit, sicut aliàs omnis inflammatio oritur ex impedito sanguinis motu, de quo alibi; unde hæmorrhoides interdum suppurantur, & in abscessus ani periculosos degenerant; hinc impedito in his sanguinis motu, tumores & dolores gravissimi superveniunt. Talis ergò cæcarum hæmorrhoidum status est admodum dolorosus, adeò ut in tali casu ægri dicant, esse ita dolentes, quasi perforetur podex ferro candente: & quando volunt excrementa alvi excernere, propter ingentem dolorem sæpiùs animi patiantur deliquia: imò dum internæ ita affectæ sunt hæmorrhoides, ex præterlabente stercore interdum tales oriuntur dolores, ut etiam convulsiones superveniant. Scio ego exemplum mulieris hoc in loco, quæ, quando volebat excernere alvi excrementa, in animi deliquium cum faciei tumore, rubore & incalescentia incidebat ex iisdem hæmorrhoidibus cæcis: simul ac verò excreta fuerunt stercora, cessabant omnia talia symptomata: Conf. BARTHOLINUS *C.4. Histor. Anat.40. pag.320.* Externæ taliter affectæ præter dicta symptomata, tàm sessionem quàm ambulationem admodum molestam reddunt.

Hæ venæ ergò hæmorrhoidales cæcæ ex sanguine stagnante, & in hoc loco coacervato, sæpè insignem contrahunt tumorem, imprimis in externis, qui tumor subindè ad insignem magnitudinem foras prominet, adeò ut referat LINDANUS *in Coll. manuscripto super Hartmannum*, se observasse hæmorrhoides cæcas in tantum tumorem auctas, ut pugni instar extra anum foras prominerent. Sub isto tumore subindè variam magnitudinem atque figuram vasa hæmorrhoidalia repræsentant, undè à figuræ varietate etiam varia nomina sortiuntur, & prout vel verrucas, vel uvarum baccas, mora, ficus, &c. repræsentant, etiam hæmorrhoides nunc *verrucales*, nunc *uveæ*, nunc *ficales*, aliàs *mariscæ*, appellari solent. Tumor ergò hic variformis cum sit, cauto opus Medico est, ne confundantur hæmorrhoides dolentes cum verrucis, cristis, aut condylomatibus ani; de quibus vid. RIVERIUS *in Prax. cap. de Hæmorrhoidibus*. Tales hæmorrhoides cæcæ & tumentes nunc spontè disparent, nunc perseverant, nunc aperiuntur, nunc fluunt: Imò si sanguis stagnans non discutitur, aut dissolvitur, spontaneâ coagulatione indurantur & in perfectos scirrhos abeunt, qualia exempla non sunt pauca; vel suppuratę degenerant in abscessus, ex quibus oriuntur ulcera mali moris, & non rarò fistulę. Prostat exemplum intestini recti ex tumore hemorrhoidum cęcarum scirrhosi, imprimis à SANCHEZ *in Observat. pag. 377.* de muliere mortua ex hemorrhoidibus cęcis diuturnis, quę ipsa post mortem dissecta ostendit intestini recti terminum 6 digitorum longitudine ad anum usque scirrhosum & induratum: simile exemplum vid. in RIVERIO *l.3. Observat. de Dolore & Inflammatione hæmorrhoidum*, in tumorem durum degenerantium. Item hę hemorrhoides cęcę ex sanguinis inclusi constitutione nunc mites sunt & benignę, nunc malignę, cancrosę, gangrenosę, &c. Effluunt autem hemorrhoides imprimis citra voluntatem aut intentionem ægri, & spontè naturæ: nihilominus consuetudo, ceu altera natura, est adeò potens, ut etiam hæmorrhoides voluntariò fluentes reddere queat: Exemplum habet PANAROLLUS *Pent.2. Observ.47.*

de

de sene, qui cùm iam juvenis laborasset fluxu hæmorrhoidum salutari, in tantum sibi reddit familiarem eundem, ut, cùm in senectute se aliquo modo malè haberet, pro voluntate intensè potuerit promovere & sistere hunc fluxum hæmorrhoidalem, prout ipsi libuerit.

PARS AFFECTA.

Subjectum est podex seu inferius orificium intestini recti ratione vasorum sanguifluorum.

CAUSÆ.

Causæ affectuum hactenus recensitorum hæmorrhoidalium, ut sanguis vel fluat vel stagnet, sunt vel internæ, quæ promovent, ita ut quasi sua sponte superveniant; vel externæ, dum variè afficiuntur ista vasa ab externis occasionibus.

Quoad *causas internas*: quocunque modo accidunt hæmorrhoidalia pathemata, omnia sunt præter naturam, cum hæmorrhoidales affectus naturaliter nemini contingant, adeòque semper eorum affectus præsupponat statum præternaturalem & morbidum. Hinc sicuti mulieribus vitio mensium supervenire solent; ita viris non nisi hypochondriacis, aut exinde scorbuticis vel spleneticis; uno nomine: Melancholicis affectibus ab acido vitioso natis, accidunt. Hinc rectè notat FORESTUS *lib.* 23. *Observat.* 5. *in Schol.* quod ijs, qui laborant hæmorrhoidibus, color faciei ad viridem nonnihil colorem declinet, teste AVICENNA: id quod in multis aliquando advertentes, solo hoc signo inducti, eos hæmorrhoidibus laborare pronunciavimus. Nempè semper præsupponitur vasorum illorum stimulus, vel irritatio, vel spina iisdem infixa, h. e. fermentum salinum in sanguine ejusque sero præternaturale, quod quacunque occasione vel hæreditario ex vitio, vel ex præcedaneis causis morbosis contractum, nunc externæ occasionis, nunc solennis cujusdam sanguinis evacuationis suppressæ causâ, ad ista loca delatum, vellicando loca ista sensilia, imò & fibrarum nervearum stricturâ, sanguinis stagnationem seu coacervationem, hinc tumorem plus minus inflammatorium, tandem dolorem intensissimum ac finxum infert: Uno nomine: quæ sunt causæ, quare subindè crebriores & chronicæ hæmorrhagiæ narium, sive habituales aliæ sanguinis evacuationes quosdam affligunt, eæ etiam sunt causæ hæmorrhoidalium pathematum, cùm non, nisi excretionis loco, differant. Conf. de tali fermento vitioso, quod acri suo stimulo hæmorrhoidales affectus concitet, elegans consilium CNOFFELII *in* M. A. N. C. *Ann.* 5. & 6. *Append. pag.* 1.

Quoad *causas externas*: sunt eæ variæ, motus nempè aut agitatio sub equitatione vel vectione paulò laboriosior, cursus diuturnus, saltatio, purgantia, & similia, quæ tàm in non dispositis, quàm imprimis in dispositis, pathemata hæmorroidalia inferunt. Fœminæ etiam in ultimis gravidationis mensibus, aut etiam, ubi difficili laborant partu, cæcas incurrunt hæmorrhoides; in utroque enim casu motus sanguinis circa uterum & anum non nihil impeditur; partim vasa propter uterum angustata, in causa sunt, quod tumeant vasa hæmorrhoidalia, cùm podex imprimis non parum patiatur, & ita occasio subministretur, ut stagnet in venis hæmorrhoidalibus, quâ stagnatione tumefacta vasa, & inflammata pars, dant hæmorrhoides cæcas dolentes: utut non observarim ex tali casu natas hæmorrhoides, nisi in istis, qui ad hypochondriaca seu Melancholica pathemata sunt proclives. Ac sanè, quò crebriùs pariunt mulieres, eò magis hos affectus exasperant. Purgationes quoque vehementiores non rarò inducunt hæmorrhoidalia pathemata, partim ac præcipuè, quando particulæ medicamenti purgantis resinosæ acres intestino recto visciditate suâ pertinaciùs adhærent, illudque stimulant, quâ occasione de facili dolor & inflammatio oriri solet; partim quando purgatione acres & salini evacuati humores circa intestinum rectum non rarò dolores excitant, & ibidem vellicando occasionem subministrant apertionis venarum hæmorrhoidalium. In specie hîc accusari solet aloe, quasi venarum ora aperiat, & hæmorrhoides cieat. Effatum hoc est Arabum, à LEONHARDO tamen FUCHSIO, & IOHANNE IACOBO MANARDO, minus Arabibus faventibus, hoc rejicitur: sed reverà commune hoc est quibusvis purgantibus magis resinosis, ut in dispositis hæmorrhoides concitent: Sic MANARDUS *in Epist. Medicin. l.* 12. *Epist.* 3. *pag.* 226. ex potu rhabarbari id observavit in viro, quod etiam de sennatis & scammoniatis à se observatum refert SCULTETUS *in Armam. Chirurg. Observ.* 76. Nimia etiam sanguinis intestina commotio, v. g. nimia iracundia, uti quibusdam hæmorrhagias narium, ita prædispositis ex causa interna, vel ex vasorum & intestini recti relaxato tono, hæmorrhoidales affectus infert.

Ex quibus patet, quod causa hæmorrhoidalium affectuum omnium sit tantùm sanguis evacuandus; idque vel propter quantitatem sponte naturâ evacuandus vel propter qualitatem, nempè sanguinis agitatione, iracundia, vel simili motu factus turgescens emittendus: maximis enim iracundiis supervenire solent hæmorrhagiæ narium: sicuti interdum externè causa irritans ad hos ipsos affectus disponere potest, v. g. suppositoria acria, frictiones fortes, violentior digitorum in anum intrusio: Vid. HORSTIUS *l.* 5. *Observ.* 16.

DIAGNOSIS.

Quoad signa: Lumborum dolor sine manifesta causa ex febre, hæmorrhoidum instantium est signum: Vid. GABELCHOVERUS *Cent.* 1. *Curat.* 65. *Annot. pag.* 98. Distinguendus ante omnia fluxus hæmorrhoidalis verus à *Diarrhœa cruenta scorbuticorum*, quæ aliàs vocatur *Dysenteria scorbutica mendosa*: de quo videndus in specie HORSTIUS *l.* 7 *Observ.* 38. *pag.* 393. & 394., ubi fit mentio fallacis hæmorrhoidum fluxus, scorbuticis familiaris: qui ipse in hoc differt à vero fluxu hæmorrhoidum, quod hæmorrhoides veræ attritu excrementorum imprimis aperiantur, & etiam cum excrementis unà sanguis evacuetur; ob id etiam rarò solet excerni sanguis, antequàm excrementa prodant: sin verò fiat, ut promiscuè excernatur sanguis tàm ante quàm post excrementa; vel etiam longè post excretionem sine dolore, torminibus, &c. copiosus sanguis effundatur, tunc suspicionem potiùs esse, numne sit scorbutica evacuatio, quàm fluxus hæmorrhoidalis? Aliàs color faciei ad viriditatem inclinans pathognomonicum signum est hæmorrhoidibus laborantium, teste FORESTO.

Deindè *signa hæmorrhoidum tumentium distinguenda à condylomatibus, cristis, verrucis*, & aliis ani affectibus: Vid. imprimis in RIVERII *Pr. pag.* 417. *de hæmorrhoidibus cæcis l.* 10. *cap.* 11. Nempè à Rhagadibus distinguuntur: quod hæ sunt fissuræ ulcerosæ, à condylomatibus, quatenus hæc rugarum podicis intumescentiæ oblongæ ejusdem cum reliqua illius substantia sint, & extra venarum quoque loca compareant; cùm hæmorrhoidum eminentiæ magis rotundæ, nigræ, & in venarum tantùm extremitatibus existant: à thymis sive verrucis, quòd hæ sint tubercula exilia & carnosa, qualia etiam in genitalibus utriusque sexus ab impuro coitu exoriri solent, flores thymi figurâ æmulantia, coloris candidi aut subrubri, ac doloris expertia: à ficis, quatenus, quamvis hi tumores pariter lividi & dolorosi sint, carnosi tamen magis observantur, cùm hæmorrhoides nihil, nisi venæ sanguine turgidæ sint.

PROGNOSIS.

Quoad Prognosin: certum est, hæmorrhoides tam fluentes quàm furentes esse præternaturales.

Observanda autem distinctio hæmorrhoidum suprà allegata: nempè criticæ aut spontaneæ, non nimiæ, sed parcè, debitè & periodicè fluentes, sunt saluberrimæ: nam teste experientiâ & authoritate veterum, præservant & curant morbos, vulgò melancholicos dictos, aliosque graviores chronicos, uti sunt affectus hypochondriacus, mania, melancholia hypochondriaca, scorbutus, scirrhi ac tumores viscerum, & similia mala; & quando fiunt loco menstruationis muliebris, sunt similiter salutares. Sic exempla virorum longævorum ex hæmorrhoidum periodico fluxu videb. in M. A. N. C. *Anno* 2. *Observat.* 192. *p.* 294. *Ann.* 4. & 5. *Observ.* 44. *pag.* 39. & *Observ* 69. *pag.* 57.

E contrà clausæ vel intempestivè suppressæ dictos morbos exasperare solent: sicuti in scorbutico suppressæ hæmorrhoides mortis causa observatæ; vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observat.* 331. *pag.* 543., HIPPOCRATES

l.4. epid. t.31. & l.6. Aphor.12., HORSTIUS l.2. Observ. 26. & HIGMORUS Anat. p.256.

Hinc suppressæ hæmorrhoides, quæ semel ac iterum fluxerunt, nunc fovent, nunc exacerbant chonicos morbos, præsertim arthritidem, quæ ab iisdem fluentibus non parum levatur.

Verùm ubi fluxus hic fuerit nimius & copiosus admodum, eadem imminent pericula, atque quæ hæmorrhagiam nimjam quamvis solent insequi; nempè universum corpus debilitat, ad hydropem, tabem, similesque affectus disponit, in specie viros ad exercitium Venereum omninò impotentes reddit, cum magno fœminarum tædio: conf. hic in Prognosi simul HIPPOCRATES Sect.6. Aphoris.11.12. & 21.

Imprimis notandum est, quod diuturnas curanti hæmorrhoides incumbat, ut una harum servetur aperta, quia aliàs varii morbi imminerent corpori: conf. DEODATUS in Valetud. p.93. item HORSTIUS in Probl. Decad.6. Quæst. 8., quod illustrat Obs. AMATI LUSITANI Cent.5. Curat. 3. ubi ex menstruo hæmorrhoidum fluxu suppresso copiosus sanguis per os effusus fuit, & aliud menstruum sanguinis sputum exindè contraxit. Atque hoc imprimis evenit, quando simplicitur stringuntur vasorum ora, sine fermenti interni, sanguinem agitantis & dicta pathemata inferentis, correctione.

Hæmorrhoides cæcæ malè curatæ, seu ubi jam adest inflammatio, non rarò dant ulcera, quæ facillimè degenerant in abscessus, ulcera, & interdum fistulas incurabiles, in Anglia malum molestissimum, interdum lethale.

CURA.

In *Cura* primariò, uti in omni excretione, attendendus est naturæ motus, & constitutio subjecti plus minus, vel sana, vel morbida, hoc est, chronicis affectibus plus minus obnoxia: natura enim sola in quibusdam subjectis statuque minus naturali hunc motum & evacuationem in salutem horum instituit, ut nempè majora mala avertat. Hinc

1. Hæmorrhoides fluentes seu fluere consuetæ, ut suo tempore fluant, conservandæ; quia mitigant majores morbos chronicos.
2. Hæmorrhoides consueto fluore suppressæ, sive in cæcas degenerantes, aperiendæ.
3. Hæmorrhoides nimiùm fluentes moderatè sistendæ.
4. Nunquam fluere consuetæ, rarò, aut in chronicis saltem affectibus, in quibus apparet motus naturæ ad hæc vasa, & in subjectis tantùm tali evacuatione opus habentibus, aut eam facilè ferentibus, præsertim ubi suppressâ solenni sanguinis evacuatione natura quasi spontè eò inclinat, aperiendæ.
5. Hæmorrhoides cæcæ si non fluxerint, vel non ex usu sit, ut fluant, aut resolvendæ aut discutiendæ, aut, si aliàs fluxerint, aperiendæ.

Semper verò earum dolor inflammatorius sistendus.

Ergò tria saltem remediorum genera pro curandis hæmorrhoidalibus affectibus locum habent:

1. Quæ eas aperiunt.
2. Quæ eas claudunt.
3. Quæ appropriata & anodyna dolentes discutiunt:

Pro istis scopis ritè obtinendis notandum in genere, quod pro curandis hæmorrhoidibus nimis apertis omnia conveniant illa remedia, quæ in diarrheis, dysenteriis, vel ipsa cholera, aut etiam aliis quibusvis hęmorrhagiis, specificâ conveniunt virtute. Cæcis verò omnia illa exactè conveniunt, quæ vulgò in morbis splenеticis, & reserandis viscerum obstructionibus laudari solent.

Moneo autem, hęmorrhoidalia pathemata, sive fluant, sive non fluant, existere non in exactè sanis, sed qui inclinant ad affectus hypochondriacos, ita ut hęmorrhoides sint consequens talium affectuum hypochondriacorum; hinc rectè dicunt Practici: *Hæmorrhoides in sua radice magnam habere cognationem cum affectu hypochondriaco*: Conf. *Miscellanea curiosa medica*, anno 3. Observ.22. p.40.: i.e. hęmorrhoides corpore sano constituto non apparentes, sunt signum deficientis plus minus sanitatis, & hypochondriacorum affectuum quasi consectarii: adeòque remediis huic appropriatis, in specie martialibus, & hinc vegetabilibus amaricantibus aromaticis, eorum radicalis cura tractanda est, eò ferè modò, ac in genere morbi chronici & vulgò dicti splenetici tractari solent. Martialia enim fluentes sistunt, & cæcas vel faciuntut disppareant vel aperiunt; quod observatum est in liquore Martis solari. Cum his usurpentur simul appropriata, ut scrophularia, millesolium flore albo, crassula, pilulæ de bdellio. Conf. *Wedelius* Op. p.124. & M. A. N. C. Ann.3. Obs.22.

Quoad media cæcis aperiendis convenientia, consultum est, ut, antequam applicentur aperientia, præmittantur emollientia hęmorrhoides cæcas, balnea, nempè aut semicupia emollientia, item somenta, imprimis parata ex lacte tepido, vel solo, vel cum emollientibus bullito; præstantissima enim sunt ad compescendum dolorem hęmorrhoidum cæcarum, observante id ZACUTO LUSITANO in sua Praxi, quæ sic interdum spontè solent reserari: emollitæ verò aperiuntur vel applicando hirudines, vel fricando foliis ficus recentibus modicè tritis, quæ forti impressione lac acre ac ferè causticum plorant, cujus acrimoniâ vasa tumentia successivè aperiuntur: vel si hoc non sufficiat, illinuntur commodè cum succo cyclaminis, eoque vel solo, vel cum succo betæ misto, imprimis ubi iam adsit inflammatio, vel dolor nimis urgeat: Vid. HEINRICUS ab HEER in Obs. oppido rara 6. Vel recipiantur alia acria, ut succus ceparum recens, vel solus, vel cum aloe sub forma linimenti mistus: item succus ari, bryoniæ, centaurii minoris, &c. externè illitus, easdem aperit, suppositoria etiam ex radice cyclaminis facta, hęmorroides insigniter stimulant, ut aperiantur, vel ex hiera picra cum pulvere colocynthidos & melle parata: pulvis colocynthidos, aut solus, aut etiam adjecto selle bubulo, aut selle porcino, cum melle vel oleo amygdalarum amararum permistus in consistentia linimenti, potenter etiam stimulat hęmorrhoides cæcas: Cancri itidem fluviatiles in oleo cocti ad mellis consistentiam etiam aperiunt hęmorrhoides, & imprimis in metu inflammationum conveniunt: imò lienis dolori ac nimio inflammationis incremento resistit: Omnia ista remedia externa urgente plus minùs inflammatione, ardore ani, &c. tamdiu priùs ducantur in mortario plumbeo, donec lividum colorem ex plumbi ramentis contrahant, sic & tutiùs applicari possunt; plumbum enim convenit ad arcendam inflammationem.

Tandem linimentum ex medulla colocynthidis, cum oleo amygdalarum amararum probè mistum, illitum etiam easdem reserat: item cataplasma factum ex stercore columbino, cum semine staphisagriæ & lupinorum, similiter applicari potest. Succus & magma seu pulpa galiopsidis, seu urticæ mortuæ, furentes hęmorrhoides aperit. Valdè quoque commendatur ad obstructas hęmorrhoides quod sequitur:

℞. *Vrinæ vetustæ & sanæ bonam partem:*

Quæ bulliant ad minimum per horam vnam; despumetur & purificetur, addendo in fine

Vrticas parvas sive Galiopsides incisas:

Subigantur & firmiter exprimantur.

Quod si calor adsit hæmorrhoidum, simul addenda est aqua *Rosarum*: sin verò adsit simul pruritus hæmorrhoidum, addendum nonnihil de *succo limonum*, vel *aceto destillato*, vel *aceto rosaceo*.

His ita permistis æger collocetur in sella, & foveatur linteo multiplici, fotu isto calidissimè impræ gnato; quæ lintea tàm diu novo fotu callido imprægnata admoveantur subindè, donec hęmorrhoides aperiantur.

Denique inter aperientia hęmorrhoidum ora, & quæ fluxum earum promovent, nil melius est applicatione hirudinum venis ani, pro promovendo fluxu hęmorrhoidum. Modus applicationis est: Illinatur locus cum aqua dulci saccharata, vel lacte tepido, vel sanguine animalium recenti, ut faciliùs hirudines allectentur: si sufficienter suxerint, adspergantur sale communi, cujus acrimoniam sentientes decidunt: vel illinatur locus aqua absinthii: si interdum introrepant in anum, tunc ne internè suctu malum inserant, injiciatur clysma ex aqua salita, tunc à tali clysmate hirudines decidunt, & unà cum clysmate eijciuntur. Conf. SENNERTUS l.3. Prax. ubi de hæmorrhoidibus Quæst:3. Quod si verò profundiùs delitescant vasa hęmorrhoidalia, ac præsertim superiora, ita ut commoda hirudinum applicatio fieri nequeat, imitetur ZACUTUS LVSITANUS l.2. Pr. Admir. Observat. 74., qui docet, quomodo per cucurbitulam applicatam commodè manifestanda sint? quæ aliàs suprà genua in parte externa applicatæ in hęmorrhoidibus suppressis conveniunt.

Quoad interna remedia, promovent hęmorrhoidum fluxum remedia aloetica quæcunque, quatenus nempè parte sui resinosâ circa partes ani adhærescendo easdem stimulant,

lant, ut hinc facilè sanguis effluat, hinc pilulæ aloephanginæ, & ratione aloes Elixyr proprietatis, & similia, quæ ingreditur imprimis aloe, item myrrha, quoscunque sanguinis fluxus promovens; item quæcunque purgantia acriora & magis resinosa commodè usurpari assolent. *Fluentes Hæmorrhoides* sive *apertas* quod attinet, *si non rite fluant*, modò dicta easdem promovent, in specie fotus ex emollientibus: sin verò nimis fluant, in tali casu supprimantur. Supprimuntur tàm *remediis internis*, quàm *externis*. *Internè* conveniunt Rhabarbarum tostum ac myrobalani: præ cæteris tamen Tamarindi, quos commendat RIVERIUS ad hemorrhoides fluentes: cimæ quercus, exque his parata conserva & syrupus. Decoctum ligni lentiscini præservat à nimio fluxu hemorrhoidum: syrupus de rosis siccis, utut vulgaris, est tamen efficax; BORELLUS namque *l.4. Observat.* 58. refert, quod hemorrhoidum fluxus nimius ad ℔ x. fuerit sedatus per syrupum hunc aliquoties adhibitum: Syrupus & succus portulacæ, myrtinus & cydoniorum sunt convenientes: succus urticæ majoris ad ℥ ij. vel tres haustus, est experimentum RIVERII *C.4. Observ.* 81: Item aliis irritis succus stercoris asinini haustus, aut ex hoc paratus syrupus, est optimum adstringens, quæ, uti quamcunque hemorrhagiam mirabiliter sistunt, ita in specie fluxum hemorrhoidalem: Decoctum sanguisorbæ in potu ordinario aliquamdiu continuatum egregium etiam experimentum est BARTHOLINI *in Act. Med. Haffniens. Volum.1. p.* 165. Dens equi marini sive hippopotami præparatus & assumptus fuit D. MICHAELIS *secretum contra hæmorrhoides nimis fluentes*; ex quo dente etiam curabat fieri annulos pollici pedum applicandos, quibus hemorrhoides felici cum successu compescere solebat. Ossa microcosmi præparata, item trochisci de carabe, quæ à ʒ ß. ad ʒ j. usurpari possunt, conveniunt; item de terra sigillata, & in genere omnia ea remedia, quæ *infrà ad hæmorrhagias* nimias laudantur: item quæ *suprà de vomitu sanguineo* fuerunt commendata, ac ferè vi acidi absorptivâ simul instructa sunt, hic optimè conveniunt, speciatim Martialia omnia, quæ uti acidum hypocondriacum absorbent, ita hoc ipso in vitrioli quasi naturam degenerant, & alvum suaviter apertam servant, dum simul sanguinem coagulando, excretiones ejus quascunque, & speciatim per hemorrhoidalia vasa, sistunt, ut tincturæ Martiales, tinctura sulphuris vitrioli, tincturæ vitrioli Martis *Zwelfferi*, potiùs tinctura antiphthisica, aut liquor Martis solaris, aut crocus Martis præcipitatus, lapis hæmatites & similia.

℞. *Aqu. plantagin.*
Portulac. an. ℥ j ß.
Tinctura sulphur. vitrioli ʒ j ß.
Laud. opiati gr. iij. vel iv.
Syr. corallior ʒ vj.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.

Speciatim etiam pilulæ de bdellio *in Pharm. August.* dosi ʒ j. subindè usurpatæ, mirabiliter nimium hemorrhoidum fluxum sistunt: id quod imprimis videri potest apud SOLENANDRUM *in Praxi S.4. Cons.*20., quod consilium multa in se continet, quæ ad hemorrhoidum Praxin pertinent: item FORESTUS *l.23. Obs.*25. unde quidam non sine successu adhibent suffitum de bdellio, qui suffitus similiter egregiè confert.

De opiatis, quo pertinet theriaca, etiam internè contra hemorrhoides fluentes usitatis, taceo, cùm per se nota sint.

Externè, quæ hemorrhoidum nimium fluxum sistunt, sunt suffitus nidorosi & olidi, qualis suffitus picis, carbonibus ardentibus injectus, exceptus in sella perforata; vel sufficit suffitus ex thure & Mastiche ano exceptus: vid. RIVERIUS. Spongia ista terrestris, crepitus lupi dictus, quem vocant Germ. *Buben-oder Pofist*, meritò commendatur à SOLENANDRO, qui siccatus & vasis hemorrhoidalibus nimis apertis admotus non tantummodò sanguinem fluentem sistit, sed etiam partes jam exulceratas optimè sanat. *Crede experto*, dicit SCHOLZIUS *Cons.* 202. Probati sunt *sacculi Rulandi*, quos ipse expertus est: fiunt ex *glandibus contusis* & *foliis quercus*, formentur duo sacculi interpassati, injiciantur in acetum fervidum, quorum unus post alterum calidè podici applicetur continuato usu. Item pulvis ex subere usto & mumia applicatus fluxum hemorrhoidalem nimium etiam sistit: pulvis bufonis combusti, vel pulvis ranæ terrestris applicatus hemorrhoidibus, easdem stringit: item fuligo furni splendens, conquassata cum albumine ovi & mista, ac postmodum cum telis aranearum in forma linimenti hemorrhoidibus nimium fluentibus applicata, fluxum hunc similiter cohibet: Est *experimentum* HELIDÆI PADUANI. De pulvere sympathetico res nota est. Polygonum sub axillis positum laudatur à WEDELIO *in* M.A.N.C. *Ann.*3. *Obs.*22. Sunt, qui recipiunt sanguinem recenter excretum, quem in lamina ferrea benè calefacta exsiccant & pulverisatum inspergunt hemorrhoidibus fluentibus & sic subitò sistunt, quod observavit RHUMELIUS. Pinguedo etiam anguillæ, quæ, dum assatur, exstillat, non saltem egregium est contra dolores hemorrhoidum remedium, sed & nimium fluorem optimè sistit. HARTMANNUS commendat cingulum ex helleboro nigro. Verùm eo magis commendarem Elleborum album, cujus folia sunt instar plantaginis nervea: ex his linteo insutis factum cingulum lumbis applicatum, est singulare *experimentum* LINDANI *contra fluxum hæmorroidum immensum*, cujus felicem successum aliquoties observatum in *Collegio suo* confirmat; imprimis si adhuc pulvis subtilissimus de corticibus quercus adspergatur, qui instar pollinis adhæret, & aliàs in dysenteria est magnum remedium. Tandem terra vitrioli dulcis ritè edulcorata, vel sola cum bombace applicata, vel cum albumine ovi subacta, aut cum succo plantaginis in linimenti consistentiam redacta, & ita applicata, egregiè confert: Item

℞. *Unguent. de tutia*,
Ol. hyperic. q. s.
Misc. pro *Linimento*: S.
Unguentum lenitivum.

Vel Unguentum de lithargyrio vel tutia, cum cinere ostrearum subactum, compescit nimium hemorrhoidum fluxum; item suffumigium rasuræ ungulæ equinæ.

Venæ sectio in brachio, quam quidam usurpant, non adeò necessaria videtur, nisi forsan occasione solennis suppressæ sanguinis evacuationis hemorrhoidum nimius metuatur fluxus. Quod si verò hemorrhoides cæcæ non aperiendæ, nihilominus tamen admodum dolentes & tormentantes discutiendæ sint, pro sistendo dolore anodyna, ut lac, opiata, Decoctum foliorum hyoscyami in lacte chalybeato, ac similia sub fotus forma, vel cum spongia, vel cum linteolis multiplicatis, calidè applicata egregiè conferunt. Imprimis tamen quædam specifica crebriori experientiâ hic conveniunt: Probata hic conveniunt Momordica planta insigniter vulneraria, & imprimis ulceribus mammarum dicata, cujus *fructus* sive *poma spinosa* & rubicunda in *oleo commum*, vel *lini*, vel, quod melius est, in *oleo amygdalarum dulcium* infusa, dant nobile oleum non saltem *vulnerarium*, & ad quævis ambulta, sed in specie ad hemorrhoides cæcas optimum: In muliere quadam, quæ ex mensibus imminutis dolore hemorrhoidum afficiebatur, feliciter hujus tentavi experimentum. Post momordicam eminet hic etiam præ cæteris verbascum & ex floribus ejus infusum paratum oleum. Verbascum certè appropriatissima est planta ad cæcas & fluentes hemorrhoides compescendas. Applicatur variis modis; præprimis in lacte vel in aqua ferrariorum, vel vino adstringente cocta folia vel flores verbasci instar suffitus, vel fomenti spirituosi in sella perforata, optimè curant hæmorrhoides. Experimentum hoc est Mynsichtii ad condylomata & hemorrhoides cæcas. Aut flores verbasci & sambuci simul sacculo inclusi pro fomento in aqua simplici vel lacte bulliant, & ita applicentur: aut in graviori dolore, ubi verbasci fotus solus non sufficit, imitetur FORESTUS *l.23. Observ.6. in scholiis*, qui aliis remediis irritis dolorem hemorrhoidum intensum, & qui nullis aliis sedari poterat remediis, feliciter curavit fotu foliorum & florum verbasci sive thapsi barbati in aqua cum semine hyoscyami cocti, quo ipso omnis dolor evanuit. Quidam recipiunt lanam verbasci, hanc cum terebinthina miscent in formam pilularum, quibus suffitu utuntur ad hemorrhoides compescendas, id quod experientia comprobavit. De floribus sambuci dixi jam. Quidam etiam pro eodem scopo faciunt cataplasmata ex foliis & floribus dictorum simplicium in lacte decoctis, & applicant cum fructu: est sane egregium. Quod si inflammatio præsens, aut hæc multum progressa sit, convenienter adduntur folia portulacæ, quæ addita, in ista scilicet, valdoperè commendantur.

Post verbascum & sambucum nota sunt folia mandragoræ, utut rarò · nam mandragora ex solanorum genere non parum conjunctam habet narcosin: item folia solani furiosi,

l.4. epid. t.31. & l.6. Aphor.12., HORSTIUS l.2. Observ. 26. & HIGMORUS Anat. p.256.

Hinc suppressæ hæmorrhoides, quæ semel ac iterum fluxerunt, nunc fovent, nunc exacerbant chonicos morbos, præsertim arthritidem, quæ ab iisdem fluentibus non parum levatur.

Verùm ubi fluxus hic fuerit nimius & copiosus admodum, eadem imminent pericula, atque quæ hæmorrhagiam nimiam quamvis solent insequi; nempe universum corpus debilitat, ad hydropem, tabem, similesque affectus disponit, in specie viros ad exercitium Venereum omninò impotentes reddit, cum magno fœminarum tædio: conf. hic in Prognosi simul HIPPOCRATES Sect. 6. Aphoris. 11. 12. & 21.

Imprimis notandum est, quod diuturnas curanti hæmorrhoides incumbat, ut una harum servetur aperta, quia aliàs varii morbi imminerent corpori: conf. DEODATUS in Valetud. p.93. item HORSTIUS in Probl Decad.6. Quæst. 8., quod illustrat Obs. AMATI LUSITANI Cent.5. Curat. 3. ubi ex menstruo hæmorrhoidum fluxu suppresso copiosus sanguis per os effusus fuit, & aliud menstruum sanguinis sputum exindè contraxit. Atque hoc imprimis evenit, quando simplicitur stringuntur vasorum ora, sine fermenti interni, sanguinem agitantis & dicta pathemata inferentis, correctione.

Hæmorrhoides cæcæ malè curatæ, seu ubi jam adest inflammatio, non rarò dant ulcera, quæ facillimè degenerant in abscessus, ulcera, & interdum fistulas incurabiles, in Anglia malum molestissimum, interdum lethale.

CURA.

In Cura primariò, uti in omni excretione, attendendus est naturæ motus, & constitutio subjecti plus minus, vel sana, vel morbida, hoc est, chronicis affectibus plus minus obnoxia: natura enim sola in quibusdam subjectis statuque minus naturali hunc motum & evacuationem in salutem horum instituit, ut nempe majora mala avertat. Hinc

1. Hæmorrhoides fluentes seu fluere consuetæ, ut suo tempore fluant, conservandæ; quia mitigant majores morbos chronicos.
2. Hæmorrhoides consueto fluore suppressæ, sive in cæcas degenerantes, aperiendæ.
3. Hæmorrhoides nimiùm fluentes moderatè sistendæ.
4. Nunquam fluere consuetæ, rarò, aut in chronicis saltem affectibus, in quibus apparet motus naturæ ad hæc vasa, & in subjectis tantùm tali evacuatione opus habentibus, aut eam facilè ferentibus, præsertim ubi suppressâ solenni sanguinis evacuatione natura quasi spontè eò inclinat, aperiendæ.
5. Hæmorrhoides cæcæ si non fluxerint, vel non ex usu sit, ut fluant, aut resolvendæ aut discutiendæ, aut, si aliàs fluxerint, aperiendæ.

Semper verò earum dolor inflammatorius sistendus. Ergò tria saltem remediorum genera pro curandis hæmorrhoidalibus affectibus locum habent:

1. Quæ eas aperiunt.
2. Quæ eas claudunt.
3. Quæ appropriata & anodyna dolentes discutiunt:

Pro istis scopis ritè obtinendis notandum in genere, quod pro curandis hæmorrhoidibus nimis apertis omnia conveniant illa remedia, quæ in diarrhæis, dysenteriis, vel ipsa cholera, aut etiam aliis quibusvis hæmorrhagiis, specificâ conveniunt virtute. Cæcis verò omnia illa exactè conveniunt, quæ vulgò in morbis spleneticis, & reserandis viscerum obstructionibus laudari solent.

Moneo autem, hæmorrhoidalia pathemata, sive fluant, sive non fluant, existere non in exactè sanis, sed qui inclinant ad affectus hypochondriacos, ita ut hæmorrhoides sint consequens talium affectuum hypochondriacorum; hinc rectè dicunt Practici: *Hæmorrhoides in sua radice magnam habere cognationem cum affectu hypochondriaco*: Conf. *Miscellanea curiosa medica*, anno 3. Observ. 22. p.40.: i.e. hæmorrhoides corpore sano constituto non apparentes, sunt signum deficientis plus minus sanitatis, & hypochondriacorum affectuum quasi consectarii: adeòque remediis huic appropriatis, in specie martialibus, & hinc vegetabilibus amaricantibus aromaticis, eorum radicalis cura tractanda est, eò ferè modò, ac in genere morbi chronici & vulgò dicti splenetici tractari solent. Martialia enim fluentes sistunt, & cæcas vel faciuntur dispareant vel aperiunt; quod observatum est in liquore Martis solari. Cum his usurpentur simul appropriata, ut scrophularia, millefolium flore albo, crassula, pilulæ de bdellio. Conf. Wedelius Op. p.124. & M. A. N. C. Ann.3. Obs.22.

Quoad media cæcis aperiendis convenientia, consultum est, ut, antequam applicentur aperientia, præmittantur emollientia hæmorrhoides cæcas, balnea nempe aut semicupia emollientia, item fomenta, imprimis parata ex lacte tepido, vel solo, vel cum emollientibus bullito; præstantissima enim sunt ad compescendum dolorem hæmorrhoidum cæcarum, observante id ZACUTO LUSITANO in sua Praxi, quæ sic interdum spontè solent reserari: emollitæ verò aperiuntur vel applicando hirudines, vel fricando foliis ficus recentibus modicè tritis, quæ forti impressione lac acre ac ferè causticum plorant, cujus acrimoniâ vasa tumentia successivè aperiuntur: vel si hoc non sufficiat, illinuntur commodè cum succo cyclaminis, eoque vel solo, vel cum succo betæ misto, imprimis ubi iam adsit inflammatio, vel dolor nimis urgeat: Vid. HEINRICUS ab HEER in Obs. oppido rara 6. Vel recipiantur alia acria, ut succus ceparum recens, vel solus, vel cum aloe sub forma linimenti mistus: item succus ari, bryoniæ, centaurii minoris, &c. externè illitus, easdem aperit, suppositoria etiam ex radice cyclaminis facta, hæmorroides insigniter stimulant, ut aperiantur, vel ex hiera picra cum pulvere colocynthidos & melle parata: pulvis colocynthidos, aut solus, aut etiam adjecto felle bubulo, aut felle porcino, cum melle vel oleo amygdalarum amararum permistus in consistentia linimenti, potenter etiam stimulat hæmorrhoides cæcas: Cancri itidem fluviatiles in oleo cocti ad mellis consistentiam etiam aperiunt hæmorrhoides, & imprimis in metu inflammationum conveniunt: imò lienis dolori ac nimio inflammationis incremento resistit: Omnia ista remedia externa urgente plus minùs inflammatione, ardore ani, &c. tamdiu priùs ducantur in mortario plumbeo, donec lividum colorem ex plumbi ramentis contrahant, sic & tutiùs applicari possunt; plumbum enim convenit ad arcendam inflammationem.

Tandem linimentum ex medulla colocynthidis, cum oleo amygdalarum amararum probè mistum, illitum etiam easdem reserat: item cataplasma factum ex stercore columbino, cum semine staphisagriæ & lupinorum, similiter applicari potest. Succus & magma seu pulpa galiopsidis, seu urticæ mortuæ, furentes hæmorrhoides aperit. Valdè quoque commendatur ad obstructas hæmorrhoides quod sequitur:

℞. *Urinæ vetustæ & sanæ bonam partem*:

Quæ bulliant ad minimum per horam unam; despumetur & purificetur, addendo in fine

Urticas parvas sive Galiopsides incisas:

Subigantur & firmiter exprimantur.

Quod si calor adsit hæmorrhoidum, simul addenda est aqua *Rosarum*: sin verò adsit simul pruritus hæmorrhoidum, addendum nonnihil de *succo limonum*, vel *aceto destillato*, vel *aceto rosaceo*.

His ita permistis æger collocetur in sella, & foveatur linteo multiplici, fotu isto calidissimè impregnato; quæ lintea tàm diu novo fotu calido impregnata admoveantur subindè, donec hæmorrhoides aperiantur.

Denique inter aperientia hæmorrhoidum ora, & quæ fluxum earum promovent, nil melius est applicatione hirudinum venis ani, pro promovendo fluxu hæmorrhoidum. Modus applicationis est: Illinatur locus cum aqua dulci saccharata, vel lacte tepido, vel sanguine animalium recenti, ut faciliùs hirudines allectentur: si sufficienter suxerint, adspergantur sale communi, cujus acrimoniam sentientes decidunt: vel illinatur locus aqua absinthii: si interdum introrepant in anum, tunc ne internè suctu malum inferant, injiciatur clysma ex aqua salita, tunc à tali clysmate hirudines decidunt, & unà cum clysmate ejiciuntur. Conf. SENNERTUS l.3. Prax. ubi de hæmorrhoidibus Quæst.3. Quod si verò profundiùs delitescant vasa hæmorrhoidalia, ac præsertim superiora, ita ut commoda hirudinum applicatio fieri nequeat, imitetur ZACUTUS LUSITANUS l.2. Pr. Admir. Observat. 74., qui docet, quomodo per cucurbitulam applicatam commodè manifestanda sint? quæ aliàs suprà genua in parte externa applicatæ in hæmorrhoidibus suppressis conveniunt.

Quoad interna remedia, promovent hæmorrhoidum fluxum remedia aloetica quæcunque, quatenus nempe parte sui resinosâ circa partes ani adhærescendo easdem stimulant,

lant, ut hinc facilè sanguis effluat, hinc pilulæ aloephanginæ, & ratione aloes Elixyr proprietatis, & similia, quæ ingreditur imprimis aloe, item myrrha, quoscunque sanguinis fluxus promovens; item quęcunque purgantia acriora & magis resinosa commodè usurpari assolent. *Fluentes Hæmorrhoides* sine *apertas* quod attinet, *si non rite fluant*, modò dicta easdem promovent, in specie fotus ex emollientibus: sin verò nimis fluant, in tali casu supprimantur. Supprimuntur tàm *remediis internis*, quàm *externis*. *Internè* conveniunt Rhabarbarum tostum ac myrobalani: præ cæteris tamen Tamarindi, quos commendat RIVERIUS ad hęmorrhoides fluentes: cimæ quercus, exque his parata conserva & syrupus. Decoctum ligni lentiscini præservat à nimio fluxu hęmorrhoidum: syrupus de rosis siccis, utut vulgaris, est tamen efficax; BORELLUS namque *l.4. Observat.* 58. refert, quod hęmorrhoidum fluxus nimius ad ℔ x. fuerit sedatus per syrupum hunc aliquoties adhibitum: Syrupus & succus portulacæ, myrtinus & cydoniorum sunt convenientes: succus urticæ majoris ad ℥ ij. vel tres haustus, est experimentum RIVERII *C.4. Observ.* 81: Item aliis irritis succus stercoris asinini haustus, aut ex hoc paratus syrupus, est optimum adstringens, quæ, uti quamcunque hęmorrhagiam mirabiliter sistunt, ita in specie fluxum hęmorrhoidalem: Decoctum sanguisorbæ in potu ordinario aliquamdiu continuatum egregium etiam experimentum est BARTHOLINI *in Act. Med. Haffniens. Volum.* 1. *p.* 165. Dens equi marini sive hippopotami præparatus & assumptus fuit D. MICHAELIS *secretum contra hæmorrhoides nimis fluentes*; ex quo dente etiam curabat fieri annulos pollici pedum applicandos, quibus hęmorrhoides felici cum successu compescere solebat. Ossa microcosmi præparata, item trochisci de carabe, quæ à ʒ ß ad ʒ j. usurpari possunt, conveniunt; item de terra sigillata, & in genere omnia ea remedia, quæ *infrà ad hæmorrhagias* nimias laudantur: item quæ *suprà de vomitu sanguineo* fuerunt commendata, ac ferè vi acidi absorpti vá simul instructa sunt, hic optimè conveniunt, speciatim Martialia omnia, quæ uti acidum hypocondriacum absorbent, ita hoc ipso in vitrioli quasi naturam degenerant, & alvum suaviter apertam servant, dum simul sanguinem coagulando, excretiones ejus quascunque, & speciatim per hęmorrhoidalia vasa, sistunt, ut tincturæ Martiales, tinctura sulphuris vitrioli, tincturæ vitrioli Martis *Zuvelfferi*, potiùs tinctura antiphthisica, aut liquor Martis solaris, aut crocus Martis præcipitatus, lapis hæmatites & similia.

℞. *Aqu. plantagin.*
Portulac. an ℥ j ß.
Tinctura sulphur. vitrioli ʒ j ß.
Laud. opiati gr. iij. vel iv.
Syr. corallior ʒ vj.
M. f. *Potio*: S.
Potio adstringens.

Speciatim etiam pilulæ de bdellio *in Pharm. August.* dosi ʒ j. subindè usurpatæ, mirabiliter nimium hęmorrhoidum fluxum sistunt: id quod imprimis videri potest apud SOLENANDRUM *in Praxi S.4. Consil.*20., quod consilium multa in se continet, quæ ad hęmorrhoidum Praxin pertinent: item FORESTUS *l.*23.*Obs.*25. unde quidam non sine successu adhibent suffitum de bdellio, qui suffitus similiter egregiè confert.

De opiatis, quo pertinet theriaca, etiam internè contra hęmorrhoides fluentes usitatis, taceo, cùm per se nota sint.

Externè, quæ hęmorrhoidum nimium fluxum sistunt, sunt suffitus nidorosi & olidi, qualis suffitus picis, carbonibus ardentibus injectus, exceptus in sella perforata; vel sufficit suffitus ex thure & Mastiche ano exceptus: vid. RIVERIUS. Spongia ista terrestris, crepitus lupi dictus, quem vocant Germ. *Buben-oder Pofist*, meritò commendatur à SOLENANDRO, qui siccatus & vasis hęmorrhoidalibus nimis apertis admotus non tantummodò sanguinem fluentem sistit, sed etiam partes jam exulceratas optimè sanat. *Crede experto*, dicit SCHOLZIUS *Consf.* 202. Probati sunt *sacculi Rulandi*, quos ipse expertus est: fiunt ex *glandibus contusis & foliis quercus*, formentur duo sacculi interpassati, injiciantur in acetum fervidum, quorum unus post alterum calidè podici applicetur continuato usu. Item pulvis ex subere usto & mumia applicatus fluxum hęmorrhoidalem nimium etiam sistit: pulvis bufonis combusti, vel pulvis ranæ terrestris applicatus hęmorrhoidibus, easdem stringit: item fuligo furni splendens, conquassata cum albumine ovi & mista, ac postmodum cum telis aranearum in forma linimenti hęmorrhoidibus nimium fluentibus applicata, fluxum hunc similiter cohibet: Est *experimentum* HELIDÆI PADVANI. De pulvere sympathetico res nota est. Polygonum sub axillis positum laudatur à WEDELIO *in* M.A.N.C. *Ann.*3. *Obs.*22. Sunt, qui recipiunt sanguinem recenter excretum, quem in lamina ferrea benè calefacta exsiccant & pulverisatum inspergunt hęmorrhoidibus fluentibus & sic subitò sistunt, quod observavit RHUMELIUS. Pinguedo etiam anguillæ, quæ, dum assatur, exstillat, non saltem egregium est contra dolores hęmorrhoidum remedium, sed & nimium fluorem optimè sistit. HARTMANNUS commendat cingulum ex helleboro nigro. Verùm eo magis commendarem Elleborum album, cujus folia sunt instar plantaginis nervea: ex his linteo insutis factum cingulum lumbis applicatum, est singulare *experimentum* LINDANI *contra fluxum hæmorroidum & mensium*, cujus felicem successum aliquoties observatum in *Collegio suo* confirmat; imprimis si adhuc pulvis subtilissimus de corticibus quercus adspergatur, qvi instar pollinis adhæret, & aliàs in dysenteria est magnum remedium. Tandem terra vitrioli dulcis ritè edulcorata, vel sola cum bombace applicata, vel cum albumine ovi subacta, aut cum succo plantaginis in linimenti consistentiam redacta, & ita applicata, egregiè confert: Item

℞. *Unguent. de tutia,*
Ol. hyperic. q. s.
Misc. pro *Linimento*: S.
Unguentum lenitivum.

Vel Unguentum de lithargyrio vel tutia, cum cinere ostrearum subactum, compescit nimium hęmorrhoidum fluxum; item suffumigium rasuræ vngulæ equinæ.

Venæ sectio in brachio, quam quidam usurpant, non adeò necessaria videtur, nisi forsan occasione solennis suppressæ sanguinis evacuationis hęmorrhoidum nimius metuatur fluxus. Quod si verò hęmorrhoides cęcę non aperiendę, nihilominus tamen admodum dolentes & tormentantes discutiendę sint, pro sistendo dolore anodyna, ut lac, opiata, Decoctum foliorum hyoscyami in lacte chalybeato, ac similia sub fotus forma, vel cum spongia, vel cum linteolis multiplicatis, calidè applicata egregiè conferunt. Imprimis tamen quędam specifica crebriori experientià hic conveniunt: Probata hic conveniunt Momordica planta insigniter vulneraria, & imprimis ulceribus mammarum dicata, cujus *fructus* sive *poma spinosa* & rubicunda in *oleo commum*, vel *lini*, vel, quod melius est, in *oleo amygdalarum dulcium* infusa, dant nobile oleum non saltem *vulnerarium*, & ad quævis ambusta, sed in specie ad hęmorrhoides cæcas optimum: In muliere quadam, quæ ex mensibus imminutis dolore hęmorrhoidum afficiebatur, feliciter hujus tentavi experimentum. Post momordicam eminet hic etiam præ cæteris verbascum & ex floribus ejus infusum paratum oleum Verbascum certè appropriatissima est planta ad cæcas & fluentes hęmorrhoides compescendas. Applicatur variis modis; præprimis in lacte vel in aqua ferrariorum, vel vino adstringente cocta folia vel flores verbasci instar suffitus, vel fomenti spirituosi in sella perforata, optimè curant hæmorrhoides. Experimentum hoc est Mynsichtii ad condylomata & hęmorrhoides cæcas. Aut flores verbasci & sambuci simul sacculo inclusi pro fomento in aqua simplici vel lacte bulliant, & ita applicentur: aut in graviori dolore, ubi verbasci fotus solus non sufficit, imitetur FORESTUS *l.*23 *Observ.* 6. *in scholiis*, qui aliis remediis irritis dolorem hęmorrhoidum intensum, & qui nullis aliis sedari poterat remediis, feliciter curavit fotu foliorum & florum verbasci sive thapsi barbati in aqua cum semine hyoscyami cocti, quo ipso omnis dolor evanuit. Quidam recipiunt lanam verbasci, hanc cum terebinthina miscent in formam pilularum, quibus suffitu utuntur ad hęmorrhoides compescendas, id quod experientia comprobavit. De floribus sambuci dixi jam. Quidam etiam pro eodem scopo faciunt cataplasmata ex foliis & floribus dictorum simplicium in lacte decoctis, & applicant cum fructu: est sanè egregium. Quod si inflammatio præsens, aut hæc multum progressa sit, convenienter adduntur folia portulacæ, quæ addita, in ista scilicet, valdoperè commendantur.

Post verbascum & sambucum nota sunt folia mandragoræ, utut rarò · nam mandragora ex solanorum genere non parum conjunctam habet narcosin: item folia solani furiosi,

furiosi, portulacæ, hyoscyami, flores chamomillæ, & similia. Post verbascum eminet linaria, de qua res notissima est, quod sit unum ex primariis specificis contra furorem hæmorrhoidum, quocunque modo usurpetur, cujus olei aut etiam ex linaria, vel sola vel cum floribus chamomillæ, parati fotus, in lacte cocti & applicati, item linimenta, unguenta, &c. cum sevo hircino, sunt singularissima specifica HARTMANNI *pag.160. §. 3. in Pr. Chym.* HORSTII *l.4. Obs. 50.* & HOEFERI *in Herc. Med. p.95.* Nam certum est, quod ex linaria quæcunque parata sint expertissima in cæcis hæmorrhoidibus.

℞. *Herb. linar.* M. ij.
Flor. verbasci M. j.
Sambuci M.ß.
Sem. fœnugr.
Lini an. ℥ j.
Incis. & contus. D. S.
Species ad fotum.

Linimentum sequens in dolore & tumore venarum hæmorrhoidalium plerumque cæcarum inter topica varia palmam sibi præripit, quod paratur ex herbis & floribus linariæ coquendo cum adipe porcino: cui expresso parumper refrigerato vitellum ovi permiscetur, & cum lana aut gossipio parti dolenti applicatur. Hoc linimentum confestim ad miraculum sistit dolores, referente Iohanne Wolffio Medico Hassiaco celeberrimo, qui hoc Secretum Principi suo Hassiæ Landgravio revelare noluit, donec ipsi annuatim bovem bene saginatum promitteret: Vid. SCHONFELDERS *Hist. p. m. 50.* VOLTERUS *in Schola obstetricum p.132.* laudat seqq.

℞. *Herb. Linar. cum flor. lut.* M ij.
Hyosc. M ß.
Ol. rosar.
Verbasc. an. ℥ iij.
Butyr. rec. ℥ v.
Coqu. & exprim. per pannum: fluant denuò adjiciendo
Fol. linar. M. j.
Exprime & adde
Vitell. ovor. no. ij.
Misc.

℞. *HB. Linar.* M. ij.
Flor. verbasci M. j.
Samb. M. ß.
Sem. fœnugr.
Lini an. ℥ j.
Incisa & contusa D. S.
Species ad fotum.
Coquantur in aqua vel lacte.

Decoctum fundatur super lateres calefactos, in sella perforata excipiatur suffitus, post huic Decocto immittuntur linteamina, & sub forma fotus humidi applicantur.

Fotus urticatæ urinæ hæmorrhoides tumentes curat: Vid. VELSCHIUS *Micromm. Cent. 1. Obser. 33. connexà anno 4. & 5.* M. A. N. C. Modum parandi linimenti habet, uti dictum, HARTMANNUS, & in *Zuvelfferi Pharm. Reg.* etiam ejus est descriptio: v. g.

℞. *Unguent. de linar.* ℥ vj. vel ℥ j.
Ol. express. sem. hyosc. ʒ j. vel ʒ ij.
Sacchari saturni (in ardore & inflammationis metu) ʒ j ß. vel ʒ ij.
M. pro *linimento.*
Cautelam audietis in fine.

Liquor quoque simpliciter ex floribus linariæ putrefactis egregiè anodynus in hoc casu colligi potest, atque ex floribus sambuci & verbasci.

De oleo momordicæ supra locutus sum. Quidam etiam commendant oleum, in quo baccæ herbæ paridis cum modico vino coctæ sunt, quod dat linimentum reverà elegans, uti hoc in hæmorrhoidibus cæcis ac furentibus in puerpera observavit GESNERUS, ac commodè cancrosis hęmorrhoidibus quælibet ex baccis his remedia applicari possunt. Pertinet huc oleum septem florum *Mynsichtii*, item oleum seminis papaveris & hyoscyami, in specie oleū, asellorum, aut etiam scarabęorum stercorariorum, Germ. *der Mist-kafer*, quæ sunt singularissimum specificum in dolore cæcarum hęmorrhoidum: ex quibus, cum oleo carvi vel lini insusis, pluribus permistis, fiunt olea expertissima contra hęmorrhoides dolentes & tumentes. Oleum & cineres scarabæorum sæpiùs expertus est in cæcis hęmorrhoidibus BIERLINGIUS *in Adversar. Curios. Centur. 1. pag.49.* URSULÆ CARTESIÆ, *Principissæ Italiæ Patavinæ* in secretis fuit *oleum asellorum*: Nempè *aselli* contusi coquantur in *oleo violaceo*, aut *lini*, aut quod optimum cum *oleo nucum expresso*: In tali quodam oleo coquuntur etiam sine coctione in cucurbita probè clausa, aliquamdiù digeruntur, hinc oleum ex iis exprimitur nobilissimi & singularissimi usus ad hęmorrhoides. Eodem modò cum scarabæis stercorariis oleum & linimentum anodynum ad hęmorrhoides expertissimum parari potest, quod valdè commendat SOLENANDER *S.4. Cons.20.* Quidam parant unguentum ex modò dictis oleis, quod externis hęmorrhoidibus commodè potest illiniri; in hęmorrhoidibus verò intus latentibus sub forma suppositoriorum immitti, ut pertingat ad partem affectam, hoc modo:

℞. *Asell. contus.* ℥ j.
Ol. violac. ℥ ij.
Coqu. & colentur, add.
Ceræ ℥ ß., plus minus, prout magis vel minus consideramus *Unguentum* fluidum vel crassum.
Misc.

Certum est, quod aselli in Chirurgia in compescendis doloribus nimiis hęmorrhoidum, in ulceribus & fistulis, in ulceribus mammarum, non habeant par remedium: conf. FONSECA *l.1. Cons.27.* & BORELLUS *C.1. Obs.63.* *de usu millepedum* in hoc casu. Oleum Buxi insigne est anodynum, propter quam causam etiam applicatur hęmorrhoidibus dolentibus, non minùs quàm dentibus in odontalgia, in qua est singulare. Sunt qui putant, hoc oleum esse oleum *Heraclinum Rulandi*: sed falsum est; paratur enim istud ex corylo.

Tandem in usu etiam sunt contra dolorem & tumorem hæmorrhoidum cæcarum mucilagines seminis psyllii, lini, cydoniorum, nunc solæ, nunc cum saccharo saturni & camphora pauca mistæ: quibus etiam parum opii addi potest in graviori dolore, & ita applicari, ac speciatim in hęmorrhoidalibus: siquidem in his, etiam in externis remediis, ea præpollent, quæ acidum istud, unde hęmorrhoidalia pathemata oriuntur, vel absorbent, ut saturnina, vel vi oppositâ alcalinâ corrigunt & temperant. Dictis mucilaginibus in ardore ac inflammatione commodè adduntur succus portulacæ, succus medii corticis sambuci:

Vel

℞. *Mucil. sem. psyll.*
Cydonior.
Lini cum *aqu. rosar.* an. *par.* ℥ j.
Butyri rec. non saliti ℥ j.
Vitell. ovor. no. ij.
Ol. rosac. complet. parum.

Agitentur in *mortario plumbeo* cum *pistillo plumbeo*, ad colorem lividum usque, f. l. a. *linimentum*, perquam egregium in inflammatione, ac dolore hęmorrhoidum: S.
Unguentum lenitivum.

Vel

℞. *Mucil. rad. alth.*
Sem. cydon.
Lini cum *aqu. rosar. parat.* an. ʒ iij.
Ol. ovor. ʒ ij.
Expressi sem. hyosc. ʒ j ß.
M. f. *linimentum in mortario plumbeo.*
D. S.
Ut antea.

Oleum enim ovorum in mortario plumbeo agitatum, dolorem maximè lenit.

Hinc aliquoties ad hujus imitationem cum fructu præscripsi:

℞. *Mucil. sem. cydonior.* cum *sperm. ran. extr.* ℥ j.
Spiritus vini camphorat. ʒ ij.
Sacch. saturni ʒ j.
M. f. Linimentum: S.
Ut antea.

Quo linteum humectatum applicetur crebriùs.

Balsamum sulphuris ad extra, i. e. cum oleo hyperici, aut nucum, aut seminis papaveris expresso paratum, appropriatissimum est, & nobile experimentum Rulandi contra hęmorrhoidalia pathemata: cui assentitur FONSECA, qui mirè laudat in tali casu; imò in secretis esse habendum scribit. Interim tamen in hujus defectu & Balsamum sulphuris terebinthinatum non incongruum est ad hæc ipsa dolentia pathemata, quod sistit & discutit dolorem. Posterior hæc compositio paulò acrior est: adda-

addatur ergò saccharum saturni vel camphora. In hemorrhoidibus cum inflammatione, gangrænà incipiente, ac tumentibus pugni instar, sequenti linimento uxor *Monsieur* NAVARRET septimanæ decursu restituta est:

℞. *Ol. ovor.* ℥j.
Balsam. sulphuris
Ol. Philos. an. ℥ß.
Misc. pro *Linimento.*

Videatur BLEGNY *Tom* 1. *Obs. pag.* 26. Ubi deficit verum Balsamum sulphuris Rulandi, tunc

℞. *Flor. sulphuris*:

Misceantur nudi cum *terebinthina*, aut *oleo terebinthinæ*, & applicentur.

Vel ad imitationem hujus RULANDI *in Curat. Empir. Centur.* 1. *Curat.* 7. contra dolorem & tumorem hemorrhoidalem applicetur sacculus ex foliis quercus & glandibus contusis paratus, qui in aceto coctus & applicatus, ut ipse loquitur, miraculi instar dolores sistit hemorrhoidales: Unde ad imitationem RULANDI hunc sacculum in usum quoque vocavit LOTICHIUS *in Observat. pag.* 1529 & similiter se esse expertum scribit. Loco horum fiunt etiam sacculi ex furfuribus triticeis & floribus verbasci, quæ invicem cocta applicantur.

Denique scrophularia summum est remedium, quod singulariter & super alia convenit in quibuscunque hemorrhoidalibus affectibus, in quocunque statu fuerint; multiplici adhibetur usu, interno pariter ac externo: nunc enim hæc radix scropulariæ autumno collecta, amuleti instar secum gestata, aut coxæ alligata in regione dorsi, ut femora attingat aut cutim, singulare experimentum est ad hemorrhoidalia pathemata, fluentes nimirum sistendo, atque dolentes, & cæcas dissolvendo: Vid. HORSTIUS & SCULTETUS *in Armam. Chirurg. Tab.* 42. *pag.* 174. Theriaca etiam cum saccharo saturni linteolo molli suscepta podici intrudi potest: e. g.

℞. *Theriac.* ℥ß.
Sac har. saturni ʒ j.
Cum s q. *Olei momord.* misc. in formam linimenti.

Internè usurpata radix scrophulariæ, vel etiam foliorum pulvis usurpatus, cum cibo vel potu capiendo, dolorem omnem statim sistere, sæpissimè expertum esse asserit HEINRICUS ab HEER *Observ.* 20., sive ipsa substantia sicca, aut viridis, sive decoctum assumatur: Conf. etiam SCHULZIUS *Consil. Med. p.* 207. Sicuti eadem radix in tessulas dissecta, filo annexa, & vino infusa, nimium fluxum hemorrhoidalem compescere solet. Patiens nempè de hoc novem diebus in nimio fluxu bibat: pòst radices exprimantur, & siccentur, ac eo modo, quo siccantur radices, etiam hemorrhoides imminui, & quasi siccari, ac nimium dolorem cessare, asserunt Si verò rursus aperire velimus, vino vel aquæ simplici rursus imponendæ sunt, atque tunc iterum nonnihil hauriendum. Curavi mulierem juvenculam, quæ occasione primi partus difficilis hemorrhoidum cæcarum dolorosissima pathemata contraxit: duravit hoc malum integro anno: Post partum denuò gravida facta, longè pejus habuit, non secus ac in subsequente puerperio, ita ut interdum ad plures dies alvum supprimere cogeretur, metu insani hæmorrhoidalis doloris: suppurabantur interdum, & gravi cum dolore pus fundebant. Hinc tentandi gratiâ tempore autumnali totam scrophulariæ plantam transmisi, ut radices quasdam femoribus alligaret, & quasdam unà cum foliis incisas, nodulo inclusas, cerevisiæ infunderet, & indè ordinariò biberet: folia quædam minutim concisa omni matutino tempore cum pane butyrato assumat. Horum usu per unam alteramve septimanam continuato egregiè convaluit. Item sola recens hæc radix frixa cum butyro dat Vnguentum singulare ad hæmorrhoides dolentes: vel radice recens collecta autumno benè mundata & contusa in mortario lapideo cum butyro recenti, fiat Vnguentum, quod in olla nova clausa per dies 15. in cella, aut fimo equino aut alio loco humido, reponitur: dein liquefacto sensim leni igne butyro exprimatur, & cum pinguedine humana servetur pro linimento egregio & singulari contra hemorrhoides dolentes. SOLENANDER *S.* 4. *Cons.* 20. mentionem facit cujusdam Chirugi, qui omnes hemorrhoidales affectus certò curavit, sive sint dolentes, sive tumentes, sive fluentes, scilicet per herbas integras scrophulariæ & crassulæ majoris cum suis radicibus: macerat eas seu infundit in cerevisiam, & ita infusi hujus manè & vesperi bonum haustum offert: Nam quantum sola hæc crassulæ majoris radix verno tempore, dum primò folia protrudit, & aliquot ejus nempè nodi, saltem externè suspensa, ut circa lumbos cutim attingant, conferat in hæmorrhoidum cæcarum doloribus, ex quacunque causa natis, videbitis *in Miscellaneis Curiosis Med. Anno* 2. *Observat.* 195. *p.* 296. & BARTHOLINI *Actis Haffniens. Vol.* 1. *cap.* 51. Id quod probavi aliquandò in studioso, Hæmorrhoidibus cæcis admodum afflicto, qui hoc usus amuleto egregiè convaluit. Crassula hæc major vocatur sedum telephium, Ger. *die fette Henne*, & singulariter commendatur ad hæmorrhoides dolentes, etiam in dolorosis affectibus alvi, interno & externo usu; imprimis si ejus radix cum primùm turgentibus primo verè foliis contundatur, & teratur cum oleo rosarum, hinc coquatur blandè ad humiditatis superfluæ evaporationem & consistentiam linimenti, & ita applicetur in forma unguenti: Convenit egregiè in dolore & ardore hæmorrhoidali. Solenander c. l. nescit ferè, quibus verbis sufficienter commendare debeat ad quæcunque hæmorrhoidum vitia. Chelidonium minus, idque usu tàm interno quàm externo, fluentes sistit, dolentes verò aut tumentes perfectè sanat. Herba siccata infunditur cerevisiæ; herba verò recens contusa aut succus expressus, si extrinsecùs admoveatur, certâ experientiâ idem præstat: hoc modo empiricus quidam omne hæmorrhoidum vitium curabat. Aqua destillata adhibita eos curavit, qui ferè hydropici facti fuerunt nimio profluvio: planta contusa oleo incocta dat Unguentum contra quæcunque hæmorrhoidum vitia, in specie contra hæmorrhoides dolentes & tumentes: flores etiam & folia manè comeduntur: in specie si radix hæc appendatur, tanquam singulare secretum ad hæmorrhoides commendatur. Quidam

℞. *Pulv. rad. scorphular.*
Chelid. min. an. ℥ß.
Cum *Ol. verbasci f. linimentum* magnæ laudis ad hemorrhoides.
D. S.
Vnguentum lenitivum.

Vel

℞. *Herb. Chelidon. min.*
Linar.
Flor. verbasci an. M. j.
Rad. bryoc.
Scrophular. an. ℥ß.
Ex incis. & contus. f. *sacculi*, lacti incoquendi.
D. S.
Sacculi lenitivi.

Vapor Decocti in sella perforata excipiatur ano, postmodum species Decoctionis sacculo inclusæ applicentur calidè loco dolenti, vel ex sicca forma, vel immersi priùs in lac decoctionis:

Vel

℞. *Herbæ linar.* M. ij.
Flor. Chamomill.
Verbasci an. M. j.
Rad. scrophular. ʒ vj.
Sem. fænugr.
Lini an. ʒij.
Incis. & contusa D. S.
Species lenitivæ.

Decoctum millefolii internè crebriùs usurpatum ad sedandas hæmorrhoides furentes, & absumendas fluentes, est nobile: Vires hujus Decocti videb. in Obs. 5. Riveriana, communicata ipsi à Pachequo: Pulvis item millefolii & tormentillæ. His addenda est theriaca recens, quæ linteo illita, hæmorrhoidibus recentibus cæcis imposita, brevi dolorem compescit.

Tandem fit hoc Unguentum compositum:

℞. *Balsami sulphur. imprimis cum oleo hyperici par.* ʒ j ß.
Ol. momord ʒ j.
Sem. papav. expr. ℥ß.
Sacchar. saturn. ℈ j.
Camphor. gr. vij.
M. f. *Linimentum*: S.
Vnguentum.

Camphoram non immeritò addo: nam mirabile est remedium ad hæmorrhoides dolentes; si ejus ʒ ß ad ʒ j. subigatur (nam non dissolvitur) in aquæ malvæ vel rosar. ℥j. & ita applicetur cum linteis ad dolentes & ardentes hæmorrhoides: v. g.

℞. *Aqu.*

℞. *Aq. fl. verbasci vel fœniculi* ℥iß.
Camphoræ cum oleo amygd. sol. ʒj.
M. D. S.
Mixtura refrigerans.

Et cum linteis duplicatis applicetur rimæ ani.

Vel

℞. *Aq. rosar.*
Flor. verbasc. aa. ℥vj.
Spiritus vini camphorat. ʒiij.
Sacchari saturni ℈j.
M. S.
Mixtura refrigerans.

In immenso ardore, & dolore egregiè quoque convenit Linimentum ex *cerussæ* part. ij. & *camphor.* p. j. cum pauco Spiritus vini *camphor.* illinendum.

Quod si chronici facti sint, & quasi habituales, affectus dolorosi hæmorrhoidales, speciatim post mensium emansionem, convenit egregiè fonticulus in tibia: Vid. VELSCHIUS *Hecatost. 2. p. 50.* & ZACUTUS LUSITANUS *l. 2. Praxeos admirandæ Observ. 71.*

Hæmorrhoidum excrescentium curationem facilem & tutam videb. apud RHODIUM *Cent. 2. Observat. 94.*

Circa adhibitionem Unguentorum in hæmorrhoidibus cæcis dolorificis notanda & observanda verba WEDELII *Tractat. de Comp. Medicamentorum p. 185. Licet*, inquit, *apud omnes adeò Practicos deprædicentur Vnguenta, & in specie de linaria, in eo casu, nescio tamen, quibus observationibus id confirmati scripserint; siquidem aliquoties observavimus, hæmorrhoidibus cæcis dolorificis minus hoc profuisse, quin potiùs dolorem fervoremque intendisse. Dilatant enim magis folliculos venarum, sorditiem ibi collectam, vel sanguinem etiam floridum fervidioremque exasperant, transpirationem prohibent*, &c.

Molestum symptoma est, quando puerperæ hæmorrhoidibus cæcis affliguntur; melius enim est, ut promoveatur lochiorum fluxus, ne his suppressis excitetur hæmorrhoidum inflammatio. Cùm enim fluant lochia ex venis hypogastricis, ex quibus oriuntur venæ hæmorroidales, facilè fit, ut sanguis etiam illuc influat, stagnet, & inflammationem ani inducat: In tali casu prodest illud Linimentum ex Decocto baccarum paridis in oleo cum modico vini, quod anteà laudavi, cujus olei illitu statim dolores cessare facit, uti expertus loquitur Gesnerus in Epistol. l. 1. pag. 21. Item experimentum Foresti est: Nempè.

℞. *Ciner. suberis Germ. Pantoffel holtz.* qu. v.
& cum ana *vitelli ovi* & *olei rosar.* aut *ol. sem. lini* f. *Linimentum* nobile.

Quod frequentius feliciter usurpavit FORESTUS in dolore hæmorrhoidum cæcarum: Vid. *lib. 23. Obs. 25.*, ubi nobilis mulier, quæ in puerperio semper dolore hæmorrhoidum valdè affligebatur, aliis multis frustrà tentatis hoc Linimento præsentaneum semper levamen percepit. Locus hic probè notandus est, quia multa in se continet, quæ huc spectant: Conf. HARTMANNUS *in Pr. Chymiatr. p. 160.* Cum oleo myrtino, quod similiter commendat Lindanus in Comm. ad hunc locum: loco hujus infundi potest cotyledon adjectis guttis libanotidis coronariæ: vid. VELSCHIUS *Mistomim. Cent. 1. Obs. 38.* annex. *M. A. N. C. anno 4.*

Si nimius adsit ardor sub dolore, commodè suber cum oleo rapistri, quod LINDANUS loco olei myrtini sumit, aut in defectu hujus cum oleo lini probè misceatur (præ eo enim dicit, quod valdopere conveniant in dolore hæmorrhoidum cæcarum) in mortario plumbeo in Unguentum, & aliquantum succi sempervivi seu sedi majoris addatur, cum tantillo cerussæ & ceræ; sic enim fieri, inquit, ut statim cesset dolor & ardor hæmorrhoidum cæcarum. Potest etiam camphora addi. Aliàs in simili dolore applicatum saccharum saturni cum aqua rosarum est elegans, quod similiter etiam ardorem sistit.

Et hæ fuerunt Hæmorrhoides cæcæ dolorosæ.

Denique non rarò *exulceratæ* sunt extrinsecùs *hæmorroides dolentes*, & in abscessus degenerant, ad quos experimentum est singulare *Domini* BOYLE *Phil. Experim. T. 2. Sect. 1. p. 213.* factum ex oleo amygdalarum dulcium cum auro fulminante, ulceribus & apostematibus, ex hæmorroidibus natis, applicandum. Facit etiam mentionem hujus BARTHOLINUS *l. 4. Epistol. p. 323.* ex communicatione ex Anglia facta. Præ cæteris vid. AGRICOLA *in Chir. Parva pagin. 594.* Conf. & VELSCHIUS *Hecatost. 2. p. 61.*

ARTICULUS V.
DE
ANI PRURITU.

Propter cognationem affectuum observo, subindè quosdam graviter affligi prurito ani satis molesto, in quo altius iritis, optima est aqua plantaginis, in qua modicum aluminis coctum fuerit, qua ipsa abluatur & foveatur locus pruriginosus; sicuti ad similem ani affectum cum exulceratione junctum præstans est Linimentum hocce:

℞ *Lithargyr.*
Sulphuris citr.
Tragac. aa. ʒj.
cum *aceto*, adjecto pauco *oleo rosaceo*, f. *Linimentum.*
D. S.
Vnguentum.
Quo locus in podice inungendus.

In casu, quando oritur dolor ani, qui accidit ob chartam vel vitriolo vel pipere vel simili inspersam; in tali casu optimè convenit postmodum fotus ani cum lacte tepido, addita pauca aqua rosacea, uti vult BORELLUS *Cent. 4. Obs. 2.* in dolore ani, cui vitriolum fuit affrictum. Plura, ubi *de inflammatione ani.*

Absolvimus ea, quæ in contentorum in intestinis expulsione & distributione sunt obvia, pergimus ergò ad

SECTIONEM X.
DE
CONTENTIS INTESTINORUM PRÆTERNATURALIBUS.
IN SPECIE
DE VERMIBUS seu LUMBRICIS INTESTINORUM.

Vermes intestinorum adultos pariter ac infantes crebrò vexant, & symptomata adeò plura cum aliis morbis communia inferunt, ut etiam doctos Medicos aliquando fallant, referente FORESTO. *Triplex* horum *differentia* communiter statuitur: (1.) *Teretium* seu *vermium longorum, lumbricorum* in specie sic dictorum; (2.) *latorum*, qui vesicæ instar aut membranæ tenuis aliquot ulnarum longi subindè excernuntur; & (3.) *ascarides* seu parvi isti vermes, termitibus similes, qui intestinum rectum incolunt, inter quos lati rarissimi sunt. Præter hos tamen etiam aliæ vermium differentiæ subindè observabiles sunt, uti sunt *vermes cucurbitini* dicti; item observati fuerunt *vermes cornuti*: Vid. *M. A. N. C. ann. 3. Obs. 63. pag. 109:* item *bicipites l. c. Obs. 84. pag. 141.*

CAUSÆ.

Generantur lumbrici quivis ex proprio suo semine, utcunque nobis communicato, quod inprimis ex ascaridibus patet, qui licet copiosissimè per medicamentum purgans rejecti, brevi post tamen repullulant, de novo ægros vexant, denuò

denuò eiiciendi. In specie lumbrici vivipari observati fuerunt, teste PANAROLLO *Pentec. Observat.* 15. SCHENCKIO *lib.* 3. *Observationum*, FORESTO *lib.* 21. *Observat.* 26. &c. BORELLO *lib.* 1. *Observat.* 98. Cauti tamen hic simus, ne intestinula lumbricorum cum eorum fœtura confundamus; de quo vid. BARTHOLINI *Acta Med. Haffnien. Vol.* 4. *pag.* 157. In specie lumbrici palmaris longitudinis observari solent, utplurimùm convoluti invicem, pluresque innati: Ergò rarum est, quod lumbricus teres longitudinis trium ulnarum observatus fuerit in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observat.* 254. *pag.* 457. Nam latus aliàs lumbricus ad plures ulnas excrescere solet, qualem trium ulnarum, item sex ulnarum longitudinis excretū vidit JOEL *in Praxi*; sex & novē ulnarum in M.A.N.C. *Ann.* 6. *Obs.* 104: sicut AMATUS LUSITANUS *Cent.* 6. *Cur.* 74. Vermem latum quatuor cubitos longum per vomitum excretū observavit. Plures & notabiles de lumbricis Observationes videbis in BINNINGERO.

Causæ remotæ hujus mali sunt præprimis cruditates ventriculi ac intestinorum pituitaginosæ; unde in pueris, addiphagiæ litantibus, præsertim pullities ejusmodi verminosa observatur, non illis saltem, qui dentitionis ætatem superarunt juxta HIPPOCRATEM *Sect.* 3. *Aphor.* 26. sed & minoribus & lactantibus etiāmadhuc: unde bilis minus amara, sed liebes & iners, generatur; hinc, *ubi deficit bilis, lumbricorum patriam esse* rectè HELMONTIUS dicit.

DIAGNOSIS.

Dignoscitur lumbricorum præsentia utplurimum ex fœtore oris peculiari & ad acorem vergente, salivâ copiosiore ex ore profluente, imò fœtante & cum nausea rejectâ; item stercoribus bubulis similibus corruptis & griseis; tunc sc. ubi oculi album flavedinem simul contrahit, seu icterus adjunctus est.

Accedunt his alia signa minùs frequentia, dolor sc. & morsus ventris, præprimis horis matutinis, ita, ut abdomen quoque interdum inflari videatur; pavores nocturni, dentium stridores, tremores atque convulsiones, febres modò erraticæ, modò continuæ, corporis contabescentia, item gingivarum erosio: Vid. RIVERII *Praxis lib.* 10. *cap.* 9: Facies modò rubra suffunditur, modò pallescit, appetitus ad voracitatem usque intenditur, nares frequentiùs scalpunt, ventriculo jejuno sitiunt, tussi siccâ laborant, ab alimentis tamen assumptis, imprimis dulcibus & lacte, potissima symptomata remittunt, ab acidis verò & amaris secus.

Qui lumbrico lato laborant, eos varia & multiplicia atque diuturna symptomata vexant; quæ inter etiam hoc peculiare observatur, quod cum excrementis alvi corpuscula cucurbitæ seminibus analoga prodeant: Vid. BARTHOLINUS *Act. Med. Haffniens. Volum.* 4. *pag.* 150.

Quoad *ascarides*: notum est, quod hi ipsi phases lunæ observare soleant: vid. BARTHOLINUS *l. a.* Unde etiam in specie noctu à nona vel decima hora nocturna usque ad auroram moveri & excitari solent, hoc est fodicare & vexare ægros; cætero tempore, manè tota die & vesperi, utplurimùm quieti sunt, saltim de nocte in podice tumultuantur: adeo novi quosdam totâ nocte ab iisdem torqueri, ut dormire nullo modo queant, interdiu de iisdem ne tantillum animadvertendo.

Præter hanc molestiam & hoc mali junctum habent, quod invalescentes quibusdam anum & intestinum rectum, imò nates & femora erodere soleant; quin & ulcus ani & intestini recti in quibusdam excitent, quod refert SCHENCKIUS *lib.* 3. *Observ.*

PROGNOSIS.

Quò plura sibi habent combinata symptomata, & quò illorum plures atque majores existunt, eò pejores etiam observantur.

Sunt verò, si speciem consideremus, minus noxii ascarides, nisi majores existant: lati verò, utut haud gravia excitent symptomata, difficilioris curationis observantur.

Aliàs graves, præprimis lumbrici, morbos non rarò accersunt, sc. febris satis intensas, animi deliquia, aphoniam, delitia, epilepsiam, pulsum intermittentem, colicam, & appetentiam caninam.

In morbis aliis spontè prodeuntes vel per alvum, vel per os, & quidem in statu cruditatis & principio morbi, rarò sunt sine periculo: Nam vim mortis imminentem ac summam malignitatem denotant, unde fugâ se volunt redimere. Sin verò excernantur in statu coctionis & declinatione, bonum est.

CURA.

Pro *Cura* ergò vermium imprimis observandum, ut

1. Enecentur.
2. Per Purgantia, imprimis jalappam & mercurium dulcem aliave media ejiciantur, ne putrescant in intestinis, & sic ex iisdem, novo suscitato seminio, novi lumbrici generentur: Vid. RIVERIUS C. 1. *Observ.* 28. *C.* 2. *Obs.* 5. *Obs. Comm.* 7. *pag.* 280. 318. & 398.

℞. *Pulv. jalapp.* ʒj.
Mercurij dulc. ℈ij.
Cum *sacchara* in s. q. aquæ *bypersolut.* f. *Rotulæ*, pro 3. vel 4. dosibus: S.
Rotulæ pro vermibus pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Conserv. flor. persic.* ℈ij vel ʒj.
Mercurij dulc. gr. xv ad ℈j.
Mag. jalapp. vel *spec. dia. Turb. cum Rhabarb.* gr. v. vel. viij.
Scamm. gr. ij ad vj.
C. s. q. *syrupi flor. persic.* f. *Bolus*: S.
Saccharum purgans pro una vice.

Imprimis autem lunâ decrescente sub ultima ejus quadra quivis vermes aggrediendi, & qui vermibus obnoxii sunt, semel in mense decrescente lunâ debitis subsidiis sunt præservandi. In specie in morbis puerorum semper vermes debent esse suspecti, cùm præ cæteris istis soleant esse familiares, autore SALMUTH *Cent.* 1. *Observ.* 264.; quod pariter de Adultis ait BORELLUS C. 1. *Observ.* 89.

Remedia ergò magis apppropriata, vermes enecantia, sunt in specie raphanus rusticanus, ejusque succus & aqua destillata, cum aliis mista, nasturtium, absinthium, carduus benedictus, centaurium minus, flores persic., tanacetum, flores hyperici, de quibus vid. BARTHOLINUS *Act. Haffniens. Vol.* 1. *Observ.* 40., herba sabinæ, scordii, corallina, radix dictamni albi, filicis, gentianæ, graminis, Zedoariæ, uti & allium, cepæ, porrum, in lacte cocta, &c. semen cinæ, portulacæ, &c. myrrha & aloë, quælibet remedia ex cornu cervi, spiritus cornu cervi essentificatus, de quo vid. HARTMANNUS *pag.* 179., quælibet mercurialia, unde Bolus *Hartmanni* cum conserva rosarum & floribus benzoes; item infusum ac decoctum Mercurii cum aqua graminis, ceparum aut allii paratum; idem pulvis contra vermes officinarum ex mercurio cum saccharo subacto, e. g.

℞. *Mercurius vivus*:
Teratur in mortario vitreo cum *sacchare*, donec pulvis griseus emergat.
De quo ℈j ad ʒß in cochleari ligneo.

Pulvis TIMÆI von GuldenKlee, quem *l.* 5. *Cas.* 16., & Arcanum ejusdem, quod *l.* 6. *Epist.* 2. describit, oleum lignorum, v. g. coryli, item juniperi, quæ RIVERIUS *l. a.* commendat, egregia sunt. Spectant huc etiam acida, v. g. succus citri, spiritus vitrioli vel sulphuris, sanè aqua communis spiritu sulphuris acidulata subinde hausta mirabiliter vermes expellit: alii spiritum vitrioli cum s. q. sacchari in pulveris formâ redactū contra vermes propinant: Sic Wedelius puerum verminosum tincturâ violarum vitriolatâ curavit: Vid. *Tr. de Med. Facult. l.* 2. *Sect.* 2. *c.* 5. *pag.* 179. Quod etiam præstat conserva rosarum vitriolata cum aliis mista.

Extrà clysteres frequenter injecti, & primò quidem ex lacte, decocto ficuum, passulatum, liquiritia, melle &c. pro alliciendis vermibus, ubi per os anthelmintica exhibita sunt, imprimis conveniunt. Quod si verò ad crassa intestina descendisse videantur lumbrici, ex enecantibus & specificis illa parari debent, v. g. ex radice graminis, gentianæ, absinthio, scordio, centaurio minori, portulaca,

aca, corallina, semine cinæ, &c. in lacte coquendis & cum melle applicandis.

Abdomini denique applicantur fel tauri cum pulvere colocynthidos subactum, quod umbilico impositum, fortiter eos pellit; Item cataplasma ex myrrha, aloë, aceto rosaceo, & felle tauri paratum; oleum absinthii, amygdalarum amararum, *hyperici, diacolocynthidos Quercetani, & quod CRATO *l.* 3. *Consil.* 25. commendat, petroleum; item oleum destillatum ligni coryli, aut cataplasma ex farina lupinorum, myrrha, aloë, &c. quale RULANDUS *Cent.* 2. *Observ.* 21. præscribit; item ex hiera picra cataplasma, oleum contra vermes, cujus BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 67. meminit, unguentum contra vermes Offic., item TIMÆI *lib.* 5. *Casu* 16., aut ex unguento de arthanita, & mercurio vivo, quod RIVERIUS commendat: vid. PLATERUS *Praxi Tom.* 3. *pagin.* 881. *&* 882.

In specie ad *latos vermes*, qui scorbuticos imprimis affligunt, succus nasturtii recens expressus exhibitus est optimus, item pulvis jalappæ cum semine Santonici à ℈j ad ʒß propinatus, est eorum purgans, teste DRAWIZIO *vom Ebarbotel pag.* 127. Item species dia. Turbith cum Rhabarbaro, hinc mercurialia.

Ascarides verò in specie curant suppositoria ex caseo Hollandico aut lardo, nunc simpliciter ità applicata, nunc melle illita; item Enemata abstergentia cum colocynthide, item Enemata vel Balnea ex absinthio: Vid. BARTHOLINUS *Act. Med. Haffniens. Volum.* 4. *pag.* 150.: Hinc pulvis ex tartaro vitriolato, corn. Cervi, & Extracto tro chiscorum alhandal eos ejicit, uti & Mercurialia.

SECTIO XI.
DE
VARIIS INTESTINORUM DOLORIBUS.

HI cùm frequenter in Praxi occurrant, & multa propria habeant, eorum naturam declarabo: nam dum distribuuntur contenta in intestinis, & excernuntur excrementa, non parvi & pauci intestina torquent dolores: de quibus utut in capite generali quodam de doloribus sit agendum, nihilominus tamen consultum duxi, & hîc quædam de iis præmonere.

In naturali quidem statu indolens planè & consequenter insensilis intestinorum est actio, & contentorum distributio, nisi quòd tantùm intestinum rectum sentiat stimulum, quando fæces sunt excernendæ. Deinde tantummodò interdum levia adsunt murmura & borborygmi, quando flatus naturalis intestinorum tenuium, speciatim ilei, peristaltico intestinorum motu hinc inde agitatus, ista murmura & borborygmos infert: nihilominus tamen præternaturali in statu subinde hæc ipsa variis & gravissimis cruciantur doloribus, *Tormina* aliàs appellatis à torquendo, quod in his intestina quasi contorqueri aut convolvi, & omninò constringi videantur: ac reverà formaliter omnes ferè dolores intestinorum, paucissimis exceptis, à convulsivo spasmo intestinorum, in quem à spirituum impetu cientur, immediatè oriuntur, quo torqueri & convolvi videntur.

Utut autem causaliter sint varii, vix tamen quæcunque causæ dolores inferunt, nisi ad motus convulsivos per irritationem intestina disponantur. *Causæ* ergò, dolores intestinorum facientes, sunt irritatio intestinorum, quibus motus convulsivus inductus fuit, sub quo ægri affliguntur. HELMONTIUS non solùm convulsiones spasmodicas illustrat eleganti exemplo *Tr. de Flatibus* §. 38., ubi refert in puero herniam umbilicalem a flatibus, ut intestina prolapsa potuerint per tunicam tenuem conspici, qui ingentes passus dolores, quotiescunque intestina lumbricali spasmo convelli conspecta sunt; sed & ordinariò ferè alvus suppressa esse solet sub talibus intestinorum doloribus, dum spasmis istis impeditur, ut nimis retardetur naturalis motus peristalticus, & hujus medio contentorum protrusio. Rectè hi dolores *tormina* dicuntur. In specie tamen, cùm in his multa lateant, observandum: nullum Autorum hanc materiam rectè pertractare, exceptis duobus, WILLISIO sc. & SYLVIO, licèt variè: Sylvius sc. virtutes activas secundum salia explicat, WILLISIUS verò convulsiones, spasmos, horumque naturam rimatur. Horum vestigiis insistamus, & hos duos simul conjungamus pro meliore intellectu.

COLICA.

Ex præfatis dolorum speciebus tractabimus colicam, cùm aliàs nullus scriptorum symptomata occasionalia melius suggerat. Evolvemus ergo naturam dolorum intestinalium.

DIFFERENTIÆ.

In scrutinio autem causarum ante omnia observandæ sunt horum *dolorum Differentiæ*, desumptæ vel à *parte affecta*, vel à *causa efficiente*. *Ratione* quidem *partis affectæ* distribuuntur intestinorum dolores vel ratione intestini dolentis, vel ratione situs partis dolentis. Intestina, quæ afficiuntur, nunc sunt tenuia, nunc crassa, unde diversi dolores intestinorum, dum iliaci & colici sunt. Tenuia si afficiantur, ut jejunum & ileon, vocari solet imprimis *Dolor iliacus*; quando verò in intestino crasso, in specie in colo, & parte superiore intestini recti urget dolor, *Colicus* dici solet: utut non rarò hi duo dolores confundantur à vulgo, adeòque in genere quæcunque intestinorum tormina generali *Colicæ* nomine venire soleant; nec multum refert. Facilè tamen distingui possunt observando saltem *doloris atrocitatem*, & *intestinorum* tenuium & crassiorum *situm*.

Quoad *doloris atrocitatem*: dolores intestinorum tenuium, imprimis iliaci, acerbissimi sunt & crudeliores colicis. Quoad *situm*: Iliaci dolores regionem umbilicalem, & intra eam regionem hypogastricam occupant; Colici verò magis lateralia & superiora petunt. Nam colon intestinum à dextro inguine incipiens, supra & circa dextrum renem sursum assurgit versus hepar, & inde sub costis nothis transversim fertur ad hypochondrium sinistrum, cujus magnam quidem partem occupat; nihilominus tamen mox angustatum contorquetur ad renem sinistrum in hypochondrio sinistro, indeque porrò ad inguen sinistrum, ubi tandem ad os sacrum in intestinum rectum devolvitur. Hinc isti dolores, qui in abdominis ambitu modò descripto percipiuntur, omnes sunt colici, utut nonnulli eum tantùm hoc appellent nomine, quod partem abdominis superiorem & anteriorem instar cinguli ambiat; cùm tamen sæpe dolor usque ad umbilicum, imò interdum usque ad vesicam insigni ambitu devolvatur, qui reverà etiam sunt colici. Tenue verò intestinum, ubi emergit ab intestino duodeno, versus hypochondrium sinistrum torquetur, & hinc recedens meditullium ventris imprimis occupat; Unde in, & circa, & infra umbilicum percepti dolores sunt imprimis Iliaci.

Usus obtinuit, ut hi dolores confundantur. Et in genere omnes dolores, qui abdomen occupant, colica vocantur. Ideò & huic consuetudini & nos accommodabimus, & nomen Iliaci & Colici insinuabimus, cùm ratione modi fiendi naturaliter conveniant.

Ratione situs doloris hîc iterum est differentia: dum nempe quidam dolor dicitur *hypochondriacus*, alius dolor *lumbaris*, & alius *umbilicalis*. *Hypochondriacus dolor* est iste, qui imprimis & frequentissimè percipitur in hypochondrio sinistro, interdum, sed rariùs, in hypochondrio dextro, idque sub costis nothis, dolor acerbus est admodum pertinax, qui communiter adscribitur lieni affecto. Unde vulgo quæcunque dolores in ista parte percepti mox habentur pro augurio affecti splenis; tamen, cùm iste dolor sit plerumque punctorius, rodens, & mordicans, lien verò ejusque parenchyma per se ferè insensile sit, adeòque vix, præterquam gravativum & obtusum dolorem, imprimis ex infarctu ejus nimio enatum, à vitiosis succis seu sanguine productum, vel saltem dolorem obscurissimè tensivum, seu quasi distendentem, ex distenta ejusdem substantia membranea, perpeti queat, facilè patet, quod

dictus

dictus dolor punctorius & terebrans non spleni, cùm ineptissimus sit lien pro tali dolore, sed saltim colo, sub hypochondrio sinistro non nihil angustato, & deorsum versus contorto, propriè conveniat: Undè etiam his doloribus hypochondriacis tumor nunc durus & tactui renitens in hypochondrio sinistro, nunc verò insignis istius hypochondrii intumescentia, tumor mollis, & facilè cedens, nullo modo spleni, sed simpliciter intestinis sub hypochondriis incurvatis, in specie colo, hinc & ileo, proprius erit; cùm lien in profundo situs nullo modo contingi queat: conferatur SYLVIUS *Prax. cap.*14. §.5. & 57. Vid. & SALMUTH *Cent.*1. *Observ.*24., item HILDANUS *Cent.*1. *Observ.*58. Est fallacia causæ non causæ.

Dolor ergò hicce punctorius & terebrans acerbissimus in hypochondrio sinistro observabilis, frequentissimè situs est in intestinis, partim quidem in intestino jejuno, partim verò, & quidem utplurimum, in intestino colo, qui in utroque hypochondrio curvaturâ facit angulum satis acutum: Gravissimè ergo errant, dum dicunt, Germani scilicet: *Hepar pungit*; si in sinistro, iterùm falsum est, si dicunt: *Lien pungit*. Hi dolores aliàs percipiuntur, si quis equitando se exercet, si non assuetus, percipit in hypochondrio dolorem, maximè, si post pastum equitat; Jejunum enim mox, aut duodenum, jungitur versus hypochondrium sinistrum, & facit angulum; unde dolor punctorius sub hypochondrio sinistro, sub intestino jejuno incurvato; frequenter tamen in colo, nunc in dextro angulo, nunc in sinistro.

Quod attinet jejunum intestinum: duodenum, ubi deorsum à pyloro pergit ad principium jejunii, contorquetur hoc ipsum jejunum mox ad hypochondrium sinistrum, ibique à lumbis à mesenterio liberiùs assurgens contorquetur postmodum denuò in abdominis meditullium. In isto, ut sic dicam, angulo, seu contorsione ista, sæpiùs latent nunc flatus, nunc verò utplurimùm mucilago acida, quæ ibidem pertinaciter affixa dolores istos acerbos hypochondrii sinistri in profundo sitos inducit. Verùm hi dolores sunt frequentiùs in colo: id quod rectissimè observat WILHELMUS FABRICIUS HILDANUS. *C.*1. *Obs.*18, proptereà, quoniam colon amplum in sinistro hypochondrio angustatur, & in ista angustia contorquetur inferiùs, ita, ut ratione situs & conformationis facillimè flatus ibidem allidere, stercus aut excrementa ibidem hærere, & non tantummodò intensum dolorem, sed etiam renitentiam tactui, uti etiam perceptibilem intumescentiam, inferre potuerit.

Hic ergò est dolor iste frequens admodum hypochondriacis; partim, quoniam horum intestina semper obsidet copiosa mucilago viscida acida; partim, quia his nunquam deficiunt flatus. Falsum ergò est, hunc dolorem esse in splene, utpote qui per se ineptus est istiusmodi dolori. Et utut dicant, medicamenta splenetica, tàm interna, quàm etiam externa, emplastra & unguenta, spleni admota convenire in sopiendo hoc dolore; respondeo: quòd ista medicamenta interna splenetica habeant vim aut carminativam, aut temperandi acidum in intestinis, & ita removeant causam antecedentem: item emplastra & unguenta ordinariò ingreditur gummi ammoniacum, quod habet vim egregiam dissolvendi & liquefaciendi mucilaginem viscidam ibi stagnantem; & ita evenit, ut, quæ spleni conducere putantur, reverà conducant intestino colo, à tali causa affecto. Curantur terreis absorbentibus, cinnabarinis, carminativis, & Martialibus.

Post dolorem hypochondriacum est *lumbaris dolor*, etiam frequentissimus, & qui sæpiùs confunditur cum dolore nephritico: siquidem pylorus, dum in intestina se dimittit, ibi intestinum duodenum, ventriculo proximum, superstratum reperitur dextræ lumborum regioni; unde, si in intestino duodeno circa principium jejuni subinde oriuntur dolores, tùm isti dolores percipiuntur circa dextram lumborum regionem, seu in dorso; *dilaceror in spina dorsi*, dicunt ægri, & rectè *Dolor lumbaris* vocatur: cujus pars affecta est finis duodeni, & principium jejuni.

Dolor hic *lumbaris* est multiplex: nunc *nephriticus*, nunc *mesentericus*, nunc *pancreaticus*, nunc *intestinalis*.

Nephriticus est, qui ex renibus, vel calculo, vel alio affectu laborantibus oritur, & utplurimùm obtusus, gravativus & contundens esse solet, & vitia in excretione urinæ varia adjuncta habet: Ægri dicunt: *premor, non pungor*: est enim instar ponderis prementis & contundentis mallei in regione lumbari.

Mesentericus (ita dictus, quod plexus mesentericus, & nervi ex spinali medulla ad hos plexus derivati, imprimis afficiantur) est, qui fit circa lumbos, propter mesenterium superioribus lumborum vertebris annexum, cujus nervi vellicati propter spasmos & convulsiones, quas subeunt in dicta regione, graves lancinantes dolores, & quasi divellentes lumbos à spina dorsi, excitant; unde dolores parturientium, hysterici, &c. subindè oriuntur. Frequens hic dolor est scorbuticis, & vulgò confunditur cum nephritico, licèt reverà non ita, & inchoando in dicta lumborum regione, tandem universum abdomen & intestina occupet.

Lumbaris pancreaticus fit ex pancreate, transversim lumbis incumbente, affecto, vel tumente, vel scirrhoso, vel exulcerato, vel simili morbo affecto, estque in superiori regione lumbari juxta costas nothas obscurior seu obtusus, & in profundo delitescens, quasi contundens, & leviter interdum pulsans, minusque gravis, minusque molestus.

Lumbaris intestinalis dolor est, qui circa regionem lumbarem affligit, frequenter ad hypochondrium dextrum inclinat; fit ex dolente intestino duodeno cum principio jejuni, vel propter chylum vitiosum, vel propter confluentes ibidem binos succos, felleum & pancreaticum, ibidem acrimoniâ suâ & effervescentiâ præternaturali varios dolores lancinantes excitantes.

Hæ sunt differentiæ dolorum intestinorum, quoad partem affectam.

Altera differentia doloris intestinorum fundatur in *varietate causæ efficientis*, & fiendi modo; indeque tormina abdominis, adeòque pathemata colica, sunt vel humorosa, vel convulsiva. Nam utut semper ferè tormina à spasmis intestinorum, vel in toto tractu, vel in quadam parte oriantur, tamen ratione causæ antecedentis ita dirimere [illegible], quatenus tales dolores symptomatici, vel à contentis humorosis, in intestinis hærentibus, occasionaliter proritantur; vel quatenus sine his, ipsorum nervorum ad intestina distributorum vitio & spasmo, excitantur: Ideò distinguimus, & per humorosam eam intelligimus, quæ fovetur à causa materiali in intestinis hærente: per convulsivam eam intelligo, quæ oritur ex vitio nervorum, ad intestina ex plexibus mesenterii distributorum, ratione quorum intestinis insontibus oritur colica convulsiva, quæ doloribus variis, & pro causarum proximarum varietate efficiendi modo distinctis, affligit: hinc dolor in colica humorosa est nunc *fixus* seu *perterebrans*, nunc *pungens*, nunc *distendens*, nunc *rodens*, nunc *contundens*, nunc *gravans*, nunc *pulsans*: de quibus colicæ humorosæ differentiis & causis præ cæteris SYLVIUS *in cap.*14.; v. g. quando oritur colica ex contentis stercoribus, ex flatibus, ex mucagine viscidâ, hinc inde intestina obsidente.

Sic enim *dolor perterebrans & fixus* est, quando scil. intestina in uno eodemque loco perterebrari aut quasi perforari videntur: Oritur hic ipse vel à scybalis induratis, in cellulis intestinorum firmiter impactis, & tunc est pertinax; vel oritur à mucilagine viscida glutinosa & acida, in determinato loco quodam hærente, & pertinaciter agglutinata, in specie in angulis intestinorum sub hypochondrio sinistro, in quibus aptum invenit diversorium, ubi nempè angustatur & deorsum contorquetur colon. Hujusmodi mucilago viscida & acida pertinaciter intestinis agglutinata, ratione viscositatis dolorem continuum & fixum, ratione aciditatis dolorem perterebrantem & quasi perforantem infert. Vel oritur à pituita vitrea veterum, quæ infert dolorem fixum quasi perterebrantem. Et hic est dolor iste, qui hypochondriacos non rarò vexat, & est dolor colicus à materia viscida acida & pituita vitrea. Uti dico, est imprimis ordinaria, & usitatissima colica.

Dolor pungens in colica humorosa oritur ab acido acriori pertinacique intestina vellicante & pungente, quasi acu vellicentur.

Dolor distendens & quasi disrumpens est, quando intestina distendi & disrumpi videntur. Hic oritur frequentiùs à flatibus natis ex materia viscida per vitiosam fermentationem ab acido inductam. Aliàs, quoad generationem flatuum, sufficiunt ea, quæ habet HELMONTIUS *Tr. de Flatibus*, qui legatur attentè, maximam enim lucem affundit doctrinæ de dolore intestinorum à flatibus. Hi in intestinis coerciti, & inordinatè moti, hinc inde dolores tensivos & divulsivos inducunt: & hic dolor colicus à flatibus vitio assumptorum est frequens, semper tamen necesse

cesse est, concurrat intestinorum spasmus, nunc in uno quodam loco fixus, nunc hinc inde vagus, cujus occasione flatibus exitus intercipitur, qui aliàs de facili, quà datâ portâ, exitum invenirent.

Dolor gravans oritur ex materia copiosa plus minus viscida, absque acrimonia cuidam parti, maximè intestinis tenuibus, infixa; ac præsertim pituita vitrea simplex dolorem talem infert. In intestinis crassis talis dolor gravativus sæpè cum sensu tumoris remittentis est. Interdum tumores & abscessus in mesenterio latentes talem dolorem gravativum in abdomine inferunt: Ne ergo confundantur.

Quod si prauum acidum sit peccans hæc materia, sive ex vitio stomachi, sive succi pancreatici, præter gravativum, *Dolor* quasi *contundens* oriri solet, qui etiam sensu molestus est; dicunt: *Corpus sibi baberi, ac si fustigatum esset.*

Dolor contorsionis, *lacerationis*, & *vagæ lancinationis*, *ac si in corpore omnia se circumvolvant*, acerbissimus dolor est, quo intestina contorqueri, & invicem quasi convolvi videntur, & frequens intestino colo. Tales lancinationes vagæ oriuntur ex convulsione & spasmodica intestinorum contractione, de qua postmodum. Lacerationis hic sensus adest in colica nephritica. Novi mulieres multiparas, dicentes, dolorem nephriticum esse acerbiorem ipsis partus doloribus. Si ergò adsunt tales lancinationes & contorsiones, tunc est *colica convulsiva*, sive habitualis sive accidentalis sit.

Tandem *dolor* varius, nunc *rodens*, nunc aliis symptomatibus variis conjunctus, est ex acido acri non nihil salso, quasi muriatico, vellicante, arrodente, fodicante, & quasi excoriante intestina: utplurimùm etiam in intestinis agnoscit vermes, qui sæpè satis copiosè stabulantur.

Denique *dolor* adest *pulsans*, qui ex arteriarum, in motu pleno impeditarum, est spasmo, & frequenter inflammationem intestinorum comitatur, vel quando hæc ad inflammationem disponuntur: tunc enim arteria tenditur, ex qua tensione fit pulsus durus sensibilis, ut patet ex inflammato digito propter infixam spinam, in quo mox pulsans arteriarum dolor percipitur. Prætereà tamen & aliud quovis inimicum objectum, grauiùs intestinum quoddam quodam in loco vellicans, facilè ex superveniente spasmo arteriolarum dolorem pulsantem inferre potest.

Tormina abdominis *convulsiva* sunt, quæ cum dolore contorquente, lacerante, lancinante, & abdomen subinde contrahente, nunc in duritiem tendente, nunc vago, nunc quodam in loco crebriùs fixo, aut convulsionibus & contorsionibus intestinorum simpliciter oriuntur, adeòque crebrioribus lancinationibus & contorsionis ac lacerationis sensus in intestinis vel abdomine molestus percipitur; omnisque originem habet ex spasmis & convulsivis contracturis intestinorum.

Colica hæc convulsiva sine causa materiali in intestinis hærente, ad manuductionem WILLISII iterum est vel *accidentalis* vel *habitualis*. Illa *accidentalis* est ista, quæ à causa evidenti solitaria, nunc externa, nunc interna, sine præcedente certa in corpore prædispositione ad colicam, sæpè à causa quadam ocasionali oritur, & iijs, qui genus nervosum sensilius, adeòque faciliùs irritabilius obtinent, imprimis molesta est, adeòque frequenter à causa externa vel aliena, à morbo quodam interno, in alia quadam parte radicato, excitatur; & sic per consensum frequen iùs intestina affligit. Talis colica convulsiva accidentalis, vt à notioribus incipiam, est, quæ ver. gr. observatur in nephritide, in aut post partum, item in purgationibus. Notum est, quod nephritidi superveniant ordinariò tormina abdominis convulsiva, vomitus, singultus, alvus adstricta, aliaque similia symptomata. Non oriuntur hæc propter contenta in intestinis, sed oriuntur à convulsione intestinorum, ex plexibus mesenterii nerveis, à ramo intercostali & pari vago oriundis, qui diffundunt ramos partim ad renes, partim ad intestina, partim ad stomachum.

Ubi ergò per dolorem renalem mediante nervo ad renem istum derivato communicatur hujus dolorosus spasmus seu motus convulsivus isti plexui radicali, ex quo oritur nervus, tunc in graviori malo omnes nervi ex plexu oriundi reliqui similiter convelluntur, adeòque intestina convulsa colica pathemata contumacissima inferunt, ubi miserè torquentur ægri, nullis nec purgantibus, nec evacuantibus cedentia: stomachus convulsus vomitum aliaque symptomata habet, & rectè hujus sedem statuere puto WILLISIUM *Tr. de Anima Brutorum P. 2. cap. 15.* in mesenterio, ita quidem ut pertingat ad plexum mesenterii maximum, qui quacunque ex causa irritatus & contractus dolorem intestinorum & ventriculi infert. Sic dolores abdominis, qui affligunt parturientes, & dolores post partum, &c. sunt tales spasmi, quibus uterus & mesenterium, ipsaque intestina ac genus nervosum, sensiliùs convelluntur, & convulsionem abdominis inferunt: quibus in partu accedit convulsiva uteri contractura; unde non rarum est, quod mulieres communiter post partum dolore colico laborent; ratio est convulsio spasmodica partium abdominis. Nec rarum est, quod mulieres sub difficili mensium fluxu patiantur tormina gravia abdominis, ex similibus intestinorum spasmis.

Tormina abdominis *habitualia* sunt illa, quæ habitum quasi contrahunt, i. e. quæ certam in corpore & firmiter radicatam dispositionem ceu causam antecedentem & tectum somitem in corpore latentem agnoscunt, quo leviter à causa procatarctica vel occasionali quacunque in corpore latente commoto atrocia, nunc levia, tormina abdomen occupant, & aliquandiù ægrum excruciant, utut intestina, quoad contenta, rectè se habeant. Tormina hæc nunc successivè denuò remittunt, sed sæpiùs reverti solent, in quibus sæpè umbilicus introrsum retrahitur, interdum insigniter distenditur, & duritiem notabilem contrahit: subindè etiam in epilepticos motus, interdum in paralytica pathemata transeunt; cujus rei nuper bina exempla vidi. Mulier cùm in tertium annum crebrò epilepsiâ esset affecta, gravissimo corripiebatur paroxysmo, quo cessante, de horribili colica, quâ intestina lacerari videbantur, conquerebatur. Talis dolor est v.g. dolor abdominis scorbuticus, item in suffocationibus hypochondriacis vel hystericis vulgò dictis, virorum & mulierum, est obvius, estque nihil aliud, quàm convulsiones mesenterii, & plexuum nervosorum & conjunctorum intestinorum, quarum partium vehementiorem contracturam ulteriùs insequitur faucium constrictio, & quasi suffocatio. In hac præter tormina abdominis adsunt difficiles respirationes; *suffocatur cor meum*, inquiunt.

Pertinent huc etiam isti gravissimi abdominis dolores, qui non rarò morbis diuturnis, & in specie febribus intermittentibus malè curatis, in quibusdam superveniunt, quod cum tædio experimur, qui nullis cedunt remediis evacuantibus, quæ frustrà propinantur, & potiùs malum irritant; sicuti etiam mihi semel evenit, qui curare volui febrem intermittentem solo oleo baccarum juniperi: sed post evenerunt dolores atrocissimi, quæ ullis purgantibus levigari non potuerunt: ad aliquot dies continuabantur tormina convulsiva, orta ex febre illa suppressa. Originem videntur habere ex metastasi fermenti morbosi ad glandulas mesenterii, nervos imprimis circa plexos mesaraicos vellicantis, unde postmodum spasmi dolorosi pertinacissimi partium abdominis membranosarum superveniunt; sicut etiam non rara sunt similia tormina in mesenterii abscessibus, morbisque cognatis: vid. BARTHOLINUS *Cent. 1. Epist. pag. 253.* Propter communicationem spasmodicam *Colica* etiam *periodica*, certisque temporibus affligens, observata fuit.

Omnes hi dolores, tàm humorosi quàm convulsivi, hoc commune habent, ut ratione adjunctorum nunc cum ardore aut phlogosi plus minus intensa, nunc verò cum algore seu frigoris aut rigoris sensu affligant, nunc vomitus adest, nunc abest, nunc, idque sæpiùs, contumax alvi obstructio, nunc alvus fluida, interdum nimis aperta: ardor & æstus nunc universum corpus occupat, atque plus minùs febrilis est, & verè ex impetu spirituum, & concitatiore sanguinis cæterorumque humorum motu, occasione dolorum concitatus, oritur: interdum saltem in profundo sub hypochondrio dextro propè regionem lumbarem, ubi nseruntur ductus pancreaticus & Choledochus in intestinum duodenum, percipitur. Hic autem ardor & phlogoses ibidem perceptibiles sunt ex effervescentia acidi cum bile acriore; exinde enim caloris ac ardoris sensus oritur, qui ægris insigniter est molestus, isque frequentiùs in dolore lumbari, intestinali, seu circa regionem intestini duodeni: de hoc nuperrimè habui observationem in subjecto, maximè bile oleosâ prædito. Algor verò, aut colicæ superveniens rigor, qui in abdomine percipitur, qualis e. g. etiam interdum in principio febrium intermittentium

tentium

entium obvius est, est ex contraria causa. Oritur nempè ab acido nimis acri simplici aut austero, aut alio modo excessivo, quod occurrens bili paucæ vel minus oleosæ, aut etiam obrutæ à materia viscida in intestino duodeno, ibidem cum eadem concurrens effervescit quidem, dolorem tamen cum frigoris sensu junctum infert: sicut videmus spiritum vitrioli sali volatili non oleoso affusum effervescentiam quidem, sed satis frigidam, inferre. Hoc frigus sæpiùs quidem in regione lumbari, & interdum etiam in aliis intestinorum locis, persentiscitur, prout plus vel minus acidi, aut copiosus iste pancreaticus existit succus. Reverà autem vix videtur esse positivum frigus, quin potiùs oritur ab acido peccante, membranas mesaraicas & vicinas vellicante, & in spasmos cogente, qui frigoris sensum solent repræsentare; pariti ferè ratione, atque rigor & frigus febrile non nisi à tali membranarum circa præcordia, & hinc panniculi carnosi, spasmo tremulo oriuntur. *Vomitus* interdum abdomine dolentes affligit, præsertim in colica convulsiva crebriores observantur, ut in nephritica, hysterica & scorbutica notum est: minùs in colica humorosa, nisi vel intestina superiora tenuia magis affecta sint, vel occasione assumptorum in ventriculo corruptorum, malum ortum fuerit; interdum tamen à colo malè affecto, quatenus ventriculo proximè substernitur, vomitus concitari solet. Alvus adstricta, utplurimùm oritur ex intestinorum convulsiva, eâque pertinaci in quodam loco contractura; unde in convulsiva frequens est, & hinc etiam in humorosa, magis tamen in illa; & etiamsi aperiatur alvus in convulsiva, parum commodi exinde percipiunt ægri, secùs in humorosa; in hac enim, si evacuetur, qui evacuari debet, meliùs ordinariò habere solent ægri. Ardoris istius originem optimè explicat, v.g. spiritus vitrioli acidus oleo terebinthinæ affusus, ex quibus oritur effervescentia cum intensissimo ardore, ita ut per vitrum manus insigniter incalescat, & sæpiùs vitrum rumpatur; vel si confundatur spiritus salis rectificatus cum spiritu vini rectificato, ex quibus duobus, celeri manu permistis, tàm intensus excitatur calor, ut interdum erumpat flammula, & vitrum, nisi sit admodum capax, in mille frusta dissiliat: simili ferè ratione acidum vitiosum nunc ex pancreate, nunc aliis locis ad intestinum delatum, occurrens bili, talem inferre solet.

Cæterùm præter hunc ardorem, etiam non rarò sunt ardores in abdomine, ut in aliis locis; sed hi sunt conjuncti cum sensu pulsatili, & sunt dolores ardentes pulsatorii, qui oriuntur ex inflammatione cujusdam intestini, quando sc. sanguis in vasis capillaribus intestinorum effunditur, ibique inflammationem inducit, in qua inflammatione inseparabilis comes est sensus pulsatorius.

PARS AFFECTA.

Pars affecta in talibus torminibus semper sunt intestina primariò, nempè à morbo, i.e. à dolore; pars verò affecta à causa in colica humorosa sunt eadem intestina, uti etiam in colica convulsiva, quando malum est per essentiam: sed in colica convulsiva per consensum, aut etiam in Colica habituali, vitium est in nervis, & plexibus mesenterii nerveis, vel per consensum affectis, vel ab acido acri eò deposito & congesto irritatis.

CAUSÆ.

Ex his patet, quæ sint causæ omnium in intestinis dolorum? In genere sunt duæ causæ, quæ dolorem in intestinis inferunt.

Prima causa sunt contenta in intestinis varia, plus minus naturalia, quæ iisdem dolorem inferunt, & multiplex eorum nocendi artificium.

Secunda causa est spasmodica intestinorum convulsio, quâ intestina in miras dolorificas crispationes & contorsiones coguntur.

Utplurimùm concurrunt in graviore dolore hæc duo, ut sc. adsit aliquid acre, imprimis ex pancreate, quod intestina irritat aut vellicat, & hinc supervenit ex irritatione spasmodica & dolorifica intestinorum contractio.

Adeòque in omnibus intestinorum torminibus, tàm humorosis quàm convulsivis habitualibus, quoad causam antecedentem, respiciendum est imprimis ad acre acidum plus minùs austerum, plus minùs viscidum; vel ex stomacho ad intestina delatum, adeòque ab assumptis vel vitiosis, vel vitiosè digestis, eò distributum; vel in plexibus nerveis mesenterii, vicinisque locis membranosis, pertinaciter hærens, & à quacunque causa externa excitatum.

Quoad intestinorum contenta, quæ Colicam humorosam constituunt, imprimis dixi esse attendendum ad acidum: vix enim datur Colica vera, quæ non habeat ortum seu doloris sensum ex acore vitioso, & intestinis molesto; qui si adest, dat tormina, vel flatus, distendentes intestina; hinc *Colica stercoraria* à stercoribus induratis; hinc *Colica pituitosa* à succis glutinosis, imprimis acidis, item ab assumptis, præsertim fructibus horæis, fermentescibilibus, it. à cerevisia novella, item à pinguibus cum superingesto potu frigido, vel acidulo crebriores oriuntur Colicæ. Bilis enim per se inepta est ad inducendum dolorem Colicum, cùm per se diluat potiùs contenta, & ita ratione salis volatilis oleosi, quod est saponariæ naturæ, intestina quasi abstergat, temperet acorem, & adhærentes sordes instar Clysteris naturalis per abusum naturæ quasi abluat: Colica è contrà lethalis est, ubi abest bilis; aut si biliosa observetur Colica, à bile porracea seu æruginosa originem eadem habebit: acor potiùs biliosus in subjecto plus minus viscido hærens, indeque elevati flatus, humorosas Colicas inferunt. In specie sub Purgationibus generosioribus Hypochondriaci & scorbutici sæpiùs tormina patiuntur, partim à stimulis remedii purgantis, partim ab acrioribus ad intestina commotis humoribus: item post esum alimentorum difficulter digestibilium, aut qui copiosam mucilaginem viscidam loco Chyli subministrant, Colicæ subindè oriuntur, præsertim, si abdominis superveniat nimia refrigeratio: in specie pinguia assumpta, quibus potus facilè acescens superbibitur, abeunt in mucaginem viscidam, & acescentem, quæ in intestinis postmodùm dat Colicam. Sic post cibos acidos, fructus horæos, poma cruda immatura, pyra, vinum, & mustum infecatum, post potus non ritè defæcatos (*Keuterling*) nec depuratos, item post abusum cerevisiæ albæ, (*Breyhan*) ex tritico facilè fermentescibilibus, & similium potuum, unà cum melle aliisque dulcibus, præsertim in digestionis debilioris stomacho, fermentando & acescendo subindè Colicæ superveniunt. Item ex ostrearum nimio usu frequenter oriūtur atrocissima tormina, quod aliquando observavit FORESTUS *l.21. Obs.7.* Præ cæteris flatus, hinc stercora diutiùs retenta, & tandem cruditates viscidæ acidæ in intestinis frequentissimè tormina abdominis inferunt: hinc hypochondriaci, in quibus notissimus est excessus acidi, & in quibus reperitur materia viscida in abdomine & intestinis, & copiosi flatus, admodum proclives sunt ad tormina Colica: Hinc rectè mulieres prohibent nutrices ab omni acido, exinde enim infantes in tormina ventris incidunt. Acidum enim, uti lac coagulat in stomacho, ita viscidam mucilaginem in intestinis exinde producet, unde exoriuntur exinde tormina infantum. Hac ratione intelligenda venit doctrina Paracelsistica, quæ pro causa Colicę adducit spiritus salium resolutos, aut etiam tartarum nimis resolutum, aut etiam coagulatum nimis, qui tartarus stypticis alluminosisq; acutis spiritibus intestina & vicinas partes irritet & excruciet: nempè acidum peccans hoc ipso insinuatur. Stercora quod attinet nimis indurata, in intestinis tenuibus viscida & crassa, & ab acido plus minùs austero coagulata, *Colicam stercorariam* dictam, subindè perquam contumacem, inferunt subsistentibus firmiùs in intestinorum cellulis dictis stercoribus, & ita ad dolorem eadem irritantibus: Hinc in ictero interdum supervenit Colica pertinacissima ex defectu bilis & abundantia succi pancreatici in intestinis, unde contenta ab acido coagulata & constipata intestina vellicant: hinc acida maximè nocent colicâ laborantibus.

Facit huc *dolor colicus in lue Gallica* interdum affligens, ex acido specifico natus viscido, qualem observavit ZACUTUS LUSITANUS *lib.2. Praxeos Admir. Obser.22.* nullis nisi Mercurialibus Unguentis, succumbens.

Pertinent huc varia præternaturalia deglutita: uti, quando v.g. ex nummis aureis deglutitis, indeque eorum subsistentia, in cellulis coli stercori transitum impediendo, contumacissima Colica oritur: vid. BARTHOLINUS *Cent.3. Epist.69.* item BORELLUS *Cent.4. Obser.25.* Item ex potu aquarum arsenico infectarum Colica observata est. Colicam atrocissimam cum tussi, præcordiorum angustia & respirandi difficultate à vapore Saturni hausto, videb. in M. A.N.C. *Ann.3. Obser.131.* Idem observatum est ab aquis haustis ex vase plumbeo intùs incrustato. *ibid.*

Pertinent huc calculi, qui subindè à colicis fuerunt excreti cum levamine, ita, ut reverà detur *Colica calculosa* à calculis in intestinis coagulatis: qualia exempla vide *l.4. Obs.44. & seqq.* HORSTI.

Ex vermibus quoque & lumbricis in intestinis stabulantibus gravissimus Colicus dolor obortus est: vid. AMATVS LVSITANVS *Cent.* 1. *Cur.* 5. *&* 33. *p.* 232. 236 *&* 237. de gravissimo itidem dolore colico, percepto ex calculo magnitudine ovi gallinæ excreto: item à BENEVENTO *cap.* 9. *pag.* 132., ubi habet colicum dolorem intensissimum, qui curatus fuit excreto lapide ex intestinis per Fomenta emollientia admota: Conf. etiam SCHENCKIVS, & M. A N. C. *Ann.* 8 *Obs.* 70. cum cura, HILDANVS *Cent.* 1. *Obs.* 57., THONERVS *l.* 3. *Obs.* 4., RHODIVS & SALMVTH: Et dolorem inferentem, sanè Colicum dolorem lethalem ex intestinis à dysenteria conglutinatis, observat RHODIVS *Cent.* 2. *Obs.* 77.: Sic pariter Colicam lethalem notavit SCVLTETVS *in Armam. Chirurg. Observ.* 61., natam ob cancrum occultum, ex obstructione occulta meatus choledochi.

Pertinet huc denique, quod observat HORSTIVS *l.* 4. *Obs.* 47., tormina continua sub hypochondrio dextro à calculo, vesicam biliariam replente, & intestinum atterante. Pariter colicum dolorem à pituita, in externa intestinorum superficie hærente, notat RIVERIVS *in Obs. communicatis.*

Nil magis solet excitare Colicam vitio intestinorum, quàm acidum intestinis inimicissimum; item frigida, uti aliàs partibus nervosis infesta, ita in intestinis faciunt Colicam, sive acidum hospitet in subjecto seroso, sive vitio digestionis primæ, sive per pylorum & ex pancreate ad intestina veniat.

Secundam causam Colicæ dixi esse non contenta in intestinis, sed potiùs spasmodicam convulsionem & contorsionem, quæ constituit *Colicam convulsivam.* In hac considerandum etiam venit acidum nervis eorumque fibris inimicissimum, in plexibus nerveis mesenterii viciniisque locis pertinaciùs hærens, à quacunque causa externa excitatum, (idque vel cum nutrimento proprio ad dictas partes delatum, vel cum vehiculo lymphæ eò depositum:) id quod in scorbuticis, hystericis, &c. post febres malè curatas certissimum est. Item tormina abdominis contumaciora, utut non semper æquè atrocia, sæpè ab abscessibus in glandulis mesenterii & pancreate fiunt, teste BARTHOLINO *l. a.*

Sunt autem hæc *tormina convulsiva* vel *hypochondriaca & hysterica*, vel *febrilia*. *Passionem hystericam* quidem quod attinet: reverâ hæc nihil est aliud, quam species Colicæ convulsivæ, cujus fundamentum hæret in plexibus nerveis mesentericis irritatis, & in spasmodicas convulsiones concitatis, unde etiam partium superiorum superveniunt spasmi, indeque præcordiorum angustiæ, difficiles respirationes &c.; nam sensus globi in abdomine moti, quem mulierculæ & ignorantes Medici pro uteri habent motu, est plexus centralis maximè convulsus, adeò, ut etiam observetur talis globus in viris, qui tamen utero carent: vid. WILLISIVS *de Passione Hyster.* Scorbutici dolores omnium sunt vehementissimi, & miserè torquent, ut juxta illum cæteræ species sint saltem risus jocusque; quos ex convulsionibus intestinorum fieri, & omnium optimè demonstrat IOHANNES DRABITIUS *in institutione de scorbuto dolorifico* S. 8. qui eleganter hoc negotium declaravit per motus convulsivos & spasmos nervorum in & extra mesenterium ortorum, & ad intestina deriuatorum.

Inchoat in specie ejusmodi dolor in dorso ac regione lumbari, hinc & pergit ad interiora, & intestina graviter affligit: Inchoat sc., ubi annectitur mesenterium, & pertingit anteriora versus usque ad umbilicum: interdum est admodum vagus & oberrans, interdum fixus, & in quo umbilicus interiora versus retractus apparet; interdum in intestinis & abdomine convulsiones & contracturas infert dolorosas: Subinde hæ cessant, & superveniunt nunc convulsiones artuum, nunc verò pareses, quibus cessantibus, repetit abdominis dolor: Interdum pertinaciter abdomen afficit. Quæ omnia certè non possunt concipi, nisi per talem convulsionem. Accedit quoque, quod in tali Colica podex sæpè sit pertinacissimè clausus, & interiora versus contractus, quando nempè & ipse est convulsus, ita, ut nullum Clysma poterit applicari propter spasmum, simul intestinum rectum occupantem. Fit non rarò, ut ipsum abdomen excauatum appareat, & umbilicus introrsum versus retractus videatur propter istas convulsiones, quibus umbilicus, & forsan etiam ipsum peritonæum simul afficitur. Certum est, quod hi dolores abdominis convulsivi sint gravissimi & contumacissimi, & nisi rectè tractentur, facilè degenerant in pareses, uti in locis vinosis, Austria, Moravia, Franconia, &c. satis experiuntur incolæ, vel contracturas artuum. Habeo virum scorbuticum, qui aliàs optimè valet, levi autem occasione, vel irâ, vel terrore, vel ex assumptis alimentis tantillum fermentescentibus, ex haustu vini rubri idque, ex potu cerevisiæ non benè defæcatæ &c. subitò corripitur Colicâ convulsivâ: horridus paroxysmus est, post horas 6. convalescit, percipit dolorem juxta spinam dorsi, quatenus ab acido membranæ nerveæ vellicantur, & spasmum concipiunt: vibratur ad umbilicum, variis torminibus & torturis totum abdomen excruciatur, donec ad spinam dorsi quietus residet. Subindè produnt vestigia talium dolorum convulsivorum apud TVLPIUM *l.* 3. *Obs.* 22. & THIERMEYERVM *Pr. T.* 2. *c.* 4. aliosque Scriptores Practicos & Theoreticos; sed quos hi ipsi saltem ex humoribus, speciatim ex bile derivare nituntur. Non autem commodè ex his extricare se possunt: nunc dicunt, oriri ab humoribus intra membranas intestinorum, seu ipsam eorum substantiam, nunc in concavo, nunc in parte convexa intestinorum contentis; nunc dicunt oriri ab humoribus biliosis vel acribus in duplicaturâ peritonæi affusis: alii alias assignant causas: vid. FORESTUS *l.* 25. *Obs.* 3., item RIOLANUS *in Enchirid. Anatom. de Peritonæo cap.* 13. *pag.* 96. Sed facilis est & commoda horum symptomatum explicatio, modò superius dicta ponderentur. Solus WILLISIUS primùm oculos aperuit, tàm in *Anat. Cerebri*, quàm *in Tr. de Morbis Convulsivis*, ut & de *An. Brutorum P.* 2. *cap.* 15.

Febrilia tormina sunt ea, quæ febribus intermittentibus diuturnis non adeò benè curatis supervenire solent, utut etiam critico modo superveniant: alvus pertinaciter est clausa, purgantibus etiam fortioribus si laxantur ægri, fit tamen ferè sine dolorum levamine. Videntur autem oriri ex metastasi materiæ morbosæ, delatæ ad glandulas mesenterii, vellicantis partes nerveas; undè etiam non rarò sunt similia tormina in mesenterii abscessibus.

Dolores abdominis considerantur secundùm suas differentias, vel ratione partis affectæ, vel ratione causæ efficientis.

In parte affecta consideratur
- intestinum dolens
  - 1. tenue: dolor Iliacus.
  - 2. crassum: dolor Colicus.
- situs doloris; unde dolor, vel
  - hypochondriacus utriusque lateris.
  - lumbaris: qui iterum vel umbilicalis.
    - nephriticus
    - mesentericus.
    - pancreaticus.
    - intestinalis.

In cauſa efficiente conſideratur dolor, vel
- humoroſus.
- convulſivus.

In dolore humoroſo conſideratur vel
- Modus
  - fixus, ſeu terebrans.
  - pungens.
  - diſtendens.
  - rodens.
  - contundens.
  - gravans.
  - pulſans.
- Cauſa
  - flatus.
  - ſtercora indurata.
  - ićteritia.
  - mucus tenax.
  - aſsumpta varia: Horæa facilè fermenteſcibilia.
  - cerevifia novella.
  - pinguia cum potu acido
  - mumnii aurei.
  - calculi.
  - ipſi inteſtinorum affećtus: ſc. hernia, inflammatio, &c.
  - (ab acido in ſubjećto plùs minus viſcido.)

In convulſivo conſideratur
- Modus doloris
  - lacerans.
  - lancinans.
  - contorquens.
  - pulſans.
  - His addatur abdomen tendens, ut in ſubluxatione vertebrarum.
- Cauſa
  - accidentalis
    - nephritica.
    - parturientis.
    - purgantis.
    - menſtrua.
    - item abſceſſus partium vicinarum, ut glãdularum meſenterii, pancreatis &c. vid. *Bartholin. C. 1. Ep. p. 253.*
  - habitualis ab acido nervos vellicante
    - hypochondriaca.
    - hyſterica.
    - ſcorbutica.
    - febrilis.

Ratione adjunćti in genere eſt
- frigida.
- calida.

Multa eſſent dicenda de Colicis malignis: ſed temporis anguſtia impedit hoc. Moneo ſaltem, quod vomitus & ſingultus talis Colicæ ex vicinitate ſtomachi & diaphragmatis omnes fiant ex ſimilibus ſpaſmis ex meſenterio vibratis.

DIAGNOSIS.

Pergo ad *ſigna diagnoſtica*:

Diagnoſtica ſigna doloris hauriuntur ab ægro & ſymptomatum ſyndrome: In hac ſimus cauti, ut dignoſcamus benè in Colica affectis eam, quæ eſt conjunćta cum nephritide, à ſolitaria.

Ut autem ritè cognoſcantur hi dolores inteſtinales; & ritè à ſe invicem diſcernantur, iſta ſumma capita obſervanda ſunt:

1. *Antecedentia*, ut conſtitutio ægri, vićtus ratio, mores conſueti, an ſcorbuticus, calculoſus, &c.
2. *Adjuncta ſeu eſſentialiter inhærentia:* nempè ipſe doloris modus, & adjuncta reliquarum partium ſymptomata.
3. *Conſequentia*: mutationes nempè in urina, in alvi excrementis, Iuvantia & Nocentia, ſi alvus non reſpondet, fæces induratæ, vel inteſtina contrarcta; ſi purgantia nil evacuant, vel parum ſine levamine, eſt Colica convulſiva.

Ex his invicem collatis, ſed probè ponderatis, facile eſt, dolores dićtos a ſe invicem diſcernere, & fiendi eorum rationem cognoſcere. In ſpecie attendendum, an ſit Colica humoroſa? an verò convulſiva? & ſi hæc; an ſit accidentalis? an verò habitualis? & ſi habitualis; an ſit ſcorbutica, hyſterica, an alia?

Speciatim ſæpiùs *confunditur Colica ſimplex cum illa, quæ ſupervenit nephritidi.* Ut ita meliùs cognoſcatur radix morboſa, omnes circumſtantiæ probè penſitandæ, & ſpeciatim urina, in qua, ſi ſit *Colica nephritica*, notabiles mutationes obſervari ſolent: ſi enim fiunt Aqueæ, Colica eſt nephritica; intenſiùs tinćtæ in medio, coloratæ in ſuperficie, ſignum *Colicæ ſcorbuticæ*.

Solitaria facilè diſtinguitur *ab ea*, quæ incipit *in affectibus uteri*: Nã ubi cum convulſione inteſtinorum concurrit convulſio partium ad uterum pertinentium, percipitur dolor, qui à lumbis deorſum trahitur verſus ſinum pudoris; item ſi adeſt ſimul affećtus uterinus, dolor ille etiam ad os femoris ſeu coxendicis pertingit: item, ſi adſit junćtus dolor iſte cum difficultate motus, percipitur gravamen in dorſo & lumbis propè renes, & hinc ſequitur poſtmodum dolor Colicus.

Denique ſi acerbatur dolor Colicus, ut fiat paſſio hyſterica, tunc percipiunt ſimul anguſtiam in præcordiis, item percipiunt impedimentum in reſpiratione, propter ſimilem convulſionem diaphragmatis deorſum verſus.

Ut à *dolore nephritico diſtinguatur Colica*, obſervetur quod in dolore colico poſt paſtum fit remiſſio, imprimis poſt aſſumpta aromatica, quæ ſunt Colicæ remedia; dolor verò renalis poſt paſtum fit acerbior. Deinde, ſi adeſt dolor renalis, mutatio ſemper eſt in urina, quod non eſt in Colica: aut, quod obiter moneo, quod in dolore colico ſcorbutico adſit ſtranguria inſignis, & urina coloris admodum fulgidi & ſalini excernitur, ſed non ſemper. Tandem, ubi dolor eſt colicus, Clyſteres aut Evacuationes alvi eũ levant; renalẽ aut parum, aut nihil ſolent levare. Denique in renali Colica adeſt ſemper dolor plus minùs

obtusus ac gravativus in dorso circa lumbos, qui non est in Colica vera.

Plura de signis distinctivis Colicæ veræ à Colica nephritica, videb. in SENNERTI *Praxi*.

In *Colica convulsiva* est dolor lacerans, sed non ita gravativus & obtusus, ut in renibus: Urinæ excernuntur pallidæ & lacteæ, copioso sedimento impregnatæ, quod non fit in reliquis speciebus Colicæ.

PROGNOSIS.

Quod attinet *signa prognostica*: Colica ex se leve malum est, raro periculosum; quæ tamen interdum ex adjunctorum aut supervenientium symptomatum, aut plurium circumstantiarum ratione, & ubi est nimis contumax, potest esse periculosa, imò lethalis.

Humorosa, & quæ fit à materia in intestinis contenta, quam veteres Practici sæpiùs *Colicam biliosam* vocare solent, mitior est, & facilius curatur convulsivâ.

Porrò omnis Colica convulsiva, quò magis complicata habet symptomata ventriculi, eò est periculosior, & difficilior curatu.

In specie vomitus Colicæ superveniens raro bonum signum est.

Colica humorosa flatulenta gravia symptomata facit, & ad tympanitidem disponit.

Colica convulsiva habitualis omnis periculosa est; partim ob diuturnum paroxysmum; partim, quod sæpiùs recurrat, & sic periculosior fiat: firmiter radicata facit mala multa; nam huic non raro superveniunt aut pareses, aut epilepsiæ: Sic HOEFERUS *in Hercule Med. p.* 185. exemplum habet Colicæ, quæ gravem cephalalgiam & maniam induxit, cum cæcitate & impedita deglutitione. Item THONERUS *in Obs. pag.* 93. observat colicam in geminatam visionem & epilepsiam terminatam; nec rarum est, quod intulerit tetanum totius corporis & contracturas partium externarum.

In humorosa colica saltem attendendum est, ne sub ejus exacerbatione & alvi obstructione superveniat ileos morbus.

Evenit interdum, ut Colica humorosa degeneret in abscessus: vid. HILDANUS, qui *C.* 2. *Obs.* 74. refert dolorem neglectum, qui superveniente febre & abscessu in colo, mortem post se traxit: conf. etiam *C.* 1. *Observ.* 54., ubi prostant exempla doloris colici in abscessum intestinorum degenerati. Aliud videbitis exemplum in PANAROLLO *Pentec.* 4. *Obs.* 50., qui habet dolorem colicum intra 10. horas lethalem: quæ tamen sunt rara.

Colica scorbutica convulsiva interdum est lethalis, ita, ut observata fuerit instar morbi peracuti intra dies & noctes 3. aut 4. jugulasse ægrum.

Raucedo in Colica ut plurimum lethale signum est. Denique in omni Colica, quò magis aperta alvus, & stimulata respondet, bonum est; quò contumacior, imprimis si podex retractus, periculosum est, & metus passionis iliacæ; vid. RIVERIUS *in Praxi de dolore Colico*.

Pergo ad

CURAM.

Cura Colicæ est *duplex*: nempè instituatur vel *in paroxysmo*, vel *extra paroxysmum*.

In Paroxysmo

1. Causa irritans intestina maturè sopienda, & ipse intestinorum sensus dolorosus, indeque natus motus convulsivus opiatis sistendus.
2. Si est Colica humorosa, causa peccans materialis, ejusdem nempè acrimonia acida, aut viscideitas, aut alius nocendi modus, corrigenda, & maturè per alvum educenda. Patet quòd, cùm Colica humorosa utplurimùm oriatur ex muco acido viscido, in hac Cura conveniant aromatica acidum corrigentia, viscidum incidentia & evacuantia, imprimis gummata mucum expurgantia.
3. Si Colica est convulsiva, appropriata nervina, in specie salia volatilia oleosa opiatis mista, propinanda sunt.

Extra paroxysmum, hoc sedato, morbus primarius, fomes morbosus, unde dolores pendent, isque in specie in Colica convulsiva habituali, variis appropriatis est tollendus, & crebrior aut consueta recidiva præcavenda.

Pro dictis tribus scopis in paroxysmi Cura obtinendis, imprimis in toto paroxysmo, repetitus clysterum legitimè applicatorum usus sedulò est observandus, ut his ipsis, pro varietate intentionum variis, continuo alvus, quantum possibile, evacuetur & servetur aperta: magis autem conveniunt Clysmata talia, si in humorosa malum hæret in intestinis crassis; minùs verò, quando in tenuibus: Et quidem ubi non sumus certi, in humorosa materiam peccantem hærere præcisè in intestinis tenuibus, minus conveniunt purgantia Clysteribus admista, propter metum volvuli: Ubi verò certi sumus, malum hærere in intestinis crassis, imprimis colo, uti communiter fit in dolore hypochondriaco, tunc etiam fortiora purgantia seu stimulantia Clysmatis addi possunt.

Deinde conveniunt, ubi ventriculus graviùs simul affligitur, ut tanquam revulsorio stimulo tam causa irritans, quam motus spirituum, ad intestina derivetur: Item, quando post propinata Purgantia non sufficienter respondet alvus, optimum est in talibus casibus clysteribus acribus plus minus purgantibus naturæ motum promovere. Quando verò malum hæret in intestinis tenuibus, potiùs blandissima laxantia & abstergentia per os conducunt: quod confirmat experientia D. MOEBII in infante Colicâ laborante, cui Medicus quidam aliquot Clysteres applicandos curavit, sed sine fructu; tandem MOEBIUS advocatus laxans blandissimum per os adhibuit, quod ex voto cessit, & infans brevi convaluit: Videatur *Colleg.* MOEBII *in Synopsi cap. de Colica*. Quod si videmus, Clysteribus acrioribus alvum non respondere, & malum non mitigari, iis ulterius insistendum non est, sed præsumendum, vitium hærere vel in Intestinis superioribus, vel esse Colicam simpliciter convulsivam. In convulsiva Colica Clysteres anodyni & leniter demulcentes sunt optimi: item accedendum est ad Clysmata terebinthinata, quæ in quavis convulsione sunt optima. Si in Colica imminet metus Ilei, vel podex sit pertinaciter retractus, non adeò copiosè injicienda sunt, ne promoveamus iliacum morbum.

Clysmata, quæ in omni Colica conveniunt, sunt in principio morbi vel mitiora emollientia, stercora in intestinis abstergentia; aut carminantia; vel si non suffecerint, fortiora purgantia, aut acriùs stimulantia ex colocynthide, antimonio & similibus: Præsertim in humorosa, quando alvus præternaturaliter & pertinaciter obstructa, Clysmata insigniter emollientia prosunt, quæ fiunt ex lacte simpliciter, addito saccharo aut melle, oleo communi aut lini; vel quando coquuntur in lacte quædam emollientia, quæ blandè alvum lubricant, talia sunt optima, imprimis in doloribus abdominis scorbuticis, item in hypochondriacis, in quibus cum melle mirè conveniunt.

Si magis *anodyna* desiderentur;

℞. *Fol. hyoscyam.* M. j.
Coqu. in s. q. *lactis*:
Colaturæ ℥ ix. vel ℥ x. adde
Mellis rosati ℥ j.
M. pro *Clysmate anodyno*: S.
Clyster lenitivus.

In graviori Colica, ubi materia hæret in crassis intestinis, injici possunt ex oleo expresso sem. lini, raparum, &c.

℞. *Ol. expr. sem. lini*,
Rapar. an. ℥ v.
M. pro *Enemate*: S.
Clyster lenitivus.
Vel addantur
Ol. diacolocynth. ℥ vj.
Et misc. pro *Clysmate*. S.
Ut antea.

Vel communi modo *Clysmata emollientia* injicienda;

℞. *Herb. brancæ ursinæ*,
Malvæ,
Meliloti an. M. j.
Rad. lil. alb. ℥ j.
Sal. Tart. ℨ j.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.*
Colaturæ ℥ ... vel ℔ j. adde
Ol. lil. alb ℥ iv. vel vj.
Vit. l.. ovi No. j.
Mell. de pum. ℥ j.
M. pro *Clysmate* duabus vicibus injiciendo: S.
Clyster emolliens.

Vel ubi aut mucus viscidior, aut stercora indurata, in intestinis hærent, omisso oleo, Clysteribus sal gemmæ à ℨ j. ad ℨ ij. addendū est, quod omnes fæces attenuandi & dissolvendi vim habet, hinc pro laxanda alvo obstructa optimè valet: v. g.

cly-

clysteri suprà dicto ex oleo seminis lini & raparum ℥j. salis gemmæ addi potest: Vel

℞. *Herb. Malvæ* M ij.
Flor. sambuc.
Verbasc. (qui sunt anodyni) an. M ß.
Rad. lil. alb. ℥ß. ad ℥j.
Coqu. in *aqu. simpl.*
Colaturæ ℥ viij. vel ℥ ix. adde
Elect. bieræ picræ (stimulat, & est aloëticum) ℥ß. vel ʒ vj. ad ℥j.
(vel pro scopo emolliendi *El. Lenit.* ℥j ß.)
Sal. gemm. ℈ ij. ad ʒ j.
M. pro *Clysmate* vnâ vice applicando. S.
Clyster emolliens.

Ubi verò sunt flatus, convenit *Clysma carminans & emolliens*, imprimis cum sale gemmæ injectum: e. g.

℞. *Spec. Carm.* M. ij.
Rad. angel.
Levist.
Sem. carvi an. ℥ß.
Bacc. junip. ℥j.
Coqu. in f. q. *Aquæ*:
Colaturæ ℥ viij. adde
Elect. de baccis lauri ʒ vj.
Mell. rutac. ℥ß.
Salis gemmæ vel *nitri depur.* ℈ ij.
M. f. *Enema*: S.
Clyster carminans.

℞. *Spec. emoll.* M. ij.
Carmin. M. j.
Sem. carvi ℥ j.
Baccar. junip. ℥j.
Coqu. in f. q. *Aquæ*:
Colaturæ ℥ viij. adde
Elect. bier. cum *agar.* ℥j.
Mellis Mercurial. ℥ß.
Salis gemmæ vel *nitri* ʒ j.
M. f. *Enema*: S.
Vt antea.

℞. *Herb. veron.*
Flor. chamom. an. M. ij.
Rad. Levist. ℥ß.
Sem. anisi ʒ iij.
Coqu. in f. q. *Aquæ*:
Colaturæ ℥ viij. adde
Sal. gemmæ ʒ j.
Mell. Mercur. ℥j.
M. pro *Clysmate*: S.
Vt suprà.

℞. *Herb. calaminth.*
Rutæ an. M. j.
Flor. alth.
Anethi,
Chamom. an. M. ß.
Bacc. Lauri,
Sem. carvi,
Cumin. an. ℥ß.
Fænugr.
Lini an. ʒ iij.
Coqu. in f. q. *Aquæ*:
Colaturæ ℥ x. adde
Salis gemm. ʒ j.
Ol. anethi,
Rutæ,
El. hier. picr. an. ℥ß.
M. f. *Enema*: S.
Clyster contra flatus.

RULANDUS ceu maximè expertum Clysma laudat in desperata alvi obstructione, in dolore colico & iliaco sequens, utut incondita sit Compositio:

℞. *Decoct. flor. chamom.* vel *verbasci* ℥ viij.
Ol. cham. per infusionem & decoctionem ℥ v.
Elect. bened. laxat. ℥j.
Sacch. rubr. ℥ß.
Diagryd. gr. vij.
Sal. comm. vel *salis gemmæ* ʒj.
M. pro *Clysmate.*

Cujus usum commendat, tanquam sibi sæpiùs expertum.

Loco salis gemmæ in Colica flatulenta potiùs olea destillata simul addenda, quæ potenter penetrant, & flatus discutiunt: e. g. sit *Clysma Carminativum anodynum*, quale etiam hypochondriacis, item hystericis commodè præscribi potest hoc modo:

℞. *Fol. lauri* p. iij. vel M. j.
Flor. Chamom. Rom. aut *Vulgar.* M. j ß.
Rad. angel. vel *levist.* ʒ vj.
Sem. 4. calid. minor. an. ʒ ij.
Coqu. in *aqu. comm.*
Colaturæ ℥ x. adde
Elect. de bacc. lauri ʒ vj.
Syrup. papav. s. ℥ß. vel loco hujus *Ther.* ʒ j. ad ʒ ij.
Ol. destill. angel.
Carvi,
Cumin.
Bacc. lauri an. gutt. iij. vel iv.
Vitell. ovi No. j.
M. pro *Clysmate pro 2. dosibus* injiciendo, propter flatus, qui impediunt, quo minùs totum unâ vice possit injici.
S. *Clyster lenitivus contra flatus.*

℞. *Fol. lauri* M. j.
Flor. chamom. M. ij.
Rad. angel.
Levist. an. ʒ iij.
Coqu. in f. q. *aqu. comm.*
Colaturæ ℥ ix. adde
Elect. de bacc. lauri ʒ vj.
Theriacæ ʒj.
Ol. destill. carvi,
Cumini,
Bacc. junip.
Lauri an. gutt. v.
M. pro *Clysmate duabus vel partitis vicibus* injiciendo: S.
Vt antea.

℞. *Summitat. anethi*,
Herb. chamom. an. M. j.
Rad. Levist. ℥j.
Baccar. Lauri ʒ vj.
Sem. fænic. ʒ iij.
Coqu. in f. q. *Aquæ*;
Colaturæ ℥ ix. adde
El. de bacc. lauri ℥ j ß.
Theriac. ʒ j. ad ʒ ij.
Ol. destillat. angel,
Cumin.
Rutæ an. gutt. v.
M. f. *Clyster pro duabus dosibus*: S.
Vt suprà. Vel

℞. *Herb. chamom. Rom.*
Menthæ an. M. j.
Bacc. lauri ℥ß. ad ℥j.
Iuniperi ℥ß.
Sem. anisi,
Cumini
Fænic. an. ʒ ij.
Sal. Tart. ʒ ii. ad ʒ iij.
Incis. & contus. coqu. in f. q. *aqu. simpl.* vel ubi sal tartari additum non fuit, in *urina humana*:
Colaturæ ℥ ix adde
Elect. de baccis lauri ʒ vi. ad ℥j.
Mell rutac. ℥ß.
Ol. destill. anisi vel *bacc. lauri* ℈ ß. ad ℈j.
Vitelli ovi No. j.
F. *Enema*: S.
Clyster contra flatus.

℞. *Flor. chamom.* M. ii.
Fol. lauri M. ß.
Rad. Levist. ʒ iii.
Sal. tart. ʒi.
Coqu. in f. q. *Aquæ*:
Colaturæ ℥ viii. adde
Elect. de bacc. lauri ℥ i.
Ol. destill. bacc. iunip. ℈ i.
Cumin. ℈ ß.
Syrup. papau. simpl. ℥ i.
M. pro *Clysmate*, *duabus vicibus* iniiciendo: S.
Clyster contra flatus.

Ulterius, ubi sunt nimii flatus in intestinis præ cæteris conveniunt Clysmata ex urina pueri, quæ mira faciunt in affectibus intestinorum flatulentis; scil.

℞. *Vrin. pueri impuberis*:
& ipsi addatur

Fermenti parum:
ipsique postmodum incoquatur *semen anisi & anethi*,
& *Colaturæ* ℥ viij. vel ix. addatur
Mellis despum. ℥ j.
sicque *iniiciantur*: insigniter confert in affectibus flatulentis. Vel

℞. *Decoct. Carm.* ℥ vj.
Vrin. human. ℥ iv.
Fermenti ʒ j.
Salis comm. ℈ j.
Mell. rosat. ℥ j.

M. pro *Clysmate* ad imitationem VALERIOLÆ præscripto in gravioribus doloribus flatulentis. Vel

℞. *Spec. carminat.* M. ij.
Coqu. in s. q. *Vrinæ humanæ*:
Colaturæ ℥ viij. adde
Ol. destill. terebinth. ʒ j.
M. f. *Enema*: S.
Clyster contra flatus.

℞. *Vrinæ pueri calef.* ℥ ix.
Sperm. ceti ʒ j ß.
Vitell. ovi No. j.
Syrup. papav. alb. ℥ j.
M. f. *Enema*: S.
Vt antea.

Confer. THEODATUS *Valetudinario p.* 197.

Faciunt huc etiam Clysmata terebinthinata cum Urina, quæ superiùs in dysenteria dedi; & imprimis in doloribus convulsivis, nephriticis, hystericis, scorbuticis, &c. sunt optima, & multùm commendantur à THEODATO *in Valet. pag.* 147., qui etiam in Colica flatulenta hoc Clysma præscribit:

℞. *Fol. Mercurial.*
Chamom.
Betæ an. M ß.
Absinth.
Rutæ
Lauri an. M j.
Sem. cumini,
Bacc. lauri an. ʒ iij.

Incisa & contusa coquantur in *aqu. comm.* & *Vini Malvat.* an. ℔ ß.

(Ingredientia sunt nimis copiosa propter ℔ ß; potest facilè emendari:) adde

Ol. nuc. express. ℥ iv.
Castor. ʒ ß.
Terebinth. ℥ ß.

M. pro *Clysmate* in affectibus renalibus & uterinis. Vel

℞. *Vrin. human.* aut *Decoct. emoll.* ad imitat. WILLISII ℔ j.
Terebinth. cum vitello ovi dissol. ʒ ij. vel ʒ iij. ad ℥ ß.
Mell. colat. vel *Mercurial.* ℥ vj. vel ℥ j.
M. f. *Clysma*: S.
Clyster lenitivus.

Conferatur hìc WILLISIUS *de Anima Brutorum*, ubi *de Colica pag.* 394. P. 2. c. 15., & in specie *in Colica nephritica* proficui sunt terebinthinati Clysteres.

Sunt, qui ceu singulare Clysma laudant & commendant Decoctum veronicæ cum myrrha, & vino, quibus B. D. LANGIUS addit Salis Tartari ʒ ß. ad ʒ j. aut tincturam Tartari. Senibus Clysmata ex vino Malvatico cum oleo Chamomillæ, & quæ vim anodynam habent, facienda; hinc syrupus papaveris, sed cautè, addendus.

Fortiora Clysmata, eaque in Colica humorosa saltem conducentia, minùs in convulsiva, sunt ea, quæ ingreditur colocynthis in petia ligata, vel aqua benedicta, aut Infusum croci metallorum ab ℥ iß ad ℥ ij. vel iij: de quibus Clysmatis antimonialibus, aliis irritis, in Colica proficuis, vid. RIVERIUS C. 1. Obs. 57. & 67. item C. 2. Obs. 12., & C. 3. Obs. 22. & *supr. de alvo obstructa*: v. g.

℞. *Iuris pisorum* ℥ vij. vel viij.
Aqu. bened. ℥ ij. vel iij.
Elect. lenitiv. ℥ vj. vel *Ol. comm.* ℥ j.
M. f. *Enema*: S.
Clyster lenitivus.

℞. *Decoct. pisor.* ℔ ß.
Scor. reg. Antimonii ʒ vj. ad ℥ j.
Mellis Mercurial. ℥ j
M. pro *Clysmate*: S.
Clyster abstersivus.

Imitamur hac in parte RULANDUM, qui ipse hic est antecessor, & tali utitur Enemate cum aqua benedicta *Cent. 6. Curat.* 22.

℞. *Decoct. pisor.* (egregiè abstergit) ℥ viij.
Aqu. bened. ℥ ij ß. vel iij.
Sacch. ℥ ß.
Ol. olivar. ℥ j. vel ℥ iv.
M. pro *Enemate*.

Iniiciatur quavis hora doloris recrudescẽtis *pro duabus, vel 3. dosibus*: Insigniter hunc commendat Clysterem, & quidẽ in cõtumacissima alvi obstructione, in dolore iliaco & colico.

Simile exemplum habet *idem* in pertinacissima alvi obstructione in puerpera, quæ per 20. dies & noctes nihil excreverat, & jam stercora per os exibãt, curatâ hoc Clysmate, in quo loco aquæ benedictæ addidit Extractum esulæ:

℞. *Iuris pisor.* ℔ j.
Extracti esulæ ʒ j.
Ol. sem. lini ℥ iv.
M. pro *Clystere*:

quo injecto, alvique excrementis copiosè rejectis, curata fuit ista puerpera. Item

℞. *Decoct. cent. min.* ℔ ß.
Aqu. bened. Rulandi ℥ iij.
Mell. Mercurial. ℥ vi.
M. pro *Clystere*.

Præter fortiores pertinent huc Clysteres ex fumo tabaci, maximè proficui in Colica humorosa, & in omnibus doloribus abdominis: vid. *Histor. Anat.* 66. BARTHOLINI *Cent. 6. & C 4. Epist. pag.* 253

Instrumentum verò, quo commodè potest Anglorum more applicare sibi unusquisque tale Clysma, & fumum tabaci sub hac forma intestinis immittere, habet BARTHOLINUS *in Cent. & Hist. jam allegata*, & SIMON PAULI *Quadripart. Botan. Class. 3. p. 462. & 463.*: non tantùm dolores sistunt, sed & alvum laxant.

II. Præter Clysmata in omni Colica, in specie humorosa, minus in convulsiva, attendendum est, an conveniat Purgatio per alvum, an verò non? Nempè tutiùs possumus purgare remediis per os propinatis, ubi contenta in intestinis urgent, quàm ubi malum simpliciter à spasmis fuerit, utpotè in quo non nisi leniter abstergentia conveniunt. Deinde, si intestina ex strictura convulsiva, propter contenta etiã irritantia, sint nimis firmiter clausa, cavendum à purgantibus, magis magisque irritãtibus; sed potiùs lenissima, emollientia, eluentia intestina, aut simpliciter lubricãtia oleosa & passulata conducunt. In specie in principio Colicæ, dum adhuc dolor urget, propriè dicta purgantia minùs cõveniũt, sed omninò nocent; irritando enim intestina malum fortiùs exasperant, & ex aucta hac intestinorum contractura minùs laxant. Imò cùm in Colica sæpiùs adsit periculosus vomitus, metus est, ne ita purgantibus irritentur crabrones: quo sæpiùs iterantur, in deteriùs labitur æger & magis disponitur ad affectus paralyticos: sin verò mox in principio usurpari debent, sint non nimis violenta, sed lenia, & simul opiatis mista, ut sistant dolorem, & causam morbosã eliminent ex intestinis: semper nempè considerandum est, ne acriori laxativo irritatis intestinis omninò impediatur excretio fæcum, & ad contumaciem ileon disponatur æger. Adhuc sepiùs evenit, ut purgantia, licẽt fortia, nihil operentur, sed subsistant, unde subsequitur inde dolorum augmentum. Ergo purgantia talia vitanda. In progressu verò morbi, attenuatâ viscidâ materiâ, & temperatâ ejusdẽ acrimoniâ, blandè subducentia conveniunt. Deinde, si ex inflammatione est colica, Medicus caveat, ne ullo, quantumvis leni medicamento subducente, utatur; ex irritatione enim intestinorum inflammatio augetur, & hinc volvuli seu ilei metus supervenit. In Colica humorosa, in specie, ubi intestinorum peregrini, ac vitiosi hospites sunt exturbandi, purgantia locum habent, vario tamen, pro circumstantiarum ratione, regimine, &c. Nempè, si dolor non adeò urget, & morbus sit ex errore victus, aut simili causa externa, aut malum sit à viscida tenaci & acida pituita, cum dolore terebrãte, & gravativo, in principio purgari potest; secus differendum hoc ipsum, donec nonnihil mitescat dolor. In pituita enim vitrea vel acida, si quis Lenientibus solis contentus à purgantibus veris abstineat, nil aget; potiùs, quamprimùm viscida materia attenuanda, & per Purgãtia attenuantibus mista, eadẽ evacuanda: conf. SEPTALIUS *in Animadv. l. 7. §. 72.* Si verò dolor sit nimis acerbus, priùs est mitigandus, antequã Purgãtibus proritetur aluus. Purgãtia autem in Colica humorosa conueniunt nunc fortiora, nunc minora: Fortiora hæc & propriè dicta purgantia, in specie, ubi

ubi ex spasmo fortiùs contracta sunt intestina, aut motus eorum peristalticus minùs fieri solet, non conveniunt; quin levissima plus præstent, quàm aeriora & fortissima. Sic HENRICUS à MOINICHEN *Obs. 5. ad BARTHOLINUM missa* habet, quod DONADONUS alvi stypticitatem ad 3. septimanas durantem solo seri caprini copiosè sumpti usu curaverit: Sic, referente SENNERTO, observatum est, cùm æger quidam 30. Clysteres sine effectu accepisset, alium Medicum mannam ab ℥ j. ad ℥ iß. cum ℥ j ß. olei amygdalarum dulcium propinasse in jusculo gallinæ pingui, & ægrum à dolore liberasse. Commendat hanc misturam RIVERIUS *Prax. l. 10. c. 1.* Vel oleum amygdalarum dulcium loco butyri jusculis admisceatur, quibus etiam spermatis ceti ʒ ß. commodè addi potest. Singulare *experimentum* CRATONIS *ad solvendam alvum, & sedandos dolores Colicos* est *oleum amygdalarum dulcium* ℥ ij. ad iij. cum *vino Malvat. & spermate ceti*: vid. *Dissertat. mea de sperm. ceti c. 2. §. 4. p. 11*

Vt ergò blandè laxetur alvus in Intestinorum doloribus, blandissimè emollientia & abstergentia locum habent, præprimis in Colica convulsiva, ubi acria parum vel nihil operantur; lubricantia verò, ut oleum amygdalarum dulcium & pinguia optimè laxant. Inter Emollientia & Abstergentia sunt imprimis potio passulata, & hinc pulveres salini cum stimulo scammoneato. Inter lubricantia & pinguia convenit Potio PLATERI in principio doloris colici propinanda, quæ ex leniente & emolliente procedit. Præscriptio est hæc:

℞. *Ol. amygdal. dulc.* ℥ j ß.
Vini Malv.
Syrup. papav. an. ℥ ß.
M. f. *Potio.*

quæ detur pro haustu. Vid. *Observationes* PLATERI: Nam & oleum amygdalarum dulcium in jusculo calido propinatum, subitò sedat tormina infantum. Loco syrupi papaveris etiam spermatis ceti ʒ ß. addi, & ita alvus laxari potest: Vel ubi tutiùs uti licet purgantibus, cremor tartari cum resinis Purgantium propinetur ad imitationem WILLISII *c. l. pag. 396.* e. g.

℞. *Crem. tart.* ℈ j.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis aperiens.

℞. *Crem. tart.* ℈ j.
Mag. jalapp.
Scamm. an. gr. v.
M. pro alvo laxanda. S.
Pulvis aperiens.

℞. *Corall. rubr. præp.*
Maxill. lucii piscis an. ℈ ß.
Auri fulm. gr. v.
M. f. *Pulvis*: S.
Vt antea.

Vel Infusum sennæ cum sale tartari & zingibere paratum, vel Infusum rhabarbari cum senna, adhibeatur. Vel ubi viscida ac tenax pituita primariò peccat, Potiones cum gummate Ammoniaco in Colica humorosa sunt admodum convenientes: Propterea ubi pertinax est *Colica ex pituita vitrea & acida.*

℞. *Aqu. Menthæ* ℥ j. vel ℥ j ß.
Cinam. ʒ j. ʒ ij. vel ℥ ß.
Gumm. amm. cum aceto soluti ℈ ß. vel ℈ j. ad ʒ ß.
Tart. vitriolat. ℈ ß. ad gr. xv.
Scamm. sulphurat.
Trochisc. alb. an. gr. j. vel ij.
Syrup. rosat. solut. vel *de pom.* ℥ ß.
M. pro *una vice*: S.
Potio purgans pro una vice.

Potio hæc mirè saburram educit. Vel

℞. *Aqu. menthæ* seu *succ. pomor. Borsdorff. depur.* ℥ j.
Gumm. amm. cum aceto sol. gr. xv. ad ℈ j.
Salis hypochondr. ℈ ß.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Extr. troch. alb. gr. ß vel j.
Syrup. rosar. solut. ℥ ß.
M. S.
Vt antea.

℞. *Aqu. Chamomill.* ℥ j.
Gumm. ammon. cum aceto sol. ʒ ß.
Tart. vitriolat. gr. xij.
Scamm. sulphurat. gr. ij. vel iij.
Laud. hyster. gr. vj.

Syr. de spina cervin. ʒ iij.
M. f. Potio: S.
Vt supra.

℞. *Lapill. Cancr. præp.* g. xij.
Tart. vitriolat. ℈ ß.
Trochisc. alb. gr. ij.
M. f. *Pulvis.*
D. S.
Pulvis emolliens.

Curavi juvenem, natione Westphalum, malo hypochondriaco, ut vocant, aliàs obnoxium, qui post insignem corporis, in specie pedum, in ludoscenio spectando refrigerationem, altero die incipiebat dolere latere sinistro sub costis: dolor erat acutus, admodum punctorius, cum frequenti vomitu admodum molesto, ipsique ægro doloroso, ingenti siti, & virium prostratione; hinc dolores lancinantes, sed rarò, ex illo loco in totum abdomen progredi, ad lumbos reflecti, & in sinistro hypochondrio tandem terminari solebant, ubi terebrantes punctiones primariò vexabant, alvus erat obstructa, respiratio erat parua seu difficilis, contactum in latere dolente & fortiùs prementem benè perferre poterat, punctionesque sæpè sursum ad præcordia ascendere videbantur. Clysmata quidem benè operabantur, sed dolores persistebant, undè usurpabam alterantia, antiscorbutica, antihypochondriaca, quæ etiam nil juvabant. Tandem gummi ammoniacum sequenti modo præscribebam:

℞. *Aqu. menth.* ℥ j.
Gumm. ammoniaci in aceto sol. ʒ ß.
Tart. vitriolat. gr. xv.
Scamm. rosati gr. iv.
Extr. troch. alb. gr. j.
Syr. de pomis ℥ ß.
M. f. *Potio.*

Ab hac potione 15. sedes sine torminibus venerunt cum euphoria, & symptomata dolorosa evanuerunt.

Mercator quidam Annæbergensis simili dolore cruciabatur, copiosè erat purgatus, sed dolor persistebat: Præscripsi hanc potionem, unde copiosis evacuatis viscidis, sanus evadit. Semel tamen in virgine cachectica hæc Potio dysenteriam excitavit.

In declinatione verò morbi, ubi viscida adhuc, vitrea & acida pituita in intestinis hæserit, commodè usurpentur eadem gummata cum Mercurio dulci, qui eam potenter dissolvit & abstergit Imitandus hac in parte DEODATUS, qui declinante morbo ex hac causa nato, præscribere solet has pilulas.

℞. *Mass. Pilul. coch. min.* ℈ j.
Aquilæ alb. dulc. seu *Merc. dul.* gr. xvj. ad ℈ j.
Ol. destill. anisi gutt. ij.
M. f. *Pilulæ* manè degluti endæ.

Inepta autem est hæc Compositio: possunt assumi aliæ, v. g.

℞. *Mass. Pil. de hier. cum agar.*
Mercur. dulc an. gr. xv.
Troch. alb. gr. j.
Ol. destill. anisi gutt. ij.
Cum *essent. menthæ* f. *Pilulæ*: S.
Pilulæ purgantes.

Mercurius enim dulcis est egregium medicamentum, & in frequentiori usu est RIVERIO, in cujus *Observ.* sæpiùs fit mentio Purgantis, quod vocant *Calomelanos Turqueti*, quod nihil est aliud quàm Mercurii dulcis, additus tantùm aliquot granis scāmonii sulphurati, in hac proportione: v. g.

℞. *Mercur. dulc.* ℈ j.
Scamm. sulphurat. vel *res. jalapp.* ℈ ß.
M. F. *Pulvis*:

& cum *mucil. tragacanthæ* f. *Pilulæ pro una dosi* in fine paroxysmi.

℞. *Mass. Pil. de ammoniaco Querc.*
Extract. absinth. ℈ ß.
Troch. alb gr. ij.
Cum *Ol. destillat. anisi* f. *Pilulæ*: S.
Pilulæ purgantes pro una dosi.

Item ℞. *Tart. vitriolati* gr. xv. ad ℈ j.
Scamm. præp. gr. iij.
Troch. alb. gr. ij.
Ol. destill. Zedoar. gutt. j.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis purgans.

Loco digestivi fit:

℞. *Tart. vitriolat.* vel *sal. ammon. depur.* ℈ j.
Ol. destill. anisi gutt. iv.
M. pro *duabus dosibus*. S.
Pulvis emolliens.

Quòd si verò in Colica humorosa mox in principio Purgantia conveniant, commodè eadem cum opiatis misceantur, ut *supra de Cardialgia* dictum fuit, quò sine majore intestinorum irritatione sublato dolore alvus laxetur. Modus hic est recens usitatus: Veteribus nonnullis, in specie HELIDÆO PADVANO, hoc fuit usitatum, qui propinavit in Colicis doloribus recipiendo *Elect. diaphan.* ℥ v. ad ℥ vj. & *Philon. Rom* ℥ j. quod laxat, doloremque sedat.

Cæterùm nostra delicatula rostra non perferunt hos Bolos seu Electuaria: propterea conveniunt potius Pilulæ aloeticæ cum laudano opiato ad imitationem RIVERII præscribendæ, qui C. 1. *Obs. 63.* & C. 2. *Observ.* 1. has imprimis commendat Pilulas:

℞. *Aloes optimæ* ℨ j.
Diagryd. gr. viij.
Laud. opiat. gr. iij. vel v.
M. f. l. a. 6. *Pilulæ*.
(Satis forte est, ego non ita præscriberem)

Similes pilulas cum Laudano opiato permistas videbitis apud POTERIUM *Cent.* 3. c. 27. Pertinent huc *Pilulæ* STOECKERI, quibus, ut ipse scribit, cum summo suo honore *Ducem Tartarorum* curavit in Colica.

℞. *Aloes succotr.* vel *pilul. Aloephang.* ℨ j.
Opii,
Croci an. gr. j. vel ij.
(pro croco potest sumi & *castoreum*)
M. f. *Pilulæ*:

Quarum vel dimidia pars, vel omnes, exhibentur jejuno stomacho; dolorem enim post horam sedant, & postmodum solvunt, & faciunt, ut dicit, operationem.

Si volumus, ut in meliore dosi meliùs & potentiùs operentur, acuamus has ipsas cum gran. ij. vel iij. *scammonii sulphurati*, & ita commodè usurpari poterunt.

℞. *Aloes rosat.* ℈ j.
Extracti Zedoar. gr. viij.
Scamm. sulphurat. gr. j.
Laud. opiat. gr. j.
Ol. destill. carv. gutt. ij.
Cum *essent. Zedoar.* f. *Pilulæ*.

Item

℞. *Gum. ammon. cum aceto sol.* ℨ j.
Diagryd. gr. vj.
Laud. opiat. gr. iv. vel v.
M. f *Pilulæ* pro 4. dosibus.

Clysteribus quoque Laudanum opiatum à quibusdam injici solet à gr. iij. ad ℈ß., nec dubium est, quin cessaturus sit dolor: sed cautè agendum est: Conf. BORELLUS *Cent.* 4. *Ob.* 94 Loco hujus tutiùs Theriaca ad ℨ ij. Clysteribus additur.

Sedato autem paroxysmo in Colica convulsiva, conveniunt appropriata Purgantia, commodè cum sudorifero usurpanda.

III. In usu Vomitoriorum remediorum, quæ interdum necessaria sunt, cauti simus maximè: si enim ventriculus & supernæ partes intestinorum repletæ nimiùm fuerint, ex usu maximè erit, ut medicamentis ad dejiciendum ingestis locus detur pertranseundi. Quod si totus dolor, ejusque causa, infernas partes obsideat, non solùm frustrà tentatur vomitus, sed aliquando fit cum certa ægrorum pernicie, cùm Volvulosi facilè exinde fiant. Illustrat Vomitoriorum usum observatio PLATERI *l. 2. Observationum pag. 451. seqq.* Adolescens quidam nobilis ex inordinata victus ratione, & nimio potu vini Muscati Narbonensis, cardialgiâ primùm, mox Colico dolore laborans, postquàm semel curatus, maturiùs, quàm par erat, se aeri frigido concredidisset, & quadrigis celeriter per urbem veheretur, recidivam passus, 7. septimanarum spatio, durante morbo, licèt sæpiùs Clysteribus & narcoticis usus fuisset, non tamen integrè sanari potuit, donec Vomitorio antimoniali usus fuerit, à cujus usu mox magnam copiam æruginosæ bilis aliquoties vomuit, uti & pituitæ; atque inde urinæ, quæ ex atro croceæ diù permanserunt, in naturalem colorem permutatæ, ipseque sensim ad se redire cœpit.

IV. Opiata in dolore Colico semper sunt optima, in principio & progressu morbi adhibita, primariò in Colica convulsiva, hinc etiam in humorosa; in qua ipsa saltem, ubi necessitas urget, locum habent. Et quidem tutius est, ut alvi evacuatio præmissa fuerit, nisi summa doloris atrocitas nimis urgeat: frequentiùs tamen in usum duci possunt, ubi materia morbosa fuerit tenuior & acrior; minùs verò, ubi eadem fuerit viscidior. Nam Opiata acre quodcunque temperant, viscidæ verò materiæ motum ulteriùs impediunt, & ita eandem magis figunt, quatenus motum intestinorum inhibent. His ipsis Opiatis, tàm in principio, quàm in progressu morbi, semper appropriata & resolventia acria, pro causæ morbosæ dispositione varia addenda erunt, ut eò meliùs succedat operatio. Præ cæteris Opiatis Laudanum hystericum est egregium remedium, tam in Colica convulsiva, quàm etiam in reliquis. Denique, si quando Opiatis utendum, non sunt differenda eò usque, donec vires vitales jam collabascant, ægerque non longè sit ab interitu; tali enim in casu non raro solet vita dormiendo finiri: potiùs in principio aut incremento morbi viribus validis usurpantur. Adeòque in Colica humorosa usurpantur Opiata post Purgantia, & hinc etiam Purgantibus mista, & non, nisi in casu necessitatis, ante Purgantia. Nempè, ubi tanta est, sive ventriculi debilitas, sive vomituritio, ut nec pilulæ possint detineri, ibi (1) remedium anodynum ordinetur; (2) paucis horis elapsis catharticum, eo temporis spatio interjecto, ut Narcoticum à Cathartico tanto distet intervallo, ut ab eo non vincatur & pereat, eas tamen in ventriculo moras trahat, quæ ad virtutem purgativam communicandam eidem sufficiant, ut suam demùm exerat operationem, cessante altero; licet catharticum, modò id possit fieri, diù post anodynum rectissimè propinetur, cùm etiam ad horas 12. ab hoc assumpto alvus isti ægriùs respondeat, atque non, nisi operosiùs, solvatur. Cùm autem hic, uti in aliis plerisque morbis, in quibus indicantur Narcotica, Catharticum semper dolorem intendat (saltem finitâ jam operatione, quâ quidem vigente, mitiùs nonnunquam cum ægro agitur:) idcircò solenne est, Anodynum ingerere, ubi primùm exspiravit Cathartici *vigor*, ut rectè loquitur SYDENHAM *in Observ. cir. a morbos acutos p. 297.*

V. In omni Colica fugiendum frigus, præsertim ventriculi & pedum; hinc calidus potus est optimus. Et observavi in Colica convulsiva cum copioso vomitu conjuncta, & aliquot secessibus, ex abdominis ab aura frigida refrigeratione nata, optimum fuisse remedium bonum haustum aquæ vitæ juniperinæ, unde omnia mala cessarunt. Hinc rara est & vix imitanda Observatio, quam habet AMATUS LUSITANUS *Cent. 1. Curat 2.* & *C. 7. Curat. 21.* ZACUTUS LUSITANUS *l. 2. Prax. Admir. Observ. 25.* FORESTUS *l. 21. Observ 12.* TULLIUS *l. 2. Obser. 37.*, & imprimis SEPTALIUS *loco suprà citat.* §. 82. Colicæ desperatæ, copiosæ aquæ multâ nive refrigeratæ potu curatæ. Sed arbitror, accidentarium fuisse affectum, quasi occasione refrigerationis intestinorum convulsorum spasmi relaxati fuerunt; unde mirabilis flavæ bilis copia evacuata fuit: Ergo non, nisi cautissimè, imitandum venit.

VI. Si alvo relaxatâ dolores persistant, id quod in specie in Colica convulsiva convenit, & quidem, ubi materia est in intestinis, usurpanda sunt adhuc remedia appropriata & aromatica, quæ nempè ratione salis volatilis temperant acidum, incidunt viscosum, discutiunt flatus, ac ventriculo & intestinis grata sunt, & hinc etiam remedia, quæ mulieribus in passione hysterica propinantur, imprimis volatilia salina. Undè ex his Castoreum & Castoreata cum Opiatis mista: ex istis Chamomilla, semina calida majora, & similia, imprimis conducunt. Vinum simplex vix semper æquè tutum videtur, medicatum meliùs convenire arbitror.

Quod si ergò alvus relaxata, & ista universalia plus minùs præmissa fuerint, & nihilominùs tamen dolor persistat, aut si urgeat adhuc Colica convulsiva, ad appropriata accedendum est, eaque in specie aromatica; nam hæc acidum temperant, flatus resolvunt, viscidum incidunt, simulque nervis amica sunt, eorumque spasmos sistunt, adeòque in genere in quibuscunque abdominis doloribus conducunt. Talia sunt herba veronicæ, quæ ceu singulare specificum laudatur; cui tamen non cedit chamomilla, imprimis chamomilla Romana, sclarea seu horminum, cortex aurantiorum, zedoaria, gentiana, helenium, absinthium, semina 4. calida majora: Ex quibus modò dictis destillata olea, decocta & alia multiplicia præparata valent, ut aqua florum chamomillæ, veronicæ, cinnamomi, menthæ, aquæ spirituosæ compositæ, *spiritus & aqua carminativa Dornereilii & anticolica*: V. g.

℞. *Flor. chamom. Rom.*
Sambuci,
Fol. menth.
R. ae Arc. an. M iij.

Bacc.

Baccar. Iunip. rec. ℥ iß.
Lauri excort. ʒ vj.
Sem. cumin. ℥ j.
Anisi,
Fœnic. an. ℥ß.
Calam arom. ʒ iß.
Flau. cort. aurant. ʒ iij.
Cinnam acuti ʒ vj.
Zedoar. ʒ ij.

Pulverisentur omnia tenuissimè, & adspergantur cum spiritus nitri *rectif.* ℥ß ad ʒ vj:

Infundantur cum f. q. Spiritus vini, *non adeo exactè rectificati*:

Stent per 12. horas in Balneo Mariæ, digerantur lento igne, vase benè munito. Tandem destillentur per alembicum ex arena vel cineribus lentè, ut caveatur empyreuma.

Dosis est cochlear i. vel ij.

Huc pertinet etiam *essentia carminativa* WEDELII *in Opiolog.* descripta, cum anodynis & castoreatis mista. Item Syrupus corticum aurantiorum, de papavere, ubi dolor adest; Syrupus de Althæa Fernelii, ubi emolliendum, & acrimonia temperanda; Castoreum, sulphur, omnia salia uolatilia, adeoq; liquor Cor. Cer; spiritus salis ammoniaci, spiritus tartari, spiritus carminativus de tribus, stercus equinum, stercus lupinum, testes equini, &c. Promiscuè hæc in quibusque abdominis doloribus conveniunt; in specie tamen, ubi flatus urgent in hypochondriacis, spiritus carminativus de tribus, &c. est optimus. Ubi verò sunt tormina convulsiva hysterica, liquor cornu cervi succinatus, salia volatilia oleosa, item camphora, & aqua theriacalis camphorata, item stercus equinum, & similia conducunt: v.g. in genere contra dolores abdominis;

℞ *Aquæ chamom.* ℥ ij. vel iij.
Spiritus theriacal. simpl. vel *campb.* ʒ ij.
Laud. opiat. gr. ij. vel iij.
Syrup. cortic. aurant. ℥ß.
M. F. *Potio*, cochleatim usurpanda: S.
Potio leniens pro aliquot uicibus.

In Colica humorosa flatulenta:

℞. *Aquæ menth.* ℥ ij. vel iij.
(vel *aquæ menth. & chamom.* an. ℥ iß.)
Elixyr menthæ, (nisi urgeat æstus) ʒ iij ad ℥ß.
Essent. carm. ʒ j. vel ʒ iß.
Spiritus nitri dulc. vel *Anti-Colic.* ʒ j ß. vel ʒ ij.
(vel *spiritus nitri rectif.* gutt. x. vel xv.)
M. f. *Potio*: S.
Potio leniens contra flatus.

Capiatur cochleatim, subinde, si possibile, aliqualem sudorem expectando. Et convenit etiam in specie talis mixtura cum spiritu nitri in Colica cum ardore corporis quasi febrili juncta, seu in Colica putata biliosa.

Sit adhuc alia Formula:

℞. *Aquæ sem. anisi,*
Flor. cham. an. ℥ ij.
Cinnam. ℥ j.
Spiritus Zedoar. ʒß.
Nitri dulc. ʒ ij.
Olei destillat. anisi gutt. vj.
Laud. opiat. gr. ij.
Syrup. rad. enul. ℥ j.
M. F. *Potio* haurienda cochleatim: S.
Potio contra colicam.

Vel:

℞. *Aquæ cortic. aurant. cum vino* ℥ ij.
Phyfogon. (quæ elegans est carminativa) ℥ j.
Spiritus nitri dulc. anticol. ʒ j.
Syrup. cortic. aurant. ʒ vj.
M f. *Potio*: S.
Potio contra flatus.

Sumatur cochleatim, expectando sudorem.

℞. *Aquæ menthæ* ℥ ß.
Chamom,
Zedoar.
Carminat. an. ℥ß.
Spiritus nitri dulc.
Theriac. camph. an. ʒ j.
Syrup. papav. albi. ℥ j.
M. S.
Potio dolores sedans cochleatim sumenda.

In colica convulsiva, qualis est scorbutica, hypochondriaca, hysterica, &c. *cum ascendit ad cor*, ut loquuntur, cum difficili respiratione:

℞. *Aquæ fl. chamom.*
Menthæ,
Puleg. vel *veron.* an. ℥ j.
Ess. castorei (fit turbida Potio) ʒ ij. vel iij.
Liq. Cor. Cer. succ. vel huius loco *spiritus salis armoniaci* ʒ j. vel ʒ iß.
Laud. opiat. gr. iij. (vel *ess. opii* ℈ j ad ʒß.)
Syrup. artemis. vel *cort. aurant.* ʒ vj. vel ℥ j.
M. f. *Potio*: S.
Potio dolores sedans pro aliquot uicibus.

Capiatur cochleatim pro 2. vel 3. dosibus; expectetur, si possibile, blandus sudor.

℞. *Aquæ matricar.*
Menthæ an. ℥ j.
Carminat. ʒß.
Ess. castor. ʒ ij.
Spiritus salis amm. ʒ j.
Laud. opiat. gr. iij.
Syrupi artemis. ʒ vj.
M. S. *Potio dolores sedans.*

℞. *Aquæ menth.* ℥ iij. (vel *huius* & *aquæ fœnic.* ℥ iß.)
Spiritus salis amm. ʒ j.
Ess. opii ʒß.
Syrupi cortic. aurant. vel *chamom.* ʒß ad ʒ vj.
(Vel loco syrupi *elæosaccharum aurantiorum*:)
M. D. S.
ut antea.

℞. *Aquæ menthæ,*
Fœnicul. an. ℥ ß.
Spiritus salis amm. anis. ʒ iß.
Laudani opiati gr. ij
Syrup. fœnic. ʒß.
M. D. S.
ut antea.

Vel quando salia non conveniunt:

℞. *Aquæ chamomill.*
fl. sambuc. an. ℥ iß.
Ess. castor. ʒ iß.
Vnic. veri præp. ℈ j.
Maxil. lucii piscis ℈ß.
Sal uolat. Cor. Cer. gr. vj.
Syrupi artemis. ʒ iij.
M. D. S.
ut supra.

℞. *Aquæ chamom.* ℥ ij.
Menthæ ℥ j.
Essent. opii ʒß.
Maxill. lucii pisc. ʒ j.
Sal uolat. Cor. Cer. gr. xv.
Syrupi fœnicul. ʒ iij.
M. D. S.
ut antea.

Capiatur subinde cochleatim.

℞. *Aquæ menthæ* ℥ ij.
Carminat ℥ j.
Ess. castor. ʒ ij.
Olei destillati cortic. aurant. vel *citri* gutt. vi.
Laud. opiati gr. iv.
Syrup. cort. aurant. vel *citri* q. s.
M D. S.
ut supra.

Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ menthæ* ℥ ij.
Melissæ cum vino. ℥ j.
Ess. castor. ʒ iß. ad ʒ ij.
Spiritus sal ammoniaci vel simpl. vel *anisat.* vel (*liq. Cor. Cer. succin.* ʒ
Laud. opiati gr. iij.
Syrupi melissæ ʒ vj.
M. S.
ut supra.

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒß.
Sal. uolat. Cor. Cerui gr. xij.
Laud. hyster. gr. ix.
M. pro 2. *Dosibus*: S.
Puluis dolores sedans.

℞. *Vnicorn. ueri præp.*
Cinnab. antimonii,
Fl. sulphuris an. gr. viij. ad ℈ß.
Laud. opiati gr. ij.

M. F.

M. F. *Pulvis S.*
ut antea,

oara: olicas humorosas:

℞. *Olei destillat. carvi*,
Cumini,
Angelicæ vel *anisi*,
Aurant.
Chamom., vel fœnic. an. gutt. vj.
M D. S.
Oleum contra colicam.

Vel

℞. *Olea jam præscripta*;
adde
*Sacchari albi*ʒß.
Flor. sulphuris an. ʒij.
Maxill. lucii pisc. ʒj.
Laud. opiat. gr. vj. ad ℈ß.
M. f. *pulvis* S.
Pulvis contra colicam pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Flor. sulphuris* ʒ j.
Mandibul. lucii pisc. ʒj.
Olei destillati carvi,
Cumin.
Fœnicul. an. gutt. jv.
Laud. opiat. gr. jv.
M. f. *pulvis pro* 3, 4, *vel* 5 *dosibus*: S.
ut antea.

Quod si cum ardore, aut caloris vel æstuationis sensu, affligunt tormina, nil melius est, quàm nitrata, inprimis spiritus nitri dulcificatus effervescentem bilem optimè compescens. Si verò cum rigore vel dolore affligant dolores, talia, quæ absorbere & corrigere valeant acidum, ut sunt salia alcalica fixa, item animalium ossa & partes duræ, speciatim maxillæ lucii piscis, lapilli Cancrorum, vel unicornu præparatum, vel tali leporis, aliaque similia acidum absorbentia, & hinc dolorem compescentia supradictis addi possunt.

Dolor lumbaris nephriticus optimè per terebinthinata, per pilulas ex terebinthina, &c. compescitur, quæ ipsa etiam in dolore lumbari mesenterico convenienter usurpantur.

Ut in specie considerentur remedia interna: chamomilla, tàm vulgaris, quàm Romana, corrigendo acidum austerum ventriculi & intestinorum, egregia & instar omnium in torminibus alvi quibuscunque est, aliis irritis me nunquam deseruit, cuiuscunque sint conditionis colicæ, ita, ut in colica nephritica, in doloribus post partum, in doloribus gravidarum, & omnibus aliis Decoctum florum chamomillæ vulgaris in aqua communi vel cerevisia paratum, calidè haustum, sæpiùs reiteratum, & quæcunque ex eadem parata, mirabile sint remedium; hinc & aqua & decoctum ejus cum aqua communi specificè commendatur a GABELCHOVERO *C.* 1. *Cur.* 10., sivè solitariè, sive additis corticibus citri & aurantiorum propinetur. In muliere, Colicâ convulsivâ per diē & noctē pertinacissimè laborante, Opiatis & appropriatis frustratis solo huius in cerevisia Decocti usu repetito eandem curatam observavi. In specie oleum ejus saphirinum ad aliquot guttas haustum, est præsentissimum carminativum & anodynum, unde fibrarum contracturis blando suo contactu medetur. Porrò horminum istud oduratum, quod vocatur Sclarea, qua solent adulterare vinum nostrates, ut fiat moschatelinum, est odoris penetrantis & tetri, &, si quid aliud Vegetabile, miraculosum quid facit in Colica Virorum, tam convulsiva quàm humorosa & flatulenta, uti in suffocatione mulierum hysterica, sive Decoctum ejus, sive exinde parata essentia, aut spiritus per fermentationem paratus & aliquoties abstractus, in conveniente vehiculo usurpatur, & mira præstat, imprimis in suffocatione uterina mulierum in arcanis habenda. Radix allii jam à Galeni temporibus laudatur; notum enim est exemplum de rustico, esu allii se curante, quod ex GALENO habet SCHENCKIUS *in Observ.* & ZACUTUS LUSITANUS *de Med. princ. Histor. l.* 2. *Histor.* 95. Hinc ad hujus imitationem commendatur jusculum ex allio & oleo olivarum (nec sine ratione; hoc olei enim laxat intestina, allium acrimoniam humorum temperat) quæ calidè hauriantur cum parte dimidia vini optimi: & hanc Mixturam ceu sæpiùs expertam commendat BORRELLUS *C.* 4. *Obs.* 92. Post hæc eminent cortices aurantiorum, in quibus non est vis vulgaris anticolica, maximè in humorosa & flatulenta ex acido austero, & certè *Essentia* seu *Tinctura corticum aurantiorum* cum eorum *spiritu*, vel imprimis cum *spiritu Chamomillæ Romanæ* parata, aut Extractum, aut saltem eorum pulvis usurpatus, & imprimis oleum destillatum, aut elæosaccharum ex hoc paratum, sunt egregia remedia in affectibus colicis: Acidum enim quodcunque potenter corrigunt, flatulentias cohibent, nervisque ab acido vellicatis per quàm grati existunt. Hinc etiam, quod obiter moneo, in stranguriis ex acido primarum viarum ad vias urinarias delato, olea destillata corticum aurantiorum & citri sunt elegantissima remedia. Pertinet huc *Pulvis* SCHALLERI *ad Colicam*, quem quidam commendant. Compositio est hæc:

℞. *Cortic. aurant.* ʒiß.
Maxill. lucii pisc. præpar.
Infer. aurat. (Dentes trutæ auratæ)
Lapill. cancr. præp,
Tal. leporis,
Succin. præpar.
Zedoar. an. ʒj.
M. F. *Pulvis* pro *aliquot dosibus*.

Dosis à ʒß ad ℈ij vel ʒj, si fieri potest, in vehiculo tepido. Meliorari potest hic pulvis additione *florum sulphuris*, & irroratione cum oleis carminantibus, v. g. oleo destillato corticum aurantiorum, item essentia opii.

Vel

℞. *Rasur. eboris* ℈ij.
Corall. rubr. præp.
Lapill. cancr. præp. an ℈j.
Terræ sigill. gr. xij.
Olei destillat. cort. aur. gutt. ij.
Anisi,
Carvi,
Fœnicul.
Zedoariæ an. gutt. j.
M. F. *Pulvis pro* 2. *dosibus*: S.
Pulvis dolores sedans.

Helenium ejusque radix in vino decocta, item absinthium, radix imperatoriæ, & similia acria aromatica, experta etiam sunt in Colica, & postmodum absinthium convenit, imprimis iis, qui in peregrinationibus Colicâ laborant, sive decoquatur, sive minutim dissectum cum saccharo misceatur & capiatur, & in Colica & in febrium reliquiis oborta nil melius esse usu absinthii, refert FEHR *de absinthio pag.* 173: ob id MINDERERUS *in Medicina Militari* contra Colicam tanquam optimum euporiston commendat Vinum decoctionis absinthii, vel radicis helenii cum corticibus aurantiorum calidissimè potum, addito theriacæ vel mithridatii pauco; quæ duo ob opium dolorem sistunt: item Theriaca cum Cor. Cerv. assumpta, expectando sudorem: vel decoctum radicis enulæ cum essentia absinthii & spiritu theriacali egregium est experimentum, tollens intestinorum tormina ex vitio contentorum nata: quod etiam præstat Extractum acori veri: semina 4. calida majora, aut elæosaccharum ex his paratum sunt egregia remedia in affectibus colicis in vino decocta, & rectè dicuntur ab HELMONTIO solamen pauperum, appropriata intestinis, & affectibus flatulentis. Virtus & usus consistit in eo, quod nempe contractionem inhibendo, & aciditatem, nunc lymphaticam, nunc viscidam, intestinis hostilem, corrigendo afferunt egregium solamen & levamen intestinis malè affectis, indeque eorum spasmos, & inde ad tactum sensilem duritiem, remitti faciunt, & sic quodvis acidum intestinorum irritatorum temperant & corrigunt: Conf. HELMONTIUS *in Tract. de Flatibus* §. 75. Semina hæc decocta in vino generoso & hausta à STOEKERO commendantur; unde & eorum destillata olea, non secus ac oleum destillatum zedoariæ, corticum aurantiorum, vel angelicæ, vel menthæ, vel macis, ad aliquot guttas propinata, sunt laudata in flatibus, torminibus & doloribus intestinorum: Spiritus salis ammoniaci anisatus, castoreum, & omnia medicamenta ex eo, egregiè conferunt; non tantùm in Colica, ubi adsunt flatus, quos potenter discutit, aut ubi adest pituita viscida acida, quam temperat, sed etiam in Colica convulsiva; non secus ac in *suffocatione uterina*, quæ reverà est *Colica convulsiva*; item in doloribus scorbuticis convulsivis, egregium quoque est castoreum; sive per se, sive mistum cum aliis: in specie in Colica convulsiva cum salibus volatilibus propinatur, in specie cum sale volatili succini, cui si addatur unum vel alterum granum opii, fit egregium Medicamentum. Dabo exemplum in Colica convulsiva:

℞. *Castor.* ʒß.
Salis volat. succin. ritè parati gr. v.

(nam in succino multa latent arcana contra convulsiones & epilepsiam.)
Laud. opiat. gr. jß vel ij.
M. F. *Pulvis*: S.
Pulvis dolores sedans pro una vice.

Veteres Castorei ℈j. ad ℈ij. in haustu vini calidi propinarunt in pertinaciori Colica, uti constat ex JOELIS *Praxi*, & SOLENANDRI *Consiliis*, si Colica sit orta, uti dicit JOEL, à causa frigida; in aliis tamen etiam convenit: & SOLENANDER commendat Castoreum Clysteribus additum; scilicet aliquot grana ejusdem in vino dissoluta, infunduntur cum clystere in Colica vid. *ejus sect.* 3.: *Consil.* 28. Nos utimur *castoreo cum tinctura tartari* acriore, vel etiam *cum spiritu salis amm. vinoso in essentiam extracto*, quæ sola ʒß. ad ʒj. dosi, vel cum essentia opii sociata, optimè conducunt.

Vel

℞. *Tincturæ Tartari acerr.* ʒiij.
Ess. castor. ʒij.
M. S.
Tinctura resolvens: 40. *guttæ*.

Ipsa enim Tinctura Tartari, ceu præstantissimum remedium mire extollitur ab HAUPTMANNO & LANGIO.

Vel

℞. *Elixyr. propr. sine acido*,
Tincturæ tartari acerr. an. ʒj.
M. S.
Elixyr resolvens.

℞. *Tincturæ tartari acerr.* ʒß.
Ess. gumm. amm. ʒiij.
Myrrh. tartarisat. ʒiß.
M. D. S.
Essentia resolvens: 50. *guttæ*.

℞. *Spiritus carminat. de tribus* ʒiij.
Ess. castor. tartaris. ʒiß.
Opii ʒß ad ʒj.
M. D. S.
Mixtura resolvens.
Dosis gutt. 50.

Pertinet huc Decoctum B. D. D. LANGII, & *essentia anonyma* ex; *Castoreo* & *asa fœtida* cum *spiritu vini tartarisato* parata; quæ essentia Anonyma & in Colica & in passionibus hystericis, i. e. colicis convulsivis, & in præcavendis variolis & morbillis, est egregia; item Extractum Castorei, vel cum Laudano opiato, vel cum extracto theriacali, quod habet vim opiatam, mixtum, & cum oleo quodam destillato in pilulas anticolicas redactum, dicta tormina sedat.

Ex his ferè paratur Extractum specificum anticolicum Mynsichtii, quod dosi ℈j. vel ʒß. ad ʒj. in omni vehiculo commodè usurpari potest. Elegans est Compositio, utut quædam adsint Ingredientia non multi pretii. Flores sulphuris à ʒß. ad ʒj. cum tantillo myrrhæ, præmissis præmittendis, in Colica valdè prosunt, propinanda commodè in vino vel alio vehiculo calido, probè corpus contegendo, & sanè expertissimum sunt remedium. Vidi Romæ egregium effectum in Comite, Colicâ pertinace laborante, qui aliis irritis per ʒß. florum sulphuris fuit curatus. Vel permisceantur sulphur & ejus flores convenienter cum *elæosaccharis carminativis*, factis *ex oleo destillato corticum aurantiorum*, *anisi*, *zedoariæ* & *similibus*, quibus imprægnatur *saccharum*: v. g.

℞. *Flor. sulphuris* ℈j ad ʒß.
Olei destillati anisi,
Zedoar. an. gutt. ij.
Laudan. opiati gr. i.
Sacch. q. s.
M. F. *Pulvis*. S.

Flores sulphuris ergo vobis sint commendati. Aromatum sale volatili oleoso imprægnatorum vis anticolica per se nota est, v. g. zedoariæ; quæ est carminativum egregium, flatuum resolutivum, & quæ, præmissis præmittendis, tam in substantia, quàm in tinctura, & inde parato Extracto, est nobilis; galangæ, quæ aliàs egregium est uterinum; cinnamomi, gentianæ, caryophyllorum, nucis moschatæ, & hinc ex his paratæ species sic dictæ aromaticæ compositæ *in Dispensatoriis*; nempe species diacumini, dia-calaminthæ, dianisi, dia-galangæ, diatrion pipereon, & tandem species diasulphuris Mynsichtii: item olea earum destillata ad aliquot guttas propinata, similiter egregiè commendantur, qualia juniperi, cumini, anisi, fœniculi, caryophyllorum, lauri, corticum aurantiorum, angelicæ, succini, macis, zedoariæ, menthæ; quod insigniter commendat THONERUS: cumque iis possunt fieri compositæ Elæosacchara. Hinc PANAROLLUS *Pentec.* 2. *Observ.* 8. ceu sæpius expertum remedium ad Colicam ex causa frigida commendat oleum baccarum lauri, aut oleum ex corticibus aurantiorum per expressionem paratum, cum vino (potiùs est succus oleosus expressus) quo bibito ægri per breve tempus sedato dolore somnum capientes convaluerunt. Vino guajacino curatam Colicam cum convulsionibus videbitis in AMATO LUSITANO *Cur.* 32, & *M. A. N. C. Ann.* 3. *Obs.* 274.

Hisce non ultimo loco addendus *spiritus nitri dulcis*, quibusdam κατ' ἐξοχὴν dictus *anticolicus*, est summum HARTMANNI arcanum & ultimum refugium, quem ipse describit *in Praxi Chymiatrica*, imprimis si *spiritus nitri benè rectificatus*, cum duplo vel triplo spiritus vini *à simplicibus aromaticis abstracti seu cohobati*, misceatur. Hic spiritus anticolicus dosi ʒß. ad ʒj. in vehiculo appropriato calido propinatus nobilissimum est remedium in colica flatulenta biliosa, adeò ut etiam in tympanitide suum faciat egregiè officium, præsertim, ubi vagæ phlogoses aut æstuationes corpus affligunt, si expectetur blandus sudor; sic enim eò meliùs operatur. Vehiculum appropriatum est imprimis Decoctum radicis helenii vel Decoctum priapi tauri.

Modus præparandi est, si spiritus dicti rectificati benè in quantitate pedetentim misceantur, misti in Balneo Mariæ probè digerantur, digesti duabus vel 3. vicibus cohobentur, donec perfectissimè uniantur, & sic fit egregius *spiritus compositus nitri dulcis anticolicus*. Loco spiritus vini vulgaris meliùs sumitur *spiritus appropriatus*, v. g. *spiritus chamomillæ per fermentationem* paratus, aut idem spiritus infusus speciebus carminantibus digestus, & tandem in balneo aliquoties cohobatus; sic enim rapit secum particulas carminantium aromaticas, i. e. salinas volatiles oleosas per alembicum, & ita cum spiritu nitri junctus fit efficacior & melior.

Hisce annumeratur & ab HARTMANNO commendatur spiritus terebinthinæ, & oleum ejus, quod abstergit egregiè intestina, ut nihil remaneat; hinc cum eo paratus balsamus sulphuris terebinthinatus præprimis est egregius in Colica contumaci, etiam convulsiva; unde quidam commendant sequens *oleum compositum ad colicam*:

℞. *Olei seu spiritus terebinth.*
Bacc. jun. p. an. part. æqual.

Infundantur *flores hyperici*: digeratur per diem & noctem, exprimantur, & ita cum floribus novis pergatur, donec oleum rubicundissimum fiat.

Hujus *Dosis* gutt. xii. xv. ad ℈j. in brodio sumptum est in Colica humorosa expertissimum.

Unum adhuc observetur de Perforata, i. e. hyperico, si sc. digeratur in spiritu vini per mensem, supernatabit ejus oleum in usu Chirurgico externo, & Medico interno, pretiosissimum. Sapienti sat.

Spiritus carminativus ex *nitro*, *tartaro* & *spiritu vini*, de quo *superiùs* locutus sum, *ubi de Cardialgia*, est nobilissimus planè in torminibus abdominis. Datur probè rectificatus à ʒß. in quocunque vehiculo calido pro præstantissimo auxilio; in Colica similiter commendatur.

Præterea testes equini exsiccati, pulverisati, & propinati ad ʒj. cum pulvere seminis anisi ʒß. laudatissimum est experimentum FONSECÆ anticolicum in *l.* 1. *Consil.* 57. (fuit *Archiater Papæ*;) qui pulvis testiculorum equinorum in aqua liliorum convallium, addito parum croci, exhibitus excellens est experimentum contra Colicam, polychrestum ZWELFERO.

Pudendum seu priapus tauri, sive ejus rasura, sive Decoctum experimento egregiè comprobatum est à ZACUTO LUSITANO *l.* 2. *Praxeos admirandæ Observ.* 24. in Colica convulsiva, quam, ut & dysenteriam, curat & præservat, Dosis ad ℈j. in vino Malvatico vel Decocto Helenii. Similiter commendat pudendum cervi BARTHOLINUS *Cent.* 6. *Hist.* 50. Fuligo pulverisata & cum aceto destillato mista & bibita calidè, statim dolorem pellere dicitur. Similiter etiam spiritus urinosus fuliginis aliquando felici cum successu fuit propinatus: quæ remedia & in casu ab alto & passionibus hystericis & pleuritide &c. egregiè conveniunt, dum acidum in hisce malis potenter corrigunt. Saccharum Saturni in Colica à nimio acido remedium est singulare, si ad gr. iij. vel jv. cum aliis propinetur; in sacchato enim Saturni magna vis Medica latet.

Denique stercora animalium sunt remedia aliis omnibus, si non anteferenda, saltem tamen æquiparanda. Hisce præ cæteris parabilibus remedium, licet sordidum, addatur stercus equinum recens, ab equo avenâ pasto, cujus succus cum liquore quocunque appropriato, in specie cerevisiâ calidâ expres-

expressus & imbibitus, imperando, quantum possibile, quietem, & expectando sudorem, singularem & præsentaneum est experimentum contra Colicas, imprimis convulsivam, non secùs ac contra suffocationes histericas (vid. RIVERIUS *l.* 10) habit âtamen, si fieri potest, ratione sexus, ita ut succus ex equo propinetur masculo, ex equa verò fœminæ. Loco hujus stercus catti exsiccatum in aëre, in vino resolutum & edulcoratum, hinc percolatum, aliquando Magnatem aulicum restituit. Non cedit huic stercus lupinum experientiâ confirmatum contra Colicam ex quacunq; causa natam, Dosi ℥ß ad ℥j: Vid. PANAROLLUS, qui totus est, *Pentec.* 3. *Observat.* 36. HARTMANNUS *in Praxi Chym. pag.* 184, item FORESTUS *l.* 21. *Obs.* 15. in Scholio, AMATUS LUSITANUS *Cent.* 3. *Curat.* 12, item RIVERIUS *Cent.* 1. *Observ.* 59. & 86, & tantum non apud omnes Autores in magnis laudibus versatur stercus lupi, præmisso Clystere. Hinc etiam aqua destillata ex stercore bovis juniotis ad ℥j. propinata laudatur. Sic succum stercoris columbini cum lacte expressum laudatum videbitis in VELSCHIO, *Hecatost.* 2. *pag.* 32.

Sin metus sit, quod in paresin transeant tormina abdominis, Clysmatis blandis alvus stimulanda est; internè vero salia volatilia, ut salia volatile urinæ, spiritus salis ammoniaci simplex & anisatus, liquor cornu cervi succinatus, in specie ex tartaro & spiritu tartari volatili, propinata; exspectato sudore sunt convenientissima, quia non tantùm acidum nervos vellicans corrigunt, sed paresin præcavent & curant; expectetur post usum eorum sudor, quo apparente, paroxysmus, si non planè, sensibiliter tamen tollitur. Spiritus tartari volatilis legitimè paratus (quò volatilior, eò melior; variæ enim sunt ejus præparationes; felix est, qui optimum habet) est excellens remedium pro curanda paresi per sudorem. Obiter moneo; ex fæcibus vini fit volatilior spiritus, quàm ex ipso tartaro, modò rectè destilletur, & super caput mortuum rectificetur. Vel

℞. *Spiritus salis ammoniaci anis.* ℥j.
Ess. laudan. opiat. Langellotti ℈j.
S. *Mixtura dolores sedans*,

Pro dosi propinentur gutt. 24.

℞. *Spiritus salis ammoniaci anis.*
succinati an. ℥ij.
M. D. S.
Spiritus dolores sedans.

Ut Cura Colicæ convulsivæ magis illustretur, exemplo declarabo. Juvenis 16. vel 17. annorum corripitur torminibus abdominis gravissimis circa & infra regionem umbilicalem, simul subindè præcordia occupantibus, dicebat: *venire ipsi aliquando ad cor, & velle ipsi cor suffocare*: alvus pertinaciter erat clausa, umbilicus interiora versus retractus, abdomen contractum durum; *corpus erat durum, & tensum non poterat erectus stare, quia malum viscera contrahebat*: h... m urinæ erat illio difficilis; *nec quicquam enim audebat premere*, quoniam totum abdomen dolebat.

Die Solis pro aperienda alvo, simulque sistendo nonnihil urgente dolore:

℞. *Lapill cancr. præp.* ℈ß.
Laudan. hyst. gr. v.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Miscendo *pro pulvere*.

Exhibui: sed frustra. Propterea eadem die propino, quæ aliàs juvarant.

℞. *Arcan. dupl.* gr. xv.
Scammon. sulphurat.
Trochisc. alb. an. gr. j.
Misc. in *pulverem*.

Hinc sub nocte habebat aliquot sedes, sed sine levamine.

Die Lunæ injectum Clysma emolliens, & carminans aliquantulum, sed parum profuit; unde pro sistendis torminibus & leniendis spasmis partium abdominis;

℞. *Aquæ fœnicul,*
Menth. an. ℥ ß.
Spiritus salis ammoniaci ℥j.
Ess. opii ℨß.
Syrup. cortic. aurant. ℨvi.
Misc. in *Potionem*.

De hac vesperi & nocte pro lubitu capiebat, simulq; abdomen induratum inungebat sequenti Linimento:

℞. *Olei chamom.*
Cumin. an. ℨiij.
Destillat. anisi ℈j.
Miscendo in *Linimentum*.

Nox paulo erat quietior: sed manè omnia recrudescebant symptomata; unde die Martis ad compescendos spasmos;

℞. *Emplastr. de galbano* q. s.
Malaxetur cum s. q. *olei succini*, F.
Emplastrum insternendum abdomini.

Die Mercurii omnia erant in eodem statu, & cùm æger postularent, ut saltem bene aperiretur alvus, *quoniam premebat versus gremium*:

℞. *Passul. min. laxat.* ℨß.
Auri fulm. gr. jv.
Miscendo,

Unde post aliquot horas 11. ferè secessus habuit; hinc vesperi

℞. *Sevi hircini*,
Unguenti potab. rub. an. ℥j.
Miscendo in *Linimentum*.

Hoc inungebat largiter abdomen, quod emollitum nonnihil fuit cum euphoria.

Die ergo Jovis, cùm corpus videretur sufficienter evacuatum, ad convulsivum dolorem sistendum,

℞. *Cinnab. antimonii* ℈j.
Laudan. hyst. gr. iij.
M. f. *Pulvis*.

qui præparabatur *in duplo*, & usurpabatur egregio cum levamine.

Die Veneris pro abstergendis residuis in intestinis, & leniendis iisdem, quò remittat eorum contractura;

℞. *Olei lini*,
Rapar. an. ℥v.
M. pro *Clysmate*.

Qui egregiè contulit, multa viscida evacuavit cum levamine; unde vesperi modò dictus pulvis repetitus noctem quietam reddidit.

Die Saturni tandem, cùm partim contumacia dolorum, partim clysma me certiorem reddiderint, quod mucago acida seu pontica in recessu peccaret, ordinavi sequentem potionem laxativam appropriatam; licet enim bis, ter & sæpiùs quotidiè excerneret liquida sponte suâ, tamen sine debita euphoria erat, quia non evacuabatur, quod evacuandum erat, sed hæ excretiones erant saltem effectus præmissorum Laxativorum, quorum occasione propter irritationem fluida serosa ejiciebantur, fomite morboso, muco pontico firmiter hærente. Propterea

℞. *Aquæ menthæ* ℥j.
Gumm. ammon. in aceto sol. ℈j.
Tartari vitriolat. ℈ß.
Scammon. præp.
Trochisc. alb. an. gr. ß.
Syrup. rosf. sol. ℨiij.
Misc. pro *Potione*,

Hinc 4. vel 5. vicibus excrevit, plenario cum levamine.

Æger alias levi de causa huic affectui erat obnoxius: Peccabat in eo forte acidum austerum, unde & laxantia parùm operabantur, & hujus acidi austeri occasione in subjecto viscido Colica hæc convulsiva excitata fuit.

Cum post dierum aliquot intervallum subinde aliquot vestigia recurrerent, ob id manè liquoris martis solaris gutt. xij. ad xv. a meridie spiritus salis ammmon. gutt. xxx. ad XL. aliquandiu accepit cum levamine.

Novi Studiosum juvenem, Colicam convulsivam verno tempore cujusvis anni patientem, quæ typum febris intermittentis tertianæ servat; Dicit enim æger, *pati deliquium*; & interrogatus, quid patiatur? respondet: *circa cor sentire angustias, ac si vomiturus esset*; cui fini & integram palmam faucibus intrudit, summoque conatu vomitum, utut subindè frustrà, provocat: hinc oculos torquet, sudorem frigidum syncopticum tremoremque membrorum experitur, & quidem semper alternis diebus motum repetit. Tale pathema ex qua causa prodierit, initio nesciebam: Interim ex inspectione urinæ, caudam pavonis repræsentantis, confirmabar de latente scorbuto, adeoque præscripsi ante & in paroxysmo hunc pulverem:

℞. *Cinnab. antimonii* gr. xv.
Salis vol. succin. ℈ß.
Laudan. opiat. gr. j.
M. f. *Pulvis*: cujus *vehiculum* erat:

℞. *Aquæ Epilept. Langii* ℥j.
Ceras. nigr.
Lil. convall. cum vino an. ℨvj.
Spiritus cochlear. ℨj.

Spir.

Spir. Corn. Cerv. cum sale vol. ℥j.
Misc.

Syrupum nullum addebam, quia dulcia ferre non poterat, sed capiebat in hac Mixtura pulverem ante paroxysmum, sub paroxysmo aliquot cochlearia vehiculi solius ingurgitando. Hinc præmisso Clysmate liquore in Corn. Cervi succinatum continuavit, & ita repetitio ejus usu malum inprima ejus herba detruncatum fuit, ægerque restitutus est. Similiter quoque Mixturam ei præscripsi:

℞. *Aquæ antiscorbut.*
Fl. sambuc. an ℥ß.
Spiritus cochlear. ʒj
Lumbr. terr. estr. volat.
Arcan. dupl. Mynsichtii an. ʒj.
Syrupi scelotyrb. Foresti ℥ß.
M. pro Potione.

De opio & opiatis est res clara; unde etiam secundùm Veteres meritò Theriaca & Mithridatium propter opium usurpata sit è contra dolores abdominis: & sunt egregia remedia ad ʒj. in vino propinata, ubi aperta priùs fuerit alvus: loco quorum sufficiat nobis Laudanum opiatum & Laudanum hystericum; Nam Laudanum opiatum est generale & universale remedium & anodynum. *Loco laudani hysterici*

℞. *Extract. Zedoar.* gr. xij.
Castor. gr. vj.
Laud. opiati gr. jv.
M. f. *Pilulæ* No. 36. pro 3. *dosibus*: S.
Pilulæ dolores sedantes pro 3. vicibus.

Cæterùm notum est varias esse opii præparationes, è quibus omnibus vobis commendo eam, de qua *supra in Prolegomenis* dixi.

Si *ab errore externo* fortè *dolor colicus* ortus fuerit, possunt internè præscribi absorbentia, Laxativis & Opiatis mista: e.g. utilis erit sequens pulvis:

℞. *Lap. Cancr. præp.* ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. j.
Laudani hyster. gr. iv. ad vi (vel laudani opiati gr. j. vel ij.)
Olei destillat. cortic. aurant. gutt. ij.
M. f. *pulvis pro una vice.*
Dentur 3. *doses*:
Capiantur in vehiculo calido.

Grana integra piperis cum spiritu vini propinata in Colicâ post crapulam, vel cerevisiæ vitio, præcedente frigore contractam, commendat HOFFMANNUS *de Medicamentis officinalibus*; Cruditates enim acidas Piper optimè destruit.

Porrò *quadruplex* est *differentia doloris lumbaris*: inter quos *dolorem lumbarem nephriticum* optimè curat terebinthina, & omnia Medicamenta ex ea parata, ut balsamus sulphuris terebinthinatus, quæ etiam sunt optima in dolore mesenterico.

Etiam ipse *dolor Colicus* nunc *cum algore*, nunc *cum ardore* affligit: *Dolor*, qui *cum frigore* affligit, optimè *curatur* additis appropriatis oleis destillatis aromatum, ut aurantiorum, &c. *In æstu* addantur Nitrata, maximè spiritus nitri dulcis anticolicus.

Hisce Internis, quantum possibile, succurrimus doloribus abdominis.

Inter Externa, quæ applicantur abdomini, ad compescendos dolores colicos & iliacos, eorumque spasmos & convulsivos motus, eminent ex *supra laudatis simplicibus* desumpta olea cocta & destillata, ut oleum anethi, chamomillæ, rutæ, amygdalarum dulcium, laurinum, oleum destillatum baccarum lauri, juniperi, corticum aurantiorum, macis, & omnia, quæ intus sumuntur: e.g.

℞. *Olei anethi per coct.*
Chamom. an. ℥j.
Destillat. chamom. ℈j.
Anisi,
Carvi,
Cumini,
Fænic. vel *Zedoar.* an. gutt. vj.
addatur
Corporis pro Balsamo q. s. pro libitu:
M. S.
Balsamus externum.

℞. *Olei anethi*,
Chamom. an. ℥j. vel iij.
Destillat. cham. vel *anethi*
Angel.
Cumin.
Ol. destill. Rutæ an. ℈ß.
M. S.
Oleum dissolvens.

Vel cum *oleo nucistæ expresso* i. *Balsamus*; vel cum *Tacamahaca Emplastrum*. Vel

℞. *Olei anethi*,
Chamom. an. ℥ij.
Destillat. anethi,
Chamom. an. gutt. jx.
Carvi,
Cumini an. gutt. vj.
M. S.
Singulare oleum contra colicam.

Item in Colica convulsiva:

℞. *Olei destillat. succini* ʒj.
Spicæ ℥ß. vel an. p. æqu.
M. S. *Oleum externum contra colicam.*

Illinantur largiter regioni abdominis, in specie umbilicali, & fovendo desuper latere calefacto, effectus expectatur.

Oleum quoque corticum aurantiorum cum oleo destillato angelicæ vel anisi sociatum, & umbilico illitum in Colica convenit:

Vel

℞. *Olei laurini* ℥ß.
Castor. pulveris. vel *ejusd. olei* ʒj.
M. f. *Linimentum*: S.
Unguentum contra colicam.

Quod umbilico inunctum non est inconveniens, imponendo laterem calefactum.

℞. *Olei laurini*,
Anethi,
Chamom. an. ℥ß.
Galbani Paracelsi ʒj.
Destillati succini ℥ß.
Carvi,
Cumini,
Fœniculi an. ℈ß.
M. f. *Linimentum*: S.
ut antea.

PARACELSUS feliciter usus fuit zibetho; vel zibethum umbilico inunctum cum oleo nucis moschatæ, addendo parum olei destillati macis, egregiè convenit. Loco hujus *Balsamus zibethi* MYNSICHTII *in Armament. pag.* 79. egregiè commendatur; vel Balsamum apoplecticum, quod zibethum ingreditur, umbilico illinatur, & desuper locus foveatur. Pinguedo cati sylvestris, uti in epilepsia interna est nobile, ita in doloribus convulsivis abdominis est egregium: sumitur asservata & depurata, & illinitur probè regioni umbilicali. Jubent quidam differentiam sexus observare, sed tamen non adeò necessarium est: non vulgare est medicamentum, plurimum in recessu habet. Quibus placet zibethum addere, remedium magis efficax habent.

Horum loco excellit contra omnia tormina abdominis Galbanum, in specie in convulsiva Colicâ atrociore; unde etiam egregium est hystericum, umbilico applicatum, sive Galbanum in forma Emplastri sit malaxatum cum oleo succini vel spicæ, vel alio appropriato, vel Balsamus Peruvianus externè abdomini instilletur, vel Emplastrum matricale de galbano malaxatum cum oleo destillato succini, quod optimum est ad spasmum convulsivum, regioni umbilicali applicetur: Vel

℞. *Galb. in spiritu vini non rectif. soluti* ℥j.
Olei chamom.
Rutacei an. ℥ß.
Croci gr. vj.
M. F. *Linimentum*: S.
ut supra.

Vel *Galbanum* simpliciter lento igne *liquefactum*, cum part. iij. *olei succini*, & part. i. *olei spicæ* malaxatum, inducatur *alutæ* & applicetur, quod optimum est. Oleum destillatum galbani compositum, seu Galbanetum Paracelsi, de quo vid. SCHROEDERUS, *ubi de Galbano*, SENNERTUS *de Colica*, & HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr.*, umbilico illitum nobilissimum est & expertissimum in Colica quacunque, speciatim in convulsivis abdominis doloribus.

Vel

℞. *Galbaneti Paracelsi* ʒij.
Olei destillat. succin. ℈ij.
Spicæ ℈j.
M. pro *Linim.*

Variant

Variant autem descriptiones hujus olei nobilissimi.

Interim *hujus defectu* & *oleum destillatum succini* vel *solitarium*, *vel partes* iij. *cum olei spicæ parte* j. mistæ, commodè contrà dictos dolores umbilico illiniri possunt.

Horum loco *oleum saponis* commodè adhiberi potest, quod egregium in his affectibus est ob penetrantiam alcalinam, quâ destruitur acidum: nempe destillatur *sapo* cum *calce viva*, velcū *cineribus ossium calcinatorum*, ut destruatur ejus acidum, per retortam: cujus olei ita destillati gutt. iij. vel jv. umbilico illinuntur, pro cura colicæ torminosæ: Vel dissolvatur *sapo* in spiritu vini ad mellaginem: massa cum ana *calcis vivæ* destilletur, & cohobetur aliquoties. Hac ratione acquiritur oleum externum ad affectus dolorosos & alias partes nervosas, quod in arthritide frigida etiam laudatur. His addatur oleum petræ album, quod multum in recessu habet; quod non tantùm abdomini illitum, sed & regioni lumbari, in specie in doloribus lumbaribus, nephriticis & mesentericis, est egregium sistens & compescens dolorem.

Emplastro denique ex gummate tacamahacæ, vel solo vel cum emplastro de meliloto mixto, & cum oleo chamomillæ vel aliis carminantibus malaxato; vel Tacamahaca cum Balsamo Peruviano malaxata & imposita, est bona:

Vel

℞. *Galban.*
Tacamah. an. part. jß.
Balsf. Peruv. part. j.
F. l. a. *Emplastrum*, S.
Emplastrum dissolvens.

Aliàs usitatum etiam est Emplastrum ex baccis lauri, uti & Emplastrum carminativum Sylvii cum emplastro Nicotianæ mixtum. Stercus suillum Cataplasmatis instar calidè applicatum, laudatur à RULANDO; Cataplasma verò ex stercore equino cum oleo rutaceo, experimentum est JOELIS & AMATI LUSITANI.

Tandem sacculi & Fomenta in aqua & vino aut lacte cocta in dolore abdominis scorbutico, calidè applicata abdomini conveniunt: v. g.

℞. *Summ. hyosciami*,
Flor. sambuci an. M. ij.
Chamom. M. ij. ad jv.
Bacc. junip. rec. ℥jß. ad ℥ij.

Includantur *sacculo*, probè interpassato, qui vino calido, aut lacti vaccino vel caprillo immersus aut ebullitus, cum linteis multiplicatis calidè abdomini applicatur, & sæpiùs reiteratur; maximè enim egregium est in Colicâ scorbutica.

℞. *Fol. lauri*,
Rutæ an. M. ij.
Summit. anethi,
Cent. min.
Flor. cham. Rom.
Sambuc. an. M. ß.
Rad. angel.
Levistici an. ℥ij.
Bacc. lauri ℥j.
Juniperi ℥ß.
Sem. 4. calid. maj. an. ℨij.
Concis. & contus. coqu. in *vino*, in vase clauso: D. S.
Fomentum externum.

℞. *Summit. anethi*,
Herb. menthæ,
Rutæ,
Flor. cham. an. M. ij.
Bacc. junip.
Sem. fœnic. an. ℥j.
Incis. & contus. includantur *sacculo*: S.
Sacculus pro fomento.

℞. *Summit. anethi*,
Flor. cham. an. M. j.
Ros. mar.
Salv. an. pug. ij.
Sem. 4. calid. an. ℨj.
Incisa & contusa dentur: S.
Species ad fomentum.

Huc pertinet *sacculus avenaceus* calidè applicatus:

℞. *Avenæ* part. ij.
Bacc. junip.
Sem. coriandri an. part. j.
Contusa misc. includantur *sacculo*.

Item sacculus ex milio calidè abdomini applicatus, egregiè conducit. Catellus Melitensis colicâ afflictis appositus, anodynus est. Lapis nephriticus amuleti instar appensus mirificè contra Colicam laudatur.

Extra Paroxysmum Martialia prosunt: Manè nempe datur solutio martis cum succo pomorum, vel in robustioribus Liquor martis solaris, & vesperi spiritus salis ammoniaci anisatus. Prosunt etiam Diuretica cum Carminativis mixta: vid. WILLISIUS *de Anima Brut. pag.* 397.

Hæc sufficiant de Colicâ, & passionibus Colicis: Pergo ad alia. Sit ergo jam

SECTIO XII.
DE
SITU INTESTINORUM MUTATO.

Ut rite fiat contentorum in Intestinis distributio, & conveniens excrementorum egestio, necesse est, ut hæc debitum observent situm; qui est ut naturaliter interiùs colligantur à mesenterio, utpotè cui connexa sunt, simulque vertebris lumborum, imprimis superioribus, suspendantur & annectantur; exteriùs verò eadem ritè à peritonæo, tanquam in bursa, contineantur. Quod si verò mutetur hic intestinorum situs ex loco tali naturali in alium, fieri nequit hoc sine insigni tumore, qui tumor ab intestinis, extra locum proprium prolapsis, communiter Hernia dicitur.

CAPUT I.
De
HERNIIS.

Hernia Germanis *ein Bruch*; Græcis κήλη vocatur.

Fit hoc, quando bursa peritonæi in quodam loco aut rumpitur aut relaxatur, tunc per laxatum aut ruptum peritonæi locum intestina elabuntur, & ita herniam inferunt: quamdiù verò hæc bursa peritonæi est integra, tamdiù intestina in naturali loco permanent. Intestinis, uti notum est, tanquam linteum vel indusium superstratum est omentum, similiter uti intestina à peritonæo collectū: hoc ipsum simili ratione, aut cum intestinis, aut absque iis rupto aut laxato peritonæo, decidere potest; unde vel ἐντεροκήλη, vel ἐπιπλο-ἐντεροκήλη oritur.

Definitur, quod sit prolapsus aut intestinorum tenuium, aut omenti, ex limitibus peritonæi, dependens aut à vulnere, aut à laxatione.

Genus est prolapsus, qui ipse pertinet, tanquam ad genus superius, ad morbos situs mutati.

PARS AFFECTA.

Pars affecta partim est *Peritonæum*, quod variis in locis læditur, partim sunt *intestina* & *omentum*, quando situm suum mutant; unde peritonæum aut planè rumpitur, aut dilatatur: Intestina ergo saltem tenuia, jejunum, ileon, unà cum suprà instrato omento in hernia ita prolabi possunt; crassa enim, quia nimis firmiter connectuntur, immobilia sunt.

Loca, in quibus ordinariò laxatur, aut peritonæum rumpitur, sunt varia: frequentissimè hoc fit in ejusdem processibus circa inguina, per quos in scrotum descendunt vasa spermatica, ibique convolvuntur in testes: & posteà

postea è umbilicus. Nam in his duobus locis facillimè aut laxatur, aut omnino rumpitur peritonæi membrana fibrosa, seu bursa; unde etiam ratione partis affectæ hæ duæ sunt primariæ herniarum species: nempe *Enterocele* seu *Hernia scrotalis* aut *inguinalis*, dum omentum vel intestina per processum peritonæi ad inguina & scrotum descendunt; & *Omphalocele* seu *Hernia umbilicalis*, quando intestina vel omentum per partem peritonæi, cingentem vasa umbilicalia post partum præcisa, laxant & dilatant, ita, ut hæc peritonæi pars extendatur circa cicatricem dictam umbilicumque, ad quem modum accidit Hernia umbilicalis & Omphalocele.

Hernia scrotalis est vel *perfecta* seu *completa*, vel *imperfecta* seu *incompleta*: *Imperfecta* est *Hernia inguinalis* seu *Bubonocele*, quando saltem in inguinibus seu regione bubonum est tantùm tumor ab intestinis prolapsis, & super osse pubis hærentibus: quæ si successivè ulteriùs descendant in scrotum, est *Hernia scrotalis perfecta*. Illud verò, quod per peritonæum læsum prorumpit, est vel omentum, vel intestinum, vel intestina nunc conjunctim, nunc separatim. Quod si descendat solum omentum in scrotum, est *Epiplocele*: si verò non tam intestina sola, quod rarò fit, quàm omentum, per peritonæum ruptum, dicitur *Enterocele*.

Hæc duo loca, umbilicus & processus peritonæi, sunt ferè, per quæ ordinariò & frequenter fiunt Herniæ; non autem sunt sola; nam etiam in aliis locis abdominis Peritonæum læsum ruptum aut laxatum dat Hernias, observante hoc primùm BARBETTE *in sua Chirurgia P. 1. cap. 71*, quod etiam aliis in locis, nunc supra & infra umbilicum, nunc in lateribus longè supra inguina, item à parte posteriori circa regionem lumbarem ruptum aut laxatū Peritonæum inferat Hernias; quæ, quia rariores, ab imperitis Chirurgis tanquam abscessus tractari solent, non citra periculum ægri. Refert etiam *citato loco* exemplum herniæ, ubi per processus peritonæi laxatos & ruptos facta sit hernia, ubi intestina non in scrotum delapsa, sed juxta scrotum parti musculosæ femoris insederint, & ita juxta scrotum ingentem tumorem ex laxata cute induxerint: Idem BARBETTE observat rupturam peritonæi juxta spinam dorsi, & ibidem ex intestinis prolapsis factam herniam: Sic etiam BARTHOLINUS *Cent. 2. Hist. 95.* observat talem herniam supra regionem umbilicalem, mox infrà cartilaginem ensiformem ex ruptura peritonæi, quæ est similiter singularis, utut vulgaris, non tamen contemnenda, quia potest occurrere in Praxi: Sic ex utero rupto intestina prolapsa observat SCHENCKIUS *l. 4. Observ. pag. 650.* de intestinis ex utero prolapsis: Simile exemplum NANZELIUS *habet in Anal. Microcosmi & Macrocosmi pag. 705.* de descensu intestinorum in capacitatem uteri, ex rupta uteri cervice, quæ intestina etiam in uterum prolapsa loco secundinæ ab imperito Chirurgo fuerunt extracta. Observandum tamen hîc est, ne præternaturalis testiculi situs falsò habeatur pro hernia: Nam interdum testiculorum alter non semper in scroto hæret, sed ossi pubis incumbit; sicut interdum planè intra abdomen retrahitur, & tumorem infert. Non ergo iste tumor ex testiculo confundatur cum Bubonocele vel abscessu illius loci, de quo SCHENCKIUS *in Obs. pag. 541.*

CAUSA.

Causæ Herniarum proxima latet in ruptura aut laxatione peritonæi; hinc omnia, quæ quocunque modo aut rumpere, aut successivè laxare aut dilatare possunt quodam in loco peritonæum, induunt naturam *causarum remotarum*. Ruptura in Omphalocele aut aliis speciebus est frequẽtior, in scrotali verò est rarior, quoniam rupto processu peritonæi intrà musculorum confinia intestina subsistunt, & ita saltem inguinalem herniam faciunt, cùm eadem successivè per dilatatum peritonæum, tanquam per demonstrata vestigia facilè in scrotum descendant. Hinc tales causæ internæ sunt paucæ & raræ. Interdum subest character hæreditarius, ita, ut hernioli parentes herniosos generent fœtus. Aliquot exempla videbitis in HILDANO *Cent. 3. Obs. 73.* Fiunt etiam interdum Herniæ intestinales *ex nimia* & violenta *purgatione*, teste PLATERO *in Observ.* ubi subministrat exemplum herniæ talis ex usu & nimia operatione purgantis ab empirico propinati. *Ætas* quoque *infantilis & puerilis* ob peritonæi teneritudinem hîc confert aliquid: Herniam etiam à primo ortu refert HILDANUS: & SCULTETUS *Obs. 60. P. 2. Armament. Chirurgici*: *Congenitæ* umbilici *herniæ* ex matris repentina imaginationis impressione meminit. Uplurimum *Causæ externæ* hernias inferunt, ut sunt *motus* & *saltus nimius*: sic v. g. *distensio* quædam *femoris* causa fuit herniæ, vel inguinalis, & consequenter scrotalis, apud *Iob von Mec Kern* cap. *66*, pag. 297; *quia olim surgens è sedili suo, (: ultra vires corporis) sinistrum crus ex improviso è loco moverat, ex quo Bubonocelen, & brevi post Enterocelen non sine dolore in scroto habuit*. Similiter idem observavit herniæ insigne augmentum *ex vomitu* p. 282. Hernias etiam infert *clamor nimius*, unde ratione continui clamoris infantes facillimè fiunt herniosi: item fortior *sternutatio*, *tussis nimia*, &c. inferunt hernias: vid. SCHENCKIUS: item nimium ponderosa *bajulatio*, *e[...]tatio*, *saltatio*, &c. PLATERUS refert ex impetu tauri cornibus factam herniam *l. 3. pag. 712.* *Difficilis partus* subinde hernias, imprimis omphalocelem, seu herniam umbilicalem, inducunt.

DIAGNOSIS.

Quoad *signa diagnostica*: In omni hernia adest tumor præternaturalis: interim tamen tumori soli non est fidendum. Itaque cauti simus in cognoscendis herniis, nè decipiamur, & tumorem ex præternaturali situ, simileique hernias putemus; si enim tumor præternaturalis adsit, & in scroto nullus testiculus, tumor non dependet ab hernia: Sic *Observat. 55.* refert MARCHETTE *pag. 104*, villicum quendam, bubonocele laborantem, accessisse barbitonsorem, qui bubonocelem ratus est bubonem venereum; quapropter sectionem administravit, quâ factâ, stercus loco puris emanavit. Itaque præter tumorem notetur in diagnosi: tumorem herniosum nunc incrementum, nunc decrementum pati, nonnunquam etiam planè aboleri.

Aliàs hernia incipiens facilè cognosci potest: nempe tumor, ubicunque locorum sit, mollis, ferè indolens apparet: dum æger in dorso jacet, intestina & omentum prolapsa sponte in cavitatem abdominis recedunt, & tumor totus utplurimum disparet: Imò resupinato ægro, ac elevatis nonnihil cruribus & natibus, interdum cum murmure intra abdomen relabuntur; erecto verò ægro tumor talis redit, accrescit & protuberat, estque utplurimùm sine dolore, nisi aut intestina inflammata, aut flatibus aut stercore indurato repleta, aut in angustiore foramine inclusa intestina, irritationis & doloris occasione m subministrent.

Jubendus etiam æger, ut tussiat; hoc etenim facto, quando aliquid in scrotum descendit, crepitum observamus.

Præterea omentum & intestina semper digitis possunt repelli, nisi aut flatus, aut excrementa indurata id impediant.

Hernia confirmata iisdem cognoscitur signis, in specie, si successivè magis magisque incrementum capiat: item, si causæ præcedentes potuerint eandem inferre: Vid. SENNERTUS.

Factam Herniam quod attinet: est malum sine periculo, si reponitur; si verò non, sed in loco rupto vel laxato hærent intestina, tunc periculum est non leve, licet observatum sit sæpiùs contrarium.

PROGNOSIS.

In Prognosi, quò diuturnior, & quò major vel minor, eò etiam periculosior aut levior est Hernia.

Confirmata est curatu difficilis, præsertim in adultis, in quibus ratissimè absque Chirurgica operatione curari possunt: in tenella infantum ætate faciliùs succedit negotium.

Si ex hernia superveniat vomitus, non adeò desperatus, quàm si ex aliis causis: vid. M. A. N. C. *Anno 6. & 7. Observ. 44*, SENNERTUS *in Traxi*, *ubi de oleo p. 248.* Bina sunt pericula, quæ ex herniis ingruunt: nempe Colica & morbus iliacus, occasione intestinorum irritatorum in loco prolapsus; sive irritentur à causa externa, frigore, contusione, &c.; sive à causa interna, retentis fæcibus, flatibus, &c. Deinde fit interdum, ut intestina prolapsa inflammentur, & inflammata gangrænam concipiant, & sic æger moriatur: quale exemplum habet HILDANUS ex epiplocele demortui, *Obs. 72. Cent. 1.* Si Herniis subitò factis, & exaggeratis gravi dolore, singultus superveniat, aut Ileos, paucissimi evadunt: Tulpis saltem l. 3. *Obs. 13.* contrarium habet exemplum de hernioso vomitu stercoreo seu Ileo, qui evasit:

Nam

Nam ſi intereunt ægri, aut ileo, aut inteſtinorum inflammatorum gangrænâ moriuntur.

Rarum eſt, quod inteſtina prolapſa & inflammata ſuppurentur, & ſuppurata extrorſum verſus aperiantur, ita ut ſtercus, & interdum ipſa aſſumta alimenta per aperturam prodeant: de quo HILDANUS *in Obſervationib.*, item JACOB *van* MEECKERN.

C U R A.

In *Cura* omnis Herniæ tres ſcopi ſunt attendendi:

1. Ut reponantur Inteſtina & omentum prolapſum in ſitum naturalem.
2. Ut repoſita Inteſtina in ſitu naturali firmentur, ne denuo excidant.
3. Peritonæum ruptum aut laxatum conſolidando, quod in ſenibus aut actuoſis difficilè, in junioribus & ſedentariis facilè debitis ſubligaculis partem affectam comprimendo.

Pro ſcopis meliùs obtinendis obſervandum:

I. Clyſterum uſus non negligendus, quando flatus vel murmura inteſtina craſſa occupant, vel alvus contumacior eſt, & ſymptomata gravia ægrum torquent: Conferatur HILDANUS *l. 6. Obſ. 73*; ſic enim inteſtina craſſa abſterguntur & faciliùs ex inteſtinis tenuibus in eadem derivantur excrementa, & ſic removentur impedimenta. Purgantia autem exulent.

II. In Hernia inteſtinali cordatus Medicus ſemper flatuum rationem habeat, & proinde nobiliorum carminantium & præcipitantium uſum quàm ſedulò obſervet, cùm talium cauſa & inde producti flatus mirè exaſperant hernias.

III. Herniæ à frigore, præſertim ſubitaneo, ſolent fieri lethales: irritata nempè inteſtina dolorem, hinc ſpaſmum & duritiem concipiunt, quos inſequitur ileus: vid. VELSCHIUS *in Hecatoſt. 2. pag. 6.* item M. A. N. C. *Ann. 8. Obſ. 93. pag. 154.*

IV. Cautiones in Repoſitione manuali obſervandæ ſunt, quas imprimis ſuggerit PANAROLLUS *in Repoſit. & Cura Herniarum Pentec. 5. Obſervat.* 49., quæ omnes perquàm ſunt laudabiles, exceptâ ſecundâ, ubi frigida intrà & extrà commendat.

Cautelæ ſunt ſequentes:

I. In Enterocele non debet Chirurgus *ſæpiùs manum admovere, ſed cautiſſimè & tenerrimè tractet inteſtina, ne impetuoſo contactu inteſtina, dum dolent, irritentur & ſic ſpaſmus, dolor ejus & cum dolore inflammatio, intendatur, unde difficilis repoſitio.*

II. Abſtinere jubet à rebus omnibus calidis tam intra quàm extra, quoniam inflammationem accelerant, ex qua corruptio & mors. Frigida verò probare non poſſum, quia ſunt periculoſiſſima; quin tepida aut ſubcalida internè & externè uſurpanda remedia.

III. Ita debemus ægrum collocare, ut pedes altiores ſint quàm caput.

IV. Cibi omnes ſolidi fugiendi & tantùm rebus liquidis utendum eſt.

V. Parti dolenti applicare poſſumus omentum agni caſtrati tepidum, & ungere manus cum oleo amygdalarum dulcium, vel imponendum ſimul unguentum; idque ſaltem tepidè, non frigidè, applicetur.

VI. Advertat Chirurgus facilè aut ſponte inteſtinum regredi hiſce remediis abſque ulla manuum vi: nam ſi ſæpiùs admoveantur manus, irritatur natura, & res eſt deſperata, cautiſſimèque primitus ea tractet, ſucceſſivè ea intrudendo: ſi dolor impedit, tunc illinatur blandè locus hernioſus volâ manus cum oleo appropriato, ut oleo hyperici cum oleo amygdalarum dulcium, oleo chamomillæ, oleo violaceo & ſimilibus blandis, cum aliquot guttis olei deſtillati cujuſdam carminativi acuatis.

VII. Abſtineat tandem ægrotans à vino, etiamſi decrepitus ſit (loquitur de vino Italis familiari, de noſtrate aliter pronunciandum.) *Id tamen animadvertendum eſt; quod ſi in ſtomachi incidat dolorem, concedendum eſt, ut manè capiat vini potentis* ℥j.

Conf. quoad Herniarum Curas HILDAN. *loco ſuperiùs citato*, SCULTET. *in Arm. Chirurg. Tab.* 39., & HARAM *de Herniis*.

Ut ergo reponantur inteſtina prolapſa, hæc ipſa conveniente corporis ſitu reſupinato (quod primariò intelligendum eſt de hernia umbilicali & inguinali; ſecundariò etiam de reliquis cruribus, & natibus nonnihil elevatis, ut inteſtina naturali quodam impetu per locum naturalem retrocedant) adjuvanda eſt; aut ſi ſponte retrocedere nolunt inteſtina prolapſa, comprehendantur linteolo calido manu ſiniſtrâ, dextrâ verò, & quidem digito indice & pollice inuncto oleo ſulphuris Rulandi, per rupturam intrudantur. Notetur tamen, non proficuum eſſe, ſæpiùs inteſtina prolapſa manibus palpare; ſiquidem hoc modo & dolor & hernia augetur. Simul autem impedimenta, flatus imprimis, ſtercora, & hinc inteſtinorum ad tactum induratio removenda. Induratio hæc inteſtinorum non præciſè eſt à fæcibus induratis, quales vix reperiuntur in inteſtinis tenuibus, quæ ſolummodò procidere ſolent, ſed potiùs ex membranarum tenſione & ſpaſmodico inteſtinorum affectu talis durities oriri videtur: craſſa enim ob firmam compactionem non poſſunt prolabi, niſi impetu ſuo. Ergo irritatio iſta, duritiei occaſio, blandis fomentis externis reſolvenda, internis aromaticis carminantibus, inteſtinis amicis, & tenſionem reniſumque eorum & flatuum geneſin impedientibus, ſiſtenda: de quibus *in Colica*.

Pro dictis igitur impedimentis removendis internè conveniunt 4. ſemina calida majora, quocunque modo ſumpta, ſpeciatim probè contuſa in vino vaſe clauſo ebullita, & calidè pota, addendo interdum parum lapillorum cancrorum præpar., de quibus vid. HELMONTIUS *Tract. de Flatibus*; externè verò fomenta, unguenta, cataplaſmata anodyna, carminantia & blandè emollientia. Uſurpanda ſunt emollientia in induratis fæcibus & inteſtinis; diſcutientia in flatuum præſentia; anodyna in irritationis moleſtæ plus minus doloroſæ, & hinc duritiei urgentia. Ingredientia per ſe patent: Vegetabilia carminantia cum lacte coquuntur, & vel in forma cataplaſmatis, vel lac decoctionis cum linteis multiplicatis tepidè hernioſo loco imponendum:

℞. *Flor. chamom.*
Meliſſ.
Sambuc.
Verbaſc. an. M. ß.
Rad. angel. ℥ß.
Sem. fœnugræc. ʒvj.
f. l. a. *Decoctum* c. ſ. q. *lactis*:
D. S.
Epithema externè leniens.

Inteſtina ſi ſint refrigerata, foveantur linteolis calidis. RIVERIUS applicatum ſpiritû vini inſtar fomenti calidè, & ſic reſtituit hernioſos: vid. *Cent. 3. Obſervat.* 82. Aliàs imponuntur inteſtina & omenta calida animalium, v. g. canis, vervecis, vituli; in ſpecie omentum agni caſtrati tepidè admotum commendatur:

Vel

℞. *Olei inſol. chamom.*
Sulphuris Ruland. an. a ℥ß.
Deſtill. anethi,
Chamom. an. gutt. viij.
M. D. S.
Oleum externum leniens & diſſolvens.

Item litus blandus cum oleo amygdalarum dulcium, hyperici, chamomillæ, liliorum alborum tepido: interdum fotus ex lixivio acri, ſemine cumini & pauco vino Malvatico, filo crudo exceptis, admovetur. SOLENANDER *S. 4. Conſil.* 13. ceu expertiſſimum commendat contra inteſtina prolapſa ſtercus ovillum dulci lacti bubulo vel caprillo incoctû: Colatura in forma fotus; remanentia verò blandi cataplaſmatis ſcroto calidè & crebriùs poſt ſufficientem fomentationem, imponenda, donec inteſtina tractabilia fiant: hoc enim remedium SOLENANDER, uti loquitur, ſæpiùs utile reperiit, ubi non potuerunt reponi inteſtina propter flatuum copiam & fæcum duritiem, aliquoties ſe, ubi res viſa deſperata, inteſtina laxata repoſuiſſe, & ubi fruſtra alia adhibita fuerint: vid. *citato loco*, ubi ferè omnia habet, quæ ſunt neceſſaria ad Curam herniæ. Fidem facio, me aliquoties iſto fotu, cùm res videretur in præcipiti eſſe, prolapſa inteſtina repoſuiſſe, anteà fruſtra tentatis aliis, addendo ſemper ſpiritus vini aliquam portionem; partim enim emollit, partim dolorem ſedat, partim diſcutit: cõſ. HILDANUS *C. 6. Obſ. 2. & 70.* Simul clyſmeta emollientia & carminatia injiciantur, ut evacuatis inteſtinis craſſis, recto & colo, faciliùs inteſtinorum tenuium, quippè quæ in herniis prolabuntur, contenta, vel flatulenta vel humoroſa, eò pergere poſſint, inſimulque inteſtina leviter irritentur, & liberent ſe à fæcibus: deinceps exinanito recto & colo, paratur quoque ſpatium vacuum inteſtinis reponendis.

Exemplum Clyſteris emollientis eſto hoc:

℞. *Herb.*

℞. *Herb. atriplic.*
Malvæ,
Parietar.
Flor. samb. an. M. j.
Rad. alth.
Lil. alb. an. ℥ vj.
Sem. anisi,
Lini an. ℥ ß.
Coq. in s. q. *Iuris carnis vitul.*
Colaturæ ℥ x. adde
Terebinth. cum vitell. ovi solut.
Mell. mercurial ℥ jß.
M. f. Clysma: S.
Clyster emolliens.

Si verò nimium diu prolapsa fuerint intestina, ita ut jamjam inflammationem susceperint, instituatur curatio modo præscripto in ileo.

Præter dicta quæ applicantur intestinis prolapsis, sive in scrotum, sive umbilicum, conveniens est, ut regioni lumbari, ubi nempe mediante mesenterio appenduntur intestina, quædam applicentur, quæ nervos ad mesenterium delatos firmant & restaurant, & sic mediantibus his intestina prolapsa quasi retrahantur; quæ inter eminet Emplastrum, cuidam Medico secretissimum, HOFFMANNI *in* M. M., cujus descriptionem vobis communicabo:

℞. *Gum. ammoniaci,*
Galban.
Sagapen. an. ℥iij.
Terebinth.
Ceræ Virg. an. ℥ ij. seu ℥ vj.
Magnet. arsenical. ℥ ij. gr. xv.
Rad. ari ℥ j.

Gummata solvantur in s. q. aceti stillati & coqu. in formam Emplastri, intermistis postea reliquis speciebus.

Extendatur emplastrum super alutam, quod dorso & lumbis applicatum, intestina valido tractu in locum naturalem redire facit: ejus effectum vidi mirabilem.

Aliàs etiam hujus loco pinguedo ursina, quæ quibusdam tamquam secretum, & lumbis illita ad retrahenda intestina, item, quæ adhuc mollior est, pinguedo erinacea commodè applicari potest: loco hujus pinguedo leporis dorso vel lumbis illita, & hinc exuviæ serpentum superimpositæ, admodum retrahunt, & intestina retenta firmant: Aut talia si non sufficiant, subinde ad Chirurgiam accedendum est, & apertione loci herniosi intestina reponenda, ipseque locus consolidandus, qua facillimè interdum sine remediis curari possunt herniæ.

Ut verò reposita intestina in loco firmentur, idque per peritonæi, vel laxati vel rupti, quantum possibile, consolidationem, præter corporis quietem summè necessariam, internè conveniunt omnia remedia vulneraria, & ex his parati pulveres, potiones aut essentiæ traumaticæ seu vulnerariæ, eaque semper carminantibus temperata: sicuti senior quidam herniosus, qui etiã pedisfragiũ passus, per aliquot septimanas quiete & vulnerariis usus, herniâ curatus fuit: adeo ut continuus in dorso decubitus sit vera herniarum panacea, etiam in senibus: vid. etiam HILDANUS *Cent.* 5. *Obs.* 54., ubi refert monachum senem herniosum, laborantem per longum tempus arthritide, hac remittente, liberatum esse ab hernia. Similiter vulneraria inter e ninet persoliata; refert enim SOLENANDER *loco supra citato* de quodam, persoliatæ usu ab hernia curato. Deinde symphytum majus & omnes reliquæ consolidarum species, herniaria, quæ est laudatissima HOLLERII planta, ab eo quocunque modo ad herniarum curam commendatur, sive decoquatur, sive pulvis assumatur, aut quocunque modo usurpetur. Herniaria igitur & perfoliata præ cæteris commendantur: sicut herniæ quamplurimæ curatæ referuntur in VELSCHII *Miscell. Cent.* 3. *Obs.* 76. pulvere cochlearum, quarum loco cancrorum lapilli substitui possunt, & seminis perfoliatæ ℥ j. rad. ireos ℥ ß., mistis cum trag. aromat. ℥ ij; loco herniolo pinguedine anserinâ inuncto, & linteis, mastiche & thure suffitis, suppositis. De usu quoque perfoliatæ & consolidæ Saracenicæ cum axungia gallinæ, medc. & butyro Majali egregio, vid. in M. A. N. C. Ann. 3. *Obs.* 306. 341. ubi hic laudatur:

℞. *Sem. persol.*
Fol. consol Sarac.
Persol. an. ℥ ijß.
Pilosellæ,
Rad. consol. maj. an. ℥ ß.
Sacch. Penid. ℥ v.

M. f. *pulvis.*
Detur manè in jusculo. Vel

℞. *Herb. herniar.*
Perfoliat.
Flor. hyperic. an. M. j.
Rad. symph. ℥ ij.
Coq. in s. q. aquæ comm.
Colaturæ ℥ x. adde
Syrup. de symph. Fern. ℥ iij.
M. D. S.
Potio sanans. Vel

℞. *Herb. herniar.*
Bistort.
Perfoliat. an. M. ß.
Rad. sigill Salom.
Symph. maj. an. ℥ ß.
Sem. Nasturt.
Hyperic. an. ℥ ij.
Incisis & contusis affunde
Vini rubri Mens. j.
Stent per noctem in loco temperato, ne vinum acescat.
D. S.
Potio vulneraria.

Mane & vesperi deinceps hauriat æger ad ℥ ij. cum una vel altera cusp. cultelli *lap. cancr. præparator.*

Vel coqu. species prædictæ in s. q. *Cerevisiæ secundariæ.*

℞. *Herb. alchimill.*
Herniar. an. M. j.
Rad. consol. maj. ℥ j.
Sem. nasturt. ℥ ß.
Coqu. in s. q. *vini.*
Colaturæ ℥ viij. D. S.
Potio pro aliquot vicibus.

Quæ hauriatur una cum *lap. cancr. præparatis.*

Si ex vulnerariis istis, quorum notitiam præsuppono ex materia Medica, fiunt cataplasmata, lesionis loco imponenda. Vel

℞. *Aquæ cherefol.*
Herniar. ℥ ß.
Aceti vini,
Lap. cancr. præpar. ℥ j.
Antimonii diaph. ℈ j.
Syr. de symph Fern. ℥ vj.
M. D. S.
Potio sanans pro aliquot vicibus.

Deinde hic imprimis etiam vulnerariæ plantæ sunt in usu, quæ inter præstantissima sunt millefolium, plantago & geranium Rupertianum, bistorta, &c. Sic semen nasturtii nulli cedit in hoc puncto, externè pariter & internè usurpatum: idque hoc ex fundamento, quod acrimonia sua caustica uberiorem alimentorum affluxum excitet, quo ipso Peritonæum eò facilius consolidatur. Est adhuc *Medicus Polonus*, qui pueros herniosos quamplurimos restituit propinando internè semen nasturtii, in vino, sive sub forma decocti vel potus, aut etiam cerevisiæ medicatæ; externùs verò applicando fistulam pellis vel cutis anguillæ, oblitum cum albumine ovi. Item semen nasturtii commendat etiam insigniter FORESTUS *lib.* 23. *Observ.* 15. uti etiam FONSECA *lib.* 2. *Cons.* 36. qui tanquam expertam hanc describit herniarum curam hoc modo:

℞. *Pulv. sem. nasturtii:*

Subigit probè cum *albumine ovi*, extendit super alutam, & apponit ad herniam, neque removet, donec ex se decidat. Felicem vidi successum. Vel

℞. *Herb herniar.*
Sem. anisi an. ℥ ij.
Nasturt. ℥ ß.
M. f. *pulvis grossus*, terendus cum *balsamo sulphuris.*

Pertinet etiam huc *Ceratum Scropii* ad hernias intestinales expertum, similiter ex semine nasturtii. Descriptio sequens est optima:

℞. *Gumm. caran.* p. ij
Sem. nasturt. p. j

Subigantur cum s. q. *terebinthinæ coctæ*, & f. l. a. *Ceratum*, quod impositum, & diutius continuatum herniam intestinalem brevi ferè sanat.

Sub usu tamen hujus Emplastri alvus semper sit fluida, ne sub nimio conatu egerendi hernia aggravetur: maximè autẽ juvat, si sumatur singulis diebus manè, & vesperi seminis nasturtii pulverisati cum vino rubro ℥ j. per aliquot septimanas, & hanc curam tanquam expertam commendat FONSECA.

Post semen nasturtii est & radix sigilli Salomonis, cujus Decoctum in vino aliquandiu continuatum singulariter etiam à FORESTO *l. 27. Obs. 15.* ad herniarum curam commendatur, ubi refert de quodam, hujus Decocti potu per tres septimanas continuato, à ruptura curato. PARACELSUS folia betonicæ & saniculæ albæ decoxit in vino, & propinavit pro hernia curanda. Aquæ vulnerariæ dictæ, Vina medicata vulneraria, item ex plantis dictis paratæ Conservæ & Essentiæ, imprimis essentia herniariæ, symphyti sive sanguis symphyti, flores hyperi, &c. crebriùs usurpatæ conducunt. Item pulvis lumbricorum terrestrium, & ex his parata essentia, similiter convenit in hernia.

Quod attinet Externa, sunt eadem astringentia vulneraria, loco rupturæ aut laxationis imponenda, eaque pro intentionis varietate multiplicia: v. g.

℞. *Pell. anguill. salit. vel serpent.* q. s.
Lixiv. fortiss. q. s.

Coqu. ad consistentiam *emplastri, alutæ superinducendi.*

D. S.

Emplastrum pro hernia.

Sic Decoctum pellis arietinæ ob viscositatem & lentorem cum aliis resinosis redactum in emplastrum, multa præstat: etiam succus herniariæ cum farina fabarum rupturæ applicatur, & à FABRO ad hernias præ cæteris commendatur: item exuviæ serpentum contusæ, & ex his paratum Emplastrum prodest: quidam suadent rupturæ applicandum, nam alii dicant, quod regioni dorsi admotum firmet intestina. Singulare quid obtinet & omnibus præfertur oleum lacertorum ad curandas hernias suo usu, cujus insignia encomia & usus videbitis in FONSECA *l. 3. Consil. 36.*, & hinc ZWELFERO *in Pharmac. Reg. p. 266.*

De cætero subinde in usu sunt *Cerata* multiplicia, composita ex *pice navali*, cui tanquam corpori & basi additur *mastix, thus, bdellium, gummi ammoniacum, caranna, terebinthina* & similia: quibus etiam addi solent sanguis Draconis, bolus Armena, crocus Martis adstringens, hæmatites, viscum quercinum, terra sigillata, vitrioli dulcis, &c. Magnâ quidem promissione, sed sæpius expectatione fallaci, prostant. Magnetem etiam quidam addunt: nemo autem credat magnetem ob virtutem ita dictam attractivam ferri hic aliquid præstare; siquidem nulla fit tractio in tota natura, nec magnes vim suam exerit, nisi directus sit versus suum polum: jam verò notum est, magnetem misceri emplastris non nisi pulverisatum. Itaque profectò non video, quomodo virtute sua possit aliquid præstare in repositione intestinorum & consolidatione rupturæ: Si ergo magnes in similibus aliquid præstaret, hoc ratione particularum martialium fieret. Emplastra talia videbis apud HOFFMANNUM *in Thes. Pharm. pag. 69.* & apud ZWELFFERUM.

Mulier quædam medicastra plures herniosas egregiè curavit emplastro facto ex resina, pice, & lateribus coctis pulverisatis. Hæc diu probè permista ac subacta crassè inducuntur super alutam, & ita applicantur. Illinatur quoque locus crebrò balsamo sulphuris Rulandi, aut *bals. sulph. hyperici*, cujus *præparatio* talis est:

℞. *Olei commun.* p. iij. vel iv.
destillat. terebinth. p. j.

Infund. *flores hyperici*, exprimantur, novos infundendo, donec oleum rubicundissimum fiat: Hinc infunde *flores sulphuris*, ebulliat blando igne: quo illinatur locus herniosus; aut misceatur cum emplastro ad rupturam.

Pertinet huc & Emplastrum diasulphuris Rulandi: vel

℞. *Emplastr. contra ruptur. usit.*
Diasulphuris Rul.
Picis naval. liquef. an. q. s.

Malax. c. s. q. *olei ovor.* aut *hyperici*, aut *bals. sulphuris*: inducatur super *alutam*, herniæ applicandam. S.

Emplastrum pro hernia.

Applicetur quàm calidissimè æger perferre potest, nec removeatur priùs quàm sponte decidat: ubi deciderit, balsamo sulphuris, eodemque calido, pars probè inungatur, & iterum Empl. recens imponatur, quamdiu necessarium fuerit. Vel

℞. *Emplastr. contra rupt.*
de tacamach. an. q. s.

Malax. *c. oleo destill. succini*, vel *hyperici*, inducatur super alutam.

Non inconveniens videtur mucilago radicis symphyti majoris, quæ instar Cataplasmatis imposita meritò à ZWELFFERO extollitur; uti & ejus Decoctum impositum herniis multum in recessu habet; quò etiam facit Cataplasma mucilaginosum in *Pharm. Reg. pag. 312.*

Præterea oleum mastichinum, myrtinum, hyperici, terebinthinæ & spicæ conveniunt; imprimis oleum vitellorum ovorum à quibusdam singulariter commendatur. Sunt quibus suspecta sunt hujusmodi externa pinguia & oleosa, quia nimis laxent & ad majorem peritonæi dilatationem occasionem suggerant; hinc non adeò inepto consilio jubent recipere acetum destillatum acerrimum, in quo lithargyrium solutum, cui ipsa lintea intincta repositis intestinis superimponantur, ac probè firmentur usque ad consolidationem: uti etiam quidam insigniter commendant Emplastrum, quod fit ex Gummi Cerasorum nigrorum in oleo hyperici dissoluto, adjecto pulvere thuris & Mastichis, hocque diu, donec fiat emplastrum seu Ceratum loco affecto calidè applicandum pro consolidatione. Balsamus commendatus est insigniter ab HARTMANNO *in Praxi Chymiat. c. de Hern. p. 210.* Ejus descriptio est manca; primaria & genuina est hæc: Dum sal gemmæ ita præparatum, & ad fluorem redactum est, prout vult HARTMANNUS, affundatur ipsi *spiritus* aut *oleum terebinth.* ad eminentiam trium digitorum: digerantur aliquandiu, hinc abstrahantur, cohobentur postmodum aliquoties, donec oleum terebinthinæ evadat rubicundissimum, quod oleum rubrum abstrahatur ad consistentiam aliqualem, donec scil. Balsamus elegans in fundo remaneat, qui est verus *Balsamus salis gemmæ* ad hernias decantatus.

Cæterum cum his ipsis externis necesse est, ut simul usurpentur debita subligacula, quibus subjici possunt Emplastra.

Observetur hic sedulò: ut quotiescunque emplastra firmiter adhærere desinant, novo opus sit, subligaculum non removeatur, nisi prius corpore posito ad situm superiùs laudatum. Nam etsi per bimestre spatium emplastro usus sit patiens, tamen de novo instituenda erit curatio, si semel prolabantur iterum stanti ægro intestina. Subligaculorum talium Ideam & descriptionem apud PARÆUM *in Script. Chirurgicis*, in HILDANI *Observ.* & IOB *van* MEECKERN videbitis.

Curam herniæ magneticam videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Observ.* 102.

Locutus sum de situ intestinorum mutato, eoque imprimis, quando omentum vel intestina tenuia decidunt in scrotum vel umbilicum, & dant hernias: Dictum etiam fuit, quod crassa non possint prolabi, ut dent hernias. Nihilominus singularis & molesta mutatio est, quando intestinum rectum eminet per anum, & vocatur Ani Procidentia.

CAPUT II.
DE
ANI PROCIDENTIA.

Ani *Procidentia* fit, quando sub fæcum excretione Intestinum rectum ita prominet & protruditur, ut non possit rursum sponte retrahi intra corpus, aut licèt retrahatur, mox incipiat denuò prolabi. Fit autem hoc nunc cum, nunc sine dolore, vel cum vel sine inflammatione, nunc cum vel sine tumore, nunc cum hæmorrhoidibus affectis vel non.

PARS AFFECTA.

Jam autem naturale est, quod in omni alvi excretione intestinum rectum aliquantisper protrudatur, sed facta excretione idem intestinum à musculis levatoribus denuò sursum retrahatur, ita, ut excretionis actus sit compositus, & ex podicis extrusione & podicis retractione constet. Quando itaque ista protrusio naturalis excedit, retractio verò naturalis deficit, tunc contingit necessariò affectus, quem vocant Ani Procidentiam.

CAUSÆ.

Duplex ergò hujus Ani procidentiæ est Causa.

1. Est quidem nimia aut frequentissima aut violenta ani extrusio, & ita fibrarum musculorum levatorum aliqualis læsio & laceratio.

2. Est musculorum levatoriorum plus minus resolutorum deficiens retractio. Quæ nunc seorsim, nunc junctim accidunt: v. g. à calculo vesicæ, & irritari continuò per consensum intestinum rectum, ac ad continuam protrusionem stimulari potest. Quin etiam tali occasione à crebriori excre-

excretionis conatu in tantum extendi ac relaxari possunt musculorum levatoriorum fibræ, ut pertinax alvi hinc sequatur protrusio, qualis procidentia in calculo vesicæ diutiùs affligente ordinaria esse solet.

Nimiùm & frequentiùs aut violentiùs extruditur anus propter quæcunque acria & morsicantia in intestino recto hærentia; quæ omnia istud intestinum continuò vellicant & stimulant, à quo stimulo continuò irritatum intestinum se contrahit indesinenter, & foras protruditur; unde hoc ipsum sæpiùs protrusum in tantum tandem elabitur, ut retrahi denuò nequeat: hinc imprimis tenesmus & dysenteria interdum ani procidentiā inferunt; it. in diarrhœis supervenit ani procidentia; item clysteres acriores, aut etiam suppositoria nimis stimulantia, inducunt non rarò hunc affectum, uti hæc refert PANAROLLUS *Pent.* 1. *Observ.* 23. Stercora dura aut excrementa viscida in intestino recto hærentia, ac difficulter excernibilia, ut sic dicam, continuo stimulo & continuâ protrusione etiam procidere faciunt anum; conatus enim ille expellendi est tantus, ut per hunc protrudatur intestinum rectum; quod etiam facit subinde difficilis partus, dum parturientes omni conatu & retentâ respiratione motum excretorium inferiora versus: moliuntur, quâ occasione cum fœtu per anteriora, simul anus per posteriora, non rarò egreditur: quale exemplum habet AMATUS LUSITANUS *C.1.Curat.*93. & GABELCHOVERUS *Cent.1.Curat.*71. Hæmorrhoides dolentes anum continuò stimulantes, item nimiùm fluentes, pariter ad hoc malum disponunt: Item calculus vesicæ virorum, per consensum continuò irritans podicem, ita ut crebriori egerendi conatu anus subinde graviter procidat, de quo jam dixi.

Quando ita protrusus est anus, secunda causa, nempe musculorum levatoriorum impedita retractio, accedit propter constitutionem eorum paralyticam; sive hoc fiat vitio ipsarum fibrarum in musculis motricium; sive fiat vitio nervorum ad musculos dictos derivatorum, de quo *suo loco, ubi de paralysi*. Facit huc suo modo percussio fortior seu casus ab alto super os sacrum aut vertebras lumborum, ubi nervuli derivantur, quæ paralysin horum musculorum, nervorum ratione, inducit: item si nimio conatu anus semel protrusus diutiùs extra hæreat, ita ut fibræ musculorum levatoriorum retrahentes nimis laxentur aut flaccidæ fiant, similiter procidentiam ani subinde Chronicam inferunt; fibræ enim in toto solutæ & quasi paralyticæ impediunt retractionem ani: sicuti intestina prolapsa, dum nimium refrigerantur ab ambiente aëre, musculi fibrarum resolvuntur; quin etiam excrementa serosiora aut aquosiora copiosiùs vel crebriùs per anum excreta, intestinum rectum & musculorum fibras laxantia, ut nequeant intra corpus retrahere anum, etiam subinde hoc malum inferunt.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*: sunt facilia, & per sensum patent: Causas ex antecedentibus facilè possumus hariolari.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Ani procidentia per se ordinariè non multum habet in recessu, & pro causarum varietate vel faciliùs vel difficiliùs Curam admittit: nunc etiam periculosior, nunc minus periculosa esse solet; nisi enim subitò aut repentè curetur, interdum in periculosum ani tumorem terminatur.

In specie duplici in statu periculosa fit; vel cum inflammatione, vel paralysi musculorum. Si Ani procidentiam cum inflammatione non rarò tandem gangræna subsequitur: si conjuncta cum hæmorrhagia vel tenesmo, sic difficulter curatur; chronica enim fit interdum: Ani procidentia, quæ orta est à paralysi vel nimia resolutione musculorum levatoriorum, difficulter curatur, quia reposito licet semel ano, tamen quando denuò excernitur cum excrementis, malum facilè recidivat.

CURA.

Quoad *Curam*: duo sunt notanda;

1. Anus prolapsus est reponendus; &
2. Repositus probè firmandus, ne tam facilè prolabatur.

Repositio est facilis fitque imprimis manuum ope, quando indice digito blandè intruditur anus, vel quando linteum cum Decocto adstringente vel vino calido, prout necessitas postulat, ebrium circumvolvitur indici digito, & hujus medio anus intruditur. Quando ita repositum est intestinum, patiens extendere debet coxas & crura, & ita extenso, quousque potest, corpore, vel supra ventrem, vel etiam supra alterum latus, quamdiu potest, quietus jacere debet, ut ita repositus meliùs firmetur anus.

Ut verò repositio meliùs facilitetur, considerandum priùs: an quædam adsint impedimenta, repositionem vel impedientia, uti sunt stercora dura, aut sordes in ano, aut jam prolapsi inflammatio; vel recidivam minitantia, uti sunt ani nimis diuturna refrigeratio, vel musculorū levatoriorum paralytica constitutio: quæ ipsa priùs ante repositionem removenda sunt, adeoque *Lac decoctionis herbæ meliloti vel florum verbasci, vel florum sambuci*, in formâ clysmatis applicetur & foveatur anus, ut emolliantur stercora indurata, & removeantur, aliàs recidivat malum. Si verò causæ sint sordes aut mucus acrior intestinum stimulans, hoc priùs abluendum & eluendum est fomento abstergente & blandè adstringente: pro quo scopo conveniunt, quæ modò insinuata fuerunt; vel horum loco Decoctum foliorum quercus, florum verbasci, cicerum rubrorum, parietariæ, &c. cum aqua ferrariorum paratum usurpetur, quo abstergantur blandè sordes adhærentes. Si verò adsit inflammatio vel etiam tumor intestini prolapsi aut similium, quibus præsentibus impossibile est, intestina debitè reponere; inflammatio priùs arcenda applicatione fotus emollientis & discutientis: ad quod fotus usurpantur imprimis folia & flores verbasci, meliloti, chamomillæ, sambuci, malvæ, violariæ, &c. quæ coquuntur nunc in lacte, nunc in aqua ferrariorum, nunc in vino rubro adstringente; v. g.

℞. *Flor. sambuc.*
chamomill.
Hyperic. an. M. ß.
Rosar. rubr. p. ij. vel iij.
Summit. absinth.
Melilot. an. M. ß.
Coquantur in *lacte* vel *vino rubro*:

In lacte, ubi dolor; in vino, ubi tumor durus & renitens; ubi verò tumor inflammatorius, in sero lactis: & hoc Decocto anus tumefactus & inflammatus subindè fomentetur ac foveatur, donec omnia ista phatemata cessaverint.

His omnibus remotis impedimentis, reponendus est anus, illinendo priùs cum oleo rosatum vel myrtillorum superaspersο pulvere gallarum contusarum, C. C. usto & masticis pulvere ana; sic enim adstringitur anus, meliusque fit maturus, quò minus recedere & excidere possit. Præterea ad firmandum anum prolapsum in suo loco, convenit etiam remotis impedimentis suffitus ex seminibus & floribus verbasci, floribus chamomillæ & resina abietis: vel quod adhuc melius est, instituatur suffitus KESLERI, quem describit in suis *Centuriis Processuum* C.4. *num.* 15.

℞. *Asphalti*,
Succini,
Mastich.
Thuris,
Myrrhæ an. ℨj.
M. pro *suffitu*: S.
Pulvis singularis ad suffitum.

Excipiatur ano in sella perforata:

Hoc facto foveatur aut illinatur vel cum pinguedine cervina liquefacta, vel cum oleo ovorum, & ita intruso ano æger probè extensis pedibus lateri incumbat.

Ut verò firmetur anus plus minus repositus, faciliùsque etiam reponatur, multùm confert tale emplastrum calidissimè regioni ossis sacri superiori aut etiam lumbis applicatum, quod ita paratur:

℞. *Gum. opopanac.*
Sagapen. an. q. s.

Liquefacta calidè inducantur super alutam, f. *Emplastrum*, & applicetur, quantum fieri potest, calidè.

Aliàs contra ani procidentiam & firmandum intestinum rectum HARTMANNI experimentum *in Prax. Chymiatr.* est asser quernus bene calefactus & mistiche illitus; cui, quam calidè ferre possit æger, per horæ quadrantem insideat; quin etiā loco mastichis sola medulla cervina aut hircina liquefacta, & ita intestino prolapso, unà hoc blandè reponēdo, & hinc illita, simili ratione applicata confert: siquidem solum sevum cervinum, aut etiam hircinum, liquefactum & ita intestino recto prolapso illitum, unà hoc blandè reponēdo, & hinc simili modo insidendo, procidentiā ani recentem curare solet.

Loco pinguedinum harum etiam frixentur flores verbasci in butyro non salito, frixa benè transcolatur, quo ipso simili modo anus inungatur. Ceu aliis præferendus

dum remedium habetur cinis scarabæorum pilulariorum, qui intestino subinde prolabenti inspersus, & hunc istud intestinum denuò repositum mirè firmare dicitur.

Quodsi fiat, ut hæmorrhoidibus juncta sit vel etiã sequatur eas procidentia ani, optimum est oleum mastichis, in quo bullierint scarabæi: quod oleum illitum intestino prolapso est convenientissimum & specificum: Sicuti, si in eodem oleo mastiches bulliant flores verbasci, egregium est specificum ad procidentiam ani ex tenesmo. Iritis aliis, insigniter conveniunt sacculi sequentes:

℞. *Furfur.* M. ij.
Fol. mil'efol,
Flor. verbasc. an. M. j.

Insinuentur sacculo interpassato, coqu. in an. vini & aceti, & applicentur tepidè podici, ut perfectè anus firmetur.

Conveniunt imprimis, si post partum difficilem malum natum fuerit: Vid. GABELCHOVERUS *Centur. 1. Obs. 71.* Loco aceti vel vini, aut similis liquoris convenientis, etiam decoquantur in aqua ferrariorum, quæ potenter adstringit & anum firmat.

Repositus ita anus si non remaneat, ut firmiter loco suo retineatur, præter convenientem corporis situm, ad corrigendã musculi levatoris resolutionem simul appropriata nonnulla aromata conveniunt: v.g.

℞. *Flor. chamom.*
Balaustior.
Anthos,
Fol. Salviæ,
Lauri an. p. ij.
Nuc. cupress.
Gallar. contus. an. par. jv. vel vj.
Cort. granator. ℥j.

Coquantur in aqua vel *vino chalybeato*; applicentur & usurpentur oro fotu.

Quodsi post repositionem firmato etiam ano remaneat calor aut etiam rubedo in ano, ne ulterius superveniat inflammatio aut etiam aliud gravius symptoma, recipiatur aqua *plantaginis*, in qua solutum est *saccharum Saturni*, & ita anus hoc ipso blandè fovendus est: aut loco hujus *supradictis* fomentis adstringentibus utendum.

Hæc de situ intestinorum mutato: Pergo ulterius secundum ordinem naturæ ad

CAPUT XIII.

DE

CHYLI AD RELIQUAS PARTES MOTU ET DISTRIBUTIONE LÆSA.

SEparatus ita in duas partes chylus beneficio bilis & succi pancreatici, ejus subtilior & tenuior ac fluidior pars ulterius per crustam intestinorum bombycinam, & porulos intestinorum ita configuratos, ut cremorem hunc lacteum saltem admittant, crassiores verò partes his potius non proportionatas, imò etiam flatus & aërem excludant (de quo videatur LOWERUS *Tract. de Corde pag. 212.*) in vasa lactea transfusus, & leniter ab iisdem absorbetur, restitante ejus parte viscida sub specie muci; pars verò crassa excrementitia sensim sensimque ad intestina crassa motu eorum peristaltico ablegatur, ubi sub forma stercorum excluduntur, dum in recto intestino constituta molestiâ & pondere idem ad sui excretionem stimulant; quæ tantò est major, quò fæces sunt fluidiores; tantò minor, quò eædem crassiores.

Motus autem chyli ex intestinis ad reliquas partes quomodo & per quæ fiat vasa? semper admodum controversum fuit, unde etiam tanta dubia de organo sanguificationis & nutrimento partium oborta fuerint. Veteres Galeni sectatores ex intestinis attrahi a venis mesaraicis chylum statuerunt, & ad hepar transvehi in cruorem & spiritum naturalem elaborandum; inde & facultatem naturalem in hepate collocarunt, & simul contrarium chyli & sanguinis motum in mesaraicis fecerunt. Inventis vero postea anno 1626. d. 23. Julii à GASPARO ASELLIO *Ticinensi* venis lacteis, a colore & proprietate contenti liquoris sic dictis, per has ad hepar motum chyli promoveri creditum fuit, de quo ASELLIUS *Tract. de venis lacteis*, item WALLÆUS *in Epist. de Chyli & Sanguinis Motu*.

Cum autem JOANNES PECQUETUS *Diepæus* Anno 1651. trium annorum observatione confirmatum suum noviter, licet casu, inventum receptaculum commune, in brutis unà cum ductu thoracico, ex eo usque ad venas axillares protenso, divulgasset, & BARTHOLINUS loco illius receptaculi lumborum glandulas suas lumbares in homine demonstrasset, creditum omninò fuit; partem chyli crassiorem ad hepar per lacteas circa venam portæ sursum tendere, partem verò tenuiorem ad chyli receptaculum per reliquas lacteas deferri, ex quo per ductum thoracicum in ramum venosum axillarem sinistrum infundatur, ut cum sanguine redeunte per venas ad Cor misceatur, imò in mulieribus lacteas quasdam mesenterii ad uterum deferre chyli partem pro nutrimento fœtus, & ramulos quosdam, licèt nondum visos, à lacteo thoracico ad mammas lactis materiam chylosam deferre probabiliter statutum fuit, uti & serosam materiam ad renes deferri, ex iis sub urinæ forma post pastum excernendam: videatur PECHLINUS *Tract. de Receptac. lumb.* item BARTHOLINUS *Tract. de lacteis thoracicis.*

Sedulitas Anatomicorum tandem usque eò processit, ut à BARTHOLINO *Dano*, RUDBECKIO *Sueco*, & OLIVIO *Anglo*, ferè eodem tempore, licet diversis in locis, circa annos 1651. & 1652. vasa lymphatica inventa fuerint, qua occasione simul observatum fuit, vasa ex mesenterio ad hepar protensa non esse lactea, sed esse lymphatica, serosam materiã ex hepate educentia (sicut omnia reliqua lymphatica per viscera & artus dispersa ex circumferentia corporis ad truncum thoracicum, & tandem ad cor, ceu commune centrum, liquorem contentum revehunt) unde nihil chyli ad hepar convehi, & omne receptaculo communi & tandem cordi infundi, indeque cor sanguificationis organum unicũ proclamatum fuit, hepatis exequiis in sanguificationis negotio à BARTHOLINO celebratis: quæ opinio communi Medicorum applausu, paucissimis, imò ferè nullis, apertè renuentibus fuit recepta: vid. BARTHOLINUS *de vasis lymphaticis*, item RUDBECKIUS *de vasis glandulosis serosis.*

Lugebat hepar suam cladem, dum novæ ex insperato ipsi feruntur suppetiæ à LUDOVICO BILSIO, *Nobili Flandro*, qui à tenera adolescentia 10. annorum ætate usque ad senectutem ingruentem Anatomiæ operam dando, præter artificiosam cadaverum condituram, & incruentam eorum sectionem, anno 1660. se invenisse divulgat, alimenta in chylum transmutata præter separationem inutilis ab utili in intestinis, ratione vasorum lacteorum & mesaraicorum dividi, ita, ut in communiter sic dicta lactea pars subtilis tenuiorque instar roris per angustos meatus transudet, & ad receptaculum commune trãsferatur, unde per vasa (communiter sic dicta lymphatica, ab ipso verò, ob rorem contentum, vasa rorifera appellantur) sursum partim in cor & reliquas partes, partim verò deorsum, uno verbo, in omnia membra, deferatur; crassior verò ejus succi ex intestinis pars propriè Chylus dicta, in vasa mesaraica (sanguifera ingrediatur, ad hepar amandanda pro suscipiendo ibidem sanguinis rudimento, quod absolvatur tandem in corde: ita ut BILSIUS non tantummodò hepar anteà sepultum denovo resuscitarit, sed & venarum mesaraicarum munus devehendo chylo dicatum denuò renovet, sed etiam rorem suum, ab aliis lympham appellatum, in vasis roriferis ex centro, h.e. receptaculo ad circumferentiam corporis quaquaversus moveri afferat, quod omnibus, qui vasorum lymphaticorum mentionem fecerunt, omnino contrariatur. Ejus Commentatores pro materia salivæ, urinæ, sinoviæ, lactis, pro nutrimento fœtus, & alii etiam pro nutrimento partium spermaticarum rorem hunc assumunt, ut videri potest apud DEUSINGIUM *Epistol. ad Bartholinum de Hepatis Resurrectione*, item *in Appendice Exercit. de Nutrimenti Corporis Elaboratione*: CASSIUS item videatur, qui hæc BILSII *Asserta sententiæ Helmontii Digestioni* accommodat. Sed hanc BILSII opinionem refutatam videbis præter omnes alios Anatomicos apud JACOBUM HENRICUM PAULI *in Anatome Anatomiæ Bilsianæ*, item à RUSCH *in Tr. de Valvulis Vasorum lymphaticorum.*

Ex his quid verum sit? hariolari potiùs, quàm statuere concessum est; probabilius interim videtur, chylum ex intestinis in vasa lactea exprimi, à lacteis per mesenterii glandulas successivè ad receptaculum commune (quod in homine non constituunt glandulæ lumbares Bartholinianæ; hæ enim saltem sunt vicariæ glandulæ magnæ mesenterii brutorum: sed in homine itidem membranosum, sicut in brutis, reperitur: vid. WARTHONUS *in Adenographia*, item RUDBECK *in Tabulis Anatomicis*, quæ in *Hemsterhusii* Messe Aurea Anatom. reperiuntur: item DIEMERBROCK *Anatom. pag. 87.*) devehi, ibique cum lympha ex inferiori-

floribus ramis ascendente permisceri, dilui, & sic ulteriùs continuato pulsionis motu per ductum thoracicum in venam axillarem sinistram infundi, ibique cum lympha ex superioribus ramis descendente denuò permisceri, tandemque in cordis dextrum ventriculum influere.

Cæterùm aquosiores assumtorum partes in primis quoque viis ex Chylo secerni, & antequam cum sanguine permisceantur, separari, cita potulentorum in bibonibus, ferè ut assumta sunt, sub urinæ specie excretio persuadet; Uti & Diabetes, acidularum potatio, assumtorum cum urinis cita excretio, odor urinæ violaceus ex terebinthina, odor croceus ex comesto croco, color sanguineus ex succo Opuntio, ficu Indica nempe: sed per quas vias cita hæc derivatio ad vias urinarias pertingat? obscurum est. Probabile videtur, chylum copiosum per vasa lactea in mesenterio ad glandulas delatum, ibi pati quandam secretionem utilis ab inutili aquosa materia, & quod hæc postea, ceu serum chyli, per vasa sui generis ad partes urinarias amandetur. Hinc rectè clamare videtur Helmontius: Discite urinam potus ab urina cruoris secernere; quasi nempe illa in mesenterio a chylo, hæc in renibus à sanguine secernatur: de qua urina potus vid. etiam DEUSINGIUS *in Differtat. de Depuratione Alimentorum pag. 146. & in Appendice p. 331; & 334. item Miscell. A N. C. Ann 2 Obs. 3. p. 4. & Annotat. ad hanc Observ. p. 292. Observ. 74. in schol. p. 234. Obser. 157. pag. 248. de nova via seri ad renes*; & *Obs. 168 p. 266.* item BARTHOLINUS *Cent. 1. Hist. Anat. 68.*

Lac non generari ex sanguine, sed ex chylo vel materia chylosa, probatum videb. in DEUSINGIO *Diss. de Lacte*, item in CHARLETONI *in Oeconom. Exercit. 3.* item in CORNELIO CONSENTINO *Progym 6.* item SCHNEIDERO *l. 3. de Catarrh. c. 3.* Fœtum quoq; per os & per placentam uterinam nutriri succo hujusmodi chyloso, ex quo primitus similiter ovum uterinum concrevit, videb. in *Exercit. Harvei de Generat. Animalium*, item in DEUSINGIO *de Genesi Microcosmi*, item in CLAUDIO *de la Courvee Tr. de Nutritione fœtus in utero*. sed *an hæ portiones chyli pro hujusmodi liquoribus per vasa lactea, vel his vel alia his similia, nondum tamen cognita, ad has partes deferantur? an verò ex chylo cum sanguine permixto nondum subacto, sed adhuc crudo, & copioso sero diluto, ad has partes delato, in iis separetur à reliqua massa?* dubium est. Posterius tamen verius videtur: id quod similiter de materia seminis proxima intelligendum venit. Qua ratione lædatur subinde Chyli in intestinis separati ulterior per vasa lactea in corpus distributio? & qui inde sequuntur affectus? videb. in SYLVII *Praxi l. 1. cap. 16. pag. 192.* & *c. 17. pag. 200.* Nempe impeditur hæc chyli distributio

I. Quando nulla fit in intestinis transcolatio: idque duplici ex causa.

1. Quando obducta & oblinita sunt intestina à copioso muco crasso & viscido, simulq; obducta orificia vasorum lacteorum: quam obstructionem sequitur

2. Fluxus cœliaci Species; sic enim excrementa chylosa excernuntur: de quo superiùs, ubi de Cœliaca Affectione.

II. Fit læsa aut omninò abolita transcolatio, quando per diarrhœam aut dysenteriam abrasâ intestinorum internâ tunicâ, sequuntur hincinde cicatriculæ, quibus simul occluduntur pori seu orificia vasorum lacteorum in intestina hiantia: idque fit imprimis, uti dixi, in dysenteria, quæ tenuia affligit intestina; tunc pariter fluxus illius cœliaci species est, quod à SYLVIO aliquoties in sectionibus cadaverum fuit observatum.

Denegatam hanc chyli transcolationem necessum est ut sequatur corporis Atrophia ac Tabes; quæ tamen minoris est momenti, quando ex prima causa oritur, uti *infra patebit ex methodo medendi*: sed posterior ex occlusione pororum seu orificiorum vasorum lacteorum, ac cicatricibus post dysenteriam vel diarrhœam è crassa tunica intestinorum, imprimis tenuium, relictis, nullo modo est curabilis, sed tabidum ægrum interimit.

Quod si fiat, ut jam transcoletur chylus, & derivetur in vasa lactea, tamen si in ipsis vasis lacteis, circa glandulas mesenterij in specie, objiciatur impedimentum, ulteriorem chyli progressum impediens, etiam læditur & impeditur debita distributio.

Hæc obstructio fit imprimis à chylo ipso nonnihil viscido, aut, quod frequentius est, à pituita seu muco intestinali resoluto, in vasa lactea pulso, ac ibidem denuò coagulato: id quod fit v.g. post exercitium nimium, dum corpore bene calefacto subitò ingurgitatur potus frigidus; à calore enim exercitii & motu primò liquefactus mucus ac attenuatus, in vasa lactea propulsus, superventu haustus frigidi denuò congelascit & spissescit, & ita vasa lactea ac glandulas mesenterii infarcit.

Quando ergo chylus in venis lacteis tale invenit impedimentum, & nihilominus tamen novus continuò succedit, vasa lactea insigniter distenduntur, & cùm instructa sint suis valvulis, fit, ut tunc in mesenterio copiosæ ubique appareant vesiculæ: qualia exempla non pauca observata sunt. Quod si verò venæ lacteæ rumpantur, quod facilè fieri potest, tenuissima enim est illarum tunica; tunc chylus effunditur in cavum abdominis, unde oritur certa quædam Ascitis particularis species: vid. SYLVIUS *l. c.*, ubi notabilia imprimis sunt ea, quæ de Ascite scribit; ita, ut Ascitis propriè dicti, ceu particularis abdominis hydropis, & in quo pedes non simul intumescunt, adeoque confirmatæ universalis cachexiæ proles non est, speciatim quod subitò interdum generatur ex causis occasionalibus, iis præsertim, quæ à SYLVIO memorantur, frequentissimam occasionem existimem talem chyli per lacteas effusi stagnationem; sicut non negarim, & aliis ex causis in aliis abdominis visceribus vel locis, lymphaticis ruptis, & lymphæ extravasationem, & hinc Asciticam intumescentiam supervenire posse, simili ferè ratione curandam, atque de illa ex chylo effuso disserit SYLVIUS, de quo *suo loco plura, ubi de lymphæ Motu impedito.*

Tandem tertiò, si malum in ductu thoracico, vel ab obstructione vel laceratione, hæreat, fit cum morte animalis, licet lenta, & est ferè malum incurabile. Hoc saltem in loco occasione obstructionis vasorum lacteorum considerandæ sunt obstructiones viscerum abdominis, & in specie mesenterii, item hepatis, lienis, pancreatis &c: nempe apud Veteres Practicos duo ferè sunt fontes morborum chronicorum, nempe Antipraxia viscerum, & eorundē Obstructiones.

Quod attinet antipraxiam viscerum: de hac superius dixi sub chylificatione læsa, eamque rejeci in Institutionibus. Dicunt: fomitem morborum esse inæqualem temperiem, stomachi nempe frigidam, & hepatis calidam. Rationem sumunt ex eo, quod observarunt in Praxi deficientem chylosin; unde argumentantur ad intemperiem stomachi: item quod patientes conquerantur de phlogosi sive rubore faciei; ergò derivant, ex æstuatione hepatis. Hæc antipraxia viscerum, stomachi & hepatis, statuitur primarius fomes morborum chronicorum. Porro dicunt: patere, quod exin sint difficilis curationis, si scilicet volumus prospicere stomacho calidis, nocemus hepati, & si volumus hepati prospicere frigidis, nocemus stomacho: ideò in specie eos ad incurabilium catalogum referunt. Sed hoc effatum apertè falsum est; stante enim sanguinis circulo, impossibilis est talis viscerum contrarietas; nempe omnis incalescentia partium dependet à sanguinis & spirituum calore, ita ut etiam cor ipsum per se frigeat, nisi à spiritibus & sanguine calido citò incalescat. Si ergò spiritus & sanguis proportionabiliter distribuuntur ad viscera, proportionali calore etiam viscera fomentabunt. Interim hæc Antipraxia non confundenda cum robore inæquali partium, & deinde cum accidentario quodam visceris cujusdam fervore. Scilicet debilius subinde ratione balsami sui seu spiritus insiti observatur viscus præ altero; id quod & in partibus externis non rarum est, à quacumque occasione læsum & hinc debilitatum fuerit viscus aut pars: v.g. brachium, in quo diu gestatus fuit fonticulus, aut quod aliquando graviùs sauciatum fuit, restitutum denuò, debilius ac minus robustum, flaccidius, frigidius, sub tempestatum mutationibus irritabilius, præ altero observatur; hoc verò robur inæquale nulla partis antipraxia est: Sic ubi adest Rosa, in parte affecta robur partis ita debilitatur, ut facilè ob debilitatem partis rosa recurrat in eodem loco. Robur hoc partis læsæ inæquale oritur ex vitio fibrarum, quæ tonum partis naturalem ejusque robur constituunt; His enim labefactatis, pars ob earum laxitatem & toni resolutionem, flaccida, mollior & debilior fit. Quoad accidentariam visceris incalescentiam; accidit interdum, ut viscus quoddam fervidius reddatur, quàm naturaliter esse debet: sic v.g. renes interdum æstuare, aut hepar intensiùs fervere observatur; id quod fit propter præternaturalem quasi spinam acidam infixam, cujus hostili præsentiæ visceris incalescentia supervenit: hinc impedimentum actionis propriæ, non autem cum alia visceris antipraxia aut contrarietate, unde & non refrigerantibus, sed spinam infixam evellentibus, hoc est, acidum corrigentibus, curandum: de quo vid. HELMONTIUS *Tract. Retenta.*

Quoad alteram originem morborum chronicorum, obstructiones nempe vasorum meseraicorum & viscerum in hypochondriis: aut nihil usitatius in morbis chronicis quibuscunque, quàm antipraxia viscerum, & dein ob-

structiones & infarctus vasorum mesaraicorum, hepatis, & lienis &c. Hinc nullus est rusticus, nec vetula qui non sciant loqui de oppilatione venarum mesaraicarum. Unde ordinario origo febrium intermittentium, continuarum, cachexiæ, mali hypochondriaci, scorbuti, icteri, pathematum abdominis, & similium affectuum chronicorum, qui sunt ægrorum torturæ & Medicorum scandala, aut à pituita viscida, aut à succo terrestri melancholico, derivatur; idque tàm in schola Galenicorum, quàm Paracelsistarum, & aliquorum modernorum, in specie eorum Consultationibus, à quibus passim etiam oppilationes & infarctus, à tartaro hinc inde coagulato factæ, incusantur.

Cæterum sicuti qualitates occultæ Physicorum sunt asyla ignorantiæ eorum; ita simili ratione dicere audeo, quod etiã tales in abdomine viscerum obstructiones & antipraxia viscerum sæpiùs sunt velamen, quo ignorantiam suam palliant Medici. Ob id nonnulli Practici, adhuc insistentes Veterum vestigiis, dubitare incipiunt, *an dentur revera tales viscerum obstructiones, quales accusantur*: vid. HOEFERUS *in Herc. Medic. pag.* 139. item HORSTIUS *l.* 4. *Observ.* 44. *pag* 239. & 240., ubi rectè dicit HORSTIUS, postquam dubitasset de obstructionibus, quod plurima symptomata vulgariter adscribantur mesenterii obstructionibus, quæ tamen sæpiùs habeant aliam originem. Equidem duo imprimis sunt, quæ fulcire videntur hanc hypothesim: quorum alterum hanc opinionem reddit probabilem; alterum eandem reddit inculpabilem. Probabilem hanc de obstructionibus vasorum mesaraicorum hypothesin reddit, quod in dictis morbis chronicis quamplurima abdominis symptomata, tormina ventris, phlogoses, alvi fluxus, &c. in quibus videtur esse impeditus humorum motus, ægris molesta sint, præsertim cùm circa hypochondria affligant: etsi alia quædam pars sit affecta, semper tamen præcedant, conjungantur aut subsequantur abdominis passiones: quin etiam, quod subindè in morbis chronicis confirmatis scirrhi & steatomata in mesenterii glãdulis, item in aliis abdominis visceribus sint inventa: Unde facilè possunt persuaderi, simpliciter esse in mesenterio talem obstructionem & infarctum. Alterum, quod inculpabilem reddit hanc hypothesin, est, quod fons per anatomen non adeo possit detegi: Cum enim præsupponant infarctum vasorum capillarium, quæ ordinariò post mortem collabascunt & reperiuntur clausa, hinc post mortem nulla satis accurata inquisitio institui potest: sed potiùs hos, ut & alios Medentium errores, tegit terra. Sed in istis vasis aut visceribus, quæ continuus liquorum transitus abluit, v. g. in venis aut arteriis, vasis item lymphaticis & lacteis, hepate & liene, &c. obstructio talis fieri nequit sine liquoris transeuntis restagnatione & collectione, hinc partis tumore, aut ruptis vasis liquoris contenti extravasatione; quæ mala, tumor aut extravasatio, necessariò & semper comitari debent quævis obstructiones. Et reverà, si totum perpendimus negotium, impossibiles sunt tales obstructiones in corpore humano; si autem quædam reperiantur, aliter explicentur necessum est. Res ut pateat accuratiùs, tres imprimis consideremus canales & meatus, in quibus obstructio fieri supponitur.

I. Sunt vasa sanguifera, arteriæ & venæ, quæ invehunt & revehunt.

II. Vasa lymphatica & lactea, quæ ex uno loco invehunt in alterum.

III. Sunt pori & meatus partium continentium, eorumque particulares ductus, per quos nunc continua nunc interrupta est liquorum trajectio, primariò quidem viscerum, hepatis, lienis, pancreatis, pulmonum, renum &c., secundariò glandularum, ac tertiò partium carnosarum.

Quodsi in his locis debeat fieri obstructio, tunc sanè necesse est, ut humor in motu impeditus stagnet, hinc pars intumescat, & oriatur vel liquoris stagnantis coacervatio, aut ruptis vasis liquoris in motu impediti in vicina loca extravasatio. Et

1. Quidem in vasis sanguiferis, ubi est in aliquo vasculo obstructio, necessariò impeditur sanguinis motus. Unde sanguine hoc in ista parte impedito primo fit ejus stagnatio, ex stagnatione tumor partis, hinc capillarium vasorum ruptio: his ruptis sanguinis vel extra corpus, vel in quadam corporis cavitate, extravasatio, & hinc necessariò inflammatio, stante continuo sanguinis circuitu; sive sit impeditus motus in arteriis, & tunc adest continua pulsatio; sive in venis, & tunc est renitentia & distensio.

2. Ubi in vasis lacteis aut lymphaticis fit obstructio, similiter fit lymphæ transituræ in motu impeditio, ita ut per vasa lymphatica non aliorsum commoveatur, nec ab his resorbeatur lympha ex parte; unde hæc in parte coacervata dabit tumores serosos: sin verò jam absorpta sit, adeò & in motu per vasa ex horum obstructione impediatur, crescere solet lympha in his venis, à qua tumor seu obstructio; unde à lympha stagnante fit vasorum distensio, tandem ruptio, & ita lymphæ necessaria effusio. Lympha ista effusa in peculiarem cavitatem dat hydropem particularem, v g. hydrocephalum, hydropem pectoris, palpitationem cordis ex aqua pericardii abundante, ascitem partium abdominis, & similes alios hydropes particulares; effusa verò lympha in poros partis solidæ non tantùm partem istam instar spongiæ tumefaciet, adeòque tumores œdematosi & serosi exinde pro varietate lymphæ variam originem ducunt.

Obstructiones, quæ dicuntur fieri in ipsis visceribus, aut partibus continentibus, etiam suos dant tumores, indeque vel inflammationes, vel abscessus, vel scirrhos, nec sine his contingere possunt. Cùm enim meatus & pori earum in hunc finem sint constructi, ut aliquid transeat, necessariò ex istis obstructis non potest non fieri interdum liquoris transeuntis stagnatio: unde pars necessariò intumescit, & tumefacta per suppurationem degenerat in abscessum; aut ubi materia stagnans inspissatur aut indurescit, fiunt tumores duri, plus minus indolentes, & ad tactum renitentes; qui ex sanguine in partibus sanguineis dicuntur scirrhi; ex lympha verò in partibus glandulosis dicuntur strumæ seu scrophulæ. Talis coagulatio & induratio materiæ obstruentis ordinariò fieri solet ab acido, subsistente aut in sanguine plus minus vitioso, in specie crudiore, atque crassiore, aut in lympha viscidiore, in quocunque loco obstructo: hinc sensim sensimque partes subtiles avolant & evanescunt, quæ ipsæ aliàs temperabant acidum: his discussis materia, sive sanguis sive lympha, sensim inspissatur, & à restitante acido ita firmiùs coagulatur & induratur. Quod autem adsit tale acidum in abscessibus, per se patet ex suppuratione; quod insit tale acidum in scirrhis & scrophulis, ex eo est manifestum, quod hi tumores, si inconvenienter tractentur, ita, ut acidum eorum vitiosam contrahat effervescentiam, facillimè in cancros exulceratos & depascentes tàm scirrhi quàm scrophulæ degenerent: hinc enim adeò est necessarium, ut simus accurati v. g. in Cura tumoris mammarum, quarum glandulæ scrophulosæ, ut ita dicam, facilè dant cancrum.

Patet ex dictis, quid habendum sit de Obstructionibus; nempe nullo modo universaliter esse negandas obstructiones; hoc enim absurdum esset: abusus tantum tollendus, & imaginariis istis obstructionibus superstructis morbis aliud fundamentum quærendum: Nam & ductus cholodochus, non minus quàm ipse ductus pancreaticus, in cœliaca passione oscula vasorum lacteorum, ubi hiant in intestina, tubuli renum, ureteres in nephritide, &c. subinde reperiuntur obstructi, subsequentibus exinde variis symptomatibus: mesenterii item obstructiones esse repertas, unà cum glandulis ejus induratis, cum subsequente corporis macie, similiter hinc inde prostant exempla, & plurima Practicorum experimenta loquuntur: abscessus quoque omnes & scirrhi necessariò obstructiones præsupponunt. Verùm in febribus intermittentibus, etiam cachexiis, hypochondriacis, & similibus morbis chronicis, sæpiùs omninò nihil adest, quod obstructiones arguat; maximus enim est error in Praxi, ut istud, quod est productum morbosum, habeatur pro causa morbi. Quod si verò in his morbis chronicis jam inveteratis tandem superveniant tumores viscerum scirrhosi aut inflammationes, v. g. quando quartanis inveteratis, malo hypochondriaco confirmato, &c. comitem se sistit scirrhus lienis, aut ictero scirrhus hepatis, hydropis prodromus, aut in cachexia confirmata deprehenduntur glandulæ tumentes & scirrhi mesenterii; quæstio adhuc est de tali tumore & præsupposita vera obstructione, an sit causa & radix talis morbi? an verò potiùs sit productum morbosum? Vulgò quidem putant, ex tumoribus istis morbos oriri: falsum est; tales enim obstructiones & inde nati tumores non sunt causæ radicales talium morborum chronicorum, sed sunt producta morbosa, seu talia, quæ morbo jam facto tandem superveniunt. Hinc enim in talibus morbis chronicis, eorumque principio, aut nunquam aut rarissimè obstructiones & tumores tales adesse solent; sed hi ipsi affectus morbis istis confirmatis superveniunt, adeòque ceu effectus tales morbos inveteratos sequuntur; adeòque ex morbo fiunt, non verò ex his morbi. Et quidem scirrhos aut similes tumores quod attinet; in his integet quidam ramus, aut huic anne-

xx visceris partes, omninò oppilantur, & in talem tophum coguntur; unde per eam cessat penitus contentorum trajectio, adeoque successivè vicini rami pedetentim dilatati ejusdem muneres fungi videntur: sic si totus quidam ramus ex vena portæ in hepate, aut si quidã ramus ex splene, aut si glandulæ mesenterii & colli scirrhescunt, tunc totus iste ramus aut glandula inepta fit suo usui; unde dum nulla amplius fit trajectio, scirrhus generatur, quem nullus tumor, nulla inflammatio subsequitur. Sed quid de talibus obstructionibus partium abdominis pro fundamento morborum chronicorum habendum sit? eruditè explicat LINDANUS *in Colleg. manuscripto super Praxin Hartmanni cap.165. de Mesenterii Inflammatione §.243.* ubi de hoc affectu ita inquit: *Credite hoc mihi, nam facit hoc Praxis videre: illi morbi & vitia, quæ passim attribuuntur obstructionibus mesenterii aliorumque viscerum, sunt reverà affectus ventriculi imbecillis & non bene habentis, laborantis scilicèt cruditate vel corruptione, imprimis sæpiùs in hoc casu acidâ. Revocate hoc ad animum, qui Praxin aggredimini. Utinam hoc Medici discerent, ut postquam tot purgationibus nihil profecerint, cogitarent non esse obstructiones mesenterii. Deinde potest nunc aliquid magis insanum esse, quàm velle tollere obstructiones purgantibus? Præterea in cadaveribus nunquam reperietis mesenterii obstructiones, nisi simul scirrhum & corpus morbi longitudine emaciatum, ubi totus sanguis mirè corruptus scirrhum mesenterii & obstructionem generat. Quid iis purgantia proderunt? Corrigite igitur ac corroborate ventriculum, corrigetis sic omnem obstructionem, & tolletis omne malum. Natura cautè satis providet, ne vasa mesaraica possint obstrui, scil. accuratissimè filtrando Chylum per filamenta bombycina: unde videmus chylum per venas lacteas limpidissimæ instar aquæ transire, adeò ut potius spiritus lacteus, si ita loqui liceat, transeat, quàm aliquod corpus: at verò quomodo ibi fieri poterit obstructio, præsertim cum pateat, minores ramos desinere in ampliores? atqui obstructio est metuenda, ubi ex majori in minus vas defertur. Ego, inquit, tales obstructiones, affectus melancholicos, hypochondriacos, &c. curo, curato ventriculo.* Hæc LINDANUS. Et sanè rem ita se habere, confirmat quotidiana experientia: ergo hujusmodi obstructiones & antipraxia viscerum sunt asyla ignorantiæ. Certi sius, quod nullum reperietis morbum chronicum ex viscerum infarctu derivatum, in quo non primaria morbi radix & origo semper hæreat in stomacho & primis viis, atque vitiata digestione. Nempe digestio prima in ventriculo & ejus perfectio in intestinis plus minus læsa, sunt fons omnium morborum chronicorum, tàm ex antipraxia, quàm obstructionibus viscerum vulgò derivatorum; nam si dicunt adesse antipraxiam viscerum, tota causa est in stomacho & cruditate acida: item quod supponunt adesse obstructiones, vitium est post cruditatem stomachi acidam in vitio digestionis secundæ. Nam si committitur error in digestione prima, non corrigitur in secunda; si committitur in secunda, vitiatur tertia, scilicet hæmatosis, & sic fit sanguis cacochymicus. Læsiones hæ sunt vel vitio objecti seu errore externo, vel vitio fermenti digestivi in stomacho, aut vitio succorum, biliosi aut pancreatici, vitiatorum, quorum multiplex alteratio fœcunda mater morborum talium esse solet. Speciatim bilis vel parcior vel inertior fovere & contumaces quasi reddere solet hos ipsos affectus; unde ametria chyli, dyscrasiæ sanguinis, partium nervosarum multiplices dolorosi affectus, originaliter ex vitioso acido primarum viarum propullulare solent, dominante semper acido, seu vehiculo plus minus seroso aut viscido, eoque semper vario, ipso etiam magis vel minus volatili aut fixo; unde vitiosum imprimis acidum tantùm non in omnibus chronicis reperietis morbis. Unde etiam basis curandorum talium morborum consistit in vomitoriis, quibus & febres intermittentes, & malum hypochondriacum, & omnes affectus melancholici, cachexiæ itidem: necessariò sunt primitus aggrediendæ. Conveniunt ergo remedia tam generalia alterantia, nempè acidum corrigentia & absorbentia, viscidum alterantia, eaque evacuantia, & hinc stomachum & bilem balsamicam aromaticâ vi restaurantia, quàm specifica, speciales sapores acidos enervantia, & specialia vitia humorum emendantia, quæ impregnata sunt sale alcali, aut fixo aut volatili acri, aut volatili oleoso: qualia sunt v.g. aromata, antiscorbutica, aperientia dicta: hinc etiam est, quod v. g. martialia & saturnina in dictis morbis sint adeo usitata, ut tales ægros ad acidulas, ceu sacram anchoram, soleamus ablegare, quæ turgida sunt primo ente martis. Jam verò martis concretum terreum, habens pro subjecto terram quandam volatem, quæ beneficio sulphuris acidi coagulatur in corpus Martiale, per se simpliciter adstringit, & omnia ex eo parata saporem habent adstringentem. Gustate omnia ex marte parata, sive sint sicca sive liquida, semper reperietis, quod apertam habeant adstrictioné in lingua; unde mars, lac chalybeatum, potus chalybeati, & omnia martialia, in diarrhœa, dysenteria, & in alvi quibuscumque fluxibus, hæmorrhagiis, viscerum atoniis, &c. conveniunt, quæ ipsa tamen etiam in malo hypochondriaco propinantur. Dum ergo per se semper mars adstringit, quomodo in talibus malis ex obstructionibus suppositis conveniant, & quomodo aperire queant? dubiũ remansit. Primus nobis aperuit oculos HELMONTIUS *in Parad. de Fontibus Spadanis*, cujus vestigiis laudabiliter institit TACHENIUS *in Hpp. Chym cap.28.*, ubi agunt de marte, qui duo toti sunt in eo, ut ostendant Martem per se semper adstringere, per accidens verò in dictis morbis chronicis aperire (vid. LUDOVICI *in Pharm.*) quatenus rationis suæ texturæ terrestris promptissimè absorbet in se sapores vitiosos acidos, austeros, ponticos, aluminosos, aliaque similia salia corrosiva, sive, uti vocat HELMONTIUS, sylvestria, in stomacho & intestinis oberrantia, quibus absortis, dum agunt in Martis corpus fixum terrestre, omne suum vitiosum saporem & omnem excessivam qualitatem omninò exuunt & deponunt, & vitriolicam & abstersivam acquirit naturam: id quod fit propter mutationem texturæ particularum; indeque laxando alvum, dictos sapores morborum vitiosos sub forma nigrarum fæcum ex corpore evacuat, & morbum tollunt, & sic convenit in omnibus morbis chronicis.

Dum autem ab his Martialibus, ut & Saturninis, remediis absorta sunt salia vitiosa in his morbis, conveniunt salia tam animalium quàm vegetabilium volatilia, quæ hæc salia alterant, & simul vitiosam mucaginem vitio stomachi enatam attenuant, deinde resolvunt, ac fluxilem faciunt, ut faciliùs corrigi aut evacuari, aut tandem sanguini assimilari possit: unde etiam purgantia præter hæc assumta conveniunt, imprimis ad detergendum, ut, quantum fieri potest, crassos ac pituitosos succos evacuemus, in quibus usurpantur talia, quæ eosdem incidunt, ac visciditatem corrigunt.

Præter vitia ista, & præternaturales acido acres sapores, in istis morbis chronicis vitia stomachi pronata, simul videre est, quod non rarò ex dicta vitiosa stomachi digestione ipsa quoq; massa sanguinea cruda reddatur, & muco acido crasso ac viscido impregnetur, unde ex tali cachochylia necessariò superveniat cacochymia. Hinc in talibus subjectis, ubi gravius fuerit ventriculi sub digestione erratum, aut notabilior cruditas acida, si venam secando mittatur sanguis (quod an rectum sit, non dicam, præsuppono saltem) observatur utplurimum eidem extravasato & jam coagulato supernatare mucum quendam albidum, plus minus sublividum, spissum, & multis modis variegatum, quod in sero natans reverà nihil aliud est, quàm chylus crudus vitiosè digestus, qui cum non possit debitè fermentando assimilari sanguini & spiritualescere, sub forma talis succi ac muci vitiosè ipsi confusus inest, fermentationis negotium impedit, hincque cachexias, talesque morbos chronicos, antè ac corrigatur ac evacuetur, adeò contumaces reddit, speciatim mulieres ad chloroses disponit; hinc etiam tales vel levi motu de difficillima respiratione conqueruntur: sicuti mulieribus, talibus morbis correptis, ordinariò mensium fermentativa turgescentia & effluxus supprimitur.

Reverà ergò prima radix seu origo plurium morborum chronicorum, qui derivantur ex antipraxia viscerum & obstructionibus, est ex digestione prima in stomacho vitiata (ubi assumpta loco chyli laudabilis salsi volatilis degenerant & transmutantur in liquamen viscidum, aut fixum aut alio sapore vitioso inquinatum,) & læsa perfectione chyli in intestinis, & separatione fæcum; quæ omnia oriuntur ex stomachi cruditate acida ac corrupta, & succo pancreatico vitioso, unde ad sapores & salia respiciendum est.

Quæ jam dixi, hæc omnia confirmant symptomata, & remedia juvantia & nocentia. Symptomata si probè examinentur, omnia possunt deduci ex cruditate acida; hinc enim ructus acidi, flatuum ortus, & deficiens appetitus; hinc effervescentiæ & phlogoses ex vitio succorum, in intestinis murmura, alvi fluxus, tormina, & ex bilis vitio æstuationes oriuntur: In specie hæc confirmant juvantia & nocentia: 1. remedia enim in genere quæ conveniunt in hujusmodi morbis chronicis, aut, ut tantum communi sensu loquar, quæ conveniunt in obstructionibus ab acido natis, sunt vulgò, sed malè, sic dicta aperientia, propriè verò acidum

acidum aliosq; vitiosos & preternaturales in corpore succos acres, salsa, & inde vitiatam sanguinis crasim, indeque derivata præternaturalia vitia bilis, lymphæ, succi pancreatici, digestionum errore subnata, corrigentia, emendantia, & in statum naturalem reducentia, viscidum attenuantia, stomachum restaurantia, &c.

Quæ ex regno vegetabili hic usurpantur, sunt triplici in ordine: vel acria volatilia, *Antiscorbutica* dicta, vel aromata oleosa vel amaricantia *Hepatica* dicta, vulneraria blandè diuretica & similia, conveniunt. Conducunt autem talia in talibus morbis chronicis, non quatenus penetrent dictas obstructiones, sed quatenus partim amaritie suâ, acrimoniâ volatili &c. quæ in recessu habent sal volatile plus minus acre vel oleosū, contraria sunt vitiosis salibus aut saporibus acidis, in stomacho & primis viis & ipsa massa sāguinea hinc inde oberrantibus, quos dicta alterantia præcipitāt, (nam alcalia omnia precipitant acida in genere,) aut eadem alterant, aut in salsum transformant, & utplurimum per urinam evacuant; partim bilem inertem acuunt, & acriorem oleoso sale volatili temperant. Talia vegetabilia, quæ obstructionem respiciunt & stomachum restaurant, sunt verbi gratiâ *radices quinque aperientes*: ut sunt radix apii, asparagi, petroselini, rusci; item radix rubiæ tinctorum, quæ est egregia diuretica, eryngii, enulæ, cichorii, taraxacum, sale volatili egregiè constans, arum, chelidonium majus, levisticum, endivia, fumaria, radix graminis, fini s, polypodii, fragariæ, cucumis, asari, pimpinellæ: asari radix in substantia assumta, aut in vino decocta, est egregium vomitorium; in aqua verò bullita dat potum diureticum, & curativum febrium, & morborum chronicorum, teste HELMONTIO & ZWELFFERO. Præterea conveniunt marrubium, quod in scirrho hepatis & lienis commendatur, hyssopus, artemisia, absinthium, centaurium minus, carduus benedictus, agrimonia, chamedrys, scolopendria &c. His jungitur etiam, quam vocant Itali *Milzatellam*, quæ est nihil aliud, quàm species galiopsidis minoris. Constant hæc sale temperato quasi nitroso, quod temperat blandè acidum, & illud ad vias urinarias defert. De floribus genistæ res est nota. Cortices item fraxini, tamarisci, radicum capparis, & similes: semina calida minora, uti vocant, nigellæ, dauci, & similia: item cicuta. Nam radice cicutæ quidam curavit obstructionem hepatis, pulvere ejus à ℥ß ad ℈ij. propinato: recoquitur etiam, & decoctum adhibetur. Sabina non u teribus solùm est dicata, sed etiam infarctibus, quos vocant, viscerum. Inter aromatica oleosa, acidum temperantia, in usu sunt galanga, rosmarinus, salvia, fœniculum, mentha, semina calida majora, levisticum, absinthium, & similia amara, plus minus odorifera.

Omnia hæc revera operantur virtute salinâ volatili oleoso-urinosa, quatenus acidum destruunt, & bilem inertem acuunt. Item tolluntur tales affectus per temperata, v.g. per usum lactis, per passulas & similia, quæ vitiatos sapores obtundunt, & ita morbos corrigunt.

Quoad acria, attenuantia viscidum, conveniunt hic omnia antiscorbutica & anti hypochondriaca, qualia sunt imprimis nasturtium & omnes nasturtiorum species, cochlearia, persicaria, quæ apud modernos magnæ est æstimationis; piperitis &c. Operantur ratione salis volatilis oleosi, quod destruit acidum, eliminat sordes primarum viarum, & sal scorbuticum temperat & corrigit: Item semen sinapi egregium est in scirrhis, uti & erucæ. Jam hæc simplicia vegetabilia duplici modo usurpantur; vel cruda, vel præparantur: Cruda sumuntur, nunc recentia, quorum vis consistit in sale volatili, sed facilè dissipabili, ad imitationem HORSTII cum sero lactis probè depurato; nunc sicca, quæ sunt quasi oleosa, & quorum vis medicamentosa in concreto quasi concentrata est.

Quoad præparata: etiam succi, decocta, spiritus per fermentationem, essentiæ, & extracta, parari solent: v.g. essentia fumariæ composita, essentia absinthii, *essentia mirrhæ* cum spiritu vini tartarisato seu cum tinctura tartari, *essentia absinthii scorbutica* cum spiritu cochleariæ parata: it. noduli ex dictis simplicibus vino infusi.

Adduntur his gummata quæcumque, præsertim ammoniacum, sagapenum, mastix, & hinc galbanum & myrrha; quatenus hæc pituitam viscidam aut vitream, seu mucaginem acidam, hinc inde intestinis & stomacho adnatam, resolvunt & abstergunt: & certum est, quod gummi ammoniacum in scirrhis viscerum & similibus, ab infarctu verò ortis affectibus nullis aliis cedat remediis: potest sumi in forma pilularum, vel saltem potest purgantibus addi: vel ex Viridi æris & gummi ammoniaco distilletur spiritus acidus volatilis & penetrantissimus; vel quidam recipiunt *spiritum viridis æris*, & *in eodem dissolvunt* vel extrahunt *gummi ammoniacum*, quæ est *essentia egregia*.

Ex dictis in specie in usu esse solent *essentiæ* & *extracta*, si nempe spiritus per fermentationē proprius affunditur ipsi vegetabili, aut ad imitationem Angeli Salæ ejus succo inspissato: sic enim fit v.g. *essentia absinthii*; ex succo *menthæ* inspissato cum spiritu menthæ per fermentationem facto; ex succo *baccarum sambuci* inspissato, affuso spiritu florum sambuci vel baccarum sambuci, fit egregia *essentia contra erysipelata*; ex succo *fumariæ* inspissato cum spiritu fumariæ paratur *essentia antiscorbutica*. Idem potest fieri *ex antiscorbuticis, nasturtio, & cochlearia*.

Hæ ipsæ tamen essentiæ quacunque ratione parentur, non exhauriunt totam crasin medicamentosam simplicium; post extractionem enim talismodi essentiæ multum virtutis in iis adhuc residet. Nam utut videatur, cochleariæ vim consistere in sale volatili, quod in superficie hæret; notum tamen est, quod multum insit salis fixioris, ut ita dicam, quod affusus spiritus cochleariæ ex succo inspissato non elicit. Præferuntur ergo his *Quintæ Essentiæ* dictæ, paratæ ex eorum spiritu inflammabili per fermentationem parato, & spiritu eorum urinoso volatili per putrefactionem parato; qui duo junguntur in debita proportione cum oleo simplici destillato, & sic mediante digestione diuturnâ & repetitâ cohobatione coeunt invicem in *Quintas Essentias* dictas, ex sale volatili, oleo & spiritu constantes, & crasin totius misti optimè referentes. Salia volatilia in forma camphoræ ascendunt cum sapore simplicium.

Quoad spiritus vegetabilium antiscorbuticorum, quæritur; quomodo sint præparandi, cùm vis maximam partem consistat in sale volatili. Respondetur: Ut tota crasis medicamenti servetur, fiant prius per fermentationem; qui reaffundantur antiscorbuticis recentibus, ut ita per fermentationem pars fixior volatilis fiat, & per repetitā cohobationē simul nanciscatur vis volatilis: quin etiam salia fixa admodum sunt convenientia, nempe ex dictis vegetabilibus parata; v.g. sal genistæ, fraxini, absinthii, centauri minoris, cardui benedicti, roris marini, & similia, quæ omnia virtute suâ saponariâ, & abstersivâ, uti quælibet alcalia, acidi destructivâ & diureticâ, dictis morbis, ab obstructionibus vulgò natis, medentur.

Præ cæteris inter salia eminet imprimis tartarus, qui egregium est simplex & vegetabile concretum, ad quod Medici, tanquam ad sacram anchoram, confugiunt in morbis chronicis, imprimis ubi laborat stomachus, non ut aperiat obstructiones, sed ut sordes varias primarum viarum eliminet, & vitiosos sapores succi pancreatici & fermenti digestivi corrigat; unde usurpatur nunc cremor, ut & crystalli tartari, in vehiculo fervido. Quod verò hujus aciditas quibusdam sit suspecta, utut in se insignem vim habeat incidendi, attenuandi & resolvendi, prætereaque urinam ciendi, tunc conveniens est, ut cremori tartari addatur sal tartari, vel recipiatur cremor tartari, aut tartarus crudus, & pro suspecta ista aciditate temperanda misceatur cum dimidio salis tartari (quod privilegiatum dicitur ad resuscitationem metallorum) dissolvatur blandè in aqua fervida, post fermentationem filtretur, & ita in loco calido evaporent; sic evadit sal tertium egregiè diureticum, & nobile digestivum salsum egregium: vel addi possunt lapilli cancrorum aut similia subjecta, quæ vim salinam acuunt, aciditatem verò nonnihil temperant.

Pertinet huc terra foliata tartari & liquor terræ foliatæ tartari, qui egregius est in omnibus morbis chronicis: quò etiam facit tartarus vitriolatus *Tachenii*, egregium & universale digestivum: similis naturæ ferè est tartarus vitriolatus BARTHOLETI *in Tr. de Respiratione*, quem vocat *expertum alexipyreton*: item sal *digestivum hypochondriacum* ex additione salis tartari ad sal ammoniaci in præparatione hujus *spiritus*. Non cedit his *arcanum Mynsichti* seu *panacea Holsatica*, facta ex alcali nitri, saturato nonnihil à spiritu vitrioli, in hypochondriacis, scorbuticis, scoribus intermittentibus, remedium sanè singulare, blandum somnum concilians. Ratio hujus rei videtur hæc: quod nempe sal alcali nitri imbibit nonnihil de sulphure vitrioli fixo anodyno, utut parum sit, à quo derivanda videtur vis ejus blanda hypnotica. Sed juxta hæc ex tartaro paulò fixiora, imprimis conveniunt volatilia ex tartaro, spiritus nempe ejus & sal volatile; non autem spiritus communis & phlegmaticus, sed per se crebrius rectificatus, & à capite mortuo ritè volatilisatus: nobilissimus est in morbis chronicis quibuscumque & similibus affectibus, Obstructionibus vulgò tributis, quatenus vitia digestionis primæ & secundæ propter

vitiatos

vitiates succos corrigit & eliminat; est enim de natura salium alcalium volatilium, saponariæ virtutis, & qui abstergit quascunque sordes in corpore vitiosè enatas; præterea quodcunque acidum destruit, istudque per vias urinarias ablegat. Verùm tartarus crudus propter copiosum oleum parum suggerit spiritus, imprimis si probè rectificetur. Fæces ergo vini successivè exsiccatæ destillandæ sunt; uti in superioribus monui; hæ ipsæ enim ritè destillatæ dant spiritum tartari urinosum volatilem, & egregium sal volatile saporis urinosi, instar glaciei alembico copiosè adhærens, uti ego vidi, rectificatione ulteriori depurandum. Loco horum *spiritus carminativus de tribus* ex tartaro, nitro, & Vini spiritu per retortam tubulatam paratus, quem superiùs aliquoties commendavi, instar omnium & nobilissimus est: Est enim revera nihil, aliud, quàm *spiritus tartari volatilis*, qui sanè in chronicis affectibus, & imprimis hypochondriacis pathematibus, nobilissimus & expertissimus est: Sed circumspectè præparandus, si debet fieri volatilis & penetrans: transit simul sal tartari volatilis in forma crystallina; & nisi rectè procedatur, omnia diffringit. Mira vidi, quæ hic præstitit. Tandem ipsum oleum tartari fœtidum destillatum, constans ex sale volatili, per acidum proprium concentrato, & in oleiforme corpus redacto, debitè cum alcali proprio commistum & digestum, imbibendo aciditatem nimiam, destillando suggerit spiritum & sal volatile nobilissimum in Chronicis affectibus. De sale tartari notum est, quod, si quid aliud, hoc sit egregium incisivum. Verùm cùm sit fixæ naturæ, & reluctetur stomachi digestioni, ob id melius est, si volatilisetur: sal tartari enim fixum volatilisatum est *succedaneum liquoris alcahest* HELMONTII, ut ipse fatetur *in Tract. de febribus*, inquiens: *si non possumus pervenire ad arcanum hoc*; &c. Modi, quoad præparationem, sunt varii; Quidam mediante Vini spiritu sal tartari nonnihil destillant, & fit *Balsamus Samech Paracelsi*, arcanum in ulceribus, de quo videatur HELMONTIUS *Tract. Scabies, & Ulcera*, LUDOVICI *in Tract. de sale tartari*, DAVID *Von der BECK Tr. de eodem*, & LANGELOTT. *Epist. de Princip.* In specie autem volatilia tartarea præ reliquis volatilibus præeminentiam habent in eo, quòd acidum nostrum peccans frequentissimè ex potulentis, imprimis vinosis, aut fermentando in vinosam acescentiam redactis oriatur, quibus volatilia ex tartaro, utpotè ejusdem cum vino prosapiæ, optimè resistunt, ita destruunt, & cum urina evacuant atque evocant.

Ex Regno animali pro usu Medico in morbis chronicis conveniunt partes animalium duræ, salibus volatilibus turgidæ, ossa & cornua præparata, lapilli Cancr., marina, & in specie testæ cochlearum, quæ marina præ aliis singularem habent vim alcalinam, quâ omne acidum mutant in salsum: imò calcinata dant calcem vivam, quod aliæ partes non faciunt, exceptis testis ovorum. Hæc ergò convenientissima sunt in morbis chronicis pro destruendo acido, cùm primariò ex acido viscido dependeant: imprimis salia eorum volatilia aut spiritus urinosi. Omnes enim animalium partes suggerunt copiosum sal volatile urinosum, quod elegans est in morbis chronicis, sapores vitiosos destruendo: Talia sunt v.g. spiritus & sal volatile Cornu Cervi, spiritus & sal volatile sanguinis humani, spiritus & sal volatile viperarum, succini, urinæ humanæ, ratione salis volatilis, quod est in spiritu salis ammoniaci. Nam urina humana ad chronicos hos affectus, utut sordida, est tamen expertissima; vid. SOLENANDER *Consil. 12. Sect. 1.*, qui dicit, quod *rusticis & agrestibus hominibus in obstructione hepatis & lienis, harumque partium tumoribus, sæpè putandam dederit urinam propriam, idque magno ac felici cum successu.* Melius autem est, si etiam præparetur ex urina immediatè spiritus, aut mediante sale ammoniaco. Loco horum omnium in specie esse potest spiritus salis ammoniaci adjectione cujusdam alcali fixi, sive sit sal tartari, sive cineres clavellati, sive calx viva, paratus: natales hic habet suas ex urina humana, & nihil est aliud, quàm sal & *spiritus urinæ humanæ depuratus*, minus olidus: Fit enim *sal ammoniacum*, quando ebullit sal commune cum urina humana; nam sic sal commune imbibit sal urinæ, & sic fit sal ammoniacum. Iam verò omnia acida lubentius sese jungunt & uniunt cum salibus fixis, quàm volatilibus: quando ergò additur alcali fixum, acidum salis communis illud sibi unit, & dimittit ex se sal volatile seu spiritum salis ammoniaci, qui est spiritus urinæ. *Duplex* autem est *spiritus salis ammoniaci*: nam si paratur *adjectione alcali fixi*, habetur spiritus salis ammoniaci urinosus, sed participans adhuc nonnihil de acido; ideò etiam in crystallos abit; si verò paratur *adjectione calcis vivæ*, acquiritur spiritus simplex urinosissimus, per se nunquam coagulabilis, & in pluribus differt a priori, & hic optimus est pro usu externo in affectibus nervinis. Si calci vivæ & sali ammoniaco addatur sulphur, potest præparari *spiritus salis ammoniaci rubicans* instar sanguinis. Spiritus salis ammoniaci cum sale tartari paratus, si ritè conjungatur cum oleis destillatis (quæ sunt *salia volatilia concentrata* à proprio sulphure) hujus sal volatile arripit, oleum & destillando se coagulat in butyraceam massam, & exinde fiunt *salia oleosa* elegantissima: de quibus nullus dubito, quin multa audivistis secundùm SYLVII experientiam.

Dico spiritum salis ammoniaci coagulare olea destillata: ratio est, quia in oleis destillatis est copiosum sal volatile; sunt enim, ut dixi, nihil aliud quàm *salia volatilia concentrata* in pinguedine seu sulphure, unde fermentata & destillata dant *spiritus ardentes*. Cum ergo sit in his sal volatile, conjungit se cum sale volatili salis ammoniaci, dum oleū præcipitatur à phlegmate essentiali, & sic fit tale corpus butyraceum. Sive ergo spiritus salis ammoniaci solitarius, sive oleosus factus, usurpetur, perinde est: utrâque enim ratione, uti quascunque febres intermittentes certò sanat, ita nobilissimus est in dictis hisce chronicis, hypochondriacis, scorbuticis affectibus, & cachexiis.

Vulgò etiam splen bovis insigniter commendatur in affectibus hypochondriacis, spleneticis & hepaticis, & exinde paratum Decoctum vel essentia splenis bovis: *Decoctum* ad morbos chronicos habet QUERCETANUS *in Pharm.*, *Essentiam* HARTMANNUS & ZWELFFERUS. Essentia hæc splenis bovis cum spiritu fumariæ, melissæ, aut spiritu cochleariæ parata, præter usum anticacheсticum experta est in morbo virgineo ex obstructione mensium orto; est enim expertissima in provocandis mensibus: si conjungitur cum essentia Martis aperitiva legitimè parata, fit egregium remedium in affectibus chronicis & hypochondriacis, vulgò obstructionibus attributis; it. ex suppressione mensium natis; non quidem ratione splenis bovis, sed ingredientium appropriatorum. Adduntur his lumbrici terrestres, qui non cedunt aliis remediis in vi diuretica & aperitiva: Item formicæ, exque his per putrefactionem earum paratus spiritus volatilis urinosissimus, egregiè diureticus, & imprimis in affectibus scorbuticis optimus & polychrestus; qui mediante urinâ salia vitiosa acida imbibita & præcipitata foras educit; In specie spiritus lumbricorum, præter quem vix habetur par remedium in arthritide vaga scorbutica. Rudi Minervâ lumbrici contusi infundantur vino cum radice armoraciæ, aut ipsi lumbrici decoquantur contusi; quod infusum aut decoctum bibitum similiter est egregium in his affectibus.

Ex Regno Minerali cæteris frequentiùs usurpantur Mars ac Martialia, ac horum ratione acidulæ, item & Saturnina: utraque, quatenus destruunt salia vitiosa in primis viis, & aciditates peregrinas absorbendo edulcorant, ea cum fæcibus nigris eliminant, conveniunt. Verùm cùm operentur talia, quatenus acida vitiosa destruunt, ob id attendendum est, ne extra corpus sub eorum præparatione nimis saturentur acidis, aliàs nullius sunt virtutis & efficaciæ, & sic frustraneus erit eorum usus; Mars enim semel Acido saturatus extra corpus, instar pulveris tantùm jacebit in corpore, & quomodo assumptus fuit, prodibit. Hinc *Crocus Martis saccharinus*, qui fit, quando lamina ferrea illinitur acido spiritu vitrioli, vel oleo vitrioli, seu spiritu sulphuris, qui illam corrodunt in crocum, (vid. SCHROEDERUS *Pharm.*) pessimus est & nullius usus, utut sit *basis pulveris cachectici Quercetani*: nam ab acido spiritu sulphuris penitus corrosus & ita saturatus, ut ne aqua fortis quidem attingat eundem; unde nec in corpore potest dissolvi, sed in stomacho residebit tanquam terra mortua, & potiùs nocebit, quàm proderit. Ideò eò collimandum, ut medicamenta Martialia sub præparatione cum minimo, quantum possibile, tractentur acido, & quidem talibus, quæ stomacho nostro sunt amica & convenientia, & quæ superari possunt à fermento ejus, ita ut solutus Mars tantùm a salibus vitiosis corporis saturetur; spiritus autem minerales sunt nimis acidi, utpote Martem adeò imprægnant & corrodunt, ut instar terræ mortuæ hæreat in corpore, nec superari possit à fermento stomachico. Unde in stomacho robustiore potiùs convenit limatura ipsa Martis cruda, simpliciter pulverisata, & aliquotiès olei imbibitione à rubigine præservata; vel in iis, quibus paulò tenerior & sensibilior est stomachus, usurpatur imprimis in forma liquida;

quæ præparationes eò collimant, ut redigatur in corpus vitriolaceum; tunc enim fit, ut Mars præcipitetur in corpore, sic præcipitatus absorbet acidos copiosiores succos in primis viis. Unde limatura Martis recens infundatur in succos acidulos vegetabilium, e. g. succum radicis cichorii, succum pomorum Borsdorfianorum, cydoniorum, mustum, vel succum acetosæ & acetosellæ, vel Decoctum tamarindorum: Infusum hoc Marte probè imprægnatum, inspissetur in Extractum, quod vel ita usurpandum, vel cum spiritu Vini vel cochleariæ tinctura *Martis liquida* extrahenda: quæ nullo modo reluctatur digestioni, & optima est in morbis chronicis.

Tinctura Martis cum spiritu panis parata, est egregia. Hoc itidem observetur de *Crocis Martis aperitivis*, cum pauco saturatis acido. Optimus modus est, si Mars irroretur cum succo cichorii depurato, exponatur soli, donec abeat in crocum subtilem: vid. PANAROLLUS: qui crocus, cùm ab acido corrosivo non sit saturatus, magnam obtinet vim salia sylvestria in corpore absorbendi.

Quid dicendum de *Croco Martis aperitivo cum salibus*? Fit nempè lixivium ex salibus vegetabilium fixis, quod lixivium affunditur Marti, unde Mars corroditur in Crocum Martis aperitivum cum salibus. Vix laudem meretur, propterea, quoniam salia ista fixa in lixivio aggrediuntur Martem, & tunc aqua solvit proprium Martis acidum, salia fixa se uniunt cum acido, & ita abeunt in tertium sal salsum: Nam hoc tertium salsum, cùm in se sit saturatum, neque acidum neque alcali corriget, & ita crocus Martis aperitivus cum salibus vix laudabilem habebit in corpore usum.

Sed hæc tantùm mea est conjectura; an vera sit? consulenda experientia.

Substitimus hactenus in remediis ad obstructiones viscerum directis, aut iis, quæ in Obstructionibus vitio stomachi ortis laudantur. Recensui ea, quæ ex regno vegetabili desumuntur, & progressus factus ad regnum minerale, & de Marte dictum, quod semper adstringat per se, aperiat per accidens; hinc opus esse ut cautè & paucissimis acidis præparetur: vid. PANAROLLUS *Pentec.* 5. *Observ.* 32.

Præ aliis præparatis nota est tinctura vitrioli Martis ZWELFFERI, aut hæc illa in forma sicca seu *sal Martis compositum*, ex ana vitrioli Martis & terræ foliatæ tartari (*humectatur, & denuò siccatur*) in morbis chronicis nobilissima. Dosis 20. 30. vel 40. gutt. bis in die, manè jejuno stomacho in vehiculo calido, vesperi in vehiculo frigido ante cœnam, pro subjectis tenerioribus, quia est debilis, & plus operatur ratione terræ foliatæ tartari, quàm ratione vitrioli Martis; Unde huic vel simplicissimam, satis tamen efficacem, tincturam Martis præferre vellem. Modus has simplices, sed non inelegantes tincturas Martis parandas, describit DRAWIZIUS *in Tr. de Scorbuto dolorifico Sect.* 8. *de Dolore Ventris scorbut.* Et sanè extracta & tincturæ martis legitimè parata certè mirabilia præstant. Melior in usu est *liquor Martis solaris*, qui fit ex minera quadam in locis argillosis, composita ex Marte & sulphure, reperitur in Hassia juxta pagum Almenrodt, & propè Salfeldiam, ut & Naumburgum circa pagum *Sbolen*: Exposita aëri, verno & autumnali tempore efflorescit in vitriolum martis dulce, quod beneficio roris majalis per ollam non vitreatam elixiviatum, filtratum, & depuratum, constituit liquorem Martis solarem, qui elegans est in affectibus chronicis, in quibus utimur Martialibus. Nulla aliàs de hoc prostant vestigia, quàm in GLAUBERO *in Tr. Oleum vitrioli dulce*; Licèt autem scopum is non feriat, tamen medicamentum est nobilissimum: si minera cruda destillatur nondum aere resoluta, copiosum dat sulphur, caput mortuum trahitur à magnete, quod signum sufficiens Martis: sunt etiam, qui ex eo tantillum auri eliciunt. Ex capite mortuo destillando nullum elicitur sulphur, & si aeri exponitur, nil vitrioli dat: minera cruda autem efflorescit in vitriolo, quod destillatum nullum dat sulphur, sed phlegma & spiritum vitrioli. Liquorem tamen hunc appellare possumus acidulas concentratas, quia, quod acidulæ præstant sub haustu, idem præstat hic liquor sub guttularum usu.

Hoc ipso liquore possumus pervenire ad inquisitionem *Acidularum*: nempè minera hæc si immittitur aquæ & coquatur, nunquam quid evanescit; libero verò aeri exposita, sal universale aeris omne sulphur mineræ solvit, sulphur dissolutum mediante spiritu acido rodit adjunctam mineram Martis, unde coeunt in Vitriolum. Iam ergo, quod attinet acidulas: cogitemus aquas dicto sale universali impregnatas, quæ præterfluunt mineram Martialem, solvere dictum sulphur, quod solutum sulphur rodat mineram Martis, unde liquor talis Martialis. Talis minera ab aere eluitur in terra. Acidulæ nativæ & hic liquor sunt unum Ens, constans præstanti virtute diuretica & virtute acidum destructiva: Mars, qui ex acidulis præcipitatus aliàs cadit, dissolvitur ab acido corporis, & solutum sub forma fecum eliminatur. Si Martialia non satisfaciunt, ægros ablegemus ad acidulas non artificiales, sed naturales, in dicta antipraxia viscerum. Vina etiam Martialia, seu Mars in vino extinguatur, seu limatura Martis recens, vel sola vel cum cinnamomo, vino Rhenano aut Malvatico infusa, continuato usu sunt egregia; volatilis enim & subtilis vini acor nunquam intermittit, quin rodendo Martem, ejusdem subtilem crocum in se absorbeat. Hinc si addantur nonnulla Vegetabilia appropriata, v. g. cochlearia, fumaria, absinthium, chelidonium majus & minus, fœniculum, &c. cum cinnamomo & zingibere, exinde evadet *Vinum Medicatum anticacbecticum*. Nam & aqua ferrariorum pro pauperculis est egregium.

Verùm quoad legitimum martialium usum, observetur:

1. Sub Martialium usu semper operam esse dandam, ut alvus servetur aperta.
2. Si excreta alvi exinde euadant nigricantia aut atramentosa, signum esse legitimæ operationis martialium.
3. Blando motu corporis promovendam esse operationem martialium: si non sunt nigra, quæ excernuntur, signum est, quod minus operentur.
4. Inter ipsa Martialia habendum esse delectum: ut nempè observetur acidum humorosum peccans, an sit acrius & volatilius? an verò mitius? item consideranda constitutio ægrorum, an vel nimis delicata? Nam quorum orificia stomachi sunt sensibiliora, ii minus ferunt Martialia cruda: sed talibus saltem tinctura Martis liquida, tinctura vitrioli Martis Zwelfferi aut Infusa Martialia cum vino usurpanda sunt: Quorum verò robustius ac minùs sensibile orificium stomachi sinistrum, his Mars crudus præparatus, liquor Martis solaris, similiaque, commodè propinari possunt.

Pergo: post Martem nobilis est Saturnus, cujus saccharum, & ex hoc cum vitriolo Martis, & spiritu Vini parata tinctura *Antiphthisica*, reverà, uti notum, egregia sunt remedia in malo hypochondriaco, melancholiis hypochondriacis, scorbuto, & similibus chronicis affectibus, imprimis cum vitio splenis junctis, qui vulgò Obstructionibus attribuuntur. Ex hoc saccharo Saturni methodo consuetâ fit spiritus, quem vocant *spiritum Saturni*, & multi insigniter in splenis commendant affectibus: sed sub hoc spiritu insignis latet impostura; est enim nihil aliud, quam vini spiritus regeneratus ex aceto, cum quo paratum fuit saccharum Saturni; quod certum est. Quibusdam etiam crystalli ex minera Saturni cum spiritu nitri paratæ, sacchari Saturni loco in usu esse solent, quæ crystalli præter hoc, quod in febribus ardentibus, item peste, egregium præbeant refrigerium, ut cum vulgo ita loquar, etiam in affectibus chronicis, hypochondriacis, & hinc ortis Melancholicis, præ cæteris conveniunt, & etiam hos in stomacho radicatos affectus, & obstructionibus falsò tributos, insigniter curant & sanant.

Quæritur: *qua ratione Saturnina operentur*?

Respondetur: pari ferè ratione, cum Marte. Per se Mars semper adstringit: gustate saccharum Saturni, & apertè aluminositatem & adstringentem dulcedinem percipietis: Corrigunt ergò & dulcificant præternaturales aciditates; si enim assumantur crystalli Saturni, acidum saturatur ab alcali, Saturnus præcipitatus arripit ad se potenter acida, quæ dulcificantur & eliminantur cum fæcibus: non autem prodest quatenus æstum hepatis corrigit, sed quatenus dulcificat, & vitiosos sapores invertit. Iupiter etiam & Antihecticum Poterii, item Diaphoreticum Ioviale Schrœderi, similiaque in dictis morbis chronicis conducunt.

Hæc est Materia Medica, quæ in genere in morbis chronicis, ex obstructione vulgò derivatis, reverà ex acido vitioso natis, convenit, hoc est, cachexiis omnibus, icteri speciebus, Leucophlegmatiæ & anasarcæ, malo hypochondriaco, scorbuto, menstruorum defectibus, febribus intermittentibus, & similibus, in quibus ista vulgò aperire dicuntur, reliqua vitiosa salia morbosa, ordinariò ferè ex cruditate stomachi oriunda, corrigere & emendare solent. Verùm artificium chronicos hujusmodi affectus ritè curandi consistit in eo ut tempori inserviamus, nec nimis præcipitando curá, crabrones irritemus; h. e. temperatis remediis successivè insistamus, ne acrioribus commoti acriores p. n. succi effervescédo, & par-

& partes nerveas irritando, varia symptomata inducant: quibus imprimis moderatus corporis motus simul accedat.

Legitima ergò utendi methodus his ipsis est, ut usurpentur

1. Digestiva; hinc

2. Vomitoria vel blanda laxantia pro removendis impedimentis.

3. Præparato sic corpore Martialia, ut promptiùs absorbere & imbibere queant vitiosa acida: Quibus

4. Interponantur, non purgantia propriè dicta, quæ insigniter tales ægros & tandem frustrà vexant, & subindè periculosa symptomata inferunt, ex acriorum & effervescentium succorum ad intestina provocato influxu; sed blanda potiùs & per epicrasin laxantia, & quæ leni stimulo intestina mediocriter irritant: Et

5. Subjungantur Alterantia aromatica, in specie volatilia, plus minus amaricantia.

Inter Digestiva, reliquis ferè præmittenda, in specie laxativis, eminent imprimis salia salsa, aut nonnihil urinosa, succos acidos attenuantia, & acre omne blandè temperantia; qualia sunt, tartarus vitriolatus *Tachenii*, sal ammoniacum, sal hypochondriacum, arcanum duplicatum, liquor terræ foliatæ tartari, tinctura tartari, tinctura scoriarum reguli antimonii, tinctura vitrioli Martis *Zuvelfferi*: v. g.

℞. *Tartari vitriolat.*
Sal. absinth. ℈i.
Lap. Cancr. præp. ℈ß.
M. f. *Pulvis digestivus* pro duabus vel tribus dosibus. S.
Pulvis digestivus.
Vel
℞. *Tart. vitriolat.* ʒ ij.
Salis absinth.
Lap. Cancr. præp. an. ʒ j.
M. f. *Pulvis.*
Div. in 4. vel 6. part. æquales. S.
Pulvis digestivus.

Capiatur semel vel bis in die.

℞. *Liq. terræ fol. Tart.* ℥j.
D. S.
Essentia digestiva.

De hoc capiat æger bis vel ter in die 30. vel 40. guttas, manè nempè, in vehiculo calido, meridie biborio ante prandium, & à meridie in frigido vehiculo. Vel

℞. *Tincturæ antimonii ex scor. par.* ℥j.
D. S.
Tinctura digestiva.

Capiantur de tali bis gutt. xx, manè jejuno stomacho in vehiculo calido, meridie & circa vesperam in frigido.

Paratur autem sic *Tinctura Antimonii ex scoriis*: si sumantur scoriæ reguli antimonii cum nitro & tartaro parati, adhuc calidæ, & infundantur in spiritum Vini rectificatum, sic fit tinctura tartari, quam æstimo ob alcalia fixa imbibita. Vel

℞. *Liq. Terræ fol. Tartari* ℥ß.
Tincturæ tart. antimoniat. ʒ ij.
M. S.
Essentia digestiva.

Dosis 40. vel 50. guttæ, bis vel ter in die.

Quod II. attinet *Vomitoria*: hæc sunt nota ex antimonio, quæ sunt optima: præstant autem liquida siccis; & si opus est, reiterentur.

3. Martialia ex suprà dictis sunt cognita; sive usurpantur artificialia, nempè tincturæ, croci, infusa Martialia; sive naturalia, ut sunt acidulæ. In horum tamen usu aliquandiu persistendum est, ut radicitus corrigatur causa morbifica: in specie liquor Martis solaris continuetur ad 3. 4. usque ad 6. vel 7. septimanas, ascendendo à gutt. 10., 12. ad 20. vel 25., & descendendo, bis in die, manè in vehiculo calido, à meridie in frigido. Si non sufficiant, hauriantur acidulæ naturales in loco natali.

Hisce Martialibus interponantur subinde blanda laxantia, successivè, &, ut vocant, per epicrasin evacuantia, quæ scilicet alteratas & præcipitatas sordes beneficio istorum medicamentorum subindè leniter educunt: Nam in morbis chronicis violenter purgando nil præstamus, sed morbos deteriores reddimus. Si alvus ordinariò fluit, bonum signum est; si verò interdum tantum fluat, interponantur dicta remedia per epicrasin purgantia: vid. WEDELIUS *de Med. facult. pag.* 45.

Hæc inter eminet Rhabarbarum, quod aliàs *Anima hepatis* dicitur, blandum est laxativum, & amaritie suâ simul corrigit & acuit bilem, additis stimulis salinis; v. g.

℞. *Rhabarb. el.* ℈j.
Arcan. dupl. ℈ß.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis laxativus pro una vice.

Vel fiat Electuarium ex pulpa passularum cum rhabarbaro pulverisato, recipiendo ad quamvis unciam pulveris rhabarbari ʒj., & ita sub forma electuarii aliquandiu continuando.

Dosis nucum juglandium quotidie bis, est remedium ad cachexiam & quasvis icteri species commendatissimum: unde HELIDÆUS PADUANUS facit pilulas ex rhabarbaro pulverisato, & ex gummi ammoniaco in aceto dissoluto; & hæ fuerunt ejusdem pilulæ, optimæ in morbis cachecticis.

IV. Si quid aliud ex purgantibus mediocribus convenit, imprimis sunt gummata, in specie gummi ammoniacum, cum laxativis acuata: Talia sunt pilulæ de ammoniaco *Quercetani*, item pilulæ de ammoniaco *Bontii*, de quibus videatur SCHROEDERUS: vel *Riverii*, vel *Hartmanni*, quæ satis sunt commendatæ & utiles; item pilulæ aperientes *Tilemanni*:

℞. *Aloes succot.* ℥j.
Gum. ammoniaci aceto solut. ℥ß. vel ℥j.
Tart. vitriolat. ʒ iij.
Cum *Tinctura Martis* f. *Pilulæ.*

De quibus num. ix. x. vel xj. xv. ad xx. capiantur horâ unâ vel alterâ ante cœnam.

Nempè pertinent huc omnes *pilulæ usuales* seu *domesticæ* dictæ, quæ sub cursu curationis morborum chronicorum omni septimanâ simul capiantur, in specie sub usu Martialium: v. g.

℞. *Gum. ammon. in aceto solut.* ℈ ij.
Vitrioli Martis rite parat. ℈j.
Aloes luc. gr. xv.
Mastich.
Myrrhæ an. ℈ß.
Extract. troch. alband. gr. viij.
Cum *Essentia menth.* fiant *Pilulæ*: S.
Pilulæ emollientes & aperientes pro aliquot vicibus.

℞. *Gum. ammon.* cum *aceto sol.* ℥ß.
Aloes luc. ʒ ij.
Mastich. elect.
Myrrh. elect. an. ℈ ij.
Extr. troch. alband. gr. xv.
Cum *essent. absinth.* f. *pilulæ minores.* S.
Pilulæ aperitivæ pro aliquot vicibus.

Dosis gran. xv. ad summum ℈j., singulis 14. diebus, vel singulis mensibus usurpentur sub decremento lunæ.

℞. *Mass. pil. de ammon. Querc.* gr. xv. ad ℈j.
Extr. absinth gr. xv.
Aloes lucid. gr. ix.
Scamm. sulphurat.
Extr. troch. alband. an. gr. iij.
Cum *tinctura Tart.* fiant *pilulæ.*
D. S.
Pilulæ stomachales laxativæ, semel in septimana usurpandæ.

Præscripsi aliquando, ubi perfecta instituenda est purgatio, imprimis Extr. elleb. nigri: e. g.

℞. *Extract. belleb. nigri* gr. xv. ad ℈j.
Troch. alband. gr. j.
Gumm. ammon. cum *aceto solut.* ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr. iij. vel iv.
Cum *Tinctura Martis* fiant *Pilulæ*: S.
Pilulæ stomachales pro una vice.

℞. *Gummi ammon. in aceto solut.* ℈j.
Scam. sulphurat. gr. iv.
Extract. troch. alband. gr. j.
Cum *Ess. carbol. purg.* f. *pilulæ.*
D. S.
Pilulæ stomachales pro una vice.

Præscripsi aliquando hypochondriaco, colicâ hypochondriacâ laboranti, sequentem formulam, à qua absque ulla lassitudine cum insigni levamine purgatus fuit:

℞. *Aquæ Menth.* ℥j.
Gum. ammon. cum *aceto sol.* ℈ß.
Tart. vitriolat. gr. xij.
Scammon. rosat. gr. iv.
Syrup. de pom. Reg. Sab. ℥ß.

M. f.

M. f. Potio: S.

Potio laxativa.

Faciunt huc *pilulæ ex gummatibus* SYLVII *ex Praxi Med. l.1. cap.2. §.34. cap.7. §.52. & cap.14. §.50. cap.34. §.110. & cap.35. §.16.*, quæ multum contribuunt ad evacuandum in his morbis. Dictarum pilularum aliquot capiat æger manè jejuno stomacho. Item Mercurius dulcis in his chronicis affectibus, in specie spleneticis, cum extracto hellebori nigri est egregius, qui cum sit tenuissimus, uno vel altero grano extracti troch. alhandal est acuendus, hac forma:

℞. *Mercurii dulc.* gr. xij. vel xv.
Extr. helleb. nigr. vel *Mass. Pilul. de Ammon. Quercet.* gr. xv.
Troch. alhand. gr. j. vel ij.
Cum *ess. absinth.* f. *pilulæ*.

Quibus etiam gutta 1. vel altera *Olei destillati cumini* addi potest: S.

Pilulæ stomachales pro una vice.

Item pilulis convenienter permiscentur chalybeata, vitriolum Martis, ut ex pilulis Sylvianis patet, vel extractum Martis sequenti forma:

℞. *Extract. helleb. nigri,*
Mart. an. gr. xv.
Troch. alhand. gr. ij.
Scammon. sulphurat. vel *rosat.* gr. iv.
Cum *Essent.* sive *tinctura Mart. liquida. f pilulæ*: S.

Pilulæ chalybeatæ purgantes.

Sin in forma pulverum debent dari Laxativa, (dico laxativa; nam 3. aut 4. sedes sufficiunt; possunt tamen subinde repeti:) dantur imprimis cum salibus digestivis, v. g.

℞. *Tartari vitriol.* ℈ß. vel gr. xv.
Scamm. sulphurat. vel *rosat.* gr. iv.
Troch. alhand. gr. iv.
Ol. destillat. anisi (ratione odoris & saporis) gutt. ij.
M. f. *pulvis*.
D. S.

Pilulæ laxativæ.

Hic pulvis interdum septies, interdum duodecies laxat.

Faciunt huc etiam passulata, in specie eorundem Decocta, imprimis cum Martialibus usurpanda, in subjectis paulò siccioris constitutionis. Convenienter etiam usurpantur *Infusa ex fol. sennæ* cum sale tartari, quæ fiunt rubicunda, & omnis teter sapor est correctus, cum & sine rhabarbaro; vel mista cum gummi ammoniaco, & purgantia alia.

Obiter moneo, quod nunquam senna propinanda in quacunque forma, nisi addatur stimulus salinus, in specie ex Tartaro: Ratio est, quia aliàs non purgat, sed tantum adhærescendo parietibus intestinorum dat tormina: si tamen addatur stimulus, blandè & benignè, sufficienter tamen, evacuat. *Infusum sennæ* sit tale:

℞. *Fol. sennæ sine stip.* ℥ß.
Sem. anisi (ceu corrigens) ʒß. vel ʒj.
Sal. Tart. ℈j. ad ʒß.

Infund. in f. q. *Aqu. simpl.*, stent in loco tepido per noctem;

Colat. ℥iij. vel iv. adde
Aquæ cinnam. ʒiij. vel ℥ß.
Syrup. de cichor. cum *rhabarb.* ℥ß. vel q. v.
M. D. S.

Potio laxativa.

In genere tandem dictis aliquandiu continuatis fit accessus ad alterantia aromatica: eaque vel simpliciter talia; vel simul plus minus laxantia. Faciunt huc imprimis noduli vino infundendi, qui ipsi parantur ex simplicibus; nunc aridis, quæ sunt quasi oleosa, & quorum vis medicamentosa in concreto quasi concentrata est; nunc verò ex recentibus, in iis nempè, quorum vis in sale volatiliori, sed facilè dissipabili, consistit. Alterantibus his Purgantia infusioni apta permiscentur: Non enim omnia purgantia conveniunt, ut infundantur, qualia sunt, quorum vis purgans consistit in parte resinosa, quoniam resinam non attingit aqua: Quorum verò vis purgans consistit in parte mucilaginosa, ea possunt infundi & subministrant suam vim liquori aquoso seu vino. Sic dabo exempla: radix jalappæ non purgat, etiamsi totum cantharum ejus infusi haurias: gummi guttæ, mechoacanna, & similes plantæ resinosæ nihil valent in nodulis. Contra radix esulæ, hellebori nigri, folia sennæ, radix ireos nostratis, rhabarbarum & similia, commodissimè infunduntur; hæc vim purgantem communicant Aquæ, & Vino, quæ consistit in parte mucilaginosa & sale volatili. Si assumantur herbæ siccæ, infundendæ, de quibus sub exsiccatione non multum perit virium seu salis volatilis; Unde plantæ aromaticæ, quarum sal volatile oleosum cum sit fixius, utplurimum quod coercetur ab oleo, commodè possunt infundi. Possunt autem infundi radix angelicæ, fœniculi, levistici, helenii; item herba filicis, aut scolopendriæ, aut potiùs ex Aromaticis herba majoranæ, rorismarini, menthæ, absinthii, asari, taraxaci, centaurii minoris, cardui benedicti, & cum his passulæ, imprimis Corinthiacæ: item omnia, quorum sal volatile concentratur in proprio concreto; semen erucæ, sinapi, dauci, carvi, baccæ itidem juniperi & lauri, & similia: v. g. sit Nodulus alterans ex siccis:

℞. *Herb. absinth.*
Menthæ,
Rorismar. an. M. j.
Rad. fœnic.
Levist. an. ℥ß.
Galang. ʒß. vel ʒvj.
Zedoar.
Zingib. an. ʒij. vel iij.
Cort. aurant. ℥ß.
(vel *horum* & *cort. citri* an. ʒij.)
Cinnam. ʒij. vel iij.
M. pro *Nodulo Vino* infundendo: S.

Nodulus ad vinum stomachale.

Quod vel simpliciter ita bibitur, capiendo quotidiè bis semper ante pastum unâ vel alterâ horâ bonum haustum.

Alius *nodulus* aut *Vinum medicatum ex recentibus vegetabilibus* in quibuscunque hypochondriacis:

℞. *Herb. rec. chelid. maj.*
rec. *cochlear.*
Nasturt. aquat. an. M. j.
Rad. acori ver. rec.
Armorac. rec. incis. an. ℥jß.
Caryoph.
Cinnamom.
Zedoar. an. ʒjß.
Sem. anisi,
Fœnic.
Sal. Tart. an. ʒij.
Incis. & contusa includ. *nodulo*: S.

Nodulus ad vinum.

Quibus tamen subinde adhuc *spiritus*, & *sola volatilia* instillari solent, v. g. *spiritus salis ammoniaci*, *spiritus tartari volatilis*, *spiritus carminativus de tribus*, *liquor Corn. Cer. succinatus*, *Essentiæ* & *infusa aromatum*, maximè volatilia oleosa, aliaque similia, addendo de talibus omni haustulo gutt. 30. 40. &c.

Item *Nodulus alterativus*, *laxativus ex herbis recentibus*:

℞. *Herb. rec. cochlear.* M. ij.
rec. absinth.
Chelid.
Fumar.
Nasturt. an. M. ß. vel j.
Fol. sennæ sine stip. ʒvj. ad ℥j.
Rad. rec. acori veri, vel *enulæ*,
Armorac. an. ℥ß. usque ad ℥
Helleb. nigri crud. ʒvj.
Esul. præp. ʒij. vel ʒiij.
(violenta enim est, propterea etiam in hac dosi datur:)
Zedoar.
Zingib.
Cinnam. an. ʒj.
Sem. anisi,
Fœnicul. an. ʒij.
Sal. Tart. ʒiij. ad ℥ß.
M. pro *Nodulo vino* infundendo:
D. S.

Nodulus laxativus.

Sal Tartari stimulans est, & menstruum reddit idoneum pro purgantibus extrahendis: posset loco ejus addi cremor tartari, sed sal tartari est melius.

Capiatur subinde unus alterve haustus, & laxabitur blandè corpus. Dabo aliud exemplum ex alterantibus siccis & laxantibus:

℞. *Herb.*

℞. *Herb. absinth.*
Enul.
Membæ an. M. j.
Fol. senn. sine stip. ℥ vj.
Rad. enul.
Fœnicul.
Levist. an. ℥ vj.
Helleb. nig. crud. ℥ ß.
Esulæ præp.
Galang.
Zedoar.
Zingib. an. ℥ ij.
Passul. min. ℥ j ß.
Sal. Tart. ℥ ij.
Includ. *Nodulo.* S.
Nodulus ad vinum.

Ad Alterantia dicta aromata pertinent etiam Elixyr Proprietatis sine acido, tinctura tartari composita, & *Elixyr anticachecticum alterativum.*

℞. *Aloes succot.* ℥ j.
Gumm. ammon. ℥ vj.
Myrrh. ℥ ß.
Croci ℥ ii.

Infundantur cum s. q. *tincturæ tartari acerrimæ*, mediante digestione diuturna extrahatur Essentia composita.

Dosis ad 30. vel 40. gutt. bis in die propinanda. Vel *Elixyr. anticachecticum laxativum:*

℞. *Aloes*,
Myrrhæ,
Gumm. Ammon. an. ℥ ß.
Cro ij.
Caryophyll. an. ℥ j ß.
Rad. helleb. nig. crud. ℥ iij.
Pulp. colocynth. Num. 1.

Pulverisatis grof. modo adde
Sal. tartari ℥ j ß. ad ℥ ij.

Affunde *vini spiritum non dephlegmat.* q. s. digerantur per diem & amplius. Nunc
℞. *Sal. ammon. depur.* an. cum *sal. tart.*
Addatur istis, & parum spiritus Vini *non dephlegmati*, saltem q. s. ad solvenda salia, digerantur, filtrentur.
Dosis 40. *guttæ*.

Tinctura tartari composita paratur sequenti modo:
℞. *Aloes succot.* part. iij.
Myrrh. elect. part. ij.
Croci part. j.
Extrahantur cum *Tinctura tart. acerrima*, probè digerantur, & filtrentur.

Quò etiam pertinet Essentia myrrhæ, *Essentia absinthii, vincetoxici*, præsertim ex succis inspissatis cum spiritu cochlear. paratæ.

Sic generaliter morbi chronici ex vitio digestionis primæ & secundæ curantur.

Quod si hujusmodi chronicis affectibus subinde obstructiones reverà tales, tam mesenterii, quam lienis ac hepatis, ac inde supervenientes tumores duri ac scirrhosi, tactuique renitentes & indolentes vel in glandulis mesenterii, vel in hepate, vel liene, aliave parte similiter deprehendantur, nascuntur pariter hi ipsi ex acido viscido, cujus hostili præsentiâ stringuntur fibræ, clauduntur pori, ac ordinarius fluidorum transitus plus minus impeditur, unde HIPPOCRATIS Magni lienes & tumores viscerum supervenientes. Reverà ex talibus præsertim mesenterii obstructionibus ac tumoribus, subinde oriuntur aut saltim pertinaciter foventur chronici morbi, mirabilibus ac subinde difficulter explicabilibus symptomatibus, iisque quotidie variantibus, stipati. Et quidem mesenterium, si quadam in parte affectum sit, difficulter cognosci potest, cùm in profundo ferè situm est; supervenire tamen solet aliqualis, mollis tamen, & sine fluidi contenti indiciis, abdominis tumor, excreta alvi liquida, subinde varia, dolor obscurus, interdum plus minus gravativus in profundo abdominis percipitur, & ægri successivè emaciati videntur, nec nisi, ubi longiùs processerit malum, tactu tumor renitens tandem cognoscitur, imò interdum vix ante cadaveris apertionem observabilis est.

Lienem verò aut hepar si affligant obstructiones & tumores, dolor gravativus simulque obtusus, plus minus tensivus, in eorum regione percipitur, interdum quoque, si majores sint, tactui patent. Dolores punctorii, item vagi, nunc distendentes, nunc denuò evanescentes, nullo modo his visceribus conveniunt, sed intestinorum sequuntur affectiones. Ægrorum talium floridus faciei color perit; ac splenetici, obscurè lividi, & quasi plumbei apparent, Hepatici verò ad vitiosam flavedinem ferè declinant; urinæ crudæ subinde variantes excernuntur, eæque ferè pauciores; tandem tumor hydropicus sæpissimè vitæ finem imponit. Deteriora hæc sunt mala, si lien affectus hepar in sui consortium traxerit; cùm omnis ex splene refluxus sanguinis immediatè petat hepar. Recentia hæc mala, ac inde successivè succurrentes chronici morbi, nunc hypochondriaci, nunc scorbutici affectus symptomata, imitantes, adhuc curabiles sunt: magis verò confirmati, ac præsertim, ubi jam in scirrhum abierint tumores, incurabiles existunt.

Curandi ratio ex suprà dictis sponte patet; nempè per interna acidum corrigentia, humorem stagnantem plus minus viscidum incidentia & resolventia, & post epicrasin evacuantia, primatum ducunt: quibus & externa emollientia ac attenuantia socianda. Martialia ergo ante perfectum scirrhum sunt optima; hinc enim aquæ Martiatæ tumentes lienes absumere dicuntur: sed ubi ad scirrhum degenerant, nocent plurimum Martialia. Rationem, eamque satis exactam suggerit TACHENIUS *in Hippocr. Chymico Clav. pag.* 181. & 188. Hinc gummata, præsertim gummi ammoniacum & galbanum, & plura alia, ex his concinnata remedia sunt optima: item tinctura tartari, spiritus tartari, ac alia quævis salia volatilia, sed patienter & crebriùs usurpata. Hinc quælibet vulgò aperientia dicta, v. g. cortices ligni fraxini, scolopendria, ceterach, filix, absinthium, rhabarbarum, marrubium, quælibet antiscorbutica & similia, alias *Aperientia*, item *Hepatica*, vel *Splenetica* dicta, locum inveniunt; cùm quoad rem facti seu experientiam omnes conveniamus, saltem quoad theoriam seu experimentorum per causas scrutinium, differamus.

Externè conveniunt, tales partium abdominis tumores, plus minus scirrhum minitantes, emollientia gummata, in specie ammoniacum, galbanum, sagapenum, bdellium, & similia; hæc enim mirè incidunt, & emolliunt viscida crassa atque tenacia. Jungantur his Vegetabilia ad narcoticorum naturam propiùs accedentia, v. g. nicotiana, cicuta, hyoscyamus &c. exque his parata emplastra varia, v. g. *emplastra splenetica* dicta, quæ utplurimum fiunt ex gummi ammoniaco, galbano, sagapeno, &c. cum succis plantarum appropriatarum, nempè cum succis nicotianæ, mandragoræ, cicutæ, bryoniæ, radicis cucumeris agrestis & similibus: nam, quod obiter moneo, singulare quid obtinent succi plantarum narcoticarum &c., imò ipsum opium pro talibus emolliendis tumoribus duris scirrhosis partium abdominis; quibus & alia istis tumoribus appropriata socianda sunt: videatur DOERING *Tract. de Opio cap.* 5. Hinc *emplastrum de Nicotiana* est egregium: e. g.

℞. *Extract. nicot. per decoct. par.* p. iij.
Opii in extract. redact. part. j.
Cum *terebinthina solo nicot.* & pauca *Cera*
f. *Emplastrum.*

ZWELFFERUS egregium *Cataplasma ad scirrhos lienis ex nicotiana* describit *in Pharm. Reg. Vit. Editionis p.* 312. Hinc etiam in officinis prostant unguenta & emplastra splenetica. Convenienter etiam usurpatur *Emplastrum splenecticum Aquapendentis* ex part. ij. gummi ammoniaci in aceto soluti, part. j. succi nicotianæ, part. ß. resinæ & terebinthinæ & succi ebuli, cum oleo de capparibus & sufficiente quantitate ceræ mistis paratum: Item emplastrum de cicuta cum ana gummi ammoniaci in aceto destillato soluti mistum, quod super alutam inductum, & applicatum parti dolenti, non est inconveniens, malaxatum cum oleo succini.

Prosunt prætereà emplastra alia de ammoniaco parata: item *Emplastrum* HEURNII, ex cicuta & gummi ammoniaco, quod describit SENNERTUS *in Praxi lib.* 3. *P.* 4. *cap.* 6. *de Scirrho lienis pag.* 492., malaxatum cum oleo Philosophorum, succini, &c. Pertinet huc *Emplastrum Sennerti de cicuta*, quod in omnibus tumoribus abdominis est egregium. *Descriptio* autem hæc est:

℞. *Herb. cicutæ* M. ij.
Flor. genist. M. j.
Gumm. ammon. (quod est basis) ℔ j ß.
Coquantur in s. q. *aceti destill.* ad gumm. ammon. dissolutionem: Colaturæ adde

Succ.

Succ. nicot. veræ ℔ß.
Esulæ ℥iv.

Iterùm leniter coqu. ad humiditatis consumptionem: tandem adde

Resin. pini,
Terebinth. an. ℥iij.
Styrac. calam. ℥vj.
Myrrhæ ℥j ß.
Olei cappar.
Ceræ an. q. s. *pro consistentia Emplastri.*

Facit huc etiam *Emplastrum carminativum* SYLVII *in Praxi lib. 1. cap. 14. §. 58.*, quod in se etiam egregium est in hujusmodi affectibus, ubi externâ opus est applicatione *Compositio* est hæc:

℞. *Gum. galbani*,
Bdell.
Ammon. an. ℥ß.
Opii Thebaic. ℥j.

Dissolv. in *aceto destill.* iterumque inspissat. adde

Ceræ citr.
Colophon. an. ℥iij.
Thuris,
Myrrhæ rub. an. ℥ij.
Balf. Peruv.
Ol. Philosoph. an. ℥j.
Terræ ℥ß.
D^{st}ill. carui ℈ß.
Terebint. Venet. q. s.
M. pro *Emplastro*.

Quod insignes habet vires in duris tumoribus partium abdominis emolliendis & resolvendis.

Item Emplastrum de ranis cum Mercurio Vigonis dictis in casibus, in iis sæpè altis, est egregium, quale etiam variis scirrhosis hinc inde abdominis tumoribus commodè applicari valent; Vel ad liquescendam & emolliendam pituitam viscidam:

℞. *Gum. ammon. in aceto squill. solut.* ℥j.
Tacamabac.
Emplast. de mucilag. an. ℥ß.
Ammoniaci ℥ij ß. vel ℥iij.
M. Lento igne coque in consistentiam *Emplastri*; S.
Emplastrum resolvens & emolliens.

Extrà in forma debita applicetur scirrhis vel hepatis vel splenis calidè, & præstat effectum speratum.

℞. *Empl. de melilot.* ℥ij.
Galban.
Gumm. ammon. in aceto sol.
Sagapen. in acet. sol. an. ℥iij.
Tacamabac. ℥ß.
Ol. destillat. chamomill. ℈ß.
Ceræ gutt. v.
M. f. *Emplastrum*: S.
Emplastrum discutiens.

℞. *Emplast. de ran.* cum *Merc. duplic.*
Splenet. an. q. s.

Malaxentur cum *oleo destill. succini* aut *alio*.
Induc super *alutam* in forma debita.
Detur absque sindone: S.
Vt antea.

℞. *Empl de ran.* cum *Merc.* ℥j.
Gum. ammoniac. in aceto sol. & insp. ℥ß.
Opii in aceto sol. & inspiss. ℥ß.
M. f. *Emplastrum*.

Malaxetur cum *Oleo destillato juniperi* vel *Philosoph.* S.
Vt antea.

℞. *Empl. de hyoscyam.* ℥ß.
Gum. ammon. vel *galban.* ℥ij.
M. f. *Emplastrum*; S.
Vt antea.

Malaxari possunt talia emplastra usus tempore cū oleo destillat. succini, vel, quod melius, utut ingrati fœtoris, oleo destillato gummi ammoniaci, aut oleo tartari: nam quando destillatur gummi ammoniacum cum viridi æris, post spiritum volatilem prodire solet oleum empyreumaticum fœtidum, sed penetrantissimum, quo etiam emplastra & vnguenta fiant admodum penetrantia. Loco hujus tamen in tumoribus duris, & ad scirrhum inclinantibus etiam oleum Philosophorum, saponis, vel ceræ potest recipi.

Ante verò horum applicationem non incommodum fuerit, præmittere inunctionem partis a pituita viscida infarctæ cum oleo laurino, nicotianæ &c., cum oleo destillato Philosophorum vel gummi ammoniaci fœtido permistis: item Unguentum Martiatum purgans commodè adhiberi poterit, dictis oleis dilutum.

BARTHOLETUS *Tract. de Respiratione* commendat *sinapismum humidum*, quo utitur in Lienis infarctu & ejusdem induratione: Fit nempe ex *sinapi* cum *urina* contusa & applicato instar *cataplasmatis*: Non est inelegans, nam sal volatile urinæ potenter penetrat, unitum cum sale volatili sinapi seminis.

Hæc de Morbis ex Obstructionibus, aut veris, aut falsis & putatitiis ita dictis: Pergo ad

SECTIONEM XIV.

DE

PULMONUM, ET RESPIRATIONIS USU.

CHylus sanguini permistus in vena axillari sinistra, pergit in truncum venæ cavæ descendens, & ita in dextrum cordis ventriculum, ex quo per arteriam pulmonalem seu venam arteriosam in pulmones derivatur, & in suo transitu alteratur, ex pulmonibus verò per venam pulmonalem seu arteriam venosam transfertur in sinistrum cordis ventriculum. Antequam autem sanguis ex dextro cordis ventriculo pervenit ad sinistrum pro acquirenda debita sui perfectione, ac novæ debitæ fermentationis suscitabulo, ut abire queat in spiritus, priùs alteratur per aerem respiratione attractum: adeò ut hac respiratio sit tanti momenti, ut citra hanc perfectus, & pro corpore gubernando sufficiens sanguis minimè generari possit. Hoc ut fieri possit, dilatari debent pulmones, ut arteria pulmonalis sanguine infarcta mediante illorum dilatatione possit transmittere sanguinem in venam pulmonalem. Quæ pulmonum dilatatio cùm non fiat in fœtu, dilatati pulmones non possunt recipere eundem: propterea tota sanguinis massa transit partim ex vena cava per ovale foramen in venam pulmonalem, & ita in sinistrum cordis ventriculum; partim verò ex dextro cordis ventriculo ex arteria pulmonali per canaliculum arteriosum in arteriam magnam, ita ut sanguis non ambos cordis ventriculos permeet simul in fœtus circulatione, sed alterutrum: vid. HIGMHORUS *in Disquis. Anatom.* & SCHWMMERDAM *de Respirat.* Facit huc experimentum anatomicum, v. g. si in pulmones è corpore exsectos flaccidos per venam arteriosam injiciatur liquor, tunc nihil traijcitur; simul ac verò pulmones inflati continuentur, promptè per eandem venam injectus fertur liquor. Ut ergò trajicatur sanguis, dilatandi sunt pulmones. Verùm dilatatio ista fit ita, quod scilicet repleantur pulmones, quia dilatentur; non verò dilatentur, quia repleantur: i. e. aër irruens pulmones dilatat ac distendit, non verò pulmones distendi aerem hauriunt: ita ut dilatatione pulmonum & amplientur vasa, quæ recipiunt sanguinem, & amplientur vesiculæ simul, donec aër irrumpens easdem distendat.

Dilatatio pulmonum immediatè sequitur motum Thoracis; de quo MOEBIUS *in Fundament. pag.* 101. item HIGMORUS *c. l.*: ubi & pulmonum motus aut thoracis est animalis, dependens à musculis, primariò à diaphragmate, secundariò à reliquis musculis thoracis, nempè triangulari subclavio & intercostalibus. Hunc thoracis motum ejusque dilatationem sequitur aeris ambientis propulsio, propulsi per os & nares in pulmones irruptio, & ita horum dilatatio: nam cum nullibi sit vacuum, sed omnia plena, necessariò ubique datur motus circularis. Conferatur hîc SCHWAMMERDAM *c. l.* CHARLETON *in Exerc.* 8. & in

& in specie in LAMSWERDE contra Schvvammerdamium Respirationis nempè Schvvammerdamiana Exspirat.

Substantia pulmonum à Malpighio deprehensa fuit vesiculosa, quòd scilicet ea sit contexta ex copiosissimis parvis vesiculis angularibus, simplici membranâ constantibus, & sibi invicem connexis, hinc inde etiam fibris motricibus pro earum vel dilatatione meliori, vel contractione dotatis; quod necessarium; aliàs non fieret sanguinis circulus; quæ vesiculæ ab aere per asperam arteriam irruente instantur & dilatantur, à contracto verò thorace denuò compressæ aerem receptum iterum remittunt: vid. BARTHOLINUS *Tractatu de Pulmonum Substantia & Motu*. Non enim sufficit, ut dilatetur semel, sed novus inspiretur aer necesse est: Hujus verò aeris portionem ipsum sinistrum cordis ventriculum vnà cum sanguine ingredi in viventibus, credit SCHWAMMERDAM *citato Tract.* item BARTHOLINUS *Cent.4. Epist. p.488. contra Highmorum Tract. sæpè citato*. Aeris illa in pulmones dilatatos irruptio vocatur Inspiratio.

Necessaria admodum est Respiratio, cùm hac deficiente omnia intereant animalia. Non tamen refrigerium cordis & sanguinis, aut hujus à nitroso aeris sale condensatio, aut similis alia circumstantia primarius ejus est finis, cum talia in calore viventium naturaliter constituto, aut in senibus vel cachecticis tepescente, nullum locum inveniant: vid. MARCUS AURELIUS SEUERINUS *de Respiratione Piscium*, & MALPIGHIUS *de Bombyce*.

Sed potius usum vitæ nostræ simpliciter necessarium aër Inspiratus sanguini præstat: id quod confirmat (1) pulmonis parenchyma vesiculosum, quasi officina aut sanguificationis, aut sanguinis renovationis. (2) Sanguis dum in pulmone est, ut de novo quasi vivificetur intermedio temporis, dum ex dextro ventriculo cordis ad sinistrum pergit, per intermedios pulmones prius circulatur; & (3) ut terrestria animalia pulmones habent, ita possident aquatilia branchias, eorundem vicarias: Quæ omnia necessarium planè circa sanguinem per vitæ cursum, Respirationis usum innuunt.

Verus ergo Respirationis usus esse videtur, quod nempè aer inspiratus & sanguini permistus necessarius sit ad eam sanguinis vitalem restaurationem, & ultimam ejus perfectionem, quam in præcordiis acquirit, & cujus gratiâ continuato motu per pulmones, tanquam instrumentum, fertur: nempè hinc Inspirationis Vius est, ut attenuet, resolvat, h. e. volatilisset sanguinem, ut ita hic & promptiùs spiritueseat, simulque aptus reddatur pro omnimoda sui, sine ulla capitis mortui residentia, per poros difflatione: conf. ROCHAS *de Aquis Mineralibus cap.1. de Aquis sulphureis*, & BOYLE *de vi Aëris elastica*. Facit hoc aer ratione salis sui universalis, dissolvendis texturam sanguinis salino-sulphuream, eamque dissolutam ita rarefaciendis, ut hinc promptè in spiritus volatiles vitales aereo-salinos abeat: simul etiam ratione dissoluti & cum salibus volatilibus agitati sulphuris insignem illam in sanguine excalescentiam excitat: vid. HOCK. *in Micrographia, ubi de Carbonibus*: adeò ut rectè afferat WILLISIUS, aerem inspiratum sanguinem primariò incendere. Conferatur hic quod *suprà de spiritibus* dictum: vid. WILLISIUS *de Incensione in Responsione ad Higmorum in Differt. de Accensione Sanguinis*, & NEEDHAM *de formato fœtu in cap. de Byolichn. contra Willisium*. Aer enim menstrui vicem obtinet ad corpora sulphurea comburenda, resolvenda; vid. HELMONTIUS *Tr. Blas humanum*. Huic primariò Respirationis fini & alii secundarii accedunt, ut:

I. Promotâ sanguinis circulatione per pulmones, hinc omnia ea, quæ rapidiorem sanguinis reddunt circulum, etiam crebriorem & altiorem procurant Respirationem.
II. Fuliginum ex præcordiis sub exspiratione exclusio.
III. Fæcum alvinarum, ut & fœtus ex utero excretio.
IV. Excrementorum ex pulmonibus per tussim rejectio exspirando.
V. Vocum prolatio beneficio laryngis, quæ instar fistulæ Musicæ seu pneumaticæ per exspirationem vocem format.

Duplici autem actu constat Respiratio: Inspiratione & Exspiratione. Si pulmo ab aere irruente dilatatur ferè, & aer comprimit substantiam pulmonalem, fit Inspiratio; Exspiratio verò, quando iterum aerem eliduntur.

CAPUT I.

DE INSPIRATIONE LÆSA.

Aeris illa in pulmones dilatatos susceptio seu Inspiratio læditur tribus modis:

I. Quando omninò cessat & abolетur, seu plus minus deficit, seu suffocatur, uti fit in *Suffocatione dicta*.
II. Quando non est sufficiens ordinaria hæc Inspiratio, ac propterea fit solito ac debito frequentior & celerior, & ita quasi aucta in *frequentiore Respiratione*: de quo vid. SYLVIUS *Prax. l.1. c.82. §.82*.
III. Quando depravatur seu cum labore ac difficultate fit, ut in *Dyspnœa*.

ARTICULUS I.

DE SUFFOCATIONE.

Abolitæ Respirationis seu suffocationis plus minus imminentis causæ sunt multiplices, ex triplici tamen haurienda fonte, quatenus Respiratio seu aeris admissio & reciprocatio tollitur: vel

I. Vitio viarum, aerem non transmittentium, ut palati, gulæ, laryngis: vel
II. Fit vitio pulmonum vitiosè constitutorum, & aerem extrinsecùs irrumpentem, non admittentium: vel
III. Fit vitio musculorum & nervorum ad Respirationis negotium requisitorum, thoracem & consequenter pulmones & alias partes non legitimè dilatantium ac moventium, & ita aerem non sufficienter impellentium; unde ob varietatem hujus motus varii hi defectus fiunt.

MEMBRUM I.

DE SUFFOCATIONE A VIIS INTERCLUSIS,

In specie de

STRANGULATIS, ET SUBMERSIS, ET INEPTE DEGLUTITIS.

Quod attinet primam causam, nempè vias clausas, non admittunt hæ aerem, quando eas vel extrinsecùs aliquid angustat, vel intrinsecùs iisdem adhæret.

Extrinsecùs sese offert in specie *Strangulatio*, quâ à laqueo injecto angustantur fauces & bronchia, & constrictâ larynge intercluditur omnino aeri transitus; quod fit in suspensis: in quibus notandum, quod subitò si stringitur laqueus, & angustantur vasa sanguifera, in momento omnis sensus & motus pereat, in specie sensus.

Ratione causæ externæ fit etiam *suffocatio sæpè ob submersionem in aquam*, partim quatenus aqua replet fauces & laryngem, partim quatenus impeditur aeris admissio: Nam ii, qui intereunt in aquis, partim intereunt propterea, quia non possunt attrahere aerem, partim quoniam aqua frigida pulmones vel replet, vel sanguinem præsentem coagulat, ut suffocati intereant.

Porrò ad angustationes viarum pertinent *tumores in & circa collum*, strumæ internæ, inflammationes internarum partium ad fauces pertinentium; sive sit inflammatio, sive tumor faucium, tonsillarum &c., sive sit inflammatio ac tumor musculorum laryngis & gulæ in angina, sive sint alii abscessus & tumores, in vicinia laryngis geniti, qui omnes laryngis dilatationem impediunt, & angustationes desperatas atque suffocationem inferre possunt.

Pertinent huc varia & multa ingesta, quæ vel quâcunque ratione in faucibus, sive in capite œsophagi ratione nimiæ molis, sive in larynge, hærentia occasionem præbere possunt, quò minùs aperiri queat laryngis rimula sive epiglottidis, unde necessariò sequitur suffocatio. Tales sunt boli grandiores, qui implent fauces, & obstruunt bronchia, sic necessariò inferunt suffocationem, si non occurratur talibus dum v.g. BARTHOLINUS *Centur. I. Histor.*

Histor. Anatom. 31. ex subitò deglutitæ linguæ bubulæ frusto suffocationem subitam notavit: sic FORESTUS *libr.* 15. *Observat.* 28. refert non nulla talia exempla ex comestione bolorum majorum suffocatorum; ut quidam ex frusto carnis fumo induratæ in gula hærentis; quidam ex frustis pomorum non ritè masticatis, suffocatus ferè fuerit; alius ex frusto tabaci &c. Quæ internè hærentia, ratione irritationis sensibilissimæ difficilem Respirationem, aut pertinacem ab epiglottide clausuram efficiunt, & ita suffocationem inferre possunt. Pertinet huc inepta Deglutitio rerum majusculatum, vel epiglottide nimis elevatâ in asperam arteriam irrumpentium, quale quid inter ridendum & loquendum deglutientibus interdum contingit, indeque unum vel alterum arteriæ asperæ ramum obstruentium, & suffocationem inferentium: hinc suffocatio à deglutito phaseolo in asperam arteriam illabente refertur in M. A. N. C. *Anno* 2. *Observat.* 153. *pag.* 240. Sic SCHENKIUS *lib.* 2. *Observat.* refert de matrona nobili, sumptura pilulas, quarum unam in asperam arteriam attraxit, & inde ferè suffocata fuit. Plura videb. *l. c.* & MARCELLI DONATI *Histor. Medic. mirabil.* In genere quicquid laryngis & Epiglottidis motum debitum ac dilatationem impedire potest, suffocationem minatur; unde etiam pili Epiglottidi casu involuti strangulationem inferre possunt. Confer. FORESTUS *lib.* 25. *Observat.* 28. vid. BARTHOLINUS *Cistâ Med. pag.* 524. Sic ex uvæ acinis alii suffocati fuerunt: suffocationis ex pyro crudo improvidè deglutito mentionem facit RHODIUS *Observat. pag.* 92. Facit huc etiam polypus narium, ubi caro fungosa excrescit in intimis narium, qui interdum nimis excrescens non tantùm nares obstruit, sed interdum quædam crura in fauces protendit; unde non leve suffocationis periculum imminet: de *quo & ejus Cura suo loco* plura habebimus. Sic à struma, internè circa jugulum abscondita, suffocationem observat PLATERUS *lib.* 1. *Observat.* 172. Pertinet huc rarus casus, dum ex prolapsu palati repentinam & periculosam suffocationem imminere notat TULPIUS *l.* 1. *Observ.* 38.

Hæc est prima causa, quando vitio viarum fit suffocatio.

DIAGNOSIS.

Quoad *signa*: suffocatio si oriatur à viis interclusis, res est facilis, & per se patet.

PROGNOSIS.

Prognosin sub aquis suffocatorum omnium optimè explicat ALBINUS *in Tr. peculiari*: Nempè spes restitutionis deficit:

1. Si sanguinem ex ore vel naso emittunt.
2. Si os habent apertum instar moribundorum.

CURA.

Quoad *Curam*: variat hæc pro Causarum antecedentium ratione.

Quando viæ sunt affectæ, quæ non transmittunt, tunc impedimentum ex viis est auferendum: sic v. g. suspensis laqueus solvendus, vena secanda, Frictiones artuum instituendæ, spirituosa liquida infundenda, in loco calido reponendi: Conf. Methodus Revivificandi ludicrò vel seriò suspensos in WEPFERO, *Tract. Observationum de loco affecto in apoplexia pag.* 182., ubi elegans refert exemplum de ancilla, quæ per unum diem suspensa fuit Oxoniæ: item BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Epist.* 96. *p.* 717., HORSTIUS *lib.* 2. *Observat.* 9.

Sub aquis suffocati, ut ex orci faucibus revocentur & restituantur, docet HELMONTIUS *Tract. Demens Idea* §. 50. item BARTHOLINUS *Cent.* 6. *Histor.* 68. Nempè elatis pedibus, inclinato corpore, concutiendi sunt, ut hausta aqua effluat maturè; vel reponantur supini inclinato capite percutiendo pedes, & ita revocando quantum possibile vitam. Hisce encheiresibus addatur *methodus* BORELLI, qui suffocatis talibus panis assati micas spiritu vini calidè imbutas admovet, easque sæpiùs repetit; & hinc, ubi reviviscere incipiunt ægri, pro alteratione corporis interna corrigenda, propinentur sudorifera spirituosa: vel imitemur FORESTUM *lib.* 15. *Observ.* 26., propinando calidè decoctum florum chamomillæ in cerevisia factum, evocando in lecto sudorem; qui ipse etiam *cit. loc.* puellam duorum annorum in aquam saponariorum delapsam ferè morituram leni vomitu curavit. Plura de Submersis conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Observat.* 20. *pag.* 30. *Observ.* 75. *pag.* 104. *Observat.* 76. *pag.* 108. *Observat.* 89. *p.* 129. *Observ.* 125. *pag.* 162. & *Observ.* 130. *pag.* 173.

Quando in faucibus hærent boli, istorum descensus promovetur concussione in dorso, ubi est via œsophagi, ac propinentur & lubricantia, ut oleum amygdalarum dulcium, quod assumatur in aqua appropriata, & mucilago seminis cydoniorum. FORESTUS *loco suprà citato* frustum carnis fumo induratæ in gula hærens lentâ deglutitione Cassiæ, cujus beneficio lubricatum fuit œsophagi iter, ad ventrem promovit: sic suffocationem imminentem ex frustis pomorum non ritè comminutis per lambitionem oxymelis squillitici, incisis sic frustulis, & spontè ad stomachum delabentibus.

Præ cæteris observatum est à FORESTO, quod ex potu Aquæ fortis fauces ferè occlusæ, exhibitâ mucilagine seminis cydoniorum lambendo deglutitâ, curatæ sint: Vel in grandiori malo imitemur PLATERUM *Observ. pag.* 386., qui ex officulo gulæ infixo, unde dolor & ardor & per consensum laryngis spiritus angustia, per Cataplasma maturans & suppurans applicatum, factâ suppuratione & cum pure officuli excretionem procuravit. *Si hoc non potest fieri*, maturè res est extrahenda instrumento chirurgico, vel promovendus est vomitus artificialis, successivè medicamentum lambendo, vel vomitus naturalis digitis. *Si res deglutita hæreat in larynge*, aut *bronchiis asperæ arteriæ*, maturè excitanda est tussis, vel promovenda violenta sternutatio, ut sic ista res ejiciatur ab irritatione, & provocetur vomitus, ut hujus conatu ejiciatur res per fauces.

MEMBRUM II.

DE

SUFFOCATIONE EX GAS VARIARUM RERUM.

Secunda suffocationis plus minus imminentis *Causa* est in pulmonibus infarctis, aut aerem irrumpentem sufficientem non admittentibus: quò pertinet non tantùm varius mucus viscidus pulmonum bronchia obsidens, ut in Asthmate confirmato; item excrescentiæ in pulmonibus natæ aeris introitum impedientes. In specie tamen subitanea suffocatio interdum imminet vitio pulmonum, quando sanguis quacunque ex ratione vitiosè stagnat, & serum impeditur in pulmonibus, eosque nimis replet, & ita Respirationis negotium insigniter impedit, ut angustiæ tales suffocantes consequantur: sic PANAROLLUS *Pent.* 1. *Observat.* 13. exemplum habet suffocationis ortæ ex nimia sanguinis abundantia, & ita nimia venarum turgescentia à sanguine copioso ac turgido, à quo sanguinis per pulmones motus fuit impeditus. Ad suffocationem propter pulmones evenientem etiam referri solent illæ frequentissimæ, quæ ex exhalationibus seu Gas Sylvestri, ut rectiùs vocat HELMONTIUS, Musti ac cerevisiarum, aliorumque liquorum fermentantium & effervescentium, ac parietum recentium à calce viva recenter incrustatorum, animalibus imminent: Item quæ ex inspirato fumo carbonum accensorum, item ex Gas metallicis in metalli fodinis originem ducunt: Item quæ ex puteis & cryptis subterraneis, latrinis diutiùs occlusis, ex fornicibus lithantracum diutius occlusis &c. subindè exhalant: quò etiam faciunt hausti odores, fumi minerales acidi volatiles, ut antimonii, sulphuris incensi, spiritus vitrioli, aquæ fortis, & similes fumi aut vapores, utpotè quæ omnia subitaneam plus minus suffocationem, vel ejus saltem periculum inferunt. Exempla quamplurima obvia sunt; De Gas ex effervescente musto & fermentante cerevisia suffocante res nota est; In cellis enim vinariis, quando fermentat cerevisia recens, & effervescit mustum, si quis ingrediatur cum facibus ardentissimis, ita illas extinguit, ut ne scintilla remaneat.

Quæstio jam est: *qua ratione talia Gas* vegetabilia vel mineralia, seu fumi exhalantes, *tam subitò animalia quæcunque jugulent ac ardentissimas faces extinguant? an sanguinem in præcordiis afficiendo, & ad sui coagulationem & consequentem stagnationem in pulmonibus disponendo, ita ut ægri catarrho suffocativo sanguineo intereant? an verò hi ipsi fumi & Gas saltem spiritus vitales & animales afficiant?* quos vel *instar candelæ extinguendo*, *Narcosi & stu-*

pore

pore afficiendo ad regimen corporis ineptos reddant, unde ægri quasi apoplectici in creant? Probe probatis & factis prosequitur dein SCHNEIDERUS *l.2.de Catharris c.1. l.2.Sect.2.*, ubi confirmat suam hypothesin, quod nos ipsi percipiamus, hauriendo tales fumos sylvestres, angustiam in thorace, & præcordiis, & subitò difficultatem Respirationis, quibus perceptis non turbetur statim caput, sed prius pectus: ubi nonnihil ad se redeunt, plerumque vomitu exercentur, & mucosa multa spontè vel arte ex naribus & ventriculo rejiciuntur: & in specie, quod ægros ita affectos post curationem nunc pleuritis, nunc peripnevmonia, nunc raucedines, nunc febres, nunc tabes, aliaque similia symptomata, utplurimum cum spuma circa os, & sanguinis & pulmonum noxa nata, insecuta sint: utut etiam simul lethargus vel apoplexia invadat, aut ad se redeuntes delirent interdum, non tamen esse signum prius affecti cerebri, quin potius spiritibus vitalibus, his fumis impraegnatis, ad cerebrum promotis supervenire tale symptoma, non verò proprium morbum constituere: cum quo conf. SCHENCKIUS *in Obser.* quas habet ex PARÆO. Posteriùs vero HELMONTIUS, aliique defendunt. Multi, quos inter & MARCELLUS DONATUS, volunt imprimis affectum esse cerebrum. Fundamentum erroris est in eo, quod putarunt veteres, Respiratione attrahi aërem in cerebrum per os cribri forme. Dicunt ergo, hos fumos per nares attrahi & promoveri per cerebrum, atque ita spiritibus animalibus lethargicos inferri affectus. Helmontii hypothesin confirmant adjuncta symptomata, nempè à tali Gas inspirato affecti caroticorum vel apoplecticorum instar se habent, & primò vertigine caducâ seu tenebricosâ correpti concidunt; hinc instar demortuorum absque pulsu, aut saltem vix sensibili, toti frigidi, quasi syncope correpti, jacent; hinc & vomitus subindè in principio adest; excitatis verò nunc lethargus, nunc delirium restat, modò ex somno provocantur, evigilant quasi somniantes.

Ex his duabus hypothesibus posterior magis probabilis videtur, utut suo modo cum priori conciliari debeat, cùm non improbabilis videatur sententia, reverà suffocati ægros tales, & ex alteratione subitanea sanguinis per pulmones circulandi, hinc spirituum vitalium inchoata extinctione, & continuati radii cum spiritibus animalibus interceptione, omnia ista mala oriri videantur. Reverà ex una parte suffocationis subitaneæ, ex impedito sanguinis tam fermentativo quàm circulatorio motu, videtur species; ex altera tamen parte affecti sunt spiritus animales, & consequenter systema nervosum. Et reverà apoplexiam, & quidem positivam, prout HELMONTIUS eam in *Tr. de Lith.* distinguit, refert symptomatum concursus, cùm apoplecticorum instar & jaceant, atque in vitam revocandi sint ægri: Nempè, sicut Gas tale in momento mirabiliter extinguit ignem quemcunque candelæ aut facis, ut ne scintilla supermaneat, destruendo activitatem spiritus seu salis nitro-aerei, à quo conservatur ignis & flamma: (Gas metallicum extinguit lampades metalli fossorum, ut ne vestigia maneant: si fossores hoc vident, avolant, ne pereant; dicendo: *Vapor insurgit:*) ita simili ratione tale Gas inhibet alterationem sanguinis ab aere inspirato, beneficio illius salis inducendam, unde subitaneo fermentationis sanguinis defectu universum spirituum tàm vitalium, quàm animalium, systema turbatur, & in fonte quasi eclipsin patitur; simul tamen certo stupore afficitur, & narcosi quasi papaverinâ inquinatur. Spiritus generantur in nobis per fermentationem mediante aere cum accensione, ut enascatur Gas saltum volatile luminosum, quod vocant spiritus, qui à Gas extincti aut inquinati inferunt partim suffocationem, partim apoplexiam sanguineam positivam: vid. SCHENCKIUS. Confirmat hoc & carus; tales enim planè carotici jacent vel apoplexiâ tacti. In specie tale Gas inspiratum graviter ventriculum affligit, & ejus occasione vertigines, & similia capitis symptomata inducit. Illustrant hæc ea, quæ in specie habet MAYOW *Tr. de Nitro, & spiritu nitri aereo cap 7 & 8* & BOYLE *in sua machina*; partem nempè aeris ad ignem & vitam animalium esse necessitatem; & uti aeris alteratio aut defectus subitò ignem extinguit, ita etiam vitam tollit: quòd cum fiat ob aëris vitium, reverà ob respirationem plus minus vitiatam tales ægros simul lædi appatet. Percipiunt tales ægri angustiam præcordiorum quasi suffocatoriam mox in principio, non quasi aër crassus pulmones nimis repleat, aut ex crassitie respirationi ineptus sit; sed mox videantur extingui spiritus animales, & suffocari taliter aff cti; quoniam ex hostili præsentia aeris vitiati inspirati pulmones & thorax se stringunt, ac minus pro admittendo aëre se dilatare volunt: hinc mox sub primo talis aeris inspiratu pectoris angustia; vitiato postmodum sanguinis fermentativo motu, ac superveniente hinc spirituum vitalium subitâ eclipsi, adeòque syncope, etiam spirituum animalium deficientia in motu, indeque vertigo, sensus & motus abolitio oritur, propter interruptum summè necessarium radiosum spirituum nexum, pari ratione atque suspensis eo ipso, quo constringuntur carotides, mox eadem symptomata superveniunt, propter interceptam spirituum continuitatem. Interim tamen adhuc dubium restat: *quomodo hoc Gas inspiratum sanguinem in pulmonibus atque spiritus animales alteret?* Sanè Gas hunc motum fermentativum sanguinis, instar motus ignei, mox extinguere, spiritus animales figere, manifestum est: sed quâ vi hoc præstet? quæritur; nam sanguinis coagulatio, quam alii hic incusant, minus satisfacit. Sanè Gas ista omnia sunt naturæ volatilis sulphureæ, unde obtundunt & hebetant vim salis nitro-aërei, à quo ut conservantur flammæ, ita conservatur fermentatio & spiritualscentia vitalis in præcordiis. Quod Gas tale sit quodammodò de natura sulphurea, patet ex carbonibus, quorum incensorum sulphur, minerali simillimum, beneficio lixivii & alcali fixi eliciendum, dissolutum exhalans Gas hoc constituit. Ita Gas metallicum aut minerale, fossores inquinans, præter odorem sulphureum, quem spirat, arsenicalis ab omnibus dicitur esse naturæ, quod arsenicum crudum & Volatile metallorum sulphur est.

Quod denique Gas ex cerevisia vel musto, aliisque liquoribus fermentantibus, exhalans, etiam sit sulphureæ volatilis naturæ, patet ex affectu inebriativo, soporoso & carotico, quem infert ægris, quasi spiritu vini uberiùs se ingurgitassent, qui spiritus Vini sulphureæ naturæ est extra controversiam. Ab hoc sulphure volatili etiam vis narcotica Gas horum inspiratorum deducenda videtur, siquidem & narcosis opii in ejusdem sulphure volatili fundata est; sicuti tales per Gas exhalans affecti, non secus ac affectus per opiata nimia inducti, per castoreum curantur. Hæc demonstrant, quod ejusmodi Gas polleat vi sulphureâ stupefactivâ, unde partim apoplectici, partim suffocati intereunt tales ægri, & magis sunt affecti spiritus animales.

CURA.

Contra hæc mala, vel imminentia, vel etiam jam affligentia, nempè contra Gas aut tales fumos inspiratos, fumum nempè carbonum, aerem cellarum aut puteorum, duo primatum obtinent: nempè acetum & castoreum. Notum enim est, quod acetum quibuscunque narcoticis, ipso etiam opio, sit contrarium, eorumque correctivum, non secus atque castoreum, adeò, ut referat NARDIUS *in Noctibus Genial. Noct.1. pag 76.*, quod à fumo carbonum somnolentia solo calido vapore aceti naribus suscepto, fuerit curata. Hinc acida admoveantur naribus, acetum sc. rosaceum, rutaceum, aut simplex cum castoreo, aut aqua hirundinum cum castoreo: vel fiant Noduli ex nigella & semine majoranæ, quæ infunduntur aceto, & applicantur naribus, itaque fricantur tèmpora; aut infunditur in os unum alterumvè cochleare aceti; item imponatur epithema ex aceto scroto & testibus. *Acetum Vitrioli benedictum* secretum fuit D. LANGII ex vitriolo artificiosè calcinato, & cum aceto destillato extracto, quod expertum est in morbis soporosis, lethargo, caro, cataphora, & similibus catarrhosis affectibus: imò etiam in affectibus ex fumo carbonum & Gas Sylvestri suffocatis exsuscitandis.

Talibus ergo ægris, præmisso in specie vomitu, idque eò potentiori, quò magis caroticorum aut apoplecticorum instar jacent, infundatur acetum, & cum aceto quocunque parata remedia; idque cochleatim; vel etiam acetum castoreo mistum, vel acetum infusionis castorei dicto modo usurpatur, quod in talibus suffocationibus à fumo carbonum & cerevisia effervescente est egregium. Non autem convenit in suffocatione à Gas minerali, sed tantum vegetabili: Scilicet, ubi haustum Gas sylvestre, & malum gravius, infunduntur Vomitoria liquida commodè cum spirituosis, cum spiritu theriacali, simplici aut camphorato, aut Aqua apoplectica, aut essentia castorei, aut similibus mista; ut simul extinguatur Gas malignum & ejiciatur: nam mirum est, quantum excitentur ægri per vomitoria: Simul etiam sternutatoria insufflanda naribus. Item in aërem exportandi sunt ægri, os diducendum, con-

nuò ventus faciendus, facies crebrò aquâ frigidâ adspergatur, hinc acida & Castorina conducunt. Castoreum enim convenicns est in corrigenda cruditate & virulentia opii, in quo est sale sulpure narcoticum, ut in sulphure carbonum, & in effervescentium vegetabilium fumis & vaporibus: similiter incidit sanguinem congrumatum; copioso enim sale volatili est impraegnatum: v. g.

℞. *Aquae Hyssopi* ℥ iij.
Aceti Theriac. ℥ß. vel ʒ vj. ad ℥ j.
Castor. ʒ ß. ad ʒ j.
M. D. S.
Potio ad caput sublevandum.

Cochleatim assumatur, praemisso vel subsequente vomitu.

An larga Venae sectio conducat ad imitationem Panarolli? ferè dubito, nisi forsan in plethoricis aut obesioribus, in quibus naturâ tardior est sanguinis motus, pro quo meliùs promovendo conducit seu locum invenit: vid. Panarollus citato loco. Plura de his videb. in SENNERTO *l. 1. Praxeos, ubi de caro, p. 656.*, item SCHENCKIO *ex Paraeo p. 217. l. 2. Observat.*

MEMBRUM III.
DE
SUFFOCATIONE CONVULSIVA.

Tertia denique causa suffocationis haeret in nervis & motu spirituum animalium, non moventibus musculos, thoracis aut laryngis motui dicatos: Hinc etiam forti apoplexiâ tacti non tantùm instar strangulatorum suffocati intereunt propter deficientem thoracis & pulmonum motum; sed praetereà quoque in syncope & similibus pathematis, deficiente sanguinis & spirituum in pulmonibus motu. Tandem propter nervorum cessantem motum ex spirituum animalium defectu lethalis suffocatio supervenit, quando ex resolutione nervorum paralytica cessat partium respirationi inservientium motus; è contra suffocatio imminet ex spasmo aut convulsione musculorum & nervorum, respirationi inservientium: ver. gr. dum mulieres hystericae, aut viri hypochondriaci (perindè namque hoc est, uti *habebimus suo loco*) interdum suffocari videntur, in quibus nervi paris vagi ac intercostales spasmo affecti, qui, uti omnia viscera interna abdominis, ita in specie musculos thoracis ac laryngis constringunt; percipiunt enim tales aegri angustias faucium, quasi laqueo strangularentur, idque ex convulsione seu spasmo musculorum, laryngem imprimis, & hinc diaphragma moventium, quibus convulsis larynx stringitur, & epiglottis clauditur, unde tales aegri plus minus suffocantur; quae strictura nihil aliud est, quàm convulsio musculorum & partium nervosarum.

Quod talis suffocatio imminens sit ex nervis, rectè hoc derivat exindè WILLISIUS in suis scriptis, imprimis *in Anat. Corpor. cap. 10. & in Description. Nervor. cap. 26.* ubi rectè quamplurima (non omnia) mulierum hystericarum symptomata à tali nervi intercostalis spasmo & contractura deducit.

Nec solus WILLISIUS statuit hanc convulsionem, sed reperitur etiam in SOLENANDRO *Cons. 24.* de difficili & periculosissimo affectu in musculis laryngis & aspera arteria, ubi saepiùs imminebat suffocatio, idque, uti rectè decidit & differit, ex convulsione laryngis; uti similiter singularem laryngis convulsionem, & inde natam suffocationem, habet BARTHOLINUS *Cent. 4. Epist. 77. p. 454.* In paroxysmis epilepticis, item virorum hypochondriacis saepiùs imminet periculum suffocationis, quod subitò perit & redit: suntque haec mala cognata admodum Asthmati convulsivo, (*de quo inferiùs:*) subitò ut dico accedit, & recedit, sine omni materiae sensibilis accessione & recessione; nempè in talibus casibus semper affecti sunt nervi, iique vel laryngem vel diaphragma moventes. Pertinet huc, quando ex Venenis nonnullis assumptis, in specie ex fungis, ob id dictis strangulatoris, quemadmodum prostant exempla, subindè oritur suffocatio: Nam & haec similiter ex affectis Nervis, indeque laryngis & diaphragmatis convulsione oriri probabile est. Facit huc etiam singularis *Observatio* PLATERI *in libr. 1. Observ. pag. 171.* de imminente suffocatione ex coitu, de rustico alias robusto & sano, qui, quoties cum muliere rem habuit, semper in suffocationem quasi lethalem incidit: imò ipse aliquando fuit in re hac domestica adeò sedulus, ut in ipso actu animam exspiravit. Notum namque est, quod *Coitus* rectè appelletur *Epilepsia parva*, propter quasi convulsionem quandam in tali actu, quo afficiuntur nervi; unde ex simili convulsivo affectu nervorum, thoracem moventium, talem suffocationem in coitu natam fuisse, probabile est.

Hae sunt suffocationes convulsivae.

SIGNA.

Quoad *signa* sunt petenda ex eo, quod simul alia coincidant symptomata, quae mulierem vel hystericam vel marem hypochondriacum ostendunt: item, quod hujusmodi suffocationes paroxysmatim repetant, nec continuò affligant, ex levissima causa redeant, & sine materiae cujusdam sensilis excretione denuò cessent.

CURA.

Pro Cura talis suffocationis convulsivae in Paroxysmo eadem in genere conveniunt remedia, quae in passionibus hystericis, aut affectibus epilepticis in usu sunt: quae inter eminet Castoreum, essentia castorei, castorina & salia volatilia, in specie liquor Corn. Cerv. succinatus, spiritus salis ammoniaci simplex & anisatus, sal Volatile succini, & etiam Oleum destillatum succini, item salia volatilia cum camphora, & ipsis sociata opiata: uti *imposterum audietis cap. de Asthmate Convulsivo*, & videbitis in WILLISIO *de Morb. Convulsi. p. 214.*

℞. *Aqu. Menth.* vel *pulegii* vel *alius appropr.* ℥ iij.
Ess. castor. ʒ ij.
Opii ʒ ß.
Spiritus sal. ammoniaci ʒ j.
M. D. S.
Potio ad respirationem.
Vel
℞. *Aquae Menth.*
Flor. sambuc. an. ℥ j ß.
Spiritus sal. ammoniaci ʒ j ß.
Essent. opii cum *alcal. par.* ʒ ß.
Syr. cort. c. aurant. ʒ iij.
M. S.
Potio ad respirationem.
Detur cochleatim.
℞. *Aqu. Menth.* ℥ iij.
Spiritus carminat. de trib. ʒ ij.
Lapill. Cancr. praep. ʒ ß. vel ℈ ij.
Laudan. hyster. ℈ ß.
Syr. cort. aur. ʒ vj.
M. D. S.
Potio ad respirationem.

Sin *ex fungis* sit malum, horum Alexipharmacum est oxymel squilliticum, vel solum vel cum theriaca propinandum, praemisso pro circumstantiarum ratione vomitorio. Conf. de fungorum medela TIMAEUS *Von Gulden Klee in Cas. p. 311.* item PANAROLLUS *Pentec. 3. Observ. 45.* aliique. Conveniunt etiam spirituosa camphorata, spiritus theriacalis camphoratus, &c.

CAPUT II.
DE
RESPIRATIONE DEPRAVATA.

Laeditur II. Respiratio, quando eadem depravatur, ita ut nimis crebra, difficilis, laboriosa, ac non rarò cum magno conatu & anxietate, ac in qua subinde imminere videtur suffocatio, perficitur, nempe in *Dyspnoea*, cujus primus gradus dicitur aliàs *Anhelatio* simpliciter, & fit, si aegri frequentiùs & crebriùs respirant, qualis Respiratio eorum, qui diuturno cursu defatigati sunt. Secundus gradus dicitur *Anhelitus asthmaticus*, si frequenti ac summo cum labore respiratio ducitur, ut nisi fiat, suffocatio immineat: qui ubi adeò ingravescit, ut aegri non possunt ampliùs supini jacere; sed coguntur ὀρθοὶ seu erecti respirare, sublatis alis & admodum expanso pectore, oritur tertius & deterrimus gradus, qui *Orthopnoea* vocatur: de quorum Orthopnoeicorum erecta respiratione HELMONTIUS

TIUS *Tract. Tussis & Asthma*, item *Catarrh. Delirem.* §.45. *Lit. P.* Nam simul ac tales Orthopnœici incumbunt in dorso, imminet suffocatio: simul ac verò erecti respirant, levamen percipiunt. Omnia autem hæc in genere Asthmatis nomine vocabo.

ARTICVLVS I.

DE

ASTHMATE.

H*istoria Asthmatis* hæc est: scilicet adest in omni asthmate respiratio frequens, eaque laboriosa & difficilis, cum anxietate circa præcordia, ut anxiosi nesciant, ubi levamen possint percipere: adest sæpè tussis, interdum crebra & molesta; interdum non, interdum adest stertor, interdum sine omni stertore Orthopnœâ laborant.

PARS AFFECTA.

Subjectum & Pars affecta sunt pulmones.

CAUSÆ.

Cum autem asthma sit multiplex, ideò *Causa proxima* omnis *Dyspnœiæ*, & *Orthopnœiæ* est deficiens admissio & reciprocatio aeris, propter expansionem & constrictionem vesicularum plus minus deficientem, quæ insigniter impedita respirationem tollit, & hinc anxietatem & angustias, ut & suffocationis periculum infert; sive pulmonum, sive thoracis, sive aliarum partium impedimento hoc ipsum eveniat. Notum namque est, quamdiù expanduntur & constringuntur debitè pulmones, tamdiu esse respirationem liberam; simul ac verò aliud impedimentum se offert, adesse difficultatem respirandi, anxietatem & similia, nec legitimè sanguinem circulari.

Veteres, multique ex modernis, unam saltem asthmatis speciem sibi concipiunt, ab obstructione & compressione bronchiorum dependentem; & si sine manifesto pulmonum infarctu Asthma contingat, vaporibus & flatibus, ab aliis visceribus adscendentibus, hoc tribuunt, sicut SYLVIUM quoque egisse, *ex Scriptis ejus* constat. Pro diversa tamen causæ morbosæ natura, ejusque diverso situ, HELMONTIUS *Tr. Tussis & Asthma* §. 18. Asthma dividit in *humidum* & *siccum*, WILLISIUS *in Pathol. Cerebri* in *pnevmonicum* & *convulsivum*; imò ex his duobus *mixtum* addit: vid. *Pharm. Rat. P.* 2. *b.* 1. *c.* 12. Melioris ergo doctrinæ gratiâ in genere secundùm citatos hos Autores, qui primi nobis in hoc puncto oculos aperuerunt, dividam in *humidum* & *siccum*, seu, ut aliàs vocantur, in *Asthma manifestum* & *occultum*. *Asthma humidum* seu *manifestum* est illud, quòd à materia quadam vitiosa fovetur, ut ab ejus præsentia, motu ac occasione oriatur, ab ejus verò excretione, aut vomitu, aut quocunque modo facta remotione & promotione, idem cessat. Inde etiam tale asthma humidum frequentiùs conjunctam habet tussim, simul stertorem, expectorationem conjunctam & screatum, sed tamen non semper. Dantur enim asthmata humida, ubi nec tussis nec screatus adest, sed conqueruntur de difficili anhelitu interno, interdum certis quibusdam paroxysmis exasperatur: Interim tamen, si imminet paroxysmus, fit successivè, & ægri percipiunt longè ante paroxysmum ex coacervata materia peccante; dum cessat paroxysmus, fit cum sensibilis materiæ peccantis remotione & excretione. *Asthma* verò *occultum* seu *siccum* est, quod citra præsentiam talis materiæ, frequentissimè ex sola convulsione partium, thoracis & pulmonum motui inservientium, in specie diaphragmatis, oritur, unde & sine sensibilis materiæ excretione cessat.

Primum *Asthma*, *manifestum* seu *humidum*, ratione loci & loci morbosi, est duplex: nempè oritur interdum *ex pulmonibus*, hinc *Asthma pectorale*; interdum, aut quidem ferè sæpius, oritur ex stomacho & primis viis, estque *stomachale*. *Asthma* humidum, quod fit ex *vitio pulmonum*, est multiplex: frequentior causa est mucus crassus viscidus, tenax & mucilaginosus, quem alii vocant *pituitam viscidam*, nunc salsus, nunc acidus, nunc insipidus, ex deficiente naturali, & depravata præternaturali pulmonum nutritione natus, qui ipse successivè in proprio pulmonum parenchymate, maximè in bronchiis eorum, coacervatus, & hærens, non rarò impedit aeris ingressum & egressum, & ita vitiat pulmonum dilatationem & constrictionem; vel pus in vomica, abscessibus pulmonum, empyemate, phthisi; vel serum copiosius inundans pulmones; vel sanguis in motu per pulmones plus minus impeditus, vel ob abundantiam, vel ab acido coagulationem, vel ob nimiam turgescentiam & quasi ebullitionem, vel ob vitium Cacheсticum. In stomacho & in primis viis est vitium, si muco crudo & inde natis flatibus obsidentur; item si ab hydrope abdomen nimis occupetur.

Siccum seu *Occultum Asthma* fit vel ratione conformationis in gibbosis; item ob cruda tubercula, grandines, calculos, &c. bronchia obsidentes; ob deglutita pulmones obstruentia; item propter deficientem pulmonum nutritionem, indeque horum corrugationem & exsiccationem, seu ratione convulsionis nervorum & musculorum respirationi inservientium, diaphragmatis, laryngis, aliorumque, vel denique ratione fibrarum propriarum pulmonum nimis strictarum ac contractarum, vesicularum dilatationem impedientium; idque coincidit cum *Caduco pulmonum* HELMONTII. Specialiùs paulò hæc explicanda veniunt: *Asthma*, quod fit ex *vitio pulmonum*, & utplurimum intelligitur sub Asthmatis mentione, est vel *per epigenesin*, vel *per metastasin*; *per ἐπιγένεσιν* vitio nutritionis propriæ depravatæ; per *μετάστασιν* vitio materiæ ex sanguine, vel immediatè vel ex alio loco mediante sanguine aut lymphâ ad pulmones depositæ.

Per *ἐπιγένεσιν* igitur fit Asthma, quando vel vitio aëris aut vitio aliorum inspiratorum, v. g. in metallifodinis fossoribus, vel alia quacunque ratione, irritatur larynx & aspera arteria, ita ut exinde harum partium lædatur digestio, & nutrimentum proximum degeneret in liquamen serosum mucosum, aliâque ratione corruptum. Præter inspirata etiam lympha consideranda est, quæ uti continuò humectat asperam arteriam, ita, si ab aëre inspirato aut quocunque ratione lædatur, excorietur, aut aliâ viâ vitietur, in specie, si acris, salsa, aut plus minus acida reddatur, acrimoniâ suâ erodendo pulmonum teneram substantiam, nutrimenti ejus depravationem, & ita succorum crudorum ac mucilaginosorum coacervationem infert. Nempè hoc est, quod PETRUS IOHANNES FABER *in Path.* tradit; scilicet excrementa in pulmone ab ejus alimentis sequestrata & abundantia, esse causam grandinis, vel lapidis, tartarique coagulati, si indurescant. Quòd si verò adhuc sint liquida, oriri asthmata, tusses & catarrhos suffocativos, si scil. liquidum hoc excrementum in lentam, gypseam & vitream mutetur visciditatem, verum produci Asthma: hinc frequens imprimis hoc est iis, qui in mineris metallicis sunt occupati, aut qui mineralia, aquas fortes, antimonialia, & in specie mercurialia, tractant, & in laboribus Chymicis versantur; inspiratum enim tale Gas seu fumus acrior & malignus cum aëre, ita inquinat digestionem pulmonum, ut loco assimilationis alimenti proprii hoc ipsum degeneret in varii generis excrementa: uti de hoc eleganter differit HELMONTIUS *Tract. Tussis*, & *Asthma* §. 44. Pertinet huc etiam quæcunque materia in aut propè pulmones hærens, & liberum eorundem motum impediens, ut sunt imprimis abscessus & Apostemata, vomicæ pulmonum, quæ ob pus genitum, vel pulmones corruptos, inferunt affectus asthmaticos. In omni pulmonum vomica difficilis est anhelitus: Vid. POTERUS *l.* 3. *c.* 27. & RIVERIUS *C.* 1. *Obser.* 82. Sic namque DODONÆUS, ex quo etiam SCHENCKIUS & alii habent Autores, refert *in Obser.* 19. exemplum Asthmatici mortui, cujus in pulmonum inferiori sede & basi, qua septo transverso incumbit, reperti sunt abscessus duo insignes, in utraque parte unus, à quibus inundati pulmones materiâ purulentâ Asthma lethale induxerunt: Vid. HILDANUS *C.* 3. *Hist.* 39. Hinc etiam Phthisici, item Empyematici, utplurimum sunt Asthmatici & frequenter Orthopnœâ intereunt propter pus, quòd vel in empyemate in Cavo thoracis fluctuat, vel propter pus, quod unum alterumvè latus pulmonum inundat.

Per *μετάστασιν* fiunt *humida asthmata* pnevmonica variis ex causis: v. g. dum febres continuæ interdum solvuntur per decubitum in pulmones materiæ in sanguine coctæ, cujus copiosâ rejectione, præsertim mediante tussi, omnia postmodum levantur mala. Quin & serum in corpore copiosius quacunque causâ occasionali retentum, ut fluxiliorem facit sanguinem, ita etiam asthmata talia inferre solet: unde hinc inde Observationes prostant, ex solitis seri evacuationibus suppressis obortorum Asthmatum: vid. RHO-

RHODIUS *Centur. 2. Observ. 17.* de Orthopnœia ingenti, oborta ex sero sanguinis, quo pulmones & ejus circumjacentia loca repleta fuerunt: id quod patuit per solutionem, quoniam intra 24. horas fuit levata per excretionem 36. librarum urinæ. Nec serum tantùm, sed etiam sanguis ipse, non saltem quacunque occasione in cavum pectoris effusus, sed quacunque ratione in suo motu impeditus, ac in vasis pulmonum stagnans, aut tardiùs per eos circulatus, aut etiam impensiùs subindè ebulliens aut turgescens, Asthma ac Orthopnœiam infert; sicut gravior talis affectus dat Catarrhum suffocativum ex sanguine: de quo infrà. Confer. WILLISIUS *Pharm. Rational. P. 2. pag. 239.* Hinc est, quod post cursum seu motum vehementiorem simus quodammodo quasi naturaliter Asthmatici, quoniam sanguis per motum rapidum ac velocem per vasa motus, vix tàm promptè circulari potest per pulmones ex dextro cordis ventriculo in sinistrum, quin nonnihil subsistat, ac in pulmonibus hæreat; unde tale asthma seu distensio pulmonum nonnihil impedita, quia non sufficienter & debitè potest circulari sanguis. Vnde videmus etiam, quod mulieribus, quibus suppressi sunt menses; item viris, quibus suppressus hæmorrhoidum fluxus, Asthmata supervenire soleant; quia in talibus sanguis copiosiùs retentus abundans hæret, & quodammodò circa pulmones stagnat, & non facilè potest circulari. Quod verò in sanguinis menstrui & hæmorrhoidalis suppressione sæpiùs fit impedita circulatio in pulmonibus, patet, quod talibus tàm frequens symptoma est sputum cruentum seu sanguinis. Cachectici porrò ad unum omnes ex levissimo corporis motu sunt Asthmatici plus minus, quatenus in his sanguis crudus, ex cruditate ventriculi acida, & quasi semichylosus ex defectu digestionis primæ, diutiùs hæret in pulmonibus, tardiùsque in iisdem movetur, propter tardiorem ab aëre rarefactionem & alterationem propter glutinosiorem paulò consistentiam, ratione quorum nonnisi lento motu per pulmones circulari potest. Vnde celeriùs moto sanguine sub corporis motu, faciliùs circa pulmones subsistit, ac Asthma tale inducit.

Facit huc, quod ex terrore, in quo sanguis admodum ad similem fere in præcordiis stagnationem disponitur, Orthopnœia lethalis oborta fuerit: teste FORESTO *C. 16. Observat. 10.* In genere quicquid sanguinis circulum circa præcordia vel per pulmones quocunque modo sufflaminat, Asthma infert; hinc quæcunque materia, aut in pulmonibus, aut in sinistra cordis auricula coagulata, stagnans, dyspnœiam lethalem infert: ita RIVERIUS *Centur. 1. Observat. 82.* tale exemplum habet ex dyspnœia mortui, in quo post mortem reperta fuit materia viscida coagulata in sinistra cordis auricula, à qua impeditus sanguinis motus dedit dyspnœiam lethalem. Facit huc, quod potus subitanei frigidi post labores, aut corporis nimiam incalescentiam, aut etiam lotio corporis in aqua frigida sub nimio æstu, Asthmata inferant; quia in talibus post nimium æstum aut motum massa sanguinea insigniter attenuatur, dissolvitur, & fluxilis redditur; ex subitò verò rei imprimis frigidæ, vel potu, vel intempestiva applicatione rei frigidæ sanguis grumosior factus in pulmonibus stagnare, & ita necessariò Asthma inferre solet: de quo RULANDUS *in Thes. pag. 112.*, ubi refert dyspnœiam jamjam suffocantem & ferè lethalem ex haustu copiosæ aquæ frigidissimæ, ob ingentem sitim in intenso canicularium æstu excitatam, per vomitum aquæ benedictæ subitò restitutam. Simile exemplum Asthmatis, excitati ex potu frigidæ, & balneo frigido, habet etiam GABELCHOVERUS *C. 2. Cur. 17. & 18.*

Tandem & hydrops pectoris asthmata gravia inferre solet.

In genere quicquid in pulmonibus vel sanguinis motum, vel respirationem graviùs impedit, Asthma infert, quæ inter primatum obtinet mucus ex depravata pulmonum nutritione oriundus.

Ex modò dictis obiter duo observanda sunt:

I. Sanguinem, lympham, serum, & materiam vitiosam quamvis in pulmonibus, quæ asthma tale inferunt, non destillare ex capite, uti falsò putarunt majores nostri; sed omnem istam solummodo ex vasis, vel sanguifluis vel lymphaticis, eò inferri, sive fiat immediatè, sive mediatè, mediante nempè alimenti degeneratione, aut lymphæ alteratione.

II. Asthmata hæc humida eò esse vel graviora, vel pertinaciora, quò magis materia peccans acrimoniâ suâ, aliâve pulmonibus inimicâ impressione, bos aut asperæ arteriæ ramos irritaverit, ac ita eorum fibras ad pertinaciores sui constrictiones stimulaverit.

Cæterùm Asthma tale humidum seu manifestum sæpiùs hæret in stomacho & primis viis, quàm ipsis pulmonibus; utplurimum enim talium stomachus, nisi manifestum sit in pectore vitium, ex cruditate acida & viscida, reperitur infarctus materiâ crassâ, plus minus viscidâ ac mucilaginosâ, &c. flatibus generandis apta: (confer. LINDANUS, & GABELCHOVERUS *lib. 4. Observat. 4.*) quæ ubi quacunque ratione fuerit agitata, turgescere & quasi inflari incipit, sicque gravia & periculosa admodum dat Asthmata, per paroxysmos subindè affligentia; unde etiam in tali asthmate ægri conqueruntur de angustia præcordiorum sub costis nothis; dicunt: *Non posse se expedire*: partim quia nimiâ distensione ventriculi a talibus copiosis succis & flatibus onerati, impedit liberum diaphragmatis motum deorsum versus, quod tamen ad pulmonum dilatationem maximè est necessarium; undè etiam tales fiunt Asthmatici imprimis post pastum, dum etiam alimenta vitiosa fermentatione turgescendo distensionem istam præcordiorum, indeque diaphragmatis motum impediunt; partim verò, quia diaphragma ipsum quodammodo simul in consensu trahitur ex irritatione stomachi, ut ejus convulsio tandem, & hinc perversus sub respiratione motus sequatur; ita ut arbitrer plura esse Asthmata humida, quæ radicantur in stomacho, quàm in pulmonibus. Id quod apprimè confirmat GABELCHOVERUS *Centur. 4. Curat. 20. & Annotatione*; quod scilicet ii, qui Asthmati sint obnoxii, ferè habeant ventriculum frigidum, imbecillem & flatulentum; quoniam in talibus ex vitiata digestione coacervantur mucilagines, & cruditates acidæ. Hoc sanè verissimum est de omni asthmate humido pituitoso, tàm pulmonali quàm stomachali: in talibus asthmaticis ex vitio primarum viarum sæpiùs etiam adsunt flatus, qui insigniter dyspnœiam intendunt. Sic qui laborant cruditate acidâ stomachi, &, qui exindè originem ducunt, scorbutici & hypochondriaci, sæpiùs post pastum, præsertim vespertinum, difficillimam patiuntur respirationem, idque saltem vitio digestionis primæ cruditatis acidæ, indeque natorum copiosissimorum flatuum, & rejicere solent tales ægri multa viscida per os, quæ ipsa non tàm ex pectore, quàm ex stomacho, oriri solent. Confirmat hoc, quod vomitu præsente ejusmodi Asthmate laborantes levamen habeant. Refert RULANDUS *in Thesaur. Pract. pag. 109. 112. & 120.*, se curasse asthma per vomitum, dum rejectæ pituitæ lentæ cum bile permistæ sunt aliquot libræ: Item SYLVATICUS *in Centur. 3. Consil. 49.* observat asthma singulis noctibus recurrens cum suffocationis periculo, à quo non priùs æger fuit immunis, quàm succederet sponte vomitus assumptorum & materiæ pituitosæ. sic TIMÆUS *in Epistol. pag. 122.* refert Asthma contumacissimum & nullis cedens remediis, vehementi tandem provocato vomitu curatum: imò, scio aliquot Scorbuticos, qui, quando post pastum vel haustulum vini hauriunt, brevi fiunt asthmatici. Tale asthma ex flatibus & hypochondriacum dicitur à RIVERIO *Asthma nothum*: estque mihi unum ex certissimis signis mali hypochondriaci, quando ægri à pastu, aut interdum manè, dum resupinati in lecto jacuerunt, conqueruntur de difficili respiratione propter impedimenta circa hypochondria; est enim ex stomacho & hypochondriis, partim flatibus, partim à materia viscida in stomacho & vicinis regionibus hærentibus, distentis & oneratis. Hydropici denique confirmati tandem etiam fiunt Asthmatici; partim propter liberum diaphragmatis motum impeditum; partim propter distentos musculos abdominis, thoracis dilatationem & sursum versus elevationem seu sublationem impedientes; partim propter copiosius retentum serum, crasin sanguinis vitians, & acrimoniâ suâ pulmones nonnihil vellicans; hinc enim & tussiculosi tandem redduntur Hydropici.

Asthmatici interdum patiuntur stertorem in faucibus & tussim, & hujus medio materiæ viscidæ excretionem, qui stertor vulgò signum habetur infarctorum pulmonum: sed observavi, quòd etiam in stomacho infarcto à tali muco talis stertor & tussis adfuerit, utut vulgò adscribatur pulmonibus. Distinctio autem facienda est stertoris: Quidam est ex pectore, si vitium hæret in bronchiis pulmonum, vel ramo asperæ arteriæ; tunc enim aër reciprocè materiam quatit & concutit, unde stertor ex profundo auditur: quidam est

ex faucibus, si scilicet circa membranam pituitariam posteriorem mucus copiosus est in confinitate laryngis & epiglottidis, & quasi oblinitur. Revera ergo stertor iste omnis oritur ex lympha viscidiore, ex membrana pituitaria posteriore copiosius eructata, quæ in isthmo faucium hærens, seu reciproco aeris motu circa caput laryngis agitata & commota, talem stertorem seu dyspnœam superficialem infert, similem illi, qui in nocte à nobis dorso incumbentibus auditur, *estque in gutture*, ubi percipitur sonus.

Hæc est prima differentia Asthmatis, scilicet manifesti & humidi, cujus dixi materiam vitiosam imprimis, & utplurimum hærere in stomacho, rarò in pulmonibus, nisi sit ex vitio sanguinis non ritè circulati.

Alterum *Asthma*, *siccum* nempè, seu *occultum* ab HELMONTIO dictum, est istud, quando citra ullum fomitem materialem, vel materiæ sensibilis cujusdam accessionem aut recessionem aut excretionem, paroxysmus & subitò incipit, & etiam subitò cessat, non verò successivè tale Asthma mirabile, neque per expectorantia, neque per Vomitoria, neque per purgantia, solet levari, sed licèt videatur corpus purificatum, pertinaciter tamen persistit. Invadit nunc periodicè, nunc vagè, vel propter motum animi, ut terrorem; vel propter motum corporis, ascendendo in altum; aliquamdiu durat, & cessat sine manifesta causa, iterumque advenit levissima ex causa; ægri corripiuntur Asthmate momentaneo, sunt aliàs sani, donec paroxysmus veniat. Varia hujus Asthmatis exempla admodum Curiosa vid. in HELMONTIO, *Tractat. Asthma*, *&* *Tussis* §. 41.

CAUSÆ.

Differentia causalis horum Asthmatum est varia. Nempè (1) vitio conformationis partium ad respirationem pertinentium; hinc enim omnes gibbosi ferè evadunt tandem Asthmatici; aut etiam, qui aliàs malè conformatam spinam dorsi, quæ impedit exspirationem pulmonum legitimam, obtinent: Quò etiam facit sterni ac Costarum notharum vitiosa conformatio, orta ex sterni cum costis ad inferiora reflexione; quale exemplum refert SCHENKIUS *in Observat. ubi de Respiratione seu difficultate Respirandi*: Item cruda tubercula aut glandines similesque variæ excrescentiæ in bronchiis pulmonum: Tumores scirrhosi in pulmonibus: calculi itidem; vel intra bronchia pulmonum successivè geniti hos ipsos obstruentes, & ita liberum aeris commeatum impedientes, quale asthma rarioris Observationis HELMONTIUS *l. c.* §. 43. vocat, & inter humidum & siccum ambigens pronunciat; vel etiam extra bronchia incumbentes eadem angustantes: aut alia concreta præternaturalia, sive in parenchymate pulmonum, sive in bronchiis pulmonum hæreant; talia enim Asthmata, ferè continua & incurabilia inferre solent: vid. FORESTUS *lib.* 17. *Observat.* 10. item HELMONTIUS *Tract.* suprà citato *p.* 93., ubi exemplum habet asthmatis lethalis ex calculis pumicosis in pulmone & bronchiis repertis: sic à scirrho pulmonum asthma in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observat.* 262. *pag.* 474. SCHULZIUS: à calculis asperam arteriam externè comprimentibus asthma lethale notat KERKRINGIUS *Spicileg. Observat.* 72.: singulare etiam est exemplum TULPII *lib.* 2. *Observat. c.* 7. de Dyspnœia admodum diuturna cum tussi, orta ex putamine nucis avellanæ, capiti asperæ arteriæ inhærente. Hinc (2) idque primariò, Asthmata sicca inferunt convulsiones nervorum aut musculorum thoracis, motui & respirationi inservientium, diaphragmatis in specie, & laryngis aliorumque, vel per se, vel per consensum, ut cesset aut deficiat motus thoracis dilatatorius & constrictorius, quo cessante asthma adest; Nervi enim irritati convulsivum motum in musculis excitant, unde hi ipsi convulsi nunc exspirationem ritè perficere nequeant, in specie diaphragma, ubi tali convulsivo motu affectum fuerit. *Asthmata* talia vocat HELMONTIUS *sicca*, *&* *Caducum pulmonum*: WILLISIUS *in Pathol. Cerebri de Morbis Convulsf. cap.* 12. item *Pharm. Rat. P.* 2. *pag.* 240. vocat *Asthmata convulsiva*; quia à convulsionibus partium respirationi inservientium, à quacunque causa contingentibus, oriuntur: LINDANUS verò *in Coll. Manuscr. super Hartmannum* Asthma tale siccum omnium optimè appellat *Crampam* seu *Convulsionem diaphragmatis*. Nulli tamen horum latitudinem affectus debitè exhauriunt: in genere, antequam ad specialiora transeam, dico, talia asthmata esse asthmata convulsiva. Ac apud Veteres altum est de his silentium quoad theoriam, etiur, qui attentè Practicos legit, plurima hinc inde talium asthmatum, tam occultorum quàm manifestorum, reperiantur exempla apud eos. Attamen omnes ferè Veteres Practici, excepto HELMONTIO, & WILLISIO, suis præconceptis hypothesibus occæcati unam saltem speciem asthmatis sibi concipiunt, & asthmata talia convulsiva ex muco pulmonum & infarctu asperæ arteriæ; &, si sine manifesto pulmonum infarctu contingat, ex vaporibus & flatibus pulmonum, vel alia ratione derivare volunt, utut ipsi, interdum videntes difficultates, ultrò fateantur, quod sufficienter se extricare non possint: legatur HELMONTIUS, qui plura habet exempla. Præterea asthmata talia sunt in PISONE *Tract. de Morbis à Colluvie serosa ortis pag.* 192. *&* 222., ubi talium asthmatum originem ex hypothesi per serum, frustraneo tamen conatu, explicare nititur: item PLATERUS *in l.* 1. *Observat. pag.* 161. *&* 172. cùm videret, quòd non posset conciliare tàm stupenda exempla cum infarctu pulmonum, dicit oriri ex catarrho, quod subitò ex capite in pulmones & thoracis musculos derivetur: item IOHANNES COLLE, *Medicus Italicus*, in *Tr. Cosmitor Medicæus pag.* 159. idem & simillimum Helmontianis refert exemplum, in quo tandem nolens volens fateri cogitur, oriri tale asthma à pravo motu pulmonum & constrictione, seu à flatuum & fuliginum copia. Ipse SYLVIUS talia asthmata ex vaporibus, & halitibus, ex intestinis oriundis & pulmones replentibus derivat. Multa exempla talia recenset SCHENKIUS *pag.* 234. *&* 237. *in Observat.* item MARCELLUS DONATUS *in l.* 4. *Histor. Med. Mirab. lib.* 3. *cap.* 12. RIVERIUS *Cent.* 3. *Observat.* 85. FONSECA *l.* 1. *Consf.* 11. item BENEDICTUS SYLVATICUS *Centur.* 2. *Consil.* 60. Hic SYLVATICUS *c. l.* simile Helmontianis habet exemplum, ubi casus est syncope epileptica, cui conjunctum est asthma non sine suffocationis periculo, aucta imprimis, ubi supinus jacebat æger, affligens propter vaporem quendam, quem sentit ex ventre inferiore ad superiora delatum, & ad fauces: Vid. quoque *Cons.* 6. SYLVATICI *jam citati* de Palpitatione cordis cum syncope, simulque angustia & difficultate spirandi, ex vitio hypochondrii sinistri.

Sanè sæpiùs miror, cùm Veteres viderint, moveri thoracem per tot & tam insignes musculos, quare tantoperè & frustrà se maceratint in asthmate hoc perscrutando, nullumque respectum ad hos musculos habuerint: Reverà enim frequens asthmatis occulti causa hæret in musculis convulsis, primario quidem in diaphragmate, secundariò in musculis reliquis; unde pro varietate musculorum est varium. Creberrima hæc sunt asthmata, eorumque exempla imprimis in HELMONTIO, & hinc in WILLISIO *citato loco* possunt videri. In diaphragmate quidem convulso rectè urget hæc LINDANUS, quod tales asthmatici conquerantur omnes, se sentire ingentes dolores & angustias circa costas nothas, & difficilem constrictionem instar zonæ circumligatæ in ista regione, ubi diaphragma annexum est: id quod fit ex violenta diaphragmatis deorsum versus concussione & convulsione, quod ita convulsum dat talem sensum constrictorium; unde postmodum & reliqui intercostales musculi, sive inspirationi sive exspirationi inserviunt, simili spasmo correpti, gravius malum reddunt; utplurimum tamen convelluntur, qui inspirationi videntur inservire. Exemplum talis Asthmatis convulsivi manifestum habet HOBOKEN *Tractatulo de Anat. secundinæ in Epistol. pag.* 214., ubi æger rectus sanus fuit; si verò supinus, totus thorax cum impetu convulsus fuit sursum, ut respiratio insigniter læderetur: convulsi fuerunt omnes musculi, qui dederunt asthma periculosissimum.

Facit huc difficilis Respiratio in iis, qui patiuntur vertebrarum dorsi contorsionem, & quasi cingulo circa costas nothas constricti, difficulter admodum respirant, propter nervos ex vertebris subluxatis prodeuntes, nonnihil compressos, & hinc sensiliùs irritatos. Item pertinet huc Asthma convulsivum & occultum muliebre seu hystericum, quod in viris vocatur Asthma hypochondriacum: nam in hystericis paroxysmis præter varia symptomata alia, sæpiùs insignis est respirandi difficultas, ita ut ægræ omni momento suffocari videantur, quod tribuit HELMONTIUS actioni regiminis uteri, in viris splenis vitiis; cùm tamen simpliciter oriantur à convulsionibus, vel diaphragmatis, vel musculorum thoracē moventium, vel musculorum laryngis ob cōsensum nervi eò tendentis, unde loqui non possunt. Partes hic affectæ reverà

sunt musculi respirationi, ac præsertim inspirationi, inservientes; sive sint diaphragma; sive thoracis musculi externi, aut intercostales; sive musculi laryngis & faucium. Exemplum tale, quod insigniter huc facit, habet HORSTIUS *lib.5. Observat.32.* de muliere hysterica, gravi asthmate afflicta: Curavi Studiosum, Francum, tali asthmate affectum, qui simul erat perfectus hypochondriacus; omni nocte sub media nocte recurrebat, percipiebat in abdomine murmura: evigilando referebat, *contorqueri os ipsi in ascensu:* durabat per horas duas, donec successivè evigilaret, tunc discutiebatur: conquerebatur quasi torculari cruciaretur. Per Vomitoria Martialia & volatilia, in specie per spiritum carminativum continuatum curabatur.

Facit huc rara & notatu digna THONERI *Observat. lib. 2. Observat.1. pag.93.* nempè obstinata illa constrictio laryngis & faucium (dum quasi laqueo angustari illas partes sentiunt) & Orthopnœia cum suffocationis periculo ob fauces summè constrictas, unà cum aliarum partium vagis convulsionibus, excitatis ex vermibus intestinorum, quibus excretis Orthopnœia & partium convulsiones cessabant. Quando ergo jam inferunt hi convulsionem aliarum partium, certum est, quod convulsio thoracis similiter det Asthma & Orthopnœiam. Vitium hic quærendum est in nervis, iisque imprimis paris vagi & intercostalis. Afficiuntur autem hi nervi, vel in exortu in cerebro & cerebello circa radicem; vel in progressu circa varios eorum plexus, nunc superiores circa pectus, nunc, idque frequentiùs, inferiores, nempè mesentericos; vel denique in ipsis musculis, quibus inseruntur: Confer. WILLISIUS *Pharm. Rational. P.2.p.241.* Utriusque prostant exempla: Ubi afficiuntur plexus in abdomine, aut mesenterii, aut lienaris, aut similes nervi, cum quibus conspirant sæpè rami paris vagi & nervi intercostalis, ibi antecedunt vel adsunt simul mesenterii & intestinorum convulsiones, quàm umbilici interiora versus violenta contractio & totius abdominis constrictio, aliaque ejus symptomata sequuntur, in specie murmurationes, borborygmi, subinde quidam vermiculationis sensus uno alterovè in abdominis loco: vel percipiuntur tensiones hypochondriorum, & similia pathemata alia, qualia mulieribus in passionibus hystericis & viris hypochondriacis solent esse frequentia: Exempla curiosa videb. in HELMONTIO. Ubi verò radix mali hæret in capite circa radicem nervorum, ibi sine tali sensu in abdomine ferè gravior vertigo, alteratio in capite ante paroxysmum, aut alia capitis pathemata, quæ motum inordinatum spirituum in cerebro innuunt, solent esse adjuncta. Quæ denique ex ipsis musculis affectis fiunt, pro musculorum varietate diversa sunt: puerum observavi 11. annorum, qui quavis vesperâ, præsertim à pastu, tàm crebra ac violentâ respirationis inordinatione afficiebatur, in quo malum saltem oriebatur ex diaphragmate affecto; idque, ut videbatur, per consensum ventriculi: nam vomitorio propinato ferè in totum cessavit malum.

In specie, cùm hujusmodi asthmata convulsiva, quæ maximè ex nervis & musculis affectis oriuntur, incognita sint apud Practicos, notetur, quod multiplex admodum varietas in his observabilis sit, idque tribus imprimis ex causis:

1. Propter texturam & tractum seu distributionem planè singularem nervi intercostalis & paris vagi, qui duo nervi, cum subministrent suos nervulos in thoracem & abdomen, præsunt movendis membris, ac partibus etiam colli, thoracis & abdominis, & ultra mirabilem sui structuram & distributionem, & pluribus plexibus hinc inde diversimodè sociantur, & hinc per consensum mutuum varios ac insignes spasmos ac motiones, etiam remotioribus in locis, excitare valent: vid. WILLISIUS *in Anat. Cerebri*: qua ratione nephriticos quosdam difficiliore respiratione laborantes, hunc non rarò asthmata convulsiva incurrere, quorum fomes latet in abdomine, ibidem afficiens nervos, ex quorum consensu thoracis pathemata, ut in hypochondriacis notum est. A nervo intercostali etiam surculi nervei derivantur ad pulmones, ideò ut formentur dictæ vesiculæ membraneæ, ita ut, prout dicti funiculi magis vel minus constringuntur vel laxantur, vesiculæ illæ fiant pro aere patentiores vel minus recipientes.
2. Causa secunda est varietas & multiplicatas musculorum mirabilium duplici motui, dilatationis & constrictionis, tàm laryngis quàm thoracis, inservientium, & tàm in anteriori quàm posteriori thoracis parte situatorum, unà cum diaphragmate: qui omnes cùm variam structuram & distinctum motum, & hunc vel dilatationi vel constrictioni thoracis inservientem, obtineant, hinc suas peculiares habeant functiones, & suas miras alterationes; mirum non est, quin musculis affectis diversimodè, etiam functionum sequantur læsiones, & tàm insignis varietas circa asthmata convulsiva observetur.
3. Tertia causa est duplicitas motus, universalis nempè & motus uniuscujusque musculi in specie. Duplex est motus thoracis; dilatatorius in inspiratione, & constrictorius in exspiratione, qui se habent nunc activè nunc passivè: His modibus dum varii musculi diversimodè inserviunt, sequitur, quòd hi duo motus variè lædi, & variis modis tàm in exspiratione quàm inspiratione vitiari possint. Facit huc periculosum exemplum HOBOKEN. *suprà allegatum*.

Istud verò, quod in asthmate convulsivo afficit nervos, tàm in eorum radice, quàm progressu, utplurimùm est Acidum vitiosum plus vel minus austerum, nervis, uti notum est, inimicissimum: In specie sub forma lymphæ cujusdam acidæ nervos; sive in plexibus abdominis, sive plexu lienari, sive in alio foco, in abdomine coacervato, sive in cerebro aut cerebri confiniis propè plexus Choroides, nervos vellicat & irritat, eosque in spasmos deducit (spasmo correptus musculus in similem spasmum & alium redigit:) Hinc scorbutici, hypochondriaci, mulieres hystericæ &c., non rarò tali affliguntur asthmate: non secus ac ii, qui Inunctionibus Mercurialibus pro Cura luis Venereæ malè sunt tractati, aut sub ipsa cura aeri incautiùs se exposuerunt, his subindè nervorum impressionibus vitiosis Asthmata convulsiva sunt familiaria: Conf. HILDANUS.

Pertinent pariter huc arthritici confirmati: & in quibus vel rariùs vel difficiliùs Paroxysmi podagrici superveniunt, in talibus hujusmodi Asthmata solent supervenire. Exemplum referam: Vietor senex, sæpiùs aliàs arthritide afflictus, cum paroxysmi hujus requiem concessissent, tandem difficilis supervenit respiratio, quæ interdiù erat tolerabilis: Edebat moderatè, satis interdiù erat vegetus, sed post cœnam cùm cubitum ivisset, nunc imminente somno, nunc cùm unam alteramvè horam dormivisset, ex improviso anxietates præcordiorum suffocatoriæ superveniebant, unde nisi suffocari vellet, mox cogebatur è lecto assurgere, mensæque assidere erectus, ubi altam, anhelam & densam agebat respirationem, idque per tres, quatuor pluresque horas, donec malo successivè remittente, cum tantilla saltem materiæ viscidæ rejectione, ipse lectum repetere, & securè postmodum dormire posset. Interrogabatur interdiù exactè, ubi percipiat impedimentum respirationis? Monstrabat regionem, quæ circumscribitur costis nothis, in specie hypogastricam, quasi ibidem fortissimè constringeretur: In ipso paroxysmo dicebat, se percipere *susurrum* in abdomine, tandem subitò accidere sonitum quemdam singularem in regione epigastrica; quo facto, malum breviter remittit, & lectum repetere potest. Tragœdia hæc omni nocte recurrebat, varia incassum fuerunt adhibita: optimum erat, ut post cœnam parcam, ingruente paroxysmo, Theriacæ vel Mithridatii, quantum capit cultelli cuspis, caperet, quod paroxysmum vel sufflaminabat, vel insigniter levabat. Interim pro varietate tempestatis vèl gravior vel lenior erat. Tandem cum post aliquot septimanas Chiragra brachii & manus superveniret, modò dicti paroxysmi cessarunt.

Asthmata hæc convulsiva seu sicca sæpiùs solent esse hæreditaria, non secus ac convulsiones epilepticæ graviores etiam subindè sunt hæreditariæ; redeunt etiam quodammodo, sequuntur tempestatum mutationes, & ephemeridum loco ægris interveniunt, atque nunc vagos, nunc ut plurimum periodicos inferunt paroxysmos, certum tempus recursus observantes: imprimis tempore vespertino infestant, ut intermedio tempore ægri sint maximè sani, & etiam cessent sine sensibili remotione materiæ. Verum interdum in fine aliquid, licet parum, muci emittunt, quæ non causa peccans est, sed ex conatu respirationis circa laryngem & fauces aliquid colligitur, quod evacuatur. Ubi cessaverint aliquamdiù, facilè per multiplices occasiones externas, v.g. per iracundiam, mutationes tempestatum &c., recidivam incurrunt.

Tertio

Tertio loco asthma occultum oritur vitio pulmonis, aridi & flaccidi redditi instar membranæ corrugatæ & exsiccatæ, idque propter deficientem eorundem nutritionem, unde in talibus subjectis ex tali exsiccatione, ariditate, & concidentia pulmonum, necessariò oritur asthma. Exempla talia non sunt rara: præ cæteris vid. RHODIUS *Centur.2. Observat.21.*, ubi habet aliquot exempla asthmaticorum, ex tali ariditate & flacciditate pulmonum mortuorum: Sic Sylvius l.1. Prax. Med. cap.24. exemplum habet simile de quodam empyematico, in quo post mortem aperto in dextro latere repertum fuit empyema aquosum, ex sero & pure permistum, cujus lateris dextri pulmo totus arefactus, flaccidus, & tabe confectus repertus fuit, quod ipsum rectè adscribit impeditæ nutritioni pulmonum: Vid. quoque *c.22. p.302.* Quò etiam disponit crebrior nicotianæ fumus, immediatè afficiens pulmones, eosque plus minus ad atrophiam disponens, non verò caput immediatè alterans.

Huc etiam facit affectus, quem vocant Germ. *die BergK-Sucht*, qui est *asthma*, oriundum *ex inspiratis fumis mineralium*, lædentibus graviter pulmonum nutritionem: Metallarii enim, & qui aquas fortes, cinnabarin, & æruginem conficiunt, uno verbo: qui continuò exhalationes arsenicales, vitriolicas, Mercuriales, aliosque metallicos vapores, & carbonum fumos per nares atque os attrahunt, rarò de integritate pulmonis atque respirationis sibi gratulari queunt; si quidem observatum est in sectionibus cadaverum ejusmodi artificum pulmones adeò fuisse exsiccatos atque flaccidos, non secus ac si fumo indurati essent: vid. BARTHOLINUS *Cent.4. Epistol. 72.* Et quidem primariò asthma oritur ex vitio fibrarum ipsarum pulmonum constrictarum, & pertinaciter convulsarum, atque ita debitam vesicularum expansionem impedientium. Strictura ista pulmonum ferè est sensibilis, quando nempè quis odores acido-sulphureos, v.g. spiritum nitri aut sulphuris accensum, vel butyrum antimonii, aquam fortè recentem, spiritum salis ammoniaci generosum ac similia odoretenus haurit; mox enim halitus suspenditur, fauces & thorax constringuntur, ac spiritus recipitur, angustia percipitur intra pectus, & denegata respiratio, in qua thorax per se salvus ob internum autem impedimentum se expandere nequit, sed propter pulmonum fibras admodum sensiles, occasione inspirati objecti & odoris exotici quasi constrictas, & indè difficilem redditam inspirationem, à motu cessat. Pulmonum enim fibræ nerveæ, eæque propter obscurum Pulmonum motum, non tàm sensiles, quàm motrices, & speciatim constrictoriæ sunt, propter quem finem & pulmo suis nervis instructus est. Fibræ dictæ, prout stringuntur nimis aut contrahuntur diversimodè, præsertim si irritatæ convelluntur, vesiculas pulmonum membranaceas stringendo angustiores & pro aere suscipiendo ineptiores reddunt, adeòque sui strictura asthmaticum pathema inferunt; quo sensu ferè conciliari potest *Helmontii strictura pororum membranæ pulmonis*, aut saltem doctrina, quam huic superstruit, hoc modo intelligibilius explicari potest. Hujus exemplum vidi nuper in stannario, qui conquerebatur de cingulo circa pulmones obturato, unde aërem non intromitti. Sed totum hoc dogma falsum est: hoc verum est, fieri, si fibræ nerveæ, quæ cogunt vesiculas pulmonales, convelluntur, quibus strictis non fit receptio aëris, & tunc cessat respiratio. Stannarius aliàs optimè sanus erat, noctu circa horam 12. percipiebat difficilem anhelitum, fenestras aperiebat, assidebat mensæ; si volebat ampliare thoracem, non poterat; durabat usque ad horam quartam vel quintam. Nempè hoc est asthma siccum, quod HELMONTIUS explicat seu insinuat sub nomine *Caduci pulmonum*, id est, in tali obstrui & occludi poros pulmonum, per quos transire debebat, aër; undè his occlusis, sequitur Asthma tale: utut ejus primaria hypothesis, quod nempè pulmones sint immobiles, & saltem cribri instar per quod trajiciatur aër, se habeant, falsissima sit; hanc enim destruit & Anatome, & sufficienter infringit BARTHOLINUS *Tract. de Struct. & Usu Pulmonum*. Sicut & contra WILLISII hypothesis non omnimodè amplectenda, qua pulmonibus proprios nervos, propriumque ibidem motum attribuit; unde his convulsis, inquit, & sursum ad fauces quasi protractis, sequitur tale asthma: vid. *ejus Pathol. Cerebri de morb. convulsivis*. Verùm & hæc sententia contrariatur anatomiæ, cum parenchyma pulmonum sit ineptissimum pro motu proprio. Dum ergo vult WILLISIUS oriri asthma convulsivum à convulsione pulmonum, fallus itidem est, uti HELMONTIUS; cum ex falsis hypothesibus non possit non sequi falsa conclusio; nisi hoc de fibris vesicularum pulmonales colligentibus intelligere velimus: Videtur tamen se ipsum postmodum correxisse, dum *in Oper. Posthum.* nempè *P.2. Pharmac. Rational.* ubi de asthmate, de tali pulmonum motu nil memorat, sed saltem in nervis & musculis convulsis acquiescit.

Vndecunque igitur irritentur, aut malè afficiantur dictæ fibræ pulmonum; sive sit acidum internum, sive externum, eas irritans, corrugans & constringens, sive sint spiritus metallici; sive aër externus, inclementior aut impurior inspiratus, tale asthma exinde oriri potest.

Res ut pateat, consideremus tria, quæ ad legitimum pulmonum motum, & hinc aëris reciprocationem faciunt:

1. Legitima partium mechanica conformatio.
2. Musculorum instrumentaliter moventium, & nervorum, musculorum motum mediante spirituum animalium influxu dirigentium constitutio.
3. Observandæ sunt fibræ ipsæ nerveæ pulmonum, tàm membranæ undique pulmones cingentes, quàm aliæ ad ipsas vesicas pulmonales, pro istis ritè colligendis, hinc inde dispersæ, quæ fibræ pro fibrarum natura motu saltem contractivo erunt instructæ, adeòque constringere saltè & coarctare vesiculas pulmonales, sed nulla alia ratione movere potuerunt. Nempè de his fibris in Epistol. ad Amicum refert MALPIGHIUS: in pulmonibus unum observari non indignum considerationе: In ranis enim & lacertis exterius reticularis adest plexus ex carneis fibris, ita ut fit mirus musculus, comprimens singulas cellulas pulmonis; & in testudine, præcipuè interiùs, etiam hujusmodi reticularis musculus mirus observatur: Idem etiam plexus carneus circa pulmones in reliquis perfectis animalibus patet, si extremitates lobulorum turgidæ adhuc & molles perlustrentur; tunc enim caro aliquantulum ruber & turget. Conferatur etiam, quoad has fibras, LAMSWERDE *Tr. de Respirationis Schwammerdam. Exspirat pag.35.* Ac sanè ab his fibris *Caducus* ille *Pulmonum Helmontii*, vel eorum spasmus rectiùs, derivari videatur.

Secundùm tria hæc considerata etiam triplex jam explicati asthmatis sicci differentia oritur.

Tandem huc suo modo videtur pertinere Asthma non rarum, quod insequitur suppressam aut malè curatam scabiem: Vid. HILDANUS *Cent.3. Histor 39.*, ubi observavit asthma lethale ex repulsa scabie, aut etiam, quando post ulcera intempestivè clausa sequitur asthma: siquidem ex scabie retropulsa ordinariò difficultas respirationis, interdum perfecta suffocatio supervenire solet; sic LINDANUS *in Colleg. super Hartm.* ex Serpigine retropulsa asthma periculosum natum observavit; & ipse etiam asthma convulsivum ex podice scabioso vidi. Malum videtur tunc esse complicatum; natum partim a fermento scabiei acri, pulmonum fibras vellicante, & ita ad fortiores contracturas stimulante; partim ex sanguinis crasi hinc vitiata, in debito fermentationis motu ac textura depravata, ac quasi cachectica reddita: v. g. sanguine à sero nimis fuso & liquato à Mercurialibus, sive in unguento sive alio modo adhibitis, & tunc pulmones, tum copiâ tum acrimoniâ, gravante, unde & asthma pituitosum simul supervenire solet. Hinc observandum: materiam rejectam per os in Asthmaticis interdum esse causam mali, nempè in asthmate humoroso; interdum verò est effectus, nempè in asthmate sicco eorum, qui constitutionis sunt succulentioris & humidioris, & quorum sanguis & lympha, mollioris quasi ac minus firmæ texturæ, alterari facilius, & in variam formam mutari potest. In talibus enim ex crebriori pulmonum agitatione, & aëris per asperam arteriam reciprocatione, subindè copiosior paulò lympha, per glandulas in asperam arteriam effusa, in mucum cogi, in paroxysmi convulsivi declinatione eiiciendum. Hinc ulterius in omni asthmate, etiam humoroso, ad motum thoracis, plus minus liberum vel impeditum, semper respiciendum: nam ratione spirituum ex irritationis cujusdam circa pulmones sensu utplurimum in paroxysmo aliquid convulsivi concurrit, unde & pro hujus ratione plus minus malum intenditur, ac tali ex causa opiata interdum leniunt tales paroxysmos.

Notandum ulterius: quod difficilis ista respiratio, quæ tam in tussi humida in statu, quam etiam in tussis siccæ principio adest, non fit semper, aut saltem non solùm, à pulmonum infarctu aut catarrho, aut simili quodam vitio, sed frequentissimè oriatur ex irritatione pulmonum, & hinc fibra-

fibrarum earum contractura, indeque impedita plus minus earum expansione. Signum mihi erat, adesse talem irritationem, quoties æger vel loquens, vel validiùs inspirans, tussire cogebatur: Nam in talibus casibus, propter crebriorem aëris reciprocationem, irritati magis pulmones tussim concitabant magis, unde difficultatem respirationis magis ex simplici pulmonum irritatione, quàm materiæ peccantis coacervatione, ortam judicavi: Hinc tali in casu ex opiatis, v.g. ex spiritu salis ammoniaci anisato cum essentia opii misto, semper levamen observavi; non saltem minorem tussis violentiam, sed etiam liberiorem mox respirationem, vellicationis nempè sufflaminato sensu. Hinc etiam sensus doloris compressivi, sive gravativi in pectore, sive profundo pulmonum, non semper à copia materiæ, sed sæpiùs à fibrarum pulmonalium in particulari quodam loco irritatarum constrictione, quam compressivus ac gravativus talis dolor subinde insequi solet.

Observandum denique est hoc: quando jam tales convulsiones, vel musculorum vel fibrarum pulmonalium, dant asthmata, quòd tunc utplurimùm simul & tardior sanguinis circuitus per pulmones esse soleat, adeò ut ex impedito plus minus ejus motu non tantùm insignis in præcordiis anxietas, & majus imminentis suffocationis periculum adsit; ac prætereà tali in casu rubor malarum ac faciei, vasorum in collo major intumescentia, aut sensilis etiam arteriarum pulsatio, adesse solet.

Asthma est ratione causarum vel *humidum*, vel *siccum*: *Illud* ratione partis ab humore irritatæ vel *stomachale* vel *pectorale*: *Hoc* vel *vitio pulmonum*, vel *vitio nervorum*, vel *utroque* simul.

Asthma est vel *humidum* seu *manifestum*: cujus *causa materialis* est
- *in pulmonibus*
  - *Mucus viscidus*, ex deficiente & depravata pulmonum nutritione natus.
  - *Pus* in vomica, abscessibus, empyemate, phthisi.
  - *Serum*, pulmones copiosiùs inundans.
  - *Sanguis* in motu impeditus per pulmones; vel ob abundantiam; vel ab Acido coagulationem; vel cachecticum vitium; vel ob nimiam turgescentiam, & quasi ebullitionem.
- In *stomacho & primis viis*, muco crudo & inde natis flatibus obsessis: item hydropicis.

Asthma siccum seu *Occultum*, fit vel ratione
- *Vitiosæ conformationis*: in gibbosis, ob cruda tubercula, calculos grandinesque bronchia obsidentes, res deglutitæ illa obstruentes.
- *Convulsionis musculorum respirationi inservientium*, diaphragmatis, laryngis, aliorumque: ut in hypochondriacis & scorbuticis.
- *Pulmonis* vel exsiccati vel corrugati, vel, ob fibras proprias nimis strictas, contracti & angustati: Caducus Pulmonum.

DIAGNOSIS.

Quod attinet signa: Asthma ipsum se manifestat spontè. De causis tamen est inquirendum, quomodo dignoscendæ sint, ne oriatur error in Praxi. Necesse ergo est, ut attentus sit Medicus ad cognoscendas asthmatum siccorum & humidorum differentias, quas ex plurium circumstantiarum collectione saltem desumere potest. In specie Asthmata, quæ sunt ex vitio conformationis, item quæ oriuntur ex muco, aut materia pulmones inundante, ferè solent esse continua; aut licèt videantur interdum remittere, tamen levissimâ occasione datâ graviter recrudescunt: Id quod etiam verum est, si vitium sit ex pulmonum corrugatione & læsa nutritione. Reliqua asthmata periodicè, nunc statis nunc vagis periodis recurrere solent. Et quidem *Asthma humidum* esse vel *vitio stomachi* vel *vitio pulmonum*, *cognosci potest* ex causis antecedentibus, ex hypochondriacis symptomatis, & pectoralibus magis urgentibus: item si paroxysmus adsit cum stertore, aut cum tussi, aut etiam cum copiosæ materiæ in aut post paroxysmum rejectione; ita quidem, ut hoc ipsum fiat cum levamine ægri.

In asthmate autem humido seu manifesto, si mucus continetur crassus in bronchiis pulmonum, respiratio est difficilis cum sonitu ex profundo, eoque stertente, & tussi, ac pituitæ plus minus copiosæ excretione, quæ quò magis excernitur, eò magis affectus imminuitur: si verò materia peccans sit in substantia pulmonum, vix talis adest sonitus, nec nisi successivè, idque non adeò copiosè, per tussim aliquid rejicitur. Sin tamen est vitium humorale in pulmonibus, aut in ventriculo, Asthma solet esse continuum, quod semel etiam curatum, antequam denuò repetat, successivi incrementi signa prodit.

Utut autem sit continuum, subindè tamen exasperatur, idque præsertim vesperi ac nocte, quo tempore omnes ægri asthmate humoroso affecti pejus habere solent; quod tamen omni asthmati ferè commune est, ut vespertino ac nocturno tempore acerbiùs affligat: item quod motu corporis semper exasperetur; item quod pro aëris mutationibus melius vel pejus habere soleant ægri. Signa Asthmatis manifesti quilibet potest facilè cognoscere.

Quoad *Asthmata* verò *sicca*, convulsiva, & speciatim *Caducum pulmonis*: ex eo ferè se produnt, quod sint continua, sed interdum planè intermittant, paroxysmatim repetunt, ita quidem, ut subitò incipient, hinc etiam subitò cessent, sine ullo fomitis materialis, vel præsentis vel antecedentis, vestigio, aut manifesta rejectione: ex improviso enim irruit in ægros, alias optimè respirantes, atque evanescit citra sensile respirationis nocumentum, utut debiles admodum, plus minus tamen, ægri esse soleant: saltem difficile est hariolari, ubi lateat fomes & fermentum seu spina, nervos hostili suâ præsentiâ irritans, & ad spasmos provocans.

Porrò nullus humor, nullus stertor, aut nulla tussis, item nulla humoris excretio adest in talibus asthmaticis, utut subindè sonus coactus (*es pfeifft*) exaudiatur: quod si aliquid excernitur, aut screatu rejicitur, hoc fit in fine, & parum est, duo vel tria sputa, & non ampliùs; natum talismodi potius sputum circa fauces ob summam ægri anxietatem, non autem quod sit causa morbosa. Multum utplurimum inspirant; sed parum exspirant, si sint convulsi musculi exspirationi inservientes: contrarium fit in asthmate humido, in quo non sufficienter possunt respirare.

Quoad *signa distinctiva*: si malum originem à capite ducat, adest vel antecedit vertigo, dolor capitis, sensus fluctuationis in capite & similia capitis pathemata: si verò est in abdomine, adsunt rugitus, murmura, ubi ligatura circa costas prodest.

Quod si diaphragmatis musculi, aut loca vicina sint affecta primariò, semper accedit ingens dolor instar zonæ in ista regione, ubi annectitur diaphragma costis nothis: Sin musculi thoracem moventes afficiantur, conqueruntur ægri in paroxysmo de sensu, quasi universus thorax firmiter constringeretur ac comprimeretur: Si laryngis & faucium musculi affecti sint, suffocationis, quasi laqueo injecto, sensum habent ægri. Si pulmo constrictus primariò sit, inexplicabile quoddam impedimentum respirationis experiuntur ægri.

Ultimò affliguntur frequentiùs & atrociùs in asthmate convulsivo ægri tempore vespertino aut nocturno circa primas noctis horas, donec recedat, seu in somnum incidant, quo obrepente reliquam noctem & sequentem diem sine ulla difficili respiratione pertransigunt, donec tandem, si malum aliquandiu latuerit, aut periodicè, aut erraticè, subitò, vel ex levissimo in sex rebus non naturalibus errato, repetit paroxysmus, imprimis à causis quibuscunque procatarcticis, v. g. à levi motu corporis, aut à levi excandescentia, aut similibus, in momento ferè concitantur; & sicuti subitò fiunt, subitò etiam desinunt: quod tamen contrarium fit in asthmate humido, quod successivè fit, & etiam successivè, removendo causam seu materiam, curatur.

Fomes asthmatis convulsivi, ubi præcisè hæreat, symptomata, vel antecedentia vel adjuncta aliarum partium, ferè commonstrant. Plura videb. in SENNERTO & RIVERIO.

PROGNOSIS.

Quod attinet Prognosin: Asthma omne tàm per se, quàm in progressu morbi superveniens, semper est periculosum & grave, maximè in morbis acutis, in specie in malignis, in quibus unum ex funestissimis signis est.

Periculosiora sunt tamen occulta quàm manifesta: Item inveterata, sive sint humorosa; nam hæc ferè insignem pulmonum læsionem arguunt, sive convulsiva; nam talia epilepticum in quodam nervorum plexu radicatum fomitem præsupponunt. Et quidem asthmata occulta, in specie convulsiva, & Caducus pulmonum, frequentiùs occurrunt in Praxi, quàm humida.

Asthma inveteratum quodcunque rarò perfectè curatur, quoniam vel leuissimo diætæ errore, vel alio peccato, subindè recidivat.

In febre acuta superveniens asthma, sive in cursu, sive post morbum acutum sequatur, semper est valdè periculosum: unde etiam à RIVERIO *Prax. Med. l. 7. c. 1.* lethale dicitur, si asthmati superveniat Pleuritis seu Peripneumonia.

Asthmaticis omnibus aliquandiu jam tum hoc morbo laborantibus ut plurimum cachexia, insignes tumores pedum ædematosi, & tandem inferioris corporis tumor quasi hydropicus, supervenit, & sic moriuntur.

Hæc de signis: Pergo ad

CURAM.

Imprimis autem considerandum est: an asthma sit morbus primarius & solitarius? vel secundarius & complicatus? hoc est, an superveniat phthisicis, empyicis, hypochondriacis, hystericis, scorbuticis, aut similibus? Ille primariò in specie curandus venit: si verò sit affectus secundarius, præcisè non curatur, nisi in primario sublato morbo, adeoq; tunc ad morbum primarium respiciendum est, nisi interdum paroxysmi graviùs urgeant; nam sanato vel sublato morbo primario, & hoc symptoma cessat.

Asthmata ergo, quæ primariò constituunt morbos, curanda sunt, & quidem in genere, quantum possibile, libera & sufficiens Respiratio procuranda.

I. Impedimenta, aëri libero accessum & recessum per pulmones denegantia removendo.

II. Respirationis organorum inordinati motus plus minus convulsivi compescendi.

Ratione prioris: aeris ambientis ventilatio, erecta sessio, alvi subductio, venæ sectio, potiones sanguinem attenuantes, ejus motum circularem promoventes, viscida, pulmones infarcientia, incidentes, spirituosæ, blandè dulces, pulmones demulcentes, conveniunt: interdum etiam Vomitoria utiliter administrantur. Ratione posterioris: antispasmodica, anodyna volatilia, &c. sunt optima.

In specie Asthma humidum, κατ' ἐξοχὴν à viscido muco genitum curatur:

I. Materiam peccantem viscidam attenuando & dissolvendo.

II. Tandem ita præparatam per convenientes vias, vel screatu & tussi, vel vomitu, vel secessu ejiciendo: &

III. Jd quod restat in specie extra paroxysmum, removendo, & novum proventum maturè impediendo: adeòque vel pulmonibus læsis & vulneratis, appropriatis pectoralibus, si asthma humidum vitio pulmonum fuerit; vel stomachi digestio prima sedulò rectificanda, si hujus errore nata fuerit.

Asthma siccum similiter *curatur* in paroxysmo & extra paroxysmum.

Jn paroxysmo quidem (1) *Conformationis vitia* difficillimè curantur; excrescentiæ tamen, tubercula, aut grandines beneficio spiritus sulphuris per campanam successivè absumi posse, sunt qui asserunt.

(2) *Asthma convulsivum in nervorum in musculorum vitio* curabitur, radicitus fomitem ejus corrigendo, respiciendo præsertim viscus, in quo lateat. Jn specie

I. Paroxysmus imminens suspendendus per opiata: vel

II. Jdem præsens sistendus per volatilia & castoreata, item mineralia antepileptica & similia, acidum, nervis inimicum corrigentia, nunc solitaria, nunc opiatis temperata.

III. Recursus paroxysmorum præcavendus vesicatoriis, vel brachiis, vel nuchæ, vel femoribus applicatis, pro nervorum vel nidi varietate: etiam fonticuli interdum inurendi.

Ex propria *fibrarum pulmonalium strictura natum asthma* curatur:

I. Causam irritationis, quantum possibile est, corrigendo & removendo.

II. Opiatis sensum vellicationis sistendo.

III. Appropriatis simul vulnerariis & balsamicis, pulmonibus succurrendo.

Extra paroxysmum verò curatur, primarium morbum curando, & paroxysmi recidivam prævertendo.

Pro his scopis ritè obtinendis notandum:

I. Jn paroxysmo asthmatis humidi *Vomitoria* omnium esse optima, ita ut hæc vel mox in principio, paroxysmo graviùs affligente, adhibenda sint, etiam quando maximè videtur urgere suffocationis metus, quem interdum mirè sedant; nihil enim æquè paroxysmos asthmaticos humidos curat, quàm vomitus: Hinc omnes cordati Practici semper in asthmate Vomitoria usurpant & subindè gravissimorum paroxysmorum, Vomitoriorum propinatorum usu levatorum, observationes prostant. Nec est, quod exinde metuatur suffocatio: inanis hic est metus; nunquam tale quid observatum; in humido nempe æqualiter evacuat materiam Vomitus, sive in pectore sive in stomacho hæreat. Notum namque est, quod in omni Vomitu simul fit insignis constrictio pectoris, & quod per motum gulæ sursum simul moveatur aspera arteria, & ita simul ex ventriculo & ex pectore fit evacuatio; unde pus phthisicorũ, quod in pulmonibus fluctuat, sæpiùs optimè & feliciter per vomitoria evacuatur; & talia etiam id, quod bronchiis pulmonum fortiter impactum est, certò & feliciter deturbant: quin etiam expectorantibus remediis commodè remedia vomitoria, sed in imminuta dosi, possunt permisceri, ut saltem stimulent expectorationem, non autem vomitum inferant: vel præmissis resolventibus & attenuantibus sunt propinanda, & ita stomacho & primis viis occurrendum; id enim, quod in his hæret, vix meliùs ac per vomitoria evacuatur. Exempla per vomitoria, in paroxysmo propinata, feliciter curatorum prostant hinc inde in Authoribus: imprimis RULANDUS quamplurima habet *in Thes. Med. pag.* 103. 109. 112. 116. 118. 120. & sic porrò: *In Cent.* 3. *Curat.* 96. refert de Orthopnœa periculosissima, curata subitò solo vomitu librarum viij. pituitæ lentæ & crassæ cum bile permistæ: Et hæc etiam est Methodus POTERII, qui viribus adhuc stantibus in asthmate propinat vomitorium, uti videbitis *in Cent.* 2. *Cur.* 16. *&* 46. item *Cent.* 3. *Cur.* 22., ubi etiam curavit asthma periculosissimum ex vitio mensium deficientium beneficio vomitus, in paroxysmo propinati: Sic TIMÆUS *in Epist. p.* 122. asthma refert periculosissimum & contumacissimum, nullis cedens remediis, tandem provocato vehementi vomitu curatum: vid. etiam HOEFERUS *in Herc. Med. p.* 118. & HORSTIUS *in Problem. Decad.* 4. *qu.* 5. *pag.* 90., HARTMANNUS *Pr. Chymiatr. pag.* 134., RIVERIUS *l.* 7. *Prax. c.* 1. *&* PETRÆUS *Nosol. l.* 1. *Diss.* 18. Jmo natura ipsa monstrat interdum proficuum usum vomitoriorum: sic SILVATICUS *Cent.* 3. *Consil* 49. refert asthma singulis noctibus recurrens cum suffocationis periculo, à quo non priùs æger fuit immunis, nisi spontè succederet vomitus tàm assumptorum quàm materiæ pituitosæ. In specie in Asthmate sicco, ubi radix mali est in hypochondriis vel abdomine, aliis irritis vomitus convenit extra paroxysmum, rariùs in paroxysmo, præsertim si forsan metuenda pathemata hysterica obstiterint; tutiùs tamen extra quàm in paroxysmo. Et ita quidem in paroxysmo asthmatico vomitoria sunt optima, utpote quæ subindè à præsentaneo vitæ discrimine liberant: purgantia verò per inferiora in paroxysmo non conveniunt, quin eum potius insigniter exasperant. Inter Vomitoria ad hunc scopum usualia sunt partim antimonialia, partim quæ ex nicotiana parantur: nam hæc sunt appropriatissimum ad tale asthma remedium, atque materiam viscidam ex stomacho & ex pulmonibus evacuant: aqua nicotianæ ad ℥j. data, vel syrupus nicotianæ sumptus ad cochlearia duo egregiè promovet Vomitum; nam duo sunt syrupi ex nicotiana, vomitivus, & alterans: Imò solus fumus nicotianæ per tubulum attractus, & gutture haustus, potentem vomitum pro asthmate curando movet. Deinde succus expressus radicis ireos nostratis ab ℥ß. vel ℥j. ad ℥ij., prout est validus vel minus validus, in hydromelite vinoso propinatus, tam ex ventriculo quam pulmonibus ortam Orthopnœam desperatam curavit, teste PLATERO *Observat. l.* 1. *pag.* 175., movet vomitus violen-

violentos & secessus; qui ipse ab eodem commendatur in Dyspnœia, ab hydrope pectoris enata. Facit huc *Vomitorium* secretum FREITAGII *ad Asthma & Empyema ex* HEURNIO, quod habes in *Aurora Medicorum c. 20.* descriptum: & *Vinum emeticum* HEURNII ex Elleboro albo, quod prostat in SCHROEDERO *l. 4. p. 239.*

℞. *Hellebor. albi crassè cont.* ʒß.
cui affundit
Vini Petrosim. vel *Hispan.* ℔j.
Digeri exponendo Soli:

Hujus infusi cochlear unum.

Valdè dissolvit & movet vomitus, idque sine insigni difficultate; si verò semicochlear cum aliis laxantibus exhibeatur, præclarè alvum sine vomitu educit: Misturis, vel Linctibus aliquot guttæ hujus Infusi additæ, empyematis expectorationem copiosè movent: Hinc præstantissimum remedium ad Asthma & empyema est hoc:

℞. *Passul. mundat.* ℥iv.
Rad. liquirit. ras. ʒj.
Mell. despumat. ℥iij.
Sacchari Candi ℥v.
Vini Hispan. ℥vj.

Bulliant, ut fiant instar *Conditi*: cui tantum admisceatur *Acidi seu spiritus sulphuris per campanam*, ut gratum acquirat saporem, hinc aliquot guttæ *Vini illius belleborati* instillentur.

Teneantur in ore masticandæ passulæ, vel quoties easdem in os recepturus est, guttæ duæ tresvè instillentur de dicto infuso, idque speciatim in Asthmate humido, ubi materiæ resolutione & expectoratione opus est. Remedium hoc ceu secretum habendum vult FREITAGIUS.

His tamen vel commodè præmittenda vel adjungenda sunt Expectorantia remedia, quæ Acidum corrigere & viscidītates istas attenuare & resolvere valent: qualia primaria sunt ea, quæ ex gummi ammoniaco præparantur, ut Potiuncula Bruneri, item syrupus nicotianæ & similia: e. g.

℞. *Salis ammoniaci* ʒj.
Spec. diatr. piper. ʒß.
M. f. *pulvis*:
div. in 3. *partes æquales*: S.
Pulvis digestivus,

Vel si materia sit nimis viscida;

℞. *Aquæ pulmon. vitul. cum succo nicot.* ℥ijß.
Syrup. de jujub. ℥ß.
Nicot. per iterat. Infus. par. ʒiij.
Spiritus sulphuris gutt. xv.
M. S.
Potio confortativa ad pectus pro 2. vicibus.

Notandum II.

I. Pus, si asthmatis causa, evacuandum vel per expectorantia, vel per paracentesin thoracis.

II. Abscessus vel ulcus consolidandum: de quo *infra, ubi de Phthisi.*

Notandum III. In paroxysmo asthmatis cujuscumque, speciatim humidi, in quo sanguis in motu suo simul per pulmones vel præcordia plus minus sistitur.

I. Ad venæ sectionem properandum, ut sanguinis copia imminuatur, & ejus liberior motus nonnihil juvetur, adeòque sic in specie in asthmate, vitio sanguinis enato, locum obtinebit, minus in reliquis: Vel

II. Sanguis coagulatus dissolvendus, de quo ubi de Casu ab Alto: Vel

III. Vitium cachecticum emendandum, de quo, ubi de Cachexia: Vel

IV. Solitæ evacuationes revocandæ, v. g. menses proritandi, aut si fieri nequeat, fonticuli in regione loci, consuetæ excretionis vicini, inurendi.

V. Turgescentia quælibet, acidum effervescens absorbentibus, aut blandis diaphoreticis, aut copiam sanguinis imminuentibus, corrigenda.

Notandum IV. In nullo paroxysmo cujuscunque asthmatis purgantia conveniunt, imprimis propriè sic dicta seu fortiora, quia eum potiùs exasperant: quod observarunt unanimiter omnes Practici, quia agitant corpus & succos contentos, & symptomata morbi pejora faciunt; nisi forsan ad imitationem POTERII purg antibus opiata in paroxysmo addere velimus: de quo vid. *Cent. 3. c. 22.* Nam opiata sedant paroxysmum & symptomata, quę aliàs purgatione inducuntur, dum intereà pilulæ laudabiliter operantur: vid. Cap. citatum, ubi egregia & notatu digna habet. Facit huc monitum SCHOLZII *in Cons. 92. In asthmaticis*, dicit, *diligenter caveatur, ne dentur fortiora evacuantia, à quibus commoveatur & agitetur materia, ipsæque fluxiones augeantur: videmus enim homines alioquin sanos post purgationem multum expuere, & emungere nares sæpè ob motam materiam: quantò magis hoc illis accidere possit, quibus sponte, & quidem continuò, fluxiones ad pectus moventur.* Alias post sedatum paroxysmum ad præcavendam recidivam, & si quæ sunt reliquæ morbosæ, ad eas exhauriendas conveniunt evacuantia quæcunque moderata, in specie pilulæ, quibus semper gummi ammoniacum addendum venit: v. g. massa pilular. de ammoniaco *Quercetani*; item massa pilul. de hiera cum agarico, mista cum gummi ammoniaco: e. g. FREITAGIUS has habet pilulas:

℞. *Massæ pilul. de agar.* ℈j.
Gum. ammon. ℈ß.
Troch. alband. gr. ij.
Extr. cinnam. (nil valet) gr. iij.

Cum *essentia croci* vel *enulæ* fiant *pilulæ*: quibus etiam gutta una vel altera olei *destillati anisi* addi potest. Vel

℞. *Galban. cum aceto sol.* ʒß.
Extr. troch. alband. gr. ix.
Diagryd. gr. iij.
cum oleo destillato carvi f. pilulæ pro tribus dosibus.
D. S.
Pilulæ resolventes pro 3. vicibus.

Ubi *asthma ex vitio stomachi*, conveniunt hæ pilulæ:

℞. *Massæ pilul. de agar.* aut *her. cum agar.* gr. viij. ad ℈j.
Gum. ammon. aceto squill. sol. gr. viij. ad ℈ß.
Extr. troch. alband. gr. ij. vel iij.
Cum spiritu *anisi* vel aqua *asthmatic.* f. *pilulæ.*
D. S.
Pilulæ purgantes pro una vice.

Pilulæ catholicæ Poterii similiter sunt expertę contra asthma; Nec negligendus est in tali casu Mercurius dulcis, cum scammonio sulphurato acuatus, quem RIVERIUS interdum sub nomine *Calomelanos* usurpat: vid. *Cent. 3. Observ. 28. & 31.* Vel

℞. *Massæ pilul. de ammon. Quercetani* gr. xv.
Mercurii dulc. ℈j.
Extr. troch. alband. gr. ij.
Olei destillat. anisi gutt. ij.
Cum s. q. spiritus *anisi* f. *pilulæ*,
D. S.
Pilulæ pectus resolventes.
Vel

℞. *Pass. min. purg.* ℥j.
Tartari vitriolat. Tach. ʒj.
M. S.
Passulæ laxativæ pro duabus vicibus;

Item prodest aliàs Oxymel de nicotiana Quercetani purgans: vel possunt fieri *Vina Medicata squillitica* aromatica successivè evacuantia; e. g.

℞. *Herb. Anthos,*
Menthæ,
Salviæ an. M. j.
Fol. sen. sine stip. ʒvj. vel ℥j.
Rad. armorac. rec. ʒij.
Ireos nostr. recens. ℥jß. ad ℥ij.
Florent.
Acori veri,
Angelic. an. ℥j.
Radic. zedoar. vel. *galang.* ʒiij.
Cinnam. ʒj.
Passul. min. ℥vj. vel ℥j.
Infund. in vini Mens. ij.

Hauriatur cochleatim qu. v. semel & bis, ut laxet.

Notandum V. Si *asthmatis causa* est *serum*, hoc evacuandum per urinam vel sudorem, vel vesicatorium confertim, vel per fonticulum pedetentim.

Not. VI. Sudorifera in Asthmate convulsivo & sicco, tàm in quàm etiam extra paroxysmum, non negligenda sunt: nam iis rectè adhibitis, interdum asthmata præcaventur, aut horum paroxysmi sæpè sedari possunt, maximè si ex volatilibus sint præparata. In Asthmate humido etiam suum locum habent quodammodo: id quod confirmat SCHOLZIUS *supra citato loco* inquiens: *Multum prodest sudor, qui & fuligines & aquositates collectas discutit.* Provocari potest Decocto guajaci callidè assumpto: facit quoque ad expectorationem & pituitæ in pectore incisionem. Scio quosdam decocto ligni sassafras usos pro potu quotidiano in vigore hujus morbi, & alios id saltem loco vini in principio pastus assumpsisse, & exinde eximiam opem sensisse.

Not.

Not. VII. Si vitium sit in stomacho, Vomitoria & carminantia aromatica, ac digestionis vitia, præsertim cruditatem acidam, corrigentia, conveniunt, utpote cura methodica circa scorbutum & malum hypochondriacum instituenda.

Not. VIII. Opiata multum conferunt, præsertim respectu paroxysmi. Quando enim nimius spirituum impetus, & hinc inordinatæ pectoris motiones, item quorumcunque in corpore contentorum fluidorum nimius motus ad pectus urgent, optimè his omnibus Opiata ritè administrata, præsertim appropriatis permista, multum conferunt. In asthmate quidem humido, quatenus materiæ peccantis motum & excretionem sufflaminant, suspecta videntur, cùm magis incrassetur, & quasi inspissetur materia peccans: Ad nimiam verò paroxysmi ferociam mitigandam, quia concitatiori spirituum impetu per accidens quasi exacerbatur, optima sunt. Tutiora autem sunt in asthmate sicco, tàm ante paroxysmum, eundem præcavendo, quàm in paroxysmo, eundem minuendo. Conferatur WILLISIUS *in Pharm. Rational. Part.* 1. *pag* 299. *Part.* 2. *pag.* 247. Talia sunt essentia opii, Theriaca ac Mithridatium, syrupus diacodion Montani. Nempe in quovis paroxysmo asthmatis tàm humidi quàm sicci, spirituum impetus, & hinc concitatior sanguinis ac lymphæ motus ad pectus probè attendendus; & si nimius, Opiatis nonnihil sufflaminandus. Docuit hoc Veterum experientia Practica: hinc FONSECA *lib.* 1. *Consf.* 85. inquit: *Arcularius in paroxysmo asthmatico & difficultate respirandi suffocativa damnat communem curationem, quæ fit avertendo materiam, quæ fluit; quia hic modus curandi agitat magis illam: esse potiùs inhibendam fluxionem iis, quæ incrassant, præsertim si fuerit tenuis. Quare exhibet syrupum de papavere, dia Codium, & devenit ad opiata, quale est philonium Romanum ad* ℈j: *quam etiam Galenus videtur laudare curationem Catarrhi suffocantis: Deindè adhibet cucurbitas ad vertebras dorsi & super scapulam: hac ratione (inquit) omnes evaserunt. Illi verò, in quibus processit evacuantibus, divertentibus, & materiam agitantibus, perierunt: quæ certè verè prorsus proferuntur, ut mihi etiam experientià compertum est.* Quoad Philonium majus seu Romanum vid. ZWELFFERUS *Animadv. in Pharm. Aug. pag.* 61.

Notand. IX. Quod Asthmata à causa particulari orta, ut à scabie retropulsa, ex ulceribus occultis, ex fumis metallicis & Mercurialibus, particularem requirant medendi methodum. *Asthmata* si oriuntur *ex scabie retropulsa*, tunc omnis movendus est lapis, ut iterum appareat scabies in extima cute mediantibus sudoriferis, in specie volatilibus, & hinc appropriatis, nempe remediis ex helenio, ejus Extracto & essentia, fumaria, ejusque essentia simplici vel & composita, extracto theriacali, Decocto helenii & fœniculi & similiter: item antimonio diaphoretico, cum salibus fixis & volatilibus misto, Massam sanguineam purgando, scabiem denuò expellentibus, nisi enim fomes scabiei denuò sub cute defigatur, omnis cura erit frustranea; in quem finem etiam vesicatoria, femoribus & brachiis applicata, optima sunt. Quod si nullomodo possit reproduci scabies, in tali casu imitandum est ZACUTI LUSITANI egregium inventum, qui talem ægrum cum alio scabioso in eodem lecto collocat, ut ab hoc fermentum scabiei malignum & ulcerosum hauriat, & ita denuò scabies introducatur.

Notand. X. Si *à fumis metallicis*, in specie Mercurialibus, oriuntur *asthmata*, tunc nil in horum cura perficitur cum ordinariis ad hunc effectum remediis, nec expugnatur; sed potiùs appropriatis ex mineralibus & metallicis remediis sistenda: hinc Mercurius dulcis, item Mercurialia fixa (quò fixiora eò meliora) Bezoardicum solare, turpethum Minerale, item cinnabaris antimonii, antimonium diaphoreticum ac similia in usu sunt. Exempla talium asthmatum ex fumis metallicis, imprimis Mercurialibus, curatorum, vid. in HORSTIO *l.* 7. *Obs.* 25.

Notand. XI. Si *Dyspnœa* oriatur *à subito frigidæ potu* vel frigore admisso, præsertim post æstum, imprimis conducunt, quæ sanguinem grumosum solvere valent: in quò puncto succum bellidis in vino propinavit D. MICHAELIS: vid. MINDERERUS *in sua Medicina militari*. Acetaria ex bellide in æstate laudat DEODATUS *in Panth. Hygiast. l.* 3. *cap.* 22.

Remedia ergo alia appropriata, quæ conveniunt in Asthmate humido, eoque ex pulmonum aut stomachi vitio; aut mucilagine crassa viscida & flatulenta, utpote quæ ordinario ferè nomine asthmatis intelliguntur, sunt imprimis incidentia, attenuantia, expectorationem promoventia, &c. plus minus aromatica, stomacho & pulmonibus amica, v. g. helenium, quod est insigne pectorale, marrubium album, & nigrum seu prassium, hyssopus & capilli Veneris, ros Solis, tussilago, scabiosa, pulegium, calamintha, acorus verus, carduus benedictus, satureja, crocus imprimis, item folia & flores rorismarini, de quibus vid. experimentum BORELLI *in Cent.* 4. *obs.* 46. qui flores vel ejus folia coquere jubet cum vino optimo & melle ad dimidiæ partis consumptionem, & capere ante somnum, dicitque mirè conferre. Porrò conveniunt veronica, radix raphani, ari, zingiberis, zedoariæ, quæ sola mirè levat dyspnœam comesta, sicut & aqua seu spiritus zedoariæ multum confert ad liberandum pectus à saburra, & liberiorem spiritum procurandum: item prodest radix vitis albæ seu bryoniæ, cujus succus artificiosè prolectus, præter vim laxativam, singulares hic habet vires contra asthmata; dissolvit enim, quicquid grumosum & coagulatum est in corpore, & pectus liberat, quem videb. præparatum in HARTMANNI *Pr. Chymiatr. pag.* 95. His addatur helenium, optimum antiasthmaticum, quocunque modo usurpetur, imprimis pulverisatum, & cum melle in Electuarii forma redactum, in asthmate stomachali multum confert. Radix ari acris, vel vino infusa, & pota, vel lentè in umbra siccata, ut retineatur sal acerrimum, & pulverisata pro expectoratione etiam egregia est, cum vino assumpta. In genere quò recentior est radix, & ex ea parata remedia, eò sunt meliora propter sal acerrimum, quod aliàs, si vetustior radix, avolat: e. g.

℞. *Pulv. radic. ari* ℈iv.
Ireos Flor.
Cinnab. antimonii an. ℈ij.
Flor. sulphuris,
Benz. pulveris. an. ℈j.
M. f. *pulvis.* S.
Pulvis pro expectoratione.
Dosis ʒß.

Commendatur etiam à multis fæcula ari, sed est fex nullius ponderis: Si radix hæc præparatur cum aceto, castratur. Omnes fæculæ, ireos, ari, bryoniæ, quæ aliàs vulgò in affectibus pectoris, in specie in asthmate, commendantur, ceu fæculentiæ omninò rejiciendæ, quoniam omni usu, omnique facultate omninò sunt destitutæ: vid. ZWELFFERUS *in Animadvers. ad Pharm. Augustanam.*

Ex his fiat *Vinum medicatum pectorale* tale:

℞. *Herb. hyssopi,*
Rorismar.
Flor. rapar. an. M. j.
Rad. ireos Flor. ℥iß.
Aristol. rotun.
Liquirit. an. ℥j.
Zedoar. ℥ß.
Caricar. pingu. n. viij.
Semin. urticæ ʒvj.
Anisi,
Fœnicul. an. ʒiij.
Ex incis. & contus. fit *Nodulus pro Vini Mens.* ij.
D. S.
Nodulus ad vinum pectorale.

Vel

℞. *Herb. Marrub.* M. ij.
Com. absinth. vel *hyssopi,*
Rorismar. vel *Veron.* an. M. j.
Rad. enul. ℥j.
Ireos Flor. ℥j.
Imperator. ʒiij. vel ℥ß. ad ʒvj.
Zedoar. ʒiij. vel ℥ß.
Passul. min. ℥j. vel ℥iß.
Sem. anisi,
Fœnicul. ℥ß. vel ʒvj.
Hæc ipsa incisa includantur *nodulo*, infundendo *vino*:
D. S.
Nodulus ad vinum pectorale.

De quo æger bis vel ter quotidie hauriat bonum haustum.

Vel coquantur in aqua addito *melle*, & ita fiat post colaturam *Hydromel pectorale.* S.
Hydromel pectorale.

Vel decoquantur in aqua vel *vino*, & cum f. q. *Sacchari* fiat *syrupus pectoralis.* S.
Syrupus pectoralis.

Vel cum aqua, aceto, & melle pro oxymelite pectorali.
D. S.
Oxymel pectorale.

Aut additur decoctioni oxymel. squillit. q. *l.* pro gratia saporis. S.

Potio

Potio pectoralis ad respirationem.

Vel

℞. *Herb. hyssopi*,
Marrub. an. M. ij.
Rad. enul. ℥ij.
Sem. fœnicul. ℥ß.
Anis. ℥ ij.
Terræ fol. tartari ℥iij.
Aquæ simpl. ℔iij.
Mellis despum. ℔ß.

Coqu. in vase clauso : in fine despumetur, & addatur
Cinnam. ℥iij.
Croci Orient. ℥j.

Coletur pro *Hydromelite pectorali* resolvente & incidente,

D. S.

Hydromel pectorale.

Convenit imprimis senibus, asthmate humido laborantibus: addi potest pro lubitu syrupus nicotianæ. Junioribus propter metum febris, scorbuticis aut hypochondriacis propter fermentationem, cautè præscribatur.

Vel

℞. *Herb. scabios.* M. ij.
Heder. terrest. M. j.
Rad. enul. ℥iß.
Ireos Flor. ℥vj.
Sem. anisi,
Fœniculi an. ℥iij.

Coqu. in s. q. aquæ *simplic.*
Colaturæ ℔iß. adde
Oxymel. squillit. q. s. pro gratia saporis.

M. D. S.

Potio pectoralis resolvens.

TABERNÆMONTANUS *in Herbar.* Decoctum botryos commendat, quod cum oxymelite dari potest. *Oleum* seu *liquor sacchari*, tàm *simplex*, quàm *compositus*, qualem habet RIVERIUS *Prax. l. 7. c. 1.*, similiter tanquam expertum commendatur in paroxysmo: vid. etiam PETRÆUS *l. 1. Dissert. Harmon. 18. §. 44.* Sed in genere moneo, fugiendum esse abusum sacchari & saccharatorum melitorumve in omnibus morbis, speciatim in affectibus pectoris: saccharum enim, propter facilem effervescentiam ac hinc flatulentiam, multos exasperat morbos, quorum radices in primis viis latent; imprimis febres, post hinc scorbutum & malum hypochondriacum deterius reddit. Tandem utut phthisicis, tussiculosis & asthmaticis familiarissimè præscribantur saccharata, in nimia tamen copia malum potiùs aggravant, quàm leniũt, viscidiora reddendo excrementa, & putrilaginem & corruptelam pulmonum magis intendendo. Imprimis de nocumentis sacchari in affectibus pectoris vid. GARENZIER *in Tract. de Tabe Anglica*, ubi dat exemplum tale: *si quis frusta duo carnis recipiat, & unum ex his sacchara adspergat, altero non consperso, & per noctem relinquat manè, inveniet unum putredine correptum, altero non saccharato adhuc sine noxa existente.*

Porro essentia croci in asthmate multum commendatur, item essentia helenii & ligni sassafras, item essentia radicis Ireos Florentinæ cum spiritu anisi parata. Convenit etiam aqua seu succus raphani recens expressus, qui cum saccharo est egregium incidens, resolvens & expectorans. Modus est quando raphanus recens in taleolas incisus, & saccharo adspersus, inter duas patinas exprimitur, vel quando comminuitur Raphanus, & cum saccharo mistus exprimitur. In omni tussi & asthmate, respirationem lædentibus, hic succus potentissimum est expectorans, omnem mucum ubique resolvens, tam in pulmonibus quàm in stomacho. Convenit itidem acetum & oxymel, nunc simplex, nunc compositum & squilliticum, quod Veteres in frequenti usu habuerunt: imprimis aqua cinnamomi cum oxymele scillitico mista, est egregia in senibus; & hanc ipsam in paroxysmo commendat RIVERIUS *Cent. 3. Observ. 8.* & *Obs. 21.* ut & *Prax. Med. l. 7. c. 1.*

℞. *Aquæ cinnam.* ℥ij.
Oxymel squillit. ℥j.

M. D. S.

Potiuncula respiratoria.

Propinetur cochleatim, præsertim in sen ibus: ac sanè Oxymella talia præstant ferè syrupis de hyssopo, de helenio, de erysimo Lobelii, de Marrubio, tussilagine, &c. D. SCHOENFELDER *Hist. & Cur. 44. pag. 174.* inquit: *Vidi, & præsens fui non infimæ notæ mulieri, paroxysmo asthmatico conflictatæ, de repente suasi, ut sumeret aceti rutæ, quod statim supra januam cubiculi in promptu erat, cochl. ij., & ita quasi miraculo quodam paroxysmus sedatus est.* Notæ sunt aliàs Aquæ pectorales & asthmaticæ spirituosæ, quas inter frequentior est Aqua Asthmatica Imperatoris Rudolphi, quæ est spiritus Vini aromaticus, syrupus de marrubio, de absinthio Mynsichtii: & speciatim aqua rectè destillata & syrupus nicotianæ ex multiplici infusione paratus, atque sic magis à vi vomitoria liberatus, est perquàm utilis: imprimis EPIPHANIUS FERDINANDUS *in Histor. Med. Mirab. Histor. 48. & 32.* hunc syrupum ceu divinum commendat remedium, ad mucum in asthmate, & pus in Empyemate evacuandum: sed necesse est, ut vis ejus emetica mediante diuturna digestione infringatur. Propterea FERDINANDUS ita præscribit:

℞. *Fol. tabac.* ℥j.

Bulliant in aquæ *dulc.* lib. ij. ad consumptionem medietatis, addendo in fine
Malvæ,
Brancæ Urs.
Violar. an. M. j.

Coletur, & cum *sapa* misc. & calidiusculè detur pluries. Idem FERDINANDUS *in Ep. Cons. 48.* sequentem syrupum ceu singularem in asthmate laudat:

℞. *Tabaci*,
Tussil. an. M. j.

Cum aqua coque ad tertias, & adde *sacchari* q. s. pro *syrupo*, quem non satis potest laudare.

Et quidem ratione salis volatilis acerrimi oleum ejus est vomitorium, sed ejus sal volatile est egregium in affectu pectoris. Utraque ratione convenit nicotiana: nam dum adhuc instructa est virtute vomitoriâ, convenit in paroxysmo pro vomitorio; postmodum ubi hæc est infracta, ejusmodi tamen sal volatile acre insigniter expectorat; unde Petrus Johannes Faber insigniter commendat aquam nicotianæ ad asthma, præmisso purgante, ad ℥ iv. cum aqua cinamomi, & gutt. iv, vel vj. aut x. spiritus nitri instillatis Essentia peti cum spiritu vini extracta, & melle excepta, egregium est expectorans.

Præ cæteris asthma humidum vix melius habet remedium, tàm in quàm extra paroxysmum, quàm gummi ammoniacum in vino vel aceto vel alio liquore appropriato acidulo dissolutũ: nil namq; æquè resolvit, & expectorat mucilagines viscosas ac tartarum, uti vocant, pulmonum atque stomachi & primarum viarum, quàm gummi ammoniacum, quod ipse felici usu præscribo. In asthmate certè vix habetur par remedium: datur à ℈j. ad ℥ß. vel ℥j. in aceto vel liquore appropriato acidulo dissolutum; hinc basis est commendatissimæ potiunculæ Brunneri ad Asthma in ejus Consiliis, Cons. 34., cujus descriptio est hæc:

℞. *Gum. ammoniaci* ℥j. vel ℥ß. ad ℥ij.
Vini Rhen. ℥ij.
Aquæ hyssopi ℥iv.

Misc.

Detur pro una dosi, ubi necessitas urget; vel pro duabus dosibus.

Hanc potiunculam multi Authores commendant, quos inter est etiam TIMÆUS *in Cas. pag. 97.* & MICHAELIS, qui feliciter eâ usus est. Ingrata quidem est, sed admodùm in paroxysmo asthmatis humidi convenit; addi potest oxymel squilliticum; e. g.

℞. *Aquæ hyssopi* ℥iij.
Gum. ammoniaci cum aceto sol. ℥j.
Spiritus cochlear. ℥ß.
Oxym. squillit. ℥vj.
Syr. de erys. Lobel. ℥iij.

M. S.

Potio ad respirationem.

Detur in Asthmate scorbutico. Vel

℞. *Aquæ hyssopi*,
Veron. an. ℥iß.
Cinnam. ℥j.
Ess. zedoar. ℥ß.
Gum. ammoniaci cum aceto sol. ℥j. vel ℥iß.
Oxymel. squillit. ℥j.

M. D. S.

ut suprà.

Hujus occasione paratur etiam spiritus *asthmaticus B. Domini* D. MICHAELIS in Asthmate humido expertissimus: Vocatur etiam alias *spiritus viridis æris compositus*, vel *spiritus gummi ammoniaci compositus*; v. g.

℞. *Viridis æris* aut *Cryst. viridis æris c. aceto par.* ℥iv.
Gum. ammoniaci ℥ j.

Sulphuris

Sulphuris citr. ℥ iß.
Mixta destillentur cautè ex retorta in arena; aliàs enim rumpit vitra, aut tota massa in receptaculum proruit: prodit spiritus *acidus* admodum volatilis, & simul oleum *fœtidissimum* & penetrantissimum: spiritus separetur ab oleo fœtido, & rectificetur per alembicum, cui *nodulus ex croco* impositus sit.

Spiritus hic ritè paratus mirabilis est ad incidendam, attenuandam, & dissolvendam quamcumque massam viscidam, in quocunque loco stabulantem, & tollendum asthma; sive per se in aqua asthmatica Rudolphi, vel alio vehiculo oleoso inflammabili conveniente; sive etiam additis aliis, e.g. Elixyr proprietatis &c. usurpetur. Oleum rectificatum inservit pro malaxatione emplastrorum, pro tumoribus duris scirrhosis, ac scrophulis viscerum aut partium externarum.

Dosis spiritus est a guttul. xxx. ad xxxx. in vehiculo quodam vel aqua destillata; aut diluatur cum spiritu hyssopi, essentia, beleni, & fiat Mixtura cochleatim usurpanda; e.g.

℞. *Aquæ hyssopi*,
Flor. papav. err.
Asthmat. an. ℥ iß.
Spiritus asthmatic. ℥ iß.
Oxymell. squillit. ℥ j.
M. D. S.
ut ante.

De hoc in paroxysmo, q. pl. capiatur; sic enim convenit in dissolvendo & attenuando muco.

Vel

℞. *Aquæ Flor. rapar.* ℥ iij.
Asthmat. ℥ vj.
Spiritus asthmat. ℥ j.
Syr. de nicot. ℥ iß.
M. S.
Succus respirativus pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Aq. hyssopi* ℥ ij.
Menthæ ℥ j.
Asthmat. Rud. ℥ vj.
Spiritus viridis æris ℥ j. vel ℥ jß. ad ℥ ij.
Syr. nicot. ℥ vj. vel *Oxymel. squillit.* ℥ j.
M. S.
ut antea.

Vel

℞. *Aq. asthmat. Rud.* ℥ iv.
Spiritus asthmat. Mich. ℥ ij. vel iij.
M. D. S.
Aqua asthmatica cochleatim sumenda.

Vel

℞. *Aquæ hyssopi*,
Menthæ,
Cinnam. an. ℥ j.
Spiritus gum. ammon. cum viridi æris. ℥ j.
Syr. nicotian. ℥ vj.
M. S.
Potio asthmatica.

Vel

℞. *Aq. hyssopi* ℥ ij.
Asthmat. Rud. ℥ j.
Gum. ammoniaci cum aceto squillit. sol. ℥ j.
Spiritus asthmatic. Mich. ℥ iß.
Syr. de hyss. ℥ vj. vel ℥ j.
M. pro duabus vel tribus dosibus. S.
ut ante.

Vel

℞. *Aq. Flor. rapar.*
Asthmat. Rud. an. ℥ iß.
Spiritus gum. ammon. cum viridi æris ℥ j.
Oxymell. squillit. vel *syr. nicot.* ℥ j.
M. S.
ut ante.

Vel

℞. *Aq. Flor. rapar.*
Hyssopi an. ℥ iß.
Asthmat. Rud. ad ℥ iß.
Spiritus asthmat. ℥ ij.
Oxymell. squill. ℥ j.
M. D. S.
ut antea.
Hauriatur cochleatim.

Vel

℞. *Aq. Flor. rapar.* ℥ iij.
Aq. Anisi. Dom.r. ℥ j.
Spiritus asthmatic. Mich. ℥ ß.
Cochlear. ℥ j.
Essent. croci.
Rad. enul. an. ℥ ß.
Bred. rad. enul. ℥ vj.
M. S.
ut antea.

Vel ℞. *Aq. hyssopi* ℥ ij.
Veron. cum Vino ℥ ij.
Spirit. virid. æris vel *Asthmat.* ℥ j. ad ℥ ß.
Syr. nicot. ℥ iij.
M. S.
ut suprà.

Usurpetur cochleatim.

Hic spiritus *mistus cum elixyr pectorali* D. D. MICHAELIS admodum commendatur ab eodem contra asthma & similes pectoris affectus. *Descriptio* istius *Elixyris* est hæc:

℞. *Herb. pulmon. Ital.*
Gnaphal. mont.
Marrub.
Hyssopi,
Brassicæ,
Rorellæ,
Veronicæ,
Scabiosæ,
Tussilag. an. M. j.
Flor. Enulæ,
Scabios. an. p. iij.
Rad. Enulæ,
Tussilag.
Aristol. rotundæ,
Ireos Flor. an. ℥ j.
Myrrhæ,
Mastich. el.
Croci Orient.
Succi Liquirit. an. ℥ j.
Cinnam.
Cardam. el. an. ℥ ß.
Benzoes opt. (egregium in affectibus pectoris.) ℥ iß.
Styrac. ℥ ß.
Alopt. Moschat. ℥ j.
Sem. Nasturt.
Urticæ an. ℥ iij.

Incisa & contusa irrorentur cum *spiritu sulphuris*: infundantur in *spir. hyssopi, beleni & rorellæ*; digerantur & extrahantur: In liquore filtrato dissolvatur *Extractum pectorale*, & servetur pro usu.

(*Extractum pectorale Michaelis* est succus tussilaginis vel plantaginis inspissatus.)

Hoc Elixyr cum dimidia parte spiritus asthmatici permistum, & ad guttas 20, 30. vel 40. propinatum, est excellens remedium; e.g.

℞. *Elix. pectoral.* ℥ ij. vel iij.
Spiritus asthmat. ℥ ij.
M. S.
Elixyr pectorale, & asthmaticum.

Alii solummodo spiritum gummi ammoniaci cum ærugine destillatum miscent cum spiritu anisi vel zedoariæ, & ita similiter egregium remedium habent contra asthma. Quidam loco spiritus asthmatici laudant etiam spiritum nitri dulcem; e.g.

℞. *Aq. Asthmatic. Rud.* ℥ iij.
Spiritus nitri dulc. ℥ ij.
M. S.
Aqua asthmatica cochleatim sumenda.

Nonnulli recipiunt gummi ammoniacum, & miscent cum aliis, aut faciunt exindè Loch, vel Electuarium, quale videb. in RIVERIO *Cent.* 3. *Obs.* 21. e.g.

℞. *Gum. ammon. in vino sol.* ℥ j. vel ℥ iß.
Oxymell. squillit.
Syr. rad. enulæ,
Marrub. an. ℥ j.
M. S.
Succus asthmaticus pro aliquot vicibus.

Cui etiam pro lubitu addi potest aqua *hyssopi* ad ℥ iij. vel iv. ad imitationem *Brunnemanni Mixturæ*: item spermatis ceti ℥ ß. vel ultra.

SCHOENFELDER *Curat. lib.* 1. *pag.* 130. sequenti modo laudat:

℞. Gum.

℞. Gum. ammoniac. aceto sol. ℈ij.
Extract. croci ℈j.
Syr. de prasio,
Hyssopi,
Oxymel. squillit. an. ℥ß.
Vini Rhenani ℥ijß.
Aquæ asthmatic.
Aur. Langii an. ℥ij.
Spir. Veron. ℥ß.
Misceantur.

Observetur tamen hic, ne nimius sit usus vel abusus dulcium & saccharatorum, utut ordinariè usurpentur vulgariter; admodum enim nocent pulmonibus & stomacho, & quodammodo ad Phthisin disponunt.

Dictum Elixyr pectorale etiam cum spiritu salis ammoniaci anisato misceri, & ad guttas 40. vel 50. propinari potest:

Vel

℞. Aq. hyssopi ℥ij.
Veron. ℥j.
Spir. sal. ammon. anis. ʒij. vel ʒj.
Syr. de hyssopo ʒiij.
M. D. S.
Potio pectoralis.

Vel

℞. Spiritus salis ammon. anis. ℥ß.
D. S.
Spiritus aperitivus ad respirationem.

De quo capiat æger 30. vel 40. guttas ter in die: mane in vehiculo calido; à meridie bihorio ante pastum in frigido; vesperi, post moderatam cœnam, sub introitu lecti, iterum.

Vel

℞. Spir. carmin. de trib. ʒiij.
D. S.
Spiritus resolvens.

Eodem modo usurpatur. Vel

℞. Tincturæ tartari ℥ß.
Spiritus salis ammon. ʒij.
M. D. S.
Tinctura resolvens.

Usurpetur eodem modo.

Elixyr proprietatis Paracelsi & ipsum insignis est efficaciæ in asthmate, pro varietate præparationis à guttis xv. xx. ad xxx. propinatum. De oleis seminum pectoralium, ut oleo destillato anisi, salviæ, rorismarini, in haustu vini propinandis, nihil dico, quoniam sunt aliàs satis nota. Facit huc suo modo *Decoctum* istud *ad asthma* expertum & utilissimum FRANCISCI JOELIS *l.3. Prax. Sect.I.cap.5 pag.15.* cujus basis est radix zedoariæ, quo ipso in Asthmate & Orthopnœa facilitatem respirationis sæpius restituisse se asserit. Præscriptio est hæc:

℞. Rad. zedoar. ℥ß.
Gum. ammon. ʒij.
Fl. sulphuris ʒiij.
Croci ℈j.

Contusa coq. in *Hydromel.* ℔j. (nam mediocris mellis usus præferendus est usui sacchari) ad medias.

D. S.
Potio asthmatica benè circumagitanda.

De quo patienti sæpè in die cochlear j. & ij. propinetur. Nam sola radix zedoariæ mirè levat dyspnœjam, si comedatur, eodem docente JOELE. Loco radicis zedoariæ alii laudant radicem zingiberis, si scilicet hujus ℥j. in ℔v. aquæ communis coquitur ad consumptionem ℔j., & hinc aliquantulum sacchari ac mellis addatur pro potu ordinario. Ab ista Potione Joëlis non abludit *Potio Brunneri*, qui eam tanquam Panacæam in paroxysmo commendat, ubi aliàs sedari nequeat. Compositio est hæc:

℞. Rad. Fœnic.
Asari,
Ireos Flor. an. ʒiiß.
Glycyrrh. rasæ ʒij.

Coque in aqua *font.* ad consumptionis tertiæ partis:

Colaturæ ℞. ℥viij. in qua dissolve
Gum. ammon. ʒj.
Oxymel. squillit. ℥j.
Syr. de prass. ℥j. vel ℥ij.
Misceantur.

Juxta dicta sulphur, & in specie spiritus sulphuris acidus per campanam paratus, in aqua appropriata ad gratam aciditatem propinatus, admodum commendatur à Practicis ad allevandum paroxysmum asthmatis humidi: Miscetur cum aqua florum raparum, cum aqua scabiosæ, hyssopi, syrupo helenii ad gratum saporem, & propinatur tàm in quàm extra paroxysmum: addatur, si placet, syrupus de nicotiana: cujus mixturæ cochlearia aliquot subinde hausta insigniter attenuant, abstergunt, & tussim expuitione promovent. Vid. de hoc THONERUS, nec non HORATIUS AUGENIUS, item BRUNNERUS *in Consf.34.*, ubi hic ne [illegible] ferè, quomodo sufficienter commendare debeat hoc flagma acidum sulphuris in aqua appropriata: *se vidisse*, inquit, *ad decem horas paroxysmo asthmatico periculosissimo affectum, cui propinatũ ol. sulph. in aqu. hyssopi, miraculi instar contulerit opem.* Imò ab omnibus Authoribus commendatur, tam ad malum præcavendum à recidiva, quàm paroxysmum imminuendum: sicut aliàs extra paroxysmum crebrior florum sulphuris usus, uti & potus sulphuratus pulmonibus optimè confert. Variæ possunt fieri mistura huius olei sulphuris, imprimis ad imitationem misturæ Brunneri:

℞. Aq. Rad. enulæ,
Flor. rapar.
Scabios. an. ℥j.
Spir. rad. angel.
zedoar. an. drachm. ij.
Syrup. nicot. drachm. vj.
Spiritus sulphuris q. s.
M. D. S.
Potio pectoralis.

Vel

℞. Aq. Flor. rapar. ℥iv.
Cinnam. cum vino ℥ß.
Syr. nicot. ℥j.
Spir. sulph. q. s. pro subtili acore.
D. S.
Potio asthmatica.

Vel

℞. Aq. fœnicul.
Hyssop.
Flor. rapar. an. ℥j.
Spir. zedoar. drachm. vj.
Sulphuris q. s.
M. ad gratum saporem: S.
ut supra.

Commendo aquam florum rapar[um] [illegible] de hac BRUNNERUS *c. l.* dicit: quod *hæc aqua cum croco & pauco moscho mixta miraculosè asthmaticis restituat respirationem.*

Vel

℞. Aq. Hyssopi,
Nicot.
Veron. an. ℥j.
Spir. zedoar. drachm. vij.
Syr. rad. helen.
de Hyssop. an. ℥ß.
Spiritus sulph. per camp. q. s. pro grato sapore.
D. S.
ut antea.

Nec inelegans est *Mixtura Lind[en]i.*

℞. Rad. Ireos Fl[or].
Liquirit.
Tussilagin.
Flor. Violar. an. ℥j.
Rad. Imperator. ℥ß.
Helen. ʒij.
Sem. Fœnic.
Anisi an. unc. ß.

Omnibus crassiusculè concisis affunde
Aceti acerr. ℔j.

Macera & digere per triduum: Colat. adde
Sacch. ℔j.
Spir. sulphuris rectif. unc. ij.
Vini Malvatic. ℔iß.
M. & serva diligenter.

Dosis manè & vesperi cochl. ij.

Facit etiam huc *potus vitriolatus Helmontii*, sulphure accenso & suffitu probè imprægnatus, qui optimus est pro potu ordinario asthmaticorum, & tussientium & similium: vid. *Tumulus Pestis*, & *Tr. Tussis & asthma in fine*; & conf. [K]NOEFFELII elegantissimus *liber de Cura Febr. epidem. malign. pag. 96.*, qui cum spiritu sulphuris etiam gummi ammon. miscet, quod addi potest, nisi sapor molestus fuerit: e. g.

℞. Aq. Flor. rapar. unc. iß.
Hyssop.

Aq. Veron.

Aqu. Veron. an. ℥vj. vel ℥j.
Spir. zedoar. ℥ß. vel ℥vj.
Gum. ammon. cum aceto sol. ℥j.
Spir. sulphuris acid. legit. parat.
(sic dissolvetur melius gum. ammon.) ℥j. vel q. s. ad acorem gratum.

Misceantur.

His languidis tandem accedamus ad vomitoria. Denique crocus, uti & sperma ceti in paroxysmo propter vim resolvendi egregiè conducit, imprimis in asthmate senum, & ceu mirabile laudatur à TIMÆO *Von GuldenKlee* ad levandum subitò paroxysmum asthmaticum, etiam atrocissimum, si scilicet à ℨß. ad ℨj., vel solitariè vel cum ana lapillorum cancrorum in aqua hyssopi cum ejusmodi syrupi parum, aut in haustu cerevisiæ calidæ propinetur; dissolvitur enim sic sperma ceti instar butyri, & facilè ac sine nausea assumitur: e. g.

℞. *Sperm. ceti* ℈ij.
Croc. Or. ℈j.
M. pro *duab. dos.* S.
Pulvis asthmaticus.

Aliàs etiam potest propinari in aqua hyssopi, cui saporis gratiâ additur syrup. de nicotiana.

Vel

℞. *Aq. Cinnam.* ℥ij.
Sperm. ceti ℨij.
Oxymel. squillit. ℥j.
M. D. S.
Potio asthmatica resolvens.

Singulare enim & expertum est remedium: Experimenta videb. in TIMÆI *Von GuldenKlee Cas. l. 2. Cons.* 10. *p.* 97. item *in l. 2. Epist.* 11. *pag.* 92. *&* 116. ubi scribit: *illum nunquam fefellisse spermatis ceti usum in asthmate, etiam in paroxysmo; adeò ut feliciorem successum ex spermate ceti propinato, quàm ex Potiuncula Brunneri, observaverit.* BIERLINGIUS *Advers. Curios.* C. 1. *pag.* 14. sequenti modo præscribit:

℞. *Syr. de hyssop.*
Capill. Veneris an. ℥ß.
Sperm. ceti ℨj.
M. D. S.
Succus sæpiùs cochleatim sumendus.

Tandem terebinthina cruda per se à multis commendatum est remedium in asthmate. Usurpandi modus est varius. Optimus est, si dissolvatur in vitello ovi, & assumatur; aut affusâ aquâ appropriatâ fiat liquor lacteus seu emulsio, quæ in paroxysmo asthmatico, item in aliis pectoris affectibus, est egregia. Nam sic potest optimè assumi terebinthina, quæ aliàs est admodum nauseosa. Dosis est à ℨß. ad ℨj. quocunque modo usurpata. Balsamum etiam sulphuris quodcunque etiam solum commune terebinthinatum, & in specie cum oleo anisi præparatum, quod magis appropriatum est, uti quibusvis ferè pectoris affectibus, ita in specie asthmati extra paroxysmum quocunque modo usurpatum, ad reliquias removendas, & in primis pulmones restaurandos, egregiè confert, de quo gutt. 6. vel 8. ad gutt. 20. in vitello ovi vel haustu cerevisiæ calidæ, tanquam experimentum commendat LINDANUS *in Colleg. super Hartmanni Praxin.* Quod si nimius calor metuatur, ob id suadet SCHOLZIUS, ut ex Balsamo sulphuris cum gummi ammoniaco fiant pilulæ, quibus assumptis haustus appropriatus desuper ingurgitandus, ut eò promptiùs operetur. Flores etiam extra paroxysmum pro pulmonum conservatione, atque, si læsi fuerint, restitutione usurpantur. Nempe

℞. *Flor. sulphuris,*
Sacchar. an. q. v.
M. pro *pulvere:* S.
Pulvis pectoralis.

Hisce addantur denique millepedes seu aselli. Vix scio, an melius magisque conducens remedium sit contra Asthma; hi ipsi namque à Veteribus practicis mirabiliter laudantur in asthmate humido, quin tamen etiam juxta Willisium convenienter in asthmate sicco seu convulsivo adhiberi possint, nullum dubium est. Certè multa mirabilia latent in his animalculis, quæ paucis nota: ex cognitione tamen materiæ Medicæ præsuppono, vim singularem habere anodynam, & potenter diureticam, penetrativam, abstersivam: contra suffusiones internè maximè commendantur, contra ulcera ac fistulas materiarum & contra arthritidem vagam scorbuticam: & quidem sale volatili nitroso admodum penetrante, eoque egregiè incisivo, & insigniter diuretico, adeò, ut fomiti quorumvè asthmatum eradicando videantur convenientissimi. LINDANUS sanè *in Colleg. Manuscr. super Hartmannum* in solis his animalculis perfectam asthmatis curam consistere asserit. Usurpantur vel in substantia ad ℈j., vel exsiccati aut præparati vel pulverisati miscentur cum melle addendo parum gummi ammoniaci, ex quibus cum syrupo nicotianæ fit linctus seu potiùs Electuarium spissum, n. ... assumendum. Optimus præparandi modus videtur, ut hi ipsi aselli conquassati & panno lineo inclusi macerentur seu infundantur in vino aut Decocto pectorali, quod Vinum aut Decoctum infusionis expressum & filtratum singularissimum ad quæcunque asthmata, etiam in calculo vesicæ, & affectibus istis ... Chronicis, est remedium, de quo bibitur quotidie bis haustulus unus.

Vel

℞. *Vini infus. Millep.* ℥viij.
Extr. rad. helen. ℨij.
Croci ℨß.
Syrup. de hyssopo,
Marrub. an. ℥ij.
M. D. S.
Potio asthmatica pro aliquot vicibus.

Conferatur BARTHOLINUS *Act. Hafniens. Volum.* 1. *c.* 92. Alii in asthmate, tàm adultorum, quàm puerorum, millepedes cum croco & cinamomo infundunt vino, quod expressum, & cum pauco sacchari, vel syrupo de hyssopo, aut marrubii edulcoratum, propinant ægris, certissimo, ut dicunt, experimento: vid. PETRÆUS, & SCHENCKIUS *in Observat.*

Quidam tale vinum macerationis millepedum in diæta loco vini consueti asthmaticis propinant.

Quod attinet *modum colligendi asellos*: in cella cerevisiaria ponatur patella cum jusculo carnis calido, tunc aselli copiosè, allecti odore & sapore jusculi, capi possunt.

Sin flatulentiæ stomachi malum exasperent, quod fit in hystericis & hypochondriacis, spiritus carminativus est egregius. Tentandum etiam aliquando, quid *salivatio Mercurialis* in asthmate humido contumaciore præstiterit sit? Occasionem suggerit THIERMAYER *Cons.* 51. *pag.* 146., qui refert asthma per ptyalismum seu salivationem ex ... cum Mercurio dulci curatum: Sicuti *idem c. l. l.* 2. *pag.* 55. refert, quendam asthmaticum ex pediluvio cerevisiæ calidæ illicò factum artheticum, & ab asthmate liberatum: quod ipsum confirmat pediluviorum usum in asthmate, quem quidam commendant: videatur HOEFERUS *Herc. Med. pag.* 119. Hæc in genere de asthmate humido, seu eo, quod imprimis ex mucilagine viscida pulmonum & stomachi oritur.

Denique quoad Asthmata occulta, tam ex convulsione musculorum & nervorum, quàm ex strictura ipsorum pulmonum, in his cura nonnihil est varianda, cujus medendi rationem jam supra habuimus.

Quoad materiam Medicam: In his asthmatibus occultis & convulsivis instar cynosuræ probè observandum est effatum Helmontii: quod nempè id, quod epilepticum adultum sanat, sanet etiam tale asthmaticum: unde remedia antiepileptica, item antihysterica, tàm fixa, quàm in specie volatilia, salina oleosa, castorina, hic sunt convenientissima, ut rectè observavit WILLISIUS *in Pharm. Ration. P.* 2. *pag* 246. observando simul, quod tales asthmatici ut plurimùm sint hypochondriaci, ubi dictis subinde etiam de laudano opiato aliquid addendum, utpote quoad in talibus convulsivis affectibus præcavendis & refrænandis nulli adeò cedit remedio. Et quantum opiata prosint in Asthmate, videb. in WILLISIO *loco allegato pag* 299. Observavi in asthmate tali occulto, ex podagra retropulsa oriundo, omni vespera repente, quod theriaca imminente paroxysmo assumpta, eundem præcaverit, ita ut post ejus usum istâ nocte non reversus fuerit.

Conveniunt ergo præmisso vomitorio ad paroxysmum mitigandum aut præcavendum salia volatilia, in specie sal succini, cornu cervi, cranii & sanguinis humani, ac horum & tartari spiritus conveniat, & liquor cornu cervi succinatus, spiritus carminativus de tribus, tinctura sulphuris, essentia catarrhalis, castoreum, essentia ejus cum spiritu salis ammoniaci parata, & omnia ex eo parata remedia, (obiter moneo: dicitur communiter castoreum convehire, ubi peccant flatus, quoniam hos dissipat: sed aliud quid subest: Castorei sal oleosum absumit quodcunque acidum nervis inimicum: nec est castoris testiculus, seu liquor intra testiculos & penem collectus.) Ex asellis etiam & lumbricis, in quibus est sal polychrestum, parata medicamenta, spiritus lumbricorum per putrefactionem paratus, cinnabarina, & similia sulphura metallica

lica meritò à WILLISIO in hoc casu commendari videntur. Cum his, ut dixi, miscenda subindè opiata: Hinc D. BOYLE *in Utilitate Philosophiæ Experimental. P. 2. pag. 92. & pag. 121.* item *pag.* 377. refert exemplum talis asthmatis convulsivi, & Orthopnϙæ inveteratæ & ferè disperatæ, per usum sanguinis humani, cum *laudano opiato Helmontii* cum succo cydoniorum facto, curatæ: item pag. 270. asthma convulsivum refert per salia volatilia curatum.

Ex dictis sequentibus concinnari possunt formulæ: e.g.

℞. *Pulv. epil. marchb.* ℈j. vel *antimonial.* gr. iij.
Cinnab. antimonii gr. ij.
Sal. volat. succin. gr. iij.
Laudan. opiat. gr. j.
M. f. *pulvis*: S.
Pulvis pectoralis sedans.

Vel

℞. *Tincturæ tartari compos.*
Spir. carmin. an. ʒiij.
Ess. opii ʒj.
M. D. S.
Mixtura asthmatica cochleatim sumenda.

Dosis 40. guttulæ.

Vel

℞. *Tincturæ sulph.* vel *ess. catarrhal.*
Liq. cor. cer. succin. vel *spir. sal. amm. anis.* an. ʒiij.
Ess. opii ʒj.
M. D. S.
Essentia pectoralis.

Vel

℞. *Aqu. Hyssopi* vel *scabios.* ℥ij.
Asthmat. ℥ß. vel ℥j.
Spir. sal. ammon. ʒj.
Syr. de hyssopo ʒij. vel ʒiij.
M. D. S.
Potio asthmatica.

Vel

℞. *Aqu. Hyssopi* ℥ij.
Veron. spirituos. ℥j.
Spir. sal. ammon. simpl. vel *anis.* ʒj.
Syrup. de hyssop. ʒiij.
M. D. S.
Potio asthmatica.

Vel

℞. *Olei amygd. dulc. rec. expr.* ℥ß. ad drachm. vj.
Sperm. ceti drachm. ß.
Croci gr. vj.
M. D. S.
Oleum asthmaticum & pectorale.

His remediis utiliter interdum interponitur, interdum præmittitur vomitus, præsertim ubi fomes mali hæret in abdomine, ut supra monitum fuit; nisi hysterica pathemata obstaculo sint, in quibus cautè provocetur. *Interdum dico, nõ semper:* vid. D. BOYLE *l. a. pag.* 270. ubi refert exemplum talis asthmatis convulsivi per vomitum curati; utut ipse non definiat, quod tale fuerit, tamen circumstantiæ satis apertè monstrant. Huc pertinent olea destillata Pectoralia & nervina, ut olea destillata anisi, salviæ, rorismarini, succini, terebinthinæ, &c. quæ asthma convulsivum tollunt. Curavi aliquando tale asthma siccum vitio pulmonum eorumque contracturâ enatum, aliis quàmpluribus irritis, recipiendo:

Olei destillat. succini gutt. viij.
Anisi,
Terebinth. an. gutt. iv.
Sacchar. albiss. ʒß.
Miscebantur pro *duabus dosibus*.

Harum una capiebatur manè, altera a meridie, unde mirabile levamen sequenti nocte percepit. Hinc postmodum:

℞. *Olei destillat. succin.* ℈ij. ad ʒj.
Anisi,
Terebinth. an. ʒß.
Misc.

Dosis erant viij. vel x. ad xij. guttas, manè in vehiculo calido, & interdum etiam à meridie in haustu quocunque frigido, capiendas, laxando intermedio tempore subindè alvum per pilulas minores laxativas, unde paroxysmus nocturnus fuit mitissimus: alterâ die emansit, & patiens sine expectoratione convaluit, ac postmodum satis commodè se habuit. Cum his parata salia volatilia oleosa erunt optima.

Externè huc faciunt etiam linimenta externa anodyna & emollientia, pectoralia aliàs dicta, loco quorum sufficit solum oleum amygdalarum dulcium; vel ad imitationem WEDELII

℞. *Ungv. potab. v.* drachm. iij.
Croci pulveris. ℈ß.
Ol. destillat. anis.
Fœnicul. an. gutt. xv.
M. f. *linimentum.* S.
Unguentum pectorale leniens.

Vid. WEDELIUS *de Med. Compositione pag.* 180.

Vesicatoria quoque scapulis aut brachiis applicata subindè multum opis præstant, tam irritatione molestâ spirituum influentium morbum divertendo, quàm seri acrioris, præsertim scorbutici, talis asthmatis crebriorem fomitem derivando aut avertendo.

Mulier ferè 50. annorum, cui tamen adhuc fluebant menses, laborabat tertianâ intermittente ordinariâ, sed die vacuo semper torquebatur asthmate convulsivo gravissimo, vesperi post horam 7. ex improviso superveniente, & ad 4. usque matutinam persëverante; dies verò paroxymi febrilis erat vacuus absque tali asthmate, quod saltem die à febre vacuo vesperi affligebat. Et quidem primò nulla tussis aderat, aut saltem levis & inanis præcedebat: secundò screatus seu materiæ excretio nulla; aliquando quidem ante paroxysmum die illo, quo vesperi rediturus erat, viscida quædam mucosa exscreabat, sed maximè nec ante nec post eum: tertiò finiebatur paroxysmus successivè sine sensibili materiæ evacuatione, inchoabat subitò sine ulla causa antecedente: symptomata erant, respiratio difficilis, imò ingruens hinc cordis palpitatio, anxietates præcordiorum gravissimæ, motus convulsivi in brachiis & scapulis, extremorum frigus, sudor varius, præsertim frigidus, in paroxysmo affligebat; finito paroxysmo lassitudo omnium membrorum, calor corporis, pulsus celer & frequens aliquamdiu supererant. Ex quibus facilè erat concludere, paroxysmos hos revera esse de asthmate sicco seu convulsivo. Finita & curata febre, periodum suam tertianam observabat paroxysmus asthmaticus. Tentata varia, imprimis volatilia, liquor cornu cervi succinatus, spiritus carminativus, essentia castorei, spiritus lumbricorum terrestrium, sperma ceti cum croco, emplastrũ ex tacamahaca & galbano pro præcordiis: sed incassum omnia. Malum non erat hystericum, aut ex abdomine vel hypochondriis: in his locis quieta omnia, caput sine labe, saltem pectus universum constringi, faucesque occludi videbantur, ut nonnisi cum sonitu spiritum ducere posset. Præcesserat gravis cephalalgia, hanc exceperat febris, quæ cùm per octiduũ durasset, associavit se hoc asthma. Suspicabar acre miasma, cephalalgiâ quod induxerat, utcunque sub motu febrili resolutum ad nervos intercostales derivatum, unumque vel alterum hujus nervulum aut saltem plexum occupasse, unde istæ lachrymæ: urinæ crassæ cum copioso sedimento quasi farinaceo & salibus scorbuticis admodum copiosis, unde & scorbutus delitescebat. Supervenit dolor & tumor hæmorrhoidum fausto omine, propterea applicationem hirudinum urgebam, à quibus certum levamen sperabam: sed obstinatè renuit; unde pro horum levamine

℞. *Mucil. sem. cydon. cum sperm. ranar. extr.* ℥j.
Spiritus Vini probè camphor. ʒij.
Sacchar. saturn. ʒj.
Misc.

Quo linteum benè humectatum applicabatur crebriùs.

Aliis ergo irritis, ordinata sunt duo vesicatoria ampla, utrinque propè carpos applicata die vacuo; die verò paroxysmi bibotio ante hunc

℞. *Far. lycopod.* drachm. ß.
Pulv. epil. antimonial. gr. jß. ad gr. ij.
Misc.

Quorum usu per triduum omni vesperi continuato evanuit paroxysmus penitus, ita ut exactè convaluerit.

Scopus erat vesicatoriis doloris ratione divertere motum spirituum, an forsan de acri scorbutico simul evacuari quid possit: non adeò attendebatur, dum iste pulvis internè præternaturalem spirituum impetum sopiendo paroxysmos levaret, ipsâ naturâ sub statu ita pacato quod supererat corrigente, & ita etiam factum fuit.

Habuimus jam Asthmata humida & asthmata convulsiva, seu talia, quæ impediunt motum pulmonum, sive convellatur thorax exspirando, sive convellatur inspirando: Pergo ad alia Inspirationis ipsius vitia, quæ inter non ultimum est Singultus.

ARTICULUS II.
DE
SINGULTU.

Singultus est *Respiratio* seu potiùs *Inspiratio violenta & interrupta* cum impetu ac cum sono ingrato, & dependet à subitanea ac vehementi diaphragmatis deorsum versus contractione, & revera convulsione. Percipimus enim omnes, quod singultiendo cum impetu inspiremus, & quod tunc simul regio ventriculi antrorsum versus moveatur, sicuti hoc aliàs fieri solet in omni ordinaria Inspiratione. Dum ergo diaphragma violenter & cum impetu deorsum versus contrahitur, ventriculus & abdomen necessariò antrorsum versus propelluntur; & ita cum subitanea inspiratione singultus efficitur. Veteribus aliàs singultus statuitur affectus stomachi irritati: sed parum considerate: Nam & ipse HIPPOCRATES, & GALENUS *in Comment. super Aphorism.3. sect.7.* apertè statuit, talem stomacho esse singultum, qualem nervis convulsionem. Imò hinc inde Authores Practici apertè comparant singultum convulsioni: sed cujus partis? nempe istius partis, quæ inspirationi primariò inservit, & talis pars est imprimis diaphragma, quod scilicet convulsum violenter & cum impetu deorsum tractum, singultum infert: adeòque primus, qui hanc sententiam quod singultus sit affectus diaphragmatis, defendit, est PLATERUS: à partibus etiam stat SYLVIUS: Conf. idem defendens MAYOWJUS *de Respirat. pag.* 292. Nec desunt argumenta, quæ hoc ipsum persuadent, quod singultus primariò oriatur à convulsione seu contractione fibrarum diaphragmatis versus inferiora, modò consideremus, quænam circa singultum sint observabilia?

I. Quod confirmat, est, quod nos omni tempore voluntariò possimus singultire. Hoc apertè innuit, non stomachi esse actionem, in quo nullus est motus voluntarius; sed necessariò affici partem, quæ voluntatis nonnihil subjicet imperio. Et quidem cùm faciamus singultum inspirando, innuit talem affici musculum, qui pro voluntatis imperio respirationem seu actionem mistam potest nonnihil mutare. Jam nullus talis est musculus in toto respirationis negotio, quàm diaphragma, quod respirationi primariò inservit, & nervis ex cerebro & cerebello constat: unde, si diaphragma convulsum, fit singultus; pro hujus enim varia alteratione pro voluntatis imperio possumus etiam respirationem variis modis mutare. Primariò ergo in singultu est diaphragma.

II. In omni singultu percipitur motus vehemens abdominis circa regionem epigastricam extrorsum versus; quod non potest concipi alio modo fieri, nisi quod diaphragma ex convexitate nimia aliquantisper (non in totum) planius redditum omnia abdominis contenta deorsum aut extrorsum premat, & in specie ventriculum ipsi proximè annexum. Nam cùm hoc fiat saltem inspirando, & in omni Inspiratione diaphragma moveatur deorsum, patet, diaphragma saltem in singultu esse affectum.

III. Nullus potest singultus fieri, nisi inspirando, id est, aërem attrahendo, & ita diaphragma deorsum versus movendo.

IV. Sæpiùs curatur singultus solâ inspiratione continuata, & quàm longissimè inhibita Exspiratione. Jam ergo si esset motus expulsorius stomachi in singultu, Inspiratione potiùs aggravaretur malum, quàm curaretur: Ratio, quia in inspirando diaphragma comprimit stomachum, unde potiùs irritaretur ad singultum, quàm quod exindè malum levaretur: imò ex constrictione fibrarum sequeretur vomitus.

V. Notum est, joco interdum, imò sæpissimè, curari singultum: Id quod innuit, non aliquid naturalis, sed potiùs voluntarii, & secundùm rationis ductum alterabilis partis, primariò in singultu affectæ; quæ in inspiratione non est alia, quàm diaphragma.

VI. Ad hæc sternutatio superveniens singultui hunc solvit, i. e. curat, teste HIPPOCRATE *Sectione 6. Aphorism.* 13. *Miscellan. Academ. Nat. Curios. Ann.* 3. *Observat.* 138 *pag.* 216. & WEDELIO *de Medicamentorum Facultatibus pag.* 212. Ratio, quia forti sternutatione, adeòque sub forti ista exspiratione, concussum diaphragma ex se dispellit, non minus quàm ex stomachi orificio, quod istud anteà irritabat. Sternutatio enim reverà est motus diaphragmatis, & oppositus motui diaphramatis in singultu; dum enim singultimus inspirando, sternutamus exspirando, hinc diaphragma convellitur, & sic singultus contrario motu per sternutationem tollitur.

VII. Nimii animi motus, v. g. Risus, Terror, Ira, & similia pathemata, curant singultum: idque ratione spirituum animalium, qui à fortiori objecto commoti & alterati minus vacant singultui; variato enim motu eorum, qui influunt in partes mobiles, variatur etiam partiũ motus. Exempla talium ab animi motibus, e. g. terrore felis, muris, &c. curatorum habet *Valeriola Observ.4. lib.2. pag.*123., utut aliàs etiam non sint rara: Sic si quis attentiùs personæ, quam amavit, & à qua redamatus fuerit, recordetur, singultum tolli, experimentum in vulgus notum est, ob eandem spirituum animalium revocationem, à diaphragmate nimirum ad cerebrum: Alii immisso cerevisiæ cultro, ejusque haustum uno Inspirationis actu deglutiunt: Nonnulli filo constringunt arctissimè minimum digitum &c.

VIII. Ad hæc absque stomacho affecto hepatis inflammatio sæpè dat singultum exitiosum: quia hepar inflammatum parte suâ convexâ immediatè contingit diaphragma; parte verò concava stomachum. Unde tunc continuus hujus diaphragmatis motus molestiam creat, ratione cujus irritatur continuò ac stimulatur, ut convellendo singultiat. Hinc

IX. Observatur etiam non raro singultus in morbis convulsivis, v. g. in passionibus hystericis.

Singultus formale, ut dixi, consistit in contractione violenta & convulsiva diaphragmatis inspiratoria.

CAUSÆ.

Causa hujus violentæ diaphragmatis convulsionis est omne id, quicquid ad violentam, non tamen durantem, sed interruptam subinde & reciprocam contractionem, diaphragma irritare & vellicando stimulare valet. Hoc ipsum, quod ita irritare valet diaphragma, ut fibris constrictis fiat convulsio, interdum, & quidem sæpiùs, hæret in stomacho, orificio nempe ejus superiore, quod diaphragma perforat, ipsique in transitu firmiter satis connectitur; unde vulgò falso putatur singultum stomachi esse affectum. Pertinent ergo huc imprimis alimenta, aut medicamenta nimis acria assumpta, vel alia quæcunque: Sic quidam loco balsami sulphuris assumens oleum vitrioli, exinde in gravem & periculosum incidit singultum, quatenus orificium ventriculi & diaphragma fuerunt læsa, de quo refert BARBETTE *in sua Praxi lib.4. cap.2. pag.*136.: Sic solus panis quantitate nimiâ comestus & illicò devoratus, singultum concitare dicit FERDINANDUS *in Histor. Medic. Cons.*43.: Item in febribus continuis ardentibus post intemperatum & intempestivum Juleporum acidorum & emulsionum refrigerantium usum, non raro singultus sequitur, saltem vini potu curandus; uti hoc habet SCHENCKJUS *l.3. Obser.* Alia itidem ventriculum intensiùs alterantia, in specie refrigerantia, singultum inferunt: sic enim TIMÆUS *Von GuldenKlee in Cas. lib.3. Cas.5. pag.*115. refert singultum gravem & contumacem ex potu copioso aquæ frigidæ & nitri, quatenus stomachum affecit: sic singultum obstinatum per bimestre ex nimio aquæ frigidæ haustu post æstum observavit RIVERIUS *Morbor. Infrequent. Obs.* 1. Hæ enim & similes causæ, stomachi orificiũ superius cum impetu vellicando & stimulando, simul etiam diaphragma facillimè irritant, quod irritatum nititur excutere rem molestam, adeòq; convellitur sub inspiratione, & ita singultum inferunt.

Sed præter occasiones tales externas & ex internis singultus supervenit stomacho affecto, sive per essentiam afficiatur, sive per consensum: Per consensum v. g. in vulneribus capitis, in nephritide, in imminente ileo, in hernia graviori, quibus sæpiùs, utut infausto omine, singultus supervenit. Per essentiam afficitur stomachus, dum ab acriori quodam plus minus viscido succo, intra rugas propè orificium superius hærente, originem ducit, cujus expellendi nixum singultus insequitur. In specie in febribus ardentibus aut malignis interdum singultus supervenire solet, idque ferè utplurimum ex stomacho, ex causa maligna graviter affecto.

Ratio, quod ex affecto orificio superiori superveniat singultus seu diaphragmatis convulsio, est consensus stomachi cum diaphragmate, quia stomachi os superius facile transit, non per circulum nerveum diaphragmatis, ut fert communis opinio, sed per hujus musculum posteriorem, ibique idem firmiter satis annectitur. Conferatur nova ac accurata *diaphragmatis Anatome* CASPARIS BARTHOLINI, cujus epitomen videb. in BARTHOLINI *Act.*

Act. Medic Haffniens. volum.4. pag.14. Unde si aliquid pertinaciùs vellicat orificium stomachi, facillimè simul vellicatur diaphragma, ejusque fibræ musculares nerveæ, & exindè sequitur singultus.

Præterea plures aliæ etiam causæ, quocunque modo diaphragma afficientes, sive in hoc ipso sive in pectore hæreant, ad singultum disponere possunt: ut v. g. hepatis inflammatio in parte gibbosa, ubi immediatè contingit diaphragma, singultum infert, uti jam superiùs dixi. Quò etiam pertinent conformationis vitia, luxatio nempe costarum inferior, dum costarum interiora ad ventriculum versus detorsio, ut iis adhæreat diaphragma, causa fuit singultus trimestris, quarum repositio ejusdem curatio extitit, teste SCHENCKIO *in lib. 3. Observationum*: item continuum singultum ex compressione undecimæ thoracis vertebræ observavit RHODIUS *Centur. 2. Observat. 61.* Infantibus & junioribus magis voracibus frequentes singultus contumaces, idque imprimis ex pituita viscida acida, pertinaciùs stomachi orificium obsidente, unde etiam non rarò chronicus & admodum diuturnus talis esse solet singultus. Ex arthritide non ampliùs artus afficiente singultum desperatum observavit VELSCHIUS *Hecatost. 2. pag. 20.* Purgationes effrenes subindè singultus malo omine sequuntur, ut notat HIPPOCRATES *S. 7. aphor. 41.*, siquidem non rarum est, convulsiones acriores insequi Purgationes. Tandem febribus sæpè continuis, aut in statu periculoso, aut in quibus jam convulsiones imminent, supervenit; partim ex pessimè affecto stomacho; partim ex spasmis jam imminentibus ceu ultimo naturæ conatu. Denique ipsis morbis convulsivis, vel universalibus vel particularibus, per consensum diaphragmatis simul afficientibus subinde supervenit singultus: hinc etiam passionibus hystericis subindè singultum supervenire observavi.

Hæc de natura singultus.

Rara item singultus qui vult exempla, qualia non pauca prostant, adeat MARCELLUM DONATUM *in lib. 4. Hist. Med. Mirabilis c. 5.* item SCHENCKIUM *lib. 3. Obs. Bartholin. Cent. 2. Hist. Anatom. 4.* de singultu quatuor annorum continuo; item *Cent. 3. Epist. 61.* de muliere adeò graviter singultiente, ut per biennium à Dæmone obsessa crederetur: quibus addantur BARTHOLINI *Acta Medica Haffniensia vol. 2. Obs. 28. & vol. 1. Obs. 73.*, in quibus refertur singultus periodicus annuatim in vertigine recurrens, & toto die affligens, somno cessans, nec nisi largâ venæ sectione in brachio curabilis.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*: singultus per se patet & cognitu facillimus est; vel infantibus quoque notus: saltem curiosus sit Medicus in perscrutandis causis remotis seu fomite morboso, an hæreat causa irritans in stomacho? an in alio quodam loco, ut ejus diversitate curam tum temporis variare queat.

PROGNOSIS.

In *Prognosi* observandum, quod Singultus ex causa externa, vel manifesta, vel vitio assumptorum, vel vitio excretorum, sit affectus levis, minus periculosus.

Singultus autem quicumque superveniens Vomitui, aut Purgationi nimiæ, diarrhϾ aut dysenteriæ, sæpiùs & utplurimum periculosus est; quia imminentes convulsiones epilepticas, in talibus morbis utpiurimum lethales, innuit.

Superveniens etiam singultus inflammationi hepatis vel alius visceris malum pronunciat, ut hoc habet noster HIPPOCRATES *sect. 5. Aphor. 58. & sect. 7. Aph. 18.* Exemplum hujus, quod singultum ex inflammatione hepatis lethalem esse confirmat, refert AMATUS LUSITANUS, *Centur. 5. Curat. 30.* Vid. *Disput.* D. REINESII *de Inflammat.*

Pertinaci alvi suppressioni aut etiam morbo Iliaco, aut etiam repentinæ & contumaciori herniæ, aut etiam in aliis intestinorum periculosioribus doloribus, superveniens singultus admodum periculosus esse solet; innuit enim imminentem vomitum stercoris lethalem.

Singultus in omni continua febre & morbo acuto periculosus est, nisi fiat instante crisi per vomitum: hinc PLATERUS *l. 1. Obs. pag. 203.* rectè asserit, singultum febribus ardentibus mox in principio aut circa statum supervenientem & perseverantem, plerumque esse mortis prænuntium; quod tamen non æquè universaliter verum est, contrario apparente in HORSTIO *l. 1. Obs. 25.*

Distinguatur ergo singultus: nam qui in principio morborum acutorum supervenit, minus est periculosus; qui autem in statu cum aliis gravioribus symptomatis fit, periculosus & sæpè lethalis est. Singultus enim in principio morborum acutorum oritur ex turgescentia in primis viis, unde vomitu superveniente cessat singultus.

Singultus sæpè diuturnum malum est, ægrotumque subindè per plures dies, menses, annos &c. affligit, interdum penitus incurabilis observatur, in quo casu occultum quoddam conformationis vitium; os ventriculi, aut diaphragma, aut nervos afficiens, ferè subesse solet.

CURA.

Quoad Curam: in hac duo sint consideranda:

I. Causa proxima & occasionalis, quæ irritat diaphragma ad convulsionem, est removenda; &

II. Materiâ remotâ ipse irritationis sensus diaphragmaticus est tollendus, ut consequenter ejusmodi contractura convulsiva remittat.

Ea, quæ vulgaria anicularum sunt remedia, compressionem thoracis respirationẽ omissâ, &c. omitto. Dico potiùs: ad singultũ compescendũ ratione indicationis posterioris insigniter commẽdari opium, & quælibet opiata ac theriacalia, sensum irritationis tollendo, atque hinc natum impetuosum spirituum, ad diaphragma motum, similiter impediendo, & sic diaphragmatis spasmum supprimendo. Nam opii & opiatorum usum felicem omnes omninò deprædicant, inter quæ euporiston frequens est Theriaca, Mithridatium, Philonium Veterum, & laudanum opiatum, vel simplex vel hystericum, quod adjuncto castoreo compositum est: Sic HORSTIUS *suprà cit. loco l. 1. Obs. 25.* Singultum pertinacem admodum, febri continuæ circa finem supervenientem, curavit recipiendo

Conserva rosar. ℥j.
Theriac. Androm. ʒß.
Laud. opiati gr. ij. vel iij.
& miscendo.

Hinc GALENUS similiter commendat opiata: sed eadem miscere jubet cum appropriatis, & quidem rectè, nempe cum castoreo, galanga, zingibere, caryophyllis, mastiche & similibus: Hinc etiam ad singultum, item vomitum & similia, talem ferè Bolum expertum commendat TIMÆUS *Von GuldenKlee*.

℞. *Theriac. Androm.* ℈ij.
Ligni aloes ℈ß.
Ol. destillat. mac. gutt. ij.
Laud. opiat. gr. j.
Misc.

Loco ligni aloës alia appropriata possunt addi, in specie castoreum, semen anisi, &c. Hinc aliquando ad imitationem Timæi feliciter cum successu talem præscripsi:

℞. *Theriac. Androm.* ʒß.
Laud. opiati gr. j. ad ij.
Ol. destill. anis. gutt. ij. vel iij. vel *sem. anis.* ℈ß.
macis gutt. j. vel ij.
Cum *succo cydoniorum* fiat *Bolus*. S.
Electuarium contra singultus pro una vice.

Talibus enim opiatis, uti rectè dicit GALENUS, semper admiscenda simul erunt appropriata singultui dicata remedia: qualia sunt in specie cinamomum, aqua galangæ & mastichina, castoreum, quod uti in morbis convulsivis est optimum, ita & hic à Galeno & Veteribus insigniter commendatur; sive interiùs assumatur; sive solummodò naribus admoveatur. Semen anisi, ex eoque parata essentia, spiritus & oleũ; item spiritus salis ammoniaci anisatus, & similia quocunque modo assumpta ad singultum sunt commendatissima, quæ etiam externè scrobiculo cordis applicari & illini possunt. Zingiber similiter ad singultum commendatur, si scilicet pulveretenus, vel in India conditum assumatur: sic enim tanquam Euporiston non ultimum, insigniter singultum sistere dicitur.

JOEL in omni singultu ceu præsentissimum commendat cornu cervi usti ℈j. quocunq; modo usurpati. FORESTUS aliàs habet Julapum, quo ipso aliquoties feliciter usus est contra singultum. Compositio ejus est hæc:

℞. *Hord. mund.* M. j.
Sem. anisi,
Anethi,

Sem. Carvi,

Sem. Carvi,
Fœniculi,
Quatuor frigid. maj.
Papav. albi an. ʒj.
Portulacæ,
Lactucæ an. ʒß.
Flor. cordial. p. j.
Liquirit. rasæ ʒiij.

Coque in sufficiente quantit. aquæ *comm.* (meliùs in *cerevisia* aut *vino*) pro ℔j.

Decoctum coletur, & aromatisetur cum
Spec. diatrag. frig.
Dia-rrhod. Abb.
Diatr. santal. an. ℈j.
Addendo
Syrup. Violar.
Acetos. citri,
Rosar. an. ℥j.
M. D. S.
Julapium.

Ubi verò pertinacius fuerit malum in corpore robusto, ut quando ad aliquot septimanas, interdum menses, persistit hærere in stomacho, & quidem imprimis, ubi non sufficiunt & conferunt opiata, ante omnia præmittatur purgatio, & quidem vomitus ex antimonialibus, ut hujus medio eradicetur fomes morbosus ex ventriculo, præsertim quando talis contumacior singultus ex pituita, ut vocant, vitrea, superiori stomachi orificio firmiter impacta, oriatur: hâc enim vomitorio sublatâ sponte cessat malum: quibus verò infesta sunt vomitoria, & opus est, ut fiat per inferiora purgatio, danda sunt imprimis aloëtica, ut pilulæ ex aloë, successivè mucum tollentes, vel solæ, vel cum grano laudani opiati mistæ: aut si malum fortiùs hæret, purgantibus misceatur Mercurius dulcis, idque ad imitationem RIVERII *Cent.* 3. *Observ.* 42., ubi curavit singultum molestum, sæpiùs quotidiè per annum recurrentem, per *calomelanos Turqueti*, *i. e. Mercurii dulcis* gr. xvj. & *diagryd.* gr. viij. mista invicem; sicut RHODIUS *Cent.* 2. *Observ.* 60. singultum septem dierum cum hiera, cum oxymelle data, excretis ℥xij. pituitæ sanatum refert.

Peractâ purgatione vel vomitu, dum languet stomachus, ad consuetudinem singultus penitus tollendam propinentur remedia ex zedoaria, corticibus aurantiorum, Chamomilla Romana, &c. B. D. LANGIUS curavit singultum decem dierum ex humoribus crassis, tunicis ventriculi impactis, beneficio salis vitrioli ad ℈ij. in Vino malvatico dati, quo maxima pituitæ vitreæ copia exclusa, singultu planè cessante. Pro corroboratione dedit bis:

℞. *Ebor. usti* ʒß. vel ʒj. aut *ebor. sine igne* ʒß.
Olei destillati cinnam., mac., vel *anisi*, vel *caryoph.* gutt. v.
M. pro *pulvere.*

Propinetur in aqua menthæ spirituosa, & ita denuò roborabitur stomachus.

Vel ad imitationem Sylvii danda est talis mistura:

℞. *Aqu. Menthæ* ℥j. vel ℥iß.
Vita Matthiol. ʒß. vel *spir. theriac. simpl.* aut *Camphorat.* ʒiij.
Conf. alKerm. ʒj.
Laudani opiati gr. ij.
Syr. Menthæ ʒvj. vel ℥j.
M. D. S.
Potio confortativa.

Pertinet huc etiam mistura sæpiùs ad singultum experta cydoniata cum extracto zedoariæ & laudano opiato in M. A. N. C. anno 6. *Obs.* 149. *pag.* 210. Nempe

℞. *Vini cidon.*
Tincturæ rosar. an. ℥j.
Extract. zedoar. gr. xv.
Laud. opiati gr. ij.
Ol. destill. cort. aurant. gutt. iv.
Syr. Cydonior. ʒß.
D. M. S.
Potio stomachum confortans.
Detur cochleatim.

Vel

℞. *Aqu. Menthæ* ℥ij.
Spir. theriac. camph. ʒiij.
Anisi ʒj.
Laud. opiati gr. ij.
Syr. cinnam. ʒj.
M. D. S.
Potio confortativa contra singultus.

Quibus misturis, ubi semel flatus & eructationes stomachi adsunt, qui interdum in singultu reperiuntur, & stomachum insigniter distendunt, commodè spiritus nitri, vel simplicis gutt. vj. vel viij. vel potius spiritus nitri dulcis, aut etiam spiritus nitri theriacalis à ʒß. ad ʒj. addi potest: aut si adjuncta sint pathemata hysterica, loco confectionis AlKermes, extractum castorei admisceri potest.

Externè in quocunque singultu in specie expertum est *Cataplasma Mynsichtii ad singultum*, compositum ex fermento acri, pulvere menthæ & aliis aromaticis, malaxatum cum oleo castorei, impositum regioni stomachali; vix enim datur efficacius inter externa contrà singultum remedium, quo multi feliciter & cum summo successu utuntur: vid. *Descriptio in* MYNSICHTII *Armament. Sect.* 38. Simile est *Cataplasma Schmuckii*, quod tanquam certum & probatum ad singultum commendat: *Compositionem* habet *in Thes. Med.* 2. *Secret.* 18. & est hæc:

℞. *Bacc. lauri,*
Ros. rub. ʒiv.
Menthæ an. M. j.

Pulverisata subige cum *fermenti acerrimi* quantitate ovi, impone patinç, affunde *acetum fervens*, & calidissimè cum linteo triangulari impone regioni stomachi & præcordiorum: si exsiccetur, denuò cum aceto irroretur & applicetur.

Deinde convenit etiam externè contra singultum emplastrum de galbano crocatum *Mynsichtii*, cujus *descriptionem* videbitis *in Armam. Chym. Sect.* 37. *pag.* 511.; item ol. destillat. anisi gutt. aliquot umbilico aut scrobiculo cordis illitæ, in usu esse solent. Panis etiam calidus linteo obvolutus, ventriculo applicatus, efficax est remedium ad singultum compescendum: efficacius si vino malvatico vel alio generoso irroratus fuerit, & ita applicetur regioni stomachali. Quidam cum spongia aut pane calido applicant ventriculo fotum humidum, factum ex aceto calido valdè acri, cocto cum castoreo, pipere, & sinapi.

Hæc *in genere.*

Pro varietate autem causarum ad singultum disponentium etiam modò dictis generalibus specialia quædam admiscenda sunt, v. g. si *singultus* oriatur *a cruditate stomachi*, aut à vitiata digestione, tunc, præter vomitum, pilulæ aloeticæ cum laudano opiato mistæ conveniunt, uti sunt pilulæ rosaceæ; item pilulæ maro-costinæ, Mastichinæ, item zingiberina, essentia zedoariæ, elixyr proprietatis cum spiritu anisi mistum, elixyr proprietatis cum spiritu salis ammoniaci; item essentia absinthii, essentia & spiritus mastichis, essentia melissæ & pulegii, &c. nobiles quoque sunt.

Singultus & irritatio si fiat *ab humoribus acribus corrosivis ac æruginosis*, plus minus effervescentibus, tunc supra dictis appropriatis in specie addantur absorbentia: qualia crystallus præparata, ebur ustum, vel cornu cervi ustum; item lapilli cancrorum, qui absorbent omnes corrosivos humores: item terra solaris, sigillata, Bolus Armena: item lapilli percarum & carpionum, pulvis absorbens Wedelii, cum opiatis mista: in specie pelliculæ internæ stomachi gallinacei exsiccatæ & pulverisatæ, & in aqua, succo & syrupo portulacæ usurpatæ. Singultum supradictum ex assumpto acriori, e. g. ol. vitrioli hausto excitatum, BARBETTE curavit hac Mixtura *in Praxi* præscripta:

℞. *Succi semper. vivi major. depur.* ℥j.
Aqu. rosarum,
Plantagin. an. ℥ij.
Vitelli ovi Num. 1.
Syr. de portul. ℥j.
Laud. opiati gr. ij.
Miscendo, & cochleatim usurpando.

Huic mixturæ putassem simul debuisse addi, aut lapillos cancrorum, aut cornu cervi ustum, aut terram sigillatam, aut similia, acidum promptè absorbentia. Ad hujus ergo imitationem

℞. *Aqu. endiv.*
Plantag. an. ℥ij.
Succi semper viv. maj. depur. ℥j.
Cornu cervi usti præpar. ʒj.
Lapill. cancr. præpar. ℈j.
Terræ sigill. ℈ß.
Laud opiat. gr. ij. vel iij.
Syr. portulac. ℥j.
M. D. S.
Potio contra singultum.

Si *suspicio* adsit *veneni assumpti*, vel *malignitatis in singultu*, v. g. in febre maligna, modò dictis appropriatis & alexipharmacis ex terra sigillata addatur aqua cordis cervi, cordialis *Herculis Saxoniæ*, aqua cinnamomi cum vino, & cydoniata, syrupus corticum citri, pulvis analepticus *Mindereri*, laudanum opiatum vel extractum theriacale, & similia malignitati appropriata; ad imitationem RIVERII *Centuria 4. Observ. 78.* qui continuum singultum in febre maligna compescuit per emulsionem ex seminibus quatuor frigidis majoribus cum lapidis prunellæ ℥j., laudani opiati gr. ij. Sanè nitrum antimoniatum ad ℨj. est convenientissimum.

Ubi *singultus* est *conjunctus morbis convulsivis* aut *hystericis*, his ipsis per salia volatilia, castoreum, & opium curatis, simul singultus evanescere solet.

Si *singultus* est *symptoma* affectus cujusdam gravioris, ut *inflammationis hepatis, febris acutæ*, &c. sponte equidem, morbo primario curato, singultus sponte cessat; quia tamen partim molestum, partim mali ominis est symptoma, propterea simul sudorifera, & blanda opiata cum affectui primario appropriatis, ut iisdem & singultus & affectus primarius simul curentur, jungenda erunt.

Si *Singultus* sit *à nimia refrigeratione stomachi*, in specie, si post nimium æstum ex haustu copioso frigido oritur singultus, qualem singultum mirè obstinatum per bimestre durantem observavit RIVERIUS *in Observ. Morborum Infrequentium*, uti vocat, *Observ. 1.*, optimum consilium est, ut ad imitationem ejus instituatur Balneum aquæ dulcis, in quo plantæ nervinæ incoctæ sunt, cui insideat æger; quo consilio RIVERIUS ægrum ex nimio frigidæ haustu singultientem, aliis omnibus ferè irritis, curavit.

Hæc de Convulsione diaphragmatis inspiratoria seu singultu sufficiant; sequitur

ARTICULUS III. DE INCUBO seu EPHIALTE.

Inter affectus præternaturales inspirationem lædentes pertinet etiam *Incubus* seu *Ephialtes*, qui & ipse reverâ est nihil aliud, quàm pectoris affectus, impedita nempe ac difficilis respiratio, in specie sufflaminata Inspiratio, dormientibus imprimis ac dorso incumbentibus, cum insomnio quodam ponderis præcordia prementis ac suffocationis imminentis obveniens, cujus occasione vigiles, quia talia delirant somniantes, varia subinde sibi de persona aut re certa, aut etiam de persona invisa, superincumbente narrare solent Ephialte affecti.

Est nempe complicatus affectus abdominis Incubus, quem ipsi ægri ritè explicare nequeunt; propterea constituitur à quibusdam sedes in stomacho, ab aliis in pectore, ab aliis in capite: symptomata ferè tali ordine se mutuò insequuntur:

I. Læditur respiratio, maximè inspiratio; Hanc
II. Insequitur sensus, aut saltem metus imminentis strangulationis.
III. Est depravata loquela, dum loqui nesciunt incubo affecti, sed gementes, queruli &c. fiunt, aut sonum saltem inconditum, rectiùs boatum, aut saltem sonum gravem proferunt; undè & vocati parum aut nihil respondent, & ferè immobiles jacent,
IV. Adest insignis anxietas præcordiorum: &
V. Denique insomnium supervenit rei aut Objecti alicujus, nunc certi, nunc incerti, thoracem prementis, & quasi constringentis: Quibus
VI. Accidunt maculæ rubeæ, lividæ, cæruleścentes, artus imprimis pingentes, & manè postmodum apparentes.
VII. Expergefactis, dum omnia cætera evanescunt symptomata, corporis tremor, & non rarò diaphragmatis vibratio celerrima & violenta superest, unà cum totius corporis lassitudine, *als Wenn sie geprugelt Waren*,

CAUSÆ.

Quoad Causam & fiendi modum incubi; quæ vulgò proferunt, omnibus nota sunt; scilicet incusant obstructionem meatuum cerebri ac principii spinalis medullæ, à vaporibus crassis ex abdomine eò exhalantibus; unde impedito spirituum animalium influxu ista symptomata superveniant, obque hanc rationem Incubus ad affectus capitis ordinariò refertur: vid. SENNERTUS *l. 1. Prax. P. 2. cap. 29. ubi de Incubo*. Hic tamen in *Paralipom. pag. 113.* hanc sententiam mutavit, & Incubum esse affectum respirationis læsæ cum insomnio gravi asseruit; sicut jam suo tempore FERNELIUS & PLATERUS insulsissimam hanc Veterum opinionem rejecerunt, dicendo, morbum hunc primariò ad affectus thoracis & respirationis læsæ, secundariò ad affectus capitis pertinere. Nempe hi ipsi causam proximam statuerunt humorem crassum melancholicum vel pituitosum circa præcordia hærentem, quo humore quacunque ex causa commoto aut turgescente diaphragma & pulmones comprimantur; unde exhalantibus vaporibus vox opprimatur, & deniq; iisdem cerebrum petentibus spiritus animales conturbentur & infsceantur, unde somnium tale sequatur: cum quibus etiam coincidit PETRI JOANNIS FABRI sententia in *Pathol. cap. 7.* Sed adscensus iste vaporum ex primis viis ad caput usque, & quicquid illis superstruitur, ruinoso nititur fundamento, & facilis est solutionis.

Audiantur modernorum quidam, in specie SCHNEIDERUS *in libro* specialissimo *de Catarrh. cap. de Catarrho nar. pag. 346.* item *in Diss. de Epilepsia*, & per consequens etiam de Incubo, ubi rectè Incubum ad convulsionis species refert, in specie talem, in quo thoracis musculi hominis, somnium capientis, ita afficiatur, ut respiret exindè laboriosus.

Res ut pateat paulò clariùs, ordine procedendum: scilicet *Causa* Incubi *proxima* est omne id, quod liberum thoracis, & in specie reciprocum diaphragmatis motum inferiora versus in somno impedire potest; hoc namque ita primariò quoad respirationis negotium impedito, secundariò etiam reliqui musculi inspirationi intervenientes in motu impediuntur; cùm notum sit, quod diaphragma sit primarium instrumentum respirationis. Quicquid ergo primariò libero diaphragmatis motu, secundariò reliquorum musculorum, inferre potest impedimentum, est causa Incubi.

Istud, quo thoracis, ac speciatim reciprocus diaphragmatis motus impeditur, hoc facit; vel quatenus est Causa externa & objectum quoddam, diaphragma opprimens, & ejusmodi motui deorsum versus reluctans, & oritur exindè Incubus accidentalis & quasi levior; vel læditur diaphragmatis motus vitio nervorum ejusmodi, & musculorum thoracis motui inservientium, id quod fit in Incubo habituali, utpote graviori, & qui firmiores egit radices, & ex quadam dispositione interna radicata plus minus, vel sæpiùs vel difficilius ægrum afficit.

Incubus accidentalis fit, quando liber diaphragmatis motus saltem impeditur, propter impedimenta in primis viis ac abdomine, motui ejus deorsum resistentia. Hæc inter imprimis est stomachus: qui vel copiosioribus alimentis infarctus; vel materiâ viscidâ aut mucilaginosâ inquinatus; aut flatuum copiâ, de quibus superiùs, ubi de Inflatione stomachi; aut potu nimio & cruditatibus distentus, dorso incumbentibus diaphragma magis sursum repellit, & ejusdem inferiora versùs motum impedit, ut non inspiratio fieri possit, unde etiam reliqui musculi cessant. Propterea HILDESHEIM *in Spicil. de Affect. capitis spicileg. 4. pag. 434.* inquit: *Qui scire cupit quid sit Incubus? is ante somnium comedat castaneas, & superbibat vinum fæculentum.* Hinc rarò Incubo afficiuntur, qui laudabili utuntur diætâ, aut qui sobriam amant cœnam: è contrà pueris ob ἀδδηφαγίαν, seu nimiam & immoderatam ciborum ingurgitationem familiaris esse solet; unde etiam sæpiùs ex crapula, ebrietate, & nimia voracitate in cœna Incubus affligit: sed talia saltem inducunt Incubum accidentalem, leviorem, & facilè discussibilem. Nam si dormiatur in latere, & elevetur caput, possumus præcavere talem Incubum: quò magis enim supini jacemus, eò minus comprimit ventriculus diaphragma, & contrà.

In habituali verò ac continuo Incubo, quatenus habet causam quandam in corpore latentem, ad nervos imprimis respiciendum venit, eos nempe, qui respirationi inserviunt, & imprimis diaphragmatis motui, ob quorum vitium actus respiratorius prohibetur: adeòque ad nervos paris octavi, unde & intercostales progrediuntur, & qui ex cerebello primas radices habent, hîc imprimis respiciendum, ut rectè asserit WILLISIUS *in Anat. Brutorum P. 2.* ubi *de Incubo*; & notabili Observatione fundamentum habitualis Incubi in parte capitis

capitis postica circa cerebellum confirmat LOWERUS *Tract. de corde pag.* 157. de quodam nobili: Adeò, ut respectu causæ revera nervorum affectus sit Incubus habitualis, isque vel paralyticus, vel convulsivus, *i. e.* qui vel ex denegato plus minus spirituum animalium influxu, propter impedimentum quasi obstructionis,& inde hinc musculorum resolutione, vel ex impetuoso nimis spirituum per dictos nervos propter irritationem quandam influxu, & hinc musculorum spasmo, oriatur. Prius Veteres, & adhuc suo modo WILLISIUS *loco allegato*, ubi cerebellum affectum esse putat, ut Ephialtes quasi lethargus sit cerebelli; item LOWERUS *loco allegato* asserunt: Posterius verò affirmant moderni: vid. SCHNEIDERUS *loco allegato*: Et ob id à quibusdam, in specie Arabibus, Incubus Epilepsia nocturna; item Epilepsia parva propter convulsiones musculorum thoracis, quæ similiter fiunt in omni insultu epileptico, vocari solet; unde in epilepticis respirationis est difficultas, & spuma apparet circa os: quo nomine vocatur à RODERICO à CASTRO *Tract. de Epilep. cap. ult.*, quia Incubus confirmatus in epilepsiam degenerare tandem solet. TIMÆUS *Von GuldenKlee* sanè *in Casibus lib.* 1. *Cas.* 17. refert Incubum, cujus Historia, prout describitur, ferè persuadet, ad mala quasi paralytica eundem esse referendum; nihilominus in epilepsiam tandem lethalem desiit. E contrà RHODIUS *Cent.* 1. *Observat.* 54. refert exempla Incubi Vigilantibus obvenientis, qui in apoplexiam terminari observatus fuit: sicut ex historia infrà narranda patebit exemplum Incubi ad epilepticos morbos referendi. Forsan utrumque, utut in variis casibus, nempe tam paralyticum, quàm convulsivum, in Incubo locum habet: sicuti non rarum est, Paralysin cum spasmis, & contrà, subinè permutari; ita quidem ut causa Incubi, acidum nempe peccans, lymphæ medio ad cerebellum delatum, nunc irritando nervos respirationi inservientes, ac cordis motui dicatos, affectus spasmodicos; nunc spirituum motum nonnihil sufflaminando leviores affectus paralyticos inducat: hinc etiam cura ejus specialis ferè remediis antiepilepticis perficitur. Reverà ergo Incubo infestante laborant nervi diaphragmatis, & hinc reliqui musculi thoracis motui inservientes, qui convulsi impediunt motum diaphragmatis dilatatorium, unde necessariò respirationis difficultas supervenit.

Verùm cùm idem nervus ex intercostali profectus, musculos thoracis movens, etiam ex eodem trunco surculus procedens laryngem movere soleat, hinc est, quod consequenter à nervi intercostalis irritatione musculis convulsis simul etiam convellatur larynx, qui exindè sensum strangulationis, & postmodum etiam loquelæ impedimentum, aut saltem sonum inconditum, qualem epileptici aliàs etiam edere solent, subindè gemebundum, efficit; & cum etiam simul sub respirationis defectu imminuta plus minus evadat sanguinis circulatio, ob id ab eodem anfarcti pulmones anxietatem insignem præcordiorum inducunt: sicut dum evigilant tales ægri, cor insigniter palpitat, quod testatur motum convulsivum: & cum hæc omnia fiant imprimis in somno, facilè ejus occasione anima rationalis, talium rerum nescia, concipit somnium quasi ponderis, nescio cujus, incumbentis. Notum enim est, quod ii, in quorum vesiculis seminalibus genitura turget, indeque genitalia nonnihil titillat & vellicat, ordinariò accidunt somnia Venerea, quasi rem habeant cum hac vel illa pulchra fœmina cum voluptuosa genituræ excretione. Uti ergo turgescentia & eruptio genituræ dat somnia Venerea; simili ratione motus diaphragmatis & hinc thoracis impeditus dat somnia, & imaginationes compressionis & constrictionis thoracis a re superimposita. Somnium tale vagum applicatur interdum certo cuidam subjecto, unde tali affectu laborantes certum sibi objectum imaginantur: quando enim conqueruntur; *jacere super pectore*; tunc est determinatum, & fit imprimis occasione sanguinis stagnantis in præcordiis: sic nimis premi imaginantur à vetula ingrata, quale exemplum habet SCHENCKIUS *pag.* 129. *& seqq. lib.* 1. *Observ.* de sacrifico, qui putavit, se comprimi à vetula, quam vidit & contrectavit. Hac ratione FORESTUS Incubo affectus putabat, pectus suum comprimi à cane nigro, unde respirare non potuit, utut fœmina videret esse somnium fallax; uti de se refert *lib.* 10. *Observ.* 51. Simile ferè exemplum habet ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Admir. pag.* 42, quod mediante Antimonio per superiora & inferiora curatum fuit. Hinc rectè dicit VINCENTIUS ALSARIUS à CRUCE, idque ex authoritate GALENI, quod Ephialtes sit quædam quasi in somnio epilepsia, cùm eadem, utut leviora, perpetiantur in incubo, dum quiescunt, quæ patiuntur comitiali morbo correpti, cum vigilant: utrobique scilicet ægrè respirant, & vox incondita profertur. Vitium imprimis est in nervis, in specie in nervo intercostali, sive in ejusdem radice aut exortu in cerebro & cerebello, sive in uno alterove ejus plexu, antequam scilicet surculos thoracem moventes hinc inde distribuit, lacessito in specie à lympha plus minus acri acida, subtili tamen, unde respirationis symptomata, hic cætera consequentia. Exemplum Incubi ex nervo in exortu affecto allegavi *suprà ex Lowero de Corde*.

Affligit Incubus in specie dormientes: nihilominus non mirandum, si in ipsis etiam vigilantibus oriatur; nil enim impedit, quò minus & in his diaphragma & reliqui musculi, etiam interdiu convellantur: refert enim RHODIUS *l. c.* item SMETIUS *in Misc. Med. de Incubo pag.* 547. Observationes Incuborum vigilantibus obvenientium. Adeóque formaliter ad affectus nervinos partium respirationi inservientium, nunc paralyticos, nunc convulsivos, referendus Incubus; Materialiter seu subjectivè magis subjectum constitutionis Melancholicæ, ut vocant, affligere solet. Hypochondriacis & Scorbuticis imprimis familiaris est Incubus, & quidem speciatim inclinantibus ad Melancholiam hypochondriacam, sicuti aliàs affectus varii convulsivi frequentes sunt hypochondriacis; unde etiam iisdem facilè talis pectoris potest obvenire convulsiva constrictio. Imò ex hypochondriacis talibus ad scorbutum declinantibus derivandæ videntur maculæ, quæ eorum cutim pingunt; hæ ipsæ enim ut scorbuticis familiares sunt, ita etiam exinde, dum declinante Incubi paroxysmo aliquis mador interdum prorumpit, illæ maculæ, Germ. *das Alp. Kneipen*, originem habebunt.

Præterea vermes abdominis in pueris inferunt Incubum, sicut hi ipsi hostes ad horrendas etiam epilepsias, aut cõvulsiones, eosdem admodum disponunt: vid. SENERTUS *l.* 1. *Prax. P.* 2. *cap.* 29. *pag.* 579. Rarum est, Romæ observatum fuisse Incubum epidemicum, quod ex Cœlio Aureliano refert SENNERTUS *l. a.* Sicuti mirabilis est affectus, quem recenset FORESTUS *l.* 10. *Obs.* 52., medius inter incubum & epilepsiam, tertio quoque die rediens, & ita periodum tertianam observans, nodulo ex semine nigro pœoniæ cerevisiæ immisso curatus.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*: patent ex relatione ægri. Possunt etiam hauriri ex concumbente cum ægro. Taliter enim affecti, imprimis noctu profundo somno oppressi, solent fieri anxii & queruli, gementes, raucum & inconditum sonum aut boatum proferentes, jacent immobiles, ita ut neque manum neque pedes moveant, parum aut nihil vocati respondent, & cum impetu & expergefacti de nimia anxietate cordis & lassitudine conqueruntur, & varia de rebus præcordia prementibus referunt.

PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognosin*: Incubus Accidentalis ex se & causa externa nil habet in recessu: Habitualis verò subindè prodromus est epilepsiæ, imprimis in junioribus; sicuti in senioribus minatur apoplexiam & melancholiam.

Quod si Incubo nocturno jungatur subindè vertigo diurna, prognosis est eò certior, & malum periculosum.

Si Incubus, dicit SENNERTUS, *accidit partim dormienti, partim vigilanti, deterior est; quia epilepsiæ propinquior: & rursum deterior, si post excitationem sudor frigidus, tremor cordis, spasmus, aut syncope sequatur.*

CURA.

Quoad *Curam* in ephialte: si est *accidentalis*,

I. Evacuandus est stomachus & primæ viæ.

II. Ordinetur benè diæta; & speciatim lautior cœna & subitaneus post pastum decubitus vitetur.

III. Propinanda medicamenta volatilia oleosa plus minus antiepileptica seu convulsionibus appropriata.

Habitualis seu *confirmatus Incubus* ad modum mali hypocondriaci, Melancholiæ hypochondriacæ, aliorumvè morborum Chronicorum, curari debet: nempe per digestiva, præsertim martialia, hinc per Evacuantia, quibus subjungantur volatilia ac antiepileptica.

Inter *Evacuantia* primatum obtinent Vomitoria antimo-

nialia. Modus adhibendi omnibus est notus. Si inferiùs laxare volumus, utut vomitus sit optimus, fiat hoc mediante extracto Hellebori nigri, & Mercurio dulcificato in forma pilulari, quæ in epileptico insultu sunt expertæ: e. g.

℞. *Extr. helleb. nigri,*
Mercur. dulc. an. gr. xv.
Scamm. sulphurati gr. ij. vel iij.
Extr. trochisc. alband. gr. j.
Cum *oleo destillato succini* f. pilulæ.
Adsperg. succino præparato:
D. S.
Pilulæ cephalicæ & stomachales.

Aliàs infusa etiam sennata sunt in usu; item mass. pilul. Officinalium de Lapide Lazuli commendatur à quibusdam: ZACUTUS LUSITANUS *lib. 7. Med. Princ. Histor. in Observ. cap. 8.* commendat Aloën, ut optimum in ephialte confirmata remedium; quæ passulis majoribus, quibus exempti sint acini, indatur ciceris parvi magnitudine: quarum passularum nonnullæ cum ℈j. dictæ aloes semper duabus horis ante pastum assumptæ, certè dicuntur curare Incubum ac Vertiginem, modò aliquandiu continuetur, donec Ephialtes planè eradicetur. Loco hujus remedii etiam pilulæ aloëphanginæ juxtà ZACUTUM LUSITANUM simili ratione ad 5. vel 6. usurpari possunt: præservant non tantum ebrietatem, sed etiam assumptæ ante cœnam digestionem juvant sine metu insignioris laxationis: Quod si fortiùs laxare debeant, grano uno alterove magisterii scammonii acuari possunt. Loco harum pilularum substitui possunt pilulæ sine Cura *Cyriaci Weberi*, quarum descriptionem videbitis *in Pharmacop. Augustana Class. 6.*

Præmissâ Purgatione Sudorifera volatilia pro universo corpore abstergendo & sanguine ventilando sunt maximè proficua. Inter appropriata hîc convenientia præ cæteris palmam refert Pœonia mas, cujus radix, folia, semen, & flores sunt frequenti in usu; sive radix debito tempore collecta infundatur potui; sive ejus pulvis sive grana seminis Num. 15. usurpentur; sive ex his paretur emulsio; sive ex floribus fiat tinctura, & aliquandiu continuatim usurpentur. Huic adjunguntur nonnulla alia in Epilepsia usitata, ut flores stœchados, lavendulæ, anthos, &c: à quibusdam Smaragdus præparata tanquam singulare specificum contra somnia turbulenta, Pavores nocturnos, & contra Incubum & in infantibus & adultis insigniter commendatur. Alii cubitum ituri præservationis gratiâ ab Incubo Theriacam cum aqua Pœoniæ assumunt; vi enim opiatâ convulsivos spasmos sistit: loco cujus etiam Eleosaccharum rorismarini, succini, salviæ, lavendulæ, cinamomi, anisi & similium sub introitu lecti, præcedente cœnâ parcâ, assumpta commendari solent.

Anisum enim appropriatum in Incubo remedium est; semen scilicet ejus paulò largiùs sub introitu lecti prægressâ parcâ cœnâ assumptum, cùm etiam oleum ejus præstet egregiè in curandis somniis truculentis & turbulentis sub introitu lecti ad aliquos guttas cum aliis permistum & assumptum, unde etiam insomnia turbulenta & pavores nocturnos puerorum idem oleum potenter sistere solet: item spiritus carminativus de tribus, vel spiritus ammoniaci anisatus, gutt. xxx. vel xxxx. vesperi post moderatam cœnam sub introitu lecti: Vel

℞. *Tincturæ tartari* ʒß.
Spiritus salis ammoniaci ʒij.
M. S.
Tinctura resolvens.

Usurpetur eodem modo. Vel olei destilati anisi, aut Balsami sulphuris anisati, gutt. 6. vel 8. sub introitu lecti capiantur, & æger jubeatur minus dorso incumbere: unde pavidis anisata sunt convenientissima.

Quod si forsan in paroxysmo Medicus vocaretur, ita ut medio noctis quasi orthopnoicus spiraret æger, Vomitorium præscribatur. Sed si hoc jam aliquot dies noctesque ante præscriptum, sit aut suspicio sit magis flatulenta, quàm præcisè humorosa peccare, præscribatur Clysma, simulque Mixtura volatilis aromatica: e.g.

℞. *Herb. Absint.*
Hyssopi an. M. j.
Flor. chamomill. M. ij.
Bacc. laur. ʒj.
Salis tartari ʒij.
Coqu. in f. q. *aqu. simpl.*
Colaturæ ℥ x. adde
Elect. de hiera cum agar. ʒj.
Olei destillati terebinth. ʒj.
M. pro *Clysmate*. S.

Clyster abstergens. Vel

℞. *Aqu. Hyssopi* ℥ij.
Menthæ ℥j.
Cinam. ʒß.
Spiritus salis ammoniaci ʒiß. vel ʒij.
Syr. nicot. ʒj.
M. D. S.
Potio pro capite & stomacho.
Capiatur cochleatim. Vel

℞. *Aqu. Hyssopi* ℥iij.
Menthæ ℥j.
Cinam. ʒvi.
Spir. asthmat. ʒj.
Oxymel. squillit. ʒß.
M. S.
Potio resolvens pro capite & pectore.

Quomodo infantes tractandi, videb. in WILLISIO *de Anima Brutor. pag. 248.*

Coronidis loco Historiam Incubi magis ad epilepticos, quàm ad paralyticos affectus referendi, subjungam. Puella 18. annorum cachectica, & cui nondum Menses fluxerunt, indeque nonnihil asthmatica ex narrationibus crebrioribus servæ seu famulæ, primùm imaginationem Incubi concipit, cùm ab illa sæpiùs audivisset se quavis nocte Incubo corripi, & istud mali ab alio concitari. Jam utut hæc ipsa dimissa fuerit, illa tamen mox ab hujus discessu Incubo corripi cœpit, nempe omni nocte præcisè horâ 2. incipit quiritare, hinc mox sensu & motu privata jacet, donec successivè ad se redeat, quo tempore sudore madet, & hinc inde in corpore maculas magnas rubeas, præsertim in femoris parte carnosa observat. Hæc quavis nocte eodem præcisè tempore redeunt. Ergo suspicabar Incubum esse revera convulsivum in subjecto hypochondriaco cachectico: Dedi tartari emetic. gr. iii. qui parum operabatur, & hinc quovis manè de pulvere cachectico seu croco martis aperitivo largam dosin, prohibendo acida. Successus fuit, ut post aliquos dies noctesque Incubus tardiùs affligeret, horâ tertiâ, hinc quartâ, tandem quintâ matutinâ, tandem per biduum penitus deficeret, quo transacto horâ quintâ matutinâ malum redit, sed absque maculis. Propino vomitorium liquidum, cujus usu cùm copiosa mucosa rejecisset, non redit Incubus. Suasi ut Elixyr Proprietatis imposterum continuaret, certus, modò primæ viæ a cruditatibus acido-pituitosis essent liberæ, & hinc menses comparerent, eam pancraticè valituram.

Hæc de Incubo. Cumque hæc sufficiant de Vitiis Inspirationis læsæ, pergo ad

CAPUT III.
DE
VITIIS EXSPIRATIONIS LÆSÆ.

Vitia interdum, quæ exspirationem lędunt, sunt imprimis

I. Sternutatio, quando exspiratio fit cum impetu & insigni labore.

II. Tussis, quando Exspiratio fit interruptim & cum sonitu.

Quò etiam faciunt

III. Vocis vitia, quando aër erumpens non legitimam, sed vitiatam vocem profert: nam solummodo exspirando, dum aer transit laryngem, fit vox, nullo modo inspirando.

Pergo igitur ad

ARTICULUM I.
DE
STERNUTATIONE.

Sternutatio est vitium singulare in aëris exspiratione contingens, & quidem nihil aliud, quàm motus convulsivus musculorum pectoris exspirationi inservientium, & ita reverà est affectus pectoris, in quo motu convulsivo, post aliquam Inspirationis inchoatæ suspensionem, subitò & magnâ, sed mox iterum cessante vi per nares & os aer unâ vice exploditur, unde sonus raucus excitatur. Omnium consensu duo conjuncta sunt in sternutatione, nempe sensus quidam certæ

cujusdam

cujuſdam moleſtiæ in naribus, conjunctus cum violenta thoracis compreſſione.

PARS AFFECTA.

Pars proximè *affecta*, ſeu id, quod ſternutationem dat, ſunt muſculi thoracis, cujus conſtrictioni & exſpirationi dicati ſpeciatim diaphragma, & muſculi intercoſtales interni, & abdominis. Diaphragma duplici conſtat motu, dicatum exſpirationi & inſpirationi, quod convulſivi quid patitur.

Forma ſternutationis conſiſtit in motu convulſivo muſculorum exſpirationi dicatorum, & diaphragmatis: id quod patet in ſpecie, dum voluntariò artificioſam ciemus ſternutationem, quod neceſſum eſt fieri à muſculis voluntatis imperio ſubjectis.

Jam verò cùm & inſpiratio & exſpiratio ſint motus miſti, uti præſuppono ex Phyſiologicis, ob id eundem motum dormientes citra voluntatem obimus, & vigilantes variè determinamus; Et ipſo contactu percipimus ſemper ſimul in ſternutatione non ſolùm cum impetu conſtringi thoracem; ſed etiam diaphragma moveri ſurſum, ſimulque ſubitò abdomen comprimi ab ejus muſculis, & hinc à contentorum ſurſum motu diaphragma intra thoracem cogi, indeque poſtmodum regionem illius inſtar cinguli, ubi connectitur coſtis nothis diaphragma, dolere. Unde & in partu difficili, aut ſecundinarum retentione, proficua eſt ſternutatio, dum à muſculorum abdominis ſubitaneâ conſtrictione exploduntur contenta; ſicuti à contrario in herniis inteſtinalibus eadem nocet.

Parti affectæ etiam adnumerandæ nares, quatenus eæ, & ſpecialiter earum membranæ interiores, ſunt ſenſiles, & facilius irritatæ ſternutationem faciunt.

Cauſa occaſionalis hujus convulſionis eſt in ſpecie quicquid valet irritare membranam narium internam ſuperiorem: Nulla enim unquam fit ſternutatio coacta, in qua non membrana iſta ſenſilis, nares internas ſuccingens, vellicetur, & quaſi in criſpationes cieatur: quo facto, demum pectus conſequenter per conſenſum irritatur, & ita convellitur. Quàm ſenſilis ſit hæc membrana, ſentimus, quando e. g. tenues pili, qui ſubtiles & acuti, naribus intruduntur, unde acuta titillatio in naribus percipitur; quæ membrana narium inſigniter movet varios nervos, & totum ſyſtema. Experimur in iis affectibus mirabilia, qui per odorem excitantur; ſiquidem ex odore interdum ſyncopen patiuntur; vellicatur enim ab objecto acri connexus, qua ratione irritationem hanc nervorum ſequuntur convulſivi ſpaſmi thoracis.

Fundamentum hujus conſenſus eſt quædam perplexus connexio ſurculorum quorundam nervorum paris tertii, & quarti ad nares productorum, cum pari nervorum vago & intercoſtali, thoracem moventium: nervulis ergo iſtis ad nares dimiſſis, occaſione membranæ vellicatæ ſpaſmo fortiori, adeòque ſecundum eorum ductum irritatis, & ita ſpaſmo correptis, ſimili ſpaſmo convelluntur nervi thoracem moventes, & exinde diaphragma aliquandiu propter inſpirationem protractiorem deprimitur, ſed mox cum impetu & forti motu ſurſum propellitur: vid. SYLVIUS *in Anat. Cerebri*: ſicuti & cæteri muſculi inſpirationi inſervientes magis tenduntur, ſed mox ſuperveniente contrario ſpaſmo nervorum & muſculorum exſpirationi inſervientium, ſternutatio ſupervenit, adeò ut rectè BARTHOLINUS *ſternutationem, levem Epilepſiam* nuncupet in *Act. Med. Haffnienſ. Vol 2. pag.* 49. Certè quo ſenſibilior eſt iſta narium membrana ſuperior, eò propter faciliorem irritationem promptiùs ſternutamus: hinc Itali ex crebriori pulveris ſternutatorii abuſu, & hinc membranæ crebriùs irritatæ, ſed à copioſiori lympha affluente minus ſenſilis factæ culpâ, minus ſternutare ſolent, cùm nos Germani ex tantillo eorum pulveris odore crebriùs ſternutare ſoleamus. Quatenus ergo nervi narium membranæ ſenſorii in cujuſdam plexibus junguntur cum plexu intercoſtali, eatenus fit conſenſus. Mirabilis conſenſus eſt faucium, oris, & narium cum nervis intercoſtalibus: ſimilis ferè eſt ratio, ubi videmus, quod ex titillatione circa diaphragma oriatur motus in facie, qui vocatur Riſus, hincque titillati involuntariè ridemus. Interim ultra præviam talem irritationem interdum & convulſivi quid eſſe, & etiam per conſenſum aliarum partium per conſenſum vellicando thoracem excitari poſſe ſternutationem; vid. curioſa hiſtoria illuſtrata in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſer.* 138. *pag.* 247., ubi referuntur in ancilla ſternutationes 300. in uno paroxyſmo, eoque ſingulis 24. horis periodicè repetente. In his, ubi ſunt crebriores & vehementiores ſternutationes invitæ, ad nervos convulſos reſpiciendum. Plura de ſternutatione ejuſque natura conſ. MARTINUS SCHOCKIUS; item SCHNEIDERUS *Tr. de Oſſe Cribriformi*, & in ſpecie *de catarrhis*, ubi de Catarrho narium, quem vocat ſternutationem; item WILLISIUS *in Pathol. Cerebri*. Certum ergo eſt, nullam fieri ſternutationem, niſi irritetur membrana narium.

Irritatio iſta membranæ narium intimæ variis fit modis: internè & externè. *Externè*, nunc ſunt odores fortes: ſic poſt odorem majoranæ, roſarum, Baſilici, nonnulli ſternutant: acidum in fumo etiam ſternutationem excitat; nunc pulveres in aëre volitantes inſpirati; nunc ſunt medicamenta paulò acriora naribus inſufflata, ut naſturtium. Facienda autem eſt differentia pro ratione membranæ narium plus minus ſenſilis, vel non, & ejus texturæ plus minus delicatæ, vel non, vel ab objecto externo aliàs movetur: hinc odor roſarum huic ſternutationem excitat, alius non. Quò pertinent omnia ſternutatoria artificialia, à quibus, vellicatâ membranâ narium & irritatâ, ſternutatio promovetur: qualia ſunt, quæ fiunt ex majorana, liliis convallium, radice ellebori albi, euphorbio, foliis nicotianæ, caſtoreo, eſula præparata, & præ cæteris omnibus, quæ fiunt ex vitriolo ad albedinem calcinato. *Internè* lympha membranas narium aliàs naturaliter humectans paulò acrior imprimis ſi fuerit: hinc coryzam frequentes ſternutationes præcedunt quia lympha ſalſo-acidior vellicat membranam narium. Præcedens hæc ſternutatio ſignum eſt læſionis & excoriationis membranæ internæ narium à tali vitioſa lympha.

Patet ex his, in omni ſternutatione cerebrum eſſe inſons, non verò concuti, ut vulgò dicunt. Concutitur ſanè caput, ſed ſine cerebri concuſſione. Patet etiam, quod ea, quæ ſternutatione eliciuntur foras, primariò ſint ex faucibus, & naribus, ſecundariò ex pectore, aſpera arteria, & pulmonum bronchiis, ex naribus & faucibus quidem, quando ibidem ſitæ membranæ pituitariæ à SCHNEIDERO *de Catarrhis* primitus deſcriptæ, continuò talem plorant lympham, quæ oritur ex glandulis poſt dictas membranas conſitis: vid. STENO *de Glandulis ſecundariis*, & alii. Quæ lympha, ubi fuerit copioſior, aut etiam ſpiſſior, quod fit ab aere inſpirato, cum impetu per laryngem erumpens obſtacula iſta moleſta & humores ibidem hærentes removet & ejicit. Quod ſi quid hæret in bronchiis aſperæ arteriæ, aut larynge, illud ſimul ſternutatione expellitur. Hinc in morbis pulmonum, Pleuritide, peripneumonia, ſternutatio mala eſt, Authore HIPPOCRATE: ad pituitam verò in bronchiis pulmonum contentam potenter expellendam, quæ tuſſi rejici non poterat, ſternutamentum conferre, docet GALENUS: videatur RIVERIUS, ubi *de Sternutatione*. Unde etiam remedia ſternutatoria, quæ ex narium confiniis hos humores ſeroſos, plus minus viſcidos propriè emulgent, nihil ex capite emungunt, nec cerebrum purgant, ſed tantum ex membranis narium, præſertim pituitariâ ſuperiore, ſubſtratiſque glandulis hauriunt: ſiquali ratione atque Apophlegmatiſmi nihil omninò ex capite, ſed immediatè ex glandulis palatinis ſublingualibus & maxillaribus; mediatè verò ex maſſa ſanguinea, emulgent & hauriunt. Interdum mucus firmiter impactus in ſtomacho, etiam ſternutationem excitavit.

Fit interdum, ut coitus etiam ſternutationem promoveat: vid. BARTHOLINUS *Centuria* 5. *Hiſtoria* 19., ubi refert, ſe obſervaſſe in quibuſdam copioſam ſternutationem poſt coitum celebratum. Quò etiam pertinet AMATUS LUSITANUS, qui dicit, quod quidam, qui à Venere aliquamdiu, abſtinuerit adſpectâ pulchrâ muliere, fortiter ſternutarit; cujus ſternutationis optimum medicamentum ſit coitus: Vid. *Cent.* 5. *Obſ. Cur.* 4. *in Scholio*: Item inſpectio Solis ſternutationem ciere, vid. MAYOW *Tr. de ſale nitro* &c.

Patet ex dictis etiam ſternutationem eſſe motum quendam ſingultui contrarium: nam in ſingultu cum impetu inſpiramus, ſeu diaphragma convellitur deorſum; ſicut in ſternutatione cum impetu exſpiramus, & diaphragma convellitur ſurſum. Porrò in ſingultu fit ſonus clarus & ingratus propter apertum laryngem; in ſternutatione fit ſonus raucus & ſtridulus propter occluſum nonnihil laryngem, & propter impedimentum narium.

DIAGNOSIS.

Signa dignostica per se patent.

PROGNOSIS.

Quod attinet *signa prognostica* : sternutatio à causa externa, nisi crebrior sit, non mala est.

Copiosior, frequentior, violentior, sine causa manifesta crebrò repetens, est mala, & interdum lethalis, utut leve videatur malum; graves enim nervosi systematis affectus epilepticos, aut convulsivos, aut in ætate grandæva apoplecticos & paralyticos, portendit: conf. HORSTIUS *in Observat. pag.* 290. ubi habet sternutationem admodum dubiam in puella, & dicit, quod sternutatio nimis frequens & vehemens semper ferè innuat subsequentem mortem : quod confirmat HILDANUS *Cent.* 4. *Obs.* 12. de sternutatione lethali in puerpera observata, quæ cum aliquoties sternutasset, exspiravit.

Interdum ex suppressa sternutatione per artem oborta est epilepsia.

Ulteriùs sternutatio nociva est oculis : sic enim ex sternutatione nimia cęcitatem nonnunquam obortam refert HILDANUS *Centuria* 1. *Observat.* 24. uti etiam ROLFINCIUS *in Dissert. Anatom. pag.* 1254. Ob id cauti simus in oculorum affectibus cum sternutatoriis, ne cœcos reddamus eos, quibus debemus visum conservare. Potiùs ergo Errhina in oculorum affectibus & epilepsia conveniunt, in quibus etiam sunt optima; minus sternutatoria : Conf. BARTHOLINI *Act. Medic. Haffniens. Vol.* 2. *pag.* 243. 251. & 303.

Postmodum per accidens sternutatio in mulieribus per accidens aliquid habet in recessu : nempè promovet menses, partum difficilem, molam, fortiter totum abdomen commovendo, & fortiter universum ferè nervorum systema concutiendo; quando enim ita concutitur abdomen, insigniter sanguis circa uterum stagnans promovetur & commovetur: Vel factâ tali concussione motus & vibratus uterus, spontè, ejaculat fœtum. De mensibus vid. HILDANUS *Cent.* 3. *Obs.* 51. De partu verò, uti etiam de strangulatu uteri, audiendus est HIPPOCRATES *Sect.* 5. *Aphor.* 35. Vid. M.A.N.C. *Ann* 3. *Observat.* 138.

In nimium autem fluentibus mensibus & in gravidis periculosa est fortis sternutatio.

Denique sternutatio post usurpata sternutatoria fortia non succedens, malum signum est, speciatim si hoc fiat in apoplexia aut epilepsia, & similibus affectibus; signum enim est, totam vim animalem esse prostratam.

CURA.

Quod attinet *Curam* : hæc consistit in eo, ut narium vellicatio, & hinc ortus impetuosus spirituum motus, & sic nata thoracis convulsio, tollantur. Removenda ergo in Sternutatione est

I. Causa membranam narium vellicans; & hinc

II. Sensus irritationis obtundendus.

Unde odor opii aliorumque narcoticorum, vel laudanum opiatum ipsum assumptum, est optimum ad sternutationes nimias. Exemplum habet ZACUTUS LUSITANUS de sternutatione continua, per usum laudani opiati curata. Primùm frequens odor sufficit opii; ubi verò hoc nihil proficiat, interiùs adhibetur laudanum opiatum : item oleum rosaceum cum opio imprægnatum interioribus naribus illinendum. Ocymum commendat AMATUS LUSITANUS, ut & eius succum. Cæterum notum est, quod sit planta suavis & optimi odoris, ut probabilius sit illam provocare sternutationem, & ob id potiùs abstinendum est ab ozymo in sternutatione. Tandem semen fœniculi & anisi aceto infusa naribus pro odoratu admoveantur. Lac tepidum, vel cum aqua suaveolente temperatū, etiā pro naribus abluendis seu elvendis injectum, est optimum; præsertim si stimulatio ab occasione externa, inspirato scilicet acriori sternutatorio, fuerit excitata: vid. HORSTIUS *l.* 5. *Observ.* 51. item FORESTUS, item BARTHOLINI *Acta Med. Haffniens. Vol.* 2. *pag.* 166. Loco lactis tepidi cremor lactis & mucilago seminis cydoniorum vel psyllii cum aqua nymphææ extracta, naribus injecta conducit.

Plura de Sternutatione nimia videb. in AMATO LUSITANO *Cent.* 4. *Cur.* 4. HORSTIO *in Obs. loco cit.*, & in specie M. A. N. C. *supra allegata*.

ARTICULUS II.

DE VITIIS VOCIS.

AD Exspirationis vitia & vocum præternaturalia pertinent errata, cum vox propriè formetur sub aëre exspirato. Vocum vitia dico : non loquelæ; aliud enim est vox, aliud loquela. Vox nempe nihil aliud est, nisi sonus, qui fit ab aere, asperam arteriam transeunte ; huic postmodum accedit in lingua & faucibus articulatio, & est sermo vel loquella. Hæc vice de Vitiis Vocis.

Vocum vitia sunt, quando vel deficit vox in Aphonia; vel vitiatur in specie in Raucedine.

MEMBRUM I.

DE APHONIA.

DEficit Vox vel vitio thoracis, vel vitio laryngis: Thoracis vitio deficit, quando aër non convenienter exspiratur, uti fit in Apoplexia graviore, ubi musculi thoracis soluti, aut tali thoraci convulsione, ubi inspiratio & expiratio impeditur, ut subindè fit e. g. in affectibus hystericis & aliis convulsionibus, dum musculi non movent thoracem, nec aërem emittunt: Vitio laryngis, non modificantis aerem sub elisione, vel propter ejus rimulam, vel propter musculorum ac nervorum moventium causam. Rimulæ adest vitium, quando à tumoribus vicinis impeditur plus minus ejusdem apertio: item quando epiglottis facta est ossea: vel quando ab assumptis adstringentibus angustatur penitus & constringitur rimula laryngis, unde vox deficit aut planè non editur ; de quo vid. BARBETTE *Anatom. Pract. lib.* 1. *c.* 4. ubi de Cartilaginibus. Vox deficiens musculorum & nervorum vitio in specie dicitur *Aphonia*, quæ nil aliud est, quàm obmutescentia ex vitio laryngis : si enim vitio linguæ fiat, dicitur *loquela omissa*, & linguæ tunc motus deficit, aut alia ejus vitia suis signis se exhibent, quæ in aphonia secus se habent, in qua nullum linguæ vitium, præsertim quoad motum, observari solet. Aphonia dicitur aliàs *Anaphthia*, quæ HIPPOCRATI sunt distincta, à modernis verò confunduntur: *Aphoni* enim HIPPOCRATI idem ac *apoplectici*, cùm *Aphonias* nomine intelligat illos, qui ne motum quidem ullum proæreticum seu voluntarium retinent ; *Anaphthos* verò eos, quibus vitio laryngis vox cessat aut deficit : vid. GORRÆUS *in Definit. Medic pag.* 51. & *pag.* 57.

CAUSA.

Aphonia ista, prout communiter accipitur, fit ex vitio nervorum & musculorum, quando hi nunc paralysi seu resolutione, nunc spasmo laborant. Quoad vitium paralyticum: Aphonia fit frequentissimè à paralysi musculorum laryngis, ita ut totus larynx sit apertus, & ita deficiente aeris in larynge strictura, nullus possit formari sonus; sive larynx vitio proprio, sive vitio nervorum recurrentium ad eum distributorum accidat. Nam in canibus dissectis, vellicatis illis nervis, Aphonia in promptu est: sic videmus non rarò aphonos fieri, qui magnâ raucedine laborant; Id quod fit probabiliter à nimia humiditate & consequenter resolutione musculorum laryngis, ut flaccidi & impotentes fiant ad motum. Manifestum hujus rei exemplum est, quod refert TULPIUS *l.* 1. *Observ. cap.* 39. *pag.* 78. Hinc etiam tardior loquela ob abundans phlegma, qui anno 12. demum loqui cœpit, teste AMATO LUSITANO *Centur* 6. *Curat.* 5. Pertinet huc etiam crapula, subindè aphoniam inferens paralyticam: Vid. HOECHSTETTERUS *Decad.* 3 *Cas.* 9. Quò etiam facit Aphonia ex casu ab alto, & inde contracto vitio nervorum paralytico : POTERIUS *C.* 2. *cap.* 11. & jam olim notata observatio GALENI, quæ vid. in SENNERTO *lib.* 2. *Prax. pag.* 254. Sic ex terrore nervorum vitio facta aphona, pro apopletica restituta, vid. in BARTHOLINI *Act. Medic. Haffniens. Vol.* 1. *Observ.* 101. *pag.* 193. Curiosa etiam est Aphonia paralytica, ex globulo plumbeo per vomitum moto, indeque recurrentes nervos premente, de quo vid. DEODATUS *in Valetud. pag.* 97. Ut taceam nervos recurrentes

tes quovis infortunio abscissos, vel resectos: conferatur SENNERTUS *lib.2. Prax. Par.3. cap.14. pag.355.* Tempore hyemali observavi aliam aphoniam in virgine, quæ cubans noctu in hypocausto, ac suaviter dormiens, ob extinctam lampadem ex oleo non adeò puro constructam, & hujus fumo tetro successivè inspirato, altero manè surgens, cætera sanissima, Aphona erat. Videbatur subesse vitium quasi paralyticum laryngis ejusque musculorum, ex isto fumo inspirato læsorum, quo hiante, non potuit formare vocem. Curabatur per Electuarium ex scordio pulverisato, cum melle excepto, crebriùs assumpto & deglutito. Atque hæ aphoniæ ad constitutionem nervorum & musculorum paralyticam pertinent, si in paroxysmo apoplectico accedant, & hoc cessante, etiam aliquamdiu affligant, sive sine eo, aliis functionibus omnibus salvis, ægros subinde prehendant.

Quoad alterum aphoniæ fiendi modum: hunc ex contrario vitio, v.g. convulsione musculorum & nervorum laryngis, fieri insinuavi; tum enim constricta rimula similiter nullam potest edere Vocem.

Observatur crebrò talis in graviori paroxysmo hysterico, in quo aphonæ jacent ægræ, pariter ac Epileptici; convulsionibus enim sæpiùs aphoniæ superveniunt. Speciatim videatur hic Epileptica aphona per venæ sectionem curata, in HOECHSTEDTERO *Decad. 4. Cas.1.* & conf. Casus parallelus, nempè *Cas.2.* & 4. Item ex vermibus in ventriculo & intestinis subindè Obmutescentia observatur, teste FORESTO *l.21. Observat.28. in Scholio, & l.14. Observat.33. in Schol.* Noti nempè varii spasmodici affectus sunt, occasione vermium obvenientes. Pertinere etiam huc videtur curiosa observatio in BARTHOLINI *Actis Med. Hafniens. Volum.1. Observat. 86. pag.170.* Nam ex constrictionis sensu in loco affecto spasmum nervi recurrentis adfuisse probabiliter concludi potest. Forsan & huc pertinet Aphonia ista mirabilis M.A.N.C. *Ann.3. Observat.121. pag.193.* sponte suâ ex improviso affligens, sponte suâ denuo cessans ac recidivans: nempè vix paralyticum, sed potiùs convulsivum quid subesse videtur. Forsan etiam huc pertinet aphonia, suborta ex retenta gonorrhœa virulenta. Fonticulis in inguine apertis curata, apud ZACUTUM LUSITANUM *lib.1. Prax. Admir. Observat.97.* nempè acre virus Venereum facilè nervos recurrentes vel musculos laryngis irritando, ex spasmo aphoniam inferre potuit. Res dubia quidem est: an aphonia in febribus interdum superveniens paralyticum potiùs an convulsivum vitium sit? Interim tamen, quantum colligere valeo, ad convulsiva vitia potiùs referrem: Nam & quæ in variolis non rarò observantur aphoniæ, (*vid.* HILDANUS *Centur.6. Observat.14.*) ex convulsione potius esse videntur, cùm convulsiva pathemata non rarò in illis observentur; dum scilicet acre Variolarum venenum nervos recurrentes irritando, ad spasmos illos cogit: sicut tussim, raucedinem, ac his affinia asperæ arteriæ ac laryngis mala eadem inferunt. Sed præter Paralysin ac convulsionem etiam subitanea spirituum perturbatio ad aphoniam disponere valet: sicuti videmus, quosdam nimio terrore percussos planè quasi obmutescere. Pertinet huc mirabile exemplum *[illegible]* ex visis cancris in M. A. N. C. *Ann. 2. Observat. 145. pag.229. & Anno 3. Observat. 187. pag.348.* Præ quo longè curiosior est subitanea ista aphonia cum perfecta in toto corpore *[illegible]*, omnibus cæteris, tam vitalibus quàm animalibus functionibus salvis, in M.A.N.C. *Ann. 3. Observat.251. pag.454.* quæ omnia tamen beneficio venarum raninarum sectionis breviter evanuerunt.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin:* apoplexiæ juncta aphonia, difficiliùs curatur, ac interdum diuturna esse solet.

Quæ cum singultu fiunt Aphoniæ, pessimæ sunt, *Autore* HIPPOCRATE.

Balbi profluvio alvi maximè corripiuntur, teste HIPPOCRATE *Sect.6 Aph.32.* & hoc ipso ferè sanantur.

Aphoniæ per se & solitariæ, modò ritè tractentur ægri, successivè curabiles sunt; quæ verò fiunt sub cursu febrium malignarum, pessimæ notæ signum solent esse.

CURA.

In *Cura* ad primarium morbum, cujus symptoma est Aphonia, aut saltem ad ejus causam antecedentem, respiciendum, ut his remotis facilior prædicti symptomatis sit Curatio. Pro quo curando, ad laryngem & ejus musculos ac nervos recurrentes imprimis respiciendum, tàm eorundem paralysin undecunque natam, sæpiùs ex nimia humectatione, quàm spasmum ex nimia irritatione linguæ removendo: *internè* per volatilia aromatica & nervina, aliàs Cephalica dicta, e.g. spiritum salis ammoniaci cum essentia castorei & oleo succini mistum & destillatum, liquorem Corn. Cerv. succinatum &c., subindè sudorem simul provocando, & etiam ptyalismum masticatoriis promovendo. Imò in contumaciori malo, præsertim paralytico, diæta sudorifera ex lignorum Decoctis instituenda venit. Hinc *externè* sacculi ex Nervinis aromaticis, spiritu vini irroratis, exteriùs collo applicandi; vel spiritus apoplectici cum spiritu lumbricorum vel formicarum eodem in loco calidè cum linteis multiplicatis applicandi, aut olea decocta nervina spinæ, succini, lavendulæ, rutæ, juniperi, cum Theriaca permista, aut cum balsamo Peruviano subacta, ibidem frequentiùs illinenda, aut etiam essentia castorei, vel solitaria, vel istis sociata, sedulò admovenda; oleum imprimis spicæ linguæ illitum in loquela amissa egregiè convenit; internè etiam cum spiritu Vini. Vel

℞. *Herb. salv.*
Anthos an. M.j.
Sem. erucæ,
Sinapi an.ʒj.
Coq. in s.q. *Aqu. simpl.* in vase clauso:
Colaturæ ℔j. adde
Spirit. Cerasor. nigr. ℥vj.
Sal ammoniaci ʒj.
Mellis anthos. ℥j.

Misc. pro *Gargarismate* in aphonia, laryngis affectu post paroxysmum apoplecticum: S.
Gargarisma.

Internè spiritus Vini, cui flores lavendulæ infusi, cochleatim propinandus. Pro quorum omnium meliori successu, ubi circumstantiæ aliæ permiserint, & venæsectio sub lingua interdum institui potest. Vid. M. A. N. C. *Anno 3. Observ. 251.* & WEDELIUS *Disput. de Venæ Sectione cap. 1. pag.7.*

MEMBRUM II.
DE
RAUCEDINE.

EX minoribus causis fit vox nonnihil imminuta seu depravata, quando nempè diversimodè & non naturali modo sonat vox, quod fit variis modis. Præsuppono nempè hic notitiam ac constitutionem fistulæ pnevmaticæ, ejusque capitis laryngis, ut & musculorum laryngis seu vocem formantis, h.e. Vocales, qui sunt sonus ex laryngè simpliciter emissus, & oris certa amplitudine, majore vel minore, absque nova allisione variatus; sicut, dum partes oris, speciatim lingua, vocem variâ allisione & inflexione modificant, Consonantes fiunt, & consequenter propriè sic dicta loquela seu Vox articulata efformatur. Jam ergo uti notum est, quod per fistulam pnevmaticam in longitudine & latitudine, humiditate & siccitate, &c. aliis qualitatibus & circumstantiis prout variat, varius formetur etiam sonus, nunc gravis, nunc suavis, nunc clarus, nunc stridulus, nunc raucus; ita similiratione cum nostra fistula pnevmatica seu aspera arteria & larynge comparatum est, similibus ex causis vocem variante; dum nunc est ampla, nunc angusta, nunc est sicca, nunc humida, nunc alio modo vitiata, varias etiam ac varias voces per exspirationem profert: Speciatim quando est sicca & arida, profert vocem claram, ac sonum, quem speciatim in febribus acutis ardentibus vocamus clangosum: ubi verò larynx & aspera arteria est nimis humida, tunc fit vox rauca: sit eadem simul obscura & quasi interrupta, quando non tantùm humida, sed etiam mucilagine crassâ inviscata est aspera arteria. Cum ergo aliæ Vocis depravationes vix cadant sub Medici curam, imprimis agam de Raucedine.

Redditur Vox rauca, quando aer exspiratur per asperam arteriam & laryngem nimis humidas ac nimis madefactas, unde sæpè in diuturna loquela vox raucescit: quia quò plus loquimur, uti copiosior lympha emulgetur saliva in os; ita propter motum laryngis copiosior lympha emulgetur istâ occasione in laryngen, unde hæc uberior effusa tandem rau-

raucedinem infert. An aliquid inter potandum in asperam arteriam ingrediatur? negatur. Vid. SCHNEIDERUS.

PARS AFFECTA.

Pars affecta in Raucedine est aspera arteria, ejusque larynx; larynx enim primariò format vocem.

CAUSÆ.

Causa Raucedinis *proxima* interna est in specie nimia effusio lymphæ tenuis & moderatè glutinosæ, quæ per asperam arteriam transudat, eamque cum larynge aliàs naturaliter humectat & imbuit, ac partim ut ab aëre inspirato, vel inclementiore, vel variis effluviis permisto, defendat, partim ut, ubique eandem planam reddendo, voci formandæ aptiorem reddat, & oritur hæc ipsa ex glandulis juxta annulos laryngis sitis: de quibus præter BARTHOLINUM *in Epistol.* vid. SCHRADERUS *in Observat. pag.* 199. Quibus addatur membrana glandulosa interius cingens asperam arteriam: de quo WILLISIUS *in Pharmac. Rational. Part.* 2. *pag.* 11. Quod si lympha hæc majori copiâ eò suffundatur, & nimis humectet asperam arteriam, & laryngem, hoc modo omnis raucedo oritur, uti in aliis instrumentis pneumaticis fistulæ humectatæ dant raucum sonum.

Observanda est *Differentia* Raucedinis, vel recentis vel Inveteratæ: Illa à lympha simpliciter tenui, nunc mitiori, nunc acriori, nimis saltem humectante: Hæc à crassiore, mucosa, tegmine aquoso obducente interiùs bronchum nascitur.

Causa remota excitans, habet convenientiam cum tussi: nempè est irritatio laryngis, cujus occasione copiosior lymphæ contingit effusio; sive fiat irroratio à causa externa, sive interna.

Quoad externam: raucedo subindè solet oriri occasione aëris inclementioris inspirati, fumi sulphuris accensi, & spirituum acidorum inspiratorum, aut effluviorum acrium aëri permistorum; unde etiam subindè tussim nunc præcedere, nunc comitari solet Raucedo. His & suo modo diuturnior sermo aut loquela, vel vociferatio intensior, aut cachinnus diuturnior & vehementior addi possunt: quia quò plus loquimur, eò copiosior emulgetur saliva per vasa salivalia & per glandulas, ratione motus linguæ: partim ratione per motum laryngis asperæ arteriæ copiosior lympha provocatur, quæ dat raucedinem: Item facit huc potus nimius maximè acidulatus. Potus vini raucos quosdam facit, quatenus successivè fauces irritat, etiam consequenter ad laryngem effunditur lympha, unde raucedo.

Internè ad raucedinem disponit seu irritat laryngem affectus catarrhalis, lympha acrior, salsior, aut acidior, quacunque occasione vel vitiata, vel ad asperam arteriam delata; quæ titillando & irritando uberiorem lymphæ effusionem, & ita raucedinem concitat. Talis autem raucedo vulgò catarrho tribuitur, & propriè *Bronchus* dicitur, qui nullatenus à capite destillare putandus est, quoad vulgatam opinionem, sed ex propriis laryngis & asperæ arteriæ glandulis effunditur, & frequentissimè à causis externis provocatur. Interdum tamen etiam ex vitio externo oritur. Facit huc excoriatio partium asperæ arteriæ internarum ex lympha simili acri: id quod in lue Venerea obtinet, quæ sæpius gravem & diuturnam raucedinem infert. Multum confert constitutio narium & faucium ad raucedinem: coryzantes etiam emittunt vocem raucedine præditam nonnihil: sicut scorbutici ob acrius serum facilè raucescunt. Tussis crebrior, præsertim in qua acrior plus minùs materia ejicitur, irritando laryngem, & hinc copiosioris lymphæ instillationem provocando, ad raucedinem disponit; hinc phthisici, item empyematici, non rarò raucescere solent. Omnes hæ causæ moderatæ, aut quæ facilè corrigibiles sunt, levem inferunt raucedinem.

Quod si verò gravior & contumacior Raucedo fuerit, ita, ut vel copiosior lympha continuò effusa tandem spissescat, uti fieri potest tempore hyberno, vel alio modo vitietur, & in mucum degeneret; vel occasione irritationis laryngis & uberioris lymphæ effusionis tandem successivè læsa aspera arteria & larynx simul suum nutrimentum proprium, sub assimilatione alienatum, profundant, istudque in cavum asperæ arteriæ deponant, malum gravius longè & periculosius redditur, & hinc subindè mucosa spissa oris expectoratione ægri reddere solent: hinc apud Practicos prior raucedo à sero tenui & acri, posterior verò à materia pituitosa, oriri dicitur. Unde & imprimis in inveterata tali raucedine, aut in diuturniori malo, ad pulmones vel maximè respiciendum erit, cùm talis occultam vomicam pulmonum hinc insequitur, ut rectè observatum fuit in BARTHOLINI *Act. Med. Haffniens. Vol.* 2. *pag.* 295.

Reliqua Vocis vitia, ut sunt vox tremula, intercepta &c., videantur in SENNERTO *lib.* 2. *Prax. cap. de Vitiis Vocum.*

PROGNOSIS.

In *Prognosi*: Raucedo à causis externis nihil mali innuit; Inveterata verò, aut quæ à causis internis læsionem insignem asperæ arteriæ conjunctam habet, in specie in senioribus, aut quæ per annum & diutiùs continuatur, vix sanatur; recidivat enim levi, & tussim chronicam aut periculum phthiseos infert; sicut & bronchi & coryzæ in valdè senibus coctionem non admittunt: vid. HIPPOCRATES *Sect.* 2. *aph.* 40.

Phthisi autem raucedo conjuncta eandem exasperare solet; quæ enim ob suppurationem phthiseos & peripneumoniam fit, ferè sub mortem futuram fieri solet.

CURA.

In *Cura* attendendum ante omnia, ut causa remota, irritans asperam arteriam & hinc propinqua, removeatur; sic sponte cessat: unde, quoad proximam, observandum imprimis, an raucedo ab externa vellicante fauces vel interna causa inducatur? deinde, an lympha humectans mitior? an verò acrior fuerit? id quod juncta tussis ostendit: item an recens vel inveterata sit? hoc est, an simpliciter à lympha tenui acri & copiosiore nimis, humectante asperam arteriam? an verò simul à muco crassiore & viscidiore, ex degeneratione alimenti oriundo, & laryngem incrustante oriatur: id quod partim ex sensu majoris vel minoris titillationis, partim ex excretis per os, quæ screatu vel tussi rejiciuntur, manifestum est.

Recens igitur *Raucedo* à causa externa enata, hac remotâ per opiata, lenientia, temperantia, irritationem & hinc lymphæ effusionem sistendo: à causa verò interna, à lympha copiosa, per sudorifera catarthalia ex sale volatili succini, quælibet corporis contenta atque etiam lympham mundificantia, & ordinarium motum ejus promoventia; & hinc per temperantia & opiata, acrimoniam lymphæ irritantem demulcentia tollitur, quæ maturè maritentur sudoriferis; sic enim magis tutum est; præmissis, si opus fuerit, purgantibus talibus, quæ sub seri forma evacuare solent, qualia in specie sunt gummi guttæ, radix jalappæ, cortex radicis ebulæ, elaterium, ebulus & sambucus; de quibus *infrà, ubi de vitiis glandularum*: Nec multum hic refert, licèt inter purgantia nullus habeatur delectus, quia promiscuè omnia evacuant.

Inveterata verò raucedo per Incidentia, & hinc Expectorantia, optimè levatur. Raucedo sit fit à lympha tenui & à causa externa, fauces vellicante, parum vel nihil per os excernitur: si verò fit inveterata, ubi mucus copiosus incrustat laryngem, materia crassâ viscida plus minus copiosè per screatum & tussim expectoratur: pro quo scopo interdum vomitus etiam necessarius est. Quod si altiores in corpore radices habeat malum, v. g. luem Veneream, scorbutum, vomicam pulmonum &c., ad hæc primaria cura dirigenda, simul tamen symptomati, scil. raucedini, succurrendum.

In Raucedine ergo recenti à lympha nimis acri, tenui & copiosa, conveniunt temperantia, incrassantia aliàs dicta, quæ acrimoniam lymphæ leniunt, & fauces plus minus lubricant: item opiata & similia, præsertim papaverina: unde syrupus de papavere, diacodion Montani cum baculo liquiritiæ usurpatus, essentia opii, theriaca, &c. conveniunt. Inter temperantia convenit admodum glycyrrhiza ejusque syrupus, & alia medicamenta ex ea, syrupus violarum, de jujubis, quem Rulandus & Dodonæus valdè commendant; oleum sacchari, tàm simplex quàm cõpositum; mucilago radicis althẹæ cũ sacchato, jusculа avenacea cum passulis: sic diacodii Montani, item scabiosæ syrupus, vel misti, vel cum rob passularum subacti, cum baculo liquiritiæ assumpti, omnibus Loch incrassantibus & expectorantibus præstant: Vel

℞. *Syr. papav. alb.* ℥ vj.
Violar.
Glycyrrhiz.
De jujub. (qui est optimus in tenui lympha) an. ℥ß.
Rob. moror. ℥ iij.
M. D. S.

Suc-

Succus contra raucedinem.

Capiatur successivè lambendo cum *glycyrrhiza*; egregium enim est. Vel

℞. *Syr. diacod. Mont.* ℥ vj.
Mell. vel *rob passul.* ℥ ij.
Extr. liquirit. ʒ j.

Diluantur cum pauco *Aquæ scabiosæ*.
M. D. S.

Succus ad collum.

Balsamum sulphuris anisatum aut terebinthinatum, vel solum vel cum saccharo in formam pulveris subactum, est quoque expertum in lympha copiosiore, etiam viscidiore; cumque hoc raucedinem, quæ ad aliquot annos duraverat, curavit RIVERIUS: item flores sulphuris in ovo sorbili assumpti sunt egregii, temperando lympham catarrhalem & præservando partes pnevmonicas ab erosione vel excoriatione. BORELLUS *Cent.4. Observ.27.* conclamatum haustu fumi florum sulphuris, cum salviæ foliis per os excepti, restituit: parem experientiam sequenti *Observat.* 29. habet. Si quid aliud, sperma ceti expertum est ad raucedinem, à ℈ j. ad ʒ ß. vel ʒ j. aliquot vicibus assumtum. Quidam raucedine contumacissimâ aliquando afflictus aliis irritis per ʒ ij. spermatis ceti, unâ vice assumpti in vehiculo calido, tandem fuit liberatus: vid. *Dissert. de sperm. ceti Cap.2. §.11.* Item rapæ earumque Decocta cum saccharo simplici vel candisato meritò commendantur à TIMÆO *in Consil. lib.2. Cons.12. p.100.*, per quàm egregium est temperativum, ac quælibet ex rapis dulcibus, sive recentibus sive siccis, parata remedia. Passulæ itidem elegantes sunt ad raucedinem, tam majores quàm in specie minores; unde rob passularum est egregium: item decoctum passularum cum aniso non contemnendum est in raucedine incipiente remedium; cum quibus passulis erysimum decoctum erit medicamentum præferendum syrupo de erysimo Lobelii: quò etiam spectat decoctum SIMONIS PAULI *in Quadrip. Botan. pag 44.* IOEL confirmat, myrrham in ore detentam raucedinem tollere: Vel

℞. *Succi liquirit.* ʒ ij.
Myrrhæ ʒ j.
Tragac. ℈ j.
Sacch. penid. vel *Canar.* ℥ ij.

Cum *Aqu. rosar.* f. *Morsuli* in ore tenendi, & successivè deglutiendi: S.

Morsuli ad os & collum.

Vel fiant *Rotulæ:*

℞. *Spec. dia ireos simpl.* ʒ j ß.
Tragac. ʒ j.
Flor. sulphur. ℈ ij.
Extr. Croci gr. vj.

Cum f. q. *sacch. in Emulſ. papav. sol.* F. *Rotulæ*, successivè deglutiendæ: S.

Rotulæ ad os & collum.

In *Raucedine* verò *inveterata*, aut ubi jam mucus viscidus vel lympha crassa peccat, tunc incidentia, resolventia & expectorantia primatum obtinent. Præ cæteris convenit syrupus de erysimo *Lobelii* expertus in raucedine, alias κατ' ἐξοχὴν *syrupus contra raucedinem* appellatus, mediante quo raucedinem desperatam se curasse afferit LINDANUS & SCHULZIUS *in* M. A. N. C. *Ann.3. Observ.153. pag.275.* ubi simul Descriptionem ejus, ubique alias obviam, adjungit: vid. in specie SENNERTUS *l.2. Prax. P.3. cap.3. pag.363.* Compositio hæc est incondita farrago ingredientium variorum: basis est erysimon cum semine, quod gustu prodit suum sal volatile: tota planta imprægnata est sale volatili acri penetrante antiscorbutico, seu simili illi, quod reperimus in plantis antiscorbuticis, ratione cujus egregiè incidit & dissolvit mucum in raucedine inveterata. Syrupi hujus loco conveniunt passulæ minores, aut earundem pulpa, cum semine erysimi contuso probè subacta, quæ dabunt remedium sufficiens ad raucedinem curandam, & reliqua ingredientia sine periculo possunt omitti: cui placet multa congerere, is abundet suo sensu. *Electuarium* quoque ex *melle, scordio* & *foliis salviæ*; item *radice helenii*, pulverisatis & ad consistentiam Electuarii spissioris subactis, itidem sit commendatum, quod sub dosi castaneæ magnitudinis aliquoties in die assumptum mucum dissolvit, & expectorationem promovet. Syrupus de prassio seu de marrubio, uti & oxymel squilliticum, etiam est egregium: Vel

℞. *Aqu. Hyssopi,*
Scabios. an. ℥ j.
Asthmat. ʒ vj.
Oxym. squillit. ℥ ß.
Syr. de erys. Lobel. ℥ j.
Ol. destill. anisi gutt. vj.
M. f. *Potio.* S.

Succus resolvens contra raucedinem.

Egregium etiam est Balsamum sulphuris, vel terebinthinatum, vel anisatum, vel juniperinum, ad aliquot guttas in vehiculo calido, vel suprà dicto modo usurpatus, nisi Raucedo ad aliquot annos duraverit: curat simul excoriationem, aut incipientem plus minus exulcerationem partium pneumonicarum. Item radix ari acris imprimis commendatur ab HORSTIO, propinando nempe pulverem radicis ejus cum ana sacchari simplicis vel candisati cum vitello ovi permistum; vel cum syrupo violarum aut papaverino aut alio in Electuarium redactum; virtute enim incisivâ optimè confert ad Raucedinem inveteratam, uti etiam pulvis pectoralis *Ludovici*, & spiritus salis ammoniaci anisatus, &c. Brassica denique seu Caulis (unde & loch de caulibus) & in specie ejus succus, admodum ad raucedinem diuturnam laudatur; vel solus succus nonnihil inspissatus, & cum melle mistus, admodum ad raucedinem extollitur: de cujus virtutibus contra raucedinem vid. in specie CODRONCHIUS *Tr. de Vitiis Vocis & Respirationis*: Nam si quis alius, hic sanè pertractavit vitiorum horum naturam, & commendat succum brassicæ cum melle mistum ad raucedinem & vocem interceptam. RIOLANUS commendat cubebas, quæ sensim sunt deglutiendæ, aut cum aqua vel decocto mellis propinandæ: & credo, quod propter acrimoniam aromaticam non sint inconvenientes in raucedine curanda.

Contra *Raucedinem* subitò ex *fumo tabaci inspirato* enatam, præmisso nonnihil violarum syrupo, ipse ferè aphonus curatus fuit:

℞. *Aquæ scabiosæ* ℥ iij.
Asthmat. ʒ vj.
Spir. sal. ammoniaci anis. ʒ j ß.
Syr. de hyssopo,
Erys. Lobel. an. ʒ vj.
M. f. *Potio*: S.

Potio contra raucedinem.

Capiebat cochleatim.

Præ cæteris CODRONCHIUS *loco allegato* duo habet remedia ipsi frequenti usu in Raucedine experta, & quæ etiam D. MICHAELIS tanquam probata sæpiùs commendavit: recensentur à SENNERTO *l. a. pag.359. & 361.* & GABELCHOVERO *C.1. cur.74.* Primum est Decoctum, quod imprimis in usu sit Concionatoribus, tam ad præcavendam quàm curandam raucedinem: item commendat illis, qui multùm clamant, ita, ut congeratur quasi tensiva & phlegmatosa dispositio, & exinde fiant rauci; capiendo ℥ vj. ante somnum, & totidem in diluculo, vel etiam necessitate cogente interdiù noctuque paulatim sorbendo, & ubi peccat lympha copiosior, tenuior, aut salsior effusa; adeòque in Raucedine recenti imprimis conveniens est. Hujus descriptio est sequens:

℞. *Hord. opt. non excort.*
Passul. min. an. ℥ j.
Liquirit. mundat. & incis. ʒ ij. (in fine decocti addatur)
Caricar. pingu. No. vj.
Herb. capill. Vener.
Hyssopi an. M. ß.
Sem. brassic. ʒ ij.
Pinear. recent. ℥ ß.

F. omnium *Decoctio* in *aqua fontana*:
Colaturam ℞. & pro ejus qualibet ℔ adde
Mell. despumat. ℥ j.
Sacch. cand. ℥ ß.
Misc. & usurpetur.

Hujus usu vox ferè amissa unâ nocte restituta fuit. Uno nomine: potio hæc temperat mirè & demulcet acrimoniam lymphæ, ac irritationem asperæ arteriæ. Loco verò sacchari candi potest addi Syrupus de erysimo Lobelii vel jujub. vel de hispidula, quoniam aliàs ad raucedinem commendantur.

Posterius remedium est Electuarium seu Lambile, & convenit in *Raucedine inveterata*, in qua conjuncta est pituita crassa ac tenax, pertinaciter partibus vocalibus adhærens, & in quo casu fortiùs extergentia adhibenda erunt: ver. gr.

℞. *Succ. brassic. depur.* ℥ ij.

Sac-

Sachar. penid. ℥j.
Oxymel. simpl. vel *squill.* parum.
M. f. *Electuarium molle* seu *Lambile*: S.
Succus spissus contra raucedinem.

Loco sacchari penid. potiùs addi potest syrupus de Erysimo, aut alii suprà dicti, vel etiam ℈j. ad ℥ß. radicis ari pulverisatæ, vel recentis, quocunque modo haberi potest; in quibus casibus hanc etiam Mixturam sæpiùs experientia confirmavit:

℞ *Aqu. Hyssopi* ℥jß.
Asthmat. Rud. ℥j.
Syr. de Erys. Lob. ℥iij.
M. D. S.
Succus contra raucedinem.

Venæ sectio vitanda; diuturnam enim & incurabilem ferè Raucedinem reddit: vid. M. A. N. C. *Ann.9. Obs.57.*

ARTICULUS III.
DE
TUSSI.

Juxta Raucedinem etiam sub exspiratione contingit affectus frequens admodum & satis communis, qui vocatur *Tussis*. Opus quidem naturæ, h. e. insolentia actionis, excitata propter materiam morbificam, *i. e.* actio extraordinaria, quæ non fit, nisi adsit materia naturam irritans, adeòque est bonum signum malæ causæ. Est autem Tussis motus convulsivus exspiratorius thoracis, in quo non unâ, sed pluribus simul ac interruptis vicibus, fit aëris interdum & contentorum in aspera arteria viciniśque locis per os expulsio, cum violenta admodum corporis concussione. Omnis nempè tussis fit, dum musculi thoracem stringentes & aërem sic expellentes non blando ac naturali modo subsident, sed potiùs violenter simul & confestim, utut interruptis vicibus, contrahuntur, & quodammodò convelluntur, ita ut rectè à quibusdam tussis referatur ad motus convulsivos exspiratorios thoracis, non autem ad veras convulsiones. Adest aliàs complicata actio in tussi, ex strictura nempè aliquali laryngis ob irritationem, & ex forti & vehementi aëris ex thorace elisione propter vehementem hujus contractionem. Utrumque occurrit in tussi, exinde enim exsurgit ille sonitus, qui in tussi percipitur: si larynx non stringitur, utut thorax sit exhaustus & vehementer exspiremus, non tussimus; sed si stringitur, sonitus ac vera tussis adest. Notum est aliàs, quod tussis nunc sit voluntaria, nunc verò coacta. Cùm enim tussis fiat per musculos, imprimis diaphragma, qui musculi thoracis certo modo obediunt voluntati, hinc fit ut pro voluntatis imperio variè exspirationem alterare, & sic etiam tussim provocare queamus; quatenus scilicet inspiratio & exspiratio est actio media seu mista, partim animalis, partim naturalis, & eatenus certo modo à nobis determinari solet. Non rarò tamen nolentibus admodum contumaces fiunt tusses, quæ sunt præternaturales & considerationi Medicæ subsunt.

CAUSÆ.

Causa proxima est irritatio asperæ arteriæ, ejusque ramorum, sive fiat per essentiam sive per consensum, à spirituum impetu in motum convulsivum acto. Afficiuntur igitur hi à quavis irritatione, quæ liberam respirationem impediat, in quocunque etiam sit respirationis organo, in pulmonibus, faucibus, diaphragmate, ventriculo, hepate inflammato, &c. frequentissimè tamen occasione irritationis asperæ arteriæ, vel sine tali occasione prævia ex solis spasmis & motibus convulsivis, tàm ex primario affectu, quàm ex consensu cum aliis partibus nerveis, in tussi nempè convulsiva: sic enim quærunt Anatomici, unde sit, quod auriculæ membranâ interiore stylo vexatâ oriatur tussis inanis? ac rectè dicunt: fieri per consensum propter irritationem, & hinc aliqualem spasmum plexus nervi auditorii cum nervis intercostalibus, præsertim istis ad asperam arteriam derivatis, & sic fit tussis inanis, vellicatâ auriculâ internâ. Sed hæc est Tussis naturalis. Sic etiam observantur subindè Tusses convulsivæ præternaturales, seu quæ interdum, sine vitio partium pnevmonicarum post epilepsiam aliasque convulsiones, per simplicem nervorum & musculorum thoracem moventium & contrahentium spasmum sunt observabiles. Exemplum talis tussis convulsivæ de virgine epilepsiâ afflicta, ex tali nervorum circa principium in cerebro irritatione, videbitis in WILLISII *Patholog. Cerebri*, seu *de Morbis Convulsivis*, ubi de Tussi Convulsiva: quamvis & hi spasmi modò ex partibus respirationi inservientibus primariò affectis, modò per consensum cum aliis partibus nerveis contingant, ratione cujus tales tusses convulsivæ cum aliarum partium convulsionibus conjunctæ, hypochondriacis & hystericis frequentes sunt, in genere iis, qui vitiis nervosi generis ex acido præternaturali, imprimis lympha acida, obnoxii sunt: potissimum infantes nimis tussiendo interdum quoad partes respirationi inservientes ita convelluntur, ut respiratio quasi interrumpatur, suspendatur, aut pervertatur, quod vulgò apud nos vocant: *Sie bleiben aussen*: vid. WILLISIUS *Pharmac. Rational. P.2. Sect.1. cap.6. p.61.*: sicut & HILDANUS *C.2. Obs.66.* mentionem facit tussis ægrum interficientis, quæ fortè fuit convulsio vehemens diaphragmatis. Tales tusses convulsivæ non secus atque alii morbi convulsivi, epilepticis affines, non solùm sunt chronicæ, sed etiam periodicæ.

Sed missis his merè convulsivis, illam in specie consideremus tussim, quæ causam materialem, respirationis organa afficientem, agnoscit, præsertim eam, quæ ex prævia irritatione asperæ arteriæ originem ducit, adeòque tam laryngis quàm bronchiorum cum appendicibus vesicalibus seu lobularibus, ut vocat WILLISIUS *loco allegato p.8.*, affectionem sequitur, seu, ut Helmontius loquitur, tussis oritur sensu noxii, infestantis laryngem à sui principio usque ad pulmonum profunditatem, sive mediatè sive immediatè eadem afficiatur; ad quem posteriorem modum & ventriculus acri lymphâ vellicatus, & diaphragma malè affectum, spectant vel concurrunt. Facit huc exemplum BARTHOLINI *C.6. Histor. Anat.97.* de tussi per annum inveterata in vacca, in qua post mortem salvis pulmonibus inventum fuit jaculum diaphragmati infixum, à quo continuò irritatum diaphragma non potuit non talem tussim inveteratam & continuam inferre; sicut & hepar inflammatum siccam tussim comitem habet. Huc faciunt & tusses à vermibus in aspera arteria, quarum exempla habet ZACUTUS LUSITANUS *l.2. Prax. Admir. Observat.36.* & BENIVENIUS *Observat. cap.67.* Infantes interdum gravi tussi laborant, ubi accusatur stomachus: sed non videtur; potiùs vermes stomachum vellicant, ut rectè dicit SENNERTUS *l.2. Prax. cap. de Tussi*, & FORESTUS *l.16. Observat. 2. in Schol.*, quo vellicato sequitur talis tussis inanis cum motibus convulsivis & epilepsia, & sic potiùs videtur ex genere tussis, per consensum & motum convulsivum ex nervis excitatæ.

Pars verò *affecta* à causa occasionali materiali est

I. Larynx & aspera arteria admodum sensibilis, vellicata & lacessita, in specie quoad tunicam internam, eandem investientem; pulmo enim est insensibilis: Vel
II. Est œsophagus & stomachus: quorum, ille nempè œsophagus, asperæ arteriæ; hic verò, stomachus, diaphragmati est continuus & connexus: Vel
III. Denique sunt ipsi musculi moti, aut nervi eos moventes.

Causa remota irritans & tussim provocans, est quicquid musculos aut nervos exspirationi dicatos irritare aut vellicare potest, sive hoc fiat mediatè sive immediatè: istâ enim vellicatione fibræ tam musculorum quàm nervorum crispatæ velocem ac rapidum spirituum motum ac influxum excitant, de quo *plura, ubi de Convulsionibus*: unde necessariò contracti musculi thoracem contrahunt, & prout irritatio est interrupta, etiam interruptus seu suffultorius thoracis est motus.

Fit ista irritatio, ut dixi, nunc per essentiam, nunc per consensum: Per essentiam, quando vitium, quod tussim concitat, aut est in ipsis nervis, aut est in musculis: Per consensum verò, quando alia quædam pars, cui nervi intercostales, thoracem stringentes, consentiunt, afficitur; & sic mediante altero vellicantur nervi, unde tussis: e. g. si scalpitur auris & tussis talis per consensum fit ratione nervorum, estque semper tussis sicca.

DIFFERENTIÆ.

Jam verò considerandæ imprimis *Differentiæ*, dum tussis 1. ratione modi est vel *sicca* vel *humida*. *Tussis humida*

est, quando concussionis istius ope, & aëris elisi violentiâ, humores, ut sanguis, pus, mucus seu pituita, lympha, & similes liquores per os excernuntur, ex quocunque loco provenerint talia: *Sicca* verò *tussis* est, quoties magno ac diuturno conatu parum aut nihil excernitur, sed irrito tussiendi conatu corpus universum fatigatur, qua tussi inani seu siccâ continuatâ non rarò graviores, tam corporis, quàm speciatim hypochondriorum aliarumque partium dolores contundentes & plus minus lacerantes oriuntur. Imò hac ipsâ tussi inani herniæ, tàm intestinales, quàm etiam scroti seu testium tumores, excitantur: sicut non rarò conatu isto aliquando urina, aut etiam alvi fæces, involuntariò protruduntur: qualem tussim graviorem ac vehementiorem, *Tussim ferinam* secundùm HIPPOCRATEM appellare solent.

II. Causæ irritantis ratione oritur Tussis vel à causa externa, vel à causa interna: Utraque tussim, tàm siccam, quàm humidam, & quidem pro foci materiæ occasionalis ratione vel pectoralem vel stomachalem excitare possunt.

Causa externa sunt vel inspirata vel assumta. *Inspirata* sunt aer inclementior, præsertim hybernus, fumi minerales acriores, fumus v. g. nitri vel sulphuris incensi, & eorum effluvia. Hæc & similia pertinacem & intensissimam tussim inferunt; quatenus particulæ acidæ ac corrosivæ insigniter aculeatæ nunc simpliciter asperam arteriam, nunc simul membranam pituitariam inferiorem propè fauces sitam, afficiunt & irritant, quibus irritatis oritur tussis, quam aliquandiu continuatam & pectoris angustia & quasi compressivus ac gravativus circa pulmones sensus cum aliquali respirationis difficultate insequi solent: quæ omnia symptomata non materiæ collectionem, sed irritationem bronchiorum & pulmonum, insequuntur; ex horum enim aliquali contractura & gravativus ille sensus, & hinc respirationis aliquale impedimentum sequuntur, *de quo supra, ubi de asthmate*, Ratio: quoniam nervi ad caput laryngis & ipsa asperæ arteriæ bronchia delati, oriuntur ex eo nervi intercostalis surculo, à quo ipse thorax stringitur & contrahitur: Surculo ergo isto ad asperam arteriam protracto, & irritatione in spasmodicas protractiones acto, hæ continuantur ad musculum istum, qui thoracem stringit, & sic thoracis constrictio & tussis.

Pertinet huc *Tussis metallifossorum*, qui ex Gas acido inspirato in tales tusses incidunt. Pertinet huc tussis epidemica communiter grassans in plurimos, sive benigna fuerit, ut sit communiter tempore hyberno inclementiori, sive maligna, quæ nempè conjuncta est cum febre catarrhali maligna, Germ. *Mit Fluss-Fiebern*, ex singulari aeris inquinamento à pluribus contracta. Non desunt exempla: imprimis apud Solenandrum, ex quo etiam allegat SCHENCKIUS *l. 2. Observat. de Tussi*, habetur exemplum tussis admodum ferinæ, Romæ epidemicè grassantis.

Assumta sunt quæcunq; vel per errorem in asperam arteriam delata; hinc vel minutissima gutta potus, vel mica panis, aut simile quid, ex irritatione concitat tussim pertinacem ex modo dicta ratione: vel mediante œsophago & stomachi orificio superiori asperam arteriam afficientia: Notum nempè est, quod aspera arteria, ubi deficiunt annuli tracheæ, & contingit œsophagum, fiat membranosa, unde reverà & facillimè ceu œsophago contigua irritatur, & ita per consensum dat tussim. Nec desunt exempla: sic e. g. quando infuetè bibimus vini spiritum acriorem ac aliud spirituosum acrius, vel quando assumimus admodum acria, maximè acida, tunc eo tempore, quo transeunt hæc œsophagum, utut clausa sit larynx, nihilominus tamen vellicando asperam arteriam, œsophagi canali continuam, tussim, nunc leniorem nunc asperiorem, efficiunt.

Inspirata vel assumta hæc, quatenus inferunt tussim, primò dant tussim siccam simpliciter ex irritatione laryngis enatam, in specie si hyeme aër inclementior, irritantur simul nares, sternutamus aliquandiu: Tussis verò hæc aliquandiu continuata consequenter ex læsione partis ita irritatæ tandem fit humida, ac materiæ primò serosæ, tandem mucosæ, expectoratio sequitur, quæ interdum est copiosa, ut tussis chronica oriatur. Communis hic fert fabula, destillare talem materiam ex capite in laryngem, quod falsum est; non enim saltem in larynge & bronchiis pulmonum, sed in ipso etiam pulmone successivè colligitur, hinc evacuatur. Nempè primò uberior lympha ex irritatione transudat in dicta loca, quæ pedetentim condensatur in mucum plus minus crassum & viscidum. Quod si gravior ex irritatione dictorum fit læsio, & phlegmonodes plus minus fit dispositio vel etiam aliqualis excoriatio, ipsum nutrimentum dictarum proximum, maximè asperæ arteriæ & partium circa fauces consitarum, in debita assimilatione impeditum unà transudat, & successivè alteratum sub muci pituitosi forma evacuatur; quod in naribus dat coryzam, in faucibus tussim humidam. Hinc ordinariò duo tempora in tali tussi distinguere solent: Quamdiu enim est sicca, tussim à catarrho tenui esse asserunt, materiam adhuc crudam evacuationi ineptam, hinc remedia concoquentia seu incrassantia dicta, reverà anodyna & temperantia usurpant: Deinde dum est humida, & mucus excerni incipit, materiam coctam asserunt, adeòque Incidentia pro facilitanda expectoratione usurpant; hinc semper tales tusses ab inspiratis superveniunt. Mucus ergo iste varius, nunc insipidus, nunc acris salsus, nunc subacidus, non est causa morbifica, ut vulgò putatur, sed potius est productus effectus, qui oritur ex vitiosa assimilatione alimenti asperæ arteriæ, quâ ipsâ assimilatio nutrimenti vitiatur, quando aspera arteria à vitio externo plus minus læditur. Mucus hic si hæret in bronchiis pulmonum, screamus mucosa viscida copiosa, genita ob læsionem hujus partis, inductam ab aëre inclementiore, unde talis successivè de novo gignitur, & interdum tussim chronicam admodum gravem infert; dicunt: *Catarrhum ipsis cecidisse super pectus*: sed omnis ex pulmonibus generatur & nascitur. Sic ex acidis fumis metallicis inspiratis talis tussis oritur; falsum enim est in tali tussi à causa externa recremēta talia mucosa ex sanguine deponi à natura in pulmones ceu excrementa præternaturalia: non sūt sanè ex Massa sanguinea, sed fiunt in aspera arteria; quod proprio exēplo didici. Aliquādo etiam sanissimus, & parabam clyssum ex antimonio, nitro, & sulphure per retortam, sed ex intensiori igne rumpebatur retorta, unde ingredientia sulphurea copiosum fumum acidum eructabant, ex cujus inspiratione incidi æstivo tempore suavissimo in coryzam & tussim per quatuor septimanas pertinaciter durantem, in qua copiosè admodum mucilaginosa per nares emungebam, & tussi per os rejiciebam; quæ non destillabant ex capite, cùm nulla pateat via; nec erant in massa sanguinea, nec in corpore; sed fiebant in summitate narium & in aspera arteria, ex acido illo inspirato has partes lædente: unde primò copiosior lympha affluebat, postmodum superveniente dispositione phlegmonode & aliquali excoriatione dictarum partium, earum alimentum proximum in talem mucum copiosum degenerabat, donec irritatione cessante, indeque lymphæ copiosiore affluxu desinente, & per vulneraria restitutis partibus læsis, alimento non amplius degenerante, omnia illa symptomata cessarent. Hoc nempè est, quod suis custodibus tribuit HELMONTIUS *T. Custos Errans*: qui dictis partibus præsidens, eas ab externorum inspiratorum injuriis defendunt, quibus læsis & hinc errantibus, privata illorum locorum digestio vitiatur, & ros nutritivus in talem lympham seu liquamen, ac mucum crassum & viscidum, pervertitur, quod ipsum incrustans ac vellicans asperam arteriam tempore hyberno, dat istas contumaces tusses. Quæ omnia facilè ex dictis conciliari possunt, per Custodem dictarum partium spiritum insitum & hinc influentem intelligendo. Ex tali causa externa genitæ tusses nunc sunt propriæ, nunc verò sparsæ seu epidemicæ, prout quodcunque grave aeris vitium inspiratione plures læserit.

Causæ internæ, quæ tussim inferunt, etiam nunc humidam nunc siccam excitant. Et quidem tussim humidam quod attinet: illa dependet à causa interna semper à materia nonnihil viscida, plus minus acri & salsa, quæ subsistit vel in aspera arteria & pectore, vel in œsophago & stomacho. Illam vocabimus tussim pectoralem; Hanc stomachalem.

Humida Tussis pectoralis oritur variis ex causis.

1. Est mucus viscidus ex degeneratione alimenti proximi, vel pulmonum vel laryngis, natus, sive lædatur alimenti harum partium assimilatio occasione causæ externæ, sive internæ. Quò pertinet abscessus & ulcera pulmonum, phthisis, vel quando à sanguine, ejusque sero acriori eroso pulmonum parenchymate, aut quando à lympha acriori excitatur larynx aut aspera arteria, adeòque dictis in locis postmodum nutrimenti proximi assimilatio impeditur; quia nutrimentum tale pro læsionis varia ratione etiam in varium mucum, sordes, purulentias, &c. degenerat, & ita irritando pulmones & asperam arteriam Tussim humidam infert, in qua copiosè talia præternaturalia excrementa eliciuntur. Pertinet huc Tussis humida, (quæ morbos acutos & se-

& febres ardentes insequitur,) quæ fit, quando, nullibi apparente crisi, recrementa febrilia massæ sanguineæ cocta in pulmonibus hinc inde desiguntur, &, sive in statu sive declinatione morbi, ex massa sanguinea depurata deponuntur, hæc etiam humidam tussim cum copiosæ materiæ rejectione constituunt, cui phthisis supervenit, nisi maturè curetur. Facit huc etiam sanguis in casu ab alto in pulmonibus collectus, & alii affectus, qui pulmones inundando irritant asperam arteriam,& tussim humidam à causa interna inferunt: item inflammatio pulmonum & pleuræ, in quorum principio tussis sicca, in incremento ex lympha & sanguine mistis, & mutuâ temperaturâ tertium mucosum constituentibus, etiam Tussis humida observari solet; quin & in suppurata pleuritide & peripnevmonia purulenta, non secus ac in pulmonum exulceratione: item tussis in empyemate pulmonum observabilis, in qua copiosa purulentia has partes irritat, & tussi rejicitur. Hinc falsum est,mucum istum à materia, quæ subindè tussi humida rejicitur, destillare ex capite in pulmonum bronchia; cùm aliam longè, eamque variam,sortiatur originem.

Observandum etiam, falsam esse hypothesin vulgarem, quod ea, quæ in tussi humidâ tussiendo aut screando per os ejiciuntur, omnia sint ex pulmonibus. Falsissimum hoc est, quod omnia sint ex pulmonibus, nisi adsit difficilis respiratio; cùm talia per bronchia transeant, & sic anhelitum liberum impediant; sed ea, quæ maximâ cum difficultate & cum anhelitu juncta, sunt ex pulmonibus, quædam verò ex membrana pituitaria posteriore; vix enim copiosa & mucosa ex pulmonibus possunt rejici citra difficultatem Respirationis. Omnia quæ screamus, sunt ex faucibus imis: quia ex membrana pituitaria posteriore frequenter mucosa rejiciuntur: quæ stabulantur in stomacho, successivè per orificium superius sudant in œsophagum, ubi sursum screantur, donec tussi per os ejiciantur. Multi sunt, qui manè evigilantes multa copiosa ejiciunt, nunc cum, nunc sine tussi: pectus est innocens: sed sunt ex stomacho reliquiæ ex alimentis non ritè coctis, & sub forma materiæ pituitosæ forti screatu ejiciuntur, quod signum primarium est morbi hypochondriaci. Falsa est hypothesis, quod stertor præsens audiatur ex imo pectore: Interdum stertor ex pulmonum bronchiis plus minus infarctis, atque sic auditur ex imo pectore, cum difficili respiratione junctus: Ex faucibus est, si membrana pituitaria posterior copiosam eructat lympham, vel viscidam vel mucosam.

Præter talia mucosa, aut etiam aquosa, quæ sunt ordinaria rejecta, etiam varia extraordinaria nonnulla rejiciuntur. Sic vermes cruciformes instar erucarum per tussim rejectos vidit ZACUTUS LUSITANUS *l.b.2. Prax. Admirand. Observat.36.* item BENIVENTUS *Observat. cap.77.* Deinde lapides non rarò sunt observati tussiendo excreti, qualia exempla imprimis sunt in BORELLO *C.1.Observat.67.* & ZACUTO LUSITANO *lib.1. Prax. Admir. Observ. 95. & 96. de Calculo magno tussi projecto.* Imò in ulcere pulmonum ejusdem abscessus, in tabe pulmonum frustula, integri venarum rami ac surculi, frequenter observati fuerunt rejecti. Sic TULPIUS *lib.2. Observat. cap.12.* habet surculum venæ arteriosæ expectoratum; item *cap.3.* observavit venam ex pulmonibus rejectam: Sic integros pulmonum lobos cum suffocationis metu tussi rejectos observat TULPIUS *lib.1. cap.14.* ubi etiam BENIVENIUS *in Observat. cap 88.* Mirum est, quod interdum observatæ fuerint turundæ, in ulceribus & vulneribus thoracis usurpatæ, tussi tandem per os ejectæ; Unde moderni Chirurgi turundis alligant filum: Nam tales turundas tussi rejectas habet idem TULPIUS *l.1. cap 15.* item HILDANUS *C.1. Observ.46.* item *cap.6. Obser.22.*

Ex stomacho & œsophago affecto oritur *Tussis humida*, dum copiosa mucosa lympha ex membrana pituitaria, quacunque occasione in stomachum successivè descendens, indeque œsophagum & orificium superius irritans, & hinc mediatè asperam arteriam afficiens, simulque in stomacho coacervata primam digestionem turbans, indeque cruditatibus acidis occasionem præbens, gravem tussim chronicam infert: quales tusses non tantummodò senibus sunt familiares, sed etiam junioribus. Sanè frequentissima est tussis ex stomacho irritato, utut parum attendatur à Practicis; nempe quando vitium hæret circa orificium superius, quod connectitur diaphragmati; nam sic sæpè tusses oriuntur adeò contumaces & pertinaces, ut dum semel ingruit, conatus tussiendo primò quidem inanis, tamen non remittat ante vomitum aut rejectionem mucilaginis viscidæ. Humidæ autem Tusses ex stomacho oriuntur interdum, sed rariùs, ex prægresso errato diætæ, aut digestionis undecunque facto impedimento, & congesto hinc muco salso, orificium vellicante, & mediatè ac per consensum tussim provocante, cum materiæ viscidæ excretione ex profundo, & ipsis ægris hoc fatentibus, stomachi regione elevatâ. Sic LOTICHIUS *Observat.244.* de periodicis annuis tussibus ex debilitate ventriculi refert. Plures sanè in Praxi Tusses humidæ vitio stomachi enatæ observari solent, quàm vitio pectoris; & quidem dum orificium superius graviùs vellicatur, simul diaphragma exinde afficitur, & ad tussiendum stimulatur; vel dum simul œsophagus vellicatus contiguam sibi asperam arteriam per consensum afficit, ac in tussim proritat. Tussis talis humida stomachalis rarò est per protopathiam, sed ferè semper per deuteropathiam. Oritur nempe sæpissimè ex vitio vel læsione membranæ pituitariæ posterioris, sive ab aëre externo inspirato malè afficiatur, quâ occasione ferè coryzam conjunctam sequi solet, sive interdum lymphæ acrioris per membranam hanc transcolatæ, eandem irritantis & plus minus excoriantis, vitio accidat: talibus enim occasionibus per hanc membranam copiosè lympha spissior, & junctim simul nutrimentum ejusdem proximum pedetentim per œsophagum in stomachum destillat, unde irritatur hujus orificium superius, indeque turbatur digestio prima, & hinc primitus tussis sicca, hinc gravior cum copiosæ materiæ viscidæ rejectione, imò non rarò superveniente vomitu, nunc pituitæ nunc alimentorum ingestorum. Et quando in tussi tali, tam incipiente, quàm confirmata, ægri vellicationem quandam circa faucium loca superiora, ubi nempe est pituitaria membrana posterior, persentiunt, hinc ægri tales materiam talem ex capite defluere existimant: Dicunt: *se sentire cum super pulmonem cadit*: monstrant locum sterni, percipiunt titillationem in faucibus: descensu per œsophagum descendit in stomachum, & conatum vomendi facit sub tussi: Sed hæc oriuntur ex copiosa lympha viscida membranæ pituitariæ posterioris delatam ad stomachum, quæ hanc tussim infert.

Tussis est vel
- ratione modi & excretorum nunc humida nunc sicca,
- ratione causæ aut à causa
  - externa inspirata &c., datque tussim utplurimum pectoralem, primò siccam, postmodum inveteratam humidam.
  - interna, dat vel
    - humidam
      - pectoralem.
      - stomachalem.
    - siccam.

DIAGNOSIS.

Tussis humida per se patet ex copiosa materiæ rejectione.

Probè autem distinguendum venit: an tussis humida sit ex pectore? an ex stomacho? an nervis? Distinctionis signa sunt hæc:

1. Irritationis seu titillationis locus, ubi nempe ægri stimulum ad tussim cogentem primò percipiunt, an in larynge aut aspera arteria? vel pectore? vel inferiùs circa regionem scrobiculi cordis? Nam posterior locus Tussim stomachalem, priores pectoralem innuunt. Iubeatur æger profundiùs respirare; sic enim mox tussire incipiet, si vitium est in pulmonibus; secus si in stomacho.

2. Respiratio læsa, quæ in tussi humida pulmonum vitio est difficilis. Impossibile est, ut tussis humida sit vitio pulmonum, nisi lædatur respiratio, & non reddatur difficilis. Tussis autem omnis humida, si est sine læsa respiratione, non est ex pulmonibus, sed faucibus: interim tamen etiam in tussi stomachali solet esse laboriosa, sed ita, ut ægri tunc regionem stomachi monstrent.

3. Sonitus in tussiendo locum affectum monstrat: tot nempe sunt modi in sonitu tussis, quot sunt loca, in quibus materia latet; sicut etiam varias pro materiæ excernendæ natu-

natura. Quod si sonitus non adeò superficialis, sed est quasi ex loco profundo, & ex imo pectore; ut quando ægri percipiunt gravamen in præcordiis, tussis utplurimum est in stomacho, & tunc simul conqueruntur ægri de dolore antrorsum, imò percipiunt ante tussim ibidem vellicationem quandam, & ita tussis ex profundiori loco hausta etiam indicat affectum stomachum. Ubi verò sonus est quasi superficialis, monstrat affectam asperam arteriam: item interdum quicunque ex cavo thoracis procedit, & quem brevi post sequitur excretio, tunc sæpiùs malum hæret in ipsis pulmonibus & bronchiis.

Sonus ex profundo quasi raucus, *es roebelt*, pulmones affectos dicit, qualis in empyematicos cadit: est symptomatica, quatenus vel exsiccat pulmones, vel quatenus simul empyema in pulmonibus movet.

4. Tussis stomachalis pertinaciter affligit, ut subindè, præsertim in infantibus, vomitus, nunc materiæ pituitosæ, nunc alimentorum ingestorum superveniant, secus ac in tussi pectorali fieri solet.

5. Ostendunt hoc antecedentia: si nempè præcesserint causæ lædentes pulmones aut asperam arteriam; vel si præcesserint causæ, quæ stomachum lædere possunt, ex iisdem de loco affecto concludi potest.

6. Adjuncta quoque symptomata consideranda sunt. Nam ubi adest apepsia, appetitus prostratus, sensus stomachi gravativus, intensior tussis, vitium est in stomacho: Ægri ipsi digito intento monstrant locum affectum suo scrobiculo cordis, in regione stomachi propè ejus orificium sinistrum, se sentire inquientes coacervatam & sensibiliter molestantem screatu rejectam materiam ex stomacho per gulam sensim sensimque attolli; non est improbabile, imprimis cum ex succo raphani hausto paulo post copiosissimè rejiciantur mucosa.

Ubi verò exacerbetur, utut continuò affligere soleat noctu; aut ubi simul conjuncta est febricula quasi nocturna; aut alia pathemata catarrhalia, ratione lymphæ nimis asperæ per illam membranam pituitariam excretæ; aut ubi adjuncta signa phthisica, ostendunt tussim pectoralem.

D. Tussi ex stomacho orta nullus Practicorum aliquid habet, præter LINDANUM *in Meletematibus Med. pag.* 351. ac præterea *super Hartmanni Praxin Chymiatricam* expresse dicit: *Mihi est compertum pluribus Observationibus, plerumque tussim esse ex ventriculo: ubi autem materia latitet, & unde procedat, ex sono dicere possum, qui variatur pro materiæ & loci conditionibus. Si materia est tenuis, acutus est sonus: si salsa & tenuis, & in ventriculo delitescit, furibunda tussis est, in qua vix aliquid egeritur, licet cum summo conatu tussiant. Certum est, quod dixi, plerasque tusses pertinaces fieri ex ventriculo, dum materia vellicans est in rugis ejusdem circa orificium superius.* Hanc LINDANI sententiam illustri ac notabili exemplo confirmatam videbis in M. A. N. C. *Ann.6.Obs.6.p.16.*

Causæ internæ etiam interdum tussim siccam inferunt; idque ibidem, quatenus afficiunt vel asperam arteriam & bronchia pulmonum; vel quatenus afficiunt stomachum & œsophagum: utut talis tussis sicca interna inveterata subindè degeneret in humidam, sicut *suprà, ubi de causa externa*, monitum fuit: Et illas tusses siccas communiter Practici deducunt à materia nimis tenui, acri, serosa, &c. *Tussim* verò *suprà tractatam humidam* oriri dicunt à crassa.

Tussis pectoralis sicca ex affecta aspera arteria & larynge oritur, imprimis à vitio lymphæ, naturaliter oblinentis dicta loca: Hæc enim ex vitio catarrhali si fuerit præternaturaliter acrior, salso-acidior, sive prævia externa occasione sive proprio naturæ motu lympha ita alterata, insignem tussim inferre solet, quatenus per glandulas circa fauces, item circa laryngem & cartilagines asperæ arteriæ sitas, ad interiorem hujus tunicam effusa, continuò vellicat laryngem, asperam arteriam in se admodum sensilem, & pulmones nimis vellicat, & ad tussim talem, sæpiùs contumacem, successivè humidam, provocat; glandulæ enim hæ, ut superiùs monui, pro humectatione membranæ continuò transudant lympham pro faciliori formatione vocis.

Tussis talis, quæ in specie *Catarrhalis* dicitur, potissimùm affligit tempore vespertino & nocturno usque ad mediam noctem, i. e. solet vexare ægros tempore nocturno à 7. & 8. usque ad 12. horas, tempore diurno quasi silet: imò concurrit sæpè febricula quædam lenta plus minus intensa, in qua ægri interdiu satis commodè se habent; à meridie autem & apparente vesperâ vagis horripilationibus vexantur, quas ingruente nocte insequitur æstus totius corporis, non tamen adeò intensus, sed plus minus moderatus, præsertim capitis, & hinc reliqui corporis, donec revertente aurorâ febricula denuò cesset. Hinc etiam non rarò accidit, ut etiam sub æstu illo febrili artuum lancinationes & dolores vagi unà affligant, ex lymphæ acido sapore, partes nerveas vellicante, oriundi. Hisce indiciis præsentibus certum est, subesse vitium lymphæ, vel acidæ vel salsæ, uti suo loco habebimus: Nam febris adjuncta, vespertino tempore moderatè & epidemicè affligens, interdum ad febres catarrhales lymphaticas lentas vitio lymphæ natas, pertinet.

Tussis talis catarrhalis originem ducit ex lympha vel salsidiore, quæ uti in Massa sanguinea febrim talem plus minus lentam excitat, & sub cute pustulas; ita laryngem & asperam arteriam irritando, tussim siccam infert. Non rarum tamen est, tussim talem siccam nocturnam etiam sine febre affligere, pariter ex catarrhali vitio lymphæ oriundam. Iidem catarrhis depluentibus à capite tribuunt Autores eam; sed post HELMONTIUM *Tract. Catarrhor. deliramenta*, imprimis SCHNEIDERUS *de Catarrhis* caliginem excussit; Hic enim in eo est totus, ut dicat, excrementa tussiendo rejecta in tussi tali catarrhis tributa, tam sicca, quàm, quæ successivè supervenit, humida, transudare ex sanguine per *tunicas*, quas vocat *pituitarias*, ceu colatoria. Verùm rectiùs STENO observavit, quod post has *tunicas*, communiter *pituitarias Schneideri* ac alias similes, per quas serosæ materiæ fit transcolatio, sitæ sint copiosæ glandulæ, quarum orificia hient in illas tunicas pituitarias, & ita lympham in istas cavitates effundant: adeòque, dum dicit SCHNEIDERUS, in coryza transudare mucum per tunicam seu membranam pituitariam superiorem, internè nares succingentem; in tussi verò transudare mucosa rejectanea per membranam seu tunicam, asperam arteriam investientem &c., potiùs cum STENONE dicendum: sub his tunicis latitare glandulas, suam lympham per illas exonerantes. Hæc obiter.

Quando ergo ista lympha est præternaturaliter acrior, salsior, acidior, aliovè simili plus minus corrosivo sapore impregnata, non potest non fieri tussis, quia vellicatur aspera arteria. Salsa fit lympha ex concursu acidi & urinosi, uti ex *Pathologicis* patet.

Ad has Tusses ex lymphæ vitio genitas pertinet etiam Tussis, quæ præcedit variolas & morbillos, itidem sicca & admodum molesta; nec non ea, si variolæ pulmonem & asperam arteriam obsident, cujus exemplum habet LOTICHIUS *in Observat. pag.* 143; item quæ infantibus ex malè curata scabie, aut ex tinea capitis, aut achoribus quovis modo repulsis, nascitur. Hæ ritè tractatæ curari possunt, ut non fiant humidæ; sin minus, tussis etiam humida supervenit, ex supradictis rationibus: imò & phthisis variolis successivè secuta observata fuit. Facit etiam huc phthisicorum incipientium & scorbuticorum tussis sicca, eaque admodum laboriosa; & quæ vulgò à destillatione capitis oriri dicitur, etiam ab hac originem ducit; quando nempe ex lympha acriore, maximè acida, sudante per glandulas, consitas circa laryngem & annulos asperæ arteriæ, inundantur pulmones: procedente tempore ex dictis causis tussis fit humida diu & noctu cum difficili anhelitu; & dum pulmones excoriantur, ac procedente ulteriùs malo exulceratur aspera arteria aut pulmo, phthisis perfecta pulmonalis eam insequi solet, dum primò ex nutrimento viciato mucus, ulteriùs ex procedente corrosione materia purulenta, tandem in perfecta exulceratione pus genuinum, tussiendo expectoratur.

Radix mali, unde talis lympha vitiosa generatur, tussim talem catarrhalem, præsertim nocturnam inferens, est in ventriculo; errata nempe digestionis ejus, & hinc deficiens in intestinis ejusdem perfectio; quibus in locis chylus vitiosus salsus aut acido-salsus genitus sui tabem mediante lympha variis partibus, ac speciatim, quavis occasione derivetur, pulmonibus affricat. Ratio, quare tusses tales vespertino ac nocturno tempore magis exasperentur, adhuc intricata est. Universale aliàs est, quod morbi à sero ac lymphæ vitiis oriundi his temporibus magis exacerbari soleant, ad quod ipsum non parum videtur ferre prohibita plus minus transpiratio insensibilis, vesperi ex remittente tepore diurno minus copiosè procedens. Observata etiam fuit tussis sicca vitio pulmonum, quando nunc calculi, nunc excrescentiæ aliaque in bronchiis pulmonum tussim inferunt. Refert SCHENCKIUS *in l.2. Observat.* tussim siccam admodum diuturnam ex irritatione continua capi-

tis laryngis, propter calculos in tonsillis genitos, qui irritando dederunt tussim.

Quod si verò causæ stomachi & œsophagi internæ inferant tussim siccam, vocari utplurimum solet *tussis ferina*, in qua gravissimè, etiam continuò & interruptis vicibus, tussiunt: si incipiunt tussire, vix remittere sciunt. Oritur ex materia salsa acri, præsertim tenui & subtili, raro crassa, pertinaciùs stomachi orificium superius vellicante istudque rodente: nihil hic excernitur: interdum etiam tantoperè urget, ut pertinaci tussi & concussione stomachi vomitus sequatur: & facilè partem affectam præter dicta sonus profundus, locum irritationis in tussi, & suprà allegata declarant. In specie infantum tussis quæcunque, si non à causa externa, semper fundamentum in stomacho habet, sive humida sive sicca; post vomitum cessat, respiratio est libera, nihil ejicitur materiæ: ergo est causa in stomacho. Accedit & hoc, quod sentiant circa præcordia & circa stomachum gravativum quid, & sic tussis non potest esse in pulmonibus. Imò habeo jam tale exemplum: Est hic juvenis, qui aliquando benè inebriatus domum rediens noctu non benè tectus dormivit, & in tantam ventriculi incidit læsionem, ut percipiat compressionem stomachi, cum tussi acerba, in qua tussi præsentiscit vellicationem in scrobiculo cordis: unde quando ejicit talia mucosa, sunt ex stomacho ex vitiata digestione: manè, inquit, gulam esse quasi infarctam muco; nam dum ita concutitur stomachus, irritatur diaphragma, & materia mucosa sensim sensimque sursum versus vergit, ut gula quasi infarcta videatur. Quò etiam pertinet in SCHENCKII *Observat. pag.* 237. *Tussis* nova *infantum* Lutetiis grassans, *Quinta* dicta, in qua etiam ventriculus affectus fuit.

Pertinent huc istæ tusses, quæ non rarò in principio paroxysmorum febrium intermittentium unâ alterâve horâ paroxysmum antecedunt, & fiunt simpliciter ex irritatione orificii stomachi superioris, nata ex motu inchoato fermenti febrilis & motu humorum, succi pancreatici & biliosi, circa intestinum duodenum à dicto fermento febrili agitatorum; unde tussis per ventriculi consensum cum diaphragmate circa paroxysmorum principium contingere solet: & quidem tales ordinariò ferè sunt hypochondriaci, seu in quibus abundat acidum in stomacho. Tales enim tusses sunt, quas quidam contrahunt, dum in lectis aeri liberiori se exponunt circa regionem stomachalem, exinde facilè fit, ut pertinax tussis stomachalis superveniat.

Senes sæpiùs quoque tussi laborant, eâque pectorali, si vitium est ex aëre externo inspissato; si verò citra talem externam læsionem senes tussiendo excernant copiosa viscida, & simul conquerantur de dolore plus minus compressivo in scrobiculo cordis, ordinariò vitium stomachi subesse solet, natum ac sustentatum ex defectu digestionis, præcipuè in senibus.

De *arthriticorum tussi* res etiam intricata videtur: observavi aliquoties arthritidi obnoxios, si hæc aliquandiù inducias dederit, quod tales facili occasione tussim, eamque humidam, incurrant cum sensu molesto circa scrobiculum cordis, ac difficili plus minus inspiratione, quæ symptomata superveniente podagrâ leviter & quasi spontè evanescunt. Revera stomachalis videtur tussis, cùm faber podagræ reverà in stomacho cudatur.

Interdum variæ tussium differentiæ subinde complicantur, ita, ut in dispositis tussi humidæ facilè superveniat tussis convulsiva. Sic in fœmina gravida, aliàs epilepticis pathematis obnoxia, gravem tussim stomachalem patiente, observavi, quòd aliquando per plures dies tussi huic humidæ, propter viscìditatem materiæ laboriosæ, validissima convulsio pectoris supervenerit, ceu genuinum asthma convulsivum, ita ut ægra subindè suffocanda videretur, quod adstantes non stolidè pro Catarrho suffocativo habebant. Sic pariter tussis humida, tam stomachalis quàm pectoralis, ferè complicari ac simul affligere possunt.

PROGNOSIS.

Prognosis facilis est. Fundamentum ejus ex varietate causarum efficientium, subjectorum patientium, & utriusque adjunctarum circumstantiarum desumi solet.

Tussis frequens nimis & diuturna non rarò ad hæmoptysin disponit.

Tussis ferina, tàm in infantibus, quàm etiam adultis, maribus herniam, in prægnantibus abortum causat.

Tussis sicca nocturna in subjecto, quod debiles habet pulmones, minatur phthisin, quatenus ex continua pulmonum concussione, & lymphæ acrioris in eorum parenchyma translatione, tandem erosionem, & ita ulcus pulmonum & hinc phthisin, quam ex catarrhis oriri putant, infert.

Capiti debilitato admodum nociva est tussis; uti etiam iis, quibus affecti sunt oculi.

Tusses senum diuturnæ non maturantur, dicit HIPPOCRATES *Sect.* 2. *Aphor.* 40., adeòque difficillimè curantur.

Tussis hydropi superveniens, malum est: vid. HIPPOCRATES *Sect.* 6. *Aphor.* 35.

Tussis à causa externa nihil habet in recessu, & sine periculo est; quæ verò à causa interna, sive sit pectoralis sive stomachalis, phthisin minatur, aut eandem incipientem ostendit.

Scorbuticis frequentiores tusses sunt suspectæ, ne ex partibus serosis phthisim contrahant.

Interdum febribus ardentibus, imprimis curatis & in declinatione non ritè purgatis aut judicatis, supervenit tussis humida ex metastasi materiæ morbificæ concoctæ: inquè tali casu, si rectè procedat expectoratio, bona est; sin minus, & non in tempore succurrimus ægro, periculum imminet phthiseos aut periculosi asthmatis.

Tussis omnis humida inferens læsionem pulmonum, periculosa est ob phthiseos metum.

Tussis graviter affligens phthisicos, ubi subitò cessat, signum periculosum est.

Tussis stomachalis humida cruditates, atrophiam, tabem, &c. minatur ex vitio chyli, corrumpentis plus minus lympham; tandem etiam pectoralem infert: quo etiam suo modo de Tussi sicca stomachali verum deprehenditur.

CURA.

In *Cura* attendendum ante omnia, an Tussis morbus sit primarius? an verò secundarius, qualis v. g. Phthisicorum, pleuriticorum, &c. Nam hæc primariò morbo sublato vel spontè cessat aut sedatur. Interim attendatur naturæ motus in tali casu, ut promoveatur, si sit parcus, in phthisicis v. g. & purulentis; vel inhibeatur, si sint nimii, ut in tussi ferina crebriùs inani, & ita saltem temperetur.

In hac verò Cura tussis cujuscunque

1. Ante omnia removenda est Causa irritans seu ad tussim stimulans; &
2. Sistenda est vellicatio aut irritatio.

Qui duo scopi utut pro varietate causarum varient, utplurimum tamen ad removendam causam melius remedium non est, quàm vomitus, qui in quavis tussi est proficuus, in contumaciore verò, præsertim stomachali, est necessarius, sine quo tussis chronica tutò non potest curari; qui uti convenit in tussi recenti, ita sine eo tussim inveteratam curare admodum difficile est. Quæ verò pro secundo scopo vellicationem sistunt, sunt imprimis, uti notum est, opiata, in specie appropriatis mista.

Aliàs materia Medica in tussi tribus ferè generalibus capitibus absolvitur: nempe *Incrassantibus*, *Incidentibus*, & *Balsamico Vulnerariis*.

Incrassantia sunt opiata ac temperata dulcia, quæ tussim à materia tenui & serosa, & inde ortum irritationis sensum, sistunt, acre vellicans mitigant, & ita materiam vellicantem ad consistentiam moderatam pro meliore expectoratione disponunt; unde ab effectu *Incrassantia* dicuntur.

Incidentia sunt, quæ in tussi humida mucum glutinosum pro meliori expectoratione disponunt, & attenuant, ac mobiliorem reddunt.

Balsamico-Vulneraria, quæ noxiam excoriationem bronchiorum aut pulmonum aut stomachi emendant, ut ulteriores progressus maturè inhibeantur. Sed cum hæc methodus sit confusa, & non æquè accommodabilis, meliorem & distinctiorem tradam.

Opiata in omni tussi convenire, certum est. In horum tamen usu observetur:

1. Quod non conveniant, ubi peccat materia viscida quia opiata figunt peccantem materiam, hujusque resolutionem & excretionem sistunt, & consequenter eandem quasi tenacem, tussimque quasi contumacem reddunt: neque etiam semper conveniunt in tussi humida, sive in stomacho sive in pulmonibus fomes sit: sistunt quidem hæc opiata tusses, sed tantum palliativè, & recidivant, quamdiù fomes superest, nisi præmissis probè universalibus; tunc enim

enim commodè usurpari possunt cum aliis ad removendam uberioris materiæ generationem. Unde speciatim in tussi recenti, in tussi sicca, eaque imprimis nocturna, item in tussi à lympha acri salsa vel acida conducunt, adeòque tunc imprimis conveniunt, quando Practici dicunt, tussim oriri ex materia tenui serosa, quæ incrassanda, & ita ejus excretio facilitanda sit: pro quo scopo semper usurparunt pilulas de cynoglossa; quas ingreditur opium & hyoscyamus, sed ingredientia hæc sunt nimis cruda.

His itaque præmissis, *Tussis pectoralis sicca à causa externa* inducta, qualis tussis tempore hyberno *ex aëre inclementiore*, vel *sub laboribus Chymicis* accedit, optimè tollitur per opiata maturè adhibita, sivè sit laudanum opiatum, sive sit theriaca, sive syrupus papaveris: e. g.

℞. *Conf. tussilag.* ℥ß.
Laud. opiati gr. ij.
M. pro Brolo: S.
Saccharum vespertinum pro una vice.

Capiatur biborio ante cœnam.

Imprimis si quis lęsus *à frigore hyberno*, ut immineat *coryza*, maturè potest curari sic:

℞. *Theriac.* ℥j.
Ol. destillat. anis.
Succin. an. gutt. ij.
M. D. S.
Theriaca catarrhalis pro una vice.

Capiatur sub forma boli cum sudore: omnia ista pathemata unâ falce dimetiuntur.

Conveniunt etiam pilulæ de styrace *Sylvii*. Item in *tussi* orta à *vitio aëris externi hyberni* usurpetur Decoctum radicis zedoariæ in vino, vel Decoctum radicis helenii cum passulis in vino Malvatico calidè haustum, & sudor expectetur; sic tussis evanescet & facilè curatur. Alii non ineptè faciunt, dum *juniperi baccarum* M. iij. coquunt in *cerevisia* ad consumptionem tertiæ partis, & Decoctum calidè hauriunt, expectato sudore: sic talis tussis cessat; vid. RIVERIUS *in Praxi*: Item tinctura baccarum juniperi MYNSICHTI, *in Armament. Chym. Sect.* 2. descripta, convenit. Præsertim autem optimè vel removent vim causæ externæ, in specie aëris inclementioris vel hyemalis insultum, balsama odorifera ex oleis destillatis, v. g. apoplectica, vel anisatum vel succinatum, largiter naribus illita: item olea destillata anisi, macis, suffitus succini, gummi animæ, &c. Nam talis larga illitio alterat aërem introeuntem, ut non fauces vel asperam arteriam lædat. Certissima hæc est præservatio: hoc modo me præservo ab omni tussi & coryza; sed maturè hoc fiat. Ubi metuenda coryza, imitemur HELMONTIUM *Tract. de Asthmate & Tussi*, paremus Sternutatorium ex *sacchare & pulvere bellebori nigri* ana, addendo aliquot guttas *olei destillati caryophyllorum*. Talis loco sternutatorii tempore vespertino sufflетur in nares; sic tollitur omnis noxa. Jujubas in Vini spiritu maceratas commendat HARTMANNUS ad præservandam tussim in *Praxi Chymiatr.*

Quod si *à mineralibus* eorumque *fumis sub laboribus Chymicis inspiratis* oriatur noxa tussim inferens, optimum est panis largiter butyro illitus, ante laborem assumptus; sic acrimonia inspirata obtunditur, & tussis ac similia præcaventur; sicuti etiam post alterationem jam nonnihil inductam theriaca, & ejus medio provocatus sudor, promptè eam tollunt: sin inducta læsio ab his, non curatur meliùs, quàm per vulneraria & quidem pectoralia, si decoquantur in cerevisia.

Not. II. Quod si eadem *tussis à causa externa* nata, dum jam fuerit *inveterata*, ut jam ejiciantur copiosa mucosa, adeòque reddita humida, curatur ut reliquæ tusses humidæ, præmisso nempe laxativo, in specie vomitorio, conveniunt opiata eam sistentia; hinc subjungenda, si sit tussis pectoralis, vulneraria & appropriata pectoralia, noxam inductam demum corrigentia, & inde nutrimenti aut sanguinis in ea factam degenerationem sistentia. Vel si *tussis* fuerit *stomachalis*, noxa curatur aromaticis stomachicis: v. g. si quis hyeme contraxit tussim, eamque neglexit, fit humida & rejiciuntur viscida in magna copia; dicunt, *aërem catarrhum ipsis super cor cecidisse*: sed falsum est; non est causa morbi, sed productum morbosum: falsum itidem est, quod expectemus expectorationem; sed si inveterata humida sit, quatenus læsio occasionem præbet, ut nutrimentum vitietur, vomitus optimus est, sive sit sicca sive humida, sicut tussis chronica tutò non potest sine vomitu curari. Vesperi propinanda sunt opiata, ut caveatur generatio: si sistitur, tunc denuò læsio à tussi antecedente inducta appropriatis curanda. Si in pulmonibus pars est affecta, ad eluendam noxam, ne malum recidivet, vulneraria pectoralia sunt usurpanda; ubi excellit in specie hedera terrestris, cherefolium, veronica, scabiosa, helenium, ejusque radix, tussilago, lignum sassafras & similia. Hæc decoquantur in aqua, vel cerevisia, in qua melius, & Decoctum calidè bibatur bis vel ter quotidie; sic læsio sistitur, consolidatur, & alia mala supervenientia præcaventur. Si *tussis* est *inveterata stomachalis*, ubi ob læsionem membranæ pituitariæ posterioris in stomacho mucus copiosus collectus, post vomitoria appropriata stomachica usurpanda, ut mentha, Elixyr menthæ, proprietatis, pectorale, compositum zedoariæ, &c.

Not. III. *Tussis humida pectoralis*, quatenus constituit morbum, curatur materiæ crassæ vel causæ irritantis evacuatione, adeòque per incidentia, attenuantia, resolventia, atque expectorantia dicta, interpositis præsertim vomitorio, vel moderato purgante, (nam rariùs prosunt hic purgantia,) & tandem per pectoralia & vulneraria, læsionem in bronchiis & pulmonibus obortam tollentia, & ulteriorem progressum aut recidivam faciliorem præcaventia.

Conducunt ergo hic pro scopo incidendi & expectorandi succus raphani recens cum saccharo candi, arum ejusque radix: item spiritus asthmaticus, gummata, in specie ammoniacum, & ex eo parata remedia liquida, & in genere omnia ea, quæ *suprà in Asthmate humido*, item *Raucedine inveterata*, fuerunt laudata: item marrubium album, ejusque decoctum, helenium, hedera terrestris in tussi à putrilagine pulmonum, hyssopus, zingiber, &c. SCHROEDERUS laudat egregiè Decoctum calami aromatici. Porro crocus, radix ireos Florentinæ, tussilaginis, zedoariæ, veronica, scabiosa, mentha, rosmarinus, & modò dictorum flores, nicotiana ejusque syrupus, & oxymel nicotianæ in tussi ex lympha crassa; atque ex melle, scordii & helenii pulvere paratum Electuarium: It. acetum scylliticum, oxymel simplex, & oxymel squilliticum compositum, cui incoctum marrubium, botrys, ejusque succus & syrupus, syrupus de erysimo Lobelii, aliàs dictus *syrupus ad raucedinem*, elixyr pectorale Michaëlis vel Wedelii cum spiritu gummi ammoniaci, vel salis ammoniaci anisato, qui potenter incidunt: nam anisum est singulare pectorale, ubi est incidenda materia crassa. Conveniunt etiam vegetabilium dictorum conservæ, & sic porro. Vulgò commendatur aqua pulmonum vituli cum plantis pectoralibus destillata: sed quo jure? nescio; quia vituli pulmones parvi facio.

Pro expectorando ergo muco, quocunque in loco ille hæreat:

℞. *Aqu. hyssopi* ℥iij.
Asthmat. Rud. ℨvj.
Gum. ammon. cum aceto sol. ℨj.
Syr. nicot. ℨvj. vel ℥j.
M. S.
Potio pectoralis contra tussim.

Est Mixtura egregiè expectorans. Vel

℞. *Aqu. hyssopi,*
Tussilag. an. ℥ij.
Asthmat. ℥ß.
Gum. ammon. cum aceto sol. ℨj.
Oxymel. squillit. ℥j.
Syr. nicot.
de erysim. Lobel. an. ℥iij.
Hyssopo
Tussilag. an. ℨvj.
Spir. nitri dulc. q. s.
M. D. S.
Potio contra tussim.

Vel

℞. *Aqu. hyssopi,*
Scabios.
Oxymel. squillit. an. ℥j.
Syr. enul.
Nicot. an. ℥ß.
M. S.
Succus expectorans pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Aqu. Fœnic.*
Hyssop. an. ℥ij.
Asthmat. ℨvj. vel ℥j.
Oxymel. squillit. ℥j.
Syr. nicot. ℨvj.
M. D. S.

M. D. S.
Potio contra tussim.
℞. *Aqu. hyssopi* ℥ii.
Veron. ℥j.
Asthmat ℥ß.
Oxymel. squillit. ℥j. ad ℥iß.
Spir. nicot. ʒvj.
M. D. S.
Potio resolvens contra tussim.
℞. *Aqu. hyssopi* ℥ij.
Veron. ℥j.
Asthmat. ℥ß.
Spir. sal. ammon. ℥j.
Syr. nicot. ℥j.
M. D. S.
ut suprà.
℞. *Aqu. hyssopi* ℥ij.
Veron. cum vino ℥j.
Spir. viridis æris, vel asthmat. ℥j. ad ℥iß.
Syr. nicot. ʒiij. ad ʒvj.
M. D. S.
ut antea.
Usurpentur cochleatim.

Pro scopo vulnerario pectorali convenit sulphur, ejusque flores: item balsama sulphuris, quæ sunt nobilissima, sive sit terebinthinatum, sive, quod melius, anisatum, aut juniperatū, aut succinatum. Talis aliquot guttæ, vj. viij. x. ad xij. & xv. semel vel bis in die in vehiculo calido vel ovi vitello, optimè conveniunt ad eluendam noxam pulmonum: aut cum balsamo sulphuris fiat eleosaccharum: item Benzoë, antihecticum Poterii, antimonium diaphoreticum, & Vulneraria pectoralia supra laudata. Prostant etiam hinc inde pulveres pectorales, & pulvis contra phthisin, qui conveniunt in tussi ex vitiis lymphæ: v. g. *Pulvis pectoralis D. Michaelis;*

℞. *Rad. ari præp.* ℥iv.
Ireos Flor. ℥ij.
Mag. benzoes ℥iß.
Flor. sulph. ℥j.
Antihect. Pot. ℥j.
Sacchar. ℥iß.
M. f. *Pulvis:*
De quo *dosis* à ʒß ad ℈ij.
Vel
℞. *Rad. Ireos Flor.*
Flor. sulph. an. ʒj.
Antimonii diaph. ʒß.
Laud. opiat. gr. ix.
Oleos sacchar. fænic. q. s.
M. pro *pulvere.* S.
Pulvis pectoralis.
Vel
℞. *Pulveris pectoral. Mich.* vel *Ludov.* ʒj.
Antiehect. Pot. vel *Antimonii diaphor.* ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
Oleos sacchar. anisat. q. s.
M. F. *pulvis:* S.
ut antea.
℞. *Lap. cancr. præpar.*
Flor. sulph. an. ℈j.
Laud. opiati gr. j.
Ol. destillat. anis. gutt. j.
M. f. *pulvis* S.
Pulvis pectoralis contra tussim.
℞. *Ras. ligni sassafr.* ℥j.
Maceretur in
Aqu. fontan. Mens. ij.
Adde
Herb. heder. terr. vel *Veron.*
Pulmonar.
Scabios. an. M. j. vel ij.
Passul. min. conquass. ℥ß. vel ℥j.
Sem. anis,
Fæniculi an. ʒß.
Coq. invicem ad tertias, in fine Decocti addendo
Rad. liquirit. ras. ʒij. vel ʒiij.
Colatura D. S.
Decoctum pectorale.
Vel
℞. *Herb. heder. terr.*
Veron. an. M. j.
Hyssopi,
Herb. Marrub.
Pulmonar.
Tussilag. an. M. ß.
Flor. enulæ,
Scabios. an. P. ij.
Rad. enul.
Ireos Flor.
Sem. cartham. cont. an. ʒvj.
Rad. mechoacan. albiss.
Passul. min. an. ℥j.
Incisa & contus. D. S.
Species pectorales.

Ex his in *aqua* decoctis potest fieri *Decoctum pectorale*: vel possūt coqui cum *hydromele*, & per manicam Hippocratis aliquoties colari, & usurpari bis vel ter in die, pro urgentia affectus, mane haustus calidus, & à meridie bihorio ante cœnam, & sub introitu lecti: S.

Decoctum pectorale.
℞. *Herb. rec. veron.*
Heder. terr.
Scabios. an. M. j.
Cherefol. M. iß.
Ras. lign. sassafr. ℥j.
Coqu. in s. q. *aqu. simpl.*, addendo in fine decoctionis
Passul. min. conquass. ℥ij.
Ras. rad. liquirit. ℥j.
Ebulliant iterum leniter; hinc, dum fervent adhuc, suspende in nodulo *cinam. elect.* ʒiij.
Colatura lib. iiß. D. S.
Decoctum pectorale.

Vir juvenis tussi humidâ pectorali gravissimâ laborabat, ipso ægro aliàs scorbutico existente, contractâ ex inclementia aëris externa, morbus jam aliquandiu duraverat cum tussi crebra, materiæ viscidæ copiosæ rejectione, ita, ut jam in statu esset, æger penitus decumbebat, aderat simul pulsus febrilis, sudor continuus, respiratio nonnihil difficilis, dolores spinæ dorsi ingentes, urina paucissima, recurrentes interdum lipothymiæ, præsertim si exscreatio nonnihil cessaret, phlogoses vagæ, & subindè recurrentes anxietates, dolores lancinantes in artubus post tussim, &c. Mala hæc omnia ex lymphæ constitutione præternaturali oriebantur, quæ vitioso sapore scorbutico acido infecta omnia ista symptomata, præsertim irritando asperam arteriam & pulmones, tussim; ex pancreate verò effusa & effervescendo in primis viis cum cæteris contentis phlogoses, anxietates &c. inducebat. Vocatus die Solis pro tussi, ceu maximo urgente, præscribo expectorationis gratiâ:

℞. *Aqu. Fænicul.*
Hyssop. an. ℥ß.
Asthmat.
Syr. nicot. an. ʒvj.
Oxymel. squillit. ℥j.
Misc.

Capiebat cochleatim.

Pro cæteris symptomatis vagis, ex radice scorbuti natis, tollendis præscripsi:

℞. *Spir. carm. de tribus* ʒß.

Dosis 40. gutt. quotiescunque libuerit, aut symptomata urgeant. Usum hujus spiritus multum laudavit; potione verò istâ multa expectoravit.

Die Lunę pro expectoratione continuanda succum raphani recenter expressum, cum saccharo temperatum, crebriùs hauriendum jussi, & sumptum istum continuare.

Die Martis, cùm mucus ceu productum morbosum maximam partem esset evacuatus, & non nisi difficillima pauci muci fieret rejectio, tussis verò continuaret, eaque ob inanem conatum dolorosa præcordiis, ad læsionem irritantem tollendam præscripsi:

℞. *Aqu. Fænicul.* ℥iij.
Asthmat. ʒvj.
Syr. diacod. Mont. ℥iß.
Misc.

Crebriùs accepit, præsertim quando tussis laboriosior urgebat, hinc benè dormivit, multumque laudavit remedium hocce.

Die Mercurii interdiu spiritum carminativum; vesperi verò & noctu, quantum supererat de Potiuncula, capere jussi.

Die Jovis, cùm multum tussiret, parum rejiceret, nox gravis fuisset, pro lymphæ correctela, & irritationis partium spiritualium lenitione:

℞. Spir.

℞. *Spir. sal. ammon. anis.* ʒiij.
Essent. opii ʒj.
Misc.

Assumebat ter de die dosi 40. guttas, manè, circa vesperam, & tempore ingruentis somni: primitus quidem acrior spiritus fauces lædere visus fuit, postmodum verò usu continuatò admodum profuit, tussim instantem inanem mox reprimendo, humidam verò in expectorando promovendo, & hanc minimè laboriosam reddendo; unde aliquandiu continuato hoc spiritu convaluit. Sed cum præmaturè frigori externo denuò se exposuisset, adeòque recidivam periculosam pateretur, optimè contulit sequens Potio:

℞. *Aqu. scabios.* ℥iij.
Asthmat. ʒvj.
Lap. cancr. præpar. ℈ij.
Extr. sulph. ℈j.
Syr. diacod. Mont. ℥iß.
Misc.

Quæ potio mutatis mutandis egregiè, præsertim vesperi & noctu, profuit, eumque restituit.

Tussis humida stomachalis, ex humida viscida materia orta, curatur, præmisso attenuante & vomitorio, aromaticis nonnihil temperatis stomachalibus, reliquias materiæ peccantis incidentibus, attenuantibus & resolventibus, & stomachi tonum restaurantibus. Pro purgationis scopo Vomitoria antimonialia equidem nota sunt, quæ nunc per se evacuationis scopo usurpantur, nunc supra dictis potionibus in minuta dosi adduntur, pro promovenda expectoratione. Sanctè testor, quod ex usu vomitoriorum ne minimum noxæ observaverim. Pro scopo purgandi per inferiora convenit mass. pilul. de hiera cum agarico, vel extractum ejus, addito gummi ammoniaco in aceto soluto, quod resolvit mucum, ut eò melius possit evacuari, actuatum cum extracto trochiscorum Alhandal: e. g.

℞. *Mass. pilul. de hiera cum agar.* gr. xij. ad xv.
Gum. ammon. aceto sol. ℈ß.
Extr. troch. Alhand. gr. j. vel ij.
Ol. destillat. anisi. gutt. ij.
Cum *Essent. gum. ammon.* F. *pilulæ*: S.
Pilulæ purgantes pro pectore & stomacho.

Similibus pilulis fermam tussim a pinguibus vaporibus, in muliere aliquando curavi. Vel

℞. *Mass. pilul. de ammoniaco Querc.* gr. xv.
Hier. cum agar. gr. viij.
Extr. agar. gr. v.
Bals. sulph. anis. gutt. ij.

Cum *Essent. gum. ammon.* f. *pilulæ*, usurpandæ imprimis in tussi ex materia crassa & viscida, post febres acutas non rarò obvenientes: S.

Pilulæ pectorales & stomachales.

Quin etiam his ipsis Mercurius dulcis commodè potest addi, quem usurpat RIVERIUS cum diagrydio: vid. *Cent. 3. Observat. 31.*

Vulgò pro scopo purgationis usurpant agaricum in infuso ad ℥ß. cum oxymelite, sed ignavum est simplex. Potius extractum ejus cum aliis. Quidam semen carthami ab ℥ß. ad ʒvj. infundunt; utut etiam ex hoc semine à ℥ß. ad ℥ij. elegans Emulsio purgans fieri possit.

Opiata ac similia in tussi humida, ubi expectoratione opus, non conveniunt; excretionem enim impediunt & hinc materiam evacuandam crassiorem ac viscidiorem reddunt. In fine tamen, ubi maximam partem evacuata est mucilago, & crebrior tussis inanis sæpius repetens, antequam aliquid ejiciatur, superest, in talibus ad vestigia læsionis irritantis delenda commodè cum aliis papaverina usurpari possunt, ut nempe his nimia irritatio ac crebrior frustranea tussis suspendatur; interea verò materia expectoranda præparetur, ut minori labore excernatur: v. g.

℞. *Aqu. scabios.* ℥iij.
Asthmat. ʒvj.
Flor. sulph. ℈j. ad ℥ß.
Syr. diacod. Mont. ℥j.
M. S.
Potio contra tussim.

Pro incidenda materia viscida & crassa, præter ea, quæ *suprà de Asthmate* ex stomacho oriundo dicta sunt, imprimis conducit hæc Potio admodum experta:

℞. *Aqu. hyssop.*
Tussilag. an. ℥ij.
Asthmat. spirituos. ℥ß.
Oxymel. squillit. ℥ß. vel ʒvj.
Syr. de hyssop.
Nicot. an. ʒvj.
M. D. S.
Mixtura contra tussim pro aliquot vicibus.

Addi etiam potest pro meliori incisione & faciliori rejectione spiritus nitri dulc. aut salis dulcis q. pl. pro grata aciditate. Hæc mixtura subindè cochleatim sumpta expectorat egregiè. Vel

℞. *Aq. Hyssop.*
Tussilag. an. ℥ij.
Asthmatic. ℥ß.
Gum. ammon. cum acet. squillit. sol. ʒij.
Oxymel. squillit. ℥j.
Syr. nicotian.
Tussilag.
De Hyssop.
Erys. Lobel. an. ℥iij.
Spir. nitri vel *sal. dulc.* q. s.
M. S.
Succus contra tussim pro aliquot vicibus.

℞. *Aqu. hyssopi,*
Menthæ an. ℥j. vel ℥iß.
Asthmat. ʒiij. vel ʒvj.
Cinamm.
Oxymel. squillit. an. ℥ß. vel ℥j.
Gum. ammon. cum acet. squill. sol. ʒij.
Spir. asthmat. vel *salis dulc.* q. s. pro grato sapore.
M. S. ut ante.

Elixyr pectorale *D. Michaelis* cum spiritu asthmatico mixtum, uti in asthmate, ita in tussi à stomacho, notum est, quod sit egregium: e. g.

℞. *Elix. pector. Mich.* vel *Propr.* ℥ß.
Spir. gum. ammon. ʒij. M. S.
Elixyr pectorale contra tussim: 40. *guttæ*.
Item

℞. *Rad. ari acerr. non præp.* ʒij.
Spec. dia-Ireos ʒj.
Extr. rad. helenii vel *zedoar.* ℈ß. ad ℥ß.

Cum *sacch. in aqu. fœnic.* vel *menth.* vel *scabios. sol.* q. s. fiant *Rotulæ*, adspergendæ cum *ol. destillat. fœnic.* S.

Rotulæ contra tussim.
Vel

℞. *Rad. ari non præpar.* ʒiß.
Gum. ammon. in acet. sol.
Mastich. elect. an. ℈j.
Tartari vitriolat. ℥ß.
Cum s. q. *sacch. in aqu. menth. sol.* F. *Rotulæ.*
D. S.
Rotulæ pectorales contra tussim.

Adnumerandum hic mulierum euporiston, quod est;

℞. *Succi raphan. express.* qu. pl.
adde
Sacchari Candi parum.

Mirabiliter resolvit in pectore & stomacho, atque expectorat.

Pro altero scopo, stomacho nempe appropriata sunt Elixyr stomachale, Elixyr proprietatis, quod cum & sine acido in vino enulato usurpatum, egregiè commendatur. Elixyr quidem cum acido in principio videtur exasperare tussim: verùm, modò continuetur ad tempus, neminem spe suâ frustrabit. Egregiè etiam à STOECHERO commendatur decoctum zedoariæ cum vino paratū, elixyr menthæ acidulatum cum spir. sulphuris, tinctura tartari acris, vel sola vel cum spir. salis ammon. simplici aut anisato, Malvat. juniperinum, essentia & extractum helenii, quod est pectorale & stomachale; item essentia croci, & chocolata, compositū istud exoticū ex fructibus Cacao, mista cum saccharo, aut etiam cocta cum vino saccharato & assumpta, optimè convenit in tussi quacunque, sive mucilago hæreat in stomacho, sive hæreat in pectore; nam egregium est stomachicū & pectorale. Quò etiam pertinet balsamus Peruvianus, guttatim ad 6. vel 8. guttas usurpatus: quinetiam præmissis præmittendis in tali tussi aliquando liquoré terræ fol. tartari, item tincturā vitrioli martis Zwelfferi pro debita rugarum ejus expansione proficua observavi. Convenit etiam præmissis præmittendis, tàm in tussi pectorali quàm stomachali humida, uti etiam suo modo sicca, Electuarium, quod fit ex

Herb. scord. M. ij.
Salv. M. j.
Flor. sulph. ʒiij.

Hæc omnia subtilissimè pulverisata, vel sola, vel addito laudano opiato, cum syrup. diacod. excepta, subindè deglutiuntur ad sistendas tales tusses.

D. S.

Electuarium pectorale.

Not. IV. Quod si sit *tussis sicca nocturna pectoralis*, adeòque *catarrhalis*, sive à lymphæ vitio orta, quæ vel salsa, nunc per glandulas ad asperam arteriam in larynge & bronchiis exsudat, vel acida, quæ sæpè, si inveterata, conjuncta cum febre catarrhali: Talis curatur & præservatur, nunc præmisso nunc omisso vomitorio, per volatilia sudorifera, opiatis mista, vesperi imprimis assumenda, interdum sudorem imperando, quæ lymphæ vitium catarrhale corrigunt, blandè discutiunt, & vellicantis irritationem sistunt; v. g. spiritus salis ammon. simplex vel anisatus, liquor cornu cervi succinatus, à gutt. 40. ad 50., & alia, quæ lymphæ vitium corrigunt & tale sistunt: quibus adjungenda, essentia opii vel alia opiata & papaverina, quæ mirè talem tussim sedant, & præsertim conducunt, si febris catarrhalis juncta fuerit; Unde & Veteres Philoniis contra talem tussim, item syrupis diacodiim, usi fuerunt. Nobis verò opiata imprimis sunt in usu, eaque permista imprimis talibus, quæ acrimoniam lymphæ salsam aut acidam temperare, corrigere, ac mitigare possunt: v. g.

℞. *Spir. salis ammon. anis.* ℥iß. ad ℥ij.
Essent. opii ʒß.

M. S.

Spiritus pectoralis: 40. vel 50. guttæ pro una vice.

Sumatur bihorio ante cœnam, &, si opus, ante introitum lecti,

Vel istis præmissis appropriata pectoralia, imprimis balsamica oleosa sulphurea, lympham corrigentia & noxam partis eluentia, usurpentur, quæ etiam interdum sola sufficiunt; v. g. flores sulphuris, qui jam à Celio contra tussim pectoralem à lympha acri sunt commendatum remedium, ut eorum ℈j. quovis mane in ovo sorbili accipiatur: conf. THESAURUS RULANDI p. 109: storax liquidus, benzoë, & flores benzoes in ovo sorbili, sperma ceti, oleum destillatum anisi, fœniculi cum saccharo, balsamum sulphuris anisatum, tinctura sulphuris, quam habet WILLISIUS in *Pharm. Ration. P.* 2. *p.* 113. E. g.

℞. *Tinctur. sulph.* ℥ij.
Essent. opii ʒß.

M. D. S.

Essentia pectoralis.

Dentur pro dosi 40. vel 50. guttæ, bihorio ante cœnam, &, si opus, ante introitum lecti usurpandæ.

℞. *Spir. sal. ammon. succin.*
Tinctur. sulph. an. ʒj.
Essent. opii ʒß.

M. D. S.

Essentia pectoralis contra tussim.

Dentur 30. vel 40. guttæ pro dosi.

℞. *Aqu. scabios.* ℥ij.
Flor. papav. errat. ℥iß.
Tinctur. sulph. Willis. ʒiß.
Syr. diacod. Mont. ℥iß.

M. D. S.

Succus contra tussim.

℞. *Aqu. scabios.* ℥ij.
Menth. ℥j.
Spir. salis ammon. anis. ʒiij.
Syr. nicot. ℥j.

M. S.

Mixtura pectoralis.

Conveniunt item succinata omnia, myrrhata, & reliqua, quæ vulgò incrassantia seu propriè tenuem & acrem lympham temperantia appellantur, v. g. lac, violæ, glycyrrhiza, jujubæ, passulæ, radix Ireos Florentinæ, helenii, horumque Decoctum, herba veronicæ, scabiosæ, item vulneraria pectoralia, ut veronica, hedera terrestris, &c. syrupus de jujubis, rosarum, scabiosæ, loch passularum, Decoctum raparum, quod est egregium, & ex hoc Decocto paratus syrupus, qui egregius est in tussi inveterata. Hordeata etiam sunt in usu, ubi est lympha acida & salsa, quam temperant: hinc BORELLUS *Centur.* 4. *Observ.* 89. refert de Tussi, macie & agrypnia, hordeatorum usu curatis: item caricæ cum spiritu vini compastæ, species diatreos usitatæ, pulveres pectorales varii, semen papaveris, syrupus papaveris, amygdalæ dulces, & pilulæ de cynoglossa; loco quarum moderni usurpant laudanum opiatum, mixtùm imprimis cum spermate ceti, item cum succino; vel, quæ meliores, pilulæ de styrace & ad tussim *Schræderi*, quarum Descriptiones videbitis in ejus *Pharm. lib.* 2. *cap.* 73. *Num.* 6. & 7. *pag.* 252. Admodum elegantes sunt pilulæ de storace *Sylvii* in tussi sicca nocturna citra febrim, ad temperandam lympham salsam & acidam optimè, quas rectè dicit, posse substitui pilulis de cynoglossa. Compositio est succincta & descripta in *Praxi lib.* 1. *cap.* 20. *pag.* 284.

℞. *Styr. calam.*
Succ. liquirit. solut. & inspiss. seu extracti liquir.
Olibani,
Myrrhæ,
Opii Thebaic. corr. seu laud. opiat. an. ʒß.
Croc. orient. ℈j.

Cum s. q. *Syr. papav. alb.* F. *mass. pilul.*

Observetur hîc de succo de glycyrrhizæ, quod sæpiùs soleat adulterari, idque variis quisquiliis ac pulveribus pro ponderis augmento; unde dum propinandus succus glycyrrhizæ pro temperanda lympha acida vel salsa, multum aggravat malum: nam reperitur in ℥ß. succi glycyrrhizæ una alteravè drachma quisquiliarum. Ubi ergo volumus esse cauti, præscribimus succum glycyrrhizæ Hispanicæ; cujus defectu

℞. *Succ. glycyrrh. in aqua hyssopi* solutus, qui filtretur & inspissetur: Dum enim solutum filtratur, quisquiliæ remanent, & sic habemus succum purum & gratum. Verùm in inspissatione exactus observetur ignis gradus; ubi enim vel leviter excedit fit succus amaricans & empyreuma contrahit, quod etiam est nocivum.

Vel

℞. *Extr. sulph. pulveris* gr. xij.
Croci gr. ij.
Myrrh. elect. gr. iv.
Laud. opiat. gr. j.

Cum *essent. succin.* F. *piluiæ*: S.

Pilulæ vespertinæ contra tussim.

Vel

℞. *Succin. præpar.* ℈ß.
Myrrh. elect.
Sal. vel succin. an. gr. v.
Extr. croci gr. ij. vel iv.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
Ol. destillat. succin. gutt. ij.

Cum *essent. opii* vel *lign. sassafr.* vel *succin.* f. *Pilulæ*, bihorio ante cœnam sumendæ;

D. S. ut suprà.

Quod si pilulæ sint molestæ, loco earum habet Rotulas has SYLVIUS *loco citato*; nam & ipsum saccharum in tali tussi convenit:

℞. *Sem. hyosciami alb.*
Papav. alb. an. ʒß.
Thuris,
Myrrh. rub. an. ℈j.
Croc. opt. ℈ß.
Succ. liquirit. inspiss. ʒj.
Sacch. alth. facti cum mucilag. Alth. ℥ß.
Gum. tragac. in aqua ros. dissol. ʒj.

M. f. *Rotulæ* exiguæ.

Harum unam subinde in ore detineant ægri, ac sensim deglutiant: quod si aliquid de laudano opiato admisceatur, esset eo melius.

Vel

℞. *Spec. diair. simpl.*
Trag. fr. ʒj.
Flor. sulph. ℈ij.
Extr. croci gr. vj.

Cum s. q. *Sacch. in Emuls. semin. papav. albi solut.* f. *Rotulæ*, adspergendæ aliquot guttulis *olei destillat. anisi*.

D. S.

Rotulæ pectorales contra tussim.

℞. *Spec. diair. usit.* ʒiß.
Flor. sulph. ʒij.
Laud. opiat. gr. iv. vel v.

Cum *sacch. in aqua scabios. solut.* F. *Rotulæ*.

D. S.

Rotulæ contra tussim.

Quæ crebriùs sumendæ.

℞. *Flor. sulph.* ʒj.
Benzoes,
Succin. præpar. an. ʒß.
Thuris,
Gumm. Arab. an. ℈j.
Extr. croc. ℈ß.

Laud.

Laud. opiat. gr. iij.
Cum *facch. in aqu. fœnic. sol* ℥ ij. F. *Rotulæ*,
Adspergendæ cum *ol. destillat. anis.* S.
Rotulæ catarrhales.
℞. *Flor. sulph.* p. iij. vel iv.
Spec. diatr. p. i.
Cum f. q. *facchar.* f. *Rotulæ.*
D. S.
Rotulæ pectorales contra tussim.
℞. *Spec. diatr. simpl.* ʒiij.
Bol Armen. præp. ʒj.
Succ. liquirit. depur. ʒß.
Cum ℥ ij. vel ℥ iv. *facchar. in aqu. flor. papav. errat. solut.* F. *Rotulæ.* D. S.
Vt ante.
℞. *Spec. diatr. s.*
Tragac. an. ℈iij.
Flor. sulph. ʒß
Extrat. liquirit. ℈j.
Laud. opiat. gr. v.
Cum f. q. *facch. in aqu. scabiof. solut.* F. *Rotulæ*: vel cum *mucilag. trag.* F. *Trochisci*: D. S.
Trochisci contra Tussim.
℞. *Extract. liquirit.* ʒj.
Pulv. rad. Ireos Flor ʒiß.
Facch. albiss. ℥ ß
Cum f. q. *mucilag. tragac. in aq. veron. sol.* formentur *Trochisci*: S.
ut antea.
℞. *Conf. flor. enul.*
Hyssop. an. ʒiij.
Spec. diaireos simpl. ʒiß.
Antihect. Poter.
Flor. sulph. an. ʒj.
Benzoës ℈ij.
Cum f. q. *facch. in aqu. hyssop. sol.* F. *Morsuli*: S.
Morsuli pectorales.
℞. *Conserv. flor. anthos,*
Beton.
Calend. an ʒiij.
Succini præpar. ʒij.
Myrrh. elect. ℈ij.
Benzoës,
Thuris an. ℈j.
Cum *facch. in aqu. serpill. sol.* F. *Morsuli*, irrorandi cum *ol. destill. succini*: S.
ut antea.
Vel fiat pulvis temperans seu incrassans:
℞. *Rad. Ireos Flor.* ʒij.
Flor. sulph. ʒj.
Ol. destill. anis ℈j. ad ʒß.
Fœnicul. gutt. xij. ad xv.
Facch. opt. ʒiij.
M. D. S.
Pulvis pectoralis
Dosis ʒj., detur bis in die, & conuenit, si læsio est in pectore. Vel
℞. *Spec. diaireos usit.* ʒj.
Flor. sulph. ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
M. f. pul. pro *tribus dosibus*: D. S.
Pulvis pectoralis pro tribus dosibus.
℞. *Flor. sulph.* ℈j.
Pulv. anod. Lud. gr. iv.
M. D. S.
Pulvis vespere sumendus pro catarrhis.
Vel
℞. *Pulv. pectoral. Lud.* gr. xxv. ad ʒß.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. pul. pro *una dosi.*
D. S.
ut antea.
Ad tussim difficilè noctu tantum per quatuor vel quinque horas affligentem, cum febre catarrhali & coryza, præmissis uniuersalibus ad temperandum serum acre
℞. *Sperm. ceti* gr. xxiv. vel ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
M. & divid. in 2. *part. equal.*
Una pars hora pomeridiana quinta, altera pars hora decima vespertina sumebatur, & optimè profuit.
℞. *Sperm. ceti* ʒj.
Succin. præpar. ℈j. vel ʒß.
Myrrh elect. gr. viij. ad ℈ß.
Laud. opiat. gr. iv.
M. F. *pulvis.*
Dividatur in 3. *vel* 4. *part. æqual.*
D. S.
Pulvis pectoralis.
Capiantur mane & vesperi bihorio ante vel post cœnam. Vel
℞. *Sperm. ceti* ℈ij.
Flor. benz. ℈j.
Myrrhæ,
Sal. volat. succin. (est egregium in omnibus vitiis lymphæ, quoniam blandè temperat & eam movet) an ℈ß.
Laud. opiat. gr. iv.
Misc. f. pulvis.
Divide in 3. *vel* 4. *part. æqual.* D. S.
Pulvis vespertinus.
Capiat æger vnam partem iturus cubitum.
Vel
℞. *Sperm. cet.* ʒj.
Flor. benz. ℈ß.
Laud. opiat. Lang. gr. iij.
Ol. destill. succin. gutt. ij.
Misc. pro *tribus dosibus*:
D. S.
Pulvis catarrhalis.
Assumantur vesperi ante cœnam.
℞. *Flor. sulph.* ℈j.
Benz. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. pul. capiendus bihorio ante cœnam:
D. S.
Pulvis vespertinus.
℞. *Lapill. cancr. præpar.* ʒj.
Succin. præpar. ℈ij.
Antihect. Pot. ʒß.
Cinnab antimonii ℈j.
Laud. ferment. gr. iv.
M. f. *pulvis.*
Dividatur in 4. *part. æqual.*
D. S.
Pulvis contra tussim & catarrhum.
℞. *Spec. diaireos simpl.*
Flor. sulph. an. ʒj.
Antihect. Pot. ℈ij.
M. f. pulv. ubi materia tenuis salsa usurpandus. D. S.
Pulvis pectoralis & catarrhalis pro aliquot vicibus.
℞. *Conserv. rosar. rub* ℥ij.
Antihect. Pot. ʒiß.
Flor. sulph.
Spec. diaireos an. ℈ij.
Cum *syr. diacod.* f. *Electuarium*:
D. S.
Electuarium pectorale catarrhum temperans.
Faciunt huc oleosacchara, maximè ex oleo succini, quæ in talibus sunt nobilissima. Syrupus diacodion Montani, & syrupus scabiosæ, vel misti, vel cum rob passularum subacti, cum baculo liquiritiæ assumpti, & ita pedetentim deglutiti, etiam hîc egregium sunt remedium, omnibus loch incrassantibus & expectorantibus præferendi.
Hæc conveniunt ad temperandam lympham salsam. Verùm cùm adjuncta imprimis soleat esse febris catarrhalis, ab eadem lymphæ acrimonia nata, ad hanc simul respiciendum est. In Tussi ergo sicca cum febre catharrhali:
℞. *Aqu. scabiof.* ℥iij. vel iv.
Asthmat. ʒß.
Liq. corn. cerv. succin. vel *spir. sal. ammoniaci anis.* ʒj. ad ʒiß.
Syr. diacod. Mont. vel *papav. alb.* ʒvj. ad ʒx.
M. D. S.
Potio contra tussim & Catarrhum.
Capiatur imminente paroxysmo, & post mediam noctem expectando blandum sudorem.
Vel
℞. *Aqu. scabiof.*
Serpill. an. ℥ß.

Spir. salis ammon. anis. ℥iß.
Liqu. cornu cervi succin. ℥j.
Syr. papav. simpl. ℥j.
M. pro *tribus dosibus* in tussi sicca catarrhali.
D. S.
Potio pectoralis pro duabus vicibus.

Aliàs ad temperandam lympham salsam & acidam præprimis opiata ac papaverina & dicta ex spermate ceti & succino conveniunt, imprimis gummata mucilaginosa, qualia sunt tragacanthum, item gummi Arabicum: radices etiam subdulces, imprimis glycyrrhizæ, althææ, helenii, & similes: e.g.

℞. *Spec. diatrag.* ℥iß.
Pulv. rad. alth.
Succ. Liquirit. an. ℥j.
Laud. opiat. gr. vj.
M. F. *pulvis.* S.
Temperans pulvis pectoralis.
Vel
℞. *Aqu. loch sani & experti* ℥ij.
Loch sani & experti ℥iß.
Spec. diatr. simpl. ℥iß.
Succin. præpar. ℥j.
Syr. diacod. Mont.
De jujub. an. ℥j.
M. D. S.
Leniens succus pectoralis.
Item
℞. *Aqu. fœnic.* vel *scabios.* ℥ij.
Asthmat ℥vj.
Syr. diacod. ℥ß.
M. D. S.
Leniens potio pectoralis.
Vel
℞. *Aqu. flor. papav. err.* ℥j.
Syr. papav. simpl.
De jujub. an. ℥ß.
M. pro *duabus dosibus*: S.
Leniens succus pectoralis pro duabus dosibus.

Vesperi unam bihorio ante cœnam, & alteram sub introitum lecti sumendo.

In fine
℞. *Mass. pilul. de succ. Crat.* gr. xvj.
Extr. agar. gr. viij.
Troch alb rd.
Scamm. sulphurat. an. gr. ij.
Cum essent. ligni sassafr. F. *pilulæ.*
D. S.
Pilulæ catarrhales & pectorales.

Not. V. Quod in *Tussi sicca chronica*, affligente pectus, & à lymphæ vitio oriunda, adeoque phthisin plus minus minitante, dicta sulphurea balsamica, noxam eluentia, non sufficiant, & tussis fiat continua, & postea incipiat ejici mucosa materia ex ulcere pulmonum. In tali casu pro lymphæ correctela optima sunt decocta lignorum sudorifera, matutino tempore usurpanda. Talia præservativa matutina sunt Decoctum guajaci, imprimis ligni sassafras; egregium enim est in affecta lympha catarrhali; vel Decoctum hujus aut radicis chinæ cum passulis: mediantibus quibus & corrigitur lympha & per sudores evacuato latice morboso, eosque subinde repetitos & aliquandiu continuatos, optimè curantur hæ ipsæ: vid. quæ *superiùs dixi de siti.* Hæc quantum valeant, vid. LOTICHIUS *Ob. l.3.c.10.Obs.3.p.233.* & PISO *de Colluv. ser. p.184.* Vesperi beneficio opiatorū sistatur violentia tussis.

Externè ℞. *Capit. allii* Num. 3.
Cum s.q. *pinqued. porcin.* contundantur in formam *unguenti.*
D. S.
Unguentum pectorale.

Hoc vesperi ante lecti ingressum prope ignem plantæ pedum illinantur, quod per tres dies continuandum.

Vel fumatur saltem pinguedo lucii piscis.

Not. VI. Si sit *Tussis sicca ferina stomachalis*, eaque inveterata, curatur præmisso vomitorio, maturè tamen instituto, partim per opiata, partim per temperata, acre, orificium ejus vellicans, corrigentia: qualia sunt flores sulphuris, passulæ, & omnia ex passulis, Decoctum raparum, liquiritiæ & ejus succus, Decoctum helenii unà cum passulis Corinthiacis cum Vino Hispanico vel Malvatico paratum: & postmodum saccharum album addatur pro lubitu, & coquatur ad consistentiam aliqualem syrupi.

Dosis mane & vesperi detur cochl. j.

Hoc remedium adultorum tussim præmisso vomitorio mirè sedat: in infantibus absque vomitu à Lindano laudatur. Interdum etiam de syrupo diacodii vel pro ratione circumstantiarum essentiâ opii cuilibet dosi aliquantulum addi potest. Egregium est remedium ad talem tussim ferinam, vitio stomachi ortam. Vel

℞. *Tincturæ tartari compos.* ℥j.
Spir. sal. ammon. anis. vel *alius vol. oleosi aromat.* ℥j.
Essent. opii ℥ß.
M. D. S.
Elixyr pectorale contra tussim.

Dosis 40. gutt. mane, à meridie, & sub introitum lecti, in quocunque vehiculo, expectando sudorem.

Addatur his Decoctum raparum, quod certè est egregium remedium, sit rapum sit recens vel exsiccatum, & in tussi sicca omni, vel catarrhali vel pectorali vel stomachali, nobile, quod ego aliis irritis vidi optimum.

Pertinet huc euporiston scilicet passulæ aut ficus cum spiritu vini combusti vesperi in tussi ferina sicca ex stomachi vitio cum tussi, superveniente asperitate faucium, phlogosi, vel raucedine cum tussi catarrhali & chronica.

Porrò convenit glycyrrhiza, ejusque succus, imprimis Hispanicæ; necnon Electuarium helenii cum melle, ac cætera *suprà in tussi sicca* laudata. Sic facit huc euporiston AMATI LUSITANI *Cent.6. Curat.90.*, recipiendo.

Sulphuris crudi, aut *flor. sulph.* (perinde enim est) ℥ß.
Flor. benz. ℈j.

Quæ in tenuissimum pulverem redacta propinantur dosi ℈ j. in ovo sorbili mane, & vesperi, & sub introitum lecti, aliquandiuque continuatur. Videatur etiam RULANDus *loco citato*, qui viro annorum 40. tussi vehementissimâ & asthmate afflicto pulverem hunc præscripsit. Benzoë sanè rectè vocatur balsamus pectoris, & in morbis aliis pectus affligentibus reverà est egregium remedium; unde essentia benzoës cum essentia croci atque essentia succini mista, in tussi ex pectore affecto orta erit egregia. Vel

℞. *Pulpæ passul. min.* ℥iß.
Flor. sulph. ℥iß.
Cum s.q. *syr. papav. simpl.* F. *Electuarium.*
D. S.
Electuarium pectorale.

Capiatur pro lubitu ad compescendam tussim ferinam.

Loco florum sulphuris communium quidam commendant *flores sulphuris saccharatos*. Modus præparandi est, ut sumantur

Flor. sulphuris comm. part. ij.
Sacchari part. j.
Capitis mortui vitrioli ad pondus omnium.

Sublimantur hæc invicem in flores sulphuris saccharatos: sed communibus multò deteriores & nullius usus sunt.

Quidam omnes tusses curavit per pomum excavatum melle rosaceo impletum, suprà prunas positum, & ita sub noctem devoratum. Sed tussis hæc ferina, modò præmissus fuerit vomitus, utplurimum spontè evanescere solet, tantillis temperatis postea assumtis.

In genere Tussis humida ferè ut asthma humidum curatur: Tussis autem sicca simili ferè ratione atque affectus catarrhales levatur.

Superest *Tussis* nervorum seu *convulsiva*, quæ curatur ut aliæ convulsiones epilepticæ, & imprimis præmissis universalibus per salia volatilia & succinata, quæ inter liquor cornu cervi succinatus est egregius: unde etiam Dn. Boyle in Philos. Experimentali in tussi quacunque, etiam inveterata, sola solet commendare salia volatilia, v.g. spiritum & sal urinæ, item spiritum cornu cervi, aut sal cornu cervi, tanquam singularissima & expertissima.

Not. VII. Cum fauces sint subindè læsæ, & lymphâ acriori plus minus excoriatæ, rubentes & quodammodo inflammatæ, ob id acrimoniam blandè temperantia & incrassantia dicta, item dulcia plus minus fauces lubricantia & lenientia, conveniunt. Hoc occasionem dedit errori, quasi talia in asperam arteriam penetrarent, & ita expectorationem promoverent, quod falsum; ne guttula enim transit in statu naturali. Sunt autem talia, passulata, succus glycyrrhizæ, syrupus violarum, rosarum, de jujubis, tussilaginis, scabiosæ, liquiritiæ: item syr. diacodii Montani cum syrupo scabiosæ mistus, & cum baculo liquiritiæ gustatus, subindè lambendo deglutitus: Olea sacchari, Linctus, Rotulæ supradictæ, & similia ex *remediis supra recensitis* parata:

℞. *Syr. diacod. Mont.* ℥vj.
Mell. passul. ℥ij.
Extract. liquirit. ℥j.

Diluan-

Diluantur cum pauca *aqua scabios.* in consistentiam *Loch*.

D. S.

Succus pectoralis contra tussim.

Vel interdum glycyrrhiza recens continuò maceratur; sic enim oblinuntur fauces & lubricantur.

Pertinet huc *liquor* seu *oleum sacchari*, ex saccharo & spiritu Vini, uti habet HARTMANNUS.

℞. *Spir. bacc. juniper.* vel hujus loco *Vini spiritus vulgaris*,
Olei destillat. bacc. juniper. an. ℥iv.
Sacch. alb. ℥ij.
Misceantur.

Incendatur spiritus, & remanet saccharum, quod vocatur oleum sacchari: cui adde parum extracti croci & usurpetur successivè lambendo.

Convenit maximè si tussis affligit ex squalore aëris sicci vel squalidi, & inde orta raucedine. Quidam laudant, si modò cohobetur spiritus vini, sed non magna est differentia. RIVERIUS facit oleum sacchari compositum, dum spiritum vini imprægnat appropriatis pectoralibus. Hoc oleum sacchari, ut obiter moneo, est quoque egregium vulnerarium, si extrinsecùs instilletur & applicetur. Loco hujus olei sacchari sunt, qui recipiunt ovum ad duritiem coctum, & exempto vitello albumen induratum saccharo replent, ita non-nihil perforant & in cellam suspendunt, & ita fit oleum sacchari, quod arbitror non esse inconveniens. RHUMELIUS *in Herm. pag.* 137. Saccharum Canarium laudat.

Potest etiam externè aliquid plantis pedum addi, scilicet ante lectum lucii piscis pinguedo, vini spiritus, spiritus menthæ, & similes.

Fit interdum, ut cum tussi conjuncta sit hæmoptysis seu sputum sanguinis: in tali casu FORESTUS commendat Syrupum myrtillorum *l.16. Obs.20. in Scholio*, imprimis si cum Decocto passularum, cum spica aromatisato, assumatur.

ARTICULUS IV.

DE CATARRHO SUFFOCATIVO.

Affectus ex hactenus dictis, nempe ex Asthmate, præsertim sicco, Tussi, & Raucedine complicatus, diversimodè tamen, ita ut nunc hoc, nunc illud symptoma observari videatur, isque vel subitò irruens, vel ex improviso exasperatus, nunc continuus, nunc remittens, & vel periodicè, vel incertis intervallis repetens, & quidem suffocationis periculū plus minus inferens, cum stertore, materiæ vel paucæ vel nullius rejectione, *Catarrhus Suffocativus* Germ. *ein Stock-fluss*, vulgò dicitur, adeò ut vulgus in genere quamcũq; respirationem subitò difficiliorem redditam & suffocationem minitantem, in specie si cum tussi conjuncta fuerit, nomine Catarrhi suffocativi appellare soleat; dicunt: *cecidit ipsi Catarrhus Suffocativus*. Hinc fit, ut Asthmata occulta interdum recurrentia, item Asthmata humorosa, imprimis vesperi graviter affligentia, sub hunc censum veniant & confundantur; item Tusses ferinæ, in specie nocturnæ, graviùs affligentes, imprimis cum excretione copiosiore facta conjunctæ, huc à quibusdam trahantur. Catarrhus tunc dicitur à præconcepta opinione, quasi subitò ex cerebro præsertim fluat humor serosus plus minus pituitosus, qui bronchia & pulmones replens suffocationis periculum intendat. Sed paucis rem explicat LINDANUS *in Colleg. manuscr. super* „ *Hartmann. Prax. Chymiatr.* dicendo: *Maxima de nihilo* „ *nascitur historia, nil obscurius hâc de Catarrho suffocativo* „ *doctrinâ: Nam ipsa Anatome eam ostendit falsissimam, &* „ *quomodo materia vel pituitosa vel serosa, à capite potiùs in* „ *pulmonem, per rimam asperæ arteriæ, & epiglottidem ob-* „ *stantem, transibit, quàm per œsophagum, &c.* Alii igitur verè cautiores per venas à capite deferri tales humores, hinc deponi in pulmones, replere hos & asperam arteriam, & suffocationem ita inferre putant. Sed ridiculas has de Catarrhis suffocativis hypotheses non solùm discutit & refutat HELMONTIUS *Tract. Catarrhi Deliramenta*, sed in specia hanc paradoxam de Catarrho suffocativo doctrinam exactè quoque rejicit VINCENTIUS BARONIUS *Tr. de Pleuropneumonia*; & videri potest SCHNEIDERUS *de Catarrh. l.5. cap.4. pag.276. & 296.*, qui primus exactiùs paulò de Catarrho suffocativo agere annisus est.

Ut suprà ergo monui, complicatus affectus est, qui vulgò suffocativi catarrhi nomine venit, circa quem moneo, varios Authores & Scriptores esse, & ingentem illorum confusionem. Aliqui enim sunt, qui confundunt triplices affectus, distinctos tamen toto cœlo, qui catarrhi suffocativi nomine veniunt apud Authores. Unde in vulgi judicio & præconceptis hypothesibus, per ignorantes Medicos confirmatis, hîc non inhærendum; Propterea triplicem catarrhi suffocativi putatitii, asthmati convulsivo contradistincti, differentiam facio, prout in Praxi observare eam mihi contigit.

I. Differentia prima est Catarrhus suffocativus ex pulmonibus affectis, ex hostili acido inspirato, vel intus genito, illis profundiùs se insinuante, irritatis, hinc proprias fibras fortiùs se stringentibus; unde Suffocationis imminet necessitas, non priùs cessans, donec lymphæ uberioris irrigatione irritans illud præternaturale, & ex eorum mutuo coalitu concretum mucosum factum, ablutum & abstersum fuerit, cujus expectoratione morbus solvitur. Remanet tamen subinde vestigium in illis fibris, ita ut levi occasione renovatum spasmum & spirituum occlusionem minentur.

Mulier quædã hoc Catarrho suffocativo laborabat: principiũ mali erat *frequẽs alaudarũ assatio*, quarũ sub assatione, & cum butyro irroratione, & undique pinguedinis in carbones destillatione, & hinc fumorum elevatione factum fuit, ut ipsa primò tussim aliqualem, sed siccam & profundam seu ex imo pectoris experta fuerit, quam aliquando ex improviso arctior pectoris & faucium angustatio, & post aliquos dies perfecta Orthopnœia secuta fuit, in quo statu continuò ultra octiduum videbatur suffocanda, ita ut leni auræ commotione aut januæ apertione mox suffocatio imminere videretur, donec successivâ expectoratione materiam glutinosam ac perquàm viscidam ejicere, tali rejectione successivè liberiùs respirare, & sic tandem ad sanitatem redire cœpit. Mansit tamen vestigium in pulmonibus impressum, ita, ut facilè à quavis causa angustiam pectoris sentiret.

Circa hujus affectus ætiologiam observandum:

I. Causam remotã esse acidum viscidum ex butyro, & alaudarum pinguedine incensa, exhalans, cum aëre inspiratum, asperæ arteriæ canalis & hinc pulmonibus undique inhærens.

II. Hoc irritavit inimicâ suâ præsentiâ, idque tam acrimoniâ, quàm adhæsione glutinosâ, tanquam fuligo camini, undique in pulmonum ductibus adhærens ad bronchia & pulmones, unde primò tussis, eaque sicca, hinc ex irritatione illa lymphæ uberior affluxus, ab utrisque gravior irritatio, unde superveniens continua fibrarum nervearum in pulmonibus strictura & coarctatio convulsiva.

III. Duravit hoc tamdiu, donec tam lymphæ, quàm nutrimenti proprii affluxu fuligo illa abstersa, resoluta, & ex utrisque successivè concretum novum, ob moram & exactam mistionem seu subactionem, spissum, candidum, glutinosum, &c. genitum fuerit.

IV. Hujus medio fuligo sublata, irritatio sedata, contractura pulmonum hinc remissior reddita fuit; unde liberaliori paulò aëris accessu & recessu materia ista sub paroxysmo genita, cum fuligine involuta, commota, protrusa, & sic per bronchia sursum ejecta fuit.

V. Mansit tamen vestigium ex pulmonum nutritione propria seu privata, plus minus læsa, adeòque contractâ, hinc pulmonum debilitate & fibrarum tali constitutione, quæ facilè in spasmos agi possit; unde vel leviori occasione externa pulmo irritari, fibræ contrahi, & hinc affectus pristini memoria revocari solet.

Pertinere huc videtur *Infantum* quorundam plus minus robustorum *Catarrhus suffocativus*, cum epilepsiæ metu junctus; dum v.g. simpliciter creberrimâ thoracis systole & diastole cum levi vel nulla tussi, continuò suffocari videntur; idque ipsum etiam evenit subinde ita, ut tali spasmodicâ affectione pulmones constringi & thorax coarctari ita videatur, ut & respiratio libera impediatur, & sanguinis per pulmones circulus impediatur: hinc facies eorum rubicunda esse solet, & præcedere talem affectum per aliquot dies vel raucedo levis vel tussicula: Conf. de tali infantum suffocatorio affectu HILDANUS *Centuriâ 3. Observ.10.*

Observat. 10. item SCHENCKIUS *in Observat. pag.* 149.

CURA.

Ut itaque talem affectum in adultis Opiata & Attemperantia, vulgò *Incrassantia* dicta, optimè levant, etiam paroxysmos; ita & talibus infantibus thoracica, item sperma ceti, &c. in vehiculo calido propinata, observantur proficua: cùm è contrà asthmata humida, item tusses humorales, præsertim ex stomacho in infantibus non rarę, imprimis per nicotianam, item per blanda emetica, curari debeant.

II. & III. *Differentia Catarrhi suffocativi reverà est Catarrhus suffocativus vitio laryngis:*

Laryngis nempe affectus ad bronchum pertinens; quando subitò respiratio difficilis redditur cum adjuncta sensili laryngis irritatione, *titillat mordet*, indeque superveniente tussi, eâque satis violentâ, cum exscreatu in principio pauco, in progressu & in fine copioso, semper tamen cum levamine. Quæ in principio paroxysmi ejiciŭtur, ferè sunt tenuia, pauca, & serosa, quæ in progressu paroxysmi fiŭt crassa, viscida & copiosa, quę dicuntur cocta; auditur interdum stertor & sonitus, interdum raucedo adest, aut præcedit, aut sequitur, vesperi & noctu plerumque affligit; dum enim dorso incumbunt patientes, exasperatur: præcedit interdum dolor capitis & partium colli vicinarum, semper juncta est titillatio laryngis, &c.

Ex dictis elicitur: Catarrhum hunc suffocativum, propriè loquendo, esse affectionem laryngis, in quo hæc & caput asperæ arteriæ, in specie epiglottis, afficitur primariò; hujus enim & Epiglottidis & laryngis irritatio, & hanc semper insequens pertinacior strictura seu clausura, omne id præstat, quod alias Catarrhus suffocativus dicitur; ita, ut catarrhi suffocativi Formale in arcta & stricta clausura laryngis, ob irritationem hujus, consistat. Jam verò, sive in ipsa larynge hæreat malum, & sic erit affectus simillimus broncho cum raucedine, sive suprà aut extrà laryngem, saltim in ambitu aut superficie epiglottidi incumbat causa peccans, eritque tunc Catarrhus suffocativus, qui pertinet ad catarrhum membranæ pituitariæ posterioris *Schneideri*. Declarabo ulterius: nempe notum est, si tantum aquæ aut cerevisiæ guttula aut mica saltim panis sub inspiratione laryngem ingreditur, quod hanc admodum sensilem irritando mox faciat ejus convulsionem seu pertinacem ab epiglottide occlusionem & suffocationem. Quanta enim respirationis difficultas, tussis, screatusque violentia, nisi impetuosior tussis mox insequens illata denuò eliminet? & quò diutius fit ista irritatio, eò plus pituitę, postmodum excernitur. Hæc symptomata, quæ superveniunt, exactissimè delineant catarrhum suffocativum vitio laryngis. Nam tunc talis micula panis laryngem irritat cum sensilitate, irritata convellitur, unde ex strictura difficilis respiratio & suffocatio, tandem supervenit screatus, qui non est exactè in larynge, nec est causa illarum angustiarum in larynge, sed mica: interim tamen est productum quasi morbosum; fit nempe de novo ex irritata larynge, ex lympha ulteriùs affluente ad locum affectum; Unde ex quacunque causa interna, si similis fiat in faucibus irritatio, tunc similis subitò imminebit tussis, strictura vel suffocatio, & similia pathemata.

CAUSÆ.

Causa ergo irritans, quæ infert hujusmodi subitaneum pathema, est respectu laryngis vel interna vel externa. Interna utplurimum est affectus seri vel lymphæ acrioris, nunc salsioris, nunc in specie acidioris, ad bronchum delatæ, & tunc titillatio adest ob acrimoniam lymphæ acidioris ad laryngis interiora latæ, quæ defertur ob læsionem a causa externa, ab inclementia aëris introducta, tuncq; pars læsa plorat copiosâ lympham, nunc salsâ, nunc acidâ; estq; sic Catarrhus suffocativus nihil aliud, quam quasi Raucedo subitanea; hinc irritatur larynx, stringitur epiglottis, unde metus suffocationis subitaneus Proinde autē talis raucedo fit interdŭ, singulis noctibus repetens: quale exemplum appositè huc facit, quod habet RIVERIUS *Cent.* 3. *Observat.* 25. Hæc nempe causa respectu laryngis externa, tale Catarrhum suffocativum inferens, est imprimis lympha viscidior, glutinosior & copiosior cujuscunque saporis, ex membrana pituitaria posteriore & inferiore ad fauces copiosius delata, & subitò invisçans quasi laryngem, & epiglottidis liberum motum impediens; unde mox suffocatio imminens, tussis, & copiosus materiæ viscidæ screatus cum sensu læsionis in faucibus: estque affectus reverà catarrhalis, nempe vitio membranæ pituitariæ posterioris, quem describit SCHNEIDERUS *lib.* 5. *de Catarrh. cap.* 2. *Sect.* 2., & ejusdem est naturæ cum asthmate humido, cum tussi chronica, imprimis stomachali. Exasperatur hic affectus subinde vesperi & noctu, & frequenter per se subitò ex pręgressa causa externa, imprimis ab aëre inclementiore aut maligno, aut variis effluviis spirituŭ acidorum mineralium impregnato, factâ alteratione, vel ex tussi diuturna & chronica oritur, uti patet in exemplo HILDANI *Cent.* 6. *Obs.* 8. ubi habetur talis Catarrhus suffocativus. Subolevit hoc PLATERUS, unde Catarrhum suffocativum angustiam intra fauces ait, & catarrhum non ad pulmones, sed ad fauces delabi animadvertit, *l.* 1. *Obs.* 185.

Est ergo Catarrhus hic suffocativus propriè dictus affectus, cognatus tussi ferinæ & raucedini graviori, indeque complicatus ex pluribus symptomatibus.

CURA.

Catarrhus suffocativus à causa externa curatur eodem modo ac raucedo recens seu tussis nocturna sicca, v.g. per vomitoria, & post per opiata ac similia alia temperata, Incrassantia dicta, i. e. lympham acrem, in specie acidam, temperantia; vel si minus in principio conveniunt Vomitoria, præmisso clysmate, per sudorifera blanda, lymphæ motŭ & materiam corrigentia, hinc per opiata irritationem faucium tollentia & sistentia. Incrassantia sunt passulæ, glycyrrhiza, tragacantha, gummi Arabicum, thus, jujubæ, syrupus de jujubis, violarum, papaveris, scabiosæ, liquiritiæ, &c.

℞. *Aqu. scabios.* ℥ij. (vel *Aqu. scabios. menth.* an. ℥ ß.)
Asthmat. Rudolph. (est vini spiritus composit. aromat.) ℥iij. vel ℥iv.
Syr. papav. simp. ℥ij.
Violar. ℥ß. ad ℥vj.
M. & cochleatim capiatur.
D. S.
Potio ad respirationem cochleatim sumenda.

℞. *Aqu. scabios.* ℥iij.
Asthmat. ℥vj.
Spirt. salis ammoniaci anisat. ℥j.
Syr. papav. alb. ℥j. vel hujus loco *diacod. Mont.* ℥ß.
D. S.
Ut ante.

℞. *Aqu Menth.*
Scabios.
Serpill. an. ℥j.
Asthmat. ℥vj.
Spir. salis ammoniaci anis. ℥ij.
Flor. sulphuris ℥ß.
Syr. diacod. Mont. ℥j.
M. D. S.
Potio Catarrhalis ad respirationem.

℞. *Essent. catarrhal.* ℥ij. vel ℥ ſ.
Spir. salis ammoniaci anis. ℥j.
M. S.
Essentia catarrhalis ad respirationem.

Si asperior fuerit Mistura propter spiritum salis ammoniaci, omitti potest.

Exempli loco sit puer 10. annorum, constitutione ferè asthmatica, facies naturali erat tumidior, dormiebat aperto ore & cum stertore, obnoxius subinde erat aliquali tonsillarum tumori. Hic vel ex simplici aëris frigidi nudo capite susceptione, vel ex refrigeratione extremorum post corporis motum & exercitium, proximè insequente aut certe alterâ in Catarrhum suffocativum dictum incidebat, ita, ut suffocandus omninò videretur, facies intumescebat, ex rubro cęrulescebat, tussis crebra, sed inanis, & sub qua nil, præterquā tenuis & pauca lympha evacuaretur. Interrogabatur: *quomodo ipsi esset* in paroxysmo? dicebat semper: *titillare ipsum in falsa gula*; nempe erat affectus laryngis, ex lympha acri vellicante natus, occasione causarum in motu debito impedita. Cum evanuisset paroxysmus, febris aliquot dierum lenta supererat, tussis frequens & pedetentim copiosi muci, crassi & viscidi, per aliquot immediatè insequentes dies excretio, & sic morbi solutio. Redibat tamen sæpiùs paroxysmus, idque speciatim hyberno vel verno tempore, rariùs æstate. In paroxysmo adstantes inungebant verticem balsamo succini, brachia fortioribus ligaturis constringebant. Præscribebam Mixturam sequentem, ut irritationis sensum & hinc laryngis contracturam sic lenirem: nempe

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. scabios.* ℥ij.
Asthmat. ℥ß.
Syr. diacod. Mont. ʒvj. ad ℥j.
M. D. S.
Potio pro respiratione.
Item
℞. *Aqu. scabios.* ℥iij.
Spiritus salis ammoniaci anis. ʒiß.
Syr. papav. alb. ʒvj.
M. f. *Potio* cochleatim sumenda.

Externè in regione laryngis, ubi patiens titillationis & constrictionis sensum percipiebat, cum linteis calidis applicari & sæpiùs reiterari jussi:

℞. *Aqu. Articul. ad extra* ℥ij.
Spir. cerasor. nig.
Lil. convall. an. ℥j.
Essent. opii ʒß. ad ℈ij.
Mista applicabantur.

Hisce brevior reddebatur paroxysmus. Finito verò paroxysmo præscripsi:

℞. *Aqu. scabios.*
Serpill. an. ℥iß.
Asthmat. ʒvj.
Flor. sulph. ℈ij. vel ʒß.
Syr. Asthmat.
Scabios.
Violar.
Papav. vel *de jujub.* an. ʒvj. ad ℥j.
Miscendo.

Potio, probè agitando, crebriùs hausta crebriorem tussim & materiæ copiosioris rejectionem prævenit, quatenus irritationis in larynge sensum & fluxionis causam removit, & acrimoniam lymphæ temperando, læsionem laryngis & hinc muci excretionem inhibuit.

Tandem ob crebriorem nimis recidivam in subjecto phlegmatico, seroso chylo abundante, inurebatur brachio sinistro fonticulus, unde nec crebri adeò nec adeò graves postmodum redierant paroxysmi. Circa annum decimum quartum denuò claudere cœpit fonticulum, cum spes esset, ex alteratione corporis, & notabili habitus ejus immutatione, etiam hunc affectum immutatum iri.

Si malum est à *causa externa*, curatur ut Asthma humorosum, vel Tussis chronica, imprimis stomachalis, nempe per vomitum, & deinde per attenuantia, & mucum viscidum incidentia, & consequenter insignem screatum & rejectionem causantia, vulgò *Expectorantia* dicta, v.g. succum raphani recentem, syrupum & aquam nicotianæ, quæ nobilissima, spiritum asthmaticum, oxymel squilliticum, radicem ari, gummi ammoniacum, in aceto solutum & cum aqua erysimi propinatum, aquam asthmaticam Rudolphi, spiritum asthmaticum Domini D. Michaëlis ex viride æris & gummi ammoniaco, & similia.

℞. *Aqu. Hyssopi,*
Menthæ,
Nicotianæ an. ℥j.
Asthmat. ʒvj.
Oxymel. squillit. ℥ß.
Spir. Nicotianæ ʒvj. ad ℥j.
M. f. *Potio.* S.
Potio resolvens pro respiratione.

Capiatur cochleatim.

Vel

℞. *Aqu. hyssopi,*
Scabios. an. ℥iß.
Asthmat. ʒvj.
Gumm. ammon. in acet. sol. ʒj.
Syr. scabios. ℥j.
M. D. S.
Potio resolvens pro respiratione.

Ex dictis patet: Opiata & his cognata anodyna, & hinc Attemperantia, aliàs *Incrassantia*, in paroxysmo & sistendo & præcavendo primatum obtinere, etiam ex vulgata aliqua hypothesi: Cùm enim non, nisi ex humoribus, motu & hinc loco peccantibus, oriri soleant pathemata talia, humores verò locali motu nullo ferantur in corpore, nisi beneficio spirituum animalium, mediantibus fibris illos moventium; à spiritibus autem præternaturaliter moveri non soleant, nisi hi promoveantur ab objecto molesto vel præternaturalis, hoc est, nisi pars quædam sensilis irritetur; manifestum evadit, quod ea, quæ irritationis sensum tollunt, & spirituum impetum sistunt, etiam præternaturales humorum motus refrænare, & partium inchoatos spasmos curare valeant: in quo puncto primatum ducunt anodyna, ut clarum est. Quid ergo clysteres prosunt, in talibus Catarrhis suffocativis suppositorius usitatissimi, iique acriores? Res clara est, quod nil valeant, per accidens saltem, primas vias evacuando, & sanguinis & abdominis viscera in motum concitando, & utroque modo pectoris angustiam nonnihil sublevando, saltem ex indirecto prodesse. Quid venæ sectio? ad quam, tanquam ad sacram anchoram mox confugiunt! Per se nihil prodest, nisi in graviori paroxysmo, & pulmonum reciproco motu plus nimius impedito; metus sit, ne gravior circa pulmones sanguinis stagnatio superveniat, pro liberiori sanguinis circulo conciliando hæc interdum instituenda veniat.

Ulteriùs capiti, nuchæ & vertici balsama, emplastra, cataplasmata, suspensoria dicta, ex mastiche, succino, tacamahaca, caranna, elemi & similibus aliis imponuntur: item ex fermento, ex ovis ad duritiem coctis, ac similibus, pro suspendendo catarrho descendente: Sed conatu sanè inani & ridiculo vexantur ægri sine fructu, cum in capite non sit mali radix. Item Vesicatoria cervici, scapulæ & similibus locis pro scopo diversorio applicantur malè itidem, nisi interdum per accidens, ubi asthmatis convulsivi quidpiam adest, in quo casu vesicatoria brachiis applicari possunt.

His IV. loco affectus peculiaris annumerandus venit, & qui modernis, antiquatam istam de seri catarrhalis ex capite defluxu sententiam recipientibus, Catarrhi suffocativi nomine venit estque ille Catarrhus suffocativus vitio sanguinis, de quo eruditè tractat VINCENTIUS BARONIUS *loco allegato*, & SCHNEIDERUS *lib. 5. de Catarrhis c. 4. ubi de Catarrho suffocativo*, qui omnes, & cum iis LINDANUS, rectè dicunt: Catarrhum subitò suffocantem, aut suffocationem minitantem, nil aliud esse, quàm sanguinis quacunq; ex ratione in pulmonibus stagnationem, seu quod oriatur ex impedito sanguinis in pulmonibus circulo; dum nempe sanguis copiosiùs ex dextro cordis ventriculo in pulmones effusus non promoveatur ulteriùs, sed in pulmonibus stagnet; quæ sanguinis stagnatio non tantùm est origo hujus affectus, sed peripneumoniæ pariter ac pleuritidis; unde etiam quidam *sanguinis ζάλην* appellant.

Sanguinis hæc ζάλη accidit tâ in Syncope Cardiaca, Veteribus dicto affectu, quàm in syncope ordinaria graviori, in qua tamen deficit movens spiritus. Plerumque ergo qui hanc syncopen cardiacam ignorant, ad Catarrhum imaginarium suffocativum delabuntur. De hac syncope cardiaca, Veteribus sic dicta, optimè in lectione illorum versatus CASPARUS HOFFMANNUS nonnulla refert in *Institut. Medic. lib. 3. cap. 50.*, esse eam, cùm, cerebro nihil passo, sanguis ad cor tam vehementer adfluit, ut omni spiritui via ad cerebrum intercludatur. Hinc, infert, non omnes, qui subitò moriuntur, apoplexiâ mori, & sæpè causam frustra ab anatomicis quæri in capite, cum sit in thorace! ita, ut hic Catarrhus suffocativus & syncope cardiaca sint unum idemque, oriantur ex sanguinis impedito motu circa cor in pulmones. Hinc ex his fundamentis SCHNEIDERUS *l. a. pag. 297.* definit Catarrhum suffocativum, quòd sit ille Catarrhus, in quo sanguis plerumque copiosus, tum de venæ cavæ trunco ascendente, tum maximè e ejusdem venæ cavæ trunco descendente in cor, & hinc in pulmones confertim & celeriter fluit, nec non & interdum in musculos thoracis. Quemadmodum enim in apoplexia imminente sanguis arteriarum, nempe carotidum, in cerebro; ita in imminente Catarrho suffocativo sanguis venarum in pulmonibus, tàm supernè, quàm infernè, cum impetu ac violentia movetur, ac ibidem subsistit. Conf. WEPFERUS *Tract. de loco affecto in Apoplexia pag. 163. & 202.* item SCHENCKIUS *in Observ. pag. 278.*, ubi prolixius disseritur de Syncope cardiaca, in qua concreto in venis sanguine ægri subitò moriuntur. Similes nempè, quoad externam faciem, affectus sunt Apoplexia & Catarrhus suffocativus, ita ut hi affectus subitò confundantur, aut etiam simul in ægris adsint. Nam ut in Catarrho suffocativo fit sanguinis stagnatio in pulmonibus; ita in iis similiter, qui Apoplexiâ moriuntur, tandem similis sanguinis in pulmonibus supervenit stagnatio. Hinc in Apoplexia mortuis vasa pulmonum distenta & rupta interdum, ex sanguinis impedito motu, in præcordiis reperiuntur, referente hoc non tantummodo FRACASSATO *in Epist. de Cerebro ad Malpighium*; sed etiam CORNELIUS CONSENTINUS *in Progymnasm.* inquit: quod ii, qui moriuntur Apoplexiâ, eodem modo intereant atque strangulati; quod admodum appositè dicitur. Nam in strangulatis laqueo injecto collo subitò perit sensus & motus, ex impedito sangui-

sanguinis in carne fides motu, & succedente respirationis abolitione. Ne autem confundamur, meritò adhuc urgeo ingentem hanc confusionem, quando quidam Catarrhum suffocativum à sanguinis stagnatione in pulmonibus, & Catarrhum suffocativum vitio laryngis, distinctos inter se affectus, confundunt, quod facit SCHNEIDERUS *l. c.*, ubi promiscuè allegat Authores, & promiscuum facit Chaos.

Est itaque Catarrhus talis affectus ad Peripneumonias suo modo accedens. Hujus exemplum videtur repræsentare mulier illa Catarrho suffocante interempta, quam refert PLATERUS *l. 1. pag. 187.* Cæterùm fit interdum, ut etiam in paroxysmo Catarrhi suffocativi cum tussi, copiosæ *materiæ viscidæ*, imò non rarò *spumosæ*, per os excretio contingat: Nam huc trahendus iste inter Authores maximè hinc inde ventilatus *Aphorismus* HIPPOCRATIS 43. *sect. 2.* Dicit enim hic: *Ex iis, qui strangulantur & submerguntur, nec tamen sunt mortui, non redeunt ad vitam, quibus spuma circa os apparet.* Hîc valdè digladiantur Authores, quid intelligatur per strangulationem? Optima est sententia eorum, quos inter est LINDANUS, qui dicunt: intelligi per hanc Catarrhum suffocativum; nam, uti dixi, in eodem apparet spuma, & non rarò ejicitur mucus & materia viscida.

Ἀπαγχόμενος nempe est Anginæ species, *Cynanche* dicta ab ulcere in interioribus laryngis, fauces occludente; unde *Anginosis spuma circa os apparens malum desperatum est*: sicut & CHISTOPHORUS à VEGA *l. 3. de Art. Med. cap. 8.* refert, duos viros sentinas & puteos cœnosos expurgantes, præ fœtore strangulatos spumam ex ore emisisse.

Mucus hic & materia viscida rejecta primò dedit occasionem impositiuæ scholarum, quod nempe talis mucus ac materia spumescens, per laryngem in pulmonem decidens, sit causa morbi, quod tamen falsissimum; cum potiùs sit productum morbosum, quàm causa affectus. Verùm ostendam originem illius ex duplici fonte: spuma illa copiosa, quæ taliter affectorum aut mortuorum ore effluit, omnis est ex pulmonibus, facta per agitationem ab aere inspirato; si enim acidus liquor in canis venam injiciatur, ejusmodi spumæ vel eadem symptomata sequuntur, atq; in ejusmodi suffocativis Catarrhis. Quod testatur exemplum canis, cui olim per chirurgiam infusoriam ℥i. olei seu spiritus sulphuris per campanam in aquam diluti fuit in venam cruralem infusa, unde canis post hujus injectionem per semihorulam & successivè admodum anxiè respirabat, sensimque difficiliùs, ita, ut tali Catarrho suffocativo tandem moreretur: antequam suffocaretur, & etiam post mortem copiosissima spuma ex ore & naribus effluxit; imò factâ apertione thoracis totum pulmonum parenchyma, omnia vasa asperæ arteriæ, totus ejus truncus, fauces, nares & guttur erant infarcta hac spumâ quasi viscidâ: bullæ extractæ & asservatæ in tabula tandem abierunt in liquorem rubicundum, serosum, lotoræ carnium similem. Factâ ulteriori inquisitione, pulmones erant repleti sanguine nigricante & crassiusculo, ita, ut hic canis exactissimè manifestarit Tragœdiam Catarrhi suffocativi, cujus rei habeo testes: Nam ab acido sulphuris coagulatus sanguis substitit, unde ab aëre violentiùs inspirato crebriori sui respiratione & sanguinis hîc factâ concussione, mutatus fuit in spumam, quæ replevit bas partes: vid. *D. sp. me. de Chirurg. Infusor.*

Spuma ergo in iis, qui laborant Catarrho suffocativo, & quæ tandem supervenit Apoplexiâ graviore affectis, etiam ex pulmonibus esse videtur; Mucus verò & materia viscida non sub forma Catarrhi à capite refluit, sed est ex larynge. Fit nempe spuma ex sanguine in pulmonum vasis stagnante, ab aere reciproco motu impetuosius hausto, crebriori respiratione non nihil rarefacto & attenuato, & ita in spumam resoluto; sicut cerevisia agitata in spumam abit: quâ ipsâ spumâ repleta aspera arteria malum potiùs exasperat, quàm levat. Ubi tale signum apparet, rectè signum lethale censetur, & rarò, si spuma illa adsit in Malis peracutis, evadunt; hinc rectè dicit HIPPOCRATES *in Aphor. allegato*: *Quibus strangulatis spuma circa os apparet, ii intereunt.*

Quod attinet mucum, qui in tali casu ejicitur, illum dixi ex larynge, & reverà nil aliud est, quàm lympha paulò viscidior, ex larynge tunc uberiùs emulcta, & in tantis angustiis mediante crebriori respiratione cum aere elevata. Nam larynx & aspera arteria interiùs membranâ obducta, ordinariò humectantur à glandulis, posteriùs cum cartilaginis copiosè hærentibus, quæ ordinariò transudant lympham tenuem, plus minùs acrem, plus minùs viscidam, in asperam arteriam, pro ejus & laryngis humectatione ad meliorem vocis formationem. Hinc quando in febribus ardentibus absumpta est ista lympha, vox fit rauca.

Stagnante ergo sanguine in pulmonibus & impedito nonnihil circa asperam arteriam, ex anxietate ægris copiosior lympha crassa & viscida eructatur in arteriam asperam, ejusque loca vicina, etiam per membranam pituitariam inferiorem emittitur, quæ est materia ipsius muci sub hoc affectu rejecti, & vulgò habetur pro pituita ex capite depluente.

Inter causas remotas, quæ tali stagnationi & coagulationi, aut uberiori influxui in præcordiis seu pulmonibus, hinc Catarrho suffocativo, occasionem suggerunt, à SCHNEIDERO *l. c.* allegantur variæ; præsertim aëris observandum vitium, ratione cujus & epidemicum ac malignum hunc Catarrhum interdum esse, pluribus deducit: Nec ultima est, quod post nimium exercitium aut motum concalefacto insigniter corpore, adeòque sanguine attenuato, subitò ingurgitatur haustus aquæ frigidæ, à qua repentinam incurrunt suffocationem: propterea quoniam in exercitio & motu sanguis attenuatus & rarefactus rapidè ac celeriter circulatur & æstuat; à subito verò aquæ frigidæ potu ingurgitato sanguis subitò ad sui coagulationem disponitur, hincque stagnando in pulmonibus & præcordiis facilè suffocationis periculum inferat: Id quod patet, quia à tali causa non rarò fiunt pleuritides, unde suffocationis periculum. Exemplum tale curiosum habuit aliquando Dn. D. MICHAELIS in Coquo, qui cum diutiùs ac vehementiùs circa focum & ignem incaluisset coquendo, à foco abscendens subitò copiosam & frigidissimam cerevisiam hausit, unde tantam spirituum angustiam, & in præsentaneum suffocationis periculum incidit ex coagulo sanguinis: Curavit tamen hunc coquum beneficio succi florum bellidis rubræ recenter expressi. Notum enim est, quod succus iste singularem vim habeat vulnerariam, ac imprimis sanguinem grumosum & ab acido coagulatum dissolvendi; unde etiam hic succus sanguinem ex potu frigidæ semicoagulatum, congrumatum, denuò resolvendo, suffocationis periculum removit: Conf. *Medicina Militaris* MINDERERI, in qua videbitis acetarium ex bellide, & ad hujus imitationem instituit Curam hanc D.ⁿ MICHAELIS; sicut flores bellidis aliàs nobiles sunt in pleuritide.

Faciunt huc varia exempla suffocationum talium similiter ortarum ab obstructione valvarum in pulmonibus, & impedito sanguinis motu per eos: quale imprimis est illud, quod habet MAUROCORDATUS *Tract. de Motu & Usu pulmonum cap. 40. pag. 88.*, ob calculum in arteria venosa enatum: sic polypus cordis seu excrescentia carnosa in sinistro ventriculo cordis nata, quatenus sanguinis motum per pulmones inhibet, suffocationem infert, de qua BARTHOLINUS *Centur. 2. Epist. 86. pag. 683.* RIVERIUS *Centur. 1. Observat. 82.* WILLISIUS *contra Highmorum pag. 15.* & MALPIGHIUS *de polypo Cordis*. Quo etiam facit cartilago venæ pulmonalis truncum occludens, qualem MAYOWIUS *de Pulsu Cordis* vidit.

Sed propinquiores causæ talis Catarrhi suffocativi sunt quadruplices:

I. Sanguis nimis abundans & turgescens, qui propter rarefactionem & uberiorem in pulmonibus majus spatium occupat, adeòque tardiùs circulatur, tandem verè stagnat.

II. Est sanguis paulò viscidior seu pituitosus, hoc est, chylo crudiori imprægnatus, ad motum tardior, adeòque stagnationi aptior: quò pertinet observatio RIVERII *Centur. 1. Observat. 82.* de suffocatione ex materia viscida pituitosa, in dextra cordis auricula reperta. Conferatur observatio parallela in MAYOWII *Tract. de Motu musculorum pag. 99.*

III. Obstructio valvarum in pulmonibus à calculis, &c.

IV. Est interdum sanguis ab acido vitioso aut aere nimis frigido post æstum subitò inspirato, aut denique quacunque aliâ ratione coagulatus & inspissatus, qui uti peripneumoniam & pleuritidem infert, ita, si quoque sanguis coagulatur, talem suffocationem infert.

Rectè namque dicit *Lindanus in Coll. in Pr. Chymiatr. Hartmanni*: *Nihil quicquam potest esse absurdius, quàm fingere*

gere tam repentinam deductionem viscidæ ac pituitosæ materiæ ex capite in asperam arteriam citra tussim, ac exindè suffocationem imminentem; quin potius per patulas vias in gulam ejus contingat excretio. Ergo vult, dictam suffocationem non esse à Catarrho, sed esse à stagnatione sanguinis. Quò pertinet Terror subitaneus, ex tali sanguinis stasi subitaneam suffocationem inferens. Pulsus hinc est deficiens, interdum parvus, celer & frequens.

DIAGNOSIS.

Catarrhus hic suffocativus in specie cognoscitur ex dolore pectoris gravativo, difficultate respirationis, voce ferè intercepta, periculo suffocationis, anxietate ægri, interdum tussi, non semper, & saltem, quando simul vasa laryngis lympham uberiùs effundunt, pulsu tardiore & rariore ex tarda circulatione sanguinis, & quodammodo formicante seu vermiculante; hinc qui catarrho tali suffocativo oppressus est, ægerrimè spirat, & anima cum spiritu fertur. Nonnunquam membrana pituitaria Schneidero dicta, quæ obducit subjecta corpora glandulosa, plures humores rejicit, quos screatu & sternutatione rejicere solemus.

Coincidunt ferè hæc ipsa cum apoplexiæ signis, nisi quod in hac suffocatione ægri ęgerrimè spirent; in apoplexia verò debiliori, abolitis tantùm actionibus animalibus cæteris, nihilominus plus minus respirant, arteriæ pulsant, utut pulsus sit durus, nec ea spirandi difficultate vexantur: in Apoplexia forti verò vix vitæ ullum manifestum adest indicium, neque deficientis aut exindè malè habentis respirationis adsunt signa; sicut & pulsus subindè frequens & vegetus percipi solet: in syncope verò communi pulsus est ferè nullus.

PROGNOSIS.

Quod *Prognosin*: res est clara, periculo esse plenissimum hunc affectum; strangulatio enim cum spuma maximè est infesta, uti dicit HIPPOCRATES. In morbis autem acutis omninò jugulat; propterea maturanda est Cura.

CURA.

Totus scopus in curando Catarrho suffocativo seu syncope cardiaca est, ut promoveatur sanguis stagnans per pulmones: id quod fit vel imminuendo ejus quantitatem, vel resolvendo remediis internis ejusdem coagulationem, & denique blando sudore eundem attenuando, & fluidiorem perficiendo, sicque liberiorem ipsi motum promovendo. Adeòque ex remediis primò se offert venæ sectio, in Catarrho suffocativo utplurimum necessaria, in brachio quantocyus instituta, & pro conditione subjecti satis larga: Nam occasio est præceps, & nil citiùs ac potentiùs sanguinis circularem motum immutare, eundemque accelerare, & stagnationem impedire potest, quàm hæc ipsa. Hinc etiam Cucurbitulæ cum scarificatione hinc inde affigendæ. Obiter moneo hîc, quod vulgò Clysteres infundi, sternutatoria & Gargarismata, item Bechica, Linctus adhiberi, Frictiones brachiorum & pedum, ligaturæ fortes &c. institui, atque Emplastra & Cataplasmata capiti, quoniam à pituita ex capite descendente ortum duxisse credunt, applicari solent; sed hæc certè, ut rectè dicit LINDANUS, sunt lusus sciolarum mulierum, anilia inventa ac inania omnia, à Medico rationali non imitanda; quia sæpè feliciter tunc moriuntur ægri: subindè tamē ante aut post venæ sectionē Clysma acrius pro eluenda alvo injectum, non est inconveniens. Vomitoria, quæ hic à quibusdam insigniter laudantur, pariter sunt inepta; ipseque dubitans RIVERIUS inquit: *In vehementi Catarrho vix confert Vomitorium*: Et FREITAGIUS in *Aurora Medicorum* dicit: *In Catarrho graviori esse periculosa vomitoria*. Adsunt quidem exempla feliciter propinatorum Vomitoriorum; verùm hîc subesse dicam impostur am: Nam copiosa materia viscida infert imposturam, ut habeantur talibus angustiis afflicti pro Catarrho suffocativo laborantibus; quin potius conveniunt saltim in Catarrho suffocativo ex vitio lymphæ, de quo supra, aut in Asthmate fortiori, facto ex stomacho, aut ubi suspicio simul est, mucilaginem viscidam subesse in stomacho, aut etiam hærere in pulmonibus, idque fovere malum, aut causæ remotæ instar esse; quali in casu propinatum vomitorium in forma liquida optimum & divinum est remedium. Jam verò cùm Asthma stomachale pro tali suffocatione habeatur, hinc factum est, quod dicuntur conferre vomitoria in Catarrho suffocativo. In sanguinis verò errato nihil juvat, quin potius administratâ venę sectione sanguis stagnans vel citò dissolvendus & attenuandus, vel blandâ diaphoresi in rapidiorem circulum cogendus. Interna remedia sunt aquæ Asthmaticæ ac pectorales dictæ spirituosæ, imprimis temperatis & anodynis mistæ mitioribus. Præ cæteris optimè hîc convenit sperma Ceti, dosi à ʒß. ad ʒj. in aqua hyssopi cum pauca aqua Asthmatica Rudolphi, vel cerevisia calida aut alio vehiculo calidè propinatum, quod in deplorato Catarrho suffocativo pro sanguine cogrumato denuò resolvendo fluxilemq; reddendo est nobile, & ab omnibus Medicis laudatum remediū, ad quod tanquam ad sacram anchoram confugiunt: vid. SCHENCKIUS, RANCHINUS, & SCHMUCK *Th. 1. secret. Med.* 15. Mirabilia enim facit, cum probè tectus sit æger: Etiam in Catarrho suffocativo infantum exquisitissimum remedium D. PETRI à CASTRO dicitur, ad pisi magnitudinem, vel anniculo ad ℈ß. in lacte materno dissolutum, propinatum; unde etiam est singulare Vulnerarium, ubi est sanguis coagulatus. Paucis nota est origo hujus spermatis ceti. Reverà autem est ex capite balænarum, non verò ipsum cerebrum, sed materia pinguis in capite balenæ contenta, quæ exindè desumpta per saccum setaceum trajicitur ob nimiam pinguedinem: materia restitans, per lixivium forte, ex calce viva cineribusque clavellatis paratum, depuratur. Formula potest præscribi talis:

℞. *Aqu. hyssop.* ℥j.
Sperm. ceti ʒß. ad ℈j.
Spr. de hyssop. ʒß. ad ʒvj.
M. D. S.

Dissolvens potio pro respiratione pro una vice.

Potio hæc propinetur pro una dosi, quæ admodum dissolvit sanguinem congrumatum.

Probè etiam convenit Mixtura ex lapillis cancrorum cum aceto destillato parata, expectando sudorem, quæ promovet liberum sanguinis circulum; item talia volatilia sanguinem resolventia & per sudorem blandum ventilantia, v. g. antimonium diaphoreticum cum sale volatili cornu cervi, sale volatili succini; vel spiritus cornu cervi essentificatus, item liquor cornu cervi succinatus à gutt. xx. ad xxx., qui est ęgregium sudoriferum, & in hoc casu admodum proficuum; Unde conducunt etiam remedia & Misturæ à SYLVIO præscriptæ *l.* 1. *Ideæ Prax. cap.* 20. §. 24. *pag.* 280. *seqq.* ubi de motu sanguinis per pulmones impedito: Quibus addantur cherefolium, scabiosa, bellis minor, veronica & similia: item omnia ferè vulneraria sunt egregia in hoc Catarrho suffocativo, propterea, quoniam instar alcalicorum solent absorbere acidum coagulans sanguinem: ac omnia remedia, quæ aliàs in casu ab alto usurpari solent, promovendo simul, quantum possibile, sudorem; quin &, ubi mucilago viscida hæret in stomacho, aut tussis & materiæ per laryngem transudantis superveniat rejectio decli nāre paroxysmo. Commodè etiam Expectorantia usurpari possunt, inter quæ Raphanus, & ex hoc expressus succus cum pauco saccharo, vel alia inde medicamenta parata, egregiè conveniunt in hoc casu. Multa sanè latent arcana sub hac plantula, utpotè cujus sal volatile est vulnerarium omnibus aliis præferendum. In ipsa quoque suffocatione est commendata.

Datur syrupus ab ℥ß. ad ℥j: sed legitimè sit præparatus, alias vomitus movet. In MELICHII *Dispensatorio pag.* 168. laudatur semen nasturtii. Radix ari, & succus ejus, sale volatili acri prægnans, insigniter convenit: Vel acetū, in quo macerata fuit, commendat Helmontius contra casum ab alto in congrumato sanguine resolvendo. Hinc simili ratione conveniet in Catarrho suffocativo, quoniam stagnantem sanguinem in præcordiis dissolvit. In vulgari usu sunt oxymel squilliticum, it. acetum squilliticum, quæ tamen minus sunt potentia: gummi ammoniacum itidem valde convenit, si dissolvatur in pauco aceti, & propinetur in aqua hyssopi: Unde spiritus gummi ammoniaci cum ærugine paratus etiam cæteris paribus est egregius. Mistura hunc in usum potest fieri talis:

℞. *Aqu. hyssopi*,
Scabios. an. ℥j.
Succi ari ʒß. vel *acet. infus. rad. ari* ʒvj.
Spir. gumm. ammon. cum viride æris ʒj.
Syrupi nicot. ℥j.
M. F. *Potio*, subindè cochleatim usurpanda.
D. S.
Potio resolvens.

ZECHIUS

ZECHIUS etiam in suis *Consult.* & MERCURIALIS commendat in Catarrho suffocativo gummi ammoniacum, si propinetur cum oxymelle simplici, idque feliciter, uti dicunt, cum successu. Nota est etiam Potio Brunneri ex gummi ammon. ad ʒj. in aqua hyssopi & vino Rhenano. His etiam aqua asthmatica Rudolphi, quæ est spirituosa, & in officinis prostat, permisceri potest. Hisce remediis commodè etiam adduntur ex Croco parata medicamenta: Nam crocus est egregius in Catarrho suffocativo, & FREITAGIUS *in Aurora Medic.* inquit, quod Orthopnœis infallibile remedium sit. Et certè, uti crocus est anima pulmonum, ita sanguinem fluxilem ac tenuem facit: ut taceam vires insigniter refectivas in Croco, &c.

SECTIO XV.

DE CHYLI IN SANGUINEM TRANSMUTATIONE, SANGUINISQUE FERMENTATIONE LÆSA.

Quod attinet chyli cum sanguine confusi decentem assimilationem: ex suprà dictis notum est, quod deferatur chylus in receptaculum commune, ut ex hoc in ductum thoracicum confusus cum sanguine in venis axillaribus sensim sensimque subigatur, & tandem successivè alteretur, ac vitali spiritu imprægnatus in sanguinem mutetur; quæ actio, speciatim sanguificatio, in pulmonibus inchoatur, & tandem per continuum motum, tàm progressivum, quàm localem, & agitationem cum massa sanguinea absolvitur. In hoc enim sanguificationis negotio cor, ipsique annexa vasa, se habent purè passivè, & locum saltem his liquoribus pro motu & transitu meliori concedunt; adeò, ut cor saltem antliæ munere in machina hac hydraulica fungatur. Sanguificatio siquidem non est actio organica, sed saltim similaris purè; adeòque, propriè loquendo, nullum corporis viscus organorum sanguificationis nomen merebitur; sed cor saltem vas erit aut officina, in qua talis insignior mutatio successivè peragi solet: uti CHARLETON *in Oeconomia Animali pag.* 51. & speciatim GLYSSONIUS *in Anatome Hepatis* habet.

Est enim reverà *Cor* nil aliud, quàm musculus compositus, ita quidem, ut sinister ventriculus propriè cor appellandus sit, cujus appendix est saltem dexter ventriculus, propter pulmones solummodò fabricatus, & instar mensuræ, quæ in certa quantitate sanguinē vehit, ut per pulmones fiat melior & commodior sanguinis propulsio, pro subeunda maximè necessaria ad vitam ab aere alteratione, antequam sinistrum cordis subeat ventriculum. De Structura & Fabrica cordis vid. elegans LOWERI *Tractatus de Corde*, *Schneiderus de Catarrhis*, & ECCLESIASTES *cap. ult. vers.* 6. *Antequam rumpatur fasciculus argenteus, & recurrat vitta aurea & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam* &c. SACHS a LOEWENHEIM vocavit circulum sanguinis *Oceanum Microcosmicum*, quia teste ECCLESIASTE p. 1. v. 11. 7. *uti omnes torrentes eunt ad mare, & mare non est repletum, ad locum, unde torrentes proficiscuntur, illuc ipsi revertuntur*: Ita etiam sanguis in corpore nostro.

Chyli in sanguinē transmutatio, & sanguinis spiritualescentia, vix aliter præterquam per fermentationis motum, mediante quo Chylus perfectè subigitur, & in naturam sanguinis mutatur, fieri videtur, ut dixi *in Institutionibus*, de quo consul. KERGERUS *Tract. de Fermentatione*, item DEUSINGIUS *Tract. de Nutrimenti animalium Generatione Cap. de Sanguificatione*. Saltim dubium est, a quo fermentatio hæc sanguinis fermentativa chyli primariò dependeat: an non pe oriatur à fermento quodam spirituoso salino-volatili, in sinistro cordis ventriculo radicaliter stabulante, chylum sanguini assimilante, & sanguinem in spiritum volatilitante? id quod asserit BACKIUS *Tract. de Corde*, HELMONTIUS hinc inde in suis *Scriptis*, in specie *Spiritus vitalis, Blas humanum*, *Sextuplex digestio*: quò etiam facit sententia CHARLETONIS, item GLYSSONII *locis supra citatis*: An verò sanguis ipse, prout in se principiis fermentativis, in specie salinis & oleosis volatilibus turget, & chylum permistum transmutare, & successivè sibi assimilare valeat? sicut hoc asserunt NEEDHAM *de Formato Fœtu cap. de Biolychnio*, LOWERUS *de Corde*, item suo modo SYLVIUS *in Dissertat. de Sanguificatione*, ubi ex bile ascendente ex hepate, & lympha acida descendente cum sanguine ex vena axillari, talem ex utrisque concursu effervescentiam oriri vult, à qua chyli in sanguinem transmutatio, & sanguinis vitalis calefactio primariò dependeat.

Pro decisione consideranda prima sanguinis generatio, quæ absolvitur à spiritu genitali maris cum spiritu genitali fœminæ in ovo junctis: qui uti totum ovum fœcundat, & in eodem generationem, & fermentationem partium quarumcunque absolvit per motum; ita ab hoc ipso spiritu, calore incubantis gallinæ adjuto, etiam sanguinē primò produci impossibile nō est: ita, ut hic spiritus, dum movet particulas minimas liquoris in puncto saliente, easdem successivo motu ita alterat, ut ex propriæ texturæ materialis aptitudine, spontè quasi in talem liquorem rubicundum abeant, qui postmodum novæ materiæ dispositæ appulsu, & repetito per cor aut ejus rudimentum transitu, ab isto spiritu vitali, ex dicta materia continuò se multiplicante, ulteriùs augmentetur; adeò, ut sanguis ipse, vitali spiritu & principiis fermentativis salinis impraegnatus, chylum in sanguinem mutet, qui in pulmonibus ab aëre inspirato attenuatur & volatilisatur, unde insigniter spiritualescit, & propter salino-sulphuream mixturam incalescit sanguis, & vitali quasi calore incenditur. Ob id enim toties per cor transit omnis sanguis, ut

1. Languidus & effœtus, spiritibusque depauperatus, in pulmonibus beneficio aëris inspirati denuò exsuscitetur.
2. Ob id chylus tàm longo tramite ex intestinis per ductum thoracicum ad claviculas usq; ascēdit, sanguini permiscendus, ut eò propiore viâ ad cor & pulmones deferatur.

Promovetur insigniter hæc sanguinis fermentatio, & consequenter chyli assimilatio ab aere in pulmones inspirato, cujus medio & attenuatur & volatilisatur, & propter sulphureo-salinam mixturam incalescit, ac quasi vitali calore accenditur. Chylus autem sanguini permistus confusus in subclaviis attenuatur, solvitur & subigitur, cumque eo ad cordis dextrum ventriculum defertur, ex quo in pulmones erumpit; ubi tota massa sanguinea, tàm ex sanguine, quàm chylo permisto constans, per hos tracta, ex inspirato aëre penetralia ejus subeunte, & mixti texturam salino-sulphuream dissolvente, insignē & maximè subitaneā alterationem subit, dum insigniter rarescit, indeq; intensiorem acquirit calorem, & ad volatilisationem ulteriorem insignem aptitudinem, simulque propter salia ipsius dissoluta & rarefacta in impetuosam abit fermentationem, sub qua particulæ massam sanguineā componentes, imprimis acidæ & urinosæ, in se invicem agere, mutuisque concursibus se subigere, & exindè cum particulis sulphureis unà permistis incalescere, & propter salium volatilium cum sulphureis texturam rubescere incipiunt; spiritus enim & salia volatilia, alcalia, si cum spiritibus sulphureis digerantur, tincturam suppeditant rubicundissimam: vid. DAVIDIS *Von der Becke Meditat. & experimenta circa Rerum Naturalium Principia*. Quæ ipsæ sanguinis in pulmonibus inchoatæ alterationes continuantur, donec ad sinistrum cordis ventriculum deferatur, exque eo per arteriam magnam in universum corpus, quamdiu nempe ab aëre suscepta alteratio persistit in eodem: Chylosæ verò portiones unà permistæ sub isto fermentationis motu & simili motu una subactæ & permistæ, pedetentim ita alterantur, ut tandem sanguini exactè assimilentur, promovente non leviter faciliorem assimilationem chyli cum sanguine, bile chylo in Intestinis permistā, ratione cujus sulphuris & faciliorem cum sanguine unionem, & faciliorem in tincturam rubeam exaltationem

rationem acquirit; pari modo, ac salia volatilia cum oleis destillatis dant colorem rubrum. Dum hæc ita fiunt in sanguine, partes ejus tenuiores ac subtiliores salino-volatiles oleosæ, ceu Quinta quædam Essentia, à crassioribus liberatæ compedibus se extricant, magisque adjumento aëris volatilisantur & attenuantur, ac ita in veros spiritus animales & vitales perficiuntur; adeò, ut illa inspiratio aëris sit causa, sine qua non potest fieri sanguificatio, ejusque spirituascentia.

Cæterùm chylus unico per pulmones & cor transitu in sanguinem abire nequit, ob brevem, quam ibi nectit, moram: hinc evenit, quod si cani saginato post 4. vel 5. à pastu horis sanguis detrahatur, hic refrigeratus chyli lactescentis ingentem copiam coagulo cruoris supernatantem exhibeat; si verò jejunum animal, aut plures horas impastum simili modo tractetur, nihil chyli in cruore apparebit, sed serum nudum aquosum, quod tamen coagulatum, dare solet gelatinam lacteam, nunc copiosam, nunc minùs copiosam, prout plus vel minus chyli in partium nutritione & sanguinis assimilatione fuerit absumptum: vid. LOWERUS *Tract. de Corde pag.*222. & 229. item *in Vindiciis Willisianis pag.* 44: id quod etiam facit spiritus nitri dicto sero instillatus. Pertinet huc gelatina illa albicans, quæ venæsectione emisso sanguini humano non rarò supernatat, & vulgò *pituita* vocari solet, reverà tamé chylus est nondú perfectè assimilatus; Unde etiam prostant tot Observationes sanguinis albi instar lactis ex vena secta emissi etiam in sanis hominibus, ob chylum scilicet nondum ritè assimilatum: vid. RHODIUS *Cent.*1. *Obs.*36. item *Cent.*3. *Obs.*32. BORELLUS *Cent.*1. *Obs.*75. SCHNEIDERUS *lib.*3. *de Catarrhis pag.*101. &c. Observavit etiam Dn. D. FRISIUS, sanguinem venæsectione emissum per 3. 4. vel 5. vel 6. dies nonnunquam coagulatum, in homine perquàm sano, nempè muliere. Pro vario ergo usu & habitudine sex rerum nonnaturalium, prout hæ ipsæ sanguinis fermentationem vel intensiorem vel remissiorem reddunt, ita etiam chyli sanguini assimilatio nunc celerior, nunc tardior erit. Lympha evaporata relinquit gelatinam chylosam. Massa ergo sanguinea per vasa rapta tàm chylo constat, quàm sanguine propriè sic dicto, adeòque ex chylo in se homogeneo & univoco univocâ fermentationis actione nil aliud, quàm univocus etiam sanguificationis generabitur liquor. Falsum ergo est, ex quatuor humoribus omninò inter se differentibus, quatuor Elementis, & quatuor Qualitatibus primis, quatuorq; temperamentis analogicis constare sanguinem: Nam & differentes istæ partes, in quas separatur massa sanguinea venæsectione emissa, post sui coagulationem, non actu insunt sanguini, sed partim ab alteratione per aërem inducta fiunt, (sal nitrosum aëreum sulphur sanguinis forsan præcipitat,) partim à sanguinis emissi corruptione & incipiente putredine: conf. LOWERUS *Tract. de Corde pag.*155. item HELMONTIUS *Tractatu Scholarum Humoristarum Decept. Cap.* 1. §.46. & 47. item FRACASSATUS *in Epistolis de Cerebro pag.*377. & 378. Vanæ ergo sunt omnes speciales ex sanguine emisso, prædictiones & judicia; Optimam autem utilitatem Tonsoribus & Medicis afferunt: vid. BRUNONIS *Notæ super Jessenii judicium de sanguine venæsectione emisso.* Sanguis enim in se licet homogeneus, & per totum similis, in unoquoque tamen homine peculiarem & singularem suam habet crasin, ex radicali ejus constitutione, & sub generationis primordiis mistione oriundam, a qua omnis temperamentorum, ut uocant, diversitas & idiosyncrasiæ quamplurimæ dependent; quæ sanguinis constitutio, & inde orta attributa in colore & consistentia unicuique propria, cum à nemine cognosci possit, sanè nec de sanguine venæsectione emisso, an multum, vel parum à statu naturali declinet, judicari potest; imprimis, cum brevi post ob corruptionem & putredinis notam extravasatus ei, qui in vasis adhuc fluctuat, omninò fiat dissimilis.

Chylus legitimè ac naturaliter constitutus totus abire in sanguinem aptus natus est in sanis: quod si verò hoc non contingat, sed vel proprio vel sanguinis vitio depravetur, partes ejus excrementitiæ per fermentationem separantur a partibus reliquis, & quasi præcipitantur, seroque imbibitæ & ab eo absorptæ partim per poros cutis, partim verò per urinarias vias secernuntur, quæ in sanorum urinis claris & optimè aliàs coloratis circa fundum subsidere solent. Præsupposito, fermentari continuò massam sanguineam, istâque fermentatione chylum successivè & repetitis multis circuitibus sanguificari, sanguificatio hæc, & ipsa etiam massæ sanguineæ fermentatio, duobus imprimis læditur modis: nempe vel vitio chyli, vel denique vitio ipsius sanguinis. Vitio chyli læditur, quando ineptus est, ut exindè fiat sanguis per assimilationem fermentativam: vitio verò sanguinis inepti, quatenus sibi laudabiliter non assimilat chylum.

Primaria, & ferè ordinaria causa quærenda est in chylo: hinc enim cacochylia est cacochymiæ mater. Chylus enim, ut ex eo fermentando fiat laudabilis sanguis, debet esse salino-volatilis subdulcis, & consistentiæ tenuioris lactis, seu potiùs seri lactis tenuioris, simulq; sulphure bilis rubineo sufficienter, licet insensibiliter propter admistum acidum, quod omnia reddit pallida, tinctus, ut hoc ipso sulphure faciliùs uniatur sanguini, & promptiùs incalescat: debet etiam chylus legitimus à scoriis fæculentis in intestinis esse separatus: conf. SYLVII *Praxis P.*1. *cap.*18. & 19.

His tribus ergo in specie fontibus chylus peccat, & ab istis Cacochylia dependet: nempe

1. Dum non sufficienter digeritur & attenuatur, nec debitè volatilisatur in stomacho.
2. Quando non ritè tingitur à bile, ejusque sulphure oleoso.
3. Quando non ritè secernitur à scoriis beneficio succorum, fellei & pancreatici. Hinc præter alia peccata in stomacho frequentissimum simulque gravissimum vitium chyli est, quando non ritè digerendo volatilisatur, sed est nimis fixus & viscidus, &, quod eo pejus, abit in cruditatem acidam; unde origo quamplurimorum morborum chronicorum ex stomacho: Nam tali chylo vitiatur massa sanguinea insigniter, imminuitur ejus fermentatio, & spirituascentia; deindè tali succo infarciuntur partes solidæ potius, quam reverâ nutriuntur.

Porrò cum insigniter varient & bilis & succus pancreaticus in sua crasi, facilè patet, variam etiam chyli in intestinis à fæcibus esse secretionem, nunc laudabiliorem, nunc pejorem; unde nunc vitiosus, nunc laudabilis massæ sanguineæ chylus transmittitur: *de quibus suprà.*

Hæ sunt causæ, quæ lædunt massam sanguineam vitio chyli.

Massæ sanguineæ vitio læditur sanguificatio, quando ipsa massa sanguinea deficit à naturali ac debita crasi seminali, unicuique individuo propria ac peculiari. Nam certum est, unumquemque hominem singularem ac sibi peculiarem obtinere massam sanguineam; quæ proprietas & singularis crasis ex particularum seu principiorum naturalium componentium varietate & crasi resultat: Unde tàm multæ syncrasiæ, idiosyncrasiæ & proprietates emanant. Dependet hæc crasis massæ sanguineæ formaliter, uti dixi, à particularum seu principiorum naturalium massam sanguineam componentium ad se invicem habitudine: radicaliter verò & effectivè dependet à parentibus, à quibus sub conceptione & prima corporis fermentatione, ratione spiritus genitalis, in fœtum transplantatur. Uti enim dispositio morbosa & crasis vitiosa communicatur à parentibus, ita simili ratione craseos naturalis fundamentum etiam ex semine ejusq; spiritu vitali petendum.

Hæc inter principia materialia, quæ componunt sanguinem, & ejus constituunt crasin, eminent particulæ salinæ, urinosum, & acidum volatile, intercedente sulphure seu oleo temperato invicem mistæ, à quibus continuo & nunquam interrupto, simul tamen blando fermentationis motu, sanguificationis fermentum, indeque ejus in spiritus transmutatio & chyli assimilatio dependet. Denique hoc pacto, beneficio fermentationis nempe, siquid est heterogeneum in tota massa sanguinea, excluditur & separatur, ut per convenientia cribra transcolatum ex corpore evacuetur. Vitiatâ ergo sanguinis crasi, & salium debitâ alteratâ proportione, vitiatur etiam & depravatur naturalis ac vitalis sanguinis fermentatio &c., vitiatur chyli assimilatio, ac denique vitiosi succi massam sanguineam inquinant. Fermentatio hæc læditur ac vitiatur multis modis, in genere nunc

1. Cum quodam excessu, vel periculosa quadam effervescentia: id quod deprehenditur in pulsu magno, celeri & frequente, cum insigni utplurimum corporis incalescentia & ardore, ut imprimis in morbis acutis aut febribus ardentibus, pleuritide & similibus obvium est: nunc
2. Vitiatur fermentatio massæ sanguineæ, cum quodam defectu, unde pulsus parvi, rari & tardi percipiuntur, corpori debitus deficit calor, totum corpus est torpidum & segne, & insignis spirituum percipitur defectus; id quod in chronicis morbis, cachexiis, & similibus apparet: nunc

3. Variis

3. Variis modis depravatur fermentatio, quare pulsus tantùm non in his mutatur, ut fit in scorbuto, malo hypochondriaco inveterato, paroxysmis febrium intermittentium, passionum hystericarum & similium; in quibus multiplices pulsuum inæqualitates percipiuntur.

Pro varietate ergò istarum in fermentatione massæ sanguineæ differentiarum quamplurimæ sensiles corporis mutationes oriri solent: unde corpus nunc calet, nunc friget, nunc pallet, nunc rubet; alvus nunc est clausa, nunc laxa; & similia symptomata, quæ hypochondriacos & scorbuticos in horas fatigant.

DIAGNOSIS.

Signa, quibus suo modò proximè cognoscitur fermentatio sanguinis læsa, sunt pulsus & urina; Ille statum sanguinis fermentantis, & exindè intra arterias ebullientis ostendit; de quo vid. SYLVIUS *lib.* 1. *Praxeos cap.* 26. Hæc verò statum sanguinis ex dicta fermentatione resultantis declarat. Fallit tamen utrumque interdum. Nam, ut taceam de febribus malignis, pulsus subindè mutatur ratione spirituum animalium cor moventium; hinc enim in animi affectibus insignis est pulsus mutatio, quatenus immediatè hærent in spiritibus animalibus: Simus ergo cauti, nè neglectis talibus fallamur. Urina verò fallit, quia duplex est: nempe urina potus, & sanguinis. Jam urina sanguinis licet monstret signa clara sanguinis, tamen ob admistam urinam potus minus alteratur; item propter admista varia, ex læsione partium urinariarum enata.

CAUSÆ.

Causa itaque, à quibus vitiatur hæc sanguinis fermentatio, sunt omnia ea, quæ efficiunt, ut salia ista, acidum & urinosum, debitam non observent armoniam vel proportionem, nec cum reliquis particulis texturam. Quomodo verò, & quibus modis sal volatile urinosum seu biliosum, acidum seu melancholicum, in corporis animalis succis, & hinc in sanguine alterentur & vitientur, suprà dictum est, ubi fundamenta generalia tradidi; item patent hinc inde in *lib.* 1. *Praxeos* SYLVII.

Inter causas verò, quæ salia afficiendo sanguinis crasin lædunt, eminent varia contagia, quæ ceu tot præternaturalia fermenta massam sanguineam inquinant, & imprimis omnia extrisecùs hauriuntur, sive immediatè cum aere inspirentur, sive mediante certo fomite corpori admoveantur. Miasmata enim fermentando massam sanguineam turbant, in eaque hoc modo se multiplicant; unde postmodum malorum contagia corpus affligunt, & se ulteriùs propagant. Si quid aliud, sanè contagia ex corpore morboso aut aëre hausta, massæ sanguineæ statum insigniter turbant: Quibus & viscerum, sanguinis depurationi aut perfectioni inservientium, labes ac neglecta officia accedunt. Ab omnibus his massæ sanguineæ textura ac crasis plus minus præternaturalis redditur, quia atteruntur salia, quæ exindè novos quasi sapores adsciscunt, & ita fermentationem turbant.

Quoad *Causas remotas*: Fermentatio sanguinis vitiatur, si præcesserint hæmorrhagiæ: unde non ritè peragi potest. Ex labefactatis etiam visceribus potest vitiari sanguis, quando illa se legitimè non habent, obstructiones ibi & schirrhi, aliaque mala adsunt; unde consequenter defectus fermentationis oriuntur.

Sanguine ergo his modis ita vitiato, aut vitiosis fermentis inquinato, adeòque salium debitâ proportione corruptâ, non tantum chylus perversè assimilatur; sed propterea quoque totum corpus ac quælibet ejus partes exindè plus minus inquinantur: qualis namque sanguis, talis etiam est totius corporis habitus vel status; qui sanguis tunc modò est calidior, modò frigidior. Exindè enim omnia ea fiunt, quæ de temperamento partium vitali earumque intemperie vulgò dici solent, ut illorum ratione hic ad hunc vel istum morbum inclinet: v.g. dum quidâ ratione temperaméti ad morbos melancholicos, chronicos; alius ratione temperaméti cholerici ad affectus acutos febriles dispositus dicitur. De his téperaméntis, quæ originem ex elementis deducunt, nihil dico: Nam temperaturæ & intemperiei fundamenta sufficienter sunt destructa; Quaternio nempe elementorum & caloris nativi monarchia. Quaternionem explosit BOYLE *in Tract. de Qualitatum Origine*; & Calidi nativi Monarchiam HELMONTIUS, qui evincit, quod scil. calor non effectivè, sed dispositivè tantùm cooperetur. Nam, quod propriè Temperamentum sit vitale, optimè explicat MARCUS MARCI *P.* 2. *Philos. vet. Rest. Sect.* 4. *pag.* 138., dum inquit: *Per Temperamentum non intelligi primas Qualitates, non harum symmetriam: Verum constitutionem cujusque radicalem, ex qua velut effectus procedunt dictæ Qualitates, cujus radicalis constitutionis potissima vis est in sanguine, qui est proximum subiectum animæ, ac primum vivens, cujus gratiâ corpus universum videtur factum, vitamque ex eo participare: Humidum verò radicale aut sanguis est, ut vult* HARVÆUS, *aut certè in eo radicatur, & corpus sanguine destitutum confestim friget, nihilque in eo manet de Temperamento.* Hactenus MARCUS MARCI.

Hæc ita se habere patet ex legibus circulationis sanguinis, & æquali etiam sanguinis distributione in partes proportionaliter facta, quæ omnia ex sanguinis crasi, & hinc dependente motu fermentativo, & inde oriundis proprietatibus variis, tàm sanguinis, quàm corporis, proximè deducéda sunt: quàm diu enim debita manet sanguinis crasis, & hic debita fermentatione incalescit, non potest non totum corpus, ejusque partes omnes æqualem & proportionatam habere temperaturam. Unde patet falsam esse istam *inæqualem temperiem calidâ hepatis & stomachi frigidam*, quâ uti nihil potuisset fingi insulsius, ita tamen in Practicorum & Consultationum libris nihil occurrit frequentiùs: quin tamen in tali utplurimum, si non semper, vitium est in stomacho. Sanè, dum sanguis nimiùm incalescit, v. g. ex motu, vel febre, &c. omnes partes intensiùs calent; dum is naturâ, vel senio, vel morbo, tepidior existit, similem temperiem vitalem, nempe influam, quælibet partes experiuntur. Tanquam paradoxon caliditatem sanguinis nimiam, acutis præsertim in morbis notabilem, consideremus, quæ quidem ex aucto motu fermentativo omninò derivanda venit, sed primariò ob acidum volatile, intensiùs cum alcali oleoso ebulliens, adeòque à bile naturaliter seu subjectivè, ab acido formaliter seu effectivè: dum verò minus fermentescit & est intemperies frigida, id fit ex abundantia acidi; idque eo magis, ubi chylus viscidus massam sanguineam imprægnat. Propterea & aromata, & similia calefacientia, salia volatilia oleosa, spir. vin., olea destillata, &c. calorem corporis accendunt non, nisi ratione volatilis acidi, communicabilis contentis corporis nostri, iisque assimilabilis; è contrà Acida mineralia calorem temperant & imminuunt, ac per consequens refrigerant; id quod figendo acido suo intensiore, nobis non communicabili, motum humorum & acidum volatile subjugando, præstant, unde cessante debito fermentativo motu, caloris remissio observatur. Sed eo ipso, quo nobis non assimilabilia, aut contentis communicabilia existunt, remedii, imò sub inconcinna dosi veneni, naturam assumunt, & hinc alterata in corpore nostro plus minus, per vias urinarias eliminantur. Hinc in quibus acidum fixius quasi, adeoque constitutivis nostris præternaturale, exsuperat, ut in Hypochondriacis, melancholicis, mensibus deficientibus, præsertim cum concursu pituitæ viscidæ, & defectu bilis acrioris, frigidiores observantur; adeòque volatile acidum spirituosum, contentis nostris commiscibile, & quod horum fermentativum motum promovere potest, quò plus activum existit, eò intensiùs calere corpus observatur: è contrà acidum fixius, quod subigit & figit illud sal volatile acidum, & ita contentorum fermentativû motum plus minus inhibet, frigoris & imminuti in sãguine caloris Author exstitit. Certè omnis rerum calor spontaneus ubique sequitur motum intestinum particularum minimarum formaliter, acidi verò agentis in terreum plùs minus alcalinum effectivè; in ipso igne adurendi vis ab acido reverà oritur: Calcis vivæ incalescentia ab acidi activitate dependet.

Hinc in omnibus morbis intemperiei calidæ mirè commendantur Acida volatilia, qualia sunt; succus citri, ribium & berberum, acetosæ, acetosellæ, & rubi Idæi; spiritus salis, nitri, vitrioli; hepaticum rubeum, & similia acida; propterea, quoniam acida præ cæteris corrigendo sal volatile oleosum, simulque massam sanguineam blandè condensando, effervescentiam nimiam inhibent; è contrà in intemperie frigida, ubi sanguis minùs fermentatur, commendantur aromatum salia volatilia oleosa, uti sunt omnia aromata, spiritus ardentes volatiles, extracta vegetabilium amaricantium, & quæ sunt similia alia.

CURA.

Quoad curam, quâ massa sanguinea, ejusque crasis læsa, & consequenter ejus fermentatio mutata, propter salia à naturali

naturali constitutione degenerantia, corrigatur aut emendetur, ea fit per remedia virtute salinâ operantia; in quo negotio imprimis observetur sapor specificus crasin sanguinis plus minus vitians, ut proximè per specificum remedium curari queat. His de remediis *suprà in generalibus*, ubi de dyscrasia sanguinis corrigenda egi, dictum est; & in specie conferri potest SYLVIUS *lib.1. Praxeos cap.18 19.25. & 26.*, qui meretur de hac materia ut legatur, modò corrigatur fundamentalis ejusdem hypothesis dubia, aut veriùs manifestò falsa, de motu bilis in sanguine sursum ad cor, & hujus alcalinæ cum occurrente lympha acidula effervescentia deleatur, & saltim illorum mutatorum aut alteratorum operationes chylo & sanguini plus minus immutatis applicentur, tunc egregium usum pro facilitanda Praxi habere possunt.

CAPUT I.

DE

FEBRIBUS IN GENERE.

AD vitia sanguificationis læsæ, ceu effectus ejusdem, pertinent suo modo febres quæcunque, quarum doctrina maximè necessaria, & tantum non fundamentalis; cùm nullus detur morbus ferè, qui non sit conjunctus cum febre, adeo, ut in proverbium abierit: *Vis sine febre mori?* Dicitur autem Febris à Februo, quod à Ferveo deducitur, vid. SENNERTUS *de febribus c.2.* German. dicitur *das Fieber*. Quò communior autem morbus, frequentiorque est febris, eò intricatiorem esse ejus Theoriam, & consequenter empiricam in plurimis esse Praxin, confirmat scriptorum Medicorum dissensus; ita, ut ne binos quidem exactè sibi consentientes in hoc puncto invenias, ut propterea ab alio in jisdem erudiri potiùs, quam sententiam meam proferre, aut alios informare vellem. In qua tamen doctrina pertractanda me ita geram, ut propter amplitudinem materiæ non teram tempus refutatione illorum, quæ Authores hinc inde dicunt; sed eâ, quâ fieri poterit, brevitate, seposito omnium partium studio, quæ nostra sunt, h. e. Practica, imprimis considerabimus, pro Theoria hypothesin eligendo talem, quæ mihi videtur probabilis, & Praxi faciliùs accommodari potest, adeòque præ cæteris Medico utilis existit. Quod si tamen quis alius menet ipso accuratiùs rem tetigit quoad Theoriâ & Praxin, ut SYLVII vestigiis insistatis, hortor. Ego reliquis ferè omnibus antepono vobisque commendo eum, qui certè solus & facilè & accuratè tractat Febrium doctrinam, & quæ dicit in Theoria, sunt talia, quibus Praxis facillima & quasi manualis & ocularis potest superstrui, ut ut in omnibus mihi non sufficiat: Videatur *ejus Praxis*, legique potest GRAFFIUS *de succo pancreatico*, ubi quædam habet ex hypothesibus Sylvianis de Febribus; item *privatum Collegium* SYLVII *excusum cum Tract. Hoffmanni de usu lienis* &c., quod quidem non vult pro suo cognoscere. Et verum est, nimis confusè tractantur omnia in illo; interim tamen plurima continet SYLVIO digna.

Definitur autem febris, quod sit actio fermentationis massæ sanguineæ depravata, in qua totius massæ sanguineæ crasis depravatur; unde toti corpori multa eveniunt incommoda. Dependet autem à fermento quodam naturalibus planè incongruo: Vid KERGERUS *de Fermentatione S. 3. cap. 3. pag. 332.*

Loco Generis posita est actio depravata fermentationis massæ sanguineæ, quo sensu febris non referéda inter symptomata; cui verò hoc genus displicuerit, ille definiat Febrim per morbum intemperiei. Nam quatenùs fermenta à naturalibus aliena subintrant in sanguinem, necessum est, ut hæc ipsa massa sanguinea etiam degeneret in alienam à naturali temperiem. Hinc pro diversitate fermenti febrilis varia etiam est massæ sanguineæ dyscrasia; Quare in immensum prolapsi sunt errorem Veteres, indifferenter definientes febrem per intemperiem calidam. Nam, utut verum sit, in multis febribus deprehendi calorem quendam excessivum, attamen experientiâ constat, sæpiùs contingere & febrim absque notabili calore, ut *infrà patebit*.

Inter omnia *concomitantia symptomata* immediatè, nullum magis universale existit, quàm *pulsus notabilis mutatio*. Et speciatim febrium præsentia ex nullo meliùs potest cognosci, quàm ex pulsu nimis frequenti præternaturali; febrim enim exactè monstrat, Dico autem, pulsum debere esse præternaturalé *frequentem*, nunc magis, nunc minùs, magis scilicet in paroxysmis intermittentis: habemus siquidem & pulsum nonnunquam frequentem in junioribus; sicut & præter, hunc, nonnunquam frequentem post usum vini generosioris, itemque post motum corporis & nimia exercitia observamus. Ubi verò citrà manifestam causam pulsus est nimis *frequens*, à causa interna præternaturali ortus, rectè signum febrium pathognomonicum quarumcunque statuitur, cui postmodum adjuncta symptomata varia certam Febrium speciem determinant. Hæc est sententia SYLVII, quam, licèt frustrà, reiicere conatur DEUSINGIUS, juratus *Sylvii* hostis, in *Tract. Disquisitio Anti-Sylviana de Signo febrium pathognomonico*, ubi manibus pedibusque vult refellere doctrinam SYLVII, sed frustrà laborat. Conferantur huc præter Praxin SYLVII *binæ* ejus *Dissertationes de Febribus*. Attamen in febribus malignis non video, quomodo negantem hanc sententiam Sylvianam SYLVIUS possit nominare hospitem in praxi; siquidem id ipsum quotidiè experimur, signum pathognomonicum esse, quod uni soli convenit morbo, quô positô, ponitur morbus. Accedit utplurimum *celeritas*, unde celerem pulsum ceu inseparabile cujusvis febris signum, & quod nunquam abesse potest, statuit PIENS *de Febribus P. 1. C. 2. pag. 12.* Communiter statuunt Authores, *calorem præternaturaliter auctum* esse *essentiam febrium*, earumque *signum proprium*, definientes eandem per calorem in corde accensum, & hinc in totum corpus per arterias diffusum. Verùm rectè hoc negat SYLVIUS, cum dicit: Calorem nimium nullo modo esse de formali ratione febris, quia nec soli, nec omni, nec semper febri conveniat.

Quatuor primaria in omnibus febribus observabilia sunt *symptomata*:

1. Mutatus pulsus.
2. Frigus, horror & rigor.
3. Calor seu æstus plùs minùs intensus.
4. Urina mutata, tàm secundùm liquorem, quàm secundùm contenta.

Quod attinet frigus & æstum: hæc non constituunt essentiam febris, sed ejus saltem su u producta, seu consequentia symptomata; ita, ut nunc conjunctim, nunc separatim, unum solitariè dominetur. Originem ducunt à duplice sale activo, acido nempe & urinoso, quæ fermentando & effervescendo intensiùs æstum inducunt, majorem vel minorem, prout oleosa magis seu pingus & volatilis massa sanguinea extiterit: e. g. spiritus vitrioli, si cum oleo terebinthinæ destillato misceatur, effervescentia fit intensissima cum ardore summo, propter sal volatile in oleo terebinthinæ concurrens cum acido vitrioli, uti exposui supra, ubi de Soda.

Æstus ergò omnis occasionaliter fit ab acido, sanguinis crasin immutante, & inde fermentativum ejus motum, hinc spirituum alterationem, & majorem incalescentiam & fervorem inducente; Cum ipsi spiritus, forsan certi volatilis ac subtilis acoris ratione, caloris sensum in animalibus undiq; diffundant, quod tamen ulteriori considerationi relinquo. Et quidem eæ febres, in quibus sanguis simul alteratur, & ad motum insigniorem fermentativum præternaturalem disponitur, intensiore æstu comitatæ esse solent; remissiore, quæ primariò ex spirituum alteratione accidunt.

Peccare autem in intensiore corporis æstu, adeoque in febribus, primariò acidum, probatur partim, partim illustratur sequentibus.

1. In vulneribus & ulceribus, & hinc dependentibus febribus symptomaticis, vinum & quælibet acida nocent; quia inflammationem in vulnere & æstum febrilem in corpore intendunt. Quæ omnia præservantur & curantur internè per lapillos cancrorum & similia, & per externa Saturnina, acidum imbibentia. Est enim Saturnus Chirurgorum Patronus, vulnerum & ulcerum pathemata ab acido enata curans; non secùs ac caput mortuum vitrioli vulnerum corruptionem tollit, ut loquitur HELMONTIUS, acidum imbibendo & corrigendo.
2. Pleuritides, Anginæ, & quælibet inflammationes Internæ, tàm in principio, quàm in progressu, ad suppurationem tendunt, febrim continuam acutam junctam habent, h. e. æstum continuum intensum. Jam verò morbi hi extra controversiam ab acido originem ducunt; hinc per acidum absorbentia remedia promptissimè curantur, v. g. dentem apri, maxillam lucii piscis, salia volatilia quælibet, stercus equinum, &c.
3. Erysipelaceæ aliæque sponte suâ, & à causa interna enatæ

enatæ inflammationes cum æstu & ardoris manifesto sensu, & non rarò gravi juncta febre cum externo ardoris & ruboris perquàm sensili indicio, ab acido originem ducunt; hinc præter interna modò dicta, similia externè conducunt, acidum istud absorbentia, v. g. creta, cerussa, antimonium, & epithemata Saturnina, lac virginis &c.: ablato per hæc in erysipelate acido, juncta febris pariter evanescit.

4. Intermittentes febres ex acida viscida stomachi cruditate originem obtinent: hinc alcalia etiam, tàm fixa, quàm volatilia, ut sal absinthii & spiritus salis ammoniaci, quàm Testacea, ut ostracoderma, & specificum febrile Crollii & Strobelbergeri, quæ illas curant, & paroxysmi fermentum acidum tollunt: in Quartanis speciatim Martialia & Saturnina, intensiùs acidum absorbendo, conveniunt.

5. Febres catarrhales dictæ à lymphæ acrimonia originem ducunt, quæ quò acidior fuerit, eò intensiorem cephalalgiam, firmam magis tussim, lancinationes artuum graviores, & speciatim intensiores æstuationes vespertinas & nocturnas & febriles infert: Unde & volatilibus, spiritu salis ammoniaci, imprimis anisato, liquore cornu cervi succinato, optimè curantur, acidam lympham corrigendo, item Opiatis vitiatum lymphæ motum suspendendo.

6. Variolæ, non secus ac morbilli, intensissimum æstum junctum habere solent, qui erumpentibus istis cessare consuevit. Acidum autem in variolis peccare, præter symptomata ab acidi acrimonia & erosione nata, v. g. suppuratio cutis, in foveas erosio, interdum ossium caries, pulmonum exulceratio; cum per absorbentia, per invertentia, salia volatilia, Tincturam Antimonii, &c. abunde confirmat.

7. Arthritis quælibet, præsertim vaga, & hinc etiam fixa, nisi hæc nimis inveterata fuerit, cum febrilibus symptomatis plùs minùs ingruit, & præter æstum, in vaga subindè admodum intensum, pulsum celerem & frequentem excitat; scilicet Acidum, uti in Arthritide dolores excitat, ita & æstum & ardorem infert febrilem; unde & acido devicto, dolores evanescunt, & ardores extinguuntur. Confer. TACHENIUS *Hippocrate Chym. Edit. 2. pag.* 417.

8. Febres istæ, quæ ex retropulsa vel scabie adultorum, vel achoribus infantum oriuntur continuæ, & subindè admodum periculosæ sunt, in infantibus etiam utplurimum cum diarrhœa junctæ, ab acido salso plùs minùs viscido originem habent, adeòque superiora confirmant.

9. Febris lenta quasi hectica, ex ulcere partis cujusdam internæ, speciatim pulmonis, nata, & à sanie purulenta originem habens, id confirmat. In sanie autem purulenta acre imprimis considerandum, & hoc urinosum, sed acido-salsum; hinc læsa sanguinis crasi vitiatur ejus fermentatio & æstuatio.

10. Infantes ferè tormina patiuntur ex acido lactis vitiato, cujus testes sunt excreta viridia, item semigrumosa: hæc si diutiùs durent, sequitur æstus febrilis totius corporis; interdum satis contumaces quoque itidem occasione acidi excitatæ superveniunt convulsiones: sed destructo acido in primis viis per absorbentia & volatilia, omnia ista cessant.

11. Urinæ videntur id illustrare. Hæ in febribus intensiùs tinctæ & perquàm rubræ observantur, & quò intensior vexat æstus ægros, eò magis flammeum & rutilantem contrahunt colorem, nisi turbentur. Declinante febre, ac defervescente æstu, naturali citrino colore denuò apparent. Intensiorem hunc colorem ab acido esse, mechanica Chymica docet, cum ab acidis instillatis, spiritu vitrioli, nitri, sulphuris, salis, etiam aceto, urinæ intensiùs rubescant, quæ ab alcali, oleo tartari per deliquium, lixivio cinerum clavellatorum, &c. aut nonnihil pallescunt, aut saltem nullam in calore mutationem patiuntur. Scorbuticorum urinæ subindè intensissimè tinctæ sunt absque febrili æstu, ab acido saltim luxuriante, urinam ita alterante.

12. Symptomata, quæ à vini abusu, v. g. Rhenani, accidunt, ex acido tartareo volatili imprimis originem ducunt: v. g. orexis, æstus corporis, cephalalgia, pulsus febrilis, &c. similia ferè symptomata febrium: hinc spiritus salis ammoniaci, vel pulveres præcipitantes, os sepiæ, vel lac ipsum ista compescit.

13. Æstuationes vagæ & phlogoses, quæ hypochondriacos sæpiùs affligunt, ex effervescentia in primis viis, ab acido primariò excitata, originem ducunt: Hinc Præcipitantibus dictis, coralliis, ebore, alcalibus fixis, &c. ferè cicurantur, & correcto acido emendantur.

14. Similia observare possumus in soda seu ardore stomachi; æstus ille ardorque unde, nisi ab acido? hinc acido hoc Præcipitantibus correcto, soda etiam evanescit.

15. Considerationem etiam meretur, quod TACHENIUS *in Hippocrate Chym. cap.* 18. remedia Vegetabilia calida, acido prædominante; frigida verò alcali superante dari asserit. Sanè calida omnia, resinosam substantiam obtinent, eamque acrem, in qua vis calefactoria residet, adeòque oleosa substantia ab acido concentrato gaudet. Hinc resinosa vel liquefacta in oleo, vel destillatione resoluta in spiritum ardentem, intensè calefaciunt. Porrò oleum destillatum cornu cervi aut terebinthinæ, in forma propria assumpta, calidissima sunt; per digestionem verò cum alcali fixo in sal volatile mutantur, quod macrum (purum) nec oleosum, nulla caloris vestigia exhibet, calido i. e. pingui acido in sale fixo remanente. Sanè sæpiùs observavi in febribus intermittentibus æstum & ardorem ex usu spiritus salis ammoniaci simplicis, ante paroxysmum exhibiti, multum remisisse.

16. Illustrat negotium nonnihil, quod ardoris iste sensus, qui post combustionem ab ignitis subjectis remanet, sit ab acidi spiculis, in parte læsa relictis. Unde per Saturnina, per alcali animalium, sperma ranarum, urinam humanam, spiritum salis ammoniaci, &c. promptum levamen & refrigerium.

17. Videtur ergò æstus oriri occasionaliter ex acido præternaturali, volatili tamen, seu tali, quod sanguini commiscibile nonnihil naturalem ejus fermentationem turbare, & cum particulis alcalinis & oleosis præternaturalem quasi effervescentiam constituere possit. Sub qua & ipsi spiritus geniti acriores quasi, hincque calidiores & fervidiores existunt, à quibus cum sanguine per universum corpus ex præcordiis calor diffunditur.

18. Equidem plures *ex bile ardoris rationem*, tàm naturalis, quam præternaturalis febrilis, derivare amant. Sed (1) an bile oriatur ardor iste? dubium est. (2) Posito, ex bile cum oriri; quæritur, quâ ratione fiat? an magis ab ejus oleo, in recessu acido volatili impræ-gnatò, an verò ab alcali (siquidem id extra artis opem bilis formaliter possidet) ejus origo sit? Unde (3) in febribus intermittentibus, quæ quasi tot continuæ sunt, quot paroxysmos habent, amara, resinosa, bili magis analoga, & hinc alcalia volatilia tàm proficua sunt.

Observetur autem hìc *caloris duplex* in Febribus *differentia*:

1. Est vel humidus vel siccus.
2. Est vel mitis vel acris.

Humidus seu *vaporosus* aliàs dictus semper melior est sicco. Oritur à juncta copiosa transpiratione, quæ ferè præsupponit cutem mollem, & cujus fibræ minus sunt tensæ, & ostendit talem febrilem in sanguine commotionem, quâ copiosè secedant, & mediante sero emittantur particulæ heterogeneæ separatæ seu coctæ.

Contrarium fit in *sicco calore*, quo cutis arida & quasi squalida deprehenditur, ac inordinatam particularum in sanguine fermentationem, & insignem confusionem spirituum, præsertim animalium, præternaturali impetu fibras plus minus stringente, innuit. *Mitis calor*, vel acris seu mordax, crasin sanguinis & spirituum sequitur, qui minùs acrioribus particulis salinis, præsertim acidis effervescentibus turgidus, mitiorem; sin copiosioribus aut acrioribus iisdem fit impraegnatus, acrem, ad tactum mordacem, tanquam si igneæ particulæ tactui se insinuarent, calorem repræsentat.

Frigus, horror & rigor, non nisi gradualiter differunt. Frigus quod attinet: non rarum est, quod febricitantes conquerantur de frigore, & multò magis de horrore, utut ab alio calidi observentur; aut licet extremæ manus partes, pedes & nasus, frigus actuale contrahant, item pallescant, ac ungues livescant, corpus tamen ipsum calidum plùs minùs observatur: nempè membranosarum saltem partium pathemata hæc ista sunt, quæ ab acido febrili vellicata motus convulsivos patiuntur. Unde pro horum graduali differentia, si leviores sunt, & vix tali appellatione digni, in quibus saltem

saltem fit cutis anserina, frigoris sensu interdum imponunt ægro; si graviores sint, ita, ut sensibili convulsione quatiantur membra, & per consensum simul nonnihil afficiantur musculi, *Rigor* existit; medio modo si se habeat, *horror* dicitur. Sanè interdum tàm gravis est rigoris insultus, & tanta convulsiva membrorum extremorum & totius corporis conquassatio, ut epilepticis similes concutiantur. Frigus hoc oritur ab acido, dum acidum, quamdiù suo modo præponderat, coagulando sanguinem, & ejus motum quodammodo sistendo, & quidem primariò vellicando partes nerveas membranosas corporis nostri, in specie circa præcordia, horum spasmos & convulsivam vibrationem inducit, quæ sub forma frigoris, item horroris percipitur, ut in Quartanis.

Afficiuntur autem sub hoc rigore qualescunque sensiles membranæ, non panniculus saltem carnosus, quæ plurimorum est opinio, sed etiam aliæ quævis membranæ, tàm abdominis quàm viscerum interiorum, ventriculi nempè, intestinorum, mesenterii &c., & aliæ quævis. Cùm enim sentiendi vi polleant exquisitâ, si ab acri, in specie ab acido, irritentur, rigores fiunt. Nam, quod obiter insinuo, omnes membranæ conspirant & consensum fovent, quatenus oriuntur ex membranis cerebri, unde & omnes cum cerebri membranis consentiunt; si nempe una illarum convulsivi quid patiatur, totum nervosum genus in consensum trahitur: de quo membranarum consensu vid. *Anonymus in Tractatu Anatomiæ Cerebri Willisianæ annexo*. Hinc in colicis doloribus rigores frequenter accidunt. Abscessus itidem quilibet interni, dum rumpuntur, & ita membranas, quæ eas ambiunt, perfodiunt, Rigores superveniunt. De hoc vid. pluribus tractans PIENS *Tractat. de Febribus Part.1. cap.7. pag. 254. & sequen.* Sanè rigores & horrores, qui intermittentium inchoant paroxysmos, non nisi ex præcordiis seu partibus membranosis in primis viis affectis excitantur, ut rectè docet FERNELIUS *Pathol. lib.4. cap.10. pag. 248.*; quod etiam de iis asserendum, qui in principio febrium continuarum contingunt. Illi verò, qui in continuarum febrium cursu, tàm benignarum, quàm malignarum, accidunt, & præsertim circa statum morbi affligunt, ex irritatis & hinc quassatis partibus membraneis externis, interdum & subcutaneis, ferè contingunt, & in febribus benignis sudoris, præsertim critici, prænuncii sunt; in malignis verò excretionis intercutaneæ, purpuræ, pustularum & similium sunt indices.

Ex dictis patet: attendendam esse naturam, & efficaciam salium, eorumque mutuum consensum fermentativum, & effervescentiam, cùm ex hac salium activitate & mutua actione, utut instrumentaliter, tota febrium Theoria & Praxis deducenda sit: Conf. nobilem POTERII *Encheiresin lib.1. de Febr. cap.23. pag.29.*, ubi salia allegat in massa sanguinea reperibilia, quæ confusa insignem effervescentiam concipiunt.

Non ergò est de essentia Febrium Calor, sed *tantummodo symptoma consequens* ut plurimum febrium: sicuti hoc urget HELMONTIUS *§.4. cap.1. Tractat. de Febribus*; Ubi producit castrenses Febres, quæ citra sitim, & manifestum calorem accidere, i. e. quæ ab initio, ad finem vitæ quoque, absque *calore suam peragere tragœdiam*: sicut & in principio continuarum febrium & paroxysmorum intermittentium horror & frigus invadat ægros, nullo præeunte calore. (2) Nec convenit soli febri calor, cùm aliàs etiam multis in affectibus intendatur calor, utut non semper adsit febris: quin & dantur febres malignæ, in quibus nil minùs quam calor est molestus, cum pulsu ut plurimum frequenti & debili, parvo & tardo; quæ tamen sunt omnium pessimæ & lethales: contra notum est in febribus intermittentibus, calorem & frigus promiscuè apparere solere. (3) Nec omni convenit febri calor, quia dantur etiam febres planè frigidæ, quæ frigore & rigore plùs minùs molestæ sunt absque æstuatione superveniente. Paradoxon hoc videbitur multis; exempla tamen aliquot videb. in Sylvii Disquisit. 9. de Febribus §. 13. pag. 167., quod nempè observati sint ægri, & suo & adstantium consensu febricitantes, utut ipsis nihil unquam caloris, neque ante neque post paroxysmum, accesserit, frustra se opponente DEUSINGIO *in Disquisit. Anti-Sylvian: §.52.* Conf. de tali febre frigida BARTHOLINUS *Centur. 3. Epist. 293. 296. 302.* KERGERUS *de Fermentatione Sect. 3. pag. 229.* & HELMONTIUS *loco jam citato*. Nec rarum est, febres intermittentes diuturnas solo frigore, & aliquali rigore status temporibus invadere, sine eo, ut nullum vel levissimum vestigium æstus superveniat. Quinimò in lectione veterum subindè etiam exempla prostant observatarum febrium frigidarum, non tantum in HIPPOCRATE, sed etiam AVICENNA, qui AVICENNAS affirmat, dari febres frigidas absque calore; loca AVICENNÆ & HIPPOCRATIS allegata prostant in ROLFINCIO *de Methodo curandi & recognoscendi Febres in genere cap.13. pag.636.757.* Et ipse etiam GALENUS jam suo tempore observavit horrores & rigores febriles absque ullo subsequente calore, uti videbitis allegatum *in Observationibus* SCHENCKII *lib.6. Observ. de Febribus pag.636. & 757.* in specie, aliisque Practicis; quinimò similia exempla in Praxi quotidiè occurrunt. Exemplum febris talis frigidæ & mihi aliquando contigit observare mense Aprili hujus Anni in viro scorbutico, quales sunt utplurimum nostri febricitantes, quod exemplum pro meliore fide huc lubet adducere.

Erat hîc Artifex, qui laborabat perfectâ tertianâ, seu recurrebat febris tertiâ quoque die, anticipando semper duabus horis cum nullo subsequente calore. Quoad constitutionem subjecti, patiens erat insignis scorbuticus: paroxysmus ingruebat maximo cum rigore, & gravissimo horrore, ultra horam integram durabat, postmodum, cùm deberet succedere calor, nullus omninò apparebat, quin loco caloris atrocissimi dolores totum corpus omnesque artus cruciabant, in specie regionem dorsi lumbarem, in & circa centrum mesenterii, & femora. Cum his doloribus sensim solvebatur paroxysmus citra omnem calorem & ardorem; circa cujus finem subindè materia viridissima, teterrimi tamen & amaricantis saporis vomitu ejiciebatur. Urina erat insigniter turbida, pallida & crassa, cum copioso sedimento, simulque arenulis, seu potiùs salibus scorbuticis, matulæ affixis: Paroxysmi observabant ordinarium typum. Vocatus egò, cùm jam ab uxore purgatus esset, curavi eundem attemperando acidum (de rationibus plura, ubi de intermittente Tertiana:) v. g.

℞. *Tartari vitriolati* gr.xv.
Lapill. canc. gr.xij.
M. f. *pulvis:*

Propinabatur ante paroxysmum, qui tunc erat quartus.

Post hoc remedium & frigus & dolores insigniter remiserunt, & quidem blando sudore subsequente, absque tamen insigni incalescentia corporis, potiùs erat sudor subfrigidus: Post paroxysmum & sudorem vomitus ordinarius sequebatur. Die intermissionis propter radicem scorbuticam præscriptum est:

℞. *Spir. sal. ammon.* ʒij.
Cochlear. ʒj.
Misc.

Hujus misturæ recipiebat 30. 40. vel 50. guttas bis in die intermissionis, manè & vesperi, semper bihorium ante pastum, & die sequenti paroxysmi tantundem bihorium ante paroxysmum, in liquore tepido. Poroxysmus subsequens idem habebat frigus ingens absque calore: sed dolores insigniter remittebant. Die ergò intermissionis continuavit dictum spiritum: tertio paroxysmo, ad quem vocatus, præscripsi:

℞. *Salis absinth.* ℈j.
Lap. cancr. prap. ℈ß.
M. S.
Mixtum sal febrile.

Assumebat per bihorium ante paroxysmum, & sic paroxysmus non amplius rediit.

Die intermissionis continuavit denuò misturam spiritus salis ammoniaci, & cùm adhùc semel pro meliore sanitatis confirmatione salis absinthii cum lapillis cancrorum tempore paroxysmi sumpsisset, ulteriùs non apparuit febris, sicque æger convaluit. Certum ergò est dari febres frigidas; utut hoc multis videatur paradoxon. Et verè etiam similes febres absque calore infestas videbitis in ZACUTO LUSITANO *lib. 4. Medicor. Princ. Histor.1.* & etiam *lib. 3. Prax. Histor. Observat. 121.* Pulsus autem mutatus sequitur naturaliter, quando vel spiritum animalem cor moventem, vel auctam sanguinis in præcordiis turgescentiam & fermentationem, occasione cujus cor nonnihil irritatum spirituum provocat motum, hinc sæpiùs vel frequentiùs se contrahit,

trahit, & ita pulsum frequentiorem facit; hinc etiam ex fermentatione præternaturali sanguinis irritatum cor dat pulsum frequentiorem, qui innuit febrem. Ex irritatione igitur frequentia & celeritas; ex impetu spirituum vehementia, ex sanguine irritante plùs minùs turgescente magnitudo: de quibus infrà suo loco. Vehemens pulsus semper bonus æstimandus, quia robur spirituum moventium ostendit, licet etiam nonnunquam ex irritatione sanguinis & spirituum fiat, connantium expellere, quod noxium est, ut initio dolorum, & in conflictu critico, ut loquitur POTERIUS *lib. 1. cap. 47. de Febribus*.

Oritur ergò, seu potius consistit febris formaliter in fermentatione sanguinis præternaturali, eaque insigniter depravata, seu, ut alii loquuntur, disproportionata, subindè simul insigniter aucta, adeòque interdum ejus quasi effervescentia, cujus occasione & alterantur spiritus, & rarefacti magis impetuosiores & intensiùs incalescentes redduntur; inducta à fermento peregrino, nunc sanguinem, nunc spiritus, nunc utrumque immediatè afficiente, quò depuretur massa sanguinea, aut separetur, quod ipse hostile & præternaturale existit. Id quod confirmant omnia circa febres observabilia, in specie pulsus, æstus, diarrhœæ in iis frequentes, non nisi per auctum massæ sanguineæ motum explicabilia. Uti enim sanguis naturali fermentatione volatilisatur in spiritus, & restauratur assimilando chylum, & depuratur per fermentationem, scorias excrementitias per urinas ablegando; ità, ubi vitiosè fermentatur, ibi præter naturam ebullit, ac effervescit, ut indè motus insignis arteriarum observetur, & crebro pulsu præsens est febris.

Omnis igitur febris est motus naturæ, seu, ut aliàs dicunt, quædam ejus lucta, quæ spirituum plùs minùs alteratorum ope id, quod hostile, seu inimicum œconomiæ animali existit, eliminare satigit.

Pro hujus fermentationis præternaturalis varia ratione variæ febrium differentiæ, variaque iis adjuncta symptomata reverà oriuntur. Quod consistat febris in tali sanguinis præternaturali fermentatione, conferatur præter SYLVIUM WILLISIVS *de Febribus*, item KERGERUS *Tractat. de Fermentatione sect. ine 3. cap. 3. pag* 238., item CÆSAR MAGATUS *in considerationibus Medicis Quæstione 1. pag*. 27., item ZIEGLERUS *Tractatu de Fermentatione*, & SCHOCKIUS *in suo Tractatu de Fermentatione cap*. 25., qui negat quidem febrem esse fermentationem, sed effervescentiam: Verùm vos non terreat SCHOCKIUS, potiùs criticum agens quàm Medicum, adeòque contendit magis satisfacere Philosophis, quàm Medicis. Sed hæc obiter.

Quod autem febris essentia reverà consistat in tali præternaturali sanguinis fermentatione, multa confirmant quotidie circa Febres observabilia. Et quidem

1. Ex abusu fructuum recentium horæorum facilè oriuntur febres propter insignem horum fermentescibilitatem, & intermittentes simplices fiunt duplicatæ; hinc etiam nonnunquam diarrhœas & dysenterias inducunt: imò liberatus aliquis à febribus, si fructibus horæis, aut eorum embammatis ex eorum succis paratis, aut potulentis facilè fermentescibilibus, nimis delectetur, facilè pati solet recidivas; unde & scorbutici ex esu prunorum, vel succis crudis expressis simplicium antiscorbuticorum nasturtii, aut cochleariæ utentes, propter horum fermentationem febres intermittentes incurrunt.
2. Hinc est, quod prohibita transpiratio introducat febres, quia poris clausis vitiosa salia coërcentur, ut nequeant exhalare. Nam id, quod aliàs transpirat, ubi supprimitur, necessariò regurgitat in massam sanguineam, quæ exindè ad turgescentiam usque infarcta talem fermentationem & effervescentiam concipit, tandem in febrem ardentem erumpit. Nam hoc certum est ex SANCTORIO, quod uno die naturali seu 24. horarum spatio plus expiremus insensibiliter, quàm 15. dierum spatio per alvum deponamus, aut per urinas reddamus.
3. Plures febres oriuntur ex contagiis extrinsecùs inspiratis. Nemo verò naturam contagiorum meliùs poterit explicare, quàm is, qui naturam fermenti & fermentationis in contagiis concipit. Dum enim istæ febres, quæ fovent contagium multiplicativum, suam vim obtinent beneficio fermentationis, facilè apparet, quod febres productæ in simili fermentatione consistant. Vid. KERGERUS, qui satis est elegans, utut Theoria adhuc sit manca. Nam in fermentatione respiciendum ad salia, urinosum seu acidum & alcali, sine quibus non satis potest explicari.
4. Veterum putredo, quam tanquam causam febrilem in febribus hinc putridis dictis adducunt (vid. SENNERTUS *cap. 2. de Febribus*) non potest concipi, nisi cum WILLISIO, SYLVIO, cœterisque innumeris recentioribus per fermentationem massæ sanguineæ explicetur.

Facilè nobiscum potest conciliari POTERIUS, qui præ reliquis Veteribus *lib. 1. de Febribus cap*. 23. febrium essentiam satis concinnè exposuit, ubi asserit: *esse in massa sanguinea subacidam speciem salis cujusdam cum dulcedine quadam*; & *aliam* tandem *amaram: quæ subsistunt: ambæ actu sint frigidæ, & tactu nihil quicquam caloris percipi sinant. At ubi in tertio vase permiscentur, tantus caloris & fervoris excitatur gradus, ut vas nullo modo manibus contineri possit. Sed, quod majus adhuc est, ex utroque rumorem & fragorem exoriri tantum, ut nihil magis, quàm bellum, cogitari possit. In hoc conflictu vapor quidam teter ab utroque spirat, non sine graveolentia quadam &c.* Quatenus igitur per putredinem subintelligitur motus quidam intestinus fermentativus, dependens à reactione salium diversorum seu contrariorum, facilè poterimus conspirare cum Veteribus: quatenus verò per putredinem subintelligitur motus quasi planè destructivus, in quo partes contrariæ in tantum concitantur, ut corporis pristini structura penitus invertatur, uti loco exempli in scenam HELMONTIUS producit gangrenam, eatenus secedimus a Veteribus. Rectè de ea asserit HELMONTIUS §. 32. *cap. 2. de Febribus*: omne putridum esse mortuum; cruorem autem atrum, lividum, viridem, non testari sui corruptionem seu putredinem, sed solius effervescentiæ aut turbulentiæ fermentalis signa præbere: quandiu enim corporis partes viventes sunt, putredo propriè dicta locum nullum habere potest. Hinc v.g. SENNERTUS *l. 4.* utut statuat & explicet adhuc febres putridas per putredinem; tamen in earum explicatione hinc inde Fermentationis, Ebullitionis, & Effervescentiæ vocabulo utitur, quæ cum putredine confundit: imò, ubi graviores controversiæ dirimendæ sunt, semper ad effervescentiam, turgescentiam & ebullitionem confugit, ut hic quasi per transennam viderit, quod jam dictum est. Conf. etiam PIENS *de Febribus pag*. 236. *Par*. 1. Rem exponit simili maximè accommodato, seu adæquato prælaudatus HELMONTIUS, desumpto de vino turbato, dum vitis floret; non enim corrumpitur ideò, quippe sublato turbine, reclarescit spontè: vid. §. 28. *cap. cit.*

Urinas quod attinet: tinctura harum intensior ab acido prædominante, & hinc cæteras particulas magis concentrante, originem ducere suprà insinuatum fuit, ubi de Ardoribus: & ab hoc acido plùs minus exaltato aut enervato & saturato etiam coctionis & cruditatis materiæ morbificæ in sanguine ratio, ac in urina signa dependent; de quibus *infrà*, *ubi de signis*.

PARS AFFECTA.

Subjectum febris primarium, seu *Pars affecta* omnis febris, non sunt vasa majora & minora, non cor, non aliud quoddam viscus, sed omnes febres sunt in massa sanguinea & spiritibus insitis, qui vitiosâ massæ sanguineæ tàm fermentatione, & nunc majori vel minori ebullitione, quàm circulatione alterati, omnia illa pathemata inferunt, quibus Febricitantes corripiuntur: vid. HELMONTIUS §. 19. *cap. 1. de Febribus*, qui etiam §. 18. hoc illustrat exemplo suo, desumpto a spina quernа digito infixa. *Sanguinem affectum*, præter alterationem pulsus suprà notatam, & sudor, sine quo nulla febris perfectè judicata seu curata dici potest, & coctio ac cruditas materiæ in sanguine contentæ, perque urinam manifestatæ, & icterus febribus facilè superveniens, & alteratio insignis sanguinis, quæ post absolutas febres observatur, eò major, quò diuturnior febris extiterit, dum indolem acidam exindè acquirere rectè dicitur à MAJOW *Tract. de corde pag*. 159., confirmat: unde etiam ex urina & pulsibus tam elegantia in febribus benignis habemus signa, diagnostica & prognostica, quatenus scilicet hæc immediatè sanguinis fermentationem, & inde peculiarem ejus statum ostendunt, quod fieri non potest, nisi

nisi in febribus simul massa sanguinea affecta fuerit. *Spiritus* verò *influus* simul laborare, confirmat opii usus, qui spirituum sedando impetum, intermittentium paroxysmos nunc penitus sistit, nunc saltem postponere notabiliter, & minùs hinc affligere facit. Tandem, quod pariter in continuis obtinet, quorum ferociam & mitigare, interdum penitus extinguere notatum: vid. BARTHOLINUS *Cent.1. Hist.84.* Utut autem palliativum saltem sit remedium subindè, eò ipsò tamen, quo insigniter febres mitigari ac mutari ejusdem usu, spiritus saltem alterando & effervescendo observatur, & spiritus simul affici in febribus manifestum evadit. Ad hæc, qui gravibus, etiam sanissimi, corripiuntur undecunque natis doloribus, aut diutiùs perseverantibus, febrilia exactè patiuntur symptomata, qualia in continuis mitioribus contingere solent doloris occasione, in motum nimium adactis & inde alteratis in suis proprietatibus spiritibus influis, à quibus solis tunc febris dependet. Nec obstat, ephemeram aut synocham sine putredine vocari tales febres; eò ipsò enim, quo ephemeras tales unius seu plurium dierum à spiritibus affectis, & undecunque alteratis, unicè dependere concedimus, spiritus in febribus aliis quoque multò magis affici, negari non potest. *Id quod magis confirmant maligniores*, spiritus magis quàm sanguinem alterantes, quæ tunc etiam, ubi urinæ sanorum similes existunt, nec adeò insignis, pro ratione scilicet pessimè habentis ægri, à statu naturali in pulsu mutatio observatur, adeòque sanguis minus alteratus notatur, tamen ægros facillimè trucidare solent, spirituum magis affectorum causâ. *Imaginatio* tandem, quantum in conciliranda febre valeat, cùm meticulositate aut horrore ægri, sanus sibi facilè similem febrem contrahit, aut dum ludicris & ridiculis amuletis intermittentes subindè fugantur, ex sola imaginatione spiritus saltem afficiente, per se notissimum est.

Ex dictis hactenus patet, nec calorem nec frigus esse de essentia febrium, aut rationem earundem formalem constituere; sed saltem esse symptomata febri supervenientia, non secus ac sitis ac cephalalgia easdem comitari solet. Idem autem est calor in statu sanitatis temperatus, qui in febribus nimis corpus calefacit; idem efficiens; idem fiendi modus; idem subjectum recipiens, saltem in gradu majore omnia. Patet etiam: *non cor*, aliamve partem quandam solidam esse subjectum febrium primarium, nec vasa, aut majora aut minora, sed sanguis & spiritus. Non ego nego interim, dum massam sanguineam & spiritus pro subiecto habeo, quin alia quædam pars seu quoddam viscus possit esse focus febrilis, in quo hæreat ac latitet causa febrilis; sic enim certum est, focum febrium omnium intermittentium, imprimis quartanæ, ubi nascitur fermentum febrile, esse stomachum: sic viscera exulcerata fomitem continent febrium hecticarum: sic quoque in febribus symptomaticis ulcerum & vulnerum, utut immediatè afficiant sanguinem, focum tamen habent in parte ulcerata vel vulnerata.

Non confundantur tamen focus morbosus cum receptaculo producti morbosi; sic enim chronicis febribus subindè superveniunt tumores, v.g. Quartanis diuturnis lienis tumor supervenire solet. Interim universalis est morbus febris, cùm sanguinis & spirituum ratione totum corpus affligat necessariò, adeòque ratione partium solidarum ita denominatur, quas tamen nunc æqualiter nunc inæqualiter affligit. Hoc fit ratione circumstantiarum accidentalium, prout fermentum febrile, aut corporis humores sub febrili motu plùs minùs alterati, aut etiam producta humorum morbosa, &c. aptiora sunt, ut unam, vel alteram partem magis vel minus afficiant. Ipsæ etiam partes solidæ, vel connato vel acquisito ex vitio, quò imprimis partium robur inæquale pertinet, magis vel minus dispositæ sunt ad suscipiendam ex causis prædictis alterationem seu immutationem; pro talium enim circumstantiarum ratione accidentales istæ febrium differentiæ, continuarum quidem in Pemphigodem, Efferoden, Eloden, intermittentium verò in tussiculosam, deliram, asthmaticam, &c. oriuntur. Forsan etiam & huc referenda venit & febris illa continua, in qua lateris sinistri totius æstus, & dextri frigus; vid. BARTHOLINI *Acta Med. Hafnienf. Vol.2. pag.137.* item febris ista bracchii dextri particularis quotidiana in M. A. N. C. *Ann.3. Obs.205. pag.381.*

DIFFERENTIA.

Quoad *Differentias febrium* reales:

I. Febris, ratione considerationis causæ, & inde acquisiti moris, est vel *benigna* vel *maligna*: *Maligna* febris est, quæ patientem invadit cum summa virium prostratione, neque adeò est diuturna, utplurimum etiam desinit cum excretione aliqua notabili: *Benigna* contrario se habet modo. Febris est vel *contagiosa*, vel *non contagiosa*; quæ per se patent.

II. Febris ratione temporis vel durationis, & modi afflictionis, est uel *continua*, quæ sine intermissione & continuo cursu pergere solet; vel *intermittens*, quæ certa habet intervalla, in quibus patientibus quies conceditur.

Febris continua ratione generationis est vel *primaria*, vel *secundaria*: Hæc vel *comitata*, vel *symptomatica*. *Primaria* est vel *continens*, *synocha* dicta, quæ, nullo stato excandescentiæ ordine, ab initio ad finem sine ulla remissione perseverat; vel *continua* plùs minùs periodica, *Synochus* dicta, quæ nunquam quidem intermittit, attamen certo tempore excandescentiam habet sensibilem: Eadem continua, ratione cursus seu motus febrilis, est vel *Acuta* vel *Lenta*.

Febris *Intermittens* subdividitur in

1. *Quotidianam*.
2. *Tertianam*.
3. *Quartanam*, tanquam species frequentissimas.


Quotidiana est, cujus accessio qualibet die reddite solet. Tertiana est, quæ tertio die redit; de qua notetur cautela WILLISII *cap.4. de Febribus*, quod aliquando hujus paroxysmi sint diuturniores, ad 24. ferè horas protracti, simulque accessiones suas præoccupantes, unde apyrexiæ spatium sæpè nychthemeri unius est. Quartana est, quæ extenditur in quartum diem, seu in qua apyrexia est bidua.

Præterea etiam observatæ sunt aliæ species febrium intermittentium rariores: sic v. g. observavit *Quintanas* TULPIUS *l.3. cap.52.*, sic HIPPOCRATES *l.1. Sect.3. Text.11.* meminit *Quintanæ, Septanæ, Nonanæ*, &c. *Octanam* in quodam sene observavit FRANCISCUS VALESIUS *cap. Controverf. Medicor. & Philos.* Plures videbitis raras & vix credendas febrium species in SCHENCKIO *lib.6.*

Deinceps ulteriùs *febris intermittens* juxta BARBETTUM & alios est vel *simplex* vel *duplex*: *Tertiana simplex* est, quæ singulis diebus ternis saltem redit: *Tertiana duplex* est, quarum una primo die incipit & tertio redit; altera verò secundo incipit, & quarto redit. Tanta tamen varietas in unaquaque febrium classe subindè observabilis est, ut certis eam classibus includere impossibile sit.

Quæstio est: quid sit censendum de febrium Divisionibus Veterum, qui eas diviserunt in Synochum simplicem & putridam? quarum illa credita est saltem inhabitare spiritibus; hæc verò ipsis humoribus. Ideò brevibus ex præmissis Synochum simplicem seu febrim hærentem in solis spiritibus, planè non dari, facilè probari & evinci potest. Nam motum aliquem in sanguine puro (excipio febres malignas & contagiosas, in quibus sanguine existente puro spiritus animales à miasmate maligno afficiuntur & alterantur) excitatum à motu aliquo nimio, non dico dignum nomine morbi, uti præmonitum. Jam verò si per synochum simplicem Veteres non intellexerunt motus tales, profectò non video, quid habuerint, quod febrem vocitarent non-putridam. Nam, uti superiùs demonstratum est de causis, reliquæ febres omnes dependent à certo aliquo fermento: ubi itaque fermentum fermentans, ibi etiam necessariò fermentatio, quæ concurrit cum Veterum putredine.

Febris omnis in motu spirituum influorum præternaturali, & hinc contentorum pariter commotione nimia (tàm locali, quàm intestino seu fermentativo) consistens distinguitur.



III.
Ratione motus seu cursus morbi, & hunc insequentis durationis Febres sunt vel

- Acutæ: v.g. Malignæ; Continuæ sanguineæ omnes tàm ardentes seu solitariæ, quàm comitatæ cum inflammatione partis sensilioris: item Symptomaticæ tales; Tertianæ intermittentes legitimæ; Lymphaticæ quædam: sed rariùs sunt hæ adeò acutæ.
- Lentæ: Hectica quælibet, tàm primaria seu per se incipiens, quàm secundaria seu symptomatica: item quælibet aliæ (præter supra insinuatas) Symptomaticæ, Lymphaticæ catarrhales, Tertianæ nothæ, Quotidianæ continuæ, quæ ferè sunt Lymphaticæ; Quartanæ quælibet, Intermittentes erraticæ. Plures huc pertinent, quæ à quibusdam malè ad Hecticas referuntur, si in strictiori sensu hoc nomen accipere velimus. Quò pertinent istæ, quæ in cachecticis, item virginibus chlorosi laborantibus observantur: vid. Sennertus de Febribus pag. 149. & 207.

IV.
Ratione permutationis, Febris

1. Maligna tandem fit Benigna: & contrà Benignæ facilè degenerant in Malignas; primariò quidem Continuæ, rariùs Intermittentes.
2. Continua fit Intermittens & contrà: ut Causus, Tertiana; & contrà.
3. Continua solitaria fit comitata, & contrà: si Ardenti synocho supervenit inflammatio hepatis; aut si pleuritis evanescat, superstite solâ febre.
4. Continua fit Symptomatica, tàm benigna, quàm maligna: v.g. si per metastasin materiæ superveniant tumores, & hinc abscessus & ulcera.
5. Comitata fit Symptomatica: v.g. essentialis cum pleuritide, hac non benè curatâ, ex relicta spina sæpè fit recidivans symptomatica: item eadem febris ob inflammationem suppurantem, item ob insequens empyema, fit Symptomatica.
6. Intermittens unius speciei in aliam degenerat: v.g. Tertianæ in Quartanas, & contrà.
7. Simplex fit composita, & contrà; Tertiana intermittens simplex fit multiplex; Continua ardens fit periodica Tertiana continua; quælibet humoralis malè tractata fit Symptomatica in phthisi.
8. Acuta fit lenta; v.g. Continua fixioribus malè curata fit Lenta.

V.
Ratione Ideæ morbi Febris est vel

- Analoga seu conveniens, ratione mutationis, motus, symptomatum & proprietatum, sibi ipsi: v.g. Tertiana Intermittens rigore, ardore, sudore, &c. paroxysmum absolvit &c. Tales ferè sunt omnes legitimæ: item simplices, item compositæ ejusdem speciei, sed separatæ: item compositæ plurium specierum per se consideratæ, nisi aliud quid adveniat.
- Anomala: v.g. dum sudor paroxysmum Intermittentis præcedit, vel dum affligunt Intermittentes sine rigore, aut quædam sine æstu, &c., tales verò sunt nothæ; item compositæ diversarum specierum; item ejusdem speciei, sed implicitæ.

VI.
Ratione modi affligendi Febris est morbus vel

- Proprius seu singularis, seu sporadicus, dum hunc vel istum febris quædam affligit, eaque plùs minùs diversa.
- Communis seu universalis, seu Epidemicus: v.g. Tertianæ æstivæ seu vernales, Quartanæ Autumnales, Catarrhales hybernæ, Variolæ, Petechiales.

VII.
Ratione effectus vel

- Immediati, qui est vel
  - Massæ sanguineæ depuratio per heterogenei secretionem; v.g. Variolæ, Petechiæ: vid. Sydenham Method. Med. pag. 15. & 17.
  - Massæ sanguineæ alteratio in aliam & quasi novam texturam, seu in novam diathesin immutatio; v.g. in vernantibus, peregrinantibus.
- Mediati, qui est vel
  - Mors, hinc Febris lethalis ex depravata massæ sanguineę & spirituū crasi.
  - Salus in febre salubri; & quidem vel
    - Perfecta: coctâ & excretâ materiâ, & sub hujus tegmine fermento febrili, sicque restitutâ massæ sanguineæ & spirituum crasi naturali.
    - Imperfecta: vel fixato præposterè fermento febrili, unde recidiva; vel crisi imperfectâ soluto morbo; vel febri in alium morbum abeunte: v.g. in Intermittentibus & Continuis fixa morbum palliant, unde recidiva, vel Acutam in Lentam plùs minùs Hecticam abire faciunt; item Variolæ non ritè excretæ Phthisin interdum post se relinquunt; item Febris in Icterum transit, nunc symptomaticum, nunc criticum.

CAUSÆ.

Cum ergo Febris consistat in læsa sanguinis fermentatione, & omnis fermentatio dependeat à motu spirituum ordinato, & duplici sale, acido & urinoso, facilè patet, quod causæ febrium in genere erunt omnia ea, quæ dictam salium harmoniam & proportionem lædere, crasin massæ sanguineæ naturalem pervertere, & talem dyscrasiam seu talem heterogeneitatem & disproportionatam texturam particularum componentium pluriunt aut pauciorum inducere possunt, ut exinde salium activitate vitiatâ fermentatio præternaturalis excitetur: Unde & mediante tali effervescentiâ massa sanguinea coquitur, & particulæ salinæ vitiosæ tanquam feculentiæ excernuntur. Hæc ipsa in genere, qualiacunque fuerint, *Fermentum febrile*, naturalibus planè incongruum, in definitione appellare placuit; cujus occasione nempè sanguis præternaturalem fermentationem concipit, & spiritus simul insigniter alterantur. Immediatè talem fermentum sanguinem, & hoc mediante spiritus afficit; seu è contrà immediatè spiritus, & his mediantibus sanguinem inquinat.

Tale fermentum est, v.g. quod ex insensili transpiratione prohibita & retenta febrim subindè accendit: Tale fermentum est, quod ex ulcere quodam interno, v.g. phthisi pulmonum, febrim inducit: Tale fermentum est, quod in erysipelate aut pleuritide febrim acutam infert: Tale fermentum est, quo scabies retropulsa febrim periculosam subindè excitat: Tale est lympha acidior, febrim catarrhalem inducens: Tale fermentum est, quod ex fructuum horæorum abusu subindè febre nos mulctat: Tale fermentum est, quod contagii sub tegmine nos inquinat: Tale fermentum est, quod ex usu rei horridæ ac facilè alterabilis in primis viis, sæpiùs febrem intermittentem excitat.

Fermentum tale nunc extrinsecus nobis communicatur per Assumptorum aut Inspiratorum varietatem; quò & contagia pertinent: nunc intus generatur. Vix tamen febrilem alterationem inducent talia, nisi volatilis plùs minùs naturæ & spiritibus & sanguini commiscibilia fuerint; sine hac enim conditione variam quidem immutationem, & tamen fermentativam turgescentiam febrilem in sanguine concitare non valebunt. Nam axioma infallibile Philosophorum est: *Nihil movetur à se ipso*. Hinc quidam Veterum accusarunt, præter putredinem, causam aliquam febrium, *motum, contactum rei calidæ, pororum cutis constrictionem*, &c. *Admissione rei calidæ* nihil aliud accusaverunt, nisi fermentum aliquod. Nam posito, motu quodam concitari febrim, profectò hoc nunquam observabitur, nisi in corpore, cujus fermenta jamjam sunt inquinata particulis naturali fermento incongruis, quæ à motu nimio ad agendum excitantur; sicut flabello excitatur scintilla sub cineribus latitans: aliàs namque omnes operarii, v.g. Messores, Trituratores, Pugiles, &c. ob motum nimium prolaberentur in febrim, cùm tamen constet experientiâ, horum fermentationem nimiam in massa sanguinea mox remittere, corpore ad quietem composito. Deinceps rerum calidarum contactus itidem non excitabit absque fermento febrim. Nam uti constat ex Physiologia, calor non est nudum aliquod Accidens, sed omninò constat ex effluviis calidis. Quatenus itaque effluvia ista fermentis nostris sunt incongrua, quis non animadvertit, adesse hic fermentum aliquod? si verò sunt congrua, isti motus non concitabunt febrim aliquam, sed saltem nimiam aliquam sanguinis fermentationem, quæ in corpore puro cessat, cessante effluviorum calidorum influxu. Ad hæc itaque concludo: febrim nunquam oriri abique certo quodam fermento, fermentis nostris incongruo.

Constrictionem pororum corporis quod attinet: nunquam hæc observatur, nisi corpore jamjam præternaturaliter constituto. Nam corpore ritè disposito, semper ejus pori sunt patuli, ut per hos continuò evacuentur partes certæ, non excrementitiæ, sed reverà massæ sanguineæ effluvia laudabilia: Itaque si talia effluvia ex corpore discedere nequeunt, necessum est, adesse jamjam aliquem massæ sanguineæ præternaturalem statum.

In specie, quoad intus genitum fomitem febrilem: specialiter ad primas vias respectus habendus, quarum errata fermento quidem digestivo acido volatili ex ventriculo imprægnata, & interius sanguini commiscibilia, defectu tamen debitæ digestionis & perfectionis in primis viis, qua in talsum volatile abire debebant, non adeo homogeneè assimilabilia existunt, quin inordinatam fermentationem citiùs vel tardiùs inducant. Imprimis escæ duriores & digestu difficiliores in stomacho diutiùs retentæ primum hic locum obtinent, quippe degenerant in liquamen aliquod viscidum, nunc apertè acidum, nunc aciditatem aliquam visciditate suâ celans.

Notum hoc imprimis est ex febribus intermittentibus tertianis &c., fomitem simpliciter in primis viis habentibus; continuarum verò, præsertim benignarum plurium, par omninò est ratio, si erratum primarum viarum sanguinem seu lympham inquinet, & eatenus fermenti instar continuam fermentationem in sanguine efficiat. Siquidem intermittentis febris paroxysmus quilibet integram quandam benignam, per crisin sudoris finientem, febrim continuam repræsentat. Unde non rarum est, ex intermittente tertiana continuam fieri; & contrà, ardentem continuam in intermittentem terminari; & complicari hæc duo denuò, ut in continuis periodicis obvium est. De humoribus certis in corpore extravasatis, & hinc fermentantibus, res est comperta penes eum, cui perspectum, febres traumaticas originem suam tanquam à fermento febrili nancisci ex humoribus extravasatis & putrescentibus in ulceribus & vulneribus, & quocunque sanguine extravasato.

Fermentum hoc in benignis videtur esse *acidæ plus minùs naturæ* (ut ex iis, quæ suprà de æstu corporis, rigore, &c. dicta sunt, & infrà de urina dicentur, probabiliter concludi potest;) Imò etiam in malignis, sed in his acrius, volatilius & penetrabilius, ratione quarum proprietatum & spiritibus tàm promptè communicabile existit, adeòque ad veneni naturam, quæ in intemperatura insigni simpliciter consistere videtur, propiùs accedit. Non autem semper humorum peccantium copia aut moles, seu, ut vocant, saburra hanc fermentationis læsionem inferunt, sed sufficiunt interdum miasmata quædam fermentativa, vel inspirata, vel aliàs in corpore relicta.

Imprimis aer vernus fermenti febrilis induit naturam, quippe qui turget effluviis valdoperè fermentativis plantarum tenellarum recentium. Porrò æstivus aër itidem fermenti febrilis schema suscipit, quatenus effluvia copiosa alcalica eum replent. Autumnalis demùm, & hybernus non rarò quoque febrilis fermenti personam agit, quatenùs effluvia in sese continent salso-acida.

Cæterùm effluvia animalium putrescentium, v.g. cadaverum humanorum pisciumque, adeò sunt efficacia fermenta febrilia, ut sese patefaciant sæpissimè sinistro multorum mortalium exemplo.

Ejusmodi effluvia, si ex corpore febrili discedunt, & in corpus sanum suscipiuntur, veniunt nomine contagii, Græcis μιάσματα: neq; etiam videtur improbabile, posse ex astris continuò descendere effluvia, quæ pro diversitate aspectuum, astrorum, &c. planè fiunt incongrua fermentis humanis, quò facto, ut plurimùm progignuntur febres pestilentiales: Quæ effluvia forsitan intelligit HIPPOCRATES per suum τὸ θεῖον.

Fermenta hæc cùm sint activa, & undique per contenta corporis diffusiva, odorum ad instar facilè admodùm totam massam sanguineam, motum salium æquale pervertendo, in fermentationem præternaturalem excitare valent, vel spiritus influos, eorum texturam vitiando inficere possunt; quod non tantum in contagiis susceptis, sed etiam intermittentibus diuturnioribus, manifestum est. Talia enim fermenta, v.g. contagia, sunt spirituosa in malignis, quæ vel spiritibus, vel sanguini, se insinuantia, nunc citiùs nunc tardiùs potentiam suam alterativam exercendo, febri occasionem suggerunt: Adeòque minimum subindè est, quod peccat in febribus ceu materialis causa, quod tamen fermentationis medio multiplicabile existit; unde intermittentium insignis diuturnitas, continuarum verò malignarum copia contagiorum spirituosorum. Rem exemplo quasi simili nonnihil declarabo: In febre continua aut paroxysmis intermittentium massa sanguinea est similis vino, aut generoso musto fermentescibili, quod fermentando se ipsum depurat & perficit. Nam vinum, utut variis constet particulis salinis, imprimis tamen ex sale ejus alcalino seu urinoso & acido fit fermentatio, in qua fermentatione insignis turgescentia percipitur, quâ mediante separantur & ad fundum successivè præcipitantur partes disproportionatæ non benè miscibiles sub fecum nomine, vel per superius vasis orificium eructantur, quo factò ex recuperata debita particularum textura vinum quietum, laudabile ac perfectum [illegible] existit,

existit. In turgescentia febrili simile quid observamus occurrere. Nam & ibi particulæ heterogeneæ in massa sanguinea coacervatæ mediante tali effervescentia seu fermentatione separantur, & quasi præcipitatæ sero involvuntur, cujus medio nunc per urinas sub forma sedimenti evacuantur, nunc sub forma sudoris emittuntur, nunc sæpiùs certo tempore mediate naturæ motu critico per alium locum evacuantur: adeò, ut vinum harum naturam exactè exprimat: hinc v.g. fit, quod non rarò febri superveniat icterus, quando nempe fermentum febrile & vitiosa salia per modum efflorescentiæ defiguntur intra cutim. Interim tamen observandum, quod hæ ipsæ fęculentiæ, fermentatione criticâ separatæ, non solùm sint recrementa corporis morbosa, sed etiam partes ipsius massæ sanguineæ nutritivæ sub tumultu isto fermentativo alteratæ, mutatæ, simul præcipitatæ, & à reliquis separatæ, quæ ita vel per sudorem, vel per urinam & alias vias foras emittuntur: non secùs enim ac sudore artificiali per motum, exercitiorum &c., non serum purum aut recrementosis saltem particulis commistum, est, quod emittitur, sed etiam ex ipsa massa sanguinea copiosæ particulæ utiles, fermentationis auctæ motu attritæ, hinc in salsum mutatæ, & ita reliquis minus sociabiles factæ, unà excluduntur; ita etiam in sudore intermittentium massa sanguinea sub paroxysmo in tantum seu plùs minùs colliquata propriæ substantiæ unà jacturam facit. In intermittentibus quot sunt paroxysmi, tot sunt febres quasi particulares, in quibus post frigus vel horrorem turgescentia fermentativa & effervescentia massæ sanguineæ, in qua materiæ coctio peragitur, accidit, quibus peractis sequitur in fine eorum quasi quadam crisi facilè copiosus sudor & urinæ fluxus.

Quamdiù ergò sanguinis crasis unicuique homini propria, dependens fundamentaliter ab acido & alcali, formaliter & proximè in spiritu vitali, proportionata est, tamdiu fermentatur blandè & spiritualescit massa sanguinea; simul ac verò læditur eadem, imprimis si congerantur particulæ salinæ facilè fermentescibiles, & non ritè cum integra massa miscibiles, ceu tot fermenta particularia fiunt fomes pro febre, & fortiùs, ubi fermentare incipiunt, febrem inducunt.

Causæ remotæ in febribus variæ ac multiplices ex rerum non naturalium vario usu & abusu sunt derivandæ. Proclives in febrim vulgò dicuntur calidi & humidi; quod rectè rejicit POTERIUS *lib.2. de Febribus cap.15.*, quin potiùs dicit, omnia corpora æqualiter ferè disposita ad febres esse, imprimis ea, quorum pori sunt obstructi, & qui crapulæ sunt dediti: per hanc enim læditur sanguis & spirituum crasis, & oritur dyscrasia, per poros obstructos coacervantur salia excrementitia, ad turgescentiam febrilem suscitandam in massa sanguinea jam ante disposita.

Multum autem hîc præstant, imprimis in malignis contagiosis, animi pathemata, ex quorum censu imprimis metus & pavor hîc magni sunt ponderis. Interim tamen nunquam ego credo, ex hisce solis posse oriri febrim, nisi jamjam quædam fermenta ignava circumstent corpus, quæ à talibus commotionibus animi, spiritus animales alterando, ad operandum irritantur: E.g. Esto febris maligna contagiosa, quæ ortum ducit ex fermento ex aëre, & in aëre oberrante, ita, ut varias personas hoc fermentum afficiat, frustrà tamen, ob legitimam spirituum animalium, massæ sanguineæ & fermentorum crasin: Si itaque ex personis his quædam pavore percellatur, notum est, spiritus animales alterari & posterni, totamque massam sanguineam immutari ob motum cordis immutatum: in hoc ipso fermentum contagiosum certò certiùs vires suas exeret. Quapropter hîc facio secessum ab HELMONTIO, Pestis causam proximè accusante Archei pavorem. Constat tamen ex pavore posse oriri variolas, morbillos, petechias, morbum Hungaricum, sudorem Anglicum, pestem ipsam &c. Quæro itaque: quidnam hîc determinet Archeum pavore perculsum, nisi accedat fracedo quædam determinata, seu fermentum quoddam contagiosum per aërem volitans, certaque subjecta, & in his spiritus animales & massam sanguineam ob materiam prædispositam inventam ac suscitatam afficiens & alterans.

DIAGNOSIS.

Quoad *signa in genere diagnostica*: superiùs dixi, quod sit pulsus frequens; calor verò, qui in febribus interdum adest, tantummodò symptoma superveniens, non verò necessariò ipsis semper conjunctus, utut utplurimum non minùs quàm sitis affligat ordinariò Febricitantes: Adest cephalalgia; item interdum adest adjuncta syncope, & alia symptomata varia: Appetitus nunquam est naturalis; aut enim est nimius, ut hoc sæpiùs observari licet in principio quartanarum; aut planè est depravatus, uti hoc experiri licet in mulieribus; aut etiam est planè prostratus, v.g. in ardentibus & malignis nonnullis.

PROGNOSIS.

Prognosis febrium in genere ex pulsu & urina desumitur.

Pulsus quidem in omni febre est frequens, nunc magis, nunc minùs: minùs scilicet frequens in paroxysmo febris intermittentis innuit cæteris paribus vires adhuc validas, & cor insigniter irritatum: Oritur autem à cordis vehementiore irritatione, propter sanguinis nimiam & depravatam turgescentiam, unde cor crebrò distrahitur, arteriaque distenditur: Sin simul est parvus, pessimum signum est, & formicans dicitur.

Vehemens pariter spirituum influentium vigorem insequens nunquā rejici debet, adeò ut magnus & vehemens pulsus semper animosum reddat Medicum, in quocunque febricitans statu fuerit, utut varia urgeant symptomata, sive benignæ, sive malignæ sint febres: & quò vehementior, major & æqualior est pulsus, eò melior, & signum laudabilis & æquabilis sanguinis fermentativæ turgescentiæ & spiritualescentiæ; quò minor, eò periculosior, in specie in intermittentibus & malignis, ubi est pessimum signum: magnus enim pulsus æquabilem sanguinis turgescentiam, & qui optimè occupatus sit in excernendis fęculentiis, denotat; & viceversâ pulsus parvus deficientem sanguinis turgescentiam & omnia infausta portendit, quia insignem virium labefactationem junctam habere solet.

Durus interdùm observatur in febribus, sed nunquàm fausto omine, quin semper tensionem spasmodicam membranarum in quodam loco plùs minùs læsarum aut infestatarum, & hinc in dilatatione arteriarum renitentiam aut fibrarum aliqualem spasmum sequitur; unde in febribus cum inflammatione partium membranosarum junctis, e. g. in pleuritide, &c. ordinariò observatur.

Deinde etiam in febribus quibusdam, præsertim malignis, in quibus spiritus animales & genus nervosum magis afficiuntur, in quibus etiam citra sensibilem, de quâ conqueri possent ægri, molestiam, pulsus durus plùs minùs observatur, pessimo utplurimum omine, cùm deliria, convulsiones, & mortem insequi observaverim.

Semper bonus est pulsus mollis, generis nervosi minùs mutatum habitum ac spirituum animalium debitum motum ostendens, & ferè cum madore aut levi sudore junctus esse solet, & tali ex pulsu sæpiùs fausta expectari possunt in febre; Unde & *pulsus undosus* dictus, ex magno, vehementi & molli compositus, ordinarius sudoris imminentis prodromus solet esse in febribus, cùm in pulsu duro vel nullum, vel qui absque euphoria quasi per vim naturæ prodit, sudorem observaverim; scilicet & fibras cutaneas in tali casu tendi, porosque contrà contractiores hinc esse arbitror, nisi pulsus talis insigniorem partis cujusdam inflammationem sequatur; tunc sudores enim proficui, & utplurimum pulsuum mutationes inferentes, eliciuntur.

Quoad Urinam: hanc ideo sub cursu febrium inspicere debemus, ut habeamus signa coctionis & cruditatis: ubi enim exhibuerint suo tempore signa coctionis laudabiliora, imprimis in febribus continuis, faustum est signum; si verò, non, periculosum.

Signa coctionis sunt, quando urinæ claræ redduntur turbidæ, crassæ, & continent vel eneorema, vel sedimentum: quæ ipsa quò sunt copiosiora, eò sunt meliora.

Urina, quamdiu est cruda, tamdiu morbus est suspectus, quoniam adhuc in æquilibrio ad mortem vel salutem hæret æger.

Per cruditatem verò intellgitur talis massa sanguinea, ejusque humorum status, quo sanguini permisti & uniti naturalem ejus fermentationem vitalem turbant, & in effervescentias febriles eam concitant: id quod imprimis particularum salinarum à debita crasi deficientium existit culpâ. Coctio verò est eorundem separatio, & à reliquis

particulis per fermentativum motum quasi præcipitatio, ut recrementa & heterogenea salsa, ceu effœta, instar cujusdam capitis mortui à sero imbuta & diluta per certa viscerum cribra & quasi filtra secerni, & hinc per naturæ consuetas vias evacuari possint: adeòque particulæ tales fermentando à reliqua materia instar fæcum separate, & cùm urinâ excretâ in fundo subsident, coctionis signa perfecta suppeditare dicuntur. Hinc scilicet in febrium acutarum principio urinæ sunt claræ, pellucidæ, tenues, plùs minus tinctæ, & absque sedimento excernuntur, quæ procedente morbo in incremento fiunt turbidæ, crassæ, & in statu omnino copioso sedimento, ceu fæcibus fundum matulæ petentibus, saturatæ; unde hæ coctæ, illæ verò crudæ, appellantur. Crudæ sunt, quando nil secernitur, & in sanguine adhuc omnia permista: Coctæ, quando jam facta separatio. Quod si enim mediante fermentativo motu fiat successivè extrusio & separatio istarum quasi fæculentiarum, urinæ crassiores magis contentis saturatæ, & quæ spontè turbatæ prodeunt, adeoque inchoatam coctionem ostendunt. Quod si turbidæ maneant, adhuc ingentem motum & inordinatam fermentationem & confusionem in massa sanguinea innuunt: sin verò turbidæ clarescere, & ad fundum contenta dimittere incipiant, signum progressus ulterioris in coctione ostendunt, ut in musto fermentante: Vid. KERGERUS *de Fermentatione*. Exemplum cruditatis quasi simile sit, multi filtratio per chartam emporeticam; Nam, quamdiu in fermentante liquore omnia sunt confusa, si transcoletur per filtrum quodcunque, massa turbida transit; fermentatione verò absolutâ fæces separantur ad fundum, & liquor clarus transit, fæces restitant. Idem fit in cruditate & coctione sanguinis: Quamdiu in cruditatis statu omnia sunt confusa, urinæ excernuntur tenues, rubeæ, claræ ac perspicuæ; quando verò in statu coctionis recrementa præternaturalia à succis præternaturalibus sunt separata & præcipitata, vocatur Coctio, seu quod materia morbifica sit cocta, ac urinæ apparent turbidæ, crassæ, frequentes cum copioso sedimento. Consentit SENNERTUS *lib. de Febribus pag.* 215. ubi *de Coctione & Cruditate*: cum quo conf. SYLVIUS *lib.* 1. *Prax. cap.* 55. §. 16. Hinc applicandi hîc sunt *Aphorismi* HIPPOCRATIS, nempe *Aphorismus* 21. 22. 23. & 25. *Sect.* 1., ubi legitimam evacuandi per quascunque vias rationem docet, & in specie cocta, non verò cruda evacuanda monet. Nam dum omnia sunt confusa & cruda, nihil potest evacuari cum euphoria, sed potius totum corpus saltem turbatur: id quod fit v.g. in principio & incremento febrium: Unde purgantia, sudorifera & Diuretica nunquam in principio aut incremento, antequam coctionis signa in urina appareant, sunt adhibenda; quod observetur in omnibus febribus continuis & intermittentibus benignis. Quando verò omnia sunt cocta, & à se invicem separata, commodè tunc educi possunt: id quod fit in fine incrementi & statu morborum, cùm natura hoc agit, quæ nunquam instituit evacuationem criticam, nisi omnis cocta sit materia; sicut & in febribus intermittentibus nunquam spontè erumpit sudor atque urina, nisi in fine paroxysmi, dum priùs materia morbifica in paroxysmo est cocta, & ejicitur per sudorem vel urinam.

Probè ergò coctionis & cruditatis ratio in cura febrium benignarum observanda est, pro legitima instituenda evacuatione. In malignis febribus alia est ratio; in his enim coctio & cruditas locum non obtinet, quia mox præcipitantibus & appropriatis alexipharmacis sudorifera in principio adjungenda sunt: sicut natura mox in principio malignarum secundâ vel tertiâ die petechias, pustulas, bubones, carbunculos &c. expellere solet.

Ab isto negotio cruditatis & coctionis universa crisium in continuis dependet ratio, quæ in præcipitatione quarumcumque fæcum, subitaneâ ex massa sanguinea exclusione, & vel extra corpus, nunc cum sudore, nunc cum urina, nunc cum sanguinis ipsius excretione, vel in quendam corporis locum congestione, in tumorem ac abscessum, consistit, ipsis separatis fæculentiis priùs circa exclusionis locum, ex facta ibidem aut in vicinia irritatione, varia symptomata occasionaliter concitantibus: dum v. g. sudores criticos rigores repetiti; hæmorrhagias criticas agrypniæ; deliria narium pruritus, oculorum splendores, cephalalgiæ, obauditiones, &c. præcedere solent: Nam secundùm HIPPOCRATEM nox, quæ antecedit crisin, gravis. Hinc semper observavi, quandiu in febribus, præsertim continuis, urinæ sunt crudæ, tamdiu res ægri in statu existunt ambiguo: Quando verò adsunt signa coctionis, semper qualibet fausta possumus ominari; ita, ut non meminerim, vel legisse me, vel observasse, cum coctionis signis quenquam interiisse. E contrà, quæ coctæ jam plùs minùs apparebant urinæ, si recrudescant denuò, semper periculum portendunt; si nempe sedimentum, quod primis diebus subsiderat, deficit, ut si urinæ crassæ intensiùs tinctæ pallescere, & tenuiores excerni incipiant: id quod nunc per causas externas, vini generosi potum, iracundiam, pastum paulò copiosiorem, præsertim carnium vel similium; nunc per causas internas ex deficiente naturæ motu & dominio causæ morbificæ evenit. Curabam puerperam purpurâ affectam, procedebant omnia mediocriter, die nonâ urina crassa intensè tincta turbari, & sedimentum deponere incipiebat; Intereà etiam purpura utcunque erumpebat, coctionis signa augmentabantur, ipsâ ægrâ commodè se habente: Sed die 15. cùm nox prægressa fuisset inquieta, mane urina excernebatur pallida, tenuis, vix citrina, ex improviso delirium, convulsiones, & circa meridiem mors. Quod hîc subitò factum, hoc interdum successivè, & ferè aliquot dierum spatio evenire solet. Propterea rectè POTERIUS *de Febribus cap.* 42. *coctionem veram continuam & universalem esse debere*, asserit; *vera quidem, quia non rarò falluntur Medici, opinantes, veram esse coctionem in urinis ex crudo humore in fundo earum subsidente, quasi verum sit sedimentum; continua etiam debet esse coctio, ut fida sit. Fit enim aliquando, cùm non ex toto humor à natura superatur, ut manè appareat cocta, vesperi autem delitescat coctio. Debet etiam esse universalis & totius massæ morbificæ coctio. Frustra namque in parte quadam coctio suscipitur, morbo in reliquo corpore crudo existente.* Hæc POTERIUS.

Opus hoc coctionis solius est naturæ, & hanc insequens crisis, quam arte adjuvare non possumus, saltem impedimenta naturam gravantia removere valemus. Motus hic naturæ circa coctionis negotium in eo consistit, ut acidum fermentativum morbosum, unde febris oritur, corrigatur & temperetur, adeòque in salsum, aliarum particularum additione mutatum, ex massa sanguinea extrudatur: id quod mediante fermentationis motu accidit. Cruditas enim, & arctior omnium particularum in sanguine unio, & hinc procedens acrior effervescentia febrilis, ab acido dependet, quo dominante intensior fermentatio, nulla secretio fit. Dum verò per mutuam collisionem quasi acidam febrile fermentum successivè ab alcalibus arreptis saturari, in salsum mutari, & sic ex compedibus sanguinis solvi, i. e. liberari, incipit; etiam aliæ particulæ heterogeneæ, nec sanguini debitè assimilabiles, ab acido tamen vitioso unà colligatæ & quasi concentratæ simul ex sanguine extrudi, & hinc ex ejus liquore fermentationis medio (qua partes unibiles ritè coëunt, non unibiles secernuntur) præcipitari solent, coctio & copiosiorum cum urina contentorum excretio accidit. Conferatur SYLVIUS *l. a.* §. 14. *sequen.* Hinc etiam in febribus malignis, si urinæ sanorum simillimæ excernuntur, signum periculosum est: sc. spiritus insitos imprimis esse affectos, & ipsam massam sanguineam à fermento maligno citrà insigniorem fermentationis ejus turbationem corrumpi, & in textura sua vitiari significans; unde & cum minore ardore tales febres conjunctæ esse solent, summa virium potiùs prostratio & nervosi generis symptomata magis urgent: sin tamen in his etiam malignioribus coctitionis veræ signa se exhibere inchoant, bene sperare Medicum jubent, & si salubres sunt tales, in fine coctione materiæ morbificæ, ejusque signis in urina, terminari assolent.

Febribus sæpiùs supervenit icterus, qui vulgò juxta *Hippocratem Sect.* 1. *Appor.* 62. ante septimum diem statuitur periculosus; quod tamen non est universale: sicut hoc non solùm SENNERTUS annotat *Instit. lib.* 3. *Part.* 3. *c.* 7. *pag.* 740., sed etiam ex HORSTIO *lib.* 1. *Obs.* 23. patet, ubi icterus salutaris quartâ die in continua obvenit; & BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Hist.* 4. icterum salutarem in quartana ante septimum supervenientem notat.

Ex se icterus est motus naturæ, per despumationem nempe massæ sanguineæ genitus; fermentando enim massa sanguinea despumatas sordes figit intra cutem, & colorem dat ictericium.

Hic superveniens tertiâ, quartâ vel septimâ die est faustus; primâ verò aut secundâ, vel sextâ aut octavâ die superveniens, tutus ex se non sit pravus, minus est tutus; quia est icterus symptomaticus, quo frequenter moriuntur ægri, cùm prior sit criticus. Ergo præter signa coctionis plùs minùs jam prægressa optimè negotium hoc decidit CASTRO

suprà

supra citatus lib.3. cap.20. pag.230. & sequen. Nempe etiam die quartâ ictericiam cum rigore esse bonum signum, quia critica sit: item ictericiam sine rigore ante septimum accidentem, utut symptomaticam, si sequatur evacuatio aliqua, per alvum v. g. urinam, ægrum liberare: quæ pluribus *c. l.* videantur.

Inter lethalia signa, quæ certò mortem prænunciant, nullum observavit IOHANNES STEPHANUS *in Oper. Medic. Miscel. pag.449.* quod pluris sit momenti, & plus polleat, frequenti & insolenti manuum admotione ad nares sine ulla materiæ effluxione; ubi enim ægri febricitantes identidem manus motitant ad nares, quasi sordes exempturi, aut nares emuncturi, si nihil talis fiat, perniciosissimum est signum.

C U R A.

Methodum medendi quod spectat, in cura generali attendendum, an febris sit benigna? an verò maligna?

1. In febribus benignis vel semper usurpanda præcipitantia dicta, vel specifica, quæ fermentum febrile acidum volatile, specifici tamen saporis, corrigere, alterare, & enervare seu quasi figere, & hinc in saporem & texturam minùs activam mutare, indeque fermentationem febrilem compescere, & sordes effervescentes, ac crasin massæ sanguineæ vitiantes separare, & quasi ad fundum præcipitare valent.
2. Materia vitiosa peccans, fermenti talis vel vehiculum aut fomes (mediante quo v. g. ex primis viis, fluidis corporis contentis, speciatim sanguini, permiscetur, ut in intermittentibus aut continuis benignis) ab ijs, præsertim à sanguine, separetur.
3. Utrumque, quà datâ portâ, imprimis per peripheriam cutis, eliminetur.

Opus hoc est vel solius naturæ, *vel* solius artis, *vel* utriusque simul. *Solius naturæ* opus est hæc cura, dum coctione materiæ morbificæ, & hinc factâ crisi, expedit. Unde in Veterum methodo medendi Medici agebant Spectatores naturæ, observando coctionis signa & tempora, & hinc expectando crisin, quibus ritè se habentibus, morbus judicabatur, & salvabatur æger. *Solius artis opus est*, quando remediis specificis antifebrilibus fermentum febrile enervatur & corrigitur; id, quod superest, sponte suâ & absque morboso conatu curante naturâ. Talia sunt v. g. Specifica febrilia intermittentium, ut *Febrifugum Riverii*, aut *Specificum febrile Kergeri*, in quartana Specificum Febrile seu China Chinæ (nempe recipiendo *Chinæ Chinæ* ʒß. *salis ammoniaci* ℈j.) aut *Helmontii* Diaphoreticum *Paracelsi*, quarumvis febrium ἀκροατόμος.

Artis & naturæ opere simul curantur in methodo hactenus communiter recepta, quà naturæ, fermentationis sanguinis febrilis medio, laudabiliter agenti & coquenti, *auxiliatrices opes ferimus*, impedimenta illius, sordes & fomites primarum viarum removendo. Hinc aut Temperantia, aut Absorbentia, aut Diaphoretica, vulgò Præcipitantia dicta, aut appropriata alia, utramque faciunt paginam in febribus: sunt enim talia, quæ in genere fermentationes, aut vitiosè effervescentes humores sui miscelâ compescunt, mitigant, & plùs minùs enervant, dyscrasiam sanguinis corrigunt; adeòque nunc acidum destruendo, nunc alcali corrigendo, motum omnem fermentativum supprimunt; sicque vitiosarum & heterogenearum partium exclusionem, & à reliquis separationem promovent, utcunque ejus effectus explicentur, & hinc nata gravia symptomata, motum & impetum naturæ plus minùs frangentia, mitigant. In quem finem in genere venæsectionis, Purgantium, Opiatorum, & diætæ usus observandus venit. Præcipitationis vox ex Chymicis est desumpta: Nam sicut præcipitando separantur contenta in liquore quodam, ita propter analogiam Præcipitationis vocabulo utuntur Medici, quando præcipitantibus, aut rectiùs absorbentibus, effervescentiam massæ sanguineæ compescunt, & heterogeneas partes separant & præcipitant; quod aliàs etiam vocant coquere. Hæc sunt, quæ in febribus intermittentibus, simul atque continuis, præmittuntur, instar digestivorum cum aliis ante paroxysmum. Digerunt enim seu corrigunt & temperant salia in primis viis, & in salsum mutant, habentque vim alterandi massam sanguineam, corrigendi ejus crasin, & præcipitandi excrementa quæcunque massam sanguineam turbantia in febribus. Præcipitantia hæc sunt vel salia urinosa, vel metallica fixa, antimonialia, nunc secreta, nunc vulgaria. Antequam aliquid inchoëmus in febribus, talis præmittenda:

Digestivum febrile ad imitationem specifici febrilis Kergeri:

℞. *Crem. tartari* ℈ij.
Corall. rub. præp. ℈j.
M. F. *Pulvis*
Div. in 2 *partes*. S.
Pulvis febrilis alterans.

℞. *Arcani dupl.* ʒß.
Antimon. diaphor. ℈j.
Salis absinthii gr.vj.
M. f. *Pulvis pro 2. dosibus:* S.
Pulvis febrilis resolvens.

Auxiliatrices has opes ferimus naturæ rectè agenti, h. e. quæ fermentationis medio coctionem ritè molitur pro futura excretione. *Sed quid agendum Medico, cum vitiosè agit natura?* h. e. cùm crudâ adhuc materiâ excretiones symptomaticas in principio aut incremento instituit eadem irritata, sive turgeat plùs minùs materia peccans, ut aliàs dicitur, sive non? Coacta sanè agit natura, unde & subindè debilitant ægrum tales excretiones, & absque euphoria fiunt; quas tamen, ubi supprimerentur arte, periculum est, ne impetu contentorum intra corpus coërcito, fiat irruptio in partem aliquam nobilem, adeòque exitialem vitæ calamitatem inferat: v. g. pono febrim continuam insignem, sed benigniorem (utut malignarum reverà eadem sit ratio, in quibus tamen magis ad malignitatem, præsertim, si spiritus potissimum occupet respiciatur) cui, crudis adhuc existentibus urinis, die tertiâ, quartâ & quintâ supervenit diarrhœa, aut hæmorrhagia narium crebrius repetens. Excretio hæc reverà est symptomatica, debilitatur æger, franguntur vires, periculum est, ægrum vix superaturum morbum, aut ad statum cum ista excretione perduraturum. Quod si supprimatur hæc ipsa, ex diarrhœa impedita febris intensior, sitis, cephalalgia, deliria &c. metuenda erunt: Si hæmorrhagia narium sistatur, eadem, ac præsertim deliria & convulsiones. Quid igitur agendum in talibus casibus? Variè decertant hîc Practici, an promovendus, an sistendus sit talis naturæ motus? Omnium optimè mihi videtur negotium decidisse STEPHANUS RODERICUS CASTRENSIS *Tract. Quæ ex Quibus lib.2. cap.10. pag.119.* Decisionis nucleum paucis comprehendam. Inquit: *Omnis evacuatio symptomatis ratione facta, in tempore peccat. Si enim debito fieret tempore, h. e. in die decretorio, non amplius symptomatica, sed critica diceretur. Nihilominus peccat vel in solo tempore, vel simul cum temporis vitio habet vitium qualitatis, aut quantitatis, aut utriusque. Si qualitate & quantitate simul sit vitiosa, omninò damnanda est. Si quantitate tantùm, quantitas vel excedit, & tunc est inhibenda, vel deficit, & tunc an supplenda? certant artis proceres, & adhuc sub judice lis est. Si qualitate peccaverit, decreto* HIPPOCRATIS *Sect.2. Aphor.2. damnabitur. Nam cum non purgantur talia, qualia purgari oportet (quod idem est, ac si diceret, quæ peccant in qualitate) nec conferre, nec leviter tolerari. Profectò si non conferunt, non sunt proficua; si non tolerantur, non fiunt cum virium tolerantia. Si tandem solius temporis peccatum sit, non autem omninò qualitatis, neque valdè magnum quantitatis, tunc posse aliquid judicare, tàm certum est, quàm quid certissimum. De deficiente ergo ex quanto excretione, sub judice lis est,* HIPPOCRATIS *Consilio Sect.1. Aphor.29. cùm morbi inchoant, si quid movendum videtur, move. Ubi* GALENUS *esse melius ait, in principiis evacuare, quò minorem jam factam materiam faciliùs natura possit concoquere. Si igitur evacuatio confert in principio ad futuram coctionem, sanè isthæc evacuatio ante coctionem fit. Si autem fieri potest cum utilitate ab arte, aut quò majorem agitationem patitur corpus, multò meliùs fiet à natura, à cujus operibus minor contingit agitatio.* Hactenus CASTRENSIS.

Hinc & excretiones symptomaticas interdum morbum solvere, observatum refertur in BARTHOLINI *Sect. Med. Haffniens. Vol.4. pag.104.* Interea *Medicus*, sive sistendas, sive promovendas observaverit hujusmodi evacuationes, *semper acre peccans Temperantibus & Invertentibus enervare, sedulus insistat.* Siquidem tàm materiæ morbificæ turgescentia, quàm excretiones symptomaticæ, semper sequuntur nimiam materiæ occasionalis, seu fermenti ejusque ventriculi, acrimoniam, tàm benignam, quàm malignam. Sive enim ex aucta effervescentia, sive ex irritatione partium sensilium, & hinc nato motu contentorum vitiato, sive ex utroque oriri dicamus turgescentiam, aut excretionem sympto-

symptomaticam, sanè utique principale peccans erit acrimonia nimia.

In specie superiùs insinuata *auxilia generalia* quod attinet: ex fonte chirurgico imprimis se offert venæsectio, de cujus usu quæritur. Ex suprà jactis fundamentis per se patet, insignem circa venæsectionem intercedere abusum, in omni febre eam instituere; cum per se ferè nil in febre curanda conferat venæsectio, utcumque ejus effectus explicentur. In intermittentibus nullius usus est; Præcipitantibus enim solis & Evacuantibus curantur: imò si in his secetur vena, procuratur, ut fiant magis chronicæ: & si mille mihi curandæ essent, nunquam venæsectionem instituerem. In continuis verò cautè & cum distinctione procedendum, quia in ardentibus sæpiùs subest malignitas. Jam verò *in malignis secare venam subindè est ægrum jugulare*. In ardentibus verò propriè dictis, iisque benignis, non incongruum est venæsectionem administrare, utut non semper necessariam esse observaverim; si enim in febre benigna maturè instituatur vomitus, negligi potest venæsectio: Verùm cum in continuis ardentibus subindè lateat malignitas, propterea in administranda venæsectione cautissimus sit Medicus, adeò, ut, ubi secanda vena, in primo principio administret; tertià enim vel quartà demùm die eam instituere non rarò periculosum est; & quò malignior febris, eò minus locum habet. Convenit ergò per accidens saltem venæsectio interdum in febribus ardentibus continuis benignis, in subjecto juvenili, & qui laudabili chymo ac generoso victu, præsertim in potu, utuntur, aut subjecto aliàs vomitum abhorrente, aut in quo consuetæ quædam sanguinis evacuationes artificiales sunt suppressæ, tempore verno & æstivo, in subjecto plethorico, tam vero, quam apparente, aut in quibus nimia effervescentia aut ebullitio sanguinis, indeque orta spirituum excandescentia intensiùs observatur, vel si fortè aliæ circumstantiæ eam suaserint, in primo tantùm, ut dixi, principio. In quibus verò subjectis effervescentia & ebullitio massæ sanguineæ mitior est, in his venæsectionis nunquam suasor ero. Nam rectè dicit ZACUTUS LUSITANUS, venæsectionem intempestivam, causam, mortis esse in febribus ardentibus, *lib.* 3. *Prax. admir. Observat.* 57. Et nescio sanè, cui usui sit venæsectio? Dicunt quidem, ut ventiletur massa sanguinea, & supprimatur calor: sed parum refrigerationis sperandum, & merum est effugium, cui contrariatur Praxis. Nam, ubi est insigniter calidus sanguis & in vasis coarctatur, vix ebullitio potest habere spatium sufficiens, tunc sanè, quando aperimus venam, potiùs ebullitionem augemus, quia majus acquirit spatium pro ebullitione. Cauti ergo simus in venæsectione in Febribus continuis. Conf. hîc HELMONTIUS *de Febribus*, ubi de venæsectione, hinc CNOEFFELIUS *in Meth. Meden. Febr. epidem.*

Ex fonte Pharmaceutico in genere se offerunt Evacuantia, sive sint vomitoria, sive Purgantia in specie sic dicta, sive sudorifera, sive diuretica, & hinc symptomatum urgentium sedativa opiata. Equidem & horum omnium usus sponte patet.

Evacuantia quidem *purgantia* nulla sanè per se febribus conducunt, nisi in declinatione, adeòque correcto fermento febrili & coctà materià, ac sedatà ebullitione. Frustra enim aliàs propinantur, turbabunt magis massam sanguineam, irritabunt partes solidas, & quicquid evacuabunt, absque euphoria erit, cùm non evacuetur tunc temporis, quod evacuandum esset, nullà factà utilis ab inutili segregatione. Confirmat hoc experientia, quæ ostendit, post repetitas etiam Purgationes eodem tenore pergere, interdum graviùs affligere intermittentes. Continuæ verò magis exasperantur iisdem: id quod manifestò ostendit, non attingere Purgantia radicem morbosam, sed Medicos, & ægros deludere. Quod si aliquando à purgante remedio cesset febris, hoc uti rarum, ita summè accidentarium erit, sub liquaminibus istis, quæ conficiunt & evacuant Purgantia, unà forsan exhausto fermento febrili, aut ab acrioribus amaricantibus solutivis, v.g. scammonio aut colocynthide vi alterante correcto eodem, vi solutivà propriè nil operę conferente. Sanè in omni evacuatione in febribus instar cynosuræ *aphorismus* observandus HIPPOCRATIS: *Cocta medicari oportet, non cruda*. Per hoc medicari intelligit quamcunque evacuationem, sive sit per urinam, sive sit per sudorem, sive per alvum. Hinc si in principio præscribenda propriè Purgantia, vomitus saltem tunc convenit. Natura hoc monstrat, quæ nunquam, ubi sui juris est, instituit evacuationem, adeòque nec crisin, nisi cocta sit materia. Imitemur ergò naturam tanquam ministri, & nunquam evacuationem instituamus, antequam perfectè cocta sit materia morbifica. Interim blanda primas vias abstergentia, & hinc præsertim diaphoretica, quovis ferè febris statu & tempore, nisi forsan crisis quædam instans aliud moneat, optimè adhibentur; vera tamen & propriè dicta purgatio non convenit, præterquam in statu aut declinatione.

Primas vias evacuantia, in quibus ferè stabulatur fomes morbosus, sunt *vel Vomitoria, vel per inferiora laxantia*. Illa ex omnibus evacuandi generibus tantùm non in omni febre locum inveniunt, imprimis in principio, sanè iisdem vomitoriis interdum etiam mox in principio radix morbosa quasi unà falce demetitur: id quod restitat febrile, faciliùs dehinc curatur. Intermittentes febres sine eo difficulter curantur. In continuis acutis, & lentis, ibi in principio hîc etiam in progressu, sunt optima: imò non rarum est, quod malignæ exindè, sed primo insulto adhibitis, multum leventur: vid. SYDENHAM *in Tract. de Febribus*. Ergo, qui apti sunt ad vomendum, nec in quibus aliquid obstat: item, quibus vel hypochondria suspensa, aut rugitus in iisdem est, aut nausea, vel ructibus tetris amaricantibus; item cephalalgià vel aliquali vertigine vexantur, in febrium principio optimè, imò sæpiùs necessariò, vomitu evacuantur.

Quæ verò *per inferiora laxant* alvum in febribus, sunt *vel injecta Clysmata, vel assumpta Pharmaca*. *Clysmata* familiarissima in febribus locum habent, & imprimis pro levando æstu, & aliarum, præsertim capitis, per consensum ut plurimum partium symptomatis, & hinc abdominis pathematis propriis mitigandis conducunt. *Binæ* saltem *conditiones observentur* eorum usum prohibentes.

1. Quando natura aliorsum vergere, & evacuationem, præsertim criticam, vel huic saltim analogam, per alias vias instituere tentat: unde v.g. in paroxysmo in intermittentibus, naturà criticum quasi sudorem tunc moliente, præposterè injiciuntur.
2. Quando excretio cutanea in febribus malignis, vel expectanda est, vel imminet, vel jam adest, & facta fuit. Hinc in variolis, morbillis, purpura, petechiis, &c. minùs conducunt, nec, nisi summà necessitate urgente ad eadem, eademque saltem lenissima, & tamen cautè, fiat accessus: potiùs quantum possibile, dictis in affectibus vitentur.

Per os assumenda sunt *blanda laxantia*, præsertim salibus digestivis sociata & acuata, & ultra primas vias haud penetrantia, ex Tamarindis, Rhabarbaro, Infuso sennato &c., & hæc specialiter in principio locum inveniunt.

Sudoriferorum usum ipsa nobis natura monstrat. Cùm enim in febrium fine natura suà sponte copiosos sudores movere soleat, ita, ut nulla febris perfectè citra recidivæ metum curari, aut judicata dici possit, nisi sudor in declinatione provocatus fuerit; ob id, apparentibus coctionis signis, sudorifera sunt optima: sicuti in toto earum decursu præcipitantia sunt utilissima, quę cùm liberam & copiosam transpirationem promoveant, æqualia non solùm effectu sunt sudoriferis, sed propter operandi modum illis etiam præferenda: dum sine insigni virium jactura successivè & citra vel contentorum graviorem agitationem, vel continentium partium molestam irritationem operantur, ac heterogeneas fermentativas particulas in massa sanguinea hærentes discutiunt & excludunt. Nempe, ut suprà insinuatum, minùs periculosè illi decumbunt, quibus in febribus cutis humida aut madida percipitur, quam quibus arida aut sicca est. Cæterùm in sudoriferis observetur, quod non semel, sed quoties opus est, propinentur: Nam primà sudatione tantummodò movetur massa sanguinea potius, quàm ut integrè evacuetur. Iteratis ergò subindè sudoriferis, instituenda est denuò massæ sanguineæ perfecta purificatio. Certè vulgus indoctum non raro imminentes, aut jam increscentes febres, etiam continuas, repetito sudoriferorum, eoque promiscuo usu non rarò curat. Semper tamen observandus criticus naturæ motus, ne impediatur; peractà crisi sudor iteratus tutissimus est, quo omnis metus recidivæ tollitur. Eligenda autem temperata, non acria, nec aromatica, aut resinosa, sed vel fixa absorbentia, commu-

communiter *Præcipitantia* dicta, vel volatilia non oleosa, aut non calida. In malignis verò in principio, & toto morbi cursu utramque faciunt paginam alexipharmaca & sudorifera, malignitati in specie resistentia, sequendo nempe naturæ ductum, quæ ferè quartâ quintavè die erumpere facit petechias seu pustulas, nunc bubones, nunc abscessus, &c. Hæc ipsa tamen, prout plùs vel minùs simul effervescentia febrilis urget, etiam absorbentibus appropriatis, in specie sulphuribus mineralium fixis, socianda sunt; in principio quidem temperatioribus, in incremento, & statu fortioribus: siquidem in malignis nullæ cruditatis aut coctionis haberi potest ratio, utpote quæ in talibus locum non obtinet, utut in declinatione earundem subindè aliquid materiæ coctæ simile, in urinis ægrorum occurrere soleat. Quod si minus ad sudandum corpus dispositum fuerit, tutissimum est sudoriferis addere Opiata; quæ, uti alias quascunque excretiones sistunt, ita promptissimè sudorem promovent, & naturam ad faciliorem per sudorem evacuationem disponunt. Sed de hactenùs dictis remediis vid. HOLLTERHOFF *Tract. de Error. Medicor. cap.* 11.

Opiata quod attinet: per se non conveniunt, per accidens interdum ad mitiganda atrociora symptomata, imprimis subindè urgentia, usurpantur; aliàs naturæ motum impediendo febres quidem interdum sistunt, sed aut graviori cum recidiva, aut chronici alicujus morbi superveniencis metu. Unde, quando adhibentur, *saltim in incremento fiat*, *non in statu*, *ne* motus critici plùs minùs impediantur: non in principio, *ne* naturæ conatus inchoatus sufflaminetur; & hoc in continuis. In intermittentibus verò, præmissis præmittendis, vel ante paroxysmum ad inhibendam febrim, vel in paroxysmo ad sopienda graviora symptomata: utrinque non, nisi appropriatis vel absorbentibus, vel diaphoreticis permista.

Denique ex *fonte diætetico* petita præsidia quod attinet: *Sitis* intensior ordinarium symptoma febrium est, & oriri dicitur à calore; quod tamen irridet HELMONTIUS, idque jure aperto; quin potiùs à defectu salivæ, & à sale alcalico lixiviali faucibus in paroxysmo adhærente; hinc in febribus scorbuticis, tàm intermittentibus, quàm continuis, sitis est intensa, aut tali siti admodùm torquentur ægri. Ratio, quia sal salsum scorbuticum vellicando fauces illam excitat. Hinc etiam, uti rectè dicit HELMONTIUS, *aliquot guttæ spiritus seu Flagmatis sulphuris aciti* plus levant sitim, quàm integra mensura aquæ frigidæ simpliciter haustæ, aut potus cujusdam. Non ergo ad calorem, sed ad sal salsum vel lixiviosum erit respiciendum.

Saccharata quæcunque in omnibus febribus insigniter nocent, cùm saccharum & mel, condita, syrupisata, aliaque dulcia, sint admodum fermentativa, adeòque fermentationem præternaturalem inducant, & ita malum exacerbent. Conf. imprimis de sacchari & dulcium noxa in Febribus HEINRICUS ab HEER *Obs. oppido rar.* 5. item PANAROLLUS *Pentecoste* 2. *Observat.* 12., ubi similiter dulcium & syrupisatorum usum in febribus perstringit.

Vinum vulgò pessimo consilio interdicitur Febricitantibus, quod tamen optimum est; Nam in intermittentibus haustus vini aciduli, speciatim Rhenani vel Necarini, non nocet; sive die intermissionis assumatur; sive etiam in rigore paroxysmi, dum vires nimis prostratæ apparent, propinetur; quia hoc reficitur æger: sicut & in febribus continuis malignis, & in ipsa peste, generosi vini haustus remedii locum obtinet, quippe quod malignitatem coërcet, stomachum languentem miré recreat, & pro conservandis & restaurandis viribus summè labefactatis est egregium: id quod etiam suo modo in febribus continuis verum est, sed moderatè. Quoad febres verò continuas benigniores; in casu tertiana continua, hæmitritæo, &c. vino abstinere tutius est, nisi adsit vomitus, summa virium prostratio, ut & syncope. HIPPOCRATES in omni febre vinum porrigit: naturæ enim nostræ vinum est amicissimum, & vires insigniter restaurat, prætereàque acidum ejus stomacho in omni febre laboranti perquàm gratum, non rarò etiam urinæ fluxum promovet salubriter, habito tamen delectu: conveniunt enim imprimis vina acidula, defæcata tamen, alba, debilia & aquosa, ut loquitur POTERIUS *de Febribus P.* 2. *cap.* 26., non pro potu ordinario, sed pro appetitu ægri, & ratione virium. Nil magis sitim in febribus tollit, quàm acida. Vina autem dulcia & pinguia, qualia Hispanicum & Malvaticum, minùs locum obtinent: nempe vis fermentativa vini, ejusque acidum ardentibus in febribus nonnihil suspecta sunt, nisi in casu, quo medicamenti vires subit. Unicus vini debilis haustus plus sitim sistere solet, quàm dimidia *cerevisiæ* mensura. Equidem vulgò dicunt, vinum calorem inferre, & sic febrem augere, ratione spiritus sulphurei volatilis; Verùm absurdam hanc esse sententiam, ex superioribus patet, cum potiùs tam spiritus volatilis, cujus in haustu integro vini vix ℈j. vel ʒß. continetur, quàm ejus acidum, stomacho & viribus dejectis sit amicissimum. Sanè, quibus nocet vinum in febribus, mox ab ejus usu nocumenta percipiunt; nempe mox phlogosin & æstuationis incrementum, non ob spiritum ejus inflammabilem, sed ob acidum. Talibus igitur interdicendum vinum, vel mox superingestis absorbentibus vis ejus refringenda.

Quoad potus alios: cerevisia, aut potus aliàs consuetus alius, non rejiciendi sunt, nisi amaror sit molestus, aut æger eos horreat. Omnes utplurimum febricitantes, in specie in continuis, recusant cerevisiam; quia tunc deficit appetitus, & in stomacho digestio prima plùs minùs: Ob id cerevisia talis assumpta in stomacho mox corrumpitur & cadaverisatur, ac nidorem stomacho molestum contrahit, indeque molestiam ipsi excitat, unde mox nausea ejus & abhorrentia sequitur; hinc simplex, tenuis & aquosus potus, facilè transiens, ventriculo amicus, nec eum lædens, est optimus. Appetunt propterea subindè Febriculantes conventum, vel alios simplices aquosos potus, item ejus fratrem Germanum, *Kauterling*, qui ipsi non denegandi sunt: saltim, quoniam facilè flatus in stomacho hypochondriacorum generant, & stomachi tonum lædunt, propterea, ut corrigantur nonnihil, & stomacho reddantur magis grata, blandè acidâ instillanda erunt, siccus citri nempè, cydoniorum, aut alius similis: item Tinctura florum bellidis, cyani, rosarum, violarum, cum acido phlegmate vitrioli paratæ; spiritus minerales, cùm simplices & dulcificati, tùm compositi, clyssi; quatenus hi salia acria lixivialia & nidorosa acria, quasi alcalisata, in stomacho corrigunt, præcipitant, & in aliud esse transmutant, nec non sub copiosiore potu stomachum ejusque robur conservant: e. g.:

℞. *Flor. rosar. rubr.* M.ij.
Infunde in *aquam spiritu sulphuris blandè acidulatam*, stent in loco calido, donec tinctura emergat: Hæc percolata sumatur, addendo
Syrupum acetos. citri vel *berberum*,
vel *rubi Idæi*,
& F. quasi *Julepus*.
S.
Julepus confortativus.

Vid. *Mynsichtii Decoctum citri*.
Vel
℞. *Pomor. citror.* no. iij.
In taleolas dissecta conspergantur *sacch. albo*;
Coq. in s. q. *aqu. simpl.*
Colaturæ ℔ißs. adde
Succi citri rec. ℥iij.
Flor. rosar.
Papav. errat. an. M.j.
Spiritus salis dulcis parum.
Stent in loco tepido in Infusione ad extractionem tincturæ.
Colatura
D. S.
Julepus citrinus confortativus.

Sic quoque aqua in formam Julepi aciduli praeparari potest. Item nitrum antimoniatum dissolvatur in potu, nisi ventriculi tonus debilis, nausea, &c. inhibeant.

In intermittentibus potus tales aciduli non priùs, quàm post frigus aut horrorem, affligente æstu, non tamen unâ vice, possunt admitti: potiùs tunc primum potum calidum plùs minùs medicatum assumant, cætera moderatè frigida largiùs superbibant, ut largior promoveatur sudor. PANAROLLUS & LANGIUS *in suis Epistolis* perstringunt eos Medicos, qui sitientibus ægris omnem subtrahunt potum in continuis febribus; cùm tamen in his largiùs sit præbendus, modò fiat cum regimine: nempe dum in continuis continuò sitiunt, crebriùs quidem, sed quacunque vice parciùs, nec nimis frigidus porrigendus potus, isque suprà dicto modo acidulatus, nè noceat, & minùs laxet stomachum. Imo *in febribus* conti-

continuis malignis optimè inservit pro potu ordinario mistura ex *aquæ fontanæ* seu *coventi* seu *Keuterlingii* part.ij. *vini* part.j. vel saltem dimidia, quarta, quinta, & sexta: quibus ad mens.iß. commistis addatur *pomum citrium in taleolas dissectum*, & est potus suavissimus & convenientissimus. Cui pro lubitu addatur *Gelatinæ cornu cervi* ℥j. ad ℥ij; sic appropriatum magis redditur. Aliàs quoque *serum lactis* bene depuratum & succo citri vel aceto nonnihil acidulatum, in febribus continuis benignis, item in intermittentibus scorbuticis & hypochondriacis, potus est optimus, nisi largior alvus inhibeat. Sed depuratum esse debet serum, ne pars caseosa remanens exasperet malum. Cum pomo citrio in taleolas inciso purificatur, & convenit etiam in morbis malignis continuis, laxat alvum, & temperat sal scorbuticum, & hypochondriacum peccans. Vel in forma Julepi:

℞. *Seri lactis* ℔ij.
Succi citri rec. ℥ij.
Flor. bellid.
Papav. errat. an. ℥iß.
Ebulliant vase clauso, donec tingantur:
Colaturæ adde parum *sacchari*:
M. D. S.
Julepus aperitivus.

In specie spiritus sulphuris cum s.q. aquæ communis propinetur, qui præter alia commodè, & copiosum sudorem movere solet: Vid. RIVERIUS *Centur.* 1. *Observat.* 19. PIENS *de Febribus Par.* 2. *pag.* 21.

Quoad victum: ordinariò parum in febribus continuis appetunt ægri, ob id Febricitantes nunquã ad alimenta nimis cogendi sunt, ac nil, quòd ipsi nauseant, porrigendum, sed tenuis diæta est optima: Semper ruminandum illud HIPPOCRATIS: *Corpora impura* (qualia primariò sunt Febricitantium) *quò plus nutriveris, eò magis læseris*: quia alimenta quæcunque in febribus, quæ citra appetitum & cum nausea assumuntur, non digeruntur; sed in stomacho calido & languido potiùs putrefiunt, & sordes febriles augent. Laudatissimus est HIPPOCRATIS *Aphorismus* 65. *Sect.* 7: *Si quis cibum febricitanti dederit, ut sanò robur, sic laboranti morbus fit*: Unde in febribus præsertim continuis, tenuis victus est optimus; & quò magis acuta est febris, eò tenuior ac strictior convenit diæta. Unde, licet ad plures dies ægri jejuni jaceant, perinde erit, nec unquam vidi febricitantem fame pereuntem, sed potiùs, si quid ingeritur febris exasperatur; superveniunt enim cardialgiæ & alia symptomata. Nam in alimentis appetitus præscribit rationem, quantum, & quale, & tempus: Unde consultius est ad cibum non cogere, vel persuadere ægros; nec voluit HELMONTIUS suos ægros à morbis obesos assurgere. In specie *carnium esus* ut aversatur in febricitantibus, ita nocet jis: item *pisces viscidiores*, imprimis in febribus intermittentibus, studiosè vitandi. *Fructus* quoque *horæi*, exque jis parata fermentescibilia, nociva sunt: *nam omnia, quæ augere aut inducere possunt fermentationem præternaturalem in febribus, nocent*. Summatim: Diæta febricitantium sit tenuis, parca, neque plus ægris obtrudatur, quàm ipsi appetunt: frustulum panis vino intinctum, jusculà, leves pulticulæ, & ad summum ova sorbilia in febre quacunque, tàm continua benigna, quàm maligna, abundè sufficiunt: Juscula interdum avenacea, & pultes ex pane & cerevisia, magis conducunt. In intermittentibus verò ingruente paroxysmo stomachus sit vacuus; quicquid enim in stomacho deprehenditur sub paroxysmo, corrumpitur: ac proin attendamus, ut ægri diu ante paroxysmum cibentur, si fortè appetant cibum.

Quies corporis, tàm externa in vigilantibus, quàm interna in dormientibus, est optima: sanè, quò quietiores sunt ægri (nisi hoc ex omnimoda virium prostratione fiat) & minùs anxii, eò melius est signum, & eò mitior est febris, ac benignior ejus conditio: è contrà si anxii sunt ægri, jactabundi, membra inordinatè agitantes, suspiriosi, &c. eò pejùs.

Somnus semper bonum signum est, nempe naturalis; præternaturalis autem comatosus, qui malignis interdum supervenit, malus & curandus. Aliàs nunquam arcendus somnus ab ægris est; sibi enim in somno relicta natura, nec perturbati spiritus, optimè suo funguntur munere, & coctionem materiæ eò citiùs absolvunt; unde & arte in incremento morbi, moderatè tamen, provocari potest: Ut taceam, uberiorem ferè esse insensibilem transpirationem, ac interdum sensibilis sudatio sub quiete somni esse solet.

Et hæc de Febribus in genere sufficiant.

CAPUT II.

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

HActenus in genere locutus sum de Febribus, dictumque fuit febres consistere in turgescentia ac fermentatione sanguinis præternaturali vitiosè aucta & depravata. Jam observandum: quod hæc fermentatio febrilis aut continua sit, & sine intermissione fatiget ægros, donec depurata massa sanguinea aut per crisin naturæ beneficio præcipitata & segregata heterogenea excludat; aut adjumento, debitâ evacuatione artificiali institutâ, imprimis per sudorem eadem expellat; aut ista effervescentia febrilis est interrupta, suis interstitiis distincta, quibus elapsis novus insultus, & quasi nova quædam fermentatio redit: ita, ut in genere febris omnis aut sit continua, aut intermittens. Hac vice de *Febribus intermittentibus*. In specie, quod attinet *Febres intermittentes*: sunt, quæ per intervalla nunc breviora, nunc longiora, diversis redeunt paroxysmis, tempore intercalari ab omni febre penitus vacuo. Unde, dum febris in genere est motus spirituum præternaturalis, & sanguinis fermentatio nimia & depravata, seu agitatio ejusdem inordinata, utplurimum cum calore & siti, aliisque præterea variis symptomatis molesta, quibus œconomia animalis variè perturbatur; hinc febris intermittens erit interpolata, ac quasi interrupta talis febrilis fermentatio. Referenda itaque erit febris inter symptomata actionis depravatæ spirituum & massæ sanguineæ; qui verò malunt morbum definire per morbum intemperiei, hi possunt respectu qualitatum nostrarum secundarum nunc intemperiem calidam, nunc frigidam; vel secundùm qualitates nostras primas, intemperiem acrem, vel salsam, vel amaram, accusare; Unde pro singulorum paroxysmorum accessione ac interstitio diverso febres hæ diversæ quoque sortiuntur nomina, ut Quotidiana, Tertiana, Quartana, &c. Nam si quotidiè novus redit paroxysmus præcedenti in proportione respondens, (hæc enim est cautela in cura quotidianarum,) dicitur quotidiana; si verò hoc contingat tantum alternis diebus, & una dies sit vacua, dicitur Tertiana; sin post duos demum intermissionis dies revertantur paroxysmi, vocatur Quartana &c.; sicut præter Quotidianas, Tertianas & Quartanas etiam dantur Quintanæ, Octanæ, Nonanæ. Mihi sanè contigit videre febrem octanam singulis diebus Veneris circa vesperam redeuntem, quam, præmisso vomitorio, spiritu salis ammoniaci breviter profligavi. Exempla talium febrium quintanarum, octanarum & plurium aliarum, videb. in SCHENCKIO *lib.* 6. *Observ. de Febribus*. Quinimò dantur etiam Febres menstruæ singulis mensibus tantummodò redeuntes; quale exemplum in juvene observatum annotavit SCHENCKIUS *citato loco*: Idem exemplum observavit LINDANUS in muliere, quæ toties, quoties menstruam patiebatur purgationem, ordinariò per triduum febricitabat. Imò dantur etiam febres anniversariæ, seu singulis annis certo tempore redeuntes: Imò Febris, quæ die natalis quotannis affligebat, & tandem etiam extinguebat, fuit observanda: vid. SCHENCKIUS *c.l.*

Febres hæ nunc sunt simplices, nunc ex pluribus intermittentibus sunt compositæ, quando nempe non uno & simplici paroxysmo, sed duplici aut triplici vice periodus febrilis absolvitur: Tales sunt, v. g. quotidianæ duplices, triplicesvè, quoties eodem die duo tresvè proportione variâ successivè sibi respondentes producuntur paroxysmi: Dantur Tertianæ duplices, triplices, item quadruplices ex tot Tertianis compositæ; sive in tertiana duplici eodem die bini, sive alternis diebus singuli revertantur paroxysmi; sicut in tertiana triplici unâ die bini, alterâ unus tantùm observatur paroxysmus. Id quod etiam de Quartanis similiter obtinet: Contingit enim, ut æger uno die sit immunis à febre, & diebus sequentibus patiatur paroxysmos singulos, atque tunc est Quartana duplex:

duplex: Quin & contingit, ut quotidiè novus recurrat paroxysmus, hoc tamen ordine, ut primus in proportione durationis, afflictionis, symptomatum, &c. respondeat quarto, quartus septimo, secundus quinto, quintus octavo, tertius respondeat sexto, sextus nono; & sic consequenter; & tales sunt Quartanæ triplices. De his vid. SYLVIUS *l. 1. Prax. cap. 27. §. 13. & sequ.* & SENNERTUS *Paralipomen. pag. 175.*

Ex his omnibus de febribus intermittentibus quotidianis dubium est, imprimis, an dentur? hoc est, an detur talis febris intermittens, quæ quotidiè simili typo recurrat, ita ut secundus paroxysmus primo, tertius secundo, quartus tertio, &c. exactè sint similes; sive in incremento accrescant; sive in statu similiter consistant; in declinatione similiter decrescent. Paroxysmi horum utplurimum sunt horarum octo, intermissio 16, imò sunt, qui affirmant, subindè ad horas 24. extendi paroxysmum, ita ut continuæ similis appareat. Multi affirmant, multi negant: Qui affirmant, GALENUM producunt: Qui negant, producunt experientiam. Cum enim in schola Galenicorum præter sanguinem tres statuantur humores à bile derivarunt Tertianam, à melancholia Quartanam; hinc necessariò à quarto humore, pituita, voluerunt febrim quotidianam produci. Qui negant, uti dictum, producunt experientiam, quod rarissimè observatæ sint tales febres; Quare etiam à BARBETTE omnis Quotidiana creditur Tertiana duplicata. Sed verior est sententia affirmativa, utut certum sit, rarò observari Quotidianas intermittentes: vid. tamen RHODIUS *Centur. 1. Observat. 1. & 5.*, ubi exemplum habet de febre quotidiana intermittente 4. annorum: Sic GABELCHOVERUS *Cent. 6. pag. 137.* observavit febrim diuturnam singulis diebus horà certà invadentem. Verùm decipiuntur interdum Medici, (sicut fateor, quod ipse ita fuerim deceptus,) ut, quando febris quotidiè recurrit, putent esse Quotidianam; quæ tamen sæpiùs est tertiana duplex, utut in principio singulis diebus eodem tempore & eâdem proportione recurrant paroxysmi: eventus docuit, fuisse tertianas duplices; cùm vel tertiana priùs simplex fuerit; vel interdum tales finiuntur ita, ut uno die paroxysmi cessent, alternis postmodum diebus redeuntes, quod clarum exemplum, fuisse tertianam duplicem; vel fit tandem, ut unus paroxysmus subindè soleat postponere, altero statum tempus observante, quæ similiter testantur, fuisse perfectam tertianam duplicatam; aut denique, quando fit, ut paroxysmi se mutuò insequentes non habeant eandem ad se invicem proportionem, ratione nempè temporis invasionis, aut ratione durationis, aut ratione comitum symptomatum: in talibus casibus ubi non respondet secundus primo, tertius secundo, & sic porrò; sed paroxysmus in tali casu tertius respondet primo, quartus secundo, quintus tertio, & sic porrò, similiter est febris duplicata, tertiana, utut quotidiè invadens. Interim cauti simus in determinandis quotidianis; non enim arbitror, simpliciter negandas esse, cùm nulla appareat contrarietatis ratio; quin potiùs, sicut tertianæ in quartanas, ita & hæ in tertianas facilè mutari possunt. Sed negotium totum pendet à controversia, unde ordinata ista febrium sit periodus? quæ quamdiu latet in obscuro, etiam præsens de quotidianis controversia ferè in suspenso manet.

Sed præter has febres certâ periodo affligentes, observantur etiam febres intermittentes, quæ nullam periodum observant, sed planè incerto tempore redeunt & affligunt; quæ ob id *inordinatæ vel vagæ*, item *erraticæ* communiter, HIPPOCRATI *Planetæ*, dicuntur, & verè ex scorbuto originem ducunt.

Erraticæ sunt, quæ quidem aliquam periodum habent, sed ita, ut videantur non habere: sic v. g. hodie invadit horâ duodecimâ, perendiè sextâ matutinâ, rursus perendiè vesperi octavâ, rursus perendie horâ decimâ, &c. *Vagæ* sunt, quæ planè nullam periodum observant, neque tempus accedendi vel recedendi habent, quin aliquando per noctes diesque aliquot in septimana remittit, & tunc redit, cum fit mox tertiana, mox quartana &c., utut communiter hæ duæ promiscuè usurpentur.

Historia febrium intermittentium, quomodo affligant, & successivo symptomatum ordine paroxysmos absolvant, optimè enarrat SYLVIUS *l. 1. cap. 30. §. 13. ad 26.* In genere tamen triplici primario symptomate, eoque insigni, ordinatiò, præcedente scilicet *frigore ac horrore vel rigore*, unde Germani dicunt, *das Kalte*, & subsequente calore plùs minùs intenso totius corporis, indeque emanante sudore largo, molestæ sunt hæ febres.

Hæc tria verè primaria constituunt symptomata paroxysmorum, quæ ferè semper aut ut plurimum in intermittentium paroxysmo percipi solent, utut pro circumstantiarum varietate nunc unum, nunc alterum symptoma, vel abundare vel deficere soleat, & secundaria quasi symptomata superveniant. Percipiunt nempe ægri ante paroxysmos febrium intermittentium (ut totum earum describam periodum) *Oscitationem* & *pandiculationem*, quin & *lassitudo artuum* universalis subindè est molesta; hinc non rarò insequi solet in lecto *inquietudo corporis*: His molestiis subvenit plerumque corporis quædam lenis refrigeratio; quæ refrigeratio, quod benè notandum, lævior aut saltem perceptibilior est in regione lumbari, ita, ut in dorso sursum & deorsum repere videatur: unguesque ingruente paroxysmo fiunt lividi aut cœrulei: frigus in abdomine sentitur, hinc magis, magisque totum corpus, & in specie extrema digitorum, manuum, nasus, mentum refrigerantur; coquuntur ægri circa regionem lumbarem de sensu lacerationis: Frigori junctus est nunc levis horror, nunc gravis rigor concutiens & quatiens membra, ut Patientes epilepsiâ affligi videantur: durante frigore dolores subindè nunc rodentes, nunc lancinantes, nunc dolores vagi artus affligunt, nunc alia tormina & murmura inflant abdomen, donec tandem remittant, nunc immediatè, quod bonum, nunc, quod pejus est, successivè & certo intervallo & incipiente frigore. *Pulsus*, uti est *frequentior*, ità fit insigniter *minor*, fit etiam *debilior*, interdum tàm debilis & exiguus propter fermentationem sanguinis imminutam, ut vix digitis percipi queat. In hoc frigore, aut remittente jam frigore, subindè *anxietates circa præcordia* solent affligere ægros, unde tunc sensim sensimque frigus mutatur in calorem, cum quo calore intenditur *sitis*, quæ rariùs, aut saltem non adeò vehementer, urget in frigore. Cum calore *pulsus* fit continuò *frequentior*, sensim fit major aut robustior; *Ubi enim in corporis incalescentia pulsus est parvus, signum ferè esse solet febris malignæ, summæque virium prostrationis*; ideòque non parvum imminet periculum. Calori aucto accedit *linguæ ariditas*, *respiratio aucta*, nonnùmquam *capitis dolor*, ac æstus temporum & colli pulsatilis, *vigiliæ*, non rarò quoque in paroxysmo graviore *delirium*. Hinc remittente iterum nonnihil calore sudor emanare solet nunc copiosior, nunc parcior, cum quo paroxysmus evanescit, ita, ut hoc cessante nihil amplius morbosi in ægro restare videatur; aut saltem urinæ sequitur copiosa excretio, insequente tunc ferè somno vario, nunc magis, nunc minus quieto, somnus variis molesto, ac turbato. Notandum tamen in tertianis magis affligere æstum, in quartanis frigus & rigorem, in tertianis majorem sitim, in quartanis majorem artuum lassitudinem, quæ in & post paroxysmum solet affligere. Hic est quidem modus ordinarius, quo solet invadere febris: nihilominus tamen observatur subindè anomalia seu degeneratio in paroxysmis à consueto hoc ordine: sic enim ratione symptomatum dantur febres *simpliciter algidæ* vel frigidæ, seu tales, quæ affligunt cum frigore aut horrore, quem autem nullus aut omninò levis insequitur calor, uti in febribus frigidis κατ' ἐξοχὴν apparere solet, de quibus suprà: E contrà etiam dantur febres intermittentes *simpliciter calentes* seu ardentes; idque in specie Tertianæ, vix quartanæ, quæ citrà frigus aut horrorem ullum, mox à calore & ardore gravi inchoant, qui calor etiam interdum post paroxysmum subindè durat, aut saltem lentè admodum ac pedetentim remittit. Rarum interim est, inverti horum in paroxysmo ordinem, ita, ut calor præcedat, sequatur frigus, &c. vid. PRIMEROSIUS *de Febribus l. 2. cap. 4. pag. 98.* Unde pro hujusmodi symptomatum variationis ratione in paroxysmo plures accidentales intermittentium differentiæ emergunt, dum dicuntur febres *vomitoriæ*, quas ferè semper, imprimis in tertianarum principio, corripiunt vomitus, rariùs dejectiones ordinariæ: *Siticulosæ*, quando sitis nimis ac extraordinariè urget, idque tam in frigore, quam calore, quod in scorbuticis subindè solet evenire: *Famelicæ*, quibus conjuncta fames gravior, & tantum non inexplebilis, idque sæpius inchoante paroxysmo, aut saltem eodem continuato; Febres *Cardiacæ*, quæ cum molesta cardialgia conjunctæ sunt: *Torminosæ* seu colicæ, quando in principio paroxysmorum, aut saltem in statu, subindè tormina ac dolores abdominis sunt molesta: *Anxiosæ*, quæ imprimis cum insigni anxietate, præcordiorum angustia, & hypochondriorum tensione sunt molestæ, quæ symptomata emissi flatus vel ructus alle-

alleviant nonnihil, quales febres anxiosæ iis, qui malo hypochondriaco sunt obnoxii, solent utplurimum contingere: *Tussiculosæ* (qualem ipse vidi) quæ inchoante paroxysmo cum gravi tussi solent esse molestæ; inanis hic est tussis, & in qua parum, aut omninò nihil, etiam rejicitur: Item *Deliræ*, quando nempe in paroxysmo, imprimis in declinatione subindè delirium adest & recurrit: In declinatione dico: rarum enim est, ut in principio morbi adsit delirium: Vid. MARCELLUS DONATUS *Hist. Med. Mirabil. lib. 3. cap. 14.*, qui observat *delirium melancholicum in* muliere *quartanâ* laborante, quod delirium melancholicum singulis paroxysmis mox in principio rediit, remittente verò paroxysmo, & ipsum remisit, & intermisit: & hinc indè etiam plures tales, aut etiam aliæ in Practicis occurunt, in specie prolixiùs in SYLVII *Praxi c. l. §. 7. & sequen.* Quibus addantur *febres hystericæ*, i. e. quæ in paroxysmo conjunctæ sunt cum pathematis hystericis, imprimis cum suffocatione hypochondriaca; quale exemplum videbitis *in* M. A. N. C. *Ann. 2. Observat. 193. pag. 295.*: & *Tertiana soporosa in* M. A. N. C. *Anno 4. & 5. Append. pag. 45.*

Observandum hic est, diversimodè febres degenerari, & in se invicem quasi transmutari: V.g. frequenter observavi febres intermittentes ordinario modo affligentes, quæ post aliquot paroxysmos absque frigore & rigore prævio, solo calore ægris fuerunt molestæ: e contrà occurrerunt tertianæ intermittentes, quæ in principio fuerunt simpliciter ardentes seu calidæ, sed post aliquot paroxysmos reverà in typum suum ordinarium frigoris & caloris transmutatæ sunt: sicut frequenter occurrit, ut intermittentes chronicæ mutent formam, & declinantes solo horrore aut rigore crucient ægros, absque æstuationis superventu.

Utut autem febres intermittentes continuæ benignæ frequentissimæ sint, observantur tamen intermittentes malignæ seu periculosæ ita dictæ, quod instar febrium malignarum continuarum cum pulsu parvo ac debili, insigni virium prostratione, summa cordis anxietate, inquietudine, in principio paroxysmi affligunt, interdum exanthematum vel petechiarum eruptione & similibus funestis symptomatibus, sæpiùs sunt lethales. *Dubium* quidem hic quibusdam occurrit: *An dentur febres intermittentes malignæ?* Siquidem has ipsas vix ac ne vix quidem natura sustinere posse videtur, quin turbas excitet continuas, vimque inferat corpori, non, nisi ægrè, ferendam. Sanè, si grassantibus febribus malignis etiam in intermittentibus omnia eadem symptomata observantur, quæ in aliis tunc temporis frequentioribus continuis & continentibus occurrunt, ac præterea in cujuscúque intermittentis paroxysmo increscente calore pulsus non est magnus, sed est parvus & debilis, celer & frequens, signum ferè solet esse intermittentis malignæ, imprimis si reliquæ modò allegatæ unà conspirent. Reverà non negandum videtur, cùm observationes malignitatis in intermittentibus febribus indices non rarò in Practicis occurrant, utut ab his mutato nomine *Perniciosæ* vocentur: Conf. JULIUS CÆSAR CLAUDINUS *Resp. 2.* SENNERTUS *de Febribus lib. 2. cap. 16. pag. 488.* ubi *de Tertianis*, MENGATIUS *de Febribus malignis pag. 20.* Sic exempla talium tertianarum & aliarum intermittentium malignarum, præter GALENI testimonium, *Epist. 7. Tom. 81.* videbitis in EPIPHANIO FERDINANDO *Hist. 85.* de febre tertiana primò miti, quæ postmodum omninò maligna & pestilentialis facta fuit: quin & tales tertianæ malignæ videndæ sunt in RHODIO *Centur. 1. Observ. 9. & 10.*, in qua convalescenti maculæ lividæ prorupet unt: sic maculas petechiales in febre tertiana observavit MARCELLUS DONATUS *lib. 3. Hist. Med. Mirab. cap. 14.* Quin & Tertianas duplices primò & contagiosas epidemicas, deindè etiam simplices, sudoriferis imprimis curatas, videbitis in SALMUTH *Cent. 3. Observ. 31.* Item Tertianam duplicatam malignam curatam in RIVERIO *Cent. 3. Observ. 78. Cent. 4. Observ. 2. & 15.* Item aliam similem malignam Bezoarticis mineralibus curatam idem habet RIVERIUS *Cent. 4. Observ. 36.* & *Observ. à Pachequo comm. 4. pag. 160.* Nec solum Tertianæ, sed & Quartanæ malignæ observatæ fuerunt; vid. in MARCELLO DONATO *cit. loc.* Item *lib. 7. cap. 6*; item Quartam malignam habet HORSTIUS *lib. 1. Observ. 12. & 15.* Addatur his FEHERIUS *Tractat. de Scorz. Cur. pag. 72.*, ubi intermittentem petechialem malignam recenset: imò de Peste Londinensi testatur HODGES, ejus febrem nonnunquam per paroxysmos, quamvis utplurimum vagos, afflixisse.

Hæc in genere de Febribus intermittentibus, earumque variis symptomatis.

CAUSÆ.

Hæ Febres omnes intermittentes cujuscunque sint typi, & quibuscunque stipatæ sint symptomatis, *ejusdem* tamen omnes *sunt naturæ, & essentiæ in radice*; cognoscunt enim eandem omnino causam, focum, & fiendi modum, sive sint octanæ, sive sint simplices, sive duplices; diversificantur saltem pro subjectorum, & hinc certarum quarundam circumstantiarum ratione, secundùm rerum naturalium, non-naturalium, & præter-naturalium varietatem, à quibus etiam causis postmodum tanta diversitas symptomatum in his emergit febribus: Unde etiam earundem medendi ratio in omnibus est una eademque in methodo medendi generali; saltem accidentalis symptomatum differentia nonnihil observetur.

Patet hoc ex eo, quia sunt invicem permutabiles, qualis permutatio non deprehenditur, nisi inter habentia symbolum, seu quæ invicem symbolizantur, h. e. quæ essentiâ conveniunt: Sic non rarum est, febrem primò simplicem fieri duplicem, febrem quotidianam fieri tertianam: Quartanæ quoque in tertianam subita mutatio, & vicissim tertianæ in quartanam, iisdem utrobique permanentibus symptomatis, urgere videtur, utramque ab eodem humore generari, ut loquitur PIENS *Par. 2. de Febribus pag. 96. & 234.* Nempe præsupposito spirituum motu & impetu, ceu universali efficiente motuum, tàm animalium, quàm præternaturalium morbosorum, adeòque febrium causa proxima materialis seu occasionalis investiganda, quæ ratione radicalis originis & foci ventriculum & primas vias, ratione verò alterationis primariæ & inhæsionis massam sanguineam speciatim afficit.

Arbitror ergo *Causam hanc proximam* esse fermentum præternaturale in ventriculo genitum, quod subindè massam sanguineam alterando ratione motus fermentativi immutati, & partes nerveas primarum viarum vellicando, ratione acrimoniæ hostilis, occasionem & præternaturali spirituum motui, & hinc cæteris omnibus symptomatis, quorum complexus paroxysmum constituit, suggerit. *Fermentum hoc*, ceu admodum activum, *salinæ erit prosapiæ*, *ejusque acidæ*; Conspirant enim in hoc & supervenientia symptomata, & una eademque intermittentium cura. *Originem ejus*, tanquam causam omnium febrium intermittentium remotam, fabricari puto in stomacho & primis viis, ex vitiata nempe ventriculi digestione immutata, vel depravata; sive in fermento digestivo, sive in alimento assumpto, hæreat vitium. Occasione enim digestionis læsæ ex acido fermentativo naturali facilè præternaturale fermentum emergere, seque in alimentorum reliquiis, stomachi rugis inviscatis, inserere, & ita fomitem febrium intermittentium pro pluribus paroxysmis recurrentibus suggerere potest: uti hoc patet ex appetitu præternaturali, qui in his Tertianis nonnunquam etiam abolitus, imprimis verò circa paroxysmum imminentem. Notum namque est, nonnullos antea sanos ex usu rei a veritatæ, vel ipsis aliàs horridæ, incidisse brevi post in febrem; sicuti è contrà ex usu rei appetitæ intensiùs, ac summè, utut apparenter etiam noxiæ, diuturnis correpti febribus optimè nonnulli sanentur. Confirmat hoc, quod vel levis error in diæta & curatione commissus, aut febres recidivare faciat, aut easdem adhuc durantes insigniter exacerbare aut etiam duplicare soleat. Nec rarum etiam est, quosdam securare in his febribus solâ pertinaci ac statutâ inediâ, è contrâ alii curantur excessivo potu, sive sequente vomitu, sive sequente largiore & profusiore sudore, quod Germani exprimunt: *Stebaben das Fieber ausgehungert oder versoffen.* Exempla passim sunt obvia; Quædam saltem enarrabo. Novi hic mulierem, quæ ultra tres menses conflictata fuerat cum tertiana, sub longo medicamentorum abusu: Ipsa denique correpta appetitu halecis, illum, Medico licet non connivente avidè devoravit, & exinde præter spem & opinionem febre curata fuit. Novi hic aliam mulierem, quæ naturaliter aversabatur caseum: huic cùm clam, & ipsi nescienti tantillum casei cum aliis cibis fuisset oblatum, ipsa brevi post nauseâ correpta, & vomitu mox subsequente, febre tertianâ 17. hebdomades afflicta, à qua nec ipsa potuit curari, nisi quod aliquando intensè similiter appeteret halecem, quo commesto ipsa similiter sana evasit. Facit huc exemplum WIERI *in Observat.* de quodam, qui, 21. halecibus tumultuis esitatis, liberatus à quartana evasit. Sic

novi

novi hic virum, qui esu anguillæ, quam naturaliter abhorret, & nonnihil invitus comederat, in febrem tertianam, ultra quadrantem anni durantem, incidit. Utplurimum in mutatione victus peccatum febres producit.

Remanet ergò: causam omnium febrium intermittentium oriri in stomacho ex vitio digestionis primæ, ejusque certa cruditate acida: hinc rarum est, quod tales febres sint epidemicæ vitio aëris, vel vitio alimentorum contractæ, qualia exempla videbitis in SALMUTHI *l. c.* RIEDLINO *Observat.* 23. & 24. WILLISIO *Tractatu de Febribus cap.* 3. *pag.* 127. *cap.* 14. *pag.* 244. *cap.* 17; & de quartana epidemica *cap.* 6., item in BARTHOLINO *Cent.* 2. *Hist. Anat.* 56.

Non ergò putandum est, ex distinctis visceribus affectis, ut falsò quidam dicunt, distinctas etiam exurgere febres, dum tertianas ex vitio hepatis & bile, quartanas ex vitio lienis ac succo melancholico, quotidianas solùm ex stomachi vitio oriri volunt. Dicis: ac observatur labes talium viscerum, ita, ut in quartanis scirrhi, in Tertianis icterus flavus concipiantur? Respondeo: In principio harum febrium hæc viscera utplurimum esse salva & sana, utut diuturnis redditis his febribus, aut pertinaciter resistentibus iisdem, subinde viscerum talium tumores aut scirrhi, præsertim in quartana, nempe per figentia nimis seu paroxysmum cohibentia, superveniant; adeòque non ex causa radicali, sed potiùs hos tumores & viscerum labefactationes sub diuturno febriū cursu, tanquam producta morbosa ex læsa massæ sanguineæ crasi supervenisse certum est. Interim concedo facilè, infarctus tales quorumcunque viscerum, item alia corporis vitia, v.g. suppressa menstrua, & aggravare aliundè natas febres, & obstinatiores reddere, aut crebriori ac faciliori recidivæ occasionem subministrare, propter cachexiam ferè habitualem & dyscrasiam in massa sanguinea regnantem, & etiam sanos ad easdem disponere posse, uti sunt quamplurima exempla quartanarum, post suppressionem mensium ortarum; ita tamen, ut ipse fomes febrilis, & talium morborum Author, fabricetur in stomacho, nempe in hujus digestione primâ, ceu totius corporis fundamentali, insigniter turbatâ, uti notum est in mensibus suppressis infestare nauseam, vomitum, picam & similia stomachi vitia. Quod si ergò in stomacho vitiosè digeritur chylus, aut licet non digeratur vitiosè, si tamen vitio succorum, pancreatici & biliosi, non rectè separetur à fœcibus alvinis, & sic postmodum infundatur sanguini, non poterit ritè nec convenienter eidem assimilari.

Ex hoc fonte ergò uti plurimi alii exurgunt morbi, ita, ubi massa sanguinea per se existit facilè fermentativa aut promptiùs effervescibilis, v.g. in juvenibus biliosis, ebriosis, &c. aut à quacunque data occasione, aut crapulæ, aut iræ, aut suppressæ insensilis transpirationis, ad fermentationem præternaturalem disponatur, aut denique si ipse chylus non ritè subactus per se fuerit nonnihil fermentativus, v.g. ex fructibus horæis, ex potu non ritè defæcato, ex dulcibus &c., tùm facilè massa sanguinea his heterogeneis nec ritè assimilatis particulis, in quibus ad primarias facultates salinas semper respiciendum, turgida, datâ tali occasione in fermentationem vitiosam erumpit, sicque febrilem paroxysmum concipit.

Quod ut pateat, observandum: vitium istud concoctionis consistere imprimis in chylo non ritè salso volatili ac temperato, sed potiùs acido ac viscido nonnihil, plùs minùs, prout diversimodè variatur digestio. Unde diversimodè postmodum variat febris, accedente aliâ atque aliâ in omnibus subjectis sanguinis crasi. Saturata jam, & interdum ad turgescentiam usque impletâ, massâ sanguineâ tali materiâ vitiosâ malè assimilatâ, tunc pars istius materiæ vitiosæ in sanguine congestæ naturalem ejus fermentationem datâ occasione turbat; Unde cum sit acida ac viscida, particulas massæ sanguineæ salinas volatiles ac oleosas quodammodò obruit, sanguinem ad aliqualem coagulationem disponit aut inspissat, & ita notabiliter sanguinis fermentationem imminuit. Unde ingruente paroxysmo pulsus fit minor, fit etiam debilis præter debilem fermentationem sanguinis, interdum vix observatur, utut cor depravatâ sanguinis fermentatione irritatum frequenter se contrahat, sicque pulsum frequentiorem edat. Turbatâ ita sanguinis fermentatione, tunc salia ejus fermentativa non ritè invicem agunt, nec partes ejus oleosæ ex motu fermentativo debitum calorem concipiunt, calor sensim deficit corpori, & frigus succedit, quia & turgescente sanguine, & hinc confusis ac perturbatis spiritibus animalibus & vitalibus, lassitudo insignis prehendit artus. Dum verò materia peccans seu fermentum febrile delitescens, ex errore primæ digestionis genitum, exserere se incipit, plùs minùs vellicat partes nerveas & membranaceas ratione aciditatis hostilis, hinc eorum spasmi, frigus, horror, & rigor, modò major, modò minor, succedunt: In rigore enim primariò vellicatur panniculus carnosus, & ferè universum membranarum corporis, in specie abdominis systema, unde & frigus intensum, imprimis in abdomine & lumbis percipitur. Sunt nempe membranæ quæcunque totius corporis continuatæ & conjunctæ membranis cerebrum involventibus, adeòque facilè pars una alteram per consensum, & ipsa simis afficere potest: vid. D. KROHN *in parvo Tractatu de Motu Musculorum in fine Tractatus Willisii de Nervis*, & *infra*, *ubi de Cephalalgia*: Unde oritur musculorum motus, v. g. musculorum labia moventium, & sic stridor dentium, musculorum dorsum elevantium, unde ista elevatio in lectis Germanis: *Sie friebren, dass ihnen die Zähne Klappern, und dass sie immer in oder unter dem Bette in die hohe springen.* Hinc & in horrore & rigore, qui revera nihil aliud sunt, nisi membranarum convulsivi motus, (nam quod in musculis est motus convulsivus, id in membranis est rigor,) dum ita spasmo concutiuntur partes membraneæ, unde lancinationes ac alii dolores lumbares mesenterici, sicut & in extimis partibus lancinationes artuum vagæ oriuntur, etiam stomachus & intestina, & his connexa vasa cholodocha & pancreatica vellicantur, ut ob id contenta sua quocunque modo constituta convulsivo motu copiosiùs egerant, ex quorum plus minùs naturaliter constitutorum concursu oriundâ effervescentiâ non tantum varia abdominis symptomata contingunt, sed hæc ipsa effervescendo & regurgitando in stomachum, eundem in principio & incremento stimulant ad crebras & violentas istas vomitiones.

Ubi tamen non est putandum, materiam rejectam, nunc albicantem, nunc viridiscentem, latuisse in stomacho & fomitem esse morbosum; Nequaquam: sunt potius hæc ipsa succus pancreaticus & biliosus invicem commisti.

Fermentum interim hoc febrile sanguini permistum simul activitate suâ naturalem ejus motum fermentativum pervertere, hinc spirituum vitalium debitam emersionem & volatilisationem aliquantisper suffocare, nec non debitam incalescentiam ejusdem primitus impedire potest: (instar vini denuò ebullitionem molientis, turbari tunc videtur massa sanguinea; hinc enim in statu *pulsus parvi* minusque vehementes esse solent:) donec ipso fermento cum sale volatili oleoso sanguinis ad præternaturalem effervescentiam concitato oriatur per totum corpus incalescentia ista insignis, cum sanguinis turgescentia, æstu & ardore, pulsu magno, frequentiore, vehementiore & celeriore, donec materia fermentativa vitiosa omninò subacta, & instar fæcum in vino præcipitata quasi, & à reliquarum partium consortio liberata, seroque copioso per calorem attenuato imbibita, copioso urinæ fluxu, aut, quod frequentius, effuso sudore quasi critico excernatur, & ita massâ sanguineâ æqualiter ac naturaliter denuò fermentante, Febris omninò remittat ac intermittat, idque tamdiu, donec similibus recrementis fermentescibilibus in massa sanguinea adhuc hærentibus denuò ex parte maturatis, & turgescentiam concipientibus, novus redeat paroxysmus. Hinc etiam in *paroxysmo collecta urina* sanorum est similis, vigente adhuc fermentationis motu, quæ post paroxysmum collecta crassa, turbida, ac copioso sedimento onusta, solet excerni. Qualis tragœdia tamdiu durat, donec massa sanguinea omninò depurata ac quasi defæcata existat.

Ex dictis noto: ex acido & sale volatili urinoso, in sanguine quasi effervescente, totam paroxysmorum historiam esse explicandam; ita quidem, ut *frigus*, *horror*, & *rigor*, ipsaque febris, primariò dependeat ab acido vellicante membranas abdominis particulas, speciatim stomachum & intestina tenuia, quæ convulsivo impetu quatiuntur, & in consensum rapiunt cæteras membranaceas partes. Simile quid observamus in assumptione rerum ventriculo inimicarum, v. g. medicamentorum amaricantium &c., quibus hausis afficiendo Archeum & hinc genus nervosum, rigorem experimur simillimum horrori febrili; unde Germani: *Er erschüttert sich darnach.* Acidum autem in intermittentibus vellicans testatur talium febrium cura: (1) per *alcalia vel absorbentia*, fixa aut volatilia, uti sunt sal absinthii alcalisatum, sal tartari, nunc solum, nunc cum oleo baccarum juniperi destillato assumptum. (2) Quod rigor & frigus potentissimè sedentur per *olea destillata*, in specie caryophyllorum,

losum, tam intus assumpta, quàm extrà præcordiis illita; penetrando enim suo sale volatili oleoso destruunt acidum, vellicans partes membranosas ventriculi & intestinorum, & mirabiliter rigores sopiunt: sicuti & aliis in usu est hoc oleum penetrantissimum, ut spinam dorsi febricitantium comet inungendam jubeant, quod etiam non culpandum erit. (3.) *Opiata*, sensibilitatem partium, & inde dependentes convulsivos motus sopientia, eosdem rigores placant.

Calor paroxysmorum verò & *æstus* in febribus ordinariò fere urgens, quod sint ab acido fermento in massa sanguinea, per vitiosam & mordinatam fermentationem cum ejus sale volatili oleoso, ita quidem, ut acidum minus prædominetur, testantur: quod acida, imprimis *nitrata*, ut *nitrum antimoniatum*, *nitrum vitriolatum*, i. e. *arcanum duplicatum*, *spiritus nitri dulcis*, &c. optimè æstuationes compescant, figendo & coërcendo tàm acidum volatile, quàm sal volatile oleosum acre, indeque natam effervescentiam intensiorem, & ita nimios tumultus compescendo.

Observandum ulterius: quod vitiata sanguinea massa ex vitio digestionis primæ necessariò etiam vitientur primarii post massam sanguineam succi, biliosus & pancreaticus, quibus in paroxysmo uberiùs in intestina effusis, adeòque plùs minùs in intestinis effervescentibus, & ex mutua miscela texturam ac saporem plùs minùs præternaturalem acquirentibus, quàm plurima abdominis oriuntur symptomata; v. g. *anxietates præcordiorum*. *vomitus*, *tussis asthmatica*, *sitis clamosa*, *scorbutica*, *hypochondriaca & hysterica symptomata*. *tormina*; *rugitus & borborygmi intestinorum*, itemque *inflationes*. Et propterea in cura paroxysmorum, horum succorum simul maxima habenda est ratio, cum ab iisdem insigniter paroxysmi circa eorum principia exasperari & aggravari soleant; quæ, qualia sint? & qua ratione partim à succo pancreatico, partim à bile, horumque vitiata miscela, oriantur? optimè explicasse videtur SYLVIUS *in Praxi suo loco cap.* 30., utut effervescentia vix sufficiat, cum plurima sint problemata maximè necessaria, quæ ex illa non possunt resolvi.

Certum interim est, ab iis vitiatis, ac in principio paroxysmi in intestina effusis, atque vehementem invicem turgescentiam inducentibus, non tantummodo aggravari paroxysmum, sed multa etiam abdominis symptomata induci; qualia jam ordine recensebo: Nempe ab utrisque acrioribus vomitus crebriùs repetentes originem ducunt: à succo pancreatico acidiore, & bile minus oleosa, intenditur *frigus abdominis & circa lumbos* in latere dextro, ubi intestini duodeni infiguntur ductus: ab utrorumque acriorum intentiori effervescentia *æstus ac ardor in abdomine* molestus nascitur, ut ægri tales subindè dicant, & monstrent locum sub hypochondrio dextro: *es brenne sie im Leibe*: Ex iisdem fontibus non rarò *flatus hypochondriorum*; item ex flatibus subsistentibus intumescentiæ, inquietudines; & præcordiorum anxietates, & imprimis, si simul afficiatur stomachus & inficiatur; distentis plùs minùs hypochondriis difficiles respirationes ac insignes angustiæ; item dolores sub costis nothis, &c. nascuntur: quibus symptomatis medetur Clysma ante paroxysmum, aut in principio paroxysmi applicatum. Quod febribus intermittentibus malè curatis soleant supervenire tormina abdominis, audieris proximè, ubi agemus de variis abdominis doloribus. Acidum in corpore abundans Famelicas inducit febres. Cætera symptomata, ut *cephalalgia*, *agrypnia*, *deliria*, *respiratio difficilis*; *sitis*, &c. ex sanguine æstuante, spiritibusque animalibus intentius calefactis, indeque fortiùs agitatis & perturbatis originem ducunt. Ariditas linguæ ob consumptionem lymphæ salivalis linguam humectantis. Quod si adsit saliva, eaque simul salsa nimis, insigniter intenditur sitis.

Observanda etiam hic est *differentia febrium intermittentium*, v. g. *Tertianarum in nothas & legitimas*. *Legitima seu exquisita* ex pura & sincera bile fieri vulgò dicitur, in qua rigor est insignis, corpus veluti pungens, sitis & æstus magnus, vomitus biliosi &c., accessio longissima est 12. horarum, septem circuitibus ad summum judicatur: primus est debilis, secundus fortior, &c. quartus fortissimus; postea paulatim remittit. *Tertiana* verò *notha* dicitur, quæ ex bile cum pituita, seu, ut ego interpretor, ex materia acida viscida permista oritur, accessiones ad 16. vel 18. horas extenduntur, rarò 14 circuitibus solvitur, sæpiùs ad aliquot septimanas excurrit, calor in ea minus pungens est: Vid. POTERIUS *de Febribus lib.* 1. *cap.* 27. Uno nomine: *tota ratio differentiæ consistit* simpliciter partim *in constitutione massæ sanguineæ*, partim *fermento febrili plus minus liberò aut impedito*: Liberum enim nec impeditum, adeòque acrius, potentiùs quidem agit, & graviora infert symptomata, sed citiùs saturatum & enervatum febri finem imponit: Impeditum verò vel propter fomitem, aut vehiculum, cui inhæret, viscidius atque tenacius, adeòque, ut vulgò vocant, pituitosum, vel in subjecto, cujus massa sanguinea aliique ejus humores temperatiores, chylosiores, adeòque viscidiores existunt, minùs se exerere potest, adeòque mitiora quidem symptomata, sed diuturniores paroxysmos, febresq; etiam magis chronicas solet inducere.

Quicquid sit de *differentia febrium in nothas & legitimas*; saltem ex diversitate paroxysmorum modò enarratâ colligere possumus, quod, quò acrius est, & volatilius, adeòque activius fermentum febrile, eò acutiorem, h. e. breviorem, sive gravioribus symptomatis stipatam, inducere febrem: è contrà quò inertius est & minùs activum fermentum tale; id quod in specie evenit, quando pro fomite, in quo nidulatur, habet humorem viscidum & glutinosum; eò minus acutam, sed diuturniorem, & mitioribus comitatam symptomatibus fore febrim: Ex quo etiam quotidianarum præ tertianarum & quartanarum præsertim diuturnitas æstimanda; itaut, quò diuturnior sit febris, eò viscosum magis ac glutinosum fomitem fermenti in primis viis existere, putandum est: *indeque in acutioribus magis absorbentia, vulgò Præcipitantia dicta*; *in diuturnis verò seu chronicis Incidentia & Abstergentia magis conveniunt*.

Quæritur autem ulteriùs: quare febris intermittens absoluto uno paroxysmo non cesset? Hanc Quæstionem ut solvamus, attendendum est

1. Ad ipsum recursum,
2. Ad ipsum statutum recursus tempus.

Recursum quod attinet, præsuppono fomitem morbosum primario vitio digestionis primæ radicari in stomacho, secundariò in massa sanguinea; ita, ut primo paroxysmo non totus ejiciatur & subigatur; quin potiùs reliquias habere instar fermenti se multiplicantis. Fermentum dum dico, hoc ipso non magnam materiæ molem insinuo, sed interdum minimum quoddam miasma, activum tamen & penetrans, indeque efficaciter alterans; Unde etiam SENNERTUS *de Febribus* non ineptè asserit, quoddam miasma fermentativum hærere in massa sanguinea, quod revocet paroxysmos febriles, & quod à POTERIO dicitur seminarium febrile; utut non sit talis focus, nempe materia viscida, in corpore seu massa sanguinea. Nempe fomes in stomacho fermentativus delitescit; in massa sanguinea verò post paroxysmos inquinamenta quædam, licet minima, superesse videntur; unde fermento isto in fomite tantillum saltem odorem spirante, reliquis his commotis paroxysmi recrudescunt. Verùm quare tàm statutis horis, & tàm præcisò tempore, recurrat paroxysmus, adeò, ut in certitudine ipsa horologia superet, nec interdum dimidium horulæ quadrantem anticipet, hoc est quod à nemine huc usque convenienter explicatum fuit; sicut & aliarum omnium periodorum rationes sunt obscurissimæ. Nam nullus morbus fuit, qui non observatus fuerit periodicè affligens: sic v. g. cephalalgiæ periodicæ observatæ sunt.

Interim tamen causa hujus periodi adhuc sub tenebris inscitiæ est sepulta; & licet ego ultrà 30. diversas Authorum opiniones collegerim, nulla tamen est sufficiens; quotquot enim evolvi, tot quoque video refutandos: quædam sunt ridiculæ, nonnullæ ex toto absurdæ; ac proin hoc dubium nos etiam in medio relinquimus. Interim puto, causam hujus periodi febrium adeò certæ & statutæ in interno Archeo, per certam ideam modificato, consistere. Hinc præsertim in febribus diuturnis, non semper videtur adesse talis materia morbifica peccans, utut in principio interdum accidentariò simul adfuerit, uti jam etiam CELSUS monuit, cui natura tunc ex consuetudine videtur febrim continuare: videturque hoc confirmari experientiâ ex eo, quod tales febres diuturnæ sint subindè levissimæ, imprimis Quartanæ, ita, ut paroxysmus admodùm tolerabilis ultrà horam unam alteramvè non duret, & sit maximè tolerabilis, ægro interea optimè habente, cùm interim tales febres non ad annum, non ad biennium, sed ad quinquennium & decennium, imò ad 30. annos duraverint. Exemplum tertianæ per 30. annos durantis recenset SPIGELIUS *de Febre semitertiana lib.* 2. *cap.* 13. & BALDUINUS *Ronsseus Epist.* 13. *pag. m.* 50., item WIERUS *in suis Observationibus* aliquot exempla Quartanarum ultra 30. annos durantium; similiter

similiter mentionem facit febris 3. mensium RIVERIUS *Centur.* 3. *Observ.* 49. & sic porrò. Quis ergò ex fomite adeò copioso tantam febrium diuturnitatem velit derivare? quin potiùs credendum, aut consuetudinem aut miasma residuum diuturniorum febrium inducere paroxysmos. Unde etiam subindè tales febres citra notabilē materiæ peccantis excretionem, v. g. per terrorem, aut similem subitaneam alterationem, & motus corporis vel animi curari solent: Sic ex terrore subitaneo quartana aliquot annorum & ferè incurabilis fuit curata, ut refert BOYLE *in Philos. Exper. pag.* 219. Vid. etiam VALERIOLA *lib.* 2. *Observ. pag.* 123., ubi refert Quartanam contumacissimam, multisque remediis etiam non curabilem, quæ subitâ irâ & excandescentiâ ægri fuit curata; item SCHENCKIUS *in Observat.* de sene quartanâ afflicto, qui sub aqua demersus fuit curatus. Hinc est, quod opiata tales febres tutò & certò curant, cùm consuetudinem talem naturalem turbent: & quomodo quæsò subindè curarentur tales febres per amuleta ridicula, aut acria rubificantia, extrinsecùs admota? Sic refert SALMUTH *Pent.* 3. *Observat.* 81. *pag.* 364. de Tertianis diuturnis curatis per amuletum, factum ex charta linteo inclusa, cui fuit inscriptum:

Ein Fuchspeltz und ein Marder-Hut
Sind beyde vor das Kalte gut. Id est:
Pellicium Vulpinum & pileus ex Martis pellibus, contra frigus optima sunt remedia.

Item TIMÆUS *von GuldenKlee in Cas.* 20. *lib.* 8. de Quartana cum schedula curata: *Fett Fleisch giebt gute suppen:* id est: *Caro crassa dat bona jušcula.* In his solum alteratâ imaginatione cura fuit peracta, & nulla fuit materiæ morbificæ seu fomitis facta excretio sensilis.

Imprimis tamen observetur in regione nostra, ut habeatur ratio semper mali hypochondriaci vel scorbuti, quippe his utplurimùm se jungunt febres: Et uti *scorbutus* est Protheus, ac omnibus ferè se associat morbis; ita etiam non rarò Febribus intermittentibus, sicuti interdum continuis se jungit, easque insigniter exasperat. Periodi Paroxysmorum in talibus interdum sunt vagæ, modò anticipantes, modò postponentes: Nam, ubi adest febris erratica intermittens, ibi semper debet esse suspicio latentis scorbuti; adeò, ut dubitem, an febris sit erratica, quæ non sit à scorbuto, & fomitem habeat in stomacho. Interim fit interdum, ut etiam in abscessibus partium occultis, v. g. mesenterii, subindè rigores quidam cum subsequente phlogosi plùs minùs intensa accidant, & schema tertianæ, & quidem erraticæ, exhibeant: id quod evenit, dum membranosæ substantiæ ab acri acido vellicantur, unde & in ruptura abscessuum partium internarum talis rigor vel horror subindè supervenit: hoc ipsum tamen rarò fit, cùm contrà scorbuticæ & hypochondriacæ intermittentes sæpissimè occurrere soleant. Scorbuti etiam præsentiam in febribus intermittentibus, ut & continuis, arguunt anxietates præcordiorum, dolores lancinantes artuum, aut etiam dolores vagi abdominis aut convulsivi, ante aut in paroxysmo, aut in frigore aut in calore affligentes; quibus tamen utplurimum in principio aut in incremento paroxysmi vomitus materiæ nunc flavæ, nunc viridis superveniunt; uti etiam maculæ quædam in paroxysmi statu & fine se exhibere solent; quæ quidem rarissimè petechiales sunt; frequenter tamen maculæ istæ, nunc lividæ, nunc rubidæ, nunc majores nunc minores, nunc cum sudore efflorescentes, post sudorem verò denuò evanescentes. Arenulæ etiam quasi rubræ, facilè tamen friabiles, in fundo matulæ hærentes, & undique parietibus ejusdem se affigentes, infallibile quoque complicati scorbuti sunt signum: Nam sunt salia concreta vitiosa acido-salsa, crystallisata; sunt friabiles, non duræ, ut calculosorum. Quod si verò desint hæ arenulæ, sæpiùs in superficiæ urinæ talium febre scorbuticâ affectorum crusta pinguis adest, aut hæret in iis sedimentum crassum copiosum, & quasi furfuraceum, subrubicundo sanguineo quasi atque incarnato colore non nihil tinctum: in tali casu sæpiùs etiam, imò ferè semper, subest scorbutus, ut alia signa taceam. Contumacissimæ sunt autem præ cæteris tales febres scorbuticæ, & quæ vix curari possunt, nisi sublato fomite scorbutico; aliàs enim vel septies recidivant.

Febres chronicæ, si modò cum frigore affligunt, modò cum horrore, abscessus mesenterii, &c. latet.

Febres periodicæ nunc statâ redeunt horâ, interdum etiam nunc citiùs, nunc tardiùs redeunt: & dicuntur anticipare, ita, ut si hodie paroxysmus febrilis tertianæ intermittentis patientem invadit horâ pomeridianâ tertiâ, tertiò die invadit circa meridiem horâ duodecimâ præterpropter; quod autem utplurimùm accidit in principio febrium: Vel dicuntur postponere, ita, ut hodiernus paroxysmus eveniens circa horam tertiam pomeridianam, redeat circa septimam pomeridianam diei tertii, idque utplurimùm in morbi declinatione.

Anticipatio talis vel Postpositio tres ferè habet causas.

1. Robur spirituum validius vel debilius.
2. Fermentum febrile magis vel minus activum in volatilitate & acrimonia.
3. Fomitem seu vehiculum materiale magis vel minus viscidum, magis vel minus copiosum, &c.

Ex his recursus varietas deducenda, atque pro causarum modò ratione dictarum etiam prognosis anticipationis aut postpositionis instituitur.

Præ cæteris typum mirabilem habet MARCELLUS DONATUS *lib.* 3. *Histor. Medic. Mirab. cap.* 14. de quadam febre, quæ primâ vice diei horâ primâ secundâ vice horâ secundâ, tertiâ vice horâ tertiâ, & sic successivè usque ad primam horam noctis: deindè ordine retrogrado à prima hora noctis ad vigesimamquartam diei, hinc à 24. ad vigesimamtertiam, vigesimamsecundam & usque ad primam horam diei (nam MARCELLUS DONATUS fuit Italus, unde ad horologium Italorum hos paroxysmos observavit) usque dum penitus extincta fuit.

Unum adhuc quæritur; *unde fiat, ut febres inter se invicem transmutentur*, jam simplices, jam compositæ? Fit enim, ut tertiana in quartanam, quartana in quotidianam, Tertiana duplex in quartanam, & sic porrò, degenerare observetur. Cœterum hoc confirmatur, quod febres intermittentes non differant essentialiter & modo fiendi; sed saltem quibusdam circumstantiis, & nunc impedientibus, nunc promoventibus activitatem fomitis morbosi; quæ omnes probè considerandæ sunt Medico.

Quod autem attinet *febrium multiplicationem, quando simplex fit duplicata, triplicata, quadruplicata*, &c. (nam RHODIUS *Centur.* 1. *Observat.* 15. habet Quartanam duplicatam, quotidiè ter invadentem) *oriuntur hæ ipsæ ex duplici fonte*:

1. Ex errore curæ.
2. Ex errore diętæ.

I. Ex errore Curæ:

1. Quando Medicus vel adstantes propinant præposterè, & nimis intempestivè, aut nondum præmisso vomitu, specifica febrifuga, imprimis figentia; tunc enim optimè multiplicantur febres: Sic ex specifico febrili *Strobelbergeri*, & *Crollii*, quæ aliàs suas merentur laudes, intempestivè adhibitis multiplicantur febres certò, ita, ut simplex fiat duplex.
2. Inconsideratus Opiatorum usus (de legitimo *infra*) ante paroxysmum, non rarò etiam febres multiplicat: utut enim hæc tantùm non omnes febres intermittentes curent, tamen, si non præmittantur præmittenda, simplices redduntur duplicatæ, vel ad minimum diuturniores.
3. Acriorum, præsertim aromaticorum resolventium item purgantium acriorum ac vehementiorum, præsertim vegetabilium, usus ante coctionis signa, quæ ipsa movent quidem causam materialem, sed non promovent resolvendo, exsuscitant, sed non enervant fermentum febrile: Talia facillimè, præsertim in quartanis, multiplicant febres. *Verissimum* enim *est*; *Quartanam in principio blandè esse tractandam, ne simplex in duplicem, aut triplicem, aut etiam continuam lentam mutetur.*

Ac tandem.

4. Quando ægri volunt, ut subitò quacunque ratione abigantur febres, tunc loco simplicis sæpè duplex aut triplex emergit. Modi sunt varii: in hoc tamen omnes conveniunt, quod certo modo figant & sistant activitatem fermenti febrilis; unde concludendum erit, fermentum febrile quasi dividi & successivè inferre nunc duplicem, nunc triplicem paroxysmum.

II. *Errore diætæ exasperantur vel multiplicantur febres*, quando ægri, v. g. imminente paroxysmo, non habent stomachum vacuum, vel antè absolutum perfectè paroxysmum præmaturè aut nimis avidè, imprimis carnes, comedunt; vel quando intermissionis die copiosiora alimenta assumunt, cùm per victus intemperantiam morbo semper nova materia suppeditetur, uti eruditissimè dissefit RONSSETUS *l. a. Impura enim corpora*, juxta HIPPOCRA-

POCRATEM, *quò magis nutriveris, eò magis læseris*: vel sudorem fluentem supprimunt; vel in aut ante paroxysmum lacticinia bibunt; vel fructus horæos, aut alia similia facilè fermentescibilia quocunque morbi tempore assumunt: hæc enim sunt pessimæ notæ, & corruptione sui facilè fovent febres, easdemque magis chronicas reddunt: item ex usu nimio piscium interdum multiplicantur febres, & quæ sunt hujusmodi causæ aliæ.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*; primariò haurenda sunt ex paroxysmis. Si enim paroxysmus primus invadit cum horrore & algore aliquomodo, cui succedit sitis, & æstus ingens totius corporis, hic verò paroxysmus tertio die repetat, certissimum adesse tertianam.

Si cessante paroxysmo patiens iterum surgit, consuetaque peragit munera, tertiana est exquisita; sin verò cessante paroxysmo patiens nihilominus conqueratur de appetitu prostrato, cephalalgia, lassitudine, agrypnia, vel somno saltem turbulento, adest tertiana notha, vel quotidiana cum remissione.

Paroxysmi si singulis diebus redeant certis horis, attamen iisdem, v.g. die primo horâ 10. & tertio iterum decimâ; secundo verò die hora quartâ & quarto itidem quartâ horâ, certissimum tertianam duplicatam esse.

Signa paroxysmi imminentis sunt: subitanea lassitudo, oscitatio, totius faciei & labiorum pallor, unguium pallor cum subsequente livore, nonnunquam etiam abdominis dolores, ructus nonnunquam.

Pulsus paroxysmi tempore est frequens, in juvenibus magnus, creber, fortis, urina est crassa aut viscida, in tertiana exquisita ad rubedinem inclinans.

Reliqua ex iis, quæ dicta sunt, per se patent, imprimis quoad scorbutum.

PROGNOSIS.

In *Prognosi* primariò attendenda est natura febris, secundariò ratio urinæ.

Quoad naturam febris: quæcunque intermittens *maligna & pestilens* est pessimæ notæ & periculosa; quamvis enim evidentes habeant intermissiones, ægrotantes tamen non rarò è medio tollunt, ut dicit RIVERIUS *in Praxi de Febribus*.

Benignæ sunt absque periculo, minusque periculosæ quartanæ, quàm tertianæ, utut contumaciores & diuturniores existant; cum è contra tertiana intermittens sit gravior & brevior: *Quæ*, ut rectè dicit HIPPOCRATES *sect. 4. aphor. 59., si legitima fuerit, septem* ad summum circuitibus finitur, modò æger fuerit obsequens, nec hic, nec Medicus, errorem committant.

Tertiana, quò magis est notha, quò magis mitis & lenta, eò est diuturnior, curatu difficilior ac periculosior. *Legitima* 7. circuitibus finitur. *Nothæ* verò ut sunt frequentiores, sic magis periculosiores, & curatu difficiliores, quæ subindè ultra 14. periodos extenduntur; quando verò nec illo tempore curantur, concludendum est, errorem vel ab ægro, vel à Medico commissum fuisse.

Utut autem benignæ periculosæ non sint, si tamen vel ab ægro vel à Medico error committatur, in lethales morbos degenerare possunt, ut rectè dicit WILLISIUS *de Febribus cap.4. pag. 139.* Facilè enim sunt curabiles, quæcunque eæ fuerint, etiam quartanæ, modò tempestivè aggrediantur, & viscera interna sint salva.

His præsuppositis: si febri in principio non occurratur, utplurimum evadit chronica; quo verò diuturnior est, eò magis ad cachexiam disponit.

Speciatim tamen tempus durationis ex urinis aliquo modo cognosci potest; in quibus cruditatis ac coctionis observatio utut non adeò necessaria sit, ac in continuis acutis, tamen propter evacuationem, & hinc specificorum legitimum usum imprimis observanda.

Omnis enim urina in principio solet esse tenuis: quò magis successivè crassescit, eò tutior aut etiam brevior innuitur morbus.

Imo dicunt: si in principio urina sit cruda, paulò verò post nubeculam albam habeat seu eneorema, bonum esse; quarto enim paroxysmo terminari febrim: sin verò urina sit pauca, rubicunda, sine nebula seu eneorema, vel non perfecta coctionis signa se offerant, quod tunc ad septimum usque paroxysmum extendatur febris, aut præter febris longitudinem invita solutio, cum metu nempe recidivæ, vel febris in alium morbum diuturnum degeneratio metuenda sit.

Observantur hæc in urinis aliquandiu post paroxysmos collectis: nam omnes, quæ in paroxysmo excernuntur, crudæ esse solent; in paroxysmo enim mediante fermentatione fit coctio, quæ eo finito ceu facta in urinis se exhibet.

Si in tertianæ secunda accessione omnia fuerint fortiora, in tertia verò remittant, quartâ accessione febris penitùs cessabit: sin verò in quarto paroxysmo omnia sint graviora, adeoque morbus sit in statu, & in quinto symptomata remittant, septimo morbus finietur.

Febris tertiana, quamdiu anticipat, tamdiu est in incremento; postquam verò postponit, adest ejus declinatio.

Quando copiosi sudores manant post paroxysmos, interdum in urina vix sedimentum apparet, & res est ubique sine suspicione: contrà, si contrà.

Convulsiones in paroxysmo febrili non sunt ita metuendæ, uti in continuis & malignis.

Febribus intermittentibus quibuscunque supervenientes viscerum quorumvis scirrhi, vel tumores his cognati (quod fit in febribus diuturnis malè curatis) malum innuunt, & ferè hydropem, aut icterum lethalem tandem superventurum innuunt, aut chronico quasi cachectico vitio successivè enervantur.

Intermittentes in genere quò magis in typo sunt costantes & minùs variant, eò diuturniores solent esse; contrà, si variant & anticipant, celerioris existunt solutionis.

Vomitus in intermittentibus benignis, sive in principio sit, sive in statu, optimum signum est; innuit enim valorem naturæ.

Quoad *Quotidianas*: cum longè sint, & à fomite pertinaci foveantur, interdum non vacant periculo. Nam, cum ventriculus ferè insigniter afficiatur in hac febre, & ipse sanguis crudus, ac ferè aquosus constitutus sit, facilè, qui eâ detinentur, in cachexiam, hydropem, ac alios periculosos affectus, item in carum ac lethargum, dilabuntur.

Quotidiana diurna nocturnâ est periculosior, cùm tempus medium deficiat.

Diuturna est febris quotidiana, & durat dies noctesque 40., nonnunquam ad aliquot menses; quò citiùs tamen signa coctionis se exhibent, & paroxysmi breviores sunt, ac in principio eorum vomitus adsit, brevior ac salubris promittitur eventus.

Si vires & appetitus in Quotidianis valdè dejiciuntur, accessiones sunt longæ cum nullo sudore, parva salutis spes superest.

Solvuntur Quotidianę frequenter Vomitibus & dejectionibus viscidis seu pituitosis, tum per dolores articulorum, metastasi ad articulos factâ.

Si æger in quotidiana quotidiè somnolentior evadat, ac gravitatem quandam circa caput sentiat, carum seu lethargum affuturum notat: Vid. FORESTUS *lib.3 Observ.21.* ubi plura de hoc argumento.

Quartana quidem omnium est tutissima propter longa intervalla; ex accidente tamen, quando multiplicatur, vel quando ob errorem ægri, aut irritationem medicamenti exasperatur, degenerando in alios morbos periculosa esse solet.

Quartana *Senibus* plerumque est lethalis, iis præsertim, qui sexagesimum annum transgressi sunt.

Quartana longissima est omnium febrium, & sæpè ad aliquot annos extenditur. MASSARIAS vidit Romæ matronam, quæ 22. annos eâ laboravit. Utplurimum tamen ultra annum non exporrigitur.

Quartana si est constans in typo, vel ad interitum, vel ad graviora tendit symptomata; sin verò fuerit inconstans, ad salutem vergit, & subindè motu veluti critico evacuatur.

Quartanæ si fuerint inveteratæ, Medicorum scandala fiunt, & raro, nisi circa anni mutationes, nempe circà solstitia & æquinoctia, solvuntur; his enim anni temporibus subindè curantur, tàm spontè, quàm etiam arte. Primus terminus est proximum solstitium seu initium quarti mensis; quo si non solvatur, extenditur ad proximum æquinoctium seu septimum mensem: imprimis Quartana autumnalis extendi solet usque ad æquinoctium vernum, quo præsente, ut plurimum cessat spontè.

Quartanæ æstivæ sunt breviores autumnalibus: hæ verò sunt admodùm longæ, imprimis si ad hyemem vergant.

Mulieres

Mulieres etiam Quartanâ diuturnâ correptæ, dum gravidæ fiunt, sponte ferè liberantur.

Diuturnior talis quartana, si ægri non exactum observent regimen, præsertim quoad potum, aut si conjunctus sit, aut superveniat pertinacior cujusdam visceris affectus, ægrotos in *hydropem, aut contumacem scorbutum* conjicit: sicca corpora ad hecticam & tabem deducit.

In omni intermittente, si intermissionis die constet appetitus, bonum est: si prostratus, malum: sicut & *dejectus* in Quartana *appetitus* malum est signum, & rarò tales evadere asserit HÖFFERUS *in Hercule Med. pag.* 293.

De Urinis Quartanariorum refert JOEL, quod extra paroxysmum sint aqueæ, ac tenues & pallidæ: sed die paroxysmi magis ad obscuram flavedinem vergant, & ante solutionem febris utplurimum turbidæ & nigræ excernantur.

Nigræ ergò urinæ in Quartanis cum euphoria ægri salutare sunt signum, imprimis sub cursu morbi; innuunt enim coctionem vitiosorum humorum, utut in aliis morbis sit periculosum: sin verò huic adjuncta sit virium prostratio, lethale est; labescit enim jam natura.

Modus eventus intermittentium est, quod vel transmutentur in febrim continuam, vel malè curatæ abeant in febrim continuam acutam vel hecticam: interdum, sed rariùs, ad mortem deducunt; vel perfectè successivè curantur, nunc per inediam, nunc per sudores, quæ solutio omnium tutissima, aut urinas copiosas: Quò etiam suo modo pertinent pustulæ & ulcuscula, subindè in malignis in labiis & naribus, & aliò erumpentia; de quibus vid. WILLISIUS: utut non solvant febrim, fausto tamen utplurimùm omine erumpunt; innunt enim fermentum eliminari in paroxysmo febrili per recolligentem se naturam. Nam & SALMUTH refert *lib.2. Observat.2.*, tertianas intermittentes per inflammationem labiorum criticam aliquoties finitas; seu artificialiter, dum legitimis evacuationibus, aut sudoris eductione curantur. Sicut etiam icteri die critico, paroxysmo quarto vel septimo, & cum euphoria ægri supervenientes varii, vel nigri, vel flavi, interdum tertianam & quartanam solvunt. *Aphorismus* HIPPOCRATIS *64. Sect. 4.* est verus; vid. BARTHOLINUS *Cent.3. Hist.4.*, qui observat icterum in quartana salutarem ante 7. supervenientem. Sin verò mox in principio appareat, conjunctaque graviora symptomata habeat, malum prognosticat, scilicet naturæ subversionem.

CURA.

Superest nobis *Methodus medendi cum Materia Medica* & similibus, quæ pertinent ad curam febrium intermittentium. In hac ergò eò imprimis respiciendum est:

1. Ut fomes materiæ morbosæ in stomacho & primis viis resolvatur & removeatur Incidentibus, Abstergentibus, Evacuantibus &c.
2. Ut fermentum febrile, & inde nati paroxysmi febriles, debitis appropriatis, aliàs dictis specificis, enerventur & tollantur, fermentationem inordinatam febrilem corrigendo, & præcipitando, hinc per convenientes vias, quò ipsa vergit natura, in specie tamen per sudorem, evacuetur. Et
3. Ut symptomata varia, sæpè in cursu urgentia, maturè removeantur aut mitigentur, in specie rigor, calor, & sitis. Et
4. Denique dyscrasia sanguinis reliquorumque corporis fluidorum, ac atoniæ viscerum sub cursu morbi supervenientes, alterantibus debitis corrigendæ & restituendæ.

Dictis scopis satisfaciendis conducunt optimè medicamenta salina; tàm artificialia lixivialia, nunc acria seu pura, nunc temperata seu composita salsa, ex acido & alcali constantia; quàm salia naturalia, in medicamentis febrifugis insigniter amaris ac acribus, sale volatili nunc acriori, nunc oleoso turgentibus, latentia. Uno nomine: sufficiunt febribus intermittentibus curandis alcalia, & quæ ad horum naturam propiùs accedunt: talia nempe, quæ acidum destruere & viscidum incidere valent, sive volatilia, sive fixa. Nempe præmissis quibusdam digestivis salinis, v. g. tartaro vitriolato, aut sale hypochondriaco, instituatur ante paroxysmum vomitus, isque interdum repetendus, quippe sine quo Quartanam curare impossibile est; Aut si hoc minùs consultum fuerit, die paroxysmum insequentem proximo antecedente fiat Purgatio. Præmissis talibus universalibus vel per superiora, vel, ubi opus fuerit, per inferiora purgantibus, usurpentur diaphoretica, tàm vulgaria, quàm appropriata specifica febrilia, ante paroxysmum; diebus intermissionis eadem digestiva & prima vias abstergentia, & postmodum appropriata alterantia aromatica, vulgò *Aperientia* dicta, v. g. Essentia absinthii, Elixyr febrile, Elixyr proprietatis, spiritus carminativus de tribus, &c.

Pro talibus ergò scopis legitimè obtinendis observentur quædam cautelæ, quæ instar cynosuræ sint. Ante omnia I. observetur, ut *maturetur Cura*. Intermittentes enim omnes incipientes facilè curantur, ut ultra 3. vel 4. paroxysmos non durent; si invalescunt, sunt contumaces. Quò autem diutiùs duraverint, eò contumaciores ordinariò fieri solent, & eò magis ægrum, ejusque humores ac viscera lædunt, & cachexiam aliaque mala post se relinquunt. Maturetur autem cura secundùm dictam methodum, motum naturæ promovendo, non autem eundem impediendo.

Observ. II. *Venæ-sectio* est inutilis apud nos ad curandas febres intermittentes: Nam febres tales ferè diuturnæ magis fiunt, ac certè paroxysmus venæsectionem insequens utplurimum gravior esse solet, & diuturnior reliquis antecedentibus: Et cui usui institueretur eadem? Sanè quò plus urget æstus, eò celerior promovetur naturæ opus in sudore, remittit sic æstus, ægerque percipiet levamen. Interim prout cursus variant, contingere potest, ut aliquando per accidens necessaria videatur venæsectio: siquidem *Ballonius lib 2. Epidem. & Ephemer. Constit. æstiv. anno* 1579. *pag.* 269. & ex illo BONETTUS *in Pharo Medicorum pag.* 196. Tertianam ob intermissam venæsectionem lethalem supervenientem spontè nimiâ excretione observavit. Salvatellæ sectio à quibusdam ad quartanam commendatur, incertâ tamen ex ratione: interim tamen BALLONIUS *cit. l. p.* 194. Quartanas diuturnas per salvatellæ sectionem curatas observavit.

Observ. III. Vomitus ac vomitoria in omnibus febribus intermittentibus insigniter sunt proficua, speciatim in Quartana, in qua præ cæteris auxiliantur; Unde etiam in gravioribus repeti possunt. Certum namque est, quod radix curandarum intermittentium, imprimis quartanæ, consistat in vomitu, ut dicit FREITAGIUS *in Aurora Medicorum*. Propinanda sunt hæc ipsa, vel unâ alterâve, aut tribus horis ante paroxysmum, ut cum natura oppugnent febrim, quò sic ante paroxysmum negotio suo fungantur. Quod si verò vires ægri, hinc febris & vomitus labori non videantur sufficientes, die paroxysmum proximè antecedente propinentur. Monet enim hoc natura ipsa, quæ sæpissimè ingruente paroxysmo per vomitum se exonerat. In primo febrium principio præprimis conveniunt, nec nocent interdum in progressu, vel ipsa etiam declinatione; sic enim chronicas ac contumaces febres repetita exhauriunt. Indicantur in specie, quando ægri conqueruntur de saporibus, aut amaris aut nauseabundis in ore, præsertim dùm manè evigilant; Nam tales sapores oriuntur ex stomacho, & sæpè contumaces reddunt febres: Aut quando inquiunt, se persentiscere quasdam angustias aut molestias in præcordiis, & monstrant regionem epigastrico-hypochondriacam, jectigationes, cardialgias, ructus, &c.; aut quando nauseæ vel vertigines, tàm in-quàm extra paroxysmum ægros vexant, &c. Interdum in principio paroxysmi moventur humores vitiosi in primis viis ad os ventriculi; & refert PRIMEROSIUS *de Febribus l b.3. cap.2. pag.*195: *Vidimus convulsiones & cardialgias singulis paroxysmis enatas ex bile æruginosa, quæ ejusmodi bilis vomitu sedabantur*. In his & similibus causis vomitoria in specie sunt necessaria. Quod si febris contumacior quodammodo affligat, repetitum vomitorium propinatum in statu est valdè proficuum: Hinc rectè Rulandus aquam suam terræ sanctæ, quæ maximè est antimonialis, tanquam catholicum commendat febrifugum, quo febres nullis pharmacis cedentes eradicatæ fuerunt. Nec quenquam deterreat, quod ægri spontè suâ in tertianis subindè vomant: Nam talis vomitus subindè est symptomaticus, acrimoniam succorum in primis viis commotorum & effervescentium insequens, adeoque verè est symptomaticus, ac rarò sufficiens: in quo casu, si cætera respondeant, etiam vomitorio, sed blando, sufficiens vomitus promovendus. *Imprimis utilis est vomitus in quotidiana*, ita, ut vix sit febris, in qua sit utilior; & quidem si necessarium videatur, per intervalla instituendus. Cautione tamen opus est, ne ventriculus aliàs debilitatus adhuc plus debilitetur. Peractâ vomitione, confortante aliquo, vino generoso, aqua cinnamomi cum vino aut cydoniata, aut simili extra vel intra usurpato, stomachus roborandus, aut

aut tumultus ab Emetico excitatus sedandus per opiata blanda, electuarium diascordii, Theriacam: v. g.

℞. *Aqu. rubi Idæi* ℥j.
Cinnam. spirituos. ʒj.
Conf. alcherm. ʒß.
Laud. opiat. gr. j.
Syrup. papav. simpl. ʒij. vel ʒiij.
M. D. S.
Potio confortativa.

Vomitoria desumuntur ex triplici Regno: Vegetabili, Animali, & Minerali.

Inter vomitoria Vegetabilia primò excellit *asarum*, quod nulli cedit, & ceu singulare Febrifugum antiquarium commendatur à STROBELBERGERO *Tractat. de Febrium Cura*. Usus ejus est, ut propinetur radix pulverisata mediocriter (minutissimè enim sudorem tantum movet) à ʒß. ad ʒj., aut ℈iv.: præscribatur cum pauco pipere, aut gr. viij. vel x. salis ammoniaci, in haustu vini calidi, aut aqua vel decocto centaurii min. aut cardui benedicti horâ unâ aut alterâ ante paroxysmum: benè se tegat æger in lecto; sic enim & vomitus, & post hunc largus sudor simul sequitur. Et certum est, omnes Authores commendant asarina vomitoria contra Quartanam.

Alio modo præparatur asarum, & quidem, ut fiat vomitorium admodum blandum ex foliis asari: assumunt *folia* ejus *viridia & succulenta* benè crassa, aut madore nocturno & diurno purgata, No. viij. x. ad xij. ad summum: hæc folia convoluta scindunt ad modum tabaci in longa segmenta (non minimè; quia tunc vehementius dant vomitorium:) infundunt per noctem in *aquæ cardui benedicti* ℥iv., ponendo in locum tepidum. Manè colatur infusum per linteum rarum, & datur vel per se, vel cum ʒß. *Oxymellis simplicis*, si sine ulla molestia vomitum movet.

Si vomitorium hoc debet esse potentius, tunc

℞. *Asari folia recentia* No. ix.

Conteruntur cum pistillo ligneo in mortario marmoreo, affunditur stillatim

Oxymel simplex ab ʒß. ad ʒj.

Itque terendo tamdiu, donec folia in liquidum & potabilem succum fuerint contrita: tunc addatur

Aqu. card. bened. ab ℥j. ad ℥iv.

Misceatur, & fiat haustus satis potens ad vomendum, in quibuscunque intermittentibus, in specie in quartanis.

D. S.
Potio vomitoria pro una vice.

Vel folia recentia trita cum vino exprimantur, & succus propinetur, qui validè vomitum ciet.

De asaro obiter noto: quod hac ratione præparatum sit vomitorium; Decoctum verò in aqua simplici omnem ammittat vim vomitoriam, & potiùs fiat appropriatum remedium diureticum, febres quartanas solvens.

Post asarum est aqua nicotianæ, quæ ab ʒß. ad ʒj. propinata ciet vomitus, uti videri potest in HARTMANNI *Praxi Chym. cap.* 238. *de Febre Tertiana*.

Denique radix vincetoxici & ipsa commendatur tanquam vomitorium in principio intermittentium: ut

℞. *Rad. vincetox.* ʒj.
Coq. in s. q. *aquæ & vini*:
Colaturæ ℥iß. vel ℥ijß. detur ulul: excitat vomitum blandum, & postmodum etiam diaphoresin:
D. S.
ut suprà.

Verùm omnibus quibuscunque vomitoriis præferuntur meritò vomitoria antimonialia ritè parata. In infuso calix vomitorius Rulandi; vel infundatur *crocus metallorum* ad gr. viij. in *Vinum Rhenanum* aut *absinthite* ab ʒß. ad ℥j. vel ℥iß. prout tamen mitior vel etiam fortior est crocus metallorum plùs minùs, (nam variant præparationes) Vinum probè filtratum potest sumi: e. g.

℞. *Mercurii vitæ* gr. v. ad vj.
Infund. in *vino Rhenano* vel *absinthite* q. s.
Stent in loco tepido per noctem, mane
℞. Filtraturæ ℥j. ad ℥x. vel ℥iß.
D. S.
Vinum emeticum.

Item Tartarus emeticus *Mynsichti & Ludovici* potest dari in substantia; & quidem *Mynsichti* à gr. ij. ad gr. iij.; *Ludovici* verò à gr. iv. v. ad vj.: e. g.

℞. *Tart. emet. Mynf.* gr. ij. vel iij
Salis ammon. simpl. aut *depurati* gr. xij. ad xv.
vel *lap. cancr. præp.* vel *sacchar.* gr. vj. ad ℈ß.
M. S.
Pulvis emeticus.
Detur in vehiculo calido.

Vel in forma pilularum:

℞. *Mass. pilul. de tribus Ruffi* gr. xv.
Tartari emet Mynf. gr. ij. vel iij.
Scammon. sulphurat. gr. j.
Cum *essent. cent. min. f. pilulæ*: S.
Pilulæ vomitoriæ pro una vice.

Oxysaccharum vomitorium, seu syrupus vomitivus à ℥iij. ad ℥vj. potest propinari in aqua appropriata, vel vehiculo appropriato ante paroxysmum: e. g.

℞. *Aqu. card. bened. vel cen. min. vel menthæ vel fumar.* ℥ij. vel ℥ß.
Syr. emet. Angeli Salæ ℥iij.
aut Syr. rubi idæi emet. ℥iß.
Nicotianæ ℥j. ad ℥ij.
M. D. S.
Succus emeticus.
Capiatur pro dosi.

Multi commendant sal vitrioli vomitivum à ℈j. ad ʒß.: sed ego horreo; quia remanet aliquid subinde, quod in totum destruit ventriculum. Optima ergo sunt vomitoria antimonialia.

Fortissima vomitoria sunt ramenta unguium humanorum, quæ infunduntur vino: Colatura sumitur, & violentissimos vomitus movet, adeò, ut non nisi militibus & rusticis propinari queat propter nimiam violentiam. Fuit *secretum castrense* KNOEFFELII.

Observat. III. *Purgantia* paulò *efficaciora* seu *fortiora*, præsertim *vegetabilia*, in principio intermittentium febrium esse nociva: turbant enim massam sanguineam, & dum cruda adhuc est urina, nil noxii expurgant, sed vires debilitant, & febrim efferatiorem reddunt. In progressu quidem nonnihil eliciunt, sed simul colliquefaciunt corpus; ideò sunt nociva: Imò febris intermittens in continuam per ineptam purgationem degenerare potest; Adeò in genere potenter Purgantia, præsertim acriora vegetabilia, in febribus intermittentibus sunt vitanda: Confer. SEPTALIUS *in Animadversion. lib.* 5. *pag.* 104. Imò in statu etiam, ubi copiosa sedimenta onerant urinas, si violentior purgatio fuerit instituta, insigniter debilitant ægros, & paroxysmos insequentes aut graviores, aut certè febres diuturniores reddunt. Possunt hæ febres curari sine ulla purgatione per inferiora (certis conditionibus), cum quidem vomitus in principio ex primis viis, aut sudor post paroxysmos, aut in declinatione universali erumpens sufficienter, quicquid heterogeneum est, ex sanguine expurgant. Quod si in principio aut in progressu morbi, ubi contumacior videtur febris, instituenda videtur purgatio, idque vel, si vomitoria locum non habeant, vel ob vomitionem impeditam, vel ob suspicionem excrementorum in stomacho aut intestinis stabulantium, sit ea lenis, ultra 3. vel 4. aut 6. sedes non proritans: id quod in omnibus, *præsertim in quartanis*, observandum est.

Genuina Purgantia ex Antimonialibus aut Mercurialibus desumenda sunt. Nam hæc dum evacuant, simul corrigunt fomitem & fermentum febrile, adeòque appropriatissima sunt, quorum defectu mitiora vegetabilia, in specie *sennata & Rhabarbarina* substitui possunt. Imprimis ab initio leviter tractandæ sunt *Quartanæ*, nullumque forte medicamentum in earum principio adhibendum; quia hæc ex simplici non rarò duplicem & triplicem faciunt quartanam. Imò observatæ fuerunt Quartanæ, quæ abadhibitis remediis diuturniores & contumaciores redditæ fuerunt, iis, qui absque medicamentis relicti fuerunt, citiùs reconvalescentibus. Vid. BALLONIUS *in Pharo Med. Bonetti pag.* 198.

Optimè usum purgantium in *Quartanis* determinat BALLONIUS *citato loco pag.* 196. Nempe levioribus in initio utendum: Coctâ quando est materia, ac jam aliqua ex parte mitificari cœpit, locus valentioribus esto; quoniam humores tenaces, crassi, viscosique leniorem vim effugiunt &c.; qui prolixiùs hoc negotium explicat. *Propinantur* convenientissimè tertio vel quarto paroxysmo absoluto, idque intermissionis die in tertianis, in quartanis verò die ante paroxysmum; vel etiam purgans propinetur ipso paroxysmi die, sed ita, ut effectum suum ante paroxysmi invasionem compleat: de quo vid. notabilis locus in DECKERS *Comment. in Barbette Praxin p.* 306. Imò in contuma-

contumaciore febre etiam appropriatis salinis incidentibus & abstergentibus remediis permista Purgantia ante paroxysmum propinari possunt, in specie *scammonium*, quod tunc ferè alterantis simul vicem obtinet, speciatim in quartanis ante paroxysmum simul cum aliis propinanda Purgantia: vid. BALLONIUS *citato loco pag.* 149. HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 291. Hic enim in recidivis, appropriatis absorbentibus & abstergentibus scammonium additum feliei cum successu usurpavit. *Purgantia talia sint, ut dixi, mediocria: Fortia aut deriora nocent*; sufficiunt blanda mitiora primas vias a sordibus inde latitantibus evacuantia. Conveniunt igitur quæcunque purgantium formulæ, speciatim tamen digestivi salini pulveres, aut infusa stimulo cathartico acuata.

Sufficit vel solus tartarus vitriolatus, grano uno vel altero Purgantis cujusdam acuatus. Dabo exempla: sit pulvis purgans mihi aliàs in frequenti usu:

℞. *Tartari vitriolati* gr. xij. ad xv.
Scammon. sulph. gr. iij.
Troch. alb. gr. ij.
Ol. destill. anisi gtt. ij. vel *ol. caryoph.* gtt. ii.
M. F. pulvis, qui 5. vel 6. Sedes. blandè movet: S.
Pulvis purgans pro una vice.

Vel

℞. *Crem. tartari*, vel *tartari vitriol.*
Pulv. jalapp. an. ℈ß.
Mag. scamm. gr. vj.
M. F. *pulvis*. S.
ut ante.

Vel

℞. *Crem. tart.* ℈j. vel gr. xxiv.
Pulv. jalapp. gr. vij. ad ℈ß.
Ol. destillat. caryophyll. gutt. j. M. S.
Pulvis aperitivus.

℞. *Pulv. hepat. rubr.*
Tart. vitriolat. an. gr. viij.
Scamm. Sulphurat. gr. v.
M. f. *Pulvis*: S.
ut ante.

℞. *Crem. tart.* ʒß.
Pulv. jalapp. ℈ß.
Extract. troch. alband. gr. j.
Ol. destillati anisi gutt. ij.
M. F. *Pulvis*: S.
ut ante.

℞. *Crem. tart.* ʒß.
Arcan. dupl. gr. xv.
Pulv. jalapp. gutt. vj.
M. F. *Pulvis*: S.
ut ante.

℞. *Rad. jalapp.* ℈ß. ad gr. xv.
Nitri puris. gr. vj.
M. F. *Pulvis*. S.
Pulvis purgans.

℞. *Pulvis jalapp.* gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Nitri puris. gr. iv.
Sal. tartari gr. ij.
M. F. *Pulvis*. S.
ut ante.

Quoad infusa: ex omnibus optimum est blandum infusum sennæ cum sale tartari, acidum vitiosum corrigente, quod non tantùm RIVERIUS *lib.* 1. *Observ.* 39. 40. *lib.* 2. *Observ.* 66. *lib.* 3. *Observ.* 32. & *Cent.* 4. *Observ.* 84., sed & alii quamplurimi Authores, in specie in Quartana, commendant; vel solitarium, vel cum helleboro nigro, aut ejusdem Extracto in Quartanis, aut cum rhabarbaro in tertianis sociato: e. gr.

℞. *Fol. senn. sine stip.* ʒiij. vel ʒß.
Sem. anis. contus. ʒj.
Sal. tartari ℈j. ad ʒß.
Infund. in s. q. *aqu. card. bened.*
Stent in loco tepido per noctem: manè
℞. *Colaturæ* ℥iij. adde
Aqu. cinnam.
Syrup. de pom. Reg. Sabor. ʒß.
M. S.
Potio laxativa.

Quæ potio 4. vel 5. vicibus purgat, est coloris elegantissimi, & saporis immunè nauseabundi.

In Tertianis additur *Rhabarbari* ʒj. & imminuitur dosis sennæ.

Vel

℞. *Fol. Senn. sine stip.* ℥j.
Rad. helleb. nig. crud. ʒij.
Polypod. ʒiij.
Sal. tartari ʒß.
Ebulliant leniter in *sero lactis per subsident. depur.*
Colaturæ ℥iv. adde
Tincturæ tartari ℈j.
Syrup. fumar. compos. ʒß.
M. S.
ut ante.

℞. *Fol. senn. sine stip.* ʒiij.
Crem. tartari ʒß.
Infund. per noctem in s. q. *aqu. card. bened.*
Stentur in loco calido: manè factâ blandâ ebullitione, coletur. *Colaturæ* ℥iij. adde
Syrup. de cychor. cum rhabarb. ʒß.
M. D. S.
Potio purgans pro una vice.

℞. *Fol. senn. sine stip.* ʒß.
Sal. tartari ʒiß.
Infund. in s. q. *aqu. comm.*
Stent in loco calido per noctem: manè
℞. *Colatur.* ℔ß.
D. S.
Potio aperitiva.

℞. *Fol. senn. sine stip.* ℥j.
Helleb. nigri crud.
Zingib. an. ʒj.
Sal. tartari acerr. ʒß.
Incis. & contus. indantur *nodulo*, infundantur in
Aquæ ferventis mens. j.

Et vase clauso reponantur, ut blandè frigescant: postmodum infusum in cella asservetur.

De hoc semper duobus horis ante paroxysmum, nec non diebus intercalaribus, bonus haustus calidè assumatur, imprimis in Quartana.

℞. *Com. absinth.* M. ß.
Flor. cent. min. p. ij.
Rhabarb. el. ʒij.
Rad. elleb. nigr. ʒj.
Cinnamom.
Sal. tartari an. ℈j.
Infundantur in *aqu. fumariæ*:
Stent in loco calido per noctem:
manè ℞. *Colatur.* ℥iij.
adde
Syrup. rosar. solut. ʒiij.
M. pro una dosi: S.
Potio purgans pro una vice.

Vel extractum hellebori junctum cum Extr. Martiali, in forma Potionis præscribi potest:

℞. *Aqu. card. bened.* ℥j. vel ℥ij.
Extract. helleb. nigr. ℈j.
Extr. Mart. aper. ℈ß.
Troch. alb. gr. ij. vel iij.
Syr. de pomis ʒvj.
M. f. *Potio*. S.
Potio purgans in Quartana.

℞. *Aqu. card. bened.* vel *menth.* ʒvj. vel ℥j.
Cinnam. ʒß.
Gumm. ammon. cum acet. solut. gr. xvj. ad ℈j.
Tart. vitriol. gr. ij. vel ℈ß.
Scamm. sulph. gr. iij.
Extract. troch. alb. gr. ß. vel gr. j.
Syrup. rosar. vel *de pom. solut.* ʒij.
M. S.
Potio emolliens laxativa.

Quod si pilulæ placeant, usurpetur extractum Catholicum Andernaci a gr. xv. ad ℈j.; item in eadem dosi Extractum panchymagogum Crollii; item Extractum helleb. nigri, & acuatum cum aliquot granis scammonii sulphurati. Aliàs etiam pilulæ tartareæ Quercetani, item pilulæ de ammoniaco Quercetani, & similia alia nota convenirent: e. g.

℞. *Mass. pilul. de Amm. Quercetani* vel *tartarear. ejusdem* gr. xv. ad ℈j.
Extract. absinth. gr. vj.

Scammon. sulphurat. vel extract. troch. alb. gr. ij.
M. F. Pilulæ. S.
Pilulæ febriles purgativæ.
℞. Mass. pilul. de ammon. Quercetani gr. xv.
Extract. card. bened.
Absinth. an. gr. iv.
Nitri antimoniati gr. vj.
Scamm. rosati gr. j.
Cum s. q. essentiæ martis f. Pilulæ. S.
ut ante.
℞. Extract. panchym. Crollii gr. xv.
Martis cum succ. pom. gr. xij.
Tartari vitriolati gr. vj.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Cum s. q. essentiæ martis f. Pilulæ: S.
ut ante.

Omnium optimum purgans, præsertim in febribus chronicis, est mercurius dulcis: e. g.
℞. Mass. pilul. de tribus Ruffi,
Merc. dulc. an. gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Extract. troch. alb. gr. j.
M. f. Pilulæ. S.
ut ante.

Vel in forma Boli:
℞. Conserv. rosar. ʒß.
Merc. dulc. ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. v.
M. f. Bolus. S.
Saccharum purgans.
℞. Merc. dulc. gr. xv.
Tartari vitriolat. ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Cum conserv. rosar. f. Bolus. S.
ut ante.

Egregius hic est Mercurius dulcis, quia viscidas, pituitosas, cruditates chylosas, & inde lymphæ vitia imprimis evacuat; scammonium verò acrioribus, & uti vocant, biliosis, expurgando in primis viis conducit. Pertinet huc præsertim contra quartanas contumaces Merc. dulcis cum Merc. vitæ mistus ad imitationem HARTMANNI *Praxi Chym. lib. 1. cap. 4. §. 1.* Vid. CARDILUCCIUS *Officin. Sanit. pag. 25.* Sicut & Butyrum Antimonii in substantia sumptum etiam est conveniens purgans in febribus: (adest enim aliquid de Mercurio vitæ.) Nam quidam propinavit gutt. ij. butyri antimonii in haustu vini, & quidem Quartanario, & citra ullum incommodum alvum solvit: rursus sumpsit gutt. v. in vino, & purgatus est, & sudavit, febrisque soluta fuit.

Pertinet huc *specificum empiricum* pro febribus intermittentibus, præsertim in Tertianis, vel simplicibus vel compositis:
℞. Mechoacan. alb. ʒij.
Grana piper. albi no. xxj.
Lap. cancr. præp. ℈j.
M. f. Pulvis.
Div. in 3. part. æqu. D. S.
Pulvis febrilis aperitivus.

Propinandus in haustu vini calidi, imminente paroxysmo, expectando semper sudorem largum; plures febres diuturnæ hoc ipso curatæ fuerunt.

Pertinet huic *Pulvis Comitis de Warwich*, præsertim additione Martis correctus, ante paroxysmum usurpatus, optimè conferens: ad cujus imitationem
℞. Crem. tartari gr. xv. ad ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. iij. ad ℈ß.
Antimon. diaphor. gr. vj.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis pro una vice.
℞. Antimon. diaphor. ʒß.
Mag. scamm. gr. xxiv.
Crem. tartari gr. ix.
M. f. Pulvis.
Div. in 4. part. æqu. S.
Pulvis febrilis laxativus.
℞. Crem. tartari ʒj.
Antimon. diaphor. ℈j.
Scamm. præp. gr. vj.
M. F. Pulvis.
Div. in 2. part. S.
Pulvis febrilis.

℞. Pulv. Cornach. ℈j.
Troch. alhand. gr. j.
Ol. destillat. macis gutt. ij.
M. F. Pulvis. S.
Pulvis laxativus.
℞. Pulv. jalapp. gr. xij. ad xv.
Antim. diaph. non edulcor. gr. vj. vij. ad viij.
M. F. Pulvis. S.
Pulvis febrilis aperitivus.
℞. Corall. rub. præp. vel lapill. cancr. præp.
Salis absinth. vel Arcan. dupl. Mynf.
an. ℈ß. gr. xij. xiij. ad xv.
Scamm. sulphur. vel præp. Brendel.
gr. ij. vel iij. ad iv.
M. F. Pulvis. S.
Pulvis febrilis laxativus.
II. Detur ante paroxysmum.
℞. Salis ammon. gr. xv. ad ℈j.
Pulv. jalapp. ℈ß. ad gr. xv.
M. F. Pulvis. S.
Pulvis aperitivus.
℞. Arcan. dupl. ℈ß.
Antimon. diaph. gr. v.
Corall. rub. præp. gr. iij.
Pulv. jalapp. gr. vj.
Scamm. sulph. gr. ij.
M. S.
Pulvis laxativus.
℞. Arcan. dupl. gr. xv.
Antim. diaph. ℈ß.
Scamm. sulph. gr. iv.
M. S.
Pulvis aperitivus.

Egregiè conferunt, præsertim si mox in rachitiva capiantur. Item
℞. Passul. min. laxat. ʒv.
Tartar. vitriolat. gr. vj.
M. S.
Passulæ laxativæ.

Observ. IV. *Clysteres*, ad alleviandam paroxysmorum atrocitam, ubi copiosi flatus aut borborygmi, aut ardores abdominis, aut dolores in centro mesenterii circa vetebras lumbares, aut angustiæ in præcordiis, quæ sudorem sæpè impediunt, sunt insigniter proficui; item in ventriculi symptomatibus ante vel in paroxysmo, v. g. vomitu nimio, anxietatibus, item gravibus aliis symptomatibus, ex acrioribus & mordacibus æruginosis succis ad ventriculum delatis, difficulter vomentibus, h. e. orificio stomachi superiori robusto instructis; id quod eò magis observetur, ubi alvus aliàs est obstructa, aut excreta indurata sunt, uti istud subindè evenit in hypochondriacis & similibus. Fiunt autem ex leniter abstergentibus aut carminantibus, cum sale tartari acuatis. In scorbuto vel febre scorbutica, ubi dolores abdominis convulsivi aut lumborum graviores adsunt, ex lacte itidem salubriter fiunt, vel solo, vel solvatur in eo saccharum aut mel, adjecto vitello ovi; mirè symptomata tollunt: sicuti & in hypochondriacis & hystericis, ubi urgent varia symptomata, clysmata talia ex & cum terebinthina maturè injecta multum conferunt. Dabo exemplum clysteris carminantis ac blandè abstergentis:
℞. Spec. carmin.
Emollient. an. M. j.
Salis cin. clavellat. ʒij. ad ʒiij.
Scor. reg. antimon. ʒj.
Coq. in s. q. aqu. simpl.
Colaturæ ʒviij.
adde
Elect. bacc. laur. ʒj.
Ol. destillat. tereb. ℈j.
M. pro Clystere: S.
Clyster.
℞. Spec. carmin. vel emollient. M. ij.
Nitri tartar. ʒj. vel ʒij.
Coqu. in s. q. aqu. simpl.
Colaturæ ʒix. adde
Elect. de bacc. laur. ʒj.
Ol. destillat. succin. ℈ß.
Vitelli ovi no. j.
M. f. Enema.
D. S.
ut supra.

℞. Flor.

℞. *Flor. chamom.* M. ij.
Baccar. junip. ℥j.
Sem. anis. ʒß.
Coqu. in an. *aquæ & urinæ humanæ*.
Colaturæ ℥viij.
Adde
Elect. lenitivi ℥j.
Ol. destill. baccar. junip. vel *terebinth.* ℥j.
M. F. Enema: S.
Clyster contra flatus.

℞. *Herb. chamom. Rom.* M. j.
Fol. lauri,
Flor. sambuci an. M. ß.
Rad. angel.
Levist.
Sem. anisi an. ʒvj.
Coqu. in s. q. *aqu. simpl.*
Colaturæ ℥ix. adde
El. de bacc. lauri,
Lenitivi an. ʒvj.
Nitri antimon. ℈j.
Ol. destill. angel.
Bacc. lauri,
Rutæ (multa namque faciunt in flatibus hæc) an. gutt. iv.
Vitell. ov. No. j.
M. pro *Clysmate*.
D. S. *ut suprà*.

℞. *Fol. lauri*,
Flor. sambuci an. M. ß.
Flor. cham. M. j.
Rad. levist. ʒvj.
Sem. fœnu græci vel *lini* ℥ß.
Coqu. in s. q. *urinæ humanæ* & *aqu. simpl. an. p. æq.*
Colaturæ ℥ix. adde
Elect. hier. cum agar. ʒvj.
de bacc. lauri ʒiij.
Ol. destill. angelicæ,
Carvi,
Rutæ an. gutt. iv.
M. pro *Clysmate*: S.
Clyster contra flatus.

℞. *Herb. absinth.*
Card. bened. vel *cent. min.* vel *veron.* vel *rutæ &c.* an. M. j.
Rad. enulæ ℥j.
Levist. ʒvj.
Bacc. junip. ℥j.
Sal. tartari ʒj.
Coqu. in s. q. *Aqu. simpl.* aut *seri lactis*.
Colaturæ ℥viij. adde
Elect. hier. cum agar. ℥j.
Mell. rosat. ʒvj.
Nitri, vel *salis ammon.* vel *salis gemm.* ʒiß.
M. pro *Enemate*: S.
Clyster febrilis abstergens.

℞. *Flor. cham.* M. ij.
Herb. menthæ M. j.
Baccar. junip. ℥j.
Coqu. in s. q. *aqu. simpl.* & *urin. hum.* an. part. æq.
Colatura calidè applicetur.

In *scorbuto* fiat Clyster ex lacte:

℞. *Lact. caprill.* vel *vaccini* ℥ix. ad ℔j.
Adde
Mell. rosat.
Rutac. an. ℥j. ad ℥iß.
Vitell. ovi No. ij.
M. F. *Clyster*, &
applicetur pro *duabus vicibus*: S.
Clyster pro 2. vicibus.

Semper horâ vnâ vel alterâ ante paroxysmum Clysteres injiciendi sunt, & sic operantur cum euphoria ægri.

Observ. V. Rarissimè aut ferè nunquam, nisi interdum per accidens, febres intermittentes solis universalibus, ut purgantibus, vomitoriis, venæsectioni, aut similibus cedunt; quin his administratis, alia insuper *alterantia appropriata* seu *specifica*, aliàs *Febrifuga* dicta, requirantur, quę fermentum febrile corrigunt, malam crasin massæ sanguineę emendant, & inquinamenta à paroxysmo relicta resolvunt, eaque per diaphoresin blandè excludunt, aliàs in pejus ruit malum. Experientia testatur, *Diaphoretica* in intermittentibus plus præstare, quàm purgantia, vel quæcunque alia, mostrante hoc naturâ in fine paroxysmi beneficio sudoris finientis tragœdiam: eaque sunt partim communia, præsertim salina, tàm fixa, quàm volatilia, nempe quorum vis in destructione fermenti febrilis acidi, ejusque per sudorem exclusione ferè consistit; uti est v. g. *China China* contra tertianas, item *Mistura Crollii* contra tertianas, &c. quæ vulgò dicuntur præcipitare, figere, effervescentiam sistere, &c.

Eligenda autem sunt Diaphoretica pro varietate symptomatum in paroxysmis distincta: in specie aromatica nimis acria, etiam theriacalia, vitanda sunt, ubi intensior æstus affligit ægros, utpote in quo casu fixa magis conducunt: vid. BECHERUS *Phys. subterr. lib. 1. pag. 393.*

Ac sanè febris intermittens tutò curata potest dici nulla, nisi per sudorem successivè finierit.

Observ. VI. Quicunque autem febres intermittentes rectè curare velit, eum cavere oportet, ne corpore non priùs purgato, per quæcunque loca id fiat, à *diaphoreticis* & *specificis* initium faciat, maximè in principio; quin potiùs præmissis universalibus tantummodò hæc exhibeantur; quia aliàs specifica intempestiuè adhibita, qualia sunt *Strobelbergeri*, *Timæi*, *Mynsichtii*, aliaque Terrea, febres reddunt compositas. Vomitorio semel præmisso tutò possunt ea dein dari.

Observ. VII. In omnibus intermittentibus febribus, aliisque periodicis morbis, *æger ante paroxysmum* & in eo *neque cibum neque potum assumat*; sed necesse est, ut stomacus sit vacuus. Quicquid enim paroxysmus in stomacho invenit, hoc omne digestionis primæ in paroxysmo penitus deficientis errato in scorias febriles, novo fomiti inservientes corrumpit. Alvus tamen utilissimè exoneratur ante paroxysmum, vel per se, vel speciatim injecto, si opus est, Enemate, uti ante monui.

Observ. VIII. Medicamenta febrifuga semper, non præsente, sed instante febre & ita ante paroxysmum *exhibeantur*, unâ vel duabus vel tribus horis ante eum; vel in vehiculo calido; vel, si non placet, in haustu vini absinthitis; vel alio medicato, promovendus dein sudor (si enim is non sequitur in fine paroxysmi, accedunt cephalalgiæ;) idque repetatur sæpiùs in duobus, tribus vel quatuor paroxysmis, licet non ampliùs redierit paroxysmus suo tempore, ut sic junctus viribus cum natura operentur. Ingruente autem sudore in fine paroxysmi, non nimis stragulis contegatur æger, ne animi deliquia incurrat, aut vires nimiùm exhauriantur.

Observ. IX. *In Tertianis perniciosis seu malignis* misceantur semper alexipharmaca: qualia sunt antimonialia fixa, item Bezoardicum Minerale, maximè Martiale & Joviale; quia magnum periculum subest. Interim tamen, cum febris maligna simulare possit tertianam, cautus sit Medicus, præsertim cùm lingua sit aspera & nigra, omniumque virium nimia & subitanea prostratio: (ex lingua multa petuntur signa, imprimis in continuis & malignis.) Forsan huc respexit JOHANNES TOLL *in Praxi Schenckiana* pag. 290. dicens: *Cum paroxysmus tertianæ est cum malis accidentibus & debilitate cordis, ita, ut putetur à materia venenata esse, dentur infirmo in paroxysmo seminis citri aliquot grana, & videbitis effectum mirabilem* &c. Nempe *Emulsio seminis citri* additis appropriatis alexipharmacis & absorbentibus, non foret inutilis.

Observ. X. *Spiritus salis ammoniaci* volatilis (modus parandi est omnibus notus) universale est febrifugum, & repetito usu præprimis rarò fallit in Quartanis, aliisque intermittentibus, sivè æstus affligit, sivè frigus; unde spiritus hic in genere spiritus antiquartius vocatur. Loco ejus enim ipsum sal ammoniacum depuratum, seu ejus flores, vel loco ejus sal catholicum, convenienter præmissis universalibus, seu uno alterovè paroxysmo jam delapso, ℈j. vel ʒß. ad summum (est enim acerrimum) propinantur. Verum obiter noto: non facilè, nisi pro subitaneo usu esse præscribendum sal ammoniacum conjunctum cum salibus lixivialibus fixis: Ratio, quia aliàs ex sale ammoniaco avolat omne sal volatile, relicto sale fixo acido, quod se jungit cum lixiviali, & fit sal tertium salsum. Ipsas febres scorbuticas etiam spiritus salis ammoniaci mitigat, in quibus cum ana vel dimidio spiritus cochleariæ optimè permiscetur. Usurpari potest tàm ante paroxysmum, si ritè paratus fuerit, à ʒß. ad ʒj., prout acrior vel debilior fuerit, quàm etiam die intermissionis ad gutt. xx. xxx. vel xxxx. bis in die in aqua quadam appropriata. Loco hujus Galenici in simplici febre intermittente & scorbutica succos aut decocta

absinthii, cardui bened., centaurii minoris, & similium plantarum febrifugarum amaricantium, sale volatili oleoso acri præditarum, ad imitationem RULANDI usurpari solent: loco quorum spiritus salis ammoniaci longè melior est. Pro hoc scopo

℞. *Spir. salis ammon.* ʒij.
D. S.
Spiritus febrilis resolvens.
Dentur 30. vel 40. guttæ, vel pro 2. dosibus.

℞. *Spir. salis ammon.* ʒj.
Ess. opii gutt. xv.
M. pro *una dosi* ante paroxysmum.
D. S.
Essentia febrilis pro una vice.

℞. *Spir. salis ammon. simpl.* ʒiij.
Liqu. cornu cervi succin. ʒj.
M. S.
Spiritus resolvens.
Repetatur aliquoties.

Vel

℞. *Aquæ card. bened.* vel *fumar.* ℥j. ad ℥iß.
Spir. salis ammon. ʒß. ad ʒj.
Laudani opiati gr. iß. vel ij. vel *ess. opii* gutt. (viij.
Syrupi card. bened. ʒij. vel ℥ß.
M. pro *dosi*. S.
Potio febrilis pro una dosi.

Vel

℞. *Aqu. card. bened.* ℥j.
Carmin. ʒß.
Spir. salis ammon. ʒß. ad ʒj.
Ol. destillat. caryophyll. gutt. ij.
Syr. card. bened. ℥ß.
M. F. *Potio* assumenda ante paroxysmum.
D. S. ut antea.

Mirè convenit, in specie si cum affectibus abdominis hypochondriacis gravior sit paroxysmus.

Vel

℞. *Aquæ card. bened.* vel *menthæ* ℥j.
Spir. salis ammon. ʒß.
Lapill. canc. præp. vel *corall. rubr. præp.* vel *antimon. diaphor.* ℈ß. ad ℈j. ʒj.
Ol. destillat. caryophyll. vel *succ.* gutt. ij.
Syrup. card. bened. vel *cortic. aurant.* ʒij.
M. S.
Potio febrilis pro una vice.
Addi etiam potest *Laudani opiati* gr. j., si frigus urget.

Pro varietate circumstantiarum in febre scorbutica permisceatur cum spiritu cochleariæ, repetatur, si opus; feliciter enim operatur.

Vel

℞. *Aquæ card. bened.* vel *cent. min.* vel *menth.* ℥j. vel ℥ij.
Cinam. ʒij.
Spir. salis ammon. ʒj.
Antimon. diaphor. gr. xvj.
Syrup. card. bened. vel *de beton.* ʒij.
M. D. S.
ut suprà.

℞. *Salis ammon. simpl.* vel *depur.* gr. xv. ad ℈j.
Corall. rubr. præp. vel *lapill. canc. præp.* vel, quod melius, *antimon. diaphoret.* vel *antihect. Poterii* ℈ß. gr. xij. ad gr. xv.
M. D. S.
Pulvis febrilis.

Detur ante paroxysmum, addendo unam vel alteram guttam *olei cujusdam destillati*, v.g. *caryophyllorum*, &c.

℞. *Salis ammon.* ℈j.
Antim. diaphor. ℈ß.
M. f. *Pulvis*.
Dentur 3. *doses*. S.
ut ante.

℞. *Aquæ antiscorbut.*
Cardui bened. an. ℥ß.
Spir. cochlear. vel *sal. ammon.* an. ʒj.
Lapill. canc. præp.
Specif. Febril. Strobelbergeri an. ℈j.
Laud. opiati gr. ij.
Syrupi scelotyrb. Foresti ʒj.
M. S.
Mistura pro aliquot vicibus in febri scorbutica.

In forma pulveris:

℞. *Salis ammon.* ℈iv. vel ʒiß. ad ʒij.
Div. in 4. part. æq. S.
Sal febrile pro 4. vicibus.

Vel

℞. *Salis ammon.* gr. xv.
Lapill. canc. præp. ℈ß.
Laud. opiati gr. j.
M. S.
Sal Febrile.
Detur ante paroxysmum.

Vel prescribatur sal ammoniacum cum sale absinthii vel aliis fixis, cum absorbentibus acidum; illudque in hypochondriacis temperant.

Obs. X. Præter spiritum salis ammoniaci salia fixa seu cineritia vegetabilium, cardui bened., fumariæ, centaurii minoris, absinthii, artemisiæ, imperatoriæ, adeòque quælibet alcalia omnes febres intermittentes, imprimis Quartanas & febres scorbuticas tollunt vi sudoriferâ, si solitariè à ℈ß. ad ℈j. imò ad ʒß. ante paroxysmum dentur; imò horum ℈j. adjunctum vel antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii, aut flores antimonii diaphoretici, aut flores sulphuris, quos HOFFMANNUS pro Tertiana perfectè curanda *in clave pag.* 370. commendat, bis vel ter ante paroxysmum in aqua cent. min. vel vino cum sudoris eruptione propinando: item lapilli cancr. præparati, qui & ipsi turgent sale volatili temperato, aut corallia, mater perlarum, aliaque concreta terrea, & quidem dimidiatâ ad illa dosi, pro circumstantiarum tamen varietate variandâ, rarò fallunt. Nempe fit interdum, ut nimis citò propinatus spiritus salis ammoniaci, aut ubi adhuc nimium adest frigus, minùs prosit, & tunc in subsidium vocanda salia fixa, & ante paroxysmum propinanda, continuato spiritu isto intermissionis tempore. Nam ubi magis urget frigus & rigor, quàm æstus, salia hæc fixa lixivialia sunt convenientiora, simulque fortiter sudores movent, nec facilè febrium duplicaturam admittunt: sed ubi excedit æstus, spiritus salis ammoniaci convenientior, quod per subitaneum sudorem æstum mitigat; item tartarus vitriolatus, Potio Crolliana, & similia. Hinc in febribus frigidis fixa utramque absoluunt paginam, & BARBETTE *in sua Praxi* salia fixa incinerata in cura tertianæ & aliarum febrium intermittentium longè præfert usui chinæ chinæ, tanquam tutiora & promptiora sine recidivæ metu: Item volatilia salia animalium, spiritus urinæ, aut hujus loco spiritus salis ammoniaci, sal volatile cornu cervi aut viperarum, quæ in Quartana à ℈ß. ad gr. xij. propinari, vel commodè aliis permisceri possunt. Præscribendi modus est hic:

℞. *Corall. rub. præp.*
Salis absinth. ℈ß. vel gr. xv.
Laud. opiat. ℈ß. ad gr. j.
Ol. destillat. caryoph. vel *bacc. junip.* gutt. ij.
M. f. *Pulvis*. S.
Pulvis febrilis.
Detur ante paroxysmum.

℞. *Salis absinth.* vel *card. bened.* ℈j.
Corall. rub. præp. vel *lap. canc. præp.* vel *antimonii diaphor.* ℈ß. gr. xij. ad gr. xv.
Laud. opiati gr. j. vel ij.
M. f. *Pulvis*. S.
ut ante.

Horâ unâ vel alterâ ante paroxysmum in vehiculo calido assumantur, expectando post paroxysmum sudorem.

Vel

℞. *Salis absinth.* ℈j.
Volat. cornu cervi gr. v.
Laud. opiati gr. ij.
M. S.
Sal febrile pro una vice.

℞. *Salis absinth.* gr. xv.
Volat. cornu cervi gr. iij.
Corall. rubr. præp. ℈ß.
Ol. destillat. caryoph. gutt. ij.
M. f. *Pulvis* ante paroxysmum assumendus. S.
Pulvis febrilis pro una vice.

Item contra Quartanam:

℞. *Salis absinthii* ℈ij.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Antimonii diaphor. ℈ß.
M. pro 3. *dosibus*.
D. S.

Pulvis

Pulvis febrilis pro 3. vicibus.
Vel
℞. *Salis absinth.* ℨj.
Lapill. cancr. præp. ℨß.
M. pro 4. *dosibus*. D. S.
Pulvis febrilis.
℞. *Corall. rub. præp.*
Salis absinth. an. gr. xv. ad ℈j.
Sol. fulmin. gr. vj.
M. f. *Pulvis*. S.
ut ante.
Detur ante paroxysmum.
De auro fulminante vid. HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 291.
℞. *Cornu cervi sine igne* ℈ij.
Salis card. bened.
Cent. min. an. gr. viij.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 2. *partes*. S.
Pulvis sudoriferus pro 2. *vicibus.*
℞. *Salis absinth.* gr. xv.
Antimonii diaph. ℈ß.
Corall. rubr. præp. gr. xij.
Ol. destillati sassafras gutt. ij.
M. f. *Pulvis*. S.
Pulvis febrilis.
℞. *Antimonii diaphor.*
Salis absinth.
Card. bened. an. ℈j.
Ol. destill. macis gutt. ij.
M. f. *Pulvis* pro 2. *dosibus*. S.
Pulvis febrilis pro 2. *vicibus.*
℞. *Lapill. cancr. præp.* ℈j. ad ℨß.
Antimon. diaphor.
Salis absinth. an. ℈ß.
M. D. S.
Pulvis febrilis.
℞. *Salis absinth.* ℈j.
Volat. cornu cervi gr. v.
Lapill. cancr. præp. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. *Pulvis*. S.
ut ante.
Detur ante paroxysmum.

HELMONTIUS commendat ad vim febrilem salia ex plantis cephalicis, majoranæ, salviæ, rorismarini, &c. sed non fixa, verùm volatilia, *in Tractat. de Febribus* §. 4: sed non omnibus licet adire Corinthum, ut possint habere salia vegetabilium volatilia in forma sicca: intermista sub forma olei possunt adhiberi.

In forma Potionis:
℞. *Aquæ card. bened.* ℥j.
Salis absinth. ℈j.
Cent. min. ℈ß.
Julepi rosar. ℨiij.
M. pro *dosi*. S.
Potio febrilis pro una vice.
℞. *Aquæ cent. min.* ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij.
Salis absinth. vel *card. bened.* gr. xv. vel ℈j.
Lapill. cancr. præp. ℈ß. vel gr. xv.
Syrupi card. bened. ℨß.
M. F. *Potio* ante paroxysmum assumenda. S.
ut ante.

Quod si urgeat rigor, guttæ ij. *olei destillati caryophyllorum* vel *baccarum juniperi* addantur.

Item ante Paroxysmum convenit hæc *Potio Sylvii* cochleatim assumenda:
℞. *Aquæ petrosel.* ℥ij.
Fœniculi ℥j.
Spir. theriac. ℨiß.
Sal. volat. succin. ℈j.
Syrup. card. bened. ℥j.
M. S.
Potio febrilis cochleatim sumenda.
℞. *Aquæ card. bened.* ℥ij.
theriac. s. ℨij.
Salis absinth. ℨß.
Spir. salis ammon. ℈j.
Syrup. papav. errat. ℨiij.
M. D. S.
Potio febrilis pro aliquot vicibus.

Obs. XI. Quod attinet *salia salsa fixa* seu duplicata, quæ constant ex alcali & acido, ut *tartarus vitriolatus*, *arcanum duplicatum Mynsichtii*, *sal hypochondriacum digestivum*, *nitrum antimoniatum*, item *tartarus nitr. Bartholetti*, quem vocat suum *alcaipyreton universale*, seu sal tartari imbibitum cum spiritu nitri: nam & hæc salia fixa lixivialia vegetabilium cum spiritu salis aut nitri coagulata in salia salsa crystallisata, mirè in omnibus intermittentibus conveniunt, imprimis in principio morbi tanquam digestiva & absorbentia ante universalia valdè utiliter usurpantur: Imò iis continuatis felicissimè sæpè febres profligantur. Diebus enim intermissionis pro abstergendis primis viis, & removendo paulatim, si quis subsit, fomite febrili, multum valent bis quotidiè à gr. xv. ad ℈j. & ℨß. in appropriato vehiculo usurpata; ideò die intermissionis ante vomitoria danda sunt, maximè sal hypochondriacum digestivum, quod Digestivum Quartanarium vocat SYLVIUS:
℞. *Salis hypochondr.* ℈ß.
Absinth. gr. v.
M. S.
Sal sive pulvis emolliens.
℞. *Salis ammon. depur.* ℨj.
Nitri antimoniati ℈j.
M. div. in 2. *part. æqu.* S.
Sal digestivum pro 2. *vicibus.*

Manè in vehiculo calido & vesperi in frigido capiendo; uti ante paroxysmum commodè etiam propinari possunt:
℞. *Arcan. dupl.* ℈ß. gr. xv. ad ℈j.
Lapill. cancr. præp. vel *antim. diaph.* ℈ß.
M. F. *Pulvis*. S.
Pulvis pro una dosi.

Detur ante paroxysmum, & etiam repetatur die intermissionis bis: egregiè prodest, copiosam præcipitat materiam.
℞. *Arcan. dupl.* ℈ij.
Antim. diaphor.
Lapill. cancr. præp. an. gr. xiv.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 2. *part. æqu.* S.
Pulvis alterativus.
℞. *Arcan. dupl.* gr. xv.
Lapill. cancr. præp. gr. xij.
Ol. destill. bacc. junip. gutt. ij.
M. D. S.
Pulvis febrilis alterativus.
℞. *Arcan. dupl.* gr. xv.
Salis absinth.
Corall. rubr. præp. an. ℈ß.
Laud. opiat. g. j.
M. f. *Pulvis*. S.
Pulvis febrilis.
℞. *Arc. dupl. Myns.* ℨß. vel ℈ij.
Salis absinth.
Lapill. cancr. præp. an. ℈j. vel ℨß.
M. f. *Pulvis*:
Div. in 2. vel 3. *part. æqu.* S.
Sal febrile per 2. *vel* 3. *vicibus.*

Detur dosis ante paroxysmum & die intermissionis loco digestivi. Conveniens est in febribus intermittentibus scorbuticis, item, ubi nimis urget febris.
℞. *Lapill. cancr. præp.*
Arcan. dupl.
Salis absinth. an. ℨß.
Salis volat. succini gr. xij.
Laud. opiati gr. iij.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 3. part. æqu. pro tot dosibus; S.
Pulvis febrilis pro 3. *vicibus.*

Semper dosin unam horam ante paroxysmum assumendo.
℞. *Eboris sine igne,*
Arcani dupl. an. gr. xij.
Auri fulm. gr. vj.
M. S.
Pulvis febrilis.
℞. *Crem. tartari* ℨj.
Tartari vitriolati ℨß.
Spiritus sulph. gutt. iij. vel iv.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 2. part. æqu. S.
Pulvis alterativus.

Pertinet

absinthii, cardui bened., centaurii minoris, & similium plantarum febrifugarum amaricantium, sale volatili oleolo acri præditarum, ad imitationem RULANDI usurpari solent: loco quorum spiritus salis ammoniaci longè melior est. Pro hoc scopo

℞. *Spir. salis ammon.* ʒij.
D. S.
Spiritus febrilis resolvens.
Dentur 30. vel 40. guttæ, vel pro 2. dosibus.

℞. *Spir. salis ammon.* ʒj.
Ess. opii gutt. xv.
M. pro *una dosi* ante paroxysmum.
D. S.
Essentia febrilis pro una vice.

℞. *Spir. salis ammon. simpl.* ʒiij.
Liqu. cornu cervi succin. ʒj.
M. S.
Spiritus resolvens.
Repetatur aliquoties.
Vel

℞. *Aquæ card. bened.* vel *fumar.* ℥j. ad ℥iß.
Spir. salis ammon. ʒß. ad ʒj.
Laudani opiati gr. iß. vel ij. vel *ess. opii* gutt. (viij.
Syrupi card. bened. ʒij. vel ʒß.
M. pro *dosi*. S.
Potio febrilis pro una dosi.
Vel

℞. *Aqu. card. bened.* ℥j.
Carmin. ʒß.
Spir. salis ammon. ʒß. ad ʒj.
Ol. destillat. caryophyll. gutt. ij.
Syr. card. bened. ʒß.
M. F. *Potio* assumenda ante paroxysmum.
D. S. ut antea.

Mirè convenit, in specie si cum affectibus abdominis hypochondriacis gravior sit paroxysmus.
Vel

℞. *Aquæ card. bened.* vel *menthæ* ℥j.
Spir. salis ammon. ʒß.
Lapill. canc. præp. vel *corall. rubr. præp.* vel *antimon. diaphor.* ℈ß. ad ℈j. ʒj.
Ol. destillat. caryophyll. vel *succ.* gutt. ij.
Syrup. card. bened. vel *cortic. aurant.* ʒij.
M. S.
Potio febrilis pro una vice.
Addi etiam potest *Laudani opiati* gr. j., si frigus urget.

Pro varietate circumstantiarum in febre scorbutica permisceatur cum spiritu cochleariæ, repetatur, si opus; feliciter enim operatur.
Vel

℞. *Aquæ card. bened.* vel *cent. min.* vel *menth.* ℥j. vel ℥ij.
Cinam. ʒij.
Spir. salis ammon. ʒj.
Antimon. diaphor. gr. xvj.
Syrup. card. bened. vel *de beton.* ʒij.
M. D. S.
ut suprà.

℞. *Salis ammon. simpl.* vel *depur.* gr. xv. ad ℈j.
Corall. rubr. præp. vel *lapill. canc. præp.* vel, quod melius, *antimon. diaphoret.* vel *antihect. Poterii* ℈ß. gr. xij. ad gr. xv.
M. D. S.
Pulvis febrilis.
Detur ante paroxysmum, addendo unam vel alteram guttam *olei cujusdam destillati*, v. g. *caryophyllorum*, &c.

℞. *Salis ammon.* ℈j.
Antim. diaphor. ℈ß.
M. f. *Pulvis*.
Dentur 3. *doses*. S.
ut ante.

℞. *Aquæ antiscorbut.*
Cardui bened. an. ℥ß.
Spir. cochlear. vel *sal. ammon.* an. ʒj.
Lapill. canc. præp.
Specif. Febril. Strobelbergeri an. ℈j.
Laud. opiati gr. ij.
Syrupi scelotyrb. Foresti ℥j.
M. S.
Mistura pro aliquot vicibus in febri scorbutica.

In forma pulveris:

℞. *Salis ammon.* ℈iv. vel ʒiß. ad ʒij.
Div. in 4. part. æq. S.
Sal febrile pro 4. vicibus.
Vel

℞. *Salis ammon.* gr. xv.
Lapill. canc. præp. ℈ß.
Laud. opiati gr. j.
M. S.
Sal Febrile.
Detur ante paroxysmum.

Vel præscribatur sal ammoniacum cum sale absinthii vel aliis fixis, cum absorbentibus acidum; illudque in hypochondriacis temperant.

Obs. X. Præter spiritum salis ammoniaci salia fixa seu cineritia vegetabilium, cardui bened., fumariæ, centaurii minoris, absinthii, artemisiæ, imperatoriæ, adeòque quælibet alcalia omnes febres intermittentes, imprimis Quartanas & febres scorbuticas tollunt vi sudoriferâ, si solitariè à ℈ß. ad ℈j. imò ad ʒß. ante paroxysmum dentur; imò horum ℈j. adjunctum vel antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii, aut flores antimonii diaphoretici, aut flores sulphuris, quos HOFFMANNUS pro Tertiana perfectè curanda *in clave pag.* 370. commendat, bis vel ter ante paroxysmum in aqua cent. min. vel vino cum sudoris eruptione propinando: item lapilli cancr. præparati, qui & ipsi turgent sale volatili temperato, aut corallia, mater perlarum, aliaque concreta terrea, & quidem dimidiatâ ad illa dosi, pro circumstantiarum tamen varietate variandâ, rarò fallunt. Nempe fit interdum, ut nimis citò propinatus spiritus salis ammoniaci, aut ubi adhuc nimium adest frigus, minùs prosit, & tunc in subsidium vocanda salia fixa, & ante paroxysmum propinanda, continuato spiritu isto intermissionis tempore. Nam ubi magis urget frigus & rigor, quàm æstus, salia hæc fixa lixivialia sunt convenientiora, simulque fortiter sudores movent, nec facilè febrium duplicaturam admittunt: sed ubi excedit æstus, spiritus salis ammoniaci convenientior, quod per subitaneum sudorem æstum mitigat; item tartarus vitriolatus, Potio Crolliana, & similia. Hinc in febribus frigidis fixa utramque absolvunt paginam, & BARBETTE *in sua Praxi* salia fixa incinerata in cura tertianæ & aliarum febrium intermittentium longè præfert usui chinæ chinæ, tanquam tutiora & promptiora sine recidivæ metu: Item volatilia salia animalium, spiritus urinæ, aut hujus loco spiritus salis ammoniaci, sal volatile cornu cervi aut viperarum, quæ in Quartana à ℈ß. ad gr. xij. propinati, vel commodè aliis permisceri possunt. Præscribendi modus est hic:

℞. *Corall. rub. præp.*
Salis absinth. ℈ß. vel gr. xv.
Laud. opiat. ℈ß. ad gr. j.
Ol. destillat. caryoph. vel *bacc. junip.* gutt. ij.
M. f. *Pulvis*. S.
Pulvis febrilis.
Detur ante paroxysmum.

℞. *Salis absinth.* vel *card. bened.* ℈j.
Corall. rub. præp. vel *lap. canc. præp.* vel *antimonii diaphor.* ℈ß. gr. xij. ad gr. xv.
Laud. opiati gr. j. vel ij.
M. f. *Pulvis*. S.
ut ante.

Horâ unâ vel alterâ ante paroxysmum in vehiculo calido assumantur, expectando post paroxysmum sudorem.
Vel

℞. *Salis absinth.* ℈j.
Volat. cornu cervi gr. v.
Laud. opiati gr. ij.
M. S.
Sal febrile pro una vice.

℞. *Salis absinth.* gr. xv.
Volat. cornu cervi gr. iij.
Corall. rubr. præp. ℈ß.
Ol. destillat caryoph. gutt. ij.
M. f. *Pulvis* ante paroxysmum assumendus. S.
Pulvis febrilis pro una vice.

Item contra Quartanam:

℞. *Salis absinthii* ℈ij.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Antimonii diaphor. ℈ß.
M. pro 3. *dosibus*.
D. S.

Pulvis

Pulvis febrilis pro 3. vicibus.

Vel

℞. *Salis absinth.* ℈j.
Lapill. cancr. praep. ʒß.
M. pro 4. *dosibus*. D. S.
Pulvis febrilis.

℞. *Corall. rub. praep.*
Salis absinth. an. gr. xv. ad ℈j.
Sol. fulmin. gr. vj.
M. f. *Pulvis*. S.
ut ante.

Detur ante paroxysmum.

De auro fulminante vid. HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 292.

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈ij.
Salis card. bened.
Cent. min. an. gr. viij.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 2. *partes*. S.
Pulvis sudoriferus pro 2. vicibus.

℞. *Salis absinth.* gr. xv.
Antimonii diaph. ℈ß.
Corall. rubr. praep. gr. xij.
Ol. destillati sassafras gutt. ij.
M. f. *Pulvis*. S.
Pulvis febrilis.

℞. *Antimonii diaphor.*
Salis absinth.
Card. bened. an. ℈j.
Ol. destill. macis gutt. ij.
M. f. *Pulvis* pro 2. *dosibus*. S.
Pulvis febrilis pro 2. vicibus.

℞. *Lapill. cancr. praep.* ℈j. ad ʒß.
Antimon. diaphor.
Salis absinth. an. ℈ß.
M. D. S.
Pulvis febrilis.

℞. *Salis absinth.* ℈j.
Volat. cornu cervi gr. v.
Lapill. cancr. praep. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. *Pulvis*. S.
ut ante.

Detur ante paroxysmum.

HELMONTIUS commendat ad vim febrilem salia ex plantis cephalicis, majoranae, salviae, rorismarini, &c. sed non fixa, verùm volatilia, *in Tractat. de Febribus* §. 4: sed non omnibus licet adire Corinthum, ut possint habere salia vegetabilium volatilia in forma sicca: intermista sub forma olei possunt adhiberi.

In forma Potionis:

℞. *Aquae card. bened.* ℥j.
Salis absinth. ℈j.
Cent. min. ℈ß.
Julepi rosar. ʒiij.
M. pro *dosi*. S.
Potio febrilis pro una vice.

℞. *Aquae cent. min.* ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij.
Salis absinth. vel *card. bened.* gr. xv. vel ℈j.
Lapill. cancr. praep. ℈ß. vel gr. xv.
Syrupi card. bened. ʒß.
M. F. *Potio* ante paroxysmum assumenda. S.
ut ante.

Quod si urgeat rigor, guttae ij. *olei destillati caryophyllorum* vel *baccarum juniperi* addantur.

Item ante Paroxysmum convenit haec *Potio Sylvii* cochleatim assumenda:

℞. *Aquae petrosel.* ℥ij.
Foeniculi ℥j.
Spir. theriac. ʒiß.
Sal. volat. succin. ℈j.
Syrup. card. bened. ℥j.
M. S.
Potio febrilis cochleatim sumenda.

℞. *Aquae card. bened.* ℥ij.
theriac. s. ʒj.
Salis absinth. ʒß.
Spir. salis ammon. ℈j.
Syrup. papav. errat. ʒiij.
M. D. S.
Potio febrilis pro aliquot vicibus.

Obs. XI. Quod attinet *salia salsa fixa* seu duplicata, quae constant ex alcali & acido, ut *tartarus vitriolatus*, *arcanum duplicatum Mynsichtii*, *sal hypochondriacum digestivum*, *nitrum antimoniatum*, item *tartarus nitr. Bartholetti*, quem vocat suum *alexipyreton universale*, seu sal tartari imbibitum cum spiritu nitri: nam & haec salia fixa lixivialia vegetabilium cum spiritu salis aut nitri coagulata in salia salsa crystallisata, mirè in omnibus intermittentibus conveniunt, imprimis in principio morbi tanquam digestiva & absorbentia ante universalia valdè utiliter usurpantur: Imò iis continuatis felicissimè saepè febres profligantur. Diebus enim intermissionis pro abstergendis primis viis, & removendo paulatim, si quis subsit, fomite febrili, multum valent bis quotidiè à gr. xv. ad ℈j. & ʒß. in appropriato vehiculo usurpata; ideò die intermissionis ante vomitoria danda sunt, maximè sal hypochondriacum digestivum, quod Digestivum Quartanarium vocat SYLVIUS:

℞. *Salis hypochondr.* ℈ß.
Absinth. gr. v.
M. S.
Sal sive pulvis emolliens.

℞. *Salis ammon. depur.* ʒj.
Nitri antimoniati ℈j.
M. div. in 2. *part. aequ.* S.
Sal digestivum pro 2. vicibus.

Manè in vehiculo calido & vesperi in frigido capiendo; uti ante paroxysmum commodè etiam propinari possunt:

℞. *Arcan. dupl.* ℈ß. gr. xv. ad ℈j.
Lapill. cancr. praep. vel *antim. diaph.* ℈ß.
M. F. *Pulvis*. S.
Pulvis pro una dosi.

Detur ante paroxysmum, & etiam repetatur die intermissionis bis: egregiè prodest, copiosam praecipitat materiam.

℞. *Arcan. dupl.* ℈ij.
Antim. diaphor.
Lapill. cancr. praep. an. gr. xiv.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 2. *part. aequ.* S.
Pulvis alterativus.

℞. *Arcan. dupl.* gr. xv.
Lapill. cancr. praep. gr. xij.
Ol. destill. bacc. junip. gutt. ij.
M. D. S.
Pulvis febrilis alterativus.

℞. *Arcan. dupl.* gr. xv.
Salis absinth.
Corall. rubr. praep. an. ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. *Pulvis*. S.
Pulvis febrilis.

℞. *Arc. dupl. Myns.* ʒß. vel ℈ij.
Salis absinth.
Lapill. cancr. praep. an. ℈j. vel ʒß.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 2. vel 3. *part. aequ.* S.
Sal febrile per 2. vel 3. vicibus.

Detur dosis ante paroxysmum & die intermissionis loco digestivi. Conveniens est in febribus intermittentibus scorbuticis, item, ubi nimis urget febris.

℞. *Lapill. cancr. praep.*
Arcan. dupl.
Salis absinth. an. ʒß.
Salis volat. succini gr. xij.
Laud. opiati gr. iij.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 3. part. aequ. pro tot dosibus; S.
Pulvis febrilis pro 3. vicibus.

Semper dosin unam horam ante paroxysmum assumendo.

℞. *Eboris sine igne*,
Arcani dupl. an. gr. xij.
Auri fulm. gr. vj.
M. S.
Pulvis febrilis.

℞. *Crem. tartari* ʒj.
Tartari vitriolati ʒß.
Spiritus sulph. gutt. iij. vel iv.
M. f. *Pulvis*.
Div. in 2. part. aequ. S.
Pulvis alterativus.

Pertinet huc *potio specifica febrifuga Crollii*, quam RIVERIUS toties ante paroxysmum usurpavit cum felici successu: Formula est hæc:

℞. *Aqu. cichor.* ℥j. ij. vel iij.
Spir. sulph. vel *vitrioli* gutt. xv. ad ℈j.
Salis absinth. ʒß.
M. S.
Potiuncula.

Propinetur duabus horis ante paroxysmum: hac ipsâ sæpiùs curavit quamplurimas febres, imprimis tertianas, felici cum successu. In imbecillibus subiectis imminui potest dosis ingredientium. RIVERIUS creberrimam ejus fecit experientiam, ut videre est in *Observ. ejus Cent.* 1. *Observ.* 20. & 26. item *Cent.* 4. *Observ.* 2. 12. 15. 25. & *Praxi lib.* 17. *cap.* 3. LUDOVICI *in Pharmacia* Mixturam hanc extemporaneam loco nitri vitriolati commendat; & sanè non contemnenda est. Commodè etiam lapilli cancrorum, antimonium diaphoreticum & similia addi possunt.

Observ. XII. Salia nitrosa, & cum nitro parata omnia medicamenta, optimè sistere ardores nimios cum pauco vel nullo rigore, in paroxysmo, aut etiam ante eum administrata; imò spirit. nitri dulcis in declinatione paroxysmi, aut finito jam paroxysmo, sensibiliter febres mitigat. Præter hunc, nitrum antimoniatum, nitrum vitriolatum seu arcanum duplicatum aut Panacæa Holsteinensium, perinde est, præ cæteris in scorbuto convenit, adeoque febres scorbuticas optimè tollit; hinc in febribus intermittentibus cum nimio æstu:

℞. *Nitri antimoniati* gr. xv.
Salis ammon. gr. vj.
M. f. *Pulvis* ante paroxysmum propinandus.
D. S.
Sal febrile pro una vice.

℞. *Nitri antimoniati* ℈j.
Arcan. dupl. Mynf. ℈ß. vel an. gutt. xv.
M. D. S.
ut ante.
Detur ante paroxysmum.
Item

℞. *Nitri antimoniati* ℈ß.
Arcan. dupl. ℈j. vel ʒß.
Antihect. Poterii gr. ix. vel xij.
M. pro 3. dosibus. S.
Pulvis febrilis refrigerans.
Dentur ante paroxysmum.

℞. *Nitri antimoniati* ℈ij.
Cornu cervi sine igne ℈j.
Antimonii diaphor. gr. viij. M.
Div. in 2. par. æqu. S.
Pulvis febrilis pro 2. dosibus.

℞. *Arcan. duplicat.* gr. ij. ad xv.
Ebor. sine igne ℈ß.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis febrilis refrigerans.

Propinetur duabus horis ante paroxysmum, aliquot diebus repetendus, præsertim, si urgent diebus intercalaribus phlogoses.

℞. *Arcan. dupl.* ℈j.
Salis volat. succin. gr. iv. ad ℈ß.
M. pro dosi ante paroxysmum. S.
Sal febrile refrigerans.

℞. *Nitri antimon.* ʒß.
Antimon. diaph. ℈ß.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis febrilis refrigerans.
Capiendus ante paroxysmum.

℞. *Arcan. dupl.* ʒß. ad ℈ij.
Corall. rub. præp. vel *antim. diaph.* ℈j. ad ʒß.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis resolutivus.

Observ. XIII. Acida, an qua talia febribus intermittentibus conveniant? dubito. Sanè ex iis commodum adeò singulare haurire vix potui; nec nisi interdum, dum nimis urget æstus, pro hoc nonnihil compescendo, mediante fixatione humorum effervescentium convenire solent: v. g. si in febre intermittente rigori intensior superveniat æstus, vel cum clamosa siti junctus, vel cum difficili sudoris eruptione, vel quando ipsa febris intermittens tota est ardens, vel quando febris intermittens plùs minùs ardens in continuas degenerare velit, optima sunt, declinante non nihil paroxysmo, aut saltem non ante ejus statum; tunc sub ardore paroxysmi, & indè natâ gravi anxietate, sequens mixtura confert:

℞. *Aqu. card. bened.* ℥ij.
Menth. ℥j.
Antimon. diaph. ʒß.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
Syr. card. bened. ʒvj.
Spir. nitri dulcis q. s. pro grato sapore.
M. D. S.
Potio refrigerans & confortans.
Usurpetur cochleatim in ipso paroxysmo.
Vel

℞. *Aqu. rubi Idæi* ℥iij. vel *hujus* & *aqu. card. bened.* ℥iß.
Succi rubi Idæi ʒiij. ad ʒvj.
Antimon. diaph. ʒß. ad ʒj.
Syr. acetos. citr. vel *rub. idæi* ℥ß. vel ℥j.
Spir. nitr. dulc. q. s. pro grato sapore.
M. D. S.
ut ante.

Hauriatur subindè cochleatim: mirabiliter ardorem compescit, sitim minuit, sudorem provocat, &c.
Vel

℞. *Aqu. flor. papav. err.* ℥iv.
Antimon. diaph. ℈ij. vel ʒj.
Syr. flor. papav. errat. ℥ß.
Spir. nitri dulc. q. s. pro grato sapore.
M. S.
ut ante.

℞. *Aqu. card. bened.* ℥ij.
Fumar. ℥j.
Succin. præp. vel *antimon. diaph.* ʒj.
Syr. card. bened. ℥j.
Spir. nitri dulc. q. s.
M. D. S.
ut ante.

Detur in paroxysmo & ante eundem, si æstus minùs urget: successum felicem in eo observavi.

Præter Acida itidem conveniunt in paroxysmo Misturę ex lapillis cancr. cum aceto: e. g.

℞. *Aqu. card. bened.*
Cichor. an. ℥iß.
Aceti vini ʒvj.
Spir. theriacal. simpl. ʒiij. ad iv.
Lapill. cancr. pulveris. ʒß.
Syrup. de 5. radic. ℥j.
M. S.
Potiuncula.
Capiant cochleatim.

℞. *Aqu. acetos.*
Fumar.
Menth. an. ℥j.
Aceti rubi idæi vel *sambucin.* ʒvj.
Spir. theriacal. simpl. ʒiß. ad ʒij.
Lapill. cancr. præpar. ℈ij. ad ʒj.
Syr. cort. aurant. ʒiij.
M. f. *Potio* cochleatim usurpanda.
D. S.
Potio refrigerans & confortans.

Est quoque proficua, quando *angustiæ & anxietates præcordiorum*, item *flatulentiæ* & hypochondriaca abdominis symptomata nimis urgent.
Item

℞. *Aqu. acetos.*
Rub. Idæi an. ℥iß.
Cinnam. ʒiij.
Aceti rubi Idæi ʒvj.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Antimon. diaph. ℈j.
Syr. violar. ℥ß.
M. D. S.
Resolvens potio febrilis.

℞. *Aqu. card. bened.*
Endiv.
Sempervio. an. ℥j.
Aceti destill. ʒvj.
Spir. nitri dulc. ℈j.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Antimon. diaph. gr. xv.
Syrup. acetos. citri ʒvj.
M. D. S.

ut ante.

℞. *Aqu. cherefol.* ℥iv.
Aceti vini ℥vj.
Corall. rub. praep.
Lapill. cancr. praep. an. ℥j.
Laud. opiati gr. ij.
Syrup. heder. terrestr. ℥ß.
M. S.
Resolvens mixtura febrilis.

℞. *Aq. heder. terrestr.* ℥iv.
Aceti vini ℥ß.
Lapill. cancr. praep. ℥j.
Antimon. diaph. ℈j.
Syrup. diacod. ℥j.
M. S.
Mixtura resolvens.

℞. *Aqu. cherefol.* ℥ij.
Menth. ℥j.
Cinnam.
Aceti vini an. ℥iij.
Lapill. cancr. praep. ℥j.
Syrup. foeniculi ℥ij.
M. D. S.
Resolvens Potio febrilis.

Observ. XIV. *Opium*, & ex hoc legitimâ fermentatione paratum laudanum, *atque* omnia *opiata*, illegitimo usu omnes febres intermittentes pertinaces reddit, & è contrà legitimo usu citò tollit, mitigatque continuas: (in opio enim multa latent:) Certissimè est proficuum; sistit enim sensim vellicationes & motum tremulum. Sed in rigore necesse est, usurpetur praemissis universalibus, digestivis & evacuativis, ut sic primae viae à sordibus liberentur, idque *imprimis duobus in casibus*:

1. Quando paroxysmi ex consuetudine potiùs, quàm ex fomite morboso pertinaciùs redeunt.
2. Quando graviora quaedam, aut etiam molestiora symptomata, durante paroxysmo affligunt aegros: frigus insigniter mitigat & rigores.

Nunquam autem *opiata solùm*, sed semper cum febrifugis usitatis quacunque forma admisceantur, quorum formulas passim dedi. Alias metus est, ne citò nimis & solitariè usurpata simplices febres reddant duplicatas aut triplicatas, aut sopiendo febrim, graviorem recidivam postmodum inferant: Id quod etiam faciunt fixa terrea, v. g. specifica ex cochleis marinis, aut matre perlarum calcinatis, quae etiam nimis aut intempestivè propinata Febres duplicant. E. g.

℞. *Arcan. dupl. Mynsicht* ℈j.
Salis absinth. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. F. *pulvis*. S.
Pulvis febrilis.

Detur ante paroxysmum in vino absinthite.

℞. *Elixyr febril.* ℥ij.
Essent. opii ℥ß.
M. S.

Elixyr febrile 40. usque ad 50. guttas.

℞. *Tinct. tartari. Compos.* ℥iß.
Essent. opii ℥ß.
M. S.

Tinctura: 40. usque ad 50. guttas.

Observat. XV. *Cephalalgia* rarò post paroxysmum aut intermissionis die sunt molestae, nisi suppressus in paroxysmo sudor easdem inducat: fit tamen in febribus nonnullis, imprimis scorbuticis, ut in primis paroxysmis nullus omninò sudor promanet, sed declinante jam febre hic vel sponte postmodum erumpat; ita, ut nocte die que tales aegri interdum cum salute sudoribus quasi diffluant. Ergò pro cephalalgia tali vel sudor patienter expectandus, vel blando epithemate camphorato calido dictus dolor mitigandus.

Observat. XVI. *Vesicatoria* vel nuchis, vel carpis manuum applicata, febres diuturnas optimè exhauriunt, speciatim rigor ex eorum usu cessare solet; interdum penitus cessat febris. Applicantur die intermissionis, ut ita eorum operatio praeveniat paroxysmo: Nam & *Strobelbergeri Emplastrum febrifugum* vim nonnihil causticam, certè intensè rubificantem, obtinet. Sic quoque POTERIUS *lib. 2. de Febribus cap. 23. pag. 109.* refert, quod in *Quartana diuturna* Vesicatoria carpo admota interdum sint proficua. Quò etiam facit suo modo *salivatio Mercurialis*, *Quartanariis* subindè radicitùs curans, utut hoc reverà videatur remedium ipso morbo gravius: Confer. BALLONIUS *in Bonetti Pharo Med. pag. 626. & 653.* item PIENS *de Febribus Part. 2. pag. 273.* Notabile est, aliàs eos, qui aliquandiu intermittentibus laborarunt, promptissimè salivare, etiam ex aliquot granis mercurii dulcis propinatis. Hinc *ad praecavendam* talem *salivationem* purgatio promovenda, vel fortis sudor repetitus imperandus.

Observat. XVII. *Intermittentes diuturnae*, praesertim Tertianae duplicatae, item continuae paulò diuturniores, ita videntur alterare sanguinem & inde derivatam lympham, ut crassior, viscidior, & glutinosior eorum evadat textura; unde convalescentes tales adhuc *febriculas lentas* subindè experiuntur, aut saltem *appetitus* aliquandiu infausto omine *non debitè redit*. Febriculae tali optimè (praemisso interdum *Vomitorio*, mucum primarum viarum eliminante) per *sal ammon.* occurrere possumus: e. g. dedi ejusmodi pulverem ante paroxysmum in diurnis febribus, ubi metus adest hecticae, summè proficuum inveni, & hecticam avertit.

Vel.

℞. *Arcan. dupl.* gr. xij. ad gr. xv.
Ebor. sine igne ℈ß.
M. S. *Pulvis febrilis.*

Detur duabus horis ante paroxysmum.

Anorexiae verò per absinthii vel centaurii minoris continuatum qualemcunque aliquandiu usum tolluntur.

Observat. XVIII. *Diuturnae* febres, item quae per copiosa Absorbentia, aut calcinata terrea diutiùs usurpata, curatae fuerunt, vix sine insigni viscerum labe, aut multiplicibus hinc restitantibus symptomatis, solent evanescere; unde & colicae & hydropes, aut pedum saltem tumores, aut cachexiae subindè hos insequuntur. Talibus malis & praecavendis & curandis optimè inservit absinthium in Decocto, essentia, succo, extracto, &c. frequentiùs usurpatum, aliaque congrua amara. Sanè *crurum tumor oedematosus* ordinariò chronicis intermittentibus supervenit, praesertim, si copiosiùs biberint aegri, & parùm sudaverint, vel si copiosiùs post curam febris citò se ingurgitent: sed parum in recessu habet hic tumor; internè etiam multiplici *absinthii* usu, externè verò *chelidonii* majoris recentis plantis pedum admotione facilè abigitur.

Observat. XIX. Dum jam *febris remittit* universaliter, aut etiam alio tempore intermissionis die, vel etiam post febres chronicas, maximè prosunt alterantia ex Febrifugis Vegetabilibus, ut praecaveatur vel curetur cachexia sub cursu morbi enata: ut *essentia absinthii tartarisata*, vel ex absinthio, centaurio minori, radice enulae, aut cum spiritu tartarisato *composita*, *cardui benedicti*, *centaurii minoris*, *liquor terrae foliatae tartari*, *Tinctura tartari*, *Tinctura antimonii*, *spiritus cochleariae*, *Elixyr stomachale*, *Elixyr febrile Mynsichtii*, vel D. D. *Michaelis*, *Elixyr proprietatis cum & sine acido*, item paratum *cum spiritu salis ammoniaci*, *Elixyr cachecticum*, *Tinctura tartari composita*, *Spiritus salis ammoniaci*, *Carminativus*, similiaque alterantia, quae acidum infringunt & bilem acuunt, massae sanguineae crasin emendant & stomachum corrigunt, propinentur: idque bis in die, mane jejuno stomacho, & vesperi, ad 20. 30. vel 40. & 50. & 60. guttulas in liquore appropriato: v. g.

℞. *Essentiae absinth.* vel *cent. min.* vel *card. bened.* vel *gentianae*, vel *myrrhae*, vel *Tartari simpl.* aut *compos.* vel *Elixyr febril.* vel *propr. sine acido* ℥ß.
Spiritus salis ammoniaci ℥iß. vel ℥ij.
M. S.
Mixtura febrilis.

℞. *Essent. absinth.*
Card. bened.
Centaur. min. an. ℥j.
Spir. vitriol. ℥ij.
M. S.
Mixtura febrilis.

Dosis 30. vel 40. gutt. Detur bis die intermissionis.

℞. *Elixyr febrilis D. Mich.*
Propr. an. ℥iß.
M. S.
Mixtura febrilis & stomachica: 40. *guttae*.

℞. *Tincturae tartari acr.* ℥ij. vel ℥iij.
Elixyr propr. sine acido ℥ j.
M. S.
Resolvens Tinctura febrilis: 40. *ad* 50. *guttas*.

℞. *Elix.*

℞. *Elix. febrilis Mich.* ℥ij.
Essent. fumar. comp. ℥j.
M. S.
Essentia febrilis: 40. *gutt.*

℞. *Tinctur. tartar. acerr.* ℥iij.
Quint. essent. absinth ℥j.
M. S. *Essentia febrilis.*
Vel

℞. *Tincturæ tartari acerr.* ℥ij.
Spir. Carm. ℥j.
M. S.
Resolvens Tinctura febrilis.

Observat. XX. Uti in intermittentibus febribus ante paroxysmum & in eo stomachus sit vacuus, ita tempore accessionis abstinendum est ab omni cibo & potu; si enim æger bibit potum frigidum, magis urgebit horror & rigor. In ipso tamen æstu, calore urgente, aut paroxysmo jam nonnihil declinante, & maximè, quando sudoris erupio instat, potus paulò largior, non tamen nimis frigidus, sed calidus, concedendus venit, isque quò calidior, eò liberalior; promovet enim sic egregiè sudorem, & promptiùs cedit febris. Interim pro *potu* singulariter convenit *vinum & cerevisia absinthiaca in omni febre intermittente.* Quod si metus scorbuti, vinum cochleariæ, vel etiam vinum quoddam ex alterantibus Aromaticis medicatum cum essentia absinthii, spiritu cochleariæ & similibus die intermissionis, vel declinante paroxysmo usurpandum. In *Quartanis* tamen *parcissimè bibendum est*; nihil magis enim febres has contumaces reddit, quam nimius potus in paroxysmo, idque ratione lienis facilè noxam contrahentis. CRATO planè in paroxysmo quartanario potum interdixit, quod maximè curationi conferre asserit. Certè crebrior, præsertim cerevisiæ, potus diuturniores reddit has febres, in paroxysmo febris ingurgitatus, mucum in primis viis, & hinc fermentum febrile in fomite augens; adeòque consultum est, à potu ut abstineant, quamdiu possibile est, aut saltem non priùs bibant, quàm æstus invaluerit: & quidem bibant potum calidum, & si meliùs rebus suis consulere volunt, huic primo potui, aut saltem sequenti, uni alterivè minus calido instillent spiritum salis ammoniaci simplicem ad gutt. 40., ut hujus usu magis corrigatur noxa à potu illata, ac simul largior promoveatur sudor; in fine tamen paroxysmorum non interdicendus est potus.

Potus ordinarius *sit* vel aqua, vel cerevisia tenuis, vel secundaria cum vino absinthite medicatâ, aut saltem cum simplici vino ita correcta, vel, quod his præferendum, *serum lactis* probè depuratum, præsertim in scorbuticis, cui etiam commodè de succo citri aliquantulum instillari potest; aut loco horum Decoctum tamarindorum cum passulis egregiè convenit. Julapia refrigerantia locum non habent, ubi calor proportionatus est constitutioni ægri, vel qualitati materiæ coquendæ &c., multò minus, ubi minor est. In tali ergo casu tutius est, si sitis adsit, concedere potum aliàs consuetum: sic qui vino adsuetus, nec in totum interdicendum, quia consuetudini aliquid dandum, & magnum peccatum foret, ab uno extremo ad aliud prolabi. Quod si sitis nimis urgeat, simulque æstus gravior oriatur, commodè potui nitrum vel simplex depuratum vel antimoniatum addi potest, supra quod nil meliùs desiderari potest, ita, ut aliquot drachmas quotidiè ebibere sit licitum. Si accidat, ut, dato nitro urina cum tanto ardore non mittatur, vel æger liberalius mingat, bono sit animo. In intermittentibus purè ardentibus monendi sunt ægri, ne nimium potum ingurgitent, aut quoties lubet. Præstat quidem potum liberiorem concedere, modò dein expectent, usque dum sentiant, omnem ex ventriculo abiisse: si verò ægri sint inobedientes in hoc passu, optimum est, ut potum calidum bibant: *si enim calidum biberent cum nitro dissoluto, calor magis refrænabitur & temperatur; à potu autem frigido magis incalescimus, quod videmus, cum ex ambulatione æstuamus & frigidum bibimus*: verba sunt LINDANI *super Hartmannum*. Et imprimis convenit tunc potus impraegnatus cum spiritu nitri dulci, aut ista: Julepii propinetur tunc insulum ex floribus cum spiritu sulphuris acidulatum: e. g.

℞. *Flor. papav. errat.*
Rosar. an. M. ß.

Infunde in s. q. vel ℔iiß. *aqu. comm.* aut *ser. papav. errat.* aut *seri lactis depurati*: acidulatur leniter cum *spiritu sulph. per campanam*: stent in loco calido ad Extract. Tincturæ: Colat. adde

Syrup. de jujub. ℥j.
Violar. ℥j.
M. pro *Julepo*: S.
In epus confortans.
Vel

℞. *Conserv. acetosell.*
Flor. ros.
Tunicæ an. ℥j.

Affund. s. q. *decoct. rad. scorzoner. cum cornu cervi*, vel *aqu. appropr.*, dissolv. in mortario cum pistillo, vel indantur cucurbitæ clausæ ad unam vel alteram ebullitionem: Coletur vel filtretur tepidè. D. S.
ut ante.
Vel

℞. *Conserv. flor. ros.*
Tunicæ,
Viol. an. ℥ß. ad ℥j.
Succi ribium ℥iv. ad ℥j.

Affund. s. q. *aquæ simplicis* vel *destillatæ cujusvis*, dissolvantur in mortario lapideo cum pistillo, clausoque vase leniter ebulliant. *Colaturæ* ℔ß. adde
Tinct. flor. bellid. q. s. pro grato sapore.
M. D. S.
Julepus refrigerans.
Vel

Ad imitationem HOFFMANNI *in Clave pag.* 400.

℞. *Radic. acetos.*
Tamarind. an. ℥j.
Coqu. in s. q. *aqu. fontanæ*:
Colaturæ ℔iv. infundantur (rat. M.iiß.
Flor. ros. rubr. cum spiritu nitri dulci irrorentur in loco tepido: *Tincturæ colatæ* adde
Syr. ribium,
Rubi Idæi an. ℥iij.
D. S.
Julepus confortans.

℞. *Aqu. acetos.*
Cichor.
Endiv. an. [illegible]
Succ. cydon. ℥iß. ad ℥iij.
Tinctur. flor. bellid. ℥iij.
Syr. violar. q. s.
M. S.
ut ante.

℞. *Aquæ fontanæ* ℔j.
Tinctur. flor. bellid. ℥ij.
Syrup. ribium,
Rubi idæi an. ℥ij.
Spir. nitri q. s.
M. D. S.
ut ante.

℞. *Aquæ fontanæ* ℔ß.
Cinnam. ℥ß.
Succ. citr. rec. ℥iß.
Spir. nitri parum q. s pro grato sapore.

Observat. XXI. In declinatione paroxysmorum, si spontè sudet æger, cooperietur leniter: alioquin, nisi beneficio naturæ non erumpat sudor, *ante paroxysmum quartum non provocetur*, idque in tertianis: postmodum apparentibus coctionis signis in fine paroxysmi cieatur, & calidis linteis fricando abstergatur, ut eò meliùs fluat. In Quartanis antè coctionis signa nec possunt, nec arte proliciendi sunt. Quod si antè talia signa sudent Quartanarii, equidem non supprimendus est, aliàs graves dolores ostocopos inferre solet; de quo vid. BALLONIUS *in Bonetti Pharo Medico pag.* 199. Et sanè quælibet specifica mediante sudore febrem profligare solent.

Observat. XXII. *Frigora* febrium quæcunque, earumque *rigores*, *horrores & tremores*, omnium optimè compescunt *aromatica*, præsertim sub olei vel extracti forma usurpata: v.g. mirabiliter frigus & rigorem curant oleum destillatum caryophyllorum, cinnam., macis, baccarum juniperi, menthæ, &c. externè regioni præcordii vel stomachi applicata: Specialissimè autem oleum destillatum caryophyllorum & cinnamomi ad guttas 5. vel 6. acutissimè penetrant, & sunt ferè nonnihil caustica; undè addita reliquis speciebus internè mira faciunt: unò intus assumpta cum appropriatis, quàm etiam externè ingruente paroxysmo regioni stomachali, spinæ dorsi, & plantis pedum probè inuncta, applicato præcordiis latere probè calefacto: vid. SYLVII *Praxis lib.* 1. *cap.* 30. §. 143. Oleum petræ

quoque

quoque prodest contra rigorem febrilem, cujus guttæ aliquot ante paroxysmum propinandæ. Qui usum ejus internum nauseant, externè regioni stomachali illinant. Dicta olea sequenti modo præscribi possunt:

℞. *Balsami Peruv.* vel *olei destillati bacc. junip.* ʒj.
Ol. destillat. caryoph.
Mac.
Succin. an. ℈ß.
M. D S.
Balsamum febrile calefaciens stomachum.
Inungatur dicto modo.

℞. *Olei expressi nuc. mosch.* ʒj.
Destillat. bacc. junip. ℈j.
Caryoph.
Macis an. ℈ß.
M. pro balsamo, præcordiis d. m. inungendo.
S. *ut ante.*

℞. *Olei expr. nuc. mosch.* ʒj.
Destillat. caryoph.
Macis vel *cinnam.* an. gtt. xv.
M. D. S.
ut ante.

℞. *Olei express. nuc. mosch.* ʒiß.
Destillat. bacc. junip. ʒj.
Succini ℈j.
M. S.
ut ante.

℞. *Olei destillat. bacc. junip.*
Ror. mar. an. ℈j.
Caryoph. ℈ß.
M. D. S.
Oleum febrile calefaciens.

Inungatur dicto modo: qualis inunctio etiam interdum regioni lumborum, aut plantis pedum applicari potest: imò solus later calefactus plantis pedum applicatus rigores etiam solet imminuere.

Internè hæc ipsa symptomata *optimè corrigunt salia fixa, extracta aromatica amara, extractum* centaurii minoris, gentianæ cum aliquot guttis olei piperis, *olea destillata acria, & quælibet opiata*: hinc *mixtura ex theriaca cum specifico Strobelbergeri* egregia, præsertim in casibus, quando intermittentes omnem calorem deponunt, & solo frigore molestæ sunt, seu cum algore fiunt.

Item

℞. *Salis absinthii* ℈j.
Matr. perlar. præp. vel *test. ostr. præp.* ℈ß.
Piperis albi pulveris. gr. vj. vel gr. vij.
M. pro *una dosi*, horâ unâ aut duabus ante paroxysmum assumenda.
D. S.
Pulvis febrilis calefaciens.

Sic etiam in febribus *intermittentibus chronicis*, in quibus ordinariò magis rigor urgere solet, vulgus *granorum piperis* viij. xij. xv. ad xx. in grossa frustula concisa in haustu cochlearis aquæ vitæ simplicis vel anisatæ assumit aliquot horis ante paroxysmum, fausto cum successu; imò continuato eorum usu, Quartanam quoque curant: si autem tardiùs, aut paroxysmo jam instante assumantur, æstus gravissimè intenditur. Non igitur adhibenda sunt, ubi solus vel major æstus urget; potiùs verò si algor adest. Juvenem novi 17. annorum, qui 70. grana leviter contusa pro una dosi ante paroxysmum assumpsit, & febris emansit; utut post aliquot noctes diesque ex haustu cerevisiæ secundariæ frigidæ redierit, piperis tamen usu continuato se iterum curavit: e. g.

℞. *Salis ammon.* ℈j.
Piper. albi gr. viij.
M. F. *Pulvis*: S.
Pulvis febrilis calefaciens.

℞. *Salis ammon.* ℈j.
Piperis albi grossè pulv. gr. xxvj.
M. pro pulvere.
Div. in 2. *part.* S.
Pulvis febrilis resolvens.

℞. *Salis ammon.* gr. xv.
Caryoph.
Piper. albi an. gr. v.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis febrilis calefaciens.

℞. *Matr. perlar. præp.* vel *test. ostr. præp.* ℈ß.
Salis absinth. gr. xv. ad ℈j.
Ol. destillat. caryoph. gtt. ß.
M. f. *Pulvis.* S.
ut ante.

℞. *Salis absinth.* ʒß.
Corall. rub. præp.
Test. conchar. præp. an. ℈ß.
Ol. destill. bacc. junip. gtt. iv.
M. f. *Pulvis* pro 2. *dosibus.*
D. S.
ut ante.

℞. *Salis absinth.* gr. xv. vel ℈j.
Lapill. cancr. præp. vel *antimon. diaph.* ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
Ol. destillat. caryoph. gtt. ij.
M. f. *Pulvis.* S.
ut ante.

Capiatur ante paroxysmum, inungendo simul dictis oleis præcordia.

℞. *Arcan. dupl.* ℈iv.
Ebor. sine igne, vel *lap. cancr. præp.* ℈ij.
Pip. longi gr. xxiv.
M. f. *Pulvis.*
Div. in 4. *par. æqual.* S.
Pulvis febrilis.

Usurpentur duabus vel tribus horis ante paroxysmum.

℞. *Tartari vitriolat. cryställ.* ʒj.
Lapill. cancr. præpar. ʒß.
Piper. longi gr. xviij.
M. f. *Pulvis* pro 3. *dosibus.*
S. *Pulvis febrilis calefaciens & resolvens.*

℞. *Specif. febril. Crollii* ʒj.
Salis absinth.
Cent. min. an. ℈ß.
Ol. destillat. caryoph. gtt. iij.
M. pro 2. *dosibus*: S.
Pulvis febrilis.

℞. *Aquæ card. bened.* ʒj.
Extract. gent. cum spir. vini facti ʒj.
Salis absinth. ℈j. vel *spir. salis ammon.* ʒß.
M. f. potio. S.
Potio febrilis pro una vice.

℞. *Aquæ card. benedicti* ʒj. ad ʒiß.
Cinnam. ʒj. ad ʒiß.
Extract. gent. ʒß. vel ℈ij.
Sal. vol. ammon. gr. xv. vel *spir. sal. ammon.* ʒß.
Syr. card. bened. ʒiß. ad ʒiij.
M. F. *Potio.*
D. S.
ut ante.

Propinentur bihorio ante paroxysmum, moderatè tegendo corpus: frigore magis urgente, ut in Quartanis, Extracti dosis augeri, item cum extracto theriacali acui potest; magis verò urente æstu, ut in tertianis ordinariis, spiritu salis ammoniaci aucti dosi permisceatur.

℞. *Extract. absinth.* gr. xv. ad ℈j.
Salis absinth. gr. vj. vel ℈ß.
Ol. destill. caryoph. gtt. ij.
M. f. *Pilulæ.* S.
Pilulæ febriles pro una vice.

Capiatur ante paroxysmum in rigore, ubi paucus æstus sequitur: egregiè calefaciunt.

℞. *Extract. absinth.*
Card. bened. vel *gentianæ,*
Cent. min.
Rad. imperat.
Theriac. an. gr. v.
Ol. destill. caryoph. gtt. iij.
M. f. *Pilulæ.* S.
Pilulæ febriles.

Capiendæ imminente paroxysmo, unâ alterâve horâ ante eundem.

Vel

℞. *Extract. absinth.*
Card. bened.
Cent. min.
Theriac. (*ratione opii*)
an. gr. v. ad gr. vj.
Ol. destillat. caryoph. (ubi adest horror, alias omittitur) gutt. iij.
F. *Pilulæ.*
S. *ut ante.*

Assuman-

Assumantur in aqua appropriata ante paroxysmum: nil enim magis rigorem febrilem imminuit, quàm oleum destillatum caryophyllorum.

℞. *Extract.* seu *succi inspiss. cent. min.* gr. xv.
Sal. card. bened. vel alius *salis* ℈ß.
F. *Pilulæ*: S.
ut ante.

℞. *Extract. cent. min.*
Gentian.
Zedoar. an. gr. vj. vel viij.
M. f. *Pilulæ*.

Quibus etiam addi potest *laud. opiati* gr. j.
D. S.
ut ante.

℞. *Extract. absinth.*
Gentian. an. gr. viij.
Theriacal. gr. v.
Salis cent. min. ℈ß.
Olei destill. bacc. junip. vel *ror. mar.* gtt. ij.
M. f. *Pilulæ*: S.
ut ante.

℞. *Extract. absinth.*
Card. bened.
Cent. min. an. gr. vj.
Myrrh. elect. gr. ij.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. *Pilulæ*: S.
ut ante.

Commodè etiam hisce febrilibus Extractis *trochiscorum albandal* gr. ij. ad gr. iij., tàm pro alterandi, quàm pro laxandi scopo addi possunt; utut sub debita diaphoresi levior laxatio accidere soleat.

Observat. XXIII. *Ad* febres *intermittentes ardentes* præmissis præmittendis nil melius est, quàm *sal ammon. cum* &c., *vel solitarium dosi* ℈j. ad ʒß. ante paroxysmum usurpatum:

Vel

℞. *Salis ammon.* ℈j. ad ʒß.
Antihect. Poterii ℈ß. ad gr. xij.
M. f. *Pulvis* usurpandus ante paroxysmum: S.
Pulvis refrigerans.

℞. *Salis ammon.* ℈j.
Corall. rub. præp.
Antihect. Poterii an. gr. vij.
M. S.
Pulvis mitigans.

Certè nil magis *æstum* febrium intermittentium *mitigat*, quàm sal ammoniacum, aut eius spiritus urinosus, & hinc etiam arcanum duplicatum. Aliàs aliquot febres ordinario modo affligentes profligavi:

℞. *Salis ammon.* ℈j. ad ʒß.
Corall. rub. præp. vel *lap. cancr. præp.* ℈ß (ad gr. xv.
Olei destillat. bacc. junip.
Mac. an. gtt. j.
M. f. *Pulvis* ante paroxysmum propinandus: S.
Pulvis febrilis.

Observat. XXIV. Post rigorem subindè superveniente jam æstu, ægri conqueruntur de *insigni virium prostratione*, cum *respiratione anhela, celeri, frequenti & parva*, & *gravissimo æstu interno*, utut quoad contactum externum minùs æstuare soleant. Talibus in æstu poroxysmi vel spiritus salis ammon. quocunque modo propinatus, vel *mistura* cum aceto & lapillis cancrorum *suprà insinuata*, bono cum successu propinatur.

Observat. XXV. In paroxysmis febrium intermittentium subindè graves *cardialgiæ*, *stomachi rosiones*, *præcordiorum angustiæ*, *suffocatio imminens*, *fames nimia*, similiaque nimis molesta symptomata, *inquietudinem*, *anxietatem*, & insignem corporis *jectigationem* inferentia, adsunt; idque imprimis in hypocondriacis, hystericis & scorbuticis. Curantur beneficio spiritus salis ammoniaci vel simplicis vel oleosi facti: vel externè per Linimenta, vel emplastra ex tacamahaca, vel sola, vel cum ladano *Cratonis* mista, cum oleo quodam destillato subacta, nempe anisi, vel succini, vel menthæ, vel Balsamo Peruviano, regioni stomachi applicata: feliciter enim compescunt, præmittendo simul vel vomitorium pro circumstantiarum ratione, vel applicando clysmata.

Observat. XXVI. Notatu dignus est BALLONII locus in *Bonetti Pharo Medicorum pag.* 213. *Puellæ febre Tertiana jam mensem laboranti; ante paroxysmos dextri hypochondrii & cruris dolores, calore extenso quiescebant: quid hoc rei? nisi purgationibus antevertas, hoc minatur abscessum.*

Observat. XXVII. In cura Quartanarum, uti & quorumcunque morborum chronicorum, Medicus *tangat hypochondria*, an adsit tumor aut durities, scirrhus cujusdam abdominis visceris, hepatis, lienis, aut etiam mesenterij? in specie inveterata si fuerit. In tali casu ordinariò scabies supervenit. *Quærat etiam*, an adsit scorbutus? an multi adsint flatus? ut certus fiat de malo hypochondriaco: & intermissionis die his tumoribus maturè occurratur; nisi enim curantur, vix solent febres curari, vel recidivant. Item an viscera reliqua, imprimis pulmones, sint salva? Facto hoc, tunc demum instituat prognosin & curam.

Observat. XXVIII. In Quartana contumaci locum habent acidulæ, sed ventriculus & viscera sint robusta, seu in legitimo tono constituta; aliàs enim nimis debilitantur ægri, quod in omnibus acidulis observandum. Quod si nimis debiles sint patientes, conveniunt potiùs remedia Martialia arte præparata, aut etiam acidulæ artificiales; de quibus videb. GABELCHOVERUM *Centur.* 6. *Curat.* 8.: sicuti etiam in hypochondriacis, scorbuticis, spleneticis, hystericis &c. febre intermittente laborantibus, Martialia ante paroxysmum sunt usitatissima: e. g.

℞. *Essent. absinth.* ʒiß.
Solut. martis cum succ. pom. ʒj.
M. S.
Tinctura aperiens: 50. *guttæ.*

Observavi ego quartanam chronicam limaturâ martis crudâ præparatâ ante paroxysmum sumptâ solâ fuisse curatam. Mulier juvencula sterilis, hypochondriaca, & splenetica, ratione hæreditatis maternæ quartanaria, cum insigni dolore splenis in hypochondrio sinistro, quoties frigus urgeret, etiam urgebat dolor, & quò intensius frigus, eò intensior dolor, & contrà. Præmisso vomitu jussi capere die intermissionis Tincturam tartari simplicem cum elixyr propriet. sine acido à gutt. 50. bis in die; Nam alia amara febrifuga quælibet fugiebat: Interdum etiam intermissionis die, qui paroxysmi diem præcedebat, capiebat pulverem, ex salis ammon. gr. xv. pulv. jalappæ ℈ß. Misc. Sed hactenus omnia sine levamine. Præcedente morbo necesse erat, ut toto die paroxysmi, circa quartam saltem promeridianam repetentis, jejuna maneret; aliàs vomitus, præcordiorum anxietates, graviores dolores & rigores patiebatur. Hinc ad imitationem *Observationum* quarundam RIVERII, ipsâ hypochondriacâ & durioris alvi existente:

℞. *Fol. senn. sine stip.* ʒvj.
Salis tartari ʒij.
Infunde in s. q. *aqu. comm.*
Stent in loco tepido per noctem: Mane
℞. *Colaturæ* ℔j.
adde
Quint. essent. cinnam. ʒj.
M. D. S.
Potio laxativa pro una vice.

Capiebat omni mane haustulum, unde aliquoties viscosa evacuabat, idque saltem intermissionis diebus; etenim die paroxysmi propter supra enarrata symptomata nihil tentare poteram: Sed cum splenis vitia, scirrhum, similiaque mala metuerem, ob id ordinabam:

℞. *Solut. martis cum succ. pom.* ʒß.

Capiebat omni mane gutt. 30.: quod cum etiam die paroxysmi faceret, commodè admodum cum pauco splenis dolore habuit; sed continuato licet remedii usu idem levamen continuare noluit, propterea

℞. *Liqu. martis solar.* ʒß.

Dabantur 20. guttæ omni mane: benè contulit, alvum apertam servavit; interposuit subindè haustum superioris Infusi sennati: sed febris constans permansit, quinimò ex causis aliis supervenientibus simplex Quartana facta fuit triplex. Undè cum leniter tractanda esset, ipsa à medicamentis abhorrente, dedidie, quo primarius urgebat paroxysmus:

℞. *Salis ammon.* ℈ß.
Pulv. epilept. antimonial. gr. ij.
Misc. pro pulvere.

Cepit manè, vomuit aliquoties, & per alvum egessit.

℞. *Corall. rubr. præp.* ℈j.
Pulv. epilep. antimonial. gr. ij.
M. pro pulvere.

Cepit

Cepit vesperi bihorio ante paroxysmum, quem vix persensit. Sequenti die hunc pulverem iterum bis cepit, & nunquam vomitus secutus fuit, potiùs somnolenta admodum evasit. Tertio die pro tertio paroxysmo eosdem pulveres, sed dimidiatâ tantùm dosi, accepit; unde paroxysmi omnes tres evanuerunt, qui etiam per sex successivè dies penitus non redierunt, ipsâ integrâ omni nocte profundè dormiente, sed simul lassitudinem insignem membrorum omnium percipiente: propterea res mihi suspecta visa fuit vi anodynâ antimoniali non extirpante, sed palliante febrim; quod etiam eventus docuit. Nam ex improviso statâ die statâque horâ primarius paroxysmus cum vomitu, tussi & asthmate convulsivo, ac repetentibus subindè epilepticis convulsionibus rediit, quem etiam ordine cæteri insecuti fuerunt: Hinc

℞. *Ol. tartari per deliquium* ℥j.

Capiebat 40. guttas mane & vesperi, trihorio ante paroxysmum.

Item.

℞. *Fol. senn. sine stip.* ℥ß.
Rad. helleb. nigr. non præp. ℨiß.
Esulæ non præp. ℨß.
Salis tartari ℨij.

Infund. in *aqua comm.*, stent in loco tepido per noctem, mane

℞. Colaturæ ℔ iß.

De hac bibebat manè bonum haustum, vesperi verò oleum tartari, & ita alternis vicibus continuando paroxysmi brevi post evanuerunt, saltem primariò illo adhuc nonnihil affligente: pro quo profligando

℞. *Extract. gent.* ℈j.
Corall. rubr. ℈ß.
Cum s. q. *Ol. destillat. caryoph.* f. Pilulæ:

Quas cepit in vehiculo rob sambuci tribus horis ante paroxysmum, qui non rediit; continuavit sic adhuc 2. vicibus, die intermissionis ol. tartari per deliquium bis aliquandiu assumendo, & ita convaluit.

In hoc casu observandum:

1. Consensus splenis cum febre, dolore isto sub frigore urgente, reverà splenetico existente, simpliciter convulsivo.
2. Martialia non solùm splenis vitiis conducere, sed etiam impetum paroxysmorum febrilium notabiliter retundere.
3. Anodyna quælibet pro radicali febrium cura nihil conferre, saltem spirituum impetum & motum naturæ cohibendo, morbum palliare, qui postmodùm eò intensiori impetu resurgunt; unde etiam cum epilepticis convulsionibus redibant paroxysmi.
4. Lassitudinem post cessantes febres intermittentes superstitem vel recidivam, vel cachexiam, interdum etiam anasarcam, minari.
5. Chinachinam non propinavi; in splenetica enim hac maximoperè nocuisset, figendo acidum febrile, concentrando etiam pariter acidum in splene peccans; adeòque visceris hujus scirrhum, & hinc continuam ægritudinem, induxisset.

Observat. XXIX. In febribus chronicis ac diuturnis intermittentibus, ac in specie in Quartanis, discusso licet morbo, diu paroxysmi typum ægri probè observent, & præsertim ordinariâ diætâ & abstinentiâ recidivam declinent; vid. BARTHOLINI *Acta Med. Hafniens. Vol. 1. pag. 191.* Nam interdum etiam post aliquot septimanas recidivant & quidem graviori paroxysmo. Non mox ergò desistamus à febrifugis, quæ optima sunt præmissis universalibus, ut spir. salis ammoniaci, sal volat. cornu cervi, sal volatile viperarum, & succini.

Hæ & similes cautelæ, si benè observentur, nunquam errorem aliquem observabitis in cura, sed satis eam reddent facilem atque securam. Quod si verò illegitimè & vitiosè curantur, atque paroxysmi impediuntur, seu febris supprimitur, id quod fit, quando fixis aut similibus obtunditur fermentum febrile, & in suo fomite quasi concentratur, sanguinis fermentatio febrilis impeditur, & debita ejusdem turgescentia sufflaminatur; unde quidem paroxysmi cessant, & multa prava insequi solent symptomata. Sanè nil est, quod nocentius possit contingere ægro, quàm ista paroxysmorum inhibitio, quatenus materia ista vitiosa cum fermento concentrato mediante sanguine cumulata, circulata & in turgescentia fermentativa impedita, hinc inde tandem affixa hæret & gravia infert symptomata, viscera reddit languida, imprimis infarcit lienem & hepar, colicas passiones infert atroces, tumores pedum œdematosos, asthmata & tusses, cachexiam, & subindè hydropem, lassitudines artuum, ictaros difficulter curabiles, cephalalgias diuturnas, febres continuas lentas tanquam hecticas, & similia symptomata. Exempla nonnulla imprimis videb. in GABELCHOVERO *Centur. 1. Curat. 43.*, item *Centur. 6. Curat. 109. 110. 111. 112.* & sequent., item M. A. N. C. *Ann. 3. Obs. 89. pag. 149.*, ubi Tertiana per amuletum curata in gravem passionem colicam & hinc Illiacam degeneravit.

Facta est sæpiùs mentio *Febrium scorbuticarum* intermittentium, quæ vix ullis cedunt remediis, & sunt contumacissimæ, nec aliquid in illis præstari potest, unde sæpiùs subindè recidivant febres. Retulit D. MICHAELIS, quendam quinquies recidivam passum fuisse ob scorbutum febri junctum, quo curato febris planè cessarit. Talibus in febribus necesse est, ut Medicus aliis cum remediis febrilibus crebriùs specifica *antiscorbutica* propinet, tàm die intermissionis, quàm ante paroxysmum permista cum specificis; si enim hoc non fiet, incassum laborabit. Eminet in his casibus imprimis spir. cochleariæ cum spiritu salis ammoniaci, vel similia. Inter hæc præstantissimum remedium est arcanum duplicatum Mynsichtii ad ℈j. vel solum, vel cum lapillis præparat. cancrorum ℨß., ante paroxysmum; vel repetitum subindè die intermissionis, & egregiè confert; & similia aliis sociata: item spiritus cochleariæ cum spiritu salis ammoniaci ante paroxysmum propinetur hoc modo:

℞. *Aqu. antiscorbut. Dornerellii* vel *Quercetani* ℥j. ad ℥iß.
Spir. salis ammon. ℨß. (plùs minùs, prout fortis vel debilis est)
Spir. cochleariæ ℈j. (in officinis admodum debilis; aliàs ritè præparati vix gtt. x. possunt propinari.)
Laud. opiati gr. j. vel ij.
Syrup. scelotyrb. Foresti ℨij.
M. D. S.
Potio febrilis scorbutica pro una vice.

Præmissis universalibus ante Paroxysmum propinetur; valdè prodest.

Vel cum spiritu salis ammoniaci eleganter permiscetur arcanum duplicatum Mynsichtii in forma liquida; v. g. ℞. *Aqu. card. bened.*
Flor. sambuci an. ℥ij.
Spir. cochlear. ℨj.
Salis ammon. ℨj.
Arcan. dupl. Mynsichti ℈j.
Corall. rub. præp. gr. xv.
Syrup. scelotyrb. Foresti ℥j.
M. S.
Mixtura febrilis scorbutica, benè circumagitanda.

℞. *Aqu. menthæ,*
Scorbut. Dornerellii an. ℥j.
Spir. cochlear. ℨj.
Arcan. dupl. ℨß. vel ℈ij.
Mag. corall. cum succo citri ℈j.
Syrup. scelotyrb. ℨiß. vel ℨj.
M. pro 2. dosibus ante paroxysmum.
D. S.
ut ante.

Convenit item Mistura hæc, quam in Tertiana scorbutica continua probatam habeo:

℞. *Aqu. febrifug.*
Antiscorbut. an. ℥j. vel ℥iß.
Spir. cochlear.
Salis ammon. an. ℨj.
Nitri vitriolati Mynsichti,
Lapill. cancr. præp. vel *antim. diaph. martial.* (an. ℈j. ad ℨß.
Laud. opiati gr. iij.
Syrupi scelotyrb. Foresti ℨvj. vel ℥j.
M. f. *Potio*, pro aliquot dosibus: S.
Mixtura febrilis.

Capiatur in febre intermittente scorbutica continua, ut infringatur malitia scorbuti & febris.

Vel

℞. *Aqu. febrif.*
Antiscorbut. an. ℥iß.

Spir.

Spir. cochlear.
Salis ammon. an. ℨj.
Ocul. cancr. præp.
Specif. febril. Strobelbergeri an. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syrupi scelotyrb. Foresti ℥j. M. S.
Mixtura pro aliquot vicibus.

Item in febribus Scorbuticis absque frigore invadente, cum summo ardore, extremorum lancinatione, cum angustiis præcordiorum & anxietatibus cum flatibus conjunctis, cum fructu præscripsi hanc potiunculam subindè hauriendam, ubi ad omnia respicitur symptomata:

℞. *Aqu. menthæ,*
Fœniculi,
Fumar.
Carminat. an. ℥j.
Spir. Cochlear.
Theriac. s. an. ℨj.
Nitri dulc. gtt. xij.
Lapill. cancr. præp. ℨß.
Laud. opiat. gr. iß.
Syrup. cortic. aurant. ℨvj.
M. D. S.
Potio febrilis scorbutica.

Detur cochleatim in ipso paroxysmo: valdè prodest.

In Tertiana scorbutica gravidæ nono mense, cujus paroxysmi cum graviore virium prostratione invadebant sine ullo frigore, cum calore, & etiam sine sudore terminabantur:

℞. *Aqu. febrifug.* ℥ij.
Aceti sambucini,
Mixt. simpl. an. ℨij.
Spir. cochlear. ℈j.
Lap. cancr. præp. ℨß.
Antimonii diaph. gr. xv.
Succ. cydon.
Syrup. acetos. citri an. ℨiij.
M. pro aliquot dosibus.

Superiore hyeme in Quartana scorbutica atrocissima, cum tussi, & hinc metu phthiseos hæc Potio admodum profuit in paroxysmo assumpta, præmisso semper ante paroxysmum clystere ex lacte:

℞. *Aqu. menthæ,*
Card. bened.
Chærefol. an. ℥j.
Spir. cochlear. ℨij.
Salis ammon. ℨj.
Lapill. cancr. præp.
Arcan. dupl. an. ℨß.
Antihect. Poterii ℈j.
Sacchar. Saturni gr. vj.
Syrup. de succo gran. acid. ℥j.
M. f. *Potio.* D. S.
Mixtura singularis.

Quæ subindè hauriebatur pro aliquot dosibus: continuabatur simul spiritus antiquartius: Tandem sequentia profuerunt:

℞. *Salis absinth.* ℨj.
Ocul. cancr. præp. ℨß.
M.
Div. in 4. partes.

Capiebat singulis diebus binas doses.

℞. *Aqu. borrag.*
Melifs.
Antiscorb. an. ℥j.
Mixt. simpl. ℨij.
Syrup. rub. idæi ℥j.
M. D. S.
Mixtura febrilis scorbutica.

Cochleatim assumatur die intermissionis.

Vel

℞. *Elixyr febril. Mynsichti,*
Spir. cochlear. an. ℨij.
M. D. S.
Elixyr febrile scorbuticum.

Capiantur gutt. xxxx. bis in die intermissionis.

Vel

℞. *Elixyr febril.* vel *propriet.*
Spir. cochlear. an. ℨj.
M. D. S.
Mixtura febrilis scorbutica guttatim in sumenda.

Dosis à guttis 20. ad 30: valdè prodest diebus intermissionis.

℞. *Liq. terræ fol. tartari* ℨij.
Spir. cochlear. ℨß.
M. S.
Essentia febrilis scorbutica, ad 20. *guttas.*

℞. *Spir. Salis ammon.* ℨij. vel ℨiij.
Cochlear. ℨj.
M. S.
Spiritus febrilis resolvens: 30. *gutt. pro una dosi.*

Aliàs etiam antihecticum Poterii (de quo *plura*, *ubi de Hectica*) cum magisterio coralliorum cum succo citri (reliqua magisteria sunt nullius pretii) an. ℈ß. & arcani duplic. Mynsichtii ℈ß. ad ℨß. & pro una vel duabus dosibus ante paroxysmum usurpata, in febribus scorbuticis sunt egregia.

Vel

℞. *Arcan. dupl.* ℈j.
Salis absinth.
Lap. cancr. præp. an. ℈ß.
M. f. pulvis: S.
Pulvis febrilis scorbuticus.

Propinatur in Tertiana scorbutica, ubi æstus intensior: aliquoties repetatur, donec febris cesset.

Vel

℞. *Arcan. dupl. Mynsichtii,*
Mag. corall. cum succ. citri an. ℈j.
Sal. volat. cornu cervi vel *viperar.* gr. vj.
M. f. *Pulvis.* D. S.
Pulvis febrilis scorbuticus.

Capiatur in vehiculo sequenti:

℞. *Aqu. febrif. usit.*
Antiscorb. Dorncrellii an. ℥iß.
Spir. cochlear.
Salis ammon. an. ℨj.
Laud. opiat. gr. j.
Syr. Scelotyrb. Foresti ℥ß.
M. S.
Aqua ad pulverem.

In hoc ipso tanquam in vehiculo, capiatur iste Pulvis, atque durante paroxysmo, aut saltem post rigorem subindè de eodem capiatur.

Serum lactis, in specie caprilli, est potus imprimis conveniens, dum talium febrium admodum urget æstus & sitis, vel solum, vel imprimis cum citro acidulatum; nam & hic in scorbuto est egregius: Vel & affundatur Herbæ cochleariæ & nasturtii cum pomo citrio in taleolas inciso, & exprimatur pro potu in paroxysmo:

Vel

℞. *Herb. fumar.* M. ij.
Macera per noctem in *sero lactis caprilli* q. s.
Colaturæ addatur
Succ. pomor. Borsd. ℥iv.
Sacch. parum.
M. S.
Potio alterativa.

Hauriatur extra paroxysmum.

Decoctum etiam Tamarindorum ad dictas febres sub forma julapii usurpatum est egregium, simul alvum obstructam, quæ sæpissimè in scorbuto solet observari, blandè laxat, prætereàque crasin massæ sanguineæ vitiosam temperat: v. g.

℞. *Tamarind.* ℥iß.
Coqu. in s. q. *seri lactis:*
Colaturæ adde
Tincturæ flor. bellid. ℨij.
Syrupi rosati soluti vel *violar.* q. s. pro gratia saporis.
M. D. pro *Julapio febrili* laxativo, durante æstu.
D. S. *Iulepus aperiens.*

Vid. MORELLUS *de Mater. Medic. pag.* 33.

℞. *Decocti passul. min. in sero lact. depur.* ℔iß.
adde
Succ. cochlear. per resid. depur. ℨiij.
Citr. rec. ℥j.
M. f *Iulepus*: S.
Iulepus febrilis scorbuticus.

Vel

℞. *Seri lactis depur.* ℔j.

Decocti

Decocti tamarind. ℔ß.
Succ. citr. rec. ℨ j. vel ℥j. ad ℥j ß.
Syr. ex ioio citri ℥iij. vel q. s.
M. f. *Iulepus* S.
Iulepus refrigerans & laxativus.
℞. *Decoct. scordii cum Cornu Ce.* vi ℔. ß.
Tama ind. ℥iij.
Tinctur. flor. ve lid ℨ j.
Spiritus Vitriol. Philosf. q. s.
M. D. S.
ut ante.

NB. Potus lactis in febribus scorbuticis valdè convenit, si aliquantulum sacchari vel spiritus salis ammon. addatur: quotidiè assumitur, manè dimidia mensur *ein Nosel*; v. g. si paroxysmus est à meridie; si cessat ante cœnam, in cœna comedere d[...] et *Frische Milch*.

Æ vero referente PROSPERO ALPINO *lib.* 10 *de Medic. Ægypt. cap* 15. potum quendam ex fermento & Aqu. [...] parant, pro febrium, in specie Tertianæ, Cura.

Alii, ut Silesii, Bohemi, & quidam populi vicini, ex Branca ursina & fermento potum conficiunt, & *Bartsch* appellant: Quod sane potus genus non incommodum in febribus fervescentibus videtur: Decoctum faciunt ex herba Sina, ut decoctum colorem flavum retineat, non puniceum: Decocto fermentum adduut, & in loco tepido aliquot dies fermentari permittunt: Vid. KERGERUS *de Fermentatione Sect.* 3. *Cap.* 1 *pag.* 82

Ex [...] a dictis patet: quod in Cura febrium intermittentium, mox in principio, præmisso uno vel altero digestivo, Vomitorium ante paroxysmum, aut die intermissionis blanda laxativa propinanda: post hæc intermissionis diebus alterantia volatilia, vel Martialia, pro ratione urgentium symptomatum; paroxysmi verò tempore remedia fermentativ acidi destructiva &, ut vocant, Præcipitantia, primatum obtineant. Unde remedia alcalinæ prosapiæ, tàm volatilia quàm fixa, & his cognata Acida quocunque modo destruentia, ex omnibus tribus regnis ad Curam febrium intermittentium adhiberi possunt. Hinc ratione Alcali volatilis plus minus, aut oleosi, conveniunt Veterum simplicia *Febrifuga Vegetabilia, v. gr. quævis Amaricantia*, plus minus Aromatica, qualia in specie sunt Absinthium, carduus benedictus, centaurium minus, chamomilla, tertianaria (hujus enim Decocto àm intermissionis die, quàm ante paroxysmum propinato, Tertiana fuit curata : Vid. TABERNÆMONTANUS) Ulmaria, cujus decoctum, item aqua destill. insigniter commendantur in tertianis diuturnis; taraxacon seu dens leonis, qui est egregium; fumaria, quæ etiam convenit in febribus scorbuticis, & hinc Quartanarius; nasturtium, cujus succus cum vini alb. ℥ i. adhibitus Quartanam certò curat, modò in lecto paroxysmum instantem expectet æger, sudorem moveat, & purget. Convenit etiam radix plantaginis, taraxaci, chelidonii majoris, gentianæ, zedoariæ, quæ revera præmissis præmittendis optima sunt.

Usus horum est nunc in substantia sub forma pulveris, nunc in decocto amarissimo, nunc in succo recens expresso, nunc in extracto, nunc, isque optimus, in sale fixo. In substantia flores centaurii min. ad ℨj. pulverisati adhibiti insigniter commendantur ad curandas febres, quâ ratione THONERUS curavit tertianam duplicem admodum refractariam, præmissis universalibus, per pulverem herbæ centaurii minoris ad ℨj. in haustu vini per 3. dies propinando; sudorem enim movet. Pertinet huc & pulvis cardui bened. &c. Decoquendi modum dicta Vegetabilia febrifuga ostendit imprimis RULANDUS *Thesaur Pract.*, quæ decocta mediante vehementi sudore quasvis febres intermittentes tollunt, modo, ut sæpius monui, præmissa fuerint universalia: v. gr.

℞. *Flor. cent. min.* M. ß.
Rad. asari M. i.
(nam alioquin in Aqu. coctum omnem vim vomitoriam amittit)
Coqu. in s. q. *Aqu. simpl.*

Hujus decocti calentis virgo quotidie in lecto benè tecta hausit ℔. ß. & diu multumque sudavit, quo ad certum tempus continuato, à diuturnâ chronicaque febre curata fuit.

Porro
℞. *Herb. card. bened* M. j. vel ij.
Rad. asar. M. j. vel ℨj.

Infun. per noctem in lib. jv. *Aquæ*, post decoqu. lento igne ad tert. s.

Hujus Decocti æger omni manè jejunus in lecto arctè coopertus bibat unc. iij. vel iv. calidè: accipiat semper 6. horis ante paroxysmum, & multum sudet, donec febris repetito hujus usu omninò evanuerit.

Et certè hujusmodi Decocta ex paucissimis Ingredientibus præferenda longè Decoctis magistralibus, quæ ex mille speciebus combinatis sunt composita: hinc vel sola herba centaurii min. optimum est ad intermittentes remedium, si ante paroxysmum adhibeatur. Helmontius tardarum febrium medicamentum optimum vocat asarum in Aqu. decoctum: movet urinam.

Altàs etiam Chamæmelon, ejus Decoctum, item aqua decocta ex ejusdem succo ad aliquot uncias adhibita, à multis insigniter commendatur ante paroxysmum.

In succo usurpantur v. gr.

℞. *S. cc. express. absi rb. rec* ℥j. ad ℥ij. vel ℥iij.

Accipitur in haustu *vini absinthitis* aliquot horis ante paroxysmum: fit hoc aliquoties, & evanescit febris.

In Extractis usurpantur dicta Vegetabilia febrifuga sub forma pilularū, cùm enim sint insigniter amara, ut tollatur amarities, cum spiritu vini paratur Extractum. Talia Extracta sunt cardui bened., centaurii minoris, theriacale, & quæ sunt alia, ex quibus formantur pilulæ, quorum formulæ ex suprà dictis patent. Capiantur imminente paroxysmo unâ alterâve horâ ante eundem. Usurpentur etiam hæc Extracta in forma liquida: nam essentiæ & extracta differunt tantùm ratione consistentiæ, recipiendo nempe essentiam absinthii, centaurii minoris, cardui benedicti, myrrhæ, & similes, crebriùs, tàm die intermissionis, quam ad ℨj. usque ad ℨ j. ante paroxysmum, in vehiculo appropriato. Modum parandi præsuppono ex ANGELO SALA. Ad istas Essentias ex Vegetabilium febrifugis paratas pertinet etiam *Elixyr febrile Dn. Doctoris Michaelis*, cujus hæc est descriptio:

℞. *Summit. cent min.*
Absinth. ana M. iii.
Herb. auric. muris,
Fol. asari ana M. ii.
Herb pentaphyll.
Marrubii,
Rutæ,
Cardui bened.
Scordii ana M. i.
Summit. hyperic. ℥ß.
Rad. chelidon. maj.
Tarax.
Angelicæ,
Zedoar.
Gentianæ,
Imperatoriæ,
Dictamni albi,
Morsus diaboli,
Filicis,
Aristoloch. rot. ana ℥j.
Caryoph ℥i.
Pip. longi ℨvi.
Zingib. ℨß.

Extrahantur cum *Spiritu absinthii card. bened. & cent. min.* & addatur *Extractum febrile.*

Dosis est à guttis 40. ad 50. die intermissionis ad alterandam vitiosam mixtæ sanguineæ crasin.

Loco talium Vegetabilium longè utilior est spiritus salis Amm., ut non cedunt salia fixa ex istis febrifugis parata. Pertinet etiam ad hæc Vegetabilia China China seu *Cortex Peruvianus Antiquartius*, seu *Jesuitarum*: Vid. Dn. D. AMMANI *Disput.* Est cortex aromaticus, saporis acerrimi ferè instar cinnami, & defertur ex Provinciis Peruvianis: Vocatur à quibusdam *Genti ana Indica*. Genuinum usurpandi modum vid. in BARTHOLINI *Cent.* v. *Histor. Anatom.* 50. item in SYDENHAM *de morbis acutis* & *Epidem p.* 95. *Sect* 1 *cap.* 5. D MONGINO *Tr. de Cura febrium per Chinam Chinæ*. Datur à ℨj. ad ℨij. probè pulverisata in haustu vini calidi, v. g.

℞. *China Chinæ* ℨj. ad ℨij.
Pulverisetur minutissimè infund. in
Vini Rhenan. vel *Hisp* ℥ii. vel vi.

Stent in infusione per noctē; manè probè mista hauriantur ante paroxysmum. Curat frequenter *Quartanas*, & hinc etiam *Tertianas Chronicas* aut duplicatas etiam nothas.

R Vel

Vel

℞. *Pulv. China Chinæ* ℥vj. ad ℥j.
Rad. gentian. ℥ij.
Flor. cent. min. pug. iv.
Piper. long. ℥j.
Salis tartari ℥ß.
M. f. *Pulvis*: S.
Species in vino.

℞. *Cort. chin-chinæ* ℥vj.
Guajaci ℥ j. ad ℥iij.
Comæ. cent. min. m. j.
Cinnam. ℥ij.
Caryoph.
Lap. cancr. an. ℥j.
Sal. tartari ℥ij.
M. f. pulvis, includendus nodulo.
S. *Nodulus ad vinum febrile:*

Infund. *in vino Rhenano*, vel *absinthite* Mens. ijß. *Dosis* bonus haustus unà cum pulvere. Rarò fallunt, signa coctionis ubi præcesserunt.

Vel

℞. *China Chinæ subtiliss.* ℥vj.
Rad. gentian.
Limat. Martis puriss. an. ℥iij.
Caryoph. ℥ijß.
M. f. *pulvis*: S.
Pulvis alterativus pro una mensura vini.

Bibatur post paroxysmum, & diebus intermittentibus bis, manè calidè & a meridie frigidè.

Alii, imprimis Medici Angli, famosum suum Febrifugum hoc modo componunt.

℞. *Vini rubr. opt.* ℔ j.
China Chinæ in pollin. redact. ℥ij.

Stent in loco tepido per tres dies & noctes, dein liquoris decant. ardentur ℥iv. præter propter ante paroxysmum horis 4 vel in declinatione ejus. Hæc dosis continuatur per 4. 5. vel 6. dies quotidiè, usque dum febris remiserit.

Quo scopo obtento Lenitivum exhibeatur.

Vel

℞. *Pulvis chinæ chinæ subtiliss.* ℈j.
Lap. cancr. præp. ℈j.
Cardam.
Cubeb. an. gr. iij.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis febrilis.

Infidum tamen est remedium, ut reliqua omnia sæpius esse solent; unde necesse est, ut ritè præmissa sint universalia, & aliquoties usurpandum veniat hoc remedium; itemque *fugata febre ejus usu, corpus adhuc* semel vel bis *leniter purgandum sit, aliàs* post unam alteramvè septimanam *certè recidivant febres*. Loco hujus, cum sit exoticum, arbitror, non ineptè substitui posse gentianam recentem amarissimam nostratem; & ejus succum condensatum, cum vino ad ℥j. horâ unâ ante paroxysmum assumptum, febres intermittentes quascunque feliciter curare. Unde etiam ejus pulvis ad ℥ij. vel tres eandem cum chin. china efficaciam habere arbitror; utut certum sit, china chinam esse egregium medicamentum, tàm in Quartanis, quàm in Tertianis diuturnis.

Vel

℞. *Pulv. gentian. subtiliss.*
Card. bened. an. ℥j.
M. S.
Pulvis febrilis.

Ad hæc Vegetabilia Febrifuga pertinet meritò etiam myrrha, quæ ipsa ante paroxysmum propinatur in specie in febre quartana à multis & solet insigniter commendari: Et credo quod etiam in febribus scorbuticis futurum sit non contemnendum simplex. Propinatur ante paroxysmum a ℈j. ad ℥ß. vel solum, vel etiam secundùm veterum methodum cum castoreo, idque non ineleganter. Utrumque, Castoreum & Myrrha, permiscetur ad ℈j. & propinatur in haustu vini ante paroxysmum.

Alii,

℞. *Myrrhæ*,
Castor.
Opoponac.
Extract. gent.
Absinth. an. ℈j.

Cum *mithridat.* & *succo absinthii* q. s. f. *pilulæ* num. xxviij. de quibus horis duabus ante paroxysmum æger septem vel decem deglutiat, & hinc sudorem expectet.

Aliàs etiam notum est, in quibuscumque febribus intermittentibus ante paroxysmum commodè posse propinari Misturam simplicem vel Tincturam Bezoardicam ad gtt. 20. 40. ad 50. pro ratione circumstantiarum in aqua cardui bened. vel vino absinthite, præmissis universalibus; curat enim istas per sudorem.

Pertinet hùc ulteriùs antimonium diaphoreticum, in specie antimonium diaphoreticum martiale; quæ etiam ante paroxysmum usurpata febres fugant. Pertinet etiam huc *Pulvis febrilis perlatus T. mai*; Descriptio, quæ prostat in ejus *Medicamentis*, est hæc:

℞. *Antimonii diaph.* ℥ß.
Margar. præp. ℈iv.
Ocul. cancr. præp.
Cornu cervi ust. præp. an. ℥j.
M. f. *Pulvis*.

Propinetur in aqua appropriata cum aliquot guttis misturæ simplicis.

Item pertinent huc quoque nonnulla fixa terrea & imprimis calcinata, vi præcipitativâ insigni prædita, *Febrifuga specifica κατ' ἐξοχὴν* dicta, qualia sunt v. g. specificum febrile *Crollii* ex testis oblongis concarum calcinatis, quale etiam est specificum febrile *Mynsichtii*. Has testas præparandi modum habet ROLFINCIUS *in Chym.* Item specificum febrile *Strobelbergeri*, paratum ex matre perlarum calcinata. *Dosis* harum est à ℥ß. ad ℥j. vel ℈iv. horâ unâ vel alterâ ante paroxysmum in haustu vini vel aqua destillata, bis ac ter reiteranda, donec cesset Febris. Usurpandi modus est:

℞. *Aqu. cent. min.* vel *tarax.* ℥j. vel ℥iß.
Cinnam. ℥ij. vel ℥iij.
Specif. febril. Strobelberg. ℥j.
Antimonii diaph. gr. xv.
Syrup. de card. bened. ℥ij. vel *sacch.* parum.
D. S.
Potio febrilis benè circumagitanda pro una dosi.

Loco talium etiam cornu cervi ustum & similia terrea ac alia marina calcinata commodè substitui possunt.

Pertinet huc spiritus salis coagulatus, spiritus vitrioli coagulatus, compositum etiam sal antifebrile *Mynsichtii*, & alumen, à non paucis tanquam singulare febrifugum febrium intermittentium laudatum, in specie *Magisterium aluminis* SCHROEDERI *in Pharm. pag.* 324. de quo conf. etiam HOFFMANNUS *in Clave p. g.* 349. *Dosis* ℥ß. ad ℥j. bis vel ter ante paroxysmum propinatum eas profligat. Novi hoc remedio empirico diuturnas in Medici opprobrium febres fuisse curatas:

℞. *Nuc. mosch.*
Nitri depur.
Alum. an. ℥j.
Misc. f. pulvis.
Divid. in tres par. æqu.

Tribus successivè paroxysmis, dum ingruunt, assumatur, expectando sudorem & febris solvitur.

Sic tartarum aluminosum tinctum videbitis in ROLFINCII *Chymia*. Alii aluminis benè depurati, vel aluminis tincti *Mynsichtii*, quod videb. in MYNSICHTII *Armam. pag.* 29. aliquot grana miscent cum aliis febrifugis, & ita propinant. Alii ad usum febrilem ita præparant:

℞. *Alum. crud.* ℔j.

& probè calcinant in vase, ut moris est: frustula calcinata & adhuc candentia immittunt in acetum destillatū, quod filtrant per chartam bibulam, & hinc humiditatem maxima ex parte, si non omnem, per alembicum abstrahunt: Residuum in loco frigido in crystallos concrescit, quæ à ℈j. ad ℈ij. in aqua cardui bened. horis 2. ante paroxysmum propinatæ, sunt satis proficuæ. Hæ ipsæ crystalli dum concrescunt, possunt tingi, si addatur succus baccarum sambuci, qui eas tingit colore rubineo.

Facit huc & sal. antimonii & sacchar. Saturni, in Tertianis & Quartanis non inelegans euporiston:

℞. *Corall. rub. præp.* vel *lapill. cancr. præp.* ℥ß. ad ℈ j.
Sacch. Saturni ℈ß. gr. xij. ad xv.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis febrilis.

Propinandus ante paroxysmum in Quartana contumaci in Decocto cardui bened. Sicuti continuo pulveris lapillorum cancrorum usu, ad 14. dies in Decocto cardui bened. propina-

propinatorum, contumax aliquot mensium Quartana aliquando curata fuit.

Sal antimonii commendatur in Antidoto Antipyreto non solutivo à POTERIO *in append. pag. 596.*, quod sal definit *l. 2. Pharm. spagyr. cap. 12. de antimonio*: abscondit inibi genuinum modum Autor, ego verò suspicor hunc:

℞. *Antimonii diaphor.* (verba Autoris sunt *stibium in sudorem resolvere*) affundatur acetū destillatū cum spiritu nitri in tantum acuatum juxta mentem ZWELFERI *pag. 380. Mant. spagyr.* (*solutum in pulverem dulcem reducere*:) factâ diutinâ digestione in loco calido temperato antimonium diaphoreticum filtretur, filtratumque evaporet, quo facto reperies sal aliquod, vel saccharum, vel vitriolum, sicut alia vitriola parantur ex saturno cum aceto destillato, & marte cum sulphuris spiritu.

Si lubet parare salem subtiliorem & præstantiorem, solvatur saccharum illud in spiritu vini, iterumque fiat evaporatio.

Hoc sal antimonii, si cum flor. antimonii diaph. conjungitur, nullum mihi est dubium, quin ex eo sit sperandum medicamentum insigne antipyreticum; siquidem constat ex alcali nitri, antimonii floribus diaphoreticis, & alcali etiam falso antimonii; quade re etiam omninò laudandus est præsertim *Antidotus Poterii*. Simile quid sperandum etiam est de Auro fulminante, quippe quod in sese continet calcem solarem alcalinam & Tartarum nitratum; nam utut reverà oleum tartari cum spir. nitri vel Aqu. regia concrescat in verum nitrum, attamen mihi videntur in hoc nitro Salia contraria non ita penitùs concreta, quare talis tartarus nitratus adhuc pollet virtute aliquâ acidum absorbendi.

Verùm observandum est, quod hujusmodi fixa optimè quidem curent, sed revera potiùs supprimant febres intermittentes; adeòque periculosa sint, nisi cautè, præmissis universalibus ac primas vias probè abstergentibus, administrentur, quia aliàs febres duplicant & triplicant, & subindè eas nonnihil contumaces reddunt: Et si hoc non faciunt; tamen figendo fermentum febrile, & hinc impediendo turgescentiam febrilem, vel palliativè curant, vel stypticâ vi condensando nonnihil massam sanguineam, sæpiùs in visceribus scirrhos ac tumores relinquunt. Adhæc non semper tuta sunt, quia his specificis seu terreis semel curatæ febres subindè solent recidivare. Certè aliquoties observavi, ab horum usu si febres curatæ fuerint, vel diu languidos fuisse ægros, vel tumoribus abdominis hinc facilè fuisse obnoxios: appetitum insigniter prosternunt, & hærent in stomacho pertinaciter, digestionemque ejus labefactant, ut ex febribus intermittentibus ægri fiant hectici. Unde rarissimè, & non nisi cautè, usurpanda sunt Specifica febrilia; & si usurpanda sunt, pro dictis incommodis præcavendis propinentur non calcinata, sed saltem vel simplici triturâ, vel prævià cum aceto secundùm MYNSICHTIUM *in Armam. pag. 97.*, aut cum lixivio forti secundùm ROLFINCIUM *l. 4.* Extractione: priùs *necesse est*, *ut lima quàm optimè sint mundata*; nec sola, sed cum aliis sudoriferis, hoc modo:

℞. *Aqu. card. bened.* ℥ j.
Specif. febril. Strobelberg. ʒß.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. vj.
Laud. opiat. gr. j.
M. S.
Potiuncula antifebrilis.

Vel

℞. *Aqu. card. bened.* ℥iß.
Specif. febril. Strobelbergeri scrup. j.
(vel *hujus*, & *lapill. canc. præp.* an. gr. xv.)
Spirit. salis ammonac. ʒß.
Essent. op. gutt. x.
Syrup. card. bened. ʒij.
M. S.
Potiuncula antifebrilis.

Vel

℞. *Specif. febril.* ʒß.
Salis absinth. scrup. j.
M. f. *Pulvis* pro 1. dosi.
D. S.
Pulvis febrifugus.

Duabus vel tribus horis antè paroxysmum assumatur.

Addi possunt olei destill. caryoph. gutt. iij.

In *Tertiana hysterica* præmissis præmittendis cum successu præscripsi:

℞. *Corn. Cerv. usti præp.* ʒß.
Salis absinth. scrup. j.
Corall. rub. præp. gr. xij.
Extract. castor. gr. v.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. *Pulvis.*
Div. in 2. part. æqu.

Capiebantur ante paroxysmum aliquoties repetendo: Item

℞. *Testar. conch. præp.* ʒß.
Antimonii diaph.
Salis absinth. an. scrup. ß. vel gr. xv.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro 2. dosibus.
D. S.
Pulveres præcipitantes antifebriles & uterini.

Capiantur ante paroxysmum.

℞. *Cor. Cerv. usti præp.* gr. xv. ad scrup. j.
Lapill. canc. præp. gr. iv. ad vij.
Salis absinth. gr. iv.
M. S.
Pulvis præcipitans.

Post febrim profligatam dandum est blandum laxans die illo, quo aliàs paroxysmus redire solet: v. g. ex massa pil. de Ammoniaco, addito Extracto absinthii cum debito stimulo: Nempe.

℞. *Massæ pilul. de Amm. Quercetani* gr. xij.
Extract. absinth. gr. vj. vel xv.
Troch. alb. gr. ij.
F. *Pilulæ*: S.
Pilulæ laxativæ.

Vel si recidiva forsan supervenerit, hanc præmissis præmittendis levat Sal amm. vel solum vel cum coralliis præparatis, aut Antihectico Poterii mistum, ante paroxysmum usurpatum.

Potiùs ergo salia vegetabilium fixa calcinata, quæ sunt resolubilia, & ex ipsis præparata remedia, quæ etiam, uti anteà monui, à BARBETTE præferuntur China Chinæ, ceu tutiora loco horum aut calcinatorum commendo. Interim inter fixa calcinata ex marinis parata singularia sunt; sunt enim instar calcis vivæ, affusâ aquâ effervescunt, & sic consequenter alcali fixum occultum gerunt. Calcinatæ partes animalium terreæ, ut Cornu Cervi ustum, pulvis bufonum calcinatorum &c. omni sale sunt spoliatæ, unde præ his calcinata marina tutiora sunt. Denique sulphur minerale etiam inter Febrifuga insigniter laudatur; & certum est, quod sulphur in febribus intermittentibus non sit contemnendum remedium, dosis ʒß. ad ʒj., idque aliquoties ante paroxysmum reiteretur; quascunque enim intermittentes contumaces feliciter curare dicitur; Et credo, quod verum sit. Hinc etiam pluvis pyrius febrifugum est militum, quo utuntur in castris ad fugandas febres intermittentes non inepto consilio à dosi ʒß. vel ʒj. ad ʒij. in aceto vel vino acidulo ante paroxysmum; ratione enim sulphuris, nitri, & alcali carbonum, est egregius. Facit huc *Pulvis febrifugus* egregius *D. Salzmanni*, cujus basis est in Sulphure. Descriptio sequitur;

℞. *Nitri fixi* ʒß.
Flor. sulphuris ʒiij.
Salis amm. ʒj.
Santali rub. pulv. ʒvj.
Sacch. albiss. ʒij.
M. f. *Pulvis.*

Propinetur à ʒj. ad ʒiß. antè paroxysmum.

Santalum & saccharum possunt sine noxa omitti, & tunc dosis diminuatur.

In peste & febribus intermittentibus vitriolum Cyprium à RODERICO FONSECA *in Consult. Medicis Tom. 1.* commendatur, & PETRUS BORELLUS *Cent. 4. Obs. 77.* in Febribus præscribit: *Vitrioli Cyprini* frustum in ℔. iv. *Aquæ* infundere docet per horæ quadrantem, & propinandas suadet hujus Aquæ ℥vj. manè per 6. dies, duabus horis ante cibum.

Observ. denique XXX. Cum febres diuturnæ, imprimis Quartanæ, uti etiam febres aliæ intermittentes, raro soleant esse tales, i. e. diuturnæ, quin tandem accedat istis vel tumor, vel scirrhus viscerum, in specie scirrhus lienis, vel etiam mesenterii, tanquam productum morbosum, vel dispositio quasi mali hypochondriaci; ideò tunc in omnibus medicamentis simul ad splenem respiciendum

erit, ut feliciùs eradicetur morbus. In tali casu non omittenda *Martialia*, vel etiam aliæ plantæ spleneticæ *cum Febrifugis mistæ*, pro curandis talibus diuturnis intermittentibus; idque imprimis die intermissionis, aut ante paroxysmum. Conveniunt ergò extractum Martis cum succo pomorum, vel ex eo parata essentia Martis liquida, mista cum spiritu cochleariæ, item Tinctura vitrioli Martis Zwelferi, item *Sal Martis compositum Conerdingii*.

℞. *Vitrioli Martis*,
Terræ fol. tartari an. part. æqu.

Sub mistura & tritura liquescit, exficcetur blando igne; & nobile est.

Vel usurpatur *Mars tartarisatus*, qui sic paratur:

℞. *Crem. Tartari* part. ij.
Limat. Martis part. j.

Minutissimè tere in mortario marmoreo, hinc adde aquam ferventem, blandè exsiccetur, aquâ fervidâ irrora tàm diu, donec fiat, Marte absumpto à cremore Tartari, pulvis subtilissimus.

Item crocus Jovis aperitivus cum salibus, vel Limatura Martis crudè præparata ante paroxysmum sumpta, antimonium diaphoreticum Martiale, & præsertim, ubi *icterus* supervenire velit. Nam Quartanæ in specie vix sine Martis ope debellari possunt.

De opio suprà monitum fuit, quod etiam ad Febrifuga remedia suo modo pertineat; unde & Theriaca, maximas sanè virtutes continens ab opio, ad Febrifuga referri solet. Facit huc antiquissima GALENI Febres curandi methodus, qui suos Quartanarios curavit, primùm propinando vomitorium, deinde die sequenti dedit succum absinthii bibendum, denique duabus horis ante paroxysmum dedit Theriacam, & sic Quartanarios omnes curavit GALENUS. Plura de hac methodo vid. apud ZACUTUM LUSITANUM *l. 4. Medic. Princ. Hist.* 33. Verùm cum cautela hac faciendum esse rectè monent Practici, ne intempestivè ante coctionem data febrim multiplicet. Conf. BALLONIUS *Pharo Med. pag.* 200. HORSTUS *Probl. pag.* 15. *Decad.* 1. *Qu.* 9. Nam modò ritè procedatur, *succus absinthii ad* ℥ß. *cum theriacæ* ʒj. in haustu vini tribus horis ante paroxysmum, certò liberat à quibusvis febribus intermittentibus. Theriaca ad ʒj. aut ʒij. in febribus tertianis intermittentibus chronicis, ante paroxysmum in haustu vini absinthitis, expectando sudorem, experta est: vid. RIVERIUS *in Obs.* Ego subinde in febribus chronicis cum successu præscripsi cum Febrifugo Strobelbergeri ita:

℞. *Theriac. Andromach* ℈ij. ad ʒj.
Specif. Febril. Strobelbergeri ʒj. ad ʒß.
Salis card. bened. ℈ß.
Olei destill. caryoph. (aderat enim horror) gutt. ij. vel iij.
Cum s. q. *syrupi scelotyrbici Foresti*, *de artemisia*, vel *de absinth.*
F. *Bolus*.

Propinabatur horâ unâ vel alterâ ante paroxysmum, præmissis præmittendis, & egregiè contulit.

Sic & Theriacæ ʒj. ante paroxysmum hausta cum moderato haustu aceti multum prodest, quando nimius æstus ejus usum videtur respuere, & mediante sudore febrem profligabit.

Sed hæc fuerunt Febrifuga partialia.

Dicenda hîc quædam sunt de *Febrifugis Catholicis*; qualia reverà legitimâ sub medendi methodo plura dantur; adeò ut salia fixa & sal ammoniacum non immeritò huc revocari queant: sicuti sub perverso usu & inconcinna methodo etiam optima specifica fallunt. KERGERUS *Tract. de Fermentat. Sect.* 3. *de Febrib. pag.* 250. commendat suum *Febrifugum præcipitans*, quo felicissimè utitur in quibusvis febribus intermittentibus: præparationem autem reticet. Relatum est ab Amico, esse nihil aliud, quam *Cremoris tartari* partes iv. & *coralliorum rubrorum præparatorum* partes iij.; quæ exactissimè miscentur, & pulvis dosi ℥ß. usque ad ʒj. aut ℈iv. tàm die intermissionis, quàm ante paroxysmum, usurpatur. Pertinet huc *Mercurius fixus diaphoreticus Helmontii*, sed cujus præparationem in Arcanis sibi reservavit. Est autem reverà mercurius præcipitatus fixatus, tinctus cum *sulphure Veneris fixo*, parato beneficio liquoris alcahest, quod extrahit sulphur Veneris, ut Mercur. ejus idem decurtat: Vid. de hoc STARCKEY *in Microtechn. Anglicâ*. Item D. MOEBII *Sal Antifebrile* huc pertinet: Nempe

℞. *Nitri el. part.* iij.
Vitrioli el. part. j.

Fundantur in crucibulo: fusum solvatur, filtretur, & iterum coaguletur.

Si autem Vitrioli Hungarici recipiantur partes iij. & nitri pars j.: expulso priùs per retortam Gas sylvestri nocivo, residuum solvatur, filtretur, iterum crystallisetur, evadet sal ejus emetico-diaphoreticum: Vid. HOFFMANNI *Clav. Pharm. Schroederi pag.* 356. *sub Vitriolo*.

Item pertinet huc *Antiquartium febrifugum Riverii*, etiam quasvis alias febres curans, cujus plures hinc inde circumferuntur descriptiones. Plures parare istud volunt ex *auro*, *vitro antimonii*, *&* *Mercurio vivo*; quæ invicem viâ siccâ præcipitantur in Aurum quoddam vitæ seu Mercurium præcipitatum solarem: *Sed dubito* ferè de hac descriptione; nam Mercuriale quidem, sed benignius, remedium esse existimo. Et si rectè operandi ratio in ejusdem operationibus observatur, facilè quis suspicari potest, *ex basi Mercurii dulcis* procedere, cui *sulphur antimonii* & *aurum fulminans*, interdum de *scammonio* nonnihil, tanquam quartus athleta, additur; hinc etiam vomitum simul, secessum etiam, atque sudorem movere solet. Sed ista supra dicta particularia etiam sufficiunt.

Hæc sunt interna, quæ subindè usurpantur in febribus intermittentibus.

Juxta hæc subindè etiam non incongruè *quædam Externa*, tam pro febribus curandis, quàm pro æstu nimio, aliisque symptomatis in paroxysmo mitigandis, adhibentur. Inter Medicamenta externa, quæ æstum nimium plantis pedum applicata compescunt, excellit Epithema ex aceto rosaceo, cum succo sedi majoris & nitro, ana q. s. mistis, & ita applicatis; quasi æstum febrilem insigniter restinguit, & imprimis convenit, quando urgent pathemata capitis. Convenit etiam fermentum cum aceto & sale plantis pedum adhibitum. Item potentilla seu argentina, & flammula recenter contusa, carpis manuum & plantis pedum applicata, ad leniendum calorem & æstum febrium intermittentium laudatur. Epithema quoque fit ex *aceto* & *succo sedi majoris*, an. q. s., addito *nitri* tantillo; quod plantis pedum applicatum admodum laudatur ad temperandum æstum. Illa autem, quæ febres curant, sunt varia: Emplastra, Cataplasmata, unguenta, &c. Vel pulsui applicanda, vel amuletorum formâ suspendenda. Priora vim habent causticam, rodentem, & cutim rubefacientem, atque pustulas excitantem, ut ibi beneficio irritationis & vesicularum fermentum febrile foràs eliminetur, ad imitationem naturæ per pustulas labiorum & alibi se levantis.

Aliàs ex allio, cepa, ruta, ranunculo ardente, plantagine vulgari & aquatica, sabina, croco, mastiche, terebinthina, camphora, pulvere pyrio, araneis & earum telis, & oleo harum & scorpionum, & similibus formantur cataplasmata, carpis manuū pro febribus curandis applicata. In specie:

℞. *Allium contusum*: adde
Cepas contusas.
Croci parum.

Mixta cum *aceto*, & in formam cataplasmatis subacta instar magni thaleri, ingruente paroxysmo, carpis manuum applicentur, ubi vasa venosa & arteriosa magna; & ita per paroxysmum relinquatur, repetendo, donec febris cesset.

His alii etiam *piper longum* addunt, & non contemnendum remedium est.

Quidam recipiunt sonchum trinum, sambucum & plantaginem, hæcque cum aceto subacta carpis alligant. Iberis planta pedum plantis supposita febres tollit, juxta BORELLUM *Cent.* 1. *Obs.* 13. Aliud febrifugum amuletum videb. ibid. *Observ.* 32. Radix plantaginis appensa commendatur etiam contra febres; hinc LOTICHIUS *in Observ.* hanc radicem commendat, ut applicetur à suis ægris. Præ cæteris in fuligine furni non inelegans est remedium; si scilicet hæc & salvia contusa recens ana misceantur invicem cum albumine ovi, & applicantur carpis manuum vel plantis pedum, & ægreg è æstum compescunt. Alii fuliginem splendentem, ut WILLISIUS *de Febribus*, cum allio, cepis, & albumine ovi miscent, aceti nonnihil affundunt, & ita carpis manuum applicant; vel cum Theriaca subigitur & terebinthina, & applicatur pulsibus.

Angli habent Cataplasma febrile ex sale, lupulo recenti, & passulis majoribus. Hoc carpis manuum applicatum in febribus intermittentibus insigniter prodest. Facit huc

Empla-

Emplastrum ad Tertianas imprimis usurpandum, quod fit ex

Mell. ℥ij.
Mastich.
Terebinth. an. ℥iß.
(Tereb nthina egregia est externè)

Coquatur mel ad debitam consistentiam,& cum reliquis f. l. a. *Emplastrum*: extenditur super alutam, & adspergitur nonnihil furfurum, ne nimis adhærescat, & imponitur regioni ventriculi, quando febricitans iturus est cubitum, ac, quamdiu placet, relinquitur.

Pertinet huc *Emplastrum febrile D. Michaelis* externè applicandum, quod est egregium:

℞. *Fulig. furni splend.* Spiegel-Rus (egregia habet salia) ℥iß.
Terebinth. ℥vj.
Tel. aranear. ℥j. vel *bat.* & *aranear. maj.* (an. ℥ß.
Camphor. ℈ij.
Olei aranear. vel *scorpion.* q. s.
M. f. *Emplastrum.*

Carpis manuum utrinque magnitudine thaleri applicatur, gestaturque aliquandiu, donec febris evanescat: Hoc ipso notatum ab Authore, quod hoc ipso quendam senem ferè octogenarium quartanâ laborantem sine alio remedio curaverit.

Rectè additur camphora: nam hæc ad ℥j. vel ℥ij. sacculo lineo inclusa, & in scrobiculo cordis appensa, continuò gestata, donec exhalaverit tota, felicissimè Febricitantes tertianarios restituit. D. Schroeckius frequenti in usu habuit in Tertianis & Quartanis.

Præ aliis usitatum est oleum aranearum, & omnia alia ex araneis parata; nam & vivæ araneæ majores cellulariæ instar amuletorum suspensæ commendantur; mirabile enim in se habent sal nitrosum insigniter diureticum; quæ araneæ, & etiam ex iis paratum oleum, basis sunt decantati *Emplastri Strobelbergeri contra Quartanas*, quod describitur in SCHROEDERI *Pharm. lib. 2. cap. 72. ubi de Emplastris*: sed descriptio est manca. Genuinam admodum prolixam, nisi habenda esset ratio temporis, communicarem. Carpis istud applicatum nonnihil vesicat, quod est signum legitimæ operationis, utut successivè evanescant. Loco hujus succedaneum non inconveniens est sequens, ad Quartanas etiam malignas, expertum Emplastrum:

℞. *Terebinth. Venetæ* ℥j.
Cui liquefactæ in aheno cupreo injiciantur
Aranear. viv. magnar. (Araneæ Cellariæ magnæ) No. xij. xx. vel xxx.

Agitentur probè cum spatula lignea, donec araneæ ferè non amplius appareant: add. postea
Pulv. carn. bufon. exsicc.
Rubetar. exsicc. an. ℥ß. ad ℥iß.
Tartari crudi ℥j.
Sabinæ ℥v. vel ℥vj.
Olei scorpion. vel *simpl.* vel *Matthioli* q. s. ad justam consistentiam Emplastri.

Agitentur probè omnia cum spatula lignea, donec f. *Emplastrum.*

Vid. *Thesaur. Pharm.* HOFFMANNI *pag. 65. No. 2.* Hoc, ut dixi, egregium est maximè in Febre Quartanâ & malignis propter bufones & rubetas.

Præterea in Quartanis aliisque febribus diuturnis subinde consultum est, si suspicio sit de tumoribus viscerum aut splene affecto, emplastra quædam splenis regioni applicare. In talibus casibus convenit emplastrum de cicuta, mixtum cum gummi ammoniaco; imprimis emplastrum ex Nicotiana; nam Nicotiana aliàs per se ad splenis scirrhos & tumores externè est egregia. In hunc finem Extractum ejus vel succus inspissatus, & similia, cum gummi ammoniaci in aceto soluti ana permisceatur, & fiat Emplastrum:

℞. *Emplastri de Nicot. usit.* part. ij.
Gummi ammon. in acet. sol.
Tacamah. an. part. j.

Mixta malaxentur cum s. q. *olei Philosophorum*: extendatur super alutam, & detur absque unctione: S.
Emplastrum resolvens.

Item Emplastrum carminativum Sylvii hîc optimo cum successu applicatur, uti etiam Emplastrum de ranis cum Mercurio, quod ibi egregium est. Helmontius mentionem facit Emplastri, quo ad splenis regionem applicato, plurimos Quartanarios se curasse asserit: Compositio & præparatio non adeò constat: Quidam volunt, hanc esse; Ego verò non credo:

℞. *Tabaci* q. v.
Minutissimè inciso affunde *vini* q. s.

Coqu. per mediam horam in vase clauso, postmodum coletur & fortiter exprimatur: Colaturæ expressæ add.
Succi inspiss. vel *Extract. Nicot.*
Mell. commun.
Ceræ,
Olei nicot. vel *olivar.* q. s. ad consistentiam Emplastri.

Applicetur tepidè regioni lienis cum oleo capparum contra Quartanam. Vid. HOFFMANNI *Thesaur. Pharmac. pag. 66. No. 12.*

Ubi simul adest dolor:

℞. *Extract Nicot. per decoct. dicto modo par.* ℥iij.
Opii per dissolut. *cum vino in Extracti consist. redacti* ℥j.
Ceræ ℔ß.
Cum *terebinthina* & *olei Nicotianæ* an. q. s.
f. *Emplastrum.*

Facit huc etiam *Cataplasma Mynsichtii febrile* non inelegans, quod vid. in *Armam. Chym. S. 38.*

Superest nunc *cura perversa.*

Curationes perversæ vocantur, quando febres malè curantur, & præsertim intempestivè supprimuntur, vel arte, vel remediis, illicò eorum impetum sistentibus. Hæ curæ sunt infidæ: licet enim febris cesset, tamen iterum recidivant, & graviora mala, graves sc. *abdominis dolores convulsivos*, contumaces admodum, quales etiam paresin inducere valent, inferunt, quæ nullis cedunt remediis, & ad ileon inclinant; superveniunt lassitudines corporis, cephalalgiæ horrendæ, & interdum asthmata periculosa: idque evenit, si nimis maturè febris supprimitur, si mox in principio dantur specifica fixa, quæ aut multiplicant, aut supprimunt febres, sed posteà post suppressionem dicta mala atrocissima excitant.

In tali statu Laxantia & Emollientia evacuantia, hinc anodyna saltem conveniunt. Laborabat mulier quædam tertianâ maximè frigidâ, cui tandem suasi, ut continuato olei destilati juniperi usu internè & externè, febrim tolleret, quod etiam evenit: sed supervenit tandem gravis dolor abdominis convulsivus, simulque præsertim hypogastrium lancinans, & insigniter gravativus, unà cum retractione umbilici interiora versus, & pertinacissima alvi adstrictione. Purgantia parum operabantur, idque frustrà. Mirabile etiam est, quod ex cura magnetica prægressâ adhibita, non præmissis præmittendis, dicta mala supervenire soleant: vid. M. A. N. C. *ann. 3. Observ. 89. pag. 154.* spiritus salis ammoniaci maxima ex parte ea abigit, sed repetito usu. Cùm autem frequentissimè obveniant colicæ convulsivæ, ut dicant: *jacet mihi aliquid in ventre & me comprimit, ne me flectere valeam*; alvus pertinaciter clausa est, quæ nec clysmatibus, nec fortioribus Purgantibus movetur, tormina interea crudeliter perdurant, & morbus Iliacus periculosus exinde fit. Ipse observavi non reserari alvum, nisi per Decoctum passularum blandissimè alvum laxantium. Hinc præmisso vel omisso Decocto passularum ad mitiganda symptomata mulieri præscripsi:

℞. *Aq. menth.* ℥ß.
Spir. salis ammon. ℈ß.
Laud. hyster. gr. v. *opiat.* gr. ij. vel iij.
Syrup. cort. aurant. ℨij. vel vj.
M. pro una vice.

Cujus usu sedato nonnihil dolore, ordinata fuit Potio laxativa passulata. Cum superesset adhuc dolor in abdominis regione hypogastrica dextra, & tumor durus instar parvi farcimini sub eodem tactu sese offerret, Mixturam anteà præscriptam reiterandam, & sequens Emplastrum applicandum jussi: ℞. *Gummi ammon. in acet solut.*
Emplastr. matric. de galb. usit. an. q. s.

Malax. cum s. q. *Unguenti de althæa compos.* f. l. a. *Emplastrum* inducendum super alutam, iterum inunctum cum *oleo Philosophorum.*

Applicabatur externè dictæ regioni, ut fortiter adhæreret, & ita curata fuit.

Ubi jam omnia fuerint sedata, ut tota magis persistat cura, in usu absinthii & remediorum absinthiacorum adhuc aliquandiu pergendum erit, utpote quæ affectibus, febribus supervenientibus, imprimis malè curatis, optimè conducunt.

Nobilis quartanâ duplicatâ affectus alio in loco ab alio Medico aliquoties acceperat pulverem china-chinæ: cujus usu semper quidem evanuit febris, sed etiam rediit, idque aliquoties. In hoc pro cura præmisi:

℞. *Mercur. dulc.* ℈j.
Scamm. sulphurat. gr.iv. Misc.

Benè profuit. Hinc pulveris istius Mercurialis (quem describit HOFFMANNUS *in Clave Schrœderiana* sub nomine *Antiquartii Riveriani pag.* 275.) ℈j. ad ʒj. ordinavi. Sed hic parum evacuavit, mitigata tamen fuit febris. Ast, quia pulvis non evacuaverat, post quatriduum salivatio supervenit, ferè per octiduum durans, sub qua nihilominus febris contumaciter persistit. Hinc post repetita vomitoria,

℞. *Elixyr. febril. D. Michaelis*,
Essent. absinth
Opii an. ʒß.
Miscebantur pro dosi una, ante paroxysmum assumenda.

Aliquoties hoc accepit, unde remittentes successivè paroxysmi evanuerunt. Sed ipse admodum debilis reddi cœpit, & manifestò quasi tabescere, tandem etiam paroxysmi febriles redierunt: Hinc intermissionis diè creberrimè & copiosè essentiam absinthii, centaurii minoris & Elixyr febrile mista usurpavit, ut tonum viscerum & eucrasiam bilis conservarem: Hypochondrio sinistro applicavi emplastrum de Nicotiana cum gummi ammoniaco; quia ibidem & prope spinam maximè frigus cæteraque urgebant symptomata: Diebus verò paroxysmorum

℞. *Lap. cancr. præp.* ʒj.
Sacch. Saturni gr.xviij.
M. pro 2. *dosibus*.

Accipiendo unam mane, alteram verò à meridie, duabus vel tribus ante paroxysmum horis; quorum usu per aliquot dies & noctes continuato febris evanuit.

Sed alvi contumacia & excreta admodum dura supervenerunt, & subindè dolores compressivi sub umbilico affixere, unde colicam humoroso-convulsivam ex acido viscido per saccharum Saturni, ejusque texturam aluminosam fixato & condensato, contraxit: passulis quidem laxativis ad ℥v. propinatis alvi beneficium conservavi, nihilominus colica cum cardialagia complicata, utraque lancinans, constrictiva & graviter compressiva supervenit; hinc urgente graviter malo ordinavi:

℞. *Essent. castor.* ʒj.
pro duabus dosibus.

Item ℞. *Flor. chamom.* m. iij.
Sem. anis. ʒvj.
Pulp. colocynth. ʒj.
Coqu. in s. q. *seri lactis*:
℞. *Colatur.* ℔j.
adde
Terebinth. in vitello ovi solutæ ʒvj.
Mell. rosat. ℥ß.
M. pro *clysmate* pro duobus vicibus applicando.

Sequenti die passulas laxativas assumpsit: Extra

℞. *Empl. matrical. de Galb* part. ij.
Tacamah.
Balf. Peruv. an. part. j.
M. f. *Emplastrum* abdomini insternendum, quo etiam symptomata levata fuerunt.

Sensit nihilominus adhuc colicam periodicam, per aliquot dies paroxysmi consueto tempore recurrentem, sed levem, dicto emplastro & usu essentiæ castorei ac absinthii tandem evanescentem.

Ex hoc casu observandum:

1. Salivationem Mercurialem, nisi fuerit insignis, & quæ diu ac copiosè evacuando universum corpus evacuet, non curare Quartanas, quod tamen observarunt PIENS *de Febrib. lib.* 2. *pag.* 273. item ex BELLONII *Pharo Medicor. pag.* 200. 616. *&* 653.
2. Si immaturè concentretur & figatur fermentum febrile, præter alia multiplicia symptomata, speciatim colicas convulsivas graves induci, acido fixato partes sensiles saltem fortiter irritante, dum ex texturæ mutatione fluidas fermentare nequit.
3. Idem ferè esse peccans materiale in colicis indè natis cum fermento febrili, prout ex eo patet, quod periodum febrilem observent colicæ aliquandiu, utut leviter affligentes.

Vir ætatis consistentis laborabat febre intermittente tertianâ scorbuticâ, cujus paroxysmos cùm binâ vice sustinuisset, die intermissionis, scilicet die 2. Junii, ordino pulverem laxativum ex nitro vitriolato, quod crebriùs quidem, sed sine levamine purgavit; nam insequente die 3. Junii eadem paroxysmi vehementia, & dum paroxysmus urgeret, gravissimi dolores crurum, eum corripiebant à genu usque ad poplitem, speciatim in regione tibiarum, ut ex illis miserè lamentaretur: sed evanescente paroxysmo & dolores hi penitùs intermittebant, ita, ut intermissionis die nihil de iis perciperet: id quod manifestum est signum delitescentis acrimoniæ scorbuticæ, quæ sub paroxysmo commota istas turbas excitare solet. Post aliquot paroxysmos die 7. Junii ordino spiritum salis ammon. die intermissionis capiendum: Cum verò semper ante paroxysmum per tres vel quatuor horas, gravissimas anxietates præcordiorum sentiret, die 8. Junii ante paroxysmum ordino vomitorium blandum, cujus usu & omnes anxietetes remiserunt, & paroxysmus non rediit istâ nocte: sed die sequenti 9. oculus sinister inflammatus cum intenso dolore conspicitur.

Die 10. Junii nocte horâ 2. redit paroxysmus cum frigore & æstu insigni stipatus, dolor crurum mediocris vel nullus, oculus dexter verò etiam altero mane admodum inflammatus & acerbè dolens deprehenditur. Vocato ergo chirurgo, vesicas prope nucham utrinque excitandas jubeo, quibus copiosè plorantibus die 12. Junii nocte, cùm expectaretur paroxysmus, nullus rediit, saltem appetente mane æstus per aliquot horas mediocris, hinc & sudor: sed nullus rigor vel horror, nullus crurum dolor, mediantibus scilicet vesicantibus his ita evanescentibus. Die 14. à meridie horâ quartâ gravissimi dolores oculorum redeunt, sed post mediam noctem cessant, superveniente mane levi paroxysmo, superiori simili. Die 16. horâ 5. vespertinâ denuò oculi acerbè dolent usq; post mediam noctem, sed post hanc appetente manè levis, ut suprà, redit paroxysmus. Die 18. Junii, ut præcaverentur dolores oculorum ante paroxysmum urgentes, jussi, acciperent semen sinapi, hocque contunderent, & cum spiritu vini irrorando in forma pulticulæ carpis utrisque pro revulsione applicarent: hujus usu factum, ut nulli dolores percepti fuerint, & nocte sequente circa auroram paroxysmus exilis denuò rediret. Sed cùm sinapismo isto oculorum affectus ante paroxysmum cessarent, factum fuit, ut hinc post paroxysmum iidem redirent: ob id semper manè & vesperi sinapismos applicandos jussi, quorum usu non ampliùs redierunt oculorum pathemata; internis verò fixis pedetentim febris evanuit.

In hoc casu notabile est:

1. Doloris tibiarum scorbutici extinctio superveniente oculorum inflammatione.
2. Huic ipsi præter constitutionem internam spiritus salis ammon. præbuit, oculis debilioribus noxius, non secus ac volatilia antiscorbutica oculos hebetant.
3. Vesicatoriorum usus reverà efficax pro rigore febrium intermittentium compescendo.
4. Naturæ motus & impetus in oculos, ceu partem aliàs debiliorem, tam ante, quàm post paroxysmos, sed per sinapi usum in carpo, avertendo delusus.
5. Quam salubre remedium sit vomitorium, si præcordiorum anxietates pluribus horis ante paroxysmum urgeant, pro his sedandis.

Hæc de Febribus Intermittentibus.

CAPUT III. DE FEBRIBUS CONTINUIS.

ARTICULUS I. DE FEBRIBUS EPHEMERIS.

POst Febres Intermittentes tractandæ veniunt Febres continuæ, i. e. quæ à primo suo invasionis momento usque ad ultimum durationis finem continuò perdurant. Febris hujusmodi continua quoties blanda fuerit, & unâ die tantùm durat, secundùm durationis suæ rationem dicitur *Ephemera, seu unius diei* naturalis *Febris, Latinis Febris diaria*: Quemadmodum si eadem per duas, tres, quatuor, quinque

quinque vel sex dies ita duraverit, & aliquo critico naturæ motu finitur, *Diaria* seu *Ephemera plurium dierum*; item usitato vocabulo *synochus non putris*, dici solet.

CAUSÆ.

Causa in genere harum Febrium Ephemerarum est perversus usus 6. rerum non-naturalium, quarum occasione excitatur sanguinis fermentatio naturalis intensiùs aucta, & plùs minùs turbata, adeòque non-naturalis, ut corpus eò usque incalescat. Unde præter functiones leviter læsas Pulsus frequentior solito ac major excitatur. Omnes ergo res non-naturales, quæ sanguinis fermentationem augere, & effervescentiam excitare possunt, sunt febris diariæ Causæ. Spontè tandem evanescit, & blando sudore ac madore prorumpente finire solet: pro quo scopo etiam blandum sudoriferum propinatum, Mixtura simplex, vel Tinctura bezoardica, semel vel bis usurpata, interdum curationem absolvit. Interim est febris nullius momenti, & vel rarò aut nunquam sub Praxin Medicam cadit; pro uberiore tamen ejus Explicatione consulatur SYLVIUS *lib. 1. Praxeos cap. 28.* propter res sex non-naturales benè explicatas, PIENS *de Febribus P. 2. cap. 2. pag. 15.*, WILLISIUS *de Febribus*.

Facilè tamen in corpore impuro, sed cujus sanguis à debita crasi plùs minùs declinat, & heterogenearum particularum miscelâ ad fermentationem præternaturalem dispositus, in putridam vulgo sic dictam, seu fermentativam præternaturalem, degenerare possunt. Quando ergò est metus degenerationis febris ephemeræ in aliam, sequentia adhiberi possunt:

℞. *Decoct. cornu cervi cum rad. scorz.* ℔j.
Succ. citri,
Cydon. an. ℥ß.
Tinct. flor. aquileg.
Bellid. an. ʒiß.
Syr. rubi Idæi ℥ij.
Spir. vitriol. q. s. pro sapore.
M. D. S.
Julepus alterans.

℞. *Decoct. cornu cervi* ℔j.
Succ. citri rec. ℥iij.
Cydon.
Syrup. acetos. citri,
Rubi Idæi an. ʒiß.
Spir. salis dulc. q. s. pro *Julepo*.
D. S.
Julepus alterans.

Vel loco Julepii fiat *Decoctum alterans & laxans*:

℞. *Flor. bellid.*
Papav. errat.
Rosar. an. M. ß.
Tamarind. rec. ʒiß.
Coqu. in ℔. iij. vel ℔iv. *aquæ comm.* vel *seri lactis depur.*
cum spiritu vitrioli acidulati:
Decocto fervente adde
Conserv. Papav. errat.
Rosar. rub. rec.
Violar. an. ʒvj. vel ℥j.
Stent in loco tepido per horas aliquot; Colatura
S.
Potio aperitiva & alterans pro aliquot vicibus.

De quo bibat æger pro lubitu, vel quotidiè bis manè, & bihorio ante cœnam.

Item

℞. *Rad. scorz.* ʒiß.
Ras. cornu cervi ℥j.
Ligni sassafr. ℥ß.
Coqu. in s. q. *aquæ*, circa finem addendo
Cortic. aurant. ʒiß.
Colatura edulcoretur cum *sacchara*,
D. S.
Haustus alterans.

In ardore corporis cum inflatione abdominis præscripsi cuidam:

℞. *Aqu. fœniculi* ℥iß.
Carminat. ʒvj.
Spir. nitri dulc. ʒiij.
Syrup. cort. aurant. ℥ß.
M. S.

Potiuncula alterans contra inflationem.

Item

℞. *Aqu. acetos.*
Scorzoneræ an. ℥iß.
Succ. citri ℥j.
Spir. nitri dulc. ʒiij.
Tinct. flor. bellid. ʒiß.
Syrup. rub. Idæi ℥ß.
M. S.
Potiuncula alterans, cochleatim sumenda.

ARTICULUS II.

DE

FEBRIBUS ACUTIS PRIMARIIS.

QUoad suprà factam divisionem, considerabo primò febres *continuas acutas*, postmodum *lentas*. Quod attinet *Febres continuas*, quæ suum cursum cum impetu continuant à principio usque ad finem, sunt vel primariæ, vel secundariæ seu symptomaticæ dictæ. *Primariæ* sunt, quæ per se morbum constituunt. *Secundariæ* superveniunt alii morbo, à quo complicantur; quales v. g. febres sunt, quæ continuæ sunt in Pleuriticis, Peripneumonia, Erysipelate, & similibus partium inflammationibus; item quales superveniunt vulneribus aut ulceribus gravissimis partium, imprimis internarum, qua ratione phthisis ex ulceratione cujusdam visceris nata ordinariò secum febrem comitem habere solet.

Primariæ continuæ melioris doctrinæ ergò dividuntur secundùm SYLVII doctrinam & manuductionem in *acutas* vel *non-acutas* seu *lentas*. *Acutæ* sunt, quæ cum gravissimis symptomatibus brevi & admodum periculosè invadunt: *Lentæ* sunt, quę lentè & successivè moderatis symptomatis ægros affligunt. Illius exemplum est v. g. Causus; Hujus exemplum sit v. g. Hectica. Utræque in specie sunt vel *simplices*, aliàs *Continentes* seu *Continuæ* κατ' ἐξοχὴν sic dictæ, utut hoc vocabulum Medicinæ parentibus, in specie HIPPOCRATI, fuerit incognitum; vel *Compositæ*, aliàs *Continuæ Periodicæ* seu *synochæ*. Illæ sunt, quæ eodem tenore, eodem impetu, sine variatione, sine ulla exacerbatione aut remissione à suo principio usque ad ultimam & integram sui cessationem perdurant. Continuæ verò in specie seu periodicæ sunt, quæ continuò quidem in suo cursu ad finem usque perseverant, nihilominus tamen certo tempore, nunc tertio die, nunc, quod rariùs, quotidie, aut quarto die, subindè exacerbationes quasdam & paroxysmos exacerbatos patiuntur, post quas remissio quidem, non autem totalis intermissio febris observatur. Talis continua periodica est inter Febres acutas continua Tertiana; inter Lentas verò Febris Catarrhalis omni vespera ferè suas exacerbationes habens. Reverà hæ nihil aliud sunt, nisi febres compositæ, ex febre nempe intermittente suas periodos observante, & febre continente, æquali cursu continuò promotâ.

Durant hæ febres vel *ascendendo*, ita ut æger primâ die lenem calorem præternaturalem sentiat, postmodum de die in diem augetur; vel secundò *descendendo*, ita ut primo die maxima caloris & febris symptomata ægrum invadant, quæ posteà sensim sensimque remittunt, donec in naturalem statum perveniat, & sic continentes sunt, quæ eodem modo durant.

Acutæ febres sunt vel *solitariæ* vel *comitatæ*: *Illæ*, quæ solæ & simpliciter ægrum affligunt; *Comitatæ* verò sunt, quæ cum alio affectu, in specie cum inflammatione cujusdam partis, conjunctæ sunt: quals v. g. sunt Febres Pleuriticorum, Febres in angina correptis; sive Febres tales varient ratione inflammationis, sive inflammatio veniat ratione Febris.

Utræque etiam hæ ipsæ sunt vel *benignæ*, vel sæpiùs etiam *malignæ*, eæque admodum periculosæ: *Benignæ* sunt, quæ ultra sui naturam nulla graviora conjuncta habent symptomata; Malignæ verò sunt, quando vires ægri subitò & præter talis febris naturam prosternuntur, & symptomata occurrunt, quàm in tali affectu fieri solet, graviora & insolentiora. Malignæ dicuntur ratione hominum mali moris, qui externè se præbent amicè, internè verò semper de malo cogitant. Indicant has febres prostratio

vitium sine causa manifesta, rarissimè sunt intermittentes: sæpiùs complicantur continuæ cum malignis, ita, ut propterea etiam non rarò confundantur: imò sæpiùs accidit, ut febris reverà maligna primis diebus formam causi aut febris benignæ præ se ferat, ac suâ malignitate lateat. Proindè cautissimus in earundem diagnosi, & prognosi. De his jam non dico; quia suo loco dabitur occasio: Hâc vice considerandæ sunt febres *continuæ acutæ primariæ solitariæ, benignæ* uno nomine: considerabimus in specie;

FEBRES ARDENTES,
Die hitzigen Fieber.

Uti in omnibus febribus, ita in specie in continuis acutis, ratio habenda est duorum salium, urinosi & acidi, in massa sanguinea & succis reliquis, motu mutuo concurrentium, & plùs minùs fermentantium aut effervescentium. Hujus effervescentiæ occasionem nunc suggerit acidum, ut in febribus comitatis seu cum inflammatione conjunctis, e.g. pleuritide, item in febribus catarrhalibus; nunc occasionem suggerit sal volatile oleosum & alcali peccans, quod cum acido effervescendo calorem per corpus distribuit, uti fit in continuis primariis, ardentibus dictis.

CAUSÆ.

Scilicet *Causa proxima* Febrium continuarum non periodicarum est nihil aliud, quam talis massæ sanguineæ dyscrasia, quâ hæc sale volatili acri, sæpius oleoso simul, (eoque præternaturaliter vitiato seu corrupto, & consequenter sanguinis nativam crasin turbante,) quod ab aliis vocatur bilis præternaturalis, adeò est turgida, ut vel levi accedente occasione talem ebullitionem febrilem præternaturalem, instar vini generosi immanius ebullientis, tandem concipiat, dum sal volatile acrius aut oleosius uberiùs luxurians vitiosè cum acido concurrit, & plus minùs intensè fermentat; unde insigniter incalescentes partes oleosæ (nam calor consistit in motu) tam efferatum ardorem & æstum in totum corpus distribuunt. Unde ex sale volatili abundante calor acris & insigniter auctus observatur, idque eò magis quò magis oleosum fuerit sal volatile massæ sanguineæ. Pulsus est admodum celer, frequens, & quò magis oleosa, adeòque occultè acida est massa sanguinea, eò erit major, quatenus acrior propterea excitatur effervescentia. Urinæ simul sunt crassiusculæ & plùs minus turbidæ, prout longiùs ve propiùs absunt à statu tales febres: Et quò magis oleosum fuerit sal peccans, eò simul magis tinctæ: quamdiu verò æqualiter effervescunt acidum naturale cum sale volatili oleoso peccante, tamdiu urinæ crudæ seu tenues & intensè tinctæ existunt: quando verò successivè præcipitatur sal volatile oleosum peccans seu bilis ab acido, urinæ crassiores turbidæ, & quæ pedetentim sedimentum deponunt, excerni solent; unde coctionis signa talia rectè dici solent.

Quando massa sanguinea à fermento planè dissolvitur, ita, ut nulla coctionis appareant signa, mors præsto est. Kergerus urinas fermentatas rectè dicit turbidas Febricitantium. Nam, quæ fermentescunt, acriùs ex conturbatione & exagitatione perspicuitatem amittunt: vid. KERGERUS *pag.* 277. *de Fermentat.*

Causa remota crasin massæ sanguineæ ita alterans, ut occasione levi datâ hujus orgasmus febrilis, & spirituum influorum fervor & impetus oriatur, adeoque fermenti præternaturalis vices occupans, hæret imprimis secundùm fundamenta suprà in genere posita, & quantum hactenus ex Juvantibus & Nocentibus judicare potui, in stomacho & primis viis. Nempe est *vitium chyli*; vel *sub digestione plùs minùs corrupti*, vel *in duodeno à bile effusæ minus perfecti, sed vitiosè alterati*, ut sub liquaminis fermentativi nidorosi plùs minus amaricantis acris, & plus minus oleosi forma successivè massæ sanguineæ infundatur, easque vices fermentationis, & circulationis leges subit, donec ibidem uberiùs & copiosiùs congestum, vel quacunque occasione externâ excitatum, tandem ordinariam sanguinis fermentationem & spiritualscentiam naturalem turbat, indeque quasi congestum effervescentię febrili præternaturali occasio existat, mediante qua heterogenea ista materia sanguini suffusa, ipsique inimica secernatur, & hinc excernatur, ut in morbo nempe salubri; vel massa sanguinea ita corrupta & inquinata deficiat in effectu secretorio, ut tandem penitus immutata ejus textura & fermentatio vitalis & spiritualscentia, & ipsa vita, ceu illorum effectus, deficiat. Adeòque depuratur massa sanguinea in febre continente salubri; penitus pervertitur eadem in lethali, quasi scilicet generosum mustum fermentando se depurat, & secum secretione, tanquam quadam coctione, in vinum generosum abit: quod undecunque læsâ fermentatione istâ in vappam aut sirum aut potum ingratum, aliisvè modis vitiatum transit. Quod simile intelligibiliùs saltem reddendæ, non autem explicandæ harum febrium naturæ, inserviat; nempe hoc ipsum chyli vitium est quasi (mutatis nempe mutandis) stercus liquidum seu scoria, ex tenuibus intestinis præternaturaliter transmissa in massam sanguineam, ibidem irritando archeum febrim inferens, uti vult HELMONTIUS *Tract. de Febribus cap.* 2. Sed hoc stercus, licet dicat HELMONTIUS non esse naturale, sed præternaturale, ex chylo corrupto & nidoroso, a bile corrupta in intestinis vitiosè facto. Confirmat hactenus dicta *analogia ista, quæ inter febrem intermittentem & continuam talem intercedit*, dum non saltem de facili complicantur, aut invicem permutantur, ut infrà patebit; sed quod unicus est in intermittente paroxysmus, hoc in continua est integri morbi cursus. Nempe acidum primarum viarum fermentativum, sed sub digestione aberrans, chyli non ritè transmutati & consequenter nec debitè perfecti medio in massam sanguineam delatum, præternaturalis fermentationis est occasio; quod aliàs naturali modo chylum perficiens, hunc sanguini permiscibilem, & continuatæ fermentationis adjumento perfectè assimilabilem reddit: adeò nempè secundùm VERULAMIUM *in Hist. Vitæ & Mort. pag.* 136. stomachi robur fundamentum est ad reliquas coctiones, & omnes succorum in corpore fermentationes sunt saltem continuationes fermentationis in stomacho inchoatæ, ut loquitur SYMSON *Zymologia pag.* 50. &c.

Ex dictis hactenus vis & operandi ratio causarum remotarum promptè elicitur, cùm ita eo febres continuæ ardentes imprimis soleant occupare corpora juvenilia, in quibus notum, quod bilis sit copiosa, seu massa sanguinea impregnata copioso sale volatili oleoso, idque magis tempore vernali & æstivo, aëreque squalido, quod incalescens corpus agitat massam sanguineam, ejusque fermentationem intendit; item corpora eusarca & euchyma, & quorum massa sanguinea ob particularum fermentescibilium copiam & volatilem acrimoniam intensiùs fermentari solet; eos itidem, qui utuntur victu lauto, & potu generoso, spiritu vini, & vino generoso; item qui vitam agunt sedentariam aut otiosam, aut somno nimis sunt dediti & similes: sæpè etenim multum huc facit corporis habitus plethoricus, sanguine existente plùs minus oleoso. Quibus subindè accedunt causæ externæ, quæ talem dispositionem movent, ut res procatarcticæ in actum secundum prorumpant: quas inter est primariò transpiratio corporis insensibilis prohibita; effluviis enim illis transpirabilibus suppressis massa sanguinea turgescit: iracundiæ fervor, acrium & volatilium abusus: hinc immersio subitanea in aquam frigidam post æstum corpora disposita in febres ardentes conjicit, quatenus scil. obstruuntur pori, quod observavit HILDANUS *Centur.* 1. *Observat.* 95. (nisi synochus plurium dierum seu non putrida hinc oriatur) & VALERIOLA *lib.* 2. *Observat.* 6., qui habet exemplum febris synochæ periculosissimæ ex pororum cutis obstructione: item ex nimio usu aquæ theriacalis in animi deliquiis infusæ, febris ardens observata fuit à *Salmuth Centur.* 1. *Observat.* 51., sicuti idem *Salmuth Centur.* 1. *Hist.* 31. observat Febrem ardentem ex theriacæ nimia quantitate exhibita, &c. Sed res est clara; quò magis enim dispositum est subjectum, eò faciliùs oriuntur febres ardentes.

Hisce *Continentibus*, plùs minùs acutis & simplicibus, *complicari solent* Febres *intermittentes*, *adeòque*

FEBRES CONTINUÆ COMPOSITÆ.

Rectè SYLVIO dicuntur, compositæ ex continua acuta & intermittente periodica; ita quidem, ut sub febris continuæ cursu subindè affligens, & periodicè recurrens febris intermittens, exacerbationem periodicam plùs minùs intensam febris continuæ inferre soleat. *Continuæ* hæ *periodicæ utplurimum sunt Tertianæ*, eæque frequentiores, in quibus nempe sine intermissione febris pergit, utut subindè exacerbetur, & ab illa exacerbatione denuò remittat. *Continuæ* verò *quotidianæ* rarius sunt acutæ, quin ferè sub

certum

censum continuatarum, sed reverâ febrium lentarum aut lymphaticarum veniunt. Febri huic in exacerbatione nonnunquam animi deliquium vel syncope solet imminere, ob quam causam tales febres aliàs *syncopales* nuncupantur. *Omnium* autem *rarissima est continua quartana*, de qua, an obtervata fuerit, multi adhuc dubitant, sicut & JOEL *in Praxi*, (cui Veterano Practico jam septuagenario, & tamen in Pomerania, ubi ex acido fixo viscido, seu Veterum melancholia nati morbi, indeque hypochondriacum malum ac scorbutus frequentiores sunt, & ex quo humore Quartanam derivant, viventi nunquam apparuit) eam aut nullam aut rarissimam esse judicet. Quin &, si aliquando occurrant, ad lentarum naturam eas proximè accedere, asserit PIENS *de Febribus Part.2.pag.98.*, aut cum continua lenta complicatæ erunt. *Notabile* talis complicationis exemplum suggerit LINDANUS *super Hartmannum*, dum dicit: *Vidi ego in hac urbe* (nempe Amstelodami) *tres Quartanas cum hectica ex animi mœrore contractas: Primus paroxysmus erat vehemens, secundus lenior, tertius lenissimus, quartus, qui respondebat primo, iterum vehemens &c. His Quartanis remittentibus remanebat febris continua seu hectica ex mœrore orta. Principio non putavi dari quartanam continuam, sed postmodum deprehendi: effeci, ut omnes Quartanæ cessarent, sed remanebat hectica. Ego sanè continuas periodicas* (quotidianas & quartanas) *paucissimas, nisi Tertianas, quæ sunt frequentiores.*

Continua in his febribus continuis periodicis est febrilis fermentatio, ejusque effectus pulsus mutatus, & caloris intensio, & certâ suâ periodo saltem exacerbationem, cujus indicium symptomata præbent, patitur; ita tamen, ut in his exacerbationibus ferè nunquam, aut rarissimè horroris sensus percipiatur ob intensiorem caloris sensum, & motum, totum corpus occupantem, quin saltem ex caloris & ardoris augmento exacerbatio funesta solet observari. Conf. SYLVIUS *lib.3. cap.31.* *Ex intermittente igitur & continente componuntur continuæ periodicæ*, speciatim *Tertianæ acutæ*.

Causa complicationis hujus febrium intermittentium & continuarum est, quod in massa sanguinea ad febrem continentem disposita ex sale volatili oleoso copioso ob errorem diætæ & stomachi erratum, ubertius vitiosi succi congeruntur, qui intermittentes periodicas inferunt; cum & anteà, massâ sanguineâ ex sale volatili oleoso uberius effervescente, jam febrim continuam patiatur.

Huc pertinent febres scorbuticæ periodicæ vagæ, curæ difficilioris.

Complicantur autem tribus modis:

1. Dum febris intermittens in continuam ardentem degenerat, & ita postmodum invicem perdurant, dum, præter fomitem febris intermittentis ejusque fermentum acidum, recrementa nidorosa massam sanguineam errore digestionis primæ inquinant, unde hujus occasione continua simul excitatur, sed periodica.
2. Continens in intermittentem abit, correctâ plùs minus massâ sanguineâ, & successivè succrescente fomite præternaturali intermittentis in primis viis, in specie si minùs diætæ sub cura febris continuæ operam dent ægri.
3. Dum simul tales binæ febres inchoant & pergunt, idque modo suprà dicto, sive simplices fuerint, sive compositæ seu multiplicatæ. Notabilis est explicatio, quam refert *Panarolus Pent. 2. Observ. 33. pag. 90.*, nempe Tertianam continuam duplicem cum Quartana lethalem.

Jam verò nobiliora quædam his acutis in febribus, tàm continentibus, quàm continuis periodicis, occurrunt symptomata, pro quorum varietate subindè variant, unde varia sortiuntur nomina seu appellationes. Sic quædam habent febrium, ubi fuerit gravior κατ' ἐξοχὴν seu

FEBRIS ARDENS

Appellatur, cujus duo *sunt* quasi *pathognomonica symptomata: Æstus nempe & ardor intensus, & sitis ferè intolerabilis*; Hinc frequentissimè continua tertiana periodica causi nomen obtinere solet: vid. SYLVIUS *lib.1. Praxeos cap.29. §. 24.* & *cap. 31. §.5.* Quibus primariis symptomatis subindè accedit & linguæ ariditas, labiorum fissuræ, capitis dolores, delirium, & similia alia symptomata: HORSTIUS verò *in Problem. Dec. 1. Quæst. 4. pag. 5.* Veterum Causum hodiernam febrem Hungaricam esse asserit. Urina in talibus febribus est intensissimè tincta, rubicundissima, in incremento crassa, turbida, opaca, cum enæoremate, in statu copiosissima sedimenta sunt in fundo matulæ, quæ ardorem significant: si urina prius densa, crassa, aut opaca, & subitò intensè tenuis, portendit deliria, jactigationes, anxietates &c.

CAUSÆ.

Easdem penitus causas agnoscit Causus, sed intensiores, & concitatiorem fermentationem excitantes, ac febres continuæ acutæ aliæ: Unde *ex volatili acriori acido*, cum sale volatili oleoso *intensiorem sanguinis effervescentiam excitante, intensissimus ille æstus* oritur; cum notum sit, nil magis effervescendo & fermentando incalescere, quàm talia volatilia oleosa: sic spiritus vitrioli missus cum oleo seu spiritu terebinthinæ, salino-volatili oleoso, insigniter effervescendo incalescere solet. Hinc, dum sub ista effervescentia insigniter turgescit, &, ut sic dicam, ebullit massa sanguinea, non potest non pulsus fieri maximus, & necessariò frequentior, & prout spiritus animales sunt constituti, imprimis in principio, simul robustus. Ardor talis, dum alcalisatur quasi causa febrilis, ut loquitur HELMONTIUS *Tract. Pylorus Rector §.26.*, *sitim adeo intensam* & cruciantem excitat; h. e. depravatum in febre fermentum stomachale, dum non aptum est ad consuetam digestionem, in excrementum nidorosum facesseri sinit, quicquid in stomacho fuerit, quod à calore partis, & speciatim ab intenso æstu febrili magis alteratum, & quasi colliquatum in texturam alcalisatam oleosa, ut quasi empyreuma contrahat, tunicis ventriculi tenacius impactum, febrilem sitim infert, non solùm irritando & vellicando certo modo membranam stomachi & œsophagi, & per consensum ipsius quoque linguæ; sed præterea massæ sanguineæ infusum simul alterat lympham salivalem, fauces humectantem, eamque subinde sale volatili oleoso impraegnat, ratione cujus taliter ægrotantibus subinde gustus amarus in linguâ obvenire solet: unde intolerabilis ferè sitis, & quæ amaricantibus, v. g. cerevisiâ lupulatâ, ex dictis causis intenditur, nec nisi acidis, præsertim mineralibus, corrigibilis est.

Alia differentia est in Febre,

LIPYRIA

Dicta, in qua interiora uruntur, exteriora verò frigent: *de qua discrepantes* admodùm quoad ortum & fiendi modum *Authorum sunt sententiæ*. *Quamplurimi ad secundarias*, adeoque vel Comitatas vel symptomaticas *febres referunt*. Instar omnium sit LINDANUS, qui *super Hartmannum inquit: Febris Lipyria est febris ardens, orta ex inflammatione visceris interioris valdè sensilis, de qua loquitur Aphor. 46. Sect. 4.* HIPPOCRATES, & *Aphor. 72 Sect. 7: de quibus notandum*, (1) *Febres has non esse intermittentes*, (2) *in talibus algorem esse externorum, & ardorem internorum. Ubi per partes externas non vulgò dictæ, manus, pedes, nasus, lobi aurium, &c. intelligendæ sunt, sed universi corporis habitus. Algor autem non est tactu Medici aut adstantium judicandus, sed ægri judicio, qui se algere dicit, & tegi jubet. Tepent enim membra, nec est ea vis, quæ in aliis febribus ardentibus adesse solet. Hæc Febris brevi terminum absolvit, plerumque intra triduum, quatriduum, & vix unus evadit, nisi statim ab initio huic malo præveniamus: lien, hepar, viscera alia &c. si quæ accendantur, non tantum periculi important, quàm si partibus membranosis inflammationes accidunt, ut ventriculo, ileo, utero, vesicæ* &c. *Solent enim conqueri de summo æstu partis affectæ; linguæ crusta nigra, magna corporis adest agitatio, sitis inextinguibilis, delirium, pervigilia* &c. Hæc LINDANUS.

Notanter dicit LINDANUS, *partis sensibilis valdè sequi Lipyriam*. Pars enim non valdè sensilis, v. g. melentèrium inflammatum, febrim quidem etiam continuam, sed lentam ferè plus minùs inferre solet. Conf. SENNERTUS *lib.2. de Febribus cap.16. pag.406.* Sanè Practicæ experientiæ cumprimis consentiens est hæc sententia. Sunt & nonnulli, qui etiam primariam febrim subindè Lipyriam esse contendunt, quos inter non tantum est SYLVIUS *Lib. 1. Prax. cap. 29. §. 31. & 32.* & PRIMEROSIUS *lib.3. de Febribus c.8. p.264.*; sed etiam ex nimis liberali usu fructuû faginorû (Ger. *der Buchecker*) eandem enatam, adeoque apparenter primariam observatam à BORRICHIO in BARTHOLINI *Act. Med. Haffniens. Vol.2. pag.160.*

Pag. 166. Primaria talis, cùm rarissima sit, adeòque adhuc nonnihil dubia, & quoad fiendi rationem adhuc intricata, saltim frigoris ratione ad genus nervosum membranosum undecunque irritatum; æstuationis verò respectu ad sanguinem in præternaturalem fermentationem concitatum, hincque alteratos insigniter spiritus, idque ex suprà dictis probabilissimè à sui generis acido, respiciendum erit.

Porrò sunt

FEBRES CONTINUÆ cum PRUNELLA.

Dum in febribus continuis, imprimis in Causo, sitiunt ægri, sæpè lingua & fauces arescunt, earumque concurrit ardor ac rubor obscurus. Unde tunc temporis simul lingua quoque non tàm arida existit, sed prætereà etiam crustâ nunc albicante, nunc nigricante obducta, colore nigricante puniceo apparet tincta, *Kuchbraten* uti vocant, qui faucium ac linguæ affectus vulgò vocatur prunella, Germanis *die Braune*, & omninò distinguenda ab angina, utut vulgò confundantur. Hæc febris cum prunella vocatur *Febris Hungarica*, & non rarò solet esse epidemica: De quibus *Sylvius lib. 1. Prax. c. 29. §. 26. & 33.* Imò dubitant nonnulli, an detur Causus, cui non utplurimum conjuncta sit malignitas? Ipsa saliva infecta causa maxima videtur febrium istarum, quas vocant vulgò *die Braune*; seu febrium vitioso faucium calore conjunctarum: dum scilicet ista alterata, & imprimis mox glutinosa reddita in febribus, mucilaginis instar agglutinatur faucibus & linguę, quæ mucilago pedetentim ab æstu febrili calcinata quasi aut exsiccata, indeque istis partibus teneris perquam molesta & hostilis, has irritat & arescere facit, ita ut mox phlogosin seu inflammatoriam quasi dispositionem acquirant, unde rubedo, ardor, dolor, nunc plùs minùs spissi proventus; tandemque fissuræ faucium & linguæ.

FEBRES COLLIQUATIVÆ

Dictæ etiam huc pertinent, dum scilicet febribus his continuis accedit subindè colliquatio corporis, quæ nostris in provinciis sunt frequentissimæ, propterea colliquativæ seu colliquefactivæ dicuntur: scilicet tales, in quibus corpus brevi tempore insigniter consumitur & emaciatur; *mann sie bald verfallen*, dum ros nutritivus chylosus, tàm in massa sanguinea, quàm in solidis partibus, dissolvitur, & ipsa pinguedo quasi obtunditur & colliquescit. Accedit hoc, idque crebriùs, per alvum, & tunc vocatur *Diarrhœa colliquefactiva*, quam certo respectu possumus referre ad SYLVII *Febres Cacatorias*; in qua copiosa, ut plurimum admodum fœtida (qui *fœtor* oleosæ substantiæ, adeòque & pinguedinis pessimam colliquationem notat, cum nihil æquè fœtere soleat, ac oleosa seu pinguia corrupta, & ad putredinem vergentia) excernuntur: sæpiùs per sudores; qui vocatur *sudor Colliquativus*, qui copiosus minùs calidus, interdum plùs minus glutinosus excernitur: item per urinam in *urinæ fluxu colliquativo*, in quo urina copiosa cum supernatante propriè dicta pinguedine effunditur: nunc etiam sæpiùs in certas corporis cavitates humores colliquativi effluunt, quo sensu semper oritur Hydrops quidam; qui frequentissimus est in abdomine & pedibus, cum superiorum partium marasmo: nunc verò solo ard. re febrili, sine ulla excretione se ostendere solet; idque tardiùs, dum nempe absumitur ros nutritivus, necessariò corpus emaciatur. De hac videatur sequens Febris Hectica.

Febres hæ colliquativæ sunt omnium pessimæ & malignis proximæ; quibus tandem in periculoso statu convulsiones superveniunt vel deliria, & sic intereunt ægri.

Definiri autem potest hæc febris, quod sit symptoma fermentationis massæ sanguineæ auctæ, dependens à nimia acrimonia fermenti febrilis, unde oritur notabilis humorum laudabilium profluxus, omniumque partium pinguium resolutio.

De genere non opus est, ut multa disseram.

PARS AFFECTA.

Pars affecta sunt partes totius corporis chylosæ ac pingues: nam reverà impossibile est, ut os, vel cartilago, vel membrana, vel fibræ in corpore corrumpantur, nisi hoc fiat per putrefactionem aliquam, v.g. in carie & pute; hinc etiam omnes fibras in singulis angulorum seriebus reperire licet in cadavere ad extremum maciato: imò, si fibræ quædam annihilarentur, quæro quomodò possibile sit, ut patientes tales tabidi sceletoformes possint exercere omnes musculos? cum constet, punctâ vel compressâ unâ alterâve fibrâ musculi, aliàs vegeti satis, aboleri totam actionem musculi. Interim tamen facilè largior, quatenus succi pingues aptas reddunt fibras qualcunque motui expeditiori, eatenus destructo succo pingui percipere corpora varia incommoda.

CAUSÆ.

Causa colliquationis talis *partim* in subjecto patiente seu succo nutritio chyloso rorido, & inde nata pinguedine, *partim* in efficiente etiam, consistit: *In patiente* quidem, si succus iste texturæ rarioris, subtilioris, minusque ab acido concentratæ existit, hinc faciliùs resolubilis & attenuabilis denuò esse solet: v.g. carni aprugnæ sub assatione nil omninò, aut planè minimum est, quod defluit; suis verò domesticæ carni plurimum, eò magis, quò plus adipe vel carne abundat, ut loquitur GORRÆUS *in definit. Medicinæ pag.* 319.

Texturam autem istam plùs minùs resolubilem à certo contextente acido dependere, illustrat experimentum illud, quo olea per spiritum nitri acidum in pinguedinis consistentiam coagulare possumus, dum alcalia è contrà & saccharum butyri coactionem debitam penitus inhibeant.

Causa efficiens attenuans, & menstrui instar dissolvens, & hinc seroso vehiculo unibile reddens, non est tantummodò caloris motus, utut hic pro liquescenda denuò pinguedine multum valeat, sed *acrimonia septica seu quasi caustica fermenti febrilis* peccantis, penetrans, dissolvens, & nutritivum succum ac pinguedinem partium solidarum, cujus coagulatio ab acido occulto fieri assolet, liquefaciens, simili ferè ratione atque acres quasi causticæ particulæ purgantium, aut sudoriferorum resinosorum acrium &c. dissolvere & liquefacere assolent chilosas & roridas nutritivas particulas; *quæ acrimonia, ad quam acrium classem*, an acidorum volatilissimorum, an alcalium, an salsorum, *referenda sit*, in medio hoc loco relinquo.

Huc etiam facit nimia succi biliosi acrimonia; quæ longiore tramite in intestinorum cavitatem influens, chylum acrem redit; quare in massam sanguineam translata, eandem cum nutritivo succo resolvit & colliquefacit, quæ nimium fermentando, & in sua textura fatiscendo, per glandulas intestinales, pancreas, & vasa biliaria excernuntur: unde frequentissimum Febris colliquativæ symptoma, *diarrhœa* oritur; sicut & ipse bis in talibus cadaveribus fellis vesiculam planè exinanitam, & ad instar folii florum papaveris tenuem observavi.

Si verò nulla oritur humorum extravasatio, oritur demum sudor, qui tamen ut plurimum concomitatur & diarrhœam & hydropem; qua propter, ubi sudor diarrhœam & hydropem non levat, res est maximè desperata.

Causæ remotiores Febris colliquativæ possunt esse variæ. Imprimis autem ex rebus non-naturalibus, multum hic valet aëris constitutio epidemica. Quoad potum: mirum in modum promovet febrem colliquativam largior & frequentior potus spiritus vini, qui depravando fermentum ventriculi, adauget per oleositatem suam, tale volatili copioso turgidam, sal volatile oleosum bilis, eamque reddit acrem: quare utplurimum ejus potatores strenui tandem mortem oppetunt ex febre colliquativa. Idem centendum est de fumo tabaci nimiùm frequenti & copioso. Ex haustu nimio aquæ frigidæ, corpore prius nimiùm commoto, febrem colliquativam sibi aliquando contraxit Juvenis 18. annorum. Quoad alimenta: facilè possunt ad febrem colliquativam disponi, nimium quantum, appetentes aromata.

Ex rebus præternaturalibus est scorbutus, qui rarò patientem occidit absque colliquatione, imprimis si patiens erit ætate provectior. Febris aliquando colliquativa est cancro mammarum cum diarrhœa observata est.

Colliquativa enim hæc Febris, ubi cum sensibili excretione est conjuncta, facilè se manifestat, & suam causam prodit. Verùm, ubi sine tali sensibili excretione subitò corpus quasi tabescit & colliquescit, signum est massæ sanguineæ admodum acris, ineptæ ad nutriendum; unde pinguedo & ros nutritivus partium solidarum colliquefactus,

nunc

nunc sensibiliter mediante sero, nunc insensibiliter halituum formâ foras successivè excernitur.

Distinguenda autem sunt hic, lenta emaciatio in febribus ab eo, quod nos dicimus, *collapsus*, in specie *faciei*. *Illud* autem à colliquatione, & hinc subsequente emaciatione oritur: *Hoc* verò à spirituum influorum defectu aut saltem deficiente vi elastica, & fibras & stamina partium in debito tono, & hinc interstitia porosa in debita dilatatione pro fluidorum quorumvis faciliore transmissione, detinente oritur. Hac igitur vi cessante, vel ob spirituum absolutam paucitatem, vel eorundem vitia, tam constitutionem vel denegatum plùs minùs eorum influxum, partes molles, præsertim faciei, collabi, nasus acuminari, tempora excavari, oculorum orbitæ profundiores apparere incipiunt, ut in subitanea syncope correptis, aut facie Hippocratica deformibus, manifestum est.

Ut itaque colliquatio subitanea neque bonum signum esse solet, pessimum tamen semper indicium est ista subsidentia partium mollium subitanea, quæ nunc mox in principio morborum, nunc in eorum progressu, interdum horulæ spatio contingere observatur, spirituum influorum affectum gravem omninò innuens. Glutinosus sudor est pessimus, in specie in febribus malignis: ab acido enim fit assimilatio alimenti, hoc si destruatur ab acri volatili, veniunt indè sudores colliquativi, quatenus non potest assimilari alimentum, hinc & in talibus febribus decidunt pili ob illorum denegatum nutrimentum; vid. GARMANNUS *de Miraculis Mortuorum*, ubi habet de pilis, quod sunt quasi Vegetabile.

Porrò febribus continuis & continentibus hisce sæpiùs supervenit *delirium*, idque non leve, quale in intermittentibus scorbuticis interdum observabile est; sed grave, & ad furorem subindè ægros disponens; idque nunc citiùs, nunc tardiùs superveniens, & adstantes insigniter turbans. Hæ

FEBRES ARDENTES DELIRÆ,

Uti vocant, vulgò *Morbus capitis*, non rarò sunt epidemicæ; antecedere solent vigiliæ pertinaces, subindè cephalalgiæ crudeles; sequuntur verò continuata hæc symptomata, tandem convulsiones epilepticæ.

Fit hoc, quando partim ex fermento febrili, utplurimum tamen maligno, speciatim ipsis spiritibus animalibus, & hinc generi nervoso, circa interiores capitis partes inimico, partim illorum textura vitiatur, adeòque motus debitus pervertitur, & genus nervosum continuò vellicatur (undè intensior circa frontem, quàm alias corporis partes, æstus percipitur) partim ex calefacto per sanguinem fortiter effervescentem cerebro, spiritibusque animalibus fervidioribus redditis, hi ipsi in cerebro & cerebello inordinatè moventur & agitantur; hinc enim occasione tàm perversi, quàm continuati & inordinati motus, inquietudo, insignes capitis dolores, vigiliæ pertinaces, hinc gravia deliria, & tandem convulsiones superveniunt, quæ interimunt ægros.

Apud Veteres Scriptores Practicos & horum Interpretes, plures adhuc febrium acutarum differentiæ annotantur; v. g.

FEBRIS PEMPHYGODES.

Latinè *Ampullosa* dicta, in qua tàm facies & os, quàm caput & aliæ partes corporis, bullis & bullulis hinc indè protuberantibus interstinctæ observantur; cujus notabile exemplum videb. in M. A. N. C. *ann.* 8. *Observat.* 56. *pag.* 93. & ZACUTO LUSITANO *Prax. Admir. Observat.* 15. Qualis tamen bullularum elevatio & intumescentia potius fermenti maligni cujusdam critico quasi naturæ motu, cum suo vehiculo ad instar variolarum exclusi, effectus esse videtur.

FEBRIS TYPHODES, item ELODES, item HYDRODES.

Latinis *Sudorifica* dicta est, in quibus statim primo die ægri copiosè sudant; sudore ipso parùm aut nihil alleviante (quæ an eædem fuerint cum sudore Anglico, ut asserit LANGIUS *Epist.* 19. *lib.* 1. dubitare licet) sive colliquativus, sive non fuerit talis sudor: illius nempe colliquativi Theoria ex suprà dictis; hujùs verò aliquo modo mutuanda ex SYLUIO *lib.* 1. *Praxeos cap.* 30. §. 40. *&* 124. item *cap.* 38. intelligi potest.

FEBRIS ASSODES dicta, seu ANXIOSA.

Quando ægri anxietates cordis patiuntur, in qua ob anxietates ægri, decubitum eundem non ferentes, figuram jacendi sæpiùs variant, adeoque in lecto se jactitant.

CAUSA.

Inter omnes anxietatis *Causas* frequentissima est *oris ventriculi affectus*, quando nempe vel ob malignum quoddam fermentum, vel à pravis, utut paucis, humoribus, ejus tunicis immersis, mordetur seu irritatur, vel iisdem in intestinis, in specie in tenuibus, stagnantibus, qui ad stomachum delati, sub nomine bilis porraceæ tetra symptomata faciunt: Hinc vomitoria in principio harum Febrium instituta sunt optima. Præter hanc tamen *vel* καῦμα intensiùs, *vel* orgasmus materiæ ejusdem, *vel* malignitas insignior, *vel* imbecillitas in causa esse solet: de quibus in specie vid. STEPHANUS RODERICUS CASTRENSIS *lib.* 1. *cap.* 21. *Tractat. Quæ ex Quibus.*

FEBRIS LYNGODES, πυρετὸς λυγγώδης seu SINGULTUOSA.

Talis est febris, in qua singultus cum febre permanet, vel cum febre per totum morbum simul exacerbatur. Exemplum vid. in M. A. N. C. *ann.* 4. *Observat.* 48. *pag.* 43. Utplurimùm est ex ventriculo, sive per essentiam, sive per consensum affecto.

Curatur carminativis, castorinis, cinnabarinis, & opiatis. Sic HORSTIUS *lib.* 1. *de Febrib. Observ.* 25. Laud. opiati gr. iij. cum pauxillo Theriacæ & conservæ rosarum cum successu exhibuit: item applicavit cucurbitam scarificatam super os ventriculi.

FEBRIS PHRICODES, πυρετὸς φρικώδης seu HORRIFICA.

Cui in toto morbi cursu crebri horrores & rigores superveniunt, quales non solùm in suppurationibus partium internarum, sed etiam febribus compositis interdum supervenire solent: de quibus omnibus, ne actum agam, vid. STEPHANUS RODERICUS à CASTRO *citato loco, nempe Quæ ex Quibus lib.* 1. *cap.* 18. 19. 20. &c. Consentatur etiam ZACUTUS LUSITANUS, qui & earum Historiam & Observationes pertractat in *Medicorum Principum Histor. & Praxi Admiranda*. Plura symptomata, eorumque diductionem, hisce jam etiam harum febrium exactiorem, videb. in SYLUIO *lib.* 1. *Prax. cap.* 29. item *cap.* 31., ubi prolixè historiam morbi indicat. Hoc notandum in SYLUII lectione: quod simul unâ vice tractet Febres biliosas & lymphaticas; nos verò seorsim illa tractamus. Inter febres compositas plùs minùs acutas primariam sui considerationem meretur

FEBRIS SEMITERTIANA, seu HEMITRITÆUS.

De qua tamen variantes sunt Authorum sententiæ, cujus discrepantiæ, præter generalem febrium theoriam admodum intricatam, hæc ferè est origo, vel nimia Veterum veneratio, & in iisdem defendendi studium, vel non ritè observata multiplex tàm compositionis febrium mutuæ, quàm complicationis earum cum aliis affectibus varietas. *Vulgatissima de semitertiana fert sententia:* esse eam compositam ex duabus febribus, Tertiana & Quotidiana, quarum una sit continua periodica, altera verò intermittens, in qua ipsa, quoniam sub quovis paroxysmi insultu horror plùs minus perceptibilis fit, ob id & *horrificam* seu *phricodem hanc febrem vocasse Veteres asserunt*. Talis semitertianæ typum ex intermittente quotidiana cum tertiana exhibet REGIUS *in suis Dissertationibus*. Vir quidam

dam robustius incidit matutino tempore in horrorem totius corporis, quem insecutus est calor mulcens, pulsus celer & creber perpetuò durans: sub vesperam ipsum eadem die invasit refrigeratio totius corporis, post quam sequebatur pulsus justo frequentior & celerior: Sequenti die calore illo perpetuo & pulsu celeri ac crebro durante, leve frigus sensit, calorque deinde increvit, & pulsus increbuit. Tertio die rursus manè exhorruit, & dein incaluit, & vesperi, remittente frigore, rursus increvit calor: quartò verò die leviter sub vesperam rursus perpesso frigore incaluit, & pulsus increbuit.

Semitertiana verò composita ex Tertiana intermittente & quotidiana continua vid. in TIMÆO *lib. 8. Cas. 21. & 22. pag. 367. & sequen.* Conferatur etiam HORSTIUS *lib. 1. Observ. 14.* item RIVERIUS *in Observ. de Morbis Infrequentibus Observ. 23.* Sic Hemitritæus ex continua quotidiana & quadruplici Tertiana vid. in RIVERIO *Centur. 4. Observ. 23.* Sic Hemitritæum ex continua minus acuta & simplici Tertiana cum singultu vehementi & tumore in sinistro hypochondrio, observavit PLATERUS *lib. 2. Observ. 1. p. 312.* SENNERTUS hisce duobus modis & aliam Semitertianæ typum addit, nempe illam, quæ ex intermittente, præsertim Tertiana, vel simplici vel multiplici, conjuncta cum Febre symptomatica continua, inflammationem partis cujusdam internæ insequente, oritur, persuasus ad hoc ipsum, speciatim per Observationes SPIGELII *in Tract. de Semitertiana*: v. g. refert SPIGELIUS se in juvene quodam Belga ex dysenteria in febrim tertianam lapso & mortuo, per Anatomiam ejus inspectione factâ, intestina tenuia inflammata, ileum verò sphacelo corruptum, ubi adhæret colo & cœco, invenisse. Confer. de hoc pluribus SENNERTUS *lib. 2. de Febribus cap. 21. pag. 323.*

Observandum ulterius hic occurrit: *non rarò febrem malignam esse, quæ Semitertianæ typum referat; vel* quia intermittenti Tertianæ quocunque modo complicatur; *vel* quia ipsa maligna vago nonnihil exacerbationis morsu Semitertianæ talis typum repræsentat: Ob id FORESTUS *lib. 5. Observat. 14. & 16.* Semitertianas has suboriri asserit, grassantibus febribus malignis & pestilentibus. Nec refragatur SPIGELIUS *citato loco*, qui tempore pestis hanc febrim frequentissimam esse asserit: unde & SCHENCKIUS *lib. 5. Observationum* Hemitritæum pestilentem pluribus describit. Quò acti & Hemitritæus malignus Bezoarticis curatus: vid. RIVERIUS *Centur. 4. Observ. 56.*

PIENS *de Febribus lib. 2. pag. 283.* complicationem istam minùs admittit, sed semitertianam nil aliud esse asserit, quam febrim continuam horrificam seu phricodem cum multis rigoribus ingruentem, vel plures intermittentes sibi invicem succedentes, & quasi subintrantes: id quod subindè evenire omnino posse, probabiliter arbitror.

Observandum & hoc: ubi male curatæ quæcunque ex causa febres intermittentes in continuas lentas facilè degenerant, ita & tali lentæ ipsa intermittens complicata Hemitritæi faciem referre potuit: Sic enim Tertianam intermittentem exquisitam mutatam in Semitertianam refert FORESTUS *lib. 5. Observ. 3 & 6.*, & febrem lentam tandem mutatam in Hemitritæum, iterum FORESTUS *Observ. 14. lib. 5.* refert.

Sane omnes modò enumeratæ & observatæ complicationes & aliæ plures, ut facilè fieri possunt, ita & Hemitritæi in genere sic dicti typum omnino plùs minùs variare, necesse est. Nempe *signum pathognomonicum Hemitritæi ferè esse solet*, quando febris continuo quidem affligit, sed cum succedentibus rigoribus crebrioribus aut horroribus; ubi rigores cum insequente intensiore æstu *Tertianæ*, horror verò, aut saltem perfrigeratio, cum minore incalescentia, *Quotidianæ* febris intermittentis typum constituere dicitur. Jam ex superioribus patet: fermentum acidum, aliudve quodvis acre, membranosum genus vellicans, horroris & rigoris, item massam sanguineam inquinans, æstuationis occasionem suggerere. Quibus perpensis, de facili multiplicis typi, & complicationis lentarum acutarum intermittentium primariarum, secundariarum, malignarum &c. in subjecto patiente ratione criseos partium contentarum, & constitutionis partium solidarum plus minùs variantium, & modi, & hinc differentiæ patescunt; adeò, ut uni cuidam certæ complicationis generi minus nos præcisè applicare debeamus. V. g. Semitertianam cum variolis observavit SPIGELIUS *de Semitertian. lib. 2. cap. 16.* Nullus dubito, recurrentes apparenter etiam horroribus aut rigoribus paroxysmos ab acri variolarum fermento, partes membraneas vellicante, & in sanguine æstuante, accidisse, & ita in subjecto patiente ratione specialis contentorum idiosyncrasiæ quasi typum quendam repræsentasse. Pariter FORESTUS *lib. 5. Observat. 22.* febris horrificæ mentionem facit, cui accessit erysipelas. Horrores hi non à speciali febris typo, sed ab acido erysipelatis, vellicante subindè membranaceas partes, ortum habuerunt.

Pro meliore [illegible] compositionis falsum febrium, imprimis notabilis est locus SENNERTI *de Febribus lib. 2. cap. 21. pag. 320.* dum dicit: *Imprimis compositas arguit reditus rigoris, horroris aut frigoris post ejus quietem. Quòd si planè continuæ & simplices videantur febres, attendendum, an post rigorem sudor subsequatur? Nam si in febre, quæ continua videtur, rigor fiat, & sudor non subsequatur, aut fortè post plures rigores unus sudor, signum est febrem illam non esse simplicem, sed compositam: Nam in synocho rigor non apparet, nisi crisis tempore, quam sudor sequitur. Deinde etiam Pulsus febris compositæ indicium exhibet: Nam quamvis febres quædam continuæ videantur; si tamen sæpius fiat pulsus contractio, illa novi paroxysmi, motusque materiæ novi indicium est.*

DIAGNOSIS FEBRIUM ACUTARUM.

Signa febrium continuarum acutarum *diagnostica* sunt facilia: Nam in genere calor intensus admodum, & sitis insigniter aucta seu ferè intolerabilis, sunt signum quasi pathognomonicum febris ardentis seu Causi; sive sit febris ardens ex genere continentium, sive ex genere Tertianarum continuarum periodicarum, perinde est. Inchoant *hæ febres* primitus post præcedaneam aliquot dierum lassitudinem, & aliqualem capitis perturbationem, cum frigore & rigore plùs minùs intenso, quod frigus in principio harum febrium dependere videtur ex eo, quod ingruente febrili effervescentiâ, dum turgescere incipit sal ejus volatile oleosum, hoc adhuc ab acido concurrente nonnihil impeditur, (nam in omni fermentatione acidum & alcali præsuppono,) quin & quodammodò adhuc subigitur, aut saltem in æquali proportione detinetur, antequam effervescentiam febrilem concipere possit: sub qua lucta dum turbatur massa sanguinea, calor ordinarius nonnihil deficit, & ab acido in partibus nerveis horroris aut rigoris sensus infertur: qui tamen non diu durat, quin superato tandem acido à sale volatili oleoso, horâ unâ vel alterâ immediatè insequitur incalescentia ac æstus ingens totius corporis, isque continuus, eodem die persistens, vel similiter accrescens, vel similiter decrescens usque ad finem status, sitis, cephalalgia, & reliqua ex ordine symptomata.

Pulsus præterea semper deprehenditur frequens, celer, & in benignis magnus, qui semper bonus; innuit enim æqualem concursum salium in corpore, & consequenter laudabilem sanguinis statum. Si verò malignitas subest, est celer & frequens, interdum inæqualis; in omni febre continua pessimus est celer & frequens pulsus. Nam paradoxum est, statuere pulsum magnum in febre maligna; & paradoxon etiam, statuere in febre benigna parvum. Similis ferè celer & frequens est pulsus, quem omnes in nobis ipsis percipimus, dum ab insigni exercitio, aut vehemente motu nimio, concurrente irascibili animi pathemate, v. g. ex fuga, ex imminente malo &c., corpus incaluit. Vehemens est plus minus, pro virium cordis, a quibus dependet motus, vario robore; & calor quò est intensior, magnamque sequitur ebullitionem, eò celeriùs & frequentiùs vibratur arteria.

Calor est intensus admodum in his febribus, & vocatur, *vaporosus*, i. e. quando manu tangimus ægrum sub intenso æstu, quasi subtilis mador percipi videtur. Et quidem, ubi massa sanguinea videtur magis temperata, & minus acris salina, calor est blandior; ubi verò eadem est magis salina, solet percipi simul acrior nonnihil, & quodammodò simul mordicans. Urina in incremento febrium intensè est crassa, rubra, & successivè turbida, opaca, cum enæoremate in principio sine sedimento, cruda, aut saltem leviter cocta: in statu verò copiosa admodum, & varia sedimenta in fundum matulæ secedunt, quæ coctionis signa exhibent, & ardorem significant; unde etiam de coctione & cruditate materiæ morbificæ, & consequenter de salute & morte

morte, prognosis instituitur. Probè igitur attendendæ sunt urinæ mutationes pro meliore prognosi.

Observandum tamen, quod, quò magis sudant ægri, eò minor sedimenti copia exindè soleat in urina provenire; sicut etiam eorum urinæ, qui sunt constitutionis biliosioris, ut vocant, aut qui laborant scorbuto, aut qui inclinant ad phthisim, etiam levi febriculâ intensè rubescunt, obacriora & acidiora plus minus salia massam sanguineam talium ingredientia: contrà verò, quorum massa sanguinea est magis temperata seu diluta, aut copiosâ lymphâ, aut succo dulci nutritio chyloso, eorum urinæ minus intensè, cæteris paribus, tingi solent, & crassiores, illorum verò tenuiores, observantur: hinc & pariter in illis naturaliter celeriores & frequentiores, in his rariores & tardiores pulsus observari solent. Semper igitur idiosyncrasia subjecti simul consideranda.

Si urina in statu est tenuis, pessimum signum est.

Si urina priùs densa, crassa, aut opaca, & subitò intensè tenuis, portendit deliria, jectigationes, anxietates, & ut plurimum mortem.

Sitis affligit intensa, *saliva* pauca, eaque glutinosa observatur, tusses & insignes *cephalalgiæ*, quas comitantur *agrypniæ*, utplurimum junctæ esse solent.

Si verò febris continua periodica fuerit, secundum typum exacerbationis eadem se ipsam prodit, an sit Tertiana, Quotidiana, an Quartana? imò observatæ etiam fuerunt Tertianæ continuæ duplicatæ: Vid. POTERIUS *C.1. Cur. 43. de duplici* nempe *Tertiana, concitata à fulgure palatium incendente*, &c.; quin & PANAROLLUS *l.a.* observat Tertianam duplicatam continuam cum Quintana lethali complicatam.

Pergit tali cursu hæc febris, donec *solvatur*: id quod fit vel subitaneâ crisi, vel successivâ λύσει. Illa non, nisi in his febribus, accidere solet, idque frequentiùs in calidioribus climatibus, & generosiore victu potuque utentibus, & quidem vel die 7. vel 14. to vel 21. &c. Rariùs apud nos, in specie cùm Alterantibus, Absorbentibus & Diaphoreticis crisin subindè præveniamus: semper tamen & necessariò motus naturæ probè attendatur, ne eundem impediamus. Λύσει verò pedetentim solvitur, dum cocta materia, v. g. per successivam urinæ excretionem, vel per sudores nocturnos crebriùs repetentes, successivè excluditur. Quò etiam facit, quod eædem, præsertim plus minùs acutæ, solvuntur per copiosam expectorationem, excretionem & exscreationem cum mediocri tussi; sicut præsertim in petechialibus copiosa ex faucibus excretio, & quasi ptyalismus morbum solvit; interdum successivè abscessus quidam in loco supervenit, &c. Nempe & λύσις hæc his in febribus successivam coctionem materiæ morbificæ insequens, criseos cùm sit vicaria, tamen excretione vel translatione materiæ coctæ fiat, necesse est, nisi in lentam, aut hecticæ similem acuta hæc febris degeneret, aut ex materiæ coctæ, sed non debitè, h. e. non sufficienter in salsum mutatæ, nec fixatæ renovato fermentationis impetu recidiva sequatur.

In Febre colliquativa totum corpus languet, notabiles adsunt evacuationes, sive per sudorem, sive per urinam, sive per alvum, sive in certa cavitate collectio.

Urina est rufa & gravis; præcipitata verò monstrat copiosissimum sedimentum, in superficie autem utplurimùm pinguedinem aliquam habens.

PROGNOSIS.

Febris vel continens, vel continua Tertiana periodica, ceu acutæ, sunt ambigui exitus: per se quidem minus periculosæ sunt, sed potius per se salutares, de facili tamen periculum supervenit.

Eæ sunt periculosæ, quæ mox in principio, uti dicunt, extremos habent labores (est formula loquendi HIPPOCRATI usitata) hoc est, quæ nimis sunt acutæ, & ubi symptomata atrociora confertim, maximè circa regionem stomachi, confertim ac mox in principio ingruunt, & ad finem pergunt, quod universale est in omnibus febribus ardentibus.

Subita etiam alleviatio in morbis acutioribus est pessima ac lethalis: sic Medici non rarò decipiuntur, nescientes, quid sit extremus naturæ conatus? Vid. LANGIUS *in M. C. pag.* 143.

Quò mitiora pathemata sunt circa primas vias & regionem stomachalem, eò mitior & salubrior est febris; ubi autem urget nausea, adest anxietas præcordiorum, cardialgia, & diarrhœa, imprimis ubi adest colliquefactio corporis, affectum plùs minùs periculosum innuunt; nam illæ proximè accedunt ad febres malignas: Unde quævis malignæ acutæ periculosæ censendæ sunt.

Probè autem attendendum, an in principio talis febris adsit diarrhœa colliquativa? an verò symptomatica?

Deinde cum febribus continuis ardentibus quibuscunque sæpiùs complicatur malignitas, reddens tales febres admodum periculosas.

In febribus ardentibus benignis vomitus est optimum signum, sive in principio fit, sive in statu; innuit enim valorem naturæ.

Ulteriùs fluxus alvi in principio magnus, vires dissolvens, aut ex materia insigniter corrupta, indeque admodum fœtens, periculosus est, & interdum mortem minatur; est enim colliquativus & simpliciter symptomaticus: si verò sine insigni virium labe contingit, & æger aliquod levamen percipit, non adeò est periculosus.

Sudor autem colliquativus, itaut in habitu corporis ægri post sudorem reperiatur sabulum, vel nonnunquam etiam in lecto sabulum ruffum, aliquoties observata est curatio talium febrium.

Urina, quatenùs subministrat signa coctionis & cruditatis, quò citiùs exhibet signa coctionis, tutus est affectus.

Vrina alba, aut pallida, & admodum cruda, in omnibus febribus ardentibus admodum periculosa est, & plerumque mortem portendit.

Urina alba, tenuis & clara, in febre continua ardente cum delirio, lethale est signum, propter imminentes convulsiones.

Quantò *urina rubicundior* est in initio, tantò citiùs terminatur, cum signis bonis ad bonum, cum malis ad malum.

Istæ febres continuæ ardentes, quæ nullius evidentis causæ vi, sed in corporis & animi quiete præter expectationem excitantur, graviores multò sunt & periculosiores, quàm quæ prægressam habent causam evidentem, v. g. motum corporis, æstum solis, &c.

Quæ lethales futuræ sunt, *vires* in dies magis prosternunt citra ullam criticam evacuationem; aut si quidem excernitur die minimè decretorio, naturæ fatiscentis signum exhibet.

In omni febre ardente semper adspicienda est lingua, an sit humida? an verò aspera & arida, aut nigra, aut fissa, livida & mucosa, vel alio modo vitiosè constituta? adeoque Prunella immineat: quò magis enim lingua à statu naturali ad dictas qualitates præternaturales declinat, eò gravior æstus internus, eòque periculosior innuitur febris; quò autem humidior & rubicundior naturaliter est lingua, eò melior spes affulget in omni febre ardente.

Quoad tempus eventus: Febris ardens acuta circa septimum interdum, interdum circa decimum quartum finitur apud nos, quin & ad 20. extendi solet: sæpè, ubi sunt magis acutæ, intra diem quartum solvitur: quæ in aliis regionibus ordinariò septimo terminantur, rariùs ad decimum quartum extenduntur. Unde in effatis HIPPOCRATIS & Practicorum observatis, regionum ac aliarum circumstantiarum probè habenda est ratio. Quando urina in principio morbi rubicundior, crassior, & magis vel minus turbida se exhibet, tantò citiùs terminantur hæ febres: unde si quartâ die signa coctionis evidentia apparent, terminantur ferè die septimo; si verò conspiciantur talia signa septimo die, terminantur undecimo vel decimo quarto: Nam in acutis imprimis observanda est crisis. Facies turgida & subtumida morbi longitudinem pronunciat, & secundùm signa coctionis subindè citiùs vel tardiùs finitur.

Hæ Febres acutæ continuæ vel à natura curantur, vel arte, & terminantur perfectè vel ad sanitatem, aut mortem, vel imperfectè. Prior curatio, & quidem *perfecta*, fit, quando aut per crisin subitaneam, aut λύσει successivam convalescunt ægri, de quo suprà: sin minus, invalescente quotidie febre, agrypniæ, deliria, convulsiones, &c. superveniunt, hinc mors ultimam ducit lineam. Fit autem crisis, quando natura secernit ab utilibus inutilia, & præparat ad excretionem. Versatur enim crisis in terminis cruditatis & coctionis; siquidem nulla crisis salutaris, nisi peractâ coctione, speranda est. Natura noxia illa inquinamenta, sive separata, sive separanda, fermenti rationem habentia, per varia loca expellit: Hinc ulcusculis circa labia & nares erumpentibus febres desinunt; quia ad nasum plures venæ & arteriæ visum effugientes abeunt:

& quia

& quia labia peculiari sui generis facto & spongioso parenchymate constant, & vel sola epidermide, vel haud densâ cute investita, per quæ fermentum febrile facilè expelli potest. KERGERUS *de Fermentatione pag.* 239. plura habet, unde omnia remittunt Accidentia, & nihil restat præter aliqualem virium debilitatem. Interdum per crisin fermentum febrile ad ambitum corporis protruditur, & febre desinente scabies excitatur, quæ propterea etiam, si ad interiora recurrat, recidivam parit.

Si verò *imperfecta* fuerit, observatum est, ut docet FERNELIUS *libro de Febribus cap.* 10., Tertianam diuturnam atque Quartanam in atrocem cruciatum colico immaniorē desinere, qui nonnunquam & in articulorum dolores, & in paralysin facessat. Atque hic dolor tamen consueto accessionis tempore ferè exacuatur, pristinumque circuitum retinet.

Observavit & BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Histor. Anat.* 50. *pag.* 100. dolores ventriculi & nauseam post febrem per vices solitis paroxysmi diebus, solitâque febris horâ, multò amplius febrili calore infestare, quos abstergentibus Medicinis, jusculis citratis & acetosis præparavit. Fit hoc, quando abusu nimio Præcipitantium seu Absorbentium fixorum supprimitur impetus fermentativus humorum & spirituum febrilis, unde natura fermentum febrile non ex toto corpore evacuare valet, sed fixato in tantum acido morboso, imperfectâ crisi ad intestina vel ventriculum transponit, vid. *supra pag.* 146. & recidiva ut plurimum periculosior denuò insurgit, & febris acuta in lentam, hecticæ similem, mutatur.

Dum per crisin finitur, in nostro climate quidem rariùs, in locis autem calidioribus, Gallia & Italia, ordinariò per hæmorrhagiam narium criticam, rariùs per sanguinis evacuationem per alia loca, solvitur: interdum etiam sudore critico, interdum alvi fluxu critico, interdum urinæ excretione, terminari solent. Exemplum sudoris critici post febrem talem ardentem notatu dignum habet HILDANUS *C.* 6 *Observat.* 77. de quodam viro robusto cum ardentissima & continua febre conflictante, qui septimo die in sudorem adeò flavum incidit, ac si croco tinctus esset, & quidem copiosissimum, ut contorta subucula aquâ ubertim extillaret, & linteamina omnia croceo colore inficeret. Exemplum verò criseos per hæmorrhagiam singulare habet ZACUTUS LUSITANUS *Lib.* 1. *Prax. Admir. Observat.* 86. de Febre ardente ingenti per sanguinis copiosum fluxum ex venula gingivæ inferioris cœsatam, & criticè solutam.

Hæmorrhagia utplurimùm fit per nares; hic autem facta fuit per radices dentium: non secus atque *lib.* 3. *Prax. Adm. r. Observ.* 110. observat hæmorrhagiam criticam per porum juxta radicem pollicis pedis dextri, in interna parte spontè apertum. Quin & idem ZACUTUS LUSITANUS crisin Febris ardentis per sputum sanguinis observat. *l.* 8. *Prax. Hist. cap.* 6. *Observ.* 4.

Curiosum est, quod refert PLATERUS *l.* 1. *cap.* 86., dum delirans in febre ardente uxorem per vim comprimit, moxque extinguitur; Uxor verò mox quoque eodem modo correpta à febre quidem sanata est, mens tamen nunquam ferè constitit.

Aphorismus HIPPOCRATIS 62. *Sect.* 4. non semper est verus: Vid. HORSTIUS *lib.* 1. *Observ.* 20., ubi Icterus salutaris quartâ die in continua febre obvenit.

Hæmorrhagiam narium subindè præcedere solet tinnitus aurium: in sanguinis nempe turgescentia febrili ex motu vehementiore arteriolarum, & sanguine in locis vicinis stagnante, & aurem interiorem movente.

Signa locorum, per quæ contingit crisis, videbitis in *Institutionibus*: interim verum est Effatum HELMONTII *de Tempore No.* 53. *pag.* 309., Medicum debere negligere crisin, quia prævenire sc. melius sit. Verissimum hoc est, qui potest prævenire universalioribus & sublimioribus remediis, faciat, mox in principio vim causæ occasionalis seu fermenti morbosi evacuando, & naturæ turbatæ impetum sistendo. Verùm cùm hoc non in omnibus licitum sit, & generosum remedium negotium hoc præsupponat, potiùs Medicus sit naturæ minister, & expectet crisin, quàm ut naturam præposterè turbet, legitimis remediis illi succurrendo.

CURA.

In *Cura harum Febrium acutarum* & continuatum periodicarum, si unquam alias, Medicus sit naturæ minister: cùm enim depuretur massa sanguinea in iisdem, adeoque fiat sanguinis febrilis turgescentia, ob materiæ cujusdam heterogeneæ, ipsiusque naturæ aversantis secretionem, ut ejus coctio & hinc crises testantur, manifestum evadit, Indicationes genuinas & veras in eo versari, ut sanguinis præternaturalis fermentatio intra modum naturæ propositum conservetur, eâ nimirum ratione, ut nec hinc plùs æquo gliscat seu intendatur, unde periculosa symptomata insequi solent, nec illinc nimiùm torpeat seu deficiat, quâ ratione materiæ coctio & excretio impediretur, ac facilè lenta chronica febris dubii eventus superveniret, ut rectè loquitur SYDENHAM *Tract. Methodus curandi Febres Sect.* 1. *cap.* 4. *p.* 18.

Cura igitur Febrium talium cùm à sola fiat natura, hoc saltem *Medici est officium, ut illius conatum debitè moderetur & adjuvet.* Ante omnia ergo

1. Maturè removendus fomes ex primis viis, qui consistit in scoriis, & chylo vitiato & à bile præternaturali corrupto genitis.
2. Corrigenda est dyscrasia massæ sanguineæ, unde oritur febrilis orgasmus, temperando & alterando sal volatile acre urinosum plus minùs oleosum, vulgò bilem, h. e. fermentum febrile, ejusque acrimoniam plus minùs, indeque natam effervescentiam compescendo.
3. Curatâ causâ peccante, hæc ipsa simul per convenientes vias, quò vergit natura, evacuanda, inter quas excellit blandus sudor. Nam in omni febre, blanda diaphoretica primariò obtinent locum, nisi crisis hoc negotium prævertat, seu nisi naturalis excretio præveniat artificialem.
4. Symptomata in cursu morbi magis magisque urgentia mitiganda.

Primum præstat Venæsectio, & Evacuatio: *Secundum* verò Nitrata: *Tertium* Antimonialia fixa, animalium partes duræ, &c.: *Quartum* in genere Anodyna, in specie moderatè acida, aliave appropriata. Hic notetur probè LUDOVICI accuratissima Methodus medendi, nempe in principio, præmisso vel omisso Vomitu, mox volatile aliquod, v. g. Tincturam Bezoardicam, Mixturam simplicem, spiritum cornu cervi, &c. pro circumstantiarum ratione cum Opiatis exhibendo: in statu fixiora Terrea alcalina: in declinatione Cancrina, Corallina, &c. Hac nempe methodo *nec crisin negligit Medicus*, nec otiosè eam expectat. Hanc verò otiosè expectant non solùm Veteres, quod præmissâ venæsectione aquæ frigidæ largiore haustu saltem curare solebant ægros, motum naturæ criticum observando; sed etiam Moderni plures Itali, & Galli præsertim, qui post venæsectionem & clysmata solâ tenuissimâ diætâ & largiore ptisanæ exhibitione sanare suos in acutis satagunt sub spe criseos: Vid. LANGII *Miscell. Curios. pag.* 6.

Pro his scopis ritè obtinendis observetur:

I. Cautissimum esse debere Medicum, ne pro Causo, aut alia febre continua simplici, curet præsentem malignam. Fit enim, ut sæpiùs febris maligna in primis diebus formam causi tantùm præ se ferat, & suâ malignitate lateat. Præter vires autem prostratas pulsus debilis malignam indicat, & frequentissimè sunt complicatæ. Unde tutius est, adhibere mox in principio simul appropriata alexipharmaca malignitati resistentia. Nam dubitant nonnulli, *an detur causus verus sine adjuncta malignitate?* Si itaque certò constet, malignitatis metum adesse nullum, tunc denuò ad ordinariam ac consuetam methodum tutò accessus fieri potest. Quamdiu verò, levis licet, superest malignitatis suspicio, Alexipharmacis aut Bezoardicis dictis simul insistendum erit, quæ uti sunt necessaria in omnibus febribus, ita in continuis laudanda.

II. Dum simul propinantur Alexipharmaca aut Bezoardica, sub horum usu minimè æger in principio ad sudorem cogendus erit, nisi facilè & quasi sponte sequatur. Addenda simul sunt Præcipitantia, & dyscrasiam sanguinis pedetentim emendantia seu corrigentia, talia tamen, quæ corpus ad blandam diaphoresin successivè disponant, antequam perfectus & copiosus proliciatur sudor. *Diaphoresis* enim, ut in omni febre, ita in specie

in

in continuis conservanda; sic enim calor & æstus minor, & cephalalgiæ, vigiliæ, aliaque symptomata minus defatigare solent ægros; quia sudor tunc temporis sine successu est, & potiùs vires prosternuntur, dum nempe omnia adhuc sunt cruda, nec quicquam separatum, nisi manifesta adsint signa malignitatis aut contagii. Inutiliter ergo sudor elicitur. Ideòque potiùs tinctura Bezoardica, aut mixtura simplex seu specificum Paracelsi in peracutis harum febrium euporiston ordinarium est, quatenùs disponit corpus ad aliqualem madorem. Compositum est ex sudoriferis blandis, simul præcipitantibus mistis.

Observ. III. In febribus ardentibus, seu continuis imprimis *potus* concedendus est liberalior; imprimis, quò major est sitis, & intensior ardor, eò magis indulgendum genio; Rectè enim culpant PANAROLLUS, LINDANUS & LANGIUS *in Epistolis Medicis* eos, qui ægris febrientibus omni ferè potu interdicunt. Observetur hoc saltem: melius esse, ut frequentiùs & parciùs bibant, quàm ut unâ vice multum ingurgitent. Prius enim successivè alterat, simulque madorem continuum conservat: posterius verò tonum stomachi nimis labefactat. Prostant sanè exempla non pauca pulmonum & reliquorum viscerum omnino aridorum & exsuccorum ex ardore febris ardentis, ob denegatum potum; Vid. PANAROLLUS *in Observ. Pentec. 4. Observat. 8.* *Idem* alio loco habet *Observationem* febre ardente mortui, in quo cor tanquam semiustum apparuit. Ergo si urget sitis, liberalior potus concedendus est ægris, talisque quem appetunt, & quidem simplex unusque, non modò hic, modò iste; modò non nimiâ quantitate, nec frigidus ob stomachum ingurgitetur, sed potiùs tepidus; frigida enim nimis nociva. Interdum enim post nimium potum tumor pedum supervenire solet.

In selectu potionis habenda est ratio effervescentiæ febrilis plùs minùs temperandæ & sedandæ, & hinc symptomatum, speciatim circa primas vias urgentium, præsertim alvi plùs minùs clausæ vel apertæ. Hinc serum lactis benè depuratum, & succo citri ad aliqualem gratiam acidulatum, potus reverà medicamentosus existit, modò diarrhœa absit, sed potiùs intensior sitis urgeat: Conferatur PIENS *de Febribus Part. 2. pag. 166.* item SEPTALIUS *in Animadvers. §. 11. pag. 98.* Tandem & consuetudinis ratio simul habenda est. Aliàs *Aqua fontana* vel *cerevisia secundaria benè pura* cum dimidia *vini tenuioris*, aut quinta vel sexta parte *vini Rhenani* mista, addendo mensuræ uni *succi citri* No. j. *succi cydoniorum* vel *ribium* q. s. ad gratiam saporis, & *Gelatinæ cornu cervi* super igne dissol. ℥ j. & acutè febrientibus gratissimum potum suggerit. *Acida* enim, imprimis his in febribus, in Potu conveniunt, tam *mineralia*, in æstu nempe nimio ac cum *Causo*, quàm *vegetabilia*, in æstu nempe moderatiori: Unde RIVERIUS *Centur. Observat. 19.* *Aquæ simplicis* ℔j. addit *spir. sulphuris* guttas xx. pro potu ordinario. *Decocto hordei* sub nomine *ptisanæ* plures utuntur; quod minùs approbo, cùm cruditates stomachi flatulentias, ejusque atoniam inferat.

Observ. IV. In principio & cursu febrium ardentium, ubi alvus obstructa est, vel non satis libera, conveniunt imprimis *Clysmata*; aut, loco horum, tamarindorum decocta aut infusa: Verùm illa saltim lenientia ac blanda, & quæ alvum tantummodò laxant, scorias recrementosas ex intestinis maturè eliminant, eamque continuò fluidam servant; idque præsertim duobus in casibus:

1. Si urgent symptomata præcordiorum & abdominis: item si orgasmus humorum ad caput ferri quodammodò videtur.

2. Si nimia æstuatio & ebullitio sit sanguinis, tunc commodissimè applicantur Enemata. Confer. SYDHENHAM *Sect. 1. cap. 4. p. 27. & 29.* Quibus & addatur principium morbi præceps, in quo ante venæsectionem clysmate alvus eluenda venit; e. g.

℞. *Flor. cham.* m. ij.
Herb. card. bened.
Violar. an. m. j.
Rad. gentian.
Enulæ an. ℨ vj.
Coqu. in s. q. *aquæ*,
Colatur. ℥ viij. adde
Elect. lenitiv. ℥j.
Nitri antimoniati ℨj.
M. f. *Enema alterans & emolliens*:
D. S.
Enema laxativum.

Vel

℞. *Herb. chamom. cum flor.*
Card. bened.
Salv.
Rutæ an. m. j.
Rad. enulæ,
Levist. an. ℨ vj.
Bacc. junip. ℥j.
Sal tartari ℨ ß.
Coqu. in s. q. *aquæ*: *colat.* ℥ viij. *add.*
Elect. bieræ cum agar. ℨ vj.
Mell. rosat. ℥j.
Liqu. corn. cervi succin. ℨß.
M. f. *Clysma revellens*:
D. S.
Enema revellens.

Alvus verò, ubi satisfecerit quotidiè officio suo, nullo modo irritanda venit.

Observ. V. *Vomitoria* non adeò necessaria sunt, atque in febribus intermittentibus; nihilominus tamen ubi in principio & in incremento morbi nausea urget, aut inanis vomendi conatus adest, saporvè amaricans aut similes ructus adsint, ut vel ex bilis regurgitatione in stomachum, aut recrementorum nidorosorum in eodem collectione, lipothymiæ aut cardialgiæ immineant, vel anxietates præcordiorum insignes exindè accedant, conveniens sanè est, vomitorio in principio aut incremento, hæc impedimenta removere, nisi vel diarrhœam, vel gravissima symptomata in cursu morbi experiri velimus: exempli gratiâ, in febris initio, propinato vomitorio, mitigantur horrenda illa symptomata, quæ ex humorum in ventriculo locisque vicinis illuvie ortum ducunt; imò verò & forsassis in ipsis quoque incunabilis opprimitur morbus, qui aliàs cum ægri periculo increscet & chronicus fiet, & sic simul remedia postmodum usurpanda eò meliùs operari possunt. Observavi ipse sæpiùs, quod ex usu vomitoriorum ægri non adeò gravibus symptomatibus conflictati fuerunt. Quod si serò accersitus jam incrementum morbi adsit, nihilominus cætera ubi responderint, ac speciatim si vires à morbo nondum attritæ fuerint, etiam in incremento vomitorium propinari potest: Confer. hic accuratus & elegans SYDENHAM *in Methodo curandi febres pag. 3. & 23. sequen.* Idque eò magis, si certè constet, febrim esse vel benignam; tunc sanè, si illa Indicantia supra indicata adfuerint, vel eam esse malignam, sed ex contagio extrinsecùs hausto stomachum infestante, non tumidus, nec timidus hic sit Medicus; in talibus enim vomitu præmisso, sanè omnia symptomata toto morbi decursu sunt mitiora. Observandæ tamen sunt *vires* plùs minùs robustæ; item vomitoria non sunt nimis valida, sed blandiora & in dosi minori, ne corpus nimiùm commoveamus: in talibus enim ægris facilè multum & vehementer solent evacuare, fluidioribus & mobilioribus corporis existentibus contentis, secus ac in intermittentibus, in quibus, præsertim contumacioribus, validiora subindè usurpanda veniunt Vomitoria. Observatum tamen etiam fuit, quod in ægris, quos aliàs Vomitoria non moverunt, illi in febribus talibus impetuosissimè sunt purgati. E. g.

℞. *Croc. metall. abstutb.* gr. viij.
Infund. per noctem in *Vini Rhenani* q. s.
mane filtretur, & pro dosi ℥j. addantur
Syrup. cinnam. ℨ j.
M. D. S.
Vinum emeticum pro una vice.

℞. *Oxysacch. emet.* *Angel. Salæ* ℨiij. vel ℥ß.
Aqu. menthæ ℥ß.
M. S.
Potiuncula emetica pro una vice.

℞. *Tartar. emet. Mynsicht.* gutt. ij.
Scamm. sulphur. gr. j.
Sacch. alb. gr. vj.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis emeticus pro una vice.

Vir vegetus & sanus, *Barbitonsor*, tenerioris licet constitutionis, in convivio vespertino genio plus debito indulserat, Bacchò in specie litando; undè post noctem inquietam manè vomitu copioso & aliquot secessibus se exonerabat. Die abhinc tertia iracundiâ gravissimâ affligebatur, unde aliquot diebus interjectis languorem & lassitudinem artuum insolitam percipebat cum aliquali siti, donec aliquando sub medio noctis post mediocrem horrorem gravi

æstu

æstu cum cephalalgia intensa corriperetur; jungebantur vires prostratæ, sitis clamosa, inquietudines cum pulsu frequenti, celeri, magno, molli & vehementi. Urina intensè tincta emissa successivè per totum turbida, crassa, & copiosis contentis ubique saturata conspiciebatur. Circa meridiem vocatus Febrem continuam ardentem benignam judicabam, ideò præscripsi:

℞. *Aqu. rub. Idæi,*
Acetosæ an. ℥iß.
Antimonii diaph. ʒj.
Syrup. papav. ℥j.
Spir. nitri dulc. q. s.
Misc.

De qua Mixturâ capiebat cochleatim pro lubitu.

Si in principio primo vocatus fuissem, sine deliberatione mox vomitorium dedissem. Verùm, quia æger hic vehementioris constitutionis sub diebus ante invasionem morbi vomitum nonnaturalem passus fuerat, hærebam, nè ex vomitorio propinato aut hypercatharses sequerentur, cùm sine violentia non operentur, aut ægrum, si eum vomitorio tentare vellem, viribus jamdum satis attritis lipothymia corriperet, imprimis, cùm urina jam turbida apparuerit, adeòque morbus non in principio, sed in incremento sit, quæ sane dissuadent Vomitoriorum usum. Postquam autem ita ægro die solis propinandam jusseram Misturam jam dictam, vesperi ejusdem diei rediens ægrum in pristino statu offendebam, sed magis anxium, cum fluctuationis sensu circa præcordia, conquerentem simul, quoties de Mistura sumebat, se sentire æstuationem insignem totius corporis, præsertim capitis. Deliberabam ergò, an vomitorium conveniret? cùm hujus usum urgerent instituendum:

1. Ægri anxietas & inquietudo, quæ præcordia affecta indicabant, adeòque, si vomitus omitteretur, metus sit, ne symptomata dicta exasperentur.
2. Fluctuationis sensus, quem æger percipiebat in præcordiis; quod signum est, ut practici loqui amant, anoriplam humorum instare.
3. Exæstuatio circa præcordia, quam eget, quoties de Mistura præscripta caperet, pati dicebat, quæ indicium est, spiritum nitri dulcem cum contentis primarum viarum effervescere.

Hæc ergò Permittentia & dissuadentia vomitum dum occurrebant, mecum deliberabam, an vomitorium conveniret? Tandem neglectis dissuadentibus lene Vomitorium præscripsi ex tartari emetici gr. ij., unde æger vomitiones crebras incidebat cum copiosissimis alvi dejectionibus, reverà cholericis pathematis, superveniente summâ virium prostratione, extremorum refrigeratione, & sudore circa frontem syncoptico. His ita perseverantibus, cùm æger non posset surgere præ languore, tantillum vini exhibere, quietumque simul in lecto manere eundem, ut extrema incalescerent, imò naribus admovere vinum jussi, ut hujus odore reficeretur. Dehinc præscripsi:

℞. *Aquæ menthæ,*
Rubi Idæi an. ℥iß.
Cinnam. ʒvj.
Spir. theriacal. camphor. ʒiij.
Succ. cydon. ʒj.
Essent. ambræ. ℈ß.
Misc.

Hæc mistura successivè ab ægro assumptâ vomitus & secessus sedavit, eumque quietum reddidit.

Externè simul stomachum inungi curabam Theriacâ, vel solâ, vel in vino dissolutâ. Post mediam verò noctem præscripsi:

℞. *Ebor. sine igne,*
Antimonii diaph. an. ℈j.
Bezoard. solar. gr. xv.
Laud. opiat. gr. iij.
M. f. *Pulvis pro 3. dosibus.*

Primam dosin post mediam noctem cepit, secundâ manè, & tertiam vesperi. Ita atrociora symptomata ex voto evanuerunt.

Observat. VI. *Purgantia*, quâ talia, imprimis propriè dicta, seu quæ abusivè Eradicativa vocant, utplurimum nociva sunt in febribus continuis ardentibus, nec nisi in declinatione morbi conveniunt, coctâ scilicet priùs materiâ, & sedatâ maximâ ex parte ebullitione febrili.

Sed tunc ferè est superflua & inanis, cùm materia cocta per urinas & sudores eliminari soleat. Quod si non fiat, aliqualis & repetita blandior purgatio, & quæ stimulando saltem motum naturæ provocat, locum habet. In principio harum febrium est frustranea; movent quidem seu turbant nimium corporis contenta, sed non ritè promovent nociva, crudis adhuc omnibus existentibus, ac vires nimiùm prosternunt: In progressu verò morbi est ferè nociva, aut saltem inutilis dictis ex caussis: *Siquid* tamen *movendum videatur, in principio* secundùm HIPPOCRATEM *movendum.*

Observanda tamen hic est Animadversio SEPTALII *lib. 5. §. 4. pag. 98. Uti in continua tertiana respectu sui, aut materiæ illam facientis, nunquam ab initio ante coctionem medicamento purgante evacuandum est; ita, cum quandoque bilis acris ad ventriculum transfundatur & mordens, gravissima inferens pericula, & sæpè mortem, potissimùm, si æger ad vomendum naturâ ineptus fuerit: Illa ut præveniamus respectu symptomatis, cum syrupo rosato solutivo & sera lactis, vel solo, vel cui tamarindi incocti, purgare licebit, &c.* Ut enim in cursu morbi purgantia omnia sunt ommittenda, toto tamen morbi decursu eò subindè simul respiciendum est, ut alvus blandè servetur aperta, & quidem imprimis, ubi æstus & cephalalgiæ urgent, quæ sub alvo clausa magis intendi solent: idque eò tutiùs fieri solet, quando nulla adest suspicio malignitatis. Nam in febribus malignis, imprimis cum excretione cutanea, variolis, morbillis &c. junctis, cautissimi simus in alvo aperienda. Intempestiva enim purgatio ante materiæ coctionem instituta, magna incommoda vehit; *vel* enim finem suum non assequuntur Purgantia, nihilque aut parum vitiosorum humorum educunt, atque ita saltem eos agitant, turbant, confundunt (reverà fermentant,) unde ex materia mota & non evacuata in primis viis hærente, tormina, animi deliquia, vertigines, & alia symptomata oriri solent; *vel* si medicamentum fortius fuerit, corpus liquefacit, vires debilitat, ut natura postea facilius succumbat, & morbum vel planè non, vel non nisi longiore tempore vincat. Neque Purgantia neque vomitoria febrilem fermentationem tollunt.

Pro scopo igitur alvum apertam servandi convenit imprimis serum lactis, aut simplex, aut cui juxta SEPTALIUM *l. a.* Tamarindorum ℥j. vel ℥iß. infusa fuerit. Quod si verò in principio harum febrium blandè purgare aut primas vias abstergere animus sit, tunc vel solitariò, vel cum passulis, v. g.

℞. *Crem. tartari,*
Pulv. Rhabarb. an. ℈j.
Scamm. præp. gr. j.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis laxativus.
Capiatur in vehiculo manè.

Vel

℞. *Pulp. tamarind.* ʒij.
Pulv. rhabarb. ℈j.
Scamm. præp. gr. ij. vel iij.
M. f. *Bolus*: S.
Electuarium laxativum pro una vice.

Vel

℞. *Tartari vitriolati* gr. vij. ad xv.
Scamm. sulphurati vel *rosati* gr. ij. vel iij. (ad vj.
M. S.
Pulvis aperiens.

Item Infusum blandum ex foliis sennæ cum rhabarbaro in principio harum febrium, ubi non nimis celeriter moventur, tutò concedi potest: e. g.

℞. *Rhabarb. opt.* ʒiß.
Fol. senn. sine stip. ʒj.
Infund. in *sero lactis per noctem*;
manè blande ebulliat: *Colaturæ* adde
Syrup. rosat. solut. ℥ij.
M. D. S.
Potio laxativa pro una vice.

Observat. VII. Injecto vel omisso clystere, convenit interdum in primo principio Venæsectio: dico *in principio*, eoque primo, quando nempe ea necessaria videtur (non enim semper necessarium est;) idque *saltem*, ubi urget aut metuendum est æstus in robustis, nimiaque turgescentia contentorum corporis, ut in corpore juvenili,

juvenili, plethoricis, generosiori victu utentibus, aut in assuetis, aut quibus suppressa est solennis quædam evacuatio: in talibus commodè vena incidi potest: Conf. SYDENHAM *Section. 1. capit. 4. pagin. 19.* Nam si est febris, quæ venæsectionem postulat, ea sanè est febris acuta continua: propterea quando in his observatur pulsus major, aut potiùs maximus, unde periculum est, ne ex nimia sanguinis rarefactione vasa distenta ac repleta liberiorem sanguinis impediant motum, venæsectio mox in principio primo instituenda erit, præmisso vel neglecto, uti dixi, clystere, quocunque diei tempore. Nempè rectè hic loquitur LINDANUS: *Venæsectio eam ob causam instituitur, ne calor immodicè exardescat. Vt igitur frangatur ille æstus, & circuitus sanguinis liberior fiat, opus est Venæsectione, manè, sive vesperi. Multis equidem religio est, alio tempore mittere sanguinem, quàm matutino: Verùm eccasio est præceps, & quandoque graviter peccant, qui hoc observant: accidit enim sæpe, ut sanguis mittatur, cùm in furore maximo est febris*, cùm tamen venæsectio fieri non debeat, nisi meliore tempore morbi, & remissiore calore febrili. Nam, ut rectè CELSUS monet *libr. 2. cap. 10. In ipso furore sanguis non est mittendus, & qui hoc mittit, idem facit, ac si jugularet hominem. Qui itaque matutinum præcisè observant tempus, sæpè in hunc errorem incidunt. Ergo dies non oportet numerare, sed in principio primo aut tempore huic proximo, sanguis mittendus, modò hoc observetur, ut in remissiore fiat febris tempore. Si verò jam tertia aut quarta dies fuerit, ex quo æger decubuit, aut ægrotaverit, periculosum est, secare venam, idque eo magis, si suspicio malignitatis subsit, utpote in quibus etiam in primo principio venæsectio administrari non potest, nisi summâ urgente necessitate.*

Præmissâ venæsectione Vomitoria instituuntur. Quæritur: qualis prior sit? an venæsectio? an purgatio per superiora? Præmittitur venæsectio, ut exinanitis vasis sub conatu vomendi præcaveatur hæmorrhagia; si hoc non potest fieri, sufficiunt vomitoria. Quantitas sanguinis mittendi secundùm conditionem subjecti ac impetum febris determinanda venit. Interdum in incremento, aut etiam in statu febrium continuarum benignarum, urgente prunellâ & linguæ ac faucium affectibus, subindè consultum est, ut venæ raninæ sub lingua secentur, quæ si largiter fluant, & sanguis exsiliat quasi, faustum solet esse signum; sin verò saltim stillet, aut pedetentim effluat, ominosum. Aliàs ubi hæ & suprà dictæ circumstantiæ non adsunt, tutò intermitti potest, cum febres ardentes continuæ etiam sine venæsectione optime curari possint. Ipse GALENUS monet, *cavendum, ne dum febrem jugulare conamur, ægrum simul jugulemus, quod tribus Medicis evenisse* scribit *libro de Curandi ratione per venæsectionem cap. 12., quibus non opinantibus, pro animi deliquio, mors obrepit.* Et cur laticem illum pretiosissimum studiò exantlemus, qui à febre heu nimium! depascitur, ut planè per febrem absumptum fuisse in venis per observationem constet. Refert IOHANNES ARGENTERIUS *in Galenum lib. de Febribus ad Glaucon. cap. 2.*, in cujusdam febre extincti cadavere ne guttam quidem sanguinis in venis fuisse repertam: ANDREAS SPIGELIUS *de Semitertiana lib. 1. cap. 15.* in quodam febre extincto venas majores circa hepar sanguine vacuas repertas fuisse; & *ibidem cap. 16.* venam cavam & arteriam magnam sic vacuam fuisse sanguine, ut non opus fuerit filo venam cavam & portæ truncum, dum exenteraretur, intercipere. Præterea ex Observationibus constat, quod crebræ sanguinis missiones homines febribus aptiores reddant: Vid. WILLISIUS *de Febribus cap. 9. pagin. 175.* item *cap. 11. pag. 197.* Id ipsum autem observare debuisset WILLISIUS, ut ipse in Febribus venæsectionem non adhibuisset. Testantur siquidem ipsius Observationes & Curationes febrium, parùm congruè fermentationi superstructæ, post venæsectionem semper ægros deterius habuisse, etsi in initio aliquid contulisse videretur. Itaque ego cum ejusmodi laniónibus & sanguisugis non facio, qui vitæ thesaurum tàm inutiliter abliguriunt, cùm præsertim in his septentrionalibus oris homines tàm frequentem atque largam venæsectionem non ferant, & alia præsentiora jucundiora atque tutiora remedia in promptu sint. In principio saltem vel venam secare, aut etiam Laxativo primas vias stimulare, concessum esse dixi; *minùs verò in progressu* morbi; id quod erudito discursu pluribus deducit BALLONIUS *in Bonetti Phar. Medicorum pag. 172.*, ubi ostendit: ob vehementiam morbi, & symptomata in ejus progressu ad remedia, venæsectionem & purgationem, non statim properandum esse. Rectè: Alterantia enim & blanda Diaphoretica saltem conducunt, & quæ symptomata urgentia mitigant.

Observat. VIII. *Diaphoresis* uti in omni febre, ita in specie in continuis conservanda libera; sic enim calor & æstus mitior, cephalalgia aliaque symptomata minùs gravia esse solent. *Minus tamen ad sudorem cogendi sunt ægri, præsertim in principio aut in incremento*; quia tunc temporis, cùm adhuc omnia sunt cruda, sine successu & euphoria debilitantur. Conveniunt autem imprimis Diaphoretica salina, sal cardui benedicti, absinthii &c., item terrea, terra sigillata, corallia præparata, antimonium diaphoreticum, Bezoardicum Minerale, Cornu Cervi sine igne, pulvis diaphoreticus Ludovici: Sic KERGERUS *de Fermentatione Sect. 3. cap. 3. pag. 351.* semper Diaphoreticis solet nectere Præcipitantia, quæ fermentum febrile corrigunt. Minus conveniunt volatilia subtilia sulphurea & aromatica vel resinosa, quia hæc ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ nimis incendere solent.

Quod de Venæsectionis præsidio dictum, idem etiam de cucurbitulis & hæmorrhoidibus intelligendum: vid. KERGERVS *l. a. pag. 241.*

Observat. IX. *Victus* in febribus ardentibus sit tenuis, interdum paucus aut nullus: & cum appetitus ferè semper sit prostratus, minùs ad victum cogendi sunt ægri, licet tribus vel 4. diebus nihil comederint. Inter alias rationes, ob quas febres continuæ fiunt chronicæ, vel ob quas hæ recidivant, aut quod curatæ tandem in intermittentes tertianas degenerant, est etiam hæc causa, quando ægri nimis cibantur, vel in cursu, vel in declinatione: nam alimenta assumpta defectu fermenti digestivi à calore febrili in stomacho putrescunt potiùs, nec debitè digeruntur, & ita malum exasperant: imprimis alimenta magis nutritiva aggravant, ac lædunt stomachum. Melius ergò est, ut per aliquot dies jejunent ægri; facilè enim hoc ipsum ferunt: hinc etiam rectè notat WILLISIVS *Tractatu de Febribus*, quod sæpiùs ex liberiore victu in reconvalescentibus à talibus febribus recidiva inducatur; scil. ex carnium & alimentorum evchymorum uberiore ingestione ægri in febrem relabuntur. Cùm enim viscera sint debilia, & alimenta nisi tenuia, non facilè digerantur; cùmque sanguinis crasis sit imbecillior, ut succum nutritium assimilet, si alterutri quid improportionatum offeratur, iterum naturæ œconomia pervertitur, & omnia pessum eunt; quicquid enim non rectè digeritur, in scorias facessit febriles. Quare à carnibus convalescentes diu abstineant, easque demum comedant, quando urina fuerit sanorum simillima. Optimus est ergo hac in parte HELMONTIVS, qui *in Tractatu de Victus Ratione* egregiè decidit hanc controversiam, & inquit: *Malo ægros meos sanos, quàm obesos reddere.*

Observat. X. Opium, Opiata & Papaverina, uti polychresta in multis morbis sunt; ita in febribus ardentibus continuis sunt optima, & nunquam omittenda: sed urgentibus symptomatibus sedulò & quidem cautè danda. Observetur tamen in eorum exhibitione tempus legitimum, & usus legitimus. Tempus est, ut propinentur Opiata non in principio, quando tantummodò incipit morbus; multò minùs in statu, quando imminet quædam crisis aut morbi solutio; utrobique enim naturæ sic impediretur motus: sed propinentur Opiata in incremento morbi; quia non tantummodo calor febrilis ipse insigniter demulcetur, quælibet symptomata redduntur mitiora, sed etiam calorem febrilem ipsum insigniter demulcent somnum inducendo, deliria & convulsiones præcavent, & hinc diaphoresin promovendo optima sunt. Nam turgescentes humores placant & sopiunt, & hinc, ut coctio causæ morbosæ meliùs promoveatur, per accidens juvant, & spiritus blandè figendo absumptionem & dissipationem eorum nonnihil præcavent. Hinc rectè dicit LINDANVS: *Si orgasmus adsit humorum, ac humor peccans turgeat seu immaniter effervescat, tunc syrupus papaverinus optime convenit ad* ℥ j. *cum aliis exhibitus; nobilissimus enim & blandus est, convenitque in specie in febre, imprimis ardente, si cum tantillo nitri mistus fuerit. In febribus sanè ardentibus motus furibundus optimè sedatur laudano opiato cum tantillo nitri; sed non debemus eo abuti, sed recto tempore adhibere, nempe si spiritus animalis furibundus sit. Deinde in exhibendis opiatis non debemus expectare, donec spiritus planè absu-*

absumpti sint, & vires consequenter nimis prostratæ; sed in tempore usurpanda, dum vires adhuc constant. Conf. WILLISIUS *de Febribus cap.* 16. *pag.* 127. In rebus nempe desperatis ad Opiata non est refugiendum: v. g. imitari possumus POTERIUM & LINDANUM, qui aliquot cauto laborantes cum dolore ventriculi curarunt hâc mixturâ:

℞. *Aqu. acetos.* vel *scabiosæ* ℥ vj.
Succi limon. ℥ ß.
Spec. dia-Marg. fr. ʒ j.
Syrup. papav. nigr. unc. j.
M. f. *Potio.*

Quæ ipsis elegantissimos præstitit effectus: Vid. POTERIUS *Cent.* 2. *cap.* 50.

Vel imitemur SYDENHAM, ad tumultum ab Emetico concitatum sopiendum sub noctem vel horâ somni blandum anodynum propinantem: e. g.

℞. *Aqu. Papav. errat.* unc. ij.
Mirab.
Syrup. de mecon. an. ʒ ij.
Papav. alb. unc. ß.
M. f. *Haustus:*

ut habet *cit. loc. pag.* 25.

Propinanda autem semper opiata cum debitis appropriatis mista, tàm in benignis quàm malignis, aut appropriatis alterantibus, aut appropriatis alexipharmacis, prout necessitas requisiverit, sic feliciter operantur; nunquam verò solitaria.

Observat. XI. Vesicatoria, quando & quomodò *in febribus his acutis* applicanda, dum caput & genus nervosum nimis affliguntur? *infra, ubi de febribus malignis*, exponetur.

Remedia ergo, quæ in his febribus continuis Ardentibus conveniunt, præter Vomitoria & Laxativa jam dicta, primariò sunt alterantia, eaque *vel ipsum affectum* ejusque *causam* occasionalem materialem respiciunt, *vel symptomata primaria. Illa* sunt nitrum & quæcunque nitrata remedia, imprimis nitrum antimoniatum, & nitrum vitriolatum seu arcanum duplicatum Mynsichtii: item cum nitro fixato mineralium sulphura, in specie antimonialia, v. g. antimonium diaphoreticum, tàm simplex quam compositum, aut *Martiale Ludovici*, aut *Ioviale Poterii*, seu hujus *Antihecticum*, Bezoardicum minerale simplex, hinc Joviale, Martiale, & cinnabaris antimonii. Sulphura mineralium per se sunt egregia in talibus febribus, multò magis metallica per nitrum fixata; nitrata enim, & cum eo parata remedia fixa, figunt sal istud volatile acre peccans, indeque natum orgasmum, & similiter temperant omnem acrimoniam lixivialem; & ubi sal hoc oleosius fuerit, oleositatem ejus coërcent, simulque blandè per urinam, & hinc per sudorem evacuant. Hinc *absorbentia Animalia*, hisque cognata *Terrea*, v. g. cornu cervi sine igne, hujusque gelatina cujusvis acris temperativa, ebur sine igne, maxilla lucii piscis, unicornu verum crudum & sine igne, lapilli cancrorum, corallia præparata, aut horum cum succo citri magisteria, unicornu fossile, terra sigillata, &c. Hæc semper cum diaphoreticis & alexipharmacis nectere suadet pro fermenti febrilis præcipitatione KERGERUS *Tract. de fermentatione pag.* 251. *sect.* 3. *cap.* 3. Quin & salia volatilia animalium illis ipsis commisceri & moderatâ dosi subinde addi possunt; hinc enim sal volatile cornu cervi, & liquor cornu cervi succinatus, subindè cum aliis fructuosè usurpantur. Hisce ex *Vegetabilibus Refrigerantia, & Hepatica* vulgò dicta itidem accensenda, v. g. cichorium, taraxacum, lactuca, & omnia *intibacea*, plantago, acetosa, acetosella, portulaca fumaria, flores rosarum, acaciæ, boriaginis, buglossæ, &c. Ex quibus & similibus parata *Decocta* reperiuntur promiscuè in Practicorum Veterum & recentiorum scriptis, e. g. PLATERO, & SYLVII *Praxil.* 1. *cap.* 29., item PIENS *de Febribus par.* 2. *c.* 2. *&* 3. &c. Quò etiam pertinent remedia blandè pinguia, seu temperata oleosa, vegetabilia, ut semina *frigida majora* dicta, exque his paratæ *Emulsiones*, quæ oleosâ suâ vi sal istud nimis acre blandè temperant, & corrigunt, adeòque effervescentiam acriorem plus minus sistunt.

Remedia, quæ symptomata magis respiciunt, sunt imprimis omnia blanda *acida, æstum, sitim, oris squalorem, virium diminutionem* &c. mitigantia. Talia vel *ex vegetabili regno* sumuntur, adeòque *mitiora*; vel *ex minerali*, adeòque *acriora* existunt: *Illa* in æstu minus urgente; *Hæc* ubi intensior æstus, nec subjecto patientis aliisque circumstantiis proportionatus adest, magis locum habent. *Illa* enim faciliùs in salsum temperatum diureticum in nobis alterantur; *hæc* è contra fixioris naturæ, & quasi firmioris texturæ, minùs alterabilia sunt, quæ ceu acida potentiora bilem & ejus acidum volatile acre præcipitant & corrigunt, adeòque humores nimis effervescentes figunt, & inde natas æstuationes aliaque pathemata mitigant.

Inter acida *mineralia* præferuntur speciatim *spiritus mineralium* acidi, tàm simplices, primariò sulphuris, hinc vitrioli, salis, nitri, præ cæteris & cum dictis spiritibus, aut spiritu vitrioli volatili parata mistura simplex seu Tinctura Bezoardica; quàm compositi, *clyssi* aliàs appellati, per retortam ex sulphure, nitro & antimonio & similibus parati; sic fiunt spiritus acidi volatiles admodum egregii; & Tincturæ vegetabilium cum phlegmate vitrioli, spiritu proprio acidulato, Tinctura bellidis, rosar., violar., cyani, aquilegiæ &c. Vlurpentur talia acida mineralium in Julepis, ut & Misturis alterantibus. Tincturæ instillantur potui ordinario ad 50. vel 60. guttas pro dimidia mensura.

Cæterùm spiritibus istis acidis puris præferuntur meritò spiritus hi ipsi mediante *spiritu Vini dulcificati*, quia magis sunt temperati, & ita œconomiæ nostræ animali magis affines. Nam hæc suprema lex sit Praxeos, quam etiam SYLVIUS urget, ut semper *temperatis* insistamus, duplici ex ratione:

1. Quia omnes corporis nostri succi naturaliter sunt temperati.
2. Quia remedia intemperata, & nimis graduata nimiam ac subitaneam inferunt naturæ mutationem, quæ nunquam est bona.

Propterea ego præfero spiritus dulcificatos seu temperatos ipsis spiritibus crudis acidis; sic enim minus alterant corpus, & minores dant turbas: & certum est, quod potentius æstum febrilem temperent, quàm si crudi propinentur. Hinc spiritus salis dulcis, item spiritus nitri dulcis, præstant usu interno, cum aliis misti, his ipsis spiritibus crudis.

Ex omnibus illis spiritum sulphuris, hinc spiritum nitrî dulcem, eligerem; Spiritus vitrioli propter ramenta metallica non semper est tutus. Ex *vegetabili regno* conveniunt fructus, imprimis succulenti, sapore acido & austero se manifestantes, v. g. citrus, qui primatum obtinet & malignitati resistit, ejusque succus expressus; item succus ribium, berberum & cydoniorum, imprimis in fluxibus alvi nimiis, rubi Idæi, granatorum & similes alii. Addatur etiam acetosa & acetosella, quarum succum expressum suavissimum præfero syrupis cum sacchаro paratis, quia sunt fermentescibiles. Præ cæteris commendabiles sunt hi ipsi per spontaneam residentiam, post sulphurationem secundùm HELMONTIUM depurati, & in loco frigido asservati. Tamarindi quoque hic optimè conveniunt, quia sapore acidulo simul alterant, & æstum leniunt, quatenus sal volatile oleosum destruunt, & præterea alvum obstructam blandissimè laxant: hinc etiam ZACUTUS LUSITANUS in febribus syncopalibus seu cum lipothymiis conjunctis insigniter commendat tamarindos in aqua simplici decoctos, cùm tales febres syncopales egregiè leniant. Præter hæc etiam succus semper vivi majoris, item ex portulaca & plantagine parata remedia commendantur.

Ex his variæ fiunt formulæ; præter usum enim Tincturæ Bezoardicæ seu Mixturæ simplicis in principio morbi, ubi subest metus malignitatis, à guttis 30. vel 40. vel etiam 50. ad ʒ j. propinatæ pro constitutione ægri, ubi adhuc subest metus malignitatis, conveniunt *Iuleps* aut Misturæ acidulæ: v. g.

℞. *Decocti corn. Cervi simpl.* vel *cum rad. (scorz.* (habitâ ratione circumstantiarum) ℔ j.
Succ. citri rec. unc. ij.
Syrup. flor. nymph.
Papav. alb. (est egregius in his febribus) an. ℥ vj.
Spiritus nitri dulc. vel *spiritus salis dulcis* q. s. pro grato sapore.
M. f. *Iulepus.* D. S.
Julepus refrigerans & alterans.

Hauriatur de hoc pro lubitu.

℞. *Decoct. corn. cervi* ℔ j. vel ℔ j ß.
Succi cydon. unc. iij.
Syrup. papav. alb. unc. j.
Rub. idæi unc. ß.
Spiritus nitri dulc. parum.
M. D. S.
Iulepus refrigerans & confortans.

℞. De-

℞. *Decoct. Corn. Cerv. cum rad. scorz.* ℔ j.
Tinct. flor. rosar.
Violar. an. ℥ j.
Syr. acetos.
Flor. nymph. an. ℥ j. ad ℥ j ß.
Spir. sulphuris parum.
M. D. S.
Iulepus refrigerans.

℞. *Decoct. Corn. Cervi cum rad. scorz.* ℔ j.
Succi berb.
Ribium an. ℥ j ß.
Tinct. flor. rosar.
Violar. an. ℥ j.
Syrupi acetos. citri ℥ j ß.
Spir. sulph. vel *vitrioli* q. s. pro grata aciditate.
M. D. S.
Iulepus refrigerans & corroborans.

℞. *Decoct. corn. cervi* ℔ j.
Alterant. us. ℥ iv.
(vel hujus loco gelatinæ Cor. Cervi. ℥ j. ad ℥ ij.)
Syrup. Ceras. nigror.
Ribium an. ℥ j ß.
Spir. Vitrioli q. s. pro grato sapore.
M. D. S.
Iulepus alterans & confortans.

℞. *Decocti cornu cervi cum rad. scorz.* ℔ j.
Citri Mynsichtii. ℥ iv.
Syrupi cerasor. nigror.
Rubi Idei an. ℥ j.
Spir. nitri dulc. q. s.
M. D. S.
Iulepus refrigerans & corroborans.

℞. *Decocti Cornu Cerv.* ℔ j.
Tinctura flor. bellid. ℥ ij.
Syrupi rubi Idei ℥ j.
M. D. S.
Iulepus confortans.

Decoctum hordei alii præscribunt: sed minus probo: quia est potus crudus, qui utplurimùm subinde excitat inflationes stomachi: ideò præfero huic vel aquam simplicem, vel Decoctum radicis scorzoneræ; Talia enim minus sunt cruda, & convenientiora.

℞. *Aqua font.* q. pl.
Vini parum
Succi cydonior. q. s. pro grato acore:
M. D. S.
Haustus corroborans.
Vel

℞. *Aquæ font.* ℔ j.
Syrup. papav. alb. ℥ vj. ad ℥ j.
Rubi Idei ℥ j ß.
Spir. nitri dulc. vel *Tincturæ violar.* ʒ j. ad ʒ ij.
M. D. S. vel q. s.
Iulepus refrigerans & corroborans.
Vel

℞. *Aquæ Font.* ℔ j.
Succi cerasor. compos. Ludovici vel alius *succi appropr.* ℥ iij. ad ℥ iv.
Syrupi rubi Idei q. s.
M. S.
Iulepus refrigerans & confortans.

℞. *Aqu. font.* ℔ j.
Syrup. flor. papav. errat. vel *Violar.* vel *sacch. albi* q. s.
Spir. vitrioli ʒ j. ad ʒ ij.
M. D. S.
Iulepus refrigerans.

℞. *Aqu. acetos.*
Scabios. vel *taraxaci,*
Flor. papav. errat.
Succi berb.
Cydon. an. ℥ j.
Tinctura flor. bellid. ʒ iij.
Syrupi acet. citr. ℥ j.
M. S.
Mixtura refrigerans & corroborans pro aliquot vicibus.

℞. *Aqu. borrag.*
Buglos.
Rubi Idei an. unc. j.
Cinnam. ʒ iij.

Succi citri rec. ʒ vj. ad ℥ j.
Confect. alcherm. ʒ j ß.
Syrupi rub. Idei ℥ ß.
M. S.
Mixtura confortativa pro aliquot vicibus post sudorem.

Vel in forma Electuarii:

℞. *Cons. acetosell.*
Pulpæ citri an. ℥ j ß.
Flor. tunic. ℥ j.
Rob ribium ʒ vj.
Conf. alchermes ʒ ij.
Cum s. q. *Syr. acetos. citri* vel *Rubi idæi* f. *Electuarium.*
D. S.
Electuarium confortativum.

Convenit etiam *Decoctum herbæ & radicis acetosæ* elegantis coloris & saporis grati, cui additur vel *succus acetosæ* expressus & asservatus, vel *succus ribium* sulphuratus, & *syrupus rubi idæi* vel *violar.* q. s. pro gratia & sapore ægri. Exempla dedi *suprà*, *ubi de siti.*

Extemporaneæ etiam *Tincturæ* fieri possunt instar Iuleporum saporis elegantissimi, quæ egregiè prosunt, ut plurimum sudore blando, sine molestia tamen, ægro convenientes.

℞. *Flor. bellid.*
Rosar.
Tunic. an. m. ß.
Infun. in *aqu. commun. acidulata spiritu sulphuris per camp.* stent in loco tepido ad extractionem tincturæ:
Colaturæ mens. j ß. adde
Syrup. rosar. vel *rubi idæi*, vel *viol.* q. s.
M. pro *Iulepo* egregio. S.
Iulepus refrigerans.

℞. *Flor. aquilegiæ*, vel *cyani*, vel *papav. errat.* vel *rosar.* vel *violar.* (quocunque volueris: nam omnes flores cærulei affuso spiritu acido dant Tincturam rubicundam) ʒ ß.
Spiritus sulphur. per campan. vel *vitrioli* q. s. pro grato acore.
Infund. in ℔ j ß. ad ℔ ij. *Decocti corn. cervi*, vel *radicis scorzoneræ*, vel *Keris vitrioli sulphuris acidi* in vase vitreo benè clauso:
Stet ad aliquot horas, donec eliciatur Tinctura elegans, cui transcolatæ adde
Aquæ rosar. ℥ ij.
Cinnam. ℥ j.
Syrup. rubi Idæi vel *violar.* vel *jujubin.* ℥ ij. vel iij.
M. S.
Iulepus refrigerans.
Usurpetur pro potu ordinario.
Vel

℞. *Flor. bellid.*
Papav. errat.
Rosar. an. p. ij.
Irrorati cum s. q. *spiritus sulphuris* vel *vitrioli* infund. in *Decocti cornu cervi*, vel loco hujus in *aqua flor. papav. errat.*, *scabiosæ*, *taraxaci*, &c. ℔ j ß
Stent in loco calido, donec extracta Tinctura, cui filtratæ adde
Syrup. rubi Idæi
De jujub. an. ℥ j ß.
M. S. *Iulepus refrigerans.*

℞. *Flor. papav. errat.* m. j.
Violar. m ß.
Irrorati cum s. q. *spiritus sulphuris* vel *vitrioli*, inf. in *aqua flor. papav.* ℔ j ß.
Stent in loco calido per horas aliquot:
Colaturæ adde
Syrupi flor. papav. errat.
Rubi idei an. ℥ ij.
M. D. S.
Iulepus refrigerans.

Loco *spiritus sulphuris* & *vitrioli* succi vegetabiles acidi asservari possunt.
Vel

℞. *Pom. citri in taleol. incis.* No. ij. vel iij.
Macerentur in *aquæ fervidæ* ℔ j ß.
adde
Flor. papav. errat. m. j.

Ebulliant leniter: *Colat.* adde

Elaeosacch. citri ℥j.
Syrupi ex toto citro ℥j. ad ℥jß.
M. pro *Julebo*.

Vel etiam ipsæ tincturæ, v. g. flor. bellidis, rosar., papav. errat., aut etiam spiritus acidi dulcificati, instillantur potui ordinario, sive sit cerevisia, quam tamen propter amarorem respuunt, sive sit cerevisia tenuis, *Kovent* vel *Kauterling*, quæ ipsis sunt gratiores: v. g.

℞. *Tinctura flor. bellid.* ℥ij.
Aquileg.
Violar. an. ℥j.
M. S.
Tinctura refrigerans: 50. vel 60. *guttæ in libram unam potus ordinarii*.

Et ipsi spiritus dulcificati præscribuntur hoc modo:

℞. *Spirit. nitri vel Salis dulc.* ℥ß.
S. *Spiritus pro potu ordinario* 50. vel 60. *guttæ in libram unam*.
Vel
℞. *Spirit. Sal. dulc.* ℥jß.
Tinctura flor. aquileg.
Bellid.
Violar. an. ℥j.
M. D. S.
Tinctura refrigerans pro potu ordinario: 60. usque 80. *guttas in libram unam*.

Interdum loco Iuleporum propinatur Decoctum tamarindorum, vel solum in aqua communi, vel, quod blandius abstergit, in sero lactis: v. g.

℞. *Tamarind.* vel *pulpa eorundem* ℥j. ij. ad iij.
Coqu. in s. q. *Aqua comm.* vel *seri lactis depur.*
Colatura ℥viij. ℔j. ad ℔jß. vel ℔ij. adde
Succ. citri ℥vj. vel ℥j.
Tinctura flor. bellid. ℥ij. vel ℥iij.
Syrupi acetos. citri vel *rubi idai* ℥jß. vel q. s.
M. S.
Iulepus alterans, & laxans.

Capiatur pro lubitu. Vel

℞. *Decoct. tamarind. cum pass.* ℔ß. vel ℥ix. ad ℔j.
Syrupi acetos. citri vel *rubi Idai* ℥j.
Spirit. nitri dulc. parum.
M. S.
Iulepus aperiens & alterans.

℞. *Decocti tamarindorum cum pass.* ℔j.
Syrupi granat. acid.
Ribium an. ℥jß.
Spirit. nitri dulc. q. s.
M. D. S.
Iulepus alterans & laxans.

Facit huc elegans Tinctura rosarum Zuvelferi, quam parat cum sero lactis acidulato cum pulpa tamarindorum, quæ blandè laxat: vel Infusum florum cum tamarindis supra in febre ephemera præscriptum.

Ipsum certè serum lactis est potus admodum conveniens in Febribus, imprimis, si melioris depurationis gratiâ acidulctur cum succo citri vel Tinctura similiter appropriata; insigniter enim compescit æstum, & alvum blandè servat apertam, ratione salis nitrosi volatilis, quod in se continet.

Vel

℞. *Seri lactis* ℔ij.
Succ. citri rec. ℥iij.
Fl. bellid.
Papav. errat. an. M. jß.
Ebulliant vase clauso, donec serum lactis tingatur.
Colatura adde
Sacchari parum, aut loco florum tingentium aliquot uncias *syruporum florum papaveris erratici* & *rubi Idai*.
D. S.
Iulepus alterans & aperiens.

℞. *Flor. papav. errat.*
Rosar. an. M. ß.
Infunde in *seri lactis depur. cum spiritu sulphuris leniter acidul.* ℔jß.
Stent in loco calido ad Tincturæ extractionem:
Colatura adde
Syrupi de jujubis ℥ij.
Violar. ℥j.
M. pro Iulepo.
S. *Iulepus alterans.*

Iuxta dicta in his febribus optimè conveniunt imprimis salia nitrata, vel cum nitro fixata mineralia, & metallica, effervescentiam massæ sanguineæ optimè compescentia, & sal volatile biliosum peccans corrigentia, & figentia, impetrando plus minus sudorem, prout minor vel major urget malignitas, aut etiam prout intensior vel remissior erit effervescentia febrilis. Usitatissimum est v. g. nitrum præparatum, seu beneficio lixivii acris depuratum, quæ præparatio optima est; vel nitrum antimoniatum. Prodest ergò arcanum duplicatum Mynsichtii vel nitrum vitriolatum, & spiritus nitri dulcis. Nil magis æstum febrilem compescere potest, quàm nitrum ipsum solum depuratum: *superat hanc laudem*, inquit POTERIUS, *& nihil magis desiderat*. Sumitur in Decocto scorzoneræ, & ita sub forma potus ordinarii propinatur. Loco nitri solummodo depurati usitatum alias est nitrum cum sulphure communi fixatum, seu sal prunellæ dictum, quod nihil valet: optimum est antimoniatum, i. e. nitrum compositum fixatum cum sulphure antimonii, id quod fit in præparatione antimonii diaphoretici vel antihectici Poterii. Nam in tali nitro præparato adest adhuc subtilissima pars sulphuris antimonii, adeò ut ratione hujus simul corpus ad blandam diaphoresin disponat, & simul sal corrigat vitiosum. Propinatur ad ℥j. in aqua quadam destillata, vel decocto quodam, vel potu ordinario, & assumitur ejus ℥ß. spatio 24. horarum. Verùm sub forma pulveris propinatur cum Antihectico Poterii, & multi usus est, cum quo ego aliquoties felicissimo cum successu præscripsi, modo absit laxior alvi constitutio. Pertinet huc Antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale, tàm simplicia, quàm composita, cum nitro fixata, maximè antimonium diaphoreticum Martiale, antihecticum Poterii ritè præparatum, coloris albi (cœruleum enim nil valet) & Bezoardicum Ioviale, si per se destilletur cum Mercurio sublimato butyrum Ioviale, quod figitur cum spiritu nitri (vid. SCHROEDERUS, & ZWELFERUS) est egregium, & loco antihectici potest substitui; Bezoardicum Saturninum, Cornu Cervi sine igne, & omnia suprà laudata absorbentia animalia terrea, quæ absorbendo nonnihil, & ad diaphoresin disponendo corpus, auctam effervescentiam corrigunt: e. g.

℞. *Aqu. rubi Idai* ℥ij.
Rad. scorzon.
Succ. cydon. rec. an. ℥j.
Bezoard. Iovial. ℈j.
Syrupi papav. albi, vel *rubi Idai* ℥j.
Spiritus nitri dulc. q. s.
M. D. S.
Mixtura alterans, cochleatim sumenda.

Capiatur cochleatim pro lubitu, ut & febrem temperet, & simul corpus ad blandum sudorem disponat.

℞. *Aqu. rubi Idai* ℥jß.
Taraxac. ℥j.
Antimonii diaphor. ʒß ad ʒj.
Syrupi ribium vel *rubi Idai* ʒvj. ad ℥j.
Spiritus Nitri dulc. ʒj. ad ʒjß.
vel q. s.
Misce. S.
Mixtura alterans.

Vel ad imitationem POTERII *Cent. 2. c. 49.*

℞. *Aqu. acetos.* ℔ß.
Antimonii diaphor. ʒß.
Succi citri,
Syrupi papav. nigri an. ℥j.
M. pro *potiuncula*, aliquot vicibus assumenda: S.
Potiuncula precipitans, cochleatim sumenda.

℞. *Aqu. Taraxaci* ℥iv.
Tinctura flor. bellid. ʒjß. ʒiij.
Corn. Cervi sine igne ʒß.
Antihect. Poterii ℈j.
Syrupi flor. papav. errat. vel *simpl.* ℥j.
M. D. S.
Mixtura alterans.

℞. *Aqu. rubi Idai* ℥ij.
Spirit. theriac. camphor. ʒiij.
Antimonii diaphor. ʒß.
Bezoard. Iovial. ℈ß.
Syrupi papav. simpl. vel *rubi Idai* ℥j.
Spir. nitri dulc. q. s.

M. f. Po-

M. f. *Potio pro una vel duabus dosibus* haurienda, & repetitis vicibus, pro lubitu tamen.
D. S.
Mixtura alterans.

Æger se disponat ad aliqualem madorem, ut compescatur æstus, & facilè sistentur febres.

℞. *Aqu. flor. acac.*
Sambuci,
Taraxac. an. ℥ j.
Gelatina cornu Cervi ℥ j. ad ℥ j ß.
Cornu Cervi sine ign. ℈ j.
Antihect. Poterii,
Antimonii diaphoret. an. gr. xij.
Syrupi papav. simpl. ʒ vj.
M. D. S.
Mixtura alterans, & corroborans.

℞. *Aqu. scorzonera,*
Taraxac. an. ℥ j ß.
Mixt. simpl. ʒ j.
Elect. diascord. Fracastorii ʒ j ß.
Corn. Cerv. sine ign. ʒ ß.
Antihect. Poterii ℈ j.
Syrupi ex toto citro ℥ iij. vel ℥ ß.
M. D. S.
Mixtura alterans, cochleatim sumenda.

℞. *Aqu. scorzonera,*
Flor. sambuci an. ℥ ij.
Antimon. diaphor. ℈ ij.
Bezoard. mineral. ℈ j.
Syrupi papav. alb. ℥ j.
Spir. nitri dulc. q. s.
M. pro 3. *dosibus vel cochleatim.* S.
Mixtura sudorifera pro aliquot vicibus.

℞. *Aqu. fumar.* vel *Flor. sambuci* ℥ iij.
Corn. Cerv. sine igne ℈ ij.
Bezoard. min. ℈ j. ad ʒ ß.
Extracti theriacal. gr. vj.
Syrupi cort. aurant. ℥ iij.
M. pro 3. *dosibus.*
M. D. S.
Mixtura sudorifera pro aliquot vicibus.

In forma sicca nitrata præscribi possunt:

℞. *Nitri antimon.* vel *Nitri depur.* ℈ j. ʒ ß. ad ℈ ij.
Antihect. Poterii, vel *Antimonii diaph. simpl.* vel *Martial.* ℈ j. ad ʒ ß.
Laudani opiati gr. j. vel ij.
M. S.
Pulvis corroborans & refrigerans vespertinus.

Detur pro 2. *dosibus* in vehiculo convenienti, imprimis tempore vespertino. Vel

℞. *Nitri antimoniati* ℈ j.
Cornu Cervi sine igne,
Antihect. Poterii vel *antimonii diaph.* an. ℈ ß.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis refrigerans, & confortans.

Cui in suspicione malignitatis, aut imminente delirio *camphoræ* gr. ij. addi possunt. Vel

℞. *Corn. Cervi sine igne* ʒ ß.
Nitri antimoniati ℈ j.
Antimonii diaphor. ℈ ß. vel gr. xij.
Camphor. gr. ij. vel gr. iv.
M. f. *Pulvis.*
Div. in 2. *partes æqu.*
D. S.
Pulvis refrigerans, & corroborans.

Tempore vespertino loco camphoræ præscribo *Laudani opiati* gr. ij. vel iij. ad iv. Detur in vehiculo conveniente, aut quocunque. Blandè movet sudorem, & egregiè compescit æstum.

℞. *Nitri depur.* gr. xvj.
Antihect. Poterii ℈ ß.
Sacch. Saturni gr. v.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis refrigerans.

℞. *Nitri depur.* gr. xv.
Antihect. Poterii,
Antimonii diaphor. an. gr. v.
Camph.
Laud. opiati an. gr. j.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis refrigerans, & corroborans vespertinus.

℞. *Arcani dupl.* gr. xvj.
Antimonii diaphor. ℈ ß.
M. pro dosi. S.
Pulvis refrigerans, & confortans.

Pulvis hic ita compositus interdum nonnihil laxare solet: Vel

℞. *Arcani dupl.* gr. xij.
Lapill. Cancr. prap.
Ebor. sine igne an. ℈ ß.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis refrigerans & confortans.

℞. *C. C. sine igne*, vel *pulv. Bezoar. Ludov.* (gr. xv.)
Bezoard. Iov. vel *mineral.* ℈ ß.
Camph. gr. j. vel ij.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis diaphoreticus alterans.

℞. *Ebor. sine igne,*
Antihect. Poterii an. ℈ ß. ad gr. xv.
M. D. S.
Pulvis præcipitans.

℞. *Terra sigillata,*
Bezoard. mineral. an. gr. xv.
Camphor. gr. ij.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis Bezoardicus sudoriferus.

℞. *Vnicorn. fossil.*
Ebor. sine igne,
Cinnab. antimon. an. gr. viij.
M. D. S.
Pulvis alterans.

℞. *Vnicorn. foss.*
Corn. Cerv. sine igne an. gr. xij.
Bezoard. mineral. scrup. ß.
M. D. S.
Pulvis sudoriferus alterans.

℞. *Pulv. Bezoard.* ℈ j.
Antimonii diaph. vel *Bezoard. min.* vel *cinn. antimonii* ℈ ß. vel gr. xij.
Camphor. gr. ij. vel iij.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis Bezoardicus diaphoreticus.

℞. *Corn. Cerv. sine igne* gr. xij. xv. ad scrup. j.
Antimonii diaphor. scrup. ß. ad gr. xij.
Sal. volat. Corn. Cer. gr. iv. vel v. vel vj.
M. D. S.
Pulvis Bezoardicus sudoriferus.

℞. *Cornu Cerv. sine igne* gr. xv. vel scrup. j.
Antimonii diaphor. vel *Bezoard. min.* scrup. ß.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. iv. vel v. vel vj.
Camphor. gr. ij. vel *laud. opiat.* gr. j.
M. f. *Pulvis.* S.
Pulvis diaphoreticus.

℞. *Antimonii diaphor. Martial.* scrup. ij.
Bezoard. miner. gr. xv.
Laud. opiati ferm. gr. ij.
M. f. *Pulvis.*
Div. in 2. *part. æqu.* S.
Pulvis sudoriferus.

Quorum unus capiatur tempore vespertino, alter post mediam noctem.

Nitrum etiam depuratum, aut nitrum antimoniatum pulverisatum dissolvatur in potu ordinario, ita, ut juxta LINDANUM ejus ℥ ß. hoc modo intra diem naturalem commodè propinari possit. Pertinet huc *sudoriferum maximum Fabri*, quod nobile est remedium, item *Jupiter diaphoreticus Begnini*, cinnabaris antimonii, & *dulcedo aluminis saccharata*, seu alumen fixum, à quo nempe phlegma toties cohobatur, donec non ampliùs exsurgat, sed omnia fixa maneant: uti habetur arcanum ad omnes febres, etiam hecticas, ita similiter egregium est figens in febribus continuis ardentibus: Vid. POTERIUS *in l. 2. Pharmacop. Spagyr. cap. 2.* Clariorem verò & meliorem descriptionem habet antiquus Chymicus DARIOTII *in Thesauro suo Chymico cap. 24. pag. 245.*

Juxta dicta, ubi ipsum sal biliosum peccaverit simul *nimiâ acrimoniâ*, conveniunt subindè Emulsiones, paratæ ex seminibus temperatis oleosis cum remediis fixis, quæ blandè temperant & obtundunt acrimoniam illius salis peccantis: fiunt ordinariò ex seminibus 4. frigidis, aut majoribus, aut minoribus; item ex hordeo ad crepaturam cocto, ex amygdalis dulcibus: v. g.

℞. *Sem.4.frigid.mai.* ℥vi.
Papav. albi,
Amygd. dulc. ana ℥ij.
Cum s.q. *Aquæ rosar.* f. *Emulsio:*
cui adde
Ess. opii ℥ß.
M. S.
Emulsio temperans.

℞. *Sem.papav.alb.* ℥ij.
4.frigid. mai. ana ℥j.
Cum s.q. *Aqu. galeg.* vel *nymphææ*, vel *rubi Idæi* & *Aqu. sempervivi mai.* (pro qualibet ℥j. seminum unc. j. liquoris assumitur, uti notum est) fiat *Emulsio:* cui pro circumstantiarum ratione adde
Nitri antimoniati scrup. j. vel ℥ß.
Antihect. Poterii vel *Antimonii diaph.* vel *Bezoard. min.* ℥ß. vel ℥ij.
(vel *Antimonii diaph.* & *Antih. Poterii* ana gr. xv. ℈j. ad ℥ß.) edulcoretur parùm cum *rotul. Manus Christi perlat.*
D. S.
Emulsio refrigerans & confortans pro aliquot vicibus.
Vel

℞. *Sem.papav.alb.* ℥. ij.
4. Frig.mai. ana ℥jß.
Cum s. q. *Aquæ flor. papav. errat.* f. *Emulsio:*
adde
Ebor. sine igne scrup. ij.
Antimonii diaphor. scrup. j.
Sacchari parum.
M. D. S.
Emulsio refrigerans & confortans.
Capiatur subindè cochleatim pro 1. 2. vel 3. dosibus.

℞. *Amygd. dulc.* ℥ij.
Sem.papav.alb. ℥j. vel ℥ j.
4.frigid.mai. ana ℥j.
Cum *Aqu. acetos.* vel *endiv.* f. *Emulsio:*
adde
Antimonii diaphor.
Bezoard. miner. ana ℈j. ad ℥ß.
M. D. S.
Vt antea.
Edulcoretur parum.
Cochleatim usurpetur.

Non tamen crebriùs aut copiosiùs præscribantur hæ Emulsiones, quia stomachum nonnihil pessundant, ejusdem tonum lædunt, appetitum destruunt, & ita crebriore usu nocivæ evadunt.

Hæc quoad Interna sufficiant.

Externè pro symptomatum aliquali mitigatione, imprimis pro compescendo æstu febrili, & ad præcavenda deliria, ac vigilias, dolores, coma vigil, *plantis pedum*, & *volis manuum* applicandum est cataplasma ex fermento pistorio, cum aceto & sale impraegnato; vel, quod melius est, Cataplasma D. MICHAELIS:

℞. *Fol. rutæ rec.* m. vel iij.
Radic. raph. incis. No. ij. vel iij.
Salis m. j.
Fermenti acerrim. m. vel unc. ij.
Aceti vini vel *rutac.* q. s.
M. pro *Cataplasmate* vel *Pulmento*, plantis pedum nudis, vel volis manuum ita applicando, & si exsiccatum fuerit, repetendo.

Imò solæ *radices raphani* in taleolas incisæ stomacho pedibusque, sale & aceto probè prius mundatis, applicatæ, insigniter conveniunt: quidam etiam occipiti, applicant: *Raphanus* enim irritando successivè quasi attrahendo derivare videtur. Pauperiores saltem recipiunt *limum recentem*; hunc *aceto* probè permixtum, nudis pedum plantis applicant. Succus cancrorum fluviatilium ex cancris vivis contusis recens fortiter expressus, instar cataplasmatis plantis pedum, & volis manuum applicatur, subindè renovando, egregiè conducit ad temperandum æstum: imò instar epithematis fronti circumligatus seu applicatus egregiè convenit ad cephalalgiam tollendam, & inde imminentes vigilias contumaces, item ad præcavendum delirium. In cancris enim fluviatilibus multa latent, tam in febribus ardentibus, quam etiam in usu chirurgico.

Sæpiùs dictum fuit, quod etiam dentur *Febres deliræ*, propter delirium præsens ita dictæ: in tali *delirio*, ut & *agrypnia* & *cephalalgia*, præter *blanda anodyna* aut *opiata*, cum aliis *appropriatis* cautè & circumspectè usurpata, *venarum raninarum* apertio subindè proficua existit: ac sanè in *morbo* dicto *Hungarico* seu *febre castrensi*, earum sectio, & ratione junctæ *prunellæ*, & ratione *capitis pathematum*, summè proficua existit. Quarum loco & tali in symptomate imminente, aut graviùs urgente, cætera si respondeant, *venæ frontis* sectio à quibusdam institui solet. Forsan, ubi sub *agrypniis* aut *cephalalgiis*, item *frontis æstuationibus*, periculum *delirii* immineat, *hirudinum* pone aures *applicatio* non inutilis foret. Aliàs in *febribus ardentibus* etiam periculosissimis obauditio, sed non in principio, superveniens bonum signum esse solet: propterea, quia ex decubitu aliquali fermenti febrilis, seu, ut aliàs loquuntur, materiæ peccantis ad glandulas parotides cæteræ partes alleviantur. Præter dicta iis in capitis pathematis epithemata non rarò fructuosè, sed calidè, aut saltem tepidè fronti applicantur. Observandum autem, quod ejusmodi epithemata tempora simul tegere debeant, ita, ut ultra arterias ibidem pulsantes pergant. V. g.

℞. *Aquæ anethi* vel *rosar.* vel *flor. sambuc.* vel *verben.* ℥ij.
Apoplect. ℥ß.
Philonii Rom. vel *Requ. Nicolai* vel *Theriac.* ℥j.
M. D. S.
Epithema externum.

℞. *Aquæ flor. sambuci*
Verbenæ ana ℥iß.
Spir. theriacal. camphor. ℥iß.
Philon. Roman. ℥ij.
M. D. S.
Epithema resolvens circa caput.

℞. *Aquæ chamom.*
Flor. sambuci ana ℥j.
Apoplect. vel *cephal. ad extrà* ℥iij.
M. D. S.
Epithema externum.
Applicetur cum linteis multiplicibus tepidè fronti & temporibus.

Sed à nimio camphoræ usu in agrypnia abstinendum, quæ aliàs singulare est in deliriis. Vel hujus loco sequens Emulsio, quam aliquoties felici cum successu præscripsi, applicari potest:

℞. *Sem. papav. albi* ℥ij. vel iij.
Hyosc. ℥ß.
Aqu. sperm. ranar. ℥iij.
Sempervivi,
Solani,
Hypnoticæ usit. ana ℥j.
F. l. a. *Emulsio:*
adde
Camphor. gr. vi. vel vij.
M. D. S.
Emulsio externa circa caput.

℞. *Nucl. persic.* ℥ij. vel iij.
Sem. papav. alb. ℥ij.
Aqu. sperm. ran. ℥iij.
Sempervіv.
Solani ana ℥jß.
F. l. a. *Emulsio:*
adde
Camphor. gr. vij. vel ℈ß.
M. pro *Epithemate.* S.
Epithema circa caput.

℞. *Sem. papav. albi* ℥j.
Aquæ menthæ,
Verbenæ ana ℥jß.
F. l. a. *Emulsio:*
adde
Camphoræ gr. ix. vel xij.
M. S.
Epithema refrigerans.

℞. *Sem. papav. albi* ℥iij.
Aquæ sperm. ranar. unc. iij.
F. *Emulsio:*
adde
Croci scrup. ß.
Camph. gr. vij.
M. pro *Epithemate.*
Cui subindè etiam *succus cancr. fluv.* addi potest. D. S. *ut antea.*

Dictæ Emulsiones aut Mixturæ solæ in forma epithematis

tis applicantur fronti: vel misceatur his ipsis ana *succi cancrorum fluviatilium recentis expressi*, & ita subinde fronti applicentur, sæpeque renoventur, & egregiè delirium sistunt: e. g.

℞. *Aqu. beton.*
Fl. papav. errat.
Sambuci an. unc. j.
Succi cancr. fluviat. rec. express. ℥iij.
Spirit. vini camph. ℥ij.
M. D. S.
Epithema circa caput.

Vel solam etiam aquam rosarum tanquam eximiam commendat PIENS *Tract. de Febribus*. Item

℞. *Unguenti alabastr.* vel *popul.*
Somnif. usitat. ℥ ß.
Ol. express. nuc. mosch. ʒß.
Camph. gr. vj.
M. D. S.
Unguentum ad quietem.

℞. *Unguenti alabastr.* ℥iij.
Ol. express. nuc. mosch. ʒj.
Philon. Romani vel *theriac.* ʒß.
M. S.
Unguentum refrigerans cephalicum.

Quin & si impetuosior raptus quasi ad caput metuatur, in specie ubi excretio quæcunque, imprimis cutanea, suppressa, dicta capitis symptomata inferunt, *Vesicatoria* femoribus vel brachiis applicata, & Enemata acriora, conducere arbitror.

PRUNELLÆ CURA.

Prunellam quod attinet, quæ non rarò adest in his febribus in nimio corporis ardore, seu cum linguæ rubedine, ardore & scabritie, hanc optimè præcavent & mitigant mucilago seminis psyllii vel cydoniorum, cum Aqua sempervivi majoris extracta, subindè linguæ applicata, aut in faucibus detenta: Conf. *suprà* ea, quæ *de siti nimia* dixi, & M. A. N. C. *Ann. 8. Observat. 76. pag. 183.*

Vel

℞. *Sem. cydon.*
Malvæ,
Psyllii an. ʒij.
Cum s. q. *Aquæ sperm. ranar. t. Mucilago* ad ℔ ß. cui adde
Salis ammoniaci ʒj.
Aqu. sempervio. compos. ℥ij.
Succi cancr. fluviat. unc. j.
M. D. S.
Mucilago refrigerans.

De qua quantum sufficit, in ore subindè detineatur.

℞. *Mucilag. sem. cydon.* cum *Aqu. rub. Idæi extr.* ℥ ß.
Syrupi portulac. ℥. j.
Nitri parum.
M. D. S.
Ut antè.

Detineatur in ore.

℞. *Aqu. sempervio. maj.* unc. ij. vel unc. iij.
Mucilag. sem. cydon. cum *sperm. ran. extr.* ℥j.
Nitri depur. ʒ.
M. D. S.
Ut antè.

Convenit etiam speciatim, nisi aliquid obstet, matura venarum raninarum sub lingua sectio, idque tunc imprimis, quando tumores observantur, & metus est supervenientis & instantis anginæ: sicuti etiam in nimia faucium inflammatione oris lotiones cum nitro, tam cum quàm sine gargarisatione, convenienter usurpari possunt, factæ ex plantagine, lactuca, solano, ligustro, portulaca, prunella & similibus, additis post decoctionem succis mororum, berberum, citri, &c. aut similibus: quorum formula sequens præscripta est à SYLVIO *l. 1. Prax. cap. 29. §. 86.*

℞. *Fol. prunell.*
Salicis,
Fragor. an. m. j.
Hord. integr. part. j.
Coqu. in s. q. *aquæ puræ*:
Colaturæ ℔j. adde
Syrupi dia-mori unc. j.
Lap. prunell. (vel potius *nitri antim.*) ʒß.
M. f. *Gargarisma.*

Vel

℞. *Herb. prunell.*
Salviæ,
Scabios. an. m. j.
Flor. ros. rubr. m. ß.
Cort. nuc. juglang. ʒj.
Coqu. in *aqua simpl.*
Colaturæ ℥viij. adde
Succi sempervivi mai. ℥ij.
Rob moror. ℥iß.
M. D. S.
Gargarisma refrigerans.

℞. *Herb. prunell.* m. ij.
Salv. m. j.
Albi Græci ʒß.
Coqu. in s. q. *Aquæ*:
Colaturæ ℔j. adde
Spir. vin.
Rob moror. an. unc. ß.
Mell. rosat. ℥. j.
M. pro *Gargarismate*: S.
Gargarisma resolvens.

Item

℞. *Herb. prunell.* m. ij.
Salv. m. ß.
Flor. malv. arbor. rub. m. j.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.* vel *cerevis. secundariæ.*
Colaturæ adde
Mellis parum,
Nitri qu. pl.
M. pro *Gargarismate*: S.
Gargarisma.

Aliis palmam præripere dicitur, si

℞. *Sem. eruv. mai. contus.* q. s.
Succi eiusdem ℔j.
Salis ammoniaci ʒß.

Dissolvantur, & ita invicem destillentur.

Qua ipsâ aquâ fauces eluantur, & humectentur.

Cujus indefectu.

℞. *Aquæ sempervivi mai.* unc. viij.
Succi eiusd. unc. iv.
Salis ammoniaci ʒj.
M. D. S.
Gargarisma.

Et dicto modo adhibeatur.

Item *succus cancrorum fluviatilium contusorum expressus* perquam egregius in hujusmodi *faucium affectibus* est nempe

℞. *Canc. fluv.* No. vj.
In mortario cum pauco *aceto rubi Idæi* contusi leniter exprimantur:
adde
Succi sedi mai. unc. iij.
Rob nucum unc. j.
Nitri antimoniati ʒj.
M. D. S.
Gargarisma refrigerans.

Et hoc ipso liquore fricanda lingua. Vel

℞. *Aquæ semperv. mai* ℔iß.
Succi cancr. fluv. rec. ℥ v.
Salis ammoniaci depur. ʒiß.
M. D. S.
Ut antè.

Colluitur hoc crebriùs os, aut gargarisatur, aut tepidè in ore detinetur. Vel

℞. *Aquæ cancr. fluv.* ℥iij.
Sperm. ran. ℥ j.
Semperv. mai. ℥j.
Phlegm. vitriol. viridis ℥ ß. vel ℥ij.
Syrupi viol. ℥j.
Rosar. rubr. ʒß.
Nitri cum alcali depur. ʒ ß. ad ʒ j.
M. D. S.
ut antea.

Notetur: nitri vel salis amm. simplicis loco esse quoq; potest sal ammoniacale, quod vid. in *Collegio Chym. & Ludoviciano*.

Alioquin observavi in morbis malignis, dum fauces sunt siccæ & aridæ, sine crustæ pituitosæ præsentia, optimum fuisse remedium ℔ ß *aquæ communis mell. comm. cochl.* j. vel ij. *Spiritus vini Rhenani rectificati* ʒj. vel ʒß. Multa usurpentur pro *oris collutione*.

Si post tales oris collutiones in graviore malo mox lingua denuò arescit, tùm nil melius est:

℞. *Frustum lardi non saliti*, vel si salitum fuerit, in aqua spermatis ranarum macerati: hujus frustulum unum imponatur linguæ, & ita aliquandiu detineatur, emollitur exinde lingua, & interdum crusta quasi coriacea separatur.

Loco *frustuli lardi* contra talem *linguæ scabritiem* alia pinguia, v. g. *butyrum non salitum*, itidem commodè usurpari possunt. Vel

℞. *Rapas*: conscinde; inde vasi ligneo, impone grave pondus: liquorem expressum instar syrupi coque.

FEBRIUM CONTINUARUM PERIODICARUM CURA.

Hæc ipsa remedia & methodus promiscuè tàm in *febribus continentibus*, quàm *continuis periodicis*, usurpari possunt, nisi quod in his ad *exacerbationum vicissitudinem* magis respiciendum sit, adeoque tempore ingruentis paroxysmi modò dictis, imprimis antimonialibus fixis, simul ratione complicatæ febris intermittentis *præmissis præmittendis* subinde adjungenda sunt *absorbentia* illa & *alterantia*, supra laudata, in specie *Corallia*, *lapilli cancrorum*, *antibecticum Poterii*, sal cardui benedicti: item nitrum variolarum Mynsichtii, quod solum ante paroxysmum in periodicis est egregium. Imprimis conducunt Misturæ ex subcontrariis paratæ, i. e. ex acidis & terreis, quorum formulæ extant suprà, conservando corpus in diaphoresi blanda, alvumque liberam retinendo, aliaque pro symptomatum varietate debitè præstando.

SEMITERTIANARUM CURA.

Eadem ferè de *Semitertianis* aliisque similibus *compositis & complicatis* variè *febribus* dicenda veniunt. Sunt autem *omnes periculosæ semitertianæ*, & nunc magis nunc minus *acutæ*, pro varietate nempe complicationis & compositionis variæ: unde & cura specialis pro harum varietate varianda; attendendo: an *benigna* magis, an *maligna* fuerit eadem? an *simpliciter febris composita* sit? an verò *cum inflammatione partis cujusdam* vel nobilioris vel ignobilioris, sensilioris vel minùs sensilis juncta? quò nobilior aut sensilior pars inflammata fuerit, eò gravis magis & periculosus erit affectus, & cui altiore ope succurrendum. *Lenta* itidem, si *intermittenti* juncta fuerit, pro ratione originis *lentæ* & *Prognosis* & *Cura* non nihil modificanda; adeoque ea, quæ de *febribus intermittentibus & continuis* jam dicta, ea & *semitertianis*, prout ad unam vel alteram talium prius accedant, accommodanda erunt.

In genere rigorem & horrorem tollunt absorbentia, *alcalia*, &c., *æstum* verò eadem diaphoresi & alvi libertate juncta. Si statâ period. recurrant paroxysmi, *ante exacerbationem* possunt remedia propinari.

Vomitoria in plerisque sunt optima; sicut, si *cum inflammatione* juncta, *diaphoretica & sudorifera*; cum *lentis* verò *salia abstergentia*, & *incidentia*, *ut sal ammoniacum*, *arcanum duplicatum*, &c.

Vir juvenis febre intermittente lentâ typo Tertianæ duplicatæ affligebatur, quæ tamen revera hemitritæi quædam videbatur species: ex læsa diæta, ipso hypochondriaco existente. Paroxysmi omnes affligebant saltem cum æstu, sine ullo horroris vestigio, lentè & pedetentim incipiebant cum cephalalgia, hypochondriorum tensione, & dolore abdominis gravativo; æstus erat quoad externum tactum moderatus, pulsus non adeò insigniter frequens, sed interiora eò magis urebantur, cerevisiam horrebat, lingua in paroxysmo arida & squalida. Biduò ferè jam ægrotaverat; Die ergo Martis:

℞. *Corall. rub. præp.*
Arcan. dupl. an. ℈j.
M. pro 2. *dosibus*.

Vesperi appetente nocte erat paroxysmus. Die Mercurii ordinabatur pulvis blandè laxativus ex Tartaro vitriolato: vesperi denuò capiebat unum ex istis pulveribus: hoc die paroxysmus quasi erat duplex, ante & à meridie. Die Jovis:

℞. *Arcan. dupl.*
Nitri antimoniati,
Antibect. Poterii an. ℈j.
M. pro 2. *dosibus*.

Vesperi erat paroxysmus unus. Die Veneris:

℞. *Spirit. nitri dulc.* ʒij.

Apparebant paroxysmi bini, manè unus, alter vesperi; sique satis intensi, terminabantur omnes sine sudore. Die Saturni:

℞. *Lap. canc. præp.* ʒß.
Salis absinth. ℈j.
Antimonii diaphor. ℈ß.
M. pro 2. *dosibus*.

Paroxysmus erat duplex, à meridie, & hinc vesperi. Die solis vomitorium propinabatur, quod copiosa & mucilaginosa evacuavit: hac die nullum paroxysmi vestigium apparebat, noctu levis quidam insultus, cùm vesperi priùs accepisset sequentem pulverem:

℞. *Salis ammoniaci* ℈j.
Antibect. Poterii ℈ß.
Misc.

Die Lunæ, cùm metueremus hac die paroxysmum:

℞. *Aquæ card. bened.* ℥iij.
Salis ammoniaci ℈j.
Salis cent. min. ℈ß.
Antibect. Poterii gr. xv.
Syrup. cort. aurant. ℥ß.
Misc.

Capiebat subindè cochleatim; quia & lentus, & ferè vagus erat morbi motus.

Redibat paroxysmus circa meridiem ingens, ægro admodum anxioso existente, & de gravissimo æstu conquerente.

Post aliquot horas vocatus reperio æstum in partibus externis admodum moderatum, neque etiam pulsum respondentem febri adeò anxiosæ, ac de ea conquerebatur æger, ipso nunquam adhuc graviùs, & cum tanto ardore, ac tanta cephalalgia laborasse affirmante: propterea

℞. *Spirit. sal. ammoniac.* ʒij.
Dosis gutt. 40. mox, & appetente nocte.

Primo hujus usu intra mediam horam internus æstus tepescere, anxietates cessare, quin ad exteriora verso æstu, & sudore facilè erumpente, paroxysmi cessatio, nocte insecutâ quietâ. Continuavit integrâ septimanâ hunc spiritum, & levia saltem vestigia paroxysmorum circa horam secundam pomeridianam patiebatur, quæ usu spiritus salis ammoniaci insequente sudore intra horam evanescerent. Sed cum hæc quotidiè evenirent, urina verò copiosum sedimentum haberet, alvus verò clausa; ob id die solis

℞. *Passul. laxat.* ℥ß.
Tart. vitriolat. ℈ß.
Pulv. cachect. Hartmanni gr. v.
Misc.

Capiebat, & hoc die nullus paroxysmus apparebat.

Quoad *differentias febrium continuarum* suprà recensitas:

CURA CAUSI

Nil singulare requirit, saltem, quod *nitrata* tam *sitis* quàm *æstus* ratione imprimis conveniant, si in forma sicca in potu dissoluta usurpentur, sive *spiritus nitri simplex*, aut potiùs *dulcificatus* ad guttas 50. in mensura semis potionis assumatur: v. g.

℞. *Nitri antimoniati* ʒij.

Dissolvatur in mensura vel cerevisiæ vel potus ordinarii, ita ut ℥ß liceat dare die naturali, nisi liberior alvus obstiterit.

Quod si accidat, ut dato nitro non cum tanto ardore mittatur urina, & liberaliùs accidat mejere, bono animo esto, dicit LINDANUS. Spiritus nitri usurpatur in *Julepis*, item in *Potionibus*, quarum *formulas supra* dedi.

Vel præscribatur Decoctum quorundam alterans:

℞. *Rad. scorzoner.* ℥j.
Liquirit. ℥ß.
Fol. acetos. m. j.
Flor. violar.
Rosar. rubr.
Borrag. an. p. ij.
Hordei m. j vel ij.
Ras. Cor. Cerv. ʒj. ad ʒiß.
Passul. min. ʒj.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.*
Colaturæ ℔ ij adde
Spirit. nitr. vel *vitrioli* q. s. ad
aliqualem saporis gratiam.
M. D. S.
Potio refrigerans, & *alterans*.

De hoc æger subinde capiat in causo, imprimis cum phrenitide juncta.

In

In hoc passu bonum etiam est remedium *laudanum opiatum*, si tempestivè & prudenter exhibeatur, omnem caloris vim refrænabit.

CURA FEBRIS LIPYRIÆ

Ut plurimum periculosæ admodum propter *inflammationes erysipelaceas*, partes internas occupantes, instituitur per *diaphoretica*, tàm *absorbentia* quàm *volatilia alcalia penetrantia & discutientia*; quàm medendi rationem *infrà*, ubi *de inflammationibus*, in specie ubi *de Pleuritide*, habebimus.

Malignarum febrium curam infrà tractabimus.

Quoad

CURAM FEBRIUM COLLIQUATIVARUM.

In his ad *acre colliquefaciens* imprimis respiciendum, ut hoc corrigatur: Si enim hoc neglecto excretiones saltem, quæ tantùm sunt producta morbosa, respicere, hasque supprimere velimus, retentis iisdem mille malis mulctabitur æger. Ad acre autem illud temperandum, vix aliquid convenientius esse videtur, quàm *absorbentia*, v. g. antimonium diaphoreticum Martiale, terra sigillata, unicornu fossile, &c. Quæ eò videbuntur efficaciora, si sociatione blandorum *acidorum*, ut succi ribium, berberum, cerasorum, citri, cydoniorum, &c. aliqualem quasi austeritatem contraxerint: Hinc enim SYLVIUS spiritum salis dulcem *c.* 29. §. 92. laudat. Unde & in excretione nimia adstringentia, v. g. Tinctura hæmatitis, &c. manè & vesperi ad gutt. 16., vel liquor stypticus ad gutt. 20. adhiberi possunt. Forsan & camphora, quodvis *acre temperans*, hic locum habebit. Inter *Composita* Electuarium diascordii Fracastorii, juncto succo citro propinatum, præ aliis conducibile videtur.

CAPUT IV.

De

FEBRIBUS ACUTIS SYMPTOMATICIS.

SUfficiant hæc de *Febribus Ardentibus*, seu *continuis acutis*, usque *benignis*. Pergo ad *Febres acutas secundarias*, hoc est, quæ non propriam subsistentiam habent, sed à graviori alicujus partis affectu originem trahunt. Dicuntur alias etiam *Symptomaticæ*, per quandam similitudinem; quia

1. Ut symptoma morbum sequitur, ita & febres tales alium morbum.
2. Sicut remoto morbo removetur symptoma, ita & hæc febris.

Sunt equidem, qui *febres has in comitatas, & symptomaticas* strictiùs dictas, dividunt, ut SENNERTUS *de Febribus*: *illo nomine* eas indigitans, quæ *inflammationibus partium* junguntur; hoc cæteras.

Sed non opus est scrupulum in talibus facere. Sunt autem hæ ipsæ *secundariæ* nunc *acutæ*, idque crebrius, nunc *lentæ*, pro *affectum* quos sequuntur, & *partium affectarum conditionibus*: dum *illi* vel graviores vel leviores sunt; *hæ* verò, nempe *partes affectæ*, *vel* sensiliores, *vel* minus sensiles; *item vel* nobiliores, seu quæ magis cum sanguine & spiritibus commercium habent, *vel* ignobiliores.

Has ergo inter symptomaticas se offerunt illæ, quæ *vulnera quædam insigniora sequuntur*, (*Febres vulnerariæ*,) *ab acido in vulnere oborto*, *doloris*, *inflammationis*, & hinc etiam *febris* autore.

Præterea, quæ extrinsecùs vulneri conducibilia sunt, internè egregia *Mistura est in Casibus Chirurgicis polychresta*: v. g.

℞. *Aquæ hyssopi* ℥ij.
Fœnic. ℥j.
Spirit. theriac. ʒiij.
Acet. vini vel *simpl.* vel *destill.* ʒiij. ad ℥ß.
Lap. canc. fluv. ʒj.
Syrup. card. bened. ʒiij.
M. D. S.
Potio vulneraria dissolvens.

Vel in forma sicca:

℞. *Lap. canc. præp.* ℈j.
Extract. theriac. gr. iij.
M. D. S.
Pulvis dissolvens.

Quibus etiam pro partium affectarum ratione, vel symptomatum variorum syndrome, simul alia *appropriata* addi possunt.

II. *Febres, quæ adsunt inflammationibus* gravioribus, *occasione acidi* vitiosi sanguinem coagulantis, & ad stagnationem, indeque ortam *inflammationem* disponentis, ex vitiosa cum sale volatili effervescentia in sanguine utplurimùm causantur. *Febres* hæ *nunc* sunt *acutæ*, v. g. in *pleuritide*, *inflammatione hepatis*, *angina*, *erysipelate*; nunc *Lentæ*, ut in *inflammatione prope fundum mesenterii*, &c. *Curantur* hæ febres simul & eadem ratione, quâ *Inflammationes ipsæ*, *per Attenuantia*, *Acidum absorbentia*, *volatilia*, *alcalia*, *Diaphoretica* &c. *de quibus infra suo loco*, nempe, ubi *de inflammationibus*. Hac ratione etiam lactuca, endivia, serum lactis, sempervivum, & alia refrigerantia dicta, alcali volatili blando constantia, quæ phlogoses & incalescentias, ab effervescentia acidi ortas, corrigunt, & ita per accidens refrigerant.

III. Quæ *sanguinem* intra corporis cavitates, aut in ipsis solidis partibus, *effusum & coagulatum insequi solent*, & *ex acore*, *putredinalem corruptelam antecedente*, *oriuntur*. Conducunt *sanguinem congrumatum resolventia*, & *putredini resistentia*, qualia præter *misturam suprà laudatam* sunt Bellis minor, scabiosa, flores hyperici, chærefolium, papaver rhœas, antimonium diaphoreticum, non negligendo simul *potiones vulnerarias*.

IV. Pertinent huc *Febres* istæ, quæ in principio *paroxysmorum Arthriticorum* usque ad statum ferè observantur: de quibus vid. SYLVIUS *l.* 1. *Prax. cap.* 30. §. 36. 110. & 161.

Sed *de Febribus symptomaticis* videbitis in specie pluribus agentem SENNERTUM *l.* 2. *de Febribus cap.* 16. *p.* 202. *seqq.*

CAPUT. V.

DE

FEBRIBUS LENTIS.

JUxta febres continuas acutas biliosas observantur etiam febres *continuæ minus acutæ*, plùs minùs *lentæ*, ita dictæ, quod continuò quidem affligant ægros, sed tardiore motu sua absolvant tempora, hinc magis diuturnæ, minusque urgentibus stipatæ sint symptomatis, nec ardore adeò intenso seu vehementi molestæ, plus tamen minùs acri mordaci: idque nunc magis, nunc minus tales, prout variat ægri constitutio. *Illæ* magis propriè ita dictæ, Germanis *eine schmochende Hitze*, & à comite frequentiore, nempe contabescentia corporis, Germ. *Febris contabescens*, *ein schwind*, *suchtig Darr-fieber*, vocantur: Hæ verò *minùs lentæ*, & nonnihil ad *acutarum* naturam accedentes, graviora ferè symptomata juncta habent, adeòque breviùs tempora sua, absque tamen critico motu, successivâ saltem solutione percurrunt, quales *continuæ quotidianæ* in specie dictæ. Sunt enim *lentæ omnes benignæ*; *malignæ* autem *acutæ* esse solent, utut petechiales præ cæteris lentæ esse videantur. De febribus his apud Practicos pauca prostant. Interim à lympha imprimis continuò sanguini infusa oriri cum SYLVIO arbitror, quæ vitiata effervescentiam massæ sanguineæ præternaturalem infert, unde & à SYLVIO *cap.* 29. Lymphaticæ dicuntur: quas inter eminet imprimis Hectica febris, ex multis causis producta, de qua *inferiùs*.

Jam ex Physiologicis præsuppono: lympham, unde communissimè derivantur hæ febres, omnem esse duplicis naturæ; vel glandularum conglobatarum, quæ continuò massæ sanguineæ per venam axillarem iterum infunditur; vel glandularum conglomeratarum, quæ ductui thoracico, & consequenter & sanguini additur.

ARTICULUS I.

DE

FEBRIBUS LYMPHATICIS GLANDULARUM CONGLOBATARUM,

In specie

DE

FEBRIBUS CATARRHALIBUS.

PRæ cæteris considerabiles sunt *Febres Catarrhales*, Germ. *Fluss-Fieber*, quæ in principio & incremento catarrhorum, v. g. *coryzæ*, *tussis*, *raucedinis*, &c. subindè molestæ sunt, dum *lympha* glandularum, primariò quidem conglomeratarum, secundariò etiam conglobatarum, circa caput & pectus consitarum, quacunque ex causa (*de quo*, ubi *de Catarrhis*) *acrior* & *acidior* ac *salsior*, ac quasi *muriatica*, aliove modo vitiosa reddita, copiosius circa dicta loca effunditur, occasionem crebriùs suggerente *ambientis aeris inclementia*, aut *alio objecto externo* dictas partes irritante.

Talem *catarrhalem lymphæ motum* comitatur *febris ex alteratione sanguinis à lympha & irritatione spirituum influorum*, cùm *ardore*, *rodente* magis quàm magno, molestia, accedentibus simul hinc inde lassitudine, & lancinationibus corporis variis. Lassitudo itidem contundens & plùs minùs lancinans ex lympha derivanda venit, cùm lancinationes hæ in artubus non raræ sint, & sequantur ferè semper lymphæ vitiatæ in artubus activitatem, & hinc indè stagnationem: ac sanè *lymphæ constitutio ac motus plùs minùs naturalis*, præsertim glandularum plus minus conglobatarum, probè observandus venit pluribus *in febribus*, *tàm in intermittentibus*, *quàm* in *continuis*, cùm diversa symptomata, *lancinationes* in specie *artuum* sub paroxysmis subindè urgentes, haud aliundè quàm *à lymphæ vitio* oriri videantur, & tunc simul subindè subesse observatur scorbutus, & indè lymphæ præternaturalis alteratio.

Hæc ipsa lympha glandularum conglobatarum, ubi in glandulis colli ac cerebri acrior, id est, tàm salsior, quàm in specie acidior, facta fuerit, ibidemque effundatur, tunc subindè capitis dolorem gravativum cum subsequente coryza, raucedine, tussi (quæ omnes sunt vitia lymphæ à tali causa) similesque affectus infert, simulque imprimis inducit febres Catarrhales dictas, calore non tam vehementi & intenso, quàm mordicante & acri comitatas.

Videbitis *de Febre scorbutica*, ubi *de scorbuto* agitur.

CAUSÆ.

Certum enim est, quod omnes febres catarrhales, tàm cum quàm sine coryza aut tussi, semper sint ex lympha nimis acida. Febres hæ Catarrhales interdum sunt mitissimæ, circa vesperam autem ordinariò exacerbari solent; unde etiam tales febres sunt Febris continua periodica quotidiana Veterum, quam ipsam etiam FERNELIUS jam suo tempore sub lentæ febris nomine descripsit.

In his febribus lymphaticis lentis ac catarrhalibus, cum *capitis perturbatione & dolore gravativo* seu *gravedine*, subindè *levis horror* & facilè transiens, sed crebriùs repetens, molestus est, (*talibus est*, *ac si frigida perfundantur*,) isque imprimis interdum subindè repetit. *Pulsus* est *continuò frequens & celer*, vehementiâ & magnitudine *moderatus*, *sub exacerbatione* in dictis conditionibus *acutus*. *Urinæ* excernuntur *intensiùs tinctæ* ac rubentes, sed quæ uno alterove die elapso mox *crassescunt*, hinc *conturbantur* & flavescunt, videnturque *copiosum* admodum deponere *sedimentum*. Lassitudo gravis ac lancinans subindè occupat artus. His subindè conjunctus est *calor*, sive *ardor rodens* sive *acris*, circa vesperam ingravescens, ad mediam usque noctem ferè durans, interdum satis intensus, interdum paulò remissior: Post mediam noctem autem successivè denuò remittit, manèque ægri sunt debiles; durat tamen continuò lentus sed obscurus calor, qui omni vesperâ intendi, & insigniter subindè exacerbari solet. Lympha enim acidior virtosè in massa sanguinea effervescit, unde caloris intensio, non tamen semper adeò insignis, & quidem circa vesperam, quoniam tunc conniventibus nonnihil poris corporis, uberior lymphæ laticisque serosi impeditur transpiratio, hàc nempe circa vesperam ex aeris ob solem occidentem alteratione inductâ, & copia ejus & acrimonia augetur, aut textura seu constitutio ejus plùs minùs vitiatur, unde etiam febris tunc exacerbatio levis usque ad mediam noctem sentitur. Durant ista symptomata sub *coryza* & *tussi gravioribus* usque ad statum morbi, dum nempe *lympha* temperari & crassescere incipit, seu, ut vocant, *materia catarrhalis* cocta fieri, & spissior mucus emungi, & glutinosioris pituitæ expectoratio incipit; acrimonia enim lymphæ si correcta est, cessat etiam febris.

Quoad *Causas remotas febrium lentarum*, in specie catarrhalium: Illæ sunt, quæ ad affectus catarrhales disponunt. Interdum, sed rariùs, *febres hæ catarrhales*, ac ipsi catarrhi, interdum sunt lentæ *epidemicæ* seu communes, & in vulgus grassantes, *ab aeris communi impressione* natæ; *nunc*, idque frequentiùs, *benignæ*; nunc, & quidem rariùs, *malignæ*, & tunc *subindè acutæ*: quæ malignæ, uti per contagium suum lympham & corporis humores in specie afficiunt, ita hoc consequenter facilè ansam dat fermentationi sanguinis præternaturali, & sic se propagare, & insigniter exacerbari videntur, sc. pertinere huc videtur *morbus* ille *epidemicus*, cujus mentionem facit RIVERIUS *de Morbis Infrequ. Observ.* 9.

DIAGNOSIS.

Diagnosis febrium dictarum ex hactenus dictis symptomatis patet: cum quibus conf. SYLVIUS.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN: Febres hæ non multum in recessu habent, uti febres continuæ acutæ seu biliosæ dictæ: facilè curantur aut evanescunt, utut insigniter molestæ, interdum & vehementes sint.

Febres tamen catarrhales epidemicæ, & in specie malignæ, subindè non sunt sine periculo. Equidem extenduntur nonnunquam ad 14. dies noctesque; rarò tamen salutariter, sed convulsionibus supervenientibus ægri moriuntur: contra si non fuerint malignæ nec epidemicæ, leves sunt & facilè curantur.

CURA.

Quod attinet *methodum medendi*: Febris ista, quæ à lympha glandularum conglobatarum vitiata acri & acida oritur, adeoque Febres lentæ *catarrhales*, hæ in multis cum cura catarrhorum vulgarium conveniunt. In specie eò dirigenda est, ut lymphæ hujus corrigatur vitium, eaque per blanda sudorifera ac diaphoretica imminuatur; idque eò magis, si epidemicæ ac côtagiosæ: nã febres catarrhales epidemicæ non carent malignitate, uti ex debilitate virium, ex facili contagio, ex vigiliis, interdum levibus deliriis supervenientibus apparet: Ut ordine procedamus, curantur per ea, quæ

1. *Irritationem* partium solidarum affectarum, indeque natum *spirituum impetum* ac copiosiorem *lymphæ* effusionem sistunt.
2. *Lymphæ* præternaturalem acrimoniam temperant. Et
3. Quæ lympham temperatam per convenientes vias evacuant.

Pro priori scopo conveniunt imprimis Opiata; pro secundo autem *salia volatilia alcalia* aut *Marina absorbentia & temperantia*, & quæ vulgò *incrassantia* dicta, ut etiam appropriata contra catarrhos remedia, v. g. lignum sassafras, ejus Decoctum, & ex eodem parata remedia, essentia catarrhalis cum spiritu serpilli, succinum præparatum, oleum destillatum, & omnia succinata, flores sulphuris, antihecticum Poterii, aliaque antimonialia fixa. Myrrha similiter est elegans remedium; ejus enim aliquot grana sapore suo balsamico acorem lymphæ nimium temperant. Camphora quoque hic imprimis est usitata, quæ & blandâ diaphoresi vitia lymphæ imminuit; & similia. Præ cæteris tamen sal volat. cornu corvi, sal volat. succini, & ex his paratus liquor cornu cervi succinatus, item spiritus & sal volat. sanguinis humani, salis amm. anisatus, nisi æstus sit nimius, & similia Opiatis mista: v. g.

℞. *Aquæ salv.* vel *scabiof.*
Serpilli an. ℥j.
Spirit. salis amm. anis. vel *succin.* ʒj.
Syrupi diacod. Montani vel *pap. albi* ℥j. (vel loco hujus *laud. opiati* gr. ij.)
M. D. S.
Potio catarrhalis pro aliquot vicibus.

Ca-

Capiatur cochleatim ante exacerbationem vespertinam, & in hac ipsa, & excitetur blandus sudor.

℞. *Aquæ fœnic.*
Fl. papav. errat. ana ℥ß.
Liqu. cornu Cervi succin. ʒiß.
Ess. opii,
Maxill. lucii pisc. ana ʒß.
Syrupi fl. papav. errat. ℥ß. vel ʒvj. M. D. S.
Potio catarrhalis, cochleatim sumenda.

Capiatur singulis horis cochl. j. expectando sudorem vesperi & noctu, imminente tàm ingruente paroxysmo.

℞. *Aquæ serpilli* ℥j.
Liqu. Cornu Cervi succin. ʒj. vel loco hujus,
Spirit. Corn. Cervi essent. ʒß.
Laud. opiat. gr. ij.
Syrupi papav. albi ʒij. vel ʒiij.
M. pro *una vice*. S.
Potio sudorifera pro una vice.

Loco hujus Mixturæ:

℞. *Liqu. Cornu Cervi succin.* vel *spir. salis amm. anis.* vel *ess. succin.* ʒij.
Essent. opii ʒß.
M. S.
Essentia catarrhalis.

Dosis gutt. 30. 40. ad 50. aliquot horis ante exacerbationem, & iterum ingruente nocte.

Vel

℞. *Theriac. Andromachi* ʒj.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. vj.
Succin. gr. iij. vel iv.
M. f. *Bolus*. S.
Electuarium sudoriferum pro una vice.

℞. *Succin. præp.* ℈ß.
Myrrh. elect. gr. v.
Sal. volat. succini gr. iv.
Extracti croci gr. ij.
Laud. opiati gr. j.
Olei destillati succini gtt. j.
M. f. *Pulvis*. S.
Pulvis catarrhalis pro una vice.

Si fuerit *lympha nimis salsa*, ea, quæ edulcorant, sunt usurpanda: v. g. ex glycyrrhiza, ficubus, jujubis, hordeo, &c. item Emulsiones papaverinæ, opiata, & cum opio paratæ pilulæ de styrace, aliaque, quæ in tussi catarrhali allegata sunt.

Si loquela difficultas & raucedo urgeat:

℞. *Aqu. menthæ* ℥j.
Cinnam. ℥ß.
Spirit. sal. Ammoniaci anis. ʒj.
Laud. opiati gr. iij.
Syrupi de passul. vel *de liquirit.* ʒvj.
M. D. S.
Potio catarrhalis ad collum.
Capiatur cochleatim.

Urgente *tussi siccâ* adhuc in principio, pro lymphæ acrimonia temperanda, faucium & asperæ arteriæ dolorosa irritatione sistenda, & materia incrassanda:

℞. *Aqu. scabios.* ℥ij.
Asthmat. ʒvj.
Syrupi diacod. vel *papav. alb.* ℥j.
M. D. S.
Potio catarrhalis.

Capiatur cochlear j. tempore vespertino, cum Opiatis.

Vel ℞. *Aqu. scabiosæ* ℥iij.
Asthmat. ʒvj.
Spirit. salis amm. anis. ʒj.
Syrupi papav. alb.
Violar. ana ℥ß. vel ʒvj.
M. D. S.
Vt ante.

℞. *Aqu. serpilli,*
Card. ben. ana ℥j.
Spirit. theriacal. camphor.
Ess. lign. sassafr. ana ʒj.
Liqu. Cornu Cervi succin. ʒj.
Syrupi papav. albi ℥ß.
M. D. S.
Vt ante.

Pro faucium, pharyngis & laryngis levi excoriatione conveniunt Loch passulatum, syrupus diacordion Montani, violatum &c. cum baculo liquiritiæ.

Hæc Cura cum Decocto ligni sassafras tamdiù continuetur, donec perfectè sistatur febris.

Suffiaminatâ sic febre, & impetu spirituum ac lymphæ sedato, si opus fuerit, blanda laxatio institui potest, v. g. ex Mass. Pilul. de ammon. Quercetani, aut Mass. Pilul. de succino Cratonis, acuatis cum Mercurio dulci.

Vel

℞. *Mass. Pilul. de succin. Cratonis* ℈j.
Sal. volat. succini gr. vj.
Res. jalap. gr. iij.
Extracti trochisc. alhand. gr. j.
Olei destillati succini gutt. ij.
Cum essent. ligni sassafras. f. pilulæ.
D. S.
Pilulæ catarrhales & cephalicæ.

Quibus factis, reliquiæ jam *incrassatæ Expectorantibus, Incidentibus* ac similibus sunt *evacuandæ*: e. g.

℞. *Aquæ hyssopi* ℥ij.
Asthmat. ℥ß.
Spirit. Vitrioli, vel *asthmat.* vel, quod melius, *Gummi Ammoniaci depur.* ʒj.
Syrupi Nicot. ℥ß. vel ʒvj.
Emet. Angeli Salæ (ut fauces & præcordia melius stimulentur) ʒj.
M. D. S.
Potio pectus & catarrhos resolvens.

Loco hujus mixturæ succus raphani expressus, cum pauco sacchoro temperatus, egregiè incidit mucum.

Lympha correcta evacuatur, aut universaliter per Diaphoretica & Diuretica; aut particulariter per nares & os, atque hoc saltem in statu, cessante febre, & coctâ materiâ. Ubi ergo diuresis magis intenditur:

℞. *Liqu. Terræ fol. Tartari* ℥ß.
Dosis 40. vel 50. guttulæ bis in die.

Hactenus dicta ut pateant, exemplis declarabo.

Ante aliquot annos grassabatur hîc Catarrhus epidemicus tempore vernali circa Festum Pentecostes, isque malignus & insigniter contagiosus, ita, ut vix esset domus, in qua non aliquot ægrotarent: symptomata erant tussis admodum gravis cum copioso sputo, coryza contumacissima, cephalalgia, dolores dorsi & artuum, mox ingens virium prostratio citra manifestam causam: quibusdam superveniebat hæmorrhagia narium; quibusdam diarrhœa serosa. Cura, quæ tunc temporis instituebatur, optimè fiebat per sudorifera. E. g. mox in principio vocatus præscripsi:

℞. *Aqu. fl. sambuci,*
Card. bened. ana ʒvi. ad ℥j.
Spirit. Cornu Cervi rectif. & sale volat. probè acuat. ʒß.
Salis volat. succini gr. xii.
Laud. opiati gr. ß vel ij.
Syrupi fl. papav. errat. ʒß.
Mista pro *Potione sudorifera pro 1. dosi.*

Capiebat æger, & expectabat sudorem, qui semper cum levamine fluebat.

Item

℞. *Aqu. menthæ* ℥j.
Spirit. salis amm. anis. (quibusdam *liqu. Cornu Cervi succin.*) ʒj.
Laud. opiati ferment. gr. iß.
Syrupi card. bened. unc. ß.
Miscebantur pro *haustu*.

Hæ ipsæ potiones repetebantur, expectando desuper sudorem.

Interdum conveniebat sequens pulvis:

℞. *Succini catarrhalis* gr. xv.
Specif. cephal. ℈ß.
Bez. solaris gr. iv.
Miscebantur pro *dosi*.

Pro compescenda tussi, incidenda materia crassa, & adjuvanda excretione, præscribebam potum ex gummi ammoniaco cum aceto scyllitico soluto, oxymelle scyllitico, & syrupis appropriatis incidentibus & expectorantibus, cum aquis pectoralibus, & spiritu salis dulci; quales *suprà*, ubi *de Tussi*, dedi. Pro *coryza & capitis affectibus* optimè conveniebat Inunctio verticis cum oleo succini, aut applicabatur *emplastrum* cephalicum ex *emplastri de betonica & emplastro de bregmate* ana partibus æqualibus, cum *oleo succini* malaxatum.

Quibusdam *affectus catarrhalis*, in specie *artus*, cum dolo-

dolore lancinante; vago aut quem *patiebatur in artubus*. affligebat: id quod præsertim senibus erat familiare: tunc sufficiebant sudorifera opiatis mista. Pro reliquiis ergò morbi expellendis, pro artuum debilitate & eorundem dolore, conveniebat hæc Mixtura, quæ ut plurimum morbum curabat, præmissis modò dictis. Mixtura erat hæc:

℞. *Aqu. lil. convall.*
Serpilli ana ℥iß.
Essent. ligni sassafr. ʒiij.
Spirit. cornu cervi rectif. ʒj.
Cornu Cervi usti præp. ʒß.
Sal. volat. Cornu Cervi ℈j.
Succini ℈ß.
Laud. opiati gr. iij.
Syrupi beton. ʒvj. ad ℥j.

Miscebatur pro *Potione*.

Capiebat æger duo cochlearia pro lubitu omni horâ, blandum expectando sudorem. Vel

℞. *Aqu. menthæ*
Card. Cervi,
Antiscorbut. ana ℥ij.
Asthmat. Rudolphi (est spirit. comp.) ℥j.
Ess. ligni sassafr.
Spirit. lumbric. terrestr. per putref. (propter dolores vagos) ana ʒij.
Specif. cephal. ʒj.
Sal. volat. succini ʒß.
Syrupi fl. tunicæ ℥iß.

Miscebantur pro aliquot dosibus in formam Potionis: de qua capiebat quater in die 3. vel 4. cochlearia.

Anno 1669. & 1675. cùm grassaretur hic mediâ æstate *febris catarrhalis epidemica*, non tamen maligna, ex lymphæ vitio oborta, cum vagis *artuum & dorsi doloribus, tussi gravi, cephalalgiis, diarrhœis, hæmorrhagia narium, coryza* imprimis, & similibus lymphaticis affectibus, cum calore lento circa vesperam exacerbato, utile fuit ante omnia præmittere hanc Misturam, expectando *sudorem* blandum:

℞. *Aqu. card. bened.* vel *serpilli,*
Fl. sambuci ana ʒvi. vel ℥j.
Spirit. Cornu Cervi essentif. i. e. cum sale volat. propr. acuat. ʒß.
Salis volat. succini ℈ß. vel gr. xii. ad xv. (vel *liqu. Cornu Cervi succinati* loco spirit. Cornu Cervi & salis succini, ʒß.)
Laud. opiati gr. j. ad ij.
Syrup. fl. papav. errat. ʒß.
M. f. *Potio* pro *una dosi*.
D. S.
Potio sudorifera pro una vice.

Hæc subindè repetita profligavit malum, corrigendo lympham, & correctam per sudorem evacuando.

Vel hujus loco:

℞. *Aqu. fl. acaciæ* ℥j.
Liqu. Cornu Cervi succin. ʒß. ad ʒj.
Syrupi diacod. Montani ʒvj. ad ℥j.
M. D. S.
Capiatur pro dosi sudorifera.

Item profuit hic *Pulvis*:

℞. *Succini præp.* gr. ij.
Specif. cephal. gr. viij.
Bezoard. solar. gr. iv.
Laud. opiati gr. ij.
M. D. S.
Pulvis ad quietem.

Vel ℞. *Succini præp.* ʒß.
Specif. cephal. ʒß. vel ℥j.
Laud. op. gr. ij. vel iij.

M. pro 2. *dosibus*, manè & vesperi assumendis. S. *Pulvis vespertinus*.

Pro Tussi duo tempora consideranda erant:

1. Scilicet dum ea adhuc sicca erat.
2. Quando humida evaserat.

Ubi ratione prioris, seu in principio & incremento morbi talia adhibebantur, quæ lymphæ acrimoniam temperant, &, ut vocant vulgò, materiam tenuem incrassant, irritationemque sistunt: in progressu verò & statu, *tussi* nempe *humida*, in qua copiosa viscida rejiciebantur, conducebat *Potio*, incidens, viscidum mucum attenuans, illumque *expectorans*, ex aqua asthmatica, oxymelle squillitico; &c. qualia *jam & superius de tussi pectorali* dixi.

Ubi verò morbo aucto spissior mucus nares obsesserat, tunc fuit optimum olei destillatum anisi naribus illitum, quod quidem mordicat, egregiè tamen cum euphoriâ mucum resolvit. Loco cujus etiam crebrior salium & spirituum urinosorum odoratus, e. g. spiritus salis ammoniaci simplicis & anisati, salis volat. urinæ, Cornu Cervi, tempore præprimis vespertino repetitus, mucum resolvendo à Coryza liberavit. Quibus non sufficientibus ultimum præsidium extitit:

℞. *Pulv. helleb. nigri,*
Sacch. alb. ana part. æqu.

Cum aliquot guttulis *olei destillati caryophyllorum*, misc.; quem pulverem naribus injiciebant.

Cùm autem sub *coryza dolor capitis* invalesceret, optimum fuit oleum destillatum succini vertici illitum, vel quibus id nimis acre videbatur, ejus loco itidem Balsamum Peruvianum illitum satisfaciebat: item emplastrum ex *cerati pro bregmate usitati*, & *emplastri de betonica* ana, malaxatis cum *oleo succini*, vertici imponebatur.

Cùm etiam suspicio esset, ex tussi ferina præcordiis successivè læsionem fuisse inductam, tunc pro auferenda noxa illata, in declinatione morbi præscripsi Balsamum sulphuris terebinthinatum vel anisatum, vel utrumque simul, de quo quotidie manè in vehiculo calido guttas x. vel xii. recipiendas jussi; sic enim ejusdem balsami vi læsio partium curata est.

Pro *artuum affectibus*, *eorumque debilitate* curandis, imprimis ubi *dolores* seu *lancinationes artuum* aderant.

℞. *Aqu. fœniculi,*
Menthæ,
Papav. errat. ana ℥j.
Asthmat. Rudolphi ʒiij. ad ʒvj.
Spirit. lumbric. terrestr. per putref. ʒiß.
Specif. cephal. ʒß.
Syrup. fl. tunicæ ʒß. vel ʒvj.

M. pro *aliquot dosibus*, aliquoties in die capiendis.

Externa simul adhibenda habebitis *infrà*, ubi *de cura dolorum*.

Nobilis quidam juvenis laborabat difficili respiratione cum tussi gravissima & frequentissima, rejiciebat copiosissima viscidissima, flavescentia &c., subinde cruore permista; accedebat febris intensa, cum summo æstu, omni vesperâ circa horam quintam vel sextam recurrens, usque post 10. noctis durans, quo tempore successivè remittebat: inchohobant hæ exacerbationes successivè sine ullo frigoris aut horroris vestigio, & quamdiù affligebant, continuis sudoribus diffluebat. Symptomata hæc omnia intra bidui spatium contraxerat, erat scorbuticus, indeque copiosa salia scorbutica maculæ partibus adhærebant: tussis erat reverà pectoralis ex pulmonibus oriunda; quando tantillum non exactè calidum biberet, mox tussiebat, si pectus parum denudaret, tussis itidem urgebat, quò largiùs sudabat, eò minus sordium expectorabat: Febris erat catarrhalis essentialis occasione acidi scorbutici nata, cujus beneficio despumata quasi massa sanguinea sordes heterogeneas intrà pulmones deponebat. Nempè quadrat huc assertum *Plateri lib. 2. Observationum pag. 273. Catarrhus & tussis vehementissima in declinatione febrium evanire solet, præsertim versus hyemem in corporibus cacochymicis, in quibus non licuit propter febrem acutam sufficienter purgare*. Occasio externa erant exercitia varia corporis, quotidie cum summo conatu peracta, sudore, qui tali occasione largissimus stillabat, nùc repressο nùc retropulso. Metuebã phthisin pulmonalem in subjecto nonnihil macilento, aliàs cholerico scorbutico, propter acidum volatile acerrimum pulmonibus inimicissimum.

Pro Cura

℞. *Arcan. dupl.* ℈ß.
Maxill. lucii pisc.
Antimonii diaphor. ana gr. vj.
M. f. *Pulvis*.

Item

℞. *Spirit. salis amm. anis.* ʒij.
Tinctura Tartari compos. ʒß.
Misc.

Capiebat 40. gutt. bis in die.

Item pro æstu vespertino:

℞. *Maxill. lucii pisc.*
Arcan. dupl. ana gr. xv.
Misc.

Sed

Sed cùm nihilominus omnia exasperarentur:

℞. *Aqu. flor. papav. rhœad.* ℥iij.
Spirit. salis amm. anis. ʒj.
Maxill. lucii pisc. ʒß.
Fl. sulphuris gr. xv.
Syrupi violar. ʒvj.
Misc. pro Potione.

Capiebat cochleatim: sed cum pauco successu, febre vespertinâ cum dictis symptomatis quotidiè exacerbatâ. Hunc

℞. *Aqu. papav. errat.*
Hyssopi ana ℥iß.
Maxill. lucii pisc. ℈ij.
Antihect. Poterii ℈j.
Sal. vol. maxill. luc. pisc. gr. ix.
Essent. opii ʒß.
Syrupi violar. ʒß.
Misc.

Potiones has à meridie appetente vesperâ, adeòque ante paroxysmum, ut & unà in paroxysmo, successivè capiebat, manè Elixyr proprietatis sine acido ferè recipiendo. Assumpsit etiam hanc posteriorem mixturam, sed nimis confertim: undè cùm debilis esset, & aliquot noctes propter tussis violentiam penitùs non dormivisset, in talem somnolentiam delapsus est, cum tanta virium enervatione, ut vix loqui posset: propterea hujus loco antecedens ista Mixtura repetita & usurpata fuit, utut morbo in eadem ferè atrocia pergente. Quò ergo febris vespertinum impetum infringerem:

℞. *Aqu. flor. papav. errat.* ℥ij.
Acac. ℥j.
Maxill. lucii pisc.
Corall. rub. præp.
Antihect. Poterii ana gr. xv.
Syrupi violar. ʒß.
Misc.

Sed eodem modo nihilominùs ferociebat febris, tussi tamen & screatu paulatim remittentibus:
Undè

℞. *Amygd. dulc. ambr.* ℥iij.
Sem. melon. ʒß.
Cum s. q. *aqu. flor. papav. errat.* f. *Emulsio*
adde
Maxill. lucii pisc. ʒß.
Antihect. Poterii ℈j.
Misc.
Edulcorabatur pauco *sacchare*.

Egregiè profuit, unde & eâdem vesperâ repetita, & sequentibus diebus continuata fuit, vi temperativâ & acris acido-salsi mitigativâ, hujus remedii ope omni æstu febrili penitùs evanescente: nempe, uti in febribus acutis, ardentibus, ac similibus malè ejusmodi Emulsiones usurpantur, cùm vel nihil prosint, vel oleositate suâ temperante, & particulas volatiles acriores effervescentes quasi invíscante, ex acutis lentas facere queant; ita, ubi acrimonia salsa, acido-salsa, muriatica, præsertim lymphatico in subjecto peccat, & hinc partem solidam rodendo plùs minùs afficiat, optimè prosunt tales Emulsiones. Subjugato sic maximam partem morbo pro purificando sanguine, alteranda lympha acriori, & in specie restituendis pulmonibus plùs minùs læsis, adeòque pro præcavenda phthisi, ad imitionem WILLISII

℞. *Rasur. santali rub.* ℥j.
Lign. sassafr. ʒß.
Macera per 12. horas in *Aqua comm.* ℔. vij.
Coqu. ad consumpt. ℔iß. hinc adde
Herb. heder. terrestr.
Com. hyperic. flor.
Herb. veron. ana M. ij.
Rad. liquirit. ʒß.
Sem. fœnic. ʒj.
Passul. min. conquass. ℥iij.
Coqu. ad remanent. ℔. iv.
Colatura D. S.
Potio sanguinem mundificans.

De hoc omni mane plenum haustum calidè bibit; item sub introitu lecti pariter; dum interea vespere horâ quartâ vel quintâ ob febrilia vestigia caperet:

℞. *Aqu. fl. papav. errat.* ℥iij.
Asthmat. ʒß.
Maxill. lucii pisc. ℈j.
Antihect. Poterii ℈ß.
Syrupi papav. albi ℥ij.
Misc.

Item

℞. *Maxillar. lucii pisc.* gr. xv.
Antihect. Poterii ℈ß.
Misc.

Quibus & similibus pulveribus à meridie, adhuc per aliquot septimanas continuatis, simul cum isto decocto eâdem ratione crebriùs repetito, perfectè denuò convaluit.

Et hæ sunt Febres lentæ catarrhales ex lympha acida conglobatarum glandularum, affectum catarrhalem conjunctum habentes.

ARTICULUS II.
DE
FEBRIBUS LYMPHATICIS GLANDULARUM CONGLOMERATARUM.

PRæter hactenus dictas observantur quoque Febres *lymphaticæ vitio lymphæ glandularum conglomeratarum*, quæ in certam cavitatem suum effundunt succum: inter quas eminent parotides & pancreas, quæ similem ferè lympham in os & intestina, consequenter quoque in massam sanguineam evomunt. Peccat hæc ipsa lympha, imprimis quando est plùs minus viscida, ac sæpiùs salsior & acrior, aliovè simili modo vitiata; tunc enim saliva viscida ac salsior blandam quidem continuam febrim, lentam tamen, calore non ita forti molestam, infert.

Febres hæ lentæ nunc sunt *primariæ*, nunc *secundariæ*: Illæ, quæ per se incipiunt, & nullum alium morbum sequuntur: *Hæ* verò, quæ ex alio fiunt morbo, sive ab alio, tanquam à sua causa, immediatè dependent; v. g. vulgò corruptionem partis cujusdam internæ sequuntur; sive ab alio morbo malè tractato per illius degenerationem fiant, adeòque tunc tanquam *primariæ* per se subsistant: quales sunt, quæ *continuas acutas*, item *intermittentes* malè curatas sequuntur, suntque *omnes febres lentæ* ferè *periodicæ*, h. e. quæ suis plus minùs periodis certis exacerbari solent: idque *vel* (frequentiùs quidem) vespertino tempore, sicque *quotidianæ* typum repræsentant; *vel* ab omni pastu, tuncque ad *hecticas* febres revocantur. De his singulatim.

MEMBRUM I.
DE
FEBRIBUS LENTIS PRIMARIIS.

QUoad Febres *lentas primarias*. *Horrore* levi, sed diuturno ferè, ægros apprehendunt, insequente quidem *calore* continuo, sed non adeò intenso seu vehementi, prout in acutis; utut subindè in extremis mordaci plùs minùs acri, interdiù tolerabili seu mediocri, sed qui vesperi intenditur, & usque post medium noctis graviter urit, & absque sensibili quasi excretione solvitur. *Appetitus* est prostratus, alimentorum assumptorum insequitur dolor gravativus stomachi, hujus & intestinorum inflatio ac distensio, adest simul interdum quidam torpor ac somnolentia. Febres hæ circa vesperam, interdum post cœnam demum, exasperantur cum pulsu frequentiore, non tamen adeò magno, propter lympham sanguinis fermentationem depravantem, per noctem ferè durant ad meridiem sequentis diei, & tunc solent cessare; interdiù tamen mitiùs affligunt. Salivæ huic hoc modo vitiatæ si junctus fuerit succus pancreaticus viscidus aut salsus, aut alio modo vitiosus factus, simul adesse solet anxietas circa præcordia, interdum tormina obscura, & lancinationes ventris. *Pulsus* est continuò celer, frequens, magnitudine & vehementiâ moderatus, ad parvitatem tamen & debilitatem declinans. *Sitis* in his febribus interdum satis urget, & in specie ubi saliva peccat, os est glutinosum; quia fauces & lingua lentâ materiâ subinde sunt obducta. *Urinæ* sunt crassæ, intensiùs tinctæ, quæ facilè turbantur, & subinde multum crassamenti seponunt. Adest simul *lassitudo* totius quasi contundens, cum *lancinationibus artuum* subinde juncta; interdum etiam *cephalalgia* tensiva & gravativa molesta es-

se

se solet. Omnia hæc symptomata sunt intensiora, ubi acrimonia salina, aut vitioso sapore simpliciter saliva & succus pancreaticus peccant; sin verò viscidutas simul præternaturalis adfuerit, mitiora quidem, sed diuturna magis, erunt eadem.

Pluribus ad *acutarum* naturam accedere hujusmodi febres *lentas*, non solùm ex hactenus facta relatione patet; sed in specie, quod *acutæ continua*, & etiam *intermittentes*, in *lentas*, tàm has quàm alias, facillimè degenerent; quin & in *hecticas* transeant. Nempè *acutæ illæ* ex concitatiore fermentationis febrilis impetu occasione acrioris & volatilioris acidi in sanguine acriore (cæteris hinc inde derivatis humoribus, & ipsis acrioribus existentibus) originem ducunt: *lentæ* è contrà ex remissiore illo impetu ab acido minùs acri, aut in subjecto seu vehiculo viscidiore ac glutinosiore hærente, ipsis corporis humoribus cæteris temperatioribus plùs minùs ac glutinosioribus, vel naturaliter vel præternaturaliter, existentibus.

Observandum enim est probè axioma: chronicos contumaces, diuturnos, ac *lentos morbos ex viscida, glutinosa, tenaci materia*, vel tanquam proxima occasionali causâ, vel tanquam fomite dependere; *acutos* verò, & cum corporis perturbatione junctos, ab *acriore causa occasionali materiali* originem ducere.

CAUSÆ.

Origo ergo *lentarum harum febrium primariarum* est imprimis *in stomacho*, vel ex *vitio & defectu digestionis primæ*, dum ex hebetato aut alterato plùs minùs fermento stomachali (undecunque id vitii ortum fuerit) & bile quoque mitiori minusque acri chylus minùs volatilis, sed viscidus, vitioso tamen, aut acido aut salso acri sapore inquinatus, massæ sanguineæ instillatur: quo ipso successivè fomes febrilis talis congeritur, cujus occasione tandem fermentatio & commotio sanguinis febrilis supervenit, (unde à sanguine pituitoso, seu à pituita acida, oriri continuas quotidianas asseruere Veteres,) salubriter cessans, dum illo fermentationis motu depurat se massa sanguinea, & quicquid heterogenei permixtum fuerit, coxerit & præcipitaverit, ut cum urina vel successivis sudoribus eliminari queat. Cum verò chylus talis juxta sanguinem etiam lympham totiùs corporis vitiare & insigniter alterare soleat, utpote in quâ lymphâ naturaliter gelatina lactea seu chylosa deprehendi solet &c., sanè talis plùs minùs alteratio, ac debitis usibus exsequendis hinc necessaria ineptitudo lymphæ, fovere tales febres, & ita caloris nonnihil auctioris, pulsus ex irritatione cordis frequentioris, propter sanguinem verò pituitosum, hinc imminutam & depravatam ejus fermentationem parvi & debilis, ac reliquorum in eadem symptomatum originem esse, probabile admodum videtur, sive per se & primariò oriantur, sive alios demum affectus consequantur: adeòque revocanda huc veniunt ea, quæ *de Febribus lymphaticis* disserit eruditè SYLVIUS *lib. 1. cap. 29.* Sanè *exacerbatio Vespertina*, & *calor* circa id tempus ibidem gravior, *ex lympha alteratione* illa primariò oriri videtur, cùm quilibet a lympha orti affectus circa vesperam & appetente nocte ferè magis intendi soleant, ut in febribus catarrhalibus, simpliciter ex lymphæ vitio natis, manifestum est, cujus exacerbationis ratio intricata huc revocanda, quam *supra de Febribus catarrhalibus* dedi.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Febres hæ lymphaticæ ex vitio glandularum conglomeratarum, in specie salivæ & succi pancreatici pendentes, seu febris continua quotidiana, quò magis vel minùs lentæ fuerint, eò diuturniores vel minùs diuturniores esse solent difficiles tamen ferè curatu, nec semper omni periculo vacant.

Quò pejora etiam habent symptomata, eò periculosiores esse solent.

Paroxysmi vespertini si sint *longi*, cùm interdùm ad 16. horas extendantur, *vires* sint *debiles* & *appetitus prostratus*, ingens periculum subest.

Salubris *hac febris*, nisi cautè & probè tractetur, nunc in *cachexiam*, si nempè *acuta* magis nonnihil fuerit; nunc in *hecticam*, cum qua magnam affinitatem habet, si *lenta* magis extiterit; terminari solet.

CURA.

In *Cura Febrium lentarum vitiò lymphæ glandularum conglomeratarum*, in specie *salivæ & succi pancreatici*, quando hi nimis salsi aut viscidi existunt:

1. Rectificetur quasi *stomachus*, ejusque *digestio* restituatur.
2. *Viscìditas*, ac *acrimonia salsa* lymphæ corrigenda.
3. *Lympha correcta*, ac *cruditas pituitosa* blandè evacuanda.
4. *Symptomata* mitiganda.

Pro his scopis consequendis:

I. Tam in principio, quàm in incremento hujus febris *mitius Vomitorium* optimè locum invenit, imprimis si anxietates præcordiorum adsint, & vires simul constent; aut Evacuantia per alvum mitiora: E. g.

℞. *Tartari emet.* Myns. gr. ij. vel iij.
Salis ammoniaci depur. gr. viiß.
M. f. Pulvis S.
Pulvis emeticus pro una vice.

Per inferiora:

℞. *Mass. Pilul. de tribus Ruffi* gr. xv.
Aur. fulm. gr. iij.
Scammon. præp.
Troch. alhand. ana gr. j.
Cum *Tinct. Tartari compos.* f. Pilulæ: S.
Pilulæ purgantes.

II. *Diuretica*, quia simul sunt *Alterantia*, optimo cum successu applicari possunt. Nempè, ut loquuntur *Practici*, præmissis præmittendis, fundunt atque attenuant sanguinem, & ita restaurant plùs minùs naturalem ejus fermentationem, simulque crassa crudaque excrementa, si quæ circa primas vias aut aliis in locis restiterint, dissolvendo abstergunt, & remotioni aptiora reddunt.

Remedia itaque quæ corrigunt, resolvendo & attenuando viscida, & temperant salsa, sunt imprimis spir. salis dulcis, valdè egregius in tali casu, etiam in hectica; spir. nitri dulcis; item salis amm. nitrum antimoniatum, salis Tartari essentiale, arcanum duplicatum Mynsichtii, tartarus vitriolatus Tachenii, terra foliata tartari, ejusque liquor ad 40. vel 50. guttas bis in die semper bihorio ante pastum assumptus, tinctura tartari acerrima & composita, essentia myrrhæ tartarisata, spir. carminativus de tribus, & spirit. salis amm. anisatus; cum quibus antihecticum Poterii commodè misceri potest. Hinc præmisso vel blando vomitorio vel laxativo;

℞. *Sal. amm. puri* vel *depur.* ℈j. ad ʒß.
Antihect. Poterii ℈ß. vel gr. xv. aut xvi. ad ℈j.
M. f. *Pulvis pro una aut duplici dosi.* S.
Resolvens pulvis stomachalis.

Quarum una manè, altera vesperi propinetur, præsertim ante exacerbationem.

℞. *Salis amm. depur.* ℈j.
Galang.
Zingib. ana gr. viii.
M. f. *pulvis.*
Div. in 2. partes æquales: S.
Ut ante.

℞. *Arcan. dupl.* ʒß. ad ℈ij.
Antimonii diaph. ℈j.
M. f. *pulvis.*
Div. in 2. part. æqu. S.
Resolvens pulvis febrilis.

Una dosis sumatur ante prandium, altera à meridie horâ 4.

Sic quoque *nitri antimoniati* & *salis amm.* ana conducunt etiam insigniter.

Item hæc Mixtura egregiè profuit:

℞. *Aquæ menth.* vel *card. bened.*
Fœnic. vel *hyssopi* ana ℥iß.
Spirit. theriacal. simpl. vel *compos.* ℥iß. ad ℥iii.
Salis dulc. ℈j. ʒß. vel ʒj.
Antihect. Poterii ℈j.
Syrupi de hyssopo ʒß. ʒvj. ad ℥j.
M. pro 2. *dosibus*,
aut subinde cochleatim hauritur pro lubitu.
D. S.
Potio febris & stomachalis resolvens.

Pro

Pro muco viscido, fauces & linguam incrustante, resolvendo & excernendo convenit cerevisia secundaria cum tantillo mellis rosati; vel aqua, acetum & nitrum depuratum; vel infusum florum malvæ arboreæ in aqua communi, acidulato cum pauco spir. sulphuris vel salis, addito modico syrupi appropriati, &c.

Ut res clarior fiat, exemplum Quotidianæ *continuæ* minùs lentæ, sed ad *acutas* nonnihil accedentis, narrabo.

Virgo annorum 18. & cui difficulter fluere solebant menses, negotiis domesticis adsueta, nec adeò ordinatâ utens diætâ, conqueritur de *artuum lassitudine spontanea* quasi *contundente*, cum *cephalalgia intensa*, & siti pedetentim aucta. His ita aliquot dies consistentibus, corripitur aliquando à meridie *horrore mediocri* per aliquot horas, quem insequitur nox gravis cum æstu mediocriter *intenso*, *cephalalgia gravissima*, *angustiis præcordiorum gravativis*, *sine somno*: manè meliùs habet, cephalalgia tolerabilis, calor præternaturalis quidem, sed moderatus, ut & reliqua symptomata: sed à meridie, appetente vesperâ omnia sensim exacerbantur. Nox insequitur iisdem symptomatis, ac antecedens gravis contingit; sequenti tamen manè omnia demùm remissa & mediocria, continuò tamen eadem urgent symptomata, quæ saltem vespertino & nocturno tempore exacerbantur. A meridie vocatus præter hactenùs enumerata offendi ægram viribus adhuc constantem, de *cephalalgia & lassitudine*, præsertim *artuum*, conquerentem: *calor* deprehendebatur *mediocris*, naturali tamen longè intensior, isque *continuus*, non adeò act is vel mordax, qui vesperi saltem intendebatur, & per noctis medium graviùs urgebat: *Pulsus erat celer*, *frequens*, magnitudine & vehementiâ *moderatus*, *ad parvitatem* declinans; *appetitus nullus*, *sitis intensa*; potum cerevisiæ consuetæ horrebat, aquam appetebat: *urina erat turbida*, *crassa*, *intensiùs nonnihil tincta*, *fauces & lingua* salivâ viscidâ molestatæ. Præmissâ *venæsectione*, partim, ut adstantium postulatis satis fieret, partim, quia menses non benè fluxerant, per aliquot dies noctesque varia tentabam: dedi ei mixturas alexipharmacas ex antimonio diaphoretico & spiritu nitri dulci, imperando sudorem: sed frustra omnia. Tandem interim cum morbus in eodem statu maneret, & tutus essem à latente malignitate, *cruditatum pituitosarum* in primis viis delitescentium suspicione commotus, præscripsi vomitorium sequens:

℞. *Aqu. menthæ* ℥ß.
Syrup. emet. Sale ʒiij.
Misc.

Cepit manè, sed sine vomitu: aliquot secessus admodum torminosos habuit, sed cum tanto levamine, ut paroxysmus mitis fuerit, ac cephalalgia & æstus penitus evanuerint, nec redierint. Hinc præbui lympham corrigentia, abstergendo primò primas vias, & resolvendo earum cruditates acidas:

℞. *Salis ammoniaci* ℈.j. vel j.
Dedi pro 2. dosibus manè & vesperi.

Porrò
℞. *Salis amm.* ℈j.
Arcan. dupl. ℈ß.
Miscebantur pro una dosi, ante consuetum exacerbationis tempus assumenda.

Item

℞. *Salis amm. depur.*
Arcan. dupl. ana ℈j. ad ℥ß.
M. pro 2. dosibus.

Quibus ipsis cùm esset motus febrilis sedatus, in fine morbi pro lympha adhuc meliùs corrigenda:
℞. *Spirit. salis amm.* ℥ß.
Dosis 30. gutt. bis in die, qui continuato usu curam absolvit.

MEMBRUM II.

DE

FEBRE EPIALA.

AD has *lentas febres* pertinet & ista, quam veteres GALENI sectatores *Epialam* vocarût, *in qua ægri simul calent & frigent*, vel, ut alii, *in qua interiora algent*, *& exteriora frigent*. Hanc cum *Quotidianis* coincidere, & ex *cruditate pituitosa primarum viarum* oriri putat BALLONIUS *in Bonetti Phar. Med. pag.* 203. Sed meritò fictitiam his modis definitam Epialam Galenicorum asserit LINDANUS, qui hoc nomine nihil aliud, quàm *febrim* mollem seu continuam, homotonon, cum calore leni humido ac molli, intelligit: Id quod & appellationis ratio insinuat, de quo vid. PIENS *de Febribus Part.* 2. *pag.* 91. Quod si unquam talis observetur febris, in qua calor & febris coincidant, placet præ aliis PLATERI assertio: *Epialam* non constituere febris peculiarem speciem, sed esse symptoma vel intermittentium copulatarum, cùm horror alterius febris supervenit calori alterius, antequam dissolvatur, quod *per subintrantiam* vocant; vel intermittentium cum continuis junctarum, cùm calori continuo misceatur horror intermittentium: vid. PIENS *c. l.* Simile quid interdum apud puerperas, aliosvè ægros *purpurâ* affectos, videre est apud nos, in quibus ante purpuræ eruptionem urgente licet æstu, tamen si tantillam partem quandam extra lectum proferant, mox horroris sensum in corporis peripheria, interdum in ipsis quoque lecti integumentis percipiunt, dum scilicet acriores particulæ salinæ sub corporis communibus involucris delitescentes, & jamjam excernendæ, vellicatione suâ talem horroris sensum circa panniculum carnosum inferunt.

PROGNOSIS.

Epiala lenis est *absque periculo*, sed *diuturna* aut periculosa; quia facilè in *hecticam* transire potest.

CURA.

Epialæ specialis *cura* ex ejusdem origine aut generatione facilè haberi potest.

MEMBRUM III.

DE

FEBRIBUS SYNCOPALIBUS.

AD Febres lentas referuntur etiam à quibusdam *Febres syncopales*, *in quibus ægri animi deliquio frequenter corripiuntur*. Symptoma tamen hoc non *continuis* plùs minùs *lentis* adeò proprium est, quin & *malignis* non raro supervemat; imò in intermittentium paroxysmis subindè observetur; Unde etiam ad *intermittentium differentiam* hanc referre visum fuit SYLVIO *l.* 1. *Prax. cap.* 30. §. 104. De cætero quibuscunque etiam febribus syncopes tales supervenientes videntur hæ esse *stomachicæ*, atque vel occasione muci vitiosi, superius ventriculi orificium obsidentis, & vitioso sapore illud crebriùs irritantis; *vel* ex aliquali humore plùs minùs æruginoso in ventriculo contento originem ducere: de quibus *inferiùs plura*, ubi *de Lipothymiis*.

PROGNOSIS.

Febris syncopalis, qua talis, non est absque periculo: considerandæ tamen & cæteræ circumstantiæ.

CURA.

In febri syncopali curanda adhibenda est ratio causæ: Hinc *unicornu verum* maximè à FORESTO *lib.* 3. *Observ.* 19. *Schol.* prodesse dicitur, *cum vino* in paroxysmi principio tempore syncopes propinatum: Nempe, ubi acres, aut æruginosi succi ventriculum lancinarint. Sic ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Praxeos Observat.* 22. *Febrem* refert *syncopalem minutam seu mollem*, obstinatam, cùm nulla proficerent medicamenta, per aquam *cum tamarindis decoctam*, aliquandiù continuatam, refert curatam; nempè, ubi nidorosi acres succi similiaque contenta in ventriculo hæserint. Aliàs nota sunt *spirituosa volatilia*, vel *alcalia*, vel *sulphurea*, seu *inflammabilia*, ad *syncopes* curam, ubi nempè *viscidum* plùs minùs *flatulentum* in causa fuerit. Non inconcinnum tamen est hic monitum BALLONII *in Phar. Med. pa.* 211. §. 85. *Lipothymia interdum præcedit febrim*; *Medici territi isto symptomate ad cardiaca prope-*

gerant, cùm potiùs ad purgans medicamentum statim sit deveniendum.

MEMBRUM IV.

DE

FEBRIBUS LENTIS SECUNDARIIS & SYMPTOMATICIS.

SUprà dictum fuit: juxta *lentas primarias* etiam *secundarias* dari, ex aliis morbis quocunque errato non ritè tractatis enatas, & tunc tanquam primarias solitariè existentes. Non raro tales in Praxi occurrunt, & frequentiùs *febres* vel *continuas acutas*, vel *intermittentes* insequuntur, quando nempè *Præcipitantium*, ut vocant, seu *absorbentium* abusu nimio *oder Wann sie bald vertrieben werden* acidum morbosum fermentum præmaturè figitur ac quasi retunditur, & hinc cessante sanguinis ebullitione febrili heterogeneæ copiosæ particulæ, aliàs præcipitandæ seu concoquendæ, retinentur in ejus massa: quibus ipsis & obtunduntur particulæ ejus salinæ activæ fermentativæ, & inertes quodammodo evadunt, & lympha simul, speciatim glandularum conglomeratarum, v.g. salivalium & pancreatis, vitiatur, & glutinosior, subindeque salsior evadit. Quibus occasionibus *febres continuæ lentæ* oriuntur cum *calore mediocri*, ægro interdum *vix adeo sensili* nisi, ubi suas *exacerbationes* habent; eæque ut plurimum *vespertinæ*, in quibus subindè *intensior & mordax satis* percipitur: *Pulsus est continuò celer, frequens, mollis*, magnitudine ac vehementiâ *moderatus*, *ad parvitatem* declinans, *vires prostratæ*, *appetitus nullus*, *os glutinosum*, ex quo copiosa viscida subindè reiiciuntur; *molestia præcordiorum gravativa*, *fluxus alvi* subindè *materia liquida* quasi *pituitosæ*, nunc cum nunc sine *lancinationibus intestinorum molestis*: *Urina crassa copiosum crassum albidum* seponentes *sedimentum*, excernuntur, &c. & sanè plura in his observantur symptomata, quæ eruditè SYLVIUS sub *febre lymphatica salivali & pancreatica* explicat *lib. 1. Prax. cap. 29. §. 13. & 14.* Superveniunt quoque tales *febres lentæ* suprà dictis febribus, si post has curatas ægri avidiùs alimenta ingerant; quo medio ut non rarò recidivam sibi conciliant, ita, ubi depauperata magis fuerit massa sanguinea, *ex copiosiore, & crudiore chylo non ritè assimilabili*, *lenta* saltem *febris* gignitur. Nec solis febribus, sed etiam aliis affectibus, ex acido viscido plùs minùs natis in quibus vel intempestivè movetur camarina, & hinc in massam sanguineam & lympham derivatur, vel non debitè evacuatur, de facili *lentæ* tales, quasi *hecticæ*, plùs minùs superveniunt *febres*: pro quarum tamen omnium cura *acido-salsi peccantis correctio temperando*, *viscidi attenuatio incidendo*, & ejusdem *excretio* per *vomitum*, *alvum*, *urinam*, vel *sudorem ciendo* indicatur, prout hoc ipsum exemplis clariùs patebit.

I. Juvenis 16. annorum præter propter laboravit *febre tertianâ intermittente ordinariâ*, quâ ferè sublatâ, cum jam largiter comedisset, subitò *concidit appetitus*, omnia *assumpta*, etiam potulenta, *alieno sapore* videbantur inquinata, & ipse *gravamen* quoddam, *angustias & pressiones circa præcordia* sentiebat. Propinato ergò *vomitorio*, rejectaque copiosissima materiæ saburra, omnia ista symptomata cum ipsa febri evanescebant. Sed brevi post cùm strenuè ederet, denuò eadem in præcordiis patiebatur symptomata, repetito vomitu eadem reiiciebat excreta, eaque in magna copia; sed insequebatur *calor insignis* vesperi & noctu, usque ad meridiem alterius diei graviter affligens, cum *virium imbecillitate*, *capitis dolore gravativo*, *propensione in somnum*, *appetitu dejecto*, *saliva crassa & viscida*, os & fauces subindè *agglutinante & infarciente*, circa meridiem calor remittebat, sed post cœnam recurrebat, dicto modo affligebat, donec à meridie remitteret. His benè pensitatis, *febrem quotidianam lentam* & quasi *lymphaticam à* SYLVIO appellatam, esse suspicatus sum, eamque non tam ex lympha pancreatica, cùm nulla abdominis adessent symptomata, & æger quotidiè naturaliter alvum exoneraret, quàm ex *lympha* reliquarum *glandularum*, in specie salivalium, quæ crassa & viscida, & acida præternaturaliter cum sit, unde & saliva simili vitio affecta, talia symptomata tàm oris, quàm stomachi inducat.

Propterea

℞. *Antihect. Poterii* ℈ß.
Nitri antimoniati gr. viij.
Misc.

Præparabatur in duplo, sumendo manè & vesperi dosin unam.

℞. *Aqu. menthæ*,
Portulacæ ana ℥iß.
Aceti destillati ℥vj.
Lap. Cancr. præp. ʒß.
Antihect. Poter. ℈ß.
Spirit. salis dulc. gtt. xv.
Syrupi hyssopi ℥ß.
Misc.

Hauriatur cochleatim, aliquantulum profuit. Hinc

℞. *Aqu. menthæ*,
Fœnic. ana ℥iß.
Spirit. theriac. simp. ʒiß. ad ʒiij.
Oxymell. scyllit. ʒvi.
Spirit. salis dulc. gtt. xv.
Syrupi de hyssopo ʒiij. vel ℥ß.
Misc.

Capiatur cochleatim.

Post aliquot cochlearia hausta æger potionem dulcem nauseans de novo copiosa, crassa, viscida & mucilaginosa evomit. Ut ergò cruditates viscidæ meliùs attenuarentur, saliva ac lympha reliqua leniebatur, & stomachus corrigebatur:

℞. *Salis amm. depur.* gr. xv. ad ℈j.
Dabatur in duplo;
& optimè profuit.

℞. *Salis amm. depur.* ℈j. vel ʒß.
Antihect. Poter. gr. xij. ad xvi.
Misc.
Divisi in 2. part. æquales.

Continuato etiã sic sale amm., æger tandem convaluit.

II. Similis *lenta* erat *febris*, quæ sequebatur post *Tertianam legitimam*, per pulveres fixos seu præcipitantes obrutam vel quasi curatam: sed superveniens successivè *calor mediocris*, *lentus* tamen, *continuus pulsus celer*, *frequens*, *mollis*, magnitudine *moderatus*, *appetitus ferè nullus*, cerevisiam vix tolerabat, leviter saltem sorbebat, *viscida copiosa* ore reiiciebat, *urina* copioso sedimento imprægnata, subindè *admodum debilis* erat: uno nomine, omnia disposita erant ad *hecticam*. Usurpabatur sal ammoniacum cum ana *lapillorum Cancrorum*, vel *Antihectici Poterii*: *item Arcanum duplicatum*. Sed etiam his irritis, ob viscida per os copiosè rejecta *Vomitorium* in dimidiata saltem dosi datum; hinc copiosa & viscido-serosa rejecta malum ferè totum levarunt: quod superfuit, matutinus usus *Elixyris proprietatis*, & vespertinus *spiritus salis ammoniaci* sustulerunt.

III. Similis erat *febris lenta ex acido viscido*, sanguinem & lympham inquinante, quæ affligebat Nobilem quendam. Hic post curatos morbillos curationem negligit; unde post aliquot septimanas corripitur *insigni lassitudine*, *& omnium membrorum torpore*: accedit semper à meridie mox *calor præternaturalis*, ita ut circa vesperam non mediocriter æstuaret, usque post noctem mediam: manè commodè satis habebat, *febre* tamen *lentâ continuâ* superstite *dormit* nonnihil *inquietè*, *os ferè siccum* semper & *glutinosum* est, *copiosus mucus* à meridiè *fauces* opplet, sponte subindè vesperi ad *vomitum* inclinat, quo tempore etiam admodum *anxius est*, *alvus obstructa*, *pulsus celer*, *frequens*, *parvus*, *vehemens*, *caput dolet & perturbatum est*: *urina turbida cum copiosis sedimentis*. Aliis frustra tentatis ordino *Vomitorium*, quod cum euphoria operabatur: postmodum spiritum salis ammoniaci, & tandem post hujus continuatum usum elixyr proprietatis curæ finem imposuit. Nempè *acidum morbillorum* sub cura temperatum & vehiculo seroso absorptum, non excretum, sanguinem, chylum, lympham, &c. inquinavit, à quorum *acido-salsa viscidítate talis febris* supervenerat.

IV. Par ferè ratio videbatur esse cum alio, *contagio Venereo* inquinato, ac in utroque inguine *bubonibus* & *exulcerationibus parvis circa Glandem* correpto. Hic præmissis *Purgationibus Mercurialibus* potare cœpit *Decocta lignorum* cum *antimonio & Mercurio depurato*: sed cùm aliquot dies hæc continuasset, incidit in *febrim lymphaticam*, *cum*

cum totius corporis lassitudine, *æstu præternaturali*, sed certis temporibus, præsertim *vesperi*, saltim *exacerbante* gravissimè, & post mediam noctem usque grassante, ante meridiem redibat, & à meridie finiebatur vesperi recurrens, &c. ut adeoque intra 24. horas binos quoque paroxysmos sustineret æger. *Pulsus* continuò erat, *frequens*, *celer*, ferè *parvus*, *os glutinosum*, rejiciebat *copiosa viscida*, *anxius* nonnihil erat, & *febris hæc lenta ex contagio Venereo* acido specifico in materia viscida sanguinem & lympham inquinante, per ista Decocta commoto, non sufficienter priùs evacuato corpore, originem ducere videbatur. Paucis præmissis propino *vomitorum*, à cujus usu rejcebantur copiosa viscida cum insigni euphoria: Hinc

℞. *Salis ammoniaci* scrup. ij.

Propinabatur pro duabus dosibus, semper horâ unâ ante paroxysmum.

Item

℞. *Salis amm.* ʒ ß.
Arcan. dupl. scrup. j.
Misc. pro 2. dosibus.

Respectu verò æstus ordinabam:

℞. *Salis ammoniaci* ʒ ß.
Nitri antimoniati scrup. ij.
M. pro 2. dosibus.

Hisce aliquoties repetitis *æstus* & *symptomata cætera* remiserunt.

Tandem, cùm adhuc conquereretur de ore glutinoso & anxietatibus præcordiorum, iteravi vomitorium, & hinc præscripsi:

℞. *Sp. salis ammoniaci* ʒ iij.

Propinabatur dosi gutt. 40. bis in die; copiosam, turbidam ac crassam *Urinam* cum euphoria movit.

Sed omnibus symptomatis evanescentibus, cum *appetitus* adhuc esset prostratus, & noctes inquietæ restitarent, præscripsi Decoctum sequens:

℞. *Rad. Chinæ in taleol. incis.* ℥ i ß.
Rasur. ligni sassafr. ℥ j.
Rad. liquirit. ʒ vj.
Sant. rubri ʒ iij.

Infund. in *Aqu. comm.* ℔ jv.
Stent in Balneo Mariæ per noctem: manè addatur
Passul. min. unc. iij.

Coquantur lento igne ad remanent. ℔. iv.

De qua colatura data manè & à meridie bonum haustum cepit, semper guttas 40. *tincturæ antimonii* addendo, & ita quoad affectum hunc convaluit, redeunte appetitu & viribus integris.

V. Similis *febris lenta* est ista, quæ affligit quosdam *post scabiem malè curatam*, ut observavi in quodam Studioso. *Symptomata* erant: *prostratio virium*, *fauces & os siccum*, *saliva glutinosa*, *liquidæ alvi dejectiones*, *calor continuus præternaturalis* vel moderatus, *pulsus celer*, *frequens*, *vehemens*, *parvus*; *urina* cum *copioso lateritio sedimento*, *appetitus prostratus*, *sitis intensa*, *affectus quasi hecticus*. Varia & multa frustrà tentabam; tandem optimè contulerunt pilulæ ex extracto hellebori nigri cum Mercurio dulci, & hinc crebrior usus essentiæ viperarum, & tandem spiritus carminativus de tribus.

VI. Pertinet etiam ad hujusmodi *lentas etiam Febris Virginea*, *chlorosi* seu *Cachexiæ Virgineæ* juncta, *Hecticæ* interdum quodammodo similis, ex *cruditatibus* utplurimum *primarum viarum viscidis*, hinc *bilis inertia*, *cum mensium suppressione* enata.

VII. *Dum pus fit*, major *calor* & *dolor*, quàm facto pure, adest, ut dicit HIPPOCRATES: Adeoque in quovis *Apostemate* dum suppuratur, *febris lenta* juncta esse solet; interdum etiam *Acuta*: v. g. *ex lacte coagulato*, dum *Apostema* fit; vel dum *Apostema* fit *in auribus* &c. *febris* juncta esse solet, tamdiu durans, donec facta sit perfecta suppuratio. Unde hujus *promovenda maturatio*, & *remediis* sanguinem congrumatum resolventibus, *Acidum absorbentibus*, & *diaphoresi* & *diuresi sanguinem depurantibus*, insistendum: v. g.

℞. *Aquæ cherefol.*
Scabiosf. ana ℥ i ß.
Ess. myrrhæ tartaris. ʒ iij.
Aceti vini vel *simpl.* vel *destill.* ʒ iij. vel ℥ ß.
Lapill. cancr. præp. ℈ j.
Flor. sulphuris ʒ ß.
Syr. scabiosf. ℥ ij.

M. D. S.
Potio febrim maturans: capiatur cochleatim.

VIII. *Ulcera insigniora* externarum, aut quælibet internarum partium insequi solent *Febres symptomaticæ lentæ*, ferè *hecticæ*, adeoque *diuturnæ*, & ad *tabem ac mortem* tandem deducentes, *à sanguinis infectione*, *à pure salso-acri viscido*, ut notissimum est, *in ulcere pulmonum phthisico*. Nec curari hæ possunt, nisi removeatur partis corruptela, & mundificetur & consolidetur ulcus: id quod, *Absorbentia suprà laudata*, *potiones vulnerariæ* alcali divites ex lapillis cancrorum, hedera terrestri, cherefolio, bugula, pulmonaria, veronica, scabiosa, ut & *lignorum decocta* item *sulphurea balsamica*, flores sulphuris, antimonium diaphoreticum, Antihecticum Poterii, myrrha, balsamus sulphuris, saccharum Saturni, tinctura antiphthisica, Balsamus Peruvianus, terebinthina, præstabunt: de quibus *infrà*, ubi *de Phthisi*. Ac sanè quamplures *lentæ*, *diuturnæ*, *ac tabificæ febres*, *ex occulta*, nec à priori benè cognoscibili *corruptione* aut *putredine*, ac *Latente ulcere seu abscessu* partis cujusdam internæ, mesenterii, pancreatis, renis, hepatis, vesicæ, uteri, &c. originem habere solent, & difficilè curabiles, ac sæpiùs lethales ægris existunt: Vid. SCHENCKIUS *l.* 3. *Obs.* BARTHOLINUS *C.* 2. *Histor.* 19. & *C.* 4. *Hist.* 18. Hinc in M. A. N. C. *Ann.* 4. *Append.* p. 50. *febres lentæ perpetuæ abscessuum latentium comites* esse dicuntur.

Pertinent & hùc *fistulæ diuturnæ*, quæ etiam *hecticæ similem febrim* inducunt.

IX. Quod etiam facit *fœtus mortuus*; aut *secundina*, vel integra, vel parte sui *retenta*, hinc putrescens, & in saniem plus minus purulentam abiens, tàm sanginem inficiens, quàm per contactum simul uterum inquinans: haud *curabiles*, nisi *illis remotis*, ac *putredine*, ne latiùs serpat, suprà dictis remediis *maturè prohibitâ*, ac *parte læsâ consolidatâ*.

X. Rari sunt *insignores* aut *diuturniores dolores quarumvis partium*, quin *febrem symptomaticam* comitem tandem adsciscant, *continuo pulsu*, *celeri*, *frequenti*, *in principio vehementi*, *in progressu debili ac parva*, interdum, dum membranosæ partes magis afficiuntur, *duro*, *calore lento seu miti*, *non adeò magno*; sive *Acidum vel acre dolorificum* massam sangineam simul alteret, & præternaturalē fermentativum motū inducat; sive simpliciter *ex spirituum animalium concitatiore impetu*, hinc *vigiliis*, *inedia*, &c. commoto sanguine intensiùs, *febris quasi synocha simplex plurium dierum* concitetur: sic v. g. colicas contumaciores, aurium dolorem, odontalgiam graviorem, &c. tandem febricula talis sequitur; quæ tamen consumpto saltem dolore etiam evanescit, & ferè blandâ sudatiunculâ terminatur.

MEMBRUM. V.

DE

FEBRIBUS HECTICIS.

AD Febres lentas etiam suo modo pertinet *Febris Hectica*, quæ cum iis magnam habet cōvenientiam, & frequentissimè esse solet *symptomatica*, aut saltem, aliarum febrium respectu, quæ in illam terminantur; *secundaria* adeò ut negent quidam dari *Hecticam primariam*, ac per se incipientem: Vid. PIENS *P.* 2. *de Febrib.* p. 49. Quod tamen ita universaliter vix concedendum videtur; *quin & ex perverso usu rerum non-naturalium*, v. g. *tristitia* aut *mœrore* diutiùs protractis, *excernendis præternaturaliter retentis*, *vitiosis assumptis*, aut saltem *malè digestis*, *Hecticam* oboriri posse, Practici observarunt.

Est aliàs *Hectica lenta admodum febris*, & interdum ægro vix sensibilis. Nam *calor ejus* est admodum *lenis*, & quasi *occultus*, qui etiam primo attactu vix est perceptibilis, unde etiam rarò de calore conqueruntur ægri, utut, si diutiùs contineatur manus, *calor* morsicans & rodens se manifestet, *post assumpta* tamen *alimenta duabus vel tribus* demum *horis* se prodit calor, isque nonnihil acrior, & *vehementior*. Deinde *corpus* successivè & insensibiliter *emaciatur*, & tunc, si ulteriùs progreditur, consumptio seu *Hectica Marasmodes* vocari solet, à Græco nomine ἕξις vel habitus; partim, quia Veteres crediderunt, utut falsò, hanc febrim inhærere ipsi corporis habitui; partim, quia hæ febres ad habitum, seu summum gradum pervenerunt, ut aut planè nunquam, aut rarissimè, curam Medici admittant. Denique *pulsus equidem* est *vehementior solito*, *ac* frequen-

frequentior, parvus tamen & debilis, simul & celer, & inæqualis, cum successiva & clandestina virium prostratione. Et hæc sunt tria quasi signa pathognomonica, & primaria symptomata, quibus præsentibus Hectica primaria conjicitur & ponitur: Nempe

1. Calor ipsi ægro occultus, vix sensibilis, ab omni pastu post aliquot horas auctus.
2. Adest absumptio & extenuatio corporis successiva seu marasmus: &
3. Pulsus celer, parvus, frequens, debilis, & subindè durus.

Hæc tria ubi observantur, audacter pronunciandum est, aut adesse, aut imminere hecticam.

De Febre colliquativa supra dixi, quæ summus gradus est Febris hecticæ.

Symptoma, quod maximè vexat ægros, præter virium debilitatem, est marasmus seu consumptio, & marcor succi nutritii partium solidarum, cujus ratione Hectica perfecta in tres gradus vulgò solet subdividi.

Primus hecticæ febris gradus est, dum ipsa saltem rorida, mucilaginosa & nutritiva partium substantia, quæ in nutrimentum partium proximum abire debet, successivè absumitur, & quasi dispergitur.

Secundus gradus est, quando hæc ipsa substantia rorida jam in pinguedinem, aut etiam in succum nutritivum partium solidarum mutata, & reliquis partibus non nihil assimilata, pedetentim liquefacta, quasi denuò consumitur.

Tertius gradus est, cùm absumpto omninò isto rore roscido, ipsis nonnihil assimilato, ipsa stamina partium fibrosa seu ipsæ fibræ arescunt tandem & exsiccantur, & hinc siccitatem ac ariditatem sensibus manifestam contrahunt, ægrique tandem sceleta repræsentant pelle induta.

De his videantur Practici, in specie SENNERTUS & RIVERIUS.

Modus generationis hujus febris est duplex: nunc enim est primaria, & per se incipit; nunc est secundaria, & instar symptomatis supervenienti aliis morbus tandem insequitur, & ita Hectica symptomatica seu complicata dicitur. Ista Febris hectica, quæ per se incipit, est, quæ successivè oritur vitio rerum 6. nonnaturalium, ver. gr. à nimio corporis exercitio, labore continuato; quandoque, & quidem primariò ferè, ex tristitia & mœrore animi immoderatis; quandoque à vigiliis & curis multum protractis; subindè ab inedia diuturniore; interdum ab evacuationibus corporis insignioribus; non rarò ab illegitimo ac perverso thermarum ac balneorum usu; sæpissimè ab alimentis pravi & parvi succi non ritè in stomacho digestis, & corruptis.

Hæc est causa primaria, & vix sine alimentorum corruptione oritur Hectica: quæ verò aliis supervenit morbis instar symptomatis, ac cum iis complicatur, est, quando observatur supervenire febribus continuis, aut intermittentibus contumacioribus ac vehementioribus, in specie perverso modo curatis. Sic namque inter alia HORSTIUS T. 1. Observ. 34. observat Hecticam lethalem, obortam ex febre intermittente, per Specifica ineptè & empiricè curata. Supervenit etiam Hectica sæpissimè viscerum plerorumq; specialissimè pulmonum, inflammationi, uti his inflammationibus in abscessus & ulcera degenerantibus, cum quibus partium internarum ulceribus, sicut interdum etiam cum partium externarum abscessibus gravioribus ordinariò jungitur Hectica: quâ ratione Phthisici semper sunt Hectici: Sic LINDANUS super Hartmannum observavit. Hecticam contumacissimam ex abscessu mesenterii pronatam; item ex utero, qui in carcinoma inciderat; item Hecticam ex ulcere renum: item observavit hecticam in fœmina, ortam ex multitudine fonticulorum corpori inustorum, qui omnem humiditatem ac rorem nutritium absumpserant, quæ tamen curata fuit clausis & sanatis istis fonticulis; quod observetur contrà fonticulos. Quin & lui venereæ subindè febris lenta, hecticæ plùs minùs similis, sociari solet, aut sub febre, quæ hecticam simulat, latet morbus Gallicus: vid. ZACUTUS LUSITANUS lib. 2. Prax. admir. Observ. 119. item FONSECA lib. 1. Consult. 40. pag. 264.

PARS AFFECTA.

Vulgò dicitur: Hecticam in habitu corporis fundatam esse & radicaliter consistere; undè definitur calor præternaturalis in partibus solidis ac continentibus incensus & residens, qui tamen non est: quin potiùs instar febrium aliarum radicatur in massa sanguinea ejusque fermentatione, unà cum lympha vitiatis. Prout enim se habent hi duo liquores, in specie sanguis, ita se habet universum corpus: unde etiam particularia ulcera insigniora tibiarum, renum, & quatenùs inquinant massam sanguineam circa loca ulcerosa circulatam, inferunt hecticam: Vid. PIENS de Febribus Part. 2. pag. 46. & 51. Unde etiam calor Hecticorum, lentus imprimis, circa loca arteriarum manifestior ac magis perceptibilis sentitur.

Has inter causas, quas modò numeravi, remotas ista Hectica quæ per se incipit, adeoque perversum usum rerum nonnaturalium sequitur, semper est proximè & originaliter ex vitio stomachi ac alimentorum; nempe quando stomachi fermentum loco nativi saporis acquirit saporem salsum acremvè, & ad digestionem plus minus ineptum; hinc enim itidem alimenta in succum viscidum, salium, acrem fatiscunt.

CAUSÆ.

Causa proxima hujus febris in massa sanguinea est dyscrasia sanguinis nimis acido-salsa & acris, cum nimia ejus viscositate seu glutinositate conjuncta; quatenus nempe in hoc lympha glandularum conglobatarum redditur acris & salsa: unde simul & lymphæ facilis viscositas & glutinositas, idque sensibiliter in glandulis conglomeratis, adesse solet. Hinc in Hecticis omnibus saliva non tantùm pauca cum ariditate linguæ & faucium, sed & viscida nonnihil, simulque plùs minùs glutinosa percipitur (qualis saliva, talis utplurimum est succus pancreaticus) simulque sentiunt stomachi pathemata propter lympham vitiosam deglutitam. Ab ista ergò acrimonia salina non blanda & æquabilis fit fermentatio sanguinis, sed potiùs depravata insigniter, simulque quodammodò imminuta, ac consequenter calor acris, lentus, ac quasi obscurus excitatur: Confer. WILLISIUS de Febribus: Unde & spirituum in corpore defectus, nec non languor totius corporis, & successiva virium debilitas superveniunt, cùm particulæ salinæ urinosæ & acidæ (instrumenta naturæ generalia) non debitè invicem intestino motu concurrant, sed potiùs paucæ & inertes factæ in tertium salsum coaluerint partim, partim adhuc liberæ ab ista salsedine impediantur, quò minùs debitè fermentent, quin potiùs ex vitiosa fermentatione massæ sanguineæ calorem nonnihil auctum quidem, non tamen intensum adeò, sed tantum acrem & quasi asperum inducant. Hæc ipsa omnia augentur adhuc insigniter à visciditate salsa lymphæ, sæpiùs à nimia laticis absumptione orta (de qua postmodum), undè magis vitiosa & plùs minùs oppressa sanguinis fermentatio pulsum parvum, celerem, frequentem, & ex virium defectu debilem efficit. Sanguinis hinc salsus simulque viscidus ineptus est, ut nutriat partes; quin potiùs asperitate suâ rorem nutritium vitiat, eumque acri ac lento calore successivè colliquat; indè corpus necessariò tandem absumitur.

Post pastum ergo dum novus Chylus & fluidior, facileque digestibilis alimentorum pars per ordinarias vias sanguini infunditur, dilutus nonnihil sanguinis fluxus redditur, & ob resoluta magis salia (canon enim est Chymicorum: salia non agunt, nisi resoluta) etiam attenuata ipsius massæ, simulque alterata supplementa, fermentationem nonnihil acriorem inducit; unde aliquot horas post pastum calor auctus cum pulsu frequentiore, & nonnihil majore percipitur, efflorescente simul nonnunquam colore faciei plùs minùs rubicundo. At non diu durat, quin successivè iterum deficiat, & postea præternaturalis quidam supermanet. Sed cùm hoc ipsum chylosum excrementitium supplementum minus commodè assimiletur sanguini, multò minus aptum est ut assimiletur partibus solidis; propterea subindè tempore nocturno sub specie sudoris copiosi denuò per poros cutis confertim emanat, unde sudores nocturni in hectica confirmata sunt satis frequentes. Propter istam verò lymphæ salivalis visciditatem, simul imminuitur & omninò prosternitur appetitus, superveniente nonnunquam alimentorum istorum fastidio. In vitiis enim stomachi semper habenda est ratio salivæ, ut pote quę multũ valet: Nam ex hujus ratione non rarò impeditur & labefactatur plus minus assumptorũ fermẽtatio, ac tandẽ ipsa sãguificatio, unde necessariò massę sãguineę salia fermẽtativa magis magisq; obtundũtur, ac fiunt inertiora, ac Hectica sic lentè ac successivè fit gravior, & tandem incurabi-

rabilis: aut quando ex nimia acrimonia lymphæ & massæ sanguineæ idem Chylus novus pervertitur, hinc non potest nutrire corpus, sed ineptus fit assimilationi, ut ita inde exarescant & marcescant partes corporeæ.

Hæc, quæ dicta sunt de *Causa proxima*, confirmantur per omnia ea, quæ tanquam *causæ remotissimæ febrim hecticam* inducunt: hæ enim omnes huc collimant, ut aut *visciditatem* sanguini, & in specie lymphæ inducant, aut in sanguine & lympha *acrimoniam acido-salsam* generent. In specie, quando *animi corporis motu* ac *defatigatione* oritur hectica, tunc nō tantùmodò absumuntur spiritus animales, sed quoque pars sanguinis aquosa vehiculum reliquarum partium subinde dispergitur, ac ros nutritius simul attenuatus exhalat. Unde necessariò lympha & massa sanguinea visci-diores & unitis salibus acriores seu salsiores fiunt. Quoties *ira* infert hecticam, toties sale volatili massæ sanguineæ oleoso seu bile, ut vocant, acrimoniam excedentem nacto, fortius afficit acidum, & uniendo cum eodem acrimoniam salinam insignem generat: Quoties *tristitia* aut *mœrores* diuturni Hecticam inferunt, toties acidum immoderatum cum urinoso conjunctum in salsum iners degenerat: Quoties à *vigiliis & curis* protractis oritur, toties spiritibus animalibus insigniter absumptis, ac tenuibus massæ sanguineæ partibus exhaustis, reliqua massa spissior ac necessariò acrior evadit: Denique *inediam diuturniorem* insequitur Hectica, quoties defectu alimentorum temperatorum acidum & urinosum intimiore unione concurrendo tertium salsum acre generant: id quod fit eò magis, quoties alimenta pravi succi aut minus nutritiva Hecticam inferunt; unde subinde fit, ut picæ superveniat hectica vitio malæ diætæ: Conf. SYLVIUS *lib.* 1. *Prax. c.*32. §.8. *sequ.* Certum interim est, „ quod asserit LINDANUS, *hecticam propriè sic dictam*, „ *& quæ non aliis supervenit morbis, utplurimùm vitio alimentorum, horumque in stomacho vitiatâ digestione oriri: asserit* „ *enim se vidisse plures Hecticos ex stomachi vitio, tum ex vitio aliarum partium; & omnes istas Hecticas, quæ oriuntur* „ *cum dolore ventriculi, aut quibus talis dolor superveniat, oriri ex stomachi cruditate vitiosa, quæ fit talis, ut neque fit acida neque nidorosa, sed potius fit talis alimentorum corruptela,* „ *quâ alimenta in crassiorem chylum ac visсidiorem salsum, acrem degenerant: Unde tales Hectici conqueruntur subinde de* „ *sapore cinereo seu sapore singulari, & non explicabili more,* „ *imprimis tempore matutino. Unde utplurimùm in hectica fit* „ *respiciendum ad stomachum, quò corrigatur ejus cruditas: Imò* „ *reliquæ etiam causæ nonnaturales vix sufficiunt inferre hecticam, nisi simul stomachus ita afficiatur, ut hujus vitio alimentorum deficiat digestio.*

Porro continuis febribus superveniens hectica fit, quando per cursum morbi, aut copioso sudore exhaustus & omnis latex aquosus, & cum eo ros nutritivus partium: aut, quando in deflagratione, ut sic dicam, febrili massa sanguinea fuit perversa in dyscrasiam acrem nimisque salsam: quò etiam pertinet perversus curandi modus per medicamenta nimis acria. Id quod eò magis fit in febribus intermittentibus propter nimios sudores, qui ordinariò in fine paroxysmi sequuntur: si tales febres cum talibus sudoribus sint contumaciores ac chronicæ, & propinentur subinde ante paroxysmum medicamenta salina acriora fixa, aut terrea calcinata, tunc facilè fieri potest, ut tandem intermittentes degenerent in periculosas & difficiliores hecticas: hæc enim partim augendo massæ sanguineæ acrimoniam, & absumendo laticem aquosum eam diluentem, unde fit viscidior, partim destruendo fermentum stomachi, adeoque inhibendo omnem digestionem, ansam hecticæ dant. Ipse observavi Febricitantes, si in cursu morbi crebriùs usurparunt terrea, sæpiùs evasisse Hecticos. Quoties denique viscerum primariorum, v.g. renum, imprimis pulmonum inflammationi, in apostema aut ulcus aut empyema degeneranti, supervenit hectica, tunc à pure lympham & massam sanguineam inficiente salso acri (cùm omne pus sit salsum per effervescentiam ex acido & urinoso) & glutinoso massa sanguinea fit acrior, salsior & viscidior, unde consequenter fermentatio ejus naturalis impeditur: quæ vitia reliquis humoribus communicata hecticam magis confirmatam reddunt. Uno verbo: in quibusvis exulcerationibus internis & externis profundis, v.g. in cancro mammarum exulcerato, oriuntur tales febres.

DIAGNOSIS.

Quod ergò attinet *signa diagnostica*: tria *pathognomonica signa* fuerunt suprà enarrata, omnia, soli, & semper hecticæ convenientia: nempe calor lentus post pastum exacerbatus; pulsus frequentior, celerior, minor & debilior; ac denique consumptio corporis; cui tandem sudor nocturnus cum capillorum defluvio supervenit: quibus si accedant circumstantiæ præcedentes ad eam disponentes, e.g. ructus cinerosi, quando scilicet ventriculi fermentum ita est depravatum, ut ructus ejusmodi odorem spirantes persentiscantur, confirmatur eò magis conjectura artificialis Medici: In toto corpore adest lassitudo, frequens etiam lipothymia: patientes conqueruntur de æstu interno, sequitur atrophia, somnus horis matutinis est rarus.

Hectica incipiens difficillimè cognoscitur, facillimè curatur: Confirmata autem hectica facillimè cognoscitur, difficillimè curatur.

Urinæ Hecticorum in principio sanorum sunt similes; quod etiam observatur in febribus lymphaticis, à saliva & succo pancreatico nimis viscidis, & hinc urinæ sanis simillimæ observantur. Sin verò, quod sæpiùs fit, insigne concurrat stomachi vitium, tunc *urina alba, pallida*, crassa & turbida subinde excernitur; cessante postmodum appetitu & deficiente digestione urinæ *tenues*, perspicuæ, intensè tinctæ, &c. excerni solent; *hecticâ* postmodum ad *marasmum* progrediente, *urina* progredi solet copiosa intensè tincta, sed in superficie cum crusta seu pelle quasi *oleaginosa*, id est, pinguedo aranearum telis similis, ipsi supernatat: qualis urinæ facies tamen etiam in duobus casibus observare licet, quam agyrtæ stolidi ac Pharmacopolæ inspicientes, arbitrantur pinguedinem internam resolutam. Crusta enim hæc non confundenda est cum *urina oleaginosa*, reverà tali, quæ in *febribus* acutis *ardentibus*, item in febribus *intermittentibus*, nimio *calore* conjunctis, interdum excernitur; quoniam liquefactâ corporis pinguedine parum ejus cum urina excernitur; unde tales ægri subitò emaciantur; neque cum urina oleaginosa apparenter tali, qualis in *hypochondriacis* & *scorbuticis* confirmatis subinde apparere solet, quæ tamen non pinguedo, sed sunt potiùs salia vitiosè concreta, pelliculæ instar urinæ supernatantia.

Ut *distinguantur* hæc, observetur: quod, ubi est *verè pinguedo*, quæ urinæ supernatat, semper sit *uniformis* & ad latus aspecta *nullum collorem*, nullum *splendorem*, &c. acquirat: in *scorbuticis* verò & *hypochondriacis* hujusmodi pinguedinis quasi crusta innatans, ad latus matulæ adspecta, varios calores, instar *caudæ pavonis* mentitur, vel instar *iridis* elegantissimè coloratæ apparet. Prius, ubi nulla est alteratio, est vera pinguedo: posterius sunt salia vitiosè concreta. Non rarò, imprimis autem ubi in corpore internæ exulcerationes, urinæ est additum sabulum copiosissimum.

Excrementa alvi in hecticis sunt diversa: Fæces quandoque sunt duræ, imò sæpiùs in principio & incremento hecticæ interdum difficulter egeruntur; postmodum verò fiunt admodum liquidæ, & redduntur copiosè, dum nempe stomachus omnino labefactatus nec ritè continet, nec debitè concoquit assumpta: In *ultimo hecticæ gradu fluxus alvi* ferè est *continuus*, quæ omnium pessima est, & *sudores colliquativi* singulis noctibus ubertim prorumpunt, *capilli* etiam pedetentim defluunt, unde magis magisque corpus emaciatur, ut isto alvi fluxu utplurimum hectici intereant.

PROGNOSIS.

Quod attinet *signa prognostica*: In principio *hectica* facilè curatur; quæ verò magis est *chronica*, quò propiùs accedit *tabi*, eò difficiliùs curatur; i. e. quò propinquior est primo gradui, eò faciliùs: quò propinquior tertio, eò difficiliùs curatur: *tertius gradus* planè incurabilis est.

Deinde Hectica per se morbum constituens, & ex perverso sex rerum nonnaturalium usu genita, faciliùs curatur, quàm quæ à labe visceris interni orta est; sin verò super venerint exulcerationes internæ, periculo est plenissima.

Hectica febri *putridæ*, uti vocant seu, *intermittenti*, aut *continuæ*, vel *alii* morbo chrònico conjuncta, aut

istas curatas immediatè insequens, curatu est difficillima, & plerumque lethalis, ægris contabescentibus.

Hectica in *junioribus*, visceribus validis, cæteris paribus, faciliùs, in *adultis* tardiùs & difficiliùs in *senibus*, quocunque se habeant modo, ferè nunquam curatur.

Si adsit *facies Hippocratica*, quam vocant, res ferè est desperata: Vid. GARMANNUS *de Miraculis Mortuorum*, ut & *Disputatio* D. LANGII *de Facie Hippocratica*: Ad hæc si accedat *lienteria* ac *alvi fluxus*, aut pili decidant, aut *pedes inflentur*, mors est præ foribus.

Quoad *tempus eventus*: notum est, quod *morbus per se admodùm chronicus ac contumax* sit hectica, tardus ac difficilis, lentus, & qui subindè diutiùs solet cruciare ægros, cujus longitudo ac difficultas ætate & corporis constitutione est metienda.

CURA.

In *cura* eò primùm respiciendum est: num *hectica* dependeat à *partis alicujus morbo*, adeoque sit *symptomatica*? tum enim cura ad istum morbum, à quo subindè dependet hectica, est dirigenda: Deindè considerandum: an hectica sit *simplex* seu morbus *primarius*? an verò secundarius, seu *complicata cum quandam febre putrida*? & in hoc casu tollenda priùs *putrida*, & hinc removenda *hectica*.

Sin verò in se sit morbus primarius, attendendum est, ut

1. *Acrimonia sanguinis & lymphæ acido-salina* temperetur ac corrigatur.
2. Ut *humorum* reliquorum, in specie lympæ, aciditas & *viscidìtas* emendetur.
3. *Stomachi digestio* restauretur.

Hæc ut commodiùs fiant:

Observ. I. In *hectica simplici* seu *sine febri putrida*, quam vocant, seu *fermentativa*, complicata, nec *evacuationes*, nec *venæsectiones*, nec purgationes sunt instituendæ; hæc enim semper vires debilitant, & nutrimentum corporis plùs minùs deprædantur. Sed potiùs mediis diæteticis ac pharmaceuticis corpus reficiendum.

Observ. II. Si tamen *prima regio corporis*, nempe stomachus & intestina, excrementis referta sit, propter *cruditates* à debili ventriculo productas, tutò *Purgatio* una alterave lenis *abstersoria* in principio institui potest. In Hecticis copiosissimè Purgantia evacuant, sed plerumque in perniciem ægrorum; deficit enim fermentum acidum stomachi.

Observ. III. Imò si *vitio stomachi*, (id quod sæpiùs, ut dixi, fit,) oritur *Hectica*, convenit ante omnia vomitorium blandum instituere, si vires adhuc sunt validæ. Audiendum hîc est LINDANI consilium, dum inquit: *In curatione hecticæ statim ad partis affectæ cognitionem incumbere oportet, quâ cognitâ, ego faciliùs hecticam quàm quartanam curabo; oriuntur enim plerumque ex vitio stomachi: Sic*, inquit, *curavi uno vomitorio, & hinc cum Elixyr proprietatis hecticam intra 4. dies*: Sicuti elixyr proprietatis in hectica ex stomacho singulariter commendat idem LINDANUS.

Observ. IV. Inter *symptomata*, quæ huic superveniunt morbo, præcipuum est & quasi funestum *alvi fluxus*, ægros facilè ad interitum producens; *colliquativus* enim est. Refrænandus ergò erit, utpote periculosus, maturè & debitè remediis ex cydoniis, rosis rubris siccis, lacte chalybeato, unicornu fossili & similibus: uti etiam sudoris uberior effluxus; quos sudores optimè compescunt opiata in parva & probè subducta dosi, vespertino tempore usurpata.

Observ. V. Dulcia, uti *saccharata*, & maximè *mellita*, vitanda sunt: Talia enim sunt viscida & glutinosa, obtundunt succos corporis, stomacho nocent, & istos viscidiores & glutinosiores, hinc inæqualem fermentationem, & ita hecticam deteriorem reddere solent.

Si ergò *hectica* fuerit symptomatica, ad *primarium morbum* respiciendum esse dixi, considerando ante omnia simul stomachum. Quod si superveniat *febri intermittenti*, vel *continuæ acutæ*, malè curatis, hectica, ibi præmisso aut omisso *vomitu* blando utilissimum est sal ammoniacum cum antihectico Poterii mistum, secundùm *formulas*, quas suprà dedi *sub Febre lymphatica ex vitio lymphæ glandularum conglomeratarum*, succi nempe pancreatici & salivæ, propinatum, quod est egregium remedium, curans hecticam præsentem, & præservans ab ulteriore progressu: Vel

℞. *Salis armoniaci depur.*
Antihect. Poterii gr. xv.
M. D. S.
Pulvis resolvens.

Si *abscessum*, aut *ulcus*, aut *simile vitium* partium internarum insequitur hectica, illo rectè curato per vulneraria, per remedia sulphurea & antimonialia fixa, item per balsamum sulphuris & similia, facilè hectica curari potest, utpote sponte interdum evanescens, ut *suprà de Febribus symptomaticis* insinuatum fuit.

Balsamus tamen *sulphuris* præparandus est non cum oleis destillatis, v.g. oleo terebinthinæ, baccarum juniperi, &c.; hæc namque olea nimis sunt acria, & febrim &c. quæ adaugent; sed potiùs elaboratur cū oleis expressis v.g. oleo amygdalarum dulciū recens expresso, pinearum, insigniter sunt nutritiva. Huic balsamo jungi poterunt aliquot partes oleorum destillatorum temperatorum, ex quibus laudo oleum destillatum anisi, & hoc modo forsan paratur etiam *Balsamus Vitæ* Archiatri Hallensis KEILINGII. Notetur saltem, ut pro majore tinctura balsamica extrahenda ignis digestionis adaugeatur. Porrò conveniunt etiam pinguedines animalium, quo sensu axungia canina multum præstat; cui tamen præferenda est humana: item butyrum Majale, &c. Ex resinis multum hic præstat ipsa terebinthina, si solvatur in vitello ovi; uti & Decocta plantarum temperatarum, quæ vulgò vocantur herbæ pulmonariæ, v.g. tussilago, plantago, pulmonaria, galiopsis, aliàs scrophularia, &c: vid. SCHROEDERUS *Pharmac. Medico-Chym. lib.* 4. *pag.* 154.

Curato ergo primario morbo, unde hectica dependet, & rectificato stomacho, ipsa Hectica curanda venit. Id quod etiam tentandum est, si ipsa per se morbum constituerit, idque imprimis per *remedia Pharmaceutica*, & præcipuè *Diætetica*. *Fons Chirurgicus* nihil hic suggerit, nec venæsectio, neque fonticuli, neque scarificationes, nec aliud quid conducunt. *Ex Pharmacia* conveniunt temperata, quæ *salsum temperant*, *viscidum attenuant*, & blandè corporis partes solidas humectant. Hæc inter eminet ros Majalis quocunque modo propinatus. Sunt qui ex eodem spiritum & sal essentiale parare volunt, idque in hectica valdè prodesse asserunt: commodè in spiritu roris Majalis aut ipso rore infundi possunt flores violarum, borraginis, buglossæ, & exindè parata tinctura sub forma Juleporum largiter usurpari. Hujus vicarius est *ros vitrioli volatilis*, istud nempe *phlegma volatile* roridum, occultè sulphureum, quod in destillatione spiritus vitrioli priùs erumpit, uti & sine aciditate sensibili progreditur: Hoc insipidum licet ferè, sulphure tamen volatili vitrioli singularum virium est impraegnatum. Hoc *phlegma vitrioli roridum* subindè rectificatum, aliquotiès à capite mortuo cohobatum, intercedentibus quibusdam digestionibus fit *remedium ad hecticam egregium*, in specie si oriatur ab exulcerationibus partium internarum: Confer JMARCUS MARCI à GROENLAND *in Philos. Veter. Restituta Part.* 5. sub *Sect.* 9. ubi *de Lapillo Buttleri & Driff. Helmontii*. Commendant alii & istam aquam, quæ rorellæ seu herbæ roris solis innatare solet, utpote quam quidam *spiritum mundi concentratum* appellant, & phthisicis commendant. Res est mira: sub ardentissimo solis æstu guttula continua inhæret huic rorellæ; unde etiam hæc & ejus aqua in phthisi commendatur, quam puto non esse nocivam.

Vulgò commendatur aqua ex carne porcellorum, ostreis, cancris fluviatilibus, & similibus: laudet easdem qui vult, ego sanè minimi facio. Subindè conveniunt herbæ, quæ succo pingui sunt plenæ, v.g. althea, symphytum majus, plantago, cichorium, endivia, lactuca, portulaca, nymphæa, borrago & buglossa, radices althϾ, symphyti, cichorii, &c. exque his parata remedia, nuclei pinearum, pistaciæ, sebesten, amygdalæ dulces, semina pinguia 4. frigida majora, semen papaveris albi & similia mucilaginosa, & Electuariorum formâ, non tamen nimis copiosè usurpata: unde & cerevisiæ primariò triticeæ, hinc & hordaceæ, sunt nutritivæ: In specie passulæ Corinthiacæ sunt perquàm egregiæ: nempe ut aliàs dicunt, non datur melios *hepaticum* ac melius *nutriens*, quàm rob seu pulpa passularum, blanda & perquàm temperata, cujus respectu vulgò calidæ & humidæ dicun-

dicuntur. Et putarem ego in his perfectam curam hecticæ consistere; singulariter enim nutriunt, & temperant omnia acria, maximè salsa; unde etiam à RIVERIO tàm *in Praxi*, quàm *in Observat. Cent.* 4. *Observ.* 43., non secùs atque aliis Autoribus multùm extolluntur ad curam phthiseos & hecticæ. Sic etiam JOEL *in Praxi* mirè commendat passulas ad corpus pinguefaciendum & incrassandum; sicut etiam aliàs in dyscrasia sanguinis temperanda ac corrigenda, & sanguine quasi renovando, perquàm sunt egregiæ: humidæ dicuntur; hinc Decoctum passularum cum rasura ligni sassafras, & radice chinæ, helenii, &c. Hecticis perquàm est proficuum. Fit etiam ex passulis vinum per fermentationem admodùm elegans, instar vini Malvatici seu Petri Simonis, addendo parum sacchari: quod si præparatum fuerit cum succo pomorum Borsdorffianorum, quod obiter moneo, in malo hypochondriaco est egregium, fortan etiam in hectica. De lapillis cancrorum, & de perlis res nota est, quod reverà in se contineant Hecticorum solamina: sed observetur, hoc verum esse eo sensu, quo notanter dicit HELMONTIUS, quod perlæ & lapilli cancrorum (nam de his idem sentio) si resolvantur in primum suum rorem lacteum, unde concreverunt, tunc sufficiant pro cura hecticæ & phthiseos absoluta. Verùm talem liquorem primogeneum obtinere, non omnibus æquè concessum est: nam prout communiter perlæ & lapilli cancrorum tractari solent cum menstruis corrosivis in Magisteria, seu corpora salina seu salsiformia, & hinc in liquores, & ita magis magisque destruuntur, nihil conducunt ad curam hecticæ, utut liquor perlatus per deliquium, item coralliorum per deliquium, conveniant ad temperandum istum æstum; non tamen sunt perfecta cura Veterum. Interim, qui habere possunt liquorem primogeneum horum, eos concedo habere perfectam hecticæ & phthiseos curam. Aliàs *Mixturæ ex aceto destillato cum lapidibus cancrorum vel cum perlis* utiles observantur in Hecticis. Juxta hæc terra foliata Tartari, ejusque liquor ritè præparatus, nobilis est pro Hecticis; item Antihecticum Poterii, ita nominatum ab usu contra hecticam, à ℈ ß. ad ℈ j. Præparandi modus est facilis, sed encheirisis, qua sulphur Joviale aufertur, non omnibus nota. Communiter prostat colore cœruleo, qui tamen olet impostura: Nam color cœruleus est adhuc de Sulphure Iovis inflammabili, ratione cujus interdum movet vomitus. In præpratione ergo ejus detis operam, ut separetis hoc Sulphur sequenti modo:

℞. *Iovis optimè purif.* part. v.
Reguli Antimonii part. jv.

Fundantur in regulum compositum, qui cum triplo nitri fundatur & figatur, ita, ut dum stant liquefacta, agitetur cum ligno, ut per eruptionem flammæ superfluum Iovis Sulphur exhalet: quo facto, solvatur mistura, & hinc pulvis candidus fundum petens est genuinum *antihecticum Poterii*, & nobile remedium. Hoc etiam intelligendum est de *Sudorifero magno Fabri*, item Bezoardico Joviali, quæ debent esse alba, & tamen in officinis sunt cœrulea. Sanè Antihecticum Poterii ab Autore à ℈ ß. à ℈ j. cum conserva rosarum ad hecticæ curam feliciter usurpatum fuit. In horum defectu vel antimoniū diaphoreticum ritè fixatum, vel Bezoardicum minerale, aliaque sulphura fixa; item lapilli cancrorum, lapides percarum, ebur sine igne, corallia præparata, mater perlarum, similiaque acrimoniam temperantia cum appropriatis mista optimè conducunt, continuando usum in hecticis, imprimis quos æstus pauló intensior affligere solet: quibus subindè aut sal ammoniacū depuratum, aut arcanum duplicatum, Magisterium saturni Mynsichtii, item species dia-Saturni Mynsichtii, cōmodè addi & unà distribui possunt. Post hæc etiam est saccharum saturni, quod est egregium in hectica remedium, in specie si ex ulcere interno oriatur, vel per se, vel quando ex hoc cum vitriolo Martis paratur tinctura antiphthisica, quæ convenit in Hecticis. Dosis gutt. xx. xxv. ad xxx. De alumine & ejus dulcedine saccharata locutus fui *supra*, ubi *de Febribus intermittentibus*, quæ ab omnibus Practicis commendatur ad Hecticam: Allegaui POTERIUM & DARIOTTI; consuli etiam potest FABER *l.* 4. *Panch. c.* 38. Sunt qui spiritui vini adiungunt spiritum aluminis, unde fit spiritus aluminis dulcis, quo ipso Chymicus quidā in Polonia familiarissimè in hectica utebatur. FABER commēdat arcanum sanguinis humani vel cervini ad ℈ß. Hoc revocat in mentem, quod habeat BOYLE *in Philos. Experim. p.* 331., qui spiritum sāguinis humani (ex sale volatili dissoluto) & oleum sanguinis humani diversis in locis insigniter ad hecticam commendat. In hectica incipiente ex mœrore animi & animi pathematis tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi egregiè contulit, bis in die 30. ad 40. guttulas.

Formulæ sint tales:

℞. *Amygd. dulc.* vel *nucl. pinear. rec.* ℥ ß.
Sem. 4. frig. maj. ana ʒj.
Cum s. q. *Aquæ borrag.* vel *nymph.* f. l. a. *Emulsio*: cui adde
Lapill. cancr. præp. ʒ ß.
Antihect. Poter.
Magist. corall. cum succo citri an. ℈j.
Edulcoretur parùm cum *Julepo rosar.* vel *manus Christi perlatæ*: M. D. S.
Emulsio confortativa sæpius per diem sumenda.

℞. *Conf. rof. rub. antiqu.*
Flor. borrag.
Tunicæ ana ℥j.
Rad. cichorii condi. ti,
Amygd. dulc. excort. ana ℥ ß.
Nucleor. pinear.
Cortic. citri condit. ana ʒ ij.
Antihect. Poterii ʒ j.
Matr. perlar. præp.
Corall. rub. præp. ana ʒ ß.
Cum s. q. *syr. flor. tunic.* & *rad. nymph.* ana f. *Electuarium*: D. S.
Electuarium singulare contra Hecticam, de quo sumantur tres cultelli cuspides per diem.

℞. *Antihect. Poterii,*
Specif. cephal.
Mag. corall. cum succo citri ana ℈ ß.
Sacch. Saturni gr. vj.
M. f. *Pulvis*;
Div. in 2. partes. S.
Pulvis confortans contra hecticam.

Prodest ubi Hectica imminet post febrem ardentem.

℞. *Balsam. sulphuris amygdal.* ʒij.
D. S.
Singularis Balsamus, de quo sumantur 40. *guttæ per diem in calido jusculo.*

℞. *Cancr. fluviat. viv.* N. jv.
Aquæ rosar.
Borrag.
Flor. papav. err.
Cinnam. borrag. ana ℥ij.
Contund. in mortario marmoreo, exprime, & adde
Syrupi flor. pap. err.
Tunicæ ana ʒvj. M. S.
Singularis potio, singulis duabus horis sumenda.

Externa:

℞. *Ungu. refrig. Gal.* ℥j.
Axung. hum. ʒ vj.
Sacch. saturni ℈ j.
M. f. *Unguentum*. D. S.
Unguentum externum ad spinam dorsi.

℞. *Unguenti resumpt. usit.* ℥ j.
Carn. cancr. fluviat. viv. optimè contus. ʒ vj.
Axung. human. ℥ ß.
M. S. *ut suprà.*

Sed ultra Pharmaciam, uti dixi, maximam partem pro *cura Hecticæ* constituit *diæta*, præmissis necessariò præmittendis, primas vias sc. abstergentibus & mundificantibus, alimenta succulenta & probè nutrientia subministrans, quæ inter excellunt lac & quævis lacticinia atque Emulsiones. Convenientissimum est lac muliebre, imprimis si ex ipsis uberibus nutricis sanæ sugetur, ne ab aëre alteretur. Exemplum habet FORESTUS *l.* 5. *Obs.* 10. de juvene phthisi desperatâ laborante, qui sibi conduxit nutricem, & lac ex illius uberibus suxit; ex quo non tantùm restitutus fuit, sed etiam gravidam fecit eandem (nam lac muliebre stimulat ad venerem) ne novum illi lac deficeret. Aliàs lac asini præ cæteris in hecticæ cura salubre est, cùm sit ex animali longævo: in nostro climate lac bubulum ex bestia sana, & sanis pascuis gaudente, cōmodè Hecticis ordinatur & præscribitur; sive ipsum lac usurpetur, quæ cōmunis est sententia; sive in specie sumatur lac ebutyratum, à PIENS *de Febribus P.* 2. *p.* 61. laudatum. Interdum etiam serum lactis substitui potest: vid.

BARBATUS *de sanguine & sero p.* 110. Usurpetur autem maturè, nec nimis tardè, sed necesse est vires adhuc nonnihil constent, & etiam stomachus adhuc digerendo nonnihil valeat; his enim deficientibus non multum proderit. Lac caprillum etiam est egregium, quod à quibusdam non sine fructu usurpatur.

In usu vero *lacticiniorum* observetur:

1. Ne hecticæ adjuncta sit alia febris putrida dicta: *item*, ne adsit capitis dolor: *item*, ne ventriculus scateat excrementis & sordibus acribus, ex digestionis vitio natis: item ablit hypochondriorum tensio.
2. Ut nihil ferè aut bibatur, aut comedatur aliud.
3. Ut pauco addito sacchararo lactis coagulatio impediatur: ob id etiam sub usu lactis acida quævis fugienda sunt.
4. Ut assumatur lac jejunè & calidum, adeoque vel immediatè ex ipsis mammis sugatur, vel recentissimè mulctum adhuc calidum hauriatur, ne alteretur ab aëre lac; facillimæ enim est alterationis.

Primarium etiam lac alimentum sub tali lactea cura constituat, cæteris non, nisi levioribus & facilè digestibilibus, iisque paucis, assumptis. Ante omnia verò exploret Medicus, an æger lactis usum ferre queat? Medicum docet JOEL *in Praxi*, ubi *de Hectica*: „*Nempe ventriculo priùs leni purgatione evacuato, exhibeantur ægro initio* „ ℥iij. *vel iv. lactis, videlicet si probè concoquat, & nil molestiarum ex eo sentiat, nec post assumptum lac gravitas in* „ *ventriculo sentiatur, aut singultus excitetur, aut nausea* „ *vomitusque sequatur, nec calor in corpore, nec pulsus intendatur, tunc potest integra libra manè & vesperi propinari;* „ *post assumptum autem lac nec violentiùs se commovebit,* „ *nec dormiet æger.* Usum legitimum diætæ lacteæ communicavi *in Colleg. Schrœderiano Part.* 2. Confer. SENNERTUS *de Febribus N.* 3. *c.* 3. *p.* 351. JOEL *in Praxi Tom.* 5. *pag.* 37. & M. A. N. C. *Ann.* 1. *Observat.* 141. *Alimenta* reliqua sint omnia *temperata* & boni succi, unde *pultes*, v. g. ex oryza, item juscula avenacea temperata, & hordeacea in statu hectico conducunt: de quibus BORELLUS *Cent.* 4. *Observ.* 89., qui multos hecticos tantum non desperatos usu hordeatorum frequenti restitutos esse affirmat. item Chocoolata, Amygdalata, nuclei pinearum, pistaciarum, semina 4. frigida majora, &c. carnes pullorum porcinorum, vitulorum juniorum, caponum, gallinarum & anatum, imprimis ranis & cochleis nutritorum: sunt enim, qui insigniter commendant ranas, earumque coxas, quæ ranarum coxæ frequentiùs esitantur in Italia. Etiam testudines laudantur ad curam hecticæ, imprimis quidem, quando priùs nutritæ fuerint sacchararo & farinâ, & post nodùm coquantur in brodio gallinarum non admodùm salito: sc. volunt, ut testudines seu limaces montani per aliquot dies noctesque in jejunio serventur, posteà sacchararo & farinâ fiat nutritio duabus vel tribus diebus; postmodùm cum aqua & pauco sale coquantur, postremò verò jure optimo galli aut anatis præparentur; hàc enim ratione præparatæ optimè in hectica conducere dicuntur. Confirmat hoc AMATUS LUSITANUS *Cent.* 2. *Curat.* 53., qui curavit quendam per *pullorum gallinaceorum testudinibus nemoralibus* saginatorum esum, & potum *lactis asinini*.

Cancri recentes fluviatiles solent esse admodum usitati, imprimis quorum caro est insignis: certè cancri fluviatiles, rore alcalino nutritivo turgidi, modò à stomacho digerantur, quocunque modo usurpari, imprimis si ex contusis succus eliciatur, conveniunt: subactus cum Decocto aut succo amygdalarum nobile sunt alimentum medicamentosum: vel *cancrorum succus expressus cum butyro recenti Majali non salito mistus* dat *Butyrum antihecticum* quod cōpositum matres familiàs vocant *die Krebs-Butter*, id est: *Butyrum cancrorum*, egregium restaurativum consumptorum: Conf. SACHISIUS *in Gammarol.* Sunt, qui commendant etiam ostreas in hectica, quæ simili ratione benè conducunt, si eas feret stomachus: Sic LINDANUS *super Hartmannum* notabile habet exemplum hecticæ, ostrearum usu curatæ: dicit namque fuisse Amstelodami virginem 20. annorum, quæ *ex ulcere pulmonum in hecticam* inciderat, & jam desperatâ salute per aliquot annos decubuerat: huic ægræ obvenerat voluptas comedendi *ostreas*; unde cùm ipsi gratificatum fuerit 12. præparatis ostreis, his avidiùs consumptis totidem iterum concessæ fuerint: postero die cum ægra senserit, quod ex harum usu se habeat meliùs, plures fuerint oblatæ, & intra breve tempus magnam eorum quantitate m comederit, ac ita brevi in totum ab hectica liberata fuerit, nupserit, & 8. liberos pepererit. Nempe in talibus habeatur ratio stomachi, ejusque quod appetitum dictamen, & quoad digestionem operatio.

LANGIUS *in suis Miscellaneis* commendat anguillam, ut comedatur ab Hecticis, nec hoc videtur absonum: Vid. *ejus Miscellan. pag.* 41., ubi videbitis ejusdem opinionem. Sed præstat sub lactis usu carnium esum intermittere, ne lacti ad corruptionem detur occasio, quin Lactinia sola pro cura usurpentur.

Quod si fluxus alvi adsit, imprimis crassa alimenta conducunt, ut de oryza, pultes farinacci, lac chalybeatum propinetur.

Hæc sufficiant de Febribus continuis, ad quas pertinent etiam primariò Febres malignæ.

CAPUT VI.

DE

FEBRIBUS MALIGNIS.

Febrium in benignas & malignas communis est divisio, cujus *supra*, ubi *de Febribus in genere* actum fuit, mentionem fecimus (hæc enim non, nisi gradualiter differunt.)

Quod ergò attinet *Febres malignas*, seu virus *malignum*, & hujus summum gradum, sc. *pestilentiale*, ita dicuntur propter similitudinem ab hominibus malignis, qui sub specie recti decipiunt. Nam apparenter sunt tales morbi ordinarii, quoad externa signa aut externam formam apparent boni, in se autem reverà sunt pessimi, & gravissima symptomata inferunt. Sunt autem hæc ipsa materialiter nihil aliud, quàm nomina, quæ sortiuntur hi morbi per metaphoram, & in sensu Medico significant certam causæ morbificæ occasionalis seu materialis, & indè ortorum affectuum statum & conditionem, secundùm quam febres ab ordinaria sui natura & nocendi consuetudine, respectu nempe corporis universi patientis, violentiùs agunt & pejores fiunt, ut quasi veneni naturam acquirant, & consequenter summum periculum & mortis metum inferunt, quæ pejor conditio causæ morbosæ per vocabulum malignum solet exprimi. Hàc ergò ratione non tantùm *febres*, tàm *intermittentes* quàm *continuæ* acutæ, sunt *malignæ & benignæ*, sed etiam malignitas & benignitas communis est affectio *omnium morborum*, ut interdum sint *benigni*, interdum *maligni*: sic dantur *anginæ malignæ*, *pleuritides*, *dysenteriæ*, *choleræ*, *diarrhϾ*, *benignæ* & *malignæ*, & sic consequenter etiam in aliis morbis quidam sunt maligni, quidam benigni: In specie tamen in febribus attendenda venit malignitas.

Interim morbi maligni non iidem sunt cum contagiosis; dantur enim febres contagiosæ, quæ non sunt malignæ, ut scabies contagiosa sine malignitate, item coryza, & vice versâ malignæ sine contagio.

Ex his prædictis describitur Febris maligna. Jam ergò uti alius affectus quivis, ita in specie illa *febris* nomen *malignæ* acquirit, quoties subitò ac inexpectatò vires ægri prosternuntur, aut *symptomata* occurrunt *majora* seu longè *graviora* ac *insolentiora*, ac aliàs in affectu simili, aut ex causa ordinario modo constituta oriri possunt. Ex quibus sequitur fundamentum *diagnosticon febrium malignarum*, tales scilicet morbos maximè esse *periculosos*, aut speciatim febres acutas malignas, adeoque subinde brevi *ad mortem* terminari, vel repentinâ symptomatum truculentiâ, vel subitaneâ virium sine causa manifesta prostratione, quâ ratione idem ferè cum venenosis erunt. Sic verbi gratiâ febris talis ex vitio digestionis primæ sub nato fermento febrili est *tertiana* intermittens, si more aliàs solito omnia procedant, est benigna; si autem in hac tanquam in *ardente* subindè immineant vel crebra *animi deliquia*, convulsiones, deliria, vel *ægros anxios admodùm* cum *pulsu parvo* in vigore paroxysmi existere videmus, aliaque symptomata in tertianis graviùs longè, quàm conditio morbi requirit, & planè insolentia affligunt, tunc latet anguis in herba; significat enim *fermentum febrile* ejusque *fomitem depravatum* & corrup-

corruptum, subest *malignitas*, dicitur que Tertiana maligna: Item in Tertiana ardente, si nulla adsit sitis, utut naturaliter esse debeat, suspecta est res, & malignitas subesse dicitur: Si in continuis adest sitis clamosa cum crudis fœcibus, rubra & squalida lingua, præsumptio est febris malignæ: Item si homo adhuc in neutralitatis statu est constitutus, seu apparenter sanus, aut quoque febre apparenter miti correptus, secundâ aut tertiâ die conqueritur de maxima & *subitanea virium prostratione* citra causam manifestam, hoc subindè solet innuere & prædicere morbum malignum.

Vires autem primariò prosterni solitæ sunt imprimis vitales, successivè etiam animales dictæ, utut pro affectuum varia ratione nunc hæ, nunc istæ magis, nunc utræque simul affligi soleant. Differentia tamen, ut in principio malignas cognoscamus, non adeò est cognita: latent subindè febres malignæ in principio, & levioris morbi speciem repræsentant, exercitatioresque interdum fallunt, unde etiam malignæ & mali moris dicuntur; quantum tamen viribus & vitæ insidientur: Si enim tertiâ vel quartâ die se prodit malignitas, hoc nimiùm fit tardè, & occasio medicinam parandi præterlapsa est. Unde simus cauti in febre maligna maturè cognoscenda, ne in perniciem abeant symptomata, quæ in febribus malignis affligunt.

Cognoscuntur imprimis ex pulsu, vel mox in principio nimis *debili*, vel subitò nimis debilitato *&* *parvo*, qui vires animales & vitales prostratas denotat: Quando acidum est forte, pulsus magnus; quando verò acidum depressum est, & regnare incipit, fit pulsus parvus. Pulsus magnus fit à sanguine omnes arterias dilatante, & hoc est à nimia turgescentia & fermentatione, quæ fermentatio ex majori concursu salium.

Inter *symptomata* illa, vel *majora* vel *insolentiora*, quæ ordinariò in *malignis* affligunt, sunt multiplicia, adeò, ut nullum ferè sit symptoma extraordinarium, quod non subindè in una alteravè maligna febre observatum fuerit: v. g. *hydrophobias* in *febribus malignis* observavit SALMUTH *Centur.* 2. *Histor.* 52. item SANCHEZ *in Obs. Medicis*. Interdum malignitas est tanta, ut partes nunc internas nunc externas *sphacelo ac gangrænâ* correptas observare liceat: Confer. HILDANUS *l.* 3. *Obs.* 93. *&* 95. item SALMUTH *Cent.* 1. *Histor.* 7.

Sed quæ *frequentiùs* ac *ordinariò magis* in febribus malignis observavi *symptomata*, sunt: 1. *Subitanea virium sine causa manifesta, eaque ferè omnimoda prostratio*, quæ suspecta est Medico; ita ut etiam longè major in his febribus esse soleat, quàm in aliis, & nunc in principio febris, nunc subinde tribus ac 4. diebus ante decubitum, ac imprimis in brachiis ac cruribus, percipiatur talis virium successivè defectus: *appetitus* mox in totum *prosternitur*, cui interdum *nausea* & *fastidium ciborum* succedit; & quamdiu aliquid jusculi, vel tantillum alimenti *sine nausea*, aut *insigni* adstantium *persuasione* ægri assumunt, semper *bonum* est *signum*, imprimis, si adhuc saporem percipiunt genuinum, & non dicunt: *sapit instar ligni fracidi*: quod etiam, valet si potum ordinarium, v. g. cerevisiam lupulatam, ferre valeant, nec illam aversentur. *Calor* non eam habet *acrimoniam*, quam aliæ *febres benignæ fermentativæ* seu *putridæ*, si nempe ejusdem generis benignas & malignas conferamus. *Symptomata* tamen sunt *graviora*: rarò *foris* adeò *intensus*, atque in febribus continuis usitatis seu benignis, sentitur *calor*, potiùs *interiora* uruntur, exterioribus moderatè calidis: Interdum ægri dicunt; *urit in corpore*, & monstrant *regionem stomachi* seu præcordialem. Certè quando ægri conqueruntur de nimio *calore interno*, & tanto causo partium internarum, utut externè parum aut *mediocriter* saltem *caleant*, pravum *malignitatis*, & ut plurimùm viscerum inflammatorum, tandemque sphacelatorum signum esse solet, ut è cadaverum sectionibus notum est. Undè facilè patet: quare febres malignæ sine exanthematibus nonnunquam pejores sint, ac eæ, in quibus talia copiosissimè erumpunt?

Sitis citra æstus rationem intensissima est, cum ardore faucium, lingua arida, scabra, &c. tandem nempe urget in febribus malignis sitis, ut communium febrium conditionem longè superet; & cùm *æstus* in malignis non soleat esse tantus, quantus in ardentibus, imò interdum adeò mitis, ut ægri de eo non conquerantur, nihilominus tamen gravissimè urgeat *sitis* cum viribus prostratis, signum est, subesse *malignitatem*. Ægri qui insigniter calent, & tamen de nulla siti conqueruntur, simi liter malignitatem adesse monstrant. Hoc an sit periculo sum vid. in LANGII *Miscell. Cur. p.* 38. *item in Epistolis*. Quod si *potus* restinguendæ sitis gratiâ porrectus non solùm nihil prosit, verùm etiam simul *fluctuationem* & *anxietatem* pariat, *&* *lingua* vix abluta, *scabra* & *arida* denuò reddatur, suspiciendum est de *latente malignitate*.

Somnus brevi post deficit, & graves *agrypniæ* ægrum affligunt, eæque nunc sunt *anxiosæ*, nunc *absque anxietate*. *Hæ* ex affectu *nervoso genere* & *spiritibus animalibus*: *Illæ* ex *stomacho* & *præcordio* malè habentibus originem ducunt: quibus deliria & convulsiones infallibiliter supervenire solent: interdum etiam citiùs, quàm febris fert conditio, deliria adesse solent, quæ semper innuunt malignitatem, & sic adrepit tandem mors. Rarum est, quod somnolenti observentur ægri: quod si corripiantur somnolentiâ, est coma vigil. *Pulsus* in talibus febribus, imprimis initio, sæpiùs *naturali pulsui* est *simillimus*, aut non multùm ab eo discrepare videtur: postmodùm tamen subitò *debilitatur*, fitque *parvus*, celer, *debilis* & *frequens*; subindè, imprimis in statu talium febrium, pulsus est *inæqualis*: interdum mox ab initio pulsus formicanti est similis, i. e. minimus & frequentissimus: durus etiam subindè in febribus malignis est pulsus. In genere, uti in febribus continuis, quæ plùs minùs simulant *ardentem benignam*, pulsus est *parvus*, celer *&* *debilis*, certò colligendum est, *malignitatem* subesse, adeò ut, quandiu non nihil *magnus* existit, vel quantocyus *ex parvo* nonnihil major evadit, semper *bonum* esse soleat. Præterea ægri sunt *inquieti* sine manifesta causa & *anxii*, & interdum *jectigatio insignis* & major longè, quàm ratio febris infert, adesse solet, *Inquietudo* illa *anxiosa* non semper toto fit corpore, sed nunc *brachium* unum vel alterum *movent*, nunc *pedem agitant*, aut *extra lectum* exserunt, nunc *integumenta* hinc inde trahunt, nesciti, quare hoc faciant. In febribus benignis frequentissimè etiam sunt *anxii* & inquieti ægri, ut plurimùm mox *in principio* morbi citra causam legitimam, frequentiùs in *incremento* *&* *statu*: Sedem habent in *stomacho*, & ibidem angunt ægros, atque tunc conqueri solent, *se sentire tantam cordis angustiam*: Interrogati, *ubinam esset ipsis illa angustia?* monstrant scrobiculum cordis, *respiratione liberâ* tamen, & *non impeditâ* existente: sed tunc vitium hæret in recrementis variis, nunc pituitosis, nunc, idque frequentiùs, nidorosis aut biliosis, stomachi orificium superius afficientibus: & si simul à contagio fuit malum, nauseant ægri, & sæpiùs vomitum patiuntur.

Interdum quicquid *medicamentorum* porrectum fuerit, denuò *evomunt*, & cæteroquin contentorum nihil. Subindè conqueruntur in istis anxietatibus: *modò vomere possem*; dicunt. Hinc sæpiùs observavi, quibuscunque *vomitorium* in *primo* malignarum *insultu* dedi, hi omnes *morbi cursum*, sive salutaris sive lethalis fuerit, *quieti* *&* *tranquilli*, summâ etiam prostratione virium existente, transegerunt, *in specie* si *contagium* *haustum* fuerit, adeò, ut hoc in casu unum ex primariis videatur auxiliis *vomitus* maturè provocatus. *Anxietates* istæ etsi per *sudores* leventur, tamen *sudoribus cessantibus* redeunt. Nempe hoc in casu non semper copiosa *materia peccans* aut *sordium saburra* adest, quæ stomachum afficiat; sed *effluvia* illa fermenti febrilis *maligna*, quæ dum *sudoris* medio diflantur, primæ viæ ac præcordia liberiora sunt: sed illo suppresso, eadem interiora versus ruunt, & anxietates inferunt; non secus scil. ac *diarrhœa* ex suppressa *diaphoresi* interdum oritur, & contrà hâc auctâ illa cessare solet. *Alvus* utplurimùm pertinaciter *constipatur*: Id quod ferè melius est, præsertim quando excretio cutanea expectanda, quàm si frequentiùs sit *fluida*, quod interdum fieri licet, & tunc *excreta liquida instar fæcum* sunt conspicua, utplurimùm *pessimè olentia*; estque uno nomine super *fluxus* talis *colliquativus*. *Urinæ* utplurimùm sanorum urinis simillimæ, ita, ut hæc in *febre maligna*, quà tali, nullas patiatur alterationes, quin ægri interdum intereunt febre malignâ correpti cum *urinis optimis*, & sanorum simillimis: vid. SCHENCKIUS *l.* 2. *Obs. p.* 278: idque tùm temporis, imprimis quando primaria febris ardentis concurrant symptomata. Unde *tales urinæ* præsentibus aliis pravis signis, *certum malignitatis indicium* præbent. Quod si verò mutatæ appareant, id non tàm ratione febris ut malignæ, quàm ex medicamentis aut alimentis, aut ipso statu massæ sanguineæ ante morbum, id evenit. Interdum urinæ *in statu*

statu turbidæ fiunt, sed sunt *tenues* & crudæ, indeque vel pauco vel nullo *sedimento*; simul etiam *color* talium *dilutior* est, qui tamen nil boni denotat. Unde malignis in febribus coctionis & cruditatis ratio ex urinarum inspectione habetur tanta, quanta in benignis: Interdum, RIVERIO teste, urina in statu concocta apparet, licet ad interitum ruant ægri. Interim tamen, etiamsi pessimè habuerint ægri, modò tamen in summa virium prostratione *urinæ* excernuntur *crassæ*, ac fiunt *turbidæ*, & *sedimentum* plus minus *copiosum*, vel *candidum*, vel *lateritium* simileve, sed *æquale*, deposuerint, tamen semper *bonum signum* est, & neminem cum tali urina intereuntem observavi: Quin & *sudores* anteà impossibiles, aut similes huic *excretiones cutaneæ*, sponte prodire solent. E contra in *febre maligna*, etiam melioribus signis præsentibus, *urinâ* tamen *crudâ* & *perspicuâ*, licet *crassâ* & *intensè tinctâ* existente, & ita perdurante, tamen nihilominus intereunt ægri, utut etiam in tali *clara urina* aliquid quasi *sedimenti flavescentis* seorsim natare videatur; hoc enim chyli portiuncula est, ex assumptis cum urina secreta. Excreta hæc vesicæ & alvi insigniter fœtentia, aut gravi fœtore inprægnata, malignitatem pestilentialem interdum denotant. Facies taliter ægrotantium solet interdum esse tetra, & à statu naturali multùm mutata, livida interdum aut plumbea. Cerebri & partium nervosarum morbidæ seu malæ affectiones; subitò inductæ, neque legitimam inter se proportionem obtinentes, malignitatem denotant.

Capitis dolor intensus, in specie in capitis summitate, affligit. Dum sudant ægri, sudoris odor, imprimis in progressu, est quasi dulcis, qualem odorem spirant cadavera vel carnes animalium, dum putrescere incipiunt, uti frequenter observavi. Sanè notum est, naturalem sudorem habere saporem saltum plùs minùs urinosum. Ego observavi in muliere tertianâ duplicatâ cũ arthritide vagâ laborante, quod acidissimum sudorem sudavit. Dubito autem, an unquam apud ęgrum febre malignâ periculosè correptum acidus sudor observatus sit? Ulteriùs non rarò adest *difficilis Respiratio*, idque speciatim in iis malignis, in quibus excretio cutanea vel imminet, vel conjuncta est; hâc enim vel impeditâ, vel suppressâ, respirationis supervenit difficultas, *cum inquiunt, restitare ipsis in collo, neque velle descendere*. Quæ ferè ad mortem appropinquantibus supervenire solent; unde ab adjunctis symptomatibus variis varias tunc sortiuntur appellationes febres malignæ, ut nunc febres petechiales, à petechiis seu maculis hinc indè se manifestantibus & corporis cutem tingentibus; ac, ubi hinc inde erumperent tubercula minora rubicunda, morbilli; nunc à pustulis seu tuberculis majoribus suppurantibus, ac crustam fœtidam relinquentibus variolæ; nunc ab excretione cutis miliari, quando, prout grana sunt vel rubra vel alba, Purpura rubra & alba, Germ. der rothe und Weisse Triesel appellari solent; quæ alba puerperis solet esse molesta & lethalis. Maculæ variæ superficiales in toto corpore, ac præsertim in lumbis, dorso ac pectore apparentes; vel etiam bubones aut tubercula, simul ac carbunculi erumpentes, malignitatem maximè denotant ad naturam febrium pestilentialium accedentem. Et hæc est differentia in petechis & aliis malignis, quod priùs afficiatur pectus, lumbi, ac dorsum: contrarium fit in variolis, quæ priùs caput occupant. Variant subinde *hæc symptomata in febribus malignis*, ut nunc plura, nunc pauciora adsint: sed *sæpè latent* tales febres, ut non, nisi tardè, Medicus eas valeat internoscere. Sed *suspicio earum* oritur, si in specie hæc septem adsint: nempe

1. Subitanea *virium prostratio*, citra manifestam causam.
2. *Appetitus* penitùs *dejectus* citra causam ordinariam & manifestam, licèt omnes *functiones* sint *naturales*.
3. *Vigiliæ* pertinaces mox à principio morbi, etiam citra quamcumque causam ægrum vexant.
4. Quod *urinæ* tales *sanorum* similes sint.
5. *Pulsus* plus *minus debilis*.
6. *Cum queruntur, restitare ipsis in collo, neque velle descendere*.
7. Quod *citra calorem sitis* admodum sit aut *intensa*, cum *ariditate linguæ & faucium*, aut interdum planè nulla.

Talia utplurimum febrem malignam gravem innuunt, idque eò magis, quò anxii magis & inquieti sine causa manifesta ægri extiterint.

Quia etiam *critica symptomata* nonnunquam *malignitatis signa* mentiuntur, ea dum distinguere docet POTERIUS *l.* 1. *de Febribus cap.* 18, nempe *omnia symptomata graviora quæ apparent ante signa coctionis, morbi maligni rationem habent; quæ autem post coctionem, dependent à conflictu naturæ & morbi, nilque maligni habent, præter speciem & apparentiam*.

Quoad afficiendi modum: febres hæ malignæ nunc, utut rariùs, privatæ sunt, unum alterumve hominem ob causam singularem internam saltem invadentes, nunc, idque crebriùs, epidemicè grassantur in plures, causamque communem habent aerem, vel alimenta vitiata.

Porro febres malignæ sunt vel nõ contagiosæ, quę adstantibus aliis nullam noxam inferunt. Frequentissimè autem simul sunt contagiosæ, aliosque inquinare solent. Rarum est, febrim propriè dictam malignam, si gradus sit excellentior, non esse contagiosam. Hinc observanda venit *febrium malignarum differentia* à LINDANO *super Hartmannum* insinuata:

1. *Febris maligna simpliciter*, v.g. quando *Synochus*, aut *Tertiana continua*, vel *intermittens*, suâ naturâ benigna, ex degeneratione causæ occasionalis seu fermenti febrilis, ex parte acrioris & subtilioris, pessima inferentis symptomata, facta est *maligna*.
2. *Maligna contagiosa*, v.g. *petechialis*, *febris castrensis*, vel *Morbus Hungaricus*: quò utplurimùm etiam pertinent jam dictæ *epidemicæ malignæ*.
3. *Febres pestilentes*: quarum summus gradus est
4. *Pestis ipsa*, Rex morborum.

Quoad malignas contagiosas: Fundamentum harum consistit in tali *fermento maligno spirituoso*, (h. e. quod ob *acrimoniam malignam* summè *activum*, adeoque sui mediante intestino quasi fermentativo motu apta in materia, *multiplicabile* existit; ob *volatilem* verò & *spirituosam naturam spiritibus nostris* imprimis *communicabile*, & hinc absque activitatis impedimento in distans quoque *diffusibile* & *summè penetrabile* est;) quod *auræ* seu *odoris* instar, adeoque in minima mole *contentis nostris*, præsertim *spiritibus nostris*, sociatum assimilationis modo *se multiplicans*, *efflaviorum spirituosorum* medio disseminatum, *spiritibus* sibi *symbolizantibus* se sociat, sicque etiam *sanum* inficit, hujus massam sanguineam fermentando, aut potiùs ad putredinem disponendo. Ut enim tantillus fermenti odor sæpè integram cellam cerevisiæ & vini potest turbare; ità simili ratione vel tantillum contagioli miasmatis fermentativâ potestate sæpiùs afficere potest multos homines. Nempe *contagium* hoc ex ęgri corpore expiratum non solitariè, sed cum substantia spiritus insitui unà exhalantis sociatum, videtur se imprimis associare *mumiæ nostræ spirituali vitali*, unde hoc appropriatum est ad corpora humana; & hinc v.g. in *peste humana* saltim homines, non verò alia animalia, inficiuntur. Propter hanc mumiam contagiosam fit morbus contagiosus in *consanguineos*, quatenus inter eos est convenientia spiritus vitalis, seu radicis mumialis; undè faciliùs ab ægris consanguinei, quàm alii homines, affici solent.

Contagium duplici modo *afficit*, nunc per *contactum* corporalem, nunc *in distans*. *Per contactum corporalem* fit vel immediatè per ipsum *contactum* corporis sani vel ægri, vel mediatè, mediante certo *fomite*, v.g. mediantibus vestibus, alimentis & similibus. *In distans* seu *virtualiter*, mediante *aere* per inspirationem se multiplicare solet. *Contagiũ* hoc virtuale, quod *cũ aere* hauritur, & se nobis insinuat, sæpissimè febres malignas, ac pestilentiales constituit: Hoc, præter *sanguinem aut ipsos spiritus* per pulmones circulatos, in specie *orificium stomachi superius* graviùs affligere solet. Quod immediatè afficiatur *stomachus*, etiam patet ex eo, quod tales infecti, ubi alias nullam alterationem senserint, conquerantur tamen mox de quadam *molestia in orificio ventriculi superiore*, quam molestiam sępiùs sequitur *nausea*, quę nausea si superveniat, *bonum est signum*; innuit enim stomachũ insurgente contra malignitatẽ, nec statim fuisse nimis alteratũ si modò massa sanguinea a nullo miasmate alterata sit: Et rectè dicit LINDANUS, in constitutione epidemica hoc observandum esse, neminem sponte & sine causa manifesta nauseare (nisi forsan hoc sit ex ingluvie) nisi qui miasma contagiosum susceperit, à quo ventriculus irritatus nauseat; unde etiam subitò præsente tali nausea pro-

provocandum est vomitus, ut succurratur naturæ nauseanti. Multi statuunt partem affectam in febribus malignis esse stomachum: quod facit HELMONTIUS qui dicit, febres malignas consistere in convexo stomacho, alii: dum observarunt escharam & gangrænam in stomacho, statuunt, solitarie stomachum esse affectum. Modus, quo contagia stomachum afficiant, non adeò est clarus: Probabile est, afficere contagium *stomachum*, quatenus *aer* haustus contagio plus minus inquinatus & impregnatus *salivam* inquinat, quæ ita impregnata subindè per gulam descendens, *stomachum* afficit, & contagium ibi deponit: hinc optimum præservativum habetur salivæ exspuitio, quamdiu nobis cum personis infectis vel loco suspecto res est: Vid. M. A. N. C. *Ann. 9. Obs.* 170. Non enim possum consentire Helmontio, qui dicit, cribrari aërem per pulmones, & ex iis transire per diaphragma, & hinc ad stomachi ambitum pertingere; sunt siquidem viæ nimis dubiæ: id quod videtur confirmari per opinionem BARTHOLINI, qui asserit, quod *in febribus malignis* affectus locus primarius semper sit *stomachus*, ex eo, quod in quibusdam, febribus malignis ardentibus demortuis, in ventriculo vel *inflammatio*, vel *eschara*, vel *sphacelus*, vel similes affectus observati fuerunt; utut præter ventriculum intestina aliaque viscera interna reperiantur interdum similiter sphacelata, postquàm ægri in cursu morbi de nulla molestia conquesti fuerunt, quàm de causo interno; vid. BARTHOLINUS *Cent. 3. Hist.* 68. & 80. uti etiam in *Cent. 2. Epist.* 42. item HELMONTIUS *Tumulo Pestis pag.* 843. & PANAROLLUS *Pent. 4. Obs.* 3. Sicut enim alias ventriculi orificium valde sensile est, ita etiam à contagio, systema nervosum afficiente, illa ventriculi molestia oriri potest, quatenus miasma malignum intra corpus inspiratum spiritus & systema nervosum semper aggreditur; adeoque nil obstabit, quin allegatæ ventriculi erosiones interdum etiam pro producto morboso habeantur, simili modo, ac carbunculi & bubones in partibus externis conspicui.

Quoad *febres epidemicas*, malignis privatis, & quæ ex particulari contentorum corporis, præsertim in primis viis, *dyscrasia*, & hinc *maligna volatili acrimoniâ* oriuntur, oppositas: hæ vel *vitio atmosphæræ*, vel *vitio victus* generari, & his mediantibus in plures grassari solent. Quod si *contagii* simul accedat *violentia*, eòtiùs diffundere se solent. *Atmosphæram* quidem multiplicia *effluvia* inquinant, vel ipsa *nobis* in se *hostilia & maligna*, vel mutuo *halitu & associatione* nobis contraria facta, vel (quò inclinat HODGES *Tract. de Peste Londinensi p.* 39.) *spiritus nitro-aëreus* alterativus, & quasi corruptivus, quò minùs usui vitali nobis ampliùs inservire queat.

CAUSÆ.

Cæterùm quæstio hic est in specie: quæ sit causa proxima febrium malignarum? seu in quonam consistat ratio formalis venenositatis, malignitatis aut virulentiæ? (nam hæc tria sunt synonyma) tàm *morborum malignarum* in genere, quàm in specie *malignarum febrium*?

De hac controversia in specie 4. primariæ prostant *opiniones*.

I. Opinio docet: consistere *malignitatem* in febribus malignis in *singulari* quadam putredine ac *corruptione humorum*, quâ humores intensiore *putredine* quasi afficiantur, & ita totum corpus putridum quasi reddatur. Verùm eo ipso, dum non explicatur, in quo consistat talis putredo seu corruptio? aut quid per eandem intelligant? sententia hæc neminem sapientiorem reddit.

II. Opinio est WILLISII *Tr. de Febrib. cap.* 12. & aliorum quorundam *modernorum*, qui volunt: in *febribus malignis* sanguinem disponi ad *coagulationem* præternaturalem, ita, ut hinc inde *semi-grumosus* hæreat, sicque circulum naturalem turbet; undè etiam tàm cetera superveniant symptomata: quam WILLISII sententiam apprehendit D. JOHANNES DANIEL MAJOR *in Tract. de Chirurg. infusoria*, & huic chirurgiam suam infusoriam superstruit. Confer. etiam RIOLANUS *Encheir. Anat. l. 2. ca.* 27., qui in febribus ardentibus malignis aliquoties vidit sanguinem concretum intra venas instar medullæ sambucinæ; quod etiam observatum à FERNELIO *l. 6. Physiol. cap.* 7. & SIMON PAULI *in Parecbasi de Febribus Malignis* §. 8. Verùm, quod tamen aut non semper adsit talis sanguinis coagulatio, non solùm per experientiam refutari asserit SYLVIUS, qui se observasse affirmat, sanguinem venæ sectione aut per nares evacuatum vix concrescere aut coagulari, quin potiùs nimis fluidum, liquidum ac tenuem, apparere, à qua sanguinis fluiditate potiùs, quàm coagulatione, febres malignas deducendas esse asserit; sed etiam non ineptè rejecit CAROLUS *le* FONT, *Medic. Doctor in Academ. Avenionensi in Gallia, Tr. de veneni Pestilentialis natura & cura Diss.* 1. *cap.* 15., qui potiùs *venenum corrosivum de natura arsenici causam pestis*, hinc &, mutatis mutandis, *Febrium malignarum* statuit.

III. Propterea ipse SYLVIUS *in Praxi*, ubi de *Febribus malignis*, item *de Peste*, *malignitatis cujuscunque* naturam & causam materialem in *acrimonia nimia*, nunc *lixivosa* seu *urinosa*, nunc *acida*, consistere asserit: vid. *Tr. de Lue Venerea* §. 130.: in specie autem in *febribus malignis* peccare acrimoniam *salis volatilis alcali nimis acris*, acidum nostri corporis destruentis, atque sanguinem & lympham dissolventis, & nimis fluidum reddentis, atque ejus consistentiam naturalem destruentis; adeò, ut ex deperdita consistentia, ejus turgescentia & rarefactio in corde impediatur, quin & spirituum animalium generatio imminuatur; undè stillicidia sanguinis, hæmorrhagiæ, esse signa sanguinis nimis fluidi à sale volatili acri dissolvente: Confer. etiam SIMON PAULI *l. a.*, qui sal acre in sanguine radicatum & fundatum statuit Febrium malignarum proximam causam: Confirmant ex eo, quod acida curent & præservent à malignis, & quod sulphurea in febribus malignis prosint.

IV. Opinio est eorum modernorum, qui *malignitatem* febrium consistere volunt *in verminatione*, seu, uti vocant, *putredine* & corruptione *animata*, cujus sententiæ Patronus est imprimis KIRCHERUS *Tract. Scrutinium Pestis*, aliàs elegantissimo. Consentit eidem LANGIUS *in Præfatione* hujus scripti, & *Dissertatione de Morbillis*, uti & AUGUSTUS HAUPTMANNUS *Tract. de viva mortis imagine*, item in *Epistola de hac materia ad Petrum Johannem Fabrum* scriptâ, & *Tract. de Thermis Wolkensteinensibus*. Volunt nempe hi, in omnibus febribus malignis & ulceribus gangrænosis talem adesse putredinem sanguinis, ut exinde copiosissimi & minutissimi generentur vermiculi, qui ubique scaturientes & corpus lancinantes tàm varia inducant symptomata, necesse est. Nec deest experientia: in variolis sanè minutissimos vermiculos refert BORELLUS in suis *Observationibus per microscopium factis*: Sic PETRUS à CASTRO *in Peste* Neapolitana bubones vermiculis scatentes, & Emplastra bubonibus applicata vermiculis innumerabilibus referta fuisse observavit. Sanè KIRCHERUS non solùm *in Scrutin. Pestis*, sed etiam in *Arte Magna Lucis & Umbræ l.* 110. *Part. 2. Pragmat.* 2. innumeros vermiculos minutissimos in quavis febre putrescente, in plantis putridis, aceto, lacte, cadaveribus, lignis, fructibus, nec non in sanguine Febrientium, in cerebro hominis, aliisque ejus partibus ex putredine ortos per microscopium observavit: vid. etiam *Mundus subterr.* KIRCHERI *libr. de veneno pag.* 107. Quin imò & HAUPTMANNUS per microscopium in sphacelo ex lue *Venerea* oborto observavit quamplurimos vermes ad instar limacum, *Germ. Wie Schnecken*, sed minutissimos, qui carnem, non secus ac vermes caseum, morsicantes erodissent ac consumpsissent, & unicus ejusmodi vermiculus chartæ impositus brevi spatio 30. alios extra corpus rejecerit. In peste sævissima, quæ totam Lusitaniam depopulatam reddidit, principio morbi omnibus vermium nigrorum rotundorum copiam per nares manasse, observavit ZACUTUS LUSITANUS *lib 4. Medic. Princ. Hist.* 46 *Quæst.* 42. ZAPFFIUS *in Dissertat. de Morbo Hung.* inquit: *Ipse in nupera dysenteria laborantibus per* „ *microscopium aliquoties observavi innumeros vermiculos*, „ *albos & rubros*, *acaros magnitudine æquantes*, *cum rostulis hamatis*. *Item in puerpera hujus loci sinistræ mammæ*, *quæ laborabat ulcere*, *multa remedia*, *sed incassum*

fue-

„ *fuerunt adhibita: tandem in suspicionem vermiculorum ex* „ *lacte putrescente incidit, cremorem crassiusculum effluentem per microscopium examinans, tunc aderant innumeri* „ *vermiculi minimi, quales in caseo apparent, postea adhibito bufonum pulvere cum pauxillo oleo arsenici, vermiculis* „ *enecatis ulcus brevi fuit consolidatum.* Sic habitum corporis verminosum cum variolis & pustulis vidit RHODIUS *Cent.* 3. *Obs.* 64. Confer. etiam M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 50. *pag.* 147. & *append. ad hunc annum*, *ann.* 2. *annex. pag.* 23. *ann.* 6. & 7. *Obs.* 188. & *ann.* 9. & 10. *Obs.* 130. *pag.* 305. Probabile ergò admodùm videtur, *sanguinem*, præsertim *malignè febricitantium*, admodùm *verminosum* existere. Sed hanc opinionem, & hinc malignitatem derivatam, optimè ventilat MARCUS MARCI *in suo Tr. Philos. Veterum Restit.* *Part.* 4. *Sect.* 8, dum dicit: „ *Autores oriri putant ex vermibus, cùm igitur corruptio non* „ *adsit, unde putredo & vermes? qui nonnisi putredine præcedente generari possunt?* Idem est, ac si dicat: *vermes* non nisi *præcedente putredine seu corruptione sanguinis & humorum* posse generari, adeoque potiùs effectus esse corruptionis malignæ, quàm ejusdem formalem rationem, ut reverà æger possit corripi febre malignâ & etiam mori, antequam tales variant.

Ex his *hypothesibus* certi quid determinare in tanta rerum obscuritate, difficile est. Ut tamen id, quod magis mihi probabile videtur, dicam, arbitror: febres *malignas* consistere in *acrimonia intensissima* & simul *volatili*; sive *acerrimum fermentum & spirituosum*, adeoque *intimè penetrans*, & tàm *fluidorum corporis texturam* insigniter immutans, quàm *solidarum sensibilitatem* singulariter irritans, esse *causam formalem malignitatis*; vel, ut SYDENHAM loquitur *Observat. de morbis acutis Sect.* 5. *cap.* 5., *malignitatem* in epidemicis morbis *in particulis calidissimis & spirituosissimis* consistere, ita, ut *malignitas ad venenorum* naturam, quarum vis in acrimonia summa, sub minima mole insigniter activa consistit, accedere videatur. SYLVIUS equidem cum modernis quibusdam in febribus malignis putredinem sanguinis inchoatam, inductam ab *acrimonia lixiviosa* seu *alcalina*, destruente sulphur sanguinis vitale, intelligit, unde & eius consistentia & fermentatio vitalis & spirituascentia debita deficiat, adeoque ejus putredo, & hanc mors necessariò insequatur.

Atque hæc, quibus hanc sententiam probabilem reddere conatur, sunt varia.

(1) Quod vita sit radicata & fundamentaliter consistat in solo sanguine, adeoque febres malignæ afficiant primariò sanguinem.

(2) Quod radix hæc vitalis, in solo sanguine supposita, consistat in crasi ejus seminali, in qua vita vel sana vel ægra, vel longa vel brevis, fundamentaliter deducitur; unde crasis hæc seminalis in malignis plùs minus destruatur & pervertatur.

(3) Quod craseos hujus formalis ratio in acido pingui, seu sulphure & alcali volatili, certâ proportione in massa sanguinea unitis, consistat, à quibus & textura seu mistio, & fermentatio, & spirituascentia ejus dependeat; unde in malignis vel acidum sulphureum, vel alcali, vel utrumque afficiatur, & depravetur à malignitate.

(4) Sulphur sanguinis, quod acidum occultum gerit, agentis; alcali verò patientis rationem habeat: undè magis in substantia sanguinis sulphurea affecta malignitatem consistere. Sulphur enim in sanguine aliàs vocatur id, quod veteres calidum innatum vocarunt.

(5) Afficiatur & alteretur proximè sulphur tale sanguinis vitale ab acri ac volatili quodam alcali, quod & substantiam ejus dissolvat, & acidum enervet, & pingue im bibat; undè in malignis acre volatile alcali peccare verosimillimum esse.

(6) Rationem vero istam, quâ alcali dissolvat sulphur acidum concretorum, & quam ordinariò sequatur misti solutio, esse putredinem: Consistit nempe hæc in tali minimorum actione mutua, secundùm quam alcali prædominatur acido, & dissolvit intimiùs pingue, unde misti destructio, & fœtor, aliaque subsequantur effecta. Putredo enim est ab alcali, fermentatio verò ab acido.

Adeoque (7) concludunt, malignitatem febrium consistere in putredine sanguinis, inchoata ab alcali acri volatili, destruente ejus sulphur acidum vitale, indeque delente ejus texturam fermentativam & spirituascentiam.

Cùm vero (8) naturaliter aër inspiratus sale universali vitali turgeat, quo conservetur istud acidum in sanguine, ob id hoc sale universali enervato, aut alterato, aut inquinato, disponantur tàm facile corpora ad morbos malignos, vel immediatè inspiratione hi ipsi propagentur.

Sed cùm *alcalia* potiùs passivè sese habeant, quàm activè, & ubique *acidorum* ductum sequi soleant; *nervosarum* etiam *partium symptomata*, v.g. *deliria*, *vigiliæ*, &c. in plurimis perquàm frequentia, potiùs *ab acido acri*, quàm *urinoso*, videantur oriri; & *constitutio partium vitalis* quarumvis, tàm *solidarum* quàm *fluidarum*, seu Veterum *calidum nativum*, quæ *in malignis* in specie oppugnantur; in *acido volatili* (quatenus TACKENII hactenus probabilissimis, dum meliora monstrata nondum sunt, hypothesibus insistere placet) potissimùm fundata sit, quæ non, nisi à *symbolizante*, sed *vitioso*, & illud quasi *subjugante*, vitiari potest *acido*: remedia quoque in febribus malignis, imò ipsa peste usitatiora, ut *salia volatilia*, *camphora*, summum alexipharmacum, myrrha, & alia resinosa, quatenus acidum acre pinguendine balsamicâ temperant & corrigunt; *animalium* partes duræ, ut *cornu cervi*, *ebur*, *unicornu*; item *terræ* medicatæ *pingues*, sulphure metallico plùs minùs imprægnatæ, hinc plùs minùs *temperando absorbentes*, ut *terræ sigillatæ*, *bolus Armena*; quæ habent sulphura metallica fixa, ut cinnabaris, *Antimonium diaphoreticum*, *Bezoardicum minerale*, Joviale, & omnia Bezoardica, remedia *solaria*, *diaphoretica*, &c. quæ speciatim *acidum volatile temperant & corrigunt*, ac plus minùs *figunt*, destruunt & absorbent, istudque fixatum & quasi cicuratum, mediante sudore, unà cum parte cruoris alterata, foras amandant: probabile reddunt, *Acidum acerrimum volatile seu spirituosum* potiùs *malignum* istud in *febribus* constituere, quàm *urinosum* seu *lixiviosum*: Nam, uti rectè dicit SYLVIUS, in antimonio sulphur esse quoddam singulare ac mirabile, à quo mirè temperetur quodcunque acre, & imprimis figatur quodcunque salsius vel acrius. Unde etiam causus, aliæque fixiores *continuæ febres*, tàm vicinæ sunt *malignis*, ut hæ subindè sub illarum regimine lateant, & illæ quoque promptissimè in has degenerent, quatenus facilè *fermentum febrium* harum *benignum* seu *mitius*, *acrius & volatilius* reddi, indeque *malignitatem veram* contrahere potest. Ut taceam *variolas*, *Pleuritides* ac similes manifesto *ex acido* natas *febres*, sæpè *malignas* simul existere. Sed si ritè hæc consideremus, *malignitas* hactenùs explicata non nisi istas *febres* attingit, quæ *ex contentis corporis humoribus*, *maligno* tali *fermento* inquinatis, oriuntur, quæ *mitiores* saltem esse videntur, cùm *graviores ex infectis*, & *maligno afflatu* quasi *vitiatis spiritibus*, primariò oriri videantur, qui *infecti* exinde notabiliter *immutati*, & plus minùs *syderati*, seu ex parte *mortificati*, contenta corporis, in specie sanguinem, pessimè vitiantes *malignarum febrium*, & in specie *pestilentialium*, ipsiusque *pestis*, fundamentum existunt.

Nempe afficiuntur in *febribus malignis* primariò quidem spiritus & *contenta corporis*, utut secundariò etiam *acres malignæ particulæ* generis nervosi partes quasdam, v.g. ventriculum, plùs minùs affligere soleant.

Prout autem *particularum fermentativarum* non est *differentia* in proprietatibus & activitate, ita etiam *malignitas* quibusdam in febribus magis *humores*, præsertim *sanguinem*, inquinat, in aliis verò *spiritibus* maximè infesta est, quorum prævio inquinamento & massam sanguinem plus minùs afficit. Ut hoc pateat, observandum, quod *symptomata* illa inter *graviora & insolentiora* primatum ducat *nimia* & subitanea *virium prostratio*, tàm ex ægri *narratione*, quàm ex ægri *pulsu* cognoscenda. Cùm verò omnis *vis corporis*, *viriumque robur in spiritibus* situm sit, non poterit in malignioribus febribus tantus *virium collapsus* tàm repentinus esse, nisi *malignitas* seu *venenum* primò *spiritus* occupet, hosque immediatè destruat, & his mediantibus *contenta cætera fluida*, speciatim *sanguinem*, inquinet, ejusque fermentationem, & spirituascentiam lædat: id quod ulteriùs cætera *concurrentia symptomata* febrium malignarum confirmant: *Pulsus* nempe frequens, celer, *parvus*, uti in febribus petechialibus observari solet, corpore adhuc ad sudorem disposito, qui deficientem turgescentiam & fermentationem sanguinis [illegible]

fecti

fectu spirituum moventium, qui non sufficienter vibrantur in corde, & nimiam ejus confusionem, & in fermentatione inordinationem ostendit, unde potiùs per cor fluit, quàm ex eodem turgescendo ebullit. Urinæ in malignioribus, aut pessimo ægri statu naturalibus similes subindè; item agrypnia ac delirium, convulsiones, cum omnimodo ferè sudoris defectu, in talibus febribus citò ac frequenter affligentia, contagium efficacissimè & latissimè in distans non raro se diffundens, quod saltem *subtilissimis ac spirituosis particulis* competere potest, adesse testantur. Confer. hic in specie VELTHUSIUS *de Usu Lienis pa. 134. & seq.* Ac sanè plures *contagiosiores*, & speciatim *pestilentes*, ipsaque *pestis* in specie, *spiritibus* inimicæ sunt.

Sunt autem *spiritus*, virium fundamentum, *duplices*: vel *vitales*, vel *animales*; qui tamen mutuo nexu & functionum circulo mutuas opes sibi conferunt, & ad conservationem sui ac totius corporis intimè conspirant. Probè itaque attendendum: utrum in maligniore febri magis *spiritus vitales* cum massa sanguinea à malignitate inficiantur? an verò *spiritus animales & genus nervosum* magis afficiantur?

Spiritus vitales, & hinc *massam sanguineam*, primariò affectam esse, persuadent:

1. *Æstus* intensus cum *pulsu* celeri, frequenti, & parvo.
2. *Sitis* clamosa, *fauces* aridæ, *lingua* scabra, nigra & fissa.
3. *Calor* moderatus cum *pulsu* celeri, frequenti, & inæquali, mox sub *ingressu morbi* apparentes.
4. *Anxietates* & inquietudines, propter bilem porraceam vel æruginosam, quæ in stomacho delitescens maximas molestias infert.
5. *Colliquatio*, speciatim fluxus alvi colliquativus, ad instar Purgantium malignorum ex simili acido volatili acerrimo originem ducit. Hoc opprimit spiritus vitales, & cum bile commistum massam sanguineam attenuat, & plùs minùs colliquefacere solet.
6. *Sudor* subdulcis & nauseosi odoris, qui putredinis inchoatæ est comes, similis odori cadaverum ex inchoata sanguinis corruptione, ab acido volatili acri orta.
7. *Sanguis* nimis *fluidus*, tenuis & admodùm dilutus, difficiliùs aut planè non congrumescens, qualem SYLVIUS observavit: sicuti & SIMON PAULI, qui etiam ex acrimonia volatili derivat Febres malignas, in *Parecbasi de Febribus malignis*, libro elegantissimo, *pag. 14. & 21.* sanguinem florentissimi coloris venâ sectâ emissum, pessimum morbi maligni signum asserit: Simile etiam fatetur BRUNO *in Iessen. pag. 89.* Veteres dixerunt: si sanguis venâ sectâ non concrescit, malum est; innuit enim defectum fibrarum ex putredine. Sufficit, veteres statuisse talem defectum esse signum inchoatæ putredinis in sanguine. Observatum sæpiùs fuit in febribus malignis, quod partes solidæ dispositæ fuerint ad putrefactionem, teste Hildano *C. 3. Obs. 93. & 95:* PANAROLLUS *Pentec. 8. Obs. 48.* HORSTIUS *Decur. 5.*

Huc etiam 8. pertinet *Stillicidium sanguinis* per nares, per uterum, &c. in febribus malignis interdum observatum: vid. HOECHSTEDTERUS *Decad. 1. Cas. 3.*

Spiritus verò *animales* ac *genus nervosum* primariò magis affectum ostendunt:

1. *Ardor capitis* circa frontem continuus, & longè intensior, quàm in reliquo corpore.
2. *Pulsus durus* citra partis cujusdam membranosæ in quadam corporis regione notabilem affectum, simul *frequens*, *celer*, &c. Tales *pulsus cum duritie* sem per *suspecti* esse solent.
3. Si cum *pulsu laudabili*, h. e. magno, vehementi, æquali, frequenti, *æstu* plùs minùs *intenso*, tamen *summa virium prostratio*, aut *stupor*, aut *facultatum animalium defectus* se exerat.
4. Si *urina* parum à statu naturali recesserit, aut *tenuior*, quàm morbi ægrique conditio requirat, fuerit, adeoque pertinaciter *cruda* extiterit.
5. *Agrypniæ pertinaces* sine causa manifesta.
6. Appetitus prostratus, nausea & vomitus; hinc & ventriculus subindè escharâ, tanquam vesicatorio aut caustico affectus, deprehenditur: vid BARTHOLINUS *l. a.*

Forsan & 7. huc pertinet, si *arida*, *scabra*, vel plùs minùs *squalida cutis* ægri fuerit absque *vaporoso calore*, vel *blandi madoris* vestigio.

Talium, adeoque malignarum febrium *malignitatis*, quæ *spiritus* afflando quasi adeò pessundant, *ratio* à priori hactenus *imperscrutabilis* extitit, ipsâ spirituum naturâ & existendi ratione nondum exactè exploratâ. Sanè *contagia* magis *activa* seu *spirituosiora* & *potentiora* in *spiritus* imprimis agere, præter modò dictas rationes persuadet *imaginatio*, quæ non, nisi *spirituum ministerio*, peragitur, & tamen efficacissimè *contagiorum receptionem* promovet.

Ex hactenùs dictis lucem fœneratur: unde *æstus & febrilis sanguinis ebullitio* utplurimum *remissior in febre maligna* observari, & vix unquam ad gradum *ardentium* assurgere soleat, pessimo licet ægri statu. Unde notatu dignissimum est assertum SYDENHAMI *de Methodo Med. pa. 43.*, quamvis *malignitatem*, quæ sanguinem adoritur, *sine insigniore febrili ebullitione periculosiorem longè esse*: aut enim *spirituum* magis affectorum & quasi *syderatorum*, quàm *turbatorum humorum*, est indicium: aut saltem in *humoribus*, præsertim *sanguine*, à fermentativis malignis miasmatis *confusionem*, & in *textura* & *motu intestino* eorum *inordinationem* indicat, & ita incalescentia quidem, sed internè saltem gliscens, non verò ad exteriora pergens, accidit; unde natura quasi oppressa non potens est symptomata illa magis regularia exercere, quæ morbo competunt: Conf. etiam ejus (SYDENHAMI) *Observ. de morbis acutis Sect. 5. cap. 5. pag. 362.* Sanè in istis *malignis*, quæ cum *excretione cutanea* contingunt, v. g. *petechialibus*, *variolis*, *purpura*, &c. tantum abest, ut *æstus & sanguinis ebullitio* gravioris morbi sit indicium, ut potiùs, modo non nimius fuerit, promoveat insigniter & separationem & excretionem producti illius morbosi sub cute defixi; cùm hi è contra periculosiùs se habere soleant, in quibus deficit magis calor & æstuatio corporis febrilis; unde & parciùs & tardiùs excretio talis cutanea procedere solet. Equidem in *malignis febribus*, quæ ex *interna contentorum degeneratione* oriuntur, item in *variolis*, *morbillis*, &c. massa sanguinea magis affici, & hinc etiam *febrili acutâ* sanguinis effervescentiâ agitari solet: sed in *acutioribus pestilentialibus*, *peste* ipsa, *spiritus influos* imprimis affici & quasi mortificari, aut necrosi affici videntur.

Causa ergò proxima febrium malignarum videtur esse acidum volatile acre seu spirituosum aut malignum, spiritus corporis nostri vitales & animales enervans, & plùs minùs destruens.

Causæ malignitatis remotæ, præter contagium corporale, sunt admodùm variæ: nunc externæ, nunc internæ, prout nunc epidemicè, nunc non epidemicè grassantur. Externæ sunt, quæ forinsecùs accedunt, vel inspirata, vel assumpta: Hæc sunt corrupta putrida inquinata, tàm vegetabilia, quàm animalia ægrotantia: Inspirata sunt aer, isque vel contagio putrefactivo ab alio ægro inquinatus; vel effluviis aliis malignis undecunq; exhalantibus est infectus, uti fit in constitutione epidemica plùs minùs pestilentiali; vel aer ab anni diversa tempestate, imprimis austrina, i. e. calida & humida, ita alteratus, aut sale ejus universali balsamico omnium rerum conservativo plùs minùs hebetato aut enervato corpora nostra ita disponantur, ut facilè & quasi spontè in putredines inclinent, & tales semper sunt epidemicæ; vel denique aër nimis quietus, aut in loco minùs apto conclusus, qui subinde insigne vitium contrahit, ut talem aërem inspirantes postmodùm quasi veneno afflentur. Singulare exemplum aeris maligni habet RULANDUS *Tract. de Febre Hungar. c. 8. p. 231. de febre maligna ex attractione auræ, ex ventilatione frumenti*, per aliquot annos quieti, obortâ: Sic ex *fœtore paludum & rerum injectarum putrescentium febrim malignam pestilentialem* paucos ante annos Lugduni Batavorum notat HELVETIUS *in Diribitorio p. 65.* Et sanè frequentissimam *febrium pestilentialium* originem rerum talium corruptarum fracedines esse, jam diu observatum est: confer. du HAMEL *de affection. corporum pag. 438.*, ubi, quomodo tales fracedines febres pestilentiales inducant, tractat. Undè & post magnas hominum strages, & corporum putrescen-

tium

alium aut minùs debitè sepultorum *putredinales exhalationes*, & in diuturnis obsidionibus aut castris non mutatis, ex varia colluvie putrescente exhalantes *fracidi odores*, febres epidemicas malignas, quasi pestilentiales suscitant febres. Ut nihil hic dicam de *antris subterraneis*, antea diu clausis, apertis, de *terræ motibus*, &c. crebriùs *febres malignas* comites trahentibus. Quoad *victus errata*: nil notius est, quàm *famem sequi pestem*: Item esus alimentorum nonnihil putridorum, præsertim carnium absque *salis condimento*, subindè etiam solet esse causa, ut oriantur febres malignæ: Sic BORELLUS *Cent. 2. Observat. 32.* febrem malignam epidemicam ex esu *carnium* bestiarum *ægrotantium* obortam notat. Item potus *aquarum putridarum*, aut usus *fructuum horæorum corruptorum*, aut *malignâ aurâ afflatorum*, fœcundæ matres *morborum*, speciatim *febrium malignarum epidemicarum*, esse solent: Sic EPIPHANIUS FERDINANDUS *Hist. Med.* 11. notat febrem malignam lethalem ex esu fungorum: vid. SCHENCKIUS *in Obs.* Item febrim malignam petechialem ex esu cicutæ cum oleribus recentibus subortam notat SIMON PAULI in sua elegantissima παρεκβάσει *seu Digressione de Febribus malignis pagin.* 3. Et quæ sunt similes aliæ causæ remotæ, quæ malignæ censentur: de quibus vid. KIRCHERUS *in Scrutinio Pestis*.

Interna causa remota multis videtur dubia, an & quomodo stante humanâ vitâ possit aliquid putridi & maligni & quasi veneni in corpore gigni? quod tamen non, nisi ex natura veneni non ritè intellecta, originem duxit. Sed qui considerat varias & subindè inconceptibiles *alterationes humorum* in corpore nostro secundùm *res nonnaturales*, præsertim varia assumpta; & *præternaturales*, in specie in primis viis, ubi naturaliter feces segregatæ putredinem, & indè certum fœtorem contrahunt, & *multiplices miscelas*, & per *medicamenta* quoque factas eorum *mutationes*, & exinde *mirabiles texturas* ac hinc *proprietates novas*, ac planè *singulares sapores* ortos; itemque qui perpendit, quod in vivente corpore gangrænæ, sphacelique fiant, is non dubitabit etiam, quin tàm in sanguine, quàm in solidis partibus putredo, adeoque ut ardentes graviores, ita & *malignæ* mitiores, in corpore, in specie ex primis viis, suscitari possint: Nam & irati hominis morsus venenosus non absque ratione quibusdam putatur. Sic v.g. *succus pancreaticus & felleus* naturaliter constituti tertium *temperatum succum* constituunt, quorum *alteratio*, præsertim pancreatico acriori aut acidiore existente, *bilis æruginosa* dicta, plus minus *hostilis*, prout *acrior* seu *mitior* eadem fuerit, & ob pessima symptomata, quæ interdum inferre solet, plùs minùs *maligna* oritur. Probat hoc ipsum quoque convenientia febris ardentis acutioris cum febre maligna: Nam intensior ardens, item quæ ab iracundia excitantur febres acutæ, eæque ex bile vel nimis oleosa natæ, acido volatili constante, proximè subindè accedunt ad malignas; aut saltem iisdem ac similibus sublevantur remediis. Unde qui vitæ tenacioris, qui abundant acido, ut melancholici, scabiosi, &c. aut non adeò periculosè corripi solent malignis febribus, propter acidum potentius, acidum volatile acre figens. Sed tales saltem sunt *privatæ*. Nam quæ *ab extra* communicatur *malignitas*, aut à *contagio*, aut *epidemica quadam aeris & alimentorum alteratione*, nobis insinuatur, adeoque in plures simul & epidemicè observatur grassari, plus in recessu habere videtur.

Cavenda autem in genere sedulò contagii seu *fermenti maligni*, ceu *causæ* febris malignæ, confusio cum *alterationibus sanguinis aliorumvè humorum notabilioribus*, in malignis febribus obviis, ceu productis morbosis, utplurimùm *spirituum influorum*, prævià alteratione & affectione à contagio seu fermento maligno inductis: hinc enim nec *sanguinis coagulatio* à WILLISIO asserta, nec ejusdem *nimia dissolutio*, quam SYLVIUS urget, ad *rationem* malignitatis formalem explicandam inserviunt; dum hæ alterationes *producta morbosa mediata*, non secùs ac *bubones* & *carbunculi*, putandæ sunt: v.g. in ægro *variolis* aut *morbillis* correpto, & per totum corpus iisdem incrustato, non putandum est, extitisse in corpore tales sordes, quæ febrim induxerint, & postmodùm sub cute depositæ *variolarum* pustulas & saniem constituant; siquidem sanissimus subindè ex improviso iisdem copiosissimis obducitur; sed à *fermento* seu *miasmate maligno*, interdum sub forma *odoris contagiosi* hausto, *spiritus inquinante*, & horum medio *humores afficiente*, generantur ista in corpore, donec unà cum multiplicato *fermento contagioso*, sed istorum humorum, licet alteratorum, medio temperato & correcto, secernantur, & circa glandulas intercutaneas desigantur. Qui igitur novit leve fermentum moderare, subigere citò, & dum adhuc in herba delitescit, is etiam feliciter uberiorem exanthematum proventum potest præcavere. Par ratio *petechiarum*, *purpuræ*, *bubonum* & *anthracum* esse videtur: sunt horum *colores rubri*, *lividi*, *nigri*, non quidem à maligno fermento plùs minùs caustico seu urinoso præcisè, sed à majore vel minore *mortificatione* & *necrosi humorum* vel *partium solidarum*, ob *spirituum extinctionem*, cujuscunq; etiam naturæ miasma malignum fuerit.

DIAGNOSIS.

Quando aliquis incipit laborare febre malignâ horror levis ac tardus præcedit, quem calor mox subsequitur, qui in maligna, quâ tali, sæpiùs est parvus vel nullus, adeò, ut de eo vix conqueri soleant ægri: subitò verò *virium* ingruit *prostratio inopinata*: interdum oriuntur deliria, jectigationes ac inquietudines corporis, maculæ subindè ac vesiculæ coloris & magnitudinis variæ in corpore efflorescunt: Imò nulla sunt *symptomata* febribus solennia, quæ non in hac vel in illa febre maligna observentur; adeò, ut etiam *hydrophobia* in *febre maligna* observata fuerit: Exemplum refert SALMUTH *Cent. 2. Histor. 52.*, quin & SANQUEZ *in Observ. Medicis* similiter refert exemplum hydophobiæ in febre malignâ observatæ. Subinde malignitas est tanta, ut partes nunc internas nunc externas *sphacelo ac gangrænâ* correptas observare liceat: id quod interdum in variolis malignis contingere solet (dico in malignis; non enim semper & omnes variolæ sunt malignæ:) SALMUTH post variolas non rectè expulsas observavit gangrænam *Pentec. 1. Observ. 70.*

Non autem una eademque malignitatis in quibusvis morbis malignis vel venenosis est ratio ac conditio, tàm subjecti patientis, quàm symptomatum hinc enatorum varietate; sed specialis ratio in singulis morborum malignorum causis distincta est. Alia enim est dysenteriæ malignæ, alia febrium petechialium, ália febrium malignarum sine petechiis, alia morbillorum aut variolarum, alia pestis, aliæ purpuræ puerperarum, alia in catarrhis epidemicis, alia morsus canis rabidi, alia luis Venereæ, alia scabiei ferinæ, alia in scorbuto ad gradum malignitatis devecto; adeò, ut de τῷ maligno ferri vix possit judicium, quin singulare quid subesse videatur. Sanè etiam non levis inter ipsam malignitatem est differentia, dum febres malignæ quædam sunt *acutiores*, ob id pestilentiales dictæ, quartâ vel septimâ die ad summum interimentes; quædam contrà *minùs acutæ*, ut quæ ad decimum quartum, interdum etiam vigesimum, extenduntur: cujus differentiæ ratio partim est in causæ agentis majore vel minore activitate, vel in subjecti patientis apta vel inepta susceptibilitate; prout enim utrumque magis vel minus dispositum, eò acutior quoque & malignior existit febris. Hinc ob earum rationem fit, ut febres malignæ tales nunc mulieres, nunc viros, nunc pauperes, nunc divites, nunc juvenes, nunc adultos, nunc infantes, &c. solùm affligant.

Ratione symptomatum adjunctorum, in specie in excretis, magna est febrium malignarum varietas, dum quædam cum certis & insignibus cutis efflorescentiis, quædam sine iis, vel paucis admodùm, quædam aliis symptomatis stipata est.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: auditâ febre malignâ pavescit Medicus, contremiscunt ægri; siquidem omnes febres malignæ per se sunt molestæ, & sæpiùs *pessimi* ominis & *periculosæ*: & quò *periculosiora* cum *virium imbecillitate* concurrunt *symptomata*, eò *majus* portendunt *periculum*. In genere tamen unanimis Practicorum est consensus, prognosin malignarum esse incertam, & cautum atque prudentem in prognosi requirere Medicum; cùm mox & inopinatò nunc ad vitam, nunc ad mortem terminentur: Nempè verissimum est, quod dicit HIPPOCRATES: *In acutis sunt incertæ prædictiones vitæ & mortis*: Undè & GALENUS malignas febres *statuta ad iudicandum* non habere *tempora*, asserit; plurimi enim subitò cum *periculosissimis* evadunt *signis*; alii subitò cum *salutaribus* è medio auferuntur.

Pulsus, quò magis magnus & *æqualis* est, & *consuetum* eundemque *tenorem* servat, eò est melior.

Inordinatus verò, *inæqualis*, debilis, seu quasi *retractus*, periculosus est, in specie in princio morbi; quò *major* etiam est *pulsus*, eò melius; *quò minor*, eò deterius.

Si celer & parvus simul, aut formicans contigerit, admodùm pravum omen est, ex quo vix emergunt ægri. Nihilominùs tamen Pulsus parvi non sunt tàm mali ominis in febribus malignis, quàm in benignis.

Sic etiam pulsus intermittens aut deficiens in febre ardente benigna ordinariò est periculosissimus: Interdum tamen in malignis, cæteris paribus, non adeò malum, sicut dicit RIVERIUS, qui observavit in juvene pulsum intermittentem quidem per multos dies, morbo tamen tandem desinente. Nec pulsus parvus, rarus, ac debilis, sed etiam similis sano cum aliis pravis signis portendit malignum morbum.

Ulteriùs malignæ febres habent utplurimùm *agrypnias* & *deliria* comites.

Delirium si à *somno*, vel spontaneo, vel per medicamenta excitato, compescatur, non est metuendum, imprimis conjunctum simul *copioso sudore*: *post somnum* autem *perseverans* delirium, admodum *periculosum* est; innuit enim convulsiones, aut mortem ægri.

Varii colores ante oculos apparentes, ac objecta peregrino colore vestita, convulsiones, deliria, &c. innuunt. Visitavi ægrum malignâ febre correptum, licèt aliàs benè se haberet; dicebat: me indutum esse pallio & veste cæruleâ; imò omnis niger color cœruleus illi videbatur: Signum hoc aderat manè, à meridie subsequebantur delirium & convulsiones, & tandem interibat.

Surditas seu potius *obauditio* in morborum acutorum *principio periculosissima*; in *statu* autem apparens *salutem* portendit, præcipuè in malignis: Et multos observavimus, dicit RIVERIUS, quibus in his febribus in statu supervenit surditas, aliis licèt periculosis cum symptomatibus, omnes tamen evaserunt: Nam interdum delirium solvitur, interdum criseos per hæmorrhagiam narium futuræ est indicium. *Quare* autem surditas in statu salutaris sit? nondum determinatum est; forsan ad parotides glandulas *decubitum* quasi quendam *criticum*, & successivam hinc *discussionem materiæ peccantis* innuit: siquidem & *parotidum tumores* in febribus malignis & purpuratis *lethales* in *augmento & statu* morbi; si verò tantillum *declinante morbo* appareant, *salutares*.

Urinæ in febribus malignis *sanorum* sunt *simillimæ*, vel etiam *perturbatæ* & *crassæ*, tales *permanentes* malæ. Multi, *coctionis signis* in urina apparentibus, sed denuò recrudescentibus, sublati sunt è medio. *Urina* tamen *cocta*, laudabile habens *enæorema*, per aliquot dies *continuans*, & in *sedimentum* sensim abiens, *salutem certam* perpetuò pollicetur.

Rarum est, quod *cruda urina* metastasin *materiæ peccantis* seu *producti morbosi* in morbis malignis *felici eventu* insinuet: Vid. BARTHOLINI *Acta Medica Hafniens. Volum*. 4. *p*. 156.

Quò magis à statu naturali declinat, in specie si fœtet, eò majus periculum subest: item urina pinguis & oleaginosa, nigra aut livescens, cum sedimento vel livescente vel nigro, nisi hoc fit ex medicamentorum usu, certum exitium portendit.

Narium stillicidium semper *malum signum* est, præsertim si cum *agrypnia* sine manifesta causa, *ardore capitis*, aut *continuo* magis aut *intenso* nimis, fit conjuncta; præsertim si præ reliquis corporis partibus *facies* excessivo rubore tingatur, *rarò* tales evadunt: nempe *spina peculiaris* (fermentum malignum) *capiti* quodam in loco aut *ejus membranosis partibus* infixa est, cujus occasione hæc *symptomata* excitantur. Hinc *Vesicatoria* brachio aut cruribus admota, item *raninarum* sectio, aut *hirudinum* pone aures applicatio, subindè *necessaria* est.

Alvi fluxus quocunque tempore febribus malignis supervenientes pessimi sunt; & quò magis fœtent excrementa, & fluxus fit colliquativus, eò major malignitas, & gravius periculum adest: in specie, si in febre maligna post excretionem cutaneam obveniat diarrhœa, summum periculum est, cùm retrocedat malignitas, & massæ sanguineæ fermentatio penitùs conturbetur; hinc eadem semper ferè lethalis existit. Hinc quoque sanguinis dejectiones quæcunque in febribus malignis, sive ægri mingant sive dejiciant cruenta, semper sunt admodùm periculosæ; imò omnes lethales eas esse, pronunciat HOECHSTEDTERUS *Dec*. 1. *Cas*. 2.

Graveolentiam feri ac cruoris, licet raram, certam mortem denotare, observavit SCHENCKIUS *in Observ. pag*. 418. *ex* FORESTO; utut aliquomodo contrarium exemplum habeat PAULI *l. a. cap*. 2. *p*. 13

Si in *vola manus* ægri percipiunt *tensiones*, *titillationes*, & subsultus tendinum; item si circa *carpum*, dum *pulsum* tentat Medicus, *tendines*, etiam quietis digitis, moveri aut subsultare videntur, signum sunt, certò imminentes *convulsiones*.

Muscarum venatio, aut *floccorum* collectio in *malignis* ferè semper *lethalis*. Rarissimè tales evadunt, utut non semper desperandum: quale exemplum vid. in M. A. N. C. *Ann*. 3. *Obs*. 269. *p*. 484.

Tempus eventus quod attinet: *acuti* sunt *morbi febres malignæ*, quæ tamen in nostro climate *à septimo* usque ad decimum quartum ferè suos terminos habent. Quoad *modum eventus*: ferè *modo* quasi *critico* judicantur, nempe *per sudores*: Quò pertinent *excretiones cutaneæ* pustularum petechialium, &c. nunc *per metastasin producti* nempe *morbosi*, à fermento quidem maligno geniti, ipsum tamen fermentum cicuratum & correctum in se continentis, *ad loca glandulosa* transmissi, unde *bubones*, *anthraces*, &c. originem habent.

Interdum bubones circa genitalia apparent, quibus die undecimo erumpentibus omnia symptomata levantur, & febris evanescit; fit enim hæc tumoris eruptio per metastasin seu translationem.

Hac de Prognosi febrium malignarum: Pergo ad

CURAM.

Quæ est duplex: *præservatoria* & *curatoria*.

Præservationem in febribus malignis & epidemicis optimè præstant acida blanda, ut acetum, in specie acetum destillatum, B. zoardica & alexipharmaca infusione simplicium alexipharmacorum, radicis angelicæ, &c. parata: quibus si addatur camphora, meliùs succedit: item citrus ejusque succus; item haustus largior vini: de quibus quotidiè manè ante egressum è domo haustulus sumptus egregiè præservat, in specie si cum tantillo camphoræ fuerit junctus; item essentia citri, zedoariæ, &c; hinc, quando Medici ægros in febribus malignis visitant, in ore zedoariam gestent.

Præmisso ergò interdum vomitorio, detur Tinctura bezoardica, & hinc:

℞. *Conserv. pulpæ citri* ℥j.
Elect. diascord. Fracast. ℥ß.
Theriac. Androm. ʒj.
Flor Sulphuris ʒiß.
Antimonij diaphor. ʒj.
Costi Arab. veri ʒß.
Spiritus rosar. ʒj.
Syrupi rubi idæi q. s.
M. f. *Electuarium*: S.
Electuarium præservans.

℞. *Conserv. Flor. anthos*,
Pulpæ citri,
Scordii ana ℥j.
Theriacæ ℥iß.
Antimonij diaphoret. ʒiij.
Terræ sigillat.
Cornu Cervi sine igne ana ʒij.
Bezoard. mineral. ʒiß.
Camphor. ʒß.
Cũ s. q. *Syrupi rubi idæi* f. *Electuarium*, irrorandum cum *oleo pestilentiali Hentisi*.
D. S.
Electuarium pestilentiale præservans.
Vel:

℞. *Aquæ cardui bened.*
Flor. sambuci ana ℥iß.
Cinnam. ʒß.
Aceti vini ʒvj.
Elect diascord. Fracast. vel *Theriac. Andr.* ʒij.
Antimonij diaphor. ℈j.
Bezoard. mineral. ℈ß.
Syrupi card. bened.
Rubi idæi an. ʒß.
M. D. S.
Mixtura præservans, *cochleatim sumenda*.
Item

℞. Con-

℞. *Conservæ pulp. citri* ℥j.
Theriac. ʒiij.
Terræ sigillat.
Cornu Cervi sine igne,
Antimonii diaphor. ana. ʒij.

Cum s.q. *sacchari in aqua scordii solut.* f. *Morsuli*, irrorandi tempore usus aliquot guttulis olei pestilentialis Heinisii. S.

Morsuli præservantes.

In metu febris ardentis malignæ ex nimia ira, hinc forti motione & potu:

℞. *Ebor. sine igne* gr. xv.
Specif. cephal. ℈ß.
Camph. gr. ij.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis præservans.

Vesperi sumatur.

Cura febrium continuarum malignarum, quà talis

1. Per medicamenta talia instituenda est, quæ per convenientes vias, speciatim *sudorem*, quem natura monstrat, nunc blandum, nunc copiosum, febris malignæ causam & fomitem morbi, seu *malignitatem* aut venenositatem, sive sit sal acre putrefactivum, sive miasma aliud, maturè & quantocyùs expellant & corrigant, Bezoardica aut *alexipharmaca* aliàs vocata, circa quæ consulenda imprimis experientia; pro diversitate enim febrium malignarum diversa etiam remedia alexipharmaca plus minus utilia observata fuerunt.
2. Sunt talia, quæ *spiritus* & *humores* corroborant, nè tam facile à fermento maligno alterari, sed hoc potiùs subigere queant.
3. *Symptomata*, tàm ratione violentiæ *malignæ*, quàm ratione febris continuæ plùs minùs ardentis, *urgentia* mitiganda.

Nam quoad Primam Indicationem: modò vel *acre acidum volatile malignum* in humoribus *correctum*, vel *odor* aut *fracedo venenosa* in spiritibus suscepta, *alterata & extincta* fuerit, quod superest, facilè ab hoste liberata *natura supplet*, dum spontaneo ductu in malignis per excretiones cutaneas, *bubonum*, *anthracum*, *pustularum*, *macularum*, &c. venenum, correctum priùs, & vehiculo serosi humoris involutum, optimè excludit,

Quoad *Secundam Indicationem*: modò *spiritus & humores* in sua naturali *crasi & constitutione* conserventur, sive prætereà per *remedia* ipsis *sociabilia*, fermento autem maligno *hostilia*, tanquam *quodam balsamo* condiantur, quo *symbolizatio* aut *convenientia* eorum cum aliorum hominum *sanguine & spiritibus* hoc modo plùs minus immutetur, & ita tàm facilis *fermenti maligni*, præsertim *epidemici* aut *contagiosi*, *susceptio* impediatur, aut *suscepti* licèt, *confermentatio* cum iisdem, mutuaque eorum *alteratio* ita præcaveatur (*in quo optima consistit præservatio*) quin potiùs ita dispositi *spiritus & humores* *vincere illud* queant, h.e. *corrigere* & *temperare*, & hinc *excludere*, in quo *curationis* versatur *cardo*; res omnis de facili impedietur. Nempe, ut rectè PARACELSUS *Tom.* 3. *Operum Fragmento de Peste* hoc verum regimen præservativum asserit: *die virtutem attractivam stillen, dass nichts ein lasst geben*; hoc est, ut interpretor, ita *alterare corpus ejusque contenta*, ut inepta fiant ad *veneni* aut *contagii* susceptionem. Conferatur idem PARACELSUS *de Peste lib.* 2. *cap.* 3.

Hisce modis nempe vel *fermentum malignum* corrigendo, vel *balsamicâ vi mumiam nostram spiritualem* condiendo operari videntur remedia *alexipharmaca*, eaque pro sui varietate nunc saltim *alterutro*, nunc simul *utroque modo*. Rem exemplis quibusdam illustrabo. Præ cæteris decantata sunt *sulphurea*, v.g. *ex minerali Regno sulphur commune*, cujus usu HIPPOCRATES ipse pestem istam famosam Græciæ abegit, & *suffitus ejus* pro *aëris* emendatione & pro *potus* medicatione perquàm laudatum existit, non secus ac *ejusdem in substantia usus*. Sane *suffitus* seu *odor sulphuris* uti quasvis *corruptiones & alterationes*, ipsamque, HELMONTIO teste, *sanguinis putredinalem alterationem* præcavet; ita simul *odores & fracedines malignas*, *contagiosas*, *pestilentes*, ignis instar tollit & extinguit. Concreta *antimonialia sulphurea*, debito & appropriato venenoso seu maligno halitu per *ignis* & *nitri* vim exhausta, in *febribus malignis* saturantur quasi denuò, dum *absorbent* similem *malignum & venenosum halitum* seu *fermentum* febris malignæ Autorem. *Terræ pingues* temperando & absorbendo *fermentum malignum acre*, & illud ita corrigendo se exserunt. *Camphoræ* penetrantissima *substantia* & *odor* efficacissimus, uti *balsami* instar condit corpus nostrum, etiam mortuum, & *acre spirituosum* quod vis temperat; ita simul *odorem malignum & pestilentem* sui miscelâ alterat & enervat. *Aceta quælibet*, aut horum loco *succi vegetabilium acidi*, præsertim *citri*; item *clyssi minerales sulphurei*, penetrando & permiscendo se undique, certo modo *alterant contenta corporis*, & *firmiorem* suo modo *texturam iis conciliant*, quo modo tàm *præservationi* inserviunt, idque eò magis, si *alexipharmacis aromaticis* infusis *balsamicam vim* majorem acquisiverint, quàm pro *vehiculo* plurium remediorum, præsertim *aromaticorum calidorum*, optimè conducunt: quò etiam *vina generosa acidula* pertinent. *Animalium* partes duræ, cornu cervi ustum, ungula alcis, lapis bezoar, calculus humanus, &c. *absorbent* non saltem acidum, partibus animalium *hostile malignum & acre*, sed simul & potissimùm salia eorundem *volatilia* & *Spiritus*, *crasi sanguinis* conservandæ, & per *diaphoresin* ac *diuresin* depurandæ, & ita suscepto *maligno evacuando*, simul conducunt; unde KERGERUS *Tract. de Ferment. Sect.* 3. *c.* 3. *pag.* 250. Præcipitantia alexipharmacis nectere consuevit. *Alexipharmaca* cætera *aromatica*, *amaricantia*, &c., v.g. *Zedoaria*, baccæ hederæ, juniperi, lauri, radix angelicæ, gentianæ, myrrha, crocus, &c. exque his & similibus concinnatas *compositiones theriacales*, per *opium* imprimis animatas, &c. quod attinet: præter *usum sudoriferum* modò laudatum, dum *æstum corporis* sui usu, mediante sui constitutione resinosa & *oleosa intendunt*, hoc ipso *sanguinis balsamicam vim*, & *spirituum vigorem ac robur* conservare, *impetum* verò eorum undecunque *intensiorem factum* societate *opii* debitè refrænare, ac contra *malignum virus* ita defendere, ostendunt, *acido* præsertim *cum vehiculo* usurpata. Sed hæc in genere *de alexipharmacis* delibasse sufficiat.

Alexipharmaca hæc, ut suprà dictis Indicationibus ritè applicentur, observentur sequentes cautelæ.

I. *Vomitoria* in primo *principio* febrium *malignarum*, idque eò magis, quò magis sunt malignæ, & quidem tunc temporis, quando *à causa epidemica externa*, adeoque *à contagio extrinsecùs hausto*, stomachum imprimis inquinante & inficiente, oriuntur, præ cæteris omnibus maximè conducunt, ut peccante saburrâ evacuatâ, & contagio sublató, stomachus non affligatur à morbo, & multa symptomata maturè præcaveantur; sicut eadem etiam in pestilentiali constitutione ordinari solent. Urgent enim *anxietas præcordiorum* insignis, dolor stomachi, *nausea*, conatus vomendi, & similia circa *præcordia* molesta *symptomata*, quæ stomachum & primas vias à suscepto contagio affecta innuunt. Pariter conveniunt eadem *vomitoria*, si *ex privato contentorum vitio* febris maligna orta fuerit. Imprimis in febre maligna, de morbo Hungarico seu de morbo castrensi participante, in principio provocatus Vomitus sæpissimè est salutaris: vid. *Rulandus Tract. de Morbo Hungarico*. Sed tempus observetur, ut maturè fiat, nempe in *principio*, antequam quamcunque excretionem aliam, imprimis per cutim, moliatur natura; elapso enim primo principio simul occasio est elapsa.

Ex vomitoriis præ reliquis præferuntur *antimonialia*, in minori tamen dosi propinanda, ne corpus nimiùm moveamus: v.g.

℞. *Vitri antimonii hyacinth.* gr. vj.
Infund. per noctem in loco calido in
Vini Rhen. q. s.
Manè filtretur: ℞. ℥ß. adde
Aquæ cinnam. ʒiß.
M. S. *Potio emetica pro una vice.*

II. *Sudorifera* primatum obtinent in cura malignarum, utpote quæ optimè malignitatem expellunt: interdum tamen & hic debitis determinantur regulis, ne quid nimis. Quò major est *malignitas*, eò frequentiùs & copiosiùs provocandus est *sudor*, adeò, ut in febribus malignis *pestilentialibus*, i.e. in summo malignitatis gradu, aut etiam in aliis *malignioribus*, ad minimum ter in 24. horis sint propinanda medicamenta *sudorifera alexipharmaca*, teste experientiâ Practicorum; semper tamen habito *virium respectu*, ne hæ ipsæ nimis exsolvantur: Neque etiam linteis vel aliis superimpositis æger nimiùm est contegendus, quoniam experientia docuit, ægros interdum nimio sudore exspirasse; *nimia* enim & profusa *sudoris effusio* sulundè minùs tuta,

tata, serum aquosum nimis exhauriendo sanguinem incrassat, & ejus motum debitum inhibet. Unde, ubi cum mitiore malignitate conjuncta est febris ardens, potentioribus sudoriferis locus non est, sed potiùs in principio absorbentibus ac mitioribus sudoriferis, in progressu tortioribus, insistendum. Considerandum autem simul in *sudoriferorum* usu: an corpus sit perspirabile; & an ad sudorem dispositum? an verò non? Si *illud*, tutiùs & potentiora propinari possunt sudorifera: si *hoc*, cautiùs & mitiora, ne turbetur magis massa sanguinea, interpositis ubique blandis acidis.

Sed *sudorifera* inter non levis *delectus* est habendus. Tutissima omnium sunt *salia volatilia*, hinc *volatilia aromatica*. Sed hæc ipsa saltem *in principio morbi & incremento* conveniunt, *in statu fixiora* tutiùs usurpantur: id quod præsertim in *volatilibus sulphureis* ac remediis *theriacalibus* observandum, ubi non, nisi *in principio & incremento morbi* adhibeantur, ac ubi minùs urget *æstus*; periculum aliàs est, nè *in statu* novas turbas, in massa sanguinea intensiorem æstum & ebullitionem, indeque varia capitis symptomata inferant. Videatur hic elegans locus LUDOVICI *in Parmacia p.* 237; cum quibus conferantur *loca parallela p.* 243. 261. 280. 284. 318, &c. Nempe *volatilia* inter *sudorifera*, ubi *febris* paulò *intensior* fuerit, *macra* convenientiùs locum habent; ubi verò hæc *febris remissior* fuerit, *oleosa* seu *aromatica* adhiberi possunt. Et sicuti hæc *aromatica propter æstuationes* nimias & *phlogoses* circumspectè usurpanda; ita *salia volatilia* propter nimiam sanguinis fusionem, & nimiam facilè supervenientem hæmorrhagiam moderatè usurpanda: Videantur BARTHOLINI *Acta Med. Hafniens. Vol.* 4. *p.* 166. Nocumentis omnibus medentur interposita subinde *analeptica blandè acida*, nempe *ex succis Vegetabilium*, in specie *citro* ac *cydoniis*; item *ex classis mineralibus sulphureis*; aut denique Mistura cum pauco *spiritu nitri dulci*, & in specie *compositiones theriacales* cum *vehiculo acido* propinatæ & meliùs ac tutiùs operantur. De *theriaces* genuino usu vid. SEPTALIUS *in Animadvers. lib.* 3. §. 53. *p.* 130. Post *sudorifera* talia *volatilia* in *principio & augmento* aliquoties repetita, *fixiora ex animalibus* aut *antimonialia* usurpanda & continuanda erunt.

III. Post omnem sudorem provocatum, ut & in ipso fluente jam sudore, ne ægri nimis debilitentur, *blandis acidis* viribus deperditis prospiciatur, cùm massa sanguinea nimis sic, uti & à miasmate maligno acri, dissolvatur, sub *Juleporum & Misturarum* moderatè acidularum, imprimis cum & ex citro aliisque paratarum formâ usurpatis, quæ malignitati resistunt, ac corpus blandè ad diaphoresin disponunt: qualia sunt succus citri, cydoniorum, acetum, ac spiritus nitri dulcis, qui præ reliquis acidis in malignis convenientiùs palmam aufert: hæc enim in declinatione sudoris & post sudorem porrecta & continuata, sanguini debitam consistentiam restituunt, ac ægros debilitatos egregiè refocillant. Quin & in ipsa sudoris tortura *acida spirituosa* mista, naribus subindè applicanda, quæ ægros debiles nonnihil animant: *sic vinum generosum, acetum theriacale cum aqua carbunculi* temperatum, *aqua apoplectica* acida vel spirituosa, *cum succo citri* aut *aceto* diluta, & similia naribus subindè ab adstantibus admovenda sunt, quę etiam sub ipso sudore cochlearis dosi possunt propinari: hinc *aceti theriacalis* ac similis parum propinetur: unde & veteres acida, ceu putredini aut malignitati resistentia, frequenter his in febribus laudarunt, & ideò acetum & spiritum vitrioli allegant, utut spiritui huic meritò præferendus sit spiritus nitri dulcis: E. g.

℞. *Decoct. citri Mynsichtii* ℔j.
Syrupi rubi Idæi q. s. pro grato sapore.
Spiritus nitri dulc. parum.
M. D. S.
Julapium confortativum bezoardicum. Vel
℞. *Decocti Cornu Cervi vel citri Myns.* ℔j.
Succi citri, vel *ribium*,
Granator. acid. ana ℥j. ad ℥iß.
Elect. diascord. Fracast. ℥ij.
Syrupi rubi Idæi ℥ij.
Spiritus nitri dulc. parum.
M. D. S. *Utatur.*
℞. *Aquæ galeg.*
Scorzoner.
Cordial. Hercul. Saxon. ana ℥j.
Succi citri,
Cydonior. ana ℥vj.
Spiritus theriacal. camph. ℥iii.
Tincturæ flor. aquileg.
Pæon. ana ℥iß.
Syrupi acetos. citri ℥ß.
Spiritus nitri dulc. q. s.
M. D. S.
Mistura confortativa bezoardica.

Et ejusmodi *Mistura acidulata* cum *electuario diascordii* præsertim locum invenit, quando per *salia volatilia* paulò profusior sudor fuerit prolectus.

Vel:

℞. *Aquæ borrag.*
Buglosf.
Rub. Idæi. ana ℥j.
Cinnam. ℥iij.
Succi citri ℥vj. ad ℥j.
Confect. alcherm. ℥iß.
Corall. rub. præp.
Lapill. cancr. præp. ana ℥ß.
Syrupi cinnam. vel *alius* ℥vj.
M. S.
Mistura confortans post sudorem.

Item Mixtura SYLVII *in Praxi l.* 1. *c.* 9. §. 20. *cap.* 23. §. 53. & *cap.* 17. §. 13. *cap.* 30. §. 135.

In forma *Electuarii*:

℞. *Conserv. acetosell.* vel *rad. scorzon.*
Pulpæ citri ana ℥j.
Rob. ribium ℥vj.
Confect. alcherm. ℥iß.
Cum *syrup. acetos. cit.* vel *rubi Idæi* q. s. f. *Electuarium.*
D. S.
Electuarium refrigerans & confortans.

IV. De *opio* & *opiatis* expertum est HORSTII judicium *in Judicio de Chirur. infusoria*, *p.* 83. Ea nempe, ut revera sunt remedia polychresta, ita etiam in *malignis febribus* quibuscunque utramque faciunt paginam: rectè siquidem administrata, & alexipharmacis mista, sudorem promovent, imprimis ubi propter nimiam inquietudinem aut anxietatem ægri prohibentur à sudore. Ut ergò talia præcaveamus, exhibemus opiata cum *sudoriferis*, ut sic meliùs proliciatur sudor, & magis quieti reddantur ægri: & quidem in incremento solùm, dum *adflatum* properant, non in statu ipso, vel ubi deficiunt vires, conveniunt. Unde & *opium* tàm insigniter extollit, & quibusvis compositionibus alexipharmacis addendum suadet LUDOVICI *in Pharmac. sua Modern. pag.* 276; sicuti etiam VERULAMIUS *in Hist. Vitæ & Mortis p.* 96. §. 21. *Opiatorum* eximium usum in *febribus malignis* prædicat. Nempe excretionem egregiè promovet opium: spiritus quoque, nè tàm citò resolvantur, quasi coërcet, & graviora in malignis symptomata mitigat: vigilias ac deliria præcavet; ac impetuosos humorum interdum effervescentium motus impedit & compescit, in specie horrendum ac metuendum sæpiùs sanguinis per nares profluvium sistit. Præter alia exempla huc facientia videndus TIMÆUS à *GuldenKlee in Cons. lib.* 8. *Cas.* 25. *p.* 377., ubi maligna febris ardens cum sanguinis ex naribus profluvio, tandem aliis irritis laudano opiato curata; quod notabile est: Tale exemplum etiam habetur in HORSTIO *in Obs. l.* 1. *pag.* 18. de milite, febre ardente malignâ & morbo Hungarico pertinaci afflicto, aliis irritis laudano opiato curato. *Post sudores* etiam cum *Julepis* vel *Misturis* opiata propinata conducunt, ut quasi roboretur magis & quietior fiat æger; & magnum est commodum, si inducatur somnus, modò recto tempore opiata adhibeantur: hinc & theriaca, mithridatium, &c. quòd in febribus malignis his præfertur, Electuarium diascordii Fracastorii, ab Autoribus, tàm veteribus quàm Modernis, adhuc suam meretur laudem. Theriaca sola quidem absque acido adjuncto propinata in principio febrium malignarum, in specie cum fervore excessivo, seu effervescentia nimia junctarum, nonnihil est suspecta, quoniam theriaca per se sola nimiam sanguinis turgescentiam, & per consequens nimium æstum, excitare solet. Optimum ergò est, ut tales compositiones opiatæ & theriacales aromaticæ, e. g. theriaca, mithridatium, &c. à ℈j. ad ʒj propinentur cum *vehiculo acido*, v. g. cum aceto vini, vel cum aceti rutacei, vel cum aceti bezoardici alitusve similis cochleari uno vel altero; sic enim longè meliùs ac potentiùs

tiùs sudorem movebunt, & minùs debilitantur ægri: propter quam causam, nempe æstum, theriaces & mithridatii loco elect. diascordii, ceu temperatum magis, adhibetur, in specie in alvi aliisque excretionibus præternaturalibus. Moderni vel laudanum opiatum, vel essentiam opii, aut hujus loco essentiam theriacalem usurpant. Observandum tamen, nè opiata adhibeantur tempore criseos; nam criticas motiones impediunt.

V. Camphorata sunt alexipharmaca & sudorifera optima, quæ præter vim veneni correctivam, simul aliqualem vim spirituum fixativam obtinent; unde imprimis in inquietudinibus, vigiliis & metu delirii conveniunt; hinc & vigilias & deliria ipsa compescunt. Sed cautè ob volatilitatem nimiam usurpentur, cùm non omnia subjecta ejus usum ferre possint; præsertim quorum caput debile est, literati v. g.; ac imprimis mulieres delicatæ, quæ fortiora odorifera olfacere nequeunt, mirè adhorrent camphoram, & in passionem hystericam ex ejus usu incidunt, utut hæc in aliis sistat paroxysmum hystericum. In mulieribus ergò his, systema nervosum sensilius habentibus, cautè procedendum: sicut & in iis, qui literati sunt, & quorum spiritus animales sunt facilè mobiles & dissipabiles, his enim camphora generosum nimis remedium videtur, nimis ferit cerebrum, & nimis spiritus animales exagitat. Aliàs in propriè dictis febribus malignis, præsertim contagiosis, ubi subjecta eandem ferre queunt, inter alexipharmaca nunquam intermittenda camphora.

VI. Observetur, quod *febrium malignarum* non semper nec in omnibus sit una eademque ratio; attendendum igitur semper ad appropriata malignæ febri specialia remedia: prout enim hæ diversis se produnt symptomatis, & nunc *continuæ*, nunc *intermittentes* videntur, atque peculiari *malignitatis* gradu differunt; ita etiam earum causas in ipsa radice nonnihil diversas esse probabile est: adeoq; easdem curandi non planè eadem est methodus, sed pro varietate dictarum circumstantiarum subindè alexipharmaca varianda & specificanda sunt. Sic illa *maligna febris*, quæ *à contagio* oritur, magis requirit *alexipharmaca* & *potentiora sudorifera*; quæ verò à *causa interna*, humorum nempe intus genita *maligna constitutione*, magis *temperantia, absorbendo alterantia*, & successivà diaphoresi *resolventia*. Sic attendendum quoque, an *massa sanguinea*, an verò *spirituum animalium* ac *nervorum systema* magis affligantur? posteriore enim in casu *volatiliora, subtiliora* ac *penetrantiora opiatis* mista magis conducunt; priori verò non, nisi *volatiliora* aut *fixa*, *acidis blandis* subindè temperata, conducunt. Item propter *specialem* febrium malignarum *differentiam* semper observandum, ut in specie *huic malignitati* simul *appropriata* per experientiam cognita opponantur *remedia*: v. g. in *variolis*, morbillis & *purpura* myrrha aut castoreum; in *petechiis* semina expulsiva; in *dysenteria epidemica* hepata viperarum & similia.

VII. Observetur: nunc massam sanguineam magis, nunc spirituum animalium & nervorum systema magis affligi: ibi excretiones cutaneas ut plurimum, item per alia loca expulsiones, contingunt; hìc verò vigiliarum, deliriorum, convulsionum & similium symptomatum, cum pulsu ut plurimùm apparenter bono, est impetus.

VIII. Observetur: ad illud præsertim *quod magis urget*, esse respiciendum. Nempe interdum *febris* est purè aut, *simpliciter maligna*; interdum verò est *complicata* plùs minùs *cum febre* continua *ardente*: utut verum sit, raram esse febrim ardentem, cui non subsit modò major, modò minor malignitas. In tali ergo casu complicati quasi sunt morbi. Propterea attendendum simul sedulò est ad *sanguinis motum fermentativum, ejusque ebullitionem febrilem*, & indè dependentem *æstum, cephalalgiam* pulsatoriam, ac al.a symptomata *febribus ardentibus* communia, ut pro varietate circumstantiarum possimus variare medicamenta: Quò magis enim æstus urget, eò minus sudoriferis *alexipharmacis volatilibus oleosis* utendum est, ne deliria concitentur; quò minùs verò, eò tutiùs ista, præsertim *in principio & augmento* usurpanda, id est, ut vulgò Practici dicunt: attendendum esse, an major *putredo febrilis* seu ebullitio in sanguine, an verò major *malignitas* urgeat? ad illud enim, quod magis urget, dirigenda præsertim est curatio, adeoque interdùm magis ad malignitatem respiciendum. In genere tamen semper, quantum fieri potest, utrique prospiciendum: Sanè semper in turgescentia febrili intensiore *magis* usurpantur *absorbentia* & ebullitionem corrigentia, aut *salia volatilia* alexipharmacis juncta, interponendo simul blanda acida; malignitati per generosiora remedia volatilia, & æstuationem corporis nonnihil intendentia *theriacalia*, & similia *alexipharmaca*; utrique per moderata acida, aut sulphurea metallica fixa, v. g. antimonialia, est succurrendum: nam hæc & in febribus ardentibus & in malignis sobriè usurpata conveniunt, quatenùs ebullitionem & orgasmum febrilem sistunt, & vi sudoriferà malignitati resistunt: id quod in genere in omnibus febribus malignis observandum est.

IX. In cura febrium malignarum diligenter Medicus inspiciat *oculos*, *linguam*, & consideret *manus* ægrorum. *Oculos* quidem, ut de futuro *delirio* & convulsionibus sequentibus possit judicare; quando enim oculi sunt *fulgidi*, rutilantes & quasi *ignei*, aut quando *adspectus* ægrorum est ferox, delirium plùs minùs furiosum certò imminet. *Linguam* verò consideret ac *fauces*, ut internum causum seu ardorem in præcordiis, indeque ortam prunellam, vel linguæ & faucium excoriationem & exulcerationem, & alia similia symptomata in morbo Hungarico frequentia, cognoscat; lingua enim si fuerit mollis, humida, rubra, & fauces non affligat sitis, tunc Medicus sit securus; secus, si lingua nigra, faucesque cum lingua arida & fissa cum adjuncta siti appareant, tunc periculum adest, & imminet prunella. *Manus* denique seu carpos consideret, an sint metuendæ *convulsiones*? ubi enim percipit Medicus, tangendo pulsum, quasi tractionem quandam, aut subsultationes tendinum in carpis, licèt manus quieta sit, certus sit Medicus imminere convulsiones. Infallibile est hoc signum.

Observ. X. nihil esse exitialius, & hominem *febre maligna* correptum, præsertim si intensior fuerit malignitas, certiùs ac citiùs ad interitum trahit, quàm quæcunque, in specie ingens & *superflua*, *purgatio* per alvum, uti crebra experientia sufficienter comprobat. Uti enim non, nisi funesto omine, *laxa* in talibus observatur *alvus*, & *diarrhϾ symptomaticæ* aut *colliquativæ* perniciosę admodum sunt in febribus; ita quælibet etiam artificialiter instituta *Purgatio*, idque in specie, ubi à *contagio* natum est malum; item, ubi suspicio est, *cutaneam* affuturam *excretionem*; item ubi minus urget *effervescentia febris* ac *æstus*, quàm *malignitas*. Caveant ergò Medici, ne omnibus in his casibus morbi tempore propinētur Purgantia in morbi cursu.

Quod si in *primis viis obstructis aperiendis* aliquid mollendum necessarium sit, *blanda clysmata*, eaque *temperata*, adhibeantur. Et hæc ipsa etiam, ubi *excretio cutanea* se offert, non nisi cautissimè applicanda. *Declinante* autem *morbo*, aut *devictâ pernicie*, post 14. dies, &c. blanda Laxantia non incommodè conveniunt. Siquidem externè, pro *primis viis abstergendis*, in febribus malignis necessarium videatur, hoc vel *serum lactis*, præsertim cum *succo citri* nonnihil acidulatum, vel *decoctum tamarindorum Julepis* in debita quantitate additum, vel nitri *antimoniatum* in potu dissolutum optimè complebit: Rectè hic dicit BALLONIUS *Pharo Med. p. 175. In malignis potiùs alterandum per alexipharmaca, quàm per Purgantia evacuandum*. Id quod observandum contra *Gallorum & Italorum* Praxin.

XI. *Venæsectio* in febribus malignis, quà talibus, nullum omninò locum invenit, adeò, ut quò magis febris sit maligna, eò magis noceat venæsectio, idq; eò magis, quò tardiùs instituitur. Quid enim prodest, sanguinem & spiritum detrahendo fores apertiores *maligno fermento* pandere? Cùm enim in malignis natura sæpè per sudorem se soleat exonerare, certè venam secando impediemus hunc naturę motum, & ad perniciem detrudemus ęgros. In specie in febribus cū excretione cutanea, macularum vel pustularum, conjunctis, venęsectio instituta est lethalis, quia impedit motū naturæ quasi criticū per cutim factum, qui minimè turbandus est. Equidem Practici vulgares aliud suadent: dico tamē eam in quacumque febre maligna administratam plus nocere quàm prodesse, pręsertim nisi in primo morbi insultu instituatur; cùm ficta illa refrigeratio ex sāguinis detractione noceat: è contra æstuatio talis ægrorum, modò non sit excessivè nimia, excretiones tales promoveat. Cauti proinde hac in parte simus, & caveamus à missione sanguinis, pręsertim si à cōtagio febris maligna fuerit nata; ubi pessima est; hac ratione enim porta cōtagio aperitur, ut integrā massā sanguineam afficiat, & vires magis labefactet. Sanè multorum annorum Practicus, B. D. MICHAELIS, nemini in febri-

febribus malignis venam secuit, plurimis funestorum experimentis cautior factus.

Sunt equidem, qui in plethoricis petechiarum, morbillorum & variolarum eruptionem venæsectione maturè promoveri asserunt: sed hoc non, nisi rarò evenit. Ubi tamen minor est *malignitas*, adjuncta verò febris ardens intensior in *subjecto* plethorico ac *juvenili*, & in primo ætatis flore constituto, vel aliàs sanguinis missioni adsueto, in talibus casibus interdum, sed *mox à* primo *principio*, venæsectio, cautè tamen & in parca quantitate, institui potest. Conferantur hic simul istæ circumstantiæ, quas insinuat *WILLISIUS Pharmac. Rat. p. 389.*

Objiciat quis: largas nonnunquam in principio petechiarum & variolarum malignarum accidere narium hæmorrhagias, quæ vel morbum postmodum leviorem reddunt, & impetum variolarum sistunt. Verum interdum est: consideretur tamen, an hæmorrhagia talis fit critica? an verò Sympromatica? si hoc, quod testantur symptomata capitis concomitantia, & nullum levamen morbi percipiat æger, hac in parte naturam sequi non licet: sin verò critica fuerit, & cum euphoria ægri fiat, probabile quidem videtur, ut in sanguinis orgasmo imitemur naturam, & sic venæsectionem administrandam jubere possumus. Verùm nec dum hoc licet facere, cùm naturam non assequi possimus; ubi enim enim natura instituit hæmorrhagiam, se ipsam levat; & si adest stillicidium narium sanguinolentum in febribus malignis, pessimum habetur signum & funestissimum: unde neque tunc motum naturæ perversè agentis affectare conceditur. Ego nulli Autor ero, ut venam secet: & quidem in specie contra venæsectionem & purgationem in febribus malignis acriter dimicantes videbis *TIMÆUM von Gulden Klee in Resp. p. 104. & p. 126.* item *BRUNNERUM in Consiliis de Febre Hungarica,* & *RULANDUM de Morbo Hungarico seu Castrensi*, & similes alios Autores, qui pertinaciter rejiciunt & venæsectionem & Purgationem: vid. in specie in *HORSTIO Juniore l. 1. Observ., in Append.*, qui tamen non, nisi à cautissimo, imitandi sunt.

XII. Cantharidum & vesicantium usus in statu febrium malignarum est etiam usitatus & commendatus, carpis & femoribus applicata: vid. *HOEFERUS in Herc. Med. p. 282.*, qui horum utilitatem insigniter commendat; & imprimis in Italia & Gallia usurpantur. Usus verò legitimus & applicandi ratio côsistit in eo, quod vesicatoria imprimis conveniant *in* incremento vel *principio status, dum*, vel graviora, imprimis capitis & animalis facultatis, imminent aut urgent symptomata, ut capitis dolores excessivi, convulsiones, gravius & ferox delirium, quod vel præcavent, vel certò levant; vel naturam aliquam excretionem moliri ex erumpentibus hinc inde, sed imperfectè, *maculis*, à doloris sensu in quadam parte suspicio erupturi abscessus est; *vel* quando facta jam excretio quacunque ex causa denuò retrocesserit, tum imitemur Italos, subitò vesicatoria applicantes, & ita opus naturæ, nempe excretionem, promoventes. Locum etiam habent iis in febribus malignis tunc, quando extrema frigent, interiora verò uruntur: *item* quando veternus aut alii soporosi urgent affectus, adeoque, ubi suspicio est, ne vel fermentum malignum magis spiritus animales, & genus nervosum afficiat, vel quacunque ex causa raptus sanguinis aliorumque contentorum ad caput, uti, loquuntur Practici, fiat: vid. M. A. N. C. *Ann. 2. Obs. 214.* In talibus casibus optimè *cruribus* supra vel infra genua, vel *brachiis* propè carpos, aut prope axillas, tandem etiam circa *nucham* applicantur: sed hoc vix, nisi in *affectibus soporosis*, aut ubi jam aliis in partibus applicata fuerint. Sanè *talibus in casibus*, tàm in *benignis* quàm in *malignis* febribus, conducunt, idque eò magis in his, quorum *parcior sudor* aut *diaphoresis* in iisdem non rarò observatur. Arbitror, quod in *miasmate maligno evocando*, mediante spirituum ad locum dolentem concitato impetu, singulare quid obtineant: sic enim & *bubonibus* aliisvè *tumoribus*, ut melius erumpant, optimo consilio applicantur: Quin & vesicatoria talia, aut his paratæ fontanellæ, expertum esse pestis præservativum, habebimus suo loco: Hinc & *febres intermittentes* sui applicatione tollunt. Apud nos non sunt in frequenti usu Vesicatoria: in regionibus tamen calidioribus multùm applicantur.

Remedia inter vesicantia optima sunt vel Emplastrum vesicatorium in Pharm. Augustana, vel Emplastrum illud vesicatorium Schrœderi. Interim notetur, si per vesicatoria pustulæ excitari nequeant, desperatum malum esse. Cæterùm audiatur STEPHANI correctio, qui malè putat agere Medicos statim ad vesicatoria properantes, cùm ea tunc adhibenda demùm sint, quando quidem excretio sit critica, sed impedita, ita, ut his ipsis juvetur natura.

XIII. Quoad *diætam* in *febribus malignis* observandam: *tenuis* hæc sit necesse est; & cùm sæpiùs summè fastidiant alimentorum odorem, nullo modo ad eundem cogendi sunt, quin jusculа aut similia abundè, licèt in parva quoque dosi, sufficiant. *Potus* sit vel cerevisia secundaria, vel etiam aqua simpliciter, quæ leviter ebullierit, cum parte tertia vel dimidia vini temperata, & infuso *pomo citri* cum cortice, in taleolas inciso, vel *succo expresso* medicata, quin etiam *gelatina Cornu Cervi* recens parata, & super carbones liquefacta, largiter cum potu isto, aut cerevisiæ, aut alii ordinario, partim scopo *analeptico*, partim scopo *alexipharmaco* sudorifero, admisceri potest: e. g.

℞. *Aquæ font.* ℔iß. vel ℔ij.
Vini Rhenan. ℥jx.

Mistis his addatur

Pomum citrium nonnihil dissect. & nonnihil express. N. j.
Gelat. Cornu Cervi super ignem dissol. ℥ij. M. D. S.
Julepus citrius confortans singularis.

Hinc etiam *decoctum citri Mynsichii*, additâ ℥j. vel ℥ij. *gelatina Cornu Cervi*, ad ℔j. convenientissimus in malignis est potus loco julepi. *Vinū generosū acidū* non nocet in malignis, quin moderato usu remedii confortantis vices subeat: Conf. RIVERII *Praxis*, & BARTHOLINUS *Cent. 6. Hist. 7.* Convenit etiam pro potu serum lactis acidulatum cum succo citri. Nec inconveniens est *fumo sulphuris* medicari potum quemvis ordinarium, cùm tale sulphuris gas ad extinguendam malignitatem, & condiendos balsamicâ vi humores, mirè conducat; cujus loco etiam *clyssi antimoniales sulphurei*, vel spiritus nitri dulcis, vel roris maralis 50. ad 60. guttas in mensura dimidia cerevisiæ, vel cujalis ordinarii potus utilissimè instillari possunt: qualem potum sulphuranui, & *clyssos* hos proficuos præparandi modum, videbitis in CNOEFFELII M. M. *febres malignas epidemicas seu pestilentiales pag. 96.* Aliàs & nitrum antimoniatum à ℈j. ad ℥ij. in mens. j. potus ordinarii dissolutum egregiè convenit, nisi vel alvi liberior fluxus, vel stomachi nauseabundi imbecillitas obstiterit.

Quoad alexipharmaca & sudorifera, quæ in malignis febribus imprimis conveniunt, eadem sunt in triplici differentia: nunc enim conveniunt simpliciter alexipharmaca, nunc alterantia, qualia acida; nunc in specie simul sudorifera, eaque nunc volatilia, nunc fixa: quorum illa magis in principio, hæc magis in incremento & statu conducunt.

Inter *Sudorifera* autem habeamus rationem & selectum, ut scilicet in principio volatilia, ubi magis malignitas urget, & fixa in progressu, aut ubi febris ardens jungitur, adhibeamus. De horum, imprimis volatilium Bezoardicorum, legitimo usu vid. imprimis LUDOVICI *in Pharm. p. 237.* item 242. 261. 284. item in *Tr. de Sale volatili tartari Præfat. Editionis* secundæ. De acidorum usu notetur, quod ea in toto cursu febrium malignarum, partim cum julapiis, partim cum sudoriferis, conveniant.

Volatilia sunt vel *macra* seu *salina*, ferè frigida, vel *aromatica* seu *oleosa*, ferè *amara calida*. *Macra* illa sunt spiritus & salia volatilia urinosa ex animalibus desumpta, spiritus salis ammon., spiritus & sal volatile Cornu Cervi, viperarum, tartari, urinæ, liquor cornu cervi succinatus, spiritus & sal volatile succini, &c. item acetum, succus citri, clyssi sulphurei; qui tamen magis in potu usitati, &c. *Oleosa volatilia* sunt camphora, quæ omnium optima. omnia aromatica, sudorifera, ut zedoaria, centaurium minus, &c. rob baccarum juniperi & sambuci; item olea destillata, ut succin, citri, camphoræ, exque his concinnatū *oleum pestilentiale Heinisii*, oleū destillatū Cor. Cer., tartari &c. Essentiæ, Infusa, & Spiritus theriacales câphorati vel crocati: vid. ZWELFERI *Mantissa Herm. p. 430.* Essentia theriacalis anodyna, Elixyr alliatū, pestilentiale Crollii, proprietatis, essentia zedoariæ, scordii, absinthii, cardui bened., croci, baccarū juniperi, cinnamomi, myrrhæ, succini, viperarum, castorei, tormentillæ, gentianæ, rutæ, vincetoxici, melissæ, &c. Aceta bezoardica, zedoariæ, tinctura bezoardica, tanquam optima alexipharmaca. Fixa sunt vel mineralia, vel animalia: Mineralia, ut sulphura metallica cum nitro fixata, in specie antim. diaphoret., aurū diaphoreticū, cinnabaris nativa, antimon., quæ

quæ nobilissima, & à POTERIO *Sudoriferi pestilentialis* nomine venit; & Bezoardica mineralia quælibet, tàm simplicia, quàm cum aliis composita; in specie Bezoardicum Ioviale RIVERIUS in febribus malignis commendat; & hinc Bezoardicum solare: terræ minerales sigillatæ, unicornu fossile, terra solaris, corallia, flores sulphuris, item nitrum & nitrata: animalia suggerunt partes duras osseas, tàm temperatas quàm ustas, ut Corn. Cerv. vel ebur cum vel sine igne, Cornu Cervi solare, unicornu verum præparatum, lapides animalium bezoardici, pulveres viperini, & Bezoardica animalia.

Temperata, & mediæ quasi naturæ, sunt gelatina Cornu Cervi, & *semina* ista *expulsiva* dicta, quæ in omni casu, speciatim in febribus malignis, in quibus natura expulsionem ad cutim moliri incipit, polychresta sunt in forma Emulsionis, ad promovendam dictam excretionem cutaneam, qualia cardui benedicti, napi, aquilegiæ, nasturtii, citri &c., quibus addi potest myrrha. Hinc in petechiis, variolis & morbillis, purpura, & similibus excretionibus promovendis, mirabilis est Emulsio ex seminibus expulsivis: vid. ZWELFFERUS *in Pharm. Regia pag.* 209, ubi egregium habet liquorem alexipharmacum; ad cujus imitationem soleo præscribere:

℞. *Flaved. cort. citri* drachm. ij.
Sem. aquileg.
Card. bened.
Napi an. ℈. ℈ ij. ad ʒ j. vel ʒ j℈.
Citri,
Amygdal. dulc. an. ʒ j.
Myrrh. elect. (quæ nobilis ob vim balsamicam) à ℈ j. ad drach. ℈.

Cum s. q. *Aqu. scord.* & *scorzon.* vel *scabiosæ* & *flor. sambuci* f. *Emulsio* ad ℥ iv. vel v. parùm edulcoranda, & subindè haurienda.

Huic etiam interdum Corn. Cerv. sine igne drachm. j. & de Antimonio diaph. vel de Bezoardico minerali scrup. j. vel drachm. ℈. & nonnulla alia addenda veniunt. Servat corpus in blando madore, ut ita promoveatur excretio. Sæpè hic mador loco sudoris sufficit, si scil. aliàs debilitatur æger, vel non adeo urget malignitas, nec debent ad copiosiores sudores cogi. Myrrha cum seminibus & amygdalis in emulsionis formam redacta lactescit; saporis tamen ratione ad strictè dictas Emulsiones non pertinet.

Ex modò dictis sexcenta alia concinnantur *composita*: ver. gr. pulvis Bezoardicus SENNERTI vel D. MICHAELIS, rubeus Pannonicus, imprimis conveniens, ubi *fluxus alvi* simul adest; pulvis Saxonicus, species de hyacintho &c., quorum largissimam segetem videbitis apud omnes *Scriptores*. Pertinent huc compositiones theriacales aromaticæ, ut theriaca, & mithridatium, Electuarium de ovo, Orvietanum, *Keplers* camphoratum, confectio de hyacintho &c., & præ his temperatum magis Electuarium diascordii *Fracastorii* ad drachm. j. vel drach. ij. propinatum; &, quod magis laudandum, à SYLVIO correctum: quæ ipsa propter æstuationis incrementum, quod inferunt, convenientissimè cum *vehiculo acido*, in specie *aceto*, vel simplici vel theriacali, aut succo citri misceantur, & ita in aqua scabiosæ, calendulæ, cardui benedicti, & similibus propinantur. Est enim theriaca mistura salina oleosa volatilis anodyna & sudorifera, quæ & spirituum influentium impetum sopit, & sudorem potenter movet. Jam verò, si loco theriacæ reciperetur spiritus Corn. Cerv. essentificatus à drachm. ℈. ad scrup. ii. vel drachm. i. & imprægnaretur gr. j. vel altero laudani opiati, vel essentiæ opii guttis x., remedium habebitur ejusdem valoris, ac compositio illa theriacalis. Subindè consultum est, ut fixa volatilibus nonnihil acuentur ad promovendam sudoris excretionem.

Ex Regno ergò vegetabili conveniunt radix galangæ, scorzoneræ, zedoariæ, gentianæ, allii, aristolochiæ rotundæ, angelicæ, succisæ, chelidonii maioris, Valerianæ, enulæ (huius radicis Decoctum cum floribus calendulæ commendatur mirè ad expellendas petechias) vincetoxici, bistortæ, olsnitii, levistii, ulmariæ, petasitidis, pimpinellæ, pentaphylli, contrayervæ, anthoræ, folia dictamni Cretici, galegæ, cardui benedicti, acetosæ, scabiosæ, scordii nostratis & Cretici (quod ferè omnibus præfertur in curatione malignarum) uvæ inversæ seu herbæ Paridis, rutæ, galegæ; summitates absinthii, centaurii minoris, cardui benedicti, scabiosæ, acetosæ, & similia; flores quatuor cordiales, quibus meritò additur flos calendulæ, hyperici, salviæ, betonicæ, aquilegiæ, crocus &c.; semen acetosæ, cochleariæ, angelicæ, melissæ, aquilegiæ, napi, citri; cortices citri & aurantiorum; baccæ juniperi, uvæ inversæ &c. Omnibus palmam præripit in regno Vegetabili camphora cautè usurpata, mirabile concretum, quod & alcalicis subjectis & acidis se sociat; alexipharmacum omnibus superius, & verum balsamum, tàm in præservatione quàm curatione febrium malignarum. Propterea omnibus sudoriferis & alexipharmacis ad resistendum malignitati, quoties fieri potest, semper addenda, totam massam sanguineam suo balsamo tingit, potenter sudorem movet, ac vel in præcavendis vel mitigandis deliriis, agrypniis, & convulsionibus, somnoque introducendo, vix par habet remedium.

Ex his ergò varia fiunt remedia, præter aquas destillatas istorum simplicium, v. g. melissæ &c., imprimis infusione horum simplicium aceta fiunt bezoardica, de quibus postmodum, ubi de peste: v. g. radix angelicæ, scordium &c. aceto infunduntur. Exemplum *aceti bezoardici* sit TIMÆI *Von Guldenklee in Consil. l.* 8. *cas. ult.*

Citrus totus est *alexipharmacus*, unde cortices, succus, & ex eo parata remedia quæcunque, imò acidulæ ex citro paratæ, nunquam omittendæ. Pertinet huc syrupus acetositatis citri, item syrupus de citro compositus, Decoctum citri Mynsichtii &c., quæ in morbis malignis convenientissima sunt: ob id cum quibusvis ferè remediis, tàm absorbentibus quàm alexipharmacis, in febribus malignis subindè aliquid de citro propinandum, aut etiam post illa exhibendum est.

De sambuco res nota est, quod ejusdem flores, spiritus florum sambuci, item rob ex baccis & rob juniperinum, sint egregia sudorifera pro pauperibus, imprimis si cum Corn. Cerv. sine igne propinentur; sic enim potenter sudores movent. Lignum sassafras, Decoctum ejus ut & Decoctum florum sambuci, pro corpore Juleporum etiam egregii usus est in febribus malignis; uti etiam Decoctum Corn. Cervi cum radice scorzoneræ, & quæ sunt similia.

Ex Regno Animali offert se imprimis Cervus, qui similiter totus est alexipharmacus & antipestiferus, imprimis cornu ejus, & ex hoc parata gelatina, hinc sanguis ac cor primatum obtinent, & ex his præparata in frequenti sunt usu; unde aut Corn. Cerv. sine igne, aut, quod melius est, spiritus Corn. Cerv., sal volatile Cornu Cervi, sal volatile & spiritus sanguinis atque cordis cervi, &c. præ cæteris sunt in usu: hinc etiam liquor Cornu Cervi succinatus potentissimum est alexipharmacum & sudoriferum in febribus malignis, speciatim ubi mox in principio aut incremento affectus nervini, convulsiones aut epilepsia imminent: Sal volatile Cornu Cervi rectè sublimatum à gr. v. ad xij. vel xv. usque ad ℈ j. propinatur: spiritus Cornu Cer. à drachm. ℈. ad drachm. j.: liquor Cornu Cervi succinatus ad gutt. 20. vel 30., est enim satis potens. Post Cervum est vipera, cujus sal volatile, item pulveres viperini ritè parati, sub nomine Bezoardici animalis sunt optimi. De lapide Bezoar ex damnarum genere desumpto, tàm Orientali quàm Occidentali, res nota est, quàm decantatus sit in peste & febribus malignis ob insignem vim sudoriferam; de quo observetur, quod habet ZACUTUS LUSITANUS & HILDANUS, quod non adeò in parva dosi ad aliquot grana tantum, sed ad minimum ad scrup. j. vel drachm. ℈. sit propinandus; utut in virtute alexipharmaca & sudorifera ipsi nihil cedat calculus humanus, bezoardicus & sudoriferus, qui eâdem dosi exhibitus longè melior est. De cætero propter familiarissimam lapidis Bezoar dici sophisticationem, ejus usus unicuique suspectus esse debet, adeò, ut in unc. 1. vix drachm. j. genuini lateat. Quid? quod hic apud nos copiosior, quàm apud Indos invenjatur, quibus tamen genuinus rarus est: vid. BAUHINUS *de Lapide Bezoar*: ZWELFFERUS *in Animadv. ad Pharmac. Augustanam p.* 65. etiam de ejus sophisticatione scribit. Bezoar factitt. videb. in *append. ad Ann.* 6. & 7. M. A. N. C. *p.* 28.

Ex Regno *Minerali* in febribus malignis reliquis palmam præripiunt antimonialia sulphurea, eaque reddita fixa; quoniam antimonii sulphur, de natura solari nonnihil participans, malignitatem salis volatilis peccantis figit, & fixatam mediante sudore educit: hinc antimonium diaphoreticum, aliàs notum, est singulare & usitatum remedium; omnia quoque, quæ basin antimonii agnoscunt. Unde etiam antimonio diaphoret. nobiliora, Bezoardica mineralia, tam simplex à gr. vi. ad xii. quàm solare & lunare, aliaque composita, in eadem dosi sunt optima. Bezoardicum Ioviale est usita-

usitatum POTERIO cum camphora, si propinetur in aqua appropriata in febribus malignis. Sed nescio, an non hisce cum nitro fixatis præferendum sit potiùs sulphur antimonii fixum: hinc cinnabaris antimonii, utut ea non planè fixa sit, tamen ob sulphur suum, in specie ubi convulsivi impetus simul urgent vel imminent, à gr. vj. ad ℈ß. vel xv., vel aliud genuinum antimonii sulphur, ritè cum sale ammoniaco sublimando paratum, sub nomine Tincturæ antimonii siccæ; vel sulphur antimonii fixum ex scoriis reguli antimonii occulto artificio præcipitatum, in sistenda malignitate & epilepsia utramque faciunt paginam; ac reliqua antimonialia sulphura fixa, utpote ad panaceas maximè accedentia: vid. BASILIUS VALENTINUS *in Curru Triumph. antimonii*. Facit etiam huc sulphur commune seu minerale, quod pro pauperibus in locum antimonialis sulphuris suo modo substitui potest, cùm magnam inter se habeant cognationem, idque vel crudè, vel cum camphora assumptum: unde etiam conclavia ægrotantium sulphure ac pulvere pyrio suffumiganda sunt: indusium etiam & vestimenta in graviore malignitate hoc ipso fumo imprægnanda. Pomum etiam sulphurare jubet in cura Febrium malignarum CNOEFELIUS *l.c.* Pertinent huc etiam terræ alexipharmacæ minerales, Bolus Armena, terra sigillata & similia, quatenus hæ ipsæ de sulphure minerali plus minùs participant. Succinum & ejus sal volatile est singularissimum, ubi genus nervosum à malignitate est affectum. Spiritus mineralium aciduli commodissimè propinantur cum Julepis: eminet præ cæteris spiritus nitri, nunc solus, nunc, quod melius est, cum spiritu vini dulcificatus; & hinc spiritus salis, & spiritus sulphuris, qui est egregius. De Tinctura bezoardica seu mistura simplici, cujus basin cum salo volatili constituit camphora, & de spiritu theriacali camphorato, res nota est, quod egregiè prosint, à ʒß. ad ʒ j. propinata. Spiritus fuliginis urinosus à ʒß. ad ʒ j. quibusdam in secreto habetur in morbis malignis.

Ex his variæ & mille Formulæ, in *febribus malignis* magis usitatæ, præscribi possunt: v. g. in *principio & incremento* præmissis præmittendis

℞. *Tinctur. bezoard. ritè parata* ʒ j.
D. S.
Tinctura bezoardica pro una vice.

Sumatur in quocunque vehiculo, stomacho vacuo, expectando sudorem.

℞. *Mixt. simpl.* ʒ j.
Liq. Corn. Cer: succin. ʒß.
M. pro 2. dosibus: S.
Mixtura bezoardica per duabus vicibus.

Item in forma Potionis:

℞. *Aquæ rutæ,*
Rad. scorzon. an. ℥ j.
Mixtur. simpl. ritè parata ʒ j.
Spiritus fulig. rectif. ʒß.
Syrup. scordii ℥ß.
M. pro 2 dosibus: S.
Potio sudorifera pro duabus vicibus.

℞. *Aqu. card. bened.*
Fl. sambuci an. ℥ß.
Liqu. Cor. Cerv. succin. ʒ j. vel loco hujus *salis volat. viper.* ℈ j.
Syrupi card. bened. ℥ß.
M. pro dosi, expectando blandum sudorem: S.
Potio sudorifera pro una vice.

℞. *Aqu. card. bened.*
Scordii an. ℥ j.
Liqu. Cor. Cer. succin. ʒ j.
Pulv. diaphoret. Ludovic.
Antimonii diaph. an. ℈ j.
Syrupi scabios. ℥ß.
M. D. S.
Potio sudorifera Bezoardica, pro 2. vicibus, benè circumagitanda.

℞. *Aqu. rubi Idæi,*
Scordii. an. ℥ j ß.
Antimonii diaph. ʒß.
Cinnab. Antimonii gr. xv.
Sal. volat. Cer. Cer. gr. xij.
Camph. gr. ij. vel iij. aut *laud. op.* gr. j. vel ij.
Syrupi card. ben. ℥ j.
M. pro 2. dosibus.
D. S. *ut antea.*

℞. *Aqu. flor. sambuci* ℥ ij. vel ℥ iij.

Cor. Cer. sine igne ʒß.
Cinnab. Antimonii gr. xv.
Sal. volat. Cor. Cer. gr. ix. vel ℈ß.
Syrupi fœnic. ʒ iij.
M. pro 3. dosibus: S.
Potio sudorifera bezoardica pro tribus dosibus.

℞. *Aqu. scorz.* ℥ j.
Cinnam. ʒ j.
Cinnab. Antimonii gr. xii.
Antimonii diaphor.
Sal. volat. Cor. Cer.
succini an. gr. v.
Laud. opiati gr. i ß.
Camphor. gr. i.
M. S.
Potio sudorifera bezoardica pro una dosi.

℞. *Aqu. flor. sambuci,*
Scordii an. ℥ i ß.
Cor. Cer. sine igne,
Antimonii diaphor. an. ℈ i. ad ʒß.
Sal. volat. Cor. Cer. gr. xv.
succini gr. vi.
Syrup. card. ben. ℥ i.
M. D. S.
Potio sudorifera bezoardica pro tribus vicibus.

Capiatur pro 3. dosibus expectando sudorem: cui, ubi graviùs urgent symptomata, commodè *laud. opiati* gr. i ß. vel *essent. anodynæ* ℈ß. potest addi.

Ubi delirium imminet:

℞. *Aqu. cord. Herc. Sax.* ℥ i.
Cinnam. ℥ß.
Spiritus theriac. camphor. ʒ ii.
Cor. Cer. essentif. vel loco hujus potiùs *sal. vol. Cor. Cer.* ℈ j.
Sal. volat. succini ℈ ß.
Syr. fl. tunic. ℥ß.
M. S.
Potio bezoardica.

Hauriatur cochleatim.

℞. *Aqu. scord.* ℥ iij.
Spir. theriac. vel *simpl.* vel *moderatè camph.* ʒ iij.
Cor. Cer. sine igne ℈ ii.
Sal. volat. Cor. Cer. vel *viperarum* gr. xv.
Confect. alchermes ʒ i ß.
M. f. Potio:
D. S.
Potio confortativa.

Cochleatim capiatur.

Item:

℞. *Aqu. Card. bened.*
Galeg.
Fl. samb. an. ℥ vi.
Spir. theriac. camph. ʒ i ß.
Sal. volat. viper. ℈ j.
Elect. diascord. Fracast. drachm. ij.
Syrupi card. ben. drachm. vj.
M. pro 2. dosibus: S.
Mixtura bezoardica pro 2. dosibus, benè circumagitanda.

℞. *Aqu. Galegæ,*
Scord.
Cord. Herc. Sax. frig. an. ℥ j.
Spir. Theriac. camph. drachm. iij.
Tinctur. flor. aquil.
Pæon.
El. diascord. Frac. an. drachm. i ß.
Syr. acetos. citri ℥ß.
M. D. S.
Potio sudorifera pro aliquot dosibus.

Item

℞. *Aqu. Fl. acac.*
Samb. an. ℥ ii.
Gelat. Cor. Cer. rec. ℥ i.
Spir. Theriac. camph. ʒ ij.
Cor. Cer. sine igne drachm. j.
Bezoard. solar. ℈ j. ad drachm. ß.
Extracti theriac. gr. vi.
Laud. ferm. gr. ii.
Syrup. fœnic. vel *scord.* drachm. vi.
M. D. S.

M. D. S.

Potio Bezoardica, cochleatim sumenda.

Quando præscribimus Theriacam, acetum dixi esse addendum:

℞. *Aqu. scord.*
Rad. scorzon.
Aceti vini an. ℥j.
Theriac. Androm. ℥j. (ubi æstus urget, *el. diascord. Frac.*)
Antimonii diaphor. ℈ij.
Camphor. gr. vj.
Syr. rubi Idai ℥j.
M. pro 2. aut 3. dosibus: S.

Potio Bezoardica pro aliquot dosibus.

℞. *Aqu. card. bened.*
Fl. samb. an. ℥ j ß.
Aceti vini ℥j.
Theriac. Androm. (vel ubi æstus nimis urget, *el. diasc. Frac.*) ℥ij.
Antimonii diaphor. ℈ij.
Syr. acetos. citri ℥ vj.
M. D. S. *Ut anteà.*

℞. *Aqu. fumar.* vel *Flor. samb.* ℥ ij. vel ℥ iij.
Aceti rutac. vel *scord.* vel *theriac.* vel *vini* ℥ vj.
Theriac. Androm. ℥ j. ad ℥ ij.
Antimonii diaphor. ℥ß. ad ℈ ij.
Camph. gr. iv.
M. pro 2. dosibus: S.

Potio Bezoardica sudorifera pro 2. dosibus.

℞. *Aqu. card. ben.*
Scordii an. ℥ j ß.
Succ. citri rec. ℥ vj.
Theriac. Androm. ℥ j ß.
Bezoard. min. ℈ß.
Laud. op. gr. j ß.
Syrupi menthæ ℥j.
Spiritus nitri dulc. q. s.
M. pro 2. dosibus.
D. S. *ut anteà.*

Repetenda sunt talia aliquoties.

℞. *Aqu. Fl. sambuc.*
Scabios. an. ℥ j ß.
Aceti rutac. ℥ vj.
Theriac. Andr. ℥ ij.
Antimonii diaphor. ℈ j ad ℥ ß.
Bezoard. min. gr. xv.
Syr. rubi Idai ℥ vj.
M. pro 3. dosibus: S.

Potio Bezoardica sudorifera pro tribus dosibus.

℞. *Aqu. card. bened.*
Flor. sambuci an. ℥ j ß.
Liq. Cor. Cer. succin. ℥ ij.
Antimonii diaph. Martial. ℈ ij.
Cinnab. antim. ℈ j.
Syr. papav. simpl. ℥ iij.
M. D. S.

Mixtura sudorifera bezoardica, cochleatim sumenda.

℞. *Aqu. flor. samb.* ℥ iij.
Aceti fl. samb. ℥ß. ad ℥ vj.
Theriac. Andr. ℥ ij.
Antimonii diaphor. ℥ß ad ℈ ij.
Syr. card. ben. ℥ ij.
M. pro 2. dosibus, pro eliciendo sudore.
D. S.

Mixtura bezoardica pro duabus dosibus.

℞. *Aqu. card. bened.*
Scabios. an. ℥j. vel ℥ j ß.
Cinnam. ℥ vj.
Aceti bezoard. vel *rutac.* aut *sambuc.* vel *vini acerr.* ℥ vj. ad ℥ j.
Theriac. Andr. drach. j ß. ad ℥ ij.
Antimonii diaphor. drach. ß. ad drach. j.
M. D. S.

Mixtura bezoardica pro aliquot dosibus.

Addi possunt etiam gr. iij. præterpropter *camphoræ*: capiat æger hauriendo cochleatim subinde, ita, ut corpus in blando maneat madore, vel ubi major urget malignitas, capiatur pro tribus vicibus, expectando semper sudorem. Vel

℞. *Theriac. Androm.* drach. ß.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Salis absinthii ℈ß.
M. pro una vel duabus dosibus:
D. S.

Electuarium bezoardicum.

Capiatur in duobus cochlearibus aceti vini.

Effervescit quidem, sed optimè sudorem promovet, maximè in principio febrium malignarum, ubi observavi egregium usum, ac præcipuè in petechialibus.

Vel si *Theriaca* minus conveniat:

℞. *Cons. ex toto citro,*
Ros. rub. vitriolat. an. ℥ j ß.
Rob juniperi ℥ß.
Elect. diascord. Frac. ℥ ij.
Camph. ℈ j.
Cum s. q. *Syr. ex toto citro* f. Electuarium pro aliquot dosibus: S.

Electuarium bezoardicum.

℞. *Aqu. rad. scorz.* unc. ij.
Tenell. Cor. Cer. unc. j.
Aceti destill. vel *simpl.* drachm. vj.
Succi citri rec. drach. j ß.
El. diascord. Frac. drachm. ij.
Syr. rubi Idai unc. j.
M. f. Potio pro tribus dosibus: S.

Potio sudorifera.

℞. *Aqu. card. ben.*
Rad. scorz. an. unc. ij.
Cinnam. borrag. drachm. vj.
Succi citri rec. unc. j.
Elect. diascord. Frac. drachm. ij.
Syr. rubi Idai unc. ß.
M. D. S.

Potio bezoardica sudorifera, cochleatim capienda.

℞. *Aqu. scabiosa* ℥ ij ß.
Succi citri rec. ℥ vj.
Elect. diascord. Frac. ℥ ij.
Antimonii diaphor. ℈ß.
Camph. gr. iv.
Syr. card. bened. ℥ß.
M. pro 2. dosibus: S.

Mixtura bezoardica pro duabus dosibus.

℞. *Aqu. rubi Idai,*
Scord.
Cordial. Herc. Saxon.
Aceti rubi Idai an. ℥ j.
El. diascord. Frac. ℥ ij.
Antimonii diaphor. ℈ j.
Bezoard. min. gr. xij.
Syr. rubi Idai ℥ j.
M. pro tribus dosibus: S.

Mixtura bezoardica pro tribus dosibus.

℞. *Aqu. Flor. samb.* ℥ j.
Aceti Flor. samb. an. ℥ß.
El. diascord. Frac. ℥ j.
Antimonii diaphor. ℈ j.
Camph. gr. j. vel ij. vel iij.
Syr. acetos. citri ℥ß.
M. D. S.

Mixtura bezoardica.

Capiatur pro una dosi, expectando probè sudorem.

In progressu morbi, & ubi *volatilia*, in specie *sulphurea*, cautius usurpanda veniunt:

℞. *Aqu. fumar.* ℥ iij.
Corn. Cerv. sine igne ℈ ij.
Bez. min. ℈ j. ad ℈ß.
Extr. theriac. gr. vj.
Syr. cort. aurant. ℥ iij.
M. pro 3. dosibus: S.

Potio bezoardica.

℞. *Aqu. scord.*
Rad. scorz. an. ℥ j ß.

Cor

Cornu Cervi sine igne ℈ij.
Antimonii diaph. ℈j.
Bezoard. min. ℈ß.
Syr. acetos. citri ℥j.
M. pro 2. aut 3. dosibus, prout magis vel minùs urgeat malignitas.

℞. *Aqu. rubi idæi,*
Ex succ. ceras. nigr. ana ℥iß.
Cornu alcis sine igne ℈ij.
Antimonii diaph. ℈j.
Syr. rubi Idæi ℥vi.
Spirit. nitri dulc. q. s.
M S.
Potio alterans sudorifera.

Usurpatur pro 2. dosibus, expectando sub moderatis tegumentis sudorem blandum.

Commodè hujusmodi Misturis etiam *myrrha* potest addi.

In statu cum delirio:

℞. *Aqu. ulmar.*
Cordial. Herc. Sax. frig.
Carbunc. ana ℥j.
Cinnam. (ratione virium) ℥vi.
Bezoard. min.
Cinnab. antimonii ana gr. xv.
Nitri antimoniati ℈j.
Camph. gr. iij.
M. f. Potio pro aliquot dosibus: S.
Potio refrigerans & confortans.

In *suprà citato loco*, & *Tract. Cnœfelii* insigniter commendatur *Mixtura de tribus ex tribus*. Compositio est hæc:

℞. *Mixt. de trib.* i. e. *Mixt. simpl.* ℥vi.
Spirit. de trib. ℥ij.
Fl. sulphuris ℈j.
Aqu. fumar. vel alius alexiter. ℥ij.
Syr. acetos. citri ℥j.
M. f. Potiuncula pro una dosi.

(Satis est potens; ita tamen præscribit CNOEFELIUS: subjecta forsan habuit fortiora.)

Mixtura de tribus, uti notum est, est Mixt. simplex. *Spiritus de tribus* sic componitur:

℞. *Antimonii* quintuplâ *nitri* parte in pulverem album fixati, & edulcorati: vel hujus loco *reg. antimonii pulverisat.*
Sulphuris crudi pulverisat. ana ℥ij.
Nitri purif. ℥iv.

Destilletur per retortam more solito, & f. *Spirit. de tribus*, scilicet *Clyssus*.

℞. *Corn. cerv. sine igne* ℈ß.
Antimonii diaphor. ℈j.
Cinnab. antimonii gr. xv.
Bezoard. solar. ℈ß.
M. pro 2. dosibus.
D. S.
Pulvis bezoardicus pro 2. dosibus.

Capiantur in sequenti vehiculo:

℞. *Aqu. card. Herc. Saxon. frig.* ℥iß.
Spir. ther. camph. ℥iij.
Syr. rubi Idæi ℥vj.
M. D. S.
Potio ad pulverem.

℞. *Antimonii diaphor.* scrup. j.
Cinnab. antimonii scrup. ß.
Camph. gr. v.
M. f. Pulvis *in graviore malignitate*: S.
Pulvis sudoriferus bezoardicus.

℞. *Pulv. diaphor. Ludov.* scrup. j.
Antimonii diaph. vel *bezoard. min.* vel *cinnab. antimonii* scrup. ß. vel gr. xii.
Laud. opiat. gr. i. vel *camph.* gr. ii. vel iij.
M. f. Pulvis: S.
Ut anteà.

℞. *Ebor. sine igne* scrup. j.
Antihect. Poterii scrup. ß.
Bezoard. lunar. gr. iv.
Camph gr. iij.
M. f. Pulvis:
D. S. ut *anteà*.

℞. *Pulv. Bez. Sennerti* scrup. j.
Myrrh. elect. gr. vi.
Camph. gr. ij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Corn. Cerv. sine igne* scrup. j.
Salis card. bened. gr. xii.
Antimonii diaph. vel *cinn. antimonii* an. ℈ß.
M. div. in 2. part. æqu.
D. S.
Ut anteà.

℞. *Nitri antimoniati* ℨß.
Bezoard. min. scrup. j.
Camph. gr. iij.
M. f. Pulvis ad imitat. Riverii.
D. S.
Ut anteà.

℞. *Pulv. rub. Pannon.* gr. xv.
Nitri antimoniati gr. xij.
Auri diaph. Poterii gr. v.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Corn. Cerv. sine igne*, aut, quod meliùs, *Corn. Cerv. solar.* (Cor. Cerv. inciditur in taleolas, & fit stratum super stratum cum foliis auri) scrup. j.
Antimonii diaph.
Cinnab. antimonii ana scrup. ß.
Sal. volat. Corn. Cerv.
Succin. ana gr. ij.
M. f. pulvis.
Div. in 2. part. æquales: D. S.
Ut anteà.

Quod si *convulsiones* imminere velint:

℞. *Pulv. bez. Mich.* vel *epilept. diaph. Schrœd.* scrup. j.
Cinnab. antimonii gr. xv.
Sal. volat. Corn. Cerv. scrup. ß.
M. pro 2. dosibus pro eliciendo sudore:
D. S. ut *anteà*.

Mihi in febribus malignis cum delirio aut imminentibus convulsionibus familiaris est sequens pulvis, qui admodùm conducit. Præscriptio est hæc:

℞. *Antimonii diaphor.*
Cinnab. antimonii ana scrup. ß.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. iv. vel v.
Succini gr. ij. ad v.
Camph. gr. ij. M. D. S.
Ut suprà.

Potentissimè sudorem movet, ac simul malignitati potenter resistit. Hauriatur in sequenti vehiculo:

℞. *Aqu. flor. sambuci,*
Scabios. ana ℥j.
Spirit. theriac. camph.
Syr. card. bened.
Fl. papav. errat. ana ℨß.
M. D. S.
Potio ad pulverem.

Quando ægri sunt inquieti, & anxietates habent nimias, cuilibet dosi *laudani opiati* gr. j. vel ij. addi possunt, & operationem potenter promovet: vitandum tamen tempore criseos. Vel

℞. *Pulv. bezoard. Mich.* scrup. j.
Cinnab. antimonii gr. vi.
Camph. gr. j. M. D. S.
Pulvis sudoriferus bezoardicus.

Propinetur in dicto vehiculo.

℞. *Antimonii diaphor.* scrup. j.
Cinnab. antimonii gr. xv.
Sal. volat. Corn. Cerv.
Viperar. ana gr. iij.
Succini gr. ij.
Camph. gr. iij.
M. f. Pulvis, ter in 24. horis repetendus.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Antimonii diaph.*
Cinnab. antimonii ana scrup. ß.
Sal. volat. Corn. Cerv.
Viperar. ana gr. iv.
Camph. gr. iij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Cinnab. antimonii* gr. xv.

Salis volat. cranii hum. gr. iv.
Succini gr. iij.
Camph. gr. ij. vel iij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Cinnab. antimon.* ℈ß.
Antimonii diaphor.
Sal. volat. Cornu Cervi ana gr. v.
Camph. gr. ij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Cinnab. antimonii* gr. xv.
Sal. volat. Cornu Cervi,
Viperar. ana gr. iv.
Camph. gr. iij. vel iv.
M. D. S. ut *anteà*.

℞. *Cornu Cervi sine igne* ℈j.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. vj.
M. S. ut *anteà*.

Vel præscribatur *Pulvis ex tribus salibus Rosancreuzeri* ex omnibus tribus regnis, quem commendat in sua *Astronomia*:

℞. *Bezoard. mineral.* gr. vj.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. iv.
Card. bened. ℈ß.
M. pro dosi: S.

℞. *Cornu Cervi sine igne*, vel *unicorn. veri prap.*
Antimonii diaph.
Cinnab. antimonii ana gr. vj. vel viij.
Myrrh. gr. iij.
Sal. volat. Cornu Cervi vel *viperar.* gr. viij.
M. f. Pulvis pro 1. dosi: S.
Bezoardicus pulvis sudoriferus.

℞. *Ebor. sine igne* seu *Pulv. diaph. Lud.* gr. xv.
Antimonii diaphor. ℈ß.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. v.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

Capiatur in sequenti vehiculo:

℞. *Aqu. fl. samb.*
Scabiosæ ana ℥j.
Syrupi papav. simpl. ʒvj.
Card. bened. ʒiij.
M. D. S.
Potio ad pulverem.

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈j.
Bez. Orient. vel *Bezoard. min.* ℈ß.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. iv. vel v.
Camph. gr. j. vel ij. vel *laud. opiat.* gr. j.
M. D. S.
Bezoardicus pulvis confortativus.

℞. *Antimonii diaphor.* gr. xv.
Sal. volat. viper. gr. vj.
Camph. gr. iij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Pulv. diaph. Lud.* ℈j. ad ʒß.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. vj. ad ℈ß.
Camph. gr. j.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

Cum patiens sentit caloremi nternum, neque ob capitis dolorem dormire potest.

℞. *Ebor. sine igne,*
Cinnab. antimonii ana ℈ß.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. v.
Camph. gr. j.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Corn. cerv. sine igne* ʒj.
Bezoard. min. ℈ij.
Terræ sigillat.
Unic. fossil. ana gr. xv.
Laud. opiati ferm. gr. iv.
M. f. Pulvis pro 4. dosibus: S.
Bezoardicus pulvis confortans.

℞. *Pulv. bezoard. Mich.* gr. xv.
Bezoard. min. ℈ß.
Laud. opiati gr. j.
M. f. Pulvis: S.
Ut anteà.

℞. *Corn. cerv. sine igne* ℈j.
Antimonii diaphor. ℈ß.
Bezoard. min. gr. vj.
M. pro dosi, *præsente periculo*.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Bezoard. animal.* ℈j.
Solar. ℈ß.
Laud. opiati gr. j.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Conserv. pulp. citri* ℥iß.
Elect. diascord. Fracast. ʒiij.
Antimonii diaphor. ʒj.
Cum s. q. *succi citri* f. Electuarium: S.
Electuarium Bezoardicum confortativum pro aliquot dosibus.

De hoc crebriùs æger capiat pro lubitu in vel extra sudorem, ut in continuo corpus servetur madore.

Chirurgus quidam ex prægressa ita, & contagio in nosocomio contracto, febre malignissimâ afficiebatur: mox extremi labores, h. e. æstus intensus, cephalalgia gravissima, inquietudo anxiosa, pulsus inæqualis, vires prostratæ, &c. intra paucas horas ægrum prehendebant. Ipse sponte suâ post mediam noctem venam secat, manè vocatus propter spirituum urgentiam in morbo peracuto præscripsi:

℞. *Aqu. scord.*
Cordial. Herc. Sax.
Rubi Idei ana ℥j.
Corn. cerv. sine igne ʒß.
Cinn. antimonii ℈j.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. xv.
Succin. gr. viij.
Laud. opiati per ferm. gr. ij.
Syr. flor. tunic. ʒvj.
M. pro 2. dosibus.

Accepit, benè sudavit, & longè meliùs habuit. Nempè in morbo adeò acuto cum tàm subitanea symptomatum invasione blandè anodynis nimius impetus spirituum nonnihil refrænandus, nè dissipati haud sufficiant pro statu morbi, quin & quietior æger nonnihil redditus faciliùs sudare queat. In Incremento ergo morbi tutò, circumspectè tamen, usurpari debent. Vesperi præscripsi:

℞. *Pulv. bezoard. Senn.*
Unic. veri prap. ana ℈j.
Bezoard. solar.
Jovial. ana gr. vj.
M. pro 2. dosibus.

Quarum unam appetente nocte, alteram circa auroram capiebat, hauriendo simul subindè pro lubitu de sequenti Mixtura:

℞. *Aqu. scord.*
Fl. samb.
Rubi Idei ʒvj.
Aceti rubi Idai ana ℥j.
Elect. diasc. Frac. ʒij.
Syrupi acetos. citri ʒß.
Misc. pro Potione.

Sudavit, dormivit, commodè habuit, & ita brevi talibus continuatis convaluit.

Juxtà cum dictis remediis alexipharmacis propter sitim, etiam interdum propter æstum, item propter debilitatem ægrorum in & post sudorem, subindè scilicet pro scopo alexipharmaco & alterativo, Julepi blandè aciduli confortativi commodè propinantur, inter quæ eminet citrus, succus citri, & omnia cum citro parata, & spiritus nitri dulcis. Ordinetur ergo *Decoctum citri Mynsichtii, suprà insinuatum* pro Julepo, aut *Julebus ex decocto citri cum radice scorzoneræ*, quem habet FEHR *de scorzonera pag. 61.*

℞. *Pom. citri rec.* N. ij.
Incid. cum corticibus in taleolas tenues:
adde
Sacch. albiss. ℥iij.
Rad. scorzon. ʒj. vel ʒiij.
Aqu. font. ℔vj.
Coqu. ad tertias, & colentur.

Vel *Julepus ex Decocto citri*, cum quo *Tinctura rosarum* elicienda, ad imitationem TILEMANNI *de Mat. Med. pag. 9.*

℞. *Pom. citria* N. ij.

In

In taleolas dissecta conspergantur cum
Saccharo albo:
Coqu. in s. q. aquæ ad Mens. ß.
Colatura frigida detur sola.
Vel etiam cum ea, & *succo citri Tinctura rosarum* extrahatur, & cum *syrupo de toto citro*, omisso saccharo, edulcoretur.
℞. *Decoct. Corn. Cerv. cum rad. scorz.* ℔j.
Tinct. fl. aquileg.
Pæon. ana ℥j.
Syr. acetos. citri ℥iß.
Rubi Idæi (qui admodùm commendatur à GESNERO) ʒvj.
Spir. nitri q. s. ad gratum saporem, & propinetur pro potu: S.
Julepus refrigerativus & confortativus.
℞. *Decoct. Corn. Cerv. cum rad. scorz.* ℥viij.
Succi citri,
Cydon.
Tinctura fl. papav. errat.
Pæon. ana ℥j.
Syr. papav. simpl. ℥iß.
Fl. tunic. ʒvj.
Spirit. nitri dulc. parum.
M. f. Julepus in malignis cum agrypniis & deliriis:
D. S. ut *suprà*.
℞. *Decocti citri Mynſ.* ℔iß.
Succi granat. acid. ℥iß.
Ribium ℥ß. ad ℥iij.
Syr. rubi Idæi q. s. pro grato sapore.
M. f. Julepus: S.
Julepus citrius refrigerans & confortans.
Vel
℞. *Decocti Corn. Cerv. cum rad. scorz.*
Citri Mynſ. ana ℔ß.
Aqu. cinnam. ℥j.
Tinctura flor. rosar.
Tunic. ana ℥iß.
Syr. ribium ℥ij.
Clyssi antimonii sulphurati q. s.
M. S. ut *suprà*.
℞. *Decocti citri* ℔j.
Syr. rub. Idæi q. s. pro grato sapore.
M. S. ut *suprà*.
℞. *Decocti citri Mynſ.* ℔iß.
Gelat. Corn. Cerv. rec. ℥iß.
Syr. cerasor.
Rubi Idæi ana ℥j.
Succi citri q. s. pro grato sapore:
M. f. Julepus.
D. S. ut *suprà*.
Propinatur in specie, ubi volatilibus sudor fuerit provocatus.
℞. *Decocti rad. scorzon. cum Corn. Cerv.* ℔j.
Gelat. Corn. Cerv. rec. ℥j. ad ℥ß.
Succi rubi Idæi ℥ij.
Citri ℥j.
Syr. acetos. citri q. s.
M. D. S.
Julepus refrigerans & confortans.
℞. *Decoct. rad. scorz. cum ligno sassafr.* ℔j.
Gelat. Corn. Cerv.
Syr. papav. albi (optimè præscribitur in æstu.)
Rubi Idæi ana ℥j.
Spirit. nitri dulc. q. s.
M. pro Julepo.
D. S. ut *suprà*.
Usurpatur subindè intermedio inter sudandum tempore, etiam in sudore.
℞. *Ras. ligni sassafr.* ℥ß. ad ʒvj.
Coqu. in s. q. aquæ, ℔ß.
adde
Succi citri rec. ℥iß. ad unc. ij.
Syr. ex toto citro unc. iß.
Spir. nitri dulc. q. s.
M. S. ut *suprà*.
Vel
℞. *Decoct. rad. scorz. cum Corn. Cerv.* ℔j.
Gelat. Corn. Cerv. unc. j. ad ℥iß.
Succi rubi Idæi unc. ij.
Citri unc. j.
Syr. acetos. citri q. s. pro grato sapore.
M. S. ut *suprà*.
℞. *Decocti Corn. Cerv.* ℔j.
Succi granat. unc. j. vel ℥iß.
Ribium ʒvj. vel unc. j.
Elect. diascord. Frac. ʒß. vel ℈ij.
Syr. rubi Idæi ℥j. ad unc. ij.
Spir. nitri dulc. parum.
M. D. S.
Julepus bezoardicus benè circumagitandus.
℞. *Aqu. fontan.* ℔j.
in qua dissolv.
Gelat. Corn. Cerv. rec. ℥ß. ad ℥ij.
Syr. rubi Idæi unc. j. vel unc. ij.
Pap. alb. unc. j.
Spir. nitri dulc. ℥j. vel q. s. pro gratia saporis.
M. D. S.
Julepus refrigerativus.
Egregiè etiam convenit Infusum ex floribus, cum spiritu sulphuris sub forma Julepi propinatum.
Quibus placet, etiam *Decoctum tamarindorum* usurpare possunt, quando nempè alvus nonnihil liberanda venit: v. g.
℞. *Decocti tamarind. cum passul.* ℔j.
Syr. acetos. citri,
Rubi Idæi ana unc. j.
Spir. nitri dulc. parum.
M. D. S.
Julepus aperitivus.
Item
℞. *Aqu. menthæ*,
Rubi Idæi ana unc. iß.
Succ. cydon. vel *rub. Idæi* unc. j.
Tinctura fl. bellid. unc. ß.
Cornu Cerv. sine igne ℈ij.
Antimonii diaphor. ℈j.
Syr. rubi Idæi unc. j.
M. D. S.
Mixtura refrigerans & confortans, benè circumagitanda.
℞. *Aqu. acetos.*
Rubi Idæi ana unc. iij.
Gelat. Corn. Cerv.
Succ. rubi Idæi ana unc. j.
Citri unc. ß.
Syr. ex toto citro unc. iß.
M. S. ut *anteà*.
℞. *Aqu. acetos.* ℔ß.
Succ. berber.
Ribium ana unc. j.
Gelat. Corn. Cerv.
Syr. acetos. citri ana unc. iß.
M. S. ut *suprà*.
Pro viribus refocillandis:
℞. *Aqu. rubi Idæi* unc. ij.
Cordial. Herc. Sax. frigid. unc. j.
Succi citri rec. ʒvj.
Conf. alcherm. ℈j.
Syrupi acetos. citri vel *rubi Idæi* unc. j.
M. S. ut *suprà*.
Inter externa ad promovendum sudorem non inconsultum est, ut eo tempore, quo in febribus malignis & pestilentialibus internè propinantur remedia sudorifera alexipharmaca, simul imponatur panis parvus recens & calens ex furno extractus, qui ablatâ crustâ inferiore paululum excavetur (*eine Grube einer vvelſche Nuſs groſs*) & in cavitatem theriaca imponatur, hinc vinum generosum infundatur, & ita calidè umbilico imponatur; fit enim exindè, ut pani, dum æger sudat, venenum malignum se insinuet: adeòque interdum, ubi umbilico adhæserit, colore cæruleo imprægnatus repertus fuit, utpote quod dicunt certum malignitatis signum. Panis remotus sepeliendus, ne aliàs homini vel bruto nocere possit.
Quod si funestum illud symptoma, *Hæmorrhagia*, nempè *narium*, urgeat in febribus malignis, quod interdum evenit, Epithemata fronti applicata conveniunt. Sed inter alia remedia confert bufo exsiccatus in umbra, contusus, & sub axillis applicatus: quod ipsum remedium imprimis in variolis prodest.
Diarrhœa si urgeat, pulvis Pannonicus ruber à ℈j. ad ℈ij., item Theriacalia & opiata cum sudoriferis fixioribus usurpata sunt convenientia.

℞. *Corn. Cerv. usti praep.* ℈j.
Boli Arm. vel *unic. foss.* ℈ß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis adstringens & confortans.

℞. *Terrae sigillatae,*
Corn. Cerv. sine igne an. gr. xij. ad xv.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. vj.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà*.

℞. *Aqu. fl. samb.* ℥iij.
Spir. theriac. simpl. vel *camph.* ʒiij.
Corn. Cerv. sine igne ℈ij. vel *usti praep.* ʒß.
Terrae sigillat. vel *unic. fossil.* ℈j.
Syr. acetos. citri ℥ß.
M. D. S.
Potio bezoardica adstringens: capiatur cochleatim.

℞. *Aqu. scordii* ℥ij.
Spirit. theriac. camph. ʒij.
Corn. Cerv. sine igne ʒß.
Bezoard. min. scrup. j.
Syrupi papav. albi ℥ß. vel ʒvj.
M. pro 2. dosibus: S.
Mixtura adstringens pro 2. dosibus.

Quando stomachi symptomata, vomitus, cardialgia &c. urgent:

℞. *Tacamah.* part. iij.
Bals. Peruv. part. j.

Blando igne liquefacta malax. cum s. q. *Theriacae*, extendatur super alutam in forma scuti stomachalis:
D. S.
Emplastrum stomachale.

Ad praecavendas *cephalalgias & deliria*, Epithemata capiti applicari possunt:

℞. *Aqu. verben.* ℥iij.
Spirit. vini camphor. ℥j.
Opii gr. v.
M. f. Epithema.
D. S.
Epithema circa caput.

Cum linteis multiplicatis tepidè applicetur.

Quando fauces sunt siccae & aridae, sine crustae pituitosae praesentia, optimum observavi remedium:

℞. *Aqu. comm.* ℔iß.
Spirit. vini rectif. ℥j. vel ℥iß.
Mell. cochl. j. vel ij.

Mixta usurpentur pro oris collutione.
D S.
Gargarisma refrigerans.

Haec *de* Febribus *malignis in genere*.

CAPUT VII.

DE

MORBO CASTRENSI.

VAriare febres malignas, in specie pro adjunctorum symptomatum imprimis varietate, *suprà dictum fuit*. Sic ubi in febre maligna observatur intensissimus capitis dolor, unà cum affectibus ventriculi anxiosis, in specie cardialgia horrenda, vocatur *Morbus Hungaricus seu Febris* Castrensis, cùm imprimis in castris inter milites ex squalore castrorum oriri soleat. Est maligna admodùm & contagiosa prae caeteris malignis febribus, trigâ symptomatum acerbius affligentium stipata; nempè

1. *Gravi cardialgia & anxietate*; hinc
2. *Intolerabili cephalalgia*, agrypnia, indeque *gravissimis deliriis*; ac denique
3. *Graviore prunella:*

Quibus & *dolor sive lassitudo artuum & osteocopos*, & subindè *alvi fluor* se solent sociare. Ger. *die Haupt-Kräckheit, die Ungarische KrancKheit, die Hirntobende Sucht*, appellari solet, in specie & secundùm experientiam dicta. De hoc morbo tractavit MARTIN. RULANDUS, aliique plures.

CURA.

Si ergò febris maligna fuerit morbus Hungaricus, praemisso vomitu suprà dictis remediis curari debet, sudorem subindè imperando. In specie *Vomitoria* in morbi principio sunt admodùm necessaria: hinc etiam *venarum raninarum sectio*, respectu nempè *prunellae*; loco quarum *venam frontis* quidam secare amant, respectu habito ad *cephalalgiam & deliria*.

Remedia inter pro *Julepo* commodè inservit *Decoctum Corn. Cerv. cum succo citri*; pro Diaphoreticis spirit. theriacalis camphoratus, liquor cornu cervi succinatus, electuarium diascordii Fracastorii, cinnabaris nativa & antimonii, pulvis Pannonicus rubeus à ʒß. ad ℈ij. imprimis hic Pulvis *Wittichii* laudari solet, sudorem foetidum pellens

℞. *Fl. sulphuris* ℈j.
Succini albi,
Cornu Cervi sine igne ana scrup. ß.
Terrae sigillat. ʒß. vel scrup. ij.
M. f. Pulvis.

Propinetur cum aqua card. bened. vel cum vino absinthite, praeprimis, si cum rigore invaserit affectus.

Quibus & nitrum antimoniatum, praesertim in potu, subinde addi potest.

Ungari sequenti utuntur Euporisto:

℞. Allii bulbum, quem spiritu vini imbibunt & contundunt, & hac pulticulâ corpora aegrotum fortiter fricando inungunt, ac deinde linteaminibus benè cooperiendo ad sudorem componuntur: quò peracto statim levamen acquirunt.

Contra *Prunellam*, quae imprimis urget morbo Hungarico affectos:

℞. *Semperviv. mai.* qu. v.
Contund. ac pro singula ℔j. adde
Salis Ammoniaci ʒß.

Reponantur loco humido subterraneo, donec sal liquefactus sit, hinc liquor expressus & filtratus, vel idem prius per alembicum destillatus pro eluendis faucibus & collo adhibentur.

Vel ℞. *Aqu. semperviv. mai.* ℔j.
Succi ejusdem ℥ij.
Salis ammoniaci ʒj.
M. pro gargarismate.

CAPUT VIII.

DE

FEBRIBUS PETECHIALIBUS.

QUando in Febre maligna hinc indè se manifestant maculae corporis cutim tingentes, propriè *Petechiae & Febris Petechialis* dicta, Germanis *das FlecKfieber*, prae aliis frequens; aliàs etiam *Febris pulicaris, Febris lenticularis, pedicularis*, item *puncticularis*, vocatur.

Observetur tamen primariò, quod saepiùs quidem *in morbis malignis* erumpant maculae, quae constituunt *febrem petechialem*, nò tamen praecisè sunt signa pathognomonica febris malignae; Multi enim sunt morbi, in quibus apparent maculae symptomaticae, utut non praecisè sint morbi maligni. Sic interdum *in* febribus *tertianis* sub fine paroxysmorum subindè *maculis* coloratur corpus ante sudorem, quae post sudorem evanescunt, utut non adsit febris maligna. Ita etiam *in scorbuto*, leviore licèt, subindè *rubicundis maculis* tingitur cutis, utut aegri nihil de malignitate conquerantur. Habent hoc singulare imprimis *febres scorbuticae*, ut *maculae* pulicum morsibus similes, interdum etiam graviores, in partibus erumpant, absque tamen malignitatis nota. κατ' ἐξοχὴν tamen maculae istae maximè apparent in febribus malignis, petechialibus ideò dictis, quales interim febres cum maculis comitatae copiosissimis, prae aliis malignis, caeteris paribus, magis videntur lentae, minùsque acutae, periculosae tamen esse solent, aegrique ad tertiam usque crisin seu ad 20. diem jacent, & nesciunt, utrum convalescant? an verò pereant?

Symptomata harum febrium, praeter reliqua caeteris malignis communia, sunt insignis lassitudo totius corporis, dolor ejus contundens & lancinans universalis. Dicunt aegri: *languere ipsis omnia membra, & esse ipsis, ac si fustigati essent. Vires* simul mox insigniter *prostratae*, febre nihilominùs *miti* adhuc existente: Nam *calor* non adeo *vehemens* est in toto corpore, minùsque mordax, quam *in ardente* etiam *mitiore*: ferè tamen *vespertino tempore* intendi observatur; imò interdum *in principio* tàm *mitis* est, ut aeger vix se aegrotare sentiat. Hinc supervenit intensissimus

& continuus dorsi ac capitis dolor gravativus, ut nesciant, ubi sint: agrypniæ, anxietates, & *jactigationes* ægrorum; *in principio*. facilè, in progressu difficulter, in statu planè non *sudant*, vel spontè vel medicamentorū ope: interdiu interdiu quietiores, noctu anxiosi magis redduntur, & gravius affligi solent. Inde, præter ea, quæ *suprà de causa Febrium malignarum* dixi, lympha simul ab acido volatili acri peccāte insigniùs inquinari, colligo & existimo: hinc enim est exacerbatio vespertina & nocturna, sicut & difficultas sudoris inde derivanda veniunt. Subindè *alvi fluxus* variorum *spumosorum*, utpote *fœtidissimorum, excretorum* supervenit, quæ omnia & aliis *malignis* sunt *communia*: saltim quod *macula* rarò *quarto*, sæpius circa *septimum*, erumpere soleant, præsertim *circa pectus & scapulas*; hinc & *abdomen*, & *crura*; tandem etiam *brachia* iisdem tinguntur; *facies* ordinariò *libera* esse solet. *Maculæ hæ* non solùm *externas*, sed etiam internas *partes* affligere solent, teste CASTRO de PESTE p.76. Interdum non *maculæ* solùm, sed etiam *vibices* in his febribus apparent: vid. MAJOR *Dissert. de chirurg. Infus.* p.260. *Deliria* quoque & *Convulsiones* frequentissimè *in statu* superveniunt, quo tempore etiam *in morbo salubri*, & multò magis *in declinatione*, quasi *ptyalismus* quidam, h. e. copiosæ salivæ, mucosæ, eaque continua ex ore & faucibus, cum euphoria ægri exscreatio. *Continua* ferè esse solet hæc *febris*; hinc rarum est, *intermittentem* eandem fuisse observatam à FEHR *de Scorzon. pag.* 72.

Confundi interdum solent *pulicum morsus* cum petechiis. Ut ergò isti commodè *distinguantur* in petechiis, *notandum*: quod *pulicum morsus seu maculæ* in centro suo habeant *punctum ruberrimum*, morsus vestigium, quod deficit in *petechiis*: Prætereà *pulicum morsus* appositâ farinâ *lupinorum*, cum *aceto* aut *oxymelite* subactâ subitò evanescunt; maculis verò malignis seu petechiis applicata, nequaquam! Autore ZACUTO LUSITANO *lib.* 3. *Prax. Admir. Obs.* 14. *Maculæ hæ* in morbo salubri efflorescentes *intensè rubent* instar pulicum morsuum, hinc pedetentim *pallescunt*, *flavescunt*, sicque evanescunt; & quò *magis rubicundæ* sunt, eò *melioris* sunt *notæ*; è contrà, quæ *ex rubore livescunt*, seu, ut aliàs loquuntur, *plumbei coloris* sunt, vel quæ *nigrescunt*, à Belgis *Peper Korns* dictæ, hæ i. sæ omnium *pessima* sunt; & quò magis tales, eò deterioris sunt conditionis, quia hæ extinctionis seu destructionis, spiritus insiti notitiam ingerunt. Nempe sicut acida corrosiva partes mortificando, vegeto adhuc spiritu, colorem primò rubrum, hinc spiritu deficienter album efficiunt, penitus verò extincto spiritu & putrescente parte nigrum colorem inferunt; ita quò major est, virulentia malignitatis, indeque superficiei cutis major vel minor mortificatio, eò etiam color magis vel minùs lividus aut nigricans esse solet. Mortificatio enim hæc in extinctione seu destructione spiritus insiti consistit, quo vegeto rubent partes cutaneæ affectæ, deficiente eodem, ad nigredinem vergunt, ut in *gangræna ac sphacelo* notum est: Unde & *petechiæ* veluti *ustæ escharam* simul inducentes observatæ fuerunt: vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Observ. III. pag.* 148.

CAUSÆ.

Petechiales hæ febres ferè primitùs ex *corruptela interna contentorum* oriuntur, adeoque, tam *massam sanguineam* aliosque *humores*, quàm *spiritus*, virulentiâ suâ afficiunt: sanguis nempe corruptus, & à fermento acido volatili acri putredine inquinatus, & ob id à reliquo sanguine separatus, seroque imbibitus hujus vehiculo (dum exspirationi omnimodè ineptus est) sub cuticula circa glandulas miliares defigitur, & ibidem hærendo maculas infert. Contagiosæ tamen admodum sunt, ipso tamen contagio minùs spirituoso, minùsque activo existente, ut latere aliquandiu queat, antequam se exserat. Interdum epidemicè grassari observantur: Vid. FEHER *l. c.*

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Febris petechialis*, quò magis blanditur, eò magis nocet: sæpè cùm omnia pacata apparent, mors imminet; sæpè morti vicini præter expectationem evadunt. Aliàs *periculosus valdè* est morbus, quo plures moriuntur, quàm evadunt, annotante HORATIO AUGENIO *T.* 1. *l.* 5. & SENNERTO *de Febribus pag.* 537.

Maculæ purpureæ quò plures, quò majores, & quò benigniores, item sic criticè erumpant, naturæ victoriam præsagiunt; contrà verò, si contrario se habent modo. Quod si fiat, ut retrocedant, ingens periculum imminere solet.

Quò magis *latæ, copiosæ*, & benè coloratæ, nempe rubicundæ seu sanguineæ sunt maculæ, eò est melius signum: virides enim & flavæ maculæ sunt deteriores; *cœruleæ*, *lividæ*, & nigræ sunt omnium pessimæ, cum *virium debilitate* magnum *periculum* portendunt, *malignitatis mortificantis* indices; colore autem cicerum minus sunt periculosæ.

Maculæ paucæ, febre magis ingravescente, & urinâ crudâ existente, *ferè* sunt *lethales*. *Maculæ*, quæ subitò *disparent*, aut *recurrunt*, periculosissimæ.

Criticè dixi erumpere debere maculas & pustulas: Nam, quæ ante signa aliqualis coctionis erumpunt, aut quæ inordinatè paucæ, neque benè coloratæ prodeunt, ex periculosæ sunt; motum enim naturæ coactum innuunt, sæpiùsque recurrunt. Quò magis cum *macularum* eruptione *coctionis signa* apparent, *eò melius*. Erumpere ergò debent copiosè & benè coloratæ, die 4. vel 7. vel 10, 11, 12, &c. præcedentibus aliquibus coctionis signis.

Hæmorrhagia parca suspecta: *larga* in incremento, die critico, aut indicatorio, erumpens, *bona*; post *maculas* verò jam *efflorescentes suspecta*.

Excrementa alvi *nigra & fœtida*, sunt *periculosa*.

Quoad *tempus eventus*: *minus* quàm aliæ malignæ *acuta* esse solent, sed *lentè* quasi sua tempora percurrunt, ita, ut *in statu* 6. 8. & plures dies eodem tenore persistant ægri, antequam vel in melius, vel in deterius fiat mutatio: Vid. D. BURSER, Physicus olim Annæbergensis, *de Febre petechiali*.

Quoad *modum eventus*: Qui morbum non negligunt, & statim sub initium utuntur remediis commodis, facilè interdum liberantur, nonnunquam 11. 12. aut 14. *die*; qui verò curationem differunt, & aërem liberiorem non devitant, *diutius decumbunt*, sæpiùs *succumbunt*. Interim tamen, si omnia ritè procedant, nec vires adeò sint prostratæ, ferè *intra* 14. *dies* acutorum more cessant.

Solvitur equidem interdum per *criticam hæmorrhagiam narium*, vel *sudationem*, vel *urinam*, quod tamen rarò apud nos contingit, quin successivè apud nos per *diaphoresin auctam* evanescere soleat. Interdum etiam *metastasi producti morbosi* seu *materiæ coctæ* in quendam locum finitur: sic per *apostema in testibus* febrem petechialem terminari aliquoties observavit ROLFINCIUS.

Recursus seu retrocessio macularum & pustularum fit ita: Miasma malignum volatile cursu morbi figitur & quasi præcipitatur, & intra cutim ac cuticulam deponitur: sed ex sanguinis effervescentia ferociore, dum nondum sit perfectè fixum, fit, ut retrocedat, & præsentaneam mortem interdum insinuat, ad quod multum simul contribuit ambientis aëris frigus.

CURA.

Quoad *curam* febrium petechialium: nihil singulare obtinet, sed *eadem Indicationes* atque *suprà circa febres malignas in genere* insinuatæ fuerunt, etiam hic speciatim observari aut applicari debent vel possunt: Saltim observentur hæ cautelæ:

I. *Vomitoria* in *petechialibus* præ aliis malignis maximè *proficua esse*; cum mox à primo principio *graves anxietates* soleant prehendere ægros, quas curare, earum incrementum præcavere, & ita longè quietiores reddere possumus ægros, propinato maturè *vomitorio*. *Purgatio*, nisi in primo ferè principio, *nocet*, experientiâ teste, quod aliàs ad *diarrhœam* de facili proclives sint petechiis laborantes, quæ maximè est lethalis. Quin & apparentibus jam petechiis, aut maculis, a quocunque stimulo abstinendum, & ne quidem ad clysmata aut suppositoria facilè est accedendum, ne impediatur naturæ motus.

II. *Venæsectio* nullius usus est, cùm *febris* ipsa minoris sit conditionis, magisque urgeat *malignitas*, utut MENIATIUS *de Febr. Mal.* eam tanquam remedium, naturam oneris aliquâ parte levans, commendet: *Et lethalem* etiam docet esse FORESTUS *in Schol. Observat.* 36. *l.* 6. *Nocivam* verò ostendunt BARTHOLINI *Acta Med. Hafniens. Volum.* 2. *pag.* 190.

III. *Sudorifera* ergò primatum ducunt, speciatim *in principio & incremento*, dum adhuc sudare possunt ac solent

solent ægri; unde sub isto tempore *volatilia*, in specie *Theriacalia*, tutissimè adhibentur: in *progressu* verò *morbi ac statu fixioribus* saltem indulgendum, devictâ jam prioribus malignitatis atrociâ, jamque, quod reliquum est, naturâ operante. Quod si gravior sit malignitas, ad minimum ter in 24. horis porrigenda sunt remedia. Observanda tamen hîc *Cautela* 8. quàm *suprà in cura febrium malignarum in genere* insinuavi, ut pro varietate circumstantiarum possimus variare medicamenta, propinando nunc absorbentia, nunc sudorifera volatilia; nunc sola, nunc mista invicem cum acidis. *Sudor* autem non excitetur nimius, quin virium semper habeatur ratio, propter quem respectum nec linteis nimis vel stragulis opprimendus est æger, sed tolerabiliter saltem contegendus.

IV. Observandum: an petechiarum eruptio sit morbus? an productum morbosum? an excretio symptomatica? an verò critica? quod petechiis intempestivè, h. e. symptomaticè potiùs quàm criticè erumpentibus, non insistendum sit nimioperè sudoriferis, sed potiùs effervescentiam nimiam sistentibus, adjunctis simul alexipharmacis, utendum. Hinc enim rectè JOHANNES STEPHANI *in Operibus Medicis Decad. 9. Cons. 6.* inquit: *Minus sunt tolerandi ii, qui quamcunque cutis efflorescentiam petechiarum nomine dignantur, etiamsi aut febris sit intermittens, aut in se mitissima*. Petechiæ enim genuinæ sunt symptomata febris pestilentialis, conjunctæ cum fervore sanguinis. Hæ ergò, dum criticæ sunt, nempe, quando die 4. vel septimâ largiter erumpunt, id quod fit cum ægri aliquo levamine, promoveri debent blandis sudoriferis, quæ inter nihil melius est Emulsione istâ ex seminibus suprà nominatis expellentibus propinata. Ubi verò petechiæ in principio vel in incremento quidem erumpunt, sed sparsim, & spontè evanescunt, itemque debilitetur æger, tunc excretio erit symptomatica; ubi neglectis sudoriferis validis potiùs cum temperatis acidis alexipharmacis fervor sanguinis refrænari debet, neque priùs excretionem promoveamus, nisi factâ sufficiente præcipitatione sanguinis, sudoriferis debitis earum proventus promovendus.

V. Apparentibus jam *petechiis*, abstinendum non solùm est à *fortiter Laxantibus*, sed etiam *Clysmata* cautè, nec nisi *blanda*, atque non, nisi *necessitate urgente* injicienda. *Maculis* autem jam apparentibus superveniens fortè alvi fluxus, hic cautè est tractandus, & non adeo subitò, nec simpliciter supprimendus, nisi aut copiâ excesserit, aut maculas retrocedere faciat, aut sensibiliter ægrum debilitet: Est enim interdum quodammodò naturæ motus evacuationem materiæ sensibilis molientis, & ob id non incautè supprimendus; idque præsertim, si *affectus* non tàm ex *contagio*, quàm *interno spontaneo vitio contentorum* ac corruptela originem duxerit, ita tamen regatur, ut *macularum expulsio*, quantum possibile, promoveatur, non verò ab isto *alvi fluore* cohibeatur. Verùm, licèt non sistatur talis alvus fluens, sedulò tamen insistendum & sudoriferis & alexipharmacis, quo ita magis derivemus naturæ motum ad exteriora, ac ita spontè cesset fluor iste. Contrà cùm tales alvi fluxus alio tempore venientes sint symptomatici, & subindè lethales, propterea cum alexipharmacis miscenda simul interdum adstringentia blanda, ut ita successivè fluor in hoc casu periculosus sufflaminetur, ac omne malum præcaveatur.

VI. Si ulla est *febris*, in qua *Vesicatoria* conveniunt, est imprimis *petechialis*, speciatim quando retrocesserint *maculæ*: raròenim aut nunquam denuò apparere solent, sed vel supervenientibus *nervosi generis symptomatibus*, nempè *deliriis & convulsionibus*, ægri intereunt, vel successivè per *auctam diaphoresin* saltem morbus solvitur. Ut ergò ancipiti tali in casu ægrum levemus; item, si aliàs *graviora nervosi generis symptomata* immineant, ut ordinariò *in statu* harum febrium assolet fieri, consultissimum est, maturè applicare *Vesicatoria* in pedibus ac brachiis, prout plùs minùs urgent symptomata: Vid. SANCTORIUS *in Meth. vitandorum errorum p.* 841. M. A. N. C. *Ann. 2. Obs.* 214. *p.* 315.

VII. Quoad *diætam*: in æquali calore naturali conservandi sunt ægri, *vinum* imprimis moderato usu conducibile est his ægris: Sic enim HENRICUS *ab* HEER *Obs.* 5. refert, mulierem in *febre petechiali* pro desperata habitam, *vini usu* restitutam. Confer. etiam BARTHOLINUS *Cent. 6. Hist. 7.* FEHR *de scorzon. p.* 173. Potus ordinario instillatur tinctura florum aquilegiæ, quæ præ cæteris convenit ad expellendas petechias.

Quoad *remedia ipsa*: nil singulare, quod non *suprà de Febribus malignis in genere* dictum fuerit, monendum occurrit. Saltem *in principio* magis *sudoriferis*, præsertim *volatilibus*, *in statu* verò *fixioribus*, *blandè temperantibus & absorbentibus*, magis utendum. Hinc *in principio*, ut Cornu Cervi solare, Bezoardicum Joviale, cinnab. antimonii vel nativa, utendum. Hinc in principio:

℞. *Corn. Cerv. sine igne,*
Antimonii diaph. ana ℈j.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. xij.
M. f. Pulvis pro 2. dosibus.
D. S.
Pulvis sudoriferus.

℞. *Antimonii diaph.*
Cinnab. antimonii ana scrup. ß.
Salis vol. viper.
Corn. Cerv. ana gr. iv.
Camph. gr. iij.
M. D. S.
Ut antè.

℞. *Pulv. diaphor. Ludov.* vel *Corn. Cerv. sine igne,*
Antimonii diaph. vel *bezoard. solar.* an. ℈ß.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. v. vel vj.
M. S. ut *anteà.*

℞. *Aqu. cord. Herc. Sax.* unc. j.
Mixt. simpl. ℈j.
Spirit. Corn. Cerv. essent. ℈j.
Syr. ex toto citro ʒij.
M. D. S.
Potio sudorifera pro una vice.

Item aliquoties *in principio & incremento* proficuam expertus sum hanc *Potionem*:

℞. *Aqu. fl. samb.* vel *menthæ* ℥ij. vel iij.
Aceti acerr. vel *simpl.* vel *destill.* aut *flor. samb.* ℥ß. ʒvi. ad unc. j.
Theriac. seu *mithridat.* ʒi. vel ʒii. ad ʒiij.
Antimonii diaphor. ʒß vel ℈ij. ad ʒj.
Myrrh. gr. vj.
Syr. card. bened., vel *rubi Idæi*, vel *acetos. citri* ʒij. ad ʒvi. vel ℥j.
M. pro 2. vel 3. dosibus cum sudore.

Vel ℞. *Aqu. fl. samb.*
Ceras. nigr. unc. iß.
Theriac. ʒj. ad ʒii.
Corn. Cerv. sine igne ʒß.
Specif. cephal.
Antimonii diaphor. ana ℈j.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. xii.
Syr. ex toto citro ʒvj.
M. f. Potio. S.
Mixtura sudorifera pro aliquot vicibus.
Detur cochleatim.

℞. *Aqu. menth.*
Galeg. ana unc. iß.
Antimonii diaphor. ℈j.
Bezoard. min. ℈ß.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. xv.
Succini gr. viii.
Camph. gr. iij.
Syr. cortic. aurant. ʒß.
M. S. ut *anteà.*

℞. *Aqu. scorzon.*
Scord. ana unc. iß.
Aqu. cord. Herc. Sax. frig.
Cinnam. ana ʒß.
Specif. cephal. ℈j.
Bezoard. min. gr. v.
Sal. volat. Corn. Cerv. ℈j.
Succini ℈ß.
Camph. gr. ij.
Syrupi rubi Idæi ʒvi.
M. S. ut *suprà.*

℞. *Aqu. menthæ,*
Scorzon.
Hirund. cum castor. ana ℥j.
Spirit. cochlear. ʒß.
Antimonii diaphor. gr. xxv.
Specif. cephal. scrup. j.
Sal. volat. Corn. Cerv.
Succini ana gr. viii.

Laud.

Laud. op. gr. j.
Syrup. cortic. aurant. parum.

Aliquandò septem in una domo petechialibus febribus corripiebantur, in specie duæ ancillæ, his præscripsi præmisso *vomitorio*:

℞. *Theriac.* ʒij.
Antimonii diaphor. ʒß.
Salis absinth. ℈j.
Cum s. q. *syrupi acetos. citri* f. Bolus pro 2. dosibus.

Quarum unaquæque capiebatur in cochleari vini, unde *copiosus* emanavit *sudor*. Una illarum actu patiebatur menses, quæ sine nocumento hunc *bolum* accepit. Hoc præmisso postmodùm creberrimo usu sequentis *Electuarii*, die noctéque illud capiendo, ac sæpiùs repetendo, ac *sudorem* subindè expectando, convaluerunt:

℞. *Conf. pulpæ citri* ℥j. ad ℥iß.
Elect. diascord. Frac. ℥ß.
Antimonii diaphor. ʒß.
Cum s. q. *succi citri* f. Electuarium, addendo interdum *camphoram*.

Postmodùm verò *in & prope statum* convenienter usurpari potest *Emulsio*, *suprà de Febribus malignis in genere*, ex seminibus expellentibus *præscripta*:

Item
℞. *Aqu. fl. samb.* ℥ij.
Ceras. nigr. ℥j.
Spirit. vini camphor. ʒiij.
Corn. cerv. sine igne ℈ij.
Bezoard. min. ℈j.
Sal. volat. succini gr. ix.
Syr. fl. tunicæ ℥ß. ad ʒvj.
M. D. S.
Mixtura sudorifera.

Capiebatur vel pro 3. dosibus, vel cochleatim.

Item
℞. *Aqu. scabios.*
Menthæ ana ℥ß.
Gelat. Corn. Cerv. rec. ℥j.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Syr. card. bened. ℥ß.
M. pro 3. dosibus: S.
Mixtura sudorifera pro 3. dosibus.

Item loco *Julepi nocturni* usurpetur, quæ *suprà de Febribus malignis in genere* cum electuario diascordii ordinavi Vel

℞. *Decocti rad. scorz. cum Corn. Cerv.* ℔j.
Succi citri rec. ℥j.
Elect. diasc. Frac. ʒij.
Antimonii diaph[or]. ʒj.
Bezoard. min. ℈ß.
Syr. card. bened. ℥ß.
M. D. S.
Mixtura confortans, cochleatim sumenda.

Capiatur pro lubitu.

Item cùm plures simul ægrotent, pro remedio sæpiùs capiendo:

℞. *Decocti ligni sassafr.* ℔iß.
Succi citri ℥iij.
Antimonii diaphor. ʒiß.
Bezoard. min. ℈ß.
Syr. fl. tunic. ℥iß.
M. S.
Potio confortans, circumagitanda.

Capiatur sæpiùs pro lubitu.

℞. *Ras. ligni sassafr.* ℥ß.
Rad. scorz. ʒvj.
Coqu. in s. q. *aqu. simpl.* vase clauso: Colat. ℔iß.
adde
Vini Rhenani ℥vj.
Gelat. Corn. Cerv. ℥ij.
Syr. rubi Idæi ℥ß.
M. pro Potione. D. S.
Potio expellens.

In statu, dum summa urget *virium prostratio*, usurpari possunt Potiones analepticæ, *suprà de Febribus malignis in generè* præscriptæ, vel sequens:

℞. *Aqu. scabios.* ℥iß.
Card. Herc. Sax. ʒvj.
Cinnam. ʒiij.
Conf. alcherm. ʒj.
Bezoard. solar. ℈j.
Syr. rubi Idæi ℥ß.
M. D. S.
Potio confortans, cochleatim sumenda.

Capiatur pro lubitu.

Juvenis 18. annorum, aliàs sanæ ac robustæ constitutionis, corripitur die Mercurii vesperi levi horrore, post quem incalescit mediocriter, nox insequens mediocris, manè die Jovis caput intensè circa frontem dolet, sitit graviter, fauces & lingua sicca, dolor gravativus præcordia occupat, calor totius præternaturalis mediocris, lassitudò omnium artuum: capit suo nutu pilulas cephalicas, sedà meridie præterea Medicum adit, qui ordinat pro sequenti manè ℥ß. syrupi emetici in vehiculo appropriato; & licet pilulæ à meridie semel vomitu, ter secessu evacuassent, jubet nihilominus die Veneris capere Vomitorium, quod septies suprà copiosa mucosa, & octies infra evacuavit; unde pro nocte sequente:

℞. *Aqu. scord.* ℥j.
Aceti sambuc. ℥ß.
Theriac. ʒj.
Antimonii diaph. ℈j.
Mista sumebat pro 2. dosibus.

Sequitur nox gravis, manè symptomata eadem, appetitus nullus, sitis clamosa, cephalalgia intensa, fauces aridæ, lingua aspera & nonnihil nigricans, calor totius acris seu mordax, non tamen adeò intensus, cutis arida & squalida, lassitudo omnium artuum, vires prostratæ, pulsus celer, frequens, debilis, ferè inæqualis, horrere cerevisiam; hinc præscripsi:

℞. *Corn. cerv. sine igne* ʒß.
Bezoard. miner. ℈j.
Olei campb. gutt. v.
Succini,
Citri ana gutt. j.

Miscebantur pro duabus dosibus, manè & vesperi assumendis.

Nox insequens erat inquieta cum insequente delirio: die solis symptomata eadem, robur faciei insignis, pulsus celer, frequens, parvus, inæqualis. Ordinavi ergo

℞. *Liqu. Corn. Cerv. succin.* ʒß ad ij.
Pro 2. dosibus.

A prima dosi oriebatur æstus intensior, hæmorrhagia larga, quam rubor faciei præmonstraverat, petechiæ in manibus erumpebant, symptomata cætera erant eadem. Potus erat cerevisia secundaria cum vino.

Pro faucibus, unà cum iis, quæ Chirurgus usurpabat, præscripsi:

℞. *Mucilag. sem. cydon. cum aqu. sperm. ran. extr.* ℥j.
Nitri antimoniati ʒj.
Rob. dianuc. ʒß.
Misc.

Subindè fauces hoc ipso illinebat, & blandè gargarisando exspuebat.

A meridie alteram spiritus dosin sumpsit, copiosioribus hinc erumpentibus petechiis, symptomata eadem continuabant.

Vesperi ordinabam:

℞. *Aqu. fl. papav. errat.* ℥ij.
Samb. ℥j.
Ebor. sine igne,
Bezoard. miner.
Sal. volat. Corn. Cerv. ana gr. xv.
Syr. diascord. ℥ij.
Misc.

Assumebat istâ nocte successivè.

Die Lunæ:

℞. *Pulv. bezoard. D. Mich.* gr. xvj.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. viij.
Olei pestilent. Heinisii gutt. vj.

Miscebantur: dabantur tres doses; quarum unam manè, à meridie, & circa mediam noctem assumebat. Hac ipsâ die hæmorrhagia recurrebat, nox erat inquieta, delira, & symptomata cætera eadem.

Die Martis:

℞. *Liqu. Corn. Cerv.* ʒiß. pro 2. dosibus.

Vesperi verò ingruente nocte:

℞. *Pulv. bezoard. D. Mich.* gr. xv.
Cinnab. antimonii ℈ß.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. vj.
Misc.

Nox

Nox fuit pessima, summè delira, inquieta, incipientibus manè convulsionibus.

Die Mercurii, morbi septimâ:

℞. *Cornu Cervi sine igne* ℈j.
Bezoard. min. ℈ß.
Pulv. epilept. antimonial. gr. j.
Misc.

Capiebat manè: à meridie hora iij. capiebat gutt. 50. de liquore cornu cervi succinato: hac die secessus 4. copiosi; de cætero urina hactenùs semper cruda lanorum simillima. Appetente nocte

℞. *Pulv. bezoard.* gr. xij.
Cinnab. antimonij ℈ß.
Sal. volat. Cornu Cervi gr. v. Misc.

Post mediam noctem iterum sumpsit guttas 50. liquoris cornu cervi succinati: nox erat tolerabilis ratione delirii, sed convulsiones ingravescebant.

Die Iovis pulveres & spiritus iidem: vesperi ob nimias faciei & manuum convulsiones graves Vesicatorium utrique brachio prope carpum in parte extima applicari jussi. Internè

℞. *Aquæ pæon.* ℥ij.
Spiritus vini camph. ʒj. ad ʒij.
Matr. perlar. præp. ℈ij.
Bezoard. solar. ℈j.
Syr. flor. tunic. ℥ij.
Miscebantur pro 2. dosibus.

Una ante, altera post mediam noctem usurpabatur. Nox erat quietior cum somno, licèt interrupto, convulsiones manè longè mitiores, qui effectus vesicatoriis debebatur.

Die Veneris propter virium debilitatem ordinavi:

℞. *Aquæ pæon.* ℥iij.
Spiritus vini camphorat. ʒiß.
Cornu Cervi sine igne,
Matr. perlar. præp.
Antimon. diaphor. ana ℈j.
Conf. alcherm. ʒiß.
Misc. pro Potione.

Reiterabatur etiam vesperi pro nocte, æger meliùs habebat, convulsiones erant mitiores vesicatoriis largè fluentibus; nox tamen erat inquietior.

Die Saturni:

℞. *Spiritus Cornu Cervi succin.*
Tinctur. corall. cum spiritu Cornu Cervi an. ʒj.
Misc.

Bis hac die guttæ 50. capiebatur; vesperi potio antecedens repetebatur: nox erat bona, convulsiones & cætera symptomata cessabant, urina turbida reddebatur, & sedimentum seponebat: hinc die solis liquor Cornu Cervi succinatus à 40. ad 50. guttas ter intra 24. horas continuabatur; quo porro itidem continuato sic convaluit.

Ubi petechiæ cum hæmorrhagia, dysenteria, aut diarrhœa conjunctæ, D. Michaelis usus est solutione terræ solaris. Convenit quoque terra sigillata. Diarrhœa quidem ob metum graviorum symptomatum non statim sistenda, sed Theriacalibus fomiti morboso obviam eundum, sic spontè cessavit: v. g.

℞. *Antimonii diaphor.* scrup. ij
Terræ sigillat. scrup. j.
Extract. theriacal. ʒvj.
Misc. pro pulvere:
Div. in 2. part. S.
Pulvis adstringens confortativus.

Capiantur cum vehiculo calido, expectando blandum sudorem: Vel

℞. *Aquæ menth* ℥iij.
Aceti destillati ℥j.
Elect. diascord. Frac. ʒiß.
Syr. cydon. ℥j.
Spiritus nitri dulc. gut. xv.
Misc. pro Potione: S.
Mixtura adstringens sudorifera & confortans, cochleatim sumenda.

Externè pro *hæmorrhagia narium* sistenda, optimè appenduntur, aut sub axillis alligantur bufones. Virgo adulta febre petechiali graviter correpta, cùm jam efflorescerent copiosæ petechiæ, gravi & pertinaci corripitur hæmorrhagiâ: pro qua sistenda jussi capere duos *bufones vivos*, eosque contusos & conquassatos sub axillis utrumque alliget cum linteolo; quo facto, subitò omnis hæmorrhagia sedata fuit; & virgo post continuatum Electuarii ex conserva citri cum theriaca usum convaluit. Sed brevi post, cùm nimis strenuè edisset, gravissimæ anxietates præcordiorum, & æstus intensissimus recurrunt; jubeo, ut vomeret cum syrupo emetico, & dictum Electuarium continuaret: quo facto perfectè convaluit.

In adjuncta *dysenteria*, aut alia *diarrhœa* theriaca cum vino generoso fervidè stomacho & hypochondriis sæpiùs applicari potest.

Sæpè in febribus petechialibus *stomachi* urgent *symptomata*, ad quæ conveniens remedium est, laterem leviter coctum ignire, & aceto vini optimo ac aquâ menthæ eundem extinguere, & hinc linteo involutum ad dorsum, aut etiam antè è regione ventriculi applicare; sin exaruerint, secundâ vice ignitus, & solo aceto vini adspersus applicetur.

Commodè etiam scutum stomachale potest præscribi:

℞. *Cerat. de Lad. stomach,*
Theriac. Androm. q. s.
Malaxata inducantur super alutam. Vel

℞. *Tacamach.* part. ij.
Cerati stomach. p. j.
Liquefacta etiam subigantur largiter cum *Theriaca Andromachi* q. s. & applicetur. D. S.
Emplastrum stomachale.

Sunt, qui *Epithemata fronti, præcordiis*, &c. applicare solent: sed malè. Quia enim de facili refrigerantur, clausuræ pororum occasionem suggerunt, & ita *petechiarum* eruptionem impediunt, aut eas faciliùs retrocedere faciunt. Tutiùs balsama oleosa usurpantur, verb. grat. oleum aranearum compositum Mindereri, scorpionum, &c.

℞. *Olei scorp. compos. Matth.* ʒj.
Destill. melissæ,
Rutæ,
Citri an. ℈ß.
M. pro *linimento* scrobiculo cordis & pulsui applicando.

Vel idem cum *oleo nucis moschatæ expresso* misc. in formam *Balsami*: S.

Balsamus externus.

Veteres in usu habuerunt *litum externum*, quando *petechiales* maculæ, aut similes *excretiones cutaneæ*, nolunt convenienter prodire: Instituerunt *frictiones* seu *inunctionem externam cum nitro*, quæ à multis Autoribus insigniter commendatur. Unguentum fit tale:

℞. *Olei amygd. amar.* ℥ij.
Vini Rhenan. ʒvj.
Aquæ cham. ℥ß.
Nitri ʒij.
Bulliant ad consumptionem aquæ, & f. Colatura.
D. S.
Unguentum externum.

Linimentum hoc *toti corpori* affricetur. in specie *dorso* ad evaporandam materiam malignam è corpore, in *febribus malignis & petechialibus*, præsertim, quando non bene procedere vult *sudor*: factâ enim corporis inunctione, & propinatis hinc sudoriferis, sufficienter admodum sudorem promovere solet.

Paulò aliter præscribit hanc inunctionem BRUNERUS in *Consil.* 42. sequenti modo:

℞. *Olei Chamom.*
Amygd. amar. ana ℥ß.
Nitri pulveris. ʒiij.
Aquæ chamom. ℥j.
M. & coquantur.

Hinc indè videbitis apud Practicos hujus Linimenti ad evaporandas petechias in morbis malignis vestigia, cui substitui potest oleum scorpionum simplex: Vel

℞. *Olei chamom.*
Rutæ,
Scorp. ana ℥ß.
Nitri ʒiij.
Misc. f. Linimentum.
D. S. *ut suprà.*

CAPUT IX.

DE FEBRE PURPURATA.

AD malignas hujusmodi febres pertinet etiam *nostra febris Purpurata*, Germ. *der Friesel*, dicta, qui alias morbus & febris miliaris dicitur in M. A. N. C. *Ann.3. Observ. 281. pag. 397.* à pustularum exilissimarum, milium magnitudine æquantium, efflorescentia; item *Morbilli ignei* quibusdam vocatur: Vid. M. A. N. C. *Ann.6. Observ.42.*, quo loco etiam *Obser. 145. pag. 205. Purpura epidemica maligna* infantum fit mentio.

Febris hæc est vel benigna, seu scorbutica, vel maligna, febri continuæ malignæ juncta: Quosvis quidem adoritur, mares, & fœminas, infantes & adultos, frequentiùs tamen apud nos puerperas, quibus & malignior magis & funestior in specie existit, forsan mensium retentorum occasione; & infantes recens natos. Estque vel *rubra*, quæ forsan illud morbi genus est, quod Rubeolam, Germ. *Rotheln.* dicunt; vel *alba*, instar hydatidum splendescentium, unde vocatur Germanis *der rothe und weisse Friesel*: Interdum etiam extra puerperium febris maligna purpurata accidit. Propter symptomatum vehementiam, morbi brevitatem & periculum, commodè inter febres acutas refertur; utut purpura rubra in Plethoricis & scorbuticis, nec non aliis morbis cum multo sudore, & quovis alio tempore sine omni febre & symptomatis, excepto pruritu molesto, frequentiùs observetur.

Incipit autem febris hæc sub specie synochæ; utplurimùm cum rigore, quem mox insequitur incalescentia totius corporis, anxietas præcordiorum, inquietudo summa, oculorum rubor, interdum cum dolore capitis, semper cum agrypnia, & levissimo circa caput, pectus atque dorsum sudore. Urina utplurimùm in principio sanorum est similis, aut parum admodum à statu naturali recedit: in puerperis verò lochia notabiliter satis imminuuntur, aut planè cessant. Temporis progressu & sub morbi incremento ad sextum usque diem ægri circa præcordia, scapulas, cervicem, denique totum corporis habitum, de ardore cum lancinationibus, acuum puncturis similibus, interdum pruriginosis, conqueri solent, cutisque simul asperior redditur cum aliquali rubore. In statu verò morbi omnia symptomata cum febre exacerbantur, urina est cruda, & quidem vel tincta & pellucida manet, vel cum sedimento multo turbatur, & asperitas illa in efflorescentias miliares attollitur, nunc copiosiores, nunc pauciores, quæ levi accedente aurâ & levi denudatione in lecto evanescunt, cum anxietatibus, difficili respiratione, summa virium prostratione, frequentiùs cum delirio, convulsionibus epilepticis, & catarrho suffocativo. Solvitur tandem morbus hic rarò per diarrhœam, interdum insensibiliter ferè & per madorem, in puerperis sæpè per lochia, ubi exanthemata hæc sensim sensimque evanescunt, & cuticula cum pruritu quodam in squamas seu furfures abit.

CAUSÆ.

Originem debet hæc febris sali volatili acri, massam sanguineam turbanti, quod tamen subactum, & acido sui generis maligno saturatum, in forma salis tertii sero involuti infra cuticulam sub poris apponitur: hoc enim, ubi secretum & devictum fuerit, atque ad loca intercutanea propulsum, horum ardor, pruritus insignis, hinc cuticulæ excoriatio & desquamatio, &c. excitatur. Nasci videtur purpura simul ex radice scorbutica: nam scorbutus, uti talem affectum purpuræ benignum sine febre interdum infert, ita si tales plùs minus scorbutici malignâ corripiantur febre, tandem in purpuræ efflorescentiam abeunt: Undè & antiscorbutica quædam, & remediis volatilibus & myrrhatis, aliisque alexipharmacis mista, præ cæteris conveniunt.

PROGNOSIS.

Subindè acutus, non rarò præceps, est affectus, qui dum maximè videtur blandiri, etiam ex levissimo horrore subitò jugulat: easdem enim cum febribus malignis circumstantias observat; ita tamen, ut excretio hæc cutanea non sit critica, sed symptomatica, & pro morbo seu febre solvenda sola vix sufficiat, dum nunc sub purpura copiosiore, nunc parciore, ægri intereunt. In specie periculosior est purpura alba, & quæ in puerperis cum lochiorum suppressione & diarrhœa symptomatica contingit.

CURA.

In *Cura* purpuræ ac febrium purpuratarum, præter generalia ista, quæ *suprà de febribus malignis in genere* dicta fuerunt, observandum in specie:

I. Quod, licèt alvus ad aliquot dies noctesque pertinaciter adstricta sit, non solùm fortiter laxantia, sed & clysmata lenissima sint periculosissima, nec nisi blanda, atque non, nisi necessitate urgente, injicienda. Irritatâ enim alvo transpiratio cessat, efflorescentiæ cutis evanescunt, & dein mors sequitur: Quod si alvi fluxus symptomaticus & subindè lethalis superveniat, cum alexipharmacis simul miscenda adstringentia blanda, ut ita successivè fluor in hoc casu periculosus sufflaminetur, & omninò malum præcaveatur.

II. Si purpura est alba, cautè est tractanda, neque extra lectum, dum sterni fortè debet, promovenda est ægra; si enim se extra lectum conferat, vel à levissima saltem aura frigida afficitur, retrocedit purpura. Undè jubeo, ut ægræ continuò contectæ maneant, utut lectus intra 3. vel 4. dies noctesque sterni nequeat, cùm si retrocesserit purpura, utplurimùm moriantur. In purpura verò rubra, cùm ea sit mitior, magis possumus connivere.

In principio ergo morbi conveniunt absorbentia, seri ebullitionem compescentia, imprimis pulveres bezoardici; quibus myrrha cum aliis fixis antimonialibus addenda: in specie convenit rob sambuci cum Cornu Cervi sine igne. In statu verò, ubi jam apparere incipit purpura, convenit emulsio ista seminum expulsivorum, quam dedi *suprà ubi de febribus malignis in genere*; item liquor Cornu Cervi succinatus, castoreata, Tinctura corallorum cum spiritu cordis Cervi, & antiscorbutica, essentia myrrhæ &c., quæ sunt egregia; v. g. in principio morbi:

℞. *Corn. Cervi sine igne*,
Antimonii diaphor. an. gr. xv.
Salis card. bened. ℈ ß.
Myrrhæ gr. vj.
M. f. *pulvis*.
Div. in 2. part. æqu. S.
Pulvis expellens.

℞. *Specif. cephal.* ʒ ß.
Bezoard. min. ℈ j.
M. D. S.
Ut anteà.

℞. *Aqu. Galeg.*
Flor. samb. an. ℥ j ß.
Pulv. diaph. Ludov. ℈ ij.
Antimonii diaphor. seu *antib. Poterii* ʒ ß.
Syr. card. bened. ℥ ß.
M. D. S.
Mixtura expellens, cochleatim sumenda.

℞. *Aqu. card. bened.*
Fumar. an. ℥ j ß.
Corn. Cervi sine igne ℈ ij.
Antim. diaph. drachm. ß.
Cinnab. antimon. gr. xv.
Syr. ex toto citro drachm. vj.
M. S. *ut anteà.*

℞. *Aqu. fumar.*
Scabios. an. ℥ j ß.
Ess. castor. ʒ j.
Unic. veri prap.
Antihect. Pot. vel *Antimonii diaph.* an. drach. ß.
Sal. vol. Corn. Cerv. gr. xv.
Syr. artemis. drachm. vj.
M. S. *ut suprà.*

Item, quando diarrhœa conjuncta, addatur terra sigillata. Vel

℞. *Aqu. card. bened.*
Fl. samb. an. ℥ j ß.

Spiritus

Spiritus theriac. simpl. ℥iij.
Cornu Cervi usti præp.
Antimonij diaphor. an. ℈j.
Terra sigill. vel *Boli Arm. præp.* gr. xij.
Syr. flor. tunic. ℥ij.
M. D. S.
Expellens & adstringens potio confortativa.

Reflexio quoque sæpè ad scorbutum facienda est, unde in tali purpura sequentem Mixturam præscribo:

℞. *Aquæ scabios.*
Scordii an. ℥i ß.
Spiritus cochl. ℈i.
Antimonii. diaph.
Mag. corall. cum succo citri à ℈ß. ad ℈j.
Syr. card. bened. ʒvj.
M. D. S.
Potio scorbutica expellens.

Tempore excretionis:

℞. *Mixt. simpl.* vel *Tinctura bezoard. camphorat.* vel *essent. myrrha tartaris.* ℥iij.
Spiritus cochlear. ʒj.
M. D. S.
Mixtura sudorifera: 50. *vel* 60 *guttæ*.

Liquor cornu cervi succinatus egregius pariter est in hoc affectu: ex. gr.

℞. *Liqu. Cornu Cervi succin.* ℥ij.
Spiritus cochlear. ℈ij.
M. D. S.
Mixtura expellens.
Dos. 30. ad 50. guttas.

CAPUT X.
DE
VARIOLIS ET MORBILLIS.

V Ariolæ & *morbilli* singulare quid obtinent præ febribus malignis: nam ex se sunt saltem *symptomata febris continuæ*, seu *synochi* sui generis, nunc *benignæ*, nunc, & quidem sæpiùs, *malignæ*. Observatæ scilicet sunt absque ulla malignitate, aut etiam quæ adfuerunt, sine insigni effervescentia febrili in infantibus; dum hi potissimas functiones ritè exercent, per domum ac plateas decurrunt, &c.: qualia exempla observat SCHENCKIUS *l.* 5. *Observ. de febribus malign.* & *de variolis*. Interdum quoque adeò mites sunt variolæ, ut licèt cum febre ardente junctæ fuerint, paucos tamen interficiant, ut potiùs quasi sponte naturâ convalescant. In hoc puncto SYDENHAM *de variolis benignis* est prolixus, ut ostendat, variolas & morbillos esse febres benignas. Opinio equidem vulgaris fert, omnes homines necessariò variolis corripi, sed ita, ut qui iisdem semel affectus fuerit, vix easdem denuò patiatur: ex qua præconcepta opinione hypothesis Arabum, in specie AVICENNÆ & RHASIS, nata est, scilicet variolas nobis in utero materno ingenerari, ex relicto inquinamento sanguinis menstrui, à fœtu in utero attracti; quæ hypothesis multos hactenus habuit Patronos: Sed antecedens est falsum, consequens irrationale. Nam quoad prius: multi homines moriuntur, qui nunquam variolis & morbillis laborarunt; sicut è contrà sunt exempla, utut rara, qui scilicet aliquoties iisdem afflicti fuerunt: Vid. BORELLUS *Cent.* 3. *Obs.* 10. de muliere, quæ septies variolas passa fuit, & tandem anno suæ ætatis seu vitæ 118 his ipsis variolis tandem mortua fuit. Quod autem posterius sit contra rationem, patet ex eo, quod fœtus in utero non sanguine menstruo, sed potiùs nutrimento lacteo vel chyloso sustententur: deinde (2.) quod non omnes mulieres sint adeò morbosæ, ut necessariò exindè pro variolis fomitem contrahant infantes: (3.) si sanguis maternus corruptus esset causa certa variolarum, fieret, quod aut lochiis suppressis, aut etiam mensibus, & sic necessariò corruptis, semper generentur in puerperis variolæ. Labilis ergò est hæc opinio, utut non sit negandum, natos esse fœtus morbillis & variolis affectos in utero materno, qualia observat exempla SCHENCKIUS *l.* 6. *Observ.* & BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Epist. pag.* 682. HILDANUS *Cent.* 4. *Obs.* 55. & 56. & PLATERUS *Pr. Tom.* 3. *pag.* 250. de muliere gravida variolis affecta, quæ fœtum similiter affectum variolis in lucem edidit. Hoc tamen certum est, plurimos homines, in specie infantes, iis corripi. Sed radicem obtinent reverà in sanguine fundatam, suntque nihil aliud, quàm *sanguinis depuratio* & quasi *despumatio*, mediante *fermentatione febrili*, quo sanguis se depurat à remanentiis lacteis matris aut nutricis vitiatis, & plus minùs *ab acido* coagulatis, sanguinem inquinantibus. Unde talia *inquinamenta* fermentando separata unà cum *sanguine* tunc simul infecto præcipitantur per fermentationis modum, & intra cutim ac cuticulam cum sanguine hinc indè deposita, acrimoniâ suâ parvulas *inflammationes* inferunt, & tandem suppurantur.

Observandum autem, (1.) quod non differant *variolæ & morbilli*, quàm *secundum magis & minùs*: (2.) peccent imprimis *particulæ fermentativæ*, lactis acore *corrupta*: à qua *acrimonia acida* (3.) dolores lancinantes dorsi, ubi nempe partes membranaceæ & nerveæ locum habent, quæ in principio vellicantur; convulsiones partium nervosarum, & paroxysmi epileptici, urinæ cruentæ ex erosione viscerum, aut etiam, quod sæpiùs contingit, ulcera, phthises seu exulceratio pulmonum, ossium caries & spina ventosa, notante id HILDANO & aliis, de acido acri peccante, varias dante turbas hasce, testantur: sicut hepar & alia viscera etiam interdum pustulis corripiuntur, etiam variolis, unde phthisis. Conf. *de acido acri* primariò in variolis peccante SYLVIUS *de Morb. Infant. cap.* 9. (4.) *Acidum* istud ex lactis inquinamento ortum, uti effervescit imprimis cum *sanguine*, unde febris acuta continua ardenti similis oritur, donec præcipitetur, ut ambo abeant in salium tertium; ita excitatam simul *lympham* inquinat singulariter, cujus ratione in principio variolarum utplurimum tusses siccæ, unà cum faucium asperitate, & earum plus minùs raucedine adsunt; & oculi lachrymantes, &c. vexant: de quo *lympham* imprimis affectam esse, videb. in M. A. N. C. *ann.* 4. *pag.* 302. *Acidum* illud ita ex sanguine *secretum*, ac in *pustulas* congestum *intercutaneas*, sanguinem in parvis, quas acrimoniâ suâ excitat, inflammatiunculis in pus acido-salsum mutat per *præcipitationem sulphuris sanguinis ab acido*. Idem illud *acre* excoriat cutim, *pruritum* infert, carnem exedit, & inde ex fibris ejus profundè erosis cicatriculas efficit, donec tandem cuticula erosa à dicta acrimonia squamarum forma decidat. Confirmantur ex iis, quæ curant variolas, nempe castoreo, myrrha, asa fœtida, sale cornu cervi, &c. acidum enim hæc destruunt, & lac corruptum corrigunt. Hinc (5.) in variolis & morbillis, ut meliùs cursus & motus illarum observetur, observanda sunt duo tempora: nempe tempus *ebullitionis* seu *effervescentiæ* febrilis, aut massæ sanguineæ *despumationis*; & tempus *depurationis* seu *expulsionis*. *Tẽpus ebullitionis* febrilis est, dum febris urget, & hoc tẽpus absolvitur primo quaternario, i. e. primis quatuor diebus, quod rarò extenditur ad septimum diem: depurationis verò, dum pustulæ erumpunt, & successivè ad maturitatem pergunt, absolvitur sequenti septenario, nempe à die tertio vel quarto ad undecimum, rarò à septimo ad 14. diem terminatur, ita ut circa diem decimum tertium curatio absoluta sit. Nempe hæc utplurimùm fiunt ita, utut suppuratio non fiat sine æstus recrudescentia nova, seu febre secundaria ac suppuratoria, cum dolore atque ardore per totum habitum molestissimo, symptomatisque aliis, pro diversitate partium, quas ulcusculа hæc plus minùs obsident. Interim pro circumstantiarum varietate subindè variolæ non præcisè tertiâ aut quartâ die, sed etiam septimâ vel octavâ, vel etiam vigesimâ die erumpentes observatæ. Hinc variolæ etiam desperatæ post diem decimum septimum demùm suppuratæ notantur in M. A. N. C. *Ann.* 3. *pag.* 380.

(6.) *Acre* illud *acidum*, nunc *volatilius* & *acrius* existens, *malignitatem* interdum adjunctam habet, ita, ut dum acre malignum massæ sanguineæ consistentiam destruit, & spiritus inquinat, tali occasione & fermentum lacteum latitans præternaturaliter simul excitetur, quod suo impetu fermentativo variolas infert, sed sæpiùs impeditur propter spiritus nimis inquinatos, ut heterogeneum à massa sanguinea

nel turbata separari & erumpere nequeat subindè expulsum: Et sic conjunguntur febribus malignis variolæ, quæ sunt *variolæ malignæ*. Malignitas hæc patet ex eo, quod interdum sint admodùm lethales, & dum grassantur, communiter interimunt infantes; item, quod observatum fuit, sæpiùs pestem præcessisse variolas, aut variolas secutas pestem, quæ tunc temporis non fuerunt sine malignitate.

Cauti ergò simus in variolis diiudicandis, an benignæ, an malignæ sint? ne has invicem confundamus.

Multiplices autem *solent esse variolæ & morbilli*, prout videre est in SENNERTO *de febribus, ubi de variolis*: hinc & SCHENCKIUS *lib. 6. Observ.* præter variolas & morbillos *tertium pustularum genus crystallinum* refert. In pueris etiam observantur variolæ exiliores, seu tubercula parva, pellucida, plùs minùs alba, variolis æmula, sparsim tamen, & ferè sine febre, aut tantùm cum ephemera erumpentia, quæ ut plurimum sine multa sanie citissimè ex siccantur & sanantur: Ger. vocant *Spitzbocken, Windbocken, Schafsblattern, und Steinbocken*. Parùm, nisi mole majore, à veris differunt, & intra triduum ad summum excitantur; utut earum unam vel alteram aliquando suppurare, cutim erodere, & cicatrices inducere, experientia testetur. Affligunt nunc *solitariè*, nunc *sociatæ petechiis* prodeunt, aut hæ post variolas sequuntur: Vid. M. A. N. C. *Ann. 3. Obs. 203. pag. 378.*

Afficiuntur autem in *variolis & morbillis* non solùm *partes externæ*, sed & *internis* eædem copiosiùs insidere solent: vid. PARÆUS *l. de variolis ca. 2.* item SCHENCKIUS aliique: ac in specie *pulmonibus* non leve periculum ab iis imminet, ut rectè observavit BARTHOLINUS *Cent. 3. Epist. 38*; ac KERKRINGIUS *Spicil. Obs. 62.* refert puerum, pulmonibus variolis repletis subitò suffocatum. Unde qui *variolis aut morbillis* intereunt ægri, vel *suffocati* intereunt, vel *ex convulsionibus epilepticis* moriuntur, vel *fluxu dysenterico* interimuntur.

CAUSÆ.

Quoad *causam occasionalem*: probabilissimum videtur, firmiùs & altiùs radicatum principium quærendum esse, præsertim cùm non videatur eorum sententia probabilis, qui dicunt, quod oriantur ex repetito coitu post factam jam conceptionem, cùm post conceptionem uterus firmissimè claudatur, nec quicquàm ampliùs embryoni ab extra communicari queat. Ac proindè suspicor, fundamentum variolarum & morbillorum consistere in lacte, quod haurit fœtus nunc in utero, nunc extra uterum; ita, ut lactis vitiosi inquinati, aut vitiosè coagulati recrementa acido-viscida sint quasi radix, ut per mutuam effervescentiam febrilem oriantur variolæ & morbilli. Occasionem in hanc descendendi sententiam dedit analogia achorum & favorum, Germ. *des Ansprungs*, & tineæ capitis, Germ. *des ausgeschlagenen Kopffs*, & ipsarum ex lactis vitio ferè nascentium, cum excretione cutanea variolarum: scilicet utraque notoriè primariò infantum faciem affligunt, deinde & caput & reliquum corpus, quando nempè iidem vitioso lacte nutriuntur, eoque vel in ipso infantis ventriculo inquinato, vel in nutricis corpore in acidum vitiosum transmutato; ex hoc enim postmodùm oriuntur achores, pustulæ scilicet in facie, imò rubicundæ, cumque pruritu conjunctæ, quæ consequenter abeunt in desquamationem cutaneam, ac disparentes ut plurimùm relinquunt tineas capitis & oculorum affectus. Ut proindè tàm achores seu favi, quàm tineæ ex acido lactis peccante originem ducant: ac ipsas quoque variolas & morbillos ab acido lactis, quod talem effervescentiam febrilem excitat, dependere testentur symptomata adjuncta. Summatim, arbitror, radicem, propter quam infantes tàm facilè variolis sunt obnoxii, quærendam esse in inquinamento lactis materni vel nutricis, quod successivè congestum in infantis sanguine, ac aliquando per simule contagium excitatum, effervescentiam in massa sanguinea concitet, quæ consequenter se purificans inquinamenta ista sub forma efflorescentiarum deponit, quod probatur per symptomata sæpiùs allegata. Propter hanc in sanguine fundatam originem *consanguinei* in specie mutuò afficiuntur, uti D. Doct. MICHAELIS plura retulit exempla, quod fratres duo longè dissiti, quorum unus erat in Italia, alter in Germania, uno eodemque tempore *variolis* laborarint, quorum nemo alterius novit conditionem seu morbum; adeò, ut per longa etiam intervalla deprehendatur hæc inter consanguineos conspiratio. Sic scio exemplum hic Lipsiæ gemellorum adultorum, fratris & sororis: frater cum degeret Wittebergæ studiorum gratiâ, *soror* autem *gemella* cùm hic ex improviso incurreret variolas, ecce! frater hujus Germanus eodem tempore iisdem Wittebergæ, utut nemo ibidem locorum aliquid de morbillis sciverit, etiam corripiebatur. Similiter novi tres *Nobiles*, quorum duo adulti ante paucos annos *Giessæ* studiorum gratiâ morabantur, tertius cum sororculis *domi* degebat. Sed cùm hic tertius cum sororculis hîc domi apud matrem laboraret *variolis*, isti duo *Giessæ* simul iisdem, & quidem eodem tempore correpti moriebantur, utut tunc temporis nil aliàs ibidem de *variolis* innotuisset. Imò *gravida* sana enititur *puerum variolis* correptum, cùm anteà *filio ex variolis* ægrotanti sedulò assedisset, referente hoc MORISONIO *de morbis mulierum pag. 66.* Aliàs non rarum est, *mulieres gravidas variolis* correptas, & *fœtum* similiter iisdem afflictum fuisse: Vid. BARTHOLINUS *Cent. 2. Epist. pag. 681.*

Seminarium autem illud *fermentativum* in sanguine delitescens non, nisi accedente *causâ externâ*, speciatim *certâ aeris alteratione*, in actum ducitur; unde sæpè *epidemicæ* existunt. Ad causas externas spectat etiam terror ex conspectu ejusmodi morbidorum, & contagium, ita quidem, ut ne cadavera variolosorum ejusmodi effluviis activis destitui PANAROLLUS *Pentec. 1. Obs. 18.* perhibeat. Non tamen putandum, præextitisse in corpore sano tot & tantas sordes, quæ postmodùm in ambitum corporis copiosissimè sæpè protruduntur; sed *fermentum acidum*, fermentando se multiplicans, *ex naturalibus* nutritivis *corporis contentis* eas generat: Unde quò magis quis est *cacochymicus*, seu cujus *sanguis alterabilis magis* existit, eò *copiosioribus iisdem* afficitur: Undè nec *scabiosi* ab iisdem sunt immunes, uti observavit FEHR *de Scorzonera pag. 78.* item HENRICUS *ab Heer Observ. 6.*

Inutiliter dubitatur: an Veteribus Græcis eædem etiam fuerint cognitæ? Nam sunt, qui per Græcorum *Ecthymata* variolas, per *exanthemata* morbillos intelligunt: Vid. PARÆUS *de variolis cap. 1.* Sed res præcisè determinari nequit, cum ἐξανθήματα, & ἐκθύματα Græcis vox generalis & universalis sit, quamvis in cute efflorescentiam denotans: Vid. CASTRO *Quæ ex quibus, lib. 3. cap. 14. 15. 16. pag. 187. 197. & 201.* Sanè, utut essentiâ variolæ aut morbilli convenire videantur, *differunt* tamen hæ ipsæ pro *ætatum*, *nationum*, aliarumque *rerum nonnaturalium varietate* diversimodè. Sic enim *morbilli* in Italia & Hispania periculosiores, quàm *variolæ*, quæ in Germania: Vid. THIERMAYER *Consil. lib. 1. pag. 88.* Sic *morbillos* in Gallia semper *cum febre*, *variolas* verò *sine febre* esse observatur: cùm è contrà in Germania semper febres acutas comitentur, eæque ferè graviores variolas. Sic variolas in Indias primitùs Hispanos intulisse refert SCHOOCKIUS *de Ferm. pag. 468. & sequ.* item RIVERII *Praxis*, ubi *de variolis*. In Islandia vigesimo quovis anno *periodicæ* observantur *variolæ*, teste BARTHOLINO *Cent. 3. Epist. pag. 390.* Frequentes variolæ solent esse in Japonia: Vid. *Acta societatis Regiæ Volum. 1. pag. 825.* Eædem variolæ in Æthiopibus distinctæ sunt à variolis Europæis: Vid. BARTHOLINI *Acta Med. Haffn. Volum. 2. pag. 235.* Undè & mirabilis earum ab Æthiopibus cura vid. in M. A. N. C. *Ann. 8. Observ. 68. pag. 116.* Sic morbilli Amboinenses planè peculiares observati à SAAR *in servitiis militaribus Indiæ Orientalis pag. 30.* Nec minùs curiosum est, quod D. Michaelis aliquando curavit mulierem in una corporis medietate variolis, in altera verò morbillis affectam, quam natura ita mirabiliter in duas quasi partes diviserat: Cura tamen fuit eadem. *Adultos* graviùs laborare, & difficiliùs ferre *variolas ac morbillos*, quàm *pueros*, per experientiam innotuit. Densior nempe adultorum cutis, & firmior ejus textura, neque despumationi materiæ adeò apta est, & sub suppuratione sensibiliùs longè dolere solet. Maligniores etiam *variolæ* frequenter *verminosæ* observatæ fuerunt: Conf. M. A. N. C. *Ann. 3. Observ. 20. p. 44.*, ubi etiam verminculi post variolas cum urina rejecti allegantur: sicut & *sudorem verminosum* in variolis videbitis in M. A. N. C. *Ann. 6. Obs. 3. pag. 8:* Item *vermes* in variolis observarunt RHODIUS *Cent. 3. Observ. 64.* & BARTHOLINUS *Cent. 5. Hist. 20.*

DIA-

DIAGNOSIS.

Variolarum imminentium historia ita se habet: *Pregresso horrore* plùs minùs *insensili* insequitur æstus intensus, gravitas totius corporis, dorsi, præsertim *lumborum dolor* lancinans, & quasi pulsatio in spina, cum qua subinde conjungitur insignis dolor capitis gravativus, oculi tumidi & subrubentes, dolor eorum tensivus, aut quasi involuntaria lachrymatio, ex aciditate scilicet lymphæ occulta oculos vellicante: Quod si adsit tussis sicca simul, seu potiùs nimius tussiendi conatus, cum pulsu celeri, frequenti, vehementi, duro, plùs minùs magno, vel parvo, prout mos febris est, atque reliquis signis, res eò magis confirmatur. *Respiratio* nonnihil impedita, aut plùs minus læsa, cum voce interdum rauca, & faucium asperitate, similiter adesse solet. *Urina* sanorum non est dissimilis; natura nempè ad ambitum corporis serum imprimis propellente. Ubi ergò adsunt symptomata febris ardentis, cum urina parum aut nihil à statu naturali immutata, variolas portendunt, uti HORSTIUS rectè observavit in *Observ. pag.* 346., præprimis in juniori statu seu ætate. Interdum tamen *turbida* est, quod magnam contentorum ebullitionem & agitationem significat: interdum *alba* cum *sedimento furfuraceo* apparere solet. Ægri sunt inquieti & agrypni; terrores, insomnia parva, delitia, aut leviculi epileptici insultus antecedere solent eruptionem variolarum: Interdum etiam in primo morbi insultu vomitus, nunc verò saltem *inanis vomendi conatus*, *hæmorrhagia narium* subindè admodùm copiosa, occasione nempè sanguinis nimiùm ebullientis & ferventis adesse solet, quæ *in principio morbi* levioris spem reddit, *in statu* verò morbum longiorem, vel funesti eventus innuit. *Diarrhœa* subindè ægros corripit, interdum *diabete*, & *mictus cruentus* ægros fatigant.

Hæc ipsa omnia eò magis confirmant, quando epidemicè grassantur variolæ, quod benè etiam debet observare Medicus. Præ cæteris tamen tria primaria signa variolarum sunt: Dolor in dorso & lumbis, oculorum involuntaria illachrymatio, & dolor tensivus in oculis.

Hæc & similia *symptomata* ægros vexant plùs minùs, donec tertiâ & quartâ die *maculæ rubræ* apparere incipiant: quibus ritè & copiosè prodeuntibus, ferè mitigari solent omnia prædicta symptomata. Ipsæ variolæ per se patent ex pustulis & maculis, nempe foras prorumpentibus. *Maculæ* istæ nunc simpliciter tales sunt, ita manent, ac sensim post aliquot dies evanescunt, ac *morbilli* appellantur; nunc successivè in *pustulas rubras* elevantur, quæ albescunt pedetentim in centro, cum circulo *ambiente purpureo*, *livido*, &c. ibique in medio sui in *pus* abeunt, hinc in *crustas* & *squamas*, tandem decidunt, atque hæ *variolæ* dicuntur.

Maculæ tales potissimùm ac primitùs *in facie ac manibus* apparent, hinc & reliquis in partibus, quæ *tumidæ* omninò fiunt, ac quasi tumore inflammatorio & œdematoso mixto affliguntur, præsertim caput sub suppuratione ista non rarum est, quod *ulcera gravia* variis in locis relinquant, ipsaque omnia carie afficiantur: in specie *malè* aut non ritè *expulsæ variolæ*, indeque per *metastasin* ad internam quandam partem delatæ, successivè mille mala, pro partium affectarum varietate, inferunt; adeò, ut non arbitrer, esse vel reperiri morbum, qui tot mala post se queat trahere, atque *variolæ* & *morbilli* non benè judicati: quorum Catalogum vid. in FEHR *de Scorzonera*, item SCHENCKIO *in Obs. l.* 6.

PROGNOSIS.

Signa variolarum & morbillorum *prognostica* quod attinet: Si sint benignæ variolæ, nihil refert.

Meliùs est variolas & morbillos *citò* quàm *tardè*, *confertim* quàm *successivè* erumpere; *materiæ* enim obedientiam, & *naturæ* robur ostendit.

Post eruptas variolas & morbillos febres & symptomata remittere debent: sin minùs, res periculosa est; aut enim *insufficientem expulsionem*, aut *defectum virium* ostendit.

Porrò in variolis observatum est, quod ii, quorum parentes *morbo Gallico* laborarunt, antequam eosdem genuerunt, variolis tandem correpti graviùs fuerint afflicti, uti observat HORSTIUS *in Observat. pag.* 308.

Maculæ purpureæ, an in variolis *mortis prænuncia*? observat SYDENHAM *de morbis acutis pag.* 180. & *de Variol. Confluent. p.* 12. LIPSIUS *pag.* 9. HOCHSTEDTERUS *Dec.* 1. *Cas.* 9. & RIVERIUS *Prax. l.* 17. *Sect.* 3. *cap.* 2.

Stillicidium sanguinis ex naribus est *ominosum*, præsertim *in principio*: sed si in principio variolarum sanguis largiùs è naribus effluxerit, & spontè cessaverit, variolæ & morbilli pauciores erumpere solent, ægerque faciliùs liberatur; si non, pejus signum est. Novi exemplum familiæ cujusdam, cujus individua grassantibus variolis omnia patiebantur symptomata ebullitionis; superveniente verò hæmorrhagiâ ab eruptione, omnibus temporibus posthac liberabantur.

Variolæ *meliores* sunt rubræ, & *citò albescentes* cum *circulo rubro*, magnæ, plures, molles & eminentes, acuminatæ, rotundæ, disjunctæ, & sine continuitate propinquæ; quæque *loca externa* & *ignobiliora* occupant, facilè maturantur, & decidunt: Nam in SCHENCKII *Observ.* refertur, variolas etiam omnia viscera interna obsedisse.

Porrò variolæ acuminatæ sunt salutares; *duræ* verò, *depressæ* (utut in facie & in variolis cõfluentibus sine noxa contingat,) sunt lethales; & in specie foveam in medio monstrantes, & nonnihil sunt nigricantes: Si rubræ, & tamen in medio habent foramina, pessimum est, & signum, quod intereant.

Variolæ vel ipsæ *discolores*, vel ad *livorem* declinantes, aut saltim quæ habent *circulum lividum* aut *violaceum*, aut *nigricantem*, & quæ sunt *duræ*, & *verrucis* similes, *depressæ*, &c. admodùm sunt *periculosæ*, præsertim si in earum medio maculæ nigrescentes appareant.

Si variolis maculæ petechiales inspergantur, admodùm periculosum est.

Variolæ cum petechiis nigris lethales: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obs.* 53.

Lividæ, cœruleæ, & nigricantes maculæ post variolas periculosæ, imò ferè lethales sunt: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observ.* 203.

Variolæ *duplices*, aut *tardiùs erumpentes*, & *maturantes*, admodùm periculosæ sunt.

Non terrere debet Medicum, *epilepticas* adesse *convulsiones* ante horum exanthematum eruptionem; expulsis enim his pustulis subitò & spontè evanescunt, nec ampliùs redeunt: sed si continuent symptomata, in specie motus convulsivi post expulsionem, aut redeant, admodùm periculosum est, sæpiùs lethale; deficientem enim expulsionem hoc innuit: Nam semper post eruptionem allevari æger, ac ejus symptomata remittere debent; sin minùs, periculosum est.

Si ante eruptionem fuerit febris acuta, intensa, & variolæ erumpunt copiosiores, bonum; sin verò febris intensa, & tamen parcè erumpunt, pessimum est, quia viscera interna variolis inquinantur, observantibus SCHENCKIO & HORSTIO *Filio in Observat. Anatomicis*; qui ipse pulmones & omnia viscera ferè interna post mortem variolis repleta reperit. Habeatur ergò proportio variolarum excretarum, & febris adjunctæ.

Post eruptionem jam factam *alvi fluxus*, aut hæmorrhagia superveniens, malum est indicium: Aut enim retrocedere pustulas faciunt; aut inquinamenti humorum insignis ab istis pustulis inducti indicium sunt. Rarum igitur est, quod hunc cum ægroti levamine observavit WILLISIS *de febribus pag.* 261.

Hæmorrhagia ergò *salutaris* si debet esse, contingat

1. *In principio aut incremento.*
2. Sit *sufficiens*, *aut moderatè copiosa.*
3. *Continua*, unâ vel alterâ vice non interrupta; &
4. Per *anastomosin* fiat.

Urina sanguinea seu *mictus cruentus* in variolis & morbillis signum ferè est lethalissimum; uti etiam si sanguis purus & sincerus suprà & infrà excernatur, nunquam evadunt morti, notantibus FORESTO *lib.* 6. *Obs.* 45. SCHENCKIO *lib.* 2. *Observat. pag.* 761. SYDENHAM *de variol. confluent. pag.* 13. & *Observationibus morb. acutorum pag.* 182. & 212. item RIVERIUS *Prax. lib.* 17. *Sect.* 3. *cap.* 2. & *Centur.* 1. *Observatione* 71. SALMUTH *Cent.* 2. *Observ.* 70. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 76. Unde etiam HOCHSTEDTERUS *Dec.* 1. *Cas.* 7 8. & 9. non tantùm urinas cruentas seu sanguinem

per urinam, sed omnes omninò sanguinis tàm per superiora quàm per inferiora dejectiones, lethales asserit. Frequenter observavi, quod semper fuerit lethale signum. Rarum igitur est, *mictionem cruentam* salutarem *in variolis* observatam esse, cùm *sanguinis per gingivas excretio* suppressa esset: Vid. SCHENCKIUS *lib. 6. Observationum*.

Interim hæmorrhagia ex naribus & gingivis simul lethalis vid. in HILDANO *Cent. 6. Observ. 77.* Sicuti etiam rarum est, quòd *variola cum dysenteria* fuerint curatæ à RIVERIO *Cent. 1. Observat. 71.*

Res desperata, si manuum cutim assiduus mador, siccis tamen brachiis, occupet; nisi fortè tales madidas manus naturaliter soleat habere æger.

Si in variolis & morbillis adest tensio & rugitus ventris, cum anxietate & agitatione ægrorum huc atque illuc, intra paucos dies *obeunt*, præsertim si adjunctus sit *dolor*, qui innuit inflammationem intestinorum: Videatur RIVERIUS *in Observ. communicatis*, & HOCHSTEDTERUS *Observationum Anatomicarum pag. 22.*

Variolæ salutares ut plurimùm die quarto erumpunt.

Si variolæ appareant, comitante solummodò *levi febre*, ex *pulsu* aut *urina*, aut etiam *calore externo* vix notabili, tùm vel materia expellenda *pauca* est, *benigna*, & natura *robore* pollet; vel *suspecta res* est, præsertim si *magnus* sit *dorsi dolor*, & *insolita virium oppressio* advertatur, latitante *febre admodum malignâ*, & quarto subinde die *lethali*.

Quoad *tempus eventus*: pertinent hi morbi ad *febres acutas*; nam utplurimùm intra decimum quartum diem totus cursus absolvitur.

Qui ex *variolis* pereunt, vel ex angina moriuntur, vel suffocantur propter *faucium* vel *pulmonum* oppletionem, vel alvi profluvio, præsertim dysenteriâ, vel denique convulsionibus intereunt: Hinc JOHANNES STEPHANUS „*Commentario in Avicennam*: *Nil observatione dignius est*, „*quàm anhelitus & vox in patientibus variolas: Ubi enim* „*promptè rectèque agitur respiratio, vox facilè sequitur, neque* „*raucescit, admodum salutare signum est: Atque, ubi difficulter trahitur spiritus, alterutrum significari; nempe aut vires* „*concidisse, aut certo in septo transverso adesse phlegmonem.* „*Similiter quando variolis implicitì, vehementer sitiunt, in-* „*tusque continenter anguntur, promptèque refrigescunt bullæ,* „*detumescuntque, & morbilli variolæque glauco livore pallescunt, tunc ægri capulo propinquant; hoc enim caloris nativi* „*extincti argumentum est.*

Maximè infectæ sunt oculis variolæ, in quibus lippitudinem, ophthalmiam, suffusionem subindè & cæcitatem inducunt.

Tandem hæ variolæ licèt non statim jugulent ægros, interdum tamen, quia vel malè curatæ, vel quia partem quandam nobiliorem graviùs læserint, *diuturna & lethalia* inducunt mala, in internis præsertim corporis partibus, maximè exulcerationes earum, speciatim pulmonum phthisin, interdum dysenteriam, mictum cruentum, item hydropem: Vid. LIPSIUS *pag. 11.* & FEHR *de Scorzonera pag. 83.* Interdum ulcera mala partium externarum, cariem ossis, &c. Nec paralyses, tremores, ac similes artuum imbecillitates, post variolas ac morbillos non adeò infrequentes sunt: vid. LIPSIUS *l. a.* & BARTHOLINI *Acta Med. Haffniens. Vol. 1. Obs. 88.* Unde post curam attenti simus, ne aliquid materiæ morbosæ remaneat.

CURA.

Quoad variolarum & morbillorum curationem: in hac

1. *Fermentum acre acidum* temperandum.
2. Correctum per *diaphoresin*, naturâ monstrante viam, ejiciendum.
3. *Symptomata urgentia* mitiganda.

Pro his scopis ritè obtinendis observetur:

I. *Tempus ebullitionis & tempus excretionis* seu *expulsionis* probè discernendum esse, de quo supra; His enim temporibus ritè distinctis magna pars curæ innititur. Nam nec *ebullitio* nimis evehenda, nec nimis supprimenda: Conferatur SYDENHAM M. M. *febres contin. pag. 97.* Nec *expulsio* variolarum & morbillorum nimis provocanda, teste eodem in *Observ. de morbis acutis pag. 177. & 193.* item *de variolis confluent. pag. 24. 25. & 27.* Sed in principio, ubi variolarum & morbillorum elementa, i. e. pustulæ & maculæ nondum apparent, haud protinus ad expellentia dilabendû, sed *naturæ conatus* ita expectādus. Quamdiu ergo effervescit massa sanguinea, & tempus ebullitionis adest, absorbentibus debitis & figentibus est insistendum, quæ non tantummodò *primordia morbifici fermenti*, indeque ortum nimium sanguinis orgasmum *compescere* ac *mitigare*, sed etiam, quæ *corruptioni sanguinis*, à *malignis miasmatis* perficiendæ, *obstaculum ponere* possunt. Quod si subjectum pituitosum, aut prægressâ quadam evacuatione debilitatum fuerit, alexipharmacis generosioribus ebullitio despumatoria intendatur: vid. SYDENHAM *de febribus contin. p. 104.* Ubi verò jam erumpunt seu jam erumpere incipiunt variolæ & morbilli, tunc Medicus convenientibus alexipharmacis & sudoriferis subindè repetitis, & in specie emulsione seminum præfatâ, earum proventus promoveatur, continuando eadem, donec bonâ fide morbilli & variolæ exarescant & decidant; *symptomatisque urgentibus* pro re nata prospiciat, imprimis faucibus, oculis, & naribus, ne lædantur. Magnâ tamen hic cautione opus est, ne, dum exiguis consulimus, magnum *naturæ opus* turbemus: Etenim toto hoc tempore una & continuata est crisis, quare nihil temerè tunc audendum erit.

II. Semper post *sanatas variolas* & morbillos corpus *purgandum* est, *sanguisque purificandus* (quod tutò etiam in ipso variolarum vigore fieri potest, cùm sanguinem purificantia putredini resistant) ne eorum hinc indè hærentes *reliquiæ acido-salsæ* aut febres intermittentes, aut alia mala inferant: *plerumque enim malum post se odorem relinquere solent*: Prominentia ergò morbi mortificata, ne reviviscat, auferenda, post duas vel tres septimanas à primo morbi insultu purgetur patiens sedulò: pro quo scopo *Mercurius dulcis* præ cæteris excellit. Sed an *in principio* purgandum? quæritur. Equidem variolis & morbillis, quâ talibus, nihil conferunt *purgationes*; quatenus tamen *corpus cacochymicum* est, & *primæ viæ* sordibus obsessæ, ne supervenientia exinde varia symptomata naturæ motum turbent, *blandissimum* primas vias *abstergens*, cautè tamen, & saltem *in primo* variolarum *principio*, ubi minus urget malignitas, ingens verò sanguinis effervescentia est conjuncta, propinetur, nè occasio detur periculo isti, quod ex alvi fluxu in variolis imminet: adeòque tamarindorum decoctum, aut *blandum laxans passulatum*, subindè usurpandum conducit ad imitationem HORSTII *Observat. Anatom. 27.*; vel Mercurius dulcis parcâ dosi propinetur, tanquam appropriatum contra variolas remedium, qui aut impedit omnimodam earum invasionem, aut facit ut facillimè & citò erumpant, parcissimèque proveniant: Vid. hac de re M. A. N. C. *Ann. 3. Observ. 9. & 56. pag. 13. & 56.* Ac proindè vel ante vel post variolas purgandi sunt ægri cum Mercurio dulci; cui pro stimulo addi potest gr. j. *scammonii sulphurati*: nunc in forma *pulveris* è cochleari ligneo, nunc cum conserva rosarum in forma *boli*, nunc in forma *pilularum* cum Massa Pil. de tribus.

Sed in progressu morbi, præprimis in variolis & morbillis malignis, item ubi pustulæ plùs minùs eruperint, licèt alvus ad 6. vel 8. imo 10. vel 12. dies adstricta fuerit, à quolibet tantillum alvum stimulante, etiam levissimo clysmate aut suppositorio, studiosè abstinendum, nec, nisi summâ urgente necessitate, alterutrum eorum usurpandum: Vid. RIVERII *Praxis l. 17. pag. 187.* & *Miscell. Langii App. de Morbillis §. 97. & seqq. pag. 139.* Si irritatur alvus, fit cum periculo vitæ, licèt jam omnia fuerint in salvo, quod etiam à D. MICHAELES & LANGIO observatum fuit; utpote, quod antea erat expulsum, facilè retrocedit, ac consequenter anxietates lethales superveniunt. Nam subindè in variolis in apparente jam morbi declinatione supervenit alvi fluxus non absque periculo, quod etiam interdum dysenteriam infert. Non ergò, nisi in morbi principio, Mercurius dulcis adhibendus, aut, si opus sit, clysmate alvus eluenda venit.

III. Pustulis jam apparentibus superveniens fortè alvi fluxus hic cautè tractandus, & non adeò subitò, nec simpliciter supprimendus est: idque præsertim, si affectus non tàm ex adjuncta febre maligna, quàm interno contentorum spontaneo vitio ac corruptela originem duxerit; ita tamen regatur, ut variolarum & morbillorum expulsio, quantum possibile, promoveatur, non verò ab isto alvi fluore cohibeatur. Verùm licèt non sistatur talis alvus fluens, sedulo tamen insistendum erit sudoriferis & alexipharmacis, quò ita derivemus magis naturæ motum ad exteriora, ac ita sponte cesset fluor iste. Contrà verò, cùm tales alvi fluxus alio tempore venientes sint symptoma-

promant, & subindè lethales, propterea cum alexipharmacis expellentibus miscenda simul interdum adstringentia blanda, ut ita successivè fluor in hoc casu periculosus sufflaminetur, & omne malum præcaveatur.

IV. In variolis & morbillis *sanguis mittendus* haud venit in nostro climate; nil enim prodest, sed naturæ motum turbando multum nocere valet. Interim tamen in principio in adultis plethoricis aut habitioribus, ac phrenitide supervenienre, vena aperta haud adeò nocere solet, præsertim cùm subinde instituenda veniat in casu, quo de variolis nondum est suspicio, sed in primo fiat principio. Dum enim jam apparere incipiunt pustulæ, periculosissimum, modò non lethale, existimo venam aperire; hinc vix imitandus GRASSIUS *in M. A. N. C. Ann. 3. Obs. 55.*, qui sparsim jam tùm erumpentibus variolis venæ sectionem cum levamine ægri administravit: Vid. RIVERII *Praxi l. 17. pag. 696.* & SYDENHAM *de febribus Sect. 4. pag. 101. de morbis acutis pag. 187. 196. 199. & 207.* Hoc tamen non obstat, quin in aliis regionibus, aliis in casibus, subindè ante aut etiam post pustularum eruptionem vena salubriter secta fuerit; exemplo tamen apud nos non imitando: Videatur BALLONII *Pharos Medicorum p. 179. & 185.* HORSTIUS *in operibus Medicis in Observat. pag. 39. l. 1. Observationum*, item *Filius* HORSTII *in Observationibus Anatom. pag. 23. & 24.* & SEPTALIUS *in Animadvers. pag. 111.*

V. *Opiata* in variolis & morbillis perquàm proficua sunt, debitis cum cautelis adhibita, quæ vid. in M. A. N. C. *Ann. 8. Observ. 68. pag. 115.*, cùm pro mitigandis urgentioribus symptomatis, & promovenda excretione cutanea, pro sistendo alvi fluxu, & præcavendis nervosi generis symptomatis, multum conferant, in specie vesperi exhibita. Adhæc ab eorum usu in faciei & manuum intumescentia, quam insignem in hoc morbo natura habet, evacuatio rectiùs procedit, dictusque tumor eorum ope ad debitum naturæ terminum protrahitur, ut loquitur SYDENHAM *Observ. pag. 203.* Hinc puer in variolis per 5. dies ex abusu syrupi papaveris innocuè dormit: Vid. M. A. N. C. *l. a. pag. 114.* Unde infantibus granum j. vel alterum theriacæ, adultis laudani opiati concisam dosin, commodè propinare possumus.

VI. Sanati curâ peractâ interrogandi sunt ægri postmodùm: an sint rauci, difficulter respirantes, aut ulcerosi? aut an in quibusdam partibus internis, vel certis locis, in pectore, aut abdomine, aut cavitatum harum visceribus, præsertim in pulmonibus, symptomata quædam sentiant adhuc? & tùnc maturè dentur parti affectæ appropriata remedia, ne aeris fermentatione reliquiæ variolarum in uno aliove loco graves turbas excitent. Sæpiùs enim post variolas non sufficienter expulsas vel excretas facilè ægri in phthisin incidunt, aut pleuritidem, aut diuturnum periculosissimumque alvi fluxum.

VII. Externa in variolis ad tollendas maculas & delendas cicatrices sint nulla, aut cautissimè applicanda; ante maturationem enim nihil juvant, imò potius pessundant ægrum, & tetra interdum inferunt symptomata: Vid. FORESTUS *lib. 6. Observ. 45.*, ubi refert, quod ex variolis in facie butyro, in sartagine ad nigredinem frixo, illita, facta sit crusta admodum horrida, quæ totam exulceravit faciem, ita, ut æger unum perderet oculum, & nisi in tempore occurrissent, etiam alterum amisisset: item BORELLUS *C. 1. Obs. 64.* observat mortem ex cataplasmate repellente faciei admoto, ad tollendas notas variolarum. Cauti ergò maximè simus in talibus applicandis. Potiùs si volumus extrinsecùs aliquid facere, armillæ ex succino manibus & pedibus applicentur; ab his enim egregiè promovetur in dictis locis ignobilioribus variolarum excretio: Vid. BECKERUS *de Cultrivoro Prussiaco pag. 48.* Cùm ante biennium variolæ hic essent epidemiales, virgunculæ cuidam in principio morbi ante earundem eruptionem brachialia ex succino parata carpo imposita fuerunt; cumque à sinistra manu deciderent sæpè, dextræ verò semper admota manerent, variolarum immensa copia ibidem loci prorupit, ita, ut non sine molestia ardorem illarum ferre coacta fuerit. Cum his conferantur ea, quæ quoad *succinum* habet HELMONTIUS *in Tumulo Pestis pag. 881.*

VIII. In variolis & morbillis *aer studiosissimè cavendus*, quin potiùs in loco tepido seu moderatè calido ægri asservandi, & debitis stragulis custodiendi sunt. Ne tamen quid nimis in hoc puncto! Passim in hoc erratur, dum ægri in locis nimis calidis custodiuntur, atque copiosis stragulis tantum non suffocantur, id quod subindè admodùm est nocivum. Ut hoc regimen fiat ritè, tempore ebullitionis observetur æstus in ægro febrilis; qui si excedat, nullo modo per integumenta, aliisve modis est intendendus; è contra si est debilior, aut saltem videatur minor, quam qui sufficiat secernendæ & expellendæ materiæ variolarum & morbillorum, in mediocri calore sustentandi sunt ægri. Quæ regulæ in quibusvis febribus, excretione cutaneâ junctis, probè observandæ. Conf. FORESTUS *lib. 6. Observ. 44.* JOHANN DANIEL HORSTIUS *Observat. Anatom. 9. pag. 25.* SYDENHAM *passim in ejusdem methodo curandi febres, itemque in Observat. circa morbos acutos, & de Variolis Confluent. pag. 19. 20. &c.*

IX. *Diæta* tenuis convenit imprimis his ægris, præsertim ebullitionis tempore, ne impediatur naturæ motus. *Lentium Decoctum* earumque esus à SENNERTO, RIVERIO, aliisque Practicis in his affectibus laudatur: sed sine fundamento, cùm legumina ejusmodi flatulenta diætæ tenuiori variolarum non sint congrua; nec Decoctum, alvum laxando secretionem turbans. *Vinum* nocet his ægris; ebullitionem enim intendit, cephalalgiam ac delirium excitat, hæmorrhagiasque periculosas movet: Vid. FORESTUS *lib. 6. Observ. 46.* & FEHR *de Scorzonera pag. 87.* & SYDENHAM *l. a. pag. 192. & 198.* Gelatina cornu cervi dissolvitur in cerevisia tenui cum Tinctura aquilegiæ, quæ præ cæteris convenit ad expellendas variolas; vel Nodulus ex semine aquilegiæ & napi contuso infundatur cerevisiæ tenui, instillaturque desuper liquor corallіorum pro infantibus. De potu in variolis ordinariè observetur, cùm ægri ut plurimùm sint siticulosi, quod pro infantibus in specie semper infundendum sit pomum stercoris equini adhuc calidum, quod sordidum quidem, sed verè egregium est remedium: Nam per usum hujus infusi calidi promovetur sudor, & præservatur collum, ne variolæ inquinent fauces, & concilietur angina.

Quoad *Remedia* duobus scopis prioribus satisfacientia: eadem sunt vel generalia, *absorbentia & volatilia*; vel *specifica magis*, variolis & morbillis imprimis convenientia. *Absorbentia & volatilia* simul & acre acidum temperant, & per diaphoresin auctam illud ejici faciunt. Sed *illa fixiora* magis temperant, *volatilia* magis sudorem & urinam movent. *Illa* potiùs conducunt, ubi circa primas vias urgent symptomata; *hæc*, ubi acrius & volatilius peccaverit acidum, adeòque graviora, præsertim nervosi generis symptomata inferat, ut inquietudines, convulsiones, &c. *Illa* magis tempore ebullitionis; *hæc* excretionis conducunt, dum difficilem aut tardam eruptionem admodum promovent: *Illa* magis conveniunt, ubi primarum viarum urgent symptomata; hæc, ubi pectoris, aut pulmonum metuuntur à variolis mala. Remedia *fixiora* sunt unicornu fossile, antimonium diaphoreticum, cinnabaris antimonii & nativa, corallia; item cornu cervi cum & sine igne, unicornu verum, quod tempore ebullitionis in variolis ante eruptionem insignem efficaciam obtinet: item semina expulsiva ista, speciatim variolis & morbillis dicata: sic namque non tantummodò ex semine napi, cardui benedicti, nasturtii, & aquilegiæ fit emulsio egregia ad curandas variolas; sed etiam ipsa semina pulverisata sufficiunt. Pertinet huc *pulvis contra variolas Timæi*, cujus hæc est descriptio:

℞. *Sem. aquileg.*
Nasturt. an. ℥ij.
Card. ben.
Napi an. ℥j.
Rad. scorzon.
Dictamni albi an. ℥iß.
Terræ sigillatæ,
Corn. Cerv. sine igne an. ℥ij.
M. f. Pulvis.

Ex his seminibus CRATO, trium Imperatorum archiater, facit emulsionem, quam insigniter commendat in cura variolarum. Et certum est, quod in variolis & morbillis magnum usum habeant hæ emulsiones: Vid. ZWELFERUS *in Pharm. Reg. pag. 209.*, ubi egregium habet liquorem alexipharmacum, cujus præscribendi modum *suprà de febribus malignis in genere* innui.

Volatilia autem sunt quælibet salia volatilia, speciatim spiritu, & sal volatile Cornu Cervi, viperarum, sanguinis humani, & in infantum variolis ob epilepsiam dun-

nunquam satis laudatus liquor cornu cervi succinatus. His ipsis pro urgentium symptomatum ratione & opiata, ut *suprà monitum*, quolibet morbi tempore possunt sociari.

Semper autem ante variolarum eruptionem cæteris remediis nonnihil de cinnabari antimonii, vel simili antiepileptico addendum est, propter metum convulsionum aut epilepsiæ, quæ ante variolarum eruptionem subindè imminent; sicuti in pueris supervenientes convulsiones & epilepsias liquor cornu cervi succinatus optimè sistit, imprimis si jam jam prominere variolæ incipiant.

Præter *suprà* autem *in febribus malignis* laudata alexipharmaca observandum, ut in variolarum & morbillorum curatione acida cautè usurpentur; sicut è contrà *specialia* magis remedia sunt myrrha, castoreum, tinctura tartari benè acris; item stercora animalium, crocus, ficus, milium; & inter externa succinum; ac specialissimè myrrha, & post hanc castoreum, omnibus aliis remediis in curatione variolarum & aliorum morborum malignorum præponenda: quippe essentiæ horum cum spiritu vini tartarisato præparatæ, tàm præservationis quàm curationis gratiâ in iisdem sunt proficuæ; sicuti id propriâ experientiâ observavi. Myrrha enim optimum est præservativum, & curativum variolarum, balsamicâ vi alterationem harum à fermento maligno inhibens, adeòque, nè copiosè, nimis affligant, præservans; Unde ad præcautionem variolarum nonnullis optimo jure commendata est pulticula myrrhata: Vid. VELSCHII *Mictomim. Cent. 1. No. 29. annexa Ann. 4. M. A. N. C.* Sic quoque D. LANGIUS habebat *essentiam salutis* ex myrrha cum Tinctura tartari extractam, & *essentiam anonymam* ex castoreo & asa fœtida cum Tinctura tartari seu spiritu vini tartarisato paratam, quæ in præservandis & curandis his affectibus, uti & passione hysterica & colica, plura præstitit; sicut & ipse essentiam hanc tam præservare ab incursione variolarum, adeò ut nullatenus iisdem corripiantur, quam etiam correptos minùs graviter laborare, experientiâ probavi. *Zuvelferus* etiam habet ex castoreo essentiam contra morbillos. De Croco refert LIPSIUS *de Variolis*, eum mirabilem esse in expulsione variolarum & morbillorum, dolorem sedando & venenositati resistendo. His accedunt antimonialia diaphoretica, itemque remedia ex cornu cervi parata, quæ tempore ebullitionis in variolis ante eruptionem insignem efficaciam obtinent: quibus pro adultis admisceantur cinnabarina antimonialia, ac pro infantibus liquor cornu cervi succinatus ob epilepsiam. Itaque ante eruptionem in principio variolarum tales formulæ præscribi possunt:

℞. *Antimonii diaph.* ℈j.
Myrrh. el. gr. v.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis sanguinem purificans.

Detur aliquoties in vehiculo quocunque.

℞. *Pulv. diaphor. Ludov.* ℈j.
Si opiata adjungenda, adde
Laud. opiat. gr. j.
infanti
Theriac. gr. ij. vel plura.
M. S. ut *anteà.*

℞. *Corn. Cer. sine igne,*
Antimonii diaph. an. gr. xv.
Myrrh. ℈ß.
M. pro 2. dosibus:
D. S.
Vt anteà.

Quando variolis mox erumpentibus ægri de horrore ante rigore conqueruntur, optimè conveniunt salia fixa; si enim acrimonia salina vellicat panniculum carnosum, hoc signum eruptionis est: e. g.

℞. *Corn. Cer. sine igne* ℈ij.
Vnic. foss. ℈j.
Salis card. bened. gr. xv.
Myrrh. el. gr. xij.
M. f. Pulvis pro 3. dosibus:
D. S.
Pulvis expellens.

Porrò in progressu variolarum, & tempore excretionis, *salia volatilia* usurpari possunt; hinc, ubi variolarum difficilis eruptio imminet, tunc

℞. *Ebor. sine igne* ℈ß.
Myrrh. el.
Antimonii diaph. an. gr. vj.
Salis card. ben. gr. vij.
M. D. S.
Vt antè.

℞. *Corn. Cerv. sine igne* ℈j.
(vel *hujus* & *cinnab. antimonii* an. ℈ß.)
Castor. gr. iij.
Myrrh. gr. ij.
Sal. volat. viper. gr. iv. vel v.
M. f. Pulvis: S.
Vt anteà.

Qui licèt linguam narefque offendat, tamen egregius est in difficili cura variolarum.

℞. *Corn. Cerv. sine igne,*
Antimonii diaphor. an. gr. vij.
Sal. volat. viperar. gr. ij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *anteà.*

Quem cum successu ordinavi puero 12. annorum.

℞. *Vnic. fossil.*
Corn. Cerv. sine igne an. ℈j.
Sal. volat. Corn. Cerv. ℈ß.
M. pro 2. dosibus: S.
Vt anteà.

℞. *Vnicorn. veri prap.* ʒß.
Cinnab. antimonii gr. xij. vel xv.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. vj.
M. pro 2. dosibus:
D. S. ut *anteà.*

Facit huc pulvis, quemadmodum laudat IOEL *in Praxi*:

℞. *Corn. Cerv. sine igne* gr. xv.
Bezoard. solar. ℈ß.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. v.
Laud. opiati gr. ß.
M. pro 1. dosi: S.
Pulvis expellens.

Item in majore malignitate cum fluxu alvi, vel ubi inquieti sunt ægri:

℞. *Corn. Cerv. sine igne* ʒß.
Bezoard. min. ℈j.
Camph. gr. ij.
M. pro 2. dosibus: D. S.
Vt anteà.

℞. *Corn. Cerv. sine igne,* vel *pulv. diaph. Lud.* ʒß.
Bezoard. min.
Specif. cephal. gr. xv.
M. pro 3. dosibus: S.
Vt anteà.

℞. *Aqu. scabiof.* ℥iß.
Essent. myrrh. ʒj.
Corn. Cerv. sine igne ℈j.
Bezoard. min. ℈ß.
Laud. firm. gr. ß. vel gr. j.
Syr. card. bened. ʒiij.
M. D. S.
Potio expellens, bene circumagitanda.

℞. *Aqu. scabiof.*
Rad. scorz. an. ℥iß.
Corn. Cerv. sine igne ℈j.
Antimonii diaphor. ʒß.
Sal. volat. viper. gr. xv.
Syr. flor. calend. ℥j.
M. pro 3. dosibus: S.
Vt anteà.

℞. *Aqu. card. bened.*
Fl. samb. an. ℥j.
Pulv. Bezoard. Sennert. gr. xv.
Myrrh. elect.
Cinnab. antimonii an. gr. vj.
Sal. volat. Corn. Cerv.
Viperar. an. gr. iij.
Syr. card. bened. ʒij.
M. D. S.
Potio expellens, cochleatim sumenda.

℞. *Aqu. menth.*
Fl. samb. an. ℥iß.
Gelat. Corn. Cerv. ʒvj.
Terra sigill. (in specie, ubi alvi fluxus adest, qui non rarus.)

Antimonii diaph. an. ℈j.
Myrrh. gr. v. vel vj.
Syr. card. bened. q. s.
M. D. S.
Potio adstringens & expellens.
℞. *Aqu. scord.* ℥ij.
Spiritus theriac. ʒij.
Corn. Cer. sine igne ʒß.
Bezoard. min. ℈j.
Camph. gr. iv.
Syr. papav. albi ℥ß.
M. pro 2. dosibus: S.
Potio expellens & confortans.

In specie emulsiones ex seminibus expulsivis confectæ, quas antea commendavi, & quas Crato adeò laudat, prosuerunt. Cratonis emulsio ad petechiales febres, variolas & morbillos est hæc:

℞. *Sem. card. bened.* ℥iß.
Napi ℥j.
Citri ℥ß.
Aqu. card. ben. ℥iijß.
M. f. l. a. emulsio,
cui adde
Syr. acetos. citri q. s.

Egregia est hæc emulsio. Item
℞. *Sem. aquileg.* ℥ß.
Nasturt. ʒij.
Card. bened. ʒj.
Cum *aqua quadam appropriata* f. emulsio:
D. S.
Emulsio expellens.

Vel secundùm methodum modernorum præscribitur hoc modo:

℞. *Sem. aquileg.*
Napi an. ʒiij.
Aqu. ulmar. ℥vj.
F. emulsio: adde
Corn. Cer. sine igne,
Antimonii diaph. an. ʒß.
Edulcoretur cum *rotul. manus Christi perlatis.*
M. D. S.
Emulsio expellens confortativa.

His, quando ægri sunt inquieti & jectigant, commodè semen papaveris albi cum essentia castorei addi potest; illud enim sudorem etiam simul prolicit, quem papaver non cohibet. In tali ergò casu:

℞. *Sem. card. bened.* ʒij.
Napi,
Aquileg. an. ʒj.
Papav. albi ʒj. vel ʒiij.
Cum s. q. *aqu. card. bened.* f. emulsio:
cui adde
Essent. castor. ʒj. } fiunt lacteæ.
Myrrh. ʒß. }
Antimonii diaphor. ℈j.
Unic. foss. gr. xv.
Edulcoretur parum, f. emulsio sudorifera.
D. S.
Emulsio sudorifera:

In specie excretionem variolarum & morbillorum promovens. Vel

℞. *Sem. napi,*
Aquileg. an. ʒj.
Papav. albi ʒß. vel ℈ij.
Cum s. q. *Aqu. fœnic. & scabios.* f. emulsio:
adde
Corn. Cerv. sine igne,
Ebor. sine igne,
Pulv. Marchion. an. ℈ß. ad gr. xv.
Bez. min. gr. vj.
M. & edulcora cum *Rot. manus Christi perl.*
D. S.
Emulsio expellens.

℞. *Sem. aquileg.* ʒiij.
Napi,
Card. bened.
Papav. albi an. ʒj.
Cum *Aqu. fl. aquileg.*
Card. bened.
Napi an. q. s.
F. emulsio ad ℥vj.

adde
Aqu. cinnam. cum vino ʒiß.
Corn. Cer. sine igne ʒj.
Bez. min. ℈ij.
Unic. foss. ℈j.
M. edulc. cum q. s. *sacchari.*
D. S. ut *anteà.*

Vel ad imitationem ZWELFERI cum myrrha:
℞. *Flaved. cort. citri* ʒij.
Sem. citri ʒj.
Card. benedict.
Aquileg.
Myrrh. elect. an. drachm. ß.
Amygd. dulc. drachm. j.
Contunde in mortario cum s. q. *Aqu. scorzonera* in emulsionem leniter edulcorandam.
D. S.
Emulsio expellens & confortans.

Circa statum, & dum remittunt symptomata, & copiosæ jam pustulæ efflorescunt:
℞. *Tincturæ antimonii tartaris.*
Essent. myrrh. an. q. v.
D. S.
Essentia sanguinem purificans, guttatim capienda.

Detur bis vel ter in die pro circumstantia ægri.
℞. *Tinctura tartari acerr.*
Essent. myrrh. an. drachm. ij.
M. S. ut *anteà.*

Dentur adulto 50. vel 60. guttæ ter in die, infanti 20. vel 30.
℞. *Tinctura tartari acerr.* drachm. ij.
Essent. myrrh. cum *spirit. sal. ammon. par.* ʒj.
M. S. ut *suprà.*

Dosis adulto 40. vel 50. guttæ, infanti 3. 4. & 5. annorum gutt. 20. vel 25. quater in die, pro ratione circumstantiarum.

Imprimis ad expellendas variolas nobile est *stercus equinum* in nodulo potui ordinario infusum, expressum, & ita propinatum; aut etiam in cerevisia calida *succus expressus* exhibitus *scopis omnibus* in cura variolarum & morbillorum *satisfacit*, & in specie ab *angina ac pleuritide*, ac cognatis in variolis periculosis malis præservat. Alias etiam ad variolas *stercus ovillum*, tanquam infallibile Anglorum deprædicatur remedium, quod stercori equino quoad efficaciam non cedit: (vid. DIGBY *Recept. P. 1. pag.* 69.) dum recipiunt stercoris ovilli q. plac. pro lubitu, quod subigunt cum haustu vini, terendo mutuò, & hinc per linteum transcolanda ita propinant ægro ad curam variolarum; sicut ad *morbillos* singulare experimentum est *stercus caprinum* ita præparatum, aut in potu datum, mirabiliter simul expellit. *Decoctum ficuum*, milii, fœniculi & similia sunt admodum appropriata in variolis, ubi jam incipiunt nonnihil erumpere, imprimis decoctum ficuum ad expellendas has pustulas multùm laudatur, & rectè quidem: ficus enim temperant quamcunque acrimoniam, de quibus notatu digna est observatio FORESTI, qui *lib.* 6. refert, *quod in variolis „& morbillis epidemicè grassantibus, ut vix puer aliquis in „urbe ab illis immunis esset, omnes insigniter, qui decocto fi„cuum in cerevisia utebantur, faciliè fuerint curati, quoniam „facillimè prodierunt variola.* Hinc etiam decoctum ficuum *Mynsichtii* contra variolas in usu est, quod etiam laudat MICHAELIS *in Collegio Ionstoniano.* Videtur etiam faucibus & pulmonibus conducere, qui sæpiùs unà laborant. Verùm in hoc decocto observetur, ne nimis fiat dulce & crassum, quoniam ficus laxant alvum, id quod fieri non debet: Commodè ergò ficubus milium additur ad imitationem SALÆ *in append. mirotechn. pag.* 825., cùm decoctum milii per se vulgare quidem, sed admodum egregium remedium sit in his affectibus, & aliquantisper alvum constipet.

Quod si ergò partim ebullitio sanguinis sedata, partim excretio procurata fuerit, optimum erit, ut *suppuratio* promoveatur, externè autem nihil adhibeatur, quicquid etiam aniculæ contrà suadeant. Pro suppuratione hac promovenda, ac ne lædantur præsertim partes internæ, optimè conveniunt lapilli cancrorum cum myrrha crebriùs usurpati: v. g.

℞. *Lapill. cancr. prap.* drachm. j.
Myrrh. gr. xv.
M. f. Pulvis pro 3 dosibus.
D. S.
Pulvis temperans.

℞. *La-*

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℥ß.
Corn. Cerv. sine igne ℈j.
Myrrh. gr. xv.
Salis cardui bened. gr. v.
M. pro tribus dosibus:
D. S. ut *anteà*.

Sic ègregiè suppuratio promovetur, sine insigni fovearum vestigio.

Studiosus quidam juvenis robustus, ..., sanguineus, &c. à meridie insigni horrore corporis corripitur, quem excipit æstus, nox inquieta, manè insignis ardor totius, facies rubet, oculi fulgent, sitis intenditur, est anxius, vomit subindè.

Die Jovis ergò à meridie vocatus mox venæsectionem instituo, hinc pro 2. dosibus potionem theriacalem ex aceto sambucino præscribo; primam vomitu mox reiicit, alteram retinet: sed manè insequente æstus, anxietates, materiæ viscidæ vomitus, sitis clamosa, &c. intenduntur.

Die Veneris
℞. *Nitri antimonati* ℈ij.
Bezoard. min. scrup. j.
Camph. gr. iv.
Mista assumpsit pro 2. dosibus.

Primam vomitu reiicit comite muco; alteram à meridie retinuit: sed symptomata intendebantur; bibit cerevisiam secundariam: Vesperi
℞. *Corn. Cerv. sine igne* ℥j.
Bezoard. min. scrup. j.
Sal. volat. Corn. Cerv. scrup. ß.
Laud. opiati ferm. gr. iß.
Miscebantur pro 2. dosibus.

Ordinabatur simul Julepus ex Infusione rosarum ad imitationem SYLVII, *ubi de Siti*: largiter sudavit, nox erat bona, mane meliùs habuit.

Die Saturni
℞. *Corn. Cerv. sine igne* ℥ß.
Bezoard. min. gr. xvj.
Sal. volat. Corn. Cerv. scrup. ß.
Miscebantur pro 2. dosibus.

Mucus copiosus obsidebat fauces, pro quo eluendo & Chirurgus gargarisando, & æger cerevisiâ secundariâ calidâ fauces eluendo, operam adhibebant: Vesperi
℞. *Corn. Cerv. sine igne* scrup. j.
Bezoard. min. scrup. ß.
Laud. opiati gr. j.
Miscebantur.
Sudabat largiter, nox erat bona.

Die Solis, adeòque morbi quartâ die, apparentibus submiliaris pustulis hinc inde,
℞. *Corn. Cerv. sine igne* scrup. ß.
Bezoard. min.
Terra sigill.
Myrrh. el. an. gr. vj.
Misc.

Vesperi
℞. *Corn. Cerv. sine igne* gr. xv.
Bezoard. solar. gr. ix.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. v.
Laud. op. gr. ß.
Misc.

Ægro continuò sudante copiosiùs, ubi erumpebant variolæ.

Die Lunæ essentiæ myrrhæ guttas 40. bis cepit; sub introitu lecti vero
℞. *Corn. Cerv. sine igne* scrup. ß.
Antimonii diaphor.
Myrrh. an. gr. viij.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. v.
Laud. ferm. gr. ß.
Misc.

Quos pulveres semper ob noctes quietas & copiosas sudationes cum euphoria capiebat.

Die Martis essentia myrrhæ continuabatur tempore somni:
℞. *Aqua scabios.* ℥j.
Essent. myrrh. ℥ß.
Corn. Cerv. sine igne scrup. j.
Bezoard. min. scrup. ß.
Laud. opiati ferm. gr. ß.
Syr. card. bened. drach. ij.
M. pro dosi.

Die Mercurii eadem propinabantur.

Die Jovis, morbi nempe octavo, pro suppuratione promovenda, & levando ejus dolore:

℞. *Lap. cancr. præp.* ℥ß.
Corn. Cerv. sine igne ℈j.
Myrrh. gr. xv.
Salis card. bened. gr. ix.
M. pro 3. dosibus.

Vesperi
℞. *Aqu. scabios.* ℥vj.
Lapill. cancr. præp. ℈j.
Myrrh. gr. vj.
Salis card. ben. gr. iij.
Laud. opiati gr. ß.
Syr. scabios. ℥jß. vel ℥ ij.
Misc.

Quibus ita continuatis convaluit, in fine pilulis ex Extracto panchymagogo cum Mercurio dulci adhuc propinatis.

Jam ad sistenda *symptomata*, quæ affligunt vel *ante eruptionem*, vel *post eruptionem*. Ante eruptionem sunt:

I. *Anxietates præcordiorum & iectigationes*, ad quas, quando vel vomitus spontaneus præcessit, vel per medicamenta nauseosa provocatus fuit, omnium optimè confert liquor cornu cervi succinatus, infantibus præsertim singulariter conveniens; quin etiam Extractum theriacale aut laudanum opiatum in parva dosi conveniunt.

II. *Vomitus* in principio urgens non statim supprimendus: ast si nimius fuerit, theriaca, Extractum theriacale, theriaca cœlestis, syrupus papaveris, gr. j. vel gr. iß. laudani opiati, unà cum *absorbentibus* optimè curant. His non sufficientibus, accedendum ad liquorem Cornu Cervi succinatum, qui præsertim infantibus optimus est, & eosdem quietos reddit, in potu ordinario assumptus.

III. *Diarrhœa* in incremento & statu superveniens utplurimùm funesta est, nisi in infantibus succulentis, præsertim si in statu occasione vel potus nimii vel frigidiusculi oriatur, & imprimis, si murmurationes abdominis conjunctæ fuerint, & excrementa spumosa. Hæc Diarrhœa aut alius *alvi fluxus* per terram sigillatam curatur, si nempe hujus pulvis largiter cerevisiæ iniiciatur, & sub quolibet haustu probè invicem agitentur, & ita assumantur; sic brevi sedatur diarrhœa, & variolæ progerminant: *item* Electuarium diascordii Fracastorii, cornu cervi ustum, unicornu fossile, Theriacalia, &c. conveniunt. Vid. SYDENHAM *de morbis acutis pag.* 195. 203. & 205. nec non BONETTUS *Mercur. Compital. pag.* 682. §. 69.

Aliquando puellæ decenni variolis insigniter afflictæ, & in qua sine suppuratione incipiebant periculosè evanescere, cum succedente alvi fluore, simulque pedes ejus usque ad genua cum dolore livescebant: hinc in adeò periculoso articulo constitutæ præscribebam sequentes pulveres:

℞. *Antimonii diaphor.* ℥ß.
Castor.
Myrrh. an. gr. viij.
Camph. gr. ij.
M. f. Pulvis pro 2. dosibus.

Quo pulvere cùm aliquoties fuisset usa, & alvus suppressa, & variolæ etiam expulsæ fuerunt. Item

℞. *Antimonii diaph.*
Corn. Cerv. sine igne an. gr. xv.
Castor.
Myrrhæ an. gr. v.
M. f. Pulvis pro 2. dosibus.

Puero 13. annorum tribus diebus gravi corporis æstu, vomitu continuo, & incipiente *diarrhœa* afflicto, in suspicione variolarum, cùm in vicinis locis observarentur, præscripsi:

℞. *Extracti ther.* gr. v.
Laud. opiati ferm. gr. iß.
M. f. Pilulæ. no. xii. pro 2. dosibus.

A prima dosi omnis vomitus & angustia cessarunt: Hinc
℞. *Pulv. bezoard. compos.*
Specif. cephal. an. ℈j.
M. pro 2. dosibus.

Hinc copiosissimè eruperunt variolæ. *Potui* infundebatur stercus equinum, ejusque succus permiscebatur.

Puero aliquot annorum ex variolis gravi difficultate respirationis laboranti, & simul diarrhœâ correpto in statu morbi:

℞. *Aquæ scabios.* ℥ij.
Terræ sigill. ʒß.
Syr. è succo scabio. ʒvj.
Misceb. pro Potione.
Capiebatur pro lubitu.

Sin autem diarrhœa, quod interdum fit, à lumbricis oriatur, lethalis observatur: Vid. RIVERIUS *in Praxi l.* 17. *pag.* 502: quamvis nec hoc forsan perpetuæ veritatis esse, ex prognosi colligi queat. In morbillis interdum alvi fluxus ad aliquot septimanas excurrit, non sine ægrorum discrimine, pro quo compescendo dicta theriacalia & absorbentia conveniunt. SYDENHAM quidem in hoc casu venæsectionem commendat, quæ tamen vix locum habet, neque in incremento, neque in statu, propter rationes suprà dictas, neque in declinatione, propter sanguinem jam depauperatum.

IV. *Vigiliæ, deliria*, imprimis *convulsiones epilepticæ*, quæ infantes mox primo in morbi principio aut incremento cum abdominis duritie affligunt, optimè curantur vel pulvere epileptico antimoniali, vel liquore cornu cervi succinato, cinnabari antimonii; & si necessarium videatur, in morbi principio *clysmata* levia injiciantur; simul externè, si dolor abdominis tensivus adfuerit, Linimentum ex olei destillati succini ℈j, spicæ gutt. v. excipiendum cum corpore pro Balsamo, regioni umbilici & scrobiculo cordis inungatur, idque aliquoties; sic enim epilepsia evanescere solet.

V. *Hæmorrhagia narium moderata* aliquandiu sinenda: præstat ut plus fluat sanguis, quam minùs. Videatur HORSTIUS *Observ. Anatom. pag.* 95.

Quod *si non sufficienter* procedat, potiùs promovenda venit, vellicando nares, aut cum seta porcina, aut per radicem crocodili: (vid. LIPSIUS *pag.* 41.) aut crebriùs & fortiùs easdem emungendo, aut aliis modis hæmorrhagiam narium provocando: quod cùm fecissem, sanguis bene fluxit, & febris desiit, & brevi sanata est, dicit FORESTUS *lib.* 6. *Observat.* 48. Quod si excesserit modum, optimè hæmorrhagiam narium curant *bufones* appensi, aut sub axillis alligati: vid. WILLISIUS *de febribus pag.* 266. Id quod & in aliis malignis obtinet. Aliàs cùm in variolis *nimia hæmorrhagia* ex ebullitionis sanguinis nimio impetu oriantur, easdem etiam *opiata* cum *absorbentibus* seu præcipitantibus dictis compescunt: cont. WILLISIUS *Pharm. Rat. P.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 2. & 217: vitando tunc volatilia.

VI. *Tussis*. Tussim siccam subindè molestam & pectoris affectus *in principio* optimè sistunt Temperantia acrimoniam lymphæ, & Lenientia, vulgò Incrassantia; *in statu* vero Incidentia & Expectorantia. *Ibi* syrupus de jujubis, violarum, papaveris, diacodium *Montani*, pulpa passularum in aquæ scabiosæ, tussilaginis, &c.; *hic* verò syrupus Nicotianæ, de erysimo, cum aqua menthæ, hyssopi, &c. *In omni tempore remedia ex scabiosa* præsertim, vel sola, vel cum spiritu salis ammoniaci anisato, qui in affectibus pectoris optimus est, mista, speciosè præservant & curant partes respirationi dicatas. Curavi superiore anno adolescentem 16. vel 18. annorum, qui sub primo morbi insultu laborabat catarrho epidemico cum pleuritide notha, per mistùram ex spiritu salis ammoniaci anisato & laudano opiato constantem; sic quarto die erupere variolæ. Vel

℞. *Aquæ hyssopi,*
Tussilag. an. ℥jß.
Syrup. de jujub.
Violar.
Nicotianæ an. ʒvj.
M. D. S.
Potio contra tussim.

Variolantes si moriuntur, suffocati utplurimùm intereunt, quare semper respirationis modum consideremus: quò celerior & minor, eò pejus: quò magis stertunt, eò pejus.

VII. *Virium prostratio.* Si in statu ob symptomatum syndromen vires fuerint prostratæ, optimè convenit tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi sæpiùs propinata; item vini Rhenani haustulus, vel panis similagineus, vino intinctus & ita propinatus, optimum est analepticum, speciatim, quando vires prosternuntur à nimio sudore, & ægri inde imbecilliores fiant.

VIII. Supervenit interdum *Aphonia*, quæ duplex: vel non possunt formare sonum, quod fit vitio laryngis & nervorum ejusdem: vel licet edant sonum, tamen loquelam formare nequeunt, quod fit vitio linguæ & ejusdem nervorum. Primus casus reperitur in HILDANO *Cent.* 6. *Observat.* 14., sed est rarus. Secundus casus curatur per interna volatilia antiparalytica; imprimis essentia castorei linguæ in parte prima circa frænum crebrò affricetur: Vid. HORSTIUS *Observ. lib.* 1. *Observ.* 29.

Post eruptionem symptomata sunt:

I. *Retrocessus*, quibus deliria ac convulsiones superveniunt, & vocatur communiter raptus materiæ excernendæ ad caput; rectiùs autem diceretur Raptus materiæ ad systema nervosum. In hoc casu nil melius est, quàm *vesicatoria* pedibus applicata: Vid. BARTHOLINI *Acta Med. Haffniens. Vol.* 2. *pag.* 200. Sicut alias, ubi in variolis graviora erumpunt symptomata, nec ritè eędem erumpunt, non absque fructu vesicatoria applicantur. Vid. FEHR *de Scorzonera pag.* 88. item BARTHOLINUS *l. a. Vol.* 3. *pag.* 72. Epilepsias & deliria ex earum retrogressione oriunda præcavent, interdum & curant. Internè optimè convenire dicitur hoc remedium, quando particula panni rubri Anglici, Germ. *roth scharlachtuch*, in cinerem seu crassamentum nigrum comburitur, & aliquoties in vino ægro propinatur. Experimentum hoc ab amico fide digno habeo. Aliquando cum recessissent morbilli, & varia excitassent symptomata:

℞. *Antimonii diaphor.* ℈j.
Cinnab. antimonii ℈ß.
Sal. vol. Corn. Cerv. gr. xij.
Camph. gr. ij.
M. f. Pulvis pro 2. dosibus: S.
Pulvis expellens.

II. *Cicatrices & foveæ*, quæ oriuntur ab erosione, ab acido acri salso. *Ergo temperandum illud*, ut pus mitescat, cum lapillis cancrorum, & myrrha: quo facto, fovearum & cicatricum nullus metus. Unde

1. Maturantia & temperantia conveniunt.
2. Nævos & maculas tollentia.
3. Cicatrices & foveas, si quæ sunt, implentia.

Pro primo scopo, ut temperetur & mitigetur pus, oleum amygdalarum dulcium, vel oleum nucum recens & sine igne expressum cum penna calidè illinatur, quando jam maturaverint, & in medio oculi quasi albicantes apparuerint, hoc sæpiusculè fiat in die. Vel, *cum morbilli incipiunt se ostendere, sumitur crassities de renibus porci, in qua liquefactâ intinguntur panniculi, quibus facies tergenda est* 6. 7. *vel* 8. *vicibus in die, usquedum morbilli siccantur, & nulla macula remanebit.* Frustulum item lardi impositum, ac sæpiùs renovatum, est egregium. Præstantior est pinguedo lardi incensi super flores lactis destillans: Vid. CNOFFELIUS *in M. A. N. C. Ann.* 6. *Append. pag.* 192., utut SYDENHAM *de morbis acutis pag.* 706. pinguia ideo rejiciat, quòd furfures cumulent, ac cicatrices potiùs augeant. *Pulvis ad Variolas* MYNSICHTII vid. in *Armam. pag.* 134. Decoctum malvæ aut ficuum cum gossypio aut linteolo tepidè sæpiùs applicandum commendat MERCURIALIS *de morbis puerorum lib.* 1. *cap.* 3. Unum ex optimis est *spiritus vini aromaticus cum salibus volatilibus* leviter acuatus, & subindè calidè variolis applicatus: Vid. SYLVIUS *de morbis infantum cap.* 9. Vel observetur elegans illa methodus *M. A. N. C. Ann.* 4. *pag.* 50., ut sub eruptione variolarum spiritus vini myrrhatus calidè per 2. dies repetitis vicibus illinatur. Hinc saccharum Saturni aquâ rosarum mixtum, calidè pennâ faciei applicetur: hujus loco etiam emplastrum de spermate ranarum cum saccharo Saturni imponi potest: Vid. HOFFMANNI *Clavis pag.* 249. Sed *cautè* talia fiant, ne repulsioni variolarum, superveniat mors; qualia exempla suprà ex BORELLO & FORESTO allegavi. Sunt, qui acu aureâ vel argenteâ pustulas ad maturitatem perductas seu dealbatas perforant, nè materia purulenta cutim subjacentem erodat: sed super hoc legi meretur Consilium MERCURIALIS *l. a.*, qui molestam æquè ac supervacaneam hanc operationem credit; potissimùm cùm nonnulli sub sanie laudabilem carnem succrescere ajant.

Ne autem facies tot variolis obsideatur, Viennæ dorso seu scapul. imponunt *vesicatoria*: Vid. THIERMAYERUS *lib.* 1. *Consiliorum pag.* 106. Alii pro hoc vaporem ex decocto herbarum emollientium pedibus suscipiunt: vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Observat.* 186. *pag.* 247.: aut lacti calido pedes immergunt, variolas ad extremitatibus-

mitates has derivando & revellendo, Autore *Sylvio loco supra cit.* §. 76. Facit huc, quod refert FORESTUS *lib.* 6. *observat.* 42. *In pruritu manuum & plantarum pedum, dum erumpunt pustulæ, ponantur dicta membra assiduè in aqua calida, & multum confert: pruritus & punctiones cessant, meliusque morbilli erumpunt.* Quæ remedia quidem tuta satis videntur: sed habeatur tunc pedum ratio, nè à copia variolarum dolores diuturni aliave gravia mala iisdem concilientur: Conferatur HILDANUS *Cent.* 3. *Observ.* 99.

Secundo *nevos tollunt* imprimis sperma ranarum, hinc aqua florum fabarum cum pauco oleo tartari per deliquium temperata; item aqua omnium florum, cui misceatur Cosmeticum *Clavii* cum pauca tutia, &c.

Vel

℞. *Aqu. calcis viv.* ℔ij.
Pulv. sulph. citrini ℥j.
Coqu. invicem: *Colaturæ* addo
Aqu. rosar. ℥j.
M. D. S.
Aqua mundificans.

Facit huc etiam cataplasma sequens:

℞. *Farin. fabar.*
Lupinor. an. ℥ij.

M. cum *urina bovis* ad consistentiam cataplasmatis, quo ipso vesperi tota inungatur facies.

D. S.
Epithema mundificans.

Relinquatur ita per noctem, manè tunc cum aqua florum fabarum abluatur, & videbitis egregium effectum.

Tertiò *cicatrices* denique, si nihilominùs quædam supersint, pro his mediante nutritione debitè implendis inservit axungia asciæ piscis cum oleo ligni Rhodii mixta & illita (vid. WEDELIUS *de Medicam. Compos. pag.* 186.) & pinguedo anguillæ, unguentum de cerussa camphoratum, oleum ovorum, &c. An verò cicatrices relictæ adeò facilè deleri possint, meritò dubitatur.

III. *Ptyalismus*, rarum equidem hoc post variolas apud nos est symptoma; observatum tamen sæpiùs à SYDENHAM. Hic igitur variolis malè tractatis, interdum auspicatò superveniens, ut sit tractandus, videb. *in citato Autore de methodo medendi febres pag.* 108. *item in ejus Observat. pag.* 174. & 201. Cessans ptyalismus promovetur per cerevisiam tenuem, decoctum hordei, aut alium liquorem fermentescentem, nec ad sudorem cogentem. Ubi propter salivæ viscidítatem suffocatio metuenda, conveniunt gargarismata ex cerevisia secundaria, aut decoctum hordei cum melle rosarum.

Quoad IV. *indicationem*: *læsionis partium* adhuc habenda est ratio, quas inter sæpiùs ac periculosiùs affligi solent imprimis *oculi*, & quidem duplici modo:

1. Quando variolæ oculi bulbum occupant, non tantùm cæcitas, sed & interdum albugo, ulcera oculorum, & pannus relinquitur.
2. Palpebras obsident, quibus suppurantibus oculus non possit aperiri.

Ad præservandos oculos in variolis commendatur Sapphirus & Smaragdus, ut & succinum, si nimirum circulus circa oculos ducatur. Optimum est collyrium ex Infuso vitri antimonii in aqua plantaginis, rosarum, cyani, & calcatrippæ; vel dictis aquis addatur parum tutiæ, & nonnihil sacchari Saturni: nam & si hæc instillantur oculis, præservantur à variolis.

Si jam incipiunt prominere vel in oculo, vel eos affligunt, quod ex rubore & pruritu patet, frustum crudum *carnis recentis*, sive bovinæ sive *vitulinæ*, si magnitudine & crassitie thaleri tepidè applicetur, ut hoc ipsum salsam infestantem oculos humiditatem absorbeat; hinc, ubi ferè ad quadrantem horæ adhæserit, removeatur, novumque denuò applicetur, & sic consequenter aliquandiu continuando, valdè convenit in præservandis & curandis oculis à variolis.

Aut mulier quædam sana allium masticet, & halitum oris oculis inflet, manè jejuno stomacho crebriùs repetat; vel accipiatur crocus, infundatur aquæ fœniculi, & infusum hoc (non tamen sit acre) instilletur:

Vel

℞. *Herb. rutæ rec.*
Ex qua contusa exprimatur succus, filtretur, & cum *aqua quadam ophthalmica* mistus instilletur.
D. S.
Aqua ophthalmica.

Succus cherefolii cum *aqua fœniculi* instillatus variolas oculorum curat: Videatur Sylvius l. a. §. 83. Item

℞. *Aqu. plantag.*
Solan.
Rosar. an. ℥j.
In quibus ebulliant
Sem. sumach ℥j.
Plantag. ℨß.

Ex colatura fiat collyrium, sæpè oculis instillandum, idque in principio, ut defendantur oculi à pustulis, in quo obtinendo tale me nunquam fefellit, dicit RENEALMUS *in Observat.*

Aliquando cum jamjam humor ad partem appulerat, admiscui, detractis aquâ solani & semine sumach, mucilag. sem. altheæ in aqua fœniculi extractæ ℨiß. Quibusdam minori in copia, pro ratione morbi: Confer. HORSTIUS *lib.* 6. *Observat. Append. pag.* 301. Loco seminis sumach malicorium recipi potest: v. g.

℞. *Cort. granat.* ℨiij.
Infund. in s. q. *aquæ rosar.* & *plantag.*
stent in Infuso in loco calido, posteà filtretur, & adde
Margarit. præp. gr. ix.
Croci orient. gr. iij.
M. S.
Mixtura ad oculos.

Egregium quoque est hoc:

℞. *Vitrioli de Cypro:*
Dissolve tantillum in
Aqua euphras. q. s.
adde
Tutiæ quantum ferunt oculi sine dolore.
D. S.
Collyrium.

Instillatur guttatim oculis, & præservat egregiè à variolis.

℞. *Aqu. euphras.*
Plantag. an. ℥j.
Tutiæ præp. ℈ß.
Camph. gr. v.
Croci gr. ij.

Mista aut instillentur, aut applicentur oculo, ne variolæ possint oculo nocere.

Item

℞. *Aqu. plantag.* ℥j.
Euphras.
Rosar. an. ℥ß.
Smaragdi præp. gr. xij.
Margar. præp. gr. vj.
Camph. gr. iij.
Croci gr. iv.
M. D. S.
Collyrium externum.

Vid. TIMÆUS *Von Guldenklee in Epist. pag.* 318. Aut pro collyrio extemporaneo

℞. *Aqu. plantag.*
Sperm. ran. an. q. s.
In quibus parum *sacchari Saturni* misceatur, & ita oculis instilletur pro præservatione.

Loco hujus sacchari Saturni etiam *tutia præparata* cum pauco *vitriolo albo* adhiberi potest.

Quod si nihilominùs palpebræ progressu morbi sint obsessæ & intumescant, ita, ut nequeant aperiri, vel etiam glutinosis sordibus inviscentur, blando decocto semin. lini, fœnu græci, cydoniorum, malvæ; aut fotu, vel ex floribus meliloti, vel ex malva & semine cydoniorum in aqua comm. decoctis, aperiantur, cum linteo calidè oculis applicando, idque tamdiu, donec inviscatio & tumor cessent. Malè à quibusdam usurpatur lac, utpote quod facilè acorem contrahit.

Nebulæ postmodùm in oculis apparentes *pulvere sacchari Candi in oculos inflato* curantur: Hoc enim saccharum non solùm præservat oculos, sed & nebulas detergit, si cum aqua rosacea adhibeatur. Sin his omnibus non obstantibus variolæ tamen oculos occuparint, ita ut istis curatis vel lippitudo, vel ophthalmia, vel nebulæ aut suffusiones, vel visus hebetudo, aut similes visus obscurationes, post variolas supersint, proficua est aqua ophthalmica Rulandi, vel aqua ophthalmica ex croco metallorum: sed simul nuchæ applicetur vesicatorium. His non sufficientibus, hoc clauso bina vesicatoria pone aures applicentur, quæ impedimenta removent, ut meliùs oculi curari possint per reliqua remedia: e. g.

℞. *Empl. vesicat.* part. j.
Citr. ana vel partem dimid.
M. D. S.
Emplastrum vesicatorium.

Hoc inductum super linteum nuchæ applicetur.
Quò verò diutiùs servetur apertum:

℞. *Empl. de sperm. ranar.* part. v. vel vj.
Vesicator. part. j.
M. D. S.
Emplastrum aperiens.

Pertinet huc, quod refert LIPSIUS *de Variolis: In antiquo libro reperi hoc experimentum: Puer quidam post variolas per totum annum nihil videbat, oculi ipsi quidem erant illæsi, sed spurcitie obducti. Sumebat tandem unus radicem Gentianam, secabat illam in partes minutas, coquebat postea eandem in vino, & aqua æqualiter mixto, & idem inspergebat post in oculus per tres vel quatuor dies tempore matutino, quod quidem mordebat, oculus autem curabatur.* Item *Oleum hepatum mustelarum:* (aalraupen) *cujus sinna vel due guttæ oculis insperguntur, usquedum pelles abeunt, est egregium remedium.* Pinguedinis viperarum gutta una vel altera oculis instillata, vel si minùs recens aut mucida, palpebris saltem illita, oculorum vitia curat. Conferatur quoad pterygion post variolas curatas FORESTUS *lib. 6. Observ.* 55.

Nares defendendæ sunt, ne intercipiatur respiratio, nec fiant ulcera & ozæna, quæ difficilis curationis. Optimum est odor aceti rosacei, vel solitarii, vel camphorâ impraægnati; sic præservantur nares à variolis: Vel

℞. *Flor. rosar. rubr.* p. iij.
Camph. gr. viij.

F. Nodulus crebriùs naribus admovendus, vel solitariè vel aceto rosaceo intinctus:
D. S.
Nodulus ad nasum.

Quod si in variolis *crustæ* subindè *circa nares* concrescant, ita ut per eas spiritus trahi nequeat, *butyrum recens non salitum, vel cum aqua rosarum sæpius lotum*, blandè inungendum est, quousque crustæ decidant.

Aures. Ubi in variolis *auditus læsus* fuerit, imprimis vesicatoria pone aures applicanda; hinc essentia cardui benedicti, aut castorei, cum bombace crebriùs auri immittatur: Vel fiat *suffitus ex castoreo, myrrha, colocynthide, semine fœniculi, & pauco croco in vino coctis*, ac per trictorium auribus immittatur.

Funestæ imprimis sunt variolæ *faucibus*, in quibus suffocatoria pathemata, atque adeò agrypniam quasi inducunt. Ad præservandas hac fauces ab angina optimum est pro collutione oris & faucium stercus equinum, cerevisiæ secundariæ vel potui ordinario infunditur, & sæpiùs usurpatur; item gargarisma ex succo cancrorum fluviatilium, cum aqua sempervivi majoris, omittendo vel addendo sal prunellæ; sic fauces & lingua præservantur: item gargarisma ex aquis appropriatis cum rob nucum & nitro depurato vel antimoniato: e. g.

℞. *Aquæ prunell.* ℥iij.
Rob diamor.
Nuc. an. ℥ij.
Syrup. granat.
De succ. scabios. an. ℥ß.
M. S.
Succus ad fauces.
Vel

℞. *Aqu. prunell.*
Scabios. an. ℥ij.
Mucilag. sem. cydon.
Fœnugr. an. ℥j.
M. S.
Gargarisma ad fauces.

Convenit quoque decoctum vel Tinctura florum papaveris erratici cum succo cancrorum fluviat: Vid. SACHSII *Gammarol.*

Quod si nihilominùs fauces & lingua obsideantur, idque cum magno dolore & calore, imitemur FORESTUM *lib. 7. Observ.* 17., qui jubet, ut continuò cum *lacte caprino, & aqua plantaginis simul mistis*, tepidè se gargarizent ægri; aut si gargarisatio molesta sit, saltim aliquandiu in ore detineantur, hinc exspuuntur, quod miraculi instar prodesse ait, & oris & gutturis præstantissimum remedium, cùm signa exanthematum se produnt. Item *Gargarisma ex Decocto hordei, passulis minoribus*, & similibus temperantibus adhibeatur, idque ad faciliorem maturationem: pustulis verò se jam aperientibus, huic Decocto *mel rosaceum cum pauxillo aluminis* admisceatur ad meliorem purificationem, ne ulcera sordida remaneant. Quod si nihilominùs fauces & nares exulceratæ fuerint:

℞. *Herb. veron.* vel *salv.*
Hord. an. Mß. vel Mj.
Passul. min. Mß.

Coqu. in s. q. *Aquæ plantag.* ad ℥viij. vel ℔j
Colaturæ adde
Mell. rosac. ℥j. ad ℥jß.
Alum. ʒß. ad ʒj.
M. S.
Gargarisma.

Quod si *lingua* exulcerata fuerit, siquidem hæc non rarò tota putrescit, eroditur, & exspuitur (vid. SCHENCKIUS *lib.* 1. *Observat.* BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 22. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 35. *in schol. p.* 119. & ROLANDUS *Aglossostomograph. annex. ann.* 3. M. A. N. C. *pag.* 448.) hæc est difficilis curatu. Contra talem tamen linguæ exulcerationem egregium est & expertum Linimentum HORSTII, quod habet *in Observat. suis lib.* 6. *Append. de Morbillis & Variol. pag.* 310., cujus descriptio est hæc:

℞. *Fl. malv. arbor.* ℥ß.
Balaust. ʒij.
Myrrh. el. ʒj.
Alum. ʒß.

Excipiantur hæc omnia cum s. q. *mellis despum.* f. Electuarium molle.

Quo sæpiùs illinantur partes vel locus exulceratus.

Si hoc non sufficit, accipe mel rosatum, tantillo spiritu salis acidulatum; sic sæpè eluantur ulcera oris, quæ egregiè mundificantur & consolidantur.

Quod *si variolæ labia obducant*, adeòque ingentem dolorem inducant, *mucilagine seminis cydoniorum* eadem inungantur & curentur.

Quod si *dysenteria* vel corripiat vel subsequatur variolas, internè electuarium diascordii Fracastorii, Cornu Cervi ustum, terra sigillata, tormentilla, &c., conveniunt. Externè, si ferat morbi conditio, *clyster* ex lacte cum radice symphyti usurpari potest. Adhiberi etiam possunt remedia *Riveriana*, quæ in *C.* 1. *Obs.* 71. & *Cent.* 2. *Obs.* 2. legi possunt.

In *mictu cruento* remedia ex *plantagine* sunt optima. Sanguinem post variolas per digitos pedum transudasse, videbitis in M. A. N. C. *ann.* 3. *Observ.* 27.: & vermiculos per urinam excretos *ibid. Observ.* 28. leni purgatione ablatos: Pollutionem nocturnam *ann.* 9. *Obs.* 15.

Paralyses, nunc particulares nunc universales, non rarò insequuntur variolas: Vid. VELSCHIUS *Mictomim. no.* 30. *Cent.* 1. *annex. ann.* 4. & 5. M. A. N. C.: quam curandi rationem videbitis in *jam dicto anno Obs.* 9. *pag.* 13. Item quoad *loquelam post variolas amissam*, vid. HILDANUS *C.* 6. *obs.* 14. & M. A. N. C. *ann.* 2. *obs.* 201. *Ulcera* variarum partium subindè pessimi moris, tineas capitis, &c. post se relinquunt variolæ, adeò ut SALMUTH *Cent.* 2. *Obs.* 50. ulcera mammarum maligna admodum orta notet ex paucis latentibus variolis corruptis. Ulcera talia cautè, & non adeò vulgari modo tractanda sunt: Conf. FEHR *de Scorzonera pag.* 88. In gravioribus autem malis in subjecto robustiore, si alio modo curari nequeat, per salivationem cura erit optima, cùm non secùs atque in lue Venerea in variolis pathemata partium nervosarum soleant esse communia, quibus Mercurius dulcis egregiè prodest.

GANGRÆNA non rarò variolas uno alterove loco insequitur: quæ pars quomodo tractanda? & ægra à corpore separanda sit? exemplo gangrænæ genarum à variolis ortæ docetur in M. A. N. C. *ann.* 4. & 5. *obs.* 60. *p.* 50. & *ann.* 2. *obs.* 2. *pag.* 2. Facit huc curiosa observatio THIERMAIERI *Consf. l.* 1. *pag.* 106., *scrotum* nempe in variolis sphacelatum per *Mercurium præcipitatum rubrum*, cum unguento rosato digestivo mixtum, separatum, & resarcitum.

Denique *articulorum tumores & ulcera* post variolas ut curanda sint? videb. in *M. A. N. C. ann.* 6. & 7. *observ.* 100. *pag.* 139.

Variolæ nothæ curantur ut veræ, nisi quod blanda diaphoretica usurpentur; sicut & ægri post peractam sanationem blandis laxativis evacuandi sunt.

CAPUT XI.

DE

FEBRE SCARLATINA.

Febris hæc scarlatina à SYDENHAM *Observat. de morbis acutis* §.2. *cap.2.* ita dicta, quam INGRASSIAS *de tumoribus* à Neapolitanis Rossaniam, seu Rossaliam vocat, ad morbillos vulgò refertur; sicut & cum variolis nothis hoc commune habet, quod ferè infantes tantùm invadat, & quidem cum febre plus minus acuta: post duos vel tres dies noctesque primò circa collum, scapulas, & pectus, hinc faciem atque totum corpus rubor quidam, cum aliquali, sed vix notabili, intumescentia, nunc sub macularum dispersarum, nunc expansi continui formâ, erysipelati similis observatur, qui tumor post 2. vel 3. dies sensim subsidet, & in maculas saltem latiores abit, donec & hæ circa diem septimum planè evanescant, & cuticula in squamas secedat.

CAUSÆ.

Febris hæc juxta SYDENHAM non tantùm æstatis, sed & quovis alio tempore se exerit, cujus causa peculiaris lymphæ ebullitio videtur, unde cum symptomatis catarrhalibus, ver. gr. tussi, & aeris catarrhalis epidemica constitutione, frequentiùs oritur. Levem hanc SYDENHAM *l. a.*, SENNERTUS verò *Tract. de variolis & morbillis* gravem, & sæpiùs lethalem pronunciat; sicuti etiam experientia docet, eam gravibus utplurimum, utut rarò lethalibus, conjunctam esse symptomatis. Sub declinatione hoc singulare habet, quod facies & crura utplurimum tumores œdematosos contrahant: imò crura simul obscurè satis rubescunt, qui tumor interdum ad octiduum, interdum diutiùs perseverat: interdum abdomen & hypochondria simili modo affliguntur, cum præcordiorum angustia, tussi & respiratione difficili, ægrique tandem, ut SENNERTUS annotavit, moriuntur.

CURA.

Quoad curam: febris hæc tractatur, ut febres purpuratæ, variolæ, & morbilli, blandis tamen diaphoreticis: in fine morbi lympha viscidior blandè evacuetur, & simul primis viis, & massæ sanguineæ dyscrasiæ occurramus per absinthiaca & antiscorbutica.

CAPUT XII.

DE

PESTE ET FEBRIBUS PESTILENTIALIBUS.

Superest adhuc summus febrium malignarum gradus, pestis & febres pestilentiales. Pestis consideratio & Theologica & Medica esse potest. Theologi eandem flagellum DEI dicunt: Medici ejus naturam, quantum possibile est, & indagant, & per medicamenta malignitati ejus succurrere satagunt. Est autem & vocatur pestis, quando in morbis suprema adest malignitas, quæ, quoniam quibuslibet ferè morbis conjungi, adeòque varia symptomata inferre potest, quibusdam non peculiarem morbum constituere, sed tantùm conditionem morbi pessimam designare creditur. Unde pestilens febris dicitur maligna vehementior, proinde ac alii quoque morbi pestilentes vocantur, qui, præterquam quòd valdè acuti sint, malignitate etiam suâ adjunctâ terribiles sunt. Conjungitur enim pestis cum omnibus aliis morbis particularibus quidem, populariter tamen grassantibus, quibus multi interficiuntur; unde etiam diverso tempore diversæ pestes observatæ sunt. Sic enim ab ÆGINETA prodita est *colica pestilens*; *Peripneumonia pestilentialis* meminit FRACASSATUS; *Pestis pleuritica* est descripta à JOHANNE WIERO *in Observationibus*; sic *anginæ pestilentiales*, *Phrenitides* pestilentiales, *dysenteriæ* pestilentiales, *hepatitides pestilentiales*, &c. non sunt raræ; MERCURIALIS meminit cujusdam pestis, quæ *pedes*, *tibias*, *& ossa* ita *infestabat*, ut intra triduum peste correpti plerumque interirent; *Georgio Agricola* nota fuit pestis, quâ homines veluti stupefacti ac siderati, omnibus membris tamen non mutilabantur: sic ab eodem observata alia, quæ totum ferè corpus in putredinem vermiculosam resolvebat: nec ignota fuit olim pestis illa superioris seculi, & quod excurrit, *sudoris Anglici* nomine appellata. Sed, utut febres pestilentiales variis se associare aliis affectibus possint, pestis tamen bubonaria *propriè* sic dicta peculiare morbi genus constituere videtur, h. e. ista, in quibus nunc bubones, nunc parotides, nunc carbunculi, subindè etiam petechiæ, erumpere solent. Omnes ergò hi affectus distincti, præter suam ordinariam, ut sic dicam, naturam seu constitutionem, summam habuerunt conjunctam malignitatem. Unde sive eos appellare velimus morbos cum malignitate summa conjunctos, sive dicere velimus eos esse pestes, tales morbos imitantes, perindè est: cùm in peste & sit causa, quæ tales morbos producere, & præterea singulari malignitate præsentaneum vitæ periculum inferre potest: In posteriori consistit pestilentialitas; Unde morbus, cui hæc conjungitur, pestis postmodum vocatur.

De peste verò multi scripserunt, præ cæteris tamen meretur legi, quoad Theoriam quidem KIRCHERUS *de scrutinio pestis*, & HELMONTIUS *in tumulo pestis*, qui sunt optimi, quoad scrutinium Theoreticum, & evolvunt naturam pestis, quantum possibile. Quoad Praxin verò ordinariam felicius imitandam, arridet BARBETTE *de Peste*; parvus equidem est libellus, sed elegans; item DIEMERBROECIUS *Tract. de peste*; quibus & societur SYLVIUS *de peste*: utpote qui præsentes pesti interfuerunt. BARBETTE interfuit duabus pestibus Amstelodami, & DIEMERBROECIUS etiam.

Pestis ergò nomine nihil aliud intelligitur, quàm morbus maximè contagiosus & epidemicus, qui ortum ducit ex miasmate venenato, ab aëre primùm suscepto, & ita per contagium ulterius propagato, quod occultè & latenter homines plures aggressum, eos in summum vitæ periculum conjicit, & ferè bubones, carbunculos, nonnunquam & petechias, comites secum trahit.

Miasma istud contagiosum *summè* est *subtile*, admodùm activum, & quaquaversum diffusum, virulentiam suam exserit, adeòque quasi multiplicabile est; unde ob summam sui subtilitatem à quibusdam dicitur *spiritus pestilentialis*, ab aliis *aura venenata*, HELMONTIO vocatur *Gas fracidum* in aëre, quo innuit & ejus subtilitatem, substantiam & naturam. GAS vocans, innuit materiam subtilissimam, spiritum incoërcibilem, adeòque spiritui vitali facilè sociabilem: Fracidum vocans, originem designare vult, quod ex putrilagine, & odore spirituali fracido oriatur. GAS hoc tanquam spiritus subtilis quasi incorporalis, adeòque nullo sensu, quomodo serpit, propriè cognoscibilis, similis ferè est cœco illi odori, quo mediante canes heros suos agnoscunt. Illustrat verè hoc curiosum *observatum* BORELLI *Cent.* 1. *Obser.*74. de quodam Eremita, qui miasma pestilentiale latitans solo odore, uti retulit, cognoscere potuit, percepit odorem fœtidum calceorum ustorum, similem *Summè contagiosum* est miasma, quod miris modis inficere ac se multiplicare potest, cùm non tantùm immediatum contactum corporalem, sed per intermedia quæcunque, per vestes, per nummos, per literas hinc inde transmissas, &c. propagatum, & in alias regiones translatum fuerit, adeòque juxta DIEMERBROECIUM *l.1. cap.7. Annotat.1.* & annotante SENNERTO, pestis primò, & antequam epidemica evadit, adeò furtim & clandestinè irruit, ut sensu internosci nequeat.

CAUSÆ.

Natura hujus *miasmatis pestilentialis* contagiosi, cùm hactenùs à nemine cognita, aut exactè & scientificè explicata sit, propterea etiam controversiam hanc in medio relinquo. Illustrarunt negotium hoc, qui naturæ arsenicalis esse asserunt, imprimis KIRCHERUS *l. a.*, qui egregiè ventilat hanc controversiam, eam tamen suæ putredini animatæ applicat: Hinc imprimis legendus HELMONTIUS, SYLVIUS, & PAULI *de febribus malignis*, qui præcipuè de peste statuunt, quod ex contagio salinæ volatilis substantiæ oriatur; undè cochleari aceti aliaque acida, quotidie manè porrecta in peste Lugdunensi mirè profuisse, SYLVIUS expertus testatur. HELMONTIUS in eo præ cæteris est sollicitus: quomodò subindè animi affectus, ima-

imaginatio, terror ac pavor, ad pestis propagationem conferant, ut iidem afficiant corpora anteà sana? Nam inter causas, quæ corpus disponunt ad pestis fomitem promptiùs suscipiendum, vix una est potentior imaginatione, & hinc natis animi affectibus, terrore, metu, pavore, & similibus. Exempla miranda animi affectuum prostant hinc inde, in specie vid. DEUSINGIUS *Dissert. de Peste*, item GABELCHOVERUS *Centur.* 5. *Observat.* 67. speciatim HOCHSTEDTERUS *Decad.* 7. *Cas.* 21. ubi curiosa exempla habet.

Post istos tamen animi affectus imprimis etiam aër inquinatus multùm in propaganda populariter peste confert; sal enim ejus vitale hebetatum aut inquinatum à veneno pestilentiali videtur, unde aëris medio venenum tale pestilens, quod ceu fumus instar gas exsuscitati ex fermentescibilibus subjectis, aut gas ex puteis profundis inspiratum, mox partim spiritus vitales afficit, partim etiam cruorem plùs minùs inquinat; hinc illius ratione virium omnimoda prostratio & vitæ periculum; hujus verò bubones & carbunculi: unde spiritus animales & vitales ab animi pathematis, maximè à terrore vel metu ac pavore, percussi & plùs minùs suppressi, eò faciliùs contagium suscipiunt.

Causæ remotæ, seu quæ miasma istud venenosum possunt producere, sunt variæ ac distinctissimæ. Præ cæteris *terræ motus* considerandi sunt, utpotè quos passim gravissimæ pestes insecutæ sunt, quorum causa non ineptè rejici videtur in effluvia mineralia arsenicalia, sulphurea cruda & immatura, & Mercurialia ex cryptis exhalantia, ac similia quorũ halitu toties jugulantur metalli fossores, quæ aërem inquinando promptissimè pestem induxerunt: item cadavera animalium sine sepultura jacentia, putrescendo miasmata maligna exspirantia, ad pestem disponunt. Pertinet huc *fames*, quam sæpiùs sequitur pestis; item *hominum strages in bellis*, quorum cadavera non sepulta, & putredine resoluta aerem corrumpunt, & pestem inferunt. In specie mumialis conspiratio & confermentatio hic observanda est, ratione cujus inter consanguineos seu eos, qui habent symbolum seu convenientiam, cæteris paribus faciliùs & potentiùs propagatur; unde sæpè integras familias devastat pestis, utut alios homines cum his frequenter conversantes non attingat; sicuti & quædam magis homines, quædam magis bruta afficit: Vid. DIEMERBROECIUS *l. a. Annotat.* 6., ubi annotavit filios in Hollandiæ civitatem, in qua tunc nulla pestis, transmissos, patre ac fratre pereuntibus, at matre lethaliter decumbente, quamvis eluctante, ibi pariter ex eodem morbo decubuisse.

Fundamentum consistere videtur in archeo seu spiritu vitali insito, cui cùm miasma pestilentiale inspiratum arctiùs se junxerit, eatenùs disseminatur & determinatur, ut facilè alium huic symbolizantem, i. e. sibi similem archeum inficere & inquinare possit: Contingit enim, ut pestis saltem determinata affligat bruta, boves, &c.; nam bruta diversa diversos habent spiritus. Rarissimum est, quod pestis humana bruta affligat: quod observandum sedulò; quia in hoc ratio præservationis consistit.

Plures aliæ *aëris alterationes* undecunque natæ ad pestes quoque plùs minùs disponunt: hinc enim morbi maligni populariter grassantes nunc acerbiùs affligunt, nunc denuò remittunt; pro aëris scil. alteratione varia: unde & tales morbi maligni graviùs grassantes, imprimis variolæ, febres petechiales, dysenteriæ epidemicæ, &c. interdum prodromi solent esse admodùm frequentes insecuturæ pestis. De veneficiis pestem inducentibus non opus est, ut multa dicam, cùm exempla passim prostent apud Autores: Confer. GARMANNUS *de Mirac. Mortuor.* pag. 40. & HERCULES SAXONIA *Tract. de Plica Polon. c.* 11.

Quoad *affligendi modum*: pestis, uti superiùs monui, est admodùm varia; non semper enim una pestis, sed diversæ sunt: In genere nunc est cum febre complicata, nunc, utut rariùs, sine febre affligit. Sunt equidem multi, qui existimant, pestem non esse absque febre: Verùm contrariatur experientia: Vid. DIEMERBROECIUS *lib.* 1. *cap.* 12. *Annotat.* 2. HODGES *de Peste Londin. pagin.* 57. SORBAIT *de Peste Viennensi Quæst.* 12. & imprimis BARBETTE *l. a.*, qui, cùm duabus pestibus interfuisset Amstelodami, refert, se multos observasse, quibus citra febrem sub axillis aut propè inguina bubones eruperint, quod satis testatur, illos peste correptos & affectos fuisse: quos ipsos etiam tumores absque febre in peste longè difficiliores esse curatu, quàm reliquos, observavit. Imò in genere *pestis absque febre periculosior est ista, quæ fit cum febre*; febris enim est motus naturæ irritatæ. Dum ergò mox prosternitur spirituum exercitus, ut siderati quasi intereant, & hinc primarium naturæ robur deficiat, absque febre, periculosissimè tamen decumbent ægri. Sæpè licèt adsit febris, tamen est lenta, utut de interno causo conquerantur.

Pro varietate ergò pestis etiam symptomata, quæ ægros affligunt, sunt varia, & in qualibet peste ferè variant. Frequentiùs levis horror corripit peste infectos; hunc insequitur æstus seu ardor intensus: Hic æstus interdum est admodùm insignis, cum siti tamen parva vel nulla conjunctus; è contrà sitis interdum est admodùm ingens, &, uti vocant, clamosa, utut ardor quoad externa sit exilis: Utplurimùm, sive parvus sive magnus sit ardor corporis, lingua percipitur arida seu sicca, urinâ existente sanorum simillimâ: Interdum inclinant ad somnum: sæpiùs tamen caput insigniter dolet, & tunc oculi insigniter rubent, fulgidi sunt & ignei, atque taliter ægri nullo modo somnum capere possunt: Adsunt interdum anxietates cordis, cum pulsu parvo ac debili; à primo attactu pulsus magnus apparet, nihilominùs tamen, ubi vehementiùs paulò applicantur digiti, mox suam parvitatem prodit. Vires imprimis in principio subitò ex toto prosternuntur. Supervenit interdum alvi fluxus, qui nullo ferè remedio sisti potest; quidam sæpiùs vomunt, quidam verò tantummodò ad vomitum inclinant: Multi habent tumores propè axillas, propè aures, & propè inguina, aut in locis, ubi adsunt glandulæ, aut majores, aut frequentiores: quibusdam erumpunt pustulæ rubeæ seu albæ: quibusdam anthraces seu carbunculi, maximè in digitis, naribus, oculis, labiis: quibusdam petechiæ, eæque nigræ, quæ sunt omnium pessimæ, & frequentissimè necant. Plura videantur in BARBETTO, SYLVIO, & DIEMERBROECIO.

DIAGNOSIS.

Signa, quæ futurum pestem innuunt, hæc inter vel maximè consideranda sunt insecta, ubi scil. varia ac multa insecta aliàs insueta, aut admodùm copiosa, observamus in aere. Nam ex his insectis aut portendi, aut etiam inferri pestem, multi existimant Autores. Exempla sunt nota ex KIRCHERO præ cæteris, præter hunc ex RIVERII *Observat.* 10. *morborum infrequentium*, item HILDANO *Centur.* 4. *Observat.* 23. Item observatum fuit sæpissimè, vel bufones crebriores, aut etiam insecta inconsueta aut insolita, aut admodùm frequentia, ita prædixisse pestem, ut sæpiùs insecuta fuerit: an ut causa? an verò ut signum? non disputo. Hæc & reliqua signa prognostica *pestis imminentis* à KIRCHERO *l. a.* assignata, ex. gr. quæ dicuntur de capra, de pane mundo, de aqua Vitrioli crustam contrahente, &c. omnia sunt vana, & saltem simpliciter conjecturæ superficiales; proptereà non ampliùs attingo.

Signa verò *præsentis pestis* etiam non æquè sunt facilia: Nam antequam pestis grassatur, vix ejus signum pathognomonicum haberi potest. Plerumque tamen in omnibus pestium generibus cum signis quibusdam febrium ardentium seu continuarum acutiorum ac periculosiorum concurrere solent bubones, carbunculi, & macularum varietates, uti etiam interdum ulcera maligna.

Quod si verò jam in loco quodam familiariter grassari incipiat pestis, non difficulter cognosci potest ex eo:

1. Quod multos invadat, ac plerosque subitò juguler, in specie cum bubonibus & anthracibus. Vel
2. Quod virium subitanea adsit prostratio, & symptomata facultatis vitalis insigniter læsæ sine manifesta causa: Pulsus subindè in principio appareant magni ac celeres; sed mox fiant parvi, languidi, frequentes, intermittentes, inæquales; in progressu conjungatur febris, calor extrinsecus appareat moderatus, intùs verò fit insigniter ardẽs

Ipsum ægrum peste correptum innuit *nausea sine manifesta causa*, id quod contagii suscepti indicium est: punctiones in locis bubonum, vel in fonticulis: *item* prægressus terror: item capitis dolor sine manifesta causa, vel similis corporis præternaturalis alteratio subitanea: ægri interdum halitum fœtidum exspirant, vel sudant, aut etiam totum corpus malè olet; vel etiam dicunt, in cibo & potu putridum esse odorem, quasi fracidum: dicunt: *Putet*: ægris varii colores subindè ante oculos versari videntur, qui vel deliria, vel certè epilepsiam innuunt; tunica enim retina convellitur, qui spasmus mox continuatur ad

reliquum

reliquum systema. Ego observavi in aliis febribus malignis, si ægri non possunt discernere colores, imminere convulsiones. Observavi quendam febre malignâ petechiali laborantem, qui dicebat: me indutum esse cæruleâ veste; prædicebam de epilepsia lethali, quæ subsecuta est in meridie. Et denique si grassante peste æger sentiat in locis bubonum, ver. gr. sub axillis, circa parotides, aut circa inguina, *puncticulam* seu puncturam, *plures vel pauciores*, vel etiam unicam, instar aciculæ candentis, tunc solet esse infallibile pestis signum, tùm temporis, ubi aliàs eadem grassatur: & LINDANUS dicit: nunquam eum fefellisse, si nempe alia conspiraverint, qui tamen tribus pestibus interfuit. Quando igitur tale quid in bubonibus fit, statim oportet evocare, quia punctio illa est conatus naturæ, volentis hoc deponere venenum. Quæ ipsa confirmantur ulterius, si præcesserit metus vel terror, & conjungitur capitis dolor insignior, vel similis præternaturalis substantiæ corporis alteratio.

Chronologiam pestium insignium à diluvio ad nostra usque tempora videbitis in PIENS *de Febribus Par.* 2. *pagin.* 189.

PROGNOSIS.

Quoad signa prognostica: in *prognosi* cautus sit Medicus, utut minùs possit in peste errare, quàm in febribus malignis, ex eo, quoniam sæpissimè peste infecti moriuntur. Pestis enim omnis acutissima, & periculosissima est: interim sua est inter illas differentia. Quædam enim magis, quædam minùs acuta est: est pestis, quæ intra 24. horas, quædam intra 2. vel 3. aut 7. dies noctesque jugulat: intra quartum summum est periculum.

Sanè si ullius morbi, certè pestis incerta est prognosis, ita, ut JOHANNES MORELLUS *de Febrib. pestil. cap.* 5. „in hæc verba erumpat: *Fit, ut in peste nos fallat sen-* „*sus, fallat ratio, fallant Hippocratis Aphorismi; &* „*ut ipse puto, in his falleretur Hippocrates; quatenus nec* „*mutationes criticæ, diebus criticis incidentes, nec urina &* „*pulsus laudabilis aliquid certi promittunt, sed potiùs fal-* „*laces sunt*. Vid. DIEMERBROCIUS *l. a. capit.* 15. §. 1. & *Annotat.* 1. SENNERTUS *de Febribus pagin.* 419. HODGES *de Peste Londinensi pag.* 163. & THOMSONIUS *Experim. Admir. pag.* 20. Saltim observandum, quod scabies tempore pestis sit salutaris; item lue Venereâ correpti, aut qui laborant affectibus melancholicis, minus solent affligi, vel afflicti minùs solent periclitari, vel planè non peste affligi, uti rectè hoc observat FORESTUS *lib.* 6. *Observat.* 24. In talibus enim peccat acidum. Pestem tamen libenter sese lui Venereæ associare asserit HODGES *de Peste Londinensi*.

Porrò ii, qui ob pestis horrendum metum, vel post exercitationem nimis vehementem, peste corripiuntur, in vitæ periculum adducuntur, licet maximè sedulò curentur, uti observavit GABELCHOVERUS *Centur.* 5. *Curat.* 71.

Tumores, bubones, & carbunculi, si citò & confertim erumpant cum symptomatum levamine, salutarem promittunt eventum.

Bubonaria pestis quocunque in loco erumpat, est omnium mitissima & securissima, & tutior istâ, quæ cum *anthracibus* conjuncta.

Pessimæ omnium ac lethales dicuntur pestes petechiales, quæ petechiis corpus inquinant, cujus maculæ in stigmata facilè abeunt, ac ferè semper symptomaticæ existunt: Vid. HODGES *pagin.* 143. DIEMERBROCIUS *lib.* 1. *cap.* 15. *Annot.* 33. & THOMSONIUS *Experim. Admir. pag.* 21.

Pustulæ seu vesiculæ pestilentiales pisum majus, aut fabam minorem ad summum æquantes existunt cum dolore lancinante & exquisito, humore intus seroso utplurimum citrino, imò livido, & ad suppurationem inepto, modò plures, modò pauciores: alias prodeunt sine ullis ferè symptomatis, aut certè levioribus, omniumque mitissimam fovent pestem, vel quæ venenum mox secedere patiatur, vel quæ crasin firmiorem offendat; quibus fœmellam totam scatentem vidit HODGES *pag.* 120., quamvis idem *pag.* 121. & BARBETTE *pag.* 33. easdem aliquando in carbunculos degenerare annotaverit.

Stigmata. Germ. *Die Pfefferkorner*, id est, *grana piperina*, certissima mortis signa observantur, suntque nihil aliud, quàm minutissimæ ac discretæ siderationes, quarum radices intrinsecæ latiores quasi in pyramides assurgunt, & habitum mortificant: imò etsi non rarò sine ullis ac gravioribus symptomatis compareant, nihilominùs enecant, prout exempla ab HODGES *pag* 144. & 145. allegata docent, nisi superficiaria admodùm, & quibus aliquid sensibilitatis remansit.

Vibices diversi coloris nunc solitarii apparent, nunc carbunculis adjuncti sunt; utrique tamen pessimi moris observantur, imprimis, si sine febris incremento albescant.

Carbunculi, quamvis indigitatis vibicibus minoris periculi sint, bubonibus tamen utplurimum pejores observantur; quatenus non tàm gangræna videatur in fieri, quàm in sphacelum degenerans.

Præterea sicut bubones plures & boni coloris paucioribus sunt magis salubriores; ita carbunculi, quò plures, eò res est periculosior.

Si per *sudores* largiores materia discutitur, bonum signum; si verò frigidus sit sudor, aut etiam extrema frigida, in specie nares, est malum.

Tumores delitescentes & imperfectè erumpentes, seu, uti vocantur, ad interiora recedentes, summum vitæ periculum portendunt.

Eminentibus bubonibus seu exanthematibus superveniens *singultus*, malum est periculosum.

Anthraces qui erumpunt in digitis, utut videantur tutiores; propter nervos tamen ac multos concurrentes tendines periculosiores sunt, quàm in aliis partibus carnosis.

Si super *bubonem* erumpat *anthrax* seu *carbunculus*, lethale est signum, præsertim in locis tendinosis.

Si bubones & anthraces ante febrem erumpant, minus est periculum, quàm si post febrim denuò appareant.

Tumores aliquantisper *inflammati*, unà cum circulo rubicundo inflammatorio, cæteris paribus non sunt adeò insigniter periculosi; ubi verò eos circumdat *circulus* plumbeus seu *lividus*, gangræna pessima imminet, & sæpè ægri ante biduum intereunt.

Cantharides vel vesicatoria applicata super bubones, si excitant amplam vesicam, bonum est; sin verò non excitant vesicas, audacter pronunciandum, ægrum difficulter convaliturum. Infallibile hoc est in omnibus morbis.

Si post applicatum vesicatorium & apertum, vel etiam post cauterium actuale, intra 12. vel etiam ad summum 24. horas anthracis augmentum seu ejus progressus ad vicina non potest cohiberi, æger interit. Id quod etiam fit, quando *post cauterium*, sive potentiale sive actuale, applicatum *locus aridus* & siccus permanet; sicut in moribundis fontanellæ non effluunt.

Si eschara excitata sit candida, infallibile signum mortis est; sicut & quibus fontanellæ in prima morbi invasione exarescunt: Vid. DIEMERBROCIUS *l. a.* §. 27. & *lib.* 4. *Hist.* 51. Sin verò applicato cauterio erumpant pustulæ vel vesiculæ, quò majores, eò melius; & si postmodum conveniens & laudabilis materia in illis generatur, æger erit extra periculum.

Anthrax aut carbunculus *cum vibice*, communiter flavo vel rubeo, est admodùm periculosus: quod si verò vibex albescat, cærulescat, aut livescat, citra febris decrementum, pauca spes salutis superest.

Si bubones in collo aut propè aures inducant *dolores gutturis*, & deglutitio citra insignem internam inflammationem impediatur, tunc patiens vix ultra 12. vel 15. horas supervivet.

Febris insignis citra anxietatem cordis minus periculosa est, quàm cordis anxietates citra insignem febrim.

Quò arida magis & sicca est lingua, eò magis imminet periculum: Vid. BARBETTE *de Peste pag.* 9.

Mox insignis in principio virium prostratio, crebra animi deliquia, cordis palpitationes, & præcordiorum anxietates compressivæ, lethalia utplurimùm sunt symptomata.

Delirium in peste cum oculis igneis & lingua arida, squalida, pravum est signum.

Pulsus in principio inæqualis valdè & intermittens, semper ferè lethalis est.

Sopores in principio ac statu semper lethales sunt: Vid. DODONÆI *Prax. lib.* 1. *capit.* 18. DIEMERBROCIUS *l. a. Annotat.* 6. & HODGES *pagin.* 163. Et rarissimum est, ut tunc cum surditate parotides salutares prodeant.

Sin-

Singultus, utpote qui utplurimùm à carbunculo ventriculi ac diaphragmatis videtur ortus, lethalis: Vid. DIEMERBROCIUS *cap.* 13. §.5. *& 6. cap.*15. *Annot.*15.

Vomitus pertinax, seu qui per tempestivum & legitimum alexipharmacorum usum sedari non potest, utpote qui similiter carbunculum ventriculi pro causâ agnoscit, lethalis est.

Suppressio alvi rarò sine omni salutis spe solet esse; è contrà diarrhæa, præprimis in principio, summum minatur periculum: vid. DIEMERBROCIUS *libr.* 2. *capit.* 15. *Annotat.* 16. *&* 17. & HODGES *pag.* 157.: imprimis, si excrementa varia, nigra, viridia, & insigniter fœtida rejiciuntur.

Vrina crassa, turbulenta, ac enormiter fœtida; item pinguis, nigricans, aut hypostasin lividam deponens, non sine periculo est: Vid. SENNERTUS *pagin.* 419. DIEMERBROCIUS *l. a.* §.21. *&* 23. ac HODGES *pagin.* 162.

Sternutationes crebriores mortis sunt prodromi, secùs ac RIVERIUS *de Febribus Pestilent.* asserit. Vid. DIEMERBROCIUS *l. a. Annot.*7.

Motus artuum ac *linguæ tremuli* ac *convulsivi*, nec non *vigiliæ*; item *raucedo* & dolor gutturis sine tumore, aphthis, similivè causa evidente, certissimum mortis imminentis signum observantur: Vid. DIEMERBROCIUS *l. a. Annotat.*10. Nec non *anhelitus fœtor* enormior: Vid. *Fracastorius de morbis Contag. lib* 2. & DIEMERBROCIUS *l. a. Annot.* 12. Similiter, si æger omnia sibi fœtere dixerit: Vid. SENNERTUS *de Febribus pag.*420.

Si propinatis sudoriferis ægri parùm vel nihil sudant; si sudores mox in principio morbi sine euphoria promaneant; si justo ferventiores, aut frigidiores, aut fœtoris cadaverosi sint, facillimè interire possunt; utut sudores aliquantùm graveolentes, interdum salutares sint: Vid. HODGES *pagin.*158.

Hæmorrhagiæ semper ab omnibus Medicis tempore pestis statuuntur periculosæ, imprimis per vesicam & sputum: Vid. DIEMERBROCIUS §. 24. *&* 25. & BARBETTE *l. a.*, utut hic narium hæmorrhagiam ac mensium fluxum, utplurimùm etiam mictum cruentum, salutares annotarit.

Gravidis, *puerperis*, *vel abortientibus*, si peste corripiuntur, multum periculi imminet, & plerumque pereunt. Sed, qui per nares habent legitimam hæmorrhagiam, aut quibus supervenit mensium fluxus, iis subindè convalescunt: quibus verò supervenit mictus vel alvi fluxus cruentus, subitò intereunt.

Interdum fit, ut *anthraces* oriantur *in oculis*, *in naribus*, *stomacho* & intestinis, idque citra spem vel minimæ convalescentiæ.

Anthraces etiam oriuntur in *vesica vrinaria*, & tunc ægri cum summis torminibus intereunt.

Quidam tanquam certum hoc habent experimentum prognosticum in peste: sc. *projiciunt lac mulieris*, lactantis masculum, *in urinam peste infecti*; unde, si cadat in fundum, ante sextum vel septimum diem ægros interire; si verò non cadit, dicunt, eundem supervivere. Sit fides penes experientiam.

C U R A.

Quoad *curam* in peste, duo sunt observanda:

1. Ut curetur corpus ab insultu.
2. Ut curetur jam peste infectus homo.

Præservativum propriè dictum & optimum est fuga, eaque cauta, cita, longa, & tarda: Fuge, citò, Recede longè, tardè Redi. Sed hæc præservatio non semper est licita, interdum contra conscientiam & rationem, & sic proditur propria inscitia. Unde inter Medicos & Politicos disputari solet, an domus infectæ occludendæ, ac homines infecti sequestrandi? Multi negant ex sequentibus rationibus:

1. Quod ægri à societate liberiori præscripti maximè consternantur.
2. Sani cum infectis orci faucibus exponantur: Et
3. Quod vicini arceantur, a quibus tamen nihilominùs infecti consilium & solatium expectare possunt.

Verùm, sicut pars corrupta amputari solet ac debet, ne pars sincera trahatur; ita non melior est præservatio, quàm tempestiva sanorum ab infectis seclusio; cùm aliàs infectorum malitia & fraudulentia vix coërceri possit.

Tempestivè ergò, & maximè principio, ædium infectarum separatio hæc & exclusio prudenti cum regimine instituenda erit; aliàs, si contagium hoc propter moras se jamdum latiùs explicuerit, occlusio hæc respectu tanti periculi impar esset remedium, nec ærarium publicum sufficeret pro tanta segregatorum & occlusorum multitudine sustentanda. Simul tamen contagio infectis & inclusis de alimentis, medicamentis, aliisque necessariis prospiciendum est, ne fame potiùs quàm peste pereant: nec sani cum ægris secludendi, sed firmiores & sani extra urbem ædificio, ab omni contagio libero, ad certum tempus excipiantur, antequam ipsis in publicum prodire concedatur; semovendo interim pariter illicò eos, qui contagio forsan afficiuntur.

Præterea cùm pestis afflictio in duobus consistat, nempe in causa agente, i. e. in malignitate ubique grassante, secundò in subjecto patiente seu corpore humano, malignitatis insultus sustinente; propterea genuina præservatio consistit in duobus:

1. In causæ malignæ averruncatione & vitatione.
2. In subjecti patientis ad resistendum malignitati roboratione, seu impeditione, ne contagium malignum suscipiat, h. e. ut loquitur HELMONTIUS *de Xenechtho*, h. e. amuleto; quod debet tollere appropriationem & adaptationem mumialem, extra quam nulla fit contagii susceptio; vel spiritum nostrum vitalem roborant, ne per metum aut terrorem afficiatur, & in contagio mumialem dispositionem delent, hinc massam sanguineam alterant, & certo quasi balsamo condiunt, sic symbolizatio mumialis hoc ipso imminuitur.

Scilicet non adeò promiscuè in quosvis grassatur pestis, quin certas familias, certum sexum, certam ætatem, certos homines, &c. saltim affligat graviùs: Conf. BOYLE *suspic. de aeris qualit. pag.* 34. item VELTHUSIUS *de Liene pag.*171.

Pro quibus sceplis notandum est: quòd jejuni faciliùs à peste, uti etiam à morbis malignis, afficiantur; quod etiam in metalli fossoribus observatur; item qui in Antimonio, vel Mercurio occupati sunt. Ideoque jejuni non simus; sed semper, antequam exeamus domo, sumamus aliquot buccellas panis cum butyro & ruta, & assumamus haustum vini absinthitis bonum, vel alium medicatum, vel, quod melius est, præcipiunt quidam haustum vini Rhenani aut alius generosi camphorâ impræegnati, i. e. sumatur camphoræ quantitas pisi, eaque leviter accensa immittatur haustui vini, ut supernatando successivè comburatur; sin extinguatur, denuò accendatur, pergendo, donec tota consumpta sit; hoc enim modo vinum redditur camphoratum, quod, antequam exeamus, hauriamus. Est enim vinum veneno pestifero contrarium, adeòque singulare pestis præservativum, partim ratione acidi generosi, nostro corpori amicissimi, partim quod animosos & minùs pavidos & meticulosos reddat, adeòque graves animi affectus & curas ad pestem disponentes pellat, si nempe ingurgitetur ad aliquam mentis hilaritatem: Vid. WILLISIUS *de Febribus*, *ubi de Peste*. Semper autem addatur camphora, quia hæc in peste est optima. Vinum Hispanicum magnis encomiis extollit HODGES *de Peste Londin. pagin.*228. 233. 243. & DIEMERBROCIUS *l.* 2. *cap.*6. *Annotat.* 14. Potest etiam fieri vinum medicatum infusione vegetabilium aromaticorum alexipharmacorum, *nunquam omittendo myrrham & camphoram*, & tale vinum medicatum hauritur singulis mane, antequam exeamus. Sic pestis & febrium malignarum præservativum optimum est salivæ exspuitio, quamdiù nimirum nobis in loco affecto, vel cum personis ac rebus aliis suspectis, res est: Vid. M. A. N. C. *Ann.*9. *&* 10. *Observ.* 170.

Purgantia ad præservationem nil valent; sed si adhibenda, sint rara, parca & cauta, ne sæpiùs vires debilitentur, & massa sanguinea ab ipsis exinde vitietur. Ergò illa propriè sic dicta fugiamus, & mitissima demus. Ubi opus est laxatione, præscribendus est haustulus BARBETTE *Tract. de Peste pag.*003., cujus hæc est formula:

℞. *Rhabarb. elect.* ʒj ß.
Fol. senn. sine stip. ʒij.
Crem. Tartari ʒß. vel ʒj.

Rad.

Rad. scorzon. ℥ß.
Sem. anisi drach. ß.

Infunde per *noctem* in *Aqu. card. ben.* manè coqu. ad dissolut. *Tartari*:

Colaturæ ℥ iij. adde
Syrup. de cichor. cum rhab. ℥ vj.
Spiritus salis parum.
Confect. alcherm. ℈ j.
M. f. Haustulus.

Potus spirituosi simplices tales, ut *Brandwein*, ut & in specie Aquæ vitæ theriacales, Aqua theriacalis aromatica, Aquæ apoplecticæ, & ipsæ compositiones theriacales solæ, ut Theriaca, vel Mithridatium, non adeò sunt convenientes in pestis præservatione, quia ad phlogosin disponunt; Unde si talibus subjectis supervenerit pestis, ardentibus admodùm corripiuntur febribus, & in his pertinacia admodùm inducunt deliria: Aut ergò parum sunt usurpanda talia, aut intermistis acidis temperanda, monente SYLVIO.

Fonticuli corpori insiti sunt unum ex optimis præservativis, quos omnes Autores, pariter & experientia, comprobant: Vid. præ cæteris PRIMEROSIUS *lib. 4. de febribus cap. 10.* HILDANUS *Centur. 4. Observat. 23.* RIVERIUS *in Observat. communicatis*, HORSTIUS *in Observat. pagin. 359. & 360.* BARTHOLINUS *in Actis Med. Haffniens. Volum. 4. pagin. 152.* aliique. Confirmat hoc ipsum etiam LINDANUS, qui optimo consilio dicit: *Nil „melius esse ad præcavendam pestem, quàm fonticulos: „Avunculus meus*, dicit, *vixit in Maro eo Affrica, ubi suo „tempore, spatio 5. septimanarum, 85000. hominum fue„runt à peste interempti: ipse se præservavit, & suasit Iu„dæo Medico, ut inureret fonticulos, unde omnes ii, qui„bus excitati fuerunt fonticuli, manserunt liberi ac immunes. „Ipse expertus sum*, pergit LINDANUS, *fonticulorum in„signem usum, ipsis, qui inscii ad infectos, aut locum infe„ctum accedant, statim puncturas, & quasi morsicationes in „fonticulis persentiunt, quo ipso percipiunt, locum esse pe„ste affectum*. Idque etiam confirmat HODGES *de Peste pag. 241.* Unde ratum est, quod interdum fallat, sicut contrarium habet HOCSTEDTERUS *Dec. 7. Cas. 2. pagin. 2.* & *Cas. 31.*, qui observavit nonnullos, quibus fonticuli inusti, & tamen in peste demortui sunt: de quo vid. etiam HORATIUS AVGENIUS *lib. 3. Præservat. pestilent. cap. 35.* FRIDERICUS *Von der Meye de Peste Bredana*, & THOMSONIUS *in Epilogismo*.

Præservatio ipsa in specie instituitur vel per medicationem aëris, vel per medicationem corporis. *Aërem medicare solemus* per suffitus, ut nempe fœtedo ista aëris inquinata corrigatur & tollatur, ubi suaveolentia, ut Moschus, Zibethum, &c. minùs conveniunt: Vid. DIEMERBROCIUS *lib. 2. cap. 2. Annotat. 9.* Quin potiùs sulphurea, nitrosa, & omnia acida pro aere medicando sunt aptissima, quæ isti putredini resistunt; unde etiam talia miasmata exhalentia solent destruere. Sic *sulphur accensum* insigniter aërem corrigit; si adjungatur nitrum, est eò melius: hinc *pulvis pyrius*, qui constat ex nitro & sulphure, accensus est unum ex optimis remediis pro corrigendo aere, in ædificium inflatus. Unde etiam optimo consilio commendantur crebriores tormentorum bellicorum, pulvere pyrio probè infarctorum, explosiones super civitates, *absque globulis*. His tamen, nempe sulphuri & nitro, & alia subjecta sulphurea addi possunt, succinum, benzoe, baccæ juniperi, thus, pyx, myrrha, camphora, ac galbanum, & similia sulphurea. Pix, ut notum est, fuit secretum HIPPOCRATIS pro aëre corrigendo. Confer. hic KIRCHERUS *in Scrutinio de Peste pag. 362.* & HELMONTIUS *in Tumulo pestis*: exempl. gr.

℞. *Antimonii pulveris.* ℔ ij.
Nitri ℔ j.
M. f. Pulvis grossus. S.

Pulvis fumigatorius ad suffitum in domibus faciendum.

℞. *Nitri* ℥ viij.
Sulphuris ℥ ij.
Myrrh.
Succini an. ℥ j.
M. f. Pulvis grossus.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Sulphuris* ℔ j.
Olibani ℔ ß.
Myrrh. ℥ j.
M. f. Pulvis grossus:

Cujus ℞. p. j.
Bacc. junip. part. ij.
Succini part. ß.
M. D. S. *ut suprà*.

Præterea etiam vitriolum, alumen, nitrum, sulphur, & in specie horum spiritus superfusi lateribus ignitis, insigniter aërem corrigunt: item acetum tam simplex, quàm rosaceum, & rutaceum, vel acetum vitriolaceum *Angeli Sala* affundatur lateri ignito, ut fumus exinde exurgens corrigat aerem, purificet vestimenta, & domus peste infectas: Vid. VALLESIUS *de Epid. c. 19.*: Vel aceto rutaceo addatur vitrioli q. s. & hoc ipso dicto modo suffitus instituatur: Vel viride æs maceratur in aceto, quo lateribus candefactis manè, meridiè & vesperi affuso, aer corrigatur: In quibus omnibus tamen *camphora* subinde addenda venit. *Trochisci* efficaces, sed paulò suaviores, pro fumo possunt parari ita:

℞. *Nitri* ℔ j.
Sulphuris ℥ iij.
Benzoes,
Styracis simul liquati an. q. s.
Ut formentur trochisci, sub usu carbonibus ardentibus injiciendi: S.
Trochisci.

Fœtores & odores graviores atque ingrati, nempe hircorum, quos GRULINGIUS *de Peste p. 24.* commendat, cloacarum, stercorum, jumentorum, & porcorum exhalationes seu fœcedo à CARDILUCIO *de Peste pag. 65.* & *Append. cap. 5.* magni æstimatæ; cornu quoque, imprimis hircini & ungulatum equinarum, suffitus, hincque suffimentum de cornu hircino *Mynsichtii* moderatè, & non nisi sub personarum selectu admittantur, cùm præter vim miasmata pestilentialia enervandi, spiritus animales simul figant & obfuscant: Vid. DIEMERBROCIUS *de Peste l. 2. cap. 5.* Non inepti sunt, qui lac calefactum in conclavi suspecto reponi jubent; hinc enim fieri, ut infectio omnis lacti se insinuet, ita, ut crusta viridiuscula lacti supernatare appareat: Vid. KIRCHERVS.

Medicatio corporis in præservando fit per remedia vel externa, vel interna. *Interna* sunt imprimis *acida*, & hinc *sulphurea*: Vnde SYLVIVS à posteriore concludit, causam pestis & reliquorum morborum acutorum esse sal acre; quod obiter moneo.

Acida volatilia ab omnibus Autoribus commendantur in præservando corpore à peste: unde præter vinum acidum, commendantur inter fructus, aciduli imprimis, citrus, berberes, ribes, & similes; item cydonia, & aurantia, exque his parata varia. Reliquis verò præfertur *acetum*, in specie aceta theriacalia ex simplicibus alexipharmacis, præsertim diaphoreticis, e. g. Zedoariâ, radice contrayervæ, cinnamomo, Zingibere, radice petasitidis, scorzoneræ, serpentariæ, floribus calendulæ, rosarum, &c. infusa, quæ, sive cum sive sine theriaca parata fuerint, egregium sunt præservativum. De talibus manè cochlear unum vel alterum, jejuno stomacho vel post jusculum assumatur, præservationis gratiâ. Talia sunt acetum bezoardicum KIRCHERI *de Peste pagin. 176.* TIMÆI *in Cas. 32. l. 8. p. gin. 393.* & aqua prophylactica Belgarum, quam SYLVIVS & BARBETTE in Peste Amstelodamensi felicissimè usurparunt.

Sanè *acetum* solum, in quo soluta camphora, vel rob juniperi, vel infusa myrrha, vel sola, vel *baccis juniperi, myrrha, Zedoaria, carduo benedicto*, & paucis aliis selectis adhibitis, instar mille aliorum compositionum sufficiunt pro præservatione, quibus semper tempore usus s. q. camphoræ vel spiritus Vini camphorati addenda est. Vel

℞. *Acet.* infus. Theriacæ; huicque post filtrationem addatur camphora.

Vel

℞ *Baccar. junip.* vel *heder. arbor.* part. iv.
Myrrh. part. j.

Infund. in *aceto*: hinc filtretur & impregnetur cum camphora.

Hoc erit præservativum & alexipharmacum nobile, omnibus compositis Theriacalibus præferendum.

Vel Theriaca q. v. assumatur in vehiculo aceti, additâ myrrhâ & camphorâ, pro præservatione.

Et sanè compositiones theriacales nunquam usurpandæ sunt, nisi in vehiculo acido, aut aceto. De virtute aceti alexipharmaca & præservatoria, præter SYLVIUM *Tract. de Peste*, vid. BARTHOLINUS *Centur. 4. Histor. Anat. 13.*

Post acida sunt *sulphurea*, tàm mineralia quàm vegetabilia,

lia, balsamica, vel corpus defendentia. Hæc inter eminet sulphur commune, quod est τὸ θεῖον, quò curavit HIPPOCRATES pestem: vid. HELMONTIUS: sulphurisque flores legitimè sublimati. Cum pulvere sulphuris si miscere quis myrrham & camphoram velit, erit pulvis eò convenientior in peste: vid. in KIRCHERO *sulphur bezoardicum* egregium, præscriptum in peste: hinc sulphur, & omnia ex eo parata ab HIPPOCRATE, HELMONTIO & KIRCHERO & aliis omnibus laudantur in præservatione. Quibus etiam annumerandum venit succinum pulverisatum, vel solum, vel cum aliis in vehiculo acido mistis, & assumptum; singulare enim pestis est præservativum, interno & externo usu: nam quanta succini septem planetariis pulsibus, nimirum utrisque temporibus, carpis, malleolis, & sinistræ mammæ affixi, & ejus olei sit vis amuletica contra pestem, docet HELMONTIUS *in Tract. Magnetica Vulner. Curat.* §. 37. & *in Tumulo Pestis*. Certè sulphur, succinum, myrrha, & camphora reliquis fere præcellunt: Conf. SORBAIT *de Peste Quæst.* 24. Nam camphora omnibus alexipharmacis in peste palmam præripit: de quo plura inferius: undè & Elixyr propr. cum spiritu sulphuris plus solito acidulatum egregiè convenire solet; vel fiant composita præservativa:

℞. *Flor. Sulphuris* ℥iii.
Myrrh. el. ʒii.
Aloes ʒi.
Croci ʒß vel ℈ii.
Camph. ℈i. ad ʒß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis præservans.

De quo omni manè assumatur ʒß. in aceto simplici, vel rutaceo, pro præservatione.

Ex hoc varia fieri possunt remedia. Cum addito sacharo q. s. f. *Bolus præservativus*: Cum succo & conserva pulpæ citri largiter f. *Electuarium præservativum*, cujus dosis ʒj., vel *quantum cultelli cuspis capit*, vel quantitas castaneæ: Cum addito aceto usus tempore semper agitando potest fieri acetum præservativum.

Tinctura bezoardica seu Mistura simplex, ratione spiritus vitrioli in debita dosi assumpta, etiam præservationis loco usurpari potest. Hisce etiam opium addendum venit, quod spiritus figendo, & animi pathemata nonnihil coercendo, inter præservantia non ultimum meretur locum; hinc & theriaca, mithridatium, electuarium de ovo, vel, quod his præfertur in præservatione, electuarium diascordii Fracastorii, & similes opio divites compositiones in vehiculo acido, in specie aceto medicato, vel aceto vini simplici assumantur.

Parantur quoque morsuli præservativi: e. g.

℞. *Conserv. pulpæ citri* ℥j. vel ℥jß.
Theriac. Androm. ʒij. vel ʒiij.
Terræ sigill.
Corn. Cerv. sine igne,
Antimonii diaphor. an. ʒij.

Cum s. q. *sacchari in aqu. scord.* solut. f. Morsuli, irrorandi tempore usus cum aliquot guttis *Oleo destil. pestilent. Heinsii.*

D. S.
Morsuli præservativi.

℞. *Corn. Cerv. sine igne,*
Terræ sigill. an. ℥jß.
Bezoard. anim. ʒj.
Sacch. Saturni ℈ii.
Fl. sulphuris ʒiij.
Elect. diascord. Fracast. ʒvj.
Camph. ʒß.

Cum s. q. *sacchari in aqu. angel.* sol. f. Morsuli, irrorandi cum *olei pestil. Heinsii.*

D. S. *ut antea.*

Quò etiam pertinent Electuaria & Morsuli præservativi *supra, ubi de febribus malignis*, præscripti.

Denique saccharum Saturni à gr. iv. v. vel vj. vel viij. ad ℈ß. etiam singulare à morbo Saturnino seu peste & febribus malignis habetur præservativum & curativum, crebrò usurpatum, quo aliquot mille personæ Augustæ Vindelicorum in peste præservatæ dicuntur. Si additur camphora, magis tutum erit. Cautè tamen usurpanda, ne nimio ejus usu, propter volatilitatem, malum acceleremus.

Pauca hæc sufficiant ad præservationem internè.

Quod attinet externam corporis medicationem: fit per linteum aut spongiam, aceto vel simplici, vel theriacali, aut spiritu Vini camphorato imprægnatam, naribus subindè admovendam, omnibus pomambris, balsamis, oleis, linimentis, reliquisque suaveolentibus præferendam; vel ad imitationem ZWELFFERI *Pharm. Reg. pag.* 137. fiat pyxis tornatilis perforata, cui indatur spongia, aceto bezoardico madida, & admoveatur naribus, quibus *camphora & myrrha addi* possunt pro lubitu. In ore masticetur radix Zingiberis vel Zedoariæ, quæ præfertur reliquis in præservatione à peste, aceto nonnihil imprægnata; item metalla tractantibus & effodientibus multùm commendatur. RULANDUS *Tr. de morbo Ungarico* experimentum fecit in febre Hungarica præservanda. Quò facit, quod SCHENKIUS *in Observ. l. 6. pag.* 793. ex FALLOPIO refert: nebulones, qui inservierunt peste correptis, non præservasse corpora sua, nisi Zingiberis & Zedoariæ esu, ea ore masticando: Masticarunt manè Zingiberem, posteà ebiberunt haustulum vini generosi, & totâ die habuerunt Zedoariam manducando. Commendantur præ cæteris etiam radices angelicæ, helenii, imperatoriæ, cortices citri in aceto macerati, cujus aut radicis alius maceratæ semper frustulum in ore detineatur, & subindè masticetur. Acetum camphoratum sæpè in ore detineatur, & subindè masticetur continuò myrrha & mastix; uti etiam *trochisci* sublinguales cum tragacantha in aceto soluta, *ex myrrha & camphora* fieri possunt, qui in ore continuò volvantur; vel myrrha in aceto soluta incrustetur cum saccharo, & cum mucilagine tragacanthi fiant trochisci; vel saccharum teratur cum corticibus citri vel aurantiorum tenuissimè incisis, sic illud sub tritura imbibit oleum:

℞. Cujus *sacch.* ℥j. ad ℥ij.
adde
Myrrh. ʒj.
Camph. ℈j.
Cum *mucilag. tragac.* f. Pastilli:
irrorandi cum
Ol. destill. succ. gutt. x.
Cort. citri gutt. vij.
Angel.
Zedoar. an. gutt. vj.
D. S.
Pastilli præservativi.

Quod ipsum omnibus Electuariis oleosis saccharatis præfero, radici Zedoariæ, corticibus citri, ac quoque costo aromatico vero, licèt hæc aliàs insignem usum habeant, quod scil. masticata debeant præservare ab infectione.

Quod si quis prætereà tempora, carpos, &c. præter alia, præcordia oleo aut *balsamo* illinire velit, is balsamum apoplecticum paulò copiosiùs cum camphora imprægnet; vel oleum destillatum baccarum juniperi societur probè cum camphora. Vel

℞. *Ol. destill. bacc. junip.* ʒij.
Angel.
Cort. citri,
Rutæ,
Succini an. ʒj.
Camph. ℈j. ad gr. xxiv.
M. D. S.
Balsamus præservans contra pestem.

Et dicto modo usurpetur.

Sunt qui appensis seu *amuletis*, quæ Idiotismo Paracelsico Xenechtha vocantur, multum tribuunt, imprimis globulis ex arsenico metallico cum albumine ovi & gummi tragacanthi confectis, & similibus. Sed cauti simus in his, ne periculosa adhibeantur; arsenicalia enim cruda non tantùm escharam in cute, sed & internè gravissima inducunt symptomata. Præ cæteris egregius est *magnes arsenicalis Angeli Sala*, egregium amuletum, in quo arsenicum fixum & potenter correctum est. Faciendum ergò tale amuletum:

℞. *Magnet. arsenic* ʒj. vel ʒiß ad ʒiij.
Benz. cum *spiritu Vini solut.* & ad debitam consist. evaporat. q. s.

F. Rotulæ majusculæ, quæ sindone rubrâ inclusæ circa regionem cordis appendantur.

Item Mercurius vivus probè depuratus, & cum fumo Saturni calcinatus, qui in placentulas seu trochiscos formatus ʒii. pondere in sacculo amuleti instar appendatur: Confer. HOEFERUS *Herc. Med. pagin.* 104. Fumus Jovis hoc etiam præstat: vid. POTERIUS *in Pharmac.* Nota etiam est vis bufonum, & quantum hi valeant in curanda & præservanda peste; sive ad HELMONTII methodum *de Tum. Pest. pagin.* 76. formentur trochisci ex ipsis bufonibus, pedibus posterioribus suspensis, eorumque

vermi-

vermiculis rejectis, cum cera & tragacantha, pro amuletis appendendi. Cum HELMONTIO conf. ZWELFERUS *in Pharmac. Regia*, ubi hoc confirmat, quod ille habet. Alii ex ossibus bufonum vel etiam bufonibus integris, ichthyocollâ exceptis, ad collum gestandum amuletum parant, veneni attractivum & præservativum. Alii bufones integros contusos coquunt in aceto rosaceo & rutaceo, materiam cum mucilagine tragacanthi redigunt in trochiscos, qui collo appenduntur: vel ipsemet bufo simpliciter tempore Junii & Julii per caput transfossus vel suspensus, & ita arefactus, pro amuleto cordis regioni appendatur.

Cæterùm notandum hîc: rarò bufones cantarellos vomere, nisi illi fuerint vel grandiores vel seniores: interim verum est, quod HELMONTIUS refert. Si enim per anatomen bufonem examinamus, reperimus in stomacho, & imprimis in intestino colo, revera tales muscas seu cantarellos, quales ipse describit, & hi in ventriculo sunt integri, in colo verò attriti, & ab his derivanda est vis diuretica in sale bufonum: sive autem evomant cantarellos, sive non, contusi vel solitariè, vel cum cera & tragacantha formati in trochiscos, & ita de collo suspensi, erunt amuletum optimum.

Verum à quodam experto Medico mihi narratum fuit, quoad bufonum applicationem faciendam distinctionem pestis: Si sit pestis, quæ oritur ex gas terrestri seu sylvestri, ex terræ mineris exhalantibus, in tali peste convenire amuleta ex bufonibus; quoniam bufo tanquam alimentum attrahat tale gas sylvestre: ubi verò sit pestis ex vitioso siderum influxu, aut ex perverso aëre citra gas sylvestre aut terrestre, optimum remedium esse in araneis, utpotè quæ vitia aeris attrahant: In peste ergò terrea amuleta bufonum, in aërea amuleta aranearum, convenire.

Hæc de præservatione pestis pauca, sed sufficientia. Pergo ad

CURAM.

Ipsius pestis *curationis cardo* in eo consistit, ut miasma venenosum ab extra in massam sanguineam & spirituum consortium receptum, potenti sudorifero foras excludatur. Methodum hanc medendi suggerit ipsa natura, quæ curatura pestem deponit venenum, & per hoc corruptam materiam, ob veneni tamen atrociam simul corrumpentem, in bubones & carbunculos, necnon maculas; idque quasi criticè, & ita pestem curat, quia venenum extra corpus eliminat. Totius ergo curæ cardo consistit in legitimo sudoriferorum usu & applicatione; adeòque si peste afflicti curandi, invocato Divino Numine, mox in principio *ad sudorifera alexipharmaca* est confugiendum, quibus ob summam penetrantiam semper & ubique addenda est camphora.

Cæterùm in omni cura pestis legitimè instituenda observentur cautelæ sequentes.

I. Alexipharmaca repetenda esse singulis 8. horis, ita ut 24. horarum spatio æger ad minimum bis vel ter sudet: Vid. BARBETTE *pagin.* 18. ROLFINCIUS *Meth.* §. 485. & SYDENHAM *de morbis acutis pag.* 153. Neque enim putandum, quod ubi semel vel bis sudet æger, periculum jam sit evitatum; nam vel minima veneni particula instar fermenti mirandas & stupendas exerit vires. Totum ergò, quantum quantum est, eliminandum: nec metuenda nimia virium prostratio, cùm verè meliùs habeant, dum sudant ægri. Et quamvis bubo & anthrax egregiè eruperint cum ægri levamine, aut petechiæ copiosæ effloruerint, sudorifera tamen sedulò sunt continuanda, ut eò tutiùs malignitas profligetur, ne fiat recidiva. Cæterùm in sudore proliciendo texturæ ægri raræ vel densæ, virium infirmarum vel validarum, malignitatis vel majoris vel minoris, semper habenda est ratio, ne, dum venenum eliminatur, vires penitùs deficiantur; nec nimis contegatur æger, ne suffocetur: ad unam alteramvè horam sudor prolicitus sufficit: pro constitutione sc. ægri: dein concedatur ei quies, donec horæ 8. circiter effluxerint: quo facto iterum propinetur sudoriferum, & peracto sudore dentur analeptica cum acidis spirituosis mista, quæ & malignitati resistunt, & sanguini nimis diluto debitam consistentiam concilient; nam acida condensant sanguinem. Si bubo jam dum compareat, aut maturescat, non ad adeò frequentes, nec adeò copiosos sudores æger urgeatur, ne materia maligna exterminata resorbeatur, viresque frustrà dissipentur; cùm illi, quibus bubones sine notabili symptomate prorumpant, sine ullo quoque non rarò Medici regimine reconvalescant. In carbunculis autem & reliquis metastasibus sudor potentiùs urgeatur, utpotè in quibus secretio minus perfecta videtur, hinc per sudorifera magis juvetur. Sudorifera tandem, si vomitu rejiciantur, toties eadem vel alia reassumantur, donec retineantur.

II. Observandum: æger sudans à *somno* debet arceri, quia somnus impedit convenientem veneni maligni per sudorem expulsionem. Quod si somno nimis infestetur æger, subindè spongiola vel linteum aceto vini, vel aceto rosaceo seu rutaceo imbutum naribus admovendum, aut acetum ejusmodi camphoratum, ut & castoreum cum aceto; talium enim odore arcetur somnus.

III. *Dum sudat æger*, sudor verò nolit sufficienter prodire, promovebitur hac encheiresi:

℞. *Panis parvus* è furno *calens*.

Detrahatur huic crusta inferior, excavetur circa medietatem aliquantulum, cavitas *theriacæ* in *spiritu Vini camphorato* dissolutæ ℥ ij. repleatur, ac ita panis fervidus stomacho vel umbilico imponatur.

Venenum enim à pane, ut vocant, attrahitur; quod alii faciunt, si æger peste correptus abhorreat a remediis: Vid. PASCHALIUS & MORELLUS.

Vel ad imitationem Kegleri:

℞. *Panis secalinus* adhuc recens *calidus*, in crusta inferiori fiat foramen magnitudine imperialis, infundatur *spiritus Vini campheratus*, & ita dictus panis imponatur abdomini, ut foramen respondeat umbilico.

Sic æger incipiet intensè sudare, & per eum malignitatis extractio optimè procurabitur: venenum verò pani se insinuabit, qui proptereà defodiendus est. Aliás de pane calido, quod is ex aere attrahat venenum, vid. KIRCHERUS *Tract. de Peste*.

IV. Quod si in peste *agrypnia*, vel etiam *delirium* ex hac immineat, aut etiam si adsit nimia inquietudo, & similia symptomata sudorem impedientia, in talibus casibus subindè necessarium videtur, ut sudoriferis de laudano opiato aliquid addatur, præsertim in principio, ut symptomata affligentia coerceantur, & simul post abstersum sudorem blandus ac requisitus somnus sequatur. Quando æger sufficienter sudaverit, abstergendus est linteis siccis benè mundatis & calefactis, quæ si priùs sint probè suffita cum pulvere pyrio, vel sulphure, succino, thure, & myrrha, eò magis proficua est abstersio, & convenientior. Absterso sudore mutanda etiam stragula, ne, dum sudore expulsa malignitas, denuò versus corpus properet. DIEMERBROCIUS quidem *Tract. de Peste cap.* 4. § 5. & 6. BARBETTE *pag.* 18. hoc prohibent, præcipuè indusiorum permutationem. Verum per se non nocent, sed quatenus frigida poros occludendo insensibilem transpirationem impediunt. Unde etiam SYDENHAM *pag.* 155. abstersionem dissuadet, & indusium sponté exsiccari permittere jubet, sine dubio, ut æger aerem frigidiorem, & miasmata pestifera exhalantia, evitet.

V. Pestis, ut & febres pestilentiales, subindè conjunctæ esse solent cum ardore intenso vel *febre ardente*. Hæc ergo si adsit, & insignis ebullitio totam massam sanguineam conturbet, in tali casu minus commodè Theriaca aut Mithridatium, & similia Theriacalia, quæ & ipsa fermentare solent, concedi possunt, quæ nisi cum aceto vel acidis temperentur, acrimoniâ aromaticâ febrem intendunt: vid. HILDANUS *Centur.* 6. *Observat.* 29. & SYDENHAM *de Morbis acutis pagin.* 132. Loco horum ergò potiùs *fixa antimonialia* & salina lixivialia & similia usurpentur, sicut & electuarium diascordii Fracastorii tutiùs tunc usurpatur; aliàs enim periculum est, ne, dum veneno resistimus, febrim nimis intendamus, adeòque tandem ægrum interimamus. Sin verò cum peste vel febris mitior aut omninò nulla adsit, convenientiùs ista theriacalia aromatica denuò usurpari possunt, ut sopita quasi fermentatio denuò restauretur, & debita sanguini & corpori æstuatio restituatur, hujusque medio expulsio promoveatur.

VI. *Acida* in peste non secus ac in malignis *nunquam omittenda*, quin eadem temperata & sudoriferis addenda, & in sudoris declinatione & post sudorem tempore quietis propinanda, cùm hæc ipsa ægrum post sudorem debilitatum reficiant, & præterea, experientiâ teste, simul malignitati aliquomodo resistant. His ipsis tamen acidis, ad æstum compescendum propinatis, semper simul aliquid de

sudoriferis permiscendum, ut corpus, si non in perpetuo sudore, saltem in perpetua blanda conservetur diaphoresi.

VII. Quibusdam in locis, ægris peste affectis, non secùs ac in febribus malignis, interdum fausto cum successu applicantur *vesicatoria* ex cantharidibus præparanda; quæ vesicæ tali casu ad evacuationem malignitatis præferuntur fonticulis, cùm hi potiùs in præservatione, ista etiam curativè magis conducant, & potentiùs eliciant ipsis fonticulis. Conveniunt etiam, ubi natura bubonem aut anthracem, imperfectè licèt, extrudere molitur, ad promovendum naturæ motum. Admoveri possunt partibus variis, vertebris colli, versus humerum & carpum, cruribus & suris internis; quinimò & bubonibus subindè applicantur cum fructu. Talia enim vesicatoria, aut cujuscunque generis calefacientia, liquores reddunt magis fluxiles, naturæ segnitiem exstimulant, & unà cum serosa colluvie & noxiis humoribus, per ulcera miasmata pestilentialia educunt; ut à partibus nobilioribus revulsionem, & à vicinis derivationem taceam. Sed ut celeriter operentur, acerrima sint hæc ipsa. Sequens massa in ultima peste Londinensi fuit experta:

℞. *Pic. naval.* ℥ v.
Galban. ℥ j.
Ceræ ℥ j ß.

Quibus simul liquatis, & ab igne semotis, adde
Pulv. cantharid. præp. ℥ j.
Ferm. acerr.
Sem. ammeos an. ℥ iij.
Euphorb. ℥ j.

Cum *Aceti scyllitici* q. s. incorporentur, assiduè agitando, quousque cogatur in emplastri massam.

Pars autem ad ruborem prius fovenda, quò vis emplastri se potentiùs exserat. *Excitata ulcera aperta diu relinquantur*, emplastro de meliloto, pulvere cantharidum insperso, locum iterum atque iterum sauciando. Inflammationibus dolorificis opportunè succurrendum foliis brassicæ, ulceribus superimpositis. Existimo tamen in peste morbisque malignis hujusmodi epispasticis semper de magnete arsenicali aliquantulum addendum esse. Vesicatoria hæc, si imposita escharam vel in loco sano vel in bubone excitent, bonum erit signum; si non, pessimum. Utut autem multùm prosint hæc ipsa, *non tamen indiscriminatim omnibus admoveantur*. Propterea, ubi in peste urget urinæ ardor ejusque incontinentia, sphincteris vesicæ inflammatio vel ulceratio, si mulier sit gravida, vel si instent menses, aut motus naturæ ad vias urinarias inclinet, abstinendum est à cantharidibus, ne iisdem mictus cruentus, alias in peste lethalis, excitetur; nec applicanda in nimia virium prostratione.

VIII. Satiùs est in peste planè omittere venæsectionem, quam eâdem vires labefactare, quarum conservandarum maxima est necessitas: cujus exempla videbitis apud VERZASCHAM *Observat. Med. pag.* 58. Præterea nullum indicans venæsectionis adest; è contrà quò plus eruptionem impedit, eò plura incommoda venæsectionem sequuntur: quæ omnia prohibent, eamque interdicunt; idque eò magis, ubi pestis cum alvi fluore prorumpit, aut etiam, ubi bubones vel carbunculi, vel exanthemata petechialia se manifestent: Vid. HODGES *de Peste pag.* 157. & 168. PIENS *de Febribus pag.* 179. Undè cautè legendus, nec facilè apud nos imitandus SEPTALIUS *in Animadvers. pag.* 112, dum quibusdam casibus, apparentibus jam bubonibus & anthracibus, venæsectionem instituit: ut taceam, paradoxum videri venæsectionis necessitatem, quam in peste persuadere conatur SYDENHAM *Observ. pag.* 39.

IX. Observandum: In principio morbi, ubi natura maligna seu miasma venenosum adhuc est in primis viis, vel sub primo pestis insultu, quæ noscuntur per nauseam, vomitum, vel conatum vomendi, tunc in principio primo commodissimè adhibentur *vomitoria*, appropriatis alexipharmacis simul mista: talia enim sub primo pestis contagio, dum contagium per aerem fuerit haustum, mirè conveniunt: & consentiunt hac in parte Practici in unum omnes, vomitorium administratum levare pestem. *Certè Purgatio nulli*, „*vomitio pluribus salutaris*, dicit LINDANUS: & ubi jam mox in principio incipiunt apparere bubones vel anthraces, necessitas verò vomitorium suadeat, tunc, ne naturæ conatus per tales tumores expellentis venenum impediatur, & tamen utrique scopo satis fiat, consultius est buboni & anthraci maturativum, attractivum dictum, remedium applicare, dum propinatur vomitorium, ut horum medio venenum foras derivetur, & vomitorium præstet suum officium. Alias enim, si imminuatur tumor, subinde scirrhi instar induresci, ita ut ad aliquot menses postmodum durities ista remaneat. Vomitoria ergo in principio pestis conveniunt cum regimine. Purgatio verò nullo tempore salutaris est, sed semper nociva in peste, imò nec clysmata semper præscribi tutò poterunt.

X. Si *vomitus* adeò vexet ægros, *ut remedia retinere nequeant*, mox *sub primo insultu* imitandus venit HODGES *de Peste p.* 196. & SYDENHAM *Observ. p.* 152. Nempe tunc solo tegumentorum pondere & custodiâ (nisi quod linteaminis pars subindè ad colligendos halitus vultui superinducatur) item applicato pane calefacto, aliisque similibus modis, „sudor provocandus: *nam*, ut dicit SYDENHAM, *cum* „*materiæ morbificæ radii versus ambitum corporis se exporri-* „*gant, illicò alvi profluvium & vomitiones ab iisdem intror-* „*sum reflexis, ac in ventriculum & intestina decumbentibus,* „*provenientes ultro sedantur, adeò, ut quantumcunque stomachi subversio præcesserit, assumpta deinceps medicamen-* „*ta probè retineantur, ac ad sudores ex voto proliciendos conducant.*

Quoad *remedia* pro scopo sudorifero & alexipharmaco usurpanda: observandum est universale alexipharmacum pro quacunque peste vix dari, nisi quis *camphoram* & *bufones* hic substituere velit, quæ tamen non videntur sufficere. Deprehensum enim fuit diversis temporibus, pro diversitate nempe constitutionis pestilentialis, diversa etiam remedia peculiares obtinuisse vires. Quod si ergò specialia in peste tali ac appropriata remedia non sint inventa, generalibus istis in febribus malignis usitatis, & alio tempore probatis, utendum erit; quibus in symptomatum cura subindè symptomati appropriata sunt addenda; hoc saltim observando, quod illorum generosiora præprimis, eaque in majori dosi, propinari debeant.

Vehicula talium remediorum utplurimùm sunt Aquæ destillatæ, aceto tàm simplici, quàm rubi idæi, sambucino, rutaceo, florum tunicæ, scordii, aut compositis theriacalibus impregnatæ.

Præter ea ergò, quæ de febribus malignis recensentur; item quæ ad præservationem suprà laudabantur, ex regno vegetabili supereminet suprà laudata camphora, quæ & cum ea parata remedia, certè in peste curanda ab omnibus Practicis extolluntur, sive in substantia assumatur, sive in oleum redacta propinetur. Unde nobile & expertissimum est in peste oleum pestilentiale Heinsii, Medici Veronensis in Italia, qui mira præstitit cum hoc in peste Veronensi, ut & ipsi post mortem Veronæ statua fuerit erecta. Compositum est ex ana olei destillati succini, olei corticum citri, & olei camphoræ: quæ olea invicem benè juncta constituunt hoc mirabile remedium, idque pro præservatione à guttis 5. ad 6., pro curatione à guttis 6. 12. ad 15., pro circumstantiarum varietate, expectando desuper sudorem exhibeatur. Equidem oleum camphoræ genuinum plurimos latet; præparatio tamen facilis est, modò addatur certa quædam terra mineralis. Hinc „MINDERERUS *de Peste* inquit: *Meo judicio camphora* „*plus virium in peste obtinet, quam vel pretiosa quælibet me-* „*dicamenta bezoardica*: Vid. *Anatom. camphoræ* D. MOEBII *c.* 13. *pag.* 50. Interim, ubi complicati sunt morbi maligni cum febre intensiore, aut symptomatis capitis, deliriis, agrypniis, &c. oleola ista minus sunt tuta. Sunt, qui

℞. *Camph.* ℥ j.
Album. ov. ℥ vj.

Lento igne per retortam liquorem destillant in oleo, quod cum spiritu Vini aliquandiù circulant & cohobant pro alexipharmaco pestilentiali.

Imò vel solus spiritus Vini *camphoratus*, seu in quo soluta fuit campora, aut *spiritus theriacalis camphoratus*, egregii sunt usus in curanda peste; hinc etiam mixtura simplex & Tinctura bezoardica ritè parata, propter additam camphoram in spiritu theriacali solutam, non contemnenda venit. A nonnullis hæc duo remedia, ab UNZERO *de Peste* descripta, insigniter extolluntur, quorum basis est camphora: Primùm est potio, alterum Electuarium. Potionis descriptio est hæc:

℞. *Aquæ vitæ* seu *Spiritus theriac.* ℥ vj. ad ℥ j.
Croci ad quantit. ciceris,
Camphor. ℨß. (dosis excessiva)
Misc.

Detur totum infecto adulto, juniori dimidium, superbibendo parum Aquæ cardui benedicti, ac proliciatur sudor.

Electuarium, quod etiam à DEUSINGIO commendatur, fit hoc modo:

℞. *Theriac. Androm.* ℈ ij. ad ℨ j.

Flor.

Flor. sulphuris ℈j.
Campb. gr. xv. (dosis excessiva)
Misc.

Detur totum infecto, expectando sudorem; i squ crebriùs reiteretur.

Facit hoc elegans Electuarium, quod ipsum B. D. MICHAELIS tàm præservativè, quàm curativè, in febribus malignis & pestilentialibus cum successu frequenter usurpavit, cujus compositio est sequens:

℞. *Spec. alex ter* ℥iß.
Pulv. Saxon. ℥ß.
Theriac. opt.
Mithridat.
Elect. diascord. Frac. vel *de ovo* an. ℥j.
Flor. sulphuris ℥ß. ad drach. vj.
Camphor. drach iiß.
Olei pestilent. Crollii drach. jß.
Succini,
Citri an. ℈j ad ℈ij.
Syr. de succo scord. q. s.
M. D. S.
Singulare electuarium contra pestem.

Dosis ad præservationem est à drac. ß., ad curationem drach. jß. vel drach. ij. Hoc ipso multi milites à D. MICHAELIS conservati fuerunt.

Deinde semen seu baccæ nigræ hederæ arboreæ, jam ab antiquissimis Autoribus commendatæ, ab HELMONTIO etiam & multis aliis tanquam proficuum in peste remedium expertæ sunt, ad drach. j. in aqua cardui benedicti vel vino, expectando sudorem, & repetendo easdem: Vid. KIRCHERUS *in Scrutinio Pestis*, & PALMARIUS *in Tract. de Morbis contagiosis pag.* 453. Imprimis in peste Hyberniæ Medicus quidam frequentissimo in usu habuit has baccas, quibus sæpiùs in die repetitis quamplurimos liberavit. HODGES cum *aceti* part. ij. & *vini* part. j. propinat. Baccæ juniperi etiam in peste sunt commendatissimæ, unde & earum rob seu succus inspissatus ab Italis, baccis his carentibus, *Theriaca Germanorum* optimo jure vocari solet, quod, sicuti & ex sambucino elicitum rob, cum aceto assumptum est nobile; tàm in potionibus solet dissolvi, quàm etiam in forma Electuarii propinari. Unde quidam commendant sequens Electuarium ROSENCREUZERI *in Astrologia Inferiorum* ex hoc rob, seu basi, paratum, tamquam in peste præservativum & curativum remedium:

℞. *Rob iunip.* ℥iij.
Elect. diascord. Frac. vel *elect. de ovo.*
Mithridat. an ℥iß.
Theriac. ℥iij. ℥ß. vel ʒvj.
Flor. sulphur. opt. ℥iß. vel ℥iij.
Myrrhæ ℥iij.
Thuris albiss. ʒvj.
Campb. ʒij.
Croci ʒß.
Succi citri ℥ß. vel s. q.
pro miscendo Electuario.

In præservatione drach. ß. seu quantum capit cultelli cuspis; in cura verò ℈iv. vel ʒiß. propinentur in
Aquæ card. bened.
Acetos. an ℥j.
Theriacal. unc. ß.
invicem mistarum. Hauriantur unâ vice.

Rob juniperi dicto vix cedit Rob baccarum sambuci rectè paratum & usurpatum. Huc facit theriaca seu Electuarium tàm curativum quàm præservativum LUDOVICI, quod dedi in *Colleg.* Pharmaceut. in Ludovici à drach. j. ad ij. propinandum, ut & Electuarium camphoratum Kegleri. Allium similiter & suam meretur laudem, dum communiter *Theriaca Rusticorum* appellatur, cùm certum sit, contusa capita allii cum aceto vel vino assumpta sudorem potenter movere, & malignitatem per sudorem expellere. Remedium ergò nauseabundum, sed, uti dixi, insigniter proficuum.

Inter animalia imprimis eminet cervus & ciconia, utpote quæ tota sunt alexipharmaca. Unde antidotus Paracelsi ex anguibus, cujus basis est sanguis ciconiæ, adeò est commendata in peste, utpote quæ vescitur ranis & similibus animalibus, pesti curandæ dicatis. Non minus ergò ciconia inter volatilia, quàm cervus inter quadrupedia, est alexipharmaca. Ex his parata omnia, in specie volatilia salia, pro scopo sudorifero sunt nobilissima. Spiritus corn. cerv. ritè paratus, ac sale volatili propriò probè acuatus, ad drach. j. exhibitus, egregius est in curanda peste. Crebrâ experientiâ in peste Londinensi confir-
„ matus refert HODGES *de Peste pag* 184. *Iuvenem*
„ *summa spirandi difficultas tenebat, arteriæ vibratio ces-*
„ *sare videbatur, omnia demum ultimum spiritum languentis*
„ *in labiis supremis enunciabant: Exhibui spiritus corn cerv.*
„ *drach. j. cum unc. iij. aquæ scordii compositæ, morbo pertina-*
„ *citer hærente: Post triduum iteravi Potion. m, & admota*
„ *etiam erant vesicatoria: semiborâ vix elapsâ calor viguit,*
„ *æger ab orco revocatus fuit. Tandem cùm ex*[illegible]*us in facili*
„ *erat ulcerum, in suris à vesicantibus excitatorum, decolora-*
„ *tione, nec non sensus abolitione, sphacelationem imminen-*
„ *tem minitante, partibus affectis profundè incisis & scarificatis,*
„ *haustu etiam bis de die remedio memorato, res iterum in*
„ *integro.* Verùm omnibus præfertur vipera, & remedia ex vipera, quæ inter eminet sal volatile à gr x j ad ℈j. spinæ viperinæ præparatæ exsiccatæ, oleo succini irroratæ, ac denique camphoræ q. s. permistæ, sunt egregiæ à ℈j. ad ℈ij. in peste: spiritus tamen & sal volatile, in quibus tota consistit energia, reliquis præfertur: Hinc *alexipharmacum Crollii* ex anguibus paratum egregium est. Post viperas egregii sunt *bufones*, qui externè ceu Xenechthon appensi, à peste præservant. An verò pulverisati internè assumi queant, quæritur. Hoc quidem verum est, sal eorum volatile & spiritum egregium esse remedium, insigne diaphoreticum, & probatissimum diureticum; quod etiam confirmat PETRUS JOHANNES FABER. An verò ii specificam vim antipestilentialem habeant? dubito. Interim exemplis potest confirmari, multos eosdem internè sine periculo, exceptis intestinis, sumpsisse, aliosque sal volatile & spiritum usurpasse ut adeò consulenda sit experientia. Alii recipiunt bufones vivos, quos in spiritu vini submergunt, & ita suffocant, & tunc acquirūt spiritum vini alexipharmacum. bufones ita maceratos per retortam destillant pro spiritu, sale volatili, & oleo, qui spiritus cum sale volatili rectificatus mire laudatur ad pestem. Quibus tædiosi sunt hi labores, recipiunt bufones ab interioribus purgatos, exsiccant eos, & cum hepate proprio similiter exsiccato mistos pulverisant, & ita a ʒß. ad ʒj. propinant pro remedio antiloimico; qui pulvis in peste penultima Londinensi propinatus multùm profuisse refertur.

Huc facit quoque lapis microcosmicus, qui à ℈j. ad ʒj. in aqua card. bened. in peste Londinensi, ubi in die 10000. mortui sunt, expertus fuit. *Stercus humanum* etiam est egregium alexipharmacum. Refert POPPIUS, & confirmatur à LANGIO *in Comment. manuscripto*, quod stercus proprium cum urina propria dissolutum & haustum, per alvum, per vomitum, & sudorem pestem curet: de quo conf. etiam RIVERIUS *in Observ.* 38 *communicat.* à SAMUELE FOMIO. Hinc inde etiam in ZACUTO LUSITANO non pauca prostant exempla virtutis alexipharmacæ stercoris humani contra morsum viperarum, & similia vulnera à bestiis venenatis inflicta. In India Orientali in insula Celebes, ubi admodù intoxicantur sagittæ, quæ tàm venenatæ, ut vel levissimum vulnusculum sit lethale, Batavi bellum ibi gerentes non habent promptius remedium alexipharmacum, quàm stercus proprium vulneri applicatum, quod extinguit veneni vim. Mercator Norimbergensis, nomine SAAR, qui per 7. annos castra secutus, *in lib. Ost Idis. ben Kriegs-Diensten* refert, quod in India sit animalculum adeò venenosum, ut ejus minutissima læsio præsentissimum esset venenum, nisi applicaretur stercus proprium. Et certum est, quod *stercus humanum* buboni pestilentiali applicatum omne venenum eliciat, idque potentiùs quam quodlibet cataplasma aut emplastrum a Chirurgo applicatum. Non mirum ergò est, si & stercus humanum intrinsecùs assumptum, sit adeò potens in curanda peste.

Ex regno deniq; minerali vix potentius remedium habetur sulphure, tàm minerali, quàm, quod excellentius est, antimoniali, si nempe hoc sit legitimè fixatum; sive communi modo per nitrum figatur in antimonio diaphoretico, & omnibus Bezoardicis mineralibus, tàm simplicibus, quàm cum Marte & Saturno compositis, seu, quod melius est, ipsum sulphur genuinum fixum sublimiori ratione ex antimonio eliciatur in cinnabari antimonii, aut in tinctura antimonii sicca, beneficio aquilæ albæ seu salis ammoniaci elevanda; unde cinnabarim nativam POTERIUS *specificum antipestilentiale* vocat,

Omnia hęc antimonialia & ſulphura antimonii totam abſolvunt paginam in cura peſtis: & certè in ſulphure perfecta cura peſtis videtur latere. Sulphur nempe aut ejus flores à ʒß. ad ʒj. in vehiculo acido propinati, ſunt expertiſſimum in peſte remedium, & ab accuratioribus Autoribus, HIPPOCRATE & PARACELSO, extolluntur hîc: Conferatur KIRCHERUS & HELMONTIUS, ubi demonſtratur, & HIPPOCRATIS remedium antipeſtilentiale ſulphur fuiſſe. Cæterùm, quantum ſulphur in receſſu habeat ratione pinguedinis & ſpiritus embryonati acidi, ex materia Medica conſtat; undè non mirum eſt, quod tàm præſtans ſit. In ſulphure nempe eſt pinguedo quædam mineralis, quæ nupſit arctè ſpiritui acido primigenio, ſeu, uti alij vocant, ſali Hermetico. Id quod non tantùm probat reſolutio ſpagyrica, quæ in ſtagma acidum & ſingularem pinguedinem reſolvitur; ſed etiam ex compoſitione ſulphuris artificialis, dum ex ſpiritu vitrioli & oleo terebinthinæ ſublimari poteſt ſulphur elegantiſſimum. Ratione pinguedinis balſamicæ corrigit ſal acre peſtilentiale; ratione verò aciditatis maſſam ſanguineam nimis diſſolutam temperat, & quodammodò coagulat: ut taceam, quæ habet HELMONTIUS *Tract. de arbore vitæ circa finem.* Hinc etiam *vinum Hippocratis ad peſtem curandam* nihil aliud fuit, quàm vinum commune, miſtum cum ſulph. depurato & ſale decrepitato, in vaſe pice obturato aſſervatum; unde etiam *potus* quicunq; in *peſte* ſunt *ſulphurandi* ad arcendum venenum peſtilentiale, ſicut dixi in morbis malignis: vid. POLEMANNUS, & CNÖFELIUS *de Epidem. febribus*, ubi potum habet ſulphure impræg natum, quem in ultima peſte Londinenſi probatum repererunt. Modus hic eſt: Recipiebat fila ſulphurea: hæc incendebat, fumum capiebat in lagenam, & huic infundebat potum, & agitando probè propinabat ægris. Aër etiam ſulphure eſt medicandus.

Sulphuri quoq; quodammodo cognatum ſuccinum eſt, unde aut hoc aut præparatum, aut oleum, aut ſal aliis miſtum, in peſte ſunt egregia remedia.

De Theriacalibus compoſitionibus aliiſque ſimilibus Pharmaceuticis nihil dico, quoniam hinc inde circa febres malignas fuerunt monita, & omnibus ſunt nota. Præferendum tamen reliquis omnibus electuarium diaſcordii Fracaſtorii, vel correctum à SYLVIO, propinatum à ℈j. ad ʒjß vel ʒij. in aqua appropriata, cum aceto bezoardico miſta. Noti etiam ſunt pulveres in officina proſtantes bezoardici compoſiti: pulvis Saxonicus ad ʒß. propinandus; pulvis Pannonicus rubeus ad ʒj., imprimis ubi ſunt alvi fluxus; conſtat enim ex adſtringentibus: pulvis Cæſareus, & ſimiliter alii.

Formulæ & compoſitiones ex his poſſunt fieri variæ: verb. grat.

℞. *Flor. ſulphuris* ʒß.
Cinnab. antimon. gr. xv.
Campb. gr. vj.
M. f. Pulvis:
D. S.
Bezoardicus Pulvis ſudoriferus.

Sumatur pro doſi ad eliciendum ſudorem.

℞. *Unic. veri vel antim. diaphor.*
Flor. ſulphuris an. ʒß.
Salis volat. viperar. ℈j.
Campb. gr. viij. ad ℈ß. gr. xij. vel xv.
M. f. Pulvis:
Div. in 2. vel 3. partes æqu.
D. S.
Pulvis ſudoriferus.

℞. *Flor. ſulphur.* ℈j.
Salis abſinth. ℈ß.
(vel *Salis volat. corn. cerv.* gr. xij.)
Olei peſtilent. Heiniſ. gutt. vj.
M. f. Pulvis, S. *ut antè.*
Item

℞. *Cinnab. antimon.* gr. xv.
Succini præp. ℈ß.
Sal. volat. corn. cerv. gr. v.
Succini,
Camphor. an. gr. iij.
M. f. Pulvis.
D. S. *ut ſuprà.*

℞. *Aquę card. bened.* ℥iß.
Aceti vini acerr. ʒvj.
Elect. diaſcord. Frac. ʒiß.
Campb. gr. vj.
Syrup. acetoſ. citri ℥ß.
M. D. S.
Potio ſudorifera pro una doſi, bene circumagitanda.
Vel

℞. *Aquæ card. bened.* ℥j.
Elect. diaſcord. Frac. ʒj. vel ℈jv.
Salis abſinth. vel *card. bened.* gr. xv.
Campb. gr. viij.
Aceti vini ℥ß.
Syrupi de citro q. ſ.
M. D. S. *ut antè.*

℞. *Aquæ card. bened.* ℥iß. vel ℥ij.
Aceti theriacal. vel *vini*, vel *ſucci citri*, aut *acetoſæ* ʒvj. vel ℥j.
Elect. diaſcord. Fracaſt. ʒiß. vel ℈ij.
Campb. gr. v. ad ℈ß.
Syr. acetoſ. citri ʒiij. ℥ß. ʒvj. vel ℥j.
M. pro una vel 2. doſibus: S.
Potio ſudorifera, bene circumagitanda.

Pertinet huc Potio BARBETTE *pag. 23.* qua in peſte ſęviſſima Amſtelodami ſæpiſſimè uſus fuit:

℞. *Aquæ card. bened.*
Prophylact. an. ℥j.
Elect. diaſc. Frac. ℈jv.
Salis prunell. ℈j.
Abſinth. ℈ß.
Syr. berber. ℥j.
M. pro Hauſtu: S.
Potio ſudorifera.
Item hæc Potio:

℞. *Aquæ fumar.* q. ſ.
Prophylact. noſtrat. ℥j.
Antimon. diaphor. ℈j.
Salis ſcordii,
Rutæ an. ℈ß.
Iulepi roſac. ℥j.
M. pro doſi,
D. S. *ut antè.*
Item

℞. *Aquæ card. bened.* vel *rutæ, angel.* vel *enulæ*, vel *bacc. junip.* vel *tenell. corn. cerv.* ℥j. ad unc. jß.
Liqu. corn. cerv. ſuccin. ʒß. vel ʒj. ad ʒiß.
Campb. gr. v.
Syr. de ſcordio vel *rubo Idæo* unc. ß.
M. pro Hauſtu: S.
Ut antè.

℞. *Theriac. Androm.* ʒj.
Salis abſinth. ʒß.
M. in Hauſtulo vini aciduli:
D. S. *Electuarium ſudoriferum pro una vice.*

℞. *Elect. diaſcord. Frac.* ʒiß.
Antimon. diaph. ℈j.
Cum *ſaccharo* f. Bolus:
D. S. *Ut anteà.*

Conferatur BARBETTE *de Peſte pag.* 16 Item Bolus alexiterius WILLISII *in Pharm. p.* 529. Item

℞. *Theriac. Androm.* ʒj.
Bezoard. min. ʒß.
Campb. gr. vj.
Aceti bezoard. q. ſ.
M. f. Bolus pro una vice, expectando ſudorem.
D. S.
ut anteà.

In genere moneo: in defectu medicamentorum antimonialium ſulphur commune, aut ejus flores, commodè poſſe ſubſtitui.

℞. *Tincturæ bezoard.* vel *Mixt. ſimpl.* drach. j.
Spiritus corn. cerv. ℈j
M. pro una doſi:
D. S.
Mixtura ſudorifera pro una doſi.

Loco Tincturæ bezoardicæ quibuſdam ſecretus habetur *ſpiritus peſtilentialis* ſeu *antiloimicus*:

℞. *Viridis ęris bene calefacti* ℔j.
Irrora cum,
Aceti deſtillati ℥iij.
Deſtilla per retortam in arena igne intenſiore:
Jam
℞. *Spiritus tartari rectif.* part. iij.

Viri-

Viridis æris modò præp. part ʒß.

Mistis his adde singulis unciis camphoræ ʒß, ponantur vitro benè obturato in digestionem, donec camphora uniatur liquori.

Si cum aliqua particula opii digeratur, & filtretur, dat *Elixyr antiloimicum* egregium.

Pertinet huc etiam Elixyr pestilentiale Crollii.

SYMPTOMATA.

CÆterùm frequentissima *symptomata* pestis sunt

BUBO ET ANTHRAX.

Horum ergò medula convenientissimè hic tractatur.

In *Bubone* curando tria præ cæteris attendenda sunt sedulò: Nempe externè sunt applicanda:

1. Attractiva, seu quæ venenum eliciunt.
2. Maturativa, quæ tumorem ad suppurationem perducunt; Et tandem
3. Mundificativa & consolidativa, quæ ulcus uniunt.

Utut enim sunt, qui discussioni bubonum operam dare volunt, minùs tamen consultum hoc arbitror, nisi simul copiosus sudor provocetur: siquidem & bubones sponte recurrentes, vesicatoriis extrinsecùs admotis, sudoriferis verò internè propinatis, erunt denuò proliciendi. Equidem sunt, qui suadent etiam bubones crudos mox scalpello esse incidendos & aperiendos, quod tamen minùs commodum videtur; quin potiùs aliqualis saltim materiæ coctio & maturatio expectanda, plùs minùs perfecta, pro circumstantiarum ratione: quamdiu sc. apparent rubicundi, non aperiendi: quod si verò bubo sit vel lividus, vel niger, ita ut gangrænam minetur, tunc nullà expectatà maturatione protinùs etiam crudus scalpello est aperiendus.

Ea verò, quæ applicantur pro attrahendo veneno, & maturando simul plùs minus tumore, sunt varia. Quidam recipiunt *cepas* sub cineribus *coctas*, easque contusas, & cum *sinapi albo* pulverisato mistas, applicant bubonibus, ceu potens attractivum. Loco sinapi etiam, ubi præsertim dolor intensiùs urget, *Theriaca* & fuligo furni dicto modo cum cepis vel succo ceparum instar attractivi remedii per aliquot dies applicetur bubonibus pro eductione veneni, & maturatione abscessus. FORESTUS *lib. 6. Obs. 19.* refert, fuisse experimentum cujusdam Chirurgi:

℞. *Cepam cavam*, immitte *Theriacam*, & applica. *Bufones* certo tempore capti & exsiccati, in vino aut aqua tepida macerati, usque dum probè mollescant, buboni calidè impositi dolorem sistunt, & ardori resistunt, & potenter malignitatem temperant; vel pulvis bufonum cum emplastro permisceatur, & ita applicetur buboni pestilentiali. Faciunt huc omnia Emplastra cum & ex bufone parata, quæ in principio, cùm bubo apparere incipit, optimè conducunt. Tale Emplastrum expertum vid. in Hildani *Cent. 6. Observ.* 30. Vel solus *pulvis bufonis exsiccati cum aqua scorzoneræ*, ac cum aqua rutæ capraria in forma cataplasmatis imponitur, & insigniter conducit. Egregium remedium est stercus proprium adhibitum. Pertinet huc *Emplastrum attractivum magneticum Cnœfelii*, bubonibus aut tumoribus malignis in peste applicandum:

℞. *Succini opt. pulverisat.* ʒß.
Bufon. siccat. & pulverisf. ʒj.

Mistis in cucurbita tantum spiritus vini superfundatur, ut superemineat digitum transversum, in leni balnei calore sensim exhalet spiritus ad consistentiam magmatis, ter affuso semper novo spiritu: tandem magma relictum cum emplastro de meliloto in debitam consistentiam redigatur & applicetur.

Quod vid. in *Methodo medendi febres epidemicas malign. pag.* 60. 61 &c. item *pag* 104: elegans est emplastrum, & quod plus in recessu habet, quod scilicet nimiam hæmorrhagiam in morbis malignis interdum evenientem, sub alis applicatum, sistit; nam bufo exsiccatus sub axillis gestatus quamcunque hæmorrhagiam sistit. Methodus CNOEFELII curandi bubones est hæc: mox applicat buboni emplastrum attractivum magneticum, & propinat Bezoardica. Sin loco euphorias speratæ, vigiliæ, deliria, vomitus, &c. successerint, tunc eligit centrum aliquod in extracto abscessu, & in illo cutim specifico ruptorio, factâ priùs eschara, aperit. Ubi, inquit, sedulâ observatione hoc impetrari, quotiescunque ruptorium eschara non insecuta, toties morbum fuisse desperatum: ubi verò produxit escharam, vigilias, deliria, aphonias, & similia symptomata, subitò cessasse.

Cæterùm reliquis ferè emplastris magneticum arsenicale Angeli Salæ præfertur, ex magnete arsenicali paratum, in quo magnete arsenicali plurima singularia latent arcana abscondita. Legitimus usus hujus emplastri in eo consistit, ut, quod rarius, nudum per se applicetur. Dum ergò erumpere incipit bubo, applicandum *vesicatorium*, & promovenda eruptio: post septimam vel octavam horam facta vesica seu eschara aut pustula est aperienda: Hinc admovendum est *Emplastrum magneticum* istud arsenicale, quod omnibus palmam præfert. Compositio est hæc:

℞. *Antimonii crudi*,
Sulphuris flavi,
Arsen. alb an. ℥ij.

Subtilissimè pulverisata sepeliantur in phiola in arena, & subministretur ignis, donec benè invicem colliquescant, & colorem rubeum seu obscurum inducant (sic enim egregiè corrigitur arsenicum): vase refrigerato exime massam, quæ *magnes arsenicalis* vocatur. Jam

℞. *Gum. serapin.*
Ammon.
Galbani,
Magnet. arsen. an. ℥iij.
Terebinth. Laric.
Ceræ an. ℥ß.
Olei destill. succin. ℥ij.
Terræ vitriol. dulc. ℥j.

Misceantur ita: Gummata dissolvantur in aceto, & per pannum lineum trajecta iterum inspissentur: deinde seorsim colliquatâ cerâ & terebinthinâ extra ignem misceatur ad consistentiam debitam unguenti: hinc superaddantur gummata & magnes arsenicalis, cum terra vitrioli dulci, & oleo succini, & sic paratum est emplastrum ad extrahenda omnis generis venena efficacissimum: Vid. *Scripta Chymica* ANGELI SALÆ, *Praxis Chymiatr.* HARTMANNI, & in specie BARBETTE *descriptione Pestis, ubi de Bubonibus*.

Loco hujus Emplastri Magnetici arsenicalis, B. D. MICHAELIS noster in Peste pro curandis *Bubonibus* & *Carbunculis* pestilentialibus ante annos 50. sequens *Emplastrum magneticum* usurpavit: Nempe

℞. *Empl. diachyl.* cum *gumm.* ℥iv.
Pulv. fol. uvæ inversf. seu *Parid.* ℥j.
Magnet. arsenic. ℥ß.

Cum *Oleo scorpionum & aran. Mindereri* f. Emplastrum, quod, uti dicit, est expertissimum in hoc casu.

Hæc ipsa Emplastra magnetica, bubonibus admota in pueris, item in cute tenuiore & textura rariore, optime sufficiunt, & malignitatem extrahunt, ut eadem sub forma crustæ & escharæ, in qua residet malignitas, super bubonem hæreat: hac apparente, auferatur vel sponte, vel blando emolliente, ac si subsederit, Maturativis ac consolidantibus ei succurratur: si non, de novo adaptetur. De Emplastro magnetico Angeli Salæ refert BARBETTE, quod, si applicetur cuti duriori ac spissæ, aut buboni duriori, & profundiùs latenti, aut non satis prominenti, adeòque difficulter tractabili, nullam faciat crustam, & nihilominùs tamen malignitatem potenter extrahat; ita ut intra 4. vel quinque dies tumor dispareat. Sed quoniam hoc non semper fiat adeò citò, propterea tutiùs illi agunt, qui suasu HODGES & DIEMERBROCII priùs vesicatorium parti bubonis inferiori, vel ipsi buboni juxta KEGLERUM & BARBETTE applicant, quod promoveat & aditum faciat, ita, ut factâ escharâ & scissâ, postmodùm emplastrum magneticum eò meliùs queat operari: qualia vesicatoria pro bubonibus aperiendis videb. in *Append. pag.* 32. & HORSTII *Observationibus pagina* 356. Convenit quoque sequens:

℞. *Ferm. acerr.* ℥ß.
Cantharid. ʒiß.
Sem. sinapi,
Staphisagr.
Rad. pyrethri
Euphorb. an. ʒß.
Aceti vini fortiss. q. s.

M. f. Pasta vesicatoria: S.

Emplastrum vesicatorium.

Vesica post 7.8. vel 10. horas facta aperienda, eisque vel primis horis folium brassicæ rubræ aut betæ, butyro veteri aut oleo raparum inunctum, postmodùm emplastrum & cataplasma attrahens atque emolliens applicandum: e. g.

℞. *Empl. diachyl. cum gumm.*
Compos. an. ℔ß.
Unguenti basil. ℥iv.
Sym. sinap. cond. ℥iij.

Mista sub forma Emplastri imponantur vesicæ apertæ; hoc enim maturat prompte, & suppurat tumorem.

Longè autem melius est dictum emplastrum magneticum, super quod cataplasma emolliens applicandum, donec malignitas sufficienter extracta, & crusta remota fuerit.

In hac crusta, quam emplastrum excitat, hæret imprimis venenum, & ob id insigniter densa ac spissa est; unde etiam longè faciliùs removetur prægressâ necessariâ scarificatione. Ungitur locus unguento basiliconis cum theriaca misto, quod super crustam admovetur: nam hoc eam decidere facit. Quod si crustâ primâ factâ tumor non sufficienter imminutus appareat, denuò est applicandum emplastrum magneticum, & nova crusta est elicienda, donec sufficienter disparuerit bubo. Quod si fiat, ut bubo aut nimis altè promineat, aut rectè super tendine consistat, tunc vesicatorium est nimis debile; cauterium verò actuale est periculosum propter tendinem. In tali casu admovendum est ruptorium seu cauterium potentiale, quod fit ex calcis vivæ drach. j & saponis Hispanici q. s. quæ mista dant emplastrum, quod applicatum, foramipulum exedit.

Alii præmisso vel omisso vesicatorio:

℞. *Herb. Parid.* Mij. vel iij.
Rad. lil. alb.
Alth. an. ℥ij.
Ficuum pingu. no. ij. vel iij.

Coqu. cum s. q. *Aquæ* & olei *lil. alb.* ad consistent. cataplasmatis: Pulpæ trajectæ adde

Theriac. Androm. ℥ij.
Bufon. pulveris. ℥iß.
Fulg. splendent. ℥j.
Sapon. Venet. ℥iij. ad ℥vj.
Olei ranar. ℥ij.
M. f. Cataplasma.
D. S.
Cataplasma extrahens.

℞. *Herb. Parid.*
Flor. chamom.
Malvæ,
Meliloti an. Mj.
Rad. alth.
Lil. alb.
Sem. fænugr.
Lini an ℥j.
AlKeKengi ℥iij.

Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.* ad putrilaginem ad consistentiam cataplasmatis: cui adde

Olei bufon.
Scorpion. an. ℥iij.
M. D. S.
Epithema externè applicandum.

℞. *Fol. Nicot.* M. j.
Herb. Parid. M. ij.
Rad. angel. ℥j.

Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.* Pulpæ trajectæ adde

Cepar. sub. ciner. coct. ℥ij.
Fulig. splend. ℥j.
Theriac. ℥iß.
M. f. Cataplasma:
D. S. ut *antè.*

Herbæ Paridis folia vel sola, vel cum fuligine in formam cataplasmatis impastata, suppurare & maturare bubones dicuntur: vid. SCHROEDERUS *lib.* 4. *pag.* 119. Item Decoctum herbæ Paridis. *Alii fermentum* recipiunt, ex quo cum *scrophularia*, additis & *baccis herbæ Paridis, Cataplasma* faciunt, & ita imponunt ad maturandos bubones & extrahendum venenum. Item radix symphyti majoris sub prunis cocta, & cum Mithridatio ac butyro in modum cataplasmatis imposita, bubonem coquit, maturat, & aperit. Aliàs etiàm cataplasma ex scabiosa contusa cum fermento acri & sapone Veneto applicatum, tumorem maturat: Vel fiat Emplastrum, seu Cataplasma ex foliis sambuci contusis, cum pulvere sinapi contuso subactis, quod applicatum maturat & promptè rupit abscessum seu bubonem. Emplastrum diachylon cum gummis, cum æquali parte Theriacæ Venetæ videb. in HORSTIO *pag.* 354. *Observ.* 356. Emplastrum de bufonibus Hildani, quod *Diemerbrocius lib.* 3. *c.* 12. §. 17. describit. Quibus, si dolor valdè urgeat, cataplasma, quale BARBETTE *pag.* 32. describit, substitui potest:

℞. *Folior. scord.*
Rutæ,
Cicutar. an. Mj.
Flor. chamom.
Anethi, an. p. j.
Summit. absinth. p. ij.
Micæ panis simil. ℥ij.

Coqu. ex *lacte vaccino* ad consistent. cataplasm. adde

Croci opt. ℥ß.
Vitell. ovi no. ij.
Theriac. ℥iij.
M. f. Cataplasma.

Hisce remediis *nonnihil mitigatus bubo aperiendus venit*; quia periculum est, si perfecta suppuratio expectetur, & spontè tumor rumpat, ne propter dolorem ac ardorem, subinde atroces, spiritus dissipentur, vires prosternantur, ac sanies pestilens retrorsum regurgitet; unde *vel* scalpello aperiendus est, *vel* cauterio potentiali applicato exitus materiæ patefaciendus. Vitanda autem sunt vesicatoria, quando bubones ad suppurationem vergunt, & talium loco sequens *emplastrum* ab HODGES expertum applicari potest:

℞. *Empl. oxycroc.* ℥iij.
Galbani colat.
Gum. carann. an. ℥j.
Picis naval. ℥ij.

Liquatis simul cum *oleo chamom.* vel *lil. alb.* f. Massa pro Emplastro, quod plus millies Chirurgicæ manus vicem supplevit.

Apertio tamen bubonum artificialis auspicatior ipsi habetur. Aperto bubone, vel sponte vel scalpello, usurpantur mundificantia, & hinc consolidantia. In mundificatione maximè eminet infusum ex radice aristolochiæ rotundæ, scordio, myrrha, aloë & croco, cum spiritu vini tartarisato factum; vel Balsamus Peruvianus, *Balsamus sulphuris anisatus* vel *terebinthinatus* mistus cum *unguento basilico & Theriaca*, & cum lana carpta immittantur in ulcus apertum, imponendo desuper emplastrum de minio, emplastrum album coctum, emplastrum diapompholygos cum oleo Nicotianæ, donec ita mundificetur, & successivè consolidetur ulcus, observando, ne consolidatio adeò citò promoveatur. Sed ulcus, quamdiu possibile, apertum servetur, ut ita omnis fomes & gas pestiferum commodè eliciatur, ac removeatur: postmodùm cum emplastro diasulphuris Rulandi consolidetur.

De cætero *probè attendendum*, ne acetum buboni applicetur, teste HILDANO *in suis Observ.* Sic pariter nec *Opiata* propter dolorem, nec *Saturnina* propter ardorem, applicanda veniunt, ne venenum pestilentiale interiora repetere cogatur, vel talium abusu sphacelus parti introducatur. Quod si *bubones œdematosi aut rebelles* fuerint, quomodo tractari debeant, vid. in HORSTIO *Observ. pag.* 350. & 351. Nec Mercurius unguentis aut emplastris contra bubones addendus est, ut rectè monet BARBETTE. Exindè enim mortem observavit SCHENCKIUS *in suis Observ.*

Quoad curationem bubonum, imitari licet Barbette: caveamus nobis saltem, ne mox, uti ipse, ad vesicatoria properemus, cùm hæc non adhibenda sint, nisi bubo vel fuerit profundus, vel cutis dura, vel tumor durus. Interim post vesicatoria, Theriacalia in usum vocanda jubet HELMONTIUS.

Internè danda sunt diaphoretica, imprimis sulphura antimonialia, ut in *cura pestis generalis* jam monui. Post sudorem Julepi moderatè aciduli, propinandi eum in finem, ut malignum fermentum acre his ipsis corrigatur, & emendetur, simul tamen corpus, quantum fieri potest, in diaphoresi blandâ conservetur & retineatur.

ILPA-

II. PAROTIDES.

Parotides eodem modo tractandæ sunt ac bubones.

III. CARBUNCULI.

Quoad *carbunculos & anthraces*: cognoscuntur facilè, si cum colore purpureo & puniceo emergant,& circumcirca circulus rubicundus, quasi inflammationis, qui melior; aut lividus & ater, qui deterior,se repræsentat. *Carbunculus* talis facilè serpit, & gangrænæ instar vicinas partes inficit, donec tandem pars mortificata excidat, Interdum saltem *pustula* quædam plùs minùs *alba* apparet, materiam quasi coctam continens, quæ aperta aut compressa non tantummodò, sed etiam dura & sicca, ac profunda in partibus subcutaneis carnosis radiata apparet. Interdum *pustulæ plures* quasi hydatides emergunt, sub quibus durities inflammatoria apparet. Bubonis & carbunculi seu anthracis differentia vid in SENNERTO *de peste*.

Carbunculus talis quicunque nihil aliud est, quàm incipiens partis mortificatio. Unde in *Cura*

1. Mortificationis vicinas partes inficientis progressus inhibendus.
2. Substantia mortificata separanda.
3. Ulcus relictum mundificandum & consolidandum.

Notandum autem in genere: quod, dum in carbunculo ardor summus est, abstinendum sit in Topicis ab oleis & pinguibus, quia quandoque sphacelismi periculum inducunt, ac proindè anthracibus non secus ac bubonibus applicandus est bufo exsiccatus, aut in vino maceratus. Quidam expiscaturi, *utrum lethalis vel curabilis sit carbunculus?* emplastrum ex molli galbano imponunt: Quod si tenacissimè anthraci adhæreat, ita, ut non, nisi cum crusta avelli queat, salutis spem esse asserunt; sin verò non adhæreat, incurabilem plerumque atque lethalem esse. Item Emplastrum ex Theriaca Andromachi imponi suadent carbunculis: Quod si theriaca citò arescat & aduratur, ipsa verò carbunculi constitutio nihil immutetur à theriaca, lethale esse signum portendunt. Verùm hoc in posteriori simus cauti (quoad galbanum res est sine periculo;) quoniam observatum fuit in peste Mantuana, quæ anno 1529. superiori seculo grassata fuit, quod Theriaca carbunculo imposita attulerit mortem; salutem verò, ubi bubonibus fuit applicata: uti refert RHODIUS *in Analectis p.* 119.

Pro primo igitur scopo sapphiro in cute ducatur tamdiu circulus circa carbunculum, donec locus fiat lividus. Præcavet enim non tantummodò, ut ulteriùs non serpat carbunculus, sed paulò post aperitur & excidit, & præterea etiam vis veneni tota extinguitur: uti hoc non tantùm affirmat HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr. ubi de Peste*, & HELMONTIUS *Tractatu de Magnet. Vulnerum Curatione*; sed vid etiam MARCUS MARCI *in Philos. Veter. Restituta Sect. 5. cap. de Magnetismo Sapphiri*. (Obiter noto, quod Sapphirus sepultus sub terra novas & fortiores acquirat vires.) Hinc apex carbunculi illinatur seu tingatur *butyro antimonii* quantitate nummi: tunc, ubi eschara apparuerit, applicetur *ruptorium ex oleo lini & chamomillæ cum croco* HARTMANNI, *ubi de Peste* §. 15, vel loco talium *butyro antimonii* extremitates anthracum attingantur, sive circumducatur circulus: hoc enim ob acidum, concentratum non solùm progressum ulterioris mortificationis inhibet, & in gangræna partem mortuam à viva secernit; sed etiam totum carbunculum excidere facit. Talibus factis, vel mitiori in malo sine his, applicandum est emplastrum magneticum arsenicale Angeli Salæ, utpote quo non datur melius, & facit, ut subitò exeat carbunculus; vel ad suppurandum & aperiendum carbunculum emplastrum de fuligine, cujus descriptionem videb. in HORSTIO *Observ. pag.* 349. & 356. Alii non ineptè mox applicant cauterium actuale, utpote in parte plùs minùs mortificata minùs dolorosum, quod tanquam omnium efficacissimum à BARBETTE & HODGES prædicatur, ubi simul applicandi rationem *posterior pa.* 215. tradidit. Hoc facto, escharam ruptorio, vel in corpore tenello, solo emplastro magnetico arsenicali, successivè separant. Pinguia & oleosa, antequam escharæ secretionem moliatur natura, maximè vitanda. His factis, ubi promptè exciderit carbunculus, & factum sit foramen, pergatur cum emplastro magnetico arsenicali.

Ut suppuretur eò meliùs crusta, SENNERTUS, DIEMERBROCIUS, BARBETTE & HODGES cataplasmata attrahentia atque emollientia describunt ex allio, scordio, uva inversa, althæa, farina lentium, fimo columbino, sapone nigro, melle, &c. si dolor valdè urgeat, emplastrum de cynoglossa, aut de pomis granatorum laudatur. Postmodum etiam herbæ Paridis baccæ vel uvæ ad maturandum carbunculum, & ad mitigandum dolorem laudantur. Sunt, qui insigniter commendant cataplasma Barbette suprà descriptum. Ubi substantia suppurata probè educta fuerit, *unguentum basilicum cum emplastro tetrapharmaco & theriaca* usurpandum (vitanda vesicatoria;) *balsamo verò sulphuris* terebinthinato aut *anisato*, item oleo tartari fœtido, ulcus probè est mundificandum & abstergendum, atque convenienti emplastro consolidandum. Ad absolvendam consolidationem, ne remaneat ulcus sordidum, insigniter laudatur cataplasma ex radice symphyti majoris, contusa intra duos lapides,& repetitim applicetur; hoc enim intra paucos dies carbunculum consolidare & curare perhibent. De ulteriori carbunculi curatione vid. DIEMERBROCIUS & BARBETTE.

IV. ÆSTUS.

Ea, *quæ æstum* in genere *mitigant*, sunt in specie nitrata, v. g. pro usu *interno nitrum antimoniatum* in potu ordinario dissolutum, drach. j. ad mens. ß.; aut etiam

℞. Nitri antimonati ℈ij.
Antimon. diaph. ℈j.
M. pro 2. dosibus.
D. S.
Pulvis refrigerans & confortans.

Item *arcanum duplicatum*, *Spiritus nitri dulcis*, &c convenivnt.

Externè dissolvatur *nitrum in succo sempervivi majoris*, & *aceto rosaceo*, quibus intingantur lintea, & applicentur pulsibus, item fronti & temporibus. *Sed observandum*: non semper opus esse refrænare calorem, nisi ubi modum nimis excesserit: Deinde in febribus cum excretione cutanea conjunctis calor haud facilè sufflaminandus venit, ne motus excretorius impediatur.

V. CEPHALALGIÆ, VIGILIÆ, ET DELIRIA.

In *cephalalgia* notandum: sæpiùs *dolorem capitis* febrium continuarum, imprimis benignarum, *esse* saltim per *consensum stomachi*, vel *primarum viarum*, saltem in principio. Cujus ratio exinde desumitur, quod *vomitorio in principio morbi* dato, ut præcaventur omnia ferè præcordiorum symptomata, ita speciatim cephalalgia, quàm intensa etiam anteà fuerit, remittat: Quin &, quod *clysmata* injecta in febrium cephalalgiis subindè eandem notabiliter levent. *Sunt tamen & febres*, præsertim *malignæ*, quæ genus nervosum, adeòque & *caput*, *primariò affligunt*. hinc æstu corporis utcunque moderato caput, præsertim circa frontem, intensè ardet, agrypniæ adsunt plus minus, interdum planè non dolet. *Febres hæ sunt pessimæ notæ*, quibus correpti rarò evadunt; nempe spina maligna capiti & nervoso generi infixa est, unde illa symptomata. Quoad vigilias: hæ pertinaces in febribus, vel hypochondria ac præcordia malè affecta sequuntur; & tunc inquieti & plùs minus jactabundi solent esse ægri: vel capitis seu cerebri malè habentis sunt pedissequæ; & tunc intensior incalescentia circa frontem, oculi fulgidi, capitis plus minus perturbatio; item subindè dolor per essentiam adesse solet, ægri minùs inquieti sunt. Hæc ipsa symptomata diutiùs si durent, & graviùs affligant, delirium post se trahunt, cujus comes sunt convulsiones.

Dolor igitur capitis si in principio est, adeòque non portendit judicationem vel crisin, curandus venit. Sin verò febris sit admodùm intensa, adsuntque salutis signa, supervenit verò capitis dolor, cùm ipsa prope judicationem venerit, nil oportet tentare, quia interdum talis cephalalgia solet esse signum decretorium, vomitum vel hæmorrhagiam præsagiens. Par ratio est quoad *vigilias*, in quibus criseos tempore, vel præsentis, vel instantis, anodyna aut plùs minùs somnifera minùs tutò appli-

cari possunt. Internè verò mala hæc in genere curat *papaver*, & quælibet ex eo parata opiata. Externè verò in febribus in usu est unguentum alabastrinum, cum oleo papaveris expresso, temporibus subindè illitum; item *emulsio ex nucleis persicorum*, v.g. drach. iij. *& sem. papav. albi* drach. j. cum *aqua florum sambuci aut verbenæ aut solani parata*, ac fronti tepidè applicata; nunc cum, nunc sine camphora: Camphorata enim semper non conveniunt.

Pariter & *cataplasmata ex foliis rutæ, radice raphani & sale communi, cum fermento* susceptis, & plantis pedum applicata. Denique *nitrum in aqua appropriata quavis dissolutum*, cum linteis multiplicatis fronti ac temporibus applicatum convenit. *Observandum tamen* hic: dolorem in parte capitis anteriore à febre oriri; in parte verò posteriori à proprio capitis affectu: Confer. PRIMEROSIUS *de Febribus pag.* 321. Deinde quoad *Epithemata humida*: hæc minùs conveniunt, quando nempe corpus est in continuo madore. Talia enim dum frigida applicantur, stricturam pororum capitis, adeòque & per consensum universæ cutis diaphoreseos impedimentum, inferunt.

Hæc ipsa verò & vigiliis medentur. Præterea tamen & medulla crurum vituli recens, temporibus crebriùs illita, vespertino tempore, somni beneficium adfert. Emulsiones ex seminibus 4. frigidis majoribus, papav. errat. &c. ut interno usu, temperando sanguinis æstum, & acrimoniam fermenti febrilis, vigilias subindè compescunt, ita & externè epithematis formâ applicatæ non inutiles sunt. Internè

℞. *Essent. castor.* drach. ij.
Opii drach. ß.
M. S.
Essentia ad quietem inducens.

℞. *Aquæ flor. papav. errat.* ℥ij.
Corn. cerv. sine igne,
Antimon. diaph. an. ℈j.
Laud. op. gr. j. vel ij. vel *ess. opii* gtt. xij. ad xv.
Syr. corall. drach. vj.
M. pro 1. vel 2. dosibus:
D. S.
Potio ad quietem.

BARBETTE *de Peste* scribit: *Opio*, licet sudoriferum sit, isto pestis tempore se valdè parum fuisse usum, quod somnus primis duabus vel tribus diebus non adeo conferat. Quando verò patientes 6. vel 7. diebus continuò insequentibus nullum somnum capere possunt, & virium defectus inde sequitur, hac ratione, quod sequitur, præscriptum & assumptum egregiè contulit:

℞. *Aquæ prophylact. Barb.* ℥jß.
Borrag. ℥j.
Cinnam. drach. iij.
Conf. de hyacintho drach. j.
Sacch. perlat drach. iij.
Laud. op gr. iij.
Misc.

Exhibuit cochleatim singulo horæ quadrante, donec somnus redeat, hinc æger somnum benè naturalem, & in somno ipso dolorem sat tolerabilem, capiet. Idem tamē *Autor temerarii opii usum dissuadet*, nec impuro ventriculo ægrisque nimis debilibus dandum esse monet; quod plus nocumenti quàm emolumenti in his ab eo sit expectandum. E contrà neminem meticulosum nimis esse jubet; ne ejus usum se ignorare prodeat. Priùs verò quàm ad laudanum opiatum deveniat, *capitis dolorem* sequenti more sedare studet BARBETTE: Hederam terrestrem contusam capiti, plantis pedum, ut & volis manuum hoc vel simile admovere jubet:

℞. *Fol. rutæ* M. jß.
Fermenti acris ℥ij.
Fimi columb. ℥j.
Sal. s comm. ℥ß.
Aceti sambuc. q. s.

M. f. Cataplasma, plantis pedum & volis manuum applicandum.

℞. *Boli Arm.*
Terræ sigill.
Cretæ albæ an. ℥ß.
Aceti calendul. q. s.
Misc.
Usurpavit eod. modo.

VI. SOMNUS NIMIUS.

Interdum *profundior somnus* ægros febricitantes quasi stupidos reddit, quo in casu vitanda Theriaca, mithridatium, & electuarium diascordii, ac similia, cùm hæc ipsa opium contineant; potiùs somno nimio resistunt acetum rutaceum, sambucinum, &c. mixtura simplex, castoreum & castoreata: e. g.

℞. *Essent. card. bened.*
Castor. an. drach. jß.
M. S.
Essentia sudorifera. 40. ad 50. gutt. in aceto rutaceo.

℞. *Liqu. corn. cerv. succin.* drach. jß.
Essent. card. bened.
Castor. an. drach. j.
M. S.
Mistura sudorifera: 30 *guttæ in vino Rhenano ter in die.*

℞. *Decoct. corn. cerv. cum rad. scorz.* ℔ß.
Aquæ prophylact. Sylv. drach. x.
Mixt. simpl. drach. iij.
Essent. castor. drach. ij.
Corn. cerv. sine igne drach. jß.
Antimon. diaphor.
Flor. sulphuris an. drach. ß.
Bezoard. Jovial ℈j.
M. S.
Bezoardica Potio confortativa: *singulis horis* 2. *ad* 3. *cochlearia*.

Externè vesicatoria cervici, item carpis aut malleolis applicata, sunt optima. Conf. HORSTIUS *in Observ. pag.* 383., *in Praxi p.* 26. Naribus applicatur acetum rutaceum, sambucinum, vel etiam succus rutæ aceto mistus; item castoreum aceto intinctum, &c.

Vel

℞. *Thuris*,
Bacc. lauri,
Piper. nigr. an. ℥ß.

Subigantur probè cum *albumine ovor.* imponatur fronti q. s. & somnolentiam arcebit.
D. S.
Externum epithema.

VII. NARIUM HÆMORRHAGIA.

Hæmorrhagia narium varia est, pro varietate febrium. Circa hanc notandum est: an hæmorrhagia sit critica? an verò symptomatica? Critica intempestivè suppressa quæ mala intulerit? & quomodo ipsa correcta sit? videb. apud HEINRICUM *ab* HEER *in Obs. pag.* 70. Hæmorrhagia talis febrium *sistitur*, *vel* sanguinis fluxum prohibendo, *vel* locum apertum occludendo: *illud* priùs, *hoc* posteriùs: *Illud* imprimis revellentia aut derivantia, aut internè Refrigerantia præstant. Quod si sedata fuerit hæmorrhagia, placet consilium SYDENHAMI *in Methodo medendi febres p.g* 61., laxationem alvi esse instituendam, si nempe alia non impediant. Inter *interna excellit laudanum opiat. & omnia papaverina* etiam, & præsertim in malignis, præmissis præmittendis: vid. TIMÆUS *in Cas. pag.* 378. HORSTIUS *Observ. lib.* 1. *Obs.* 27. Hinc & aqua papaveris erratici cum syrupo de portulaca & papavere; hinc & succi aciduli, cydoniorum, ribium, syrupus portulacæ, aut plantag. ac deniq; terræ sigillatæ, lapis hæmatites, corallia, Bezoardicum Martiale, aut antimonium diaphoreticum Martiale, &c. Inter *externa* autem imprimis confert acetum, si hoc ipso abluantur manus ac pedes: vel epithemata ex aceto collo applicentur; vel *creta cum aceto* in forma cataplasmatis temporibus ac fronti; aut ex argilla & bolo communi cum aceto subactis, in forma cataplasmatis fronti ac nuchæ applicentur. *Bufo vel vivus* sub alis applicatus, *vel exsiccatus* simili ratione sub axillis detentus, vel pugno compressus, ut probè incalescat, potenter hæmorrhagias sistit. Denique nitrum ad drach. jß. in aqua frigida dissolutum ac propinatum hæmorrhagias sistit: Conf. RIVERIUS *Cent.* 1. *Obs.* 48. Quod facit *Julepus Primerosii*, quo sæpe usus fuit ad compescendam hæmorrhagiam, aliis irritis:

℞. *Aquæ symphyt.*
Plantag. an. ℥iv.
Syr. de rosis sicc.
Plantag.
Cydon. an. ℥ß.

Aceti vini albi ℥iij.
Nitri antimoniati aut *depurati* ℥j.
Spiritus vitrioli gutt. x.
Misc.

BARBETTE *Obs. Histor.* 2. In quadam, peste, & insuper hæmorrhagiâ dies 5 vel 6. laborante, ad sanguinem incrassandum, & sic cohibendum, ordinavit sequens, de quo sæpiùs cochlearia duo haurire jussit:

℞. *Aquæ rosar.*
Plantag. an. ℥iv.
Cinnam. ℨvj.
Sangu. dracon.
Corall. rub. præp. an. ℈j.
Confect. de hyacinth. ℨj.
Spiritus salis gutt. viij.
Syr. berber. ℥iß.
Misc.

Ex hujus usu hæmorrhagia fuit sedata, sanitas & mens redierunt.

VIII. SITIS.

Sitis, molestum perquam symptoma, sedatur convenientissimè per *nitrata*, & per *acidula*. *Nitrata* inter excellit *nitrum antimoniatum* in quovis potu dissolutum: quò etiam facit serum lactis depuratum, imprimis succo citri acidulatum. *Acidula inter*, tàm vegetabilia quàm mineralia, *excellit julepus* ex *Aqua communi*, acidulata cum *spiritu salis* & *syrupo citri*, additur gelatina cornu cervi sudorem simul movens: Vid. RIVERIUS *Cent.* 1. *Obs.* 19. *Cent.* 4. *Observ.* 83. PIENS *de febribus Part.* 2. *cap.* 29. Ex vegetabilibus acidis vulgò notis, tamarindorum pulpa aut Decoctum conveniens est, ubi alvus simul aperienda venit; item Julepi citrati blandè acidi, &c.

℞. *Decocti citri cum corn. cerv. & rad. scorz.* ℔j.
Syr. ribium,
Berb. an. ℥iß.
Succi citri q. s.
M. f. Julepus: S.
Julepus refrigerans confortativus pro siti.

Huic & similibus Gelatina corn. cerv. addi potest.

IX. CARDIALGIA ET VOMITUS.

Sal absinthii valdè prodest in vomitu & nausea febrium: Confer. RIVERIUS *Cent.* 1. *Observ.* 47.: Item conserva menthæ, Extractum tormentillæ, &c. sunt egregium.

Vel

℞. *Cons. menth. vitriolat.*
Pulp. citri an. ℥iß.
Condit. cort. citri,
Elect. diascord. Frac. an. ℨvj.
Conf. alcherm. ℨij.
Salis absinth. ℨj.
Cum *succo cydon.* vel *citri* f. Electuarium:
D. S.
Electuarium stomachicum ad quantitatem castaneæ pro una dosi.

Præscribi potest in nausea, fastidio cibi, & singultu

Item

℞. *Mixt. simpl.* ℨij.
Spiritus nitri dulc. camph. ℈ij.
M. S.
Spiritus stomachalis.

De quo sæpiùs guttæ 20. 30. ad 40. in vino sunt exhibendæ.

Conferantur etiam remedia BARBETTE *usitata in Descript. Pestis* in vomitu febrium pestilentialium: Nempe

℞. *Aquæ menth.*
Prophyl. Barb. an. ℥iß.
Cinnam. ℥ß.
Conf. de hyacinth. ℨj.
Salis corall. ℈j.
Syr. myrtin. ℥ß.
M. f. Potio.

De quâ omni dimidiâ horâ cochleari, recipere jubet pro ordinario potu: ex cujus usu vomitus plerumq; sedatur, si non ex carbunculis stomachi & intestinorum oriatur: simulque regio ventriculi ter vel quater quotidiè oleo sequenti inungatur:

℞. *Olei nucist. express.* ℨiß.
Muc. destillat. ℨß.
Absinth. ℨj.
Misc.

Intereà parcus potus conceditur; sedato verò vomitu mox sudoriferum exhibeatur. Egregium quoque est Emplastrum de caranna, aut quod BARBETTE *in Prax. lib.* 4. *cap.* 2. commendat; item ex tacamahaca & Balsamo Peruviano cum theriaca malaxata; vel sacculus stomachalis interpassatus ex mentha crispa, absinthio, rore marino, & rosis rubris; vel ex fermento cum baccis juniperi, caryophyllis, nuce moschata, mace, & aceto rosaceo cataplasma paratum calidè applicandum.

Præsentanei ferè effectus est Epithema illud ex Spiritu vini rectificato, Aqua apo lectica, theriaca & camphora, quod vid. in *Colleg. Formul. Class.* 3. §. 7.

DIARRHOEA, ET TORMINA ABDOMINIS.

Alvi fluxus, uti & *Tormina abdominis*, curat in specie electuarium diascordii Fracastorii à ℨj. ad ℨij. propinatum: verb. grat.

℞. *Aquæ plantag.* ℥j.
Aceti sambuc drach. ij.
Elect. diascord. Frac. drach. j.
Extr. torment. gr. ij.
Syr. plantag. drach. ij.
M. pro 1. dosi: S.
Potio adstringens pro una dosi.

Vel

℞. *Aquæ plantag.* ℥ij. vel iij.
Cinnam. drach. iij.
Elect. diasc. Frac. drach. ij.
Cornu cervi sine igne ℈ij.
Antimon. diaphor. gr. xv.
Spiritus salis dulc. drach. j.
Syr. portulac. ℨiij. M. D. S.
Adstringens Potio confortativa cochleatim.
Capiatur pro lubitu.

℞. *Essent. menth.* drach. ij.
Quintæ essentiæ cinn. drach. j.
Essent. opii drach. ß.
M. D. S.
Essentia adstringens.

Propinatur in vino dosi guttular. 50.

℞. *Corn. cerv. usti præp.*
Extr. tormentill. ana ℈j.
Antimon. diaph. gr. xv.
Camph. gr. vj.
Misc. pro pulvere:
Div. in 2 part. æqu.
D. S.
Adstringens pulvis sudoriferus.

Item Essentia theriacalis ad gutt. 30. vel 40.; item Extractum theriacale ad gr. iij. vel jv., aliaque similia: *Anodyna* autem & *opiata* sunt optima, quibus adduntur & *absorbentia*, nempe cornu cervi ustum, bolus Armena, terra sigillata, crystallus præparata, cum conserva rosarum antiqua propinata. Cydoniata denique quælibet sunt usitatissima.

XI. SUDORES NIMII.

Rariùs equidem sudores nimis vexant sub febrium motu, quia moderati sunt exoptati: interdum tamen post febres continuas, aut graviores, aut paulò diuturniores, crebri sudores nocturni ægros vexare solent. atrophiam minantes, ex deficiente nutrimenti chylosi assimilatione, ob sa guinem depauperatum nati. Hos ipsos & *emulsiones temperantes*, vel *absorbentia coralliata*, interdum *Martialia*, *cum aromaticis subjunctis amaris*, v. g. absintio, curant: Conf etiam SYDENHAM *in Obs. p.* 335. De cetero corpore adhuc pleno in febribus non eliciendi vi, quia facilè translatio fieri potest ad caput, ut rectè monet BALLONIUS *Pharos Med. p.* 215.

XII. URINÆ SUPPRESSIO.

Quoad *urinarios affectus*: *suppressio hujus* interdum supervenit, quæ *interdum* criseos per sudores imminentis indiciũ

est, præsertim si prægresso sudore superveniat. Confe-ratu Henricus ab Heer *Observat. p. 62. Interdum* in statu sine criseos indiciis supprimitur, vel in delirantibus, vel alio modo affectis. In talibus regio pubis illinenda venit sequent. Linimento:

℞. *Vngu. de altb.* ℥ß.
Olei scorpion. simpl. ℥j.
M. D. S.
Vnguentum aperiens.

Applicetur crebriùs.
Vesicatoria vitentur.

XIII. SYNCOPE, CORDIS PALPITATIO, ET ANXIETATES.

Ad *syncopen, palpitationem cordis*, & *anxietatem*, à sanguinis nimia ebullitione, aut symptomatis spasmodicis, aut etiam sanguine coagulato oriundam, præter externa, spiritus animales torpidos excitantia, convenit aliquid confectionis alchermes, qui ferre possunt, castoreum & castoreata, spiritus carminativus de tribus, liquor cornu cervi succinatus, spiritus salis ammoniaci succinatus, &c. Quando verò ex ventriculi cruditatibus originem trahunt, ante omnia conveniunt absorbentia, vel sola, vel cum volatilibus sociata: e.g.

℞. *Aquæ theriac.* ℥ij.
Tincturæ bezoard. ℥ß.
Spiritus salis ammoniaci theriac. ℈j.
Pulv. viperin. seu *bezoard. anim.* ℥j.
Syr. cort citri ℥ij.
M. D. S.
Potio confortans, cochleatim capienda.

℞. *Corall. rub. præp.* vel *ebor. sine igne* ℥j.
Cinnab. antimon. ℥ß.
Sal. volat. cornu cervi gr. xvj.
Succin. gr. viij.
Campb. gr. jx.
M. pro pulvere:
Div. in 3. part. æqu. S.
Pulvis confortans.

Inter externa pro temporibus & facie irrorandis:

℞. *Aquæ hirund. cum castor.* ℥j.
Carbunc.
Spiritus meliss. vel *citri* vel *rosar.*
Viridis æris ana ℥ij.
M. D. S.
Aqua externa ad illinendum.

℞. *Herb. serpill.*
Maior.
Flor. lavend.
Castor. ℥j.

F. Nodulus vel sacculi pro pulsibus, aceto rosaceo vel aquâ hirund. cum castoreo, vel Mixturâ præscriptâ irrorandi.

XIV. PRUNELLA.

Ad *Prunellam* seu *Anginam*, & incipientem *oris nigreditem Gargarismus* ex prunella, salvia, scordio, cum rosis rubris missis, &c., aquæ hordei decoctis paratus, addito nitro, sale ammoniaco, unà cum syrupo papaveris rhœdos, & diamoron confert: e.g.

℞. *Herb. scord.*
Prunell. ana Mj.
Veron.
Flor. scabios.
Malvæ arbor.
Rosar. rub. ana Mß.
Incis. dentur ad chartam: S.
Species mixtæ ad gargarisma.

Simul quoque externè collo sacculus integro croco, floribus sambuci, & spiritu salis ammoniaci irroratus, & interpassatus ita siccus calidè applicetur.

XV. TREMOR MEMBRORUM ET TENSIONES.

Ad *Tremorem & membrorum tensionem vesicatoria* suprà allegata pulsibus manuum & supra genua in parte interiore, imò contra nimias anxietates præcordiorum, etiam sub axillis, & supra umbilicum cautè applicari, vesicæ inde ortæ maturè aperiri queunt.

XVI. MACULÆ.

Ad *maculas* non rarò diebus criticis, quarto, septimo, vel nono, in corpore hinc inde, præsertim dorso, brachiis & cruribus, ceu morsus pulicum, quandoque ut vibices longiores provenientes, *sudorifera* suprà nominata continuentur: inter quæ myrrhata & castoreata excellunt cum salibus volatilibus; hinc Electuarium sequens:

℞. *Elect. diascord. Frac.* ℥ß.
Corn. ceru. sine igne.
Salis card. bened. an. ℥j.
Myrrh. elect. ℥ß.
Cum s.q. *Syr. rubi Idæi* f. Electuarium: D. S.
Electuarium ad venenum expellendum pro 6. vicibus.
Capiatur in vino calido.
Item pulvis sequens:

℞. *Corn. ceru. sine igne* ℈ii.
Antimonij diaphor.
Salis card. bened. ana. drachm. ß.
M. f. Pulvis:
Div. in 6. part. æqu.
D. S.
Pulvis venenum expellens.

℞. *Pulv. diaph. Ludov.* drachm. jß.
Antimonij diapb. drach. j.
Campb. drachm. ß.
M. pro pulvere:
Div. in 6. part. æqu.
D. S. ut antè.

℞. *Corn. ceru. sine igne* drachm. jß.
Salis card. bened. drachm. ß.
Campb. gr. xv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis expellens.

Caveatur sedulò frigus, & fricetur quotidiè corpus sacculo, sale calido vel sale petræ repleto, & præterea de Decocto sequenti sæpè bibendum:

℞. *Ras. corn. cerv.*
Rad. scorz. an. ℥jß.
Flaved. cort. citri ana drach. iij.
Sem. acetos.
Anisi ana drach. j.
Misc. & contus. coqu. in s. q. Aquæ:
Colatura edulcoretur instar Julepi.
D. S.
Potio confortativa & expellens.

Vel mediante hac f. Emulsio ex seminibus expellentibus cum myrrha ad imitationem ZWELFERI *in Phar. Reg. p. 209.* Vel

℞. *Flav. cort. citri* drach. ii.
Sem. galeg. rec.
Aquileg.
Card. bened. an drach. jß.
Myrrb. elect. drach. ß.
Cum Decocto jam præscripto f. Emulsio: adde
Corn. ceru. sine igne ℈ij.
Antimonij diapb. ℈j.
Edulcoretur parum:
D. S.
Expellens emulsio confortativa.

Sed etiam *cucurbitæ siccæ* passim in dorso, brachiis & cruribus calidè affigendæ, & sæpiùs detrahendæ, vel dictis sacculis, sale vel nitro refertis, & lixivio calido humectatis, corpus calidè benè fricandum, ut eò meliùs cutis aperiatur, & maculæ excernantur, nec retrocedant.

SECTIO XVI.

DE

SANGUINIS EX CORDE IN PARTES MOTU, ADEOQUE CORDIS, HINC ET ARTERIARUM, PULSU LÆSO.

UT pateat connexio cum prioribus, superiùs habuimus in genere de sanguificatione læsa, & inde natis febribus, & fit, quando sanguis non rectè fermentatur, & in præcordiis ab aere inspirato non rectè resolvitur, unde tunc simul fit vitiosa chyli assimilatio: Quæ vitia sanguificationis ex læsa particularum, massam ejus componentium, crasi oriri diximus; sive hæc crasis vitietur vitio chyli, sive vitio massæ sanguineæ, aut hæreditario aut adscititio. Verùm inter utrosque intercedit alteratio ab aëre inspirato & expirato: hujus ergo vitia inserenda fuere.

Jam ergò in præcordiis sanguis ab aëre alteratus & perfectior factus, non ibidem hæret & subsistit, aliàs præsentissimum immineret mortis periculum; sed ulteriùs ex corde movetur per arterias in universum corpus, & hinc per venas undique revehitur ad cor: qui motus cùm fiat per circulum, propterea dicitur circularis, cujus centrum est cor; peripheriam constituunt externæ corporis partes; lineas ex centro ad peripheriam constituunt venæ & arteriæ, hinc etiam ubique arteriis venæ, & venis arteriæ respondere solent, excepto cerebri cortice & hepate. Ratione modi consistit hic motus sanguinis in pulsu, dum ex corde in arterias, & hinc in venas, impellitur. Duplici constat motu hic pulsus cordis & arteriarum:

1. Est verus & propriè dictus motus, qui est contractio seu systole.
2. Est impropriè dictus motus, qui est dilatatio seu diastole.

Illo agunt hæ partes, dum se contrahunt, & ita contentum sanguinem ulteriùs propellunt: in hoc verò reverà patiuntur, dum à turgescentia saguinis dilatantur ac distenduntur. Conf. de hac sanguinis circulatione WALÆUS *in Epistolis de Chyli & Sanguinis motu*, item *Charleton in Oeconomia animali Exerc. 6.* item HARVÆUS *de motu sanguinis*; item CONRINGIUS *de Generatione & Motu sanguinis* PAULUS SARPA, Religiosus Venetus, BARTHOLINUS *in Epist. C. 1. Epist. 26.* Vid. etiam HIGHMORUS *Disquis. Anatom. de arteriis cerebri*.

Cor à sanguine ex auriculis ad ejus ventriculos, imprimis dextrum, illapso & turgescente, expanditur, quâ expansione fibræ, cordis parenchyma constituentes, extensæ irritantur, h. e. nimio distensionis & læsionis sensu afficiuntur, inde copiosè per nervos irruunt spiritus animales, qui has fibras movent & contrahunt, quâ contractione conus cordis ad ejus basin movetur, motu quasi turbinis contorto, unde parenchymate crassescente angustantur ventriculi, & ita exinde sanguis impetuosè in arterias evibratur, donec expulsione istâ factâ spirituum impetus cessat, unde cor ceu flaccidum denuò subsidet, & illabentem sanguinem ex auriculis recipit. Est enim cor reverà musculus, & musculorum in modum movetur, ut jam olim statuit HIPPOCRATES, & noviter confirmavit STENO *in Observ. de Glandulis & Musculis*, item HIGHMORUS *in Disquis. Corp. Anatomica*, item LOWERUS *Tract. de Corde*.

Pulsus iste continuatur in arteriis, quæ etiam habent systolem & diastolen, cordi tamen contrariam. Cor enim, dum instar musculi se secundùm fibras suas contrahit, cum impetu sanguinem rarescentem exprimit in arterias, quarum tunica crassa & nervea ab impellente isto sanguine violenter dilatatur, simulque, qui in ea est, sanguis ulteriùs pellitur. Ubi verò cor denuò repletur & distenditur, dilatatæ arteriæ fibris suis nerveis circularibus denuò se contrahunt, & sanguinem eos dilatantem in venas propellunt, donec novo sanguinis impulsu denuò per universum corpus dilatentur. Dependet ergò arteriarum motus dilatatorius à solo cordis impulsu, & hinc factâ sanguinis eruptione; id quod modernorum sanguinis transfusio ulteriùs confirmat: Motus verò constrictorius dependet ab ipsis arteriarum fibris nerveis. Descriptionem Anatomicam arteriarum videbitis in WILLISII *Pharmaceutica Rationali pag. 282.* Conferatur etiam quoad arteriarum motum PLEMPIUS *in Fundamentis Med. pag. 130. & 173.*

Non pulsant autem venæ:

1. Quia sanguis non tanto impetu irruit.
2. Quia tunicæ molles, & facilè cedunt.
3. Quia movetur à vasis minoribus ad majora.
4. Quia sanguis non est adeò tenuis, subtilis, & æstuans, ut in arteriis.

Vena cava tamen circa insertionem suam prope cor utplurimùm etiam pulsare solet, observante hoc WALÆO *in Epist. l. c.*, idque ob fibras nervosas, quas obtinet.

Motus hic, qui vocatur, uti dixi, pulsus, imprimis consideratur à Medico eum in finem, ut cognoscatur, qualis sit sanguinis fermentatio in corde? sicut secundò exploratur urina à Medico, ut cognoscatur sanguinis status ex turgescentia illa resultans, & pro fermentationis varietate subindè varians.

In hoc pulsu tria sunt consideranda:

1. Sanguis, qui movetur.
2. Efficiens, quod movet: Et
3. Instrumenta seu Canales, per quos movetur.

Pro ratione horum trium emergunt simplices & generales pulsuum differentiæ: Et quidem

1. Ratione mobilis, seu sanguinis motus pulsus est vel magnus, vel parvus: Magnus, quando arteria sanguine turgescente distenditur: Parvus, quando minùs eadem distenditur. Ad hunc pulsum refertur etiam plenus, & vacuus.
2. Ratione partis moventis, pulsus est vel vehemens vel debilis: A corde enim vehementer se contrahente, & sanguinem ita vibrante, pulsus fit validus vel robustus; si contrà, fit parvus.
3. Ratione ejusdem instrumenti, nempe arteriæ, pulsus est vel mollis, vel durus. Mollis ab arteria cedente tactui. Durus ab eadem arida, & tactui quasi renitente.
4. Ratione temporis inter plures pulsationes observabilis, est pulsus frequens, & rarus: Frequens est, quando sanguis celeriter movetur, & ebullit in corde, sicque totùm cor distendit: Rarus est ab immutata sanguinis fermentatione ac rarescentia.
5. Ratione temporis inter plures pulsationes observabilis, pulsus est vel celer, vel tardior: Celerior à fortiore irritatione; irritatum enim cor cum impetu ac violentia evibrat sanguinem, unde subitò ac celeriter irritantur arteriæ: Contrà minùs irritato corde etiam minùs irritantur arteriæ, & sic fit pulsus tardior.

De his vid. præter MOEBIUM, SYLVIUS *Dissertat. Med. 3. de sanguificatione & sanguinis motu*, item *in Praxi lib. 1. cap. 26.* Non enim alius est, qui magis perspicuè, simulque accuratè negotium hoc tractavit. Et ex his simplicibus pulsuum differentiis omnes reliquæ, quæcunque pulsuum differentiæ compositæ, æqualitates & inæqualitates, dependent, & facillimè cognoscuntur.

Locus, ubi percontatur pulsum Medicus, est (1.) carpus manus, (2.) est interstitium inter pollicem & indicem in parte molli, (3.) sunt tempora, quando v. g. in prægnantibus corpus non debet detegi, (4.) locus circa talos pedum, *bey denen Knocheln*.

Unus idemque sanguis est, qui per arterias & venas circulatur, accidentales tantummodò habet quasdam differentias. (1.) Arteriosus sanguis est seriosior venoso, propter urinam, lympham, & insensibilem transpirationem,

nem, quæ serum sanguinis arteriosi imminuunt. (2.) Ex uberiori sero, & propter spiritus copiosos, arteriosus sanguinis longè est tenuior, subtilior & calidior; venosus verò est crassior & torpidior. (3.) Arteriosus est rubicundior & fluidior, venosus est obscurior & nigrior, cujus causa est in aëre inspirato, quo in pulmonibus attenuatus sanguis arteriosus fluidior apparet venoso: Conf. LOVVERUS *in Vindicat. Pyrotol. Willisianæ pag. 59. & Tract. de Corde pag. 174.*

Finis circulationis, seu continuati sanguinis per pulmones & cor motus, est ut *sanguis novo vitali vigore in pulmonibus & corde impraegnetur*, qui anteà longo per corpus motu erat infractus. Consistit autem hic ipse novus vigor in renovata sanguinis fermentatione, indeque nova caloris exsuscitatione, & spirituum vitalium regeneratione.

Usus sanguinis est, ut sit materia, unde nutriatur & augeatur nostrum corpus. Sed cùm sanguis liquor sit in se homogeneus, qui solus corpus nostrum nutrire non posse, propter diversitatem partium nutriendarum, conclusum fuit; unde Angli succum quedam albicantem roridum ex nervis allatum pro nutriendis partibus spermaticis commenti sunt, v. g. GLYSSONIUS *in Anat. hepatis cap. 45.* CHARLETON *in Oecon. Anim. Exerc. de Sang. usu & succo nervorum nutritio*, & ENTIUS *in Apologia pro circulatione sanguinis contra Parisanum*: sed hanc opinionem refutarunt & sufficienter rejecerunt BARTHOLINUS *Spicileg. 1. c. 3.* item STENO *de Glandulis oris §. 32.* nec non DEUSINGIUS *in Exerc. de Sanguinis usu, & commento succi nutritii per nervos influentis.* BARBATUS verò præter sanguinem etiam sero partes nutriri ait in *Dissert. de sanguine & ejus sero*; cui BILSIUS rorem suum substituit, eumque nervosas partes nutrire, vel saltem ad nutritionem disponere statuit.

Ut, quod probabilius videtur, disseramus, considerandus venit sanguinis status, quem ex chylo infuso continuò resarciri notum est; non autem chylum, sanguini in vena axillari sinistra permistum, unico per cor transitu in sanguinem abire, sed sensim sensimque, suprà ostensum fuit. Probabile ergò videtur: sanguinem (dum consideratur pro massa illa, quæ per arterias & venas circulatur) ad omnes corporis partes distribui, ut eas per spiritum vitalem vitali in vigore conservet, simul tamen etiam eas nutriat & augeat, sed pro diversitate partium diversimodè: partes nempe spermaticas dictas parte sui chylosâ nondum in sanguinem transmutatâ; parte verò sanguineâ perfectâ partes sanguineas: *cui sententiæ adstipulantem vid.* BARTHOLINUM *Cent. 2. Epist. 65. item Cent. 3. Epist. 38.* SCHNEIDERUM *de Catarrhis lib. 2. pag. 85.* item *lib. 3. p. 95.* & BOYLEUM *Dissert. de usu lactis. Quò spectat etiam gelatina seri lactea, de qua* BARTHOLINUS *Cent. 2. Epist. 33. item* BARBATUS *de sanguine & ejus sero.* Facit etiam huc coagulatio seri à spiritu nitri in crassamentum quasi caseosum, quod nihil aliud, quàm chylus, sub seri tegmine occultatus, tàm pro nutrimento partium nervearum & his cognatarum, quàm pro aliis usibus per universum corpus distributus. Imò quicquid contra sanguinis asperitatem pro succi nervei benignitate in puncto nutritionis Angli tantopere urgent, quamdiu intra materiæ nutritivæ limites subsistunt, optimè chylo, sanguini non dum assimilato, diuturno tamen cum eodem circulo certo modo alterato, applicari potest. Quæ ipsa non parùm illustrat experimentum, quo anserum probè saginatorum sanguinem, ubi refrixerit, albissimo lacte supernatante cooperiri constat; secus ac in iisdem non æquè saginatis fieri observatur: Vid. BORRICHII *Herm. Ægyp. & Sapient. pag. 262.*

Rationes, quæ hoc nutrimentum duplex persuadere videntur, præter experimenta, quæ chyli in sero copiosam præsentiam innuunt, & suprà allegata fuerunt, sunt:

I. Statuta est sententia ab omnibus: Quibus constamus, iis etiam nutrimur & augemur. Jam verò partes nutriendæ & augendæ sunt duplices: spermaticæ, & sanguineæ: Illæ ex rorido, albumini ovorũ simili, liquore in ovo uterino immediatè generantur, quibus ceu staminibus postmodùm per sanguinis adhæsionem sanguinea parenchymata agglutinantur: Vid. HARVÆUS *de Generatione animalium*, item CLAUDIUS *de la Courvee Tract. de Nutritione Fœtus in utero Part. 2. cap. 6. & 8.* Duplex ergò alimentum requiritur illis assimilandum: chylosum nempe, pro spermaticis seu nerveis; sanguis verò pro sanguineis.

II. Quò crassiores sunt homines & pinguiores, item quò magis nutriuntur & augentur, eò videtur sanguinis fermentatio debilior, eòque chyli in sanguinem transmutatio tardior, indeque alimenti chylosi major abundantia. Hinc phlegmatici, h. e. quorum sanguis chylosior existit, & sanguinei, h. e. quorum sanguis magis temperatus & dulcis est, uti ut plurimùm sunt proceri, ita etiam crassi: Illi tamen magis, quàm hi. Cholerici verò, h. e. quorum sanguis acrior & salsior existit; melancholici item, h. e. quorum sanguis macrior, & respectivè acidior est, sunt macri, & interdum parvi: in illis enim lenta & blanda est sanguinis fermentatio; in his verò eadem est citata: Unde ibi uberior chyli abundantia propter tardam assimilationem; hìc verò nutrimenti chylosi paucitas, ob citam ejus in sanguinem conversionem. Ex eodem etiam fundamento infantes & juniores citiùs augentur, quàm seniores; quia in recens natis pluribus in locis lacteus liquor reperiri solet.

III. In vulneribus partium nervosarum destillat aqua quędam limpida, sinovia dicta, post cujus nimium fluxum exarescunt membra: illa ergo aqua videtur esse nutrimentum proximum illarum partium, licèt ob alterationem in vulnere corruptum. Sic in ossium fracturis adnascitur callus, similis ossium substantiæ, qui oritur ex nutrimento ossis, in motu suo impedito, hinc coacervato & coagulato; qui callus tamen nullo modo sanguini, aut partibus sanguineis similis existere solet.

IV. Impossibilis est explicatio, quomodo sanguis iste rubicundus, ex chylo candido genitus, possit denuò in liquorem lacteum seu albicantem pro nutriendis partibus spermaticis converti.

V. Per diuretica, hinc per sudorifera, non secus ac per exercitia crassi valdè emaciantur. De diureticis vid. HELMONTIUS *Tract. Latex Humor neglectus §. 44.* & *Tr. Jus duumvirat. §. 59.* item SCHENCKIUS *l. 3. Obser. de Diabete pag. 456. Item masticatione foliorum Tabaci per copiosam salivationem ingens corporis crassities curata refertur à* BORELLO *Cent. 2. Obs. 11.*, quod vix aliâ ratione, quàm per crebriorem ptyalismum contigisse videtur; quò & BORELLUS *l. a.* inclinat, cum foliis lauri, quod multas aquas educant: Tartari usus crebrior corpora emaciat, nam urinam provocat: ratio hujus effectus alia dari nequit, quàm quod separatum serum per urinam, & cum eo pars nutrimenti chylosi liquefacta & resoluta evacuetur.

Vitiatur cordis motus seu pulsus, & hinc consequenter sanguinis distributio, variis modis:

1. Quando eadem augetur, simulque depravatur in palpitatione & tremore cordis.
2. Quando eadem plus minùs imminuitur aut deficit ferè in syncope, & virium prostratione, in quibus pulsus aut est mollis vel tardus, debilis & parvus.
3. Quando eadem est nimis frequens & celer, nempe in febribus.

CAPUT I.

DE

CORDIS PALPITATIONE, & HUIC COGNATO TREMORE.

Palpitatio cordis est, quando *cor impetuosè admodum & vehementer subsultat & pulsat*. Est enim reverà *cordis palpitatio* motus ejusdem nimis inordinatus & convulsivus, coactus & vehemens, quò forti systole se contrahit, utut nunc vehementior, nunc mitior, nunc major, nunc minor, nunc verò mediocris. *Palpitatio* hæc cordis seu motus nimius vix sufficienter ex arteriarum pulsu cognosci potest: sæpiùs enim necesse est, regioni sterni circa latus sinistrum, ubi cordis pulsus optimus, admovere manum prò ritè percipienda cordis palpitatione, pulsu ipso in arteriis subindè vix aut leviter mutato, utut leviori in malo celerior aut frequentior soleat observari. Non verò opus est semper, cùm interdum sit adeò vehemens, ut solo auditu possit percipi, vel visu cognosci, adeò ut prostent exempla cordis palpitationum, in quibus sonitus

ad

ad distantiam percipi potuerit; qualia videbitis exempla in TULPIO, qui convulsivam cordis palpitationem in platea dissita audivit; & BARTHOLINO *Hist. Anatom.* 28. *Cent.* 1.; sicut EPIPHANIUS FERDINANDUS *Hist.* 79 culcitras superstratas amovisse observavit: vel etiam costæ distractæ, & ferè diffractæ fuerunt: Vid. SCHENCKIUS *lib.* 2 *Observat.* HORSTIUS *lib.* 3. *Obs.* 17. HOE HSTEDTERUS *Decad.* 9. *pag.* 61. MAYOW *de Motu musculorum pag.* 96. Et PISO *de colluvie serosa p.* 66. notat palpitationem cordis, in qua indumenta quasi flabello mota inæqualem cordis motum æmulabantur, & thorax & sternum ab illo motu à sede naturali dejecta mediocriter extuberabant. Ex quo affectu patet, esse convulsionem musculi cordis in tali palpitatione.

Contrarium quodammodò cordis palpitationi est vitiū.

TREMOR CORDIS.

Motus scil. ejus quodammodò deficiens, vibrans & tremulus, imminutam ac vitiosam cordis constrictionem insequens, in qua fibræ musculorum cordis celerrimè & quasi semicontractè systoles & diastoles vices obeunt. Confunduntur communiter hic cordis tremor & palpitatio, & vix reperietis quendam Practicum, qui hæc non confusè tractet, cùm tamen toto cœlo differant: *Palpitatio* enim est immoderata & vehemens cordis concussio, impetuosissima, systole ac diastole molesta, in qua cor violenter concutitur & quatitur, & dicitur hic motus rectè ab HIPPOCRATE, à quo jam suo tempore cor habitum fuit pro musculo, *cordis convulsio*: id quod uberiùs confirmat LOWERUS *Tract. de Corde pag.* 132., sicut modum, quo fit cordis palpitatio, optimè descripsit MAYOW *de Motu musculorum pag.* 95. *Tremor cordis* verò dicitur, cùm minores sunt pulsus & crebriores, & quasi tremuli, pulsui languido & crebro similes. Oritur equidem à musculi cordis irritatione. Verùm in hoc est differentia, quod cor agitatum palpitet, quando vires adhuc sunt robustæ & constantes; dum verò sunt imbecilles ac prostratæ, cor irritatum tremulo motu vibratur, adeò ut tremor cordis pertineat suo modo ad symptomata virium imbecillium, & etiam quodammodò ad lipothymias. In palpitatione cordis fibrarum vehementia; in tremore verò crebritas earum imprimis observatur, ut rectissimè hæc distinguit WILLISIUS *Pharm. Rat. P.* 1. *pag.* 260.

Illustrari potest per experimentum Anatomicum, si nempe ex cane vivo cor extrahatur, quod aciculâ punctum convellatur aliquoties; si verò ejus pulsus penitùs languescat, tunc, si denuò attingatur, tremorem exhibebit, & motum vibratorium. Quidni ergò palpitatio & tremor similis in corpore vegeto adhuc excitari poterit?

PARS AFFECTA.

Pars affecta in Palpitatione & Tremore primariò *est cor*, quippe cujus substantia musculosa præternaturali motu in convulsionibus & motibus convulsivis movetur. Cor enim esse musculum, & ex musculis compositum, videb. in LOWERO *l. c.* & STENONE *de Glandulis & musc.* item in *specimine musculorum Geometrico*. Jam verò, cùm omnis motus convulsivus in machina corporis nostri præsupponat sensationem nimiam, cujus occasione sequatur spirituum influentium impetus, proindè facilè patet, proximam *causam palpitationis consistere in tali sensatione molesta aucta*; uno nomine: *in irritatione*. Sicut verò sensationem nimiam limitat vis cordis movens in spiritibus consistens: ita si cordis vis motiva sit nimis valida, oritur ejus palpitatio; si debilior, fit tremor, aut cordis motus vibratorius, inæqualis & varius.

CAUSÆ.

Causa convulsionis cordis in ejus palpitatione, & motus ejus convulsivi tremuli in ejus tremore, est omne id, quod quacunque ratione aut musculos cordis, aut nervos ad cor derivatos, irritare & vellicare, adeòque ex impetu spirituum ad convulsionem stimulare potest.

Causæ tales irritantes investigandæ *sunt vel in ipso organo motu*, nempe, in corde ipso, *vel in motus medio*, i. e. in nervis cordis motui inservientibus. Ratione *cordis causa irritans* est respectu ejus parenchymatis, *vel* extra cor in ejus ambitu, eaque frequentior, *vel* intra cor & ventriculos ejus.

Inter causas extra cor subindè observata fuit aqua *pericardii* nimis *abundans*, quæ aqua nil aliud est, quàm lympha eò per certa vasa lymphatica derivata, ex glandulis thoracis se eò effundens; sicut etiam MARCHETTE observavit, ductum ex inferiore corpore ad pericardium lympham deducere; quâ lymphâ abundante fit hydrops pericardii, cujus occasione pericardium distenditur, cor irritatur, & palpitatio molesta ac diuturna cordis oritur: vid. AMATUS LUSITANUS *Cent.* 3. *Cur.* 43. item *Piso Tr. citato pag.* 186., qui etiam refert, quod in iis, qui palpitatione cordis laborant, post mortem inventum fuit pericardium copioso sero distentum quod GALENUS jam observavit *lib.* 5. *de locis affectis*, ubi dicit, quod aqua abundans in involucro cordis sit causa palpitationis cordis, quæ sit una ex gravissimis, contumax, & rarò ferè curabilis, propterea, quod neque dissolvi neque discuti possit. Quod enim attinet RIOLANI consilium *in Anat.* sua *lib.* 3. *cap.* 4. ubi suadet: tali in casu esse perforandum sternum eo in loco, ubi capsula pericardii ei adnascitur, & sic aquam contentam extrahendam; magis theoreticum, quàm Practicum est. Sed dubium videtur quoad hanc causam, annon acrior lympha potiùs impediat motum cordis? imò lymphæ hujus copia non tàm causa, quàm affectus palpitationem cordis insequens, seu productum morbosum sit? Vid. LOWERUS *Tract. de Corde pag.* 104., ubi à glandulis basi cordis adnatis eam derivat; siquidem in homine vivente paucior, quàm in mortuo, hujus reperiatur quantitas, de quo vid. SCHNEIDERUS *lib.* 2. *de Catarrhis pag.* 93.: sicut in iis, qui morte violenta, & imprimis cum sanguinis profusione perierunt, vix guttula ejus; è contrà in hecticis & phthisicis, nec non suffocatis, major ejus quantitas reperiatur.

Turbercula itidem & excrescentiæ verrucales, cordi vel pericardio adnatæ, etiam sunt causa palpitationis cordis admodùm vehementis. *Exempla* horum post mortem in dissectis repertorum, *videbitis in* SCHENCKIO *lib.* 2. *Observat.* de Sacerdote, circa cujus cordis basin ex rescentia carnea reperta fuit; item in alio, de quo vid. BONETTUS *sepulchreto pag.* 651. nec non ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 8 *Medic. Princip. Hist. cap.* 8. *Obs.* 3. ubi ex excrescentia carnea inter arteriam magnam palpitatio cordis insignis orta fuit. *Sic ex trunco arteriæ magnæ prope cor osseo palpitationem cordis* gravem *observavit* WILLISIUS *in Pharm. Rat. pag.* 264. Ob venæ pulmonalis cartilaginem adnatam & ferè obstructam, palpitationem cordis notat MAYOW *de Musculorum Motu pag.* 97.

Præter Tubercula *vermes* etiam, & quidem in specie dictus vermis cordis, *der Hertzwurm* tàm in pericardio ipso, quàm in pericardio contenti, aut eidem adhærentes, inter alia symptomata periculosas subindè dant palpitationes. Affectus rarus habetur vermis pericardii, & paucis, & ferè nulli, cognitus. Ego tamen puto, quod non sit rarus talis vermis, sed admodùm frequens. *Symptomata taliter ægrotantium, & Medicamenta contra eum videbitis* in GABELCHOVERO *Cent.* 3. *Curat.* 1. Præ cæteris ægri *patiuntur* palpitationem cordis subindè recurrentem sine manifesta causa, insignes rosiones & vellicationes, puncturas & dolores, præsertim rosiones & vellicationes in interiore pectoris loco, ubi situm est cor, ex improviso interdum lipothymiæ imminent, interdum etiam epilepticæ convulsiones supervenire observantur, facies pallet, ægri inquieti sunt, pulsus intermittens & intercurrens est, & similia adsunt symptomata: Vid. FORESTUS *lib.* 21. *Obs.* 26. *in Schol* PARÆUS *lib.* 1. *Cent.* 3. SCHENCKIUS *lib.* 2. *Observ.* 194. Medicamenta, quibus hic vermis interimitur, sunt imprimis Mercurialia, & hinc succus alii, raphani rusticani, & nasturtii, aut quoque eorum infusa: de quibus vid. *Praxis Chymiatr.* HARTMANNI, qui eum curat per sal dictamni & tanaceti; item per Mercurium vivum, hujus infusum: nec non GABELCHOVERUS *l. c.*, ubi habet exempla vermis pericardii per hæc medicamenta necati. Curiosa est historia, quam habet PETRUS à CASTRO, Medicus Veronensis, in suis *Manuscriptis Practicis*: *Mihi*, „ inquit, *contigit, dirum morbi genus in Cantabria obser-* „ *vasse, sub epidemica constitutione, in qua post ingentem* „ *ægrotantium stragem, qui omnes convulsi cum frequen-* „ *tissima & ferè continua cordis palpitatione moriebantur,* „ *dissectis quibusdam cadaveribus invenimus in singulis vermē,* „ *magnitudine ferè minimum digitum æquantem, capsulæ cor-*

„ *dis*

„*dis affixum. Non valuerunt*, inquit, *præstantissima alexipharmaca vermem occidere, non Bezoar Orientalis, nec Theriaca, nec confectio alchermes, nec scorzonera aut alia, itemque nec allium, à quo tamen magis, quam ab aliis omnibus angebatur, & lædi videbatur. Solus succus scabiosæ mox vermem occidit; unde hàc experientià observatà scabiosa imposterum uti jussimus languentes, tàm in jusculis ex cocta, quàm in decoctis & syrupis & ex ea fabricatis. Tandem nulla auxilia ægrotantibus apponebantur absque hoc specifico alexipharmaco, & certè mirum fuit, ab eo tempore nec ullum ægrotantium periisse. Itaque non cordialibus hic affectus curari potuit, sed succo allii, scabiosæ, & aqua scabiosæ, in qua agitatus fuit per aliquot horas Mercurius crudus: item mercurius dulcis ad gr. ix. exhibitus cum bolo ex conserva florum scabiosæ magnopere profuit.*

Hæc CASTRO proprià experientià nobis reliquit. Vid. etiam hujus PETRI à CASTRO *Tract. de Peste Neapolit. Rom. pag.* 137. & 138., ubi etiam vermis ejusdem mentionem facit.

Cataplasma externum contra vermem pericardii expertum vid. in LOWERO *Tract. de Corde pag.* 107. *ex foliis cinaræ, tanaceti, & absinthii vulgaris, aceto vini incoctis, & cum pauco mithridatio mixtis, regioni cordis admotum.*

Causæ internæ respectu cordis palpitationem inferentes sunt variæ. Rariores *sunt ipsi affectus cordis*, ut *abscessus in corde*, *aut* simile quid; *sed* potiùs omnia ea, quæ sanguinis localem motum quacunque ratione per cor impedire valent, unde circa radices vasorum & cordis basin aggestus, ad crebriores & validiores contractiones, adeòque palpitationem concitat, internæ causæ rationem obtinent: *Cujus sanguinis in circulo suo plùs minùs impediti non leve argumentum est*, quod pulsus in carpo minùs cordis motui respondeat, sed languidus & diminutus subindè percipiatur, quasi sanguine non sufficienter distendente arterias. *Has inter causas sunt tàm* ipse sanguis non ritè se habens, quàm etiam alia sanguinis ritè constituti motum impedientia. *Sanguinem* quod attinet: ipse vitiosus *minùs turgescibilis & fermentescibilis*, indeque ad stagnationem pronus, ad palpitationem disponit. Uti enim à sanguine rarescente naturaliter expansum cor irritatur ad sui constrictionem, ita ubi præternaturalis est fermentatio, etiam per consequens præternaturalis irritatio, ibi etiam præternaturalis & violenta erit contractio. Hinc in iis, qui sanguinis menstrui patiuntur suppressionem, frequentes sunt palpitationes cordis, quas ex levi motu tunc contrahunt; non secus ac cachecticis confirmatis, Ictericis, spleneticis confirmatis, aliisque affectibus chronicis non raræ sunt: quod ex GLYSSONIO *Tractatu de Cordis Palpitatione*, & FORESTO *lib.* 17. *Observ.* 1. est notum. Præ cæteris tamen, Hypochondriacis, Hystericis, & Scorbuticis familiare est malum hoc, ita ut in Palpitatione cordis semper suspicio sit de affectu scorbutico: idq; duplici modo; vel ob sanguinis intrinsecam constitutionem; vel propter nervos cor moventes convulsos. Ratione sanguinis frequens est palpitatio cordis, triplici ex causa: vel ob anomalam sanguinis in præcordiis turgescentiam; vel ob acidum vitiosum tunc in sanguine peccans & cor vellicans; vel ob grumulos sanguinis ex acido condensatos in corde relictos, qui inter cordis valvulas hærentes illic deniq; impacti palpitationē inferunt non rarò. Dico tamen grumulos: si enim majores grumi & polyposæ concrescentiæ adessent, syncopes ac suffocationis metus instaret, cujus rei examen observatum est in M.A.N.C. *Ann.* 2. *Observat.* 197. *pag.* 298. Nec mirum est, quod tales grumuli in Hypochondriacis palpitationem cordis inferant, cùm & calculosæ concretiones in corde existentes, item polypi cordis, idem subindè inferant malum: de quibus vid. HORSTIUS *in Obs.* & HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 89 GREMBS *Arbor. l.* 2. *c.* 1. §. 8. Quò etiam bilis illa retorrida in tophi nigri speciem redacta facit, cujus FERNELIUS *Pathol. l.* 5. *Obs.* 17. meminit. In scorbuticis autem communiter gravissimâ cordis palpitatione afflictis hoc mirabile est, quod si ipsi quieti in lecto jaceāt, nihil mali sentiant; contrà verò ex levissimo motu gravissimas incurrunt palpitationes cordis, lipothymiis sæpè supervenientibus. Imò, quando hypochondriaci & scorbutici obnoxii sunt spasmis nervorum, imprimis rami intercostalis & paris vagi, fit exindè, ut in talibus confirmatis, quando v. g. lieni incumbunt, subindè contingat cordis palpitatio, propter ramum splenicum nerveum satis insignem tunc spasmo correptum; qui spasmus plexui mesenterico nervorum communicatus, nervum paris vagi afficit: quod uti ad quæcunque viscera interna, ita & copiosè ad splenem derivatur, à cujus surculis movetur cor, & ita affecto hoc nervo cor palpitat. Patet hoc ferè ex eo, quod in talibus Hypochondriacis & spleneticis ingruente cordis palpitatione percipiantur murmura & rugitus in abdomine, ex spasmo mesenterii, & intestinorum inordinata contractione & agitatione.

Quid de *flatibus*? Communiter quidem putant: flatus aut exhalationes ex liene ad cor ascendentes, aut metastasin materiæ in tali casu subesse, à quibus cordis palpitatio excitetur; quod tamen minùs verisimile, aut rarissimum videtur: & posito, quod sint, vix tamen continuā cordis palpitationem inferre possunt. Dubitant equidem nonnulli: an dentur flatus in vasis majoribus sanguifluis, & per consequens arteriis? Verùm vix possunt negari in vasis flatus sub certis casibus; prostant namque exempla horum: sic SYLVIUS in Belgio in quodam cadavere in Nosocomio reperit flatus, vix divisâ summâ abdominis cute erumpentes: quin & arteriam aortam, præcipuè verò sinistrum cordis ventriculum ita distendentes, ut sinister ventriculus dextro longè capacior apparuerit, propter distensionem à flatibus, cùm tamen aliàs sit minor. An autem hi flatus semper aut utplurimùm sint causa palpitationis cordis? vix credo: sed semper dubito, cùm stante eorum formâ nativâ cum impetu ad cor deferri non possint.

Si sanguis in suo motu locali nonnihil impeditur, adeoque minùs commodè per cordis ventriculos circulatur, etiam cordis palpitationem dare potest. Hanc frequentissimam causam palpitationis cordis asserit *Willisius in Pharm. Rat.* P. 1. *pag.* 263., sanguinis nempe in cordis basi remoram & aggestionem: conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observ.* 197. *pag.* 299. Id quod confirmat etiam *Forestus l.* 17. *Obs.* 1, ubi palpitatio cordis observata in quodam, qui somnum meridianum capiendo tibias habebat nimis constrictas; laxatis verò tibiis sine ulla palpitatione propter debitum sanguinis motum dormiebat. SCHULZIUS *in Cons.* 103. & 104. de iisdem tibiis constrictis simile quid refert. In his enim propter impeditum sanguinis motum non potuit non fieri impeditus circulus in præcordiis, & hinc palpitatio cordis. Quò etiam excrescentia carnea in cordis basi inter arteriam magnam & aortam, ℥vj. pendens, & alterum corculū repræsentans, pertinet: vid. SCHENKIUS *l.* 2. *Observat. pag.* 214.: item *polypi* graviores in corde, tubercula in cordis ventriculis: vid. BONETTI *Sepulchretum pag.* 639. & 640. aut etiam *calculi* seu lapilli in corde reperti, de quibus suprà. Sic SCHOLZUS *in Consil.* 103. refert inventum lapillum quendam nigricantem in eo, qui tali morbo sæpiùs fuit correptus; sic HORSTIUS habet exempla calculorum in corde repertorum, ex quibus vehemens ac diuturna oborta fuit palpitatio: & ex HORSTIO HOEFERUS *Herc. Med. pag.* 89 refert Palpitationem cordis lethalem, ex tribus lapillis in corde repertis.

Quoad *nervos* affectos: si isti, qui ad cor derivantur, ejusque aut viscerum vicinorum motui inserviunt, irritentur, similem cordis convulsivum motum inferunt, ubicunque etiam causa occasionalis latuerit. Unde præter ea, quæ suprà de Hypochondriaco splenetico dixi, contingit, quod *animi pathemata, præsertim ira & terror*, odores fortes in non assuetis, & similia, quæ spiritus animales in motus perturbatos & irregulares ciere, ac nervos irritare atque concitare possunt, cordis palpitationem inferunt: imprimis mulieres hystericæ, ubi cessante paroxysmo odore tantùm quodam ex improviso afficiantur, mox in palpitationem exindè incidunt, ex solo odore: id quod fit, affecto nervo & spiritibus cor moventibus. Itē spiritus animales in motus inordinatos & convulsivos redacti palpitationē cordis excitant, dum Palpitatio alios affectus spasmodicos sæpiùs comitari solet: e. g. in subjecto illo simul epileptico, quod PLATERUS *Obs.* 226. adducit; & à Venere juxta eundem PLATERUM *Pr. T.* 1. *p* 486. In specie ad hujusmodi palpitationem ex nervorum spasmodico affectu contractam *pertinet hoc malum*, dum in hypochondriacis & scorbuticis præsertim frequenter observatum, de quo suprà dixi. Non putandum est, vel flatus ex hypochondriis ad cor deferri, aut vapores ex splene ad cor ascendere, & ita palpitationem inferre, utut ægri dicant, se sentire præcedentem alterationem, dolorem pulsantem, aut similia pathemata, sub hypochon-

pochondrio sinistro in lienis regione, unde concitetur cordis istud symptoma: nempe similiter *in hujusmodi subjectis est spasmodica affectio*, simpliciter ex affinitate ac intima commmunicatione, quam nervi splenici cum cardiacis habent: de quo & aliis huc pertinentibus vid. *Anat. Nerv.* WILLISII. Sicut enim hujusmodi subjectis spasmodica pathemata aliarum partium per consensum viscerum in hypochondriis non sunt rara, ita etiam cordis superveniens palpitatio simpliciter per consensum nervorum explicanda. Siquidem tales Hypochondriaci & Splenetici ante insultum vel cum eo percipiunt murmura & rugitus in abdomine, præsertim circa sinistrum hypochondrium, præter symptomata splenis modo allegata, quę non præcisè oriuntur à flatibus, spontaneo impetu has turbas cientibus, sed potiùs aut à partibus flatus continentibus, spasmo vario affectis, adeoque palpitationes hæ nunc periodicè, nunc aliter in affectu scorbutico & hypochondriaco affligentes; vel in sanguine, vel in nervis suum habent fomitem. Præterà dum afficiuntur paroxysmo tales, videtur cor quasi constringi, aut ambabus manibus comprimi. Concurrit etiam interdum sensus quasi ascendentis fumi ex hypochondrio sinistro, quod spasmi membranarum istius loci indicium, (vel comes) existit: ut taceam vertigines subindè complicatas, anomalum & perturbatum spirituum animalium motum ostendentes. Acido nempe vitioso hypochondriacorum utcunque commoto, & nervos vel stomachi, vel lienis potissimùm irritante, & hinc spasmos eorum ac partium appensarum concitante, facilè & nervi cardiaci similiter per consensum affici, & ita ad palpitationenm cordis adigi poterunt: Uti etiam nervuli, arterias cordi vicinas moventes, spasmo affecti, & ita sanguinis circulum turbantes, & mediante vasorum arctiore stricturâ impedientes, consequenter ex sangine circa cordis basin congesto, hujus palpitationem inferre possunt. Sed de his omnibus omnium optimè & prolixiùs agentem vid. WILLISIUM *Pharm. Rat. P.* 1. *pag.* 168. cui sanè multum debemus, quod in nervorum eorumque affectuum theoria tantam lucem nobis accenderit. Ex metallicis fumis palpitationes convulsivas oriri observatur, quia utplurimùm sunt arsenicales.

Tremoris cordis, in quo pulsus inæqualis & languidus, interdum quasi vermicularis, percipitur, *Causa*, *vel in musculo cordis*, *vel in nervis* investiganda, cùm pariter convulsivi quid sapiat. *Quod ipsos cordis musculos attinet*: equidem in his aliquid vitiosum seu præternaturale contineri videtur, quod fibras motrices parenchymatis eorum continuò vellicare, & hinc ad contracturas irritare valet. Cùm verò necessariò diastole cordis à sanguine influente superveniat, hęc vix sufficiens conceditur, quin ex dicta causa subitò contractio repetita superveniat, & ita continuus, sed interruptus, adeoque tremulus, fit motus. *Quoad nervos*: Scorbutici etiam ac Hypochondriaci, ex his ipsis affectis, & ab aliorum viscerum nervis, per consensum in spasmos coactis, leviores licet, tremores in corde pati observantur. Pauca aliàs de hoc cordis tremore prostant apud Autores & Scriptores Medicos, cùm ordinariò cum palpitatione ejus confundatur, aut circa pulsuum vitia, vel lipothymias, subindè tremoribus supervenientes, tractari soleat, &c.

Absolvimus theoriam palpitationis cordis; jam ad ea, quæ Praxin spectant, pergendum.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica ex observatione differentiarum & aliorum symptomatum syndrome seu contingentia ferè colligenda sunt: Non ex pulsu in carpis manuum, vel aliis locis, ex quo parum certi, imprimis quoad causarum differentiam, imò planè nihil, cognosci potest; quin potiùs requiritur imprimis applicatio manus ad ipsum cor. Facit huc TIMÆUS *in suis Epistolis Epist.* 23. *pag.* 140., ubi observat palpitationem cordis mirabilem, insignem & validam, in qua nullus in carpis pulsus observari potuit: ob id sc. vel ægri relationi fidendum, vel ipsi cordis regioni manus admovenda, pro percipienda cordis varia palpitatione.

Quo attinet *signa causarum*: in his totius rei cardo vertitur pro meliori Praxi.

Signa aquæ pericardii abundantis, calculorum, polypi, vasorum pulmonarium obstructionis &c. sunt pauca & admodùm fallacia, interdum ferè nulla. Pulsus non est adeò magnus, nec adeò vehemens aut concitatus, cùm cor in impedita capsula liberè moveri nequeat: affectus e contumax & pertinax; conjuncta simul est febricula, referens hecticæ speciem; accedit & tabes corporis, & tandem quoque spirandi difficultas. Signa vermium in pericardio habuimus. Si verò malum, quod frequentissimè fit, oriatur ex affectione hypochondriaca, tunc non solet esse continuum: ante paroxysmos verò vel cum iis percipiuntur murmura subindè & rugitus abdominis, in specie juxta regionem sinistri hypochondrii. Præterea, cùm tales paroysmo afficiuntur, cor quasi constringi, & cum ambabus manibus comprimi videtur: concurrunt simul, & quidem nonnunquam, vertigines, aliaq; abdominis capitisq; mala, ex anomalo motu spirituum animalium dependentia. Scorbuticis etiam malum hoc est admodum familiare, & ferè hoc habet peculiare, quod sæpè ad levissimũ corporis motum, si vel brachium vel manus tantummodo moveatur, paroxysmus palpitationis invadat, & subindè pravas lipothymias conjunctas habeat. Exemplum Palpitationis cordis talis scorbuticę mirandum vid. in HORSTII *Observ. l.* 17. *Obs.* 35. *p.* 380. & 389., quod est sanè rarissimum exemplum.

Tremor cordis verò, quod vitium ferè contrarium Palpitationi, utut confundatur communiter, cognoscitur ex pulsu inæquali, debili ac languido: subindè etiam virium ingens prostratio & imbecillitas juncta esse solet. Talem cordis tremorem, quem Autores perversè vocant Palpitationem Cordis, lethalem, cum *insigni inæqualitate pulsus*, ex terrore gravi ortum, *vid. in* RIVERIO C. 4. *Observat.* 211.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Palpitatio cordis per se non est malum contemnendum; utplurimùm enim difficulter curatur.

Si palpitationi cordis superveniat pulsus sensim remittens, aut etiam nonnunquam intermittens, cauti sint adstantes; imminet enim syncope.

Ulteriùs qui in juvenili aut declinante ætate sani, sine ulla manifesta causa corripiuntur gravi cordis palpitatione, rarò ad senectutem perveniunt, sed citiùs moriuntur. *Aphorismus est* GALENI, & per experientiam Practicorum comprobatus.

Palpitatio cordis ex malo hypochondriaco frequentior quidem est, ac sæpius recidivans, levior autem & curatu est facilior reliquis speciebus, præsertim per *ἰδιοπάθειαν* cordis aut partium vicinarum accidentalibus. Ea verò, quæ ex scorbuto ferè gravior, & propter lipothymias junctas periculosior, nec curatur, nisi affectu ipso sublato.

Si palpitatio cordis continua vitio pericardii, aut vermium, aut arteriarum cordis ossearum, aut polypi ejus, aut calculorum aut aliarum causarum non cognitarum contingat, incurabilis est, atque instar Hecticorum lentè ac succelsivè ad mortem deducit homines.

Si tandem malignitatis & veneni suspicio adest in palpitatione cordis, res est periculo plenissima, & rariùs ægri evadunt.

CURA.

Quod ergò attinet *Curam*: in genere ea ante omnia eò dirigenda, ut saltem causa peccans, seu id, quod musculum irritat, aut ejus nervum moventem vellicat, maturè removeatur, quo ipso spontè cessabit dicta convulsio. Nam irritationē ipsam sistere optatis, nō æquè nec semper tutum est; si etiam sistitur sensus irritationis, periculum est, ne tot aliter cesset cordis motus ac pulsus: itemq; cùm palpitatione cordis laborantes soleant insignem virium imbecillitatem comitem habere, caveamus nobis ab opio, ne sc. hujus usu eas penitùs prosternamus, utut interdum, ubi gravior affligit paroxysmus ejus in hypochondriacis & scorbuticis, opium appropriatis additum ad coercendum impetũ non sit inconveniens. Aspicienda ergò hic est origo mali, & ubi est à scorbuto, vel cachexia, vel malo hypochondriaco, vel affectu splenetico, aut hysterico, vel venenis, verme pericardii, &c. semper appropriatis his ipsis varianda est cura. Unde mox patet, ut suprà dixi, palpitationem cordis ex aqua pericardii, excrescentiis, & conformatione læsa esse incurabilem; & solam eam, quæ à cachexia, scorbuto, & malo hypochondriaco, similibusq; affectibus provenit, venire sub Praxin Medicam.

Quoad *punctum venæsectionis* in palpitatione cordis, res est dubia: Nam expertissimi Practici eam cum cautela administrandam monent, ne vires prosternamus, & ni adsit summa plethora, planè omittendam: Habeatur tamen

men ratio causarum antecedentium cum usu venæsectionis. In graviore enim cordis palpitatione à subitaneo & nimio terrore aut timore, aut suspicione grumorum sanguinis, aut à suppressione sanguinis aliàs solenniter fluentis, contracta, aut si ex prægressa insigniore corporis commotione supervenerit, aut in junioribus sanguine fervido præditis eveniat palpitatio, aut aliæ circumstantiæ occurrant, in quibus suspicio adest sanguinis circa cor aggesti, vel impetuosiùs circa vasa moti, tunc subinde necessitate coactus Medicus venam aperire necesse habet, ut sanguinis stagnationi ejusque impedito motui, aut præsenti aut imminenti, afferatur aliqualis medela, ut depleto sanguinis quanto facilior ejus circulus fiat, nec tàm insigniter aut copiosè, item in uno loco subsistere queat. Eò magis hæc convenit, sive subjectum sit plethoricum, sive reverà tale sive adparens; aliàs minùs tutam eam existimo. Prostant etiam exempla Practica quædam palpitationis cordis per venæsectionem in paroxysmo levatæ in HORSTIO *lib.* 3. *Obs.* 16. item in FONTANI *Consil. & Responsis pag.* 66. Ad miraculum eam cessasse observavit HOECHSTEDTERUS *in Observat.* Quin & hirudines applicatæ posterioribus ani venis, vel etiam applicatæ supra cor, interdum sedarunt paroxysmum palpitationis cordis. Exemplum habet ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Medic. Princip. Hist.* 39. *Obs.* 2. de palpitatione cordis per hirudines supra cor admotas curatâ. Imò, quod mihi magis adhuc videtur paradoxon, ZACUTUS LUSITANUS observat palpitationem cordis validam, curatam per scarificatam cucubitulam supra cor admotam, *lib.* 4. *Prax. Admir. pag.* 136. Proinde in puncto venæsectiois experientia, & hinc circumstantiarum varietas ubique probè est attendenda.

Cùm verò inter Palpitationes cordis curabiles frequentissima sit ista, quæ ex affectibus hypochondriacis, scorbuticis, & hinc oriundis pathematus convulsivis oritur, propterea semper in palpitatione cordis hic reflexus est faciendus: & in talibus cordis palpitationibus, ratione peccantis acidi, tàm in primis viis quàm in massa sanguinea fermentationem turbantis, in paroxysmo trium remediorum genera, Martialia, hinc *Terrea* (quò in specie pertinent margaritæ, *corallia* præparata, magisterium coralliorum cum succo citri paratum, item tincturæ eorum, & omnia coralliata, cinnabarina) ac tandem *salia volatilia*, utramque faciunt paginam in quacunque palpitatione. Equidem genuinæ tincturæ coralliorum rarissimæ sunt: inter mille modos parandi optimus modus hic est, qui fit beneficio menstrui ex rore Majali vel nive, sale universali turgescentibus. His simul analeptica, & virium ac spirituum resocillativa jungenda sunt, de quibus vid. WILLISIUS *Pharm-Rationali*; quòd quæ inter tamen Analeptica & spirituum confortativa, quæ semper sunt volatilia & penetrantia, observādum est, quod quoad salia volatilia sulphurea seu fortiter olentia non æquè omnibus subjectis talia convenire, sed interdum, uti in mulieribus hystericis, ita in quibusdam hypochondriacis & doctioribus viris, qui ordinariò systema nervosum delicatum & sensile obtinent, hoc fortiùs afficiendo paroxysmum exasperare; quod pariter in aliis affectibus convulsivis attendendum est. Talibus ergò loco salium volatilium oleosorum & spirituum aromaticorum potiùs salia volatilia macra, ut spiritus salis ammoniaci, non oleosa, sed temperata, & simpliciter penetrantia, sine eo, ut fortiter nares afficiant, conducunt: v. g. essentia ambræ egregia est in lipothymiis & cordis palpitationibus, quæ tamen mulieri affectum hystericum exasperabit, loco cujus simplex quoddam sal volatile potiùs adhibendùm erit: Cinnamomum & omnia ex eo parata egregia sunt in paroxysmo palpitationis cordis, non secùs ac in lipothymiis; sicut & oleum cinnamomi destillatum omnibus in palpitatione cordis præferendum monet, & mirè laudat LINDANUS. Nihilominùs tamen ab ejus usu in quodam viro palpitationem *cordis excitatam fuisse refertur* in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observat.* 134. *pag.* 244, quod dudum etiam notarat MOEBIUS *in Institut.* Quod si verò à volatilium sulphureorum & fortiter oleosorum ac odoriferorum, aut à Martialium usu ex improviso inductus & exasperatus jam fuerit paroxysmus, acidula penetrantiora, ac speciatim spiritus nitri dulcis, figendo & sistendo humores commotos optimè eum compescit: vid. loc. jam alleg. Cùm ergò cordis palpitatio sit saltem symptoma aliis supervenjens affectibus, pro horum varia differentia etiam hujus symptomatis nonnihil varianda cura; quod autem in specie attinet *Analeptica* in Palpitatione cordis, semper reliquis remediis addenda sunt Melissa, planta, si quæ alia, balsamica, ejusque essentia & spiritus per fermentationem paratus, quæ insigniter reficit aut lipothymiâ, aut cordis palpitatione affectos: idq; imprimis si hoc spiritu paretur essentia ambræ, de qua postmodùm plura. *Hujus primum Ens*, ut vocat PARACELSUS *Part.* 2., mirè laudat FEBURE *in Chymia* §. 2. Vim habet aliqualem corpori inducendi rejuvenescentiam; experientiâ factâ in Anglia, ubi post primum ens melissæ, propinatum vetulæ, ipsi capilli cani deciderunt, menses anteà naturaliter suppressi denuò fluxerunt, dentes & ungues regenerati, & rugæ seniles repletæ: Idem factum est in gallinis, quibus propinatum hoc primum Ens. Experimenta fecit, & mirè laudat in sua *Chymia Part.* 2., qui descripsit ibi processum & experimenta de primo ente melissæ. Obiter hæc quoad rejuvenescentiam. Item hæc ipsa melissa etiam vino irrorata, & externè regioni cordis vel sola, vel cum foliis borraginis in sacculo calido applicata, admodum conducere solet in ejus πάθημα. Experimentum hoc primus fecit HELIDÆUS PADUANUS felici successu: Conf. FORESTUS *lib.* 17. *Observ.* 1., qui LÆLIUM *à* FONTE *in Cons.* 47. *l.* 2. imitatus est, & in thoracis vulneribus ex sanguine concreto excitatas palpitationes cordis ingentes hoc modo curavit: sectâ venâ applicavit melissam viridem & borraginem, aquâ rosaceâ & tantillo aceti rosacei irroratas, quas ipsas cùm calidè cordi admovisset, subitò omnis palpitatio cessavit. Post melissam sunt caryophylli & citrus, item ros marinus, quæ cordis palpitationibus laborantes egregiè reficiunt. Imò ferè omnia aromatica & nervina conveniunt, quę inter est etiam radix zedoariæ in passione hysterica: item radix enulæ campanæ est insignis in hoc casu, uti & semen anethi atque dauci. Crocus etiam & ejus essentia, quæ dicitur cordis lætitia, tàm externè, quàm internè commendar. solet. Internè ejus essentia seu tinctura; externè, si fiat *Nodulus ex croco & camphora*, & in regione scrobiculi cordis suspendatur; qui nodulus est etiam singularis, quod obiter moneo, in melancholia hypochondriaca. De ambra & moscho res nota est, quod insigniter reficiant cor, ut dicunt, id est, quod spiritus vitales & animales roborent: de qua tamen ambra notandum est, quod habeat vim inebriativam instar spiritus vini, adeòque tandem nonnihil stupefactivam: hinc nimio ejus usu pro juvanda memoria quidam, imprimis senes, redditi sunt insipidi. In hac tamen cordis palpitatione vis hæc ambræ inebriativa minimè metuenda; nam, qui palpitatione cordis laborant, difficillimè inebriantur: *res mira*, interim tamen vera; unde eò tutiùs ambræ usus conceditur. Facit ergò huc essentia ambræ & croci cum spiritu rosarum vel melissæ parata, spiritus rosarum ambratus, in quo per fermentationem vis inebriativa ambræ insigniter corrigitur: Nam tanta vis est fermentationis, ut omnem stupefactivam vim, etiam ex opio, tollat. Paratur spiritus rosarum ambratus hoc modo: Quando rosę fermentantur, additur ambra, ut eò meliùs dissolvatur: Huic spiritui rosarum ambrato, unum alterumque granum vel guttula olei cinnamomi addita insigniter conducit. De cinnamomo, ejusdemq; oleo, vid. ZWELFERUS, & LINDANUS. De Tinctur. solis cum oleo cinnamomi Mynsichtii, vel aliâ, res nota est. Quæ vulgò communiter de tinctura solari, itē hujus exstinctione in aqua Rosarum BURRHUS *de Oculis ad Bartholinum* refert, menstruo potiùs quàm auro in acceptis referenda erunt. Conducunt etiam cortices aurantiorum, item citri; horum enim sal volatile aromaticum in multis affectibus, in specie in palpitatione cordis, multi est usus. Notum est, quod multi insigniter commendent aquas destillatas & alia medicamenta ex Corde, pulmonibus, hepate, & aliis animalium partibus; quæ tamen, meo quidem judicio, sunt nullius pretii: si enim destillatur aqua ex corde, vel exprimitur succus, vereor sanè, ne potiùs natura horreat talia remedia, quàm iisdem suaviter afficiatur. Aqua verò composita ritè destillata, spiritus etiam & sal volatile cordis cervi, & imprimis tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi parata, egregia est, in specie in palpitatione cordis hypochondriaca, & palpitatione cordis senili. Beato Dn. D. MICHAELIS multi usus fuit: nempe solutio coralliorum cum succo citri facta ad mellaginem blandè inspissatur, & cum spiritu cordis cervi extrahitur. Prætera spiritus

ritus & salia volatilia ex animalium partibus parata magni æstimantur, non quod hæc singulare quid obtineant præ spiritu & sale volatili sanguinis, sed quòd à Practicis soleat observari prærogativa; hinc spiritus & sal volatile cor. Cerv. in specie, item sal volatile viperinum, erunt egregia. In baccis juniperi uti alia multa latitant, & succedaneus est juniperus arbori cedro ad vitam longam, de quo vid. TACKIUS *in Chrysog.*, ita ex his parata tinctura seu essentia cum spiritu proprio, vel Malvaticum juniperinum ROLFINCII *in sua Chymia*, & similia ex baccis juniperi parata, multùm laudantur a FONSECA *l. 1. Cons.* 11. Quinta Essentia seu Elixyr vitæ Matthioli notum est, imprimis sale volatili viperarum acuatum: Nam ubi alia adhibentur in cassum, salia volatilia non fallunt, imprimis si cum spiritu sulphureo combinentur in corpus oleiforme. Camphora etiam non solùm internè ad aliquot grana remediis appropriatis permista, sed etiam externè, nunc cum nunc sine croco, in sacculo appensa, sicuti in melancholia hypochondriaca egregia est, ita & in cordis palpitatione. Hinc spiritus theriacalis camphoratus, non minùs quàm castoreum, utpote quod in omnibus morbis convulsivis est egregium, & à FERDINANDO *Hist.* 79. aliisq; quàm plurimis in palpitatione cordis commendatur. Unde essentia castorei cum camphora ad palpitationem cordis insigniter, uti & essentia castorei cum essentia croci & ambræ mista, in paulò largiori dosi usurpata conferunt. Nam castoreum jam a GALENI tempore in quavis palpitatione cordis in usu fuit, & confirmatur ab EPIPHANIO FERDINANDO, ubi castoreum omnibus aliis præfert remediis in palpitatione cordis: undè castoreum, uti & camphora & crocus cum spiritu salis ammoniaci vinoso vel cum spiritu carminativo soluta, & in essentiæ formam redacta, per consensum hypochondriorum palpitantibus conveniunt, in quibus corallia, salia volatilia, & Martialia ritè præparata, in paroxysmo sunt optima. Insigniter etiam in palpitatione cordis hypochondriaca commendatur *syrupus de limatura chalybis Mercati*, cujus descriptionem vid. in HORSTIO *l. 3. Obs.* 6., & credo. Aliàs serum lactis in palpitatione cordis melancholica commendatur à RHODIO *l. 2. Obs.* 40. Succinum etiam huc facit, quod in palpitationibus cordis non minùs, quàm lipothymia & syncope, affectibusq; hystericis, magnarum est virium, imprimis sal ejus volatile, & cũ hoc paratus spiritus Cor. Cerv. succinatus nobilissimus: imò oleum destillatum succini ad gutt. iii. jv. vel. v. in aqua florum nymphεæ seu florum aurantiorum, vel alia aqua appropriata expertum fuit remedium FONSECÆ *Cons.* 24. Huc etiam oleum pestilentiale Heinisii pertinet ex oleo succini, citri, & camphora.

Ex hisce formulæ fiunt variæ in palpitat. cordis:

℞. *Aquæ meliss.*
Cinnam. cydon. an. ℥ijʃ.
Quin. Essen. Matthiol. ʒvj.
Spiritus theriac. campb. ʒß.
Corall. rub. præp.
Spiritus cord. cerv. an. ʒj.
Syr. flor. tunic. ʒvj. ad ℥j.
M. D. S

Potio confortans contra palpitationem cordis.

℞. *Aquæ meliss. cum. vino.*
Fœnicul. an. ℥ij.
Spiritus theriac. campb. ʒß.
Corall. rub. præp. ʒj.
Syr. flor. tunic. ʒvj.
M. D. S. ut ante.

℞. *Aquæ meliss.*
Cinnam. cydoniat. an. ℥iij.
Spiritus theriac. campb. ʒß. ʒvj. ad ℥j.
Cornu Cervi. cum sale volat. ʒj.
Corall. rub. præp. ℈ij. ad ʒj.
Laud. opiati gr. ij. vel. iij.
Syr. flor. tunc. ʒß. ad ʒvj.
M. D. S. ut *antè*.

Capiatur cochleatim. Vel

℞. *Aquæ cinnamom. cydon.*
Cordial. H. S. an. ℥j.
Fl. samb. ℥ij.
Spiritus Cornu Cervi cum. sale volat. acuat. vel *carminat. de tribus* (qui speciatim in hypochōdriacis palpitationem cordis patientibus est egregius) ʒj. ad ʒij.
Syr. fœnic. ʒß.
M. S. ut *antè*.

℞. *Aquæ cinnam. cydoniat.* ℥j
Cordial. H. S. ʒß. vel. ʒj.
Essent. vel rob. bacc. junip. ʒiß. ʒij.
Croci ʒß.
Spiritus theriacal. campb. ʒj.
Olei destillat. cinnam. vel. *succini* pro mulieribus, gutt. jv.

(Perindè est; oleum tamen cinnamomi viris, succini mulieribus convenit; non enim hæ semper possunt ferre cinnamomum.)

Agitentur & misceantur.
D. S

Potio contra cordis palpitationem.

Dosis cochlea j. vel. ij. pro re nata. Syrupum studio omitto. Vel

℞. *Aquæ meliss. cum vino* ℥ij.
Cordis cervi,
Cordial. H. S. an. ℥j.
Tincturæ corall. cum spiritu Cornu Cervi ʒij.
Salis volat. succin ℈j.
Syr. de canella ℥j.
M. D. S. ut *antè*.

℞. *Tincturæ corall. cum spiritus Cord. Cerv.* ʒij.
Essent. ambr. cum spiritu meliss. aut *ros.* vel spirit. *rosar. ambrat.* ʒj.
M. S.
Essentia cordialis.

Dentur pro dosi gutt. XXX ad XL. in haustulo vini vel aquæ cinnam. temperatæ, vel simili haustu appropriato.

Vel Pulvis hic:

℞. *Testar. concar. præp.* vel *corall. rub præp.*
Cinnab. nat.
Antim. diaphor. simpl. vel *martial.* à gr. viij. ad ℈ß.
Olei destillat. caryoph. gutt. j.
M. f. Pulvis:

Cui etiam *salis volat. Cornu Cervi* gr. iij. pro lubitu addi possunt: D. S.

Pulvis contra palpitationem cordis.

A conformatione læsa si fit vitium, fere incurabile malum erit, ac saltim per exactam diætam, & minimum animi & corporis motum, quantum possibile sustentandi tales ægri.

Quod attinet externa, aquam carbunculi, spiritus, balsama & olea regioni cordis illinenda: interdum aliquid præstant, sed parum; saltem spiritus reficiendo graviora symptomata inhibent; unde quilibet potest abundare suo sensu: illinenda parvi æstimo. Sin tamen vitium sit ex hypochondriis cum rugitibus & borborygmis intestinorum, speciatim ex affecto splene, aut ex passione hysterica natum, tunc in his casibus ad spasmos coercendos ea remedia, quæ aliàs in hysterica passione, ex asa fœtida v. g. & ex galbano usitata sunt, nempe emplastrum matricale de galbano cum oleo succini vel oleo spicæ malaxatum, vel abdomini, vel splenis regioni, & in specie huic emplastrum de Nicotiana, pro varietate symptomatum commodè applicari possunt.

CAPUT II.

DE PALPITATIONE ARTERIARUM PARTICULARI.

VErùm præter cordis palpitationem subindè etiam *particulares arteriarum palpitationes* molestæ sunt ægris, ita ut modò in hac, modò in illa parte, cum impetuosa vehementia arteriæ pulsent. Splenica interdum, interdum temporum arteria pulsat: quò facit exemplum BARTHOLINI *Cent.* 1. *Hist.* 18. de Pulsu arteriarum carotidum, ut etiam strepitus & sonitus possit audiri: sicut & alia vasa pulsant particulariter.

CAUSÆ.

Tres imprimis *causæ sunt* particularis talis pulsationis seu palpitationis sensus:

1. Inflammatio ejusdem loci; exinde enim arteriæ tenduntur, & ex fibrarum aliquali contractura, dilatationi renituntur, undè semper dolor pulsatorius supervenit.

2. Et

Est impedimentum quoddam in sanguinis circulo; hujus enim nonnihil in quadam parte sufflaminato transitu, distentâ nimis arteriâ, manifestum pulsationis sensum exhibent.

3. In specie Hypochondriaci ex dicta causa pulsationem arteriarum percipiunt, nunc in toto corpore, nunc & in regione hypochondriorum aut lumborum infra costas nothas proximè, ubi nempe arteria cœliaca, & in specie insignior ejus ramus splenicus situs est. In his arteriæ tunica per consensum splenis aut partium vicinarum ad spasmum seu convulsivum motum disponitur, unde rigidiores propter fibras sensibiliter pulsant, cujus occasione sanguinis motus in particulari quadam arteria impeditur, utut non penitùs tollatur; hinc enim est, quod paroxysmum eundem hypochondriacum, aut melancholicum, aut vomitum cruentum spleneticorum subinde palpitationes tales in istis locis præcedere soleant. Præter hæc taliter affecti sanguinem spissum ac crassum, & ob id difficulter mobilem habere solent: undè & varices in venis talium ægrorum observavit *Bartholinus Cent. 6. Obs.* 24. de Pulsatione per universum corpus cum varicibus copiosis.

CURA.

Verùm taliter affecti optimè per Martialia curantur, cùm utplurimùm ad malum hypochondriacum inclinare soleant, sicut priores duo modi imprimis per sudorifera.

CAP. III.

DE LIPOTHYMIA, SYNCOPE ET VIRIUM PROSTRATIONE.

Pulsui cordis & hinc arteriarum nimio aucto oppositum est vitium pulsus parvus, rarus, debilis, myurus vel vermiculans, idq; frequenter in Imbecillitate ac Languore virium plus minus intenso, hinc animi deliquiis: de quibus optimè tractat SYLVIUS *l.* 1. *Prax. c* 34. Languor hic aut imbecillitas partium, functionum, & virium, nō solum à nativitate quibusdam contingit, sed etiam variis ex causis supervenit: Atque est vel successivus, qui ipsis morbis supervenit, vel eos antecedit, vel etiam post eos curatos subindè superest; Non rarę enim sunt virium imbecillitates, quæ post morbos diuturnos observantur accedere: Vel languor virium hic est subitaneus, cùm ex improviso penitùs prostratis viribus lipothymia seu lipopsychia, syncope aut asphyxia, ægrum corripiunt. Cum hac virium Imbecillitate semper conjunctus est pulsus tardus & minor; item pulsus debilis ac justo languidior, tunc prætereà plerumque rarior quandoque, imò sæpiùs per intervalla certa aut incerta intermittens, interdum secundùm arteriæ ductum magis magisque deficiens, qui tunc vocatur Pulsus myurus; qui ubi fit minor, dicitur Pulsus formicans seu vermicularis. Concurrit simul sensuum tàm in quam externorum torpor, & deficiens plus minus corporis motus observari solet, quod in Languore successivo saltem lassitudinis spontaneæ nomine, Germanis *die mattigkeit*, appellari solet: in qua ægri conqueruntur de vigore corporis debito deficiente, sunt tardi admodùm, membra ponderosiora videntur, & ad quaslibet actiones torpent. Vires enim seu robur corporis propriè loquendo nihil aliud est, quàm intensior sanitatis gradus, quo actiones vitales potenter satis exercere possumus.

Differunt saltem gradualiter, non essentialiter, lipothymia, syncope & asphyxia. In omni animi deliquio seu LIPOTHYMIA, præter pulsum minorem & debiliorem plùs minùs, prout lipothymia est magis minusve periculosa seu gravis, simul sensus, in- & externi omninò obfuscantur, & motus animalis, tam voluntarius, quàm etiam quodammodò naturalis, non nihil deficit, adeò ut respiratio etiam aut nonnihil obscura aut ferè nulla reddatur; quę symptomata tamē omnia denuò evanescunt, & ęger in antiquum statum restituitur, nempe sanum. Quoad SYNCOPEN: ita vocatur à συγκόπτω, concido, quod ægri concidant; est gravior ac singularis animi deliquii species, & ab Apoplexia parum differt. In hac enim atrociora hæc adsunt symptomata: subitò ac inopinatò ferè concidunt ægri, pulsus vix vel nullus observatur, sensus externi & interni abolentur, motus corporis est nullus, uti etiam nulla ferè respiratio: Interim adsunt anxietates præcordiorum, sudor frigidus & glutinosus per poros erumpit, partesque corporis omnes frigent ac pallent: & in hoc differt Syncope à Lipothymia, in qua nequidem corporis universi frigus semper observatur, quamvis perpetuus sit Syncopi: vid. SYLVIUS *l.* 1. *Prax. c.* 345. §. 65. Imò urinæ & alvi excrementa interdum sponte effluunt, ita ut mortuis tales syncopizantes, quàm vivis, existant similiores.

Syncopizantes vitam agunt mediam resurgentem, non descendentem. Ejusmodi vitam mediam resurgentem vivunt etiam insecta omnia per hyemem abscondita, cochleæ, ranæ, hirundines, forsan & Leucomoriæ populi, de quibus *Liber Baro de* HERBERSTEIN *Rerum Moscovv. Comm. p.* 82., quod sint homines syncope detenti, & quasi mortui: vid. KERGERUS *de Ferm. Sect.* 1. *c.* 6 *p.* 59. Quomodo verò insecta ad vitam iterum perveniant? vid *p.* 56. *l. a.*

Observatæ etiam interdum fuerunt syncopæ in morbis malignis, quæ sine anxietate fuerunt, quando neglexerunt vomitoria, imprimis qui iis obnoxii fuerunt.

Omnia hæc sunt adhuc graviora in ASPHYXIA, ita ut cum pulsu planè abolito & aliquandiu ad sensum cessante ægri tales instar mortuorum jaceant.

In omnibus his affectibus, tàm imbecillitate virium quàm etiam lipothymiæ speciebus, observetur, mutationem insignem, tàm imminentem quàm præsentem, cognosci ex pulsu & respiratione, ita ut pulsus plus minùs deficiat in robore & magnitudine, nunc sit parvus, debilis, nunc magnus, interdumque planè nullus; quo cessante, cessant motus thoracis & respiratio. Cæterùm *sudor frigidus & glutinosus*, in omnibus lipothymiæ speciebus plùs minùs observabilis, non est ordinarius & serosus sudor ex sanguine per poros cutis evaporans, sed est nihil aliud, quàm ipsum nutrimentum partis roridum, & spermaticum, quod sub syncope resolutum ac dissolutum ex partibus subcùtaneis sub forma glutinosi ac frigidi sudoris erumpere & effluere solet. Unde & hic sudor singulares habet vires delendi verrucas excrescentiasque; item inflammationes hæmorrhoidum: de quibus videb. HELMONTIUS.

CAUSÆ.

Ut causas Pulsus minoris ac rarioris, adeoque virium Imbecillitatis scrutemur, suppono: corporis nostri vim vitalem radicatam fundamentaliter esse in sanguine; exserere verò se formaliter per subtilissimam sanguinis substantiam, seu partem ejus summè activam ac mobilem quam *spiritus* appellamus; qui in præcordiis aeris inspirat adjumento volatilisati instar radiosæ & luminosæ texturæ per totum corpus distribuuntur; *nunc junctim* in sanguine per vasa arteriosa, qui vitalis dicitur; *nunc seorsim*, trajiciendo per cerebrum & nervos, qui Animalis appellatur, undè partium solidarum firma structura & tonus dependet.

Veteres robur corporis aut vires à Calido innato, & cordis firmiore textura, dependere dixerunt. Sed cùm Calidum innatum, præter sanguinem & hujus motum intestinum, nullum detur, adeoque hujus respectu HOFFMANNUS Vires corporis in temperamento, tanquam anima, consistere non ineptè dixerit, fons virium primarius potiùs in ipsa vita seu hujus principio & motu sanguinis intestino quærendus est, à quibus corporis temperamentum & esse calidum, hinc vires ejus oriuntur; ita quidem, si fermentatio sanguinis naturalis potentior fuerit, calor & vires simul intenduntur, eâdem verò sufflaminatâ tepor & imbecillitas simul obrepunt, viriumque dissipatio, mortis prodromus seu principium est. Quod cordis constitutionem firmiorem attinet: nec hæc ad virium robur aliquid confert, quia in eo, tanquam in officina, spiritus & vires corporis juxta veterum hypothesin non generantur, sed ipsum potiùs cor activitatem suam à spiritibus animalibus & sanguine recipit.

In sanguine ergò remotè & fundamentaliter, in spiritibus proximè & quasi formaliter & effectivè debilitas virium, tàm successiva quàm repentina, investiganda erit. In sanguine quidem, quatenus hic minùs aptus est, ut

debitæ

debitâ fermentatione volatilisari, ac in debitos spiritus exaltari possit: id quod fit, vel quatenus sanguis absumptus vel exhaustus est, vel quatenus idem deficit in sua acrimonia salina fermentativa, i. e. dum in sanguine deficit acrimonia saltum; in specie inertia salis volatilis urinosi & oleosi, seu bilis, disponit sanguinem, quò minùs aptus sit ad spirituascentiam suscipiendam; è contrà non rarò vitiose peccat acidum: idque in subjecto subinde plùs minùs viscido radicatum: quorum causæ antecedentes ex primis viis à chylosi vitiata, & ejus perfectione in duodeno à debili fermento bilis, unde cacochylia & cacochymia, de quibus *suprà Sect.* 13. actum est, investigandæ erunt.

Spiritus verò repentinam inferunt virium prostrationem vel lipothymiam, quatenus vel deficiunt in cordis motione vel constrictione, & regendæ corporis machinæ non sufficiunt, vel quatenùs sunt minùs mobiles, volatiles ac activi, sicque quasi obruti & compressi, vel quatenùs sunt nimis mobiles, adeoque facilè dissipabiles, ita ut texturâ eorum luminosâ interruptâ intereant operationes vitales, adeoque omnis repentinæ virium debilitatis causa vel vitio spirituum vitalium in sanguine, vel vitio spirituum animalium in systemate nervoso contingat: Unde in omni Virium imbecillitate pulsus notabiliter alteratus, in magnitudine quidem & parvitate vitium sanguinis & spiritus vitalis innuit; alteratus verò in robore majore vel minore, vitium spirituum animalium ostendit.

Dependent tanquam quodam circulo hi spiritus eorumque functiones à se invicem, ita ut spiritibus vitalibus pessum, euntibus ceu radice indè diffusi evanescant, & ecclypsentur spiritus animales; sicuti è contrà his spiritibus evanescentibus, & cordis ac sanguinis & spirituum vitalium motus itidem cessat: *Prius* v. g. in suspensis manifestum est; si enim constringantur arteriæ carotides, subitò quoque cessat sanguinis motus: *Posterius* in apoplexia forti tactis, in quibus cessante radio spirituum animalium simul quoque vitales operationes evanescunt.

Successivus ergò virium languor ex sanguinis deficiente in præcordiis turgescentia oritur, unde etiam hujus respectu pulsus minores, rariores & tardiores; sicut hinc dependentes spirituum animalium defectus, debiliores existunt: idque frequentissimè ex præternaturali sanguinis glutinositate aut viscidirate, unde partes ejusdem salinæ activæ obrutæ minùs concurrere inter se ac fermentare possunt: vid. SYLVIUS *c. l.* Quod si in hac sanguinis glutinositate, uti non rarò fit, peccet simul præternaturale Acidum, tàm in sanguine quàm lympha, malum hoc euadit eò deterius, cum sic magis magisque inspissetur, ac tantum non coaguletur massa sanguinea, exindeque vitalis ejus fermentatio tantum non omninò aboleatur: *hinc* est, quod post morbos acutos curatos, si tantillum in diæta peccarint ægri, speciatim in alimentorum assumptione excedant, Languores adhuc superveniant: *hinc* post morbos chronicos non ritè curatos, in quibus spiritibus exhausta massa sanguinea spissior quasi ac crassa reddita fuit, Virium Languores sæpiùs sunt diuturni, quod nondum restitutus sit completè sanguinis motus vitalis: *hinc* & cachectici, hypochondriaci & scorbutici subindè sunt adeò imbecilles ex vitiata & anomala sanguinis fermentatione, propter vitiosum & rancidum acidum in massa sanguinea tunc abundans, & massam sanguineam inspissans. Unde, quando horum sanguis nimium spissescit, minùs expanduntur ventriculi cordis, pulsusq; sic fiunt rariores, tardiores ac minores: quibus his positis necessariò etiam deficiunt spiritus vitales & animales, ex quorum defectu majore vel minore etiam reliquæ functiones, tam vitales quàm animales, plùs minùs solent imminui. Quare in virtû imbecillitate sensus sunt hebetes, imò vix sufficientes aut motui voluntario, vel motui naturali, speciatim legitimo cordis motui, unde pulsus est tenuis & simul tremulus ac languidus; aut ubi sufficiat quodã modò spiritus movẽdo cordi, ubi tamen à gravioribus objectis in motu distrahuntur, vel perturbantur, vel figuntur, uti fit ab opiatis & narcoticis, tunc necesse sequitur talis virium prostratio & languor.

Hæc de virium Imbecillitate satis clara. Subitanei verò Languores seu Lipothymiæ, aut syncope, aut asphyxiæ, radicatæ sunt in spiritibus vitalibus, aut animalibus, nunc conjunctim, nunc separatim, ita ut in suo circulo uno deficiente, alter labefactetur quoque. In vitalibus quidem, quando subitò deficiunt, ob cessantem in præcordiis quacunque de causa sanguinis fermentationem vitalem. Hinc enim Evacuationes quævis nimiæ per quæcunque loca, v. g. sanguinis, item genituræ, & aliorum humorum abundantes effusiones, cùm absumantur spiritus vitales, sequitur lipothymia & syncope; sive sanguis reddatur per nares, sive per uterum, sive hæmorrhoides, venæsectionem, aut alio modo: item nimia *aquarum hydropicarum evacuatio*, *puris* confertim facta ex thorace emissio, nimius sudor &c. syncopen inducunt: uti etiam crebriores purgationes, balnea nimia aut diuturnior in his mora, ob dissipationem spirituum animalium subindè syncopes inferunt: mutatio item subitanea ex aere fervido in nimis frigidum, aut etiam *ingurgitatio potus intensè frigidi post insignem corporis incalescentiam*, nunc lypothymias inducunt: Exempla habet SCHENCKIUS *lib.* 2. *Observ.* 219. ex BENIVENIO *c.* 17. ubi observat animi deliquium seu lipothymiam ex frigidissimo vino hausto sub longum lusum sub ardentissimo sole: & talia exempla syncope correptorum ex nimio calore & frigore non sunt rara.

De *venenis* res nota est, quod eadem, sive extrinsecùs applicata per morsum ac puncturam animalium venenatorum, sive intrinsecùs assumpta quæcunque, graves ac periculosas dent lipothymias.

Pertinent huc *vitia* ipsius *cordis*, præsertim abscessus, & partium ei vicinarum, qui subitò rupti dant periculosas syncopes: sic præter TULPIUM *lib.* 2. *Observat. cap.* 16., qui habet lipothymiam ex abscessu in sinistra cordis auricula, SANGEZ, Medicus Hispanus, *in Observat. pag.* 273. refert notabilem observationem de Bibliopola lungo tempore lipothymiâ sæpè correpto, quo mortuo, maximum in corde apostema, mediam „ejus partem occupans, inventum fuit: *Alius Venetus*, „refert *idem*, *in suo corde apostema dimidii ovi magnitu-* „*dinis habuit*, *unde & hic ipse quoque subindè syncope corre-* „*ptus fuit*. *Sanguinis* quoque habenda est ratio, qui aut nimis parcus post copiosas excretiones, aut pure vitiatus, aut subitò coagulatus, v. g. ex haustu frigidæ post æstum, aut aliâ quavis ratione inspissatus ac incrassatus, & ob id fermentationi ac spirituascentiæ debitæ ineptus, aut in debito circulo impeditus, v. g. in syncope cardiaca, funestam & periculosam lipothymiam & syncopen comitem ducit: vid. *infrà suo loco*, ubi de Apoplexia, ubi agetur de syncope cardiaca, quid sit? Quod verò sanguine spissescente & coagulato in corde subitò totum corpus corruat, fit, quod non tàm sanguinis circulus necessarius sit ad sustinendum totum corpus, sed imprimis, quod requiratur continuus radius spiritus vitalis ex corde cum sanguine in totùm corpus: hinc sanguine in syncope ita in corde stagnante & non fermentante, adeòque plùs minùs ejus motu, tàm locali quàm intestino, intercipitur simul necessariò spirituum animalium & vitalium commercium, hinc necessariò omnes facultates, & ægri mortuorum instar corruunt. A vermibus syncopen notant ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Admir. Observ.* 40. BONETTUS *lib.* 1. *Med. Septent. S.* 16. *cap.* 4. SCHENCKIUS *lib.* 3. *Observ.* 218. PANAROLLUS *Pent.* 4. *Observat.* 29. Spiritus verò animales lipothymias inferunt, quandò subitò deficiunt ex eorum ataxia & confusione, ab objectis externis inducta: unde omnes causæ remotæ ad syncopen disponunt, afficiendo vel spiritus vitales, vel fermentationem sanguinis impediendo, vel spiritus animales in ipsis sensoriis: ita quidem, ut in genere vel iidem oppressi & quasi concentrati in sua activitate impediantur, ceu fit in syncope ab externis orta, v. g. in subitaneo terrore; vel iidem dissipati & subitò resoluti evanescant quasi, ac ita in operando deficiant, verb. grat. in nimio gaudio. Pertinet ergò huc, quod ab *odoribus* fortibus, gravibus, *ingratis* & similibus, ægri in lypothymiam & syncopen incidunt: Sic refert AMATUS LUSITANUS *Centur.* 2. *Observat. Curat.* 36. de Monacho, qui ab odore, imò vel solo adspectu rosæ in gravem lipothymiam incidit. Funestius exemplum est, quod habet HOEFFERUS *in Herc. Med. pag.* 311. de Puerpera, quæ noviter pepererat, & ex odore strophioli, in quo inuolutæ fuerunt rosæ, subitò lipothymiâ lethali fuit correpta. Hinc est, quod fœminæ hystericæ ex odore zibethi, moschi, cinnamomi, &c. cum passione hysterica seu hypochondriaca simul in syncopen corruant. Nec solus odor, sed sæpiùs etiam præsentia rei horridæ, infert lipothymiam ac syncopen.

Pertinet huc idiosyncrasia nativa, secundùm quam quidam certa animalia horrent, eorumque præsentiam ferre nequeunt: sic qui non possunt perferre præsentiam felis aut cancrorum (quale ego novi exemplum) aut murium, aut canum, si, licet iis insciis, in loco quodam talia animalia abscondantur, subitò tamen illis defectiones animi cum sudore frigido & anxietatibus ingruunt, ob intensiùs affectos spiritus animales.

De animi affectibus, vel fortioribus vel magis subitaneis, in terrore subitaneo & gravi tristitia, nuncio insperato, iracundia nimia, &c. res nota est, utpote quæ immediatè systema nervorum ac spiritus animales afficiendo, & insigniter perturbando, inferunt syncopes & lipothymias: Ita de *gaudio subitaneo*, quod evanuerint quasi spiritus animales, syncopem lethalem obortam, præter LIVIUM, LOTICHIUS *in Observ. Medicis*, & MARCELLUS DONATUS *in Histor. Mirab.* habent: Ex *timore* obortem syncopen periculosam, per venæsectionem curatam, refert FONTANUS *in Cons. & Resp. p.* 63. Imò sola fortior ac intensior rei cujusdam horrendæ *imaginatio seu cogitatio* quosdam syncopticos reddidit: Exemplum, quod imprimis huc facit, habet HILDANUS *Cent.* 1. *Epist.* 34., ubi refert de suo servo equo insidente, cui cùm narrasset calamitosas strages bellicas, ex sola narratione in syncopen incidisse. *Nimius corporis motus, ac extrema defatigatio*, similiter interdum in lipothymias inducit ægros; uti etiam *graviores dolores*, in iis præsertim, qui sunt rarioris texturæ, adeoque spiritus rariores & faciliùs dissipabiles habent.

Denique *epilepticis* paroxysmis subinde superveniens symptoma est syncope, uti etiam aliis *affectibus convulsivis* gravioribus: sive convellantur saltem partes internæ, quæ dicitur à mulierculis *Epilepsia in corpore*; uti v. g. fit in passionibus hystericis, aut in doloribus nephriticis subindè gravioribus: sive simul etiam externæ partes afficiantur, quæ spirituum animalium perturbatissimum innuunt motum. Plura de causis proximis & remotis languoris virium & syncopes videb. in SYLVII *Praxi cap.* 34.

Imprimis sui considerationem meretur syncope, quæ ex causa interna oritur, & spontè quasi subindè ægros frequentissimè invadere videtur, de qua vid. GORRÆUS *in Defin. Med. pag.* 157. Hæc ordinariò solet habere causam affectionem orificii ventriculi superioris, quo malè affecto, ab objecto ipsi inimico, ex consensu ejus cum universo systemate nervoso lipothymiæ & syncopes supervenire solent. Manifestum hoc est non solum in mulieribus hystericis, sed & in viris, qui aliquid hypochondriaci patiuntur; his enim levi occasione lipothymiæ superveniunt, sub quorum intuitu ordinariò dicunt: *Malum sensim appropinquare cordi*; Hinc vertigo tales corripit, & ita sub forma suavis somni lipothymiâ corripiuntur; exsuscitati dicunt: *Satis bene ipsis fuisse*. Pathemata hæc originem habere solent simpliciter ex stomacho & primis viis, imprimisque ex sensibili orificio stomachi superiore affecto, per cujus sensum omnia reliqua superveniunt symptomata, & spiritus vitales deficiunt, ita ut frequentissimæ syncopes à causa interna oriundæ ex orificio hoc affecto contingere soleant, & tales ægri ferè ordinariò mutationem circa hypochondria præcedere, observare solent.

Ex *lacte coagulato* lipothymiam observavit HEINRICUS *ab* HEER *Obs.* 15. Ex *esu fungorum* syncopen notat ZACUTUS LUSITANUS *libro* 3. *Med. Princ. Hist.* 23. AMATUS LUSITANUS *Centur.* 1. *cur.* 39. *Acres succi, præsertim æruginosi*, orificium dictum gravius infestantes, præter anxietates, crebras lipothymias, præsertim in subjectis tenerioris & rarioris texturæ, inferunt.

Tales syncoptici, jacentes in lecto admodùm debiles, dolores, morsicationes ac titillationes, aliaque pathemata, circa stomachi regionem percipiunt; item præter inexplicabiles istius loci mutationes seu molestias sub imminente syncope sentiunt vertiginem, caliginem oculorum, & tenebricositatem, undè sic animo delinquunt; paroxysmus tandem iterum evanescit, utut levi occasione recurrat, & ægri vel leviter saltem in lecto se moventes, aut extra lectum promoti, incidant eandem. Uti frequens est hæc syncope stomachica, ita etiam *nunc* per essentiam ex contentis stomachi, *nunc* per consensum affectis partibus, aut nerveis abdominis, stomachum simul plùs minus afficientibus, accidere solet. Imò vix lipothymia quenquam corripit, quin sub eadem imminente alterationem quandam notabilem, vix etiam explicabilem, circa stomachi regionem percipiat, in quo stomachus vel mucoso humore, vel aliis vitiosis succis, per pylorum ad orificium superius regurgitantibus, eidemque impactis laboret: atque tali in casu lipothymia optimè vomitu curabitur, ita enim remotâ causâ malum hoc mox cessabit; vel absorbentibus terreis: quibus tamen adjungantur aromatica: vid. SYLVIUS *l. a.*

His omnibus ita consideratis, facile est observare: *Causas syncopes proximas* esse *aut* spiritus vitales, subitò deficientes ob cessantem sanguinis fermentationem ac circulum, *aut* spiritus animales subitò in motu naturali deficientes; unde quasi abrupti, vel ad altas ataxias & convulsiones acti, movendo seu constringendo cordi minùs inservire possunt, adeoque spirituum consortio abrupto syncope supervenit. Hinc *causæ* modò dictæ *remotæ* omnes vel sanguinem, vel spiritus vitales afficiunt, vel ceu objecta sensibilia spiritus animales in motu suo alterabunt: Ita ut hi ipsi spiritus

1. In motu debito, speciatim cordis, aut deficiant, dum oppressi & quasi concentrati in sua activitate impediuntur, v. g. in subitaneo terrore; *vel dissipati vel resoluti evanescant*, ac in operando desistant, & sic cor quasi paralysi laboret: Vel
2. In suo motu quasi *exorbitent*, & ex irritatione quâdam, & inde natis spasmis undecunque concitatis, *cor in continua systole* seu constrictione *detineant*, ita ut fit continuus quasi cordis spasmus & convulsio, à spiritibus animalibus inducta.

Sanè in morbis convulsivis, præsertim partium internarum, non rarò hæc ipsa est; unde in tali casu ægri ad se redeuntes conqueruntur: *fuisse ipsis, ac si quis cor ipsis compressisset, vel pedibus calcasset*: Id quod innuit validam musculi cordis contractionem. Sic *sanguinem & spiritus vitales afficiunt* quælibet evacuationes, mutationes subitaneæ aeris, sanguinis quæcunque insignes aut in crasi, aut in motu locali alterationes. *Vitio verò spirituum animalium in motu deficientium* orietur syncope post odores graves, & objectis ex idiosyncrasia hostilibus; item quæ stomachi orificium afficiunt, ex cujus cum universo nervorum systemate consensu facilis spirituum animalium in motu abruptio fit. *Dolores* etiam spirituum animalium ratione syncopen inferunt. Neque etiam hic negligendum, quod asserit PISO *Tract. de Colluvie serosa pag.* 166. dicens: Quod *syncopes funestissima & momentanea causa* fit *motus cordis repentè abolitus ab interceptione seu obstructione nervi cordis motorii, undecunque nervus iste afficiatur, aut* (verba sunt PISONIS) *ex subtili aquula, quam nos vocamus lympham, ex cerebro eo derepente defluente, spirituum motus intercipiatur*. Declaraturus hanc suam sententiam observationes aliquot raras & curiosas subnectit, & dicit: esse *quandam cordis apoplexiam*. *Gaudium nimium* spiritus dissipando, item *dolores diuturni*, pariter ex dicto fonte syncopen inferunt. Et ex his spiritibus animalibus, aut deficientibus, aut perturbatissimis fit syncope; sive causa externè hæreat circa cor, aut in corpore cordis musculolo; siue sit in vasis. Unde est quod spiritus animales dicuntur luminosi, qui continuato lumine omnes corporis partes continuò illustrant, & ita ad suas functiones aptas reddunt: Vid. BARTHOLINUS *de Luce Animalium*, & HELMONTIUS. Hoc lumine intercepto fit syncope: & à *Paracelsistis* vocatur Syncope Ecclipsis Microcosmi, quia nempè deficit lumen vitale, corpus irradians.

Certum est, semper observari in syncope virium sanguinis circa præcordia, & spirituum in motu & nervis: Vid. STENO *de Corde*.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa* syncopes & debilitatis virium: per se manifesta sunt satis. Causæ tantummodò probè distinguendæ. Meliùs autem has non potest quis percipere, nisi ex adstantium relatione.

PRO-

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Distinctio facienda subitanei & successivi virium languoris, ac quidem in iis, qui sine causa manifesta sunt languidi, ac decrementum virium patiuntur, in morbos inclinant, in specie ad scorbutica mala.

Reconvalescentes, præsertim à morbis gravibus acutis, diu adhuc languidi, *vel* recidivam, *vel* cachexiam, & tandem hydropem vel febres intermittentes, in specie tertianam intermittentem incurrunt.

In morbi cujuscunque principio præter manifestas causas mox summa virium proveniens prostratio maligni morbi signum est, adeoque morbus talis Febris maligna appellari solet.

Syncope & Lipothymia quæcunque est periculosa, plus minus tamen, prout magis vel minùs aut est durabilis, aut deficit cordis motus: item prout causæ antecedentes graviores vel leviores fuerint. Unde quando syncopizantes post exhibitionem spirituosarum aut aliarum rerum volatilium; item post irrorationem faucium cum liquoribus spirituosis & fortiter odoratis & stimulantibus, aut faciei cum aqua frigida, non resuscitantur, nec post ptarmica etiam ad se redeunt, in talibus signum est gravissimæ, & ob id periculosissimæ syncopes.

Syncope ex affecto stomachi orificio sinistro minùs funesta est.

Si adsunt anxietates præcordiorum & inquietudines, omnes sunt ex stomacho.

Syncope, quæ est ex effusione sanguinis, geniturae, aut aliorum humorum quorumcumque, minùs periculosa est eâ, quæ oritur à causa interna, & non rarò abdita.

Quò magis affligitur massa sanguinea, eò periculosior est syncope: hinc post Purgationes, venæsectiones nimias, ut & hæmorrhoides, solet esse funesta.

Tandem sudor frigidus syncopizantibus superveniens, quò magis glutinosus & copiosior, eò gravior & periculosior syncope est.

CURA.

Quoad CURAM: *In languore virium successivo* seu paulatino omnia ea conveniunt, quæ vitalem sanguinis fermentationem & spirituascentiam promovere, bilem plùs minùs peccantem acuere, & ita sanguinis glutinositatem attenuare, simulque vim stomachi digestivam suo modo restaurare valent. id quod uno nomine faciunt volatilia & *aromatica*, diutiùs continuanda. Aromatica enim sunt stomacho amica, acuunt bilem, & sanguinem ad volatilem] naturam & spirituascentiam promovent. Pertinet ergò huc spiritus vini & vina generosa, imprimis Clareta seu Vina Hippocratica dicta, vel ex vegetabilibus aromatibus ordinentur talia vina medicamentosa, quæ subinde hausta vires ac sensus reparant, & similia alia analeptica recentia. Dabo exemplum Noduli talis infundendi in vinum in languore virium pro iisdem restaurandis:

℞. *Herb. rorismar.*
Menth. crisp. ana M. j.
Salviæ,
Melissæ ana M. ß.
Rad. acori veri,
Enulæ,
Fœniculi ana ℥j.
Sem. 4. calid. min. ana ℥j.
Cinnam.
Cubebar.
Caryoph.
Macis ana ℨij.

Incisa & contusa includantur sacculo: D. S.
Nodulus ad vinum medicamentosum.

Affundatur *Vinum*, de quo subinde hauriat æger jejunus, item omni pastu, poculum unum. Quoniam vinum imbibit successivè vires simplicium aromaticas, & vires ex morbo vel etiam senio prostratas restaurat: Nam vinum tanquam lac senum vires successivè restaurare valet. Vel

℞. *Herb. rec. menth. vel meliss.* M. iij.
Rorismar. M. j.
Rad. rec. acori veri ℥iß.
Angelicæ drach. vj.
Rad. Galang. drach. iij.
Sem. anisi,
Fœniculi ana unc. ß.
Passul. min. unc. iv.

Incisa & contusa includantur Nodulo, qui infundatur in aliquot mensuris *vini Rhenani*:

D. S. ut *suprà*.
Vel

℞. *Fol. rorismar.*
Majoran.
Salviæ,
Calaminthæ mont.
Menth. crispæ ana M. ß.
Rad. angel.
Galang.
Acori veri,
Enul. camp.
Fœnic. ana unc. ß.
Sem. 4. calid. maj. ana drach. ii.
Cinnam.
Cubeb. ana drach. j.

Concis. & contus. insuantur sacculo, ac affundantur *vini* s. q.

D. S. ut *suprà*.

Vid. SYLVIUS *l. 1. Prax. cap. 34. pag. 613. & sequ.*

Quod si adsit malum scorbuticum vel hypochondriacum, volatilia acria, ut *cochlearia*, *nasturtium*, *armoracia*, *piperitis*, &c. commodè possunt addi; ac ut meliùs operentur, singulo haustui certa dosis spiritus cujusdam volatilis, verb. grat. *Spiritus salis ammoniaci anisati guttæ aliquot instillari poterunt*.

Item *Essentiæ & Elixyria stomachica*, *aquæ vitæ*, *apoplecticæ*, epilepticæ, &c. *salia volatilia oleosa*, Elixyr proprietatis sine acido, & sexcenta talia, locum inveniunt, ter quotidie usurpando, manè, à meridie, & sub introitu lecti: quin imò non inconsultum videtur, etiam sub ipso pastu talibus uti.

Quod verò attinet syncopen & lipothymiam subitaneam: in hujus paroxysmo opera danda est, ut ægri quasi revocentur in vitam. Extra paroxysmum autem recidiva præcavenda.

In paroxysmo ad revocandum ægrum ordinariò generosiora paulò & spirituosiora remedia, quò magis talia, eò meliora, quæ, nempe penetrant, & volatili spirituositate spiritibus deficientibus facilè applicabilia sunt, simulque sensuum organa fortiùs vellicando, spiritus animales aliqualiter resuscitant activosque reddunt, & eorum in motu ataxias restituunt. Et quidem penetrantia salina volatilia, alcalina vel acida, primatum obtinent, habitâ tamen semper ratione causarum præcedentium: Illa, ubi spiritus quasi obruti concentrantur, & à debitis expansionibus impediuntur, ut spiritus salis ammoniaci, liquor Cornu Cervi succinatus, &c.: Hæc, ubi iidem facilè dissipantur & exsolvuntur: hinc exem. gr. in lipothymia ex purgatione nimia, syncope ex in venæ sectione, ex vomitu, balneo, æstu nimio, corporis motu, &c. contracta, acida volatilia, ut haustus vini Rhenani, & acetum forte, liliorum convallium, calendulatum, &c. ori infusa, aut naribus admota, sunt admodum convenientia. Accedunt etiam his spirituosa volatilia oleosa, & salia volatilia oleosa: quæ tamen cautè usurpentur, quia non omnia subjecta promiscuè talia ferre possunt. Non ergò indistinctim aquam carbunculi & balsama omnibus externè admoveamus, sed iis tantùm subiectis, quæ hæc & similia non abhorrent: Sic novi mulierem, quæ non rosam; virum, qui non basilicon ferre potuit; ac proindè hæc subjecta horum usu magis prostrata, quàm refocillata fuissent: sic alium novi virum, qui post assumptam ambram incidit in syncopen; sicut in genere systema nervosum sensilius habentia subjecta non possunt suaveolentia perferre. Tutiora his longè salina penetrantia, sive illa urinosa sive acida fuerint, præscribuntur. Attendendum tamen est, an syncope oriatur à spirituum animalium dissipatione ob objectum fortiùs eos commovens, adeoque à radii luminosi interceptione? an verò à spirituum animalium & vitalium oppressione & quasi concentratione? Adeoque in genere tres classes remediorum in lipothymia analepticorum in Praxi vulgò sunt.

I. *Spirituosa sulphurea seu oleosa*, quò pertinent omnes

spiritus inflammabiles aromatici per fermentationem parati, olea aromatica destillata, tàm simplicia, quam aquæ apoplecticæ compositæ, plùs minùs suaviter olentia. Quoad hoc punctum tamen: *cautè*, ut jam dictum, nonnihil usurpentur; cùm non solùm mulieres omnes talia spirituosa oleosa, fumosa ineptè vulgò dicta, quòd caput replere putentur, commodè perferre nequeant, sed etiam mares plures, præsertim literati, aut lucubrationibus dediti, propter rariorem ac subtiliorem spirituum texturam fortiùs odorifera, sive suaviter sive malè illa oleant, non commodè ferant; cùm talia nimis spiritus vel sanguinem afficiant, unde vel cephalalgiam vel capitis gravitatem quasi ebriosam inde contrahunt. Aliàs tàm internè quàm externè sensuum organis admodum conducunt.

II. *Spirituosa alcalina*, spiritus volatiles acres urinosi, & omnia salia volatilia, eò præstantiora, quò magis oleosa priùs reddita fuerint.

III. *Acida volatilia acria*, in specie acetum, quæ partim sensuum organa potenter afficiunt, partim spiritus dissipabiles, ne nimis exsolvantur, præcavent.

In horum tamen omnium usu sedulò, ratio causarum antecedentium habenda est. Sic enim, ubi syncope erit v.gr. ex veneno, appropriata alexipharmaca addenda erunt, in quo casu itidem convenit vomitus, ubi venenum in primis viis adhuc latuerit. Ubi est ex passione hysterica aut uterina, appropriata hysterica, v.gr. Zedoaria, castoreata, omnia salia volatilia, spiritus cornu cervi succinatus, spiritus melissæ, carminativus de tribus, salis ammoniaci ʒß, Quinta Essentia Mattholi, præsertim cum Castorinis, si ferre queat æger, cum aqua appropriata, ex. gr. artemisiæ ℥j, propinentur; aut etiam opiatis additis malum præcaveatur: uti etiam tunc naribus admoventur appropriata; ut plurimùm quidem naribus in syncope hysterica fœtida ex castoreo & asa fœtida, fumus sulphuris, pennarum accensarum, &c. Verùm in hoc simus cauti propterea, quia non omnes mulieres æquè perferre possunt graveolentia; ut plurimùm quidem sed non semper: de quo suo loco, ubi de morbis mulierum; sunt enim quædam, quæ à graveolentibus læduntur. Unde optimum est in hysterica passione, ubi non scimus genium mulieris, an suaveolentia? an verò fœtida perferat? spiritum salis ammoniaci volatilem admovere naribus; Hic enim suaveolentia & fœtida ferentibus conducit. Semper habenda causæ antecedentis ratio, atque in syncope non frigidiora & calidiora remedia anicularum more attendenda, sed ea, quæ sunt plùs minùs refectiva, adhibenda.

Imò in syncope vitio stomachi & vitio orificii sinistri, aut etiam abdominis orta, vomitus interdum tutò potest provocari, si nempe adsint indicationes excrementorum evacuandorum; cùm & hunc motu spontaneo ortum conduxisse observaverim: Sic FORESTUS *lib.* 17. *obs.* 7. refert syncopen ex utero ex defectu mensium afflicto simul stomacho, per vomitum curatam: FABER *Curat.* 86. refert syncopen desperatam, per vomitum, cum aqua cinnamomi copiosâ, curatâ Confert ergò vomitus maturè adhibitus in syncope stomachica, ac ubi fomes mali circa primas vias hæret, præsertim ubi nausea & similia symptomata urgent. In casu, quo non tàm resoluti quàm oppressi aut inordinatè agitati spiritus videntur, excitat quoque tales ægros vomendi conatus, ac quasi in vitam revocat: & licèt adstantibus terribilis videatur, Medicus tamen hoc in casu se nec timidum nec tumidum exhibeat: non illud, ne morâ inconsideratâ ægrum pessundet; non hoc, nè ægrum spiritus evomere cogat, Ubi ergò signum certum est, vitium à stomacho, & vires non attritas, sed validas adhuc esse, optimum erit, ut blandus & mediocris instituatur vomitus.

Hoc ipso vomitionis actu, ne animo delinquant, odores penetrantes, imprimis vini generosi, naribus admovendi. Quod si vomitus non æquè tutus videatur, clysma paulò acrius injicere non vetabit; & propinentur Præcipitantia ita dicta, quæ figendo effervescentiam humorum sistunt: quibus tamen adjungantur aromatica. Hinc corallia, Magisterium coralliorum cum succo citri paratum, lapis bezoar in dosi generali ad ℈ß, ebur præparatum cum vel sine igne, additis aliquot guttis olei cujusdam destillati, vel succini, vel anisi, vel cinnamomi. His enim syncope imminens præcavetur, donec opportunè saburra vitiosa ex primis viis evacuari possit.

IV. Adduntur his *Opiata* mediocri dosi, in scopo nempe ultimo supra memorato, spirituum nempe aut dissipabiliorum, aut in impetus convulsivos promiorum, impetum sistentia: subindè enim fit, ut ex irrequieto nimis spirituum animalium motu, indeque ortis deliriis, aut agrypniis, aut etiam motibus convulsivis, ingens virium immineat prostratio. In tali casu ex opio ritè parata remedia sunt divina auxilia, si appropriatis aliis remediis misceantur.

Quæ ergò conveniunt in syncope, refectiva & analeptica dicta præ cæteris sunt primario vinum generosum, cinnamomum, aqua & oleum destillatum ejus, ac omnia ex eo parata, in specie ejus oleum (vid. HELMONTIUS *de Potest. Medic.*) aquæ spirituosæ, v.gr. aquæ apoplecticæ quælibet, spiritus liliorum convallium per fermentationem paratus, spiritus theriacalis, tàm simplex quàm compositus, oleum destillatum caryophyllorum, item Balsama apoplectica & cordialia, item salia volatilia quæcunque, spiritus cordis cervi; *liquor* cornu cervi, succinatus, id est, spiritus Cornu Cervi essentificatus, & sale volatili succini debitâ proportione unitus, qui est elegantissimus: Nam succinum, sal volatile & oleum destillatum succini, aliquot guttularum vel granorum pondere exhibitum, admodùm potenter roborat syncopticos, imprimis simul concurrentibus insultibus epilepticis, aut insultibus hystericis. Spiritus rosarum per se est egregium refectivum. Quod si verò fiat spiritus rosarum ambratus, id est, si fermentetur ambra cum rosis, fit exindè spiritus rosarum ambratus potentissimus & elegantissimus: nam fermentatione ambræ cum rosis ejus compages recluditur, ut postmodùm cum spiritu rosarum sursùm rapta det spiritum elegantissimum. Ambra enim, & omnia ex eadem parata remedia, summum sunt restaurativum spirituum animalium: unde non tantummodò usurpantes in Venerem armat, sed præterea quoque senibus decrepitis moderato usu mirè conducit: unde confectio alchermes, quam ingreditur ambra, potenter reficit, imprimis si aliquot guttæ olei destillati cinnamomi addantur: item Essentia ambræ cum spiritu rosarum, aut, quod melius, cum spiritu melissæ parata, ad guttas viij. vel x. in aqua melissæ exhibita; cui tamen præfero spiritum rosarum ambratum. Quod si his sal viperarum aut succini probè depuratum addatur, vix relinquet Medicum & ægrum. In specie RUDOLPHI II. Imperatoris constantissimum medicamentum cephalico-cardiacum, ipsi ab ELISABETHA, Angliæ Regina, communicatum fuit ex ambra, moscho, & zibetho: affudit spiritum rosarum, vitrum sigillavit hermeticè, quod æstivo tempore in terra foditur

Præterea quoque citrus, elixyr citri, vel spiritus citri acuatus sale volatili Cornu Cervi, (quod semel pro semper noto) in aqua appropriata exhibita similiter conveniunt: in specie Quinta Essentia dictæ vegetabilium aromaticorum, Quintæ Essentiæ melissæ; angelicæ. Quibus notæ sunt encheireses Chymicæ parandi ex vino oleum seu Quintam essentiam vini, cujus minutissima gutta linguæ admota totum corpus quasi fulmine penetrat; & est sal volatile subtilissimum vini in oleiforme corpus concentratum, ii habebunt melius levamen in syncope. Essentia cordialis D. MICHAELIS ex vegetabilibus spiritualibus cum spiritu cordis cervi est egregia. Essentia croci, rectè PARACELSO dicta summa cordis lætitia, insigniter laudatur. Paratur hæc essentia croci per aquam vitis, mense Martio ex pampinis incisis destillantem, vel etiam cum spiritu appropriato melissæ, aut rosarum parata est efficacior: Huic essentiæ, si gr. j. vel alterum salis volatilis addatur, fit medicina præstantissima. Tinctura seu essentia castorei, speciatim in syncope hysterica & hypochondriaca, convenit. Tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi parata est elegans, imprimis post sanguinis, aut alius utilis succi excretionem, unde etiam puerperis post partum exhibetur pro reparandis viribus. Tincturæ etiam solares, e. g. tinctura solis cum oleo cinnamomi, tàm MYNSICHTII *in Armamentario*, quàm etiam D. GANZLANDI, egregiæ sunt. Verùm vires potiùs oleo cinnamomi tribuendæ, quàm auro: utut enim per salia insigniter dissolvatur aurum, non tamen totalis est ejus reclusio, ut sulphur absconditum fiat manifestum; faciliùs enim est aurum construere, quàm destruere: Adeò ut menstrua quidem in his sint egregia, admistæ tamen atomi auri parùm operentur: qui verò potest parare veram auri tincturam, isti concedam summ[am]

gau-

gaudium. Aliquoties facta fuit mentio salium volatilium, nec immeritò: Hæc ipsa fiunt magis appropriata, si fiant oleosa, & suavi aromate impraegnata, i. e. si artificiosè conjungantur cum oleis aromaticis destillatis, quod per se non potest fieri; beneficio tamen spiritus vini, quod de utroque, nempe sale volatili & oleo, participat. Imprimis *spiritus salis ammoniaci* benè rectificatus, conjunctus cum spiritu vini rectificatissimo aromatico, & sic *oleosus* factus, dat talem misturam, sal volatile oleosum admodùm elegans in syncope, aut virium subita prostratione. Fuit Medicus, qui frigidos, & calore nativo jam quodammodò destitutos, haustulo Elixyris vitæ Matthioli, in quo grana aliquot salis volatilis viperarum dissoluta fuerint, se recreaturum confidat: Vid. SACHSIUS *in Ampelographia pag.* 511.

In genere vehicula horum remediorum sunt aqua melissæ cum vino, aqua pulegii, cinnamomi, simplicis vel cydoniatæ, aqua vitæ sive quinta essentia aut, ut alii vocant, Elixyr vitæ Matthioli, item aqua cordialis *Herc. Saxon.*, aqua carbunculi, aqua cordis cervi, aqua vitæ alba *Dresdensium*, quæ est optima, aqua cordialis calida *Mynsichtii*, in mulieribus aqua hirundinum cum castoreo, &c. quibus etiam camphora, spiritus theriacalis camphoratus, & similia, pro meliori stimulo commodè addi possunt.

Quoad *acida*: spirituosum ac generosum vinum, succus citri, succus aut syrupus rubi Idæi, conserva pulpæ citri cum electuario diascordii, acetum simplex vel acetum bezoardicum, florum calendulæ, liliorum convallium, florum tunicæ, sambuci, caryophyllatum, rutaceum, &c., in aceto infusum castoreum, &c. usurpari possunt. HOEFERUS externè commendat olfactum panis recentis, cujus odorem omnibus aquis perlatis longè præfert BECHERUS. Regioni cordis admovet HARTMANNUS sacculos ex melissa, irroratos cum spiritu vini.

Quoad *opiata* denique: præter laudanum opiatum *Helmontii*, ex opio cum succo cydoniorum fermentando paratum, in parva dosi theriaca, Mithridatium, Extractum theriacale, aut his cognatæ compositiones, administrari possunt: v. g.

℞. *Quint. Ess. cinnam.* ʒj.
D. S.
Tinctura Cordialis: 50. *guttæ pro* 1. *dosi*.

℞. *Tinct. corall. cum spirit. Corn. Cerv.* ʒij.
D. S.
Tinctura cordialis pro 3. *vicibus*.

℞. *Aqu. meliss. cum vino* ℥iß.
Apopl. ʒvj.
Cinnam. cum vino ʒiij.
Essent. ambr. vel confect. alcherm. ʒj.
M. D. S.
Potio cordialis cochleatim capienda.

℞. *Aqu. fragor.*
Rubi Idæi ana ℥iß.
Tinctura solis ʒj.
Matr. perlar. præp. ʒß.
Confect. al-cherm. ʒij.
M. S.
Mixtura confortans pro aliquot vicibus.

℞. *Aqu. rubi Idæi* ℥iv.
Tinct. solis ʒiij. vel ʒß.
M. S.
Mixtura cephalico Cordiaca.

℞. *Aqu. meliss. cum vin.* ℥iij.
Quint. essent. Matthioli drachm. iij.
Confect. al-cherm. drachm. j.
Syr. fl. tunicæ ʒvj.
Potio cordialis pro aliquot vicibus.
M. S.
Vel

℞. *Aqu. cordial. Herc. Sax.*
Cinnam. borrag.
Meliss. cum vino ana unc. j.
Spirit. theriac. simpl. ʒß.
Elixyr. vel succ. citri ʒvj.
Essent. ambræ ℈j.
Syr. de cort. citri ʒß.
M. D. S. ut *supra*.
Vel

℞. *Aqu. rubi Idæi* unc. ij.
Aqu. Cordial. Herc. Saxon. ℥j.
Spirit. lil. convall. ʒiij.
Salis ammoniaci ʒj.
Syr. borrag. unc. ß.
M. D. S. ut *suprà*.
Vel

℞. *Aqu. meliss.* vel *rosar.*
Fœnic. ana ℥iß.
Liqu. Cornu Cervi succin. ʒj. ad ʒiß.
Syr. fœnic. drachm. iij.
M. D. S ut *suprà*.
Vel

℞. *Aqu. rubi Idæi* ℥iij.
Aceti theriac. drachm. iij. ad ℥ß.
Spirit. citri drachm. j.
Syr. rubi Idæi ℥ß.
M. S. ut *suprà*.
Vel

℞. *Aqu. fl. samb.*
Borrag. ana unc. ij.
Succ. citri rec. unc. j.
Spirit. rosar. drachm. ij.
Syr. rubi Idæi unc. ß.
M. D. S. ut *suprà*.
Vel

℞. *Aqu. borrag.*
Bugloss.
Rubi Idæi ana unc. j.
Aqu. cinnam. drachm. iij. vel ℥ß.
Succi citri rec. drachm. iij. vel ℥j.
Conf. al-cherm. drachm. iß. vel loco hujus *Tinct. corall.* ℈i. vel drachm. ß.
Corall. rubr. præp. vel *margarit. præp.* drachm. ß. ad ʒj.
Syrupi cinnam. vel alius unc. ß.
M. D. S. ut suprà.

Quoad *externa*, naribus, temporibus, pulsibus, labiis, & scrobiculo cordis affricanda: sunt ferè similia, *vel* spirituosa, aqua carbunculi, liliorum convallium, balsamus apoplecticus, &c. oleum carbunculi, cinnamomi, citri, &c. Præ cæteris utile est oleum succini, caryophyllorum & similia. Item admoventur naribus spiritus salis ammoniaci, aut similis acrior, acetum vini, acetum florum tunicæ, ac similia naribus adhibentur. Succinum solum sub forma suffitus, naribus excipiendi, adhibetur à RULANDO, qui dicit: se longâ experientiâ in omni ætate & affectu reperisse lipothymicos refocillatos ex accenso carabe, aut ex oleo carabino naribus illito, aut una alterave gutta cum aqua appropriata ori infusa: Vid. *Thesaurus pag.* 177. de muliere mortua ferè & frigida, quam oleum succini restituit: N. B. in succino multa latent.

In *specie* etiam syncope & lipothymia ex *Evacuationibus* quibusvis, speciatim nimiis Purgationibus, quæ sunt frequentes, imprimis conveniunt. Acida quæcunque, in specie succus cydoniorum, theriaca in aqua cinnamomi usurpata, item Extractum theriacale in aqua cinnamomi, & Mixtura ex aqua menthæ, spiritu theriacali simplici vel camphorato, & confectione al-chermes; aut aqua cinnamomi, in qua theriaca & confectio al-chermes fuit soluta, conveniunt: nam hæc sunt præsentanea. Spiritus vini rectificatus cum ambra & moscho aromatisatus commendatur imprimis à FABRO in ejus *Pathologia*: sicut & hæc dicta optima erunt in post nimium vomitum contracta lipothymia.

In syncope ex nimio sudore, æstu, labore, exercitationibus, iracundia, *gaudio nimio*, aut odoribus ingratis, conducunt acida, acetum, succus citri, vinum, succi vegetabilium, aut julepi aciduli, Elixyr citri acidulatum.
Vel

℞. *Cons. acetosell.*
Pulp. citri ana unc. j.
Fl. tunicæ unc. ß.
Rob ribium drachm. vj.
Confect. al-cherm. drachm. iß.
Syr. acetos. citri, vel *rubi Idæi* q. s.
M. D. S.
Saccharum cordiale.

Imprimis contra alterationem ab ira, præmisso, si opus sit, vomitorio, in specie si post iracundiam alimentorum facta sit assumptio, convenit Mixtura SYLVII *Prax. l.* 1. *cap.* 28. §. 22., item Mixtura *suprà c.* 3. Prolegom.

spiritus inflammabiles aromatici per fermentationem parati, olea aromatica destillata, tàm simplicia, quam aquæ apoplecticæ compositæ, plùs minùs suaviter olentia. Quoad hoc punctum tamen: *cautè*, ut jam dictum, nonnihil usurpentur; cùm non solùm mulieres omnes talia spirituosa oleosa, fumosa ineptè vulgò dicta, quòd caput replere putentur, commodè perferre nequeant, sed etiam mares plures, præsertim literati, aut lucubrationibus deditì, propter rariorem ac subtiliorem spirituum texturam fortius odorifera, sive suaviter sive malè illa oleant, non commodè ferant; cùm talia nimis spiritus vel sanguinem afficiant, unde vel cephalalgiam vel capitis gravitatem quasi ebriosam inde contrahunt. Aliàs tàm internè quàm externè sensuum organis admodum conducunt.

II. *Spirituosa alcalina*, spiritus volatiles acres urinosi, & omnia salia volatilia, eò præstantiora, quò magis oleosa priùs reddita fuerint.

III. *Acida volatilia acria*, in specie acetum, quæ partim sensuum organa potenter afficiunt, partim spiritus dissipabiles, ne nimis exsolvantur, præcavent.

In horum tamen omnium usu sedulò, ratio causarum antecedentium habenda est. Sic enim, ubi syncope erit v. gr. ex veneno, appropriata alexipharmaca addenda erunt, in quo casu itidem convenit vomitus, ubi venenum in primis viis adhuc latuerit. Ubi est ex passione hysterica aut uterina, appropriata hysterica, v. gr. Zedoaria, castoreata, omnia salia volatilia, spiritus cornu cervi succinatus, spiritus melissæ, carminativus de tribus, salis ammoniaci ʒß, Quinta Essentia Matthioli, præsertim cum Castoreinis, si ferre queat æger, cum aqua appropriata, ex. gr. artemisiæ ℥j, propinentur; aut etiam opiatis additis malum præcaveatur: uti etiam tunc naribus admoveantur appropriata; utplurimùm quidem naribus in syncope hysterica fœtida ex castoreo & asa fœtida, fumus sulphuris, pennarum accensarum, &c. Verùm in hoc simus cauti propterea, quia non omnes mulieres æquè perferre possunt graveolentia; ut plurimùm quidem sed non semper: de quo suo loco, ubi de morbis mulierum; sunt enim quædam, quæ à graveolentibus læduntur. Unde optimum est in hysterica passione, ubi non scimus genium mulieris, an suaveolentia? an verò fœtida perferat? spiritum salis ammoniaci volatilem admovere naribus; Hic enim suaveolentia & fœtida ferentibus conducit. Semper habenda causæ antecedentis ratio, atque in syncope non frigidiora & calidiora remedia anicularum more attendenda, sed ea, quæ sunt plùs minùs refectiva, adhibenda.

Imò in syncope vitio stomachi & vitio orificii sinistri, aut etiam abdominis orta, vomitus interdum tutò potest provocari, si nempe adsint indicationes excrementorum evacuandorum; cùm & hunc motu spontaneo ortum conduxisse observaverim: Sic FORESTUS *lib.* 17. *obs.* 7. refert syncopen ex utero ex defectu mensium afflicto simul stomacho, per vomitum curatam: FABER *Curat.* 86. refert syncopen desperatam, per vomitum, cum aqua cinnamomi copiosâ, curatâ Confert ergò vomitus maturè adhibitus in syncope stomachica, ac ubi fomes mali circa primas vias hæret, præsertim ubi nausea & similia symptomata urgent. In casu, quo non tàm resoluti quàm oppressi aut inordinatè agitati spiritus videntur, excitat quoque tales ægros vomendi conatus, ac quasi in vitam revocat: & licet adstantibus terribilis videatur, Medicus tamen hoc in casu se nec timidum nec tumidum exhibeat: non illud, ne morâ inconsideratâ ægrum pessundet; non hoc, ne ægrum spiritus evomere cogat. Ubi ergò signum certum est, vitium à stomacho, & vires non attritas, sed validas adhuc esse, optimum erit, ut blandus & mediocris instituatur vomitus.

Hoc ipso vomitionis actu, ne animo delinquant, odores penetrantes, imprimis vini generosi, naribus admovendi. Quod si vomitus non æquè tutus videatur, clysma paulò acrius injicere non vetabit; & propinentur Præcipitantia ita dicta, quæ figendo effervescentiam humorum sistunt; quibus tamen adjungantur aromatica. Hinc corallia, Magisterium coralliorum cum succo citri paratum, lapis bezoar in dosi generali ad ℈ß, ebur præparatum cum vel sine igne, additis aliquot guttis olei cujusdam destillati, vel succini, vel anisi, vel cinnamomi. His enim syncope imminens præcavetur, donec opportunè saburra vitiosa ex primis viis evacuari possit.

IV. Adduntur his *Opiata* mediocri dosi, in scopo nempe ultimo supra memorato, spirituum nempe aut dissipabiliorum, aut in impetus convulsivos proniorum, impetum sistentia: subindè enim fit, ut ex irrequieto nimis spirituum animalium motu, indeque ortis deliriis, aut agrypniis, aut etiam motibus convulsivis, ingens virium immineat prostratio. In tali casu ex opio ritè parata remedia sunt divina auxilia, si appropriatis aliis remediis misceantur.

Quæ ergò conveniunt in syncope, refectiva & analeptica dicta præ cæteris sunt primario vinum generosum, cinnamomum, aqua & oleum destillatum ejus, ac omnia ex eo parata, in specie ejus oleum (vid. HELMONTIUS *de Potest. Medic.*) aquæ spirituosæ, v.gr. aquæ apoplecticæ quælibet, spiritus liliorum convallium per fermentationem paratus, spiritus theriacalis, tàm simplex quàm compositus, oleum destillatum caryophyllorum, item Balsama apoplectica & cordialia, item salia volatilia quæcunque, spiritus cordis cervi; *liquor* cornu cervi, succinatus, id est, spiritus Cornu Cervi essentificatus, & sale volatili succini debitâ proportione unitus, qui est elegantissimus: Nam succinum, sal volatile & oleum destillatum succini, aliquot guttularum vel granorum pondere exhibitum, admodùm potenter roborat syncopticos, imprimis simul concurrentibus insultibus epilepticis, aut insultibus hystericis. Spiritus rosarum per se est egregium refectivum. Quod si verò fiat spiritus rosarum ambratus, id est, si fermentetur ambra cum rosis, fit exindè spiritus rosarum ambratus potentissimus & elegantissimus: nam fermentatione ambræ cum rosis ejus compages recluditur, ut postmodùm cum spiritu rosarum sursùm rapta det spiritum elegantissimum. Ambra enim, & omnia ex eadem parata remedia, summum sunt restaurativum spirituum animalium: unde non tantummodò usurpantes in Venerem armat, sed prætereà quoque senibus decrepitis moderato usu mirè conducit: unde confectio alchermes, quam ingreditur ambra, potenter reficit, imprimis si aliquot guttæ olei destillati cinnamomi addantur: item Essentia ambræ cum spiritu rosarum, aut, quod melius, cum spiritu melissæ parata, ad guttas viij. vel x. in aqua melissæ exhibita; cui tamen præfero spiritum rosarum ambratum. Quod si his sal viperarum aut succini probè depuratum addatur, vix relinquet Medicum & ægrum. In specie RUDOLPHI II. Imperatoris constantissimum medicamentum cephalico-cardiacum, ipsi ab ELISABETHA, Angliæ Reginâ, communicatum fuit ex ambra, moscho, & zibetho: affudit spiritum rosarum, vitrum sigillavit hermeticè, quod æstivo tempore in terra foditur.

Prætereà quoque citrus, elixyr citri, vel spiritus citri acuatus sale volatili Cornu Cervi, (quod semel pro semper noto) in aqua appropriata exhibita similiter conveniunt: in specie Quinta Essentia dictæ vegetabilium aromaticorum, Quinta Essentia melissæ, angelicæ. Quibus notæ sunt encheireses Chymicæ parandi ex vino oleum seu Quintam essentiam vini, cujus minutissima gutta linguæ admota totum corpus quasi fulmine penetrat; & est sal volatile subtilissimum vini in oleiforme corpus concentratum, ii habebunt melius levamen in syncope. Essentia cordialis D. MICHAELIS ex vegetabilibus spiritualibus cum spiritu cordis cervi est egregia. Essentia croci, rectè PARACELSO dicta summa cordis lætitia, insigniter laudatur. Paratur hæc essentia croci per aquam vitis, mense Martio ex pampinis incisis destillantem, vel etiam cum spiritu appropriato melissæ, aut rosarum parata est efficacior: Huic essentiæ, si gr. j. vel alterum salis volatilis addatur, fit medicina præstantissima. Tinctura seu essentia castorei, speciatim in syncope hysterica & hypochondriaca, convenit. Tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi parata est elegans, imprimis post sanguinis, aut alius utilis succi excretionem, unde etiam puerperis post partum exhibetur pro reparandis viribus. Tincturæ etiam solares, e. g. tinctura solis cum oleo cinnamomi, tàm MYNSICHTII *in Armamentario*, quàm etiam D. GANZLANDI, egregiæ sunt. Verùm vires potiùs oleo cinnamomi tribuendæ, quàm auro: utut enim per salia insigniter dissolvatur aurum, non tamen talis est ejus reclusio, ut sulphur absconditum fiat manifestum; faciliùs enim est aurum construere, quàm destruere: Adeò ut menstrua quidem in his sint egregia, admistæ tamen atomi auri parùm operentur: qui verò potest parare veram auri tincturam, isti concedam summ

gau-

gaudium. Aliquoties facta fuit mentio talium volatilium, nec immeritò: Hæc ipsa fiunt magis appropriata, si fiant oleosa, & suavi aromate impraegnata, i. e. si artificiosè conjungantur cum oleis aromaticis destillatis, quod per se non potest fieri; beneficio tamen spiritus vini, quod de utroque, nempe sale volatili & oleo, participat. Imprimis *spiritus salis ammoniaci* benè rectificatus, conjunctus cum spiritu vini rectificatissimo aromatico, & sic *oleosus* factus, dat talem mixturam, sal volatile oleosum admodùm elegans in syncope, aut virium subita prostratione. Fuit Medicus, qui frigidos, & calore nativo jam quodammodò destitutos, haustulo Elixyris vitæ Matthioli, in quo grana aliquot salis volatilis viperarum dissoluta fuerint, se recreaturum confidat: Vid. SACHSIUS *in Ampelographia pag.* 511.

In genere vehicula horum remediorum sunt aqua melissæ cum vino, aqua pulegii, cinnamomi, simplicis vel cydoniatæ, aqua vitæ sive quinta essentia aut, ut alii vocant, Elixyr vitæ Matthioli, item aqua cordialis *Herc. Saxon.*, aqua carbunculi, aqua cordis cervia, qua vitæ alba *Dresdensium*, quæ est optima, aqua cordialis calida *Mynsichtii*, in mulieribus aqua hirundinum cum castoreo, &c. quibus etiam camphora, spiritus theriacalis camphoratus, & similia, pro meliori stimulo commodè addi possunt.

Quoad *acida*: spirituosum ac generosum vinum, succus citri, succus aut syrupus rubi Idæi, conserva pulpæ citri cum electuario diascordii, acetum simplex vel acetum bezoardicum, florum calendulæ, liliorum convallium, florum tunicæ, sambuci, caryophyllatum, rutaceum, &c., in aceto infusum castoreum, &c. usurpari possunt. HOEFERUS externè commendat olfactum panis recentis, cujus odorem omnibus aquis perlatis longè præfert BECHERUS. Regioni cordis admovet HARTMANNUS sacculos ex melissa, irroratos cum spiritu vini.

Quoad *opiata* denique: præter laudanum opiatum *Helmontii*, ex opio cum succo cydoniorum fermentando paratum, in parva dosi theriaca, Mithridatium, Extractum theriacale, aut his cognatæ compositiones, administrari possunt: v. g.

℞. *Quint. Ess. cinnam.* ʒj.
D. S.
Tinctura Cordialis: 50. guttæ pro 1. dosi.

℞. *Tinct. corall. cum spirit. Corn. Cerv.* ʒij.
D. S.
Tinctura cordialis pro 3. vicibus.

℞. *Aqu. meliss. cum vino* ℥iß.
Apopl. ℥vj.
Cinnam. cum vino ℥iij.
Essent. ambr. vel confect. alcherm. ʒj.
M. D. S.
Potio cordialis cochleatim capienda.

℞. *Aqu. fragor.*
Rubi Idæi ana ℥iß.
Tinctura solis ʒj.
Matr. perlar. præp. ʒß.
Confect. al-cherm. ʒij.
M. S.
Mixtura confortans pro aliquot vicibus.

℞. *Aqu. rubi Idæi* ℥iv.
Tinct. solis ʒiij. vel ʒß.
M. S.
Mixtura cephalico Cordiaca.

℞. *Aqu. meliss. cum vin.* ℥iij.
Quint. essent. Matthioli drachm. iij.
Confect. al-cherm. drachm. j.
Syr. fl. tunicæ ℥vj.
Potio cordialis pro aliquot vicibus.
M. S.
Vel

℞. *Aqu. cordial. Herc. Sax.*
Cinnam. borrag.
Meliss. cum vino ana unc. j.
Spirit. theriac. simpl. ʒß.
Elixyr. vel succ. citri ℥vj.
Essent. ambræ ℈j.
Syr. de cort. citri ℥ß.
M. D. S. ut *suprà.*
Vel

℞. *Aqu. rubi Idæi* unc. ij.
Aqu. Cordial. Herc. Saxon. ℥j.
Spirit. lil. convall. ʒiij.
Salis ammoniaci ʒj.
Syr. borrag. unc. ß.
M. D. S. ut *suprà.*
Vel

℞. *Aqu. meliss.* vel *rosar.*
Fœnic. ana ℥iß.
Liqu. Cornu Cervi succin. ʒj. ad ʒiß.
Syr. fœnic. drachm. iij.
M. D. S ut *suprà.*
Vel

℞. *Aqu. rubi Idæi* ℥iij.
Aceti theriac. drachm. iij. ad ℥ß.
Spirit. citri drachm. j.
Syr. rubi Idæi ℥ß.
M. S. ut *suprà.*
Vel

℞. *Aqu. fl. samb.*
Borrag. ana unc. ij.
Succ. citri rec. unc. j.
Spirit. rosar. drachm. ij.
Syr. rubi Idæi unc. ß.
M. D. S. ut *suprà.*
Vel

℞. *Aqu. borrag.*
Bugloss.
Rubi Idæi ana unc. j.
Aqu. cinnam. drachm. iij. vel ℥ß.
Succi citri rec. drachm. iij. vel ℥j.
Conf. al-cherm. drachm. iß. vel loco hujus *Tinct. corall.* ℈j. vel drachm. ß.
Corall. rubr. præp. vel *margarit. præp.* drachm. ß. ad ʒj.
Syrupi cinnam. vel alius unc. ß.
M. D. S. ut suprà.

Quoad *externa*, naribus, temporibus, pulsibus, labiis, & scrobiculo cordis affricanda: sunt ferè similia, *vel* spirituosa, aqua carbunculi, liliorum convallium, balsamus apoplecticus, &c. oleum carbunculi, cinnamomi, citri, &c. Præ cæteris utile est oleum succini, caryophyllorum & similia. Item admoventur naribus spiritus salis ammoniaci, aut similis acrior, acetum vini, acetum florum tunicæ, ac similia naribus adhibentur. Succinum solum sub forma suffitus, naribus excipiendi, adhibetur à RULANDO, qui dicit: se longâ experientiâ in omni ætate & affectu reperisse lipothymicos refocillatos ex accenso carabe, aut ex oleo carabino naribus illito, aut una alterave gutta cum aqua appropriata ori infusa: Vid. *Thesaurus pag.* 177. de muliere mortua ferè & frigida, quam oleum succini restituit: N. B. in succino multa latent.

In *specie* etiam syncope & lipothymia ex *Evacuationibus* quibusvis, speciatim nimiis Purgationibus, quæ sunt frequentes, imprimis conveniunt. Acida quæcunque, in specie succus cydoniorum, theriaca in aqua cinnamomi usurpata, item Extractum theriacale in aqua cinnamomi, & Mixtura ex aqua menthæ, spiritu theriacali simplici vel camphorato, & confectione al-chermes; aut aqua cinnamomi, in qua theriaca & confectio al-chermes fuit soluta, conveniunt: nam hæc sunt præsentanea. Spiritus vini rectificatus cum ambra & moscho aromatisatus commendatur imprimis à FABRO in ejus *Pathologia*: sicut & hæc dicta optima erunt in post nimium vomitum contracta lipothymia.

In syncope ex nimio sudore, æstu, labore, exercitationibus, iracundia, *gaudio nimio*, aut odoribus ingratis, conducunt acida, acetum, succus citri, vinum, succi vegetabilium, aut julepi aciduli, Elixyr citri acidulatum.
Vel

℞. *Conf. acetosell.*
Pulp. citri ana unc. j.
Fl. tunicæ unc. ß.
Rob ribium drachm. vj.
Confect. al-cherm. drachm. iß.
Syr. acetos. citri, vel *rubi Idæi* q. s.
M. D. S.
Saccharum cordiale.

Imprimis contra alterationem ab ira, præmisso, si opus sit, vomitorio, in specie si post iracundiam alimentorum facta sit assumptio, convenit Mixtura SYLVII *Prax. l.* 1. *cap.* 28. §. 22., item Mixtura *suprà c.* 3. Prolegom.

gom. Artic. 2. Memb. 2. pro acido temperando. In metu febris ardentis malignæ ex nimia ira, hinc forti motione, & potu, aliquando præscripsi:

℞. *Ebor. sine igne* gr. xv.
Specif. cephal. ℈ß.
Camph. gr. ij. M. D. S.
Pulvis cephalico-cardiacus.

Vesperi accipiebat.

In *syncope febrium malignarum*, ex irrequieto nimis spirituum animalium motu, indeque ortis deliriis, aut agrypniis, aut etiam motibus convulsivis, camphora in pauca quantitate cum laudano opiato conjuncta, & aliis appropriatis addita, spiritus animales nonnihil figit, & ad debitum motum redigit; quò pertinet & syncope ex *fumo gas narcotico*, e.g. opii, *liquorum effervescentium*, *carbonum*, &c. orta, quo casu acetum castoreo impraegnatum præprimis pollebit.

In *syncope ex terrore*, *nimiis hemorrhagiis*, *tristitia nimia*, &c. cinnamomum, spirituosa oleosa, spiritus vini, aqua vitæ, aqua carbunculi cum salibus volatilibus, ut spiritus Cornu Cerv. &c. acuata, in specie salia volatilia oleosa, conducunt. *Etiam* graviore in syncope *venam aperire*, & aliquali sanguinis detractione liberum motum huic conciliare, non inconsultum est: *Nam non semper* syncopticis nocet sanguinis detractio: id quod confirmat ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Admir. Observ.* 135., ex *mensium* nempè *suppressione* syncope gravis *vena saphenæ* sectione curata: Conf. SYLVIUS *lib.* 3. *Prax. cap.* 3. §. 288. & *cap.* 10. §. 69. Contra *mœrorem*, *subitaneum terrorem*, &c. confert Mixtura SYLVII *Prax. lib.* 1. *cap.* 28. §. 24. Item

℞. *Aqu. fl. samb.*
Ceraf. nigr. an. ℥iß.
Lil. convall. cum vino ℥j.
Ebor. sine igne ʒß.
Sal. volat. Corn. Cerv. ℈ß.
Syr. card. bened. ʒvj. M. D. S.
Potio cordialis pro aliquot vicibus.

Quod si ex *nimia sanguinis excretione*, v. g. nimio mensium fluxu, syncope immineat, *Opiata* v. g. *acidis sociata sunt optima*, *additis corallijs præparatis*.

In *syncope cum Epilepsia*, *passione hysterica*, &c. juncta, conveniunt imprimis *salia volatilia*, uti *jam dictum*.

In *syncope ab apoplexia* prodest spiritus cornu cervi.

Si *syncope sit ex venæsectione*, ut in hæmo phobis, &c. acida proderunt; imponatur æger supinus pavimento, ac sale communi affricentur ejus labia & lingua; vel granula quædam ori imponantur; & pro præcavenda eadem ante venæsectionem capiatur ovum sorbile, vel haustus vini aromatici, vel julculum, & hinc in dorso cubantibus vena aperiatur. Loco talis communis aut aliorum remediorum, suadente HILDANO, urina humana vel bovina utiliter usurpatur; ita enim restitui hoc in passu ægros expertus fuit; vel acetum applicetur naribus, & affricetur linguæ.

Ista & similia, interna pariter & externa, usurpari possunt.

Ad *syncopen senum*, imprimis ad lipothymiam & virium imbecillitatem ex defectu spirituum senibus obviam, TIMÆUS habet egregiam misturam sub forma Opiatæ:

℞. *Rotul. manus Christi perlat.* (corpus) ℥iij.
Terantur in mortario marmoreo, affunde
Olei cinnam. gtt. xj.
Macis gtt. ix.
Caryoph. gtt. vi.
Nuc. mosch. gtt. x.
Essent. ambr. crocat. gtt. xxvii.
Vell. aur. Weidneri ℈ij.
Spir. rosar. gtt. xx.
Meliss.
Citri ana gtt. xj.
Conf. alcherm. ℥ij.
M. exactè.
Dosis quantitas avellanæ seu juglandis.

Vel

℞. *Ambra gris.* vel *mosch.* gr. vii. vel viii.
solve in
Olei destillat. cinnam. gtt. xl.
Cardam. gtt. viii. ix. ad ℈ß.
Margar. præp. ℈ß.
Sacch. cand. albiss. ℥j. ad ℥ij.
M. f. pulvis.

Vid. HOFFMANNI *Clavis*.

℞. *Conserv. flor. anthos*,
Tunicæ,
Salviæ, an. ℥ß.
Confect. alcherm. ʒj.
Ambr. grys. gr. v.
Mosch. gr. iij.
Laud. opiati gr. ij.
Cum *syr. flor. tunicæ* f. Electuarium.
Irroretur cum aliquot guttis *olei destillati cinnamomi*, &c.
D. S.
Electuarium confortativum.

In lassitudine pedum:

℞. *Fol. vitis*,
Salicis,
Nymph. an. Mij.
Cap. papav. cum sem. no. viij.
Incis. D. S.
Species ad balneum pedum.
Decoqu. in aqu. simplici.

SECTIO XVII.

DE NUTRITIONE.

JAm ut pateat connexio cum superioribus, præsuppono: quod sanguis in præcordiis perfectus & turgescens, ex sinistro cordis ventriculo transferatur tandem per arteriæ aortæ ramos infinitos in totum corpus ad singulas partes, quo ipso tum illæ nutriuntur, nempe sanguine in genere sic dicto, tum etiam ex eodem liquore humanæ œconomiæ conservandæ aut utiles aut inutiles portiones separantur, utpote sunt urina, lympha, bilis, &c.

In genere ergò sanguis distribuitur ad partes, ut eas nutriat, id est, ad particularum sensim ab ipsis secedentium aut pereuntium reparationem, ut & in juventute earundem ad majorem molem & magnitudinem excretionem.

Operationes autem machinæ corporeæ respiciunt conservationem ejus vel in individuo, vel in specie: Illæ vel respiciunt Esse vitale simpliciter, vel Esse animale: unde ad tria generalia capita omnes corporis operationes seu functiones rediguntur, nempè ad *vitales*, *animales*, & *geni-tales*. *Vitales actiones* eò sunt directæ, ut corpus & conservetur, & in suo vigore vitali corroboretur, omnesque partes solidæ pro obeundis promptiùs & meliùs actionibus organicis debitam magnitudinem assequantur.

Cùm enim principia corporis activa sint in perpetuo motu, adeòque continuam patiantur partim alterationem, partim jacturam, necesse est, ut horum redintegratione vigor vitalis & restauretur, & quantum possibile exaltetur. Nam spiritus continuò sub actionum exercitio subtilitate suâ evanescunt & dissipantur, in quorum supplementum impenditur sanguis; cujus massa prætereà quoque in partibus solidis nunc in earum substantiam perfectè convertitur, nunc alterata nonnihil saltem tam naturaliter post accretionis annos, quam præternaturaliter per exercitia, aut vehementiores corporis motus, totus insensibiliter per poros transmittitur: ut taceam partes hujus massæ effœtas, & per crebriores circulationes, ac in præcordiis susceptas fermentationes, resolutas, copiosè itidem exhalantes; ita ut pluribus unicâ die naturali per insensibilem transpirationem tantum evacuetur, quantum per alvum 15. dierum cursu; de quo Transpirationis quan-

quanto vid. SANCTORIUS SANCTORII *de Statica Medicina*.

Perditio hæc nullo modo fit à solo calore, cùm hujus actio præsertim si vivâ flammâ non fuerit accensus, universim omnia humida mista siccet in tophum aut carbonem, ut copiosam remanentiam relinquant; secùs atque in corpore nostro evenire solet, cùm nullibi tale caput mortuum sanguinis naturaliter obvium sit, quin potiùs fermentorum in corpore & aeris inspirati adjumento in tantum resolvitur & volatilisatur massa sanguinea, & exinde separandus nutritius succus, ut vel spontè, vel leni accedente calore, totus successivè exhalet.

Ut ergò insignes hi defectus resarciantur, alimentorum assumendorum, & hinc elaborandi nutrimenti, imminet necessitas; quibus restaurentur partim partes absumptæ nutrimenti appositione & assimilatione, in quo consistit nutritio; partim augeantur membra omnia pro aptitudine ad functiones faciliore, perfectiore ejus agglutinatione, in quo consistit augmentatio, seu accretio: ita ut nutritio & accretio saltem majoris & minoris ratione differant, quòd nempè nutritio sit inchoata auctio, & auctio perfecta nutritio: quarum illa per totum vitæ cursum; hæc saltim ad certos annos, tàm ob partium augendarum pro majori extensione ineptitudinem, quàm ob nutrimenti pro perfecta agglutinatione inhabilitatem, perdurare naturaliter solent.

Tribus verò actionibus, Appositione, Assimilatione, & Agglutinatione, absolvitur Nutritio & Accretio: *Appositio* simplici mechanicâ, per poros partium transcolatione & quasi filtratione, peragitur: *Assimilatio* autem, & per coagulationis modum firmior *Agglutinatio*, non sine motu transmutationis fermentativo, ab occulto partium volatili acido, fieri videtur: quod spirituosum sub-acidum fermentum partium solidarum à spiritu animali dependere videtur; qui ad partes distributus, præter sensum & motum, simul earum nutrimentum roridum & salinum volatile oleosum spirituosâ & volatili suâ aciditate blandè coagulando & condensando iisdem assimilat & agglutinat.

Fiunt nempè succorum alterationes istæ, quæ dicuntur concoctiones, in corpore nostro omninò per fermenta & fermentationes; sicut separationes unius ab altero per transcolationes & filtrationes mechanicas; eorum verò retentiones & variæ motiones per solas pulsiones, beneficio toni partium, in earum structura & textura fibrosa fundati, sine ulla attractione: videatur CHARLETON *in Oeconomia Animali Exercitatione 7. §. 7. & seq.* De Platonica circumpulsione CORNELIUS CONSENTINUS videatur: Omnis enim motus in pulsu consistit. In rerum natura non datur attractio, sed omnia fiunt per pulsum.

Naturale hoc est nutritionis schema, dum massa sanguinea existens temperata, & plena partibus mucilaginosis & roscidis, i. e. chylosis, corpus turgidulum, molle & succi plenum repræsentatur: quæ nutritio læditur & præternaturalis redditur tribus imprimis modis: & quidem

1. *Alimenti nutrientis*, vel partis nutriendæ *vitio*. Nutrimenti vitio læditur, quando alimentum vel DEFICIT ob sui asperitatem, tàm naturalem quàm præternaturalem, uti in scorbuto, ubi assimilari nequit; tunc enim atrophia & tabes in promptu est.
2. Quando illud *Augetur*, adeoque partes solidæ nimis nutriuntur, ut *in Corpulentia nimia*, & in obesitate.
3. Læditur Nutritio, quando DEPRAVATUR; vel vitio alimenti, partium nutritioni legitimæ inepti, quo nutritio non tantùm inæqualis, sed & perverso modo fit, unde habitùs exterioris universi varia mala, v. g. *cachexia*, *leucophlegmatia*, *anasarca*, *ascites*, *icteri*, *lues venerea*, *malum hypochondriacum*, *scorbutus*, & similes alii affectus superveniunt; vel vitio partis nutriendæ, quando nutritio ipsa vitiosè est inquinata, ut inde scabies, pruritus, maculæ faciei, gutta rosacea, vari, aliaque vitia cutanea dicta oriantur.

Consideramus jam

CAP. I.
DE
NUTRITIONE PARTIUM LÆSA;
ARTICULUS I.
DE
ATROPHIA, TABE, & MACIE.

Atrophia, Tabes, & Macies, sunt deficiens Nutritio, non tantùm quando corpus non nutritur amplius; seu prætereà plùs minùs hæc ipsa etiam deficit. Et quidem imminuitur nutritio manifestè ratione carnis musculosæ, & ratione pinguedinis, non item ratione cartilaginum, ossium aut parenchymatum membranosarum ac fibrosarum partium. Hæc enim non absumuntur, utut subindè plùs minùs exsiccentur & arescant; adeòque habitus carnosi & pinguedinis absumptio in genere *Atrophiam*, Germ. *das Abnehmen*, constituit. Et quidem pinguedo sola deficiens vocatur *Macies*; quando verò caro simul, ipsæ nempè partes roridæ musculosæ absumuntur, nec restituuntur, *Tabes*, Ger. *die Schwindsucht*, appellari solet.

Atrophia ista in genere nunc est *universalis*, eaque frequentior, quando totum corpus non nutritur, sed successivè contabescit; nunc est *particularis*, eaque rarior, quæ unum alterumve tantùm membrum ac viscus internum plùs minùs occupat; sic enim nunc pulmones flaccidi, nunc lien corrugatus & tabidus observatus est, pariter sicut nunc manus altera, nunc pes in atrophiam incidit; quod ipsum vitium in specie *Aridura*, German. *die Gliedschwindung* dicitur.

CAUSÆ.

In genere *Causa Atrophiæ Universalis est in Efficiente*; *vel in Objecto*. *Efficiens sunt spiritus animales* influi, qui cum spiritu insito confermentati nutritionem efficiunt; undecunque verò deficientes atrophiam inferunt. *Objectum*, seu id, quod nutrit, sunt alimenta, quorum vel defectus in massa sanguinea, vel vitium, imprimis viscositas seu corruptio, nutritioni inepta existit.

Quoad spirituum animalium defectum: sunt, quando vel non generantur in abundantia, vel geniti absumuntur in motionibus corporis aut animi. *Non generantur*, ex sanguinis variis vitiis, quæ ex vitiis cerebri aut in textura, seu, ut alii vocant, temperatura, aut conformatione læsa scaturiunt. *Absumuntur* in iis, qui fortiùs aut crebriùs laborant; hinc rarò crassi aut obesi sunt rustici; item qui crebriùs Veneri indulgent, unde ex parte Tabes dorsalis; item qui indulgent intensioribus meditationibus, hinc literati frequentiùs macilenti, non secus ac qui mœrore aut tristitiâ diuturnâ sunt affecti, ut quando virgo ob amasii discessum tabe perit, ex observ. PANAROLLI *Pent. 6. Observ. 18.*

Quoad nutrimenti vitium: deficit nutritio, & oritur atrophia:

1. *Quando non generatur alimentum* in stomacho, v. g. in inedia, vel coacta vel voluntaria; aut etiam, quando alimenta parùm nutrientia aut vitiosa assumuntur, uti fit in picantibus, carbones, cretam, &c. comedentibus.

2. Deficit nutritio, *quando chylus genitus* quidem *non* tamen *distribuitur* usque ad sanguinem; idque vel *vitio vasorum lacteorum* in intestina hiantium obstructorum, v. g. in passione cœliaca, quam *suprà* habuimus; vel *vitio pylori* à tumore scirrhoso obstructi, ut annotarunt *Salmuth. Cent. 1. obs. 20.* & HOCHSTEDTERUS *Dec. 5. obs. 3. 26. & 28.*; vel *vitio glandularum* mesenterii obstructarum, hinc insigniter tumefactarum, ac tandem scirrhosarum, & plùs minùs strumosarum (hæc enim se invicem ita insequuntur) chylo transitum non concedentium; unde necessariò corpus emaciatur. Exempla hujus non sunt pauca: Sic HILDANUS *Centur. 1. Obs. 7.* curavit puellam tabescentem appetitu minimè privatam, idque ex mesenterii vitio, tumoribus scirrhosis & strumosis multùm referto: & HORSTIUS *libro 2. Observ. 3.* similiter exemplum habet atrophiæ ex obstructione glandularum me-

fenterii. Facit huc etiam, quod refert BONTIUS *de Medic. Indorum cap.* 12., quod nempe atrophia seu extabescentia Indis regionibus quoque familiaris & epidemica sit quasi, idque ex vitio mesenterii, nempè ejus abscessibus corruptis: Nec *tabes* adeò decantata in *Anglia* aliunde habet originem, quàm ex mesenterii glandulis scirrhosis & strumosis: id quod anatome taliter affectorum confirmat, utut GARENZIER *in Tractatu de Tabe Anglica* aliam suggerat originem. Infantulis imprimis & junioribus satis frequens est atrophia ex hac causa, nempè vitio mesenterii: Vid. SYLVIUS *lib.* 1. *Prax. cap.* 14. §. 56. HORSTIUS *lib.* 4. *Observ.* 24. HILDANUS *Cent.* 1. *Obs.* 70. & *Cent.* 2. *Observ.* 44. SENNERTUS *lib.* 3. *Prax. Part.* 5. *Sect.* 1. *c.* 3. PANAROLLUS *Pentec.* 5. *Observ.* 19. & BARBETTE *in Prax. Part.* 3. *cap.* 3. ubi de Intestinorum doloribus, *item in Anat. Pract. Part.* 1. *cap.* 14. *pag.* 87., in qua refert, frequenter infantes, rarò adultos, atrophiâ corripi cum ventriculo tumido & inflato, & doloribus compressivis, vitio mesenterii, denegantis chylo transitum ac debitam distributionem: sicut etiam maciem à receptaculi lumbaris, & ductus thoracici angustia & compressione, testantur FERNELIUS *lib.* 5. *Pathol. c.* 11. & BARTHOLINUS *de Lacteis thorac. cap.* 14. Quò etiam pertinent lumbrici chylum in intestinis consumentes; item quando cum vel sine sanguine chylus extravasatur aut consumitur, uti verb. gr. in vulneribus ac ulceribus majoribus, lactatione nimia & diuturna, nec non mictione chylosa, qualem DRAWIZIUS *Tract. de Scorbuto Sect.* 9. & TIMÆUS *Von Gulden Klee lib.* 3. *Consil.* 43. annotarunt.

3. Deficit Nutritio, *quando chylus*, licet sanguini permixtus, & plùs minùs assimilatus, *nimis tamen cum eo evacuatur*. Quò pertinet nimia quæcunque sanguinis effusio, sive fiat per nares, sive fiat per uterum, sive, quod sæpiùs fit, hæmorrhoides, sive per nimias venæ sectiones: Nam tales sanguinis evacuationes & excretiones multum depauperant de rore nutritio, ut non possit non sequi atrophia. Nec excludenda sunt medicamenta purgantia & Sudorifera fortiora, cùm massam sanguineam nimis solvant, evacuent, & sic corpus emacient. Facit huc motus corporis nimius, per glandulas cutaneas sub forma sudoris rorem nutritium etiam exhauriens: item ob eandem causam æstus nimius, qui liquefaciendo succum nutritium, eundem successivè deprædatur: item fluxus alvi nimis copiosi huc pertinent; vid. BORELLUS *Cent.* 2. *Obs.* 64., ubi refert de atrophia & macie post sumptum pharmacum, indeque ortâ hypercatharsi, abortu, &c.: item fluxus febrium colliquativi: item gonorrhœa virorum, tàm vera quàm notha: item fluor uterinus albus mulierum, aut copiosior aut diuturnior, mulieres tandem ad atrophiam ac maciem disponit, uti exemplum habet GUARINUS *Cons.* 105. Ulcera cariosa & fistulosa in artubus, verb. gr. in genu, atrophiam inferunt, abscissione partis curandam: Vid. HORSTIUS *lib.* 9. *Obs.* 20. Nimia denique venus tabidos reddit mares, quia cum spiritibus mediante geniturâ succum nutritium exhaurit: quale exemplum habet ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Prax. admir. obs.* 120.: quò etiam pertinet affectus novorum maritorum, qui vocatur TABES DORSALIS, vel alio modo *Hectica* novorum *maritorum*, quando hi ipsi nempè ad rem veneream nimis sunt intenti, tandem succum seu rorem nutritium nimis exhauriendo successivè ad talem dorsi atrophiam deducuntur. In Tabe tali dorsali, quæ frequentiorem insequitur Venerem, successivè mariti dorso extenuantur, processus spinales prominent, & sensus vermiculationis cum aliquali titillatione subitò per dorsum medium decurrente percipitur. Exempla non sunt rara, *videbitis apud* SOLENANDRUM *cons.* 5. item *apud* TULPIUM *lib.* 3. *observ. cap.* 24. item, ZACUTUM LUSITANUM *l.* 1. *Prax. admir. obs.* 122.; sed in specie de hac *Lumbagine* & Tabe dorsali vid. SENNERTUS *lib.* 2. *Prax. cap.* 15. *ubi de Tabe dorsali*, & *hinc* WILLISIUS *Pharm. Rat. Part.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 2. *pag.* 82. De hac tabe dorsali ex Veneris abusu orta singulare est, quod habet LEMNIUS *observ. pag.* 100., quod hæc nempe tabes dorsalis, licet semel curata, soleat tamen subinde per periodos septenniorum recurrere, & maritos insigniter affligere. *Duplex* HIPPOCRATI ejus *species* est: vel *à destillatione* in spinam, vel *à genitura*, aut huic analogi liquaminis copiosiore excretione; unde & gonorrhœâ quævis ferè insequi solet

Hæc fuit Atrophia, orta ex defectu nutritionis.

Altera causa erat atrophia orta ex vitio nutrimenti. Vitium nutrimenti atrophiam inferens est, quando hoc vitiosum est, minùs temperatum, sed nimis asperum, aut acre, aut salsum acidum & quasi muriaticum, aut alio vitio peregrino inquinatum, hinc ineptum est, ut nutriat corpus: Id quod fit dupliciter:

1. Propter vitiosam nutrimenti *in stomacho* & primis viis *digestionem*.
2. Propter vitiosam nutrimenti geniti, vel per se boni in massa sanguinea, tamen antea plùs minùs vitiata, *corruptionem*.

Conspirant hæ duæ causæ non rarò, ita, ut in tabe confirmata per circulum quendam se mutuò intendant, & ita malum eò gravius reddant: v. g. animi affectus diuturni corpus similiter emaciantes, ut sunt iracundia, terror, & in specie tristitia, potus frigidus post nimiam incalescentiam, eius post iram, &c. Nam hæc pathemata partim sanguinem turbant, partim ex improviso obvenientia & digestionem primam alterant & vitiant: sic enim prostant exempla hominum, his ex causis tabe corruptorum. Stomachum quod attinet: in hoc, uti fundamentum legitimæ digestionis, ita & sæpissimè causa tabis & atrophiæ hæret, quando scilicet alimenta sub digestione corrumpuntur, eaque non in chylum sub-dulcem nutritium, sed in vitiosè salsum acrem ac muriaticum, ac plùs minùs viscidum aut serosum immutantur: quod vitium sæpissimè aut ipsa vitiosa assumpta, verb. gr. in pica, insequitur, aut sæpissimè vitio lymphæ salivalis, stomachi digestionem turbantis, & fermentum ejus vitiantis, oboritur tabes: aut denique accidit ex ipsius fermenti, vel etiam succorum in primis viis labe successivè contractâ, & tandem vix ampliùs emendabili; quatenùs ea, quæ naturaliter fluida, istud constituere debent, imprimis spiritus, sanguis & lympha, in crasi suâ vitiata existunt. Quod frequentissimè fiat tabes, etiam phthisis, ex vitio stomachi malè digerentis, fidelissimè inculcat LINDANUS *in Comment. ad Praxin Chymiatr. Hartmanni*, qui dicit: quod ista tabes, quæ vulgò à *catarrho oriri* dicitur, aut *à destillationibus capitis* produci, sit simpliciter ab *acrimonia* & *viscidita te sanguinis* & *lymphæ* nata, propter errata digestionis primæ in stomacho, vel etiam succorum in primis viis; quod vitium vocat cruditatem putridam, ad differentiam cruditatis acidæ & nidorosæ: vid. BARBETTE: quando nempè per hanc alimenta corrumpuntur, & in chylum acido-salsum seu muriaticum, simulque viscidiorem, degenerant. Qualis phthiseos radix ut maturè satis prænoscatur, sciendum: quod ægri tales, frequentiùs, etiam sine omni causa externa, aut saltem cum levissima, de summa lassitudine conquerantur, cum appetitu maximè dejecto, potissimùm carnium flaccescant musculi, ad tussim subindè stimulentur, conquerantur se habere salsum, aut muriaticum saporem in ore, & mutiam non esse salsiorem: *quæ omnia à ventriculo oriri credo*, dicit LINDANUS, *ab ejus cruditate putrida, & ibi primam mali radicem esse*: Hæc putrida miscentur cum chylo, & deferuntur in sanguinem, quem inquinant & vitiant, hinc hærent in pulmonibus, quos acrimoniâ suâ salinâ stimulant ad crebriorem tussim: unde & in principio, cùm vellicetur à saliva salsa larynx, tussicula tenuis est, ex qua concussi pulmones sensim intumescunt, & phlogoses contrahunt, donec vasculum aliquod erodatur, & fiat ulcusculum sensim sensimque crescens, ac perfecta tandem superveniat phthisis. Vitio ergò tali stomachi inquinata massa sanguinea fit nimis salsa, item lympha similiter salsa progeneratur, unde tàm pravi sapores percipiuntur in ore; postmodùm interrogati ægri, annon saporem alienum habeant? præter hanc acrimoniam salsam conqueri solent de sapore cinereo, quod est signum jam incipientis corruptionis seu ulceris in pulmonibus: deindè conqueruntur de sapore carnium & piscium putridorum tertiâ vel quartâ post pastum horâ, volæ manuum intensè calent, percipitur circa præcordia cum gravatiuo sensu calor quidam, ac pulsus semper celer & frequentior fit, tussis exasperatur, & respiratio fit difficilis, ac alba atque viscida exspuuntur. Tales si perseverent, necessariò tabem & phthisin pulmonalem contrahunt. Hæc ipsa derivantur vulgò à destillatione capitis, seu catarrho; sed malè: proximè dependent ab acrimonia sanguinis & lymphæ quasi mu-

ria-

riatica, pulmones & loca vicina afficiente, fomes verò morbi reverà existit in stomacho, ejusq; vitiata digestione; abolitâ enim & imminutâ chylificatione totum corpus alimento defraudatur, ut exindè tabes ac marasmus metuendus sit necessariò. Nec desunt exempla alios apud Practicos talis ortæ tabis vel phthiseos ex vitio stomachi: *vid.* imprimis SOLENANDER *Cons.* 8. *Sect.* 1. & *Cons.* 15. *Sect.* 2., ubi exemplum habet totius corporis extenuationis ex malè affecto ventriculo; BARTHOLINUS *Cent.* 5. *Histor.* 38.; item in POTERIO non pauca exempla reperietis tabis & phthiseos ex affecto ventriculo subnatæ, *Cent.* 1. *cap.* 61. & 93. *Cent.* 2. *cap.* 3. 70. 71. & 78. *Cent.* 3. *cap.* 82., & BARBETTE *Prax. lib.* 3. *cap.* 2. & alia loca, in quibus stomachus accusatur in phthisi, depravans alimenta, & in acrimoniam salsam ac muriaticam transmutans. Et sanè in Praxi quotidiana nulla tabes aut phthisis, quàm hæc, frequentior & familiarior esse solet.

Vitio sanguinis, cujus occasione etiam necessariò vitiatur distributus chylus aliàs laudabilis, fit Atrophia seu Tabes, quando sanguis quocunque modo à debita crasi deficit, in specie salsus, aut acido-salsus actis, & plus minus muriaticus redditur, aut alio quocunque vitio inquinatur, adeoque ineptus est, ut nutriat: & hinc post febres, tam continuas ardentes, quàm intermittentes malè curatas, insequuntur lentæ & hecticæ, Tabem inferentes, partim ex acrimonia acido-salsa, partim junctâ viscididitate sanguinis & lymphæ. Hinc Scorbutici sæpiùs laborant tabe & atrophiâ, ex acrimonia salis scorbutici, nutrimentum corporis inquinantis: Id quod etiam in malo hypochondriaco confirmato familiare est, ut hi ipsi malo progrediente in atrophiam incidant, partim ob vitiosam digestionem primam, partim propter vitium ipsius sanguinis. Pariter & menses retenti, ut & lochia suppressa, vel hæmorrhoides retentæ, aut imprudenter sanatæ, atrophiam subinde inducunt: (confer. etiam BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Histor.* 35:) & quæ sunt aliæ causæ plures, massam sanguineam diversimodè inquinantes, quæ nutritionem impedidire valent.

Quoad *causas externas*: maciem quoque medicamenta acria immodicè & intempestivè usurpata inferre satagunt, v. gr. salia lixiviosa & volatilia, & ammoniacum, nitrum, &c. quia acrimoniâ suâ massam sanguineam nimis solvunt, particulasque solutas, præcipuè serosas, per diuresin & diaphoresin evacuant, sicque corpus extenuant. Aloë si inconsultò usurpatur, ob resinæ lentorem, muciique intestinalis viscum faciè hinc immorans, tandem tabem infert: vid. PECHLINUS *de Purgantibus*. Pertinet huc imprimis, quando sanguis crassior & viscidior fuerit, & in lympha digerenda & partibus impellenda deficiat, verb. grat., propter febres diuturnas, hæmorrhagias nimias, aut sanguinis evacuationes solenniores suppressas, exem. grat. hæmorrhoidum, à quarum fluxu suppresso, non secus ab eorum fluxu nimio, Tabem crebrò fieri HIPPOCRATES *lib.* 6. *Aphor.* 12. testatur. Imprimis tabes oriri solet, quando massa sanguinea ad dyscrasiam degenerat, vitio partis cujusdam solidæ nobilioris, propter sui malam constitutionem in functione solita deficientis, aut etiam abscessu aut ulcere affectæ. Tali in casu non solum ipsum pus, sed & viscus ulceratum; non amplius sufficiens debitæ functioni circa sanguinis conservationem, malum eò deterius reddit: quod etiam facit pus ex ulcere cujusdam partis genitum, & cum massa sanguinea permistum; quod ipsum pus sanguinem vitiat, putredine inficit, eumque salsum, acrem, & glutinosum reddit: unde talis ex visceris cujusdam vitio quovis insigniore, ac speciatim exulceratione, massâque sanguineâ infectâ, nata Tabes in specie Phthisis appellari solet.

ARTICULUS II.
DE
PHTHISI.

PHthisis significat, utut aliàs vocabulum generale sit, omnem corporis consumptionem, à quacunque causa, & in quacunque parte fiat; strictiùs tamen jam usitatè *Phthisis dicitur omnis ea contabescentia* quæ *corruptelam, ac speciatim ulcerationem alicujus visceris nobilioris, sequitur*. Ita si quis contabescat ob purulentum hepar, purulentos renes, corruptos pulmones, & similia viscera corrupta, tunc phthisi dicitur laborare: quæ dicitur à Græco φθόω seu φθίω, corrumpo, consumo, perdo, vel φθίνω, corrumpo, quia scilicet in phthisi totum corpus emaciatur. Hanc phthisin PARACELSUS aliquando appellat Ariduram; Germani vocant. *die Lungen oder Schwindsucht*.

Interim licèt Phthisis ex ulcere varia sit; quoniam verò pulmo præ reliquis omnibus partibus internis maximè expositus est injuriis aeris externi, à quibus insigniter lædi potest ac solet, ipse etiam talem sortitus est texturam, ut facillimè ex sanguine suscipere queat varia recrementa, à quibus facillimè alterabilis existit: hinc etiam ex omnibus partibus frequentissimè pulmo vitiatur & exulceratur, & propterea κατ' ἐξοχὴν Phthisici dicuntur ii, qui ulcere pulmonum laborant., sive ulcus, sive induratio, sive materia gypsea in hoc aut alio viscere collecta fuerit; Vid. BARTHOLINUS *Hepat. Exautor. S.* 6. *pag.* 666. FERNELIUS *lib.* 5. *Pathol. cap.* 11. SEVERINUS *de Recond. Absc. Nat. S.* 2. *cap.* 36. TIMÆUS *à Gulden Klee lib.* 6. *Epist.* 8. WHARTONUS *Adenogr. cap.* 11. & WEPFERUS *de Apoplexia pag.* 114. Cum Phthisi hac semper simul conjungitur Febris *Hectica*, in quacunque parte sit ulcus; qualis Hectica, & inde Tabes, conjungitur etiam interdum ulceribus partium externarum insignioribus. Si pulmo suppuratus est, sequitur sordidum ulcus, quod magis magisque inquinando sanguinem, Tabem admodum exasperat: quæ etiam valent in Phthisi renali, jecorali, &c. Cum enim per viscera continuò circuletur sanguis, hinc facilè is labe quadam notatus, eandem visceribus, in specie pulmonibus, affricare potest; sicut etiam ex suppurato mesenterio, vel abscessu mesenterii observata fuit Phthisis ab HORSTIO *lib.* 2. *Observat.* 5.

Atro-

Attrophia omnis fit vel Nutrimenti

- defectu, ex
  - Inedia,
  - Alimentis pravis, in pica,
  - Distributione chyli impedita,
  - Chyli exhaustione,
- vitio, ob
  - Stomachum malè digerentem: Huc pertinet omnis Tabes, quæ vulgò catarrhis adscribitur, de qua VVILLISIUS *Pharm. Rat. Part.* 2. *pag.* 90.
  - Sanguinem corruptum, chylum inquinantem, in dyscrasiam salsam, acrem, & muriaticam degenerantem,
    - 1. Ex vitio digestionis primæ.
    - 2. Ex intermittentibus & continuis malè curatis, adeoq; Hecticâ inferentibus, &c.
    - 3. Ex scorbutica diathesi ac hypochondriaca.
    - 4. Ex purulentia cujusdam ulceris, sanguinem inquinantis; hinc Phthisis.

Phthisis pulmonalis & *vomica pulmonum*, cum qua sæpiùs confunditur, in eo saltem differunt, quod *vomica* sit *ulcus pulmonum clausum* seu *abscessus*; è contra *phthisis* pulmonum *est ulcus sordidum, ex abscessu jam aperto genitum*. Nam in vomica pulmonum seu eorum abscessu est pus purum, album, crassum, laudabile, leve & æquale, quod ipsum interdum suis membranis inclusum citra excretionem in pulmonibus hæret. Verùm, ubi pus tale non expurgatur, degenerat variè à propria natura in varias sordes ac sanies acido-viscidas, & tunc supervenit ulcus sordidum, quod *confirmatam* dat *phthisin*.

Probè autem hic observandum: quod inter phthises, uti frequentior est pulmonalis, frequentior esse solet ejusdem *exulceratio*. Ast præter hanc & aliæ causæ, viscus pulmonum vitiantes, phthisin inducere valent; adeoque non solùm exulcerationem pulmonum, sed etiam quamvis eorum labem insigniorem, ob usum eorum ad sanguinis eucrasiam & constitutionem vitalem summè necessariam, ad phthisin disponere certum est. Ut adeò rectè *phthisis pulmonalis definiatur* in genere *Contabescentia* totius *corporis ex vitio pulmonum nata*, non ex sola exulceratione, ut communiter fieri solet, conjuncta cum febre lenta, difficili respiratione & tussi: Sic & pulmonum corrugatio (de qua suprà) tabem potest inferre; non secus ac si aliquid peregrini in asperam arteriam fuerit illapsum, & in bronchiis hæserit, tunc eadem irritando ad tussim continuam, successivè constitutionem & hinc functionem pulmonum ita lædere potest, ut tabes demum cum febre lenta instar phthiseos superveniat; unde hæc phthisis notha appellatur, quod extra pulmones existat: Sic ex nucleo avellanæ in pulmonem illapso tussim continuam cum emaciatione totius & imminéte phthisi videb. apud *BARTHOLINUM C.* 1. *obs.* 31. & *Cent.* 2. *Obs.* 27. *p.* 197. Pariter ex nucleo pomi in asperam arteriam illapso phthisin perfectam lethalē *videb. in M. A. N. C. Ann.* 4. & 5. *Obs.* 24. *pag.* 26. Plura exempla ad instituendas cautelas circa phthisin observanda *videb. in M. A. N. C. Ann.* 2. *Obs.* 31. *p.* 58. & *Ann.* 3 *Obs.* 111. *p.* 181. *SYLVII Pr. l.* 1. *c.* 24. & *HOECHSTEDTERO*, *item MARCO AURELIO SEVERINO Tr. de Abscess. nothis p.* 269. Sicut è contra pulmones exulcerati sine phthisi observati fuerunt: *vid. KERKRINGIUS in Spicileg. Anat. Obs.* 72. item *M. A. N. C. Ann.* 1. *Obs.* 94. *p.* 223. & *BARTHOLINUS C.* 2. *Hist.* 14.

Pars ergò *affecta* sunt *pulmones*, sive cum sive sine ulcere.

Frequentiores autem Causæ Remotæ hujus ulceris phthisici, in specie phthiseos pulmonalis, sunt variæ: nempe vel *internæ*, vel *externæ*. Ex internis sæpissimè est nimia sanguinis, & exinde nata lymphæ acrimonia at salsedo muriatica; omnis enim phthisis pulmonalis, quæ à catarrho seu destillatione vel defluxione ex capite vulgò oriri dicitur, à nullo alio est, nisi à sanguinis & lymphæ, & horum succorum acrimonia varia, præsertim acido-salsa; quæ uti lancinando asperam arteriam tussim excitat, ita acrimoniâ suâ substantiam pulmonum erodit. Salsedo autem hæc sæpissimè in digestione ventriculi vitiata originem ponit.


Acrimonia hæc probatur per gustum: nam quotiescunque laboramus ulcere in ore, toties maturo ulcere disrupto, percipimus saporem æmulantem calci antiqui; & hæc ipsa materia purulenta demum producit symptomata recitata in definitione.

Inter *causas* verò *externas remotas* fortuita plura non raro ulcerationem pulmonum, & hinc phthisin inducunt: v. gr. vulnus thoracem & pulmones penetrans, hinc in ulcus degenerans, contusio seu casus ab alto, indeque sanguis in quodam thoracis loco grumosus, pulmones opplens, eosdemque acrimoniâ suâ facilè erodens, ut fiant ulcerosi; luxationes vertebrarum, clamores fortiores, sanguinis sputum utplurimum, si non semper, & similes affectus, &c. sæpiùs ulcus pulmonum & phthisin pedissequam post se trahunt.

Ulterius phthisis pulmonalis aliis morbis non rarò supervenit; sicut id videmus post pleuritidem & peripneumoniam suppuratam seu malè curatam, & hæmoptysin, quæ sæpiùs phthisin post se relinquunt. Peripneumonia enim seu inflammatio pulmonum, si non curetur, antequam sanguis stagnans discutiatur, fit ex inflammatione suppuratio, & consequenter in pulmonibus exulceratio. Quia verò omnis sanguis per pulmones transire necessum habet, sequitur, in exulceratis pulmonibus infici totam massam sanguineam una cum succo nutritio chyloso. Hinc dicto modo infecta massa sanguinea tanquam à fermento quopiam peregrino contrahit fermentationem præternaturalem, adeò ut ipsi commistus, nutritius succus corpori nutriendo evadat incommodus, quo facto necessum est, ut totum corpus tabescat. Quia verò prætereà omnis materia purulenta continet partes acres, sequitur, hanc acrimoniam puris vellicare asperæ arteriæ bronchia, ita ut his vellicatis, irritentur ad *tussim*. Cæterū quia pulmonū structura pure aut consumpta aut oppleta, fit inepta respirationi, unde accidit *difficilis respiratio*. Variolæ etiam & morbilli non rarò phthisin in pulmonibus inferunt. Ulterius aër inclementior, vapores acidi & corrosivi mineralium, aquæ fortes, &c. hausti ab operatoribus Chymicis vel metallicis, vapor calcis vivæ, &c. non rarò ad tabem ac phthisin disponunt; unde & aquæ fortis odor adeò virulentus ab *HELMONTIO* dicitur, ut sæpiùs inspiratus tabem & phthisin pulmonalem inferat: unde gypsum & calcem præparantes plerumque phthisici moriuntur, ut rectè observat *LUSITANUS Cent.* 4. *Obs.* 41. Potus vini nimis acidi & tartarei crebrior ad phthisin disponit: hinc enim teste HOEFERO *in Herc. Med. p.* 112. in Moraviæ & Austriacæ provinciis propter vina acido-tartarea crebriùs hausta *phthisis* quodammodo *endemica* existit. Item aceti nimius usus corrugationem pulmonum inducit, cum respiratione difficili & dolore punctorio circa asperam arteriam. Faciunt huc acidulæ & omnia vitriolata, quorum frequentior usus eos, qui debiliorum sunt pulmonum, ad phthisin disponit. Fumus nicotianæ copiosiùs haustus ad phthisin pulmonalem disponit: potus frigidus post incalescentiam corporis pariter eandem infert: *vid. M. A. N. C. Ann.* 6. & 7. *Observat.* 21c. *pag.* 309.

Denique hæreditarium malum est Phthisis pulmonalis, quod à parentibus per traducem seminalem in fœtum transplantatur. Historiam notabilem narrat LINDANUS *in Hartman.* de cive EncKhusæ habitante, nomine Augerio Palla, cujus uterque parens ex tabe & phthisi fuit mortuus: post horum mortem prima filia incidit in phthisin, quæ exinde tabida mortua est; hinc filia secunda natu similiter conta-

tabescens moritur; post hanc tertia idem experitur fatum. Propterea Augerius Passa peregrinas visitat regiones, ut semper esset in exercitio, ne id fatum experiretur, & peregrinatione continuâ & aeris mutatione malum evitavit. Contagiosa quoque admodum est uxulceratio pulmonum phthisica confirmata, si scilicet Phthisicus anhelat sanum, dum fermentum ulceris corruptivum, aut per halitum quoque corporis ex præcordiis exspiratum, aut per sputum & saniem expectoratum se propagat, & pulmonem aliàs sani similiter inficit, & ad abscessum vel ulcus disponit. Hinc liberi cum parentibus, consortes & conjuges cohabitantes, sibi invicem facilè hoc malum communicant, potissimum si in his vel minima ad phthisin dispositio naturalis fuerit, aut diætæ erroribus vacent. Exempla contagii phthisici *videbitis* in *RIVERII Praxi lib.* 17. *cap.* 17. *Cent.* 1. *Observ.* 35. *&* 99: sic etiam *Cent.* 4. *Obser.* 92. observat phthisin propagatam per contagium in mulierem, quæ mammas viro phthisico lactandas præbebat: quæ mulier subindâ postmodum sororem infecit quoque: Item BARTHOLINUS *Cent.* 1. *Histor.* 46. *item* Sylvius de phthisi §. 70: Nec non SCHENCKIUS *in Obs. pag.* 256., ex Baptista Montano refert, adeò contagiosa esse Phthisicorum sputa, ut Medicus subinde olfaciens eadem prunis injecta, exinde factus sit Phthisicus: idem ex FRACASTORIO *l.* 2. *de Morbis contag. cap.* 9. refert, Phthisicorum vestes ab aliis gestatas, post biennium etiam idem contagium propagasse in alios. Ac sanè non mirabile hoc videri potest, si verum est quod refert PANAROLLUS *Pentec.* 2. *Observ.* 49., expectoratú sputum ex confirmato ulcere pulmonum excretum adeò virulentum & malignum esse, ut muscas illud gustantes instar arsenici interimat: Interim tamen hoc contagium non est ita activum, ac febrium malignarum.



Hæc de natura & causis Tabis in genere, & phthiseos in specie. Pergo ad signa.

DIAGNOSIS.

Signa atrophiæ seu tabis jam factæ diagnostica sunt facillima, & per se clara: sed serò & difficulter potest curari, & per se clara; incipientis verò difficulter cognoscibilis, & quæ facilè curatur. In tabe incipiente corpus sensim atque sensim emaciatur ac tabescit, hincque virium imbecillitas sensim ac sensim supervenit, donec in confirmata successivè tabe, præter faciem dictam Hippocraticam, (cujus descriptio aliàs per se est nota) costæ in thorace protuberant: Cartilago ensiformis incurvata apparet, scapulæ alarum ac claviculæ arcuum instar prominent, dorsi spina se exerit, venter collapsus constrictusque apparet; clunes pendulæ sunt, vel omninò consumptæ; crura, brachia, pedes, manusque cum digitis arida spectantur, & circa articulos protuberantiæ attolli videntur; ungues curvantur, pili excidunt, cutisque flaccida & corrugata existit; venæ interim prominent undique conspicuæ & lividæ, corpusque universum tantum non transparens & pellucidum in quibusdam observatur: uti historia hæc graphicè SYLVIO *l.* 1. *Prax. cap.* 37. *in specie* 17.

Præ cæteris diagnoscendæ sunt causæ phthiseos seu Tabis, & (1.) quidem ex spirituum animalium vitio & alimenti defectu tabem inferri per se facilè patet, imprimis ex examine causarum antecedentium, & adjunctorum symptomatum syndrome: Exem. gr. ea tabes, quæ quodam glandularum mesenterii vitio, & consequenter ex denegata chyli distributione accidit, abdomen inflatum ac tumidum cum dolore in ejus profundo obtuso ac plus minus gravativo; itemque cum renitente hinc inde sparsa duritie, circa umbilicum observabili, habere solet: Excreta liquida, aut chylosa excernuntur, & sensim corpus emaciatur: quæ omnia innuunt, vitio chyli denegati oriri atrophiam. Sed (2.) longè magis negotium est cognoscere labem ac subsequentem phthisin, ex vitio nutrimenti, circaquam ad tres causarum fontes imprimis attendendum erit:

1. An tabes sit ex vitio digestionis stomachi?
2. An ex vitio sanguinis ad nutritionem inepti?
3. An ex corruptela ulcerosâ cujusdam partis internæ, in specie pulmonum?

Equidem causæ externæ, vel affectus varii præcedentes, qui alterando sanguinem, vel vitiando chylum, ad talem tabem disponunt, ut & symptomata concomitantia & similia, partim ab eorum signis specialibus, partim ægri relatione, aut ex ejus vitæ genere patent.

Præ cæteris tamen inquirendum: an vitio stomachi oriantur tabes? Nam utut hæ causæ subinde se insequantur, ita ut vitium stomachi, sanguinis & lymphæ sequatur acrimonia, & hanc tandem pulmonum ulcus; interdum tamen etiam separatum existere observantur.

Ex stomacho esse & dependere Tabem innuit: si præcesserunt causæ ex rebus non-naturalibus, quæ ad digestionis primæ labefactationem dispositæ fuerunt, v. gr. curæ nimiæ, iracundia nimia, &c.; item si in principio inflationes stomachi, tumefactio abdominis, angustiæ præcordiorum, ructus cinerosi, quando scilicet ita depravatum est ventriculi fermentum, ut ejusmodi odorem spirantes ructus percipiantur; & alia symptomata stomachi quoad appetitum aut quoad digestionem præcesserint.

Alia, quæ immediatè sanguinem afficiunt, hujus læsionis conjecturam faciunt, v. gr. quando ulcus in quodam loco sanatum comitatur phthisis pulmonalis: Sic ex ulcere pedis sanato phthisin lethalem observavit THIERMEYER *Consil. lib.* 2 *pag.* 85. Nempe à fermento ulceris unà cum sanie acri per istud evacuari solitâ retentis, cum sanguine hinc inde circumraptis, & in pulmonem dispositis, Malum originem cepit.

Facit huc ipse habitus ægrorum plus minus ad phthisin & atrophiam dispositorum: nempe quotidianâ constat experientiâ seu observatione, succulentos aut obesos minus evadere phthisicos, benè autem macilentos, à natura plus minus attenuatos. Horum nempe sanguis minus temperatus, minus dulcis, & minus oleosus existit, adeoque minus nutrit; è contra acrior, asperior, & salsior esse solet, facilèque incalescens, unde tales minus benè nutriri observantur.

Phthisis, quæ *à visceris interni exulceratione* vel alio vitio dependet, facilius, quàm ejus causæ, cognosci potest, cum in horum vitiis nulla occurrant signa pathognomonica, aut plures plurium eorum anomaliæ concurrant; adeoque causa harum primaria & prima determinari non possit.

im-

imprimis si excreta affectum non manifestent: e.g. quando phthisicus conqueritur de dolore, tensione, aliisque abdominis symptomatis, colligi quidem potest, quod aliquod abdominis viscus affectum sit, incertum tamen adhuc manet, an intestina, an mesenterium, an pancreas &c. primariò affecta sint? nec, licet pars affecta dignoscatur, de morbi formalitate mox constat, an nempe scirrhus vel hydrops, vel ulcus, &c. subsit? Nec excreta morbum ejusmodi occultum semper manifestant, dum exem. grat. pulmo, qui propter frequentiorem cruoris aut puris rejectionem suppuratus putabatur, integer; hepar verò maximè consumptus deprehensus fuit: vid. SCHNEIDERUS *de Catarrhis lib. 4. cap. 3. pag.* 103. Interim tamen, ut probabilis conjectura de phthiseos hujus causa nobis constet, pars affecta colligatur ex symptomatum ipsi adjunctorum præsentia, & loco affecto seu dolente, utut nec symptomata ejusmodi semper generis, quæ nos ad partis affectæ cognitionem ducant, imprimis cum de hujus & illius visceris usu primario nihil certi adhuc nobis constet, dentur? An verò *hoc vel illud viscus exulceratum sit? concludere possumus ex puris rejectione*, qualis si non observetur, de scirrho vel alio simili vitio, ex. gr. hydrope, conjecturandum, utut nec omnium viscerum exulceratio, propter situm profundiorem & viarum excretoriarum defectum, puris rejectione se prodat. Frequentissima phthisis est pulmonalis, circa quam inquirendum, an à causa externa, verb. gr. Inspiratis? an ab interna oriatur & si ab hac, an affectus secundarius sit? Id est, si pleuritidem aut sputum sanguinis sequatur, affectus antecedentis ratio imprimis habenda est: Si verò est affectus primarius, tunc ista est phthisis pulmonalis, quæ ab ulceratione ejus ex defluxu catarrhali, ut vocant, oritur. *Hujus malè sic dictæ phthiseos catarrhalis radix seu ortus est in ventriculo malè digerente, progressus in sanguine* aut lympha exinde acido-salsis factis in pulmonibus, uno alterove ejus lobo, ejusque vesiculis & cellulis plus minus erosis. Unde in loco eroso ulcus supervenit seu suboritur, cujus fermentum nutrimenti proximi corruptivum existit, unde sordium, saniei & puris generatio, ac mediante tussi successiva excretio, donec vel ab illis sordibus suffocentur ægri, vel erosis & absumptis maximam partem pulmonibus sanguis debita in crasi deficiens nunc mediante diarrhœa colliquativa, nunc mediantibus tumoribus pedum œdematosis mortem inferat.

Hinc, ut maturè præcognoscatur hujusmodi phthisis ex vitio stomachi oriunda, quippe quæ communissima est, & à veteribus catarrho à capite defluenti falsò adscribitur, ejusmodi historiam, ne fiat confusio in lectione Practicorum, enarrare placet, & est talis: „ In tali tabe nempe ægri ordinariò, nunc cum præcedente errato aliquo in rebus non naturalibus, vel „ cura nimia, vel iracundia, ab ingurgitatione potus, aut simili, vel etiam absque tali manifesto errato, de virium labefactatione conqueri incipiunt, cum „ appetitu plus minus dejecto, aut saltem carnes abhorrente: hinc tempore matutino, dum ex lecto „ se levant, de sapore in ore peregrino conqueruntur, „ qui tamen primò solet esse extraordinarius, nec adeo „ sensilis, postmodum verò saporem salsum in ore percipiunt, sub quo ipso magis magisque prosternitur appetitus; successivè titillationes fauces affligunt, quas „ subinde levis tussicula, sed arida & sicca, insequitur, „ ideoque negligitur, sentiuntque flaccescentiam substantiæ carnosæ in artubus: malo magis progresso „ conqueruntur de sapore putrido cinereo, aut de sapore carnium & piscium putridorum, in tali casu „ semper radix mali in stomacho quærenda: tussis sicca, sed in qua tenuia saltem aut aquosa rejiciuntur, „ successivè fit aspera, imprimis noctu, aut saltem post „ lecti introitum, quæ sanguinis & lymphæ inquinamentum ostendit; cui tussi siccæ difficilior plus minus respiratio supervenit, unà cum febricula lenta, ipsis „ ægris ferè insensibili, saltem ab omni pastu, præter „ angustias & gravationis sensum circa præcordia, levem quendam calorem, specialiter in manibus, extraordinariò percipiunt. Interim tamen, quocunque tempore tentetur pulsus, semper celer, frequens, „ plus minus parvus, observari solet: incipiunt exspuere „ candida tenuia, quæ successivè diu in copia augentur. „ Procedente malo exasperatur Hectica, dum non tantum calor post pastum augmentatur notabiliter, sed „ etiam sudores nocturni copiosi supervenire solent, tussis „ augetur in die, supervenit excretio copiosæ materiæ „ variæ, primitus viscidæ albidæ, hinc successivè viscidæ flavæ, interdum viridis, hinc materiæ lividæ, „ tetrum saporem exhibentis, tandem genuinum pus, „ nunc cum nunc sine vestigio sanguinis unà excreti: quo „ in casu jam exulceratio partis cujusdam, imprimis pulmonis, supervenit: quatit continuò pectus hæc tussis, „ præsertim vesperi & manè, vesperi minus, manè plus „ materiæ corruptæ ejicitur; hinc Hectica, difficilis respiratio, corporisque intabescentia magis magisque intenduntur, unà cum virium omnium successivâ labefactatione.

Observandum autem hìc ulterius, quod tussis Phthisicorum non statim sit pulmonalis, sed ferè in principio sit stomachalis, cui tandem acrioris lymphæ, occasione per glandulas asperæ arteriæ aut pulmonum excretæ tussis pulmonalis supervenerit. Deindè attendendum est, non in quavis phthisi aut exulceratione pulmonum tussim adesse, quin interdum citra insigniorem tussim insignis pulmonum erosio aut exulceratio observata fuit: vid. KERKRINGIUS *in Spicileg. Obs.* 72: tunc tantùm est tussis, quando exulceratione pulmonum factâ à purulenta materia acri bronchia solent irritari, licèt Vomica pulmonum sine tussi existere queat, sicut exemplis probat SCHNEIDERUS. Sic quoque rejectum pus frequentiùs quidem est ex pulmone, non tamen semper, etiamsi cum tussi fiat; quin etiam pus in ulceribus aliarum partium, pulmonibus salvis & illæsis, per sputum expurgari potest. Exemplum aliquod habebitis in SCHNEIDERO *lib. 4. de Catarrhis pag.* 103. de quodam pro Phthisico habito, qui copiosum pus & sanguinem tussiendo rejecit: aperto corpore post mortem pulmo omninò sanus, hepar verò exulceratum & purulentum repertum fuit. Nec mirum hoc esse debet: uti enim pus ipsum, v. gr. pleuriticorum suppuratorum, interdum per alvum, interdum per urinam rejicitur: & uti pus ex ulcere brachii per urinam excretum observavit PARÆUS; ita simili ratione hepatis, renum, & aliarum partium suppurationes etiam excrementa purulenta mediante sanguinis circulo in pulmonibus secernuntur, ut mediante sputo ac tussi ejici possint. Sic puris sputum menstruum sine phthisi *videbitis in M. A. N. C. Ann.* 1. *Observat.* 94. *p.* 223. *item* BARTHOLINO *Cent.* 4. *Histor.* 17. *Rejectio puris & cruoris sunt signa pathognomonica phthiseos.* Aliàs non mox præsente febre, difficili respiratione, rejectione materiæ copiosæ viscidæ, &c. pronunciandum, ægrum esse phthisicum: Nam prædicta mala sæpius etiam in depravata chylosi, aliisque affectibus ventriculi reperiuntur.

Si dubius sit Medicus, utrum materia viscida, an verò pus exspuatur; jubent patientem exspuere in aquam frigidam, quo facto, observant, an materia fundum petat? an verò aquæ innatet? Prius si accidat, patiens exspuit pus: si posterius, solùm materiam viscidam rejicit; nam visciditati materiæ pituitosæ magna inest porositas, unde aer huic porositati irretitus in causa est, ne materia viscida fundum petat. Quomodo ex urina cognoscendum, an pus rejiciatur? vel materia viscida, vel genitura? audivistis in *Collegio Institut. ubi de urina.*

Portò distinguenda est tussis in phthisi incipiente. Sonitus, locus doloris, rejecta, &c. facilè hæc discernere docent; ac tunc demum simus de labe pulmonum certi, quando toti pulmonum lobi consumpti, aut etiam eorum frustula successivè ejiciuntur; sicut interdum surculi venarum & arteriarum corrosi expectorari observantur. Sic namque surculum venæ arteriosæ expectoratum observavit TULPIUS *lib. 2. cap.* 12. & pulmo integrè ferè per pus rejectus observatus fuit à SALMUTH *Cent.* 1. *Observ.* 14. Omnibus his Tabidis, & Phthisicis commune est, ut *copiosos sudores nocturnos patiantur*, ita ut simul atque oculos claudant ægri, sudore diffluant; sicuti in malo confirmato defluvium capillorum supervenit: sed tunc viribus exhaustis cessante tussi, aut deficiente ejus expectoratione materiæ, ægri suffocantur, aut superveniente diarrhœâ colliquativâ, ad quam maximè proni sunt Phthisici, pedumvè tumore œdematoso, ægri jugulantur. Quod si ex visceris cujusdam præcedente inflamma-

matione vel abscessu, aut etiam pleuritidi suppuratæ, aut sputo sanguinis superveniat phthisis, in talibus minus stomachus est incusandus, qui tunc potius insons apparet, sed ad primarium morbum est respiciendum. Quæ pars pulmonum afficiatur, an dextra? an sinistra? præter sensum doloris nonnihil obscurum cognoscitur ex decubitu ægri: siquidem æger non potest decumbere in latere sano, sed in latere affecto, aliàs imminet suffocatio; cum contra si in latere ægro decumbat, talia ipsi non accidunt, uti rectè observat SALMUTH *Cent.* 1. *Observ.* 14. Vrina est flammea, & præcipitatur in sabulum subrubicundum, & materiam pinguem urinæ innatantem.

Pro meliore dictorum intellectione Observ. 1. Omnis atrophia & frequentior ejus species phthisis, vel sunt affectus primarius, vel secundarius, vel comitatus, qui alium sequitur partis affectum; Unde phthisis pleuritidem, sputum cruentum, atrophiam, febres chronicas, scorbutum, &c. insequitur. Illa semper radicem habet in stomacho, & hinc dependente sanguinis dyscrasiâ, sæpius scorbuticâ.

Observ. 2. Atrophia & Phthisis primaria, quæ sanguinem sequitur vitiatum, fundamentum etiam habet in stomachi digestione prima, vel quatenus exinde sanguinis dyscrasiæ datur occasio, vel quatenus sanguinis alterati occasione & stomachi digestio prima læditur, indeque malum confirmatur. Multum huc faciunt animi pathemata, curæ, terror, Tabem perfectam sine ulcere cujusdam partis inferentia; quatenus enim hæc sanguinem afficere possunt, & digestionem primam turbare, eatenus ad phthisin disponunt.

Observ. 3. Apprimè notandum, quod pulmonum vitio frequens etiam Tabes oriri soleat, non solùm exulceratorum, sed etiam nutritionis defectu contabescentium item si aliquid peregrini in asperam arteriam illapsum sit, quod irritando ad tussim continuam successivè tabem notham inferre solet, quæ tandem remotione illius tandem cessat, cujus exempla *suprà allegavi*.

Plura qui de Tabis & Phthiseos natura desiderat, adeat in specie WILLISIUM *Pharm. Rat. Part.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 5. *& 6, item* SYLVIUM *lib.* 4. *Prax. & Tract. de Phthisi, denique* BENEDICTUM *in Theatro Tabidorum.*

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: notum est, Tabem omnem ac phthisin esse malum chronicum, & difficillimum curatu: imò confirmata, quia sine insigni viscerum & humorum dyscrasia, & læsione fieri nequit, sæpè nullius est curationis, nisi subliniora negotia accedant.

Imprimis tres isti gradus *Phthiseos*, nempe *imminentis incipientis, & confirmatæ*, quas WILLISIUS *insinuat c. l. pag.* 106., probè observandi sunt.

Primus enim facilè, secundus difficiliùs, & tertius planè non curatur. Et quidem in gradu secundo Vulnerariis & laudabili diætâ uti interdum curari, ita ulterior progressus interdum per plures annos retardari potest. Sed necesse est, cautissimè & rigorosè ægri observent omnia; aliàs impossibile est, ipsis succurrere.

Quò melior & sanior est stomachi constitutio, eò uberior sanitatis spes superest: unde tabes incipiens à ventriculi dyspepsia, vermibus, &c. aliquid salutis promittit.

Tabes à cicatrice intestinali, scirrhis ac ulceribus viscerum, scorbuto, fluore albo, gonorrhœa, hydrope, & mensium suppressione, nisi promoveantur, difficulter aut nunquam curantur: Conf. HIPPOCRATES 2. *Prædict.* 13.

Qui ex pulmonum ulcere vult evadere, eum 6. Hippocratis signa habere decet, quæ videb. in SENNERTO *lib.* 7. *Pr. c.* 2. *de Phthisi p.* 207., eaque prolixius explicat SYLVIUS, una cum aliis, *Tract. de Phthisi* §. 87. *& sequent.*

Diarrhœa spontè superveniens phthisi, aut tumor pedum œdematosus, aut denique deficiens tussis, mortem in propinquo denunciant. *Tamdiu*, inquit GALENUS, „ *Phthisici vivunt, quamdiu extussire, & sputa pulmonem expurgare possunt; ubi verò sputa intus manent,* „ *obstruuntur viæ & suffocantur.*

Si sputum Phthisicorum vel per se, vel carbonibus injectum graviter olet, & capilli defluunt, periculosum est signum.

Phthisis denique, quæ à tuberculis & indurata pulmonum compage, nunquam curatur.

CURA.

Quoad attinet Curam atrophiæ, tabis & phthiseos: hæc consistit in eo, ut

1. *Causa*, quæ vel alimentum exhaurit, vel primarius morbus, qui massam sanguineam inficit, *removeatur*. Hæc causæ remotio variat equidem pro earum varietate suprà recensitâ. Sed in tabe, quæ frequentiùs curæ subjicitur, vel stomachus rectificandus, vel acrimonia ac lympha acido-salsa temperanda, vel denique visceris læsio aut exulceratio plus minus perfecta, in specie pulmonis, sananda, allavè ejus corruptela corrigenda.
2. *Symptomata graviora* interdum, præsertim in phthisi, mitiganda, qualia sunt, tussis ferina, præsertim nocturna, exscreatio difficilis, inde respirationis difficultas; item febris lenta, sudor nocturnus, vel diarrhœa.
3. Corpus nutriatur: id quod diæta laudabilis præstat, quam stomachus appetit & facilè digerit; in specie lactea, quæ & chylum subdulcem & subpinguem & probè divitem suggerit, simulque sanguinem temperatum & quasi chylosum reddit.

Pro cura hac ritè instituenda:

Observ. I. *quod vomitoria* in omni Tabe ac Atrophia, item in phthisi tam primariò incipiente, quàm confirmata, idque secundariò, sint optima, in specie, *ubi malum est ex vitio stomachi*, & inde nata acrimonia massæ sanguineæ salso-muriatica: uti rectè hoc inculcat LINDANUS, quod scilicet Vomitoria sint maximè necessaria, & se curasse sæpiùs Tabidos per Vomitoria etiam repetita: Et quisquis, inquit, feliciter vult curare tabem, quando jam non adeò vehemens, ubi tussis, non tamen ulcus, & quamvis incipiat quodammodò, & excretum sit aliquid sputi sanguinolenti aut purulenti, tamen statim accedatur ad Vomitoria: in quo ipso eleganter consentit HARTMANNUS *in Praxi Chymiat. cap.* 99. *& cap.* 185. Hoc ipso enim radix mali evellitur, & quidem non tam in principio curæ, quam & in ulcere pulmonum confirmato, ubi urget difficilis respiratio, aut est difficilis materiæ maturæ, utut per se fluidæ, excretio, si vires adhuc constent, tunc similiter optimè convenit vomitorium: propter quam causam & BARTHOLETTUS *Tract. de difficili Respirat.* & etiam SYLVIUS *in Praxi*, insigniter commendat Vomitoria in ulceribus pulmonum, etiam in empyemate: Et sanè, uno vomitu plus emittitur è pectoris cavo, quàm 10. diebus tussi. Interim in tali casu, ubi phthisis est confirmata, habeatur ratio sputi sanguinis imminentis, quo præsente cauti simus in vomitoriorum usu: contrà si non adsit, tutò illa propinemus, cum & semper ipse in tali casu curam à vomitorio propinato incipiam: & certum est, quod vomitorium potenter ac copiosè evacuet fomites saniosos ex pulmonibus, propter quam causam in empyemate etiam commodè Vomitoria usurpari possunt. Curavi aliquando ancillam desperatè phthisicam ex ulcere pulmonum, cui inter alia remedia duo valida præscripsi vomitoria, non tamen unâ vice, & vix credibile est, quàm variæ & copiosæ sordes cum præsentissimo levamine rejectæ fuerunt, quæ promptissimè facilitabant Curam.

Obs. II. Post Vomitoria, quantum possibile, cavendum est *à purgantibus* quibuscunque: nam etiam lene purgans Phthisicos & Tabidos maximè & copiosè evacuare solet cum insigni virium noxa, ut ipse observavi; ita ut quod aliàs in statu naturali nil effectus præstaret, in thisicis cum summa noxa per totum morbi cursum inemendabili assumptum fuerit, & tales ægri post purgationem semper pejus habent, ac vesperi crebriùs tussiunt. Penitus ergò non sunt purgandi, *nec vena* est *aperienda*, nisi quædam

dam sanguinis evacuatio suppressa in causa sit, ubi venæsectio conceditur, sed post vomitum reliqua cura consistit in *mitigatione acrimoniæ salinæ*. Et quidem, quàm noxia sit purgatio, uti & venæsectio in phthisi, videbitis apud BORELLUM *Cent.* 4. *Observ.* 25. & PROSPERO *Maritano in Hipp. Sect.* 4. *Aph.* 8. Saltim ergò, si aliquid tentandum, primæ viæ, & quidem lenissimis purgantibus, in principio abstergendæ sunt: vid. hac in parte BARTHOLINUS *Cent.* 10. *Obs.* 15. HIPPOCRATES *lib.* 2. *de Morbis Text.* 46. §. 27. & *Text.* 47. §. 13.: cui scopo Rhabarbarum optimè inservit. Vulgò etiam solent inurere *fonticulos* Phthisicis, seducti à catarrho, quem ex capite in asperam arteriam depluere existimant: sed nil prosunt, modò non noceant.

Observ. III. Dulcia, Saccharata, & Mellita crebriùs sub forma Syruporum Linctuumvè usurpata plus nocent tabidis ac phthisicis, quàm prosunt; fermentativa enim sunt Saccharata & putrefactiva, adeoque stomacho, ut & visceri cuidam eroso, speciatim pulmonibus, insigniter sunt hostilia, digestionem primam turbant, ac imprimis quosvis corporis succos viscidiores, ac activitate inertiores reddere solent: unde etiam syruporum aliorumque dulcium nonnisi moderatus usus in Phthisicis & Tabidis tolerandus, nisi in quantum ad lubricandas fauces interdum, sed cautè, pro scopo expectorationis usurpanda sunt. Quantum noceat Mel & Saccharum, *vid.* GARENZIER *Tract. de Tabe Anglica*, & HELMONTIUS *Tract. de Dispens. Modern.* §. 30. *p.* 371. *Edit. in quarto*, ubi inquit: *Scholæ omnia „ Melle & sacchare larvant, & remediorum in se aliàs „ sat debilium proprietates retundunt, quasi omnium „ morborum unica medela & apex in dulci staret. Sac„ charum enim è diametro fermento acido stomachi aver„ satur, ideoque digestiones facit difficiliores; saccharum „ enim lixivio calcis vivæ & argillâ figulinâ clarificatur.*

Observ. IV. In Phthisi Scorbutica, quæ facilè supervenit Scorbuticis, si quacunque occasione ad tussim disponantur, & lymphâ scorbuticorum admodùm acri existente, præ cæteris optima erunt Lacticinia, quibus spiritus cochleariæ, vel balsamus sulphuris anisatus, vel essentia vulneraria, vel spiritus salis ammoniaci, & similia instillari possunt: imprimis lac caprinum herbis antiscorbuticis & vulnerariis priùs nutritâ caprâ præ cæteris ad talem phthisin scorbuticam confert; item Potiones vulnerariæ, quibus spiritus cochleariæ permiscendus.

Observ. V. Tabes phthisisque perfecta ac confirmata rarissimè potest curari: vita interim diutissimè potest conservari per hæc tria:

1. Per *legitimum usum lactis*.
2. Per *usum Vulnerariorum*.
3. Per *mutationem aeris*.

In specie ergo, quod attinet *diætam lacteam* pro nutriendis phthisicis & tabidis: & certè legitimus lactis & quorumlibet Lacticiniorum usus in omni casu multum valet, imprimis quando malum dependet ab acrimonia sanguinis & lymphæ salsa muriatica, quippe ad quam lactis usus nobilissimus est, ubi cætera ritè præmissa fuerint, & dyscrasiæ contentorum maximam partem correctæ: è contrà parum proderit, quoties atrophia est à colluvie aut corruptela cujusdam visceris, aut quando est à vitio stomachi, nisi hæc impedimenta priùs removeantur, & ventriculi digestio plu minus restituatur; aliàs enim vix fieri potest, quin lac etiam corrumpatur in ventriculo, utpote quod facilè alterabile sit ab aeris vel lenissimo contactu, ac facillimè cujuscunque rei odore, ut sic dicam, inficiatur: adhuc facillimè coagulatur, quod lac coagulatum postmodum plus nocet, quàm prodest: Conf. HILDANUS *Cent.* 1. *Observ.* 92. & *de ichoribus & melicer. cap.* 22. & 24. In atrophia ergo ista imprimis lac convenit, quæ est à nimia acrimonia humorum, conjuncta cum eorum caliditate vel quasi acredine massæ sanguineæ, ubi opus est, ut humectetur & temperetur, in hoc casu multùm prodest. Nam, quantum hoc nutriat, videri potest in infantibus, qui solo lacte potenter nutriuntur. Sub ejus usu semper aliquid sacchari, vel conservæ rosarum addatur, ne tàm facilè coagulari possit: vid. *suprà, ubi de Hectica.* Porrò in graviore malo, qui *lacte* utuntur, debent ter in die istud sumere, manè scilicet, à meridie, & vesperi, & vix alium cibum gustare, nisi passulas, aut cibum facilè digestibilem: idque per aliquot septimanas, donec denuo corpus iterum proficiat: & sumpto lacte, moderato exercitio, corpus successivè movendum est, ut faciliùs idem distribuatur; non enim longâ in stomacho indiget digestione, cum potius lac sit chylus anteà benè præparatus. Modum ejus utendi legitimum videb. *in Collegio Schræd. Part.* 2. In ista etiam Tabe, quæ ex exulceratione pulmonali oritur, lac itidem præprimis confert; nam abstergit parte serosâ, nutrit corpus, & temperat parte butyrosâ. Convenit præ cæteris *lac muliebre*, quo ipso multus se restitutos vidisse præsertim FORESTUS *in Observat.* & PLATERUS *Tract. T.* 3. *pag.* 499. & RIVERIUS *in Observ. Comm.*; idque si fieri potest, ex mammis nutricis sanæ ab ægro exsuctum, ne ab aeris attactu alterari possit, & exinde in putrilaginem verminosam abeat; sicut & butyrum ex lacte muliebri confectum ceu summum arcanum in phthisi habetur à BORELLO *Cent.* 3. *Observat.* 82. Post lac muliebre est bubulum & caprillum, in specie in atrophia scorbutica, præsertim si capra priùs appropriatis Vegetabilibus, Vulnerariis imprimis & antiscorbuticis, nutrita fuerit: item lac equinum cum pauco sacchaaro, quod laudatur ab HARTMANNO in Atrophia à Philtro. Sanè in Scorbutica phthisi optima sunt Lacticinia, quibus instillari possunt spiritus cochleariæ, aut salis ammoniaci, aliavè similia. Veteribus in usu fuit *Lac asininum*, optimè ulcus detergens, quia serosum: de quo suo *loco* dixi in *Collegio Schrœderiano Part.* 1. *Sect.* 3.

Juxta Lacticinia conveniunt etiam ova sorbilia pro scopo nutritionis, eaque cum vino generoso assumpta, quia insigniter nutriunt & reficiunt; qualis haustus, additis aliquot granis ambræ, imprimis in tabe dorsali, ac in imbecillitate nimia à venere contracta, est optimum remedium: aliàs Vinum non usurpatur. Pertinent huc etiam omnia reliqua chylum temperatum & dulcem subministrantia, uti sunt radix glycyrrhizæ & helenii (generalia hæc sunt in omni tabe ac phthisi) & omnia ex iis parata: item lactuca, betonica, ac tussilago, semina oleosa temperata, ut amygdalæ dulces, nuclei pinei & pistacei, semina quatuor frigida majora & minora, vel ex aut cum his variæ præparatæ Emulsiones: item semina nymphææ ac fœnugræci, chocolata, item mucilaginosa, & reliqua farinacea, milium, hordeum, triticum, &c. Hæc enim omnia temperant oleositate suâ quamcunque vitiosam acrimoniam sanguinis, lymphę, & reliquorum succorum corporis, & nutriunt; unde & cerevisiæ, primariò triticea & hordeacea, sunt nutritivæ. Passulæ & passulata, imprimis existunt; laudabiles hæ enim sunt, & ceu mustum concentratum continent sal & sulphur connexum & temperatum: unde similiter omnium optimè quamvis omnimum humorum asperitatem & *acrimoniam salinam temperant*, indeque massæ sanguineæ crasin talem largiuntur, quâ aptior redditur nutritioni uberiori; & hujus respectu vulgò calidæ & humidæ dicuntur, quin & veteribus hepar corroborare. Unde quocunque modo adhibitæ conveniunt, verb. grat. Rob passularum, Decoctum passularum cum radice helenii, item cum radice cichorii & similibus, in marasmo seu contabescentia corporis optimè conveniunt. Sic refert LINDANUS, se curasse quendam domesticum atrophiâ laborantem solo decocto ex radice helenii, cum passulis & glycyrrhiza, adjectâ decimâ parte vini Hispanici: Nam & hoc nutrit egregiè. Conf. *Observat. Riverii*. Hinc JOEL *in Praxi* dixit, quod passulæ cum amygdalis pinguefaciant, & RIVERIUS *in Cent.* 4. *Obs.* 43. habet exempla pinguefactorum per usum passularum. In officinis prostat Electuarium resumptivum, quod cum rob de passulis misceri, & ita assumi potest. Pertinent & huc suo modo carnes ostrearum; item cancrorum fluviatilium & similium: ut & cum cancris fluviatilibus butyrum non salitum mistum, dat *Butyrum antiphthisicum*, multi usus & commendationis in tabe. LINDANUS sanè refert, Hecticam ex ulcere pulmonum copioso ostrearum esu curatum. Aquæ ex sanguinibus animalium, item ex carne testudinum & cochlearum, maximè laudantur; quæ tamen ego minimi facio.

Quod in specie attinet causarum remotionem, lactis usui præmittendam: convenit ratione stomachi imprimis vomitus. Hinc in tabe adhuc incipiente appropriata stomachica, imprimis blanda subacida, conducunt, quæ ceu experta commendat BARBETTE *in sua Praxi p.* 107., & credo, intelligere illum Tabem ex stomacho: quæ ipsa tamen sub moderata dosi blandiora etiam sub cursu morbi, ut ita stomacho prospiciamus, haud adeò incócinna sunt. Talia blanda subacida sunt ver. gr. liquor terræ foliatæ tartari, seu sal ejus essentiale resolutum, tartarus tartarisatus, spiritus aperitivus *Penotti*, spiritus salis dulcis, Tinctura vitrioli Martis ZWelferi, nitrum antimoniatum, arcanum duplicatum, sal ammoniacum, tartarus vitriolatus *Tachenianus*, Elixyr proprietatis cum & sine acido, lapilli cancrorum cum aceto destillato juxta BARBETTE, & similia:

℞. *Aqua scabios.*
Card. bened. an. unc. ij.
Prophyl. unc. ß.
Laud. opiat. gr. j.
Syrup. papav. errat. q. s.
M. f. Mixtura, cochleatim singulis horis capienda.
D. S.
Resolvens Mixtura stomachalis.

Quò etiam videtur facere *pulvis* CONERDINGII, Archiatri Brunsvicensis, ad phthisin singularis:

℞. *Salis ammoniaci puri,*
Nitri puri an. unc. ß.
Rad. liquirit.
Ireos Florent. an. unc. j.
M. f. Pulvis:

De quo omni mane & vesperi capiatur, quantum cuspis cultelli capit.

Aliquoties observavi in Phthisi ex stomacho incipiente cum tussi, macie, virium labescentia, anorexia, siti nimia, post vomitorii usum egregiè liquorem terræ foliatæ tartari seu arcanum tartari dosi gutt. 40. vel 50. bis quotidie usurpatum. In Tabe verò quacunque confirmata, in specie ea, quæ jam in ulcus pulmonum transiit, tanquam diabolus fugienda sunt acida, imprimis vitriolata, cùm hæc phthisicis sint admodum inimica, quia hæc aggrediuntur pulmones, quibus debilitatis phthisis confirmata redditur: Vid. LANGIUS *Dissertat. de Acidulis* §. 18. *Thes.* 10. *& sequ.* Sanè ipse novi quosdam ad phthisin inclinantes, qui vel propter scorbutum, vel malum hypochondriacum, visitarunt acidulas, & in ipso earum potu, aut brevi post certè phthisin confirmatam vel hydropem contraxerunt.

Ratione sanguinis ac *lymphæ*, hujus acrimoniæ salsæ temperandæ præ cæteris conducunt remedia ex sulphure, succinum, myrrha, antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii, Papaver, Papaverina, & opiata: item tragacantha, amygdalæ, helenium, liquiritia, betonica, tussilago, passulæ, sperma ceti, & ex his & similibus parati compositi varii pulveres pectorales dicti, etiam pulvis Haly contra phthisin, & species, ex. grat. species dia-Ireos, Dia-Tragacanthi, Conservæ rosarum, & chocolata: quibus adjungantur Decocta talia ex lignis, quæ aliàs in lue venerea usurpantur, aut, uti vocant, contra catarrhos destillantes laudantur, in specie ex ligno sassafras, ac radice chinæ, hinc ex ligno guajaci. Nam ex his lignis parata Decocta resinosam sulphuream substantiam unà colliquatam obtinent, indeque temperant acre, resolvunt hinc inde hærentes sordes, imprimis in progressu phthiseos seu tabis, speciatim ubi jam dyscrasia sanguinis præcesserit longiùs, aut pulmones aliudvè viscus jam erosa & exulcerata sint, conferunt; quibus optimè Helenium, glycyrrhiza, & omnia ex his parata sociantur, & crebrius, idque absque sudore, talia lignorum remedia usurpantur: quin & fumaria his ipsis mista & sæpius usitata dicitur conferre. Adeòque conveniunt hæc in phthisi, quæ vulgò à catarrho seu destillationibus originem ducere asseritur, & adhibentur commodissimè præmisso vomitu. Præscribendi modum & usum videb. in LOTICHII *Observ. pag.* 23.

Ratione visceris læsi imprimis Vulneraria simplicia, in specie Veronica, scabiosa, hedera terrestris, cherefolium, &c. conferunt: item balsamica, sulphura quæcunque, in specie Antimonialia, fermentum ulcerum corruptivum, sanguinem inquinans, emendantia, substantiam putris ejusque proventum corrigentia, & ulcus consolidantia; item Balsamus sulphuris, Peruvianus, terebinthina, &c.

In specie hæc ut illustrentur, pro tali scopo præmissis præmittendis universalibus, primas vias imprimis respicientibus, conveniunt v. gr. pulveres pectorales: e. g. pulvis pectoralis D. Michaelis:

℞. *Facul.* seu potius *rad. ari* ℥iv.
Rad. Ireos Florent. unc. ij. vel unc. iij.
Magister. seu *flor. benzoes* unc. iß.
Flor. sulphuris unc. j.
Antih. Poter. unc. ij.
Sacch. unc. iiiß. aut qu. pl. pro sapore:
M. f. Pulvis.

Qui mane, in specie vesperi ante cœnam, & sub introitum in lectum, assumptus dosi ℈j. ʒß. ad drach. j, egregius, est acrimoniam sanguinis ac lymphæ temperat, tussim nocturnam quodammodo cohibet. Ratione tamen fæculæ ari potius pulverem radicis ari præparatæ vel potius crudæ usurparem: idque imprimis quando simul mucilago viscida, aut plus minus purulenta, ex pectore rejicienda sint. Vel loco hujus usurpetur *Pulvis Lindani ad phthisin seu atrophiam*, seu acrimoniam sanguinis, admodùm commendatus:

℞. *Sem. papav. alb.* unc. ß.
Portulac.
Melon. an. drach. iiiß.
Cydon.
Cucumer.
Bombac.
Pepon. non rancidi an. ʒiij.
Gum. Arab.
Tragacanth.
Amyli an. drach. ij.
Cornu Cervi,
Ebor. sine igne an. drach. iij.
Succ. hypocist. (est succus ex planta radicis cisti fruticosi: vid. SCHROEDERUS *Pharm. l.* 4. *p.* 196.)
Boli Arm. an. drach. j.
M. f. Pulvis.

Sumatur ter in die à drach. j. ad drach. ij. cum Decocto rad. chinæ, quæ admirabilis est in curandis Phthisicis, si rectè adhibeatur: sed non debent alio potu, quàm hoc Decocto, uti; nisi enim Phthisici semetipsos arctè adstringant diætæ, non curabuntur, etiamsi optimas habeant medicinas. Manè & vesperi simul instituantur suffitus ex succino & thure naribus hauriendos. Item

℞. *Nucl. pin.* unc. ß.
Sem. papav. alb. drach. ij.
Cum s. q. *Aqua scabios. & tussilag.* f. Emulsio:
adde
Ebor. sine igne drach. ß.
Lapid. Cancr. prap.
Matr. perlar. prap. an. ℈j.
Edulcor. cum *rotul. manus Christi perlat.*
D. S.
Emulsio ad potum quotidianum.

Præ cæteris se offerunt mineralia: quæ inter sulphur, tam commune, utpote quod aliàs balsamum est pulmonum, & ipsum appellari solet, quàm sulphura antimonialia fixa, flores sulphuris & remedia ejusdem generis sulphurea, sunt optima in atrophia & tabe, ex acrimonia sanguinis enata, quam, uti etiam lympham, optimè temperat pinguedo illa mineralis sulphuris; sicuti aliàs etiam in omnibus pulmonum vitiis ac pectoris affectibus insigniter conducit. In sulphure enim observandæ substantiæ duæ:

1. Est pars ejus pinguis & oleosa.
2. Est pars ejus acida.

Ab oleosa habet vim inflammabilem; per acidam obtinet spiritum acidum, qui in præparatione olei sulphuris per campanam colligitur. Pars hæc acida potius nocet quàm prodest. Verùm separare hæc duo, hoc opus hic labor est: Nihilominus tamen, qui artificiosè sciunt sublimare flores sulphuris, acquirunt balsamum pingue absque acido, sed in pauca quantitate. Cum ergò tam difficilis sit acquisitio partis oleosæ & pinguis ex sulphure, propterea exaltatur eadem in balsamo sulphuris, mediante solutione per olea destillata, quæ ipsa tanquam salia volatilia concentrata contraria sunt acidis: utpo-

utpote hac ratione magis obtunditur ejusdem acrimonia acida, è contrà promovetur magis ejusdem vis temperans, & acre corrigens: unde Tinctura sulphuris, extractum sulphuris solidum, præprimis balsamum sulphuris crassum quod habet BOYLE *in Philos. Experiment. Part. 2. Sect. 1. pag.* 166. item quod *pag.* 386. describitur; item balsamus sulphuris vulgaris, tam insignis est commendationis, tam in phthisi pulmonali incipiente, quàm in quacunque tabe alia, ex acrimonia imprimis sanguinis, & hinc corruptione & exulceratione visceris cujusdam interni, v. gr. pulmonum aut aliarum quarumcunque partium. Præsertim puris acrimoniam non tantùm corrigit, sed & nimium ejus proventum optimè coercet, detergit atque consolidat. Olea, cum quibus præparatur hoc balsamum sulphuris, ordinariè sunt oleum destillat. terebinthinæ balsamicum, aut oleum anisi, ceu singularissimum pectorale, aut oleum juniperi renibus exulceratis appropriatum, aut oleum succini. Usurpantur hæc balsama sulphuris à gutt. vj. viij. & x. ad xii. in liquore appropriato, vel decocto chinæ aut sassafras, aut etiam in decocto quodam vulnerario, vel Lignorum, aut ex his misto Decocto pectorali, ubi ex pulmonum labe in specie oritur atrophia. Misceri etiam possunt hæc Balsama cum syrupo de liquiritia & similibus, quæ egregiè temperant nonnihil ejus acorem. Verùm cum ignea vis sit in hoc balsamo, ob id in iis, quibus manifestior & gravior est Hectica & nimia sudatio, cautè aut planè non usurpandus; cum observatum fuerit, quosdam ex nimio balsami sulphuris usu Hecticam lethalem contraxisse, uti audivistis supra in febris hecticæ cura: quem in finem præparetur cum oleo ex presso quodam, & cum tantillo olei destillati anisi acuetur: Hinc

℞. *Bals. sulphuris cum oleo amygd. dulc. par.* drach. ii.
D. S.
Temperans Balsamum pectorale.

Capiantur guttæ 40. manè & vesperi in jusculo avenaceo vel cerevisia calida.

Etiam cum tali balsamo sulphuris optimo cum consilio junguntur Medicamenta Saturnina (in specie saccharum Saturni) quæ & ipsa effrænatum balsami sulphuris ardorem refrænant. Nam in ipso Saturno singulare quid latet contra febrim hecticam, & internas viscerum exulcerationes & corruptelas; hinc vel saccharum Saturni, vel crystalli mineræ Saturni conjungantur cum balsamo sulphuris, & ita aptiùs ac convenientius usurpari possunt. In specie autem *species dia-Saturni Mynsichtii* à quamplurimis contra tabem singulariter laudari solent; hinc & tinctura *antiphthisica D. Michaelis* dicta, ex sacchari Saturni part. i. & vitrioli Martis part. ii., invicem mistis, cum spiritu vini rectificato parata, hoc in passu usitata est; in specie ubi adest corruptio viscerum, ulcus pulmonum aut renum, aut similis cujusdam partis, sanè multæ est laudis & efficaciæ, dosi 20. gutt. manè & vesperi, virtuteque suâ adstrictoriâ robur simul & firmitudinem pulmonibus conciliat. Post hanc tinctura Lapid. hæmatitis à 15. guttis, & tinctura sulphuris vitrioli (cujus descriptionem dabo *infrà*, quando *de hæmorrhagiis* tractabimus) si & ipsa præterpropter à guttis XV. XX. XXV. ad XXX. subindè usurpetur, egregium erit remedium antiphthisicum. Denique phlegma vitrioli roridum, quod nihil participat de spiritu acido corrosivo, quem suprà rejeci, cohobatum & digestum cum proprio capite mortuo aliquoties, experimentum est singulare ad phthises & corruptiones viscerum internorum, uti hoc refert MARCUS MARCI *in Philos. Vet. Restit.* pag. 550. §. 1. Fuit experimentum HELMONTII junioris in quadam Comitissa.

Cæterùm loco sulphuris communis legitima remedia sulphurea antimonialia præferenda sunt; unde etiam antimonium diaphoreticum à quibusdam insigniter contra phthisin laudatur, imprimis si quotidiè cum conserva rosarum manè, & vesperi usurpetur: Nam & hoc ipsum ad partium exulcerationes, item ad vomicas pulmonum, ad corrigendum & prohibendum pus, laudabiliter administrari solet. Quod si ergò antimonium diaphoreticum solum est tàm egregium, multò magis conveniet, si combinetur cum sulphure Jovis, in legitima præparatione antihectici Poterii, quod à gr. xii. ad ℈i. cum conserva rosarum usurpari potest, cujus continuato usu aliquot Phthisicos & Hecticos feliciter curavit POTERIUS, *uti videri potest in ejusdem Cent.* 3. *Curat.* 20. In specie Pulveres pectorales dicti, quorum basis utplurimum sunt flores sulphuris, ac pro communi sulphure etiam ejus balsamum, cum lapill. cancrorum, antimonio diaphoretico, Antihectico Poterii, & omnibus ex antimonio cum Jove & Marte fixato compositis, præsertim in phthisi confirmata, sunt egregii: v. gr.

℞. *Spec. dia-Ireos,*
Lapill. Cancr. prap. ℈ii.
Antihect. Poterii ʒß.
Croci ℈ß.
M. f. *Pulvis:*
Div. in 6. part. æqu. S.
Temperans pulvis pectoralis.

℞. *Lapill. Cancr. prap.* ʒiß.
Flor. sulphuris ℈ii.
Olei destillat. terebinth. gutt. viii.
Anisi gut. iv.
Sacchari ʒß.
M. f. Pulvis:
D. S. utante.

Item sequens Pulvis ad acrimoniam massæ sanguineæ temperandam, utut videatur simplex:

℞. *Lapill. Cancr. prap.*
Rad. ari crud. vel prap. an. ʒi.
Ireos Flor.
Sem. papav. alb. an. drach. ß.
Mastich ℈ii.
M. f. Pulvis.
D. S. ut suprà.

Assumantur quotidiè in Decocto hederæ terrestris & cherefolii.

℞. *Rad. Ireos Florent.* ʒiß.
Lapill. Cancr. prap. drach. i.
Antih. Poterii drach. ß.
Croci ℈i.
M. f. Pulvis pro aliquot dosibus.
D. S. ut suprà.
Vel cum sacch. fiant Rotulæ: S.
Rotulæ pectorales.
Vel fiant Rotulæ:

℞. *Spec. dia-Ireos* drach. iii.
Bol. Armen. drach. i.
Succ. liquirit. Hisp. drach. ß.
Sacch. unc. iii. vel iv. *in aqua papav. errat.* solut. F. Rotulæ.
D. S.
Rotulæ contra tussim.

In Phthisi contra tussim siccam nocturnam, faucium asperitatem, conceptam earum phlogosin, &c. conducunt

Item pertinent huc suo modo Rotulæ Cnœffelii contra phthisin; item pulveres Cnœffelii ex sulphure & aliis parati: quorum usum videb. in *Cur. Cnœffeliana in M. A. N. C. ann. 6. append. pag.* 81. Compositiones sunt sequentes:

℞. *Spec. dia-Ireos,*
Tragac. fr. an. drach. ii.
Antimonii diaphor. fixi drach. vi.
Flor. sulph. drach. ß.
Sacch. albi in aqua tussilag. q. s. dissol.
Olei destillat. anisi gut. xii.
F. Tabulæ ad scatulam mundam.
Dosis 6. 7. & 8.
Vel

℞. *Antimonii fixi diaph.* drach. iß.
Flor. sulphuris drach. ß.
Spec. dia-Ireos,
Tragac. frig.
Succini albi prap. an. ʒi.
Extract. helen. drach. ß.
Bals. sulph. anis. drach. ß.
Sacch. in aqua fœnic. q. s. dissol. unc. iv.
F. l. a Rotulæ.

Plura videb. *l. a.*

Nec sequentes *Cnœffelii Rotula* inelegantes sunt:

℞. *Flor. sulphuris ter sublimator.* ʒiii.
Antimonii diaphor. ʒi.
Mastich.
Succini albiss. an. drach. ii.
Croci orient. ℈j.
Spec. diatrag. frigid. ʒß.
Sacch. albiss. ʒiv.
F. *Rotula*, irror. cum
Olei destillat. anisi gut. vii.

Fiant

Fiant magnitudine solidi *vel similis monetæ*. Pro una dosi No. viij sumantur, mane, & 4. horis ante prandium, ut & cubitum iturus: superbibat Decocti alicujus pectoralis vel lignorum bonum haustum.

Exhiberi etiam possunt sub forma pulveris.

Item

℞. *Spec. dia-Ireos*,
Rad. ari præp. an. ℈ ij.
Extract. enul. ℈ j.
Croci gr. vij.
Flor. sulphuris ℈ j.
Cum s. q. *facch. f. Rotulæ Cnæffelii*.

Vel

℞. *Rad. Ireos Flor.* ʒ iß.
Flor sulphuris,
Antibect. Poterii an. ʒ j.
Benzoes ʒß.
Cum s. q. *facchari in aqua scabios. solut. F. Rotulæ*:
D. S.
Rotulæ pectorales.

Vel exhibeantur sub forma pulveris bis quotidie, mane & ante prandium, vel in Decocto hederæ terrestris, vel in Decocto lignorum, radicis chinæ vel sassafras, jubendo, ut æger cubitum iturus assumat haustum ejusmodi Decocti pectoralis.

Item

℞. *Rad. liquirit.* ʒ ij.
Ari ʒ iß.
Ireos Florent.
Symph. maj. an. ʒ j.
Gumm. ammoniaci in aceto sol.
Benz. an. ℈ j.
Cum s. q. *facchari in aqua scabios.* sol. f. Rotulæ.
D. S.
Temperantes rotulæ pectorales.

℞. *Bals. sulph. anisat.*
Terebinth. ana ʒ j.
Excipiantur s. q. *Cons. scabiosæ, & cum facch. in aqua fœniculi sol. f.* Rotulæ vel Morsuli:
D. S.
Rotulæ pectorales.

Hisce sanguinis & lymphæ acrimoniam corrigentibus *pro scopo temperandi* tussim, præsertim diuturnam sistendi, & hinc copiosum nimis puris proventum coercendi, etiam Papaverina & Opiata fuerunt annumerata, quæ sunt optima ad temperandam acrimoniam salsam muriaticam. Hinc veteris *pilulas de cynoglossa* usurparunt, quæ tamen admodum sunt crudæ, & cum pilulis de styrace coincidunt: Moderni verò Pilulas de styrace adhibent, quas videb. in SCHROEDERI *Pharm. lib. 2. pag. 252., item* SYLVII Pilulæ de styrace *in l. 1. Pr. cap. 20. §. 36.* qui Ambram omittit; ubi etiam ex ejusmodi Ingredientibus Rotulas habet. Succinctæ sunt Compositiones, & non contemnendæ in Tussi nocturna sicca, & quando ex inclementiore aëre tempore hyberno tussis excitatur, tunc in principio affectus propinentur, & erunt elegantes. Propinantur etiam in sicca tussi Gravidis; temperant enim lympham salsam. Conveniunt quoque opiata optimè in principio Tabis & Atrophiæ, ubi nempè præmissus fuerit vomitus, uti etiam in ejus progressu mirabiliter *valent sedare tussim nocturnam, uti & sudores nocturnos* colliquativos. Largas opii, legitimè per fermentationem parati, doses præ aliis ægris diu sine nocumentis ferre possunt Phthisici: *vid.* M. A. N. C. *Ann. 4. & 5. Observ. 207. pag. 291*: ejusque usu imprimis diu conservari. Sic aliquando Phthisico dedi sequentia:

℞. *Conserv. rosar.*
Heder. terr. ana ʒ j.
Flor. sulphuris,
Antibect. Poterii,
Lap. cancr. fluviatil. præp. an. ʒ j.
Bals. Peruv. ℈ ij.
Laud. opiat. gr. xvj.
Cum s. q. *syr. diacod. Montani*, vel *syr. diasulphuris Willis*.
f. Electuarium: S.
Electuarium pectorale.

Vel

℞. *Conserv. heder. terrestr.* vel *consolid maj.* vel *veron.* vel *agrimon.* vel *chærofol.* vel *scord.* vel *scabios.* vel *costæ*, vel *flor hyperici*, vel *summit. pini* ʒ j.
Lapill. cancr. præp.
Antibect. Poterii ana ʒß.
Succin. præp. ℈ ij.
Benzoes ℈ j
Cum *syr. heder. terrestr.* aut etiam *sulphuris Willis.* f. Electuarium:
Cui *Laud. opiati* aliquot grana addi possunt.
D. S. ut antè.

De priori Electuario æger intra octiduum semper assumpsit, capiendo bihorium ante cœnam bonam dosin; cujus usu semper habent meliùs ægri, tussis remittit, meliùs dormiunt, mane faciliùs magisque cocta exspuunt. Sanè hæc Opiata quotidiè, item essentia opii liquida, successivè ultra tres menses continuata, citra ullam sensilem noxam, certè irrationis sensum sistendo, tussim, item humorum acrium in parte læsa decubitum, & hinc ulteriorem corruptelam & ulcerosum progressum sic inhibent. Hoc etiam commodi habent opiata in Phthisicis, ut vespertino usu sudores nocturnos potenter cohibeant. Confer huc ea, quæ *suprà* circa tussim *de tussi sicca nocturna catarrhali Sect. 14. Cap. 3. Art. 3.* monita fuere.

Observandum tamen est, quod in statu, quando difficilior est anhelitus, aut etiam eo in in casu, quo multa materia viscida expectoranda est, uti etiam eo in casu, ubi purulentia reiicienda venit per os, quod in hoc passu cautiùs usurpentur Opiata, aut penitus intermittantur, ne impediatur materiæ reiiecendæ motus, & ita difficilior respiratio, aut suffocationis inducatur metus.

Tandem ad hæc ipsa remedia *alterantia*, *crasin sanguinis & lymphæ corrigentia*, in incipiente præsertim phthisi pulmonali, pertinent *Decocta lignorum*, nempe radicis chinæ, ligni sassafras, &c. quæ egregiè huc faciunt; qualia aliàs in morbis chronicis lymphæ vitio, & inde natis malis seu affectibus catarrhalibus in usu sunt, quibus eò magis felici successu utimur, si morbo ulterius procedente, similia Vegetabilia vulneraria, fermentum ulcerationis inchoatæ corrigentia, simul addantur. Nam semper, quando Practici dicunt, esse phthisin seu tabem pulmonalem à destillationibus capitis catarrhalibus, subintelligitur vitium pulmonum, ex acrimonia nimia lymphæ & sanguinis primariò dependens. His ergò in casibus dixi, quod Decocta lignorum & radicum conveniant.

Præ cæteris hic radix chinæ eminet. De horum Decoctorum usu vid. GARANZIER *Tract. de Tabe Anglica*, ALPHONSUS FERRE.. *lib. 2. de Ligno Sancto*, qui etiam hujusmodi Decoctis Phthisicos tantum non desperatos denuò sanitati fuisse restitutos refert. Confer. etiam RIVERIUS *in Praxi lib. 2. cap. 7. item Cent. 1. Observ. 35. & 99. & Observ. à Femio Commun. 27. item Cent. 2. Observ. 61. & 78.*

Modum propinandi hujusmodi Lignorum Decocta optimè docet ARCEUS *Tract. de Vuln. capitis & Febribus*; non secus ac ERASTUS *in Consil. Scholzii No. 88.* dicit: „ se Phthisicos nonnullos planè desperatos & incipientes „ plurimos curasse, per hæc Decocta sc. exhibita, præ- „ missis universalibus, per duos vel tres menses, priùs pur- „ gato corpore, si ægroti sint cacochymici. In Decocto ali- „ quando macerare jubeo saniculam, pedem Leonis, sæpè „ pyrolam, Quinquefolium & Veronicam, &c. quæ „ simul subinde usurpantur. Expectorantia sunt aut hu- „ mida, aut sicca, ex speciebus dia Ireos simpl. floribus „ sulphuris, saccharo Candi &c. His consentit HILDANUS, qui Tabidis propinat Decoctum Chinæ cum radice buglossæ, prunellæ, consolidæ majoris, &c.

Præ cæteris tamen, præter radicem Chinæ, & Lignum Sassafras eminet propter vim aromaticam, & quod in affectibus à lympha vitiosa ortis specialiter convenit. Sed si ritè sibi volunt consulere tales ægri Phthisici, alio potu non debent uti, quam ejusmodi Decocto. Huc *facit* etiam *Decoctum elegans ex sassafras & Vulnerariis* POTERII C. 2. *Cur. 99.* Quibus tamen lignis & aliis usum santalorum, speciatim rubri & citrini, quidam substituunt: quorum Decocta eodem modo atq; Decocta Guaiaci parata & removere pulmonum erosionem, & eandem factā tollere asserit *Fonseca lib. 1. Cons. 58.*, & conveniunt tàm in Tabe ex acrimonia sanguinis & lymphæ simplici, quàm quæ jam cum ulcere pulmonum conjuncta est. Præscribuntur ejusmodi

Decocta, ut dixi, semper cum Vulnerariis, item cum helenio: modus est sequens, v. g. ex radice Chinæ & Ligno sassafras, quæ cæteris præfero:

℞. *Ras. ligni sassaf. benè odor.* ℥ij.
Rad. chinæ in taleol. incis. ℥j.

Macera in s.q aquæ in Balneo Mariæ per dies noctemque, & ebulliant ad consumptionem tertiæ partis.

Colaturæ adhuc calenti infund.
Passul. min. contus. ℥ij. vel iij.
adde
Syr. flor. papav. errat. vel *papav. simpl.* vel *de jujub.* q. s. pro grato sapore.
D. S.
Potio contra phthisin.

De hoc calidè semper manè, à meridie & circa vesperam cubitum iturus capiat haustum. Optimum est in phthisi non admodum confirmata.

℞. *Rad. chinæ in taleol. incis.* ℥ij.
Flor. papav. errat.
Beton.
Scabios. an. M. ß.
Passul. maj. enucl.
Min. an. ℥j.

Cum s. q. *aquæ comm.* coqu. Colatura edulcoretur, addendo
Syr. papav. rœhad. parum. D. S.
Potio pectoralis pro aliquot vicibus.
Vel

℞. *Rasur. ligni sassafr.* ℥ij.
Flor. papav. errat.
Beton. an. pug. ij.

Macerentur per biborium in *aqu. font.*, hinc bulliant: Colatura edulcoretur cum
Syr. papav. errat. D. S.
Singularis potio catarrhalis.

Aliquando in Tussi pulmonali phthisin minitante cum successu præscripsi:

℞. *Ligni sassafr.* ℥j.
Maceretur in
Aqu. comm. mens. ij.
adde
Herb. hederæ terrestr.
Scabios.
Pulmon. maculos. an. Mij.
Sem. anisi,
Fœniculi an unc. ß.
Rad. liquirit. drach. iij.
Passul. min. conquassat. unc. j.

Coqu. ad tertias:
Colatura D. S.
Potio pectoralis contra tussim pro aliquot vicibus.

Edulcorationis gratiâ sint syr. Consolidæ maj., agrimoniæ, chærefolii, scordii, Nicotianæ, liquiritiæ, enulæ, &c.

Item cuidam perfectè phthisico præscripsi:

℞. *Lign guajac.* unc. iii.
Cort. ejusd.
Rad. chin. incis. an. ℥j.
Rad. enul.
Bet...an. an. unc. ij.
Bacc. junip. drach. iij.
Herb. veron. Mij.
Heder. terrestr. Mj.

Incisa macerentur in ℔ xij. *aqu. simpl.* per 24. horas: coqu. ad dimid. addendo in fine coctionis
Sem. anis.
Fœnic. an. unc. iß.
Rad. liquirit. ℥j.
Colatura detur.

Capiebat omni manè bonum haustum in lecto, expectando aliqualem sudorem, addendo simul gutt. xij *bals. sulphuris terebinth.* unicuique haustui: vespertino verò tempore remedia cum opio usurpabantur, sed minus, cum Hecticâ æger affligebatur.
Vel

℞. *Ras. lign. Sancti* unc. iij.
Cort. ejusd. unc. j.

Infund. per 24. horas in s.q. *aquæ simpl.*, manè coqu. in cucurbita cum alembico munita: Colaturæ ℔ ij. adde
Herb. veron. Mij.
Pyrol.
Herb. Quinque fol.
Sanic. an. Mj.
Pass. min. ℥iß.

Coqu. leniter: Colaturæ addatur
Aqu superiùs destillata
D. S.
Sanans potio pectoralis.

Melius fit, si cum ligno guajaco santalum decoquatur, vel etiam loco illius lignum sassafras sumatur; egregiè enim alterat lympham nimis acidam scorbuticam.

Simile Decoctum vid. *suprà*, ubi *de Tussi*.

℞. *Rasur. ligni juniper.* ℥iij.
Sancti ℥iß.

Macer. per 24. horas in s.q. *aquæ*; manè coqu. ad consumpt. medietatis, in fine addendo
Passul. min. conquassat. ℥j.

De Colatura clarificata ter in die bibatur bonus haustus absque sudore. Huc pertinent etiam Decocta bina lignorum, cum his Vulnerariis in *Idea Formularum Class.* 4. §. 17. Scilicet pro lymphæ vitiis corrigendis, ad ejusdem nimiam effusionem, pulmones nimis irritantem, inhibendam non inepta sunt hæc Ligna, præsertim cum Vulnerariis usurpata, idque præsertim in phthisi, non tam confirmata, quàm adhuc increscente.

Parant quidam Essentias pectorales ex his Vegetabilibus, quò pertinet *Elixir pectorale D. Michaëlis*, Essentia helenii, quibus addenda essentia croci; qui vocatur à plurimis anima pulmonum. Sperma ceti à ℈ß. ad ʒß. in ovo sorbili, omni manè assumptum, admodum convenit in temperanda acrimonia massæ sanguineæ, & curanda phthisi.

Cætera huc facientia, nempè species dia Ireos, dia-Tragacanthi, pulvis Haly contra phthisin, ceu ubivis nota, in medio relinquo. Pertinet huc Electuarium illud expertum antiphthisicum, quod M. A. N. C. *Ann.6. Observat.* 95 *pag.* 134 habent. Pertinet & huc denique conserva, seu, ut alii vocant, saccharum rosatum inveteratum, Germ. *der Rosen ZucKer*, à pluribus adeò decantatum: ac sanè alcali nonnihil stypticum in floribus rosarum rubrarum est egregium, pluribus scopis, ad acrimoniam præsertim succorum corrigendam, & viscerum tonum conservandum, inserviens. Præ cæteris convenit ea, quæ exstat in *Dispens. Londinensi*, & quæ in tabe ac phthisi incipiente egregiè convenit. Sed saccharum junctum non æquè omnibus proficuum, & hujus ratione nociva quibusdam observata fuit conserva: vid. SYLVIUS ubi *de Phthisi* §. 187. Aliàs à pluribus expertum, idque sæpius feliciter, est remedium, de cujus efficacia vid FORESTUS *l.* 16. *Obs.* 58. VALERIOLA *l.* 5. *Obs.* 5. & SYLVATICUS *Cent.* 2. *Cons.* 40. Usus est, ut conserva antiquissima vel crebriùs pro lubitu usurpetur, vel vespertino præsertim tempore ad unc. j. cum ʒß. terræ sigill. vel lap. hæmatit. horâ j. ante cœnam usurpetur. Peculiare quid etiam in *bolo Armena* latet, unde nec inconvenienter hæc permisceri possunt cum floribus sulphuris, terra sigillata, antimonio diaphoretico, radice Ireos Florent. aliisve similibus pectoralibus, & cum conserva rosarum Electuaria parari possunt. Nasturtium Indicum cum conserva rosar. assumptum admodum commendatur, & dicitur fuisse *remedium Doct.* MOEBII Jenensis. In usu quoque sunt conserva Vegetabilium Vulnerariorum, v.g. hederæ terrestris, quæ potenter expectorat: item herbæ costæ. Decoctum pulegii à quibusdam tanquam expertum contra phthisin commendatur, cui additur simul succus hederæ terrestris, & Infusum nasturtii Indici. In specie pulveris fungorum salicis in plenilunio mense Maii collectorum ʒß. cum hac conserva crebriùs usurpata, tanquam expertum arcanum à quibusdam singulariter laudatur. Nempè spongiæ istæ viridiusculæ in salice superiùs interdum adnascentes exsiccantur in sole, pulverisantur, & ita cum conserva majoranæ vel veronicæ sub forma Electuarii contra Phthisin usurpantur: Vid. VELSCHIUS *Mnemosyn. C.* 2. *Observ.* 60.

Quæ læsionem partis, præsertim ulceratæ, respiciunt, sunt ea, quæ fermentum acidum partis plus minus ulceratæ corruptivum corrigere, & ita puris ulteriorem proventum inhibere valent, adeoque Detergentia & Mundificantia appellantur. Hinc usurpentur ea, quæ naturæ opus in consolidando loco læso adjuvent, quantum possibile. Hæc inter excellunt Vulneraria dicta, quorum alcali pluribus usibus in phthisi curanda inservit, si præmissis præmittendis usurpentur, in specie si ventriculi, ac primarum via-

viarum, & his in locis principalioris assumptorum alterationis, habeatur ratio. Hinc Decoctum bugulæ seu consolidæ mediæ admodum commendat POTERIUS in *Pharmacop. Spagyrica* ad ulcera pulmonum curanda. Decoctum verò symphyti & prunellæ cum china & Guajaco laudat LINDANUS, assumendo in quolibet haustu dosin antimonii diaph., florum sulphuris, antihectici Poterii, &c. De ul nariæ vi traumatica, ejusque aquæ destillatæ in phth si usu, vid. VELSCHIUS *Mistonim. C. 1. Obs. 60. annex. Ann. 4. M. A. N. C.* Rorem solis, ac ejus guttulas non pauci specificè commendant, cum hæc plantula rore limpidissimo referta sit, illius etiam sub ardentissimo solis ardore; unde etiam eam humectare & rorem nutritivum restituere putant. Hinc & scabiosa, hypericon, helenium, sanicula, consolida major & minor, prunella, Veronica, hedera terrestris, pilosella, cherefolium, plantago, vinca pervinca, equisetum, flores rosarum, & similia, tam in Decoctis, quàm indè paratis pulveribus, aut cum saccharo & melle Electuariis, in usu sunt. In specie, ubi acrimonia pulmones erodere incipit, 4. hæc vulneraria, ut scabiosa, veronica, hedera terrestis quæ elegantissima & expertissima plantula, & cherefolium, vel solitariè vel cum Decoctis lignorum usurpata & crebriùs hausta partim possunt diu conservare, partim & restituere phthisicos. Tria enim vel quatuor simplicia plus præstant, quàm centum: quibus in scorbuticis, apud nos familiaribus, sub finem Decoctionis infundendæ sunt plantæ antiscorbuticæ, quæ sunt nasturtium, plantago aquatica, trifolium aquaticum, & similia. In specie si læsio pulmonum facta sit à causa externa, sola Decocta Vulneraria sufficient, si scilicet omni haustui aliquid additur balsami sulphuris, vel spermatis ceti ʒß. Exempli gratiâ sequenti Decocto *Chirurgus* quidam *Stetinensis* gravi phthisi laborans per multos annos se sustentavit:

℞. *Herb. alchimill.*
Pulmonar. macul.
Sanic.
Cent. min.
Veron.
Auric. mur.
Vincæ pervinc.
Flor. hepat. ana M j.
Coqu. in *cerevisia bene defæcata*.

De colatura bibit manè jejunè, item ante prandium, & ante cœnam cubitum iturus.

Vel

℞. *Herb. veron.*
Alchimill.
Heder. terrestr. ana M j.
Scabios.
Cherefol. ana M iiß, vel M ij.
Coqu. in s. q. *cerevis. defæcatæ*:
D. S.
Potio pectoralis.

De quo Decocto æger omni mane bonum haustum capiat, cujus haustibus addatur semper vel *Elixyr proprietat.* tam *simplex*, vel *antiscorbut.* gtt. 30. vel 40, vel gtt. viij. de *balsamo sulphuris*, vel *sperm. ceti* ℈ j. ad ʒß. Vel

℞. *Ess. Gum. ammoniaci* drach. iij.
Tincturæ sulphuris drach. j.
M. D. S.
Essentia pectoralis.

Continuandæ sunt hæ doses aliquandiu, donec exactè immutetur dyscrasia lymphæ.

Vel in phthisi pulmonali nondum inveterata:

℞. *Herb heder. terrestris,*
Veron.
Pulmonar. macul.
Roris Solis,
Pyrolæ,
Alchimillę ana M j.
Rad. Helenii ℥ij.
Vincetox.
Ireos nostrat. ana ℥ß.
Flor. scabios. M iß.
Farfar. M ß.
Croci integri ℈ j.
Sem. urtic.
Anisi,
Fœniculi ana ʒ iij.
Pass. min. ℥ iß.
Jujub. ʒ vj.
Ficuum pingv. No. vj.
Concis. & contus. dentur ad chartam:
D. S.
Species ad potionem pectoralem.

Vel

℞. *Herb heder. terrestris,*
Cherefol.
Veron. ana M j.
Rad. enulæ ℥ iß.
Ireos Florent. ℥ j.
Sem. anisi ʒ iij.
Fœnic. ʒ ij.
Ficuum No. iv.
Passul. min. ℥ ß.
Rad. liquirit. ʒ vj.
M. D. S.
ut anteà.

Potest ex his fieri *Infusum*, vel *Decoctum*, ex Decocto cum saccharo *syrupus*, aut cum melle *Hydromel pectorale*, & similia alia.

℞. *Herb. scabios.* M ij.
Heder. terrestris M j.
Rad. enul ℥ i ß.
Ireos Florent. ʒ vj.
Sem. anisi,
Fœnic. ana drach. iij.
Coqu. in s. q. *Aquę simpl. Colaturæ* ℔ i ß. edulcor. cum *syrupo* aliquo, e.g., *diasulphuris Willisii*, *hederæ terrestris*, *de symphyto*, qui admodum commendantur, aut ubi opus est expectoratione, cum *syr. veronicæ*, *Nicotianæ*, *&c.* q. s. pro gratia saporis. D. S.
Potio pectoralis.

Apud nos pluribus in frequenti usu est sequens farrago, quæ feliciter pluribus cessit, magis tamen ad phthisin pulmonalem inclinantibus, quàm perfectè phthisicis: siquidem ob alcali herbarum vulnerariarum aliorumque ingredientium vis alterativa in corrigendis corporis contentis & confirmandis visceribus non contemnendi usus est:

℞. *Herb. pulmonar.*
Veron.
Fol. senn. sine stip. ana M j.
Herb. salv. rec.
Hepat. nob.
Hyssopi ana M. ß.
Flor. hepat. nob.
Rad. polypod.
Torment.
Liquirit. ana M. j.
Sem anisi,
Fœnic. ana M. ij.
Incis. & contus. coq. in s. q. *Aquę fontan.* additis cochlearibus duobus *mellis*:

De Colat. ℔ vj. vel viij. mane & vesperi bonus haustus assumitur.

Vel

℞. *Herb. pulmon.*
Hepat.
Scord.
Cent. min.
Fragar.
Hyssopi,
Salviæ,
Tussilag.
Euphras.
Prunell. ana M j.
Flor. cent. min.
Rad. liquirit.
Polypod. ana ℥ ß.
Jujub.
Sebesten ana No. xv.
Passul. maj.
min.
Ficuum ana ℥ iij.
Fol. senn. sine stipit.
Sem. anisi,
Fœnic. ana ℥ i ß.
Incis. & contus. coqu. in *aquę mens.* iv. vel v. in vase clauso:
D. S.
Potio pectoralis, de qua sumatur calidè haustus manè & vesperi duabus horis ante cibum.

Faciunt huc *pulveres antiphthisici*, imprimis *Pulvis antiphthisicus D. Erbenii*:

℞. *Visc. pyror.*
Salv. ana unc. j.
Pulmon. masculos. vel *Consolidæ med.*
Veron.
Flor. tussilag. ana unc. ß.
Rad. enulæ drach. ij.
Sacch. cand. albiss unc. ij.
M. f. Pulvis. Dosis drach. j.

Pertinent huc *Electuaria* quorundam, imprimis tamen exscreationi inservientia, ex pulvere scordii, salviæ, rad. Helenii, &c. cum melle ad Electuarii consistentiam redactis. Sed cum his vulnerariis modò recensitis in specie simul usurpanda sunt Balsamica, quantum hectica plus minus juncta eorum usum ferre potest, adeoque minùs confirmatis, seu in Cura magis incipientibus, i. e. in præservatione phthiseos conducunt: qualia sunt aloë, myrrha, balsamus sulphuris terebinthinatus, & similia; item antimonium diaphoreticum, vel antihecticum Poterii, &c. E. g.

℞. *Herb. salv.*
Scordii ana M. j.
Pulverisatis adde
Myrrh.
Antimonii diaph. ana drach. ij.

Cum s. q. *mellis*, vel *pulp. passul. rec.* f. Electuarium spissum, irrorandum cum *Balsamo sulphuris* vel *terebinthinato*, vel *anisato*. D. S.

Electuarium pectorale.

Vel Balsami Peruviani gutta j. aut plures cum saccharo aut floribus sulphuris in pilulas redactæ, aut etiam guttatim ad gtt. viij. vel x. manè in jusculo, vel vehiculo calido, aut vitello ovi sorbillis dissolutum balsamum, & quotidie usurpatum, multum laudatur in phthisi & tabe, & ad quasvis partium læsiones & exulcerationes: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 77. Huc pertinet Balsamus Peruvianus Domini D. DOLÆI *in Encyclopædia Medica de Phthisi* descriptus: Hinc & RIVERIUS multum commendat has pilulas contra Phthisin cum balsamo Peruviano ita:

℞. *Mass. pilular. Ruffi* unc. j.
Antimonii diaph.
Gumm. Guajaci ana unc. ß.
Cum s. q. *Balsami Peruviani* f. *Massa.*
Dosis ℈j Capiatur per mensem integrum.

De *Terebinthina* res nota est, quantum vi balsamicâ in quibusvis partium internarum exulcerationibus valeat, quâ detergit & purificat; unde etiam *Balsamum Occidentale* seu *nostras* vocatur. Optimè datur in ovo sorbili jejuno stomacho, à drach. ß. ad summum drach. j., vel sola, vel addito modico florum sulphuris, ut sit convenientior in ulcere continuando aliquandiu; item permisceri solet eadem cum melle violato, recipiendo

Terebinth. unc. ß.
Mell. violat. drach. ij.
M. cum pauco *vitello ovi*:

De quo capiat æger omni manè quantitatem castaneæ in jusculo calido.

Alii *Terebinthinæ* unc. ß. cum *melle rosato* & *syrupo heder. terrestris* vel *Nicotianæ* miscent, & in forma Boli subinde assumendam suadent.

Sed nimis ingratus hic ejus est usus; omnium optimè in vitello ovi dissoluta capi potest: Vid. VELSCHIUS *Miscell. l. a.*

Hic peractis demum ad lac accedendum, vid. LOTICHII *Observ. p.* 239. *&* 253. RODERICUS *à Fonseca l. a. &* MARCELLUS DONATUS *Hist. Med. Mirab. lib.* 3. *cap.* 10.

Quidam in phthisi salia volatilia commendant, in specie sal volatile & spiritum sanguinis humani rectificatum, quem in phthisi hæreditaria & desperata mira præstitisse BOYLE testatur; sicut *Monsr. le* FEBURE *in sua Chymia P.* 1. commedat sal volatile cornu cervi ejusque spiritum, supra balsamum sulphuris digesta & tincta. Alii spiritum formicarum, alii Mercurium microcosmicum, uti vocant, id est, spiritum & sal volatile urinæ, contra phthisin commendant: imprimis si moderatè acido in tertium ammoniacale mutetur, & ad guttas vj. vel viij. propinetur. Sed verè ut fatear, in Tabe confirmata & exulceratis visceribus nullo modo convenit, nisi saltem in ea, quæ ex defectu distributionis chyli, ac post morbos chronicos; verùm in inveterata hæc nō sufficiūt, nec tamē nobiliora prostant remedia.

Quoad *Symptomata* in phthisi mitiganda: *Tussim* quod attinet, præsertim *ferinam*, hanc mitigant optimè suprà laudata opiata, quæ ipsa etiam *sudores nocturnos* colliquativos satis molestos cohibere solent, absorbentibus appropriatis juncta: hinc aliquando Phthisico perfecto seu confirmato præscripsi sequentes pilulas, quas etiam *Dissert. de Opii virtute diaph. c.* 3. §. 8. atque in *Idea præscrib. Formul. Cass.* 2. §. 3. inserui:

℞. *Antihect. Poterii* gr. xv. ad ℈j.
Sacch. saturni ℈ß.
Extract. croci gr. iv. v. vel vj.
Laud. opiat. gr. ij. vel iv.
Cum s. q. *Balsami Peruviani sive de Capaybe*,

F. Pilulæ pro duabus dosibus: quarum una quæque vesperi duabus horis ante cœnam sumebatur: sub usu earum æger semper hilarior reddebatur, sudore nocturno & tussi istâ nocte cessante: N B. *post inde non amplius sudant.*

Item

℞. *Arcan. dupl.* ℈ij.
Lap. ll. cancr. præp.
Antihect. Poterii ana ʒ ß.
Laud. opiat. gr. iv. vel v. M.

Div. in 4. partes, singulis diebus duabus horis ante cœnam capiendas.

Tussim catarrhalem siccam, & à tenuitate aut acrimonia humorum, in specie vespertinam aut nocturnam plus minus siccam, mitigant Lenientia, aut si materia tenaci & firmiùs impacta fuerit, Expectorantia. Quæ Lenentia illa, communiter incrassantia dicta, sint? *infrà*, ubi *de Pleuritide*, audietis: quibus & jungi possunt Papaverina & Opiata, v. g. pilulæ de styrace ac cynoglossa, uepote qualium usu sæpiùs satis diu conservari possunt Phthisici, earumque etiam dosin satis largam sine damno ferunt: vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *&* 5. *Obs.* 107: ita tamen, ut cum Expectorantibus alternent.

Vel pro usu vespertino:

℞. *Succin. præp.* ℈ß.
Myrrh. elect.
Sal. volat. succin. ana gr. v.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.

Cum *ess. myrrh.* vel *oleo destillato succin.* f. Pilulæ. D. S.

Pilulæ vespertinæ contra tussim.

Vel

℞. *Essent. opii ferment.* ʒj. M. D. S.

Essentia vespertina, de qua 12. *guttæ sumantur in aqua scabiosæ.*

Vel

℞. *Extr. sulphuris pulveris.* gr. xij.
Myrrh. gr. v.
Extracti croci gr. iij.
Laud. opiati gr. j.

Cum *essent. Myrrh.* f. Pilulæ vesperi capiendæ. S.

Pilulæ vespertinæ pro 1. *dosi.*

℞. *Aquæ serpill.* ℥ij.
Laud. opiati gr. ij. vel iij.
Syr. veron. ℥j.
M. f. Potiuncula:
D. S.

Potio vespertina pro una vice.

℞. *Aquæ scabios.* ℥ij.
Syrup. scabios. vel veron. vel ros. sol. unc. j.
Diacod. Montani unc. iij.
M. S.

Succus vespertinus pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Rad. Ireos Florent.*
Flor. sulphuris ana drach. j.
Antimonii diaphor. drach. ß.
Laud. opiati gr. ix.
Olei destillati fœnic. gtt. xij.
M. f. Pulvis pro aliquot dosibus.
D. S.

Pulvis vespertinus pro aliquot dosibus.

Vel

℞. *Lapill. cancr. præp.*
Flor. sulphuris ana ℈ ß.
Laud. opiati gr. ix.
Olei destillat. fœnic. gtt. j.
M. f. Pulvis. S.

Pulvis

Pulvis vespertinus pro una dosi.

℞. *Sperm. ceti* ℨj.
Flor. benz. ℈ß.
Olei destillat. succini gtt. iij.
M. f. Pulvis pro 2. dos.
D. S.
Pulvis vespertinus.

Theriacam autem fugiant Patientes: nam utut opium in Theriaca fermentetur, attamen, quia Medicamenta acria copiosa ex seminibus & aromatibus habet admixta, causat sudores nocturnos.

D. MICHAELIS sequentes formulas commendavit:

℞. *Pulv. anodyn.* gr. xij.
Antihect. Poterii ℈ß.
M. D. S.
Pulvis vespertinus pro 1. dosi.

℞. *Conserv. beton.* ℨß.
Pulv. anod ℈ß.
Cum *syr. de beton.* q. s. f. Bolus.
D. S.
Bolus vespertinus pro 1. dosi.

℞. *Aqu. serpill.* ℥ij.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. beton. ℨj.
M. f. Potiuncula D. S.
Potio vespertina pro 1. dosi.

℞. *Aqu. pulm. vitul.* ℥ij.
Syr. diacod. Montan. ℥iij.
De beton. ℨj. M. S.
Succus vespertinus pro aliquot vicibus.

Quoad Symptomata in *screatu*, equidem Nicotiana, & quævis ex ea parata, sunt optima. HEURNIUS *in Praxi* solo syrupo ex succo ritè parato quosdam Tabidos phthisicos restitutos fuisse memoriæ prodidit. Certè ad ulcus pulmonum abstergendum, & sordes acres pius minus viscidas pectori inhærentes eliminandas, optima sunt ex tabaco remedia, quæ præter vim expectorandi, vulnerariam quoque possident. Nam proxima via pulmonibus curandis est per asperam arteriam; hinc tot fermè prostant Electuaria antiphthisica, quot ramuli arteriales & venales, qui tamen sunt innumeri. Formulæ fiant tales:

℞. *Herb. botryos,*
Malvæ an. Mj.
Rad. liquirit. ras. ℨj.
Alth.
Cichor. an. ℨß.
Coq. in s. q. *aqu. Colat.* ℥iß adde
Lob. de farfar.
Syr. de Nicotian. an. ℨij. vel iij.
M. S.
Potio antiphthisica, cochleatim capienda.

℞. *Conserv. heder. terrestr.*
Scabios. an. ℥iß.
Rad. cichor. cond. ℨvj.
Pinear. rec. ℨß.
Ebor. sine igne drachm. j.
Antihect. Poterii,
Flor. sulphuris an. drachm. ß. vel ℈ij.
Cum s. q. *syr. Nicot.* f. Electuarium:
D. S.
Electuarium, de quo ad magnitudinem castaneæ sumendum.

Plura videb. infra cap. 8. Sect. 18. ubi de Pleuritide & Peripneumonia.

Pariter *si sputum multum ac fœtidum* fuerit, Mel & Myrrha screatum promoventibus semper addenda erunt.

Si adjuncta *febris*, curatur per Absorbentia, imprimis terrea: Sic ex Mineralibus est Antihecticum Poterii, antimonium diaphoreticum, crystallus præparata, & absorbentia nota: e.g.

℞. *Radic. althææ,*
Cichor. an. ℨj.
Flor. malv.
Scabios. an. M. j.
Tamarind. drach. vj.
Sebesten No. viij.
Coqu. in s. q. *aquæ hord.*
Colaturæ adde
Lapill. Cancror. præp. unc. ß.
Antimonii diaphor. ℨij.
Syr. violar. solut.
Flor. papap. errat. an. ℥iß.
M. D. S.
Refrigerans potio pulmonalis.

℞. *Lapill. Cancr. præp.*
Antihect. Poterii an. ℨß.
M. f. Pulvis.
Div. in 3. part. æqu. S.
Pulvis refrigerans pro 3. vicibus:

Diarrhœa colliquativa, si quæ supervenerit, utut ferè mali sit ominis, absorbentibus, terra sigillata, cornu cervi usto & similibus inhibetur, vitando tunc, quantum possibile est, Mellita, facilè alias alvum moventia. De *suffitibus*, odoramentis & similibus nil attinet dicere. Conferatur *suprà laudatus* BONETTUS.

Quoad diætam, ut ritè formetur, imprimis ventriculi, ejusque virtutis digestivæ, & hinc dictaminis appetitus habenda est ratio. Hinc alimenta probè nutrientia, copiosum alcali, quodvis acre temperans, suggerentia, & quæ succum minus alterabilem, sed potius glutinosum roridum, nec facilè exhalabilem suggerunt; hinc cancri, ostreæ, &c. subindè utiles Phthisicis observatæ fuerunt, ut suprà dixi. Præ cæteris Lac, & quælibet Lacticinia, ubi cætera ritè præmissa fuerint, & dyscrasia contentorum maximam partem correcta, convenientissima sunt, de quo pariter jam supra dixi.

Præterea ad *diætam*, passularum earumque rob crebrior usus, & ova sorbilia, sunt optima: à potu quoque copiosiore, quantum fieri potest, ægri abstineant, ne serum copiosius generetur: vid. WILLISII *Pharm. Rat. Part. 2. Sect. 1. c. 6. pag. 105.* Ex vinis verò dulciora seligant, v.g. Malvaticum & Alacanthinum: vid. SYLVIUS *de Phthisi* §. 222. Ipse Potus ordinarius Phthisicorum Hecticorum commodissimè conditus sit fumo sulphuris, ad imitationem HELMONTII; qui potus sulphurati ad curam phthiseos sunt singulares: Imò & fumus sulphuris cum aliis per os attractus singulare est experimentum cujusdam Medici Hyberni, quo aliquot desperatos Phthisicos curavit, uti refert BOYLE *in Philos. Experiment. pag. 277.*

Ratione aëris saluberrimus videtur Phthisicis siccus & serenus, nisi planè emaciati & exsiccati fuerint: vid. SENNERTI *Praxis l. 2. Part. 2. c. 12. pag. 215.* & MAYERNE *de Arthritide pag. 24.* Aut si crassus, exhalationibus tamen sulphureis refertus, fuerit; quamvis non omnibus æquè phthisicis idem aër proportionatus observetur: Vid. WILLISIUS *l. a. pag. 85. 86. &c.*

Sunt, qui etiam *Transplantationis medio* curare satagunt atrophias. Modus vid. in HARTMANNI *Praxi Chymiatr.* ubi *de Atrophia*. Nempe ovum in urina ægri coquitur, post nonnihil apertum in acervo formicarum sepelitur; sic atrophiâ laborantes curantur. Quod & non tantùm D. MICHAELIS aliquoties cum successu expertus fuit; sed præterea quoque Medicus veteranus in Anglia atrophiâ correptus se ipsum curavit hoc modo, uti refert BOYLE *in sua Philosoph. Experiment.* Item cum unguento armario: vid. SCHMUCKIUS *in Curat. Magnet. pag. 59.* item PARACELSUS *de Rebus materialibus*. PLINIUS *l. 8. c. 32.* dicit: „ *Si quis tussiculosus in parvæ ranæ, arbores scandentis, os exspuat, ipsamque dimittat, à tussi liberatur.* Simile est, quod de equi saliva SEXTUS MARCELLUS scribit: „ *Si equi salivam phthisici biberint, aut qui malè tussiunt, sani efficiuntur, equus autem moritur*: Vid. CASPAR à REYES *in Camp. Elys. Quæst. 53. p. 666.* Sed talia transeant.

Hæc sunt, quæ dicta fuerunt, de Atrophia universali totius corporis. Superest adhuc

ARTICULUS III.
DE
ARIDURA PARTIUM.

Atrophia seu Tabes particularis cujusdam partis seu membri determinati, quæ aliàs *Aridura Partium*, Ger. *das Gliederschwinden* dicitur, ea est nunc internarum, nunc externarum. Internarum partium aridura, uti cognitu est impossibilis, ita sub curam nunquam cadit, nisi suspicio fortè sit pulmonum aridorum: de quibus SYLVIUS *in Praxi cap. 20.*

CAUSÆ.

Externarum verò partium Aridura seu Atrophia particularis externa duplicem causam agnoscit: nempe quod defectus sit sub nutritione, vel in ipso nutrimento, quod deficit in parte; vel in errore ipsius partis nutriendæ, quæ nec recipit, nec agglutinat nutrimentum. Rariùs observatur in quadam parte à causa interna, sed ut plurimum præcedentem quandam occasionem ea sequitur externam. Deficit nutrimentum, quando nempè tam sanguis propriè dictus, quàm chylus, non affluit in partem nutriendam determinatam, propter quoddam impedimentum, propter vasorum, arteriæ in specie ad eam tendentis læsionem & compressionem, ex distensione, luxatione, fractura, tumore duro, vinculis & similibus impedimentis. Rarissimè tamen ex hoc principio oriuntur *Atrophiæ particulares*, vel Ariduræ; Motus enim massæ sanguineæ per arterias est vehemens, ejusque insignis per tenues porulos quosvis & angustias penetratio, ut in vasis capillaribus manifestum est.

Potiùs ergò fit Aridura vitio ipsius partis debilitatæ: nempe vitium subest vel partis non recipientis, vel non retinentis, vel non assimilantis, vel non agglutinantis nutrimentum: Id quod frequenter fit, si pori nimis angustantur, & fibræ exarescunt, ita ut pars fiat inepta, ut nequeat alimentum, licet conveniens, aut recipere, aut retinere, aut commodè istud agglutinare. Debilitas hæc dependet à spirituum vitio, animali nempe influo, & hinc insito, qui ceu agens se habent in nutritione, & alimenti apposi ione. Debilitatur autem spiritus insitus in manifesta partis & membri cum vulnere ac ulcere læsione; quando v. g. in vulneribus vasa ad ea tendentia rumpuntur, nutrimentum partis copiosiùs effluit, aut per ulcera id copiosè in pus mutatur, & ita cum succo nutritio influo simul spiritus insitus absumitur, à quo spiritus insiti conservatio & vigor dependet, pars arescit, ac difficulter postmodum restitui potest. Usu hoc venit præsertim in articulorum profundis vulneribus, & hinc aliarum partium nervosarum similibus læsionibus, quibus copiosior synoviæ fluxus sæpiùs supervenire solet; ita enim intercipitur nutrimentum, & sub forma puris vel synoviæ excluditur. Nam synovia nihil est aliud, quam liquor chylosus nutritius, in parte nutrienda occasione vulneris, plus minus ad ulcus tendentis, degenerans in liquorem saniosum & aquosum, sub qua degeneratione acorem occultum contrahit, ut exinde vulnera ista partium non solùm insigniter contumacia, ac simul periculosa fiant, sed simul partes istæ læsæ, dum destituuntur convenienti nutrimento, necessariò arescunt. Unde fibræ exsiccatæ & contractæ poros partis angustant, eosque magis connivere seu quasi subsidere faciunt; ipso verò spiritu insito plus minus labefacto, nutrimenti convenientis assimilationi impar redditur. Unde sanato licet vulnere seu ulcere, nihil ominus tamen pars difficilè & tardissimè denuò nutri potest, quin potiùs sæpius pertinax & cõtumax Aridura sequitur. Quin & cùm debilitata dicto modo pars minùs robusta sit, atque alia ipsi respondens, (id quod *Robur inæquale* vocat HELMONTIUS) proptereà faciliùs ac sensibilius ferè externorum objectorum impressiones recipit, unde tales ægri, restituti licet, tamen quasvis aëris mutationes in loco antea læso mox persentiscunt. Dein alterum vitium latet in spiritu animali, qui per nervos ad partes distributus agentis vicem sustinet, ita, ut mediante hoc nutrimenti agglutinatio & assimilatio peragatur; unde & in hoc puncto spirituum animalium ratio habenda est. Si enim debilitantur in aliis partium nervosarum læsionibus, sine aperta licet continui solutione, his tamen debitus motus spiritus influi plùs minus inhiberi potest; hinc paralyses apoplexiam sequentes, convulsiones articulorum, & hinc compressiones & distorsiones nervorum ac tendinum, item horum ipsorum dislocationes, post luxationes & fracturas ossium, &c. Vid. HILDANUS *Epist. 90. & de Ichor. ac Melicer. c. 24.* A quibus ipsis, externis licet, & apparenter parvi momenti læsionibus, propter spiritus animalis influi impeditum plus minus radiosum influxum pars in motu successivè debilior, cum sensu quodam stuporis ac formicationis successivè flaccidior, & plus minus tabida quasi redditur, postmodumque atrophiâ particulari corripitur: uti & cicatrices in locis articulorum factæ ad eam disponunt, quatenus per has partes nervosæ & tendinosæ non rectè coeunt, adeoq; spiritus animalis intercipitur; unde à gangliis atrophiæ particulares observatæ fuerunt: vid. PLATERI *Praxis Tom. 3. pag. 208. & 221.* WURZII *Chirurgia Part. 2. Obser 79.* Quò faciunt casus ab alto, contusionesque partium, imprimis circa articulos, & quæ sunt aliæ causæ successivè inferentes aridurans partium, ita, ut rarò vel nulla sit atrophia particularis à causa interna. Pertinet huc denique defluxus catharralis, quando videlicet sine ulla causa manifesta, saltim ob lymphæ catarrhalis decubitum in quandam partem, ejusque articulationem, & inde fibrarum ac tendinum paralyticam plus minus resolutionem, cum sensu doloris obtuso, præsertim vespertino ac nocturno tempore ingravescente, pars successivè ad atrophiam particularem disponitur. Quâ ratione non rarum est, in arthritide vaga scorbutica, aut etiam in aliis arthritidis speciebus, partem, quæ sæpius aut graviùs affligitur, debilitari successivè, flaccescere plus minus ac tabescere.

DIAGNOSIS.

Signa hujus ariduræ particularis per se patent: Causæ, cum semper aut utplurimum sint externæ, ex relatione ægri expiscandæ.

PROGNOSIS.

Omnes hæ Ariduræ *difficiles* sunt *curatu*, idque eò magis, quò magis confirmatæ ac inveteratæ. Præ cæteris tamen optimè de hoc negotio scripsit FELIX WURZIUS *in Medicina Vulneraria Germanicè conscripta, Tract. de sym. ptomatis vulnerum c. 19. & 23 p. 580.* Post hunc *vid.* AGRICOLA *in Chirurgia parva pag. 31.*

CURA.

Quoad *Curam*: hæc eò sit directa, ut promoveat spirituum animalium, & hinc simul massæ sanguineæ ad partem læsam influxum, quò reparetur sufficiens nutritio, sanguis quidem, & mediante eo nutrimentum aduectũ agglutinetur. In specie habenda est ratio causæ occasionalis, quæ introduxerat atrophiam: sc. attendendum est, an cum solutione continui, & effluxu spirituosi nutrimenti inducta fuerit aridura? an verò à sola læsione, sine continui solutione, sive hęc à vi externa, aut paralytica passione facta fuerit, sive ab interno lymphæ aridæ decubitu? Nam si *prius* obtinet, si v. g. successivè ex vulnere subsecuta sit atrophia particularis, remedia magis temperata, pinguia, adeoque, uti vocant, moderatè calefacientia, sed probè humectantia, & humore roscido oleoso partem perfundentia, adhibenda hic sunt: Sin posterius verò, acriora, & partem læsam irritantia, ut vocant communiter, Calefacientia & facultatem attractricem stimulantia, hic conducunt, ut ita sensibiliùs afficiendo sensum tactus, spirituum uberior radius, humorumque copiosior affluxus, ita in parte conservetur, & inducta conniventia pororum cum blanda frictione restituatur; unde in atrophia post vulnerationes artuum membrum in sanguinem bovis modò mactati immittitur. *Posterius* verò si fuerit, si nempe sine vulnere contigerit, cum Internis seu Sudoriferis Externa discutientia & Resolventia cõveniunt. Cæterùm catholicum ad quascumque particulares ariduras remedium *Arcanum aluminis*, quod specialiter commendat FELIX WURZ *in Chirurgia citato loco*, uti etiam AGRICOLA *in sua parva Chirurgia*, qui duo præ reliquis omnibus Thema hoc tractarunt. WURZIUS describit hujus Arcani preparationem clarè quidem, interim selectus in alumine habendus, quod non vulgare illud rupeum, sed plumeum sumendum. Alias vocatur Germanicè *Das Federweiß*, uti vocat WURZIUS aliquo in loco, quod ipsum amianthi species est. Hoc plumeum, minusque pungens accipiatur, juxta illius descriptionem, & cum ana salis fusi fundatur forti igne in crucibulo, ut refrigerata condensentur in lapidem, cui affundatur postmodum aqua fontana, à qua resolvitur sal, alumen verò ad fundum subsistit. Hoc arcano feliciter omnes Ariduræ possunt curari, si nempe illud debitâ dosi misceatur suo Linimento, vel unguento, & cum pinguedine humana, aut aliis appropriatis, vel oleo laurino, vel oleo speciæ subigatur in forma Linimenti; vel destillatur oleum ex pinguedine humana vel ursina, quodsi, quando mista cum cineribus vitis destillatur. Addantur hujus unc. iv., AGRICOLA docente, unc. i ß. olei Philosopho

sophorum, & misceantur hæc cum arcani istius aluminis unc. iij. illoque fricentur membra arescentia. In specie autem, si ab effluxu nutrimenti aut sinoviæ post vulnera insigniora sit aridura, conveniunt fotus partis cum Decoctis emollientibus, malvæ, altheæ, seminis lini, capitis & pedum vervecis, aut ex animalium partibus, v. g. ex capite, pedibus, pulmone & hepate ovi & agni, &c. donec ab ossibus abscedant caro & omnia, quæ adhærent, quæ separata ulteriùs in aqua ipsa coquantur, & cum hoc Decocto membrum lavetur & foveatur. Postmodum fiat Litus ex pinguedine hominis, vulpis, castoris, equi, cati sylvestris, ursi, canis, lupi & taxi, &c. Vel in specie fiat unguentum ex

Pingued. ardeæ,
Ranar. ana ℥ ij.
Porcellor. ℥ ij. vel ℥ iij.

& facto Litu calido applicetur Emplastrum ex cera & pinguedine porcina: Conf. FELIX WURZIUS.

Item convenit succus lumbricorum cum oleo amygdalarum dulcium mistus, si membrum eodem fricetur. Quod si verò *ex paralysi, contusione, &c.* sequatur aridura, remedia externè irritantia & vellicantia conveniunt, quæ nempe partem læsam variè vellicando, spirituum sanguinisque, & consequenter nutrimenti affluxum promoveant. Hinc ordinariò laudantur frictiones cum urticis recentibus, quod euporiston succedit, si nempe aridum est citra lesionem manifestam à vulnere factam, sed ex compressione faltetemndinum; sicutipse exempla hac ratione curatorum pedum aridurâ laborantium novi. Post frictiones partium deorsum versus institutas, arcanum aluminis *Würzii* cum Linimentis & pinguedinibus appropriatis subactum usurpetur, ut jamdictum. Modus autem frictionis est hic: scilicet membrum arescens probè fricandum est, incipiendo à summo, & imo repetendo, donec illud, labore hoc diu continuato, incalescat, rubescat, & consequenter vasa turbida appareant. Quando autem membrum ita calefactum rubicundum apparet, illinatur illud Linimento dicto, pannisque calidis probè postmodum custodiatur, hoc repetatur semel, bis vel ter in die, pro necessitate circumstantiarum, donec desinat Aridura. Quod si verò deficiat Arcanum hoc aluminis, Linimentum ex alumine plumoso, pulvere sabinæ, oleo laurino, juniperino, & similibus dictis, prout à WITTIGIO sequenti modo describitur, usurpetur: e. g.

℞. *Pingv. taxi* unc. ij.
Olei laurin. ℥ iv.
Bacc. junip. unc. j.
Sp. cæ. drach. j.
Ping. porcin. unc. iv.
His omnibus ad ignem probè calefactis
adde
Sem. urt. unc. j.
Pulv. sabin. unc. ij.
Alum. plumos. unc. ß.

Hæc mista pro unguento applicari possunt in aridura partium, citra defectum sinoviæ.

Quibusdam tanquam secretum commendatur hæc aqua cum vino destillata ex semine urticæ, radice armoraciæ, & similibus, prout describitur ab AGRICOLA *l. c.* *item à* SCHMUCKIO *Thesaur. Med. Secret.* 50. *seq.* modo:

℞. *Sem. urtic. Rom.* ℔ j.
Rad. armorac. rec. cont. unc. Iv. ad ℔ ß.
Ari rec. unc. iv.
Piperis longi unc. iij.

Hæc omnia cum *vino albo* digesta in Balneo Mariæ per 14. dies noctesque, agitando quotidiè massam, destillentur.

Aqua spirituosa acris prodiens inservit huic negotio, si eodem membra cum panno calido probè fricata sæpius illinantur, præsertim in casu, ubi Ariduræ membri sensus formicationis aut stuporis unà adsit.

Et hæc quidem conveniunt, si affluxus nutrimenti impeditur.

Præter quæ remedia, si non confirmata aridura, etiam sufficiunt pro fricatione medicamenta ordinaria, nempe ex lumbricis terrestribus paratus spiritus ac Litus, aut succus eorum cum oleo amygdalarum dulcium subactus: Quæ ipsa etiam locum habent, si *ex defluxu catarrhali doloroso* aridura superveniat. In quo casu, præter sudores internis concitatos, optimi sunt spiritus formicarum & lumbricorum terrestrium cum pauco spiritu vini, addito alcali fixo, per retortam destillati & rectificati; vel aquæ articulares cum pauco spiritu salis ammoniaci cum calce viva, aut cum oleo saponis impræguatæ, ita applicentur aut usurpentur, imprimis liquor lumbricorum terrestrium per deliquium in clibano paratus, prout describitur à MOELLENBROCCIO *de Variis pag.* 270., cum usu applicari potest. Item conveniunt oleum lumbricorum terrestrium, oleum nardinum & costinum, & omnia olea nervina composita, cum oleis destillatis juniperi, lauri, ceræ, saponis, unguentis nervinis, e. g. Agrippæ, Nervino Augustanorum, &c. juncta. Linimentis verò his semper præmittantur Balnea aut formenta, donec membrum probè incaluerit, hinc, idem ad incalescentiam novam deorsum versus fricetur & emplastrum denique appropriatum, v. g. emplastrum de galbano crocatum, oxycroceum, vel aliud nervinum quoddam applicetur, quotidiè repetendo, donec æger in membro vel ruborem, vel formicationis sensum percipiat; posteà enim ad aquas vel spiritus articulares, similesque penetrantiores, accedendum. Pro scopo hoc conveniunt etiam frictiones cum pannis asperioribus, & cucurbitulæ vasis majoribus admovendæ, imprimis illæ suctoriæ, quales, post HILDANUM C. 1. *Observat.* 80., TULPIUS *lib.* 3. *Observat.* 49. commendat.

Hæc de Ariduris & Atrophiis Universalibus & particularibus, & ita etiam de Nutritione deficiente.

CAPUT II.
DE
NUTRITIONE AUCTA.

Quod auctam attinet Nutritionem: fit hæc vel universo in corpore secundùm carnem musculosam, & huic annexam pinguedinem, in *Corpulentia dicta nimia* & *Obesitate*; vel particolatim, secundum partium nonnullarum & viscerum parenchymata, qua ratione observatæ fuerunt nimiæ & stupendæ magnitudines hepatis, lienis, renum & similium partium: de magnis Lienibus jam suo tempore locutus est HIPPOCRATES. De hac particulari auctione quorundam viscerum sufficienter actum fuit *in Physiologicis*.

ARTICULUS UNICUS.
DE
CORPULENTIA NIMIA.

Quod verò attinet universi corporis augmentum in Corpulentia nimia, ea est, quando habitus corporis musculosus insigniter augmentatur; sicuti quando pinguedo copiosè, & in specie partes subcutaneas, infarcit & incrustat, dicitur *Obesitas nimia*. Quod pertinet habitus corporis vocatus succi plenus, i. e. talis status, si totum corpus copioso succo nutritivo abundanter irrigatum, adeoque habitus molis, humidus, tumefactus, & ita uno nomine succi plenus, delicatus, & ad tactum sua vis percipitur. Alio nomine vocatur *Corpus quadratum*, dum nempe omnes partes in omnes dimensiones ita abundanter nutriuntur, ut exinde conveniens robur atque firma consistentia corporis concilietur; Metaphorâ desumptâ ex mathesi, in qua corpora quadrata pro firmissimis habentur. Item facit huc *Veterum habitus athleticus* dictus, cujus apud Veteres, in specie *Aphor.* HIPPOCRATIS *Sect.* 1., subindè inijcitur mentio, quando nempe carnes musculosæ nimis augentur, & ita postmodùm tale robur concilietur iisdem, quale Veteres athletæ habuerunt, qui invicem cõgredientes exercitia athletica suscipiebant. Hic habitui athletico, & succi plenus sunt quasi affines corpulentiæ nimiæ, ut adeò corpulentia nimia sit, quãdo corporis totius, tam uteris quam artuũ, peripheria in tantum convenienti nutrimento est aucta, ut actiones, imprimis motus; isque vel thoracis respiratorius, unde corpulenti sunt anhelatores; vel & motus artuum apprehensivus, sive totius corporis progressivus, aut impediantur, aut insigniter vitientur. Cùm enim fiat motus per fibras musculorum; hæ autem, dum omnia intercepta musculorum spatiola succo nutritio in tantum sunt repleta & infarcta, ut nullo modo in se ipsum cedere possit musculus; hinc fibræ nimis distensæ, & per conse-

CURA.

Quoad *Curam* corpulentiæ nimiæ seu Obesitatis: nitamur

1. Ut impediatur copiosus alimenti laudabilis proventus; quod ipsum fieri potest per inediam & moderatam diætam.
2. Ut nutrimentum jam genitum ante sui assimilationem maturè removeatur; quod faciunt Diuretica & Sudorifera primariò, hinc Purgantia & Venæsectiones: quemadmodum ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Prax. Admir. Observat.* 12. prodigiosam Obesitatem scarificatione ac hirudinum suctu, ac BARTHOLINUS *Actor. Hafniens. Part* 1. *Observat.* 74. per salivationem, curatam testatur. Unde rusticos ob continuos labores, adeoque sudores, rarò pingues ac obesos videmus; sicuti qui ex vita sedentaria laboriosam subitò ineunt, successivè emaciantur.
3. Ut nutrimentum partis jam assimilatum plus minus resolvatur ac liquefiat; & ut resolutum, & sero alluente imbibitum, evacuetur: serum enim, uti primò est vehiculum alimentorum, ita postmodum vehiculum est excernendorum.

Quoad Indicationem primam: Corpulenti & Obesi temperent sibi à cibis *luxuriosè* largiùs assumptus, & omnibus iis, quæ ad majorem corporis molem causam aliàs præbere possunt: Cœna sit parca, ac somnus brevior. E contrà prosunt cibi solidiores & pauciores, probè saliti; nec non olera, ratione salis nitrosi alvum & urinam moventia. Probè autem observandum, ne mox in principio, aut intempestivè nimis, corpori nimium, sed singulis saltem diebus aliquid, subtrahatur; cum vires aliàs debilitarentur.

Dubium equidem oriri potest: an nempè possibile sit, ut Corpulentiâ jam factâ nutrimentum semel assimilatum denuo resolvatur, & foràs eliminetur, adeoque augmentato ita cesset? Sed respondeo affirmando. Videmus enim, quod febrium ardor corpora anteà crassa & obesa soleat insigniter emaciare: item quod scorbutus confirmatus corpus succi plenum breviter reddat emaciatum, unde atrophia scorbutica. Ad hæc viscerum ulcera, dum Hecticâ inferunt, ita massam sanguineam inficiendo Phthisicos & macros reddunt, uti idem fieri cernimus per diabetem & salivationem, itemque per nimias purgationes: ac in specie lymphæ copiosioris ac urinæ fluxus insignior emaciant, sicut hoc confirmat HELMONTIUS *Tract. Ius Duum-Virat.* §. 59. & *Tract. Latex Humor Negl.* §. 44., ubi refert exempla insigniter obesorum per Potiones diureticas subitò emaciatorum. Talia exempla habet etiam SCHENCKIUS *in lib.* 3. *Obs. pag.* 456. ubi de Diabete: Ibi enim refert, multos, diabete affectos per copiosum urinæ profluvium subitò fuisse extenuatos. Nec minùs efficax est copiosa salivæ excretio: notum enim est, quod lue Venereâ laborantes, curati per inunctiones Mercuriales Gallis frequentes, ubi continuam ac copiosam excernunt salivam, quod exindè admodum attenuentur: Conf. BORELLUS *C.* 2. *Obs.* 11., ubi refert, quendam per crebriorem masticationem fol. Nicotianæ extenuatum fuisse redditum: hæc enim cum sit forte masticatorium, & uberrimam salivâ proliciat, hinc gelatina nutritiva necessariò simul expellitur: Id quod etiam cum foliis lauri indicat BORELLUS, quod multas aquas educant; si enim masticentur, salivam eliciendo eo pus emaciant. Hæc & similia persuadent, quod corpora pinguefacta post resolutionem jam assimilati nutrimenti, à latice aquoso partes ambiente imbibiti, & sub forma urinæ aut salivæ copiosè & ubertim evacuati emacientur. Convenit ergò mercurius dulcis cum Extracto catholico aut panchymagogo Crollii, pilulis aloeticis aut aliis lenioribus purgantibus commixtus, quotidiè præmissis præmittendis propinando, donec salivatio largior subsequatur: qualem methodum videbitis in BARTHOLINI *Actis Hafniens. Tom.* 1. *Obs.* 74. Quò etiam pertinet nicotianæ fumus, mane ac vesperi haustus.

De cætero inter remedia denuo emaciantia in specie eminet acetum, & omnia ex eo, vini filio degeneri, parata; imprimis acetum scylliticum ceu certissimum experimentum hac in parte allegatur à CATTIERO *cit. loco*, qui ex STRADA refert exemplum viri militaris admodum obesi, qui loco vini aceto continuò utens in potu, ita rursus extenuatus fuit, ut 87. ℔ pondere decreverit. Id quod confirmat STEPHANUS *in Oper. Medic. Tract. Cosmetice*, ad obesitatem tollendam nihil melius esse, quàm acetum scylliticum jejuno stomacho haustum, Hinc acetum rutaceum, aut etiam potus ordinarius ex aqua chalybeata aceto temperata, item acetum scylliticum, in quo absinthium est maceratum, & omnia acida sæpius usurpata, prosunt. Hæc enim faciunt, ut alimenta ingesta admodum dissolvantur & liquescant in serosiorem & asperiorem minusque nutritivum chylum, qui porrò tàm sub digestione in stomacho, quàm extra eum in duodeno attactu fellis, abit in sal tertium plus minus volatile acre, ac fit insigne abstersivum, tàm sordium nocivarum quàm etiam nutrimenti laudabilioris, & diureticum: unde nutrimentum chylosum extenuatum & resolutum tunc sub urinæ forma solet emitti, adeoque habitus corpulentior successivè imminuitur. Sic quoque acetum supra nitrum ac sal aliquoties cohobatum, uti acrius & magis diureticum fit, ita corpus magis ad emaciationem disponit, si assumatur. Post acida huc etiam spectant Purgantia; hæc enim semper aliquid de viribus deprædando corpus macidum reddunt: Hinc etiam CELSUS inquit: *Crebris purgationibus adsuescere, est corpus non nutrire*. Nam Purgantia etiam nutritium succum putrilagine afficiunt, & sub forma stercorum exhauriunt. Verùm cùm Purgantia fortiora ceu venenata non semper tutò in usum vocari possint, propterea aloëtica abstergentia mixta conducunt imprimis. Hinc FERNELIUS *Conf.* 14. ad Obesitatem exhibet pilulas ex Rha-Barbaro, aloë, & agarico paratas, quibus aliquandiu continuatis Corpulentia dempta est. Præ cæteris hoc in casu pollet aloë ob amarorem, & hinc ob vim acidum abstergendi; unde etiam GRUELINGIUS pilulas aloeticas & Francofurtenses obesis commendavit. Elixyr proprietatis sæpiùs sumptum, corpus nonnihil emaciat; uti etiam omnia amaricantia, myrrha v. g., pilulæ de tribus seu pestilentiales, Mass. pilul. hieræ cum agarico, vel de aloe cum agarico, congrua sunt remedia: ac Practici communiter & rectè dicunt, Elixyr proprietatis exsiccare corpus; quæ exsiccatio tamen consistit in colliquefactione succorum nutritivorum. Huc pertinent alia amaricantia, v. g. centaurum minus, nasturtium, mentha, absinthium, & ejus essentia, essentia myrrhæ, gentianæ, & similia: quæ omnia vulgò exsiccare dicuntur, cùm tamen reverà corporis nutrimentum attenuent & dissolvant, ac sero involvant, quod interdum excernitur sub forma urinæ, interdum sudoris. Ulteriùs Diuretica quæcunque fortiora per copiosum urinæ fluxum solent extenuare, copiosiùs usurpata: quæ inter eminet radix asparagi, radix fœniculi, petroselini; item alliata ac Cepacea omnia; syrupi dicti de duabus, item de 5. radicibus, qui diuretici sunt; Decoctum cicerum rubrorum, item cappares, olivæ, amygdalæ amaræ, & similia condimenta diuretica. Ad hæc in specie pertinet tartarus, remedium vino ipso nobilius, cujus volatilis aciditas potenter abstergit, ac vi attenuativâ, simul interdum blandè urinam movet, & omnia ex eo parata: Hinc enim FORESTUS *lib.* 31. *Obs.* 13. talem habet pulverē,

℞. *Tartari crudi* ℥j.
Cinn. ʒiij.
Zingib. ℥j.
Sacch. ad pondus omnium.
M. f. Pulvis.

Pulverem hunc, dicit, crebriùs assumptum Aurifabrum extenuasse.

Sic etiam EPIPHANIUS FERDINANDUS *Conf.* 82. specificè commendat tartarum in pulverem redactum contra nimiam pinguedinem. Alii commendant pulverem compositum ex ana tartari & cymarum seu julorum coryli, qui crebriùs ante pastum & hinc sub introitu lecti assumatur, idque eò magis si ℈j. vel ʒß. irroretur cum aceto destillato, idque continuò, donec corpus egregiè emacietur.

N B. Quæ dico de tartaro simplici, etiam intelligenda de sale volatili, & nobilioribus præparatis, quod præsuppono.

Pertinet huc etiā tartarus vitriolatus, qui, & ipse ad emaciandum aptus: Sic quoq; nitrum obesitatem impedire vi suâ diureticâ observatum fuit, ac in specie nitrū crudū copiosiùs usurpatū Nitrum vitriolatum seu arcanum duplicatū Mynsichti, specificè etiā contra obesitatem cōmendatur. Imò per aquas, nitrū, alumen, & martē continentes, pin-

pinguedinem nimiam in quodam solutam TIMÆUS à Guldenklee l. 3. Cas. 3. testatur. D. LANGIUS ceu singulare habuit arcanum species diaspoliticon Galeni ex nitro & cumino, quod sæpiùs usurpatum per urinam corpus emaciat. Pertinet huc tartarus vitriolatus *Bartholetti* ex sale Tartari, & spiritu nitri invicem mistis paratus, egregium sanè appropriatum contra nimiam Corpulentiam: item huc pertinet gummi juniperinum seu sandaracha Arabum (Græcorū Sandaracha est arsenicum) hinc etiam elegantes sunt pilulæ contra obesitatem nimiam Mynsichtii, quæ basin gummi dicti agnoscunt, & multùm valent: Dosis ℈j. est, singulis mane jejuno stomacho. Vel

℞. *Mass. pilular. de sandar.* ʒij.
Sal. volat. viperar. ℈j.
Cum *Elixyr propr.* f. Pilulæ instar pisi min. D. S.
Pilulæ contra obesitatem.
Dosis est ʒß.

℞. *Sandarac.* ʒij.
Myrrh. elect.
Ras. lign. sancti,
Extract. absinth.
Aloes an. ℈j.
Spirit. vitrioli. coag. ʒß.
M. f. Pilul.
Dosis drach. ß.

D. OSWALD est Autor, qui primus composuit has pilulas contra Obesitatem, à quo habuit has Mynsichtius. *Semen fraxini* seu linguæ avis ad unc. j. manè in haustu vini propinatum insigniter commendatur ad evacuandam urinam, ratione cujus & hydropicos curat, & emaciat crassos. Secretum D. ERBENII est *semen esulæ* pulverisatum, & omni mane, quantum cultelli cuspide capitur, usurpatum & continuatum; hoc enim dicitur expertum remedium. Nec omittenda terebinthina ratione virtutis diureticæ: refert FORESTUS *c. l.* de viro valdè crasso, qui insigniter extenuatus per pilulas ex terebinthina cum saccharo paratas, assumendo earum majuscularum 5. & 7. per 2. horas ante prandium.

Denique per sudorem etiam corpus emaciatur, sive per interna eliciatur, sive externè per exercitia. Atque hinc omnia Decocta lignorum, in specie guajaci & ligni sancti, exsiccare dicuntur, quatenùs sudorem copiosiorem provocant. In specie autem Sudorifera cum & ex salibus alcalibus parata, qualia sunt salia vegetabilium tam fixa quàm volatilia, imprimis sal absinthii, cardui benedicti; item salia theriacalia, quæ corpus insigniter macrum reddere dicuntur, expectando sudorem, egregia sunt. Aliis salia viperarum, item alia remedia viperina, sunt commendata, quæ & ipsa corpus extenuare, & pinguedinem resolvere dicunt. Item salivatio Mercurialis mirabiliter corpus emaciat, ita ut illud sceleti formam repræsentet; Mercurius enim *acrimoniâ suâ* nutrimentum corporis dissolvit.

Tandem ex fonte Chirurgico huc spectant crebriores venæsectiones & plures inusti fonticuli: venæsectio enim cum sanguine simul nutrimentum exhaurit; unde subtracto nutrimento emaciat: Ex fonticulis verò sub forma puris nutrimentum partium resolutum evacuatur, massa sanguinea depravatur, & ita necessariò emaciatur.

Externè à MYNSICHTIO commendatur Decoctum nucum cupressi compositum, quod sine dubio ratione virtutis adstrictoriæ effluxum alimenti uberiorem reprimit.

De Evacuationibus adhuc notetur: has in obesis parciores esse debere, quàm in Carnosis seu musculosis, ne corpus jam dum torpidum magis enervetur.

Quidam febrem artificialem excitare jubent, de qua integrum *Tractatum* JOHANN-DANIEL MAJOR conscripsit; sicut & hoc ipsa sæpe natura nobis monstrat.

Hæc de Corpulentia nimia: Pergo ad *Vitium Nutritionis depravatæ*, quando nempe partes vitiosè ac depravatè nutriuntur.

CAPUT III.
DE NUTRITIONE DEPRAVATA.
ARTICULUS I.
DE *CACHEXIA IN GENERE.*

Qualitate ergò peccans corporis *Nutritio* in genere vocari solet *Cachexia*, si ob vitium nutrimenti perversè nutriuntur partes. Hactenus equidem à pluribus descripta per tumidam totius corporis mollitiem, & via quasi ad hydropem seu ejus initium credita fuit: Ast generaliori conceptu opus est, cùm sine corporis intumescentia cachexia quoque contingere possit, ut mox dicetur. Est affectus ille, in quo nativus & floridus cutis color, ac imprimis faciei nitor, perit, mutaturque in varium, in pallidum, lividum, luteum, virescentem, intensè rubicundum, &c., in diversis corporis partibus exanthemata & pustulæ emergunt, ac quoque partium consistentia durior juxta ac asperior cum squamarum decidentia interdum in molliorem mutatur: nonnunquam sudor fœtidus exhalat, cutis unctuosa observatur cum pruritu notabili, pilorum contingunt defluvia, dolores diversi partes diversas infestant, ita tamen, ut corpus nonnunquam simul intumescat. Cachexia talis est reverà fructus cacochymiæ; hæc verò est pedissequa Cacochyliæ. Nempe dependet omnis Cachexia ab effusione vitiosi & depravati nutrimenti, i. e. humoris viscidi, loco nutrimenti hinc inde distributi in habitum corporis ac partes molles; Unde dum nutrimentum non ritè assimilatur, ob debitas proprietates deficientes emergit Cachexia, adeoque prout variant nutrimenti vitia, variat etiam Cachexia. Hinc humor ille, qui ita habitui corporis affunditur, si est albus, dicitur *Cachexia* in specie; si flavus, dicitur *Icterus*; si viridiusculus seu luridus aut lividus, aut alio tetro colore tinctus, utplurimum *Icterus niger* audit.

Est itaque Cachexia seu malus habitus terminus satis generalis, species diversas habens seu complectens: in genere quamcunque corporis & partium subcutanearum mutationem à statu naturali in deteriorem innuit, ex vitiata quasi nutritione dependentem; Unde tam variæ *Cachexiarum* sunt *species*. Nam præter dictas datur etiam Cachexia scorbutica, & Cachexia hypochondriaca, item scabies, elephantiasis, &c: in mulieribus ex uteri vel mensium vitio Febris alba dicitur. In specie tamen usus obtinuit, ut vitium illud tantum Cachexia appelletur, quando corpus à nativo colore in pallidum & lividum, plus minus viridem, & habitum subtumidum & flaccidum degenerat, & à sanguificationis defectu in specie dependet. Ut verbo me explicem: sicut biliositas dat icterum, ita pituitositas dat Cachexiam in specie ita dictam, utut omnes hos sub generali Cachexiæ nomine legitimo jure comprehendamus, ejusque talis est Historia.

Ægri successivè pallescunt ac colorem plus minus lividum contrahunt, postmodum facies nonnihil intumescit, & tandem quoque habitus corporis; hinc dicunt: *pinguescit quidem, sed non est pinguedo naturalis.* Præter cutis mutatum colorem juncta simul solet esse in plerisq; dyspnœa, quæ præsertim magis urgetur, quoties corpus, imprimis adscensu in altum, tantillum & leviter movetur, quæ ad motum corporis concitatiorem augetur, quin tunc sæpiùs cordis palpitatio, arteriarumque circa jugula temporaque inconsueta pulsatio, observatur: Accidit quoque universi corporis, præ cæteris crurum, lassitudo spontanea & tensio, animæ torpor: utpote non rarò compressivus & anxiosus præcordiorum dolor, qui post alimenta assumpta intendi solet: Appetitus in principio constat, in progressu verò prosternitur, ac non rarò tales ægri fiunt: Adest sæpe etiam febris lenta, ægro vix sensibilis, & quidem modò continua, modò intermittens, quotidiana ferè periodica:

Pulsus

Pulsus sunt inæquales, parvi, frequentes & debiles. Urinæ sæpiùs etiam sunt crudæ, aqueæ seu pallidæ, tenues & saltem minus tinctæ; raró, nisi in progressu morbi, prodeunt crassæ & turbidæ eum copioso sedimento albo. Observata tamen fuit Cachexia cum urinis lacteis, uti hoc habet SYLVATICUS C. 1. *Consf.* 39. Tandem malo ulterius procedente corporis habitus fit turgidus, tumidus, crassus, & pallidus, foveamque post impressionem digiti ostendit, adeoque tunc vocatur *Leucophlegmatia*; si verò evadit turgidus cum quodam splendore & livore, quasi aquæ essent collectæ, vocatur *Anasarca*, seu aqua intercus, tàm universalis, quàm subinde particularis crurum, & est hydropis species. Antequam Leucophlegmatia vel Anasarca erumpat, fit, ut pedes saltem intumescant, ulteriusque, morbo incrementum capiente, & abdomen intumescit, & sic in perfectum asciten abdominis; seu hydropem in specie sic dictum, degenerat. Vulgò tumorem hunc pedum ędematosum & leucophlegmatiam per Morbum intemperiei humidæ explicant: sed non sunt morbus, sed saltem producta morbosa Cachexiæ. Nullis ac nulli ætati parcit Cachexia, licèt fœminas ob vitam sedentariam frequentiùs, & ob supervenientia menstruationis vitia contumaciùs ac pejus afficiat: Quin & sæpiùs comitem habet affectum scorbuticum aut hypochondiacum. In principio morbi ciborum digestiones impediuntur, manente appetitu; tandem etiam anorexia accedit, corpusque summè imbecille redditur. Alvus sępiùs est obstructa. Plura huc facientia *videb. in specie in* SYLVIO *lib. 4. Prax. & Tract. de Cachexia.*

PARS AFFECTA.

Pars affecta seu *Subjectum* Inhæsionis est habitus corporis, seu partes ejus solidæ molliores, in specie carnosæ, in ejus ambitu extrinsecùs sitæ, quæ primarió afficiuntur; *Subjectum* verò radicationis, seu Pars affecta à causa, est massa sanguinea cacochymica facta. Ex dictis *cachexiæ* in specie sic dictæ *causa* facilè patet.

CAUSÆ.

Causa nempe proxima Cachexiæ est nimia Cacochymia vel Cruditas massæ sanguineæ, indeque dependens deficiens ac imminuta ejus fermentatio, unde chylus & ipse plus minus vitiosus non ritè assimilatur, sed tota massa eodem crudo repleta, cruda & vitiosè fermentans manet, particulæ ejus salinæ obruuntur, morbus magis magisque confirmatur, unde tali crudo sanguine, vel, ut vocant, pituitoso per partes circulato, hæc chylo & sanguine non ritè alteratis nec volatilisatis infarciuntur potiùs, quàm debitâ appositione aut aliquâ assimilatione nutriuntur, ita ut rectè proin dicat FORESTUS: corpus ita inflatum non aliter se habere, ac pastam non ritè fermentatam, in qua digiti impressi vestigium hæreat.

Causa Remota est multiplex: Observandum enim Cachexiam nunc esse *affectum primarium*, & qui per se incipit; nunc *secundarium*, aliosque insequitur morbos, v. g. qui quasvis sanguinis nimias effusiones, aut ejusmodi consuetas suppressas insequitur: in specie mensium suppressio, uti & nimius eorum fluxus, cachecticas reddunt mulieres: sic Gonorrhœas diuturnas, aut fluores albos, item febres chronicas ordinarió insequitur: Mola aut fœtus mortuus retentus etiam Cachexiam inferunt: *Videatur* FORESTUS *lib. 19. Observ. 26. in Schol.* HORSTIUS *lib. 5. Observ. 21.* Urinæ suppressio, hepatis ac lienis aliorumque viscerum vitia, uti sunt atoniæ, obstructiones & tumores facile scirrhescentes, renum ulcera, &c. Cachexias inferunt.

Causæ Remota Cachexiæ primaria est deficiens chylosis, dum nempe alimenta in stomacho nec ritè fermentando volatilisantur, nec in subdulcem aut salsum volatilem abeunt liquorem, sed in pituitam viscidam ac acidam degenerant; adeoque vitiosum in primis viis acidum quasi fixum, nec volatile, primum fundamentum Cachexiæ ponit, quod fovet ulteriùs semper simul conjuncta bilis inertia, seu deficiens ejus acrimonia salina volatilis, quæ nec corrigit, nec perficit debitè chylum in duodeno nec ritè fęces separat. Ac in Cachexia quidem semper peccat cruditas acida, (propterea quoque Martialia dicuntur Anticachectica;) quâ alimenta non transmutantur in chylum volatilem, sed viscidum: Unde ex vitio digestionis primæ orta cruditas acida ad massam sanguineam delata fermentationem ejus inhibet, hæmatosin turbat, & successivè Cachexiam inducit. Massæ sanguineæ enim particulæ salinæ fermentativæ succo isto crudo atque incongruo obrutæ debitam chyli alterationem & sanguini assimilationem ritè perficere nequeunt; quin hic exinde crudus, plus minùs viscidus, & quasi occultè acidus remaneat; unde de facili stagnans sanguis in præcordiis, dum levi corporis motu celeriùs movetur ad pulmones & cor, *dypsnœam & anxietates* infert; Quin & massæ sanguineæ debitâ fermentatione vitiatâ & imminutâ imminuitur quoque in fœminis *menstrua* sanguinis *fermentatio*. Unde Cachexiæ incipienti, multò magis confirmatæ, supervenit etiam mensium suppressio, quæ ipsa malum postmodùm & gravius & contumacius reddit; rariùs enim menses suppressi Cachexiam inferunt, sed vitio cachectico supprimuntur. Porro si sanguis crudo chylo inquinatus circulatur ad partes, tunc nutrimentum illud crudum appositum & congestum, necessarió *Leucophlegmatiam, summum Cachexiæ gradum*, post se relinquit, unde depravatur nutritio, adeoque habitus corporis tumidus insigniter inflatur, & exinde ob fibrarum musculosarum & nervosarum laxatum tonum flaccidus fit. Quod si ex retento qualicunque occasione sero aut lympha (cachectici enim non aut difficillimè sudant, & parum quoque mingunt) serosior quoque simul fuerit sanguis, necessarió oritur vitium, quod dicitur *Anasarca*, seu habitus corporis copiosâ aquâ suffusus; quæ eò erit major, si tali succo crudo aut obstruantur glandulæ partium musculosarum, aut etiam vasa lymphatica, ita ut lympha aut saltim serositates, non ritè ex partibus per vasa lymphatica revehi queant, sed debitus earum motus inhibeatur; unde sub cute aquositates congestæ necessarió habitum tumidum inferunt, & vulgò pro tertia hydropis specie, nempe totius corporis hydrope, habetur. Hinc BORELLUS *Cent. 3. Observat. 66.* observat corpus Cachecticum crystalli instar translucens. Sive ergò copiosum serum in massa sanguinea peccet, sive motus impeditus lymphæ in causâ sit, utroque modo generari potest Anasarca. Quod si humorum istorum serosorum plus minus Chylosorum seu pituitosorum ex proprio impetu decubitus fiat magis ad inferiora, unde crura, scrotum, ac tandem abdomen intumescant, erit ordinarius sic dictus *hydrops*.

Confunduntur equidem subinde Leucophlegmatia & Anasarca, sed malè; Differunt enim variis modis, & non, nisi subjecto, nempe habitu corporis inter se conveniunt. Nam in Leucophlegmatia est habitus corporis pituitosus (i. e. crudus chylosus;) Anasarca verò est ab ichoroso & crudo sero, in habitum corporis deposito, eo currente forsan plus minus vasorum lymphaticorum ruptione. Distinguere autem facile est Leucophlegmatiam ab Anasarca: in Leucophlegmatia nempe minus est splendoris ac nitoris, quàm est in Anasarca, sed habitus corporis pallet: in hac verò corpus plus justo splendet ac nitet: Deinde vestigia foveæ digito impressæ in Leucophlegmatia diu durant, tandem successivè pereunt, quæ in Anasarca facilè & brevissimo tempore disparent. Interim sæpiùs evenit, ut Leucophlegmatiam sequatur Anasarca, si nempe impediatur seri & lymphæ transcolatio.

Vulgò statuitur, Cachexiam & similes affectus oriri ex hepate, nempe ex intemperie ejus frigida: quæ sententia cum superstructa sit hypothesi isti, quod hepar sanguificet mediante suo calore innato & speciali, sponte corruit: Quin potius WILLISIUS *in Pharmac. Rationali Part. 2. pag. 384. & sequ.* materiam esse humorem serosum, efficiens verò sanguinem esse, asserit.

Causæ remotissimæ seu *occasionales* seu procatarcticæ, ad Cachexiam, Leucophlegmatiam & Anasarcam disponentes, sunt imprimis errata quædam in sex rebus non-naturalibus: quò pertinet vita desidiosa & sine motu peracta; sicut contrà sub motu corporis homines malis hisce minimè soleant infestari, quin curari potiùs, notante PANAROLLO *Pent. 1. Observ. 30.* Item ira, mœror, tristitia, & curæ protractæ, aut diutiùs continuatæ, non rarò inferunt cachexiam, quia non rectè volatilisatur sanguis, & intumescunt viscera. Huc pertinent errata in victu: sic enim intemperatè viventes subindè cachectici evadunt. Somnus nimius

minus, & labor deficiens promptè ad cachexiam disponit: & quæ sunt aliæ causæ externæ. Quò facit imprimis Observatio PANAROLLI *c. l.* de muliere cachectica, multis obstructis parenchymatibus, magis exercitio quàm alio quocunque remedio curata: Unde vi oppositorum exercitium & motus deficiens disponunt ad cachexiã. Dum PANAROLLUS inquit, fuisse obstructiones parenchymatum, loquitur ex hypothesi, quod cachexia oriatur ex obstructionibus viscerum: de quibus alibi dixi, quod hæ sint imaginariæ, aut si adsunt, superveniant, & potius sint effectiva, quam Causa.

Quoad *Cachexiam secundariam*: nascitur hæc talibus occasionibus, quæ sanguinem immediatè afficere, vel, idque frequentiùs, mediante læsione digestionis primæ eundem alterare possunt. Sic ea, quæ spiritus nimis exhauriendo aut dissipando, & hinc fermentationem stomachi lædendo, ut hæmorrhagiæ nimiæ, gonorrhϾ, &c., vel fermentum digestivum alterando, ut menses suppressi, & febres chronicæ & malè curatæ, mediatè sanguinem alterant. In specie tamen post nimiam sanguinis effusionem progerminare solet cachexia, & hæc quidem frequentissima est causa, attestantibus omnibus autoribus, cachexiæ, & hydropis ascitis: vid. FORESTUS *lib. 19. Obs. 25.* Nam depauperatur massa sanguinea & spoliatur principiis salinis, unde cruda manet, ut exinde minus fermentari, aut chylus assimilari possit. Notum enim est, mulieres fieri cachecticas ex suppressione mensium. Quæritur autem: an mensium suppressio sequatur, an inducat cachexiam? Respondeo: defectum mensium utplurimum præsupponere cachexiam. Dico tamen, utplurimum; non semper; Nam & fluentes menses, ex terrore verò subitò suppressi, cachexiam inferunt, quod nempe sanguis mestruus inquinet massam sanguineam, & turbet ejus fermentationem, adeoque sanguis effœtus redditur, utut cachexiam superveniens mensium suppressio eandem exasperet: Hinc Martialia tam in cachexia, quam in mensium defectu, utramque faciunt paginam. Immediatè afficit sanguinem lues Venerea, semper cachexiam comitem adsciscens, uti hoc refert SENNERTUS *lib 3. Prax. pag. 704. cap. de Cachexia.* Urina suppressa, viscera, abdominis præsertim, affecta, sanguificationis aliàs perfectioni inservientia, fœtus mortuus diu in utero retentus, aut secundinæ retentæ, vel & mola diutiùs gestata, Cachexiam non rarò inferre solent. Sic cachexiam post fœtum mortuum observat HORSTIUS *Tom. 2. libr. 1. Observ. 20:* item ex Mola Cachexiam observat FORESTUS *lib. 19. Obs. 26.* Sanguinem enim inquinando debitam quoque ejus spirituascentiam impediunt.

DIAGNOSIS.

Signa Cachexiæ in specie sic dictæ ex suprà dictis facilè patent.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Cachexia, uti notum, ordinariò malum est admodum chronicum, & tardæ curationis: Imò, quò magis inveterata, & firmiùs radicata, eò difficiliùs curatu, & nisi ei maturè occurratur, sæpissimè in anasarcam, Leucophlegmatiam, & Hydropem ascitem degenerat.

Sin occurrat scirrhus visceris cujusdam, hepatis aut lienis confirmatus, vix cachexia curabitur; sicut & illa, quæ sequitur morbum acutum & febrem ardentem, aut intermittentem chronicam, malè à Medico, vel crebriori potu ab ægro tractatam, difficilis est admodum, imò nullius curationis: Item si cachexia superveniat mulieribus, quibus jam ordine naturæ menses deficiunt, iis difficulter, aut admodum lentè curabitur, eæque graviùs reliquis laborare solent.

CURA.

In *Cura* Cachexiæ eò attendatur:

1. Ut corrigatur stomachus, ac ejus digestio prima, & cruditas acida emendetur: quod ipsum post Vomitoria imprimis præstant Martialia.
2. Ut corrigatur cruditas, & inde certa dyscrasia massæ sanguineæ, unà cum intertia ac deficiente acrimonia bilis.

Unde in *Cachexia primaria*

1. Acidum vitiosum primarum viarum removendum per Absorbentia, in specie Martialia, partes animalium duras, Terrea, Alcalia, tum fixa tum volatilia.
2. Viscidum incidendum & attenuandum per gummata, salia tàm salsa, quàm alcalia, item per simplicia stomachica aromatica, ac salina volatilia.
3. Bilis inertia acuenda aromaticis seu resinosis volatilibus urinosis, præsertim amaris, quæ aliàs *Hepatica* dicuntur.
4. Cruditates primarum viarum & sanguinis plus minus correctæ evacuandæ vomitu & secessu ex primis viis; ex massa sanguinea verò per sudorem & urinam.

In *secundaria* verò *Cachexia* morbus primarius curandus, aut læsiones ab illo inductæ seu relictæ eliminandæ, semper digestionis primæ negotium, quantum possibile, observando. Hos scopos ut feliciùs obtineamus in cachexia curanda, rectè observandum monet LINDANUS, quod cachectici, quò leniùs tractentur, tantò citiùs curentur: hinc fortioribus Purgantibus, ab initio statim adhibitis, nos nil efficere, nisi sint Vomitoria; sed ut malum sensim crevit, ita successivè saltem digestiva, aliaque leniora remedia propinanda esse, quæ crassos & viscidos humores incidunt & attenuant, acorem vitiosum corrigunt ac temperant, atque ita successivè evacuationi aptiores reddunt. Undè imprimis in usu sunt Noduli ex aperientibus, ut vocant, i. e. Resolventibus & Incidentibus, blandis Purgantibus mistis, compositi: quibus subinde Martialia remedia sunt interponenda. Et cùm Cachexia sit initium hydropiseos, commodè methodus & medicamenta, *quæ in principio hydropis conveniunt*, etiam in Cachexia adhiberi possunt; & contrà ea, quæ in Cachexia usurpantur, validiora tamen & magis diuretica, in Leucophlegmatia & Anasarca quoque prosunt. Item illa medicamenta huc pertinent, quæ *suprà Sect. 13. in Morborum chronicorum cura* recensita sunt, *ac in sequ. de Ictero, Scorbuto, Scabie, Lue Venerea, &c.* occurrent. Illud saltem adhuc observandum: ut in Medicamentorum appropriatorum usu aliquandiu perseveremus, ubi præprimis radicatum magis malum est, i. e. tamdiu illis inhærendum, quamdiu ab ipso benè, aut ad minimum non pejus, se habeat æger, ac medicamentum absque nausea singulari hic admittat; quamprimùm verò hujus fastidium subrepat, aut prodesse desinat, gratum atq; optimum licèt medicamentum, statim de alia, aut alia certè illius formula Medico cogitandum: vid. SYLVIUS *Praxi App. Tract. 5.* In specie tamen conveniens regimen *diætæ* secundùm sex res non-naturales observandum, & præsertim motus suadendus: id quod confirmat PANAROLLUS *suprà c. l.* de muliere admodùm cachectica, exercitio plus quàm alio auxilio sanata.

Principium autem Curæ à vomitu, interdum repetendo, faciendum est, & præter Asarina propinata Conserva gratiolæ ad ℥j. vel ℥ij. egregiè vomitus movet, & specificè in Anasarca commendatur; vel si coquatur in vino ad ℥ij. Gratiola, egregium etiam & blandum est Vomitorium, si propinetur Decoctum. Ante tamen Vomitoria consultum erit, ut Digestiva salina præmittantur, *Cruditates solventia*, & ad motum disponentia; nunc cremor tartari, nunc liquor terræ foliatæ tartari: vid. ROLFINCIUS, ZWELFERUS: nunc cremor tartarisatus, & cum sale tartari fixo vel alio conjunctus, quod vocant Digestivum tartari universale, Tinctura tartari simplex, quàm etiam tinctura tartari antimoniata, arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, sal centaurii minoris, absinthii, sal ammoniacum, sal digestivum, hypochondriacum, dosi à ℈j. ad ʒß. bis in die, manè, & meridiè aliquot diebus ante usum Vomitorii assumantur: quibus pro acido absorbendo Terrea adjungi possunt, e. g. Corallia, Lapides cancrorũ, mater perlarũ, Martialia, Bezoardicum Martiale, Terra sigillata rubescens, antimonium diaphoreticum Martiale, Antihect. Poterii ex part. iv. reguli antimonii & part. v. Jovis, cum triplo nitri detonatis, Bezoardicũ Jovale, & similia fixa jovialia. Hinc

℞. *Salis digest. hypochondr.* ʒj. ad. ℈iv.
Div. in 4. part. æqu. S.
Pulvis digestivus.

Vel hujus loco:
℞. *Tartari vitriolati Tachen.* ℈ij.
Salis absinth. ℈j.
M. div. in 2. part. æqu. S.
Ut ante.
℞. *Salis ammoniaci* ℈ij.
Div. in 2. part. æqu. S.
Ut ante.
℞. *Arcan. dupl. Mynf.* gr. xv.
Salis absinth. gr. vij.
M. S.
Pulvis digestivus pro 1. dosi.
℞. *Lapill. Cancr. præp.*
Salis digest. hypoch. an. ʒß.
M. div. in 2. part. æqu. S.
Sal digestivum.
℞. *Crem. tartari* drach. j.
Lapill. cancr. præpar. drach. j.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis digestivus.
Duobus diebus manè in vehiculo calido assumendis.
℞. *Tartari vitriolat. Tachen.* ℈ij.
Salis absinth.
Lapill. cancr. præp. an. ℈j.
Olei destillat. terebinth. gtt. vj.
Misc. f. Pulvis:
Div. in 3. part. æqu. S.
ut antè.
℞. *Corall. rub. præpar.*
Lapill. cancr. præp.
Arcan. dupl. an. gr. xvj.
Misc. pro pulvere.
Div. in 2. part. æqu.
D. S. *ut suprà.*
℞. *Matr. perlar. præp.* ʒj.
Tartari vitriolat.
Salis ammoniaci depur. an. ʒß.
M. f. Pulvis.
D. S. *ut suprà.*
Dosis quantum cultelli cuspide capi potest, vesperi usurpanda:
Manè verò
℞. *Tartari compos.* unc. ß.
D. S.
Tinctura aperiens.
Dos. 40. gutt.
℞. *Tincturæ tartari acris., vel ex tartaro & nitro calcinatis, vel ex scoriis reg. antimon.* drac iij.
Spiritus salis ammoniaci drach. j. ad drach. iß.
M. S.
Aperiens Tinctura.
Dosi. 40. vel 50. gutt. bis vel ter in die in vehiculo calido:

Quibus præmissis unâ vel alterâ vice propinetur *Vomitorium*. Aut si hoc minùs conveniat, instituatur *purgatio* per alvum, inter quæ est radix esulæ legitimè præparata, vel ejus extractum, quo sæpissimè & frequentissimè usus fuit RULANDUS *in Curat.* Abstinendum tamen à fortioribus & frequentioribus, cùm magis noceant, quàm prosint; vid. HOFFMANNI M. M. *l. 1. c. 7. & l. 2. cap. 6.* Pilulæ ex Extractis panchymagogis cum Mercurio dulci sunt admodum utiles; v. g.
℞. *Extr. panchym. Croll.* gr. xij. ad xv.
Mercurii dulc. ritè par. gr. xij. vel xv. ad ℈j.
Extr. troch. alb. gr j. vel iß. ad gr. ij. & iij.
Cum *Essen. absinth* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ laxativæ pro 1. dosi.
℞. *Mass. pilular. de tribus Ruffi*, vel *de ammoniaco Querc.* gr. xv.
Mercurii dulc. ℈ß. ad gr. xv.
Extract. troch. alb. gr. iß.
F. Pilul. min.
D. S. *ut suprà.*
℞. *Extr. panch. Croll.* gr. xv. vel *Mass. Pilul. de ammoniac. Querc.* ℈j.
Martis cum succo pom. g. vj. vel vij. ad ℈ß.
Troch. Alhand.
Scamm. sulphurat. an. gr. j. ad gr. iß.
Cum *ess. Martis* f. *pilulæ*,
D. S. *Pilulæ laxativæ.*

℞. *Mercurii dulc.* gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. iv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis laxativus pro 1. dosi.
Detur in vehiculo calido:
Vel cum *extract. Martis*, ut pote quod in Cachexia est egregium, f. Pilulæ: S.
Pilulæ laxativæ pro 1. dosi.
℞. *Pulv. jalapp.* gr. xv.
Croci Martis aperit. gr. viij.
Extr. troch. alb. gr. j.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis laxativus pro 1. dosi.

Aut etiam Potio *Laxativa* cum gummi ammon. usurpetur, aut Infusum rhabarbari, quod *in sequ. de Ictero* occurret. RIVERIUS in purganda Anasarca utitur succo Ireos recenti per residentiam depurato ad ℥iij. cum ℥iß. mannæ invicem permistis, ad serositates abundantes evacuandas.

His præmissis fit accessus ad Martialia: Hinc tot pulveres & Medicamenta anticachectica, ut vocant, prostrant, qui basin Martem agnoscunt. Martialia hæc diversimodè præparantur: Interim, quò simplicior præparatio, eò melior, & quò minus ab acidis saturatur Mars, eò efficacior erit: unde *pulvis cachecticus Quercetani* nullius est pretii, quoniam illius primarium Ingrediens est Crocus Martis saccharinus; cujus tamen nullus est usus: Ratio, quia saturatus Mars acido sulphuris, instar scoriarum tantùm in corpore jacet sine effectu. In specie tamen Martialia, prout nunc acida magis nunc acria peccant, disponuntur: In subjectis enim non delicatis, locum invenit sufficientem limatura Martis, minutissimè trita & pulverisata, præprimis ubi acidum fortius peccat. Parili ratione pulvis cachecticus *Hartmanni* usurpari potest, & in specie de pulveribus anticachecticis vid. HARTMANNUS *in Praxi Chym. p. 204. & 206.* E. g.
℞. *Limat. Martis part.* j.
Cinnam. pulverif. part. ij.
Sacch. ad pondus omnium.
f. Pulvis.
Qui dosi ʒj. frequenter usurpetur.
Vel
℞. *Antimon. diaph. Martial.*
Salis absinth. an. ℈ß.
Olei destillat. Ligni sassafr. gtt. j.
M. pro dosi S.
Pulvis aperiens.

Ubi verò acidum non adeò excessivum, ac stomachus sensibilis, in his casibus Martialia præparanda sunt, aut imprimis vina Martialia conveniunt, observando conditionem ventriculi plus minus robusti, & qui faciliùs aut difficiliùs talia ferre possit: v. g.
℞. *Limatur. Martis* ℥iiiß.
Affundantur *vini* mensuræ tot, quot illius unciæ sunt, stent invicem per 40. dies noctesque, postmodum de hoc uncias aliquot hauriat æger, cui si addantur aromata, majorem efficaciam acquiret.

Quò facit Claretum Martiale *Mynsichtii*, item Vinum Malvaticum Martiale HARTMANNI, quod habet in *Praxi Chymiatr. p. 204.* Loco vini Malvatici commodiùs assumitur Rhenanum, quod est acrius, & potentiùs rodit Martem; nec non Extractum Martis cum succo pomorum Borsdorffianorum, vel musto vel Decocto Tamarindorum paratum; uti etiam Extractum Martis Mynsichtii (Tincturæ enim Martiales sunt languidæ) déque tali Extracto, quantum cuspis cultri capit, vel ad quantitatem castaneæ, in vino Martiali propinatur. Huc spectat Tinctura vitrioli Martis *Zwelferi & Ludovici*, antimonium diaphoreticum Martiale: loco spiritus vini communis sumitur spiritus baccarum juniperi, vel menthæ, cochleariæ, &c. Bezoardicum Martiale, quod etiam in Anasarca, & incipiente hydrope est egregium. Pertinet huc etiam tartarus Martialis ex affusione solutionis tartari super limaturam Martis; sic enim fiunt crystalli tartari Martiales.
℞. *Solut. Mart. cum succo pom.* ℥ß.
(*vel in scorbuto part. iij. cum p. j. spirit. Cochl.*)
D. S. *Essentia aperiens.*
Dosis 40. ad 50 gutt. cum leni motu.

Vel in subjecto paulo robustioris stomachi usurpentur acidulæ naturales & artificiales: vid. PLA-

TE-

TERUS *Observ. l. 3. pag. 608. Prax. T. 3. pag. 114.*

Vel

℞. *Liqu. Martis solar.* ℥ij. vel iij.

D. S.

Essentia acidularum.

De quo primo die gutt. vj. capiantur, secundo viij. tertiò xij, ascendendo ad 15. 20. vel 30. guttulas, ad modum Acidularum in morbis Chronicis:

℞. *Salis Martis compos.* ℥iij.

D. S.

Sal aperiens.

Dosis omni mane, quantum cuspis cultelli capit.

℞. *Aquæ fumar.*
Genist. an. ℥iß.
Mag. seu Extr. Martis Mynſ. vel cum ſucc. pom. ℥iß. ad ℥ij.

M. D. S.

Potio aperiens cochleatim capienda.

Capiat quotidiè bis cochl. j. vel ij.

℞. *Pulp. passul. per setac. traj.* ℥vj.
Extract. Mart. cum ſucco pom. ℥iij.
Rhab. elect. ℥iij. ad ℥ß.

Cum s. q. *ſyr. roſat. ſol.* vel *pomor.* f. Electuarium.

D. S.

Electuarium aperiens.

Capiatur quotidiè manè dosis magnitudine castaneæ.

Martialia hæc aliquandiu continuentur, observando tamen interim:

1. Quod post usum horum instituendus sit aliquis motus.
2. Quod sub usu horum alvus semper aperta servanda sit.

Quare consultum est omni septimanâ, ad minimum semel, blanda Laxativa interponere, ut ita, quod circuratum est, ab illis evacuetur: e. g. vespertino tempore usurpentur pilulæ *suprà de Chylificatione læsa* allegatæ, vel dosis *pilularum usualium*, *v. g. Glaſſianarum*, *aut P. F.* de ammoniaco & tartareæ Quercetani, aut quales describit SYLVIUS *in Prax. cap. 7. §. 52. pag. 69.* &c. & ita interpolatis vicibus cum istis *Martialibus* adhibeantur, vel pilulæ *in Differt. de uſu & abuſu Præcipitant. cap. 3. §. 30.*

Item

℞. *Galban. cum aceto sol.* ℥ß.
Extract. troch. alband. gr. jx.
Diagryd. gr. iij.

F. Pilulæ pro 3. dosibus. D. S.

Martialibus his ad aliquot septimanas continuatis, fiat progressus ad *alterantia volatilia*, plus minus *aromatica*, quæ vulgò vocantur *Hepatica*, i. e. quæ sunt saporis amaricantis & acris plus minus, & omnia impraegnata sunt sale volatili urinoso, nunc m[illegible]agis nunc minus temperato, lanè Laxantibus mista, ut [illegible]ta acuetur bilis, alteretur sanguinis dyscrasia, resolvantur cr[illegible]ditates acidæ, & succi vitiosi sensim & per epicrasin simul eva[illegible]uentur. Aromatica illa in genere sunt omnia simplicia ama[illegible] & acria, Hepatica aliàs à Veteribus dicta. Ut enim a[illegible] stomacho sunt amica; ita Amara hepati grata, quatenus incidunt, & bilem corrigunt. Inter acria illa, Sale volatili plus turgida, eminent cichorium, radix nempe ejus, radix ari, helenij, centaurium minus, carduus benedictus, & maximè Absinthium & agrimonia, cujus Decoctum insigniter laudat POTERIUS; rosmarinus, hyssopus, salvia, mentha, & similia; item omnia antiscorbutica, ut radix armoraciæ, nasturtium, cochlearia, &c. locum inveniunt in curanda cachexia & Anasarca, quæ laudantur à BACONE *de* VERULAMIO *in Hist. Vitæ & Mortis*; flores genistæ, bellidis, centaurij minoris, hepaticæ nobilis: quibus porrò aromata omnia, quatenus sunt stomachica, & impraegnata sale volatili oleoso, præ cæteris tamen cinnamomum, galanga, Zedoaria, caryophylli, Zingiber, &c. adduntur. Ex his conſici possunt Noduli vino infundendi, nunc solis, nunc Laxantibus iunctis, nunc ante, nunc post Martialia: v. g.

℞. *Herb. absinth.*
Menth. an. Mj.
Rad. enul. ℥j.
Gentian. ℥ß.
Rhab. el. ℥vj.
Fol. senn. sine stip. ℥j.
Rad. helleb. nigr. non præp. ℥vj.
Cort. esul. præp. (sic enim præscribuntur) ℥iij.
Sal. tartari unc. ß.

Includantur Nodulo, qui indatur vini Mensuris aliquot.

De Infuso bibat æger omni mane haustum, &, si placuerit, à meridie.

Vel

℞. *Herb. fumar.*
Absinth.
Rorismar. an. M. j.
Rad. enul.
Fœnicul. an. ℥vj.
Fol. senn. sine stip. unc. j.
Rad. helleb. nigr. crud. ℥vj.
Rhab. el. ℥iij.
Sem. 4. calid. maj. an. ℥iß.
Bacc. junip. unc. ß.
Cort. aurant.
Citri an. ℥iij.
Galang.
Zingib. an. ℥j.
Sal. tartari (quod acuit menstrua pro extrahendis Purgantibus) ℥ij.

Incis. & contus.

D. S.

Nodulus laxativus in vinum.

℞. *Herb. absint. rec.* M. ij.
Menth. rec. M. ij.
Roris mar.
Salviæ an. Mß.
Rad. armorac. rec. unc. iß.
Ireos nostrat. rec. unc. ij.
Cort. esulæ præp. ℥vj.
Cinnam.
Galang.
Zedoar. an. ℥iij.
Sal. Tartari ℥ij.

Incis. & contus. includantur Nodulo pro Vini Mensuris aliquot.

D. S. *ut suprà.*

℞. *Herb. nasturt. rec.*
Cochl. rec.
Card. bened.
Absinth. an. M. j.
Fol. senn. sine stip.
Rad. enul.
Armor. rec. an. unc. j.
Helleb. nigr. non præp. ℥vj.
Cort. esul. præp. drach. iij.
Bacc. junip. contus. unc. j.
Passul. min. drach. vj.
Sal. tartari drach. ij. vel drach. iß.

Incis. & inclus. Nodulo:

D. S.

Nodulus in vinum.

℞. *Herb. menth.*
Absinth.
Com. centaur. min. an. M. j.
Rad. enul. unc. iß.
[illegible] *senn. sine stip.* drach. x
Ra[illegible] *nigr. crudi* unc. j.
Helleb. [illegible] *nth.* drach. j.
Pulp. coloc. [illegible] ij.
Zedoar. drach.
Sem. anis unc. ß.
Sal. tartari drach. vj.

Incis. & contusa inclu[illegible] Nodulo,

D. S.

Nodulus in vinum, quo exhausto al[illegible] *mensura vini denuò superinfundatur.*

Convenit in Cachexia scorbutica jam ad hyd[illegible]ropem inclinante.

Vel

℞. *Herb. a*[illegible]*bsinth.* M. ij.
Coc[illegible]*hlear. rec.*
Nastur[illegible]*t. rec.* an. Mj.
Rad. armorac. [illegible]*rec.* unc. iß.
Enul. drach. vj.
Cort. esul. præp. drach. iij.

Passul. min. ℥ ij.
Bacc. juniper. rec. ℥ j.
Sal. tartari ʒ ij.
Incis. & contusa includ. Nodulo.
D. S. ut *suprà.*
Vel
℞. *Herb. rorismar.*
Salviæ ana M ß.
Absinth.
Flor. centaur. min. ana M. j.
Genistæ vel *lupul.* p. iij.
Rhabarb. el. ℥ iß.
Cinnam.
Galang.
Zingib. ana ʒ ij.
Limat. Martis rec. ℥ iß.
Includantur Nodulo, vino infundendo, pro scopo alterativo.
D. S. ut *suprà.*

Nam *Rhabarbarum* non tam propter usum laxandi, quàm alterandi, acidum corrigendi, bilem in naturali statu conservandi, vrinam movendi, & atoniam hepatis corrigendi, adhibetur; unde etiamnum anima hepatis quibusdam dicitur. Sanè præmissis præmittendis in virginibus, in specie cachecticis, egregium usum observavi tàm Rob juniperi solius, quod Theriaca Germanorum dicitur, subinde usurpati, quàm ex rob juniperi cum Rhabarb. pulverisato facti Electuarii.

℞. *Rob. juniper.* ℥ iij.
Pulv. rha-Barb. el. ʒ iij.
Cinnam. el. ʒ j.
M. f. Electuarium: S.
Electuarium aperiens.

De quo omni manè capiat bonum haustum.

Huc etiam pertinent Cerevisiæ & Vina anticachectica, quorum formulas videb. *in Colleg. Pharmac. Schrœderiano P.* 2, *Ludoviciano*, & *Idea Formular.*, it. TIMÆO *von Guldenklez. in Epist. pag.* 428.

Pertinet huc *Elixir anticachecticum D. Reinesii.* Compositio est Magistralis, quam nemo facilè imitabitur; nam 3. ingredientia interdum plus præstant: propter materiam tamen Medicam hic apponere lubet:

℞. *Rad. armorac.* ℥ iv.
Helleb. nig. ℥ ij.
Gentianæ
Ari ana ℥ iß.
Quinque Aperient. ana ℥ vj.
Ircos Flor.
Asari,
Epithymi,
Enulæ,
Cort. rad. cappar.
Sem. cartham. ana ℥ j.
Ammeos,
Ebuli ana ℥ ß.
Herb. card. bened. M iij.
Cochlear.
Nasturt. aquat.
Flor. sambuci,
Fol. asari ana M. ij.
Salv.
Beton.
Hyssop.
Rorismar.
Chamædr.
Chamæp.
Absinth.
Menth.
Cent. min. ana M j.
Galang.
Cinnam.
Macis,
Caryoph. ana ℥ ß.
Santal. alb.
Gran. paradis. ana ℥ iß.
Piperis albi,
Croci ana ʒ ij.
Rob juniperi ℔ j.
Vini Rhenan. ℔. xij.

Macerentur in Balneo Mariæ per octiduum, tum exprime & destilla ad siccitatem, cavendo Empyreuma. Aqua destillata reaffundatur fecibus, & tinctura eliciatur: post calcinentur fæces, & cum aqua pluviali destillata extrahatur sal, quod purificatum tincturæ admiscendum.

In officinis prostant species dia-curcumæ, & dia-galangæ: Hinc RONDELETIUS ceu expertissimum remedium in omni Cachexia habet has Pilulas:

℞. *Spec. dia-curc.* (est egregium in his affectibus cucurc.) ℈ iv.
Rhab. el. ʒ ij.
Spec. diarrhod. Abbat.
Dia-galang. ana ℈ j.
Cum s. q. *syr. de absinth.* f. l. a. Pilulæ, ex ʒ j. No. 30.
Dos. 20. vel 44.

Tandem *passulæ* mirè conveniunt in Cachexiis quibusvis, & loco Rob juniperi usurpari possunt, quæ vocantur optimum Hepaticum, id est, quæ egregiè conveniunt in temperanda sanguinis dyscrasia, quia sanguinem laudabilem ac temperatum reddunt, bilem optimè in statu naturali conservant, & sanguinis motum fermentativum nonnihil restituunt. Sunt enim quasi mustum concentratum. JOEL & RIVERIUS pinguefaciendi vim eis adscribunt. SOLENANDER *Cons.* 21. *Sect.* 3. sequens Electuarium parat:

℞. *Passul. Corinth.* ℔ j.
Rhabarb. el. (hoc enim solum est insons inter Purgantia) ℥ iß.
Sacch. ℥ iv.

Quæ miscet invicem & servat. Usurpatur interdum ante pastum dosi cochl. j.

„ *Incredibile est*, inquit SOLENANDER, *quantum emolumenti afferant ad sanitatem conservandam, cum alvum laxant, ventriculum & primas vias evacuant, & jecori conveniunt*, i. e. sanguinis crasin emendant. Loco hujus potest præscribi *Electuarium A genu*, aut etiam *Electuarium ex passulis* HORSTII *in Obs. pag.* 101., aut quod in *Colleg. Pharmaceut. P.* 2. Aut præscribi potest Electuarium molle sequens:

℞. *Pulp. passul. Corinth.* ℥ vj.
Rha-Barb. el.
Crem. tartari ana ʒ iij.
Sal. tartari ʒ iß.
Cinnam. acerr. ʒ j.
Cum l. q. *syr. de pomis* f. Electuarium molle:
D. S.
Electuarium aperiens.

De quo alternatim usurpari potest.

Siquis velit addere Extractum Martis, remedium faciet eò magis conveniens, variando subinde dosin pro circumstantiarum ratione. FINCKIUS *in Tract. Chymico* Decoctum parat cum tartaro vitriolato.

Sanè, quando in Chachexia bilis acuenda, & sanguinis motus fermentativus nonnihil restaurandus est, Aromatica talia amara resinosa, & Rob hi aromatici, optimè conveniunt: Nempe hæc omnia effectum calefactionis post se relinquunt. Jam verò intemperies frigida in Cachecticis solet adesse. Decocta Lignorum alibi commendantur.

In fine adibentur omnia salia volatilia, plus minus oleosa, spiritus urinosi volatiles, tàm simplices quàm compositi, spiritus tartari volatilis, spiritus carminativus, liquor Cornu Cervi succinatus, lumbricorum urinosus, urinæ, salis armoniaci simplex & oleosus, tinctura nephritica Ammelungii, &c. Quibus pro circumstantiarum ratione nunc Febrifuga, nunc antiscorbutica, nunc Emmenagoga, permiscenda, Elixyr proprietatis sine acido, imprimis illud rubineum, quod paratur cum spiritu urinæ, vel salis armoniaci, hic enim insigniter convenit; Elixyr Præcipitans, Cachecticum polychrestum, vel solitarium, vel cum essentia absinthii, agrimoniæ, rorismarini, juniperi, tinctura tartari composita, &c. Donec ex asse reconvalescat æger: Hinc

℞. *Tincturæ tartari compos.* aut *Elyxir anticachect.* aut *Elix. propr. sine acido* ℥ j.
Essent. absinth.
Cent. min. ana ʒ ij.
M. D. S.
Essentia aperiens.

Dosis 40. vel 50. gutt. bis vel ter in die, manè in vehiculo calido, horâ quintâ promeridianâ, in cerevisia, & sub introitu lecti.

Vel

Vel ℞. talia matutino tempore, à meridie verò recipiatur *spiritus salis ammoniaci*, vel hujus loco *spiritus carminativus de tribus*, vel *tinctura nephritica*, vel *liquor corn. cervi succinatus*: de quibus à meridie & sub introitu lecti capiantur gutt. 40.

℞. *Spiritus carminat. de tribus* ℥iij.
Salis ammoniaci ℥jß.
M. D. S.
Spiritus resolvens.
Dosis 50. gutt.

Vel horum Loco:

℞. *Tincturæ nephrit.* ℥ß.
Liqu. corn. cerv. succin. ℥ij.
M. D. S.
Tinctura resolvens & aperiens:
pro dosi sint 50. gutt.

℞. *Tincturæ nephrit. Ammel.* ℥ß.
Spirit. lumbr. per putr. vel *urinæ per putr.* ℥ij.
M. S.
Tinctura urinam pellens.

℞. *Tincturæ nephrit.* ℥iij.
Tartari ℥j.
M. D. S. *ut ante.*
Dosis 40. vel 50. gutt.

℞. *Aquæ alKeKeng.*
Petrosel. an. ℥jß.
Malv. juniper. ℥vj.
Tincturæ nephrit. ℥ß.
Spirit. lumbr. terrestr. ℥ij.
Syr. cinnam. ℥vj.
M. D. S.
Potio nephritica, cochleatim capienda.

℞. *Arcan. dupl. Myns.* ℥j.
Salis genist. ℥ß.
M. D. S.
Sal singulare pro 2. vel 3. dosibus.

Tandem Balsamum sulphuris terebinthinatum vel juniperinum commodè aliquandiu continuandum venit. Item cum Aromaticis istis interdiu usurpatis capiatur sub introitu lecti *Elixyr menthæ, cochleariæ, &c.* parva dosis, aut hujus loco *spiritus baccarum juniperi, menthæ, salviæ, &c.*, & horum medio promoveatur digestio primarum, acuatur bilis, & restauretur denuò sanguis.

Pro meliore illustratione dictorum, observanda venit Ancilla cachectica, aliàs succi plena & formosa, quæ jam ab aliquot mensibus scabie laborans deformis reddebatur, ab alia ancilla per contagium contracta. Scabies erat humida, pustulælatæ, ingentes, copiosum serum, præsertim in cruribus, fundentes, crura simul insigni tumore œdematoso ad genua usque turgebant, manibus etiam tumidioribus existentibus. Conquerebatur simul de sapore dulci nauseoso, insigni siti continua, cerevisiam secundariam bibebat, quia primaria non sapiebat, benè appetebat, probeque comedebat, interdum dulcis & calidus halitus ex abdomine ascendere videbatur, dicebat: *ascendere ipsi instar fontis calidi*: in abdomine subindè varias agitationes percipiebat, quod exinde nunc parùm tumebat, nunc denuò subsidebat, facies erat pallida & tumida, urina parcior mittebatur, quolibet manè vomitum jejuno stomacho patiebatur, menses inordinatè fluebant, nunc intra 14. dies redibant, nunc ultra mensium tempus deficiebant, & benè dormiebat. In hac Cura ad vitium bilis respiciendum erat; & cùm ante accessum meum jam purgata esset, ante omnia operam dedi acidum corrigere, viscidum resolvere, & bilem acuere: huic Amaricantia tribus his scopis satisfacientia credidi, unde beneficio absinthii maximam partem eam restitui: Primò dedi Liquorem Martis solaris ad gutt. 20. quotidiè, donec ℥j. absumpta fuisset; omni manè dosin usurpando, quo ægra meliùs habuit, urina copiosiùs fluebat, & sapor dulcis evanescebat. Externè ulcusculis scabiosis imponere jussi folia Lapathi acuti recentia contusa, ita illa minus plorabant serum, nec tumores increscebant, sed pustulæ ad sanitatem properabant. Dein suasi parandum Decoctum ex radice Lapathi, frondibus cynosbati, & herba absinthii, ana cum aqua simpl., quod omni manè calidè bibit, & expectavit sudorem, ubi etiam urina fluxit: imò, ut penetrantius esset, quotidiè spiritum absinthii urinosum per putrefactionem paratum ad gutt. XXX. in dicto Decocto dedi.

His aliquot septimanis continuatis meliùs habuit, sed nondum rectè: unde dedi Vomitorium, ex quo miram saburram cum euphoria rejecit, posteà dictum Decoctum continuavit. Cum verò istud nausearet, jussi ex Absinthio cum spiritu vini parare essentiam, de qua manè & vesperi cochl. j assumpsit, simulque instillavit spiritus salis ammoniaci gutt. XXX., & ad aliquot septimanas continuavit; absinthium etiam cum pane butyrato assumpsit, & sic convaluit.

Si ex officina curari debuisset, digestiva præmisissem Martialia, v. g. Solutionem Martis cum succo pom vel Tincturam vitrioli Martis Zwelferi, vel pulverē cachecticum Hartmanni; Post Vomitorium dedissem vel Purgans Mercuriale; tertiò volatilia aromatica amara propter inertiam bilis, ut vinum absinthites, Vinum infusum herbarum amaricantium, vel hepaticarum, item essentiam myrrhæ, lignorum, spiritum carminativum, quotidiè à ℥ß. ad ℥j., aliquandiu continuando. Cum his propter scabiem procurassem sudorem.

ARTICULUS II.
DE
LEUCOPHLEGMATIA
ET
ANASARCA.

HÆc ipsa similiter conveniunt in Cura Leucophlegmatiæ & Anasarcæ, in quibus tamen subinde ad validiora, & in specie in purganda Anasarca ad succum iridis nostratis accedendum est, itemque ad Mercurium dulcem, qui in his expurgandis est optimus, si scilicet pilulæ de ammoniaco Quercetani, aut Extracto catholico immiscentur.

Notatu digna est observatio RHODII *Cent.* 3 *Obs.* 9. de Femina leucophlegmatica ab junctione mercurii vivi reconvalente.

DIAGNOSIS.

Anasarcæ signa specialiora quod concernit: In hoc totum corpus molem præternaturalem acquirit, maximè pedes, qui primò intumescere incipiunt; simul totius habitus color pallidus, carnes molles ac flaccidæ existunt, laborem minimum magna excipit lassitudo, pulsus est parvus, urinæ tenues & aquosæ ut plurimùm, secus ac in reliquis speciebus hydropis, quatenus in hoc non tanta seri quantitas extravasatur, imò ad poros partium hoc depositum, aliquantum adhuc, ut ut tardiùs, circulatur.

PROGNOSIS.

Anasarca autem, si pectoris atque abdominis hydropi comparetur, minus periculosa est; quia causa hujus continens à vasis sanguineis & lymphaticis, commodiùs absorberi, ac à sanguine affluente faciliùs digeri ac dissolvi, vel etiam per excretoria eliminari potest, nisi phthisis aut tympanites superveniat. Imò multò tutior est particularis, & quæ crura tantùm occupat, modò ascites ipsi non combinetur, quàm universalis.

Aliàs verò plus spei est, si Anasarca ascitem, quàm si ascites Anasarcam, superinducat.

CURA.

Præter Purgantia superiùs allegata, *Sudorifera & Diuretica* specialiter laudantur pro habitu totius corporis promptè evacuando, & simul emendando. *Sudorifera* inter vulgaria eminet Decoctum Lignorum Sudoriferum, radicis Chinæ, Ligni sassafras & guajaci: de quo conf. WILLISIUS *Pharm. Rat. Part.* 1. *pag.* 366. & 375. Sic LINDANUS refert, se curasse anasarcam in muliere Decocto Ligni Guajaci, unà cum interposito condito seu Electuario stomachico, & fœcundam factam fuisse. Decoctum granorum juniperi vi diuretica est egregium. Decoctum radicis vincetoxici in vino paratum singulare remedium diureticum simul

simul & diaphoreticum in anasarca esse, & mira præstare asserunt; non secus ac Decoctum Helenii. Novi exemplum insignis anasarcæ mediante *Decocto fructuum cynosbati cum arillis* curatæ. Aliis in usu est, ut accipiant Lignum sassafras, cui addunt lignum juniperi, vel baccas ejus, ut ita fiat remedium & diureticum & sudoriferum: de quo vid. RIVERIUS *Cent.4. Observ.82. pag.49.*, qui rusticum post febrem quartanam confirmatâ anasarcâ laborantem, beneficio vini juniperi per diuresin curavit: Sicut etiam spiritum baccarum juniperi admodum commendat IOEL *in sua Praxi*.

Pro *scopo diuretico lixivium ex cineribus absinthii & genistæ* cum vino albo vel aqua appropriata, paratum, est egregium: Nam certè *vinum absinthites*, aut vinum *enulatum*, seu Infusiones radicis Helenii, optimè conveniunt pro potu in Cachexiis & anasarca. Adeò, nempe *Amara* post *Martialia* utramque in his affectibus faciunt paginam. Alia, ut essentia lignorum, ligni sassafras, sambuci, vel Essentia rob sambuci, Tinctura coralliorum sassafrata, Malvaticum juniperinum, Elixyr febrile Mynsichtii, spiritus theriacalis camphoratus, spiritus tartari volatilis, nota sunt. Semen hyperici ad drachm. j. in vino haustum potens est diureticum. Species dia-curcumæ cum Decocto cicerum rubrorum laudantur imprimis, ubi adsit simul vitium mensium suppressorum. Cæterùm hæc ipsa quoque conveniunt in cachexia virginum curanda, & in specie Martialia. Si verò *cachexia sit ex defectu mensium*, imitemur FORESTUM *lib.19. Observ.34.*, qui *Anasarcam ab obstructione mensium* præmissis universalibus per ea, quæ urinas ducunt, & simul menses cient, curavit, ut est asarum ejusque Decoctum, quod mirè prodest, præsertim si *cinnamomi* aliquid adjungamus, fortiter coquamus, & unà *herbam Sabinæ*, *baccas juniperi*, & *radicem rubiæ* tinctorum addamus. Præscriptio e.g. potest esse talis:

℞. *Rad. asari* ℥j ß.
Rub. tinctor. ℥ß ad ℥j.
Herb. sabin. M. j.
Bacc. junip. rec. ʒ vj. ad ℥j.
Coqu. in s. *Aquæ simpl.* sub finem addendo
Cinnam. acut. ʒ ij.
Cardam. ʒ j.
Colatura edulcoretur pro lubitu.
D. S.
Potio aperiens pro aliquot vicibus.

Insuper ipse virum potatorem Leucophlegmatiâ & anasarcâ laborantem, cum ipse medicamenta in parva dosi respueret, præscribendo sequens Decoctum per urinam operans, unà cum aliis proficuum observavi, restitui:

℞. *Rad. rec. bryon.* ℥j.
Asari ℥ß.
Sal. Tart. ʒ iij.
Infund. in s. q. *Aquæ simpl.*
Stent in loco tepido per noctem: mane adde
Rad. vincetox. ʒ vj. ad ℥j.
Comar. absinth. M. j.
Flor. Bellid. M. ß.
Bacc. junip. ʒ iij. ad ʒ vj.
Sem. fœnic.
Anis. an. ʒ ij.
Incis. & contus. infund. & coquantur simul: Colaturæ ℥xv. ad ℔j ß. vel ℔ ij. adde
Spir. Sal. ammoniaci,
Tincturæ nephrit. an. ʒ ij. ad ʒ iij.
Syr. de hyssop. ℥ ij. vel ℥ iij.
M. S. *ut anteà*.

De hoc assumpsit æger quotidiè ter, mane, meridie, & sub introitu lecti, bonum haustum, ita uberiori urinæ profluvio factus est sanus.

D. S.
Potio contra tumorem.

Pertinet huc *Pulvis Henrici ab Heer* expertus ad Virginum pallidos colores, seu ad Cachexiam virginum cum mensibus suppressis, quem ceu millies expertum commendat in *Observ. oppidò rar. Observ.6.*

℞. *Rubiæ* ʒ j ß.
Sabinæ,
Muscerd. an. ℈ j.
Croci ℈ ß.
Lumb. terr. prap. vel loco hujus *borracis Venet.* ʒ j.
Macis,
Fol. lauri an. drachm. ß.
Spec. arom. rosat. ℈ j.
Limat. chalyb. drachm. iij.
Rad. enulæ drachm. j.
Sacch. duplum omnium.
M. f. Pulvis.
Dosis ʒ j. in vino albo.

Lumbricorum Decoctum vel spiritus eorundem per fermentationem seu putrefactionem paratus est expertum Diureticum in Anasarca, imprimis si sit complicata cum Scorbuto, in quo Scorbuto Lumbrici sunt admodum egregii.

Externa, ut *Vesicatoria*, *Escharotica*, acuum puncturas, &c. pro anasarcæ cura videb. *in* WILLISII *Pharm. Ration. Part.2. pag.269. seq.* Præterea in Anasarca conveniunt folia bardanæ viridia, si leviter contusa applicentur plantis pedum & juncturis: Nam mirum est, quantam fuliginem extrahant ex toto corpore, cum sensibili ægrorum levamine, eamque admodum copiosè per poros pedum & suratum eliciunt. Oleum scorpionum inunctum per diuresin anasarcâ laborantem sanasse, vid. WILLISIUS *l. a. cap.5.*

In principio ac declinatione *Balnea*, tàm humida quàm vaporosa, conveniunt: Illius generis efficaciora sunt Thermæ naturales ac artificiales, sulphure ac sale imprægnatæ: Hujus verò vapor aquæ mineralis, in salem decoquendæ, prope furnos salariorum excipiendus. Spectant huc Laconica, vel sicca cum spiritu Vini accenso instituta, quæ non tantùm poros reserant, sed elasticitatem quoque humorum excitando viscíditatem horum corrigunt, hinc duplici modo ad sudorem disponunt. Sed Balnea hæc vix, nisi in principio ac declinatione locum habent, cùm in statu adhibita asthma, apoplexiam, &c. inducere possunt, quatenus corpore nimis calefacto serum ex habitu ad vasa, hincque ad præcordia & cerebrum, cogunt. Quidam corpus Anasarcâ laborans immergendum suadent in arenam calidam, ut eò promptiùs absumantur humiditates, quod etiam FERDINANDUS *Hist.30. pag.94.* tanquam suum experimentum refert.

ARTICULUS III.

DE

HYDROPE UNIVERSALI.

Cachexiam modò explicatam frequenter sequitur *Hydrops*, non secus ac reliquas ejus species, ut *Cachexiam Ictericam*, *hypochondriacam*, *scorbuticam*, & *febrilem*, tandem insequi solet. *Hydropis* nomine intelligitur aquarum seu humorum serosorum extravasatio atque præternaturalis collectio, quam necessariò tumor & distensio partis, cum ejus tamen mollitie, & non rarò fluctuatione, comitantur. A partibus, quas immediatè magis occupat, varias appellationes, i. e. Hydrocephalus, ascites, &c. sortitur; Hydropis enim vox convenienter Latinis *aqua intercus* redditur. Jam verò hydrops vel totum corpus tumefacit, & dat Hydropem *universalem*; vel determinatam corporis partem, unde Hydrops *Particularis*. Ille est vel simpliciter talis, & dicitur *Anasarca*, & Leucophlegmatia, vel secundùm quid talis, & est illa ascitis species, quæ successivè post crura tumefacta totum abdomen & thoracem occupat. Hic pro partium varietate, quas affligit, varius est, unde specialia sortitur nomina: sic quando aqua colligitur in capite, dicitur *Hydrocephalus*: quando in pectore, *Hydrops pectoralis*: si in pericardio præternaturaliter abundet lympha, est *Hydrops pericardii*: si in solo abdomine, dicitur *Hydrops ascites*, ab utre, quia instar utris abdomen repletum & tumefactum est: in utero est *Hydrops uteri*: in *testibus est Hydrocele*: In partibus externis, uno alterove membro, *Tumores serosi aut aquosi* generali nomine appellantur: Imò in omenti bursa copiosæ aquæ inclusæ in insignem tumorem abdomen attollunt, quale exemplum videb. *in* HORSTII *Observ.*: Item in peritonæi duplicatura conclusæ aquæ hydropis abdominalis speciem præbent; vid. MEEKREUS *Observ. Chirurgic.*

Ex his patet: Hydropem non esse propriè alium morbum, quàm ubi est aqua. Hinc *Tympanites* impropriè est hydrops, cùm flatuum tantummodò, non verò aquarum, in abdomine collectio fit: Unde saltem propter similitudinem tumoris cum ascite ad hydropes refertur: Eodem modo curatur, ac *de Inflatione stomachi suprà dictum*, in specie spiritu

nitri dulci, & spiritu carminativo de tribus, qui insigniter convenire solent.

Saltem *divisio hydropis in universalem & particularem* notanda venit. *Universalis* est, qui vitio totius corporis oritur, & à pedibus incipiendo tandem abdomen successivè occupat. Frequentissima hydropis species est ista, quando pedes, scrotum & abdomen insigniter intumescunt & turgescunt: quæ nec propriè *Anasarca* est, cùm saltem partes inferiores occupet, utut WILLISIO *Anasarca particularis*, minùs tamen appositè, dicatur; Neque tamen est *Ascites* propriè dictus, quia præter particularem abdominis tumorem & universa crura subindè immensum tument. Reverà igitur frequentissimus hic Hydrops est quasi Anasarca partium inferiorum, cùm origine, fiendi modo, ac medicationis ratione inter se conveniant; accidentaliter verò differant: de quo *infrà*. *Particularis* est, qui vitio determinatæ partis fit, & primò abdomen, dehinc scrotum, tandem pedes occupat, de quo particulari infrà pluribus.

Hydrops universalis utplurimum Cachexiam confirmatam insequitur, ita tamen, ut nunc sit *genuinus*, ubi simpliciter serum peccat; nunc *nothus*, ubi simul cum sero materia plus minus viscida est, adeoque asciten cum Anasarca constituit.

CAUSÆ.

Causa hydrops non est hepar frigidum ob hæmatoseos defectum; quæ Veterum fuit sententia, cùm à Modernis hepar dejectum sit ab imperio sanguificationis, ipsique publicæ ductæ exequiæ. Deindè adversantur huic sententiæ omnes, qui per experientiam Anatomicam observarunt, sæpissimè hepar insons in Hydropicis, in specie asciticis, fuisse repertum; de quo vid. præter HELMONTIUM *Tract. Ignotus Hydrops* §.10. SENNERTUS *lib.3. Praxeos*, ubi *de ascite*, qui jam suo tempore assertum hoc rejecit. Unde in principio hujus seculi SYLVIUS LANCEANUS, *Medicus Romanus*, peculiarem edit libellum, cujus Titulus: *Hydropem non semper à Iecore fieri*; *excusum Romæ Ann.*1603. Licet negari nequeat, bilis defectum simul concurrere. Non nego equidem, hepatis & lienis scirrhos fuisse subindè inventos in Hydrope demortuis, sed hoc habent commune cum aliis visceribus. Viscerum enim quorumvis varia & multiplex observata in Hydropicis constitutio præternaturalis, ita ut hactenus nil certi de parte solida, primariò in Hydrope affecta, colligi queat. Imò fieri potest, ut sine vitio alicujus visceris Hydrops nascatur, quando ab errore externo, aut potu frigido confertim ingesto, aqua in abdomine colligitur: Atque adeò non solius hepatis, sed & aliorum viscerum culpâ, imò interdùm visceribus penitus illæsis, Hydropem generari constat. Ut taceam obscuram esse generationem & fiendi rationem Hydropis, si ex hepate oriri supponatur.

Propiùs ergò ad *Causas remotas universales* accedamus. Est ergò Hydrops non secùs ac supra memorata Cachexia, nunc *Morbus primarius*, qui per se ex vitio rerum naturalium aut non-naturalium successivè nascitur; nunc *secundarius*, qui ex vitio quodam morboso præternaturaliter præcedente originem ducit. Nempe oritur Hydrops frequentissimè

I. *Ex febribus intermittentibus chronicis*, quibusvis *malè tractatis*, speciatim ex quartana diuturna: præsertim quando ægri in paroxysmo nimis bibunt, frequenter Hydrops oritur. Adeò, ut frequentissimus diuturnarum, & malè tractatarum Quartanarum, pedissequa sit Hydrops, pro qua præservanda diebus intermissionis *amara* ex vegetabilibus febrifugis, præsertim *absinthio*, sedulò usurpanda sunt, pro conservanda bilis & sanguinis crasi, debitoque viscerum tono: vid. M.A.N.C. *Ann.*3. *Observ.*322.

II. *Ex Asthmate* (præsertim *orthopnœia*) non solùm humoroso, sed etiam convulsivo, cui, si diutiùs duret, ordinariò hic Hydrops supervenit: item ex aliis pectoris pathematibus hydrops observatur; siquidem aliquando empyema, phthisin & sanguinis sputum hydropem hunc insecutum observatum fuit.

III. *Ex renum vitio* frequentissimus est Hydrops. Vix credo, an possit ascites universalis supervenire sine renum præternaturali defectu, quin ex solis his affectis Hydropem, licet particularem, oriri, præter ea, quæ HELMONTIUS *Tract. Ignotus Hydrops* §.16. & 20. habet, PLATERUS confirmat *in Observationibus*, ubi ex renibus exulceratis hydropem ortum allegat. Hinc renem, ceu adæquatum artificem omnis hydropis, asserit HELMONTIUS *l. a.*, vel ex eo imprimis, quod totus hydrops per urinæ fluxum solvatur, *l. c.* §.3. Totum enim fundamentum, propter quod supervenit Cachexiæ hydrops, consistit partim in renibus, partim in defectu virium vitalium, humores non amplius regere valentium. Semper renes in hydrope simul sunt affecti, ita ut hydrops frequens renum vitium secum vehat. Sanè ex renibus obstructis & debilitatis, aut ab iisdem ulceratis, crebrior hydrops observatus; sicut pariter nephritica pathemata, & renes exulcerati frequenter hunc affectum inferunt. Notorium enim est, quod in omni hydrope, tàm imminente quàm incipiente, urina pauca, parca, nec respondens potui assumpto, excernatur: quod observent tanquam prognosticon Potatores, qui, neque mingentes neque sudantes multum, certi sint, se evasuros hydropicos. Ut adeò concludendum sit, in hydrope fermentum renum alterans secundùm naturam serum sanguinis, vel deficere, vel impediri: & optimam Curam esse, quæ fit per Diuretica & lotium provocantia. Confirmatur hoc ex eo, quod serum, licet materialiter idem sit cum urina, si in abdomine coacervatum extravasetur, neque saporem, neque odorem, neque colorem, neque alias urinæ proprietates obtineat: quod ipsum innuit renum officium deficere, vel penè cessare in hydrope, nec eos transmittere serum. Mictus quoque sanguinis diuturnus hydropem infert, teste SCHENCKIO *in Observat.*

IV. Ex *vitio visceris cujusdam nobilioris*, aut usus necessarii in abdomine, hepate, liene, mesenterii glandulis affectis, utero, &c. frequens hydrops observatus. RONDELETIUS *in Praxi l.* 3. *cap.* 35. *de scirrho hepatis* inquit: se ex frequenti corporum dissectione observasse omnes hydropicos vel scirrhos, vel glandulas mesenterii induratas, habere, aut pancreas similiter constitutum. Item ex ulcere mesenterii observatus fuit hydrops, quod confirmat RONDELETIUS *l. a. cap.*36. Sic ex ulcere mesenterii quinquies hydropem observavit TULPIUS *lib.*2. *Observat.*32. uti etiam HOECHSTEDTERUS *Dec.*6. *Cons.* 6. Sic lienem malè affectum, in specie scirrhosum factum, hydrops necessariò insequitur: par est ratio de hepate scirrhoso hydropem inferente: & ex vulnere hepatis, sclopeto inflicto, suppurato hydropem natum, videb. *in* M.A.N.C. *Ann.*6. & 7. *Obs.*106. *pag.*145.

V. *Ex Ictero, & aliis quibusvis Cachexiæ speciebus confirmatis*, tandem nascitur hydrops: in specie scorbutum hydrops sui generis insequi solet, de quo vid. optimè disserentem EUGALENUM *Tr. de Scorbuto*.

VI. *Ascites à sanguine, vel præter-naturaliter excreto vel retento*, frequenter admodum oritur: Sic suppressæ hæmorrhoides aquæ intercutis metum injiciunt: sic propter menstrua consueta suppressa hydrops non rarò supervenit; e. g. post quamvis hæmorrhagiam, aut nimiam, aut crebriùs repetentem, semper Cachexiæ & hydropis metus imminet: sic post vomitum sanguinis, post immodicum sanguinis sputum, hydropem insecutum, &c. observatum fuit: Vid. RIVERIUS *in Observ. Communicatis*.

VII. *Imò ex aliis nimiis excretionibus*, præsertim *per alvum*, tam artificialibus (sic enim Leucophlegmatiam & ascitem à variis Catharticis malè adhibitis, crebrioribus aut fortioribus, notat POTERIUS *Cent.*2. *cap.*29.) & non-naturalibus, quam præternaturalibus: sic ex alvi profluvio diuturno observat FERDINANDUS *Hydropem*, *Hist.* 98.: item hydropem gravem succedentem ptyalismo diuturno & pertinaci observavit THONERUS *in Observ.* Idem de Dysenteria, ac similibus excretionibus observatum, nec non de veneris abusu.

VIII. *Crebrior & copiosior*, aut *intempestiva potus*, præsertim *frigidi*, post nimium æstum, aut corporis exercitium, aut æstum febrilem, *ingurgitatio* subitaneum interdum hydropem ascitem infert: qualium exemplum, præter PISONEM *Tract. de Colluvie serosa*, etiam refert SENNERTUS *l.*3. *cap. de ascite pag.*711. Sic intemperantia ebriosa ad hydropem disponit: Ex haustu copioso frigidæ post nimium æstum hydrops post tertiana genitus in M.A.N.C. *Ann.*6. *Obs.*85. *p.*52. Potus nocturnus in specie ad hydropem disponit. Vid. BARTHOLONI *Acta Med. Haffniensia Volum.*2. *pag.*260. & 262. In paroxysmo febrium, qui copiosiùs potant, præsertim frigida, facillimè hydropem incurrunt. Item ex copioso frigidæ potu in æstate hepatis scirrhus & hydrops vid. in FONSECA *lib.*2. *Cons.*39. item RIVERIO *Cent.*2. *Obser.*65. Alius frigidam quotidiè ante prandium bibens hydropicus factus, Authore

PA-

PANAROLLO *Pent.3.Observ.42.* idem confirmat HENRICUS *ab* HEER *Observ.* annotans quendam ex assidua ebriositate ictero & hydrope laborasse: acidulas indispositis hydropem accelerare posse, vid. in M. A. N. C. *Obser.* 180. *Ann.*3. Quò facit spiritus Vini nimius abusus, & similium potuum aromaticorum aut generosiorum ingurgitatio nimia, colliquationem nimirum inducendo, & lymphæ acrimoniam augendo. Spectant huc esus fructuum pituitosorum nimii, v. g. lactucæ, endiviæ, &c.

IX. Juxta has causas magis particulares observandum: *sensibilis urinæ excretionis*, & *sensibilis transpirationis defectum*, utplurimum, si non semper, adesse in hydropicis.

Vrinam quod attinet: sanè hæc non uniusmodi excernitur in Hydropicis, quando utplurimùm crassa, intensè tincta, & perquàm lixivialis, pauca tamen excernitur, quæ in aliis è contrà, utut rariùs, pallida, tenuis, cruda & pauca, prodire solet. Sanè in omnibus parcior & longè minor copia, quàm assumptorum potulentorum fert ratio, excernitur, quæ in aliis è contrà, utut rarius. Et ferè primam occasionem suggerunt Hydropi renes; imò frequenter ex solis renibus affectis, atque lotium non emittentibus hydrops supervenit. Hinc etiam est, quod optima & tutissima hydropiseos cura in urinæ provocatione consistat, quâ denuò copiosiùs fluente subitò evadunt. Hinc est, quod id serum, quod aliàs sub forma urinæ emittendum erat, in abdomine verò coacervatum & exhaustum arte, nullas tamen proprietates urinæ, nec odore, nec sapore, nec colore exhibeat, cessante nempe renum functione. SCHENCKIUS in cive Altenburgensi decollato & publicè dissecto renalem adipem maxima ex parte aqueam, defluere vidit, indeque hydropis initia visceribus & testibus inducta observavit; & BARTHOLINUS omentum in Hydropicis computruisse vidit.

Quoad insensibilem transpirationem, hujus penuria colligitur ex eo, quod licet multum seri colligant Hydropici, nihilominus tamen difficulter sudent: ideòque & citra madorem illorum corpus est, nec in balneis facilè sudore madescunt; quod ipsum cum aliis Cachecticis commune habent, quod omnes difficulter ad sudorem cogi possunt. Hinc si sudor Hydropicis supervenerit, adeò, ut æger alleviari se senserit, bonum. Forsan observationem hic meretur, quod SMETIUS *Miscellan. lib.*8. asserit, illos præcipuè difficulter sudare, quibus jecur & lien ætate morbovè inaruerit, vel obstructione magnâ aut scirrho obduruerit.

Præmissis hisce, *Symptomata* necesse erit considerare, quæ præsentiâ sui *hydropem* vel *præsentem* vel plus minus *imminentem*, designant. Incipiunt ferè pedes in inferioribus locis circa talos intumescere, tumore quidem œdematoso plùs minùs seroso, impressi digiti vestigia aliquandiu retinente; qui noctu quidem imminuitur, ita ut matutino tempore multò exilior videatur; interdiù augetur, adeòque vespertino tempore major longè apparet. Idem tumor paulatim ascendens transit ad ventrem, quem successivè occupat: utplurimùm in scrotum sibi parat viam, & tunc simul quandoque intumescunt testes, præputium & colis, qui quandoq; penitus occultatur, quandoque quadruplo major & translucidus fit. Dum æger de latere in latus convertitur, murmur & fluctuationem aquæ quasi sentit, quinimò moto corpore aqua ita movetur, ut impetus ejus conspici possit, ut habet CELSUS. *Intumescit* autem abdomen plerumque sensim & vix animadvertentibus ægris, & interdum quasi subitò & brevi temporis intervallo. Præterea nunc unum tantum latus tumor occupat, nunc utrumque, ita ut venter quandoque in duas partes divisus videatur, nunc verò aliqualiter distenditur venter ab hypochondriis ad pubem usque; erecto autem corpore sensus ponderis procumbentis in regionem inguinum percipitur. Plerumque quidem venter etiam post mortem tumidus manet, rarò verò detumescit; quod tamen observavit BALLONIUS *l.*2. *Epid. Eph. pag.*270. in duabus mulieribus, quarum utraque cùm hydropica foret, postquam extinctæ essent, ita resedit venter, ac si nunquam intumuisset. Dum sic inferiores corporis partes accrescunt, superiores decrescunt & emaciantur, præcipuè jugulum, cervix & pectus, quibusdam tamen & facies, præsertim matutino tempore à somno, intumescunt, interdum & ad extremum manus inflantur, colore in facie utplurimum subpallido plus minus ac livido. Multi *pruritu* admodum molesto vexantur; quidam enim *scabie* siccâ laborant. *Abscessus* quoque & *maculæ* in cruribus quibusdam erumpunt, sæpius tamen lethales. Plerumque *febris* comitari solet Hydropicos, estque *continua lenta*, circa vesperam manifestior. Pulsus est parvus, crebrior, subdurus, cum quadam tensione. *Sitis* imprimis ægros miserè vexat, quæ indulgendo crescit, *& quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*: simul etiam *cibi fastidium* adest insigne: quod si, quod rarissimum tamen est, sitiant parum, è contrà commodè plus minus appetant, melius omninò signum putandum est. Hinc magnam *angustiam circa præcordia* sentiunt & spirandi difficultatem, maximè cùm loca alta scandunt vel decumbunt, estque unum ex præcipuis, de quo conqueruntur ægri, quæ etiam nondum apparente tumore incipit, hydropemque præsagit, eoque emergente incrementum sumit, adeò, ut sæpiùs à media nocte orthopnœiciorum more erecti spiritum ducere cogantur: Hinc *dyspnœam* nocturnam prænunciam hydropis ascitis esse asserit PLATERUS *in Observat.* & tùm plerumque etiam tussis sicca, seu inanis ad tussiendum irritatio, eaque mali ominis, accedere solet. Conf. M. A. N. C. *Ann.*8. *Obs.*27. Alvus nunc clausa est, nunc quibusdam, idque non absque *increpitu*, subitò liberior esse solet. Quandoque & *Epilepsia ascitis* supervenit, & grave periculum plerumque minatur: interdum eadem in *apoplexiam lethalem* convertitur: Refert enim BALLONIUS *lib.*1. *Epid. Eph. pagin* 27. piscatorem quendam hydrope laborantem epilepticum factum, sæpiùs convulsum, abscessu circa testiculos & femora facto liberatum fuisse ab hydrope & epilepsia.

Observandum autem, ne obesi nimis habeantur interdum pro Hydropicis, de quo vid. HOECHSTEDTERUS *Decad.*10. *pagin.*418. Probè quoque observandum est, ne confundantur Hydropicæ & Gravidæ. *Discernuntur* autem invicem

1. *Ex colore faciei vivido*, & bono habitu.
2. *Ex tumoris specie*. *In gravidis* tumor abdominis ad præcordia sursum vergit, estque inæqualis: *In Hydropicis* autem inferior pars abdominis intumescit, materiæ detumescunt, & tumor undique æqualis, & quasi œdematosus; ut nil dicam de motu fœtus.
3. *Certum signum est fluctuatio*, nempe ad tactum sentiunt fluctuationem in hydrope.
4. *Vivacitas & vigor oculorum* significat gestationem: sed ubi Hydrops est, perit oculorum nitor, fiunt lividi, &c.
5. *Urina in gravidis* non sunt ita constitutæ, ut suprà de Hydrope dictum.
6. *Hydrops* valdè membrum gravat, in gestatione non item.
7. *Quò se vertant Hydropici, eò labitur aqua*; id quod non fit in gestatione.
8. Sitis in hydrope juncta est, in gestatione non.
9. *Denique sub hydrope menses* sæpe fluunt, in gestatione non, &c.

Porrò *aquæ* istæ serosæ non semper unius generis observantur: Plerumque aqua est pallida & citrina, & urinam ferè refert, vocant Germ. *Aquam helvam*. Interdum lutea, interdum viridis, interdum flava in nigrum vergens, interdum loturæ carnium similes, observatæ fuerunt aquæ. Exempla allegata videb. in SENNERTO *lib.*3. *Prax. ubi de Ascite pagin.*717. Easdem exemptas, & leni igne tractatas, in gelatinam albam abire observavit BOYLE *in Philos. Experim. p.*83. ut & WILLISIUS *Pharm. Rat. Part.*2. *pag.* 136. In Gelatinam viridem abiisse observavit SIMSON *in Hydrol. pag.*370.

Acris quoque est humor ille, salsus ferè, aut acido-salsus, qui aliis aquæ permistus spumam instar saponis excitat. Ita refert GABELCHOVERUS civem quendam Augustanum hydropicum alterius consilio dolio (*subintellige aqua repleto*) insidentem, aquæ salsæ se immersisse quotidiè, & post 15. Lotionis diem ruptum esse umbilicum, & aquam omnem, quæ in ventre continebatur, effusam in aquam Balnei, hanc verò inde spumosam totam redditam fuisse, ut speciem aquæ multo sapone agitatæ referret. Unde etiam acrimoniæ illius ratione subindè interanea erodit & exulcerat. Sicuti & subindè *ulcera in externis partibus*, præsertim cruribus, excitat, difficulter curabilia; Unde & quod per alvum excernitur, non sine morsu intestinorum, præsertim recti, evenit. *Speciatim* acescentiæ cujusdam participem illam aquam esse collectam, non immeritò suspicatur WILLISIUS *Pharm. Rational. Part.*2. *pagin.* 164. *Et confirmatur ulterius* ex eo, quod sudor Hydropici acidus lac coagulans observatus fuerit: vid. BARTHOLINI *Acta Med. Haffniens. Volum.*4. *p.*175.: &

quod internè pariter, quàm in specie externè discutientia tumori dicata, ad *alcalium* naturam accedant; ver.gr. *Aqua calcis viva*, *Limaces ac cochlea*, *lixivia stercorum* animalium, &c.

Sanè ex acrimonia hac, præsertim occultè acida, *duo* explicanda veniunt *phænomena* ab Autoribus minùs animadversa. I. *Quod intumescentia illa crurum*, scroti, & abdominis sit quidem à contento liquore, sed tamen fortis ista tensio & juncta quasi inflatio non ab eo, qua tali, simpliciter proficisci videatur, sed arbitror potius vim fermentativam habere hunc ipsum liquorem, sive ipse in se fermentet, sive cum contentis cæteris liquoribus, speciatim nutritio succo ad partes istas distributo, motum turgescentiæ, proximum fermentationi, concipiat.

II. *Dum acre istud contentum acido-salsum* undique à partibus membranosis, v.g. cute, peritonæo, &c. concluditur, vix fieri poterit, quin ab eodem *vellicentur & irritentur* plus minus *fibræ* illarum partium, qua occasione illæ tendi, & quasi spasmo affectæ obrigescere plus minus incipiunt, quo ipso occludi poros, & angustari quosvis cæteros meatus contingit, adeò, ut non tantùm insensibilis transpiratio, & sensibilis transudatio eò magis impediatur, sed & tensis hoc modo fibris, & membranis renalibus, etiam uberior urinæ excretio eò magis sistatur. Ad spasmodicam hanc affectionem declarandam faciunt, quæ habet HELMONTIUS *pagin.* 411. 412. 413. Aliàs sanè non video, quare *tàm parum transpirent aut sudent hydropici*, aut saltim guttarum formâ non copiosiùs aliquid transmittant per cutim, nisi hæc priùs in pustulas erosa fuerit, aut alio modo fibris læsis transitus aquis patet. Adhæc *angustia* ista *præcordiorum in hydropicis*, & impedimenta illa respiratoria, quæ non solùm circa pectus, sed ferè maximam partem circa hypochondria sentiunt, *quasi cingulo* ibidem *constringerentur*, non à sola videntur esse repletione abdominis, ex eo, quod gravidæ fœmellæ gestantes, utut ventre maximè tumido, de simili non conquerantur pathemate, quin omnia omnia & tactui cedentia in iisdem ibidem deprehenduntur, cùm *hydropici* tendi circa ista loca, & constringi ita soleant, ut ne digitus quidem infra costas nothas possit adigi.

His ita præmissis, *ad causam proximam* Collectionis nempe & extravasationis illorum humorum est dilabendum, in ascite nempe, quæ ad anasarcam proximè accedit, sive in *anasarca* sic dicta *particulari* WILLISII, in qua pedes, scrotum & abdomen ad pectus usque & diaphragma intumescunt, & ab *ascite* propriè sic dicto, seu *particulari* abdominis hydrope, multùm differt (quæ differentia in historiarum & observationum monumentis probè attendatur.) *Præsuppono* autem hic: humorem illum esse maximam partem serum; & quidem vel naturale, tàm alimentitium quàm excrementitium; vel præternaturale. Naturale enim pro contentorum seu mistorum ratione nunc chylosum, nunc pituitosum, nunc cruentum, nunc alio modo affectum, v.g. in Ictero & Scorbuto, deprehenditur.

Serum laudabile omnium frequentissimè peccat, & post hoc præter-naturale; quatenus utrumque (in ascite particulari) vel per disrupta vasa lymphatica & lactea excernitur, vel sanguinis per venas ac seri per vasa lymphatica motu retrogrado impedito, per substantiam partium idem exsudat.

Vasorum lymphaticorum ac lacteorum ruptura præter læsiones externas dependet vel à lymphæ acrimonia erodente, aut crassitie distendente ac rumpente, vel ab illis, quæ vasis dictis circumstant aut adjacent, ver. gr. glandularum mesenterii intumescentia præter-naturali, atque harum ulceribus: (vid. TULPIUS *lib.*2. *Observ.*32.) & in fœmina quadam ante triennium in femore per puncturam vulneratо suspicor, quæ consolidato ulcere, totius pedis tumorum œdematosum patiebatur, forsan à cicatrice, notabile aliquod vas lymphaticum ita comprimente, ut à stagnante lympha illud disruptum fuerit: quò etiam spectat casus in abdomen, aut ex motu corporis nimio ascites, qualis PLATERUS *Prax. Tom.*3. *pag.*242. & BARTHOLINUS *Cen.*2. *Observ.*74. meminerunt.

Seri autem transcolationem per partium substantiam auctam facit)

1. Ejus abundantia, hinc ex suppressa urina potu copiosiore hydropem fieri, & potus abstinentiâ sanari, testatur experientia.
2. Seri fluiditas & aquositas nimia, qualem Mercurii vivi inunctione produci posse BONETTUS *Anat. Pract. lib.*3. *Sect.*20. *cap.*18. perhibet.
3. Ejus motus retrogradus impeditus: *vid.* LOWERUS *de Cord. pag.*118.

Huc spectat viscerum substantia lacerata & erosa.

Coacervatur hac in corpore ad hydropem disposito ob deficientem insensibilem transpirationem, & imminutam urinæ excretionem. *Generatur autem primitùs* (adeòque hujus hydropis causa proxima erit) ex insigni & notabili vitio in hæmatosi contingente, ac plus minus deficiente, ratione cujus assumpta in chylum mutata cum juncto vehiculo seroso assimilari debitè maximam partem nequeunt, quin hic ipse successivè in sanguine, continuato hujus circulo, alteratus magis magisque attenuatus & resolutus, tandem certis in locis decumbit, & extra vasa cum vehiculo seroso subsistens tumorem talem infert: quod pluribus explicatum videb. in WILLISII *Pharm.Rat. Part.*2. *Sect.*2. *cap.*3. Hinc hæmorrhagias nimias hydrops frequentiùs excipit. Errorem quoque externum, v. g. insuetum partium refrigerium, huic morbo occasionem præbere, docet SCHENCKIUS *Obser. lib.*3. *p.*434. Seri autem & sanguinis crasis vitiatur ab errore externo, primam digestionem lædente, quod docet, præter appetitus prostrationem præcedaneam, frigidæ potus immoderatus, præprimis autem ex febre exæstuante corpore assumptus, item spiritus vini abusus, tonum ventriculi destruens. Unde *remotæ causæ* omnes erunt eædem, quæ cachexiæ, cùm, ut suprà monitum, hæc frequentissimè in universalem, nunc particularem cum ascite junctam, degeneret. Unde dum per se incipit hic hydrops, ferè vitium læsæ in primis viis digestionis subesse solet. Dum autem alios morbos insequitur, pro horum læsione, corporis ejusque partium solidarum, & sanguinis alteratione multiplici, etiam multipliciter ad hydropem disponent: de quibus *remotioribus causis* superiùs pluribus actum. Unde pro causarum harum remotarum diversitate subinde tanta diversitas humorum in toto corpore hydropicorum nata fuit. *Extravasatur verò idem serum* multiforme, non ex vitio vasorum lacteorum & lymphaticorum, nisi saltem per accidens & secundariò; sed revera ex vasis arteriosis in hydrope universali oriri, omninò probabilissimum est. Nempe pro hujus notitia tria hic *supponenda* erunt:

1. *Sanguinis texturam & mixtionem* in hydropicis ita esse alteratam, ut minùs exactè cum coacervata uberiùs colluvie serosa plus minus chylosa miscibilis sit, adeòque serositates istas facilius separari, & hinc indè extra se quasi diffluere permittere; cùm aliàs serum à sanguine faciliùs separabile existat, ut in sanguine venâ sectâ emisso manifestum evadit.
2. *Contentos corporis humores, in specie* sanguinem & serum, naturaliter non moveri proprio impetu, quia aliàs omnis motus fieret ad inferiora, nullus verò ad superiora; sed more mechanico à cordis impetu per vasa pelli, adeoque se purè passivè habere, ac superius & inferius nescire: simul verò ac vis ista vitalis seu animalis movens in corde plus minus debilitatur, proprio impetu gravitatis ac ponderis eosdem ferri, ideoque deorsum ruere.
3. *Firmo stare talo experimenta ista* LOWERI *de corde cap.*2. *pag.*123. 124. 125. *seq.*, quod ligatâ venæ cavæ propagine canis infra cor, brevi post tanquam ascite artificiali laborare, ut animalis abdomen aquâ repleatur: & ligatis jugularibus tumor aquosus Hydrocephali supervenit: utrumque saltem ex impedito sanguinis ex arteriis in venas circulo; sicut & eadem allegat WILLISIUS *in Pharm. Rat. Volum.*2. *pag.*199.

Adeoque ex impedito plus minus sanguinis arteriosi in venas transitu separationem & extravasationem seri facillimè contingere. Qua ratione etiam videntur oriri *hydropes subitanei* à causa externa sine prægresso interno vitio, ver.gr. dum Hydropem ascitem subitaneum ex gestatione oneris gravioris notat BARTHOLINUS *Centur.*2. *Histor.*74., vel dum è compressione circa os stomachi hydropem notat BORELLUS *Centur.* 2. *observ.*24. Quod si ergò contingat, ut successivè ex cachexia deficiant vires vitales motrices, fit, ut cessantis impellentis regimine dicti succi proprio impetu moveantur, & agentis vicem sustineant. Hoc inculcat HELMONTIUS *Tract. de Terra*, licèt hujus sententiæ vestigia appareant in SANCTORII *Comment. ad Fen. Avicenna*. Et certè, quamdiu vires valent sanguinem movere & alios humores, neque Leucophlegmatia, neque anasarca apparebit: quæ inflationes interdiù appa-

apparentes nocturno tempore iterum evanescent.

His ita præmissis, dicendum videtur: In iis ægris, quibus quocunque ex vitio *hydrops* supervenit, v.g. in *cachecticis confirmatis*, ex virium aliquali defectu, & massæ sanguineæ serosioris laboriosiori & difficiliori circulo, hanc ipsam proprio impetu ac mole magis deorsum ferri, ac hinc difficiliùs ascendere, indeque impulsum in arterias factum in venis haud leviter imminui, ut difficilior ex illis in has, ob id pleniores, respectivè fiat transitus, sub quo transitu juxta osculorum extremitates sanguis quidem ceu spissior, & qui impetum moventem à corde impressum & per arterias continuatum faciliùs, quàm fluidius serum suscipit ac retinet, in venulas tandem ex arteriolis intruditur; ipsum verò fluidius serum, qua data porta suopte impetu fertur, à sanguine secedit, & ad inferiora, præsertimque circa loca, ubi notabilius languescit à corde impressus impetus, congeritur, donec pedetentim magis magisque coacervatus superiora versus tandem vergat. *Hinc enim magis vesperi quàm mane*, magis stantibus aut sedentibus quàm jacentibus, tumor increscere solet: ad quod ipsum & suprà insinuata fibrarum strictura non parum facere poterit. Hinc ratio reddi potest, unde fiat, quod morbis chronicis ægri convalescentes tumores pedum patiantur, qui tamen iterum evanescunt? item, quare insueti stantes tumores pedum incurrant? item qua ratione subinde post dyspnœam & asthma superveniant tumores pedum œdematosi? qui hecticis & phthisicis infesti, eosdem ad mortem deducunt. Vivit hic aurifaber, qui ex Quartana contumaci per annum malè tractata, anasarca partium inferiorum cum incipiente ascite laborat, ex qua ipsa suo quoque tempore morietur: Hic quoties quavis ex causa, in specie iracundia vel *erysipelate*, vel *pleuritide notha*, quod sæpius evenit, corripitur, (idque semper cum motu febrili, gravissimo rigore, intensissimo aliquot dierum æstu, & hinc sudore uberrimo superveniente accidit,) toties mox primo huius affectus die omnis tumor *hydropicus* evanescit, pedibus flaccidis & extenuatis apparentibus; dum verò febrilis impetus post aliquot dies remittit, pedetentim etiam decumbenti adhuc *crurum & scroti tumor* redit. Nempe febrili sub impetu cum alteratione sanguinis in specie rapidior ejus circulus & validior impulsus, quo retruduntur in vasa evacuatæ serositates, considerandus venit.

Idem extravasandi modus obtinet in *anasarca universali*, hac saltem cum differentia, quod in anasarca virium contenta corporis moventium robur adhuc validum sit, quod æqualiter sursum deorsum eadem qualitercunque constituta movet; In *anasarca* autem *particulari* partium inferiorum cum ascite complicata debilius, adeoque regendis iisdem corporis contentis minus sufficiens, hæc ex parte sui motu spontaneo ferri permittit, quæ ob id deorsum magis ruunt, cùm aliàs undique æqualiter distribuenda forent. Sed dum sub transvasatione ista ex capillaribus arteriolis in venosam, ob pororum & meatuum angustiam, per quos trajectio fieri solet, difficilior suo modo, adeòque tardior fiat sanguinis motus, hinc serum facilè à reliqua sanguinis massa recedere, partium vicinarum poros subire, & ita undique plus minus stagnando, *anasarcam universalem* inferre potest. Forsan & chylo seu pituitoso isto seri contento quædam venulæ capillares, ut & vasa lymphatica obstrui aut angustari plus minus poterunt: qua occasione & difficilior sanguinis circulus, & facilior copiosiorque seri secessus fieri potest.

Summatim hydrops fit ex cacochymia, quando hæc ex defectu chyloseos, tamque vitio fermenti ventriculi, quàm perfectionis à bile fiendæ, inducitur; unde ulterius morbo ingravescente vires deficiunt, quibus deficientibus non sunt pares regendis humoribus: Adeoque hi, quò remotior circulus à corde est, eò procliviores pondere suo inferiora petunt.

Atque hæc quoad *Theoriam* hydropis ordinariam sufficiunt. Nam observatur quoque præterea *hydrops* magis *extraordinarius*, *à colliquatione natus*, dum non tam coacervari, quàm ex contentis aliis humoribus per colliquefactionem generari serum hydropicum observatum. Docet experientia in febribus acutis & hecticis, ut aliàs excretiones colliquativæ sunt familiares, ita etiam his subitò aquâ abdomen intumescere, ita ut præter chylum & sanguinem ipsa etiam pinguedo colliquefacta in serum abire videatur, uti hoc ipsum in diabeticis quoque fieri solet. Hinc in hydropicis subinde observatur, aquam seri evacuatam arte per paracentesin hodie æqualiter demum abdomen replevisse, de quo vid. HELMONTIUS *Tract. Ignotus hydrops* §. 14. Sed in hoc hydrope colliquationis primaria ratio est habenda, utpote cujus effectus ceu productum saltem est ista hydropica intumescentia.

DIAGNOSIS.

Ratione *Diagnoseos* in paucis saltem partibus hydrops adeò manifestus est, ut in tempore appareat: Describitur equidem vulgò hydrops per Tumorem; sed ille

1. Interdum tales partes occupat, quæ non facilè distendi possunt, v.g. cranium, thoracem, & quæ, utut distendantur, tumorem tamen nobis palpare, aut oculis cernere non concedunt, v.g. pulmones, uterus, &c. Nec

2. Partes sensibus magis obvias & extensiles, abdomen v.g., hydrops non semper attollit, nisi ingravescente demum malo. Tumor quidem si adest cum aliis signis, præsentiam hydropis augurari suadet; absens verò non statim eam negat. Nihilominus hydrops in genere dignoscitur, si in subjectis, in quibus nulla de renum aut vesicæ vitiis est suspicio, urina pauca admodum, i. e. potulentis assumtis non proportionata, simulque saturatiùs tincta reddatur, ideò quod parum admodum seri ad organa hæc ablegetur.

3. Si sanguinis excretiones naturales diutiùs supprimantur.

4. Si hæmorrhagiæ præternaturales moderatè contingant; Ac

5. Tumor alicujus visceris observetur: vid. PISO *de Morbis Serosis Sect.* 4. *cap.* 3.

Sed *præsentem magis manifestant*

1: Tumor pedum œdematosus, nisi morbus aut difficilior, aut diuturnior, vel error in diæta præcesserit, licèt noctu evanescat: cujus rationem vid. in SYLVIO *Tract. de Hydrope* §. 31.

2. Si color faciei hactenus vividus absque causa evidente in pallidum & luridum mutetur.

3. Si dyspnœa ægrum simul, aut sine aliorum morborum signis, utut sine tumore, adhuc angat: quæ omnia à lympha viscida, ejusque circulatione turbata oriuntur: &

4. Si sitis intensa superveniat, à seri extravasatione præternaturali ortum ducens.

PROGNOSIS.

Prognosin nostri hydropis egregiè tradit HIPPOCRATES *lib.* 2. *Prædiction.*, quem locum CELSUS *lib.* 2. *cap.* 8. ita vertit: *Aqua inter cutem minimè terribilis est, quæ nullo antecedente morbo cœpit: dein quæ longo morbo supervenit. Utique si firma viscera sunt, si spiritus facilis, si nullus dolor, si sine calore corpus est, æqualiterque in extremis partibus macrum est, si venter mollis, si nulla tussis, nulla sitis, si lingua ne per somnum quidem arescit, si cibi cupiditas est, si venter medicamentis movetur, si per se excernit mollia & figurata, si non extenuatur, si urina ex vini potatione, & non potus aliquibus medicamentis mutatur, corpus sine lassitudine est, & morbum facilè sustinet; si quidem in quo hæc omnia sunt, is ex toto tutus est: in quo plura ex his sunt, is in bona spe est.*

In specie tota *Prognoseos* ratio consistit saltim in accurata consideratione *causæ remotæ* & constitutione viscerum abdominis, horumque collatione, imprimis renum; ubi enim est uberior urinæ fluxus, ibi spes curationis superest.

Omnis hydrops periculosus satis est, ejus contumacia naturæ vires, omnemque artis industriam eludere videtur: quam tamen curationis difficultatem moderatur atque intendit

1. Tempus durationis, quatenus hoc longius non solùm causæ pertinaciam, viriumque defectum, sed viscerum quoque indurationes atque corruptelas, quarum causa non rarò hydrops existit, testatur; cùm minus inveteratus has conditiones probabiliter detrectet, adeoque plus spei concedat.

2. Causæ diversa vis, utpotè quæ, quò magis mobilis atque sanabilis, eò plus sperare, quò potentior & firmior, desperare jubet. Hinc qui à solidarum partium conformatione læsa, v. g. obstructione, induratione seu scirrho visceris cujusdam insignioris, aut hepatis, aut lienis, &c. difficulter admodum ac ferè nunquam curatur, aut curatus licet, facilè renascitur, qui recidivans ordinarò lethalis est; quod observetur in paracentesi iudiciosè instituenda: è contra minùs periculosus est, qui à fluidorum tantum dispositione præternaturali, ver. gr. seri copia, aut crassitie, dependet. Nihilominus, qui à crasi sanguinis notabiliter depravata ac difficulter emendabili, ver. gr. scorbutica,

a, dependet hydrops, pro periculoso maximè habendus est; qui à vasis lymphaticis majoribus aut pluribus ruptis evenit, difficilioris videtur curationis, cùm vasa hæc lacerata non adeò facilè coalescere queant.

Qui à transcolatione seu diapedesi aucta, modò hujus causa solubilis sit, v.g. ob menses suppressos, difficilè curatur.

Qui supervenit morbis chronicis & ætate gravescentibus, rariùs curatur: qui autem junioribus, febribus acutis laborantibus, obvenit, non adeò est periculosus, nec curatu difficilis, sed præ reliquis faciliùs curari potest.

Aliàs ex febre, præprimis acuta, mali ominis est: vid. HIPPOCRATES *Prognostic. Text.* 8. §.1., quod vel singularem sanguinis dyscrasiam, vel viscerum labem, vel utrumque denotat. Quibus accedit, quod vires gravi ejusmodi morbo à priore fractæ impares valdè sint, quarum intuitu quemlibet alium morbum excipiens hydrops utplurimùm lethalis est: vid. HIPPOCRATES *lib.4. de Morbis Text.*34. §.7. Quod si verò febris à potu frigido affatim hausto superveniat, interdum solvitur. Hydropem majus minusvè periculosum reddunt symptomata conjuncta supervenientia, horumque conditiones. Quippe HIPPOCRATES *Sect.6. Aphorism.* 14. *de Iudicat. Text.* 11. §.20. & 25. *Coacar. Prænot. Sect.*3. §.285., 289., & 326. Hydropis equidem solutionem contingere ait, si aqua ad ventrem confluxerit, seu per alvum evacuetur; in principio verò citra cruditatem tamen, dum *Coacar. Prænot.*585. allegatâ, hoc fieri debere asserit, fluxus alvi progressu morbus hydropicis contingentes maximè lethales observantur, ita quidem, ut juxta eundem HIPPOCRATEM *libr.* 4. *de Morb. Text.* 34. §.10. sentientes & loquentes illi moriantur.

Hydrops ex peruerso Purgantium abusu, admodum periculosus est.

Urina pauca, rubicunda & crassa, malum admodum signum est: uid. HIPPOCRATES *Coac. Sect.* 3. §.284. & WILLISIUS *Pharm. Ration. Sect.*2. *cap.*3. Urina enim, quò minus redditur, eò deterior est hydrops: ut proin rectè moneat CELSUS, tunc affulgere spem ejus, quando plus per urinam excernitur, quàm potu fuerit assumptum.

Hydropicis *tussis vexans*, malum & desperatum signum est, juxta HIPPOCRATEM *Sect.6. Aphorism.*35. & *Sect.* 7. *Aphorism.*47. & M. A. N. C. *Annot.* 4. & 5. *Observat.* 148. *pagin.*168., nisi scilicet hæc à catarrho, sed ab acrimonia massæ sanguineæ, quam hanc ex defectu seri contrahere, superiùs dictum; aut à seri copia contingat.

Hydrops cum febre colliquativa conjunctus, cum copiosæ materiæ viscidæ rejectione per asperam arteriam, non semper habet comitem phthisin, uti & hoc aliquando observatum.

Abscessus ac ulcera non facilè in Hydropicis sanantur, sæpè propter supervenientem sphacelum lethalia evadunt, juxta HIPPOCRATIS *Sect.6. Aphor.*8. & *lib.7. Epidem. Text.*13. §.7. 8. &c. Item *maculæ rubræ ac lividæ in cruribus* erumpentes gangrænam minantur, mortemque præ foribus esse innuunt.

Ulteriùs, quando in hydrope, ex cachexia aliisque morbis diuturnis similibus orto, apparent *dejectiones nigræ*, quæ non sunt à Medicamentis Martialibus assumptis, lethale & desperatum malum est.

Hydropicis *convulsiones* periculosæ sunt, annotante eodem HIPPOCRATE *Sect.*3. *Coac. Prænot.* 287.

Tandem *recidiva* hydropicis interdum lethalis ab HIPPOCRATE *Sect.*3. *Coac. Prænot.*288. pronunciatur: uid. SCHENCKIUS *Observ. pag.*436. & SENNERTUS *Pr. lib.*3. *pag.* 723.

CURA HYDROPIS.

Quoad *Curam*: In hac

1. *Humorum colluvies* seu aqua, nunc simplex, nunc cum chylo crudo seu pituita commista, *removenda*.
2. *Eorundem scaturigo sistenda*.

Hoc principale, illud minùs principale. Quoniam uerò collecta colluuies impedit potiorem intentionem, propterea quantum possibile & quàm citissimè remouenda; metuendum enim, ne huius retentione uiscera erodantur, indurentur, aut quocunque modo lædantur, adeoque horum corruptiones hydropem non tam pariant, quàm sequantur. Poterit hoc fieri duplici ratione, imò combinari utraque, scilicet tam per potus abstinentiam, quàm evacuantia.

Potus abstinentia, quantum hydropem moderetur & curet, testatur DODONÆUS *Observat. pagin.*116. & 117. PANAROLLUS *Pent.*4. *Observat.*38. HILDANUS *Centur.*4. *Observat.*41. HOLLERIUS *de morbis internis cap.* 39. RIVERIUS *Prax. lib.*11. *cap.*6. *ac Observat. commun. pagin.*323. & WILLISIUS *Pharm. Ration. Part.*2. *Sect.*2. *cap.*5. *pagin.*297. Quibus minimè refragatur, quod SCENCKIUS *Observat. pag.*437. PANAROLLUS *Pent.*2. *Observat.*24. & DODONÆUS *l.a.* notarunt, *quosdam nimio potu* ab hydrope *liberatos fuisse*. Per accidens quidem & non sine suæ vitæ periculo hoc factum, quatenus per rupturam umbilici, diarrhœam, & hæmorrhoidum fluxum, ab uberiore aquæ haustu excitatum, præter omnem expectationem causa hydropis conjuncta eliminata fuit.

Sed manifestiùs hoc præstant evacuationes, sive Pharmaciâ sive chirurgiâ adornandæ. Prioris generis sunt evacuatio sensibilis *per alvum*, & hinc *per urinam*, vel, quod rarius est, insensibiliter per sudorem. *Sudor* enim *vix proficuus est, nisi in anasarca*; in *hydrope autem ascite plus nocet quam prodest*, quia sitim intendit, ac vires exhaurit. Ergò opera detur, ut primariò per alvum, hinc per urinam fiat evacuatio.

Posterior indicatio obtinetur *in genere*, massæ sanguineæ crasin, & inde vitiatam hæmatosin emendando, & restituendo, stomachum roborando, digestionem primam corrigendo & promovendo; aliàs enim radicitus curare hydropicum impossibile est. Imò quantum bilis correcta hoc in casu habeat in recessu, vel hoc solum testatur, quod solo absinthio hydrops quandoque fuerit curatus. *In specie* pro antecedentium causarum varietate, quam secutus est hydrops, & relicta noxa, aliqualis ratio & varietas subinde observanda, ut & his ipsis maturè occurratur; nisi enim fomes eliminetur, hydrops non poterit curari. In hoc proinde puncto consideretur: an hydrops icterum, an morbos chronicos secutus sit? Si hoc, aut ex abusu fortiorum medicamentorum purgantium obortus sit hydrops, ut & his ipsis maturè occurratur, optima erunt Martialia adhibita. Adeòque omnia ea, quæ *supra de cachexia* monita fuerunt, hic repetenda.

Pro his scopis ritè obtinendis cautelæ *sequentes* in curanda hydrope sunt *observandæ*.

I. *Purgantia*, quæ aquam evacuant, in hoc hydrope quidem benè conveniunt, cùm experientiâ constet, eadem urinam seu copiosam aquam ex abdominis cavo eliminasse. Interim tamen notandum, quod uti purgatio crebra in omnibus morbis non est necessaria, ita & hic est admodum nociva, accuratioribus id testantibus Practicis. Nam dum Purgantia evacuant serositates, simul utiles succos plus minus colliquant, vires ac viscera debilitant, ac ita plus nocent quam prosunt, quatenus serum sanguinis ut causa mali antecedens per illa exagitatum atque fusum, in loca affecta, unde non facilè remeabile est, uberiùs adigitur, sicque causa continens evadit, hancque auget: vid. SYLVIUS *de hydr.* §.154. RIVERIUS *Prax. l.*11. *cap.* 6. POTERIUS *Centur.*3. *Observat.*34. & WILLISIUS *l.a. Sect.*2. *cap.* 3. & 5. Hinc rectè dicit LINDANUS: *Qui vult rectè curare hydropem, raro debet purgare, dare tamen tunc debet ea, quæ certo & vehementer purgant, sed raro, uti dixi; Intermedio verò tempore appropriatis & aperientibus, ac massa sanguinea vitia ex cruditatibus orta ac reliquorum humorum, corrigentibus, & in naturalem crasin reducentibus, debet insistere*. Confer. hic ea, quæ habet BRUNO *in notis ad Iessenii Iudicium de sanguine è vena secta emisso pagin.*147., qui JESSENIUS fuit Medicus Bremensis. Observandum etiam, ut Purgans exhibitum operationem suam ritè assequatur: quod si fiat, bonum; sin minus, malum; cùm colliquando solùm contenta corporis, ast non evacuando, malum augeat. In principio tamen, & si nimis debilis sit æger, ideoque non par sit validiori Purganti, *lenia* saltem primas *vias abstergentia & per epicrasin* blandè *evacuantia* conveniunt, ut ita meliùs disponantur primæ viæ ad subsecuturas fortiores Purgationes. Ulteriùs *commodissimè instituuntur Purgationes luna decrescente*; crescente enim lunâ & ipsum malum accrescere, decrescente verò eâdem etiam malum decrescere, experientia testatur: undè quo tempore habemus adjuvantem naturam, quando scilicet luna per aliquot dies decrescere incepit, purgatio instituenda, idque imprimis ante

antenovilunium, & quidem eò magis, quando luna exstit, ut vocant, in signo aqueo. Verùm hæc Purgatio tunc tantummodò convenit, quando in cavo abdominis fluctuat aqua; si enim hæc ipsa aut in omenti bursa conclusa, aut in peritonæi duplicatura, aut in vesiculis mesaraicis inclusa fuerit, omnis omninò Purgatio solet esse frustranea.

II. *Observetur*, VOMITORIA in hydrope *rarius in usum vocari*, nisi fortè in principio, dum adest cachexia confirmata; in hydrope autem confirmato rariùs conducunt, licèt certum sit, quod interdum fructuosus observatus fuerit eorundem usus. Meminit enim CELSUS, *in suis scriptis*, METRODORI *Philosophi*, qui fuit discipulus EPICURI, qui hydropicus cùm plurimum biberet, sed mox plus evomeret, successivè sic convaluit; cujus exemplo, inquit CELSUS, Medici vomitum probant, & laudant in iis, qui facilè, & sine molestia vomunt. Facit huc, quod refert FORESTUS *Observat.32. lib.19. in Scholio*, ubi quidam hydropicus pro desperato habitus adscendit naviculam, & petiit mare, hinc provocato largo vomitu navigationibus primùm consueto, & post vomitum exercitio creberrimo utens, sic fuit curatus. Interdum ergo, ubi adest vomendi inclinatio, aut etiam ubi gravior dyspnœia urget ægrum, commodè institui potest vomitus; sic enim subitò liberiùs respirare solent. *Sed necesse est, ut larga dosi propinentur vomitoria*, cùm in hydropicis, præsertim confirmatis, rariùs vomitum procreare soleant exhibita remedia. Sic enim *Mercurii vitæ* gr.ij. vel iij., quæ aliàs abundè sufficiunt pro vomitorio, hydropicum non movebunt, idque aut ob ventriculi atoniam, aut ob remediorum à contentis serositatibus acido-salsis alterationem, & quasi fixationem.

III. *Observetur*, *Diuretica in Hydropis Cura* omnium *esse optima*. Hæc nempe revera sunt hydragoga seu aquas evacuantia, dùm naturæ sit mos & consuetudo per vias urinarias superfluum serum naturaliter expurgare: unde præmissis necessariis universalibus, his imprimis insistendum. Dico præmissis universalibus: Hoc enim omnes præcipiunt Practici, ut Diuretica non priùs exhibeantur, quàm universalia attenuantia, aperientia & laxantia fuerint præmissa, aliàs non tutò ad Diuretica acceditur; Intempestivo enim eorundem abusu impeditur urinæ fluxus potiùs, quàm ut hic promoveatur & adjuvetur, quippè omnia specifica anti-hydropica vi diureticâ insignia sunt. Aliàs multis satisfaciunt scopis, præsertim quæ sunt ex numero *volatilium*, ver. gr. quæ ex *urina*, *lumbricis*, *bufonibus*, &c. petuntur, quia salinâ virtute incidunt, penetrant, & vias abstergunt, viscera aperiunt, & scirrhos induratos resolvunt, &c.

IV. Observetur, *Opiata ac similia Narcotica*, quæ talia ac per se, hydropicis exhibita utplurimum esse *necrotica & lethalia*; uti eorum noxam per experientiam confirmat MOELLENBROCIUS *de Arthritide vaga cap. 14. pag.254. & 255.* Id quod verum arbitror, cùm *opiata* in morbis chronicis, ac propemodum ad extrema deductis, ut fit in hydrope, quando vigiliæ accedunt, minus prosint, quàm in acutis, quin vires ulterius dejiciant, & viscerum tonum ulterius labefactent, & laxent. Imò post chronicos aut acutos morbos, dum languent adhuc ægri, & quædam adhuc symptomata supersunt, si iisdem *Opio* succurrere velimus, periculum est, ne hydropici exindè fiant, quod sæpè observatum. Saltim per acidens vi suâ, ut vocant, anodynâ spirituum impetum nonnihil refrænando, & fibrarum nervorumque renalium irritatorum spasmum demulcendo, sicque per meatus apertiores redditos sudorum & urinarum fluxum promovendo, prodesse observata fuerunt. Confer. BARTHOLINUS *Cent.3. Epistol.46. & 49. pag. 192. & 201.*, ubi referuntur hydropes, in quibus post usum laudani opiati copiosæ aquæ per alvum & urinas evacuatæ fuerunt, idque felicissimo cum successu. Sed hæc exempla, uti eadem admiratur BARTHOLINUS scribens, & LANGELOTTUS respondens, ita ea minùs audacter imitanda: quia sedulâ curâ & non, nisi summa circumspectione, administranda veniunt, cùm effectus hic sit rarissimus & accidentarius: Vid. BIERLINGIUS *Cent.1. Advers.5. pag. 16.* Quò pertinet mirabilis observatio WILLISII *Pharm. Ration. P.1. pag.302.*

Auxilia igitur, quæ *priori scopo* conveniunt, sunt *evacuantia*, tam *interna* quàm *externa*: *Interna* sunt *Purgantia*, *Diuretica*, & interdum quoque *Diaphoretica*: *Externa* sunt *Paracentesis*, *vesicatoria*, *escharotica*, &c.

Quoad *Purgantia*: plura hic & varia passim in usu sunt. Inter multiplicia appropriata, selectiora saltem proponere est animus: quæ inter est primò *gratiola*, cujus Infusum ad ℥ iij. aut etiam si ad ℥ ij. decoquatur, vel etiam conserva ad ʒ ij. usurpetur, eleganter solet evacuare aquas hydropicorum. Post gratiolam in usu est *sambucus*, ejusque cognatus *ebulus*: & quidem in specie horum *cortex medianus*, ex quo expressus *succus* cum *oxymelle squillitico* propinatus insigniter aquas evacuare solet: sed ita, ut, *Autore* FORESTO *lib.19. Obser.37. in scholiis, si cortex* iste sursum à ligno abradatur, vomitus conciter; sin verò deorsum versus per inferiora abradatur, etiam per inferiora purget: de quo, experientia consulenda. Aliàs folia sambuci Decoctis addita, egregiè etiam solent aquas evacuare. Præ cæteris semper appropriatum & simul violentum Purgans est *radix ireos nostratis* flore cæruleo. Purgat sanè validè: sed in sapore ejusdem acerrimo simul vim hydropicam alterativam specificam latere existimo; unde quasi singulari proprietate ubertimè aquam hydropicorum educat. Usurpari potest vel *radix recens* in taleolas incisa, & ad ℥ iij. *infusa* in vino vel sero lactis cum cinnamomo, sicque fit potio vel infusum catharticum hydropicorum: vel ex radice rasa exprimatur *succus*, & per residentiam spontaneam sine calore depuretur, qui abjecto sedimento sub dosi ad ʒ ß. ʒ vj. ad ℥ j. propinatus, copiosè & violenter evacuat aquas. Dico per residentiam depuratum propinari debere succum ireos rejecto sedimento; nam si decoquatur, omnem ferè vim purgandi amittit. Ne verò acrimoniâ sua fauces lædat ac noceat, cum *syrupi violarum* ana mistus propinetur, ac ne ventriculum nimis labefactet, cum aqua *cinnamomi* parùm addita exhibetur; vel *radix recens* incisa blandè ebulliat in jusculo carnis pulli vel gallinacei, de quo ægro, præsertim debiliori existenti, tantum propinetur successivè, donec sufficiens subsequatur evacuatio. Quidam propinant succi hujus ʒ ß. cum ℈ j, pulveris soldanellæ marinæ, idque, uti dicunt, cum summo commodo; nam & ipsa soldanella, planta ex speciebus convolvulorum in oris maritimis Galliæ crescens, est decantata ad hydropicos purgandos: imprimis cum rhabarbaro convenientissimè jungitur. Dosis pro decocto est à M j., in substantia datur pulvis à ʒ ß. ad ʒ i. ad summum ʒ i ß. admisto ℈ i. pulveris rhabarbari, cum quo, uti dixi, lubentissimè jungitur. Aliàs *flores acaciæ*, item *flores persicorum* ex benignioribus sunt Purgantibus in Hydrope usitatis: In specie flores acaciæ nostratis vino infusi, vel, quod melius, ad M j. in sero lactis decocti, blandissimè & copiosè tamen aquas evacuant. Quidam parant syrupum florum acaciæ, qui tamen pro usu purgationis debent esse recentes, aliàs enim virtute purgante privantur. Syrupus etiam florum persicorum ad ℥ ij. propinatus suaviter evacuat hydropicorum aquas: quò etiam facit *syrupus de spina cervina* ad ℥ j. usurpatus; item syrupus hydragogus Mynsichtii, qui ad ℥ j ß. præscribi solet. Radix jalappæ, quæ est radix jasmini Peruviani apud nos in hortis crescentis, à ℈ j. ad ʒ ß. propinatur commodissimè ad evacuationem aquarum hydropicarum; aut etiam ejus *resina*, de qua vid. BORELLUS *Centur.2. Observat.23.*, ad gr.xv. vel scrup. j. cum vitello ovorum dissoluta, & in forma *emulsionis* propinata; aut *essentia* ejusdem *citrata* ad ʒ ß. vel ʒ vi. Misc. exhibeatur; vel etiam recipiatur hujus essentiæ cum spiritu Vini paratæ; ʒ iii. ad ʒ ß. vel drach.vj., misceatur cum syr. rosar. solutivo; vel dicta resina, in qua vis purgandi residet, cum stimulo leni colocynthidos commodè præscribitur: e. gr.

℞. *Tartari vitriolati* gr. xii.
Resin. jalap. gr. viii. ℈ ß. ad gr. xii.
Troch. vel *Extract. troch. alh.* gr. i. vel ii.
Olei destill. macis gutt. ii.
Cinnam. gutt. i.
(Semper enim habenda est ratio stomachi in purgatione hydropicorum)
M. f. Pulvis:
D. S.
Pulvis laxativus.

℞. *Sem. melon.* drachm. ß. ad drachm. i.
Res. jalap. gr. xv.
Cum *Aqu. menthæ & cinn.* f. emulsio:
D. S.
Emulsio laxativa.

℞. *Resin. ialapp.*
Salis tartari an. gr. vii.
Syr. rosar. sol. q. s.
D. D. S.
Succus laxativus.

℞. *Jalapp. pulveris.* gr.xv. ad ℈j.
Nitri depur. ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr.j. vel ij.
Ol. destill. anisi vel bacc. junip. gutt.ij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis laxativus pro una dosi.

℞. *Rad. jalapp.* gr. xvj.
Crem. Tartari gr. xij.
Extr. troch. alh. gr.j.
Ol. destill. cinnam. gutt.j.
M. f. Pulvis:
D. S. *ut antè.*

Gummi gutta seu chitta chemu, his accensetur, ac hujus Tinctura cum Tinctura Tartari paranda, aut Magisterium, seu resina, quæ etiam solet præscribi cum salibus digestivis, potenter evacuat hydropicos. Dosis est in substantia ad gr. xvj., Mag. gr.xij., miscentur cum salibus digestivis, ut faciliùs & securiùs operetur. Est sanè expertum remedium ad educendas aquas; sed cautus sit gummi guttæ usus, tùm, quod incognita sit ejus progenies, tùm, quod Autore LINDANO sæpiùs ab illo exulcerentur pulmones: quin potiùs omnibus his palmam præripit *Elaterium* seu succus inspissatus cucumeris asinini, quo vix datur tutius & præstantius remedium: loco cujus & *essentia* ex radice exsiccata parata elegans est remedium purgans. Modum præparandi docet MORELLUS *in Append: de Materia Med.* ubi de Elaterio *pag.*422. Item confici potest Extractum cum spiritu Vini tartarisato, quod frequentissimè & feliciter exhibuit B. D. MICHAELIS. Potest propinari à gr. xij. ad gr.xv. pro varietate præparationis, & ex eo parati possunt pilulæ unà cum aliis, imprimis Mercurio dulci, utpotè quod non secus atque omnia Mercurialia potenter aquas solet evacuare: e. g.

℞. *Extr. elater.* gr. xij. ad xv. vel ℈j.
Resin. jalapp. pro stimul. gr.ij. ad v.
(vel ubi evacuandum serum crassum & pituitosius,
Troch. alhand. gr. j. vel ij.)
Ol. destill. bacc. junip. gutt. ij.
Cum s. q. *Essent. absinth.* f. Pilulæ:
D. S.
Pilula purgantes.

℞. *Extract. elater.* gr.xv. ad ℈i.
Mercurii dulc. rite pur. gr. xv.
Extract. troch. alh. gr.i.
Ol. destill. bacc. junip. gutt. ii.
Cum *essent. absinth.* f. Pilulæ:
D. S. *ut antè.*

Quæ assumptè largiter evacuare solent.

℞. *Extract. elater.*
Panchym. Crollii an. ℈ß.
Mercurii dulc. gr. ix.
Ref. ialapp. gr. i.
Cum *essent. absinth.* f. Pilulæ:
D. S. *ut sup. à.*

„Sanè LINDANUS dicit: *Elaterium per se esse nobi-„lissimum remedium. Credo meum Parentem eodem centum „hydropicos servasse: nempe præscripsit aliquando rustico „gr.viii. elaterii in Pilulis, qui eas Parmacopœio persolvens „in præsentia eius statim deglutiit. Sed postmodum domum „tendens, motu illo pilulæ cœperunt operari, detrahensque ca-„ligas in via deiecit, & per superiora aquam reiecit, sicque „ventrem suum tumidum amisit.* Unde HELIDÆUS PADVANUS Decocto cucumeris asinini curavit aliquando hydropicum. Denique *radix bryoniæ* tanquam purgans suo modo ab HELMONTIO commendatur in „hydrope: sed, ut dicit, *correcto primo eius veneno corrosivo.* Certum enim est, purgantia esse maligna, unde egent correctione: sed est res non æquè facilis. *Optimus purgantia corrigendi modus est* per *sal tartari fixum*, vel *per fermentationem.* Infusum ergò bryoniæ cum sale tartari paratum, vel Decoctum, ad evacuandas aquas commendari solet. Ac sanè *bryonia* hæc in hydrope curando tanquam evacuans & alterans singulariter convenit: In specie in hydrope uteri singulare quid obtinere videtur. Dosis ℥ß. in infuso, vel syrupo ad ℥ß.

Colocynthis denique & ipsa, ubi crassiores & viscidiores sunt aquæ, commodissimè usurpatur. Aliàs *spiritus vitæ aureus Rulandi*, seu Essentia trochiscorum alhandal, est ordinarium purgans hydropicorum: sic loco istius trochisci isti alhandal decoquendi sunt in vino, scilicet ad ℈ i. bulliant in ℥ iii. vini, & sic fit Decoctum usitatissimum ad purgandos hydropicos, ubi non solùm aqua, sed & humor œdematosus in abdomine continetur. Experimentum est RULANDI, qui desperatam hydropicam cum fœtu mortuo hoc modo curavit: nempe propinato hoc Decocto per superiora & inferiora aquam reiecit, & fœtus expulsus est.

His *ex regno minerali* imprimis adnumeratur *luna*, è qua excellunt pilulæ lunares: nempe *crystalli* ex luna purissima cum *spiritu nitri* vel aqua forti paratæ, sapore amarissimæ, sed mirabiliter aquas hydropicorum evacuantes. Dico ex purissima luna; si enim tantillum, quod facilè & sæpè fit, veneris fuerit permistum, vomitus movet. Accuratissimam harum præparandi rationem cum omnibus encheiresibus optimè descripsit BOYLE *Tr. de utilit. Philos. Exper.* anglicè conscripto *Observ.97.* & WILLISIUS *l. a. Sect.2. cap.3. Crystallorum* talium gr. j. vel ij. ad iij. cum mica panis in *pilulas* redactarum aquam copiosam, sine ullo tamen symptomate, evacuare solent; adeò ut his ipsis aliquot hydropici curati fuerint. Aliàs &, *Mercurialia decantata* sunt in cura hydropiseos; unde imprimis *Mercurius dulcis* ex stimulo appropriato acuatus convenit, imprimis in hydrope scorbutico. Huc pertinet *Mercurius vitæ*, quem sine vomitu in hydrope operari plures testantur, & BULTON *Medic. Mag. pag.77.* cum oleo salis circulatum, tanquam specificum in hydrope purgans, commendat; unde *Mercurius dulcis* mistus *cum Mercurio vitæ* perquàm conveniens laxativum est. Hujus remedij & Mixturæ proportionem docet HARTMANNUS *in Praxi Chymiatrica pag.25. Edit. Cardilucii in 4.* Siquidem sub benè facta ista miscela, salia *Mercurii dulcis* figunt *Mercurium vitæ*, ut vim vomitoriam amittat, & evadat remedium maximam partem per inferiora purgans: Nempe

℞. *Mercurii dulc.* gr.xv.
Vitæ gr.xij.

Hæc trita invicem Catharticum dant non ignobile.

Præscribitur tunc temporis imprimis cum conserva florum Persicorum sub forma Boli: v. g.

℞. *Conserv. flor. Persic.* vel *gratiol.* ℥j.
Mercurii vitæ cum Merc. dulc. mist. gr.xij. ad xv.
(si enim sunt præter propter grana ij. vel iij. Mercurii vitæ correcti).
Extract. elater. vel *troch. allhand.* gr. j. vel ij.
Cum s. q. *Syrupi flor. Persic.* vel *de Spina cerv.* f. Bolus pro dosi j.

Nam Mercurialia fixa à Chymiatricis, in specie ab HELMONTIO, multùm commendantur: (dico fixa.) Denique *segmenta unguium* humanorum vino infusa, fortiter etiam purgant. HARTMANNUS præcipit, ut imprimantur umbilico Hydropicorum pro iisdem purgandis: Quod an respondeat experientiæ? nescio.

Cæterùm his Purgantibus semper interponenda sunt *Stomachica & massam sanguineam respicientia*, quæ vulgò vi aperiendi prædita dicuntur, & ferè sunt omnia amara, acria, & quodammodò salina, quæ & sanguinis crasin corrigunt, obstructiones & infarctus reserant, & imprimis urinam stimulant: inter quæ eminet *absinthium*, quod quacunque ratione, vel in cerevisia, vel in Decocto, vel sub Extracto aut essentia usurpatum nobile est, nec usquam omittendum.

Diureticorum autem, Hydropi appropriatorum, quamvis ingens sartago apud Scriptores observetur, non sine ratione tamen à Practicis haud levioris momenti eorum alia præ aliis seliguntur ac laudantur, v. g. linaria, petroselinum, daucus, genista, radix rusci, bardanæ, lignum sassafras, balsamus de capaybe, terebinthina, semen seseleos, dauci, herba cherefolii, radix petroselini, eryngii, ononidis, liquiritiæ, graminis, herba parietariæ. Inter alia excellunt in specie post absinthium ex asaro, Helenio, & gentiana petita remedia. Marrubium, in specie, ubi ab ictero ortus sit hydrops, laudatur à FORESTO *lib.19. Observ.10. in Schol.* Icterum enim radicitus curat: Item chelidonium maius eiusque radix specificum dicitur HELMONTII in hydrope. Quicquid sit, credo, quod chelidonium maius singulariter conveniat in hydrope, sive succus expressus, sive vinum infusum usurpetur. Hisce præ cæteris addatur *radix vincetoxici*, quæ vel per sudorem, vel per urinam operando, à multis tanquam specificum ad hydropem remedium laudatur, si sc. eiusdem Decoctum cum vino crebriùs & sæpius usurpetur; hoc enim ipsum, & per urinas & per sudores, eleganter curat hydropem. Alii parant essentiam vel Extractum eius, & hoc ipsum cum successu propinant Hydropicis: hinc est Destillatum *Paracelsi* commendatissimum ad hy-

ad hydropem, cujus descriptio habetur in HARTMANNO cap. 107., sine tamen spiritu vitrioli, ut vult HARTMANNUS, assumendum venit.

Compositio est sequens:

℞. *Tartari rubri* ℔j.
Rad. hirundin. seu *vincetox.* ℔ß.
Colcothar. ℥viij.
Vin. ardent. q. s. pro incorporatione, seu mistura.

Destillentur per alembicum, & probè rectificentur.

Hoc omni die bis vel ter dosi ʒß. ad ʒj. in vehiculo quodam appropriato vel vino Malvatico hauriatur. Pellit urinam, eamque fœtidam reddere facit. Continuandus est ejusdem usus per aliquot dies; nam primùm nihil, successivè tamen egregiè operatur, & ceu certum remedium solet commendari, & credo, quod imprimis, ubi vitium est ex mesenterii glandulis strumosis, conveniat vincetoxicum, cùm in hoc singularis lateat vis contra strumas.

Huc pertinet & radix *acori veri*, *caryophyllata*, *curcuma*, item *rubiæ tinctorum* & similes, ac imprimis *capitula alliorum*, quæ ob sal acre miranda præstant in cura hydropis, cùm elegantissimum diureticum sit allium. Præter enim exemplum BARTHOLINI *Cent.* 2. *Hist.* 74. Hydropici per Decoctum allii in lacte curati, facit huc, quod refert FORESTUS *lib.* 19. *obs.* 37., ubi refert Hydropem, aliis in vanum adhibitis, ex continuata comestione allii, multum aquositatis per urinam reddendo, insperatò fuisse curatam; sicut & mulierem hydropicam deploratam assumptione succi viridis allii expressi cum jure vervecis vel galli, provocato largiore urinæ fluxu restitutam observatum esse: Hinc optimè infusa diuretica ingreditur radix allii in vino infusa, quia optimè convenit in hydrope. Porrò *cortices capparum & tamarisci*, item *cortices citri aut aurantiorum* aliis convenienter adduntur. *Eupatorium* admodùm commendatur à LINDANO ad curam hydropis: usurpatur semper tempore intermissionis à Purgantibus: item *anserina*, flores *cyani*, & flores *calcatrippæ*; quorum Tincturæ solent laudari ab *Agricola* ad curam hydropis.

Hisce præ cæteris addenda sunt *juniperus*, tàm lignum, quàm specialiter ejusdem *baccæ* aromaticæ, & omnia *juniperina*, quæ multùm conducunt contra hydropem. Unde baccæ conducunt in vino, vel *rob* baccarum juniperi, quod simul egregium alterativum existit; essentia & spiritus baccarum juniperi; hinc *Malvaticum juniperinum* ex spiritu baccarum & rob juniperi, mistum cum Tinctura *nephritica*, in hydrope egregiè prodest: v. g.

℞. *Malvat. juniper.* ℥jv.
Tincturæ nephrit. aut hujus loco *spiritus carm. de trib.* ʒj.
M. D. S.
Malvaticum diureticum.

Pro dosi cochl. j. vel ij. pro lubitu.

Sanè *Decoctum ligni juniperi* longè magis appropriatum sudoriferum existimo, præsertim in anasarca, quàm *Decoctum ligni guajaci & sassafras*: Unde & *Decoctum baccarum juniperi* in vino generoso experimentum est RULANDI, quo ipso per sudorem & urinam hydropem curavit. Conf. M. A. N. C. *Ann.* 9. *Obs.* 18.; ubi Mj. absinthii cum Mß. baccarum juniperi in ℔vj. cerevisiæ vel vini decocta, addito rha-Pontici pauxillo, mirè commendat VOLCAMERUS, & ut probatissimum extollit remedium, si viscera adhuc salva sint. Ulteriùs ad Diuretica pertinet herba *Kali* dicta, quæ quidem olim saltem in Ægypto procrevit, nunc verò apud nos reperitur, saporis admodum salsi instar muriæ, cùm in specie prope Halam Saxonum, ubi lacus & fontes planè salsi sunt, & in specie Stasfurthi, copiosè provenit. Scilicet accipitur herba Kali recens & contusa, exprimitur, postmodùm addendo parum cinnamomi bis quotidie ad ʒß. usurpatur in haustu cerevisiæ, vel vini calidi: ita elicit copiosam urinam beneficio sui salis muriatici, & desperatam hydropem curat, idque singulare quorundam experimentum dicitur: singulis septimanis, tribus tamen diebus usurpatur, aliàs nimis urinam pellit. Reliqua vulgaria aperientia, quæ omnia sunt sudorifera & diuretica simul, cùm ubique prostent, transmitto. Interim hæc remedia variis sub formis adhibentur, nunc sicca, nunc liquida, v. g. *essentia absinthii, vincetoxici, & rorismarini*; quæ admodum laudatur à FERDINANDO, qui miraculosam dicit ad curam hydropis. In specie huc pertinet vinum chalybeatum pro potu ordinario, quod beneficio absinthii, rusci, cardui benedicti, &c. medicatum redditur, & ad quemcunque hydropem commendat *HARTMANNUS pag.* 229. Usurpatur tempore, quo vacamus à purgatione. Præter hæc salia, *alcalia* sunt, quæ pro usu diuretico hydropicis propinantur, & quidem in hydrope anasarca magis *fixa*, ubi reliquis Diureticis plus præstare observantur; In ea verò, quæ ad ascitem propiùs accedit, aut, ubi ex urina crassa, parca, intensè tincta, atque lixiviosa strictam nimis sanguinis crasin, adeoque serum in renibus haud decenter secerni suspicari licet, hæc potiùs noxia existunt, adeoque in ejusmodi casibus salia *volatilia*, aut nitrosa, conveniunt. *Fixa* inter, salia sunt lixivialia, sarmentorum vitium, juniperi, genistæ, stipitum fabarum, fimi columbini, sal cardui fullonum, sal tartari, absinthii, item cardui benedicti, &c. & tartarus calcinatus. Hæc ipsa salia diluuntur in vino, aut aqua appropriata, quæ imbibunt sal diureticum: lixivium filtratur, & ita sub hujus forma propinantur ægris. Admodum commendantur ad evacuandas aquas, & propter fortem penetrationem: v. g.

℞. *Salis sarment. vit.*
Fimi columb.
Juniperin. an. ʒj.
Solvantur in
Vini Rhenan. ℔ß.
D. S.
Lixivium diureticum.

De hoc subinde hauriatur:

Sed ratione saporis adduntur interdum quædam *Aromata*, ut firmetur meliùs tonus stomachi: Vel

℞. *Ciner. genist. ad albed. calc.* ℥iv.

Ponantur in vase vitreo ad digestionem cum ℔ij. *vini albi*, vel *aquæ appropr.* per aliquot horas. Colentur. Dosis ℥vj. ad ℥viij. bis in die.

Pertinet huc etiam *sal essentiale* tartari, item *flores salis ammoniaci*, vel lixivium diureticum Mynsichtii, itemque *lixivium ejus benedictum*, quæ ab ℥ij. ad ℥iij. aliquoties successivè propinata, egregia præstant pro cura hydropis; vel quod fuit experimentum D. ELLENBERGERI.

℞. *Ciner. tamarisci*,
Juniperin.
Sarmentor. vitis,
Salicis,
Genist. an. Mj.
Rad. vincetox.
Valerian. an. ℥ij.
Urticæ ʒß.
Angelicæ,
Enul.
Ireos nostrat. an. ʒiß.
Liquirit. ʒj.
Baccar. juniper. ʒß.
Rhabarb. elect. ʒß.
M. pro Nodulo:

Qui infundatur vino, vel ana aquæ & aceti vel vini, & de Colatura post infusionem crebriùs bonus haustus bibatur.

Præ cæteris tamen in hoc puncto eminent *cineres sarmentorum vitium*, si dissoluti in aqua appropriata hauriantur. Modò laudatus Practicus *lixivio* ex *stipitum fabarum cineribus*, &c. vetulam curavit hydropicam, quæ postea 4. adhuc liberos peperit. Post dictos cineres in specie sal lixiviale *juniperi*, item ex arbore betulæ aut quoque tiliæ in vino Malvatico sub forma lixivii est admodùm laudandum, ob vim diureticam per urinam hydropem potenter pellunt. Interim ex hisce præferenda sunt *salia volatilia diuretica*, in specie *salia volatilia ex tartaro* & remediis tartareis electa, ut spiritus tartari volatilis quicunque cum spiritu sambuci mistus, Tinctura tartari, spiritus carminativus de tribus ex nitro, tartaro, & spiritu vini, Tinctura nephritica, spiritus & flores salis ammoniaci simpl., spiritus salis ammoniaci succinatus, & oleo destillato juniperi oleosus, redditus, sal succini volatile, item *Elixyr proprietatis cum spiritu salis ammoniaci* paratum. ELLENBERGERI arcanum fuit *spiritus aperitivus Penoti*, qui aperit infarctus probè præparatus, *cum spiritu baccarum juniperi* admistus, ad gutt. 40. vel 50. D. MICHAELIS commiscebat essentiam suam hydropicam. Sic quoque ex regno animali conveniunt *urina humana*, ejus spiritus per putrefactionem, ejusque *sal volatile*: Nam ita per fermentationem parata urina, dat spiritum admodum volatilem & acrem; qui benè rectificatus ceu summum arcanum commendatur multùm à POPPIO in *Thesauro Chymico*, dum hic nempe spiritum *volatilem*

urinæ cum ana spiritus vini *rectificati*, addito pauco *ambræ & moschi*, digerit, postmodùm destillando probè unit, summumque dicit esse arcanum contra hydropem. Dosis ℈j. ad ʒß. mane & vesperi propinando. Sic juxta urinam humanam & pro pauperculis urinæ caprarum ac vituli destillatæ, & aliquoties usurpatæ, non secus atque urina humana, egregiæ sunt', & aquas hydropicorum prompte per urinas pellunt. Ac certè lotium humanum & ovinum aliquot diebus calidè potum vi diureticâ sunt euporiston pauperum ad hydropem: id quod in pauperibus, & aliquot opilionibus, expertus est PETRÆUS *in Dissertat. Harmonicis*, ubi notabilia habet; item hydropicos potu urinæ humanæ promptè fuisse restitutos. Pariter CROLLIUS excrementum anserinum viridiusculum ad ʒj. cum cochleari j. urinæ destillatæ, vel etiam pulvis scarabæorum unctuosorum laudatur à GLAUBERO in *ejusdem scriptis*, propinatum, & subinde usurpatum admodum laudat ad hydropem curandum.

Imprimis *lumbrici & lumbricalia* ceu specifica se offerunt: nempe vel *Decoctum lumbricorum* in vino propinatur, vel, quod melius est, si iidem putredine colliquescant, & spiritus volatilis urinosus cum sale volatili ex his destillatur, quod in haustu vini Malvatici, aut *Malvatico juniperino*, & quocunque vehiculo assumptus, egregius est in cura hydropis:

Vel

℞. *Spir. lumbric. terrestr. urinos.* ℥ij.
Volat. urinæ ʒj. vel ʒij.
M. S.
Spiritus diureticus.

Dosis ʒß. vel gutt. 60. bis vel ter in die in haustu vini cum baccis juniperi medicati, vel Decocto rad. fœnic. & baccarum juniperi cum vino assumatur, est egregium remedium; suscitat enim renes torpidos. Item, quod melius adhuc, paretur liquor ex lumbricis terrestribus per del. in clibano ad imitationem CROLLII *in Basilica Chym. Hartmanniana Editionis pag.* 349. Nempe lumbrici vivi probè purificentur beneficio musci terrestris, includantur cucurbitæ vitreæ; hæc involvatur pastæ farinaceæ, & ita in clibanum mittatur: sic fit, ut lumbrici resolvantur in liquorem limpidum, qui decantatus dosi cochl. j. bis in die exhibitus, egregius est ad hydropis curam. Quidam etiam propinant pulverem lumbricorum terrestrium. Eadem de *asellis* valent. De modo utendi vid. SENNERTUS, ubi de calculo vesicæ. Infundi etiam possunt millepedes cum Tinctura tartari, & Extractio, in hydrope scorbutico egregia, filtrari. Vel etiam pulvis scarabæorum unctuosorum laudatur à GLAUBERO *in ejusdem scriptis*. De cantharidibus vid. SENNERTUS *Prax. l.* 3. *pag.* 787. In specie *bufones* præ cæteris singulare quid obtinent in hydropis cura, & quidem quando contingit vitio renum; siquidem sicut primùm casu inventum hoc remedii genus, dum leviter calcinati & hydropico propinati eundem leviter per urinam curarunt; uti in SOLENANDRO, HILDANI *Epistolis*, & HORSTIO *in observ. pag.* 532. RIVERIO *Prax. l.* 11. *c.* 6. & WIERO *observ. pag.* 8. potest videri: ita postmodùm præmeditato consilio & uberiori experientiâ comprobati in usum vocati sunt. Dicitur tamen fuisse secretum experimentum KYPERI: nempe

℞. *Bufones* q. v.

Exsicca in umbra, post abscinde capita, & exime intestina, quod reliquum, redige in *pulverem subtilissimum*.

De hoc vel solo, vel cum *pulvere hepatis* proprii misto, dentur gr. x. ad xv. usque ad ℈j.; mirabiliter aquas hydropicorum educit per urinam, idque cum summo levamine. Potest dari pulvis hic 3. vel 4. vicibus, donec proveniat urinæ fluxus; ita tamen, ut 3. vel 4. dies post assumptiones semper interponantur, nè nimia fiat urinæ excretio; aliàs nimis debilitaretur æger. Unde autem bufones hâc vi polleant, non est adeò obscurum. Vis siquidem illa diuretica dependet ab alimentis, & in specie quia iidem canthatellis (sunt muscæ instar cantharidum aut scarabæorum, quas avidissimè devorant in stomacho, & colo eorum reperiuntur) vescuntur. Hi canthatelli turgent sale volatili diuretico, à quibus hoc, tanquam hydropiseos remedium, bufones accipiunt, unde & putrefacti spiritum & sal volatile nitrosum suggerunt, simile ei, quod est in lumbricis: potentissimum est diureticum; sicut pulvis bufonum calcinatorum est strenuum diaphoreticum. Aliàs *bufones* vivi contusi lumborum regioni applicati per copiosum urinæ profluvium hydropem solvere dicuntur. Differentia hæc inter *alcalia hæc diuretica fixa & volatilia* probè observanda, nec promiscuè usurpanda. Conf. WEDELIUS *in Pharm. pag.* 150. & WILLISIUS *in Pharm. Rat. P.* 1. *pag.* 316. & 367. Ulterius *lapis fulminaris* cum aqua quadam appropriata in alcohol tritus, erat specificum ad Hydropem & Icterum B. D. MICHAELIS, quod ipse habebat à TILEMANNO & D. HARTMANNO, qui his ipsis crebrò usi fuerunt:

℞. *Lapidis fulminaris dicto modo præp.* p. iij.
Exuviar. serpent. sponte decident. pulverisat. p. j.

Miscebat hæc, & ita à ʒß. ad ʒj. familiariter pro hydrope & ictero curando exhibebat.

Nam observatum fuit, notante HELMONTIO, exuvias serpentum, instar cinguli tenuum regioni seu lumbis alligatas, diuresin excitasse.

Denique pertinent quoque huc *opercula testarum cochlearum*, quæ ob singularem vim urinosam, quâ turgent, ritè parata, ceu probatum contra hydropem remedium laudantur. Unde benè depuratorum & simpliciter pulverisatorum mane & vesperi larga dosis in haustu vini vel liquore conveniente propinetur; pellunt enim per urinas: Vel, quod melius, alii cum *spiritu salis* resolvunt hæc opercula pulverisata, ita fit solutio urinosa, quæ coagulatur: quo facto ponitur in locum frigidum, ut ita per deliquium fluat, eodem modo atque tinctura vel liquor nephriticus paratur, & sic liquorem nephriticum egregium diureticum antihydropicum acquirunt: vid. M. A. N.C. *ann.* 9. *observ.* 79. Liquor iste per deliquium paratus ad gutt. xx. xxv. & xxx. in quocunque vehiculo, si fieri potest, calido, aut & Decocto radicum fœniculi vel petroselini ad curandos hydropicos est insignis. Loco spiritus salis in vino acidulo vel aceto solvantur, & idem erit. Huc facere videtur *Rumelii Diureticum* ex spiritu salis cum sale volatili succini coagulato.

Circa Diureticorum usum adhuc notetur:

1. Ut corroborantibus ac moderatè adstringentibus, e. g. Martialia &c., illa semper temperentur, aut saltim cum his frequentiùs commutentur; non quod talibus, ut veteres docuerunt, hepatis tonus confortandus sit, sed ut impediant, ne sanguinis crasis seu textura fusione nimiâ penitùs dissolvatur.
2. Ne, antequam primarum viarum evacuationes præcesserint, & portio quædam seri intra vasa & substantiam partium hærentis educta, nec antequam humores viscidi attenuati, & acriores contemperati fuerint, exhibeantur, ne illorum mole aut viscididitate urinariæ viæ obruantur & infarciantur, acrimoniâ verò eædem erodantur.

Juxta hæc *Diuretica* interdum etiam procedendum est ad DIAPHORETICA & SUDORIFERA; (interdum, non semper;) testatur enim experientia, quosdam largo sudore fuisse curatos, præmissis nempe præmittendis, in specie diureticis, & quidem *conveniunt magis in hydrope* ad anasarcam accedente, quàm in ascite: vid. SYLVIUS: imò intempestivè exhibita nullum levamen, sed loco hujus magnam sæpè noxam ægrotanti adferunt. Horum enim potestas ultra tertiam corporis regionem non extenditur, sed causam saltem antecedentem in secunda & tertia movent; sub hoc tamen periculo, ut Diaphoretica massam sanguineam fundendo, ac serum præcipitando, hoc æquè ad interiora & cavitates, ac per habitus externi poros, deponant: Vt taceam, aquas in illis fluctuantes ab horum usu magis exæstuare, spirituumque ac humorum motum variis modis turbari. Hinc experientiâ manifestum est, sudores ejusmodi subjectis semper in deterius cedere, quatenus iis febres, dolores capitis, vertiginem, lipothymias, aliaque cerebri & cordis symptomata movent, abdomine v. g. interim non collabescente, sed magis magisque intumescente: vid. PLATERUS *Prax. Tom.* 3. *pag.* 286. Atque hoc non paradoxon videri poterit illis, qui ex Topicorum calidorum, v. g. sacculorum & fotuum, saltem applicatione angustias majores, animi deliquia, similiaque symptomata ex tempore ægris oboriri observant, mox rursus exspirantia localibus illis remotis, ut experientia quotidiana docet.

Non nego quidem experientiam illam, quam nonnulli de curatis per sudorifera hydropicis allegant, v. g. BARTHOLINI *in Actis Haffniens. Tom.* 1. *observ.* 85.; nec illorum, qui sudoribus spontè obortis & quasi criticis hydropem non rarò solutum testantur, v. g. *HOLLERII Scholiographus de Morb. intern. cap.* 39. & *BARTHOLINUS Cent.* 3. *Hist.* 33. Diversæ tamen in allegatis observationibus

bus restant circumstantiæ, quæ dubitandi ansam insignem subministrant. Scilicet

1. Concedi debet, in anasarca & hydrope cavitatum tali, ubi seri extravasati non adeò multum est, sed major ejus portio intra glandularum ac viscerum substantiam, & vasa adhuc stagnat, sudorifera maximè prodesse; cùm per sudoris excretionem, vasis in habitu exinanitis, serum, quod interiora infarcit, ad illa commodè devolvi valeat, pauco illo, qui forsan in cavitate fluctuat, vel per naturam, vel per medicamenta, dissipabili; quale quid in hydrope illo vesicario, quem in asciticis interdum SCHENCKIUS *ex* CORDÆO, & communicatione EICHHOLZII, ac SALMUTH *Cent.* 1. *Observ.* 38. *testantur, & ex* BARTHOLINO *Cent.* 3. *Epist.* 28. & *Cent.* 4. *Epist.* 58. suspicari licet, pariter interdum contingere posse probabile fit, quatenus vesiculæ hæ cum fluido intrinseco vel immediatè, vel mediantibus parenchymatibus, communicant, eorumque contenta huic manifestiùs continua existunt.

2. Longè alia ratio videtur sudoris illius, qui hydropicis quibusdam criticus accidit, & qui arte excitatur: In illo siquidem blandus ac lentus fit seri à sanguine secessus, ut aqualiculi augmentum nullum veniat metuendum; In hoc verò non, nisi impetu & exæstuatione aliqua secedere ac prodire jubetur illud.

Tandem ac 3. qui ab Autoribus nominatis allegatur sudor asciten solvens, extraordinariam pororum dilatationem supponit, dum *Scholiographus* HOLLERII inquit: Per destillantem quasi aquam aliquando hydropem sublatum fuisse; & BARTHOLINUS aquam per poros cutis in immensum dilatatæ patullos stillasse perhibet.

Ex Sudoriferis atque Diureticis, quorum farrago amplissima deprehenditur, seligantur, quæ incidendi atque resolvendi vi maximè pollent; qualia sunt in specie dicta *iuniperina* suprà laudata, Decoctum lignorum, Decoctum milii, aliorumque vegetabilium aromaticorum, cum salinis præsertim volatilibus, sale volatili urinæ, vel sale volatili viperarum, & sub forma liquida magis, propinandis; modò sudore violentiâ propulso æger ad languorem non debilitetur, sed is lentè, ac repetitis vicibus cieatur; cùm nihil ab assumptis Sudoriferis periculi ægris immineat, quamvis nullus sudor promanet. Sed partitis vicibus exhibita humores viscidos solvunt, poros obstructos reserant, sicque ad sudorem secuturum omnia blandè disponunt. Occasionem primam, ut aliàs, casus suggessit. Refert nempe LANGIUS *suprà citatus, ut &* LIPSIUS *de Hydrope*, de rustico hydrope laborante, clibanum pistorium adhuc calidum ingrediente, & mediante largo sudore ita curato.

Forsan & SALIVATIO MERCURIALIS *interdum* cum fructu institui poterit, quam commendat SYLVIUS *de hydrope* §. 155., in anasarca scilicet & reliquarum hydropum specierum initiis adornanda, præprimis cùm salivatio interdum spontanea aut cum euphoria in ejusmodi casibus contingat, potissimùm in Belgio inferiore; ita tamen cum talibus circumstantiis adornetur, quales ex *Collegio Institutionum &* SYLVIO supponimus. Conf. GREMBSIUS *Tr. Arbor Integra & Ruinosa Hominis lib.* 2. *cap.* 1. §. 6. *Aliqui*, inquit, *in Curatione Hydropis utuntur Mercurialibus præmisso digestivo*:

» ℞. *Magist. tartari vitriolat.* ℨiß.
» *Fecul. bryon.* ℨj.
» *Salis card. bened.*
» *Genist.* an. ℨß.
» *Mag. corall.* ℈ij.
» M. *pro* 8. *partibus*;
» *Posteà porrigunt sequentem bolum*:
» ℞. *Mercur. dulc.* gr. xv.
» *Gum. gamandr.* gr. v.
» *Conf. rosar.* ℨß.
» *Sum syr. rosar. q. s. f. Bolus.*
» *Dosin posteà tribus granis augent*,
» *usquedum salivatio oris superveniat.*

Hæc sunt *interna* satisfacientia Indicationi primæ.

EXTERNORUM usum ipsa docuit natura, quæ nunc per spontaneam in umbilico abdominis tumidi apertionem, nunc per vesicas in cruribus excitatas, nunc foramine in pollice pedis spontè aperto, successivè collectam colluviem evacuando hydropicos curavit. Quando ergò dictis modis urina & aqua hydropicorum evacuari nequeunt, subindè usu venit, ut per varios modos chirurgicos apertos extrahatur aqua. Modi sunt varii.

Quoad *umbilici apertionem*: non pauca prostant exempla ita restitutorum, qualia exempla videbitis in SCHENCKIO, item AMATO LUSITANO *C.* 5. *Cur.* 37. Unde si tumidus promineat umbilicus, tutissimum est, ut in medio instituatur punctio; ibi enim est locus optimus: aut applicentur umbilico aperientia, ut promoveatur apertura; sic enim jucundè & citra incommodum solet evacuari materia. Ad hujus imitationem instituta fuit primitus *paracentesis*, h. e abdominis artificialis apertio, quæ in majori copia & celeriùs aquas hydropicorum evacuat; & hujus vicaria *scarificatio*: quarum posterior illis, quæ habitum corporis externum inundant; prior aqualiculis tantùm curandis inservit; quamvis à MICHAELIO per hanc tori abdomini applicatam asciticos quoque curatos HORSTIUS *Cent. Problem. Decad.* 7. *Quæst.* 8. §. 6. perhibeat. Instituitur nunc veterum methodo, pertundendo abdomen per lancettam, imponendo hinc cannulam; nunc, idque melius, recentiorum methodo per acum argenteam perforatam. Nec refert, sive per scarificationem chirurgorum, sive acu saltem communi, quem WILLISIUS *cap.* 5. commendat, aut stilo argenteo adornetur, modò præceps ac nimius aquarum profluxus præcaveatur: sic enim, si illuvies hydropica non satis exhauritur, certè in hydrope etiam deplorato vita ægrorum aliquandiu prorogatur. Locus convenientissimus est umbilicus tumefactus, hinc à latere umbilici aliquot digitorum transversorum latitudine, notando simul membranam peritonei in hydrope valdè crassescere: vid. BARBETTE *Chirurg. & Anatom. Pract. item Observationes, Cultro Anatomico* LYSERI *annex. pag.* 283. & HORNIUS *Microtechne pag.* 99. Emittenda autem venit aqua successivè: nam ex subitanea ejusdem extractione mors subinde sequitur: vid. TIMÆUS *von Guldenklee in Responsis pag.* 31. Unciæ verò vj. vij. vel x. pro virium ægroti ratione evacuentur. Conferatur TULPIUS *lib.* 3. *Observ.* 38. *item lib.* 4. *Observ.* 42. HILDANUS *Centur.* 1. *Observ.* 47. *Cent.* 2. *Observ.* 58. PANAROLLUS *Pentec.* 2. *Observ.* 17. & in genere quivis Chirurgi. Operatio hæc in se est tutissima, & quæ aliis remediis internis, præsertim alterantibus ritè adhibendis, optimè inserviet, modò in tempore adhibeatur.

Verùm utut præsentissimum non rarò fit remedium; quia tamen intempestivè atque incautè adhibita sæpiùs quoque aut ægrum interimit, aut certè non curat, hinc multis Medicis ejus usus maximè suspectus est: summâ igitur cautione hoc remedii genus tàm suaderi quàm administrari debet, ne prostituamus hoc nobile remedium. Nam *in duobus imprimis fallit casibus*:

1. *Quandò ea nimis tardè adhibetur*: sic enim fit, ut nimis profundè radicato malo, & priùs corruptis aut labefactatis plus minus à colluvie visceribus internis, ob præterlapsam occasionem malum non cedat. Et sanè magis in ascite, seu hydrope abdominis particulari, quàm universali & anasarca locum habet. Non omni tempore hæc operatio prodest, sed in principio atque incremento morbi duntaxat, cùm progressu temporis serum extravasatum acrimoniam contrahat, ac interranea hactenus sana corrumpat, viresque simul deficiant. Ideoque hactenus recensitis remediis, haud brevi proficientibus, ad Paracentesin festinandum.

2. *Quando cum hydrope ipso coniunctus est scirrhus*, vel aliud vitium singulare visceris cujusdam nobilioris, tunc evacuatur quidem aqua; restitante tamen scaturigine palliativum saltem est remedium; sic enim hydrops semel curatus recrudescit iterum. Paracentesis igitur tunc potiùs administranda, quando suspicio est viscera adhuc esse valida; vasa saltem lymphatica minora, non majora, lacerata; motus humorum facilè restitui posse; & à causa evidenti sola, v. g. potu immoderato, hydrops emergit; quando morbus non est adeò inveteratus; tandem quando hydrops particularis est.

His probè observatis, innoxia planè & salutaris evadet hæc operatio: vid. SYLVIUS *Prax. lib.* 1. *cap.* 17. *de Hydr.* §. 128. & 129. *ac de Affect. Epidem. Leidens.* §. 534.

Præterea juxta abdomen *& scroti nimis tumidi*, ad naturæ imitationem, interdum *fit apertio*, vel ferro, vel cauterio, atque sic optimè spongiâ admotâ successivè evacuatur aqua: Quæ ipsa tamen apertio, si per naturam ipsam fiat, est optima; si per chirurgiam, nec maturè administretur, non semper est æquè tuta, quia interdum scrotum hinc gangrænosum

nosum factum decidit, citra tamen periculum ægri. Probè igitur hic observandum, ne, quod facilè evenit, in loco aperturæ gangrænam concipiat. Labefactatur nempe partium membranosarum continentium tonus & spiritus insiti vigor à contenta colluvie, quæ magis per loca aperturæ jugiter destillans facilè mortificationem inferre potest. Hæc ipsa igitur sedulò præcavenda, defendendo partem circa locum apertum, *non communibus saturninis ac similibus remediis, defensivis dictis*, ad inflammationem aliàs usitatis, sed *additis* in specie *balsamicis*, *resinosis*, *amaris*, ad gangrænæ curam aliàs usitatis: hinc *emplastro de minio Paracelsi* adaptatur *emplastrum dia-sulphuris Rulandi* ceu Præservativum gangrænam inhibens. Interim tamen, si gangræna scroti invalescat, ut penitus decidat, aquis successivè evacuatis, postmodùm carne quadam testes involvente, & instar pilæ eos continente, scroti defectus spontè naturæ resarcitur: vid. TIMÆUS *von Guldenklee in Cas. pag.* 269. Id quod pariter & in lue venerea post scroti sphacelum obvenire observavi. Propter periculum hocce hydropicis rarò perforatur scrotum.

Post scrotum *& crura subindè scarificari solent*, ob hanc rationem, ita excitatum fuisse effluxum aquarum, & ægros evasisse sanos: Nempè circa loca carnosa, & circa suras instituendo scarificationem lenem, *ita ut incisiones à se invicem aliquantisper distent*, *Defensiva* suprà & infrà admovendo. Promptè enim levi factâ cutis læsione copiosum serum transudat, linteolo molli citra frictionem abstergendum, vel appositâ spongiâ excipiendum, ac prætereà loca vicina propter facilem gangrænæ metum defendenda, nempè fovendo subindè cum spiritu vini *simplici*, *aut theriacali*, *aut crocato*, & imponenda desuper *emplastra balsamica defensiva*. Quin & ne vulnuscula gangrænam concipiant, spiritu vini *camphorato* subindè eluenda sunt.

Prætereà vesicæ spontaneæ subindè in cruribus se aperiunt, quibus disruptis multa aqua evacuatur, unde iisdem *folium brassicæ* est applicandum, utpote quod multum seri extrahit. Observatum fuit, quod plantago aquatica contusa, & pedibus nimis tumentibus applicata, vesiculas copiosas satis excitaverit, quæ postmodùm apertæ multum aquæ reddidere cum insigni ægri levamine. Ad hujus imitationem quidam *vesicatoria* locis crurum carnosis applicant, nempe vel prope suras, vel in parte carnosa femorum, & humeris; His enim apertis copiosa colluvies evacuatur, & loca ista carnosa minùs facilè gangrænam concipiunt, quàm nervosa. Aquam autem intercutem saltem, non intra cavitates collectam, nisi ex abdomine serum ad crura ruat, educunt, ut, præter RIVERIUM *Observat. à* JACOZ *commun.* 21., WILLISIUS testatur; modò sub tali cautela applicentur, ne, quia magnam sæpè post se illuviem ex tota vicinia trahunt, spiritusque enervant, ac calorem partium extinguunt, sphacelum inducant, prout inter alios SEPTALIUS *Animadvers. Medicar. lib.* 7. §. 56. HILDANUS *Cent.* 1. *Observ.* 49. & SYDENHAM *de hydrope*, animadvertunt: qua de causa non tantùm artuum extremitatibus, quàm femoribus & humeris, ac in hydrocephalo, externè pone aures ac in nucha admoveantur. Quod si sponte fiant, optimum est.

Cæterùm, quoniam confertim nimis per vesicatoria fit Evacuatio, & majus de gangræna imminet periculum, potiùs *Escharotica* seu *Canteria*, vel *actualia* vel *potentialia*, circa loca carnosa applicant, quæ vesicatoriis ideò anteponenda, quod in principio lentè magis operentur, & ratione escharæ contra gangrænam partes firmiùs muniant: vid. WILLISIUS *l. a.* His ipsis enim successivè per parvum foramen cum minori gangrænæ metu fit evacuatio. Quibus tamen pariter serum saltem intercutaneum, minimè quod in cavitatibus fluctuat, educitur, nisi forsan paracenteseos vicem in ventre gerant, aut ex cavitatibus serum ad habitum, v. g. pedes, ruat. Verùm non semper imitari possumus; nam in hydrope inveterato, & in quo pedes diu tumidi, ac partes corruptæ apparent, in qualibus casibus periculosissimum est cauteria applicare, quia frequentissimè insequi solet gangræna, quæ repit ulteriùs, nec eidem resisti potest. Ideò non instituenda sunt nisi in corpore robusto & juvenibus, licet & hic cautelâ opus sit. *Modum applicandi cauteria* unà cum defensione crurum à gangræna, optimè refert WILLISIUS *Pharm. Ration.* P. 2. Nempè fotus aromaticus partem confortat debilem, cujus robur per balsamicam vim *picis Burgundicæ* conservatur, sicque gangrænæ metus optimè præcavetur. Quin & *punctura cum acubus* ob evacuandas aquas optimè institui possunt: vid. WILLISIUS *l. c.* Nihil tamen refert, sive per scarificationem chirurgorum, sive acu saltem communi, quam WILLISIUS commendat, paracentesis instituatur, modò aquarum profluxus præceps ac nimius præcaveatur. Hisce succedit denique *profundior paululùm unguium abscissio*, in specie in digitis pedum, qui modus tutissimus est; hâc enim occasione successivè quasi aqua transudans & destillans hydropicos deserit, idque sine periculo, potiùs cum emolumento: videatur SCHENCKIUS *in Observat.* & SENNERTUS *l.* 3. *Prax.* P. 8. *S.* 2. *c.* 7. Remediis chirurgicis quoque accensentur *ligaturæ expulsivæ*, quales non saltem in tumoribus pedum œdematosis interdum magnæ efficaciæ observantur, sed RIVERIUS quoque à FOMIO *commun. observat.* 6. in hydrocephalo quoque recens nati infantis, sine ullis aliis remediis effectum singularem præstitisse perhibet: sine dubio, quatenus in partibus compressis influxus seri ulterior inhibeatur, ut reliquum ejus vel à venis ac lymphaticis vasis resorbeatur, vel per emunctoria solennia eliminetur.

His modis *primæ Indicationi* satisfieri solet.

Hæc interim dum fiunt, & postquam facta, antecedentis etiam causæ habenda est ratio. *Quoad secundam igitur Indicationem*: In usu sunt ALTERANTIA in genere sic dicta, varianda subindè pro causarum remotarum differentiis. Quæ tamen ordinariò ferè locum habent, sunt imprimis *Martialia & amara*, aliàs *Hepatica & aperientia*, calefacientia dicta, humorum visciditatem corrigentia, incidentia atque corrigentia: quæ inter excellit *absinthium*, adeò ut existimem, *potissimam hydropis curandi vim sitam esse in marte & absinthio*. Juxta hæc sunt & *veronica*, *ceterach*, *satureia*, *scolopendria*, *cortex fraxini*, *vincetoxicum*, *chelidonium maius*, *rhabarbarum*, *marrubium*, *rubia tinctorum*, *allium*, *hedera terrestris*, *bellis minor*, *rob juniperi & sambuci*, *tartarea* quævis, *lapis ceraunius* seu *fulminaris*: quæ omnia eò nobilioris sunt effectus, quò ipsorum usu, sed additorum aliorum ratione, copiosior urinæ fluxus supervenit. Hinc quælibet *Martialia aperitiva*, *pulveres & extracta anticachectica*, præsertim cum tartaro præparata, aut sociata, tartari martiales, croci martis aperitivi, essentię martis liquidæ, & similia, sunt convenientissima, iisdem temporibus cum aliis alterantibus usurpanda; quibus à purgantibus vacamus. *Martialia* magni ab omnibus in his casibus æstimantur, quatenus non saltem acrimoniam humorum temperant, sed eosdem quoque in fermentationes novas cient, prout WILLISIUS *de Morbis convulsivis cap.* 11. & *Pharm. Ration.* Part. 2. *Sect.* 2. *cap.* 5. docet: sic vinum *martiale hydropicum Cnæffelii videb. in M. A. N. C. ann.* 6. *app. pag.* 107., ubi simul integra hydropis cura, tàm per interna, quàm per externa reperitur. Quò referenda quoque cura hydropis, quæ recensetur in BARTHOLINI *Actis Hafniens. volum.* 5. *observat.* 119. *Absinthium* nobilissimum est simplex in hydrope quocunque usu; cerevisia, vinum, essentia, extractum absinthii, &c. singulariter hydropicis conducunt. Solius absinthii usu plures hydropici curati observati fuerunt: vid. *M. A. N. C. ann.* 3. *observat.* 322. & *ann.* 9. & 10. *observat.* 18. RHODIUS *Cent.* 3. *Observat.* 12. & FEHRIUS *de absinthio pag.* 116. Unde quidam coagulant spiritum salis cum sale absinthii, & hoc tanquam sal salsum tertium ceu expertum ad hydropem commendant, cùm potenter aperiat. BORELLUS *Cent.* 2. *Observat.* 53. Decoctum veronicæ laudat. *Vincetoxicum* à pluribus decantatum specificum est, cujus *Decoctum* per sudorem & urinam specificè hydropicis confert: vid. M. A. N. C. *ann.* 1. *observat.* 57. *Rhabarbarum* alterans quoque specificum ad hydropem, ita ut existimem, electuario facto ex rob *juniperi* cum *rhabarbaro* multum præstari posse in hydrope: e. g.

℞. *Rob juniper.* ℥iß.
Extract. Martis cum succo pom. ʒß. vel ʒvj.
Pulv. rhabarb. elect. ʒij. vel ʒiij.
Cum *aqu. cinnam.* f. electuarium.

Confirmat RIVERIUS *in Observat. commun.* dum refert, post vomitum sanguinis ortum ascitem per *infusionem rhabarbari* pro potu ordinario curatum.

Chelidonium maius, item *marrubium* specifica sunt ad hydropem, præsertim si icterum insequatur. *Allium* quoque vi alterativâ & diureticâ hydropicis multum confert, de quo *suprà, ubi de diureticis*.

De

De *hedera terrestri* aliquot novi exempla: est hic vir, maximè ad anasarcam proclivis, & cujus crura jam aliquoties insigniter tumefacta copiosum serum per aperta ulcuscula emisere; hic per *Decoctum hederæ terrestris & absinthii* in cerevisia secundaria quotidiè aliquoties calidè bibitum hactenus pancreaticè vixit; siquidem semper copiosum urinæ fluxum procuravit; sicut simul quoque *absinthii* familiaris ipsi erat usus. Quoad *hederam* verò *terrestrem*, notabile est sequens exemplum: Mulier quædam desperatè hydrope laborans, & à medicis relicta, usu *succi radicis ireos in vino Malvatico* hausti, & interno & externo usu *herbæ hederæ terrestris* convaluit: nempe aniculæ suasu extrà *hederam terrestrem* locis tumentibus imposuit, unde notabiliter tumorem remittere observavit; quo ipso animata & ipsam herbam in aqua vel cerevisia decoctam calidè & copiosè hausit, & tali hujus usu, cum *succo ireos* interdum repetito, convaluit. FERDINANDUS *essentiam rorismarini* singulariter commendat. *Rob iuniperi & sambuci* vi alterativâ bilis & sanguinis, diaphoreticâ, ac diureticâ multum valent in hydropicis, adeoque pro corpore Electuariorum aut aliarum formularum commodè inservire possunt. Ex *tartaro tinctura tartari acris*, vel sola, vel in scorbuto cum spiritu cochleariæ mista, *terra foliata tartari*, *tinctura martis tartarisata Ludovici*, *tinctura vitrioli martis* Zwelferi, *spiritus tartari probè rectificatus*, ac similia, *sal tartari*, &c. polychresta sunt, & tanquam digestiva purgantibus præmittenda optimè conveniunt. Quoad *ceraunium* præparatum, vid. *suprà, ubi de diureticis*. Pariter hujus loci erit, quod MARCELLUS DONATUS *Hist. Mirab. lib.* 4. *cap.* 21. refert: quendam hydropicum assiduo labore sine ullis aliis remediis fuisse curatum. Illud de digestivis ac incidentibus adhuc notetur, quod SYLVIUS sæpiùs inculcat, ut, dum illa assumuntur, in lecto se contineat, & ad blandum sudorem corpus disponat æger; sic enim faciliùs præstant, quæ præstare debent: quatenus hac ratione illorum motus ad partem affectam, æquè ac operatio in humorem peccantem, notabiliter promovetur.

Ex his variæ fieri possunt formulæ contra hydropem. In principio imprimis Nodulus cum sale tartari convenit: v. g.

℞. *Rad. vincetox.* ℥iß ad ℥ij.
Herb. chelidon. maj.
Marrub.
Absinth. an. Mj.
Cortic. citri,
Aurant. an. ʒvj.
Sem. fraxini,
Cumini,
Anisi,
Fœniculi an. ʒij. vel ʒiij.
Bacc. junip. contus. ʒiß.
Galang.
Caryophyll.
Gingib. an. ʒj.
Sal. tartari ʒvj. (vel *sal. tart.*, *absinth. genist.* an. ʒj. ad ʒij.)

Incis. & contus. infund. vino, pro repetitis pro lubitu haustibus.

Idem facilè potest fieri purgans, addendo radicem Rhabarbari, hellebori nigri, esulæ non præparatæ, &c.

Vir quidam hydropicus sequenti Nodulo fuit curatus, quem mirè per urinam evacuare dicebat:

℞. *Rad. cichor.* ʒiij.
Gram. ℥ij.
Gentian.
Helenii,
Cortic. rad. cappar. an. ℥j.
Ligni sassafr. ℈ij.
Com. absinth. vulg.
Pont.
Fol. card. bened.
Summ. centaur. min. an. p. j.
Flav. cort. citri ʒij.
Ex incisis f. Nodulus.

Cui affundatur dimidia mensura *vini Malvatici*, seu alius *Hispanici*, stent in loco tepido per diem & noctem: hinc bibatur mane haustulus unus, horâ unâ ante usum jusculi. Continuentur autem tales potiones necesse est aliquandiu.

Omni septimanâ simul bis *clysma emolliens & carminans* applicatum fuit, & simul *sacculus ex aromaticis & carminantibus* in aqua vel vino coctus abdomini & scroto impositus fuit. Item

℞. *Malvat. iuniper.* ʒij. ad ℥ß.
Spirit. aperit. Penoti ʒij.
M. D. S.
Essentia aperiens.
Dosis à guttis 40. ad 50. Item

℞. *Spir. carminat. de tribus* ℥ß.
Salis ammoniaci simpl. ʒij.
M. D. S.
Spiritus aperiens.
Dosis ʒß. aliquoties in die, in vehiculo conveniente. Item

℞. *Salis fimi columb.* vel *sarment. vitis* ʒj.
Pulv. bufon. ʒß. vel ℈ij.
Misc. pro pulvere:
Div. in 2. part. æquales:
D. S.
Singularis pulvis contra hydropem.

Hæc tantùm pro formulis; Usus & experientia plura docebit.

Item fiat *vinum chalybeatum* ad imitationem HARTMANNI, *ubi de cachexiis*, in quo coquitur *absinthium*, *rubia tinctorum*, *carduus benedictus* &c., quod commodè pro potu ordinario usurpari potest.

Seri acrimoniam, quam causam interdum erosionis vasorum esse *superiùs* dixi, corrigunt diversa diversitati acrimoniæ resistentia, præprimis tamen lentore notabili denotata, v. g. tragacanthum, mastix, radix cynoglossæ; & oleaginosa, ut semen violarum, & hyoscyami, ac nucleorum emulsiones; item Terrea & Testacea, v. g. lapilli cancrorum, mater perlarum; & Balsamica seu vulneraria. Quamvis negandum non sit, ejusmodi acrimoniam rariùs in principio subesse, sed cum sero demùm evacuato contrahi; ac às in hydropicis frequentiores viscerum erosiones forent. Quod si verò vasorum & viscerum obstructiones atque indurationes circulationem seri turbent, hinc hydropi occasionem præbeant, harum medelæ incumbendum per illa, quæ diuretica, diaphoretica & attenuantia superiùs dixi; quamvis parum admodum spei in posteriore casu subesse ex prognosi constet.

Tandem etiam fibrarum cutanearum laxitatis & imbecillitatis cura habenda est, qualem & per eam hydropem trigus induxisse videtur apud *BARTHOLINUM Cent.* 6. *Hist.* 17., adeoque sæpè copiosioris seri affluxus causa existit. Scopo huic satisfaciunt nervina spirituosa, balneorum, pediluviorum, fotuum & lituum formâ applicata: e. g. in cruribus œdematosis optimè applicatur spiritus vini, spiritus vel aqua articularis, Balsamus Anglicus, aqua vitæ Saxonica, &c. item Emplastrum de Alcalibus *TACHENII in Morbor. Principe.* Adstringentia, quæ *RIVERIUS observat. communic.* 9. *pag.* 369. MARCELLUS DONATUS *lib.* 4. *cap.* 21. aliique commendant, meritò reiicio, cùm ex pororum occlusione, & hinc transpiratione insensibili impedita, plura mala oriri, imò ipse hydrops regenerari possit.

Denique si *erosio atque ruptura vasorum similiumque organorum subsit*, consolidantia seu vulneraria propinentur, quatenus agrimoniam, chærefolium, veronicam, verbenam, vincetoxicum, &c. hydropicis multum prodesse, experientia comprobat.

Et hæc est Cura hydropis ordinaria.

De extraordinariis ejus Curis, quando per continuam sitim, vel per esum halecis sine omni potu, quale exemplum *in Paralipomen.* habet SENNERTUS *pag.* 149., item quando æger hydropicus repit in furnum pistorium, ita ut caput saltem promineat, nihil ampliùs moneo.

Porrò in hydrope duo symptomata maximè urgent, nempe *difficilis Respiratio & clamosa sitis*.

Quoad Respirationem difficilem: suprà sub puncto anasarcæ curandæ dixi convenire vomitum. Interim usitatum quoque est sperma ceti à ʒß. ad ʒj. in vehiculo fervido vel vino Malvatico usurpatum, quod ipsum remedium efficax deprehendi.

Quoad verò *sitim* clamosam *urgentem*, quæ est unum è præmissis symptomatis hydropicis, cùm nimia potus ingurgitatio

gitatio noceat, opera detur, ut fallatur, & palliativè sistatur; quod fit per mastichen, si nempe grana hujus in ore teneantur, & sedulò masticentur; sic enim blandus sapor ex iis prolectus sitim compescit. Quò magis enim abstemii sunt à potu hydropici, eò faciliùs curantur. Siquidem plura prostant exempla hydropicorum solâ potus abstinentiâ curatorum: vid. HILDANUS *cap. 4. observat. 41.*, ubi refert, hydropicum, qui potus abstinentiâ per 4. septimanas curatus est. Quod si verò necesse sit, ut bibat æger, imitemur RULANDUM, qui meliore inventione

℞. *Bacc. iuniper. contus.* M. ij. vel iij.
Decoqu. in *seri lact.* ℔vj.

Et ita hoc Decoctum propinat pro Potu ad sistendam hydropicorum sitim, quod elegans est ob vim diureticam latentem: cui addit parum *de succo granatorum*.

Nitrum optimè purificatum continuò in ore retentum, ut liquescat, proficuum est hydropicis; aut etiam potui eorundem cuique additum sitim temperat, urinam ciet, & optimè iisdem confert. Sic quoque radix liquiritiæ masticata cum passulis & similibus in ore detineatur, aut assumatur, temperando acre salsum, sitim excitans, hanc mitigat. *Vinum seu succus granatorum*, aut julepus cum succo granatorum temperatus, non immeritò ab HARTMANNO commendatur: *vel spiritus salis dulcis* parva in dosi subindè propinatus ad sitim egregius est, simulque diureticus; item spiritus salis coagulatus Rhumelii. Acetum aquâ chalybeatâ dilutum, abluendo os usurpatum, etiam sitim fallit. Subindè etiam tinctura florum bellidis potui additur ad mitigandam ferociam sitis.

Hæc fuerunt Interna.

Præter hæc Interna etiam *Clysmata* multis usibus hydropicis inserviunt, præsertim cùm pectoris ac capitis urgent symptomata, utpote serum è vasis atque substantia intestinorum ac mesenterii sine totius massæ sanguineæ exagitatione prolicientes, ita ut illâ depletâ serum extravasatum aliquantulum imbibant. Enematum ejusmodi ingredientia sunt hydragoga cum aromaticis mixta, v. g. herba gratiolæ, soldanellæ, betæ, flores genistæ, sambuci, chamomillæ, centaurii minoris, radix ireos nostratis, bryoniæ, cortices interiores sambuci, frangulæ, semen carthami, cumini, carvi, &c.; quæ majoris efficaciæ erunt, si in urina decoquantur: v. g. pro clystere stimulante

℞. *Decoct. fl. chamom.* ℔ß.
Urin. hum. ℥iij.
El. lenitiv. ʒvj.
Ol. destill. tereb. ℈j.
M. pro Clysmate: S.
Clyster abducens.

Ex acrioribus

℞. *Cortic. interior. frangulæ,*
Sambuci an. Mj.
Herb. absinthii M. ij.
Rad. bryon. ℥j.
Ireos nostrat. rec. ʒvj.
Baccar. junip.
Lauri an. ʒiij. vel ℥ß.
Sem. cumini vel *carvi*,
Fœniculi an. ʒij.
Coqu. in s. q. *urina puer.* vel *seri lact.*
℞. *Colatura* ℥viij. vel ℔j.
in qua dissolve
Electuar. hiera cum agar.
De bacc. lauri an. ℥ß.
Vitell. ovor. no. j. vel ij.
M. f. Clysma pro 2. dosibus: S.
Clysma abducens pro 2. dosibus.

℞. *Cortic. interior. frangul.*
Sambuc. an. M. j.
Rad. bryon. ℥j.
Ireos nostrat. rec. ℥ß.
Bacc. lauri,
Juniper. an. ʒiij.
Coqu. in s. q. *aqua commun.* addendo parum *urina pueri*:
℞. *Colat.* ℥ix.
adde
Mellis parum.
M. f. Clysma: S.
Clyster abducens.

Muria halecis cum passulis loco clysteris infici potest. *Clysmata* autem *ex urina* humana, in specie *pueri*, perquàm sunt egregia, idque in specie, ubi flatus simul adfuerint, quos dispellit urina. *Nam rarò sola aqua in hydrope peccat, sed ferè simul ex uligine* ista simul *flatus generantur*, exasperantes malum: in quo casu salutari cum successu applicantur Clysmata eum & ex urina pueri, in qua modicum fermenti ac seminum carminativorum coctum cum melle; vid. VALERIOLA *l. 1. obs. 2.* M. A. N. C. *ann. 2. obs. 219. in schol. p. 320.* & SENNERTUS *l. 3. Prax. cap. de hydrope* quorum ad imitationem

℞. *Sem. apii* vel *anisi*,
Fœnic. an. ʒiij.
Fermenti comm. ℥ß.
Coqu. in s. q. *Urina pueri*:
℞. *Colatura* adde
Mell. despum. ℥ß.
Ol. destillat. terebinth. ℈ß.
M. pro Clysmate: S.
Clyster flatus dispellens & abducens.

℞. *Sem. fœniculi* vel *anisi*,
Fermenti comm. an. ℥ß.
Coqu. in *aqua communi*:
℞. *Colatura* ℥v. adde
Urina pueri ℥v.
in quibus solve
Mellis despum. ℥j.
M. pro Clysmate:
D. S. ut *antè*.

℞. *Decocti carminat.* ℥vj.
Urina hum. ℥iij.
Fermenti ʒj.
Salis commun. ℈j.
Mellis rosati ℥j.
M. pro Clysmate:
D. S. ut *suprà*.

Non immeritò *terebinthina* hic commendatur, cùm clysteres ex mera urina pueri, in qua aliquid terebinthinæ, & nitri dissolutum fuerit, admodùm laudentur à WILLISIO *l. a. pag. 318. & 321.*, utpote qualis clyster non saltem intestina ad deponendum serum vellicaret, sed hujus etiam aliquam portionem virtute suâ diureticâ ad renes moveret: e. g.

℞. *Urina human.* ℔j.
Terebinth. Veneta cum *vitell. ovi solut.* ℥j. ad ℥jß.
Nitri depur. ℥ß.
M. f. Enema, quotidiè applicandum.
D. S. ut *suprà*.

Præterea *externa* quoque abdomini asciticorum, ut & scroto tumefacto, vel labiis vulvæ nimis tumentibus, & pedibus ipsis inflatis & tumidis, varia applicanda sunt, ut nempè successivè resolvatur tumor illorum œdematosus, & ipse liquor contentus attenuatus partim insensibiliter, partim sensibiliter discuti queat, nunc per Fomenta, nunc Cataplasmata, nunc sacculos interpassatos in vino vel lixivio. In leviore malo *herba chelidonii majoris*, aut etiam *Geranii Robertiani*, contusa, & plantis pedum applicantur. Singulare quid obtinet radix bardanæ, vel folia recentia contusa plantis pedum alligata, conveniunt; singulari enim experimento potenter resolvere, & multas serositates elicere dicuntur. *Petroselinum recens* contusum & scroto applicatum etiam conducere observatum. *Externa* hæc scroto, abdomini & pedibus applicanda, in genere sunt in duplici differentia: nempe vel *aromatica attenuantia & discutientia*, vel *salina nitrosa dissolventia*: Aromatica discutientia sunt folia & flores sambuci, folia ebuli, folia & semen chamomillæ, folia lauri, menthæ, origanum, absinthium, radix & succus cucumeris asinini, radix bryoniæ, asari, baccæ lauri, & juniperi, semina milii, carminativa calida minora, & similia: in specie chelidonium majus, quod ipsum in tumoribus pedum œdematosis, supervenientibus morbis chronicis aut acutis, ac etiam ex errore diætæ, aut dyscrasia bilis subor-

subortis, plantis pedum applicatum eosdem solet resolvere & insigniter minuere. Nam *furfures*, & furfuribus decoctis parati sacculi, unà cum pulvere cumini, ventri applicati, admodum commendantur à STOECKERO *in Praxi*. Omnium optima sunt *stercora animalium* pro externa emplastratione, quæ ratione salis nitrosi miram vim obtinent discutiendi insensibiliter hydropicorum colluviem, in specie stercus *caprillum*, hinc *columbinum* & bubulum. *Stercus humanum* quidem aliàs præferunt: sed applicatum nimis ferit nares. Sanè stercus caprillum contusum priùs, vel columbinum, bulliat cum aqua simplici vel calcis vivæ, probè subactum instar cataplasmatis liquidi applicetur: item stercus bubulum subactum cum pulvere cumini cum successu applicatur: fortius est stercus caprillum cum urina humana subactum, & cataplasmatis instar abdomini instratum, aut pedibus aut scroto applicatum mirificè tumorem discutit: aut quoque stercus vaccinum aut equinum cum farina hordei mistum, cui addatur acetum destillatum, invicem subacta sub forma cataplasmatis *præsertim ibi conveniet*, ubi *inflammatio*, quam discutit, imminet. Inter salina convenit sacculus ex cineribus ac sale tosto paratus: vid. SYLVIUS *de hydr.* §. 125. Cum urinis puerorum facta ex vegetabilibus cataplasmata insigniter commendantur. Præ reliquis eminet istud euporiston, nempe *aqua calcis vivæ* seu aqua benedicta chirurgorum singulariter in tumoribus serosis discutiendis, vel solitaria, vel impregnata spiritu vini, spongiâ vel linteo applicata crebriùs, & quidem calidè scroto vel toti abdomini insternitur. Ac sanè multum latet in hac aqua ob salia duplicia, quæ habet in recessu. In specie si immineat pedibus œdematosis *gangræna*, quod ipsum ex maculis constat, hæc aqua erit convenientissima, tàm quod dissolvat tumores, tàm quod à gangræna præservet. Cum aqua hac ergò reliqua jam dicta in cataplasmatis formam coqui, & ita imponi possunt: e. g. ex urina pueri:

℞. *Fol. sambuci*,
Fl. sambuci vel *chamom.* an. Mj. vel ij.
Sterc. caprill. contus. ℔j. vel ℔iß. ad ℔ij.
Sem. 4. calid. maj. an. ℥iß.
Rad. bryon. rec. ℥iß. ad ℥ij.
Coq. in s. q. *aqua* vel *urina puer.* ad consisten. cataplasmatis: S.
Cataplasma dissolvens.

Applicetur abdomini vel scroto.

Cataplasma expertum ex radice cucumeris asinini cum pulvere cumini commendat & describit RIVERIUS *C.* 1. *observat.* 70. & *Prax. lib.* 11. *cap.* 6. Spectat huc cataplasma ex ramentis coriariorum recenter ex calce viva paratorum, quod RIVERIUS *de Morbis Infrequentibus Obs.* 33. commendat: item cataplasma ex stercore bovino, sulphure, semine cumini & urina; aut ex raphano contusis; vel quod RIVERIUS *Prax. lib.* 11. *cap.* 6. describit, cujusque efficaciam *cent.* 1. *observat.* 70. & *Cent.* 2. *observat.* 90. confirmat:

℞. *Stercor. bovin. sicci* ℔j.
Sulphuris vivi,
Sem. cumini pulveris. an. ℥ij.
Urina puer. q. s.
M. f. cataplasma: S.
Ut suprà.

Præ cæteris singulare quid obtinent contra tumores scroti & pedum *cochleæ* recentes, *cum suis testis* contusæ, & ventri hydropicorum ac scroto tumenti ad modum cataplasmatis applicatæ: quæ si siccæ fuerint, aliæ rursus imponendæ. Singulariter conveniunt tàm in abdominis quàm testium tumore; quod remedium ceu secretum & efficacissimum à CASTRO, THONERO, & aliis Autoribus æstimatur hoc in casu: nempe parant *cataplasma ex cochleis cum testis contusis*, adsperso *pulvere stercoris caprilli* & seminis carvi; aut

℞. *Flor. chamom. simpl.* vel *Rom.* M. ij.
Farin. fabar. ℥vj. ad ℥j.
Cochl. cum *testis contus.* ℥iv. vel ℔ß.
Sterc. caprill. ℥ij. vel ℥iij.
Pulver. sem. cumini vel *carvi* ℥j.
Coquantur in
Aqua simplic.
Aceti an. part. æqual.
(vel *aquæ part.* jv. & *aceti part.* j. vel etiam in sola *aqua*)

Pro cataplasmate:
D. S. ut *suprà*:

Et applicentur in excessivo tumore pedum, vel scroto tumente.

℞. *Cochl.* cum *suis testis contus.* ℔j.
Pulv. sem. carvi ℥ij.
Sterc. caprilli ℥j.
M. pro Cataplasmate: S.
Cataplasma discutiens.

Quod tepidè imponendum est in resolvendis tumoribus serosis, in hydrope tàm universali quàm particulari. Et sanè hujusmodi cochleas vel limaces cum testis contritas & applicatas abdomini, ceu secretum singulare commendat PETRUS à CASTRO, quo ipse etiam usus fuit in cura Hydrocephali.

Item

℞. *Bacc. juniperi* part. iv.
Lauri part. ij.

Pulverisata, & melle excepta insternantur abdomini; quo curatus fuit Hydropicus, qui ex nimio spiritus vini abusu hydropem contraxerat: cujus loco Cataplasma *ex foliis rutæ & absinthii ana cum melle* subactis, abdomini applicari potest.

Quibus molesta forent hæc Cataplasmata, illi usurpent inunctiones per olea aromatica, quæ simul etiam urinam movent; prout exemplum à WILLISIO *l. a. c.* 5. de inunctione olei scorpionum anasarcâ laborantis, & per diuresin sanati, testatur: qualia sunt v. g. linimenta ex oleo laurino, sambuci, anethi, scorpionum simplici & composito, in specie bufonum, oleo destillato juniperi, carvi, rorismarini, & similibus: cum quibus unguentum Agrippæ, vel de Arthanita, vel Martiatum, vel Emplastrum de baccis lauri, hydropicum Augustan., vel diaphoreticum *Mynsichtii*, & similia malaxentur, & ita locis tumidis insternantur. Item unguěta ex sulphure & calce viva cum Vegetabilium acrium Extractis mucilaginosis: hinc v. g. Unguentum de calce viva *Augustan.* & unguentum, quod RIVERIUS *Cent.* 2. *Obs.* 97. describit, conveniunt:

℞. *Ol. de cappar.*
Tamarisc. an. ℥ij.
Succ. ebul.
Cucum. agrest. an. ℥iß.
Bulliant ad succorum consumptionem.
Colaturæ adde
Sem. agni casti,
Petros.
Macis pulveris. subtilissimè an. ℥ß.
Ol. nucist. ℥ß.
Ceræ q. s.
M. f. Linimentum.

Quo illinatur totus venter calidè in introitu lecti. Aliàs etiam locum invenit inunctio partium tumentium cum *spiritu vini*, vel simplici, vel *juniperino*, addendo parum de *oleo carvi*.

Alii *olea bufonum*, *scorpionum*, *juniperi*, *laurinum ana*, similiter abdomini illinunt. Vel

℞. *Unguent. de Arthanit.* ℥j.
Agrippæ,
Dialthææ an. ℥ß.
Ol. scorpion. s. ℥ij.
Chamom.
Aneth. an. ℥ß.
M. f. Unguentum:
Crebrò tepidè abdomini illinendum: S.
Unguentum discutiens.

℞. *Unguent. de Arthanita* ℥j.
Agrippæ ℥ß.
Ol. scorpion. s. ℥iß.
Destillat. bufon. ℥iij.
M. invicem & illinantur abdomini.
D. S. *ut antè.*

℞. *Unguent. de arthanita* ℥j.
Agripp.
Dialthææ an. ℥ß.
Ol. scorpion.
Chamom. vel *anethi*,
Amygd. dulc. an. ℥iß.
Succi raphani ℥ij.
M. f. unguentum crebriùs abdomini illinendum.
D. S. *ut suprà.*

Bal-

Balnea à quibusdam commendantur: sed vix, nisi in Anasarca, locum habent.

Quod si *gangrena aut ulcera pedum* vel *scroti* in Hydropicis adsint, Topica pro his selecta vid. in M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Append. p.* 110.

De *Curis magneticis* ad Hydropem usitatis, nempe dum vesica suilla urinâ ægri impletur, in fumo suspendenda; vel dum sanguis ægri putamini ovi includitur, &c. nil attinet dicere. Item, dum rasura unguium manuum ac pedum cum sindone rubra cancro vivo in dorso alligantur, & ita in aquam fluentem proiiciuntur.

Hæc de Anasarca, Cachexia, & Hydrope.

Pergo ad alia vitia nutritionis læsæ; & quidem ad affectus cachecticos multa alia pathemata pertinent, adeò, ut etiam sub cachexia *Icterus* seu *cachexia icterica* comprehendatur, corpus vel flavescit, vel nigrescit, vel viridescit, vel plumbeo fit colore.

Sit ergo

ARTICULUS IV.

DE

ICTERO FLAVO, NIGRO, & ALBO.

Icterus seu *morbus arquatus, totius corporis cachexia*, partibus solidis flavedinem inducens, urinam obscuriore rubedine tingens, utplurimùm cum cardialgia, dolore hypochondriorum, præprimis dextri, torminibus ventris, alvi segnitie, interdum diarrhœa biliosa ac lassitudine membrorum, item lipothymia conjuncta, est multiplex, ejusque tot sunt species, quot colores in corpore efflorescentes observantur: nempe datur Icterus niger, plumbeus, viridis, qualem PETRUS FABER *Cur.* 28. & 71. recenset. Licet autem varii sunt quoad colorem, in radice tamen omnes conveniunt, & sunt unus idemque morbus, ac saltem graduali causæ morbosæ differentiâ à se invicem distinguuntur. Quando ægri colore flavo, in corporis peripheria efflorescente, tincti observantur, vocatur *Icterus flavus*: quod si flavedo ista nunc ad viriditatem, nunc ad cœruleitatem, nunc obscurum livorem inclinet, *Icterus niger* vocari solet.

Quoad *Historiam* affectus hujus: Icterus præsens quidem se facillimè manifestat, imminens verò difficulter à priori cognoscitur. Aliàs omnes *Icterici*, præsertim *primarii*, *de dolore compressivo præcordiorum & stomachi*, interdum vix tolerabili, miserè conqueruntur: vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obs.* 99. *p.* 102. item *Ann.* 6. *p.* 302.: quas præcordiorum inenarrabiles angustias Icterus ferè comitari solet, licèt cor planè sit innocens: hinc supervenit fastidium ac nausea alimentorum; subindè cephalalgiæ admodum intensæ, vertigines & scotomiæ conjunguntur, ita ut ægro syncope & lipothymia imineat. Adest præterea *lassitudo* totius corporis & omnium membrorum, sæpiùs dolores gravativi in regione lumbari: subindè difficiles admodùm respirationes anxietatibus istis præcordiorum junguntur, ita ut spiritus defectu vix verbum proferre queant: *Vrina* imprimis icterum flavum manifestat, non quod lutea appareat, sed potiùs, ut vocat ZACUTUS LUSITANUS, *passea*, i. e. *crassè tincta, rutilante colore, obscura, crassa, opaca, magis magisque rubicunda*, Germ. *tunckel und garstig, nicht gelbe*, cui linteum candidum immersum flavissimo colore, tanquam si croco tinctum esset, impraegnatum extrahitur, quod aliæ urinæ quæcunque, colore quamvis intensissimè flavo, non faciunt, & vix in ullo alio morbo contingit, undè certi simus de Ictero: quod si subsederint, sedimentum quasi argillaceum seponunt: interdum ex viridi nigricantes observantur *urinæ*. Hinc successivè habitus corporis mutatur, & primariò in oculorum albo solet vel flavedo vel nigredo apparere; cujus rei ratio nulla est, quàm quod album oculi sit rete mirabile, ex variis minutissimis arteriolis intertextum, uti patet hoc in ophthalmia, ubi hæ ipsæ magis fiunt conspicuæ; per quæ vasa distributum contentum flavum, istud sensibilius magis tingit, cùm minus sit coloratum. Jam ergò cum tanta recrementa in massa sanguinea contineantur, fit ut successivè vitiatus color emergat, donec magis magisque corpus tingatur, quæ Tinctura adeò intensa observata fuit, ut linteamina sudor prorumpens colore flavo infecerit. *Sapor* utplurimum, idque in confirmatis, non in omnibus, *amaricans*, aut *etiam varius* in ore percipitur, utplurimùm est nonnihil amarus ex lympha corrupta, cui ferè semper *sitis clamosa* jungitur, unde & cerevisiam horrent ægri, alium appetentes potum. Imò Ictero cum febre conjuncto alvus nunc est fluida, nunc diarrhœa quasi biliosa est juncta; sicut talem etiam observavi in puero, fæces tinctas excernente: nunc è contrà pertinaciter clausa, & quæ nullis Purgantibus reserari potest, excrementis prodeuntibus albicantibus; uti id observavi ipse in muliere per octiduum alvum non deponente, tandem fæces albas & candicantes monstrante: idque contingere solet, quando ductus fellei in intestinum hiantes undecunque sunt obstructi, & sic quasi fluxus cœliacus affligit. *Febris interdum juncta est*, interdùm penitùs abest, interdum adest ante icterum, cui quidem icterus supervenit; nunc criticè, prægressis signis coctionis diebus criticis obveniens, nunc symptomaticè sine coctionis signis prorumpens; per se tamen icterus sine febrili insultu solet emergere. Nunc cum ictero simul advenit febricula levis, ortâ ex fermentatione sanguinis aucta, quâ præcipitantur fæces massæ sanguineæ. In quibusdam, non in omnibus, dolor in hypochondrio dextro obtusus in profundo percipitur. Subindè facilè curatur, subindè autem est nimis contumax, aut semel curatus facillimè recidivans; quo in casu sæpiùs calculi in vesica fellea observati fuerunt, qui ipsi suo modo sunt icteri crebriùs recidivantis, aliudque nullum habemus signum calculorum.

Icterus nunc est morbus *primarius*, nunc est morbus *secundarius*. Hic, quando vel febris supervenit, idque tàm continuis, quàm intermittentibus chronicis, sive sit *criticus*, post prægressa coctionis in urina signa die judicatorio superveniens, sive sit *symptomaticus*, vel quando à nonnullis venenis assumptis, & imprimis à morsu animalium venenatorum, icterus oritur. Exempla nonnulla curiosa refert MARCELLUS DONATUS *in Hist. Med. Mirabil. l.* 1. *c.* 7.: & post morsum aranearum irritatarum icterum flavum observavit JOEL *in Praxi ubi de venenis p.* 126.: ex viperæ morsu suboriri ordinariò ferè icterum jam Veteres annotarunt; sicut ZACUTUS LUSITANUS *l.* 5. *Medic. Princ. Hist.* 29. refert: Nec tantùm viperæ, sed & canis rabidi, morsu ortus fuit Icterus contumacissimus: Icterum lethalem à manducatione seminis staphisagriæ notat LOSSIUS *in Obs. l.* 3. *Obs.* 38. *p.* 259. Vel denique affectus convulsivos intestinorum, præsertim tenuium, sequitur: sic à partu laborioso subinde observatur superveniens Icterus: passioni hystericæ quoque sæpiùs in muliere quadam supervenire vidi: Colicis torminibus subinde Icterus supervenit: Quò pertinet, quod refert BARTHOLINUS *Cent.* 5. *Hist.* 62., Icterum provocatum per medicamentum sudoriferum in Colica assumptum: sic icterum vulnerato capiti supervenientem die 4. notat HOECHSTEDTERUS *Dec.* 8. *pag.* 198. Nempè sicuti vulneribus capitis gravioribus tertiâ die aut etiam quartâ vomitus biliosus supervenire solet; ita & consensus istius ratione etiam Icterus, nempe secundarius.

Quoad *Icterum primarium*: *Causa remota* sunt variæ: Non ultimum locum obtinet *tristitia*, quæ nunc inchoat, nunc fovet icterum, teste HELMONTIO *Tract. Sextuplex Digest.* §. 56. Sic icterum curatum à tristi nuncio recidivantem referunt BARTHOLINI *Acta Med. Haffniens. Vol.* 3. *pag.* 82. *Iracundia* etiam non rarò icterum provocat; Nempe RIVERIUS *Cent.* 2. *Observat.* 9. icterum mirandum in gravida ex ira refert, in qua fæces alvi erant biliosæ, & in lecto exiguam, extra illum intensam patiebatur flavedinem. Obstructiones ductus choledochi subindè in Ictericis observatæ fuerunt. Ante aliquot annos hìc vixit quidam, qui pertinacissimâ alvi obstructione, cum colica intensissima affligebatur, cui icterus & febris continua superveniebant, hique lethales: Ab obitu dissectione factâ adverterunt fellis vesiculam grandem & confertissimam, infimumque porum viscidâ pituitâ penitus obstructum, adeò ut post abscissionem hujus ductus biliarii ne gutta quidem bilis proflueret, quia bilis ibi contenta crassissima atque tenacissima erat. Ac sanè in pluribus Ictericis vel bilis viscida, amurcæ similis, vel calculi plures vel pauciores, majores vel minores, in cysti fuerunt inventi: vid. BARTHOLINI *Acta Med. Haffniens. Volum.* 3. *pag.* 59. & PANAROLLUS *Pent.* 1. *Observ.* 27. & *Observat.* 22. DEODATUS *in Valet. pag.* 250. refert Icterum lethalem cum pruriginosa lassitudine, & vagis hinc inde erumpentibus tuberculis: in cadavere tres lapilli in vesica fellea

reperti

reperti fuerunt: Pariter ac TIMÆUS von Güldenklee in Caſ. icteritiam poſt arthritidem diuturnam, ſupervenienter hydrope lethalem, ex calculo magno in veſicula fellea notat. Ac ſanè ad Icterum proni ſunt calculoſi, ut Obſervationes Practicorum teſtantur: vid. le RHYNE de Ict. Med. p. 222. & M. A. N. C. Ann. 2. Obſerv. 189. p. 164.: calculi enim ſuo modo ſunt origo icteri crebriùs recidivantis. Aliàs vulgò ſtatuunt icterum dependere ex folliculo fellis obſtructo, quod interdum quidem verum eſt, ſed non ſemper; quia etiam ſæpiſſimè & frequentiſſimè à calculis, in fundo folliculi fellis hærentibus, is procreatur. Nec tamen hoc vniverſale eſt, quia ſæpiſſimè in ictericis folliculum felleum aut ductus biliarios apertos eſſe, non ſaltim docet debita tinctorum excrementorum excretio; ſed etiam ſæpiùs in ictero demortuis diſſectis ductus fellei aperti fuerunt, teſte HELMONTIO l. c.: ſicuti in febricitantium ictero nulla hepatis aut ductuum biliariorum obſtructorum ſuſpicio adeſſe poteſt: ita ut meatus cyſticus ſatis per ſe ſit patulus, & per eundem bilis ingreſſus & egreſſus ab his non impediatur. Ex his ipſis icteris aliud quid quàm hepatis obſtructionem, aut pori choledochi infarctionem, ſubeſſe cuilibet facilè patet.

Porrò ex ulceribus quibuſdam inveteratis crurum occluſis icterum flavum natum obſervavit AMATUS LUSITANUS Cent. 2. Curat. 83., ubi certè aliud quid neceſſum ſubeſt, quàm ſolus defectus excretionis bilis: Item ex menſibus inſtantibus, ſed non prodeuntibus, hoc pathema notat BARTHOLINUS Cent. 5. Hiſtor. 62., ſicuti HENRICUS ab HEER Obſ. 6. monialem ictericam ac cachecticam ex menſium ſuppreſſione obſervavit: vid. WILLISII Pharm. Rat. P. 2. Sect. 2. cap. 1. p. 240. Vulnus ſclopeti ventriculum penetrans icterum produxit; vid. BARTHOLINUS Cent. 6. Hiſtor. 85. Item à ſcorbuto ſine fellorum vaſorum anguſtia icterum obſervavit LOSSIUS lib. 3. Obſ. 39. Denique & hepar induratum & inflammatum, aut ſcirrho obductum, crebrò Icterus ſolet inſequi.

Dividitur aliàs Icterus in flavum (qui viridescens interdum) & in nigrum, quem communiter vitio lienis fieri contendunt, & ab humore melancholico derivant: ſed hoc tantùm ex Veterum præconcepta opinione & hypotheſi de quatuor humoribus in maſſa ſanguinea contentis. Nam dixerunt: ſicut ſanguis corpori dat floridum colorem, & ſuaviter rubicundum, pituita verò habitum cachecticum; ita neceſſariò bilis vitiata Icterum flavum, & humor melancholicus iſte fictus vitiatus Icterum nigrum inducit: hinc ut præſuppoſitum falſum præter alias, quas dedit turbas, tanquam antecedens falſum & alia conſequentiâ falſa produxit. Nam quia bilis in folliculo felleo ex hepate ceu excrementum colligitur, è folliculo hoc obſtructo, aut ductibus felleis infarctis, ſaltem icteros flavos fieri voluerunt, quoniam nempe, uti dixi, bilem tanquam excrementum per hepar tranſcolandum non ritè per vaſa cholodocha expurgari crediderunt. Et quia lien fuit ſtatutus burſa humoris melancholici, ob id neceſſariò in liene ſaltem icteri nigri fontem quæſiverunt, quod nempe hic ipſe non ſufficienter ſeparet ac expurget ſcorias ſic dictas Melancholicas, quin potiùs hæ ipſæ in maſſa ſanguinea congeſtæ ab ejus facultate expultrice, tamquam è matula furioſè ad habitum corporis deponantur & detrudantur. Hæc autem hypotheſis refellitur partim modernorum theoriâ, partim experientiâ: ac ex ſuprà annotatis manifeſtum eſt, icterum, in ſpecie flavum, ſæpiùs oriri citra impeditum bilis motum ad inteſtina, aut citra inſufficientem ſecretionem ex hepate, quod non tantummodò multi ſint icteri flavi, in quibus tamen alvus aperta, & fęces flavo ordinario colore tinctæ conſpiciuntur, ſicut etiam RIVERIUS Cent. 2. Obſ. 9. obſervavit; ſed etiam poſt febres, menſes ſuppreſſos, & ferarū morſus natus icterus flavus ſine obſtructione tali obſervatur. Nec à copia & abundantia bilis propter defectum excretionis oriri poteſt icterus; ſequeretur enim, eandem debere curari per medicamenta bilem præcipitantia & corrigentia, ut acida: contrarium tamen teſtatur Praxis, cùm potius ſalina volatilia acria & inſigniter amara in cura icteri primatum obtineant; quæ potiùs bilem augmentant, & acriorem reddunt, quàm quod imminuant aut corrigant.

Tandem poſito, bilem regurgitare ex folliculo felleo in maſſam ſanguineam, quis unquam perſuadebit, eam corpus poſſe colorare colore adeò flavo, cùm ea in centro ſuo elegantiſſimum abſconditum habeat ruborem, cùm ejus oleum ſit rubicundiſſimum, quo ipſo ſimiliter tingit chylum, licèt inſenſibiliter, in inteſtinis, ut exaltetur promptiùs in ſanguinem? Potius ergò bilis ſanguini permiſta ratione ſalis copioſi ejus rubeam tincturam exaltat, quàm quod flavedine conſpurcet: item tales icteri, in quibus fęces alvinæ colore ordinario à bile tinctæ, ſunt ut plurimùm (non ſemper) ii, qui ſuperveniunt ordinariò febribus: qui Icterus ſuperveniens febribus eſt frequentiſſimus, & ſæpiſſimus in declinatione morbi; quin in continuis citra imaginariam hepatis & folliculi fellei noxam non rarò ſupervenit Icterus, ſive ſymptomaticè, ſive criticè, in quibus nulla labes hepatis conſpicitur, & alvi excrementa ſunt flava. Nigrum icterum quod attinet: hunc non oriri ex obſtructo liene, patet inter alia ex eo, quod icterus flavus diuturnior ſemper in icterum nigrum degeneret; unde & nigrum eſſentialiter non differre à flavo, aſſerit WILLISIUS de Urinis p. 355. & humores bilioſos aut bili analogos icterum nigrum producere probabile ſit, quatenus ſc. ab acido præternaturali interdum in primis viis effuſo, frequentiùs in maſſa ſanguinea abundante, illorum flavedo in virorem, modò pallidiorem, modò obſcuriorem, nigredinis æmulum, mutatur, & mediante hoc color partium naturalis vitiatur. Bilioſos ſiquidem humores materiam quaſi primam huic producto morboſo ſuppeditare conſtat ex eo, quod PLATERUS l. 3. Obſ. 375. obſervarit icterum nigrum, in quo excrementa alvi minùs naturaliter tincta, ſed omnino alba apparuerunt, in quo tamen hepatis potiùs ac vaſorum choledochorum, quàm lienis vitium ſubeſſe videbatur, hinc Pr. Tom. 3. pag. 96. eundem à bile intra veſiculam coacervata deducat. Unde probabile ſit: icterum nigrū vitio hepatis generari, modò ſi bilioſæ moleculæ à ſanguine intra hepar non ſecernantur: ſive hoc fiat ipſius hepatis vitio, aut vaſorum anguſtiâ; ſicut in ictero nigro laborantibus hepar aliquādo ſcirrhoſum VESALIUS l. 5. c. 15. & M. A. N. C. anno 1. Obſ. 87. teſtantur: ſive vitio lienis, materiam bilis ad ſeceſſum non ritè diſponēris, utpote à cujus aberrationibus ſimiliter interdùm icterum nigrum contingere aſſerūt FORESTUS l. 19. c. 20. & ex Obſ. FABRICII ab AQUAPENDENTE, & BONETTO Sepulchr. p. 1007.: nunc vitio ventriculi laticem ejuſmodi fuſcum producentis, vid: WALÆUS Prax. c. 8.: nunc vitio bilis craſſioris & fuſcæ magis, intra vaſa biliaria congeſtæ; vid. PLATERUS obſ. p. 612. Acidos autem humores ejuſmodi colorem æruginoſum atque porraceum bili inducere, multa Modernorum experimēta confirmant. Accedit, quod, fatente eodem PLATERO, nec in liene, nec in alia corporis parte, atratus ejuſmodi latex Melancholiæ Veterum æquiparandus obſervetur: Item quod THONERUS obſ. l. 3. p. 154. in ictero nigro laborante oris amarorem bilioſum teſtetur. Sic quoq; rectè notat LINDANUS, ſe in Friſia multos curaſſe, ob lactis uſum copioſum & caſei, ſcirrhos ac ſimiles tumores duros lienis habentes, in quibus tamen nunquam vel minimum Icteri nigri obſervaſſet veſtigium. Et certum eſt, in Hollandia tales ſcirrhi & tumores ſunt frequentiſſimi, non tamē icterus obſeruatur niger, adeoque ut lien ſit inſons: quod Sylvius quoque confirmat, dum teſtatur, ſe multos diſſecaſſe etiam Ictericos, in quibus lien fuerit accuſatus, & tamen hoc uiſcus ſemper ſanum & uegetū inueniſſe. Interim tamen quoad bilem & uaſa fellea, & inde oriūdum icterum, non adeò omnia ſunt plana. Suprà notatum fuit, icterum ſępiùs obſervari, dum lapides folliculum felleum replent: Verùm non ſemper ſequitur Icterus hos lapides. Memini enim ante plures annos diſſectam hîc fuiſſe mulierem capite mulctatam, quæ in folliculo fellis copioſos lapides majores & minores collegerat, ſine tamen icteri veſtigio, nec unquam illum paſſa erat: Et eodem ferè tempore diſſecuimus corpus maſculinum, in quo principium erat anaſarcæ; erat enim ſubtumidum, & apertâ ejus cuticulâ cum cultello copioſum ſerum effluebat, in cujus folliculo felleo ne gutta bilis inueniebatur, in quo tamen nullum icteri ueſtigium, qui maximè debuiſſet adeſſe, ſi uera eſſet communis hypotheſis: Sic canibus folliculum felleum poſſe exſcindi ſine uitæ aut ſanitatis incommodo, notum eſt: ſicuti per literas nuperrimè mihi communicatum fuit ab Amico, in uniuerſitate Batauo-Lugdunenſi quendam Medicinæ Candidatum ante 3. menſes cani totum exſecuiſſe folliculum fel-

felleum, & abdomen denuò consuisse, qui ipse adhuc vivens omnes operationes perficiat sine omni incommodo. Egregium experimentum, quod adhuc potest dare occasionem meditandi ulteriùs de usu folliculi fellis. Sed moneo, quod porus choledochus & reliqui fuerint adhuc salvi & integri. *Quo supposito, nihilominus cum Veteribus conciliare licebit recentiores, ita ut bis biliosos equidem humores in ictero nigro* concedamus, non *tamen, nisi ab acido, quod Veteres melancholiam vocabant, immutatos & præcipitatos, adeoque & tunc suo modo ad icterum nigrum producendum* interdum concurrere statuentes: Confer. FERNELIUS *lib. 19. Obsvat. 20. & 23.*

Ex dictis patet:

1. Quod licèt Icteri sint diversæ *species* & colorum varietates, in radice tamen, causâ & modo fiendi, omnes conveniant. *Omnes enim unus sunt morbus, unam agnoscunt causam, unam eandemque etiam obtinent methodum medendi*, uti rectè inquit FABER *in Pathol. pag. 344. paragraph. 6.* Quod confirmat SCHENCKIUS *lib. 3. Obs. pag. 423.*, qui notat icterum ex obstructione mensium, in quo successivè quatuor colores fuerunt observati. Adeoque *icterus flavus* & *niger* non differunt specie, sicut nec *Icterus viridis*, quem cum gravissimis symptomatibus notavit PETRUS JOHANNES FABER *in Curat. 71.*, nec colores plumbei, aliique plures varii, cùm ex uno fonte omnis oriatur, ac in genere omnes icteri species ex crasi sanguinis insigniter vitiata, seu ex scoriis sulphureis crudioribus primarum viarum sanguini commistis, postmodùm cutim tingentibus, dependeant.
2. Immediatè nempe sequuntur vitiatam massam sanguineam, eamque à feculentiis alimentorum non ritè digestorum impuram redditam, propter confusa heterogenea, nec ritè permiscibilia; donec imbibita ista recrementa partim per urinam excernantur; unde hæ fiunt variè coloratæ, crassæ & turbidæ, hinc deposito sedimento denuò apparent: partim verò, & quidem maxima ex parte, per vascula capillaria quasi filtrata vel trāscolata hinc inde, in specie ad superficiem partium solidarum externarum deponuntur, quæ pro coloris sui varietate nunc flavedine, nunc viriditate, nunc lividitate, nunc nigredine, tingunt. Vehiculum eorum est serum. Hoc autem non solùm in Ictericis post venam sectam flavissimum conspicitur, sed præterea quoque ex excitatis vesicis intensè croceus liquor elicitur. Quod si ita massa sanguinea tandem ad debitum puritatis statum redeat, sanitas effloreścit: sin verò hæc ipsa tandem omninò in sua crasi depravetur, mors necessariò sequitur. In statu quasi neutro sunt icterici, nunc ad convalescentiam, nunc ad decidentiam proni.
3. Quod dictæ impuritates necessariò massam sanguineam afficientes non nisi ex primis viis deducendæ sint; Licèt
4. In extraordinario ictero, qui sequitur animalium venenatorum morsum, massa sanguinea à fermento putrefactivo inquinata tandem efflorescat in icterum.
5. Quod icterus ordinariò originem ducat ex primis viis, & vel ex corruptione chyli in ventriculo in tale liquamen nidorosum flavum; vel ex chyli corruptione, factâ in duodeno à perversa miscela succorum bilis & pancreatici vario modo corruptorum, non ritè chylum perficientium & elaborantium, sed potiùs insigniter vitiantium.

Ergò ea, quæ hæc præstant, sunt partim symptomata in ictero observabilia, quales sunt anxietates, angustiæ præcordiorum & lipothymiæ, partim excreta per alvum plùs minùs mutata. Unde *colligitur, tres quasi esse occasiones*, quibus *mediantibus excitetur icterus*:

1. Ex corruptione chyli in stomacho in liquamen nidorosum.
2. Ejusdem alteratio in duodeno à succo felleo & pancreatico; Et
3. Fermentum putrefactivum seu venenum, massam sanguineam inquinans.

His ita præmissis, ad *Causam proximam* propiùs accedamus, quæ est serum nutritium flavedine præternaturali imbutum, adeoque corruptum: cujus corruptionis triplicem causam concipere licet, aliam nempe in ventriculo, aliam in vasis biliariis, & aliam in massa sanguinea.

Ut ergò jam propiùs ad scopum accedamus, notum est, secretionem fecum alvinarum in intestinis fieri per concursum bilis & succi pancreatici; qui duo succi per modum præcipitationis separant à nutritio chymo alvi excrementa, & simul certo modo alterant chylum ad futuram promptiorem sanguificationem: vid. TAKIUS *de Chrysogonia*. Si ergò ritè fiat chyli digestio in stomacho, & ejus præcipitatio in duodeno, & consequenter perfecta hæmatosis, rubicundo florido sanguine cōspersum corpus viget, dum utilis chymus suggeritur massæ sanguineæ, per quem eadem in continuo flore conservatur, cæteris tamen paribus: simul ac verò hæc ipsa secretio vitietur, necessariò chylus corripitur, qui massæ sanguineæ permiscetur, & inquinatur variis recrementis: quæ ipsæ particulæ excrementitiæ variis salibus impregnatæ minùs erunt unibiles cum toto liquore, unde necessariò sanguinis mistura ejusque crasis vitiabitur, & in varias ac insignes dyscrasias eadem degenerabit pro varietate sese separationis secū à chylo, & hinc natorū variorum excrementorum sanguini permistorum.

Jam verò uti liquor bilis ceu liquor balsamicus naturaliter in intestinis tingit chylum (utut invisibiliter propter acidum pancreatis) sulphure suo rubicundo, ut promptiùs sanguificari possit; & juxta hanc tincturam sanguinis simul chylum balsamico suo sulphure tingit & præservat, quò minùs corruptioni, verminationi & putredini subsit; & tertiò cum succo pancreatico eadem conjunctim chylum utilem separat ab excrementis alvinis: ita necesse erit, ut his duobus succis vitiatis, in specie bile insigniter depravatâ excrementa heterogenea & copiosa in massa sanguinea colligantur, & dum à bile depravata vitiosè sunt tincta, eadem etiam massa sanguinea varios, nigrum, vel ex nigro viridescentem vel flavescentem colorē acquirat, idque pro varietate concretionum, præcipitationum, ac separationum: quæ sero imbibitæ hinc ad extimam partium solidarum superficiem deponuntur. Cæterùm ut à posteriori incipiā, separatio hæc recrementorū fit nunc cum nunc sine effervescentia febrili, & hinc Icterus nunc per se morbum constituit; sive ea jam ab extra sanguini infundantur, sive vitio digestionis primæ eidem communicentur. Utroque autem modo mediante sero in extimam superficiem partium solidarum deponuntur, tàm externarum quàm internarū: cujus rei historiam videbitis in ZACUTO LUSITANO *Histor. 3. Prax. Admir. Obs. 56.* qui in Icterico mortuo non extimum saltem corporis habitum, sed etiam interiora viscera flava deprehendit: sicut similiter HILDANUS foetum ab icterica matre editum quoque ictericum vidit. Quod autem impuritates istæ magis ad cutem deponantur, ratio est, quia ibidem sunt glandulæ miliares minime copiosæ, quæ imbibentes serum simul cum eo excrementa imbibunt.

Quoad Colorum in Ictero Varietatem, ut res fiat magis clara, duo tenenda sunt:

1. Quando in genere omnis color dependeat ex textura particularum in superficie concreti minutissimarum, quæ lumen immissum successivè refringentes consequenter varietatem colorum repræsentant: de qua hypothesi vid. WILLISIUS *de Ferment. cap. 11.* ubi de coloribus per varia mixta excitatis; BOYLE *Tractatu de Coloribus*, *Grimaldi Tract. de Color.*, ubi apertissimis exprimentis demonstratur, quod nunc per varias præcipitationes, per salia, nunc acida nunc urinosa, factas insigniter ac in momento colores possint mutari, sc. liquorum istorum, in quibus fiunt variæ præcipitationes. Unde
2. Sicut ratione connexionis & texturæ particularum per varias præcipitationes & separationes immutatur perfectio lucis; ita pro ut recrementa icterica diversam habent naturam & texturam, eatenùs etiam diversum colorem repræsentant.

Ubi magis præponderat vitium olei urinosi bilis, ibi magis color flavus conspicitur; ubi verò magis acidum peccat concentrans bilem, color ad lividitatem, viriditatem, & ad plumbeum quasi, declinabit. Rem ita se habere, confirmant experimenta cum sanguine emisso instituta; dum enim huic varii liquores infunduntur, emergit nunc color viridis, niger, aut intensè rubicundus: qualia experi-

experimenta videbitis in BARTHOLINO *Cent.* 3. *Epist.* 97. *pag.* 421., ubi sanguini calido ex ca e vivo emisso varii liquores salini fuere immissi pro liquorum salinorum varietate & ipse sanguis varios colores, varias consistentias, & similes proprietates acquisivit.

In genere omnes liquores salini urinosi eidem colorem intensiorem tribuerunt, ver. grat. spiritus salis ammoniaci, & oleum tartari per deliquium, magis tamen hoc ceu alcali fixum, quàm ille ceu alcali volatile: Omnes è contrà liquores acidi obscurum, terrum, fæculentum, & similem ipsi contribuerunt: Pessimus omnium, qui factus per solutionem aluminis, cui sanguis calidus fuit mistus; ex tali enim niger, fæculentus, ac luridus apparuit.

Jam ergò ubi massa sanguinea in corpore vivo tàm variis scoriis excrementitiis & salibus, ex vitiata in intestinis separatione, est turgida, necessariò factà istà separatione & præcipitatione excrementorum varii & novi colores, quos anteà non habebant, exinde emergunt: eâdem ratione atque ars imitatrix naturæ ex diversa præcipitatione diversis coloribus liquores tingere & pingere solet, dum anteà permista inconspicua, jam præcipitata & aliquantisper separata reddit conspicua, adeoque ex diversa luminis refractione colorata.

His præmissis, in specie tres occasiones illas ad Icterum disponentes evolvemus: quarum *prima latet in stomacho*, nempè in hujus corruptione, aut si assumpta in liquamen flavum amaricans degenerant. Ventriculum interdum solùm cruditates felli æmulas loco chyli laudabilis producere inde constat, quod non tantùm ejusmodi biliosa sub dyscrasia ventriculi vomitu aliquando rejiciantur, sed sæpè mox à commissis diætæ erroribus icterus cum appetitu prostrato & præcordiorum angustia observetur: e. gr. à potu frigidi; item à deglutito Nicotianæ fumo; vid. BORELLUS *Cent.* 4. *Obs.* 81.: & à Saturni devoratione; vid. FERNELIUS *de Cur. Luis Venereæ cap.* 7.; & quadrat huc HORSTII *Observ.* 36. *l.* 4. recidivæ in icterum & febrem ab immodico pomorum, & castanearum esu: item hujus loci videtur icterus, quem RIVERIUS *Centur.* 2. *Observat.* 9. præter rationem hepati accenso attribuit, ita ut fel in Ictericis omnibus per manifestas æquè ac ignotas vias ex folliculo suo ad ventriculum deferri COITER *Observ. Anatom. Chirurg. pag.* 222. suspicetur, maximam partem in hoc productum videatur. Jam verò in omnibus ictericis, paucissimis casibus exceptis, observatur urgere primariò symptomata ventriculi circa digestionem, & ægri circa istud negotium ordinariò vitium quoddam sentiunt; imò, si *Iuvantia* consideramus, post Vomitoria præmissa, Martialia, & hinc amara, totam absolvunt paginam: adeoque in omni ictero acidum austerum in primis viis activè peccare observatur. Saltim dubium est, an hujus occasione secundùm HELMONTII hypothesin ex vitio digestionis primæ, indeque natis scoriis nidorosis plus minùs flavescentibus, plus minùs amaricantibus, in massa sanguinea distributis & in peripheriam corporis diffusis, icterus oriatur? an verò præfatum vitiosum fermentum, acidum austerum, bilem inquinando, & hinc ejusdem secretionem debitam in hepate impediendo, icterum inferat? Sanè quod *ex digestionis primæ vitio*, & inde cruditate nidorosa, generentur loco chyli amara recrementa, aut dulcia, flava, & sic porro, docent vomitus flavescentes matutini post crapulam: qui non dependent à bile, cùm hæc non nisi in vehementiori vomitu reddatur; sed sunt reverà ex stomacho, tunc nempe per pylorum non rectè fuerunt transmissa, sed retenta, adeoque corrupta. Confirmant quoque excreta copiosa flava ab infantibus reddita, quæ ipsa nil aliud sunt, quàm lac in stomacho & hinc in intestinis corruptum; quæ similiter non sunt derivanda à bile, quia non sunt amara, sed quia à catellis appetuntur, ideò potiùs dulcia sunt. Adhæc fructus horæi, cucumeres, &c. pinguia, pisces, &c. in stomacho nidore corrupti similes sordes suggerunt; unde chylus ejusmodi in stomacho corruptus, nec ritè in duodeno perfectus, sed vitiosè à bile & succo pancreatico alteratus, adeoque ad massam sanguineam adductus, necessariò eam corrumpit, & variis præcipitationibus & separationibus demum istos colores & tincturas acquirit, & sic Icterum constituit. Quid igitur obstat, quò minus occasione talis fermenti austeri, dolores stomachi aut præcordiorum inferentis, vitietur digestio prima, & inde genitæ sordes nidorosæ in corpus distributæ, icterum inferant? Et sic est intelligenda illa allegati HELMONTII sententia, ubi icterum ex hac causa natum graphicè delineat: in hoc saltim ipse hallucinatur, quod omnem icterum hoc modo gigni statuit, quod tamen veritati minimè respondet. Existimo sanè, omnem icterum, qui supervenit febribus, non bilis aut folliculi fellei vitio, sed diætæ, & digestionis primæ vitiatæ occasione supervenire; Non secus ac illum, qui post venæ sectionis abusum crebriùs nasci observatur.

Juxta hunc tamen icterum, eumque frequentissimum, etiam *secundò* oritur Icterus à vario modo *corruptis succis*, *felleo & pancreatico*, chylum non perficientibus, nec tingentibus, nec debitè à fæcibus alvinis in intestinis secernentibus, unde denique massa sanguinea tota vitiosa redditur. Vasorum enim biliariorum obstructione, compressione, aut quavis obturatione, bilem naturalem, (cùm modò dictus icterus ex vitio bilis vitellinæ præternaturaliter in stomacho genitæ oriri, ex jam dictis patet) istam nempè, quæ in hepate secernenda, & per vasa cholodocha excernenda venit, ad massam sanguineam regurgitare, quotidiana docet experientia. Hæc vel *vitiata*, vel in debita *distributione impedita*, Icterum infert: Illa causa frequentior graviorem dat icterum; Hæc, rarior, leviorem inducit. Bilem vitiatam quod attinet, occurrit ejus inertia, seu deficiens acrimonia bilis salina. Iners verò redditur vel à modo dicto vitioso acido austero primarum viarum, quod imprimis bilis activitatem infringere, vitiare, texturam ejus immutare, ac plus minus inspissare valet, cùm, ut supra monitum, in graviori ac pertinaciori ictero spissior ac tenacior bilis subinde inventa fuerit. *Acidum* hoc vitiabit bilem, aut dum in hepate est generanda aut secernenda, aut eandem in folliculo felleo jam secretam non solùm inficiet, hebetabit, incrassabit, & simul ejus sal volatile oleosum in calculos degenerando coagulabit; sed etiam oleum ejusdem vitiabit, istudque ineptum reddet pro tinctura chylo legitimè communicanda: quibus occasionibus nec debitè excerni poterit; quin facilè ex mutata consistentia ductus cholodochos obstruere, & ita transitum sibi ipsi intercludere poterit. Hinc in quibus copiosi calculi in folliculo fellis reperti fuerunt, imprimis ictero obnoxii deprehensi sunt; de quo vid. PANAROLLUS *Pent.* 5. *Obs.* 22. Et hoc à nemine negari potest; Nam sic eidem inertia inuritur. Vel quoque quando bilis est nimis serosa vel aquosa, ac nimis pinguis, & in specie nimis oleosa, ita ut oleositas fixa obtundat ejus sal volatile acre balsamicum, primæ digestionis correctivum. Ac hinc est, quod ex abusu spiritus vini icterum obortum observavit SYLVIUS; sicuti ex abusu pinguium simile ego notavi. His ergò modis bile labefactatâ fit, ut eadem non sufficiat perficiendo chylo, eundem à fæcibus separando, & tingendo pro futura sanguificatione; unde chylus non ritè separatus vitio bilis, nec ritè ab eadem tinctus, necessariò inquinabit massam sanguineam, ejusque consistentiæ inducet crasin vitiatam. Deficit quoque bilis, quando vel planè non generatur, vel non defertur ad intestina. Hoc declarant obstructiones in ductu cholodocho repertæ; sicuti & excrementa tunc temporis alba, glutinosa, chylosa & vitiosa, defectum bilis, non delatæ ad intestina, sufficienter confirmant; quin imò in talibus sæpiùs lumbrici generantur, propter defectum conditura balsamicæ bilis; unde & in tali ictero dolores colici percipiuntur ob acidum tunc temporis abundans, ubi vulgò quidem dicunt, esse *colicam biliosam*, *sed malè*; potius enim est ex acido non temperato à bile: Et Anatome detexit, fuisse in talibus omnem transitum in intestinis præclusum.

Causa verò, ob quam obstruitur folliculus felleus, est, quando bilis debitâ acrimoniâ caret: quod si enim eadem eam debitam habeat, quascunque obstructiones removet, ac ferè impossibile est, supervenire ductus cholodochi obstructionem, quamdiu ipsa naturaliter constituta est. Unde denique ex sola *distributione* bilis *læsa*, & inde genita cum sanguine commistione, oritur Icterus, quando calculi meatus obstruunt, aut quando aliunde quavis ex causa ductus hepatici communes obstruuntur; vel quando occasione partium vicinarum, e. g. intestinorum tenuium ac speciatim duodeni, convulsionum, vasa biliaria in consensum trahentium, ac eorum motum peristalticum invertentium, in specie orificium ductus fellei constringentium & condensantium, icterus oritur: cujus exempla in partu laborioso, passione hysterica, &c. *suprà* annotata fuerunt. Nempè

non rarum est, in ictero alvi excrementa hodiè pallida, cras denuò flavedine tincta conspici, & ita subinde evacuari, non quod nunc obstruatur, nunc denuò referetur ductus, sed quod occasione spasmi intestinalis nunc constringatur idem, nunc denuò aperiatur, idque diversimodè pro occasionum varietate. Sic HOECHSTELUS *Dec.8.Obs.3.* ac MARCELLUS DONATUS *Histor. Mir. libr.* 1. vulneri capitis, BARTHOLINUS *Centur.* 6. *Hist.* 85. vulneri ventriculi sclopeti globulo inflicto, & *Cent.* 5. *Hist* 62. & RHODIUS *C.* 3. *Observ.* 19. ac FORESTUS *libr.* 19. *capit.* 17. coliacæ ac iliacæ passioni icterum supervenisse testantur, & à vomitu nimio mihi observari, nec non à partu difficili, contigit. Atque hoc quidem vasa biliaria arctata, tàm radicalia quàm distributoria, præstant, quod bilem secretam aut non admittant, aut non remittant; utràque verò ratione ad massam sanguineam illam remeare faciant, hinc intestinorum contentis tincturam naturalem subtrahant.

Ex dicto igitur *acido fermento vitioso* primarum viarum, & bile, vel ex nidore præternaturali genita, vel bile hepatis naturali, eâque aut vitiatâ, aut saltim malè distributâ, omnis Ictericorum varietas in *colore*, ac differentia in *symptomatibus* deducenda, nempè, prout ab acido præfato in textura diversimodè mutabitur bilis, qualiscunque etiam ista colorum varietas emerget, cùm prævalente potent à bilis, vel quantitativè vel qualitativè, sequatur *icterus flavus*; prævalente verò acido hoc, nunc simpliciter acido, nunc austero seu vitriolaceo primarum viarum (sive ex stomacho secundùm HELMONTIUM, sive ex pancreate secundùm SYLVIUM, derivare velimus) Icterus nunc viridis, nunc Plumbeus, nunc niger oritur; quatenus nempè vel oleum bilis concentrat, vel quatenus non tantum vitiosâ effervescentiâ in intestinis scybalorum à chymo separationem naturalem depravabit, sed præterea quoque chylum non ritè à bile perfectum depravatione & præcipitatione in varium, obscurum ac tetrum colorem tingit & transmutat; unde nunc plumbei, nunc virides colores emergunt. In horum ergò duorum succorum vitiis investigandæ sunt omnes icteri causæ. Declarant hoc experimenta Anatomica, quibus diversa acida bilis succo admista diversum eidem colorem imprimunt; unde deduci potest: *quò magis icterus ad nigredinem tendit, eò magis acidum peccare*; cùm aliàs notum sit, ab instillatis acidis bilem naturalem ad obscuriorem colorem, in specie viridem, disponi. Sanè observavi aliquando in urina Icterici, cui *spiritum salis* instillaveram, sedimentum viride exinde præcipitatum fuisse. Certè dum istas insignes Ictericorum cardialgias consideramus, bilis in folliculo notabilem alterationem, per acidum austerum explicabilem, ut & *Juvantia*, *Martialia*, acidum corrigentia, quatenus scilicet hæc, primaria tanquam aliàs remedia contra icterum, acida vitiosa imbibunt & destruunt; *amara*, aut *volatilia*, bilis dyscrasiam emendantia (nempè omnia amara hepati amica sunt; sicut acida stomacho) facilè ad acidum tanquam primarium agens deflectere possumus: ut *adeò inertia bilis*, & *imprimis ejus oleositas dispositivè; acidum* verò *activè*, *concurrat* ad icteri genesin: & quidem *prævalente bilis vitio* vel quantitativè vel qualitativè, sequitur *icterus flavus*; *prævalente* verò *acido*, aut vitioso *succo pancreatico*, imprimis *icterus niger*, ejusque species oriri videntur; ac proinde pro inertia bilis roboranda salia volatilia acria, pro infringendo verò acido conducant Martialia. Curavi his diebus mulierum, quæ subindè tantùm non intolerabili cardialgiâ affligebatur, quam ordinariò sequenti die totius corporis icterus insequebatur, breviter denuo uno alterove die evanescens, sed redeunte quavis occasione istâ cardialgiâ, semper superveniebat Icterus in paroxysmo cardialgiæ; alvus liberè aliquoties fluebat, utut postmodùm clausa esset, pulsus rarus, tardus, mollis, magnitudine moderatus, debilis, prostratio virium summa, sitis clamosa. Diligenter à me interrogata, an amarorem perciperet in ore? semper negabat: sed sedulâ attentione observavit semper, quoties paroxysmus cardialgiæ instaret, sentire se saporem acrem acidulum ex ventriculo eructatum; Hoc sanè quoties sentiebat, toties die aut nocte sequenti paroxysmus cardialgiæ, & hinc Icterus, superveniebat. Curati eam *pulvere cachectico Hartmanni*, & hinc *absorbentibus*, *alcalinis*, & animalium partibus duris. Existimo, acidum illud austerum irritasse ventriculum ac vicinas partes nerveas, quarum spasmo tàm miserabiles cardialgiæ cum respiratione difficili, & totius dorsi dolore, excitatæ fuerunt; sub quo spasmo & vasa cholodocha cum folliculo felleo diversimodè nunc constricta, nunc relaxata fuerunt; unde hujus occasione alvi libertas in paroxysmo, cùm aliàs sat siccioris esset alvi natura: illius verò occasione bilis impedita distributio, cum sanguine permistio, in habitu corporis secretio, hinc *vagus* ille Icterus. Hactenus dicta confirmat *tristitia* & *mæror*, item *iracundia*, ad icterum, ut suprà dictum, disponentia: Nempè *tristitiâ & mærore omnes humores incrassari, acidum fixum augeri, & ita effectus naturæ bilis contrarii, induci solent*. *Iracundia* omnes humores *tenuiores ac mobiliores*, *ac acido volatili acriores*, reddere solet.

Ad tertiam occasionem, sanguinem nempè, contribuunt venena; vel assumpta, vel inflicta ex morsu venenatorum animalium, v. g. viperarum; vel etiam fermenta peregrina, v. g. ulcerum occlusorum, cum aliis symptomatis icterum inducentia: quale quid, post GALENUM *de loc. aff. l.* 5. *cap.* 7. MARCELLUS DONATUS *Histor. mirab. lib.* 1. *cap* 9. & BARTHOLINUS *C.* 2. *Hist.* 89. annotarunt. Hæc enim suo fermento putrefactivo subitò immutant & corrumpunt massam sanguineam, & præternaturalem ac singularem fermentationem ac præcipitationem inducunt; unde ex mutata ejusdem particularum figura mutatur ejusdem color, donec tandem talia recrementa diversimodè tincta, à massa sanguinea separata, & hinc sero imbibita, ad extimas partes delata, in glandulis cutis miliaribus deponantur, & ibidem alienum colorem inferant. Huc pertinent febres, tàm symptomaticè quam criticè in icterum degenerantes; item icterus à feminis staphisagriæ masticatione, observante LOSSIO *l. a.*, item à scorbuto sine felleorum vasorum angustia, de quo vid. idem LOSSIUS *l.* 3 *Observat.* 83., ac denique à mensium suppressione, vid. HENRICUS *ab* HEER *Observ.* 6. BARTHOLINUS *Cent* 5. *Histor.* 62. item WILLISIUS *Pharmac. Rational. P.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 1. *pag.* 240.

Et hi sunt tres fontes, qui inquinando massam sanguineam icterum faciunt.

Imprægnatâ ita massâ sanguineâ loco chyli vitiosis recrementis, hoc ipso naturalis ejus fermentatio necessariò turbatur: Unde anxietas in præcordiis, dolor præcordiorum compressivus, lipothymiæ, virium dejectiones, & similia symptomata in principio icteri, seu antequam erumpat icterus, sunt frequentissima, donec ita excrementa à fermentatione sanguinis naturali, aut effervescentiâ ejusdem febrili separata, & sero involuta (præcipitata vocant Chymici) dum cum massa sanguinea circulari motu rapiuntur per partes solidas, in horum porulis tanquam filtris & colatoriis hæreant, ibique loco succi nutritii subsistant, ac successivè densius agglutinata partes solidas colore adeò peregrino inficiant vario, prout varia excrementa variâ præcipitatione in massa sanguinea varias acquirunt colorationes, simul quoque excrementa ista præcipitata & separata, à sero imbibita, per urinas excernuntur. Unde *in principio* morbi *urinæ sunt claræ*, aut saltem simul *opacæ*, ingruente scilicet sanguinis fermentatione, & excrementitiarum particularum separatione. Tandem verò, ubi præcipitata & separata fuerunt excrementa, *urinæ saturatæ*, & copioso sedimento onustæ, claræ evadunt ac naturales, aperto signo, fermentando separari & segregari in massa sanguinea excrementa, quæ aut per urinam excernuntur, aut in habitu corporis defiguntur.

Hæc tragœdia luditur tamdiu, donec succi hi correcti, & correcta massa sanguinea, hæc ad naturalem crasin redeat, & quicquid in habitu corporis, nunc per sudorem, nunc per insensibilem transpirationem dissipetur.

Modus ergò, quo fit icterus, est hic: In massa sanguinea congesta recrementa varia instar fæcum in musto fermentante separantur, & separata ac præcipitata acquirunt tàm distinctos ac tetros colores, & dum sero involuta hinc inde hærent in partibus solidis, aut cum urina excernuntur, necessariò tàm varium iisdem partibus inferunt colorem.

Quæ omnia ut intelligantur, exactam præsupponunt notitiam præcipitationis, quæ observatur in confectione atramenti: quò etiam pertinet tota doctrina colorum, prout satis accuratè à BOYLE fuit tradita; aliàs non possunt intelligi.

PARS AFFECTA.

Pars affecta ratione declarationis sunt tàm partes extimæ solidæ, ac imprimis corporis habitus, quàm etiam interna thoracis & abdominis viscera: sic enim ZACUTUS LUSITANUS *libro* 4. *Prax. Admir. Observat.* 136. & 156. refert ictero mortuum, qui omnia interna viscera, imprimis hepar & intestina, colore flavo totaliter infecta habuit. Rarum autem est, quod ossa etiam flavescentia fuerint reperta. *Pars verò affecta à causa proxima est massa sanguinea* heterogeneis recrementis impraegnata; sicut horum focus & fomes sunt primæ viæ.

DIAGNOSIS.

Quoad *signa diagnostica*: Icterus præsens facilè in genere cognoscitur ex habitus & urinæ colore, qui imprimis in oculorum albo se manifestat; sicut urinæ linteum vel charta albicans si intingatur, hæcque colore croceo inficiuntur; *quamvis urinam ictericorum non semper linteum tingere* RIVERIUS *Cent.* 2. *Observ.* 9. annotarit: aut si urina succussa spumam flavam ostendat, & sedimentum ochreum post horas aliquot dimittat. *Causarum* verò *signa* dignoscenda majoris difficultatis sunt. Ventriculum nihilominùs affectum esse patet: si mala diæta ventriculum immediatè gravans mox præcesserit, qualem verb. grat. ex HORSTIO *suprà* allegavi, si cardialgia adsit: si ab sentibus bilis præternaturaliter effervescentis indiciis ructus, vomitus, ac fluxus alvi nidorosi ac biliosi observentur, aut fæces colore naturali tinctæ sint.

Sanguinem verò hujusque texturam in ictero læsam monstrat:

1. Causa evidens, si v. g. à morsu animalis venenati is contigerit; si febres, mensium suppressio, similesque circumstantiæ, quales superiùs allegatæ, præcesserint, aut adsint.
2. Ventriculus mediocriter, aut benè constitutus; Ac
3. Vasorum biliariorum angustiæ, bilisque turgescentiæ extraordinariæ nullæ adsint notæ, ac internorum contenta naturaliter tincta sint.

Vasorum denique biliariorum, & hepatis angustias, aliaque vitia, monstrant

1. Dolor circa hypochondrium dextrum molestus, nunc cum tensione ac pondere, nunc cum lancinationibus obscuris.
2. Fæces alvi semper albicantes, aut cineritii coloris, hincque difficillimè & nullo labore solvi potest alvus; Ac
3. Convulsiones viscerum abdominis antecedentes, aut adhuc præsentes.
4. Bilis viscidioris signa.
5. Calculorum per alvum interpolata excretio antecedens.

An *icterus* superveniens sit *criticus*? an *symptomaticus*? signa coctionis urinæ monstrant. Si enim signa coctionis in urina apparent, Icterus est criticus; si citra coctionis signa perfecta superveniet, est icterus symptomaticus.

Urinæ in principio sunt tenues, nonnihil lacteæ; in progressu fiunt turbidæ, obscuræ & crassæ; in statu copiosa deponunt sedimenta, & colore naturali flavo plùs minùs tinctæ apparent. Et quando urina fit crassa, turbida ac nigra, tunc signum est solutionis morbi, cum victoria naturæ: Sic namque huc facit exemplum SCHENCKII *lib.* 3. *Observat.* de post mictum cruentum seu sanguinis aterrimi excretionem, subitò curato ictero: Magis huc facit exemplum HOEFERI *in Herc. Med. pag.* 142. de Ictero nigro, in quo ex usu lapidis Bezoar urina nigra & instar atramenti fuit excreta.

PROGNOSIS.

Prognosis omnis nititur causarum antecedentium consideratione. Est morbus, si quis alius, contumax, si illegitimè tractetur. Per se periculum quidem, non tamen lethalitatem, involvit, nisi ratione causarum, aut supervenientium interdum symptomatum.

Hinc Icterus, qui sequitur vitium quodpiam visceris cujusdam, hepatis ac lienis, confirmatum, scirrhum, &c. ferè chronicus, immedicabilis & lethalis esse solet, & nunc immediatè, nunc mediatè, quippe cui ordinariò hydrops lethalis superveniens, ægrum jugulat.

Icterus quò magis *flavus* existit, eò facilior est curatu: quò verò magis niger, difficilior; cùm hic causam complicatam magis aut certè alteratam, scilicet humorum aciditatem satis pertinacem, foveat.

Icterus flavus, qui est à ventriculi cruditatibus facillimè, & sæpè uno vomitorio, aut Purgante curatur.

In specie niger Icterus Quartanis superveniens solet esse contumacior: sicut FORESTUS *libro* 19. *Observ.* 22. observat, Quartanæ per 12. annos duranti icterum nigrum contumacem & diuturnum supervenisse. Interim Aphorismus HIPPOCRATIS 62. *Sect.* 4. non semper est verus: vid. HORSTIUS *libro* 1. *Observat.* 20., ubi Icterus salutaris quartâ die in continua febre obvenit: & BARTHOLINUS *Centur.* 3. *Hist.* 4. observat Icterum in Quartana salutarem, ante diem septimum supervenientem.

Icterus à veneno externo productus periculo non vacat, ob symptomata maligna ipsi communicata.

Icterus à fermento sanguinis intrinseco vix, nisi dyscrasiâ illâ ablatâ, tollitur, v. g. scorbuto, mensium suppressione, &c.

Ex ictero flavo securissimus est, qui in febre est *criticus*; *symptomaticus* verò, qui citiùs, quàm coctionis signa apparent, malus observatur, & non rarò periculum infert: vid. HIPPOCRATES *Epidem. Sect.* 2. *Text.* 120. & *superiùs de Febr. in genere pagin.* 405. & 406.

Post hunc facilioris est curationis & securior, qui ex impedito bilis per meatum felleum motu, hujusque obstructione oritur, modò non nimis pertinax fuerit obstructio.

Icterus ab angustia vasorum felleorum, si fixiorem & pertinaciorem causam hujus angustiæ foveat, v. g. callum, calculum, &c. semper difficilioris curationis observatur, quàm qui morbilem magis, v. g. obstruentem humorem, agnoscit.

Icterus à scorbuto vix, nisi hoc curato, sanatur; qui verò ex corruptela humorum, est incurabilis.

Calculi in folliculo felleo & inde nactus icterus difficillimè, rarò ac nunquam, curantur; cùm non prosint remedia, calculos alterantia, utut spiritus nitri dulcis aliquid præstet: aut curati licet, crebriùs recidivant, & mortem inferunt.

Nec qui è mensium obstructione, nisi hac sublatâ, sanatur.

Pariter icterus, qui à lienis vitiis, non semper eandem habet prognosin: nam qui ab ejus scirrho oritur, incurabilis est; qui verò à leviore lienis affectu, curari potest.

Ast intuitu supervenientium, & concomitantium symptomatum, ictero sæpiùs succedit Hydrops lethalis: non saltem, quòd ille hepati vel lieni scirrhum inducat; sed quatenus chylus bile haud sufficienter tinctus, hincque viscidior, vasorum lacteorum & lymphaticorum obstructiones, hinc rupturas parat: & *rara satis est avis icterus cum hydrope curatus*, qualem PLATERUS *Observ. pag.* 398. annotavit.

CURA.

In *Icteri Cura* ante omnia in genere priùs causæ removendæ sunt; Hinc fermentum acidum austerum.

I. Fermentum acidum austerum corrigendum, & si ex causis internis adfuerit vitium digestionis in stomacho seu cruditatis ventriculi, vel perfectionis chyli in intestinis, ideò istarum digestionum vitia sunt corrigenda, & appropriatis emendanda.

II. *Bilis vitiata emendanda*, & in naturalem crasin restituenda; quæ verò emendari nequit, per urinas & sudores evacuanda.

III. *Distributio ejus debita promovenda.*

IV. Correctâ causâ *separatio* seu præcipitatio *particularum* excrementitiarum *ex massa sanguinea* per appropriata specifica *adjuvanda*, earumque secretarum, & in porulis partium continentium desixarum, per Sudorifera vel Diuretica excretio promovenda est.

Hinc ratione *primæ Indicationis* conveniunt *Abſorbentia*, præſertim *Martialia*; poſt ſtomachus per *Vomitorium* purgandus, & per *ſtomachica aromatica* roborandus erit.

Secundæ Indicationi ratione bilis & ſucci pancreatici vitioſorum ſatisfaciunt *Martialia*, acidum deſtruentia; hincque remedia *ſalina acria* & *amara* plùs minùs reſinoſa & *volatilia*, præſertim *appropriata*, bilem reſtituentia, propinanda ſunt: quibus pro laxanda alvo *Rhabarbarina*, *ſennata* &c., pro diureſi *Lumbricalia*, &c. ſimul inſerviunt.

In *Tertia* præſtant *Incidentia*, *Aperientia*, & tonum hepatis conſervantia, *Hepatica* vulgò dicta, ſimul blandè adſtringentia, ut firmentur fibræ, earumque tonus. Quòd ſi *malum ſit à veneno*, tunc hoc aſſumptum Vomitorio rejicitur, ſi ore hauſtum adhuc in primis viis hæreat, ubi etiam Clyſmata proſunt; vel animalium morſu communicatum per appropriata alexipharmaca corrigatur, & quidem modò per fixa, modò per volatilia, v.g. antimonium diaphoreticum, & Bezoardicum minerale, ſal volatile Corn. Cerv., viperarum, rob juniperi, Theriaca, &c.

℞. *Theriac.* ſcrup. ij,
Bezoard. miner. ſcrup. ß, ad gr. xv,
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. v,
M. f. Bolus: S.
Bolus expellens pro una doſi.

Summatim in Ictero nigro primatum obtinent Martialia, in flavo alcalina volatilia oleoſa, alcali *bilis amarum* reſtituentia, utut utraque conjunctim ſæpiùs propinentur. In ſpecie verò pro *antecedentium cauſarum* varietate ſpecialis cura nonnihil varianda, de quibus hinc inde.

Pro his ſcopis obtinendis ſemper *vomitus* inſtituatur, cùm ferè impoſſibile ſit, ſine vomitu perfectè curare icterum: Ac in ſpecie, ſi in principio morbi urgeant ſymptomata ſtomachi, qualia ſunt anxietates præcordiorum, appetitus proſtratus, &c. in tali caſu nil melius eſt, quàm ut mox ab initio propinetur vomitorium, in ſpecie vitrum antimonii, vel crocus metallorum vino infuſus, cujus unc. j. ad unc. iß. filtratum propinandum:

Vel ℞. *Aloes hepat.*
Extract. cent min. an. ℈j.
Troch. alband. gr. vj.
Mercur. vitæ gr. ij.
F. Pilulæ pro 4. doſibus, ubi urgent vomendi conatus.

Quoad *venæſectionem*; ea planè non juvat in ictero, utpote quæ potiùs nocet, ac non raró malum exaſperat, quàm ut idem tollat.

Similiter *Purgationes* propriè dictæ in principio morbi adminiſtratæ ſunt admodum nocivæ, ac utplurimùm majorem diſcolorationem in ſuperficie corporis inferunt, niſi ſint lenia, primarum viarum ſaltem abſterſiva, ut tartarus vitriolatus, acuatus cum ſtimulo Purgantis cujuſdam; vel quoque Gummi Ammoniacum, quod ſolutum, ac in mixtura adhibitum, appropriatum eſt ad icterum: aut ſi adſit tantummodò lenis obſtructio meatus fellei in inteſtinis, tunc talis obſtructio vel unicâ purgatione poteſt tolli. Locum enim Vomitoria & Purgantia habent in Ictero à vaſorum biliariorum obſtructione, minimè ab eorum compreſſione, niſi hæc à talibus, quæ facilè catharticis removere licet, v. g. fæcibus alvi induratis, contingat, quatenùs per Purgantia æquè ac vomitoria magna pars bilis ad inteſtina & ventriculum emulgetur, ut PECHLINUS *de Purgantibus c. 36.* aliique annotarunt, ac illud obſervatum KYPERI teſtatur, dum *Inſtitut. l. 2. c. 16.* viro cuidam ob frequentiùs ea propinata non tantam bilis copiam reſtitaſſe, quanta alvinis fæcibus tingendis ſufficeret, eumque hinc debilitatum poſt annum obiiſſe, refert. In hoc tamen caſu non ſemper à Purgantibus erit incipiendum, cùm ſæpè ſola aperientia, & Digeſtiva, ſtimulo purgantis acuata, item ſalia fixa & volatilia, hanc obſtructionem ſimulque icterum tollant. In progreſſu verò morbi Purgationes ſunt fruſtraneæ, niſi ſaltem in fine, appropriatis imprimis præmiſſis, conveniunt, quin potiùs in morbi ſtatu *diuretica* & *udorifera* ſunt optima.

Quoad *Alterantia* verò & *Specifica* antiictericà: inter ea primarum obtinet Mars, iſque crudus, ſeu limatura Martis crudè pulveriſata, quæ optima eſt in quocunque ictero, in ſpecie nigro; bis enim in die, manè & veſperi, ad ℈j. radicem & fomitem morbi tollit; & cætera ex eo parata, vulgò aperientia dicta, v. g. Eſſentiæ Martis liquidæ, & croci Martis, pauco vel nullo acido parati, & omnia Martialia, de quibus hinc inde in ſuperioribus injecta mentio, tincturæ Martis tartariſatæ, item tartari Martiales, Extracta Martis cum ſucco pomorum Borsdorffianorum, eaque imprimis in ictero nigro & plumbeo, optima ſunt. Hinc etiam Hæmatites præparatus ſeu pulveriſatus ceu experimentum in ictero à quibuſdam laudatur, quatenus eſt hic totus Martialis, ſeu Martialis proſapiæ eſt. HEINRICUS ab HEER *in Obſerv. 6.* deſcribit *pulverem compoſitum ad pallidos virginum colores*, quem laudat in ictero menſium obſtructioni ſuperveniente, cujus baſin limatura Martis cruda, cum aliis Aromaticis mixta, conſtituit. Hinc *pulvis ſpecificus ad icterum* eſt nil aliud, quàm *limatura Martis* exactiſſimè pulveriſata, & ſub tritura cum *oleo deſtillato aromatico ligni ſaſſafras* irrorata, ne ſcilicet rubiginem contrahat; qui à ℈j. ad drachm. ß. commodè & cum ſucceſſu, nunc ſolitarius, nunc *cum cryſtalli præparatæ dimidio* propinatur, ſcilicet ad imitationem *pulveris cachectici*, imprimis HARTMANNI *in Praxi Chymiatrica cap. 171. §. 5.* Item *antimon. diaphoreticum Martiale Ludovici* expertum, quod vid. *in ejus Pharm. pag. 330.* & alia *Martialia* &c.; nam hoc vel ſolùm ritè adminiſtratum ſufficit ad curam icteri: Item Vina Martialia, vel quoque vinum, in quo ſæpiùs aurum extinctum, à POTERIO commendatum. Rationem dat BURRHUS *in Epiſt. ad Bartholinum*, quoniam ſcilicet ramenta ſubtiliſſima auri communicantur iſtis liquoribus. Facit huc & experimentum GESNERI *l. 3. Epiſt. p. 105.* ac PLATERUS *cap. de Ictero* in Ictero quocunque tanquam experimentum commendat *infuſum chalybis cum carbonibus de quercu* in vino. In ſpecie ex menſium vitio ſi fuerit icterus, *Martialia* laudantur. *Acidulæ* huc pertinent, quæ deſperatos icteros interdum curant; conf. WILLISIUS *Pharm. Rational. Part. 2. pag. 284.* STOECKERUS *in Praxi*: cùm hæ ipſæ poſt icterum relictam humorum dyſcraſiam, & viſcerum atoniam, præſertim ſi diuturnior fuerit, optimè reſtituant.

Poſt Martialia fiat acceſſus ad *ſpecifica icterica*, inter quæ primatum obtinet in ictero flavo *chelidonium majus*, nobiliſſima planta, & optimum in ictero remedium, præſertim quando ex vitiato bilis motu, indeque fæcibus alvinis griſeis aut candicantibus exiſtentibus Icterus oritur; de cujus uſu vid. FORESTUS *lib. 19. Obſerv. 21. & 40.* Uſurpatur autem variis modis: vel ut ex *planta* recenti contuſa exprimatur *ſuccus*, qui, licèt nauſeoſus, in vino aut quocunque vehiculo mixtus, quotidiè manè hauriatur; qua ratione ancillam ictericam multoſque ictericos nunc præmiſſo, nunc omiſſo vomitu, paucos intra dies curavi: vel quando nauſeabundus & ingratus eſt ſapor, fiat ſecundùm methodum à CASTRO præſcriptam infuſio radicis chelidonii majoris in vino, quod intenſo colore flavo tingitur, & bibitum notabile eſt remedium & infallibile, ut dicit CASTRO, in ictero experimentum. Item *Decoctum hujus chelidonii* in vino aut quocunque modo paratum, bis quotidiè uſurpatum, optimum eſt remedium contra icterum, & fallit raró in cura icteri, ſi maturè aſſumatur. Hinc JOEL *Decoctum chelidonii* majoris cum *granis juniperi* tanquam expertum meritò commendat & laudat: videatur WILLISIUS *Pharm. Ration. Part. 2. p. 280.*

℞. *Rad. chelidon. maj.* M. ij.
Bacc. juniperi M. j.
Cum *vino* in mortario trita, & validiſſimè expreſſa propinetur.

Poſt *chelidonium majus*, *marrubium*, hujuſque Decoctum, eſſentia, & extractum, ſimiliter remedium expertum eſt; de quo vid. FORESTUS *l. 19. Obſ. 19. & 40.* in ſchodio, ubi curavit mulierem diuturno ictero laborantem, quæ aliis omnibus irritis ſolo uſu ſyrupi marrubii curata fuit: quod & omnes Practici confirmant.

Huc ſpectat *centaurium minus*, quod internè quocunque modo ſumptum, ob amaritiem ad icterum egregium eſt: Ejus Decoctum cuporiſton eſt Rulandi in cura icteri; imò ſunt, qui dicunt, quod centaurium minus recens contuſum in calceos immiſſum, ut nudis pedibus inter ambulandum ita teratur, curet icterum; fieri enim plantam omninò flavam,

ob

ob id quotidiè esse repetendam. Item *taraxacum*, item *flores chamomillæ*, herba *grimoniæ*, *abrotanum*, *anserina*, cujus succus vel Decoctum hauriatur. appropriata sunt icteri remedia: vid. RIVERIUS, FONSECA, & PETRÆUS *in Differt. Harmonica*. Huc pertinet *fumaria*, cujus solius succo RIVERIUS *C. 3. Observat.* 73. icterum & vomitum biliosum curatum refert: *salvia*, de qua vid. PLATERUS *Prax. T. 3. pag.* 141: & *rosmarinus*, vid. FONSECA *l. a.* Hæc simplicia omnia, quibus & *cochlearia* addi potest, operantur, corrigendo bilis oleositatem, & sal volatile ejus acuendo. De *succo capillorum Veneris* vid. VELSCHIUS *Mission. C.* 13. *Obs.* 13. Facit huc *fragaria*, quæ etiam est remedium expertum *Rulandi*, Decoctum nempè ejus aliquandiu continuatum, aut pro potu ordinario propinatum, quod ipsum sufficiens est in cura icteri infantum: Nam quod etiam *infantes fiant Icterici*, observat PANAROLLUS *Pent.4.Observ.44.*, ubi refert de infante ex utero materno icterico. Magis adhuc convenit, si fragaria simul decoquatur *cum passulis*, & ita Decoctum hauriatur, teste RULANDO *in Thesauro pag.* 168. item FONSECA *l. 2. Conf.* 34, qui dicit, fuisse secretum cujusdam religiosi, qui Ictericos curavit Decocto herbæ & radicis fragariæ quotidie hausto; vid. etiam BARTHOLINI *Acta Med. Hafniens. Vol. 1. Observ.* 120. v. g.

℞. *Herb. fragar. cum toto* M. ij. vel iij.
Passul. min. ℥iij vel jv.
Hæc coqu. in s. q. *aqu. font.* pro potu ordinario.

Fit potus gratus sæpiùs usurpandus, quem etiam HARTMANNUS commendat *in Praxi Chymiatrica*. Icterici enim, utut intensè sitientes, malè ferunt cerevisiæ potum, partim propter amarorem, partim quod oneret ventriculum, cùm non benè digeratur, sed in mucum degeneret. Hinc sitientibus maximè ictericis, convenientissimus potus erit vel modò dictum *Decoctum*, vel si *fragariæ* amaror molestus sit, solum *Decoctum passularum*. *Passulæ* sanè multum in recessu habent, unde non possum non laudare *Electuarium* DIGBÆI P. 1. *Experiment.* ad quemvis icterum, paratam ex passulis minoribus & Rha-Barbaro.

Conveniunt etiam *radices 5. aperientes*, cichorii, rubiæ tinctorum, urticæ, lignum sassafras. Radix hirundinariæ seu vincetoxici, ejusque essentia, appropriatum est antiictericum, & à SIMONE PAULI *Qu. Botan. pag.* 817. extollitur, præsertim in progressu & declinatione morbi, si vinum decoctionis ejusdem hauriatur, tàm per sudorem quàm per urinam egregiè operans, & tincturam removens. Ex ℔j. radicis urticæ majoris & ℈j. croci Gesnerus cum vino albo extrahit tincturam, quam tanquam celebre antiictericum per 5. dies dosi ℥iij. assumendum commendat. Ulteriùs flores hyperici & calendulæ hoc in casu etiam sufficiunt, in specie *croci flores* experimentum sunt ad icterum. Flores hyperici commendat StocKerus in Praxi, si scilicet flores cum herba perforatæ, i. e. hyperici, coquantur in vino, vel aqua, & detur continuò bonus haustus manè: prætereàque herba & flores ponantur in calceos; remedium enim dicit esse expertum. De *floribus genistæ* res itidem certa est; id quod confirmat Observatio BORELLI *Cent.4. Observ.31.*, ubi icterus à fumo tabaci obortus curatus per *conservam florum genistæ & calendulæ*. Nec *absinthium*, optimum hepaticum, hic negligendum est; cujus virtutem in ictero cum aliis cachexiæ symptomatis annotavit SOLENANDER *Sect.5. Conf.25.* Icteri diuturni curationem per Decoctum musci pulmonarii quercini videb. in M. A. N. C. *Ann.3. Observ.290.* Pertinet huc *Decoctum* euporiston *Camerarii* ad icterum, quod describit FEHR *de absinth. pag.29.*

℞. *Com. absinth.*
Flor. rosar.
Prun. sylv. an. par. viij.
Croci part. ß.

Decoque in *vino diuretico*, & exprime pro usu. Aliàs *semen aquilegiæ* nobile est specificum expulsivum in ictero, quod promovendo expellendove excrementa icterica massam sanguineam purgat, estque TIMÆI euporiston, unde est basis pulveris *Timæi* ad icterum experti, cujus Descriptio est hæc:

℞. *Sem. aquileg.* ʒvj.
Croci orient. ʒj.
Tartar. vitriolat. ℈j. vel ʒß.
M. f. Pulvis.
Div. in 7. part. æqu.

Sumantur ex vino Rhenano calido 7. diebus continuis; omni manè dosin propinando. Testari possum, quod aliquando sartorem ictero flavo contumaciter laborantem, aliis irritis, præmisso Vomitorio, hoc pulvere restituerim: juxta cujus usum imprimis *spiritus carminativus* de tribus præ aliis proficuus erat.

Vel convenienter potest fieri *Emulsio ex hoc semine*: exemp. gr.

℞. *Sem. aquileg.* ℥ß. ad ʒvj.
Cum s. q. *aqu. flor. aquileg.* & *chelidon.* maj. f. Emulsio: adde
Ebor sine igne, vel *rasur. eboris pulver.* ʒj. ad ʒjß.
F. Mixtura contra icterum.
Edulcoretur parum & usurpetur pro lubitu,
D. S.
Emulsio sanguinem purificans.

Benè confert hæc Emulsio; frequentiùs enim usurpata blando sudore expellit icterum, & tincturam optimè delet: inter alia puerperæ, mox à partu fœtus mortui ictericæ, cum successu dedi. *Ebur* certè, ceu appropriatum absorbens, ut & *corallia*, à multis ad icterum commendantur.

Juxta hanc emulsionem pariter quoque experta est *Emulsio Cnœffelii ex seminibus frigidis majoribus, &c.* quam videb. in M. A. N. C. *Ann.4. & 5. Observ. 49. pag. 43. & 44.* SYLVIUS laudat semen cannabis in lacte ad crepaturam coctum in ictero; vel fiat ex hoc Emulsio cum aqua appropriata; vel

℞. *Sem. card. bened.*
Napi,
Aquilegiæ an. p. æqu.
Cum *aqua quadam appropriata* f. Emulsio.
D. S.
Ut antè.

Hisce accensenda venit *radix curcumæ*, restaurativum sanguinis seu hepaticum, & antiictericum specificum bonum; sive solitaria, sive cum Martialibus in forma sicca, e. g. *antimonio diaphoretico Martiali*, conjuncta propinetur: v. g.

℞. *Limat. crud. Martis*, vel *pulv. cachect. Martial.*,
Vel antimonii diaph. Martial.
Rad. curcum. an. ℈ß. ad gr. xv.
M. f. Pulvis pro dosi: S.
Pulvis antiictericus.
Vel
℞. *Rad. curcum.*
Antimonii diaph. vel *Bezoard. miner.* an. gr. xv.
Sal. vol. cornu cervi vel *viperar.* vel *succini* gr. vj.
M. f. Pulvis.
D. S. ut antè.
℞. *Antimonii diaphor. Martial. Lud.*
Rad. curcum. an. ℈j. ad ʒß.
Sal. volat. cornu cervi ℈ß.
M. pro 2. dosibus.
D. S.
Ut suprà.

In specie, si à calculis in folliculo felleo fuerit Icterus, radicem hanc ceu experimentum commendat HOFFMANNUS *in Clave Schrœderiana p. 365*; de quibus calculis exturbandis etiam vid. remedia ordinaria in M. A. N. C. *Ann.4. & 4. Observat.99. p.103.*

Hæc ipsa specifica ex regno quidem vegetabili optimè sunt juncta *in Essentia contra Icterum* D. MICHAELIS, cujus Ingredientia sunt hæc:

℞. *Herb. marrub.*
Eupator.
Abrot.
Anser. an. M. j.
Rad. chelidon. maj. ℥ ij.
Tarax.
Fragar.
Gramin.
Rha-Barb. Mon. an. ℥iij.
Curcum. (egregium remedium) ʒß.
Flor. hyperici,
Calend.
Cichor.
Hepat. nobil.
Genist. an. p. iij.
Ex his cum *spiritu chelidon. maj.* f. Essentia.

Nec omittenda sunt ex animalibus, quæ sale volatili, nunc diuretico nunc sudorifero, constant: Hinc *aselli*, & *lumbrici terrestres*, seu eorundem blandè in Balneo Mariæ exsiccatorum pulvis ad ℥j. sæpiùs propinetur: vid. THONER, & LOTICHIUS. Nam hic pulvis bilem insigniter acuit: aut more antiquorum subigendi cum sero lactis vel cerevisia: vid. MAROLDUS *Pr. p.* 171.: vel infundendi vel coquendi cum Vegetabilibus aperientibus sic dictis, aut specificis, vel menses moventibus &c.: aut per putrefactionem vel fermentationem *spiritus urinosus* ex his paratus ad ʒß. subindè exhibeatur, propter sal volatile nitrosum abstergens, incidens, & saporem icteri specificum corrigens, urinamque ciens, ab omnibus Practicis laudatur. Quibus vix cedit *spiritus tartari* probè rectificatus urinosus, *spiritus carminativus de tribus*, *spiritus urinæ humanæ*, ad modum ZWELFERI *in Mant. Herm.* traditum paratus, *liquor cornu cervi succinatus* ad guttas xxx. *Tinctura tartari* acerrimæ gutt. xxx., aut loco spiritus urinæ *spiritus salis ammoniaci* efficacior erit; hinc pauperculi *urinæ potu* ab ictero se curare solent; vel quod in multis probatum euporiston, utut fœtidum:

℞. *Succ. absinth.* vel *chelidon* & *marrub.* q. v.
Misc. cum *urina ægri*.

De quo bibat bonum haustum, contineat se in lecto & super, sudorque sæpiùs abstergatur; hoc enim aliquoties repetito subindè restituitur.

Certè præmissis præmittendis (i. e. *vomitu* & *Martialibus*) post specifica *salia volatilia* sunt optima icteri remedia. Unde propter hujusmodi volatilem salinam nitroso-ammoniacalē texturam *stercora* quorundam animalium tantopere ad icteri curam tàm PARACELSUS, quàm alii Practici, commendant; qualia sunt stercus caprillum, gallinaceum, columbinum, equinum, in specie stercus viridescens *anserculorum* juniorum, imprimis chelidonio] & anserinâ nutritorum, ad ℥j. Nam propter ammoniacalem vim, & anserinam, ceu specificum in hoc morbo, qua vesci solent, illud stercus specificum antiictericum fuit Bartholeti (vid. FONCESCA *l. a.* ac GRULINGIUS *Prax. l.* 3. *pag.* 307.) recipitque stercus anserinum & lumbricos terrestres: Aut pulverem ictericum, quem LOTICHIUS *lib.* 4. *cap.* 2. *Observ.* 6 & 7. describit; quibus WILLISIUS stercus ovillum substituit: item *stercus canis* ossa rodentis; item *stercus album pullorum* exsiccatum & pulverisatum: Abundant enim omnia stercora sale volatili de natura ammoniacali, quod ipsum egregiè vitia bilis & succi pancreatici simul corrigit & emendat. Quod facit *Tragea stercoraria* QUERCETANI *in Pharm. pag.* 451. ex solis animalium stercoribus parata: vid. FINCHIUS *Chym. p.* 145. Hæc omnia à ʒß. ad ℥j. propinantur, & ad icterum laudantur; sicut & quidam commendant *succum stercoris capræ* expressum cum lacte ceu egregium in ictero remedium. Pediculis tres, vel quatuor vivi deglutiti commendantur à quamplurimis, & experimento comprobavit ZACUTUS LUSITANUS *lib. ultimo Med. Princip. cap.* 2. Hisce annumerandi veniunt *lapides* in fellibus animalium reperti, præsertim *lapis* ille *in felle bovis* repertus euporiston non est contemnendum, utpote cum sit nihil aliud, quàm bilis naturalis coagulata ab acido, cujus pulvis à drachm. ß. ad scrup. ij. imò ad drachm. j. mirè ad icteri curam laudatur; extra quem & *lapis ex felle porci* egregius est: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observat.* 283. *pag.* 499. Loco quorum etiam capi solet *lapis Bezoar*, sive *Orientalis*, sive *Occidentalis*, ex cujus usu urinas nigras instar atramenti redditas fuisse, observatum fuit in ictero nigro: vid. HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 140. *suprà allegato*: vel *calculus humanus*, tàm per urinam quàm per sudorem, Icterum pellens est. *Item* spectat huc *lapis ceraunius* præparatus à scrup. j. ad drachm. ß. qui est specificum ad icterum *D. Michaelis*, quo ipso aliquoties curavit, qui quotannis hoc morbo afficiebantur: in cujus defectu lapis in folliculo fellis tauri repertus commodè substitui potest: sic ipse cuidam quotannis ictero laboranti exhibere soleo lapidem ceraunium præparatum. TILEMANNUS & AGRICOLA ex lapide ceraunio pulverem contra icterum præparant. HARTMANNUS & D. MICHAELIS] cum exuviis serpentum aut viperarum spontè depositis miscuerunt, & dosi scrup. j. propinarunt: vid. suprà, ubi de Hydrope Artic. 3. Ex quibus variæ fieri possunt formulæ: ver. grat.

℞. *Rad. rubiæ tinct.*
Chelidon. mai. an. ℥j.
Herb. marrub.
Summit. absinth. an. M. j.
Sal. tartari drachm. ij.
Includ. nodulo vino infundendo:
D. S.
Nodulus sanguinem mundificans.

℞. *Extr. chelidon. mai. gumm.* drachm. j.
Lap. Bezoar. occident.
Antimonii diaph. Martial. Lud. an. gr. xv.
M. f. Bolus. S.
Bolus sanguinem mundificans.

Diluatur in haustu vini, capiatur.

BIERLING sequentem commendat pulverem:

℞. *Bezoard. miner.*
Iovial. ana ℈ß.
Matr. perlar. præp. gr. v.
Bez. Orient. gr. vj.
M. S.
Pulvis vespertinus pro una dosi.
Item

℞. *Aqu. tarax.* ℥j.
Extract. chelidon. mai. ʒß.
Sal. volat. Corn. Cerv. gr. ix.
Syr. card. bened. ℥j.
M. S.
Potio sanguinem mundificans pro una dosi.

℞. *Croci Martis aperit.* ʒß.
Extr. Rhabarb.
Rad. curcum.
Fumar.
Absinth.
Cent. min. ana ʒß.
Olei destillat. maior. gtt. vj.
F. Pilulæ No. 197.
D. S.
Pilulæ sudoriferæ.

Dosis viij. ad xij. manè & vesperi.

Pro *turgescentia biliosa* mitiganda opio locus concedi potest: potui ordinario instillandus spiritus salis dulcis, & spiritus nitri dulcis, item spiritus salis ammoniaci acidus vid. GRIMMIUS *Compendio Medico Chymic. lib.* 3. *cap.* 1: *Observ.* 26. & 27.

Cæterùm in fine interdum, non autem semper, blanda Laxantia adhiberi convenit pro evacuatione primarum viarum, inter quæ huic scopo inservientia hactenus enarratis aut subjungenda, aut interdum etiam permiscenda, semper sint moderata & blanda. Præ cæteris commendantur *flores pruni sylvestris*, qui blandissimè & appropriatè laxant per alvū, si infundantur in potum ordinariū cum Nodulo, qui crebriùs bibatur; vel manipulus horum florum acaciæ infundatur in vinum, maceretur per diem & noctem in loco calido, quod vinum ita hauriatur: Dicitur KAUFFINGERI experimentum, laxat blandè, & ad crasin sanguinis confert: vid. *Collegium in Schrœderum P.* 1. *S.* 2. *Class.* 1. Convenit hîc etiam *infusum foliorum sennæ cum sale tartari* in aqua specificâ; Nam sal Tartari hîc convenit duplici ex fonte:

1. Quoniam absorbet acidum, & præcipitat materiam heterogeneam.
2. Quia adjuvat extractionem mucilaginis purgantis ex senna, & stimulat quoque, ne adhærescendo plicis intestinorum hypercatharses inferat: semel enim pro semper moneo, non debere propinari infusum sennæ, nisi adjecto stimulo sal. tartari.

Extractum autem foliorum sennæ nil valet. In specie laudem meretur *Rha-barbarum*, & Rha-Barbarina, quod appropriatum est, utut vulgò bilem evacuet. At hoc non solùm præstat, sed potiùs partim alterat, partim evacuat; ideò vim specificam antiictericam habere dicitur, nec sine causa à PARACELSO commendatur. Nempè *Rha-Barbarum electum pulverisatum* optimè in substantia usurpatur à drachm. ß. ad drachm. j; propinetur in jure vel vino calido manè jejuno stomacho, æger nonnihil contectus in-ligni-

signiter sudabit, & à meridie alvum laxam habebit: Vel

℞. *Rha Barb.* ʒß.
Tartari vitriolat. vel arcan. dupl. gr. xij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis laxativus.

Usurpetur dicto modo. Et sanè pulvis hic *Rha-Barbari* in his casibus præferendus est Extractis, utpote quæ nullius sunt pretii: Unde infusum Rha Barbari cum marrubio est egregium remedium ad curam icteri: Quò pertinet Essentia alexipharmaca laxativa Clauderi ex Rha-Barbaro, vel Elixyr cachecticum polychrestum laxativum cum essentia absinthii:

Vel

℞. *Passul. min.* aut *earund. pulp.* ℔ß.
Rha Barb. el. ʒiij.
Tartari vitriolat. Tach. ʒij.
Cum s. q. *syr. de cichor. cum Rha-Barb.* f. Electuarium.
D. S.
Aperiens Electuarium sanguinem mundificans.

Vel infunditur Rha-Barbarum in aqua specifica cum foliis sennæ, addito sale tartari: Vel

℞. *Fol. senn. sine stip.* ʒiijß.
Rha-Barb. el. ʒj.
Rad. curcum. ʒß.
Sal. tartari ℈j.
Infund. in *aqu. fumar.* per noctem:
Colaturæ adde
Syrup. de cichor. cum rhabarb. ℥j.
M. D. S.
Potio laxativa sanguinem mundificans.

Vel

℞. *Summ. centaur. min.* p. ij.
Rha-Barb. el. ʒij.
Sal. tartari ℈j.
Infund. in s. q. *vini absinthit.*, stent in loco calido per noctem:
Colaturæ adde
Syr. de cichor. cum Rha-Barb. ʒvj.
M. S.
Vinum absinthit. purgans pro una dosi.

℞. *Rha-Barb. el.* ʒij. vel iij.
Sal. tartari ℈j. (vel *crem. tartari* ℈j ad ʒj.)
Infus. in *aqu. simpl.* vel *appropr.* ℥iij.
Stent in loco calido:
(cum cremore tartari verò ebulliat ad tartari dissolutionem.)
Colaturæ adde
Syr. de cichor. cum Rha-Barb. ℥j.
M. D. S.
Potio laxativa sanguinem mundificans.

Sanè Rha Barbarum sub forma pulveris vel infusi in his casibus præferendum est Extractis. *In ictero nigro* autem *infusum hellebori nigri* in sero lactis confert, aut *pilulæ ex extracto hellebori nigri* cum Extracto Martis concinnatæ: quibus, quantum possibile fuerit, *gummi ammoniacum* sociandum, quod optimum aperitivum, & muci viscidi incisivum. *Præcipitata Mercurialia* pro purgandis ictericis ad curam icteri à quibusdam commendantur: sic Mercurius præcipitatus rubeus cum tartaro ad aliquot grana commendantur à FincKio: Mercurius præcipitatus luteus ad gr. v. vel viij commendatur à SCHNEIDERO in *Pharmacopœa*: sed transeant, cùm tutiora prostent. Pertinet huc Decoctum LINDANI, quo quemvis icterum curat, præsertim, quod probè notandum, præmisso vomitorio; ut plurimùm enim in principio curationis vomitorium propinandum venit. Decoctum est tale:

℞. *Rad. cichor.* aut *tarax.* ℥ij.
Chelidon. maj. ʒvj. ad ℥j.
Herb. endiv. aut *cichor.* M. j. vel ij.
Fragar. M. iß.
Marrub. M. ß.
Tartari alb. ʒß. ad ʒvj.
Fol. senn. ʒvj.
Coqu. in s. q. *aquæ*, aut *aquæ & vini* ana q. s. in vase clauso: Decocti ℞. ℔. ij.

Detur pro usu: addendo, si præstantius desideretur, singulo haustui *spiritus tartari rectif.* ℈j ad ʒß. sumantur 3. diebus, & omni mane duo haustus, interpositâ horâ, continuando, donec malum sit curatum.

In hujus usu attendendum, ne sint secessus ultra tres vel duos in die: si contingat liberaliùs purgari primâ die, aliis sumatur tantò minus. Tali Decocto Amstelodami curavi mercatorem ex ictero nigro: Tribus septimanis nihilum quidem profeci, urinæ manebant crudæ & splendidæ; post dies paucos, apparente coctionis signo, aberat splendor, & turbidæ erant urinæ: Prædixi ergò illi solutionem morbi. Continuari igitur medicamentum, & non mutare opus est.

Convenit quoque *Apozema Sylvii cap. 46. §. 68. pag 452.* & *Potio* sequens BARBETTE, quam habet *in Exercit. Practicis*.

℞. *Rad. rubiæ tinct.* ℥j.
Urticæ,
Curcum.
Chelid. maj. an. ℥ß.
Fol. marrub.
Cuscut. an. M. j.
Flor. genist. p. ij.
Sem. cannab. ʒß.
Aquileg.
Petroselin. an. ʒiij.
Coque in
Vini albi tenuior.
Aquæ puræ an. q. s.
Colaturæ ℔ iß adde
Syr. de cichor. cum Rha-Barb.
Spinæ cervin. an. ℥ij.
Spiritus salis ammoniaci vel *carminat. de tribus* ʒiij. Misc.

Vel

℞. *Herb. marrub.*
Cuscut. an. M. ij.
Flor. genistæ,
Acaciæ,
Calend. vel *cartham.* an. M. j.
Rad. scorzon.
Filicis,
Cichor. an. ℥j.
Crem. tartari ʒß.
Coqu. in s. q. *aquæ*.
Colaturæ adhuc serventi infunde per noctem
Fol. senn. sine stip. ʒvj. vel *Rha Barb. el.* ʒß. ad ʒvj.
Colatura ad ℔j. D. S.
Potio sanguinem purificans.

Quoad *Icterum nigrum*, saltim notetur: ut in præscribendis remediis semper acidum absorbendi simul habeatur ratio; sive hoc fiat illa eligendo, quæ utrique humori simul dicata, v. g. per Terrea, Urinosa & Martialia; sive hæc aliis & hactenus dictis commiscendo; sive modò hæc modò illa diversis vicibus propinando.

Hæc fuerunt interna, de quibus adhuc in genere moneo: In medicamentis anti-ictericis esse insistendum ad tempus, quia est morbus chronicus & contumax: & quidem quamdiu urina mingitur tenuis & splendida, tamdiu illis insistendum, donec signa coctionis appareant, & aut fiant crassæ & turbidæ, & cum sedimento repletæ; his enim apparentibus solutio imminet, & spes salutis est in propinquo.

Hisce internis interdum *Externa* quoque remedia accedunt, quæ in icteri cura subinde plantis pedum applicari solent, qualia sunt *centaurium minus*, *item radix chelidonii majoris*, & hypericonis, de quibus *suprà dictum*. Sic pro *delenda penitus tinctura seu colore* citrino, qui aliàs sponte evanescere solet dictis hactenus adhibitis, conveniunt *frictiones* seu balnea: nempe ad abigendum colorem mittantur colore peregrino infecti, sani licet sint ægri, in Balneum aquæ tepidæ, ut ita relaxentur cutis pori, fricetur corpus *cum sacculis*, repletis *farinâ hordei & fabarum*, quibus aquæ calidæ immersis fricandum corpus; ita enim vitiosus color quicunque, interdum pertinax, deponitur ac evanescit: vel fiat *balneum ex* resolventibus, v. g. *scabiosa*, *saponaria*, *chelidonio*, *chamomilla*, *parietaria*, *origano*; de quo vulgò dicitur, quod colorem ictericum eò usque evocet, ut aqua balnei inde tingatur; *beta*, *anetho*, marrubio, abrotano, radice lapathi, sigillo Salomonis, ex lupinis, nitro, sulphure, calce viva & similibus, quibus corpus abluatur: v. g. usurpetur Balneum ad cutem detergendam Mynsichtii, vel

℞. *Herb. saponar.*
Parietar. an. M. ij. vel iij.
Rad. bryon. ℔ß.

Rad.

Rad. Sigilli Salom. ℥iv.
Pulv. pisor. nodulo inclus. ℔ß.
Incisa D. S.
Species ad balneum,

Balneis hujus Decoctionis aliquoties æger insideat, novam semper aquam recipiendo; tunc pisorum pulvis nodulo laxiori inclusus sit.

De *tinca pisce*, umbilico vel dextro hypochondrio imponenda, aut plantis pedum imponenda, aut plantis pedum supponenda, quæ exinde flavescere dicitur, & æger sanari; ac de potu e poculo cereo flavo, rem in dubio, ceu incertam, relinquo.

Pertinent huc Externa ad icterum quemcunque mulierum gravidarum convenientia, quibus propter metum abortus non semper tutum est propinare interna, aut *imbe. illioribus*: in talibus quovis ictero correptis expertum est Cataplasma *Joelis*, quod habet;

℞. *Fol. marrub. virid.*
Rad. chelidon. maj.
Visci quercin. an. M. ij.

Hæc cum aceto vel vino subacta plantis pedum applicantur: vid. RONDELETIUS.

Aut si tutum videatur, potest ex his fieri Infusum in vino, & propinari internè pro sudoris prolectione. FORESTUS *l. 19. Obs. 21.* gravidæ ictero laboranti, cùm jam instaret partus tempus, sequens Claretum cum successu propinavit:

℞. *Herb. marrub.*
Puleg.
Artemis.
Capill. veneris,
Verben. an. p. j.
Rad. calam. arom. ℥iß.
Croci ℈j.
Cinnam. ℥ß.
Sacch. q. s.

Cum *vino* f. Claretum, quod profuit, & cùm 5. vel 6. diebus assumpsisset, feliciter peperit, & simul tunc ab ictero liberata fuit.

Pertinent huc etiam curæ magneticæ, uti in aliis morbis chronicis, ita & in specie in ictero proficuæ. V. g. urinam ægri miscent cum farina hordei, exin forment placentas, quas in aquam piscibus projiciunt, aut cani vel feli devorandas præbent; sic icterus evanescet. Innuit hoc HELMONTIUS *pag. 595.*, & in Anglia in duabus personis à se expertum refert hoc Dn. BOYLE *in Philos. Experimentali*. Dicunt, si æger quotidiè urticas vivas permingat, exinde arescere urticas, ægrum verò successivè curari: vid. KESLERUS *Process. Cent. 5. pag. 84.* Vel infundatur ægri urina supra acervum formicarum; vid. M. N. C. *Ann. 3. Observ. 89. pag. 146* Sic urina icterici supra stercus equinum, dum calet, excreta curat icterum, annotante PLATERO & GRUELINGIO: vid. WILLISII *Pharm. Rat. Part. 2 pag. 149.* Vel permisceatur urina cum cineribus fraxini, & in globulos redacta prope fornacem exsiccetur: Conf WILLISIUS *l. c.* Vel, quod fuit expertum à CASTRO:

℞. *Ovum gallinæ*, suo luteo & albumine per mediocre foramen orbatum, ita ut sola testa remaneat integra, quæ impleatur *urinâ patientis*, & factâ scrobiculâ in hypocausto sinatur ibi, donec lento calore exsiccetur urina; pari gradu & exsiccatur urina, & tollitur icteritia.

Potest fieri etiam citiùs in digestione cinerum. Si verò per incuriam contingat aduri testam, icteritia abit in nigram icteritiam immedicabilem.

Vel sanguine ex mediana ægrotantis extracto, & ovi gallinacei testæ artificiosè incluso, & ita ovo 14. dies gallinæ pro fotu supposito, postmodùm cum carne quadam misto, & cani, vel sui famelicæ exposito, ut comedatur, icterum & morbos ex vitioso sanguine oriundos transplantando averruncare satagunt: vid. BURGGRAVIUS *in Biolychnio*. Item ex urina ægri & lacte, & addito pane similagineo, fiat jusculum, propinetur cani; qui si non moritur, nec homo morietur, sed convalescet.

Sequitur

ARTICULUS V.

DE

LUE VENEREA.

Lues Venerea ita dicta, quod ex concubitu & usu cum subjecto impuro frequentissimè & facillimè contrahatur; & est nihil aliud, quàm contagiosa totius corporis cachexia, cum insignibus & crudelibus artuum & locorum quorumlibet nerveorum doloribus, pluribusque symptomatis stipata, à corruptis, malignis, & quasi virulentis humoribus dependens; ita quidem, ut priùs semper membrum afficiatur, per cujus contactum virus illud corpori primò & immediatè affricatur.

Innotuit hic morbus Europæis non nisi ante duo circiter secula, & quidem circa annum Christi 1493. Dubium ergò mox oritur: an Veteribus cognitus fuerit hic morbus, an non? Prius qui defendunt, non pauci sunt, quos inter est LINDANUS, exactus Veterum scrutator, qui *super Harmannum* asserit, quod GUILIELMUS *de* PALAZETO, qui floruit Anno 1470 accuratè de hoc morbo scripserit; item BERNHARDUS GORDONIUS, qui floruit An. 1305. & in *Lilio suo Medicinæ* de hoc scripsit; item VALESCUS *de* TARANTA Anno 1417.; imò quod & alii antiquiores citari possint perhibet, qui de hoc affectu scripserunt, & de eo agunt, cùm de morbis pudendi scribunt. Alii è contrà Veteribus incognitum volunt, asserentes, eundem in India Occidentali endemium exstitere, illumque milites Hispanos ex istis locis redeuntes Anno 1494. reportasse, & hinc in Italia ab iisdem disseminatum, & in specie in Castris Gallorum in Obsidione Neapolitana à scortis urbe exclusis longè latèque propagatum fuisse; undè ab Italis *Morbus Gallicus*, à Gallis *Morbus Neapolitanus*, ab aliis *Syphilis*, quo nomine apud Veteres veniat, ab aliis appellata fuit. Sed lis hæc est de lana caprina: vid. SENNERTUS *l. 6. Prax. Part. 4. c. 1. p. 121.* MANARDUS *Ep. l. 2. p. 99* item MONARDUS *de Simplic. Med. Histor pag. 312.* HELMONTIUS *de Peste*, *Fracastorius Tract. Peregrina Lues nova*, &c. qui omnes diversa de ejus origine tradunt.

Exactam ejus historiam enarrare ferè difficile est; nam, „ ut inquit LINDANUS: *si Protheus est, Lues Venerea „ est, & credo, non esse morbum, qui tàm difficilis sit cognitu, „ quàm Lues Venerea; nullus enim morbus est, cuius pallio tegi „ non possit, adeò ut ex multis hoc morbo laborantibus vix duo „ sint, qui eodem modo afficiantur.*

Symptomata enim, quibus morbus hic se manifestat, non semper eadem sunt: quibus tamen innotescere solet, aut primaria aut frequentiora hæc deprehenduntur:

1. *Effluxus humoris spermatici* virulenti ex pene in maribus, ex genitalibus in mulieribus, quem gonorrhœam virulentam seu veneream appellant, congressum cum persona plus minus suspecta paulò post, interdum tertiâ vel quartâ die, interdum paulò tardiùs, insequens. Cùm verò sanies, quæ profluit, acris sit, & in confiniis præputii, ubi glandi connectitur, subinde retineatur, acrimoniâ suâ irritante *inflammationem præputii* & *tumorem* insignem excitat, ita ut glans phymosi quasi affecta detegi non possit; dum interiùs sanies ista acrior facta glandem potentiùs arrodat: nunc verò præputium tumorem quasi flatulentum contrahit, ita ut in immensum intumescat, & quasi transpareat, & glandem inferiùs stringat. Quod si intempestivè supprimatur, aut non ritè corrigatur hic fluxus, universum corpus Lues ipsa brevi post perfectè inquinabit.
2. *Bubones in inguinibus* saltem exorti, vel post Veneris usum, vel etiam aliquo tempore post, duri, dolentes, præsertim noctu: qui si evanescant, aut saltem incisione aperti ad suppurationem & mundificationem producantur, res in meliori erit statu: interdum non suppurantur, sed potiùs indurantur.
3. *Lassitudo insignis ulcerosa* & *torpor* gravis quælibet membra occupat, quasi fustibus contusa essent.
4. *Pustulæ variæ* multiformes & scabiæ, in corporis partibus se offerunt: in pene quidem pustulæ parvæ

præ-

præsertim in glande apparent, item circa coronam; quæ paulatim rumpuntur, & in ulcera alba degenerant, hinc successivè fiunt profunda & callosa, glandis substantiam successivè exedentia & absumentia. Si ex congressu impuro malum sit, ferè in pene primitus, idque ut plurimùm cum gonorrhœa, apparent ulcera. Aliàs quoque pustulæ hinc inde in corpore, præsertim tamen in fronte, facie, faucibus, & naribus, hinc cute capitis pilosa, erumpunt, nunc plus nunc minus protuberantes; item circa pubem & coxas, interdum densè labia vulvæ obsident, suntque squamosæ, scabiosæ, inæquales, coloris rarò intensè rubri, ut plurimum lividi, aut ex livido flavescentes. Nunc aridæ sunt & exsuccæ, & squamas saltem suggerunt, aliquando sanies quædam acris exinde emanat, ipsis pustulis hinc latiùs serpentibus, & se dilatantibus.

5. Procedente malo pustulæ hæ tandem abeunt in *ulcera*, quæ etiam sine illis non rarò accidunt, *sordida*, & *maligna*, nec pus, sed saniem acrem, vicina loca exedentem, suggerentia, nunc materiam tenacem, lividam, viscidam, &c. simul exudantia. Loca occupant imprimis glandulosa, penem & pudenda muliebria, nares, labia, fauces, palatum & papillas. Sanè exulceratio spontanea & diuturna, nec facilè curabilis, aut curata licèt, subitò tamen denuò recidivans, in palato & faucibus sine alia causa cognita eveniens & perdurans, unum ex primariis (si alia tamen simul respondeant) ex hujus luis indiciis subministrat.

6. *Ulcera hæc ossa frequenter* quoque adoriuntur, & cariosa eadem reddunt, in specie ossa palati, narium, & propter perpetuum pituitæ virulentæ affluxum, ac illorum spongiositatem, & cranii maximè, quin & partes internæ in Venerea lue ulceribus obsessæ observatæ fuerunt.

7. *Dolores adsunt* atrocissimi, & hi etiam primarium quoddam symptoma luis constituunt, dolor nempè nunc artuum simul, nunc simul etiam capitis, & quidem non articulorum, sed saltem artuum mediorum, nempè mediorum humerorum, mediarum tibiarum, frontis, temporum, item sterni dolores. Hi sunt saltem nocturni, qui circa vesperam horâ nonâ vel decimâ, aut etiam citiùs, incipiunt exacerbari, & inter tertiam & quartam matutinam solent discedere, totâque die aut nulli aut tolerabiles esse: Sunt *osteocopi fixissimi*, subindè etiam simul *lancinantes*. Rarum est, quod subinde etiam circa articulos observentur iidem; sicuti etiam rarò lumbos & os sacrum occupant. Observavi tamen in fœmina morbo hoc inguinali, per sudorem copiosum, quem frequenter detersérat, infectâ, quæ graves dolores nocturnos in dorso & lumbis, & circa os sacrum, patiebatur aliquandiu, antequam ipsa lues perfectè se manifestaret.

8. In dictis locis, medietatibus nempè ossium, item in capite, fronte, &c. observantur quoque *tuberositates* & *tumores*, dicti *gummata*, *nodi*, *tophi*, &c. plani, minùs elati, ad medii ovi & ulteriùs magnitudinem excrescentes, secundùm ossis situm ferè formati, insigniter nocturno tempore utplurimum dolentes, rarò indolentes. Hos ipsos sub periostio oriri plures asserunt, unde si diuturniores sint, non rarò ossa ab iisdem arroduntur, & cariosa evadunt.

9. *Calor in volis manuum & plantis pedum insignis*, harumque *rhagades*, *fissuræ* & *excoriatio*, sine manifesta causa.

10. *Verrucæ*, tàm depressæ quàm elatæ; item *ficus*, *condylomata* & *cristæ* in partibus pudendis muliebribus, & utriusque sexus ano succrescunt.

11. In morbo inveterato *pili defluunt*, tàm in capite & barba, quàm superciliis præsertim, cum pustulis, ulceribus, aut scabie sordida junctis, sine alio morbo præcedaneo.

12. *Maculæ rubescentes*, *flavescentes*, aut *livescentes*, nonnunquam satis latæ, præsertim in pudendis, pectore ac dorso, item in abdomine, subinde comparent, quas pressas albicans vestigium, mox ad pristinum colorem rediens, exhibere PLATERUS *Prax. Tom.* 3. *pag.* 384. *testatur*: vid. SYLVIUS *lib.* 4. *Prax. Tract.* 3. §. 18.

13. Supervenit *inflammatio testium*; *raucedo*, atque *uvulæ laxatio* & *erosio*.

14. *Tinnitus aurium*.

15. Inveterato denique malo pro majore vel minore partium solidarum affectione, fluidarumque alteratione surdi, cœci, tabidi, scabiosi &c. fiunt infecti.

Omnia hæc prolixè explicata videbitis in SENNERTO *l.* 6. *Prax. Part.* 4. SYLVIO *lib.* 4. *Praxeos Tr.* 3. & BOTALLO *Tr. de Lue Venerea*: qui tres instar aliorum omnium sufficiunt.

Atque hæc quidem symptomata non cuivis contingunt, nec omnibus hujus Luis gradibus, nec etiam, utut frequentiora, solitaria observantur; sed alia insuper his complicantur, imò non cuncta eandem vim diagnosticam habent. Quatenus v. g. non omnis, sed virulenta saltem Gonorrhœa luis Venereæ suspicionem movet; pilorum decidentia sine aliis signis & per se pariter nihil tale arguit; bubones Venerei ab illis, qui extra hanc luem geniti, haud differunt, sicut contra communem sententiam PLATERUS *l. a. pag.* 387. & SYLVIUS *l. a.* §. 134. per experientiam testantur; ac condylomata non tàm luem Veneream, quàm præposterum & frequentiorem veneris usum, familiarem illis, qui hoc morbo laborant, sequuntur: hincque hujus luis signa propria haud existunt. Ita, ut *symptomata hujus morbi primaria maneant gonorrhœa virulenta, pustulæ, ulcera, ossium caries, tophi, & dolores* enormes, nullisque anodynis cedentes: quibus PLATERUS *pag.* 384. *maculas* cutaneas quoque addit, quatenus ex his solis, si de nulla alia earum causa, præter coitum impurum, constet, Luem Veneream incipientem concludit.

CAUSÆ.

Afficiendi modus hujus Luis simpliciter *est per contagium*, isque frequentissimus per congressum Venereum; non quidem frequentiorem, sed vel unicus levior actus sufficit, sicut hujus respectu rarissimè aliis modis afficere solet. Pertinet huc etiam *hæreditarius character*, quo liberi à parentibus infici solent: Sic FORESTIUS *lib.* 32. *Observ.* 2. refert Luem Veneream, qua maritus affecit uxorem, hæc infantem in utero, hic nutricem, hæc tres liberos proprios: Simile vidi in AMATO LUSITANO *Centur.* 4. *Cur.* 4. Item SCHENCKIUS *in Observ.* refert mulierem, quæ fœtum edidit Gallicis ulceribus scatentem, cùm conjux hoc morbo afficeretur, illâ sanâ. Reliqui ergò modi præter congressum, quibus contagium Venereum se propagat, sunt varii. Omnes autem fomitem materialem minùs spirituosum pro fundamento agnoscunt, ut sunt v. g. lectus communis: sic enim HORSTIUS *lib.* 7. *Observ.* 3. refert Luem Veneream à communi lecto contractam, cum condylomatibus & ulceribus pudendi. Sed hoc ita absolutè minùs probabile videtur, nisi lectus vel copiosis sudoribus, vel sanie ulcerum, ab inquinata fuerit infectus. Sudores certè multum valent. Exemplum novi ancillæ pudicæ, cuidam Venereo ad sopiendos artuum dolores balneo formicarum subinde utenti, & hinc sudores abstergentis, quæ horum contactu & halituum inspiratione infecta fuit. Sic post scarificationem in Balneo publico, instrumento non benè absterso, Luem Gallicam contractam novit idem HORSTIUS *lib.* 7. *Observat.* 8. Par ferè ratio, quando CORNARIUS *Observat. cap.* 25. notat morbum Gallicum ex *cucurbitularum* impositione, quæ infectæ erant, contractum. Sic *hypocaustum* huc pertinet: HILDANUS refert *C.* 5. *Obs.* 99. de muliere sana, aliquandiu in hypocausto, in quo ægri Lue Venereâ laborantes per litus Mercuriales sanati fuerunt, adeoque vapore Mercuriali infecto degens, quæ gravissimum morbum Venereum hinc contraxit. Pertinent huc *vestimenta*, de quibus idem HILDANUS *Cent.* 1. *Curat.* 100. refert, Luem Veneream ex veste hominis hac infecti factam. *Communia pocula* etiam hic accusantur; ut quando BOTALLUS *de Lue Venerea pag.* 472. historiam infecti ex communi poculo cum veneno refert: Nempè tunc per pocula malum communicari

cari arbitror, quando à sanie ulcerum in palato aut faucibus vel potus vel poculum inficiantur, quod tunc contagiosum malum sit. Per iolum *osculum* Luem Veneream à viro infecto puellæ communicatam refert FORESTUS *Observ. 2. Schol. lib. 32.*: Sed tamen, modò osculum tale non sit malitiæ pallium, vix ejus medio contagium communicabitur, nisi ulcera faucium & oris insigniora adfuerint, & hinc vel salivâ, vel linguæ intrusione, malum multiplicetur. Per *ophthalmiam* in distans contagiosum morbum Gallicum refert ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Admir. lib. 7; Observat. 125.*? de quo tamen reverà dubito, an ita fieri possit. Notabile est, quod diu admodùm seminarium morbi Gallici latere queat, cùm teste SCHORERO *in Observ.* post 2. vel 3. annos demùm pullulescere queat. Par ratio est, quando AMATUS LUSITANUS *Centur. 1. Cur. 49. & 50.* refert, viros lue Gallicâ correptos sanatos, post 7. item 15. annos, pueros eâdem infectos ex sanis mulieribus suscipientes.

Afficiuntur autem partes inter solidas primariò *loca glandulosa*, hinc *nervea*, nec nisi mediantibus istis affectis, & partes *sanguineæ*. Ac sanè potentiùs locis glandulosis se virulentia venerea insinuare, & hinc eorundem ulcerationes, corrosiones & tumores malignos penitus & contumaces, aut, nisi radicitùs curetur, facillimè recidivantes, efficere solet.

Quoad contenta liquida: inquinat primariò *chylosum corporis rorem*, & hinc derivatos succos, eorumque vehiculum, nempè *serum* purius ac *lympham*: Hinc genituram in gonorrhœa; ossium nutrimentum in tophis, & carie glandularum quarumvis; lympham in bubonibus, & exulcerationibus faucium & narium, pustulis cutaneis; membranarum rorem in doloribus nocturnis osteocopis, &c. ordinariò inficit: In quibus omnibus acrimonia acida singulariter corrosiva, cum nutrimenti roridi chylosi in viscidiorem & glutinosiorem consistentiam alteratione, deprehenditur. Inquinantur autem imprimis contenta ista, & horum medio partes solidæ, à contagio ratione acidi specifici fermentativo, & contentorum sui multiplicatione immutativo; ratione verò subjecti cum parvo seu exili viscido & glutinoso, nunc halitus; nunc saniei formâ, vehiculo communicato: pari ferè ratione ac scabiei exile admodum fermentum nobis communicari, & tamen totum corporis habitum inquinare solet.

Ex quibus *causa efficiens materialis proxima* hujus morbi vel sponte patet: nempe consistit hæc in acido sui generis peccante (cujus tamen natura specifica à priori non adeò exactè determinabilis est) fermenti instar lentè se multiplicante, & contenta corporis pedetentim destruente, functionesque corporis, primò naturales, lædente: quæ ipsa latiùs explicata vid. in SYLVIO *lib. 4. Tr. 3. de Lue Venerea §. 29. & 63.*

DIAGNOSIS.

Ratione *Diagnoseos*, quamvis morbum hunc adultiorem cognoscere facillimum sit, quamdiu tamen adhuc latet, & sub cineribus saltem gliscit, ejus dignotio difficilior est; præ primis cùm teste POTERIO, non rarò sub larva scorbuti & arthritidis latitet, sed etiam ipsi ægri honoris atque dignitatis tuendæ gratiâ rem cum infectis se habuisse constanter negent, & à consortio humano exclusionem metuant. Cautus ergò sit Medicus in judicio, ne insontem accuset, neque reum absolvat, nec se ipsum prostituat.

Quod si verò tale quid se perpetrasse fateantur, simulque de uno vel altero Lui Venereæ appropriato symptomate conquerantur, de morbi specie ulteriùs dubitandum non est. Interim in priore, & abnegationis casu, in mariti vel uxoris, si in conjugio vivat æger, conditionem & mores inquirendum, utpote ex quibus non leves interdum de infectione conjecturæ hauriuntur: aut porrò investigandum, an cum morbi talis infecto in eodem lecto dormiverit? cum eodem ex uno vase biberit? infantem impurum lactarit? &c. Aliàs & si ex neutro horum aliquid certi de morbo hoc determinari valeat, ægri status præsens potiùs attendatur, qui quidem variat pro temporum diversitate, aliusque observatur in morbi principio, alius in augmento, alius in statu seu morbo inveterato.

Quod si igitur ex congressu impuro malum hoc propullulet, paulò post eundem aut circa penem & vulvam æstus quidam extraordinarius seu inflammatio exoritur, aut ardor urinæ, quem intra biduum aut triduum gonorrhœa excipit, observatur: Inflammationem dictam mox sequuntur pustulæ, hinc excoriatio atque exulceratio partium dictarum cancrosa; imò si inflammatio vehemens, vel neglecta fuerit, hæc in gangrænam degenerat, crystallinis vesiculis se manifestantem. Interdum nulla succedit gonorrhœa, sed virus per cutem potiùs ad inguina mox fertur, & bubones excitat, qui pro diverso malignitatis gradu aut facilè curantur, aut temporis tractu in ulcera phagedæna degenerant: quo ipso principii tempore callosa quoque scroto atque perinæo contingunt ulcera. Quibus dictis phænomenis non comparentibus interdum ulcus cancrosum atque callosum exile intra præputium & glandem, aut in orificio urethræ, conspicitur, cui ulceri interdum callositas sine ulcere substituitur. De cætero quamvis nulla de coitu nefando suspicio sit, modò bubones atque gonorrhœa complicentur, infallibile luis venereæ signum hoc existunt; ita quidem, ut uno cessante, alterum invalescat: quibusdam intumescunt testes: in sexu verò sequiore fluor albus valdè dolorosus, quique partes externas erodit, affligit. Sin verò *absque congressu* hic *morbus* contrahatur, semper, ut superiùs dictum, magis afficitur pars, quam virus seu miasma venereum immediatè tangit: v. g. si ex lactatione infantis impuri, circa papillas & mammas pustulæ, excoriationes, inflammationes, ulcera depascentia & callosa; sin ex vestimentis, & concubatione, in cute pustulæ atque efflorescentiæ varii generis excitantur.

Sub incremento autem mali, quacunque occasione contracti, quoniam ipsa massa sanguinea tunc virulentiâ hac contaminatur, hinc nutritio totius depravatur, unde & sanguinem *cæruleum* seu *subviridem* apparere, Practici testantur. Bubones etiam in illis, quibus sine coitu tale quid contingit, protuberant, habitus totius maculis & pustulis defœdatur, in impetiginem atque scabiem ulcerosam aut crustosam abeuntibus: quæ tamen pustulæ atque ulcera frequentiora sunt modò his, modò illis membris, v. g. faciei & capiti, & quidem non rarò sub eminentia notabili, brachiis, pedibus, pubi, pudendis, uvulæ, tonsillis, & musculis laryngis, unà cum partibus carnosis reliquis circumstantibus deglutitioni dicatis, quæ sunt crosæ, inde deglutitio est difficillima: quare res deglutiendæ ad œsophagum translatæ rursus per nares proruunt. Capilli decidunt: in volis ac pedum plantis rhagades & fissuræ, circa podicem & pudenda verrucæ nomine condylomatum propullulant, ac gravissimi dolores capitis atque artuum observantur, frequenti seri pituitosi & acris eructatione in faucibus, maximopere in palato, quod interdum cum naribus penitùs eroditur, ita ut in os assumpta per nares mox effluant. Præterà adest totius corporis lassitudo, respirandi difficultas, & fœda ozæna. *Urinis* supernatat crusta livida, plus minus cærulea. Ubi tandem *inveterata magis lues venerea*, ulcera patiuntur nares, harumque tubuli cartilaginei; item polypos: pariter tumores in pectore atque artubus congeruntur, in ulcera cancrosa, callosa ac sinuosa degenerantes: Dolores osteocopi, præprimis nocturni, & partium fixi magis fiunt, adsunt dolores continui in ossibus nasi & oculorum, tophi & nodi in partibus emergunt, ossa corrumpuntur, imprimis cranii, palati, &c. Refert FERNELIUS, quod in Lue Gallica ossa valida fiant frangibilia, ut levi ex causa confringantur instar ligni aridi: Ratio est acidum, quod ita corrodit os, ut fiat friabile. Caro dictorum ossium intumescit, & ex livore rubescit ad instar partium frigore læsarum. Superveniunt surditas, cœcitas, febris hectica, diarrhœa, tabes, &c., ut aliorum minus frequentium phænomenorum ac symptomatum taceam: v. g. epilepsiæ à sanie, ex carioso cranio, ad cerebri membranas depluente, qualem VIDUS VIDIUS *l. 2. Curat. membranarum cap. 18.*; vermium super easdem meninges decumbentium, quales FORESTUS *lib. 32. observ. 23. in schol.*, ipsius cerebri tandem per os rejecti; sicut SCHENCKIUS *Observat. lib. 6. pag. 811.*; cæcitatis, surditatis atque loquelæ perditæ, quam PLATERUS *lib. 1. Observat. pag. 119.* allegavit.

Interim & illud hoc in loco monendum, quod à WIESEMANNO *de Lue Venerea capite 1.* observatum, alle-

allegata hactenus symptomata sæpiùs quorundam *phantasiam* ita subiisse, ut postquam coitum nefarium perpetrarunt, mox sibi persuadeant, se lue venereâ, à qua tamen immunes, laborare, i. e. ridiculè satis sibi imaginantur, omnes doloresatque symptomata, de quibus unquam legerunt aut audiverunt, se afficere, ita quidem, ut si Medici ejusmodi ægrorum querelis non auscultent, hoc ægrè ferant, atque ab his recedentes ad impostores abeant, usquedum sanitatem cum nummis perdiderint.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Lues Venerea *lentus & diuturnus morbus est*, qui tardè procedit, & difficulter admodum curatur; & quidem tàm ratione ipsius virulentiæ ac malignitatis, quàm ægrorum morositatis, præsertim si inveteratus & confirmatus morbus fuerit, ac præter genitalia plures partes glandulosas & ipsa ossa inquinaverit; ita quidem, ut quamvis ejus symptomata interdum cessent, ut videatur omne malum eradicatum, quin tamen recurrant, impedire, adeoque virulentiam plenariè extinguere, ut plurimum magni laboris videatur.

Nihilominus morbum pertinaciorem aut leviorem reddit virulentiæ vehementia atque imbecillitas.

Faciliùs quoque in uno quàm in altero curatur: nam cujus contenta corporis magis temperata sunt, minùs acria; & quorum corpus undique permeabilius ac perspirabilius est, faciliùs curantur, quàm qui contrà habent.

Curatu facilior observatur recens, quàm inveteratus morbus, utpote, qui tardè & difficulter curatur: unde PANAROLLUS *Pent. 3. Obs. 3.* testatur, hujus curam ante sextum mensem non adornatam, nullius efficaciæ esse.

Quod si semel sanati iterum lue inficiantur, aut malum redeat, aut nunquam aut non sine insigni difficultate curari, præter EPIPHANIUM FERDINANDUM moderni perhibent: quali fato quoque gaudent, quibus hæreditario jure malum hoc contingit.

Si incidat Lues Venerea in corpus calidum & siccum, in illud fermentum virulentum potentiùs agit, & difficiliùs longè curatur; & contra corpora humidiora faciliùs. Unde in corpore robusto & sano illa faciliùs curatur, quàm in tali, qui aliis morbis chronicis laborat, & vitiosis humoribus jam tum scatet, v. g. scorbuto.

Item corpora quò magis sunt transpirabilia, eò feliciùs succedit cura, præsertim per sudationem; è contrà quorum corpus minùs perspirat, meliùs per alvum aut salivationem curantur.

Qui curam Mercurialem sine successu passi, illi difficulter sanantur, & qui post salivationem denuò inficiuntur, nunquam forsan, utpote quorum corporibus Mercurii usus familiaris nimis redditus, hi verò diuturnitate morbi & evacuationibus multis jam tùm emaciati fuerunt.

Adjuncta symptomata etiam malum vel facilius vel difficilius curatu reddunt.

Quod si autem viscera se malè habeant, ac æger hecticus extiterit, omnia desperata sunt.

Gummata pariter, denique tumores, quò magis inveterata sunt, & quò magis jam ossa carie affecerint, eò difficilius malum curatu erit; adeo ut, etiamsi curatus appareat morbus, si tamen caries in quodam osse remaneat, licèt occulta, nihilominùs tamen recidivat morbus: videatur HILDANUS *Cent. 5. Observ. 95.*

Bubones retrocedentes ordinariò sequitur lues ipsa: quò verò faciliùs suppurantur & meliùs, eò præstantior erit curandi ratio.

Ossa nasi interiora erosa, aut etiam si ossa interiora capitis sint inquinata, malum incurabile est; cùm cerebro & ejus membranis facilè communicetur.

Affectus catarrhales si in lue venerea superveniant, mali sunt; cùm faciliùs potiùs partis affectæ erosionem secum ducat.

Quod si *lethale fit* malum, tandem *febri quasi hecticâ intereunt ægri*, aut tabes corporis sequitur; aut exesis partibus respiratione dicatis, suffocati intereunt.

Devictæ luis & curatæ indicia sunt, si sanguis venæsectione emissus sit floridus, & elegantis consistentiæ, cum pauco vel nullo sero supernatante; quòd *aliàs ferè maculis lividis*, aut *colore quasi cærulescente in superficie conspici solet*, prout nempè malum plus minus inveteratum fuerit.

CURA.

Quibus suppositis *cura est* vel *universalis*, *ipsius mali*, id est, quæ in massæ sanguineæ purificatione consistit, & indicationi præservatoriæ satisfacit; vel *particularis*, seu quæ multiplicibus ejus symptomatis in specie debetur, & indicationem curatoriam respicit.

In *cura universali acidum illud virulentum specifici saporis corrigendum & extinguendum*, *viscidum ejus* subjectum *dissolvendum & attenuandum*, *utrumque verò extra corpus evacuandum*.

Obtinemus hos scopos duobus modis: vel *per sudationem* mediantibus decoctis lignorum; vel *per salivationem* mediante Mercurio: Qualis horum magis conveniat? tàm ratio morbi minus vel magis inveterati, quàm corporis naturalis constitutio magis vel minùs rara, & contentis vel acrioribus vel temperatis prædita, docebit: Nam luem confirmatam sine salivatione Mercuriali radicitus evellere per quàm difficile est, cùm *Mercurius illius veneni genuinum sit alexipharmacum*; sicut è *contrà in corpore bilioso & melancholico salivatio periculosior est*, cùm mala gravissima subinde inducat; sanguinei verò, & omnium optimè phlegmatici, salivatione curabiles sunt, utut cum majore molestia, citiùs tamen, & cum minore recrudescentiæ metu. Hinc pro corporum constitutione, & ratione climatum & victus, *faciliùs longè salivant Galli*, citiùsque curantur, *quàm nos Germani*. Nostro in climate præstat utplurimum utrumque modum conjungere: Decoctis nempè sudoriferis liquare contenta, & permeabile ac transpirabile undique corpus reddere; hinc per Mercurium salivationem instituere; quâ factâ, demùm per Decocta illa sudorifera repetita, quicquid per Mercurium relictum fuerit, expellere, sordes hinc inde adhuc residuas abstergere, & contenta corporis in debitam ac naturalem crasin restituere: ver. gr. præmisso digestivo ex tartaro vitriolato, lapidibus cancrorum & sale viperarum, & hinc usurpatis pilulis purgantibus Mercurialibus unà alterâve vice, paratur decoctum ex lignis, de quo æger quotidie bis bibat manè haustum bonum calidè, expectando manè blandum madorem. Non nimis sudent, ne tenuiori discusso sero relinquantur visciditates crudæ, difficulter per Mercurium mobiles; sed sufficit, si liquefiant saltem contenta corporis per decocta, cujus signum est mador blandus: alterâ vice bibatur vesperi sub introitu lecti sine madoris provocatione. Quibus præmissis per octiduum instituuntur inunctiones Mercuriales in externis, vel horum loco Mercuriale remedium intrò propinatur, hauriendo desuper jusculum calidum. Quod si ab hujus usu primis diebus sequantur vomitus, semper cerevisiâ secundariâ os eluatur, ne aliquid Mercuriale in faucibus hærendo ulcera oris pertinacia & periculosa inferat. Continuatur remedium; nam successivè cessant vomitus, donec superveniat salivatio. Peractâ sufficiente salivatione, cùm æger nonnihil vires recuperavit, maturè repetendæ potiones sudoriferæ lignorum, præmissâ, si opus fuerit, adhuc purgatione, aut ipso decocto radix hellebori vel pulpa colocynthidis quasi incoquatur, ut ita cum sudoribus alvus simul aperta sit. Continuatis his per 8. 10. vel 12. dies cura ferè absoluta erit; sed *hæc in malo inveterato*. *Minus inveteratum potiùs simpliciter decoctis sudoriferis curetur*, quod, utut sic paulò diuturnius, non tamen adeò periculosum est, atque cura, quæ fit per Mercurium, in specie apud nos, qui subindè scorbuto sumus affecti, in quibus periculosa est salivatio, quibus quocunque modo depuratus Mercurius nocivus est. De cetero sunt ex recentioribus, qui quamvis salivatio notabilis non intendatur, salivantium nihilominùs usu humores ad purgationem & diaphoresin feliciorem disponunt.

Quod ergò attinet *in specie curam per sudationem: sudorifera* interdum mox primum locum inter evacuantia gerunt, frequentiùs tamen *non*, *nisi purgantibus* præmissis, adhibentur, & quidem talia præprimis, quæ specificè huic virulentiæ resistunt, simulque visciditatem atque aciditatem humorum corrigunt: scilicet primatum obtinent inter remedia sudorifera usitatiora, in subjectis quidem frigidioribus *guajacum*, cui libenter jungo lignum juniperinum; in calidis verò sarsaparilla est optima; quinimò utplurimùm utrumque sociatur, augendo nunc hoc nunc illud pro circumstantiarum ratione. Optimè guajacum, item sarsaparillam propinandi, & horum medio curandi luem vene-

ream

ream, modum docet ARCÆUS *lib. 4. de Vuln. cap. pag.* „ 158. & 164., de quo dicit LINDANUS, *quod eodem* „ *modo feliciter curaverit, & pater ejusmodi desperatissimos* „ *restituerit. Sed notandum*, quod dixi, *in frigidis guaja-* „ *cum, in calidis sarsaparilla; aliàs nihil efficietis: si om-* „ *nes observationes, quas ille habet, notaveritis, illa cura-* „ *tio nunquam vos fallet*: Hactenus LINDANUS. His etiam adnumerantur radix chinæ, smilacis asperæ, petasitidis, saponariæ & radix bardanæ, de qua vid. RIVERIUS *observat. commun. pag.* 342. Cortex guajaci, ligni sassafras, quercus, buxi, cupressi, & lentisci, Imò FALLOPIUS solo ligno fagi quosdam curatos testatur. Herba Persicariæ juxta PARACELSUM, secundùm alios perforata, saponaria, ac nucum putamina, de quibus vid. BORELLUS *Cent. 2. Observ. 96.* SIMON PAULLI *Quadrip. Botan. p.* 363. & RIVERIUS *Cent. 4. Observ. 29.*

Ex quibus omnibus, utut varia in officinis prostent præparata, diversæ etiam queant concinnari formulæ pro curatione luis per sudorem, frequentiora tamen & commodiora hactenùs observantur decocta, & quidem tàm *primaria* seu *potentiora* pro sudore movendo, quàm *secundaria* seu dilutiora, *alterandis humoribus inservientia*, & pro Potu ordinario & toto curationis tractu sumenda: quorum hæc utplurimùm ex remanentia priorum parantur. Sicut autem iisdem medicamentis alterari simulque evacuari possunt humores peccantes: ita in principio sine sudoris excitatione quoque propinanda sunt eorum decocta, *quatenus ad sudorem nunquam cogendus est æger, nisi postquam humores dispositi, & ad eum præparati fuerunt*: Quod si negligatur, non rarò contingit, ut sudorifero assumpto æger sub stragulis frustrà, ad lipothymiam usque, angatur.

Quare si ad sudoris excitationem transeundum sit,

1. Ex diæta præcedanea aliisque signis humorum conditio eruatur.
2. Pro horum diversitate sudorifera, modò hæc modò illa, seligantur; Nec
3. Sudor valdè urgeatur, sed æger mediocriter saltem tegatur, & observare jubeatur, an ad sudorem sensim inclinet? tunc enim aut jusculo, aut tegumentorum plurium impositione, idem promoveatur: sin secus, à sudoriferorum ulteriore usu humorum præparatio priùs expectetur: vid. SYLVIUS *Tr. de Lue Venerea* §. 213 & 218.

Decoctis his sudoriferis non incommodè additur antimonium crudum, quod BORELLUS *Cent. 2. Obs. 96.* & RIVERIUS *Cent. 4. Observ. 22.* commendat; item specifica parti affectæ, ac symptomatis maximè urgentibus appropriata.

Præterea liquor horum utplurimum equidem aquam constituit: in subjectis nihilominùs, quorum ventriculi vis digestiva vacillat, vini dimidium, plus aut minus, sub coctionis finem adjiciendum; aut hoc stàtim, & in principio affundatur, diutiùs saltem cum eo ingredientia solidiora infundantur, aut in cucurbita alembico clausa coquantur, liquorem prolectum decocto addendo. Pro corporibus emaciatis in lacte quidam cocturam instituunt: Verùm lignosis ejusmodi substantiis extrahendis ineptum est menstruum, cujus loco tamen serum lactis magis aptum erit.

Formulæ ejusmodi decoctorum ex ZWELFERO, *Idea præscrib. Form. Cl. 4. §. 15.* & *Collegio Schrœderiano P. 2.* ubi de decoctis, patent: v. g.

℞. *Rasuræ ligni sancti* ℥iij. ad ℥vj.
Cort. ejusd. ℥iß. ad ℥ij.
Rad. sarsæpar. ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij.
Chinæ, vel *ras. ligni sassafr.* ℥j.
Mercurii viv. per alcali depurand. & in petiæ ligand.
Antimonii grossè contus. & in petia ligat. an. ℔ß. ad ℔j.
Infundantur in
Aqu. comm. M. vj. ad xij.
Macerentur per 24. sive 48. horas in Balneo Mariæ, hinc coqu. ad remanentiam tertiæ partis.
Colatura D. S.
Potio sudorifera sanguinem mundificans.
Dosis ℥iv. ad ℔ß.
Jam
℞. *Remanentiam decocti hujus*:
Infundatur denuò in
Aquæ commun. M. ix.
Macer. per 12. horas: decoqu. ad consumptionem tertiæ partis, in fine addendo
Passul. min. conquass. ℥iß.
Sem. coriandri cont. ʒvj. vel ℥iß.
Rad. liquirit.
Polypod. an. ʒvj.
Cinnam. ℥iij.
Colatura D. pro Boccheto: S.
Potio ordinariæ.
Vel
℞. *Rasur. ligni juniper.* ℥vj.
Cortic. ligni guajac.
Rad. bard. in taleol. diss. an. ℥iij.
Chinæ,
Ligni sassafr. an. ℥j.
Mercurii viv. in pet. lig.
Antimonii crudi in pet. lig. an. ℔j.
Macerentur in Balneo Mariæ in
Aqu. commun. Mens. xij.
Ebulliant ad tertias.
Colatura D. S.
Ut suprà.
De qua capiantur v. vel ℥vj. calidè pro dosi.
℞. *Remanentiam decocti prioris*:
adde
Rasur. ligni sassafr. ℥j.
Rad. liquirit. ʒvj.
Sem. coriandr. ℥iß.
Pass. min. ℥iß. ad ℥ij.
affundantur
Aquæ commun. Mens. vj.
Decoqu. ad consumpt. tertiæ partis: colentur per Monicam Hipp. fiat Bocchetum:
D. S.
Ut suprà:
Item cum appropriatis:
℞. *Ras. ligni guajac. cum cort.* ℥iv.
Sassafr.
Rad. sarsæpar. an. ℥iij.
Chinæ unc. ij.
Antimonii crud. in pet. lig. ℔j.
Infund. per noctem in
Aqu. commun. Mens. xij.
Manè coqu. ad tertiæ partis consumptionem, sub finem addendo
Herb. saponar. cum toto M. ij.
Hyssopi,
Veron. an. M. j.
Rad. liquirit. unc. j.
Pass. min. unc. vj.
Sem fœnic. ʒvj.
Cinnam. unc. ß.
Colatura detur pro usu:
D. S. *Ut suprà.*
Aut
℞. *Rasur. ligni juniper.* ʒvj.
Lentisci,
Buxi,
Sassafr. an. ℥ij.
Rad. petasit. ℥iij.
Sarsap. ℥ij.
Macerentur per noctem in
Aqu. commun. Mens. ix.
Coqu. manè ad tertiæ partis consumptionem, sub finem addendo
Vini Rhenani Mens. iij.
Herb. veronic.
Beton. an. M. j.
Cort. auran. rec. ℥ij.
Sem. coriandr. ℥j.
Colaturæ adde
Essent. lignor. ℥iij.
Syr. rad. enul. ℥xij.
M. S.
Potio sudorifera sanguinem mundificans.
℞. *Remanentiam decocti prior. & posterior.*
adde
Passul. min. contus. unc. ij.
Sem. coriandr. unc. iß.

Coqu

Coqu. cum
Aquæ simpl. Mens. vj.
ad tertiæ partis consumptionem: circa finem addendo
Cinnam. ℥ß.
Colatura D. pro Potu ordinario: S.
Potio ad mensam.

Assumuntur remedia hæc (dum nempe iis solis curatio per sudorem intenditur absque salivationis adjumento) manè aliquot dies noctesque tantum, donec in curæ principio corpus adsuescat paulatim remedio: quo facto etiam vesperi 2. vel 3. horis ante cœnam haustus repetitur, & semper pro virium, & constitutionis plus minùs succulentæ ægri ratione sudor plus minùs largus expetatur. Ut verò salubriùs fluat sudor, non statim ab assumpto sudorifero arte promoveatur, sed post horam, intercedente, si fieri potest, somno. Sudor per horam plus minus protrahatur in principio, postea verò etiam ultrà ascendat. Sudandi modi sunt varii: optimus autem pro eradicando morbo modus est, ut stuphas seu æstuaria ingrediatur, quibus æger insidere potest, intendendo & remittendo balnei calorem pro necessitatis ratione: paretur vel siccum cum spiritu vini accenso in succulentioribus aut paulò habitioribus, vel humidum cum evaporatione aquæ calidæ scoriis metallicis candefactis vel silicibus ignitis superaffusæ, idque ferè in calidioribus, & siccioribus naturis. Quod si æger bis sudare nequeat, saltem manè assumpto decocto illo sudorem expectet, à meridie verò decoctum bibat absque sudoris superventu, ut saltem alterãdo hoc ipsum prolic, corpusque disponat, quò insequente manè cò meliùs provocari possit sudor. Ubi sudor aliquandiu profluxit in æstuario, & æger haud ampliùs benè ferre queat, lecto calido immittatur, ibique sudor ulteriùs spontè fluere permittatur; hinc sudor probè abstergendus, & *aër frigidus, quantum possibile, vitandus*: mutanda autem sæpiùs linteamina illa aliaque impraegnata sudore, ex lixivio acri probè eluenda, & aeri libero exponenda, antequam denuò adhibeantur, ne iisdem denuò inf. ctionem contrahat corpus; quod confirmat HILDANUS *Cent. 5. observ.* 95. Continuandæ autem sudationes hæ, aut simplices aut duplices, tamdiu, donec morbi malignit is victa, venenumque correctum & exclusum fuerit: id quod omnium symptomatum, potissimum gonorrhϾ & condylomatum, remotio ostendit, ultra quam tamen aliquandiu adhuc sudatio continuanda venit, quo quælibet vestigia, aut virulenti saltem odores in corpore forsan hinc inde hærentes, omnimodè & sine recidivæ metu discussi fuerint; adeoque subindè à 4. ad 6. septimanas cura hæc continuanda plus minus pro morbi vehementia, & sudorum emanantium copia.

Quod si autem contingat, *sudorifera* superiùs enarrata simul *per urinam operari*, ægerque difficiliùs sudet, ac urinam crassam cum sedimento multo & laudabili excernat, nullam sibi hinc difficultatem fingat Medicus, cùm pleraque sudorifera diuresin simul excitare palam sit: Imò in hoc casu intermixtis potentioribus diureticis ad urinarias vias virulentia venerea urgeatur, viscidiori pituitæ, utpote cum lotio commodiùs excernendæ, involuta, donec successu temporis ad habitum denuò humores vergere constet: vid. SYLVIUS *l. a.* §. 250. *&* 254.

Quoad usum sudoriferorum:

1. Hæc per biduum ad minimum bis de die propinentur sine sudore.
2. Sudorifera semper calida, aut cum calidis vehiculis, assumantur, ut ventriculo gratiora magisque activa existant, imò in imminente sudore jusculum calidum exhiberi potest.
3. Eorum dosis moderetur pro mali gravitate & subjecti robore & textura diversa, v. g. in pueris ℥iij. vix transcendat, in adultis ℔ß. attingat. Nec
4. Sudor mox valdè urgeatur, sed æger mediocriter tantùm tegatur, usquedum ad sudorem incliniet, & tunc vel jusculo calido, vel stragulis impositis, vel laconico, adjuvetur.
5. Quolibet ad summum septimo die, quo cura per sudorem administratur, purgans ipsi interponatur hac ratione, usque ad curæ terminum.

Victus sit moderatus, potiùs siccus: v. g. in principio ex carnibus magis assatis quàm coctis; in progressu parcior instituatur victus, aut si à meridie carnosis utatur, vesperi passulis aut similibus loco cœnæ sit contentus. Potus sit decoctum secundarium.

Quoad curam salivatoriam: in usu saltem est Mercurius, nunc vivus externè cum unguentis illitus, nunc præparatus pro usu externo. Casu primitùs, ut plurima alia medicamenta, inventa fuit à chirurgis, quæ nunc ex instituto administratur in curatione luis venereæ, aliisque chronicis morbis. Ex Arabum nempe monumentis didicere veteres, ad ulcera contumaciora maligna, ad gangrænam declinantia, commendatum fuisse Mercurium; adhibuere ergò illum cum emplastris & unguentis in ulceribus Gallicis, hinc ex accidente & casu copiosa subsecuta est salivatio, & per hanc tàm ulceris, quàm ipsius primarii morbi, curatio: vid. JOHANNES CARPUS *Italus*, *Medicus Bononiensis*, qui primò hâc luem veneream curandi methodo multa millia scutatorum lucratus fuit. *Mercurius dulcis* quidem rariùs pro usu salivatorio usurpatur, sed potiùs pro usu laxativo, *utut continuatus diutius*, *aut etiam crebrior sublimatus*, sicque fixior redditus, etiam salivationem satis fortem inferat. Et quidem non adeò inveteratum malum solo Mercurio dulci per purgationem sæpiùs repetitam, interpositis subinde lignorum decoctis, curari potest, modò ferè, quem docet HARTMANNUS *Prax: ubi de Lue Venerea* §. 5.; sicut RHODIUS *C. 3. Observ.* 84. Luem Veneream per Mercurium dulcem tantùm sine decocto lignorum curatam refert. Notandum tamen, utut ab hujus usu dolores remittant, ulceraque coalescant, mox tamen recurrunt, & nova excitantur, modò salivatio imminuatur, aut cesset. Qui verò Mercurio dulci pro scopo salivatorio uti volunt, imitari possunt modum, qui docetur in HORSTIO *l. 7. observ.* 12.

Vel

℞ *Mercurii dulc.* ℈j. ad ℥ß.
Conf. rosar. vel *violar.* vel *conf. al-cherm.* ℥ß.
M. D. S.
Saccharum sanguinem mundificans & purgans.

Singulis 8. diebus continuus exhibeatur horâ matutinâ, haustis priùs aut post aliquot cochlearibus cerevisiæ calidæ.

Frequentissimè autem internè usurpatur *arcanum corallinum*, seu Mercurius præcipitatus rubeus, si Mercurius cum nitro præparatur; sive fiat præcipitando, adeoque in via humida cum spiritu nitri, & quem Mercurium corallatum vocat SCHROEDERUS *in Pharm. ubi de Mercurio no.* 6.

Vel

℞. *Spiritum nitri*, ex nitro & alumine paratum; & in hoc solve *Mercurium vivum benè purificatum*, & abstrahendo spiritum denuò præcipitatus relinquatur, qui spiritu vini probè edulcorandus.

De hoc 4. ad 5. grana dentur unâ vice, repetitis tamen dosibus, donec præterpropter ℈j. pondere assumptus fuerit, plus minùs tamen, ac probè succedet salivatio.

Melior est hæc Præparatio, quàm præcipitatus cum spiritu aut oleo vitrioli paratus, cum oleum vitrioli haud adeò separabile existat, metallicæ magis cùm sit prosapiæ.

Sive fiat idem arcanum corallinum sublimando, adeoque in via sicca, cum nitro & vitriolo addito, & præter Crollium describitur in SCHROEDERI *Pharm. ubi de Sublimatis Mercurii no.* 8.

Propinantur hæc Arcana Corallina cum conserva rosarum, aut pauco Mercurio, pilulari formâ deglutienda. *Mercurius dulcis* verò, *si pro salivationis* magis quàm purgationis scopo propinetur, *cum vitello ovorum exhibeatur*; *quia sic faciliùs longè salivationem movet*.

Quod si pro usu externo Mercurius vivus addatur unguentis, sumi solet ferè Mercurii vivi quadruplum aut triplum, aut dimidium, plus minus pro ætate & viribus ægri; item pro ratione morbi additur pinguedinibus & oleis convenientibus, ac invicem in unguenti formam rediguntur. Pinguedines inter primatum obtinet axungia porcina, loco cujus propter majorem vim anodynam etiam pinguedo humana recipi potest, quibus tertia vel quarta pars terebinthinæ additur. His, ceu primariis unguentorum Mercurialium ingredientibus, pro circumstantiarum ratione aut Medici intentione ol. um destillatum salviæ, terebinthinæ, guajaci, rorismarini, ligni Rhodii, item spiritus vini additur; item à quibusdam unguentum Martiatum: qualia in convenientibus adduntur, in frigidis præsertim naturis, & quando viscidior veneni fomes est & qui loco vix moveri aut dissolvi potest. Sufficiunt autem pro integra

gra curatione Mercurii ℥iv. vel v. Nam minus, quàm ℥j. ad jv & magis quàm 6. ad 7. ℥ias vix licet assumere: pro circumstantiarum tamen ratione, & celeriore vel tardiore, copiosiore vel parciore salivatione superveniente, dosis limitari potest. Absumantur autem de unguento pro singulo litu ℥j. ad ℥iij, prout plus vel minùs impraegnatum fuerit. Formulam talis litus non inconcinnam videb. in SENNERTO *l.c. pag.* 202.

℞. *Mercurii vivi purif.* ℥vj.
Adip. suilli non saliti ℔j.

Extinguatur cum adipe suilla Mercurius, & exactè misceatur in mortario lapideo: Jam adde

Medull. crur. bovis ℥ß.
Terebinth. ℥iij.
Olei destillat. terebinth. ℥j.
M. f. unguentum,
Vel

℞. *Mercurii vivi* ℥v.
Pingued. suill. non salitae ℔j.

In mortario lapideo, pistillo ligneo contundatur pinguedo, eique sensim misceatur Mercurius, donec planè sit absorptus: adde

Mastich pulveris. ℥j.
Fol. salviae,
Rorismar. an. ℥ij.
Pulp. pom. dulc. coct. & à cortice ac nucleis mund. no. ij.

M. per dimidiam horam in mortario ducendo.
D. S.
Unguentum resolvens & purgans.

Vel componatur ungentum ad imitationem HILDANI *Cent.* 5. *Observ.* 95. Hujusmodi unguento inunguntur plantae pedum ac volae manuum, in malo scilicet recente, hinc quoque tali, carpi, genuum, cubitorum & humeri flexurae, interdum etiam regiones inguinis (*Germ. das Gelencke:*) quod si gravius aut pertinacius malū sit, aut salivatio non ritè succedat, etiam integra haec membra, lumbi, & tandem tota spina dorsi, ab osse sacro ad cervicem ascendendo, inungenda. Tutiùs tamen procedunt, qui artuum flexuras, inguina & alas sufficienter fricant. Abdomen, pectus & caput non inungenda, aut rarissimè, propter gravia & periculosa nervosi generis, quae ordinariò superveniunt, symptomata: saltem ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Admir. obs.* 138. inunctionem capitis commendat, quando nempe hoc à causa morbifica magis gravetur, & omnia frustra tentata fuerint, exemplumque refert feliciter inuncti capitis. Post quartam vel quintam inunctionem ferè sequitur salivatio. Inunctio pro virium ratione nunc fit bis, manè & vesperi, tribus primis diebus assumpto priùs jusculo aut ovo sorbili; si salivatio verò non procedat, addere etiam diem quartum licebit: Quod si procedat, unica inunctio die quartâ sufficit. Quod si salivatio legitimè & liberaliter procedat, inunctionem remittere oportet; si non verò sufficiens, sed aut planè non, aut potiùs sputum, moveri videamus, post diem unum intermissum iterum unâ vel alterâ inunctione excitetur: Interdum inunctio saltem matutina sufficiens est. Instituatur autem haec in loco calido, aut prope fornacem: quâvis inunctione peractâ membra linteis obvolvantur, & aeger sub lecto, assumpto jusculo calido post bihorium, recubet probè tectus absque sudore, levi saltem madore, ut ita Mercurius se poris benè insinuare queat; promovebitur enim sic multùm salivatio. Et quidem si plura inunguntur loca, sufficit saltem unica inunctio quotidiè: Quod si verò solae plantae, aut secundùm alios saltem tali & genua inunguntur, bis quotidiè tribus vel quatuor diebus inunctio continuanda venit.

Inunctiones hujusmodi ferè salivationem excitant, utut in principio subindè etiam *diarrhoeas torminosas* inducant, imò interdum magis per alvum, quàm per os moveant: qualis diarrhoea non statim aut violenter sistenda, cùm ferè perinde sit, an per glandulas salivales, an verò per glandulas pancreatis & intestinorum, Mercurius evacuando operationem exerat?

Salivatio ipsa nunc in principio, nunc in progressu, promoveri potest per trochiscos sublinguales, aut pilulas majores, factas ex gummi tragacanthae in aqua rosarum soluta q. s. cum Mercurij dulc. ℈j. Vel

℞. *Mastich.* ℈j.
Mercurii dulc. ℈ß.
Gumm. ammoniaci cum aceto sol. & insp. q. s.

F. Trochisci.

De quibus unum masticet per horae quadrantem & ultrà. Propter dentium tamen laesionem masticatoria ex mercurio in praxi selectiore & tutiore magis exulent.

Alii alias compositiones unguentorum habent pro cujusvis lubitu. *Suffituum cinnabarinorum* pro salivatione excitanda mentionem haud faciam, cùm eosdem plura symptomata secuta fuerint, ut ferè in desuetudinem abierint. Internè aliàs hoc modo penetrat, & efficaciter satis operatur Mercurius, cujus rei exemplum curiosum refertur: nempe praebuerat Pharmacopoeus quidam viro robusto & juveni pulverem hydrargyri praeparati rubicundum, quo ternis ex ordine vesperis dextri testiculi sarcoma nuper ortum suffumigandum censuit, corpore toto nudo, lodice saltem tecto: post secundi pulveris fumum haustum saliva fluere cepit, sed pauca: largissima verò tertium excepit, ut aliquot pelves majusculas unâ die impleverit, satisque copiosè ita manarit. Uxor, quae maritum lodicibus contexerat, vel per semestre spatium nullam sitim sensit, tantam liquoris aquei copiam continuò in ore habuit. Lodices, quamvis spatio biennii quater quinquiesque sapone fuerint elotae, & in sole siccatae, nihilominus quoties lecto fuerunt instratę, salivam utrique conjugi denuò moverūt, ut eas prorsus abjicere coacti fuerint.

Potioris ergò usus sunt inunctiones Mercuriales ultra dies tres vix continuandae, semel aut bis in die, prout plus vel minus unguenti, aut plures vel pauciores artus ita tractantur, quartâ praeterpropter salivatio expectanda, quâ imminente cessandum. Praemittatur autem evacuatio ventriculi aut primarum viarum vel per vomitus vel per secessus, ne excrementorum colluvies maligna angustias praecordiorum, suffocationes, aliaque symptomata excitet: vid HILDANUS *C.* 5. *Obs.* 92. & RIVERIUS *C.* 1. *Obs.* 77. *Imminentis salivationis indicium est*, si alvus supprimatur, labia incipiant tumere, gingivae vel tonsillae, aliaeque in maxillis glandulae, intumescere ac dolere, odor gravis & foetidus ex ore exspirare incipiunt, quod tertio, quinto, vel sexto ad summum die contingit: Quoties verò nil tale intra triduum eveniat, inunctionum usu denuò pergendum, donec praedicta signa, eorumque monstratus eventus salivatorius, superveniat. Hinc mirandus potiùs MASSA, quàm imitandus, qui *l.* 4. *cap.* 20. quendam jamdùm frustrà inunctum per 37. dierum inunctionem (interpolatis quamvis vicibus) demùm à lue venerea liberavit; quorsum etiam PARÆUS spectat, quando *de lue venerea c.* 12. die uno aut altero interjecto decies, quinquies & septies perfrictos convaluisse perhibet, nisi quantum quidem intervalla interjecta concessa, segniorem minusque violentam reddiderunt salivationem. Audiendus potius ZACUTUS LUSITANUS *Pr. Adm. T.* 2. *Obs.* 135., dum, si per aliquot dies noctesque continuata inunctio, non salivationem, sed anxietates tantùm, lipothymias, &c. moveat, ab hac desistendum, & cum sudorificis pergendum esse monet: quae tamen symptomata neminem deterreant, modò salivatio sequatur, aut cum aliis, quae hujus imminentis quasi indices & prodromi sunt, combinetur. Continuanda salivatio pro morbi & constitutionis aegri ratione: 20. dies ordinariè sufficiunt, interdum & ad quatuor septimanas continuare licet: in specie eò usque procedat salivatio, donec post salivam fluidiorem & tenuiorem, qualis primis diebus fluere solet, ultimò viscida, foetida & glutinosa perquàm materia ejiciatur, quae muci spissioris formâ fundum vasis petat, *glutinis instar*, aut parietibus ejus agglutinata haereat, *vera enim est colluvies & sedimentum crassius.*

Sub salivationis cursu attendere oportet *ad exulcerationes oris*; propterea ut praecaveantur, convenit gargarismus ex lacte tepido, raparum decocto aut eorum succo: si verò perfectae exulcerationes fiant, fiat gargarismus ex decocto guajaci, plantaginis, &c. cum pauco aluminis & melle rosato; quo ipso etiam subinde exulcerationes cum penicillo tangantur. Si verò de alumine metus sit, ne suffflaminetur salivatio, ejus loco sol commune addatur, quod potiùs fluxum promovebit.

Istis temperantibus & mundificantibus etiam haemorrhagia oris praecaveri potest; fit enim interdum, ut salivatio, si proindè nimis excitetur, ex acrimonia succorum & impetuosiore eorum motu ingens haemorrhagia oris excitetur.

Victu inter salivandum aeger utatur parco & moderato:

rato: quò plus comedunt ægri dum salivant, eò tardiùs curantur, cùm non tàm ros nutritivus solidarum partium acido venereo infectus sub salivæ forma tunc prodeat, quàm potiùs alimenta assumpta & in chylum digesta excernantur; utut, si paulo copiosior procedat salivatio, propter oris exulcerationem, dentium stuporem & vacillationem, gingivarum & linguæ erosionem, præcordiorum anxias molestias, & nauseam, parùm comedere queant ægri. Optima alimenta hic sunt juscula ex pane bis cocto parata. Potus sit decoctum lignorum non adeò forte, aut solitarium, quod melius, aut saltem eodem probè cerevisia diluatur. A vino penitus est abstinendum; nam salivatio eo facilè sistitur. Nil æquè hostile est salivantibus, quàm *frigus* & *acidum*: illud in aëre ambiente & potu: hoc in assumptis. Utrumque mox salivationem imminuere, angustias præcordiorum inferre, & artuum musculosarumque partium varia pathemata molesta inducere solet.

Accidit interdum contumax alvi obstructio: nam si præter panem biscoctum in jusculis, aut ovum sorbile, nihil assumitur, corpusque priùs benè evacuatum est, & copiosa salivatio sequitur, facilè præsumere licet, alvum iri constipatum; In hoc autem casu alvus intacta relinquatur:

Quod si magis affatim & cum impetu præcipitari ad os materiam videmus, periculumque subesse aut faucium atque gingivarum inflammationis nimiæ, aut totalis erosionis, aut suffocationis, inhibenda est salivatio, & medicamẽto aliquo ad inferiora per secessum erit ducenda, aut enemate injecto evacuanda, & os gargarismate nocte dieque sæpiùs abluendum; item vesicatoria blanda, aut similia epispastica, variis in locis applicanda: in specie omne hîc punctum complent Opiata internè exhibita. Aurum etiam singulari amicitiâ Mercurium ex corpore evacuat, & ita salivationem sistit. Applicatur affricando externè, vel in ore detinetur, detentum albescit ex attracto Mercurio, injicitur igni, depuratur, & iterum in os immittitur. Hac methodo quondam usus in nimia salivatione ROLFINCIUS, applicavit & affricuit externè, in ore detinendo alios similiter aureos, quibus se insinuavit Mercurius; eaque ratione salivatio sublata, adhibito partitis simul vicibus laudano opiato.

Quod si crebriùs licet factis inunctionibus, tamen non sequatur salivatio, sed ex Mercurio, partes internas afficiente, sequantur plura tetra aut gravia symptomata, cùm reperiantur certæ quædam horum crases, quæ Mercurii vim salivatoriam aut eludunt, aut non suscipiunt; In tali casu, dubiæ aleæ pleno, aut sudoribus repetitis virulentia per Mercurium inunctum inducta, correcta unà cum Mercurio ejicienda ad imitationem ZACUTI LUSITANI *lib.* 2. *Prax. Admir. observ.* 135., cùm interdum salivationem cessantem ex humorum ineptitudine sudor promoveat, id quod notabili observatione docet SCHRADERUS *p.* 229.: aut per vomitorium ex Mercurio vitæ in largiore dosi symptomata præcordiorum removenda, interea inunctionibus repetitis continuandum, ut salivationis defectus compensetur frictionum crebritate, donec insensibili transpiratione virus pedetentim evanescat, ad imitationem notatu dignissimi casus HORSTII *lib.* 11. *observ.* 14. Quò etiam facit singularis RIVERII *Observatio* de horrendis symptomatis sub incipiente ptyalismo ex inunctionibus Mercurialibus natis, aliis irritis, vomitorio curatis, *C.* 1. *Observ.* 77.

Observandum autem probè, quare non succedat salivatio, ac unde ista symptomata supervenientia? an contentorum viscidorum immobilitate, & circa præcordia stagnatione? (nam per mercurialem salivationem ex peripheria & artubus ad centrum moventur contenta maligna; sicuti è contrà per sudores ex centro ad peripheriam eadem distribuuntur:) an verò ex virium ægri debilitate salivatio non procedat? Necesse enim est, ut ægri salivandi habeant adhuc vires utcunque firmas; nam salivando ordinariò debilitantur. Quod si nimis reddantur debiles, cessare, aut saltem admodum imminui solet fluxus, spirituum debilitate non ritè commotis ac circulatis humoribus; unde redeuntibus viribus subinde repetere aliquo modo, sed imminutè, solet fluxus. Ægri tales inuncti, sed in quibus ex virium defectu nimis citò cessat salivatio, sin post laxatam alvum & aliquot dierum moram æquè debiles persistant, fit hoc ex Mercurio intus adhuc delitescente, hinc progressus fit ad sudorifera, successivè tamen. Nam talium usu redeunt vires, ægri saltem mox meliùs exindè habere observantur. Curiosum est, quod venereis talibus, quibus post salivationem peractam, sed non sufficienter, ob virium imbecillitatem, absolutam, propinantur sudorifera, ab horum usu cùm omnia symptomata venerea anteà apparuerint quieta, denuò dolores artuum redire solent, acido viscido à Mercurio soluto, & cum fluidis corporis denuò unito, sed non excreto, sudoriferorum vi ad extimos artus horumque loca nervea secreto; quæ non nisi repetitis sudoriferis, applicando simul levem litum Mercurialem, vel imponendo simul emplastrum de ranis cum Mercurio, iisque repetitis, curari possunt, nisi recollectis viribus denuò salivationem instituere velimus. Probè tamen hoc in casu attendere oportet, an vires deficiant? quia sunt resolutæ seu exhaustæ; nam de his hactenus dicta intelligenda: an verò sint oppressæ ex malignitate per Mercurium commotâ? nam de his intelligendi sunt casus illi ex HORSTIO, RIVERIO, &c allegati.

Quod si symptomata quædam ex salivatione à Mercurii malignitate nervis inimicissima, aut non sufficiente ejus expulsione, relicta fuerint, præter remedia solaria, tàm internè quàm externè adhibita, convenit in specie decoctum guajaci, de quo vid. THIERMAYERUS *l.* 2. *Cons. p.* 149: sicuti de remediis solaribus, tàm internè adhibitis, quàm externè litus formâ applicatis, pro corrigenda Mercurii malignitate, conf. in specie ZACUTUS LUSITANUS *in l.* 2. *Prax. Admir. obs.* 134. item RIVERIUS *Cent.* 2 *obs.* 91. & *Obs.* 13. *commun. à* JACOTIO, ubi cephalalgia diuturna, post curatam per Mercurii litum luem veneream residua, ex Mercurii malignitate nata, per nummum aureum in ore detentum fuit curata; Aurum enim Mercurium allicit, & ita è corpore secum rapit. Commendatur etiam ab HOECHSTEDTERO *Decur.* 3. *pag.* 231. Decoctum helenii & fœniculi, expectando sudorem.

Mercurius scorbuto est hostilis & inimicus, illis præsertim, qui ex scorbuto gingivarum & oris ulcerationibus sunt obnoxii. Dubius propterea fui, an, quibus copiosa quasi salia scorbutica urinas imprægnant, utut quoad cætera parum de scorbuto perceperint, tutò salivatio possit institui, metuendo dentium, faucium & gingivarum pathemata? sed talibus non nocuisse observavi: Imò fauces ancillæ, luis venereæ contagio inquinatæ, cum talibus urinis, amplo foramine, ex lue prope uvulam exulcerato, salivando meliùs habuit, & admotione ungenti Ægyptiaci cum melle rosato curatum fuit ulcus.

Quod *si gravida lue venereâ infecta fuerit*, etiam hæc ipsa, modò alia respondeant, præsertim vires, salivatione tractari potest; cùm sic simul & fœtus sanetur, qui alias similiter infectus prodiret. Exempla videbis in HILDANO *C.* 5. *Cur.* 97. & 98. item VIARDEL *in Observationibus de Partu pag.* 93. item MORISON *de morbis mulierum*, item SANGEZ *in Observat. pag.* 377., ubi refert mulierem lue venereâ laborantem, fortissimis inunctionibus Mercurialibus usam & curatam, paulò post puerum sanum peperisse: Conf. BOTALLUS *de Lue Venerea.* Sicut etiam infantes per Mercurium, tam foris illitum quàm intus propinatum, nunc saltem purgando, nunc salivando, à lue hac liberari possunt. Quoad usum illinitionis, & hanc secutam salivationem, vid. BORELLUS *de Lue Venerea pag.* 546. Quoad usum Mercurii internum, vid. HORSTIUS *lib.* 7. *observ.* 1., qui refert puellum sex mensium toto corpore, & imprimis circa podicem, à lue venerea pustulosum, per repetitum usum Mercurii dulcis ad ℈ß & oleo destillato lignorum curatum: sic FABER Luem Veneream in infantulo unius anni per repetitam Mercurii dulcis solaris exhibitionẽ curavit *Cur.* 39.: item RIVERIUS *C.* 1 *Obs.* 95. & *Cent.* 2. *Observ.* 94 Luem Veneream in puero per Mercurium dulcem & Decoctum lignorum curavit. Suspectum tamen in pusionibus litum meritò habet BALLONIUS: vid. BONETTI *Pharos pag.* 650.

Cæterùm antequam vel sudatoria ista, vel hæc salivatoria cura instituitur, priùs scrutentur viscera lue venereâ infectorum, an adhuc robusta? an simul infecta? Nam si hæc jam fuerint suppurata, perperam instituitur, cùm mors magis acceleraretur. Probè etiam examinanda sunt ossa carie jamjam infecta; si enim hæc ossa secũdi paris maxillæ inferioris, vel ossa inferiorem oculi canthum con-

onstituentia, item ossa cranii, cariosa fuerint, à salivatione est abstinendum, aut ægroto priùs indicandum, & in animum inducendum, utrum oculum amittere? an verò Lue Venereâ ulterius infectus esse mallet? Dictis enim ossibus oculorum cariosis & separatis, oculus ut plurimùm amittitur. Si ossa cranii sint cariosa, salivatione simplici negotium non succedit, sed pericranii apertura necessaria est, quo partes cariosæ aliæque festucæ separatæ eximi possint: idquod sine cruciatibus summis peragi non potest. Ulterius ossa palati, septum narium, imò ipsa etiam nasi ossa, multoties pereunt; hæc enim jamjam arrosa in juncturis suis non facilè concrescunt, nec ulcus sanatur, priusquam omnes particulæ arrosæ separatæ & remotæ fuerint. Hinc nonnunquam post salivationem & curationem vox cum loquela, & facies etiam, dehonestatur: quorum omnium ægrotantes priùs benè sunt monendi.

His itaque præmissis, priùs corpus ritè præparandum venit, & primæ viæ mundificandæ, tàm per superiora, si circumstantiæ permiserint, quàm per inferiora; quia aliàs vel medicamentorum potentiam eludunt congestæ ibidem sordes, vel commotæ ab iisdem gravia præcordiorum & abdominis symptomata, in specie anxietates, inferunt; quod in specie fit à Mercurio, si universalia ista aliquoties non fuerint præmissa.

Venæsectio, quam quidam præmittunt Chirurgi, *penitus est frustranea*; benè autem Digestiva & Præparantia, i. e. succorum corporis vitalium dyscrasiam corrigentia, ex tartaro vitriolato, terra foliata tartari, sale absinthii, lapidibus cancrorum, sale volatili viperarum, Elixyr proprietatis sine acido, Tinctura antimonii tartarisata, Tinctura tartari composita, Tinctura coralliorum sassafrata, essentia fumariæ, &c. pro circumstantiarum ratione præmitti, & hinc Purgatio una altera ve institui potest; aut certè purgantibus talia Digestiva admiscenda, præcipuè si per epicrasin evacuare animus sit, nunquam negligendo specifica.

Quod si peracta sit salivatio, præmissâ per alvum purgatione blandâ procedatur adhuc eo ordine, quem docet HARTMANNUS §. 38. V. g.

℞. *Ligni guaiaci* ℔j.
Cort. eiusd. ℥vj.
Infunde in
Aquæ comm. ℔vij.

Macerentur non tàm 24. quàm potiùs 48. horas, ut vult LINDANUS: Coqu. ad medietatem.

D. S.
Potio sudorifera sanguinem purificans.
Magmati relicto affunde denuo
Aquæ simpl. ℔xij. ad xv. vel xvj.
et aliquantum coque, circa finem addendo
Rad. liquirit. ℥iß.
Passul. min. cont. ℥iij.
Factæ colaturæ adhuc tepidæ adde
Cinnamom. acut. ℥iß.
F. Bocchetum: S.
Potio ordinaria.

Priori decocto utatur ad ℥iv. vel v. pro sudore manè eliciendo; posteriori verò pro potu ordinario: quo nimirum, si particulæ malignæ in massa sanguinea nova concrescerent, eæ mox eliminentur.

Probè etiam est notandum, quod peractâ salivatione omnis amictus, unà cum lectulis ægrotantium, sit innovandus, ne miasmata pristina instar novi fermenti maligni massam sanguineam subeant.

Pro scopo purgandi Mercurialia primatum obtinent, utpote quibus ritè præparatis nullum præstantius in hoc morbo remedium existit: vid. HORSTIUS *l. 2 observ.* 5. V. g. Mercurius dulcis, qui reliquis facilè palmam præripit, annotante SYLVIO *de Lue Venerea* §. 257., arcanum corallinum, de quo pariter vid. SYLVIUS *l. a.* §. 283., Mercurius cum Venere præcipitatus, item Mercurius præcipitatus albus, quem RIVERIUS *Observat. Commun. pag.* 321. 337. *&* 346. commendat. His non immeritò addenda colocynthis, de qua vid. SYLVIUS §. 252. V. g.

℞. *Extract. cathol.* vel *panch. Croll.*
Mass. pilul. cocb. min. an. gr. xij.
Mercurii dulc. gr. xv. ad ℈j.
Extracti troch. alb. vel *mag. jalapp.* gr. j. vel ij. vel iij.
Olei destillat. lign. guaj. vel *terebinth.* gutt. ij.
Cum s. q. *Essent. lignorum*, vel *ligni sancti*, F. pilulæ.
D. S.
Pilulæ sanguinem mundificantes pro una dosi.

℞. *Extract. panch. Crollii*, vel *helleb. nigri*,
Mercurii dulc. an. gr. xv.
Scamm. sulphurati,
Extract. trochisc. al band. an. gr. ij.
Cum *Essent. fumar.* F. pilulæ.
D. S. *ut antè.*

℞. *Extract. cathol. Andern.*
Panchym. Crollii an. ℈ß.
Mercurii dulc. gr. xij. ad gr. xv.
Extract. troch. al-band. gr. j. vel ij.
Oleo destillat. guaj. gutt. ij.
Cum *Essent. ligni sancti.* F. pilulæ.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Mass. pilular de fumar.* ℈j.
Mercurii dulc. ℈ß.
Mag. jalapp. gr. v.
Olei destillat. terebinth. gutt. ij.
Cum *Essent. lignorum.* F. pilulæ.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Extract. panchym.* Crollii vel *cathol.*
Mercurii dulc. an. gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. vj.
Cum *Essent. lignor.* F. pilulæ: S.
Ut suprà.

℞. *Mass. pilular. cocb. min.* ℈j.
Mag. jalapp. gr. v.
Turb. miner. gr. jv.
Olei destillat. guaj. gutt. j. vel ij.
Cum *Essent. ligni sancti*, F. pilulæ.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Mass. pilular. cocb min.*
Dia-colocynth. an. gr. viij.
Turbith. miner. gr. ij.
Extr. troch. al-band. gr. j.
Cum *Essent. fumar.* F. pilulæ.

℞. *Extract. panchym. Cr.* ℈ß.
Mercurii dulc. gr. xv.
Mag. gummi guttæ gr. jv.
Jalapp. gr. ij.
Cum *Essent. fumar.* F. pilulæ.
D. S.
Ut suprà.

℞. *Mercurii dulc.* gr. xv. ad ℈j.
Mag. jalapp. gr. jv. ad ℈ß.
Sacch. ℈ß.
M. f. pulvis: S.
Pulvis sanguinem purificans pro una dosi.

℞. *Mercurii dulc.* ℈j.
Scamm. sulphurat. ℈ß.
M. f. pulvis.
D. S. *ut antè.*

℞. *Spec. dia-turb. cum rhabarb.* ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. vj.
Troch. al-band. gr. j.
M. f. pulvis.
D. S. *ut antè.*

℞. *Conserv. fumar.* ℥iß.
Pulv. cathol. purg. ℈j.
Mercurii dulc. gr. xij.
Cum *Conf. fum.* F. Bolus.
D. S.
Bolus purgans pro una dosi.

℞. *Pulp. passul.* ℥j. vel ℥ij.
Mercurii dulc. gr. xij. ad xv.
Scamm. sulphurat. gr. iij. ad v.
M. S.
Electuarium purgans pro una vice.

℞. *Conf. fumar.* ℥j.
Mag. jalapp.
Scamm. sulphurat an. gr. vj.
Turbith. miner. gr. jv.
M. f. Bolus:
D. S.
Ut antè.

Observandum autem quoad Purgantia talia, quod ubi Lues Venerea adhuc est in fieri, & genitalia saltem occupet, ut in gonorrhœa, bubonibus, &c. quod tunc vel unicâ

talis

talis præmissa purgatio sufficiat: (vid. PLATERUS *Pr. Tom. 3. pag.* 420.) ne virus commotum ad loca interiora, occasione irritationis in primis viis factæ, commoveatur; & in specie buboni sub purgatione tali Emplastrum, ut vocant, attrahens, seu ex gummatibus acrius vel siccans admovendum. Quod si lues sit inveterata, & in externis præcipuè partibus hæreat, non temerè purgantibus fortioribus aut repetitis materia peccans intro revocanda, sed unâ alterave tantùm præmissâ ad ipsam curam accedendum. Potiùs ergò in lue nondum adeò confirmata, & cujus inquinamenta adhuc maximam partem fluida corporis occupant, purgatio repetita & fortior, addito Mercurio instituenda. Sub ipsa salivatione, nisi sit nimia, à purgatione penitùs abstinendum, nec sub sudationis cursu eadem adeò convenit; benè autem finitâ salivatione & sudatione unâ alterâve vice institui potest, si necessarium videatur; sicut ante salivationem vomitus proficuus est, à quo salivatio sequitur faciliùs: Interdum tamen, si symptomata & indicationes promiscua fuerint, qualibet quartâ vel quintâ die sub sudatione purgatio institui, aut ipso decocto sudorifero purgans quoddam, præsertim colocynthis, incoqui potest, ut ubique, quorsum natura vergit, succurramus. Si vel à morbo ipso, vel à purgantium frequentiore usu excitetur dolor, his unum vel alterum granum laudani opiati admiscere conveniet. Si purgationes per Mercurialia institutas & frequentiùs repetitas salivatio sequatur, à catharsi ulteriore desistendum, hæcque vel permittenda, si sufficiens fuerit, vel juvanda, quod tamen primis quatuor diebus, utut salivatio compareat, non attendendum.

Quoad vomitoria: horum assumptionem indicant

1. Ventriculi cruditates, atque sordes eliminandæ.
2. Excrementorum colluvies maligna à salivantibus magis aut simul ad ventriculum commota, atque in hoc molestias, aut anxietates excitans: qualem casum RIVERIUS *Cent.* 1. *Observ.* 77. refert.

Præter dicta hactenus remedia commodè etiam alia usurpantur; ut quando sudoriferis decoctis vel salia volatilia & spiritus urinosi, vel essentia lignorum, vel sulphur auratum diaphoreticum secundùm HORSTIUM, vel spiritus theriacalis camphoratus, vel mixtura simplex, vel ipsa Theriaca, permiscentur; vel hæc & similia tempore meridiano & vespertino à sudoribus vacuo propinantur, aut etiam ante & post salivationem exhibeantur: quò etiam cinnabarina remedia, viperina, antimonium diaphoreticum, cerussa antimonii, extractum ligni sancti cum sale volatili mistum, rob juniperi aut sambuci, olea destillata lignorum, & similia polychresta, & ex his composita pertinent, v. g. Electuarium *Massæ*, quod pulvis subtilissimus ligni guajaci & syrupus de fumaria ingreditur: Aut

℞. *Rasur. ligni guaiaci*, sive *natural.* sive *artific.* ʒj. vel ℈iv.
Sulphur. antimonii diaph. ℈j.
Sal. vol. corn. cerv vel *viperar.* gr. xij.
M. pro 2. dosibus: S.
Pulvis sudoriferus sanguinem mundificans.

℞. *Ceruss. antimonial.* vel *antimonii diaph.* ʒj.
Cinnab. antimonii ʒß.
Sal volat. corn. cervi vel *viperar.* gr. xv.
M. f. Pulvis.
Div. in 3. part. æqu.
D. S. *ut antè.*

℞. *Mixt. simpl.* ʒij.
Spiritus ligni guaiaci,
sassafr. an. ʒj.
M. D. S.
Mixtura sudorifera.
Dosis 40. ad 60. guttas.

Aut

℞. *Ess. lignor.* ʒß.
Viperar. ʒij.
M. S. *ut antè.*

Hisce modis hactenus recensitis methodica & ordinaria cura peragitur.

Quod si vel malum sit levius, & spes sit, idem facilè curari posse, vel æger tàm strictæ curæ se subjicere nolit, sequentia aliquoties plus minus proficua observata fuerunt.

℞. *Cort. ligni sancti* ℔ß.

Rad. sarsaparill. ℥iv.
Fol. senn. sine stip. ℥iß. ad ℥iiß.
Rad. liquirit.
Helleb. nigri. an. ℥j.
Pulp. colocynth. ʒj.
Incis. & contus. infunde in
Vini
Cerevis. an. Mens. iij. vel jv.

Coqu. in lagena stannea, vel in cucurbita probè clausa in Balneo Mariæ per 4. 5. vel 6. horas:

Colaturæ adde
Mithridat. ʒij. vel iij.
D. S.
Potio alterativa aperiens.

De quo bibat æger bis in die 3. vel 4. ℥ias, manè & vesperi aliquot horas ante cœnam, viscida mucaginosa cum euphoria evacuat.

Cum hoc decocto purgante æger omni tertiâ, vel quartâ die usurpet hoc sudoriferum:

℞. *Rad. sarsaparill.* ℥vj.
Ligni sancti ℔j.
Cort. ligni sancti ℥jv.
Ligni sassafr.
Rad. chinæ,
Liquirit. an. ℥ij.
Sem. anisi ℥j.
Infundantur & coquant. in
Aquæ commun. Mens. x.
ad remanentiam Mens. vj.

Colatura detur pro potu sudorifero, interpolatim, ut monui, cum illo laxativo usurpando:

D. S.
Potio sudorifera sanguinem purgans.

Ex utriusque decocti remanentia etiam decoctum secundarium fieri potest, quod usurpatur unà cum illis.

In decocto sudorifero, si placeat, cuilibet haustui pro excitando sudore simul permisceri potest:

℞. *Quintę essent. Matth.* ʒß.
Spiritus theriac. ʒj.
Clyssi antimonii ʒß.
Spiritus ligni guaiaci ℈ij.
Misceantur pro dosi: S.
Mixtura sanguinem purificans.

Pergendum jam ad curam particularem symptomatum, in quibus se offert

I. GONORRHOEA GALLICA,

Aliàs Virulenta dicta, item Maligna; estque saltem illa, quæ ex coitu impuro cum fœmina lue Gallicâ infecta *contrahitur*, & quidem in tali, ubi malum illud ulcera in vagina uteri excitavit; tales enim fœminæ aptæ sunt, ut per coitum virulentam gonorrhœam mari possint communicare. Ab aliâ causa nunquam oritur. Effluit in hoc ipso cum acerbo dolore circa penis radicem, ubi sunt prostatæ glandulosæ, primò seminalis aquosus liquor, ex prostatis nempe, qui hinc successivè flavescit, tùm citrinescit, & magis acrescit, tandem viridescit aut cœrulescit, imò subinde purulentia permiscetur, non rarò graviter fœtet. *Dolor talis* est, *ut nunquam urina sine acerbo dolore mitti possit*: supervenit tunc tumor præputii & glandis; Nam liquor hic vellicando præputium primò pruritum infert; dum reliquias ponit intra præputium, illud purulentum reddit; tandem *tumorem* infert, ut difficulter possit detrahi à glande, unde in conjunctione *ulcuscula* fiunt. Talis gonorrhœa accidit iis, qui visitant Galliam & Italiam: interdum adeò acris est, ut nunc prostatas glandulosas, nunc meatum urinarium corrodat & *exulceret*, ex quibus ulcusculis succrescit postmodum caro præternaturalis instar cujusdam verrucæ, quæ canalem urethræ tandem obstruendo urinæ excretionem impedit, & vulgò *caruncula meatus urinarii* vel penis appellatur. Affligit hæc gonorrhœa continuò, imprimis secundùm indolem luis venereæ vespertino aut nocturno tempore cruciat, adeò ut eodem tempore acerbissimi dolores crucient penem, iique eò acerbiores, si forsan se extendat & erigat membrum. Sin malum ulterius procedat, superveniunt crudeles ardores nocturni lumborum, & quæ sunt similia symptomata gonorrhœæ virulentæ.

CAUSÆ.

Causa hujus gonorrhææ est simplex *contagium* fermentativum venereum per coitum ex muliere infecta, & quę *ulcera* Gallica plus minus *in vaginam uteri* habet, haustum. Malum enim prolificum est hęc ipsa gonorrhœa Gallica: adeò ut referat BALLONIUS *l. 1. Conf. 9.* de quodam viro, qui ex coitu impuro gonorrhœam virulentam contraxit; unde postmodum non tantùm propriam uxorem inquinavit, sed cùm eadem filium quoque generavit, mox à primo ortu eodem malo affectum.

PARS AFFECTA.

Subjectum hujus gonorrhϾ *sunt* eædem *prostatæ* glandulosæ (rarò enim ulteriùs repit, ut etiam ipsos *testes* arripiat;) id quod confirmat experientia Anatomica: vid. BONETTUS. *Anat. Pr. l. 3. S. 31. Observ. 5.* SPIGELIUS *de Humani corp. Fabr. l. 8. c. 17.* BARTHOLINUS *Anat. Reform. l. 1. c. 23. & l. 2. Histor. Anat. 36.*, ubi aliquot memorantur ex gonorrhœa tali demortui, in quibus *prostatæ glandulosæ* fuerunt repertæ *exulceratæ & excoriatæ*: Undè etiam tali gonorrhœâ infecti urinam emissuri acerbissimum dolorem in radice penis, ubi illæ prostatæ sitæ sunt, imprimis percipere solent: id quod signum nunc tumefactæ, nunc excoriatæ vel exulceratæ prostatæ glandulosæ, esse solet. Nam dum in coitu intensiùs incalescunt partes genitales, tunc ulcuscula Gallica vaginæ uterinæ exhalant & expirant *Miasmata* fermentativa *acria*, quæ post excretum semen virile se insinuant in urethram penis, ibique se affigunt, & per meatus ex modò excreta genitura adhuc patulos in prostatas glandulosas se insinuant, & fermentatione corruptivâ inquinant ibidem lympham seu liquorem elaborandum & secernendum, eumque in acrimoniam acidam corrosivâ malignam, qualis in lue gallica prædominatur, corrumpunt. Unde postmodum exinde talis succus acris acidus corruptivus profluens non tantùm in similia ulcera corrodit has prostatas, sed etiam meatum urinarium & præputium excoriat, unde saniei fœtidæ & ulcerosæ aut ichorosæ continuus profluxus, atque quidem dolorosus, & tàm dira & atrocia ac dolorifica symptomata oriuntur; qui fluxus GonorrhϾ Virulentæ seu Gallicæ nomine venire solet, *fluxus Ludovicianus* vocatus aliàs. Promotum ulterius & altiùs serpens contagium, ita ut per vasa deferentia testes ingrediatur, horum tumorem & dolorificam inflammationem infert;

DIAGNOSIS.

Diagnosis hujus gonorrhϾ ex primò dicta historia est clara.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: observandum, quod gonorrhœa hæc in principio leve malum sit; quò citiùs ipsi occurritur, eò faciliùs curatur.

In senibus ut plurimùm ad mortem terminatur.

Nisi brevi isti occurratur, *in progressu* excoriat glandulas, & quandoque absumit.

Interdum non ritè curata, sed saltem oppressa, ulteriùs serpit, & *testes inquinat*, in quibus tumores, & subindè bubones infert.

Tandem in perfectam luem veneream terminari solet, fermento maligno successivè partes vicinas, & *cum sanguine universum corpus* tandem inficiente, & ita perfectum Gallicum morbum inferente. Et hic est modus communissimus, quo lues venerea contrahitur.

Optimè notandum est, *frequentiùs supervenire bubones glandularum in inguinibus*, quod *malum est*; si enim hoc fiat, certum est, universum corpus correptum esse: malum etiam signum est, si spontè iterum disp areant.

CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac fermentum illud Gallicum virulentum appropriatis, partim Mercurialibus, partim acidum corrigentibus, destruendum, & quâdatâ portâ, speciatim per sudores & vias urinarias, ex corpore & massa sanguinea evacuandum, remediis aliis addendo semen violarum, lapides cancrorum, radices & ligna superiùs nominata, utpòte, præter vim specificam atque sudoriferam, diureticam pariter habentiâ. Hinc partes læsæ balsamicis abstergantur & consolidentur.

Alia autem instituitur cura, si fluxus hic principium morbi existat, nec ab ipsa adhuc infecta sit massa sanguinea; alia, si eadem simul contaminata, & lues venerea universalis magis jam tùm juncta fuerit. Quippe in priori casu ante omnia pro ulcere prostatarum & vesicularum seminalium mundificando, humor acris contemperetur & corrigatur per emulsiones in gonorrhœa aliàs consuetas, præprimis ex semine cannabis paratas; os sepiæ, succinum, terebinthinam, hujus oleum, & balsamum Indicum. Si verò reliquis luis venereæ symptomatis gonorrhœa superveniat, aut hujus virulentiâ massa sanguinea jamtùm notabiliter inquinata fuerit, universali curâ opus erit.

Quod si cui lubeat se præservare ab hac gonorrhœa, qui in nempe venus vexat, interim tamen non certus esse potest, an cum infecta coëat? is præservationis loco mox ante aut post coitum assumat spiritus seu olei terebinthinæ guttas vj. vij. vel viij. in haustu vini generosi: hujus enim sal volatile oleosum meatum urinarium abstergit, ac corrigit contagium virulentum forsitan haustum.

Quod si verò quis jam affectus sit hoc malo, & laboret gonorrhœâ, ante omnia *purificetur corpus* per universalia purgantia, Mercurialibus sociata: v. g. fiant *pilulæ* ex extracto hellebori nigri, aut ex extracto catholico Andernaci, aut *panchymagogo Crollii*, cum ana Mercurii dulcis: His pro stimulo addantur aliquot grana extracti trochiscorum alhandal; colocynthidis enim efficacia mirè commendata est ab HELMONTIO in cura luis venereæ, prælata usibus lignorum.

℞. *Extr. panch. Croll.* vel *helleb. nigri*, vel *Mass. Pilul. cathol. Ludov.* gr. xij. ad xv.
Mercurii dulc. gr. xv.
Extract. troch. alband. gr. j. vel ij. ad iij.
Olei destillat. terebinth. vel *guajaci* gutt. ij.
Cum *essent. guajaci* F. pilulæ: S.
Pilulæ sanguinem mundificantes.

℞. *Extract. panch. Crollii*, vel *helleb. nigri*,
Mercurii dulc. an. gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Extract. troch. al-band. gr. iß.
Cum *Essent. lign. sassafras* F. pilulæ:
D. S. *ut antè*.

Convenit loco *Mercurii dulcis*, *Mercurius præcipitatus viridis* venereus cum *calce viva* paratus, qui hic est specificus, cujus descriptio vid. in SCHROEDERI *Pharm. ubi de Mercurio*: Ast usus hujus Mercurii *præcipitati viridis* primitus quidem videtur augere malum, sed bonum est signum; si enim continuatur, tandem id cessat: e. g.

℞. *Extract. panchym. Croll.* vel *cathol.* gr. xv.
Mercurii præcipitati virid. gr. v. vel vj.
Extract. troch. alband. gr. ij.
Cum *essent. lign.* F. pilulæ: S.
ut antè.

Aut Pilulis de terebinthina, vel terebinthinæ coctæ misceatur Mercurius dulcis: e. g.

℞. *Terebinth. opt.* ℥j.
Mercurii dulc.
Ossis sepiæ præp. an. ℥ß.
Cum *Oleo destillato succini* pro 3 dosibus f. pilulæ irrorandæ.
D. S.
Pilulæ sanguinem mundificantes pro 3. dosibus.

Non tantùm *laxant*, sed & *gonorrhœam respiciunt*. Vel fiat Bolus ex terebinthina Cypria cum rhabarbaro ac Mercuriali remedio, vel dulci, vel alio. In subjectis fortioribus:

℞. *Turbith. miner. Crollii* gr. vj vel viij.
Cum f. q. *conserv. rosar.* vel alio appropr. f. Bolus.
D. S. *Bolus sanguinem purificans*.

Vid. SYDENHAM *in Epist. Respons. 2. de Lue Venerea p. 76.* Nam licet Mercurialia talia in principio videantur augere malum, iisdem tamen audacter insistendum; cùm non detur appropriatum magis remedium contra virulentiam Gallicam, quàm Mercurialia.

Evacuatio ita corpore cum Mercurio *dulci*, sive semel, sive repetitis vicibus, præ cęteris cōveniunt *balsamica appropriata*, dicta loca abstergētia: inter quæ eminet *terebinthina*, oleū destillatum terebinthinæ, in specie *balsamus sulphuris tere-*

terebinthinatis ad guttas xij. vel xv. ad xx. bis quotidie assumptus, aut *juniperinus*. Continuetur aliquandiu. His ipsis commode subjungatur *aqua Quercetani contra gonorrhœam* virulentam, quam se centies expertum esse gloriatur: Videatur etiam SCULTETUS *in Armam. Chirurg. Obser.* 79., qui ipse etiam jactitat hujus aquæ experientiam. Loco hujus aquæ *balsamus saturni terebinthinatus*, ex saccharo saturni & oleo terebinthinæ blando igne paratus, vid. in ZWELFFERO *in Mantissa Hermet. ubi de Saturno*; egregie conducit, ubi ardor nimius circa renes & genitalia jungitur, vel solus, vel mistus cum oleo juniperi, addita camphora; non absumendo semen, ut vulgo putatur, sed absorbendo acidum vitiosum in hac gonorrhœa peccans: qua ratione etiam camphora conducit, non quod castret per nares, ut putant, sed tanquam sal volatile oleosum detergit & corrigit acidum venereum.

Vel

℞. *Olei terebinth.* ℥iij.
Camph. ℈j.
Sacch. Saturni ℥ß.
M. D. S.
Balsamum sanguinem mundificans.

Item tinctura antiphthisica ardores renum post gonorrhœam optime compescit:

Vel

℞. *Off. sep. præp.* drach. j.
Sacch. Saturni drach. ß.
M. f. Pulvis pro tribus dosibus. D. S.
Pulvis refrigerans & sanguinem mundificans.

Juxta hæc convenit extractum tormentillæ cum Saturni saccharo, & oleo destillato terebinthinæ in formam pilularum redactum: v. g.

℞. *Extract. tormentill.* ℥j.
Sacch. Saturni ℥ß.
Campb. drach. ij.
Cum s. q. *olei destillat. tereb.*
F. Pilulæ
D. S.
Pilulæ adstringentes & sanguinem purificantes.

Pilulæ hæ singulare quid habent.

Item conveniunt pilulæ de terebinthina contra gonorrhœam ZWELFFERI *in Pharm. Reg. p.* 70.

Hisce addatur *infusum cantharidum* in vino, quod expertum est remedium cujusdam Medici Belgæ; quatenus cantharides acerrimo sale volatili abundant. Parandi modum vid. *in Collegio Pharm. in Sebræd P.* 1.5.3.p.... BARTHOLINUS *Cent.* 5. *Epist.* 54. & 55. *pag.* 343. & *Hist. Anat. Cent.* 5. *Observ.* 82. Decocta lignorum, essentias aut extracta lignorum, ceu per se nota, & ad luem veneream & ejus prodromum gonorrhœam, commendatissima sicco pede prætereo. Tinctura coralliorum cum spiritu lignorum parata est egregia, sed crebrius usurpanda. Resina ligni guajaci expertissimum est remedium ad hanc gonorrhœam: item essentia ac *extractum guaiaci* cum tinctura tartari vel spiritu vini tartarisato paratum, in aqua plantag. subinde propinatum summum etiam specificum est in hoc casu; nam in resina hac perfecta consistit cura gonorrhœæ malignæ. Alias etiam balsamus de Peru ad aliquot guttas assumptus, vel, qui omnium est præstantissimus & longe excellentior *balsamo Peruviano*, *balsamus de Capaibe*, præter *usum externum Chirurgicum*, ex fida Belgarum experientia specificum est remedium in gonorrhœa virulenta, uti etiam stranguria, a guttis ij. iij. ad v. vj. vel viij. in vitello ovi dissolutus, vel cum saccharo in forma pulveris assumptus, & fuit experimentum LINDANI: aut ejusdem cum spiritu vini tartarisato parata essentia in quavis gonorrhœa est proficua. Antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale & Martiale, & similia laudantur. Item succum limonum cum spiritu terebinthinæ & camphora ex BABRO jam proposui; uti hujus experimentum videre est in SCULTETO *Observ.* 79. *Armam. Chirurg. cit. loc.* Singulare cujusdam Medici experimentum est *aqua Mercurialis* vel *Hermetica*; qui recipit *Mercurium vivum*, coquit in *aqua simplici* per aliquot horas, decantat aquam, & remanet Mercurius in eodem plane pondere, quo fuerat ante ebullitionem; hinc aquam istam propinat aliquandiu mane & vesperi bonum haustum, & est egregium remedium, quo successive sedatur gonorrhœa virulenta.

In BARTHOLINO refertur cura gonorrhœæ virulentæ per pulverem sympatheticum; id quod eatenus verum est, quatenus eo processit exulceratio prostatarum, ut corrosis vasis sanguis quoque effluat; Unde talis sanguis purulentus quoque effluens pulvere sympathetico satis noto exceptus in distans curavit gonorrhœam.

Quod si fiat, ut sæpius etiam fit, exulceratio in prostatis glandulosis, indeque dolor & ulcus in meato urinario, tunc conducunt *injectiones per siphonem* in penem, quæ fiunt ex succo plantaginis cum melle rosato, quæ diluuntur cum aquis appropriatis: Vel injicitur liquor ex stercore gallinæ, quem HARTMANNUS *pag.* 264. in vesicæ ulcere commendat: Aut parentur injectiones ex *aqua calcis vivæ*, in qua ebulliant summitates hyperici, flores meliloti & verbasci; *aloë*, *melle* & *Mercurio dulci*, & similibus: sicut mihi in usu sunt sequentes omnium optimæ:

℞. *Aquæ calc. vivæ* unc. iij. (vel *bujus* unc. ij. & *plantag.* unc. j.)
Aloës hepat. ℥ß. vel *essent. aloës* drach. iij.
Mellis rosat. unc. ß. vel ʒvj.

M. pro Injectione in penem cum parva syringa aliquoties in die instituenda: S.

Injectio purificans.

Vel

℞. *Aquæ calc. vivæ* unc. iij. vel jv.
Aloes,
Myrrhæ an. drach. ß.
Mellis drach. vj.
M. f. Injectio in penem cum siphone.
D. S.
ut ante.

In malo graviori etiam Injectionibus talibus pro re nata ana Mercurii dulcis respectu aloes addi potest vid. *Idea Formularum Class.* 4. § 27. Vel *Decoctum Mercurii dulcis* edulcoretur cum *melle*, quod pro tali *Injectione* in usu esse solet: vid. SCULTETUS *in Armam. Chirurg. observ.* 79. Vel mixtura *ejus Part.* 2. *Observ.* 63. ex succo plantaginis, melle rosato, aloë, &c.

℞. *Aquæ calc. vivæ* unc. jv.
Mercurii dulc. ℥ß.
Sacch. Saturni ℈j.
M. S.
Aqua purificans.

Vel

℞. *Decoct. plantag. cum aqua calc. viv. par.* unc. jv.
Aquæ aloët. drach. iij. ad unc. ß.
Mercurii dulc. ℈ij.
Mellis rosat. drach. vj.
M. S.
Mixtura ad injectionem.

Aut si altius processerit malum, Injectiones aloeticæ cum modico Mercurii sublimati, aut etiam, ubi ferocius fuerit malum, cum Mercurio sublimato, erunt instituendæ.

Quod si intra glandem & præputium ulcuscula sint, curantur sequenti *linimento*:

℞. *Unguent. diapomph.* drach. iij. ad ℥ß.
Mercurii dulc. gr. xv. ad ℈j.
Aloës rosat. vel *hepat.* gr. xv.
Mell. rosat. q. s.

M. f. *Linimentum* pro ulcusculis in glande, item intra glandem ex præputio illinendis:

D. S.
Unguentum mundificans.

Vel si *ulcus* fuerit *cancrosum*, Injectionibus jam dictis loco mellis rosati addatur unguenti Ægyptiaci q. s. pro diverso virulentiæ gradu: sin vero *cancer* extra meatum urinarium conspiciatur, ut commodius applicare liceat medicamenta, solutione Mercurii sublimati in aqua appropriata facta contingatur, aut linteola eidem imbuta probeque expressa superimponantur.

Quod si *fissuræ* præputii adsint cum aliquali ejus tumore;

℞. *Ungenti diapompbol.* drach. iij.
Olei tartari per deliq. ℥ß. ad drach. j.
Misceatur & illinatur: S.
Unguentum sanans.

Binos studiosos gonorrhœa virulenta cum dolorosissima mictione, ichore purulento profluente, ex parvis ulcusculis in glande laborantes, curavi præmissis pilulis Mercurialibus purgantibus, cum s. q. olei destillati terebinthinæ paratis: jussi quotidie bis 12. ad 15. guttas balsami sulphuris

ris terebinthinati capere; nam hujus usu abstergitur & corrigitur fermentum malignum, & cum urina evacuatur, ac impeditur simul, quò minus cæteras corporis partes possit inficere. Item loco balsami sulphuris terebinthinat. alio in casu contumaciori balsamus de capaibe ad guttas v. bis in die usurpatus profuit. Interdum mista præscripsi ita:

℞. *Bals. sulphuris terebinth.* ℥ij.
De capaibe ℥j.
Misc.
Dosis gtt. xij. vel xv. bis in die.

Alius Studiosus ex coitu impuro gonorrhœâ affectus, hâc suppressâ supervenit testiculi dextri tumor admodum dolens; quo evanescente, cum exercitiis, & speciatim equitationi, indulgeret, recruduit tumor cum gravi dolore contundente, sursum ad lumbos ascendente, & testis affectus alterius magnitudinem bis æquabat. Ordinatâ purgatione Mercuriali, pro *tumore discutiendo* sequens præscripsi cataplasma:

℞. *Far. fabar.* ℥iij.
Sem. cumin. pulv. ℥iß.
Coqu. in s. q. *poscæ* ad consistent. Cataplasmatis; addendo simul
Lithargyr. pulveris. ℥j.
Misc.

Hoc calidè subindè poscâ irrigando applicuit scroto tumenti & rubenti in latere affecto, quo continuato primò dolor mitigatus, & hinc tumor nonnihil imminutus fuit.

Internè usurpavit balsamum sulphuris terebinthinatum ad guttas xij. bis in die.

Externè postmodùm

℞. *Bals. sulphuris Rul. ad extrà* ℥iij.
Olei destillat. cumin. ℥j.
Unguenti dialth. ℥ß.
Misc.

Quo aliquoties in die partem affectam illinebat, & maximam partem evanuerunt symptomata.

Sed cùm resoluto tumore *durities testis* adhuc pertinaciter restaret, ordinavi sequens emplastrum:

℞. *Gum. ammoniaci in aceto sol.*
Empl. de cicuta an. q. s.
Malax cum q. s. *olei destill. tartari*, vel *lign. guajaci*.

Induc super *alutam*, applic. loco affecto, omni biduo vel triduo novum applicando.

Et sic hujus beneficio, quicquid supervenit, penitus discutiebatur. Mox in principio applicassem, sed metu inflammationis abstinui. Dubius eram, an etiam emplastrum de ranis cum Mercurio istis tumoribus commodè applicari posset, quod aliàs in tumoribus & bubonibus incipientibus optimum est, malaxatum cum oleo destillato succini; sed metuebam vim genitalem à Mercurio labefactatam iri.

Quod si præputium insigniter *tumore ferè inflammatorio* cum *phimosi* afficiatur, convenit phlegma vitrioli insipidum ferè cum linteis multiplicatis applicare; vel aqua calcis vivæ cum saccharo Saturni quovis modo applicari potest. Quod si *insignis dolor ardens* adsit, camphora in oleo amygdalarum dulcium soluta egregia est.

Quod si *Tumor præputii flatulentus plus minus serosus* adsit cum *tumefactione*:

℞. *Aquæ calc. viv.* ℔j.
in qua ebulliant
Flor. chamomill.
Sambuci an. M.j.
Fol. hyosoyam. Mß.
Sem. anisi,
Fœnic. an. ℥ij.
Bacc lauri ℥ß. ad drach. vj.
Coletur, cum qua fomentetur pars affecta: S.
Fomentum resolvens.

Quod si suspicio sit, longiùs progressum fuisse, & jam massam sanguineam nonnihil contraxisse inquinamenti, instituatur cura aliqualis sudorifera per decocta lignorum, omni matutino tempore ad aliquot uncias assumenda, expectando sudorem, idque ad aliquot dies noctesque continuando: quorum loco etiam in leviori malo essentia lignorum, tinctura coralliorum cum spiritu lignorum, &c. aliquandiu usurpari possunt.

Vel

℞. *Herb. agrimon.*
Fumar. an. M.j.
Ras. lign. sancti.
Sassafr.
Rad. sarsæpar. an. drach. vj.
Sem. coriandr. ℥ß
Incis. & contus. infund. in *aqua simpl.* per diem & noctem: manè coqu. ad tertiam, circa finem addendo
Herb. cochlear. M. j.
Passul. min. contus. ℥j.
Colatur ℔iij. addatur
Syr. scelotyrb. Forest. q. s.
M. D. S.
Potio sanguinem purificans.
Vel
℞. *Aquæ card. bened.*
Fumar. an. unc. iß.
Essent. ligni guajaci drach. j.
Theriac. drach. ß.
Campb. gr. vj.
Syr. scelotyrb. Forest. drach. vj.
M. D. S.
Mixtura sanguinem mundificans, cochleatim sumenda.

Præter dictam Gonorrhœam virorum malignam seu virulentam est adhuc

II. FLUOR MULIEBRIS GALLICUS,

A contagio maligno Gallico oriundus, & exulcerationem cujusdam partis internæ, aut in vagina, aut in orificio uteri, aut prostatis glandulosis; quin etiam exulcerationem ipsorum testium muliebrium insequens: Nam testium muliebrium substantiam in tali gonorrhœa exulceratam PANAROLLUS *in suis Observat. Pentec.* 1. *observ.* 14. in muliere, quæ ex Gonorrhœa Gallica cum gravibus doloribus mortua fuerat, observavit. Talia *ulcera* plorant acrem *saniem* plus minùs purulentam ac lividam, cum insigni dolore ac molestia. Hæc ipsa Gonorrhœa maligna mignùs fundenda est cum hac Gonorrhœa seu fluore albo, de quo *infra lib.* 4. *Sect.* 1. *cap.* 4. dicetur.

DIAGNOSIS.

Patet hic affectus ex ægræ relatione, cui insuper in graviore malo jungitur fœdus faciei color, urina turbida, ciborum fastidium, lassitudo, dyspnœia, tumor oculorum & pedum, dolor lumborum, tabes, vaginæ uterinæ prolapsus, lipothymiæ, & si humor excretus acrior & putrilaginosus exiliat, genitalia eroduntur & exulcerantur: vid. GRÆFIUS *de Organ. Mulier. cap.* 9. & BLASIUS *lib.* 5. *Observat. Med.* 2. 19. 5 Tandem febris plus minus lenta accedit: vid. HIPPOCRATES *lib.* 5. *Aphor.* 56.

PROGNOSIS.

Fluori albo Gallico si convulsio & animi deliquium accedat, malum est.

CURA.

Gonorrhœa mulierum Galica orginem & modum fiendi eundem habet cum *Gonorrhœa maligna virorum*; cum earundem sit una eademque ratio, & quoad causas, & quoad curam: nempe dependet simpliciter à coitu cum mare lue venereâ correpto; unde etiam eâdem ratione atque Gonorrhœa virorum Gallica, aut ipse morbus venereus, curanda venit: nempe internè per remedia Mercurialia, pilulas Mercuriales, per decocta & essentias lignorum, per balsamica terebinthinata, oleum succini, cum osse sepiæ, & antimonio diaphoretico, &c. *Inveterata* verò curari nequit, nisi per modum curandi luem *veneream*, tàm per *sudorifera*, quàm per *salivationem* Mercurialem.

Externè conducunt injectiones ex lignis cum aqua calcis vivæ paratæ, addito *aloe*, *melle*, *Mercurio dulci*: item decoctum Mercurii dulcis cum melle edulcoratum; vid. SCULTETUS *Armam. Chirug. P.*2. *Observ.* 65.: & liquor ex stercore gallinæ, quem HARTMANNUS

Pr.

Pr. pag. 264. commendat: item unguenta Mercurialia ex superioribus nota, turundis illita, intrudantur in vaginam uterinam, ut mundificetur ulcus jam factum.

III. BUBONES.

Bubones sunt glandularum axillarium & inguinalium tumores, ex lympha intra dictas glandulas stagnante nati; qua tenus nempe vasa cubitalia & cruralia glandulas has transeunt, & in his ex sanguine serum segregatur; quod succo crudo viscido turgidum, & à fermento venereo maligno corruptum, receptioni in vasa lymphatica planè ineptum redditur, unde stagnando tumorem producit: idque laudabili naturæ conatu; nam sic præservatur reliquum corpus à lue venerea, ut non ampliùs se exerat. Fermentum hoc & contagium, cujus solo contactu Lues Venerea contrahitur, in materia purulenta consistit, quatenus nempe aura ejus fœtida vel ipsum pus alii in eodem lecto decumbenti communicatur. Ipsum tamen pus è bubone extractum eandem malignitatem non habet, ac ipsa aura aut sudor illinc projectus, cùm per illam concoctionem aut suppurationem miasma venereum malignum nimis subactum sit. Unde de his dicit CARDILUCIUS *in Officin. Sanitat. pag.* 856. *Apparent verò crebriùs in sanguineis, alioquin rarò vel nunquam nisi gravissimâ Lue Venereâ obnoxiis, occulante scilicet eleganti habitu corporis hostem inquilinum, eumque ad inguina protrudente.*

Hinc quia bubonibus sponte suâ evanescentibus lymphæ & sanguinis refluentium vitio tota massa sanguinea, & hinc totum corpus inquinatur, maturè eorum suppurationi & hinc apertioni pro elicienda virulentia opera danda: Conf. M. A. N. C. *ann.* 8. *obs.* 78. Propterea, incautiorum Medicorum more, purgationibus vehementioribus aut repetitis, nec venæsectione, nec sudoriferis insistendum, & lympha hæc maligna intra corpus trahenda; quod hoc modo facillimè fieri, & arthritidi vagæ scorbuticæ ac phthisi occasionem dare potest: utut si bubo evanuerit suâ sponte, & ita metus subsit, ne universum corpus hinc inquinetur, sudorifera fortiora hinc necessaria sint, quorum ope aliquandò rediisse bubonem jam penitus extinctum observavi. Applicanda ergò sunt emplastra ex gummatibus & aromatibus nonnihil acriora, & simul irritantia, seu, ut vulgò vocant, attrahentia, nisi cancri, vel aliud symptoma subsit, pro horum suppuratione juvanda: v. g. imponatur emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio, malaxatum cum oleo destillato ligni guajaci.

Vel

℞ *Empl dia-chyl. magn.* seu *cum gumm.* ℥ß.

Malaxetur cum *oleo tartari fœt.* (quod CARDILUCIUS *l. c.* tanquam discutiens præstantissimum commendat) aut *ligni guajaci*, aut *philosophor.*

D. S.

Emplastrum emolliens.

Vel

℞. *Pic. Burgund* ℥ij.
Sapon commun.
Bals. hyperic. ana ℥j.
Gum. amm.
Sagap. cum aceto solut. an. ℥ß.
Rad. pyrethr.
Sem. erucæ an. ʒ iij.
Ceræ q. s.

M. f. Emplastrum, malax. cum oleo tartari fœt.

Quibus etiam magnes arsenicalis addi potest, de quo vid. SALA *in Anat. Vitr. Tr.* 2. *pag* 385. & 386. nec non BARBETTE *Tr. de Peste pag.* 247. Item Emplastrum descriptum à SENNERTO, *ubi de Lue Venerea, pag.* 214.: vel emplastrum Magneticum *Angeli Salæ* secundùm descriptionem HOFFMANNI. His ipsis, modò protuberare magis incipiat bubo, nonnihil emollire sufficit; non opus enim est perfectam, quæ rarò, aut nunquam fit, expectare suppurationem, sed tunc aperiatur maturè apertione largâ, & tractetur ad modum reliquorum bubonum.

Quod si verò simul cancri aliaque symptomata concurrant, à suppurantibus abstinendum, purgantibus potiùs materia peccans evacuanda erit.

Si in bubonibus his simplicibus non procedat alteratio suppuratoria dictis remediis, aut pus benè coctum profundè nimis lateat, aperiatur lanceolâ profundiùs intrusâ, aut applicetur cauterium potentiale, ne ad interiora pergere queat venenum. Factum indè foramen diu apertum teneatur, ut saltem fonticuli instar esse queat: Sanè ZACUTUS LUSITANUS *l.* 2. *Prax. Admir. observ.* 131. fontanellis in inguine sponte apertis quendam à sævo morbo Gallico immunem evasisse asserit.

Aperto tumore vel sponte vel scalpello, suppuratio & mundificatio instituenda balsamo hyperici, mixto cum oleo destillato ligni guajaci, vel tartari, vel unguento de apio, cui additum sit parum de Mercurio præcipitato, vel arcano corallino, superimponatur emplastrum dia-chylon, malaxatum cum oleo tartari rectificato, exteriùs, vel applicetur emplastrum Magneticum, quod ulcus apertum, coire non patitur, donec satis emundatum fuerit. Conf. BARBETTE *in Chirurgia*, DIEMERBROCK *in Tract. de Peste*, & NICOLAUS *de* BLEGNY *Tr. de Lue Venerea Gallicè conscripto*. CARDILUCIUS *l. c.* bufonem aceto madefactum & buboni impositum, quo intumescente alium applicandum, aut emplastrum de cicuta, cum oleo philosophor. vel saponis malaxata, commendat; tandem scalpello aperiendum, & saniem cum pure & cruore exprimenda, postea emplastrum opoteldoch applicandum, quod nunquam coalescere sinat ulcus, priusquam omnia fundamentaliter sanata fuerint. Quod si nihilominus suppuratio aut mundificatio tardè ac difficulter, aut planè non, quod sæpiùs accidit, suc edat, eadem emplastra continuanda; quin & cucurbitæ applicandæ, ut viscidissimum hoc serum, in glandulis hisce quasi congelatum, sensim sensimque tandem resolvatur. Internè usurpantur primò lignorum decocta, posteà purgantia, in fine sal & spiritus viperarum, quæ curam bubonum absolvunt. Quibus etiam irritis infectionis universi sanguinis periculum subest, adeoque cura generalis instituenda venit.

IV. PUSTULÆ & TUBERCULA.

Pustulæ & Tubercula, præter Luis Veneræ curam universalem, foveantur & abluantur subinde decocto lignorum, & oleo tartari illinantur: sedcùm hæc rarò sufficiant, optimus est mercurius præcipitatus & dulcis, simpliciter cum butyro non salito mistus & illitus, loco cujus etiam unguentum de Nicotiana, diapompholygos, item de Helenio, vel aliud appropriatum capiatur; aut unguentum pomatum, subactum cum pauco arcano corallino, præstans est: Vel oleo vitrioli, sulphuris, butyro antimonii, aut liquore mercurii saccharato tangantur pustulæ & tubercula quotidiè, donec corrosæ decidant; in quem finem etiam mistura composita ex aluminis rochæ & mercurii sublimati ana ʒj. in aqua plantag. aut rosar. aut alius appropriatæ ℔j. solutis, quam cum linteolis admovendam describit SENNERTUS *de Lue Venerea pag.* 216., adhiberi potest. Meliùs est sequenti modo:

℞. *Aquæ plantag.* ℥vj.
Mercurii sublimati ℈jv.
Alum ℥ß.

Dissoluta invicem

D. S.

Aqua purificans.

Liquore hoc cum penna intincta tangantur verrucæ; sic emarcitæ pedetentim decidunt. SYLVIUS *Tract. de Lue Venerea* § 349 laudat spiritus & salia, cupri tincturâ impraegnata, quo pustulas fœdas & planè malignas, reliquis frustrà tentatis, præter spem sustulisse testatur. Hæc ipsa quoque in pustulis penis, ani, faciei, &c. proficua sunt. Spectat huc quoque lac virginis, cujus singulis unciis mercurii sublimati ℈j. addendus; item liquor HARTMANNI, ac oleum viridis æris *in Pr. Chym. pag.* 322. & 333. descripta.

In specie in pustulis faciei:

℞. *Sperm. ranar.* ℔v.
Mercurii sublimati ʒj.

Digeratur in vitro benè clauso, & ita cautè hoc ipso tanguntur pustulæ.

D. S.

Mixtura mundificans.

Nec inconcinna est mistura FORESTI *lib.* 32. *observ.* 6.

℞. *Al-*

℞. *Album Ovi* no. j.
Agita, donec spumescat: adde
Mercurii sublimati,
Camph. ana gr. jv.
M. f. unguentum;
quo illinantur pustulæ.

V. CONDYLOMATA.

Ad *condylomata* ani mercurius sublimatus in aqua plantaginis aut persicariæ solutus cum pauco aluminis convenit. Imò si condylomata fuerint majora, quæ non nisi longo temporis tractu per ejusmodi caustica tolli queunt, ligaturis potiùs, si radices angustiores habeant, aut ferro secante extirpentur: postquam verò hæmorrhagia sopita, reliquiæ Mercurio sublimato absumantur, & ulcera Mercurio sublimato, aut arcano corallino detergantur ac mundificentur.

VI. VERRUCÆ.

Verrucæ Gallicæ si in extermitate oleo vitrioli tangantur, exsiccantur & decidunt: loco cujus etiam aqua fortis, aut solutio mercurii in aqua forti facta, s. q. aquæ simpl. diluta, adhiberi potest: item pulvis sabinæ inspersus eas absumit: vid. WEDELIUS *de Medic. Facul. pag.* 62.

VII. ULCERA.

Quoad *ulcera* quarumuis partium, in horum cura semper primò ad cacoëtheam seu malignitatem veneream respiciendum, quâ non extinctâ perfectè nec mundificari, nec consilidari possunt; aut consolidata licet, semper recrudescunt; imò à relicto occulto eorum, non perfectè mundatorum, sed præmaturè consolidatorum fermento, Lues curata licet, denuò in universum corpus propagari potest: id quod notabili exemplo docet HILDANUS cum occulta ossis carie venerea *Cent.* 5. *Histor.* 95. Pro qua malignitate expugnanda primatum obtinet mercurius, tam sublimatus quàm præcipitatus, & hic vel corrosivus, vel in specie dulcis, qui semper mundificantibus addi debet. Abluenda igitur sunt ulcera decoctis lignorum, hinc applicandum unguentum ex melle & vitello ovi cum Mercurio sublimato HARTMANNI *in Prax. Chym* §. 28.: vel unguentum de cerussa malaxetur cum oleo Nicotianæ, & impraegnata cum Mercurio dulci usurpetur: vel unguenta cum Mercurio sublimato, quæ describit SENNERTUS *l. a. pag.* 211. Itali cum bono successu in quibusvis venereis ulceribus utuntur hoc unguento:

℞. *Olei con mun.* ℔ iv.
Ceruss. ℔ j.
Minii cribrat. ℔ ß.
Coqu. lento aque ad unguenti mollioris consistentiam: post addunt
Mercurii sublimati opt. vel *Mercurii præcipitati* seu *Turbith. Miner.* ℔ ß.
Ceræ albæ ℔ j.
Miscent pro Unguento.

Vel unguentum Basilicum cum sufficienti quantitate Mercurii dulcis misceatur & applicetur, quod ulcera venerea maligna etiam quasi cancrosa curabit. Vid. DIGBY *Recept. P.* 2. *pag.* 12. Vnguentum Ægyptiacum itidem subinde applicari potest, sed vitentur loca ossibus nudata; hæc enim nigrore illud inficere asserit HARTMANNUS *l. a.* § 28. Huc pertinet aqua *divina Fernelii:*

℞. *Aquę plantag.* ℥ vj.
Mercurii sublimat. gr. xij.
Misc.

Quod si mundificata fuerint hæc ulcera, h. e. ubi pus laudabile suggerant, & labia undique rubra & naturaliter tincta, & pro natura partis ulceratæ constituta fuerint, Sarcoticis incarnanda & conglutinanda sunt: pro quo scopo vel Emplastum HARTMANNI *l. a* §. 29. 30. & 31., vel Emplastrum de lithargyrio, aut Emplastrum Norimbergense ZWELFERI, cum dimidio Emplastri diasulphuris RULANDI misceri & applicari possunt.

In specie *ulcera penis* si fuerint externa, abluuntur cum decocto scabiosæ, marrubii, saponariæ, ligni guajaci, plantaginis, &c. in quibus aliquantum sacchari Saturni & mercurii dulcis potest dissolvi; aut *decocti calcis vivæ* ℔ j cum ʒ j. *mercurii dulcis* exhibeatur externè. Si sordida fuerint, unguentum Ægyptiacum, aut unguentum ex mercurio sublimato SENNERTI *l. a. pag.* 212., aut linimentum ex pulvere sabinæ, croco metallorum, & butyro recenti HORSTII *l.* 4. *obs.* 54. *pag.* 257. adhiberi potest. Pro consolidatione verò decoctum lignorum cum saccharo saturni cum linteis applicatum convenit. Si verò sint ulcera interna intra glandem quidem & præputium tumefactum & constrictum, injectio ex iisdem fiat, & hinc cum filamentis carptis, unguento debito imbutis, cum stilo loco affecto auxilium applicandum.

Si *ulcera* sint *in ipso membro*, aut *glandis molliorem substantiam occupant*, aut meatum urinarum affligunt, utroque in loco difficilis perquàm sunt consolidationis: sed in specie ex posteriore periculum est, ne succrescat caruncula, quę meatum oppleat. Injectiones cum prædictis similes fiant, aut candela cerea, unguento suprà citato illinenda, meatui immittenda est. Si enim postmodùm ex meatu extrahatur candela, facilè lues, ubi sit in membro exulceratio, ex puris in candela vestigio, observari poterit.

Quod si in utero, nempe *in vagina ejus sint ulcera* talia, injiciantur decocta lignorum, aut aqua calcis vivæ cum plantis vulnerariis ebullita & injecta, in quibus parum aluminis solutum sit; hinc cum digito aut pesso immittantur unguenta aut emplastra appropriata, linteo inducta, & ita relinquantur: v. g. præter illa, quæ supra in genere allegata fuerunt,

℞. *Unguenti albi camphor.* ℥ ß.
Mercur. dulc. drach. j.
M. D. S.
Unguentum purificans.

Oris ulcera præ aliis curatu difficilia sunt, quia ex continuo salivæ affluxu copiosas sordes generant, & loca glandulosa afficiunt, in quibus etiam ordinariò ulcera sunt graviora. Curantur per gargarisationem ex decocto sarsæparillæ, corticis guajaci, foliorum plantaginis, scab osæ, rosarum rubrarum, veronicæ, &c. cum melle rosato & pauco aluminis: v. g.

℞. *Herb. plantag.*
Prunell.
Scabios. ana M. j.
Flor. rosar. rub. p. ij.
Rad. sarsæp. ℥ j.
Ligni guajaci,
Santali rubri ana drach. vj.
Sem. sumach. ℥ ß.
Coqu. in s. q. *Aquæ hordei:*
Colaturæ ℔ iiß. adde
Syr. de ros. siccis,
Dia-mor. ana ℥ iß. vel ℥ ij.
M. D. S.
Gargarisma purificans.

Hoc decoctum, si ulcus ponè palatum, aut in superiore ejus parte existat, per nares injiciatur; ita tamen, ut æger pro tussi & vomitu vitando os aquâ repletum teneat.

Imprimis, si ulcera sordidiora, convenit illis viride æris; unde v. g. unguentum Ægyptiacum cum melle rosato applicatum confert; vel hoc HORSTII *lib.* a. *obs.* 4.

℞. *Mell. rosat.* ℥ ij.
Rob. diamor.
Nuc. ana unc. j.
Unguent. Ægypt. drach. iij.
Misceantur.

Vel aquæ virides sic dictæ, quales e. g. describit HARTMANNUS *l. a. cap.* 52. §. 4. & 5., cum penicillo subindè applicatæ conferunt: item mel rosatum cum spiritu vitrioli acidulatum applicari potest: videatur RIVERIUS *Cent.* 1. *Observ.* 95.: Aut solutione mercurii sublimati & aluminis, aut solutione illâ solari, quam SENNERTUS commendat, contingantur: Aut

℞. *Sali ammoniaci*
Spiritus vitrioli an. unc. ß.
Aquę Regię unc. i ß.
Misceantur.

Quo ipso ulcus venereum ingens in palato juxta uvulam contactum, successivè curatum fuit.

Quidam butyrum antimonii cum gossypio ulceri applicant.

Caven-

8 Cavendum tamen, ne causticorum horum aliquid deutiatur.

Narium ulcera per similia curantur, sub forma pulverum aut Injectionum; quæ tamen, quia mucum exsiccatum, aut simul crustam junctam habeat, in principio emollientibus sunt tractanda: e. g.

℞. *Hord. mund.* M j.
Rad. alth. drach. vj. vel unc. j.
Liquirit. unc. ß.
Sem. cydon. drach. ij.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.*
Colaturæ ℔ j. adde
Olei amygd. dulc. unc. iß.
M. pro Injectione.
D. S.
Injectio emolliens.

Hinc crustâ remotâ injiciatur sequens:

℞. *Rad. sarsap.* unc. i ß.
Infund. per noctem in *aqua plantag.* vel *aqua ferrar.*, mane coquatur; in fine coctionis adde
Herb. agrimon.
Salviæ,
Plantag. ana M. j.
Flor. rosar. rubr.
Balaust. ana p. ij.
Colaturæ ℔ j. adde
Alum. crud. drach. i ß.
M. S.
Aqua mundificans injicienda.

Aut

℞. *Succ. beton.*
Scroph. maj.
Pimpinell.
Plantag. ana unc. jv.
Mell. rosat. unc. jv.
Coqu. ad consistent. Linimenti, cui adde
Aquæ calcis vivæ part. jv.
Misc. & injiciatur.

Omnia hæc ulcera hactenus enarrata sponte consanescunt, sicuti alia quælibet symptomata venerea sub litu Mercuriali per salivationem: Nec metuenda hæc ipsa in oris ulceribus; nam & hujus ope ea ipsa citiùs sanantur: Conf ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Admir. Observ.* 78.

VIII. FISSURÆ MANUUM ac PEDUM.

Fissuræ seu Rhagades manuum ac pedum abluantur decocto calcis vivæ, cum Mercurio dulci impragnato, præprimis si simul aliquid ligni guajaci, ejusque corticis, radicis chinæ, sarsæparillæ, herba scabiosæ, &c. decoquatur. Si callositas aliqua simul subsit, emollientia, v. g. radix althææ, malvæ, cucumeris agrestis, &c. addantur. Post quorum usum applicetur iisdem unguentum enulatum cum mercurii sublimati pauco; vel butyrum, pinguedo porcina, anserina, gallinacea, &c. cum oleo tartari per deliq. aut arcano corallino, aut cremore calcis vivæ, &c. prodest; vel denique unguentum diapompholygos cum pauco mercurii præcipitati, item unguentum Renovativum WEDELII; vid. *Tract. de Comp. Medicam. pag.* 187.

Vel

℞. *Unguent. enulat.* ℥iß.
Mercurii dul. ʒ j.
Olei tartari per deliq. ʒ ij.
M. D. S.
Unguentum purificans.

IX. CARIES OSSIUM.

Caries ossium difficillima est curatu, cujus ratio ex SYLVIO *de Lue Venerea* §. 364. petatur, sine cujus tamen remotione impossibile est vel curare luem, vel consolidare ulcera sine recidivæ continuo superventu. In *cura* hujus, quidquid ossis cariosum ac corruptum fuerit, maturè removendum, nisi vicinam quoque partem successivè infici velimus: Ergò ossi carioso nudato applicandum oleum destillatum ligni guajaci cum oleo destillato caryophyllorum vel inspergatur tutia præparata, pulvis ceruffæ, lithargyrii, radicis ireos Florentinæ, pulvis euphorbii, &c. quibus potentiora observantur salia fixa & volatilia, item aqua divina Fernelii: sed omnium optimum est vel ferramento debito radere cariem ossis, si levior fuerit, eamque ita removere; vel si profundior fuerit, ferramento ignito aut hinc inde perforare, aut totum os cariosum probè urere, & hinc spiritum vini largiter irrorare, ut ita promoveatur separatio mortui seu cariosi à vivo. Quod si hoc modo fieri nequeat, malum ceu immedicabile existimandum, & quod ægrum vel ad mortem usque comitabitur.

Quia verò, inter reliqua, *palati ossa frequenter carie erodantur*, necessarium erit, aut locum laminâ argenteâ, vel ex auro confectâ, tegere, aut ulcus pastâ quadam, quæ in laminas redigi, ac parti affectæ recenter applicari debet, consolidare: v. g.

℞. *Mastich* ℥ j.
Olibani,
Sandarac.
Sangv. Dracon.
Myrrh. el.
Ras. ligni guaj.
Succini,
Rad. ireos Florent.
Cornu Cervi usti præp ana ʒ j.

Ex subtilissimè pulverisatis, cum s. q. *mucilag. tragacanthæ* in mortario calido f. Pasta in lamellas redigenda, & ad formam ulceris extendenda.

Huic, si caries nondum planè extincta, appropriata admisceri possunt: v. g.

℞. *Pastæ jam prescr.* ℥ j.
Pulv. rad. aristol. rot. ʒ j.
Gentianæ rubræ,
Euphorb. ana ʒ ß.
Caryoph. ℈ j.
Cum pauco *terebinthinæ* misc. pro usu jam dicto.

Sin verò ulcus planè non occludere liceat, laminâ, ex lunâ vel sole confectâ, & spongiolis instructâ, illud obturetur.

X. DOLORES.

Dolorum cura primaria consistit in ipsius luis remotione universali: Interim pro his in specie internè sarsæparillæ decoctum laudari solet; papaverinis vespertino tempore ante dolorum recrudescentiam non omissis. Externè optima sunt primò quidem Fomenta ex ligno guajaci, juniperi & hujus baccis, radice sarsæparillæ, foliis pulegii, salviæ, rorismarini cum perlicaria; hinc Inunctiones cum oleo scorpionum, viperarum, præsertim lumbricorum, & ranarum viridium cum pinguedine humana: hinc Theriaca, vel sola, vel cum addito oleo guajacino, prodest *ad dolores tibiarum*, usitata AMATO LUSITANO *C.* 5. *Curat.* 72. Aut recipiatur spiritus vini seu spiritus *lumbricorum*, in quo aliquid *croci* & *opii* dissolutum, & cum linteis applicetur.

Item

℞. *Pingued. hum.* ℥ ij.
Olei scorpion. ℥ j.
Petræ albi,
Spicæ ana ʒ iß. vel ʒ ij.
Destillat. ligni guajac. ʒ j.
Rorismar.
Salv. ana ʒ ß.
Opii cum vino sol. ʒ j.
M. D. S.
Unguentum leniens.

Sed rarum est, quod his remediis cedat dolor, nisi curâ universalis perfecta jam præcesserit, & saltem vestigia quædam læsionis à malignitate venerea relicta adhuc eosdem foveant in partibus, quæ his & similibus removeri possunt. Non enim novum est, quod perfectè curatâ lue, & omnibus ferè remotis symptomatis, nihilominus tam en quædam adhuc eorum supersint, pro quibus tamen removendi non statim nova cura repetenda: Conferatur RIVERIUS *Observ.* 16. *communicata à* POMARET. Speciatim ergò unguenta & emplastra Mercurialia appropriata pro his doloribus sunt remedia: hinc ceratum de ranis Vigonis cum Mercurio convenit, imprimis ad cephalalgiam; item nervinum cum illo Vigonis mistum: e g.

℞. *Empl.*

℞. *Empl. de ranis cum quadruplo mercurii* ℥iß.
Olei express. nuc. moscb.
Opii cum acet. sol. ana ℥ß.
Succi Nicot. inspiss.
Cinnab. vulg. ana ℥j.
Croci ʒvj.
Cum s. q. *terebinthinæ* misc. in emplastrum.
D. S.
Emplastrum leniens.
℞. *Emplastr. de ranis cum mercurio* ℥j.
Polychresti Ludov. ʒiij.
Malax. cum q. s. *olei destillat. ligni sancti.*
D. S.
Emplastrum resolvens.
Vel
℞. *Unguent. aur. officin.* unc. i ß.
Extracti vel succi inspiss. Nicotian. unc. j.
Mercurii sublimati ʒiij.
f. Mixtura.

Applicetur parti dolenti.

Quod si dolor evanuerit, sed aliqualis tumor supersit, recipiatur Butyrum insulsum, liquescat cum vino, & blandè ebulliat ad vini absumptionem; in hoc madescant lintea, & imponantur, discutiet brevi tumorem.

Emplastro huic, si in capite usurpandum sit, addendum venit Balsamum Peruvianum.

XI. GUMMATA seu TOPHI.

Gummata & Topbi, qui sunt tumores duri, tactui renitentes, in ossium medio enati, & iis immediatè incumbentes, duplicis observantur gradus: vel *recentiores* sunt, ossa superficietenus afficientes, adeoque tractabiliores; vel *inveterati*, adeoque magis coagulati, & parti, cui insident, incamerati suntque vel *indolentes*, vel subinde miserè *dolentes*, qui dolor secundùm membranarum, periostiorum nempe, ductum subinde longiùs diffunditur, ac totam partem occupat, noctu imprimis molestissimus fereìn tolerabilis ostocopus, *ac si malleo ossa contunderentur*; unde tandem partes molles subjacentes & ossa subjecta eroduntur & cariosa redduntur.

Ex acido maligno venereo originem ducunt, quod aggreditur partes nerveas, in specie ossa, in quibus se firmiùs implantat, eorum alimentum corrumpit, quod corruptum acore inquinatur, successivè in medio ossium coacervatur, & porrò coagulando in ista gummata induratur, donec acidum vicina loca erodendo ulcera pessima excitet.

Recentes, aut saltem minùs inveterati si fuerint, adeoque nondum ossa & partes molles infecerint, prosunt sudorifera ex lignis aliaque lui venereæ appropriata; in graviori salivatio Mercurialis; quibus etiam semper viperina & antimonialia fixa remedia sunt intermiscenda.

Præter interna, gummatibus emollientibus & resolventibus potentioribus, speciatim tamen Mercurialibus additis, curandi veniunt: emplastrum diachylon simplex, item cum gummatibus, & emplastrum diaphoreticum Mynsichtii, in specie oleo destillato ligni guajaci malaxata; quod oleum cariem conservat & curat: quibus tamen semper Mercurius cum terebinthina subacta mistus fuerit, tanquam specificum alexipharmacum: item sæpiùs allegatum emplastrum Vigonis de ranis cum mercurii duplicata, triplicata vel quadruplicata hujus dosi, ex PLATERI *Observationibus pag.* 728., cùm oleo guajaci malaxatum; vel emplastrum SENNERTI *de Lue Venerea pag.* 215; aut poterit Mercurius præcipitatus cum axungia saltem porcina & cera in cerotum redigi: quibus addere convenit gummata aromatica emollientia & resolventia communiter dicta. Quidam ceu cerotum summè probatum ad tophos venereos dissolvendos commendant:

℞. *Gum. ammoniaci cum aceto destillat. acerr. sol.* ℔j.
Pulv. rad. bryon.
Aristol. ana unc. ij.
Turpetbi min. unc. i ß.
Ceræ albæ unc. ij.
Butyri rec. q. s.
Fiat Cerotum.

Interdum in summa dolorum vehementia Theriaca admisceri potest.

Alii sequenti feliciter utuntur:

℞. *Emplastr. diachylon cum gumm.*
Olei olivar. ana ℥jv.
Ceræ novæ ℥j
Piperis nigri ℥ß.
Salis commun. ʒij.
Cantharid. ʒj.
sem. sinapi ℈j.
Mell. insp. ℈ij.

Pulverisanda pulverisentur, hinc liquefactâ *cerâ* cum *emplastro diachylon* in oleo, & ubi medium refrixerint, reliqua extractè incorporentur.

Usus tempore tumori applicetur sindon subtilissimus, supra quem cerotum applicetur, benè ligetur, quorum quotidie bis mutetur sindon, qui semper erit humidus, & ita pauco tempore extrahetur tumor sine cutis vel carnis læsione.

Adhiberi etiam potest unguentum HARTMANNI ex *ungu. aur. officin.* part. iij. cum mercurii sublimati part. j., in *Praxi Chymiatica* §. 21. & WIESEMANNI *de Lue Venerea pag.* 20., utpote quod per aliquot dies noctesque linteo inductum, ac parti affectæ, quam priùs vino rubro lavare decet, applicatum, tophos tollit. Quod si autem tumores ac dolores ab usu hujus medicaminis cessavint, pars affecta butyro non salito, & in vino rubro loto aliquandiu foveatur pro reliquiis absumendis: vel fiat emplastrum cum mercurio vivo & opio, ad imitationem BARBETTE *Anat. Pract. P.* 1. *cap.* 3.: vel miscendum est oleum terebinthinæ cum oleo destillato guajaci, cui addendum est opii q. s. pro doloribus nonnihil leniendis, unà cum Mercurio vivo, & instar linimenti illinendum gummatibus dolorosis. Optimè enim convenit in tumoribus sanguineis opium, dolorem sistit, & simul resolvit. Vel recipiatur *emplastrum de hyoscyamo Ludovici*, misceatur cum *mercurio*, *pinguedine* subacto. Item emplastrum, quod Patavii in usu est, cujus descriptionem videb. in *Collegio Pharmaceut. in Ludovici Pharmaciam*. Lamina quoque saturni cum mercurio illita applicetur, si scilicet adhuc sunt in principio; vel etiam Mercurius à Saturni fumo coagulatus extendatur in bracteam, & ita applicetur; qualis mercurius saturninus præter tophos etiam ad ulcera cancrosa aliaque similia adhiberi potest.

℞. *Saturni* ℔j.
Dissolve in cratero, & liquefactum ab igne remove, & subitò *palum ferreum* in medium saturni immitte, donec incipiat concrescere saturnus: Hinc in ferri vestigium immitte
Mercurii vivi ℥j.
Unde congelascere videbis: Congelatum cultello separa, & ex oleo communi ad ignem eoque, donec oleum conflagrarit, idque ter repete, & mercurius reddetur malleo sequax: Duc in laminas, plagæ vel topho imponendas.

Ad ℥j. mercurii requiritur ℔j. olei.

Forsan quoque hic non inutile erit emplastrum Saturninum *Clossæi*, quod describit SCHROEDERUS *in Pharm. lib.* 2. *cap.* 53. *ubi de emplastris no.* 12 *pag.* 198., & emplastrum ad tophos & gummata venerea *Clossæi no.* 19. *pag.* 201., in quo, loco cinnabaris Mercurius vivus admiscendus.

Si his non cedant *Exostoses*, hæ vesicatorio admoto tractari, & istud aliquoties repeti poterit, ad imitationem RIVERII *Cent.* 4. *Observ.* 22. & 29. Sed in casu posteriore, si inveterati magis sint tophi isti, & viscidiore ex coagulo cōcentrati, adeoque ipsa ossa profundiùs, plus minus tamen, infecerint, necesse est, aperiatur tumor, tùm per caustica potentialia, tum actualia immisericorditer premendo ignem, ut loquitur ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Admir. observ.* 130.: Aperti quovis modo diu aperti servandi sunt, ut ichori maligno & exitus fiat, & os subjectum patefiat, quò huic in tempore mederi queamus: Conf. BOTALLUS *de Lue Venerea cap.* 15. item FALLOPIUS *de Lue Venerea pag.* 95. Sed summa habenda est ratio musculorum atque tendinum in curibus, ne hi lædantur. Quod si verò hæce modis tractari nequeant, sed, præmissâ licet curâ universali, etiam salivatoriâ, obstinatè persistant, præsertim dolorosi,

Fonti-

Fonticuli inregione iis superiori excitandi sunt; his enim liberè fluentibus hoc habetur commodi, quod dolor mitior nonnihil fiat, & ipsi nodi sensim tractab liores fiant, ita ut post aliquod tempus vel emplastro diachylo simplici plus minus cedant & evanescant.

Internè, præter generalem curam, radix sarsaparillæ in specie laudatur ejusque decoctum pro absumendis hujusmodi tophis.

XII. ATROPHIA.

Tabes & Atrophia Lui Veneræ superveniens præter universalem curam, aut si hæc locum minus habeat, levatur imprimis decocto radicis chinæ cum passulis, vel decocto sarsæparillæ à SEPTALIO incautioribus Medicis adeò laudato, & quod etiam laudatur à SENNERTO *lib. 6. Præf. ubi de Lue Venerea pag.* 218.

XIII. SCABIES, SERPIGINES, LICHENES.

Scabies, Serpigines & Lichenes Gallici removentur cum axungia porcina, cum oleo tartari per deliqu. in unguenti consistentiam redacta. Quod si debilius fuerit, oleum vitrioli addatur.

Vel

℞. *Aquæ persicar.* aut *plantag.* ℔iß.
in quibus solve
Mercurii sublimati ℥iij. ad ℥ß.
D. S.
Aqua mundificans.

Hoc ipso liquore subinde blandè cum pluma illinantur dicta mala. Valet etiam ad mariscas; item *condylomata in locis obscænis.*

XIV. AURIUM TINNITUS.

Aurium Tinnitus Symptoma pertinacissimum est; ejus tamen remedia observanda sequentia:

℞. *Ligni sassafr.*
Flor lavend. ana ℥j.
Cort. lign. sanct.
Castor. ana ℥ß.
Caryophyll. ℈j.
Spiritus vini, vel *tinct. væ tartari* ℥iij. vel ℥ij.

Digere per dies aliquot, & essentia filtrata tepidè cum bombace indatur:

D. S.
Essentia ad aures.

Eundem in finem SEPTALIUS commendat urinam asini, in qua per noctem aliquid ligni guajaci, castorii, & menthastri infusum.

XV. CEPHALALGIA.

Dolor tandem capitis iisdem mitigari solet, quæ superiùs de doloribus artuum dicta; potissimùm tamen laudatur emplastrum de ranis cum Mercurio Vigonis; aut quod PLATERUS *Observat. pag.* 723. describit, potissimùm si aliquid castorii & opii ipsis addatur, vel laudanum opiatum simul cum aliis appropriatis internè propinetur. Hinc in casibus pertinacioribus trepanationem adhibere convenit, ut exemplo comprobat AMATUS LUSITANUS *C. 1. Curat.* 4. & FORESTUS *lib.* 32. *observ.* 23. *in Schol.*, si scilicet virulentiam veneream maximam partem extinctam esse ex aliorum symptomatum cessatione constet.

Hæc igitur de Lue Venerea, ejusque symptomatibus curandis sufficiant.

Cæterum jam supra dictum, quod detur etiam *Cachexia scorbutica & hypochondriaca*, unde non inconveniens esse duxi, ut huic Cachexiarum tractationi etiam affectus hos duos complicatissimos annectamus, & insimul symptomatum horum curationem absolvamus. Pergo propterea ad

ARTICULUM VI.

DE

MALO HYPOCHONDRIACO,

et ejus summo gradu

SCORBUTO.

MAlum hypochondriacum utut sit Cachexia communissima in nostris Regionibus propter multorum diversorum ac diversimodè complicatorum symptomatum syndromen, proprio tamen nomine caret, adeoque mali hypochondriaci nomine innuitur affectus, ratione multorum symptomatum diversimodè complicatus, ex cruditate acida plus minus viscida in primis viis natus; cujus superior & quasi eminentior gradus vocari solet *Scorbutus*. Quoniam verò symptomata frequentissima, quibus hoc malum vexare solet ægros, in specie partim circa regionem hypochondriorum utramque & in regione hypochondriaca imprimis percipiuntur, partim quod causa in hypochondriis videatur stabulari, propterea in specie isto nomine appellatur: ab aliis *malum flatulentum*; sicut Chymicis causam morbificam nonnihil respicientibus simul *tartarus hypochondriorum* vocari solet. Germanis ut plurimum *lienis gravamen* dicitur, interdum etiam *oppilatio fibrarum*, utut sæpissimè lien innoxius deprehendatur; vasorum verò mesaraicorum obstructio causa saltem palliativa sit. Perfectior gradus, ut dixi, & consequens affectus hypochondriaci, scorbuti nomine venit, appellatione originaliter Germanicâ inferioris Saxoniæ; quæ tamen in forum Medicum translata, & ita retenta fuit & ob id imprimis hæc vox scorbuti est recepta, quia adhuc multi admodum Autores inter se digladiantur, an morbus hic etiam veteribus fuerit cognitus? Ratio dubitandi est, quod videatur novus morbus, sicut & malum hypochondriacum. Nihilominus tamen multi eum ab HIPPOCRATE *lib. de affect. intern.* sub nomine *lienis magni* exactè descriptum esse asserunt; Alii stomachacem & scelotyrbem PLINII eum existimant, qui affectus PLINII ætate in exercitu Imperatoris Germaniæ plurimum grassatus fuerit. Sed lis hæc est admodum inanis, cùm parum referat, an veteribus fuerit cognitus scorbutus, an secus? Arbitror tamen, eundem omninò iisdem fuisse admodum cognitum, utut non adeo clarè, quin locis septentrionalibus quasi proprius videatur, nec adeo atrocibus stipatus fuerit symptomatibus. Nam sicut crescentibus delictis crescunt pœnæ; sic etiam crescentibus luxuriæ & diætæ erroribus quid, mirum, atrociore furore etiam nos aggredi morbos, veteribus non adeo graves, ita ut nec eorum descriptiones tanquam nonnihil mitiores exactè cum nostris conveniant. HIPPOCRATES clima subtilius habuit, propterea scorbutum non tam exactè cognovit.

PARS AFFECTA MALI HYPOCHONDRIACI.

Malum ergò hypochondriacum & ejus non degener filius scorbutus, cum ex varia ista symptomatum complicatione, ut dixi suprà, adeoque mirabilis & variabilis sit affectus, ita ut tantùm non omnes actiones diversimode pro subjectorum varietate lædantur; propterea factum est, ut tot diversæ sententiæ & litigationes de Loco & Causa in malo hypochondriaco primariò affecto, seu de radicali foco ipsius morbi, exortæ fuerint. Hinc alii nullam determinatam partem in malo hypochondriaco affici, sed vagum esse, existimant; quod tamen non est: alii vasa mesaraica obstructa primarium esse focum: alii intemperiem siccam & calidam *stomachi*: alii intemperiem intestinorum calidam & siccam: alii lienem vitiatum, ejusque aut intemperiem aut obstructionem esse nidum hypochondriaci mali, & hinc dependentis scorbuti, asserunt. Præ cæteris phantasiæ mirè indulgent ii, qui spatium istud vacuum inter stomachum & diaphragma, hepar & splenem, putantà refertum pro sede primaria mali hypochondriaci aut saltem pro nido, sub tot stabulantur flatulentiæ, existimant. Hos inter fuit imprimis HENRICUS LEVI-

LEVINUS FISCHERUS, qui edidit peculiarem *Tractatum de Loco & Foco mali hypochondriaci*: Nam permotus *Aphorismo* HIPPOCRATIS 54. S. 7. statuit foveam seu *cavitatem* istam juxta stomachum sub diaphragmate inter stomachum & inter lienem esse focum, quæ cavitas multis adimpleatur subinde fœditatibus, sive promanent ab hepate sive à liene, sive ab alio abdominis viscere: Unde etiam in isto loco imprimis symptomata à flatulentiis orta, item rugitus & murmura ac similia soleant percipi. Hinc etiam ex ejusdem hypothesi asserta veram mali hypochondriaci curam in diureticorum legitimo usu consistere ait. Verùm consideratis vel obiter variis mali hypochondriaci symptomatibus, sponte suâ hæc opinio vacillare & corruere videtur. Quomodo enim tam pertinaciter istæ sordes in eodem cavo hærere, totum corpus afficere, & diversimode excruciare valeant? vid. etiam SENNERTUS *lib. 3. Prax. de malo hypoch. pag. 518. & 520.*, qui etiam huc inclinat. Sed miror in re adeo clara tam varios esse authores! Ratio, quod tam in varias sententias delapsi sint, videtur, quod non observent *differentiam* inter *partem affectam* ratione causæ radicalis, & *partem affectam* ratione symptomatum: Nam qui unquam *malum hypochondriacum*, vel *incipiens* vel *confirmatum*, examinaverit, ejusdem nexum symptomatum consideraverit; aut qui aliquando curationi cujusdam hypochondriaci præfuerit, tantum non manu palpare potest, radicem morbi veram & unicam hærere semper in stomacho, & quidem in vitio ejusdem fermenti, non ritè scilicet digerentis alimenta; Unde, ex læsa digestione & inde nata cruditate acido-pituitosâ & Chylus, & Massa Sanguinea, & lympha, & speciatim bilis, & consequenter reliqui etiam corporis machinam regentes humores, cum spiritibus vitiantur plus minus & depravantur, & sic demum totum illud, quod malum hypochondriacum vocamus, oritur. Quam ipsam de foco hujus mali sententiam primariò defendit acriter GALENUS *lib. 3. de loc. affect. cap. 7.* ex DIOCLE, HOECHSTEDTERUS *in tota Decade 5. observationum*, in specie *observat. 1. & 2.*, & SYLVIUS *lib. 4. Prax. Append. Tr. 7.* Id quod etiam *Highmorus in Tr. de malo hypochondriaco & Passione hysterica* similiter statuit, quod etiam primariò afficiatur stomachus, utut aliis principiis suam opinionem superstruat; Uti etiam LINDANUS *super Hartmannum*, qui disertis verbis dicit: *Primariò peccat ventriculi cruditas acida, à qua originem suam habet & malum hypochondriacum, & huic superveniens melancholia hypochondriaca, quæ passiones nunquam oriuntur, quin præcesserit prius talis stomachi cruditas.* Id quod similiter de scorbuto verum est, qui tamen præter radicem istam primariò suam noxam in sanguine & specialiter in lympha vitiata explicat. Rancescit nempe quasi acidum in corpore, uti in vino; unde sæpe vermiculi in maculis scorbuticis, uti vult LANGIUS & HAUPTMANNUS, reperiuntur.

Sed hæc ut pateant clariùs, saltem consideremus *symptomata*, quorum nunc plurium, nunc pauciorum syndrome malum hoc constituit. Symptomata hæc utut varient & ferè infinita sint, & quibus ceu signis ejusdem præsentia dignoscitur, sunt sequentia. In omnibus hypochondriacis primariò male se habet stomachus, *Apepsiâ* subinde laborant, utut frequentiùs in morbi progressu, non semper, avide tales ægri appetant & comendant, interdum nimiâ & *caninâ* quasi *appetentiâ* laborent: Tales aliquot horis post comestionem subitò dolores stomachi compressivos gravissimos convulsivos percipiunt. Hypochondriaci ergo & nimio acido laborantes semper instante & adhuc urgente appetitu prandium debent finire: Germani dicũt: *Wennes am besten schmecket, soll man aufhören &c.* *Apetunt acida*, quæ tamen assumta insigniter eos lædunt: stomachi, tam vacui quàm repleti, frequentes inflationes adsunt: tam sub jejunio, quàm præsertim ab omni pastu frequenter *eructare* solent: *Ructus*, qui erumpunt, dum sunt jejuni, sunt *acidi*; dum verò saturati, nunc sunt acidi, qui meliores, nunc *insipidi*, qui deteriores: Hinc abdomen sæpe post assumta alimenta inflatur & ab his flatibus præter vagũ intumescentiam abdominis, murmura, borborygmi & variæ agitationes frequentissimè sentiuntur in eodem, & in omnibus his copiosissimus nec unquam deficiens *flatuum* adest proventus, quorum activitas in specie hypochondria, præsertim sinistrum, affligit; ibi enim facilè compressione manus subsultuum sensus & *fluctuationes* crebriùs recurrentes, & *murmurationes* percipiuntur, ex flatibus in colo, ibidem locorum partim angustato, partim incurvato conclusis; ubi ex situ coli simul dolorificæ lancinationes, distensiones & punctiones admodum molestæ, lieni equidem vulgò, sed falsò adscriptæ, persæpè sentiuntur, quibusdam & *fluctuationes* in cavo abdominis, in mesenterio & similibus locis se conjungunt. Accedit utplurimum *alvi* pertinax obstructio, ita ut inter 100. hypochondriacos vix duobus aut tribus alvus quotidiè respondeat; quin intra quatriduum aut triduum aut biduum demũ; aut stimulo quodã irritata alvus, aut sponte, interdum suum officium facit, in quo ipso tandem dura, pauca, eaque interrupta, *globulorum formâ*, nigra subinde & non absque insigni conatu, interdum etiam non absque dolore, excernuntur. Et quidem hypochondriaci in hoc malo *fortioribus purgantibus* parum aut nihil evacuare solent, cum è contra blandiora *laxantia*, *emollientia*, *passulata*, *prunata*, & similia tales solent satis copiosè, respectivè tamen, evacuare; si verò fortiùs purgentur, semper læduntur. Sin forsan talibus ægris *vomitus* contingat, qui non sunt rari, vel sponte vel arte, rejiciuntur ut plurimum aut aquosa, aut sæpissime plus minus viscida *pituitosa*, sed semper plus minus *acida*; ita ut etiam dentibus subinde stuporem inferant & vasa orichalcea in æruginem corrodant, nisi interdum sub fortiore conatu aliquid de bile ex folliculo felleo se admisceat, ut excreta porracea & æruginosa compareant, & aliqualem amarorem gustui repræsentent. Interdum etiam *cardialgiæ* & *ventriculi* adsunt *dolores* quidam, qui frequentissimè ad regionem spinæ dorsi usque se extendunt juxta situm gulæ, ubi nempe est orificium stomachi sinistrum, & ignaris subinde pro nephriticis doloribus imponunt: Et sæpius hi ipsi post cibos ingestos se exerunt, idque pertinaciter subinde, ut etiam vix nisi post ingestorum vomitum remittant; interdum enim conqueruntur: *premi circa præcordia*; malum scilicet hoc semper esse ex stomacho. Observavi quosdam ægros in hoc affectu de dolore compressivo in loco colli anteriori conquerentes, qui revera ex stomacho ratione gulæ, & hujus spasmo & constrictione circa laryngem, originem duxit: *Phlogoses* & *æstuationes* hypochondriorum, hinc rubor malarum & faciei, item calores vagi, modò remittentes modò accedentes, è primariis nempe signis præsertim dimidiâ à pastu horâ, vel etiam dum adhuc assident mensæ, sunt frequentes; hinc malæ insigniter rubent, qualis rubor interdum etiam ex unico vini haustu similive minus congruo assumpto, supervenit; quod est signum ex primis viis originem esse mali hypochondriaci. *Dolores abdominis lancinantes cum contorsionis sensu*, seu colici & iliaci sunt frequentissimi, iique sæpius acerbissimi, in quibus interdum abdomen contrahi & umbilicus interiora versus velut revelii solet; ut plurimum quidem sunt convulsivi, & oriuntur à spamis intestinorum: præter hos subinde etiam *iliacos & colicos convulsivos dolores* patiuntur, interdum dolores terebrantes, nunc in sinistro, nunc, quod rariùs, in dextro latere, qui sunt sæpius à pituita, ut vocant, vitrea, vel à muco acido viscido in celullis coli sub hypochondrio sinistro, ubi incurvatur, & dextro, ubi etiam angulum facit; unde hi dolores subinde nunc *vomitum*, nunc *dolores iliacos convulsivos*, per consensum faciunt *Anxietates mentisque perturbationes* citra manifestam causam; *palpitationes cordis* graves, frequenter & subinde per paroxysmos, hypochondriacos affligunt: Non secus ac difficiles respirationes imprimis à pastu, quarum subinde observatur differentia triplex.

1. *Cum rejectione viscidorum*, & est asthma stomachale humidum, quod nunc observatur in hypochondriacis, nunc etiam in scorbuticis, *ab omni cœna*, dum conqueruntur de difficili anhelitu, ubi vitium est in stomacho à digestione vitiata: quando autem ægri tales *matutino tempore* patiuntur *halitum* nonnihil *difficilem*, ita tamen ut simul *expuant copiosa viscida*, mucosa, tenacia, fit hoc ex vitio digestionis primæ & remanentiis crudis à cœna vespertina: & frequentissimè quidem.

2. *Tensione hypochondriorum*, qua imprimis difficulter respi-

respirant, partim propter impeditum diaphragmatis deorsum versus motum, partim propter tensionem in regione hypochondriorum, qua thoracis debita circa costas nothas impeditur dilatatio: Hinc quando volunt respirare, impedimentum & *dolorem* insignem gravativum & *tensivum* percipiunt in abdomine & circa hypochondria, quæ ipsis quasi cingulo abdomen circa hypochondria cinctum videtur; idque imprimis nocturno tempore, quatenus supini jacentes dormiunt, & hinc ita evigilant, estque à spasmo membranatum in dictis locis. Interrogati enim, ubi sit hoc impedimentum, quod respirationem impediat, dicunt: *Se coarctari*; monstrantes regionem diaphragmatis.

3. Cum respiratione depravata decumbunt ex *asthmate sicco convulsivo*, quod vitio diaphragmatis aut musculorum thoracis convulsivo subinde evenict. Talem enim difficultatem respirationis imprimis infert diaphragmatis impedita contractio & dorsum versus explicatio; Nam sic per consequens etiam thoracis dilatatio impeditur. Talia asthmata convulsiva, patiuntur hypochondriaci confirmati, imprimis ii, qui patiuntur *symptomata mulieribus hystericis communia*; sed rarò hoc fit.

Porrò in confirmatis hypochondriacis interdum *tumores viscerum* abdominis, imprimis lienis *duri* & *scirrhosi*, non sunt rari, qui confirmato huic malo imprimis superveniunt, sicuti etiam hepatis infarctus ejusque pertinaces scirrhi & tumores interdum superveniunt: suntque tamen revera potius productum morbosum, utut falsò à quibusdam pro causa & radice morbi habeantur. Nam & malum hypochondriacum & scorbutus infonte omnino liene aliisque hypochondriorum visceribus, observata fuerunt, teste HORSTIO *lib.* 9. *observ.* 4. *pag.*, 442. quicquid etiam in contrarium dicat VELTHUSIUS *Tract. de Liene*. Percipiunt præterea tales ægri non rarò *molestas pulsationes* in hypochondriis, uti etiam in regione dorsi, imprimis circa lumbos & regionem lumborum superiorem, è regione pancreatis, (*gegen uber*) ubi sunt dispersi rami arteriæ cæliacæ; quin etiam tales pulsationes percipiuntur interdum etiam in aliis corporis partibus, ubi aliàs nullus naturaliter sentitur pulsus, & ferè duritiem arteriæ ex strictura fibrarum convulsiva insequitur. Malo ulterius procedente *vertigines graves* frequentissimè superveniunt: *omnes ferè hypochondriaci præsertim jejuno stomacho sunt vertiginosi*, quod signum rarò fallit; uti *infrà lib.* 2. *cap.* 1. *Sect.* 3. *patebit*: quæ ipsæ vertigines saltem assumptis, v. g. panis buccellâ, brevi post denuò sistuntur.

Cephalalgiæ subinde affligunt in specie *tensivæ*, & hinc *capitis obnebulationes*, imprimis à pastu, & tandem ingenii torpor & memoriæ lapsus, uti audietis *lib.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 4. *Artic.* 1. ubi de memoria; ut hypochondriaci confirmati interdum necesse habeant, valedicere studiis; tandem interdum *memoria planè deficere incipit*. A pastu solent *esse quasi ebrii*, & facilè terrefiunt hypochondriaci; subinde *anxietates frequentes*, *gravior cordis palpitatio*, *tristitia* & *mœrores* citra manifestam causam, atque sic tandem *ipsa melancholia*, à foco *hypochondriaca* specialiter dicta, superveniunt; quam *insomnia varia* & turbulenta & terrifica aut præcedunt, aut etiam comitantur: videat. TIMÆUS *Von Guldenklee Casu* 16. *lib.* 1. *pag.* 34., ubi generosus Nobilis ultra biennium mente anxius, tristis & meticulosus sine causa fuit, cordis percepit angustias, sæpè mortem instare putavit, ac perinde lachrymabundus opem petiit, capitis dolore, vertigine, aurium tinnitu & vigiliis afflictus fuit, &c.

Pulsus sunt varii & interdum admodum inæquales, subinde intermittere videntur & in paroxysmo mali confirmati ferè omni momento mutantur. Nam ubi confirmatum fuerit hoc malum hypochondriacum utut symptomata stomachi & hypochondriorum, seu potius intestinorum, nunquam omnino remittant, tamen subinde per paroxysmos affligunt, & suas exacerbationes habent, rarius certas, frequenter vagas; ac ipsæ palpitationes & anxietates cordis & capitis, & sensuum symptomata, item dyspnœia, atrociter interdum affligunt; quin etiam interdum viri in graviori paroxysmo ea patiuntur pathemata, quæ evenire solent mulieribus hystericis: adeo *ut revera Passio hysterica mulierum sit certa quædam species Mali hypochondriaci*; & ipsi ægri dicunt, se percipere ascendere fumos ex abdomine ad cor & caput, (de quibus *infra lib.* 2. *cap.* 2. *Sect.* 3. *ubi de Epilepsia*,) item ex liene subinde ascendentes, & postmodum ita tales paroxysmos inferentes, quo ipso vulgi hypothesin de fumorum ex dictis locis adscensu non parum confirmant.

Urina Hypochondriacorum est varia: extra paroxysmum ferè sanorum est simillima; dum paroxysmus gravior urget, interdum effluit cruda & tenuis, interdum etiam turbida, *pallida*, plus minus *aquea* & crassa, sedimentum habet subinde farinæ laterum analogum, speciatim ubi jam Malum in Scorbutum degenerat; interdum *crusta salina* eidem urinæ supernatat, aut corpuscula salina lateribus vasis adhærescunt, sed ad fundum præcipitantur; interdum corpus puriforme, moto vase in liquorem lacteum dissiliens, observatur, qualem describit DRAWIZIUS *de Scorb. pag.* 376. & TIMÆUS *Von Guldenklee lib.* 3. *Cas. Med.* 48. & PLATERUS *lib.* 3. *Observ. pag.* 784., interdum in talibus deprehenditur, post nimias nempe vigilias, intensè tincta. Quod si urinæ anteà claræ & tenues usu medicamentorum fiunt crassæ & turbidæ & subnigricantes cum copioso sedimento, bonum signum est rectæ operationis medicamentorum.

Ex symptomatibus his multiformes ægrorum querelæ emergunt. Omnia tamen hæc, quorum complicatio malum hypochondriacum constituit, rarò in uno subjecto omnia existunt; quædam enim in hoc, quædam in alio subjecto se manifestant: Sufficiat nihilominus pro malo hoc determinando, si stomachi non ritè digerentis adsint signa, cum torminibus & flatibus abdominis, alvo adstricta, & hinc capitis perturbationibus: quibus tanquam primariis, si alia quædam ex recensitis accedunt, eò facilius malum determinatur, hujusque præsentia certior redditur. Exempla, quæ pro idea hujusmodi ægrorum sufficiant, vid. in HORSTIO *lib.* 4. *observat.* 27. & *seqq.* item HOECHSTEDTERO *Decad. suprà citata*.

CAUSÆ MALI HYPOCHONDRIACI.

Causa proxima horum malorum complicatorum est *stomachi cruditas acida* seu *acidum ventriculi vitiosum*, plus minus austerum, in subjecto plus minus viscido ex stomachi vitiata digestione enatum, à quo pro varietate subjectorum omnia reliqua symptomata facillimè deduci possunt, modò ea, quæ alio tempore & aliâ occasione de similibus affectibus dicta fuerunt, ruminentur: adeoque *subjectum* seu pars affecta in malo hypochondriaco (à causa quidem) seu radicationis est ventriculus, ejusque vitiata digestio prima; à morbo verò, seu inhæsionis, sunt sanguis & bilis: sed non excludendi sunt spiritus influi, præsertim in malo confirmato & inveterato, & qui ad Scorbuti naturam quasi accedit, unde etiam hæreditarium existit.

His tanquam productum morbosum superveniunt ipsarum partium corporis continentium seu solidarum multiplices alterationes: & quidem quoad has partes solidas, magis affecta sunt in malo hypochondriaco viscera abdominis, quorum consensu subinde & alia afficiuntur; unde palpitationes cordis, cephalalgiæ, vertigines, melancholiæ hypochondriacæ, &c. Scilicet jus digestionis primæ in ventriculo est universale in totum corpus, adeoque tam in theoria quàm praxi morborum maximam semper sui postulat considerationem, uti non minùs in Praxi legitima semper quoque ad eam respiciendum est: siquidem, ut sæpiùs jam dictum, omnes succorum in corpore fermentationes sunt saltem continuationes fermentationis in ventriculo inchoatæ. Hujus ergo actio, nempe digestio læsa, vitio succi ejusdē fermentativi nimis acidi nec ritè volatilis, ratione cujus avidiùs appetit quàm concoquit, est primaria causa totius mali hypochondriaci.

Ex chylo acido in primis viis *depravatur sanguinis crasis*, hinc deficit & viciatur ejus spiritualescentia seu pneumatosis; hinc hebescit bilis, *acescit* serum & *lympha*, irritaturque genus nervosum ac partes solidæ in abdomine, malè nutritur universum corpus.

Ex his quasi quinque punctis, nempe
1. Cruditate acida in primis viis,
2. Sanguinis crasi depravata,
3. Πνευματώσει deficiente,

4. *Lymphæ* aciditate & acrimonia, &
5. Bile inerte

omnes lineæ deducendæ sunt, quæ depingunt *malum hypochondriacum*, cujus centrum sit *stomachus*.

Causa ergo efficiens Mali Hypochondriaci est vitium acidi spirituosi fermentativi, vitiosè acidi, nec debitè volatilis ac spirituosi, ratione cujus avidiùs appetit quàm digerit ventriculus: quo ipso fermento assumpta quidem promptè plus minus dissolvuntur, sed eadem dissoluta minus fermentantur ac volatilisantur; unde in pastam acidam aut acido-austeram plus minus viscidam flatulentam degenerant, quæ aliàs in chylum talium volatilem transmutari debuissent; unde copiosissimi *flatus* præternaturali fermentativâ turgescentiâ erumpunt, (vid. *suprà cap.* 2. *Sect.* 5 *ubi de Inflatione stomachi*;) hinc *Ructus* acidi & stomachi Inflationes, & ex materia viscida acida ejusdem graves dolores, aut vomitus materiæ viscidæ insigniter acidæ: delapsa tandem hæc massa cruda ex stomacho, & occurrens bili in intestinis, vitiosè effervescit, undè copia flatuum. Nam, ut alibi ostensum, flatus fiunt ab acido, vitiosè in materia viscida effervescente: Et speciatim, si paulo volatilior ac spirituosior fuerit bilis, incalescentiæ seu subitaneæ phlogoses ex hypochondrio dextro subitò in totum corpus se dispergunt, (ad imitationem quasi olei vitrioli vel spiritus nitri, vini spiritui rectificato commisti) quod vulgò quidem, sed falsò, hepati calido adscribitur. Unde etiam ruit imaginaria ista ventriculi frigida & hepatis calida in affectu hypochondriaco quibusdam accusata antipraxia, cùm tamen potiùs præsens flatuum proventus continuus, & hinc multiplex intestinorum nata irritatio, continua murmura, & nunquam intermittentes borborygmi abdominis semper ex materia acida viscida oriantur. Cum verò fæces tales secretæ sint plus minus viscidæ in cellulis intestinorum, coli imprimis, hæ pertinaciùs hærent, quorum acore præternaturali pertinaces dolores, lancinationes & terebrationes, pituitæ vitreæ vulgò adscriptæ, generantur: Hinc est, quod subinde conquerantur ægri, se sentire nonnunquam infarctus in abdomine, & menstrando locum istius infarctus situm coli sub stomacho exactè delineant, (ubi scilicet colon cum ventriculo, sinistrorsum versus porrigitur:) *Quando stomachum monstrant dicentes: valdè premit, omnia sunt plena; tum stomachus laborat materia: sed cum sub stomacho premitum sentiunt, ac si lapide quodam graventur*, colon est affectum. Hæc ipsa materia viscida, simulque occultè acida, austera in cellulis coli contenta & quasi condensata alvum contumacem & difficillimæ solutionis reddit.

Hypochondriacorum excreta sunt pauca & indurata, quia coagulantur ab *acido plus minus* austero: sicut enim bilis, tanquam alcali volatile fluidas reddit fæces; ita acidum easdem coagulat, quare, quia firmiores redduntur in cellulis, diutiùs retinentur, & *segnitiem alvi* inferunt. Hinc quando ventriculus & vicinæ partes membranaceæ, qui chylo nutriri solent, acido austero succo irritantur, tunc spasmis contrahuntur, fibræque earum stringuntur, sicque tensionis & quasi infarctus sensus circa hypochondria, præsertim sub inspiratione, percipi solet. Quin & aliquorum viscerum nervi ac membranæ nunc in radice, nunc in suo progressu, præsertim mesenterii, eodem sapore malè affectæ spasmos & convulsivos motus patiuntur, per consensum aliàs cordis partes afficientes: hinc varii hypochondriorum & abdominis *dolores*, iliaci, lancinantes, & *tensivi* ægris inducuntur; sicut & palpitatio cordis non raro in hypochondriacis non tam sanguinis transvasati, quàm nervorum moventium vitio, ut plurimum nasci videtur. Et *tensiones capitis circa tempora* sunt nihil aliud, quàm spasmi membranarum in dictis locis ab acido præternaturali irritatarum.

Crudior talis chylus per intestina transcolatus, & Massæ Sanguineæ instillatus, & hujus crasin, acore suo vitioso & præternaturali in subjecto nonnihil viscido hærente inquinando, ipsam Massam Sanguineam plus minus crassam & spissam & difficulter fermentescibilem minusq; spirituascibilem reddit; Unde anxietates, *cordis palpitationes* & similia cordis pathemata derivantur à grumoso sanguine plus minus coagulato, circa auriculas in ventriculis cordis hærente; unde sanguis & spissus & crassus observari solet: Conf. SYLVIUS *Prax. lib.* 1. *cap.* 35. Sin verò sub colatura sanguinis per viscera, in specie per hepar & lien, de tali crudiore chylo sanguini infuso non-nihil in eorum porulis hæreat, irritatis fibris illorum contractura meatuum, hinc subsistentis materiæ firmior retentio, tandem à vitioso suo acido coagulatio, sicque *tumores* & *infarctus* viscerum superveniunt, & ita his denique *scirrhi* pedetentim enascuntur. Minus dum spiritualscit sanguis jam depravatus, etiam spiritus minus volatiles minusque subtiles, nec satis lucidos, minusque naturaliter temperatos, sed asperiores &, ut sic dicam, ad acetosum saporem declinantes, producet, qui facilè in motus anomalos, *unordentlich*, & exorbitantes prorumpent; adeoque stomacho affecto vertigines, item cephalalgias, &c. inferunt, donec ex dictis, *tristitia*, *mœror*, *anxietas*, cogitationes fixæ, & tandem melancholiæ symptomata superveniant.

Causa proxima ergo est acidum excessivum, minus spirituosum, quod pro ratione aciditatis infert omnia ista symptomata.

Disponunt ad hoc malum ex *Causis remotis* præter ea, quæ *suprà de Apepsia* dicta sunt, speciatim tres:

1. *Errata in victu*,
2. *Deficiens motus* corporis; & tandem
3. *Vitæ genus studiis & curis* nimis *occupatum*.

Quæ omnia disponunt ægros ad cruditates in *primis* viis.

Quoad *Diætæ Errata*: hæc vitiosum pedetentim chylum suppeditant. Nam alimenta aut nimis acida, aut fumo indurata, aut sale condita, aut difficulter digestibilia, & sale volatili destituta, &c. multùm hic conferunt: *Sale condita*, imbibetunt non parum de spiritu acido salis; *fumo indurata* de spiritu acido fuliginis multum continent. Facit huc *potus* facilè *acescens* non ritè defæcatus, vel qui ad acescentiam inclinat, isque non adeo diureticus, vel in acetum vergens, ad malum hypochondriacum disponit.

Motus, qui aliàs instar stimuli & chylosin & hæmatosin adjuvat (nempe motus naturalis) & distributiones succorum promovet, dum deficit, has omninò impedit, ad cruditatem colligendam non parum confert, & excrementorum separationes, tàm per urinam, quàm in specie per sudores, minùs promovet.

Curæ denique & *Studia*, nocturna præsertim, spiritus animales absumunt, & vires ita exhauriunt, indeque digestionem primam defectuosam, & Massam Sanguineam minus spirituosam minusque volatilem reddunt; unde inquinatus ita sanguis, & consequenter etiam lympha ipsa, tam glandularum conglobatarum, quàm etiam conglomeratarum, v. g. pancreatis, acrior & acidior reddita, successivè symptomata stomachi, abdominis & intestinorum, & tandem hoc malum infert. Hinc *lucubrationes nocturnæ* statim post cœnam notoriè ad malum hypochondriacum disponunt.

Inquinatus itaque sanguis ipsaque lympha, & consequenter reliqua corporis contenta, ipsique adeò affecti spiritus, tandem corporis habitum successivè ita immutant, ut exinde malum nascens ad gradum sublimiorem exasperatum & deductum, *Scorbutus* appelletur; qui tamen haud adeò frequens, quam vulgò haberi solet, ut optimè monet SYDENHAM *in Observat. de Morb. acut. pag.* 411., quin morbis vel minus cognitis, vel nondum sufficienter confirmatis, pallium esse soleat. De cætero rectè quidam dicunt, quod malum hypochondriacum exaltatum, & quasi malignius redditum, constituat Scorbutum, ut præterea & alias causas antecedentes agnoscat. Hunc multi, in specie PETRÆUS *in Dissertat. Harmonicis*, non ineptè inter *species Cachexiarum* referunt, dum scilicet à vitiato sanguine aut atrophia, aut cacotrophia, depravata nempe nutritio, tandem necessariò sequitur; quin tandem exaltatum, & successivè quasi volatilisatum nonnihil istud vitiosum acidum hypochondriacum in Massa Sanguinea & lympha, indeque penetrativum & fermentativum factum, tandem miasmata fermentativa & contagiosa de se spargit. Adeò ut Scorbutus confirmatus per oscula, per halitum, item per pocula communia aliaque media, uno nomine per *contagium*, *se multiplicet*, inque contagioso fomite præ cæteris efficacissima est *saliva* in Scorbuticis admodum inquinata: qualia contagia, aut cum aere inspirata, aut cum saliva hausta, fermentationem, & hinc chylosin

sin & hæmatosin, tandem inquinant, ac ita se subinde multiplicant, quin etiam Scorbuti fomes, ubi confirmatas egerit radices, seminali medio à parentibus in liberos traducitur.

Est igitur hic *peculiaris humorum dyscrasia*, *seu Cachexia*, symptomata adeò varia excitans, ut si aliquod horum infrequens cuidam obveniat, quod ad certum aliquod morbi genus referri nequit, statim Scorbuticum pronunciet: Hincque descriptione angustiore comprehendi vix potest, utut frequentissimum nostris etiam regionibus hoc Malum existat.

Symptomata Scorbutica præter ea, quæ modò de Malo hypochondriaco fuerunt explicata, ex eo imprimis oriuntur, quod (1) *fermentum scorbuticum imprimis glandulas quascunque afficere*, harumque *lympham inquinare & inficere soleat*; quodque (2) istud ipsum, prout contradistinguitur Malo hypochondriaco, in specie nervis insigniter infestum & hostile esse soleat; unde etiam Scorbuticos tam varia nervosi generis pathemata solent affligere, & quidem graviora & frequentiora, quàm Hypochondriacos.

Res ut pateat, quod inquinet glandulas, & aciditas ejus sit infesta nervis, specialiora Scorbuti symptomata consideranda sunt: Nempè percipitur lassitudo totius corporis spontanea, & ad motum nunc major nunc minor impotentia, sensus gravitatis in cruribus, ut & aliorum membrorum debilitas, & dolor obtusus; patiens inclinat ad somnolentiam, nisi adsit febris scorbutica; appetitus utplurimum est auctus, aut planè destructus, conjunctus cum nausea: semper ferè adesse solent gingivarum laxationes (nam omnia Mali hypochondriaci symptomata sunt etiam in Scorbuto) una cum vaga seu varia earundem nunc *excrescentia* & *intumescentia*, nunc exesione & *exulceratione*, item cum insequente dentium vacillatione ac erosione, atque oris fœtore, & fricatæ *gingivæ* nunc *sanguinem stillant*, eumque intensè salsum, nunc *liquamen* quoddam *serosum*; in talibus *saliva* frequenter admodum est *salsa*, interdum, imprimis matutino tempore, manifestè *acida* deprehendi solet, ut in juvene scorbutico observavi. Præterea frequentes sunt in Scorbuto *phlogoses* vel *sudores* etiam nocturni, in quibus *sudor spargit subacidum* odorem, imprimis in habitu corporis, in cruribus, in brachiis; malo procedente variæ erumpunt *maculæ*, nunc majores, magnitudine interdum thaleri (uti ipse vidi) nunc minores, *pulicum morsibus similes*, quales videntur in purpura, Germ. *das Friesel*, interdum manus superant; imò sæpè totos in artus, præprimis tibias, ita diffunduntur, ut quasi una sit macula livida, cum elephantiasis aut sphaceli metu: vid. EUGALENUS *de Scorbut. pag.* 7. Diversi sunt coloris, nunc rubicundæ, nunc flavescentes, nunc atropurpureæ, lividæ, &c. Cum quibus alternant frequenter exanthemata in artubus, eaque varia, modò lævia, protuberantia, aspera & squamosa. *Scorbutici* subinde patiuntur *corporis pruritum*, sed dum incipiunt se leviter scalpere, locus intumescendo totus insigniter rubet, sed breviori tempore evanescit; in alio loco iterum *pruritum* & talem *intumescentiam* infert, denuò tamen cessat: Rarum est, quod tumores sint constantes, & si sunt constantes, utplurimum occupant glandulas artuum, quæ formâ *scrophularum* solent tumescere. Sæpe *pruritus* hic, si scalpatur, dat *ulcuscula graviora*, & in varia ulcera degenerantia, quæ plorant serum adeò acre, ut quandocunque calceamenta ægri fuerint exinde erosa; & quidem talia ulcera sunt difficulter sanabilia, quia facilè degenerant in *gangrænam*.

Urinæ Scorbuticorum admodum sunt variæ, intensè subinde tinctæ & flammeæ, absque febre tamen & ictero, & rutilant instar spiritus nitri, etsi nulla febris adsint indicia, cum sedimento copioso & crasso, subinde lateritio, ita tamen, ut exteriùs inspectus matulæ fundus subcruentum ferè carneum quid repræsentet. *Urina hæc flammea est* nihil aliud, quàm latex urinarius nimis salibus contentis saturatus, instar acerrimi lixivii. Interdum tales urinæ flammeæ subinde immutantur, & fiunt naturaliter sine tali sedimento tinctæ, sed ita, ut *copiosæ arenulæ rubræ* facilè friabiles, quæ sunt salia crystallisata à vasis lateribus, incrustent matulæ fundum & latera, & hæ arenulæ sunt unum ex certissimis signis Scorbuti. Præterea interdum flammeæ tali urinæ *crusta* quasi *pinguis* seu quædam *pinguedo instar pelliculæ* supernatat, quæ pellicula ad latus adspecta solet esse admodum variegata, & *pavonis caudam* aut eleganter coloratam iridem repræsentat. Est autem nil aliud, quàm salia coagulata, & signum scorbuti infallibile. Sic in Chymicis si aliquid evaporetur usque ad pelliculam, ea apparet variegata, ut plurimum autem in urinali reperitur, urinâ effusâ, color quidam cœruleus, qui vix ac ne vix quidem primâ vice abstergi potest. Et si forsan contingat tenuem, limpidam & planè aqueam nonnunquam excerni urinam, hoc fit, vel à recrementis aqueis hactenus in corpore congestis & retentis, nunc verò cum impetu excretis, propter particularum salinarum deficientem aut nullam secretionem: unde etiam hæ urinæ sæpè malorum symptomatum prodromi existunt.

Respirationis insignes *læsiones* valdopere scorbuticos affligunt, eæque non humorales, sed ferè convulsivæ, cum gravissimis anxietatibus & pectoris angustiis junctæ. In specie *dolorum* variorum tortutis crudelis est Scorbutus crurum & surarum, nunc vagis, nunc fixis, præ cæteris ventriculi, dorsi, lumborum, pectoris atque abdominis; qui abdominis dolores scorbutici sunt omnium crudelissimi, & subinde in dorso & regione lumbari incipiunt (tuncque nephritidem notham constituunt) & cum gravissimo contorsionis sensu hinc inde in abdomine oberrant: & ita anteriora versus, ad regionem umbilicalem & dictas partes convellendo, contorquentur, ut nephriticis interdum doloribus simillimi sint, absente licet omni calculo; *unde putant ægri, se laborare Nephritide, sed malè: Potius Nephritis notha vocanda est, quæ interdum umbilicum interiora versus retrahit*. Verum quidem est, quod abdomen intumescat & si intumescat, etiam indurescat, non à flatibus, sed à spasmo, & tensione membranarum. Dolores hi nunc solitariè affligunt, nunc in variis corporis partibus tubercula varia non rarò erumpunt, quæ subitò increscunt, ast subitò etiam denuò disparent; nunc copiosa parva *tubercula*, *rubra*, *plus minus pruriginosa*, hinc inde protuberant, quæ denuò de facili evanescunt. Et in quocunque ægro tam vaga & varia observantur symptomata, scorbutus latet; unde etiam scorbuticorum febres erraticæ existere subinde solent: Certissimè scorbutus subest, ubi *modò hoc, modò illud symptoma supervenit*. Præter dictos dolores, qui constituunt Nephritidem notham, sæpiùs dolores nunc fixi præsertim nocturni, nunc *vagi* & vagabundi, artus excruciant, dum acerbo dolore nunc crus, nunc brachium, nunc alia pars mutatis vicibus affligitur; nullâ tamen aut leviter sensibili in parte inductâ alteratione, quod symptoma in specie *Arthritis vaga scorbutica* seu *varia*, Germ. *die reissende Gicht*, appellari solet. *Dolores* hi *artuum* sunt vel *leviores* vel graviores: subinde *sensus Vermiculationis* seu formicationis in extremitatibus artuum percipitur, similis ferè sensui isti, quando dicunt: *Sentire se motum in artubus, ac si formicæ in illis circumcursitent*; *vel membra ipsis corpore premi*: & est species tactus depravati; unde affectum hunc quidam vocant *Morbum Scorbuticum*. Sæpiùs membra stupida plus minùs fiunt paralytica aut saltem dolorosa, idque imprimis post Colicas seu post tormina & dolores abdominis, quibus *Paresis* supervenire solet, in qua motus perit sensu integro aut saltem doloroso. Interdum motus adest, & sensus deficit, ut si quid in manu teneant, illud non sentiant. Interdum ex tali paralysi *contracta* membra fiunt *rigida*, contracta, & tamen non immobilia. Loco paralyseos è contrà frequentes admodum *convulsiones*, *motusque convulsivi* scorbuticos insigniter vexant, sive internas occupent regiones, sive externos agitent artus. Sanè sæpissimè epilepsia & similiter convulsivi morbi, quin & hysterica passio ex fomite scorbuto originem suam aut saltem malitiam obtinent & morbosam virtutem. Præter vagos suprà dictos dolores scorbutus etiam interdum infert *fixos*, tàm in artubus lacerantes & lancinantes, præsertim *nocturnos*, quàm *cephalæas* immanes atque habituales contumaces, tàm vagas quàm periodicas, quæ sunt frequentissimum & urgens maximè scorbuticorum symptoma, item *Odontalgias* ferè intolerabiles. Interdum stomachum pertinaciter affligunt, unde *vomitus* admodum contumaces oriuntur, non nisi antiscorbuticis curandi: Interdum occupant *extremitates artuum*, qui sunt gravissimi: hi *interdiu* silent, *noctu* verò affligunt, & sic magnam habent convenientiam cum dolo-

dolore in Lue Venereæ occurrente; unde etiam quidam dicunt, nullum affectum magis esse affinem Lui Venereæ præter scorbutum. Præter dicta, crura subinde *intumescunt* constanti tumore, haud quidem œdematoso, sed duro plus minus rubicundo, nunc cum nunc sine doloribus nocturnis; interdum exulcerantur, ita, ut elephantiasin Arabum repræsentent. Quin etiam Tumores duri, Gallicos nodos æmulantes, tàm in locis glandulosis, quàm etiam in locis musculosis, præsertim cruribus, protuberant doloris expertes, dum quiescunt ægri; dum verò ambulant, aut dum crura pendentia habent, insigniter dolere solent.

Interdum quoque *cruentas dejectiones* plus minus dolorificas falsò à quibusdam dysenteriæ, ab aliis hæmorrhoidibus apertis tributas, inducunt; aut si non sponte suâ accedant, facillimè saltem purgantibus acrioribus provocantur. Nam ægri tales, quando emittunt cruenta, non sunt dysenterici; fit enim sine torminibus; non sunt hæmorrhoides, quia post stercora produnt: sed est *hemorrhagia intestinorum*; unde interdum leves *Purgationes Scorbuticis diarrhœam cruentam, interdum atrocia symptomata dysenterica* inferunt, præsertim si pilulari formâ propinantur purgantia. *Signa tamen*, *quibus* hujusmodi cruentæ dejectiones scorbuticorum *discernantur à dysenteria* & fluxu hæmorrhoidali, descripta videb. in HORSTIO *libr. 7. Observat. 25. pag. 393. & 394.*, ubi egregia est observatio.

Nec solùm per alvum, sed etiam per alia loca, pertinaces *hæmorrhagias*, e. g. *narium*, *sputum cruentum*, *&c.* inducit scorbutus, sanguis interdum cœruleus vel subviridis apparet: interdum infert *erysipelata* in artubus cautissimè tractanda; nam facillimè gangrænescunt, aut saltem in ulcera admodum cacoethea degenerant; sicuti gangrænam artuum, præsertim circa pedum digitos, sponte suâ exque causa interna oriundam, infert semper lethalem: qua de re vid. imprimis SENNERTUS *lib. 3. Prax. P. 2. cap. 39. circa finem*.

Tandem à malo confirmato frequenter *atrophiâ* utplurimum corpus tabescit, aut superveniente phthisi emaciantur. *Catarrhis* quoque & *catarrhosis* affectibus, usque frequentissimè circa caput, collum, fauces & regiones glandulis magis obsitas; item *excoriationibus* & *exulcerationibus* non ita facilè curabilibus obnoxii sunt scorbutici.

Pulsus est admodum varius, inæqualis, subindè parvus & debilis, interdum formicans, ac subinde planè intermittens, cum animi deliquiis frequentioribus: adeo, ut qui scorbuti naturam ignorant, facilè à tali pulsu terreantur, utut sit mos scorbuti, ut interdum pulsus tetros vegeto adhuc corpore soleat inducere.

Præterea subindè observantur *sudores* copiosi, imprimis *nocturni* admodum *colliquantes*, quibus nonnunquam accedit *nausea* & *alvi fluxus*: de quibus & aliis minus frequentibus symptomatibus vid. WILLISIUS *de Scorb. cap. 3.*

Quoad *Causam proximam*: symptomata hæc multiplicia ut plurimum plus minus convulsiva & similia scorbutica, ex acido specifico sapore aut odore fermentativo scorbutico, spiritus & hinc contenta corporis inquinante, peculiariter nervis & fibris motricibus infesto, interdum plus minus salsedine juncto, deduci optimè possunt; conjungendo utplurimum utrumque, tam acidi specifici activitatem, quam ex fibrarum sensilium ac motricium irritatione affectum plus minus spasmodicum. *Peccare enim in Scorbuto acidum* patet:

1. *Ex consequentibus*, quia remedia *Martialia* & *volatilia* conveniunt.

2. *Ex antecedentibus* symptomatibus, exulceratione, & similibus variis glandularum tumoribus.

Nempe acidū istud Massâ Sanguineâ & hinc etiam lympham inquinans, bilem verò pessundans, hæmorrhagias, deficientem nutritionem, partium exulcerationem, & vitiatam fermentationem, pulsus diversimode inæquales, &c. infert, dum lympha acris & corrosiva in variis locis nervosis multiplices torturas dolorosas, contentorum varios motus, eorumque nunc stagnationem, unde tumores, nunc excretiones &c. excitat. Oris exulcerationes, gingivarum ac dentium plus minus corrosiones, stomacace dictas, contumaces catarrhorum acrium passiones, vagos partium dolores & lancinationes, &c. infert. In mesenterii glandulis coacervata, & vitioso acore suo membranas & nervos irritans, istud in spasmos convellendo, atrocissimos abdominis cruciatus infert: item motus convulsivos, pathemata hysterica, epileptica, etiam pareses, paralyses, & similia symptomata. Hinc quò largior copia lymphæ talis acris, eò etiam frequentiores sunt convulsiones in corpore. Ut taceam nonnullos de salivæ & oris salsedine valdè conqueri. Quando verò in tali lymphæ acrimonia est vis destruendi partes animalis duras, uno verbo, ossa, accidit, ut osseis partibus multa creet mala: sic v. g. dentibus summè est exitiosa, quippe quos sensim atque sensim resolvit, atque destruit horum carnem vicinam, nempe gingivas; unde vulgus partem affectam credit solas gingivas. Item artuum juncturis inimica est hæc lympha, quare in illis collecta producit arthritidem, dum nimirum membranas, ossa cingentes, acrimoniâ suâ pungit. Item in quibusdam scorbuticis serum adeò corrosivum fuisse observatum, ut ex naribus eorum profluens linteamina intincta eroserit: aliis serum inter dormiendum per os stillans in gena in verum sal coagulatum fuit. Quæ *asserui de lympha nimis acri*, *ea tribuit* WILLISIUS *succo suo nervoso acri*, qui proinde facilè potest corrigi, & in lectionibus Autoris hujus observandum. Quo supposito, sal non tam fixum sive alcalicum, quale non nisi fortissimâ calcinatione fit, neque acidum, utpote quod sincerum siderationes ac coagulationes mox lethales introduceret, cùm sanguis scorbuticorum fluidior justo observetur; *sed acido salsum potius existere puto*: ita tamen, ut in salso hoc sale modò urinosum, modò acidum, prævaleat, quamvis illius portio notabilis humorum massæ semper naturalis & connata, hoc verò toto genere ipsi præternaturale observetur. Atque ab eodem acido, à compari alcali in salsum plus minus commutato, turgida & impregnata urina intensiùs rutilat absque crusta & sedimento salino; quin & interdum coloris dilutioris conspicitur, quando salia hæc crystallisata sub arenularum forma in fundo subinde subsident, aut in superficie in cremorem seu crustam illam salinam concrescunt. Illud quidem ab acido parciore minusque potente, sale urinoso magis saturato, ita ut ratione hujus saturationis uberiores sulphureas sanguinis particulas commodiùs imbibere, hincque urinam rubicundiorem & lixiviosam magis reddere possit; cùm è contra, quò plus acidi, minusque alcalici volatilis, acidior fert scorbutici portio sibi relicta urinæ in-ac super-natet, quod urinoso ejus uberiùs atque intimiùs junctum, hujus vim agendi in sulphuream portionem suffl aminet, hinc tincturam minus rubicundam urinæ concedat.

Maculæ denique, quæ hinc inde corpus tingunt, è primariis signis sunt partis sanguinis corruptæ & quasi gangrænatæ, ut sic dicam, quæ à reliqua massa separatæ per sanguinis circulum hinc inde desiguntur sub cute, donec ita successivè insensibiliter exhalent; unde earum eruptio bonum est signum, depurantis scilicet Massæ Sanguineæ. Cætera symptomata ex suprà & aliàs dictis facilè explicari poterunt. In specie tamen consulendi adhuc veniunt Autores, qui ex professo de Scorbuto scripserunt, v. g. SENNERTUS tam *in Praxi*, quàm peculiari *de Scorbuto Tract.*, SALOMON ALBERTUS, HORSTIUS *in Observat. & Tract. de Scorbuto*, WILLISIUS *in Specim. Patholog. Cerebri*, ubi *de morbis convulsivis & Scorbuto*, DRAWIZ *de Scorbuto*, & recentissimè MOELLENBROC. *de Arthrit. vag. Scorb.* Protheus interim etiam est scorbutus, dum ordinariò pathemata ex aliis morbis quibuscunque sese associant, omnesque istos graviores aut deteriores aut certè contumaciores simul reddunt, adeò ut tales morbi præter hoc, quod circa symptomata multum varient, vix citra recidivæ metum sint curabiles, nisi simul appropriatis scorbuticis infringantur. Imprimis febres periculosis stipatæ symptomatibus ex societate scorbuti nascuntur, sicut intermittentes ex scorbuto ferè erraticæ fiunt.

Si consideramus *remotas Causas* ad scorbutū disponentes, eæ sunt variæ; imprimis Res nonnaturales, inter quas

1. Locorum ratio ac regionum, quarum quædam *terræ aquarum* & *alimentorum* causâ magis præ aliis ad hoc malum dispositæ sunt. *Aëris* præsertim summoperè hìc habenda est ratio, cum ab eodem crasis tam

tam sanguinis quam spirituum multum dependeat. Ratione hujus enim Hypochondriaci saltem *septentrionales*, & maris Balthici imprimis accolæ, tandem evadunt Scorbutici, ita ut morbus endemius in inferiori Saxonia, Belgio & Anglia, reliquorumque locorum maritimorum, sit Scorbutus; cum è contrà *Orientales* & *Meridionales*, Gallia, & imprimis Hispania, parum aut planè nihil nominetenus de Scorbuto sciunt. Hoc autem inquinamentum aeris est aura marina nostras salsa admodum, & cùm noster aer aquilonaris per ster loca paludosa & lacustria, effluvia ista putrida secum affert: Hinc ex aere hoc à nobis inspirato istud acidum in nobis exacerbatur, massa sanguinea, saliva, & consequenter fermentum stomachi vitiantur, & tandem scorbuticam corruptelam inducunt; unde locis quibusdam Scorbutus magis familiaris & endemius redditur: vid. RONSÆUS *Epist. ad Hadrianum Junium*, & HORSTIUS *de Scorbuto*. Sic ratione talis aeris & mali victus omnes navigantes, quò diutiùs in libero Oceano ordinariè conflictantur scorbuto, dum aer marinus effluviis acido-salsis ex mari elevatis inquinatus, respirando attrahitur, & præ aliis Belgæ & Angli fiunt Scorbutici, dum navigant. Conf. WILLISIUS *de Scorbut. cap.* 2. Quin & qui jam conflictantur cum Malo hypochondriaco, si peregrinantur in loca puro aere prædita, solent sponte ab istis Malis purgari. Ille ergò aer nostras effluviis salinis acidis est præditus, & secundùm Hartmannum sulphure temperato destitutus est; hinc malum hypochondriacum exasperat, istud acrius reddit, & sic in Scorbutum degenerare facit; atque vel hoc quidem ratione crassitiei, ventilationi sanguinis hujusque effluviorum heterogeneorum secretioni minus congruæ; vel salia atque sulphura anomala corpori inspirando.

2. In specie *Victus ratio* ad scorbutum maximè disponit, cum multorum locorum in se salubrium incolas scorbutus enormiter affligat; contra maritimis quibusdam locis planè incognitus sit: quatenus hi victu salubriore vitium ab aere contractū sensim emendant; illæ verò vel solo victu inconveniente levissimum aeris influxum juvant. Qualem præprimis suggerunt cibi nimiùm acidi & viscidi, sale conditi, ac fumo indurati, caro porcina, pisces maritimi, lacustres, & testacei, item cerevisiæ nimiùm viscidæ & non ritè fermentatæ, aquæ corruptæ, vinum & vini spiritus copiosiùs hausta.
3. *Otium* excrementorum cunctorum secretiones atque excretiones sufflaminans: Hinc fœminæ, aut studiis vacantes scorbuto magis obnoxii observantur, quàm viri, rustici, atque operarii.
4. *Contagium* absentibus reliquis causis Scorbutum producens, ita quidem, ut annotante DRAWIZIO *de Scorb. pag.* 100. conversatio cum Scorbuticis frequentior causa videatur, quare apud nos malum hoc adeò commune sit; siquidem per salivam, adeòque per communia pocula, item per sudores, alios inficere solent.
5. *Dispositio hæreditaria*.
6. *Viscerum* primæ & secundæ digestionis *dyscrasia*: Quibus
7. Accedunt alii morbi chronici, febres diuturnæ, imprimis quartanæ, & omnium maximè Malum hypochondriacum, quod, ut supra dictum, inveteratum & magis confirmatum, aut degenerat in scorbutum, aut comitem certè hunc sibi associat.

Quibus præmissis vel sponte patet: massam sanguineam & spiritus influos esse subjectum scorbuti; hos quidem inhæsionis; illam radicationis; adeò ut mutuo circulo malum magis magisque confirment. In specie spiritus influi à sua crasi degeneres in acrem specificam diathesin deflectunt: deinde serum ac lympha specialiter hoc ipso sapore imprægnata deprehenduntur, sanguine ob texturam salino-volatili-oleosam non nihil obtundente eundem; quod manifestiùs in illis humoribus percipitur, propter quas causas affectus scorbutici partes inter solidas, præcipuè in partibus nerveis, se exerunt, & hinc in glandulosis locis: unde atrophiæ, spasmi, convulsiones, paralyses, stupores, dolores varii ac multiplices, ipsaque adeo arthritis; item dolores vagi & fixi, ulcera oris, catarrhalia pathemata, &c. frequenter adesse solent.

Causa ergò *proxima* erit *sapor* seu *odor* (vocet quis ut lubet, modò minimum fermentativum in hujusmodi morbis, licet chronicis, ubique consideretur, quod in contagio & hæreditaria multiplicatione manifestum est) *specificus acidus*, spiritus influos & massam sanguineam imprimis inquinans: specificum saporem voco, utpote à priori à nemine dignè explicatum; de acidi verò natura esse, symptomata confirmant. Dum verò spiritus inquinat, fermentum digestivum ventriculi, ejusque protopepticum acidum simul, idque ferè primariò, alterabit; unde primò digestionis ex errato continuatus morbi semel inchoati progressus vel sponte suâ patescit.

Distinctio scorbuti in eum, qui est ex sanguinis rancidita te sulphurea, qui à sale fixo, & à quibusdam *scorbutus calidus* dicitur; & qui ab acido, & hinc *frigidus* salutatur, quam habet CHARLETON *Tract. de Scorbuto*: aut duplex ista sanguinis diathesis scorbutica, vel sulphureo-salina seu calida, vel salino-sulphurea seu frigida, quam habet WILLIS, *non videtur essentialis*, sed ex eo saltem nata, quod pro varietate constitutionis nativæ ægrorum seu craseos sanguinis partium solidarum, ac seminalis diversitate, fermentum seu odor scorbuticus symptomata plus minus diversa inferat: Eum in finem tamen differentiæ tales saltem observandæ sunt, ut remediorum selectus eò concinnior fieri & methodus medendi exactior institui queat, quatenus in priori remedia magis temperata & venæ sectio, neutiquam acriora & volatilia oleosa conveniunt; in posteriore verò remedia magis activa & sale volatili oleoso abundantia, item Martialia, quæ acidum uberiùs temperant ac destruunt, commendari solent.

His itaque prælibatis pergo ad *Signa*.

DIAGNOSIS
MALI HYPOCHONDRIACI
ET
SCORBUTI.

Signa tam Mali hypochondriaci, quàm scorbuti, ex superiùs recensitis symptomatibus per se sunt clara & manifesta; nam illa apertè declarant, qualis sit materiæ? Magis tamen specialiter, ubi stomachi non ritè digerentis adsunt pathemata, cum symptomatis circa abdomen, cum torminibus & flatibus intestinorum, alvi obstructione, & hinc corporis perturbatione, aliisque symptomatis, nullum dubium est, adesse tum Malum hypochondriacum. Nam hæc signa primaria sunt mali hypochondriaci, quæ ferè semper adesse solent in hoc affectu, & his ipsis etiam vel sponte se manifestare. Quod si his tanquam primariis alia etiam suprà enumerata superveniant symptomata, diagnosis Mali hypochondriaci eò est certior.

Signa Scorbuti autem *diagnostica* sunt vel externa quædam, vel interna, symptomata nempe corpori inhærentia. *Illa* sunt parentes Scorbutici, conversatio cum scorbuticis intimior, commoratio in locis maritimis ac paludosis, febres diuturnæ, vel alii morbi chronici, ab Antiscorbuticorum usu levamen, ac si quis absque alterius morbi certis indiciis sæpius valetudinarium agat. Hæc verò seu *interna* majoris ponderis sunt, & jam sunt recensita; quamvis eorum alia frequentiora, alia rariora observentur; rarissimè autem cuncta in uno subjecto concurrunt. *Scorbutus* enim, *nisi inveteratus* sit, *est difficulter cognoscibilis*: interim tamen cum scorbutus sit protheus, & se quibusdam morbis associet, semper pejora symptomata atque in morbo simplici.

Ut igitur cognoscatur latens Scorbutus, consideret Medicus urinam, quæ est vel nimis flammea, vel etiam com cum arenulis istis ruffis imprægnata, vel & caudâ pavonis est instrata.

Præter *urinam attendat Medicus symptomata dolorosa*: si patiuntur dolores partium ultra naturam talis morbi, si in alio morbo superveniat *dolor lancinans* in lumbis, nisi adsit nephritis, signum est adesse scorbutum: quibus si nervosi generis pathemata superveniant, de scorbuti præsentia vix ampliùs dubitandum erit. *Confirmatur*, si æger conqueratur de doloribus gingivarum & dentium, si hinc inde *maculæ* excrescant, quæ quò majores sunt, imprimis in cruribus, eò magis malum manifestum est.

Præter maculas *pruritum* Scorbutus interdum solet inferre, *pruriginosam* quoque *purpuram*, quæ certum signum est Scorbuti latentis.

Porrò jejuno stomacho, frequens est pryalismus.

Signa Scorbuti primaria, & quibus tantum non infallibiliter cognosci potest Scorbutus, recenset sequentia LINDANUS: nempe (1) *Ardorem & titillationem in gingivis „cum subsequente cruentatione, adeo ut si parum fricentur, „cruententur, ubi sanguis aquosus & salsus effluere solet, qui „postea sit fœtidus.* (2) *Sub concavo oculorum apparet color „purpureus, qui est quasi semi-lunaris*, inquit LINDANUS. Et hoc unum signum si adest, satis arguit tunc adesse Scorbutum: cui si accedat cruentatio gingivarum, res est ferè infallibilis. (3) *Maculæ instar morsiuncularum pulicum, „præsertim in femoribus & inferioribus tibiarum partibus, „subinde apparent.* (4) *Signum admodum singulare & multum conducens ad cognitionem Scorbuti est vacillatio ge„nuum, ita ut eorum robur corpus fulciens pereat, & ægri quasi „sint lapsuri.* (5) *Adest intensus & insignis fœtor oris, usque „præsertim jejuno ventriculo.* (6) *Sentiunt crebrò phlogosin „& exæstuationem per totum corpus.* Hæc ceu signa primaria recenset LINDANUS pro cognitione Scorbuti. His addo ego (7) arenulas rubras & facilè friabiles, si nempe hæ ipsæ fundo & lateribus matulæ adhærere videantur.

Hæc quoad Diagnosin: Sequitur

PROGNOSIS MALI HYPOCHONDRIACI ET SCORBUTI.

Hi duo affectus recentes adhuc, & nervoso generi aliisque partibus solidioribus nondum impressi, idoneis medicamentis & accuratiori victus ratione possunt facilè curari.

Malum hypochondriacum incipiens solus motus corporis curat, ritè institutus.

Verùm quò magis inveteratum fuit Malum, & nisi simul exacta & cauta observetur diæta, hinc firmiores egerit radices, in specie in negotio digestionis primæ œconomiam systematis nervosi turbaverit, gingivas ac dentes eroserit, viscera notabiliter contaminarit, maculas & exanthemata projecerit, impossibile est, ægrum perfectè curari; sed palliativè tantùm iisdem occurrimus, præprimis cùm maxima medicinæ opera urgentibus symptomatis tollendis, neglectâ causâ continente, non rarò impendantur. Accedit & hoc, quod ejusmodi chronici affectus continuatum etiam remediorum postulant usum, ne denuo semel mitigati recrudescant ulteriùs, donec perfectè eradicentur: in quo ipso tamen maximè inobedientes sunt ægri remediorum tædium percipientes; subitò enim, ubi paulò meliùs se sentiunt, ab ipsis utplurimum desistunt.

Scorbutus enim est lerna malorum atque morborum; haud enim facilè reperitur morbus, qui non possit originem trahere ex Scorbuto.

Imprimis autem producit obstructiones varias ob viscíditatem sanguinis, omnis generis convulsiones, v. g. colicas, hystericas, hypochondriacas, artuum omnis generis dolores, v. g. odontalgiam, dolores arthriticos, cephalalgiam, lippitudines, &c. Adeoque vel singulis annis vel longiore aut breviore intervallo Scorbutus excitat tumultus, nunc his nunc aliis stipatus, symptomatibus, sæpèque ad plures annos protrahitur, donec tandem aut perpetuo languore ægri contabescant, aut hydropici aut phthisici evadant, aut sphacelo hujus vel illius membri corripiantur. *Scorbutus* enim *inveteratus* interdum in Cachexiam universalem, interdum etiam in hydropem, terminatur; sæpissimè verò in atrophiam & tabem transit, lentâque morte hominem jugulat.

Periculosa contingit Scorbuticis dyspnœa, utpote ex qua ægri non rarò pereunt; non quidem in se, sed si non statim commodis solvatur remediis: vid. BARBETTE *Prax. pag.* 145. Maximè observatu dignum est prognosticon SENNERTI, quod habet *lib.* 3. *Prax. cap. de Scorbuto pag.* „604. *Respirationis*, inquit, *difficultas & pectoris angustia „periculosum malum est, ob quam, si Medicus & adstantes „suum officium non faciant, sæpè ægri syncope præter expecta„tionem intereunt; sin verò fortior natura morbum diutius „tolerare possit, plerumque in hydropem ægri incidunt, præ„cipuè ii, qui purgantibus fortioribus subinde uti so„lent.*

Quibus alvus pertinax, morbus hic gravior evadit.

Porrò hæmorrhoidum & mensium fluxus aut similis quædam solennis *hæmorrhagia periodica*, uti hæc mala insigniter leniunt, ita earum suppressio aut naturalis emansio non parum ista aggravat: vid. suprà, ubi de hæmorrhoidibus *pag.* 233.

Pulsus in Hypochondriacis est variformis, quandoque intermittit: *in Scorbuticis* verò, imprimis in scorbuto ut sic, est admodum varius, subinde parvus, languidus & inæqualis est, ut æger omni momento, quoad pulsum, videatur exspiraturus; sed longè minus periculosus est, quàm in aliis morbis esse solet, & si non alia symptomata adsint, non terreatur Medicus. Pulsus deficiens subinde deprehenditur, quando propter acidum sanguis ad grumescentiam plus minus disponitur, ut hinc inde grumi sanguinis colligantur, qui motum arteriarum impediunt: malum signum est.

Urina in Malo hypochondriaco hactenus tenuis & clara, si vel sponte vel ab usu medicamentorum crassior evadat, melior est, cùm illa crassos humores in corpore detineri arguat. Nigræ quoque urinæ sine febre post usum remediorum antiscorbuticorum sæpè hunc morbum solvunt; indicant enim excrementorum præcipitationem ex massa sanguinea.

De cætero Hypochondriaci non rarò hydropici & hectici, interdum melancholici & maniaci, evadunt.

Maculæ scorbuticæ, æquè ac in febribus petechialibus, quò magis rubent, & quò sunt grandiores, sunt eò meliores & sine periculo: tamen quò magis ad cœruleum & lividum atque atrum colorem tendunt, non secus ac febrium malignarum petechiæ, eò sunt pejores; qui ægri rariùs evadunt & in aperta si abeant ulcera, difficulter sanantur: semper tamen bonum signum est, cæteris paribus, maculæ rubræ.

In omni scorbuto levant nocturni sudores symptomata, nisi sint nimiùm frequentes, apprimè verò sudores cum efflorescentia maculari.

Porrò observanda etiam est mira & *continua symptomatum* scorbuticorum inter se metamorphosis: Nam dolores vagi transeunt in pertinacem cephalalgiam, nunc in paresin, nunc colicam convulsivam: Colica subinde mutatur in paralysin & paresin; & contra: Item convulsiones scorbuticæ subinde etiam in paralysin nonnunquam terminantur, aut etiam in cataphoram: Nunc transeunt in tumorem modò evanescentem, modò denuò emergentem; nunc transeunt in Asthma convulsivum, subinde & epilepsiam.

Quando Scorbutici atrocissimis doloribus artuum laborant, subitò lethargo correpti in alium statum mutantur.

Difficilioris curationis observatur scorbutus calidus dictus, quam frigidus, cùm in illo particulæ salino-sulphureæ sanguinis massæ intimiùs junctæ videantur, in hoc verò laxè magis ipsi adhærescant.

Scorbutus morbis diuturnioribus superveniens, aut Valetudinarios ex quacunque causa invadens, ægrius curatur, utpote in quibus & sanguis & viscera jam tum vitiata.

Cujus etiam ferè generis est Scorbutus malâ Victus ratione, & imprimis potus generosioris frequenti usu contractus: cum è contra, qui per *contagium, aeris insalubritatem*, aut *vitam sedentariam* excitatur, minorem curandi difficultatem foveat.

Sic difficulter compescitur Scorbutus *hæreditarius*, aut qui lacte materno aut nutricis fuerit instillatus.

Quo fixior est scorbutus, eò difficiliùs curatur; si vagus meliùs curatur.

Præ cæteris *gingivarum habenda est ratio*, quarum cruentationi & exulcerationi interdum *gangræna* supervenit, interdum

terdum etiam livor & putredo palatum occupat & corrumpit: vid. SENNERTUS: id quod quibusdam ansam dedit, ut putarint esse luem Veneream, cùm tamen tantùm fuerit scorbutus: Aliàs certum est, nullum morbum magis cognatum esse Lui Venereæ, quàm scorbutum, cùm *etiam dolores in scorbuto æquè nocturno tempore magis affligant, sicuti fit in Lue Venerea.*

Humorum per superiora atque inferiora rejectio parum levaminis scorbuticis creat, sed hi potiùs doloribus & cruciatibus ventris diuturnioribus conficiuntur: vid. EUGALENUS *de Scorb. p. 7. & 8.* Imprimis scorbutus cum diarrhœa est periculosissimus.

Hoc tamen circa prognosin scorbuti adhuc notetur: illam cautè esse applicandam, cum plurimi pro desperatis habiti reconvalescant. E contrà etsi symptomata mitiora videantur, si abdominis viscera indurata, pulmones corrumpi incipiant, vix successus laudabilis promitti poterit: vid WILLISIUS *de Scorb. cap. 6.*

Sed de his & similibus ad Scorbutum & Malum hypochondriacum attinentibus vid. Autores supra citati, in specie REUSNERUS *de Scorb.* MOELLENBROCCIUS, qui quidem scripsit *de Varis seu Arthritide Vaga scorbutica*; sed tamen etiam multa habet, quæ ad scorbuti naturam declarandam optimè faciunt, tàm quoad Theoriam, quàm quoad Praxin; & HORSTIUS *in Tr.* parvo, sed accurato, *de Scorbuto.*

C U R A.

Quod attinet *Curam Mali hypochondriaci & scorbuti*: in hac ad Mali scaturiginem, nempe stomachum, præsertim est respiciendum. Propterea

1. Acidum viscidum peccans & vitiosæ cruditates, tam primarum viarum, quam in Massa sanguinea & succis corporis, corrigantur: idque vel cum *generalibus* acidum temperantibus, vel *specificis*, in specie Antiscorbuticis, acidum scorbuticum emendantibus.
2. *Correctum acidum* peccans, & ita in serosam materiam transmutatum, *evacuandum*, imprimis per vomitum, urinam, & sudores.
3. *Stomachi* semper exacta *habenda est ratio*, ejusque fermentativus liquor volatilibus temperandus & volatilisandus, & digestio naturalis, quantum possibile, promovenda, & in naturalem statum restituenda.
4. Lacticinus *sanguinis crasis* in Scorbuto corrupta, seu cacochymia, *emendanda* & c quasi renovanda; unde in Scorbuto imprimis habenda est ratio specifici saporis scorbutici. Ac
5. Si quæ subsint evacuationum solennium suppressiones, tollantur.

Corrigentia acidum sunt vel generalia, nempe Metallica absorbentia, martialia, saturnina, terrea, & quæ de salium fixorum alcalium sunt natura, omne acidum destruentium; item Vegetabilia acria & aromatica, animalium partes duræ, Marina, & ex omnibus his parata multa remedia artificialia: Vel sunt specialia, ut salia volatilia acria & oleosa antiscorbutica ex Vegetabilibus, tàm nativa, quàm arte facta, & animali regno ab appropriatis desumpta, nempe lumbricis, &c. crasin massæ sanguineæ sensim alterantia, & ita nunc per sudorem, nunc per urinam heterogenea excludentia. Hæc vulgò Hepatica, item Splenetica, & Stomachica appellari solent: quibus commodè elegantiores Tincturæ antimoniales aut solares sociandæ sunt. In quibus scopis simul observanda semper symptomata varia, ut additis convenientibus remediis & horum ferocia mitigetur. Cumque ex superioribus constet, *Causam scorbuti proximam in duplici salsedine* præternaturali consistere, utraq; etiã sui emendationem postulabit; & quidem tam in primis viis, si in culpa fuerint, quàm in Massa Sanguinea. Ratione primarum viarum, quia in his vel occasione assumptorum, vel dyscrasiæ propriæ, cruditates, tanquam scorbuti prima rudimenta, cumulantur, illorum selectum pars diætetica, hujus emendationem Pharmaceutica docebit. Scilicet: alimenta euchyma atque eupepta simpliciora, & facultate incidendi atque resolvendi pollentia, assumantur: crassa, viscida, sale condita, fumo indurata, leguminа verò, fructus immaturi, pisces superius inter Causas relati, & alimentorum farrago, evitentur: saccharum & saccharata ratione salis acris & corrosivi à plurimis in tantum vituperantur, ut ex Recentioribus sint, qui eorum abusum scorbuto hujus seculi adeò frequenti, hujusque augmento multum contribuere autumant. vid. HORSTIUS *libr. 7. Observat. 34.* MOELLENBROCC. *de Varis cap. 8.* & WILLISIUS *de Scorbuto pag.* 303. Potus sit vinum generosum & ventriculo gratum, cerevisia probè defæcata, item *lac*, salsedinem scorbuti quidem eluens atque temperans, ventriculo tamen cruditatibus referto non adeò facilè exhibendum: Cui etiam substitui potest serum lactis primas vias magis laxans, ac per urinam evacuans, adeoque rusticis, Frisiis ac Batavis hujus quotidianus usus commodum à scorbuto vernaculo existit præservativum. Quibus præter aquam nihil potulenti concessum, aut hanc cum vino temperant, seliguntque fontanam pellucidam minusque limosam; aut chalybeatam bibant; cui tamen acidulæ meritò præferuntur: vid. HORSTIUS *l. a. p.* 380.

Ast pro Chylificatione depravata, remediis pharmaceuticis corrigenda, pro meliori Curæ directione observandum:

I. Venæ sectionem quamcunque in his affectibus per se nullius esse usus, neque in Malo hypochondriaco, neque in Scorbuto; utut sint, qui in adjuncto splenis affectu salvatellæ sectionem mirè laudent in manu sinistra: & certum est, quod multi insignes Practici, aliquot observationibus inducti, hujus salvatellæ sectionem in manibus commendent: sed tamen re ipsâ constat, quod hæc ipsa vena præ aliis venis nullam habeat prærogativam in brachio, unde hujus sectio ridicula est, de qua vid. in specie MARCUS AURELIUS SEVERINUS *in Castigata pseudophlebotome*: Unde mirari subit, quomodo secutæ sint subinde tàm prosperæ curationes post hujus sectionem; nam per se nunquam hoc factum fuit. Interim tamen, utut per se non conveniant; tamen interdum indirectè & saltem per accidens, v. g. *in dolore crurum* scorbutico fixo incipiente, venæ sectio brachii interdum egregiè confert: sic etiam *in Cephalalgia scorbutica* incipiente, aut sæpiùs recurrente, & similibus in principio venæ sectio in brachio confert, per accidens autem: non secus ac etiam *Fonticuli* per se nihil conferunt, à posteriori tamen in affectibus scorbuticis catarrhalibus crebriùs affligentibus, per accidens sunt proficui, cruribus inusti.

II. *Diuretica* imprimis & hinc *Sudorifera* blanda sunt optima & naturalissima Mali hypochondriaci & scorbuti evacuantia: Certum est, si in Malo hypochondriaco largiter fluit urina, maximum esse levamen: Sint autem in principio blandiora, ne ex primis viis ad vasa rapiant saburram morbificam. Inter Diuretica conducunt præcipuè remedia salina, de alcalium prosapia, non terrea, nec acida, sed alcalia vel fixa vel volatilia nitrosa ex insectis; speciatim arcanum duplicatum Mynſ. perquàm egregium est, spiritus tartari volatilis, spiritus lumbricorum terrestrium, &c. sal stipitum fabarum, tinctura tartari si citè parata, vel sale tartari vel ex scoriis antimonii, vel sola vel cum dimidio spiritus salis ammoniaci mista. V. g.

℞. *Arcan. dupl. Mynſ.* ℨj.
Sal. centaur. min.
Genistæ an. ℈ß.
M. pro tribus vel 4. dosibus.
D. S.
Pulvis diureticus.

℞. *Lapill. cancr. prep.* ℈j.
Terræ fol. tartari ℈ß.
M. D. S.
Vt antè.

Vel
℞. *Tincturæ tartari* (sed probæ fortis sit) ℨiij.
Spirit. sal. ammoniac. ℨj.
M. D. S.
Tinctura diuretica.
Dosis 30. guttulæ.
℞. *Tinctur. Nephrit. Sulzberg.* ℥j.
Detur pro duabus dosibus:
S. *ut antè.*
Vel
℞. *Tinct. Nephrit. Sulzb.* ℨiij.
Spirit. carminat. de tribus ℨij.
M. D. S. *ut suprà.*

℞. *Spi-*

℞. *Spiritus tartari volat.* ℨ j.
Cochlear. ℨß.
Sal. volat. succini gr. vj.
M. pro duabus dos. S.
Mixtura diuretica pro duabus dosibus.

Sudorifera dixi debere esse blandiora, cum subinde scorbutici plus debito sudoribus diffluant: sunt vulgaria & usitata cum Antiscorbuticis mixta. DRAWIZIUS *de Scorbuto pagin.* 159. commendat spiritum sequentem:

℞. *Spir. tart. opt.* ℔ i.
Cochlear. ℥ iv.
Mistis irrorentur
Vitrioli ad rubedinem mediocri igne exsicc. ℔ ij.

Diger. in Balneo Mariæ per aliquot dies, dein per retortam destilletur spiritus, in fine igne fortissimo, donec spiritu vitrioli transeat. Cujus misturæ ℨ ß. vel ℨ j. per dosi sudorifera sufficit, & conducere asserit.

Conveniunt optimè, quando in Scorbuto partes nerveæ externæ graviter affliguntur, observando tamen constitutionem ægri habitus plus minus rarioris, item magis vel minus sudoribus colliquativis affectorum; pro horum enim consideratione vel copiosiora aut rariora, vel fortiora aut blandiora, usurpanda sunt sudorifera: v. g.

℞. *Bezoard. Martial.* gr. xv. ad ℈ j.
Sal. card. ben. ℈ ß.
M. D. S.
Pulvis scorbuticus sudoriferus.

℞. *Antimonii diaphor.* gr. xv. ad ℈ j.
Cinnab. antim. gr. xij.
Ol. destillat. cochlear. gutt. j.
M. f. Pulvis.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Corn. Cerv. sine igne,*
Cinnab. antimonii an. ℈ ß.
Sal. volat. viperar. gr. vj.
Mag. cochlear. gr. v.
M. D. S.
ut suprà.

Usurpetur in sequenti vehiculo:

℞. *Aqu. fumar.*
Flor. samb. an. ℥ ß.
Spir. cochlear. ℨ j.
Syr. card. ben. ℥ ß.
M. D. S.
Aqua ad pulverem.

℞. *Conserv. cochlear.* ℨ j.
Bezoard. Martial. ℈ j.
Salis absinth. ℈ ß.
M. f. Bolus: S.
Bolus scorbuticus pro una dosi.

℞. *Spir. fulig.* ℨ ß.
Cochlear. ℈ j.
M. D. S.
Mixtura Scorbutica pro una vice.

℞. *Tinctura bezoard.*
Spir. cochleariæ an. ℨ ij.
M. D. S.
Spiritus scorbuticus 30. *gutta pro una dosi.*

℞. *Aqu. Fumar.* unc. j.
Ess. lign. compos. cum *antiscorbutic. extract.* ℨ j.
Antimonii diaphor. Martial. gr. xv.
Syr. de fumar. ℨ iij.
M. S.
Potio Scorbutica pro una dosi.

℞. *Aqu. fumar.*
Carmin. Dorncr. an. unc. j.
Spirit. cochlear.
Essent. pini an. ℨ j.
Tinctur. Antimonii tartarisi. (vel *Spirit. viperar.*) scrup. ß.
Syr. card. ben. unc. ß.
M. D. S.
Potio sudorifera vesperi sumenda.

Potest etiam loco fumariæ aquæ adhiberi *aqua scordii, cardui benedict.* &c.

℞. *Aqu. antiscorbut. Dorncr.* ℥ j ß.
Mixt. simpl. ℈ ij.
Spirit sal. ammoniaci sassafr. ℨ ß.
Rob juniper. ℨ j.
Syrup. fumar. ℨ ij. vel ℨ iij.
M. pro duabus dos. S.
Potio sudorifera pro duabus dosibus.

III. Basis curandi mali hypochondriaci est *Vomitus*, præmissis digestivis, & si alvus constipata, enemate appropriato provocanda, eaque interdum post mensem repetenda, quæ, ut & primariò vomitus, saburram primarum viarum exterminat, & firmum fundamentum parat pro prospera futura curatione: vid. HARTMANNUS *in Prax. Chymiat. c.*184. §.1. Sine vomitu enim præmisso reliqua remedia parum vel nihil operantur. Unde dicunt, optimum esse, si hypochondriaci literati omni spatio menstruo ad ebrietatem bibant *& vomant*. Si ventriculus cruditatibus refertus est, nauseam & vomendi conatum patitur, vomitus optimus est, imprimis absente dolore abdominis. Observandum tamen (1) ut ventriculi habeatur ratio, isque debilis fortioribus Vomitoriis non nimis enervetur. (2) Ut præscribantur in majori dosi, cùm interdum dupla, imò tripla requiratur, & quidem potiùs in forma sicca, quàm liquida. In Scorbuto, qua tali, rarò convenit Vomitus, nisi forsan primæ viæ saltem mundicandæ: nam periculum est, ne Vomitoriorum vi acriores scorbuticorum succi commoti varia ac deinde periculosa symptomata primarum viarum inferant, cùm ipsi Scorbutici subinde à vomitionibus enormibus aut saltem inanibus, utut pravissimis vomendi conatibus, miserè vexentur.

IV. *Purgantia fortiora* & propriè dicta quæcunque semper & maximè *nocent*, aut saltem non prosunt *hypochondriacis*, & deteriorem reddunt *Scorbutum*, imprimi *si adest dolor stomachi*, quin & intestinorum atque abdominis gravia inferunt symptomata, disponuntque ad dysenterias, ad tormina, & diarrhœas, &c. Confer. SENNERTUS *lib.*3. *Prax. ubi de Scorbuto pagin.*608. TIMÆUS *Epistol. pag.*235. MOELLENBROCCIUS *de Varis pagin.*90. Speciatim si *dolores in Scorbuto* urgeant vel abdominis vel artuum, sedulò caveamus à Purgantibus propriè dictis, quia *augent malum*. Ad hæc *in hypochondriacis* Purgantia subinde parum aut nihil operantur propter tormina, semper lædunt, saltem pareses aut contracturæ hinc excitantur; Laxantia è contrà optimè prosunt, & interdum cum euphoria largiter evacuant. *In Mulieribus* hypochondriacis vel *hystericis ex levi usu purgantium facilè dysenteria sequitur*.

V. In malo hypochondriaco semper sedulò habenda est ratio mucaginis viscidæ aut pituitæ vitreæ, ceu familiaris fomitis saporis hypochondriaci, à quo ferè diuturnitas ipsius mali ac symptomatum in primis viis pertinacia dependet. Simus ergo semper in ejus Cura solliciti, viscidum pituitosum ut incidatur & attenuetur; hinc blandè & successivè potiùs quàm confertim per primas vias evacuatur. In quem finem gummata, & ex his paratæ Potiones ac Pilulæ acuendæ cum extracto trochiscorum alhandal, repetitis vicibus assumendæ, sunt optimæ, quarum formulas infra suo loco: id quod pariter in quibusvis ferè morbis chronicis ac cachecticis observandum.

VI. Inter præcipua Curationis in his duobus affectibus, & imprimis *in malo hypochondriaco* hoc observandum est, *ut alvus semper servetur aperta*; nisi enim fluida est, solent insigniter exasperari symptomata, capitis perturbationes, & symptomata melancholica: *si in scorbuto non est aperta*, dolores artuum & abdominis exasperantur. Ideò æger subinde habere debet aliquot medicamenta familiaria, quibus crebrò utatur, modò hoc, modò illo. Ne autem unius superveniat fastidium, aut ne natura uni assuescendo sine alteratione id accipiat.

VII. Notabile est, quod monet HARTMANNUS *Prax.* „*Chymiatr. cap.*136. §.9. ubi dicit: *Nota verò subinde usu* „*evenire, ut ab exhibitione aperientium & similium, solutis* „*jam viscerum obstructionibus, ita alvus proritetur, ut quasi* „*dysenteria subsequi videatur, tunc providendum erit Cor-* „*roborantibus appropriatis, in specie Elixyr proprietatis,* „*Tinctura Corallinorum, & similibus viscerum tonum con-* „*servantibus.*

VIII. Alterantia, vulgò aperientia dicta, non semper fortia aut sicciora, v. g. absorbentia vel Martialia, æquè incon-

conducunt; sed interdum leniora & quasi humectantia, præstantiora observantur. Huc facit, quod dicit *Wedelius Tr. de Medic. Facultat. pag.50.: Observavi sæpius,* „*contumaces Hypochondriacos cum fortioribus & siccioribus aperientibus frustrà & diu fuissent vexati, optimè habuisse ab humectantibus hujusmodi, unde & Galenica medicamenta cum Chymicis hic commodè miscentur,* & *in Infuse commodè dantur, in decoctis etiam ob eandem rationem.* Item ut summatim hæc repetamus: Aquea & liquida magis diluunt & temperant, terrea magis absorbent, salina magis per urinam pellunt, alcalia magis incidunt, acria magis attenuant & resolvunt, dulcia magis abstergunt, amara simul magis roborant. Pertinet huc quoque notabilis cautela TACKENII de usu Martialium: *In iis, in quibus viscera tumida & infarcta jam ad scirrhosam naturam degenerant, minus proficua.* Vid. *Clav. Med. Hippoc. pag.*181. & 192.

IX. Compertum est, quod in Malo hypochondriaco etiam medicamentorum antiscorbuticorum aliorumque volatilium optimus fit usus, imò vix sine alterantibus scorbuticis curari possit, quod aliis remediis non cedit. Quod si malum altiùs provectum sit, Antiscorbutica vel sola conveniunt, non solùm in scorbuto propriè sic dicto, sed etiam in malo hypochondriaco paulo molestiore. Præ cæteris spiritus carminativus in hypochondriorum affectibus mirabilis existit.

X. Quod specificorum antiscorbuticorum magna sit varietas, utut propriè sic dicta Antiscorbutica omnia de sale volatili acri participent; Nunc enim sunt *acriora*, nunc *temperata*, nunc *aromatica sulphurea*. Observanda ergò est constitutio ægri; quidam enim non possunt ferre *volatilia* acra, ut *spiritum cochleariæ*. Ob id attendant Medici ad constitutionem ægri, semper delectum quendam inter *remedia antiscorbutica* habendo, cautèque observent, quæ & qualia imprimis uni alterivè subjecto magis sint familiaria: Nam Antiscorbutica acriora & *volatilia* subinde magnam Scorbuticis inferunt noxam sinistrè usurpata; sive in biliosis subjectis; sive etiam in subjectis, in quibus alcali nonnihil volatilius & acrius peccat. In talibus enim effervescentias acres, & phlogoses, symptomata multiplicia & vaga non rarò excitari solent. Quo in casu antiscorbutica acria non conveniunt, sed fixa præmittenda, aut temperatis aliis vulgò Refrigerantibus appellatis, v.g. cichorio, endivia, acetosa, acetosella, item acidis blandis, succo citri, ribium, aut berberum, spiritu salis dulci & similibus temperanda & emendanda. Quò etiam serum lactis pertinet, ceu optimum Antiscorbuticorum nimis acrium correctivum.

Selectum Antiscorbuticorum quod spectat, vid. HELVETIUS *Tr.Vit. Aur. pag.*50., dum in scorbuto cum maculis cæruleis discoloribusque *cochleariam*; cum maculis verò rubris *acetosam*; cum tumoribus artuum quasi hydropicis *fumariam*; cum atrophia *beccabungam* imprimis commendat. Par ratio est in hypochondracis, quippè ubi phlogoses adsunt, non adhibenda oleosa aromatica, quibus potius exacerbantur, sed potius volatilia macra, seu salia volatilia macra seu salia volatilia non oleosa, uti est spiritus salis ammoniaci, carminat. de tribus, &c. Adeòque in subjectis, ubi alcali volatile acre, & hinc dependentes phlogoses adsunt, priùs fixa *Martialia* acidum absorbentia propinanda sunt, vel volatilium acrium loco substituantur.

XI. Acetum nocet tàm hypochondriacis quàm scorbuticis; succi tamen vegetabilium acidi non nocent, nisi in quantum fermentationes præternaturales excitare queant. Nempe magna est differentia inter aciditatem succorum fructuum, v.g. pomorum aut pyrorum, ab aceto ex istis succis per fermentationem parato. Quò etiam faciunt succus citri, aurantiorum, &c. hypochondriacis ac scorbuticis non adeo hostiles; qui licet acidi, tamen in talem, quæ spiritibus sociabilis est, aciditatem terminantur, adeoque minus nocua existunt.

XII. Quod hujusmodi Antiscorbutica appropriata seu volatilia acria non sunt usurpanda mox in principio Curæ, sed consultum est fixa, primarum viarum acidum temperantia & abstergentia, Martialia scilicet, vel salia alcalia præmittere horum usui, aut etiam eadem ipsa subinde interponere, ut cicuratis istis succi peccantes minus exasperari per volatilia, minusque effervescere queant: (notabilis est cautela.) Hisce præmissis tandem appropriata volatilia subjungi possunt. Quæ ipsa quoque si effervescentias aut phlogoses excitare observentur, lacte vel sero lactis aut additis acidulis [illegible]

XIII. *Lac* & omnia [illegible] universalibus & [illegible] stomachus adhoc digerendo [illegible] gulare enim quid obtinet *lac* [illegible] à scorbuto vitiata, omne [illegible] dinem acrem emendat, partes [illegible] tritio rore humectat, unde in [illegible] dant, & ad taben inclinant, [illegible] nobilissima sunt remedia, & [illegible] tollent, imprimis si legitimo modo [illegible] propriatis misceantur. In specie commendat [illegible] lacte spiritus salis ammoniaci mistus [illegible] chleariæ, de quo capiatur omni mane & [illegible] nus haustus. In hypochondriacis [illegible] guletur, cruditates & obstructiones [illegible] priatum verò iis magis est serum, utpote [illegible] abstersoriâ pollens, præprimis si ipsi [illegible] ta, Hepatica & Splenetica dicta, [illegible] quantur, vel hoc cum illorum succis & essentiis [illegible] ac ventriculus illud ferat.

XIV. *In Cura Scorbuti monent Practici, ut à Mercurialibus quibuscunque omnino abstineamus,* aut saltem [illegible] usurpemus; quia metus est, ne *Mercurius, ad salivationem disponens, pessima* ac periculosissima *symptomata* [illegible] *& oris inferat: item Dolores nocturnos in artubus solent exasperare Mercurialia,* & etiam *graves phlogoses, æstuationes, & angustias excitare* in tali corpore. Interdum [illegible] humores acidi sunt in corpore, Mercurius præcipitatus, [illegible] cum aqua forti fieri solet. Antimonialia adeoque scorbuticis sunt optima. In Malo verò hypochondriaco Mercurius dulcis commodè admodum usurpari potest, miscendo cum cæteris laxantibus, quia fomitem materiæ viscidæ optimè incidit & abstergit.

His ita præmissis, pergo ad materiam Medicam. Quod attinet ergo rem Medicam *in Cura Mali hypochondriaci* & Scorbuti proficuam: imprimis DIGESTIVA dicta & præparantia, Sordes viscidas atque acres primarum viarum incidentia & detergentia, simulque vi diureticâ materiam ægri ad liberiorem urinæ excretionem disponentia, præmittenda sunt & subinde repetenda; aliàs enim levioribus evacuantibus cruditates hæ non cedunt, potentioribus verò cum magnis torminibus eiiciuntur. Talia sunt ex vegetabilibus illa Aromatica, mitiora, quæ digestiva, incidentia & aperientia communiter dicuntur; v.g. herba scolopendrii, ceterach, centaur. min., *hyssopi marrubii*, roris marini, radix gentianæ, polypodii, cichorii, chinæ, petroselini, liquiritiæ, lign. sassafras, myrrha &c., illorumque salia fixa per incinerationem parata.

Ex mineralibus conveniunt terrea, marina & metallica; quæ tamen non tam in viscidum, quàm in acidum videntur operari, unde etiam Absorbentia vocantur; v.g. creta, Mars & hujus vitriolum, aliaque Martialia & Antimonialia. Ex marinis succinum præparatum, corallia præparata, margaritæ præparatæ. Ex lapidibus possunt hìc adhiberi varii generis medicamenta usualia, crystallus præparata, &c. Saltem notetur hìc, non esse adhibendos lapillos, participantes de Marte: nam hi lapides constant ex multis partibus terrestribus, & paucis Martialibus, v.g. lapis hæmatites, magnes, &c.; hinc absorbent quidem acidum, interim tamen ob copiam partium terrestrium nimis adstringunt. Jam verò notum est, acidum excessivum ventriculi in Scorbuto & Malo hypochondriaco coagulare excrementa, ut inde frequens sit Malum hypochondriacis & scorbuticis alvi obstructio; & revera, non alio modo accidit obstructio alvi, quàm quatenus acidum excessivum, concurrens cum partibus excrementitiis terrestribus, degenerat in corpus stypticum.

Ex animalibus conveniunt lapilli cancrorum, lapilli percarum, carpionum, castoreum, illarumque volatilia.

Ex compositis verò magis tartarus vitriolatus, tartarus nitratus, sal digestivum hypochondriacum, i.e. caput mortuum spiritus salis ammoniaci, terra foliata tartari, tartarus tartarisatus, liquor terræ foliatæ tartari, seu sal essentiale ZWELFFERI, quod videb. *in Apol. contra Tach.*, *p.*73., & hoc ipsum est, quod commendat inter pulverem suum purgantem MOLLENBROCK *Tract. de Varis sub tit. Tartarus peculiari modo praparatus.* Ante ZWELFFERUM, hoc LOCATELLI describit. Ex sale tartari constat aceti acido ad saturationem usque impregnato; ita impregnatum sal solvitur in spiritu Vini, solutio abstrahitur, donec remaneat corpus laminatum sibi invicem superjacens,

hinc

hinc terræ foliatæ nomen accepit: Hoc sal nihil aliud est, quàm tartarus regeneratus: Nam si hoc sal essentiale per retortam destillatur, phlegma & oleū acquiritur, quæ nihil differunt à productis tartari communis adeoque sal hoc est tartarus quidam regeneratus. Sal hoc facilè liquescit, qui liquor polychresti usus est in malo hypochondriaco & affectibus scorbuticis. Porrò conveniunt Extractum Martis, Tinctura vitrioli Martis Zwelfferi & Ludovici, liquor terræ Martsolaris, sal Martis compositum, tinctura tartari acris, antimonii ex scoriis reguli antimonii, tinctura antimonii sicca, pulveres Martiales, crocus Martis aperitivus, limatura crudè pulverisata, tartarus chalybeatus, Antihecticum Poterii, antimonium diaphoreticum ex regulo antimoniali, Bezoard. Martiale, minerale; ex sulphure flores ejus, Elixyr proprietatis sine acido & cum dicto sale essentiali paratum, & similia. Præ cæteris omnibus *arcanum duplicatum Mynsichti*, quod in specie destinatum est Scorbuto à MYNSICHTIO, SCHROEDERO, & LANGELOTTO. Hæc sedulò ad unam vel duas septimanas præmittantur; Capiantur quotidie bis bonâ dosi, v. g. *salis digestivi* hypochondriaci quotidie bis ℈ j. ad ʒß., *Liquoris terræ foliat.* Tartar. j. gutt. 30. 40. vel 50. mane jejuno stomacho in vehiculo calido, à meridie in frigido. Aliàs equidem acida quoque in, viscididate primarum viarum corrigenda magni usus sunt; quia tamen acor quidam utplurimum in malo hypochondriaco combinatur, cautos nos esse decet in talium propinatione. Igitur non imitandus SENNERTUS *C.* 2. *Epist.* 30. & 35., ubi spiritum vitrioli Martis & Elixir proprietatis ratione spiritus sulphuris commendat. Salia dicta essentialia, de quibus vid. CHYMIA *Rolfincii*, etiam non perperam adhibentur; nam utut reverà juxta ZWELFFERUM *in Append.* saltem sint tartari, attamen non sunt contemnendi. Porrò ex tartaro recentiores pollicentur nonnulli, v.g. LANGELOTTUS, *sal volatile amaricans*, quod etiam æstimatur magnarum virium; verissimum est, spiritum tartari urinosum, de quo vid. *supplementum* 2. BECHERI, suam mereri laudem. Ex urina, excreta in loco publico, v. g. in cauponis, elaboratur per blandam calcinationem & elixiviationem sal multarum virium, id quod Dreidæ à nonnullis commendatur, tanquam insigne antiarthriticum seu antipodagricum.

Formulas digestivorum varias huc facientes videbitis *supra in Prolegom. Artic.* 2. *capit.* 3., item *Sect.* 3. *ubi de Cura morborum chronicorum*, & in *Cura Cachexiæ Artic.* 1. *Cap.* 3. *Sectionis hujus*, item *in Colleg. Institut. Artic.* 2. *Membr.* 3. *Cap.* 2. *Sect.* 1. *p.* 276.

Vel pro corrigendo Acido hypochondriaco.

℞. *Aqu. cichor.*
Fumar. an. ℥ j ß.
Solut. Mart. cum *succo pom.* ℥ iij.
Syr. de 5. *rad.* ℥ j.
M. F. Mistura:
D. S.
Mixtura corrigens.

Capiantur mane & vesperi duo vel tria cochlearia.

℞. *Aqu. fænicul.* vel *Fumar.*
Menth. an. ℥ j ß.
Sol. Martis cum *succo pom.* ℥ ß.
Mag. corall. cum succo citri ʒß. ad ʒ j.
Syr. cort. aurant. vel *fænic.* ʒß. ad ʒ vj.
M. S. *ut anteà.*

℞. *Tinctur. antim. tartarisat.* ʒ ij.
D. S.
Tinctura resolvens; 40. *gutt. pro una dosi.*

℞. *Tinct. tart. acerr.* ʒß.
S. *ut anteà.*
Dosis 40. *gutt.*

℞. *Tinct. tart. acrr.*
Ex scoriis reg. antimonii an. ʒ j ß.
Spirit. sal. ammoniaci drachm. j.
M. S. *ut suprà.*
Dos. 40. gutt.

℞. *Arcan. tart.* ʒ ij.
D. S.
Essentia digestiva: 40. *guttæ pro unâ dosi.*

℞. *Elix. propr. antiscorb.* ʒ ß.
D. S.
Elixyr aperiens; 40. *gutt.*

℞. *Tinct. Martis aperit.* ʒ ij.
Spir. cochlear. ʒ j.
Sal. ammoniaci ʒ ß.
M. D. S.
Tinctura aperiens; 50. *gutt.*

℞. *Limat. mart. crud. pulverisat.*
Tartari chalybeat. an. ʒ j.
Vitriolati ʒß.
Mag. corall. cum succo citri ʒ j.
M. f. Pulv. pro 5. dosibus.
D. S.
Pulvis digerens mane in jusculo.

℞. *Sol. mart. cum succo pom.* ℥ vj.
Spir. cochlear. ʒ j ß. ad ʒ iij.
M. S.
Essentia aperiens; 30. *ad* 40. *gutt.*

℞. *Tinct. Vitrioli Mart. Zwelff.*
Ess. fumar. compos. an. ʒ ij.
M. S. *ut anteà.*

℞. *Arcan. dupl.* ʒ j.
Oc. Cancr. prapar. ℈ ij.
M. f. Pulv.
Div. in 4. part. æqual.
D. S.
Pulvis aperiens.

℞. *Arcan. dupl. M.*
Corall. rub. præp.
Antihect. Pot. an. ʒß.
M. f. Pulv.
Div. in 4. part. æqual.
D. S.
Pulvis digestivus manè in jusculo calido.

℞. *Limat. Mart. pulverisat.* ʒß.
Ol. destill. sassaf. gutt. ij.
M. f. Pulv. S.
Pulvis digestivus.

℞. *Pulv. cachect. Martial.* ℈ß.
Terra tartarisat. ℈ ij.
Div. in 4. part. æqual.
D. S.
ut ante.

℞. *Corall. rub. præpar.*
Ebor. sine igne an. ʒß.
Vitrioli Mart. ad alb. calc. ℈ß.
M. f. Pulv.
Div. in 2. part. æqu.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Croc. Mart. aperitiv.* ʒß.
Arcan. dupl. ℈ j.
Sal. absinth. ℈ ß.
M. f. Pulvis pro 3. dos.
D. S.
ut anteà.

℞. *Croc. Mart.* ʒß.
Corall. rub. prap.
Salis fumar. gr. v. vel vj.
M. f. Pulvis pro 2. dos.
D. S.
ut anteà.

℞. *Croc. Mart. aperit.*
Cryst all. tartari,
Pulv. rad. ari an. ʒß.
Mag. cochlear. ℈ j.
M. S.
Pulvis digestivus pro 3. *dosibus, mane in jusculo calido.*

His subjunguntur, & intermiscentur evacuantia blanda.

Præmissis bis digestivis usurpentur *Vomitoria* primas vias potenter emungentia, eaque reiteranda: inter quæ eminent infusa antimonialia, vel tartarus emet. Myns., qui in Malo hypochondriaco optimè conducit, à gr. iv. vel mistus cum antiscorbuticis, vel ubi viscidum incidendum, cum salinis, v. g. sale ammoniaco depurato, &c. His simul semper appropriata Scorbutica vel antihypochondriaca misceantur: v. g. si fiat infusio croci metallorum in vino, tunc filtraturæ addendus spiritus cochleariæ, aut alius compositus, aut simplex antiscorbuticus, ut magis approprietur Vomitorium: v. g.

℞. *Aqu. antiscorb. Dorncr.* ℥ iij.
Spir. cochlear. ʒß.
Tart. emet. Myns. gr. iij. vel iv.
Extr. Mart. ℈ß.
M. S.
Potio emetica pro una dosi.

Quomodo fiant infusa talia, ex superioribus notum est: Post hæc vel loco horum usurpentur blandè evacuantia per alvum,

alvum, & quidem in Scorbuto sic dicto calidiore, in frigidiore verò per paulò potentiora: utraque tamen non sæpius reiteranda, cum frequentiora malum exasperent; vid. EUGALENUS *de Scorb.*233. 243. & 248. & SALOMON ALBERTUS *de Scorb.* §.254. Inter hæc conveniunt pilulæ non tam præcisè evacuantes, quam saltem laxantes, primas vias abstergentes, aliàs usuales dictæ, usurpari solent. Quoad pilulas purgantes, Mass. Pilul. de gummi amoniaco Querc. Mass., Pilul. tartarear. *Querc.* & *Bontii*, item pilulæ de fumar. & aperientes *Tilemanni* cum Mercurio dulci, &c. usurpantur; item Extract. catholicum cum Gummi ammoniaco, bdellio, galbano & similibus in pilulas redactum, & cum trochiscis alhandal acuatum: quales formulas SYLVIUS *Pr. lib.* 1. *cap.* 2. §. 34., *cap.* 7. §. 52., *cap.* 14. §. 50. *cap.* 30. §. 138., & *cap.* 34. §. 102., *cap.* 35. §. 16. describit, & commodè hypochondriacis propinari possunt. Gummi enim ammoniacum laxat & promptè abstergit quascunque sordes in primis viis stabulantes. Facit huc Mass. Pilul. antiscorbuticarum *Timæi*, quarum hæc est compositio:

℞. *Mass. Pilul. melanag. Querc.* ʒ j ß.
Extract. fol. senn. ʒ ß.
Resin. jalap. ʒ j. gr. vj.
Tart. vitriolat. gr. xiij.
Sal. volat. succin. ℈ j.
Sem. nasturt.
Cochlear.
Sinapi, an. ʒ ß.
M. & cum *Aqu. antiscorbutica* F. *Mass. Pil.*

Quarum dosis est à ℈ j. ad drachm. ß. Vid. MOELLENBROCK.

Saltem hic notetur: subinde pilulis talibus esse adjungenda medicamenta aut Martialia, aut antimonialia, aut Mercurialia, ne alvum post purgationem relinquant adstrictam. Præ cæteris pilulæ usuales sunt communiter quidem aloëticæ, ex Extracto aloës gummoso, quâ ratione pilulæ rosaceæ *Francofurtenses* & *Glassiana*, singulis 8. vel 14. diebus vesperi semel usurpatæ hypochondriacis sanè perquàm proficuæ sunt: Item pilulæ aloëticæ ad imitationem LUDOVICI *in Pharmacia*, item *in Tr. de Volatilis* sal tartari: Francofurtenses præprimis cum tartaro vitriolato, similive salino stimulo addito, acuatæ. Ipsa alias *aloë* in se hypochondriacis aut scorbuticis plus nocet, quàm prodest, propter virtutem adstrictivam, quam altero die post se relinquunt ordinariò ratione partis resinosæ, utut primo die laxent: Iis enim resinæ purgantium & extracta resinosa minus commodè propinantur, nisi forsan habitioribus & succulentioribus. Propterea si aloen volumus usurpare, usurpemus substantiam gummosam, quæ potest separari, terendo aut extrahendo aquâ simplici, menstruo aqueo, quæ substantia gummosa potest redigi in formam *pilularum*, & tales *pilulæ* dosi granorum ij. vel iij. blandè laxant alvum, & in tali casu hypochondriacis confirmatis omnibus tribus vel quatuor septimanis in usu sunt, egregia cum euphoria. Omnes hæ vel per se usurpari, vel cum aliis appropriatis specificari, & cum tantillo resinæ scammonii aut jalappæ, vel extracto trochiscorum alhandal acuari possunt; quarum formulæ variæ ex *Idea Formul. cl.* 2. §. 1. & 2., *Colleg. Pharmaceut, in Schrœd. P.* 2. *Class.* 2. *Dissert. de Præcipitant. Usu & Abusu c.* 3. §. 30., *supra de Chylificatione læsa Sect.* 5. *cap.* 1. & *de Cura Morborum Chronicorum Sect.* 13. petendæ. Et sanè ab hujusmodi pilulis usualibus primas saltem vias abstergentibus longè plus commodi sentiunt hypochondriaci, quàm à fortioribus etiam propinatis purgantibus. Vel

℞. *Mass. Pilul. de Ammon. Querc.* gr. xv.
Gumm. ammon. aceto sol. scrup. ß.
Scammon. sulphurat. gr. ij.
Troch. alhand. gr. j.
Cum *Essent. Mart.* f. pilulæ.
D. S.
Pilula laxativa pro una dosi.

℞. *Mass. pilul. Cathol.* gr. xij.
Gum. ammon. aceto sol. scrup. ß. ad gr. xij.
M. f. Pil.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Mas. pil. de Hier. cum agar.* gr. xij. vel xv.
Gumm. ammon. aceto sol. scrup. ß.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Extr. troch. alhand. gr. j. vel ij.
Cum *Ess. Mart.* vel *absinth.* f. pill.
D. S. *ut sup.*

℞. *Mass. pilul. de Ammon. Querc.* gr. xv. ad ℈ j.
Extr. Martis cum succo pom. ℈ ß.
Scammon. sulphurat.
Extr. troch. alhand. ana gr. j.
Cum *sol. Mart. cum succo pom.* f. Pilulæ.
D. S.
ut suprà.

℞. *Extr. hellebor. nigr.* gr. xv.
Gumm. Ammon. aceto sol. ℈ ß.
Scammon. rosat.
Extr. troch. alband. ana gr. ij.
Cum *Ess. fumar.* f. Pilulæ: S.
ut suprà.

℞. *Mass. Pilul. tartarear. Querc.* vel *Senn. de Ammon. Qu.* ana ℈ j.
Resin. jalap. ℈ ß.
Diagryd. gr. vj.
Ol. destillat. cort. aur.
Macis ana gutt. iv.
M. f. Pilulæ: S.
Pilulæ pro aliquot vicibus.

℞. *Aloes gummos.*
Gumm. ammon. aceto sol. ana ʒ ß.
Arcan. duplicat. ʒ ij.
Extract. troch. alb. ʒ ß.
Cum *Tinct. Mart. cum succ. pom.* F. Pil.
D. S. *ut anteà.*
Dosis XXIV.

℞. *Mass. Pil. de Amm. Querc.* ℈ j.
Mercur. dulc. gr. xv.
Extract. troch. alband. gr. j.
Ol. destill. anis. gutt. ij.
M. f. Pil. S.
Pilula pro una dosi.

℞. *Mass. Pilul. de Ammon. Querc.* gr. xv.
Tartari vitriolat. gr. vj.
Scamm. sulphurat. gr. j.
Cum *Ol. destillat. anis.* F. Pilulæ.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Mass. Pil. de Ammon. Qu.* gr. xv.
Extr. castor. gr. vj.
Troch. alb. gr. ij.
Cum *Ess. castor.* f. Pilulæ.
D. S. *ut anteà.*

Conveniunt in Malo hypochondriaco flatulento.
Vel

℞. *Galban. aceto sol.* ʒ ß.
Extr. castor. ℈ ß. au gr. xij.
Troch. alb. gr. ix.
Diagryd. gr. vj.
Cum *Ol. destill. Carv.* f. pil. pro tribus dosibus.
D. S.
Pilulæ laxativæ resolventes pro 3. dosibus.

℞. *Mass. Pilul. de tribus Ruffi* gr. xij.
Mercur. dulc. ℈ ß.
Extr. troch. alb. gr. ij.
Cum *Essent. Mart. fiant pilulæ.*
D. S.
Pilulæ purgantes.

℞. *Mass. Pilul. de Ammon.* gr. xij.
Mercur. dulc. ℈ ß.
Extract. helleb. nigr. gr. v.
Troch. alb. gr. j.
Cum *Ess. Mart. cum succo pomer.* f. Pilulæ.
D. S.
ut ante.

℞. *Gumm. ammon. in aceto sol.* aut *Mass. Pilul. de ammon.* gr. xv. ad ℈ j.
Merc. dulc. ℈ ß.
Resin. scamm. gr. iij.
Cum *Ess. cast.* aut *Elix. propr.* f. Pil.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Mass. Pil. Tartarear.* vel *de fumar.* gr. xij.
Mercur. dulc. ℈ ß.
Mastich. gr. ij.
Extract. troch. alb. gr. j.
Cum *Ess. fumar.* vel *Elix. propr. antiscorb.* f. l. a. Pil. n. 19.
D. S.
Pilulæ purgantes manè sumendæ.

℞. *Mass. Pil. de Ammon. Querc.* scrup. j.
Mercurii dulc. gr. xv.

Extr.

Extr. troch. alband. gr. ij.
Ol. destill. carvi gutt. ij.
Cum *Essent. Gummi ammon.* f. Pilulæ.
D. S. *ut ante.*

℞. *Extr. cathol.* vel *panch. Croll.* ℈ ij.
Galb. cum aceto sol. ℈ j.
Mercur. dulc. ʒß.
Extr. troch. alb. gr. xij.
M. f. pil. pro. 5. vel 6. dosibus: S.
Pilulæ aperientes pro aliquot vicibus.

℞. *Galb.* vel *Gummi Amm. cum aceto sol.* ʒj.
Vitrioli Mart. gr. xv.
Scammon. prap. Brendel. gr. xij.
Mag. jalapp. gr. vi.
M. f. Pil. min.
D. S. *ut suprà.*
Dentur 12. usque 15. pro dosi.

℞. *Mass. Pilul. de trib. Ruffi* vel *Gum. Ammoniaci in aceto sol.*
Extr. Elleb. nigr. ana ℈ß.
Vitrioli Mart. ad albed. calc. gr. v.
Scammon. præpar.
Extr. troch. alband. an. gr. i.
Cum *Ess. Gum. ammoniaci* vel *fumar. compos.* f. Pilulæ:
D. S.
Pilulæ aperientes pro una dosi.

℞. *Mass. Pilul. de Amm. Querc.* vel *Gumm. ammon. cum aceto sol. depur.* ℈ i.
Vitrioli Mart. ad albed. calc. gr. v.
Trochisc. alb. gr. i ß.
Scamm. prap. gr. i.
Ol. destill. fœnic. gutt. ii.
Cum *Ess. Gummi Ammon.* f. Pilulæ quovis mense capiendæ.
D. S. *ut ante.*

℞. *Extr. panchym. Croll.* gr. xii.
Mercurii dulc. ℈ß.
Scammon. rosat. gr. iii.
Cum *Essent. Gum. ammon.* f. Pilulæ.
D. S. *ut ante.*

℞. *Mass. Pilul. de amm.* vel *Tartarear. Qu.* gr. xv.
Mag. jalapp. gr. ii.
Extract. troch. alb. gr. i.
Cum *Tinctur. tart.* f. Pilulæ.
D. S. *ut suprà.*

Item evacuantia appropriata mista alterantibus sunt optima, ut blandè & successivè per continuatum usum evacuentur & alterentur viscositates acidæ, quod faciunt imprimis *Noduli* vino infusi, qui ut in omnibus morbis chronicis, ita in specie in Malo hypochondriaco, & hinc Scorbuto, sunt optimi. Et quidem Ingredientia laxativa sunt imprimis omnia sennata, tam infusum herbæ, quàm pulveres sennati compositi, quorum tot sunt descriptiones, quot capita. Post sennata sunt helleborata ex helleboro nigro desumpta remedia; sive extractum ejus; sive essentia radicis hellebori nigri, quæ extra scopum laxativum commodè aliis alterantibus in his malis addenda venit; sive alia ex eodem remedia. Denique his stimuli loco aliquid de colocynthide ejusque extracto potest addi, quod non est inconveniens remedium: quod si fortior jam stimulus his addendus sit, radix esulæ præparata recipiatur. Exempla nodulorum in Malo hypochondriaco, Scorbuto, & similibus morbis chronicis, videb. *suprà Sect.* 13. & *in Cachexia Cura* 1. *cap.* 3. *hujus Sectionis*; Vel præscribatur Nodulus antiscorbuticus ex recentibus Ingredientibus talis:

℞. *Herb. rec. cochlear.*
Nasturt.
Roris mar. an. M j.
Rad. armorac. rec. (Germ. *Meer. rettich.*) ʒ j ß.
Fol. sen. sine stip. ʒ j.
Rhabarb. elect. ʒß.
Helleb. nig. crud. ʒ iij.
Bacc. junip. ʒ vj.
Cinnamom.
Galang. an. ʒ j ß.
Sal. tartar. ʒ iij.
Incisa & contusa includantur Nodulo: S.
Nodulus aperiens.
Infundatur *Vino simplici* vel *Absinthiti*,

Vel
℞. *Herb. absinth.*
Rorismar.
Centaur. min. an. M j.
Flor. anth.
Genist. an. M ß.
Fol. sen. sine stip. ʒ vj.
Rhabarb. opt. ʒß.
Helleb. nigr. ʒ iij.
Sem. erucæ contus. ʒ j.
Cinnam. ʒ ij.
Caryoph. ʒ j.
Sal. tart. ʒ iij.
Incis. & contus. includantur Nodulo.
D. S. *ut ante.*

℞. *Herb. absinth.*
Agrimon.
Centaur. min. an. M j.
Flor. anthos,
Genist. an. p. iij.
Rad. enul. rec.
Polypod.
Armorac. rec. an. ʒ vj.
Cort. fraxini,
Tamarisc. an. ʒß.
Fol. Senn. sine stip. ʒ vj. ad ʒ j.
Helleb. nig. crud.
Rhabarb. elect.
Agar. albiss. ana ʒß.
Zedoar.
Zingib.
Cinam. ana ʒ j. ad ʒ j ß.
Passul. min. (hæ enim tanquam blandissimè temperatæ, his nodulis adduntur) ʒ j ß.
Sal. tart. (est quasi stimulus menstruus ad resolvenda ista simplicia) ʒ iij. ad ʒß. (aut loco hujus *Crem. tart.* ʒ vj.: sed *sal tart.* est melius)
Incis. & contus. D. S.
Species ad nodulum laxativum in vino.

Includantur *Nodulo*, infundantur in *Vino*, quod omni mane & vesperi capiatur, ut relaxetur alvus.

℞. *Com. absinth.*
Summ. cent. min.
Herb. rec. cochl. ana M ß. ad M j.
Rad. armorac. rec. ʒ j.
Gentian. ʒß.
Tarax. ʒ ij.
Fol. senn. sine stip. drachm. vj. ad ʒ j.
Rad. elleb. nigr. crud. ʒß.
Esul. non prap.
Sem. anis. ana drachm. j ß.
Fœnic. drachm. iij.
Cinnamom.
Caryoph.
Zingib. an. drachm. j.
Sal. tart. drachm. iij.
Incis. & contus. includ. *Nodulo:*
D. S.
Nodulus laxativus in vino.

℞. *Herb. persicar. rec.* M ij.
Absinth.
Rorismar. ana M j.
Fol. sen. sine stip. ʒ j.
Rhabarb. el. ʒß.
Helleb. nigr. drachm. iij.
Sem. eruc. ʒ j.
Cinnam. drachm. ij.
Caryophyll. drachm. j.
Sal tartari drachm. iij.
Incis. & contus. includantur *Nodulo*;
D. S. *ut ante.*

℞. *Herb. rec. fumar.* M. j.
Cochlear.
Beccabung ana M ß.
Rad. polypod. querc.
Cort. aurant. ana ʒ iii.
Fol. senn. sine stip.

Rha-

Rhabarb. opt. ana ℥ß.
Helleb. nigr. crud. ℥vj.
Galang. ℥ij.
Sem. anis.
Fœnicul. ana ℥iß.
Sal. tartari drach. iij.
Incis. & contus. includ. Nodulo.
D. S. ut suprà.
℞. *Herb. rec. fumar.* m. j.
Absinth.
Meliss.
Summ. cent. min.
Flor. genist. ana m. ß.
Rad. enul. ℥x.
Polypod.
Helleb. nigr. crud. ana unc. j.
Esula drach. iij.
Fol. senn. sine stipit. unc. j.
Zedoar. drach. ij.
Caryoph. ℥ß.
Incisa & contus. f. Nodulus.
D. S. ut supra.

Facit huc etiam infusum seu similis nodulus contra Malum hypochondriacum CNNEFFELIO aliàs usitatus, qui fit ex sequentibus:

℞. *Herb. absinth.* m. iij.
Centaur. min. m. ij.
Rad. helleb. nigr. (nam hæc fuit ipsius Arcanum pyrgatorium singulare, ubique ab ipso commendatum) ℥iij.
Polypod. Querc. unc. iß.
Cort. fraxini,
Tartari albiss. ana unc. ß.
Limat. Martis ℥iij.
Incisa & contusa conspergantur
Spiritu salis dulc. gutt. jx.
Includantur Nodulo, qui infundatur in
Vini Canth. jß.
& more usitato adhibeatur.

Hisce in subjectis siccioribus commodè passularum minorum unc. iß. addi potest. Rhabarbarum ipsum ad curam mali hypochondriaci tanquam optimum, præsertim paulò succulentioribus, à quibusdam laudatur, alterando simul & evacuando: vid. RHODIUS *Cent.* 2. *obs.* 100., qui ad obstructionem inveteratam commendat Decoctum vel Infusum Rhabarbari. Spectat huc etiam syrupus de Spina Cervina seu domesticus, it. Syrupus florum acaciæ & de carthamo, qui sunt blandi & maximè conducunt: Aut cremor tartari cum tantillo radicis jalappæ acuatus; e. g.

℞. *Crem. tartari* vel *tartari vitriolati,*
Pulv. jalapp. ana gr. xv.
Olei destillat. mac. gutt. ij.
M. f. pulvis: S.
Pulvis laxativus,
Vel
℞. *Tartari vitriolat.* vel *arcan. dupl.* gr. xvj. vel ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Troch. alhand. gr. ij.
M. f. pulvis S.
ut antè.
℞. *Pulv. diasenn. Mont.* gr. xvj.
Crem. tartari ℈ß.
Scammon. sulphurat. gr. iv. uel v.
M. f. pulvis:
D. S. ut suprà.
℞. *Crocis Martis aperit.* ℈j.
Scammon. sulphurat.
Sal. tartari ana gr. v.
M. f. pulvis:
D. S. ut *suprà.*
℞. *Fol. senn. sine stipit.* drach. iij.
Rad. hellebor. nigr. crud. ℥j.
Zingib.
Sal. tartari ana ℈j.
Infund. in s. q. *aquæ calid.* per noctem:
Colaturæ manè addantur.
Aquæ cinnam. drach. iß.
Extract. troch. alh. gr. j.
M. D. S.
Potio laxativa pro una dosi.
℞. *Fol. senn. sine stipit.* ℥ij. vel iij.
Rad. polypod. drach. iii. vel unc. ß.
Fibr. helleb. nigr. ℈ii. ad ℥j.
Zingib. ℈ß.
Sal. tartari ℈j. ad ℥ß.
Infund. per noctem in *aqua simpl.* vel *fumar.* vel *sero lactis*: mane coquatur leniter: colaturæ unc. iij. adde
Spiritus cochlear. ℈i.
Syrup. fumar. vel *rosat. solut.* vel *de pom.* drach. iij. ad ℥ß.
M. pro dosi.
D. S. ut *suprà.*
Vel
℞. *Strob. pini tenell.* m. j.
Tamarind. unc. iß.
Rad. helleb. nigr. drach. iij.
Coq. in s. q. *cerevis. secund.* in vase clauso & igne lenissimo:
Colaturæ ℥v. adde
Aquæ antiscorbut. Dorner. unc. ij.
Crystall. tartari ℥ß.
Succ. cochl. rec. expr. ℥j.
Syrup. sceletyrb. Forest. unc. ij.
M. S.
Potio purgans pro 3. *vicibus: capiatur mane per* 3. *dies consecutivos.*

Verùm ut alvus obstructa aut saltem contumacior quotidiè laxa servetur, etiam remedia quædam domestica sedulò in usum vocanda sunt: quæ inter primatum obtinent *passulæ*, quæ admodum conveniunt in Malo hypochondriaco, Scorbuto etiam, & nihil nocent; cùm alia *dulcia*, ut *saccharata & mellita* hypochondriacis & scorbuticis propter facillimam acescentiam & propter contentorum ex effervescentia concitata turbationem, tetra inferant symptomata, & affectus recrudescere faciant. *Passulæ* autem, quatenus sunt temperatæ, potius quamcunque acrimoniam in corpore temperant, emolliunt & nutriunt, & blandâ ac naturali fermentatione (sunt enim instar musti concentrati) vitiosam sanguinis fermentationem restituunt & renovant, conducunt imprimis viris, mulieribus non semper. *Poma* etiam *Borsdorffiana* aliaque dulcia seu cruda bene matura comesta, seu eorum succus usurpatus, medicamentum sunt laxativum, & admodum temperativum in Malo Hypochondriaco. Hinc succo depurato commodè alia remedia alterantia & laxativa infundi, & ita propinari possunt, qui potus admodum conducit in Malo hypochondriaco. Quò etiam faciunt pilulæ domesticæ seu usuales jam dictæ, omnibus 8. uel 14. diebus semel capiendæ; Item Terebinthina manè deglutita, ad quantitatem nucis parvæ, quam HORSTIUS *l.* 4. *Obs.* 28. singulariter commendat.

Conveniunt ergò hic passulæ laxativæ, item pruna laxativa, quæ in officinis solent prostrare; quorum vis laxativa est imprimis à senna, passularum nempe vel prunorum in Senna coctione vel maceratione: Item decoctum passularum laxativum cum & sine tamarindis; nam & ipsi tamarindi utilissimi sunt Hypochondriacis ac magis Scorbuticis, illis præsertim, in quibus phlogoses & æstuationes vagæ subinde observantur. Formulas dabo *infra l.* 2. *Sect. Membr.* 2. *Articuli* 3. *capitis* 4. ubi *de Melancholia*, & *in Colleg. Pharmaceut. in Ludovici Tit.* 3. *pag.....* Vel

℞. *Passul. min.* unc. iß. vel unc. ii.
Probè conquass. coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. adhuc ferventi infunde
Fol. Sen. sine stipit. drach. iij.
Flor. violar. P. ij. ad iij.
Crem. Tartari drach. j
Stent aliquandiu in loco calido, postmodum coletur & asservetur pro usu.
D. S.
Potio laxativa.

Capiant Hypochondriaci haustulum vitri unius (Germ. *ein VVein glasgen voll*) & inservit etiam pro vehiculo reliquorum remediorum, blandè servat alvum apertam. Item

℞. *Passul. min. conquass.* unc. iij.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colaturæ ferventis ℔ ij. infunde
Fol. Senn. sine stipit. unc. ß.
Rad. helleb. nigr. non præpar.
Cort. aurant. ana ℥ij.

Galang.
Zingib. ana ℥j.
Crem. tartari ℥ij.
Stent in loco tepido per noctem vase clauso.
Colaturæ adde
Spiritus cochlear. ℥ß.
M. S. ut *suprà.*
Vel fiat electuarium hoc modo:
℞. *Pulv. passul. min.* unc. ij. vel iij.
Arcan. dupl. Myn. ℥j.
Sal amm. depur. (ratione stomachi:)
Spec. diatrion piper. ana drach. ß. vel ℈ij.
Syr. de pom. Reg. Sab. q. s.
M. f. Elect. pro aliquot (9. vel 12.) dosibus usurpandum, quod sufficienter alvum apertam servat.

Si verò aluus nimis contumax sit, aliquot granis *trochiscorum albandal* vel *horum Extracti* facilè potest acui. Melius autem est in forma liquida propinare. Pertinet huc syrup. de spina cervina domesticus, item Vinum infusionis florum acaciæ; qui pro hoc scopo sunt per quàm proficui & blandissimè aluum seruant apertam; vid. *Collegium Pharm. in Ludovici.* Ut taceam cremorem tartari à ℈j. ad ℥ß. cum aliquot granis jalappæ acuatum, in jusculo tepido assumptum, egregium.

Præter dicta *Clysteres* quoque in Malo hypochondriaco & Scorbuto magnæ sunt efficaciæ pro aluo aperta seruanda, præsertim in paroxysmo, quando æstuatio corporis, phlogoses &c. urgent, in abdominis affectibus minuendis, palpitatione cordis, anxietate Melancholica, dolore abdominis Scorbutico; & quidem saltem emollientes & blandè abstergentes sufficiunt; vel, quod melius est, ex urina pueri, qui conueniunt in Malo hypochondriaco cum copiosis flatibus juncto: Si contumacius sit malum, conueniunt Clysmata cum lixiuio diluta, additis aliquot unciis mellis depurati. Talia Clysmata mirè conueniunt intestina abstergendo, in specie si crassiori muco sunt obsessa; vid. *supra sect. 11. ubi de Colica.* In doloribus abdominis conveniunt Clysmata ex sero lactis, aut ex lacte; vel simplici, cui parum *sacchari* sit additum; vel cui incoquantur plantæ quædam *carminativæ.*

Modus præscribendi notus est ex Morello. In specie, si urgeant dolores nephritici nothi, conueniunt *Clysmata ex lacte* cum terebinthina, qualia *videb. suprà, Sect. 9. cap. 3. Artic. 1. ubi de Dysenteria*; faciunt urinam bene olentem instar violarum, & multum commodi afferunt. Quin etiam Clysteres nocturni seu qui vesperi injiciuntur sub introitu lecti, & per totam noctem retinentur, admodum commendantur in *Obs.* HORSTII, & ferè ex lacte præparantur, in Scorbuto summè proficui: Imo sunt, qui alternis diebus illorum injectionem commendant, v. gr. RIVERIUS *l. 12. Pr. cap. 5.* ex. gr.
℞. *Lact. bubul.* unc. ix.
Elect. lenitiv. ℥j.
De bacc. laur. unc. ß.
Vitell. ovi j.
M. f. Clysma sub introitu lecti injiciendum: S.
Clyster leniens.
℞. *Flor. sambuc.* m. ij.
Fol. hyoscyam. m. i.
Coqu. in s. q. *lactis bubul.* vel *caprill.*
Colat. unc. x. adde
Vitell. ovor. ij.
M. f. Clysma in doloribus Scorbuticis.
D. S. ut antè.
℞. *Herb. chamomill. cum flor.* m. jv.
Rad. gentian.
Bacc. juniper.
Lauri ana unc. ß.
Sal. tartari vel *ciner. clav.* ℥iij.
Coqu. in s. q. aquæ:
Colatur. ℥viij. adde
Elect. lenitiv. ℥j.
Oles colocynth. ℥ij.
M. f. Enema. D. S. ut *suprà.*
℞. *Spec. carminat.*
Flor. chamomill. ana m. i.
Rad levist. drach. vj.
Bacc. juniper. unc. j.
Coqu. in s. q. *urinæ pueri*:
Colat. unc. viij. adde
Elect. Hier. cum agar. unc. j.
Mell. anthosat. drach. vj.
Misc. pro enemate:
D. S. ut *suprà.*
℞. *Lact. bubul.* ℔j.
Terebinth. cum vitell. ovi sol. unc. ß.
Mell. rosat. ℥vj.
M. pro Clysmate:
D. S. ut *supra.*

Præmissis his universalibus, aut primis viis ritè mundificatis, fiat accessus ad *Martialia, salia fixa*, aliaque similia, acidum peccans in primis viis emendantia: quibus vel subjunguntur vel simul cum iis subministrantur Alterantia, acria quidem, amara, aromatica, quodammodò diuretica in Malo hypochondriaco; nempe conueniunt hic in genere omnia vulgò dicta Aperientia & Hepatica amara, & hinc stomachica aromatica, & virtute in specie diureticâ insignita. Vel horum loco volatilia spirituosa, spiritus ac salia Volatilia usurpantur, pro varietate nempe constitutionis subjectorum. Nam ista phlegmaticis, sanguineis, frigidis, &c. & in quibus bilis stimulo indiget, conueniunt: hæc verò urinosa volatilia Cholericis, junioribus, Melancholicis, & iis, qui crebrius æstuationes patiuntur; magis conferunt Martialia: Hæc inter eminent nunc Mars crudus, nunc *præparata* varia plus minus cruda, prout plus minùs acidum infringendum venit. Hinc in usu sunt omnes croci Martis aperitivi, qui, quò sunt simpliciori & acido minus côcentrato parati, eò sunt meliores. Croci Martis cum salibus, item limatura Martis subtilissimè trita. Facit huc etiam terra Martis præparata, quæ inferri fodinis reperitur, laudata insigniter a ZACUTO. Huc faciunt omnes pulueres cachectici, quorum basis solet esse Mars, adjectis tamen etiam aliis; pulvis cachect. Hartmanni simplex cum cinnamomo, uitriolum Martis ad pulueris consistentiam calcinatum, *liquor Martis solaris*, *sal Martis compositum*: e. gr.

℞. *Conf. fumar.* unc. ß.
Conf. alcherm. ℥ß.
Martis crudi pulverisat. drach. iij.
Mag. corall. cum succo cit. drach. j.
Cum s. q. *syr. pom.* vel *flor. papav. errat.* vel alius appropriat.
F. Electuarium.
D. S.
Electuarium aperiens pro aliquot vicibus.
℞. *Pulp. passul. min.* unc. i.
Lim. Martis pulverisat. ℈i.
Olei destillat. cinam. gutt. j.
M. pro dosi. S.
Electuarium aperiens pro una vice.
℞. *Conserv. fumar.* unc. ij.
Cochlear. unc. ß.
Vitrioli Martis drach. ij. vel *Extr. Martis cum succo pom.* ℥ß.
Corall. rub. præp.
Ebor. sine igne,
Lap. cancr. præpar. ana drach. i. ad drach. iß.
Cum s. q. *syr. pom.* f. Electuarium. D. S.
Electuarium aperiens pro aliquot vicibus.

De quo capiatur omni mane dosi 2. castanearum magnitudinis, subjungendo vesperi Elix. vel Essentiam quandam appropriatam.
℞. *Tinctura Martis tartarisat* ℥iij.
Spiritus cochlear. essent. drach. j.
M. D. S.
Aperiens tinctura chalybeata.
Dosis 40. ad 50. gutt. bis in die.
Vel in robustioribus:
℞. *Liq. Martis solaris* drach. iii.
D. S.
Aperiens essentia chalibeata.

De qua primo die capiat gutt. vj. secundo viii. tertio xii, ascendendo sic ad xv, xx, & xxv, usque ad modum Acidularum naturalium in morbis Chronicis.

Ratione Martis ipsæ *acidulæ naturales*, quæ origin ē ducunt ex uena Martiali soluta ab acido sulphuris, in his morbis, præmissis præmittendis, sunt adeo egregiæ, in quibus præponderat acidum forte: de qua uirtute & efficacia uid. *HELMONT. Parad.* & *TACHENIUS in Hip. Chym. SYLVATICUS C. 1. Consf. 63. & C. 3. Consf. 36. ac RIVERIUS Pr. l. 12. cap. 5.* Uti in uidebitis in *LANGIO de Usu Therm. Carol. & Acidularum Egranarum.* Loco quarum liquor Martis solaris, tanquam acidulæ concentratæ, commodè sub-

de substitui potest. Aliis autem acidulis artificialibus vulgo dictis quales Clyssus antimonij, &c. nihil tribuo: Siquidem adeò, certum est, quam quod certissimum, acidulas naturales, uti præmonitum est, operari respectu partium sibi junctarum Martialium, quæ desunt dictis acidulis artificialibus. In refrænandis autem æstibus febrilibus, etiam malignis, laudas suas bis ultro decerno, præprimis clysso antimonii. Ex talibus acidulis elaborat tincturam suam florum bellidis noster D. HORNIUS. Quorum stomachus est nimis sensilis, iis loco acidularum naturalium sufficit *tinctura vitrioli Martis Zwelff.*, solutio Martis cum succo pomorum Bosdorffianorum, item *extractum* Martis cum succo *Tamarind.* vel succo pom. Borsd. extractum. Hoc extractum succo pom. Borsd. extrahitur cum spiritu cochleariæ antiscorbutico composito in essentiam seu tincturam Martialé, & est egregia tinctura antihypochondriaca: vid. DRAVVIZIUS. Vel solutio Martis cum succo pomor. miscenda cum spiritu cochleariæ. Dosis 40. vel 50. gutt. bis vel ter in die.

Martialia hæc aliquandiu continuentur, & post eorum usum blandus instituatur motus, alvusque servetur aperta.

Huc quoque facit antimonium diaphoreticum Martiale, Bezoard. min. Martiale, & in genere quivis pulveres, electuaria, essentiæ, ac tincturæ Martiales, anticachecticæ, &c. Et denique laudatur lapis Bezoar tanquam expertum in Malo hypochondriaco, ex eo, quoniam quodcunque acidum promptè absorbet.

Observandum autem, ne semper Martialia propinentur in siccioribus subjectis, utpote in quibus blandiora & liquida non rarò majorum virium observantur. In specie verò ubi viscerum infarctus ad scirrhum inclinans, subinde Martialia non conveniunt, sed malum potius intendunt; vid. *Diss. de præcipitantium usu & Abusu c. 3. §. 18. & TACHENIUS Clav. Hippocr. pag. 181. & 192.* In usu medicamentorum Martialium, in specie acidularum, etiam stomachi habenda est ratio: unde externè Emplastrum de ladano Cratonis, item Emplastrum de tacamahaca, malaxatum cum oleo chamomillæ, in forma scuti Stomachalis applicantur: Item corium cervinum cum oleo destillato chamomillæ & menthæ illitum commodè adhibetur. Vel

℞. *Olei express. Nucist.* ℥ ß.
Destillat. bacc. junip. ʒ j.
Cumin. ℈ j.
Macis ℈ j.
M. D. S.
Balsamum stomachale.

Alterantia hypochondriaca, quæ Veteres consueverunt usurpare præmissis Martialibus, imprimis sunt Vegetabilia amara plus minus aromatica, Hepatica & Splenetica dicta, it. Stomachica, v. g. herba absinth. (optimum in Hypochondriacis succulentis,) agrimonia, cent. minus, rad. armoraciæ, aronis, filicis, polypodii, helenii, &c. Præ ceteris fumaria, cent. minus, baccæ iunip. & omnia ex his parata, ut infusa, Decocta, quæ tamen indesuetudinem abierunt, & Vina Medicata. Magni etiam à nonnullis æstimantur *Cappares*, de quibus audiendus est SENNERTUS *Pr. l. 3. P. 1. S. 1. c. 7.*, qui difficilis non saltem coctionis, sed ratione aceti quoque quo communiter condiuntur, eas suspectas pronunciat, ideoque cum passularum Corinthiacarum tertia parte, saccharo, & tantillo tantum aceti eas præparare jubet. Insigniter autem ex his Vegetabilibus quæcunque fixa lixivialia per calcinationem parata in Malo hypochondriaco conveniunt, quia sunt simul diuretica, ut sal absinthii, cichorii, centaurii minoris, sal Stomachale Mynsichti: item sal istud compositum, quod remanet in destillatione spiritus salis ammon., hoc enim sal est egregium diureticum, & vulgò vocatur sal digestivum hypochondriacum; & similia, &c. Faciunt huc etiam Vegetabilium essentiæ; nempe fumariæ simplex & composita, & omnia ex fumaria composita remedia, quæ egregia in malo hypochondriaco: Essentia splenis bovis, ess. absinthii ad imitationem DRAWIZII parata, aliaque similia: item *essentia aperitiva D. Michaelis*, cujus propter materiæ medicæ cognitionem hæc est compositio:

℞ *Herb. agrimon.*
Scolopendr.
Cuscutæ ana M. iij.
Melissæ,
Ceterach,
Herb. Cichor.
Tarax.
Marrub.
Capill. Veneris ana M. ij.
Rad. Rhabarb. Monach.
Filicis,
Cichor.
Tarax.
Gramin. ana ℥ ij.
Curcum. ℥ j.
Flor. cichor.
Bellid. min.
Tamarisc.
Hepat. nob.
Genist. ana P. iij.
Cort. cappar.
Tamarisci,
Fraxini ana unc. ij.
Sem. asparag.
Frax. ana unc ß.
Anisi,
Fœnicul. ana ʒ ij.
Gum. lacca unc. j.

M. & fiat cum spiritu vini *simpl.* vel appropriato Essentia Aperitiva.

Elixyr proprietatis commune, vel paratum sine acido, vel paratum cum spiritu sal. ammoniaci vinoso, vel mistum cum spiritu sal. ammon., aut etiam cum spiritu cochleariæ, vel solum sufficere dicit LINDANUS in Malo hypochondriaco, it. in scorbuto in subjectis paulo habitioribus: Sic etiam Elixyr stomach. de D. Michaelis mistum cum dimidia parte spiritus cochleariæ, mirè conducit Hypochondriacis. Quin etiam omnia remedia tartarea salina, aliaque volatilia uberiùs penetrantia, nunc per sudorem, nunc per urinam evacuantia, præ cæteris sunt egregia. Hæc inter eminet sale volatile & spiritus *tartari*, isque ritè paratus & *volatilis*: item tartarus vitriolatus, tartarus chalybeatus: Item suprà laudatum *arcanum duplicatum Mynsichti*, quod usu diuretico omnibus palmam præripit in Malo hypochondriaco & Scorbuto præsertim frequens scorbuticis, quando crebriores phlogoses ægros fatigant; In talibus casibus est nobilissimum; unde etiam in febribus intermittentibus & scorbuticis remedium est sine pari. Tinctura tartari acris ad 40. gutt., mista cum spiritu sal. ammoniaci, item tinctura tartari antimoniata, quæ & ipsa est egregia. Mistura simplex, quæ pari modo conveniens est remedium in Malo hypochondriaco, non minus quàm in Scorbuto. Pertinet huc imprimis *spiritus carminativus de tribus*, ex tartaro, nitro & spiritu vini, qui vel solus vel mistus cum ana spiritus sal. ammon. potens est remedium ad malum hypochondriacum. *Dosis* sunt gutt. XX, XXX. ad L. usque; melius non habebitis remedium in paroxysmo Mali hypochondriaci, quod nunquam me deseruit, & Hypochondriacos mirabiliter levat. Nam spiritus sal. ammon. per se egregius est ad curam Mali hypoch, isque non tam simplex, sed & compositus oleosus, si Mixturæ calcis vivæ & sal. ammoniaci addatur spiritus vini infusione *aromatum* imprægnatus, & hinc forti igne per retortam destilletur, prodit sic spiritus vim aromaticam referens, qui est optimus dosi gutt. XXX. vel XL. in Malo hypochondriaco. Quò etiam pertinet tinctura nephritica Amelungi, & sexcenta alia, à gut. XX. XXX. ad XL. Ut hæc *volatilia* eò magis reddantur *diuretica*, consultum est, ut imitemur ZWELFERUM, qui miscet spiritum *sal. ammoniaci* cum ana *liquor. terræ fol. tartari*, sic est forte diureticum, & tanquam quoddam secretum à quibusdam habetur in Cura Mali hypochondriaci: Aut etiam hic ipse spiritus sal. ammoniaci miscetur cum spiritibus antiscorbuticis, cum spiritu cochleariæ aut cum spiritu antiscorbutico composito, & singulariter confert in Cura Mali hypochondriaci. Ex dictis Formulę fiunt variæ.

℞. *Ess. absinth.* vel *Ess. absinth. tartarisat.* ʒ ij.
Spiritus cochlear. ʒ j. M. D. S.
Essentia aperiens.

Dosis 40. gutt. bis in die.

℞. *Ess. gum. ammon.* unc. ß.
Spiritus sal. ammoniaci sassafr. drach. ij.
M. S. *ut ante.*

Dosis 50. gutt.

℞. *Elix. propr. sine acido*, vel *tinctura tart. compo* vel *Ess. absinth.* ʒ ij.
Spiritus sal. ammoniaci ʒ iß.

Præter *urinam attendat Medicus symptomata dolorosa*: si patiuntur dolores partium ultra naturam talis morbi, si in alio morbo superveniat *dolor lancinans* in lumbis, nisi adsit nephritis, signum est adesse scorbutum: quibus si nervosi generis pathemata superveniant, de scorbuti præsentia vix ampliùs dubitandum erit. *Confirmatur*, si æger conqueratur de doloribus gingivarum & dentium, si hinc inde *maculæ* excrescant, quæ quò majores sunt, imprimis in cruribus, eò magis malum manifestum est.

Præter maculas *pruritum* Scorbutus interdum solet inferre, *pruriginosam* quoque *purpuram*, quæ certum signum est Scorbuti latentis.

Porrò jejuno stomacho, frequens est ptyalismus.

Signa Scorbuti primaria, & quibus tantum non infallibiliter cognosci potest Scorbutus, recenset sequentia LINDANUS: nempe (1) *Ardorem & titillationem in gingivis „cum subsequente cruentatione, adeo ut si parum fricentur, „cruententur, ubi sanguis aquosus & salsus effluere solet, qui „posteà fit fœtidus*. (2) *Sub concavo oculorum apparet color „purpureus, qui est quasi semi-lunaris*, inquit LINDANUS. Et hoc unum signum si adest, satis arguit tunc adesse Scorbutum: cui si accedat cruentatio gingivarum, res est ferè infallibilis. (3) *Maculæ instar morsiunculárum pulicum, „præsertim in femoribus & inferioribus tibiarum partibus, „subinde apparent*. (4) *Signum admodum singulare & multum conducens ad cognitionem Scorbuti est vacillatio genuum, ita ut eorum robur corpus fulciens pereat, & ægri quasi „sint lapsuri*. (5) *Adest intensus & insignis fœtor oris, usque „præsertim jejuno ventriculo*. (6) *Sentiunt crebrò phlogosin „& exæstuationem per totum corpus*. Hæc ceu signa primaria recenset LINDANUS pro cognitione Scorbuti. His addo ego (7) arenulas rubras & facilè friabiles, si nempe hæ ipsæ fundo & lateribus matulæ adhærere videantur.

Hæc quoad Diagnosin; Sequitur

PROGNOSIS MALI HYPOCHONDRIACI *ET* SCORBUTI.

Hi duo affectus recentes adhuc, & nervoso generi aliisque partibus solidioribus nondum impressi, idoneis medicamentis & accuratiori victus ratione possunt facilè curari.

Malum hypochondriacum incipiens solus motus corporis curat, ritè institutus.

Verùm quò magis inveteratum fuit Malum, & nisi simul exacta & cauta observetur diæta, hinc firmiores egerit radices, in specie in negotio digestionis primæ œconomiam systematis nervosi turbaverit, gingivas ac dentes eroserit, viscera notabiliter contaminarit, maculas & exanthemata projecerit, impossibile est, ægrum perfectè curari; sed palliativè tantùm iisdem occurrimus, præprimis cùm maxima medicinæ opera urgentibus symptomatis tollendis, neglectâ causâ continente, non rarò impendantur. Accedit & hoc, quod ejusmodi chronici affectus continuatum etiam remediorum postulant usum, ne denuo semel mitigati recrudescant ulteriùs, donec perfectè eradicentur: in quo ipso tamen maximè inobedientes sunt ægri remediorum tædium percipientes; subitò enim, ubi paulò meliùs se sentiunt, ab ipsis utplurimum desistunt.

Scorbutus enim est lerna malorum atque morborum; haud enim facilè reperitur morbus, qui non possit originem trahere ex Scorbuto.

Imprimis autem producit obstructiones varias ob viscicitatem sanguinis, omnis generis convulsiones, v. g. colicas, hystericas, hypochondriacas, artuum omnis generis dolores, v. g. odontalgiam, dolores arthriticos, cephalalgiam, lippitudines, &c. Adeoque vel singulis annis vel longiore aut breviore intervallo Scorbutus excitat tumultus, nunc his nunc aliis stipatus, symptomatibus, sæpèque ad plures annos protrahitur, donec tandem aut perpetuo languore ægri contabescant, aut hydropici aut phthisici evadant, aut sphacelo hujus vel illius membri corripiantur. *Scorbutus* enim *inveteratus* interdum in Cachexiam universalem, interdum etiam in hydropem, terminatur; sæpissimè verò in atrophiam & tabem transit, lentâque morte hominem jugulat.

Periculosa contingit Scorbuticis dyspnœa, utpote ex qua ægri non rarò pereunt; non quidem in se, sed si non statim commodis solvatur remediis: vid. BARBETTE *Prax. pag.* 145. Maximè observatu dignum est prognosticon SENNERTI, quod habet *lib.* 3. *Prax. cap. de Scorbuto pag.* „604. *Respirationis*, inquit, *difficultas & pectoris angustia „periculosum malum est, ob quam, si Medicus & adstantes „suum officium non faciant, sæpè ægri syncope præter expectationem intereunt; sin verò fortior natura morbum diutius „tolerare possit, plerumque in hydropem ægri incidunt, præ„cipuè ii, qui purgantibus fortioribus subinde uti so„lent*.

Quibus alvus pertinax, morbus hic gravior evadit.

Porrò hæmorrhoidum & mensium fluxus aut similis quædam solennis *hæmorrhagia periodica*, uti hæc mala insigniter leniunt, ita eatum suppressio aut naturalis emansio non parum ista aggravat: vid. suprà, ubi de hæmorrhoidibus *pag.* 233.

Pulsus in Hypochondriacis est variformis, quandoque intermittit: *in Scorbuticis* verò, imprimis in scorbuto ut sic, est admodum varius, subindè parvus, languidus & inæqualis est, ut æger omni momento, quoad pulsum, videatur exspiraturus; sed longè minus periculosus est, quàm in aliis morbis esse solet, & si non alia symptomata adsint, non terreatur Medicus. Pulsus deficiens subinde deprehenditur, quando propter acidum sanguis ad grumescentiam plus minus disponitur, ut hinc inde grumi sanguinis colligantur, qui motum arteriarum impediunt: malum signum est.

Urina in Malo hypochondriaco hactenus tenuis & clara, si vel sponte vel ab usu medicamentorum crassior evadat, melior est, cùm illa crassos humores in corpore detineri arguat. Nigræ quoque urinæ sine febre post usum remediorum antiscorbuticorum sæpè hunc morbum solvunt; indicant enim excrementorum præcipitationem ex massa sanguinea.

De cœtero Hypochondriaci non rarò hydropici & hectici, interdum melancholici & maniaci, evadunt.

Maculæ scorbuticæ, æquè ac in febribus petechialibus, quò magis rubent, & quò sunt grandiores, sunt eò meliores & sine periculo: tamen quò magis ad cœruleum & lividum atque atrum colorem tendunt, non secus ac febrium malignarum petechiæ, eò sunt pejores; qui ægri rarius evadunt & in aperta si abeant ulcera, difficulter sanantur: semper tamen bonum signum est, cæteris paribus, maculæ rubræ.

In omni scorbuto levant nocturni sudores symptomata, nisi sint nimiùm frequentes, apprimè verò sudores cum efflorescentia maculari.

Porrò observanda etiam est mira & *continua symptomatum* scorbuticorum inter se metamorphosis: Nam dolores vagi transeunt in pertinacem cephalalgiam, nunc in paresin, nunc colicam convulsivam: Colica subinde mutatur in paralysin & paresin; & contra: Item convulsiones scorbuticæ subinde etiam in paralysin nonnunquam terminantur, aut etiam in cataphoram: Nunc transeunt in tumorem modò evanescentem, modò denuò emergentem; nunc transeunt in Asthma convulsivum, subinde & epilepsiam.

Quando Scorbutici atrocissimis doloribus artuum laborant, subitò lethargo correpti in alium statum mutantur.

Difficilioris curationis observatur scorbutus calidus dictus, quam frigidus, cùm in illo particulæ salino-sulphureæ sanguinis massæ intimiùs junctæ videantur, in hoc verò laxè magis ipsi adhærescant.

Scorbutus morbis diuturnioribus superveniens, aut Valetudinarios ex quacunque causa invadens, ægrius curatur, utpote in quibus & sanguis & viscera jam tum vitiata.

Cujus etiam ferè generis est Scorbutus malâ Victus ratione, & imprimis potus generosioris frequenti usu contractus: cum è contrà, qui per *contagium, aeris insalubritatem*, aut *vitam sedentariam* excitatur, minorem curandi difficultatem foveat.

Sic difficulter compescitur Scorbutus *hæreditarius*, aut qui lacte materno aut nutricis fuerit instillatus.

Quo fixior est scorbutus, eò difficiliùs curatur; si vagus meliùs curatur.

Præ cæteris *gingivarum habenda est ratio*, quarum cruentationi & exulcerationi interdum *gangræna* supervenit, interdum

terdum etiam livor & putredo palatum occupat & corrumpit: vid. SENNERTUS: id quod quibusdam ansam dedit, ut putarint esse luem Veneream, cùm tamen tantùm fuerit scorbutus: Aliàs certum est, nullum morbum magis cognatum esse Lui Venereæ, quàm scorbutum, cùm *etiam dolores in scorbuto æquè nocturno tempore magis affligant, sicuti fit in Lue Venerea.*

Humorum per superiora atque inferiora rejectio parum levaminis scorbuticis creat, sed hi potiùs doloribus & cruciatibus ventris diuturnioribus conficiuntur: vid. EUGALENUS *de Scorb. p. 7. & 8.* Imprimis scorbutus cum diarrhœa est periculosissimus.

Hoc tamen circa prognosin scorbuti adhuc notetur: illam cautè esse applicandam, cum plurimi pro desperatis habiti reconvalescant. E contrà etsi symptomata mitiora videantur, si abdominis viscera indurata, pulmones corrumpi incipiant, vix successus laudabilis promitti poterit: vid WILLISIUS *de Scorb. cap. 6.*

Sed de his & similibus ad Scorbutum & Malum hypochondriacum attinentibus vid. Autores supra citati, in specie REUSNERUS *de Scorb.* MOELLENBROCCIUS, qui quidem scripsit *de Variis seu Arthritide Vaga scorbutica*; sed tamen etiam multa habet, quæ ad scorbuti naturam declarandam optimè faciunt, tàm quoad Theoriam, quàm quoad Praxin; & HORSTIUS *in Tr.* parvo, sed accurato, *de Scorbuto.*

CURA.

Quod attinet *Curam Mali hypochondriaci & scorbuti*: in hac ad Mali scaturiginem, nempe stomachum, præsertim est respiciendum. Propterea

1. Acidum viscidum peccans & vitiosæ cruditates, tam primarum viarum, quam in Massa sanguinea & succis corporis, corrigantur: idque vel cum *generalibus* acidum temperantibus, vel *specificis*, in specie Antiscorbuticis, acidum scorbuticum emendantibus.
2. *Correctum acidum* peccans, & ita in serosam materiam transmutatum, *evacuandum*, imprimis per vomitum, urinam, & sudores.
3. *Stomachi* semper exacta *habenda est ratio*, ejusque fermentativus liquor volatilibus temperandus & volatilisandus, & digestio naturalis, quantum possibile, promovenda, & in naturalem statum restituenda.
4. Lactimus *sanguinis crasis* in Scorbuto corrupta, seu cacochymia, *emendanda* & quasi renovanda; unde in Scorbuto imprimis habenda est ratio specifici saporis scorbutici. Ac
5. Si quæ subsint evacuationum solennium suppressiones, tollantur.

Corrigentia acidum sunt vel generalia, nempe Metallica absorbentia, martialia, saturnina, terrea, & quæ de salium fixorum alcalium sunt natura, omne acidum destruentium; item Vegetabilia acria & aromatica, animalium partes duræ, Marina, & ex omnibus his parata multa remedia artificialia: Vel sunt specialia, ut salia volatilia acria & oleosa antiscorbutica ex Vegetabilibus, tàm nativa, quàm arte facta, & animali regno ab appropriatis desumpta, nempe lumbricis, &c. crasin massæ sanguineæ sensim alterantia, & ita nunc per sudorem, nunc per urinam heterogenea excludentia. Hæc vulgò Hepatica, item Splenetica, & Stomachica appellari solent: quibus commodè elegantiores Tincturæ antimoniales aut solares sociandæ sunt. In quibus scopis simul observanda semper symptomata varia, ut additis convenientibus remediis & horum ferocia mitigetur. Cumque ex superioribus constet, *Causam scorbuti proximam in duplici salsedine* præternaturali consistere, utraq; etiã sui emendationem postulabit; & quidem tam in primis viis, si in culpa fuerint, quàm in Massa Sanguinea. Ratione primarum viarum, quia in his vel occasione assumptorum, vel dyscrasiæ propriæ, cruditates, tanquam scorbuti prima rudimenta, cumulantur, illorum selectui pars diætetica, hujus emendationem Pharmaceutica doc ebit. Scilicet: alimenta euchyma atque eupepta simpliciora, & facultate incidendi atque resolvendi pollentia, assumantur: crassa, viscida, sale condita, fumo indurata, legumina verò, fructus immaturi, pisces superiùs inter Causas relati, & alimentorum farrago, evitentur: saccharum & saccharata ratione salis acris & corrosivi à plurimis in tantum vituperantur, ut ex Recentioribus sint, qui eorum abusum scorbuto hujus seculi adeò frequenti, hujusque augmento multum contribuere autumant. vid. HORSTIUS *libr. 7. Observat. 34.* MOELLENBROCC. *de Variis cap. 8.* & WILLISIUS *de Scorbuto pag. 303.* Potus sit vinum generosum & ventriculo gratum, cerevisia probè defæcata, item *lac*, salsedinem scorbuti quidem eluens atque temperans, ventriculo tamen cruditatibus referto non adeò facilè exhibendum: Cui etiam substitui potest serum lactis primas vias magis laxans, ac per urinam evacuans, adeoque rusticis, Frisiis ac Batavis hujus quotidianus usus commodum à scorbuto vernaculo existit præservativum. Quibus præter aquam nihil potulenti concessum, aut hanc cum vino temperant, seliguntque fontanam pellucidam minusque limosam; aut chalybeatam bibant; cui tamen acidulæ meritò præferuntur: vid. HORSTIUS *l. a. p. 380.*

Ast pro Chylificatione depravata, remediis pharmaceuticis corrigenda, pro meliori Curæ directione observandum:

I. Venæ sectionem quamcunque in his affectibus per se nullius esse usus, neque in Malo hypochondriaco, neque in Scorbuto; utut sint, qui in adjuncto splenis affectu salvatellæ sectionem mirè laudent in manu sinistra: & certum est, quod multi insignes Practici, aliquot observationibus inducti, hujus salvatellæ sectionem in manibus commendent: sed tamen re ipsâ constat, quod hæc ipsa vena præ aliis venis nullam habeat prærogativam in brachio, unde hujus sectio ridicula est, de qua vid. in specie MARCUS AURELIUS SEVERINUS *in Castigata pseudophlebotome*: Unde mirari subit, quomodo secutæ sint subinde tàm prosperæ curationes post hujus sectionem; nam per se nunquam hoc factum fuit. Interim tamen, utut per se non conveniant; tamen interdum indirectè & saltem per accidens, v. g. *in dolore crurum* scorbutico fixo incipiente, venæ sectio brachii interdum egregiè confert: sic etiam *in Cephalalgia scorbutica* incipiente, aut sæpiùs recurrente, & similibus in principio venæ sectio in brachio confert, per accidens autem: non secus ac etiam *Fonticuli* per se nihil conferunt, à posteriori tamen in affectibus scorbuticis catarrhalibus crebriùs affligentibus, per accidens sunt proficui, cruribus inusti.

II. *Diuretica* imprimis & hinc *Sudorifera* blanda sunt optima & naturalissima Mali hypochondriaci & scorbuti evacuantia: Certum est, si in Malo hypochondriaco largiter fluit urina, maximum esse levamen: Sint autem in principio blandiora, ne ex primis viis ad vasa rapiant saburram morbificam. Inter Diuretica conducunt præ cæteris remedia salina, de alcalium prosapia, non terrea, nec acida, sed alcalia vel fixa vel volatilia nitrosa ex insectis; speciatim arcanum duplicatum Myns. per quàm egregium est, spiritus tartari volatilis, spiritus lumbricorum terrestrium, &c. sal stipitum fabarum, tinctura tartari si ritè parata; vel sale tartari vel ex scoriis antimonii, vel sola vel cum dimidio spiritus salis ammoniaci mista. V. g.

℞. *Arcan. dupl. Myns.* ℥j.
Sal. centaur. min.
Genistæ an. ℈ß.
M. pro tribus vel 4. dosibus.
D. S.
Pulvis diureticus.

℞. *Lapill. cancr. prep.* ℈j.
Terra fol. tartari ℈ß.
M. D. S.
Ut antè.

Vel

℞. *Tinctura tartari* (sed probè fortis sit) ʒiij.
Spirit. sal. ammoniac. ʒj.
M. D. S.
Tinctura diuretica.
Dosis 30. guttulæ.

℞. *Tinctur. Nephrit. Sulzberg.* ʒj.
Detur pro duabus dosibus:
S. *ut antè.*

Vel

℞. *Tinct. Nephrit. Sulzb.* ʒiij.
Spirit. carminat. de tribus ʒj.
M. D. S. *ut supra.*

℞. *Spi-*

℞. *Spiritus tartari volat.* ℨj.
Cochlear. ℨß.
Sal. volat. succini gr. vj.
M. pro duabus dos. S.
Mixtura diuretica pro duabus dosibus.

Sudorifera dixi debere esse blandiora, cum subinde scorbutici plus debito sudoribus diffluant: sunt vulgaria & usitata cum Antiscorbuticis mixta. DRAWIZIUS *de Scorbuto pagin.* 159. commendat spiritum sequentem:

℞. *Spir. tart. opt.* ℔j.
Cochlear. ℥iv.
Mistis irrorentur
Vitrioli ad rubedinem mediocri igne exsicc. ℔ij.

Diger. in Balneo Mariæ per aliquot dies, dein per retortam destilletur spiritus, in fine igne fortissimo, donec spiritu vitrioli transeat. Cujus misturæ ℨß. vel ℨj. per dosi sudorifera sufficit, & conducere asserit.

Conveniunt optimè, quando in Scorbuto partes nerveæ externæ graviter affliguntur, observando tamen constitutionem ægri habitus plus minus rarioris, item magis vel minus sudoribus colliquativis affectorum; pro horum enim consideratione vel copiosiora aut rariora, vel fortiora aut blandiora, usurpanda sunt sudorifera: v. g.

℞. *Bezoard. Martial.* gr. xv. ad ℈j.
Sal. card. ben. ℈ß.
M. D. S.
Pulvis scorbuticus sudoriferus.

℞. *Antimonii diaphor.* gr. xv. ad ℈j.
Cinnab. antim. gr. xij.
Ol. destillat. cochlear. gutt. j.
M. f. Pulvis.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Corn. Cerv. sine igne,*
Cinnab. antimonii an. ℈ß.
Sal. volat. viperar. gr. vj.
Mag. cochlear. gr. v.
M. D. S.
ut suprà.

Usurpetur in sequenti vehiculo:

℞. *Aqu. fumar.*
Flor. samb. an. ℥ß.
Spir. cochlear. ℨj.
Syr. card. ben. ℨß.
M. D. S.
Aqua ad pulverem.

℞. *Conserv. cochlear.* ℨj.
Bezoard. Martial. ℈j.
Salis absinth. ℈ß.
M. f. Bolus: S.
Bolus scorbuticus pro una dosi.

℞. *Spir. fulig.* ℨß.
Cochlear. ℈j.
M. D. S.
Mixtura Scorbutica pro una vice.

℞. *Tinctura bezoard.*
Spir. cochleariæ an. ℨij.
M. D. S.
Spiritus scorbuticus 30. guttæ pro una dosi.

℞. *Aqu. Fumar.* unc. j.
Ess. lign. compos. cum *antiscorbutic. extract.* ℨj.
Antimonii diaphor. Martial. gr. xv.
Syr. de fumar. ℨiij.
M. S.
Potio Scorbutica pro una dosi.

℞. *Aqu. fumar.*
Carmin. Dorncr. an. unc. j.
Spirit. cochlear.
Essent. pini an. ℨj.
Tinctur. Antimonii tartaris. (vel *Spirit. viperar.*) scrup. ß.
Syr. card. ben. unc. ß.
M. D. S.
Potio sudorifera vesperi sumenda.

Potest etiam loco fumariæ aquæ adhiberi *aqua scordii, cardui benedict.* &c.

℞. *Aqu. antiscorbut. Dorncr.* ℥jß.
Mixt. simpl. ℈ij.
Spirit sal. ammoniaci sassafr. ℨß.
Rob juniper. ℨj.
Syrup. fumar. ℨij. vel ℨiij.
M. pro duabus dos. S.
Potio sudorifera pro duabus dosibus.

III. Basis curandi mali hypochondriaci est *Vomitus*, præmissis digestivis, & si alvus constipata, enemate appropriato provocanda, eaque interdum post mensem repetenda, quæ, ut & primariò vomitus, saburram primarum viarum exterminat, & firmum fundamentum parat pro prospera futura curatione: vid. HARTMANNUS *in Prax. Chymiat. c.*184. §.1. Sine vomitu enim præmisso reliqua remedia parum vel nihil operantur. Unde dicunt, optimum esse, si hypochondriaci literati omni spatio menstruo ad ebrietatem bibant *& vomant*. Si ventriculus cruditatibus refertus est, nauseam & vomendi conatum patitur, vomitus optimus est, imprimis absente dolore abdominis. Observandum tamen (1) ut ventriculi habeatur ratio, isque debilis fortioribus Vomitoriis non nimis enervetur. (2) Ut præscribantur in majori dosi, cùm interdum dupla, imò tripla requiratur, & quidem potiùs in forma sicca, quàm liquida. In Scorbuto, qua tali, raro convenit Vomitus, nisi forsan primæ viæ saltem mundicandæ: nam periculum est, ne Vomitoriorum vi acriores scorbuticorum succi commoti varia ac deinde periculosa symptomata primarum viarum inferant, cùm ipsi Scorbutici subinde à vomitionibus enormibus aut saltem inanibus, utut pravissimis vomendi conatibus, miserè vexentur.

IV. *Purgantia fortiora* & propriè dicta quæcunque semper & maximè *nocent*, aut saltem non prosunt *hypochondriacis*, & deteriorem reddunt *Scorbutum*, imprimis *si adest dolor stomachi*, quin & intestinorum atque abdominis gravia inferunt symptomata, disponuntque ad dysenterias, ad tormina, & diarrhœas, &c. Confer. SENNERTUS *lib.*3. *Prax. ubi de Scorbuto pagin.*608. TIMÆUS *Epistol. pag.*235. MOELLENBROCCIUS *de Varis pagin.*90. Speciatim si *dolores in Scorbuto* urgeant vel abdominis vel artuum, sedulò caveamus à Purgantibus propriè dictis, quia *augent malum*. Ad hæc *in hypochondriacis* Purgantia subinde parum aut nihil operantur propter tormina, semper lædunt, saltem pareses aut contracturæ hinc excitantur; Laxantia è contrà optimè prosunt, & interdum cum euphoria largiter evacuant. *In Mulieribus* hypochondriacis vel *hystericis ex levi usu purgantium facilè dysenteria sequitur*.

V. In malo hypochondriaco semper sedulò habenda est ratio mucaginis viscidæ aut pituitæ vitreæ, ceu familiaris fomitis saporis hypochondriaci, à quo ferè diuturnitas ipsius mali ac symptomatum in primis viis pertinacia dependet. Simus ergo semper in ejus Cura solliciti, viscidum pituitosum ut incidatur & attenuetur, hinc blandè & successivè potiùs quàm confertim per primas vias evacuatur. In quem finem gummata, & ex his paratæ Potiones ac Pilulæ acuendæ cum extracto trochiscorum alhandal, repetitis vicibus assumendæ, sunt optimæ, quarum formulas infra suo loco: id quod pariter in quibusvis ferè morbis chronicis ac cachecticis observandum.

VI. Inter præcipua Curationis in his duobus affectibus, & imprimis *in malo hypochondriaco* hoc observandum est, *ut alvus semper servetur aperta*; nisi enim fluida est, solent insigniter exasperari symptomata, capitis perturbationes, & symptomata melancholica: *si in scorbuto non est aperta*, dolores artuum & abdominis exasperantur. Ideò æger subinde habere debet aliquot medicamenta familiaria, quibus crebrò utatur, modò hoc, modò illo. Ne autem unius superveniat fastidium, aut ne natura uni assuescendo sine alteratione id accipiat.

VII. Notabile est, quod monet HARTMANNUS *Prax.* „*Chymiatr. cap.*136. §.9. ubi dicit: *Nota verò subinde usu* „*evenire, ut ab exhibitione aperientium & similium, solutis* „*jam viscerum obstructionibus, ita alvus proritetur, ut quasi* „*dysenteria subsequi videatur, tunc providendum erit Cor*„*roborantibus appropriatis, in specie Elixyr proprietatis,* „*Tinctura Corallierum, & similibus viscerum tonum con*„*servantibus*.

VIII. Alterantia, vulgò aperientia dicta, non semper fortia aut ficciora, v. g. absorbentia vel Martialia, æquè incon-

conducunt; sed interdum leniora & quasi humectantia, præstantiora observantur. Huc facit, quod dicit *Wedelius Tr. de Medic. Facultat. pag. 50.: Observavi sæpius, „contumaces Hypochondriacos cum fortioribus & siccioribus aperientibus frustrà & diu fuissent vexati, optimè habuisse ab humectantibus hujusmodi, unde & Galenica medicamenta cum Chymicis hic commodè miscentur*, & *in Infusa commodè dantur, in decoctis etiam ob eandem rationem.* Item ut summatim hæc repetamus: Aquea & liquida magis diluunt & temperant, terrea magis absorbent, salina magis per urinam pellunt, alcalia magis incidunt, acria magis attenuant & resolvunt, dulcia magis abstergunt, amara simul magis roborant. Pertinet huc quoque notabilis cautela TACKENII de usu Martialium: *In iis, in quibus viscera tumida & infarcta jam ad scirrhosam naturam degenerant, minus proficua.* Vid. *Clav. Med. Hippoc. pag. 181. & 192.*

IX. Compertum est, quod in Malo hypochondriaco etiam medicamentorum antiscorbuticorum aliorumque volatilium optimus sit usus, imò vix sine alterantibus scorbuticis curari possit, quod aliis remediis non cedit. Quod si malum altiùs provectum sit, Antiscorbutica vel sola conveniunt, non solùm in scorbuto propriè sic dicto, sed etiam in malo hypochondriaco paulo molestiore. Præ cæteris spiritus carminativus in hypochondriorum affectibus mirabilis existit.

X. Quod specificorum antiscorbuticorum magna sit varietas, utut propriè sic dicta Antiscorbutica omnia de sale volatili acri participent; Nunc enim sunt *acriora*, nunc *temperata*, nunc *aromatica sulphurea*. Observanda ergò est constitutio ægri; quidam enim non possunt ferre *volatilia* acra, ut *spiritum cochleariæ*. Ob id attendant Medici ad constitutionem ægri, semper delectum quendam inter *remedia antiscorbutica* habendo, cautèque observent, quæ & qualia imprimis uni alterive subjecto magis sint familiaria: Nam Antiscorbutica acriora & *volatilia* subinde magnam Scorbuticis inferunt noxam sinistrè usurpata; sive in biliosis subjectis; sive etiam in subjectis, in quibus alcali nonnihil volatilius & acrius peccat. In talibus enim effervescentias acres, & phlogoses, symptomata multiplicia & vaga non rarò excitari solent. Quo in casu antiscorbutica acria non conveniunt, sed fixa præmittenda, aut temperatis aliis vulgò Refrigerantibus appellatis, v. g. cichorio, endivia, acetosa, acetosella, item acidis blandis, succo citri, ribium, aut berberum, spiritu salis dulci & similibus temperanda & emendanda. Quò etiam serum lactis pertinet, ceu optimum Antiscorbuticorum nimis acrium correctivum.

Selectum Antiscorbuticorum quod spectat, vid. HELVETIUS *Tr. Vit. Aur. pag. 50.*, dum in scorbuto cum maculis cæruleis discoloribusque *cochleariam*; cum maculis verò rubris *acetosam*; cum tumoribus artuum quasi hydropicis *fumariam*; cum atrophia *beccabungam* imprimis commendat. Par ratio est in hypochondriacis, quippè ubi phlogoses adsunt, non adhibenda oleosa aromatica, quibus potius exacerbantur, sed potius volatilia macra, seu salia volatilia macra seu salia volatilia non oleosa, uti est spiritus salis ammoniaci, carminat. de tribus, &c. Adeòque in subjectis, ubi alcali volatile acre, & hinc dependentes phlogoses adsunt, priùs fixa *Martialia* acidum absorbentia propinanda sunt, vel volatilium acrium loco substituantur.

XI. Acetum nocet tàm hypochondriacis quàm scorbuticis; succi tamen vegetabilium acidi non nocent, nisi in quantum fermentationes præternaturales excitare queant. Nempe magna est differentia inter aciditatem succorum fructuum, v. g. pomorum aut pyrorum, ab aceto ex istis succis per fermentationem parato. Quò etiam faciunt succus citri, aurantiorum, &c. hypochondriacis ac scorbuticis non adeo hostiles; qui licet acidi, tamen in talem, quæ spiritibus sociabilis est, aciditatem terminantur, adeoque minus nocua existunt.

XII. Quod hujusmodi Antiscorbutica appropriata seu volatilia acria non sunt usurpanda mox in principio Curæ, sed consultum est fixa, primarum viarum acidum temperantia & abstergentia, Martialia scilicet, vel salia alcalia præmittere horum usui, aut etiam eadem ipsa subinde interponere, ut cicuratis istis succi peccantes minus exasperari per volatilia, minusque effervescere queant: (notabilis est cautela.) Hisce præmissis tandem appropriata volatilia subjungi possunt. Quæ ipsa quoque si effervescentias aut phlogoses excitare observentur, lacte vel sero lactis aut additis acidulis succis, ut supra monui, temperanda.

XIII. *Lac* & omnia *lacticinia* in Scorbuto, præmissis universalibus & vitiosum acidum corrigentibus, quamdiu stomachus adhuc digerendo aliquid valet, sunt optima. Singulare enim quid obtinet *Lac* in corrigenda crasi sanguinis à scorbuto vitiata, omne vitiosum acidum temperat, salsedinem acrem emendat, partes solidas imprimis nerveas nutritio rore humectat, unde in scorbuticis, qui nimiùm sudant, & ad taben inclinant, præmissis universalibus, *lacticinia* nobilissima sunt remedia, & atrophiæ ac phthiseos metum tollent, imprimis si legitimo modo cum Antiscorbuticis appropriatis misceantur. In specie commodè propinatur in lacte spiritus salis ammoniaci mistus cum ana spiritus cochleariæ, de quo capiatur omni mane & vesperi semper bonus haustus. In hypochondriacis autem cum faciliùs coaguletur, cruditates & obstructiones metuendæ sunt. Appropriatum verò iis magis erit serum, utpote potentiore virtute abstersoriâ pollens, præprimis si ipsi vegetabilia appropriata, Hepatica & Splenetica dicta, infundantur aut incoquantur, vel hoc cum illorum succis & essentiis temperetur ac ventriculus illud ferat.

XIV. *In Cura Scorbuti monent Practici, ut à Mercurialibus quibuscunque omninò abstineamus*, aut saltem cautè eadem usurpemus; quia metus est, ne *Mercurius, ad salivationem disponens*, *pessima* ac periculosissima *symptomata faucium & oris inferat: item Dolores nocturnos in artubus solent exasperare Mercurialia*, & etiam *graves phlogoses, æstuationes, & angustias excitare* in tali corpore. Interdum ubi humores acidi sunt in corpore, Mercurius præcipitatur, uti cum aqua forti fieri solet. Antimonialia adeoque scorbuticis sunt optima. In Malo verò hypochondriaco Mercurius dulcis commodè admodum usurpari potest, miscendo cum cæteris laxantibus, quia fomitem materiæ viscidæ optimè incidit & abstergit.

His ita præmissis, pergo ad materiam Medicam. Quod attinet ergo rem Medicam *in Cura Mali hypochondriaci* & Scorbuti proficuam: imprimis DIGESTIVA dicta & præparantia, Sordes viscidas atque acres primarum viarum incidentia & detergentia, simulque vi diureticâ materiam ægri ad liberiorem urinæ excretionem disponentia, præmittenda sunt & subinde repetenda; aliàs enim levioribus evacuantibus cruditates hæ non cedunt, potentioribus verò cum magnis torminibus eiciuntur. Talia sunt ex vegetabilibus illa Aromatica, mitiora, quæ digestiva, incidentia & aperientia communiter dicuntur; v. g. herba scolopendrii, ceterach, centaur. min., *hyssopi marrubii*, roris marini, radix gentianæ, polypodii, cichorii, chinæ, petroselini, liquiritiæ, lign. sassafras, myrrha &c., illorumque salia fixa per incinerationem parata.

Ex mineralibus conveniunt terrea, marina & metallica; quæ tamen non tam in viscidum, quàm in acidum videntur operari, unde etiam Absorbentia vocantur; v. g. creta, Mars & hujus vitriolum, aliaque Martialia & Antimonialia. Ex marinis succinum præparatum, corallia præparata, margaritæ præparatæ. Ex lapidibus possunt hìc adhiberi varii generis medicamenta usualia, crystallus præparata, &c. Saltem notetur hìc, non esse adhibendos lapillos, participantes de Marte: nam hi lapides constant ex multis partibus terrestribus, & paucis Martialibus, v. g. lapis hæmatites, magnes, &c.; hinc absorbent quidem acidum, interim tamen ob copiam partium terrestrium nimis adstringunt. Jam verò notum est, acidum excessivum ventriculi in Scorbuto & Malo hypochondriaco coagulare excrementa, ut inde frequens sit Malum hypochondriacis & scorbuticis alvi obstructio; & revera, non alio modo accidit obstructio alvi, quàm quatenus acidum excessivum, concurrens cum partibus excrementitiis terrestribus, degenerat in corpus stypticum.

Ex animalibus conveniunt lapilli cancrorum, lapilli percarum, carpionum, castoreum, illarumque volatilia.

Ex compositis verò magis tartarus vitriolatus, tartarus nitratus, sal digestivum hypochondriacum, i. e. caput mortuum spiritus salis ammoniaci, terra foliata tartari, tartarus tartarisatus, liquor terræ foliatæ tartari, seu sal essentiale ZWELFFERI, quod videb. *in Apol. contra Tach.*, *p. 73.*, & hoc ipsum est, quod commendat inter pulverem suum purgantem MOLLENBROCK *Tract. de Varis sub tit. Tartarus peculiari modo præparatus.* Ante ZWELFFERUM, hoc LOCATELLI descripsit. Ex sale tartari constat aceti acido ad saturationem usque impregnato; ita impregnatum sal solvitur in spiritu Vini, solutio abstrahitur, donec remaneat corpus laminatum sibi invicem superjacens, hinc

hinc terræ foliatæ nomen accepit: Hoc sal nihil aliud est, quàm tartarus regeneratus: Nam si hoc sal essentiale per retortam destillatur, phlegma & oleũ acquiritur, quæ nihil differunt à productis tartari communis adeoque sal hoc est tartarus quidam regeneratus. Sal hoc facilè liquescit, qui liquor polychresti usus est in malo hypochondriaco & affectibus scorbuticis. Porrò conveniunt Extractum Martis, Tinctura vitrioli Martis Zvvelfferi & Ludovici, liquor terræ Mart. solaris, sal Martis compositum, tinctura tartari acris, antimonii ex scoriis reguli antimonii, tinctura antimonii sicca, pulveres Martiales, crocus Martis aperitivus, limatura crudè pulverisata, tartarus chalybeatus, Antihecticum Poterii, antimonium diaphoreticum ex regulo antimoniali, Bezoard. Martiale, minerale; ex sulphure flores ejus, Elixyr proprietatis sine acido & cum dicto sale essentiali paratum, & similia. Præ cæteris omnibus *arcanum duplicatum Mynsichti*, quod in specie destinatum est Scorbuto à MYNSICHTIO, SCHROEDERO, & LANGELOTTO. Hæc sedulò ad unam vel duas septimanas præmittantur; Capiantur quotidie bis bonâ dosi, v. g. *salis digestivi* hypochondriaci quotidie bis ℈ j. ad ʒß., *Liquoris terræ foliat.* Tartar. j. gutt. 30. 40. vel 50. mane jejuno stomacho in vehiculo calido, à meridie in frigido. Aliàs equidem acida quoque in viscidítate primarum viarum corrigenda magni usus sunt; quia tamen acor quidam utplurimum in malo hypochondriaco combinatur, cautos nos esse decet in talium propinatione. Igitur non imitandus SENNERTUS *C. 2. Epist. 30. & 35.*, ubi spiritum vitrioli Martis & Elixir proprietatis ratione spiritus sulphuris commendat. Salia dicta essentialia, de quibus vid. CHYMIA *Rolfincii*, etiam non perperam adhibentur; nam utut reverà juxta ZWELFFERUM *in Append.* saltem sint tartari, attamen non sunt contemnendi. Porrò ex tartaro recentiores pollicentur nonnulli, v. g. LANGELOTTUS, *sal volatile amaricans*, quod etiam æstimatur magnarum virium; verissimum est, spiritum tartari urinosum, de quo vid. *supplementum* 2. BECHERI, suam mereri laudem. Ex urina, excreta in loco publico, v. g. in cauponis, elaboratur per blandam calcinationem & elixiviationem sal multarum virium, id quod Dreidæ à nonnullis commendatur, tanquam insigne antiarthriticum seu antipodagricum.

Formulas digestivorum varias huc facientes videbitis *supra in Prolegom. Artic. 2. capit. 3.*, item *Sect. 3. ubi de Cura morborum chronicorum*, & in *Cura Cachexiæ Artic. 1. Cap. 3. Sectionis hujus*, item *in Colleg. Institut. Artic. 2. Membr. 3. Cap. 2. Sect. 1. p. 276.*

Vel pro corrigendo Acido hypochondriaco.

℞. *Aqu. cichor.*
Fumar. an. ℥ i ß.
Solut. Mart. cum *succo pom.* ℥ iij.
Syr. de 5. rad. ℥ j.
M. F. Mistura:
D. S.
Mixtura corrigens.

Capiantur mane & vesperi duo vel tria cochlearia.

℞. *Aqu. fœnicul.* vel *Fumar.*
Menth. an. ℥ j ß.
Sol. Martis cum *succo pom.* ʒ ß.
Mag. corall. cum succo citri ʒß. ad ʒ j.
Syr. cort. aurant. vel *fœnic.* ʒß. ad ʒ vj.
M. S. *ut anteà.*

℞. *Tinctur. antim. tartarisat.* ʒ ij.
D. S.
Tinctura resolvens; 40. *gutt. pro una dosi.*

℞. *Tinct. tart. acerr.* ʒ ß.
S. *ut anteà.*
Dosis 40. gutt.

℞. *Tinct. tart. acerr.*
Ex scoriis reg. antimonii an. ʒ j ß.
Spirit. sal. ammoniaci drachm. j.
M. S. *ut suprà.*
Dos. 40. gutt.

℞. *Arcan. tart.* ʒ ij.
D. S.
Essentia digestiva: 40. *guttæ pro una dosi.*

℞. *Elix. propr. antiscorb.* ʒ ß.
D. S.
Elixyr aperiens; 40. *gutt.*

℞. *Tinct. Martis aperit.* ʒ ij.
Spir. cochlear. ʒ j.
Sal. ammoniaci ʒ ß.
M. D. S.
Tinctura aperiens; 50. *gutt.*

℞. *Limat. mart. crud. pulverisat.*
Tartari chalybeat. an. ʒ j.
Vitriolati ʒß.
Mag. corall. cum succo citri ʒ j.
M. f. Pulv. pro 5. dosibus.
D. S.
Pulvis digerens mane in jusculo.

℞. *Sol. mart. cum succo pom.* ʒ vj.
Spir. cochlear. ʒ j ß. ad ʒ iij.
M. S.
Essentia aperiens; 30. *ad* 40. *gutt.*

℞. *Tinct. Vitrioli Mart. Zvvelff.*
Ess. fumar. compos. an. ʒ ij.
M. S. *ut anteà.*

℞. *Arcan. dupl.* ʒ j.
Oc. Cancr. præpar. ℈ ij.
M. f. Pulv.
Div. in 4. part. æqual.
D. S.
Pulvis aperiens.

℞. *Arcan. dupl. M.*
Corall. rub. prap.
Antibect. Pot. an. ʒ ß.
M. f. Pulv.
Div. in 4. part. æqual.
D. S.
Pulvis digestivus manè in jusculo calido.

℞. *Limat. Mart. pulverisat.* ʒß.
Ol. destill. sassaf. gutt. ij.
M. f. Pulv. S.
Pulvis digestivus.

℞. *Pulv. cachect. Martial.* ℈ß.
Terra tartarisat. ℈ ij.
Div. in 4. part. æqual.
D. S.
ut ante.

℞. *Corall. rub. præpar.*
Ebor. sine igne an. ʒß.
Vitrioli Mart. ad alb. calc. ℈ß.
M. f. Pulv.
Div. in 2. part. æqu.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Croc. Mart. aperitiv.* ʒß.
Arcan. dupl. ℈ j.
Sal. absinth. ℈ ß.
M. f. Pulvis pro 3. dos.
D. S.
ut anteà.

℞. *Croc. Mart.* ʒß.
Corall. rub. prap.
Salis fumar. gr. v. vel vj.
M. f. Pulvis pro 2. dos.
D. S.
ut anteà.

℞. *Croc. Mart. aperit.*
Cryst all. tartari,
Pulv. rad. ari an. ʒß.
Mag. cochlear. ℈ j.
M. S.
Pulvis digestivus pro 3. dosibus, mane in jusculo calido.

His subjunguntur, & intermiscentur evacuantia blanda.

Præmissis his digestivis usurpentur *Vomitoria* primas vias potenter emungentia, eaque reiteranda: inter quæ eminent infusa antimonialia, vel tartarus emet. Myns., qui in Malo hypochondriaco optimè conducit, à gr. iv. vel mistus cum antiscorbuticis, vel ubi viscidum incidendum, cum salinis, v. g. sale ammoniaco depurato, &c. His simul semper appropriata Scorbutica vel antihypochondriaca misceantur: v. g. si fiat infusio croci metallorum in vino, tunc filtraturæ addendus spiritus cochleariæ, aut alius compositus, aut simplex antiscorbuticus, ut magis approprietur Vomitorium: v. g.

℞. *Aqu. antiscorb. Dorncr.* ℥ iij.
Spir. cochlear. ʒß.
Tart. emet. Myns. gr. iij. vel iv.
Extr. Mart. ℈ß.
M. S.
Potio emetica pro una dosi.

Quomodo fiant infusa talia, ex superioribus notum est; Post hæc vel loco horum usurpentur blandè evacuantia per alvum,

alvum, & quidem in Scorbuto sic dicto calidiore, in frigidiore verò per paulò potentiora: utraque tamen non sæpius reiteranda, cùm frequentiora malum exasperent; vid. EUGALENUS *de Scorb.* 233. 243. & 248. & SALOMON ALBERTUS *de Scorb.* §.254. Inter hæc conveniunt pilulæ non tam præcisè evacuantes, quam saltem laxantes, primas vias abstergentes, aliàs usuales dictæ, usurpari solent. Quoad pilulas purgantes, Mass. Pilul. de gummi amoniaco Querc. Mass., Pilul. tartarear. *Querc.* & *Bontii*, item pilulæ de fumar. & aperientes *Tilemanni* cum Mercurio dulci, &c. usurpantur; item Extract. catholicum cum Gummi ammoniaco, bdellio, galbano & similibus in pilulas redactum, & cum trochiscis alhandal acuatum: quales formulas SYLVIUS *Pr. lib.* 1. *cap.* 2. §. 34., *cap.* 7. §. 52., *cap.* 14. §. 50. *cap.* 30. §. 138., & *cap.* 34. §. 102., *cap.* 35. §. 16. describit, & commodè hypochondriacis propinari possunt. Gummi enim ammoniacum laxat & promptè abstergit quascunque sordes in primis viis stabulantes. Facit huc Mass. Pilul. antiscorbuticarum *Timæi*, quarum hæc est compositio:

℞. *Mass. Pilul. melanag. Querc.* ℥j ß.
Extract. fol. senn. ℥ ß.
Resin. jalap. ℥ j. gr. vj.
Tart. vitriolat. gr. xiij.
Sal. volat. succin. ℈ j.
Sem. nasturt.
Cochlear.
Sinapi, an. ℥ß.
M. & cum *Aqu. antiscorbutica* F. *Mass. Pil.*

Quarum dosis est à ℈ j. ad drachm. ß. Vid. MOELLENBROCK

Saltem hic notetur: subinde pilulis talibus esse adjungenda medicamenta aut Martialia, aut antimonialia, aut Mercurialia, ne alvum post purgationem relinquant adstrictam. Præ cæteris pilulæ usuales sunt communiter quidem aloëticæ, ex Extracto aloës gummoso, quâ ratione pilulæ rosaceæ *Francofurtenses* & *Glassianæ*, singulis 8. vel 14. diebus vesperi semel usurpatæ hypochondriacis sanè perquàm proficuæ sunt: Item pilulæ aloëticæ ad imitationem LUDOVICI *in Pharmacia*, item *in Tr. de Volatilis* sal tartari: Francofurtenses præprimis cum tartaro vitriolato, similivè salino stimulo addito, acuatæ. Ipsa altas *aloë* in se hypochondriacis aut scorbuticis plus nocet, quàm prodest, propter virtutem adstrictivam, quam altero die post se relinquunt ordinariò ratione partis resinosæ, utut primo die laxent: Iis enim resinæ purgantium & extracta resinosa minus commodè propinantur, nisi forsan habitioribus & succulentioribus. Propterea si aloen volumus usurpare, usurpemus substantiam gummosam, quæ potest separari, terendo aut extrahendo aquâ simplici, menstruo aqueo, quæ substantia gummosa potest redigi in formam *pilularum*, & tales *pilulæ* dosi granorum ij. vel iij. blandè laxant alvum, & in tali casu hypochondriacis confirmatis omnibus tribus vel quatuor septimanis in usu sunt, egregia cum euphoria. Omnes hæ vel per se usurpari, vel cum aliis appropriatis specificari, & cum tantillo resinæ scammonii aut jalappæ, vel extracto trochiscorum alhandal acuari possunt; quarum formulæ variæ ex *Idea Formul. cl* 2. §. 1. & 2., *Colleg. Pharmaceut. in Schrœd. P.* 2. *Class.* 2. *Dissert. de Præcipitant. Usu & Abusu c.* 3. §. 30., *supra de Chylificatione læsa Sect.* 3. *cap.* 1. & *de Cura Morborum Chronicorum Sect.* 13. petendæ. Et sanè ab hujusmodi pilulis usualibus primas saltem vias abstergentibus longè plus commodi sentiunt hypachondriaci, quam à fortioribus etiam propinatis purgantibus. Vel

℞. *Mass. Pilul. de Ammon. Querc.* gr. xv.
Gumm. ammon. aceto sol. scrup. ß.
Scammon. sulphurat. gr. ij.
Troch. alhand. gr. j.
Cum *Essent. Mart.* f. pilulæ.
D. S.
Pilulæ laxativa pro una dosi.

℞. *Mass. pilul. Cathol.* gr. xij.
Gum. ammon. aceto sol. scrup. ß. ad gr. xij.
M. f. Pil.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Mas. pil. de Hier. cum agar.* gr. xij. vel xv.
Gumm. ammon. aceto sol. scrup. ß.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Extr. troch. alband. gr. j. vel ij.
Cum *Ess. Mart.* vel *absinth.* f. pill.
D. S. *ut sup.*

℞. *Mass. pilul. de Ammon. Querc.* gr. xv. ad ℈ j.
Extr. Martis cum *succo pom.* ℈ß.
Scammon. sulphurat.
Extr. troch. alhand. ana gr. j.
Cum *sol. Mart. cum succo pom.* f. Pilulæ.
D. S.
ut suprà.

℞. *Extr. hellebor. nigr.* gr. xv.
Gumm. Ammon. aceto sol. ℈ß.
Scammon. rosat.
Extr. troch. alband. ana gr. ij.
Cum *Ess. fumar.* f. Pilulæ: S.
ut suprà.

℞. *Mass. Pilul. tartarear. Querc.* vel *Senn. de Ammon. Qu.* ana ℈ j.
Resin. jalap. ℈ß.
Diagryd. gr. vj.
Ol. destillat. cort. aur.
Macis ana gutt. iv.
M. f. Pilulæ: S.
Pilulæ pro aliquot vicibus.

℞. *Aloes gummos.*
Gumm. ammon. aceto sol. ana ℥ß.
Arcan. duplicat. ℥ ij.
Extract. troch. alb. ℥ß.
Cum *Tinct. Mart. cum succ. pom.* F. Pil.
D. S. *ut anteà.*
Dosis XXIV.

℞. *Mass. Pil. de Amm. Querc.* ℈ j.
Mercur. dulc. gr. xv.
Extract. troch. alhand. gr. j.
Ol. destill. anis. gutt. ij.
M. f. Pil. S.
Pilula pro una dosi.

℞. *Mass. Pilul. de Ammon. Querc.* gr. xv.
Tartari vitriolat. gr. vj.
Scamm. sulphurat. gr. j.
Cum *Ol. destillat. anis.* F. Pilulæ.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Mass. Pil. de Ammon. Qu.* gr. xv.
Extr. castor. gr. vj.
Troch. alb. gr. ij.
Cum *Ess. castor* f. Pilulæ.
D. S. *ut anteà.*

Conveniunt in Malo hypochondriaco flatulento.
Vel

℞. *Galban. aceto sol.* ℥ß.
Extr. castor. ℈ß. ad gr. xij.
Troch. alb. gr. ix.
Diagryd. gr. vj.
Cum *Ol. destill. Carv.* f. pil. pro tribus dosibus.
D. S.
Pilulæ laxativæ resolventes pro 3. dosibus.

℞. *Mass. Pilul. de tribus Ruffi* gr. xij.
Mercur. dulc. ℈ß.
Extr. troch. alb. gr. ij.
Cum *Essent. Mart. fiant pilulæ.*
D. S.
Pilulæ purgantes.

℞. *Mass. Pilul. de Ammon.* gr. xij.
Mercur. dulc. ℈ß.
Extract. helleb. nigr. gr. v.
Troch. alb. gr. j.
Cum *Ess. Mart. cum succo pomor.* f. Pilulæ.
D. S.
ut ante.

℞. *Gumm. ammon. in aceto sol.* aut *Mass. Pilul. de ammon.* gr. xv. ad ℈ j.
Merc. dulc. ℈ß.
Resin. scamm. gr. iij.
Cum *Ess. cast.* aut *Elix. propr.* f. Pil.
D. S. *ut anteà.*

℞. *Mass. Pil. Tartarear.* vel *de fumar.* gr. xij.
Mercur. dulc. ℈ß.
Mastich. gr. ij.
Extract. troch. alb. gr. j.
Cum *Ess. fumar.* vel *Elix. propr. antiscorb.* f. l. a. Pil. n. 19.
D. S.
Pilulæ purgantes manè sumendæ.

℞. *Mass. Pil. de Ammon. Querc.* scrup. j.
Mercurii dulc. gr. xv.

Extr.

Extr. troch. alband. gr. ij.
Ol. destill. carvi gutt. ij.
Cum *Essent. Gummi ammon.* f. Pilulæ.
D. S. *ut ante.*

℞. *Extr. cathol.* vel *panch. Croll.* ℈ ij.
Galb. cum aceto sol. ℈ j.
Mercur. dulc. ʒ ß.
Extr. troch. alb. gr. xij.
M. f. pil. pro. 5. vel 6. dosibus: S.
Pilulæ aperientes pro aliquot vicibus.

℞. *Galb.* vel *Gummi Amm. cum aceto sol.* ʒ j.
Vitrioli Mart. gr. xv.
Scammon. præp. Brendel. gr. xij.
Mag. jalapp. gr. vi.
M. f. Pil. min.
D. S. *ut suprà.*
Dentur 12. usque 15. pro dosi.

℞. *Mass. Pilul. de trib, Ruffi* vel *Gum. Ammoniaci in aceto sol.*
Extr. Elleb. nigr. ana ℈ ß.
Vitrioli Mart. ad albed. calc. gr. v.
Scammon. præpar.
Extr. troch. alband. an. gr. i.
Cum *Ess. Gum. ammoniaci* vel *fumar. compos.* f. Pilulæ:
D. S.
Pilulæ aperientes pro una dosi.

℞. *Mass. Pilul. de Amm. Querc.* vel *Gumm. ammon. cum aceto sol. depur.* ℈ i.
Vitrioli Mart. ad albed. calc. gr. v.
Trochisc. alb. gr. i ß.
Scamm. præp. gr. i.
Ol. destill. fœnic. gutt. ii.
Cum *Ess. Gummi Ammon.* f. Pilulæ quovis mense capiendæ.
D. S. *ut ante.*

℞. *Extr. panchym. Croll.* gr. xii.
Mercurii dulc. ℈ ß.
Scammon. rosat. gr. iii.
Cum *Essent. Gum. ammon.* f. Pilulæ.
D. S. *ut ante.*

℞. *Mass. Pilul. de amm.* vel *Tartarear. Qu.* gr. xv.
Mag. jalapp. gr. ii.
Extract. troch. alb. gr. i.
Cum *Tinctur. tart.* f. Pilulæ.
D. S. *ut suprà.*

Item evacuantia appropriata mista alterantibus sunt optima, ut blandè & successivè per continuatum usum evacuentur & alterentur viscositates acidæ, quod faciunt imprimis *Noduli* vino infusi, qui ut in omnibus morbis chronicis, ita in specie in Malo hypochondriaco, & hinc Scorbuto, sunt optimi. Et quidem Ingredientia laxativa sunt imprimis omnia sennata, tam infusum herbæ, quàm pulveres sennati compositi, quorum tot sunt descriptiones, quot capita. Post sennata sunt helleborata ex helleboro nigro desumpta remedia; sive extractum ejus; sive essentia radicis hellebori nigri, quæ extra scopum laxativum commodè aliis alterantibus in his malis addenda venit; sive alia ex eodem remedia. Denique his stimuli loco aliquid de colocynthide ejusque extracto potest addi, quod non est inconveniens remedium: quod si fortior jam stimulus his addendus sit, radix esulæ præparata recipiatur. Exempla nodulorum in Malo hypochondriaco, Scorbuto, & similibus morbis chronicis, videb. *suprà Sect. 13.* & *in Cachexia Cura 1. cap. 3. hujus Sectionis*; Vel præscribatur Nodulus antiscorbuticus ex recentibus Ingredientibus talis:

℞. *Herb. rec. cochlear.*
Nasturt.
Roris mar. an. M j.
Rad. armorac. rec. (Germ. *Meer. rettich.*) ʒ j ß.
Fol. sen. sine stip. ʒ j.
Rhabarb. elect. ʒ ß.
Helleb. nig. crud. ʒ iij.
Bacc. junip. ʒ vj.
Cinnamom.
Galang. an. ʒ j ß.
Sal. tartar. ʒ iij.
Incisa & contusa includantur Nodulo: S.
Nodulus aperiens.
Infundatur *Vino simplici* vel *Absinthiti*,

Vel

℞. *Herb. absinth.*
Rorismar.
Centaur. min. an. M j.
Flor. anth.
Genist. an. M ß.
Fol. sen. sine stip. ʒ vj.
Rhabarb. opt. ʒ ß.
Helleb. nigr. ʒ iij.
Sem. erucæ contus. ʒ j.
Cinnam. ʒ ij.
Caryoph. ʒ j.
Sal. tart. ʒ iij.
Incis. & contus. includantur Nodulo.
D. S. *ut ante.*

℞. *Herb. absinth.*
Agrimon.
Centaur. min. an. M j.
Flor. anthos.
Genist. an. p. iij.
Rad. enul. rec.
Polypod.
Armorac. rec. an. ʒ vj.
Cort. fraxini,
Tamarisc. an. ʒ ß.
Fol. Senn. sine stip. ʒ vj. ad ʒ j.
Helleb. nig. crud.
Rhabarb. elect.
Agar. albiss. ana ʒ ß.
Zedoar.
Zingib.
Cinam. ana ʒ j. ad ʒ j ß.
Passul. min. (hæ enim tanquam blandissimè temperatæ, his nodulis adduntur) ʒ j ß.
Sal. tart. (est quasi stimulus menstruus ad resolvenda ista simplicia) ʒ iij. ad ʒ ß. (aut loco hujus *Crem. tart.* ʒ vj.: sed *sal tart.* est melius)
Incis. & contus. D. S.
Species ad nodulum laxativum in vino.

Includantur *Nodulo*, infundantur in *Vino*, quod omni mane & vesperi capiatur, ut relaxetur alvus.

℞. *Com. absinth.*
Summ. cent. min.
Herb. rec. cochl. ana M ß. ad M j.
Rad. armorac. rec. ʒ j.
Gentian. ʒ ß.
Tarax. ʒ ij.
Fol. senn. sine stip. drachm. vj. ad ʒ j.
Rad. elleb. nigr. crud. ʒ ß.
Esul. non prep.
Sem. anis. ana drachm. j ß.
Fœnic. drachm. iij.
Cinnamom.
Caryoph.
Zingib. an. drachm. j.
Sal. tart. drachm. iij.
Incis. & contus. includ. *Nodulo:*
D. S.
Nodulus laxativus in vino.

℞. *Herb. persicar. rec.* M ij.
Absinth.
Rorismar. ana M j.
Fol. sen. sine stip. ʒ j.
Rhabarb. el. ʒ ß.
Helleb. nigr. drachm. iij.
Sem. eruc. ʒ j.
Cinnam. drachm. ij.
Caryophyll. drachm. j.
Sal tartari drachm. iij.
Incis. & contus. includantur *Nodulo*;
D. S. *ut ante.*

℞. *Herb. rec. fumar.* M. j.
Cochlear.
Beccabung ana M ß.
Rad. polypod. querc.
Cort. aurant. ana ʒ iii.
Fol. senn. sine stip.

Rhabarb. opt. ana ʒß.
Helleb. nigr. crud. ʒvj.
Galang. ʒij.
Sem. anis.
Fœnicul. ana ʒiß.
Sal. tartari drach. iij.
Incis. & contus. includ. Nodulo.
D. S. ut suprà.

℞. *Herb. rec. fumar.* m. j.
Absinth.
Meliss.
Summ. cent. min.
Flor. genist. ana m. ß.
Rad. enul. ʒx.
Polypod.
Helleb. nigr. crud. ana unc. j.
Esula drach. iij.
Fol. senn. sine stipit. unc. j.
Zedoar. drach. ij.
Caryoph. ʒß.
Incisa & contus. f. Nodulus.
D. S. ut supra.

Facit huc etiam infusum seu similis nodulus contra Malum hypochondriacum CNNEFFELIO aliàs usitatus, qui fit ex sequentibus:

℞. *Herb. absinth.* m. iij.
Centaur. min. m. ij.
Rad. helleb. nigr. (nam hæc fuit ipsius Arcanum pyrgatorium singulare, ubique ab ipso commendatum) ℥iij.
Polypod. Querc. unc. iß.
Cort. fraxini,
Tartari albiss. ana unc. ß.
Limat. Martis ʒiij.
Incisa & contusa conspergantur
Spiritu salis dulc. gutt. jx.
Includantur Nodulo, qui infundatur in
Vini Canth. jß.
& more usitato adhibeatur.

Hisce in subjectis siccioribus commodè passularum minorum unc. iß. addi potest. Rhabarbarum ipsum ad curam mali hypochondriaci tanquam optimum, præsertim paulò succulentioribus, à quibusdam laudatur, alterando simul & evacuando: vid. RHODIUS *Cent.* 2. *obs.* 100., qui ad obstructionem inveteratam commendat Decoctum vel Infusum Rhabarbari. Spectat huc etiam syrupus de Spina Cervina seu domesticus, it. Syrupus florum acaciæ & de carthamo, qui sunt blandi & maximè conducunt: Aut cremor tartari cum tantillo radicis jalappæ acuatus; e. g.

℞. *Crem. tartari* vel *tartari vitriolati,*
Pulv. jalapp. ana gr. xv.
Olei destillat. mac. gutt. ij.
M. f. pulvis: S.
Pulvis laxativus,
Vel

℞. *Tartari vitriolat.* vel *arcan. dupl.* gr. xvj. vel ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Troch. alband. gr. ij.
M. f. pulvis S.
ut antè.

℞. *Pulv. diasenn. Mont.* gr. xvj.
Crem. tartari ℈ß.
Scammon. sulphurat. gr. iv. uel v.
M. f. pulvis:
D. S. ut suprà.

℞. *Crocis Martis aperit.* ℈j.
Scammon. sulphurat.
Sal. tartari ana gr. v.
M. f. pulvis:
D. S. ut *suprà.*

℞. *Fol. senn. sine stipit.* drach. iij.
Rad. hellebor. nigr. crud. ʒj.
Zingib.
Sal. tartari ana ℈j.
Infund. in s. q. *aqua calid.* per noctem:
Colaturæ manè addantur.
Aqua cinnam. drach. iß.
Extract. troch. alb. gr. j.
M. D. S.
Potio laxativa pro una dosi.

℞. *Fol. senn. sine stipit.* ʒij. vel iij.
Rad. polypod. drach. iii. vel unc. ß.
Fibr. helleb. nigr. ℈ii. ad ʒj.
Zingib. ℈ß.
Sal. tartari ℈j. ad ʒß.
Infund. per noctem in *aqua simpl.* vel *fumar.* vel *sero lactis*: mane coquatur leniter: colaturæ unc. iij. adde
Spiritus cochlear. ℈j.
Syrup. fumar. vel *rosat. solut.* vel *de pom.* drach. iij. ad ʒß.
M. pro dosi.
D. S. ut *suprà.*
Vel

℞. *Strob. pini tenell.* m. j.
Tamarind. unc. iß.
Rad. helleb. nigr. drach. iii.
Coq. in s. q. *cerevis. secund.* in vase clauso & igne lenissimo:
Colaturæ ℥v. adde
Aqua antiscorbut. Dorner. unc. ij.
Cryståll. tartari ʒß.
Succ. cochl. rec. expr. ℥j.
Syrup. scelotyrb. Forest. unc. ij.
M. S.
Potio purgans pro 3. *vicibus: capiatur mane per* 3. *dies consecutivos.*

Verùm ut alvus obstructa aut saltem contumacior quotidiè laxa servetur, etiam remedia quædam domestica sedulò in usum vocanda sunt: quæ inter primatum obtinent *passulæ*, quæ admodum conveniunt in Malo hypochondriaco, Scorbuto etiam, & nihil nocent; cùm alia *dulcia*, ut *saccharata & mellita* hypochondriacis & scorbuticis propter facillimam acescentiam & propter contentorum ex effervescentia concitata turbationem, tetra inferant symptomata, & affectus recrudescere faciant. *Passulæ* autem, quatenus sunt temperatæ, potius quamcunque acrimoniam in corpore temperant, emolliunt & nutriunt, & blandâ ac naturali fermentatione (sunt enim instar musti concentrati) vitiosam sanguinis fermentationem restituunt & renovant, conducunt imprimis viris, mulieribus non semper. *Poma* etiam *Borsdorffiana* aliaque dulcia seu cruda bene matura comesta, seu eorum succus usurpatus, medicamentum sunt laxativum, & admodum temperativum in Malo Hypochondriaco. Hinc succo depurato commodè alia remedia alterantia & laxativa infundi, & ita propinari possunt, qui potus admodum conducit in Malo hypochondriaco. Quò etiam faciunt pilulæ domesticæ seu usuales jam dictæ, omnibus 8. uel 14. diebus semel capiendæ; Item Terebinthina manè deglutita, ad quantitatem nucis parvæ, quam HORSTIUS *l.* 4. *Obs.* 28. singulariter commendat.

Conveniunt ergò hic passulæ laxativæ, item pruna laxativa, quæ in officinis solent prostrare; quorum vis laxativa est imprimis à senna, passularum nempe vel prunorum in Senna coctione vel maceratione: Item decoctum passularum laxativum cum & sine tamarindis; nam & ipsi tamarindi utilissimi sunt Hypochondriacis ac magis Scorbuticis, illis præsertim, in quibus phlogoses & æstuationes vagæ subinde observantur. Formulas dabo *infra l.* 2. *Sect, Membr.* 2. *Articuli* 3. *capitis* 4. ubi *de Melancholia*, & *in Colleg. Pharmaceut. in Ludovici Tit.* 3. *pag.* .... Vel

℞. *Passul. min.* unc. iß. vel unc. ii.
Probè conquass. coqu. in s. q. *aqua simpl.*
Colat. adhuc ferventi infunde
Fol. Sen. sine stipit. drach. iij.
Flor. violar. P. ij. ad iij.
Crem. Tartari drach. j
Stent aliquandiu in loco calido, postmodum coletur & asservetur pro usu.
D. S.
Potio laxativa.

Capiant Hypochondriaci haustulum vitri unius (Germ. *ein Wein glasgen voll*) & inservit etiam pro vehiculo reliquorum remediorum, blandè servat alvum apertam. Item

℞. *Passul. min. conquass.* unc. iij.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colaturæ ferventis ℔ij. infunde
Fol. Senn. sine stipit. unc. ß.
Rad. helleb. nigr. non præpar.
Cort. aurant. ana ʒij.

Galang.
Zingib. ana ℥j.
Crem. tartari ℥ij.
Stent in loco tepido per noctem vase clauso.
Colaturæ adde
Spiritus cochlear. ℥ß.
M. S. ut *suprà.*
Vel fiat electuarium hoc modo:
℞. *Pulv. passul. min.* unc. ij. vel iij.
Arcan. dupl. Myn. ℥j.
Sal amm. depur. (ratione stomachi:)
Spec. dia trion piper. ana drach. ß. vel ℈ij.
Syr. de pom. Reg. Sab. q. s.
M. f. Elect. pro aliquot (9. vel 12.) dosibus usurpandum, quod sufficit iter alvum apertam servat.

Si verò aluus nimis contumax sit, aliquot granis *trochiscorum albandal* vel *horum Extracti* facilè potest acui. Melius autem est in forma liquida propinare. Pertinet huc syrup. de spina cervina domesticus, item Vinum infusionis florum acaciæ; qui pro hoc scopo sunt per quàm proficui & blandissimè aluum seruant apertam; vid. *Collegium Pharm. in Ludovici.* Ut taceam cremorem tartari à ℈j. ad ℥ß. cum aliquot granis jalappæ acuatum, in jusculo feruido assumptum, egregium.

Præter dicta *Clysteres* quoque in Malo hypochondriaco & Scorbuto magnæ sunt efficaciæ pro aluo aperta seruanda, præsertim in paroxysmo, quando æstuatio corporis, phlogoses &c. urgent, in abdominis affectibus minuendis, palpitatione cordis, anxietate Melancholica, dolore abdominis Scorbutico; & quidem saltem emollientes & blandè abstergentes sufficiunt; vel, quod melius est, ex urina pueri, qui conueniunt in Malo hypochondriaco cum copiosis flatibus juncto: Si contumacius sit malum, conueniunt Clysmata cum lixiuio diluta, additis aliquot unciis mellis depurati. Talia Clysmata mirè conueniunt intestina abstergendo, in specie si crassiori muco sunt obsessa; vid. *suprà sect. 11. ubi de Colica.* In doloribus abdominis conveniunt Clysmata ex sero lactis, aut ex lacte; vel simplici, cui parum *sacchari* sit additum; vel cui incoquantur plantæ quædam *carminativæ.*

Modus præscribendi notus est ex Morello. In specie, si urgeant dolores nephritici nothi, conueniunt *Clysmata ex lacte* cum terebinthina, qualia *videb. suprà, Sect. 9. cap. 3. Artic. 1. ubi de Dysenteria*; faciunt urinam benè olentem instar violarum, & multum commodi afferunt. Quin etiam Clysteres nocturni seu qui vesperi injiciuntur sub introitu lecti, & per totam noctem retinentur, admodum commendantur in *Obs.* HORSTII, & ferè ex lacte præparantur, in Scorbuto summè proficui: Imo sunt, qui alternis diebus illorum injectionem commendant, v. gr. RIVERIUS *l. 12. Pr. cap. 5.* ex. gr.

℞. *Lact. bubul.* unc. ix.
Elect. lenitiv. ℥j.
De bacc. laur. unc. ß.
Vitell. ovi j.
M. f. Clysma sub introitu lecti injiciendum: S.
Clyster leniens.
℞. *Flor. sambuc.* m. ii.
Fol. hyoscyam. m. i.
Coqu. in l. q. *lactis bubul.* vel *caprill.*
Colat. unc. x. adde
Vitell. ovor. ij.
M. f. Clysma in doloribus Scorbuticis.
D. S. ut antè.
℞. *Herb. chamomill. cum flor.* m. jv.
Rad. gentian.
Bacc. juniper.
Lauri ana unc. ß.
Sal. tartari vel *ciner. clav.* ℥iij.
Coqu. in s. q. aquæ:
Colatur ℥viij. adde
Elect. lenitiv. ℥j.
Olei colocynth. ℥ii.
M. f. Enema. D. S. ut *suprà.*
℞. *Spec. carminat.*
Flor. chamomill. ana m. i.
Rad levist. drach. vj.
Bacc. juniper. unc. j.
Coqu. in l. q. *urinæ pueri*:
Colat. unc. viij. adde
Elect. Hier. cum agar. unc. j.
Mell. anthosat. drach. vj.
Misc. pro enemate:
D. S. ut *suprà.*
℞. *Lact. bubul.* ℔j.
Terebinth. cum vitell. ovi sol. unc. ß.
Mell. rosat. ℥vj.
M. pro Clysmate:
D. S. ut *suprà.*

Præmissis his universalibus, aut primis viis ritè mundificatis, fiat accessus ad *Martialia, salia fixa*, aliaque similia, acidum peccans in primis viis emendantia: quibus vel subjunguntur vel simul cum iis subministrantur Alterantia, acria quidem, amara, aromatica, quodammodò diuretica in Malo hypochondriaco; nempe conueniunt hic in genere omnia vulgò dicta Aperientia & Hepatica amara, & hinc stomachica aromatica, & virtute in specie diureticâ insignita. Vel horum loco volatilia spirituosa, spiritus ac salia Volatilia usurpantur, pro varietate nempe constitutionis subjectorum. Nam ista phlegmaticis, sanguineis, frigidis, &c. & in quibus bilis stimulo indiget, conueniunt: hæc verò urinosa volatilia Cholericis, junioribus, Melancholicis, & iis, qui crebrius æstuationes patiuntur; magis conferunt Martialia: Hæc inter eminent nunc Mars crudus, nunc *præparata* varia plus minus cruda, prout plus minùs acidum infringendum venit. Hinc in usu sunt omnes croci Martis aperitivi, qui, quò sunt simpliciori & acido minus cōcentrato parati, eò sunt meliores. Croci Martis cum salibus, item limatura Martis subtilissimè trita. Facit huc etiam terra Martis præparata, quæ infertis fodinis reperitur, laudata insigniter à ZACUTO. Huc faciunt omnes pulueres cachectici, quorum basis solet esse Mars, adjectis tamen etiam aliis; pulvis cachect. Hartmanni simplex cum cinnamomo, vitriolum Martis ad pulueris consistentiam calcinatum, *liquor Martis solaris*, *sal Martis compositum*: e. gr.

℞. *Conf. fumar.* unc. ß.
Conf. alkerm. ℥ ß.
Martis crudi pulverisat. drach. iij.
Mag. corall. cum succo cit. drach. j.
Cum s. q. *syr. pom.* uel *flor. papav. errat.* vel alius appropriati
F. Electuarium.
D S.
Electuarium aperiens pro aliquot vicibus.
℞. *Pulp. passul. min.* unc. i.
Lim. Martis pulverisat. ℈i.
Olei destillat. cinam. gutt. j.
M. pro dosi. S.
Electuarium aperiens pro una vice.
℞. *Conserv. fumar.* unc. ij.
Cochlear. unc. ß.
Vitrioli Martis drach. ii. uel *Extr. Martis cum succo pom.* ℥ß.
Corall. rub. prap.
Ebor. sine igne.
Lap. cancr. præpar. ana drach. i. ad drach. iß.
Cum s. q. *syr. pom.* f. Electuarium. D. S.
Electuarium aperiens pro aliquot vicibus.

De quo capiatur omni mane dosi 2. cast nearum magnitudinis, subjungendo uesperi Elix. uel Essentiam quandam appropriatam.

℞. *Tinctura Martis tartarisat* ℥ iii.
Spiritus cochlear. essent. drach. ii.
M. D. S.
Aperiens tinctura chalybeata.
Dosis 40. ad 50. gutt. bis in die.
Vel in robustioribus:
℞. *Liq. Martis solaris* drach. iii.
D. S.
Aperiens essentia chalybeata.

De qua primo die capiat gutt. vj. secundo viii. tertio xii, ascendendo sic ad xv, xx, & xxv, usque ad modum Acidularum naturalium in morbis Chronicis.

Ratione Martis ipsæ *acidulæ naturales*, quę origin ē ducunt ex uena Martiali, soluta ab acido sulphuris, in his morbis, præmissis præmittendis, sunt adeo egregiæ, in quibus præponderat acidum forte: de qua uirtute & efficacia uid. *HELMONT. Parad.* & *TACHENIUS in Hip. Chym. SYLVATICUS C. 1. Cons. 63. & C. 3. Cons. 36. ac RIVERIUS Pr. l. 12. cap. 5.* Usum uidebitis in *LANGIO de V. in Therm. Carol. & Acidularum Egranarum.* Loco quarum liquor Martis solaris, tanquam acidulæ concentratæ, commodè sub-

de substitui potest. Aliis autem acidulis artificialibus vulgo dictis quales Clyssus antimonij, &c. nihil tribuo: Siquidem adeò, certum est, quam quod certissimum, acidulas naturales, uti præmonitum est, operari respectu partium sibi junctarum Martialium, quæ desunt dictis acidulis artificialibus. In refrænandis autem æstibus febrilibus, etiam malignis, laudas suas his ultro decerno, præprimis clysso antimonii. Ex talibus acidulis elaborat tincturam suam florum bellidis noster D. HORNIUS. Quorum stomachus est nimis sensilis, iis loco acidularum naturalium sufficit *tinctura vitrioli Martis Zwelff.*, solutio Martis cum succo pomorum Bosdorffianorum, item *extractum* Martis cum succo *Tamarind.* vel succo pom. Borsd. extractum. Hoc extractum succo pom. Borsd. extrahitur cum spiritu cochleariæ antiscorbutico composito in essentiam seu tincturam Martialé, & est egregia tinctura antihypochondriaca: vid. DRAVVIZIUS. Vel solutio Martis cum succo pomor. miscenda cum spiritu cochleariæ. Dosis 40. vel 50. gutt. bis vel ter in die.

Martialia hæc aliquandiu continuentur, & post eorum usum blandus instituatur motus, alvusque servetur aperta.

Huc quoque facit antimonium diaphoreticum Martiale, Bezoard. min. Martiale, & in genere quivis pulveres, electuaria, essentiæ, ac tincturæ Martiales, anticachecticæ, &c. Et denique laudatur lapis Bezoar tanquam expertum in Malo hypochondriaco, ex eo, quoniam quodcunque acidum promptè absorbet.

Observandum autem, ne semper Martialia propinentur in siccioribus subjectis, utpote in quibus blandiora & liquida non rarò majorum virium observantur. In specie verò ubi viscerum infarctus ad scirrhum inclinans, subinde Martialia non conveniunt, sed malum potius intendunt; vid. *Diss. de præcipitantium usu & Abusu c. 3. §. 18. &* TACHENIUS *Clav. Hippocr. pag.* 181. *&* 192. In usu medicamentorum Martialium, in specie acidularum, etiam stomachi habenda est ratio: unde externè Emplastrum de ladano Cratonis, item Emplastrum de tacamahaca, malaxatum cum oleo chamomillæ, in forma scuti Stomachalis applicantur: Item corium cervinum cum oleo destillato chamomillæ & menthæ illitum commodè adhibetur. Vel

℞. *Olei express. Nucist.* ℥ ß.
Destillat. bacc. junip. ℈j.
Cumin. ℈j.
Macis ℈j.
M. D. S.
Balsamum stomachale.

Alterantia hypochondriaca, quæ Veteres consueverunt usurpare præmissis Martialibus, imprimis sunt Vegetabilia amara plus minus aromatica, Hepatica & Splenetica dicta, it. Stomachica, v. g. herba absinth. (optimum in Hypochondriacis succulentis,) agrimonia, cent. minus, rad. armoraciæ, aronis, filicis, polypodii, helenii, &c. Præ ceteris fumaria, cent. minus, baccæ iunip. & omnia ex his parata, ut infusa, Decocta, quæ tamen indesuetudinem abierunt, & Vina Medicata. Magni etiam à nonnullis æstimantur *Cappares*, de quibus audiendus est SENNERTUS *Pr. l. 3. P. 1. S. 1. c. 7.*, qui difficilis non saltem coctionis, sed ratione aceti quoque quo communiter condiuntur, eas suspectas pronunciat, ideoque cum passularum Corinthiacarum tertia parte, saccharo, & tantillo tantum aceti eas præparare jubet. Insigniter autem ex his Vegetabilibus quæcunque fixa lixivialia per calcinationem parata in Malo hypochondriaco conveniunt, quia sunt simul diuretica, ut sal absinthii, cichorii, centaurii minoris, sal Stomachale Mynsichti: item sal istud compositum, quod remanet in destillatione spiritus salis ammon., hoc enim sal est egregium diureticum, & vulgò vocatur sal digestivum hypochondriacum; & similia, &c. Faciunt huc etiam Vegetabilium essentiæ; nempe fumariæ simplex & composita, & omnia ex fumaria composita remedia, quæ egregia in malo hypochondriaco: Essentia splenis bovis, ess. absinthii ad imitationem DRAWIZII parata, aliaque similia: item *essentia aperitiva D. Michaelis*, cujus propter materiæ medicæ cognitionem hæc est compositio:

℞. *Herb. agrimon.*
Scolopendr.
Cuscutæ ana M. iij.
Melissæ,
Ceterach,
Herb. Cichor.
Tarax.
Marrub.
Capill. Veneris ana M. ij.
Rad. Rhabarb. Monach.
Filicis,
Cichor.
Tarax.
Gramin. ana ℥ij.
Curcum. ℥j.
Flor. cichor.
Bellid. min.
Tamarisc.
Hepat. nob.
Genist. ana P. iij.
Cort. cappar.
Tamarisci,
Fraxini ana unc. ij.
Sem. asparag.
Frax. ana unc ß.
Anisi,
Fœnicul. ana ℨij.
Gum. laccæ unc. j.

M. & fiat cum spiritu vini *simpl.* vel appropriato Essentia Aperitiva.

Elixyr proprietatis commune, vel paratum sine acido, vel paratum cum spiritu sal. ammoniaci vinoso, vel mistum cum spiritu sal. ammon., aut etiam cum spiritu cochleariæ, vel solum sufficere dicit LINDANUS in Malo hypochondriaco, it. in scorbuto in subjectis paulo habitioribus: Sic etiam Elixyr stomachale D. Michaelis mistum cum dimidia parte spiritus cochleariæ, mirè conducit Hypochondriacis. Quin etiam omnia remedia tartarea salina, aliaque volatilia uberiùs penetrantia, nunc per sudorem, nunc per urinam evacuantia, præ cæteris sunt egregia. Hæcinter eminet sale volatile & spiritus *tartari*, isque ritè paratus & *volatilis*: item tartarus vitriolatus, tartarus chalybeatus: Item suprà laudatum *arcanum duplicatum Mynsichti*, quod usu diuretico omnibus palmam præripit in Malo hypochondriaco & Scorbuto præsertim frequens scorbuticis, quando crebriores phlogoses ægros fatigant; In talibus casibus est nobilissimum; unde etiam in febribus intermittentibus & scorbuticis remedium est sine pari. Tinctura tartari acris ad 40. gutt., mista cum spiritu sal. ammoniaci, item tinctura tartari antimoniata, quæ & ipsa est egregia. Mistura simplex, quæ pari modo conveniens est remedium in Malo hypochondriaco, non minus quàm in Scorbuto. Pertinet huc imprimis *spiritus carminativus de tribus*, ex tartaro, nitro & spiritu vini, qui vel solus vel mistus cum ana spiritus sal. ammon. potens est remedium ad malum hypochondriacum. *Dosis* sunt gutt. XX, XXX. ad L. usque; melius non habebitis remedium in paroxysmo Mali hypochondriaci, quod nunquam me deseruit, & Hypochondriacos mirabiliter levat. Nam spiritus sal. ammon. per se egregius est ad curam Mali hypoch, isque non tam simplex, sed & compositus oleosus, si Mixturæ calcis vivæ & sal. ammoniaci addatur spiritus vini infusione *aromatum* impregnatus, & hinc forti igne per retortam destilletur, prodit sic spiritus vim aromaticam referens, qui est optimus dosi gutt. XXX. vel XL. in Malo hypochondriaco. Quò etiam pertinet tinctura nephritica Amelungi, & sexcenta alia, à gutt. XX. XXX. ad XL. Ut hæc *volatilia* eò magis reddantur *diuretica*, consultum est, ut imitemur ZWELFERUM, qui miscet spiritum *sal. ammoniaci* cum ana *liquor. terræ fol. tartari*, sic est forte diureticum, & tanquam quoddam secretum à quibusdam habetur in Cura Mali hypochondriaci: Aut etiam hic ipse spiritus sal. ammoniaci miscetur cum spiritibus antiscorbuticis, cum spiritu cochleariæ aut cum spiritu antiscorbutico composito, & singulariter confert in Cura Mali hypochondriaci. Ex dictis Formulæ fiunt variæ.

℞. *Ess. absinth.* vel *Ess. absinth. tartarisat.* ℨij.
Spiritus cochlear. ℨj. M. D. S.
Essentia aperiens.

Dosis 40. gutt. bis in die.

℞. *Ess. gum. ammon.* unc. ß.
Spiritus sal. ammoniaci sassafr. drach. ij.
M. S. *ut antè.*

Dosis 50. gutt.

℞. *Elix. propr. sine acido*, vel *tinctura tart. compo* vel *Ess. absinth.* ℨiij.
Spiritus sal. ammoniaci ℨiß.

M. S.

Elixyr aperiens.

Dosis 40. gutt. ter in die.

℞. *Elix. Propr. sine acid.* unc. ß.

Spiritus sal ammon. caryoph. vel *alius oleos.* ʒij.

Cochlear. ʒiß.

M. S. ut *suprà.*

℞. *Tinctura vitrioli Martis Zuvelff.*

Ess. fumar. compos. ʒß.

M. D. S.

Essentia aperiens.

Dentur 50. vel 60. gutt. bis in die.

℞ *Elix. cachect. alterat.* ʒvj.

Spiritus cochlear. ʒij. M. D. S.

Elixyr aperiens.

℞. *Elix. prop. sine acido* ʒß.

Ess. fumar. comp. ʒij.

Spiritus cochlear. essent. ʒi.

M. D. S. ut *suprà.*

Dentur 50. vel 60. guttulæ.

℞. *Elix. cachect. alterat.* ʒvj.

Spiritus cochlear. ʒij.

M. D. S. ut suprà.

℞ *Spiritus carminat.*

Salis ammoniaci,

Cochlear. ana ʒi.

M. D. pro 4. dosibus: S.

Spiritus aperiens.

℞. *Arcan. tartari* ʒii.

Spiritus sal. ammoniaci ʒi. ʒiß. ad ʒii.

M. D. S.

Mixtura aperiens.

Dosis 20. 30. 40. ad 50. guttulas.

℞. *Aqua fumar.*

Flor. Acac. an. ℥iii.

Ess. aperit. comp. ʒß.

Spiritus cochlear. drach. j.

Syr. de rad. 5. vel *fœnic.* vel *alius* parum.

D. S.

Mixtura aperiens: capiatur cochleatim.

℞. *Aqua fumar.* ℥ij.

Borrag.

Bugloss. an. ℥j.

Spiritus carm. de trib. ʒij.

Corall. rubr. præp. ʒi.

Syr. papav. err. ʒß.

M. S. ut antè.

Capiantur cochleatim in paroxysmo hypochondriaco.

Ratione salium horum & ipsum nitrum depuratum (non fixum) aut antimoniatum, non incongruum est remedium in Cura Mali hypochondriaci, præsortim ubi flatus urgent, aut phlogoses crebriores affligunt. Et hinc etiam species *diaspoliticum Galeni* ex nitro & cumini semine in Malo hypochondriaco cum cruditate stomachi non contemnendum est remedium, *imo valde commendabile*, cujus usu desperatos Hypochondriacos ad extremam ferè maciem deductos aliquando feliciter curavi, inquit BARTHOLETUS *de Dysnœa l. 5. cap. 4. pag.* 431. Compositionem vid. in ZWELFFERO pag. 179. Et certum est, quod quidam etiam famosus Medicus D. JAHN asserit; quod nulla sit compositio in tota Pharmacopœa usitata, quæ magis conveniat in Malo hypochondriaco & ventriculi affectibus, quàm istud, utpote quo quamplurimi Hypochondriaci restituti sunt: ubi non prostat, potest ex tempore describi ita:

℞. *Nitri depur.*

Spec. diacumin. ana ʒß.

Olei destillat. cumin. gutt. iii.

M. f. pulvis:

Div. in 3. part. æquales.

D. S.

Pulvis resolvens & aperiens.

℞. *Spec. dia-Cumin.* ʒi.

Nitri depur. ℈j.

Olei destill. cumin. gutt. iii.

M. f. pulvis.

Div. in 3. part. æqual. D. S. ut ante.

His ac similibus accedente motu ferè curari solet Malum hypochondriacum.

Ab externis nonnulli incrassationem & condensationem humorum aut partium laxitatem metuunt, v. gr. SANCTORIUS *Meth. l. 2. cap. 8.* & SOLENANDER *S. 1. Cons.* 10. Ast urgente dolore hypochondriaco, anodyna & discutientia temperativa haud omittenda, v. g. Unguentum Agrippæ, aut Martiatum cum oleo de capparibus vel chamomillæ, unguentum & emplastrum de cicuta, nicotiana, carminativum Sylvii.

Sed præter dicta in Malo hypochondriaco & Scorbuto, tam incipiente quàm confirmato, adhuc alia sunt in usu, nempe SPECIFICA alterantia antiscorbutica, quæ istis præmissis *specificum* & morbum scorbuticum emendare & tollere possunt. Hæc imprimis post *Martialia* usurpanda, sunt in *duplici differentia*; nempe vel sunt talia, quæ

1. *Respiciunt saltem Dyscrasiam sanguinis* & inde oriundorum succorum ab acido scorbutico factam, & sunt volatilia plus minus acria; vel
2. *Respiciunt noxam systemati nervoso* & partibus continentibus simul *illatam*, & sunt temperata balsamica seu oleola sulphurea, nempe ex pino, junipero, & horum succedanea ex lignis & corticibus.

Pro utroque scopo convenit lac & quælibet lacticinia.

Antiscorbutica ergo specifica volatilia sunt ferè seqq. *Cochlearia nasturtia* quæcunque, imprimis aquaticum, chelidonium majus & minus, flammula Iovis, quam mirè laudat HILDANUS, sedum vermiculare, de cujus egregiis in Scorbuto viribus vid. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. obs.* 22. Barbarea, persicaria acris piperitis, cujus aqua ex cucurbita destillata mirabilem obtinet acrimoniam; nummularia; radix raphani rusticani, armoraciæ, ari, chelidonii maj., semina sinapi, nasturtii, erucæ, cochleariæ, aquilegiæ. Hæc ferè sunt primaria *acria volatilia scorbutica*, inter quæ tamen excellit *cochlearia*, hinc *flammula Iovis*, & tandem *trifol. aquaticum* seu fibrinum, de quo vid. in specie SIMON. PAULI *in Quadr. Botan.* it. *Acta Med. Hafn. Vol. 3. p.* 123. Conf. etiam M. A. N. C. An. 4. & 5. *Observ.* 123. *p.* 133. Ac sanè trifolium hoc in tumoribus pedum scorbuticis, & ubi metus est hydropis scorbutici, multum trifolio tribuit Paulli, cui ceu artifici experto in regione, ubi Scorbutus est endemius, meritò credendum. Quibus ipsis acrioribus volatilibus, quæ non semper omnibus subjectis, in specie junioribus aut acido volatili præditis, conveniunt, pro mutua temperatura commodè vel acetosa & acetosella, beccabunga, chelidoniũ minus, vel Citrus, vel succus citri, aurantiorum, & acetosellæ addi possunt, juxta observationem Norvvegicam *in Act. Hafn.* BARTHOLINI *Volum.* 2. Mala enim citria, it. mala aurantia acida, mirè conducunt in præservando & curando Scorbuto imprimis navigantium.

Posteriora quod attinet: sunt in specie summitates & cortices abietis seu pinastri, imo tota *abies alba*, quæ propter egregiam virtutem vocatur Arbor *Antiscorbutica*, in specie sunt coni seu *strobuli* teneriores in usu, loco quorum substitui possunt ligna, & aliàs nota *remedia ex lignis* parata, speciatim ex *ligno* juniperi, *sassafras*, guajaco, & *rad. chinæ*, sarsæparillæ, cortice Winterano: Nam hic singulares habet virtutes antiscorbuticas. Item scordium, absinthium, ceterach, chamedrys, chamæpytis, fumaria, betonica, thee, radix helenii, gentianæ, 5. aperientes, chelidonii maj. scorzon., tarax., angelicæ, petasitidis, levist. Zedoariæ, galangæ, &c. Cortices fraxini, tamarisci, aurant., & citri, &c. sunt admodum convenientes in Scorbuto: Sunt similiter convenientes fructus chamæmori Norvvegici, de quibus præ aliis vid. SENNERTUS *Tr. de Scorbuto*, quorum Electuarium ex Norvvegia Daniæ cum magna quantitate fertur. It. Cacao, de quo vid. VVILLISIUS *de Scorbuto p.* 250. Porro flores genistæ, aquilegiæ, hyperici, sambuci, & croci huc pertinent; item sem. anisi, aquileg., fœniculi, &c. Baccæ juniperi, sunt admodum egregiæ; nam multa latent in junipero pro his usibus. Ac denique ex Regno animali lumbrici, stercus anserum Mense Majo collectum, & ad drach. i. in vino haustum; vi enim nitrosâ sulphureâ bilem mirè corrigit. Usus horum Antiscorbuticorũ est nunc crudorum, nunc præparatorum. Cruda imprimis usurpantur in Infuso: Nam plurima decoctionem non ferunt citra virium jacturam, propter sal volatile, nisi levissimam ebullitionem, & quidem in vase probe clauso, nunc duplici; Vel antiscorbutica cum talibus inter coquendum sunt miscenda, qui illorum particulis volatilibus ligandis ac retinendis apta, v. gr. folia cochleariæ aut nasturtii cum acetosella, quorum decoctum cum lacte caprillo SENNERTUS ac IOEL adeò commendant: Quod tamen ad Antiscorbutica posterioris generis, seu minus propriè sic dicta, haud extendendum, utpote quorum decocta potentis satis virtutis observantur.

Sin-

Singularem enim habent texturam, videntur abundare sale volatili, simul tamen acido in recessu satis penetranti, quod demonstrant ructus acidi. Menstruum infusionis est vel Vinum, vel lac, aut serum lactis: Quibus cum hoc selectu utendum; nempe quibus vinum fuerit acrius, aut qui vinum ob acorem ferre nequeunt, & in quibus sal acrius & magis efferatum dominatur & phlogoses excitat, it. tempore æstivo, it. in calidis & biliosis corporibus, commodè vel serum lactis vel ipsum etiam lac præsertim in subjectis macilentis magis & ad atrophiam plus minus declinantibus, & in ipso infundi & aliquandiu continuari possunt. Hinc enim rancidus acor corrigitur & nova fermentatio sanguinis reconciliari potest; ex. gr. si ab usu succi nasturtii aquatici cum sero lactis maculæ prorumpant, dicitur bonum signum esse, quia iterum fermentationis habetur signum. E contra propinantur in vino in subjectis contrariis, tempore hyemali, in constitutionibus frigidis & magis succulentis. Modum propinandi & administrandi hujusmodi remedia cruda pro cura Scorbuti, optimè docet HORSTIUS *l.4. Obs.40.* item *l.7. ubi de Scorbuto*, it. TIMÆUS *von Gulden Klee in Epist.28. l.3 p.425.* Reus ut pateat, e. gr.

℞. *Herb. rec. cochlear.*
Fumar.
Nasturt. ana M i.
Rad. armorac. unc. iß. vel iii.
Enul. rec. unc. i.
Passul. min. (pro temperatura) drach. vi.
Incisa & contusa includantur *Nodulo*, quibus infundatur vel Vinum, vel serum lactis depuratum, vel lac ipsum.
D S.
Singulare vinum sive lac antiscorbuticum.

De hoc infuso ægri omni manè jejuni, & ante prandium vel à meridie, bibant bonum haustum cum levi expressione; ita tamen ut primò minorem dosin accipiant, successivè eandem augendo, & sic continuando aliquandiu. Vel

℞. *Herb. recent. cochlear.* M. ii.
Rad. rec. armorac.
Enulæ,
Bacc. junip. ana unc. i.
Passul. min. un. iß.
Incis. & contus. Infund. *vino.*
D. S. ut *suprà.*

Quod si metuatur aciditas hypochondriacis & scorbuticis nociva, semper singulo haustui addantur, vel post unumquemque haustum, *lapilli Cancr. præparati*, à ℈i. ad ʒß, aut quantum cultelli cuspis capit, hi enim omne vini acidum absorbent, & in salsum diureticum absterſivum egregiè ita transmutantur; qua ratione etiam arcanum duplicatum Mynsichti est optimum Antiscorbuticum, quin & diureticum.

℞. *Herb. cochlear. rec.*
Nasturt. aquat. rec. ana M. i.
Rad. enul. unc. iß.
Acori nostr. unc. i.
Ras. lign. sassafr.
Lim. Martis an. unc. ii.
Cort. aurant.
Citri,
Galang. ana drach. ii.
Incisa & contusa includantur Nodulo: D. S.
Nodulus contra scorbutum vino imponendus.
Item
℞. *Summit. pini*,
Flor. genist. ana M. iß.
Coqu. in s. q. aquæ.
Colaturæ libr. ii. infund. per dies 3
Fol. cochlear. recent. Mj.
Mane coletur.
D. S. ut ante.
℞. *Summ. absinth.*
Herb. rec. cochlear. ana M. ii.
Nasturt. aquat.
Chelidon. min.
Flor. frax. purp. ana M. i.
Rad. armorac. rec. unc. iii.
Lign. sassafr. unc. i. vel unc. iß.
Cort. VVinteran. drach. iii. ad unc. ß.
F. Nodulus pro *Vini* Mens. ii. vel iii.
D. S. ut suprà.
℞. *Rad. armorac. rec.* unc. iß.
Summit. fænic. virid.

Herb. rec. cochl. M. ß. ad Miß.
Fumar. M. i.
Absinth.
Cherefol. ana M. ß.
Pom. citri incis. No. j. vel ii.
Passul. min contus. unc. iß.
Incis. & contus. includ. Nodulo. D. S.
Nodulus ad vinum antiscorbuticum.

Nodulis his, si desiderentur purgantes, addi possunt
Fol. Senn. sine stipit. unc. i.
Rad. helleb. nigr. crud. ʒvi.
Rhabarb. el. drach. iii.
Sal. tartari ʒiii.
additis Aromaticis. S.
Nodulus ad vinum laxativum antiscorbuticum.
℞. *Herb. persicar.*
Nasturt. aquat. ana Miß.
Acetosell. M. ii.
Salv. M. i.
Ras. ligni sassafr. unc. i.
Coq. in s. q. *Seri lact.* vase clauso:
Colatura D. S.
Potio antiscorbutica.
℞. *Decoct. Tamarind. cum sero lact. par.* & adhuc ferv. libr. ii.
Cui infunde
Herb. nasturt. aquat.
Beccabung. ana M. i. vel M. iß.
Stent in vase clauso in loco tepido per noctem: Colaturæ adde
Syr. Byzant.
Scelotyrb. For. ana ℥i.
M. D. S. ut antè.
℞. *Fol. rec. cochl.*
Nasturt. rec. ana M. i.
Rad. rec. armor. ℥iß.
Passul. min. ℥ii.
Limat. Martis unc. iß.
Concis. includ. Nodulo: D. S.
Nodulus ad vinum antiscorbuticum.

Capiatur quotidie ter haustus, manè post assumptum jusculum, à meridie, & à cœna. Vel simplicia dicta acria antiscorbutica contunduntur & conquassantur, affunditur serum lactis vel Vinum, exprimitur *succus*, qui blando calore depurandus, colandus, & pro usu quotidiano in vitris parvis sulphuratis (*diu non durant*) asservandus, & quando necesse est, aliquando Unciæ aliquot in *sero lactis* vel *vino* propinentur.

℞. *Succ. cochlear. rec. expres.* ℥i.
Vini Rhenan. unc. ii.
Spiritus cochlear. drach. ß.
Rotul. manus Christi perlat. drach. iii.
M. S.
Potio stomachalis antiscorbutica, alterno die capienda.

Commodè autem *nasturtium aquaticum* vel *cochlearia* cū *acetosellæ contusæ* ana vel dimidio sociatur, & cum lacte caprino, si febris absit, vel cum sero lactis, si febris, phlogoses & æstuatio vaga adsit, propinatur, & aliquandiu continuatur: vid. SENNERTUS *l. 3. Prax. ubi de Scorbuto p. 616.* item BARTHOLINI *Acta Med. Hafn.* Vel ad imitationem HORSTII:

℞. *Succ. cochlear.*
Nasturt.
Fumar. vel *piperit.* ana unc. iii.
Cichorii,
Acetosell. ana unc. iß. ad unc. ii.
Seri lact. depur. in specie *caprill.* ℔iii.
Seponantur nonnihil, ut depurentur per residentiam, hinc coletur & servetur pro usu.
D. S.
Serum antiscorbuticum.
Dosis pro una vice sint unc. iv. vel v.

Capiantur manè nunc cum nunc absque sudore: potest etiam repeti haustulus à meridie: potest etiam cuilibet haustui instillari Ess. Martis cum succo pomorum.

℞. *Seri lact.* ℔ii.
Succ. citri rec. ℥ii. ad ℥iii.
Ebulliant cum *album. ovi*, clarif. & pauco *Sacch.* edulc.
D. S. ut suprà.

Vel, quod melius, loco succi citri recipiantur *succi pom. Borsdorff.* ℥iv. ad vi., imprimis ubi obstructa alvus adest. Vel

℞. *Herb. flammul. Jovis,*
Fumar.
Nasturt. ana M. ij.
Infund. per noct. in vitro clauso: manè exprimatur & coletur. D. S.
Serum præparatum contra scorbutum.
Dos. unc. iii. ad unc. iv. semel vel bis in die.

Continuatur potus talis præmissis præmittendis subinde per aliquot septimanas, nunc, præsertim matutino tempore, cum blando sudore, nunc, præsertim à meridie, absq; sudore.

℞. *Fol. rec. cochlear.* M. i.
Incis. & contus. affund. per diem noctem in
Aqua scorb. Dorner. unc. ii.
Vini Rhenan. unc. i.
Mane exprim. adde
Ess. Martis liquid. ʒi.
Spiritus cochlear. ʒß.
Mastich. ℈i.
Edulc. cum s. q. *rot. man. Chr. perl.* M. D. S.
Singularis potio purgans, qua de capiatur cochlear singulo mane.

Plura videbitis in *Colleg. Pharm. in Schrœderum P. 2. & HORSTIO p. 384. 392. & 442.* Tales *succi* puri etiam possunt *affundi limatura Martis* recenti, sicut aliquamdiu; sic dicti succi redditi Martiales simili modo usurpari possunt. Vel loco talium ex Marte paretur *extractum*, quando succus Martialis inspissatur, & tunc extrahatur tinctura *Martis scorbutica*: vid. HOSTIUS, SENNERTUS, & EUGALENUS.

Huc pertinet Decoctum herbæ Thee pro Cura Scorbuti, à modernis, præcipuè Belgis, admodum commendatum: cui tamen quidem præferunt Decoctum granorum Coffee in Anglia admodum usitatum: item Syrupus scelotyrb. Foresti, syrupus essentific. cochlear. & fumariæ, Syrupus scelotyrb. Mynsichtii. Verùm syrupi ob *rationes suprà dictas* nihil valent, nisi forsan ad imitationem ZWELFFERI parati sint, quem modum in *Animadv. in Pharm. Augustan. ad syrupum scelotyrbicum Foresti* exponit. Ut taceam, quævis dulcia scorbutico esse infesta, ut superiùs de saccharatis & mellitis monitum fuit. Dicti succi tamen delicatis vel, qui proni ad effervescentias, minus conveniunt. In forma pulveris D. MICHAELIS multùm laudat contra scorbutum sequentem:

℞. *Aloes,*
Myrrhæ,
Succin. præp. ana ʒiß.
Croci ʒi.
Sem. cochlear.
Nasturt.
Sinapi ana ℈ii. ʒi. ad ℈iv.
M. f. *pulvis* Dosis ʒi.

℞. *Pulv. cachect. Martial.* ʒ i.
Rad. ari crud.
Arcan. dupl. Myns. ana ʒi.
Olei destillat. cochlear. vel *ligni sassafr.* gut. viii
M. f. pulvis: S.
Pulvis singularis pro aliquot vicibus, capiantur duo cultelli cuspides pro dosi.

Ex hactenus dictis simplicibus varia sunt præparata, *aquæ destillatæ*, tam simplices quàm compositæ, *spiritus, Essentia*, &c. Spiritus parantur vel per *simplicem cohobationem*, & ab istis simplicibus vel per *fermentationem* ipsorum simplicium (*es fleugt, aber viel vueg*) vel simul per utrumq; modum, si nempe spiritus fermentando paratus affundatur speciebus recentibus, & ita ab iisdem cohobetur: observando, quod Antiscorbuticorum spiritus volatiles in rectificatione attendendi sint, ut mox primâ vice spiritus à Phlegmate seorsim blando igne provocetur; quia intimiùs commistum phlegma vix separabile aliàs existit, & quò sæpiùs rectificantur, eò magis ferè enerventur. Hac namque ratione elaboratur spiritus odore & sapore plantam referens. Mediante hoc spiritu præparantur etiam essentiæ ex foliis recentibus: vid. SIMON PAULI *Quadrip. Botan.* Spiritus isti affunduntur extractis variis, unde essentiæ compositæ, verb. gr. Ess. Martis antiscorbutica, tincturæ Corall. antiscorbuticæ, &c. Mars cum succo pomorum extrahitur, cui inspissato ad extracti formam redacto spiritus cochleariæ antiscorbuticus affunditur, sic fit egregia essentia Martis antiscorbutica. Spiritus cochleariæ omnibus notus est, cum quo interdum commodè spiritus lumbricorum terrestrium permiscetur. Ad fermentata hæc pertinent etiam Cerevisiæ medicatæ per fermentationem, qualis est v. gr. Cerevisia antiscorbutica TIMÆI p. 418. in Epist. cujus ingredientia sunt hæc:

℞. *Herb cochlear. rec.* M. ii.
Fumar. M i.
Cort. frax. ʒvi.
Bacc. junip. unc. i.
Com. absinth. Miß.
Rad. cichor. unc. iß.
Enulæ unc. ß.
Cort. inter. abiet. M. i.

Incis. & conquassata indantur sacculo linteo seu ex linteo parato, immitte sacculum in dimidium doliolum cerevisiæ recenter paratæ, & nondum fermentatæ, sed potiùs simul fermentare permittantur: de quo tempore vernali, etiam autumnali, per mensem & ultra bibitur; sic enim optimè conducit ad Curam Scorbuti.

Aliam formulam dedi *suprà Sect. 17. Cap. 3. Artic. 1. ubi de Cachex. & in Idea Formul. Class. 4. §. 7.* In usu est *quibusdam spiritus antiscorbuticus* B. D. MICHAELIS compositus ex his simplicibus commistis per cohobationem; nempe

℞. *Herb. cochlear.*
Nasturt.
Piperit.
Raphan. rust.
Rad. aron. ana q. v.

Omnibus his recentibus leviter contusis & concisis affundatur *spiritus baccarum sambuci* vel *juniperi per fermentationem paratus*, ad eminentiam aliquot digitorum; digerantur per aliquot dies in vase clauso, & hinc destillando in Balneo Mariæ, cohobando eundem spiritum crebriùs à novis speciebus, ut eò magis acuetur sale simplicium scorbuticorum volatili, & rectificando spiritus hujusmodi: si acriores sint ac penetrantiores, & calorem augeant, temperantur optimè cum addito pauco spiritus aperitivi Penoti vel spiritus salis dulcis, egregiè quoque in scorbuto, & à BARBETTE *in sua Praxi* laudari.

Spiritibus tamen talibus, tam simplicibus quã compositis, convenienter essentiæ ex *Extractis antiscorbuticis*, item ex extracto Martis, parari possunt, sicut & ess. strobilorum pini antiscorbutica, & Elix. proprietatis antiscorbuticum, acuendo tamen spiritum antiscorb. cum spiritu aperitivo Penoti. Nam revera ingredientia Elixyr proprietatis in scorbuto sunt optima, balsamicâ vi resistunt contentorum corruptioni, & multa symptomata partium solidarum præcavent, ac in specie humidioribus aut serosioribus subjectis conducunt. Item ex antimonio cum salibus per incinerationem paratis paratur tinctura quædam egregia in depuranda Massa Sanguinea Præstat tamen juxta MOELLENBROCCIUM parare hanc cum spiritu quodam antiscorbutico, cum quo etiam tinctura Corallorum antiscorbutica commodè parari potest. Tinctura hæc convenit, quando corpus est tinctum maculis, pustulis & similibus affectibus, ubi opus est expulsione; in tali casu est miræ efficaciæ. Essentia absinthii, ess. cochlear, similesque essentiæ Scorbuticis conveniunt, sed parandi modus est observandus: Nempe istorum antiscorbuticorum succus per residentiam fæcum optimè depuratus ad extracti consistentiam est inspissandus. Succi hi inspissati vel Extracta, v. gr. absinthii, helenii, gentianæ, summitatum abietis, rob sambuci &c. cum spiritu cochleariæ, raphani rusticani, vel cũ alio antiscorbutico, simplici aut composito, in tincturas & essentias simplices ac compositas admodum efficaces, in quibus integra crasis antiscorbutica est recondita, redigi possunt. Hujusmodi verò spiritus & essentiæ cum fructu usurpantur doss gutt. 20. 30. vel à ʒß. ad drach. i. in vehiculo convenienti, vel aliis medicamentis admiscentur.

Per fermentationem dubitant multi, an ex Scorbuticis debeant parari spiritus? quia sub fermentationis negotio maxima pars salis volatilis solet evanescere, quod testatur odor, qui tunc exhalat. Certum est, pati aliquã jacturã, non tamen omnem; qui per fermentationẽ cautè parati *spiritus antiscorbutici* adhuc sunt satis penetrantes; Ut ergo omnibus satis fiat, procedendum est ita: Paretur *spiritus per fermentationem* ex antiscorbuticis quibusdam; hunc affunde *speciebus recentibus* & aliquoties cohobetur, & tandem rectificetur. Cæterum in his ipsis Antiscorbuticis Moderni, imprimis Belgæ, commendant flammulam Jovis, uti vocant, vel Clematidem surgentem erectam, ex eaque parata remedia: hæc saporis est acerrimi, nihilominus tamen ceu singulare & expertum remediũ, & sufficiens laudatur à LINDANO, qui

Reca-

Recipit *flammulam* vel *ranunculum acrem*, q.l., quam cum *vino rubeo* contundit in mortario ligneo, infundit ad tempus, digerit, & postmodum blando igne destillat spiritum, quem asservat tanquam egregium remedium ad Curam scorbuti.

Potest etiam destillari cum aliis Antiscorbuticis, & ita habetur *phlegma spirituosum* antiscorbuticum pro vehiculo aliorum remediorum.

Hisce addantur olea destillata ex dictis remediis penetrantissima, in specie ex *cochlearia*, quando jam incipit referari ejus crasis in semine, tunc oleum ex destillatione per vesicam prodit penetrantissimum, & in largiori copia, quàm alias sine semine; quod cum sacharo in formam *oleosacchari* antiscorbutici redactum est egregium. Modum talis elæosacchari dedit in *Colleg. Pharm. in Schræderum P.* 2. DRAWITIUS vocat magisterium cochleariæ, ZWELFERUS verò essentiam siccam. Hisce volatilibus nativis non incommodè adduntur remedia *volatilia* magis artificialia, spiritus nempe urinosi & salia volatilia ex animalibus supra laudata, v.g. spiritus & sal volatile salis ammoniaci, tartari, &c. cum spiritu antiscorbutico composito misti, vel cum spiritu cochleariæ saltem sociati, &c. Congruum est, ut paretur *spiritus salis ammoniaci compositus*, ita ut mixturæ pro ejus præparatione infundatur *spiritus cochleariæ*, vel *spiritus antiscorbuticus* quidam *compositus*. Interim spiritus & sal volatile *lumbricorum terrestrium* per putrefactionem hisce volatilibus annumerandum venit, tam propter vim diureticam, quàm quod affectibus scorbuticis dolorosis conveniat; imprimis egregius est in symptomatibus sensus & motus Scorbuticorum corrigendis. Quidam etiam *Elixyr Propr.* cum spiritu salis ammoniaci, *Essentiam myrrhæ cum* tinctura tartari, vel cum *spiritu salis ammoniaci* vinoso cum calce viva parato, &c. ad Scorbutum commendant. De spiritu salis ammoniaci vid. BARBETTE *in sua Praxi*, qui dicit, quod solus sufficiat pro scorbuto; ubi elegans observatio paralyseos scorbuticæ ingentis, solo Decocto rad. armoraciæ in sero lactis curatæ: Coquit ℥.ii. in sero lact. & colaturæ propinat unc.iß. Huc etiam pertinet tinctura nephritica Ammelungi, & *Essentia contra arthritidem vagam D. Michaelis*, quæ extrahitur cum spiritu lumbricorum, cornu cervi, & antiscorbutico composito: Sic quidam succum citri inspissatum cum spiritu cochleariæ extrahunt pro Essentia antiscorbutica temperata.

Ex dictis etiam subinde Mixturæ variæ præscribuntur in Cura Scorbuti, quando Decocta aut infusa sunt nauseosa. Formulæ pro usu extemporaneo contra symptomata urgentia sunt v. gr.

℞. *Aqua antiscorb. Dorne.* vel *Mynſ.* unc.iv.
Solut. Mart. cum succo pom. unc.ß.
Spiritus cochlear. drach. ii.
Syr. de fumar. vel *scelot. For.* unc.i. M.D.S.
Mixtura antiscorbutica cochleatim capienda.

℞. *Aqua cochlear.*
Fumar ana unc. iß.
Spiritus cochlear. drach. ii.
Sal. amm. simpl. vel *sassafr.* ʒ.iß. ad ʒ i i.
Syr. scelotyrb. For. ʒvi. ad unc. iß. M. D. S.
Mixtura antiscorbutica sanguinem mundificans. Vel

℞. *Aqua flor. samb.*
Antiscorb. Donc. ana unc. iß. vel unc. ii.
Spiritus cochlear. ʒii.
Lumb. terrestr. per putr. ʒi.
Arcan. duplic. Mynſ. drach. ß.
Syr. scelotyrb. For. vel *fumar.* drach. vi. ad unc. i.
M. S. ut *antè*.

Item sub forma essentiarum:

℞. *Elix. Prop. antiscorb.* drach. vi.
Spiritus aperitiv. Pen. drach. ii. M. D. S.
Elixyr antiscorbuticum.

℞. *Elix. propr. antisc.* drach. ii.
Ess. pini,
Citri cū spiritu cochlear. par. an. ʒi. M. D. S.
Mixtura antiscorbutica: 20. ad 30. guttas.

Pro dosi bis vel ter in die.

℞. *Ess. fumar. comp.* unc. ß.
Pini drach. ii.
Spiritus cochlear. vel *antiscorb. comp.* ʒi. M. D. S.
Essentia antiscorbutica: 50. gutta pro dosi.

℞. *Elix. propr. sine acido*, vel *tinctura tartari compos.* unc. ß.
Spiritus carminat. de tribus, vel *tinctura nephrit. Ammel.* drach. iii.
Spir. Cochlear. drach. ii.
M. D. S. ut *ante*. Vel

℞. *Tinctura tartari* compos. unc. ß.
Spiritus antiscorb. ʒii.
M. S. ut *suprà*.
Dosis 50. gutt. bis in die.

℞. *Ess. myrrh. tartaris.* unc. ß.
Spiritus sal. amm. sassafr. vel *cochlear.* drach. ii.
M. S. ut supra.

℞. *Spiritus carmin. de tribus* drach. iii.
Ess. absinth. scorb.
Cent. min. ana drach. ii.
M. S. ut *supra*.

℞. *Solut. Martis cum succo pom.* vel *antiscorb.*
Ess. fumar. ana drach. iii.
M. D. S. ut *suprà*.

℞. *Tinctura vitrioli Martis Zwelff.* vel *sol. Martis cum succo pom.* drach. iii.
Spiritus cochlear. drach. i. vel drach. iß.
M. S. ut *suprà*.

℞. *Spiritus carminat. de tribus*, vel *tinctura nephritic. Ammelun.*
Sal. amm. cochlear. ana drach. iii. M.D.S.
Spiritus antiscorbuticus.

Dosis 40. vel 50. gutt. manè & meridie, & sub introitum lecti.

℞. *Ess. cochlear.* vel alius *antiscorb. comp.* unc. ß.
Fumar. drach. ii. M. S.
Essentia antiscorbutica.

℞. *Ess. aperit. comp.*
Tinctura antimonii exscor. an. drach. iii.
Spir. Cochlear. ʒii. M. D. S.
Essentia sanguinem mundificans.

Pro dosi dentur 40. vel 50. guttæ in die.

Quod attinet *Antiscorbutica resino balsamica*, non tantummodò Acidum acre scorbuticum temperantia, sed etiam noxam systemati nervoso inductam, & inde natos varios dolores emendantia: eminet hic imprimis lignum sassafras, radix chinæ, cujus Decoctum ad imitationem TIMÆI *von GuldenKlee* videb. *Sect.* 1. c. 1. Præ cæteris omnibus *abies alba* picea & pinaster, in specie *strobuli* pinastri Mense Martio collecti; (tunc enim tactu sunt pingues & resinosi, vid. SIMON PAULI *in Quadrip. Botan.*) item surculi seu germina vel *strobuli* etiam adhuc resinosi usurpantur, vel *crudi* vel *praeparati*: *Crudi* recipiuntur *vel recentes* vel exsiccati, & iisdem v. gr. ad eorum unc. iß. vel unc. ii. infunditur *Cerevisia* vel *Covents* Mens. iß., coqu. aperto leniter vase, & ebulliant ad tertiæ partis consumptionem plus minus; in fine dum omnia fervent, infund. *passul. min. contus.* q. s. pro edulcoratione; ubi refrixerit colatur. De Colatura omni manè imprimis haustus bonus calidè capiatur, ac sudor blandus expectetur, repetatur in die semel vel bis, mirabile! quantum doloribus vagis, paresi, contracturæ: ac similibus affectibus scorbuticis, partes nerveas & membra externa magis affligentibus, præmissis præmittendis, conveniat, & præsertim in Decocto, minus in essentia. Aut

℞. *Summit. pinastr.* unc. ii.
Rad. chin. in taleol. incis. unc. i.
Affunde his
Aqu. Cerevis. ana ℔ii.
Coq. blando igne ad medietatem. D. S.
Potio Sanguinem mundificans.

Colatura bibitur quotidie bis manè calidè, blandum expectando sudorem; item vesperi sub introitum lecti. Residuum denuò coqui potest paulo diutiùs, & dicto modo continuari. Egregiè prosunt in Arthritide vaga, paresi, doloribus partium scorbuticis: Vid. MOELLENBROCC *ubi de Varis*. Interdum quoque *baccæ juniperi recentes*, rasura ligni sassafras, aliaque similibus decoctis addi possunt.

Extractum granorum juniperi resolutum cum spiritu cochleariæ est egregia Medicina in Cura Scorbuti. Loco horum etiam cortex abietis minutim rasus simili modo, diutiùs tamen, coqui & usurpari potest. Hujusmodi Decocta spirant odorem *terebinthinatum*, unde forsan *nec terebinthinæ* usus est incongruus in Scorbuto. *Summitates abietis* concisæ, & vel in aqua, vel in cerevisia, vel etiam simili vehiculo decoctæ & usurpatæ, in dolorosis affectibus egregiè conducunt. Vel

℞. *Cymar. abiet.*
Bacc. juniper. rec. ana q. v.
Contusis adde

Rad.

Rad. chinæ incis. minutim alterutrius dimidium.
Affunde *Aquam* vel *cerevis.*,coq. ad tertiæ partis consumtionem: D.S. ut suprà: Colatura debito modo usurpetur.

Qui gratiam saporis desiderant, sub finem decoctionis, dum omnia fervent, optimè *passulas minores conquassatas* pro lubitu addere possunt: Vid. *Colleg. Formular. p.* ......

Neque mihi est dubium, quin aliæ arbores plures simile quid præstare valeant.

Quod attinet *præparata*: est aqua cimarum abietis, spiritus & *Ess. Strobil. Pini* vel *abietis*, quæ mirabilia sunt in dictis symptomatibus scorbuticis:

℞. Nempe *Strob. pini*, iisque contusis copiosam *aquam* affunde, instituitur fermentatio, addendo parum de *fæcibus cerevisiæ*, destilletur, & prodit spiritus admodum suavis, qui pro usu asservetur. Hinc recipiuntur similiter *pini* seu *abietis Strobili tenelli*, iique coquuntur tamdiu in s.q. *aqua simpl.* donec eorum sapor & omnis eorum vis aquam imprægnet; Decoctum fortiter expressum inspissetur ad consistentiam Rob, quod vel cum *spiritu proprio*, vel cum spiritu *cochleariæ*, vel cum spiritu *composito antiscorbutico* extractum, dat *Ess.* pini potentissimam in scorbuto, in specie in paralyticis & etiam catarrhosis scorbuticis affectibus: dosis gutt. 30. 40. vel 50. vel solitaria vel cum aliis mista; e.gr.

℞. *Essent. cochlear.* vel *Scorbut. comp.* ℥ß.
Pini ℥ii. M. D. S.
Essentia sanguinem mundificans,
Dosis 40. vel 50. guttulæ.

Verùm in hisce *remediis de pino* observandum est: primò quod eadem non conveniant omnibus, quia nonnihil appetitum lædunt; secundò quod junioribus & calidioribus subjectis propter oleositatem volatilem non nimis diu propinanda sit, aliàs affectus externos varios, varos, pustulas in facie, erysipelata & febres ardentes inferre solent. Loco horum possunt substitui *lignorum Decocta* & *essentiæ*, unà cum *specificis antiscorbuticis* permixta, expectando sudorem; Imprimis *quando pathemata catarrhalia Scorbuticos affligunt*, sunt optima temperata, additis simul specificis antiscorbuticis.

Ex lumbricis parata remedia quæcunq; mirè conveniunt in cura Scorbuti; Unde eorum spiritus & cum eo parata essentia contra arthritidem vagam (de qua cras) magnæ est laudis in Cura Scorbuti. De Martialibus, Tinctura vitrioli Martis Zwelf. & similibus, quæ sunt antiscorbutica, item de Saturninis nihil dico: Nam ex supra dictis satis clarum est, quod etiam conveniant in Scorbuto. It. de tinctura Martis cum Ess. pini vel spiritu cochleariæ: Quò etiam pertinet Essentia Martis DRAWIZII, & exinde parata Tinctura elegans antiscorbutica cum succo pomorum, vel acetosæ, vel cochleariæ, vel nasturtii; vid. *Tract. de Scorbuto p.* 334.

Dū dixi, *lac* & omnia *lacticinia* esse optima in Cura Scorbuti, unde cum dictis vel post hæc, in specie post universalia & primas vias purgantia & Martialia, usurpentur lacticinia, in specie verò *lac* caprillum ejusque *serum* pro remediorum antiscorbuticorum vehiculo modo suprà insinuato; qua ratione etiam FORESTUS *l.* 20. *Observ.* 11. usu lactis dulcis, cum cochlearia & beccabunga decocti, multos, qui non febricitant, Scorbuticos curavit. *Serum* usurpatur in Scorbuticis febricitantibus, vel qui borborygmis in hypochondriis sunt obnoxii, ut & phlogosibus vagis, ut suprà jam dictum. In reliquis verò melius est, si usurpetur diæta lactea; eaque vel stricta ista contra arthritidem usitata; vel laxa, in qua nempe cum lactis vehiculo remedia antiscorbutica propinantur, ut quando v. gr. quotidie semel omni manè, interdum & bis, vesperi stomacho vacuo ante cœnam, larga dosis lactis calidè hauritur, (Germ *ein Nössel voll*,) cum tantillo *Sacchari*, vel singulis haustibus spiritus sal. ammoniaci & *cochleariæ* ana mistorum gutt. 20. 30. 40. ad 50. usque instillantur; continuetur aliquandiu, successivè *ascendendo*, & tunc etiam *descendendo*, modò ventriculus æquè ferre queat: multum in recessu habet lactis usus ad curam Scorbuti: Macilentioribus verò, & ubi sapor Scorbuticus acrior existit, convenit diæta lactea. Novi mulierem paralysi scorbuticâ cum athritide vaga dimidio ferè anno laborantem, hisce curatam, v. gr.

℞. *Lactis caprill.* Mens. ß. (id est, *ein Nössel*:) & ipsi adde
Herb. fumar. rec. incis. M. ß. ad M. i.

Hæc ipsa bulliant invicem aliquandiu tecto vase, trajiciantur postmodum per linteum, & vel pro simplici vel duabus dosibus *lac* ita paratum ita hauriatur, addendo parum Sacchari; quod semper observetur, ne tam promptè coaguletur; simulque singulo haustui instillando gutt. xii. xv. vel xx. *spiritus cochleariæ*, & ita quotidiè manè usurpetur, qualibet quartâ diè blandum infusum laxativum interponendo.

Lac ita paratum scorbuticis est admodum proficuum, in specie ubi laborat genus nervosum & adsunt dolores artuū, & imprimis, quando multum sudant: quin & succi simplicium antiscorbuticorum expressi & depurati vehiculo lacteo optimè usurpantur. Vel

℞. *Rad. chinæ minutiss. incis.* ℥iii.
Bulliant in
Seri lactis caprill. ℔iii.
Colaturæ ferventi infunde
Herb. rec. cochlear.
Fumar.
Nasturt.
Trifol. aquat. ana M. I.
Rad. rec. armorac. ℥iv.
Enul. ℥ii.
Sem. erucæ contus. ʒvi.

Stent in digestione vase clauso per noctem: manè detur colatura. S. *Lac antiscorbuticum*.

Eligitur ex omni lacte imprimis caprillum & ejus serum, quod est optimum & convenientissimum, speciatim si capra appropriatis antiscorbuticis fuerit nutrita. Et hoc vehiculum lactis imprimis tempore verno & æstivo convenit; tempore verò autumnali frequentiùs cum vino propinantur alia remedia, sive sub forma Infusi, sive decocti, sive alia sub ratione. Sub *diæta lactea* cavendum est ab omni vino & acido, potu haustoq; *lacte* instituatur aliquoties *ambulatio*, ut proliciatur urina. Novi juvenculas ex scorbuto ejusque serosa acrimonia steriles, ab usu lactis bubuli aliquandiu manè hausti fœcundas redditas esse. Novi quæ fluore albo, ex radice scorbuti nato laborarunt, liquamine affluente acri erodente partes vicinas, præmissis Martialibus ex usu lactis commodiùs habuisse.

Hæc fere cardinalia ordinariò *ita sunt observanda in scorbuti Cura*.

Locuti sumus heri de Praxi scorbuti & Mali hypochondriaci; sed præ cæteris in Scorbuto urgent symptomata, eaq; multiplicia, quæ adhuc paucis consideranda restant, & quibus mitigandis etiam prospiciat Medicus, respiciendo Scorbutum uno oculo, altero verò ad *symptomata affligentia*. Et ista congeries symptomatum, quæ adeò longè se per scorbutum diffundit, et am Hypochondriacos infestat. Hæc symptomata, utut sint varia, in genere tamen hoc habent commune, ut in eorum medela semper habeatur respectus ad acidum specificum corruptum primariò peccans, & secundariò hujusmodi remediis semper simul addenda appropriata symptomati & parti affectæ convenientia: v.gr. quando adest *diarrhœa scorbutica*, tunc primariò usurpentur talia, quæ vim acidi scorbutici infringunt, & addantur simul, quæ diarrhœam sistere valeant; hinc quæ stomachum roborant, & intestinorum tonum restaurant. Hoc certum est, nisi semper ad Scorbutum respiciatur, & appropriata antiscorbutica morbo addantur, quod vel symptomata non cessent, vel eadem deteriora fiant, vel diversimodè in alia symptomata mutentur: Qua ratione Colicæ malè curatæ superveniunt paralyses, hinc convulsiones.

Symptomata talia inter, ut ordine progrediar primo loco maximè conspicua sunt

DENTIUM & GINGIVARUM PATHEMATA.

Nempe *triplicia mala* vexant Scorbuticos *circa gingivas & dentes*.

1. *Gingivarum laxitas & mollities*, hinc dentium in suis alveolis laxis *Vacillatio*, quin interdum digitis vacillantes possunt extrahi.
2. Earum *Intumescentia*, *Cruentatio* & *Exulceratio*, cum qua sæpè & Dentium *Caries* complicatur.
3. Gingivarum *Gangræna* & *putrefactio* serpens.

Omnium horum pathematum *Origo est saliva*, sale acri scorbutico imprægnata & inquinata, gingivarum texturam fibrosam laxans, destruens, & dentes rodens, unde gingivarum *mollities*; hinc ex sale acri *excoriatio*, tandemque *putrefactio cariosa*.

Pro his gingivarum affectibus curandis conveniunt:
(1.) Collutiones oris.
(2.) Tincturæ gingivis affricandæ.
(3.) Pulveres; Vel
(4.) Linimenta cum antiscorbuticis juncta.

Quoad *Collutionem oris*: in his, si quid aliud, eminet *salvia*, quæ est specificum appropriatum, *ros marinus*, *flores*

flores ligustri, *aquilegia*; hyssopus, quercus cum specificis antiscorbuticis, ut cochlearia, nasturtio, vermiculari, nicotiana & similibus decocta, & collutoriis instar in ore usurpata. His simul adstringentia, radix bistortæ, aristolochiæ, tormentillæ, ireos Florentinæ, *Balaustiorum*, rosæ, & similia addi possunt; Item malva arborescens rubea. Nam *pulvis florum malvæ arborescentis rubeæ* est secretum HORSTII in his gingivarum affectibus, & quidem cum alumine permistus. Sicuti etiam *lacca*, *myrrha*, *alumen*, item phlegma aluminis, *spiritus salis*, &c. utramque faciunt paginam in gingivarum scorbuticis affectibus; item succus cochleariæ vel aliorum antiscorbuticorum; item succus salviæ & cochleariæ, quæ duo reliquis palmam præripiunt, pro collutione & abstersione gingivarum imprimis sunt commendata. Decoquuntur salvia & cochlearia, item nasturtium, vel in aqua, aut, quod melius est, *in lacte* aut ejus sero, aut in vino; si vinum est acrius, interdum etiam ipsius loco Coventum sumatur, & Decocto dicto seu gargarismate gargarisetur os, & purificentur & abluantur gingivæ. Item decoctum lignorum ligustri, & summitatum pini in aqua, addito pauco alumine in dentium morbis præ cæteris est in usu: Imò si exulcerantur gingivæ, hoc Decoctum pini eaidem consolidat: Item *Decoctum summitatum pini* & nasturtii in vino abluendis gingivis mirabiliter prodesse dicitur, gargarismatis formâ subinde usurpatum: Item Decoctum vel florum ligustri in aqua, addito pauco aluminis, tanquam expertum gargarisma commendatur à MINDERERO *in Medicina Militari p.* 376. Item gargarismus de tormentilla Mynf. & Decoctum ad Gingivas roborandas POTERII *Pharm. p.* 12. vel sequens Dentiluvium antiscorbuticum:

℞. *Herb. salv. opt.* Miiß. vel iii.
Nasturt. vel *cochlear.* M i. vel horum an. M.ß.
Flor. malv. hortens. M. i. ad ii.
Rad. polypod. unc. ß. vel drach. vi.
F. Decoctio in ℔i. ad ii. *aquæ font.*
Colaturæ adde
Mellis rosat. unc. iß.
Alum. usti drach. i.
Nitri depur. drach. iii.
Terræ sigillat.
Lacc. Florent. ana drach. i.
M. pro dentiluvio seu gargarismate oris. D. S.
Gargarisma antiscorbuticum. Item
℞. *Herb. salv.*
Cochlear. ana m. iii.
Coqu. in f. q. *seri lactis*:
Colat. ℔ii. adde
Succ. cochlear. unc. ii.
Syr. flor. aquileg. unc. iv.
M. F. Gargarisma. D. S. ut *suprà*.

Retineatur aliquandiu in ore, ut suam operationem melius exerceat.

℞. *Herb. salv.*
Satureja,
Roris marin.
Nasturt. ana m. i.
Rad. ireos Flor. unc. ß.
Polyd. ℥i.
Coqu. in f. q. *seri lactis* in fine addendo Herb. *cochlear.* m. ij. Cola & edulcora cum melle rosaceo, pro gargarismate in gingivarum intumescentia.
D. S. ut suprà.
℞. *Herb. aquileg. cum flor.*
Summit. rubi idæi ana m. iß.
Herb. cochlear. m. ij.
Rad. bistort. unc. i.
Cort. granat. unc. ß.
Coqu. in f. q. *ferrarior.*
Colatur. ℔iß. vel ii. adde
Syr. ex rosis sicc. unc. iß.
Alum. crud. drach. i.
M. pro Gargarismate in gingivarum cruentatione.
D. S. ut *suprà*.
℞. *Herb. cent. min.*
Scord.
Plantag.
Sabin. ana m. i.
Flor. rosar. m. iß.
Rad. Aristol. rot. ℥i.
Mastich. unc. ß.
Coq. in f. q. *vini austeri*:
Colaturæ ℔iß. adde
Unguent. Ægypt. unc. iß.
Alum. crud. ℨiß.
M. pro Gargarismate in gingivarum putredine.
D. S. ut suprà.

Præ cæteris optimum est *sal mirabile Glauberi* in f. q. aquæ cabungæ solutum. Quibusdam placet pro gingivis scorbuticis hæc Mistura:

℞. *Aquæ plantag.*
Prunell.
Rosar. ana ℥iv.
Tinctur. rosar.
Spiritus cochlear. ana ℨii.
Salis,
Vitrioli ana ℈i.
M. D. S. ut suprà.
Quâ Misturâ fricentur Gingivæ. Vel
℞. *Aqua salviæ*,
Plantag.
Roris. mar. ana unc. i.
Spiritus cochlear. drach. iii.
Syr. flor. aquileg. drach. vi.
Spir. salis dulc. q. s. pro subtili acore. M. D. S.
Dentiluvium.

Plures formulas vid. in *Id. Form. Class.* 3. §. 2.

Vel etiam fiunt Gargarismata ex tempore ex aqua cochleariæ, nasturtii beccabungæ, sedi minoris, addendo iisdem rob dia-Mori, syrupum florum aquilegiæ, syrupum nicotianæ cum melle rosato, aut etiam cum melle rutaceo, aut similibus.

Post collutionem oris tincturæ dentibus sunt adfricandæ, quas inter eminet præ cæteris *Tinctura Laccæ Mynf.* ritè parata, singularissima in scorbuticis dentium aut gingivarum affectibus, in laxitate, mollitie, exulceratione, & gingivarũ gangræna: In his ista tinctura mirabilia facit, & infallibile est medicamentum probè gingivis cum linteo applicata, vel sola, vel mixta cum dimidio tincturæ florum aquilegiæ; e. gr.

℞. *Tincturæ Laccæ Mynf.* ℨii.
Flor. aquileg.
Spiritus cochlear. ana drach. i. M. D. S.
Tinctura dentium.

Potest tamen meliorari, si *laccæ* addatur *myrrha*, aut si loco phlegmatis aluminis phlegma vitrioli, in quo aliquid aluminis solutum, pro illa conficienda adhibeatur: vel hujus defectu ex tempore potest præscribi (quando non potest haberi) mistura, quæ est similis tincturæ laccæ. Nempe

℞. *Lap. medicament. Croll.* q. f. vel drach. i.
Aquæ sedi minor.
Cochlear. an. q. s.
Post solutionem leni & blandâ digestione filtrentur:
Colaturæ infunde
Gum. laccæ drach. iß. ad ℨii.
Myrrhæ drach. i.
Alum. usti ℈ii. ad drach. i.
Flor. aquileg. p. iii.

Stent in digestione, donec tingantur, tunc filtrentur: Et hæc præscriptio idem valet atque tinctura laccæ; quâ imbuatur linteum & affricetur gingivis & dentibus scorbuto correptis. Vidi aliquoties adhibitum.

Facit etiam huc sequens singulare in Scorbuto oris: Nempe aqua calida affunditur *calci vivæ* & coquitur, post massæ subsidentiam filtretur lixivium, & abstrahatur ad remanentiam salis, quod parum est.

℞. *Hujus salis seu crem. calcis vivæ* drach. iii.
Gum. laccæ, drach. i. ad drach. ii.
Vitrioli de Cypro gr. vi.
Aquæ roris mar.
Salviæ, ana ℨiß.

Mista invicem solve calore leni, & hoc ipso ablue Scorbutum oris & dentes scorbuticos. D. S.
Tinctura pro dentibus scorbuticis.

Post tincturas sunt *pulvere s pro* dentibus, qui sunt varii: Hos tamen non ingrediantur *lapides*, vel *tartarea*; gingivas enim lædunt. Præ cæteris elegans est pulvis pro dentibus & gingivis scorbuticis BARTHOLINI *Cent.* 6. *Hist.* 54. cujus descriptio hæc est:

℞. *Fol. aquileg.*
Cort. rad. cappar.
Sem. cochlear. ana ℨß.

Rad.

Rad. Ireos,
Alum. usti ana drach. iii.
Maxill. lucii pisc.
Corall. alb.
Cornu Cervi ust. ana drach. ij.

Pulverisentur subtilissimè & irrorentur parum cum oleo *caryophyllorum destillato*. Imbuatur hic pulvis ulterius *spiritu cochlear.*, ut ita melius approprietur, adservetur cautè, & affricetur sæpius dentibus.

Vel excipi potest *unguento aquilegiæ*, vel saltem *melle*.

Vel

℞. *Pulv. rad. bistort.* drach. iij.
Rosar. rubr.
Balaust. ana drach. i.
Alum. usti ℈ij.

Hæ misceantur & irrorentur aliquot guttis *olei destillati caryoph.*

M. pro pulvere dentifriceo, & ita usurpetur.

D. S.

Pulvis dentifricius.

℞. *Salis tosti*,
Ciner. nicotian. ana drach. ij.
Fol. aquileg.
Salviæ,
Nuc. Moschat. ana drach. j.

M. f. pulvis pro Gingivarum Intumescentia.

D. S. ut antè.

℞. *Sangu. Dracon.*
Alum. usti ana drach. iß.
Summ. hyperic.
Fol. salv.
Rad. ireos Flor. ana drach. j.

M. f. pulvis: adde
Olei destillat. cochleariæ. gutt. vj.

M. f. pulvis pro gingivarum cruentatione.

D. S.
ut antè.

℞. *Rad. bistort.*
Tormentill.
Cort. granator. ana drach. j.
Hæmatit.
Thuris,
Alum. usti,
Sal. ammoniaci ana drach. ß.

M. f. pulvis in gingivar. putredine.

D. S. ut antè.

Denique *linimenta* conveniunt imprimis in graviori gingivarum exulceratione & fœtore scorbutico. Conveniunt etiam in ulceribus oris & faucium scorbuticis; ex. gr. sit instar omnium sequens:

℞. *Alum. crud.* drach. iß.
Fol. salv. drach. iij.
Rad. ireos Flor. drach. iß.
Myrrh. drach. ß.

Omnia probè pulverisata excipe cum s.q. *Mellis*, & f. Linimentum dentibus subinde affricandum.

D. S.

Linimentum pro dentibus.

℞. *Fol. roris mar.*
Salviæ,
Flor. aquileg.
Nuc. mosch. ana drach. ij.
Myrrh. el.
Mastich. elect. ana drach. iß.
Alum. crud. drach. ij.

Cum *mell. rosac.* vel *ungv. de aquileg.*

F. linimentum in gingivarum intumescentia.

D. S. ut *suprà*.

Aluminosa Linimenta enim convenientissimè adhibentur cum aliis remediis in gingivarum scorbuticis affectibus. *Borellus Cent.* 2. *Obs.* 65. recipit *alum.* parum in *Oleo sulphuris* ℥i. *Conserv. rosar.* ℥vj., deterso dentium tartaro, ope scalpelli lignei admovet, & intra 14. dies, si hæc sæpe fiunt, dentes firmari, dealbari, & carnem gingivarum produci scribit.

Item

℞. *Unguent. de aquileg.* ℥i.
Flor. rosar. rub.
Rad. ireos Flor. ana drach. j.
Alum. ust. ℈ij.
Myrrh. drach. ß.

M. in Gingivarum flaccescentia.

D. S. ut *suprà*.

℞. *Pumic. usti* ℥ß.
Corall. rub. prapar. drach. ii.
Gum. laccæ drach. j.
Mirrh. cum aceto sol. ℈ij.
Caryophyll.
Macis ana ℈ß.

Cum *syr. cochlear.* f. Linimentum.

D. S. ut *suprà*.

Aliud videb. in *Id. Form. Cl.* 5. §. 4. Vel aliis itritis mel rosatum aliquot guttis spiritus salis ad aliqualem acrimoniam imprægnatum dat Linimentum egregium ad consummatam gingivarum exulcerationem, excoriationem & cruentationem scorbuticam, & ad summum corruptionis gradum. Convenit etiam in ulceribus oris & faucium scorbuticis. Dico cum aliquot guttis spiritus salis: Nam quidam etiam miscent cum spiritu vitrioli; spiritus verò vitrioli reddit dentes nigros. Ratio hæc est: In omni spiritu vitrioli semper est liquamen metallicum, quod in ignis tortura spiritus secum rapit per retortam: Probo, quod spiritus vitrioli licet clarissimus, si ad tempus steterit, fit obscurus & turbidus, quia se ipsum præcipitat metallum. Quod si si jam dentibus affricetur spiritus vitrioli vel aliis corporis partibus, pars metallica præcipitatur ab effluviis salinis volatilibus, & ita præcipitata pars metallica nigredinem post se relinquit: Ergo commodiùs spiritus salis usurpatur. Ad hos gingivarum affectus appropriata est Conserva florum aquilegiæ: Nam conserva hæc irrorata cum spiritu cochleariæ, tanquam quoddam linimentum gingivis illinitur, benè fricando, commendatur contra hoc malum. Elegans denique Linimentum in scorbuto dentium videbitis in SENNERTO *l.* 3. *Prax. ubi de Scorbuto oris p.* 633. Compositio ejus est hæc:

℞. *Pulv. fol. aquileg.*
Menthæ crispæ,
Salv.
Nuc. moschat.
Myrrhæ ana ℥ij.
Alum. usti ℥ß.
Mellis virgin. ℥iiiß. vel q. s.

M. f. Linimentum.

D. S. ut *suprà*.

Si ulcera maligna aut etiam gangræna occupent gingivas aut fauces, usque minus videatur sufficere tinctura laccæ, tunc in pessimo statu *aquæ virides* HARTM. *Pr. Chym. c.* 52. §. 4. & 5., vel *Plateri* applicari possunt, quæ in exulcerationibus scorbuticis oris sunt nobilissimæ. Basis harũ est viride æs cum aceto. Assumitur quoque colcothar, cerussa, alumen, & vid. SCHROEDERUS *Pharm. l.* 2. Præ cæteris PLATERUS *in Praxi* aquas famosas reddidit. Item conueniunt aquæ Mercuriales (ex Mercurio dulci) cautè tamen usurpandæ. Aut etiam, *ubi magis urget malum*, accedendum est ad *unguentum Ægyptiacum* melle dilutum, & locis exulceratis cum penicillo admotum; vel unguentum de aquilegia cum succo salviæ & pauco spiritus salis mistum illinatur. Denique curatione magnetico-sympatheticâ potest fieri curatio Scorbuti dentium: Si planta senecionis effodiatur illæsâ radice, Planta hæc & radix lauentur, & cum radice fricentur dentes & gingivæ, ut sanguinem emittant: radicem ita sanguine adspersam iterum in terram suffodiunt, obseruant ut probè crescat; quantum enim planta crescit, in tantum decrescit Malum scorbuticum in gingiuis.

II. DENTIUM DOLOR SCORBUTICUS.

Iuxta vacillationem dentium & gingiuarum, affectus frequens in Scorbuto est *Dolor dentium Scorbuticus*, isque contumacissimus, gingiuas exulcerans, & etiam subitò dentes erodens. Conueniunt in tali scorbutico dentium dolore radix bistortæ & filicis, folia & flores saluiæ, folia & flores roris marini, folia rutæ, plantaginis & hyoscyami in aqua uel uino decocta, uel addatur parum aceti, addendo simul colaturæ adhuc calidæ succum cochleariæ uel beccabungæ, & ita pro collutione oris usurpetur. Sedum minus seu vermiculare admodum prodest, quod quidam colligere uolunt, ex signatura dentis & gingiuarum in foliis: imprimis succus sedi uermicularis expressus egregium est remedium in stomacace, & in dolore dentium scorbutico. Decoctum foliorum pini cum spiritu cochleariæ acuatum pro gargarismate

mate etiam egregiè confert. Quod si dolor simul malas torqueat, tempora & reliquas vicinas partes afficiat, commodè dictis locis illinitur *spiritus cochleariæ secundarius* seu *phlegmaticus* cum *spiritu lumbricorum terrestrium* ana.

III. ORIS ET FAUCIUM ULCERA SCORBUTICA.

Non rarò etiam *Oris ulcera*, non minus quàm in lue venerea, infestant fauces, palatum partesque vicinas. Contra hæc præter Linimenta jam dicta, ad unguentum Ægyptiacum, cum melle vel lacte vel vini spiritu dilutum, & locis exulceratis cum penicillo admotum, accedendum. Singulare & egregium hìc est gargarisma RULANDI, qui

℞. *Aquæ commun.*
Hydromel. ana ℔ j.
His addit
Alumin. ℥ß ad ℥j.

Ebullire permittit, & hoc Decocto manè à meridie post pastum vel vesperi colluatur os, & ita sanantur ulcera oris.
Vel
℞. *Aquæ nasturt. aquat.*
Plantag. ana ℥iß.
Nicotian. ℥ j.
Spiritus salis ℈ j.
Ung. Ægypt. ʒ iij.
Mell. rosat. vel *rutac.* ℥ j.
Syr. flor. aquileg. ℥ ß.
M. D. S.
Mixtura os mundificans.

Summitates pini his adjectæ erunt quoque proficuæ, quia hæ virtute balsamicâ instar terebinthinæ ad hæc ulcera sananda multum conferunt. Nec aqua viridis Plateri negligenda, quæ absque periculo usurpatur.

IV. MACULÆ CUTANEÆ SCORBUTICÆ.

Dixi, quod *in superficie artuum & partium externarum* MACULÆ scorbuticæ subinde erumpant coloris varii, & quod earum eruptio sit proficua ex eo, quia sint semper bonum signum malæ causæ foras erumpentis. Opera ergò danda est, ut conserventur in superficie corporis, & promoveantur, expellendo eas per cochleariam & fumariam. Quia autem lympham acidiorem tamquam causam agnoscunt, ad has maculas expellendas internè conveniunt omnia, quæ acidum absorbendo ac edulcorando sanguinem purificant. Præmissâ igitur Purgatione leni Mercuriali præscribantur Antiscorbutica, sale volatili acriori turgida, ut Massa Sanguinea purificetur ac floridior reddatur, quæ inter est Essentia fumariæ simplex, & imprimis composita, Essentia helenii, persicariæ cum spiritu cochleariæ permista, tinctura florum aquilegiæ expellens hìc etiam convenit, non minus quàm emulsio seminis aquilegiæ: *tinctura corallorum antiscorbutica* reliquis præfertur; egregiè enim promovet exclusionem, *valdeque conducit*; quæ etiam in Purpura puerperarum, de Malignitate scorbuti plus minus participante, egregiè confert. Curavi aliquando puerperâ purpurâ scorbuticâ afflictam. Signa erant, quod purpura rubicunda se exhibebat, & erumpebant pustulæ copiosissimæ aquosæ. Hanc, inquam, curavi tincturâ coralliorum antiscorbuticâ, quæ expullit pustulas & purpuram copiosam: Adeoque & hìc erit egregia. Aliàs nota est differentia macularum scorbuticarum. In maculis rubris, internis remediis addendus venit succus acetosæ, ipsa acetosa, acetosella, & succus citri: In cœruleis & lividis *cochlearia*, & ex hac parata medicamenta, optimè conveniunt; item tinctura coralliorum antiscorbutica, quæ dictas maculas potenter expellit. Hisce interponantur Diaphoretica terrea, acidum temperantia & absorbentia, Cornu Cervi sine igne, corallia rubra præparata, Cinnabaris antimonii, antimonium diaphoreticum simplex & Martiale, Bezoardicum Joviale, Antihecticum Poterii, myrrha, flores sulphuris, &c. e. g.

℞. *Cornu Cervi sine igne* ℥ iß.
Corall. rub. præp. ℥ j.
Antimonii diaphor.
Flor. sulphuris,
Cinnab. antimonii, ana ʒß.
Myrh. el. ℈ ij.
M. f. pulvis: S.
Pulvis expellens pro aliquot vicibus.
De hoc quotidiè bis vel ter à ℈ j. ad ʒß.

Quod si expulsæ sint maculæ, sponte evanescunt; sin verò pertinaces resistant, nec evanescere velint, utut nihil mali censu habeant, quibusdam tamen cutis nitori studentibus in rebus sunt molestæ, & etiam interdum majores ad excoriationem disponunt partes; subinde necesse est, ut *removeantur*: quod fit optimè per linimentum, paratum ex pulvere sinapi cum aceto in *linimenti* liquidi formam redacto: hoc enim in balneo vel lecto post sudorem illitæ maculæ subitò disparent, quod etiam conducit in *Maculis hepaticis*. Quod si acrius fuerit, ad modum TIMÆI von Güldenklee convenit Linimentum sequens:

℞. *Pulv. sem. sinapi subtiliss.* ℥iß ad ℥ij.
Olei amygd. amar. rec. ℥ß ad ʒ vj.
Succi citri rec. q. s.

M. F. Linimentum, contra maculas scorbuticas, (etiam vulgò dictas *maculas hepaticas*) egregium, quo post sudorem maculæ fricatæ ter vel quater de die, evanescunt.

Plura externa *sequenti Artic.* 7. ubi *de affectibus cutaneis*: Vid. hìc *Horstius in obs. p.* 401. TIMEUS *von Guldenklee in Epist. p.* 229. DECKERS *Comment. in Praxin Barbette*, ubi medicamenta nonnulla externa extant. His quoque associari potest infallibile hoc: e. g.

℞. *Rad. irid. Flor.*
Helleb. albi ana q. s.

Pulverisata misce cum *melle virgineo* vel *oleo amygdal. amar.* in Unguentum.

B.D.D. MICHAELIS arcanissimum remedium in usu erat sequens:

℞. *Flor. sulphuris* p. ij.
Camph. p. j.
Arenæ ad pondus omnium.

Sublimabat, & cum *Aqua scrophulariæ* inungebat.

V. PRURITUS CUM PURPURA.

Non rarum est, quod Scorbutici in ambitu corporis patiuntur pruritum rodentem cum eruptione quasi purpuræ in loco calido, quæ in frigido denuo disparet, *idem hæret inter cutem & carnem, mordetque instar urticarum*. Pro excretione intercutanea promovenda nihil melius est decocto summit. pini, expectando sudorem, qui multum expellit. Externè cansl inctura manuum ac pedum laudatur in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obs.* 51., quæ ad maculas cutaneas confert.

VI. CRURUM DOLORES SCORBUTICI.

Pro cæteris notum est, quod *doloribus* frequentissimis, iisque variis, stipatus sit scorbutus, qui dolores nunc sunt *fixi*, nunc *vagi*. Dolores fixi sæpissimè abdomen, sæpe etiam crura infestant. Ad *Dolores crurum*, qui magis sentiuntur tempore vespertino & nocturno, sudorifera appropriata sunt optima, præmissâ subinde in principio venæ sectione brachii & pedis oppositi, aut etiam cruris ægri, si nempe maturè instituatur, avertendo quasi aut derivando Contentorum motum; potius tamen in brachio, quod bene notandum. sicuti etiam omnia ea conveniunt, quæ postmodum circa arthritidem vagam explicabuntur. Specialim præ cæteris internè conducunt spiritus tartari volatilis seu carminativus, spiritus theriacalis camphoratus, &c. cum spiritu cochlear. aut nasturtii, spiritu baccarum ebuli aut sambuci, aut spiritu antiscorbutico mitius. Essentia sassafras mista cum spiritu cochleariæ aut antiscorbutico quocumque ad ℈j assumatur, addendo subinde Essentiam opii aut grana aliquot laudani opiati, ad compescendam doloris ferociam: e. g.

℞. *Ess. ligni sassafr.* vel *succini sassafr.* ʒ ij.
Spiritus antiscorb. ʒj.
Ess. opii tartarisat. ℈ß. ad ʒj. M. D. S.
Essentia antiscorbutica.

Convenit item Decoctum ligni sassafras aut summit. pini cum radice chinæ: e. g.

℞. *Ras. ligni sassafr.* ℥iij.
Cort. ligni sanct. ℥j.
Rad. chinæ elect.
Sarsæparil. ana ℥ß.

Stent in infusion. cum *aquæ simpl.* ℔ iij.
Manè coq. vase clauso, suo alembico munito.
Colaturæ ferventi infunde
Herb. scord. M. iij.
Rad. liquirit. ℥i.
Polypod. ʒvj.
Stent per diem & noctem, manè coletur, Colaturæ addatur liquor per alembicum prolectus. D. S.

Potio

Potio antiscorbutica.

Externè conveniunt fomenta, tam humida quàm sicca. Humida parentur ex decocto althææ, abrotani, fumariæ, beccabungæ, pulegi, hyssopi, cochleariæ, salviæ, sabinæ, nasturtii, floribus chamomillæ, sambuci, & baccis juniperi: verbi gratia

℞. *Herb. salviæ,*
Flor. chamomill.
Samb. ana M. ß. ad M. j.
Herb. nasturt. aquat. M. j. ad j ß.
Coq. in s. q. *lactis* vel *seri lactis*, vel aqua comm. pro fotu calido cum linteis multiplicatis applicando. D. S.

Fomentum leniens.

Aut etiam coq. in forma cataplasmatis & ita applicetur.
D. S.

Cataplasma leniens.

Item flores sambuci, quibus adduntur aliquot folia hyoscyami, in lacte cocti commendantur admodum ad scorbuticum crurum dolorem.

Aut fiat Cataplasma ad imitationem D. MICHAELIS:

℞. *Rob junip.* ℥j.
Succ. inspiss. flor. chamom.
Sambuc.
Nasturt. aquatic. ana ℥ß.
Coq. in s. q. *lactis congul.*
F. l. a Cataplasma.
D. S. ut *antè*.

Sed quoniam non æquè omnia subjecta ejusmodi fotus humidos ferunt, fotus siccus fieri potest, v. g. sacculus, qui calefactus imponatur.

℞. *Milii* M. iij.
Salis commun. M. j.
Furfur. tritic. M. ij.
Summit. absinth.
Flor. chamom. ana M j.

Includantur sacculo, quo dolor brachii gravissimus refertur curatus, in M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. obs.* 94. *pag.* 133. Milii quantitas ad ℔ ß. & ℔ j. augeri potest, uti etiam quantitas salis ad ℥ vj.

Horum loco spiritus possunt cõmodè illiniri calidè; qua ratione spiritus baccarum juniperi camphoratus TIMÆI *Von GuldenKlee* externè illitus etiam est elegans contra hos dolores: vid. ejus *Epist. p.* 368. Spiritus salis ammoniaci cum calce viva, vel, qui omnium optimus, spiritus lumbricorum terrestrium, (sunt appropriati) cum duplo, triplo vel quadruplo aquę articul. ad extra mistus, & ità crebriùs illitus, est optimus, cavẽdo, ne acriora sint ingredientia. Galbanetum Paracelsi cũ spiritu tartari mistũ & circulatum, hinc leniter affrictum, externè dolores crurum fixos sedat. Facit huc pediluvium Mynf. contra dolores crurum. Imprimis singulare quid obtinet Lixivium Coriariorum, cum dimidio vrinæ humanæ mistum, in forma humoris vaporosi: (*Balneum vaporosum: crura operiuntur, nè vapor abeat:*) Est singularis efficaciæ; vid. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Obs.* 22. 9. Tandem *Vinacea* & *Insessus vinaceorum* calidorum, ut probe incalescat membrum dolorosum, singulare quid obtinent in corrigendis doloribus artuum: Quando scilicet fermentatione spontaneâ probè incalescunt (si non spontè incalescunt, aspergatur calx viva) pars affecta immersa probe sudet, quâ abstersâ proægerin lectum calidum se conferat, donec sponte cesset sudor, & si opus est, ulterius sudet, & sic mirificè hi dolores sistuntur; mirabile levamen est. Ultimò horum loco balneum *ex formicis*, earumque cubile, itidem hic est egregium. Denique aliis irritis Thermarum aquæ, aut balnea ex luto thermarum, aut thermæ artificiales ex sulphure & calce viva parata, pro lotione dolentium membrorum sunt convenientissimæ: Sed probe notandum, præmissis præmittendis, Vesicatoria in aut prope locum magis dolentem applicata subinde multum conferre in hujusmodi fixioribus & contumacioribus torturis.

VII. COLICA SCORBUTICA, & NEPHRITIS NOTHA.

Inter alia *symptomata scorbutica* eminet quoq; VENTRIS DOLOR, COLICA & ILIACA PASSIO, qui sunt affectus acerbissimi, interdum adeo atroces, ut duos exinde rupturam peritonæi passos EUGALENUS *p.* 86. perhibeat. Variè affligit ægros, ut plurimum conquerũtur, circa vertebras dorsi se pati *dolores lancinantes & lacerantes*, unde totum abdomen cruciatur, & spasmodicis convulsionibus ad dorsum usque, ubi imprimis mensenterium annectitur, se manifestant: subinde umbilicus ad interiora versus retrahitur, & ægri jacent incurvati, interdum totum *abdomen tumet*, & licet ventris exspirent flatus, tamen levamen non sentiunt.

Facit huc NEPHRITIS NOTHA, in qua omnia ferè Nephritidis adsunt symptomata, etiam urinę ardor atque suppressio, cum dolore lumborum circa renes in regione hypochondriaca ac perineo exquisitissimo, nullo licet præsente calculo. Frequenter enim decipiuntur ægri, æque ac Medici, ut putent, se laborare *Nephritide*, sed malè; Et utut *urina supprimatur*, non tamen statim adest *Calculus*. Complicati quidem interdum sunt *dolores nephritici & abdominis*, interdum seorsim affligunt. Conqueruntur de angustiis cordis: imò subindè eadem symptomata, quæ mulieres hystericæ: & utut cessent dolores nephritici & abdominis, tempore tamen extra paroxysmum conquerũtur de doloribus lancinantibus & lacerantibus circa regionem lumborum, donec variæ causæ externæ evigilantes Parotidem inferant.

Dolor hic simpliciter oritur ex spasmis seu *motibus convulsivis intestinorum, mesenterii, & partium nervosarum annexarum*, ab acri scorbutico sale vellicatarum, in quibus imprimis regio lumbaris mirè lacerari & affligi solet, quorum fundamentum hæret in plexu mesenterico nerveo & ibi consitis glandulis, quæ plexibus nerveis mesenterii vicinæ sunt, ubi varios dolores inferunt, & simili cursu abdomen occupant.

* De hac *Nephritida Notha* nemo meliùs, quàm D R A W I Z I U S scripsit: notabilis est locus.

Quoad *Curam* horum dolorum, in paroxysmo 2. *Indicationes observandę* sunt:

1. *Intestina leviter abstergenda* blandis injectis & assumptis.
2. *Convulsivi impetus & spasmi* in intestinis & membranis abdominis, tam generalibus quàm specialibus scorbuticis, imprimis volatilibus oleosis, & opiatis & temperatis compescendi sunt, internis & externis.

Extra paroxysmum *Scorbuti Cura primariò* attendenda; & in specie post *martialia* remedia, & ex *pino* sunt optima; idque cessante paroxysmo, aut extra eum.

Quoad primum scopum: quovis morbi statu à purgantibus fortioribus planè abstinendum & cavendum, quia maximè, nocẽt symptomata spasmodica exasperãt, & dolores exacerbant, ac non rarò hinc fęcũ per os rejectio contingit.

Cum verò alvus subinde pertinaciter sit clausa, usurpentur saltem blandè *abstergentia* intestina; inter quæ eminent passulæ & omnia passulata, *serum lactis*, imprimis caprini, aut lac caprinum cum saccharo & spiritu salis ammoniaci mistum, ad demulcendam acrimoniam salis scorbutici, istas convulsiones spasmodicas in abdomine excitantis. Oleum amygdal. dulcium recens, aut olivarum, in quo rosæ pallidæ fuerint infusæ, ad ℥ ij. vel iij, vel solum, vel in jusculo gallinaceo, jure pisorum, *decocto rad. althęæ* aut *parietariæ* haustum, aut sperma ceti cum iis assumtũ, egregiè temperant acrimoniam salium, blandè alvum leniunt, & intestina abstergunt. Quoad passulata in alvo nimis obstructa, vid. Timæus à *Guldenklee* in *Epist. pag.* 236.

Vel.

℞. *Tamarind.* unc. i ß.
Coqu. in s. q. *seri lactis* ad Mens. j.

Si verò dolores hi adhuc in principio fuerint, leviter tantùm affligant, & alvus nondum constipata, statim purgantibus materia vitiosa educi debet, illam primò attemperando per absorbentia & temperantia, ut oleum amygdal., sperma ceti, lapillos cancr., solut. martis cum succo pomorum, &c. Singularis vęrò est encheirisis, quam RIVERIUS *Prax. l.* 10. *c.* 1. commendat, scilicet ut purgantibus Opiata commisceantur, quibus mediantibus primò somnus inducitur, hincq; alvo solutâ paroxysmus sedatur.

Quoad *Alterantia*: variant hæc pro diversitate acrimoniæ peccantis, quæ modò absorbentia minusque acria, modò sulphurea *oleosa* aromatica & *salia volatilia* admittit. Si enim humores, ac æstuantes magis fuerint, convenient alterantia absorbentia terrea & marina, v. g. lapides cancrorũ, mater perlarum, maxillæ lucii piscis, corallia rubra, margaritæ, martialia, unicornu sine igne, ebur sine igne, &c. item serum lactis tepidum, aut in quo radix chinæ cũ an. flor. borrag. & part. ij flor. tunicæ decoctũ, cujus usũ pro obtundendo sale acri acido singularẽ frequentiùs observavi:

vi. Vid. DRAWIZIUS l.a. *pag.*224. Aut loco hujus emulsiores sem.4.frigid.majorum cum semine papav. albi & ebore sine igne: Aut his substituendum saccharum Saturni, & ex hoc parata Tinctura antiphthisica, quæ omnes rodentes & æstuantes humores singulariter temperant, observatis tamen illis circumstantiis, quas DRAWIZIUS *l. a. pag.*126. indigitat. Sin tartarus areniformis simul in urina compareat, frustraneus est lenientium usus, nisi per diuretica moderatissima & abstergentia ille prius tollatur, scilicet per terebinth., syr. de althæa Fern. Emuls. sem.4. majorum & papav. albi, violarum, ac lapillos Cancr. &c. Præter ea ad convulsivos impetus sistendos conveniunt salia volatilia oleosa cum opiatis mixta, quorum formulas videbitis *suprà Sect.*11. *de Colica*. In specie remedia ex castoreo, cochlearia, & cort. aurantiorum, aliisque carminantibus sunt optima, nempè syrupus, aqua, &c. corticis aurantior. Præ cæteris verò Ess. cort. aurant. mista cum Ess. castorei & spiritu cochleariæ est elegans. Spiritus salis ammoniaci mistus cum spiritu cochleariæ, item cum spiritu anisi, & benè circulatus ac unitus, etiam convenit. Spiritus nitri cum spiritu cochleariæ unitus & dulcificatus dat spiritum nitri dulcem cochleariatum contra dolores ventris scorbuticos. Imò si *diutius duret paroxysmus*, Martialia sunt usurpanda. Denique *spiritus carminativus de tribus* cum spiritu cochleariæ mistus, etiam cum vehiculo antiscorbutico appropriato assumtus, est nobilissimus in abdominis doloribus. Loco spiritus carminativi potest etiam sumi spiritus *tartari volatilis* mistus cum spiritu cochleariæ vel cum spiritu *lumbricorum* terrestrium, qui in *sero lactis* assumti sunt optimi; spiritus enim lumbricorum terrestrium, & cum hoc parata Ess. contra Arthritidem vagam, sunt egregia in doloribus ventriculi, abdominis, aliisque scorbuticis. Item Elixyr proprietatis antiscorbuticum non incommodè usurpatur. Quibus subindè, præmissis præmittendis, laudanum opiatum, laudanum hystericum, aut Essentia opii, consultò addi possunt: v.g.

℞. *Aqu. Carminat. Dorncr.*
Antiscorbut. ana ℥ij.
Spirit. chochlear.
Carmin. de tribus ana ʒj.
Ess. opii ʒß.
Syr. cort. aurant. ʒvj. ad ℥j.
M. D. S.

Mixtura antiscorbutica contra dolorês abdominis.

Præ cæteris *externè* Clysteres cum cataplasmatibus, fomentis, ac linimentis antispasmodicis magno emolumento sunt; unde clysteres lactei, tam simplices quàm terebinthinati, sunt perquàm proficui. Fomenta ex lacte cum anodynis & scorbuticis, cum anodynis v.g. florib. chamomillæ, sambuci, summit. absinthii, anethi, althæa, Mercuriali, parietaria, rad. helenii, baccis lauri, foliis hyoscyami, &c. sunt egregia. Hæc enim & similia mista pro clysteribus lacteis coquantur, & vel ventri applicantur, vel Decoctum sub forma clysteris addito oleo violarum, rosarum, ac vitellis ovorum injiciatur: Vel fiant *Clysmata ex lacte*, vel solo vel medicato, cum appropriatis quibusdam addito saccharo; imprimis *lac*, in quo dissoluta *terebinthina* cum *vitello ovi* est egregium in abdominis doloribus, idque imprimis, si diu retineatur: Vel fiant *clysmata ex sero lactis*, quibus additur castorii ana ʒß. vel ℈ij. ad ʒj. cum *syrupi papav. albi* ℥j. ad ℥ij., vel cum Requie Nicolai ad ʒij.; Sic enim fit clysma appropriatum, & admodum dolores leniens: Aut injiciantur clysmata carminativa anodyna & terebinthina *suprà Sect.* 11. *ubi de Colica*, *item infrà Sect.*20. *cap.*2. *Membr.*2. *ubi de Nephrit. doloribus* præscripta: Vel

℞. *Herb. & flor. chamomill.* M ij.
Althaæ M j.
Sal. tart. vel *cin. clav.* ʒj.
Coqu. in s.q. *lactis*.
Colaturæ ℥viij. adde
Mell. Mercurial. vel *rosat.* ℥j.
M. pro Enemate:
D. S.
Clyster leniens.

℞. *Herb. alth.*
Aneth.
Mercurial. ana M.j.
Cin. clavellat. ʒj.
Coqu. in s.q. *lactis*;
Colaturæ adde
Ol. violar.
Lilior. alb. ana ℥ß.
Vitell. ovi No. j.
M. f. Clysma:
D. S. *ut suprà.*

℞. *Summit. absinth.* M j.
Herb. cochlear.
Hyoscyam.
Flor. chamomill.
Sambuc. ana M ß.
Rad. angelic. ℥j.
Bacc. laur.
Iuniper. ana ʒvj.
Coq. in s.q. *seri lactis*:
Colaturæ ℥viij. adde
Ol. lilior. alb.
Cochlear. ana ℥ß.
Vitell. ovi. No. j.
Elect. de bacc. lauri ℥j.
M. pro Enemate.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Lact. bubul.* vel *Decocti flor. chamom. cum lacte & sale tart.* ℥viij. ix. ad x.
Terebinth. cum vitello ovi ʒiij. vel ℥ß.
Theriac. Androm. (propter opium) ʒj. vel ʒij.
Sacch. ʒij. vel ʒiij.
Mel. rosat. ℥j.
M. f. Enema.
Vid. *Colleg. Institut. p.* 396.

Sin clysteres nil præstent aut planè retineantur, ab ulteriori eorum usu desistendum, & solis fomentationibus aut balneis negotium tractandum, folia hyoscyami his addendo: vid. DRAWIZIUS *pag.*315. Per reiterata quippè atque retenta enemata intestina magis inflantur, hincque dolor augetur. Quod si verò spasmi intestinorum ab usu clysterum aliquantum remittant, illis insistendum, & purgantibus potentioribus iidem acuendi sunt. Jungitur ulterius oleum lumbricorum terrestrium, oleum cochleariæ, oleum chamomillæ, &c. quæ ipsa oleosa etiam externè in dolore hypochondriorum circumscripto (*sub costis brevioribus*:) optimè conveniunt & conducunt; quibus in nephritide notha oleo scorpionum, unguentum de liquiritia, althææ, &c. addendum. Reliquis præfertur, *Galbanetum Paracelsi* seu *oleũ destillatum* ex *Galbano & terebinthina* externè regioni umbilicali largiter calidè illitum est efficacissimum, imponendo desuper laterem calefactum; vel emplastrum de Galbano usitatum seu matricale, malaxatum cum oleo destillato succini, Philosophorum, oleo tartari, *castorei*, chamomillæ, vel cum *balsamo Peruviano*, est optimum. Nam eadem externa, quæ in passione hysterica usurpari possunt, conveniunt etiam in doloribus hisce abdominis; imprimis in hujusmodi doloribus, ubi cum *Nephritide notha* seu doloribus dorsi lumbaribus, circa os sacrum conjunctis & quasi ischiadicis, optimum est *emplastrum* diasulphuris *Poterii*, quod aliàs præmissis præmittendis internis nobile est remedium ad Ischiadem: vid. *infr. l.*2. *Sect.*3. *Cap.*3. *Artic.*3. *ubi de Paralysi*: *Valdè conducit* in casibus scorbuticis ex observatione propria, lumbis applicatum, *sed glutinis instar adhæret*. Compositio est talis: v.g.

℞. *Pic. naval.* ʒij.
Flor. sulphuris,
Terebinth. ana ʒij.
Succini,
Mastich. ana ʒj.

Liquefacta misceantur pro Cerato, in forma quadrata applicando loco dolenti, gestetur aliquandiu, & in dictis affectibus est egregium; elevat interdum pustulas, sed nihil nocet.

DRAWIZIUS ejusmodi emplastra planè reiicit. Nonnulli tamen eo modo suadent, ut modò applicentur, modò iterum removeantur. Ubi deficiunt talia, Fotus humidi & *cataplasmata* adhibeantur, qualia parantur ex *baccis iuniperi*, *floribus sambuci*, *nasturtii*, *hyoscyami* & similibus: qualia vid. *supr. Sect.*11. *ubi de Colica*: v.g.

℞. *Flor. chamomill.*
Sambuc. ana M j.
Fol. hyoscyam. M. ij.
Rad. helen. ℥ij.
Bacc. lauri ℥j.
Incisa & contusa D. S.
Species ad fotum.

Coquantur in lacte, & dictis modis usurpetur.

Præ cæteris tamen convenit fotus toti abdomini insternẽdus ex fol. hyoscyami in lacte coctis, de quo vid. DRAWIZIUS *Tr. de Scorbuto p.*315. Aliis irritis Insessus in decocto emol-

emollientium & carminantium fiat, commendatus à TIMÆO *Von Gulden Klee in Epist. p.* 236. Lacti incoquendi, imprimis cancri fluviatiles, tam pro usu Fotus, quàm pro usu injectionis.

Extra paroxysmum radicalis Cura Scorbuti postmodum est attendenda, ubi præter *Martialia* & *antiscorbutica*, imprimis *remedia ex pino* conferunt. *Decoctum strobilorum pini* aut *baccarum iuniperi*, sudore aliquoties repetito, cum *emplastro de pice* sola sufficiunt pro curandis his abdominis doloribus, ne recidivent. Horum defectu *lacticinia* cum scorbuticis usurpanda sunt, præmissis *Martialibus* extra paroxysmum: Nam dolores solent præcavere aut imminentes sistere. De Nephritide notha vid. *Dn. Wizius de Scorbuto*, M.A.N.C. *Ann.* 3. *Observ.* 44. *p.* 73. ubi spiritus salis ammoniaci & lumbr. terrestrium, item Essentia nephritica è ligno nephritico, cum spiritu salis ammoniaci & fragorum extracta, commendatur, propinanda in aqua petroselini, in qua crystallus candefacta extincta.

Vetula 82. annorum laborabat gravi dolore abdominis scorbutico revera convulsivo, una cum vagis artuum lancinationibus: huic pro leniendo paroxysmo præscripsi:

℞. *Aqu. lil. convall.*
Flor. til.
Mentha ana unc. j.
Mag. corall. cum succ. citri ʒ j.
Spirit. sal. ammoniaci ʒß.
Cochlear. ʒ j.
Laud. opiat. ferm. gr. v.
Syr. cort. aur. ʒ vj.

M. f. potio aliquot vicibus haurienda: cui sociatum clysma blandè emolliens & laxans.

Vesperi verò ordinabam:

℞. *Mag. corall. cum succ. citr.* ℈ß.
Castor. gr. iv.
Laud. opiat. ferm. gr. ij.

Cum ess. castor. f. pilulæ, quæ egregiè contulerunt.

Sedato paroxysmo pro evacuanda vetula præscripsi:

℞. *Gumm. ammon. in aceto solut. depur.* ℈ß.
Mercur. dulc. gr. vj.
Extr. troch. alband.
Laud. ferment. ana gr. j.

M. f. Pil. quæ itidem egregiè contulerunt.

VIII. *ARTHRITIS VAGA SCORBUTICA.*

Juxta dolores hos etiam familiare est scorbuti symptoma, Dolores nempè vagi arthritici, seu ARTHRITIS VAGA, qui imprimis sunt molesti Scorbuticis. In locis ubi Scorbutus est familiaris, sic solet appellari; Ubi verò rarus est, ibi apud Practicos subinde sub nomine *Dolorū artuū à Rheumatismis* seu *defluxionibus* natorum, qui ordinariè sunt scorbutici, proveniunt. Veteres dicunt Rheumatismum *Reissen im Gliedern*, *Gicht*. Revera ergò cum arthritide vera convenit, accidentibus saltem variat. Differt sc. hæc Arthritis vaga ab arthritide vulgari *propriè si dicta*, seu Podagra: Nam utut non rarò etiam Scorbutus podagræ, seu Arthritidi vulgari se associet, ita, ut etiam artheticis, seu podagricis antiscorbutica remedia non sint incongrua, & cum successu applicentur; nihilominus, tamen Arthritis vaga Scorbuticis magis propria est: Deinde & in hoc differunt, quod *Arthritis vera* sit constans, seu in parte, quam semel occupavit, successivè sua tempora absoluat; *Arthritis* verò *vaga*, quatenus scorbutica, inconstans est, & fixam sedem non habet, & simul musculosas partes atrociùs infestare solet, modò in hanc modò in illam partem irruens, jam in pedes, jam in brachia, in specie si forsan per externa frigida admota repellatur, ex improviso euanescit, modo redit: Interdum fulminis instar articulum locaque uicina occupat, interdum citò disparet. *Curiosum* est, quod fricatione panni calidi dolores mox remittant, sed mox in alio loco se manifestent. In Arthritide uera successiuè oriri solent nodi seu tophi, Germ. *Knoten und Beulen*, difficulter curabiles; in uaga uerò non, & utut etiam tumores interdum obseruentur (nam fuerunt obseruati instar oui Gallinacei) nihilominus tamen faciliùs discutiuntur & disparent, cùm tumores tales non sint propter materiam contentam, sed propter contracturas spasmodicas, nunc constantes sunt, nunc inconstantes, modò euanescunt, modò denuò comparent. *Dolores* hi nunc sunt *simpliciter lacerantes*, nunc *profundi, osteocopi*, subinde *nocturno* tempore per modum febriculæ plus minus lentæ *affligentes*, utut sint maximè *fixi* & quandoque *vagi*. Terminatur *Arthritis* uaga nunc per *sudores & urinam*, nunc eam excipit excretio cutanea instar *purpuræ*, & tota superficies corporis fit aspera; loco cujus interdum *excrescentiæ parvæ*, item *pustulæ* superveniunt, quæ subinde excrescunt. Notabile est, quod si Arthritidem uagam excipiat talis *Purpura*, quod ægri tantum *pruritum* percipiant, ut etiam fricando cuticulam detrahant; Talis *purpura* est cum rubore corporis totius, instar erysipelatis. Non rarum est, imprimis in nostro climate, quod *Arthritis vaga sit complicata cum Scorbuto*, unde dolores, & symptomata graviora esse solent. *Arthritis vaga* hæc, præter dolores in articulis, simul solet affigere, in specie dum recrudescit paroxismus, cum *gravissimis anxietatibus præcordiorum*, quod fit in principio paroxysmorum: Adest sitis clamosa, sudores, totius membri movendi imbecillitas, dolores lancinantes, magis pungentes.

Fundamentum hujus pathematis est *sal scorbuticum vellicans* fibras nerveas motrices, carnem, & imprimis periostium, minus tamen affligens partes tendinosas in articulis. *Notetur autem hic error ingens* MOELLENBROCCII, sal hoc scorbuticum asserentis aliquod volatile, exinde quod subitò è parte & in aliam transmigret: Nam revera symptomata hæc non oriuntur à sale, è parte in longè dissitam volitante, cum constet, salia omnia in corpore esse fluida, & moveri secundùm motum humorum ordinatium; sed ex consensu nervorum, cui omne id est attribuendum, quod HELMONTIUS per Morbos potestativos explicat, quando v. g. affecto ventriculo cerebrum & aliæ partes afficiuntur.

Pro *Cura* ergo observandum, ut in paroxysmo

1. *Impetus spirituum* & humorum, occasione *salis scorbutici* excitatus, *refrænetur*.
2. *Volatilibus appropriatis*, nunc urinosis, nunc oleosis amaricantibus, succurrendum, vel per urinam, vel per sudorem, istud *evacuando*.
3. Paroxysmo declinante remediis ex pino sudoriferis radici morbi succurrendum; &
4. Extra paroxysmum præter diætam convenientem, lacticiniis præsertim mali recidiva præcavenda.

Quoad 1.: *pessimè faciunt*, qui *in principio paroxysmi usurpant volatilia*; frustranea enim sunt: potius ergò in principio & incremento Venæ sectio, nunc revulsoria respectu partis affectæ, nunc aversoria, subinde cum fructu singulari instituitur, si ægri conditio ferat; non tamen cum tanto excessu, ut facit *Sydhenam in Obser. p.* 409., nec in latere aut membro affecto, sed in opposito, ne circumstantiâ hac neglectâ illud eveniat malum, quod HORSTIUS *l.* 8. *Observ.* 16. in Matrona quadam observavit. Præsertim convenit, quando suspicio est sanguinis vel suppressi, vel evacuati, & in specie quando menses suppressi sunt. Loco Venæ sectionis cucurbitulæ scarificatæ optimæ sunt: sicut etiam Vomitus in genere in principio hujus mali egregiè convenit. Hinc præmisso clysmate, præsertim, si anxietates præcordiorum urgent, usurpanda sunt fixa & imperum salis scorbutici peccantis refrænantia, qualia sunt alcalia, marina & testacea. Eminet hic *arcanum duplicatum Mynsichti*, cum quo simul usurpetur *Antimonium diaphoreticum* simplex & Martiale, vel *cinnabaris antimonii*, item lapilli cancrorum, maxillæ lucii piscis, ossa humana sine igne, dens equi marini, &c. cum opiatis: interdum *Bezoard.* minerale Solare, *urinare*, &c. item aurum fulminans. Interdum adduntur *salia fixa alcalia*, quæ nunc spontaneo sudore, nunc per urinam levant ægros, ita ut & symptomata remittant, & dolores postmodum sint mitiores. V. g. in motu materiæ nimis excessivo & plus minus perturbato, cujus indicia sunt febris intensior, pulsus inordinatior, præcordiorum symptomata graviora, &c. præscribatur diaphoreticum opiatum:

℞. *Arcan. dupl. Mynf.* ℈ß. vel gr. xv. ad ℈ j.
Antimon. diaphor. ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. Pulvis.
Dentur 2. doses: S.
Pulvis arthriticus antiscorbuticus.

℞. *Arcan. dupl.* ℈ j.
Antimon. diaphor. Martial.
Cinnab. antimonii ana ℈ß.
Laud. hyst. gr. vj.
M. pro duabus dosibus.
D. S. *ut anteà.*

Vel

℞. *Antimon. diaphor. Martial.* ℈ ij.
Cinnab. antim. ℈ j.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro duabus dos.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Cinnab. antimonii* ℈j.
Auri diaph. Poter. gr. xij.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro duabus dosibus.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Antim. diaph. simpl.* vel *Martial.* vel *Bez. Mart.*
Cinnab. antimonii,
Arcan. duplic. ana gr. xv.
M. pro dosi expectando sudorem.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Lapid. Cancr. prap.* ℈j.
Cinnab. nativ. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. Pulvis.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Aqu. fumar.*
Flor. samb. ana ℥jß.
Spirit. sal. ammoniaci ʒj.
Arcan. duplic. ʒß.
Antimonii diaph. ℈j.
Cinnab. Antimonii ℈ß.
Syr. scelotyrb. ʒvj.
M. D. S.
Potio antiscorbutica pro aliquot dosibus.

Subinde & blando laxativo primę vię abstergendæ veniſſt. In motu naturæ deficiente potius aromatica diaphoretica opiatis plus minus sociata, ut Essentia lignorum, theriacalis, theriaca cum osteocolla, &c.

Postmodum fiat accessus ad *volatilia*, eaque *generalia* cum *Scorbuticis* mixta, imprimis tamen fiat accessus ad appropriata volatilia, quæ inter ex tartaro lumbrici antecellunt; lumbrici enim terrestres unà cum aliis, sunt specificum optimum, quod par sibi non habet remedium in hac Arthritide vaga. Nam si lumbricus vivus applicetur loco dolenti, in quo est Arthritis vaga, hic ipse statim exilit, mirè circumgyratur, & tandem moritur, idque cum dolorum levamine, qua contorsione & exspiratione arthritis vaga scorbutica manifestatur; unde hæc impositio novorum lumbricorum tamdiu continuanda, donec lumbrici non amplius, aut saltem non tam citò, moriantur, sic dolores egregiè sistuntur: videatur WIERUS *in Observ.* item HORSTIUS, FORESTUS, TIMÆUS *Von Gulden Klee*, MOELLENBROCK *de Variis* & alii, qui hoc unanimi consensu affirmant, eiusque phęnomeni rationem WILLISIUS *de Scorb. c. 9.* exponit. Omnia ergo remedia ex lumbricis parata, externè pariter & internè, erunt optima. Internè usurpantur *crudi*, vel depurati & pulverisati: Sic Decoctum lumbricorum terrestrium cum plantis appropriatis antiscorbuticis in vino laudatur à Lotichio: Vel, quod melius est, lumbrici terrestres contusi *infunduntur vino* vel *lacti* aut eius sero, quod infusum colatum hauritur quotidie bis aut ter pro vario ægrorum statu, & est remedium singulare & egregium contra arthritidem vagam. *In vino* propinantur, dum æger vinum ferre potest, & si absit febris; *si vero adsit febris* seu phlogoses, in *lacte*. Pulvis asellorum est probatus: Pulvis scarabæorum unctuosorum similiter commendatur contra arthritidem vagam. Sed quia talia Decocta & infusa quandoque ægri horrent, priùs præparantur lumbrici. Lumbrici enim terrestres, putrefacti resolvuntur in liquorem, qui destillatus & rectificatus dat spiritum penetrantissimum egregium, & qui mira facit in Arthritide vaga, dosi ad ʒß in *sero lactis*, vel ipso *lacte*. Cum hoc & ana spiritus Cor. Cer. sale volatili acuati fit *Essentia contra Arthritidem vagam D. Michaelis*, si nempe affundantur illi spiritus speciebus artheticis appropriatis, & nervinis exsiccatis, digerantur & filtrentur; & ita dant *Essentiam* egregiam contra Arthritidem vagam, quam nunc solam ad ʒj. nunc cum *Ess. pini* optimè exhibuit: sed aliquandiu continuanda, expectando sudorem. Convenit etiam *liquor pistorius lumbricorum*, in vase massæ panis incluso paratus, qui datur ad ʒß. Quibus carminat. de tribus aliaque *tartarea volatilia* addenda sunt: Vel

℞. *Liquor. terræ fol. tartari.*
Spirit. sal. ammoniaci, vel *lumbr. terrest.* an. ʒij
M. D. S.
Essentia arthritica antiscorbutica.
Dosis 40. vel 50. gutt.

Aut

℞. *Aqu. Serpill.*
Comar. abiet. vel *pini strob.*
Aqu. *Cochlear.* ana ℥j.
Ess. catarrhal. ʒiij.
Spirit. lumbr. terrestr. per putr. ʒj.
Sal. volat. Corn. Cerv ℈j.
Succini ℈ß.
Lapill. Cancr. prap. ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. rad. helen. ℥j.
M. D. S.
Potio in arthritide vaga.

Capiatur cochleatim, expectando sudorem.

Facit huc Mistura Timæi *Von Gulden Klee* contra arthritidem vagam, scorbuticam, quæ non est incongrua. Compositio verò est hæc:

℞. *Rad. vincetox.*
Enula,
Aristol. rotund.
Zedoar.
Caryophyllat.
Pœonia, ana ʒij.
Summit. salvia,
Betonica,
Serpilli,
Abrotani,
Ruta,
Chamedr.
Chamap. ana ʒj.
Flor. anthos. ʒjß.
Spec. dia-Moschi dulc.
Di-Anthos,
Letit. Galen. an. ʒj.
Sem. citri ℈iv.
Theriac. Androm. ʒß.
Fecul. ari ℈iv.

Pulverisatis affunde *vini spiritum* vel *vinum Malvaticum* tantum, ut emineant 4. digiti, bene clauso vase, stent in digestione per aliquod tempus: Postea abstrahe spiritum ad consistentiam mellis; Reaffunde *spiritus vini modo abstract.* ℥vj. adde

Spirit. cochlear. unc. ij.
Spirit. nasturt. aquat. unc. j.
Rubi Idai unc. ß.
Ess. lumbr. terrestr. ʒvj.

Digerantur per tres dies noctesque, filtrentur & serventur pro usu.

Dosis hujus misturæ seu Elixiris est à ʒß. ad ʒj.

Videbitis hanc etiam in MOLLENBROCCIO, qui ex TIMÆO *Von Gulden Klee* exscripsit.

Hisce etiam declinante paroxysmo usurpatis conveniunt postmodum remedia, quæ malum ex ipsis artubus, quantum possibile, eradicant, & talia sunt *ex pino* cum antiscorbuticis mixta, essentia pini mista cum essentia lumbricorum terrestrium, aut cum Essentia contra arthritidem vagam, fit egregium remedium: e. g.

℞. *Ess. contra arthr. vag. Mynſ.*
Pini ana ʒiij.
M. D. S.
Essentia contra arthritidem vagam.

Loco horum tamen non inconsultò *bacca juniperi*, aut ex iis parata remedia propinentur, imprimis ex *recentibus*; nam & harum vis balsamica in arthritide vaga est egregia; unde *rob baccarum iuniperi* expectando sudorem, aut Decoctum baccarum juniperi, radix helenii laudatur à MOLLENBROCCIO *Tr. de Arthrit. vaga*. In specie *Decoctum centaurii minoris & absinthii* in sero lactis est admodum proficuum: (conf. M. A. N. C. *Ann. 8. Observ.* 84. *p.* 120.) præsertim cum *antiscorbuticis* mixtum, expectando sudorem, est elegans. *Absinthium* imprimis & omnia ex absinthio remedia, à Galeno laudantur in arthritide vaga: item succus corticis citri & corticis aurantiorum. Præterea card. benedictus, chamædrys, chamepytis & sabina, rad. armorac., aristol. rotundæ, caryophyllatæ, veronica, & rad. amaræ dulcis cum antiscorbuticis mista, convenientia dant remedia. Necesse est subinde, ut etiam præscribantur noduli vino infundendi ex antiscorbuticis. *Aqua Analthina* composita (descriptionem videbitis in SCHROEDERI *Pharmac. ubi de aquis*) est magnæ commendationis, contra arthritidem vagam. Denique mixtura simplex cum spiritu cochleariæ permista, spiritus salis ammoniaci cum spiritu antiscorbutico, spiritus carminativus & similia sunt egregia. Decoctum strobilorum pini Curam ferè absolvit; sicut etiam Decoctum radicis chinæ & sassafras insigniter conducit: Vel

emollientium & carminantium fiat, commendatus à TIMÆO *Von Gulden Klee in Epist. p. 236.* Lacti incoquendi, imprimis cancri fluviatiles, tam pro usu Fotus, quàm pro usu injectionis.

Extra paroxysmum radicalis Cura Scorbuti postmodum est attendenda, ubi præter *Martialia* & *antiscorbutica*, imprimis *remedia ex pino* conferunt. *Decoctum strobilorum pini* aut *baccarum iuniperi*, sudore aliquoties repetito, cum *emplastro de pice* sola sufficiunt pro curandis his abdominis doloribus, ne recidivent. Horum defectu *lacticinia* cum scorbuticis usurpanda sunt, præmissis *Martialibus* extra paroxysmum: Nam dolores solent præcavere aut imminentes sistere. De Nephritide notha vid. *Dn. Wizius de Scorbuto*, M.A.N.C. *Ann. 3. Observ. 44. p. 73.* ubi spiritus salis ammoniaci & lumbr. terrestrium, item Essentia nephritica è ligno nephritico, cum spiritu salis ammoniaci & fragorum extracta, commendatur, propinanda in aqua petroselini, in qua crystallus candefacta extincta.

Vetula 82. annorum laborabat gravi dolore abdominis scorbutico revera convulsivo, una cum vagis artuum lancinationibus: huic pro leniendo paroxysmo præscripsi:

℞. *Aqu. lil. convall.*
Flor. til.
Menthæ ana unc. j.
Mag. corall. cum succ. citri ʒ j.
Spirit. sal. ammoniaci ʒß.
Cochlear. ʒ j.
Laud. opiat. ferm. gr. v.
Syr. cort. aur. ʒ vj.

M. f. potio aliquot vicibus haurienda: cui sociatum clysma blandè emolliens & laxans.

Vesperi verò ordinabam:

℞. *Mag. corall. cum succ. citr.* ℈ß.
Castor. gr. iv.
Laud. opiat. ferm. gr. ij.

Cum ess. castor. f. pilulæ, quæ egregiè contulerunt.

Sedato paroxysmo pro evacuanda vetula præscripsi:

℞. *Gumm. ammon. in aceto solut. depur.* ℈ß.
Mercur. dulc. gr. vj.
Extr. troch. alband.
Laud. ferment. ana gr. j.

M. f. Pil. quæ itidem egregiè contulerunt.

VIII. *ARTHRITIS VAGA SCORBUTICA.*

Juxta dolores hos etiam familiare est scorbuti symptoma, Dolores nempè vagi arthritici, seu ARTHRITIS VAGA, qui imprimis sunt molesti Scorbuticis. In locis ubi Scorbutus est familiaris, sic solet appellari; Ubi verò rarus est, ibi apud Practicos subinde sub nomine *Dolorū artuū à Rheumatismis* seu *defluxionibus* natorum, qui ordinariè sunt scorbutici, proveniunt. Veteres dicunt Rheumatismum *Reissen im Gliedern, Gicht*. Revera ergò cum arthritide vera convenit, accidentibus saltem variat. Differt sc. hæc Arthritis vaga ab arthritide vulgari *propriè si dicta*, seu Podagra: Nam utut non rarò etiam Scorbutus podagræ, seu Arthritidi vulgari se associet, ita, ut etiam arthriticis, seu podagricis antiscorbutica remedia non sint incongrua, & cum successu applicentur; nihilominus, tamen Arthritis vaga Scorbuticis magis propria est: Deinde & in hoc differunt, quod *Arthritis vera* sit constans, seu in parte, quam semel occupavit, successivè sua tempora absoluat; *Arthritis* verò *vaga*, quatenus scorbutica, inconstans est, & fixam sedem non habet, & simul musculosas partes atrociùs infestare solet, modò in hanc modò in illam partem irruens, jam in pedes, jam in brachia, in specie si forsan per externa frigida admota repellatur, ex improviso evanescit, modo redit: Interdum fulminis instar articulum locaque vicina occupat, interdum citò disparet. *Curiosum* est, quod fricatione panni calidi dolores mox remittant, sed mox in alio loco se manifestent. In Arthritide vera successivè oriri solent nodi seu tophi, Germ. *Knoten und Beulen*, difficulter curabiles; in vaga verò non, & utut etiam tumores interdum observentur (nam fuerunt observati instar ovi Gallinacei) nihilominus tamen faciliùs discutiuntur & disparent, cùm tumores tales non sint propter materiam contentam, sed propter contracturas spasmodicas, nunc constantes sunt, nunc inconstantes, modò evanescunt, modò denuò comparent. *Dolores* hi nunc sunt *simpliciter lacerantes*, nunc *profundi, osteocopi*, subinde *nocturno* tempore per modum febriculæ plus minus lentæ *affligentes*, utut sint maximè *fixi* & quandoque *vagi*. Terminatur *Arthritis* vaga nunc per *sudores & urinam*, nunc eam excipit excretio cutanea instar *purpuræ*, & tota superficies corporis fit aspera; locо cujus interdum *excrescentiæ parvæ*, item *pustulæ* superveniunt, quæ subinde excrescunt. Notabile est, quod si Arthritidem vagam excipiat talis *Purpura*, quod ægri tantum *pruritum* percipiant, ut etiam fricando cuticulam detrahant; Talis *purpura* est cum rubore corporis totius, instar erysipelatis. Non rarum est, imprimis in nostro climate, quod *Arthritis vaga sit complicata cum Scorbuto*, unde dolores, & symptomata graviora esse solent. *Arthritis vaga* hæc, præter dolores in articulis, simul solet affigere, in specie dum recrudescit paroxismus, cum *gravissimis anxietatibus præcordiorum*, quod fit in principio paroxysmorum: Adest sitis clamosa, sudores, totius membri movendi imbecillitas, dolores lancinantes, magis pungentes.

Fundamentum hujus pathematis est *sal scorbuticum vellicans* fibras nerveas motrices, carnem, & imprimis periostium, minus tamen affligens partes tendinosas in articulis. *Notetur autem hic error ingens* MOELLENBROCCII, sal hoc scorbuticum asserentis aliquod volatile, exinde quod subitò è parte & in aliam transmigret: Nam revera symptomata hæc non oriuntur à sale, è parte in longè dissitam volitante, cum constet, salia omnia in corpore esse fluida, & moveri secundùm motum humorum ordinarium; sed ex consensu nervorum, cui omne id est attribuendum, quod HELMONTIUS per Morbos potestativos explicat, quando v. g. affecto ventriculo cerebrum & aliæ partes afficiuntur.

Pro *Cura* ergo observandum, ut in paroxysmo

1. *Impetus spirituum* & humorum, occasione *salis scorbutici* excitatus, *refrænetur*.
2. *Volatilibus appropriatis*, nunc urinosis, nunc oleosis amaricantibus, succurrendum, vel per urinam, vel per sudorem, istud *evacuando*.
3. Paroxysmo declinante remediis ex pino sudoriferis radici morbi succurrendum; &
4. Extra paroxysmum præter diætam convenientem, lacticiniis præsertim mali recidiva præcavenda.

Quoad 1.: *pessimè faciunt*, qui *in principio paroxysmi usurpant volatilia*; frustranea enim sunt: potius ergò in principio & incremento Venæ sectio, nunc revulsoria respectu partis affectæ, nunc aversoria, subinde cum fructu singulari instituitur, si ægri conditio ferat; non tamen cum tanto excessu, ut facit *Sydhenam in Obser. p. 409.*, nec in latere aut membro affecto, sed in opposito, ne circumstantiâ hac neglectâ illud eveniat malum, quod HORSTIUS *l. 3. Observ. 16.* in Matrona quadam observavit. Præsertim convenit, quando suspicio est sanguinis vel suppressi, vel evacuati, & in specie quando menses suppressi sunt. Loco Venæ sectionis cucurbitulæ scarificatæ optimæ sunt: sicut etiam Vomitus in genere in principio hujus mali egregiè convenit. Hinc præmisso clysmate, præsertim, si anxietates præcordiorum urgent, usurpanda sunt fixa & impetum salis scorbutici peccantis refrænantia, qualia sunt alcalia, marina & testacea. Eminet hic *arcanum duplicatum Mynsichti*, cum quo simul usurpetur *Antimonium diaphoreticum* simplex & Martiale, vel *cinnabaris antimonii*, item lapilli cancrorum, maxillæ lucii piscis, ossa humana sine igne, dens equi marini, &c. cum opiatis: interdum *Bezoard.* minerale Solare, *urinare*, &c. item aurum fulminans. Interdum adduntur *salia fixa alcalia*, quæ nunc spontaneo sudore, nunc per urinam levant ægros, ita ut & symptomata remittant, & dolores postmodum sint mitiores. V. g. in motu materiæ nimis excessivo & plus minus perturbato, cujus indicia sunt febris intensior, pulsus inordinatior, præcordiorum symptomata graviora, &c. præscribatur diaphoreticum opiatum:

℞. *Arcan. dupl. Mynf.* ℈ß. vel gr. xv. ad ℈ j.
Antimon. diaphor. ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. Pulvis.
Dentur 2. doses: S.
Pulvis arthriticus antiscorbuticus.

℞. *Arcan. dupl.* ℈ j.
Antimon. diaphor. Martial.
Cinnab. antimonii ana ℈ß.
Laud. hyst. gr. vj.
M. pro duabus dosibus.
D. S. *ut anteà*.
Vel

℞. *Antimon. diaphor. Martial.* ℈ ij.
Cinnab. antim. ℈ j.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro duabus dos.
D. S. *ut suprà*.

℞. *Cin-*

℞. *Cinnab. antimonii* ℈j.
Auri diaph. Poter. gr. xlj.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro duabus dosibus.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Antim. diaph. simpl.* vel *Martial.* vel *Bez. Mart.*
Cinnab. antimonii,
Arcan. duplic. ana gr. xv.
M. pro dosi expectando sudorem.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Lapid. Cancr. prep.* ℈j.
Cinnab. nativ. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. Pulvis.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Aqu. fumar.*
Flor. samb. ana ℥jß.
Spirit. sal. ammoniaci ℥j.
Arcan. duplic. ʒß.
Antimonii diaph. ℈j.
Cinnab. Antimonii ℈ß.
Syr. scelotyrb. ʒvj.
M. D. S.
Potio antiscorbutica pro aliquot dosibus.

Subinde & blando laxativo primę vię abstergendæ veniat. In motu naturæ deficiente potius aromatica diaphoretica opiatis plus minus sociata, ut Essentia lignorum, theriacalis, theriaca cum osteocolla, &c.

Postmodum fiat accessus ad *volatilia*, eaque *generalia* cum *Scorbuticis* mixta, imprimis tamen fiat accessus ad appropriata volatilia, quæ inter ex tartaro lumbrici antecellunt; lumbrici enim terrestres unà cum aliis, sunt specificum optimum, quod par sibi non habet remedium in hac Arthritide vaga. Nam si lumbricus vivus applicetur loco dolenti, in quo est Arthritis vaga, hic ipse statim exilit, mirè circumgyratur, & tandem moritur, idque cum dolorum levamine, qua contorsione & exspiratione arthritis vaga scorbutica manifestatur; unde hæc impositio novorum lumbricorum tamdiu continuanda, donec lumbrici non amplius, aut saltem non tam citò, moriantur, sic dolores egregiè sistuntur: videatur WIERUS *in Observ.* item HORSTIUS, FORESTUS, TIMÆUS *Von GuldenKlee*, MOELLENBROCK *de Variis* & alii, qui hoc unanimi consensu affirmant, eiusque phęnomeni rationem WILLISIUS *de Scorb. c. 9.* exponit. Omnia ergo remedia ex lumbricis parata, externè pariter & internè, erunt optima. Internè usurpantur *crudi*, vel depurati & pulverisati: Sic Decoctum lumbricorum terrestrium cum plantis appropriatis antiscorbuticis in vino laudatur à Lotichio: Vel, quod melius est, lumbrici terrestres contusi *infunduntur vino* vel *lacti* aut eius sero, quod infusum colatum hauritur quotidie bis aut ter pro vario ægrorum statu, & est remedium singulare & egregium contra arthritidem vagam. *In vino* propinantur, dum æger vinum ferre potest, & si absit febris; *si verò adsit febris* seu phlogoses, in *lacte*. Pulvis asellorum est probatus: Pulvis scarabæorum unctuosorum similiter commendatur contra arthritidem vagam. Sed quia talia Decocta & infusa quandoque ægri horrent, priùs præparantur lumbrici. Lumbrici enim terrestres, putrefacti resolvuntur in liquorem, qui destillatus & rectificatus dat spiritum penetrantissimum egregium, & qui mira facit in Arthritide vaga, dosi ad ʒß in *sero lactis*, vel ipso *lacte*. Cum hoc & ana spiritus Cor. Cer. sale volatili acuati fit *Essentia contra Arthritidem vagam D. Michaelis*, si nempe affundantur illi spiritus speciebus arthriticis appropriatis, & nervinis exsiccatis, digerantur & filtrentur; & ita dant *Essentiam* egregiam contra Arthritidem vagam, quam nunc solam ad ʒj. nunc cum *Ess. pini* optimè exhibuit: sed aliquandiu continuanda, expectando sudorem. Convenit etiam *liquor pistorius lumbricorum*, in vase massæ panis incluso paratus, qui datur ad ʒß. Quibus carminat. de tribus aliaque *tartarea volatilia* addenda sunt: Vel

℞. *Liquor. terra fol. tartari.*
Spirit. sal. ammoniaci, vel *lumbr. terrest.* an. ʒij
M. D. S.
Essentia arthritica antiscorbutica.
Dosis 40. vel 50. gutt.

Aut

℞. *Aqu. Serpill.*
Comar. abiet. vel *pini strob.*
Aqu. Cochlear. ana ℥j.
Ess. catarrhal. ʒiij.
Spirit. lumbr. terrestr. per putr. ʒj.
Sal. volat. Corn. Cerv ℈j.
Succini ℈ß.
Lapill. Cancr. prep. ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. rad. helen. ℥j.
M. D. S.
Potio in arthritide vaga.

Capiatur cochleatim, expectando sudorem.

Facit huc Mistura Timæi *Von GuldenKlee* contra arthritidem vagam, scorbuticam, quæ non est incongrua. Compositio verò est hæc:

℞. *Rad. vincetox.*
Enula,
Aristol. rotund.
Zedoar.
Caryophyllat.
Pœonia, ana ʒij.
Summit. salvia,
Betonica,
Serpilli,
Abrotani,
Ruta,
Chamadr.
Chamap. ana ʒj.
Flor. anthos. ʒjß.
Spec. dia-Moschi dulc.
Di-Anthos,
Letit. Galen. an. ʒj.
Sem. citri ℈iv.
Theriac. Androm. ʒß.
Facul. ari ℈iv.

Pulverisatis affunde *vini spiritum* vel *vinum Malvaticum* tantum, ut emineant 4. digiti, bene clauso vase, stent in digestione per aliquod tempus: Postea abstrahe spiritum ad consistentiam mellis; Reaffunde *spiritus vini modo abstract.* ℥vj. adde

Spirit. cochlear. unc. ij.
Spirit. nasturt. aquat. unc. j.
Rubi Idai unc. ß.
Ess. lumbr. terrestr. ʒvj.

Digerantur per tres dies noctesque, filtrentur & serventur pro usu.

Dosis hujus misturæ seu Elixiris est à ʒß. ad ʒj.

Videbitis hanc etiam in MOLLENBROCCIO, qui ex TIMÆO *Von GuldenKlee* exscripsit.

Hisce etiam declinante paroxysmo usurpatis conveniunt postmodum remedia, quæ malum ex ipsis artubus, quantum possibile, eradicant, & talia sunt *ex pino* cum antiscorbuticis mixta, essentia pini mista cum essentia lumbricorum terrestrium, aut cum Essentia contra arthritidem vagam, fit egregium remedium: e. g.

℞. *Ess. contra arthr. vag. Mynf.*
Pini ana ℥iij.
M. D. S.
Essentia contra arthritidem vagam.

Loco horum tamen non inconsultò *bacca juniperi*, aut ex iis parata remedia propinentur, imprimis ex *recentibus*; nam & harum vis balsamica in arthritide vaga est egregia; unde *rob baccarum juniperi* expectando sudorem, aut Decoctum baccarum juniperi, radix helenii laudatur à MOLLENBROCCIO *Tr. de Arthrit. vaga*. In specie *Decoctum centaurii minoris & absinthii* in sero lactis est admodum proficuum: (conf. M. A. N. C. *Ann. 8. Observ. 84. p. 120.*) præsertim cum *antiscorbuticis* mixtum, expectando sudorem, est elegans. *Absinthium* imprimis & omnia ex absinthio remedia, à Galeno laudantur in arthritide vaga: item succus corticis citri & corticis aurantiorum. Præterea card. benedictus, chamædrys, chamepytis & sabina, rad. armorac., aristol. rotundæ, caryophyllatæ, veronica, & rad. amaræ dulcis cum antiscorbuticis mista, convenientia dant remedia. Necesse est subinde, ut etiam præscribantur noduli vino infundendi ex antiscorbuticis. *Aqua Analthina* composita (descriptionem videbitis in SCHROEDERI *Pharmac. ubi de aquis*) est magnæ commendationis contra arthritidem vagam. Denique mixtura simplex cum spiritu cochleariæ permista, spiritus salis ammoniaci cum spiritu antiscorbutico, spiritus carminativus & similia sunt egregia. Decoctum strobilorum pini Curam ferè absolvit; sicut etiam Decoctum radicis chinæ & sassafras insigniter conducit: Vel

emollientium & carminantium fiat, commendatus à TIMÆO *Von Gulden Klee in Epist. p. 236.* Lacti incoquendi, imprimis cancri fluviatiles, tam pro usu Fotus, quàm pro usu injectionis.

Extra paroxysmum radicalis Cura Scorbuti postmodum est attendenda, ubi præter *Martialia* & *antiscorbutica*, imprimis *remedia ex pino* conferunt. *Decoctum strobilorum pini* aut *baccarum iuniperi*, sudore aliquoties repetito, cum *emplastro de pice* sola sufficiunt pro curandis his abdominis doloribus, ne recidivent. Horum defectu *lacticinia* cum scorbuticis usurpanda sunt, præmissis *Martialibus* extra paroxysmum: Nam dolores solent præcavere aut imminentes sistere. De Nephritide notha vid. *Dn. Wizius de Scorbuto*, M.A.N.C. *Ann. 3. Observ. 44. p. 73.* ubi spiritus salis ammoniaci & lumbr. terrestrium, item Essentia nephritica è ligno nephritico, cum spiritu salis ammoniaci & fragorum extracta, commendatur, propinanda in aqua petroselini, in qua crystallus candefacta extincta.

Vetula 82. annorum laborabat gravi dolore abdominis scorbutico revera convulsivo, una cum vagis artuum lancinationibus: huic pro leniendo paroxysmo præscripsi:

℞. *Aqu. lil. convall.*
Flor. til.
Menthæ ana unc. j.
Mag. corall. cum succ. citri ʒ j.
Spirit. sal. ammoniaci ʒß.
Cochlear. ʒ j.
Laud. opiat. ferm. gr. v.
Syr. cort. aur. ʒ vj.

M. f. potio aliquot vicibus haurienda: cui sociatum clysma blandè emolliens & laxans.

Vesperi verò ordinabam:

℞. *Mag. corall. cum succ. citr.* ℈ß.
Castor. gr. iv.
Laud. opiat. firm. gr. ij.

Cum ess. castor. f. pilulæ, quæ egregiè contulerunt.

Sedato paroxysmo pro evacuanda vetula præscripsi:

℞. *Gumm. ammon. in aceto solut. depur.* ℈ß.
Mercur. dulc. gr. vj.
Extr. troch. alhand.
Laud. ferment. ana gr. j.

M. f. Pil. quæ itidem egregiè contulerunt.

VIII. *ARTHRITIS VAGA SCORBUTICA.*

Juxta dolores hos etiam familiare est scorbuti symptoma, Dolores nempè vagi arthritici, seu ARTHRITIS VAGA, qui imprimis sunt molesti Scorbuticis. In locis ubi Scorbutus est familiaris, sic solet appellari; Ubi verò rarus est, ibi apud Practicos subinde sub nomine *Dolorũ artuũ à Rheumatismis* seu *defluxionibus* natorum, qui ordinariè sunt scorbutici, proveniunt. Veteres dicunt Rheumatismum *Reissen im Gliedern*, *Gicht*. Revera ergò cum arthritide vera convenit, accidentibus saltem variat. Differt sc. hæc Arthritis vaga ab arthritide vulgari *propriè sic dicta*, seu Podagra: Nam utut non rarò etiam Scorbutus podagræ, seu Arthritidi vulgari se associet, ita, ut etiam arthriticis, seu podagricis antiscorbutica remedia non sint incongrua, & cum successu applicentur; nihilominus, tamen Arthritis vaga Scorbuticis magis propria est: Deinde & in hoc differunt, quod *Arthritis vera* sit constans, seu in parte, quam semel occupavit, successivè sua tempora absoluat; *Arthritis* verò *vaga*, quatenus scorbutica, inconstans est, & fixam sedem non habet, & simul musculosas partes atrociùs infestare solet, modò in hanc modò in illam partem irruens, jam in pedes, jam in brachia, in specie si forsan per externa frigida admota repellatur, ex improviso euanescit, modo redit: Interdum fulminis instar articulum locaque uicina occupat, interdum citò disparet. *Curiosum* est, quod fricatione panni calidi dolores mox remittant, sed mox in alio loco se manifestent. In Arthritide uera successiuè oriri solent nodi seu tophi, Germ. *Knoten und Beulen*, difficulter curabiles; in uaga uerò non, & utut etiam tumores interdum obseruentur (nam fuerunt obseruati instar oui Gallinacei) nihilominus tamen faciliùs discutiuntur & disparent, cùm tumores tales non sint propter materiam contentam, sed propter contracturas spasmodicas, nunc constantes sunt, nunc inconstantes, modò euanescunt, modò denuò comparent. *Dolores* hi nunc sunt *simpliciter lacerantes*, nunc *profundi*, *osteocopi*, subinde *nocturno* tempore per modum febriculæ plus minus lentæ *affligentes*, utut sint maximè *fixi* & quandoque *vagi*. Terminatur *Arthritis* uaga nunc per *sudores* & *urinam*, nunc eam excipit excretio cutanea instar *purpuræ*, & tota superficies corporis fit aspera; loco cujus interdum *excrescentiæ parvæ*, item *pustulæ* superueniunt, quæ subinde excrescunt. Notabile est, quod si Arthritidem uagam excipiat talis *Purpura*, quod ægri tantum *pruritum* percipiant, ut etiam fricando cuticulam detrahant; Talis *purpura* est cum rubore corporis totius, instar erysipelatis. Non rarum est, imprimis in nostro climate, quod *Arthritis vaga sit complicata cum Scorbuto*, unde dolores, & symptomata graviora esse solent. *Arthritis vaga* hæc, præter dolores in articulis, simul solet affigere, in specie dum recrudescit paroxismus, cum *gravissimis anxietatibus præcordiorum*, quod fit in principio paroxysmorum: Adest sitis clamosa, sudores, totius membri movendi imbecillitas, dolores lancinantes, magis pungentes.

Fundamentum hujus pathematis est *sal scorbuticum vellicans* fibras nerveas motrices, carnem, & imprimis periostium, minus tamen affligens partes tendinosas in articulis. *Notetur autem hic error ingens* MOELLENBROCCII, sal hoc scorbuticum asserentis aliquod volatile, exinde quod subitò è parte & in aliam transmigret: Nam revera symptomata hæc non oriuntur à sale, è parte in longè dissitam volitante, cum constet, salia omnia in corpore esse fluida, & moveri secundùm motum humorum ordinarium; sed ex consensu nervorum, cui omne id est attribuendum, quod HELMONTIUS per Morbos potestativos explicat, quando v. g. affecto ventriculo cerebrum & aliæ partes afficiuntur.

Pro *Cura* ergo observandum, ut in paroxysmo

1. *Impetus spirituum* & humorum, occasione *salis scorbutici* excitatus, *refrænetur*.
2. *Volatilibus appropriatis*, nunc urinosis, nunc oleosis amaricantibus, succurrendum, vel per urinam, vel per sudorem, istud *evacuando*.
3. Paroxysmo declinante remediis ex pino sudoriferis radici morbi succurrendum; &
4. Extra paroxysmum præter diætam convenientem, lacticiniis præsertim mali recidiva præcavenda.

Quoad 1.: *pessimè faciunt*, qui *in principio paroxysmi usurpant volatilia*; frustranea enim sunt: potiùs ergò in principio & incremento Venæ sectio, nunc revulsoria respectu partis affectæ, nunc aversoria, subinde cum fructu singulari instituitur, si ægri conditio ferat; non tamen cum tanto excessu, ut facit *Sydhenam in Obser. p. 409.*, nec in latere aut membro affecto, sed in opposito, ne circumstantiâ hac neglectâ illud eveniat malum, quod HORSTIUS *l. 3. Observ. 16.* in Matrona quadam observavit. Præsertim convenit, quando suspicio est sanguinis vel suppressi, vel evacuati, & in specie quando menses suppressi sunt. Loco Venæ sectionis cucurbitulæ scarificatæ optimæ sunt: sicut etiam Vomitus in genere in principio hujus mali egregiè convenit. Hinc præmisso clysmate, præsertim, si anxietates præcordiorum urgent, usurpanda sunt fixa & impetum salis scorbutici peccantis refrænantia, qualia sunt alcalia, marina & testacea. Eminet hìc *arcanum duplicatum Mynsichti*, cum quo simul usurpetur *Antimonium diaphoreticum* simplex & Martiale, vel *cinnabaris antimonii*, item lapilli cancrorum, maxillæ lucii piscis, ossa humana sine igne, dens equi marini, &c. cum opiatis: interdum *Bezoard.* minerale Solare, *urinare*, &c. item aurum fulminans. Interdum adduntur *salia fixa alcalia*, quæ nunc spontaneo sudore, nunc per urinam levant ægros, ita ut & symptomata remittant, & dolores postmodum sint mitiores. V. g. in motu materiæ nimis excessivo & plus minus perturbato, cujus indicia sunt febris intensior, pulsus inordinatior, præcordiorum symptomata graviora, &c. præscribatur diaphoreticum opiatum:

℞. *Arcan. dupl. Myns.* ℈ß. vel gr. xv. ad ℈ j.
Antimon. diaphor. ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. Pulvis.
Dentur 2. doses: S.
Pulvis arthriticus antiscorbuticus.

℞. *Arcan. dupl.* ℈ j.
Antimon. diaphor. Martial.
Cinnab. antimonii ana ℈ß.
Laud. hyst. gr. vj.
M. pro duabus dosibus.
D. S. *ut anteà.*

Vel

℞. *Antimon. diaphor. Martial.* ℈ ij.
Cinnab. antim. ℈ j.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro duabus dos.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Cin-*

℞. *Cinnab. antimonii* ℈j.
Auri diaph. Poter. gr. xij.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro duabus dosibus.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Antim. diaph. simpl.* vel *Martial.* vel *Bez. Mart.*
Cinnab. antimonii,
Arcan. duplic. ana gr. xv.
M. pro dosi expectando sudorem.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Lapid. Cancr. prep.* ℈j.
Cinnab. nativ. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. Pulvis.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Aqu. fumar.*
Flor. samb. ana ℥j ß.
Spirit. sal. ammoniaci ʒj.
Arcan. duplic. ʒß.
Antimonii diaph. ℈j.
Cinnab. Antimonii ℈ß.
Syr. scelotyrb. ʒ vj.
M. D. S.
Potio antiscorbutica pro aliquot dosibus.

Subinde & blando laxativo primę vię abstergendæ veniēt. In motu naturæ deficiente potius aromatica diaphoretica opiatis plus minus sociata, ut Essentia lignorum, theriacalis, theriaca cum osteocolla, &c.

Postmodum fiat accessus ad *volatilia*, eaque *generalia* cum *Scorbuticis* mixta, imprimis tamen fiat accessus ad appropriata volatilia, quæ inter ex tartaro lumbrici antecellunt; lumbrici enim terrestres unà cum aliis, sunt specificum optimum, quod par sibi non habet remedium in hac Arthritide vaga. Nam si lumbricus vivus applicetur loco dolenti, in quo est Arthritis vaga, hic ipse statim exilit, mirè circumgyratur, & tandem moritur, idque cum dolorum levamine, qua contorsione & exspiratione arthritis vaga scorbutica manifestatur; unde hæc impositio novorum lumbricorum tamdiu continuanda, donec lumbrici non amplius, aut saltem non tam citò, moriantur, sic dolores egregiè sistuntur: videatur WIERUS *in Observ.* item HORSTIUS, FORESTUS, TIMÆUS *Von GuldenKlee*, MOELLENBROCK *de Varis* & alii, qui hoc unanimi consensu affirmant, eiusque phęnomeni rationem WILLISIUS *de Scorb. c. 9.* exponit. Omnia ergo remedia ex lumbricis parata, externè pariter & internè, erunt optima. Internè usurpantur *crudi*, vel depurati & pulverisati: Sic Decoctum lumbricorum terrestrium cum plantis appropriatis antiscorbuticis in vino laudatur à Lotichio: Vel, quod melius est, lumbrici terrestres contusi *infunduntur vino* vel *lacti* aut eius sero, quod infusum colatum hauritur quotidie bis aut ter pro vario ægrorum statu, & est remedium singulare & egregium contra arthritidem vagam. *In vino* propinantur, dum æger vinum ferre potest, & si absit febris; *si vero adsit febris* seu phlogoses, in *lacte*. Pulvis asellorum est probatus: Pulvis scarabæorum unctuosorum similiter commendatur contra arthritidem vagam. Sed quia talia Decocta & infusa quandoque ægri horrent, prius præparantur lumbrici. Lumbrici enim terrestres, putrefacti resolvuntur in liquorem, qui destillatus & rectificatus dat spiritum penetrantissimum egregium, & qui mira facit in Arthritide vaga, dosi ad ʒß in *sero lactis*, vel ipso *lacte*. Cum hoc & ana spiritus Cor. Cer. sale volatili acuati fit *Essentia contra Arthritidem vagam D. Michaelis*, si nempe affundantur illi spiritus speciebus arthriticis appropriatis, & nervinis exsiccatis, digerantur & filtrentur; & ita dant *Essentiam* egregiam contra Arthritidem vagam, quam nunc solam ad ʒj. nunc cum *Ess. pini* optimè exhibuit: sed aliquandiu continuanda, expectando sudorem. Convenit etiam *liquor pistorius lumbricorum*, in vase massæ panis incluso paratus, qui datur ad ʒß. Quibus carminat. de tribus aliaque *tartarea volatilia* addenda sunt: Vel

℞. *Liquor. terræ fol. tartari.*
Spirit. sal. ammoniaci, vel *lumbr. terrest.* an. ʒ ij
M. D. S.
Essentia arthritica antiscorbutica.
Dosis 40. vel 50. gutt.
Aut

℞. *Aqu. Serpill.*
Comar. abiet. vel *pini strob.*
Aqu. Cochlear. ana ℥j.
Ess. catarrhal. ʒ iij.

Spirit. lumbr. terrestr. per putr. ʒj.
Sal. volat. Corn. Cerv ℈j.
Succini ℈ß.
Lapill. Cancr. prep. ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. rad. helen. ℥j.
M. D. S.
Potio in arthritide vaga.

Capiatur cochleatim, expectando sudorem.

Facit huc Mistura Timæi *Von GuldenKlee* contra arthritidem vagam, scorbuticam, quæ non est incongrua. Compositio verò est hæc:

℞. *Rad. vincetox.*
Enulæ,
Aristol. rotund.
Zedoar.
Caryophyllat.
Pœoniæ, ana ʒ ij.
Summit. salviæ,
Betonicæ,
Serpilli,
Abrotani,
Rutæ,
Chamædr.
Chamæp. ana ʒj.
Flor. anthos. ʒj ß.
Spec. dia-Moschi dulc.
Di-Anthos,
Letit. Galen. an. ʒj.
Sem. citri ℈ iv.
Theriac. Androm. ʒß.
Facul. ari ℈ iv.

Pulverisatis affunde *vini spiritum* vel *vinum Malvaticum* tantum, ut emineant 4. digiti, bene clauso vase, stent in digestione per aliquod tempus: Postea abstrahe spiritum ad consistentiam mellis; Reaffunde *spiritus vini modo abstract.* ℥ vj. adde
Spirit. cochlear. unc. ij.
Spirit. nasturt. aquat. unc. j.
Rubi Idæi unc. ß.
Ess. lumbr. terrestr. ʒ vj.

Digerantur per tres dies noctesque, filtrentur & serventur pro usu.

Dosis hujus misturæ seu Elixiris est à ʒß. ad ʒj.

Videbitis hanc etiam in MOLLENBROCCIO, qui ex TIMÆO *Von GuldenKlee* exscripsit.

Hisce etiam declinante paroxysmo usurpatis conveniunt postmodum remedia, quæ malum ex ipsis artubus, quantum possibile, eradicant, & talia sunt *ex pino* cum antiscorbuticis mixta, essentia pini mista cum essentia lumbricorum terrestrium, aut cum Essentia contra arthritidem vagam, fit egregium remedium: e. g.

℞. *Ess. contra arthr. vag. Mynf.*
Pini ana ʒ iij.
M. D. S.
Essentia contra arthritidem vagam.

Loco horum tamen non inconsultò *baccæ juniperi*, aut ex iis parata remedia propinentur, imprimis ex *recentibus*; nam & harum vis balsamica in arthritide vaga est egregia; unde *rob baccarum juniperi* expectando sudorem, aut Decoctum baccarum juniperi, radix helenii laudatur à MOLLENBROCCIO *Tr. de Arthrit. vaga.* In specie *Decoctum centaurii minoris & absinthii* in sero lactis est admodum proficuum: (conf. M. A. N. C. *Ann. 8. Observ. 84. p. 120.*) præsertim cum *antiscorbuticis* mixtum, expectando sudorem, est elegans. *Absinthium* imprimis & omnia ex absinthio remedia, à Galeno laudantur in arthritide vaga: item succus corticis citri & corticis aurantiorum. Præterea card. benedictus, chamædrys, chamepytis & sabina, rad. armorac., aristol. rotundæ, caryophyllatæ, veronica, & rad. amaræ dulcis cum antiscorbuticis mista, convenientia dant remedia. Necesse est subinde, ut etiam præscribantur noduli vino infundendi ex antiscorbuticis. *Aqua Analthina* composita (descriptionem videbitis in SCHROEDERI *Pharmac. ubi de aquis*) est magnæ commendationis contra arthritidem vagam. Denique mixtura simplex cum spiritu cochleariæ permista, spiritus salis ammoniaci cum spiritu antiscorbutico, spiritus carminativus & similia sunt egregia. Decoctum strobilorum pini Curam ferè absolvit; sicut etiam Decoctum radicis chinæ & sassafras insigniter conducit: Vel

℞. *Cymar. resinos. pinastr.* vel *abiet.* ℥iij.
Rad. chinæ in tal. incis. ℥j ß.
(vel in subjectis serosioribus & humidioribus *ras. sassafras* ℥j ad ℥j ß.
Bacc. iuniperi ℥j.
Incis. & contus.
Coqu. in s. q. *Aqu. commun.*
Colaturæ ℔ iv. vel vi. S.
Potio in arthritide vaga.

De hoc Decocto capiantur ℥ iv. manè in lecto expectando sudorem, & vesperi sub introitu lecti citra sudorem. Pro sapore ingrato corrigendo *passulæ minores conquassatæ* addi possunt.

Febris si non urgeat, lac caprinum, in quo cochlearia & nasturtium bullierint, repetito usu est optimum: vid. TIMÆI *Von Gulden Klee Epist. p.*365. Nempè ut aliàs in quibusvis morbis, ita in specie in scorbuto, eiusque arthritide vaga benè observandus materiæ motus. Quod si enim facilè sudent ægri, & corpus eorum benè madeat, Diaphoreticis volatilibus vel oleosis vel amaricantibus insistendum: sin minus, temperantibus potius, lacti nempe eiusque sero, insistendum: quibus nunc lubricalia, nunc antiscorbutica, socianda veniunt. Quoad diætam lacteam extra paroxysmum: hæc equidem admodum proficua est, sed necesse est ut semper exactum regimen rerum nonnaturalium observetur, ne in acutum morbum æger dilabatur: Conf. M.A.N.C. *Append. ad Ann.* 1. *p.*35. & *Ann.*2. *Observat.*258. *pag.*384. *seq.*

Quod attinet *Externa* contra arthritidem vagam: in more quibusdam est, ut applicent partibus dolore vago correptis *Linimenta oleosa ex oleo lumbr.* terrestrium, *chamomillæ*, ranarum, bufonum, *pinguedine anserina, anatis*; item ex *sevo hircino* &c. sed malè: Scorbutus enim & affectus dolorosi scorbutici (quod etiam valet in paralysi & contractura scorbutica) non ferunt talia, quæ poros oblinunt, sed potius quæ conservant insensibilem transpirationem salvam. *Omissis* ergo his *pinguibus* usurpentur penetrantia & volatilia. Convenit ergò fotus siccus seu halitus aut *suffitus* ex Decocto lumbricorum terrestrium & *formicarum* calidè toto membro exceptus, fortiter membra exteriora versus fricando: v. g. si in brachio ad manum versus fortiter sudet membrum, sub quo sudore mirè sistitur dolor, in specie si linteis calidis abstergatur sudor. Radix raphani comminuta & cum lacte cocta instar cataplasmatis utiliter apponitur loco dolenti, non secus ac radix bryoniæ, quæ & ipsæ contusæ recentes non sine successu applicantur. Vel fiunt fotus vel cataplasmata ex floribus chamomillæ cum radice symphyti maioris, & cum radice bryoniæ, decoquuntur in lacte, & ita applicantur loco dolenti. Item Aquæ articulares ad extra (de quibus *infra l.*2. *Sect.*3. *c.*3. *Artic.*3. ubi de paralysi) vel *spiritus baccarum iuniperi*, mista cum essentia castorei, & pauco *spiritu salis ammoniaci* cum *calce viva* destillatis vel solitariè post blandum sudorem, blandâ manu tepidè illinantur: *spiritus lumbric.* terrestr. putrefactorum, item *spiritus formicarum* cum *calce viva* destillatarū, affusa aqua vel spiritus Vini, aut putrefactarum, item spiritus Vini lumbricatus, tam simplex, quàm compositus seu ab herbis arthriticis abstractus, omnia sunt convenientia. Aut liquor in clibano paratus, qui multum lenit dolores arthritidis vagæ. *Si ardor & rubor in parte dolente, & quasi Erysipelas,* excitetur, in dictis *spiritibus* solvatur *camphora*, quæ ardoris sensum solet sistere. Vel fiat Mixtura; v. g.

℞. *Spirit. formicar. cum calc. viv.* vel *per putref.*
Lumbric. terrestr.
Vrina phlegmat. (*ne quid nimis*) ana ℥ j.
Spirit. bacc. iunip. camphorat. vel *ceras. nigr. camph.* ℥ j ß.
M. S.
Spiritus externus contra dolores Scorbuticos.

Qui tepidè externè loco dolenti inungatur.

Non inconveniens est compositio DRAWIZII externè usurpanda contra arthritidem vagam:

℞. *Flor. lil. convall.* M. ij.
Rorismar.
Castor.
Sem. cochlear. ana ℥ vj.
Erucæ ℥ß.

Hæc omnia infundit in spiritus Vini *optimè rectificat.* ℥viij. digerendo per triduum; hinc exprimit fortiter & addit *spirit. lumbric. terrestr.* ℥ ij ß
Camph. ℥ j ß.
M. Exactè pro externa illitione.

Balsamus etiam antipodagricus Rulandi factus ex sapone Veneto in spirit. Vini soluto, additâ paucâ camphorâ acuatus cum spiritu lumbricor. terrestr. commodè etiam interdum applicari potest; ad cuius imitationem parata est Tinctura *balsamica* DECKERS *in Comm. ad Prax. Barbettæ p.* 150., quæ videtur non inconcinna contra affectus quoscunque dolorosos scorbuticos. Tandem cataplasmata ex floribus chamomillæ, verbasci, foliis hyoscyami, lumbricis terrestribus & farina hordei in lacte coctis externè applicata, vagos dolores sistunt. Hisce addendum cataplasma sordidum quidem, sed optimum, nempe *stercus vaccinum recens* subactum cum *lumbricis* terrestribus contusis, & instar cataplasmatis appositum locis dolentibus, repetitum, commendatur, & mirè dolorem sistit. Cautè tamen applicentur eiusmodi *cataplasmata*; nam utut *calida* poros recludant, tamen si frigescant, & quia humida sunt, admodum stringunt poros. Semper ergò calidè applicentur. Vel

℞. *Emplastr. diaphor. Myns.* ℥ vj.
Tacamahac. ℥ß.
Blando igne liquata, malax. cum *Ol. Tart. fæt.*

Inducatur super linteum, & applicetur articulis.

Quæ omnia tamen, quia sine evacuantibus universalibus insufficientia sunt, ita ratione catharseos notetur, per leniora eam esse inchoandam, ac si dolores exin non leduntur, sed potius exacerbentur, ab eadem planè desistendum. Dentur igitur Laxativa blanda, nempè pilulæ Francof. & Glassianæ singulis mensibus, quæ specificari possunt aut cum extracto hellebori nigri, aut, si succi sint viscidiores, cum gummi ammoniaco: vid. LUDOVICI *de sale tart. volatili*: Vel

℞. *Tartari vitriolati* gr. xij. ad xv.
Scammon. sulphurat. gr. ij.
Troch. alhand. gr. j.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis laxativus.

In contumaciori alvi obstructione, & quando symptomata præcordiorum urgent, applicetur Clysma:

℞. *Decoct. carminat. cum urina hum. par.* ℥ ix.
adde
Elect. de bacc. lauri, vel *de hiera cum agar.* ℥ j.
Olei destillat. chamomill. ℈ß.
Vitelli ovi no. j.
M. f. Enema. S.
Clyster aperiens.

Mulier quædam floridæ ætatis de lassitudine omnium artuum nonnihil lancinante conquerebatur, quam aliquot ab hinc diebus tumor cruris dextri insequebatur circa talum, it. circa genu, dolens & insigniter lacerans, concolor tamen partibus vicinis, motum crurum inhibens: Calor totius præternaturalis simul aderat, moderatus tamen, &, ut vocant, vaporosus, unà cum ardore corporis continuo, pulsuque magno, celeri, frequenti, molli quasi unduoso: urinæ erant crassæ, turbidæ, cum sedimento lateritio, sequenti die anxietates superveniebant, tormina & tumultus abdominis, respirationis difficultates: eâdem vesperâ ad alterum crus simili modo similibus in locis cruciari incipiebat; Nox erat inquieta, manè pessimè habebat, in brachio sinistro vagè seu varius in locis torqueri incipiebat, manus tumida admodum erat, digiti inflati immobiles sine alia sensibili alteratione. Ægra anxia erat, animo subinde deficiebat, caput admodum dolebat, ipsa sudore calido madebat, nullo modo se movere valebat, quia quolibet, tantillo licet motu, dolores exasperabantur: Appetitus erat nullus, alvus clausa, & sitis intensa. Ego ad eandem vocatus, cum esset evsarca, succi plena, gulosa, temperamenti sanguineoserosi, venæsectionem in brachio institui, cui aliàs adsueta erat, idque cum levamine; qua præmissa propter symptomata præcordiorum præscripsi Clysma emolliens cum sale tartari cum levamine. Sequenti die iterum ordinabam:

℞. *Arcan. dupl. Myns.*
Antimonii diaphor. ana ℈ j.
Laud. ferment. gr. ij.

M. Pro duabus dosibus: hinc sudor copiosus erumpebat.

Antea saltem crura dolore & tumore affecta erant, jam etiam brachia dolere & tumere incepere. Continuavi hunc pulverem in Decocto strob. pini cum passulis parato. Post verò insignes passiones hystericæ superveniebant; hinc Clysma ordinavi:

℞. *Spec. Decocti carminat.* M. iij.
Salis Tartari ℥ j.
Coq. in *aqu. comm.*

Colaturæ ℥ix. adde
Elect. de bacc. lauri ℥j.
Ol. destillat. succini cum vitello ovi sol. scrup. I.
. Misc. pro Clysmate.

Internè omni bihorio accepit gutt. 30. liqu. Corn. Cer. succinati: quorum usu passio hysterica evanuit. Hinc pulveres modò laudatos usurpari jussi; sed ne nauseam excitaret, Decoctum strobilorum pini omisi, & saltem in potu ordinario, cui spiritus cochlear. instillatus, usurpare jussi. Item mutavi hos pulveres, v. g.

℞. *Antimonii diaphor.*
Arcan. duplicat. ana scrup. j.
Cinnab. Antimonii gr. xv.

Mista capiebat pro 2. dosibus, expectando sudorem.

Pro anxietate præcordiorum & lipothymia usurpavit spiritum carminativum ad ʒ j ß. mistum cum ʒß. spiritus cochlear., gutt. xxx. bis, vel ter in die, & statim levamen circa præcordia percepit.

Externè locis tumentibus imponebat lumbricos vivos, donec moriebantur, cum levamine sensibili. In fine morbi usurpavit crebrò spiritum salis ammoniaci & sic convaluit. Superiori anno hoc ipsum malum recurrit, hinc post venæ sectionem, præmissâ blandâ laxatione, spiritum salis ammoniaci ad gutt. 40. usurpabat, quia aberat febris. Externè jussi usurpare spiritum salis ammoniaci cum calce viva paratum, mistum cum aqua articulari; sed nihil conducebat, potius malum augebat: Unde.

℞. *Tacamahac. pulverisat.* ℥ß.
Empl. diaph. Mynf. ℥ i.
F. Emplastrum, quod cum f. q.
Ol. destillati Tartari malaxatum inducebat

super *linteum*, applicabat articulis circa genu, manus, &c. quod dolorem leniebat.

Extra Paroxysmum indicationes hæ observentur:
1. Acidum in primis viis hærens evacuetur; &
2. Massa Sanguinea inquinata corrigatur.

Pro indicatione prima ex fonte Pharmaceutico, præmisso priùs aliquandiù lapill. Cancr. usu, vel sale tartari essentificato, omni vesperâ guttatim sumendo, Vomitus instituatur.

℞. *Aqu. menth.* ℥ß.
Cinnam. ʒ ii.
Syr. emet. ℥ß. ad ʒ vi.
M. D. S.
Potio vomitoria pro una dosi.

Ad secundam indicationem itidem ex fonte Pharmaceutico tam diaphoretica quàm diuretica proficua sunt: e. g.

℞. *Antimonii diaphor.* ℈ j.
Sal. volat. succin. ℈ ß.
Oleo sacch. cochlear. gr. vi.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis sudoriferus.

℞. *Aqu. fumar.* ℥ i.
Cinnamom.
Aceti sambuc. ana ʒ ii.
Theriac. ʒ i.
Salis absinth. ℈ i.
Syr. scelotyrb. Forn. ʒ ii.
M. D. S.
Potio sudorifera pro una vice.

Ex fonte diætetico, vitatis vitandis, pro temperanda sanguinis acrimonia prosunt lacticinia cum succis antiscorbuticis expressis, omni manè jejuno stomacho & vesperi bihorio ante pastum haurienda.

IX. *CEPHALALGIA SCORBUTICA.*

Porrò præter dolores artuum vagos subinde in Scorbuticis caput dolere solet. Pro *Cephalalgia scorbutica* sudoriferorum vis est maxima, in specie laudatur sal volatile succini, spiritus vitrioli volatilis cephalicus cum spiritu liliorum convallium paratus, & cum spiritu tartari & cochleariæ mixtus: Item Cinnab. Antimonii, succinum catarrhale, ambra; quibus interdum in contumaciori malo addenda opiata. Conveniunt etiam *pilulæ* ex *ladano*, quas HARTMANNUS *Prax. p.* 48. describit: Vel

℞. *Elix. propr. antiscorb.*
Ess. absinth.
Liq. Corn. Cerv. succin. ana ʒ ij.

Post hæc lactis usus proficuus est in dolore capitis scorbutico, in alio verò noxius.

Externè zedoaria & baccæ iuniperi cum aqua vel Decocto verbenæ, florum sambuci ac betonicæ admoveri possunt.

X. *PARALYSIS SCORBUTICA.*

Scorbuticis etiam subinde evadunt membra stupida plus minus paralytica, quæ *Paralysis scorbutica* seu *potius Paresis* non adeò confestim, ut aliàs in Paraplegia fieri solet, sed potius sensim invadit, & pereunte successivè motu, *sensus* ut plurimum superstes est, cui interdum conjunctus est *sensus formicationis* cujusdam, *ac si formicæ intus currerent*, qui sensus sæpius præcedit Paralysin scorbuticam, subinde etiam eam comitatur; interdum sensus est *lancinans*, & est quasi dolor compositus ex *lancinante* & *ostocopo*; in paralysi hac, aliquandiu affligente, membra nonnunquam rigida & quasi contracta fiunt. Hæc *paralysis scorbutica* est grave Malum, quod difficulter curatur, imprimis si inveterata sit, in specie *formicationis sensus*, quo præsente vigil sit Medicus, ut possit præcavere paralysin.

In Cura talis *paralyseos* conveniens est, ut præmissis præmittendis, in specie *vomitoriis*, nisi metus doloris abdominis subsit, eam incipiamus. Si enim *æger* per se *inclinet in dolores abdominis* scorbuticos, à *Vomitoriis* caveamus; dolores enim ab his exacerbantur: *si vero abdomen est sanum*, tutò possunt propinari vomitoria, imminente vel præsente paralysi scorbutica. Purgantia quoque frequentiora ac vehementiora, utpotè materiam peccantem ad genus nervosum magis moventia, affectus hi paralytici haudferunt, sed mitiora saltè concedunt, præprimis ubi paresis & dolores abdominis adsunt; & quidem à clysteribus emollientibus ac purgantibus lenioribus similibusque, de quibus *superius ubi de Colica scorbutica* erat sermo, inchoandum. Venæ sectio pariter in his symptomatibus parca admodum, imò nulla sit, nisi plethora excessiva aliud suadeat. *Præmissis* ergò evacuantibus, vel *omissis*, præmissis etiam reliquis remediis antiscorbuticis, nempe *Martialibus*, in leviori malo *lac* vel eius *serum*, appropriatis *antiscorbuticis* medicatum, confert: In graviori verò Malo iuxta vel unà cum *lacte* pinus, iuniperus cum *aromaticis nervinis*, cum *rore marino* conveniunt. Imprimis pinus seu abies alba, & ex hac parata remedia, sunt appropriata ad paralysin scorbuticam, *per sudores* evacuantia & curantia. Hinc Essentia pini crebriùs usurpanda, quæ misceri potest cum ana Ess. catarrhalis, & propinari à gutt. 40. vel 50. bis vel ter in die: item Decocta ex pino, nempe ex strobilis seu summitatibus, quæ sanè semper intelligendæ, & hinc Decoctum ligni iuniperi, & omnia iuniperina, Essentia iuniperi, spiritus baccar. iunip. & similia commendare soleo; loco quorum etiam Decocta reliqua lignorum, imprimis sassafras & rad. chinæ, cum fructu usurpantur; quin & antiscorbutica cum lacte propinata sunt egregia: qua ratione paralysin scorbuticam contractam, per rad. armoraciæ Decoctum in sero lactis, curavit BARBETTE *in praxi*. Quibus si accedat spiritus carminativus, item spiritus *Tartari volatilis*, vel *simplex* vel *compositus*, cum spiritu cochleariæ vel spiritu antiscorbutico erunt magis appropriata. Nam ad paralysin scorbuticam imprimis valent *tartarea volatilia* internè usurpanda, imprimis quando scorbutica recrementa nervis atque membranis iam tum impacta sunt, quæ tolluntur, si singulis quaternis diebus sudor per dictam mixturam aliudve diaphoreticum moveatur. Spectat huc decoctum absinthii ab EUGALENO *p.* 199. laudatum, aut huius essentia, rorismarini & castorei mixta est convenientissima: Item Electuarium *Eugaleni*, quod *eodem loco* describit.

Heri dixi ex BARBETTE, quod curaverit paralysin scorbuticam consumtam per rad. armoraciæ decoctum in sero lactis & sæpius haustum; hinc nervina, v. g. spiritus liliorum convall., spiritus salis ammoniaci simplex, succinatus, serpillatus, lavendulatus, essent. lignorum succini, simpl. & sassafr., ambræ, ac oleum & sal volatile succini aliaque juxta EUGALENUM potentiora Antiscorbuticis mixta propinentur. Juxta quæ ulteriùs specificum cephalicum, aurum fulminans mistum cum cinnabari antimonii, aut aurum diaph. Poterii, & ossa microcosmi, in rob iuniperi vel alio vehiculo antiscorbutico pro scopo sudorifero, repetito tamen usu, sunt insigniter proficua.

Inter ea, quæ *externè* conveniunt ad paralysin scorbuticam, ferè sunt ea, quæ externè circa arthritidem vagam fuerunt laudata; præsertim radic. symphyti maioris & bryoniæ contusæ, coctæ & impositæ, sunt proficuæ, præsertim si tumor durus partis resolutæ adsit. Item pro externa fricatione membrorum paralyticorum spiritus baccarum iuniperi, lumbricorum terrestrium, essentia casto-

castorei, &c. sunt optima. Quando ita fricatæ sunt partes, adspergitur commodè spiritus tartari: hic enim adspersus insinuat se sensim & paralysin solvit. Juxta hæc imprimis *vinacea* & insessus ex iis parati, imprimis in paralysi crurum scorbutica sunt nobilissima; nempe Vinaceis collectis & sibi invicem impositis, donec incipiant incalescere, immergatur æger usque ad regionem iliacam. Hujusmodi *vinaceorum balnea sicca* aliquoties repetita sudorem largum partibus inferunt, & paralysin scorbuticam solvunt. Si non sufficienter incaluerint, adspergatur calx viva Balsamum Galbani terebinthinat.; seu *galbanetum Paracelsi*, de quo vid. SENNERTUS, SCHROEDERUS, & HARTMANNUS, etiam in paralysi scorbutica præ reliquis est nobile, quod illinendum est tepidè à radice membri ad posteriora versus: Vel

℞. *Liqu. lumbr. terr.* ℥j.
Ol. cochlear. (vid *Hild.*) ℥ß.
Destillat. salviæ,
Roris mar. an. gutt. ix.
M. D. S.
Oleum externum ad unctionem.

Quod si tumor, ut dixi, cum rigore membri adsit, convenit Cataplasma SENNERTI *l.* 3. *Prax. de Scorbuto pag.* 639.

℞. *Pulv. flor. chamom.*
Com. absinth. an. ℥iij.
Rad. bryoniæ,
Consolid. maj. an. ℥ß.
Farin. fabar. ℥j.
Medullæ panis alb. ex lacte coct. ℔j.
F. Cataplasma applicandum Tumori.
D. S.
Cataplasma externum.

Quibus admodum commendatur fotus siccus seu halitus ex pinguedine anserina, si sc. pinguedine super carbones bene calefactâ aliquoties inde suffumigetur quasi & foveatur membrum; est enim penetrans, & in paralysi scorbutica apud VVestphalos usitatum remedium. Alis in usu est illinire membrum paralyticum oleo lumbricor. terrestr. & cochleariæ, addendo aliquot guttas olei destillati salviæ, majoranæ, serpilli, roris marini, balsami Peruviani, & succini, vel ol. lini destillat. Alii usurpant pinguedinem taxi, vulpis, gallinæ, ciconiæ, castoris, serpentum; emplastrum oxycroceum aut nervinum Vigonis; it. quod DRAWIZIUS *de Scorbut. p.* 176. describit: quæ tamen oblinendo poros minus conveniunt in Scorbuticis; pori enim quantum possibile aperti serventur; vid. *Prognos. de Paresi.* HARTMANNUS aliis irritis ad thermas ablegat. Verùm potentiores non conveniunt, sed moderatæ saltem, v. g. Embsenses & Toplicenses; neque fervidæ nimis adhibeantur ob eandem rationem.

XI. CONVULSIONES SCORBUTICÆ.

Subinde etiam *convelluntur* & tandem *contrahuntur* membra & universum corpus, ac rigida evadunt, dum corrugantur fibræ musculorum & tendinosæ à sale scorbutico, quæ convulsiones comitantur ferè paralysin scorbuticam; tam miræ sunt interdum & stupendæ, ut ægri ab adstantibus ignaris pro obsessis à dæmone habeantur; qualia vid. exempla in *Parthol. Cerebri* WILLISII, qui in his morbis convulsivis non est inelegans.

Curantur optimè hujusmodi contracturæ & convulsiones scorbuticæ per Vomitoria, quæ magnarum virium observantur; quorum loco etiam purgantium usus repetitus convenit, v. g. Electuarium Marburgensium, ab HORSTIO *Cent. Probl. Decad.* 10. *Quæst.* 7. descriptum. Accedunt his antiscorbutica anticonvulsivis seu genus nervosum & cerebrum confortantibus mista, in lacte imprimis usurpanda: Sic enim Epilepsia talis hypochondriaca cum lacte, in quo *sapo Venetus* dissolutus fuit, curata observatur. Observatio prostat in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 85. *BARBETTE Praxi.* Cura hæc nihil ferè peculiare habet à suprà dictis *remediis contra Arthritidem vagam & paralysin scorbuticam. Lac* præ reliquis hic in usu est, cui adduntur remedia ex *castoreo:* Item cinnab. antimonii, specif. cephalicum, cum sale volatili succini & camphora, in vehiculo decocti helenii cum baccis juniperi commodè propinatur: v. g. contra Epilepsiam scorbuticam propinavi aliquando cum successu hunc pulverem:

℞. *Cinnab. antimonii* gr. xv.
Sal. vol. succini ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. Pulvis S.
Pulvis antiscorbuticus.

Cujus vehiculum erat aqua antiscorbutica Dornereilii, cum spiritu lumbric. terrestr. & cochleariæ probe impregnata:

Vel

℞. *Aqu. antiscorb. Dornc.*
Epilept. Langii an. ℥ij.
Spirit. cochlear. ℨj.
Corn. Cerv. ℨß.
Arcan. duplicat. Mynf. ℈ij.
Cinnab. antimon. ℈j.
Syrup. cochlear. essent. ℥j.
M. S.
Potio antiscorbutica pro aliquot vicibus.

Mixturam hanc in Epilepsia scorbutica aliquando egregio cum successu præscripsi. Item conveniet Mixtura ex spiritu tartari probè rectificato & volatilisato, vel carminativo, cum spiritu cochleariæ & spiritu theriacali camph., castoreo affusis & invicem in essentiam redactis; vel spiritus salis ammoniaci cum spiritu cochleariæ; aut salis ammoniaci cum calce viva & spiritu *cochleari* destillatus affunditur castoreo pro essentia, contra contracturas scorbuticas egregia: Item Essent. pini cum spiritu cranii humani mista, addito spiritu cochleariæ etiam convenit in Contracturis & Convulsionibus scorbuticis: Essent. ligni sassafras mista cum essentia fumariæ aut pini, addito spiritu cochleariæ aut nasturtii aquatici commendatur etiam contra Contracturas & convulsiones. In genere usurpantur, quæ ad convulsiones adhibentur, mista cum Scorbuticis, & interdum cum opiatis. Quibus ad nutum non operantibus, diaphoretica substituantur, & inter hæc decocta lignorum ac radicis chinæ, item fœniculi. Sedum verminculare quid obtineat contra rigiditatem & contracturam membrorum Scorbuticam, vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. *& Observ.* 23. *p.* 50., internè usurpatum.

Externè usurpantur aquæ articulares ad extra, mistæ cum essentia castorei, cum aqua hirundinum cum castoreo, it. aqua apoplect. cum castoreo: Item spiritus vini infus. cephalicorum, lil. conval., primulæ veris, lavendulæ, salviæ & similium, unà cum castoreo imprægnatus, externè affricatus: Item remedia lumbricalia & alia superiùs jam allegata. Sunt qui recipiunt calcē vivam, eique affundunt oleū lini, destillantque oleū penetrantissimū, quod ad contracturas scorbuticas & Paralysin scorbuticam commendant; *Oleum* enim *lini per se destillatum fit adeo penetrans*, ut forsan nullum oleū ei par sit. Alias oleum cochleariæ, oleum lumbr. terrestr., oleū rutaceum cum oleo laurino, angelicæ & cumini, etiam externè commodè usurpantur, ac unctio fida VALERIOLÆ, quam *l.* 5. *Obs.* 9. describit. Balnea etiam in contracturis scorbuticis, it. in doloribus scorbuticis, imprimis abdominis, sunt egregia. Tale balneum contra contracturas scorbuticas est hoc:

℞. *Herb. gentian. cum. rad.* ℔ß.
Gran. junip. cum ramis,
Herb. rutæ mont. an. ℔j.
Agrimon. Mj.

Hæc omnia in nodulo collecta coquuntur pro balneo.

D. S.

Hoc balneum tepidum quotidie per 8. horas repetatur, idque tam diu, donec 40. horæ balneando fuerint consumtæ: Sic enim Contracturas & convulsiones scorbuticas cessare dicunt. Observetur tamen, quod renovandæ sint species, & non debeat mingi in balneo.

XII. DYSPNOEA & ASTHMA SCORBUTICUM.

RESPIRATIO DIFFICILIS & INSULTUS ASTHMATICI in Scorbuto affligentes sæpe extra methodum generalem appropriata urgent, & quidem modò incidentia plus minus aromatica, modò spasmodica, prout nimirum hujus symptomatis causa variat: e. g. crocum, cujus extractum BARTHOLINUS *Act. Haffniens.* P. 1. *cap.* 92. commendat, spiritum cornu cervi, fuliginis, liq. cornu cervi succinatum, castoreata, spiritum & flor. salis ammoniaci, benzoes, rad. aristolochiæ rotundæ cum Decoctis antiscorbuticis: vid. SIMON PAULI *Quadr. Botan. pag.* 22.: e. g.

℞. *Aqu. flor. rapar.* ℥iv.
Antiscorb. Dorner. ℥ij.
Spirit. cochlear. ℨij.
Asthmat.
Ess. enulæ,
Croci an. ℨj.

Syr.

Syr. rad. enul. ℥iß.
M. S.
Succus ad respirationem pro aliquot vicibus: dosis 2. cochlearia.

In asthmate verò merè convulsivo vitio scorbuti WILLIS *de Scorb. p.* 330. *&* 331. laudano opiato nullum præstantius remedium suspicatur; cui laudanum hystericum aliis appropriatis junctum, substitui potest. Accedunt his clysteres acriores cum diaphoreticis ac diureticis, e.g. asellis, lumbricis: vid. *supra Sect.* 14. *cap.* 2. *Artic.* 1. ubi de Asthmate convulsivo: & si à sanguine circa præcordia stagnante hic affectus oriatur, venæ sectio instituatur.

XIII. VOMITUS SCORBUTICI.

Prætereà affligit etiam scorbuticos VOMITUS CONTUMAX, sæpiùs *pertinax nausea* cum continuo vomendi conatu & cardialgia, ex irritatione stomachi ab acrimonia salis scorbutici. Quo in casu, præter Vomitoria blanda, quibus purgantia per inferiora, blanda tamen, interdum substitui possunt, conducunt imprimis acrimoniam salis scorbutici temperantia & præcipitantia; quæ inter eminet lac, lapilli cancrorum, ebur, corallia præparata, cornu Cervi ustum, & similia. Ulterius tinctura tartari, elixyr proprietatis sine acido, spiritus salis ammoniaci, arcanum duplicatum Mynsichti, flores salis ammoniaci & similia, interiùs cum aquis antiscorbuticis assumta, imo cum opiatis interdum miscenda, laudantur: item spiritus nitri dulcis, aut præscribatur sequens Mixtura:

℞. *Aqu. menth.* unc. j. ad unc. jß.
Cinamom. unc. j.
Spirit. cochlear. ℨij.
Nitri dulc. ℨj.
Syr. cydonior. unc. ß.
M. D. S.
Potio stomachalis antiscorbutica.

Conducit in Vomitu scorbutico.

XIV. DIARRHOEA SCORBUTICA.

Quodsi adsit *Diarrhœa*, forsan & *Dysenteria scorbutica*, adstringentia non statim adhibenda, utpote quæ lipothymias & maximas præcordiorum angustias excitant: sed loco horum potiùs medicamenta quælibet ex absinthio, rosis & mastiche imprimis conducunt; Ut v.g. Essentia absinthii cum Ess. lignorum & spiritu cochleariæ, it. spiritus cochleariæ mistus cum spiritu mastiches, Decoctum lignorum aut ligni guajaci cum antiscorbuticis & absinthio parata: Cum quo simul propinetur spiritus mastichis, qui provocando sudorem diarrhœam etiam sopit; item liquor martis solaris, aut loco hujus a WILLISIO commendatæ acidulæ.

Quibus præmitti & singulis octiduis reiterari debet evacuatio cum Rhabarbaro, additis aromaticis stomachicis. In Dysenteria ejusmodi satis diuturna atque enormi WILLISIUS pilulas ex rhabarbaro & vulnerariis singularis efficaciæ commendavit; In quo casu Clysteres ex vulnerariis parati magnum quoque levamen præbent.

XV. HÆMORRHAGIÆ SCORBUTICÆ.

HÆMORRHAGIÆ Scorbuticis frequenter & per diversa corporis loca contingentes, sin immodicæ, mox adstringentium & sanguinem temperantium & incrassantium usum postulant: Quod optimè præstant martialia, & quidem illa, quæ magis salina & terrea, minùs sulphurea sunt, v. g. antimon. diaphoret. martiale, vitriolum martis, liquor martis solaris, & tinctura antiphthisica D. Michaelis, &c.

XVI. ATROPHIA SCORBUTICA.

ATROPHIA SCORBUTICA, sicut modò chylum depravatum, modò Massam Sanguineam nimis acrem & corruptam, modò spirituum animalium defectum aut crasin eorum vitiatam, pro causa agnoscit; ita remedia huic symptomati appropriata variant. Quippe si primarum viarum culpâ alimenta non ritè digerantur, digestiva, vomitoria blanda, stomachica aromatica, &c. conveniunt. Aut si chylus laudabilis, vel propter vasa lactea obstructa, vel propter mesenterii & lumbarium glandularum tumores scirrhosos, non ritè distribuatur, ita ut fluxus cœliacus superveniat, resolventibus præprimis volatilibus ac acidulis opus est. Quando verò Marasmus è sanguinis crasi . . . . nascitur, lac & lacticinia, similiaque, quæ copiosum chylum suggerunt, sunt exhibenda. Imò totum negotium in alimentorum succulentorum & eupeptorum usu consistere videtur, quæ antiscorbuticis temperanda, v.g. si lac caprillum cum nasturtio aut cochlearia *modo suprà descripto* decoquatur, aut spiritus cochleariæ illi instilletur; item carnis vitulinæ, limacum & ostrearum juscula cum sero lactis & antiscorbuticis præparentur. In genere equidem & in atrophia scorbutica omni, à quacunque causa primarum viarum dependeat, diæta lactea vulgò comendatur: sed malè, cum stomachus malè constitutus exinde lædatur, magisque debilitetur, & lac corrumpatur, spiritibus verò animalibus, horum anomaliis corrigendis minus conducat. Diæta ergo lactea in usum non vocanda, nisi stomachus à sordibus & cruditatibus liberatus, & digestio ejus laudabilis sit. In fine pastus æger semper cochleare unum passularum probè contusarum comedat, superbibendo bonum haustum cerevisiæ.

Item
℞. *Elix. propriet. sine acido* ℨiij.
Spirit. sal. ammoniac. simpl. ℨ ß.
M. D. S.
Elixyr antiscorbuticum.

De hoc omni manè dentur 40. ad 50. guttulas in vehiculo tepido: à meridie verò bihorio ante cœnam propinentur *tincturæ antiphthisicæ*, ex sacchāro saturni & vitriolo martis paratæ, 40. guttulæ; continuando ad tempus aliquod. Quod si verò spirituum animalium crasi vitiatâ nutritio in scorbuticis lædatur, iis per nervina volatilia, tam externa quàm interna, succurrendum.

XVII. FEBRES SCORBUTICAE.

Quotiescunque accidit, ut Massa Sanguinea scorbutica amittat viscidi tatem suam, degeneretque per omnes partes in liquorem acrem corrosivum, toties adest in corpore FEBRIS SCORBUTICA, quo sensu omnino accedit Massæ Sanguineæ fermentatio nimia, dum scil. partes contrariæ improportionatæ impetuosè in se invicem agunt. Hæc febris in nostris provinciis profectò est frequentissima, adeo ut hinc nonnulli sibi persuadeant, Hecticam Febrim penitus esse amissam in Pathologia moderna, in ejusque locum surrogatam esse febrim scorbuticam.

Signa diagnostica hujus febris sunt omnia ea, quæ per se scorbutum significant: palmarium interim notetur signum, quod in febre hac adsint notabilia circa appetitum vitia: v. g. adest nimius, ut plurimum autem cum vomitu, aut depravatus, ita ut ad omnis generis salia appetitus feratur: item in febre hac utplurimum adsunt obstructiones alvi contumaces, in habitu corporis videntur maculæ lividæ, demumque sudor odorem spargit subacidum, reperiturque in lecto manè copiosum rubrum sabulum, prætereaque adest totius corporis macies.

Signa prognostica sunt. Omnis febris scorbutica est tandem periculosa, imprimis autem ea, quæ comitatur exulcerationes. Hæ namque utplurimum degenerant in gangrænam, & subsequentem sphacelum.

Febres Scorbuticæ curantur ut aliæ, in quibus cujuscunque generis antiscorbutica reliquis medicamentis semper commiscenda, observatâ tamen sanguinis & reliquorum succorum vitalium crasi, id est, ut respectu hujus nunc acriora, nunc temperatiora adhibeantur. Scorbuto autem ut tali, præprimis ingravescenti, propria est febris erratica cum sudoribus nocturnis; in quo casu præter victum aut cœnam saltem parciorem, præmissis universalibus, martialia ac salia fixa atque volatilia, quæ cruditates chyli corrigunt, cum antiscorbuticis mixta notabilem usum præstant, utpote sine quibus omnis labor erit frustraneus: v.g. conducunt flores & spiritus salis ammoniaci simplex aut sassafratus, cochleariatus, &c. Arcanum duplicatum est unum ex optimis eorum remediis, cum absorbentibus imprimis sociatum, quarum formularum jam *supra Sect.* 15. *cap.* 2. *de Febribus intermittentibus* mentio facta: Vel

℞. *Elix. propr. antisc.*
Ess. absinth. tartari sat. an. ℨiß.
M. D. S.
Elixyr febrile antiscorbuticum.
Dosis 30. ad 40. guttas.

℞. *Spir. sal. ammon. simpl.* ℨij.
Cochlear. ℨj.
M. S.
Spiritus febrilis antiscorbuticus.

Vel

Vel ℞. *Spirit. carminat. de tribus* ʒ iij.
Sal. ammoniaci cochleariat. ſine calc. viv. par. ʒ j ß.
M. S. *ut ſuprà.*
℞. *Arcan. duplicat.* ʒß.
Corall. rub. præp.
Specif. ſtomach. Poterii ana ℈ß.
M. f. Pulvis.
Div. in 2. part. æqu. S.
Pulvis febrilis antiſcorbuticus.
℞. *Flor. Sal. ammoniaci* gr. xv. ad ℈ j.
Antimonii diaphor. Martial. ℈ ß.
M. f. Pulvis.
Dentur 4. doſes.
D. S. *ut ante.*
℞. *Sal. centaur. min.*
Arcan. dupl.
Corall. rub. præp. ana ℈ß.
Sal. vol. ſuccini gr. v.
M. f. Pulvis:
cui addi poteſt
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
D. S. *ut ſuprà.*
℞. *Flor. Sal. ammon.* gr. xv.
Lapill. Cancr. præp. ſcrup. ß.
Ol. deſtill. caryoph. gutt. ij.
M. f. Pulvis: S.
ut ante.
℞. *Aqu. antiſcorbut. Dorncr.* ℥ j.
Spirit. ſal. ammoniaci ʒ j.
Laud. opiat. gr. ij.
M. D. S.
Potio febrilis antiſcorbutica pro una vice.
℞. *Aqu. centaur. min.*
Antiſcorb. Dorncr. ana ℥ j.
Spirit. cochlear.
Sal. ammoniaci ana ʒ j.
Arcan. dupl.
Mag. coral. cum ſucc. citr. ana ʒß.
Syr. ſcelotyrb. For. ʒ vj. ad ℥ j.
M. pro aliquot doſibus: S.
Potio febrilis antiſcorbutica.
℞. *Aqu. centaur. min.*
Card. ben.
Antiſcorb. Dorncr. ana ℥ j.
Mixt. ſimpl. ʒ iij.
Syr. ſcelotyrb. For. ʒ vj.
M. F. Potio pro aliquot doſibus:
D. S. *ut ante.*
℞. *Aqu. menth.*
Antiſcorb. Dorncr. ana ℥ j ß.
Spirit. cochlear. ʒ j.
Arcan. dupl. Mynſ. ʒß.
Syr. ſcelotyrb. ʒß.
M. D. S.
Potio febrilis antiſcorbutica pro una doſi.
℞. *Aqu. card. bened.*
Cent. min. ana ℥ j ß.
Acet. ʒ vj.
Mixt. ſimpl. ʒ ij.
Spirit. cochlear. ʒ j.
Lapill. Cancr. præp. ſcrup. ij.
Antimonii diaphor. ſcrup. j.
Syr. ſcelotyrb. For. ʒ vj.
M. D. S.
Potio febrilis antiſcorbutica pro aliquot doſibus.

Urgente ſiti convenit Julepus in *Idea Formular. Cl.3. §.4.* Item TIMÆI *in Epiſt.* 237. Vel
℞. *Seri lact. cum ſucco citri acidul.* ℔ j.
Decoct. Tamarind. ℔ ß.
Tinct. flor. bellid. ʒ vj.
Syr. ex toto citri ℥ ij.
Spirit. Vitrioli philoſoph. q. ſ.
M. D. S.
Julepus febrilis antiſcorbuticus contra ſitim.

Serum enim lactis per ſuccum citri acidulatum valdè prodeſt; nec inutilis eſt, præmiſſis abſorbentibus blandèque laxantibus, potus lactis extra paroxyſmum febrium ſcorbuticarum, ſi aliquantulum ſpiritus ſalis ammoniaci addatur, & ſtomachus eiuſque digeſtio bene ſe habeat; vix enim dici poteſt, quantum in hoc affectu præſtet.

XVIII. *HYDROPS SCORBUTICUS.*

HYDROPS SCORBUTICUS, ſi diuturnior & habitualis, ſcorbutus autem gravior fuerit, curari vix poteſt: Qui verò non inveteratus & à cauſa ſaltem evidente, v.g. quando à vehementiore purgatione Maſſa ſanguinea ſcorbutica nimis exagitata fuerit, interdum curatur. Vitanda autem ſunt purgantia fortiora atque frequentiora, humores ſcorbuticos, ut iam innui, agitantia, & ad hydropem diſponentia, & uſurpentur blandiora primas vias tantum evacuantia, e.g. mercurius dulcis cum ſtimulo appropriato acuatus, aut clyſteres acriores, hinc reſolventia cum diureticis blandis & antiſcorbuticis mixta, utpotè quibus ſolis ſine multis evacuationibus hanc hydropis ſpeciem curatam EUGALENUS *pag.*244. perhibet. Conducunt ergo millepedes vino infuſi, ſpiritus ſalis ammoniaci ſimpl. & compoſitus, cochleariatus, iuniperiatus, Elix. iuniperinum, Tinctura Tartari cum ſpiritu cochleariæ, item infunduntur millepedes conquaſſ. cum Tinctura tartari, & extractio filtretur.

XIX. *ERYSIPELAS SCORBUTICUM.*

Fit ſubinde ut ſcorbuticos invadant ERYSIPELATA; leviſſimâque occaſione quæ recidivant, eaque admodum periculoſa, quia facilè in gangrænas aut in ulcera maligna cacoëthea abeunt. Conveniunt ergo internè ſudorifera (ex antim. diaph., bezoard. minerali aut Ioviali, cum terra ſigillata & Corn. Cerv. atque cum ſpiritu flor. ſambuci in mixturam antiſcorbuticam uſurpanda, & omnia remedia ex ſambuco appropriatis miſta: Sic eſſentia rob ſambuci cum ſpiritu cochleariæ miſta; quæ eſſentia fit, quando ſpiritus ſambuci ſuper rob affunditur: item eſſentia rob ſambuci cum eſſ. perſicariæ aut Eſſentia fumariæ uſurpata; item Decoctum flor. ſambuci in lacte bibitum.

Externè pulveres, in ſpecie MYNSICHTII, ad eryſipelata conveniunt: it. epithema ad eryſipel. ZWELFFERI *in Pharm. pag.*91., quod polychreſtum eſt ad exulcerat. humid. in metu gangrænæ: e. g.
℞. *Litharg.* ℔ ß.
Flor. ſamb. M. ij.
Olibani,
Myrrhæ,
Maſtich. ana ʒß.
Aqu. calc. viv. ℔ iv.
Acet. deſtill. ℔ j ß.
Coqu. ſimul, uſque dum lithargyr. fuerit ſolutum, in fine addendo *Camph.* ʒß.
Colatura D. pro uſu: S.
Epithema diſcutiens.

Obſervetur tamen in horum applicatione cautela in *Diſſ. de Præcipitantium uſu & abuſu c.3.§.2.* allegata. In ſolo etiam *vino* coqui poſſunt.

X X. *S I T I S.*

Sitis, quæ ſubinde graviter affligit ſcorbuticos, præſertim matutino tempore, optimè Decocto radicis Chinæ, aut liquiritiæ ad imitationem TIMÆI *Von GuldenKlee lib.3. Epiſt.29. p.237.*

XXI. *ULCERA SCORBUTICA.*

ULCERA vero Scorbuticorum ſive per ſe, ſive poſt Eryſipelata effloruerint, periculoſa ſunt: quòd ſi verò fiat ut partes ulceratæ non ſentiant, nec doleant, periculum eſt, ne immineat gangræna. Contra hæc ulcera ergò convenit optimè aqu. calc. viv. pro eluendis his ipſis, & applicetur deſuper unguentum nicotianæ cum ſaccharo Saturni; it. unguentum diaphoreticum cum ſucco inſpiſſato beccabungæ miſtum, & malaxatum cum oleo nicotianæ. HORSTIUS commendat unguentum de apio, ulcerum borum mundificativum, cujus hæc eſt compoſitio:
℞. *Succ. apii,*
Melliſſophyll.
Cochlear. ana ℥ß.
Chelidon. mai. ʒ iij. ad ʒ vj.
Mell. rutac. q. ſ.
Coqu. ad iuſtam conſiſtentiam, adiecto *thure, aloe, myrrha* ac ſimilibus q. ſ. pro conſiſtentia Unguenti.

Hoc etiam Decoctum in lue Venerea pro iſtorum ulcerum

rum ablutione est egregium remedium. Quin & decoctum calcis vivæ pro eadem intentione commodè usurpatur.

Quod si ulcera sint pejora, ibi succedaneum sunt Decoctum sedi minoris, cui additur aliquantulum de spiritu vitrioli (aliquot gutt.) sic enim partes exulceratæ mundificabuntur.

Cum verò non semper Scorbutici ferre possint unguenta aut emplastra, præsertim pinguia, tunc partes exulceratæ pulveribus inspersis curandæ sunt. Nempe pulvis ex sacch. Saturni, lacte lunæ, olibano, myrrha, croco martis præcipitato & similibus. Internè fomitem horum ulcerum subtrahunt eff. lignorum, Ess. fumariæ, traumatica, item tinctura coralliorum antiscorbutica & similia, sanguinem mundificantia.

XXII. TUMORES.

TUMORES *duri*, qui crura subinde affligunt, resolvantur per Cataplasma ex rad. consolidæ maj., quæ hic est specifica: Cui etiam addi possunt radix bryoniæ, absinthii, chelidonii majoris, farina fabarum & lupin., ex quibus in lacte coctis fiat Cataplasma imponendum: v. g.

℞. *Flor. chamomill.* M. ij.
Rad. symphyti maj. unc. iv.
Bryon. unc. ij.
Medulla pan. albi No. j.
Coqu. in s. q. lactis ad consist. Cataplasmatis.

Vel etiam Cataplasma ex beccabunga & geranio Robertiano locum habet: vid. WEDELIUS *de Compos. Medic. pag.* 63. Vel

℞. *Empl. diaph. Myns.* unc. j.
Succ. inspissat. rad. symph.
Beccabung. an. drach. j.
Malax. cum *oleo destillat. chamom.* f. emplastrum.
D. S.
Emplastrum discutiens.

Quod si dolor adsit, *tacamahaca* dimidium ad emplastrum diaphoreticum addi potest.

Absolvimus jam Nutritionem læsam totius corporis vitio alimenti nutrientis: Restant vitia cutanea, in quibus pariter alimentum nutritium à vitioso acido subcutaneo depravatur, ut ex præternaturali sua acredine, in specie acido-salsa, pruritum, pustulas & maculas excitet: Unde & medicamenta cosmetica, cutaneis morbis dicata, talia esse solent, quæ acidum illud aut absorbendo aut præcipitando corrigere valent, v. g. sperma ranarum, sal & oleū tartari per deliq. sulphur, Saturnina, &c.

ARTICULUS VII.
DE
AFFECTIBUS CUTANEIS.
MEMBRUM I.
DE
SCABIE.

Affectuum cutaneorum, in specie Scabiei, *origo* est simpliciter à vitiosa nutritione depravata partium ipsarum subcutanearum. *Causa peccans* est fermentum acidum in glandulis intercutaneis hærens, nunc simpliciter tale, nunc acidum acre seu acido-salsum; hinc enim pruritus, squamulæ, & pustulæ rubræ, interdum pus & saniès: videatur BECKIUS *in Meditat. de Princ. Rerum Natur.* & WILLIS *Pharm. Rat. P.* 2. *pag.* 476. Adeoque formalitas scabiei consistit in Nutritione depravata, quatenus illam utplurimum corporis contabescentia, interdum pedum tumores, comitantur. Vitiatur autem nutritio partium subcutanearum privata ab acido præternaturali fermentum digestivum impediente, & alimentum partis proximum corrumpente. Acidum illud præternaturale fermentativum oritur vel ex transpiratione insensibili nonnihil impedita, indeque retentis effluviis acido-salsis, aliisque similibus; idque subinde ex immunditie ægri, aut quando e. g. pueri, servi, ancillæ, Pharmacopœorum aut Aromatariorum aliorumque famuli, corpora sua nunc frigori intensissimo exponunt, nunc à frigore recedentes fornacis calori vehementiori sese obiciunt, unde à subitaneis his & sæpius repetitis mutationibus non rarò scabiosi fiunt: vel ex ipso vitio nutrimenti allati, sanguinis nempe & chyli, salsioris aut acrioris, fermenta præternaturalia sub cute hinc inde generantur, unde oritur fermentatio: vel denique frequenter ex contagio fermentativo, e. g. chirothecæ scabiosæ, extrinsecùs hausto, spiritum insitum cutis alterante, quod fermentando se multiplicans partium intercutanearum nutrimentum lædit, & in saniem seu ichorem acido-salsum convertit; simili modo ac crusta lactea infantum subinde florescit ex vitio lactis nutricis.

Ex his patet, non semper in scabie totam Massam Sanguineam affectam esse, sed frequentiùs nutrimentum intercutaneum seu serum nutritium in habitu corporis: unde, quicquid Practici de Viscerum intemperie & sanguinis impuritate in omni scabie docent, locum non semper habet; cum à solo sæpe scabiosi contactu vel hujus vestimentorum usu, &c. scabiem contrahamus, ubi præter cutim aliæ partes simul non afficiuntur, quæ tamen si tota Massa Sanguinea semper inquinata esset, viscera interna etiam inquinaret: accedit & hoc, quod scabies sæpe per sola medicamenta externa curetur. Utut negari non possit, etiam interdum ex mala diæta & causis internis, v. g. scorbuto, lue venerea, &c. scabiem excitari, aut contagium, quo serum nutritium in habitu corporis semel affectum, totam Massam Sanguineam successivè inficere potest, unde phthisis, cachexia, & alia similia mala excitantur. Dividitur vulgò Scabies in humidam & siccam; quæ tamen *differentia* non est essentialis, sed tantùm *accidentaria*, cum pro diversitate corporum plus minus serosorum & sicciorum pustulæ scabiosæ nunc humidiores, nunc sicciores & magis crustosæ, sint: Illæ enim à nutrimento partium subcutanearum magis seroso & magis temperato, adeoquè facile corruptibili; Hæ vero à nutrimento minus seroso, sed magis balsamico aut sale volatili oleoso magis imprægnato, oriuntur.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica per se patent: Scabies humida & sicca facilè quoque à se invicem dignosci possunt, dum illa apparet sub forma ulcusculorum cutaneorum; hæc verò solùm saniem exsiccatam & incrustatam repræsentat.

PROGNOSIS.

Prognosin quod attinet: Scabies propter deformitatem & pruritum magis molestum malum, quàm periculosum, cùm hac affecti pluribus morbis ferè immunes sint, v. g. à variolis, epilepsia, &c. imo ipsa peste, notante FORESTO *l.* 6. *Obs.* 24. *in Schol.*

Scabies recens facilè curatur; inveterata verò Medicis multum facessit negotii; interdum in impetiginem ac lepram degenerare, & viscera interna inquinare solet.

In senibus contumax magis est, quàm in juvenibus, quibus sæpè insanabilis: vid. FONSECA *Tom.* 2. *Cons.* 18.

Scabies humida meliùs curatur, quàm sicca; imo vix curari debet: vid. GABELCHOVERUS *C.* 6. *Obs.* 75. Malè curata multorum morborum chronicorum, infarctorum & inflammatorum causa existit; unde frequens post malam curationem phthisis.

CURA.

Curantur cutanea Vitia tàm per purgantia, quàm sudorifera. Externè verò conveniunt, quæ vi absorbendi aut destruendi acidum pollent. Conveniunt ergo internè inter purgantia helleborina, Extractum helleb. nigri & panchym. Crollii, pulveres purgantes cum tantillo antimonii diaphoretici ad imitationem *Comitis de* WARWICK, quibus semper mercurius dulcis addendus erit; adeoque optimè pilulæ mercuriales conveniunt, item Calomelanos Turquetti, i. e. mercurius dulcis cum scam. sulphurato, it. mercurius vitæ per inferiora purgans, de quo vid. HARTMANNUS *in Praxi Chym. c.* 4. §. 1. In robustioribus turbith minerale, mercurius præcipitat. viridis: E. g.

℞. *Mass. pilul. de amm. Querc.*, vel *extr. hellebori nigri*, vel *panchym. Croll.* gr. xv.
Merc. dulc. gr. xij. ad xv.
Extr. troch. alhand. gr. j. ad ij. (vel loco hujus *Scam. sulphurat.* gr. j.).
Cum *Ess. lignor.* vel *tinct. tartar. antim.*, vel *fumariæ*, f. pilulæ:
D. S.
Pilulæ sanguinem purificantes.

℞. *Mass.*

℞. *Mass. Pilul. de tribus Ruffi* gr. xv.
Merc. dulc. ℈j.
Scammon. sulphurat. gr. v.
Cum *Ess. lignor.* f. pilulæ.
D. S. ut *ante*.

℞. *Conf. fumar.* vel *scabios.* drach. j.
Merc. dulc. gr. xv. ad ℈j.
Scammon. sulphurat. gr. j.
M. f. Bolus.
D. S.
Bolus laxativus sanguinem mundificans.

℞. *Turbith. miner.* gr. v. vel vj.
Cum *theriac.* f. Bolus in robustioribus.
D. S.
Electuarium pro una dosi.

℞. *Merc. dulc.* ℈j.
Scam. prap. gr. iv. ad v.
M. f. pulvis S.
Pulvis purgans.

℞. *Merc. dulc.* gr. ix. vel xij.
Scammon. sulphurat. gr. j.
Sacchar. gr. v.
M. f. pulvis pro puero 7. & 9. annorum.
D. S. ut *ante*.

Vel fiat Nodulus pro purificando sanguine in genere, simul & alterativus & laxativus, quibus plantæ amaricantes, scorbuticæ & sanguinem purificantes addendæ erunt, v. g. radix enulæ, polypodii, fœniculi, hellebori nigri, Rhabarbari, Armoraciæ, &c. fumaria, carduus benedictus, veronica, scordium, absinthium, flores acaciæ, bellidis, &c.

℞. *Herb. rec. absinth.*
Cochlear.
Fumar. an. M. j.
Flor. bellid.
Cichor.
Cent. min. an. p. ij.
Fol. senn. sine stip.
Rad. rec. armorac.
Fænic.
Enula an. drach. vj.
Helleb. nigri crud. unc. ß.
Rhabarb. el. drach. iij.
Galang.
Zedoar.
Cinamom. an. drach. j.
Pass. min. unc. j.
Sem. anisi,
Fænic.
Nasturt. ana ʒij.
Sal. tartar. ʒiij.
Incisa & contus. includ. Nodulo: S.
Nodulus sanguinem mundificans.

℞. *Herb. fumar.*
Scabios.
Veron. an. M. j.
Fol. senn. sist.
Rad. Rhabarb. Monach. an. ℥j.
Enula,
Bryon.
Polypod.
Helleb. nigri crud. vel *Rhabarb. el.* an. ℥ß.
Passul. min. cont. ℥j.
Cinnam. acut. vel *cort. Winteran.* ʒiij.
Sem. fænic. ʒvj.
Sal. tartar. ʒij. vel ʒiij.
Incisa & contusa includantur Nodulo:
D. S. ut *ante*.

Affundantur Mensuræ ij. *Vini Rhen.*, de quo post sufficientem digestionem omni mane aut alternis diebus, capiatur cyathus unus, plus minus, prout operabitur à meridie, vel diebus intercalaribus mane & vesperi usurpentur *pulveres absorbentes & temperantes*, vel *essentia purificantes*, de quibus *infra*.

℞. *Herb. fumar.* M. ij.
Scabios. M. j.
Fol. senn. sine stip.
Rad. lapathiac. an. ℥j.
Enul.
Polypod.
Helleb. nigri crudi an. ℥ß.
Crem. tartari ℥j.
Sal. tartari ℈j.
Coqu. in f. q. *aqua fontan.* in vase leniter clauso: Colaturæ ℔iß. adde
Syr. violar. solut. ℥j.
Fumar. compos. ℥ß.
M. D. S.
Potio sanguinem purificans:
Vel tempore vernali:

℞. *Flor. acac. rec.* M. j.
Ser. lact. bubul. vel *caprill.* Mens. ß.
Coq. leniter in vase clauso.
De colatura bibatur mane dimidia pars, per dies 7. ad 14. continuando, & singulo manè ex florib. recentibus coquendo.

De usu seri lactis in scabie vid. AMATUS LUSITANUS *Cent.* 2. *Cur.* 74., & lactis caprilli PLATERUS *pag.* 542. & 543. *l.* 2. *Observ.*

Inter Sudorifera conveniunt ligna, cortices etiam, in specie ligni sancti, eorum nempe decocta, essentiæ, & spiritus, uti etiam partes animalium duræ philosophicè calcinatæ, e. g. Cornu Cervi sine igne, ebur sine igne &c., salia fixa & salia volatilia quæcunque, in specie verò sal volatile viperarum, & omnia ex viperis parata remedia: quibus ex regno minerali additur sulphur antimonii, cinnabaris antimonii, antimonium diaphoreticum, aliaque fixa antimonialia; nunc sociata cum aliis, nunc per se cum Rob baccarum sambuci: item tincturæ antimoniales; vid. M.A.N.C. *Ann.* 6. *Obs.* 217.

In contumacioribus malis præsertim viperina, aliaque quæ sanguinem purificant, conducunt; & aliis irritis salivatio mercurialis instituenda; sicuti in pessimo rerum statu, adeoque in ipsis leprosis, tandem ad arsenicum fixum confugiendum erit.

Quoad sudoriferorum formulas:

℞. *Aqua fumar.* ℥iß.
Antimonii diaphor. ℈j.
Sal. volat. viperar. gr. vj.
Syr. de succo scabios. drach. vj.
M. pro haustulo sudorifero: S.
Potio sudorifera pro 1. *dosi.*

℞. *Aqua flor. samb.* ℥j.
Spirit. theriac. camph. drach. ß.
Antimonii diaph. gr. xv.
Sal. volatil. viper. ℈ß.
Syr. cort. aurant. ℥ß.
M. S.
Vt antè.

℞. *Aqua flor. samb.* ℥j.
Pulv. viperin. drach. ß. ad ℈ij.
Salis vol. viper. gr. vj.
Syr. fumar. drach. ij.
M. S. ut *antè*.

℞. *Antimonii diaph.*
Sal. absinth. an. ℈ß.
Volat. Corn. Cerv. gr. v. vel vj.
M. pro pulvere sudorifero: S.
Pulvis sudoriferus pro 1. *dosi.*

℞. *Corn. Cerv. sine igne* ℈j.
Antimonii diaph. ℈ß.
Sal. vol. viperin. gr. vj.
Laud. ferment. gr. j.
M. S.
Pulvis sudoriferus expellens.

℞. *Antimonii diaphor.*
Corn. Cerv. sine igne an. ℈ß.
Myrrh. gr. iij.
Sal. volatil. viper. gr. iv.
M. S. ut *ante*.

℞. *Antimonii diaphor.*
Corn. Cerv. sine igne an. ℈ß.
Myrrh. gr. iv.
Salis absinth. gr. vi.
M. S. ut *ante*.

℞. *Corn. Cerv. sine igne,*
Flor. sulphuris an. ℥ß.
Salis card. ben. gr. xij.
M. S.
Pulvis sanguinem mundificans.

℞. *Extr. bals. sulphuris* p. iij.
Antimonii diaph. p. j.
Corn. Cerv. sine igne p. ß.

M. f.

M. f. pulvis.
D. S. ut *antè*.

De quo omni mane, quantum cuspis cultelli capit sumatur vesperi verò duabus horis ante cœnam Elixyr proprietatis, sine acido, vel Elixyr cachecticum. Vel

℞. *Salis antimonii diaph.* ʒij.
Pulv. jam præscript. ℈ii.
M. pro 4. dosibus: S.
Ut antè.

℞. *Rob Samb.* vel *Theriac.* ʒi.
Pulv. serpent. calcin. vel *non calcin.* scrup. I:
Sal. ammon. scrup. ß.
Cum s. q. *Syr. cort. aur.* f. Bolus.
D. S.
Bolus sanguinem purgans pro 1. dosi.

℞. *Conserv. fumar.* ʒi.
Pulvis viperin. ʒß. ad ℈ j.
Cum *syr. rosar. sol.* f. Bolus.
D. S.
Bolus sanguinem mundificans.

Item.

℞. *Tinct. antimon. ex scor. par.* (propter alcali commendatur) ʒß.
D. S.
Tinctura sanguinem purificans.

Dentur pro dosi 20. 30. ad 40. gutt. bis vel ter in die.

℞. *Ess. viperar.* ʒß.
D. S.
Essentia sanguinem mundificans.

Dentur 20. 30. ad 40. gutt.

Item

℞. *Tinct. corall.* cum *spir. lignor.* vel *sassafr.* ℥vj.
D. S.
Tinctura corallorum sanguinem purificans.

Dosis 40. vel 50. gutt. bis in die, mane jejuno stomacho in vehiculo calido.

℞. *Ol. destillat. terebinth.* ʒii.
D. S.
Oleum sanguinem mundificans.
Dos. gutt. vi. manè.

Vel sumatur Bals. sulphuris terebinth. gutt. viii. ad xv. Vel

℞. *Bals. sulphuris terebinth.* ʒii.
Succinat. ʒi.
M. D. S.
Balsamum sanguinem purificans.
Dosis x. ad xv. guttulas manè.

Externè conveniunt remedia ex Saturno, Mercurio, sulphure, sale tartari, calce viva, saccharum Saturni, cerussa, minium, Cosmeticum Clavii ex Bismutho paratum seu magisterium Marcasitæ, (vid. SCHROEDERUS *in Pharmac.* & BEGUINUS *in Tyrocin. chymico*) *lap. calaminaris*, sperma ranarum, Decoctum cosmeticum Mynsichtii, in *Armament Chym.* pag. 377., Mercurius dulcis, mercurius præcipitatus cum spiritu nitri seu, ut vocatur ab HARTMANNO, Arcanum corallinum, liquor Mercurii saccharatus Mynsichtii l. a. p. 443., essentia benzoes, Oleum nicotianæ, unguentum de liquiritia, de nicotiana, unguentum album camphoratum, de lithargyrio, unguentum enulatum, unguentum diasaturni Zvvelfferi enulatum, unguentum ex tutia, dia-pompholygos, emplastrum de Ranis cum Mercurio &c., quæ mirificè acidum temperant, absorbent, & mitigant.

In usu tamen sulphuris & mercurii, nec non unguentorum saturninorum observandum, ut *pori corporis probe aperti maneant, ne fermentum externo illitu repulsum totam massam sanguineam inficiat*, pro quo *sæpe sulphuri semper sal tartari vel aliud alcali adiungendum*: E.g. sit sequens ungu. ad scabiem mihi perquam familiare:

℞. *Vngu. enulat.* vel *pomphol.* vel *album* vel *deliquirit.*
Camphor. ℈vi. ad ʒi.
(vel *ungu. enul.* & *alb. camph.* an. part. æqu.)
Flor. sulphuris ʒii. vel ʒiii.
Sal. tartari ʒi. vel ʒiß. (vel *ol. tartar.* per deliq. ʒii.)
Cum s. q. *Ol. hyperic.* vel *nicot.* f. Linimentum: D. S.
Unguentum mundificans.

Addi huic pro lubitu & gratia odoris possunt
Bals. Peruv. ℈ß.
Ol. ligni rhod. gutt. vi.

Hoc ipso illinantur saltem juncturæ brachiorum & pedum, v. g. articulatio tali, genuum, carpi, & interstitia digitorum, vesperi sub introitum lecti, & corpus bene tectum conservetur: manè manus possunt ablui urinâ propriâ calidâ relicto in pedibus linimento, reiteretur hoc ipsum tamdiu donec malum evanescat. Postmodum ubi evanuerit scabies, ut vestigia rubra deleantur, abluantur manè & vesperi cum aqua calcis vivæ. Vel

℞. *Vngu. de liquirit.* vel
Dia-Saturni Zvvelf. ℥vj.
Ol. laurin. ʒiij.
Pulv. bacc. laur.
Flor sulphuris, vel *sulphuris comm. pulv.*, an. ʒij.
Sal. tartar. ʒj.
Cum s. q. *Ol. hyperic.* f. Linimentum.
D. S. ut *suprà*.

Ubi contumacius fuerit malum, ad mercurialia fiat accessus.

℞. *Vngu. nicotian.* vel *pomat.* ℥ß. ad drach. vi.
Flor. sulphuris drach. ij.
Mercurii dulc. drach. j.
Cum *ol. nicotian.* vel *jasmini* f. Linimentum.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Vngu. albi camph.* vel *enulat.* vel *diapomph.* drach. j. ad drach. iß.
Mercur. dulc. drach. ii. vel iij.
(vel *arcan. corall.* ℈ß. ad drach. ß.)
Cum *Ol. Nicot.* f. Linimentum circa articulos manuum ac pedum inungendum.
D. S. ut *suprà*.

Hæc ipsa præter scabiem etiam in pruritu partium, in serpigine, Germ. *in den Schwinden*, it. in lichenibus & similibus cutaneis corporis affectibus, commodissimè usurpari possunt. Augetur vel imminuitur sal tartari quandoque propter nimiam acredinem. Item

℞. *Vnguent. rosat.* ʒiij.
Mercur. præcipit. ʒiij.
M. pro Linimento.
S. ut *suprà*.

Quod etiam externè in gravioribus malis usurpari potest

℞. *Ol. tartari per deliq.* ʒij.
Amygdal. dulc. q. s.
M. pro Linimento externo.
D. S. ut *supra*.

Facit etiam huc Decoctum calcis vivæ polychreston in cutaneis affectibus pro partium affectarum ablutione:

℞. *Aqu. calcis vivæ* ℔j.
Sulphuris comm. pulver. ʒij.
Ebulliant invicem aliquandiu:
Colaturæ adde
Aqua rosar. ℥iv.
M. D. S.
Aqua mundificans.

Hac aquâ eluantur membra scabiosa, it. genuum & cubiti articulationes: permittantur sponte siccari, & evanescet scabies & maculæ atque pustulæ ab hac relictæ; & convenit hæc Lotio etiam, si *partes Scabie affecta tumore œdematoso tumeant*. Præsertim aqua subsequens est egregiæ virtutis; sc.

℞. *Decoct. calcis vivæ* ℔j. ad ℔iß.
Mercurii dulc. ʒj. vel ʒij. ad ʒiij.
Spirit. theriac. camphor. ℥j.

M. pro lotione partium externarum in scabie ferina, quam sola repetita lotio curat.
D. S. ut suprà.

Odoris gratiâ *aqua rosarum*, interdum etiam *sacchari Saturni* ʒiß. vel ʒij. addi possunt: loco cujus etiam

℞. *Merc. vivi purif.* qu. v. c. g. ℥iv.
Ebulliant in ℔iv. *aquæ simpl.* aliquandiu:
Colaturæ ℔j. vel iß. S. ut suprà.

Quâ solâ partes abluendo, præsertim manus, scabies evanescit.

Qui verò potentius volunt, addunt *Mercur. dulc.* drach. j. vel drach. iß. ad drach. ij., & ita calidè utuntur.

Secretum in omni scabie est aqua destillata stercoris humani, lavetur locus, expertissimum est: Item *laventur manus lixivio coriariorum calido*: felici cum successu vidi usurpatam in scabie ferina puellæ, internè adhibendo simul Essent. viperarum. Denique ungu. auratum, elegans in Alopecia leprosa, quod videb. in M. A. N. C. *Ann. 6. Append. p. 179.*, non inelegans erit.

Sunt qui in remediis externis contra scabiem, it. in aliis similibus pro usu cosmetico externè non rarò *adhibent Mercurium sublimatum*, sed pessimo cum consilio: nam præter alia

alia mala incautiùs adhibitus dolorem inflammatorium, pustulas, & vesicas ingentes, acrimoniâ suâ corrosivâ, acidâ excitat; vid. M. A. N. C. *Ann.* 8. *Obs.* 77.: in quo casu optimus est fotus lactis tepidi; cessantibus postmodum doloribus, convenientissimum est adhibere aquam calcis vivæ. Aliquando Studiosus ex liquore mercurio imprægnato contra scabiem ex affrictione ejus dolorem & tumorem brachii & manus à cubito ad digitos usque incurrit cum crudelissimo dolore; unde præscripsi:

℞. *Aqua calcis viva* ℔j.
Spiritus vini ℥j.
Cerus. drach. iij.
M. D. S.
Cataplasma leniens.

Applicabatur calidè & optimè contulit.

In casibus pertinacioribus etiam *cingulum mercuriale* concedendum, de quo vid. BARTHOLINUS *C.* 3. *Hist.* 79.; cui FONSECA *L.* 2. *Cons.* 18. suffitum cinabarinum addit, probè tamen priùs purgato & contra frigus præmunito vel sub sudore detento corpore: effectus enim ex mercurialium abusu satis deploratos experientia testatur, quos etiam ab aliis externis intempestivè applicatis contigisse Medicorum observationes cum quotidiana experientia testantur: exemplum ab ungu. ex arsenico videbitis in AMATO LUSITANO *Cent.* 2. *Cur.* 33., & ab vngu. ex litharg. in ZACUTO LUSITANO *l.* 1. *Praxeos.*

Notandum quoque, quod *in Scabie critica* nulla remedia externa applicanda, sed solummodo remediis internis diaphoreticis insistendum esse. *In Scabie* autem forsan *retropulsa*, & inde natis gravibus symptomatibus, optimè conveniunt viperina, ess. viperarum, sal ejus ad ℈j. cum ℥j. Syr. fumariæ.

Tandem etiam in usu sunt *Balnea* pro delenda scabie, quæ etiam in Scabie critica concedi possunt, ex chamomilla, malva, meliloto, hyperico, nicotiana, scabiosa, fumaria, persicaria, lapatho acuto, enula, saponaria, parietaria & similibus appropriatis: e. g.

℞. *Herb. lapathiac.* M. iv.
Nicot.
Scabios. an. M. ij.
Rad. lapathi ac. ℥iij.
Enulæ ℥ij.
Bryon. unc. j.
Sulphuris crud. unc. vj.
Calcis viva ℔ij.
Incisa & contusa D. S.
Species *ad Balneum.*

Coqu. in s. q. aquæ moderato igne pro Balneo.

Priùs sudet æger cum Cornu Cervi sine igne in rob Sambuci, vel cum Essentia lignorum, dein insideat huic, corpus fricando & à sordibus repurgando; post cum linimento appropriato illinendo. Item:

℞. *Herb. fumar.*
Nicotian.
Persicar.
Scabios. an. M. ii.
Rad. enula,
Lap. acuti an. unc. ii.
Bryon. unc. i.
Pulv. sulphuris ℔i.
Nitri,
Calcis viva an. ℔ß.
Concisa & Contusa S. ut suprà.

Coqu. in aqua dulc. cum ana lixivii acuata, moderato igne benè agitando, F. Balneum.

Vid. HORSTIUS *pag.* 325. & 327.

Item

℞. *Herb. lapathi ac.* M. iv.
Parietar.
Saponar. an. M. ii.
Rad. lapathi unc. vi.
Bryon. unc. iii.
Sulphuris vivi unc. ii.
Calcis viva rec. ℔ii.
M. D. S.
Species ad Balneum.

Coquantur in aqua *simpl.* addendo parum *lixivii.*

MEMBRUM II.

DE PRURITU.

PRURITUS est Scabiei symptoma individuum, & futuræ signum certissimum.

CAUSÆ.

Causa pruritum excitans est serum acido-salsum, cujus acrimonia à causa Scabiei in hoc differt, quod illa tenuior & subtilior sit, atque per minima magis inter cuticulam & cutim se insinuet. Oritur tamen etiam interdum à causa externa, ab urticarum & formicarum contactu, culicum & pediculorum, nec non sironum morsu, item à ligatura strictiore in fracturis & luxationibus.

DIAGNOSIS.

Diagnosi opus non habet, cùm malum hoc somnum & alia negotia maximè impediat.

PROGNOSIS.

In Prognosi nihil peculiare occurrit, nisi quod pruritu diutiùs vexati scabie tandem afficiantur.

In decrepitis incurabilis est: vid. VALESCUS *de* TARANTA *in Chirurg.*

CURA.

In cura si malum sit à causa interna, & quidem totum corpus affligat, conveniunt acrimoniam temperantia. Ante omnia verò purgetur corpus mercurio dulci: e. g.

℞. *Conf rosar.* ℥j.
Mercur. dulc. gr. xv.
Res. jalapp. gr. vi.
Scamm. sulphurat. gr. i. vel ij.
Cum *syr. fumar.* f. Bolus: S.
Bolus sanguinem mundificans.

Non minus etiam conducunt Noduli purgantes, & omnia purgantia jam *Membro preced. in scabie* laudata.

Purgatio sic corpore in Plethoricis V. S. institui potest: post sudorifera temperata etiam acrimoniam salsam absorbentia, *in scabie pariter jam laudata*, imprimis ex Antimonio diaphoretico Martiali, Cornu Cervi sine igne, cinnabari antimonii, &c. præscribenda. Ubi verò pars tantum una vel altera pruritu molestatur, unà cum sudoriferis jam dictis conveniunt omnia *externa in scabie laudata*. Vel fiat *Linimentum Rondeletii:*

℞. *Rad. lapath. ac.*
Helen. an. unc. i.
Decoqu. in *aceto* ad mollitiem:
per Setaceum traiectis adde
Ol. irin. unc. iij.
Salis comm. unc. j.
Myrrha ℥iij.
Lithargyr. unc. jß.
Cera parum
F. l. a. Linimentum.

In malo pertinaciori dictis aliquid mercurii dulcis addi potest, imprimis si malum oriatur à sironibus, in quo casu simul Decoct. colocynthidis applicari solet.

Si à ligaturis diuturnioribus aut strictioribus, pars tantum lavetur cum aqua tepida: si à formicis vel urticis, præter frictionem cum gleba terræ recēti, convenit lac tepidum, Decoctum malvæ, aqua sperm. ranarum, vel unguentum diapompholygos, de Tutia, &c. quibus Sacch. Saturni addendum.

Post scabiem & Pruritum sequitur Lepra.

MEMBRUM III.

DE

LEPRA.

LEPRAM olim abominabilem affectum fuisse, tam ex Sac. Script. quàm aliis autoribus constat. Nostro autem seculo cùm Scorbutus & lues Venerea ubique ferè se insinuent, Lepra ipsa est rarissima, qùm vel sub nomine luis Venereæ, vel ipsius scorbuti lateat. Imprimis *convenit cum scorbuto confirmato*, utpote quem, malum contagiosum, ab Acido quodammodo corrupto & corrodente ortum, ex *Artic. 6. & inde ortis symptomatis* patet. Aliàs etiam Psora dicitur, & *Elephantiasis Græcorum*. Ab *Elephantiasi Arabum* in hoc differt, quod hæc particularis tantum, & senes vino liberaliùs indulgentes plerumque invadens, affectus quidam sit, pedum nempe tumor rubicundus, lividus seu nigricans, cum ulceribus varicosis, è quibus serum acre limpidum effluit; interdum etiam solæ crustæ furfuraceæ totos pedes occupant: Illa verò universalis. Vocatur *Elephantiasis*, quia hâc ipsâ affectis tumida cutis, rugosa & aspera, Elephantum instar, apparet. Aliàs etiam vocatur *Satyriasmus*; vel quia nares & labia tumida, aures tabidæ, genæ rubentes, & in fronte excrescentiæ quædam instar cornuū hinc inde protuberant, quali facie Satyri pinguntur; vel quod leprosi in principio morbi maximè libidinosi dicantur. Item *Leontiasis* dicitur; vel quod Leprosi vultum terribilem & frontem rugosam leonum instar acquirant; vel quod eorum anhelitus & excrementa leonem hujusque excrementa oleant. Nihil est aliud, quàm summus & contumacissimus Scabiei Scorbuticæ gradus; unde Scabies & Lepra ab ÆGINETA conjunctim tractantur; in Lepra tamen longè major & habitualis succi nutritii corruptio est, quam in Scabie, adeò ut, quando in hac cutis instar furfuris separatur & decidit, hæc in Lepra squamarum piscium instar decidat, quatenus in hac non tantum cutis, sed etiam subjacentes partes carnosæ exulcerantur: unde & scabies ferina & inveterata in Lepram degenerare solet.

CAUSÆ.

Causa Lepræ cum Scabiei causa communis est, longè tamen gravior: salsedo nempè seri muriatica & corrosiva, in specie acido-salsa. Veteres bilem atram, singulariter malignitate præditam accusant; ratione cujus quidam Lepram Cancrum universalem non ineptè dicunt, quatenus eadem ferè causa cum cancro particulari concipi potest, nempe salso-acidum quoddam corrosivum, & partibus solidis maximè infestum: unde acidum absorbentia Lepram mitigant acidorum, contrà abusus eam fovet & auget.

DIAGNOSIS.

Circa Lepræ *Diagnosin* Medicus sit cautus & prudens, ne signo uni ac soli credat, sed judicium dirigat ad signa plura, tam propria, quàm communia; adeoque secundùm illa quidem judicet, secundùm hæc verò maximam partem. Colliguntur autem signa hæc vel ab antecedentibus, vel conjunctis. Quoad *Antecedentia*: Medicus imprimis investiget ex ægri parentibus, consanguineis & agnatis, an horum aliquis leprâ, vel cachexiâ congeneri enormiore laborarit? cùm contagium hoc interdum ad tertiam & quartam usque generationem propagari soleat: deinde attendatur vitæ genus, an ęger, aut parentum aut consanguineorum quidam cum leprosis degerit? quo victu & quali diętâ utatur? an quartanâ, maniâ, aliisque similibus morbis olim laborarit? an hęmorrhoïdes, menses vel alia solennis quædam evacuatio, ipsi aliquandiu suppressa fuerit, aut adhuc supprimatur? Ex quibus conjecturę artificiales formari possunt, ęgrum ad Lepram esse dispositum, adeo ut, licet jam nondum leprosus, lepra tamen metuenda sit.

Quod *signa concomitantia* attinet; hęc sunt vel interna, vel externa. *Interna* sunt in principio ructus crebriores & molesti, cruditas acida vel nidorosa, alvus obstructa: quibus progressu temporis superveniunt oris & faucium siccitas, sitis intensa, sudor graveolens & fœtidus, urina subjugalis, cui si juxta LEVINUM LEMNIUM calx saturni injiciatur, hæc fundum ejus non petat, sed supernatet; sunt libidinosi: sanguis venę sectione eductus solet esse fœtidus, crassus, viscosus & unctuosus, adustus, nigrescens aut lividus, fæculentus, & pingui quasi crustâ obductus, qui digitis aut manu agitatus arenę instar stridet & tactu asper apparet; per pannum verò colatus arenulas, granula & nodos quasi post se relinquit; à granis aliquot salis superinjectis mox dissolvitur, ab aqua verò non adeò facilè diluitur, sed potiùs cum hac instar gelatinę congelatur: vid. MARCELLUS DONATUS *Histor. Mirab. l. 1. c. 4.* Pulsus prętereà frequens est & debilis, respiratio difficilis, & fœtida, ut in phthisi, dyspnœa & asthmate; vox clangosa & rauca, & interdum ęgri per nares quasi videntur loqui. Accedit his in malo confirmato segnities & lassitudo totius corporis, facilis infrigidatio, abolitus tactus, remanente tamen motu; vid. PARÆUS *l. 19. c. 7.* ut ut ęgri interdum pruritum formicarum repentium ad instar percipiant: somnus est gravis cum insomniis turbulentis & incubo, ac si cor eorum claudatur ac comprimatur; imò tandem pusillanimitas quædam supervenire solet.

Inter *signa externa* apparet cutis, nunc ad colorem lividum & nigrum vergens, nunc flavescens & ex rubro nigricans: vid. VALERIOLA *l. 6. Enarrat.* 5. Aeri exposita mox corrugatur, exasperatur & infrigescit; tota apparet unctuosa, ut aqua ipsi inspersa vix hereat; sensim crassescit, rugosa & asperior redditur; furfure nunc purpureo, nunc albicante, ac si calce incrustata esset, imprimis in facie adspersa videtur, multisque nodositatibus, turberculis mobilibus & indolentibus, potissimum pone aures, circa frontem, mentum & artus, defœdatur, & morpheâ, impetigine & scabie siccâ pertinaci, aliisque pustulis afficitur; vid. HILDANUS *Epist. 24.* Unde etiam continuus, & continuę exinde ortę vigilię, pruritus, ac si acubus pungantur, aut urticâ percussi essent, aut vermibus roderentur. Leprosos maximè urget; & dum partes cutaneas unguibus scalpunt, paucissima saltem aut nulla materia, neque serosa, neque purulenta, promanat, partesque cutaneę erosę mox exsiccantur, nec crustâ quadam obducuntur. Cum his simul observatur capillorum defluvium, superciliorū, pilisque veris interdum parvi, lanuginis instar, succedūt; frons est rugosa & toberosa, aures tensę, earumq; pinnæ tumidæ; vid. HILDANUS *l. a.* supercilia sunt elevata & callosa, & pilis aut destituuntur, aut si evellantur, aliquid cutis & carnis in radice hæret: Oculi juxta GUIDONEM *de* CAULIACO sunt rotundi, rubicundi, scintillantes & lachrymantes, qui venas tumidas & intra angulos turbercula grandinosa, aut juxta Hildanum l. a. in angulo majore pelliculam acquirunt. Narium extrema dilatantur, superior pars constringitur & coarctatur, in medio cartilaginis corrosio apparet, unà cum ozænis, fœtore, polypo, respiratione per nares interceptione, & copiosa sternutatione; nec non palati atque uvulæ erosione: Labia cum facie pallent, crassa, dura, nigricantia, livida, & fissa comparent; in ore & faucibus hinc inde observantur tubercula flavescentia & sublivida; lingua tumet, nigrescit & finditur, cujus venę inflantur & varicosę evadunt cum tuberculis grandinosis & durioribus albis, viridibus vel lividis: sicuti etiam gingivę pręter modum pallent, tument & rubent, asperę & corrosę apparent: saliva maximè est viscida & quasi biliosa: Mammę sunt durę & tument cum venis varicosis: artus non solùm marcescunt, sed etiam in pedum plantis & digitorum interstitiis, nec non in manibus propè cubitum, aliisque artuum locis, fissuræ & ulcera callosa, pręetumida, & ad levissimum contactum cruenta, ut plurimum tamen indolentia, deprehenduntur: manuum musculi, maximè pollicis & indicis, consumpti sunt; ipsique manuum ac pedum digiti frigus & dormitationem, & quasi quandam sensus privationem patiuntur; articuli horum sunt nodosi & distorti, ungues verò lividi, nigri, incurvi & fissi.

PROGNOSIS.

Lepra inveterata incurabilis est: de incipiente verò, à mala diętâ aut contagio orta, per diętam accuratiorem & remediorum generosorum diuturniorem usum aliqua spes adhuc affulget; sicuti Leprę incipientis sanatę exempla videbitis apud *Aretæum l. 4. de sign. & caus. morb. c. 12.* GALENUM *Isagog. c. 12.* & HORSTIUM *7. Obs. 18. & 21.* utut forsan rariora sint. Conf. LAURENTIUS *de Lepra* 18. & PALMARIUS *de Lepra c. 4.*

Sanguis in lepra fœtidus & nigrescens: item serpigo & impetigo in manuum ac pedum digitis, cum pilis parvis ascendentibus, malum signum sunt.

CURA.

In CURA sanguis purificetur, tàm per evacuantia, quàm sudorifera, & alterantia scorbutica.

Quoad *purgantia*; propinentur primò mitiora, hinc potentiora & generosiora, qualia suprà de Lue Venerea & scabie fuerunt proposita.

Purgentibus succedunt sudorifera, quæ inter primum locum tenent Viperæ, quas commendat ARETÆVS *l. a.* & GALENVS *l. 11. de simpl. Med. Facult. c. 1.* quarum quidem virtutem in dubium vocant ERASTVS 4. *Disp. contra Paracels.* ZACVTVS LVSITANVS *l. 1. de Med. Princ. Hist. 5.* & *PALMARIVS de Elephant. cap. 9.* Commendantur autem Theriaca benedicta viperina, pulvis, Ess. & sal volatile viperarum, sal volatile cornu Cervi, spiritus salis ammoniaci, sal volatile & Quinta Essentia sanguinis humani, tinctura Antimonii, coralliorum, antimonium diaphoreticum Martiale, sulphur antimonii auratum. Vbi remedia aliàs usitata & vulgaria non valent, tandem ad arsenicum fixum confugiendum est, quo mediante *Doctor RHEFELD* leprosum quendam restituit, præmissis digestivis & laxativis per alvum. Nempe dedit sequentia:

℞. *Matr. perlar. calc.* ℈ij.
Salis fumar. ℈j.
M. f. pulvis.
divid. in 2. part. æqual. S.
Pulvis incidens.

℞. *Mercurii vitæ* gr. iv.
cum *Theriaca* fecit Bolum. S.
Saccharum purgans.

Quibus præmissis ad arsenicum fecit accessum.

℞. *Recrement. uvar.* qu. v.

Redigantur calcinando in cineres, è quibus more solito f. lixivium, ad dimidium porrò incoquendum:

℞. Hujus *lixiv.* Mens. iv.
Arsenic. albiss ℔j.

Coqu. in olla per horam unam aut alteram, semper ligneâ spatulâ movendo, donec ferè sit consumtum lixivium; sic fiet massa spongiosa: tunc novum affundatur lixivium, & coctio repetatur; sic mox arsenicum, erit resolutum, quæ solutio decantetur in aliud vas purum, in quo pro præcipitatione addatur sequens:

℞. *Cerus.* ℔ij
Acet. destill. q. s. ad solutionem, quæ filtretur.

Hac solutione tantùm præcipitetur, quantum possibile, edulcoretur, & exsiccetur.

Exhibuit doses 8. per tot dies, incipiendo à gr. iij. singula aurorâ gr. j. augendo, & ad ʒß. assumendo. Potest sumi in Theriaca in forma Bol., vel cum antimonio diaphoretico, & pauco sacchari in jusculo vel cerevisia calida, bono semper sequente sudore.

Post balnea & scarificationes simul aliquoties adhibitas squamæ deciderunt, & ita æger sanitati fuit restitutus. *Alterantia* denique sunt vel interna vel externa. Inter interna eminent ea, quæ *Membro 1. de Scabie* dixi, & omnia Absorbentia, uti sunt corallia, conchylia, lapilli cancrorum, antimonium diaphoreticum simplex & compositum, aliique hujusmodi pulveres: quibus & plantæ hepaticæ & splenetícæ adjungi possunt, e.g. fumaria, eupatorion, chelidonium, de quo vid. HAFFENREFFERUS *de Affectibus cutis p. 128.* Scorzonera seu Viperaria, quæ à ZACUTO LUSITANO laudatur: tinctura tartari simplex & antimoniata. De carne asini pulli comesta vid. BARTHOLINUS *Cent. 6. Hist. 31.* utut carnis hujus esum AMATUS LUSITANUS *C 2. Cur. 34.* inter causas Lepræ externas referat: milvi caput combustum laudatur in SENNERTO *Tr. cap. 5. p. 177.* sanguis leporis, & cinis leporis item fel & sanguis accipitris: vid. HAFENREFFERUS *l. a. p. 130.*

Externè prosunt Balnea in Scabie commendata, aut juxta RULANDUM *cap. 4. p. 411.* ex plantagine, pisis, & foliis quercus, & quod WECKERUS *in antidot: Special. l. 2. pag. 604.* describit; Unguentum ex succo lapathi majoris Hafenrefferi, unguentum medicamentosum Mynsichtii, & oleum sulphuris *Rulandi*, de quo *l. a.* Quidam Thermas commendant, quibus tamen contradicit HAFENREFFERUS *l. a. p. 127.* & ZACUTUS LUSITANUS *loco allegato.*

MEMBRUM IV.

DE ELEPHANTIASI ARABUM.

ELEPHANTIASIS ARABUM ejusque Causæ, item quomodo ab Elephantiasi Græcorum seu Lepra differat? *Membro anteced. 3.* dixi. Effectus utplurimum est Criticus; ideò in Cura cavendum ab externis repellentibus, ne sero acriore effluente intempestivè cohibito, & transpiratione insensibili impedita, per metastasin ejus Asthmata, Catarrhus suffocativus, peripnevmonia, hydrops pectoris, lethargus, similiaque mala, quæ aliàs à Scabie retropulsa aut ulceribus crurum intempestivè occlusis oriri solent, excitentur.

CURA.

In *Cura*, seri acrimonia temperetur, ejusque colluvies per purgantia evacuetur, pro quo scopo confert Mercurius dulcis, jalappa, & omnia *suprà membro I.* in Scabie laudata. Item

℞. *Herb. fumar.*
Scordii,
Nummular. rec. an. M. j.
Flor. hyper. Miß.
Rad. enul.
Caryophyllat. an. ʒvj.
Cort. ligni guajaci ℥j.
Sem. anisi
Fænic. an. ʒiij.
Incisa & contusa includantur Nodulo:
D. S.
Nodulus sanguinem mundificans.

Affundantur *Vini Rhenani* Mens. ij. de quo mane & à meridie bonus haustus capiatur.

Quod si nodulus hic laxare debeat, folia sennæ, helleborus niger, & colocynthis addi possunt.

Externè conveniunt absorbentia Saturnina, Martialia, & Venerea; unde applicari potest emplastrum griseum seu de lapide calaminari, vel emplastrum de spermate ranarum camphoratum *Cnoffelii in Append. M. A. N. C. Anni 6. & 7. Tit. 25. p. 186.* omniaque in *Dissert. de Usu & Abusu præcipitant. cap. 3. § 2.* allegata; item Emplastrum de Alcalib. *Tachenii in Morb. Princ. pag. 117.* vel ad hujus imitationem concinnatum *emplastrum mirabile Meibomii* sequens:

℞. *Ol. Olivar.* ℔ij
calefacto adde
Sapon. Venet. ℔ß.
Cerussæ albæ pulverisat.
Minii cribr. an. ℔j.

Coquantur lento igne in emplastri consistentiam, circa finem addendo

Camphor. ℥j.

Convenit quoque emplastrum Saturninum polychrestum, quod videbitis in *Colleg. Formular. p.* ...... item emplastrum nigrum Helmontii.

Pedes autem simul fasciis involvantur, incipiendo à talis usque ad genua.

Quod si *inflammatio erysipelacea juncta*, quod non rarò accidit, à dictis emplastris abstinendum, donec inflammatio hæc debitis remediis, *de quibus suo loco*, discussa fuerit.

MEMBRUM V.

DE SERPIGINE & LYCHENE.

AFfectus hi maximè sibi sunt cognati, & gradu tantum differunt. In *lychene* enim, Germ. *Schwinden, Flechten, Zittermahle*, cutis est aspera cum pustulis hinc inde erodentibus, crustis furfuraceis, & cum summo pruritu ad partes vicinas serpentibus; in *serpigine* verò, vulgò Gen. dicta *in verme, sive verme dormiente*, asperitati & pustulis cutis dolor & ardor conjuncti sunt, unde etiam CELSO *Ignis sacer* vocatur, & serpendo pariter se extendit, hinc etiam vulgò scabies serpens dicitur. Pustulæ hæ, si summitatem tantum cutis erodant, *Herpes miliaris*; si verò cutis tantum profundiora exedant, *Papula fera* seu *Herpes exedens*, item ἐσθιόμενα vocatur. BONTIUS quidem *de Med. Indor. Obs. 16.*

Serpi-

Serpiginem cum Lychene confundit, dum serpiginem per pruritum definit. Verùm licèt in Lychene nulla symptomata graviora conjuncta sint, certum tamen est, quod in serpigine major acrimonia, adeoque major sanguinis & seri dyscrasia peccet.

C A U S A.

Causa Serpiginis & Lychenis est eadem ac de scabie dixi, *serum nempe acido-salsum* circa glandulas subcutaneas effusum; utut hujus acrimonia ab ea, quæ in scabie peccat, specificè differat, adeoque pro varia cutis textura nunc scabies, nunc serpigio & lychen oriatur.

P R O G N O S I S.

Serpigo & Lychen sunt sine periculo.

Lychen facilè curatur; difficulter autem Serpigo.

Imò si totum corpus ab hac defœdatur, lethalis esse solet, dum simili quoque ratione interiora & exteriora eroduntur.

C U R A.

In *Serpigine & Lychene* Massa sanguinea purificanda & alteranda; unde etiam eâdem methodo per purgantia, in specie pilulas Mercuriales, & sudorifera instituenda, ac supra *Membro* 1. in scabie dictum fuit; quibus etiam, in casibus desperatis salivatio adjungenda; quò etiam fonticuli pertinent.

Quoad alterantia, præter supradicta in scabie, in Serpigine conducunt Saturnina, in specie saccharum Saturni, balsamus Saturni, tinctura antiphthis. D. Michaelis. Quoad Externa, sunt hæc vel blandiora, vel magis potentiora. Inter blanda laudantur in Serpigine & Lychene aqua sperm. ranarum, flor. omnium, calcis vivæ vel solitaria, vel cum saccharo Saturni mista; oleum ovorum, nicotianæ, ceræ, radix lapathi acuti cum aceto in formam Linimenti subacta; Linimenta ex oleo tartari per deliquium, cerussa & camphora; vel linimentum butyriforme BORELLI *c.* 4. *Observat.* 88. ex oleo tartari per deliq. cum oleo liliorum alborum, amygdalarum dulcium & aliquot granis camphoræ. Vel subigatur fortius lixivium cum oleo baccarum sambuci expresso, donec lactescat, & applicetur; lixivialia enim Acidum in gladulis subcutaneis stagnans destruunt & invertunt. Vnguentum album camphoratum, nicotianæ, à SCULTETO *Armament. Chirurg. Observ.* 89. laudatum; Vngu. nobile Mynsichti, dia-pompholygos, de Mercurio dulci, saccharum Saturni, tutia. Vel

℞. *Unguent. nicot. vel rosat.* ℥jß.
Mercurii dulc.
Olei tartari p. d. an. ʒij.
Ceræ vel sapon. ʒj.
M. D. S.
Unguentum purgans.

Aliàs quoque sapo Venetus cum spiritu vini rectificato subactus instar lactis, ac cum linteis inde madefactis applicatus Lychenem tollit, quibus & amalgama Saturni admisceri potest, ad quod imprimis pertinet mumia Saturnina cum unguento digestivo, à *Poterio P.* 3. *obs.* 65. & 80. commendata, & in *Pharmac. Spagyr. Append.* descripta; item empl. ex Saturni saccharo, de ranis cum Mercurio, & omnia externa, *sup. membro* 1. in scabie laudata. Inter potentiora sunt arcanum corallinum, Mercurius sublimatus albus, turpethum minerale, aqua divina Mercurii, liquor Mercurii saccharinus, & liquor Mercurii acetosus Mynf., hujus unguentum medicamentosum, unguentum secretum Riverii ex unguenti rosac. ℥j. & Mercurii sublimati ʒj. Vel

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔j.
Mercurii sublimati ʒij.
M. D. S.
Aqua purgans.

Cui etiam ℈ß. vel gr. xv. *camphoræ* addi possunt.

Instar epithematis applicetur.

Vel applicentur Epithemata in *Colleg. Form. p.* .... laudata.

In *dolore serpiginis* enormiore leniendo convenit *Mixtura* RIVERII ex *pulp. pomor. putrid.* No. vj. cum ℥ij *olei rosarum*, & pauco *lactis muliebris*: vid. *Observ. pag.* 279. &c.

Notandum adhuc, quod Impetigo seu Lychen in senibus, nec non vino indulgentibus, criticè quasi efflorescat & integros artus, maximè pedes, occupet, quo in casu ratione externorum eadem cautela observanda, quam heri in *Membro* 4. *de Elephantiasi Arabum* audivistis. Prodest in hoc casu Epithema seu Fotus ille elegans contra erysipelata in *Colleg. Formul. p.* ...... ex lithargyrio, myrrha & olibano cum vino & aceto laudatus. Aliàs cortex medianus sambuci recens contusus & calidè applicatus, egregiè etiam convenit.

M E M B R U M. VI.

D E

P H L Y C T Æ N I S.

PHlyctænæ seu *Phlyctænes*, Germ. *die hitzige Blattern*, sunt vesiculæ parvæ pruriginosæ, & ferventes, sero limpido repletæ, quæ intra digitos & circa carpos oriri solent.

C A U S Æ.

Causa proxima est serum plus minus acre sub glandulas milliares seu subcutaneas.

Remota est frigidus, post ignis aut balnei calorem subito admissum, aut quando aliquis ex loco æstuoso, aut post vehementiora corporis exercitia cum sudore, aeri frigidiori se exponit.

P R O G N O S I S.

Pustulæ hæ, uti celerrimè generantur, ita citò & intra biduum ad summum evanescunt: interdum tamen in scabiem & serpiginem degenerant, imprimis quando nimia seri acrimonia peccat, vel phlyctænæ ex inepta externorum applicatione retropulsæ fuerint.

C U R A.

In Cura conveniunt purgantia & sudorifera. Quoad Purgantia:

℞. *Crem. tartar.* ℈ß. vel gr. xij.
Nitri antimoniat.
Antimonii diaphor. an. gr. vj.
Stamm. sulphurat. gr. iv. vel v.
Olei destillat. fœnic. gutt. j.
M. f. pulvis: S.
Pulvis sanguinem purgans.

℞. *Salis absinth.* vel *nitr. antimoniat.*
Antimonii diaphor. an. gr. xij.
Pulv. jalapp. ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
M. f. pulvis.
S. ut *ante*.

Vel in forma pilularum:

℞. *Extr. cathol.* vel *panchym. Croll.*
Mercurii dulc. an. gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
cum *ess. fumar.* f. pil. D. S.
Pilulæ sanguinem purgantes.

Inter sudorifera conveniunt, quæ seri acrimoniam simul temperant, v. g. cornu Cervi ustum, & sine igne præparatum, pulvis diaphoreticus Ludovici, antimonium diaphoreticum simplex & Martiale, Bezoardicum minerale, cinnabaris antimonii &c. cum Rob sambuci, theriaca, &c. Vel

℞. *Aquæ fumar.* vel *scab.* ℥iij.
Antimonii diaphor. ℈ij. ad ʒj.
Bezoard. mineral. ℈j.
Syr. ex toto citro vel *rubi idæi* ℥j.
M. D. S.
Mixtura sanguinem purgans pro aliquot vicibus.

Capiatur pro duabus vel tribus dosibus, vel cochleatim pro scopo temperandi. *Externè* conducunt in principio mucilaginosa temperantia, v. g. mucil. sem. cydoniorum, psyllii, fœnugræci, lini, &c. cum aquam sperm. ranarum extractæ; progressu verò temporis aqua calcis vivæ, ung. de lithargyrio, diapompholygos, album camphoratum, Linimentum Saturninum Zwelfferi, vel per se, vel mixta cum amalgamate Saturni: Vel

℞. *Olei jasmin.* vel *amygd. dulc.*
Aceti Saturn. (ex infus. *minii* vel *litharg.* cum *aceto parat.*)
an. part. æqual. vel q. s.
Mista agitentur probè in consistentiam Linimenti.
D. S.
Unguentum refrigerans.
Vel

Mercurii sublimati ℥ß.
Alumin. ℥j.
hinc vase probè clauso coquatur per horam integram; dum refrixerit, adde
Camph. gr. xv.
& tecto vase leviter ebulliant, & ita spontè refrigerari permittantur.

Liquor hic usurpatur, illinendo successivè partem unam post alteram variis affectam; abusu enim hujus aquæ continuatæ Vari in pustulas, Variolarum instar, efflorescunt, & successivè squamatim decidunt eum insigni dolore: quo facto hic liquor cum ana vel duplo aut etiam triplo *aquæ communis* temperandus, & ne amplius redeant, præservativè usurpandus. Nec inelegans est essentia benzoes camphorata, quâ aquæ florum fabarum vel spermatis ranarum ad lactescentiam instillata facies ac mentum sæpè lavari potest.

Denique Oleum vitr. cum melle rosato experimentum est *Timæi à Gulden klee in Cas. l. 6. cas. 19. p. 20.* contra varos.

MEMBRVM X.
DE
LENTIGINIBVS.

LENTIGINES, Germ. *Sommer-Sprossen*, sunt maculæ obscurè flavescentes, magnitudine lentis, & ut plurimum totam faciem, collum, pectus, ac manus defœdantes.

PARS AFFECTA.

Pars affecta est cutis & cuticula; & quidem certa illius in facie ac manibus textura.

CAUSÆ.

Causa proxima est vel interna, vel externa, vel utraque simul. Causa *interna* est serum nutritium in valvularum lymphaticarum interstitiis, intra cuticulam & cutim partium, calori solis expositarum, stagnans: Inter causas *externas* notissima est solis ardor, dictum serum in partibus cutaneis, imprimis faciei ac manuum poris, in gelatinam quasi coagulans & exsiccans; unde æstivo tempore suboriuntur, hyberno verò iterum evanescunt. Quod verò certa quędam cutis textura imò certa forsan seri nutritii textura, concurrat, probare videtur, quod ii quoque, qui radiis solaribus non adeò exponuntur, & imprimis capillis ruffis præditi, lentiginibus ut plurimum afficiantur.

PROGNOSIS.

Lentigines cuti pertinacissimè adhærent, nec facilè curantur, imprimis in iis, quibus jam per aliquod tempus efflorescere consueverunt.

CURA.

Præcaveri solent lotione faciei ac manuum cum album. ovor. conquassato, & aqua rosarum, vitando simul tempore verno radios solares: sicuti etiam lentiginum cura per sola externa instituitur, & quidem majori cum successu, si à causa externa quàm interna, originem ducant. Nihilominus tamen præstat etiam laxantia blanda, serum temperantia, exhibere ex flor. acaciæ, fol. sennæ & tartareis; & hinc sudorem provocare, post quem lentigines primo vere prodeuntes facie linteis abstersâ tolluntur. Prodest etiam Elix. proprietatis sine acido.

Externa inter conveniunt aqua florum fabarum, flor. omnium. rad. sigilli Salomonis, scrophulariæ, leucoii bulbosi, & satyrii maculosi, acetū destillatū, aut succus citri affrictus, Decoctum cosmeticum, & unguentum nobile Mynsichtii, pulvis rad. ireos Flor. & bryoniæ, Mercurius dulcis, mag. Saturni cum oleo tartari præcipitat. cosmeticum Clavii, & cerussa, antimonialia, camphora, lac virginis, tam Schrœderi, ZWELFFERI *in Append. Pharm. Aug. p. 299.* & WILLISII *Pharm. Rat. P. 2. pag. 471.* descriptum, tàm *suprà Membro 9. in Cura Varorum communicatum*, Oleum ovorum, ligni Heraclini, guajaci, betulæ, ceræ, saponis, Oleum tartari per deliquium, arcan. tartari, & ex corrosivis liquor Mercurii saccharatus Mynsichtii. B. D. MICHAELIS commendat sequens Linimentum:

℞. *Olib.*
Cerusf.
Myrrh.
Sulphuris vivi an. ℥iß.
Camph. ℥j.
cum s. q. *pingu. gallinac.* f. Linimentum.

Plura qui desiderat, videat JOHANNEM-BAPTISTAM PORTAM *in Mag. Naturali*.

Talia autē externa semper inungantur tempore nocturno, matutino verò aquâ fontanâ rursus abluantur. Vt plurimum verò cutis post tales inunctiones evadit semisquamosa vel furfurea, quæ particulæ demum commodissimè per axungiæ humanæ inunctionem separantur.

MEMBRVM XI.
DE
EPHELIDIBVS.

EPHELIDES sunt maculæ cutaneæ fuscæ, & interdum asperæ, mulieribus communes, quæ potissimùm frontem, interdum genas, imò collum & manus quoque deturpant, in longum & latum, & sæpè ad palmæ magnitudinem se explicant, gravidas in specie afficiunt, in quibus etiam per reliqua ingravidationis signa dignoscuntur.

PARS AFFECTA.

Pars affecta sunt partes cutaneæ in dictis partibus.

CAVSÆ.

Causa proxima est seri acrimonia, quæ tam in gravidis, quàm interdum virginibus & mulieribus non gravidis mensium suppressorum occasione nec non menstruationis tempore non rarò observari solet, unde serum non parum alteratur.

Causæ *remotæ* sunt variæ: Ex rebus non naturalibus maximè facit crassis massę sanguineę acrior. Ad res non naturales pertinent aromata similiaque acria oleosa, & alimenta fermentescibilia, & colorandi vim habentia, v. g. rad. carotæ, betæ rubræ, &c. cerevisia & mustum recens, fructus horæi & similia menstruationis tempore assumpta.

PROGNOSIS.

Mulieribus, quæ in matrimonio vivūt, nec dictos aut alios diætæ errores commiserunt, conceptionis signum existunt, & in his etiam rarissimè curantur: imò si evanescunt, mox redeunt, & plerumque usque ad & post partum durant: in aliis mulieribus & virginibus facilius cedunt, mensibus scilicet ritè aut fluentibus, aut penitus cessantibus.

CVRA.

Pro Cura Ephelidum remediis internis non opus est. Inter externa prodest frictio partium affectarū pomo dissecto subacido, vel pomo citrio dissecto. Alias laudatur Linimentum ex pulvere baccarum lauri decorticatarum cum melle, quo facies in balneo inungatur; item emulsio seminis cannabis, succus radicis buglossę, sulphur vivum & flores sulphuris.

MEMBRVM XII.
DE
MACVLIS HEPATICIS.

MACVLÆ HEPATICÆ ita dicūtur, vel quod hepatis colorē repręsentēt, vel quod vitio hepatis obstructi, nec ritè sanguificantis, oriri vulgò credantur; suntque maculę obscurè flavi coloris, nunc majores ad palmę ferè latitudinē, nunc minores, quę interdum euanescunt, mox denuò emergunt, cum cutis aliquali asperitate & squamis; occupant imprimis collum, pectus, atque dorsum, interdum manus, cum singulari pruritu.

CAVSA.

Causa harum nil aliud est, quàm serum nutritium, acidum, plus minus viscidum, in valvularum lymphaticarum inter-

intersitiis, occasione frigoris aut aeris externi post exercitia vehementiora admissi, in gelatinam quasi coagulatum; unde à lentiginibus vix aliter quàm gradu differunt. Taxat quidem PLATERUS SENNERTUM, quòd hic Causam harum internam, & Curam unam eamdemque cum lentiginibus statuat: Sed sine ratione, cum Maculæ sic dictæ hepaticæ eundem cum lentiginibus colorem habeant, illosque, quibus lentigines familiares sunt, pariter afficiant. Unde patet, quid sentiendum de illis, qui sanguinem feculentum & melancholicum, tanquam macularum hepaticarum causam, accusant, quatenus etiam hæ subjecta illa, quorum Massa sanguinea sale volatili oleoso seu bilioso constat, afficiunt.

C U R A.

In *cura* harum conveniunt absorbentia blanda, & sanguinem purificantia: undè præmissâ pleniori purgatione Mercuriali præscribantur vegetabilia amara Antiscorbuticis juncta in forma Nodulorum, vel essentiarum; quorum formulæ ex hactenus dictis patent.

Externa sunt vel blandiora, vel fortiora, seu rubefacientia. *Blandiora* sunt Cosmetica hactenus recensita, v.g. rad. bryoniæ, oxylapathi, Symphyti majoris, sigilli Salomonis, lac virginis, Oleum tartari per deliquium cum Oleo amygdalarum dulcium in formam Linimenti redactum, cui etiam Olea suaveolentia, v.g. Oleum jasmini, ligni Rhodii, &c. ad aliquot guttas addi possunt: Convenit etiam Linimentum ex oleo tartari per deliquium, cerussa & camphora: quibus omnibus mercurius dulcis addendus.

Inter *fortiora* eminet sem. sinapi viride cum aqua appropriata in formam pultis redactum, quo in balneo post sudorem cutis fricetur, donec fervor & punctio quædam percipiatur, hincque cuticula mortificetur.

Ad maculas ergo hepaticas optimum est:

℞. *Sem. erucæ* seu *sinapi* q.s.

Contunde in mortario, addendo acetum, ut fiat instar pastæ,

adde

Salis comm. ℥j.

Albumini ovi no.j.

M. D. S.

Cataplasma abstergens & mundificans.

Et hoc ipso in balneo cutis maculata probè fricetur, relinquatur aliquandiù, & abluatur postmodum cum aqua communi. Fiat hoc aliquoties, aut saltem singulis anni quadris: vid. etiam TIMÆUS à *Gulden-Klee in Epist. l.6. Epist.* 26. p. 429.

Ad varos etiam usurpari potest.

Pulvis quoque seminis sinapi, cum sapone & succo lapathi acuti misceri, & simili modo adhiberi potest.

M E M B R U M XIII.

D E

G U T T A R O S A C E A.

GUTTA ROSACEA, à figura facies cuprea, vulgò Germ. *der Kupffer-Handel*, est rubor faciei tuberosus, pustulosus, guttis interdum sanguineis similis, qui nasum sæpè & genas inæqualiter & valdè tingit, & potatoribus satis frequens est.

C A U S Æ.

Causa est utplurimum acidum volatile vinosum per glandulas cutaneas secretum, & cutim erodens; undè patet, quòd non semper tota Massa sanguinea hâc dyscrasiâ laboret, nisi acidum volatile per naturam existat, sed serum tantùm nutritium sub faciei cute corrumpatur, cum ejusmodi homines quoad reliqua ut plurimum maximè sani sint.

P R O G N O S I S.

Malum curatu est difficile, præsertim si facies simul pustulosa & exulcerata fuerit; & tunc utplurimum ad mortem usque comitari solet.

C U R A.

Internè præmisso nodulo purgante & sanguinem purificante, & in plethoricis venæsectione, conveniunt absorbentia terrea & marina, e.g. os sepiæ, lapilli Cancrorum, Antimonium diaphoreticum Martiale, tinctura coralliorum sassafrata, tinctura Antimonii tartarisata, &c. diutiùs continuando.

Externè Guttam rosaceam optimè curant saturnina, quæ acidū istud promptè absorbent, &, vulgò propterea refrigerare dicuntur: propterea Saccharum saturni aut cerussa cum aqua appropriata mista, addendo parum camphoræ, optimè hic convenit; vel ex Saturno cum aceto destillato soluto, & Oleo rosaceo, fit mistura egregia in tali Gutta rosacea; item linimentum ex saccharo saturni cum succo sempervivi & plantaginis paratum, crebriùs illitum, in specie præmissis in graviori malo sanguisugis faciei per vices applicandis (vid. TIMÆUS *libr.6. Casu* 20. *p.*282.) vel scarificationibus auricularum ab Hartmanno commendatis. Porrò ceu expertum admodum sequens laudatur unguentum:

℞. *Piper.*

Zingiber. an.ʒj.

Sulphuris vivi ʒß.

Ungv. pomat. q.s.

M. pro Linimento: S.

Unguentum singulare.

Vel saccharum Saturni crebriùs in cella in liquorem resolutum cutim albam valdè reddit, si antea rubra pustulosa fuerit. His & aliis irritis tandem ad Mercurialia accedendum erit. Quò etiam pertinet Ol. tartari per deliq. in loco humido solutum; e.g.

℞. *Aquæ flor. fabar.*

Sigill. Salom.

Sperm. ranar. an.℥ij.

Ol. Tartari per deliq. ʒß.

Camph. cum spiritu vini solut. ℈j.

M. D. S.

Aqua mundificans singularis.

Occasione affectuum cutaneorum Cosmetica quædam polychresta ad cutim in faciei & aliis hactenus dictis cutaneis affectibus candidam, glabram & nitidam reddendam communicabo: Sit igitur

M E M B R U M XIV.

D E

C U T I S N I G R E D I N E.

NIGREDO CUTIS, in specie faciei & manuum, ab igne aut solis ardore contracta, tollitur cum aceto destillato; cui etiam simulante destillationem flores fabarum, liliorum alborum, jasmini, cerasi, radix sigilli Salomonis, Scrophulariæ infundi possunt. Melius & magis euporiston est succus citri, vel caro ejus succulenta, quæ affricando omnem cutis nigredinem tollit. Huc etiam camphora & Spiritus vini camphoratus pertinet: vel de essentia benzoes rubicunda instilletur aquæ communi, vel aquæ rosarum quantum velis, & fit liquor albicans lacteus, quo manè & vesperi abluantur facies & manus, permittendo ut sponte siccescant. Quidam cum emulsione, ex nucleis persicorum & amygdalis amaris, cum aqua spermatis ranarum, florum omnium, florum fabarum, &c. parata, cutim aut faciem lavant. Glabram & nitidam cutim imprimis reddit magisterium marcasitæ, vel cum unguento rosato vel pomato, aut pulveris formâ applicatum; undè v.g. sequens laudatur pulvis:

℞. *Amygd. amar. exc.*

Nucl. persic. exc.

Sem. papav. albi,

Rad. Ireos Flor.

Sigilli Salom. an.℥j.

M. f. l. a. pulvis: adde

Amyli,

Far. fabar.

Mag. marcas. an.℥j.

M. D. S.

Pulvis mundificans.

Huic, qui ferre possunt odorem, addi possunt

Moschi,

Zibe-

Zibethi an. gr. iv.

Vel

℞. *Sapon. Venet. rasi & exsicc.* ℔ß.
Nucl. persic.
Sem. papav. albi an. ℥ij.
M. f. l. a. pulvis:
cui adde
Amyli puriss. ℥iv.
Farin. fabar. vel *lupinor.*
Pulv. rad. Ireos Flor. an. ℥ij.
Probè mistis adde pro lubitu
Moschi opt.
Zibethi an. gr. viij.
D. S. *ut suprà*.

Usus est, ut tempore vespertino sub introitum lecti ʒj. vel ʒij. horum pulverum cum sequentibus aquis ad pultis formam humectentur, & facies, collum ac manus, aut loca pustulosa, leniter eodem illinantur; altero mane cum linteo, præfatâ aquâ humectato, denuo abluantur, & ita aliquandiu moderate continuentur.

Aqua in hunc usum fit:

℞. *Aquæ rad. scrophular.* ℥ij.
Flor. fabar.
Rosar. an. ℥iß.
Rad. lil. albor.
Sigill. Salom. an. ℥j.
M. D. S.
Aqua purgans ad pulverem.

Mixtura hæc cum pauxillo *olei tartari* per deliquium acui poterit.

Item:

℞. *Fecul. rad. bryon.*
Ari,
Sacch. Saturni,
Mercurii dulc. an. ʒß.
M. pro pulvere: S.
Pulvis purgans.

De hoc parum cum præfatis aquis humectetur; & dicto modo procedatur.

Delicatiores his non contenti, ad ipsum oleum talci provocant, quod tamen genuinum vix habetur, & quæ sub olei talci nomine venduntur, nil aliud sunt, quàm subtilissima talci calx in alcali quodam fixo obvelata, ad quod plerumque borrax, vel sal tartari expetitur: vid. *Pharmaceut. Colleg. in Schrœderum pag.* 810. Non inutiliter ergò loco hujus Oleum tartari per deliquium, cum aquis dictis dilutum, adhiberi potest.

Interdum sapones odorati cosmetici expetuntur à virginibus delicatis, quorum compositiones videbitis in Schrœdero, l. 2. p. 280. Vel

℞. *Sapon. Venet. rasi & exsicc.* ℔j.
Amygdal. amar. exc.
Nucl. persic. exc. an. ℥ij.
M. f. l. a. pulvis:
adde
Pulv. rad. ireos Flor.
Aron. an. ℥j.
Sal. tartari ʒß.
Cum s. q. *essent. benzoes cum spiritu rosar. parata*
f. l. a. Massa saponiformis;
addendo
Ambræ grif.
Moschi opt. ana *cum spir. rosar. sol.* ℈ß.
Zibethi gr. v.
Olei ligni rhodii gutt. xv. ad xx.
Formentur Globuli saponiformes, leviter exsiccandi.

Tandem fit adhuc fucus multis usibus dicatus:

℞. *Mercurii sublimati* ℥j.
bulliat in
Aquæ commun. ℔j.

quousque sentiatur aliqua acrimonia in lingua, hinc adde

Cerusſ. ℥iij.

Bulliant parum: Mixtura clarificetur cum *albumine ovi*, coletur, & usui servetur.

Sub usu agitetur crebrò.

MEMBRUM XV.
DE
PORRIGINE.

PORRIGO Capitis Affectus satis fœdus est, scorbuticis, lue Venerea affectis, & leprosis familiare.

CAUSA.

Causa est Acidum plus minus salsum, à sero tamen viscido & corrupto temperatum; quod in partibus capitis intercutaneis stagnans poros cutis obstruit, conglutinat, & sic insensibilem transpirationem impedit: unde propter Acidi hujus cum sero viscido combinationem non ulcuscula humida, uti aliàs ab Acido acriori in sero prædominante fieri solet, sed crustæ densiores, & densè subindè compactæ, & successivè lamellatim sibi invicem superstratæ, eveniunt, quæ successivè exsiccatæ furfurum instar decidunt.

CURA.

Internè conveniunt Purgationes Mercuriales, Noduli laxantes & sanguinem purificantes, similiaque remedia, quæ Scabiem & Serpiginem curant.

Externè usurpantur Lotiones capitis, singulis septimanis instituendæ: e. g.

℞. *Herb. abrotan.*
Betonic.
Malvæ.
Chelidon. major.
Saponar. an. M. j.
Rad. alth.
Lapathi acuti,
Bardan. an. ℥j.
Pisor. ℥iß.
Bacc. lauri.
Colocynth. an. ʒß.
Incisa & contusa coqu. in s. q. *lixivii.*
Colatura D. S.
Lixivium caput mundificans.

ARTICULUS VIII.
DE
CAPILLORUM VITIIS.

AD CAPILLORUM VITIA referuntur Calvities, Capillorum defluvium, Alopecia, Capillorum Tinea, & Plica Polonica. *Calvities* est, quando capilli in summo capite deciderint: *Capillorum defluvium* dicitur, quando hi undique copiosè decidunt: *Alopecia*, quando cutis nuda hinc inde conspicitur. *Tinea pilorum* dicitur, quando hi frustillatim decidunt: *Plica Polonica* verò est, quando capilli in cyrrhos contorquuntur, ut nullo ferè modo explicari possint.

MEMBRUM I.
DE
CALVITIE.

CALVITIES in pluribus malum hæreditarium est, quæ in juventute incipiens nullo modo curatur, nisi capillis factitiis pallietur. Aliàs ad Calvitiem præcavendam MYNSICHTIUS *in Armament. Chym.* Tincturam suam proprietatis commendat.

Externè præscribuntur Cucuphæ Aromaticæ, imprimis si Calvities à nutrimento vitioso oriatur.

MEMBRUM II.
DE
CAPILLORUM DEFLUVIO.

CAPILLORUM DEFLUVIUM frequenter Morbis Acutis supervenit, ubi convenit Decoctum rorismarini in Vino, vel *Unguentum* Bucretii, quo capilli flavi simul regenerantur.

℞. *Fol. Abrot. maris,*
Capill. Veneris an. M. j.
Favi mellis,
Ladani an. ℥j.
Myrtillor. ℥j.
Sem. fenugr.
Lini an. ℥iij.
Ol. Amygd. dulc.
Vini gener. an. ℔ij.

Factâ infusione per 24. horas, bulliant ad humiditatis consumptionem, hinc fiat expressio fortis.

D. S.
Unguentum ad Capillos.

Hoc ipso Lunâ crescente illinitur caput, quod sub decremento Lunæ ultimo blandè abluitur, hinc Vino rubro aut aliis austeriusculis irroratur, & hinc ulteriùs Linimentum continuatur.

Ad CANITIEM tollendam seu obvelandam convenit Luna in aqua forti soluta, & aquâ simplici probè diluta & temperata; qua capilli frequenter pectinentur. Quidam pectine plumbeo canos frequenter fricare jubent, donec nigredinem nanciscantur. LANGIUS lixivium betulæ, & BORELLUS *Cent.* 2. *Observ.* 2. sequens laudat:

℞. *Ciner. Clavell.* ℥ij.
Aquæ puræ ℔iv.

Bulliant ebullitione unâ tantum in vase æneo: in decoctione ab igne remota extingue
Calcis vivæ ℥iv.
Quâ extinctâ adde
Saturni usti,
Lithargyr. aur. an. ℥j.
Bulliant omnia simul bis vel ter.

MEMBRUM III.
DE
ALOPECIA.

IN ALOPECIA, præter purgationem Mercurialem, convenit Decoctum & essentia lignorum, essentia fumariæ, antimonium diaphoreticum, Martialia, & omnia sanguinem purificantia, *supra Art. 7. Membr. 1. & 2. in Scabie & Pruritu* laudata.

Externè commendatur Unguentum medicamentosum Mynsichtii, & unguentum nicotianæ, acuata cum Oleo Philosophorum, ceræ, saponis, ligni juniperini, &c.

MEMBRUM IV.
DE
PILORUM TINEA.

IN CAPILLORUM TINEA, Germ. *in den Mulben*, prodest lixivium, in quo pisa, fabæ, semen lupinorum, absinthium, centaurium minus, colocynthis, semen staphisagriæ, myrrha, &c. cocta; quo sæpius caput lavandum: sicut & capillorum extremitates forfice resecandæ.

MEMBRUM V.
DE
PLICA POLONICA.

DE PLICA POLONICA, Affectu apud nos rarissimo, videatur SENNERTUS *in Praxi l. 5. p. 3. sect. 2. c. 9. seq.* DAPHISONIUS *in Commentar. super Petri Severini Dani Ideam Medicinæ Paracelsi pag. 452.* & HERCULES SAXONIA.

Hæc de Vitiis Nutritionis læsæ. Pergo ad

SECTIONEM XVIII.
DE
SANGUINIS EX PARTIBUS REFLUXU VITIATO,
ET EXINDE ORTA INFLAMMATIONE,
tàm in genere, quàm in specie.

IN superiori Capite dictum, quod sanguis ex Corde distributus, in totum corpus & omnes ejus partes derivetur, ut in his partim nutritioni inserviat, partim in quibusdam certam fluidi separationem patiatur ad œconomiæ animalis integritatem maximè necessarii. Jam verò sanguis non perpetuò ibi hæret, sed uti per arterias influxit, ita per partes cribratus, naturaliter derivatur ex arteriis in venas, per venas denuo refluit ad cor: qui motus vocatur circularis, propterea quoniam instar circuli ad id terminat punctum, à quo inchoavit. Jam verò, si arteriæ plus devehunt, quàm venæ revehere possunt, læditur etiam distributio seu *motus circularis* per partes & vasa, unde plus minus vitiatur; idque vel

(1.) Quando sanguis in *parte quadam* hæret, stagnat, & in viis suis subsistit.

(2.) *Quando extra partem effunditur* in singularem corporis quandam cavitatem.

(3.) Quando sanguis planè extra corpus effunditur.

Sanguis ergo in suo motu impeditus & in quandam partem solidam depositus, stagnat & hæret in vasis capillaribus venosis, & partium spatiolis; vel in minori quanto, ita ut successivè insensibiliter evanescere & discuti possit, id quod fit in *Contusionibus*, & inde natis Suffusionibus, v. g. Casu ab alto; vel hæret & congeritur in majori quanto sanguis, unde uberiùs collectus sanguis mox excandescit, ac molestum caloris sensum in parte quadam sensili producit, donec sensim corruptus in pus vel saniem abeat: Unde prior mutatio vocatur INFLAMMATIO seu φλεγμονή; posterior verò ABSCESSUS seu APOSTEMA. Quando verò sanguis in corporis cavitatem quandam, humoribus naturaliter vacuam effusus, v. g. in pectus, vel cavum abdominis, ac ibidem collectus in pus mutatur, vocatur tunc EMPYEMA. Quod si sanguis planè extra corpus effundatur, generaliter fluxus sanguinis seu HÆMORRHAGIA vocatur; quod nomen licet in specie tribuatur sanguini ex naribus erumpenti, in genere tamen cuique sanguinis extra Corpus fluxui attribui debet, & etiam solet.

CAPUT I.
DE
SANGUINIS IN PARTE QUADAM STAGNATIONE.

ARTICULUS I.
DE
INFLAMMATIONE IN GENERE.

REfluxus igitur sanguinis quicunque impeditus successivè Inflammationem constituit; quia enim arteriasum

rum motus & per has sanguinis influxus est validus & impetuosus, ac propter canales arteriarum quintuplo crassiores ipsis venis sit interruptus, & omninò perpetuus, necessariò fit, ut dum perpetuò influit, non tamen debitè possit refluere, ut exinde in parte hæreat, hinc coacervetur, & coacervatus det Tumores, qui vocantur Inflammationes.

CAUSÆ.

Causa materialis proxima omnis Inflammationis est sanguis collectus & stagnans in parte quadam, ob impeditum suum ex arteriis in venas refluxum, ita, ut plus influat per arterias, quàm refluere valeat per venas. Stagnatio hîc in loco est nomen Metaphoricum, desumptum ab aquis, quæ plus ad partem fluunt, quàm refluere possunt; nihilque aliud est, quàm si sanguis influens non refluit, sed coacervatur: Nempe si qualibet pulsatione ℥ß. sanguinis per arteriam influat, sed ℈j. per venas saltem refluat, remanet ℈ß. qui stagnat, & dum continuatis pulsibus semper major majorque sanguinis hæret copia, sic necessariò oritur Inflammatio. Quod si verò in parte inflammata nihil omnino refluere queat, adeòque reciprocus spiritus insiti fiat motus, à quo sustentetur insitus, necessariò supervenit tandem gangræna, dum sanguis spiritu vitali influo privatus corrumpitur & putrescit, indeque pars, suppresso spiritu insito, emoritur.

Jam verò cum sanguis, qui dat inflammationem, sit materia rubra spirituosa & calida, ergò calefaciet partes, & pars necessariò exinde rubet: quia verò plus influit sanguinis, quàm refluit, dum ita stagnat & in parte hæret, necessariò pars intumescit, & cum à tumore distendantur partes fibrosæ, & hinc necessariò excitabitur dolor, & consequenter Inflammatio. Hæc ergo quatuor modo dicta pathemata seu symptomata in omni Inflammatione observabilia sunt; sunt enim *Signa Inflammationis pathognomonica* à *CELSO* enarrata, nempe *Calor* seu Ardor, *Rubor*, *Tumor*, & *Dolor*.

Cæterum DOLOR, qui adest, triplex in omni Inflammatione successivè observatur:

(1.) *Tensivus*,
(2.) *Pulsatorius*,
(3.) *Punctorius*.

Tensivus propter partes fibrosas & membranosas, à sanguine congesto & stagnante distentas & convulsas: *Pulsatilis* vel pulsativus, quia sanguis influens repercussionem patitur, à cujus influxionis & repercussionis impetu fit pulsationis sensus, & quidem à fibrarum, membranas arteriarum, per quas sanguinis motus debitus nonnihil impeditur, constituentium spasmo aut convulsiva tensione, hinc ad diastolen resistentia, unde evenit ut pulsationes sensiles percipiantur. *Punctorius*, qualis adest in omni inflammatione, ubi membranæ sunt affectæ; & licet hæ ipsæ nihil patiantur, tamen supervenit tandem dolor punctorius, dum suppuratur Inflammatio, & in abscessum degenerat, superveniens, ab acribus salinis acido salsis particulis, partes nerveas acicularum instar pungentibus.

Hæc omnibus manifesta sunt in parte externa visibili: Dolor pulsatorius verò in parte interna, adeoque invisibili, item interdum gravativus, ardor, & denique partis ordinaria functio læsa, inflammationem comitantur. Hinc observetur, quod quia omnis Inflammatio est in parte quadam determinata tanquam in Subjecto, semper hisce modò allegatis 4. Symptomatis, omni inflammationi communibus, subinde simul prodeunt aut accedunt peculiaria quædam symptomata, ex partis specialis Inflammatione, non morbi ratione, nata: Sic enim v.g. Inflammationi faucium *in Angina* simul deglutitio læsa & difficilis; in *Pleuritide* difficilis respiratio, ratione partis affectæ superveniunt. Et hæc symptomata propria superveniunt inflãmationibus, non qua talibus, sed quatenus Inflammatio hanc vel illam partem affligit, adeòque hujus partis Inflammatio speciale sibi symptoma adjunctum habet. Modò dicta quatuor symptomata in Inflammatione partis externæ sunt sensibilia, in interna verò non; unde cum sensu ardoris, doloris, &c. alia simul signa, v.g. febris ardens, conjungenda sunt: Sic in inflammatione pedis res clara est, & quatuor illa symptomata percipi possunt: si verò pars aliqua interna est affecta, tunc alia concurrentia signa conferenda sunt: Sic in visceribus inflammatis semper ponderis gravantis sensus seu *gravativus*, obtusus dolor, præter dicta simul accedit. Ponam exemplum: Quidam conqueritur de dolore gravativo in hypochondrio dextro unà cum insigni ardore istius regionis, pars ad tactum tumet, insigniter calet, & ad renitentiam quandam intumescit, interiùs dolor pulsatorius profundus, admodum molestus percipitur, tussicula adest inanis, difficilis nonnihil respiratio, febris continua acuta, &c. Hæc signa conjunctim arguunt adesse Inflammationem hepatis. Ergo hæc supervenientia posteriora signa innuunt partem, quam inflammatio ista obsideat.

CAUSA EFFICIENS, quare sanguis stagnet seu Inflammationum, est vel *externa* seu remota, vel *interna* seu proxima. CAUSÆ EXTERNÆ SEU REMOTÆ sunt variæ, quæ vasa angustando occasionem præbent, ut impediatur sanguinis motus; qualia sunt quæcunque, quæ vel partes & vasa arctè comprimunt, vel eadem angustant, vel quæ adstringunt, v.g. fortiores ligaturæ, & vincula injecta, luxationes, fracturæ, vulnera, ulcera, contusiones graviores, v.g. testium ex equitatione violenta, aut aliæ quæcunque res extraneæ violentæ: Sic spinæ post ossa fracta aut post cranium contusum altiùs eminentes semper Inflammationes inferunt. Itē repellentia ac adstringentia nunc inferunt, nunc exacerbant inflammationes. Interdum sola transpiratio à frigore intercepta inflammationem excitat. Sæpissimè fibrarum nevearum & tendinosarum dolorificæ crispationes, & contracturæ, & hinc natæ vasorum capillarium arctæ constrictiones, Inflammationem inferunt; hinc enim est, quod quibuscunque ferè doloribus, in specie fibrarum nervearum læsionibus, frequenter superveniant inflammationes, aliique tumores. Hæ siquidem irritatę spasmo convelluntur, quibus convulsis dura redditur pars, unde pori non transmittunt sanguinē, sed pars tumet & inflammatur: e.g. dolori *dentium ab acido, radicem* dentis nervum morsicante & vellicante, supervenit totius malę, & capitis ipsius affectus Inflammatorius, de quo vid. *infra l.2. Sect.2. cap.3. Art.2. ubi de Odontalg.* quia fibræ nervosæ & musculosæ vicinæ ex dolore per consensum affectæ se crispant, & levi quasi spasmo se contrahunt, quā crispaturā venæ, capillares coarctatæ liberum sanguini transitum denegant, unde postmodum tumor & *inflammatio* supervenit: Hinc & in arthritide & simili causa tumor inflammatorius, utplurimùm erysipelaceus, supervenit; item in punctura vespæ, aut intrusione spinæ. Talis tumor non est causa affectus, sed potiùs effectus, seu productum ejus & consequens doloris, & dependet ex crispatione fibrosarum partium. Unde ridicula est ea Cura, quæ ad tumorem, tanquam affectum, dirigitur. Qui enim tales tumores simpliciter curant, ad posterius Curam dirigunt; è contrà modò causa dolorifica removeatur, ipseque dolor sistatur, omnis tumor & præcavetur, & incipiens mox denuò curatur.

CAUSÆ INTERNÆ sunt in sanguine ipso influente, nempe sanguinis motus circularis æquabilis ineptitudo per quævis vasa capillaria; vel est in parte recipiente vitium, nempe quodcunque illud, cujus occasione viæ & partes angustatæ ineptæ fiant, ut sanguinem debitè non transmittant.

Sanguis ad motum circularem ineptus est duplici modo:

1. Quando nimis est viscidus & crassus, ob seri defectum ejusque nimiam absumptionem, quod tamen rariùs evenit; aut propter chyli crudioris ac glutinosioris seu pituitæ viscidæ congestionem.
2. Quando idem sanguis nonnihil congrumatus aut quasi semicogulatus in quodam loco sistitur, & coacervatur, hinc ita subsistit & inflammationem ita infert.

Dispositio hæc ad grumescentiam sanguinis oritur ab acido quodam vitioso occulto, & nimis excessivè sanguini permisto: quippe per experientiam cognitum, hoc potenter coagulare sanguinem, ita quidem, ut quò plus peccet acidum, eò magis sanguis ad grumescentiam disponatur; sive lympha nimis acida, sive res quædam externa, sive aliud quid, ipsi acorem imprimat. Quod confirmatur non tantum per experientiam, dum sanguis in liquorem acidum immittitur, sed etiam ex infusione liquoris acidi in venam canis. Hinc enim omnes inflammationes erysipelaceæ ex grumescentia aliquali sanguinis, facta ab acido occulto, inducento tales coagulationes, originem ducunt: Hinc v.g. à subitaneo frigore, post nimium corporis motum ac incalescentiam, partibus internis subitò communicato, subitò quoq; spissatur & condensatur sanguis calidus, nimis attenuatus ac resolutus, unde internæ inflammationes, in specie pleuritis & angina: hinc expositio corporis concalefacti aeri frigidiori, immersio ejus in aquam frigidam, sanguinem ad sui coagu-

tu ab alcali solutum; exinde enim emergit color lacteus. Illustrabo: v.g. si sulphur aut pinguendo quæcunque solvatur ab alcali fixo vel volatili, emergit solutio rubra; huic autem si instillatur acidum, dat præcipitatum lacteum. Jam similiter se habet Massa sanguinea: si solvens plùs minus dominatur alcali, emergit rubedo, quæ præcipitata per acidum, colorem album exhibet, & ita effervescentia cessat, quâ cessante, in sal tertium, scilicet salsum, mutata sunt ambo, & tunc perfecta est suppuratio, quâ evacuatâ, cavitas remanet in parte, vocata apostema seu Abscessus. Confer. hic SYLVIUS l. 1. Prax. ubi de Inflamm. item BECKIUS de Experim. circa Rer. natur. Princ. p. 46 Crassum est pus, quatenus ipse sanguis, ex quo ortum est, plus minus fuit crassus.

ARDOR, qui in inflammatione perquam sensibilis, est ex acidi volatilis motu concitatiori; adeoque pro hujus plus minus acrioris cum alcali, etiam plus minus acriori, plus minus factâ effervescentiâ majori cætera symptomata, *Ardor, Rosio, Punctio, &c.* plus minus intendi quoque solent. Idem acor vitiosus, sive sanguinem purum coagulando ad inflammationem disponat, sivè inflammationi ex alia causa obortæ superveniat, effervescendo in tota Massa sanguinea cum ejus sale volatili causa est adjunctæ *febris continuæ ardentis symptomaticæ*, qualis in omni inflammatione interna adest, & est *tàm acuta*, ut in inflammationibus partium internarum à causa interna enatis, v.g. in Pleuritide, Hepatitide, &c. *quàm lenta*, superveniens nempè inflammationibus partium quarundam externarum à causa externa subortis, v.g. in inflammatione mammæ ex lactis grumis, &c.

Dividunt vulgò *inflammationes* in *legitimas* & *illegitimas*. *Illas*, quando sanguis benè constitutus Inflammationes excitat; *Has* verò seu illegitimas in *biliosas*, *pituitosas*, *melancholicas*, &c. dispescunt, non propter tales humores sanguini permistos, sed propter variam sanguinis crasin, ac inde natam temperiem, de qua in *Physiol. de Temperam. cap. 2. p. 74. & 75.*

DIAGNOSIS.

SIGNA INFLAMMATIONUM *suprà* sunt recensita: nempè

1. Tumor renitens ad tactum.
2. Rubor.
3. Calor seu Ardor ægrum, ac attrectantis manum afficiens.
4. Dolor urens, tensivus, pulsatilis, punctorius, & etiam gravativus, dum pars à sanguine distenditur, & gravando distendit partes, quibus est annexa: & quibus denique semper accedit febris, sivè symptomatica sive comitata, plus minus acuta, conjuncta cum inflãmationibus à causa interna excitatis.

Satis per se patent hæc signa in parte visibili, in invisibili verò parte dolor pulsatorius ardor, febris, & denique partis ordinaria functio plus minùs læsa Inflammationem innuunt: quibus in specie accedunt signa unicuique parti læsæ seu inflammatæ propria & specialia, quæ nempè aliter se habent in faucibus, aliter in pleura, aliter in pulmonibus, aliter in ventriculo inflammatis.

Signa particularum Inflammationum *inferiùs suo loco* habebimus.

PROGNOSIS.

Inflammatio vel sua sponte recurrit, vel non recurrit: *Illud*, quando sanguis nondum perfectè extravasatus aut congrumatus fuit, quin relaxatis fibris aut apertis poris idem stagnare incipiens denuo per venas regurgitat, sivè purus fuerit, sive sordibus heterogeneis, in quandam partem depositis, & ita inflammationem occasionaliter inferentibus permistus; id quòd probè notandum est in tumoribus partium criticis semper cum inflammatione junctis: *Dum non recurrit* Inflammatio, omnis in genere, vel discutitur, vel suppuratur, vel scirrhescit, vel gangrænescit.

Undè Inflammationis Prognosis duo involvit: *Eventum* ipsum, & *morbi Tempora*. *Eventus* observatur bonus & malus: *Bonus* scilicèt, si inflammatio seu materia peccans vel insensibiliter discutiatur & planè dissolvatur (id quod fit imprimis ab operante & prædominante alcali, dissolvente sanguinem grumosum) & ita, vel in alia vasa remeet, vel insensibiliter transpiret; & est optimus & brevior finiendi modus, & inflammationi exiliori non adeò profundæ & quæ à causa externa magis dependet frequens est: hinc est iste, quando sanguis ille extravasatus non resolutus suppuratur, & abit in abscessum; id quod fit ex aliquali motu fermentativo acidi & alcali, quæ ambo coeunt in salsum tertium: *Malus*; & quidem *toti* aliisvè membris si evanescat quidem, & insensibiliter resolvatur inflammatio, cum aliorum tamen symptomatum accessu atque incremento; *parti verò affectæ*, si in gangrænam aut scirrhum abeat. Nam ab acido nimis inspissante abundante & prædominante sanguis in tumorem penitus induratur ac in scirrhum abit, quod malum est propter tumorem contumacissimum & curatu difficilem; nisi enim scirrhi cautè & leniter tractentur humores tales effervescentiam concipiunt, & facilè in cancrum exulceratum degenerant, cùm cancer occultus & scirrhus dolens in paucis differant. Inflammatio verò ista, quæ ex omnimodo sanguinis, & spirituum in parte motu impedito, & ita ejus mortificatione ac destructione in Gangrænam abit, omnium periculosissima & pessima est, dum acido vitali spirituoso destructo sanguis & pars in putredinem dilabuntur.

Aliàs *eventus boni & mali signa* quoque petuntur

1. A *Subiecto*, cujus intuitu Inflammatio in juvenibus, & bonæ constitutionis hominibus, in parte externa & carnosa, minùs periculosa ac in senioribus ac cachecticis, in visceribus & membris nerveis, existit.
2. A *Magnitudine*, cujus ratione major & ampla Inflammatio plus periculi, quàm minor, involvit.
3. A *Tempore & Loco*, quorum intuitu graviores, quæ anni tempore fervidiore & in regione calidiore, quàm quæ in aere & locis temperatis aut frigidioribus emergunt.

Tempora Inflammationis quod spectat: *principium* ejus dicitur, ubi tumor, dolor, atque extensio adhuc exilior; quæ symptomata si augeantur, *Augmentum* morbi dicitur: quemadmodum *Status*, si cuncta fuerint vehementissima; & *Declinatio*, si symptomata remittant, siue cum materiæ insensibili discussione siue suppuratione hoc fiat. Quę tempora modò longiora modò breviora sunt, adeò ut nonnullæ Inflammationes citiùs, aliæ tardiùs terminentur, tam pro diversitate materiæ, quàm partis affectæ. Nam quæ à sanguine viscidiore, atque crassiore dependet Inflammatio, tardiùs; quę à tenuiore & fervidiore, citiùs; pariter, quæ in partibus carnosis, faciliùs, quæ in tendinosis, difficilius curatur, & lento magis motu progreditur.

CURA.

Positis his fundamentis facilis est accessus *ad* CURAM, pro qua in omni Inflammatione in genere observandum est, ut sanguinis stagnatio tollatur & motus naturalis & circularis restituatur in integrum; id quod fit, vel impedimenta quævis externa, sanguinis motum intrinsecùs inhibentia, *removendo*, vel internè sanguinis grumescentiam crassiorem & acescentiam *corrigendo*, sive eadem fiens præcaveatur, sivè eadem jam facta resolvatur.

Adeoque quoad has

I. Sanguinis tenuitas & fluiditas conservanda, & circulus ejus concitatior reddendus per SUDORIFERA, præsertim alcalinæ naturę, tam *fixa* quàm *volatilia*: *Illa* acidum, sanguinem plus minùs coagulans, absorbentia: *hæc* eundem positivè dissolventia & attenuantia, expectato sudore, optimè conducunt.

II. Fermentum vitiosum acidum in parte affecta corrigendum, aut quodvis aliud heterogeneum removendum; id quòd tàm *interna* quàm *externa* præstant.

Interna sunt *Absorbentia fixa*, aut *penetrantia volatilia* cum sudore administrata; adeoque sudorifera, ac sudorem procurando, Inflammationibus quibusvis conducunt. Jam verò patet, quòd in inflammatione ab acido interno orta, tam præservativè quàm curativè nil meliùs conferat, quàm ea remedia, quæ sanguinem viscidum & grumosum attenuare ac resolvere, acescentem corrigere, & ita eundem mobiliorem & fluidiorem denuò facere, naturalemque motum ipsi restituere possunt. Hinc sudorifera, & omnia aliàs ad casum ab alto commendata, optima erunt in curationibus omnium Inflammationum, tàm internarum quàm externarum, in specie erysipelacearum. Præ cæteris autem ea sudorifera conducunt, quæ sanguinem grumosum speciatim resolvere valent; sub omni enim sudore acidum imminuitur, sanguis tenuior ac fluidior redditur,

& ſic in naturalem circulum rapidiùs magis concitatur; vnde in omni ſudore pulſus eſt frequentior ac robuſtior, & percipitur, ut vocant, undoſus: Hinc facilè patet, quod hic ſudorifera præ cæteris conveniant.

Hæc inter autem ſudorifera, ſalia volatilia imprimis palmam obtinent, utpotè cùm omnia hæc egregiam potentiã habeant coagulata & conglutinata omnia in corpore humano diſſolvendi, eademq; ad debitam fluiditatẽ deducendi, ſimulque ſudorem movendi. Hinc eſt, quod exhibito tempeſtivè in principio morbi unico ſudorifero, ex ſalibus volatilibus aut ſimilibus parato, ſæpius Pleuritides abſque ulla venæ ſectione in Inflammationibus minoribus, & ſubjectis non adeò plethoricis citò, tutò & jucundè curatæ fuerint. Id quod ſimiliter de omnibus aliis inflammationibus intelligendum; horũ nempè medio ſanguis diſcutitur partim, partim in naturales alveos deducitur. Ubi hoc, nempè inſenſibilis diſcuſſio, obtineri nequit per ſola ſudorifera, ſed inflammatio perſiſtit, tunc ad ſecundum ſcopum accedendum; nempè externis diſcutientibus ſeu aromaticis carminantibus, ſale volatili temperato conſtantibus, applicatis diſſipanda eſt Inflammatio. Quod ſi verò nec hæc ſufficiant, tertius ſcopus in auxilium vocandus, & ſuppurantibus & maturantibus ſanguinis extravaſati ac coagulati in pus tranſmutatio maturè promovenda, & denique factus abſceſſus aperiendus, mundificandus & conſolidandus. Interim cum bini hi ſcopi ad Chirurgiam ſpectent, ideò eos infra tractabimus.

Inter remedia ergo interna, ad Inflammationes in genere proficua, nullo modo conveniunt purgantia, niſi (ceu jurati ſervi ſemper, ubi nempè neque morbus, neque ſymptoma urget, univerſalia præmittere velimus) interdum primas vias propter junctam ſæpius febrem ſimpliciter blandè evacuare velimus. Alvo tamen in curſu morbi adſtrictâ Clyſteres injiciantur ex *ſero lactis* cum ℥iß. vel ℥ij. *mellis*:

Vel

℞. *Flor. chamomill.* M. ij.
Coqv. in ſ. q. *ſeri lactis*:
Colaturæ ℥viij. vel ix. adde
Butyr. rec. cum vitello ovi ſolut ℥j.
Mellis ℥iß.
M. f. Enema: S.
Clyſter abluens.

Quin potiùs Sudorifera alcalia blanda, quæ ſanguinem congrumatum reſolvunt, ejuſque circulum reſtituunt, huc faciunt. Unde omnia illa, quæ aliàs in *ſpecie ad pleuritidem*, ceu frequentiſſimam internam Inflammationis ſpeciem, commendantur, & infrà declarabuntur, ſimiliter in omni Inflammatione in genere conveniunt; ob id in ſpecie utilia dixi ſalia volatilia, quæ inter ſunt: *ſpiritus tartari*, *ſpiritus ſalis ammoniaci*, *urinæ*, & ſal volatile cornu cervi, ſanguinis humani, oſſ. humanorum, & ſimilia. Item huc pertinent alia tali alcali occulto imprægnata concreta, acidum potenter abſorbentia, v. g. animalium partes duræ, ut *lapilli cancrorum*, *mandibulæ lucii piſcis*, *dens apri*, *cornu cervi* ſine igne præparatum, *ebur* ſine igne, *unicornu*, *lap. carpionum* &c. quibus adde ſulphur, & *ſulphurea mineralia*, & metallica fixata, præſertim *antimonialia*, quę acidum quodcunque in corpore deſtruunt & ſudorifera ſunt, quę inter primatum obtinet v. g. *antimonium diaphoreticum*, item *Bezoardicum minerale*, tam ſimplex quàm compoſitum, & ſimilia: Quin & modò dictis addenda Theriaca; ſpiritus theriacalis, tàm ſimplex quàm camphoratus, *liquor cornu cervi ſuccinatus*, in ſpecie ratione camphorę *Mixtura ſimplex* & *tinctura Bezoardica* à ʒß. ad ʒj. in principio inflammationis propinanda, præſertim ſi oriatur iſta ex ſubitaneo corporis frigore quocunque poſt nimium ejus æſtum; tales enim Inflammationes citò, tutò, & potenter diſſipat. Faciunt quoque huc omnes *pulveres Bezoardici* vulgò dicti, *Sennerti & quicunque alii*, utpotè quorum ingredientia non tantum Acidum abſorbendo & temperando, ſed & ſudorem excitando, ſuo modo Inflammationes ſiſtere ſolent.

His omnibus ſimul adduntur *ſperma ceti*, ac cancrorum lapilli cum aceto aſſumpti, & omnia vegetabilia vulneraria, alcali plus minus occulto temperato prædita, ſanguinem congrumatum reſolventia, v. g. ea, quæ ex chæreſolio, bellide minore, flore ſambuci, mentha, ſcabioſa, papavere rhœados (quorum tincturæ in Julepis) fiunt remedia: uti etiam remedia ex ſambuco, quia hic eſt egregius in eryſipelate; ſuperiùs enim monui, omnes inflammationes internas ſemper eſſe de natura eryſipelatum, adeoque florum ſambuci ſpiritus, baccarum ſambuci eſſentia & rob, nec non ex variis plantis antiſcorbuticis aut ſimilibus acribus partibus petita remedia, qualia ſunt ex naſturtii ſpeciebus, cochlearia, ex eryſimo & ſimilibus parata conducunt. Præ cæteris *ſpiritus nitri dulcis*, in ſpecie cũ ſpiritu florum ſambuci per fermentationem paratus, ad ʒß. in aqua chæreſolii cum ſyr. papav. rhœados propinatus, ceu appropriatum remedium ſudoriferum in Inflammationibus quibuſcunque internis, præſertim quando febris ardens acuta ſimul urgeat, inprimis in Angina & Pleuritide ſimilibuſque, admodum eſt commendatum remedium, imprimis tamen in Angina; quin & omnia *nitrata*, ratione febris conjunctæ conveniunt, in ſpecie tàm *nitrum* depuratum, quàm *nitrum antimoniatum*, à præparatione & edulcoratione antimonij diaphoretici, Antihectici Poterii relictum, in potu ordinario diſſolutum, idque plus minus copioſè, prout neceſſarium fuerit. Exempli gratiâ paucas formulas ſubminiſtrabo, quibus internæ quæcunque Inflammationes quarumcunque partium facilè ſiſti & tolli poſſunt: v. g.

℞. *Aquæ ſcabioſ.* vel *fumar.*
Flor. ſambuc. an. ℥iß.
Spiritus Theriacal. ſimpl. vel *camph.* ʒiij.
Dent. apri præp. ℈j. vel ʒj.
Sal. vol. cornu cervi gr. xv. ad ℈j.
Syr. ſcabioſ. vel *violar.* ʒvj. vel ℥j.
M. pro duabus vel tribus doſibus: S.
Mixtura diſſolvens pro aliquot vicibus.

Uſurpetur pro ſcopo ſudorifero in principio Inflammationum, habitâ ratione Venæ Sectionis.

Quibus etiam pro circumſtantiarum ratione *Opiata* addi poſſunt. Aut hujus loco

℞. *Unicorn. veri præp.* vel *foſſil.*
Maxill. luc. piſc.
Cornu cervi ſine igne an. ℈j.
Sal. vol. Cornu Cervi gr. xv.
Laud. opiat. gr. ij. vel iij.
M. pro duabus vel tribus doſ. in hauſtulo vini capiendis, expectando ſudorem. S.
Pulvis diſſolvens.

Vel loco horum, ac in *Incremento* Inflammationum, ubi ardor & calor urget,

℞. *Aqu. Flor. ſambuc.*
Chæref ol.
Papav. errat. an. ℥j.
Aceti ſambuc. ʒiij. vel ℥ß.
Maxill. luc. piſc. ℈ij.
Lapill. cancr. præp. ℈j. ad ʒß.
Syr. papav. errat. ℥j.
M. pro duabus vel tribus doſ. expectando ſudorem: S.
Mixtura refrigerans & diſſolvens pro aliquot vicibus.

℞. *Aquæ flor. ſambuc.*
Card. bened. an. ℥iß.
Aceti ſambuc. ʒvj.
Maxill. luc. piſc. ℈ij.
Lap. cancr. præp. ʒß.
Syr. papav. rhœad. vel *rubi idæi* ʒvj.
M. pro duabus doſibus: S.
Mixtura refrigerans & diſſolvens pro duabus vicibus.

Notandum: cõſultò his Mixturis additur acetum; licet enim illud cum lapillis cancrorum efferveſcat, non tamen penitus ſaturatur, ſed hoc ipſo lixivii naturam aſſumunt, & in ſaporem urinoſum mutantur, ut dicit HELMONTIUS, ac potentiùs vitioſa acida abſorbere, ſanguinemque grumoſum mediante ſudore diſſolvere valent, uti SYLVIUS teſtatur, ſe habere ex HELMONTIO; id quod probatur: ſi enim acetum marinis affunditur, hæc longè meliùs operantur, quàm ſi ſolitariè aſſumerentur.

Vel

℞. *Lap. cancr. præp.* ℈ij.
Ebor. ſine igne ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. pulvis pro duabus doſ. in hauſtu *Vini Rhenani* aſſumendis, vel in parvo cochleari *aceti*, expectando ſudorem. S.
Pulvis diſſolvens.

In *Progreſſu* vel *Statu* morbi, & imprimis quando nimis urget juncta febris acuta,

℞. *Aquæ flor. ſamb.*
Card. bened. an. ℥iß. ad ℥ij.
Antimonii diaphor. ʒj.
Syr. card. bened. aut *papav. errat.* vel *acetoſ. Citri* ℥j.

Spiritus

Spiritus nitri dulc. q. s. p. grato sapore:
M. f. potio, S.
Potio confortativa refrigerans.

Capiatur subinde cochleatim, vel pro duabus dosibus, observando, ut quantum possibile, corpus in madore conservetur; & inflammationes per sudorem curat, & junctæ febri optimè resistit.

Sub sudoris defectu Opiata non negligenda sunt, quæ figendo spirituum impetum, & hinc fibrarum nervearum solvendo stricturam, multum promovent sudorem.

Loco potionum istarum, in inflammationum incremento laudatarum, commodè etiam *Mistura theriacalis ex theriaca & aceto, supra Sect. 15. ubi de febribus malignis*, insinuata, usurpari potest. Hisce formulis junguntur binæ istæ Misturæ, quas habet SYLVIUS *in sua Praxi l. 1. c. 40 §. 28.* in Inflammationibus, quæ certè sunt egregiæ, & quibus sæpius Pleuritides, Peripneumonias, & similes affectus & præservavit & curavit.

℞. *Aquæ petrosel.*
Hyssop.
Fœnicul. ana ℥j.
Theriacal. simpl. ℥ß.
Spiritus sal. ammoniaci ʒß. (prout fortis vel debilis)
Laud. opiat. gr. iv. (ratione febris & inquietudinis)
Syr. papav. errat. ℥j.
Misc.

Hæc ipsa Mixtura subindè cochleatim brevi tempore est haurienda, & æger benè contegendus, expectando blandum sudorem.

Misturam alteram videb. *l. a. §. 43.* quæ sanguinem congrumatum resolvit, & resolutum partim dissipat, partim in naturalem crasin reducit:

℞. *Aquæ hyssopi,*
Fœnicul. an. ℥ij.
Aceti destillati ʒvj.
Spiritus vini rectif. vel *theriacal.* vel *cujusvis aromatici* ℥ß.
Lap. Cancr. præp. ʒj.
Sperm. ceti,
Mumiæ ana ℈j.
Laud. opiat. gr. iv.
Syr. de quinque radic. ℥j. ad ℥iß.
Misc. pro potione.

Hujus Misturæ assumat sæpius æger cochlear unum vel alterum; cujus ope non tantum impeditur sanguinis effusi concretio, sed partes ipsius crassiores inciduntur, attenuabunturque paulatim; tenuiores autem unà cum sudore aut insensibili transpiratione discutientur: qua sola in tempore usurpata periculosas inflammationes curasse gloriatur SYLVIUS.

Et tales Misturæ ex fixis cum acidis sunt ipsi in frequentissimo & satis felici usu: quin temperatis ejusdem partibus acrioribus dolor lenietur, tandemque in totum tolletur; ipsaque adeò solvetur ac dissolvetur obstructio: quali solâ in principio atque diligenter usurpatâ curatæ sunt non semel incipientes pleuritides ac peripneumoniæ, aliarumque partium inflammationes satis graves, atque anxietatibus doloribusvè acutis molestæ.

Et hactenus dicta pro quibuslibet sufficient Inflammationibus.

Fiunt etiam non raro *Emulsiones*, internè contra Inflammationes sub morbi statu multum proficuæ, *ex seminibus cardui bened. & Mariæ cum aqua papaveris erratici* paratæ, quibus adhuc addũtur appropriata, antimonium diaph., sperma ceti, & similia *suprà dicta*; quæ etiam ad Inflammationes, speciatim partium pectoris, sunt admodum proficua. Quod si Inflammationes sint erysipelaceæ, imprimis adhibendum simul Rob sambuci, quibusvis formulis additum; aut pro vehiculo pulverum usurpandum, ceu appropriatissimum erysipelatis remedium; præsertim quando motus naturæ excretorius deficit, nec debitè erysipelas efflorescere potest, tunc loco stimuli usurpatum Rob optimum est. Plura *de erysipelate* tradam *in Chirurgia Medica*. Porrò pro dictis scopis observandum, solenne ferè esse in omni Inflammatione ingruente aut præsente venę sectionem instituere; & rectè quidem; eamque subinde aliquoties repetere, idque *secundùm revulsionis, aversionis & diversionis* leges & fundamenta alibi explicata. Nempè ubi cæteræ respondent circumstantiæ, aut etiam morbi inflammatorii partium plus minùs venæ sectionem urgent, administranda venæ sectio *ventilatoria*, seu, ut vocant, pro scopo revulsionum & derivationum; (de venæ sectione revulsoria & derivatoria dixi *suprà in Prolegom. cap. 3. Artic. 1.* videatur etiam HIGMORUS *disquis. Anatom. Corp. Hum. p. 150.*) quòd reverà suum locum adhuc obtinet, debitis ac selectis in locis instituta, absque tamen nimio ejus secundùm alias nationes abusu, in casu quando nimis urgent Inflammatio, & morbus admodum acutus videtur, in tali casu mox in principio vel ante, vel post sudorem prolicitum, convenit sanguinem mittere per venæ sectionem, ut imminuto nonnihil sanguinis quanto, faciliùs in loco stagnationis seu Inflammationis per vicinos ramos distribui, & ita incrementum nimium Inflammationis præcaveri possit; ita quidem, ut pro scopo revulsionis secetur in regione respectu cordis opposita, in principio sc. Inflammationis; pro scopo verò aversionis secetur vena in regione respectu Inflammationis eadem, sed loco paulò remotiore, in incremento nempè; pro scopo verò derivatorio secetur vena in loco inflammationis proximo, isto nempè, per quem ordinariò sanguis stagnans refluere deberet, in statu nempè: utut non semper venę sectio necessaria sit, nisi in insigni Plethora, aut iis, qui consuetudine se manciparunt, ut statuto tempore inanes instituant venę sectiones. Aliàs ingruente Inflammatione repetiti sudores per remedia appropriata, sanguinem congrumatum resolventia, & discutientia, subinde quibusvis sanguinis detractionibus præferendi sunt. In principio Inflammationũ, tam internarum quàm externarum, suadent applicare remedia *repellentia*, quibus volunt sanguinem stagnantem denuò repellere, vel urgere, ut retrocedat, id est, volunt sanguinem movere à termino ad quem ad terminum à quo. *Repellentia* autem sic dicta, partim impossibilia, partim sæpè nociva esse, ex hactenus dictis patet: Nam stante sanguinis circulo, impossibile est sanguinem, qui per arteriam influit, per eandem ex loco stagnationis repellere: Nociva autem sunt, quia Repellentia quæcunque, ordinariò ex refrigerantibus aut acidis, aut adstringentibus, & similibus composita, sæpissimè Inflammationes reddunt deteriores, aut ad scirrhos vel etiam ad gangrænam disponere solent: Id quòd imprimis in erysipelatibus notum est, in quibus curandis cautiores sunt mulierculæ, quàm Chirurgi, qui omnia humida prohibent, quorum timor sanè est inanis, cùm spiritus vini, sperma ranarum, & similia tutò applicentur erysipelati. Verùm, quoniam experientia eas docuit, quòd humida, quæ Chirurgi applicant, sæpiùs deteriora reddunt erysipelata, & omnes inflammationes, quia semper habent Adstringentia, quæ sanguinem antea stagnantem magis coagulant magisque congrumant, & erysipelata in ulcera deterrima transmutant, quæ sunt frequentissima in Gallia propter talem Chirurgorum inertiam; quare cautiores mulieres omnia prohibent aquosa ceu Repellentia, quæ sive sint sicca sive humida, semper tamen ex adstrigentibus, ut flor. balaustiorum, corticibus capparum & similibus, sunt composita. Certè natura morbi contrarium vult: nam ubi stagnat sanguis, ibi partis tumor; ubi partis tumor, ibi angustia vasorum sanguinis; ubi major angustia, ibi eadem non per Repellentia aut similia est augenda, quin potiùs per discutientia aromatica, quantum fieri potest, eadem minuenda, ut materia concreta possit promoveri & removeri. His autem frustraneis, suppurantia & emollientia externè applicanda sunt inflammationibus. Maximoperè ergo fugienda sunt omnia Repellentia & similia, quæ vulgò, utut perperam, Inflammationibus applicantur. *Intercipientia* quod attinet, seu sic vulgò dicta Defensiva, subinde sunt tolerabilia: sunt autem talia, quæ fermenti acidi vim aut progressum, absorbendo istud aut corrigendo, emendare possunt. Sed de his alibi.

EXTERNA sunt ea, quæ
1. Acidum absorbent, ut saturnina & alcalina.
2. Sanguinem vi aromaticâ alcalinâ dissolvunt, & ita inflammationem discutiunt.
3. Quæ temperando mutuum salium effervescentium concursum, suppurationem adjuvant. Quo facto
4. Abscessus aperiendus, ulcus mundandum, hinc consolidandum.

Mundificatio fit exacta, ne tantillum fermenti in ulcere corruptivi residuum recidivas inferre possit. Sed de his externis *suo loco in Chirurgia Medica*.

AR-

ARTICULUS II.
DE
INFLAMMATIONE FAUCIUM.

QUod speciales jam attinet Inflammationes, occupant hæ vel partes *internas*, vel *externas*; omnes enim corporis partes, ossibus exceptis, inflammari possunt, quippe his parum sanguinis advehitur. Internas ordine pertractabimus, externas Chirurgiæ relinquendo. Inter Internas autem Inflammationes se offerunt primò, quando partes faucium internæ, sæpè etiam cum externis, nempè pharynx cum summitate gulæ; Larynx cum aspera arteria; fauces nec non tonsillæ in isthmo faucium sitæ; Uvula; interdum denique musculi faucium & gulæ; musculi laryngis motui dicati, & similes partes vicinæ inflammantur. Inflammatio musculorum colli, in specie laryngis & gulæ, ordinariò nomine ANGINA appellari solet, quę ita dicitur ab angendo, à Gręco ἄγχω, strangulo, suffoco. Ab Angina autem excipitur tonsillarum inflammatio, quæ ferè notha existit, ac aliàs speciali nomine caret. Angina Barbaris aliàs Squinantia, Germanicè *das Hals geschwur* appellatur. Malè, Prunella, Germ. *die Braune*, quibusdam dicitur, cum linguæ saltem ardor, & symptoma sit, & simul quodammodo faucium, in febribus ardentibus familiaris, de qua suprà suo loco actum. De faucium tamen omnibus ac partium huc pertinentium inflammationibus, cum habeant communem medendi rationem, *conjunctim* agere placet.

Quoad

ANGINAM

ergò, Fauces afficiuntur in hac ipsa, i. e. ea pars colli imprimis, quam constituit pharynx seu gulæ musculosæ expansio, & larynx seu caput asperæ arteriæ. Etsi enim utplurimum utraque pars, tàm pharynx quàm larynx, adeoque utriusque partis musculi, tàm interni quàm externi, utut nunc una pars magis, altera minùs inflammentur; tamen pro majori acribiâ theoreticâ Angina à *GALENO* & *TRALLIANO* in quatuor *species* seu differentias, *utut saltem speculativas*, non autem Practicas, curioso nimis, ut Galenus loquitur, verborum aucupio dividitur, nempè

1. In SYNANCHEN, quando interni faucium seu Pharyngis musculi inflammantur.
2. In PARASYNANCHEN, quando externi faucium seu pharyngis musculi affecti sunt.
3. In CYNANCHEN, in qua internæ laryngis partes sunt inflammatæ; &
4. In PARACYNANCHEN, quando exteriores laryngis & gutturis musculi sunt inflammati:

De quibus vid. *SENNERTUS l.2. Tr. P.1. cap.24. pag. 95. ubi de Angina.*

Circa quas observandum est, in Cynanche sæpiùs simul pulmones plus minùs esse affectos, & non solùm internos laryngis musculos, unde etiam tunc temporis tàm insignes respirandi difficultates solent adesse, quales in Peripneumonia interdum contingunt, adeò, ut ægri canum more ore hiante respirent: vid. *DECKERS in Barbette Prax. p.47.*

FORMALITAS Anginæ consistit in inflammatione, quę nihil aliud, quàm sanguinis motus retrogradus ex partibus impeditus seu stagnatio est, unde intumescentia laryngis atque pharyngis, respirationem atque deglutitionem notabiliter lędens, nullo aliàs in pulmonibus ac thorace existente vitio.

CAUSÆ.

CAUSÆ EXTERNÆ crebriores, quæ in specie Anginam inducunt, præter eas *generales*, quæ communes sunt reliquis inflammationibus, sunt res ineptæ degluitæ, quæ in faucibus hærent, & vel nimiâ mole eas angustando, & ita vasa comprimendo, vel pungendo, vel acrimoniâ nimiopere eas irritando, ad fibrarum contracturam, & ad successivas inflammationes, hinc Anginam, disponunt. Sic à *spina piscis* in faucibus hærente, it. *ex partibus vitri devoratis* & faucibus infixis, Inflammationes, & tandem abscessus faucium & gulæ notarunt *SCHENCKIUS* aliique Practici: Ex *potu* aquę fortis aut similium liquorum corrosivorum, inflammatas non rarò fauces & gulam esse, res per se est nota. Imprimis *Inspirata*, ut Aer externus, immediato contactu hęc loca irritantia, & lædentia, multum conferunt. Ex simili, sed singulari, inspiratorum vitio, *epidemica* oriuntur hæc mala, ut plurimum *maligna*, cùm non saltem miasma morbosum inspiratum in sui transitu fauces lædat, & acrimoniâ occultâ tanquam tot infixis spiculis eas irritet, sed forsan etiam sanguinem certo modo alterando, hunc ad facilem sui stagnationem, quin & inflammationem, & febrilem malignam fermentationem disponat; hoc modo enim observatæ fuerunt Anginæ epidemicæ malignæ.

Ac in specie ad *Tonsillarum Inflammationem* & *tumorem* disponit *lympha nimis viscida, glutinosa* & *spissa*, eas infarciens ac tumidas reddens, ac naturalem sanguinis motum ac transitum per & circa glandulas impediens, unde successivè earum tumor. Quin & *lympha* per glandulas oris & vicinarum partium excreta *nimis salsa*, *acris* vel acida, ut in affectibus contingit catarrhalibus, excoriando aut rodendo dictas partes, nunc graviorem nunc leviorem inflammationem tonsillarum infert. Imprimis in hac tonsillarum inflammatione materia viscida, crassa ac mucosa linguam, & fauces incrustat, ac subinde tenacis pelliculæ instar eis adhęret, ac nihil aliud est, quàm lympha tonsillarum ac glandularum vicinarum vitiata ac impura reddita, & glutinosa, à nutrimento dictarum partium chyloso, ob earum læsionem non ritè assimilato, ita alterata. Porrò tonsillæ habent foramen amplum in summitate sui, seu tonsillarum tunica crassa foramine aperto gaudet, quod hiat in fauces, & lympham salivalem nonnihil glutinosam in fauces & gulam emulget pro faciliori deglutitione: Quandò ergò tonsillæ hæ sunt tumidæ & inflammatæ, foramina hæc insigniter sunt expansa, & hiant, magisque inde conspicua fiunt; unde ab imperitis Chirurgis interdum pro ulceribus Tonsillarum in earum inflammatione habentur, observante hoc jam olim *SCHENCKRIO in l.2. Observ. ubi de Tonsillis.*

Præterea inter *causas externas* ad Tonsillarum inflammationes, item ad faucium inflammationes seu Anginas disponentes, sunt in specie *subitaneum frigus inspiratum*, aut potus nimis frigidus post nimiam ac intensam corporis incalescentiam; his enim læsæ fauces & gula, atque sanguis in istis spissior factus, stagnando, inflammationem inferunt.

Præter has causas externas dantur INTERNÆ, quæ sæpissimè ad Anginam disponunt, uti sunt consuetæ sanguinis evacuationes suppressæ, Imprimis mensium *ac hæmorroidum suppressio*, idque speciatim in talibus subjectis, quæ ante hac jam Anginâ laboraverunt, & ad Anginam disposita sunt; quando nempè jam istæ partes, quæ fauces formant, quavis occasione prægressâ debilitatæ sunt, & ita robur inæquale patiuntur, facilè exinde à sanguine stagnante denuo inflammari possunt: Unde etiam mulieres, quando non ritè fluunt menses, aut aliæ ordinariæ evacuationes intermittuntur, subindè pleuritidi, item Anginæ sunt obnoxiæ: hinc quoque in tali casu præservationis gratiâ venę sectiones instituendæ sunt, sicuti curationis gratia venę sectiones in pedibus imprimis, non verò brachiis: Et novi ipse mulierem, quæ nisi singu-scarificationes instituat, Anginam incurrat.

Pertinet huc *morbi alius* in *Anginam transitus*: qua ratione dysenteria pravè curata, aut intempestivè suppressa, præsertim dysenteria epidemica, uti crebrò pleuritidem, ita etiam anginam infert, qualia exempla non tantùm recenset *la MONIER de Fluxu dysenter. cap.5.* sed & *HILDANUS Tract. de Dysenteria* observat.

Observantur interdum etiam *Anginæ epidemicæ*, ut dictum, conjunctæ ut plurimùm cum febre continua ardente, eaque in specie maligna, in quibus sanguis ita disponitur, ut facilè stagnando det Inflammationes: Nam cùm miasma morbosum inspirando imprimis attrahatur, hoc in transitu se affigendo faucibus, & laryngis partibus, has ita afficit, ut imprimis istis in locis inflammatio ista seu angina oriatur, qualis fuit ista, quam tractat *BARTHOLINUS de Angina Epidem.* cujus quoque exempla habet *WIERUS in suis observat.* Et singulare itidem exemplum Anginæ admodum malignæ contagiosæ epidemicæ videbitis in *Panarollo Pentec.5. Obs.* in puero, ubi parum mordendo digitos obstetricis mox in parte commorsa carbunculus excitatus, & obstetrix simul Anginâ correpta fuerit.

Præter dicta *inunctio Mercurialis* pro cura luis Venereæ ineptè instituta, Inflammationem tonsillarum & faucium subinde infert, eamque satis periculosam; si nempè nimis copiosa fit salivatio, sanguis circa dicta loca stagnat, ab acrimonia caustica Mercurii fauces vellicante, liquore lymphatico corrosivo easdem rodente, subinde graves faucium Inflamma-

flammationes, interdum suffocationes excitantur; quale exemplum observat SCHENCKIUS l. 6. Obs. Conf. T.A-CHENIUS Hipp. Chym. c. 25. p. 225. & SYLVIUS de lue Venerea. Sanè luis Venereæ virus acre, ut speciatim lympham glandularum conglomeratarum inficit, ita & hujus ratione sæpissimè excoriationes ac inflammationes faucium, subinde perquam contumaces, infert.

Vulgò etiam Anginæ *ex luxatione & compressione vertebrarum colli* fit mentio: verùm cui nota est structura vertebrarum colli, videbit, quòd hæc sententia sit nata ex falsa hypothesi, idque ob malè intellectum *Aphor.* 35. *Sect.* 4. „*HIPPOCRATIS: Si à febre detento repente collum in-„torqueatur, ut vix deglutiri queat, nullo tamen tumore „intus vel foris apparente, lethale est.* Hic enim aphorismus ordinariò interpretatur de Angina ex luxatione vertebrarum colli, ansamque huic sententiæ dedit *GALENUS*, quasi luxatio vertebrarum in eodem loco intelligatur: Sed structura, & articulatio vertebrarum colli evincet, eas difficulter admodum luxationem pati, atque tunc paralysin potiùs universalem, quàm Anginam, excitare. Nam in *dicto Aphorismo* nil aliud intelligitur, quàm convulsio colli, Emprosthotono ac episthotono similis; Utroque enim in casu suffocationis periculum imminet, cui si superveniat Angina, seu tumor inflammatorius colli, lethale est. Quòd non possit fieri talis Angina ex luxatione vertebrarum colli & cervicis, facilè patet, cùm impossibile sit, ut luxentur: Nam si luxarentur, necesse est, ut summâ vi id fieret, quò factò necessariò spinalis medulla contorqueretur, unde abolitio sensus & motus, mortisque appropinquatio, & potiùs affectus apoplexiæ similis quàm Angina sequeretur. Sunt enim vertebrarum cervicis processus ita invicem inarticulati, ut citra fracturam luxari nequeant; & si luxarentur, præsentaneam potiùs mortem, quàm Anginam, inferrent.

Aliàs dividi etiam solent Inflammationes tonsillarum, & faucium in *exactam seu genuinam*, & *non exactam seu notham*. *Ista* autem, quæ rarior est, tonsillarum inflammatio, quando solus saltim sanguis stagnans in dictis locis inflammationem infert, adeoque est, ut vulgò dicitur, vel *sanguinea*, vel *biliosa*, Acutum malum est, de quo hactenus dicta ferè intelligenda sunt. *Hæc* est, quando sanguis chylosus, seu, uti vocant, lymphâ glutinosâ permistus, stagnando inflammationes infert, & vocatur *Inflammatio notha seu pituitosa*; est tantum tumefactio serosa instar partium plus minùs œdematosa, & excitatur ferè occasione lymphæ vitiosæ, glandulas dictarum partium malè afficientis, loca vicina rodentis, plus minùs excoriantis, & ita junctam phlogosin inducentis. Quæ ipsa vitiata lympha, prout plus minùs circa dicta loca stagnat, etiam plus minùs easdem tumidas reddit, & circulationem sanguinis plus minùs impediendo aliqualem inflammationem, aut ejus dispositionem junctam, habet. Et talis *notha Angina* frequentiùs occurrit cum tonsillarum Inflammatione, quarum tumor crebriùs occasione vitiatæ lymphæ supervenit. Nunc febris expers est hæc *notha*, nunc *lentam saltim* junctam habet. Et de ejusmodi *Angina notha* seu *alba* dicta, eâque satis periculosâ *vid.* M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obs.* 152. *p.* 28. Pertinere huc videtur rara *Anginæ* quasi *membranosæ* species, quæ vid. in SENNERTO Prax. l. 2. P. 1. cap. 24. & M. A. N. C. *n.* 2. *Observat.* 14. *p.* 31.

DIAGNOSIS.

Quoad DIAGNOSIN; præter signa *generalia* omnium inflammationum, nempè Calorem, Dolorem, Tumorem, & interdum visibilem Ruborem faucium, quæ facilè possunt conspici, si os aperiatur (nisi in Cynanche, ubi vix tumor ullus apparet,) in specie in *incipiente inflammatione faucium & tonsillarum* adest difficilis colli motus non absque dolore; item difficultas quædam respirandi adest propter vias angustatas; idque imprimis ubi larynx est afflictus: difficilis etiam adest deglutitio, imprimis ubi pharynx, minus verò ubi larynx est inflammatus. Et denique dolor ardens percipitur in faucibus, præprimis, si Angina commune malum observetur, aut causarum quædam externarum præcesserit.

In facta verò jam *Angina signa* sunt (1.) Respiratio plus minus abolita, & non nisi cum summa difficultate, reiterata, ita ut etiam, in quibus graviùs afficitur larynx, iis etiam suffocationis metus subinde adsit, sine pulmonum & thoracis affectibus.

(2.) Deglutitio etiam notabiliter est impedita, ità ut etiam liquor in ore detentus vix gulam intrare possit, aut si assumi debeat, propter summam tamen faucium angustiam & laryngis irritationem denuò sursum per nares regurgitet; quam speciem adesse dicit in Hydrophobia JOSEPHUS ab AROMATARIIS, ut ut pauci ei adsentiantur.

(3.) Dolor circa guttur & fauces insignis & admodum urgens, tam ardens & rodens, quàm pulsans aut etiam crebriùs pungens.

(4.) Febris quoque adest acuta & continua in Angina, quamvis interdum typum tertianæ continuæ aut tertianæ productæ, seu cujus paroxysmi ultra 30. horas durant, habeat, prout vel exquisita magis vel notha est Angina. In illa est acuta, cum pulsu in principio tensivo & quasi convulsivo, magno & undoso, instar pulsus Peripneumonicorum, qui tamen in progressu, & in his, quos suffocatio vehementiùs urget, parvus, & rarus, tandem creber ac inæqualis, magis observatur, juxta GALENI delineationem; siquidem *pulsum* ita describit: „ *Anginæ pulsus tensione quadam præ-„ peditus est & convulsio similis, magnus & undosus, ut „ pulsus Peripneumonicorum: quicunque vehementer ex „ illis suffocantur, habent parvum & rarum; ubi jam „ angunt, crebrum & inæqualem.* In hac tamen subinde febris lenta conjuncta solet esse.

(5) Lingua rubet, ac insigniter tumet; unde etiam ejusdem motus plus minus impeditur, ac faucibus Anginæ præclusis sæpius simul è lingua filum viscidum propendet, seu copioso muco viscido ac glutinoso continuò obducitur, quod nihil aliud est, quàm lympha ex glandulis, speciatim tonsillis affectis inspissata ac inquinata, nempe mucida, salsa, amara & tenax, quæ successivè linguam & fauces incrustat; sæpius etiam est arida aut fissa, interdum scabra.

Omnia hæc symptomata sunt periculosiora & graviora in Angina, utplurimum remissiora in tonsillarum Inflammatione: vid. RIVERIUS & SENNERTUS. Interim, quæ pars magis laboret, an pharynx, an larynx? ex læsionibus respirationis, item deglutitionis, & situ doloris ac tumoris, perscrutandum venit.

Tonsillarum quoque Inflammationibus occasione lymphæ vitiatæ, spissioris scilicet & acidæ acrioris, concitatis, febris continua, sed magis lenta, est juncta, fauces quidem rubent, sed magis inflammatæ sunt, tonsillæ verò tumidæ insigniter prominent.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN; inflammationes hæ tribus modis finiuntur: aut enim evanescunt & retrocedunt subitò, aut discutiuntur, aut suppurantur, aut ægrum suffocando interimunt: Et si suppurantur, in specie tonsillarum inflammationes, abeunt interdum successivè in ulcera diuturna, & difficulter curabilia.

Quod si ex dictarum partium Inflammationibus mori contingat æger, utplurimum suffocatus interit; & quidem dudem duplici ratione: vel à tumore, vel pure ad pulmones depluo vid. FORESTUS *l.* 15. *Obs.* 25. de Angina in pus mutata, quod ad pulmones, & pectus ruens ferè suffocavit ægrum

Quò magis faucium est angustia & spirandi difficultas, eò periculosius malum; utplurimum enim intra quartam diem strangulat; interdum verò, sed rariùs contingit, per modum criseos, sudore, hæmorrhagiâ, aliove modo terminatur: Refert exemplum FORESTUS *lib.* 15. *Observ.* 14. Cynanches veræ quarto die per fluxum mensium criticum curatæ; vid. HIPPOCRATES *Prognost. Text.* 23. §. 3. 4. 5. *Coac. Prænot. S.* 3. §. 96. *S.* 4. *aphor.* 45. Contra, quò magis ad extra tumor fertur, ut respiratio liberior fiat, v. g. in parasynanche, ubi exteriores laryngis musculi magis inflammantur, illi cum rubore, & tumore colli externo, & interdum ad pectus extenso, si cum tumore magis interno, sed exili: media ratione se habet Synanche, ubi interiores laryngis musculi inflammati ad fauces & collum plus minus protuberant.

Quò verò fauces & cervix magis rubent, eò minus periculi; partes enim magis externas inflammari indicio est: vid. HIPPOCRATES *Prognostic. loco allegato* §. 8. *Sect.* 6. *Aph.* 37. & *S.* 7. *aphor.* 49. Qui textus, licèt contradicere videatur Observationem ejusdem HIPPOCRATIS, quam *Epid. lib.* 5. *text.* 36. allegat; decidi tamen potest, distinguendo inter ruborem partium externarum, qui fit per metastasin, & illum qui fit per epigenesin seu extensionem: quorum hic lethalis, ille minus periculosus existit: vid. LAVRENTIUS *Anat. lib.* 5. *Qu.* 5. *p.* 148.

Fit

Fit interdum ut Angina, tumore & rubore foris apparente per metastasin causæ peccantis in principio subitò evanescat, sed in pleuritidem mutetur, quę conversio est admodum periculosa, juxta *Coac. Prænot. S. 3. Text. 101.* nisi ad locum minus periculosum alium materia peccans conversa, aut criticè discussa fuerint, quod præprimis ex tolerantia ægri dignoscitur: Nam inflammatio, quæ facilè & subitò evanescit, ad interiores faucium partes recurrendo, suffocationem infert, aut alio in loco inflammationes periculosiores concitat: Sic AMATUS LUSITANUS *C.5.Curat.37.* periculosum Anginæ in pleuritidem transitum observat: vid. HIPPOCRATES *7. Aphor. 11.* Nam vel ad cerebrum transfertur, unde cephalalgia, deliria, phrenitis; Vel ad pulmones, peripnevmonia, pleuritis; vel ad cor, unde syncope; etiam ad alia loca, unde varia mala. Pertinet huc *Aphor.* „ *10. Sect. 5.* HIPPOCRATIS: *Quibus ex Angina in pulmo-* „ *nem mali fit conversio* i. e. qui peripnevmonici fiunt, *intra* „ *7. diem moriuntur; si verò hoc effugiant, empyici evadunt.* *Aphorismum* hunc optimè explicat LINDANUS; nempè ea Angina, quæ est in arteria aspera circa laryngem, si suppuretur, ut magna ex parte fit, si contingat eam membranam, quæ succingit asperam arteriam, per materiæ suppuratæ turgescentiam & pravitatem rumpi, ut metastasis materiæ fiat in pulmones, intereunt intra 7. diem; Inflammatur enim ab hoc materiæ decubitu pulmo, hinc peripnevmonia; aut suppuratur pulmo, unde empyema: Conf. HIPPOCRATES *Prognost. Sect. 23. Text. 15.* & *Coac. Prænot. S. 3. Text. 105.* & FORESTVS *l. 5. Obs. 24.*

De cætero ex sputo quoque citiùs tardiùsve prodeunte in Angina salutis & mortis signa petuntur: dum Anginosi si non brevi cocta exspuant, lethale, juxta *Coac. Prænot. Sect. 3. §. 141.* ut si nimis arida sputa fuerint, *§. 101.* In Anginis sine signis (nempè Coctionis in sputo quasi criticis) dolores in caput conversi lethale inquit HIPPOCRATES. Nam cum sine crisi à materiæ translatione fiat, manente eàdem faucium angustiâ, morbum non imminui, sed augeri indicio est; vid. *Coac. Sect. 3. §. 112.* itē si ad alias partes sine ejusmodi signis dolor extendatur, v. g. ad crura, hypochondria, juxta §. *113. & 114. & lib. 5. Epidem. Text. 36. §. 12.*

Febris cum Angina conjuncta sæpiùs est continens, seu eodem tenore continuò ægros affligens; interdum typum tertianæ continuæ repræsentat; interdum hemitriteos.

Ista Angina, quæ à tertiana continua producta, seu cujus paroxysmi 36. horas perdurant, ut plurimum solet esse lethalis, observante LINDANO *in Hartmannum.*

Quò minus oculis se sistit tumor, tam in faucibus, quàm extra eos in collo, eò majus imminet periculum; quia interea laryngis & pharyngis partes sunt obsessæ: quò magis verò ab extra conspicuus tumor, eò tutiùs. Observetur hoc contra perversum usum Adstringentium & Repellentium, quibus in principio adhibitis tumor cogitur, ut interiores partes magis occupet. Certè interna talis inflammatio paucis est tuta, unde ex omnibus Anginę speciebus omnium gravissima & periculosissima est *Cynanche*, ubi musculi laryngis sunt inflammati; hinc *Paracynanche*; levior adhuc est *Synanche*; levissima omnium *Parasynanche*.

Denique Anginosis, sicut strangulatis & suffocatis, *spuma circa os apparens* sæpè lethale signum est, teste HIPPOCRATE *S. 2. Aphor. 43.* idque imprimis, quando cum tali circa os spumâ magna adsit respirationis angustia insignis.

Tandem si in Angina venę raninæ incisæ nihil aut parum sanguinis fundant, malum signum est; contra si benè fluant.

CURA.

Consideravimus Inflammationem faucium & colli, partiumque istarum, tam internarum, quàm externarum: Superest, ut nunc consideremus CURAM, quæ triplici *innititur scopo*: scilicet

I. Ut heterogeneum, si quod est impactum, v. g. spina, tollatur.

II. Ut sanguinis stagnatio tollatur, ipsique motus naturalis restituatur.

III. Ut, si illud fieri nequit, per suppurationem id educatur.

Priori indicationi quomodo satisfaciendum, ex Chirurgicis peti debet; Nunc ratione secundæ observandum, illam perfici partim sanguinis missione revulsoriâ ac derivatoriâ, partim diaphoresi & attenuatione humoris impacti, per absorbentia & sudorifera. Vno verbo: Cura in omnibus est eadem, quoad *remedia interna*, cum reliquis Inflammationibus. Quoad *Externa* verò, specialem merentur consideraționem *Gargarismata, Inunctiones, Cataplasmata*, & similia *resolventia*, quæ in faucium, oris, tonsillarum, laryngis, pharyngis, uvulæ & similium partium inflammationibus solent esse peculiaria.

Pro legitima ergo Cura Anginæ ac cognatarum Inflammationum faucium *observandum:*

1. INTERNE in Angina & reliquis faucium Inflammationibus etiam omnia ea conveniunt, quæ aliàs in omni Inflammatione, speciatim *pleuritide*, in usu esse solent, verbi gratiâ *Mixtura simplex*, *spiritus nitri dulcis*, *dens apri*, *antimonium diaph. salia volatilia*, &c. Sic VALERIOLA *Obs. 12. l. 2.* refert, quod *rasura dentis apri* ad ℥j. *cum oleo amygd. dulc.* & saccharo cand. propinata sit optimum remedium Anginæ, non minus quàm pleuritidis. In specie quæcunque animalium *excrementa seu stercora* præ reliquis eminentiam habet, & in specie à PARACELSO & HARTMANNO insigniter commendantur interno & externo usu in principio Anginarum; imprægnata enim hæc, & imprimis avium excrementa, sunt sale volatili nitroso quasi ammoniacali, quæ omnes Inflammationes, imprimis Anginas, discutiendo & resolvendo sistunt. Præ cæteris v. g. *stercus equinum*, in specie *Admissarii*, ejusque expressus succus, vel hujus parum in potu ordinario maceratum & expressum si assumatur, expectato sudore, egregiè convenit, & Anginam in prima herba detruncat; id quod etiam de albo græco seu *stercore canis* ad ℥j. ut & de stercoribus ovium & caprarum, similiter affirmari debet: externè convenit nidus cum stercore hirundinum. Sanè hæc & similia remedia cum debito sudore, in Inflammationibus administrata, in specie in paroxysmo Anginarum, & quam diu ægri deglutire possunt, multum opus adferunt, quoniam febrim compescunt, sanguinem resolvunt, & ita inflammationem tollunt. Conveniunt ergo in omnibus à causa interna enatis in primis acidum infringentia, sanguinem dissolventia, & mediante blando sudore partes abstergentia, quę tempestivè adhibita sæpissimè sunt salutaria: e. g.

℞. *Aquæ prunell.* ℥iij.
Spiritus nitri dulc. ʒß.
Dent. apri pulverif. vel *lapill. cancr. præp.*
Antimonii diaphor. an. ℈ß.
Laud. opiati gr. ij.
Syr. sempervivi ℥j. M. S.
Potio sudorifera.

℞. *Antimonii diaph.* vel *Bezoard. min.*
Dent. apri, vel *ebor. sine igne* vel *max. luc. pisc.*
Nitri antimoniat. an. ʒj.
Sacch. ℥ij.
M. f. pulvis. D. S.
Pulvis refrigerans.

Vrgente febrili siti convenit Julepus è floribus papaveris, eorumque tinctura cum spiritu nitri dulci.

In horum usu & quidem cum diaphoresi, seu sudore persistendum, modò ægri illa deglutire possint; cùm canalis ac syringa, quam Riverius Pr. l. 6. c. 7. & c. 3. Obs. 72. pro alimentis & medicamentis per gulam ad ventriculum impellendis, non semper applicari possit, nec cum effectu adhibeatur.

II. *In Tonsillarum ac quibusvis partium oris*, *Anginis*, & in genere in omnibus Inflammationibus, semper simul lymphæ habenda est ratio, tam quæ nimis crassa, interdum simul acida, aut alio modo vitiata, hinc inde partes ferè omnes oris internas densè incrustat, quàm adhuc circa glandulas & in vasis lymphaticis hæret: cujus vitiis per medicamenta interna *anticarrhalia succinata, myrrhata*, item *volatilia, & absorbentia*, ac similia succurrendum est; unde & liquor Cornu Cervi succinatus expectando sudorem in principio inflammatarum tonsillarum est nobilis.

Cum his III. Si ita visū fuerit, mox ad Venæ Sect. accedendum erit in corpore plethorico, sive ei præmittatur sudor, sive ei postponatur perinde est; Nam interdum utrumque in Angina benigna locum habet. Et quidem venæ *saphenæ* in pede propter revulsionem universalem, postmodum venæ *in brachio* alterutro vel utroque propter revulsionem particularem seu aversionem, & quidem in statu venæ raninæ *sub lingua* propter derivationem, instituenda est. Has inter Venę Sectiones interdū una alterave sufficit, interdū omnes administrandæ sunt; & quidem deficientibus mensibus vel iisdem in fluxu suppressis, vel hemorrhoidibus, vel iis inflammatis,

matis, cum Angina conjunctis, vel concurrente alio simili vitio, semper in pede secanda est vena, secus ac *FORESTUS l. 4.* & SENNERTUS *Pr. l. 2. P. 1. c. 4.* rem sibi conceperunt. Cæterum Venæsectionibus solis non fidendum est, quoniam sæpius ægri, quando videntur meliores, subitò non rarò suffocati intereunt; cujus rei exemplum notatu dignum videbitis in BARBETTE *Praxi l. 2. c. 1. de Angina*, ubi post iteratas Venæ Sect. æger videbatur sanatus, qui tamen subitò suffocatus est. Quin etiam præter remedia interna ipsa Venæ Sectio interdum aliquoties repetenda est, pro circumstantiarum, subjecti, temporum anni, affectuum adjunctorum, ratione: vid. *Forestus l. 15. Obs. 16. in Schol.* & SYDENHAM *de morbis acut. S. 6. c. 7.* ita ut, prout corpus est juvenile vel senile, prout plethora major vel minor, prout effervescentia febrilis impetuosior vel remissior, prout incrementum morbi acutius remissiusque, prout patiens sanguinis detractionibus magis, vel minus adsvetus fuerit, eatenus Venæ Sectio nunc semel, nunc sæpius administretur, idque eò magis, quò minus interna remedia ob faucium occlusionem exhiberi poterunt; cautiùs tamen in Angina maligna instituenda, & vix nisi in primo morbi principio.

Cæterum quidam cum Veteribus etiam *venarum jugularium sectionem* suadent, quam commendatam ac illustratam *videbitis* in RIVERII *Praxi l. 6. c. 7. p. 398.* ZACUTO LUSITANO *l. 1. Prax. Admir. Obs. 95.* BONETTO *Mercurio compital. p. 15. §. 5.* BARTHOLINO *in eleganti Tr. de Angina puer. epidem.* Imo RIVERIUS modum eam administrandi prolixè tradit. Verùm subinde est periculosa, & non nisi ab experto & erudito Chirurgo cautè peragenda venit; qui rariores apud nos sunt, hinc meritò ab illa abstinemus. Tutiores sunt cucurbitulæ scarificatæ cervici, scapulis, & mento admovendæ: vid. ZACUTUS LUSITANUS *l. 4. Obs. 94.* Quod attinet Venæ Sectionem raninarum sub lingua: hæc tantummodo in statu morbi convenit, præmissis scilicet reliquis venæ sectionibus, quando Inflammatio jam nullum amplius augmentum capit: Secatur tunc eum in finem, quia *ranina* sunt ista vasa, per quæ naturaliter sanguis refluere solet, qui in locis vicinis stagnando Inflammationem infert, uti etiam ita impeditur stagnatio, & revocatur in motum naturalem sanguis sectis venis raninis: & quidem si apertæ hæ ipsæ quocunque in casu benè fluant cum impetu & quasi saltu, bonum signum est; si verò parum vel nihil sanguinis stillent, pro malo, imò lethali signo habetur: vid. M. A. N. C. *Ann. 3. p. 576.* Interdum sola hæc venarũ raninarũ sectio præcavet Anginam, si accedente Angina præservationis gratiâ mox aperiantur; idque speciatim eo in casu, quo corpus non est nimis plethoricum, nec fervor ac effervescentia sanguinis febrilis adeò intensa est, sed quando tantum oritur ex impedimento aliquo sanguinem in suo refluxu impediente, si in tali casu mox in principio secentur raninæ, prævenitur Malum: Aliàs nonnisi in perfectę Anginę statu utile erit illas secare. Huc etiam spectat, si hirudines venulis his applicentur, de quibus videatur ZACUTUS LUSITANUS *l. 2. Pr. Histor. cap. 12.* Nec obstabit, quò minus in casu urgente, & suffocationis periculo imminente, etiam sine alia evacuatione prævia venas has aperire liceat: vid. ZACUTUS LUSITANUS *l. 4. pag. 287.* & ROLFINCIUS *l. 3. Conf. 6.*

IV. Observandum, in Angina febrium malignarum symptomatica, seu quod ferè idem est ac *Angina epidemica*, nihil attendendũ priùs, quàm *ut specifica ista* malignitas corrigatur, & appropriatis SUDORIFERIS, junctis *opiatis*, maturè discutiatur ac ejiciatur; quoniam curato morbo, symptomata ferè spontè ac facilè acquiescunt. Et in tali casu locum non habent, aut saltem nòn nisi cautissimè & in primo principio, antequam malignitas debacchari incipiat, instituantur purgationes & Venę Sectiones, ut rectè PETRÆUS, & DECKERS *l. 4. p. 49.* monet. Quin potiùs præmisso ferè Clysmate, solis sudoriferis & alexipharmacis studiosè est insistendum, quibus nempè ebullitio febrilis sedetur, ac malignitas rejiciatur. *Ipse verò Medicus caveat sibi in tali Angina ab halitu taliter ægrotantium*, ne ipse similiter ab hac malignitate corripiatur, cùm ferè admodum contagiosa esse soleat.

V. In *Angina* Cura VOMITORIA à quamplurimis insigniter commendantur, v. g. ab HARTMANNO *in sua Pr. Chymiatr. p. 130.* & BARTHOLINO *de Angina pueror.* & quidẽ monente HARTAMANNO in Angina incipiente & confirmata; item à RULANDO *in Empyr. observ. l. 2. p.* 95. qui sępiùs cum fructu usus fuit iisdem. Ultimò harum singularissimum usum videre potestis in RIVERII *Praxi, l. 6. c. 7.* & *Cent. 2. Observat. 10.* & *14. item in C. 4. Obs. 60.* & in aliis multis locis; qui aquam benedictam morbum nõ rarò intrà biduum dissolvere perhibet. Verùm & laudem & vituperium merentur, & cautè admodum in horum legitimo usu procedendum est. Legitima ergo observanda occasio, ceu anima omnis Praxeos, in Vomitoriorum usu: *Duo enim sunt tempora*, in *quibus conveniunt* Vomitoria, nempè *principium*, aut *periculosissimus status* morbi. Quoad *principium morbi*, subinde admodum proficua sunt Vomitoria: Fit enim, interdum sępe, ut dicit LINDANUS, ut causa occasionalis remota Anginę sint vitiosa excrementa in stomacho & in primis viis stabulantia, in specie humor, quem vocant bilem ęruginosam, in qua, uti notum est, peccat acidum imprimis, dum illa bilis subtilia & morsicantia effluvia mittit ad œsophagum & fauces, ubi ipsorum stimulo fit inflammatio & angina. Quando ergò ægri testantur, se sub primo principio morbi percipere vitiosos sapores in lingua, ęruginosum, acrem, amarescentem, plus minus nidorosum cum ardore quodam, quasi fode in gula quandam titillationem, seu quasi erosionem, fluctuationes in stomacho, nauseam, ac anxietates pręcordiorum, id quod sępissimè fit in Angina; in tali casu protinus & audacter opera danda est vomitoriis, in specie antimonialibus, imprimis *aqua benedicta Rulandi* seu Infusione antimoniali, ut ita pręcaveantur futura symptomata, dum non tantùm quoscunque vitiosos humores ex ventriculo tollit, sed juxta vim emeticam etiam interdum sudorem movet. Ita quando gravitas in hypochondriis sentitur, vomitoria itidem conveniunt. Pręterea *in Angina maligna* & *epidemicè* grassante, & quę per *contagium* afficit ęgrum, de quibus videatur WIERUS *in observat.* non secus ac in peste vel febribus malignis contagiosis, optimum videtur consilium, mox in primo principio interdum suppeditare vomitorium, utpotè in quibus eorum usus est maximè necessarius, modo maturè administretur. Cęterum post primum principium conveniunt etiam Vomitoria in *periculoso morbi statu*, nempè eo in casu, quando scilicet jam facta est suppuratio, & symptomata maximè urgent, v. g. quando fauces abscessu sunt pręclusę, dum propter angustiam, & ineptitudinem loci, aut profunditatem situs, abscessus suppuratus scalpello aperiri nequit, quin potius ex tumore immineat suffocatio; aut si spontè aperiatur, metus sit, ne ruptus abscessus in pulmones irruat, & similiter ęgrum suffocet, aut in stomachum irrumpat, & eundem insigniter vitiet. Tali sub anxio statu, ubi aliàs arcta sunt auxilia, ut abscessus aperiatur vi, ne desperatum relinquamus ęgrum, ultimum quasi refugium est vomitus, quo quasi concutiatur abscessus jam maturatus, & ita ruptus, pus per superiora effundat; quod RIVERIUS *C. 4.* & RULANDUS *Observ. all.* confirmant.

Periculosum equidem est remedium, dum fauces occlusę, provocare vomitum, propter suffocationis metum, quatenus TRINCAVELLIUS *l. 5. c. 7.* testatur, fœminam quandam ex assumta cassia secuto vomitu strangulatam fuisse; *Interim tamen satis tutum est remedium, quod est unicum*, dicit CELSUS. Quod si medicamenta vomitoria non possint semper deglutiri, nihilominus tamen, si tantillum deglutire possunt ęgri, sufficiunt Infusa antimonialia; sin verò nil deglutire queant, vel plumâ oleo illita subindè irritandæ fauces, vel liquor vomitorius iisdem subinde instillandus, *aut Mercurius vitæ melle* exceptus faucibus illinendus. His enim modis ad vomitum provocatur stomachus, gula concutitur, & ita abscessus rumpitur.

VI. Purgantia, quemadmodum in quibusvis Inflammationibus internis, ita in Angina quoque vix locum habent, nisi primas vias statim in principio pharmaco blandiore, progressu temporis clysteribus, evacuare mens sit, quos quotidie repetere conveniet.

VII. *In Tonsillarum Inflammationibus* sæpiùs subindè *recurrentibus*, pręsertim illa, quę ex lymphę vitio, v. g. scorbuto aliovè simili habituali, crebriùs recidivat, pręsertim ubi ętatis aut aliarum circumstantiarum ratione à priori malum non benè curabile existit, FONTICULUS brachio inustus convenientissimum est consilium pręservativum. Sępiùs enim evenit, ut qui semel in quadam parte inflammationem suppuratam fuerint passi, & forsan fermenti ulcerosi aliquid residuum manserit, & facili occasione ex irritatione undecunque facta, pręsertim in corpore cacochymico, mox recidivet inflammatio, idque facilè in locis glandulosis; Quibus in

bus in casibus pro Cura palliativa fonticulus videtur convenientissimus; potissimum cùm Anginâ singulis annis repetente, fonticulum sub mento à natura excitatum præservasse, ZACUTUS LUSITANUS *l. 1. Prax. Admir. Obs. 96.* testetur. Unde non inconveniens erit, statim in Anginę principio post primam sanguinis missionem vesicatorium cervici apponere; vid. RIVERIUS. *Pr. l. 6. c. 7.*

VIII. Non confundendæ sunt Inflammationes aliique faucium partiumq; vicinarum tumores, sive à sanguine, sive ab aliis contentis excitentur, cum PRUNELLA, isto nempè linguę & faucium symptomate, quod in *febribus acutis, ac in specie Castrensibus seu Hungaricis*, familiare est. Utplurimum hoc evenire solet, ut omnes *de Angina* tractantes Practici remedia contra prunellam usitata ad Anginam simul consignent, facilè cum legentis confusione. Et talia *prunellæ dicata* remedia sunt in specie *ex Cancris, sempervivum majus* (annumerantur adstringentibus vulgò, sed quâ ex ratione, non video) *prunella, mucilagines, sal ammoniacum, nitrum, butyrum, lardum*, &c. quę ipsa minus Anginis, nisi aliis temperata vel cautè applicata, convenire possunt. Quando talia laudat PARACELSUS, respicit ad Prunellam, symptoma illud febris ardentis & morbi Hungarici; adeoque non in Angina, sed Prunella locum habent, qualia sunt:

℞. *Aquæ semperv. maj.* ℔j.
Succ. ejusd. mediocr. expr. ℥iij.
Sal. Ammon. ʒj.
M. F. Gargarisma:
D. S.
Dissolvens gargarisma.
Vel
℞. *Cancr. fluviat* No. vj
Herb. semperv. maj. M. iij.
Contundantur, succus exprimatur;
D. S. ut antè.

Succus hic in prunella, febris ardentis ac morbi Hungarici comite, non verò in Angina, conveniet.

Item.
℞. *Aquæ ex succ. sempervív. maj.* ℔j.
Succ. Cancr. fluviat. ℥vj.
Sal. Ammon. ʒiij.
M. pro Gargarismate.
D. S. ut antè.

IX. Externa remedia ipsis partibus inflammatis, faucibus, tonsillis, &c. applicabilia, uti sunt *gargarisationes oris, litus, cataplasmata, unguenta & emplastra*, & similia, eò sint directa, ut (1.) quantum possibile, resolvant & discutiant sanguinem stagnantem, & inde natam inflammationem; & talia sunt blanda incidentia, seu penetrantia volatilia, &c. Scopus hic contrarius est vulgari methodo, qui in principio Repellentia, Adstringentia & Refrigerantia, quę tamen pessima sunt, suadet. Quod si tamen hoc fieri nequeat, (2.) ejus suppurationem seu maturationem adjuvent; uti sunt temperata & emollientia: (3.) Tandem maturatum abscessum aperiant, eadem aut acrioribus mista; Item auxilia *Chirurgica*, aut denique *vomitoria*: (4.) Apertum abscessum purificent & consolident per Vulneraria & Adstringentia: (5.) Partem restitutam denuò firment, ac naturalem tonum ejus restituant, nempè per adstringentia, ne harum atonia in causa sit, ut sępius recidivent inflammationes. In principio quidē ratione vulgaris medendi methodi in gargarismatibus Resolventia sola rarò usurpantur, sed adstringentia, nunc sola, nunc discutientibus addita, ut nempè internè partibus oris & faucium nõnihil adstrictis nimium tumoris partiũ internarũ incrementũ pręveniatur, ne deglutitio aboleri, aut suffocatio inferri possit: sed quã prępostere hoc fiat, ex doctrina Repellentium manifestum; ac præterea periculum est, ne hujusmodi Adstringentibus superiora saltim loca proximè stringantur, tumor autem & inflammatio partium inferiorum sic intendatur, & ad interiora convertatur, hinc strangulationis metus intendatur, ut rectè comprobant MARTIANUS *in Hippocr. lib. 2. de Morb. Sect. 1. §. 24.* HEURNIUS *in Praxi de Angina*, ac SYLVIUS *l. 1. Prax. cap. 49. §. 58. & seqq.* uti etiam DECKERS *in Comment. super Prax. Barbette, p. 57.* ut taceam periculi, quod in Angina maligna ex ejusmodi Repulsione metuendum. *Repellentia ideò damnanda*, quia repellere est impossibile, ac fiunt tumores, quatenus non refluit sanguis; dum contrà adstringentibus affluxum & refluxum impedimus, exasperamus tumorem: unde cauti simus in lectione Practicorum quod hoc pũctum, cùm planè insulsus datur quàm plurimorum, in hoc passu, processus. Potiùs ergo gargarismata talia conveniunt in declinatione morbi, ut Adstringentibus talibus partes per inflammationem læsæ & plus minus relaxatæ firmentur denuò, & in debitum tonum restituantur. Sola ergò in principio conveniunt Resolventia, & hinc emollientia, tam gargarismata, quàm cataplasmata. Vitanda tamen sunt nimis laxantia, & emollientia quoque, ne nimio horum usu affluxui fores pandantur. Quoad gargarismatum usum observandum est, ea quodammodo suspecta esse, quia partes inflammatas nimis commovent, quæ tamen potius quietem postulant, ne ex motu dolor, ex dolore tumor, adeoque inflammatio saltem doloris ratione sic intendatur. Cum enim partes faucium doleant, difficulter & non sine dolore ægri possunt gargarisare: nec gargarismata siphonis vi, eâque magnâ, impelli debent; violentior enim syringatio partes inflammatas magis irritat: Sic in Anginosis nihil molestius est, quàm gargarisare, cum propter luctam aeris cum aqua gargarisando in angustiis faucium labor, motus, dolor, &c. inflammationem potiùs augeant & exasperant. Propterea *saltem* in *principio conveniunt gargarismata*, in *progressu* autem & *statu* morbi *quidam omnino prohibent ea*, quæ fiunt cum motu; & LINDANUS tales suos ægros nunquam gargarisare, quin potiùs tantummodò de gargarismate unum alterumvè cochlear aut q. s. in ore tenere, ac ita sensim ad fauces depellere resupinato corpore atque paulisper sine insigni agitatione retinere, & sic postmodum ex ore denuò effundere jubet, modò sæpius repetatur. Nam quò frequentiùs, eò meliùs erit, ut ita horum operatio successivè se exerat: vid. RIVERIUS *Pr. l. a.*

Pro his scopis inter REMEDIA, quæ aut gargarisando, aut illinendo, aut externè tanquam cataplasmata applicando, ad Anginas ac cognatas Inflammationes usurpantur, sunt eadem ferè cum aliis ad inflammationem extrinsecùs admovenda, in specie ea, *quæ*

1. Sanguinem stagnantem *resolvunt*, & tumorem incipientem *discutiunt*, v. g. Aromata plus minus volatilia, item penetrantia & alterantia, ut horum medio sanguis congrumatus dissolvatur, attenuetur, & Inflammatio in principio sistatur. Talia sunt pro cataplasmatibus, emplastris, gargarismatibus, &c. herbæ & flores chamomillæ, sambuci, mentha crispa, salvia, veronica, thymus, origanum, pulegium, hyssopus, scabiosa, morsus Diaboli, semen lini; fœnugræci, farina fabarum, semen anethi, cumini, sinapi, rapæ, radix liquiritiæ, lignum hederæ, fungus sambuci, radix tarax. crocus, camphora, item succus Cãcri fluv. sempervivi maj. Decoctum hordei, raparũ, aqua verbenæ, scabiosæ, hyssopi, sal ammoniacum, acetum (incidit & resolvit) sambucineum, Oxymel, nitrum crudum, vel depuratum vel cum sulphure fixatum, seu lapis prunellę, qui aliàs ab omnibus insigniter commendatur, spiritus vini, urinæ, salia volatilia &c. dactyli, passulæ majores & minores, jujubæ, cepæ, & omnia ex cepis.

Moderni, speciatim WALÆUS *M. M p. 66.* & DECKERUS *super Barbette Pr. p. 52. in spiritu vini*, item *sal ammoniacum*, ac similia *volatilia* gargarismatibus addere jubent; sicut etiam gargarisma ex succo sempervivi majoris, in quo parum salis ammoniaci dissolutũ sit, insigniter cõfert: Alii ceu experimentũ commẽdant aquam destillatã ex succo sempervivi majoris, in qua sal ammonicum dissolutum. Et sanè existimo, *spiritũ vini* maximè conferre, ut & *salium volatilium* usum tantũ, quãtum partes affectę, aliàs admodum dolentes, perferre possunt; idque confirmat hoc ipsum etiam, quod in Inflammatione & tumore tonsillarum vrina calida propria modò emissa, gargarisationis loco adhibita, optimè prodesse dicatur. Et LINDANUS refert, quod vulgus contra tonsillarum Inflammationem familiare habeat remedium, ut *caligas* glandulis apponere soleat, id est, internos calceolos sive soleas tibialium; sic resolvunt tumorem: Ratiò est, quia scatent sudoribus, & vaporibus pedum, in quibus est vis digerendi & resolvendi, propter *sal volatile*, quod copiosè imbibunt. Ex quibus clarum fit, *volatilia* talia pro Inflammationum harum resolutione esse optima. Commendant etiam stercus canum, item stercus proprium, stercus vaccinum, cujus aquam REISNERUS *Obs. 191.* laudat. Spectat huc nidus hirundinum, & hujus cataplasma, de quo vid. VALERIOLA *lib. 2. Obs. 10.* & AMATUS LUSITANUS *C. 3. Curat. 28.* item MYNSICHT. *in Arm. Chym.* & SENNERTUS *de Angina*; quatenus scilicet ratione excrementorum, sale nitroso turgidorum, vim resolvendi habet. Ex præparatis sunt oleum amygdalarum dulcium, unguent. dialthææ, emplastr. de meliloto, de mucilagin. ac defensivum.

Hæc

Hæc sunt resolventia seu attenuantia.

2. Conveniunt ea, quæ *emolliunt*, seu tumorem, qui discuti nequit, ad abscessum & maturationem perducunt: cum quibus semper asperitatem faucium & dolorem ardentem ac rodentem mitigantia, socianda veniunt. Conveniunt igitur temperata quævis, v.g. althæa, malva, melilotus, chamomilla, violaria, caricæ pingues, radices liliorum alborum, altheę, passulæ, jujubę, mucilago dictorum seminum & radicum, flores malvę arboreę, semen fœnu gręci, medulla panis tritici, Gummi ammoniacum, ungu.dialth.resumptivum, emplastrum de meliloto, diachylon, Decoct. hordei, lac tepidum, oleum amygdalarum dulcium, oleum liliorum alborum chamomælinum, anethinum, violarum, irinum, ovorum, oleum decoctionis exuviarum serpentum, butyrum recens, vitella ovorum, pingu. caponis, gallinæ humana, porcina, vel ubi fortiùs agendum, locum habent pinguedo anserina, cepę imprimis sub cineribus coctę, cataplasma ex pane triticeo cum melle, cinis hirundinum, cochlearum combustarum, cancrorum fluviatilium, cinis noctuę; *nidus hirundinum cum stercore* est optimum pro omnibus & quasi universale ad Anginam, tam resolutioni, quàm suppurationi abscessus inserviens, non secus ac alia *stercora*, in specie canis sive *album græcum*; item hirundinum, gallinarum, columbarum, equinum, &c. conveniunt; Illa ipsa enim, quia multum *salis ammoniaci* quasi *nitrosi* continent, propterea plurimis scopis satisfaciunt: Item detineri poterit in ore medulla cassiæ, ut sensim liquefiat: vid. RIVERIUS *l. a. p.* 284. RULANDUS cataplasma ex fermento & melle & flor. chamomillę, aceto, & oleo; ex stercore canino & melle; ex stercore caprillo, aceto & melle; item ex absinthio contuso & pinguedine porcina eundem in finem commendat.

3. Abscessum jam factum & apertum mundificant & consolidant simplicia vulneraria, eorumque Decocta, imprimis cum aqua ferrariorum, addito melle, alumine, &c.

4. Sublatâ Anginâ & consolidato abscessu, aut discusso tumore, si necessarium fuerit, ad partes roborandas fiat Decoctum ex herba prunellę, plantag. & flor. rosarum in vino decoctis; quibus addendum rob dianucum, diamoron, rob caricar. succus acacię, citri, granat. syr. de rosis siccis, myrtillor. cydonior. &c. q. s. pro gargarismate blandè adstringente. Adstringunt etiam myrtilli, rhus sive sumach. gallę, flor. bellidis, balaust. cortex granator. jugland. folia rubi & myrti, uvularię, plantag. alumen, aqua seu phlegma aluminis, phlegma vitrioli, aqua nucum jugland. destillata, aqua prunellę, plantag. aqua ferrariorum, solani, bursæ pastor. aut alio convenienti vehiculo diluta; Item sacch. Saturni, cerussa, &c.

Interim toto morbi decursu potui ordinario semper nitrum probè depuratum aut antimoniatum addatur, ceu optimum febricitantium ac impensè sitientium ęgrorum auxilium, ita ut ad ℔ij. *potus* misceatur *nitri* ʒß.

Ex hisce varię possunt fieri formulæ: sic enim v.g. pro gargarismate sufficit vel solum Decoctum raparum, quod egregium est in principio harum Inflammationum, vel, quod melius; adde parum sal ammoniaci, aut si in principio ardor adsit, nitri parum: Item eminet hic in *principio* gargarismus SCULTETI, ut & in *incremento*, reverà polychrestus, quem videb. *in Armam. Chirurg. Observ.* 32. inhibet *nimium tumoris incrementum*, mucilaginem fauces oblinentem egregiè solvit & foras elicit, & denique abscessum rumpit. Feliciter etiam sequens usurpavit RIVERIUS *Cent.* 4. *Obs.* 76. v.g.

℞. *Aquæ plantag.* ℔ß.
Aceti vini ℥iß. ad ℥ij.
Sacch. albi ℥ß. ad ℥iß.
Pulv. sem. sinapi ʒj.
M. pro Gargarismo.

quo calidè gargarisetur os.

Convenit etiam in *principio & incremento* inflammationis *gargarismus Hartmanni quasi catholicus in Pr. Chymiatr. cap.* 85. *§.* 3. *pag.* 726. resolvens & discutiens, quem commendat in omnibus ferè faucium affectibus. Descriptio autem ejus hęc est:

℞. *Flor. malu. hortens.* vel *arbor.* M. j.
Rosar. rubr.
Prunell. Veron.
Salv. ana Mß.
Rad. polypod. ʒij.

Coquantur in
Aquæ commun. ℔iv.
Aceti vini ℔ß.

ad casum transversi pollicis cum levi expressione.

Ubi viscidior mucus, prę sertim in tonsillis inflammatis, adfuerit, *sem. sinapi* vel *saponis Venet.* ʒj. ad ʒiij. similiter decoqui poterit; sicuti, ubi acrior videtur talis *gargarismus*, cum leni expressione colaturę *sacch.* ℥j. ad ℥iij. aut *mellis*, vel *simpl.* vel *rosac.* addi potest; est enim egregium in incipiente & augmentante Angina: Ad imitationem DECKERS *in Comment. ad Barbette Praxin* tale gargarisma in principio & incremento inflammationis prę scribi poterit; v.g.

℞. *Herb hyssop.*
Flor. sambuc.
Chamomill.
Herb. melilot. ana M. j.
Sem. sinapi. ʒß. ad ʒj.
Passul. min. ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j.
Coquantur in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℔j. ad ℔iß. adde
Spiritus vini ʒj. ad ℥iß.
(vel hujus loco *spiritus sal. ammoniaci* ʒj. vel *sal. ammoniaci crudi* ʒß.
M. pro Gargarismate: S.
Gargarisma resolvens.

Confer. quoad talia gargarismata discutientia DECKERS *in Commentar. ad Barbette p.* 19. 52. 57.

Vel

℞. *Flor. sambuci* Mij.
Herb. salv.
Hyssopi ana Mj.
Albi græc. ℥ß.
Coqu. in s. q. *aquæ* vel *cerevis. secundar.*
Colaturę ℞. ℔iß. adde
Spiritus therical. campb. ʒvj.
Sem. sinap. ʒß.
Rob dia-Mor. (vel si minus adstringere voluerimus *rob dia-Nucum*) ʒvj.
M. pro Gargarism.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Flor. sambuci* M. ij.
Chamom.
Herb. melilot. ana Mj.
Alb. Græc. ʒvj.
Sem. crucæ contus. ʒij.
Passul. minor. ℥ß.
Coqu. in s. q. *Cerevis. secundar.*
Colatur. ℔iß. adde
Sal. ammoniaci ʒiß.
M. pro Gargarismo.
D. S. ut *suprà*.

Item sequens Gargarismus resolvens & discutiens, quem dedi in *Colleg. formul. cap.* 4. p..... & ..... & *Id. formular. Class.* 4. §. 26.

℞. *Rad. levist.* ʒvj.
Apii ʒij. vel ʒiij.
Flor. sambuc. M. iß.
Fol. malvæ M. j.
Passul. maj. incis. ℥ij.
Coqu. in s. q. *aquæ comm.* vel *Decoct. hord.*
Colaturæ ℔iß. adde
Sal. ammoniaci depurat. ʒß. ad ʒj.
M. pro Gargarism. S.
Gargarisma resolvens.

Loco passularum maj. adde Colaturę
Mell. mercurial. ℥j.
Spiritus theriacal. ʒvj.
(aut in Angina maligna ac contagiosa *spiritus vini camphor.* ʒß.)
Spiritus sal. ammoniaci ʒß. ad ʒj.
M. S. ut *antè*.

Vel in decocto quodam diluto dissolvatur q. s. *sal. tartari, & sal. ammoniaci*, ut ita sui juris fiat sal volatile, ac ita penetrare queat, addito pro temperanda Volatilium acrimonia aut *melle rosato*, aut *syrupo violarum*, aliové simili temperante. Sanè loco gargarismatis domestici optimè in his casibus convenit Decoctum hordei vel avenę, in quo parum sal. ammoniaci dissolutum est; imò sola urina humana calida aut calefacta loco gargarismatis adhibita multa composita superat.

Item:

℞. *Herb. mors. diab.* M. iv.
Scabios.

Veronic. ana Mj.
Albi Graeci ℥ß.
Coqu. in f.q. *aquae simpl.* pro Gargarismate.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Aquae morf. diab.* ℥vj.
Beton.
Scabios. ana ℥iij,
Rob nucum,
Dia-mor. ana ℥iß,
Alb. graec. ℥j.
M. pro Gargarismate,
S. ut supra

Vid. *Colleg. Pharmaceut. in Schroederum pag.669.* Praeter talia gargarismata resolventia, ulterius etiam Externa pro similibus scopis in usu esse solent; v.g. pro discutiendo & resolvendo tumore convenit *Cataplasma suprà laudatum ex absinthio rec. contuso cum pinguedine porcina*, quod RULANDO *p.*101. in principio & incremento est egregium: Vel stercus caprillum cum aceto & melle; vid. RULANDUS *pag.*98. Insuper appropriatissima Cataplasmata, in principio & incremento morbi convenientia, parantur ex nido hirundinum & albo Graeco; de *quibus infrà* ubi *de suppurantibus*. Pro scopo autem resolvendi & discutiendi nidus hirundinum cum vino coquendus. In omni inflammatione specificum est sequens Oleum, tam in inflammationibus à frigore, quàm calore ortis:

℞. *Sulphuris citr. pulverif.*
Sal. tartari ana ℥j.
Probè mixta liquefiant blando igne in lebete; massae frigefactae & pulverisatae affundantur
Olei amygd. dulc. ℥iij.
Camph. ℥ß.
stent in digestione per tres dies:
adde
Flor. hyperic. M ß.
Iterum digere, & usui serva.
Vel
℞. *Olei amygdal. dulc.* ℥j.
Spiritus sal. ammoniaci q.s. pro consistentia Linimenti.
M. D. S.
Unguentum dissolvens.

Quod extrinsecùs locis tumentibus calidè crebrò illinendum. Vel ex *terebinthina*, cum *sale volatili urinae aut sale Ammoniaci malaxata*, & hinc cum *Unguento dialthaeae, emplastro de meliloto* mista. Vel

℞. *Empl. de melil.* q.s.
malaxetur cum *Oleo Philosophor.*
vel *Ol. destillat. succini* aut *cerae*.
D. S.
Emplastrum resolvens.

Externè enim applicatum incipientes inflammationes tonsillarum & faucium tollit & discutit. Vel

℞. *Ungv. dialth.* ℥ij.
Olei lil. alb.
Chamom. ana ℥ß.
Philos. vel *succin.* ʒij.
M. pro Linimento externo, S.
Unguentum resolvens.

Quodsi verò nequeat discuti talis tumor, in progressu morbi pro maturando abscessu, ob dolorem & excoriationem faucium & phlogosin, nil, quod tantillum acre sit, sed simpliciter dulcia temperata emollientia adhibeantur, ne dolores exacerbentur. Quo in casu in incremento & statu tale convenit gargarisma temperatum emolliens & ad suppurationem disponens:

℞. *Rad. liquirit.* ℥ß.
Ebuli,
Ireos ana ʒij.
Flor. chamom.
Rosar. rub.
Hyperic. an. P. ij.
Dactyl. no. iij.
Ficuum no. j.
Sem. foenugraec. ʒij.
Albi Graec ℥iij.
Coqu. in *Decocto rapar.*
Colaturae ℔iß. adde
Syr. capill. veneris,
Jujubin. ana ℥j.
M. pro Gargarismate. S.

Gargarisma leniens.

Nam propter dolorem & fauces excoriatas in progressu morbi vel minima acria sunt admodum dolorosa. In progressu ergo morbi talia dulcia ac blandè detergentia, & detergendo maturantia conveniunt:

℞. *Rad. alth.* ℥ij.
Liquirit. ℥j.
Herb. malv. Mj.
Chamom.
Melilot. ana Mß.
Fic. pingv. incis. no. ij.
Alb. Graec. ʒiij.
Coq. in f.q. *aquae comm.* vel *Decocti rapar.* vel *Seri lactis*; vel ubi minor adest aestus & nimius dolor, ipso *lacte cum aqua mixto* vel *lacte ebutyrato*, pro Gargarismate; (nam serum lactis & ipsum lac calidum in ore detentum potenter detergunt, dolores leniunt & abscessum maturant.)
D. S.
Gargarisma emolliens.

℞. *Herb. malvae*,
Melilot. ana M.j.
Rad. alth. ℥j.
Fic. pingv. no. vj.
Coqu. in f.q. *lactis*; aut ubi ardor & inflammatio intensior, in *sero lactis*. Colatura à ℔iß. ad ℔iij. usurpetur vel ita unde, vel addatur
Syr. violar. vel *mell. despum.* q.s.
M. pro Gargarif. anodyno & maturante in flatu:
D. S. ut *ante*.

Cui, si materia suppuranda pituitosior ac viscidior fuerit, aliquid *sapon. Ven.* unà incoqu. Vid. *Coll. Form. l. a. pag.* .....

Praeterea gargarismata, etiam externè conveniunt emplastra, unguenta, & cataplasmata. Inter unguenta usitatum est unguentum dialthaeae cum Oleo chamom. vel amygd. dulcium: inter emplastra, emplastr. de meliloto: inter *Cataplasmata*, emollientia & suppurantia: v.g. sequenti modo communiter solent ordinari:

℞. *Medull. panis tritic.* ℔ß.
Rad. alth.
Lil. alb. ana ℥j.
Sem. lini ʒvj.
Foen. graec. ℥ß.
Coqv. in *lacte dulc.* q.s. ad consist. pultis; trajiciantur per setaceum; adde
Ol. amygd. dulc.
Lil. alb. ana ℥ß. vel ʒvj.
Butyr. rec. non salit. ʒiii. vel ℥ß.
Croci ℥ß. ad ʒj.
Vitell. ovor. no. j. vel ij.
M. applic. pro Cataplasm. omnibus horis repetendo: S.
Cataplasma Emolliens ad collum.

Temperata enim hujusmodi temperant acrimoniam salium in inflammatione suppurante effervescentium; & quò magis temperant acrimoniam, eò magis dolorem minuunt, & suppurationem promovent.

Vel
℞. *Fic. pingv.* no. vj.
Herb. malvae,
Melilot. ana M. jß.
Coqv. in f.q. *lactis*:
Colaturae ℔ij. adde
Mell. despumat. ℥ij.
M. f. Cataplasma suppurans contra tumorem tonsillarum.
D. S. ut suprà.

℞. *Herb. malvae* Miij.
Melilot. Mj.
Flor. chamom.
Samb. ana M. iß.
Ficuum ping. par. iij.
Coqv. in f. q. *lactis* ad pultilag. trajiciatur per setaceum.
Pulpae trajectae ℔i. adde
Pulv. sem. lini,
Foenu Graec. ana ℥j.
Olei lil. albor. ℥ij.
M. pro Cataplasmate.
D. S. ut suprà.

Cataplasma suppurans & discutiens cum myrrha vid. in HORSTII *Obs.* 125. & 126. Vel

℞. *Cepam* cavam, immitte *Theriacam*, & impone.

Ceterùm appropriata hic magis sunt ea, quæ fiunt ex nido hirundinum (quò plus stercoris habet, eò melius, quòd nitrosum & ammoniacale imprimis convenit in cura anginæ) subigitur & coquitur cum melle, axung. Porci, inspergendo *alb. Græcum*, & sic fit cataplasma, simplex quidem, sed admodum egregium in Cura anginæ. Vel

℞. *Nidi hirund. cum sterc.* no. j.
Albi Græci Mj.

Hæc coquantur in vino, in principio morbi, ubi discutiendum; vel in incremento & statu, ubi maturare & dolorem sistere animus est, in *lacte*: traiiciatur per cribrum, & sæpiùs applicetur instar Cataplasmatis colli & faucium regioni, quod admodum egregiè convenit.

D. S.
Singulare cataplasma ad collum.

Qui autem composita Cataplasmata desideraverit, præscribat emplastrum seu *cataplasma de nido hirund. Mynsicht. in thesaur. sect. ultim. pag.* 524. Item *Pauli Lutheri, in* SENNERTI *ubi de Angina*; *item* BARBETTE & DECKERS *in Chirurg. ubi de Inflammatione*, in specie *de Angina pag.* 55. & 58. Vel potest fieri tale Cataplasma compositum.

℞. *Nid. hirund. cum sterc.* num. j.
cui adde
Herb. malv.
Althææ ana Mj.
Flor. chamom.
Melilot.
Sambuc. ana Mij.
Farin. hord. ℥iij. (vel *hujus & farin. Fabar.* ana ℥iß.)
Croci ʒj.
Olei rosar. ℥iß.
Chamom. ℥ß.
M. coqu. in aqua vel lacte, & instar cataplasmatis applicentur.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Rad. alth.*
Lilior. alb. ana ℥ij.
Flor. chamomill.
Melilot.
Malvæ ana Mj.
Sem. fœn. Græci,
Lini,
Psyllii ana ʒij.
Alth. ʒiij. ad ℥ß.
Nid. hirund. no. j.
Alb. Græci ℥j.
Fic. ping. no. iv. vel vj.

Incis. & contus. coqu. in *aqua simpl.* vel *lacte*, vel *sero lactis*, ad consistentiam pultis: Pulpæ trajectæ adde
Olei lilior. alb. ℥j. vel ℥ij.
Rutac. vel *chamomillæ* ʒvj. ad ℥j.
Pulv. noctuæ comb. ʒij.
Croci ʒj. vel ʒiß. ad ʒij.
Vitell. ovor. no. ij. vel iij.
M. pro Cataplasmate resolvente & emolliente in inflammatione tonsillarum.
D. S.
Cataplasma emolliens.
Omnibus 4. vel 5. horis repetatur.

His ipsis cataplasmatibus *ceparum sub ciner. coctarum* ℥ß. vel etiam *succus ceparum* convenientissimè additur, imprimis in inflammationibus nothis, ubi non sanguis purus, sed magis pituitosus seu chylo magis temperatus inflammationem excitaverit, cùm succus ceparum potenter maturet simulque abscessum rumpat. Loco seminum, eorum farinæ pulti trajectæ addi possunt: e.g.

℞. *Nid. hirund. cum sterc.* num. ij.
adde
Herb. malv.
Alth. ana M. j.
Flor. chamom.
Samb. ana M. ij.
Farin. hord. ℥ii. vel ℥iij.
Cep. sub cin. coct. no. ij.
Coqu. ad consist. Catapl. adde
Olei chamom. ℥ij.
M. S. ut *suprà*.

Applicetur externè Anginis & faucium inflammationibus.

℞. *Nid. hirund. cum sterc.* num. j.
Cepar. sub cin. coct. num. iij.
Flor. sambuc. M. ij vel iij.
Coqu. in cerevisia vel lacte:
Pulpæ trajectæ add.
Albi Græci ℥ß.
Olei destillat. chamom. ʒß.
Cum s. q. *Olei Chamom. coct.* vel *lilior. albor.*
F. Cataplasma. D. S.
Cataplasma emolliens.

℞. *Nid. hirund.* No. ij.
Alb. græci,
Rad. lilior. albor.
Alth. ana ℥j.
Fic. ping. No. iv.
Flor. chamomill.
Melilot.
Malvæ ana Mj.
Sem. fœn. Græci.
Lini,
Alth. ana ℥ß.
Cepar. ʒvj. (BARBETTE *Prax. pag.* 23.)

Coq. in *aqua prunell. & sempervìv.* ad putrilag.: postea traiice per setac. adde
Pulv. noctuæ combust. ʒiß.
Ol. lil. albor. q. s.
M. pro consistentia pultis S.
Puls externa ad collum.

Applicetur calidè: Experimentum est D. MICHAELIS. Loco cinerum noctuæ usurpari possunt cineres hirundinum.

Vel
℞. *Rad. alth.*
Lil. alb. ana ℥j.
Cepar. super ciner. coct. ʒvj.
Nidi hirund. No. j.
Ficuum.
Dactyl. ana no. iij.
Alb. Græc. ℥ß.
Coqu. in s. q. *aquæ hordei*:
Colaturæ ℔j. adde
Farin. tritic.
Sem. lini,
Fœn. Græci,
Rad. alth. ana ℥j.
Vitell. ovor. no. ij.
Croc. Orient. ʒij.
Olei chamom. ℥iß.
M. pro Cataplasmate.
D. S. ut *suprà*.

Præmittantur his Cataplasmatibus externæ inunctiones ex ungu. dialtheæ, vel aliis emollientibus suprà dictis, & desuper Cataplasma applicetur pro meliori operatione, quod toties repetendum & reiterandum est, quoties siccetur; siccum enim nullius est usus.

Suppuratâ his ipsis Inflammatione, pro meliori abscessus apertione fauces illinantur internè cum melle, vel solo, vel cui additum sit q. s. albi Græci, quæ probè permista & subacta illinuntur cum pluma vel penicillo; hoc namque admodum maturat abscessum, & suppurationem promovet: Vel *mel* aut Syrupus de rosis siccis cum cineribus hirund. subactum, & abscessui illitum optimè solet maturare & aperire; aut etiam, si fieri potest propter dolorem, parum salis ammoniaci addendum est, & erit eo melius: item noctua combusta cum melle mixta & illita promptè abscessum aperire asseritur. Quidam commendant tanquam specificum ad Anginam filum purpureum, cũ quo strangulata fuit vipera, si collo circumdetur, de quo experientia consulenda: Res mihi videtur admodum dubia. His ipsis si sponte aperiatur abscessus, res salva est: verùm si hoc non fiat, coquatur Gargarisma ex sinapi in hydromelite; e. g.

℞. *Hydromel.* ℔j.
Sem. sinapi ʒj.

Hoc coctum in ore detineatur & gargarisetur donec abscessus apertus. A SENNERTO *in Praxi, ubi de Angina*, laudatur ad citò resolvendum: in suffocationis discrimine admodum præstans habetur.

Alii recipiunt spiritum vitrioli, cui pluma leviter intincta, hâc ipsâ attingunt abscessum, ut ita rumpatur.
Vel

℞. *Vini alb.* vel etiam *aquæ font.* ℔ij.
Olei vitrioli gutt. XXX.
M. D. S.
Gargarisma aperiens.

Hoc sæpiùs gargarisetur ac eluatur iisdem os, ac fauces; sic enim citò ruptus fuit abscessus, & est Euporiston RULANDI *in Thesauro suo*.

BARTHOLETUS ceu secretum ad rumpendum abscessum commendat Cataplasma externè applicandum, factum ex cremore radic. Ireos recentis, cum butyro & oleo violaceo, quod mirabili cum successu abscessum rumpere asserit.

Aliis irritis sereatus, tussis, ac tandem vomitus provocandus est, quæ abscessum nonnihil aperiunt. Quibus etiam irritis, scalpello incurvato, si pateat abscessus, (*si aliquo modo videri potest*,) aperiendus & incidendus, ut à suffocatione liberetur æger.

Quod si suffocationis immineat periculum, aut modis hisce nec tumor, nec abscessus, removeri aut aperiri queat, ne suffocetur æger, *Laryngotomia*, quam Germani pavidi abhorrent, administrari potest; auxilium tamen aliàs est satis tutum, & absque ullo periculo conjunctum, de quo vide Chirurgi Practici, v. g. BARBETTE *in Pr.* &c. Aperto abscessu, *tertio* loco ulcus in faucibus mundandum & demum consolidandum est; pro quo scopo inservit Gargarisma ex aqua mulsa, in qua aliquoties ferrum, ignitum sit extinctum si eâdem eluantur fauces: vel

℞. *Decoct. hord.* ℔j.
Mel. rosat. ℥iij. vel ℥iv.
M. D. S.
Gargarisma eluens.

Quod sufficit: Item adhibeatur Decoctum plantag. cum rad. & foliis quercus vel mespilorum, cui mel aut rob diamoron additum sit, quæ purificant, & consolidant: vid. RULANDUS *p.* 58. Vel mixtura TIMÆI *l.* 2. *Cas.* 1. sub linctus specie usurpanda; item Decoctum veronicæ cum melle; quibus in abscessibus contumacioribus, & quæ consolidari nolunt, addatur parum spiritus vitrioli, quantum saltem ad blandam aciditatem necessarium est, partim melius purificat, partim consolidat abscessum; unde probè observandum sit, quod sordida ac contumacia tonsillarum ulcera ordinariò ferè pro fundamento habere soleant luem Veneream. Vel

℞. *Herb. prunell.*
Veronic.
Salviæ,
Scabios. ana Mj.
Rad. liquirit. ℥iij. vel ℥ß.
Alum. crud. ʒi.
Mellis rosac. ℥ij.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.* pro Gargarismo.
Colatura D. S.
Gargarisma eluens.

℞. *Herb. prunell.*
Veronic.
Salv. ana M. ß.
Rad. polypod.
Liquirit. ana ʒij.
Alum. crud. ʒj.
Mellis rosat. ℥j.
Coq. in s. q. *aquæ simpl.*

Colatura utatur pro Gargarismate purificante & consolidante:

D. S. *ut ante*.

Quod si propter *latentem scorbutum ulcera* talia *faucium sint contumaciora*, optimum est, si *mel rosaceum* imprægnetur cum *spiritu salis benè rectificato q. s.* ad suavem acescentiam, quo ipso multa præstari possunt in faucium & oris exulcerationibus.

Quod si sordidiora sint ulcera, ad viride æris recurrendum erit; nempe vel ad *aquam viridem* PLATERI, aut HARTMANNI, quam *videb. in ejus Pr. Chym. cap.* 52. *thes.* 4. & 5. Quibus ipsis attingantur ulcera penicillo, & hinc vel *gargarismus vel litus cum melle rosaceo* instituatur; vel horum loco recipiunt Chirurgi *unguentum Ægyptiacum*, subigunt *cum melle rosaceo*, ita, ut acrimonia ejus nonnihil temperetur. Hoc ipso cum penicillo attingunt & mundificant ulcera, præsertim sordida, aut jam ad gangrænam declinantia. *Consolidat* postmodum talia ulcera *Decoctum veronicæ cum melle*, quod eò potentius est, si de *Alumine* aliquantulum simul addatur. Tandem & linimenta cum pauxillo aluminis pro consolidando abscessu non sunt incongrua; hinc ad imitationem TIMÆI *von Gulden klee*, e. g.

℞. *Rad. ireos Flor.* ʒiij.
Myrrhæ el. ʒß.
Alum. usti ʒß. ad ℈ij.
Mell. Rosati ℥iß. ad ℥ij.
M. F. Linimentum ulcera mundificata consolidans. S.
Unguentum consolidans ad collum.

Conf. TIMÆUS *von Gulden klee in Casib. lib.* 2. *Cas.* 1. *p.* 78. qui sequens habet linimentum:

℞. *Rad. ireos Flor.*
Angelic.
Caryophyllat. ana ℥j.
Aluminis usti ℈ij.
Mell. ros. ℥ij.
Misc. & loco abscessus illinatur.

Tandem si necessarium fuerit, ad roborandas partes læsas in fine morbi fiat Decoctum prunellæ, plantaginis & florum rosarum in vino decoctis; quibus addatur syrupus *dia-nucum* q. s. pro gargarismate blandè adstringente. Vel

℞. *Aquæ prunell.*
Plantag.
Betonic. ana ℥ij.
Rob nucum,
Dia-mor. ana ℥iß.
M. pro Gargarismate adstringente.
D. S.
Gargarisma adstringens.

Quoad *Anginam notham* seu *pituitosam*, aliàs albam, optimè hanc pertractat MINDERERUS *in Medic. milit. p.* 109. & *seqq.* In hac venæ sectione haud opus est, nisi in plethoricis, ne affluxus major contingat. Convenient potiùs in principio sudorifera, & post hæc purgantia leniora, cum externis resolventibus. Nempe ubi lentor viscidus obsidet linguam, prodest abstersio faucium mediante linteolo cum aceto, & fiat postea gargarisatio cum *Decocto florum ligustri*, salviæ, & origani, rad. pyrethri, sem. sinapi, *in aqua cum pauco aceto*, vel cum aqua florum ligustri & plantaginis, additâ myrrhâ, particulâ *salis ammoniaci*, item juxta DECKERS *Prax. Barbett. p.* 51. spiritu vini, & spiritu salis ammoniaci; sin verò *aphthæ* adsint, loco *salis ammoniaci* addatur *alumen*; loco *aceti* etiam *succus sempervivi recens*, *acuatus cum sale ammoniaco*, utilis est pro abstergenda lingua. Quibus si tumor suppuretur, appropriata superiùs recensita substituuntur: vid. SENNERTUS *lib.* 2. *Part.* 2. *c.* 24. Purificato ore succus sempervivi recens inungi potest cum *rob nucum* vel *dia-mor.* subactus cum pauco *melle rosato*. Collo verò exteriùs admoveantur resolventia, qualia sunt salvia, hyssopus, serpillum, flor. chamomillæ, radix levist. liquiritiæ, &c. Quod si verò ex inflammationis augmento & symptomatum circa vesperam exacerbatione in abscessum vergat, Resolventibus dictis adjungantur emollientia, v. g. herba & flores meliloti, violarum, rad. altheæ, malvæ, sem. lini, fœnugr. caricæ, lac tepidum, oleum lil. alb. chamom. empl. de meliloto, &c. Ruptus abscessus vel sola aqua mulsa, vel gargarismus ex Decocto florum rosar. plantag. veronicæ, rad. liquirit. & consolidæ maj cum melle simplici & rosato detergitur, & ad cicatricem usque mundificatur.

Propter materiæ affinitatem consideremus Aphthas.

MEMBRUM I.

DE APHTHIS.

IN Infantibus APHTHÆ dicuntur Germanicè *die Schwammigen*, quæ *nibil aliud, sunt*, quàm *aliqualis excoriatio aut levis exulceratio omnium oris partium, subinde & œsophagi ac ventriculi*; Id quod patet tunc in rejectis excrementis, cum quibus squamulæ rejiciuntur, seu leves quasi crustulæ.

CAV-

CAVSÆ.

Aphthæ ſuccedunt ferè febribus ingentibus & æſtuoſis, ſuntque puſtulæ, quæ ſucceſſivè in ulcuſcula abeunt, & in febribus vehementioribus his excitantur ex acrioribus humoribus, & ferè iſtis febribus ſuperveniunt, quæ homines *crudi ventriculi*, ſeu qui ſunt *æruginoſis ſeu porraceis recrementis referti*, corripiunt. Hunc ſi Medicus evacuare in tempore neglexerit, aphthæ neceſſariò ſequuntur. Utut autem ventriculus purus ſit, nihilominus interdum aphthæ oriuntur, nempè à *ſaliva corrupta* à ſalſo & acri humore. Quæ à ventriculo initium capiunt, in imis faucibus obſervantur; Quæ verò ab ichore ſalivali corrupto, plerumque incruſtare ſolent linguam, quæ tunc fit arida, pallida, viſcoſa, & varia, prout peccant humores.

DIAGNOSIS.

Aphthas futuras in morbo cognoſcimus ex ſopore & ſingultu; qui toto morbi decurſu non dormiverunt, in ſoporem incidunt, & tunc aphthæ prodeunt: Singultus accidit, ſi ſunt ex ventriculo, & tunc plerumque ſunt deteriores.

PROGNOSIS.

Peſſimæ autem ſunt, quę ex ventriculo non purgato veniunt: Totum enim ductum per gulam uſque ad fauces obſidere ſolent.

Optimæ ſunt albæ, quæ planè *candidæ*, *fungoſæ*, *molles*, *quando inſtar floccorum videntur tumere*: Sed quando ſunt *glabræ*, *viſcidæ*, *ſubſidentes*, *compactæ*, *tales* ſignificant morbum periculoſum & diuturnum.

In Infantibus diſcere poſſumus naturam aphtharum, quæ fiunt ex corruptione lactis; Non rarò namque corripitur Infans Aphthis primis 7. diebus. Nihil autem melius, quàm lac ipſum præbere; inde enim abſterguntur, modicè humectantur & molliuntur.

Sunt & Aphthæ rubræ & molles, prioribus deteriores, *lividæ*, *virides*; Nigræ verò omnium peſſimæ.

Malum ſignum eſt, non facilè coqui, emolliri, humectari, & longo tempore ſiccas, aridas, compactas, planas æqualeſque manere, & quidem diutiùs durantes.

Longum morbum ſignificant aphthæ quæ intra triduum veniunt & abeunt: Has enim ſequuntur novæ, adeò, ut ſæpiùs ſuccedere ſoleant, & tantò futurus eſt longior morbus, quantò Medicus frequentiùs purgat. Nil enim pejus, quàm ſæpè purgare, eo tempore, quo Aphthæ adſunt, vel etiam proximè adfuerunt.

CURA.

CURATIO tota conſiſtit *in humectatione*, quæ emolliat & leniter calefaciat. Cum verò Aphthæ coctæ ſunt, abſtergere illas oportet vel ſpongiolâ alligatâ bacillo, vel linteaminibus, alterutrum intingi debet in *Decocto* aliquo *emolliente*, flor. ſalviæ in aqua ferrariorum decoctorum: Quando igitur lingua incipit exaſperari; id quod præcedit Aphthas:

℞. *Fol. ſedi mai.*

Detrahatur pellicula ab utraque folii parte, hinc in *aqua rosarum* imponantur ut humida ſerventur, poſtea imponantur linguæ ad humectationem.

Pari ratione adhiberi poſſunt *folia portulacæ*, *aut mucilago ſem. cydoniorum cum aqua portulacæ extracta*. *Cum autem jam adſunt Aphthæ*, optimum eſt *Decoctum raparum*, ex quo expreſſus ſuccus imponatur linguæ, humectat & abſtergit. Si parum *ſalis prunellæ* vel *nitri* addatur, ardorem ſimul reſtinguit. Vel oleum raparum, in quo ſaccharum quantum poteſt, diſſolutum ori illinatur; vid. M. A. N. C. *Ann. 4. Obſ. 28. p. 73.* Aut

℞. *Herb. bellid. cum toto* M j.
Ficuum pingu. no ij.
Coqu. in *aquæ communis* q. ſ.
Colaturæ adde
Salis prunell. parum.
M. D. S.
Aqua os purgans & refrigerans.

Quo humectentur fauces & lingua ſæpius.

In maxima autem oris *ſiccitate*:

℞. *Butyr. rec. inſulſ.*
Miſc. cum *ſaccharo cando rubro*, ut
f. inſtar *Boli*; S.
Unguentum os leniens.

Teneatur in ore, emollit & abſtergit.
Addi poteſt parum *ſalis prunellæ*.

Quodſi ulterius progrediuntur Aphthæ, degenerant in ulcera oris ſucceſſivè depaſcentia; quæ ipſa *oris ulcera* etiam ex aliis cauſis nata frequentiùs ferè curantur *abſtergentibus*, quæ inter eſt Decoctum fol. liguſtri, vel aqua deſtillata ſub forma gargariſmatis, vel ſequens.

℞. *Herb. veron.* M. ij.
Coqu. in ſ. q. *aquæ ſimpl.*
Colaturæ adde
Mell. q. ſ.
M. D. S.
Aqua os purgans.
& adhibeatur.

Addi etiam poteſt herb. plantag. effectu eo meliori. *Decoctum ſatureiæ in vino* à quibuſdam laudatur, ſed ſuſpecta, quia acris eſt quaſi ignea, potius prædicta conducunt: item *phlegma vitrioli* cum *aqua prunellæ & plant.* miſtum, egregium & in ulceribus oris partiumque vicinarum: *Rob dia-moron*, item *dia-nucum*, detergunt & purificant ulcera: Quibus in malo contumaciori earum *ſpiritus vitrioli* aut *ſalis rectificati* pro ſuavitate acida addi póſſunt, præſertim ſi ſcorbuticum ſubſit vitium. In hujuſmodi *ulceribus Gallicis* optimæ ſunt *aquæ virides Plateri* aut *Hartmanni*, *de quibus ſupra dictum*. *Confer &* HILDANUS *Cent. 6. Obſ.* 18.

MEMBRUM II.
DE
UVULA EXULCERATA.

PAr ratio eſt UVULÆ EXULCERATÆ, undecunque etiam natæ, in qua etiam hæc ipſa remedia, in ſpecie *Gargariſmus* HARTMANNI *Pr. Chymiatr. pag. 264. polychreſtus* commodè uſurpari poteſt, qui in affectibus ori communibus & angina eſt præſtans.

Sicut de his & cognatis oris ejuſque partium malis videatur *citatus locus*.

MEMBRVM III.
DE
VUVLÆ PROLAPSV.

VVULÆ verò PROLAPSVM ſeu RELAXATIONEM optimè curare docet HILDANVS *cap. 2. Obſer. 21.* ſicuti & inſtrumentum ſingulare pro uvula nimis tumente abſcindenda deſcribit BARTHOLINVS *Centur. 2. Hiſt. 88.* Portione abſciſſâ, pro hæmorrhagia arcenda non nunquam ſufficit collutio vel pulvis adſtrigens, inſtrumento certo applicandus.

Aliàs recentem uvulæ prolapſum curant;
Recipiendo *fermentic. ſpiritu cum vini humect.* ℥j.
Succini albi ʒj.
Maſtich. ʒij
Mixta vertici imponunt.

Item

Oleum ſuccini ſolum, vel unguent. *Horſtii* ex gummi elemi cum eodem malaxatum bregmati applicant; vid. WEDELIUS *de Compoſ. Med. pag. 181.* unà cum gargariſmate, *& Decocto florum liguſtri cum nitro & ſale prunellæ*. Vel

℞. *Decoct. prunellæ* ℥j.
Sal. ammoniaci ʒj.
Alum. crud. ʒß.
M. f. Gargariſmus: S.
Singularis gargariſmus.

℞. *Herb. prunell.* M. ij.
Plantag. M. j.
Gall. pulveriſat. ʒß ad ʒvj.
Coqu. in ſ. q. *aquæ ſimpl.* vel *ferrarior.*
Colaturæ ℥xv. adde

Syr. de rosis sicc. ℥ß.
Alum. crudi vel usti ℈j ad ʒß.
M. pro Gargarismate in prolapsu, & faucium excoriatione:
D. S. ut antè.

Item sal *decrepitatum cum pauco pipere* applicari potest uvulæ ita prolapsæ. Loco *salis communis* optimum est sal ammoniacum, subinde uvulæ applicatum. *Spiritum aluminis* commendant alii.

Quodsi simul

UVULÆ INFLAMMATIO adsit optimum est *Decoctum herbæ aut rad. taraxaci*: *Suffitus succini* ore exceptus specificum est RULANDI: Vel *semen cannabis* in posca parum coctum & colatum, pro Gargarismate adhibitum, est unum ex optimis remediis; Vel *rad. tormentillæ & uvulariæ herbæ anatica proportione* in cerevisia secundaria coctæ, & Colatura cum modico *mellis* edulcorata, adhibeatur pro Gargarismate; Vel decoctum vincæ pervincæ cum vino paratum. Nempè uvula est parva glandula in imis faucibus à palato pendens, laxâ quâdam membranâ tecta, in qua tanquam in sacco pendet; Non enim hâc tegitur, sed præter hanc, propriam membranam suam obtinet. Destillat ex ipsa glandula tenuis salivalis humor sui generis in membranam perforatam, & per hanc in palatum; quoties autem materia est viscida, membrana oppletur, & impeditur influxus sicque, fit laxitas & distensio membranæ, modò dictis corrigenda. Quibus si dolor ex irritatione, aut dispositio inflammatoria exinde accedat, *syr. dia-Codii Montani* parum modò dictis addi potest.

ARTICULUS III.
DE
INFLAMMATIONE STOMACHI, ejusque ABSCESSU.

POst fauces non rarò quoque INFLAMMATUR STOMACHUS, quæ inflammatio est *affectus periculosus* &, si quis alius, *peracutus*.

CAUSÆ.

Causas habet easdem, quas reliquæ Inflammationes in genere: In specie interdum assunta acria aut vitiosa Inflammationem ventriculi inducunt: Sic etiam aciculæ deglutitæ subinde Inflammationem ventriculi periculosissimam inferunt, de qua HILDANUS *C.1. obs.54* ubi notat Inflammationem ventriculi cum febre ardente & horrendis symptomatibus conjunctam ex deglutita acicula. Inflammatur rarissimè ventriculus integer, id quod est malum adeò furiosum, ut penitus sit desperatum; aut saltim unum alterumvè ejus orificium.

DIAGNOSIS.

Quoad Signa: Inflammatio stomachi facilè cognoscitur imprimis, ubi cum febre ardente acuta conjunctus est simul aliqualis tumor in præcordiis, circa ventriculi regionem sub costis nothis dolens insigniter, cum gravi æstu ejusdem loci, siti inexplebili, corporis jactatione, & vigiliis.

Malum est, ut dixi, peracutum, superveniunt subinde deliria, item convulsiones non rarò lethales, speciatim si orificium unum alterumvè fuerit inflammatum; nauseant ægri, & assumta ferè evomunt.

Non confundantur autem, sed distinguantur Inflammatio ventriculi cum inflammatione lobi hepatis, vel musculorum rectorum abdominis, ubi ventriculo incumbunt. Nam *in Ventriculi Inflammatione ardor & dolor magis in profundo sunt*; *hepatis autem inflammatio magis circumscripta est*; musculi verò recti externam abdominis in thoracis confiniis occupant regionem, ac dicta symptomata magis extrorsum vergunt.

Item Inflammatio stomachi rarò est sensibilis, nec potest contangi; Loborum verò hepatis musculorumque, abdominis nunc patent sensibus, nunc manu contrectari possunt.

Porrò in Ventriculi Inflammatione sævissima & peracuta adsunt symptomata, secus ac in loborum hepatis & musculorum abdominis inflammationibus; in his siquidem mitiora urgent symptomata.

PROGNOSIS.

Ventriculi Inflammatio *est malum peracutum*, ex quo pauci evadunt, tertio vel quarto die finiri solet, & ferè semper lethalis est, imprimis ubi in principio sunt vires infractæ.

Interdum, sed rarò, ad suppurationem tendit; Quo facto, melius est, ut abscessus aperiatur intra ventriculum, & per inferiora excernatur, quàm si extra ventriculum intra abdomen effundatur; quod malum; pus enim peritonæum aut intestina inficere, aliamvè quampiam partem, & mediante gangrænâ ægrum interficere solet.

CURA.

Quoad CURAM: hæc eodem modo se habet, atque reliquarum *Inflammationum in genere* Curationes. Ante omnia sudoriferis tumorem discutientibus insistendum est. In specie tamen cautio in Venæ sectione adhibenda est, quod monet FORESTUS *l.10. Obs.1.* ne plus, quàm opus sit, sanguinis evacuetur. Cùm enim gravia symptomata affectum hunc comitari soleant, syncope etiam, ob dolorem vehementem & virium summam imbecillitatem, propterea, ne vires nimis prosternantur, summa cautio hic adhibenda erit. PURGATIO verò in principio & progressu morbi non est adhibenda; irritando enim ventriculum, magis malum exasperat, uti hoc confirmat exemplo quodam ab alio petito FORESTUS *l.10. Obs. 31.* de puella, quæ cùm tertiâ die ab Inflammatione ventriculi sumsisset purgans, quintâ die interiit. Clysmata tamen blanda & abstergentia convenienter injici possunt: vid. FORESTUS *l.19. Obs.31.* Aliàs in Cura primatum obtinent sudorifera.

REMEDIA igitur INTERNA in principio & incremento sunt ex *papav. rhœad. & carduobenedicto*, imprimis ex nitro parata, ut in specie nitro antimoniato; sicuti solo nitro, tam *purificato* quàm *fixato*, in *Decocto hordei* soluto & sæpiùs propinato, curavit filiam suam Inflammatione pylori laborantem LINDANUS *super Hartmannum*. Unde illud possumus præscribere ita:

℞. *Decoct. hord.* ℔j.
Nitri depur. vel antimoniat. ʒß.
M. D. S.
Potio refrigerans.

Præterea potui inserviat *Infusum* aut *Decoctum liquiritiæ rasæ in* aqua simpl. cum successu adhibitum in Ventriculi Inflammatione à RULANDO, *vid. ejus Thesaur. pag.175.* Conveniet & hoc præsertim cum nitro depurato aut spiritu nitri dulci in parva quantitate imprægnatum, sæpius haustum non incongruum est ad Inflammationes Ventriculi; sicuti etiam *spiritus nitri dulcis* copiosè potest exhiberi. Porrò mixtura simplex, aut monium diaphoreticum; *antihecticum Poterii*, cum nitro depurato mistum & propinatum convenienter usurpari possunt. *Saccharum* etiam *Saturni*, item crystalli mineræ Saturni paratæ ex minera cum spiritu nitri, cum aceto distillato acuato, sunt egregiæ; Vel

℞. *Nitri depur.* vel *antimoniati* gr. xv. ad ℈j.
(melius est in hoc casu depuratum & antimoniatum, quàm fixum.)
Antihect. Pot. ℈ß.
Sacch. Saturni gr. v.
M. f. pulvis pro dosi:
D. S.
Pulvis refrigerans.
Vel
℞. *Pulpæ tamar.* ʒij.
Tartari vitriolat. Tach. gr. xv.
Bez. mineral. ℈ß.
Cum *syr. viol.* q. s. f. Bolus: D. S.
Bolus refrigerans.

Quoad EXTERNA Inflammationi ventriculi convenientia; laudant quidam, imprimis DEODATUS *in Panth. Hygiastico*, succum cancrorum fluviatilium, calidè cum unà cum aceto subactum, in principio applicantes; qui tamen minus convenit: quin potiùs proderunt cataplasmata vel Unguenta ex plantis aromaticis in vino vel aqua

aquæ decoctis parata, ut ita partim discutiatur, partim ad suppurationem blandè promoveatur. In principio fotus ex *chamom.*, & *rosis rubris* imprimis convenit, in vino aut saltim aqua coctis, & crebriùs applicatis; Vel fiat fotus aut cataplasma ex foliis caulium rubr. scabiosæ, dentis leonis, ficubus, uvis passis & similibus, quæ in sero lactis decoquantur, & ita externè applicentur. Aquam plantaginis & solani cum saccharo Saturni pro fotu insigniter commendat PARACELSUS ad Curam inflammationis stomachi. Quod si ad suppurationem videatur vergere malum, fiat *fotus* vel cataplasma:

℞. *Fol. branc. ursin.*
Rad. alth.
Ros. rubr. an. Mß.
Quibus ad putrilaginem coctis, adde
Farin. hord.
Flor. chamom.
Sem. fœn. Græc. an. ℥ß.
cum *oleo rosar.* & *chamomill.* f. Cataplasma.
D. S.
Cataplasma emolliens.

Quo tempore, præter mox laudatam *scabiosam*, & interne, *passulæ cum ficubus malva*, & similibus, in *sero lactis* coctis, adhiberi possunt.

Tandem, ut citiùs maturetur abscessus, fiat cataplasma ex stercore columbino & fermento, ad imitationem SENNERTI *l. 3. Prax. ubi de Inflamm. ventriculi*, quod fortius est, & ad apertionem abscessus disponit.

℞. *Sem. fœnugr.* ℥iij.
Sterc. columbin. ℥ij.
Ferment.
Mell. an. ℥j.
Olei chamomill. ℥iß.

M. pro Cataplasmate, quod applicetur stomachi regioni inflammatæ. Quoad abscessum: internè convenit *terebinthina* egregiè, qua nihil melius est, quocunque modo usurpata; hæc enim cum *aqua absinthii* mediante ovi vitello *soluta*, si bis terve detur, resolvit, maturat, mundificat & consolidat abscessum, imprimis si cum aqua mulsa sumatur; sicuti etiam aqua, succus, syrupus scabiosæ, & omnia ex herba hac parata, internè frequentiùs usurpata, vel sola vel cum melle mista, simili modo conducunt & sanant quoscunque, præsertim ventriculi, abscessus, & disponunt; ut is interiora versùs aperiatur. Quibus & spiritum tartari rectificatum nonnulli addendum suadent: e. g.

℞. *Aquæ scabios.* ℥ij.
Spiritus tartari rectif. vel *carm. de tribus* ℨj.
Syr. de succ. scab. ℥iij.
M. D. S.
Potio maturans.

Quod si aperto abscessu jam genitum sit ulcus, usurpetur *Decoctum hordei* vel *hyssopi cum melle*, item *serum lactis* aut *lac chalybeatum*; mundificant & consolidant: *Decoctum* quoque *rad. chinæ cum herbâ scabiosæ* paratum confert. Item *cornu cervi ustum*, *terra sigillata*, *bolus Armena*, &c. *Oleum seu balsamum mastichis cum oleo hyperici* expertum fuit in *Cultrivoro Prussiaco*; de quo vid. BECKERUS *p. 182. de Cultrivoro Prussiaco*, ubi plura huc facientia reperiuntur. Vel

℞. *Aquæ scabios.* ℥ij.
Menth. ℥j.
Cinam spirituosæ,
Acet. destillatum an. ℨvj.
Lapill. cancr. præpar. ℨj.
Antimonii diaphor. ℈j.
Extr. flor. hyper. ℨß
Syr. de symph. Fern. vel *scabios.* ℥j.
M. F. Potio: S.
Potio mundificans cochleatim sumta.
Dosis cochlear. ij.

℞. *Extr. flor. hyper. liquid.* ℨß.
Balf. Peruv.
Sulphuris anis. an. ℈j.
M. D. S.
Balsamum os mundificans.
Dosis gutt. v.

Cæterum BARTHOLETUS. *Tr. de Respirat.* ad aperiendum abscessum ventriculi ceu singulare hac in parte laudat lapidem Pavonium seu Malachiten. quem absinthium redolere dicit, abscessum ruptum, in forma pulveris ad ℈j. assumtum, simul mundificantem & consolidantem. Verùm cum nemo sciat, qualis hic sit lapis? miror, cur eum obtrudat.

Quod si ex acribus corrosivis aut similibus assumptis arrosus aut exulceratus fuerit ventriculus, præmisso, in principio vomitorio, lacticinia, item *terra sigillata*, sunt convenientissima. item *tragacanthum* in aqua flor. rorismar. solutum: vid. BARTHOLINUS *Cent. 6. Hist. 21.* Vel

℞. *Mucilag. sem. psyll.*
Cydon.
Tragacanth. cum aquæ ros. extr.
Syr. violar.
Rosat. solut. an. ℥j.
M.

Vid. BARBETTE *in Tr. p. 134. & 136.*

Aliàs rarum malum est Inflammatio stomachi; exempla tamen *videb. in* AMATO LUSITANO *Cent. 3. Curat. 39.* FORESTO *lib. 18. Observ. 1 30 31.* item ZACUTO LUSITANO *Med. Princ. lib. 2. Histor. 63.*

ARTICULUS IV.

De

INFLAMMATIONE INTESTINORUM.

CAUSÆ.

Juxta stomachum etiam *inflammantur* subinde *Intestina*, quæ præter alias CAUSAS INTERNAS, omnibus reliquarum partium inflammationibus communes, interdum pertinacem & quasi iliacam alvi obstructionem, interdum herniam, interdum dysenteriam immediatè suppressam, interdum quoque EXTERNAM læsion[em], v. g. violentam contusionem, &c. præsupponunt. De ileo enim notum est, quod contumacem secum trahat inflammationem intestinorum; sic de hernia quoque patet, quod intestina in loco hernioso ad inflammationem perveniant. Inflammantur intestina, tam tenuia quàm crassa, utut frequentiùs tenuia.

Ex *causis externis*, non tantùm à corporis incalescentia FORESTO *l. 21. obs. 18* sed etiam abdominis refrigeratione, intestinorum inflammatio observata fuit; qualem etiam observavit RHODIUS *C. 2. obs. 78.* ab incurvata costa spuria, colon pungente.

DIAGNOSIS.

Quoad pathemata inflammationis intestinorum, quibus malum cognoscitur, facilia; & quidem sunt ea: quod in loco Inflammationis tumor quidam rotundus ac tactui renitens percipi soleat. quem Veteres in specie CHORDAPSUM appellarunt, quia chordæ instar intestina convoluta ac indurata apparent; cui chordapso confirmato, cùm sæpissime Iliaca passio superveniat, hinc factum est, ut chordapsum & Iliaca passio pro synonymis habita fuerint, utut differentia intercedat ceu causa particularis, & chordapsi nomen traxerit ex traditione vulgari, qua instar chordarum intestina convolvi putantur.

Præterea in loco isto intensus ardor & vehemens dolor, in specie pulsatorius, fixus, distendens, &c. percipitur. Gravis affectus est, habet cruciatus insignes; sed sicut sunt vehementissimi, ita brevissimè durant. Alvus est occlusa, & podex non rarò strictissimè stringitur seu contrahitur. ut ne specillum admittat; interdum interiora versus retrahitur; quod quando fit, signum est certissimum, quod excrementa per os rejiciuntur, & tunc vocatur Ileus. Hoc si eveniat clystere paulò ante immisso, ipse clyster per os redditur, quia intestina subinde superiora versus contorquentur. Febris adest acuta, lipyria, tepent extrema, uruntur interiora. Præterea vrina interdum supprimitur, venter ferè inflatur, respiratio est difficilis, vires languent &c. Quod si tenuia inflammata sint intestina, omnia symptomata graviora & periculosiora esse solent, & situs doloris & caloris imprimis medium ventrem & regionem circa & infra umbilicum occupat, dolor & tormina ad superiora magis vergunt, stomachi distensio adest, spiritus angustia, nausea & vomitus assidi, &c. Ubi verò afficiuntur intestina crassa, omnia symptomata nonnihil sunt remissiora, & situs peripheriæ intestinorum crassorum, eorum

affectum

affectum demonstrat; dolor enim ad hypochondria magis pertingit, vomitus non ita continuò durat, ac lumborum adest gravitas.

PROGNOSIS.

Inflammatio intestinorum in genere *periculosum* & *peracutum est malum*: quæ intestinum ileon occupat, periculosissima est, brevissimè durat, & non rarò intra biduum aut triduum cursum suum absolvere solet, & facilè ac sæpius in gangrænam & sphacelum intestina inflammata terminantur; quæ inde patent, quod subitò cesset omnis dolor: Neque enim inflammationes internæ subitò cessare debent, sed tractu temporis.

Omnis ergò subitanea cessatio doloris infallibile argumẽtum est extinctionis seu mortificationis partis: sæpius etiam sine Gangræna in ileum terminatur frequentiùs lethalem, unde perfectâ Inflammatione intestinorum laborantes rarò evadunt ægri, sed sæpissimè intereunt.

Non rarò etiam in abscessum terminatur, cujus ruptura ad intestinorum cavitatem tutior est, quàm ad cavitatem abdominis, dum per cavitatem intestinorum pus facilè evacuari potest, uti *supra Articul. anteced. de ventriculi inflammatione* dixi.

CURA.

In CURA tractentur leniter, ne irritentur crabrones, adeòque aut mortificatio aut ileus citiùs provocetur. Sangvis è *secta* in brachio *vena* revellendus, idque interdum etiam repetitis vicibus. Hinc si alvus aperta non sit, CLYSTERES frequentes injiciantur, iique tales, qui non requirunt longum tempus ad præparationem, quia morbus præceps, sed sit ἐυπόριστον: verbi gr. solum *Decoctum hordei* cum *melle*, aut *saccharo rubro*, aut *nitri depurati* ℥j. ad ℥iij. Vel *clysteres ex lacte parati cum saccharo violaceo*, vel *melle rutaceo*, vel *ex lacte cum succo plantaginis*, aut etiam ex lacte cum nitro depurato; Item *clyster ex succo* aut *Decocto cancrorum fluviatilium*, qui tamen magis in inflammatione intestinorum crassorum, minus in tenuium, prodest.

Vel ad imitationem BARBETTE *in Pr. l. 4. c. 7.*

℞. *Herb. semperviv.*
Tarax. an. Mj.
Tamarind. ℥j.
Sem. melon. ℥ß.
Tartari crud. ʒij.
coqu. in s. q. *Decocti hordei.*
Colat. ℥x. adde
Syr. rosat. solut. ℥j.
M. pro Clystere. S.
Clyster leniens.

Hinc leniendi causâ *externè* applicetur *cataplasma* discutiens in lacte ejusve sero coctum. Præ cæteris commendatur hic à LINDANO *omentum vervecinum*, animali vivo extractum, & ventri calidissimè impositum. Oportet igitur in eodem conclavi animal discindere, omentum extrahere, & leniter involutum immediatè abdomini imponere, pulvillis calidis superimpositis. Si dolor non cessat, aliud omentum imponatur, imò tertium. Item paratum balsamum ex oleo saturni per destillationem, mistum cum Oleo rosaceo, & externè inunctum, remedium est commendatum ab Hartmanno.

Quoad autem *internè*; ea sunt, *quæ reliquis Inflammationibus*, in specie pleuritidi *dicata*: specialiter ergo conveniunt, præter diaphoretica & discutientia, nitrata, spiritus nitri dulcis, &c. qui certè egregius est. Oportet *internè* simul dare *anodyna*, v. g. *laudanum* opiatum, quibus si dolor successivè remittat, & somnus succedat, salva res est; si non, & delirium sequitur, mors certa: Sin dolor subitò cessaverit, ex gangræna æger brevi moritur. Commodè etiam videtur præscribi posse mistura elegans BARBETTE, quam habet *in sua Praxi cap. 7. lib. 4. p. 231. ubi de ileo*; nempè

℞. *Aquæ prophylact.* ℥iß.
Rosar. ℥ß.
Card bened. ℥iiiß.
Succi semperviv. maj. depur. ℥j.
Bezoard. mineral. ℈j.
Syr. de portulac. ʒxij.
Misceantur.

Hauriatur cochleatim subinde benè tecto corpore. Aut loco hujus,

℞. *Aquæ card ben.* ℥iij.
Aceti sambuc. ℥ß.
S. cc. sempervivi maj. depur. ℥j.
Rob sambuci ʒij.
Bezoard. mineral. ℈j. ad ℈ß.
Syr. de protulac. ʒvj. ad ℥j.
M. F. Potio: S.
Potio dissolvens, cochleatim sumenda.

Item saccharum saturni, aut Oleum saturni per deliq. paratum, similiter conveniunt internè.

ARTICULUS V.

De

INFLAMMATIONE ANI.

CAUSÆ.

CÆterùm juxta intestina frequentissimè eorum extremitas seu *Recti exitus*, *Anus*, *etiam inflammatur*; idque à violentia CAUSÆ EXTERNÆ, contusione nempè, aut vehementi concussione, ut ex equitatione nimia, quale exemplum observatur *in* FORESTO *libr. 22. Observat. 13.* item ex irritatione externa per acria facta, quando nempè adhibentur chartæ vitriolatæ aut piperatæ podici pro anitergo, quale exemplum habet PLATERVS; Vel ex INTERNA CAVSA, inter quas imprimis hæmorrhoides suppressæ, aut etiam cæcæ, inflammationem in Intestino recto seu ano excitare solent.

DIAGNOSIS.

Signa autem Ani inflammati sunt *necessariò* dolor ejus insignis pulsatorius, qui propter arterias hæmorrhoidales & sanguinis impeditum motum sequitur, & tumor adest nunc magis nunc minus sensilis.

Dolor quoque ac sensus ardoris nunc in profundo seu parte interna, nunc in parte magis externa hæret, in qua palpari potest digito non immisso, sed externè applicato; aut ano presso, interdum tumor oculis inspici potest.

Peculiariter quoque foramen seu podex ipse, circulus nempè ultimus intestini recti, introrsum versus retractus percipitur, alvus difficulter redditur, accedit febris, &c.

PROGNOSIS.

Quoad eventum; Inflammatio hæc Ani sæpè est periculosa, & nisi maturè discutiatur, ritèque tractetur, in gangrænam, in abscessum abit, & hic in *fistulam* difficillimæ curæ; quæ fistula interdum penetrat in vesicam, hinc crepitus & stercora subinde per vesicam emittuntur.

CURA.

Quoad CURAM ergò, mox in principio oportet revellere *secta vena* in brachio, & hinc ante aliorum applicationem opera danda est, ut protinus alvus solvatur & aperta servetur. Fit hoc quidem cum aliquali dolore & Inflammationis aggravatione; omnia tamen hæc symptomata graviora fiunt, si fæces retentæ aut induratæ postmodum excernuntur: Ob id ergo protinus *clyster* leniens & emolliens ex lacte, ac etiam ex alio decocto emolliente in lacte paratus, vel ex decocto foliorum & florum verbasci, parietariæ, & folijs meliloti injiciendus; addatur saccharum. Quod si verò induratæ jam sint fæces, ʒj. *salis gemmæ*, potenter dissolventis easdem, addenda. Quod si unum clysma alterumve injectum & rejectum non sufficiat, aliud injiciendum cum oleo rapistri, seu rapi sylvestris & lini mistum; hoc enim est appropriatum, & sic præcavetur abscessus: Suspensâ autem quasi manu & blandè clysma applicandum, ne dolor & ardor augeantur. Formulas dedi *suprà sect. 9. c. 1. art. 2. ubi de passione iliaca*. Sin verò minus externa talia scopo suffecerint, aut clysmata nequeant injici ex metu majoris irritationis, convenientissimum erit, ut per blanda *passulata* aperiatur alvus & fluida servetur, uti audivistis *supra l. a. & sect. 17. cap. 3. Artic. 6. ubi de malo hypochondriaco*. Acria enim quæcunque, fortiùs intestina stimulantia,

tia, ac inter ea imprimis laxativa resinosa, fugienda, ne horū visciditate malum reddatur pejus; hocq; probè observetur in fistulis ani, quæ per resinosa semper solent exasperari; ac proin passulata lenientia sufficiunt.

EXTERNE foveatur anus cum Decocto agrimoniæ & menthæ Saracenicæ ex aquæ & aceto, vel horum loco *cum vino* coctarum, quod est appropriatum discussivum in Inflammatione ani; Vel decoquantur hæc simplicia in aqua calcis vivæ, quod decotum ita medicatum nobilissimum est, in specie si metus gangrænæ imminet; vel etiam aqua calcis vivæ, in qua ebullierit chamomilla, commodè, adhibetur: Folia etiam & *flores verbasci in aqua* vel sero lactis *cocta* pro fotu itidem egregiè conveniunt ad hujusmodi calidos abscessus; quibus *folia solani et portulacæ*, aut etiam si dolor nimis urgeat, commodè parum *fol. hyoscyami* simul addendum est, cautè tamen: *Mucilago seminis psyllii* aut *cydoniorum cum aqua sempervivi extracta*, addito *saccharo saturni*, & applicata, est utilis. Sin acrimonia orta acribus externis, nil melius est quàm lac, vel simplex vel cum linaria, chamomilla, ac floribus sambuci decoctum, & in forma fotus vel cataplasmatis calidè admotum: item *lac* cum albumine ovorum agitato mistum, & ita pro fotu applicatum, convenit etiam in podicis ardore & Inflammatione, in specie piperatorum & rerum adurentium contactu facta, teste PLATERO *in Observ.*

Et hactenus dicta in incipiente Inflammatione possunt usurpari.

INTERNE diaphoretica & sudorifera blanda sunt optima.

Quod si Inflammatio ani discuti nequit, & jam factus sit abscessus, præter emollientia & resolventia imprimis confert *balf. sulphuris* ad extra *Rulandi*, ex *sulphure* cum *oleo papaveris* paratū, quod optimum est remedium, & describitur ab HARTMANNO *in Prax. Chym.* ubi *de mamillar. affectibus*; hic enim & maturat & mundificat, & consolidationem promovet, & præprimis imminentes fistulas præcavet:

Item

℞. *Lact. chalybeat.* ℔j.
Terebinth. cum vitell. ovi sol. ℥vj.
Mell. rosati ℥j.
M. pro Enemate, pro exulceratione intestini recti:
D. S.
Clyster ulcerationem mundificans.

Item præparetur *Unguentum Nicodemi*, ut vocatur, & describitur in *Antid.* WECKERI, quod *balf. sulphuris* permistum optimum erit remedium pro curando hujusmodi abscessu. Hoc ipsum tamen maturè faciendum est, quia aliàs in fistulam degenerat, quæ interdum in vesicam urinariam hiat.

Ad HÆMORRHOIDUM EXULCERATIONEM Linimentum ex auro fulminante, cum oleo amygdalarum dulcium paratum, singulare est Anglorum experimentum.

Sin abscessus in fistulam abierit, hæc facilè non curatur; optimum tamen remedium esse dicitur *oleum dulce mercurij*, quod vid. in AGRICOLÆ *Commen. in Poppium*.

INTERNE, ubi Intestinum rectum exulceratum, usurpari possunt Potiones vulnerariæ; e. g.

℞. *Herb. heder. terr.* M. ij.
Plantag.
Sanic. an. M. ß.
Ras. Cornu Cervi ℥iij.
Coqv. in f. q. *aquæ*:
Colat. ℥viij adde
Syr. corallor.
De symph. Fernel. an. ℥j.
M. D. S.
Potio vulneraria consolidans & mundificans.

Ter hauriatur in die cum gutt. 4. balf. sulphuris.

ARTICULUS VI.

De

MESENTERII INFLAMMATIONE ALIISQVE AFFECTIBVS,

& inde orto

ABSCESSV.

PErgimus ad MESENTERII INFLAMMATIONEM, cujus tumores & inde nati abscessus sanè sæpiùs sunt origo & fons *chronicorum* & latentium admodum *morborum*, & fomes mirabilium turbarum & complicatorum affectuum, qui latentes mirè vexant ægros, & Medicos insigniter turbant; sicut & variformes sunt passiones, quæ ex affecto mesenterio originem ducunt. Affectus hi adeò latentes sunt & occulti ex eo, quoniam difficillimè cognoscuntur, cùm mesenterium *in profundo situm*, aliis quoque partibus hinc inde circumseptum sit, & propter sensum obtusum minus clara sint ejus pathemata, unde sæpissimè & ægros & Medicos fallunt, ut rarò de his possimus esse certiores: Accedit prætereà & hoc, quod corpus mesenterii variis glandulis sit infarctum, quæ ipsæ diversimodè affectæ similiter varia abdominis symptomata inferunt, tàm per se, quàm ratione lymphæ, adeoque evenit, ut tam intricati affectus oriantur: Item accedit *textura*, divaricatio, & distributio *nervorum* per mesenterium sparsorum varia & mirabilis, unde uno affecto aliæ etiam partes facilè per consensum simul afficiuntur, ut nequeamus ob id rectè distinguere proprios MESENTERII AFFECTVS ab aliis. Affectus seu morbi, qui vitio mesenterii oriuntur, tumores & abscessus, sunt varii & vagi, interdum frequentiùs, idque in paulò obesioribus, plus minus dolorosi, nunc circa dorsum & lumbos dolorem, nunc in abdomine, ac præsertim circa umbilicum, tormina inferentes, lenti tamen omnes & diuturni; subinde cum *febricula erratica* complicati, ac continuis aut saltim vagis æstuationibus & intercurrentibus interdum horroribus levibus comitati, quæ symptomata propria sunt ferè membranosis partibus affectis. Corpus simul ut plurimum successivè emaciatur, respiratio evadit difficilior, & subinde aliquid molesti, quod ipsi ægri satis explicare nequeunt, in profundo abdominis circa & infra umbilicum & circa præcordia se persentire affirmant. Venter nunc inflatur ac plus minus tumet, ut interdum ægri quasi tympanitide laborare videantur; nonnunquam tenditur abdomen, nunc ad interiora dorsum versus quasi retrahitur; dolor autem & tumor lumborum aut abdominis subinde per intervalla recurrit, & sæpè multis annis affligit; flatulentiæ plures insimul ægros vexare solent. Frequentissimè tamen Mesenterii Inflammationes alii tumores inde nati & occulti abscessus sequuntur, hinc etiam variis glandularum tumoribus duris scirrhosis & strumosis mesenterium afficitur, qui nunc suppurantur, nunc manent sine suppuratione, sicut & steatomata, atheromata, meliceri des & similes tumores intra duplicaturam mesenterii congeruntur. Infantibus, quibus affectum est mesenterium, non rarò atrophia & tumores quasi tympanitici abdominis supervenire solent. *Febres ardentes* ceu metastasi criticâ in abscessus mesenterii terminantur; quin & aliis febribus aut morbis complicatæ *Inflammationes*, & inde nati *abscessus mesenterii*, eos intricatos & molestos magis reddunt, unde non ineptè exinde SENNERTUS derivat febres semitertianas *l. 3. Prax. p. 445.*

CURANTUR tamen hæc pathemata mesenterii ferè ut alii chronici affectus, cachectici aut hypochondriaci, *internè* quidem per *salia salsa*, *tartarea*, *nitrosa*, *abstergentia*, & hinc per *martialia & volatilia*, item *aromatica*, *amara*, *aperientia* aut *hepatica* vulgò dicta, interpositis blandis *purgantibus*, quem modum *suprà Sect. 3. & Sect. 17. Cap. 3. Artic. 1. de Cachexia* tetigi. Tractentur tamen cautè & sine violentia; aliàs exasperantur & deteriores evadunt ob nervos tunc irritatos. *Externè emplastrum ex gummatibus*, *de cicuta*, *de nicotiana*, *emplastrum Vigonis de ranis cum Mercurio*, *vel ex gummatibus & mercurio* descri-

descriptum a BARBETTE *in Anat. Pract. p.* 557. Plura videb. *suprà Sect.* 3.

Multa præterea *tumorum & abscessuum* occultorum in *mesenterio* hinc inde prostant observata: v.g. *Callum inter venas* mesenterii natum lethalem; item *Calculos* in mesenterio, refert SCHENCKIUS *in Observat. l.* 3. *Hydropem à vesiculis* mesenterii recenset TULPIUS *l.* 2. *Observat.* 34. Mesenterium *lapidosum*, hinc atrophiam lethalem PANAROLLUS *Pent.* 5. *Obs.* 19. *abscessum* mesenterii, ubi *cum pure simul vermiculi* excreti, THONERUS *l.* 1. *Observ. p.* 173. Tumorem mesenterii durum circa medium pancreas per emollientia curatum videbitis à FORESTO *lib.* 21. *Observ.* 1.

Ex *scirrhoso mesenterii tumore* hecticam incipientem, menses albos, tormina TRINCAVELLIUS *l.* 3. *Consil.* 22. *p.* 372. *Mesenterium scirrhosum* in hysterica in M. A. N C. *Ann.* 4. *Obs.* 32. *p.* 107. *Glandulas* mesenterii *induratas* & auctas, ventrem tumidum reddentes, apud PLATERUM *l.* 3. *Observat. p.* 464. Sed de his & similibus mesenterii affectibus, tam veris quàm falsis, præ cœteris omnium optimè scripserunt FERNELIUS *in Pathol. speciali*, & post hunc MATTHÆUS MARTINI *de Morbis Mesenterii abstrusioribus*, qui laudem meretur, & *hinc* SENNERTUS *l.* 3. *Prax. ubi de Mesenterii Morbis*. In his ut ut vera falsis, & bona sint mista malis, cùm licèt non theoriam plausibilem, sed pro temporis illiùs ratione mancam, ex sanguinis circulatione, lymphæ & glandularum observatis aliisque hodiernis experimentis emendandam, nec remedia bonæ notæ offerant; horum tamen *Historiæ* observatæ, *Diagnosis*, *Prognosis*, & *Praxis* satis commoda, pro ulteriori indagine uberiorem occasionem subministrant.

Speciatim jam *consideranda est mesenterii Inflammatio*, & *hanc* subsequens *Abscessus*.

Satis autem frequentes sunt mesenterii Inflammationes, quoniam copiosissima habet vasa sanguifera, simulque copiosissimis instructum est glandulis, unde facilè excitatur Inflammatio, ut ut ferè cum aliis morbis conjungatur, ac sub aliis morbis se præsentare soleat, idque imprimis, dum illud ob varios casus inflammationem pati queat, in specie accedente intestinorum affectu: Vnde mesenterium nunc solum, idque rariùs, nunc unà cum intestinorum parte, inflammari solet: Si hoc, melius est pro Medico, qui ita faciliùs eam cognoscere potest; pejus pro ægro magis patiente; quale exemplum habet CHIFFLETIUS *obs.* 31. de Mesenterii & Intestinorum Inflammatione cum umbilici dolore conjuncta.

CAVSÆ.

Ex causis, quæ Inflammationem Mesenterii inducunt, præter eas generales Inflammationum reliquarum CAVSAS, *duæ* imprimis sunt *speciales* in *mesenterio*, nempè *dysenteria* & *hernia*. *Dysenteria* enim pravè curata, in specie suppressa, ac adstringentibus intempestivè tractata, sæpissimè in Inflammationem Mesenterii periculosam & lethalem degenerat, observante hoc HILDANO, LA MONIERE, & MATTHÆO MARTINI *c.* 1. *p.* 27. Quoad *Herniam* verò, dum in hac, ubi cum intestinis tenuibus mesenterium simul in scrotum descendit, non potest non mesenterium contractum aut vitiosè compressum sanguinis circulum turbare & impedire, & ita Inflammationem incurrere. Præterea & *febres ardentes* per metastasin quasi criticam materiæ morbificæ in mesenterii abscessum terminantur, ut *suprà jam dictum*.

DIAGNOSIS.

Quod attinet SIGNA DIAGNOSTICA, Inflammatio hæc non secus ac reliqui ejus tumores & abscessus, difficulter COGNOSCUNTUR, quia latent in profundo, & sæpiùs sunt indolentes; aut dolentes licèt, pro uterinis, colicis aut nephriticis pathematis subinde habentur, cùm nausea & vomitus subinde accedant. Nihilominus tamen in *Inflammatione Mesenterii* percipitur quasi *pondus in abdomine*, ac imprimis in ejus profundo, quod in specie sensibile fit, dum æger se in lecto volvit; *ardor* simul adest non rarò præcordiorum aut circa umbilicum; *dolor pulsatorius* in profundo abdominis, cum leni tamen ardore absconditus; cum quo etiam ardore percipitur tensionis quidam *sensus* sub ventriculo & circa ejus regionem, & in abdomine, idque tamen citra vehementem, & quæ non nisi pressu animadvertitur, duritiem; interdumque adsunt egestiones chylosæ ac plus minus serosæ, citra tamen ventriculi vitium præsens excitatæ: Ratio facilè patet. Dolor vehemens aut acris adest nullus, sed tensivus, obtusus, plus minus pulsatorius urget: Adsunt *signa Inflammationis* reliquarum abdominis partium, quæ aliàs facilè confunduntur.

Observandum ergò, ne confundatur *Inflammatio umbilici* cum Inflammatione Mesenterii, sed probe distinguenda est. Nam umbilicus in parte sui interna non externa, circa musculos rectos non rarò inflammatur & suppuratur, unde pus per eum evacuatur. Nempè in umbilici inflammatione circa regionem ejus in profundo dolor magis sentitur, tumor apparet prominulus & propior, qui in mesenterio est remotior, ardor & febris sunt magis intensa, ægerque in abdomine majorem tensionem persentiscit; Quando verò Inflammatio ad abscessum pervenit, percipit tunc horrorem, interdum rigorem, cum superveniente insigni æstu.

Cauti etiam simus, ne Inflammationem Intestinorum confundamus cum Inflammatione Mesenterii: Nam circa umbilicum tres vel quatuor sunt digiti, ubi imprimis locus est mesenterii, in quo præ aliis tangi atque cognosci potest eius Inflammatio aut abscessus; Nam si ipsi non adest Inflammatio, non potest percipi tactu si ipse umbilicus inflammatus, percipitur propior tumor, qui in mesenterio est remotior.

Febres diversæ etiam in Mesenterii Inflammatione & Abscessu adjungentur, pro diversitate loci inflammati: Sin profundè Mesenterium inflammatum, utplurimum febres non sunt *continuæ*, sed lentæ, *languidæ*, absque siti insigniori aut gravioribus symptomatibus, & quæ interdum circa vesperam exacerbantur, oriuntur: Interdum nulla febris indicia adsunt, teste RHODIO *c.* 2. *Observ.* 95. Sin verò circa exteriores ejus partes, ubi reliquis abdominis contentis visceribus jungitur, Inflammatio mesenterii accidat, præsertim cum intestinis, tunc symptomata dicta omnia existunt graviora, febres ardentes plus minus acutæ, non rarò semitertianæ conjunguntur, & graves dolores affligunt, innuente SENNERTO *cap. de Inflammat. Mesenterii lib.* 3. *Prax.*

In genere, dum *suppuratio* fit, ut aliàs in quavis Inflammatione, febris, dolor & symptomata reliqua fiunt graviora. Dum *Apostema suppuratum rumpi incipit aut rumpitur*, HORROR INSIGNIS, *interdum* RIGOR quatit ægrum, *cum superveniente æstu* non rarò insigni, quem puris, præsertim per alvum, excretio succesivè comitatur: Confer. HORSTIVS *lib.* 14. *Obs.* 25. & 26. item BARTHOLINVS *Centur.* 4. *Epist. pag.* 49. & *c.* 4. *Histor.* 96.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN; Inflammationes mesenterii aut resolvuntur, aut frequentissimè suppurantur, & in abscessus abeunt, aut diutiùs durando, in scirrhos degenerant, qui non tam in mesenterio inflammato, quam eius glandulis observati satis sunt.

In Obstructionibus mesenterii supervenientes *cruentæ dejectiones* subinde salutares sunt: vid. BARTHOLINVS *Cent.* 6. *Hist.* 41.

Suppurationes Mesenterii admodum sunt lentæ, ac non nisi tardè suum absolvunt cursum, unde etiam ægros vix in consuetis functionibus impediunt. Diuturno hoc malo afflicti successivè aut ad *tabem* & *hecticam*, aut tandem ad *cachexiam* deveniunt. Eructante pure, post abscessus ruptionem, alium in locum quàm in alvum, excretioni idoneum non reperiente, gravis affectus *colicæ* similis non rarò observatur. Sin verò in abdominis cavum effundatur, tunc membra vicina vel inficit, ut gangrænam concipiant, vel acredine corrodit, & malorum quamplurimorum autor est.

Interdum abscessus ruptus optimè non tantùm per alvum, quod sæpius, quàm, quod rarius, per urinam, rarissimè per uterum expurgatur, intestina corrodit, & eadem siderata seu sphacelata reddit: Exemplum suggerit TVLPIVS *Obser.* 37. *l.* 2.

Vt autem *discernatur*, *nec confundatur*, *excretio purulenta* facta ex *mesenterio*, ab *excretione purulenta vitio exulcerationis intestinorum*, observetur hoc *signum distinctivum*,

quod

quòd *si confertim* uno impetu, & *copiosè*, & sine dolore, per alvum fluant purulenta, eaque plerumque permixta cum sanguine plus minus, ex mesenterio esse: quod *si verò* purulenta *pauciora*, & *tardiùs* cum magnis torminibus ac præcedente febre acuta sensim ac successivè effluant, signum est, *esse ab ulcere intestinorum*, ac horum cum mesenterii simul conjuncto.

Observationes singulares ac præ aliis curiosas Inflammationis Mesenterii, ejusque abscessuum, cum gravissimis symptomatibus, secutâ tamen excretione copiosâ purulentâ, videbitis in BARTHOLINO *Cent. 4. Epist. p.* 490. item in *C. 4. Hist. p* 96. sicut etiam rarum est, quod refert RHODIUS *cap.* 2. *Obs.* 95. de Abscessibus mesenterii interdum sine febribus observatis, utut, uti dixi, utplurimum adsit febris lenta; & TULPIUS *l.* 2. *obs.* 37. ubi notabilem habet casum, Inflammationem scilicet mesenterii suppurati, & ad sphacelum dispositi.

Porrò evenit interdum in Mesenterii abscessu, ut emittatur vrina copiosa, eaque laudabilis cum sedimento laudabili: quod si fiat sine levamine ægri, quin potiùs cum incremento dolorum, malum est; innuit enim fluxum colliquefactivum, ægrum tabi ac hecticæ, brevique pòst morti traditurum.

CURA,

CURA ferè cum reliquis *Inflammationibus* est eadem, mutatis saltem mutandis, ratione nempè partis affectæ, & conjunctorum symptomatum.

Notandum saltem, quod venæ sectio nil prosit, nec ipso morbo, nec sanguinis effervescentia febrili adeò acutis existentibus. Præ cæteris tamen sanguinis quibusvis evacuationibus *vasorum hæmorrhoidalium apertio*, præsertim per *hirudines* applicatione factâ, suo cum fructu *in mesenterii morbis* institui solet, naturâ monstrante viam, & per dicta loca subinde felici cum successu se ipsam exonerante.

PURGATIO quævis propriè sic dicta seu vehemens ex se & per se potiùs est nociva, irritat crabrones, & absque euphoria ægri evenit. *Clysmata* verò emollientia, lenientia, abstergentia & anodyna, pro circumstantiarum ratione subinde injecta, imprimis quando jam per alvum purgatur abscessus, sæpiùs sunt utilissima.

De cætero tota Inflammationis mesenterii *Cura* consistit in *resolventibus & emollientibus*, ut rectè loquitur HARTMANNUS *in Pr. Chym.* illis quidem resolventibus *internis*, his verò emollentibus *externis*. *Interna* ferè sunt nota ex superioribus, præter quæ in specie *tartarea*, v. g. *tartarus vitriolatus*, *liquor terræ fol. tartari* ritè paratus, *tinctura tartari, spiritus tartari simplex*, aut *carminativus, tinctura vitrioli martis Zvvelfferi*; item alia blanda *Martialia, ess. martis cum succo pomorum, tinctur. tartarisata martialis Ludovici*, item *essentiæ amaræ* aperientes dictæ, ut *absinthii*, *centaurii min. fumariæ*, *cardui ben. chelidonii majoris*, gummi ammoniacum, &c. Quibus adjungenda sunt, speciatim si febris lenta adsit, diaphoretica; antimonialia; unde *antimonium diaph.* præsertim *martiale*, hinc etiam bezoardicum martiale, antihect. Pot., & similia in morbi cursu sunt præstantissima & frequenter usurpanda. *Externè* applicatum *emplastrum de cicuta* usitatum, vel solum, vel cum *gummi ammoniaco* subactum, juxta curiosam HARTMANNI compositionem, est egregium in tali casu; hâc tamen simul observatâ *cautela*, ut, *si citra dolorem* emplastrum hoc emolliat, & inflammationem discutiat, res bene se habeat; *sin verò dolorem* intendat & *exacerbet*, malum signum est; certum enim est, factam jam esse inflammationem ac abscessum, adeòque emplastrum removendum erit, & ab eodem abstinendum. Aliàsquoque præter consueta *emplastra*, *cataplasmata* & fomenta emollientia ex *betonica*, *solano*, *agrimonia*, *chamomilla*, *verbasco*, *meliloto*, *liliis albis*, *absinthio*, & similibus in vino coquenda, & cum spongia vel aliis appropriatis applicanda, conducunt. Quod si cum Inflammatione & Abscessu Mesenterii febris lenta plus minus conjungatur, internè martialia & antimonialia reliquis suprà enarratis addantur remediis, præsertim *lap. cancr. antihect. Pot.* &c. *cum pauco sale ammoniaco* socianda erunt.

His ipsis vel *resolvitur* Inflammatio & abscessus, vel ut plurimum *suppuratur*, unde rupto abscessu sequitur tandem puris utplurimum per intestina vel per vrinam excretio, eaque in principio confertim, & postmodum successivè, continuatur ad perfectam usque abscessus expurgationem, Interdum remittit puris excretio, post aliquot dies tamen recurrens, idque crebriùs, mutatis sic vicibus, quando nempè tanquam in vomica purulentia successivè colligitur, donec in quanto sufficienti collecta excernatur. In hujusmodi suppurationibus & abscessibus mesenterii adhuc notabile est, quod refert MARCELLUS DONATUS *in Histor. Med. Mir. lib.* 4. *Hist. c.* 7. supervenire sæpè iis copiosum *vrinæ profluvium*, sed sine alleviatione doloris ægri. Ob sedimentum autem, quod in matulæ fundo reperitur, laudabile, nullam salutis spem concipere debet Medicus, cum istud colliquamentum potius quoddam corporis contabescentis existat, non autem genuinum vrinæ sedimentum. Quod si ergo remediis hactenus dictis Inflammatio resolvi nequeat, sed degeneret in Abscessum, tunc *Abscessus* ita factus est expurgandus, *mundificandus*, & *consolidandus*: Et quidem dum apertus est, quod docet rigor & horror cum phlogosi, alvus clysmate acriore injecto stimulanda est, & diureticis pus promovendum, ut maturè id evacuetur. In mundificatione verò & consolidatione Abscessus eadem omnia conveniunt, quæ aliàs in phthisi, ab exulcerationibus partium internarum orta, sunt proficua, & superiùs *Sect.* 17. *Cap.* 1. *Artic.* 2. laudata; speciatim *terebinthina* & omnia terebinthinata, hinc vulneraria vegetabilium reliqua, primatum obtinent, unde balsamum sulphuris *terebinth. aut succinatum*, ni intensior febris obstiterit; item *balf. Peruvianum* in jusculo calido vel ovo sorbili ad gut. viij. x. xij. &c. assumtum, pilulæ de tereb. item tereb. Cypria cum vitello ovi assumta, reliquis præferuntur meritò remediis à MARTINI laudatis; quibus subinde & blandiora *martialia*, præsertim in forma liquida, tinctura, extracta & essentiæ martiales quæcunque, v. g. Essentia Martis liquida, Extract. martis cum succo pomorum, item tinctura sulphuris, vitrioli, & *tinctura antiphthisica* addenda; quia abscessum & mundificant & consolidant. Hinc *acidulis* cum fructu usus fuit THONERUS *in suis Observ. p.* 173. *Potiones vulnerariæ* aliàs notæ sunt, speciatim tamen in hoc casu proficua sunt agrimonia, hypericum, persicaria, ceu appropriatum Abscessuum mesenterii remedium. *Decoctum ligni sancti & sassafras* in principio ruptionis abscessus insigniter conveniunt; quibus addenda & radix glycyrrh., scorzoneræ, ficus, jujubæ, & similia quæ mundificant Abscessum & purulentias acres simul temperant & abstergunt: item *Decoctum rad. Chinæ* cum *passulis*, & minoribus & majoribus, glycyrrhiza, rad. scorzoneræ, caryophyllata, cinnamomo & similibus in sero lactis parandum; vel aqua etiam, utut priori modo melius fit. *Formulas videb. in* MARTINIO. *Serum lactis* etiam est egregium abstersivum & consolidativum ulcerum internorum, ratione suæ nitrositatis; id quod vel solum propinetur; vel *Decoctum cum rad. cichorii*, *liquiritiæ* &c. usurpetur. *Rhabarbarum*, tàm pro scopo abstersivo, quàm scopo adstrictorio & quasi vulnerario, non negligendum venit. Sed plura de his *videb.* in specie in modò laudato MARTINIO.

Cæterùm tumores mesenterii duri, scirrhosi, scrophulosi vel ipsi suppurantur, & simili modo curantur, vel præmissis internis martialibus, ad salia volatilia & penetrantia accedendum. Externè verò usurpanda empl. ex gummat., vel sola, vel cum addito Mercurio vivo; uti & prodest emplastrum de ranis cum mercurio, à quo nullum periculum metuendum est.

ARTICULUS VII.
DE
INFLAMMATIONE PANCREATIS.

QUæ hactenus de Mesenterio dicta fuerunt, etiam de PANCREATE ferè monenda sunt; cujus *morbi* & *affectus* ut perquàm *occulti* sunt, ita plurium difficilium & intricatorum morborum subinde origo sunt. Ex pluribus pauca annotare sufficiat.

Tumorem scirrhosum Pancreatis cum affectione hypochondriaca, vel potiùs scorbuto, eleganter curatum videb. in RIVERIO *Cent.* 3. *obs.* 85. RIOLANUS *Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 16. in *Thuano* melancholico pancreas amplitudine suâ & pondere ipsum hepar æquans totum scirrhosum, multis globulis specie ovi columbini refertum refert: & CATTIERIUS *observat.* 10. pancreas insolitę atque stupendę magnitudinis allegat, ex quo renis è suo

descriptum a BARBETTE *in Anat. Pract. p. 557.* Plura vid. *suprà Sect. 3.*

Multa præterea *tumorum & abscessuum* occultorum in *mesenterio* hinc inde prostant observata: v. g. *Callum inter venas* mesenterii natum lethalem; item *Calculos* in mesenterio, refert SCHENCKIUS *in Observat. l. 3. Hydropem à vesiculis* mesenterii recenset TULPIUS *l. 2. Observat. 34.* Mesenterium *lapidosum*, hinc atrophiam lethalem PANAROLLUS *Pent. 5. Obs. 19. abscessum* mesenterii, ubi *cum pure simul vermiculi excreti*, THONERUS *l. 1. Observ. p. 173.* Tumorem mesenterii durum circa medium pancreas per emollientia curatum videbitis à FORESTO *lib. 21. Observ. 1.*

Ex *scirrhoso mesenterii tumore* hecticam incipientem, menses albos, tormina TRINCAVELLIUS *l. 3. Consil. 22. p. 372. Mesenterium scirrhosum* in hysterica in M. A. N. C. *Ann. 4. Obs. 32. p. 107. Glandulas* mesenterii *induratas* & auctas, ventrem tumidum reddentes, apud PLATERUM *l. 3. Observat. p. 464.* Sed de his & similibus mesenterii affectibus, tam veris quàm falsis, præ cœteris omnium optimè scripserunt FERNELIUS *in Pathol. speciali*, & post hunc MATTHÆUS MARTINI *de Morbis Mesenterii abstrusioribus*, qui laudem meretur, & *hinc* SENNERTUS *l. 3. Prax. ubi de Mesenterii Morbis*. In his ut ut vera falsis, & bona sint mista malis, cùm licèt non theoriam plausibilem, sed pro temporis illius ratione mancam, ex sanguinis circulatione, lymphæ & glandularum observatis aliisque hodiernis experimentis emendandam, nec remedia bonæ notæ offerant; horum tamen *Historiæ* observatæ, *Diagnosis*, *Prognosis*, & *Praxis* satis commoda, pro ulteriori indagine uberiorem occasionem subministrant.

Speciatim jam *consideranda est mesenterii Inflammatio*, & *hanc* subsequens *Abscessus*.

Satis autem frequentes sunt mesenterii Inflammationes, quoniam copiosissima habet vasa sanguifera, simulque copiosissimis instructum est glandulis, unde facilè excitatur Inflammatio, utut ferè cum aliis morbis conjungatur, ac sub aliis morbis se præsentare soleat, idque imprimis, dum illud ob varios casus Inflammationem pati queat, in specie accedente intestinorum affectu: Vnde mesenterium nunc solum, idque rariùs, nunc unà cum intestinorum parte, inflammari solet: Si hoc, melius est pro Medico, qui ita faciliùs eam cognoscere potest; pejus pro ægro magis patiente; quale exemplum habet CHIFFLETIUS *obs. 31.* de Mesenterii & Intestinorum Inflammatione cum umbilici dolore conjuncta.

CAVSÆ.

Ex causis, quæ Inflammationem Mesenterii inducunt, prætes eas generales Inflammationum reliquarum CAVSAS, *duæ* imprimis sunt *speciales* in *mesenterio*, nempè *dysenteria* & *hernia*. *Dysenteria* enim pravè curata, in specie suppressa, ac adstringentibus intempestivè tractata, sæpissimè in Inflammationem Mesenterii periculosam & lethalem degenerat, observante hoc HILDANO, LA MONIERE, & MATTHÆO MARTINI *c. 1. p. 27.* Quoad *Herniam* verò, dum in hac, ubi cum intestinis tenuibus mesenterium simul in scrotum descendit, non potest non mesenterium contractum aut vitiosè compressum sanguinis circulum turbare & impedire, & ita Inflammationem incurrere. Præterea & *febres ardentes* per metastasin quasi criticam materiæ morbificæ in mesenterii abscessum terminantur, ut *suprà jam dictum*.

DIAGNOSIS.

Quod attinet SIGNA DIAGNOSTICA, Inflammatio hæc non secus ac reliqui ejus tumores & abscessus, difficulter COGNOSCUNTUR, quia latent in profundo, & sæpiùs sunt indolentes; aut dolentes licèt, pro uterinis, colicis aut nephriticis pathematis subinde habentur, cùm nausea & vomitus subinde accedant. Nihilominus tamen in *Inflammatione Mesenterii* percipitur quasi *pondus in abdomine*, ac imprimis in ejus profundo, quod in specie sensibile fit, dum æger se in lecto volvit; *ardor* simul adest non rarò præcordiorum aut circa umbilicum; *dolor pulsatorius* in profundo abdominis, cum leni tamen ardore absconditus; cum quo etiam ardore percipitur tensionis quidam *sensus* sub ventriculo & circa ejus regionem, & in abdomine, idque tamen citra vehementem, & quæ non nisi pressu animadvertitur, duritiem; interdumque adsunt egestiones chylosæ ac plus minus serosæ, citra tamen ventriculi vitium præsens excitatæ: Ratio facilè patet. Dolor vehemens aut acris adest nullus, sed tensivus, obtusus, plus minus pulsatorius urget: Adsunt *signa Inflammationis* reliquarum abdominis partium, quæ aliàs facilè confunduntur.

Observandum ergò, ne confundatur *Inflammatio umbilici* cum Inflammatione Mesenterii, sed probe distinguenda est. Nam umbilicus in parte sui interna non externa, circa musculos rectos non rarò inflammatur & suppuratur, unde pus per eum evacuatur. Nempè in umbilici inflammatione circa regionem ejus in profundo dolor magis sentitur, tumor apparet prominulus & propior, qui in mesenterio est remotior, ardor & febris sunt magis intensa, ægerque in abdomine majorem tensionem persentiscit; Quando verò Inflammatio ad abscessum pervenit, percipit tunc horrorem, interdum rigorem, cum superveniente insigni æstu.

Cauti etiam simus, ne Inflammationem intestinorum confundamus cum Inflammatione Mesenterii: Nam circa umbilicum tres vel quatuor sunt digiti, ubi imprimis locus est mesenterii, in quo præ aliis tangi atque cognosci potest eius Inflammatio aut abscessus; Nam si ipsi non adest Inflammatio, non potest percipi tactu si ipse umbilicus inflammatus, percipitur propior tumor, qui in mesenterio est remotior.

Febres diversæ etiam in Mesenterii Inflammatione & Abscessu adjunguntur, pro diversitate loci inflammati: Sin profundè Mesenterium inflammatum, utplurimum febres non sunt *continuæ*, sed lentæ, *languidæ*, absque siti insigniori aut gravioribus symptomatibus, & quæ interdum circa vesperam exacerbantur, oriuntur: Interdum nulla febris indicia adsunt, teste RHODIO *c. 2. Observ. 95.* Sin verò circa exteriores ejus partes, ubi reliquis abdominis contentis visceribus jungitur, Inflammatio mesenterii accidat, præsertim cum intestinis, tunc symptomata dicta omnia existunt graviora, febres ardentes plus minus acutæ, non rarò semitertianæ conjunguntur, & graves dolores affligunt, innuente SENNERTO *cap. de Inflammat. Mesenterii lib. 3. Prax.*

In genere, dum *suppuratio* fit, ut aliàs in quavis Inflammatione, febris, dolor & symptomata reliqua fiunt graviora. Dum *Apostema suppuratum rumpi incipit aut rumpitur*, HORROR INSIGNIS, *interdum* RIGOR quatit ægrum, *cum superveniente æstu* non rarò insigni, quem puris, præsertim per alvum, excretio succesivè comitatur: Confer. HORSTIUS *lib. 14. Obs. 25. & 26.* item BARTHOLINUS *Centur. 4. Epist. pag. 49. & c. 4. Histor. 96.*

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN; Inflammationes mesenterii aut resolvuntur, aut frequentissimè suppurantur, & in abscessus abeunt, aut diutiùs durando, in scirrhos degenerant, qui non tam in mesenterio inflammato, quàm eius glandulis observati satis sunt.

In Obstructionibus mesenterii supervenientes *cruentæ dejectiones* subinde salutares sunt: vid. BARTHOLINUS *Cent. 6. Hist. 41.*

Suppurationes Mesenterii admodum sunt lentæ, ac non nisi tardè suum absolvunt cursum, unde etiam ægros vix in consuetis functionibus impediunt. Diuturno hoc malo afflicti successivè aut ad *tabem* & *hecticam*, aut tandem ad *cachexiam* deveniunt. Eructante pure, post abscessus ruptionem, alium in locum quàm in alvum, excretioni idoneum non reperiente, gravis affectus *colicæ* similis non rarò observatur. Sin verò in abdominis cavum effundatur, tunc membra vicina vel inficit, ut gangrænam concipiant, vel acredine corrodit, & malorum quamplurimorum autor est.

Interdum abscessus ruptus optimè non tantùm per alvum, quod sæpius, quàm, quod rarius, per urinam, rarissimè per uterum expurgatur, intestina corrodit, & eadem siderata seu sphacelata reddit: Exemplum suggerit TULPIUS *Obser. 37. l. 2.*

Vt autem *discernatur*, *nec confundatur*, *excretio purulenta* facta ex *mesenterio*, ab *excretione purulenta vitio exulcerationis intestinorum*, observetur hoc *signum distinctivum*,

quod

quòd *si confertim* uno impetu, & *copiosè*, & sine dolore, per alvum fluant purulenta, eaque plerumque permixta cum sanguine plus minus, ex mesenterio esse: quod *si verò purulenta pauciora*, & *tardiùs* cum magnis torminibus ac præcedente febre acuta sensim ac successivè effluant, signum est, *esse ab ulcere intestinorum*, ac horum cum mesenterii simul conjuncto.

Observationes singulares ac præ aliis curiosas Inflammationis Mesenterii, ejusque abscessuum, cum gravissimis symptomatibus, secutâ tamen excretione copiosâ purulentâ, videbitis in BARTHOLINO *Cent. 4. Epist. p.* 490. item in *C. 4. Hist. p.* 96. sicut etiam rarum est, quod refert RHODIUS *cap.* 2. *Obs.* 95. de Abscessibus mesenterii interdum sine febribus observatis, utut, uti dixi, utplurimum adsit febris lenta; & TULPIUS *l.* 2. *obs.* 37. ubi notabilem habet casum, Inflammationem scilicet mesenterii suppurati, & ad sphacelum dispositi.

Porrò evenit interdum in Mesenterii abscessu, ut emittatur vrina copiosa, eaque laudabilis cum sedimento laudabili: quod si fiat sine levamine ægri, quin potiùs cum incrementodolorum, malum est; innuit enim fluxum colliquefactivum, ægrum tabi ac hecticæ, brevique pòst morti traditurum.

CURA,

CURA *ferè* cum reliquis *Inflammationibus* est eadem, mutatis saltem mutandis, ratione nempè partis affectæ, & conjunctorum symptomatum.

Notandum saltem, quod venæ sectio nil prosit, nec ipso morbo, nec sanguinis efferuescentia febrili adeò acutis existentibus. Præ cæteris tamen sanguinis quibusvis evacuationibus *vasorum hæmorrhoidalium apertio*, præsertim per *hirudines* applicatione factâ, suo cum fructu *in mesenterii morbis* institui solet, naturâ monstrante viam, & per dicta loca subinde felici cum successu se ipsam exonerante.

PURGATIO quævis propriè sic dicta seu vehemens ex se & per se potiùs est nociva, irritat crabrones, & absque euphoria ægri evenit. *Clysmata* verò emollientia, lenientia, abstergentia & anodyna, pro circumstantiarum ratione subinde injecta, imprimis quando jam per alvum purgatur abscessus, sæpiùs sunt utilissima.

De cætero tota Inflammationis mesenterii *Cura* consistit in *resolventibus* & *emollientibus*, ut rectè loquitur HARTMANNUS *in Pr. Chym.* illis quidem resolventibus *internis*; his verò emollentibus *externis*. *Interna* ferè sunt nota ex superioribus, præter quæ in specie *tartarea*, v. g. *tartarus vitriolatus*, *liquor terræ fol. tartari* ritè paratus, *tinctura tartari*, *spiritus tartari simplex*, aut *carminativus*, *tinctura vitrioli martis Zwelfferi*; item alia blanda *Martialia*, *cs. martis cum succo pomorum*, *tinctur. tartarisata martialis Ludovici*. Item *essentiæ amaræ* aperientes dictæ, ut *absinthii*, *centaurii min. fumariæ*, *cardui ben. chelidonii majoris*; gummi ammoniacum, &c. Quibus adjungenda sunt, speciatim si febris lenta adsit, diaphoretica; antimonialia; unde *antimonium diaph.* præsertim *martiale*, hinc etiam bezoardicum martiale, antihect. Pot., & similia in morbi cursu sunt præstantissima & frequenter usurpanda. *Externè* applicatum *emplastrum de cicuta* usitatum, vel solum, vel cum *gummi ammoniaco* subactum, juxta curiosam HARTMANNI compositionem, est egregium in tali casu; hâc tamen simul observatâ *cautela*, ut, *si citra dolorem* emplastrum hoc emolliat, & inflammationem discutiat, res bene se habeat: *sin verò dolorem* intendat & *exacerbet*, malum signum est; certum enim est, factam jam esse inflammationem ac abscessum, adeòque emplastrum removendum erit, & ab eodem abstinendum. Aliàsquoque præter consueta *emplastra*, *cataplasmata* & fomenta emollientia ex *betonica*, *solano*, *agrimonia*, *chamomilla*, *verbasco*, *meliloto*, *liliis albis*, *absinthio*, & similibus in vino coquenda, & cum spongia vel aliis appropriatis applicanda, conducunt. Quod si cum Inflammatione & Abscessu Mesenterii febris lenta plus minus conjungatur, internè martialia & antimonialia reliquis suprà enarratis addantur remediis, præsertim *lap. cancr. antihect. Pot.* &c. *cum p ... sale ammoniaco* socianda erunt.

His ipsis vel *resolvitur* Inflammatio & abscessus, vel ut plurimum *suppuratur*, unde rupto abscessu sequitur tandem puris utplurimum per intestina vel per vrinam excretio, eaque in principio confertim, & postmodum successivè, continuatur ad perfectam usque abscessus expurgationem. Interdum remittit puris excretio, post aliquot dies tamen recurrens, idque crebriùs, mutatis sic vicibus, quando neme pè tanquam in vomica purulentia successivè colligitur, donec in quanto sufficienti collecta, excernatur. In hujusmodi suppurationibus & abscessibus mesenterii adhuc notabile est, quod refert MARCELLUS DONATUS *in Histor. Med. Mir. lib.* 4. *Hist. c.* 7. supervenire sæpè iis copiosum *vrinæ profluvium*, sed sine alleviatione doloris ægri. Ob sedimentum autem, quod in matulæ fundo reperitur, laudabile, nullam salutis spem concipere debet Medicus, cum istud colliquamentum potius quoddam corporis contabescentis existat, non autem genuinum vrinæ sedimentum. Quod si ergo remediis hactenus dictis Inflammatio resolvi nequeat, sed degeneret in Abscessum, tunc *Abscessus* ita factus est expurgandus, *mundificandus*, & *consolidandus*: Et quidem dum apertus est, quod docet rigor & horror cum phlogosi, alvus clysmate acriore injecto stimulanda est, & diureticis pus promovendum, ut maturè id evacuetur. In mundificatione verò & consolidatione Abscessus eadem omnia conveniunt, quæ aliàs in phthisi, ab exulcerationibus partium internarum orta, sunt proficua, & superiùs *Sect.* 17. *Cap.* 1. *Artic.* 2. laudata; speciatim *terebinthina* & omnia terebinthinata, hinc vulneraria vegetabilium reliqua, primatum obtinent, unde balsamum sulphuris *terebinth. aut succinatum*, ni intensior febris obstiterit; item *bals. Peruvianum* in jusculo calido vel ovo sorbili ad gut. viij. x. xij. &c. assumtum, pilulæ de tereb. item tereb. Cypria cum vitello ovi assumta, reliquis præferuntur meritò remediis à MARTINI laudatis; quibus subinde & blandiora *martialia*, præsertim in forma liquida, tinctura, extracta & essentiæ martiales quæcunque, v. g. Essentia Martis liquida, Extract. martis cum succo pomorum, item tinctura sulphuris, vitrioli, & *tinctura antiphthisica* addenda; quia abscessum & mundificant & consolidant. Hinc *acidulis* cum fructu usus fuit THONERUS *in suis Observ. p.* 173. *Potiones vulnerariæ* aliàs notæ sunt, speciatim tamen in hoc casu proficua sunt agrimonia, hypericum, persicaria, ceu appropriatum Abscessuum mesenterii remedium. *Decoctum ligni sancti & sassafras* in principio ruptionis abscessus insigniter conveniunt; quibus addenda & radix glycyrrh., scorzoneræ, ficus, jujubæ, & similia quæ mundificant Abscessum & purulentias acres simul temperant & abstergunt: item *Decoctum rad. Chinæ* cum *passulis*, & minoribus & majoribus, glycyrrhiza, rad. scorzoneræ, caryophyllata, cinnamomo & similibus in sero lactis parandum; vel aqua etiam, utut priori modo melius fit. *Formulas videb. in* MARTINIO. *Serum lactis* etiam est egregium abstersivum & consolidativum ulcerum internorum, ratione suæ nitrositatis; id quod vel solum propinetur; vel *Decoctum cum rad. cichorii*, *liquiritiæ* &c. usurpetur. *Rhabarbarum*, tàm pro scopo abstersivo, quàm scopo adstrictorio & quasi vulnerario, non negligendum venit. Sed plura de his *videb.* in specie in modò laudato MARTINIO.

Cæterùm tumores mesenterii duri, scirrhosi, scrophulosi vel ipsi suppurantur, & simili modo curantur, vel præmissis internis martialibus, ad salia volatilia & penetrantia accedendum. Externè verò usurpanda empl. ex gummat., vel sola, vel cum addito Mercurio vivo; uti & prodest emplastrum de ranis cum mercurio, à quo nullum periculum metuendum est.

ARTICULUS VII.
DE
INFLAMMATIONE PANCREATIS.

QUæ hactenus de Mesenterio dicta fuerunt, etiam de PANCREATE ferè monenda sunt; cujus *morbi* & *affectus* ut perquàm *occulti* sunt, ita plurium difficilium & intricatorum morborum subinde origo sunt. Ex pluribus pauca annotare sufficiat.

Tumorem scirrhosum Pancreatis cum affectione hypochondriaca, vel potiùs scorbuto, eleganter curatum videb. in RIVERIO *Cent.* 3. *obs.* 85. RIOLANUS *Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 16. in *Thuano* melancholico pancreas amplitudine suâ & pondere ipsum hepar æquans totum scirrhosum, multis globulis specie ovi columbini refertum refert: & CATTIERIUS *observat.* 10. pancreas insolitę atque stupendę magnitudinis allegat, ex quo renis

è suo

è suo loco naturali dimotio facta sit cum hypochondrii dextri dolore gravissimo, & dyspnœa gravi: TULPIUS *item l. 2. observ. 32.* cum steatomate mesenterii pendente ℔ 18. quod aquam intercutem mentiebatur, pancreas pingve & ponderosum refert. *Abscessum in pancreate* latentem perpetuas vigilias, lipothymias, aliaque gravissima symptomata inducentem, refert SCHENCKIUS *l. 3. Observat. de Mesent. Pancreas suppuratum* lethale BARTHOLINUS *Centur. 2. Histor. 39.* Pancreas *lapidosum*, vomitum lethalem continuum causans, PANAROLLUS *Pent. Observat. 44.* Idem corruptum & *sphacelatum* & vomitum continuum lethalem BARBETTE *in Praxi*. Puellam per 8. annos miserè vexatam, hecticâ febre mortuam, in qua pancreas scirrhosum & induratum, vid. apud PETRUM PAWIUM *Observ. 14.* Mortem repentinam ex pancreate sphacelato vid. in *M. A. N. C. Ann. 1. Obs. 99. p. 230.* & *Ann. 3. obs. 45.* Ex *pancreatis excrescentia* marasmum in *M. A. N. C. Ann. 8. Obser. 31. p. 57.* Interdum pancreatis morbi superveniente salutari fluxu cruento curantur, Autore BARTHOLINO *Cent. 6. Hist. 41.*

ARTICULUS VIII. DE OMENTI TUMORIBUS.

NEc omittendum hic penitus Omentum, quod nihil aliud est, quàm expansio quædam membranacea, ex duplici constans membrana, in figuram orbicularem ad instar marsupii aucuparii explicata, pluribusque vasis sanguiferis & copiosiori pingvedine intertexta, intestinis non saltem superinstrata, sed anfractibus quoque ac circumvolutionibus eorundem immersa, cujus respectu non absurdè Epiploon seu innatans vocari solet. Altera enim & exterior ejus ala à fundo ventriculi & hujus communi tunica oritur, simul atque in hepatis atque lienis cavo committitur; Anterior autem & postica mox diaphragmate à principio mesenterii & colo sub ventriculo collocato, hinc ultrò umbilicum descendit, rariùs ad ingvina usque expanditur, ita ut herniæ scrotales ex hujus dislocatione non adeò infrequenter contingere possint, ac communiter creditur & dicitur.

Vasa Omento intertexta sunt:

1. Arteria epiploica, & gastro-epiploica, dextra & sinistra, ab hepatico & splenico cœliacæ ramo emergentes.
2. Venæ ex duplici ejus ala, amplâ radice protuberantes, quæ in quatuor pariter caudices, iisdem cum arteriis nominibus insignitæ, confluunt, ac demum in mesentericum & splenicum venæ portæ truncum se exonerant.
His
3. Accedunt nervi exilissimi à plexibus abdominis diversi, potissimum primo & quinto emergentes & propullulantes.

Vasis his communibus MALPIGHIUS *de Omento* peculiares adiposos ductus addit, qui videri potest. A BARTHOLINO, HILDANO, aliisque glandulæ quoque plures omento adscribuntur: sed harum potissimæ sunt morbosæ aut protuberantiæ adiposæ, præter binas saltem; quarum altera majuscula non procul ab illius cum pyloro commissura deprehenditur: altera minor lieni adhærescit, utut hæc duplex, imò triplex nonnunquam, conspiciatur.

Usum omenti tandem quod spectat; hunc FALLOPIUS *in Obs. Anatomicis* rectè obscurissimum pronunciat, & nondum certus est, cùm ea, quæ circa eundem GALENUS, VESALIUS, & CORDÆUS scripserunt, commentis similiora videantur; imò nec, quæ de hoc MALPIGHIUS profert, sufficientia sunt, uti ipse fatetur.

In hoc, tanquam in bursa, humores, vel flatus collecti, item glandulæ ejus subinde scirrhosæ aut steatomosæ factæ, varia Pathemata inferunt: Conf. BARBETTE *in Anat. Tract.* sicut & admirandos omenti tumores videbitis in MARCELLO DONATO *Hist. Med. l. 7. ab* HORSTIO *adjectos*; Item in HORSTIO *decad. 6. Problem. Quæst. 10.* HILDANO *Cen. 3. Obs. 62.* Quibus SCHENCKIUS *in Observ. de Omento* addatur.

ARTICULUS IX. DE INFLAMMATIONIBUS PARTIUM THORACIS INTERNARUM,

In specie de

INFLAMMATIONE PLEURÆ, PLEUROPNEUMONIA, PERIPNEUMONIA, PLEURITIDE VERA, ET NOTHA.

OMnium frequentissimæ Inflammationes sunt præ reliquis, quæ afficiunt partes internas ad thoracem pertinentes, & ferè semper fiunt ab aliquali sanguinis in præcordiis grumescentia, & acescentia, suntque frequentiùs *erysipelaceæ*, nunc magis humorosæ seu sanguineæ; quâ ratione v. g. *pleuram inflammatam* decuplo crassiorem, quàm naturaliter est, observavit RIOLANUS *in Anthropogr. lib. 3. cap. 5. p. 358.*

Frequentia autem harum inflammationum dependet ex eo primariò, quod thoracis interiora, nempè sanguis in pulmonibus, aeris *alterationibus* vel maximè sint exposita, cujus occasione & vitio alteratus sanguis promptissimè loca thoracis lateralia & alias ejus partes afficit, quia partium harum arteriæ proximæ sunt cordi, undè vel simpliciter vel respectivè sæpiùs inflammationes excitantur; & hi thoracis inflammatorii affectus VINCENTIO BARONIO *Trac. de Pleuropneum. in genere* PLEUROPNEUMONIA appellantur; quæ postmodum, prout modò hæc modò alia pars inflammatur, *in specie* varias sortiatur appellationes. *Inflammatio* enim *utriusque pulmonum partis* dicitur PERIPNEUMONIA; *si altera* verò *pulmonum medietas* inflammetur, vocatur PLEVRITIS; quia in hac semper ferè simul istius partis membrana, *pleura*, est inflammata; sicuti è contrà cum pleura semper quoque pulmo istius partis observatus fuit inflammatus.

Communis quidem inter Pleuritidem & Peripneumoniam hæc asseritur differentia, quod in illa Pleura, in hac Pulmones tantùm afficiantur; utræque tamen interdum combinantur, & invicem transmutantur. Sunt interim nonnulli, v. g. ZECCHIVS *Consult. Med. Cons. 26. in Append.* PLATERVS *lib. 2. Prax. p. 409. & l. 3. p. 365.* cujus rationes ampliùs deducit HOCHSTETTERVS *decad. 7. Cas. 4. p. 92.* & LÆLIVS *à Fonte Cons. 91.*, ubi refert, observatum semper fuisse in Pleuritide correptis, quod non solum pleura, sed pulmonis medietas simul in isto latere inflammata fuerit; muniti præprimis autoritate HIPPOCRATIS *de loc. in hom. Text. 24.* quibus quidem SENNERTVS & RIVERIVS respondent: vid. *suis locis*. Nihilominus rarò forsan inflammatio pleuræ sine pulmonum inflammatione existit; Id quod pariter confirmant modernorum Anatomicorum Observationes in Pleuritide demortuis: Conf. SENNERTVS *lib. 2. Prax. P. 2. c. 16 de Pleur. Quæst. 2.*

Loco pleuræ interdum quoque cum pulmonibus inflammatur MEDIASTINUM, duplicatura nempè Pleuræ sub parte sterni anteriore, quæ inflammatio tamen peculiari nomine caret; quin & DIAPHRAGMA interdum inflammatur cum pulmonibus, cui ordinariò supervenire solet *delirium* leve, quod speciali nomine Paraphrosinon & PARAPHRENITIDEN appellare solent Veteres, à *Phrene* quod diaphragma significat.

Non autem solum lateraliter afficitur *Pleura*, sed etiam interdum simul cum pleura & pulmone *membranæ humeri*, item membranæ *juguli*, & similes vicinæ membranæ, afficiuntur, observante TVLPIO *l. 2. Obs. 1.* cum pleurâ ita inflammatâ impossibile videatur, quin & inflammatio *musculis contiguis intercostalibus internis* communicetur. Siquidem interdum accidit, ut in vera pleuritide phlegmone versus exteriores musculos ob magnitudinem affectos simul tendat, & dolor etiam primo attactu percipiatur; quin curiosum est, quod observavit BARBETTE, interdum nempe diaphragma juxta processum inferiorem ignaris repræsentasse speciem nephritidis seu renum inflammatorum. Præ cæteris, quoad historiam Pleuropneumoniæ in genere & in specie, conf. VINCENTIUS BARONIVS *Tract. de Pleuropneumon. lib. 1. capit. 1. & 3.*

& 3. cujus vestigia terit SCHNEIDERUS *in Dissert. de Pleuropneumonia*.

CAUSÆ.

CAUSA PROXIMA *Pleuropneumoniæ*, sub quo nomine omnes inflammationes thoracis comprehendo, est sanguinis coagulatio atque stagnatio, ab acido in eo peccante orta, cujus ratione hic ad facilem & successivam sui coagulationem & congrumescentiam disponitur, & hinc vel in pulmone, vel in pulmone & pleura simul, aliisve vicinis locis hærendo, acidò simul membranaceas partes vellicando, & ad crebriores contracturas stimulando, hos affectus infert: Conf. HELMONTIUS *Tractat Pleura Furens*, HOLTERHOFF. *de Error. Medicor. Part.* 2. *Sect.* 2. Hinc sanguis, qui vena secta emittitur, subinde nunc semigrumosus prodire observatur, teste GABELCHOVERO *C.* 4. *Curat.* 70. & 79. nunc promptissimè coagulabilis existit, ita, ut ferè exeundo congrumescat, teste Helmontio cit. loco, ipsi verò extravasato pellicula tenax subalbida viscida supernatare solet, teste WILLISIO *in Pharm. Rat. Part.* 2. *p.* 178. & 198. Relicta acidi hujus peccantis vestigia in parte affecta, etiam curato abscessu, *recidivas* crebriores in eodem loco facere solent. Quod si sanguis haud perfectè coagulatus minus firmiter intus fixus inhæreat, minorem quoque dolorem inferat, facilè resorberi, & hinc per *μετάστασιν* *Pleuropneumoniæ* ad diversas partes *transferri* potest.

CAUSÆ REMOTÆ harum inflammationum in thorace obvenientium, sunt variæ: Frequentior imprimis solet esse *frigus* externè haustum, post immoderatos calores aut corporis motus & incalescentias; sanguinem enim coagulando, eum ad stagnationem disponere potest: Et quidem est una ex frequentissimis causis, sive aer inspiratus, sive potus ingurgitatus fuerit frigidus: Sic HORSTIUS *lib.* 3. *Observat.* 10. Pleuritidem observat ex haustu vini frigido post æstum & corporis refrigerationem: RIVERIUS *Obs.* 14. à DIONISIO POMARET *Communic.* ex *nimio cursu* & potu frigido Pleuritidem notat: Conferat. *Hildanus C.* 4. *Observ.* 25. qui habet Peripneumoniam ex indefessa *saltatione*, & hanc excipiente potu frigido: FORESTUS *lib.* 16. *Observ.* 28. observat juvenem, post exercitium, ex aquæ frigidæ potu in Pleuritidem incidentem: HORNUNG *in Cista Med. pag.* 276. observat Peripneumoniam in Clerico concitatam ex eo, quod benè potatus sæpè in templo cantasset: Vid. etiam M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observ.* 285. *p.* 384.

Occasionem Pleuritidis quoque præbent *potus spirituosi* nimia injurgitatio, motus *vehementior*, &c. Præterea *ordinariæ suppressæ sanguinis evacuationes* non rarò dant Pleuritides, in specie tamen *menses suppressi*; pari enim ratione ac menses suppressi dyspnœam procurant, ita & iidem Pleuritidem generare poterunt; quorum etiam occasione acidum vitiosum interdum colligi solet: Sic DEODATUS *in Valetud. p.* 219. observat ex mensium ante legitimum tempus emansione hæmoptysin cum pleuritide: Item pertinet huc *casus* TIMÆI *à Guldenklee*, *lib.* 2. *Cas.* 7. quod etiam sæpè usu venit, ubi habet exemplum mulieris pleuriticæ ex *subitanea mensium suppressione* propter casum in fluvium frigidum: Præterea *dysenteria suppressa* aut adstringentibus male curata non rarò dat Pleuritides, observantibus Autoribus omnibus, in specie SENNERTO *in Praxi cap. de Pleurit.* item SCHNEIDERO *Tract. de Pleurop.* Unde etiam HELMONTIUS rectè asserit; quod benè observetur pro Praxi; Dysenterias & Pleuritides non differre in radice, sed tantum quoad locum affectum. Imprimis consideranda aeris constitutio *epidemica*, & *malignitas*: Hujus siquidem ratione non rarò Pleuritides grassantur subinde *epidemico more*, quo tempore Pleuritides tales ac Peripneumoniæ utplurimum sunt malignæ, & contagiosæ plus minus; quod multorum Practicorum testantur observationes, v. g. FORESTI *lib.* 16. *Observ.* 34. WIERI *in Observ. ubi de Pleurit. maligna*, *Baronii de Pleuripneumonia in Præf. & c.* 1. item BARTHOLINI *p.* 69. *lib. de Incendio Bibliothecæ*. Facit huc LÆLIUS à FONTE *Conf.* 31. & 83. qui observavit Anginas, Pleuritides & Peripneumonias conjunctim, & simul vulgariter grassantes, in quibus secta cadavera, quæ catervatim mortua fuerunt, pulmones ingentibus abscessibus correptos, ex quibus apertis pus copiosum & fœtida materia effluxit. Hinc patet, quod hi affectus differant non radice, sed loco affecto; unde etiam eodem modo curantur, ac unus in alium sæpius mutatur; de quo vid. RHODIUS *cap.* 2. *Observat.* 11. ubi habet exemplum ægri, qui ex angina in peripneumoniam, & ex peripneumonia in pleuritidem incidit; ita ut, hi tres sint unus idemque morbus, unam eandemque habeant methodum medendi, & differant tantummodo loco affecto. *Febribus* quoque *continuis* non rarò supervenit Pleuritis, qualis etiam observata fuit post morbillos in M. A. N. C. *Ann.* 4. *Observat.* 7. *pag.* 10. adeoque tanquam symptomata aliquod iisdem subinde se associat, ut rectè SYDENHAM *in Observat. pag.* 355. *Pleuritidem* nunc *essentialem* seu primarium affectum, nunc *symptomaticum* febris, esse asserat. Similiter *scabies retropulsa*, uti *asthma*, sic & peripneumoniam & pleuritidem infert, observante hoc AMATO LUSITANO *Cap.* 2. *Cur.* 62. ubi scabies sicca retropulsa pleuritidem intulit. Insuper *periodica* subinde est peripneumonia & *pleuritis*, idque, uti rectè insinuat HELMONT, tunc temporis, ubi non adeò fuit ritè curata, & fermentum remanet: & quidem *periodum habet* interdum *annuam*, teste ZACUTO LUSITANO *lib.* 3. *Prax. Admir. Observat.* 112. vel aliis modis crebriùs recidivat, de quo vid. BORELLUS *C.* 4. *Observat.* 83. de viro septem vicibus pleuritide detento, qui tandem hydrope periit. Tandem *causæ externæ*, casus, ictus, indeque natæ contusiones, aliaque pathemata similia, quæ sanguinis ordinarium motum per vasa intercostalia plus minus remorantur, ad pleuritidem disponunt: Sic ex *risu* & *sternutatione simultaneis* pleuritidem natam *videbitis in* BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Volum.* 2. *pag.* 239.

Hæ ferè sunt causæ ordinariæ pleuritidis & peripneumoniæ.

Denique *Pleuritis notha* à *vermibus* intestinorum oriunda à QUERCETANO *in Pharm.* & BARTHOLETO *Tractat. de Respir. lib.* 3. *cap.* 3. observata fuit. Et hæ pleuritides se manifestant, quod præter pleuritidis signa simul adsint signa intestinorum affectorum: videatur AMATUS LUSITANUS *Cent.* 1. *Curat.* 52. item ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 8. *Prax. admir. Hist. Observat.* 7. *cap.* 3.

DIFFERENTIÆ.

Observandæ sunt ob id DIFFERENTIÆ, quod nempè

I. Alia est vel *benigna*, vel *maligna*: interdum epidemica, de qua supra; quando nempè acidum pleuriticum singulariter corruptum acrimoniam perquam hostilem & venenosam acquirit.

II. Alia est *primaria*, alia est, *secundaria*, seu quæ alios insequitur morbos: v. g. quando scabies retropulsa pleuritidem infert; vid. AMATUS LUSITANUS *C.* 2. *Obs.* 62. vel Pleuritis febribus continuis aut affectibus thoracis aliis supervenit.

III. Alia est simplex, alia cum peripneumonia aut cum alterutra reliquarum thoracis partium inflammatione, v. g. diaphragmatis, juncta.

IV. Quædam *est periodica*, *quæ sæpè* recurrere solet, imprimis non ritè curata: vid. BORELLUS l. a. item ZACUTUS LUSITANUS l. a. sicuti non inaudata est multoties recurrens in uno subjecto affectio: aliæ, & quidem utplurimum, non sunt periodicæ.

V. Porrò (quæ omnium differentiarum solennis magis est) Pleuritis nunc est vel *vara*, de qua saltem hactenus locuti sumus; nunc est *notha*, quæ aliàs extraordinarias agnoscit causas: *Vera est* Inflammatio medietatis pulmonum & pleuræ illius lateris, juncta hinc cum febre acuta aliisque symptomatibus superius explicatis; *Notha* verò sine febre, aut cum febre lenta admodum.

VI. Pleuritis tandem est vel *ascendens* vel *descendens*, ratione loci, doloris, & extensionis. Fundamentum hujus divisionis consistit in distributione vasorum descendentium, & ascendentium, per quæ sanguinis recursus impeditus Inflammationem infert. Hinc *Ascendens* consistit in duobus spatiis trium costarum superiorum, quę nempè sunt intra secundam, & tertiam vertebras, à jugulo

à jugulo numerando: *Descendens* verò Pleuritis dicitur, quę consistit in reliquarum 5. costarum inferiorum 4. spatiis, i. e. intra tertiam & quartam, quartam & quintam, quintam & sextam, sextam & septimam. *Ascendens* dicitur, quia spatia illa intercostalia recipiunt vasa sua certa à truncis supra cor, ex vena nempè & arteria axillari: *Descendens* verò Pleuritis, quia spatia illa accipiunt vasa à truncis infra cor, nempè ex inferiori trunco arteriæ magnæ. Hæc differentia scitu necessaria & probè observanda est, ob legitimam administrationem venæ sectionis.

Pleuritis notha est varia, imprimis quintuplex.

(1.) *Ista*, quæ à SENNERTO ita dicitur *l. 2. Prax. P. 2. cap. 16. ubi de Pleurit. p. 225. & 240.* quo loco intelligit *inflammationem musculorum thoracis* externorum & internorum intercostalium, in qua febris est nulla aut non adeò acuta, sed saltim lenta, tussis pariter non nisi rara & catarrhalis, sine cruentorum expectatione, pulsus minus durus, dolor mitior, saltim pulsans, minus pungens, & qui externo contactu minus exasperatur; adeoque cum vera pleuriride parum vel nil habet commercii, nisi cum vera graviori hæc simul juncta sit.

(2.) *Est ista*, quæ usitato magis *Pleuritidis nothæ* nomine venit, estque *dolor insignis punctorius* in uno alterové latere, *sine febre ac siti*, aut saltem cum febre catarrhali simili, hinc cum pulsu quoque ferè laudabili, nisi in quantum doloris ratione immutatur & frequentior redditur; tussis adest aut nulla, aut si quæ est, non adeò frequens aut vehemens, saltem catarrhalis aut lymphæ vitio, unde & febris catarrhalis similis tunc ferè jungitur. Cuncta autem hæc symptomata, utut vulgò à flatu oriri asserunt, oriuntur ex acido vitioso, vehiculo lymphæ aut seri stagnantis intra pleuram delato sine hujus inflammatione, sine pulmonum alteratione, & potiùs *dolor Pleuriticus*, quàm *Pleuritis* appellanda venit. Atque talis affectus in *Scorbuticis* aut affectibus generis nervosi obnoxiis, non rarò observatur, cum appetitu non rarò laudabili, pulsu naturali, dolor tamen non adeò fixus est, sed locum sæpius mutat: vid DRAWIZIUS *de Scorb. Tit 7.* & WILLISIUS *l. a.* Item symptoma hoc est, variolarum & morbillorum eruptionem interdum antecedens, aut scabiem intempestivè curatam excipiens: vid. SENNERTUS *Prax. lib. 2. P. 3. cap 6.* Item *Gallico morbo* affectis aliquando accidere solet: vid. SENNERTUS *loc. suprà alleg. pag. 256. Quæst. II.* item WILLIS, *Pharmac. Ration. l. a. p. 199.*

(3.) *Ad hujusmodi Pleuritidem*, malè sic dictam notham, seu potiùs *dolorem pleuriticum*, etiam pertinet iste dolor pectoris, qui à *flatibus* aut *vaporibus*, pleuram ac musculos intercostales divellentibus ac distendentibus, subinde oriri dicitur. De quo vid. SENNERTUS *l. a. Part. 3. c. 6.* Nulla enim in hoc observatur febris, nec tussis; nihil etiam cruenti, licet tussis superveniat, exspuitur; dolor quoque vagus est minusque perpetuus, sed per intervalla recurrens, non tamen pulsans, nec pungitivus, nisi quando pars affecta manu comprimitur. Oritur ab humore seroso acri sine inflammatione singulari. Hæc cum Pleuritide notha primæ speciei, quia utraque saltem externa est, præter febris acutæ defectum à vera facilè dignoscitur, & hoc commune habet; ut ægri *in Pleuritide notha* ut plurimum in latus oppositum potiùs quàm in morbosum seu partem affectam decumbere queant, secus ac in Pleuritide vera, utpote in qua contrarium observatur: vid. AMATUS LUSITANUS *Cent. 2. Cur. 67. Annot & Cent. 7. Cur. 62.* SENNERTUS *l. a. p. 2. c. 16. p. 232. & WILLISIUS Pharm. Rat. p. 2. Sect. 1. cap. 9.* In Pleuritide *vera* enim, cum æger decumbit in latus oppositum, pars inflammata pondere suo divellitur, majoremque patitur distensionem; minus in Pleuritide *notha*. Spectat huc

(4.) Similis dolor pleuriticus à vermibus intestinorum, qui ab horum putrescentium vapore fieri dicitur; de quo videatur QUERCETANUS *in Pharm.* ob servatam à se notham Pleuritidis speciem, quæ in omnibus symptomatibus veram & legitimam æmuletur, ortam à malignis & acribus *vaporibus*, ab inferioribus sursum in pectoris regionem delatis, ex quorum virulentia & acrimonia pleuræ inflammatio, nec non venarum erosio excitata fuit, unde sanguinis exspuitio, spirandi difficultas, febris, & alia symptomata; ubi purgatio cum *aqua benedicta Rulandi* instituta, sanguinis detractioni & eccoprotici exhibitioni longè lateque præferenda. Imprimis *vermes* & corruptionum incommoda tollere jubet, à quibus sæpe numero hæc *spuria pleuritis* oritur; id, quod præstarent antimonialia. Simile ferè exemplum recenset BARTHOLETUS *de difficili respiratione lib. 5. cap. 3 pag. 548.* dum inquit; se curasse Pleuritidem in quadam virgine, cui omnia pleuritidis veræ seu legitimæ signa adfuere in principio, quam tamen post primos dies malignam ex pravo vermium halitu se manifestasse, & prorsus absque sanguinis missione fuisse curatam: vid. etiam *lib. 5. cap. 11.* ubi similia habet. De lumbricis quoque vid. AMATUS LUSITANUS *Cent. 1. Cura 52. &* ZACUTUS LUSITANUS *lib 8. Prax Hist. Obs 7. cap. 3.* Item Pleuritidem à verme RHODIUS *C. 2. Observ. 12.* SCHENCKIUS *l. 2. Observat. 92.* GESNERUS *l. 3. Epist. pag. 49.* BONETTUS *Med. Sept. pag. 274.* RIVERIUS *c. 1. Observ. 75.* & HOECHSTEDTERUS *Decad 7. p. 49.* notarunt. Atque hæ pleuritides nothæ se manifestant, quoniam præter signa pleuritidis communia adsunt simul quoque signa intestinorum affectorum, & quæ vermibus sunt propria, maximè si ventriculi angorem secum habet conjunctum.

Pauciores differentias patitur Peripneumonia, quatenus I. vel primariò & sine alterius morbi interventu generatur, vel aliis morbis, v. g. anginæ aut pleuritidi, succedit: Quorum hoc iterum duplici modo fit; aut enim pleuritis in peripneumoniam commutatur, dum priore morbo cessante alter excitatur; aut morbo laterali pulmonia supervenit, i. e. illi manenti hæc combinatur. Hinc II. alia Peripneumonia est *simplex*, alia *pleuritidi juncta*. III. Alia *benigna* est, alia *maligna*, de qua vid. BARONIUS *l. a cap. 7. 9. & 10.*

Circa diaphragmatis aut mediastini inflammationem peculiare nil occurrit Practico attendendum.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS inflammationum partium thoracis, earumque *signa & symptomata* comitantia, quædam sunt vel *communia* omnibus inflammationibus, quædam vel *propria* magis & *distinctiva*, pro partium affectarum ratione varia.

Signa *communia* Pleuritidis, Pleuropneumoniæ, Peripneumoniæ, diaphragmatis & mediastini inflammatorum, sunt sex: Nempè

1. *Adest in omni thoracis Inflammatione respiratio* plus minus *difficilis*, anhelosa adeoque, simul frequens nempè & parva, nec sufficiens necessitati naturæ.
2. Deinde *adest febris continua acuta*, cum insigni ardore utplurimum, & insigni febrilium symptomatum syndrome conjuncta, interdum tertianę typum observans.
3. *Pulsus* est admodum *frequens*, celer, magnitudine moderatus, qui saltim in progressu parvus fit, & in specie *durus* simul, ob arteriarum tentionem insignem quasi convulsivam, à membranis inflammatis affectę pleuræ quasi spasmodicè consentientem. Talis pulsus (interdum, quod sæpius observavi, pulsus est intermittens, quo nunc quarta nunc septima pulsatio deficit) est hic; quem vocant aliàs *serrinum* seu *serratum*, qui licèt aliàs à LINDANO *in Collegio super Hartmannum* pro figmento habeatur, eum tamen sano sensu explicatum Pleuritidi ferè proprium plurimi testantur Medici.
4. *Facies* in omnibus his pectoris inflammationibus *rubet* insigniter, oculi turgent, genæ sunt quasi inflatæ & efflorescunt, nisi declinaverit morbus

ad

ad mortem; tunc enim facies confidet. Et quidem mirandum est, si altera saltem pulmonum medietas seu pleura, e. g. lobus dexter fuerit inflammatus, rubor faciei seu malarum respondeat saltim lateraliter parti pulmonum affectæ, ita ut si dextra pars pulmonum sit affecta & inflammata, etiam mala dextra rubeat, & contrà. Durat hic rubor genarum à principio ad finem usque & tunc cætera allegata symptomata magis in uno, quàm altero latere, observantur.

5. *Tussis semper enormis*, frequens admodum & molesta adest, in principio quidem sicca, hinc progressu temporis sensim rejicitur materia tenuis, aquosa, nonnihil spumosa, mox variè tincta; hinc sputum totum fit cruentum, tandem verò albescit, crassescit & spissescit, fitque mucilaginosum & *tenax*, & tunc vocatur *sputum coctum*.

6. In omnibus thoracis inflammationibus *caput dolet insigniter*, & adsunt simul *agrypnia*, *sitisque* intensissima, & similia febrilia symptomata fatigant ægros, interdum cum supervenienti delirio.

Hæc sunt signa communia.

Quoad verò *signa & symptomata propria* magisque *distinctiva horum affectuum* à se invicem, ea oriuntur ex speciali partis affectæ habitudine, & sunt:

(1.) Quod in Peripnevmonia adsit major admodum respirandi difficultas cum summa pectoris angustia, anxietate atque inquietudine, ita quidem, ut suffocatio ægros magis urgeat, adeoque hi interdum nonnisi erecti cogantur spiritum ducere: Interdum nec bibere, nec loqui commodè possunt, ob *respirationis angustiam*, *qualem respirandi difficultatem* HIPPOCRATES *vocat sublimem*.

(2.) Dolor in pectore gravativus, profundus admodum, spinam dorsi quasi attingens, & obscurus aut inter tussiendum saltem observabilis, quique tamen in thoracis etiam ambitu, si pleuritis scilicet fuerit juncta; quando verò membrana succingens pulmones simul inflammata non fuerit, dolor semper remissior est.

(3.) In Peripnevmonia primis diebus vomitiones magis familiares sunt, secus ac evenit pleuriticis, observante PISONE *Tr. de Colluv. serosa p.* 230.

(4.) *Febris* adest *continua*, utplurimum acuta, cum symptomatibus intensioribus, utut febrem mollem, seu *Epialam* subinde se observasse referat LINDANUS.

Contra in Pleuritide semper conjunctus observatur dolor ambientis lateris seu pleuræ affectæ acutus, quando inspiramus, aut punctorius auctus, & tunc imprimis molestus; cujus originem ab acido & fiendi modum per contracturam fibrarum pleuræ eleganter explicat HELMONTIUS *Tr. Furens Pleura.* Adeoque rarum est, quod refert LINDANUS, dolorem hujusmodi punctorium non in omni esse pleuritide; utut & *pleuritis sine punctorio lateris dolore* observata fuerit à ZACUTO LUSITANO *in Hist. Med. Princip.*, qualem & ipse TULPIUS observavit.

Notabile est, quod præterea addit BARBETTE *in Praxi*, quod nempè Pleura in regione dorsi, ubi adnascitur diaphragma, inflammata, interdum ab incautis habeatur *pro Nephritide*, licet hoc fiat cum summo detrimento ægri.

In Inflammatione DIAPHRAGMATIS simul extrema costarum spuriarum circa finem sterni imprimis dolent, & ista ventris pars, ubi diaphragma est extensum, dolorem percipit; dolor tamen exiguus est, inspirationem saltem aliquo modo turbans, & saltem molestia quædam juxta sternum inspirando percipitur. Tussis magis sicca in principio æquè ac progressu morbi existit, & si humida, nec cum tam copiosis excretis, atque in pleuropnevmonia adesse solet. Et denique cinguli instar supra lumbos, ventrem dolor ambit, & hypochondria tendi seu constringi videntur. Facilè tales delirant ægri, quod delirium Paraphrenitidem appellant. Exemplum elegans *diaphragmatis inflammati*, *vid. in* PLATERO *Observ. l.* 1. *pag.* 158. Respiratio est inæqualis, modò parva, modò magna, modò frequens, modò rara: &c. solent etiam non nunquam accedere convulsiones, & palpitare interdum videtur diaphragma: vid. PLATERUS *l. a. p.* 170.

Denique *in Inflammatione* MEDIASTINI paria ferè modò dicta observantur, ut plurimum in anteriore pectoris regione incalescentia & dolor quidam non nihil gravativus in & sub sterno percipitur, citra tamen puncturam aut citra insignem aliam molestiam, nisi sub inspirando. Tussis verò quoad omnia instar pleuriticorum se habet, nempè in principio sicca, postmodum humida, in qua rubra & flava rejiciuntur, non tamen adeò copiosa observantur. Pulsus qualis pleuriticorum.

HEPAR *inflammatum* subinde paria ac Pleuritis habet symptomata; in eo tamen *distinguuntur*, quod *dolor sit in latere dextro* & circa dextrum hypochondrium gravativus, non punctorius, ut dolorosa quædam plus minus tensiva molestia ad jugulum usque adscendere videatur: Pulsus est undosus, non durus; tussis sicca, non adeo frequens; nec tanta respirandi difficultas.

Quod si progrediatur malum, ita ut Pleuritides & omnes Inflammationes hæ degenerent in suppurationem, tunc hanc fientem quidem monstrat rigor, qui certum est indicium, & qui necessariò omnes internarum partium, præsertim membranacearum, suppurationes comitatur; nec non exacerbatio doloris, febris, vigiliarum, ac similium symptomatum: *factam verò iam suppurationem* monstrant dolor imminutus, febris remissior, respiratio liberior, & virtus vitalis non adeò debilis. Verùm licèt confecto pure & febris & dolor mitescant, tamen instante disruptionis tempore vehementiùs cum horrore ægri denuo febricitant, ac difficiliùs ferè quàm antea respirant.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS affectus hos binos unà cum mediastini ac diaphragmatis inflammatione periculosos admodum pronunciat; ita tamen, ut ex his *Pleuropnevmoniæ* variis quasi speciebus, cæteris paribus, levissima omnium sit *Pleuritis*, etiamsi interdum pulsum intermittentum habere videatur, qui in ea minus periculosus est: *vid. M. A. N. C. Ann.* 2. *Observat.* 237. *p.* 339.

Vehementior autem & periculosior est *Peripnevmonia*, utpotè quod morbi genus juxta CELSUM plus periculi, quàm doloris habet.

Adhuc vehementior & periculosior, cæteris paribus, est *diaphragmatis Inflammatio*, quæ acutissimus morbus est, atque ægrum citò in summum discrimen deducit, sæpè jugulat, & sicuti etiam *mediastini inflammatio* est periculosior pleuritide.

Quod si absque interitu ægri finiantur hæ *Pleuropnevmoniæ* & his conjuncti affectus, curantur. Vel

(1.) Insensibili *discussione & resolutione* ipsius Inflammationis; id quod fit nunc criticè, nunc Medicè.

(2.) Quando successivè per sputi crebrioris rejectionem solvitur.

(3.) Quando Inflammatio successivè suppuratur, ac in abscessum vel *empyema* abit, quam suppurationem fientem ostendunt doloris, febris & vigiliarum exacerbatio.

(4.) Si per raram ac singularem materiæ morbificæ metastasin terminantur: v. g. nunc per phrenitidem, nunc in singulares morbos articulares, nunc in abscessum in sura, nunc in ulcera tibiarum.

Si terminantur resolutione vel per *sudores*, vel *diarrhœas*, vel *urinæ* copiosum *fluxum*, vel *hæmorrhagias*, vel aliis modis, imprimis est observandus motus naturæ criticus, qui nullo modo impediendus, sed, si possit, potiùs promovendus: Nam in diebus criticis natura sibi relicta imprimis solennes tales instituit evacuationes: *vid.* AMATUS LUSITANUS *Centur.* 7 *Curat.* 28., qui refert Pleuritidem sævam sine venæ sectione die 14. per sudorem criticè curatam: Porrò PISO *Tract. de Colluvie serosa p.* 229. *in Edition. in quarto* observat Pleuritidem die 7. per sudorem curatam: VALERIOLA *lib.* 4. *Observat.* 4. habet Historiam curiosam Pleuritidis gravis in gravida 8. mensium, quæ solus naturæ ope sine venæ sectione die 4. per sudorem fuit curata: & *c. l.* aliam refert gravidam Pleuriticam, quæ variis licèt aliis adhibitis remediis, tandem die 7. 11. & 14. robore naturæ per copiosos sudores fuit curata; item *lib.* 7. *Observ.* 6. simile ferè refert exemplum.

Quod attinet *hæmorrhagias*, v. g. narium, hæmorrhoidum, aut mensium fluxum, hæmorrhagiam septimo die criticam in Pleuritide salutarem refert LOTICHIUS *lib.* 3. *cap.* 3. *Observ.* 3. item FORESTUS *l.* 16. *Observ.* 35. & *Observ.* 37. habet Pleuritidem per fluxum sangvinis ex naribus die 14. curatam: sicut Pleuritidem in

CURA.

Omnes huic cognati morbi simili modo tractantur, quorum Cura tribus gaudet indicationibus. Nempe

I. *Sanguis stagnans est resolvendus*, & blandis sudoriferis, tàm generalibus quàm specificis, acidum corrigentibus, in naturalem suum circulum revocandus.

II. Hoc si fieri nequit, *exscreatio*, & *copiosa sputatio*, quantum possibile, *est promovenda*, in principio quidem temperantium seu incassantium moderatorum ope, in progressu verò per incidentia, miscenda hæc variè, prout sputi conditio & expectorationis ratio requisiverit.

III. Sin & hæc sint frustra, *suppuratio* inflammationis *expectanda, ac adjuvanda* per Pectoralia temperata, anodynis mista, & pus confectum educendum.

Pro his scopis meliùs obtinendis observandum:

I. Sæpissimè in primo morbi insultu esse instituendam VENÆ SECTIONEM, eamque aliquoties interdum esse *repetendam*, prout necessitas & conditio affectus requisiverit. Interim tamen notandum, eam semper simpliciter necessariam non esse, quia potiùs tunc temporis appropriata remedia, ac in specie diaphoretica dissolventia, quæ sanguinis grumos resolvunt & sudorem movent, citra Venę sectionem non rarò malum tollunt: vid. HELMONTIUS *Tract. Pleura Furens*, qui est egregius, HOLTERHOFF *de Errorib. Med. c.* 1. §. 2. Quinimò hoc certum est, quodsi sine sudore per Venęsectionē Pleuritis curetur, nihilosecius ad suppurationem tendat, quæ tamen per sudorifera posset præcaveri. Ac sanè per se nullum locum obtinet Venę sectio, saltim ubi copiosior adest sanguis, & nimis acutus seu præceps morbi ad statum motus; in tali casu per accidens interdum instituta, & repetita Venæ sectio aliquale levamen affert: sic LINDANUS necessitate coactus *mulieri gravidæ* intra 24. horas quinquies venam secavit, urgente nempe affectu. Propterea de tempore non multum deliberandum venit, sive vesperi sive manè sive medio noctis fuerit; dum necessaria est (quod tamen in nostro climate rariùs evenit) instituenda erit. Pluribus hanc *de venæ sectionis in pleuritide usu controversiam* ventilatam: vid. HOECHSTETTERO *Decad.* 7. *pag.* 107. & *M. A. N. C. Ann.* 8. & 10. *Obs.* 190.

Ubi ergo secanda est vena, observanda erit differentia Pleuritidis ascendentis & descendentis. Nam eadem pro usu *revulsionis* instituatur in pede, si est *Pleuritis ascendens*; aut in brachio, si est Pleuritis descendens. *Aversionis* verò seu Revulsionis particularis sanguinis gratiâ secetur in pede vena, & quod melius, oppositi lateris, si est *descendens*; in brachio verò pro aversione, si est *ascendens*, &c. Quibus paucis prolixæ istæ controversiæ de loco Venę sectionis, quas agitarunt veteres insigni fervore, decidi possunt: Conf. WILLISIUS *Pharm. Ration. Part.* 2. *p.* 204. Præstat autem ut venę sectio fiat aliquot vicibus, nec longis intervallis, neque magnâ quantitate, ut loquitur rectè HILDANUS. *In Peripneumoniæ Cura* venæ sectione nec revulsoria, nec aversoria, nec derivatoria locum habet: Quod igitur à corde recipit, ei denique iterum remittit. Interim sæpissimè & ferè tutissimè Pleuritis benigna absque venæ sectio curari potest, per diaphoretica, volatilia præsertim & specifica. Jam verò licèt in *Pleuritide benigna* venæ sectio si non juvat, non noceat; *in maligna tamen vix locum inveniet, sed semper erit nociva*, in qua nunquam sine periculo vena aperitur; ergo ab illa abstinendum. Refert BARTHOLETUS *l. c.* sibi diuturnâ Praxi esse compertum, omnes fere, quibus in Pleuritide maligna vena tunditur, mori; è contra periculo defungi, qui sine phlebotomia sunt curati: Videatur etiam GESNERUS *l.* 1. *Epist. p.* 19. qui similiter asserit, venę sectionem esse inutilem in *maligna Epidemica: Videantur ejus observationes*. Quod sanè in Pleuritide maligna verum arbitror, utut in Epidemica non adeò semper locum inveniat; DODONÆUS *enim Obs. cap.* 21. *p.* 38. refert, in Pleuritide epidemica administratam venæ sectionem salutarem; neglectam verò lethalem.

II. Observetur: in Pleuritide aut in Peripneumonia PURGATIONES *omnes esse frustraneas*, subinde nocivas; disponunt enim ad Diarrheas exitiales, in specie, ubi sputum copiosiùs rejectum retrocedit, adeòque caveamus nobis à purgantibus, ne motum naturæ impediamus. Purgatio ergò in Pleuritide non convenit, quia sanguinem exagitat, & in partem affectam altiùs impingit, nisi ad *declinationem* Malum pervenerit. Et si interdum conveniat Purgatio, utplurimum tamen ante diem septimum perniciosa est: Videatur RIVERIUS *Cent.* 1. *Obs.* 98. Imprimis verò procedente sputo abstinendum à purgatione, per experientiam confirmante hoc ZACUTO LUSITANO *l.* 1. *Prax. admir. Obs.* 107. & 116. quicquid etiam in contrarium dicant quidam Practici, in specie RULANDUS *in Thesauro practico p.* 129. ubi defendit acriter, quàm maximè ex usu esse in principio Pleuritidis fortem purgationem, & exempla refert plerorumq; per vomitū & secessum ex *aqua benedicta* à se curatorum. Quidam cum RULANDO VOMITORIA valdè laudant: Verùm de vomitoriis vid. *Judicium datum suprà art.* 1. *in Angina*. Sanè per se nil valent in Pleuritide, potiùs nocent, adeòque ab his est abstinendum, cùm humores ad pectus magis commoveant, per accidens verò, ubi fomes & vitiosa excrementa, in specie acidum & æruginosum in primis viis & intestinis stagnaverit: In tali casu primo in principio (ad quod nihilominus Medicus rarò vocatur) prodest vomitus; Deinde etiam in morbi declinatione, factâ suppuratione, vel ad abscessum rumpendū, vel hoc rupto ad ulteriorem puris evacuationem vomitus aliquando conducere potest. Benè hic differit LINDANUS, dum dicit; *se in Cura Peripneumoniæ non audere vomitorium dare*. Nec video, quod possit; nisi statuatur ventriculus onustus æruginosa cruditate, à qua sanguis vitiatus impetum faciat in pulmonem; sed in tali casu non respicerem ad Peripneumoniam, sed ejus radicem, nempè ventriculum malum. Ita nec in progressu vomitoria conveniunt; nil enim pulmonibus nocentius est: Si enim tempestivè purgentur, diarrhœa accidit, cum alvus per se mollis sit; illâ autem accedente sputum non coquitur, nec pus maturatur, & pereunt ægri. Interim Clysteres, ubi alvi obstructio, magno cum fructu injici possunt.

III. Observetur ex omnibus remediorum generibus, quæ huic morbo mirificè opitulantur, nil melius esse, quàm SUDORIFICA & DIAPHORETICA, in specie anti-pleuriticis juncta. Ex omnibus enim auxiliis in Pleuritide primarium est sudor, qui ex toto corpore, & imprimis circa thoracem, provocandus, & sic citò & jucundè omnes thoracis Inflammationes curari possunt: Id quod omnes elegantiores Practici ferunt: vid. BARONIUS & SCHNEIDERUS *citatis locis*; item PETRUS JOHANNES FABER *Cur.* 8. 10. & 20. qui plurimos Pleuriticos curavit per sudorem, cum *antimonio diaphoretico* propinato, præmisso *clystere*, interdum etiam *venę sectione*, applicando *externè balsamum sulphuris* cum *emplastro de sulphure Rulandi*. Confirmat hoc pariter HILDANUS *C.* 1. *Cur.* 52. item RENEALMUS *in Obs.* 32. qui Pleuriticis aliquot secta vena *flores antimonii diaphoreticos* exhibuit, & statim prodeunte sudore omnes dolores punctorii abjerunt. De antimonii diaphoretici usu vid. etiam M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 72. Et sanè ipsa natura vel viam monstrat, toties per sudores spontaneos pectoris curans ejusmodi inflammationes. Imprimis in principio adhibeantur cum specificis aliis volatilia, in statu verò fixiora; vid. LUDOVICI *Phar. p.* 237. Singularis enim encheirisis est Pleuritidi mederi mox in principio sal. volat. & opiata, æstu quātūvis maximo nihil obstāte.

IV. *Malè* quidem *in principio* morbi, id est, quando natura ad sputum nondum inclinat, *præscribunt Practici* plures EXPECTORANTIA, seu talia, quę tussiendo materiæ expectorationem & sputum promovent. Nam talia cùm tussim stimulent vel adjuvent, non solùm materiam crudam emittendam sollicitant, quod tamen frustra fit; sed & concussionem thoracis, pulmonum, ac pleuræ inferunt, quibus in principio dolor intenditur, & mala hæc exasperantur, ut rectè observavit GABELCHOVERUS *C.* 2. *Cur.* 93. Ideò simus cauti, ne expectorantibus nimis maturè usurpatis exasperetur morbus, & intendatur Inflammatio; ac proin saltem in incremento ac statu expectorātia dissolventia usurpemus.
„ Et hæc *inter remedia, quæ sputi coctionem aut suppurationem*
„ *Inflammationis faciunt, malum*, dicit LINDANUS, *Decocta pectoralia, quàm syrupos & saccharata. Nobilissimum pectorale habemus in liquiritia & in passulis. Saccharum malè pectoralibus additur; nam constat, omnia dulcia, & mellita facilè acescere in ventriculo, cui nil inimicius, quàm illud sylvestre acidum. Præscribantur autem radices & herbæ pectorales, sed omittantur semper ista dulcia, nec credatis, gaudere pectus; dulcibus gaudet equidem insipidis, & quæ non habent qualitatem excedentem, non dulcibus extremè, ut saccharum. Liquiritia igitur convenit, quæ tamen in pauca quantitate sumenda, cavendo ne uratur; tunc enim prava & acris fit.*

V. *Opiata* non negligenda sunt in *Cura* harum Inflammationum, sed *usurpentur* saltem *in principio & incremento*, saltim ad suffocandam nimiam morbi vim & sistenda pathemata dolorosa, quæ ipsa quoque ad corrigendam materiæ expuendæ cruditatem, adeoque eandem coquendam seu incrassandam multùm præstare solent: vid. WEDELIUS

Opiol. p. 111. & 112. *Inflatu* verò & declinatione vitandæ sunt, ne impediatur *expectoratio*, atque materia cocta nimis pertinaciter sic inhæreat, id quod sine *suffocationis* periculo vix fieri potest; qualem Observationem ZACUTUS LUSITANUS *l.* 1. *Pr. admir. Obs.* 125. testatur. Solum *Papaver rhœas* ejusque *flores* ceu optimum *specificum* in toto morbi decursu locum habet.

VI. Benè observandum est, ut omnia, *quæcunque ægri bibunt, calidè assumant*. Nil nocentius est in his affectibus, & quod magis exsperare eosdem solet, quàm *frigidus potus*, qui coctionem impedit, excretionem remoratur, tussim provocat, Inflammationem intendit; & lædendo pulmones respirationem difficiliorem facit, quæ omnia in *calido potu* contrario modo se habent. Est autem potus optimus *Decoctum hordei & liquiritiæ*, idque in toto morbi decursu; item *Decoctum papaveris rhœados cum syrupo scabiosæ* aut *violarum* aut *capillorum Veneris*. In contagiosa seu maligna *Decoctum rasuræ cornu cervi crudi*, vel *cum vel sine floribus papaveris*, aut etiam cum *sarsaparilla*, optimum est potulentum. Potui ordinario addatur gelatina dentis apri, & tinctura florum papaveris erratici, cum sero lactis parata, Julepis: hinc pro potu ordinario, imprimis si febris ardens conjuncta, inserviunt Iulepi, quos dedi in *Coll. Formular. pag.*..... Vel

℞. *Flor. papav. errat.* Mj.
Violar. M. ß.
Irror. c. f. q. *spiritus nitri dulcis*,
Infunde in f. q. *Decoct. priap.* vel *cornu cervi*;
Stent in loco calido horis aliquot.
Colat. ℔iß. adde
Syr. flor. papav. errat.
Violar.
Scabios. an. ℥j.
M. S.
Iulepus refrigerans & dissolvens.

Præmissâ igitur vel omissâ uenæ sectione progrediendum statim est ad SPECIFICA PLEURITICA, sanguinem stagnantem dissolventia, sudorem prolicientia, Inflammationesque erysipelaceas sistentia; circa quæ notandum: quod eadem sint, quæ in *dysenteria* & angina aliàs locum habent, uti rectè loquitur & experientià comprobavit HELMONTIUS: Deinde, quod omnia ea *specifica*, quæ conveniunt in *Pleuritide*, etiam convenientissimè in aliis quibusvis internarum partium Inflammationibus à causa interna enatis, ut faucium, stomachi, intestinorum &c. prosint, cùm omnes ejusdem sint naturæ sæpiùs erysipelaceæ. APPROPRIATA talia remedia in Pleuritide ex regno vegetabili sunt papaver erraticum, flores acaciæ nostratis, bellidis rubri, rosarum rubrarum, chamomillæ, carduus benedictus, carduus Mariæ, papaver album, taraxacum, scabiosa, pimpinella, ulmaria, hedera terrestris, cherefolium, radix bardanæ, eryngii, semen cardui benedicti, Cardui Mariæ, papaveris albi, aquæ destillatæ istorum simplicium, in specie *aqua florum acaciæ*, *aqua florum papav. rhœados*, & *aqua florum chamomillæ*, hyssopi, & similes; singulatim præ cæteris omnibus hæc tria, *papaver rhœas*, *carduus benedictus*, & *Mariæ*, quocunque modo usurpata, nunc simplici, nunc repetità vice, expectando sudorem, sunt optima, exque his parata; ut aqua, syrupi, tinctura, pulvis florum, succus & conserva horum, sunt convenientissima. Usum hujus decantatum habet VALERIOLA *lib.* 5. *Observ.* 5. & 10. Item ex sem. cardui ben. & Mariæ fiunt emulsiones cum aliis, quæ in cura pleuritidis sunt elegantissimæ; v. g. præscribantur emulsiones, quas dedi *in Colleg. Formular. pag.*.... vel

℞. *Sem. card. ben.*
Mar. an. ℥ij.
Papav. albi (ratione doloris) ℥j.
Cum f. q. *aquæ cherefol. card. bened.* & *flor. papav. errat.* f. Emulsio:
adde
Dent. apri præpar. vel *maxill. lucii pisc.* ℨj.
aut an. ℈j. ad ℨß.
Antimonii diaphor. ℈j.
M. edulcoretur parum.
D. S.
Emulsio confortans contra pleuritidem.

Subinde hauriatur expectando sudorem: mihi expertissima est in desperatis casibus. Vel

℞. *Sem. card. ben.*
Mariæ an. ℥iij.
Cum f. q. *aquæ cherefol.* vel *card. bened.*
F. Emulsio: adde
Lap. cancr. præp. vel *maxill. luc. pisc.* ℨj.
Antimonii diaph. ℨß.
Edulc. cum *syrup. papav. simpl.* D. S.
Emulsio leniens contra pleuritidem.
Item.
℞. *Aquæ Ulmar.* vel *cherefol.* ℥iii.
Bezoard. mineral. gr. xij. vel xvj.
Syr. flor papav. errat. ℥iß. ad ℥ij.
M. D. S.
Potio contra pleuritidem.

Subsistimus adhuc in Materia medica, Pleuritidi curandæ dicata, & præter papaver rhœas, carduum benedictum & Mariæ, etiam prodest cherefolium, ejusque aqua destillata, utpotè aliàs satis decantatum ad sanguinis grumos quoscunque resolvendos. A multis laudatur radix bardanæ, succus scabiosæ, & præ cæteris succus taraxaci seu dentis Leonis, item succus pimpinellæ seu sanguisorbæ. Quoad *succum taraxaci*, cum hoc egregiã & expertam præscribit *mixturam* BARBETTE *in sua Praxi l.* 3. *c.* 1. Cõpositio hæc est:

℞. *Succ. tarax. depur.* ℥j.
Aquæ plantag.
Rosac. an. ℥ij.
Prophylact. ℥ß.
Ocul. cancr. crud. cont. ℨß.
Syr. papav. errat. ℥iß.
Misc. in phiala.

Loco aquæ prophylacticæ sumi potest acetum destillatum. Hâc mixturâ solâ mulierem periculosâ pleuritide laborantem liberavit, cochlearia aliquot hauriendo singulis horæ quadrantibus.

Ad hujus imitationem concinnior erit sequens formula;

℞. *Aquæ Card. ben.*
Cherefol. an. ℥iß.
Theriacal. ℨvj.
Succ. tarax. depur. ℥j. ad ℥iß.
Lap. cancr. præp. ℨiß.
Syr. papav. errat. ℥iß. M. D. S.
Potio dissolvens contra pleuritidem.

Mixturam sumat æger quovis quadrante horæ, 2. cochlearia, operationem ejus mirabimini.

Post succum taraxaci est imprimis decoctum eryngii.

Quod ad *radicem* verò *bardanæ*, CASTRO *Veronensis* cum summa copia grumosi sanguinis, per sputum intra biduum rejecti, absque uenæ sectione curavit Pleuritidem; *primo externè* applicando & singulo bihorio renovando lintea duplicata cum *spermate ranarum* non destillato, sed per se servato, applicando, & ita per biduum continuando; hoc enim est singularissimum remedium ad quascunque Inflammationes compescendas, si applicetur. *Secundo internè radice bardanæ seu lappæ majoris* vere collectæ crescente Lunâ, autumno verò decrescente lunâ.

Servantur radices, ac in umbroso loco siccatæ & pulverisatæ dantur dosi cochlearis j. in vitro generosi vini; vel *Decoctum bardanæ* ritè paratum ceu appropriatum sudoriferum Pleuropneumonicis convenit.

Pertinet huc ratione salis volatilis lignorum, fuligo furnorum, quæ est nobile specificum pleuriticum D. HORSTII *Iunioris*, dum *fuliginem* benè tritam lavat sæpiùs cum *aqua florum sambuci*, exsiccat, & ita pulverisat: hujus pulveris ita præparati dosi ℨß. ad ℨj. in aceto *sambuci* vel *infuso papaveris rhœados*, vel aqua specifica quadam, propinat expectando sudorem: Sic Pleuritidem sævam *pulvere fuliginis camini* ad ℨß. in *aqua cardui ben.* die septimo curatam habet RIUERIUS *Centur.* 1. *Observ.* 79. Laudantur quoque *flores buxi*; de quibus vide RIVERIUS *Pr. l.* 7. *cap.* 2. *spiritus tartari*, fuliginis, &c.

Ulterius quoque *priapi ceti*, *cervi*, & *tauri* ceu singularia remedia à quibusdam ad Pleuritidem commendantur, quorum rasorum vel pulverisatorum, præ reliquis tamen ceti, ad ℨj. in aqua specifica assumitur; aut ex iis paratum *Decoctum*, ceu corpus juleporum, cum aliis permiscetur & optimè propinatur. Hinc & BARTHOLETUS in Peripnevmonia & Pleuritide maligna *rasuram priapi tauri* commendat; cui tamen revera ceti & cervinus præferendus, aut alia Alexipharmaca ordinari possunt.

Conveniunt ulteriùs partes animalium duræ, *sale volatili* turgidæ, acidum sanguinis imbibentes, præsertim in principio, & multò magis exinde parata *salia volatilia* & *spiritus urinosi*, mediante sudore faustissima remedia, qualia sunt

lapilli cancrorum, dens apri, castoris, maxillæ lucii piscis, aut quælibet ossa lucii piscis, lap. carpionum, *percarum*, tali leporis, corallia rubra, hincq; alia genera *marina*, ut & cornu cervi & ebur. Ex quibus speciatim *dens apri & ossa lucii piscis*, *lap. carp. & percarum*, uti cætera *marina*, primas tenent, utpote quæ per se à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij. præter propter in convenienti vehiculo insigniter commendantur ad Pleuritidem. Commodè etiam propinantur in emulsionibus: & in specie sal volatile maxillarum lucii piscis primatum ducit, tam in malignas, quàm benigna Pleuritide. Loco hujus salis volatilis tamen etiam salia volatilia alia substitui possunt, uti & pulveres antipleuritici compositi *Augustanorum*, *Mynsichtii*, *Ludovici*, *Wedelii*, Trag. antipleuritica *Hartmanni in Praxi Chym.* Porrò in *sanguine Hirci* legitimè præparato expertissimum remedium est contra pleuropnevmoniam, ad ʒj. propinatum in aqua appropriata. Methodum parandi hunc legitimam beneficio abscissionis testium ex hirco, videb. descriptam apud HELMONT. *Tr. Sextuplex. Dig. §. 75.* & hinc à ZWELFFERO: quo si ab ejus usu non statim sequatur sensibile levamen, repetatur aliquoties, idque faciendum mox in principio, antequam facta sit suppuratio; facta enim suppuratione frustra adhibetur remedium. De hoc sanguine, ut & dente apri, vid. Tachenius Morb. Princ. p. 126. Pariles virtutes habet *sanguis leporis* ritè collectus, si nempè lepus, à canibus in venatione captus, vivus stranguletur laqueo, ut sanguis in unum confluat & grumescat, aperitur postmodum, & sanguis in fumo siccatur. Dosis est à ʒß. ad ʒj. Vid. quæ dixi de *Dysenteria Sect. 9. cap. 3. artic. 1.* Huc quoque pertinet Bezoar German. seu Ægagropilæ. His adnumeranda *stercora animalium* sudoriferâ & antipleuriticâ vi pollentia, quæ hic non sunt negligenda, quoniam mirè conveniunt in Cura Pleuropneumoniarum. Præ cæteris expertum est præsertim apud Anglos, *stercus equinum* masculinum, si scilicet pila una stercoris hujus recens excreti haustui potus ordinarii infusa, aut cum vino, vel aqua papaveris erratici macerata & subacta, probè exprimatur, & succus iste expressus propinetur mox in principio, & quò citiùs, eò meliùs, expectando sudorem, & quoties opus fuerit repetendo: *Conferatur* WILLISIUS *Pharm. Ration. Part. 2. p. 181. & 209.* du HAMEL *de Affect. Corp. pag. 310. &* HELMONT. *de Febribus*. Huic non cedit *Album Græcum*, & *pulvis stercoris columbini*, à ʒß ad ʒj. in liquore conveniente propinatus, quem pulverem secretum Magnatum ad curandam Pleuritin PANAROLLUS *Pent. 4. Observ. 14.* affirmat: Aut maceretur hoc stercus cum *aqua papaveris rhœados*, & hinc factâ expressione propinetur. Ab aliis admodum extollitur *stercus ovillum*, nempè recipiunt stercoris ovilli pilas, subigunt in mortario cum aqua papaveris erratici, vel cardui benedicti seu scabiosæ, & exhibent statim in initio; quod facit LINDANUS, & vocat nobile medicamentum: *Nam*, ,, dicit, *præstat id ob sal nitrosum volatile quasi ammoniacale; Habent enim stercora copiosum sal ammoniacum.* Porrò multum convenit quoque *sperma ceti* à ʒß. ad ʒj. in vehiculo calido assumptum; Nam hoc ad sanguinis grumos dissolvendos conducere in professo est; hinc etiam usu *spermatis ceti cum castoreo misti* curavit Pleuritidem ex suppressione mensium natam TIMÆVS *von Guldenklee in Cas.*, imprimis si ex terrore subitò menses fluentes supprimantur, & ita Pleuritis oriatur.

Denique quoad *regnum minerale*: excellit imprimis *spiritus nitri dulcis*, seu potiùs *spiritus antipleuriticus*, imprimis ubi urget æstus febrilis; magis tamen sic convenit, dum nempe spiritus vini digeritur & cohobatur aliquoties à specificis antipleuriticis, postmodum hic spiritus subtiliori vegetabilium substantiâ imprægnatus, loco spiritus vini simplicis miscetur cum parte dimidia spiritus nitri invicem, digeritur, & cohobando destillatur; egregium dat spiritum antipleuriticum, cujus dosis ʒj. ad ʒii. in aqua cardui benedicti, vel alia appropriata; expertum est remedium in Pleuropnevmoniis, sudorem movet, inflammationes solvit, & simul expectorationem promovet, febresque sistit, qui aliàs in omnibus Inflammationibus internis satis commendatus. Loco hujus paratur à quisdam non inconcinnè *tinctura bezoardica*, *recipiendo* loco *spiritus vitrioli spiritum nitri*, & ita ulteriùs lege artis procedendo: nobile est remedium ad ʒj. in *aqua appropriata*, has Inflammationes sudore mediante levans.

His adnumeratur *Mixtura simplex*, *sulphur*, ejusque *flores*, qui optimè pariter conducunt, & non ultimum remedium dant in Pleuritide à ℈j. ad ʒj. vel solum vel cum aliis: conf. WEDELIUS *loco alleg.* Hinc quoque *pulvis pyrius* egregium remedium est contra pleuritidem, ad ʒj. repetitis vicibus propinatus, tàm nitri, quàm sulphuris ratione. Pertinent huc quælibet *sulphurea antimonialia fixa* sudorifera; & hinc etiam *cinnabaris antimonij*, *antimonium diaphoreticum*, *bezoardicum minerale*, *Martiale*, *bezoardicum solare*, *antimonium solari irradiatione calcinatum*; sub qua calcinatione & pondus augetur antimonii, & singularissimam vim alexipharmacam acquirit: Sub qua operatione multum est reconditum. Pertinent huc *pilulæ antipleuriticæ* BARTHOLETI, quibus nullum præstantius remedium inveniri asserit *l. 5. de Dyspn. c. 3. p. 451.* Compositio est hæc:

℞. *Extr. flor. papav. rhœad.*
Malv. arb. rubr.
Visci querc. an. ʒiß.
Ras. dentis apri,
Corn. rhinoc. an. ʒij.
Maxill. lucii pisc. ʒiß.
Cort. intern. avell. ʒj.
Anod. mineralis, vel *nitri antimoniat.* ʒß.
Mag. corall. ʒiß.
Cum tinctura seu *succo densato scabiosæ* f. Pasta.

Dosis ℈j. cum *aqua flor. papap. errat.*, vel etiam cum *Olei amygd. dulc.* ʒij.

Quod ad FORMULAS huic scopo applicandas, præter Emulsiones & Mixturas supra dictas:

℞. *Aquæ chærefol.*
Card. ben. an. ℥iß.
Maxill. lucii pisc. vel *lap. cancr. præp.* vel
Antimonij diaph. ʒß.
Sal. vol. maxill. luc. pisc. gr. xvj.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. scabios. ʒiß. M. D. S.
Mixtura discutiens cochleatim sumpta.

℞. *Aquæ chærefol.* vel *papav. errat.*
Flor. sambuc. an. ℥iß.
Maxill. luc. pisc. ʒj.
Sal vol. earund. vel *cornu cervi* gr. xij. ad xv.
Laud. opiati gr. ij.
Syr. flor. papav. errat. vel *alius appropr.* ʒiij. ad ʒj.
M. pro tribus dosibus, aut capiatur cochleatim semper benè agitando: D. S.
Mixtura dissolvens.

℞. *Aquæ papav. errat.*
Scabios. an. ℥j.
Antimonij diaph. ℈j.
Sal vol. maxill. luc. piscis gr. xiij.
Laud. opiat. gr. iß.
Syr. papav. errat. ʒß. M. D. S.
Mixtura discutiens pro una vice.

℞. *Aquæ flor. acac.*
Card. Mar.
Cherefol. an. ʒß.
Pulv. antipleur. Aug. ℈j.
Antimonij diaphor. ℈ß.
Laud. opiat. ferment. gr. j. ad iß.
Syr. papav. errat. ʒiij.
M. D. S.
Ut antea.

℞. *Aqua Card. Mar.*
Chærefol.
Papav. errat. an. ℥j.
Spiritus theriacal. campb. ʒiij.
Lapill. cancr. præpar. vel *dent. apri sine igne*, vel *antimonij diapb.*
Maxill. luc. pisc. an. ʒß.
Sal vol. maxill. luc. pisc. gr. xij. ad xv.
Laud. opiat. ferm. gr. iij.
Syr. papav. errat. aut *scabios.* ʒvj. ad ℥j.
M. D. S.
Ut antea.

℞. *Dent. apri præp.* ℈ij.
Sang. hircin. præp. ʒß.
Laud. opiat. Lang. gr. ij. vel iij.
M. pro pulvere:
Divid. in tres part. æqual. S.
Pulvis dissolvens.

℞. *Maxill. lucii pisc.* ℈j.
Sal card. ben. ℈ß.
Vol. dent. apri gr. v.
Laud. opiat. gr. iß. M. f. pulvis: S. *ut antea.*

℞. *Sang. hirci ppt.* ℈j.
Bezoard. mineral. ℈ß.
Laud. opiat gr. j.
M. f. pulvis.
div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis dolorem sedans & dissolvens.

℞. *Maxill. luc. pisc.* vel *pulv antiplem.* ʒß.
Sal vol. cornu Cervi vel *maxill luc pisc.* gr. vj.
Laud. opiat. gr. iß.
M. f. pulvis in principio & incremento; S.
Pulvis dissolvens.

℞. *Arcan. duplicat.*
Succin. præp. vel *flor. sulphuris* ana gr. xv.
M. f. pulvis in Pleuritide cum febre acuta.
D. S.
Pulvis refrigerans.

mox dolor & calor remittunt, & materia cocta sine ulla difficultate commodè reiicitur.

Vel

℞. *Arcan. dupl.* ℈j.
Antimonii diaph. ℈ß.
M. D. S.
Pulvis calorem sedans.

Vel

℞. *Arcan. dupl.* ʒß.
Maxill. luc. pisc.
Antimonii diaph. ana gr. xv.
M. Div. in 2. part. æqu S.
Pulvis alterativus.

℞. *Mixt. simpl. ritè parat.* vel *tincturæ bezoard.* ʒj.
Spiritus cornu Cervi essent. ʒß.
Ess. opii tartarisat. ℈j.
M. pro duabus dos. S.
Mixtura sudorifera.

℞. *Spiritus theriac. camphor.* ʒiij.
Ess. croci ʒj.
M. D. S.
Essentia discutiens, & leniens: 30. usque ad 60. guttæ pro 1. dosi.

Pro meliori confirmatione dictorum, notanda venit observatio in muliere plebeja 42. *annorum*, ad quam pleuritide gravissimâ & jam desperatâ laborantem die demum septimo decubitus sui vocabar: aderat tussis gravis, excretio viscida, nonnihil sanguinolenta, dolor in latere dextro, qui priùs fuerat in sinistro, palpitatio cordis, sudor frigidus in peripheria corporis, summa debilitas; pulsus quintâ qualibet vice intermittens, omni momento suffocanda videbatur, sitis clamosa, vox rauca: Huic præscripsi sequentem Potionem:

℞. *Aquæ papaver. errat.*
Card. ben. an. ℥iß.
Maxill. luc. pisc. præp. ʒj.
Salis vol. maxill. luc. pisc. gr. xii. ad xv.
Laud. opiat. ferm. gr. ij.
Syr. scabiosæ ℥iß.
M. f. Potio.

Quæ exhibita fuit cochleatim, & exinde superveniente copioso sudore mirabile levamen omnium symptomatum percepit; continuato etiam hujus misturæ usu, successivè convaluit.

Interim ut *expectorationem* materiæ viscidæ, quæ cum tussi superat, meliùs promoverem:

℞. *Aquæ scabios.*
Hyssop. ana ℥iß.
Spiritus sal ammoniaci anis. ʒß.
Syr. scabios.
Violar. ana ℥ß.
M. D.

Cepit cochleatim.

Cum egregiè quidem & copiosè viscida rejiceret, tamen de *anxietatibus* repetentibus, ut & *doloribus* intensè recrudescentibus, denuò conqueri cepit, cum *respirationis difficultate*; ob id missis expectorantibus ad sudorifera interna accessum feci: Ergo conscripsi:

℞. *Aquæ flor. papav. errat.* ℥iij.
Lapill. Cancr. præp. ʒj.
Sal vol. maxill. luc. pisc. gr. xv.
Laud opiati ferm. gr. iß.
Syr. scabios. ℥iß.
Misc. f. potio.

Usurpabatur repetitis vicibus cum copioso sudore & successu. Item

℞. *Aquæ flor. papav. err.*
Card. ben. ana ℥iß.
Lapill. Cancr. præp. ʒj.
Salis vol. max. luc. pisc. gr. xv.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. flor. papav. errat.
Scabios. ana ʒvj.
M. pro Potione.

Pro dolore punctorio leniendo externè simul ordinabam:

℞. *Ung. dialth.* ℥j.
Olei amygd dulc. ʒß.
Destillat. cumin. ℈j.
Camph. gr. ix.
M. f. Linimentum.

Quod calidè illitum crebrò lateri dolenti optimè profuit. His continuatis per Dei gratiam sanata fuit. Sed cum adhuc ægra copiosa viscida tussiendo rejiceret, pro reliquiarum harum evacuatione *succus raphani* recens paratus *cum saccharo* per copiosam sputi excretionem optimè contulit. Sed cum curata, nihilominus tamen adhuc tussim humidam, difficilem nonnihil respirationem & alia pateretur symptomata, adeoque metus subesset de phthisi pulmonali imminente; ob id

℞. *Charefol. rec.*
Heder. terrest. rec. ana q. v.
Concisa coq. in *cerevisia.*

Assumit manè & vesperi calidè bonum haustum, continuavit aliquandiu, benè profuit, & hoc phthisin etiam impedivit.

Supervenerunt tamen adhuc *sudores nocturni* continui pleno rivo emanantes, emaciantes & debilitantes insigniter: Pro his tollendis præscripsi:

℞. *Antihect. Pot.* gr. xv. ad ℈j.
Laud. opiat. ferm. gr. iß.
M. pro pulvere.

Assumsit omni vespere vel ante cœnam, sed moderatissimam, sub introitum lecti, hunc pulverem: cum aliquoties sumsisset, præsentaneam opem sensit, & penitus convaluit.

Sic viro *ætatis consistentis* gravi pleuritide correpto, cujus pulsus cum semper post tres pulsationes intermitteret, præscripsi octavo demum die vocatus sequentem Potionem:

℞. *Aquæ flor. papav errat.*
Scabios. ana ℥iß.
Antimonii diaphor. ʒß.
Syr nicotian.
Scabios. ana ʒvj.
Spiritus nitri dulc. q. s. pro grato sapore.
Misc.

Potionem hanc bis usurpavit, primâ statim vice sensibile levamen exinde percepit; sed alterâ vice mirè recruduit morbus (sicut *alias superiores potiones cum salibus volatilibus magis proficuas observavi, quàm hanc cum spiritu nitri dulci, unde pleuriticis non nisi præmissis sudoriferis volatilibus præscribenda*) ut moribundus videretur omnibus, & sempe quidem circa vesperam morbus recrudescebat, præcedente *gravi rigore*, insequente vehementissimo calore, sub quo & *delirus* & summè *imbecillis* evadebat, unde 10. die præter propter præscripsi:

℞. *Sem. card. bened.* ʒiij.
cum aquæ papav. errat. & *scabios.* q. s.
F. Emulsio: adde
Maxill. luc. pisc. ʒij.
Sal. vol. earund. gr. xij.

Miscendo f. Potio, quæ edulcorabatur *saccharo.*

Assumpsit cochleatim, mirè profuit.

Reliquias expurgandas jussi *succo raphani cum saccharo* pro expectoratione; sed hujus continuo & nimio usu *diarrhœam* & quasi *lienteriam* incurrit: hinc

℞. *Spiritus nitri dulc.* ʒiii.

Usurpabat pro dosi 30. ad 50. usque gutt. bis in die, & benè contulit.

Sed propter *calorem* vesperi recurrentem, *sudorem nocturnum* copiosum, & tussim continuam, sequentes præscripsi pulveres:

℞. *Antihect. Pot.*
Flor. sulphuris ana ʒß.
Mista pro duabus dosibus continuavit aliquoties.

Item

℞. *Aquæ papav. rhœad* ℥iß.
Antimonii diaphor. ʒj.
Syr. flor. papav. ʒß.
Spiritus nitri dul. q. s. pro grato sapore.
D. S.

D. S.
Potio confortans & refrigerans.

Melancholico cuidam Peripneumonia laboranti cum dolore gravativo pectoris, difficili respiratione & capitis atque oculorum dolore, præscripsi sequens in incremento morbi:

℞. *Conserv. heder. terr.* ℥j.
Antimonii diaphor. ℈ß.
Sal volat. succin.
Bals. Peruv. ana gr. v.
M. cum *syr. scabios.* & F. Bolus.

Cum citra manifestam causam aliquot noctes insomnes duceret:

℞. *Conf. flor. borrag.* ℨj.
Conf. Alkerm. gr. xv.
Sal vol. succin. gr. iv.
Laud. opiati gr. iß.
Cum syr. papaver. F. Bolus.

Ordinabatur etiam spiritus sal. ammoniaci, cum spiritu carminativo mistus.

Hisce remediis ritè adhibitis & subinde reiteratis, si non succedat per *inflammationis discussionem*, adeoque *diaphoresin* & sudores, legitima morbi solutio, *promovendum erit sputum*, & *adjuvanda materiæ* intra pulmones partesque vicinas congestæ alteratio seu *coctio*, & *hinc expectoratio*, utpote quæ tunc ordinariò naturaliter supervenire solet. *Hic conveniunt* alias nota, in principio quidem *temperantia* sputi acrimoniam, idque *incrassantia*; Postmodum verò, quando sputum album, crassum, & viscidum emittitur, usurpentur attenuantia, incidentia, & *expectorantia*.

Ad promovendam sputationem prosunt potiùs *Decocta pectoralia*, quàm syrupi aut Linctus pectorales, quoniam minus perferunt tales ægri saccharata. Convenit ergò in principio *Decoctum hordei* cum radice glycyrrhizæ, helenii, scabiosa, cum *syrupo violarum*, de jujubis, de tussilag. papaveris, &c. Item Decoctum & rob passularum, Decoctum helenii, scabiosæ, violarum, polypodii, veronicæ, salviæ, tussilaginis & papaveris erratici, aliaque similia temperata, ad materiæ, ut vocant, coctionem; egregiè enim temperant acres succos, & expectorationem blandè promovent: Cum verò copiosius sputum apparere incipit, usurpandum venit *Decoctum hyssopi* cum *melle rosaceo* ad promovendam meliorem excretionem materiæ. Ad coctionem quoque si quid aliud, imprimis facit *oleum seminis lini*, & hinc *oleum amygdal. dulcium*, sed recenter expressa, tàm à veteribus quàm modernis Practicis, experientiâ duce, laudata: Nempè TACHENIUS alicubi spiritum vini camphoratum cum ana essentiæ croci, cum olei lini vel amygdalarum dulcium datum, rarò fallere asserit: Vel

℞. *Olei lin. rec. expr.* ℥iij.
Syr. violar. ℥iß.
Aquæ hyssop. ℥iv. v. vel vj.
Dentur ℥ij. vel ℥iij. pro dosi, aliquoties in die: S.
Potio solvens cochleatim.

Vel saltem oleum lini recens sine igne extractum, cum saccharo mistum, & ita exhibitum egregiè confert:

Vel

℞. *Olei lini* ℥ij. vel ℥iij.
Misceatur cum *syr. scabiosæ* vel *aqua card. ben.* aut *quocunque vehiculo*.

Quo suos Pleuriticos egregiè restituit GESNERUS *in Observ. & Epist.*

Sic PISO ceu expertum habet oleum lini ad ℥iv. cum pulvere dentis apri ad ℨj. mistum, & ita propinatum, præsertim in principio: D. CAROLUS REIGERUS adhibuit oleum lini cum speciebus dia-Ireos felici cum successu: vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obs.* 7. *p.* 11. Plura qui cupit de oleo lini, vid. GABELCHOVERUM *Cent.* 4. *Cur.* 68. Hujus loco oleum amygdalarum dulcium, sed recens, ab ℥iß. ad iij. in principio morbi propinatum crebriùs, egregium est, emollit, dolorem lenit, expectorat, subducit alvum, &c. Confer. THONERUS & PLATERUS, quibus in usu fuit. Pertinet huc *experimentum Quercetani & Bartholeti*, quod est *pomum excavatum*, & ℈j. *thuris repletum*, & ita ad ignem coquendum, hinc deglutiendum, aut cum ℥iij. aut iv. aquæ card. ben. propinandum; hoc enim multos restituisse refert RIVERIUS *Cent.* 1. *Observat.* 56. & *C.* 2. *Obs.* 63. Quidam mastichen addunt: Quidam indunt ℨß. thuris, & superaddunt simul ℨß. florum sulphuris, & ita coctum assumunt; & præstantissimum remedium esse dicit FONSECA *l.* 2. *Cons.* 85. Aliàs quoque, ubi sputatio copiosior, prosunt spiritus salis ammoniaci simplex, anisatus & succinatus, tinctura sulphuris. Conveniunt etiam flores asæ dulcis, seu ipsa asa dulcis probè pulverisata, & permista cum syrupo seu conserva violarum, syrupo de tussilagine, papaveris rhœados, & in specie de jujubis, qui egregiè temperant acres humores seu succos, & expectorationem blandè promovent: id quod satis notum est.

Quod si factâ Coctione fortiùs *expectorandum* sit, conveniunt incidentia & expectorantia in specie sic dicta, v. g. sæpiùs dictis postmodum addendi sunt syrupi de hyssopo, de erysimo, nicotianæ ritè præparatus, de quo vid. Epiphanius FERDINANDUS *Hist.* 32. & 45. mel rosatum, sperma ceti, spiritus nitri dulcis, &c. Quibus omnibus tamen præfero *succum raphani* recenter expressum, mirabiliter expectorantem. In specie *spiritus nitri dulcis* moderatâ dosi dictis remediis additus multum ad expectorationem materiæ coctæ promovendam facit. Item *aqua mulsa* in difficili anacatharsi per sputum, princeps est remedium, cui simul *specifica varia* ac *pectoralia* incoqui possunt. Huc pertinent Potiones supra annotatæ: vel

℞. *Aquæ hyssop.*
Scabios. an. ℥iß.
Spiritus sal. ammoniaci anis. ℈j. ad ℈iß.
Muxill. luc. pisc. ℈ij.
Syr. diacod. seu *violar.* ℥j.
M. D. S.
Mixtura pectoralis, cochleatim sumenda.

℞. *Herb. chærefol.*
Hyssopi,
Scabios. ana Mj.
Rad. liquirit. ℥ß.
Enul.
Polypod. ana ℨvj.
Ficuum pingu. num. vj.
Coq. in s. q. aquæ.
Colaturæ ℔iß. ad ℔ij. adde
Ess. croci ℨiij. ad ℥ß.
Syr. nicot. ℥ij. vel ℥iij.
M. pro Potione maturante & expectorante.
S.
Potio expectorans.

Inter SYMPTOMATA *Pleuriticos vexantia* in toto morbi cursu, præ cæteris nil magis urget, quàm *dolor* ille *punctorius*, acutus, mirè excrucians ægros; Pro quo liniendo, præter internum laudani opiati usum, conveniunt externè varia anodyna & resolventia. In principio, uti dixi, applicatur *sperma ranarum* bono cum successu; Item spiritus vini *camphoratus*, *aut crocatus* est egregius; CLAUDERUS *Tr. de Balsam. Corpor. sal ammoniaci* p. i. & *ciner. clavellat.* ad p. ii. in aqua simplici vel aquis destillatis solutorum in sedandis & sopiendis punctionibus pleuriticis admodum commendat; Vel illinatur linimentum suprà præscriptum, vel *unguentum pleuritic. Mynsichtii in Armament. Medico-Chymic. p.* 485. calidè applicetur; item oleum antipleuriticum PETRI à CASTRO, quod describitur in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 10. *p.* 29. Vel

℞. *Ung. di-alth.* ℥j.
Olei amyg. dulc. ℨß.
M. D. S.
Unguentum leniens.

Simplex est unguentum, sed expertissimum RULANDO & ZACUTO LUSITANO, cujus effectum pariter observavi, si singulis bihoriis aut trihoriis ad summum, loco dolenti illinatur, ad imitationem RULANDI. Addere soleo interdum *olei destillati cumini* ℈j. & gr. ix. *camphoræ*, meliori cum effectu. Conveniunt oleum jasminum, seminis lini, chamomillæ, hyperici, anethi, aranearum, liliorum alborum, papaveris, hyoscyami, scorpionum, florum verbasci, septem florum Myns. servum hircinum, unguentum pectorale, *empl. de meliloto*, de mucilag., item ireatum, & de cumino, quod DECKERS *Pr. Barbett. pag.* 78. & 79. describit; item *emplastrum de meliloto* cum oleo hyperici aut chamomillæ aut Philosophorum malaxatum; oleum etiam camphoræ excellens est, ut & oleū chamomillæ destillatum, & oleum ceræ, *pinguedo muris montani* (cui posse substitui arbitror sevum hircin.) est experimentum PARACELSI, qui tale medicamentum ordinat.

℞. *Pingu. mur. mont.*
Olei chamomill.
Rosar. ana ℨij.
Amygd. dulc. ℨj.
M. f. Linimentum.

Vel

℞. *Ping. mur. mont.* vel *apri* ℥j.
Olei amygd. dulc. ℥ß.
Destillat. chamom. ʒj.
M. D. S.
Unguentum leniens.

Vel

℞. *Pingv. mur. mont.* ℥ß.
Olei chamomill. ʒij.
Absinth. ʒj.
Destillat. cumin. ℥ß.
Croci ℈j.
Camphor. ℈ß.
M. F. Linimentum.
D. S. ut suprà.

Item convenit balsamus sulphuris terebinthinatus, & Rulandi, superimponendo emplastrum dia-sulphuris Rulandi.

Dicta applicentur tepidè, & imponatur desuper linteum crassum, vel lapis calefactus, ut meliùs penetret remedium: Item

℞. *Ungv. dialth.* ʒvj.
Empl. filii Zach. ℥ß.
Olei sept. flor. Mynf. ʒiij.
Hyoscyam. expr. ʒij.
Destillat. aneth. ʒj.
Camph. ℈ß.
M. pro Unguent. resolvente:
D. S.
Unguentum resolvens.

Calidè illinantur aliquoties, repetendo desuper laterem calefactum,

℞. *Emplastr. de Melilot.*
Filii Zach. an. ℥j.
cum s. q. *olei verbasci* f. emplastrum resolvens.
D. S.
Emplastrum resolvens.

Succus caulium seu brassicæ & ex eo paratum unguentum à multis simpliciter est expertum: Sic factum emplastrum ex succo caulium cum pulvere cumini insigniter commendatum est à GABELCHOVERO *Cent* 4. *Curat.* 68. Sic etiam ex pulvere caulium cum pulvere cumini, caryophyllorum, & melle, expertum emplastrum fit cōtra Pleuritidem BARTHOLETI. Quibusdam singulare habetur *emplastrum* subsequens, præmissis præmittendis, applicatum:

℞. *Picis naval.* ℥iß.
Sulphuris trit. ℥ß.
Ceræ flav. ʒvj.
Terebinth. clar. ℥ß.
Olei chamom. q. s.
M. pro Emplastro.
D. S. ut *suprà*.

Præmissâ Venæ Sectione, si opus est, & sudorifero, calidè applicetur.

Huc etiam pertinet stercus gallinarum cum oleo chamomillæ, quod certè admirandas præstat virtutes. Fomenta quoque parari solent ex malva, althea, flor. sambuci, meliloti, chamomillæ, &c. quorum prolixam catervam apud Autores invenietis: e. g.

℞. *Herb. cherefol.*
Nastur. hortens.
Fol. hyoscyam.
Flor. sambuc.
Melilot.
Chamomill. an. Mj.
Cepar. sub ciner. assat. ℥iij.
Farinæ fabar.
Lupinor. an. ℥j.
Nid. hirund. no. j.
Coqu. in s. q. *lact. ebutyr.* ad consistent. Cataplasmatis:
adde
Camph. ʒj.
M. pro Cataplasmate resolvente ac maturante:
D. S.
Puls resolvens & maturans.

Quod si nec per sudorem, nec per sputi expectorationem desinant Pleuropnevmeniæ, seu quæcunque inflammationes thoracis, necesse est, ut *successivè suppurentur inflammationes*, & ita in perfectum *abscessum* abeant; circa quem

1. *Suppuratio* promovenda.
2. *Abscessus* perfecti ruptio adjuvanda.
3. Abscessu aperto partis ulcerosæ *mundificatio & consolidatio*, ac simul puris excretio, instituenda.

SUPPURATIO hæc in Pleuritide frequentiùs contingit, in qua nunc saltem apostema colligitur *intra pleuram*, idque frequentiùs, nonnunquam simul ex parte *intra pulmones* istius lateris, idque rariùs: Nam hoc reverà sputo solvitur, dum illud sæpiùs suppuratur. Semper tamen in suppurationis hoc negotio ad utrumque respiciendum. *Pleuritis suppurata intra pleuram*, nūc rupto abscessu intra cavū thoracis fluit, nunc intra saccum ex dilatata pleura colligitur. Probè hoc observavit LINDANUS, qui dicit: *Autores semper crediderunt, suppuratione facta pus infundi in cavitatem thoracis atque empyema fieri: Verùm sæpe tantum est collectio puris in parte antè affecta, quod vidi in filia D. Pisonis, quæ in Pleuritidem incidit, quæ in suppurationem transiit. Locum Chirurgus candela exploratoria exploravit altè, sed inde nihil potuimus colligere: Nam puella mortua cum dissecta fuerit invenimus membranam, succingentem pleuram, dilatatam in immensum saccum, in quo subsidebat omnis purulentia. Illud tamen magni Medici, hac de re consulti, omnes esse putabant. Verùm hic frustrà fuit Paracentesis facta, & miserè obiit.* Ad maturationem autem abscessus promovendam optima remedia sunt nicotiana, hederatetrestris, cherefolium & scabiosa, quę quatuor aliis suppurantibus omnibus præferantur; unde usurpetur syrupus de nicotiana, de hedera terrestri, de symphyto Fernelii, de hyssopo.

Externè verò ad suppurandum abscessum, ejusq; apertionem, conveniet lac coctum cum malva arborescente, & ita sub forma cataplasmatis crebriùs impositum; mirè enim maturat & rumpit abscessum. Fotus etiam stercoris asinini, non minus quàm stercoris caballini, in aqua appropriata vel vino dissoluti, factâ jam suppuratione maturat & rumpit apostemata: vel conveniet etiam *emplastrum filii Zach.* vel alia emplastra externè applicata: Vel apponuntur *cataplasmata* ordinaria, ad maturationem & ruptionem abscessuum usitata.

Ubi facta suppuratio, opera danda, ut ABSCESSUS RUMPATUR, & pus evacuetur. *Apertionem* abscessus factam *cognoscimus* ex sputione puris cum ichore plus minus cruento. Ut autem rumpatur seu aperiatur abscessus in tempore, optimum remedium est, si *vomitus* aut *sternutatio* excitentur, & patiens altâ voce clamando de latere in latus se volvat. Optimum esset, ut, quoties certi essemus de maturato abscessu, *saltem perforentur spatia intercostalia*, cùm hoc securè fieri possit, modò locus, in quo abscessus continetur, certè & exactè cognosci possit, qui nonnunquam rubore, tumore & dolore ad extra se manifestat. Neque enim in eo loco, quo in empyemate & pure, jam in thoracis cavitate collecto, sectio fieri solet, apertio instituēda; sed ex pondere, dolore & calore locus, in quo abscessus hæret, investigandus, & intra duas costas leniter aperiendus, &c. sed cautè omninò procedatur: Quia apertio quoque in abscessu intra pleuram locum habet. Sin in pulmonum quodam lobo simul suppuratio fiat, necessariò empyema expectandum venit. FERDINANDUS *in Hist. Med.* 32. & 45. *Decoctum tabaci* & illius post convenientem digestionem paratum syrupum, nec non tabaci *fumum*, ad rumpendam vomicam suppuratorum seu empyematicorum, & evacuandum pus non potest sufficienter commendare. Et testor Deum, me anno elapso non tantùm à morte revocasse mulierem, quæ jam erat per tres menses pleuritica & suppurata cum febre hectica, quæ ab istius *Decocti*, nempè nicotianæ, assumptione per tres dies. & ad hujus fumo accepto, tribus vicibus plus ℔vj. puris albi, tribus diebus tussi evomuit, & nunc est sana. *Decoctum* est hoc:

℞. *Fol. tabac.* ℥j.
Bulliant in *Aquæ dulcis* ℔ij. ad consumptionem medietatis, addendo in fine
Fol. malvæ,
Branc. ursinæ,
Violar. an. Mj.
Colentur, & cum *sapa* misc., & detur calidiusculum pluries.

Fumus vero est:

℞. *Fol. tabaci;*
Reponantur in cineribus adhuc ignitis, & fumus per fistulam seu embolum assumatur.

Cum quibus & *terbinthinæ* usum subinde adhibuit.

Facta ergò ruptione abscessus, & puris in thoracis cavum evacua-

evacuatione, ad evacuationem hujus vomitus, convenit. Ad ULCUS verò MUNDIFICANDUM & CONSOLIDANDUM, vel si aliæ partes anteà inflammatæ labem patiantur, præter remedia pus expectorantia eadem ferè medicamenta, imprimis ex *nicotiana*, *hedera terrestri* & *chærefolio*, sunt experta; quam hederam terrestrem ejusque succum & syrupum LINDANUS præfert omnibus aliis remediis ad curandos abscessus suppuratos; egregiè enim *apostema mundificat*, & denuò consolidat, ne æger in empyema desperatum & phthisin incidat. Nam & *hedera terrestris*, Ger. *Gunderman*, & cherefolium sunt vulneraria, & in læsione partium inflammatarum, post Peripneumoniam residuâ, & exinde imminente phthisi, optimè conveniunt. Quibus spiritus seu oleum terebinthinæ, & cum eo paratus balsamus sulphuris terebinthinatus & anisatus, flores eius & modicum terebinthinæ, in specie in vitello ovi solutæ, & extractum sulphris siccum, item syrupus sulphuris VVillisii, item balsamus Peruvianus & hujus tinctura commodè addi possunt. Sunt enim optimum ulceris pleuritici mundificativum & consolidativum: vid. Colleg. LANGII *suprà Fabrum cap. de Peripneumonia*.

Huc referenda sunt omnia ea, quæ *suprà Sect. 17. cap. 1. Artic. 2. de phthisi pulmonali* ex eorum exulceratione monui, & etiam *infra cap. 2. de empyemate* monebuntur. Potus toto morbi cursu sit Decoctum hordei & liquiritiæ, vel Decoctum papaveris rhœados cum syrupo capillorum Veneris. Convenit etiam potus sulphuratus quicunque, secundùm HELMONTII hypothesin præparatus.

Et tantum de Pleuritide vera.

CURA PLEURITIDIS NOTHÆ.

Quoad PLEURITIDEM NOTHAM: *prima* ista, quæ est *ab inflammatione* partium externarum, internis diaphoreticis, ad quaslibet inflammationes suprà laudatis, & externis *sacculis* ac *fomentis discutientibus* levatur, nisi plethora aut ingens sanguinis stagnatio sanguinis missionem quoque urgeat.

Hisce diebus occurrit *Juvenis* INFLAMMATIONE SUB AXILLIS insigni correptus; facta post aliqualem suppurationem apertione supervenit altero abhinc die Inflammatio, quæ medium pectus occupabat, cum dolore ad tactum sensili, respiratione difficili, ita ut ferè erectus in lecto subsistere cogeretur. Erat *Pleuritis notha primi modi* ex SENNERTO, quæ facilè curata fuit per Potiunculam ex *lapillis cancrorum* cum *aceto destillato*, *suprà Artic. 2. ubi de inflammatione in genere*, commendatam; quam bis usurpavit cum blando sudore.

Aliquando gravis *Pleuritis notha secundi modi* occurrebat in alio, cum dolore gravissimo punctorio:

℞. *Aquæ scabios.*
Card. bened. ana ℥iß.
Spiritus sal. ammoniaci ʒiß.
Essent. opii ʒß.
Corall. rub. præp. ʒß.
Syr. scabios. ℥vj.
Misc.
Capiebatur cochleatim.

Anno 1675. Catarrhus epidemius totam ferè Germaniam pervadebat, sub quo quidam gravi dolore punctorio in alterutro saltem latere maximè affligebantur, occupante spatia costarum notharum & à regione spinæ dorsi lumbari sursum anteriora versus ad sternum usque adscendente. Reiiciebantur in taliter constitutis quibusdam cruenta & viscida glutinosa, horrida, non tamen purulenta. Aderat simul in principio ardor intensus cum pulsu crebro, celeri, magnitudine & vehementiâ moderato, qui tamen, uti & excretiones, doloribus cessantibus cessabant. In hac ratione lymphæ acris peccantis, tanquam causæ materialis, salina volatilia; ratione doloris verò, in quo Pleuritis notha cum vera certat, opiata adhibebantur, additis specificis in pleuritide vera aliàs usitatis, adeoque profuerunt spiritus salis ammoniaci, dens apri, liquor cornu cervi succinatus, tinctura tartari cum spiritu salis ammoniaci anisato, sal volatile lucii piscis, unde ordinabatur alis mixtura:

℞. *Aquæ card. bened.*
Flor. papav. errat. ana ℥iß.
Spiritus sal. ammoniaci anis. ʒiß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. cherefol. ℥iij.
M. F. Potio.
Capiebatur cochleatim.

Cuidam, qui vesperi circa costas notas doloribus pungitivis cum intensissima pectoris angustia, æstu magno adjuncto, pulsu magno, præcedente frigore, affligebatur, præscripsi:

℞. *Aquæ flor. samb.*
Scabios. ana ℥iß.
Lap. cancror. præp.
Dent. apri præp.
Antimonii diaphor. ana ℈j.
Sal. vol. maxill. lucii pisc. (cujus loco etiam Aliud substitui potest) gr. xij.
Laud. opiat. ferm. gr. iij.
Syr. card. ben. ℥ß.
M. pro potione.

Mixturam hanc aliquoties in die hauriebat, & sudorem urgebat, unde altera manè magnam partem levabatur, reliquiis per sudorem & expectorantia sublatis.

Cæterùm urinæ in hac Pleuritide notha erant crassæ, turbidæ, cum copioso sedimento, quod præcipitatum erat sub effervescentia ex lympha & sanguine. Pro hoc scopo, naturæ juvamen præstando, præmisso sudorifero, diuretica adhibebantur, inter quæ prævalebat tinctura tartari, ratione alcali fixi: v. g.

℞. *Aquæ menthæ*,
Serpilli ana ℥iß.
Tincturæ tartari. ʒij.
Spiritus sal. ammoniaci ʒß.
Syrup. hed. terrestr. ℥vj.
M. f. Potio.

Capiebatur etiam hujus misturæ loco tinctura tartari cum dimidio vel tertia parte spiritus salis ammoniaci, pro dosi 40. gutt. Arcanum quoque duplicatum Mynsichti die bis ad ℈j. propinavi, præsertim ubi urinæ lateritiæ apparebant, pro quibus corrigendis proficuum erat: Insuper cum his internis pro doloribus mitigandis applicabantur externa, ubi tamen litus & unguenta oleosa, item emplastra mucilaginosa nocebant, aut saltem nil juvabant, quia fortem pororum obstructionem procurabant; quin potiùs Fotus calidi sicci omnem spei paginam explebant, adeoque ægri ad fornacem sedentes sensisse levamen dicebant, ubi præsertim blanda frictio cum pannis calidis accederet. Quod si vero dolor anteriora magis affligeret, sacculi tunc avenâ impleti & calefacti loco dolenti, permutando subinde eosdem, imponebantur, ubi avena quidem nil salutis promittere potuit, nisi quod calorem fovere apta fuerit. Tandem quoque egregium erat illud emplastrum, ex sale volatili urinæ & terebinthina constans; scilicet

℞. *Sal. vol. urinæ* ℥iij.
Terebinth. ℥j.

Hæc mista in mortario rediguntur in consistentiam spissiorem; quibus pro consistentia emplastri acquirenda, addebatur nonnihil *empl. de meliloto*, hincque inducebatur super *alutam*, & applicabatur absque sindone.

Restat unus adhuc scrupulus eximendus circa opii & opiatorum usum hoc loco allegatum: Scilicet posset horum usus esse suspectus, cum impediat naturæ motum in lymphæ vitiosæ expectoratione consistentem: nam uti ille spirituum, ita quoque humorum motus sistit. Observavi quippe in muliere, cui liquorem cornu Cervi, succinatum cum essentia opii præscripseram, conquestam fuisse ex hujus usu, *esse ipsi vaporosum quid circa pectus*. Sciendum tamen, opium scilicet non curare, sed saltem symptomata palliare, simul autem atrociora ex doloribus continuis imminentia præcavere; hinc quò commodiorem agendi occasionem accipiat Medicus, rectè usurpari poterit; & quidem in principio & incremento eius usus semper convenit, quando nempè tussis sicca & febricula vesperi affligere solet; in statu verò opiata in usum non sunt vocanda, quia jam tum collecta est materia mucosa.

Tertia *Pleuritis notha ab acido acri intra Pleuram* & musculos intercostales solitariè collecto, per Diaphoretica, *salia volatilia*, *opiatis* mixta tollitur, in specie spiritu *salis ammoniaci anisato* cum dimidio *essentiæ opii* mixto, & propinato, expectando sudorem, & patiens meliùs se habuit. Egregiè quoque conducit antimonium diaphoreticum cum maxilla lucii piscis, dente apri, & opiatis propinatum: vid. M. A. N. C. Ann. 3. Obs. 72.

In *Pleuritide notha*, quæ est *à sero scorbutico*, diaphoretica maximi usus sunt, quibus quamvis rariùs Venæ sectio iungenda: vid DRAVVIZIUS *de Scorbuto Tit. 7.* potissimùm cùm per hæmorrhagias criticas illa interdum solvatur, v. g. mensium fluxum, vid. RIVERIUS *c. 1. Obs. 47.* Imò in scorbuto antiscorbutica illis miscenda. Valent hic etiam sacculi

culi ex resolventibus, aut unguentum, quod DRAWIZIUS *l. a. p.* 252. describit sequens:

℞. *Succ. nasturt. aquat.* ℥viij.
Absinth. ℥v.
Butyr. rec. ℥vj.
Bulliant lento igne ad consumptionē humiditatis: adde
Olei destillat. succin. albi non rect. ℥ß.
Chamom. ℈ij.
M. f. Linimentum.

Si à *flatibus hæc fuerit*, carminantia, discutientia, atque diaphoretica interna & externa conveniunt. Non rarò tamen venæ sectione quoque opus esse testatur RIVERIUS *C.* 3. *Obs.* 63. *&* FORESTUS *l.* 16. *Obs.* 42.

Quod attinet PLEURITIDEM VERMINOSAM, ea medicamentis verminosam progeniem enecantibus curatur. Præ cæteris convenit aqua mercurialis seu Hermetica, parata ex aqua cardui benedicti, in qua agitatus fuerit aut aliquantum ebullierit *mercurius vivus*; ubi subsederit mercurius, decantata aqua propinetur cochleatim: ita omnes *vermes* certò interficit & exturbat, quibus ejectis affectus ipse cessat. Conf. RIVERIUS *C.* 1. *obs.* 75. Sic quoque phlegma & spiritus vitrioli, item phlegma & spiritus sulphuris in convenienti vehiculo usurpatus, vermes egregiè abigit: v. g.

℞. *Aquæ violar.*
Card. bened.
Ferrar. an. ℥iij.
Syr. hyperic. ℥iß.
Spiritus vitrioli dulc. gutt. vj. vel x. vel q. s. pro modica aciditate.
M. D. S.
Potio contra vermes.

Hæc mixtura capiatur cochleatim: haud tamen negligantur Diaphoretica interna, ac resolventia externa.

ARTICULUS X.
De
INFLAMMATIONE HEPATIS, & inde orto ABSCESSU.

VLteriùs inter reliqua viscera HEPAR etiam interdum & satis periculosè INFLAMMATUR, quod ipsum inflammatum interdum abit & degenerat in *abscessus*, totum ejus parenchyma devastantes. Non enim tantùm in SCHENCKIO leguntur exempla abscessuum in hepate post inflammationem, ubi totum parenchyma suppuratum fuit; sed etiam imprimis FORESTUS egregium habet casum *l.* 19 *Obs.* 10. de hepatis apostemate, seu inflammatione in abscessu mutato, qui in ulcus malignum & depascens, tandemque in *gangrænam* lethalem abiit. Vocatur aliàs HEPATITIS.

CAUSÆ.

Rariores equidem sunt tales inflammationes: & in specie *quod causas* agnoscunt easdem inflammationes hepatis, quas reliquarum partium Inflammationes; subindè tamen externa læsio, in specie contusio circa regionem hepatis & casus ab alto in hypochondrium dextrum, disponunt ad hujus inflammationem; Item præter has nonnunquam emplastra & unguenta nimis calida hepatis ac stomachi regioni, ubi lobus hepatis hunc attingit, admota hujus inflammationis causa sunt; uti etiam cucurbitulæ hepatis regioni crebrò affixæ, non rarò hepatis inflammationem inferunt: Conf. HILDANUS *C.* 7. *Obs.* 46. *&* 47.

DIAGNOSIS.

Quoad DIAGNOSIN: Hepar esse inflammatum ex symptomatis adjunctis cognoscitur. Cautè autem considerentur omnia SYMPTOMATA, quæ sunt admodum diversa, dum Inflammationem hepatis comitantur; hinc circumspectus requiritur Medicus, prout nempè inflammatio est vel in parte hepatis gibbea, vel convexa, vel prout eadem est in parte concava seu sima. Nam si Inflammatio hepatis *est in parte gibbea*, magis urgere ferè solent *symptomata* Pleuriticis simillima, seu quæ aliàs observari solent in Pleuritide vera; si verò inflammata magis sit pars ejus concava, urgent magis *symptomata* stomachi & intestinorum.

Non facilè Hepar *inflammatur*, aut si inflammatur, febris tamen & æstus, ac cognata symptomata non adeo intensa sunt, quàm pro ratione partis esse deberent, quia nempe hepar parvam habet arteriolam. Jam verò in omnibus Inflammationibus à sanguine arterioso magis, quàm venoso, intendi solent symptomata. *In genere* verò percipitur in omni hepatis Inflammatione dolor obscurus & tensivus ratione membranarū, ac gravativus ratione visceris, isque circa regionem hepatis in dextro hyochondrio & ejus profundo, qui *sub suppuratione punctorius* plus minus evadere solet.

Equidem non rarò apparent dolores punctorii in hypochondrio dextro, qui tamen nunquam sunt ex hepate inflammato, falsèque dicunt: *Hepar pungere, aut nescio quid ibi esse corruptum*: Sed revera tunc vitium in colo hæret, ac vicinis partibus, quæ aptæ sunt, ut dolorem talem repræsentent. Adest simul in Inflammatione hepatis mox *febris*, nunc quidem magis acuta, ubi maior est Inflammatio, nunc verò minùs acuta, sed sæpius *lenta*, pro ratione circumstantiarum in eo inflammato observabilium, prout nempè inflammatio vel intensior, vel remissior, ac nunc profundas plus minus, nunc externas magis partes occupat: vid. FORESTUS *l.* 19. *c.* 7. *in schol.* Nam perpetuò Inflammationis magnitudinem vehementia febris analogicè comitatur.

Quod si *hepar inflammatum simul afficiat diaphragma*, cui per ligamentum latum firmiter est annexum, *dolor ad jugulum adscendens* percipitur, quasi *ad inferiora traheretur*, præsertim dum vehementiùs æger inspirat, idque propter pondus hepatis inflammati diaphragmati mediante ligamento lato alligati: Ob id tussis *arida* seu *inanis* per intervalla affligit, & *difficultas respirationis* ægros cruciat, nec non *decubitus in latere affecto* est *difficilis*, non secus ac in *latere opposito*, unde ferè supini iacent ægri; *pulsus* est frequens, celer, inæqualis &c. Adest simul *sitis intensa*, *anorexia*, *lingua arida*, *calor mordax* totius corporis, &c. Et in specie urgent hæc symptomata quasi pleuritica, *si pars hepatis gibbea fuerit inflammata*: Sin verò *hepatis pars cava laboret*, præter suprà memorata symptomata generalia *urgent in specie symptomata stomachi*, *singultusque frequens* oboritur, & perpetuò ferè singultiunt ægri, *vomitus bilis subinde* supervenit, interdum & *diarrhæa adest*, item *nausea*, *anorexia*, & similia. *Si verò pars gibba afficitur*, *acris est dolor circa cordis foveam*, decubitus *in dextrum latus est difficilior*, dolor ex pressura exacerbatur, *tumor manifestus* apparet, partes ad iugulum dextrum sursum trahi, & symptomata cætera partes thoracis apparenter affectas sequi videntur.

Cum verò dicta symptomata sæpiùs in pleuritide etiam adsint, ob id necesse est, ut accuratè distinguatur pleuritis vera ab Inflammatione hepatis, in specie cum symptomata hæc multos fefellerint, & non pauca exempla prostent curatarum hepatis inflammationum pro pleuritide, aut saltem pleuritidi similium. Exempla jam nota prostant in Galeno, quæ videantur imprimis in VALERIOLA, HORSTIO, ZACUTO LUSITANO *lib.* 2. *Med. Princ. Hist.* 101. item conf. SCHENCKIUS *in Obs. l.* 3. PANAROLLUS *Pentec.* 1. *Obs.* 37. & FORESTUS *l.* 29. *Obs.* 12. Adeò ut referat AMATUS LUSITANUS, se observasse jecoris Inflammationem cum tussi & sanguinis screatu conjunctam, idque *Cent.* 4. *Obs.* 1. In specie, si *pleuritis* circa costas nothas dextri hypochondrii afflixerit, facillimè cum *Hepatitide* confundi potest. SIGNA ergo DISTINCTIVA sunt imprimis dolor punctorius, qui in *pleuritide* est longe acutior acerbiorque; parvus verò vel nullus in *hepatis inflammatione*: Item inspiratio in hepatis inflammatione est difficilis, exspiratio verò facilis, cum utraque difficilis satis sit *in pleuritide*. Ad hæc tussis longè & vehementior & frequentior, eaque humida in pleuritide, quæ in hepatis inflammatione est mitior, arida & sicca: ac in specie rejiciuntur in pleuritide copiosa; quæ contra pauca sunt in Hepatitide: Pulsus *pleuriticorum* est durus, ac ut vocant serratus, qui in *Hepatitide* magis ad undosum accedit: Denique pondus gravans & quasi deorsum trahens thoracem percipitur in latere dextro, quando hepar est inflammatum, ubi etiam non rarò tumor aut renisus quidam percipitur tactu, quando hepar in parte sui convexa est inflammatum; quæ minus in *pleuritide* apparent.

In genere in pleuritide vera omnia sunt acerbiora & vehementiora, in abscessu verò seu inflammatione hepatis omnia sunt remissiora.

Fit inter-

Fit interdum etiam, ut cum hepate inflammato *concurrant dolores ventris*, undè contingere solet, ut à quibusdam hepatis Inflammatio habeatur pro Colica: Exempla inter alia habet HILDANUS *Cent.7. obs.48.*

Distinguuntur verò facilè per adjuncta symptomata, per febrim, per tussim, per difficultatem respirandi, & similia, quæ in colica ferè abesse solent.

Non rarò linea ex rubro nigricans latissima cum vesiculis elatis in hypochondrio dextro, maximis stipata doloribus, hepatis Inflammationem patefacit: vid. M. A. N. C. Ann. 3. Obs. 215.

Porrò MUSCULORUM ABDOMINIS *externorum* descendentium & ascendentium INFLAMMATIONES circa hepatis inflammationem fallunt interdum Medicos, ut illas habeant pro inflammatione hepatis, idque imprimis, si profundè sint inflammati. Exemplum elegans & curiosum talis fallaciæ habet VALERIOLA *l.4. obs.5. item* BARTHOLINUS C.2. *Epist.45.p.543.* ubi prostat notabile exemplum ex contusione ortorum inflammatorum musculorum, loco hepatitidis curatorum.

Distinctio tamen horum affectuum est facilis, cum utplurimum in inflammatione musculorum abdominis percipiatur dolor pulsatilis, qui ferè est nullus aut saltem exiguus in inflammatione hepatis, propter parvam & unicam ejus arteriolam: Præterea pectoris symptomata absunt in inflammatione musculorum abdominis; quæ tamen adsunt in hepatis inflammatione: Tactus etiam circumscriptum percipiens tumorem, eumque non adeò profundè nimis situm, sed sensibiliter protuberantem, facilè judicat, an hepar an musculi sint inflammati? Si enim musculi abdominis, imprimis externi, sunt inflammati, tumor magis est circumscriptus & tactu perceptibilis; qui tamen minùs cognoscibilis est, si hepar in gibbeâ sui parte fuerit inflammatum: Insuper symptomata interna, puta febris, sitis, & pathemata alia in hypochondrio, sunt longè intensiora in Inflammatione hepatis, quàm musculorum abdominis.

Denique dum inflammatio musculorum abdominis incipit suppurari, dolor est punctorius; contrà in hepatis inflammatione dolor ferè nullus perceptibilis est.

Interim tamen, quod rectè monet SENNERTUS, cavendum, ne fallamur, si tumor in medio ventre apparet, cùm quibusdam etiam hepar ad medium ventris extendatur.

Sed quoad hæc conf. imprimis SENNERTUS *l.2. Prax. ubi de Hepatis Inflammatione*, ejusque *Epitomator*, RIVERIUS.

Pro majore dictorum illustratione placet exemplum notabile apostematis in jecore ex COITERO ejusque *Observationibus Anatom. Chirurg. Miscell.* subjungere, qui ita dicit p. 120. *Civis quidam Noribergensis, natus annos 42. totus cholericus, leni tussi correptus de molesto quodam hypochondrii dextri dolore, edendi appetitus amissione, totius corporis languore, æstu, affatim & plerumque post cibum, faciem, manuum palmas pedumque plantas invadente, & oris ariditate conqueri cœpit. Vi morbi crescente, decrescentibus viribus, corpore extenuato totius anni spatio post coactus fuit decumbere, tandem & me accersiri jussit. Inveni inter cætera quandam erraticam febrem atque tumorem tensivumque in hepatis regione, ad medium ventris & umbilicum usque protensum. Febris minimè erat intensa, & periodica, sed hecticæ similis, quæ incerto tempore subinde per totum corpus diffundebat æstum solito majorem, qui interdum citiùs, interdum tardiùs remisit, magis potus quàm cibi desiderio molestabatur, ut ferè semper hominibus, qui similibus affectibus urgentur, usu venire solet. Tumor erat durus, cum magna tensione & vehementi punctione, doloreque ulceroso conjunctus: quamvis nulli lateri incumbere potuerit; tamen faciliùs dextro quàm sinistro, ad quod aliquid ponderosi in corporis commotione prolabi sensit. Alvus erat difficilis, urina subflava, tenuis, cum pauco sedimento, eoque divulso. Punctio, quæ ægro omnium molestissima erat, nullis unctionibus, emplastris, &c. mitigari potuit. Tandem barbitonsor quidam doloris mitigationem pollicitus est, & apposuit cataplasma anodynum, emolliens & suppurans, inde tumor crevit, efferebaturque magis ad umbilicum, & dilatabatur, ita ut quidam suspicati sint, hunc morbum in hydropem terminaturum. Aliquot diebus post, in ilio dextro in conspectum venit tuber, quod barbitonsor existimavit ab apostemate intra musculos abdominis generato prodiisse, quare apertionem suasit. Ego cum nec indicationem nec alia suppurationis signa manifesta ibi deprehendere potuerim, conatui ejus restiti, æger verò permisit sibi lapidem causticum apponi. Hic lapis causticus triduo, maximo ægri dolore ac cruciatu, abdominis musculos ad peritonæum fere usque perrosit, & antequam abdomen penetraret, pus in folliculo collectum intus folliculum rupit, atque per abdominis cavitatem inter peritonæum & intestina usque dispersum est, tumor desedit, & durities evanuit. Eodem die aliquot deliquiis animi correptus æger moritur. Aperto corpore invenimus vomicam simæ hepatis parti, cujus non parum putruerat, connatam, eamque satis magnam & apertam, reliqua fuere sana.*

P R O G N O S I S.

Quoad PROGNOSIN: Aut discutitur hepatis inflammatio, aut successivè suppurata, eadem abit in abscessum, ac malè curata in scirrhum degenerat. Si suppuratur, ruptus abscessus frequentissimè nunc per alvum, vid. SALMUTH *Cent.1. obs.27.* & HERCULES SAXONIA *pag.16.* nunc per urinam, *vid.* SALMUTH *l.a obs.28.* expurgatur.

In specie dicunt Practici: Si inflammatum sit hepar in parte gibba, expurgationem fieri imprimis per urinam; sin in concava, magis per alvum: quod ipsum, an verum sit? videant.

Interdum etiam, sed rariùs, pus hepatis copiosum per vomitum ejicitur; quale exemplum videb. in SALMUTH. *Cent.1. obs.27. & 28.* & FERNELIO *Pathol. lib.6. cap.4.*

Rariùs adhuc fit, ut ipsum purulentum excrementum hepatis suppurati per *sputum & tussim*, more Pleuriticorum rejiciatur: Exempla tamen videbitis in SCHNEIDERO *lib.4. de catarrh.pag.103.* ERASTO *lib.4 Disp. de Febr. putr.* & FRIDERICO HOFFMANNO M. M. *pag.313.*

Rarissimum adhuc est, quod hepatis abscessus maturatus per *metastasin materiæ transferatur in suras*; quale exemplum videbitis in SCHENCKIO *lib.3. Observat. de hepate*, & IACOTII *Comm. ad Coac. Hipp. pag.* 349. *&* 826. nec non BAUHINO *de Observat. propriis.*

Aliàs periculosum & acutum malum est Inflammatio hepatis, & quæ sæpiùs ad mortem deducit ægros.

Ea Inflammatio, quæ in cavo hepatis contingit, periculosior esse solet propter graviora ventriculi symptomata concurrentia, magis inappetentiam, nauseam, vomitum biliosum, & sitim ingentem affert: *quæ verò in parte gibba*, mitior est, majorem tamen respirandi difficultatem, frequentiorem tussim & dolorem usque ad dextræ partis jugulum infert.

Sic singultus admodum contumax, superveniens hepatis phlegmoni seu inflammationi, lethale ferè est signum, ac malum portendit: conf. in specie FORESTUS *lib.19. obs.8.* HIPPOCRATES *sect.5. aphor.58. & sect.7. aph.17.*

In inflammatione hepatis, si sub cursu morbi ex usu nitri & nitratorum sequatur copiosa urinæ excretio, res salva est, & optimum indicium.

Hepatis Inflammatio, si dies & noctes 21. excedat, & febris perduret, tumore non subsistente, in suppurationem fertur: Vid. HIPPOCRATES 4. *Acutor*: Exemplum *Ann. B. M. A. N. C. obs.24.* quæ vomitu purulento, die 40. obtingente, curata.

Quibus Hepar aut Lien suppuratus est, iis plerumque *hæmorrhagia narium* supervenit primis septem diebus, paucis undecimo, rarissimè decimo quarto, & confert illa hæmorrhagia, si è directo fiat.

Pessima *signa Inflammationis* sunt febris ardens, sitis inexhausta, lingua scabra, refrigeratio extremorum, dum interiora uruntur: Vomitus item niger & porraceus.

Morti proximis venter intumescit rupto abscessu, & frigidum sudant circa collum & faciem, atque animo linquunt.

Cum hepatis inflammationem febris ardens & continua comitatur, malum est, quia vehementer viscus inflammatum significatur.

C U R A.

Quod attinet ergo CURAM *Inflammationis hepatis*: eadem est cum omnibus reliquis partibus internis inflammatis, sive pulmo, sive fauces, sive ventriculus, sive renes inflammentur. Unde omnia antipleuritica, præsertim camphoratis mista, etiam hìc in usu erunt: saltim quoad sputum variat cura; simul quoque ad *partem affectam*, cujus tonus facilè ledi potest, & qui amaris præsertim conservatur,

semper respectus habendus est. Nam præmissâ vel omissâ VENÆ SECTIONE in brachio, & hinc in pede, blandâque laxatione cum pulvere Comitis de Warwick de tribus, imprimis DIAPHORETICA, v.g. *Mixtura simplex* ad ℨj liquor cornu cervi succinatus, salia volatilia, *spiritus nitri dulcis*, *antimonium diaphoreticum*, Sudoriferum magnum Fabri. *Bezoardicum Joviale*, ut & alia ex Jove, *dens apri*, *flores sulphuris*, & similia convenient: e.g.

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. xv.
Antimonii diaphor. ℈.
Salis vol. cornu Cervi vel *Viperar.* gr. viii.
M. F. pulvis: S.
Pulvis hepaticus resolvens.

In principio & incremento assumatur in aquis dictis hepaticis, *aqua agrimoniæ*, *cichorii*, *endiviæ*, *taraxaci*, &c.
Vel

℞. *Antimonii diaphor.* ℈ij.
Bezoard. Jovial. gr. xii.
Salis card. bened. ℈ß.
Laud. opiat. gr.ii.
M. pro pulvere,
div. in 2. part. æqual,
D. S. ut ante.

PURGANTIBUS reliquis & VOMITORIIS omnibus prætermissis, nitrum antimoniatum, nitrum simpliciter depuratum, & quælibet nitrata, item *antihecticum Poterii*, interno usu laudari assolent: item saturnina, v.g. saccharum Saturni, crystalli mineræ saturni cum spiritu nitri, & similia, quæ plus in recessu habent. ZACUTUS LUSITANUS *l. 2 Prax. Admir. obs.* 39. & 40. ceu expertum commendat Cassiam fistulosam recenter conditam, item *colum*, *fructum* quendam per grinum ex Guinea allatum. Quibus omnibus Amara quævis, Hepatica dicta, associari possunt. Pro POTU ORDINARIO inserviant Temperata, imprimis si Inflammatio pergere minetur ad abscessum: qualia sunt *Julapium ex Decocto radicis cichorii cum* floribus papaveris erratici, cum *nitro & saccharo*; sed oportet dare *calidum*. & minimè confertim: vel detur *Decoctum hordei* & radicis *graminis cum radice cichorii*, passulis, & tantillo *liquiritiæ*, & *syrupo violacco aut capillorum Veneris*. Circa finem tamen inflammationis addenda simul diuretica, radix apii, petroselini, agrimoniæ, & similes. Sub principio autem & incremento morbi operam demus, ut discutiatur Inflammatio, & præcaveatur Abscessus.

Cum his internis EXTERNE in Inflammatione hepatis circa principium conveniunt *Linimenta & Epithemata*, penetrantia, discutientia, & ardorem compescentia, calidè tamen applicanda: e.g.

℞. *Ung. dialth.* ℥ß.
Ol. absinth. ʒj.
Destill. anethi ℈j.
Camph. gr. ix.
M. D. S.
Unguentum hepaticum leniens & resolvens.

Spiritus vini blandè *camphoratus*, cum aqua plantaginis vel rosarum dilutus, vel solitariè cum linteo multiplicato calidè applicatus, à FELSERO laudatur: Vel præscribatur tale Epithema:

℞. *Aquæ hyoscyam.*
Plantag.
Nymph. ana ℥j.
Nitri depurat. ʒß.
Camph. in spiritu vini solut. gr. xv.
M. f. *Epithema*,
applicandum crebrius calidè
D. S.
Epithema hepaticum.

℞. *Aquæ flor. sambuc.*
Chamomill.
Hyoscyami,
Plantag. ana ℥j.
Spiritus vini camphor. ℥ß.
Nitri depurat. ʒj.
F. *Epithema*.
pro inflammatione Hepatis applicandum;
S.
Epithema refrigerans.
Vel

℞. *Aquæ hyoscyami*,
Nymph.
Lil. alb.
Plantag.
Rosar. rub. ana ℥iß.
Sacch. Saturni,
Camph. cum spiritu vini solut. ana ℈j.
Nitri depurat. ʒß.
M. S. ut antea.

Et hoc tepidè admoveatur regioni hepatis cum linteis multiplicatis.

℞. *Aquæ flor. sambuc.*
Chamom. ana ℥ij.
Spiritus vini camphorat. ℥j.
M. S.
Epithema resolvens.

Insuper ex aliorum consilio nitrum, cum aceto rosaceo, & succo sempervivi majoris vel & Telephii (*fette Henne* Germanicè vocant) solutum, sub forma Epithematis externè tepidè regioni hepatis admoveri potest: Vel imitemur FORESTUM *lib. 19. obs. 12. & 19.* qui mirè commendat in Inflammatione hepatis, ad abscessum quoque tendente, discutienda hunc fotum.

℞. *Flor. Chamomill.*
Melilot.
Rosar. rub. ana p. j.
Sem. anisi,
Fœnicul.
Lini ana ℥iß.
Santal. rubr. ʒj.
Coqu. in s. *aquæ simplicis*:
Colaturæ adde
Acet. vini ℥j.
Aquæ endiv. ℥ß.
M. F. Epithema pro hepate: S.
Epithema hepaticum.

Tandem casum & curam *singularem Inflammationis hepatis ex nimia salacitate venerea* videb. in JOEL, *in sua Praxi lib. 5. sect. 4. Artic. 3. ubi de Hepatis Inflammatione, pag.* 11. quo loco habet peculiare remedium, nempe jecora galli „ nigri in aceto dissoluta & propinata, dum dicit: *Ubi In-* „ *flammatio hepatis ex immoderata Venerea salacitate est* „ *oborta, nisi tempestivè curetur, subsequitur hepatis cor-* „ *ruptio & resolutio; quare statim post venæ sectionem*, „ (quæ an conveniat dubito?) *sequens haustus est propinandus*.

℞. *Gallum nigrum viventem* per medium pectus dissectum:

Iecurque ejus adhuc *calens* in *aceti rosacei* ℥iv. conjicit, & minutissimè conterit, ut tota ejus substantia in aceto resolvatur: tandem colat & tepide ægro propinat.

Deinde sequentis potionis quotidiè haustulum tepidum summo mane offert:

℞. *Rad. Liquirit.*
Cichor. ana ℥ß.
Rhabarb. ʒij.
Flor. Cent. min.
Hepat. ana Mß.
Cort. intersamb. M.j.

Contusa cum *aquæ* ℔iii. in Mariæ Balneo coquantur per 2. horas:

Cujus liquoris colati quotidie accipit ℥iv., in quibus dissolvit

Sperm. Ceti ℈j.
F. Haustus.

Hæc est ejus Cura in Inflammatione hepatis à nimia salacitate.

Quodsi his administratis *Inflammatio* discuti nequeat, sed nihilominus *ad suppurationem* tendere videatur; id quod docet dolor, febris, aliaque symptomata ingravescentia, rigores nullo ordine accedentes, quos caloris exacerbatio sequitur; *confecto vero pure* omnia illa mitescunt, vires tamen debiliores relinquuntur, pulsus frequens, languidus, & interdum animi deliquium: tunc internè temperantibus *suppuratio est promovenda*. Propterea fiant *cataplasmata ex emollientibus* & blandè *discutientibus*, cum addito *croco* & *summitatibus absinthii*, pro hepatis tono meliùs conservando, in moderata licet quantitate. Pro usu interno:

℞. *Rad. Chinæ in taleol. incis.* ℥iß.
Macerentur in Mariæ Balneo per noctem in *aqua simpl.*
mané adde

Rad.

Rad. liquirit. ℥j.
Coqu. ad medias: huic infunde
Passul. conquassat. ℥iij.
Post refrigerationem colaturæ
℔iß adde
Syr. de scabios.
Violar. ana ℥iß. vel q. s.
M. D. S.
Potio hepatica.

Suppurato abscessu, ejus apertio est promovenda; id quod, præter artificialem apertionem, utplurimum sponte fieri, & diversimodè nunc per *alvum*, nunc per *urinam*, nunc per *tussim*, nunc per *vomitum*, expurgari solet. Rarum quidem est, quod per *tussim* pus ex hepate fuerit excretum, de quo SCHNEIDERUS *l. a.* Verùm Inflammationem hepatis suppuratam, vomitu purulento solutam, *videb. in M. A. N. C. Ann. 5. Observ. 74. pag. 121.* Quodsi ergò in parte cava fuerit Vomica, cum tussi, corporis qualicunque jactatione, aliisque similibus modis, ejusdem ruptio est promovenda. Sin verò inflammatio fit in parte hepatis gibba, ac exteriora versus satis promineat tumor suppuratus, etiam extrinsecùs per apertionem quatuor musculorum abdominis è jecoris regione, mediante scalpello, abscessus seu vomica perforari, vel caustico potentiali aperiri, & ita pus evacuari potest; vid. HERCULES SAXONIA *Prælect. Pract. lib. 2. pag. 159.* SENNERTUS *in Praxi*, BARTHOLINUS *Cent. 2. Epist. p. 629.* HORSTIUS *in Problem. p. 29.* item AMATUS LUSITANUS *Cent. 7. Cur. 76. & 77.* SCHENCKIUS *lib. 3. Obs.* Rupto seu aperto abscessu optimè convenit oxymel, vel simplex vel diureticum; ac alia quoque Diuretica, & imprimis blandè alvum laxantia, quæ excretionem puris per urinas promovent: vid. SALMUTH *Cent. 1. Observat. 27. & 28.* *Quod si itaque ad intestina reiicitur pus*, idque imprimis, dum cavum hepatis suppuratum fuerit, mediantibus vasis choledochis, *internè* attemperantibus acrimonia puris est mitiganda, simulque *hydromel* plus minus medicatum exhibendum; *Externè* verò blandis clysteribus intestina abstergenda, & excretio promovenda. *Quodsi verò per renes evacuetur* purulenta materia mediante sanguinis circulo, imprimis dum hepatis gibba pars inflammata fit, supradictum *oxymel diureticum*, item *serum lactis* plus minus medicatum, *emulsionem seminis violarum*, item *decoctum radicis apii petroselini, agrimoniæ, baccarum juniperi*, &c. *cum hydromelite* factum, præsertim si juncta febris mitior fuerit, propinare convenit. *Si regurgitaneo ex intestinis vomitu reiicitur* materia purulenta, promoveatur hic ipse attemperantibus pinguibus, jure pinguidiusculo, cerevisiâ butyratâ, oleo amygdalarum dulcium, &c. *Quodsi* verò fiat, ut ab acrimonia puris in *facta abscessu erodatur hepatis membrana*, adeoque *pus in cavum abdominis excidat*, periculum est, ne contentæ corporis partes, præsertim membranosæ, & ipsæ erodantur, atque ad sphacelum plus minus disponantur. In tali casu Veteres *ad incisionem abdominis accesserunt*, ne scilicet aliquid intentatum relinquerent; de quo intelligendus *Aph. 45. sect. 7.* HIPPOCRATIS. Observatum tamen fuit, pus ita in cavum abdominis effusum per alvum evacuatum fuisse, erosâ forsan in quodam loco intestinorum substantiâ, & ita excreto pure. Adeò semper in puris post ruptum abscessum evacuatione naturæ ductum Medicus sequatur, & ducat, quò illa vergit. Sub tali puris evacuatione non tantum naturæ ductum Medicus sequatur, sed & simul ex abscessu relictum *ulcus mundificet & consolidet*. Quo pertinent imprimis *Decocta vulneraria* cum lignis, item *decoctum* radicis *chinæ vel sarsaparillæ*; ista enim Decocta simul urinam promovent. Inter *vulneraria* ista *Agrimonia*, & omnia ex hac parata, sunt optima. *Serum lactis*, cui talia vulneraria incocta sint, pro abstersione & per urinas evacuatione est optimum: e. g.

℞. *Ras. ligni Iuniper.* ℥ij.
Sassaf. ℥j.
Macerentur per noctem in ℔iv. *aquæ comm.* manè adde
Herb. Veronic.
Heder. terrestr.
Alchimill. ana Mj.
C. C. raspat. ℥vj.
Coqu. invicem ad casum tertiæ partis, vel medietatis:
Colaturæ adde
Syr. de symphyt. Fernel.
de Hyssopo ana q. s.
M. pro gratia saporis: S.
Potio hepatica sanguinem mundificans.

Quibus subinde simul addenda venit *Terebinthina* cruda in vitello ovi soluta; hæc enim mundificat & consolidat, & reliquias mali absumit: Item *balsamum sulphuris terebinthinatum*, vel solitariè, vel cum saccharo Saturni mistum, est elegans. Verùm ex abscessu & ulcere hepatis, nisi superficiale aut leve fuerit, rari sunt, qui evadere solent, *omnibusque Inflammationibus suppuratis malè curatis supervenit Phthisis*. Applicari aliàs possunt ea, quæ in mesenterii abscessibus & ulceribus adhibet MARTINI *loco suprà citato*.

ARTICULUS XI.

DE

INFLAMMATIONE LIENIS.

Post hepar interdum LIEN etiam INFLAMMATUR, utut rarissimè contingere soleat, cùm pauca ejus prostent observata, quorum exempla tamen videbitis in FORESTO *lib. 20. obs. 5. & 6.* atque LOSSIO *Cent. 3. obs. 45.*

CAUSÆ.

Causæ sunt eædem cum reliquarum partium Inflammationibus.

DIAGNOSIS.

Quoad *signa & pathemata concomitantia*: ea sunt Calor, *Fervor*, ac ferè *Tumor*, & *pondus gravans* nonnihil, seu *dolor* gravativus in profundo sinistri hypochondrii. Cum verò ren siniter sit elatior dextro, & ibidem proximè adjaceat spleni, ita ut inflammatio renum facilè possit confundi cum inflammatione lienis, ob id cautè hæ ipsæ discernendæ sunt. Distinctio imprimis petenda est ex dolore insigniter pulsatorio, qui in liene est satis sensilis propter arterias quas splen obtinet, copiosissimas, adeò ut à quibusdam dicatur, quod appositâ manu regioni lienis pulsatio ferè sensilis extrinsecùs percipi possit, de quo tamen meritò dubitatur; cum è contrà talis pulsatio pauca, vel nulla sit in renum inflammatione. Symptomata quoque in renis inflammatione magis posteriora affligunt; contrà eadem in splene inflammato anteriora nonnihil latera & superiora occupant. Insuper in renis inflammatione dolor est adeò ingens. *Febris* in lienis inflammatione adest continua, sed non adeò intensa; respiratio nonnihil difficilis, propter diaphragma lieni vicinum & per consensum affectum, simul adest.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN, Lieni inflammato superveniens hæmorrhagia narium, imprimis naris sinistri, uti loquuntur Practici, aut fluxus alvi, aut hæmorrhoidalis, idque præsertim die critico, & præcedentibus coctionis signis, saluberrimum est; vid. FORESTUS *lib. 20. Obs. 6. in scholio*: vel urinæ profluvium, & tùnc solvitur lienis inflammatio, vel quia discutitur, vel quia aliò „transfertur. Quo facit sententia HIPPOCRATIS: „*Inflammationem hepatis in lienem converti melius est, quàm „si lienis ad hepar deferatur; vel suppuratur vel scirrhescit.*

CURA.

CURA est eadem quæ reliquarum partium internarum Inflammatarum, eademque remedia hìc locum habent. Opera enim danda est, ut quantocyus discutiatur ac sistatur inflammatio, ne male curata, quod aliàs facilè fit in scirrhum ejus contumacissimum degeneret. *Salvatellæ* sectio, quam in *lienis affectibus* & præcipuè ejus *inflammatione*, commendant, fundamento caret. Præter alia, imprimis remedia *saturnina* primariò convenire dicuntur in liene inflammato, qualia sunt *saturni saccharum*, crystalli mineræ Saturni, Saturnus diaphoreticus, ad imitationem Iovis diaphoretici paratus, ac similia internè cum reliquis diaphoreticis in aquâ appropriata propinata.

EXTERNE *Emplastrum de cicuta*, malaxatum cum pauco

oleo

oleo camphoræ applicari solet. Equidem suadent nonnulli, ut ei dem addatur saccharum saturni: ast meliùs Linimentis immiscetur cum oleo rosaceo & vitello ovorum. *Poppius* applicat *Theriacam*, aut ejus loco *Rob Sambuci*, cui *saccharum saturni* permiscuit, & sub forma spissi *linimenti* regioni splenis illinit; id quod pariter in renum inflammatione quoque locum habet.

Quod si verò inflammatio hæc in scirrhum degeneret, conveniunt unguenta, linimenta & emplastra incidentia & resolventia, qualia *supra Sect. 8. ubi de cura morborum chronicorum*, annotata sunt: e. g.

℞. *Empl. de Melil.*
Gummi sali ammon. in acet. quocunque *subact.* an. ℥vj.
Liquefactis adde
Fulig. pulveris. ℥ß.
M. & malax. cum *oleo destillat. tartari*.
Inducatur super alutam in forma usitata.
D. S.
Emplastrum resolvens.

ARTICULUS XII.
DE
RENUM INFLAMMATIONE ET EXULCERATIONE.

CAUSÆ.

INFLAMMANTUR etiam RENES ex iisdem *causis internis*, aliarum partium inflammationibus communibus, subinde acido vitioso, ex primis viis eò delapso.

Quoad EXTERNAS: inspecie occasionaliter subinde excitatur ex nimia corporis succussione, v. g. equitatione, dum corpus equitatione succussum, facilè dat renum inflammationem. Interdum etiam supervenit *calculo renum* insigniori, qui aut nimis magnus distendendo ac comprimendo, aut minor, nimis dolorosus pungendo, atterendo, & ad spasmos irritando, Inflammatio interdum supervenit: uti etiam ex nimio Veneris exercitio subinde renes ad inflammationem disponuntur. Excitant hanc quoque non rarò læsiones externæ, ut lapsus, ictus & vulnus, in lumbis perpessa, item diureticorum medicamentorum abusus. Quæ inflammatio renum in specie NEPHRITIS, sicuti inflammatio hepatis Hepatitis appellari solet.

DIAGNOSIS.

Signa renum inflammatorum *& symptomata concomitantia* ordinaria sunt: *Mictio ardens*, dum urina exeundo plus minus fervere, & fervendo quasi adurere partes percipitur, adestque etiam *stranguria* & mictio frequens, cum acerbo cruciatu, ita ut tales ægri crebriùs quidem, sed & parciùs mingant; urina interdum supprimitur. Corporis flexio ferè est impossibilis, vel admodum graviter fieri potest, *doles à retro*, & decubitus in dorso exacerbat dolores. *Urinæ* sunt paucæ & flammeæ, interdum etiam aquosæ & claræ, sed quæ semper sine ullo impedimento in vesica exeunt. Dolor interdum est pulsans, si nempè ista renũ pars superficialis inflammatur, in qua arteriæ sũt magis insertæ; obtusus, si centralis aut media quasi carnosa renum substantia magis inflammata sit. Calor & dolor lumbaris gravativus, lancinans & tensivus, qui ob partium continuitatem & consensum non rarò sursum dorsum æquè & versus costas nothas, ut ægri nec erigere se, nec commodè incedere possint, interdum deorsũ ac ad inferiora, secundùm ureterum ductum, ad vesicam, item coxendicem & femora usque extenditur. Combinatur huic febris vehemens, continua ac inordinata. Stupor cruris etiam è regione renis inflammati percipitur. Supervenit interdum per consensum vomitus biliosus, isque satis contumax. Interdum, licet rarò, observante hoc HIPPOCRATE, uno rene inflammato alter, licèt sanus & non inflammatus, cessat agere officium urinam secernendi, ut sæpius omnimoda fiat *Ischuria* seu *urinæ suppressio*: cujus rei causa & ratio videtur esse, quod ren etiam sanus ex consensu cum inflammato ratione suarum fibrarum aliquid convulsivi & quasi spasmodici patiatur, unde porulis constrictis urinæ cesset transitus; vel videtur causa esse, quod sanguis nimis copiosus ac universum serum per emulgentes ad renem sanum promotum, nimiâ suâ copiâ sibi ipsi quodammodo viam præcludat, quo minùs suo transitu per renes separari queat. Symptomatis his interdum alvi suppressio accedit, quod huic morbo peculiare FORESTUS *lib. 14. obs. 30.* ait, cum extremorum frigore.

Cæterùm, ut ritè DISTINGUATUR CALCULUS à NEPHRITIDE seu renum Inflammatione, nec confundantur, præter signa Inflammationis renum diagnostica, ulteriùs consideranda sunt *Signa distinctiva horum affectuum à se invicem*; Unde *observetur*,

1. Quod *nephritidi* perpetuò sit juncta febris continua Synochus; *calculo* verò minimè aut admodum rarò adsit eadem.
2. Quòd *dolor in Inflammatione* sit magis continuus, & pulsanti plusminus similis; *in calculo* verò sit magis interpolatus seu periodicus & gravatiuus.
3. Quod plerumque *renes inflammati* comitem habeant urinam ardentem, ejusque stillicidium seu mictionis difficultatem; contra verò res se habet, ubi renes *calculo* sunt obsessi, in quo affectu urina sæpiùs admodum libera fluere solet, & non semper Ischuria se offert, sed tunc demum, ubi calculus ipsis ureteribus firmiter fuerit impactus: vid. VNZERUS & CHARLETON. *Tr. de Calculo.*

PROGNOSIS.

Inflammatio renum periculosum est malum, & in non adeò robustis, imprimis macilentis, & viribus exhaustis, frequentiùs lethale, præsertim si febris acuta cum delirio adsit.

Urina alba, tenuis, ac purulenta absque febris ac cęterorum symptomatum remissione, & cum crurum ac femorum extenuatione, mortem portendit.

Hæmorrhoidum fluxus renum inflammationi superveniens est salutaris.

Tandem, nisi Inflammatio renum discutiatur, sed suppuretur, dat ulcera renum difficulter curabilia, & quæ interdum ad mictum eruentum disponunt, vel in phthisin renalem transeunt, de quibus inferiùs.

CURA.

Pro hujus CURA ex eodem fundamento, quo de inflammationibus in genere dictum, remedia ferè sunt desumenda, & quæ sunt reliquarum inflammationum internarum. Cum omnibus inflammationibus quoad *Externa* secundùm curam Anginæ procedendum; quod *Interna verò secundùm curam Pleuritidis*. Ante omnia sanguinis stagnatio per Venæ sectionem revulsoriam ac derivatoriam solvenda, post clysteris emollientis injectionẽ instituendā. Pro *revulsione* fiat VENÆ SECTIO in brachio sub principium morbi, & si plethora adsit; in progressu verò pro *aversione* in talo seu malleolo: *vid.* FORESTVS *lib. 24. obs. 30. & 31.* & RIVERIUS *Cent. 2. obs. 15.* Forsan optimo cum successu *hæmorrhoides* per *hirudines* possent aperiri. Imò in iis, qui hæmorrhoidibus assueti, ac quibus tument, hæ omnino aperiri debent, cùm si natura eas moveat, valdè proficuum hoc observetur. Quo facto, vel pro circumstantiarum varietate omisso, notandum, quod noceant PURGANTIA propriè dicta quæcunque, nisi pro spasmis dolorificis sistendis *clysmata lactea* cum terebinthina in vitello ovi soluta interdum commodè injici possunt; aut etiam quæ fiunt ex parietaria, malva, summitatibus anethi, floribus sambuci, violarum, chamomillæ, semine lini: aut ex his parata Fomenta; item ex *lacte* ejusve *sero* cum *nitro* simplici vel *antimoniato*. Clysteribus quoque secundùm RIVERIUM *Cent. 4. Observat. 7.* addi potest aqua benedicta Rulandi ad ℥ij. vel iij. Sin cruditates ventriculi combinentur, conveniunt Laxantia mitiora ex manna, tamarindo, syrupo rosarum solutivo, aut mercurio dulci, quem HARTMANNVS in affectibus nephriticis extollit. Nocent autem DIVRETICA in principio, utpotè quæ nimis urinæ fluxum promovent, & inflammationem irritant; adeoque non nisi in declinatione morbi, ubi dolor remiserit, & materia cocta deprehenditur, pro reliquarum abstersione conducunt, & quidem temperatiora tantùm, & quæ simul vim anodynam sanguinemque congrumatum solvendi habent; vid. FORESTVS *l. a. obs. 31.* v. gr. ex fructibus alkekengi, quæ simul vim anodynam & sanguinem congrumatum dissolvendi habent, althęa, liquiritia, terebinthina; item emulsiones seminum 4. frigidorum majorum, violarum, lapilli cancrorum &c., sicut & nitrum & *nitrata* locum habent.

℞. *Aquæ*

℞. *Aquæ alkekeng.*
Genistæ,
Hyperic.. ana ℥j.
Acet. destill. ʒvj.
Spiritus sal. dulc. ʒß.
Tartari vitriolat. gr. xv.
Syr. Hed. terrestr. ℥ß.
M. S.
Mixtura renes refrigerans, cochleatim sumtâ,
Dosis aliquot cochlearium.

In ipso ergo morbo conveniunt Alterantia, quæ sint nitrata quæcunque, ut nitrum crystallisatum, præsertim nitrum cum antimonio fixatum, item *saccharum saturni*: quibus adnumerandæ emulsiones seminum quatuor frigidorum majorum cum semine papaveris, lactucæ, portulacæ, violariæ, junctis simul seminibus cardui benedicti, cardui Mariæ, &c. *ad Pleuritidem laudatis*, cum *aqua* equiseti, florum *nymphææ*, *portulacæ*, *sempervivi*, lactucæ; item *syrupo nymphææ*, *portulacæ*, papaveris, & similibus. Aliàs *succus cancrorum fluviatilium seu astacorum* recens expressus, qui blandum alcali in recessu habet, tam cum jusculo quàm *Decocto nymphææ*, *prunorum*, &c. exhibitus, tanquam singulare remedium meritò ab HARTMANNO *in Praxi Chymiatrica* commendatur; & non absurdum est, quia ad quasvis inflammationes cancri internè mirè conveniunt, quorum alcali macrum inflammationes potenter resolvere, & vi diureticâ simul renibus speciatim convenire videtur; non secus ac ipsi lapilli cancrorum acidum sanguinis absorbendo conveniunt: decoctum florum papaveris erratici & acetosæ; item terrea, & absorbentia, cum opiatis interdum miscenda & propinanda sunt.

Inter EXTERNA cum his internis sedandæ & discutiendæ inflammationi regioni renum applicatur succus nymphææ, sempervivi majoris, succus plantaginis ac portulacæ cum succo cancrorum fluviatilium expresso addendo iisdem Camphoram; oleum item camphoræ illitum, est nobile: quibus etiam interdum parum de opio pro sistendo dolore addi potest. In principio præ reliquis convenit camphora cum oleo amygdalarum dulcium, vel rosarum, vel violarum, vel septem florum Mynsichti soluta, quod crebrius illitum ad Inflammationem renum est egregium; *in camphora enim maximum est sedatorium inflammationum*, dicit LINDANUS: vel dictis oleum hyoscyami expressum, aut oleum papaveris expressum, pro illinitione externa convenit: item *ex succo nymphææ*, *sempervivi majoris* & succo cancrorum fluviatilium, vel cum oleo rosarum, aut aliis *oleis*, vel cum *unguentis* mediante vitello ovi mutuò in mortario plumbeo mixtis fiat *litus*, externè egregius; cui urgentibus doloribus tantillum opii crudi addi potest; vel unguentum ex succo sempervivi majoris & succo cancrorum fluviatilium cum *oleo rosaceo* ad humiditatis phlegmaticæ evaporationem ebullitis, hinc in mortario plumbeo diuturnâ agitatione, ut ramenta saturni se insinuare possint, mistis, fit unguentum refrigerans, quod applicatum conducit, quia absorbet acidum inflammationem excitans. Huc spectat & unguentum renale Mynsichti. Denique unguentum ex alumine crudo pulverisato, & cum albumine ovi misto, frigidè applicatum laudatur à LANGIO *in Februm cap. de Renum Inflammatione*.

His verò irritis, dum resolvi nequit Inflammatio, renum suppuratio expectanda, eaque debitis externis promovenda est; INTERNE per Temperata ex *Decocto hordei*, *glycyrrhizæ*, *malvæ*, *parietariæ*; EXTERNE verò *cataplasmata* ex *emollientibus*, in lacte coctis, applicanda. Vlcere rupto, mictus fit purulentus. Exinde non rarum est

ULCUS RENUM.

CAUSÆ.

Vlceris renum frequentissima CAUSA est eorum abscessus & *inflammatio*, utut etiam *calculi* asperiores, renes atterentes, successivè eos ad ulcerationem disponant. Sicut etiam quodvis *acre*, vehiculo seri per renes transcolatum, eosdem erodere & hinc exulcerare potest: quò pertinet etiam pus aut *sanies acris*, ex aliis locis ad renes fluens. Eosdem *lues Venerea* quoque subinde exulcerat, teste HORSTIO *lib. 4. obs. 43.* sicut & *gonorrhœam Veneream* inconsultò suppressam renum insignis ardor, & hinc non raro exulceratio, insequi solet.

DIAGNOSIS.

Exulceratio renum præter dolorem in lumbis rodentem, plus minus simul gravantem, *urinæ purulentæ excretio* ostendit. „Hinc *sect. 4. aphorism. 75.* HIPPOCRATIS, *Si quis sanguinem aut pus mejat, renum aut vesicæ exulceratio significatur.* „Sic *aph. 76. Quibus cum urina crassa exiguæ carunculæ & veluti pilis exeunt, iis à renibus excernuntur*: quod etsi GALENUS *in Comm.* se vidisse neget, ab aliis tamen observatum est.

CAUSAS ANTECEDENTES antecedentia ferè ostendunt. In specie *si ulcus est ex Inflammatione*, multum puris apparet in lotio, & cum mingitur, apparet album, sed cum steterit, deponitur pus: quod si bene est coctum, & urina sanorum similis, suppurationem subesse indicat.

Si verò erosio est à calculo, mingitur urina alba instar lactis ebutyrati, statim subsidet, & planè alius est consistentiæ instar cinerum, quos etiam colore refert, & minore gravitate excernitur.

Præterea dolor morsicans & rodens in lumbis sentitur, à sero acri & nitroso, quod in transitu irritat & rodit, unà cum caloris sensu.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN: Vlcera renum sunt difficulter sanabilia, & satis periculosa, sæpiùs lethalia.

Quæ sunt ab inflammatione suppurata, minus sunt periculosa, faciliora curatu: *quæ verò sunt à calculo* in renibus, periculosiora sunt, & non rarò in totius renis consumptionem degenerant.

Sic quæ ab erosione sunt ulcera, etiam periculosiora iis, quæ ab Inflammatione.

Quò magis inveterata quoque fuerint, eò difficiliùs curabilia existunt.

Alioquin ulcus *renum lumbos perforasse*, ibique *in fistulam degenerasse*, curioso exemplo notavit *VVillis de Urin. pag. 364.*

Dejectiones fœtentes sunt bonæ; innuunt enim ruptum abscessum, & evacuationem puris per inferiora.

CURA.

Quoad CURAM: Mundificantia & hinc consolidantia utramque faciunt paginam, ubi priùs universo corpori ejusque contentis prospectum fuerit, partim EVACUANDO, partim *temperando* hæc ipsa, ne occasione horum magis exasperetur ulcus: in quem finem VOMITUS à pluribus laudatur; *vid.* RIVERIUS *in praxi pag. 146.* HORATIUS AUGENIUS *lib. 12. Epistol. pag. 693.* VALERIOLA *lib. 6. Observat. pag. 453.* Hinc *mercurius dulcis* pro mundificando renum & vesicæ ulcere cum terebinthina in forma pilularum usurpatus, admodum laudatur ab HARTMANNO; *Pilulas* in ulceribus & vulneribus renum proficuas *videb. in* BARBETTE *Chirurg. Part. 2. cap. 7. lib. 3. pag. 336.* & Pilulas *Quercetani*, quæ in Dysuria occurrent. Lac terebinthinatum PLATERI *in Obs. lib. 3. pag. 304. usque ad 830.* ex terebinthina cum vitello ovi agitata benè, & in quovis liquore appropriato soluta: Vel

℞. *Resin. abjet.* vel *laric.* ℥ij.
Vitell. ovi No. 1.
Mell. (quod abstergit) ℥ß.
c. f. q. *Aquæ flor. Fabar.* f. Potio lactea. D. S.
Lac renes purgans.

Hinc *serum lactis* vel *hydromel* copiosè potum, item *decoctum herbæ & radicis fragariæ*, sed imprimis *hypericon*, proficuum est ad ulcera renum; unde ex semine hyperici Electuarium ad ulcera renum TIMÆUS *von Gulden-Klee in Casib. pag. 422. &* DOERINGIUS *in Tr. de Mitridat.* decoctum radicis petroselini commendat: quò etiam pertinet decoctum chærefolii & decoctum cicerum rubrorum pro purificatione ulcerum, quod SEBIZIUS *in Tr. de Facult. Medicam.* laudat. Præmissis mundificantibus pro consolidatione *Decoctum lignorum cum agrimonia, hyperico, chærefolio*; Decoctum agrimoniæ cum hyperico in vino, quod POTERIUS etiam, uti & D. MICHAELIS *in Colleg. Ionstoniano* singulariter commendant; & decoctum hederæ terrestris cum Chærefolio in vino, vel chærefolii in vino vel cerevisia, &c. sunt optima. Quò etiam pertinet *Electuarium Hartmanni ex conserva rosarum* & malvæ *cum semine hyperici*: Vel

℞. *Herb.*

℞. *Herb. Agrimon,*
Flor. hyperic. ana M j.
Lign. lentisc. ℥iß.
Rad. Consol. maj. ℥ß.
Sem. hyper. ʒiij.
Incisa & contusa dentur pro Decocto: S:
Species ad decoctum.

Pertinet huc *decoctum ad ulcera renum Quercetani*, vel illud, quod dedi in *Colleg. Formular. pag.....* Vel
℞. *Rad. Chinæ* ℥j.
Liquirit. ras. ℥ß.
It. *Agrimon.*
Cherefol.
Heder. terrestr. ana M. j.
Flor. Hyperic. M. ß.
Ras. cornu Cervi ℥j.
Coq. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℔iij. adde
Syr. de symphyt. Fernel. ℥iß.
Essent. vulner. Mich. ℥j.
M. D. S.
Potio renes sanans, pro aliquot vicibus.

Terebinthina Cypria optimum est auxilium, detergit renes, & per inferiora derivat. Dosis à ʒij. ad ℥ß. In specie convenit, *si ex abscessu* exulceratio fuerit orta: quod etiam præstat balsamus de Capaibe à gtt. x. ad xv. Ut consolidantia eò melius operari possint, inter hæc eminent remedia ex cancris fluviatilibus, sive succus, sive eorum in plenilunio exsiccatorum pulvis.

℞. *Cancr. fluviat.*

Plenilunio ponantur in vase terreo non vitreato ad eos furni, ut exsiccentur paulatim, ne crementur: posteà contundantur in mortario lapideo.

Renum & vesicæ ulcera egregiè curant; quibus dicta quædam Vulneraria appropriata, in specie ex iis simplicibus, quæ *suo loco infra* ad mictum cruentum laudabuntur, superaddenda sunt.

Nullum efficacius autem remedium ad renes exulceratos dari, quàm *trochiscos de Alkekengi*, videò in AUGENIO *lib.* 12. *Epist. pag.* 695. *Syrupum magistralem* in ulcere renum, expertum videò in HILDANO *Cent.* 6. *Obs.* 44. Denique *acidularum* usus non penitus contemnendus in ulcere renum de quibus vid. HILDANUS *citato loco*, item HEER *Obs.* 1. Nempè mundificando optimè conveniunt, tum consolidando. *Decocta vulneraria*, item *electuaria ex absorbentibus* cum *bolo Armena*, *terra sigillata*, lapillis cancrorum, *cornu Cervi usto*, & similibus, imprimis conducunt.

Observetur tandem, quod interdum renes magis in parte extima dorsum versus, suppurentur, & apostema musculos dorsi circa spinam simul cum tumore doloreve occupet: in quo casu ab extrà facta abscessus apertio est optima, ut extrinsecùs in lumbis eorum pus queat evocari; de quo vid. HORSTIUS *in Obs. pag.* 260. *lib.* 4.

ARTICULUS XIII.
DE
INFLAMMATIONE VESICÆ URINARIÆ.

CAUSÆ.

INFLAMMATUR etiam vesica urinaria, sed ex CAUSA INTERNA rarissimè, nisi calculus huc referendus; vid. FORESTUS *l.* 25. *obs.* 27. *in schol.* frequentiùs verò occasione EXTERNA, scilicet in specie à *contusione*, aut *ictu* violento in regione pubis & perinæi accepto; vid. *Bonneti Sepulchret. pag.* 1232. & FORESTUS *Obs.* 27. frequentiori equitatione. Denique supervenit eadem etiam interdum sectioni calculi ineptæ, vel in operatione, vel post operationem, si nimirum hoc secto non rectè tractetur vesica, ejus corpus, quacunque etiam ex causa, laceratur, aut alio modo læditur: sicut & Inflammatio Vesicæ accelerari solet, si ægri post sectionem frigida potent, tunc enim subinde ad summum die quarto, interdum citiùs, supervenit ejus Inflammatio, quæ tunc temporis aut in gangrænam lethalem, cui intra biduum mors supervenit, aut si malum est minus, in pessimum ulcus fistulosum degenerat. Hoc unicum periculum ex lithotomia imminet, aliàs ferè nullum; quod si præcaveatur, operatio est securissima. Præterea Cantharides quoque tam externo quàm interno usu inepto, acrimoniâ suâ rodendo, Vesicæ Inflammationi non nunquam occasionem præbent, quod observatum ex vesicatorio ex cantharidibus extra apposito, conf. *Misc. A. N. C. Ann.* 2. *Obs.* 105. *p.* 178.

DIAGNOSIS.

Ceterùm pathemata, quæ ordinariò Inflammationem Vesicæ, comitantur, sunt *Tensiò*, *Durities*, *Ardor*, *Tumor*, ac *Dolor* in regione pubis & vesicæ; & quidem admodum is est sensibilis, ac levissimo tactu exasperatur; cui accedit urinæ in vesica suppressio seu urinam reddendi impotentia, & in specie, si inflammata est Vesica in loco infimo propè collum: item supervenit propter connexionem cum ano *tenesmus*, interdum alvi suppressio; adest simul *febris* acuta, plus tamen aut minus, prout major vel minor fuerit Inflammatio, & vel partem membranosam, vel simul circa collum carnosam, affecerit: quibus interdum vigiliæ & deliria superveniunt; unde rarum est, quod observavit HILDANUS *Cent.* 3. *Obs.* 68. abscessum vesicæ ex casu ab alto, sine febre & sine dolore.

PROGNOSIS.

Utut rara sit Vesicę Inflammatio, quoniam minùta admodum & exilia vasa habet; eadem tamen vera & perfecta juxta FORESTUM gravissimus & periculosissimus est morbus, quia utplurimum lethalis, ex facili superveniente gangræna; In partibus nempè nerveis faciliùs gangræna producitur, adeò ut ex omnibus vesicæ affectibus nullus sit deterior Inflammatione; intereunt enim ægri quarto aut ad summum septimo die; interdum, si symptomata mitiora, evadunt, sed rariùs, cum metastasi materiæ morbificę circa hypogastrium & perinæum, per erysipelas aut urinę fluxum copiosiorem, de quo SENNERTUS *Prax. lib.* 4. *Part.* 8. *sect.* 2. *cap.* 4.

Inflammatio & abscessus, quę fiunt circa collum Vesicę, ubi sunt fibrę musculosę, interdum suppurantur, & in pus mutantur, sequiturque exinde ulcus vesicę, curatu difficillimum.

Mutatam verò jam esse Inflammationem in abscessum, innuit imprimis doloris, febris & ardoris, remissio, HIPPOCRATE asserente.

Facto postmodum abscessu, si ulcus rumpatur intra vesicam, pus cum urina effluit; si verò ad exteriora tendat in cavum abdominis aut perinęum, supervenit abscessus in inguinibus, ibique sibi viam parat.

CURA.

Remedia eadem ferè conveniunt, quæ in pleuritide & inflammatione renum sunt utilia: & in specie, cùm urinę aut alvi suppressio malum sępiùs exasperent, ob id, quantum possibile, removeantur. Hinc optimum est *clyster anodynus* ex solo lacte, aut ex lacte, in quo nitrum depuratum dissolutum est, injectus, quibus etiam terebinthina addi potest. *Internè* a PURGANTIBUS & DIURETICIS omninò abstinendum; saltim juxta sudorifera *Decoctum hordei cum nitro depurato* aut antimoniato, cui interdum aliquid sacchari saturni addi potest, est optimum. Aliàs prosunt emulsiones seminis portulacę, lactucę, papaveris albi, quatuor frigidorum majorum, & *inflammationi renum dicatæ emulsiones*, quibus semper nitrum aut saccharum saturni addendum; hoc enim & omnia saturnina internarum Inflammationum sunt optima remedia. Spiritus nitri dulcis etiam hic non negligendus. Denique spiritus vitrioli Philosophicus (qui reverà est spiritus salis rectificatus) dulcificatus interdum assumptus ad compescendam febrim conjunctam est optimus.

Externè quoque conveniunt imprimis Balnea seu *Insessus*; item Fomenta humida ex aqua tepida cui incocta sunt radix & folia malvę, althęę, parietarię, folia salicis, capita papaverina, & similes herbę diaphoreticę seu carminantes, cum linteis multiplicatis, sed blandè, apposita. Hinc post insessum vel fotum blandissimè inungatur pecten cum *oleo* anethino, chamæmelino, papaueris albi, *rosarum aut nymphęæ*, & similibus, in quibus aliquid camphoræ dissolutum sit, ut ibi discutiatur Inflammatio, vel etiam succus cancrorum fluviatilium expressus cum oleo rosarum & nymphęæ in mortario plumbeo ductus, addendo saccharum Saturni,

turni, vel oleum ejus per deliquium, extrà applicari potest, & in asperitate doloris additur simul oleum papaveris aut hyoscyami expressum.

Denique cùm interdum metus sit supervenientis gangrenæ in Inflammatione vesicæ, hæc ut præcaveatur aut inhibeatur, imitemur consilium RIVERII *in Praxi*, jubentis, ut admoveantur cataplasmata roborantia ad gangrenam aliàs usitata (de quibus *in Chirurgia*) v. g. ex radice scorzoneræ, *ex farina fabarum & lupinorum in vino decoctis*, addendo simul *aloen, myrrham*, & postmodum *camphoram*, aut *spiritum vini camphoratum*, pro meliori penetrantia.

Hisce modis, si possibile, detur opera, ut *discutiatur inflammatio*; sin minus, *suppuratio* & hinc abscessus & ulcus expectanda: *Illam* promovemus Emollientibus & Temperantibus, sæpiùs hactenus recensitis.

Quidam Vesicæ Inflammatæ liquores refrigerantes, inepto satis consilio, injicere jubent, cùm tamen syringa non applicari, nec liquor injici, aut si injiciatur, commodè rejici non possit: vid. HERCULES SAXONIA *loc. allegato*.

Quoad

ULCUS VESICÆ.

PRæter inflammationem suppuratam etiam calculi acutiores vesicam lædentes item *cantharides* interius propinatæ, interdum vel externè admotæ, item acria acida sub vehiculo urinæ ad vesicam delata, vesicam nunc ad scabiem, nunc excoriationem & exulcerationem disponunt: vid. *Miscell.* A. N. C. *Ann.* 8. *Obs.* 88. *pag.* 148.

DIAGNOSIS.

Comitatur ulceratam vesicam urinæ purulentæ excretio, ita quidem, ut si vesica incipiat exulcerari, primò sanguis exit; si sit perfecta, pus; si magis adhuc, squamæ & ramenta, quæ Græcis πιτυρώδη; *si gravis & consummata est exulceratio*, gravis fœtor in urina est. Dolor adest gravis in pectine & pube: quoties ægri mingunt, urinæ difficultas accedit; sæpè & tenesmus, & membri virilis erectio.

Ne autem confundatur exulceratio vesicæ cum meatus urinarii exulceratione, observandum: Si pus & sanies præcedant urinam, aut statim in primo exitu appareant, aut etiam sine urina effluant, in pene vitium est: *si verò talia cum urina permista sint*, in vesica malum est. Propterea si in pene vitium est, inter mejendum dolor percipitur: quod in vesicæ ulceribus non accidit, nisi juxta ejus collum ulcus consistat.

PROGNOSIS.

Sunt autem omnia vesicæ ulcera difficillimè curabilia, ut plurimum incurabilia; periculosiora quæ ex erosione; gravissima, quæ à magno calculo, quæ sine extracto calculo curari nequeunt.

CURA.

In CURA præmissis *internis universalibus* conveniunt

1. Acrimoniam humorum *temperantia* propter Urinam imprimis, exulcerationem subinde exasperantem.
2. Ulcus sine morsu *abstergentia* seu mundificantia, ob fermentum ulceris acidum & hinc pus: vid. *Artic.* 12. *ubi de Renum exulceratorum Cura*.
3. *Consolidantia*, ob resolutionem partis exesæ.
4. *Anodyna*, propter dolorem imprimis urgentem.

Talia tam *internè* quàm *externè* adhiberi solent. Et quidem *acre temperant lac, althea, liquiritia, passulæ, violæ, violaria, semina quatuor frigida majora*: hinc *decoctum chamæpityos in lacte* mirè laudatur à quibusdam crebriùs usurpatum: sic expertæ Potio THONERI, *in Obs. pag.* 136. quæ, ut ipse ait, quasi miraculosum effectum præstitit, & exulcerationem cum urina cruenta sustulit:

℞. *Herb. Agrimon.*
Plantag.
Equiset. ana M. ß.
Rad. Liquirit. mund. ℥ij.
Decoquantur in
Aquæ Plantag.
Beton. ana q. s. ad consumptionem tertiæ partis:
In colaturæ ℔ß. dissolve
Mell. rosar. ℥ij.
Misceatur.

Simul æger singulis horis per Syringam portionem in vesicam injiciat.

Mundificant Terebinthina, decocta vulneraria cum melle, balsamus sulphuris terebinthinatus & succinatus, oleum terebinthinæ, *mercurius dulcis, trochisci de alkekengi, de carabe, trochisci* Gordonii, &c. quæ specificè laudantur.

Consolidant decocta lignorum cum vulnerariis, uti *agrimonia, hypericum, plantago*, hedera terrestris, &c. quibus addantur *corallia*, lapilli cancrorum, *terra sigillata, bolus Armena, succinum, tinctura sulphuris vitrioli, tinctura antiphthisica*, &c.

Dolorem leniunt opiata, papaverina, lacticinia, in specie, si à cantharidibus fuerit malum, &c. De lacte ait AETIUS, „*nescio an post ullum aliud remedium secundo saltem loco id* „*sit habendum? nam & asperitatem lenit, & exulceratio*„*nes eluit*: cui etiam serum substitui potest.

Ex his variæ possunt fieri formulæ:

℞. Rad. *Liquirit.* ℥j.
Alth. ℥ß.
Saxifrag. ℥iij.
Herb. Agrimon.
Plantag.
Portulac.
Heder. terr. ana M. j.
Flor. Malv. arbor.
Nymph.
Violar. ana M. ß.
Sem. alth.
Papav. alb.
Portulac. ana ℥iij.
Fruct. alkekeng. No. vj.
Sem. cicer. rub. ℥ij.
Hord. mund. M. ß.
Coqu. in s. q. *aquæ simplicis*:
Colat. ℔iij. adde
Syr. violar. sol.
Agrimon. ex succo,
Capill. veneris,
Mell. rosat. ana ℥ij.
M. D. S.
Potio temperans.

De quo bis vel ter quotidie bonum haustum æger capiat.

Terebinthinata imprimis conducunt, in specie PLATERO usitata fuit sequens Mistura terebinthinata:

℞. *Terebinth.* ℥vj.
Mellis ℥j.
Vitell. ovi. No. j.
Vini Malvat. ℥jv.
Diluta servanda ad usum.
Dosis ℥vj. Vel
℞. *Terebinth.* ℥ß.
Vitell. ovi No. j.
Mellis ℥ij.
Agitentur in Mortario, donec albescant:
addo
Vini albi,
Aquæ parietar.
Flor. fabar. ana ℥iß.
Syr. limon. ℥j.
M. D. S.
Mixtura mundificans.

Imò solum lac, cui terebinthina cum vitello ovi soluta, cum pauco sacchero permista, sufficit pro leniendi scilicet & temperandi scopo.

Nec *acidulæ* ad ulcera vesicæ mundificanda rejiciendæ sunt; vid. RIVERIUS *lib.* 14. *c.* 5. SCHOLZIUS *Consil.* 155. & 161. & TULPIUS *lib.* 2. *Observat.* 53. ubi refertur ulcus vesicæ desperatum, per *fontis Spadani* usum curatum.

Sic pro tertia Indicatione:

℞. *Rasur. lign. sanct.* ℥iij.
Rad. Sarsaparill.
Liquirit.
Eryng. ana ℥j.
Herb. agrimon.
Veronic.
Heder. terr. ana M. ß.
Flor. rosar.

Violar. ana p. iij.
Passul. maj. ʒiß.
Coqu. in s. q. aquæ ad ℔ij.
Colatura capiatur crebriùs;
D. S.
Potio resolvens.

Nobilis est observatio THONERI *lib.3. de Morb. vesf. obs.3. pag.176.* ubi refert exulcerationem ingentem vesicæ cum urina retenta, & intensissimis doloribus, post calculi per sectionem extractionem, aliis omnibus frustra adhibitis, potu quodam ex radice liquiritiç curatam:

♃ *Rad. liquirit. ras.* ℥j.
Passul. min. M.j.
Jujub.
Sebest. ana M.ß.
Rad. chinæ ʒß.
Incisa & contusa dentur.
♃ *De his* M.j.
Hord. M.ß.
Coquantur in Mens. *aqua*, &c.

Hinc
♃ Herb. *Agrimon.*
Equiset.
Plant. ana M.ß.
Rad. liquirit. mund. ʒij. vel ℥j.
Decoxit in aqua *Plantag.* & *Beton.* ana q. s. vel sola *aqua ferrariorum* ad consumptionem tertiç partis.
In colaturæ ℔ß. dissolvit.
Mell. ros. ℥j. ad ℥iß.
Misc.

Et æger singulis horis portionem per syringam injiciet.

Interdum etiam saniculam & Alchimillam addidit. Addi etiam potest Essentia myrrhę cum spiritu vini tartarisato parata, vel resinę aloes ʒij. ad ʒß. Vid. *Colleg. Formul. pag.* .... & *Idea Formular. class.4. §.25.*

Inter *externa* injicienda sunt varia; vel per catheterem, vel per syringam: quò pertinent clysmata terebinthinata, *suprà Sect.9. cap.3. Artic.1.* ubi de *Dysenteria*, præscripta. *Sumatur* etiam *lac recens*, *serum lactis*, *mulsum*, *succus equiseti*, *vel plantaginis*, *aqua ferrata*, in qua *radix symphyti* modicè bullierit. Convenit *aqua calcis vivæ cum Sief albo Rhasis* secundùm BARBETTE *in Chirurgia*, vel Injectiones PLATERO abstersivę usitatę sunt:

♃ *Rad. liquirit.* ℥ij.
Cicer. rubr. p.i.
Cort. fabar. ℥j.
Fol. plantag. M.j.
F. Decoctum in aqua:
Adde parum *lixivii*.
In decocti hujus ℔j. dissolvé
Terebinth. in melle dissol. ℥ij.
Misc.

In graviori malo potest addi *unguentum Ægyptiacum*.

Tandem fieri potest *injectio consolidativa*:

♃ *Herb. Equiset.*
Plantag.
Summ. Hyperic. ana M.j.
Rad. bistort.
Consol. maj.
Lil. alb. ana ℥j.
Cort. Granat. ʒiij.
Coqu. in *aquæ ferrar.* ℔j.
In Colat. dissolve
Troch. alb. Rhas. s. opio ʒß.
Bol. Armen. ℥j.
Misc. S.
Inspersio sanans.

♃ *Herb. Equiset.*
Plantag.
Summ. hyperic. ana M.j.
Rad. bistort. ʒvj.
Cort. granat. ʒß.
Coqu. in aqua *chalybeata*:
Colat. ℔j.
adde
Terebinth. laric. cum vitell. ovi sol.
Mell. crudi per transcol. depur. methodo Zuvelff. ana ℥j.
M. F. Injectio;
D. S. ut *antè*.

Quæ per syringam in vesicam injiciatur.

Huc pertinent Injectiones & clysmata terebinthinata, proposita in *Colleg. Formular. pag....*

Vel.
♃ *Herb. Alchimill.*
Summ. hyperic. ana M.j.
Coq. in s. q. *aquæ calcis vivæ*:
Colat. ℥x. adde
Syr. de symph. Fernel. ℥j.
Ess. Vulnerar. ʒiij. ad. ℥ß.
M. pro Injectione. S.
Injectio mundificans.

Sic ad ulcus in collo vesicæ, & inde sanguinis per penem egressum, præter *interna* convenit injectio:

♃ *Vitrioli Roman.* ʒij.
Aquæ comm. ℔j.
f. Decoctio.

Vid. FORESTUS *lib.26. Obs.1. schol. in fine.*

Nec *Thermarum* usus ad exulcerationes vesicç & renum negligendus: *vid. Consil.* SCHOLZII *pag.383.* Sed de vesicç exulceratione curanda vid. in specie HORSTIUS *Observat.* 478. & hinc PLATERUS *in Observationibus.*

ARTICULUS XIV.

DE

INFLAMMATIONE MEMBRANARUM CEREBRI.

seu

PHRENITIDE.

Porrò *inflammantur* interdum quoque *partes superioris ventris*, *membrana nempè cerebri*, & forsan, utut rariùs, ipsum *cerebrum*: vid FONTANUS *Anat. c.1.* FORESTUS *l.10. Obs.11. in schol.* RHODIUS *Cent.1. obs.39.* & WILLISIUS *de Anim. Brut. lib.2 cap.10.* Nam cerebrum ipsum si inflammari contingat, brevi ad corruptionem & hinc mortificationem tendit, adeòque à MONTANO multisque aliis dubitatur, an cerebrum vel inflammari possit? vel si contingat, an sub curam Medici cadat? De ejus tamen membrânis, imprimis matre tenui, *res extra dubium* est quoad inflammationis possibilitatem, cùm copiosis respersæ sint arteriis, quibus respondent venulæ in sinus terminatæ, simulque perquam sensiles sint, in quarum vasis si contingat sanguinis motum & circulum impediri, sequitur *Inflammatio*; quæ *membranarum cerebri* vel *solitaria*, vel *cum parte quadam cerebri sociata Inflammatio*, modernis vocatur PHRENESIS sivè PHRENITIS; *sed perperam*, & *perverso vocabulorum* usu. HIPPOCRATI *enim & Græcis Autoribus diaphragma vocatur* φρένες, quod ad intelligendam in lectione Veterum [illegible] probe notandum; unde *Phrenitis proprio* ac genuino *sensu est Inflammatio diaphragmatis*, quam ordinariò insequitur Delirium. Dicitur autem φρένες *diaphragma*, vel quia antiquis mentis sedes fuit reputatum, vel quod in diaphragmate affecto & inflammato mens perturbetur: quam veterum opinionem, quod obiter moneo, renovavit BARTHOLINUS *in Examine Paradox. Med.* qui statuit in centro diaphragmatis nerveo sedem esse fundamentalem animæ. Cum igitur Interpretes mentem HIPPOCRATIS non intellexerint, Phrenitidem interpretati sunt per delirium gravius, febribus ardentibus superveniens, idque ob ignorantiam styli *Hippocratici*: Adeòque *Phrenitis* proprio & genuino sensu erit *diaphragmatis inflammatio*, apud veteres Græcos satis frequens, cum & ejus in *scriptis Hippocraticis* crebra fiat mentio. Nam hoc observetur, quod omnia vocabula Græcorum Medica in τις terminantia semper significent inflammationem ejus partis, cujus acceperunt denominationem, ut apparet in vocabulis *Nephritis*, *Hepatitis*, *Pleuritis*, & sic per consequens *Phrenitis*: Antiqui è contrà *Inflammationem membranarum cerebri*, *aut ipsius cerebri vocarunt sphacelum seu sphacelismum*, *uti patet ex aphorismo* HIPPOCRATIS *50. sect.7.* ita sonante: *Quibus cerebrum sideratum est*, *intra tres dies intereunt si verò hos superaverint*, *sani fiunt*; Ubi per *siderationem* seu *sphacelum* cerebrum inflammatum intelligitur. Hinc malè interpretes explicarunt siderationem cerebri, cùm potiùs explicandum sit: *quibus cerebrum*

inflam-

inflammatum est. Tanta confusio vocabulorum ab HIPPOCRATIS tempore orta fuit. Partium igitur mortificationem totalem HIPPOCRATES & Veteres vocarunt *Necrosin*, quæ hodie abusivè *sphacelus* dicitur: adeòque *sphacelus* secundum HIPPOCRATEM & Veteres proprio & genuino sensu est Inflammatio membranarum cerebri; *necrosis* verò antiquis *mortificatio partis*, quatenus scilicèt pars omninò erat extincta; serpens verò adhuc extinctio, dum est in fieri, *Gangræna* vocabatur, quod vocabulum adhuc in tali sensu in usu habemus. Propriè ergò *sphacelus* in genuino & proprio sensu est membranarum *cerebri Inflammatio*, utut idem adhuc significet *necrosin* seu mortificationem, via ad quam est gangrena; Phrenitis verò propriè est inflammatio diaphragmatis, sicut sphacelus est inflammatio cerebri & membranarum ejus: Conf. SENNERTUS *Pr. lib. 1. Part. 1. cap. 23. pag. 203. & 205.* Sed cùm verba valeant ut nummi, recepto usu *Phrenitis*, Modernorum vocabulo, veterum *sphacelum*, id est *Inflammationem cerebri*, ejusque membranarum, & inde natam febrem acutam plus minus cōtinuam, peracutumque ac gravissimum delirium, intelligamus.

In Phrenitide ergò modernorum seu ista Inflammatione cerebri membranarum, *calor, rubor, dolor & pulsus*, tanquam necessaria & quasi *pathognomonica omnis Inflammationis* signa, sunt obvia. *Dolor* ratione partis affectę, ex Inflammatione & impedito sanguinis motu, est intensissimus, quoniam inflammatę meninges intensè dolent, cùm certum sit, nullam corporis partem sensiliorem esse, quàm ejus membranas, & quidem *dolor* acerbissimus, & horrendus *lacerativus* percipi solet. Hinc videmus veros *phreniticos* (utplurimum enim confunditur *phrenitis* cum delirio in febribus ardentibus superveniente) *avellere capillos* pre nimio dolore, & immenso quasi furore *caput* immaniter *concutere*: propter quem etiam acerbissimum dolorem malum adeò est acutum, ut tertio die sit lethale; quoniam propter dolorem istum sensibilissimum spiritus animales nimis dissipantur, & facilè istarum partium Inflammationem sequitur *gangræna*, & inde *necrosis*. Pręterea hi ægri propter spiritus animales impetuosè & inordinatè motos mox *delirant*, adeò ut quæsiti de circumstantiis caloris vel doloris v.g. eas sufficienter exprimere nequeant. Unde talibus insigniter delirantibus tandem gravissima symptomata, in specie *convulsiones*, superveniunt, idque tunc præcipuè, quando jam gangræna imminet. Pręterea *pulsatio in capite* adest vehementissima, de quo in primo principio conqueruntur ęgri, propter arteriarum in cerebro motum impeditum; & quanta talis pulsatio & inde *dolor capitis pulsatorius* sit, exinde potest colligi, si attentè aspiciatur collum; apparebit enim tunc, quod vehementissimè pulset arteria *carotis*, idque propter impeditum legitimum sanguinis transitum in suis extremitatibus. Ex quo colligi potest, quantum impetum & quantam pulsationem sanguis affluens & in cerebro vel loco inflammationis sub cranio stagnans, inferre valeat.

Moderno ergo usu *Phrenitis erit delirium intensissimum ex membranarum cerebri Inflammatione ortum, febre ardente & peracuta conjunctum*; & hoc, uti dixi, erit Veterum *sphacelismus* seu *sphacelus* cerebri, utut jam abusu majori abusu ferè quodcunque *delirium grave, febri ardenti* aut malignæ superveniens, similiter vocari soleat Phrenitis.

Patet ex his, veram seu Veterum *phrenitidem* rarissimum esse affectum, & quem ferè intra biduum vel triduum insequitur mors.

CAUSÆ.

CAUSÆ *Phrenitidis* INTERNÆ sunt raræ, nisi forsan precedens sanguinis quædam excretio suppressa, aut alius inflammationis metastasis, occasionem *veræ phrenitidi* seu sphacelo subministret. Sic enim in puerpera propter suppressa nonnihil lochia, phrenitidem observavit HORSTIUS *lib. 2. obs. 25. & 26.* uti etiam idem observavit phrenitidem ex suppressione hæmorrhoidum, *cit. loc. obs. 26.* Fit etiam interdum, ut Peripneumoniæ seu pleuritides non rarò per metastasin materiæ abeant in *phrenitidem veram*, tunc temporis utplurimùm lethalem. Exempla subministrat Schenckius lib. 1. obs. pag. 61. Et quidem curam phrenitidis supervenientis pleuritidi elegantem describit BARTHOLETUS *in suo libro de Respiratione læsa.* Inflammatio cerebri per abscessum soluta *veram phrenitidem* repræsentans, videri potest in LOSSIO *Obs. p. 18.* à vermibus verò PARACELSUS *l. 2. §. 2.*

DIAGNOSIS.

Ex his SIGNA *phrenitidis* per se patent. Nempè phrenitidem imminere, concluditur ex vigiliis pertinacibus, somniis turbulentis, sermone immodico, mutatione morum, urinâ primò crassâ, mox tenui, imò diaphanâ, capite tactu calidiore, oculorum torvitate, item dolore capitis intenso, præprimis circa occiput, & arteriarum colli atque capitis pulsatione nimiâ.

Delirium verò simplex à phrenitide in hoc distinguitur: quod illud sit levius cum intervallis; hæc vehementior & ferè continua cum intensis doloribus capitis, quorum ratione hoc sępius fricant; respiratione difficili, febre continua & siti nulla, quamvis hujus causæ adsint. Si inflammatio quędam subsit, in gangrænam degenerans, ferocia remittit, oculis clausis prostrati decumbunt, & lethargici evadunt ægri.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN: *Vera phrenitis* seu Inflammatio cerebri ejusque membranarum utplurimum affectus est peracutus, utplurimum lethalis, juxta HIPPOCRATEM *lib. 7. aphor. 50.* & *lib. 2. epidem. sect. 3. Ægrot. 4. pag. 733.* & tertio vel quarto die ad summum septimo úniens, ita ut brevi post superveniat necrosis perfecta, ęgrique convulsi intereant. Nam & PROSPER ALPINUS *lib. 1. de Med. Ægypt. cap. 13.* refert: vidisse se in Ægypto phrenitides planè lethales, ita ut tertio vel quarto die jugulaverint ægros.

Aliàs in Inflammationis cerebri incremento dejectiones alvi albicantes, & vrinæ crudæ albidæ & pallidæ existentes, pessimæ sunt; utplurimum enim ægri intereunt, teste HIPPOCRATE *sect. 4. aphor. 72.* sicut etiam GALENUS *lib. 1. Prædict. Comm. 1. tit. 12.* nullum phreniticum, qui similes urinas emiserit, servatum vidisse scribit; & cùm similes urinas reddidisset *Philista 2. in 3. Epid. Ægr. 4.* vehementer insanivit, & quinto die defunctus est. Hujusmodi Phrenitis fera est, & convulsionem tandem accersere solet. *2. in Epid. Ægr. 4.* urinas tenues ac pallidas habuit, circa meridiem vehementer insanivit.

Si quis in phrenitide vera dentibus strìdet, delirium grave imminet; sin verò jam adsit delirium, convulsio lethalis est in procinctu.

In Inflammatione cerebri membranarum, quibus, ut loquitur HIPPOCRATES, tremulæ aut obscuræ sunt desipientiæ, id est, si ægri sunt minus furiosi, sunt periculosiores, quàm quibus sunt desipientiæ tumultuosæ: id est, interdum phrenetici apparent, quasi dormiant, aut quodammodo quieti sunt, utut nihil minus faciant, quin variis hinc inde insomniis conturbantur, & in se ipsis delirant, adeò ut interrogati licèt, ineptè respondeant: & tales phrenetici cum talibus variis insomniis & tremula desipientia, ferè periculosiores sunt, quàm phrenetici magis furiosi, cum vociferationibus, artuum contorsionibus & similibus.

Lethalem phrenitidem denuntiat dyspnœa, facies cadaverosa, sudor syncopticus, lingua & manus tremulæ, stridor dentium, rigor, si floccos legant ægri, stillicidium narium, dejectiones, & urinæ minus tinctæ observantur. Sin verò febre mitescente delirium non cesset, utplurimum in lethargum, maniam, aut melancholiam mutatur; ita quidem, ut affectus soporosi ex phrenitide rarò curentur; hinc notatu digna sit observatio ZACUTI LUSITANI *lib. 1. Prax. Admir. obs. 15.* quamvis in illo subjecto somnus non adeò profundus extiterit.

De cætero Phrenitis solvitur vel per sudorem, vel per largam narium hæmorrhagiam, vel diarrhęam, qualem etiam annotavit FORESTUS *libr. 10. Obs. 1.*

Quodsi Inflammatio hæc suppuretur, lethalis est; unde rarissimum est, quod HERCULES SAXONIA refert de quodam phrenetico servato, cui pus per os & aures eruperit.

CURA.

Superest CURA, quæ tamen nil habet peculiare pręcura in febribus acutis cum delirio conjunctis, & sub deliriis commodiùs tractatur, cùm in phrenitide curanda ad duo respiciendum sit: nempè ad ipsam febrim ardentem inflammatoriam, quæ non secus ac pleuritis & aliæ similes curanda; & hinc ad urgentia pathemata, imprimis dolorem capitis & delirium. Adeòque convenit vena sectio

℞. *Herb. Agrimon.*
Flor. hyperic. ana M j.
Lign. lentisc. ℥ij.
Rad. Consol. maj. ℥ß.
Sem. hyper. ℨij.
Incisa & contusa dentur pro Decocto: S:
Species ad decoctum.

Pertinet huc *decoctum ad ulcera renum Quercetani*, vel illud, quod dedi in *Colleg. Formular. pag.*..... Vel

℞. *Rad. Chinæ* ℥j.
Liquirit. ras. ℥ß.
It. *Agrimon.*
Cherefol.
Heder. terrestr. ana M. j.
Flor. Hyperic. M. ß.
Ras. cornu Cervi ℥j.
Coq. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℔ij. adde
Syr. de symphyt. Fernel. ℥iß.
Essent. vulner. Mich. ℥j.
M. D. S.
Potio renes sanans, pro aliquot vicibus.

Terebinthina Cypria optimum est auxilium, detergit renes, & per inferiora derivat. Dosis à ℨij. ad ℥ß. In specie convenit, *si ex abscessu* exulceratio fuerit orta: quod etiam præstat balsamus de Capaibe à gtt. x. ad xv. Ut consolidantia eò melius operari possint, inter hæc eminent remedia ex cancris fluviatilibus, sive succus, sive eorum in plenilunio exsiccatorum pulvis.

℞. *Cancr. fluviat.*

Plenilunio ponantur in vase terreo non vitreato ad eos furni, ut exsiccentur paulatim, ne crementur: posteà contundantur in mortario lapideo.

Renum & vesicæ ulcera egregiè curant; quibus dicta quædam Vulneraria appropriata, in specie ex iis simplicibus, quæ *suo loco infra* ad mictum cruentum laudabuntur, superaddenda sunt.

Nullum efficacius autem remedium ad renes exulceratos dari, quàm *trochiscos de Alkekengi*, videb *in* AUGENIO *lib.* 12. *Epist. pag.* 695. *Syrupum magistralem* in ulcere renum, expertum videb. in HILDANO *Cent.* 6. *Obs.* 44. Denique *acidularum* usus non penitus contemnendus in ulcere renum de quibus vid. HILDANUS *citato loco*, item HEER *Obs.* 1. Nempè mundificando optimè conveniunt, tum consolidando. *Decocta vulneraria*, item *electuaria ex absorbentibus* cum *bolo Armena*, *terra sigillata*, lapillis cancrorum, *cornu Cervi usto*, & similibus, imprimis conducunt.

Observetur tandem, quod interdum renes magis in parte extima dorsum versus, suppurentur, & apostema musculos dorsi circa spinam simul cum tumore dolore ve occupet: in quo casu ab extrà facta abscessus apertio est optima, ut extrinsecùs in lumbis eorum pus queat evocari; de quo vid. HORSTIUS *in Obs. pag.* 260. *lib.* 4.]

ARTICULUS XIII.

DE

INFLAMMATIONE VESICÆ URINARIÆ.

CAUSÆ.

INFLAMMATUR etiam vesica urinaria, sed ex CAUSA INTERNA rarissimè, nisi calculus huc referendus; vid. FORESTUS *l.* 25. *obs.* 27. *in schol.* frequentiùs verò occasione EXTERNA, scilicet in specie à *contusione*, aut *ictu* violento in regione pubis & perinæi accepto; vid. *Bonneti Sepulchret. pag.* 1232. & FORESTUS *Obs.* 27. frequentiori equitatione. Denique supervenit eadem etiam interdum sectioni calculi ineptæ, vel in operatione, vel post operationem, si nimirum hoc secto non rectè tractetur vesica, ejus corpus, quacunque etiam ex causa, laceratur, aut alio modo læditur: sicut & Inflammatio Vesicæ accelerari solet, si ægri post sectionem frigida potent, tunc enim subinde ad summum die quarto, interdum citiùs, supervenit ejus Inflammatio, quæ tunc temporis aut in gangrænam lethalem, cui intra biduum mors supervenit, aut si malum est minus, in pessimum ulcus fistulosum degenerat. Hoc unicum periculum ex lithotomia imminet, aliàs ferè nullum; quod si præcaveatur, operatio est securissima. Præterea Cantharides quoque tam externo quàm interno usu inepto, acrimoniâ suâ rodendo, Vesicæ Inflammationi non nunquam occasionem præbent, quod observatum ex vesicatorio ex cantharidibus extra apposito, conf. *Misc. A. N. C. Ann.* 2. *Obs.* 105. *p.* 178.

DIAGNOSIS.

Ceterùm pathemata, quæ ordinariò Inflammationem Vesicæ, comitantur, sunt *Tensio*, *Durities*, *Ardor*, *Tumor*, ac *Dolor* in regione pubis & vesicæ; & quidem admodum is est sensibilis, ac levissimo tactu exasperatur; cui accedit urinæ in vesica suppressio seu urinam reddendi impotentia, & in specie, si inflammata est Vesica in loco infimo propè collum: item supervenit propter connexionem cum ano *tenesmus*, interdum alvi suppressio; adest simul *febris* acuta, plus tamen aut minus, prout major vel minor fuerit Inflammatio, & vel partem membranosam, vel simul circa collum carnosam, affecerit: quibus interdum vigiliæ & deliria superveniunt; unde rarum est, quod observavit HILDANUS *Cent.* 3. *Obs.* 68. abscessum vesicæ ex casu ab alto, sine febre & sine dolore.

PROGNOSIS.

Utut rara sit Vesicę Inflammatio, quoniam minùta admodum & exilia vasa habet; eadem tamen vera & perfecta juxta FORESTUM gravissimus & periculosissimus est morbus, quia utplurimum lethalis, ex facili superveniente gangræna; In partibus nempè nerveis faciliùs gangræna producitur, adeò ut ex omnibus vesicæ affectibus nullus sit deterior Inflammatione; intereunt enim ægri quarto aut ad summum septimo die; interdum, si symptomata mitiora, evadunt, sed rariùs, cum metastasi materiæ morbificę circa hypogastrium & perinæum, per erysipelas aut urinę fluxum copiosiorem, de quo SENNERTUS *Prax. lib.* 4. *Part.* 8. *sect.* 2. *cap.* 4.

Inflammatio & abscessus, quę fiunt circa collum Vesicę, ubi sunt fibrę musculosę, interdum suppurantur, & in pus mutantur, succeditque exinde ulcus vesicę, curatu difficillimum.

Mutatam verò jam esse Inflammationem in abscessum, innuit imprimis doloris, febris & ardoris, remissio, HIPPOCRATE asserente.

Facto postmodum abscessu, si ulcus rumpatur intra vesicam, pus cum urina effluit; si verò ad exteriora tendat in cavum abdominis aut perinęum, supervenit abscessus in inguinibus, ibique sibi viam parat.

CURA.

Remedia eadem ferè conveniunt, quæ in pleuritide & inflammatione renum sunt utilia: & in specie, cùm urinę aut alvi suppressio malum sępiùs exasperent, ob id, quantum possibile, removeantur. Hinc optimus est *clyster anodynus* ea solo lacte, aut ex lacte, in quo nitrum depuratum dissolutum est, injectus, quibus etiam terebinthina addi potest. *Internè* a PURGANTIBUS & DIURETICIS omninò abstinendum; saltim juxta sudorifera *Decoctum hordei cum nitro depurato* aut antimoniato, cui interdum aliquid sacchari saturni addi potest, est optimum. Aliàs prosunt emulsiones seminis portulacę, lactucę, papaveris albi, quatuor frigidorum majorum, & *inflammationi renum dicatæ emulsiones*, quibus semper nitrum aut saccharum saturni addendum; hoc enim & omnia saturnina internarum Inflammationum sunt optima remedia. Spiritus nitri dulcis etiam hic non negligendus. Denique spiritus vitrioli Philosophicus (qui reverà est spiritus salis rectificatus) dulcificatus interdum assumptus ad compescendam febrim conjunctam est optimus.

Externè quoque conveniunt imprimis Balnea seu *Insessus*; item Fomenta humida ex aqua tepida cui incocta sunt radix & folia malvę, althęę, parietarię, folia salicis, capita papaverina, & similes herbę diaphoreticę seu carminantes, cum linteis multiplicatis, sed blandè, apposita. Hinc post insessum vel fotum blandissimè inungatur pecten cum *oleo* anethino, chamæmelino, papaueris albi, *rosarum aut nymphęæ*, & similibus, in quibus aliquid camphoræ dissolutum sit, ut ibi discutiatur Inflammatio, vel etiam succus cancrorum fluviatilium expressus cum oleo rosarum & nymphęæ in mortario plumbeo ductus, addendo saccharum Saturni,

turni, vel oleum ejus per deliquium, extrà applicari potest, & in asperitate doloris additur simul oleum papaveris aut hyoscyami expressum.

Denique cum interdum metus sit supervenientis gangrænæ in Inflammatione vesicæ, hæc ut præcaveatur aut inhibeatur, imitemur consilium RIVERII *in Praxi*, jubentis, ut admoveantur cataplasmata roborantia ad gangrænam aliàs usitata (de quibus *in Chirurgia*), v. g. ex radice scorzoneræ, *ex farina fabarum & lupinorum in vino decoctis*, addendo simul *aloen*, *myrrham*, & postmodum camphoram, aut *spiritum vini camphoratum*, pro meliori penetrantia.

Hisce modis, si possibile, detur opera, ut *discutiatur inflammatio*; sin minus, *suppuratio* & hinc abscessus & ulcus expectanda: *Illam* promovemus Emollientibus & Temperantibus, sæpius hactenus recensitis.

Quidam Vesicæ Inflammatæ liquores refrigerantes, inepto satis consilio, iniicere jubent, cùm tamen syringa non applicari, nec liquor iniici, aut si iniiciatur, commodè reiici non possit: vid. HERCULES SAXONIA *loc. allegato*.

Quoad

ULCUS VESICÆ.

PRæter inflammationem suppuratam etiam calculi acutiores vesicam lædentes item *cantharides* interius propinatæ, interdum vel externè admotæ, item acria acida sub vehiculo urinæ ad vesicam delata, vesicam nunc ad scabiem, nunc excoriationem & exulcerationem, disponunt: vid. *Miscell. A. N. C. Ann. 8. Obs. 88. pag.* 148.

DIAGNOSIS.

Comitatur ulceratam vesicam urinæ purulentæ excretio, ita quidem, ut si vesica incipiat exulcerari, primò sanguis exit; si sit perfecta, pus; si magis adhuc, squamæ & ramenta, quæ Græcis *πιτυρίδες*; *si gravis & consummata est exulceratio*, gravis fœtor in urina est. Dolor adest gravis in pectine & pube: quoties ægri mingunt, urinæ difficultas accedit; sæpè & tenesmus, & membri virilis erectio.

Ne autem confundatur exulceratio vesicæ cum meatus urinarii exulceratione, observandum: Si pus & sanies præcedant urinam, aut statim in primo exitu appareant, aut etiam sine urina effluant, in pene vitium est: *si verò talia cum urina permista sint*, in vesica malum est. Propterea si in pene vitium est, inter mejendum dolor percipitur: quod in vesicæ ulceribus non accidit, nisi juxta ejus collum ulcus consistat.

PROGNOSIS.

Sunt autem omnia vesicæ ulcera difficillimè curabilia, ut plurimum incurabilia; periculosiora quæ ex erosione; gravissima, quæ à magno calculo, quæ sine extracto calculo curari nequeunt.

CURA.

In CURA præmissis *internis universalibus* conveniunt
1. Acrimoniam humorum *temperantia* propter Urinam imprimis, exulcerationem subinde exasperantem.
2. Ulcus sine morsu *abstergentia* seu mundificantia, ob fermentum ulceris acidum & hinc pus: vid. *Artic. 12. ubi de Renum exulceratorum Cura*.
3. *Consolidantia*, ob resolutionem partis excesæ.
4. *Anodyna*, propter dolorem imprimis urgentem.

Talia tam *internè* quàm *externè* adhiberi solent. Et quidem *acre temperant lac, althea, liquiritia; passulæ, violæ, violaria, semina quatuor frigida majora*: hinc *decoctum chamæpityos in lacte* mirè laudatur à quibusdam crebriùs usurpatum: sic expetita Potio THONERI, *in Obs. pag.* 176. quæ, ut ipse ait, quasi miraculosum effectum præstitit, & exulcerationem cum urina cruenta sustulit:

℞. *Herb. Agrimon.*
Plantag.
Equiset. ana M.ß.
Rad. Liquirit. mund. ℥ß.
Decoquantur in
Aqua Plantag.
Beton. ana q. s. ad consumptionem tertiæ partis:

In colaturæ ℔ß. dissolve
Mell. rosar. ℥iß.
Misceatur.

Simul æger singulis horis per Syringam portionem in vesicam iniicit.

Mundificant Terebinthina, decocta vulneraria cum melle, balsamus sulphuris terebinthinatus & succinatus, oleum terebinthinæ, *mercurius dulcis, trochisci de alkekengi, de carabe, trochisci* Gordonii, &c. quæ specificè laudantur.

Consolidant decocta lignorum cum vulnerariis, uti *agrimonia, hypericum, plantago*, hedera terrestris, &c. quibus addantur *corallia*, lapilli cancrorum, *terra sigillata, bolus Armena, succinum, tinctura sulphuris vitrioli, tinctura antiphthisica*, &c.

Dolorem leniunt opiata, papaverina, lacticinia, in specie, si à cantharidibus fuerit malum, &c. De lacte ait AETIUS, „*nescio an post illum aliud remedium secundo saltem loco id* „*sit habendum? nam & asperitatem lenit, & exulceratio-* „*nes emit*: cui etiam serum substitui potest.

Ex his variæ possunt fieri formulæ:

℞. Rad. *Liquirit.* ℥j.
Alth. ℥ß.
Saxifrag. ʒij.
Herb. Agrimon.
Plantag.
Portulac.
Heder. terr. ana M.j.
Flor. Malv. arbor.
Nymph.
Violar. ana M.ß.
Sem. alth.
Papav. alb.
Portulac. ana ʒiij.
Fruct. alkekeng. No. vj.
Sem. cicer. rub. ʒij.
Hord. mund. M.ß.
Coqu. in s. q. *aquæ simplicis*:
Colat. ℔iij. adde
Syr. violar. sol.
Agrimon. ex succo,
Capill. veneris,
Mell. rosat ana ℥j.
M. D. S.
Potio temperans.

De quo bis vel ter quotidiè bonum haustum æger capiat.

Terebinthinata imprimis conducunt, in specie PLATERO usitata fuit sequens Mistura terebinthinata:

℞. *Terebinth.* ʒvj.
Mellis ℥j.
Vitell. ovi No. j.
Vini Malvat. ℥jv.
Diluta servanda ad usum.
Dosis ʒvj. Vel
℞. *Terebinth.* ℥ß.
Vitell. ovi No. j.
Mellis ℥ij.
Agitentur in Mortario, donec albescant:
addo
Vini albi,
Aquæ parietar.
Flor. fabar. ana ℥iß.
Syr. limon. ℥j.
M. D. S.
Mixtura mundificans.

Imo solum lac, cui terebinthina cum vitello ovi soluta, cum pauco sacchara permista, sufficit pro leniendi scilicet & temperandi scopo.

Nec *acidulæ* ad ulcera vesicæ mundificanda reiiciendæ sunt; vid. RIVERIUS *lib.* 14. *c.* 5. SCHOLZIUS *Consil.* 153. & 161. & TULPIUS *lib.* 2. *Observat.* 53. ubi refertur ulcus vesicæ desperatum, per fontis Spadani usum curatum.

Sic pro tertia Indicatione:

℞. *Rasur. lign. sanct.* ℥iij.
Rad. Sarsaparill.
Liquirit.
Eryng. ana ℥j.
Herb. agrimon.
Veronic.
Heder. terr. ana M.ß.
Flor. rosar.

inflammatum est. Tanta confusio vocabulorum ab HIPPOCRATIS tempore orta fuit. Partium igitur mortificationem totalem HIPPOCRATES & Veteres vocarunt *Necrosin*, quæ hodie abusivè *sphacelus* dicitur: adeóque *sphacelus* secundum HIPPOCRATEM & Veteres proprio & genuino sensu est Inflammatio membranarum cerebri; *necrosis* verò antiquis *mortificatio partis*, quatenus scilicet pars omninò erat extincta; serpens verò adhuc extinctio, dum est in fieri, *Gangræna* vocabatur, quod vocabulum adhuc in tali sensu in usu habemus. Propriè ergò *sphacelus* in genuino & proprio sensu est membranarum *cerebri Inflammatio*, utut idem adhuc significet *necrosin* seu mortificationem, via ad quam est gangrena; Phrenitis verò propriè est inflammatio diaphragmatis, sicut sphacelus est inflammatio cerebri & membranarum ejus: Conf. SENNERTUS *Pr. lib.* 1. *Part.* 1. *cap.*23.*pag.*203.*&* 205. Sed cùm verba valeant ut nummi, recepto usu *Phrenitis*, Modernorum vocabulo, veterum *sphacelum*, id est *Inflammationem cerebri*, ejusque membranarum, & inde natam febrem acutam plus minus cōtinuam, peracutumque ac gravissimum delirium, intelligamus.

In Phrenitide ergò modernorum seu ista Inflammatione cerebri membranarum, *calor, rubor, dolor & pulsus*, tanquam necessaria & quasi *pathognomonica omnis Inflammationis* signa, sunt obvia. *Dolor* ratione partis affectę, ex Inflammatione & impedito sanguinis motu, est intensissimus, quoniam inflammatę meninges intensè dolent, cùm certum sit, nullam corporis partem sensiliorem esse, quàm ejus membranas, & quidem *dolor* acerbissimus, & horrendus *lacerativus* percipi solet. Hinc videmus veros *phreniticos* (utplurimum enim confunditur *phrenitis* cum delirio in febribus ardentibus superveniente) *avellere capillos* prę nimio dolore, & immenso quasi furore *caput* immaniter *concutere*: propter quem etiam acerbissimum dolorem malum adeò est acutum, ut tertio die sit lethale; quoniam propter dolorem istum sensibilissimum spiritus animales nimis dissipantur, & facilè istarum partium Inflammationem sequitur *gangræna*, & inde *necrosis*. Pręterea hi ægri propter spiritus animales impetuosè & inordinatè motos mox *delirant*, adeò ut quæsiti de circumstantiis caloris vel doloris v. g. eas sufficienter expromere nequeant Unde talibus insigniter delirantibus tandem gravissima symptomata, in specie *convulsiones*, superveniunt, idque tunc præcipuè, quando jam gangræna imminet. Pręterea *pulsatio in capite* adest vehementissima, de quo in primo principio conqueruntur ęgri, propter arteriarum in cerebro motum impeditum; & quanta talis pulsatio & inde *dolor capitis pulsatorius* sit, exinde potest colligi, si attentè aspiciatur collum; apparebit enim tunc, quod vehementissimè pulset arteria *carotis*, idque propter impeditum legitimum sanguinis transitum in suis extremitatibus. Ex quo colligi potest, quantum impetum & quantam pulsationem sanguis affluens & in cerebro vel loco inflammationis sub cranio stagnans, inferre valeat.

Moderno ergo usu *Phrenitis erit delirium intensissimum ex membranarum cerebri Inflammatione ortum, febre ardente & peracuta coniunctum*; & hoc, uti dixi, erit Veterum *sphacelismus* seu *sphacelus* cerebri, utut jam adhuc majori abusu ferè quodcunque *delirium grave, febri ardenti* aut malignæ superveniens, similiter vocari soleat Phrenitis.

Patet ex his, veram seu Veterum *phrenitidem* rarissimum esse affectum, & quem ferè intra biduum vel triduum insequitur mors.

C A U S Æ.

CAUSÆ *Phrenitidis* INTERNÆ sunt raræ, nisi forsan pręcedens sanguinis quædam excretio suppressa, aut alius inflammationis metastasis, occasionem *veræ phrenitidi* seu sphacelo subministret. Sic enim in puerpera propter suppressa nonnihil lochia, phrenitidem observavit HORSTIUS *lib.*2. *obs.*25. *&* 26. uti etiam idem observavit phrenitidem ex suppressione hæmorrhoidum, *cit. loc. obs.*26. Fit etiam interdum, ut Peripneumoniæ seu pleuritides non rarò per metastasin materiæ abeant in *phrenitidem veram*, tunc temporis utplurimùm lethalem. Exempla subministrat Schenckius lib. 1. obs. pag. 61. Et quidem curam phrenitidis supervenientis pleuritidi elegantem describit BARTHOLETUS *in suo libro de Respiratione læsa*. Inflammatio cerebri per abscessum soluta *veram phrenitidem* repræsentans, videri potest in LOSSIO *Obs. p.*18. à vermibus verò PARACELSUS *l.*2.§.2.

D I A G N O S I S.

Ex his SIGNA *phrenitidis* per se patent. Nempè phrenitidem imminere, concluditur ex vigiliis pertinacibus, somniis turbulentis, sermone immodico, mutatione morum, urinâ primò crassâ, mox tenui, imò diaphanâ, capite tactu calidiore, oculorum torvitate, item dolore capitis intenso, præprimis circa occiput, & arteriarum colli atque capitis pulsatione nimiâ.

Delirium verò simplex à phrenitide in hoc distinguitur: quod illud sit levius cum intervallis; hæc vehementior & ferè continua cum intensis doloribus capitis, quorum ratione hoc sępius fricant; respiratione difficili, febre continua & siti nulla, quamvis hujus causæ adsint. Si inflammatio quędam subsit, in gangrænam degenerans, ferocia remittit, oculis clausis prostrati decumbunt, & lethargici evadunt ægri.

P R O G N O S I S.

Quoad PROGNOSIN: *Vera phrenitis* seu Inflammatio cerebri ejusque membranarum utplurimum affectus est peracutus, utplurimum lethalis, juxta HIPPOCRATEM *lib.*7. *aphor.*50. & *lib.*2. *epidem. sect.*3. *Ægrot.*4. *pag.*733. & tertio vel quarto die ad summum septimo finiens, ita ut brevi post superveniat necrosis perfecta, ęgrique convulsi intereant. Nam & PROSPER ALPINUS *lib.*1. *de Med. Ægypt. cap.* 13. refert: vidisse se in Ægypto phrenitides planè lethales, ita ut tertio vel quarto die jugulaverint ægros.

Aliàs in Inflammationis cerebri incremento dejectiones alvi albicantes, & urinæ crudæ albidæ & pallidæ existentes, pessimæ sunt; utplurimum enim ægri intereunt, teste HIPPOCRATE *sect.*4. *aphor.*72. sicut etiam GALENUS *lib.* 1. *Prædict. Comm.*1. *tit.*12. nullum phreniticum, qui similes urinas emiserit, servatum vidisse scribit; & cùm similes urinas reddidisset *Philista* 2. *in* 3. *Epid. Ægr.*4. vehementer insanivit, & quinto die defunctus est. Hujusmodi Phrenitis fera est, & convulsionem tandem accersere solet. 2. *in Epid. Ægr.*4. urinas tenues ac pallidas habuit, circa meridiem vehementer insanivit.

Si quis in phrenitide vera dentibus stridet, delirium grave imminet; sin verò jam adsit delirium, convulsio lethalis est in procinctu.

In Inflammatione cerebri membranarum, quibus, ut loquitur HIPPOCRATES, tremulæ aut obscuræ sunt desipientiæ, id est, si ægri sunt minus furiosi, sunt periculosiores, quàm quibus sunt desipientiæ tumultuosæ: id est, interdum phrenetici apparent, quasi dormiant, aut quodammodo quieti sunt, utut nihil minus faciant, quin variis hinc inde insomniis conturbantur, & in se ipsis delirant, adeò ut interrogati licèt, ineptè respondeant: & tales phrenetici cum talibus variis insomniis & tremula desipientia, ferè periculosiores sunt, quàm phrenetici magis furiosi, cum vociferationibus, artuum contorsionibus & similibus.

Lethalem phrenitidem denuntiat dyspnœa, facies cadaverosa, sudor syncopticus, lingua & manus tremulæ, stridor dentium, rigor, si floccos legant ægri, stillicidium narium, dejectiones, & urinæ minus tinctæ observantur. Sin verò febre mitescente delirium non cesset, utplurimum in lethargum, maniam, aut melancholiam mutatur; ita quidem, ut affectus soporosi ex phrenitide rarò curentur; hinc notatu digna sit observatio ZACUTI LUSITANI *lib.*1. *Prax. Admir. obs.*15. quamvis in illo subjecto somnus non adeò profundus extiterit.

De cætero Phrenitis solvitur vel per sudorem, vel per largam narium hæmorrhagiam, vel diarrhœam, qualem etiam annotavit FORESTUS *libr.*10. *Obs.*1.

Quodsi Inflammatio hæc suppuretur, lethalis est; unde rarissimum est, quod HERCULES SAXONIA refert de quodam phrenetico servato, cui pus per os & aures eruperit.

C U R A.

Superest CURA, quæ tamen nil habet peculiare prę cura in febribus acutis cum delirio conjunctis, & sub deliriis commodiùs tractatur, cùm in phrenitide curanda ad duo respiciendum sit: nempè ad ipsam febrim ardentem inflammatoriam, quæ non secus ac pleuritis & aliæ similes curanda; & hinc ad urgentia pathemata, imprimis dolorem capitis & delirium. Adeòque convenit venæ sectio

sectio largissima in principio interdum repetenda: quin & præmissis clysmatibus & vomitorio in omni morbi principio mox sudorifera adhibeantur, ut sanguinis stagnatio maturè primo vel secundo die discutiatur; nam nisi hoc maturè fiat, superveniente necrosi ægri intereunt. Inter alterantia Julepus sequens est elegans:

℞. *Hord. mundat.* M. ij.
Rad. scorzon. ℥ j.
Liquirit. ʒ ß.
Fol. acetos. M. j.
Flor. borrag.
Rosar. Rubr.
Violar. ana p. ij.
Passul. min. cont.
Ras. Cor. Cer. ana ʒ j.
Cran. human. ʒ ß.
Coqu. in s. q. aquæ.
Colat. ℔ iv. acidul etur cum *spiritu vitrioli* q. s.

Reliquam Curam relegatam volo usque ad *Membrum* 5. *Articuli* 3. *Capit.* 4. *Sect.* 3. *lib.* 2. ubi suo tempore pluribus tractabitur.

ARTICULUS. XV.
DE
OCULORUM INFLAMMATIONE,
VERA ET NOTHA.

INFLAMMANTUR subinde etiam OCULI, malum satis frequens & ubique cognitum, quod in specie vocatur OPHTHALMIA: Est vitium contradistinctum lippitudini, epiphoræ, & similibus.

Ophthalmia autem est vel *vera*, vel *notha*, seu *sicca* etiam vocata: Illius DUÆ sunt SPECIES, vel SANGUINEA, vel SEROSA *seu* LYMPHATICA proprio nomine *epiphora* dicta, coincidens fere cum Lippitudine, nisi quod *Lippitudo & Epiphora* saltem *subjectis* proximi *ratione* nonnihil *differant*. *Inflammatio sanguinea* est Inflammatio tunicæ adnatæ, cum rubore, ardore, & dolore, tumore & lachrymis, nunc plus vel minus fluentibus: *Hæc* verò est affectus suo modo catarrhalis, nempè copiosa & continua lachrymarum destillatio ex oculo, quæ nunc acres sunt, adeoque dolorem, morsum, ardorem, ruborem junctum habent, & vulgò dicitur Humor seu *Catarrhus calidus*, nunc mitiores sunt, & sine symptomatum talium syndrome affligunt, diciturque Humor sive *Catarrhus frigidus*: sicut *Lippitudo* est affectus similis palpebrarum, in quo copiosissima lympha lachrymalis, tam ex glandulis angularibus, quàm etiam glandulis palpebrarum à STENONE detectis, erumpit; ratione cujus notabilis in ophthalmia symptomatis CELSUS ophthalmiam Græcorum, Latinè Lippitudinem appellavit.

SUBJECTUM.

In ophthalmia vera afficitur oculus quoad membranas communes, in specie quoad *membranam* externam, quam *adnatam* appellant; subinde verò etiam cornea & uvea non leviter afficiuntur: quæ membranæ, imprimis extimæ, contextæ sunt ex copiosissimorum vasculorum textura, tam venularum quàm arteriolarum: Impedito ergò motu sanguinis in his vasculis, sequitur Inflammatio adeò ut vascula hæc sanguine stagnante distenta magis fiant conspicua, & subinde totus oculi bulbus intensissimè rubeat. Cum verò membrana hæc adnata intimè connectatur cum tunica sclerotica, à dura matre orta, & hac mediante etiam cum uvea à pia matre nata, ipsâ adnatâ à pericranio originem ducente, propter hanc membranarum oculorum connexionem cum cerebri membranis mutua partium dictarum conspiratio & plura pathemata per *consensum* oriri solent. Nempè *ratione pericranii* fit, quod in gravi ophthalmia simul *capitis dolor*, si non *pulsatorius*, tamen *contractivus*, præter gravativum, percipiatur. Patet etiam ratione conjunctionis cum internis membranis oculorum & hinc membranis cerebri, quare *contusionibus cranii*, & *læsionibus membranarum* cerebri, interdum superveniant *ophthalmiæ*, eæque ut plurimum quarto aut septimo die, interdum nono aut undecimo, accedant, aut saltem fluxus oculorum cum eorundem rubedine; ut *in nosodochio Patavino* aliquoties observavi: quæ ipsa fuerunt signa periculosa ac imminentis mortis, quatenus ostenderunt jam factam cerebri membranarum læsionem aliqualem inflammationem, & exinde gangrænam & necrosin. Certè si hæc sponte sequantur, periculosum signum est: Nam dum stagnat sanguis in cerebro ejusque membranis per arterias carotides affectis, fit ut uberiùs affluat ad oculum, ubi impeditur in motu, & ophthalmiam infert. In Epiphora ad glandulas, ex quibus tale stillicidium oritur, imprimis respiciendum, sivè sint in oculorum angulis, sivè palpebris: de quibus videatur STENO *in Observ. de glandulis oculorum & narium*.

CAUSÆ
OPHTHALMIÆ VERÆ.

CAUSA *Ophthalmiæ in genere* est spina oculo alicui interna externa ejus superficie infixa, cujus occasione oritur dolorosa fibrarum strictura, sanguinis remora in motu, lymphæ ejus uberior per glandulas infusio; vel est *quodcunque hostile* aut inimicum, *acidum* aut *acre*, præsertim si oculum affecerit, plus minus irritaverit, sicque ad inflammationem occasionem dederit: estque vel *Internum*, vel *Externum*.

CAUSÆ EXTERNÆ, ut *contusio*, *læsio*, vulneratio, *pulveres acres* in oculum illapsi, ut & fumi metallici se insinuantes in oculos, aura asperior, &c. satis sunt cognitæ: Sic enim pulveres afficiendo partes oculi sensiles, & irritando, faciunt ut sequatur contractura fibrarum in tunicis oculi, & ita sanguis stagnans Inflammationem inducit. Unde colligi potest, cur fiat, ut inflammatio oculorum semel facta, nec adeò rectè curata, subinde recidivet? nempè fit illud ob tantillum fermenti remanentis.

Causæ verò INTERNÆ sunt omnes eæ, quæ quacunque ratione occasionem dare possunt, ut sanguis stagnet in vasculis minutissimis: sic v. g. in specie *variolæ*, quarum sanies acris & acido-salsa oculis infensissima, propter fermenta acria relicta, sæpissimè ophthalmias, & quidem pertinacissimas aut sæpius recurrentes post se relinquunt, ut *suprà* ex LIPSIO *in eleganti Tr. de Variolis* monitum, ubi exemplum habet sæpissimè recidivantis Epiphoræ, modò in uno, modo in altero oculo, ex malè curatis variolis. Nam oculus semel inflammatus facilè levi de causa postmodum denuò inflammatur, ita ut nunc in hoc, nunc in altero, nunc in utroque oculo recurrat, idque propter robur partis tunc læsum, vel propter ejusdem tonum laxatum, & etiam propter fermenta acria plus minus purulenta in parte relicta. Nempè tantillum fermenti remanens intra tunicas oculorum est instar spinæ digito infixæ, quod excitatum facillimè Inflammationem oculorum infert &c. Imprimis si aliàs solennes sanguinis in corpore evacuationes negligantur & supprimantur, si levis accidat in oculo irritatio; inflammationem inferunt; hinc suppressos menses, hinc tineam infantum, vel malè curatam vel spontè evanescentem, propter relictum acre salsum (à morbillis, variolis,) sequuntur non rarò ophthalmiæ. Exempla habet GABELCHOVERUS *Cent.* 4. *Cur.* 38. de Inflammationibus oculorum propter omissas solennes scarificationes: item ophthalmiam observat ex retentis mensibus *Cent.* 3. *Cur.* 61. Infantes pariter ex *aurium* purulentis *fluxionibus* cessantibus, subinde in ophthalmias pertinaces & contumaces incidunt. Speciatim tamen acre quodcunque ex corpore excernendum, cum sanguine aut lympha lachrymali aut quacunque occasione ad oculos delatum, irritando oculum ad Inflammationem disponit.

Ulteriùs *ratione modi afficiendi Ophthalmia* interdum est *epidemica*, & interdum *contagiosa*, item *periodica*. *Epidemica* est ex aere nempè inclementiori, & effluviis acrioribus inquinato, quo oculos feriente inflammatio oborta: qualem *epidemicè grassantem Ophthalmiam* observavit AMATUS LUSITANUS *Cent.* 7. *Cur.* 80. *Contagiosa* observata fuit, e. g. si quis ophthalmicos intueretur, simul quoque eodem malo corriperetur ratione atmosphæræ, quæ ab alterius oculo recepta hunc irritando & vellicando instar pulveris acris ad Inflammationem disponit, vid. FORESTUS *lib.* 9. *Obs.* 4. ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Hist. cap.* 13. PLEMPIUS *Ophthalmogr. lib.* 5. *cap* 12. & SENNERTUS *lib.* 1. *Prax. ubi de Ophthalmia*, Periodicam denique, & modò in hoc, modò in alio loco recidivantem, à variolis natam, videbitis in LIPSIO *l.* 4 *p.* 38. 70.

Differentias etiam habet *Ophthalmia graduales*, & in *tres gradus dividitur*: si enim inflammationis saltem initium adsit,

adsit, cùm nempè oculus cum rubore & calore humidior fiat, & nonnihil doleat, dicitur Τάραξις, seu levior oculi Inflammatio, utplurimùm ferè occasione externâ nata: Quodsi Inflammatio suprà dicta insignior, præcipuè ex *causis internis*, oriatur, est *Ophthalmia* κατ' ἐξοχὴν dicta: Si verò facta sit Inflammatio intensior, ut & palpebræ afficiantur, & quasi invertantur, cum insigni tumore, nec claudi possint, albumque suprà nigrum oculi intumescat, ita ut nigro quasi subsidente hiatus veluti in oculo appareat, χήμωσις dicitur, utplurimum ex causa externâ nata. Conf. SENNERTUS, *ubi de Ophthalmia*.

CAUSÆ
EPIPHORÆ & LIPPITUDINIS.

Quoad causas EPIPHORÆ & LIPPITUDINIS; eæ sunt triplices:

I. Est *nimia glandularum* oculorum *laxitas*, quando eædem undecunque, præsertim sub nutritione propria, vitiatæ, aut aliàs irritatę, flaccidæ & nimis spongiosę redditæ, per patula nimis ac patentia foramina lympham copiosam continuò effluere aut potiùs elabi sinunt, ipsâ lymphâ aliàs naturaliter tunc constituâ; unde hic affectus nulli insigniori symptomati est adjunctus, nisi aliquali oculorum rubedini, ex sanguineis vasis, ob copiosiorem & faciliorem ejus effluxum & ob inanita semper vasa majorem turgescentiam. Malum hoc senibus & morientibus est familiare; hinc spontè illachrymari in acutis morbis periculosum ex HIPPOCRATE: Istud (in senibus) ob nativam ratione ętatis imbecillitatem, dum flaccidæ & quasi detritę sunt glandulę: Hoc verò (in morientibus) propter morbosam summam prostrationem virium, & hinc spirituum animalium defectum, & glandularum flacciditatem. Facit huc defectus carunculæ lachrymalis in affectu Græcis ῥύας dicto, quę caruncula nihil aliud est, quàm substantia tenera carnea, juxta glandulas lachrymales sita, & se instar operculi lymphę & glandularum lachrymalium habens, unde ea vel resoluta, vel ferro ablata, vel à lympha acri vel ulcere exesa, vel imminuta, sui absentiâ successivè infert continuum & involuntarium lachrymarum fluxum: quin & robur oculi læsum, seu quando glandulæ oculorum semel laborarunt Epiphora, & sepiùs postmodum ex imbecillitate hinc contracta idem patiuntur malum; unde sordium, puris, &c. proventus, quibus oculus & vicinę glandulę irritatæ continuò plorant: de qua oculi glandula majore, vulgò caruncula lachrymali dicta, vid. WARTHONI *Adenograph. cap.26. pag.160.* Hęc est prima causa Epiphorę.

II. *Causa Epiphoræ* est læsio & irritatio oculi sensibilissimi ab externis causis, quocunque modo oculum continuò irritantibus, ut substantia ejus glandulosa laxetur. Quò pertinent pulveres in oculos illapsi, item effluvia acria, v.g. cepacea, alliata & piperata, quę salibus volatilibus turgida oculos pungunt & mordent; etiam aer externus nimis frigidus aut asper, qui oculum lędit: ex quarum rerum læsione & irritatione copiosus, & continuus lymphæ vitiosæ ad oculum contingit affluxus, & sic Epiphora catarrhalis. Durante effluxu diutiùs ex copiosè affluente sanguine, & ob exhaustum laticem ejus pro impendio lachrymarum, sanguis nonnihil spissescit, ut in angustissimis istis vasculis stagnans Ophthalmiam tandem seu oculi Inflammationem inferat, modò majorem, modò minorem, cum ejus rubore, dolore & tumore, de *quibus jam dictum*.

III. *Epiphoræ causa* propriè Catarrhum constituit, quando nempè ex vitio lymphæ catarrhalis habituali, ab interna causa profecto, per modum catarrhi præternaturalis lachrymarum fit effluxio; propriéque & frequentiùs Epiphoram constituit. *Vitium lymphæ* est, quando eadem nimis acris & salsa-acida in corpore existit, quâ concurrente cum oculi debilis spongiosa magis substantia glandulosa effusionem lacrymarum copiosam facilè excitare potest. Unde hæc lympha acido-salsa continuò oculos rodit & vellicat, unde eorum pruritus, & interdum palpebrarum exulceratio. Ex pruritu & irritatione magis magisque sanguinis & lymphæ affluxus promovetur: Nam omnis lympha sub se continet subtilem quendam acorem abstergentem & detergentem; hinc fit, ut in naturali statu oculi tali lympha lacrymali humectati, sint facilè mobiles, & ab omnibus sordibus purificati; simul verò atque hæc lympha lachrymalis fit nimis acida, tunc non raro varia oriuntur oculorum mala, imprimis externa, v. g. dolor, oculorum rubedo, pruritus, tumor, corrosiones, lippitudines, Inflammatio oculi periculosa, pustulæ, ulcera, fistulæ lachrymales &c. quin & in cæcitatem interdum terminantur hæ Epiphoræ catarrhales, quatenus ab acrimonia lymphæ nonnihil corrosæ membranæ oculorum fiunt asperæ, ex asperitate crassæ, ex crassitie tandem opacæ minusque perspicuæ, ita ut exinde necessariò sequatur cæcitas.

Causæ hujus Epiphoræ *remotæ* sunt omnes eæ, de quibus *suo loco in Catarrhis* dicam. Inter has sunt assumpta quædam ad eam disponentia, ut nuclei malorum persicorum, de quibus vid. RHODIUM *Cent.1. Observat. 80. pag.43.* in se ipso Epiphoram ex esu malorum persicorum notantem: Interdum specialiter concurrit potus nimius vini aciduli oculis nocens: Interdum etiam parentum concurrit vitium, cum hæreditate materna aut paterna oculi infantum disponantur, ut accedente internæ lymphæ vitio similem in Epiphoram incidant.

Cæterùm omnium horum affectuum ordinarius comes est copiosissima *lachrymarum* destillatio, quæ, si affectus est oculus, degenerant à naturali more; & sunt in duplici differentia, quæ adhuc observanda pro Cura meliùs instituenda, idque, si ex causa interna oriatur ophthalmia: Nam interdum *lachrymæ* effluunt *acres, tenues, acido-salsæ*, vel quasi plus minus *corrosivæ*, pruritum inferentes, & cutim malarum corrodentes, idque in Inflammatione periculosiore, utpote quæ tunc magis dolet, ardet, & instar erysipelatis cujusdam infestat; idque tunc vocant *Catarrhum acrem*, licèt non semper vitium catarrhale adsit, sed innuunt lympham lachrymalem admodum acrem salinam & rodentem; & quibusdam *Ophthalmia biliosa* dicitur: Interdum *lachrymæ non sunt corrosivæ*, ac sine acrimonia ulla, sed potiùs subdulces, simpliciter insipidæ, & in his ophthalmiis subinde oculi palpebræ quasi conglutinantur & inviscantur, & tunc lympha lachrymalis magis crassa, magis viscida & tenax esse solet, oculos incrustans & conglutinans, concurrente tamen tunc simul aliquali nutrimenti proximi in parte læsa, vel in glandulis, vel in superficie oculi, alteratione, quod depravatum Lemas ordinariò vocatur; unde hujus imprimis occasione inviscari palpebrę solent; quę lympha tamen crassa melior est, quàm tenuis & salina.

Ex qua lachrymarum differentia *quatuor ophthalmiæ tempora* DISTINGUENDA: nempè *Principium* est, quando humor tenuis ac plurimus defluit: *Augmentum*, quando dolor augetur, humorque fit crassior: *Status*, cum magis coctus videtur humor, h.e. temperatus, adeòque crassus, ut etiam palpebras conglutinet: *Declinatio*, cùm symptomata remittunt.

Licèt autem hæ lachrymę sint ordinarium symptoma, tamen distinguuntur eædem: Nam interdum se *habent instar causæ*, interdum *instar producti*. Communiter dicunt: *esse catarrhum*; sed malè, cùm etiam ex rebus extrinsecùs illapsis copiosus lachrymarum proventus obtingat, licèt oculus sit insons. Ergo attendendum; an vitium sit à causa externa? an verò interna, à qua generantur lachrymæ? Aliud namque est, quando fit Epiphora in pueris ex tinea repressa; aliud est, quando ex irritatione quadam externa: Hinc posteriori in casu adstringentia prosunt; in priori ea nocent.

Quoad OPHTHALMIAM NOTHAM, seu ut aliàs vocatur SICCAM, hæc est ista, in qua lachrymæ ferè nullæ exstillant, utut plus minus noctu palpebræ coagulari soleant. Talis ophthalmia sicca nil commune habet cum vera, pręter ruborem; oculi enim rubent, plus minus tument, atque plus minus pruriunt: unde *tres* ejus sunt *gradus*:

1. Quę est *cum pruritu*, & exiguam fluxionem salsam & acrem conjunctam habet, & dicitur ψωροφθαλμία.

2. *Quæ cum pruritu & dolore* levi & aliquali gravitate sine fluxione est, adeòque saltim rubri & tumidi sunt oculi, & dicitur ξηροφθαλμία.

3. Denique *sine pruritu*, fluxione, & cum duritie ac asperitate palpebrarum est, & dicitur σκληροφθαλμία seu dura lippitudo.

Oriuntur ex subtili, salsa vel acri lympha, oculos naturaliter humectante, alterante, & ita oculos malè afficiente.

DIAGNOSIS.

Manifesta fit Ophthalmia per se ex dolore, ardore, rubore, & tumore oculorum, & ipsarum palpebrarum; quę omnia sunt signa inflammationum communia; sicuti etiam per se, & ex relatione ęgri manifestum erit, an ophthalmia à causa interna? an ab externa originem ducat?

Sanguis inflammationem excitans nunc per *vasa* oculi *exteriora* movetur, nunc per *interiora*: *Si per exteriora*, tumor, dolor, pulsus in fronte ac temporibus, percipiuntur: *Si verò* à vasis & membranis *interioribus*, dolor profundior & vehementior erit, pruritusque in palato ac naribus sentitur, ac sternutatio frequens erit.

Signa diagnostica Epiphoræ per se patent: Causę tantum distinguendę sunt, partim ex relatione ęgri, partim ex scientia Medici.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN: Nulla ophthalmia est negligenda, in specie si est a causa interna, quia semper oculorum necesse est fiat lęsio: interim tamen una major, altera minor existere solet, hinc secundum supra monitos gradus magis vel minus periculosa ac curabilis est.

Ophthalmia vera pro subjectorum ratione, in iisque humorum, pręsertim lymphę ac sanguinis, constitutione, faciliùs vel difficiliùs curatur.

Ophthalmia per consensum à membranis cerebri internis, dura nempè & pia matre, & à partibus circa cranium contentis, sęviora & periculosiora habet symptomata, & difficiliùs, curatur quàm ea, quę fit per essentiam affecto oculo.

Dolor diu in ophthalmia perseverans pessimum signum est; materiam enim aut corrodentem, aut distendentem, aut suppurantem arguit.

Ophthalmiam diuturnam, aut sępiùs *recurrentem*, facilè visus hebetudo insequi potest, partim ob membranas incrassatas, partim ob humores impuros redditos.

Quando res eò devenit, ut Inflammatio non possit derivari, vel digeri, vel suppurari, ferè perit oculus. Interdum suppuratur, & tunc periculum cæcitatis & gangręnę pariter imminet; quod si eò devenerit malum, melius est dimittere oculū, quàm certò perire & mori, adeoque oculus maturè extirpandus est, ne per consensum cerebro gangręna communicetur, & mors superveniat.

Ophthalmia discutientibus aliàs curatur: sin sępius recurrat, periculum cęcitatis minatur, dū occasionem suggerit, ut nebulę, panni, aut cicatrices in perforatione uveę & corneę enascantur, vel nutrimentum proximum corruptum, & in humore aqueo successivè conglutinatum, suffusionem inducat.

Ea ophthalmia, quę supervenit graviori capitis lęsioni, frequenter est funesta & lethalis.

Ophthalmiâ laborantem superveniens *alvi profluvium* liberat: vid. HIPPOCRATES *sect. 6. aph.* 17. & GALENUS *l. contra Julianum cap.* 1.

Taraxis à causa externa nata, si maturè curatur, sine periculo est; periculosior autem est Chemosis seu Ophthalmia perfecta & consummata.

Notha ophthalmia non adeò periculosa est, quàm vera; diuturna tamen est, & admodum chronica.

Quoad ophthalmię serosę sive Epiphorę prognosin: Infantes frequenter lachrymari solent, & quidem sine insigni periculo; quoniam dietâ; & procedente ętate sponte hoc vitium corrigitur: *Inveterata* autem aut *natu majoribus* accidens, contumacior, facilè fistulam lachrymalem potest inferre.

Qui in febribus aut aliis morbis acutis voluntariè lachrymantur, nec oculi sint affecti, aut crisis per hemorrhagiam instet, inconveniens est: si verò citra & pręter voluntatem hoc faciunt, malum signum est; innuit siquidem affectum esse cerebrum, & resolutionem facultatis, ut vocant, & periculum portendit, teste GALENO & HIPPOCRATE *sect.* 4. *Aphor* 52.

Epiphora verò, quę fit ex lęsione carunculę lachrymalis, ferè est incurabilis; uti est pessima, quę à caruncula, quacunque ex ratione ablata, oritur; uti facilior est curatu, quę est ab illius erosione, quàm excisione.

CURA.

Quoad CURAM:

I. *Causæ externæ* quælibet, oculum hostiliter afficientes, sunt *removendæ*; hinc causis internis prospiciendum; Et tandem

II. *Sanguis* in oculo *stagnans resolvendus*, & ad naturalem statum & circulum reducendus, & inde orta inflammatio removenda est.

Cum verò causæ internæ imprimis sint duplices, ob id vel sanguinis motui, qui oculum tumefacit & inflammat, per revulsoria remedia prospiciendum, vel acre quodcunque oculum vellicans & irritans corrigendum.

Inflammationi leviori, imprimis ex causa externa natæ, & ubi non est tantum ægri periculum, ut in rubore ac moderato dolore, pauca *externa* saltem ex PHARMACEVTICO FONTE sufficiunt remedia. Ubi verò Tumor & Inflammatio sunt magna, aut gravius imminet periculum, simul per remedia *interna* curatur, quibus & alia ex CHIRURGICO FONTE pro *Revulsione*, *Aversione*, & *Derivatione* adhibenda.

In *graviori ergo Ophthalmia*, imprimis *ex causa interna* nata, si corpus vel plethoricum, vel sanguinis evacuandi suppressio fuerit, venæ sectio admodum necessaria erit, cùm interdum factâ sic Venæ sectione sensibilis alteratio in inflammatione observata fuerit. Convenit ergo pro scopo revulsionis universalis quidem venæ sectio in pede, pro scopo aversionis verò in brachio, pro scopo derivationis, si fieri poterit, in fronte. Et quidem quod in pede secanda sit vena, confirmat & illustrat egregium exemplum LINDANI *super Hartmannum*, dum dixit, se vidisse, quantum valeat venæ sectio legitima in ophthalmia in Chirurgo Amstelodamensi, cui dexter oculus fuit inflammatus, ut patet ex historia superiùs *in Prolegomenis Cap.* 3. *Artic.* 1. allegata. Unde rectè dicit LINDANVS: quod in principio & gravi ophthalmiâ primò venæ sectio sit instituenda in pede pro revulsione, hinc in brachio, loco contrario oculo inflammato, pro revulsione particulari, quæ vel sola in leviori ophthalmia sufficit. In pede secatur vel vena saphæna, vel, quod melius est, vena poplitea, utpote quæ satis conspicua, & satis manifesta est. Quod verò attinet derivatoriam venæ sectionem; sanè ad derivationem nil melius est, quàm *venam frontis* incidere: sed hocce habet incommodi, ut subinde pro secanda vena frontis laqueus collo injiciendus sit, ut pro meliori illius intumescentia venæ jugulares constringantur, ubi periculum imminet, ne constrictis ita venis jugularibus simul insigniter augeatur oculorum *inflammatio*; unde non aperienda est, nisi tundi possit vena frontis sine hac adstrictione, & per se pateat, & potius omninò eadem est relinquenda. Non tamen nisi præmissis præmittendis hæc vena frontis incidatur; siquidem post eam intempestivè sectam *ophthalmiam* gravissimam, visus & loquelæ perditionem observavit HILDANVS *Cent.* 5. *Obs.* 18. Interdum etiam pro derivatione ARTERIOTOMIA temporalis in Ophthalmia contumacissima instituitur: vid. NICOLAVS FONTANVS *in Respons. & Curat. Med. l.* 1. *pag.* 50. ubi habet exemplum Ophthalmiæ per intervalla sæpius recurrentis, idque cum periculo visus, quæ tamen *incisione arteriæ temporalis* curata, & *fonticulo* in brachio præservata fuit. Nec in casu difficiliore venarum jugularium incisio inepta & adeò, ut vulgò creditur, periculosa est, testante HILDANO *Cent.* 4. *Observ.* 14. ut taceam NICOLAVM FONTANVM *l. a.* MERCATVM, & RIVERIVM, qui omnes ex GALENO arteriotomiam commendant. Primò igitur venæ sectio in parte remotiore, hinc propinquiore, ut vena frontis, vel pone aures administranda, nec auscultandus ZACVTVS LVSITANVS *lib.* 1. *Prax. Hist. cap.* 13. ubi in ophthalmia magna & atrociore primùm à parte affecta sanguinem mittere jubet. Huc etiam pertinent cucurbitulæ scarificatæ pone aures applicandæ, vid. RHODIVS *Centur.* 1. *Obs.* 79. qui felicem harum usum habet, utut rarò in usum vocentur. Quò etiam spectant VESICATORIA nuchæ, *inverè vice*, loco venæ frontis secandę, aut etiam *pone aures* applicata, *sub pinnula sive lobo*, quę pro aversione usitatissima ac sanè proficua sunt; mirum est, quantum hęc juvent in inflammatione oculorum: vid. LVDOVICI *in Pharmac.* Vtut enim

enim hæc saltem sint remedium palliativum, & medeantur ophthalmiæ à posteriori, tamen verissimum est, quod multum illa valeant. Neque ipse credidissem horum fructum adeò insignem esse, nisi ipse eundem vidissem. Et quidem nuchæ applicata juvant sensibiliter, si rectè fluant, quia ibidem arteria cervicalis se dividit in duas partes, in interiorem, etiam ad oculum progredientem, & in exteriorem circa nucham hinc inde disseminatam: unde vesicatoria, dum in nucha faciunt dolorem, auctiorem eò sanguinis promovent fluxum, dum ex ramo hoc interiori fit derivatio quasi ad ramum exteriorem, ut minori impetu ac copiâ sanguis ad oculum affluat. Quibus autem non est cutis sanabilis, facilè non conveniunt vesicatoria, ut Hydropicis; nam ad gangrænam disponunt: vid. ROLFINCIUS. In contumacissima ophthalmia, ubi non sufficiunt vesicatoria, cum ulcus superficiale post aliquot dies denuò sanetur, setaceum applicetur nuchæ, (quæ apud Veteres diversis membris applicata in usu fuerunt,) perquam molestum quidem, sed potentissimum & summè proficuum in oculorum affectibus diuturnis remedium, quod potentiùs & cum majori efficacia serum eliminat, atque ejus stagnationem corrigit: tamdiu autem apertum servetur, usque levamen æger inde sentiat; de quorum egregia præstantia in Ophthalmia vid. GABELCHOVERUS *Cent.4. Observat.* 38. *in Schol.* HORSTIUS *Dec.7. quæst.*1. HILDANUS *Cent.*1. *Observ.* 41. & 42. & *Cent.*4. *Observ.*6.7. 14.19.&71. GLANDORPIUS *cap.*7. & 24. & SCULTETUS *lib.*1. *Tab.*3. *Figur.*2. & 3. Loco cujus tamen adeò molesti, in *ophthalmiis* vel inveteratis contumacioribus, vel ex causa interna crebriùs recurrentibus, quales in specie *in infantibus* observantur, FONTICULI optimo consilio non rarò in brachio vel pede illius lateris, ceu palliativum remedium, excitandi sunt, qui inusti mirum est, quantum possint, in infantibus etiam quinque vel sex annorum, qui sub pubertatis annis, si ita visum fuerit, denuò consolidari poterunt. ROLFINCIUS tamen *in Epith. Meth. Cogn. & Cur. partic. Corporis Affectus pag.* 91. fonticulum in cervice vel bregmate excitat; RIOLANUS *Encheir. Pr. pag.*235. in cavo auris postico; & RIVERIUS *Obs. à Martino Comm.*7. in nucha sive spatio interscapulari; denique, & quidem commodissimè, in brachio lateris oculi affecti. Aut loco setacei in nucha remedium est quasi vicarium fonticulus auricularis, *auriculare* quasi *setaceum*, *ex radice Thimelææ arborescentis* (est ista *Thimelæa* in specie, quam TABERNÆMONTANUS *lib.*3. nomine *Thimelææ grana cnidia* describit, loco cujus & *chamelæa vulgaris* seu *Mezereon*, item cortex radicis esulæ, & hellebori nigri, potest substitui,) qualem fonticulum auricularem, ex radice vel hellebori vel laureolæ seu Mezerei confectum, ceu singulare nobis communicavit Dn.D. MICHAELIS: de quo etiam vid. RIVERIUS *Cent.*4. *Observ* 100. item VELSCHIUS *Mictomim. Cent.*1.*Obs.*63.*annex. Appendici Miscell.* A.N.C. *Ann.*4. *pag.*39. BARTHOLINUS *C.*4. *Obs.*80. & TIMÆUS *lib.*1. *Epist.*22. *pag.*52. & TABERNÆMONTANUS *lib* 3. *pag.*10. Nempè radicula dissecatur in fibrillas, quæ lobo auris perforatæ immittuntur: nempè exsiccata in orbiculos dividitur, postea maceratur in lixivio ex vitium cineribus facto, vel in aqua, in qua nitrum solutum sit; sine præparatione enim aures corrodit & inflammat, quæ acrimonia etiam acidis obtundi poterit. Perforatâ aure, filo butyro pingui trajecto, promotâ suppuratione, secundâ vel tertia die fibula radicis vel orbiculorum imponitur, quæ humores potenter ex capite elicit: singulis diebus recens immittitur, prior tamen exsiccata & purgata secundâ & tertiâ vice usum eundem præstat. *Confert* non saltim *in* graviori *ophthalmia*, sed & *in suffusione* incipiente, aliisque malis visum hebetantibus; item in Epiphora magnum affert commodum. Hujus loco *radicem hellebori* recipit TIMÆUS *von GuldenKlee in Epist.*20. *lib.* 1. *pag.*52.

Cęterùm vesicatoria dictis locis applicanda variè parantur, ordinariò quidem ex fermento, cantharidibus & aceto; malè tamen, cùm excitent vesicam dolorosam, & præter hanc id noxæ secum ferunt, quod vesicæ excitatæ non adeò commodè fluant. Potius fiant sequenti modo:

℞. Empl. citrinum:

Subigatur hoc cum *pulveris cantharidum* quantitate debita, prout major vel minor excitanda est vesica, & in forma emplastri applicetur nuchæ, ita sensim excitat vesicam.

Vesica semel facta aliquamdiu servetur aperta, pro quo scopo vulgò quidem folium brassicæ rubræ calefactum applicant, quod quidem aliquid præstat, brevi tamen iterum coalescit vesica. Et peccant hìc Chirurgi: nam utut folia illa cum caule applicantur, tamen iterum coalescit vesica. Præter hæc admovent quoque Emplastrum de spermate ranarum; sed hoc adhuc pejus est; quin potius optimum pro apertione servanda est, ut applicetur emplastrum citrinum, vel emplastrum de cerussa, vel de spermate ranarum, cui pro stimulo tantillum pulveris cantharidum additum sit, talis nempè quantitas hujus, quæ saltim irritet & pungat, non autem vesicet: Ita quidem vesica semel excitata ad aliquot septimanas optimè potest in continuo fluore conservari. Pulveris hujus pro subjectorum varietate plus vel minus sumendum est, plus scilicet in iis, qui cutim densiorem, minus, qui molliorem obtinent. Aliàs ex cantharidibus nil periculi imminet, nisi quod excitent in quibusdam mictum cruentum, exulcerationem vesicæ, vel stranguriam, quod tamen inter mille vix uni contingit. In delicatioribus subjectis loco setaceorum & vesicatoriorum etiam sacculus HARTMANNI sufficit, ex pulvere seu farina seminis erucæ vel sinapi paratus, qui nuchæ applicatus cutim rubefacit, & ophthalmiam inhibet: *vid. Pr. Chymiatr. pag.*99.

Confert quoque Sapphirus in ophthalmiis & nimia oculorum lippitudine, si circulus circa ocullum ducatur.

Præter hæc & INTERNE ex FONTE PHARMACEUTICO ophthalmiæ contumaciores, aut ex lymphæ dyscrasia sæpiùs recidivantes curandæ veniunt, adeoque, præter PURGATIONEM cum *Jalappa* factam, *Decocta lignorum*, radicis chinæ & sarsæparillæ, præsertim *ligni juniperi*, & omnia *juniperina*, sunt optima, & à ZACUTO LUSITANO *lib.*1. *Prax. Histor. cap* 13. commendantur. Sic HORSTIUS *lib.*2. *Observat.*32. observat ophthalmiam contumacem aliis irritis *Decocto sassafras & lignorum* curatam. RULANDUS quoque in *Thes. Pract. pag.*61. refert de muliere quadraginta annorum, quæ oculi rubore, dolore, lachrymis & cæcitate diu affecta, post alia plurima tentata, decem dierum spatio hisce convaluit. *Purgata* fuit priùs *pilulis* hinc *Decocto ligni sancti* per decem dies usa, post *sudorem* imposuit *aquam ophthalmicam ex antimonio*, & sic convaluit. Conf. GALENUS *lib.* 13. *M. M. cap.*11. & ROLFINCIUS *lib.*3. *Consult. Med.*3. Ac sanè causarum *ophthalmiam antecedentium* magna habenda est ratio: Nam *ophthalmia ex fumis metallicis*, frustraneis externis per interna mineralia curata fuit ab HORSTIO *lib.*7. *Observat.* 27. Sic BARTHOLINUS ophthalmiam in prægnante, quoties uterum gerit, pertinaciter recurrentem, *sternutatoriis* & venæ sectione curavit, *Cent.*6. *Histor.*31. Ophthalmiam Gallicam *Mercurii* ope curatam videbitis in ZACUTO LUSITANO *lib.*1. *Prax. Obs.* 45. Denique *cinnamomum* jejuno stomacho comestum fluxiones in oculum promovet, teste PANAROLLO *Pent.* 2. *Obs.*28. Quibus insuper accedunt alterantia cephalica & exsiccantia vulgò dicta, exempli gratia fœniculum, rosmarinus, euphrasia, betonica, Valeriana, & ligna aromatica, horumque decocta & essentiæ.

Quoad *remedia* EXTERNA seu TOPICA, ipsis oculis admovenda, sunt varia: Practicis pluribus in usu est communi, ut applicent *lac*, imprimis *muliebre*, nunc solitarium, nunc aliis mixtum; sed pessimo consilio: item interdum propter dolorem quidam applicant *opium*, sed sæpissimè periculoso cum eventu; *opium* enim demulcet quidem dolorem, sed simul in ophthalmia illud & omnia opiata sunt nociva, quia facilè Inflammationem ad *cæcitatem* & *gangrænam* disponunt, & inhibent insensibilem transpirationem. Sic quoque lacticinia nocet: quodcunque *si recens* instilletur oculis, incrustat eos unctuositate suâ, & quasi sordibus inficit, unde impeditâ insensibili transspiratione ejus, tunc maximè necessariâ, *Inflammationem* potius auget: *Si verò lac non recens* applicetur, nocet subtili suo acore, quoniam lac muliebre, sicuti omnia alia lacticinia, facilè acorem contrahit, & ita acescendo oculum lædit, grumescit, & in caseum abit; qui grumi oculis incumbentes eos excitant maximè sensiles, adeoque Ophthalmiam majorem reddunt: unde caveamus nobis ab opio & lacte. nisi summa urgeat necessitas. Rectè igitur LINDANUS dicit;

dicit; se sæpissimè vidisse *lac & opium* applicatum, nunquam tamen felicem usum observasse. Quæ ergo conveniunt in ophthalmiis *externè*, sunt imprimis *sperma ranarum*, vel per se asservatum, vel secundùm TACHENIUM destillatum, item *aqua cancrorum fluviatilium* ex iisdem contusis, & cum putrescere incipiunt, maturè destillatis, elicita, in specie *aqua cancrorum fluviatilium* cum *chelidonio maiori* aut succo ejus destillata: de modo vid. MYNSICHTH *in Armam. Chymic. pag.* 296. item CROLLIUS *in Basil. Chym.* Item oleum seu potiùs liquor florum cyani, liquor florum calcatrippæ aut florum cichorii per deliquium in furno pistorio parati, admodum efficaces & nobilissimi sunt, quos omnes Autores unanimiter commendant. Parandi modus vid. in SCHROEDERO, *ubi de Cichorio*, & HARTMANNO, *ubi de Ophthalm.* item in SENNERTO, *ubi de Ophthalmia pag.* 786. Sed observandæ sunt encheirises: Flores rore matutino humidi vitro includantur, (vitra sint crassa, & quò crassiore crustâ farinaceâ obducuntur, eò melius est;) materia sinenda est aliquamdiu in aere siccari, ne disrumpatur. Rarò unâ vice sequitur liquor, relinquatur donec bis coquatur panis, & diutiùs. Nobile remedium est, in quacunque Ophthalmia egregium. Succus baccarum herbæ paridis expressus excellens habetur remedium ad Ophthalmias & epiphoras; vid. VELSCHIUS *Miscom.* 25. *cap.*1. *annex. Anno* 4. M. A. N. C. Huc pertinet phlegma spiritus vitrioli epileptici, quod alterâ vice prodit, oleum sacchari per deliquium, spongiæ sambuci, aquę florum sambuci aut calcatrippæ, infusæ & applicatæ. Mucilagines etiam seminis Psyllii, Cydoniorum, fœnugræci, althæę, cum aqua chelidonii majoris aut alia appropriata extractæ, addito sacchSaturni, & tantillo camphoræ, etiam sunt egregiæ, cum linteis multiplicatis applicatæ, in specie si à causa externa oriantur Ophthalmiæ: ver. gr.

℞. *Aquæ Fl. Cyani* ℥ij.
Mucil. sem. Cydon. cum aqua sperm. ranar. extr. ℥j.
Croci gr.vj.
M. f. Epithema,
D. S.
Epithema refrigerans & leniens.

℞. *Mucil. sem. Cydon.*
Hormini,
Fenugr. æc. cum aqua chelidon. mai. vel flor. Cyani extract. ana ℥ß.
Sacch. saturni gr. vj. jx. ad xij.

Diluantur cum l. q. *aquæ fœnicul.* vel *chelidon. maior.* vel *euphras.*
usurpatur pro Collyrio.
D. S. ut *anteà*.

Nam ipsum *Saccharum Saturni* cum aqua *appropriata* dilutum & oculis impositum, est egregium antiophthalmicum. Vel

℞. *Aquæ Euphras.*
Fœnic. ana ℥j.
Album. ovi Num.j.
post conquassationem dissolve
Sacch. saturni ℈j.
M. S. ut *suprà*.

Applicatur tepide cum linteis.

Saccharum Ioviale, ut vocat LINDANUS, est præstantissimum, quod sequens est:

Teratur *saccharum candi* probe contritum in *cyatho* vel *scutella stannea nova*, *nec usurpata*, cum *novo cochleari stanneo*, idque tamdiu, donec saccharum benè tritum & agitatum fiat instar plumbi lividum, & quò magis livet, eò est melius. Nec potestis nimis diu terere, & sic habebitis optimum ophthalmicum, quod vel in forma pulveris seorsim potest oculis insuflari, vel cum aliis appropriatis admisceri; verbi gratiâ:

℞. *Aquæ Plantag.*
Rosar. vel *sperm. ranar.*
Fœnic. ana ℥ß.
Sacch. candi Iovial. ʒij. vel ʒiij. ad ℥ß.
Tutiæ præp. ℈ß.
Croci Or. gr. ij. vel iij. ad gr. jv.
M. f. exinde Collyrium.

De quo ter vel quater in die guttæ aliquot in oculum instillentur. Dicit esse anodynum optimum, refrigerare & discutere dolores. *In principio* enim morbi, dum dolor, rubor, fervor, & lachrymarum acrium fluxus urget, *absorbentia* metallica *appropriata* imprimis conveniunt, qualia sunt in specie *tutia præparata*, rubrica, cerussa, creta, & hinc *flores zinci*, flores Iovis à BARBETTE laudati, quæ sunt appropriatissima absorbentia & correctiva acris plus minus acidi, oculos inflammantis: quibus addatur *mater perlarum*, *lapides cancrorum*, *lapis calaminaris* exactissimè *præparatus*; verbi gratiâ:

℞. *Aquæ Fl. Cyani*
Euphras.
Verben. ana ℥ß.
Tut. præp. ʒj.
Matr. perlar. præp. ʒiß.
M. D. S.
Aqua ophthalmica.

De qua mixtura instilla aliquantulum oculis, & simul madentes petias impone. Vel

℞. *Aquæ Chelid. maj.*
Euphras.
Fœnic.
Rutæ ana ℥j.
Tut. præp. ʒj.
Margar. præp. gr.vj.
Camph. gr.iij.
M. S.
Aqua ophthalmica singularis.

℞. *Aquæ Plantag.*
Fœnic.
Sperm. ranar. ana ℥j.
Tut. præp.
Cerus. pulveris. ana ʒß.
Camph. gr.vj.
Croci gr.ij.
stent in loco calido:
D. S.
Collyrium.

Facit huc *Collyrium Lipsii contra ophthalmiam ex variolis* sæpissimè recurrentem. Casus notabilis & curiosus: *descriptio* rudis hæc est:

℞. *Tut. præp.* ʒj.
Vitrioli alb.
Sarcocoll.
Nihil alb.
Aloes lotæ ana ℈j.
Camph. gr.xv.
Aquæ fœnicul.
Rosar.
Chelidon.
Pimpinell. ana ℥iij.
Album. Ovi Num.j.
Ossis sep. ʒj.
M. f. Collyrium.

Quo ipso post variolas secutam oculi ungulam seu unguem etiam feliciter sustulit.

Vel in eodem casu convenit sequens formula, quam dedi in *Colleg. Formular. pag.....*

℞. *Aquæ Plantag.*
Euphras. ana ℥j.
Tut. præp. ℈ß.
Camph. gr.v.
Croci gr.ij.
M. pro Collyrio: S.
Collyrium.

Instilletur aut applicetur oculo; visum præservat à variolis.

Porrò phlegma aluminis primò prodiens insigniter laudatur à POTERIO, & etiam aliis. Egregium etiam est albumen ovi cum aqua spermatis ranarum benè conquassatum, in principio applicatum. Egregiè etiam convenit albumen ovi cum *frusto aluminis* probè concussum & conquassatum in patina stannea tamdiu, donec *unguenti* consistentiam adeptum sit, nunc solitariò, nunc ana, respectu albuminis ovi, vel parum *aquæ rosarum* aut *fœniculi* addendo: Conf. BORELLUS *Cent.*1. *Obs.*31. Hoc extenditur suprà linteum duplicatum, & tepidè oculis applicatur, conducit in principio Ophthalmiæ. Vel

℞. *Aquæ Tormentill.* vel *rosar.* vel *flor. cyani*,
Plantag. ana ℥j.
Album. ovi Num.j.
Alum. gr. v. vij. ad viij. vel ℈ß.

Con-

Conquassentur probe:
D. S.
Mixtura oculos refrigerans.

Cum quo coincidit, si recipiatur *Lithargyr. aur. pulverif.* q. v. idque decoquatur in *aceti vini* q. s. ita surgit liquor dulcis adstrictorius, quasi aluminosus, qui filtratus per chartam, & cum linteo oculis impositus, egregiè prodest.

Infusa etiam antimonialia sunt optima: nempè aquæ destillatæ florum cyani & calcatrippæ, chelidonii majoris, euphrasiæ, fœniculi, &c. optimè infunduntur croco metallorum, vitro antimonii, aut, quod melius, capiti mortuo butyri antimonii pulverisato; quæ probè filtrantur. Siquidem ad hunc modum parantur *aquæ ophthalmicæ Crollii & Rulandi*, quæ oculis instillatæ, vel cum linteis multiplicatis, sunt egregiæ, addendo simul, ubi ardor urget, saccharum Saturni aut parum camphoræ, v. g.

℞. *Vitr. antimonii pulverif.* ℈ß. ad ℈j.
Infund. in
Aqua flor. cyani
Calcatripp. vel *euphras.*
Sperm. ranar. an. ℥j.
Stent in loco calido per noctem; manè filtrentur; adde
Sacch. Saturni ℈j. ad ʒß.
Camph. gr. iij. vel iv. ad vij.
M. D. S.
Collyrium.

Instillentur oculo, & cum linteis multiplicatis tepidè applicentur eidem.

Quod si intensus æstus simul adfuerit, addi possunt sacchari Saturni ʒß., & Camphoræ gr. v. Vel

℞. *Vitr. antimonii pulverif.* ℈ß. ad gr. xv.
Infunde in
Aquæ sperm. ranar. vel *fragor.* ℥iij.
Stent in loco calido per noctem: manè filtrentur: adde
Ceruss. vel *sacch. Saturni subtilissimè pulver.* ℈j. ʒß. ad ʒj.
Camph. gr. vj.
M. S.
Collyrium.

Pertinet denique huc etiam *Vitriolum album*, Germanicè *Gallitz - enstein*, & hinc vitriolum Cyprium, quæ egregia ad oculorum inflammationes sunt remedia, si scilicet horum unum albumini ovi indurato & excavato indatur, ut liquescat; sic enim fit collyrium ophthalmicum magnę commendationis: in specie misceri possunt cum tutia præparata, ubi lachrymæ acriores adfuerint. Vel

℞. *Ov. gallinac. integrum* ad duritiem coctum, & dempto vitello excavatum:
Cui immitte
Sacch. Saturni gr. vj.
Vitriol. alb. gr. viii.
Camph. gr. iij.
Mell. rosar. ʒß.

Hæc indantur ovo, & fiat expressio fortis: expressus liquor instilletur subinde oculo:
D. S. ut suprà.

Ubi observetur, quod tale collyrium imprimis conveniat, ubi lachrymæ nonnihil sunt crassæ, & ubi inviscantur palpebræ oculorum.

Quantum enim valeant Misturæ ex vitriolo albo in ophthalmiis, vid. in RIVERII *Praxi*, BARBETTE *Chirurg. p.* 150. & THONERO *in ejus Obs. p.* 116. ad cujus imitationem aliquoties præscripsi:

℞. *Aquæ rosar.*
Plantag. ana ℥ij.
Solan. ℥j.
Vitrioli albi ℈j.
solve, filtra, & adde
Tut. præp. ℈j.
M. D. S.
Collyrium.

Hoc collyrium benè agitatum cum linteo imbuto & expresso tepidè applicatur oculis, quod egregiè profuit: interdùm aliquot grana camphoræ addita fuere.

De aqua rosarum vid. TACHENIUS *in Hippocr. Chym.* cujus loco potiùs aqua florum cyani vel spermatis ranarum sumi posset.

Aliam formulam vid. in *Colleg. Form. l. a.* Vel

℞. *Aquæ Chelid.*
Fœnicul. ana ʒvj. ad ℥iß.
Vitriol. alb. gr. iij. iv. v. vi. vii. ad ℈ß.
dissolutis & filtratis adde
Tut. præp. gr. iii. iv. v. vi. ad ℈ß.
M. pro Collyrio, oculis applicando.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Aquę Chelid. mai.*
Flor. Cyani
Calcatrippę ana ℥j.
Vitrioli albi gr. xii.
solutum filtretur per chartam:
adde
Tutiæ præp. ℈ß.
M. D. S.
Collyrium.
Vel

℞. *Aquæ Fœnic.* vel *rutæ*,
Euphras,
Flor. Cyani ana ℥ß.
Vitrioli albi gr. iv. vel viii.
Solutionem filtra per chartam emporeticam:
adde
Sacch. Jovial. ʒij.
M. f. Collyrium
D. S. ut *suprà*.

℞. *Vitrioli alb.* ℈ß.
Aquæ chelidon. mai.
Fœnic.
Flor. Cyani ana ʒvj. ad ℥j.
filtra & adde
Tut. præp. ℈ß.
M. S. ut *suprà*.
Calidè instilletur oculo.

℞. *Aquæ Euphras.*
Flor. Cyani ana ℥iß.
Vitrioli de Cypro ℈ß.
solve & filtra:
adde
Tut. præp. gr. xv.
M. S. ut *suprà*.

Ac sanè *instatu* morbi mirabiliter conveniunt hæc *collyria vitriolacea*, quorum aliquot egregia exempla videbitis in BARBETTE *Praxi, ubi de Catarrhis*.

Cum his tamen simul observetur differentia lachrymarum aut sordium in oculis: ubi enim sunt viscidæ, glutinosę, ibi dilutiora magis conveniunt; ubi sunt nimis copiosæ, sed non acres, moderatè adstrictoria, speciatim vitriolacea, conducunt; ubi verò acriores sunt & corrosivæ, in tali casu semper remediis simul pro his temperandis metallica fixa addenda sunt, v. g. Tutia præparata, Cerussa, saccharum Saturni, lapilli cancrorum pręparati, lapis calaminaris, margaritę pręparatę, imprimis flores zynci, vel flores Jovis, quos BARBETTE *l. a.* insigniter commendat in corrosivis & acribus lacrymis, & inde ortis ophthalmiis. In BARTHOLINI *Act. Med. Hafnienf. Vol.* 2. *pag.* 302. sequens laudatur Unguentum.

℞. *Ungu. Nihili*
de Tut. ana ʒij.
Marg. præp.
Corall. rub. præp.
Lapill. Cancr. præp.
Tutiæ præp.
Sacch. Saturni an. ℈j.
Camph. gr. xii.
Fol. Auri,
Lunæ ana Num. iv.
f. Unguentum.

Horâ decubitus lentis magnitudine cantho oculi majori indendum, & infra palpebras illinendum.

Aliàs supervivum cum foliis fœniculi contusum & applicatum etiam elegans ophthalmicum est incipiente ophthalmiâ.

Quodsi verò rubor & tumor oculi est saltim superficialis ex causis externis, in specie ex rebus & pulueribus incidentibus in oculos, tunc conueniunt leuiter discutientia, præter mucilagines suprà pręscriptas; egregium remedium est *frustum* recens *carnis vitulinę vel bovinę crudæ*, magnitudine & crassitie thaleri, tempore decubitus oculis admotum; hoc enim ardorem, rubedinem & tumorem oculorum à causa externa insigniter discutit.

Quodsi malum sit occasione aeris inclementioris, cum ventus aliquid adflaverit, similiter *mucilagines* jam laudatæ sunt optimę.

Ce-

Cæterùm sæpiùs urget in *Ophthalmia* intensissimus *dolor* & *ardor oculi*, malum exasperans, proquo, etiam illis in casibus, compescendo nil melius est *Cataplasmate ex pomis dulcibus* & benè odoratis, sub cineribus aut cum aqua appropriata coctis, parato; v. g.

℞. *Pom. Borsdorff. sub ciner. assat.* vel *poma recentia* Num. iij.
coqu. in s. q. *aquæ flor. Cyani*, vel *Euphras.* & *rosar.* ad mollitiem, trajiciantur per setaceum:
Pulpæ trajectæ adde
Tutiæ præp. vel *sacchar. albiss.* vel *Jovial. Lind.* ℨij.
Campb. gr. x. vel xii.
Croci gr. iii. vel iv. vel v.
M. f. Cataplasma:
D. S.
Cataplasma leniens.

Applicetur tepidè cum linteis multiplicatis. Experimentum est TIMÆI *von Guldenklee*, contra dolorem partium, in specie ophthalmiam, *in Casibus lib. 1. Cas. 21. pag.* 48. BARBETTE *in Chirurg.* item SCULTETI *in Armam Chir. Observ.* 25. & D. MICHAELIS *in Colleg. Jonston.*

Quodsi *Ophthalmia ex ictu apis*, curatur optimè *collyrio ex alumine & albumine ovi* supra dicto.

Quoad OPHTHALMIAS NOTHAS seu SICCAS: eadem ferè conveniunt: Præcipuè tamen *aquæ cancrorum*, *mucilagines*, *alumen* cum *albumine ovi* supra laudatum; item Lithargyrium in aceto coctum, modo suprà laudato egregium est. Vel

℞. *Butyr. rec. non salit.* ℥ß.
Sacch. Saturni
Tut. præp.
Lap. calamin. præp. ana ℈j.
Campher. gr. j.
M. f. Linimentum.
D. S.
Unguentum ophthalmicum.

quo palpebræ sæpe illinantur.

CURA EPIPHORÆ.

IN cura Ophthalmiæ magis serosæ seu Epiphoræ, causarum habenda est ratio: unde

1. Læsio & irritatio à *causa externa* est *removenda*, & inducta læsio corrigenda.
2. *Lymphæ* interdum vitium, ejus scilicet aciditas & *acrimonia internis* catarrhalibus generalibus est corrigenda; unde quæ in genere in Catarrhis laudantur, hic observanda: exteriùs verò acrimoniam ejus temperantibus, & blandè adstringendo humorum excretionem impedientibus, succurendum, ubi ferè in genere ea conveniunt, quæ jam in Ophthalmia commendata fuerunt.
3. *Glandularum tonus* laxus blandè *adstringentibus est firmandus*.

De *sternutatoriis* res est dubia, an in affectibus oculorum lachrymalibus aut in quibusdam aliis conveniant? Et sanè unumquemque terrere debent exempla ab experto HILDANO adducta *Cent. 1. Observ.* 24. item *Cent. 2. Observ.* 13. item *Cent. 4. Observ.* 12. & 13. ubi inter alia sternutatoriis, aut nimiis, aut in affectibus oculorum aliàs adhibitis, cæcitatem inductam refert. E contrà suadere eadem possunt ea, quæ habet BARTHOLINUS *Cent. 3. Epistolarum pag.* 267. & *Cent. 4. pag.* 4. 11. & 523. Et hæc ipsa roborari possunt ex STENONE, qui observat vasculum quoddam excretorium ex utroque oculo ad nares tendere, & sub ejusdem membrana intima per longum ejus protendi, & tandem in narium cavum aperiri: ratione cujus vasculi non rarò collyria seu medicamenta ophthalmica externè oculis applicata, subindè in ore pauló post gustata fuerint, ratione istius ductus, quo in nares, hinc in os, medicamenta ophthalmica fuere translata. Sed quicquid horum sit, fateor, me esse admodum timidum in applicandis sternutatoriis in oculorum affectibus: Nam HILDANI vestigia me terrent. Si tamen interdum eadem usurpanda, (1.) applicanda sunt eadem non in principio, sed in declinatione; (2.) sedatâ jam maximâ ex parte inflammatione, quæ ut plurimum accedere solet; (3.) moderata applicanda sunt sternutatoria, nullo verò modo acriora aut fortiora.

Quæ ergo conveniunt remedia in Epiphora, blandè adstringentia sunt.

Commendatur igitur sequens experimentum, non inelegans, quod laudat TIMÆUS *von Guldenklee* in Epiphora:

℞. *Rad. Tormentill. grosso modo pulv.* ℥j.
Alum. gr. v.
Aquæ rosar. vel *flor. Cyani*,
Plantag. ana ℥j.

stent in loco calido per diem & noctem, filtrentur & reserventur ad usum: S.
Adstringens ophthalmicum.

Tutia præparata, & cum aqua feniculi subacta, oculis instillata est egregia. Valdè quoque prodest Decoctum corticum granatorum, quod habet HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr. cap.* 36. & etiam commendatur ad præservandos oculos in variolis: si adest tumor, parum de floribus chamomillæ potest addi; hoc enim vi suâ adstrictoria optimè eam sistit; sicut & illi, si lachrymæ acriores affligant, Tutia addi potest.

Alii insigniter commendant cortices myrobolanorum citrinorum: hos infundunt in aqua rosarum per tres dies, deinde exsiccant atque pulverisant; iterum infundunt, idque ter vel quater: pulvis ita præparatus mirabiliter oculorum lachrymas consumere, & oculos eleganter adstringere prædicatur.

Porrò verno tempore, cum floret salix, inciso cortice effluit liquor, qui oculis instillatus aut illitus mirabiliter superfluam humiditatem absumere, lachrymas oculorum sistere, & hebetem visum confortare dicitur à SOLENANDRO *Conf. 8. sect. 2.* Quidam *commendant etiam ad lachrymas involuntarias Rutam siccam*, quam miscent cum melle & aceto, coquunt, colant per pannum lineum, & colaturâ oculos inungunt, & certò lachrymas sistere dicunt. Thus alii cremare, & septies in aqua rosarum extinguere jubent, & aquam istam postmodum oculis instillant pro sistenda Epiphora. FORESTUS *lib. 11. Observ.* 14. commendat hoc collyrium, quod multis etiam lacrymis emanantibus cum oculorum rubedine, ita ut etiam ægylops impenderet, profuit, & convenit etiam in Epiphora catarrhali:

℞. *Tutiæ præp.*
Sarcocoll. ana ℈j.
Vitrioli Rom.
Sem. sumach. an. ℈ß.

Ligentur in nodulo, qui imponatur huic aquæ.

℞. *Aquæ Eufras.*
Rosar.
Fœnic. ana ℥j.

quæ agitata invicem pro collyrio oculis instilla, aut his oculi fomententur.

Decoctum ossium bubulorum & palearum tritici est secretum BURRHI in Epiphora, uti hoc videbitis in ejusdem *Epistol. de Humoribus Oculorum restituendis pag.* 54. Liquor seu oleum florum cichorii & cyani, uti & liquor fœniculi saccharatus ex BARTHOLETO, sunt egregii. Descriptionem communicavi supra in Cura ophthalmiæ veræ. Quin tutia præparata cum aqua fœniculi oculis instillata admodum temperat aciditatem; item saccharum Saturni, cerussa, mucilago seminis cydoniorum cum saccharo Saturni, florum zyncl, lapilli cancrorum minutissimè pulverisati, succinum pulverisatum, & denique lapis calaminaris præparatus, qui singulare remedium dicitur fuisse PARACELSI in talibus casibus. Modus præparandi est:

℞. *Lap. calaminar.* ℥j.

Pulverisetur subtilissimè & superfund.
Spiritus vini opt. ℥ß.
Hinc incendatur & consumatur spiritus:
Remanentia iterum pulverisetur, & superfundatur
Vini albi clari, aut loco vini *aquæ rosar.* ℥ii. vel iij.
& ita f. Collyrium, manè & vesperi applicandum.

Tandem potest etiam usurpari Decoctum foliorum cydoniorum, laudatum à RIVERIO *in Praxi* contra ophthalmiam, quod exscripsit ex SOLENANDRO: Nempe

℞. *Fol. Cydon.* primo vere collect. integror. illæsor. & à corruptione diligenter præservator.
M. j.
coqu. in *aqua puriss.*

quo decocto subinde oculi humectentur ac irrorentur. Insigniter commendat hoc ipsum ad discutiendum ruborem, & etiam curandam ophthalmiam.

Vel *albumen ovi* Num. j. cum *saccharo Joviali* & *aqua rosarum*

runt misceatur, & vesperi oculis applicetur. Vel *albumen ovi conquassatum* cum *succo sempervivi* & *flor. fabarum* impositum confert. Egregium etiam est, si dimidium pomi Borsdorffiani, putrefacti nuchæ alligatur: Vid. D. LANGIUS *in Miscell.* Alia, ut lapis hæmatites, aqua sigilli Salomonis, aqua rosarum, infusio *Sumach*, aqua ophthalmica Maximiliani Imperatoris, &c. ex Practicis sponte innotescunt.

Quodsi pulveres in oculos incidentes vel aliæ res inducant Epiphoras, tunc optimè retrahuntur hi ipsi beneficio lapillorum cancrorum, si scilicet hi imponuntur oculis, ita, ut pars cava oculi bulbum tangat, & ita clausis palpebris agitetur hinc inde in oculis, & inde subitò illapsa extrahantur. Vidi hoc probatum. Semen sclareæ oculis intrusum etiam ad extrahendas res alienas ex oculis admodum laudatur. Si incidat in oculum festuca vel palea, extrahitur cum frustulo succini, priùs panno benè affricti. Si scobs ferri vel chalybis in oculos inciderit, magnes oculo aperto applicanda secundùm experimentum HILDANI *Cent.* 5. *Observ.* 21. Modum chirurgicum rem illapsam extrahendi per instrumentum, vos docebit HILDANUS *Cent.* 2. *Obs.* 14. item *Cent.* 4. *Obs.* 18.

Denique si lymphæ concurrat vitium, vel nimia acrimonia, ea, quæ in Ophthalmia vera fuere laudata, conveniunt: In specie opera danda, ut acrimonia salsa temperetur, & acida corrigatur.

Remedia hæc etiam in Lippitudine conducunt.

ARTICULUS XVI.

DE INFLAMMATIONE AURIUM, earumque ULCERE.

DEnique INFLAMMANTUR etiam interdum AURES, nempe auris interna, ejusque membrana meatum auditorium succingens eidem subjecta esse solet.

CAUSÆ.

Præter EXTERNA occasionaliter hæc inferentia, qualia sunt vel vulnerantia, aut contundentia, nec non auribus intrusa, quorum exempla videbitis in FORESTO *lib.* 11. *cap.* 3. & HILDANO *Cent.* 1. *Obs.* 45. subinde etiam sponte suâ ex CAUSA INTERNA eadem concitatur. Nam in Parotidibus dolor auris inflammatorius percipitur, qui tamen mox transit.

DIAGNOSIS.

Cognoscitur ex insigni ardore in aure, ex dolore continuo tensivo & pulsatili vehementissimo in aure, & cernitur interdum *rubor* quidam auris externæ, quò magis nempè ad exteriora vergit *inflammatio*; quæ ubi fuerit gravior, ad malas, & tempora usque se extendit; sicuti, ubi magis interiora inflammantur, *pulsatorius dolor* gravior esse solet, in quo casu & *febris* & subinde delirium etiam, imò & interdum *motus convulsivi* superveniunt: vid. FORESTUS *l.* 2. *Obs.* 3.

PROGNOSIS.

Interdum satis periculosum malum *Inflammatio* aurium esse solet; in tantum lethale est, & graviora symptomata conjuncta habet: nam hæc insensibiliter *discutitur*, aut suppuratur, & in *abscessum* degenerat, qui ulcus aurium post se relinquit.

Dum suppuratur, res non caret periculo, propter febrem & conjunctum dolorem, quo interdum cerebrum ejusque membranæ periculosissimè afficiuntur, sicque delirium supervenit.

Pueris & juvenibus periculosius est, quàm senibus; hi enim brevi & ante diem septimum mori solent: sin verò superveniat suppuratio, & materia in pus laudabile convertatur, major spes reconvalescentiæ expectanda. Sic enim EPIPHANIUS FERDINANDUS *Histor. med.* 14. *lib.* 1. refert *Inflammationem aurium* & dolorem intensum cum febre acuta, delirio gravi, &c. per excretionem copiosam puris die morbi nono, Inflammationis septimo, criticè curatam. Mirabile Inflammationis acris exemplum est, quod BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Epist.* 17. *pag.* 67. refert, in abscessu aurium erumpens pus & vehens simul secum dentem, sine defectu dentis ullius in maxillis.

Subinde Hemicraniæ aliique similes chronici affectus capitis, per abscessum auris, solutę observantur; vid HORSTIUS *lib.* 2. *Observ.* 10. *pag.* 444. utut nec auris suppuratio propter erosionem tympani, vel ipsius nervi auditorii, aut alia symptomata graviora supervenientia, omni periculo, ad minimum surditatis, careat; adeoque insensibilis Inflammationis discussio tutior est, quàm suppuratio. Unde si auris inflammatio *interiora* magis *occupaverit*, & suppuretur, superveniunt interdum ulcera diuturna, pus ab aurium abscessibus natum tympani membranam exedit, quæ quandoque integra rejicitur, interdum putredine absumitur: vid. HORSTIUS *lib.* 9. *Observ.* 8. Cæterùm quod dicat, tympani hanc excretionem observatam fuisse citra auditus læsionem, dubito, & suspendo hac in parte judicium.

CURA.

In CURA sudorifera repetita, & venæ sectio, aliaque UNIVERSALIA præmittenda sunt: loco verò venæ sectionis scarificationes pone aures institui, aut harum venis hirudines admoveri possunt, utpote quarum usu sævas & desperatas aurium inflammationes solutas ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Admir. Obs.* 64. & *lib.* 1. *Princ. Hist. cap.* 14. testatur.

EXTERNA quoque nonnisi cautè & consideratis probè omnibus circumstantiis applicanda: Nam talia plus interdum nocent, quàm prosunt. Vid. *Miscellan. A. N. C. Ann.* 6. *Observ.* 82. *pag.* 117. Id quod in specie de actu frigidis aut repellentibus intelligendum venit, quæ etiam rejiciuntur à RIVERIO *lib.* 3. *Prax. cap.* 3. SCHNEIDERO *de Catarrh. specialiss. pag.* 181. SEPTALIO *Animadvers. lib.* 6. §. 103. & HERCULE SAXONIA *Prælect. P.* 1. *cap.* 22. Optimè curatur, vel quando maturè discutitur, vel quando suppuratur, & degenerat in abscessum. Opera igitur danda est, ut discutiatur quantocyus tumor inflammatorius: quod si fieri nequeat, ad suppurationem perducatur. Discutient tumorem oleum chamomillæ cum balsamo sulphuris mistum; balsamum siquidem sulphuris per se nobile est: interim si hoc pauló acrius sit, misceatur cum oleo chamomillæ. Præterea etiam conducit oleum chamæmelinum, vel oleum rosaceum, in quo millepedes vel lumbrici bullierint, vel oleum scorpionum & lini, oleum decoctionis lumbricorum terrestrium, vel millepedum, &c. tepidè auribus instillatum, vel oleum rosaceum cum mucilagine seminis cydoniorum applicatur, aut cum bombace iisdem intincta immittitur; *oleum vitellorum ovorum* egregium est remedium ad Inflammationem aurium, & laudatur admodum à PETRO JOHANNE FABRO *Curat.* 53. & 54. & ZACUTO LUSITANO *Hist. Med. Princ. Histor.* 59. utpote quod non solùm anodynum est, sed etiam in principio Inflammationem discutit, factam verò suppurationem subitò aperit. Nobilius est oleum, in quo cancri fluviatiles contusi bullierint, quippe tale ob alcali susceptum laudatur à THEODATO *in Panth. Hygiast.* tàm ad Inflammationem aurium discutiendam, quàm mitigandam, si instilletur; efficacissimum enim est ad dolores & ardores aurium curandos. *Decoctum absinthii*, *centauri minoris*, *abrotani*, & alia *aromatica* auribus immissa, vel spiritus vini, vel spiritus salis ammoniac cum mica panis calida auribus applicetur. Videatu SYLVIUS *de Morbis Infantum capit.* 9. *paragr.* 87 Instillantur vel applicantur hæc ipsa cum bombace auribus. Item succus sempervivi majoris auribus instillatus egregiè convenit in Inflammatione; nam etiam aperit: v. g.

℞. *Succ. semperviv. mai.* ℥ß. ad ℥ij.
Ol. rosar. vel *scorpion.*
Lumbric. terrestr.
Chamomill. ana ℥j.
M. D. S.
Mixtura resolvens.

Applicentur cum bombace auribus, vel instillentur.

Fomenta aurium ex Decocto plantarum emollientium & discutientium externè applicata egregiè conducunt.

His & similibus si non discutiatur Inflammatio, sed ad abscessum pergat, properemus ad suppurationem, pro qua pro-

promovenda speciatim convenit cataplasma ex medulla panis albi in lacte cocta, addendo vitell. ovorum, ut describitur à RIVERIO:

℞. *Medull. panis alb.* ℔j.
Coqu. in *lacte caprino* ad pultis consistentiam:
deinde adde
Vitell. ovor. num. ij.
Ol. rosac. ℥ij.
Croci ℈j. vel ʒj.
F. Cataplasma.

quod extra applicatum auri suppurationem promovet.

Sicuti in specie Cataplasmata cepacea, aut capita allii sub cineribus cocta, benè contusa & auribus applicata, has Inflammationes & maturant & abscessum aperiunt: v. g.

℞. *Cepar. sub ciner. assat.* num. j.
Butyri ℥ß ad ℥j.
Olei Chamomill.
Amygd. dulc. ana ℥ß.
Croci ℈j.

Misceantur, pistentur, & calidè in forma cataplasmatis auribus inflammatis ad suppurationem tendentibus applicentur. Conf. RIVERIUS *lib.* 3. *Prax. pag.* 216. FORESTUS *lib.* 12. *Obs.* 4. AMATUS LUSITANUS *Cent.* 7. *Curat.* 92. & HOEFERUS *in Hercul. Medic. pag.* 62.

Vel

℞. *Herb. Malv.*
Alth.
Violar.
Flor. Chamomill. ana M. j.
Rad. alth. pulveris.
Lil. alb. ana ℥ß.
Caric. pingu. num. vj.
Coqu. in s. q. *aquæ* ad consistent. Cataplasmat.
adde
Medull. panis tritic. ℥iß.
Farin. fœnugr. ℥ß.
Olei chamomill.
Lil. alb. ana ℥j.
Vitell. ovor. ℥ß.
M. D. S.
Cataplasma maturans.

Post Inflammationem aurium sequitur subinde *Abscessus*, adeoque

ULCUS AURIUM.

ULCERA AURIUM aliàs sunt vel VERA vel APPARENTIA: VERA vel *ex abscessu* post Inflammationem nato, *vel ex acriori lympha* eò delata, meatum interiùs exulcerante: APPARENTIA *Ulcera* sunt, quando sanies subinde multiformis ex auribus effluit, nunc cum, nunc sine præcedente earundem dolore, qui effluxus subinde diu durat, & quo cessante varia capitis & cerebri superveniunt symptomata, quæ levantur sub fluxus continuatione; uti *in infantibus* subinde observatum est, qui per hujusmodi aurium fluxus plus minus sordidos à pluribus malis, tàm *externis* quàm *internis*, levari solent.

PROGNOSIS.

Vera aurium ulcera, si diuturna aut *inveterata* sunt, facilè *in fistulam* degenerare solent, vel erodendo occasionem membranis suggerunt, ut *hypersarcoma* (Ger. *Wildfleisch*) succrescat, quod auditum obturet.

Pus quod effluit, si sit album, æquale, substantiæ mediocris, melius est, quàm si inæquale, fœtens, saniosum &c. fuerit.

CURA.

In CURA observandum est, ne *apparentia* hujusmodi *ulcera* aurium, seu effluxus eorundem plus minus saniosi citò nimis sanentur, præsertim in subjectis vel humidioribus, vel excretionibus capitis cutaneis, vel affectibus cerebri & capitis internis obnoxiis, idque in infantibus imprimis observandum, ne major noxa inde oriatur; sufficit, si modò mundus servetur meatus auditorius, id quod optimè mediante *urina humana* assequimur.

Quoad ulcera vera: præmissis præmittendis *internis*, v. g. PURGANTIBUS, aut SUDORIFERIS, aut *essentia lignorum*, &c. ulcus mundificandum, & hinc consolidandum venit. *Mundificat* optimè *urina* humana *infusa* aut *urina*, in qua *rasura ligni guajaci* maduerit; item phlegma urinæ spirituosum. Vel

℞. *Vini alb. subtilis dulc.*
Urinæ puceror. ana ℥j.
Mellis ℥ß.
Ebulliant leviter,
D. S.
Mixtura mundificans.

Quibus tepidè meatui auditorio instillatis, aut cum turundulâ iisdem ebriâ immissis, ac mane & vesperi repetitis, ulcus mundificabitur.

Item succus, vel syrupus, vel essentia absinthii, aut marrubii, cum pauco *melle rosato*, item *syrupo Nicotianæ*, egregiè conveniunt. LYSERUS *in Observ. pag.* 133. refert ulcus periodicum auris curatum per instillationem *succi marrubii*, misti cum *melle*. Sic alumen *ustum* cum vino mistum, in aurem si infundatur, potentissimè ulcus exsiccat. Puer decem annorum surdus ex variolis permanens, & cui per tot annos sanies ex aure fluebat, liberatus fuit *succo cepæ & Rhodomelite* instillato, teste FORESTO *lib.* 12. *Obs.* 7.

Denique si *antiquum & sordidum ulcus* fuerit, applicanda venit *urina pueri* cum pauco *unguento Ægyptiaco* imprægnata. Hisce si mundificatum & abstersum fuerit ulcus, id quod ex eo patet, si minor sordium ac puris quantitas effluxerit, *pro consolidatione* istis modò dictis *Tutia & Pompholyx* addenda sunt, pro ejusmodi perfecta consolidatione.

CAPUT II.
DE
SANGUINIS EXTRAVASATIONE IN PECULIAREM CORPORIS CAVITATEM.

ARTICULUS UNICUS.
DE
EMPYEMATE.

ABsolvimus doctrinam Inflammationum in genere, & etiam in specie. Jam dictum fuit in principio hujus sectionis, quod præter sanguinis impeditum refluxum impediatur etiam ulterius ejus circulus, quando is penitus extra sua vasa effunditur, idque vel ex iisdem intra spatia, partim intercutanea, in *Ecchymomate seu suggillatione*, aut quando effunditur intra corpus & insigniores ejus cavitates, vel quando penitus extra corpus effunditur, ut fit in Hæmorrhagiis, & hæc constituunt alteram speciem seu impedimentum sanguinis circulationis. Quando verò SANGUIS planè extra sua vasa IN CAVITATEM CORPORIS quocunque modo EFFUSUS mox ad corruptionem tendit, acorem contrahit, hinc coagulatur & congrumatur, tandem in loco calido successivè fermentando *suppuratur*: hæc puris inde nati collectio in quadam corporis cavitate insigniori, humoribus aliàs vacuâ, *Empyema* dicitur, ab Apostemate seu VOMICA distinctum, quæ est collectio puris in quodam viscere ex inflammatione partis cujusdam inducta. Ita dum pus colligitur in pulmone aut renibus, est *vomica pulmonum* aut *renum*: *si verò colligitur* pus in quodam corporis, thoracis vel abdominis, cavo, Empyematis nomine venit. Cæterum *oritur Empyema duplici modo*: vel

1. Quando ex sanguinis à causa externa in quandam cavitatem extravasati corruptione; v. g. quando quis ex vulnere thoracis patitur effusionem sanguinis in thoracem; & si sanguis transmutatur in pus, est *Empyema primi generis*: vel
2. Ex vomicæ sive abscessus cujusdam visceris inflammati interiora versus ruptione, cujus pus tandem ex parte in cavum corporis influit: v. g. quando ex pleura suppurata ac tandem rupta pus effunditur in thoracis cauitatem, est *Empyema secundi generis*.

Veteribus alia horum vocabulorum fuit acceptio, dum propriè loquendo *Vomica* Latinis est id, quod Græcis *Empyema*, seu collectio puris in aliqua parte, præsertim interiore, & *Empyici* propriè sunt, quibus pus in aliquo viscere oboritur: sicut purulentum hepar HIPPOCRATIS

CRATIS *Sect. 7. Aphorism. 45.* Idem quod *Empyema*. Tale malum Latinis dicebatur *Vomica*: Ita enim CELSUS. Moderni ex ignoratione substituunt *abscessum*, & in specie *pulmones purulentos* κατ' ἐξοχὴν *Vomicam* appellant. Quoniam verò frequentissimè post pleuritidem puris in cavitate *thoracis* collecti, ruptâ vomicâ, fieri solet, ob id *Empyema* primariò de puris in thorace collectione intelligitur, secundariò tamen etiam, si in aliis locis colligatur. Frequentissimè dixi: quod post pleuritidem suppuratam sequatur tale Empyema, quoniam pus in cavitatem thoracis tandem effunditur. Verùm singulare est exemplum, quod refert LINDANUS *super Hartmannum*, se nempe observasse in quodam puerulo, pleuritide suppuratâ affecto, factâ thoracis apertione pro extractione & factâ exploratione cum candelâ (secundùm leges paracenteseos thoracis) cereâ, nihil tamen puris fuisse excretum: Mortuo tandem puerulo thorax pro scrutinio viscerum fuit apertus, & inventum fuit, quod scilicet membrana costas succingens, seu pleura, dilatata fuerit in immensum saccum, in quo omnis purulenta materia, tanquam in suo receptaculo fuerit comprehensa, ita ut aperto thorace nihil potuerit puris evacuari: id quod sæpissimè fieri arbitror.

CAUSÆ.

CAUSÆ, propter quas sanguis aut ecchymomata constituit, aut extra sua vasa intra cavitates partium effundatur, congrumescat & suppuretur, rarò aut nunquam sunt internæ, sed semper læsiones, aut imprimis injuriæ EXTERNÆ, nempè vulnera punctim facta, vel *contusio* partium internarum. De vulneribus penetrantibus notum est, quod non sine sanguinis ex vasis in cavitatem corporis singularem effusione fiant. *Ex contusione*, si lacerantur vasa intercutanea capillaria, & sanguis in partibus subcutaneis externis hæreat, oritur sanguinis *suffusio* seu *Ecchymoma*, ad Chirurgiam pertinens: *sin verò interiora* loca occupet, hujus est considerationis.

Ad Contusionem pertinet in specie CASUS AB ALTO, in quo vel *ruptione* vasorum, vel partium violentâ *contorsione*, aut earundem nimis validâ *contusione*, vel aliâ laceratione, & laceratis plus minus vasis sanguis per vasa læsa effunditur, inque certam corporis cavitatem infunditur, ita ut hæc contusio sit una ex primariis causis. *Sanguis* ergo extra vasa effusus ex his læsionibus externis, *in cava collectus*, & ex vitali consortio proscriptus, mox ad corruptionem tendit, hinc sanguis ita coagulatus immediatè acorem præternaturalem antea occultatum contrahendo spissescit seu coagulatur, aut in grumos abit. Similis hic est ratio atque cum lacte, quod facilè levi ex corruptione acescit, & magis magisque grumescit: id quod multò magis faciet sanguis lacte genuus, in quo particulæ salinæ copiosiores existunt, dum nutritivæ temperatiores & oleosæ in partium nutrimentum abeunt. *Sanguis* occulto tali acore *grumefactus* successivè incipit *fermentare*, dum acidum in sanguine coagulato cum alcali volatili massæ sanguineæ satis copioso concurrit donec mutuâ fermentatione tandem in salsum-tertium, nempè *Pus*, abeant. Omne autem pus est saporis salsi, quatenus nempè generatur ex alcali & acido; album & lacteum verò à præcipitatione sulphuris massæ sanguineæ, soluti ab alcali ejus volatili (quod antea dabat colorem rubeum) factâ per acidum præternaturale, unde, illustrante rem Chimiâ, emergit puris color albus, & tunc mutato nomine *Empyema* dicitur; cujus *duplicem fiendi modum* supra insinuavi.

Duobus ergo modis generatur Empyema: vel *immediatè ex sanguine* in partis cavum effuso, corrupto & suppurato: vel *mediatè ex sanguine partem* quandam *priùs inflammante*, hinc apostema faciente, cujus pus ex parte in cavum corporis influens, Empyema constituit. *Prioris exemplum* suggerit vulnus thoracis penetrans cum copioso sanguinis interiora versus influxu, hinc in pus corruptione: *Posterioris exemplum* dat Pleuritis suppurata, cujus pus rupto abscessu in thoracem effluit. His modis generatur sanguinis effusio in cavitates corporis.

DIAGNOSIS.

Signa causarum ipsarum per se patent; cognoscendum saltim est, an sanguis grumosus in quodam loco colligatur? aut etiam pus in quodam loco coerceatur? Cognoscitur hoc imprimis ex antecedentibus causis, nempè læsione externa, & ex symptomatibus junctis.

Cavitates autem corporis insigniores, in quibus sanguis effusus corrumpitur, imprimis sunt tres: vel abdominis, vel pectoris, vel capitis.

In specie ergo 1. *Sanguinem collectum & congrumatum* IN ABDOMINE *hærere*, non rarum est, quod fit per vulnera abdominis, in specie contusione & casu ab alto. Hoc, præter vulnus penetrans, imprimis ostendit abdominis *tumor*, hinc inde sparsus *livor*, primùm per superficiem abdominis, & quasi plumbea nigredo: post sanguinis effusi grumescentiam & suppurationem, *durities* quædam & *renisus* abdominis ad tactum in superficie abdominis, præsertim in loco, ubi est sanguis grumosus, non simpliciter ex repletione, sed ex tensione membranarum peritonæi, quæ quasi spasmo laborant, horrentibus partibus viventibus cadaver sanguinis. Ad hoc non rarò superveniunt *lipothymiæ* vagæ, ex consensu cum stomacho affecto, item virium defectiones insignes, *respirationes* nonnihil *impeditæ*, & interdum tumor & abscessus circa inguina, per quos sanguis effusus interdum felicissimè evacuatur, & similia symptomata.

Quoad 2. IN PECTORE *esse collectum sanguinem* ibique congrumatum & suppuratum, monstrant, præter causas antecedentes, insigniores *respirationis læsiones*, *tussis* admodum molesta, *dolores pectoris* varii, imminens & frequens syncope, virium prostratio insignis, *gravitas* ac pondus circa costas nothas, extremorum *frigus*, *febris* plus minus acuta; quæ omninò comprobat modus læsionis: v. g. si *quis cadit ab alto*, & frangit costas, consequenter propter ruptionem vasorum costis subjectorum necessariò sequitur sanguinis in pectus effusio: Item *si quis fuerit punctim* aut cæsim *læsus*, mox infra costas, ubi sunt venæ & arteriæ, tunc est signum effusi sanguinis in thoracem, & factæ ejusdem congrumationis, corruptionis, & sic empyematis.

Denique, quoad 3. IN CAPITE *& sub calvaria ejusdem collectum esse sanguinem congrumatum*, monstrat, præter læsionem externam, *dolor* ejus *gravativus*, item *sensus* insignis *pulsationis* in capite hinc inde percepitibilis, propter motum arteriarum impeditum, *oculi* nonnihil spontè *lachrymantes*, uti *Artic. 15. capit. 1.* de ophthalmia dictum, & *rubor faciei*; superveniunt etiam varia symptomata stomachi, imprimis vomitus biliosi, nausea, ac interdum, sed rarò, singultus &c. quæ pathemata si superveniunt læsionibus capitis, signum sunt, sanguinem in caput esse effusum & grumosum. Sanguis nunc per os, nunc per nares, nunc per aures, *exitum molitur*, quæ magis sanguinem intra meninges cerebri effusum & congrumatum indicant: Quibus septimo vel octavo die accedunt vigiliæ pertinaces, aphonia & similia, quæ gravius malum portendunt; Interdum ægri obstupescunt, aut brevi post læsionem stupidi redduntur: Accedunt denique causæ antecedentes aut validâ contusione cranium affligentes, aut forti incisione cranium dividentes. *Sanguinem verò intra calvariam effusum ac congrumatum suppurari*, *testantur* febris superveniens intensior, plus minus acuta, pro varietate circumstantiarum; item ardor in ista parte, in qua fit suppuratio: accedunt insigniter *præcordiorum anxietates*, *vigiliæ* &, interdum *deliria*, &c. In specie ex *rigore & febri suppuratio* se manifestat.

Hæc ipsa posteriùs enarrata signa etiam ostendunt sanguinem in alio loco congrumatum ad suppurationem tendere, quia interim *in loco quodam externo*, v. g. si sanguis coagulatus in abdomine hæreat, circa inguina oritur *abscessus*, in quo & per quem sanguis congrumatus & suppuratus postmodum feliciter evacuatur.

Empyema jam factum seu pus collectum facilè ex eo cognoscitur, quod remittat febris, æstus ac reliqua symptomata, quin potiùs *fluctuatio* quædam *puris* hinc inde percipitur.

Quod attinet alteram speciem Empyematis: ea est, quando abscessus supporati ex inflammationibus nati aperiuntur, & ex iis apertis pus in corporis quandam cavitatem effunditur, inter quæ istud gravissimum est, quod fit post pleuritidem & peripnevmoniam suppuratam; quæ uti sunt altioris indaginis, ita & difficilioris cognitionis & curationis.

Cum ergo frequens sit *Empyema thoracis*, ex *suppurata peripnevmonia* natum, specialiter probè cognoscendum est; hinc loco omnium proponam, ut de reliquis simile fieri queat judicium. *Signa ejus*, sive fiant à vulnere, sive

five inflammatione aut pleuritide (quæ præter ea, quæ pleuritidem suppuratam comitantur, si materia intra quatuordecim dies sputo non rejiciatur, vid. HIPPOCRATES *lib.* 5. *Aphor.* 8.) *Rumpitur* autem Vomica circa vigesimum, interdum trigesimum, aut quadragesimum diem. *Dum verò rumpitur* vomica, rigor fit & febris intensior supervenit: vid. HIPPOCRATES *lib.* 5. *Aphor.* 5. Adest *tussis continua* & frequens, item obscura, & quasi è profundo cavoque producta, *sonus est obscurus*, quia tota hæc tussis actio est à diaphragmate, non verò pulmonum: Illud enim gravatur ab incumbente pure. Porrò inter tussiendum sentiunt ægri in cavo pectoris *concussionem* aliquam & fluiditatem, ac imprimis in eo thoracis medio, ubi est pus effusum, quia materia diaphragmati incumbens, per tussim agitata & sublata, denuò recedit, adeò ut sæpe nihil excernatur; *In progressu* verò post multos demum tussiendi conatus materia plus minus purulenta excernitur, & tandem etiam aliquid saniosi. Febris adest, quæ in principio magis acuta esse videtur, in progressu verò mitior & *lenta* magis redditur, ad hecticarum ferè naturam accedens, quæ vesperi præsertim exacerbatur, & circa noctem vehementior est. *Respiratio* semper est gravis ac difficilis, unà cum sensu gravativo pectoris, quando Patientes stant aut sedent. Si verò decumbunt, in specie in dorso sentiunt aliqualem *fluctuationem*, & decumbendo optimè se habent, & sine molestia ferè respirant. Quando verò inclinant, v. g. calceos aut solvere aut ligare volunt, videntur *suffocari*: hinc enim à pondere puris incumbentis diaphragmati, & pulmones inundantis, diaphragmatis motus ferè antrorsum versus impeditur. *Anxietates* subinde vexant, superveniunt interdum palpitationes cordis, item *sudores colliquativi nocturni*; ulterius sentiunt frequentissimè evaporationes ex pectoris cavo ad os adscendentes instar aquæ calidæ, ac in specie *mala* è regione partis affectæ subinde phlogosi quadam, nunc apparente, nunc transeunte, *rubet*, ita ut, quando empyema sinistrum latus occupat, mala quoque sinistra phlogosin patitur. Tandem in ulteriori mali progressu percipiunt frequenter saporem quendam tetrum, cinereum, & quasi putridum continuò in ore. *In pulsu* talium hoc est singulare, quod creberrimis vicibus in una aut altera pulsatione intermittat, idque in specie, si tangatur in carpo lateris affecti, in altero carpo pulsu subinde se ritè habente; ita ut intra quatuor pulsationes semel penitus cesset, quod etiam in pleuriticis fit gravioribus Pustulæ in thorace erumpunt cum reliquis phthiseos aut tabis phænomenis: vid. *Sect.* 5. *aph.* 15. *Prognost. Tex.* 16. §. 11. 12. Ac denique, si in dextro latere est *Empyema*, tunc decumbentes in eodem benè habent; Sin verò decumbunt in sinistro latere, malè habent, & contra. Tumor intercostalis mollior comparet, vid. PLATERUS *Obs. p.* 734. aut potiùs, annotante RIVERIO *Prax. lib.* 7. *cap.* 4. latus affectum tumorem œdematosum monstrat à tenuioris materiæ aliquali transudatione. Plura videbitis in HIPPOCRATE *Progn.* 16. §. 6. 7. &c.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS *variat* in his affectibus pro quantitate sanguinis effusi, & pro qualitate loci in quem effusus est, quod etiam intelligendum est de pure. Nam sanguinem collectum plus minus congrumatum subitò evacuari, aut si hoc non citò fiat, suppuratum facilè per vias naturæ consuetas, vel per factum & apertum quovis in loco abscessum excerni, optimum est. Si hoc non fiat, periculosum est; nam ex pure retento interdum gangræna & partium corruptio lethalis infertur.

Casui ab alto, percussionibus & læsionibus capitis si superveniunt vomitus, funestum est signum; innuit enim gravem læsionem cerebri, cranii & meningum, & nisi tempestivè instituatur Trepanatio, mors sequitur.

Febres interdum periculosæ his affectibus superveniunt, interdum ulcera internarum partium, adeoque phthisis & tabes accedunt, interdum gangrænæ & consequenter mors sequuntur.

Ac in specie *Empyema pectoris*, utplurimum ex læsione pulmonum, nisi maturè curetur, phthisin pulmonalem & tabem infert; si verò sanguis in cavitatem abdominis effusus suppuretur, frequenter apostemata circa inguina infert, eaque salutariter.

Sanguis in capite infra cranium collectus est malum peracutum, & utplurimum lethale, quia citiùs ægrum morti tradit, antequam ad suppurationem veniat, proin eò maturè exitus procuretur.

Urinæ rubræ turbidæ cum sedimento multo in lateribus matulæ, indicant communiter læsionem visceris cujusdam interni, præprimis à causa externa, à verbere, vel casu; huic natura malum à bono segregat, & pro levamine ægri instituit. Præcipuè autem illud sedimentum in lateribus indicat pinguedinem renalem dissolutam, & cum urina excretam.

(*Tunc temporis Dn. D.* ETTMULLERUS *nobis monstrabat urinam talem civis cujusdam Lipsiensis, ab illo fortiori læsi.*)

PROGNOSIN *in empyemate pectoris* HIPPOCRATES „ *text.* 17. §. 9. 10. &c. innuit, *evasuros* scilicet, *quos fe-* „ *bris aut ruptura deserit, qui cibum citiùs appetunt, non am-* „ *pliùs sitiunt, nec diarrhœa laborant, & pus leve, album, &* „ *æquale exspuunt; è contrà morituros, quibus symptomata illa* „ *permanent, aut recrudescunt, cum puris flavi, viridis, li-* „ *vidi, fœtidi, viscidi & spumosi exspuitione: quibus accedit* „ *dyspnœa major minorve, quorum illa ob puris copiam celeri-* „ *ter suffocat, hæc salutem promittit: Item Sect.* 5. *aphor.* 15. „ *si empyema intra quadraginta dies & noctes sputando, aut* „ *alia ratione*, v. g. per urinam, *non expurgetur, in tabem* „ *degenerat.*

Suppuratio, quæ utramque thoracis partem occupat, periculosior est, quàm quæ unicam.

Quibus robustis viribus pus per alvum aut vias urinarias copiosè excernitur, evadunt.

Quicunque suppurati uruntur aut secantur, si pus purum & album fluat, evadunt; secus, quibus subcruentum, fœtidum, &c. vid. HIPPOCRATES *lib.* 7. *aphor.* 45. item quorum pus specillum argenteum velut ignis tingit: vid. WILLISIUS *Pharm. Rat. P.* 2. *pag.* 193.

CURA.

In CURA *considerandus* est sanguis effusus, & postmodum pus ex eo genitum. Sanguinem effusum & congrumatum quod attinet, sive illud sit à vulnere, sive casu ab alto acciderit, eò primariò est incumbendum, ut

1. Sanguinis grumi resolvantur.

   Et hinc

2. Per conuenientes vias quantocyus euacuentur.
3. Quodsi sanguis affusus vel dissolui ante suppurationem commodéque euacuari nequeat, suppuratio promouenda, & febris adjuncta tunc nonnihil mitiganda est, ac tandem enatum pus euacuandum.
4. Pus factum per debitas vias quantocyus euacuandum.
5. Læsio partis à pure curanda, & in integrum restituenda, quod in omni empyemate æqualiter obtinet.

Viæ istæ *convenientes*, per quas tàm sanguis grumosus, quàm pus exinde genitum, ex corporis cavitatibus evacuatur, sunt eæ, ad quas vel sponte vergit *natura*, & monstratur nobis imprimis à loco, in quo sanguis congrumatus hæret, quando interdum evacuatur per vias consuetas, *alvum, sudorem, urinam*; interdum per alia loca, vel quas docet ars per vias inconsuetas arte Chirurgica factas, dum sanguis in cavitatibus collectus, vel grumosus, vel omnes exinde genitæ purulentiæ, optimè evacuantur earum *perforatione*: v. g. si in abdomine hæreat sanguis vel pus, factâ debitâ *paracentesi*, aut vulneris majori dilatatione, si punctim factum est illud, dictis via aperienda, vel alio modo infra umbilicum cum lancetta vel scalpello fiat apertura. *Thoracis apertio*, seu intra quintam vel sextam costam (à supremis numerando) sectio, optimè evacuat sanguinem & empyema thoracis. Ac *denique*, si facienda apertio *in capite*, optimum remedium est ejus *Trepanatio* seu cranii perterebratio. Hi sanè modi sunt optimi, qui citò & tutò satis curant, modò, quoad legitimum usum, maturè instituantur hæ operationes chirurgicæ, & temporis habeatur ratio, & non perverso nostro more, aut nunquam, aut tardè nimis instituantur, quando vel vires sunt prostratæ, vel sanguis jam tum firmiter congrumatus est, vel quando pus ita est alteratum, ut commodè evacuari neq; quin potiùs, quò celeriùs instituuntur tales operationes & perforationes, eò promptior & optatior est successus: de quibus tamen cautelis & requisitis aliis videantur rerum chirurgicarum Scriptores, in specie SCULTETUS *in Armam. Chirurg.* HORNIUS *in Microtechne*, & imprimis THOMAS FIENUS *in lib.* 12. *Chirur-*

Chirurgiæ, ubi insignes operationes describuntur, ac denique GUILLEMEAU *Gallus, de Operat. Chirurgicis*.

Quod si verò mediis Pharmaceuticis agendum sit post casum ab alto, vel etiam alio casu, pro sanguine plus minus grumoso, in quodam corporis loco existente, dissolvendo & dissoluto evacuando, subinde necesse est, ut in gravioribus vulneribus & his supevenientibus stagnationibus & extravasationibus sanguinis, in primo principio venæ sectio instituatur, inque in specie aut in corpore plethorico, aut ebrio, aut subjecto, cujus sanguis aliàs est aptus ad suscipiendas turgescentias febriles. His in casibus convenientissima est sanguinis missio ad certum pondus, pro circumstantiarum ratione, ut ita imminuatur aliqualiter sanguinis quantum, & impetus ejus per vasa se effundens impediatur, ne in vasis uberiùs turgescens, confertim nimis, & nimis copiosè per vas læsum in corporis cavitatem irrumpat; observando tamen semper circumstantias & regulas revulsionum quoad locum venæ sectionis, in quem influit sanguis, ut nempè in contrario seu opposito loco vena secetur vel aperiatur: v. g. dum suspicio est sanguinem fluere *in abdomen*, aut per inferiora thoracis vasa in thoracem, secetur in brachio; sin verò ex superioribus thoracis vasis, secetur in pede; *sin in capite*, venæ sectio brachii ferè sufficit.

Factâ vel omissâ venæ apertione maturè, sanguis omnis grumosus resolvendus est, & resolutus, uti dixi, vel ductu naturæ per convenientes vias *evacuandus*, vel per meatus arte apertos arte exhauriendus. *Resolvunt grumosum sanguinem* omnia ea, quæ absorbent acidum plus minus, qualia sunt *vulneraria* plurima ratione alcali plus minus occulti, vi cujus absorbendi acidi cessat coagulatio. Equidem latus campus horum patet, quæ inter in specie eminent rubia tinctorum, & hinc artificiale illud tinctoribus usuale paratum, Germ. *Crapp*, quod in specie aceto ebullitum & potum egregiè dissolvit grumos: e. g.

℞. *Rad. rubiæ tinct. præp.* ℥ß.
Ebull. in s. q. *aceti*:
Colat. capiatur pro duabus dosibus.
D. S.
Potio dissolvens pro duabus dosibus.

Æger in lecto se probè contegat, sudoremque expectet.

Sic quoque laudanda sunt radix tormentillæ, bardanæ, symphyti majoris, bistortæ, caryophyllatæ, polygonati, scabiosa, absinthium, abrotanum, hypericum, *bellis minor*, quam singulariter tanquam secretum commendat HARTMANNUS; chærefolium, carduus benedictus, fœniculum, hyssopus, & in specie hedera terrestris; item sabina, verbascum, geranium Robertianum cum vino decoctum, succus geranii, arnica, de cujus usu egregio vid. *Misc. A. N. C. Ann. 9. Obs. 2.* nempè radix ejus, folia & flores à pug. j. ad ij. in robustis decoquuntur in cerevisia, decoctum calidè propinatur imperando sudorem; semen cardui Benedicti & Mariæ, Cherefolii, hyperici, &c. item conveniunt Rhabarbarum, radix Angelicæ, vincetoxici, pimpinellæ, aristolochiæ rotundæ, aquæ horum simplicium, in specie chærefolii, scabiosæ, alkekengi & cinnamomi, syrupus acetositatis citri, scabiosæ, hyssopi, &c. Reliquis tamen omnibus palmam præfert acetum vini, in quo lapilli cancrorum sunt soluti, ubi evadet liquor urinosus egregiè diureticus & sudoriferus, qui sanguinem congrumatum dissolvit, & dissolutum per convenientes vias evacuat. Huc pertinet *sperma ceti* à ʒj. ad ʒj. in cerevisia vel alio vehiculo calido propinandum, quod nobilissimum & expertissimum est remedium & mirabilis efficaciæ; in specie si sanguis congrumatus sit in pectore, cum respiratione difficili, expectorationem promovet; Vid. *Diss. de Sperm. ceti cap. 2. 6. 8.* Porrò castoreum, *sanguis hirci* secundùm HELMONTIUM *Tr. Pleura Furens*, ritè collectus ad ʒj. propinatus. *Mumia* ad ʒj. hic etiam communiter laudatur, sed nihil valet, quia non habemus genuinam; Vulgaris enim est liquamen ex corporibus bitumine & asphalto conditis, unde tutiùs ab eo abstinemus, deficiente genuina. Hisce adduntur Bezoar Orientale, lapilli cancrorum, lapides percarum, carpionum, bovini è felle, album græcum, dens apri cum aceto, corallia rubra, & marina quæcunque seu ex piscibus parata, egregia sunt, maxilla lucii piscis, succinum album præparatum, carbones tiliæ ad ʒj. vel ʒij. in aqua chærefolii propinati commendantur ab HARTMANNO, osteocolla cum aceto destillato propinata, marga Saxorum, terra Hibernica, terra sigillata, bolus Armena, terebinthina, fuligo; vel pulvis factus ex carbonibus tiliæ, lapillis cancrorum, & herba cherefolii, cujus ʒj. datur in aceto. Hinc pulvis Augustanorum ad casum in aceto vini, vel destillato, species diamumię Mynsichti, stercus passeris in aceto dissolutum & propinatum, &c. In sanguine concreto sunt singulare: Item his adnumeratur *pinguedo humana* & canina, quæ ab ʒß. ad ʒj. liquefacta, & in potu cerevisiæ assumpta, est egregia in casu ab alto; item antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale, & reliqua consueta sulphurea antimonialia fixa, &c. acidum plus minus absorbentia; essentia myrrhæ, florum hyperici, in specie essentię quęcunque vulnerarię, tinctura, succus & extractum florum bellidis, tinctura corallorum Mynsichti, spiritus theriacalis camphoratus, spiritus tartari, liquor cornu cervi succinatus, mixtura simplex, tinctura bezoardica, & similia, quę in genere ad sanguinis grumos, adeoque in casu ab alto in casibus chirurgicis post vulnera adhibentur.

Cæterùm in propinandis his remediis contra casum ab alto, seu contra sanguinis grumos resolvendos, sive causa externa sive interna occasionem dederit malo, observetur necessariò hęc *cautela*: ut nempè cum his sanguinis grumos resolventibus semper talia misceantur, quę sanguinem congrumatum resolutum simul per convenientes vias evacuare queant, adeoque simul, vel ut alvus laxior, vel urina aut sudor uberiùs fluant, opera danda est; quid enim confert, ut dissolutus cruor in corpore hereat? Unde si sanguis dissolutus hereat in abdomine, aut locis alvo vicinis, & adfuerit hujus inclinatio ad secessum, aut natura per alvum ejicere inclinet, simul laxantia remediis istis, v. g. folia sennę, vel, quod melius, Rhabarbarum, aliaque similia blanda abstergentia addenda erunt; nam & ipsum Rhabarbarum simul sanguinem resolvit: e. g.

℞. *Herbæ Chærefol.* M. j.
Rhabab. elect. ʒij.
Fol. Senn. sine stipt. ʒj. vel ʒiß.
Sal. tartari ℈j.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.* leniter:
Colat. adde
Lapill. cancr. præp. ʒj.
Sperm. ceti ʒß. ad ℈ij.
Pulv. contra cas. Aug. ℈j. ad ʒß.
Syr. scabios. q. s. pro edulcoratione.
Misc. pro bina dosi:

Idque quando simul blandè evacuandum est per inferiora.

D. S.
Potio resolvens bene agitanda pro duabus vicibus.

℞. *Herbę Cherefol.* M. j.
Sal. tartari ℈j. ad ʒß.
Coqu. in s. q. *aquę*:
Colatur. infunde per noctem
Rhabarb. elect. ʒij.
Fol. senn. sine stipt. ʒiß.
Mane exprime, & adde
Lapill. cancr. prep. ℈ij.
Pulv. contr. cas. Aug. ʒß.
Syr. scabios. q. s. pro grato sapore.
M. detur pro duabus dosibus.
D. S. *vt supra*.

℞. *Decoct. Cherefol.* aut, quod melius, *heder. terrestr.* ℔j.
Infunde huic tepido adhuc per noctem in loco calido
Rhabarb. elect. ʒj.
Fol. senn. sine stipt. ʒß.
Sal. tartari ʒß.
Mane adde expressioni
Lapill. cancr. prep. ʒj. vel ʒiß.
Pulv. contr. cas. ʒß. ad ʒiß.
Syr. heder. terr. q. s. pro grato sapore.
M. D. S.
Potio dissolvens pro aliquot vicibus.

De hoc subinde ęger capiat haustum; ita enim sanguis solvitur, & per inferiora excernitur.

Si verò in pectore, vel locis vicinis & remotioribus sanguis congrumatus hereat, & natura inclinet evacuare per urinam, Diuretica sunt addenda, quę sanguinem resolutum per vias urinarias amandent. Sin ad sudorem natura ęgri vergat, & in partibus aut vasis magis exterioribus hęreat sanguis, tunc sudorifera prę ceteris sunt optima, quo resolutus ita sanguis extramittatur.

Facit huc etiam egregia Cura LINDANI, qui curavit aliquando

aliquando fabrum quendam lignarium, è summo tecto decidentem, dum ipsi ædes ædificaret, & duas costas frangentem, simulque sanguinem multum exspuentem cum suffocationis metu, unde collegit, sanguinem in ipsum cavum pectoris effusum esse. Paravit ergo Decoctum ex brassica rubra, artemisia, consolida Saracenica, & floribus bellidis minoris; cui *Decocto* infudit aliquid Rhabarbari, & hinc post infusionem addidit aliquid *spermatis ceti*: tunc sumsit seorsim *lapillos cancrorum*, & illis ad eminentiam transversi digiti affudit *acetum* vini, & cùm fervor defervuisset, dedit aceti hujus benè agitati cochlear unum, & miscuit cum unciis quatuor vel quinque prioris Decocti, & ita hauriendum dedit, ex quo potu sanguinem congrumatum antea, posteà resolutum protinus mejere cœpit, & quidem integras matulas, cum magno levamine, & tertio die continuato potu venit visum, quid agerent cæteri operarii: Vid. *Comment. in Prax. Chymiatr. Hartmanni*.

Ac sanè potiùs præstat à *Diureticis* incipere; in fine autem non incommodum est, aliquod *sudoriferum* subnectere. Adeoque convenit in dictis casibus *Mixtura polychresta ex lapidibus cancrorum cum aceto destillato*, Diaphoretica & Diuretica, e. g. confici possunt tales formulæ:

℞. *Lapill. canc. præp.* ʒß.
Acet. vin. ℥j.
M. D. S.
Mixtura resolvens pro una vice.

℞. *Lapill. cancr. præp.*
Sperm. ceti.
Sang. hircin. legitimè coll. vel *antimonii diaphor.* à ℈j. ad ʒß.
M. pro 2. dosibus in aceto assumendis:
D. S.
Pulvis dissolvens.

℞. *Sang. hircin. præp. secundùm Helmont.* ʒj.
Terræ sigill. vel *marg. Saxon.*
Antimonii diaphor. ana ʒß.
M. Div. in 2. part. æqu.
D. S. ut *supra.*

Vel præscribatur talis *pulvis contra casum ab alto*:
℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒj.
(cum aceto fiunt magis diuretici)
Rhabarb. el.
Sperm. ceti,
Castor. vel *Myrrhæ,*
Sang. hirci leg. præp. ana ʒß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis dissolvens pro aliquot vicibus.

Dosis ʒj. in *decocto chærefolii* vel *fœniculi*. Item
℞. *Lapill. cancr. præp.*
Osteocoll. præp. ana ʒj.
Nuc. moschat. ʒß.
M. D. S.
Pulvis consolidans.

Aliàs convenienter etiam pro scopo sudorifero & diuretico præscribuntur Potiones, *suprà Art. 1. Cap. 1. ubi de Inflammatione in genere* commendatæ, vel Mixtura polychresta SYLVII, quæ est:
℞. *Aquæ flor. papav. errat.*
Scabios. ana ℥iß.
Spiritus theriac. camph. ʒiij. ad ʒvj.
Acet. vini ʒß. ad ʒvj.
Lapill. cancr. præp. ʒj. vel *borum & maxill. Lucii piscis* ana ʒß.
Syr. flor. Pap. errat. vel *scabios.* ʒiij.
Misceantur.
Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ Menth.* vel *scabios.*
Cherefol. ana ℥iß.
Acet. vini simpl. destillat. ℥j.
Corall. rub. præp. ℈j.
Lapill. cancr. præp. ℈j.
Laud. opiat. gr. ii. vel iij.
Syr. card. bened. ʒvj. vel ℥j.
M. D. S.
Mixtura dissolvens cochleatim sumenda.

Hæc est Potio generalis; usurpari potest cochlear unum, vel pro binis aut tribus dosibus, & partim per sudorem, partim per urinam operatur.

Notandum: Quando hæc miscentur, fieri effervescentiam, & ita ex his prodire concretum novum.
Vel

℞. *Aquæ ceras. nigr.*
Lil. convall.
Meliss. ana ℥j.
Acet. Rutac. ʒvj.
Lapill. cancr. præp. ʒj.
Cinn. antimonii ℈j.
Sal. volat. succin. gr. xij.
Syr. flor. tunic. ʒvj.
M. pro aliquot dosibus.
D. S.
Potio resolvens pro 4. dosibus.

Item juxta Clysmata repetita etiam:
℞. *Aquæ chærefol.* ℥j.
Ceras. nigr.
Lil. convall. ana ʒvj.
Ess. hyperici ʒß.
Spiritus sal. ammoniaci ʒj.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Syr. de beton. ℥j.
M. D. S. *ut suprà.*
Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ menthæ,*
Cherefol. ana ℥ß.
Acet. vini ℥i.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Corall. rub. præp. ℈j.
Cinnab. antimonii ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. card. bened. ʒvj.
M. pro 3. dosibus.
D. S. ut *suprà.*

℞. *Aquæ Cherefol.* ℥ij. vel iij.
Acet. vini ʒiij. ʒvj. ad ℥j.
Lapill. cancr. præp. ℈ij. ad ʒj.
Terræ Lemn. vel *Corall. rubr. præp.* vel *antimonii diaphor.* ℈j.
Syr. hederæ terrestr. vel *de beton.* vel *card. ben.* ʒij. ad ʒvj. M. S.
Potio alterativa.

Capiatur pro duabus dosibus, vel cochleatim.

Quodsi caput simul læsum fuerit, & metus adsit convulsionum, in his casibus loco coralliorum ℈j. vel ʒß. *cinnabaris antimonii* addi potest commodè, quæ utilissima est, si sudet consertum æger: Vel
℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒj.
Antimonii diaphor. ℈j.
Myrrh. el. gr. xij.
M. pro 2. dosibus.
possunt etiam gr. ii. *laudani opiati* addi:
D. S.
Pulvis caput confortans.

Si gravius sit malum, necesse erit, ut præscribatur Decoctum vulnerarium, cui addi potest mixtura ex lapillis cancrorum cum aceto parata.

In victu æger utatur crebriùs cherefolio minutim inciso in jusculis pro multiplici scopo.

Sanguis ita extravasatus suppuratur & fit Empyema.

EMPYEMA *verò quod attinet* EJUSQUE CURAM, sive quando pus factum est, & in cavitate quadam fluctuat & stagnat, præsertim THORACIS, tribus scopis absolvenda venit:

1. Ante omnia evacuatio puris, sive mediate sive immediatè, per convenientes vias est necessaria.
2. Dum hoc fit, simul *acrimonia ejus noxia corrigenda* seu temperanda.
3. *Læsio partis* vel à pure vel ab abscessu *inducta*, debitis remediis *restituenda*: id quod in quolibet observandum est empyemate.

Cum verò præ cæteris empyemata thoracis sint frequentia, hujus curationem proponemus, ubi quæ de hoc dicuntur, de aliis simul intelligenda sunt.

Pro primo scopo eadem observanda sunt, quæ *suprà in casu ab alto* pro sanguine grumoso dissolvendo, nempe per convenientes vias instituenda venit puris evacuatio. Viæ evacuationi puris dicatæ, pro varietate partium & ipsæ variant, suntque vel *naturales*, vel *artificiales*: *Illæ*, quibus *natura* molitur evacuationes, & quæ subinde per varia loca inimitabili arte purulentias evacuat; ut dum v.g. Pleuriticorum, vel aliàs in thorace suppuratorum purulentias, nunc per *urinas*, nunc per *alvum*, nunc frequentissimè per *sputum* evacuat,

evacuat, imò *per purulentam in toto corpore scabiem* (quo de *videb. Miscellan. A. N. C. Ann. 2. Observat. 146. pag. 230.*) solvi observatum fuit. Sanè *pus Empyici* per urinam excretum cum dolore quasi nephritico & stranguria refert HORSTIUS *lib. 3. Observat. 10.* simile *videb. apud* PANAROLLUM, item BORELLUM *Cent. 1. Obs. 17.* & RHODIUM *Cent. 2. Obs. 13. & 15.* SCHENCKIUM *Obs. pag. 243. & 232.* Ipsemet *curavi mulierem* gravi pleuritide correptam, cui suppuratæ supervenit fœtidissima materiæ purulentæ urina, quâ per decem vel plures dies continuante cum sensibili allevatione ipsa sanabatur. *Præcavebam simul phthisin ac tabem* per pulveres ex antihectico Poterii, myrrha, lapillis cancrorum, antimonio diaphoretico, balsamo sulphuris terebinthinato, &c. Elixyr proprietatis rarò propinabam, quia hoc semper alvi fluxum sistebat, ut necesse esset, eam denuò provocare clysmate. Sicut jam *suprà Artic. 10. & 11. capit. 1.* hujusmodi variæ excretiones *circa hepatis & lienis abscessus* insinuatæ fuerunt. Facit huc quod refert HILDANUS *Centur. 3. Histor. 39.* nempè ulcus diuturnum in brachio ex ictu sclopeti, quod quia per *urinam* pus excernebatur, ulcus siccabatur; quamprimùm verò ulcus recenter fluebat, tum patiens rursus urinas laudabiles nullo pure permistas reddebat. *Per quas vias materia empyematis in pectore v. g. deferatur ad urinam, aut alvum, aut etiam ad os pro exspuitione*, plures Autores litigant: Conf. SENNERTUS *lib. 2. Prax. ubi de Pleuritide Quæst. 3.*, WILLIS *Pharm. Rational. Part. 2. pag. 150. & 201. Miscellan. A. N. C. Ann. 3. Obs. 213. pag. 393. & Ann. 6. Obs. 41. pag. 75.* His in casibus, si moliatur aliquid natura, semper minister ejus est Medicus, dum, quò illam vergere videt, eò simul motum illius promoveat: v. g. quando in pleuritide suppurata redditur urina purulenta, dentur Diuretica; sin verò in empyemate pectoris diarrhœa purulenta appareat, alvum stimulantia & laxantia; si natura inclinet ad os mediante tussi, propinentur vomitoria vel blandè Temperata, Expectorantia vulgò dicta; *si verò rupto abscessu & collecto jam Empyemate* pectoris, naturam nil moliri observat, pro copia puris, dum vires adhuc constant, evacuanda similiter Vomitus convenit, cujus insignes utilitates pluribus PISO *de Colluvie serosa* declarat, quippe qui mirabiliter contenta & pectoris purulenta evacuat, ita ut unicus vomitus plus excernat, quàm septem diebus tussi rejicitur; modò absit periculum sputi sanguinis, in quo casu Medicus horreat vomitoria; contra si illud absit, tutò suadeat vomitum. Quodsi tamen, sub metu licèt sputi cruenti, natura inclinet evacuare per os, substituat Medicus fauces lubricitantia & expectorantia; hinc *sputum* imprimis promovendum, ut hujus medio, ceu per proximas vias, modumque magis ordinarium puris, fiat evacuatio. Pro quibus scopis convenit secretum Freitagii ad Asthma, *Artic. 1. Capit. 2. Section. 14.* descriptum; item Nicotiana est egregia, cujus usum *suprà l. a.* ex FERDINANDO declaravi.

In sputo hoc promovendo habenda simul ratio qualitatum materiæ purulentæ evacuandæ: quæ *quò acrior* fuerit, ac tenuior, eò magis *temperantia*, simul usurpanda sunt; *quod si verò nonacre, sed crassius* sit pus evacuandum, *incidentia & abstergentia* magis in usum vocanda. In specie *mel* & ex eo paratum *hydromel* seu *aqua mulsa*, oxymel *squilliticum*, &c. *inter expectorantia primatum ducunt*; in qua *mulsa hyssopus*, *scabiosa*, *parietaria*, *helenium*, *Iris* Florentina, *marrubium*, *liquiritia*, *jujubę*, *passulę*, &c pro indicantium varietate simul incoqui & propinari possunt: sicut etiam decoctum ex scordio & scabiosa tota, cum oxymelle squillitico edulcoratum, & calidè haustum, egregiè convenit: Vel fiat *mixtura* expectorans:

℞. *Aquę hyssop.* ℥iij.
Asthmat. ℥iij.
Oxym. squillit. ʒvj.
Syr. Nicotian. ℥ß.
Emetic. ℈iß.
M. D. S.
Mixtura expectorans cochleatim.

Capiatur pro lubitu.

Artificiales vię pro evacuando pure sunt PARACENTESIS, quæ ubi *priores* illæ *naturales* vel non suffecerint, vel suffecturas suspicio est, *in tempore* institui potest. Vid. SYLVIUS *lib. Prax. c. 20. §. 18. In tempore dico*; ut quando natura *empyema* non expurgat per *urinam*, statim instituenda *paracentesis*, ne pus in saniem convertatur, nec vires frangantur, aut pulmo à sanie corrumpatur. Fonticuli etiam à quibusdam intra costas inuruntur. VOLCAMERUS *in M. A. N. C. Ann. 9. & 10. Obs. 19. in schol.* mentionem facit *Emplastri Norimbergensis Ebnsingeri*, seu potiùs *Galeni*, cujus in educendo pure in abdominis cavitate contento vires insignes expertus est, adjunctis intus potionibus traumaticis.

Pro *secundo verò scopo*, quæ *acrimoniam puris & ejus noxam corrigunt*, h. e. ut aliàs dicunt, ulcus *abstergunt & mundificant*, optima sunt *sulphurea* remedia, pinguedine suâ quodcunque acre, in specie pus salsum, temperantia, & *balsamicâ* quasi suâ vi læsionem partium à pure oriundam corrigentia ac pręcaventia, & ulteriorem progressum *apostematis* & *puris* inhibentia; & sanè sulphurea optima sunt in omnibus empyematum purulentiis temperandis. Talia sunt *sulphur* & *antimonialia fixa*, ut flores sulphuris, antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii, Bezoardica mineralia, myrrha, pulvis pectoralis Lindani cum antimonio diaphoretico, balsamus Peruvianus, balsamum sulphuris.

Ea verò, quæ læsionem partis post abscessum suppuratum & empyema *restituunt*, & eam quasi consolidant, sunt *vulneraria*: quæ inter eminet *hedera terrestris*, quæ nobile simplex est, imprimis in empyemate pectoris post pleuropnevmoniam suppuratam orto: sic pertinet huc *scabiosa* & *chærefolium*; quod Trifolium simplicium, ut ita dicam, in viscerum læsionibus ex empyemate contractis multum valet: item *lignorum* & *radicum* sudoriferarum *Decocta*, in specie ligni Sassafras, radicis chinæ & ligni guajaci, quæ hic sunt optima, partim purulentias corrigunt, partim labem partibus inductam corrigunt: vid. ARCÆUS *cap. de Capitis Vulner.* & SYLVIUS *Prax. lib. 1. cap. 24. §. 22. pag. 196.*

Cæterùm dum hi tres scopi intenduntur, observandum, ut semper simul habeatur ratio (1.) *puris*, ut hoc vel priùs vel simul evacuetur, adeòque cum vulnerariis pus promoventia adhibenda erunt: (2.) *Adjunctæ febris*, ne hæc plus minus intensa magis intendatur; Nam semper conjuncta est febris lenta, plus minus ad Hecticam inclinans. Hinc præmissâ puris evacuatione quacunque,

℞. *Aquæ Hyssop.*
Scabios. an. ℥iß.
Fl. sulphuris ʒß.
Antimon. diaphor. ℈j.
Bezoard. Ioual. ℈ß.
Syr. de Nicotian. vel *Hyssop.* ℥j.
M. f. Potio
D. S.
Mixtura mundificans cochleatim.

Usurpatur vel pro duabus dosibus vel cochleatim ad corrigendam partim purulentiam in empyemate, partim ad corrigendam noxam à pure inductam partibus: cui, si intensior fuerit febris, simul nonnihil spiritus nitri dulcis addi poterit.

Vel

℞. *Aquæ papav. errat.* ℥iij.
Acet. destillat. vini ℥iij. ℥ß. ad ʒvj.
Lapill. cancr. præp. ʒj.
Antimonij diaphor. ʒß.
Syr. flor. papav. errat. ʒvj.
M. S. ut *antè*.

Capiatur cochleatim, præprimis tempore æstus.

Vel

℞. *Amygd. dulc. ambros.* ℥iij.
Sem. melon.
Papav. alb. an. ℥ß.
cum s. q. *aquæ papav. errat.* f. Emulsio:
Cui adde
Maxill. lucii pisc. ʒß.
Antimonij diaphor. vel *Antihect. Pot.* ℈j.
Edulcoretur cum pauco *sacchara*:
D. S.
Emulsio mundificans.

Capiatur sæpiùs, & quando placuerit, imprimis in æstu.

℞. *Conf. rosar. rub.* ℥ij.
Elect. diascord. Frac. ℥ij.
Conf. Alcherm. ʒj.
Corall. rub. præp. ℈ij.
Antihect. Poter. ʒß.
Syr. borrag. vel *flor. tunicæ*, vel *rosar. rub.* q. s.

M. f. Electuarium:

De quo usurpetur ter in die, manè, à meridie, & vesperi, quantitas castaneæ vel nucis juglandis.

Nec inelegans est *liquor betulæ recens collectus*, sæpius in die, etiam in ipsa febre, haustus, tàm solus, quàm cum potu ordinario mistus; vel in mensura una *potus ordinarii* dissolvantur ℥ij. vel ℥iij. *Gelatinæ cornu Cervi*, vel *rasuræ ossium bovinorum*, &c. Egregiè prosunt, ubi juncta est æstuatio corporis & defectus virium.

Decoctum cherefolii, item hederæ terrestris, certè egregium est, & præ ceteris vulnerariis excellit, præmissâ puris evacuatione, in empyemate quocunque curando, omnibus ceteris præferendum; aut ex hoc succo paratus *syrupus*; item essentia, quæ aliis addita, aut cum *antimonio diaphoretico* assumpta, sunt nobilissima; aut denique, si ejus succus semper cum decocto guajaci permisceatur. Certum est, quod hedera terrestris sit inæstimabilis in hoc casu; hinc sunt, qui maximè æstimant:

℞. *Succ. Heder. terr.* ℥iv.
Prassii ℥ij.
c. s. q. *Sacchari* f. Syrupus,
addendo
Thuris,
Myrrh. el. ana ʒj.
M. D. S.
Succus sanans.
Et subinde usurpetur.

Uti etiam Decoctum radicis chinæ, propinando cum omni æjus haustu ʒß. ad ʒj. *antimonii diaphoretici*; hoc enim mirabiliter suppurationes quascunque abstergit & corrigit, sanguinem grumosum & empyema, imprimis pectoris, tollit: & cum *radice chinæ* vel *ligno guajaci* aut sassafras simul coquenda sunt *hedera terrestris*, marrubium, *tussilago*, *consolida major*, capillus Veneris, *hyssopus* & similes, præsertim si viscidi aliquid adest, & similes aliæ plantæ pectorales. Non opus est multa addere, simplex sufficiat *decoctum*, cum quo propinetur *antimonium diaphoreticum*, aliaque sulphurea, sumendo Decocti bonum haustum, quotidiè bis, manè & vesperi. ARCÆUS *loco allegato* egregium modum docet curandi empyemata & vomicas pulmonum beneficio Decocti ligni guajaci, cujus methodus est optima, & quâ ipsi aliquot empyematici fuere curati. Nec incommodè *ligna santala* hìc recipiuntur: e. g.

℞. *Rad. chinæ in taleol. incis.* ℥iß.
Rad. liquirit. ʒvj.
Santali rubri ʒiij.
Infunde in *aquæ comm.* ℔vj.
Macerentur in Balneum Mariæ per 24. horas:
mane adde
Passul. min. conquass. ℥iij.
Coquantur blando igne ad remanentiam ℔iv.
Colatura D S.
Potio pectus mundificans.

℞. *Ras. lign. guaiac.* ℥j.
Sassafras ℥ß.
Macera per 2. horas in *aquæ comm.* ℔vij.
Coq. ad consumpt. ℔iß.
adde
Herb. Heder. terr.
Com. flor. hyperic.
Herb. Veronic. ana M. j. ad M. ij.
Rad. liquirit. ʒß.
Sem. fenicul. ʒvj.
Passul. min. conquass. ℥iij.
Coq. ad remanent. ℔iv.
Colatura D. S.
Ut supra.

De quo Decocto æger ad minimum ter in die, etiam tempore pastus, capiat, subjungendo & alia remedia, ut myrrham, elixyr proprietatis, ob aloen & myrrham.

Sulphur pariter ejusque *flores*, item *balsamus sulphuris*, tàm *terebinthinatus*, quàm pro ratione partis affectæ juniperinus cum oleo juniperino; anisatus cum oleo anisi pectoralis; aut cum oleo succini ad guttas xx. *succinatus*, sive fiat etiam ex sulphure communi, sive ex sulphure aurato antimoniali ex POLEMANNO, quod nobilissimum: cui non incommodè potest substitui *balsamus Peruvianus*, de Capaibe, item *tinctura sulphuris*, &c. Egregia sunt ad quamcunque suppurationem, & internarum partium ac viscerum corruptionem curandam: propinentur ad aliquot guttas in vehiculo Decocti hederæ terrestris, mundificant ulcera, & ulteriorem corruptionis progressum præcavent. Sed hæc posteriora sunt volatilia, acria & nimis calida, unde ratione febrium minus conveniunt, sed saltem temperata aut fixa antimonialia optimè conveniunt: si autem volatilia usurpanda, & igneus eorum, imprimis balsami sulphuris, calor pertimescatur, convenienter miscentur cum saccharo saturni vel antihectico Poterii, quæ dictis in casibus etiam sunt egregia, & inhibent noxam aliàs inducendam vel metuendam; vel fiat *decoctum brassicæ capitatæ rubræ*, vulgaris quidem, sed nobilis plantæ, cum tantillo sacchari temperatum, quod perquam egregium est remedium, promovendo simul materiæ purulentæ effluxum per urinam; in quo usurpetur antihecticum Poterii, vel flores sulphuris & similia. *Lac* quoque *caprillum* cum *saccharo rosato* usurpatum pro ultimo hoc scopo est egregium: vid. M. A N. C. *Ann. 1. Obs. 19. pag. 78.* Conferatur cum his WILLIS. *Pharmac. Ration. P. 2.* ubi *de Phthisi & Empyem.* Terebinthina denique & quæcunque ex ea parata, imprimis Emulsio terebinthinata cum vitello ovi, melle, succo citri, & aqua fragorum vel vino, suam etiam hìc laudem merentur.

Sed pergo ad

CAPUT III.

Tertiam nempè fluxus sanguinei extra vasa speciem.

ARTICULUS I.

DE

HÆMORRHAGIA IN GENERE.

TAndem etiam vitiatur sanguinis motus, quando hic ex suis vasis & receptaculis penitus extra corpus effunditur; idque in *hæmorrhagiis*: quæ vox, dum derivatur ab αἷμα sanguis, & ῥέω fluo, generaliter quamcunque sanguinis effusionem præternaturalem extra corpus innuit, utut ratione loci, per quem fluit, & ratione modi, quo effluit, distinctas habeat rationes, ac in specie postmodum varias sortiatur appellationes: ex naribus enim *Hæmorrhagia narium*; ex pectore *Hæmoptysis*; & per vomitum *Vomitus cruentus*; ex alvo *Fluxus alvi cruentus*; ex vasis ani *Fluxus hæmorrhoidum*; ex vesica *Mictus cruentus*; & in fœminis ex vasis uteri, *Menses, Hæmorrhagia uteri, & Lochia nimia*, &c. dicitur, utpote ex unius generis causis dependentes.

CAUSÆ.

CAUSÆ *Hæmorrhagiæ* cujuscunque in genere sunt; vel (1.) ipsorum extimorum osculorum in venis & arteriis apertio quasi spontanea & hiscentia, & dicitur aliàs communiter *Anastomosis*: vel (2.) est ipsorum vasorum violenta læsio & soluta unitas, sive hæc fiat à causa externa per instrumenta acuta, quæ pungendo, incidendo, contundendo, vel quovis alio vulnerandi modo lædant, sive fiat à causa interna per humores acidos & acres extremitates osculorum vasorum erodentes, aut ipsas tunicas vasorum tenuiores penitus perforantes, quæ posterior species vocatur *Diæresis*, item Διάβρωσις. Quidam addunt (3.) Διαπήδησιν, quæ tamen admitti nequit; siquidem intelligitur talis sanguinis tenuitas, quæ per vasorum tunicas transudare possit, quod tamen citra osculorum apertionem vel ipsarum tunicarum vulnus vix est credibile; cùm scilicet non in vasis juxta veteres, sed in substantia partium tantum concipere licet: sunt enim satis densæ satisque validæ & tenaces venarum, multò magis arteriarum tunicæ, ut impossibile sit, per easdem tantillum transudare posse de ipsa massa sanguinea integra, ut ut sero transitus per easdem non denegandus sit.

Cæterum locus seu VASA, per quæ effluit in hæmorrhagia sanguis, sunt imprimis *arteriolæ*; nam ex venis vix & nunquam effluit, nisi his ipsis simul *incisis* aut *erosis*, ut in vulneribus; aliàs maximè arteriarum per anastomosin fit apertio. Sanguinem autem, qui sponte effluit, stillare ex arteriolis, patet ex eo, quod omnes hæmorrhagiæ, v. g. *narium*, fiant stillatim guttatimque & subinde notabile spatium

ſpatium temporis inter unam vel alteram guttam cadentem obſervetur; id quod liquidiſſimè patet venire ex arteriolis nunc dilatatis nunc ſubſidentibus, non autem ex venis, ratione pulſus. Nam dum cor ſanguinem per arterias impellit, eo ipſo etiam idem per arterias apertas expellitur; ſubſidente verò arteriâ in ſyſtole, ſanguis non amplius adeò confertim effluit, & ita ſucceſſivè ſanguis ſtillatim erumpit: Id quod ſimili modo etiam patet in arteriotomiis ſeu erroneis ſive ſtudioſè adminiſtratis, in quibus etiam ſubſaltim tantùm & repetitis vicibus pro pulſus ratione ſanguis erumpit: ex venis vero uno ductu effluit. Ut proin probabile ſit, niſi promiſcuè vaſa aperiantur in hæmorrhagiis arterias ſolùm ſanguinem ſtillare.

Quoad CAUSAS Hæmorrhagiarum REMOTAS, ANASTOMOSIS ſeu oſculorum vaſorum apertio fit vel *vitio ſanguinis*, vel *vitio vaſorum*, vel *utriuſque*. *Vitio ſanguinis* fit propter eundem vel abundantem, vel turgeſcentem, vel ſereſcentem ſeu aqueſcentem; *vitio vaſorum* verò propter hęc inęqualiter ſtricta aut laxa.

Adeoque anaſtomoſis vaſorum eſt quadruplex. 1. Nimia ſanguinis abundantia ſeu plethora vera aut abſoluta, eaque rarior: unde annuę ſanguinis miſſiones plethoricis ſolennes neglectę frequentiùs hæmorrhagias excitare ſolent: unde e. g. ſuppreſſionibus menſium ſuperveniunt hęmorrhagię narium, ſputum cruentum, & quidem ſine damno ac cum euphoria.

2. Eſt Plethora reſpectiua ſeu apparens, eaque frequentior, propter nimiam ſanguinis turgeſcentiam uel auctam fermentationem in uaſis, dum ſanguis uehementiori motu inteſtino, aut maiori uel minori motu & exercitio corporis, uel potu generoſo, uel alimentis aromaticis, magis incaleſcit & turgeſcit, aut etiam, quando efferueſcentiâ febrili nimis ebullit; ſic enim ſanguis turgeſcens mole quaſi auctus ordinariis uaſis & receptaculis contineri ampliùs nequit, quin per orificia uaſorum capillarium diſtenta erumpat: quod fit frequenter *in principio* & incremento febrium continuarum, tàm benignarum quàm malignarum, item *variolarum* ac morbillorum, in quibus ſpumeſcens ſanguis & extraordinariè ebulliens orificia uaſorum aperit & erumpit; quod in ſpecie contingit meliùs, & faciliùs, ſi accedat ſuppreſſa quædam ſanguinis euacuatio ordinaria: quod teſtatur fluor ille menſium nimius ab ira, terrore &c., de quo uid. LOSSIUS *lib.* 4. *Obſervat.* 6. Simul tamen in his & ad ſtatum uaſorum à ſanguine pertranſeunte plus minus irritatorum, hinc ad ſanguinis motus uariationem, reſpectus habendus: hinc & *obeſi* frequenter hęmorrhagię narium ſunt obnoxii, propter uaſa compreſſa ab habitu corporis pingui, quia uaſa non poſſunt cedere, unde patet apertio: item *vini potatores*, exercitiis nimis dediti, ad hęmorrhagias frequentiùs inclinant; quod illa hęmorrhagia narium teſtatur, quam à muſti & uini Hiſpanici ingurgitatione FORESTUS *lib.* 1. *Obſ.* 12. obſeruauit.

3. Eſt ſanguis nimia tenuitas & fluxilitas, ob abundantiam maximam ſeri eiuſque nimiam aquoſitatem; unde fit, ut in tali conſtitutione & *fibrarum* & membranarum tonus laxetur, & ipſe etiam ſanguis ſuâ tenuitate facilè orificia uenarum permeet, eademque ita aperiat. Unde hiſce ambobus concurrentibus, dum nempè à nimio ſero fibrę flaccidę ſunt, & ita tonus à ſanguinis â fluxilitate lęſus, unde conſequenter ſanguis tunc effluens minus tinctus & minus in debita conſiſtentia conſpicitur, quin potiùs liquidus & loturę carnium ſimilis; ſicuti contra in prioribus duobus caſibus, quando nempè nimia ſanguinis copia hęmorrhagiam infert, ipſe ſanguis craſſus, turgeſcens, floridus & copioſus ſolet effundi, idque cum impetu, cum tamen aliàs ſanguis tenuis exiſtens pedetentim effluat, & quaſi per uaſorum orificia hiantia ſudet; ut plurimum tamen & hic *acrimonia ſanguinis* plus minus *ſalſa*, aut *acido-ſalſa*, adeoque occultè *roſiva* accedere ſolet. Vulgò *vitio hepatis hæmorrhagia hæc*, in qua ſeroſa effunduntur, contingere dicitur, unde ex defectu huius ſanguificationis ſanguis ſeroſus generetur, qui inferat talem hęmorrhagiam: Sed falſum eſt: ſicut enim error alter alterum tradit, ita & cucurbitulę & epithemata regioni hepatis applicanda malè ſuadentur. Reuerà autem uitium hoc in caſu hęret *in primis viis*, & lęſa inde digeſtione prima, eiuſque deficiente perfectione in duodeno, & inde nata uel *ſeroſitate* uel *acrimonia ſanguinis*, ac in ſpecie ſi alimenta nimis colliqueſcant. *Diſpoſitivè* ſimul concurrunt nimius potus, urinæ deficiens excretio, aut ſudoris paucitas & conſueti ſuppreſſio.

4. *Vitio* denique *vaſorum anaſtomoſis* oritur, quando ſpes per hæc æquabilis *ſanguinis circulus* per arterias in venas *interrumpitur*, ita ut æqualis vel per arterias diſtributio, vel ex arteriis in venas tranſvaſatio impediatur; idque ferè *ob ſpaſmum fibrarum nervoſarum*, tàm (1.) *ipſorum vaſorum* ſanguifluorum, quàm (2.) *partium*, vaſa recipientium. Adeoque *ſi ex priori modo* contingat, uti in uno alterove ſurculo cuiuſdam arteriæ fiat conſtrictio, & quaſi per eundem liberior ſanguinis motus impeditus, unde ſurculus vicinis maiori ſanguinis mole diſtentus, neceſſariò in extremitate aperitur, & factâ ita anaſtomoſi ſanguis effunditur. *Spleneticis* hoc videtur familiare, quibus interdum *ſuperveniunt ſanguinis vomitus*, ita tamen, ut percipiant priùs fortes *pulſationes* circa ſplenem, locaque vicina, quæ pulſationes innuunt motum ſanguinis nonnihil impeditum per arteriolas in ſplene; unde ſi ſunt turgidæ, ramuli arterioſi vi aperiuntur in ſtomachum, & ita vomitum ſanguinis inferunt. Hinc quando cum inſigni capitis pulſu fit hæmorrhagia narium, ſignum eſt impediti ſanguinis per vaſa vicina: unde vaſa narium aperit, & hæmorrhagiam infert. *Virum novi*, *hæmorrhagiæ narium obnoxium*, qui ut plurimum moleſtiam quandam in ſiniſtra thoracis parte percipit, antequam *hæmorrhagia narium* superveniat. *Quod ſi poſteriori modo* acidat, ut fibræ nerveæ partium recipientium quacunque ex cauſa irritatæ ſe fortiùs ſtringant, & ita ſanguiflua vaſa plus minus coarctent, ex impetu ſanguinis per arterias eius influxus adhuc continget, ſed non refluxus, qui plus minus impeditus per venarum magis flaccidarum aut molliorum ora conſtricta, per vicina loca, qua data porta, ruit, arteriolarum anaſtomoſin facit, ſicque hæmorrhagiam infert. Sic nempè nimia narium irritatio ab euphorbio, &c. hæmorrhagias ſæpe graviſſimas inducit: vid. KERKRINGIUS *Spicileg. pag.* 100.

Pertinent ad anaſtomoſes has ſcorbuticorum hæmorrhagiæ inſignes admodum, & crebriùs ingruentes, per quæcunque loca fiant; Partim ob ſanguinis craſin plus minus vitiatam, & ad diatheſin acidam plus minus declinantem; imprimis ſanguis tenuis ſimul eſt ſalſus acris, adeoque facilliori apertioni occaſionem præbens; Partim propter tonum laxatum, quo reſoluto vaſa eorumque fibræ debilitantur, & admodum flacceſcunt, unde vaſorum oſtiis minus conſtrictis hæc hiſcunt; hinc fit, ut *hypochondriaci*, *ſcorbutici*, & *cachectici* variis & ſtupendis hęmorrhagiis non rarò ſint obnoxii, ita ut ſanguis non unciatim, ſed libratim, effluat: vid. MEARA *in diatrib. contra Pyrotolog.* Williſii, LOWERI *Reſp. contra Mearam*, & *M. A. N. C. Ann.* 2. *Obſervat.* 48. & *Anno* 3. *Obſervat.* 22. 24. & 243. item *Ann.* 6. & 7. *Obſervat.* 90. *pag.* 130. quia ob tonum fibroſarum partium vitiatum & reſolutum paralyticis affectibus obnoxii ſunt, quo reſoluto fibrarum tono è vaſis ſanguis effluit, iſque ſeroſus, cumque acrior ſit ſcorbuticorum ſanguis, hinc in hæmorrhagias recidivantes incidere ſolent; hinc mulieres ſcorbuticì etiam nimio menſium fluxu laborant, item viri ſcorbutici enormes hæmorrhoidum fluxus patiuntur: Partim denique quod ſcorbuticorum nervoſum ſyſtema pathematis convulſivis obnoxium admodum ſit, unde irritatum quodam in loco, è ſpinis ſalinis ſcorbuticis alicubi infixis mox tendi fibræ, pulſationis aut tenſionis ſenſus, hinc *hæmorrhagiæ* oriri ſolent. Comprobat hoc notabili obſervatione WILLISIUS *Pharm. Ration. Part.* 2 Quò etiam referendum *ſputum cruentum ab ulcere pedis* diuturno coaleſcente, quale RHODIUS *Centur.* 2. *Obſ.* 35. annotavit.

In hactenus enim dictis anaſtomoſeos cauſis, tam *ad ſanguinem* quàm *vaſa* utplurimum reſpiciendum venit, ita quidem, ut frequentiſſimè *acidum* conſuetum ſanguinis motum ad orgaſmum præternaturalem concitans, aut itidem *acidum plus minus ſalſum* vaſa eorumque aut partium vicinarum fibras vellicans, conſiderandum veniat.

Hæc de Anaſtomoſi.

DIÆRESIN & DIABROSIN inducunt omnia Externa, quæ aut *inciſione*, aut *punctura*, aut contuſione, vaſa aperiunt; uno verbo: omnia Externa, de quibus in Chirur-

Chirurgia. Ex *causis internis* est quodcunque acre, imprimis acidum aut acido-salsum orificia vasculorum corrodens: quæ inter interdum *lympha acrior* nimis & *acido-salsa* multum habet in recessu, aut etiam ipsa crasis massæ sanguineæ acido-salsa redditur. Pertinent huc suo modo quæcunque nimis *acria inspirata*. Nam hæc, ut narium vasa irritare, ita & pulmonum vascula erodere valent, unde dictarum partium *hæmorrhagiæ* facilè postmodum superveniunt.

Causæ occasionales plures etiam sunt: nempè (1.) motus corporis nimius, e. g. sternutatio, tussis, vociferatio, vomitus, & ponderum incongrua elevatio unde v. g. menses nimii: vid. FORESTUS *lib.* 28. *Obs.* 14. & 16. (2.) Animi motus vehementiores, ut ira, gaudium; hincque menses nimii ex LOSSIO *supra allegato*. (3.) Acria ineptè applicata, ut helleborus albus in sternutatoriis, suppositoria, & enemata acriora, hæmorrhoides concitantia: vid. FORESTUS *lib.* 23. *obs.* 4. nec non purgantia acriora, e. g. scammonium, de quo vid. MONARDES *lib.* 12. *Epist.* 3.

DIAGNOSIS.

Quod attinet SIGNA DIAGNOSTICA: *Diagnosis* ipsius hæmorrhagiæ per se patet; differentiæ saltem causarum observandæ sunt, pro quarum varietate *varius* etiam est sanguinis affluentis *modus*; dum sanguis, qui effluit, floridus, rubicundus, copiosus, &c. innuit factam *anastomosin* propter aliqualem sanguinis abundantiam & turgescentiam: observandus tamen simul cum his est causarum antecedentium impetus.

Sanguis effluens in loco cum forti regionis plus minus vicinę pulsatione, innuit impeditum plus minus sanguinis motum, per unum alterumve arteriolę surculum.

Sanguis effluens tenuis, aquosus, & instar loturę carnium, ut loquuntur, plus minus signum est nimię sanguinis serositatis & aquositatis.

Denique humores acres excedentes ubi pręcesserint, non possunt causę latere, observatis simul cęteris concurrentibus signis; manifestò plus minus acris salsus sanguis effluens gustari solet.

In genere adhuc notandum, Sanguinis fluxum futurum interdum prędicere hypochondriorum tensionem atque pulsationem, & difficultatem spirandi, imprimis si solennior quędam sanguinis evacuatio suppressa fuerit, aut causa quædam sanguinem exagitans pręcesserit, vel symptomatis dictis combinetur; quamvis etiam sine his frequentiùs ille fluxus contingat.

Ex qua parte autem hęmorrhagia expectanda pręter consuetudinem, quâ quidam ad narium hæmorrhagiam, vel hęmorrhoidum fluxum proclives sunt, lęsiones & symptomata partium, & morbi pręsentis idea, v. g variolarum, quę narium hęmorrhagiam adjunctam sępe habent, monstrant.

In specie *hæmorrhagiam per nares* imminentem indicant dolor capitis & cervicis, pulsus arteriarum capitis & colli auctus, vertigo, oculorum rubor, aurium tinnitus, ac narium pruritus: per *asperam arteriam* difficilis respiratio & tussis: *hæmorrhagiam uteri* imminentem, pręter tempus mensium consuetum, monstrant tensio in regione hypogastrica & lumbis, eorum gravitas & ęstus; *hæmorrhoidum fluxum nimium* innuit pręter tempus consuetum: pulsus in hypochondriis, lumbis & dorso, venarum ani dolor & tumor, atque tenesmus.

Pertinent huc prę cęteris hęmorrhagiarum differentię probè dignoscendę: Hęmorrhagia enim est vel *spontanea* vel *non spontanea*; *spontaneæ* fiunt operâ naturę exonerantis corpus, ut in fluxu mensium patet, aut hęmorrhoidum, aut hęmorrhagiis narium periodicis, &c. Spontanea iterum vel *critica* est vel *symptomatica*: *Critica* hęmorrhagia fit in fine morbi cum euphoria ęgri, quam post materię coctionem natura in morbo facit, ut unà per illam curet: *Symptomaticę* sunt, quę in principio aut incremento febrium ardentium & variolarum superveniunt, fiuntque ex orgasmo sanguinis, molientis effusionem. *Non spontaneę* sunt, quę subinde in cursu morbi accidunt, citra euphoriam, vi aut errato aliquo externo. Unde spontanea critica non est curanda, quia est laudabilis naturę conatus, quin potiùs promovenda, nisi nimia sit, & cū insigni virium prostratione fiat, juxta *Aphorismum* HIPPOCRATIS 2. *sect.* 1. Spontanea symptomatica cautè tractanda est, nisi sit immodica, ac nisi impediat alium naturæ conatum, relinquenda: sic e. g. si superveneritin incremento variolarum aut petechiarum, ne retrocedant, supprimatur: similiter critica, si nimia sit, maturè compescatur. *Non spontanea* quæcunque *symptomatica*, cùm morbus sit, aut procedat ex habitu corporis morboso, necessariò est sistenda & præcavenda. Deinde hæmorrhagia est vel *habitualis*, vel *accidentalis*: *Habitualis* crebriùs, & vel brevi vel nullâ præcedente occasione, redit & affligit: *Accidentalis* verò rarò, nec nisi magnâ datâ occasione, contingit & affligit. *Accidentalis* est vel *cum febre*, vel *sine febre*; ibi ad turgescentem & ebullientem sanguinem simul plus minus respiciendum; item, an critica magis? an symptomatica fuerit?

Absoluta fuit Theoria Hæmorrhagiæ in genere unà cum signis diagnosticis. Supersunt *signa prognostica*.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN in genere observandum, quod *omnis hæmorrhagia sit excretio* planè *præternaturalis*, ita quidem, ut etiam *critica* suo modo *aliquid pręternaturale sit* nulla enim, præter menses & lochia, naturalis est: vid. FORESTUS *lib.* 6. *Obs.* 11. *in schol.*: Adeòque omnis, nisi tempestivè supprimatur, periculosa, & aliquid mali portendit, præter illam, quæ morbis aliis, præprimis cum febre junctis, criticè supervenit, illosque solvit, aut certè notabiliter imminuit; *optima enim crisis fit per hæmorrhagiam*: vid. ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Admir.*

Minus quoque periculi portendit hæmorrhagia plethoricis adsuetis, quibusvè ęvacuatio solennior suppressa, aut membrum aliquod detruncatum fuit, cui sanguis destinatus, nunc verò cohibitus, plethoram facit.

Moderata & *consueta* & plus minus *periodica hæmorrhagia*, quocunque in loco fiat, si subjecti conditio respondeat, & ho[...] facilè ferat, *salubris*, cùm deficientem varia mala, non secus ac excedentem, insequi soleant. Moderata igitur talis non sistenda est.

Hæmorrhagiæ quæcunque à causa interna cęteris paribus & periculosiores & cautiùs tractandæ, quàm quę ab externis.

Hęmorrhagię nimię quęcunque, uti ad animi deliquia, *ἀσφυξίας* & virium prostrationes immediatè disponunt, ita mediatè cachexias & hydropes successivè inferunt.

Periculosior est, quę copiosior, quę faciem citrinam, plumbeam aut fuscam reddit, cui convulsiones superveniunt, quę pituitosos & melancholicos, aut à quacunque causa emaciatos corripit, quæ morbum, cui accedit, non sedat, quam rigor excipit, utpotè qui de spiritibus exhaustis testatur: unde morbos chronicos, scilicet tabem, hydropem &c. hęmorrhagias immodicas sequi non adeò infrequens est.

In specie, ubi sanguinis fluxui supervenit extremorum refrigeratio, propinqua est syncope.

Dięresis arterię & venæ insignis & plurium, aut ejus Diabrosis, periculosissimę & curatu difficiles sunt, nisi harum vulneribus remedia immediatè applicari possint.

Quæ ab anastomosi vitio sanguinis, vel absolutè vel respectivè *abundantis*, nascitur, curatur facillimè.

Quę verò vitio sanguinis ferescentis, tardè & quasi medio modo se habet.

Quæ est ab acrimonia sanguinis, hujusque fluxu impedito, difficulter sedatur potissimum si posterior casus causam pertinaciorem, v. g. scirrhum hepatis, agnoscat.

Quæ *vitio vasorum* contingit, pro ratione morbi primarii plus minus curabilis esse solet.

Difficiliores sunt hęmorrhagię, quę fiunt lęsis arteriis, quàm à venis; item quę à venis majoribus, quàm quę à minoribus ruptis, contingunt.

CURA.

Quod ergò *attinet* CURAM: in ea ante omnia considerandum est, *an curanda sit hæmorrhagia*, *an verò sinenda*? de quibus suprà. *Deinde in habituali* distinguenda est cura in eam, quę fit *tempore paroxysmi*, adeòque est *curatoria*, & eam, quæ est *extra paroxysmum*, adeòque *pręservatoria*. *Tertiò probè* considerandum, *an* ipsa *hæmorrhagia sit morbus solitarius* & *primarius*? an verò *secundarius*? & si

& si hoc, *an sit cum febre? an sine febre?* Hinc omnis *hæmorrhagia spontanea & critica*, per quæcunque loca fiat, item quæ naturę solennis est, & cui adsueta, similiter in iis, quibus eiusmodi solennes sanguinis evacuationes suppressę, nunquam curandę, nisi forsan modum excedant, viresque notabiliter exsolvant, nec ipsi evacuatio quasi succedanea instituatur. *Symptomaticę* verò hęmorrhagię quęcunque sistendę sunt.

Consistit autem Cura hęc vel in proximarum causarum remotione, vel affluxus inhibitione, vel sanguinis aversione, per venę sectionem, cucurbitulas, hirudines, & fonticulos; vel in vasorum præter naturam apertorum fibrarumque partium constipatione atque obturatione, per interna sanguinis impetum coercentia, & externa, quę *vasorum ora* adstringunt, & sanguinem profluentem incrassant. *Dięreses verò vasorum* per *interna*, acre quodvis temperantia, & *externa*, vasa plus minus arrosa *adstringentia, consolidantia, conglutinantia*, &c. sunt restituendę, EXTERNA ista, eorumque administrandi rationem, *in sequentibus*, ubi *de Hęmorrhagiis in specie*, pluribus explicabo. Hac vice INTERNA cuivis *hęmorrhagię* speciei plus minus applicabilia consideranda veniunt.

Quoad *Anastamosin*:

(1.) *Sanguis nimius vasorum ora* aperiens imminuendus lentè per pauciorem dięctam victumque tenuem; confestim verò magis per sanguinis missiones quasvis, nunc venę sectiones, nunc scarificationes.

(2.) *Idem turgescens*, ut in plethora, vel *pręcipitantibus* vel *absorbentibus* fermenta ista acida volatilia, vel acidis, aut blandis, aut fortioribus, volatile acidum figentibus & coercentibus, compescendus: qualia sunt v.g. acetum, tinctura florum bellidis, *spiritus vitrioli*, hęmorrhagias narium scorbuticas subinde figens: Conf. M. A. N. C. *Ann. 3. Observ. 196. pag. 176.* Nitrum in aqua fontana solutum atque propinatum: vid. RIVERIUS *Cent. 1. Observ. 48.* & AGRICOLA *Chirurg. parv. pag.* 190. Pulvis hepaticus rubeus tinctura, lapidis hęmatitis, saccharum Saturni, hincque cum vitriolo martis parata tinctura antiphthisica, corallia, unicornu fossile, terra sigillata, lapis hęmatites, usnea, camphora, & opiata. Huc etiam pertinent vegetabilia nitrosa & moderatè adstringentia seu vulneraria, nempè portulaca, plantago, sedum seu sempervivum, &c. opiata, camphorata.

(3.) *Idem aquosus & nimis serosus* & tenuis maturè corrigendus, temperandus, & in debitam consistentiam revocandus, uel *exsiccantibus* aut imbibentibus, aut *incrassantibus*, & deinde *evacuantibus* serum superfluum per alvum, vel vesicam, vel per habitum corporis, & digestioni primæ prospiciendum.

(4.) *In anastomosi verò vitio vasorum* acidum istud, neruorum spasmos, nec non aliqualem obstructionem inducens, corrigendum per vulgò nota aperientia, in specie Martialia, in morbis convulsivis & hæmorrhagiis habituantibus pro eradicandâ radice optima; de quibus alio loco dictum.

(5.) *Quoad causas remotas diæreseos*; si hæc fiat *vitio sanguinis acrioris*, succi acres salsi erodentes obtundantur per blanda temperantia, & sanguinis crasin corrigentia, ut passulata, lacticinia, martialia & similia. *Si vitio vasorum onerosorum, vulneraria adstringentia* & incrassantia sunt convenientissima.

(6.) Laxitas denique atque porositas partium præternaturalis condensantibus atque roborantibus, quorum hæc Repellentia dicere liceret, corrigitur; qualia sunt, præter Alterantia dicta & mox dicenda, stercus asininum, lichenes equorum, de quibus vid. du HAMEL *Tractat. de Affect. Corp. pag.* 312. talus suis, vid. BARTHOLINUS *Cent. 5. Hist. 97.* aqua ex typis cervinis, pulvis sperniolæ Crollii: quibus demum accedant narcotica, v.g. semen hyoscyami, laudanum opiatum, electuarium diascordii &c. item crocus Martis cum aceto paratus, vitriolum Martis, acidulę artificiales, & tinctura antiphthisica Michaelis.

Pro hic scopis obtinendis.

Observ. 1. Convenit interdum, ut dixi, VENÆ SECTIO, seu alia sanguinis evacuatio. *Dico interdum*: nam perversa *Chirurgorum* est consuetudo, ut in omni *hæmorrhagia* sanguinem mittere velint. Verùm hoc stultum est, cùm licet sanguis non abundet, & jam tum effluat, eundem velle ulteriùs evacuare; scilicèt in quavis *hæmorrhagia* sanguis purè passivè habet, movetur nempè eo, quo spirituum moventium & organorum impetu pellitur, & effluit ubicunque vasorum ora aperta sunt, utut occasionalis causa interdum in sanguine hæreat. *Non ergò sanguinem evacuando, sed causas occasionales*, sive in sanguine sive in parte, per quam fit effluxus, hæreant, removendo corrigendæ sunt. Unica ergò *abundantia sanguinis*, sive *plethora vera*, & quibusdam in casibus *apparens*, sive turgescentia, aut inde natus impetus ad locum, per quem effluit, postulat venæ sectionem. Ideòque etiam in solenni evacuatione sanguinis suppressâ sanguinis detractio locum habet, nec non in hæmorrhagia præternaturali periodica, paulò ante hujus invasionem; vid. FORESTUS *lib. 24. Observat. 9. in schol.* Hæmorrhagia verò à fluxilitate aut acrimonia corrodente sanguinis, & reliquis omnibus casibus, quæ oritur, ibi vana & insulsa est venæ sectio. Ubi verò secanda, ibi studiosè *leges revulsionis, derivationis* & aversionis observandæ, quas venæ sectio parcior & aliquoties reiterata, item scarificatio atque cucurbitulæ præstant. Sanguis quoque à parte affecta avertitur per intercipientia, in specie per ligaturas & cucurbitulas, tam scarificatas quàm non scarificatas, partibus tamen potiùs remotioribus quàm vicinis applicandas.

II. PURGATIONES ipsæ *etiam sunt ridiculæ*, & quatales non conveniunt, nisi interdum nimia abundantia laticis aquosi, nimis fluxilem aut acrem faciens sanguinem, sui excretionem urgeat: *in tali enim casu utique* purgantia blanda aquas per inferiora conveniunt, uti in tali casu rectè eadem commendat FORESTUS *lib. 24. obs. 12.* FORTIS *Cent. 1. Cons. 92.* & RIVERIUS *in sua Prax. lib. 4. cap. 8.* & confirmatur etiam hoc ipsum per experientiam RONDELETII, qui curavit quendam singulis diebus duas vel tres libras sanguinis reiicientem, solis syrupis serosos humores evacuantibus; *seri enim copia*, quod vehiculum sanguinis est, subinde fluxus hujus est causa, præsertim *si acrius* idem fuerit; *Quin & per* SUDORES vel diuretica aquosum laticem uberiorem cum salibus heterogeneis emittentia hoc commodè fieri potest. Utut enim *sudor*, dum actu fluit, dissolvat massam sanguineam, eamque ita fluxiliorem reddat, postmodum tamen ubi cessavit sudor, sanguis sero depauperatus nonnihil crassescit, spissescit, & salibus superfluis aut heterogeneis liberatus, mitior evadit aut dulcescit, & ita *hæmorrhagia* plus minus sufflaminatur & cessabit. In specie, ubi cum febre fuerit hæmorrhagia symptomatica, per sudorifera non quidem volatilia, sed additis opiatis compescenda venit. *Confer. hic* WILLISIUS *Pharm. Rational. Part. 2. pag.* 418.

III. OPIATA *generalia sunt hæmorrhagiarum remedia*, dum & *irritationis* sensuum in hac vel illa parte undecunque excitatum sopiunt, & *spirituum* moventium *impetum* plus minus refrænant, adeòque quosvis rapidiores sanguinis inde concitatos motus quietiores reddunt, quo ipsum *catholicum* ἴσχαιμον, id est, sanguinem sistens, meritò habentur, internè & externè adhibenda. Experimenta huius rei novissimè retulit Medicus quidam Hassiacus, MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *in Epist. ad D. Doct.* *Widium, Archiatrum Spirensem, de Nova Matricis & Morbonæ Muliebris Anatome*, ubi fusè ostendit, quantum *opiata* in *narium* æquè ac *uteri hæmorrhagia* valeant. Vid. etiam HORSTIUS *in Obser.* ubi arteria loco venæ secta admotione opii fuit sedata.

Ex dictis patet, REMEDIA *ad hæmorrhagias* usitata esse.

(1.) *Vulneraria* & adstringentia, sanguinem *partim* inspissantia, *partim* vi alcalinâ, acida vitiosa absorbentia, *partim* vasorum læsiones restituentia, ut *plantago, portulaca, pilosella, bellis minor, rosæ, &c.*

Vel

(2.) *Absorbentia*, tàm *Martialia*, hisque cognata *coralla*, *hæmatites*, *terræ*, *boli*, &c. quàm *animalia*, ut *Cornu Cervi sine igne*, *ebur sine igne*, *unicornu verum*, *dens hippopotami*, &c. Sanè *Martialia* plurimis scopis in Curis hæmorrhagiarum satis faciunt; in specie hæmorrhagias ex nimia sanguinis acrimonia, item ex obstructione vasorum sanguiferorum, item hæmorrhagias habituales hypochondriacorum, scorbuticorum & spleneticorum, quæ subinde sunt stupendæ, vomitu sanguinis splenetico sæpius recurrente, (sive sit revera talis sive non, loquor cum vulgo) optimè sistunt Martialia. Hujus rei singulare exemplum habet LOWERUS *contra Mearam cap. 3. pag. 19.* ubi habet hæmorrhagiam stupendam chalybeatorum usu curatam: Conf. M. A. N. C. *Ann. 2. Observat. 222. pag. 324.* & *Ann. 3. Observat. 106. pag. 176.* Sunt præstantissima, partim quod acidum vitiosum, hæmorrhagiæ occasionalem causam, absorbeant, partim quod radicem in primis viis, unde affectus spasmodici hæmorrhagiarum superveniunt, exscindant; quin etiam in sanguinis serositate tenui & salsa optimè conferunt. *Martialia* nempè remedia per se semper *adstringunt*, per accidens verò aperiunt; unde perinde est interdum, si in hæmorrhagiis Martialia dicta *aperientia* sive *adstringentia* usurpentur, modò acida vitiosa primarum viarum, & inde dependens sanguinis crasis vitiata corrigantur, & affectus convulsivi hinc producti in radice emendentur. *Observavi hoc aliquoties*, in specie in mulieribus menstruantibus, in quibus liquor Martis solaris ritè usurpatus & ciet menses deficientes, & supprimit eosdem nimis fluentes; quod etiam circa *tincturam vitrioli Martis Zwelfferi* observavi, quæ aperit mensium obstructiones, & tamen in inordinato & sæpiùs recurrente fluxu cum fructu, pro eodem sistendo, observavi. Adeoque in cachecticis, hypochondriacis, scorbuticis, &c cum sanguinis fluxibus præternaturalibus, vel cum iisdem naturalibus, sed vitiosè aut inordinatè contingentibus, aut deficientibus aut excedentibus *Martialia* pro curatione utramque faciunt paginam, quippe quæ citra animalium partes pariter non nisi absorbendo, aut acida vitiosa fermenta & inquinatam massam sanguineam salsam corrigendo, operari solent:

Vel

(3.) In *hæmorrhagiis serosis serum imbibentia & incrassantia*, ut usta, terrea, aut aliunde evacuantia, ut Purgantia, Diuretica, præsertim ex classe vulnerariorum. Vel

(4.) *Sanguinem attemperantia* & quasi *edulcorantia*, ut passulæ & passulata, quæ planè singulare sunt remedium in curandis hæmorrhagiis nimiis, in specie cachexiis & scorbuticis; quatenus temperant acre quodcunque, & sanguinem dulcem & minus rosivum reddunt. Sic ipse novi exempla infantum, imò & adultorum, frequenter hæmorrhagiis narium obnoxiorum, solo frequenti passularum esu curatorum. Hinc quoque lac & lacticinia uti curant scorbutum, ita eorum usus hæmorrhagiam corrigit.

Ex his patent facilè remediorum formulæ: v.g. in *hæmorrhagiis ex turgescente* nimis *sanguine* cum *impetu febrili & phlogosi* vaga, convenit Potio ex alumine & spiritu vitrioli pag 124. præscripta, Apozema SYLVII *in Prax. lib. 1. c. 23. §. 34. pag. 187.* Vel

℞. *Aquæ plantag.*
Semperviv. mai. ana ℥iß.
Syr. papav. alb. ℥j.
Tinct. flor. bellid. cum *phlegm. vitrioli par.* ʒiij.
Spiritus vitrioli q. s. ad gratam aciditatem.
M. D. S.
Mixtura sanguinem sistens pro aliquot vicibus.

Capiatur cochleatim pro lubitu ad sistendam sanguinis turgescentiam.

In *hæmorrhagiis habitualibus* ex eodem *sanguine turgescente* ex acido volatili, v.g. in vini potatoribus, &c. adeòque in iis, qui vulgò ex sanguine bilioso & hepate nimis calido hæmorrhagias pati dicuntur,

℞. *Dent. hippopot. præp.* ʒiß.
Corall. rub. præp. ʒj.
Lap. hæmat. ʒß.
Sacch. Saturni ℈ij.
Laud. opiat. ℈ß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis vaporans.

Capiatur subinde manè quantitas cultelli cuspidis.

Item

℞. *Extr. flor.* ʒiij.
Ebor. sine igne.
Dent. hippot. ana ʒß.
Corall. rub. præp. ʒj.
Hæmat. præp. ℈ij.
cum s. q. *syr. ros. rubr.* & *papav. errat.* f.
Electuarium.
D. S.
Electuarium sanguinem sistens.

Extractum florum paratur sequenti modo:

℞. *Flor. ros. rub.* p. ij.
Papav. errat.
Bellid. rub. ana p. j.

Per multiplicem infusionem in aqua simplici hinc expressionem & inspissationem, f. l. a Extractum.

Sic parabitis *extractum* succosum ad imitationem ANGELI SALÆ, *ubi de Extractis Vegetabilium.*

In hæmorrhagiis habitualibus ex sanguinis tenuitate serosa.

℞. *Passul. min. conquass.* aut *earundem pulpæ* ℔ß.
Rhabarb. el. ʒij. vel ʒiij. pro lubitu.
Tartari vitriolati Tach. ʒj.
cum s. q. *Syr. Pomor.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium sanguinem temperanter sistens.

Capiatur manè & vesperi duabus horis ante cœnam quantitate castaneæ; Vel

℞. *Passul. min.* vel *conserv. Rosar. rub.* ℥iij.
Rhabarb. el.
Corall. rub. præp. ana ʒiß.
Ebor. sine igne ʒj.
Dent. equi mar. ʒß.
Extr. Mart. cum *succ. pom.* ʒij. vel ʒiij.
cum s. q. *Syr. ros. rub.* f. Electuarium.
D. S. ut *suprà.*

Utile est & per sudorem occurrere tali hæmorrhagiæ;

℞. *Cornu cervi ust.* ʒj.
Terræ sigillat. ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
M. pro 2. dosibus.
cum sudore usurpandis.
D. S.
Pulvis sanguinem sistens.

In *hæmorrhagia ab acriori sanguine*, *à lympha* aut erosione, omnibusve modis concitata, sanè polychresta est *Mixtura* SYLVII *lib. 1. Prax. cap. 9. §. 20.* Ad cujus imitationem sequentes, omnes reliquas compositiones superare videntur:

℞. *Aquæ plantag.* ℥iij.
Cinnam. ʒij. ad ʒiij.
Acet. vini ʒiij. ad ℥ß.
Corall. rub. præp. ℈ij. aut loco horum *Croci Martis adstr.* ʒß.
Terræ sigillat. ℈j. vel ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. Myrtin. vel *Portulac.* ℥iij.
M. D. S.
Potio sanguinem sistens.

Capiatur pro aliquot dosibus. Vel

℞. *Aquæ portulac.*
Plantag. ana ℥iß.
Cinnam. ʒiij.
Acet. destill. ʒß.
Trochisc. de Carabe, vel *terra sigill.* vel *Boli Arm.* ℈ij. ad ʒj.
Corall. rub. præp.
Unicorn. fossil. ana ℈j.
Laud. opiat. gr. ii. ad iv.
Syr. Corall. Querc. vel *Myrtin.* vel *de rosis sicc.* ʒvi. vel ℥j.
M. D. S. *ut antè.*

Capiantur cochleatim, cohibent enim fluxum hæmorrhoidum nimium & symptomaticum.

Hucquoque pertinet Electuarium HELIDÆI PADUANI, de quo *infra*, *ubi de Hæmoptysi.*

In *hæmorrhagia symptomatica*, e. g. febrium malignarum, præscribi potest sequens:

℞. *Aquæ scorzoner.* ℥ii.
Tenell. Cornu Cervi ℥j.
Acet. destill. vel *simpl.* ʒvi. vel *succ. Citri* ℥j.
El. diascord. Frac. ʒii. ad ʒiii.
Antimonii diaphor. ʒj.

Syr.

Syr. Rubiidæi ℥j.
M. pro tribus dosibus
D. S.
Mixtura sanguinem sistens, pro tribus dosibus.

His observatis, in genere ad hæmorrhagiam quamcunque, pluribus indicationibus, nempè adstringendo, consolidando, vasa claudendo, & sanguinem temperando satisfacientia, imprimis sequentia, & quidem ex regno Vegetabili, sunt: Portulaca, plantago, symphytum majus, & ex his paratus syrupus compositus, quem videb. *suprà Sect. 6. cap. 2.* polygonum, millefolium, folia tenella Quercus, rosæ rubræ inodoræ, semen sumach, cortices granatorum, lysimachia, bursa pastoris, flores balaustii, sanicula, pyrola, polygonum, bellis minor, ruta, vinca pervinca, hedera terrestris, urtica minor & radices urticæ majoris, (vid. RODERICUS *à Castro de Morb. Mul. lib. 1. cap. 5.* & RIVERIUS *Pr. lib. 4. cap. 8.*) symphyti majoris, tormentillæ, pimpinellæ, sanguisorbæ, millefollii, bistortæ, folia quercus teneriora, muscus terrestris, quercinus, &c. *fructus myrtilli*, acacia nostras, gallæ, rubi; horumque simplicium decocta & syrupi, aqua & syrupus portulacæ, plantaginis, syrupus de symphyto, syrupus coralliorum, mirtillorum, de hedera terrestri, &c. quæ omnia adstringunt, & sanguinem quodammodo incrassant: item semen portulacæ, lactucæ, urticæ; item papaver & papaverina, semen hyoscyami, opium, & quælibet alia hujus generis anodyna certo experimento hæmorrhagias sistunt. Pertinet huc radix acori aquatici seu pseudoacori, & ex hoc parátum *Nectar adstringens D. Langii*, ex succo nempè cum saccharo in consistentiam syrupi inspissato; & sanè egregium est remedium adstringens, & quodammodo sanguinem inspissans, indeque in quocunque tam sanguinis, quàm aliorum humorum fluxu commendo; item syrupus coralliorum, syrupus myrtinus: in specie, succus urticæ majoris recens expressus ad uncias aliquot internè assumptus contra quamcunque hæmorrhagiam narium, sputum sanguinis, vomitum cruentum, ab omnibus laudatum experimentum existit; in specie vid. RIVERIUS *in Praxi*, ZACUTUS LUSITANUS, & AMATUS LUSITANUS, qui non possunt satis commendare hunc ipsum, utpotè quo variæ hæmorrhagiæ & hæmoptyses curatæ fuerunt. Datur hic succus ab ℥iß. ad ℥ij. vel ℥iij Quidam *syrupum ex succo urticæ* in promptu habere solent, quem ad recurrentes hæmorrhagias solent subinde propinare: sic urticam majorem vulgarem contusam plantis pedum & volis manuum, item membro virili, applicatam maximè commendat BORELLUS *Cent. 1. Obs. 95.* sic fungi betuli ramenta ad miraculum hæmorrhagiam externam sistunt, teste CROLLIO *Basil. Chym. pag. 308.* TACHENIO *Morb. Princ. pag. 187.* Porrò *muscus seu usnea cranii humani* ex cranio violenter interempti desumpta, nobilis & mirabilis est in sistendis hæmorrhagiis, quatenus per mumiam microcosmi imprægnata est, dosi à gr. xij. ad ℈j. vel ʒß. propinatur in aqua bursæ pastoris cum syrupo coralliorum &c.; externo & interno usu periculosissimas sistit hæmorrhagias, & divinum vocatur remedium à LANGIO; Prostant enim exempla hæmorrhagiarum desperatarum beneficio hujus usneæ feliciter curatarum: vid. BECKERI *Medicus Microcosm.* & HILDANUS *Epist. 27.* LINDANUS refert, se Comitissam, cui nullis remediis sedari potuit hæmorrhagia, restituisse per solam *cranii humani usneam*; unde & HILLERUS *in Cent. 1. Cura 20.* confirmat, se periculosissimam hæmorrhagiam narium ex potu vini excitatam, per ʒß. cranii humanii, & ʒß. usneæ, cum aqua bursæ pastoris sedasse. Externè inditur naribus, aut ubi sanguis aliàs effluit, compescit insigniter fluxum hunc. De variis ex hoc paratis medicamentis, tum internis, tum externis, vid. *M. A. N. C. Ann. 2. Obs. 53. pag. 100.* Loco hujus tamen solet substitui muscus prunorum sylvestrium & quercinus, qui tamen minoris est pretii. Hisce accensetur sanguis draconis: verùm cùm genuinus rarò apud nos habeatur, caveamus ab usu ejus, & potius exhibeantur mastix, sarcocolla, thus, myrrha, aloe, gummi Arabicum, mumia, succinum, & similia sanguinem temperantia & incrassantia. *Passulæ suprà laudatæ* fuerint, & *conducunt in* specie *hæmorrhagiis ex vitio sanguinis acrioris, serosioris, acido-salsioris &c.*: Nam tali ex causa hæmorrhagias habituales natas crebrior *passularum minorum* comestio sublevat. *Rhabarbarum* denique non tàm pro sero evacuando, quàm sanguine alterando, & crasi ejus restituenda, in hæmorrhagiis & serosiore sanguine confert. *Camphora* non negligenda, quæ spiritus afficit, & fermenta peregrina acida sanguinis mirificè corrigit.

EX REGNO MINERALI reliqua remedia superat Mars, omniaque *Martialia* suprà laudata, & subjecta reliqua Martialia: qualia sunt lapis hæmatites, qui virtute Martiali confert ad hæmorrhagiam, tàm in substantia præparatus, quàm ejus tinctura; terræ Martiales, bolus ruber, item Armena, terra sigillata, terra vitrioli dulcis, &c, quæ huc suo modo pertinent, Corallia, eorumque tincturæ, vitriolum Martis, & *acidularum* potus, &c. Ex omnibus convenit *tinctura sulphuris vitrioli*, quæ revera est saltem tinctura Martis adstringens, ad omnes & quascunque sanguinis hæmorrhagias expertissima. Equidem paratur vulgò ex capite mortuo vitrioli Martis benè edulcorato, sed meliorem modum docebo:

℞. *Vitriolum martis nativum*, & si non habetur genuinum (nam nihil debet participare de venere, aliàs si tantillum veneris adsit, loco facultatis adstringentis facit vomitus) solve vitriolum in aqua, & injice *limaturam ferri*, sic præcipitabitur omnis venus, & præcipitata in forma crustæ cupreæ supernatat solutioni, quæ filtrata inspissetur & dabit *vitriolum martis genuinum*.

Hoc facto:

℞. *Solutionem vitrioli hujus martis*, & instilla eidem guttatim lixivium *salis tartari*, vel *oleum tartari per deliquium*, sic cadit crocus martis in fundum; hocque fiat tamdiu, donec fiat saturationis punctum, filtretur: (liquor blando igne evaporatus seu crystallisatus dat *Tartarum vitriolatum Tachenii*:) Crocus verò præcipitatus edulcoretur probè copiosà *aquâ simplici*, lotusque exsiccetur, sic habebitur pulvis flavus instar croci, qui præferendus est omni alio croco martis adstringenti, & est egregius in erosione capitis, & ulceribus manantibus.

Porrò *Crocus* hic *præcipitatus* solvatur in *spiritu nitri*, vel *spiritu salis composito*, ita fiet insignis effervescentia & incalescentia; solutio filtretur, abstrahatur per retortam ad consistentiam mellis, massa remanens postmodum ponatur in locum calidum cum *spiritu vini probe rectificato*, & digeratur, sic habetur tinctura martis, quæ filtrando separetur; & hæc tinctura vulgò *Tinctura sulphuris vitrioli*, rectiùs tamen *Tinctura Martis* appellatur.

Hæc tinctura adstringit, & est nobilis & egregia in omni hæmorrhagia, ritè parata, datur ad guttas xx. xxx. & xl. in quocunque vehiculo usurpata.

Facit hoc quoque *Extractum martis* adstringens HARTMANNI, quod habet *in Praxi Chymiatr. cap. 50. de Hæmorrhag. narium*, estque compositum corpus ex terra & marte; confert tam externè, quàm internè, in manibus detentum. Est experimentum LINDANI, cui instar omnium remediorum est; utpotè quo puerum desperatâ hæmorrhagiâ narium laborantem curavit. Datur ad gr. v. vel ix. cum conserva quadam adstringente in forma Boli. Item saccharum saturni & ipsum hæmorrhagias compescit. Similiter facit huc hæmatites artificialis ex vitriolo Martis & saccharo Saturni. Modum habet GLAUBERUS *in P. 3. Teutschlandes wohlfarth*. Processus est legitimus, utut non rarò dictus Autor mentiatur. Item loco acidularum *liquor Martis solaris* ad hæmorrhagias chronicas aut sæpius recurrentes conducit, præternaturales nimios fluxus sanguinis sistendo, & è contra naturales aut deficientes aut inordinatos restituendo; item pulvis hæmatitis cum aceto aut succo granatorum acidorum propinatus; item liquor stypticus ex terra sigillata cum spiritu vitrioli vel nitri paratus; item *tinctura antiphthisica* ex saccharo saturni & vitriolo martis parata, egregiè convenit in quacunque hæmorrhagia. Quibus Essentiæ & extracta Martialia quæcunque commodè annumerari possunt. Spiritus vitrioli *supra laudatus* coagulando blandè sanguinem, hæmorrhagiam sistit, in specie quæ ex turgescentia aut nimia ebullitione sanguinis oritur, quatenus orgasmum ejus sistit & blandè coagulat. In quo casu etiam nitrum depuratum, & omnia nitrata, interno & externo usu, in specie interno, cum fructu usurpari possunt, etiamsi hæmorrhagiæ per iracundiam excitatæ fuerint, & à FELICE WURZIO tanquam speciale arcanum contra hæmorrhagias commendatur. Pertinet huc *pulvis sympatheticus ex vitriolo Veneris* benè depurato, & radiis solaribus, Sole in Leone versante, exposito & calcinato para-

paratus, pro usu externo, qui sanguini effluenti sive ex utero sive è naribus, sive pectore (de omnibus habeo experientiam) inspersus, aut saltem, si linteum sanguine isto adhuc madidum eo saltem adspergatur, aut linteum cruore effuso ebrium solutioni dicti pulveris immergatur & applicetur, certo & mirabili experimento ad hemorrhagias quascunque sistendas maximè proficuus est, quæ ita sympatheticè curantur: vid. DIGBY *in Orat. eleg. de pulv. Sympathetico.*

EX ANIMALI REGNO conveniunt in genere ad hæmorrhagias animalium partes duræ, in specie *ebur sine igne, unicornu verum, dens hippopotami; Cornu cervi ustum*, &c. absorbentia vitiosa acida, & incrassantia sanguinem; item remedia ex ranis, *sperma ranarum*, cujus aqua destillata internè hausta, & externè convenit, quod solitariò cum pauco *aceto rosato* applicatum, singularem vim obtinet hæmorrhagias compescendi; inde etiam ex hoc paratus pulvis sperniolæ *Crollii* est admodum commendatus ad hæmorrhagias, dosi ℈ß. ad gr. xv. vid. SCHROEDERUS. Permiscetur cum aliis in quacunque forma: aut etiam pulvis AGRICOLÆ sequens:

℞. *Sacch. Saturni.*
Thuris,
Myrrh. ana ʒij.
Croci,
Camphor. ana ʒj.
M. F. Pulvis.

Qui cum *aqua spermatis ranarum* imbibitur, & lentè exsiccatur. Nam licet *myrrham* contineat, quæ alias facilè hæmorrhagias resuscitat, nihilominus tamen *sperniola* innocenter usurpari potest, nunc *solitaria*, nunc aliis *mixta*: v. g. ad coercendam hæmorrhagiam:

℞. *Lap. hæmat. pulveris.* ʒß.
Sperniol. Croll. gr. xv.
Laud. opiat. gr. iij.
M. f. Pulvis:
divid. in 2. part. æquales.
D. S.
Pulvis contra hæmorrhagiam in duabus dosibus.

Nam papaverina & opiata quævis semper remediis contra hæmorrhagias nimias addenda sunt, imprimis si dolor adjunctus sit. Vehiculum horum pulverum potest esse:

℞. *Aquæ portulac.*
Semperviv. mai. ana ℥j.
Syr. Plantag. vel *portulac.* q. s.
M. S.
Aqua ad pulverem.

Porrò excrementa quorundam animalium singularem vim habent ad hæmorrhagiam sistendam. Cetera omnia antecellit stercus asininum suillum, & stercus canis ossa rodentis. quæ tria utut apparenter fœtida, sunt tamen reverà expertissima contra quascunque hæmorrhagias, externo pariter & interno usu. Sanè, præter *pulverem* ex his paratum, ex *stercoribus* suillo & asinino exprimitur succus, qui ab ℥ß. ad ℥j. vel ℥iß. in convenienti vehiculo propinatus, est efficacissimus; aut ex horum succo cum saccharo fiat syrupus ad hæmorrhagias, qui vid. in PRÆVOTIO, & in JOELIS *Praxi*. Hi ipsi syrupi admodum egregii sunt in compescenda hæmorrhagia: item permiscentur hi succi stercorum cum succo urticæ, & ita internè propinantur. Conf. RODERICUS à CASTRO *de Morb. Mul. lib. 1. cap. 5. pag. 48.* & ZACUTUS LUSITANUS *lib. 1. Prax. Histor. cap. 2. nu. 4.* Vel, quod alii faciunt:

℞. *Succ. sterc. asinin. rec.*
Syr. myrtillor. vel *myrtin.*
Portulac. ana ℥ß.
Aquæ plantag. ʒvj. ad ℥j.
M. pro Haustu.
D. S.
Potio hæmorrhagiam sistens pro uno haustu.

℞. *Succ. sterc. asinin.* ℥iß.
Syr. myrtin.
Aquæ plantag. ana ℥i.
M. S. ut suprà.

Stercus canis verò pulverisatum in substantia convenienter admodum propinatur, loco quorum quidam pro secreto commendant ipsum sanguinem proprium per quæcunque loca excretum, arefactum, & à ℈ß. ad ʒj. ipsi ægro in liquore appropriato propinatum, item externè, si fieri potest, loco hæmorrhagiæ applicatum istam mirificè sistere dicunt: vid. SCHMUK *in Curat. Magico-Magnetic.* De lacte *suprà dictum.*

Superest adhuc *bufo*, mense Julio aut Sole in Leone existente captus, per caput transfossus, & ita enecatus, atque siccatus, & in sindone rubra appensus, quamcunque hæmorrhagiam ex nimio spirituum fervore & impetuoso motu concitatam, ob pavoris ideam ex hominis præsentia contractam, feliciter sistit; vel etiam si tantum sub axillis lateris istius, quo sanguis fluit, applicetur, ut probè incalescat; vel etiam, si tantummodo bufo exsiccatus in manu detineatur, donec incalescat. Speciatim convenit ita *bufo* in *hæmorrhagiis narium symptomaticis* in *principio febrium malignarum*, in specie variolarum admodum periculosis: In his bufo dicto modo præparatus, aut etiam recens contusus sub axillis applicatus, aut etiam regioni cordis appensus, perquàm egregius est, tàm ratione malignitatis, quàm ratione urgentis symptomatis. Juxta bufones & ranæ, in specie virides, exsiccatæ & omnia ex ranis, earumque pulvis in vino rubro propinatus mirificè hæmorrhagias sistit; quæ vivæ contusæ, earumque sperma, pariter applicari possunt ad quamcunque, tàm virilem quàm muliebrem, hæmorrhagiam compescendam.

Unum adhuc de partium, præprimis internarum, hæmorrhagiis curandis notetur, ut his sedatis medicamenta grumos sanguinis dissolventia propinentur atque applicentur, in principio tamen moderata, v. g. sperma ceti, marga saxorum, lapilli cancrorum, terra Hibernica, & cum adstringentibus, v. g. pulvere sperniolæ & Agricolæ modo commendato, temperanda. Progressu temporis & potentiora sola & cum sudoris aliqualis provocatione exhibenda, qualia, præter diaphoretica, sunt radix polygonati, caryophyllatæ, rubiæ tinctorum, cherefolium, sabina, verbascum, Geranium Robertianum cum vino decoctum, terebinthina, fuligo, sanguis hirci, &c. Nisi enim talia applicentur, metuendum, ne grumi putrescentes acrimoniam contrahant, hincque, erodendo, novam hæmorrhagiam aut ulcus, aut simile quid corpori detrimentosum parent.

In *hæmorrhagia à cantharidibus* convenit lac, decoctum nucum pineæ cum visco quercino, passulæ, ichthyocolla, gummi arabicum & tragacantha: vid. JOEL *Prax. lib. 3. pag. 280.* quæ omnia acrimoniam hanc vel illam corrigunt.

Restant tandem *ipsa orificia vasorum* atque *pori partium constringendi ac constipandi*. Quibus medentur Emplasticis, sive Conglutinantibus sive adstringentibus. Utraque saltem Externa sunt; & priora quidem albumen ovi, thus, sarcocolla, sanguis Draconis, mastix, aloe, farina fabarum; unde PARÆUS *pag 384.* dimidium fabæ in hæmorrhagia ab hirudinum tactu commendat, parti affectæ applicandum: Item hujus loci est gallina seu columba per medium dissecta, & calidè applicata, quatenus harum sanguis grumescens orificia vasorum obturat. Posteriores generis iterum duplicia sunt: Scilicet eadem *vel* austeritate notabili pollent, nempè vitriolum, hujus spiritus, tinctura sulphuris vitrioli, crocus Martis adstringens, tinctura lapidis hæmatitis, acetum simplex & rosaceum, lac virginis, fructus & succus acaciæ, succus hypocistidos, bistorta, millefolium, muscus terrestris, potissimum quercinus, de tegula & cranio humano; vid. HILDANUS *Centur. 2. Observat. 5.* Flores rosarum, balaustiorum, cortices granatorum, myrtilli: *Vel* sanguinem constringentia, huncque imbibentia, quæ vasorum extremitatibus firmiùs adhærescunt, adeoque hos obturant, scilicet bolus Armena, terra sigillata, gypsum, alumen ustum, pili leporini, & crepitus lupi. De argilla cum aceto in cataplasma redacta, & fumo succini albi, vid. RULANDUS *lib 1 Obs. 15. pag. 73.* stercore porcino ac asinino, vid. FORESTUS *l. a. Obs. 13.* de spiritu vini rectificato, spiritu terebinthinæ & opio, *HORSTIUS lib. 9. Obs. 12.*

Atque ex his varia commendantur composita, e. g. liquor ille stypticus Gallorum, qui ceu secretum ad quascunque hæmorrhagias, etiam ex vasorum sectione, laudatur. Liquorem hunc mihi transmissum examinavi, expertusque sum, quod sit nihil aliud, quàm solutio aluminis, cui dimidium præter propter de vitriolo martis fuit additum: Nempè binæ aluminis partes & una vitrioli martis mista & soluta in liquore appropriato, dat hunc liquorem. Hoc probavi ita: Infudi Decoctum gallarum huic liquori, & ecce! præcipitatus est in liquorem nigrum, de-

ditque distinctos aluminis crystallos. Liquor hic externè, cuicunque loco admotus, ubi effluit sanguis, ceu certissimum remedium fuit deprehensus. Ad imitationem hujus facilè alius liquor potest parari; vid. WEBERUS *Tr. de Liqu. styptico*: Item

℞. *Limat. martis* part.j.
Spiritus vitrioli part.iv.
Digerantur in loco tepido, affundendo
Phlegm. vitrioli vel aquæ pluvial. destillatæ q. s. pro solutione & dilutione, ut commodè filtrari possit.
Filtrato liquori addatur
Solut. Alum. crudi in refracta dosi, & usui servetur.

Vid. BARTHOLINUS *Act. Hafniens. Vol.2. Obser.* 133.

Huc quoque pertinet pulvis ille Chirurgis Hollandicis familiaris, quem TULPIUS *lib.1. Observat.49.* describit; scilicet

℞. *Bol. Armen.* ℥ij.
Calcis vivæ,
Vitrioli usti,
Alum. usti ana ℥vj.
Lap. Hæmat.
Aloes lucid.
Sang. Dracon.
Terræ Lemn.
Croci martis,
Mumiæ ana ℥ij.
Mastich.
Thuris, ana ℥j.
M. f. Pulvis subtilissimus.

ARTICULUS II.
DE
HÆMORRHAGIA NARIUM.

Considerabimus jam speciales rationes diversarum hæmorrhagiarum, inter quas in principio hæmorrhagia narium se offert, seu sanguinis fluxus præternaturalis ex naribus, in quarum intimam *superficiem* terminantes *arteriolæ hæmorrhagias* istas excitant. Subinde copiosissimus sanguis est, & qui per plures poros ex naribus effluit, quem tunc ex sinu cerebri falciformi aut ejus vasis apertis ad nares pervenire multi asserunt, quod tamen falsum, sicuti sufficienter hoc dogma rejicit SCHNEIDERUS *Tr. de Osse cribriform. pag.411. & seqq.* ubi sufficienter demonstrat, nullo modo ex sinu falciformi decidere quamcunque sanguinis guttulam. Quin potius *vasa*, *ex quibus* in hæmorrhagia narium effluit, sunt *propagines rami arterialis à carotide interna*, qui juxta processus mamillares plures, inter surculos quosdam per foramina ossis cribrosi transmittit ad membranam narium superiorem glandulosam, per quæ vasa, seu per quas arteriolas & lymphæ simul affertur materia, per glandulosam istam texturam excernenda, ita ut ex orificiis istis apertis, & propter continuam à lympha humectationem naturaliter laxioribus, *narium hæmorrhagiæ* accidant: Conf. WILLISIUS *Pharmac. Ratio. Part.2. pag.40.*

CAUSÆ.

Præter CAUSAS INTERNAS cum aliis hæmorrhagiis communes, EXTERNAS inter motus animi vehementiores, ut ira, gaudium, &c. hæmorrhagiam hanc interdum excitant: quò pertinet etiam illa hæmorrhagia narium, quam cuidam ex vitulino boatu, & carnis vitulinæ conspectu contigisse Rhodius Centur.1. Obs.89. refert; item *pulveres sternutatorii* fortiores inspirati aut alia quævis inspirata acriora ineptè applicata. Hujus exemplum habet KERKRINGIUS *in Spicil. Obs.52.* ubi lethalem observat hæmorrhagiam narium ex helleboro albo in sternutatorio natam.

DIAGNOSIS.

Quoad SIGNA DIAGNOSTICA. *Imminentem* eam ostendit motus sanguinis sursum versus, cujus INDICIA sunt *dolor capitis & colli tensivus*, temporum verò dolor gravis plus minus *pulsans*, *oculorum caligo vel splendor*, *lacrymæ* copiosæ *involuntariæ*, *rubor malarum*, *oculorum pruritus*, tinnitus aurium, *titillatio narium* &c. quin & interdum aliqualis manuum tremor accedit.

Hæc signa tàm in quàm extra morbum hæmorrhagiam narium pronunciant.

Imò & pulsus in carpo durus & quasi vibrans, arteriarum colli & capitis auctus, *hæmorrhagiarum recurrentium*, & quidem vitio vasorum, signum esse solet.

An autem sanguis ex vasis narium an cerebri promanet, dignoscitur ex hoc, quod sanguis ex narium vasis parcè & stillatim ferè; ex vasis cerebri autem majori fluxu & impetu effluat; sicut ex his libras viginti quatuor sanguinis profluxisse BAUHINUS *Theatr. Anatom. lib.3. cap.8.* notat.

Si in febribus acutis & ardentibus lachrymæ involuntariò profluunt, his sanguinis eruptionem ex naribus expectare convenit, ut loquitur HIPPOCRATES.

PROGNOSIS.

Quoad PROGNOSIN; ea instituenda est, tam de imminente, quàm præsente.

Hæmorrhagia narium, quæ fit in morbis acutis, & quidem præprimis in statu, funesta est. Si fiat confertim cum euphoria ægri, est salutaris: stillicidium verò sanguinis, id est, exigua sanguinis & stillatim facta ex naribus eruptio & fluxus in morbo acuto, præsertim maligno & die quarto, malum signum est, nisi forsan causa externa vel excitaverit, vel ejusdem incipientem fluxum inspissando vel retinendo impediverit.

Notabile est, quod HIPPOCRATES jam olim monuit in affectibus hepatis & lienis, dum dicit: *Fluxus sanguinis è naribus non è directo factus*, (id est, qui in nare diversa est, h. e. in dextra, si lien laborat, & è sinistro, si hepar) *malum; nam tales hæmorrhagiæ, si debent esse proficuæ*, κατ' ἴξιν, *id est rectitudinem, fieri debent.*

Quibus in febribus ardentibus aures obsurduerunt, his non solutâ febre, delirare necesse est: solvit autem inter alia & *sanguinis è naribus eruptio.*

Interdum in morbis acutis ægri contrectant nares, quod pessimum signum est; innuit enim naturam moliri aliquam hæmorrhagiam, quæ tamen propter imbecillitatem & imminutum sanguinis circulum non procedit.

In febribus Hungaricis aliisque malignis ægros sanat critica hæmorrhagia, quam imminentem indicat surditas in statu veniens.

Si in principio variolarum larga narium hæmorrhagia advenerit, & sponte cesset, bonum est, & facilè evadent ægri.

Eruptiones sanguinis è naribus sæpius sunt admodum copiosæ, aliquot librarum pondus accedentes, adeò ut etiam ad libras quatuor sanguis effluxerit, hoc tamen citra ægri virium lapsum. Item observatum fuit ad libras octo vel decem excretum fuisse sanguinem non citra periculum, utut absque vitæ jactura.

Aliàs nimis copiosa hæmorrhagia narium si affligat, eadem prognosis facienda, quam *heri in genere de hæmorrhagia nimia* indicavi. Tam largiores enim sanguinis evacuationes, quàm ejusdem plus minus aut etiam planè non consuetæ, saltem intempestivæ suppressiones morbos excitant: hæ quidem pathemata cerebri & nervosi generis epileptica, soporosa, &c. illæ, absumendo spiritus vitales, syncopes, cachexias, singultum & convulsionem.

CURA.

In CURA Hæmorrhagiæ narium imprimis attendenda est causa proxima, an sit nimirum effectus anastomoseos? quæ frequentior; an verò erosionis vasorum seu diæreseos? quæ rarior. INTERNA sunt eadem, quæ de *Hæmorrhagia in genere artic. præcedente* hactenus dixi; saltem in hæmorrhagia narium ex nimia turgescentia & fervore sanguinis conveniunt blanda acida, sanguinem, & hujus impetum ad nares, quantum possibile, cohibentia & quodammodò coagulantia, qualia sunt spiritus acidi ex mineralibus, essentia martis adstringens, tinctura sulphuris vitrioli, liquor stypticus, syrupus factus ex succo stercoris asinini, mistus cum syrupo myrtillorum; item opium & opiata, quorum formulas dedi, uti & absorbentia, *suprà Artic.1.* Vel

℞. Ebor.

℞. *Ebor. sine igne,*
Terræ sigill.
Corall. rub. præp. ana ℨj.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis contra hæmorrhagiam.

Si verò narium hæmorrhagia sæpè recurrat ex nimia tenuitate serosa, conveniunt passulata crebrò usurpata, in specie sub forma Electuarii *Artic. Anteced.* præscripti, de quo manè jejuno stomacho & vesperi duabus horis ante cœnam capiatur quantitas castaneæ, vel nucis juglandis, vel quantum placet, ut corrigatur sanguis. Convenit in genere in quocunque sanguinis vitio, quod Veteres aliàs derivarunt ex hæmatosi læsa vitiosi hepatis; moderni verò deducunt ex vitio fermentationis sanguinis. Ubi adest lymphæ acrimonia, præter ea, quæ *suprà in hæmorrhagia ingenere* dixi, convenit & potio sequens:

℞. *Aquæ portulac.*
Plantag. ana ℥iß.
Acet. destill. ℥vj.
Terræ sigillat. ℈ij.
Corall. rub. præp. ℈j.
Sperniol. Croll. gr. xv.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. Portulac.
De symph. Fernel. ana ℥ß.
M. pro aliquot vicibus:
D. S.
Potio hæmorrhagiam sistens.

Quales mixturæ in omnibus casibus applicari possunt.

In hæmorrhagia narium habituali experimentum est herba Menthæ recens cum pane & butyro comesta, vel ejus succus frequentiùs assumptus.

Præter hactenus enarrata INTERNA, eaque respectu causarum varia, *in paroxysmo* per externa sanguinis impetus ad nares, quantum possibile, avocandus, vel *spirituum impetum sopiendo*, vel *sanguinis ὀργασμὸν aut turgescentiam refrænando*, & deinde *orificia vasorum* aperta occludendo.

Quoad priorem scopum: ligaturæ extremorum *dolorificæ*, sanguinis missio in brachio, pro scopo aversionis, vel in pede pro scopo revulsionis, frigidorum & *adstringentium nuchæ*, *fronti*, item *scroto*, *manibus*, *mammis* in mulieribus, interdum & *hepati* applicationes; item *terror* inspersione aquæ frigidæ in faciem & nucham, aut quovis modo inductus, (vid. ROLFINCIUS *Ord. & Meth. Comment. lib. 14. sect. 3. cap. 12.*) *dolores* graviores circa remotiora loca excitati, aut *lipothymiæ* inductæ, spirituum & hinc sanguinis motum partim sistendo, partim aliunde derivando, subinde proficuæ existunt. Sic sunt, qui ceu remedium revulsorium proponunt *incurvationem minimi digiti*; cum enim vehemens illa compressio intensum dolorem pariat, hujus occasione forsan hæmorrhagiæ medela erit. Nec alia ratio videtur, quare contumax hæmorrhagia per *cauteria actualia plantis pedum* admota curata fuerit à ZACUTO LUSITANO *lib. 1. Prax. Admir. Obs. 66.* Quibus & SPECIFICA quædam, quæ singulari & sympatheticà plus minus vi sanguinem cohibent, simul socientur, inter quæ primarium locum habet *bufo*, cujus jam aliquoties facta fuit mentio, diebus canicularibus transfossus, & ita exsiccatus, sub axillam alligatus, aut fronti admotus, mirè sistit hæmorrhagiam narium: quod etiam facit pulvis bufonum naribus inspersus: hinc & *emplastrum magneticum* CNOEFFELII *ex bufone* locum habebit *M. A. N C. Ann. 6. Append. pag. 33.* item bufonis sub dio suspensi, donec caro universa sit absumpta, os femoris denudatum, nari inditum hæmorrhagiam subitò & continuò compescere asserunt. Lignum fraxini, sympatheticum dictum, certo tempore decisum, revera nobile experimentum est, quippe quod naribus admotum gravissimas hæmorrhagias sistit, ut experientia testatur, sicut felicem successum aliquoties stupens observavi; licet & hoc interdum, sicut alia, fallat: Sufficit tamen quod plurimum prosit, non secus ac pulvis sympatheticus. *Hæmatites* in manu detentus interdum, aliis irritis, egregiè juvat, ut vulgò notum; si nempè tamdiu detineatur in manibus, donec incalescat. Est autem differentia observanda inter hæmatitem, cùm non omnis hoc præstare soleat: Egregiam hinc observationem, quoad ejus electionem, *videbitis in* BOYLE *de Gemmis*. Idem facit & bursa pastoris in manu detenta: vid. LANGIUS *lib. 3. Epist. 1. pagina 941.* *Jaspis genuinus*, cujus rubedo vernalis herbaceis est distincta, argento cinctus insigniter sistit hæmorrhagias, in ista manu sub pollice, ex cujus lateris foramine narium sanguis fluit, detentus vel naribus admotus, quod observavit SCHMUCKIUS *in Curat. suis Magico-Magnet. pag. 16. in casu 3. Medicorum desperato*, qui hoc modo hæmorrhagiam narium desperatam curavit tenendo hunc iaspidem in palma manus. Confirmatur hoc etiam à BOOTIO *Tr. de Gemm. & Lap. pag. 202.* Videatur etiam HILDANUS *Cent. 3. Observ. 2.* item BOYLE *de Gemmis*. Verùm cum Jaspis non ubique prostet, substituunt huic succedaneum, umbilicum nempè marinum in forma cochlearis conformatum, qui in parte plana & aversa leviter humectetur cum salivâ, & applicetur circa interstitium oculorum, ubi decurrit vena frontis; ita sistere eum hæmorrhagiam narium observatum est, ac confirmat hoc BOOT. *loc: all.* uti & hujus effectum probavit GABELCHOVERUS *Cent. 4. Obs. 3.* Verùm non credo, vim umbilicum hunc specialem obtinere, quin potius convenit, quatenus ab eo validè applicato comprimuntur vena & surculi ibidem descendentes; quia etiam moneta argentea sive thalerus frigidæ aquæ immersus, postmodum eidem firmâ compressione applicatus, compescit hæmorrhagiam narium. Unde probabile est, umbilicum dictum iuvare ratione firmæ compressionis factæ in vena frontis, aut etiam ratione refrigerationis productæ in sanguine, per dicta vasa distributo. Æger nunc in aere libero ac frigido, nunc clauso ac calido detineatur &c.: prout enim sanguis & corporis habitus magis vel minus transpirabiles existunt, tales, *si magis transpirent*, in lecto, *si minus*, extra lectum continendi sunt; vid. WILLISIUS *loco cit.* Nam omnia hæc vel spirituum plus minus irritatorum impetum, vel sanguinis orgasmum & fluxibilitatem coercendo, operationes suas exerunt.

Quoad secundum scopum: ea quæ naribus eorumque apertis vasis applicantur, sunt *alumen*, *vitriolum*, *stercora*, *fuligo*, thus, ac quælibet *adstringentia*, de quibus omnibus in specie iam agendum. Confer. WILLISIUS *Pharm. Rational. pag. 2.* Prætereà cum externis his venæ sectiones interdum locum habent, utut rarò, non secus ac *cucurbitulæ*, nunc cum nunc sine scarificatione; observandæ tamen ubique *revulsionis & derivationis leges*. Horum loco frigida & *adstringentia*, sanguinem plus minus coagulantia, eiusque nimium motum intestinum fermentativum, tàm naturalem, quàm præternaturalem, refrænantia, adeoque ab effectu *Refrigerantia* dicta, *externè* applicantur. Aliàs applicatur etiam cataplasma Galeni ex aloe, myrrha, pilis leporinis combustis, & albumine ovorum, quod oscula vasorum aperta restringendo occludit. Imò hic inter alia convenit imprimis solum *cataplasma*, vulgare quidem, sed egregium, *ex argilla calcinata*, quæ ipsa cum *aceto* subacta, vel *ex furno pistorio*, aut bolo Armena, *cum aceto* invicem permistis, ac fronti tum temporibus ac nuchæ immediatè applicatum & subinde remotum, medicamentum est egregium, quod sine interpositione lintei hæmorrhagias egregiè cohibet; Nam omnia ex aceto externè conveniunt. Idem *cataplasma* scroto & testibus in manibus applicatum ceu expertissimum habetur à RIVERIO, quod in mulieribus mammis applicari potest; potenter enim hæmorrhagias tam narium, quàm uteri, cohibet. Si verò cataplasma tale applicatum non satisfecerit, interdum necesse est, ut præterea vertici capitis, item collo admoveantur, pro sanguine ad caput adscendente in media quasi via alterando. Loco tamen argillæ potest etiam sumi bolus communis, Martialis naturæ existens, & eodem aceto subigi, & fronti applicari. Alii *gypsum cum aceto* dictis modis applicant. Item *Epithema ex aceto* simplici vel rosaceo, aut solo, aut cum *succo sempervivi majoris* misto, & *sale* vel nitro, addito plus minus *camphoræ*, testibus & scroto applicatum mirabiliter hæmorrhagiam narium sistit. Mulieribus applicantur mammis eodem pariter cum successu, præsertim in narium hæmorrhagia ex turgescentia sanguinis, orta ab ira aut nimia commotione, item in febribus. Nã sicut aliàs scrotum frigidæ aquæ immersum ebrietatem & furorem mentis discutit, ita frigida similiter eiusmodi laudantur in hæmorrhagia narium; ac observatum fuit, talia mammis mulierum applicata nunc narium, nunc verò uteri hæmorrhagiam sedasse:

℞. *Succ. semperviv. mai. rec. express.* ℥vi.
Acet. vini acerr. ℥i. ad ℥iß.
Nitri ℥ii.
Campb. ℥ß.

M. f.

M. f. Epithema,
Fronti, collo applicandum.
D. S.
Epithema hæmorrhagiam sistens.

Vel

♃. *Aquæ Fl. papav. errat.*
Sperm. ran. ana ℥iv.
Acet. rosac. ℥j.
Opii cum acet. solut. ℈j.
Boli comm. pulverif. ʒiv.
M. D. S. ut antè.

Sunt qui talia etiam *regioni hepatis* applicant ex aqua appropriata, e. g. aqua portulacæ, plantaginis, spermatis ranarum, sempervivi majoris, addendo hujus succum cum aceto, camphora, nitro & similibus, ac desperatis narium hæmorrhagiis consulunt, & curiosa admodum est observatio HORSTII *lib.* 4. *obs.* 46. ubi notabile occurrit *exemplum* suppressę hæmorrhagiæ narium desperatæ ex tali epithemate hepati applicato, sed insequente diarrhæâ biliosâ; e. g.

♃. *Aquæ hyoscyami,*
Nymph.
Plantag.
Semperviv. ana ℥ß.
Sperm. Ranar. ℥iij.
Nitri ʒj.
Camph. cum spiritu vini sol. ℈j.
M. f. Epithema,
D. S. ut *suprà*.

Cum pannis multiplicatis tepidè regioni hepatis applicandum.

Porrò ex *fuligine*, *albumine ovi & aceto* destillato mistis *Frontale* parant, quod egregiè conferre, & rarò in graviori hæmorrhagia fallere dicitur: vid *du* HAMEL *de Affect. Corp. pag.* 312. Convenit etiam albumen ovi probe subactum cum alumine: nempè frustulum aluminis recipitur, agitaturque cum albumine ovi, additur parum aquę rosarum, quæ invicem subacta, in forma emulsionis cujusdam spissæ imponantur cum linteis multiplicatis fronti & temporibus ad sistendam hæmorrhagiam. Succus urticæ etiam cum linteis naribus inditus sanguinem fluentem sistit. Sic *sperma ranarum* cum pauco *alumine* vel cum aceto subactum, fronti ac temporibus applicatum, vel linteum in eo aliquoties intinctum, iterumque exsiccatum; idque repetitis vicibus, tempore usus fronti ac temporibus impositum, egregiè hæmorrhagias deprimit.

♃. *Aquæ Sperm. Ranar.* ℥iv.
Acet. rosac. ℥iß.
Sperniol. Croll. ℈j.
M. S.
Epithema externum.

Applicetur tepidè fronti. Vel

♃. *Sperm. ran. cum* nitro *& alum. asserv.* ℥vj.
Sacch. saturni ʒj. ad ʒij.
Camph. ℈j. ad ʒ.
M. pro Epithemate,
D. S. ut antè.

Applicetur ut suprà.

Ut suprà *venæ sectiones & cucurbitulas scarificatas* revulsionis gratiâ usurpari assertum fuit, ita pro eodem scopo non pauci applicant *cucurbitulas non scarificatas* hypochondriis, hepatis nempè & lienis regionibus, ratione lateris, ubi per nares sanguis effluit, ita quidem, ut stillante nare dextrâ applicandas cucurbitulas cum flamma suadeant regioni hepatis, nare sinistrâ verò affectâ regioni lienis. Prostant observationes apud Veteres: sic AMATUS LUSITANUS *Cent.* 2. *Curat.* 100. mediante *cucurbitula* splenis regioni admota, & epithemate frigido testibus applicato, ingentem hæmorrhagiam narium sedavit. Veruntamen frustranea & nociva sæpè fuit ejus applicatio, quatenus hoc remedium falsam sapit hypothesin, quod ex hepate & splene mittatur sanguis ad nares: unde hìc cautos nos esse debere monet RIVERIUS, aliique Practici, cùm interdum *cucurbitulas* tales admotas sequatur gravis *inflammatio viscerum* sub cucurbitulis sitorum; quale exemplum refert RIVERIUS & HILDANUS *in suis Obs.* adeòque cauti in applicatione harum simus. Potius *nucha ventosæ magnæ* impositæ locum interdum inveniunt: Conf. *M. A. N. C. Ann.* 6. *Observat.* 90. *pag.* 130. Quò pertinent *cucurbitulę suprà pedes*, in superiori puta surarum parte, admotæ, vel scarificationes instituta, quæ miraculi instar hæmorrhagiam narium sistunt, Autore FORESTO *lib.* 13. *observat.* 14. coercetur enim sanguinis fluxus sursum, & coercetur impetus ad loca superiora. Ad dicta epithemata pertinet *Frontale* POTERII *Cent.* 1. *Cur.* 67. ex *croco martis*, *bolo Armena*, *& opio*, *cum oleo rosarum* mistis, & temporibus applicatis; quo ipso contumacem hæmorrhagiam curavit.

Quoad auxilia & remedia tertii scopi, eminet *Alumen*: Hoc vel ità integrum naribus intruditur, vel *pulveris* forma insufflatur: e. g.

♃. *Alum pulverif.* q. pl.
adde
Lac. pictor. quę Germanis vocatur Kugel-lack (est compositum ex creta) q. s. pro coloris suavitate.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis sanguinem sistens.

In hæmorrhagia narium nimia naribus insufflatus, vel cum turundâ in aqua vel albumine ovi humectatâ, vel aliâ ratione naribus applicatus, efficacissimè graves narium hæmorrhagias sistit: vid. *M. A. N. C. Ann.* 1. *obs.* 24. *pag.* 90. *Ann.* 2. *Annot. ad Obs.* 223. *pag.* 403. *&* 404. item BORELLUS *Cent.* 4. *Obs.* 7. *&* 50. Par ratio est *vitrioli*: Hujus *solutio*, vel ad albedinem calcinati *pulvis*, dictis modis applicatus, coagulando sanguinem, & adstringendo orificia vasorum, egregium est; item caput mortuum vitrioli, si in istud aliquot guttæ sanguinis incidant; item caput mortuum vitrioli cum albumine ovi mistum, & instar turundæ naribus applicatum. A RIVERIO *Cent.* 1. *Obs.* 13. oxycratum, ab aliis pulvis lichenum equinorum naribus insufflatus, aut fumus & vapor stercoris suilli commendatur, de quo vid. RULANDUS *pag.* 74. *Stercora* enim *animalium*, in specie suis aut asini egregii usûs sunt in hæmorrhagia narium, vel naribus insufflata sub forma pulveris, vel cum succo plantaginis mistus eorum succus expressus, cum bombace vel turunda naribus immissus, potenter sanguinem sistit; imò, ut IOEL refert, *stercus suillum* etiam *recens* excretum, & naribus admotum, solo odore hæmorrhagias narium sistit, quod ipsum unum est ex extremis remediis: Vid. *M. A. N. C. Ann.* 9. *obs.* 56. Undę quidam in capsula gerunt pulverem stercoris suilli, ut in casu necessitatis eundem olfaciant, aut naribus intrudendo sanguinem sistant & compescant. De pulvere bufonum vid. HARTMANNUS *pag.* 114. & HOEFERUS *Herc. Med. lib.* 2 *cap.* 10. Et *tinctura sulphuris vitrioli*, paucâ aquâ plantaginis diluta & naribus immissa, virium magnarum deprehenditur. Sic *phlegma vitrioli acidulum*, cum potentissimè sanguinem inspisset & coagulet, naribus immissum fluxum reprimit. Facit huc etiam decantatus *liquor stypticus* seu essentia stiptica recentissima *Galli* hactenus in secretis habita, quæ tamen reverà ex vitriolo Martis & alumine solutis & mistis principaliter constat; si enim in hunc liquorem gallæ injiciuntur, nigrescit. Autor est GALLUS VIVIENT: vid. in specie *Bartholinus in Act. Med. Hafniens. Vol.* 2. *Observat.* 41. *pag.* 116. & *observat.* 133. *pag.* 352. nec non Vol. 3. *cap.* 2. *M. A. N. C. Ann.* 9. *&* 10. *Observat.* 152. & WILLISIUS *citato loco*: quo ipso, uti in genere quæcunque hæmorrhagiæ quibuscunque in locis *externè* usurpato sistuntur, ita in specie & narium hæmorrhagia supprimitur. Scilicet ex hac ipsa ratione *atramentum* laudatur, quod quocunque modo naribus applicatum & intrusum, præsertim *gossypium atramento* scriptorio imbutum, aliquantulum expressum, & in turundæ forma naribus immissum, ratione vitrioli sanguinem cohibet. Vel

♃. *Aquæ Plantag.*
Bursæ pistor. ana ℥iß.
In quibus dissolve
Vitrioli martis ʒij.
Alum. ʒj.
M. D. S.
Externè applicandum, vel in nares attrahendum, vel inspergendum.

Vel

♃. *Alum.*
Vitrioli ana ʒj.
Phlegm. Vitrioli ʒj. ad ℥iß.

Ebulliant ad dissolutionem contentorum;
Liquor filtratus spiritus vitrioli aliquot guttis adhuc aciduletur.

D. S.

D. S.
Aqua sanguinem sistens.
Vel

℞. *Alum. crud.* ℥ß.
Terræ vitrioli dulc. gr. xv. ad ℈j.
Phlegm. vitrioli spiritu vitrioli nonnihil acidul. ℥iß. ad ℥ij.
M. S. ut *antè.*

Injiciantur naribus.

Sed forsan spiritus vini per se rectificatus, naribus paulò profundiùs injectus, omnibus his præstat: siquidem ab illo quivis sanguis fluidus, etiam calidus & adhuc recens, citissimè mirabili cum spectaculo coagulari solet.

Fuligo furni suprà laudata cum *albumine ovi* mista, turundę illita & naribus immissa, egregiè sistit hęmorrhagiam; vel simpliciter de *cataplasmate* ex aceto cum argilla combusta *supra dicto* naribus nonnihil immissum fluxum sanguinis sistit; aut etiam *albumen ovi cum alumine subactum* dicto modo applicatum. Nempè est in *fuligine* acidum *cum terreis particulis* admistum, à quibus vis adstrictoria. Prǽstantissima *fuligo est ista*, quę è fundo vasorum & cacaborum ęneorum, quę in culina usurpantur, colligitur; fuligo cultello separata ac naribus intrusa, vel pulverisata cum sanguine patientis mista, & turundarum formâ naribus immissa, sanguinem sistit; remedium etiam à WILLISIO *citato loco* tanquam expertum commendatum. Sic denique Decocta *adstringentia* naribus immissa hęmorrhagias subindè periculosas sistere valent: *conf. M. A. N. C. Ann. 2. Observat. 213. pag. 324. & in Annotat. ad hanc Observat. p. 403.*

Prǽter dicta adhuc observandum, Topica hoc in casu non naribus saltem esse attrahenda, iisvè injicienda, aut cum penicillis lineis adaptanda, sed vertici etiam quędam imponenda, v. g. muscus de tegula aceto impregnatus, de quo vid. BARTHOLINUS *Cent.* 5 *Histor.* 97. Ut illos taceam, qui certa remedia dentibus atterendo aut linguę subdēdo fluxus narium sanguinolentos sisti posse sibi persuadent, v. g. radicem cichorii albi circa festum S. Iacobi in meridie collectam, aut radicem nigellastri seu nigellę, quam inter similes plantas masticatam, & naribus inditam, primatum hoc in passu obtinere SENNERTUS & SIMON PAULI perhibent.

ARTICULUS III.

DE GINGIUARUM HÆMORRHAGIA.

POst nares etiam subinde Gingivę gravem hęmorrhagiam patiuntur, eamque satis copiosam, adeò ut observaverit SCHENCKIUS *lib. 1. Observ.* HOLLERIUS *Comment. 2. ad Aph. 18. lib. 2. sect. 2. Coac. Hipp.* 180. lethalem sanguinis *ex gingivis* fluxum. Fluxus hic ex gingivis, si est spontaneus, nunc est *criticus*, de quo prǽter SCHENCKIUM vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib. 1. Prax. Admir. Obs.* 86.; nunc *periodicus*, de quo SCHENCKIUS *lib. 1. Obs.* ZACUTUS LUSITANUS *Cent. 5. Cur. 3.* ARNOLDUS BOOT *cap.* 7. nunc *vagus*. Criticę hęmorrhagię gingivarum morbum solvunt: *Periodicæ* affligunt, quando aliàs consuetę sanguinis in certo loco evacuationes sunt suppressę; tunc enim non rarò periodicè per gingivas solet effluere. Vagę verò sunt, quando ex variis causis effluit sanguis per gingiuas, & prǽter *supra nominatas* CAUSAS, cum aliis hęmorrhagiis communes, in specie subinde est vel gingivarum *laxitas scorbutica*, & conjuncta cum aliquali earundem erosione vasculorum à saliua nimis acri, aut sale scorbutico salso-acri facta, de quo aliquid *Sect. 17. cap. 3. Artic. 6. ubi de scorbuto*: vel est naturæ consuetudo, quæ certo & statuto tempore per istas vias solet se exonerare. Sequitur tamen etiam, quod frequentissimum est, hæmorrhagia frequenter ex gingivis *post* ineptas *dentium evulsiones*, quando arteria radicalis in dente laceratur, quam subinde desperata ferè hæmorrhagia gingivarum subsequitur.

CURA.

Hæmorrhagia gingivarum, quæ est spontanea, ut *critica*, aut *periodica*, non est curanda, sed ceu salutaris relinquenda, nisi succedanea substituatur evacuatio. *Ista verò*, quæ est non spontanea, sed est *à scorbuto*, ex laxitate nempè gingivarum, vel ex erosione vasculorum ex saliva acri, curatur imprimis optimè per antiscorbutica, in quibus primatum obtinet tinctura Laccæ Mynsichti, item linimentum illud, quod habet DECKERS *in suo Comment. super Prax. Barbett. ubi de scorbuto pag. 156. in edit. 12.* illud enim est egregium in hac scorbutica hæmorrhagia gingivarum: item *Decoctum radicis tormentillæ cum alumine.* Si verò oritur gingivarum hæmorrhagia ex dente evulso, curatur eadem optimè vel cum *bombace* intincto *tincturæ sulphuris vitrioli*, ut aliàs vocatur, & alveo ita applicato, hinc enim subitò cessabit sanguinis fluxus, uti id per experientiam observavi: Vel hujus defectu applicetur *solutio vitrioli*, quæ sanguinem sistit: vel imponatur *gummi Arabicum*, quod ipsâ glutinositate suâ sanguinem ex arteriis ob dentem evulsum emanātem inspissando, consequenter fluxum ejus sistit: vel applicetur decantatum Emplastrum Galeni, ex aloe, thure & pilis leporinis, contritis & cum albumine ovi exceptis, gingivis impositis; Tale ZACUTUS LUSITANUS *loc. cit. Obs.* 85. usurpavit feliciter, & ingentem sanguinis ex gingiva eruptionem curavit. Quocunque in casu convenit Decoctum gargarisandum, quo coaguletur sanguis, hærens circa radices dentis evulsi; vel fiat *Decoctum ad gargarisandum*:

℞. *Rad. Tormentill.*
Bistort. an. ℥iß.
Gall. contus. ℥ß.
Sem. Papav. alb. ℥ij. vel ℥iij.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.*
Colatur. adde
Boli Armen. vel *vulg.* ℥ij.
Alum. vel *tartari*, aut *Aceti* parum.
M. in forma gargarismatis; in ore aliquamdiu detineatur, donec cesset hæmorrhagia gingivarum;
D. S.
Gargarisma sanguinem sistens.

Convenit etiam suo modo aqua spiritu salis ebria pro eluendo ore. Conf. *M. A. N. C. Ann. 3. Obs. 316. pag. 534.*

Aliis irritis *Cauterium actuale* admoveri potest: Conf. *M. A. N. C. Ann. 2. Obs. 48. pag. 87.*

ARTICULUS IV.

DE SPUTO SANGUINIS.

POst sanguinis ex gingivis fluxum non rarò per os etiam rejicitur ille in affectu, qui vocatur *Sputum sanguinis*, seu *Hæmoptysis* appellata, idque ad differentiam *vomitus sanguinis, de quo supra Sect. 6. cap. 2.* actum fuit. Jam verò sanguis iste, qui spuendo seu *αἱμοπτύαν* rejicitur, *ex variis locis* promanare, & hinc in os derivari solet: nempè nunc *ex summitate narium* emanat, nunc saltem ex *palato*, nunc *gingivis*, nunc *faucibus*, nunc *œsophago*, nunc ex larynge, nunc ex pectore, nunc ex pulmonibus, omnibusque aliis vicinis locis. *In specie* autem istud sanguinis sputum in considerationem venit Medicam, & etiam speciali nomine *Hæmoptysis* vocatur, quando sanguis cum tussi ex respirationis organis, speciatim *ex pulmonibus*, per os tussiendo rejicitur, & est consideratione dignum. Manat sanguis tunc ex arteriis, vel pulmonalibus, vel ex arteriis trachealibus, ex arteria nempè aorta oriundis, ut rectè & accuratè has distinguit WILLISIUS *Pharmac. Rational. P. 2. pag.* 151. Nam ordinariò quidem *cum tussi* fit *hæmoptysis*, nempè quando pulmo affectus est, aut profundiores tracheæ rami: Rarissimum enim est, Hæmoptysin veram vitio pectoris contingentem absque tussi observari, quando nempè saltim superior tracheæ pars affecta est; qualia exempla hæmoptyseos ex vitio pulmonum ortæ sine tussi videb. in *M. A. N. C. Ann. 2. Observ. 45. pag. 83. Anno. 9. & 10. obs. 135. pag.* 309. WILLISIO *loc. cit.* & RHODIO *Cent. 2. pag. 83. & 84.* in quo casu cum aliquali plus minus *screatu* prævio sanguis erumpit: sicuti è contrario non omnis sanguis, qui tussi rejicitur, præcisè ex thorace est: Interim frequentissimè eidem tussis adjungi solet.

PARS AFFECTA.

PARS AFFECTA *in Hæmoptysi nunc* est superior larynx, ejusque cavitas, *nunc* intermedii ductus tracheales, *nunc* eorum ultimæ extremitates orbiculares, adeoque ipse pulmo. Quæ *partis affectę differentię* probè attendendæ sunt ad explicandos diversos hæmoptyseos modos.

CAUSÆ.

CAUSÆ Hæmoptyseos sunt *vel in sanguine*, *vel in vasis* sive hæc *anastomosi*, sive *diæresi*, aperiantur. *Generales* istæ *causæ suprà Artic.* 1. ex generali hæmorrhagiarum theoria patent: In specie tamen frequentiores sunt duæ. Nempè frequentior est (I.) *Ruptio* insignis cujusdam *vasis* in pectore aut pulmonibus, quod fit ex clamore nimio & forti corporis nisu & tensione pulmonum sub gestatione graviori cujusdam oneris, qua spiritus cohibetur; item ex casu ab alto, plagis pectori inflictis, ex tussi nimis concitata agitante pulmones; item ex copioso effusioreque risu, de quo vid. ZACUTUS LUSITANUS *in lib.2. Prax. Hist. cap.6.* dum ex hoc hæmoptysin lethalem observavit; saltatione nimia ROLFINCIUS *Meth. Comm. lib.2. sect.3. cap.53. pag.m.122:* quæ omnia ruptionem vasorum in pectore & pulmonibus inferre queunt. Disponunt ad faciliorem talem hæmoptysin ex hac causa imprimis *solennis* cujusdam sanguinis evacuationis *suppressio*, præsertim in partibus corporis inferioribus: Sic enim nihil frequentius est, quàm quod *suppressionem mensium* & *hæmorrhoidum* subsequatur *sanguinis sputum*, ex sanguine nempè circa præcordia plus minus coacervato, stagnante in pulmonibus, & *anastomosin* vasorum inferente, qualis hæmoptoe periodica ex menstrui fluxus imminutione observata est in M. A. N. C. *Ann.9. & 10. obs.27.* Pertinet huc, quod observavit DEODATUS *in Valetud. pag.219.* de hæmoptysi insigni cum pleuritide suppurata, oriunda ex nimis cita mensium emansione. Plura exempla videb. in SCHENCKIO *Obs. lib.2.* & BORELLO *Cent.1. Obs.24.*

(II.) Causa frequentior *est* vasorum, imprimis in pulmonibus, *erosio*, facta aut *ab externis* inspiratis, v. g. fumo sulphuris incensi, halitu aquæ fortis sub laboribus chymicis, &c. vel ab internis, iisque omninò frequentissimis in variolis, *lympha* in specie nimis *acri* & acido salsa, *scorbutica*, aut aliâ simili labe inquinatâ, successivè vasa tenuja pulmonum erodente, & ita hæmoptysin procurante, quam subinde solet præcedere tussis quędam sicca nocturna ferina; quam hęmoptysin, quia ab acriori lympha oritur, frequentissimè ulcus & vomica pulmonum, & phthisis pulmonalis insequi solet. Pręterea *pertinet huc*, quod observatum narrat RHODIUS *Cent.2. obs.35.* quod post sanatum pedum ulcus supervenerit sanguinis sputum, dubio procul ex retrogresso fermento ulceris acri & corrosivo, mediante massâ sanguineâ ad pulmones delato, & massam sanguineam inquinante, ac partes pulmonales erodente.

Hę sunt *ordinarię sputi sanguinis causę*. Rarum est, quod *hirudines* cum potu assumptę, & in faucibus hęrentes, ibique sanguinem emulgentes, sputum cruentum induxerint. *Exemplum* hujus rei *videb. in* SCHENCKIO *lib.2. Observ.* & BORELLO *Cent.1. observ.24.* Sic non minus curiosum est, quod *thermarum usus* in quibusdam hoc malum excitaverit, Autore WILLISIO *Pharm. Rational. P.2. pag.155.*

Observandę ulteriùs sunt Hęmoptyseos differentię, dum nempè (1) sanguis, qui reiicitur, vel est floridus, vel semigrumosus: (2.) est vel copiosus vel parcus & paucus, prout nempè conditio vel vasis aperti, vel impetus sanguinis undecunque concitati tulerit: (3.) vel facilè vel difficulter eiicitur: (4.) quod hęmoptysis nunc fit *recens*, nunc *inveterata*; & hęc (5.) vel *vaga* vel *periodica*. Sanè *hęmoptysium inveteratarum periodicarum* innocuarum, quin potius cum euphoria ęgrorum contingentium, plura hinc inde prostant exempla: *conf.* BARTHOLINUS *Act. Med. Hafniens. Vol. 1. pag.146.* & THIERMAYER *Cons. lib.2. pag.24.* Sic *anniversariam hęmoptysin* observavit RHODIUS *Cent. 2. Obs. 34.* sic diurnam *periodicam* sanguinis sputitionem notat AMATUS LUSITANUS *Cent.6. Cur.49.* Casus reverà est singularis, cùm ęger singulis horis interdiu exspuit sanguinem, noctu verò, licet vigilet, non. *Indolens* subinde est *hęmoptysis*; nunc verò *cum dolore* plus minus conjuncta, vel constrictivo pulmonum, vel gravativo obtuso eorundem, vel rodente & plus minus irritante in aspera arteria, &c. pro causarum nempè varietate.

DIAGNOSIS.

Quod attinet SIGNA: Hęmoptysis per se patet. Cum autem ex tam variis locis, naribus, palato, œsophago, larynge, &c. possit elici sanguis cum sputo, necesse est, ut imprimis attentus sit Medicus ad cognoscendum locum, in quo sit vas lęsum sanguinem fundens: quod ut cognoscatur, *partis affectę differentię* probè attendendę, & artificiali conjecturâ causę antecedentes, & excretionis modus, examinanda sunt.

Causas antecedentes quod attinet: considerandum, an ex suppressa consueta evacuatione sanguinis, vel ex pręgresso clamore, vel tussi ferina, vel casu ab alto, vel contusione pectoris, vel capitis, vel ex esu rerum acrium & similium, supervenerit sputum cruentum, ut consideret, quamnam partem causa antecedens primariò afflixerit. Ubi enim ex suppressâ consuetâ evacuatione sanguinis, vel ex pręgresso clamore, vel tussi ferina, &c. semper est suspicio lęsionis vasorum in pulmonibus; secus, si alię pręcesserint causę.

Quoad autem *excretionis modum*: attendatur, an sputum cruentum eiiciatur cum conatu & screatu levi? an cum tussi plus minus laboriosa? item an sanguis ejiciatur plus minus floridus? vel observetur, an spumescat, vel non spumescat? an paucus vel multus? an periodicè recurrat vel non? & quę sunt alię similes circumstantię & concurrentia pathemata observanda. Sanguis nempè, qui exspuitione levi absque tussi, ex ore reiicitur, est saltem ex partibus superioribus palatinis, naribus aut vicinis superioribus; qui verò levi *screatu*, exspuitur, est ex naribus, capite & faucibus, œsophago, *summitate asperæ* arterię, ac in specie si paucus fuerit, ex vicinis locis, iis scilicet, qui ad thoracem pręcisè non spectant, & congrumatus prodit. Confirmabit hoc causa antecedens laryngem aut ęsophagum afficiens. *Qui verò* copiosus & *tussi*, pręsertim *reiterata*, profunda, & accedente conatu, reiicitur sanguis, utplurimum ferè est ex thorace, & lęsis in specie pulmonibus; ubi tamen hęc cautela attendatur, ut tussis pręcedat sanguinis sputum. Non tamen semper omnis sanguis, qui tussi reiicitur, pręcisè ex thorace est; propterea & alia concurrentia signa simul perpendenda erunt: nam sanguis confertim ex œsophago & faucibus erumpens, & laryngem plus minus affligens, sputum sanguinis cum tussi inferre potest, utut malum non sit in aspera arteria vel thorace, sed tunc tussis aut sequitur, aut conjuncta est cum sanguinis sputo. Quod si tamen tussis pręcedat, & post hanc sequatur sputum sanguinis, signum est, sanguinem prouenire ex pectore, aut pulmonibus aut aspera arteria; unde spuma in sanguine excreto apparens utplurimum sanguinis ex pectore, & specialiter ex pulmonibus erumpentis, signum est, idque eò magis, si cum tussi pręcedente & floridus euacuetur, idque imprimis, si simul dolor pectoris in ejus profundo concurrat, si respiratio plus minus difficilis, aut alia symptomata affectum pectoris indicantia adsint. Spuma fit, quando sanguis aliquamdiu cum aere quasi concutitur, quo commodè in spumam abit. Quod si sanguis, qui eiicitur per sputum, sit floridus coccineus, & magis rubicundus, tenuis, ex arteriis emanare indicio est; si verò nigricans, crassus, grumosus plus minus, aut obscurus, ex uenis effluit, neque tam ex pulmonibus quàm pectore ibidem extrauasatus prodit.

Pari modo sanguis copiosè rejectus, magis est ex pulmonibus & pectore; minus copiosè excretus ex faucibus esse uidetur. Qui quò diutiùs in pulmone, thorace, aut loco uicino hęserit, & ita demum elicitur, niger, obscurus, plus minus grumosus obseruatur. Sic quoque sanguis periodicè qui cum sputo eiicitur, utplurimum est ex pectore, rarò ex alio loco promanat.

Qui ex thoracis cauo, minimè spumosus, sed grumosus est.

Qui ex gutture & aspera arteria, est floridus ac paucus

Qui denique à membris remotioribus, nigricans & paucus cum horum symptomatis reiicitur.

In his ergo artificioso stochasmo utatur Medicus, ac consideret partem affectam, ut eam ad curam dirigere possit.

PRO-

P R O G N O S I S.

Quoad PROGNOSIN: Omnis in genere hæmoptysis est suspecta & periculosa. Ex læsis pulmonum venis sputum sanguinis oriundum, sæpius ulcus & vomicam pulmonum vel empyema pectoris, (si enim sanguis non ejicitur, in pus mutatur,) hinc phthisin pulmonalem & tabem, interdum peripneumoniam, post se trahit, presertim si præcedentem insequatur erosionem.

Quod verò ex vasis pectoris læsis & aliis locis est sputum cruentum, minus periculosum esse solet.

Intempestive nimis suppressa hæmoptysis, in specie, quæ subsequitur vel sanguinis turgescentiã vel suppressam evacuationem sanguinis, interdum non rarò inferre solet tabem periculosam, & peripneumoniam.

Hæmoptysis, quæ fit ex pulmonibus, periculosior est ea, quæ fit ex pectore, h. e. majus periculum subest, si læsa sint pulmonum vasa, quàm vasa intercostalia.

Denique sputum cruentum si est *primarius morbus*, periculosius est, *quàm si est morbus secundarius*, h. e. qui pleuritidem, peripneumoniam, aut alios pulmonum affectus, insequitur.

Sputum sanguinis periodicum, si sine pulmonum singulari noxa contigerit, minus periculosum est, quàm si cum pulmonum vitio junctum fuerit.

Prognosin specialem videb. in BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Volum.* 2. *pag.* 10.

C U R A.

Quoad CURAM Hæmoptyseos: *hæc* vel *in paroxysmo*, vel *extra paroxysmum* instituatur.

IN PAROXYSMO

1. Causa, hæmorrhagiam in pectore vel pulmonibus vel vicinis locis excitans, maturè removeatur & corrigatur.
2. *Vasorum læsio tollenda.*
3. Sanguis effluens, ejusque impetus ad partem affectam, & hinc dependens hæmoptysis, sanguinem coagulantibus & condensantibus, ejusque motum nimium inhibentibus, maturè supprimatur & sistatur.

Causa removetur, vel saltim *suspensione* & sanguinis motus certâ determinatione, h. e. vel spirituum impetum, vel sanguinis turgescentiam, vel copiam, &c. *revellendo*, *derivando*, *papaverinis* &c. cohibendo.

Posteriores scopi peraguntur *Vulnerariis* & *Adstringentibus*.

CURA EXTRA PAROXYSMUM PRÆSERVATORIA consistit in eo, ut *recidiva* præcaveatur.

1. *Causam* ex toto *removendo*.
2. Ut, sputo desinente, si quid restitat sanguinis grumosi in pectore, vel locis vicinis, resolvatur, & resolutus maturè expectoretur vel discutiatur, ne aliquando relictus acrimoniam concipiat, ichorescat, vomicam & empyema, & consequenter phthisin inducat.
3. Læsio pulmonum vel partis Vulnerariis vegetabilibus, succino & succinatis remediis, restituatur:

Quæ indicationes semper probè sunt observandæ.

Pro his scopis obtinendis subinde necesse est in paroxysmo, ut præmittatur.

I. VENÆ SECTIO in principio curæ, in casu nempè, quo sanguis nonnihil abundat, observatis tamen simul revulsionis & aversionis regulis, ut imminuto sanguinis quanto sub liberiori circulo minus confertim per venam læsam effluat; ita quidem, ut venæ sectio non instituatur in pede, si ramis superioribus læsis oriatur hæmoptysis. Hinc v. g. ubi sanguinis sputum est ex mensibus vel hæmorrhoidibus suppressis, secetur vena in pede; *ubi ex hæmorrhagia narium solenni suppressa*, secetur in fronte aut sub lingua, aut in brachio. *Non tamen hoc in omnibus* æquè obtinet, cùm in quibusdam phlebotomia malum exasperare soleat; *conf.* WILLISIUS *Pharm. Rational. Part.* 2. *pag.* 167. adeoque circumstantiæ *suprà Artic.* 1 *circà venæ sectionem in hæmorrhagiis instituendam* in genere insinuatæ probe notandę. In ista autem *hæmoptysi*, quę est *ex corrosione* ab acrimonia contentorum, inepta penitus & frustranea est venę sectio.

II. PURGANTIA vitentur. DIURETICA & Diaphoretica potiùs sunt optima: vid. BENEDICTUS *Theatr. Tabidor. Exerc.* 30. Nam *hæmoptoici* minus ferunt catharsin, utpote à qua facile in tabem conijciuntur. Ac sane ipsi, uti & alii, cognatis pectoris affectibus *ad phthisin* facilè terminabilibus affecti, copiosissimè, etiam à levi purgante, adeoque non sine noxa, purgantur.

III. Interna Adstringentia ante & sine avertentium administratione non facilè usurpanda, ne sanguinis inconcinnam suppressionem suffocatio aut peripneumonia excipiat.

IV. Nec adstringentia externa, multo minus actu frigida, pectori admoveantur; cum ab his sputum cruentum augeri posse illud suadeat, quod sola partium pneumaticarum ab aere refrigeratio hęmoptoen non rarò excitet; illorum verò incommodum PLATERUS *Pr. Tom.* 3. *pag.* 715. & SCHENCKIUS *pag* 241. testetur.

V. Prę aliis hęmorrhagiarum speciebus, prę sertim in hęmoptoe, OPIATA sunt perquam proficua & satis efficacia, qualia sunt pilulę de cynoglossa, laudanum opiatum, confectio narcotica Mynsichti, pulvis Helidæi, &c. & inter hęc ipsa in specie hyoscyamus ejusque semen nobile specificum, prę sertim si malum est ab acrimonia corrodente. Sanè ab omnibus Practicis, tam Veteribus quàm Modernis, ad hęmoptysin commendatur: imò jam ab ipsius HIPPOCRATIS temporibus decantatum est remedium: unde specificum *Heurnii* contra sanguinis sputum est *Electuarium* ex conserva rosarum & violarum cum semine hyoscyami, coralliis, bolo, lapide hęmatite &c., de quo vid. *Commentar.* HEURNII *in aphor.* 13. *sect.* 5. *Hipp. pag.* 103. vel quod HELIDÆUS PADUANUS, Medicus olim Bononiensis, felici eum experimento ad hęmoptysin, omnesque tales affectus adhibuit. Alii

℞. *Sem. Hyoscyam. alb.*
Papav. alb. ana ʒx.
Terræ sigillat. vel *hæmatit. præp.*
Corall. rub. præp. ana ʒv.
Conf. rosar. Veter. (quia est magis adstringens, quàm recens) q. s.
M. f. Electuarium.

Capiatur crebriùs. Vid. RIVERIUS *lib.* 7. *Pr. cap.* 6. *pag.* 348. Quod semen quoque detur cum lapillis cancrorum, ut & sistatur sputum cruentum, & temperetur acre, & dissolvantur grumi sanguinis, quod imprimis faciunt lapilli cancrorum, si vel soli, vel cum aceto destillato propinentur. PLATERUS *Obs. pag.* 789. & 793. habet Tabellas & Trochiscos de hyoscyamo: Vel

℞. *Conf. Rad. Consol. mai.*
Rosar. rub. ana ℥j.
Troch. de terra sigill. ʒj.
Pulv. sem. hyoscyam. ℈ij.
c. s. q. *Syr. Heder. terrestr.* f. Electuarium:
D. S.
Electuarium sanguinem sistens.

Simus tamen cauti in usu hyoscyami propter vim narcoticam, qua pollet, ac proin non in nimia dosi exhibeatur, sed repetitis vicibus; quod melius est, quàm semel in dosi excedere; maniam enim inducit: vid. HELMONTIUS. Cavendum etiam ob acrioribus seu calidioribus, monente PLATERO *Prax. Tom.* 3. *pag.* 715. v. g. Theriaca & Mithridato.

VI. Quoad REMEDIA cętera, quę internè conveniunt, sunt omnia ea, quę suprà Artic. 1. *de Hæmorrhagia in genere* fuerunt insinuata; in specie semper simul *ad acrimoniam* sanguinis vasa erodentem, quę frequentissima est ex hęmoptyseos causis internis, respiciendum: pro quo scopo conveniunt *Pilulæ Sylvii lib.* 1. *Pr. p.* 48. §. 20. Vel

℞. *Aquæ Plantag.*
Portulac. ana ℥j.
Acet. vini ʒij.
Corall. rub. præp. ℈j.
Terræ sigill. ℈ß.
Syr. papav. err. ʒiij.
M. pro 2. dosibus
D. S.
Potio sanguinem sistens.

℞. *Aquæ bursæ past.*
Portul. ana ℥iß.
Corall. rub. præp.
Terræ sigillat. ana ʒß.
Lapill. cancr. præp. gr. xv.
Laud. opiat. gr. iij.

Syr.

Syr. de Symph. Fern. ℥ß.
M. D. S.
Potiuncula adstringens.

De hac mistura cochl. j. per intervalla assumi potest.

℞. *Conf. heder. terr.*
Rosar. rub. ana ℥iß.
(vel *Conf. rosar.* & *costæ veræ* ana ℥vj.)
Hæmat. præp. ʒij.
Corall. rub. præp. ʒj.
Terræ sigillat. ℈ij.
Laud. ferm. gr. iij.
Cum syr. Papav. simpl. vel *diacod. Mont.* f. Electuar.
D. S.
Electuarium sanguinem sistens.

Capiatur pro lubitu. Item
℞. *Conf. rof. rubr.* ℥ij.
Sem. papav. alb. ʒiß.
Ebor. sine igne ʒj.
Hæmat. præp.
Sacch. saturni ana ʒß.
Cum syr. de symph. Fern. f. Electuarium:
D. S.
Electuarium adstringens cochleatim sumendum.

Præ ceteris tamen *portulaca* & *Plantago* sunt insignis commendationis: Nam *portulaca* quocunque modo usurpata, ejus etiam succus & syrupus ad uncias aliquot propinatus, insigniter commendatur, imprimis si iisdem aliquid de opio admisceatur: nam & sanguinis motum sistit, & simul acrimoniam corrosivam, si quæ subest, temperat, sicuti dictis scopis *succus* & *syrupus* plantaginis suo modo sufficit, de quo *superius sect. 6. cap. 2. de Vomitu sanguinis* dixi, quod nempè succus symphyti majoris & plantaginis sint remedium egregium in fluxibus sanguinis. Quidam insigniter commendant *Decoctum portulacæ cum radice symphyti & herba prunellæ in vino rubro* si propinetur; quorum etiam succi aut syrupi unciatim propinati commendantur; aquæ verò horum simplicium nihil valent, cùm vis specifica alembicum adscendere nequeat. FONSECA *lib. 1. Consl. 8.* dicit, quod sanguis non erumpat, si manducet quis in venæ sectione portulacæ semen, de quo experientia consulenda. Preter has symphytum majus specificè medetur hęmoptysi, sive blandè decoquatur, sive syrupus Fernelii propinetur. Post hęc est imprimis *Hedera terrestris*, quæ in sputo sanguinis est planè mirabilis, idque imprimis post paroxysmum; nam temperat acria, consolidat vasa rupta exesaque, & sanguinem dissolvit congrumatum: hinc ejus *syrupus*, *Decoctum*, vel *conserva* egregia. Fiat ergò ex conserva hederę terrestris, additis aliis appropriatis, tale electuarium non inelegans; v. g.

℞. *Conf. hed. terr.* ℥iß. vel ℥ij.
(vel *hujus* & *conf. rad. symphyt. maj.* ana ℥j.)
Rosar. ℥j.
Terrę Sigillat. c. spiritu vitrioli impraegn. (si circumstantiæ id patiantur; sin suspicio erosionis, abstineamus ab ejus usu) ʒß. ad ℈ij.
Hæmat. præp. ℈j.
Trochisc. de Carabe (quę sistunt sanguinem, resolvuntque ejus grumos, & temperant acria) ℈ij. ad ʒj.
Laud. opiat. gr. iij. ad vj.
Cum syr. de symph. Fernel. vel *portulac.*
f. Electuarium.
M. D. S.
Electuar. adstringens.

De quo subinde in die magnitudo nucis castaneæ vel juglandis capiatur.

℞. *Conf. heder. terrestr.* ℥ij.
Rad. symph. mai. ʒß.
Extr. succos. plantag. ʒiij.
Hæmatit. præp. ʒiß.
Boli Armen. præp. ℈ij.
Mastic. ℈j.
Laud. opiat. gr. vj.
Cum f. q. *syr. de symph. Fernel.* f. electuarium:
D. S. ut antè.

Appropriata magis hic sunt Trochisci de Carabe, vel Trochisci quoque de terra sigillata, de spodio, pulvis *Scaligeri*, quem SCHENCKIUS *Observ. pag. 241.* & PETRÆUS *in Nosolog. lib. 1. Disserto.* describunt, terra catechu, centumnodium, chamædrys, & Decoctum foliorum aristolochiæ rotundæ; succus urticæ ab AMATO LUSITANO *Cent. 6. Hist. 4.* FORESTO *lib. 6. Obser. 16.* RIVERIO, & omnibus ferè Autoribus plenis buccis laudatus, species dia-plantaginis Mynsichti. Cum festucis secalinis quæ vulgò ineptè mater siliginis dicuntur, in aqua plantaginis propinatis, hæmoptoen diuturnam curavit Empiricus: Vid. VELSCHIUS *Michom. Obs. 27. Cent. 1. annex. Anno 4. & 5. M. A. N. C.* Porrò Trochisci certè de carabe multis scopis satisfaciunt, hinc in quacunque hæmoptysi ex quacunque causa acri sufficit hæc formula:

℞. *Aquæ burs. pastor.*
Plantag. ana ℥ij.
Acet. vini acerr. vel *destillati* ʒvj.
Troch. de Carabe ʒj.
Sperniol. Croll. gr. xv.
Hæmat. præp. ʒß.
Lapill. cancr. præp. gr. xv.
Syr. Portulac. ℥j.
M. D. S.
Potio adstringens.

Detur pro aliquot dosibus. Vel
℞. *Aquæ Plantag.*
Portulac.
Cherefol. ana ℥j.
Tinctur. sulphuris vitrioli ʒj.
Trochisc. de Carabe ℈ij.
Laud. opiat. gr. v.
Syr. de symph. Fernel.
Portul. ana ℥ß.
M. f. Potio.
D. S.
Potio adstringens pro aliquot dosibus.

Ubi tamen loco trochiscorum de Carabe *Electuarium diascordii Fracastorii* etiam in similibus misturis usurpari potest. Obiter moneo, aquas ex plantis adstringentibus non adhiberi, ut adstringant, quia nullam vim adstringentem obtinent, sed loco vehiculi.

Hinc pariter *conserva rosarum* rubrarum *antiqua*, item *pulvis summitatum & pilosarum excrescentiarum cynosbati*, *Ger. Schlauff-Kuntzen*, egregia *specifica* sunt in hoc malo; non secus ac *oleum lini* cochleatim usurpatum mira præstat: Confer. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Observ. 269. pag. 308.* De succo urticæ superiùs locutus sum. Sic & spiritum vitrioli commendat CASTELLUS, seu potius oleum vitrioli, *in suis epistolis*, in aqua plantaginis, vel alia appropriata, quia coagulando sanguinem, eundem condensat, ejusdem eruptionem sistit, & ita in paroxysmo hæmoptyseos nimiæ optimè convenit; quod ex experientia propria confirmat HOFFMANNUS, & THONERUS *in Consilio 37.*

℞. *Aquæ plantag.* ℥vj.
Syr. de rof. sicc. ℥j.
Spirit. vitr. rectif. vel *ejus ol.* ℈j.
M. f. Mixtura.

De qua subinde aliquot cochlearia ab ægro capiantur: tam in sputo, quàm vomitu sanguinis admodum convenit, in specie ubi simul ebullit nimis aut effervescit sanguis. Vel

℞. *Herb. Centumnod.*
Vincæ pervinc.
Plantag.
Bellid. ana M. j.
Flor. rosar. rub. Mß.
Rad. Tormentill.
Urticæ ana ℥j.
coqu. in f. q. *aquæ ferrar.*
Colat. ℥viij. adde
Syr. de symph. Fernel.
Flor. hyperic. ana ʒvj.
Spiritus vitrioli q. f. ad aliqualem acorem:
D. S.
Potio adstringens.

Conf. simul HARTMANNUS, *ubi de sanguinis sputo.*
„ *Sed in usu hujus acidi vitriolacei, cave, dicit* LINDA-
„ NUS, *ne propines, si aliqua ulceris in faucibus sit suspi-*
„ *cio, aut aliqualis metus phthiseos, aliàs nocemus hic magis*
„ *pulmonibus.* Prodest aliàs ad fervorem sanguinis restinquendum, quatenus acre serum præcipitat, & ducit ad vias urinarias. Aliàs, si copiosè fluat sanguis, addatur adhuc Euporiston LINDANI, quod nobile est remedium simplex,

plex, familiari usu ipsi expertum contra hæmoptysin, paratum ex pomo cotoneo:

℞. *Poma Cydonia*, sive *matura* sive *immatura*, quocunque modo haberi queant.

Eaque discinde minutim in tenues lamellas, quas coque diu in diplomate in *aqua communi*, donec penitus mollescant; quo facto separa aquam decoctionis largiter, & laminas pomorum bene mollitas fortiter exprime.

Hujus succi expressi cochlearia ii. vel iij. ter quaterve in die propinat, quod ipsum egregiè in hæmoptysi conducere asserit præmissâ venæ sectione, utut etiam corrosi fuerint pulmones: aquæ verò isti, in qua decocta poma, per residentiam clarificatæ, addit tantillum *sacchari candi*, vel *Decoctum hordei*, in quo passulæ *Corinthiacæ coctæ* fuerunt, & propinat simul absque *saccharo* pro potu ordinario: quo ipso se gravissimas hæmoptyses, etiam ex erosione pulmonum ortas, curasse, & nunquam sine successu usum fuisse asserit.

GESNERUS *in Epist. pag.* 105. commendat malum cydonium excavatum, drachmâ unâ thuris impletum, assatum & propinatum, quo ipso egregiè aliquot hæmoptoicos restituisse asserit. De succo, *sirupo* & pulvere *stercoris asinini* & suilli supra actum fuit; vid. quoque BALLONIUS *lib.* 1. *Epid. & Ephemer. Consil.* 22. *pag.* 62. Ad hæmoptysin in specie *stercus muris* à ʒß. vel ℈ij. ad ʒj. cum *succo plantaginis* commendatur in sputo sanguinis, addito *saccharo* pauco pro gratia saporis, subinde manè stomacho jejuno, & vesperi in introitu lecti, dandum per aliquot dies. Convenit in specie, si fuerit hæmoptysis ob ruptum pulmonum vas. Cætera, ut *lapis hæmatites*, *bolus Armena*, *Martialia*, in specie *tinctura sulphuris vitrioli* à guttul. xx. xxv. ad xxx. in vehiculo appropriato, & *tinctura antiphthisica*, ex *suprà dictis* jam nota sunt. *In malograviori autem ex causis externis sæpè recidivante*, *Decocta pectoralia ex lignis* sunt egregia, de quibus conf. WILLISIUS *Pharm. Rational. Part.* 2. *pag.* 167. & 171. Ex quibus facilè variæ possunt fieri formulæ; e.g.

℞. *Tincturæ Antiphthis.* ʒij.
D. S.
Tinctura consolidans 30. *Guttæ serò ac manè sumendæ*.

℞. *Tincturæ Lap. hæmat.* ʒij.
D. S. ut antè.
Dentur guttæ 20. ad 30.

℞. *Tincturæ sulphuris vitrioli* ʒij.
D. S.
Tinctura adstringens.
Dentur gutt. 30.

℞. *Aquæ Plantag.* ℥ij.
Tincturæ martis adstring. ʒj. ad ʒiß.
Syr. Papav. alb. ʒvj.
M. D. S.
Potio adstringens.
Detur cochleatim.

℞. *Terræ sigill.* ℈j. ad ʒß.
Lapill. cancr. præp. ℈ß.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
M. f. Pulvis, S.
Pulvis adstringens.

℞. *Conf. Rosar. rub.*
Rad. symph. mai. ana ʒj.
Terræ sigillat.
Hæmat. præp.
Corall. rubr. præp. ana ℈j.
Pulv. hepat. rub. ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
Cum *syr. de symph. Fern.* & *de Corall. Quercet.* f. Electuarium. D. S.
Electuarium adstringens.

℞. *Conf. heder. terr.* ℥j.
Corall. rub. præp. ʒvj.
Antihect. Poter.
Hæmat. præp. ana ʒß.
Pulv. sem. hyoscyam. ʒx.
Cum s. q. *syr. portulac.* f. electuarium.
D. S.
Electuarium adstringens.

℞. *Conf. Rosar. rub.* ℥iß.
Violar. ʒvj.
Hæmat. præp. ʒiij.
Sem. papav. alb. ʒiß.
Cum *syr. de symph. Fernel.* f. Electuarium.
D. S. ut antè.

℞. *Conf. Rosar.*
Costæ,
Heder. Terrestr. ana ʒvj.
Hæmat. præp. ʒij.
Corall. rub. præp. ʒj.
Terræ sigillat. ℈ij.
Cum *syr. Papav. simpl.* f. Electuarium.
D. S. ut *suprà*.

Externè quæ dixi applicanda esse testibus in hæmorrhagia narium, commodè possunt applicari iisdem in hæmorrhagia pulmonum seu sputo sanguinis.

VII. Hic potissimum observetur, quod *superiùs Artic.* 1. *de Hæmorrhagia in genere* dictum, scilicet excretione aliquantum sedata Resolventia & expectorantia leniora esse jungenda, ne sanguis extravasatus ulcus creet; qualia sunt sperma ceti, cornu cervi, antimonium diaphoreticum, lapilli cancrorum, unguentum potabile rubrum, syrupus de scabiosa, oxymel squilliticum, oleum succini, quod ex CÆSALPINO RIVERIUS commendat.

Tandem & VIII. Pulmonibus læsis vulnerariis & balsamicis prospiciendum, v.g.

℞. *Herb. Scabios.*
Hed. terrestr. ana Mjß.
Rad. Torment. ʒj.
Sem. anisi ʒß.
Coqu. in s. q. aquæ & *cerevis.* ana p. æqu.
Colat. ℔j. adde
Syr. heder. terr.
De symph. Fern. ana ʒß.
M. F. Potio, S.
Potio consolidans.
De qua pro lubitu hauriatur.

Curavi anno 1678. Jurium *studiosum gravi hæmoptoe laborantem*, ipso ex aliquot annorum tussi humida, spiritu minus libero, nativa corporis constitutione, aliisque similibus supervenientibus ad phthisin disposito; cui in paroxysmo propinavi *Misturam istam polychrestam suprà Artic.* 1. *in Hæmorrhagia*, *ab acriori sanguine à lympha aut erosione, &c. concitata*, laudatam, cujus usu & sputum cessavit. Hinc pro reliquiis grumosis resolvendis præscripsi:

℞. *Aquæ Cherefol.* ℥iij.
Acet. vini ʒiij.
Lap. cancr. præp. ʒj.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Syr. scabios. ʒß.
Misc.

His præmissis, *ad imitationem* SYLVII *præscripsi Decoctum pectorale ex lignis*:

℞. *Ras. santal. rub.* ℥j.
Lign. sassafr. ʒß.
Macerentur per 12. horas in *aquæ comm.* ℔viij.
Coqu. ad consumpt. ℔iß. adde
Herb. heder. terr.
Veronic.
Com. hyperic. ana M. ij.
Sem. fænic. ʒvj.
Passul. min. conquass. ℥ij.
Coqu. ad remanent. ℔jv.
circa finem decocti adde
Rad. liquirit. ʒiij.
De colatura capiebatur bonus haustus manè, meridie & sub introitu lecti.

Usu horum remediorum contumax malum sævire desiit, ipso ægro cætera commodè habente, saltem quod calor quasi hecticus ab omni pastu, cum tussi moderatè humida, & copiosissimis sudoribus nocturnis, etiam sub primis somni horis, superessent. Interea ad demulcendum calorem hecticum ordinavi sequentem pulverem:

℞. *Lap. cancr. præp.*
Antihect. Poter. ana ʒß.
Corall. rub. præp. ℈j.
M. pro 2. vel 3. dosibus.

Item ob sudores nocturnos, debilitantes & emaciantes, coercendos optimè contulit pulvis sequens:

℞. *Lap. cancr. præp.*
Antihect. Poter. ana ʒß.
Arcan. duplic. ℈ij.
Laud. opiat. ferm. gr. jv. vel v.
M. pro 4. vel 5. dosibus vespertinis, hora 5. præter propter à meridie assumendis.

Vid.

Vid. Diss. de Opii virtute diaphoretica cap 3. § 8.

Aliam hęmoptysin ex orgasmo massę sanguineę curavi in muliere quadam juvene, hilari, vegeta, & gracili, cujus vasa sanguine turgescebant. Hęc septimà vice gravida erat, ultimumque gestationis tempus agebat, cùm ante menses quatuor vel quinque tempore ęstivo ex cursu & motu in horto in sputum cruentum incidisset, breviter quidem cessavit, sed antecedente septimanà ex improviso vesperi cum tussi sicca copiosum sanguinem floridum spumosum emisit, cessante tussi lectum petens, suaviter dormit. Manè vocatur Medicus ordinarius, qui, præter pulveres confortantes ratione fœtus, ordinat, ut cucurbitulæ scarificatę applicentur scapulis & brachiis pro aversione sanguinis: sed ego vocatus non probavi consilium; parum enim evacuant, & tamen sanguinem versus pectus alliciunt, & metus est, ne circa vesperam hęmoptysis major recurrat; quod etiam factum fuit. Quapropter altero die jussi venam secare in brachio ad ℥iij. vel jv. simul ordinando sequentem misturam:

♃. *Aquæ Plantag.*
Portulac. ana ℥j.
Acet. vini ʒij.
Corall. rub. præp. ℈j.
Terræ sigillat. ℈ß.
Syr. flor. papav. errat. ʒvj.
Misc. pro 2. dosibus.

Interim nullum sanguinem rejecit, sed saltem subinde screat, & quoties screat, toties sputum cruentum rejicit, quod saltem ex capite laryngis derivatum fuit; nam levi screatu ex pulmonibus non potest rejici, unde judicavi, læsionem saltem esse in larynge. Vesperi sanguinis sputum recurrebat, eodem impetu, unde ægra delassabatur, fętu fortiùs se movente; Unde ordinabam quietem, prohibebam Vinum Rhenanum, sed imperando dulce, simul quoque præscribebam sequens Electuarium:

♃. *Conf. heder. terr.*
Rof. rub.
Costæ ana ʒvj.
Hæmatit. pręp. ʒij.
Corall. rub pręp. ʒj.
Terrę sigillat. ʒij.
cum *Syr. papav. alb.* f. Electuarium.

Libenter ordinassem trochiscos de Carabe: sed quoniam eos ingreditur opium crudum, propter fętum timui. Electuarium sæpè sumpsit, & multos dies fuit sine sputo cruento.

In Hæmoptysi aliàs ex orgasmo sanguinis & spirituum egregiè convenit Camphora: vid. IOEL *pag* 279.

Præservativè conveniunt lac & acidulæ cum medicamentis traumaticis.

Inter EXTERNA convenit Pulvis sympatheticus. Buso tempore balsamico, Iunio & Julio, per caput transfossus axillis subiicitur: vid. FABER & HELMONTIUS *Tum. Pest.* Conducit etiam immersio testium in acetum rosatum, vel linteum in aceto immersum, & circa testiculos obvolutum.

SECTIO XIX.

DE MOTU SANGVINIS AD VISCERA.

Sequitur motus sanguinis ad viscera: quę sãguis sub suo circulo inferiore per arterias descẽdentes alluit, sũt Liẽ, Hepar, & Renes. Interim de lienis & hepatis morbis pauca monenda restant, quę nõ suprà fuerunt monita.

CAPUT I. DE LIENIS AFFECTIBUS.

Sanguis in totum corpus distribuitur ex corde, ut istud nutriat, & beneficio spiritus vitalis in esse vitali conservet. Verùm præter hunc *usum* etiam in singulis partibus ac visceribus internis idem sanguis aliquid patitur, non tantummodò quatenùs in quibusdam *singularem & determinatam* patitur *alterationem*, sed etiam, quatenus fit *separatio* quædam *singularis cuiusdam liquoris* ab eodem, utpotè cum videamus, *in hepate & folliculo fellis bilem* separari, *in renibus urinam*, *in glãdulis* partem materię lymphaticę ex sanguine unà expurgari, & sic in reliquis partibus. Speciatim pro varietate partium distinctim distribuitur, & quidem pars altera deorsum per arterię aortę truncum defertur, cujus insignis portio per ramum splenicum, aliàs dictum coeliacum, lieni infertur, qui omnis per venam splenicam in truncum venæ portæ, & ita in hepar defertur, sicuti simul omnis *sanguis ab intestinis* etiam refluus *per venam portæ hepati* infunditur, quę quoad hunc usum arteriæ ferè officio fungitur: qui sanguinis omnis per surculos venæ cavę in hepar distributus, venæ cavæ tandem infertur. Exilis est arteria, quæ ex ramo arterię splenico, seu potiùs ex arteria cęliaca, ad pancreas, item ad hepar, uti etiam ad folliculum felleum defertur, quę arteria hepatica, unà cum vasis cholodochis & nervis hepaticis paucis, intra capsulam communem coercetur. Conspiratio lienis cum hepate, quà omnis sanguis ex liene immediatè in hepar abit, ostendit peculiarem in officio consensum, ita ut probabile sit disponi in liene sanguinem, ut eò faciliùs in hepate, alterari, & bilis ex eodem confici ac transcolari queat. Pręter quæ vasa etiam copiosi admodum nervi ex pari nervorum vago lieni inseruntur, sicuti lymphatica quędam vasa non tantum adeò copiosa ex liene ad receptaculum commune pergunt, ipso hepate & folliculo felleo copiosis admodum lymphæ ductibus instructis, in receptaculum commune se insinuantibus. An in Liene vasa lymphatica, vid. RUYSCHIUS & BLASIUS: Copiosa lymphatica hepatis minutissima apud RUDBECKIUM.

Lienis viscus est substantia potiùs neruea, quàm propriè dicta sanguinea: nempè consistit ex congerie membranarum, in cellulas & multiplices concamerationes efformatarum, per quas glandularum minimarum copiosi racemi uvę botrum æmulantes dispersi sunt; uti hoc ipsum eleganter describit MALPIGHIUS *Tract. de Structura viscerum, ubi de liene*: id quod etiam mediante flatu circa lienem demonstrari potest. Veteres dixerunt, Lienis substantiam esse tantum parenchyma.

Lienis viscus quoad suum usum non est simpliciter ad esse vitale animalium necessarium, cùm canibus & suibus sine ulla sensibili functionum lęsione exscindi queat; sed tantùm ad bene esse confert, ita, ut ad majorem saltem sanguinis perfectionem, sed accidentalem tantùm, facere videatur (vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 29. *p.* 101. DECKERS *in Barbette*. Generationes habent communes post exscissionem lienis. BARTHOLINUS *ex* FIORAVANTO idem notat de excisso liene humano, sed experientia una est nulla: vid. MAJOR *in Chirurg. infus.*) Quò ipso etiam convincitur, quod ea, quæ HELMONTIUS de usu lienis statuit, deque ejus cum ventriculo duumviratu profert, de Fermenti inspiratione à Liene, de primorum conceptuum formatione, somni & vigiliarum sede, virtute generativa ex splene, in *Tract. sedes animę*, item *Ius duumviratus* &c. omnia falsa, nec minùs veritati congrua esse.

Pro usu Lienis meliùs cognoscendo observandum est, quod Lien omni cavo singulari sit destitutus, adeòque nec recipiendo nec digerendo cuidam humori aut excremento sit destinatus: unde etiam receptio succi melancholici, & ejus in stomachum eructatio per vas breve, ex Veterum sententia, etiam spontè corruit, & pręter anatomen, eam sufficienter destruit CONRINGIUS *Tr. de Gener. & usu sanguinis cap.* 12 *&* 14.

Modernorum quod attinet sententias: tot ferè de usu lienis sunt sententiæ, quod Medicorum capita. Plures Veterum sententiam, sed suo modo correctam & magis castigatam arripiunt, quatenus nunc sanguinem crassum melancholicum in eo magis fermentari, nunc sanguinem plus quàm perfici, nunc chylum crudum in eo alterari, nunc excrementa tartarea in eo fermentari, & ad promptiorem separationem disponi asserunt. Confer. hic MOEBIUS *in suis fundamentis pag.* 381. item VELTHUSIUS *de usu Lienis*, item SYLVIUS *Dissert.* 5. *de usu Lienis*.

Frustra reverà Lien non est conditus, quin ad sanguinis laudabilem & naturalem statum, pro universi corporis œconomię salute, & conservandum & restaurandum multum cõferre,

ferre, & structura ejus & connexio demonstrant: sed quod hoc sit, quod conferat, quæritur? Probabilissimũ videtur, in Liene ratione copiosissimarum glandularum, uti & ratione multiplicium nervorum ad lienem distributorum, & sensui ac motui minimè inservientium, præparari certum quoddã fermentum subacidum, insigniter tamen volatile, quod sanguinem, ipsi infusum, impraegnet & disponat, & ad promptiorem fermentationem ac spiritu ascentiam, simulque hoc ipso partes sanguinis heterogeneas nec ritè miscibiles faciliùs separari faciat, ut commodiùs per convenientia loca, in specie renes, evacuari possint.

Illustrant hæc: quòd observetur iis, quibus Lien benè constitutus est, eorũ corpus florere; quorum verò Lien vitiosè augetur, eorum corpus imminui. Ad hæc omnes splenetici reverà tales, seu in quibus lien malè affectus aut tumidus deprehenditur, hi omnes sunt salivatores, teste HIPPOCRATE, & tales ægri optimè per medicamenta salina urinam provocantia curantur, teste LAVRENTIO *in Controvers. Anatom.* ubi experientia testatur, urinas, quę sub ipso morbo fuerũt crudę, tenues, restituto liene prodire turbidas, obscuras, & cum copioso sedimento coctas, tandem sensim clarescere, & ad naturalem colorem redire. Ad hęc Lien animalium, vel assatus, vel coctus, vel alio modo pręparatus, si gustetur, deprehensus est austeri, pontici, & plus minus acerrimi saporis, teste WALÆO *in Epist. de motu sanguinis*, item HIGMORHO *in Disquis. Anatomica de splene.* Hoc insuper notabile est, quod splenes animalium, in specie cervi & bovis, præparati, aut in Decocto vel essentia usurpati, affectibus spleneticis & imprimis cachexiæ virginum & mensibus suppressis, specificè conducant.

Quoad AFFECTVS LIENIS præternaturales: ejus *actio læditur*, *quando vitiatur viscus vel*

(1.) *Intemperie*, *ratione spiritus insiti.*

(2.) *Quando læditur in conformatione* sua, ex ejus infarctu & obstructionibus, indeq; nato tumore inflammatorio, & tandem scirrhescentia.

(3.) Denique, quando læditur in functione, ratione specifici ejus fermenti plus minùs alterati aut deficientis, vitio præsertim spirituum animalium, copiosiùs aliàs ad lienem distributorum.

VITIA tamen hæc LIENIS non sunt adeò frequentia; & si tamen adsunt, sunt nunc *hæreditaria*, nunc, idque frequentiùs, *aliis superveniunt morbis* chronicis, in quibus vulgò, ceu asylum ignorantiæ, Lien accusari solet.

ARTICULUS I.
DE
LIENIS INTEMPERIE VITIATA.

NOn levis quidem abusus circa *affectus spleneticos* occurrit, dum punctiones & rosiones in hypochondrio sinistro occurrentes, & nescio quæ mala alia, subindè *spleni*, licet *insonti*, attribuuntur; quod tamen falsum est, cùm splenis substantia ferè insensilis inepta sit tali dolori. Interim non penitus rejiciendi sunt, sed ferè se produnt, imprimis intemperies ejus vitiata, per SYMPTOMATA *convulsiva* seu spasmos ratione consensus neruorum, & hinc *perturbationem mentis*. Præterea se produnt ordinariò *dolore gravi obtuso*, quasi contũdente, (minimè omnium punctorio, quem apud nullum spleneticum observare potui) tensivo, ex ejus inflammatione, aut gravativo ex ejus pondere, & subsequentibus *spasmis*.

CVRA.

Lenis Intemperiem vitiatam corrigere difficile est, nisi acidũ ejus præternaturale alteretur, resolvatur, & eliminetur.

Pro scopo evacuatorio:

℞. *Mercurii dulc.*
Extr. helleb. nigr. an. gr. xv.
Troch. alb. gr. j. vel ij.
Cum *solut. martis cum succ. pom.* f. Pilulæ.

Pro scopo alterativo usurpantur Martialia, vesperi & sub introitum lecti, volatilia plus minus aromatica.

EXTERNE lieni imponatur Emplastrum de ranis cum duplo Mercurii, vel solum, vel cum Emplastro splenetico usitato, vel cum Gummi ammoniaco: malaxetur cum Galbaneto Paracelsi, vel oleo destillato succini: Vel

℞. *Empl. de Nicot.*
Ran. cum duplo mercurii an. q. s.
Malax. cum s. q. olei *tartari fœtidi*, aliquoties super cornu cerui ustum *rectificati*.
Applicetur sine sindone.

Hactenus dicta exemplis illustrabo: STVDIOSVS QVIDAM repentino dolore hypochondrii sinistri profundo corripiebatur, superveniente Lipothymiâ gravi cum aphonia ferè, & spasmis, motibus convulsivis, ac doloribus lancinantibus in omnibus artubus, præsertim manibus. Malum radicitùs erat ex *splene*.

MERCATOR QVIDAM conqueritur de continuo dolore in hypochõdrio sinistro, quasi cõpressivo, levamen sentit egregium ex applicatione *Emplastri de Nicotiana cum ana tacamahacæ* (vel istis Emplastris in Colleg. Formul. *pag.* . . . . & *Id. Form. Class.* 5. §. 5. præscriptis) sed corripitur hinc *hemicraniâ* gravi partis sinistræ, urgente præsertim circa regionem temporum istius lateris dolore, turbante simul caput insigniter. Remoto verò *Emplastro*, in isto latere evanescit hemicrania, redeunte hypochondrii molestiâ. Totus affectus erat ex *splene*.

MVLIER dolore hypochondriaco sinistro profundo & quasi lacerante afficiebatur, sentiebat exindè dolores lancinantes & lacerantes, universum abdomen torqueri, & totũ intestinorum situm recurrentibus creberrimis doloribus affligi. *Affectus* re vera erat *spasmodicus*, *ob plexum Lienarem* nerveum, ex malè habente splene in spasmos actum.

STVDIOSVS NOBILIS in pueritia diturnâ quartanâ, & hinc hydrope affectus, tandem ab hoc, mediante copioso urinæ fluxu, curatus, redditus erat summè *spleneticus*, cum mentis perturbatione & melancholia. Nempè quoties insignior tempestatis, in specie verno aut autumnali tempore, immineret mutatio, toties sensũ *palpitationis* in imo seu profundo hypochondrii sinistri propè spinam dorsi ferè percipit, quam *dolor gravativus & obscurus lienis* in isto loco comitatur: hinc caput turbari, anxius ipse reddi, &c. incipiebat, adeò, ut uno alterove die, antequam contingeret, tempestatis mutationem imminere, dictis in locis & modis ipse perciperet, cùm aliàs in dicta regione nullam pulsationem perciperet, animosus & hilaris, optimè animo & corpore valens esset. Adeòque & hic *Quartanæ confirmatę* splenem simul afficientes, & hujus malè affecti *pulsatio hypochondriaca*, quam HELMONTIVS urget, & hanc insequentia *melancholica pathemata*, consideranda veniunt.

VIR quidem per aliquot dies noctesque laboraverat sequentibus pathematis: Ante meridiem sanus & vegetus erat, horâ verò primâ præter propter à meridie dolorem obtusum grauantem, uellicantem, quasi contundentem in hypochondrii sinistri profundo percipiebat; ex quo loco brevi post insignes dolores lancinantes & contorquentes universũ abdomẽ, cũ insigni hujus quasi tympanitica inflatione occupabãt, unde miserè affligebatur æger; dolores & cruciatus isti sursum versus ad pectoris regionem etiam protendebantur; hinc subinde vomitus superveniebat, tandẽ sensu & motu voluntario destitutus, brachia cum digitis tendebat, & ita cum dictis symptomatis usque ad ingruẽtem noctem torquebatur; nulla febris aderat, nocte moderatè dormiebat, manè commodè habebat. In paroxysmo à vomitu levamen sentiebat, injectum fuerat clysma, inde post ternam evacuationem in paroxysmo etiam meliùs habuit. Vocatus ego dixi, esse affectum convulsivum, esseque dolores spasmodicos, natos ob plexum lienarem nerveum ex malè habẽte splene in spasmos actum, unde per consensum quælibet reliqua symptomata nata: malè habebat splen, ut suspicabar, ex acido vitioso, œconomiam ejus turbante.

Pro cura ergò paulò ante meridiem dedi liquoris martis solaris gutt. xxx. Externè regioni splenis applicandum jussi Emplastrum de Nicotiana, ordinando simul clysma, tempore, quo rediit, paroxysmus, injiciendum. His administratis nullus paroxysmus rediit. Altero manè dedi gr. iij. tartari emetici, & sequentibus diebus omni manè liquorem Martis solaris continuandum jussi; & sic penitus nullo amplius redeunte paroxysmo, convaluit.

VIRGO annorum 12. ex hæreditate materna splenetica, & hinc nonnihil melancholica, sub primo somno insultibus epilepticis corripiebatur, levioribus quidem, omni nocte tantum recurrentibus: præmittebam tincturam vitrioli Martis Zwelferi, ejus ʒß. ad ʒj. omni manè capiendam; hinc pro abstergendis primis viis præscripsi:

℞. *Tartari vitriolat.* gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Troch. alhand. gr. ß.
Misceantur pro pulvere.

Hinc vomitorium ex syrupo emetico.

Sub usu horum sub ingressu lecti jussi capere pulveris epileptici

ſeptici antimonialis gr. iiß. ad iii. idque omni veſpera.

Quibus ita adhibitis, & ſedato paroxyſmo, pro radice morbi in ſplene evellenda præſcripſi:

♃. *Liquoris Martis ſolar.* ℥ß.
Capiebat 15. guttas omni mane.

Externè Emplaſtrum de ranis cum Mercurio, malaxatum cum ſ. q. olei deſtillati tartari fœtidi, applicabatur regioni ſplenis. Quibus continuatis non ampliùs rediit malum, idque eò tutiùs, quòd aliquo temporis ſpatio interjecto menſes primi ſupervenirent.

ARTICULUS II.

DE

LIENIS CONFORMATIONE LÆSA, & INDE NATIS TUMORE, & SCIRRHO.

&

ARTICULUS III.

DE

FERMENTI SPLENETICI LÆSIONE.

QUod attinet vitium ex conformatione læſa, ut Tumores, ſcirrhos & ſimilia, &c. Magnitudo & color lienis uti ſingulis animalibus eſt proprius, ita & homini etiam ſano magnitudo ejus multum variat, color verò, qui in fœtu eſt ruber, in adulto ſemper deprehenditur obſcurior & nigricans. In ſe & ratione ſui uſus ad chronicos ſaltem affectus diſponit Lien, inde & affectuum dictorum melãcholicorum ſedes ordinariò dicitur. Interim tamen, Autore SYLVIO aliiſque, in melancholicis affectibus mortuis ſæpiſſimè ſalvus & ſanus lien quoad ſui ſtructuram repertus fuit; ex quo tamen non ſtatim concludi debet, planè inſontem eſſe Lienem in talibus morbis, cùm id quoad fermentum ejuſdem ſpecificum, aberratio fieri poſſit multivaria, ipsâ ſtructurâ materiali adhuc ſalvâ. Utut ergò chronicorum affectuum, ſpeciatim hypochondriacorum, ſcorbuti, quartanæ, melancholiarum, &c. primum fontem ſtomachum exiſtimo; certum tamen eſt in dictis affectibus, in ſpecie confirmatis, ſimul vitium ſplenis ſubeſſe, à quo ipſo hujuſmodi affectus ſanè longè contumaciores, curatu difficiliores, & ægris propter multiplicia vaga ſymptomata moleſtiores eſſe ſolent. Ob id ſtudioſè moneo, ut dictis in affectibus, in ſpecie inveteratis, ſemper ſimul ad ſplenem ratio habeatur pro meliore cura, & hujus vitia quæcunque maturè præcaveantur, aut ſimul curentur.

CURA.

Lienis *inflammatio Art.* 11. *cap.* 1. *ſect. præcedentis* tranſacta eſt.

Infarctus verò, *Tumores*, & *ſcirrhos* leviores aut incipientes, emendant omnia dicta *aperientia*, item *gummata*, uti *ſuperiùs Sect.* 8. *ubi de morbis chronicis in genere*, egimus.

Quoad *fermenti lienis reſtaurationem*: hanc vix, niſi talibus, quæ ſpirituum animalium defectus reſtaurare valent, curare poſſumus; qualia ſunt omnia volatilia aſſumpta, de quibus *infra l.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 1. plura, *ubi de ſpirituum animalium vitiis*.

Conveniunt ergò pro ſplene curando imprimis Martialia, & Saturnina, acidum nimium abſorbentia, & ita per accidens læſioni fermenti ſplenetici occurrentia; hinc alcalia volatilia, præ reliquis omnibus Tartarea volatilia, imprimis ſpiritus carminativus de tribus, & ſimilia carminantia, præprimis ubi adeſt dolor tenſivus: Dolori verò gravativo ſpiritus ſal ammoniaci penetrans & aperiens, uti univerſo corpori in morbis chronicis, ita imprimis ſpleni confert; item aperitiva Martialia. Cum quibus ſimul diuretica, imprimis tartarus vitriolatus, ſal digeſtivum hypochondriacum, tinctura tartari, liquor terræ foliatæ tartari, ſal Martis compoſitum, ex ana vitrioli Martis cum terra ſol. tartari, ſedulò jungenda, & crebriùs repetenda erunt. Refert enim SCHENCKIUS *lib.* 3. *Obſerv. de Liene*, quendam lienis tumore laborantem per 15. annos annuatim bis vel ter per urinæ profluvium inſtar atramenti convaluiſſe.

CAPUT II.

DE

HEPATIS LÆSIONIBUS.

ALTERUM VISCUS, cui occurrit ſanguis, eſt HEPAR cum annexo FOLLICULO FELLEO, quæ invicem ſibi intertexta & connexa conſpirãt circa *bilis generationem*, ſeparationem & diſtributionem. Hepatis quod attinet viſcus & uſum: hujus parenchyma ex glandularum globulis copioſo ſanguine ſuffuſis & irrigatis compoſitum, eleganter demõſtratum eſt à MALPIGHIO *in ſuprà citato Tractatu de ſtructura viſcerum*. Huic cùm in ſanguificationis negotio ductæ fuiſſent exequiæ, omnes ſtatim hepar colatorium eſſe bilis aſſeruere: id quod jam ſtructura ejus glanduloſa ulteriùs confirmat, quod bilis in hepate ſecreta à ſanguine derivetur partim immediatè perductus cholodochos in inteſtinum, partim verò in folliculo fellis priùs collecta exindè etiam ad inteſtinum per ramum cyſticum abeat. Jam verò certum eſt, eam bilem, quæ per ductus hepaticos excernitur, ex hepate oriri, in eoque ſecerni ex ſanguine, per venam portæ vecto id quod experimenta MALPIGHII & FRACASSATI confirmant, cùm etiam canibus fel cum ſuo folliculo exſcindi poſſit, ſalvis ductibus cholodochis, & jugi adhuc bilis ad inteſtina motu per ductus hepaticos durante: quæ ipſa contra hypotheſin SYLVII notanda ſunt. Helmontius dicit, vulnera folliculi eſſe lethalia, ſed non tàm folliculi, quàm propter hepatis copioſa vaſa, unde ſanguinis effuſio maxima.

Utut autem certum ſit, omnem bilem, quæ ex ductibus hepaticis oritur, reverà elici ex hepate; dubium tamen ſupereſt de bile, quæ in folliculo fellis continetur. Hanc non in hepate, ſed in ipſo folliculo ex ſanguine, per arteriam propriam in eum tranſmiſſo, produci, vult SYLVIUS *Diſſ.* 6. §. 53. & SCHWAMMERDAMMIUS *de Reſpir. Sect.* 3. *c.* 1. *pag.* 86. Unde ſanguis eò delatus per fermentationem à bile jam præſente in ſimilem bilem mutetur: ex quo etiam potiùs ingreſſus ex folliculo in hepar ex eo innoteſcet, quàm contrà; quia folliculo injectum atramentum denigret hepatis parenchyma, ut vult FRACASSATUS. Huic verò hypotheſi obſtant experimenta MALPIGHII, qui ligatis arteriis hepaticis, & abſciſſo pariter folliculo felleo, nihilominùs continuum bilis proventum ex ſanguine venæ portæ obſervat.

Hepatis ergò officium verſatur ſimpliciter circa bilis elaborationem: ſecreta nempè in hepatis glandulis materia ex ſanguine, ibique certo modo alterata & mutata in bilem, partim immediatè per porum cholodochum hepaticum ad inteſtina derivatur, partim mediatè in veſiculam priùs collectam per ductum hujus cyſticum ad inteſtina pariter ablegatur. Plura huc pertinentia videb. *in Colleg. Inſtitut. P.* 1. *cap.* 13. *p.* 93. & ſeq.

Quoad læſiones hepatis præternaturales: non ſunt adeò frequentes, ut ſpecialem conſiderationem mereantur: Vel

I. Communes ſunt reliquis partibus, quales ſunt *conformationis vitia*, ut Obſtructiones, tumores, inflammationes, abſceſſus, ſcirrhi, &c. de quibus in ſuperioribus ſuo loco dictum.

II. Læditur hepatis functio, *Læſo ſpiritu inſito*, ſeu, ut vocant, *in morbo intemperiei*, dum intemperies excedit vel occaſione acidi vitioſi ad inſtar ſpinæ infixæ ſpiritum laceſſentis, vel dum deficit intemperies occaſione ſpiritus deficientis, aut exhauſti: Vel

III. Sunt hepati proprii, & omnes læſam bilis generationem conſtituunt, quando nempè *ſanguinis vitio* læditur functio hepatis circa ſecretionem bilis; aut pori ejus ſunt vitiati, quando nempè hepar ineptum eſt, ut in eodem aut generetur aut tranſcoletur materia bilis, unde bilis aut nimis ſalſa, aut nimis pinguis, aut nimis aquoſa, aut iners, aut planè non generatur, ita ut potiùs ipſius bilis præternaturalis vitia, quàm hepatis morboſa pathemata, dici debeant.

Bilis autem vel defectus, vel inertia, utplurimùm fovet morbos chronicos, cachecticos & hydropicos, ut ſuprà monitum; item vitia bilis ad icterum ſuo etiam modo diſponunt; ſicuti bilis degener facta à ſtatu naturali ſcorbuticos admodùm fovere, & malum gravius reddere ſolet: Sicuti eadem depravata & vitioſâ acrimoniâ prædita, indeque vitioſè cum acido efferveſcens, phlogoſes vagas ſolet efficere; de quibus videri poſsũt ea, quæ *ſuprà Sect.* 17. *c.* 3. *ar.* 4. *ubi de ictero* egimus: Conf. etiã SYLVIUS *l.* 1. *Pr. c.* 44. *& ſequ.* Vulgò morbi chronici, tantùm nõ omnes febres intermittentes, mali hypochõdria-

driacũ,& similes morbi,obstructionibus hepatis, lienis & mesenterii adscribuntur, ex quibus obstructionibus, tanquam causis remotis. postmodùm tales affectus contumaces oriantur; quibus ipsis etiam postmodùm per medicamenta, Aperientia dicta, mederi volunt. Verùm tales fictitiæ obstructiones reverà sunt sæpissimè asylum ignorantiæ, cùm à nullis unquàm demonstratę sint, aut explicatum, quomodo tales morbi exindè oriantur? Interim tamen non nego, subindè in his affectibus subesse intumescentias hepatis & lienis, non rarò etiã deprehendi scirrhos in his visceribus: sed hi tumores non sunt causa istorum affectuum, sed potiùs ex illegitima Cura istis affectibus superveniunt, dum nempè ex vitiata sanguinis crasi, indèque deficiente hęmatosi coacervati succi crudi, & cum sanguine circulati hinc inde in viscerum porulis stagnant, donec densiùs agglomerati visceris tumorem inferant, & tandem proprio acido coagulati in scirrhos indurentur; suntque tales viscerum affectus producta potiùs morbosa, quàm talium morborum radices. Oriuntur potiùs hi affectus chronici utplurimùm ex vitio diętę, & depravatâ digestione primâ, seu chylosi, qua chylus vitiatus, utplurimùm vitiosè acidus sanguini infusus, ejusdem crasin naturalem pervertit, fermentationem ejusdem depravat, corporis nutritionem inquinat, & reliquos corporis succos, tàm lympham, in specie pancreatis, quàm bilem, vitiosis qualitatibus & saporibus tingit, unde & consequens vitiosa fęcum alvinarum à chylo separatio, & chyli in primis viis ab istis succis vitiosis inquinatio, cõtingit, unde ex inde postmodum tot ac tanta symptomata oriantur. Vitiosam istam succorum constitutionem per salia definiendam, veteres *antipraxiam* seu *contrarietatem viscerum* appellarunt; intelligentes hoc ipso imprimis hepar & stomachum lęsum: id quod moderni potiùs per facultates salinas, à statu naturali degenerantes, indèque depravatas succorum crases explicant.

Curantur autem hepatis vitia vera, *conformationis* quidem, per *Aperientia suprà dicta*.

Intemperiei vitia curantur, corrigendo acidum vitiosum istud, spiritum afficiens, & confortando tonum hepatis per *amara* & moderatè *styptica*, ut sunt *rhabarbarum, absinthium, &c.*

Sanguinis & bilis errata, defectus nempè & depravationes, & reliqui morbi chronici, visceribus lęsis dicati, præmisso vomitorio nunc per Martialia, quę acidum vitiosum primarum viarum & alios sapores vitiosos absorbent & pręcipitant, nunc per remedia sale volatili oleoso prędita, primariò *amara* hepati dicata, secundariò *aromatica*, nunc plus nunc minus *acria*, prout vitium bilis requisiverit. Verissimum enim est istud Practicum effatum: *ut acida stomacho sunt amica, ita amara sunt hepatis balsama*; & ob id Rhabarbarum *anima hepatis* etiam dici solet, non tàm evacuans quàm corrigens bilem. Imò cochlearia, absinthium, rosmarinus, centaurium minus, fel terrę, chelidonium majus, marrubium aut similia, vulgò *Febrifuga* aut *Aperientia* appellata, & quę suprà *Sect.* 80. ubi de vitiis separationis fęcum in intestinis, item in ictero laudata, in affectibus, ubi subsunt vitia bilis, adeòque in affectibus chronicis, sunt optima bilem restaurantia: sicuti etiam aromatica, ut cardamomum, cubebę, galanga, Piperata, Crocus, &c. etiam acuunt bilem, eamque volatilem & acriorem reddunt, nunc parando nodulos, vino infundendos, nunc Decocta, nunc essentias aperitivas, &c. quorum virtute salinâ imprimis de alcali volatili participante, vitiosa crasis massæ sanguineæ, & indè vitiatorum succorum, corriguntur, ut stomachi tonus & fermentum emendetur, & ita æger restituatur. Quò pertinent non incommodè salia volatilia plus minus aromatica, spiritus salis ammoniaci oleosus, spiritus tartari volatilis, spiritus carminativus, spiritus cornu cervi, qui omnes habent oleũ secum: item fixa, ut sal digestivum hypochondriacum, arcanum duplicatum, &c. bilem è contrà luxuriantem nimis pinguem, in speciem acrem, indèque vitiosè effervescere aptam, corrigunt imprimis acida, primariò spiritus nitri dulcis, & spiritus sulphuris per campanam. Tandem in statu quasi naturali conservant, aut vitiatam blandè corrigunt pastulæ & passulata; unde pulpa passularum cum pulvere rhabarbari imprægnata tàm nobile Hepaticum dicitur, seu potiùs bilis correctivum.

SECTIO XX.

DE SERI SUPERFLUI SALIBUS RECREMENTOSIS IMPRÆGNATI PER RENES EXCLUSIONE.

TERTIUM VISCUS, cui occurrit massa sanguinea, sunt RENES, in quibus secernitur *lixivium volatile*, seu latex aquosus, sale volatili salso oleoso, seu composito ex acido & urinoso, imprægnatus. Sanguis enim ulteriùs per arterias emulgentes distribuitur ad renes, ex quibus per venas emulgentes redit, ut ibidem serum salibus partim superfluis, partim recrementosis, aliisque sanguinis impuritatibus, imprægnatum transcoletur & separetur. Est enim latex aquosus aliàs serum commune, tàm succorum nutritivorum quàm excrementorum, vehiculum, cujus medio illi per universum distribuuntur corpus, hi verò in certis colatoriis separantur & amandantur: quod si fiat per renes, urina appellatur; sin verò per cutis poros, sudoris nomine venit: vid. PISO *de colluv. serosa*, BARBATUS & SCHENCKIUS *de sero & sanguine*.

Est autem *urina duplex*, ut rectè distinguitur ab HELMONTIO, *urina potus* & *urina sanguinis*. Urina sanguinis est lixivium quoddam volatile, aqua nempe sale salso volatili quasi ammoniacali imprægnata; aliàs Lixivia sunt salia fixa. Sal hoc volatile salsum constat ex acido & alcali, ambobus volatilibus, quę tamẽ temperata sunt partibus sulphureis seu oleosis satis copiosis, uti hoc ipsum demonstrat anatome urinę spagyrica, quâ patet, quod per se det phlegma, & remaneat magma flavum; cui verò, tàm urinę quàm magmati, si additur alcali, ab hoc absorbetur acidũ, & prodit spiritus urinosus: si à calce viva abstrahitur, purissimũ accigitur sal alcali, de quo vid. HELMONTIUS *de Lithiasi c.* 3. WILLISIUS *Tr. de Urinis*, ex quo sua habet MOEBIUS *in Instit.* quæ fideliter exscripsit. Spiritus urinæ semper habet contagium sulphureum, unde se colorat; spiritus salis ammoniaci autem est purus. Urina potus est, quæ mox sub labore digestionis primæ in primis viis secernitur, de qua *suprà, ubi de motu chyli, Sect.* 13. Hæc urina, utut pallida, tamen & ipsa est salsa: quę salsedo partim volatilis est, tum ex assumptis in salsũ mutatis, tùm ex pancreatis succo & bile in salsum volatile abeuntibus; partim verò, & quidem maxima ex parte, hęc salsedo est fixa, ex sale communi cum alimentis assumpto, quod hoc modo immutatũ ferè denuò excernitur, & post urinę destillationem in capite mortuo reperitur, ex quo similiter spiritus acidus tanquã ex sale cõmuni destillari potest, vid. HELMONTIUS *de Lithiasi* §. 21. & *Colleg. Institut. p.* 1. *cap.* 14. *pag.* 96. Sed cum hac urina potus nihil hic nobis negotii.

In omni urina sanguinis, à Medico observandâ, tres conditiones probè sunt attendendæ, nempe

1. Urinæ color,
2. Ejusdem consistentia,
3. Ejusdem varia contenta.

Omnes has proprietates habet urina ratione particularum in ejusdem latice aquoso dissolutarum, instar nempè lixivii communis à salibus imbutis diversimodè affecti: Lixivium, quò plura habet salia, eò magis rubescit; Nam salia semper de oleo adhuc aliquid habent. Quod si contenta salia oleosa porulis laticis cõtinentis sint probè unita, ut radii luminosi ęqualiter maximâ ex parte transeant, fit urina clara seu perspicua: sin verò particulę contentę liquoris porulis non sint ęquè unitę, ut impediatur radiorũ progressus, urina fit turbida: Quod si radii luminosi transeuntes ex parte quadam sui refringantur, & ita modificentur, urina fit colorata, plus minùs intensè, prout magis minusvè à salibus contentis copiosioribus vel parcioribus talis radiorum refractio contingit: Quod si cõtenta ista in vehiculo aquoso sint pauca, urina quoad consistentiam est tenuis: Quod si eadem sint copiosa, urina est crassa.

Quoad contenta, hæc vel naturalia sunt, vel præternaturalia. Naturalia hęc cõtenta sunt nulla; siquidem, ubi ritè fiunt digestiones, in specie prima, absque contentis urina excerni solet: Quod si verò errore primæ digestionis, imprimis propter erro-

errorem externum læsæ, non ritè digeratur totus chylus, & ita consequenter in secunda digestione non ritè totus assimiletur, pars hæc crudior à parte aquosa imbibita una cum urina excernitur, & sedimentum sanorum constituit. Præternaturalia verò contenta sunt recrementa salino-sulphurea, aliaque vitio chyloseos & hæmatoseos successivè in massa sanguinea congesta, quæ ubi ad saturitatem ferè sanguinem impleverint, per fermentationis motum separata, & instar fæcum præcipitata, à latice aquoso imbibita cum urina unà excernuntur.

Prout ergò se habent chyli & sanguinis digestiones, ita etiam se habent in suis attributis urinæ. Hinc si salia, reliquæque urinam constituentes partes, per fermentationem benè subactæ, & à latice aquoso ritè imbibitæ fuerint, urina est clara, sin verò hæc non ritè inter se sint unita, urina fit turbida. Quod si verò fermentatio sanguinis vitietur, & partes ejus salinæ depravatæ factæ, nec inter se, nec cum reliquis ritè uniantur, nec subigantur, id quod ordinariò fit ex salium, tùm inter se, tum cum aliis particulis intermistis, proportione & ametria læsa, ex chylo præcipuè & primæ digestionis vitio orta; urinæ fiunt opacæ & turbidæ, donec fermentando se mutuò subigant sanguinem constituentes partes salinæ, & heterogeneas, nec ritè miscibiles portiones, extrudant, & quasi præcipitent: quo facto, æquabilis sanguinis redit fermentatio, ac tales urinæ copiosum sedimentum seponendo separatas fæces successivè deponunt, adeoque ad naturalem colorem & consistentiam denuò redeunt; prout etiam ipsa salia lixivium hoc constituentia copiosiùs hinc liquorem impregnarint, & in specie, prout magis vel minùs cum particulis pinguibus, ac oleosis unita ac subacta fuerint, eò plus vel minùs tinctæ apparebunt. Speciatim in morbis, coctionis & cruditatis materiæ, ut vocant, morbosæ signa æstimanda sunt: Nam urina, quæ excernitur tenuis aut pallida, aut intensè tincta, sed clara, cruda dicitur, in qua nempè nulla salium heterogeneorum jam facta est separatio in sanguine; è contra urinæ crassæ turbidæ, copiosum sedimentum deponentes, aut multiplicibus contentis saturatæ, coctionis signa exhibent, seu recremeta vitiosa & salia heterogenea copiosè ex sanguine extrudi, & instar fæcum præcipitari ostendunt: Conferatur hic SYLVIUS *l. 1. Prax. c. 55.* Nubecula in urina, in morbis tàm chronicis quàm acutis, est signum redeuntis in stomacho fermenti, & recuperatæ plus minus digestionis. & omnis turbida urina latens plus minus acidum continet: Vid. *suprà Sect. 15. cap. 1. ubi de Febribus, in genere.*

Sanguis ergò ad renes per arterias emulgentes delatus patitur ibidem seri salibus turgidi separationem, hujusque simul certam alterationem, ita, ut materialiter quidem urina in sanguine existat, sed non formaliter. Testantur hoc attributa & proprietates urinæ singulares in colore, odore, sapore, &c. distinctæ admodum à latice sanguinis seroso, & in nullo alio corporis succo reperibiles: adeoque medium separationis, seu secretionis urinæ mechanicum sunt renes, quorum structuram mechanicam trāscolationi speciali accommodatissimam eleganter docet BELLINUS *Tract. de Usu & Structura Renum*, & MALPIGHIUS *in Scrutin. Viscerum*; quod nempè per fibras, quas obtinēt fistulosas, certo modo conformatas, renum parenchyma maximam partem constituentes, tanquam per minutissima filtra & spongiolas angustas trajiciatur serum pro urinæ materia. Medium verò alterationis, & à quo sanguis sui transitu per renes disponitur, ut uberius dimittat serum, & à quo simul serum determinatam pro urina proprietatem acquirit, est fermentum quoddam peculiare, renibus insitum, naturæ salinæ volatilis urinosæ, ab effectu & proprietatibus stercoreum & lotii putrefactivum dictū HELMONTIO, de quo vid. *Tract. de Lithiasi*, impr. *cap. 4.* (in renibus coctis odor fracidus urinosus deprehenditur à relicto fermento urinario.)

Quoad transcolationem ergo mechanicam, sanguis ad renes per arterias emulgentes delatus ad membranam usque extimam tendit, ubi fibræ occurrunt tenues & perforatæ, quas ceu filtrum subintrat liquidior ac fluidior sāguinis pars seu serum, parte sanguinis crassiore à venis emulgētibus absorptā, & denuò venæ cavæ infusā. Serum jam fibras illas seu canaliculos intrās ac corpus usque papillare tortuosum promovetur, per cujus porulos transudat in expansam interiùs membranam, pelvim dictam, ex qua tandem per continuatum ureteris ductum in vesicam destillat.

Quod vero attinet alterationem fermentativam, quam patitur urinæ substantia sub isto per renes transitu, fit eadem beneficio fermenti renum salini fracidi, de naturā, ut probabilissimum videtur, lixiviali seu alcalinā, à quo & sanguinis fusio, & ita copiosior seri separatio promovetur, simul ipsa urinæ materia peculiarem odorem & quodammodò saporem acquirit, talemque simul consistentiam, ut promptiùs ac faciliùs per renes transcolari possit: vid. de hoc imprimis WILLIUS *Pharm. Rational. P. 1. pag. 138. 139. & sequ. de Diuresi*, &c. HELMONTIUS *de Lithiasi cap. 4. §. 30.* TASICHENIUS *in Clave Medicinæ Hippocr. cap. 9.* Quæ enim olim credita est urinæ per transcolationem in renibus facta secretio, jam insufficiens, imò minus subtilis videtur, nisi lixiviale accedat fermentum.

Urinam per ureteres stillantem excipit vesica, ob id urinaria dicta, quæ moderatè plena nil sentit incommodi; sin verò urina fit nimis copiosa, nimia & dolorifica ejus fit distensio; vel si sit nimis acris, vesicæ fit vellicatio, ut in stranguria, tunc excretionem urget; hinc urina ceu liquidū spontè effluit, adjuvantibus fibris circularibus musculosis mēbranæ vesicæ secundæ, quarum contractione angustatā vesica urina expellitur. In subsidium etiam veniunt musculi abdominis recti, & horū appendices pyramidales, qui se contrahendo subjacentem vesicam ita premunt, & ita urinam unà expellunt.

CAP. I.
DE
LÆSA URINÆ IN RENIBUS SECRETIONE.

His præmissis, LÆDITUR *hæc urinæ secretio in renibus* quatuor modis:

1. Quando nulla fit, & est ABOLITA.
2. Quando eadem est IMMINUTA, & non sufficiens pro necessitate naturali.
3. Quando est NIMIA seu AUCTA, ita, ut continuus & excessivus adsit urinæ fluxus, cujus extremus gradus vocatur Diabetes.
4. Quando eadem est DEPRAVATA, ut quando v. g. alio, quàm fieri debet, modo urina excreta conspicitur, quod accidit, quando aberrat natura à naturali modo, vel colore, vel consistentia, vel contentis, vel aliis proprietatibus, dum excernitur cruenta, purulenta, nimis pinguis, & similiter: de quibus WILLISIUS *de urina*, item SYLVIUS *in Praxi*.

Urinam dixi *Lixivium*, constans duabus partibus, aquosā nempè & salibus superfluis salsis oleosis, seu compositis ex acido volatili, & ex urinoso seu alcali volatili, impregnata. Hi duo sapores in urinis omnium inveniūtur, & mutua unione sal volatile salsum constituunt. Et quidem hæc de *urina sanguinis* imprimis intelligenda: Nam de *urina potus* hìc nihil nobis negotii. *Jam verò in istis urinæ secretionibus utraque* hæc *pars* constituens *urinam* probè attendenda, & nunc *hæc*, nunc *ista* consideranda, cùm juxta utramque constituentem partē lædi possit ejus *secretio. Interdum enim v. g. læditur secretio juxta laticem aquosum*, qui nimis copiosus, paucis contentis salinis saturatus, & tūc urina utplurimùm est pallida & tenuis, alio nomine cruda dicta, qualis urina excerni solet in scirrhis hepatis & lienis, in morbis chronicis, uti etiam in principio febrium: *è contrà interdum contenta salina sunt nimis copiosa*; vel propter defectum laticis aquosi exhausti per inediam, aut absumpti per sudores &c. vel propter copiam salium vitiosorū in massa sanguinea cum urina excernendorum, ut fit in Hypochondriacis, in scorbuticis, & similibus, ubi urinæ rutilæ & rutilantes copiosissimis contentis sunt impregnatæ. Hæc *in genere* de læsa secretione urinæ. Jam *in specie*

ARTICULUS I. & II.
DE
URINÆ SECRETIONE IMMINUTA & ABOLITA.

IMMINUTA URINÆ SECRETIO est, quandò minus ejus transcolatur, quàm decet, *ratione nempè proportionis ad serum in massa sanguinea*: quando ei parum inest seri, hinc in iis, qui parū potant, aut copiosioribus sudoribus diffluunt, aut serū alibi colligitur, ut in ascite, in casibus urina pauca emissa nòn potest dici præternaturaliter imminuta, quia in his serum nō nimis abūdat, sed proportionaliter sero in sāguine residuo respondet. Tunc ergò est *imminuta urinæ secretio*, quando tàm parcè emittitur, ut debitā *proportione* non respondeat assumptis, & inde collecto sero in massa sanguinea; *sicuti* ABO-

LITA vocari debet, quando nihil excernitur, id quod aliàs dicitur ISCHURIA SEU URINÆ SUPPRESSIO (different saltem gradu, & proin ubique eadem applicari poterunt.) Hic defectus urinę in genere consideratus fit *vel vitio renum* urinam non secernentium; *vel vitio vesicæ* urinam non excernentis. Multi cum AETIO *Tet.3 ser.3.c.21.* Ischuriam habent pro affectu vesicæ proprio, quandocunque scilicet urinam hęc ipsa colligat, nec reddat: quo sensu GORRÆUS *in Defin Med.pag.199.* apertè docet Ischuriam propriè dici urinæ in vesica retentionem. Communiter autem ejus significatio ampliatur, ut istam quoque urinę compressionem comprehendat, quę vitio renum contingit, vacuâ omnino vesicâ.

Ischuria ergò communiter statuitur duplex: *vera*, seu quæ fit vesicâ plenâ existente; & *notha*, seu ubi hęc urina vacua est, quatenus hujus nihil à renibus adducitur: Quarum hanc urinę secretionem; istam ejusdem excretionem læsam, pronunciare liceret. Dignoscuntur ambæ, ac distinguuntur à se invicem, quod in illa pręter renum & ureterum pathemata, de quibus hactenus, nulla tensio, nullus dolor ac urinandi stimulus, simileve quid circa vesicę regionem, & in hypogastrio observetur, nec cathetere immisso urina profluat; dum contrà in hac ęger, quamdiu sensus & mens integra, de tensione ac dolore molestissimo dictę regionis, simulque insigni & frustraneo conatu conqueratur, imò hęc ad tactum tumida cum molestia quoque insigni deprehẽdatur. Hoc loco saltem Ischuria vitio renum non secernentium consideranda est, cujus leviores causę imminutam & deficientem urinę secretionem efficiunt. De Ischuria verò vitio vesicæ *in sequ. cap.* agetur.

MEMBRUM I.

DE ISCHURIA RENALI, seu URINÆ SECRETIONE LÆSA.

CAUSÆ.

Causa proxima, propter quam non secernunt renes urinas, est vel in ipso sanguine inepto, ut ab hoc separetur materia urinę, vel, idque ut plurimum, in ipsis renibus redditis ineptis ad urinę secretionem. IN ipso SANGUINE frequenter VITIUM hęret, vel in qualitate, vel etiam certo modo in quanto. In Quali quidem, quando massa sanguinea tota, ejusque serũ seu latex aquosus, adeoque omnes ejus partes, ex lęsa crasi ita sunt disposita, ac firmiter inter se se connexa & cõtexta, seu, ut loquitur WILLISIUS *Phar.Rat. Part 1.pag.166.* quando sanguinis compages ita est serrata, ut amplexibus his arctioribus se extricare, & serum per angustos renum porulos & tubulos commodè transire, & in iis ex reliquo sanguine legitimè urina secerni nequeat. Vitium hoc nunc à lymphę austeritate seu acore pręternaturali, nunc viscidi tate, oriri videtur: vid. PLATERUS *l.a* & SYLVIUS *Tr.de Cach.6.29.* & *295.* & *l.1.Prax.c.55.§.8.* & *9.* Observari hoc solet sępiùs in febrium statu cruditatis, imprimis in morbis chronicis, cacochymia, cachexia, &c. ad hydropem inclinãtibus, leucophlegmatia, hydrope, affectibus hypochondriacis, scorbuto confirmato, &c. vitio aut scirrho hepatis aut lienis conjunctis: in talibus enim *pauca urinę* ut plurimùm *est secretio*, ejusque simul crudę, seu paucis contentis in latice aquoso saturatę, utut tales ęgri aliàs sint copiosi salivatores, aliosque affectus à seri abundantia patiantur (pedes tumidos.) Verum post medicamenta appropriata, imprimis salina, vitiosam sanguinis crasin alterantia, & scirrhos viscerum resolventia, ubi anteà pauca & cruda fuit excreta urina, evenit, ut urina successivè copiosa & diversimodè affecta, crassa, turbida, interdum nigra excernatur. Fieri hoc videtur ex eo, quod ex lęsa viscerum circa sanguinis perfectionem functione & vitiata sanguinis crasi, talis hujus mistura fiat & compositio, ut nihil aut parum per angustos poros renum fibrosos secerni aut separari possit; unde postmodum, alteratâ per remedia salina, maximè alcalina, ista sãguineâ massâ & renovatâ ejusdem miscelâ, tunc heterogeneæ particulę ab aliis separatę & pręcipitatę, à latice aquoso uberiùs imbibuntur, & ita figuratę redduntur, ut facillimè renum meatus ingredi, & ita sub forma urinę copiosę turbidę crassæ, &c. excerni possint. Imò huc referri poterit RIVERIUS *Cen. 1.Obs.1.* & *89.* ubi quidem Ischurię causam vasis emulgentibus tribuit, quasi hęc ob plethoram nimis distenta se contrahere nequiverint: Item forsan M.A.N.C. *Ann.3.Obs.212.* & *Ann 4.Obs.159.* Cujus tamen symptomatis ętiologiam WILLISIUS *Pharm.Ration. T.1 Sect.4.cap.3.* tam per propriam, quàm Lowveri experientiam ab humorum strictiore combinatione deducit. Pręter dicta, Urinę secretio imminuitur, si serum sanguinis aliorsum ablegetur, & à viis urinariis avertatur, v.g. in catarrhis, sudore nimio, diarrhea, hydrope, &c. quibus pręsentibus urina parcior; remotis verò uberior, secernitur atque excernitur. In *Quanto* sanguis peccat, quando is propter nimiam *abundantiam*, aut propter ejus crassitiem, aut quamcunque aliam rationem, legitimè licèt circulatus, parum tamen aut nil in renibus ex se dimittit; simul verò ac secatur *vena brachii*, & ejus quantum ita imminuitur, copiosus urinę fit effluxus: quale exemplum admodum curiosum habet TULPIUS *lib.2. Obs.2.c.43.* ubi quidam Ecclesiastes singulis pleniluniis urinę suppressione affligebatur, quę non excernebatur, nisi vel declinante Luna, vel per venæ sectionem in brachio; quoties enim vena brachii secabatur, toties urina liberè mittebatur. In anatome postmodùm defuncti reperta fuit pelvis renis sinistri admodum distenta, ut ferè vesicę vicem & magnitudinem expleverit. Ratio ex qua factum, fuit, ut secta vena flueret sanguis, vid. apud TULPIUM, qui egregium habet de hoc casu discursum.

Raræ autem sunt hæ secretiones urinæ imminutæ, quæ fiunt ex vitio sanguinis: frequentiores sunt Ischuriæ, quæ vitio renum fiunt, quarum triplex ferè subest causa.

(1.) Quando renum carunculę, id est meatus fibrarum renalium, pori & canales, sunt admodum angusti, obstructi, aut infarcti, ita, ut per illos nihil seri possit transudare. Vel

(2.) Hi ipsi inepti sint redditi, quò minùs secerni possit urina; idque vel ob tonum earum resolutum, ut in ἀτονίᾳ, ita ut sit paralysis; sive sit nimis quasi firmus, ut in spasmodica earum constitutione vel convulsione. Vel

(3.) Denique vitio ipsius fermenti renalis urina supprimitur, quandò illud deficiens, aut iners, aut alteratum, plus minusque corruptum, non sufficit negotio, uti subinde in affectibus cachecticis, hydropicis, aut ad hydropem inclinantibus, quibusdam hypochondriacis, aliisque chronicis affectibus, &c. manifestum est, in quibus deficientem renalis fermenti acrimoniam urinosam volatilem potissimam causam existimo.

QUOAD ergò PRIMUM VITIUM: interea, quæ *obstruunt* canales fibrosos renũm, sunt (1.) interdum sanguis grumosus, vel ex casu ab alto circa renes collectus, vel ex *aliis* partibus, in quibus sanguis grumosus hæret, per sanguinis circulum ad renes derivatus, & ibi collectus, id quod causæ antecedentes confirmabunt; sicut & ex sanguine in pectore extravasato, si is scilicet resolutus, fit mictus cruentus. (2.) *Est* etiã *pus* vel ex ulcere renũ, vel ex aliis partibus abscessu laborantibus, cum sanguine ad renes derivatum, quo ipso sępè urina supprimitur, id quod pariter ex antecedentibus, vel renũ vel aliarum partium Vomicis aut suppurationibus suspicari licebit; sicut etiã peripneumonię suppuratę per urinę fluxum purulentum feliciter solvuntur. Circa pus ejusmodi notandum, lethalem interdum urinę suppressionem intulisse: vid. SANCHEZ *in suis Obs.p.374.* de omnimoda urinę suppressione lethali, post cujus corporis sectionem renes exulcerati & purulenti reperti sunt. (3) *Obstruunt renes humores* pituitosi, *crassi ac viscidi*, vitio digestionis primę, tam cum urina potus ad renes delati, quàm etiã cum sanguine ad eosdem distributi, qui obtinentes renũ porulos, eosque obturantes, ineptos reddunt pro urinę secretione: Tale exemplũ est, quod recenset AMATUS LUSITANUS *Cent.6. Cur.12.* de puero contumaci *ischuria* laborante, ob nimiam *crassitiem* & viscidi tatem *lactis* nutricis. Assumpserat pro jentaculo vir quidam de cætero sanus caseum, quẽ vocant Hollandicum, ad satietatem, cerevisiam tenuem ac diureticam superbibendo: Elapsis aliquot horis urina citra ullum vesicę renumvè dolorem supprimitur, ut ne guttam quidem excernere ad tertium usque diem potuerit. *Innotescit hoc vitium*, quando talium humorum pręsentia in corpore observatur, qui nempè intestina & primas vias obsidẽt, aut quando urina anteà effluit *solida*, excernitur turbida ac crassa, cũ sedimento copioso mucilaginoso, postmodũ tale contentum in urina deficit; pręsente simul gravitate in lumbis. (4.) Frequentissima causa est *calculus* renes obsidens, & eorum meatus ac tubulos obstruens, renes irritans, & ad inflammationem disponens, indeq; frequenter urinam supprimens: quale exemplum habet LOTICHIUS *in obs. lib.4.fol.376.* ubi refert omnimodam urinę per 12. dies suppressionem, eamque lethalem, in qua ren dexter ex ulcere omnimodè absumptus, sinister verò copiosissimis calculis fuit refertus: Sic BARTHO-

THOLINUS *Cent.4. Epiſtol. pag.92.* obſervat urinę ſuppreſſionem ex calculo renum lethalem undecim dierum, &c. quorum admodum frequentium omnium Practicorum obſervationes ſunt plenę. Plura infrà. (5.) Hiſce annumeranda ſunt comprimentia, nempè tumores, v.g. nephritis; & (6.) Conſtringentia, v.g. frigus externum, ſi lumborum regio præprimis æſtuans magis ipſi exponatur.

QUOAD II. RENUM VITIUM conferens ad Iſchuriam, dixi eſſe *tonum eorum plus minus vitiatum*: Notum eſt, quod renes conſtent copioſis fibris & tubulis excavatis quaſi, per quas fit urinę tranſitus. Hinc pręter obſtructiones & infarctus imprimis tonus fibrarum renalium obſervandus eſt, ſive laxus is ſit in atonia, ſive nimis ſtrictus in ſpaſmo. Quando ergò fibrę renales laborant atoniâ, ſeu quaſi reſolutę ſunt, fiunt flaccidę & conniveant unde ſupervenit ſuppreſſio urinę: Nempè hęc atonia eſt iſtud vitium, quod vulgò vocarunt *imbecillitatem renum* ex facultate ſecretrice aut attractrice lęſa natum. Jam verò, cum omnes iſtę partes agant per ſtructuram partium mechanicam, linquamus has facultates illis, qui attrahere poſſunt, & dicamus, conſiſtere has reverà in *atonia renum*, id eſt tali nervorum renalium & canaliculorum fibroſorum laxitate ſeu flacciditate, ut defectu imprimis ſpirituum animalium non ſuſtineantur in debita tenſione, quin potiùs & *nervi* & ipſi *canaliculi fibroſi* poſtmodùm quaſi reſoluti & flaccidi concidant, indèque orificia conniveant, ita, ut propterea parum vel nihil de ſero ſanguinis tranſmeari, ac ex ſanguine ſecerni poſſit. *Exemplum* ſiquidem aliud illuſtre videb. in BARTHOLINO *Centur.4. Epiſt.18.38. & 39.* qui ex paralyſi ſcorbutica omnium partium corporis inferiorum, ſeu infra diaphragma talem relaxationem & iſchuriam refert. Pertinet huc obſervatio HOECHSTEDETRI *in Obſ. Decad. 5.caſ.10.* ubi Iſchuria longior ex externa renum refrigeratione in marmore nive frigefacto, unde poſtmodùm epilepſia & mors; & *Decad.6.Caſ.1.* ab abuſu Narcoticorum. Quibus inſuper accedunt alii renum morbi, e.g. eroſio, ſcirrhus, ulcus, vulnus, &c. Quò pertinent morbi acuti, febres ardẽtes, *variolæ*, &c. ſubindè iſchuriam conjunctam habentes; undè *iſchuriam* talem abſque omni dolore, ſupervenientem aliis morbis acutis, ceu ſignum *ſingulare* lethale, ob extinctam facultatem attractricem ſeu atoniam renum, habet HORSTIUS *lib.4. Obſ.45.* vid. etiam SCHENCKIUS *lib.4. Obſ. p.464. & ſequ.* ubi aliquot talia ſunt exempla Iſchuriarum lethalium vitio renum, non potentium tranſcolare ſerum, utut nulla adfuerit obſtructio, ſed quia potiùs molles & reſoluti apparuerunt. Pertinent huc *ſuppreſſiones iſtæ urinæ*, quę ob dorſi *vertebrarum luxationem, aut ictum* aut lapſum, aut vulnus ſpinalis medullę accidunt, ac in genere quęvis alia *iſchuria*, vitio nervorum plus minùs reſolutorum eveniens, utpote quę ipſa non minùs à paralyſi aut laxitatè fibrarum renalium ac veſicę interdum contingere, non impoſſibile eſt. Huic Atonię contrarium interdum obſervatur vitium, nempè *ſtrictura pororum*, & *nimia fibrarum perforatarum & glandularum renalium anguſtia*, quaſi ſpaſmo quodam contractarum, qualem nonnunquam in Colica renes pati videntur, & qualis fit interdum in affectibus *calculoſis*, dum uno rene lęſo à calculo, grumiſvè ſanguinis irritato, alter ab omni obſtructione ſalvus, ſubindè ceſſat agere; quod fit ex criſpatura & ſtrictura fibrarum, quatenus unius renis fibris convulſis, & ita ex nimia ſtrictura & criſpatura poris clauſis, clauduntur etiam alterius pori, ob ramificationis nervoſę communicationem; & ita Iſchuria inducitur: vid. FORESTUS *l.24. Obſ.26 in Schol. item* BARTHOLINUS *Act. Med. Hafn. Vol 4. p.102.*

III. Denique CAUSA erat ex parte *fermentum renum* plus minus deficiens, nec ſatis acre, aut alio modo vitiatum ac depravatum, unde etiam deficit plus minus tranſmiſſio, ut *ſuprà* inſinuavi: ſi nempè deficit fermentum in ſua acrimonia ſalina volatili urinoſa, ſub cujus defectu ceſſat operatio ſecretionis urinæ, quam tale fermentum promovere ſolet; ſicut hoc ipſum in Hydropicis patet, in quibus ex defectu aut alteratione fermenti renalis adeſt Iſchuria. Plura videbis in WILLISII *Pharm. Ration. pag.165.*

Hujus etiam loci ſunt, quę urinę ſecretę defluxum ad veſicam turbant, *ureterum nempè anguſtia* urinam non tranſmittens *horumque vulnera* atque *ulcera*, urinam ad cavitatem abdominis deponentia; quę quidem rariora ſunt: vid. PLATERUS *Prax. Tom.3.c.3. Anguſtia* hęc oritur vel obſtruentibus, e.g. calculo, vid. SALMUTH *Cent.2. Obſ.82. & TULPIUS l.2. Obſ.45.* ſanguinis grumo, vid. SALMUTH *l.a:* muco viſcido, vid. BAUHINUS *Theatr. Anat. l.1.c.22.* FORESTUS *l.24.Obſ.15.* & SULZMANNUS *Obſ. Anat. pag. 64. l.a:* nervorum renalium affectibus ſpaſmodicis, e.g. in nephritide notha, vid. DRAWIZIUS *de Scorbuto Tit.9.* aut colica convulſiva, vid. WILLISIUS *de Anat. Brut. l.2.c.15.*

Hę ſunt Cauſæ, propter quas fit Iſchuria renum vitio. Sequitur

DIAGNOSIS.

Hæc Iſchuria, quæ fit vitio renum, cautè conſideranda eſt, ne confundatur cum Iſchuria vitio veſicę urinariæ obveniente; iſdeòque cauſę antecedentes & ſymptomata probè penſitanda ſunt.

Signa URINAM ESSE SUPPRESSAM *vitio renum*, ſunt ea, quando nulla urina adeſt in veſica, adeò ut immiſſo licèt *cathetere*, ſeu intruſione cujuſdam cannulę argenteæ, & factâ etiam *ſuctione*, exploratio inſtituatur, nihil tamen excernatur urinę. Accedit, quod nullus veſicę tumor circa regionem pubis, nulla gravitas perinęi, aliave ſimilia *ſymptomata* veſicę, urinam aliàs ſupprimentia, adſunt.

Quodſi accedant ſigna renum calculoſorum res eò eſt clarior, ortam tunc eſſe ex calculis ex obſeſſis renibus obſtructionem urinæ.

Quodſi extra calculi ſuſpicionem gravitas circa lumbos, variaque ſymptomata corporis ex ſero regreſſo & retropulſo contingant, res eò eſt clarior.

Superveniunt autem ſuppreſſionem urinę ſymptomata varia, prout nempè ſeri urinarii in renibus plus minus alterati metaſtaſis ac tranſcolatio in partes ſolidas varia, vel ſanguinis aliorumvè contentorum alteratio & immutatio plus minus gravida facta fuerit. Symptomata iſta ſunt anguſtiæ & anxietates pręcordiorum, ſudor fętidus, urinoſus, item halitus fętidus, torpor ſenſuum & omnium facultatum internarum animalium, non rarò epileptica pathemata, interdum aſcites, & pedum tumores ędematoſi, vomitus, aliaque ſimilia ſymptomata adſunt. Sudor fœtidus interdum plus interdum minus urinoſus eſt; qui urinoſus ſudor præſupponit jam alterationem quandam à fermento renali factam, ita ut urinæ per pelvim tranſitus ſit interclusus, & ulteriùs pergere non potuit.

Quod ſi vitium ſit ex obſtructione renum, cauſę antecedentes imprimis eam oſtendunt. Si enim adſint craſſi & viſcidi humores obſtruentes, apparet ex ſimilibus vitiis, nempè quæ monſtrant craſſos humores, ſi nempè inteſtina & primas vias obſideant; item quando urina anteà excreta fuerit turbida & craſſa cum ſedimento copioſo & mucilaginoſo, superveniat urinę ſuppreſſio cum gravitate lumborum, ſignum eſt renum à tali materia obſtructorum. Sin verò ſanguis grumoſus obſtruat renes, monſtrant illud imprimis antecedentes cauſę, vel caſus ab alto, vel ſi urina cruenta antea emiſſa fuerit, & Iſchuria ſuperveniat, aut equitatio, aut fortis circa renes percuſſio, aut ſimilia ſigna & cauſę, etiam cauſa obſtruens clara eſt.

Pus denique infarcire renes, colligitur ex abſceſſibus aut ulcere renum aliàs conſuetis; item quando eſt empyema aut vomica ex viſcere nobiliore, ubi per ſanguinis circulum eò defertur pus; vel quando aliàs obſervata fuit purulentia cum urina excreta, atonia renum, affectus paralytici, vel univerſales, vel plus minùs particulares nervorum innuuntur, ſpaſmũ verò dolores circa regionem renum utplurimùm excitant.

Fermenti vitium pateſcit, ſi aliis cauſis ferè abſentibus ſine debito ac conſueto odore & ſapore urina excernatur; unde ex collatione ac ſyndrome ſymptomatum judicandum eſt de Iſchuria renum & veſicæ.

Calculi ſigna ſuo loco habebimus.

PROGNOSIS.

PROGNOSIN quod concernit: eſt vel generalior & omnibus Iſchuriæ ſpeciebus communis, vel ſpecialior, ſeu ad certos caſus reſtricta.

In genere grave ac periculoſum malũ eſt urinę ſuppreſſio, & quidem hęc, quę *renum fit vitio*, periculoſior eâ, quæ fit *vitio veſicæ*: vid. M.A.N.C. *ann.4. Obſervat.159. pag.201.*

Item *urinæ ſuppreſſio*, *quæ fit vitio renum*, ſi ſine dolore, magis periculoſa eſt, quàm quę eſt cum dolore tenſivo, cujus phænomeni rationem ANTONIUS SANTORELLUS *de Sanitatis natura lib.23. c.15.* reddit.

Quodſi SYMPTOMATA *ſuprà dicta* adſint, utpote *anguſtiæ* & anxietates præcordiorum, &c. ne introeuntis quidem ſeri in renum parenchyma, indicium erit, adeòque ſæpè lethalis eſt *Iſchuria*.

Et quidem quibus urina ſuppreſſa eſt renum vitio, *ſi denuo*

quo æger septimum ante diem meiere incipiat, servari possunt; sin minus, ut plurimùm intereunt; quæ communis Practicorum est sententia: quod tamen non semper contingit, sed ferè utplurimùm ad 10. aut 11. diem supprimi potest, antequam mors superveniat.

Licet tamen post septimum diem urina denuò profluere incipiat, copiosa etiam & varia; tamen partim ob infectam febre massam sanguineam, partim ob vitium partibus solidis affrictum, postmodùm intereunt: vid. TULPIUS *l.4. Obs. 29* & RODERICUS *à Fonseca T. I. Consil.87.* Adeòque rarum est, quod *ischuria* 11. dierum curata fuerit: vid. M A. N.C. *Ann.2. obs.30. pag.58. ann.4. obs.159.* item *ann.6. obs. 112. pag.149. ann.9. Obs.78. pag.209.* de Ischuria 10. dierum curata vid. *ann.3. Obs.39.*

Interim tamen quidam diutiùs, quidam minùs diu urinæ suppressę supervivere possunt; testantur enim observationes, urinam per plures dies suppressam ex vitio renum, tamen curatam esse. Sic RIVERIUS *C.4.Obs.45.*& TULPIUS *l.4. Obs.26.* observat Ischuriam 11. dierum: item HORSTIUS *l.4. Obs.45.* quatuordecim dierum Ischuriam ex calculo renum, & nihilominus tamen tandem curatam: FORESTUS *l.26.* decem ac 18. dierum, ac CORNARIUS *Obs.21.* urinam etiam 14. dierum suppressam, in observat: Ischuriam 22. dierum propter tumorem seu abscessum in collo vesicæ non lethalem, vid. in M. A. N. C. *ann.2. Obs.176.*

Ferè tamen intra 14. dies jugulantur ægri, raròad 20. vivunt: Et quidem si cum urina ita suppressa aut sudor copiosus, aut *vomitus* crebrior, aut uberior seri per alium locum effluxus concurrat, diutiùs supervivere possunt ægri, & minùs periculosum est malum. Sic FONSECA *l.1. Conf.87.* ad 17. dies noctesque, ac per multos menses; item lib.2 Consil. 96. refert monialem Patavinam, quæ supervixit, licet per 6. menses urina fuerit suppressa, quia sudabat quotidiè circa ventrem & umbilicum. *Exemplum* notatu dignum refert PISO de morbis ex serosa colluvie *Sect.4. cap.6. Edit. Languedel.pag.95.* Ischurię in moniali 19. dierum, sed tamen conjunctæ cum sudore perpetuo, adeò ut postmodum etiam curata fuerit: Sic observata fuit desperata Ischuria vitio renum orta, in qua per umbilicum copiosus sudor fuit ejectus; vid. M.A N.C. *ann.3. Obs.208. p.394.* Ipsemet aliquando observavi *Ischuriam* vitio renum 17. dierum in muliere, quę in decimaseptima die ex usu Emulsionis seminis violarum solvebatur, sed cum gravibus insultibus epilepticis, sine tamen interitu ægri, quę tamen post aliquot septimanas recidivans lethalis erat; Alii e contrà citiùs & ante septimum diem ex Ischuria renali pereunt; e.g. intra triginta horas, vid. HOECHSTEDTERUS *Dec.6. Cas.1.* Aliàs optimam prognosin suggerit FORESTUS, nempè suppressio urinæ, ad decimum vel undecimum diem durans, plerumque mortem solet inferre, ac rara proin exempla in contrarium prostantia non deneganthuic effato veritatem.

Insuper urinæ suppressio, quę est à calculis renum majoribus, si vel dissolvi, vel emitti nequeunt, utplurimùm est lethalis, quia vix potest curari.

De cętero, *si à resolutione* seu atonia *renum* evenerit Ischuria, semper ferè observata fuit lethalis, adeòque ab HORSTIO, SCHENCKIO, & similibus Autoribus, retentio totalis urinæ in morbo, sine doloris sensu, instantis mortis signum esse asseritur.

Denique suppressio urinę, cui singultus supervenit, & ubi odor urinę in ęgri ore ac naribus percipitur; item à spinali medulla insigniter lęsa, incurabilis ac lethalis est. De hac HIPPOCRATES *lib.2. Prorrhet: Medulla spinæ si quis laboraverit ex lapsu, seu alia de causa, homo & cruribus impotens fit, ut neque, si tangatur, percipiat, & ventre ac vesica, ut primis temporibus neque stercus neque urinam excernat, nisi coactè inveterato morbo, non urgente homine, stercus & urinæ prodeunt, moritur posteà non multo interposito tempore.*

CURA.

Quoad CURAM: ut suppressa urina revocetur, removenda est imprimis suppressionis causa renes obstruens; adeoque quoad causas proximas, vel *corrigendum sanguinis vitium*, *vel renum pręternaturalis dispositio*. Nempè impedimenta in his removenda, *tonus* debitus conservandus, *fermentum* renale acuendum.

Quod attinet sanguinis vitium, hisce succurrimus vel in pletoricis per levem venęsectionem, prout Observationes superiùs ex RIVERIO *Cent.1. Obs.1.& 89.* item ex TULPIO *lib.2. Obs 43.* allegatæ, confirmant: vel cum utplurimùm occurrant in morbis chronicis, & Ischuria tunc fit productum morbosum, per dyscrasię sanguinis correctionem, pro affectus primarii varietate, *alterantibus* aliisque *appropriatis*, methodo in morbis chronicis consuetâ, de qua *vid. suprà Sect. 17. cap 3. Art.1. de Cachexia*, eademque curabitur. Hinc Diureticorum quoque selectus erit habendus, ita ut nunc acida, nunc urinosa, nunc pitrosa, nunc terrea, nunc sulphurea, propinentur.

Quod verò attinet renum dispositionem prœternaturalem removendam, hæc immutari debet pariter pro hujus varietate: subindè necesse est ac sępè fructuosum, pręmittere levem alvi solutionem per assumpta LAXATIVA in forma pulveris, quę primas vias laxant, ac blandè evacuant; cùm sępè observatum sit, alvo irritatâ simul in fluxum concitari urinam; e.g. tartarum vitriolatum, terram foliatam tartari, &c. (quę sunt blanda diuretica simul) cum blando stimulo acuata; uti de vi laxativorum ad urinę fluxum promovendum vid. BARBETTE *in Praxi cap. de suppressione urinæ*, ubi viro, ulcere renum laboranti, cum superveniente per biduum urinę suppressione, pręscripsit hunc haustum:

> ℞. *Syrup. de cichor. cum rhabarb.*
> *Rosar. solut.*
> *De cnico*, seu *de cartham.* ana ℥j.
> *Lapill. cancr. prap.* ℈j.
> *Aquæ gram.* q. s. Misc.

Vulgatissima hęc est Mistura & tamen blandè alvum & copiosam urinam provocavit.

His internis adduntur CLYSMATA *terebinthinata* injecta, cum oleo terebinthinę aut succini parata, *de quibus in cura Calculi renum agetur*, utpotè cùm bis ipsis sępè promoveatur uberior urinę secretio. In specie, si adsit vitium renum obstructorum, idque fiat à sanguinis grumo, curanda venit per sanguinem grumosum resolventia, DIURETICA, quę inter in specie *rubia tinctorum* ejusque radix, & inde paratū Crapp, sperma ceti, succinum, & succinata quęlibet, quę à multis singulariter commendantur in retentione urinę. Omnis enim vis diuretica à sale volatili succini cum HELMONTIO derivanda. Sive malum sit à crassis humoribus, sive sanguine congrumato, sive pure, lapilli cancrorum cum aceto assumpti, & alia simplicia *vulneraria* selecta, cherefolium, agrimonia, hedera terrestris, quę per se sunt diuretica, ac feniculum; item hypericon, ejus flores & semen, & similia plus minus diuretica, quę superiùs *Sect.18. cap 2. de sanguine congrumato* habui, conducunt. Hypericon enim potenter urinam movet; unde etiam internè, cùm sit vulnerarium, in purulentiis & sanguinis grumis convenit, inungendo simul externè regioni renum & lumborum oleum scorpionum, oleum cerę, item petroleum, & similia. Sin verò obstructio renum sit à pure, terebinthinata, simplicia Vulneraria, in specie balsamus sulphuris terebinthinatus aut juniperinus, succus aut syrupus de hedera terrestri, essentia & extractum agrimonię, hyperici, &c. prosunt. Quod si pituita tenax & glutinosa renum meatus ac tubulos obstruxerit, pręmissis *laxantibus*, cruditates pituitosas per alvum evacuantibus, (quod probè observandum est, ne intempestivo Incidentium diureticorum usu copiosior cruditatum pituitosarum ad renes fiat delatio, sicque malum potiùs augeatur, quàm imminuatur) conveniunt hanc *dissolventia*, pro Varietate scilicet causarum, diuretica blanda, imprimis Raphanacea quęlibet, alkekengi, succus limonum, vel solus, vel cum vino, succus parietariæ cum oxymelite, in specie *salina, ut tartarus vitriolatus, tinctura tartari*, sal volatile succini, *spiritus urinosi*, *saliaque volatilia*, spiritus urinę, seu sal ejus volatile, item sal volatile ammoniacale, & similis generis remedia, hinc Mixtura *Silvii in Praxi lib.1. cap.55.§.62.* sunt proficua. Radix raphani, in specie ejus succus, item armoracię radix in vino infusa & pota, ubi vel arena, vel sabulum, vel mucus viscidus obsesserit renum tubulos, in specie conducunt, & urinam promovent. *Succus limonum* & citri admodùm egregius est in hoc casu, egregiè incidens & dissolvens mucum viscidum in renibus, si ad ℥ij. vel iij. usque ad iv. in aqua appropriata assumatur, multum laudatur ab AMATO LUSITANO *Cent. 5 Obs.71.* sicut & HELIDÆUS PADUANUS succum limonum cum oxymelite propinat, ubi renes à sordibus viscidis, quas removet, obsidentur: in quo casu etiam spiritus salis dulcis non est incongruus in Decocto diuretico, v.g. *radicis petroselini in jure ciceris rubri*, prę sertim *spiritus vitrioli Philosophicus*; unde apozema *Sylvii lib 1. Prax c.55.§. 61.* non inconveniens erit. CNOEFELIUS *ann.3.* M.A N. C. *Obs.208.* extollit spiritum salis ammoniaci acidum per se præparatum in omnibus obstructionibus exilium vasorum,

tanquam præſentiſſimum remedium, imprimis in hoc caſu: in quo caſu ex Vegetabilibus conveniunt fructus alkekengi, qui ſunt egregium diureticum, radix rubiæ tinctorum, quæ eſt admodum efficax. Herba parietariæ, ejuſque ſuccus recens expreſſus cum oxymelite aſſumptus, experimentum eſt HELIDÆI PADUANI. Sed neceſſe eſt, ſit parietaria non tamen quælibet, ſed ea, quæ in ruderibus parietum antiquorum creſcit: ratio, quia hæc ſub nutrimento ſecum ſal nitroſum in parietibus ratione calcis vivæ latitans attrahit, ratione cujus ſalis nitroſi hæc parietaria adeò inſigne eſt *diureticum*, quacunque ratione data, imprimis ſuccus ejus expreſſus, & cum ſaccharo in *ſyrupum* redactus, ut eam propterea quidam in ſuppreſſa urina, aut imminuta hydropicorum, ceu ſingulare ſecretum habeant. Quod *ſi à calculo* ſit renum obſtructio, conveniunt vel hunc maturè pellentia *diuretica*, vel eundem *diffringentia*, utut rara, &c. *methodo inferiùs ſuo loco explicanda*. Abrotani comæ pulveriſatæ ad ʒj. cum tantillo nitri iis commendatur, quibus ob calculum urina ſupprimitur: vid. SIMON PAULI *in Quadrip. Botan.*

Quodſi iſchuria oriatur vitio renum in tono ſuo vitiatorum, tunc in atonia Nervina aromatica, imprimis terebinthinata, baccæ juniperi & Juniperina, nobilia ſunt, unde & Malvaticum juniperinum, quod eſt egregium remedium, ſpeciatim commendandum; item ſpiritus baccarum juniperi et oleum deſtillatum, cùm Juniperina ratione virtutis aromaticæ ſint Nervina; item Decoctum & Infuſum diureticum in *Colleg. Form. p. ..... & .....* ſtimulans urinam, Cinnabarina & Succinata, ſpecificè conducunt. Primatum obtinet ſal volatile ſuccini excellentiſſimum Diureticum, quod HELMONTIO meritò audit apex remediorum diureticorum, ſi à gr. vj. vel xij. in aqua appropriata uſurpetur.

Sin verò ex contractura ſpaſmodica fibrarum renalium vitium oriatur, curanda eſt per *Opiata*, item *cinnabarina*, imprimis *cinnabaris* antimonii cum *ſale volatili ſuccini*: Quò forſan quoque facit quod DECKERUS *in Prax.* refert, *Mithridatium* cum decoctione quadam diuretica datum mirificè urinam provocare. Huc ſpectat vitrum in pollinem redactum, à nemine hactenus, niſi à GESNERO *lib. 3. Obſ. 4. 5. & 6.* commendatum.

Quodſi fermentum renale hebetatum, aut iners plus minus factum fuerit, hocque in cauſa ſit, tunc ſemper conveniunt propriè ſic dicta Diuretica; nunc acria ſalina urinoſa, tàm volatilia quàm fixa, dictum fermentum renale acuentia, & acrimoniâ ſuâ quaſi ſtimulantia, & ſecretionem promoventia; nunc ſimul oleoſa temperata: v.g. conducunt *radix raphani*, tàm orbicularis quàm armoraciæ, ſuccus raphanorum, & quæcunque ex *raphano* præparata remedia; item radix armoraciæ vino infuſa & pota, quæ multùm valent in ſtimulanda urina. Quibus meritò addenda *capita allii* & cepæ, ſal & ſpiritus urinæ per fermentationẽ, ſpiritus ſalis ammoniaci, ſpiritus lumbricorum per putrefactionem, infuſum cantharidum, ſalia fixa ſalſa ex ſimplicium *diureticis*, ac tandem terebinthina, juniperus, ſemen violarum. In ſpecie quod attinet capita allii, hæc ſale volatili acri inſigniter ſunt turgida, quæ ipſa ſingulariter fermentum renum acuunt, & minutim conciſa cum vino aſſumpta, vel cum aquę vitę juniperina propinata, egregiè proritant urinam. Hiſce jungi debet *ſemen eryſimi*, quod Germ. dicitur *wilder Senff*, ſalinum, & acre guſtui, ad ʒj. in forma *pulveris* aſſumptum in vino albo, quibuſdam ſingulare ad retentionem urinæ eſt experimentum. Vid. FONSECA *lib. 1. Conſ. 10. & lib. 1. Conſil. 96.* De parietaria ſuprà dictum. *Flores* tunicæ, & in ſpecie *cyani, calcatrippæ*, præſertim juncti, *in vino cocti* vel conſervæ formâ ſpiritu ſalis acidulati & propinati, blandè urinam cient. Sunt remedium Agricolæ uſitatum. Ulteriùs *folia ribes nigræ*, urinæ odorem ſpirantia, egregiè urinam pellunt: item hedera arborea, ejuſque baccæ, ſunt uſitatæ: Glomi cynosbati, & eorum pulvis, & ex his paratus ſpiritus Hartmanni, ſunt ſatis decantati. Herbæ ononidis & hederæ terreſtris ſunt ſatis utiles. Denique *ſuccus paſtinacæ luteę* ſeu *ſiſeris* alterius *Mathioli* perquàm egregiè urinã promovet, etiam aliis remediis irritis; in ſpecie puerorum urinas ſuppreſſas miro effectu hic ſuccus ſtimulat. *Salia volatilia*, ſpiritus & ſal tartari, item tinctura nephritica diuretica Ammelungii clyſſiformis, parata ex antimonio, nitro, tartaro & ſilicibus ſolaribus (ſunt ſilices certi, Germ. *ſchen roth inwendig*, quos putant impr ægnatos occulto auri ſemine) invicem miſtis, ſpiritus etiam *carminativus*, quæ omnia ſpiritu volatili tartari maximam partem participant, optima ſunt diuretica, urinas pellentia; idque imprimis in locis, ubi copioſiùs vinum hauritur. Imprimis ſpiritus tartari, ſi eouſque volatiliſetur arte, ut fiat inſtar ſpiritus ſalis ammoniaci, habetur potentiſſimum diureticum, in ſpecie calculorum præſervativum. In ſpecie inter acria diuretica eminet ſal *volatile ſuccini*, quod nobile eſt, & HELMONTIO commodè diureticorum apex vocatur; loco ejus tamen oleum deſtillatum eſt egregium, imprimis in ſanguine grumoſo ratione hujus ſal. acris cõmodè adhiberi poteſt Pertinent huc inſecta, in ſpecie *lumbrici, ſcarabæi Lucanici, coccionella, aſelli*, ac imprimis *cantharides*. Hæc inſecta *ſale* volatili acri ſubtiliſſimo per quàm diuretico inſigniter pollent, adeòque perquàm in *Iſchuria* conveniunt: ex lumbricis nempè terreſtribus ſpiritus per fermentationem ſeu putredinem paratus & rectè rectificatus, vel recentes vino contriti & expreſſi, egregiè proſunt. *Pulvis aſellorum*, aut hi ipſi *vino infuſi* & expreſſi & potati, multùm conveniunt ad proliciendam urinam. *Cantharides*, multis videntur ſuſpectæ, quia non tantùm internè propinatæ, ſed etiam extra applicatæ, imò etiam in manu detentæ, ac in burſa geſtatæ, veſicam & vias urinarias exulcerant, ut mictio cruenta ſubſequatur. Vid. LANGIUS *Tom. 1. Ep. 47.* SOLENANDER *Conſ. Med. 2. p. 13.* SMETIUS *Obſ. Miſc. p. 44.* & SCHENCKIUS *lib. 7. Obſ. Med p. 873.* Nihilominùs tamen non ſemper contingit, teſte SENNERTO *Tract. de Dyſur. cap. 2. p. 14.* ſed vino ritè *infuſæ* & maceratæ ita corriguntur, ut potentiſſimum diureticum ſubminiſtrent, ſi vinum filtretur, & aliquot cochlearia propinentur, obſervatis obſervandis cautelis. Modum ſalutarem infundendi videbitis in BARTHOLINO *Cent. 5. Hiſt. Anat. 82.* Uſum verò eorum felicem in *Cent. 4. Epiſt. 21. pag 92. Epiſt. 53. pag. 343. Epiſt 54. pag. 346. Epiſt. 65. p. 400.* WILLISIO *Pharm. Ration. pag. 154.* quibus junguntur M. A. N. C. *ann. 1. Obſ. 133. pag. 296.* ZACUTUS LUSITANUS *Praxi Admir lib 1. Obſ. 32.* WELSCHIUS *Schol. in Obſ. 89.* RUMLERI.

Quodſi præter ſpem mictus cruentus ſuperveniret, tunc huic convenire poteſt liberior lactis hauſtus, ſale tartari impragnatus.

Quidam Magiſterium ex cantharidibus cum ſpiritu nitri præparant, quod cum oleo tartari præcipitatur; ſed vis diuretica potiùs pervertitur, vid. LUDOVICI *Pharm.* hinc potiùs laudatur *eſſentia diuretica ex cantharidibus* per tincturam tartari parata, de qua vid. WILLISIUS *Pharm. Rat. P. 2. p. 158.* Loco horum ſpiritus lumbricorum, vel ipſi lumbrici v. vel vi. aut aſelli benè loti, linteo incluſi, contriti vino infuſi, expreſſi & potati, promptè urinam eliciunt, de quorum efficacia vid. HILDANUS *Cent. 6. Obſ. 30.* Hiſce animalibus acrioribus addendum quoq; vile illud quidem, ſed optimum remedium, fimus nempè equinus; obſervavit enim FORESTUS, urinam ad quatuordecim dies noctesque in ruſtico ſuppreſſam, aliis irritis, fimo equino curatam, infundendo hujus ℥ii. in vino Rhenano, exprimendo & exhibendo, & ecce! urinæ largior ſecutus eſt fluxus ratione ſalis ammoniacalis, quo eſt impr ægnatum. De hirco res nota eſt, quòd ſicut cervus totus eſt alexipharmacus, ita hircus eſt diureticus, unde urina hirci calida pota, omento & inteſtinis hircinis ad ventrem applicatis, in deſperatis caſibus admodùm laudatur. Juxta hæc, ſalia fixa urinoſa acria & ſalſa diuretica, aut his ſimilia, aut cognata concreta fixiora terrea, animalium partes duræ, præ cæteris marina, conveniunt: v. g. lapides cancrorum, qui egregium temperatiſſimum in ſe habent ſal alcali, vino aut aceto infuſi, & ita ſimul potati, pro urina elicienda nobiliſſimi ſunt; nam cum acido fiunt egregiè diuretici, in ſpecie ubi ſanguinis grumi adſunt, in quo caſu cum Decocto chærefolii, vel rubiæ tinctorum, vel hyperici, ceu vulnerariorum, exhibeantur. De ciceribus rubris, eorumque Decocto diuretico, res eſt nota. Poſt lapides cancrorum ſunt teſtæ ovorum, in ſpecie eæ, ex quibus jam excluſi ſunt pulli; quæ vel crudæ, vel calcinatæ, quod melius, ut quibuſdam placet, ad ʒi. aſſumptæ, omnia reliqua ſuperare dicuntur à BARBETTE; calcinatæ ſunt inſtar cujuſdam calcis vivæ, quæ per ſe, vel vino infuſæ aſſumptæ potenter urinam pellunt. Potentioris tamen adhuc efficaciæ ſunt teſtæ ovorum ſtruthiocameli, quę vel crudæ aſſumptæ, vel in ſpiritu ſalis diſſolutæ ita liquorem egregiè diureticum conſtituunt. In operculis cochlearum, quæ ſponte ſuâ vere novo erumpentes removent, ſingularem prędicant virtutem diureticam, & inſtar arcani ſummi in urinæ ſuppreſſione & calculo commendant nonnulli, ſi pulvis ejus cum tantillo ſpiritus ſalis miſtus, ſive per ſe part. ii. cum parte una lapillorum cancrorum, propinetur: Vid. M. A. N. C. *ann 9. Obſ. 79.* Pertinent huc ſalia fixa cineritia ex plantis diureticis & nephriticis debitè calcinatis prolicita, ita nempè, ut non perfectè alcaliſentur, ſed potiùs ſalſa permaneant: Nam omnia vulneraria & omnia diuretica in

ea in se habent sal salsum, & etiam istud in cineribus relinquunt. Verùm si nimis calcinentur, abeunt in sal alcali, de quibus TACHENIUS *in Hippoc. Chym.* unde etiam tartarus vitriolatus potentius est diureticum, quàm ipsum sal tartari fixum; adeoque *sal fimi columbini, stipitum fabarum, sal genistæ* ritè secundum TACHENIUM *paratum*, *sal prunellæ*, &c. urinas egregiè cient. Sali fimi columbini non cedit ipse *fimus columbinus* nitrosus, *vino infusus*, solutus, expressus & propinatus; blanda enim vini aciditas concurrens cum alcali stercoris dat tertium salsum, aliàs vix esset diureticum. Huc faciunt tartarea remedia, ut spiritus tartari volatilis, & sal eius volatile, quæ in Ischuria ex vini potu orta multa præstant: sal tartari, tartarus vitriolatus, tinctura tartari, omniaque Tartarea, Cremor tartari cum sale tartari junctus, tartarus tartarisatus dictus, sequenti modo præparandus:

℞. *Sal. tartari* ℥ij.
Solue in s.q. *aquæ comm.* copiosa:
Filtrato liquori ebullienti blando igne insperge successiuè
Crem. tartari pulveris. ℥iij.
Inspissentur leni igne, & puluerisa: Huic affunde
Spiritus vini simpl. q.s. ad extractionem vel solutionem:
Stent in loco calido, & filtra pro tinctura tartari tartarisata.

In silicibus calcinatis, & subinde in vino extinctis, latet etiam uis diuretica non vulgaris; Nam uinum istud extinctionis silicum urinam remoratam prouocat.

Omnibus his annumerandus succus betulæ seu aqua betulina, ex arbore incisa profluens, egregium scilicet diureticum: Vid. HELMONTIUS *de Lithiasi*, de qua cras Deo uolente, ubi de Calculo renum, plura.

Tandem Terebinthina quacunque ratione usurpata est egregia in urinæ defectu, singulariter renibus & affectibus urinariis dicata: Nam Terebinthina est singulare remedium ad urinam suppressam, ad detergendos & abstergendos renes, eorumque corrigenda vitia; in specie oleum destillatum terebinthinæ, & balsamus sulphuris terebinthinatus, item pilulæ de terebinthina apprimè hic conducunt, uel ipsa *terebinthina Veneta* à ℨiij ad ℥ß. cũ s. q. *vitelli ovi* n.j. uel q.s. & *aquæ graminis* uel *appropriatæ* q.s., addendo nonnihil *succi limonii*, fiat Mixtura instar emulsionis, quæ egregiè urinã promouet, & renes mundificat. Conf. PLATERUS *in Obs. ubi de affect. urinariis, p.* 810. 814. & 820. item TIMÆUS *in Epist. p.* 242. Addendũ est nonnunquã mel, præsertim in pure renum, utut non omnibus æquè conueniat, cum mulieribus quibusdã propter *mellis* societatẽ hysterica pathemata excitare soleat: e.g.

℞. *Terebinth. Venet.* ℥ß.
cum s. q. *vitell. ovor.* & *aquæ gram.* uel *fragor.*
f. Emulsio. *Sed est ingrata.* D. S.
Emulsio urinam promovens.

Vel ℞. *Terebinth. Venet.*
Mellis an. ℥ß. ad ℨvi.
Vitell. ovi num. j.
Succ. limon. ℥j.
Aquæ gram. q. s.
M. in consistentiam Emulsionis. D.S.
Emulsio urinam promovens pro aliquot vicibus.

Est egregium remedium: nam succus limonum per se est egregius, ubi renes sunt infarcti à crassa materia & humoribus, si ℥iij: vel iv. assumantur.

℞. *Terebinth. opt.* ℨvi.
Vitell. ovi num. j.
Mell. rosac. ℥ß.
Vini opt. vel *Rhenan.* ℨvi. ad ℥iß.
Aquæ parietar.
Flor. fabar. an. ℥iß.
Succ. uel *syrup. acetos. citr.* uel *dialth. Fern.* ℥j.
M. D. S.
Singularis emulsio pro aliquot vicibus.
Dosis ℥j. ad ℥iß.

Item Emulsio ex sola terebinthina cum aqua fragorum, mediante oui uitello.

Semen tandem uiolarum purpurearum, & inde cum aqua ueronicæ, uel appropriata, parata Emulsio, euporiston est optimum, HARTMANNO & CRATONI insigniter commendatum, urinam, imprimis uitio renũ suppressam, blandè, simulq; aluũ laxat. Vocatur Emulsio nephrocathartica, e.g.

℞. *Sem. violar. purp.* ℨiii.
Lithosperm. ℨi.
cum s. q. *aquæ petrosel.* uel *fragor.* f. Emulsio.

Pro aliquot dosibus: addi simul possunt *testar. ovorum pulverisatar.* uel *calcinatar.* uel *testarum ovorum struthiocameli*, uel *alius pulveris*, sed *candidi*, ℨi. Edulcoretur parum:

D. S. ut *suprà*.
Conf. *Idea Form. Class.* 3. §. 6. & *Coll Form. p.* .... & ....

Præter hanc in usu etiam sunt Emulsiones ex nucleis persicorum & sem. genistæ, ut & similibus; e.g.

℞. *Sem. violar.* ℨiii.
Nucl. persic. ℨii.
cum s. q. *aquæ petrosel.* & *fragor.* f. Emulsio.
D. S. ut suprà. Item

℞. *Aquæ ononid.* uel *alkekengi*,
Petrosel. an. ℥i. ad ℥iß.
Malvat. iuniperin. ℨvi. ad ℥i.
Spiritus lumb. terr. per putr. ℨß. ad ℥ß.
Tartari volat. uel *carminat.* ℨi.
Olei destillat. terebinth. gutt. iii.
Syr. heder. terrestr. ℨii. ad ℨvi.
M. D. S.
Potio urinam promovens.
Capiatur cochleatim. Item

℞. *Tartari vitriolat.* ℨi.
Salis stip. fabar.
Fimi colum. an. gr. xv.
Volat. succini gr. xii.
M. pro puluere:
Diu. in 3. part. æqual. S.
Pulvis urinam promovens.

Externè promouet urinæ fluxum inunctio cum oleo scorpionum & unguento dialtheæ; sicut & petroleum hoc in casu externè illitum nobile est: quibus addendum est oleum destillatum terebinthinæ, cumini, & camphoræ: Vel

℞. *Unguent. dialth.* ℥iii.
Olei scorpion. ℨii.
destillat. terebinth. ℥i.
M. f. Linimentum: S.
Linimentum urinam promovens.

℞. *Petrol. alb.* ℥iii.
Olei scorpion. ℨii.
Destillat. bacc. iunip. uel *terebinth.* ℨi.
Misc. pro Litu blando.
D. S. ut antè.

MEMBRUM II.
DE
CALCULO RENUM.

Causas inter, quæ meatus renales obstruendo urinæ secretionem impediunt, crebrior est CALCULUS RENUM, qui præterea etiam urinæ excretionem per uesicã non rarò tollit. In renibus quidem quando hæret, secretionẽ & distributionem; quando uerò in uesica subsistit, aut eius collum & meatum obstruit, urinæ excretionẽ impedit. Calculus seu Lapis ille frequenter renes & uesicam affligens, & ischuriam interdum infert, undè pergimus ad generationem & curam calculi, tam renum, quàm vesicæ. Equidem CALCULUS in se non est morbus, sed saltim productum morbosum, effectus scilicet illius renalis affectus, qui aliàs propriè LITHIASIS dicitur, & significat *dispositionem* talem *renum* & vesicæ *calculosam*, à qua facilè urina mutatur, & successivè generatur calculus. Productum verò hoc morbosum *calculus* ipse, à PARACELSO propriè *Duelech*, nomine lapidi humano proprio (calculi nomen tantùm est metaphoricum) vocatur, quasi diceret concrementum quoddam ex duobus contrariis mutuò coagulatis & arctè junctis. Quod attinet calculum renum & vesicæ: sub uno conceptu considerantur, quia se mutuò subsequuntur sępiùs. Notum autem aliàs est, observatos esse calculos ubique in universo corpore, tàm partibus sollidis, ut renibus, lingua & cerebro, quàm liquidis, ut in folliculi fellis liquore, & in massa sanguinea (ubi observatum quod in venæsectione calculus cum sanguine prosilierit) genitos; frequentissimus tamen & ordinarius eorundem nidus sunt *renes*, vesica urinaria, & hinc *vesicula fellea*, nempè propter sal alcali copiosius ibidem hęrens: & si in aliis partibus observati fuerunt, rariùs tamen hoc factum fuit. Isti verò *calculi*, quando vesicæ incumbunt, ut plurimùm *ex renibus*, utpote in quibus acidum manifestum cum alcali volatili & terrea urinę substantia coagulantur, (vid. TACHENIUS *Hipp. Chym.* c. 14.) vel calculi minuti forma, vel arenarum majuscularum facie, successivè in vesicam illapsi sunt, utut ibidem retenti successivè augmententur, adeò ut credam, rarissimum esse vesicę calculum, qui in eadem prima rudimenta concretionis

ponat;

ponat; utut omnes majores calculi, qui amplitudinem ureterum, tàm naturalem, quàm *morbosè auctam*, superant, omne suum incrementum in vesica acquisiverint. *Dico morbosè auctam*: Observatum enim, quò sæpiùs calculi per eos transierint, eò magis soleant distendi: In iis enim, qui sæpiùs calculo laborant, ex crebriori calculorum majorum trãsitu ureteres interdum ad digiti amplitudinem distenti reperiuntur; undè quò sæpiùs calculo afficiuntur ægri, eò mitiùs solent habere, ratione dilatationis ureterum. Quandò igitur in vesica hærent calculi majores his ureteribus, infallibile est, acquisivisse illos augmentum in vesica.

Hi lapides sunt concretum tertium salsum, ex sale volatili urinęcum acido stomachali oberrante coagulatum. Quod attinet MODUM GENERANDI, seu causam efficientem CALCULI RENALIS: *materialiter & formaliter* ex urina oritur. Non confundendus est modus, quo generantur lapides veri in macrocosmo cum hujusmodi concretione arenosa calculi in microcosmo; Dispar enim ubicunque est ratio. Nam quod plures de *succo petroso*, *spiritu lapidifico* aut *Gorgonio* proferunt, qui vel spontè in petras abeunt, vel alias res in petras transmutant, saltem nuda sunt nomina, nil explicantia; quin potiùs causa efficiens, quę cum materiali coincidit, fieri videtur per modum *coagulationis* duorum salium contrariorum & præternaturalium, *acidi* præternaturalis & *alcali* volatilis urinosi. Nempè calculos generari puto, dum acidũ manifestum, adeoque vitiosum, in specie digestionis primę errore ex stomacho dilapsum, occurrit sibi cõtrario *alcali volatili* seu urinoso puriori in renibus vel reliquis partibus, cum quo promptissimè & necessitate naturę concurrendo coagulantur invicem in concrementum arenosum. Hoc ipso in concursu simul *levem terrestrem substantiam*, in omni urina reperibilem, & quicquid coagulationi aptum, simul apprehenderint, id cum urina potus ad vias urinarias delatum cum his duobus unà coagulum suscipit, & ita arenulas, ut majores et diversas, ita & firmiores constituit, & in siliceum concretum abeunt. Hinc adeò duræ evadunt exinde arenulæ calculosæ, quarum firmitudinem seu duritiem mirandã in poliendo & corrodendo vitro exploratam videre possumus in PANAROLLO *Pent.4. Obs.25.* qui pariter *Pent.1. Obs.35.* arenularum, tàm albarum quàm rubrarum, diversitatem cum microscopio examinavit in *Pent.1. Obs.33.* Nempè TRIPLEX *calculorum* est DIVERSITAS, ut plurimũ nunc *alborum*, nunc *rubrorum*, nunc *rufforum* seu flavorum, qui frequentissimi: Flavedo est simpliciter urinæ solius progenies, ex sale nempè urinę coagulato: calculus albus fit, quando sub coagulatione duorum horum salium simul concurrit mucilago quædam viscida, ex vitio nutritionis renalis oriunda, aut ex attritis membranulis renis transudans; quę unà cum salibus istis concreta calculos albos constituit. Rubescentes è contrà & obscuri calculi fiunt, dùm minutissimæ sanguinis guttæ ex uno vel altero vasculo, aut eroso aut lacerato, transsudantes simul coagulantur, & concrescunt: hinc calculi candidi sunt longè duriores, quàm rubri & rufi. Plura de generatione calculorum *videb. in M. A. N. C. Ann. 4. & 5. Obs. 167. pag. 220.*

Hæc duo elementa salina calculos componentia confirmãtur ex examine calculorum chymico: Hi enim quando destillantur, oleum fętidum & empyreumaticum, spiritum urinosũ, instar urinæ, & sal volatile in notabili quantitate præbent, remanente capite mortuo instar calcis vivæ: vid. TACHENIUS *l. a.* & HELMONTIUS *Tract. Tartarus non in potu §.7.* An verò alcali hoc urinosum, frustulis calculi à destillatione relictis & friabilibus planè denuò affusum, eadem solidissima iterum reddat, prout Tachenius perhibet, ejus asserti fides sit penes Autorem. Ex hoc interim patet adesse

1. Sal volatile oleosum urinosum.
2. Simul subesse acidum propter effervescentiam in fusione salis alcali.

Ex hoc habemus binos coagulatores, duo salia, acidum & alcali, quę duo invicẽ coeundo se uniunt, & quicquid simultaneæ coagulationi aptum, arripiunt & coagulant in consortiũm lapidis. Idem calculus per calcinationem quoque alcalisatur; si cum dupla portione carbonum mixtus igne reverberii per quinque aut sex horas calcinetur, postmodùm cũ aqua calida solvatur, filtretur, & crystallisetur. (2.) Confirmat id odor & sapor calculorum; omnes enim calculi, etiam per aliquot annos asservati, urinam spirant; sicut triti aut affricti, item pulverisati. Nec (3.) aliud volunt, v.g. HELMONTIUS *Tract. de Lithiasi*, qui aliam producunt mechanico-chymicam rationem generandi, si nempè coagulum fieri volunt *à spiritu quodam vinoso*, concurrente *cum spiritu urinę*; non secus ac *spiritus vini rectificatissimus* subitò coagulatur in consistentiam opacam seu *offam* albam, *cum* permixto *spiritu urinę volatili* per fermentationem parato, aut, loco hujus, spiritu salis ammoniaci cum sale tartari parato. Id quod fieri putant ratione subtilis acidi in spiritu vini adhuc reperibilis, alcali volatile in spiritum urinę arripientis; utut integrum experimentum adhuc claudicet, cùm non propriè dicta coagulatio, sed saltim *apparens*, & pinguedinis ex spiritu vini præcipitatio sit: Nihil crystalliforme apparet in offa hac HELMONTII, est ergò præcipitatio pinguedinis ex spiritu vini; spiritus salis ammoniaci enim phlegma spiritus vini statim assumit, unde ratio patet, quare idem *spiritus urinosus à calce viva* abstractus non ampliùs cum spiritu vini ita concrescere soleat.

Ut ista duo *elementa* calculi, acidum & urinosum, meliùs cognoscantur, quoad *acidum* observandum est, quod ordinariò ferè *arthritici* confirmati *sint etiam calculosi* seu nephritici, & contra; aut calculosi etiam utplurimũ sint, aut evadant etiam arthritici: quatenus hi duo morbi dependent ab acido præternaturali, in stomacho genito, quod pro varietate partiũ, quas affligit, varias dat turbas, & quod articulis dolorem infert, in renibus coagulat calculum. Porrò utrumque malum commune & endemium videtur in locis, in quibus *vina* bibuntur copiosiora & acidiora pro potu ordinario, ut fit in regionibus ad Danubium sitis, e. g. *Franconia*, *Moravia*, *Austria*, & similibus locis. Nempè idem videtur esse *efficiens acidum*, quod artuum nervosas partes pungens & rodens *synoviam* in iisdem coagulat in *nodos*, quod *in renibus* similibusq; in locis alcali urinario occurrens, istud in *calculum* cogit. Adeòque in talibus *acidum* copiosius sub *salso* urinæ sapore occultatum oritur ex primis viis, v.g. ex vino copiosiùs ingurgitato, indeq; citra vomitum retento, hinc vitiosè digesto: quod acidũ vitiosum ex stomacho dilapsum, uti suo isto acore universo corpori est hostile, & ubiq; dolores ac punctiones infert; ita copiosiorem salinis urinæ contentis materiam suggerens, seu illuc pertingens, sub forma spiritu seu acidi paulò fixioris sub urina potus, & in eadem reperiens alcali quoddam volatile, ab acido debito non ritè saturatum, subitò hoc aggreditur, & in *calculum* cum eo coit. Experimentum etiam habemus elegans, vinum in tophos & calculum coagulari: recipiatur nempè nitrũ per carbones perfectè fixatum, misceatur cũ parte silicum, fundantur igne forti, coeunt in vitrum: hoc effusum in laminam aurichalceam, citò pulverisetur: hinc affundatur spiritus vini, & brevi post tingetur colore rubro hyacinthino, defundatur, & novus spiritus affundatur, tandem menstruo spatio fit oleum rubicundissimum, cujus aliquot guttæ in vitrum vini instillatæ mox coagulant vinum in substantiã gypseam, similem calculo seu topho in articulis podagricorũ. Ratio est, quia alcali nitri urinosum cum spiritu vini exaltatum arripit acidum vini, quod coagulat in calculum seu substantiam tophaceam. *Propter hoc acidum* vitiosum *vini* tales incolæ etiam affecti sunt *paresi*, præcipuè ex colica, seu artuũ post colicam contracturã, affectu apud nos raro, ac reverà *colicarum convulsivarum* gravissimã specie, ab acido in intestinis torminoso, in artubus verò stupefactivo. Facit huc imprimis *exenteratio calculosi* cujusdam, cujus omnia contenta liquida acidum intensè spirabant: Conf. M. A. N. C. *ann. 2. Obs. 243. p. 344.* Hinc est, quod THONERUS *in Obs.* dicat: Melancholicos esse dispositos ad calculum, minùs biliosos; quia in melancholicis abundat fermentum seu succus calculosus. Ratio, quę confirmat, hęc est, quod in biliosis prædominetur sal volatile alcali, in Melancholicis verò obtineat acidũ. Facilè ergò videmus, THONERUM esse in nostra sententia.

EFFICIENTIS igitur locum *acidum* obtinet, nunc ipsius urinæ, nunc verò *ex primis viis* elapsum copiosiùs, inde urinam magis imprægnans & salsiorem reddens, & ita copiosiorem aut firmiorem calculorum genesin promovens. Unde etiam *Vomitoria* subindè à calculo præservant, contenta primarum viarum eliminando: id quod etiam faciunt vel *Terrea lapidea* fixa, aut *Calcinata*, quatenus acidum absorbent; vel per alcalia, tàm fixa, quàm volatilia, acidum in salsum mutantia, & per urinam evacuantia.

Præter hoc acidum, alcali præsentiam in calculi genesi illustrat, quod frequentissimè calculi, imò in tota œconomia *animali* humana frequentiores non, quàm in renibus, & hinc in vesica fellea, reperiantur; quia in his locis manifestius reperitur alcali volatile urinosum, quod promptè potest corripi ab acido vitioso, cùm naturaliter constituta urina sit salsa, & consequenter alcali jam ab acido sit saturatum, & vix ex eodem, quà tali generari poterunt calculi; Nam cùm salsus sapor ex *acido & alcali volatilibus*, debitâ proportione & coagulatione unitis, originem ducat, tàm cum *acido* quàm cum *alcali* permiscibilis est, sine ulteriore immutatione; Unde in cætera

sanis,

sanis, utut urinæ instillentur acida, aut licet urinæ in corpore permisceatur acidum, v.g. *in stranguria*, quæ oritur ab acido insensibili ex primis viis præternaturaliter urinæ permisto, tunc tamen non generantur calculi; quoniam acidum per se solum non sufficit, & sal urinæ tunc temporis naturaliter constitutum est, h.e. sal volatile urinæ salsum, seu à compari suo acido debitè saturatum existit, unde non potest coagulari ab eodem, vel alio quovis vitioso acido, ac pallida quidē ac turbida nonnihil, non verò in arenulas spissata excernitur urina. Aliud quid ergò subest: nempè ut coaguletur alcali urinæ ab acido ex primis viis delapso in lapidem, necesse est, ut sapor urinæ salsus dividatur, i.e. ut istud alcali volatile urinæ per se existere incipiat, & purius ac manifestius fiat; Dum enim ita urina facilè suscipit putredinale fermentum, ab acido proprio nonnihil separatum, *nec debitè saturatum* existat, ut ita prōptiùs ab acido plus minus naturali aut vitioso corripi, & ita in *calculum* constringi possit. Fit hoc, quando urina in renibus alterationem præternaturalem; uno nomine: aliqualem *putredinis* præternaturalis notam, incurrit, qua levi *putredine* dissolvitur nonnihil ejus mistura, & ita sapor eius salsus dividitur ista alteratione, ut abundans sal alcali, & proprio prædominans acido, ab eo nonnihil separetur, & utraq; salia hæc activa manifestiora fiant, donec novo & planè heterogeneo coagulationis modo societur, aut præternaturali acido vitioso, alcali denuò sub coagulationis jugum mittatur, et demum in *calculum* coeat: v.g. *videmus*, *quod urina* sanorum hominum *clara* & perspicua excreta, si ad tempus in matula, præsertim stannea, aut vase vitreo steterit, imprimis tempore æstivo, aut in loco calidiore, ut corrumpi & leviter putrescere inchoet, cujus indicium fœtor existit; quod tunc arenulæ, & successivè *calculosa crusta*, parietibus sese affigat, quod fit per putredinem, separatis salibus, proprium urinæ acidum, debile licet & paucum, sal tamen volatile proprium aliquali putredine separatum ac resolutum, denuò novo coagulo spissat, & ita in novum concretum, arenulas, cogit, quæ instar tartari lateribus matulæ adhærent; nempè nunquam urina, nisi cum *alcali fixo præcipitata* aut putrefacta, suum *sal volatile* promit, ubi simul etiam *terrestrem* & quasi *sabulosam* saburram putrescendo de se reddit. Hæc Mechanica subministrat viam indagandi, quomodo alteratio hæc urinæ putredinalis in renibus, seu *Lithiasis* aut dispositio ad calculum, fiat? nempè adest in renibus fermentum putredinosum præternaturale, quo disponitur urina in renibus ad aliquam sui putredinem, & consequenter propriæ texturæ dissolutionem, unde sal volatile quodammodò liberius factum, ab acido præternaturali digestionis primæ cum particulis his terrestribus (sub putrescentia potiùs genitis, quàm formaliter præexistentibus) simul facilè coagulatur in arenulas & calculos.

Illustratur & confirmatur hoc negotium imprimis *historia* HELMONTII *Tract. de Lithiasi* de Jurisperito, qui ex esu asparagi copiosioris contraxit nephritidem. *Asparagus* enim eo ipso, quo intensè fœtidam reddit urinam, qui fœtor nota est certa inchoatæ in urina putredinis, eo ipso eam ad aliqualem *putredinem*, & ita salium divisionem disponit, unde vitiato sale alcali oleoso, separatoque ab occurrente vitioso acido, facilè fiunt calculi, sicut è contra *macis*, *iuniperus & terebinthina*, dum balsamicâ vi renibus amicissimâ urinam à corruptione præservant, & suaveolentem reddunt, etiam Lithiaseos suo modo sunt remedia.

ALTERATIO verò hęc urinę PUTREDINALIS fit in *renibus* ab horū *fermento* alterato, pluſq; minùs enervato seu inerti reddito; quod sicuti in statu naturali constitutum promovet urinæ secretionem, & eā certo modo alterat, ita, si fermentum hoc in renibus fuerit præternaturaliter alteratū & corruptū, ut deficiat in debita alteratione urinæ, & sic degeneret & disponatur per renes colata urina ad pręternaturalē sui putredinē in renibus, fit, ut corruptione ejus sal volat. oleosum separetur, & cū acido pręternaturali concurrendo tales affectus calculosi oriantur. *Lithiasis* ergò seu dispositio renum ad calculos consistit in fermento renū corrupto: ipsū verò ejus productū seu *calculus* fit ex *sale* volatili urinę, coagulato ab acido urinę, mediâte alteratione urinę putredinali: unde quia difficulter corrigibile est hoc vitiū, difficilis etiā est Lithiaseos eradicatio. Cæterùm fermentum hocce renū vitiosum in quo FUNDAMENTUM LITHIASEOS consistit, est primitùs acquisitū, nunc *vitio diætæ*, ut ab asparago, aut similibus simplicibus diureticis, quæ omnia urinā reddunt fœtidam; unde fermentum renum labefactatur, atque, ut probabile videtur, occasione vitiosi acidi fermētativi ex primis viis, adeòq; vitio fermenti ventriculi sub urina potus, aut quocunque alio modo, ad renes transmissi, enervatur, nunc communicata Lithiasis seu transplantata, idq; vel à parentibus ad liberos, vel etiā *cum lacte nutricis*, quale exemplum *Lithiaseos ex nutrice* contractæ habet HELMONTIUS *Tract. Infantis Nutritio ad vitam longam*; Sicut aliàs in vulgus notum est, *hereditarium* malum est *Lithiasin*.

Ex his patet, dispositionem quandam certam inesse renibus ad generandum calculum, falsumque esse dogma, quasi hi ex his vel aliis alteratis pręcisè generarentur; sub quacunque enim *diæta* in prædispositis oriuntur *calculi*, in *nondispositis* verò nulli, licèt eodem nutriantur victu. Ponamus enim septem Individua, unum idemque alimentum & potum assumentia, ubi sanus ex alimento non generabit calculum; cujus autem renes in fermēto debili corrupti sunt, ex omni alimento in Lithiasin incidet. Interim tamen in dispositis est ratione alimentorum quędam differentia; prout scilicet.

1. Eadem plus vel minus in primis viis acescunt; plus vel minus disponunt ad calculi generationem.
2. Prout magis vel minùs eadem glutinosa sunt, eatenus quoq; in dispositis plus minus duri generantur ibidē.

Hinc post Lacticinia & caseosa, similiaque assumpta, sæpiùs renascuntur *calculi*, non quod materiam, quę facilè in calculos abit, in se contineant, sed quoniam hęc partim acido vitioso in primis viis facilè corrumpuntur, partim alcali terreo promptè in calculum coagulabili sunt imprægnata, & postmodum cum urina potus ad renes delata promptissimè cum reliquis salibus coagulantur: vid. SALMUTH *Cent.2. Obs.* 97. qui exemplum habet, ex abusu casei, calculi vesicę lethalis ad magnitudinem ovi gallinacei concreti. Vina ratione salis acidi fixi magis prædisponunt ad calculum, quatenus magis acidum coagulabile continent.

Hoc modo *producuntur* ex iis CAUSIS OCCASIONALIBUS utplurimum nunc *parvulæ* tantùm *arenulæ* & granula *in renibus*, in specie in pelvi, rariùs massulas majusculas compingi arbitror; salia enim dum coeunt, minutissima granula constituunt, quę facilè sunt solubilia, quę læsione membranarum & pelvis, & trāsudatione succi nutritii aut sanguinis, accessione novarum in vicem conglutinatæ, tādem *in majores lapillos*, nunc verò mox in majora & durissima saxea monstra & tophos concrescunt: adeò ut in confirmato etiam malo totum renum parenchyma his ipsis in lapidem mutatū observatum fuerit, quin & non rarò tota pelvis, omnesq; hinc producti tubuli lapideo tali concremento sparsim infarcti & repleti reperiuntur. Notatu dignum talis rei exemplum subministrat idem SALMUTH *Cent.3.Obs.*30. de calculo totam renum amborum cavitatem replente, & urinā per orbitam quandam in lateribus calculi excavatam prodeunte. Arenulæ autem istæ seu calculi minores geniti velociter augmentum capiunt per ureteres in vesicam urinariam delapsi; vix enim continetur calculus primariò in vesica; læsa autem plus minus pelvi, aut ureterum tunicâ nerveâ; item ipsâ etiam vesica attritu calculi nonnihil vitiatâ plorant hæ partes læsæ nutrimentum suum proprium chylosum sub forma mucilaginis crassæ ac spissæ, quæ ipsa mucilago postmodùm unà cū urina calculosorum excreta, interdum admodùm copiosa, habetur vulgo pro pituita, ex qua per calorem arefacta calculi generarentur. Ast falsò, cùm, uti dixi, reverà sit alimentum vesicæ proprium & ureterum, ex eorum læsione in vesicæ cavum destillans, & ita excretum; quod præter HELMONTIUM jamolim demonstravit JOUBERTUS *in Praxi*, ubi dicit, istum mucum esse partium nutrimentum, quod ipsum læsę dimittant. Jam verò hæc ipsa mucilago, uti aliquantum ejus subinde adhęret calculo, ita sæpe circa calculos parvos in vesica coacervatur, unde postmodùm successivè supervenientibus salibus coagulabilibus, simul in coaguli consortium rapitur, & exindè calculi primùm minimi oritur augmentum insigne. Nam isti vesicæ calculi majores lamellatim concreti reperiuntur, seu in quibus instar ceparum corticis, vel lapidis bezoar, vel lapidis ex folliculo bovis felleo, sibi mutuò incumbunt, qui ipsi cortices nil aliud sunt, quàm talis mucus pedetentim coagulatus à salibus istis, mucum in coaguli consortium præcipitantibus. In centro parvus ordinariò lapillus, vel invicem coagmentatæ arenulæ, ex renibus per ureteres eò delapsæ reperiuntur, quæ per succum nutritium, & alia ad calculi seu tophi apta accidentia successivè augentur & coagulantur; quod eleganter declarat BOYLE *in Philos. Experiment. Part.2. pag.29.* Simile reperietis in BORELLO *Cent.2. Obs.62.* qui etiam observavit calculum vesicæ, in quo distracto nucleus lapideus inventus est, qui arenulæ instar ex renibus descendens in vesica exinde augmenta lamellatim acquisivit.

DIA-

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa calculi renum*, aut etiam *Vesicæ*: calculi renalis aut vesicæ signa saltim sunt à posteriori, nempè symptomata, quæ ejus occasione superveniunt; in se enim non est morbus, licèt morbosa symptomata inferat. Propterea Autores Practici duo etiam distinguunt tempora in calculo, nempè in paroxysmo, & extra paroxysmum.

Adeoque symptomata sunt pauca vel nulla, dum calculus seu arenulę sunt quietæ in pelvi vel ureteribus, nisi quod dolor aliquis gravativus, si calculus major subsit, afficiat; si quidem calculi etiam insigniores subinde in renibus latent, absque ullo præternaturali symptomate; Confer. *M. A. N. C. ann. 4. Observat. 29. pag. 31. & 23. Observ. pag. 33. Adeoque* tunc tolerabile est tempus *extra paroxysmum*. Gravia verò & varia tunc sunt symptomata, dum calculus & arenulæ moventur, & ex renibus ad pelvim & ureteres, & hinc ad vesicam truduntur, & tunc *tempus* est *paroxysmi*.

Symptomata omnia oriuntur *ex attritu* doloroso *calculi* ad membranas pelvis & ureteris, unde hæ *spasmo* correptæ & alias partes per consensum simili spasmo affici faciunt: propter quem consensum ratione nervorum renalium ex plexibus mesentericis derivatorum & vomitus & colica tormina supervenire solent; sicuti in mulieribus hystericis excitantur paroxysmi. Adeoq; plurima ista & sæpè mira *symptomata*, quę calculi aliosque dolores nephriticos insequuntur, *partim* ex spasmis variarum partium, *partim* ex retenta plus minus, & per metastasin alliorsum translata urina, oriuntur.

Omnia autem hæc *symptomata*, quæ saltem ex dolorosa impressione dictarum partium originem ducunt, *non sunt propria calculo*, sed etiam aliis doloribus *nephriticis* ab alia causa & non præcisè à calculo natis, v. g. *doloribus nephriticis Scorbuticorum*, per acriora salia istas partes arrodentia natis, communia, ut & eandem originem habere solent: vid. & RIVERIUS *Praxi lib. 14. cap. 1.* & DRAWIZIUS *de Scorbuto cap. 9.* Quinimò post multiplicia per consensum pathemata tàm facilè *symptomata nephritica*, *colica*, *hysterica*, &c. confundi solent, adeò ut non pauca prostent exempla calculorum pro colicis perverso modo curatorum, ut inde cauti & accurati simus in signis.

Symptomata ergo, quæ *in paroxysmo* affligunt, sunt varia, ut etiam satis exercitatus Medicus fallatur. Imprimis quando calculus incipit moveri, oritur dolor acutus, modò intensior, modò remissior, in regione lumbari, minus tamen pungens; isque modò sinistrorsum, modò dextrorsum vergens, prout ren dexter vel sinister est affectus, ac proin rarò dolor punctorius sentitur: simul & sensus & dolor gravativus, plus minus obtusus, seu sensus ponderis gravantis & prementis in dictis locis adesse solet, adeò tamen molestus & cũ tantis anxietatibus jũctus, ut nec interdiu, nec noctu quiescere queant, dicantque ægri: *esse ipsis, ac si centum pondo plumbi essent intergo*; quo ipso explicant dolorem istũ. Ubi verò movetur calculus ex renũ pelvi ampliori in ureteres angustos, tunc dolor lancinãs, lacerans, & molestissimè tensivus & pũgens magis, excitatur, neque cessat, donec calculus ex uretere denuò ad vesicæ cavum descenderit, aut ad renis cauum remearit. Simul notabile est quod refert BARTHOLINUS *Cent. 4. Epist. 6. pag. 27.* quod in Lithiasi interdum adsit hemicrania, istius in specie lateris, cujus ren calculo est affectus.

Urina subinde variat, cùm *sub paroxysmo* ingruente *Urinæ paucæ*, acres tamen seu admodum stimulantes, & *aquosę* minguntur. Subinde perfecta ejus *suppressio* sequitur, si sc. uterque ren simul afficiatur. Interdum, imò sæpius, urina apparet intensè rubra, crassa; ferè subcruenta & quasi sanguine esset diluta, & quidem interdũ revera est ex permisto pauco cruore & vulnere partium, seu laceratis vasculis, à calculi asperitate emanante, &c. Interdum tamen talis urina subrubra & quasi sanguinea, perspicua tamen est, absque sanguinis consortio; quin talis urina interdum subrubra, crassa sæpè fit à copiosis salibus resolutis, & cum urina unà excretis, leni, ut alii vocant, tartaro resoluto (ex quorum coagulatione colliguntur arenulæ) quod frequenter fit in Scorbuto ac malo hypochondriaco. Non igitur terreatur Medicus, quod sit sanguinea, monente HORSTIO *in Observat.* Subindè imprimis, ubi calculus est in motu, aut etiam in calculo vesicæ, urina excernitur pallida, aut saltim parum tincta, cum copiosa materia crassa, viscida & glutinosa, in fundo matulæ hærente, & mediam urinæ partem subinde replente; quæ materia est nil aliud, quàm nutrimentum proprium partium membranosarum, pelvis, ureterum & vesicæ, à calculo læsarum plus minus, & sic cum urina extravasatum: de quo vid. imprimis WILLISIUS *de urinis cap. 5. pag. 364. & 365.*

Interdum *arenulę* quoque in calculosis cum urina excernuntur, quæ fundum matulæ petunt. Verùm subinde excernuntur etiam arenulæ similes in non calculosis, quæ frequentissimè sunt coloris rufi & sunt friabiles; non sunt arenulæ renales, sed sunt arenulæ hypochondriorum, seu *salia* coagulata *scorbutica*: si verò non sunt friabiles, sed duræ, & subinde grandiores, & quæ fundum saltem occupant matulæ, sunt arenulæ renales, & ad calculum disponentes.

Ulterius in paroxysmo calculosi nõ possunt se erigere, nec corpus incurvare; sub talibus symptomatibus stupor cruris, ex istius sc. regione affecti renis, frequenter est perceptibilis, ita ut si ren dexter foveat calculum, dextrum quoque crus stupeat, & contrà. Hoc tamen non fit semper, sed in primo saltim calculi paroxysmo: qui non frequentiùs calculo laborant, minùs solent crurum pathematis affligi. Percipitur etiam *dolor tensivus*, & quasi contractivus, ex regione lumborum per longitudinem ossis sacri deorsum usque, juxta os ileum, secundùm ureterum ductum deorsum in regionem pubis & vesicæ terminans; unde etiam in viris similiter *testiculus* istius lateris, cujus ren est affectus, spasmo quodam correptus *retrahitur* sursum ad os pubis molestè & dolorosé; quod ipsum observetur pro dilucidando spasmo.

Interdum quoque *Tenesmus* simul corripit ægros calculo renum laborantes; idque observaui in fœmina, ac notat quoque TIMÆUS *von Gulden Klee in Epist p. 242.*

Pręterea superveniunt simul sub calculo renum *anxietates præcordiorum*, nausea, appetitus dejectus, non rarò difficilis respiratio, quasi cingulo cõstringerentur costæ inferiores, ita ut quidã asthmate videantur laborare, cũ tamen affectus nephriticus hoc symptoma inducat; idque in cõsensum renum & diaphragmatis non immeritò videtur rejicere SANCTORIUS *in Comment. in Art. parv. Galeni P. 2. Digress. 85. p. 994.* Item *vomitus* enormes subinde insequuntur motum calculi renalis. Imò *convulsiones digitorum*, brachiorum, pavores dormientium &c. subinde calculo renum supervenire observantur; *dolorem* quoque *titillantem* sentiunt *in extremitate glandis penis: vid. Act. Med. Hafn. Vol. 4. p. 103.*

Frequentissima omnium symptomatum sunt *tormina colica* acerbissima, cum *nausea & vomitu*, ac similibus cognatis symptomatibus juncta, quæ sunt nil aliud, quàm tormina convulsiva, propter nervos in plexu mesenterico spasmo correptos, ad dictas partes, nempè renes, intestina & stomachum derivatos, *Nervulis* enim *renalibus*, qui in renibus dolorum sunt organa, ex dolore spasmo correptis, continuatur idem spasmus ad plexum mesenterii usque, qui simili spasmo affecti; plexus enim mesenterii surculos derivant ad stomachum & intestina, unde per consensum afficiuntur propter spasmum. Adeoque calculus renum in viris *colicam convulsivam*, in mulieribus pathemata hysterica dicta, inferre solet, ut etiam hæc nephritica colica exercitatissimos fallat Medicos. Imò in gravidis calculosis interdum *dolores partus* mentiri solet: *vid.* HOEFERUS: semper tanta patiuntur tormina, ut non recusent decies dolores partus sustinere. Pulsus est durus propter spasmum aut convulsivam contractionem fibrarum arteriarum.

Interim hæc symptomata non reperiuntur promiscuè in omnibus calculosis, sed modò hæc in hoc, alia in aliis, ac interdum urgent talia symptomata per consensum, nempè *vomitus*, dolores colici, passiones hystericæ, &c. antequam percipiant ægri ullum dolorem circa renes. Interdum colicam patiuntur, antequam calculus in renibus sentiatur: vid. SENNERTUS *de Calculo Renum*. In specie stupor crurum innuit calculum.

Cæterum origo tàm variorum symptomatum est saltem ex consensu, ratione connexionis renum cum aliis partibus per nervos & plexus. Notum enim est ex Anatomia nervorum, nervos renum oriri ex plexu mesenterii, qui oriuntur ex nervo paris vagi, & intercostali; unde vel uno nervulo renum spasmo convulso à calculo, alterius renis nervĩ spasmo convelluntur, qui semper continuantur ad plexum usque: hinc omnes nervi ex istis plexibus similiter convelluntur, adeoque colica illa convulsiva in calculo, frequens vomitus, retractiones testiculorum, tenesmus, dolor quasi parturientium, qui sunt spasmi uteri & intestinorum, similiter ex hoc spasmo difficilis respiratio, & omnia reliqua symptomata spasmodica, per consensum nempè nervulorum deducenda sunt. Sic v. g. punctura nervi in brachio: dat convulsionem & spasmum brachii. Dum verò, quando calculus est quietus,

nec

nec irritatur ren, nec convelluntur nervi renum, & omnia hæc symptomata, modò calculus sit in vesicam delapsus, vel excretus, cessant.

Probè ergo DISTINGUENDA pathemata calculi ab affectibus cognatis, in specie à colica per essentiam, & colica nephritica. Hoc ut ritè fiat, observandum est, quod in *colica* nullus adsit pedis stupor; item quod in tali *colica* ægri se possint erigere, cùm ii, qui calculo renum laborant, ut plurimùm incurvati sint, quasi palus per vertebras esset transfixus, & non sine doloris exacerbatione spinam rectam extendere, & in rectam lineam flectere possint: id quod quasi primarium diagnosticum. *Colicus dolor* fit subitò, modo remittit, modò succedit, cùm calculi renalis dolor ferè sit continuus. Et quidem imprimis locus doloris manifestat, an ex calculo, an ex alia causa sit? Nam junctus fixus *dolor in dorso*, *calculum* innuit, licèt alia simul concurrant *symptomata*: nec in *nephriticis* talia murmura aut agitationes in intestinis concipiuntur, atque in *colicis*. Alia quoque urinarum est conditio. Dolor quoque vagus in abdomine modò autrorsum, modò retrorsum, modò à dextris, modò à sinistris, colicam innuit. Plura huc facientia *vid.* in SENNERTO *lib.* 3. *Prax. ubi de calculo Renum*, RIVERIO, & DRAWIZIO *de scorbuto pag.* 9.

PROGNOSIS.

Quod PROGNOSIN concernit: *calculus renum* morbus est gravis, & non tantùm molestissimus ratione doloris atrocis, sed etiam admodùm periculosus ratione symptomatum variorum, in specie quando *inflammationes*, interdum exulcerationes *renum*, vigiliæ, febres, *ischuriæ lethales*, & gravissimi morbi nervosi generis, supervenire solent.

Et *fœminæ calculo renum* frequenter laborantes, si gravidæ reddantur, facilè moriuntur, aut abortum patiuntur, vid. PANAROLLUS *Pentec.* 3. *obs.* 8.

Certè, quò majores aut asperiores caluli, eò res periculosior; & contrà quò minor & glabrior, eò minùs periculosus. Pertinaciter renibus impactus, subinde ischuriam lethalem, aut epilepsiam tandem lethalem excitat.

Calculus renum si crebrò affligit ægrum, inflammationes certè, & has ordinariò sequentes exulcerationes renum infert: vid. M.A.N.C. *Ann.* 1. *obs.* 16. *&* *ann.* 2. *obs.* 81.

Calculo renum, si ad plures dies noctesque perseveret, neque ullis medicamentis cedat, superveniens frigidus extremorum, aut sudores frigidi, idque imprimis cum omnimoda urinæ suppressione, mortem in propinquo innuunt.

E contrà *si urinæ tenues* anteà excretæ, emittuntur crassæ & turbidæ, ac in specie cum sabulo, arenulis, & quasi frustulis lapideis, bonum signum est comminuti quasi calculi & minùs solidi.

Interdum *certas* quasi *periodos* observat calculus renum, cùm, teste HELIDÆO PADUANO *in Observat. pag.* 156. si est motus in quarto, in septimo ut plurimum soleat prodire, cæteris nempè paribus; si enim sit magnus, non valet. Sic *typum tertianarium* aliquandò observavi in viro *ex calculo nephritico*, dum tertiâ quoque die à meridie dolores abdominis & lumborum spasmodici revertterentur, & per noctem durarent, donec spontè successivè remitterent.

Lethargus ex nephritide ut plurimum lethalis est.

An unquam curabilis sit illa ad calculum producendi dispositio, quam Lithiasin vocant, meritò dubitatur, nisi forsan in primo statim principio eam observare contingat, qui tamen casus vix dabilis videtur. Minus tamen adhuc spei superest illis, quibus affectus hic hæreditarius, aut cum ulcere renum contingit: vid. HIPPOCRATES *Aphorism.* 6. *Sect.* 6.

CURA.

Cura calculi renum est vel *in* vel *extra* paroxysmum: IN PAROXYSMO habetur saltem respectus ad motum calculi præsentis, & inde nata symptomata spasmodica dolorosissima. Ergò ante omnia dolores & partium inde nati spasmi, & hinc ureterum *contractura sistendæ*; hinc quantum possibile *calculus* præsens *diureticis* blandis & appropriatis promovendus, (vid. LUDOVICI *Pharm. p.* 449.) vel specificis confringendus: idque quò citiùs, eò meliùs, ne sub mora intra corpus calculus incrementum nimium capiat. Sectionem renalem à quibusdam jactatam habeo pro Non-Ente.

EXTRA PAROXYSMUM verò *si absint calculi*, respiciendum, ut præcaveantur, ne denuò regenerentur; *Si verò* novi jam incipiant generari, ii maturè Diureticorum ope ejiciendi, antequam dolorem pariant, nè nimium incrementum capiant.

Ea autem, quæ in genere calculos ejiciunt, sunt Diuretica quæcunque: Nam specialia calculum pellentia, ut sic, non dantur. Quæ enim pellunt, id faciunt vi diuretica, quatenùs promovent urinæ fluxum: aliud siquidem est pellere calculum, aliud comminuere calculum.

Pro his scopis observandum:

I. Ut DIURETICA, aut Lithontriptica dicta, quocunque modo pellentia, imprimis fortiora, in principio fugiantur, dum urgent dolores & spasmi partium abdominis; quoniam malum exasperant; nec priùs applicentur, antequam omnes dolores & spasmi cessarint, quia aliàs viæ attritu calculi irritatæ dolorificâ crispatione vel contractione se angustant, & hinc malum exasperant: Si in statu fortioribus Diureticis violentiùs protruditur calculus, crabrones irritantur; adeòque quò gravior dolor in paroxysmo est, eò minùs aut mitiora adhibenda Diuretica. Saltem ergò in declinatione, sedato dolore, primis viis repurgatis, & acrimoniâ humorum nonnihil temperatâ, Diuretica, sed non nisi temperata, nec sola, sed cum opiatis mista, usurpanda sunt, ne calculus validè nimis commotus exacerbet paroxysmum. Simul, quantum possibile, artificiosè conjecturetur ex collectione circumstantiarum, calculi magnitudo, an sit hic major ureterum ductu, aut æqualis, aut minor? Si minor, tunc tutò in tantis symptomatis possumus usurpare Diuretica, opiatis mista, ut citò ejiciatur: sin æqualis, sedentur symptomata, & idoneis pellentibus maturè promoveantur, nè majus capiant incrementum, & postmodum difficilè per ureteres transeant. *Quod si calculus major sit viis urinariis*, ita ut ejicere eundem sit impossibile, tunc cessandum ab omnibus pellentibus, quia impossibile est promovere, nisi priùs confrigatur. Ergò infringendum, vel à re, ceu impossibili, desistendum, cùm APERTIO *per ferrum* CHIRURGICA, si non impossibilis, saltem periculi plenissima sit. Verùm cùm non semper conjecturando possit Medicus assequi, an *parvus* an *magnus* delitescat *calculus*? cùm non rarò variis formis aut asperitatibus ludat, hinc tutissimum est, ut sedato dolore, tàm *internis* quàm *externis*, præsens calculus per Diuretica, quantum possibile, promoveatur, cùm quamdiu dolores continuant, tamdiu membranarum ac ureterum major contractura ac spasmus vigeat, à quo penitus calculo via intercluditur.

II. Quia *præsente calculo*, ac doloribus nephriticis urgentibus, *urina* subindè *acrior* ac salsior observatur, à quo dolores exasperantur; ob id in paroxysmo simul talia administranda, quæ istam *urinæ acrimoniam* tollere, & ita dolorem nonnihil imminuere possunt. Id quod faciunt omnia ea, quæ vulgò dicuntur *emollire*, *viasque laxare* in calculo; quod tamẽ per se est ridiculum: Nam si talia assumpta deberent laxare renes ac meatus urinarios, necessum essent laxarẽt priùs stomachum & intestina, utpote quę propriùs attingunt. Talia autem sunt Emulsiones oleosæ, non quatenus laxant vias calculi, ut veteres dixerunt, quos Helmontius meritò ridet, sed potiùs, quatenus acrimoniam urinæ temperant & tollunt, inde natos dolores leniunt; quibus sopitis, crispationes & dolorifici spasmi meatum tolluntur, ac ita vel spontè ad debitam amplitudinem viæ anteà arctatæ redeunt.

III. *Cùm symptomata colica*, *flatulentiæ & borborygmi*, alvi obstructio plus minus, similiaque symptomata, in paroxysmis ægros admodum crucient, ob id opera danda est, ut primæ viæ à sordibus quibuscunque sint liberæ, ne hæ ipsæ coacervatæ malum exasperent, adeòque Diuretica stent post principia. Ergò semper in principio & fine paroxysmi opera est danda, ut alvus laxa sit; aliàs colica & alia dicta pathemata abdominis insigniter exasperantur. Præsente ergò calculo, & urgente paroxysmo doloroso nephritico, pro alvo aperienda nil æquè convenit, quàm blandus CLYSTER, aut *emolliens* aut *anodynus*, injectus, qui certè tempestivè adhibitus multùm ad leniendum dolorem confert, & sæpè totum curationis negotium absolvit: vid. SCHENCKIUS *Observ. pag.* 475. Et quidem parantur ex lacte, urina, radicibus liliorum alborum, altheæ, liquiritiæ, herba malvę, violariæ, parietariæ, de qua vid. SIMON PAULI *Quadripart. Botan. pag.* 109. Veronicâ, summitatibus anethi, floribus chamomillæ, meliloti, sambuci, semine fœnu græci, oleo violarum, liliorum alborum, amygdalarum dulcium, Unguento clysmatico, pinguedine caponis, cuniculi, butyro recenti, &c. Ubi

(1.)

1.) Decocta simpliciora compositis magis præferenda; Decoctum v. g. chamomillæ, malvæ, parietariæ, violariæ, aut juxta CRATONEM veronicæ.
(2.) Ex lacte paratis malè varia simplicia, prçter dictam veronicam, aut flores chamomillç nostratis, radicem althææ, &c. incoqui,
(3.) Clysteres in minori quantitate esse iniiciendos, præprimis in prægnantibus nè mole suâ premant, & dolorem augeant, diutiùs verò retineantur vid. ZECCHIUS *Conf.* 50.
(4.) Si contumacior sit alvi obstructio, oleum dia-colocynthidis, & Electuaria purgantia addere conveniet: item terebinthina, renibus & ureteribus grata; & si dolor aliquantum deferbuerit, baccæ juniperi, *sal volatile succini*, similiaque Diuretica. Quin nudus *Clyster ex urina* saltem *pueri* conducit, vel cui semina carminativa incocta sunt, qui lenit dolorem & calculi motum blandè promovet. Exempli gratia:

℞. *Herb. parietar.* M. j.
Malvæ,
Violar. ana M. ß. ad M. j.
Flor. chamom.
Samb. ana p. ij. vel iii.
Rad. alth. ʒvj. ad ℥iß.
Coqu. in s. q. *urinæ puer.* vel *seri lactis*:
Colaturæ ℥viij. adde
Terebinth. cum *vitello ovi sol.* ʒij. ʒiij. vel ℥ß.
Olei lil. alb. ℥ß. ad ʒvi. & ℥j.
Scorpion ʒj. ad ʒij.
M. pro Clysmate: S.
Clysma leniens.

Cui etiam *nitri antimoniati* ℈ij. addi possunt:
Blandè abstergit, simulque non nihil stimulat renes acrimoniâ volatili, ut sub eiectione clysmatis irritetur calculus propter contiguum situm: Vel

℞. *Herb. violar.*
Malvæ,
Parietar.
Flor. chamom. ana M.j.
Coqu. in s. q. *urinæ humanæ*:
Colaturæ adde
Olei lil. alb. ℥ß.
Destillat. succini gutt. x.
M. pro clysmate: D. S. ut *suprà*.

℞. *Flor. chamomill.* M. ij.
Herb. veron. M. j.
Rad. alth. ʒvj.
Liquirit. ℥ß.
Coqu. in *lacte vaccino*;
In Colaturæ ℥vj. vel vij. dissolve
Elect. lenitiv. ℥j.
Terebinth. cum *vitell. ovi solut.* ℥ß.
Olei lil. alb. ʒvj.
M. f. Enema emolliens. S.
Clyster emolliens.

℞. *Flor. chamomill.* M. ij.
Herb. veron.
Cherefol. ana M. j.
Bacc. iunip. ℥j.
Sem. dauci ℥ß.
Coqu. in s. q. *urinæ pueri*;
In Colaturæ ℔ß. dissolve
Terebinth. cum *vitell. ovor. sol.* ℥ß.
Olei scorpion. ʒiß.
Destillat. bacc. iunip. ʒß.
M. f. Enema magis diureticum: S.
Clyster calculum promovens.

℞. *Decoct. emollient.*
Carminat. ana ℥iij.
Terebinth. cum *vitell. ovi diß.* ℥j.
Olei destillat. terebinth. ʒß.
Misceantur pro Clysmate:
D. S. ut *suprà*.

℞. *Spec. emoll.* M. iij.
Sal tartari ʒj.
Coqu. in s. q. aquæ;
Colaturæ ℥ix. adde
Terebinth. cum *vitell. ovi sol.* ℥ß.
M. f. Clysma:
D. S. ut *suprà*.

℞. *Spec. emoll.* M. j.
Bacc. iunip. ℥j.
Rad. liquirit. ℥ß.
Coqu. cum s. q. *aquæ*;
Colaturæ ℥vii. adde
Elect. lenitivi ℥ß.
Terebinth. cum *vitell. ovi sol.* ʒij.
M. pro Clysmate:
D. S. ut *suprà*.

℞. *Decocti fl. chamom.* ℥vi.
Urinæ hum. ℥iii. adde
Olei destillat. terebinth. aliquot guttas.
M. f. Enema.

Aut si contumacior sit alvi obstructio:
℞. *Lact. bubul.* vel *decoct. flor. sambuci* aut *cham* cum *lacte* ℥viii. ad ℔i. adde
Terebint. cum *vitell. ovi sol.* ʒii. vel ʒiii. ad ℥ß.
Mell. colat. vel *rosac.* ʒvj.
Misc. f. Enema pro una vel duabus vicibus applicandum.
D. S.
Clyster aperiens & calculum promovens.

℞. *Spec. carmin.* M. ij.
Coqu. in *urina hum.*
Colaturæ ℥viii. adde
Olei destillat. terebinth. ʒj.
Misc. fiat Clyster: S.
Ut antea.

℞. *Spec. emollient.* M. iij.
Sem. quatuor calid. mai.
Sal. tartari an. ʒj.
Coq. in s. q. *aquæ simplic.*
Colaturæ ℥ix. adde
Electuar. hieræ cum agar. ℥j.
Olei destillat. terebinth. ʒj.
Vitelli ov. num. j.
M. pro Clystere: D. S. ut *suprà*.

℞. *Olei lini,*
Rapar. an. ℥v.
M. pro Clystere:
D. S. ut *suprà*.

Addi etiam potest *olei dia colocynth.* ʒvj.
Post Clysmata dolorem & spasmum partium internarum insigniter leniunt INSESSUS ET FOMENTA, si nempè iisdem insideat æger, ex vegetabilibus emollientibus, carminantibus, nervinis, nonnihil diureticis, vel sic dictis Lithontripticis parata. Sic quoque sufficere possunt Balnea aquæ tepidæ, quibus insideat aliquandiu æger; loco eorum tamen fieri potest Balneum medicatum ita:

℞. *Herb. malvæ,*
Alth.
Parietar.
Mercurial. an. M. ij. vel iij.
Flor. chamom.
Sambuc. an. M. iij.
Bacc. iunip. ℥ij. iij. ad ℥vj.
Sem. lini,
Fœnugræci ana ℥iij.
Inclusa omnia *duobus sacculis lineis* decoqu. in aqua; Cui æger usque ad diaphragmatis regionem insideat. Dum verò insidet, observetur, ut dicti sacculi balneo incocti admoveantur regioni lumborum, & anteriori umbilicali regioni.
Vel

℞. *Herb. malvæ,*
Alth.
Parietar. ana M. iij.
Summit. chamom. M. iv.
Sem. fœnugræci ℥iv.
Bacc. iunip. ℔ß.
Incis. & contus. D. S.
Herbæ contra dolores calculi.
Decocto tepido insideat æger. Vel

℞. *Herb. malvç,*
Parietar. ana M. iij.
Summit. aneth.
Flor. chamom.
Melilot. an. M. ij.
Rad. alth.
Lil. alb. an. ℥vi.
Sem. lini
Fœnugr. ana ʒiij.
P. species pro Balneo. D. S. ut *antè*.

℞. *Herb,*

℞. *Herb. malvæ,*
Melliloti,
Flor. chamom.
Sambuc. an. M. j. ad M. ii.
Sem. lini,
Fœnugr. an. ℥j. vel ℥ij.
Quatuor calid. mai. an. ℥ß.
Incisa & contusa M. f. *Sacculi* num. ij.
D. S. ut ante.

Qui calidi, vel sicci vel in lacte cocti, applicandi lumbis pro doloris sedatione. Vel

℞. *Herb. malvæ,*
Alth.
Parietar.
Flor. chamom.
Sambuci an. M. ii.
Bacc. juniper. ʒvi.
Incisa & contusa includ. *duobus sacculis.*
D. S. ut antè.

Coquantur in aqua pro Balneo; sacculi admoueantur regioni lumborum & regioni anteriori umbilici, ut dolores & spasmi remittant.

Quibus verò displicent Balnea, iis sufficiunt Fotus humidi cum sacculis instituti: e. g.

℞. *Herb. & flor. chamom.*
Salv.
Serpilli, ana M. i.
Bacc. iuniper. ℥ii.
Sem. anisi.
Anethi an. ℥i.
Incis. includ. *saccul.* No. i.
D. S.
Fotus leniens.

℞. *Herb. chærefol.*
Parietar.
Flor. sambuc.
Chamom. an. M. i.
Sem. lini ℥i.
Fiant Sacculi aut Fotus.
D. S. ut antè.

Prętereà cum his Fotibus & Balneis blanda Diuretica, interdum calculum nonnihil stimulantia, usurpanda, ut scillicet sub istis fomentationibus calculus simul promoueatur per ureterem nonnihil flaccidum.

Post Balnea, vel etiam sine his, conducunt inunctiones externę ad emolliendas partes & spasmos ureterum sistendos, doloresque leniendos, quæ fiunt ex emollientibus suauiter laxantibus & lenientibus: quibus interdum penetrationis gratiâ addenda sunt olea quædam destillata, partim neruina, propter partes membranaceas in & circa renes spasmo affectas, partim diuretica, ut blandè promoveantur urina & calculus, cum oleo amygdalarum dulcium, papaveris, hyoscyami, chamomillæ, scorpionum, liliorum alborum, unguento dialthęæ, medulla cervina, pinguedine anserina, oleo spicæ, petræ albo, baccarum juniperi, succini, terebinthinæ, camphoræ. Sic v. g. fiat Linimentum emolliens:

℞. *Ungu. dialth.*
Olei scorp. vel *expreß. sem. hyosc.* ʒii.
M. in Linimento: S.
Unguentum leniens.

℞. *Ungu. dialth.* ʒiii.
Olei amygd. amar.
Scorpion. an. ʒiß.
Petrol. ʒii.
M. pro Linimento.
D. S. ut antè.

Cum his crebriùs locus dolens circa lumbos, regionem umbilici, addomen, & ductum ureterum illinatur; potest etiam illiniri regioni umbilicali. Additur huic compositioni meritò petroleum, quod meritò à PANAROLLO *Part.* 2. *Obs.* 2. ceu externum remedium nobile mirè commendatur, & calculum imminuere creditur, ubi tamen sufficit, si modò promoueat eum: e. g.

℞. *Petrol. alb.* ʒii.
Olei iuniperini vel *terebinth.* ʒi.
M. D. S.
Oleum calculum promovens.

℞. *Ungu. dialth.* ʒiii.
Olei scorpion. ʒii.
Terebinth. ʒj.
M. pro Linimento: S.
Unguentum calculum promovens.

℞. *Ungu. dialth.* ℥i.
Olei petræ alb. ʒii.
Misc. pro Linimento:
D S. ut ante.
Etiam ʒ ·. *olei spicæ*
addi potest.

℞. *Ungu. popul.* ℥i.
Olei scorpion. ʒii.
M. D. S. ut antè.

℞. *Olei lil. alb.*
Chamom. an. ʒii.
Petrol. alb. ʒß.
Ol. destillat. spicæ,
Bacc. iunip. an. ʒi.
M. pro usu externo: S.
Oleum leniens, & promovens.

℞. *Ungu. dialth.* vel *anodyn.* ℥ß.
Olei amygdal. dulc. ʒii. (vel *huius & lil. alb.* ana ʒi.)
Scorpion. ʒiß.
Petrol. alb. ʒi.
M. pro Linimento: S.
Unguentum leniens, & promovens.
Addi pro lubitu potest
Olei destillat. bacc. iuniper. ʒß.

℞. *Ol. amygd. amar.*
Chamom.
Lil. alb.
Scorpion. ana ʒii.
Petræ alb. ʒiii.
Destillat. spicæ.
Bacc. iunip. an. ʒiß.
M. D. S.
Oleum ut antea.

℞. *Olei amygd. amar.* ℥i.
Pingued. gallin. ʒvi.
Petrol. alb. ʒi.
Ol. destillat. bacc. iuniperi ʒß.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum ut supra.

℞. *Olei petræ alb.* ʒiii.
Papav. expr. ʒiß.
Hyoscyami expr. ʒß.
M. pro Linimento anodyno:
D. S. ut antè.

℞. *Ol. papav. rec. expreß.* ℥ß.
Hyosc. expr. ʒj.
Destillat. succin.
Macis an. ʒß.
M. S.
Oleum dolores sedans.

℞. *Ol. petræ alb.* ʒiß.
Sem. papav. vel *hyosc. expr.* ʒi.
Destillat. succini ʒß.
M. D. S.
Oleum leniens.

℞. *Ungu. dialth.* ℥i.
Ol. petræ alb. ʒiii.
Iuniperi ʒi.
Ess. opii ʒß.
M. S.
Unguentum leniens.

℞. *Ungu. dialth.* uel *sevi cerv.* ℥i.
Olei petr. alb. ʒiii.
Destillat. iunip.
Camphoræ an. gutt. xx.
Opii ℈i.
M. D. S.
Unguentum leniens & calculum promovens.

℞. *Ungu. nervin.* ʒiii.
Olei expreß. hyoscyami ʒi.
Destillat. terebinth.
Iuniperi ana ʒß.
M. S. ut antè.

℞. *Ungu. dialth.* ℥iß.
Olei lil. alb.
Amygd. dulc. an. ʒß.
Scorpion. ʒiii.
Petræ albæ ʒiß.

De-

Destillat. juniperi ℥ß.
M. D. S.
Unguentum dolores sedans.

SCHARFIO *lib.* 1. *de usu iuniperi pag.* 282. in usu fuit sequens:

℞. *Olei scorp.*
Melilot.
Chamom. an. ℥ij.
Amygd. amar.
Arill. cynosbati an. ℥iß.
Ol. terebinth.
Iuniper. an. ℥j.
Petrol. alb. ℥ß.
Misc.

℞. *Ol. amygd. dulc.* ℥ß.
Destillat. succini ℥ß.
M. D. S.
Oleum leniens.

℞. *Picis communis* ℥ß.
Subige cum s. q. *butyri non saliti* in consistentiam Unguenti. S.
Unguentum leniens.

℞. *Ungu. di alth.* ℥j.
Ol. lil. alb.
Amygd. dulc.
Hyoscyami expr. an. ʒij.
Scorpion. ʒiß.
Succini ʒß.
M. f. Linimentum.
D. S *ut antè.*

Pertinent etiam huc *Linimenta Memb. anteced. ubi de ischuria Renali*, præscripta: Vel

℞. *Ungu. rosat. camph.* q. v.
adde
Laud. opiati q. s.
M. f. Linimentum:
D. S. *ut suprà.*

Pertinet huc unguentum nephriticum Mynsichti, & ejus anodynum; item unguentum hoc, quod commendat CRATO:

℞. *Unguent. rosac.* ℥iß.
Ol. amygd. amar.
Scorpion. simpl. an. ʒvj.
Amygd. dulc. ℥ß.
M. f. Unguentum.

Quin etiam dictis unguentis oleum camphoræ convenienter addi potest, vel genuinum, vel per dissolutionem camphoræ in oleo amygdalarum dulcium paratum, quod est egregium: Nam camphora peculiarem vim diureticam, paucis notam, obtinet. Addi etiam post oleum destillatum cumini, oleum destillatum baccarum juniperi, oleum terebinthinæ, ceu remedia nervina, admodùm grata: Item oleum destillatum succini quoque addi solet; sed quia est nimis penetrans & diureticum, metus est, ne exasperet dolorem. Similia ergò Linimenta crebriùs usurpentur, illinendo regioni lumbari vel umbilicali. Juxta hæc conducit Emplastrum de meliloto, cum oleo chamomill. & anethi malax. addendo oleum cumini, & petrol. regioni lumborum applicatum bene confert: Vel

℞. *Empl. nervin.*
Tacamah. an ℥j.
Bals. Peruv. ʒij.
M. pro Emplastro.
Extendatur super *alutam in forma quadrata:*
D. S.
Emplastrum leniens.

Item si renum calor intensior, preparatur Cataplasma Cratonis, quod hic maximè commendant, ex cancris fluviatilibus eorumque succo, subactis cum oleis blandè emollientibus: vid. CRATO *lib.* 5. *Consf.* 17. Nempè

℞. *Cancr. fluviat.* nu. x.
quos contusos coquit in lacte, & succum fortiter exprimit: addit
Medullæ panis albi ℥iij.
Vitell. ovor. No. iii.
Butyri rec.
Olei chamom. an. ℥i.
Croci ℈ß.
Misc. pro cataplasmate applicando.

Sicuti & BRUNNERUS simile Cataplasma ex cancris contusis cum malva, raphano & parietaria, pro leniendo dolore, & eodem nonnihil moderando, subactum, regioni renum applicatum admodum commendat in paroxysmo nephritico, de quo vid. SENNERTUS *pag.* 814. item cataplasma ex medulla panis albi cum lacte. Hujusmodi Litus crebrò renoventur calidi super imponendo postmodum sacculos, aut etiam post balnea eadem illiniri solent.

Cum his & similibus externis, etiam INTERNIS malis prospiciendum: & quidem, ubi dolor est remissior, aut nonnihil placatus, (haud citiùs, vid. RIVERIUS *Pr. lib.* 14. *cap.* 1.) primæ viæ repurgatæ, & acrimonia humorum temperata, blanda tunc diuretica conveniunt, qualia sunt tinctura nephritica, spiritus carminativus de tribus, spiritus nitri dulcis, &c. de quibus infra, cum aliis internis usurpentur. Interdum ergò in principio convenit blanda aliqua LAXATIO, primas vias abstergens, respiciendo tamen simul nonnihil renes, & modicè calculi excretionem irritando: v. g.

℞. *Tartari vitriolat.* gr. xij. ad xv.
Salis genist gr. iij. iv. v. vel vi.
Scamm. rosat. gr. iij. vel iv.
Olei destillat. juniperi, vel *terebinth.* gtt. i.
M. f. Pulvis in principio paroxysmi assumendus: S.
Pulvis aperitivus.

℞. *Arcan. dupl.* gr. xii.
Scam. præp. gr. iij.
M. f. pulvis: S.
Pulvis laxativus.

℞. *Corall. rub præp.*
Maxill. lucii pisc. an. ℈ß.
Auri fulm. gr. v.
M. f. Pulvis.
D. S. ut antè.
Detur in jusculo calido.

℞. *Rad. alth.* ʒiii.
Helleb. nigr. ʒi.
Zingib. gr. xii.
Tartar. vitriolat. gr. xvi.
Coqu. in s. q. aquæ;
Colaturæ adhuc calidæ infundatur per noctem in loco calido
Rhabarb. elect. ʒiß. ad ʒii.
Manè iterum colet. & addatur
Syrupi domest. ʒii.
M. D. S.
Potio laxativa.

℞. *Pass. min. conquass.* ʒii.
Ebull. in s. q. *aquæ simpl.*
Colaturæ ferventi infunde per noctem
Fol. senn. sine stip. ℥ß.
Crem. tartar. ʒiß.
Manè ebulliat paulatim
Colatura D. S.
Potio laxans aperitiva.

℞. *Syr. de cichor.* cum *rhab.*
Spina cerv. an ℥ß.
Scamm. præp. gr. iv.
Aquæ Ononid. ʒij.
M. D. S.
Succus laxans aperitivus.

℞. *Passul. min. laxat.* ℥ß.
Lapill. cancr. præp.
Arcan. dupl. an. gr. v.
M. S.
Passulæ laxativæ.

In specie etiam pro tali scopo conveniunt imprimis Terebinthinata in principio, alvum simul moderatè laxantia, & simul renibus calculosis insigniter conducentia: hinc pilulæ ex terebinthina cum rhabarbaro usitatissimè in principio affectus præscribuntur; rhabarbarum enim à PARACELSO singulariter æstimatur. Item fiunt emulsiones ex terebinthina, de quibus heri dixi, aut fiant pilulę de terebinthina Mynsichti præscribendo à ʒß. ad ℈ij. pro dosi: item Catharcticum terebinthinatum Mnysichti. Nam certum est, quod terebinthinata insigniter conveniant in nephritide: sic enim FORESTUS *lib.* 24. *Observat.* 20. observat Matronam calculo renum & morbo articulari affectam, quæ imprimis terebinthinæ usu fuit curata: item FONTANUS *in Consil. & Respons. pag.* 116. refert septuagenarium dolore nephritico diu excruciatum, qui tandem usu terebinthinæ Venetæ ejectione 4. lapidum fuit curatus. In quem finem *terebinthina* leniter inspissata in *pilulas* redigi potest, ita ut singu-

singulo ℈i. vel ʒß. gr. iii. vel iv. *scammonii* simul permisceantur; quæ ipsæ ita paratæ pro dosi in vehiculo assumptæ, in principio paroxysmi sunt egregiæ: e.g.

℞. *Terebinth. coct.* ℈ß.
Tartari vitriolat. gr. vi.
Scamm. præp. gr. iii.
M. f. pilulæ: S.
Pilulæ laxativæ.

Vel fiant pilulæ ex terebinthina, succino & Rhabarbaro à PARACELSO laudatæ: vid. HOEFERUS in *Herc. Med. pag.* 175.

℞. *Terebinth. pur.* ʒi.
Rhabarb. pulverif. ℈ii. ad ʒi.
Succini præp. ʒß.
Cinnam. ℈ß.
cum s. q. *Olei terebinth.* f. Pilulæ pro aliquot dosibus.

℞. *Massæ pilular. de tereb.* cum *rhabarb.* gr. xvi.
Tartari vitriolat. gr. vi.
Troch. alband. gr. ii.
F. Pilulæ: D. S. ut *suprà*.
Vel

℞. *Massæ pilular. de amm.* gr. xv.
Tartari vitriolat. gr. v.
Extracti troch. alband. gr. i.
cum *essent. menth.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ laxativæ.

Nam purgantia fortiora nullo modo conveniunt in principio affectus calculosi.

Sic etiam convenit *Emulsio* seminis violarum nephrocathartica, *cum aqua veronicæ, aut cum alia aqua appropriata, in specie hederæ terrestris*, cuius *supra membro Antec. de Ischuria* mentio facta; quæ ipsa reverà potest dici nephrocathartica: præscribitur à ℥iii. ad ℥ . in principio paroxysmi nephritici: Cui propter doloris rationem & *papaverina* simul addi possunt; e. g.

℞. *Sem. violar.* ʒiii. vel ℥ß.
Milii solis,
Papav. albi an. ʒi. ad ʒiß.
cum s. q. *aquæ alkekeng.* vel *menthæ*, vel *fragor.* vel *veron.*
f. Emulsio ad ℥iii. vel iv.
adde
Aquæ cinamom. ʒiß. vel ʒii. ad ʒiii.
Lapill. percar. præp. vel *cancror. præp.* ℈iß. vel ℈ii. ad ʒi.
Sacchari parum. M. D. S.
Emulsio nephrocathartica.

℞. *Amygd. dulc. ambros.*
Sem. melon. an. ʒii.
Violar. purp. ℥ß.
cum s. q. *aquæ menthæ & fragor.* f. Emulsio ad ℥vi.
adde
Lap. percari præp. ʒi.
Sacch. parum. M. S.
Emulsio aperitiva pro aliquot vicibus

Conf. M. A. N C. *Ann.* 6. *Obs.* 102.

Evacuatis ita primis viis, & sublatis impedimentis, dum adhuc urget *dolor*, & hæreat *calculus*, propinanda talia, quæ, quantum possibile est, dolorem tollere possunt: Vel

℞. *Olei amygd: dulc. rec. express.* ℥ii.
Destillat. macis ℈ß.
M. S.
Oleum lenitivum.

Cum quibus tamen simul ad acrimoniam humorum temperandam respectus habendus. OPIATA ergò conducunt, sed appropriatis mista, in specie ubi urgent graviora symptomata; ac proinde prostat *Essentia urinaria anodyna D. Michaelis*, ex Vegetabilibus sc. diureticis cum ana opii & sal. tartari, quibus aqua affunditur: stent in digestione, deinde evaporatur & superfunditur spiritus vini: Item accipiatur *Malvaticum iuniperinum cum essentia opii* mistum, de quo cochleatim hauriatus ad sistendos dolores, & mitigandum paroxysmum.

Vel

℞. *Lapill. cancr. præp.* ℈i.
Cinnab. antimonii vel *nat.* (propter spasmos part. internarum) ℈ß.
Laud. opiat. gr. i. vel ii. (vel *pulv. anodyn. Ludov.* gr. iii.)
M. f. Pulvis: S.
Pulvis lenitivus.

Detur pro dosi in graviore paroxysmo.

De his vid. in specie LUDOVICI *in Pharm. pag.* 449. & *Colleg. Pharmaceut. in Ludovic.* Vel ad imitationem WEDELII:

℞. *Lapill. cancr. præp.*
Sperm. ceti an. ℈j.
Sal. volat. succin. gr. v.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
M. f. Pulvis;
D. S. ut *suprà*.

℞. *Lapill. percar. præp.* ʒß.
Cinnab. antimonii,
Sal. volat. succ. an. gr. xij.
Laud. opiati gr. iij. ad v.
Misc. pro 3. dosibus.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Aquæ petrosel.*
Alkekengi an. ℥j.
Ess. opii ℈j.
Syr. de alth. Fernelii ʒiij.
M. S.
Mistura dolorem sedans.

In usu Opiatorum simus cauti, ne iisdem abutamur.

℞. *Tincturæ balf. Peruv.* vel *capaibæ cum tinctura tartari par.* ʒiij.
Essent. opii ʒß. M. D. S.
Tinctura calculum leniens.
Dentur 40. guttæ pro dosi.

℞. *Tincturæ tartari acerr.* vel *compos.* vel *rhabarb. tartaris.*
Spiritus carminat. de trib. an. ʒiij.
Essent. opii tartaris. ʒj.
M. S. ut *antè*.

℞. *Milleped. viv.* No. xij.
Contunde cum *Tinct. tart. acer.* ʒii.
filtratæ adde
Ess. opii ℈j. M. S. ut *suprà*.
Dosis 30. vel 40. guttæ.

℞. *Olei destillat. terebinth.*
Bacc. iunip.
Ess. opii an. ʒß.
M. S.
Oleum calculum promovens pro aliquot vicibus.

Ubi vomitus simul & singultus:

℞. *Extr. acori veri* gr. xvi.
Castor. vel *Zedoar.* gr. iv.
Laud. hyster. gr. i. vel vi.
cum *oleo terebinth.* f. Pilulæ: S.
Pilulæ stomachales & calculum lenientes.

℞. *Aquæ menth.*
Meliss. cum vino,
Cinnam:
Carbunc. an. ℥ß.
Spiritus cochlear. ʒi.
Tartari vitriolat. ℈i.
Laud. opiati gr. ii. vel iii.
Syrup. cort. aurant. ℥ß.
M. D. S.
Mistura stomachalis & calculum leniens cochleatim sumenda.

℞. *Aquæ fragor.*
Alkekengi an. ℥iß.
Cinnam. ʒiii.
Lap. canc. ℈ii.
Test. ovor. calcin. ℈i.
Nitri depur. ʒß.
Laud. opiati gr. ii. vel iii.
Syr. de alth. Fern. ʒvi.
M. S. ut *suprà*.

℞. *Lap. percar. præp.* ℈i.
Pulv. epilept. antimonial. gr. iii.
M. pro pulvere:
Div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis leniens.

℞. *Lap. canc. prep.* vel *corall. rub. præp.* ℈ii.
Auri diaphor. gr. xv.
Campb. gr. ii.
M. pro pulvere:
Diuid. in 2. part. æqual. S.
Pulvis leniens contra calculum.

℞. *Corall. rub. præp.*
Lap. percar. præp. an. gr. xiv.
Auri diaphor. gr. xii.

Camph.

Camph. gr. iij.
Misc. pro pulvere:
Div. in 2. part. æqu. S.
ut antea.

℞. *Corall. r. præp.*
Lap. percar. præp. an. ℈ß.
Salis genist. gr. iv. M. S.
Pulvis sedans.

℞. *Tacamach.* part. ij.
Bals. Peruv. part. j.
F. Emplastrum stomachale in forma usitata absque sindone: S.
Emplastrum stomachale.

Mulier quædam, aliàs nephritica, conquerebatur aliquandiu de appetitu prostrato, cum carnis nausea & potus consueti fastidio, adeò ut spem conceptionis conceperit: sed post supervenientem mensium fluxum prehendunt eam acerbi dolores in lumbis lancinantes, & ad pubem usque excurrentes, cum tali crurum tremore, qualis aliàs puerperis sub partus labore accidere solet, & ita summo quasi parturiendi conatu nihil aliud, quàm mucosa viscida summo cum dolore, unà cum urina, excernebat, ita ut quoties urinam emitteret, mucosum tale quid unà eliminaret: stimulus pro urina admodùm erat frequens; dum excernebat, dolorem dictum percipiebat, & etiam, dum non excernebat, subinde excretorios istos quasi puerperiales experiebatur conatus; urina emissa erat minus tincta, aliquantisper turbida cum sedimento copioso viscido, albido, non tamen purulento. Judicabam, malum esse nephriticum, natum primitùs occasione calculi renalis, & inde productæ erosionis in pelvi membranacea; unde idem calculus ulterius progrediendo affrictu suo læserit plus minus vesicæ collum; quo factum fuit, ut non solùm dictarum partium degener nutrimentum chylosum tàm copiosi muci speciem suggesserit, sed etiam imprimis ex irritatione vesicæ dolorosi excretorii conatus supervenerint: ob id pro abstergendis his locis & mitigandis symptomatis, præmisso Clysmate:

℞. *Aquæ chærefol.*
Alkekeng. an. ℥iß.
Aceti vini ʒiij. ad ℥ß.
Lapill. cancr. præp. ʒj.
Laud. opiat. gr. iii.
Syr. heder. terr. ʒvj. Misc.

Capiebat cochleatim, quod factum cum euphoria, & symptomata lumborum maximam partem levata fuerunt. Hinc pro istis scopis præscripsi:

℞. *Massæ pilular. de terebinth. simpl.* ℈ij.
Div. in 2. part. æqu.

Cepit, benè habuit, symptomata plerumque evanuerunt: sed nixus vesicæ excretorius subinde rediit, calculo nempè in vesica existente, utut mucosa materia multùm imminueretur; ne tamen forsan exulceratio colli vesicæ superveniret, præscripsi:

℞. *Essent. hyper.* ʒij.
Dabam pro una dosi.

A qua tamen nullam utilitatem percepit. Ob id balsamo sulphuris terebinthinato, uti jubebam: sed antequam hunc assumeret calculus oblonguscum urina unà emittebatur, unde levamen insigne in omnibus. Pariter tribus ab hinc diebus cùm continuatus fuisset balsami usus, adhuc alius, sed minor, calculus prodiit, post cujus excretionem adhuc muci aliquantulum rejectum fuit, sed quod brevi cessavit. Pro reliquiis ergò nephriticis removendis spiritum sal. ammoniaci aliquandiu continuavit, qui ipsi optimè contulit.

Oleum amygdalarum dulcium, vel cum vel sine lapide percarum, & syrupo de althea Fernelii, (quod nonnulli etiam cum succo citri aut limonum miscent) similiter in usu est. Emulsio ex amygdalis dulcibus, & seminibus dictis quatuor frigidis majoribus, violarum, nucleis persicorum, & similibus, quibus lapides percarum, aut lapilli cancrorum addi solent, subindè in hoc casu in usu sunt, quæ hauriuntur ad dolorem leniendum, & blandè urinam ciendam; potissimùm si hujus Emulsioni aliquid papaveris albi hujus syrupi, aut Laudani opiati addatur; Nam hæc Narcotica spasmis renum horumque meatuum non tantum medentur, sed somnum inducendo spiritibus robur addunt, hinc excretionem calculi insigniter juvant: vid. HOFFMANNI M. M. *pag.* 437. & DECKERS *Exerc. Pract. pag.* 636. Item decocta emollientia, simulque anodyna, blandè temperantia, & urinam pellentia, quorum formulam vid. in BARBETTE *Praxi*, *ubi de Dolore nephrit.* Ad imitationem hujus

℞. *Rad. alth.* ℥j.
Liquirit. ʒij. vel ℥ß.
Herb. malvæ M. j.
Sem. violar. ℥ß. vel ʒvj. ad ℥iß.
Coqu. in s. q. *Decoct. hord.*
Colaturæ ℔iß. ad ℔ij. adde
Syrup. papav. albi vel errat. ℥iß. ad ℥ij.
(*vel de jujub.*
Violar. an. ℥ß.)
Lapill. cancr. præp. ʒj.
M. D. S.
Potio lenitiva urinam pellens.

Instar omnium etiam hic convenit Decoctum expertum FORESTI, quod præscribit *lib.* 24. *Obs.* 26. 28. & 29. & descriptum prostat in SENNERTO *lib.* 3. *Prax. ubi de Calculo Renum, pag.* 812. quo Decocto curavit virum desperatâ *suppressione urinæ ex calculo* renis sinistri ureteri impacto laborantem cum intensissimis doloribus, summa virium prostratione, & cùm jam per sex dies ne guttulam quidem urinæ emisisset, usurpato hoc Decocto Foresti, urina confestim emanavit, lapilli cum impetu protrusi, & æger curatus fuit. Præscriptio est hæc:

℞. *Sem. malvæ*,
Alth. an. ʒij. ad ʒiij.
Cicer. rub. ℥iij.
Quatuor frigid. mai. an. ʒij.
Hordei ℥ij.
Caric. pingu. No. viij.
Sebesten No. vij.
Rad. liquirit. ras. ʒvj.
Coqu. *in aquæ* ℔iij. ad dimidiæ partis consumptionem.

Sicuti Decoctum non incongruum à ZWELFFERO correctum *videb. in Pharmacop. Reg. pag.* 89.

Ad imitationem ergò hujus similia Composita possunt parari.

Addi simul possunt Decocto huic certa proportione vel *baccæ juniperi*, vel semen hyperici, aut *semen dauci*, vel similia, quæ istud magis appropriatum reddere valent. *Decoctum florum chamomillæ* singulariter excellit in paroxysmo nephritico (vid. SIMON PAULI *Quad. Botan. pag.* 255.) & veronicæ, quod CRATO l. a. extollit. Item hujus loci est Decoctum nymphææ, quo nihil promptius ad ureterum contracturam laxandam & dolorem placandum in paroxysmo nephritico à TACHENIO *Hippoc. Chym cap.* 14. *pag.* 97. *Edit.* 2. extollitur. Præterea non inconsultum est consilium TIMÆI *von Gulden-Klee*, jubentis, ut omni haustui Decocti cujusdam addantur aliquot guttæ spiritus *salis dulcis* communis cùm hujus vis egregiè sit diuretica. Sanè *spiritus salis* extremo igne prolectus, adeoque *acido-salsus*, singularis est ad promovendum & refringendum calculum: vid. TACHENIUS l. a. nisi inflammatio atque erosio partium subsit; loco ejus tamen & spiritum nitri à Sylvio tanti æstimatum, utrumque vel simplicem, vel dulcem, commodè potiùs usurparem, qui magis est diureticus. RHUMELIUS recipit spiritum salis, miscet cum sale volatili succini, coagulati in formam crystallinam, & potentissimum est Nephriticum diureticum.

Quibus ita peractis, si imminuatur dolor, & calculus ulterius promoveatur, res benè est: Ubi verò, licet doloribus aliisque pathematis plus minus placatis, calculus vel in renibus, vel ureteribus, vel vesica, adhuc hæret, fiat accessus ad ea, quæ diuresi blanda & specificâ urinam promovere possunt; aut, si grandior, propinanda ea erunt, quæ lapillum, quantum possibile, diffringere valent, ut ita confractus & comminutus eò commodiùs possit propelli.

Substitimus heri in Cura, quæ pertinet ad calculum, & dictum fuit, in paroxysmo esse efficiendum, ut calculus promoveatur, minimâ tamen molestiâ, unde tàm internis quàm externis dolor demulcendus: Et his factis propinanda, quæ vi diuretica pollent, & simul cum urina pellunt calculum; aut loco horum dentur simul lithontriptica seu calculum frangentia. In horum tamen usu hoc observandum, ut ubi ad tempus frustra adhibita fuerint medicamenta, subsistatur, & quasi feriæ permittantur naturæ, ne illo usu nimio plus, quàm par est, ad renes moveantur cruditates. Curiosa est hoc in loco *Observ.* EPIPHANII *Ferdinandi Hist.* 54. ubi dicit, inviolabili lege observandum esse, ut quandoque à remediis abstineamus, dum refert exemplum doloris nephritici, in quo post novem dies & noctes plura remedia propinata & applicata absque ullo usu & effectu: sed cùm postmodũ per 10. & 11. quies naturę fuisset relicta, hęc ipsa spõte suâ sub fine unde-

undecimi plures calculos rejiciendo, ægrum liberavit, DIURETICA hujusmodi usurpantur in specie *in paroxysmo calculoso*, sub introitu balnei: vid. RIVERIUS *l. a.*; ut dum hujus usu relaxantur viæ & demulcentur dolores; illorum ratione meliùs promoveatur calculus: Sicut etiam *blandus motus corporis* calculi descensum ex renibus promovet, qui aliàs a gaudio in exitu promovetur, *à metu verò vel terrore retardatur*: Conf. *Act. Med. Haffniens. Vol.* 3. *pag.* 33. Sunt qui vomitum eundem in finem commendant, sed non sine notabili molestia & periculo: vid. BARTHOLINUS *Epist.* 55. Cautiùs quoque Diureticis utendum, si mictus cruentus combinetur, præprimis calidioribus & aromaticis, habebuntque tunc potiùs locum Terrea & Emollientia blandiora: Commendat eundem in finem FORTIS *C.* 3. *Conf.* 95. Thermas vitriolatas adstringentes æquè ac calculum promoventes: Ast non ubique terrarum hæc prestò sunt.

Diureticis tamen talibus longè præferenda sunt LITHONTRIPTICA propriè dicta, seu calculos ipsos confringentia remedia, de quorum existentia multi dubitant, speciatim SYLVATICUS *in Conf.* & PANAROLLUS *in observ.* aliique magni nominis Medici: sed ordinariò Chymiæ ignari, sanè rident eos, qui dicunt calculum in corpore humano simul compactum iterum posse dissolvi vel in minores particulas diffringi. Et sanè res non caret scrupulo, utut simpliciter non neganda, licet rara sint, sublimiora talia remedia, quæ reverà calculum confringunt.

Difficultatis ratio prima, ob quam impossibilis videtur calculi solutio, est: *quia est concretum terreo-salsum*, ex duobus salibus, alcali & acido volatilibus, firmissimo tamen nexu junctis, oriundum, intercedente substantiâ quadam terreâ firmiter coagulante, adeoque nec *acida* nec *alcalia* eum dissolvere possunt, quia calculus ex utrisque est saturatus, & tanquam ex ambobus compositus, unde difficile videtur reperiri tale menstruum, quod concretum tale salsum adeò firmum, æqualiter de *acido* & *urinoso* participans, in corpore comminuat & dissolvat, utpote cùm talia Concreta se æqualiter misceant menstruis acidis & urinosis, neque tamen ab ullo possint perfectè dissolvi. Necesse ergò est, ut remedium calculum frangens ita sit constitutum, ut ferè de utroque, *acido* nempe & *alcali*, participet, ut ita concretum tale salsum penetrare, & istud amicâ suâ vi denuo blandè, & ita quasi liquefaciendo, resolvere possit.

Secunda difficultas est, quod posito, talia remedia & Menstrua reperiri, quæ extra corpus solvunt calculum; hæc ipsa tamen longo isto transitu, donec ad calculum perveniant, *in vi sua lithontriptica* non parum infringantur. Unde *errant*, qui calculos humanos excretos certis & variis liquoribus injiciunt, expectaturi, quis liquor citiùs & feliciùs calculum dissolvat, ut postmodum eodem liquore & intùs propinato eundem effectum in renibus & vesica obtineant. Hæc enim præconcepta hypothesis est removenda, quia est falsissima. Nam longè aliud est dissolvere calculum extra corpus, quàm in corpore. Et utut talia extra corpus in calculum operentur, in corpore tamen fiunt languida; quia talia Lithontriptica in primis viis, in stomacho & intestinis, bilis & succi pancreatici subsalsi, vel acidi attactu, ut & intermediis locis, ac denique in renibus ab urina insigniter alterantur, necessariò alteram novam acquirunt naturam seu texturam, indeque alterata & imbecilla vim diffringendi calculum omninò exuunt, quod ipsum interdum verissimum est experientia comprobante. Ut taceam, non ejusdem duritiei compaginis in omnibus Nephriticis videri calculos, quin subindè multum variant duritie, firmitate, ac similibus plùs minus proprietatibus. Cæterum expertum est ex omnibus vulgaribus menstruis hactenus tentatis, spiritum nitri maximam habere vim in calculo, vel comminuendo, vel friabilem reddendo, & quasi mollificando. Ergò remedium illud lithontripticum, necesse sit tale, quod istâ insigni alteratione in primis viis intactum, adhuc maximam partem integrum transeat ad vias urinarias, ibidemque calculum concretum imminuat.

Tertia Difficultas est, quod remedium lithontripticum, quod calculum, utpote concretum durum, dissolvere valet, non debeat esse corrosivum, sed quod citra stomachi, intestinorum, & aliorum locorum noxam possit propinari; cum hæ ipsæ partes sint longè molliores, & faciliùs dissoluantur, quàm concretum calculi, partesque attritu calculi anteà plus minùs læsæ ab acrioribus remediis admodum lædantur, indeque dolores aliaque pathemata exasperentur. Verùm hoc ingenii phantasma est nullius momenti, cum nitatur falsâ hypothesi, quasi calculus non esset dissolubilis, nisi per corrosionem, adeoque unum ex menstruorum requisitis sit, ut corrosivitate gaudeant. Male autem ad corrosivitatem in calculum frangentibus respicitur, Corrosio enim est respectus saltem tributus rebus ratione gustus, adeoque planè accidentarium consequens; siquidem etiam reverà dantur *menstrua* plus minùs *insipida*, aut planè non aut parùm corrosiva, quæ tamen validissima etiam concreta diffringunt. Nil dicam de *Rore Maiali*, & ex hoc ritè parato menstruo minùs acri, quod tamen magnam vim habet resoluendi & infringendi corpora. Notum est de aqua Laurembergii, in qua aurum injectum ita soluebatur, ut penitus instar ceræ liquesceret. Similiter de menstruis soluentibus Chymiatrorum res clara est, quæ licèt ferè insipida sint, efficaciam tamen suam in Mineralium solutione probant. Et *Dominus* BOYLE *in Philosophia Experimentali*, *& de Origine formarum* refert, se habere tale menstruum ferè insipidum, æqualiter tam cum *acidis*, quàm liquoribus *alcalinis*, sine efferuescentia & ulla alteratione ac immutatione miscibile; id quod innuit, quod de utroque participet: quod ipsum tamen menstruum insipidum, etiam *aquas fortes* subinde virtute superat (scilicet ex *basi viridis æris*, *& sale ammoniaco* conficitur) ut taceam *Mercurium vivum* sub amalgamatione auri & argenti hæc ipsa aliaque metalla in minimas partes dissoluere, utut ipse sit insipidus: adeo, ut corrosivitas menstrui naturam non definiat.

Quid igitur est, quod maximè considerandum in menstruis dissoluentibus? Respondetur: consideretur *proportio ista formalis*, quæ est inter particulas menstrui soluentis, & particulas, ac poros corporis soluendi, ut hinc utriusque corporis particulæ mutuo nexu se invicem jungere valeant: si enim particulæ istæ menstrui ita sunt figuratæ seu conformatæ, ut exactè respondeant porulis corporis, prompta & cita fit solutio; sin verò hæc duo nullo modo conveniunt, aut nullam habeant convenientiam aut proportionem requisitam, frustrà est spes solutionis.

Proportio ista materialiter originem ducit ex convenientia seu identitate in radice & essentia: hinc dicunt: *menstrua debeant esse homogenea cum rebus dissolvendis.* Hinc concreta *sulphurea per menstrua sulphurea*, *salina per menstrua salina* & aquea, optimè solvuntur; id est, requiritur in menstruis particularibus certa quædam habitudo ad ipsam rem solvendam: vid. BECHERUS *in Phys. sub terr. lib.* 1. *pag.* 399. WILLISIUS *de Fermentatione pag.* 63. Hinc v.g. aqua solvit *saccharum*, *alumen*, *vitriolum*, & similia, quæ non dissolvit spiritus vini, è contrà *sevum*, ceram, bitumen, succinum, *terebinthinam*, & similia subjecta, licèt molliora quàm vel alumen vel vitriolum & similia, aqua non dissolvit. Spiritus vini probè rectificatus dissolvit succinum & omnia corpora resinosa, quæ non resolvuntur ab aqua; nihilominus tamen spiritus vini hic probè rectificatus non attingit saccharum, neque sal commune. Porrò *aqua fortis*, seu spiritus nitri rectificatus, dissolvit lunam aliaque *metalla*, sed non *aurum*, aut *lignum*, aut *ceram aut picem*: Huic aquæ forti si injiciatur aliquid salis ammoniaci, tunc promptè solvet aurum, sed non attingit amplius lunam. Hic videmus, quod aqua v.g. quoniam ejus particulæ facillimè se insinuant in porulos corporum salinorum, etiam promptè eadem corpora salina dissolvat: iam verò, quoniam pinguium poruli rotundi & cavernosi in cera, bitumine, succino, &c. ita sunt confirmati, ut particulæ aqueæ extrinsecùs quidem lambere, sed ipsos poros intrare nequeant, propterea etiam corpora talia oleosa pinguia non dissolvuntur ab aqueis. Minutissimæ è contrà spiritus vini particulæ etiam durum succinum intrare, ac in istud se insinuare possunt, adeòque etiam in elegantissimam tincturam dissolvere; quæ particulæ spiritus vini improportionatæ saccharo molli, idem relinquunt. Hinc est, quod solius salis communis aut sal ammoniaci mistura cum aqua forti fiat aqua regia, seu menstruum pro solvendo auro, ita, ut non ampliùs attingat lunam, ob discrepantiam scilicet radicalem cum menstruis; istâ enim adjectione salis particulæ menstruæ ita fuerunt immutatæ, & ex adhæsione & conjunctione mutua taliter redditæ figuratæ, ut promptè aurum ingredi, nullo verò modo lunam subintrare possint.

Ex his patet, omninò dari menstrua, quæ intactis stomacho & intestinis calculum in renibus attingunt, & eundem dissolvunt; dispar enim est ratio: ut taceam, *gustum malè corrosivitatis indicium exhibere*, Multa enim nobis insipida & dulcia videntur, quæ in se admodùm acria, & plus minus corrosiva, ut *arsenicum*, *Mercurius vitæ*, *sulphur antimonii*, *Mercurius vivus*, *&c. Lingua ergò ineptus judex est menstruorum.* Ut taceam *acria*, & respectu certorum corporum *acerrima*, nobis & ventriculo nostro esse innocua, nec nisi in objectum

objectum appropriatum agere: v. g. sicut videmus in *aceto*, quod solvit *corticem testaceum lapideum ovorum* durum, substratam verò membranam tenuem aut mollem non attingit, copiosè à nobis etiam assumptum in stomacho est innocuum. Si itaque ista concreta terrea, nempè corallia & testa ovi, dissolvantur ab aceto, integrâ tenui membranâ manente quidni etiam possit dissolvi à medicamentoso menstruo calculus, utut illud stomachum non attingat. Sic *cantharides* acrimoniam suam circa renes & vesicam saltem explicant, ea exulcerando, quæ tamen stomacho, quem immediatè ingrediuntur, intestinis & aliis partibus sunt innocuæ. Ergò præter hoc, quod dentur Menstrua insipida, attendenda etiam est varietas menstruorum, quæ non simpliciter in corrosivitate, sed in particularum ejus textura, materia & conformatione mechanica consistit. Unde nullum dubium est, dari posse talia remedia, quę instar menstrui, citra notabilem gustus acerbitatē, partim ex sui textura, partim ex admistione variorum succorū nostri corporis promptè calculos renales in corpore aggredi, eorum poros penetrare, & particulas unitas instar cancrorū diffringere aut comminuere possint; eaq; imprimis ex prosapia salina, ut id concretū calculi salinū subtiliter penetrent & dissolvant. Unde non ad corrosivitatē in specie respiciendum est in remediis calculum frangentibus. Confirmant hoc observationes quædam calculorum in corpore dissolutorum. Nihil dicam de PARACELSI & HELMONTII Ludo, quia, cùm rarus sit, & neuter possit ostendi, apud incredulos non merebitur fidem. Sed urgeo saltem, quod *persicaria* & succus betulæ, item *semen dauci* sint, quibus experimenta ad calculum frangendum destinata, quorum frequenti ac continuato usu calculum comminui observatum fuerit. Hinc enim Dn. BOYLE *in Philosophia experimentali* aliquot *exempla* refert, per solum *dauci semen* fractum fuisse renum calculum. Sic *persicaria* quoque secretum est quorundam *Anglorum*, AUGENII, & LAUREMBERGII, *contra renum* calculum, quod ejus aqua diutiùs continuata calculum ita comminuerit, ut frustulatim ipse fuerit ejectus. Experimentum etiam ad calculum vesicę imminuendum sunt millepedes, de quibus infrà dicam. Hæc nullo modo sunt corrosiva, tantùm *acria volatilia*. Sic ipse quoque amicum, Medicinæ Doctorem, Dresdæ novi, qui spiritum instar sal. ammoniaci ex tartaro habet volatilem insignem, mediante quo crebrò usurpato, aliquoties renum calculos felici experimento intra corpus comminutos, frustulorum parvorum formâ successivè expulit. *Sal fimi columbini* benè præparatum, uti postmodum habebimus, & ipsum observatum fuit, aliquando dissolvisse calculum, & frustulatim eundem ejecisse. Reverà ergò dantur Lithontriptica, modò præparare studeamus tales liquores, vel talia Menstrua, quæ assumpta citra violentiam calculi poris se insinuare, eosdem permeare, & ita coagulum ejus subtiliter solvere possint. Observanda tamen hic est sedulò diversitas calculorum in duritie, de qua *suprà*; unde & aliqualis varietas tàm in ipsis remediis, quàm eorundem effectibus circà calculi dissolutionem, observanda erit. Quædam enim sunt potentiora & magis universalia, quædam verò magis particularia & imbecilliora, quę saltem quosdam calculos, & in quibusdam tantùm subjectis, possunt dissolvere, quos in aliis subjectis intactos relinquunt.

Sed talia vera *Lithontriptica* reverà *sunt* rara & pauca. Sufficit, ut loco horum in paroxysmo calculi, sedatis maximam partem paroxysmi doloribus et gravioribus symptomatis, *Diuretica* plus minùs acria aut fortia appropriata, sed malè *Lithontriptica* dicta quibusdam, in usum adhibeantur, quæ partim *in paroxysmo*, partim *extra paroxysmum ad præservationem* possunt inservire; sive in *præservationis* negotio operentur *acidum absorbendo*, ut *Testacea*, *Lapides minerales & animales*; sive vi *diuretica* renes & loca urinaria abstergendo, ut omnia *raphanacea*, *liquor betulæ*, &c. seu *balsamica* vi fermentum renum conservando, *ut Juniperina*, *Terebinthinata*, &c. DIURETICA talia à quibusdam, malè licet *Lithontriptica* dicta, sunt multiplicia: & quidem ex Vegetabilibus herba & radix liquiritiæ, radix fœniculi, petroselini, pimpinellæ, lapathi majoris, apii, baccæ juniperi, radix rubiæ tinctorum, eryngii, bardanæ majoris, *ononidis*, cujus essentiam egregiè *Lithontripticam* vid. in *Colleg. Pharmaceut. in Schrœderi Pharmacop. Medico-chym P. 1. in Regno Vegetab. pag.* 86. De semine bardanæ in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 122. & *ann.* 6. *Obs.* 102. Imprimis omnia raphanorum genera, sale acri diuretico prædita, conveniunt: Nam *Raphanacea* non tantùm præservant à calculo abstergendo renes, sed etiam calculi geniti excretionem diuresi forti promovent; hinc infusum eorum cum spiritu vini TACHENIUS *l. a.* commendat: ac præ cæteris raphanu sorbicularis prodest. Certè decantatus *succus raphani* ad ℥ij. mistus cum ana *vini Malvatici* à TIMÆO *von Gulden-klee* laudatur. Eminet hæc inter *radix armoraciæ*, quæ *vino infusa* recens, & aliquoties hausta, volatili suo sale renes abstergendo à calculo præservat, eundem verò præsentem fortiter pellit. Alii insuper *armoraciam*, tàm *radicem* quàm *folia* incisa, infundunt vino, & vase clauso per quatuordecim dies in cella relinquunt, quem *liquorem* per alembicum *destillatum* ad calculum promovendum hinc mirè commendant. Interim tamen ejuscemodi remedia alliata acriora non semper æquè tuta sunt, cùm ardores renum in illis soleant intendere, qui aliàs iisdem vexantur. Usurpentur autem talia Diuretica præmissis, ut dixi, præmittendis, tàm internis primas vias respicientibus, & symptomata mitigantibus, quàm externis anodynis emollientibus. Commodè etiam propinantur sub introitum balnei, ut eò commodiùs tunc operari queant. Pertinet huc porrò hedera terrestris, item capillus veneris, cherefolium, parietaria, fragaria, & veronica, de cujus Decocto & aqua destillata vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 107. *p.* 245. & CRATO *in Consil.* folia quercus tenella, agrimonia, &c. Conveniunt etiam cepæ & allium, præsertim ejus capita, quæ sale volatili acri penetrante diuretico, tàm acidum, calculi coagulatorem, corrigunt, quàm renes abstergunt, eorumque fermentum ad calculum disponens suo modo alterant. Hinc multis non incongruè in usu positum est singulis noviluniis capitulum, vel aliquot saltem allii dentes, 6. 7. 8. 9. &c. minutim conscindere, & in aquæ seu spiritus baccarum juniperi cochleari uno vel altero, vel spiritu vini haurire, ad præservationem & curationem calculi, cujus remedii efficaciam laudat *Bartholinus in Epist. Medicinalibus* Medicus quidam ceu optimum *experimentum contra calculum* venditavit sequens:

℞. *Herb. heder. terr. sicc.* M. j. vel ij.
Capitul. allii No. j. ij. vel iij.
Discerpantur in frustula, affundatur
Spiritus vini ℔j.

Stent per dies & noctes aliquot probè clausa, deinde agitati & probè colati liquoris detur cochlear j. vel ij. pro præservatione singulis pleniluniis & noviluniis; hoc enim certissimè præservare, & continuato usu calculum curare asserit.

Cortices avellanarum interiores etiam laudantur. Abrotani pulverem cum nitro SIMON PAULI *Quadrip. Botan. pag.* 183. extollit. Huc pertinet & Fraxinus, in quo, imprimis semine, non contemnenda est vis contra calculum, præsertim in oleo destillato ac *sale volatili seminis fraxini*; hinc etiam in ejusdem *cortice* interiore; quæ singulariter laudantur à GLAUBERO Conf. *Act. Anglic.* No. 43. Hinc non inelegans est hoc *oleum* lithontripticum admodùm *balsamicum* & potens, quod *contra Lithiasin* alii conficiunt, & tanquam secretum in calculo renum commendant.

℞. *Cort. rad. frax. inter.* ℔ij.
Bacc. junip. rec. ℔iij.
Terebinth. ℔iß. ad ℔iiß.

Terenda terantur, & cum *terebinthina* misceantur, & in ℔xii. aquæ in vase obturato in digestionem vel putredinem ponantur per tres menses, postmodùm destillentur leni igne, ut dent oleum potentissimum, cujus guttæ viij. vel x. in vino albo capiendæ, mirè conducere dicuntur tàm præservando quàm curando calculo.

Porrò laudantur baccæ juniperi, hederæ arboreæ, ciceres rubri, fructus alkekengi & avellanę, quarum egregiam efficaciam expertus est AMATUS LUSITANUS *in Cent.* Cynosbati cocti seu conditi commendantur: vid. UNZERUS *de calc. p.* 965. & BORELLUS *Cent.* 3. *Obser.* 22. Item horum arilli & oleum inde expressum, & spongia, quæ simul anodyna est: vid. CRATO *lib.* 6. *Consf.* 83. & SIMON PAULI *Quadrip. Botan. pag.* 65. & 57. Præter dicta *flores genistæ*, *virgæ aureæ*, item flores cyani & calcatrippæ, *semen milii solis*, in specie semina hyperici, dauci & cymini, vulgaria quidem remedia, sed optima Nephritica, & plus habent in recessu, In hyperici semine res est clara, quod manu contritum & contusum *terebinthinam* spiret & sapiat; jam autem nota est vis terebinthinæ contra calculum. Convenit ergò cum ea, tàm vi balsamica, quàm diuretica; unde ZAPATA in *Clave Med. cap.* 10. mirabiliter extollit ad præservandum calculum sequens *Electuarium*:

℞. *Pulv. hyperic. ex sem.* in Julio vel Autumno collect. & exsiccat. ℥iij.
Sacc. vel *conf. ros.* vel *viol.* vel *rob junip.* ℔j. ad ℔ij.

Misc. fiat Electuarium.

Dosis est ℥ß. omni septimana semel vel bis pro circumstantiarum ratione, tribus ante prandium horis usurpandum.

Laudetur quoque hoc ipsum tàm præservationis quàm curationis tempore ab EPIPHANIO FERDINANDO tanquam expertissimum, *Hist. Med.* 54. De dauco & *semine* eius quantum in calculo valeat, imprimis vid. HELMONTIUS *Tract. de Lithiasi*, ubi experimentis & rationibus comprobat ejus vim antinephriticam; & *Angli* partim ad præservationem, partim ad curationem paroxysmi nephritici frequenter utuntur hoc semine, tàm in substantia, quàm, ut moris est, in cerevisia Medicata, addendo cerevisiæ, dum fermentare incipit, dauci semen contusum, ita, ut fermentando recludatur à cerevisia, & vis lithontriptica imbibatur; hac enim ratione per talem cerevisiam nephriticam multum præstant in curando & præcavendo calculo, quod ipse novi. Conf. BOYLE *in Philos. Experiment. De junipero*, ejusque *baccis* & Lignis, item *de Ligno nephritico* Indiæ Orientalis, res per se nota est, quid hoc in casu præstent? ex quibus paratum Decoctum vel infusum potenter calculosos restituit, uti videre potestis in SENNERTO, *ubi de calculo*, item in scriptoribus iis, qui scripserunt de exoticis, in specie in BAUHINO. Gummi cerasorum solutum in vino, vel sub forma pilularum instar terebinthinatæ propinatum egregiè præservat & pellit calculum. Item in *Persicaria* acris saporis multa latitare contra calculum, apud omnes in confesso est, cujus *aqua destillata* in Balneo Mariæ, & aliquoties à recenti planta cohobata, experimentum est quorundam Anglorum contra renum calculum, cujus potu se præservant, quod pluribus explicat BOYLE *l. a. Succus citri* aut *Limonum* ad ℥ij. cum vini malvatici ℥vj. ad exturbandum calculum non injuriâ à TIMÆO *von Gulden-klee*, aliisque laudatur; sicut succus parietariæ & veronicæ, item rob juniperi, rob cynosbati, & ex his paratum Malvaticum juniperinum, aut cynosbatinum; non secùs ac *succus* seu aqua *betulæ*, mense Martio collecta ex ramis tenellis betulæ, non trunco, & instar acidularum gradatim potata, elegantissimum & decantatissimum est contra calculi pathemata: de quo vid. HELMONTINS *Tract. de Lithiasi cap.* 8. ubi videbitis egregia de succo betulæ, & egregiam cerevisiam medicatam contra calculum. Post HELMONTIUM eum etiam commendant CHARLETON *de spiritu Gorgonio seu calculo pag.* 179. BARTHOLINUS *in Act. Med. Haffnicus. P.* 1. *Observ.* 19. *pag.* 49. BOYLE *Philos. Experim. Tom.* 1. *pag.* 102. Item de cerevisia Medicata cum *betula* vid. *Colleg. Pharm. in* SCHROEDERI, *Pharmacop. Medico-Chym. Part.* 1. *Sect.* 1. *pag.* 21. KERGERUS *de Ferment. pag.* 178. *M. A. N. C. Ann.* 3. *Obs.* 155. *pag.* 278. & *Ann.* 4. *Obs.* 201. *pag.* 276. Ex his aliisque quamplurimis *vegetabilibus* fiunt vulgò *Essentiæ* & *Extracta*, *nephritica* dicta, composita, imprimis ex hyperico, baccis alkekengi, parietaria, cynosbato, allio, hedera terrestri, baccis juniperi, veronica & similibus, cum spiritu baccarum alkekengi, glomorum cynosbati, vel spiritus vini tartarisato parata: quibus pro lubitu opium addendum venit, ut eò majorem vim anodynam possideant.

Nec prætereundum est arcanum contra calculum TIMÆI *von Gulden-klee*, in *l.* 3. *Epist.* 32. tale:

℞. *Nenasira* (h. e. *anserin.*)
Calendis Maii ante Solis exortum
collect. M. viij.
Lesace (secale) *virid.* M. iv.
Exprime ex his succum:
adde
Vini rubri ad pondus omnium:
Misce, & filtra.

Exhibeantur quotannis primo, secundo & tertio die Maii in aurora ℥vij. purgato priùs corpore. Agit ob sal volatile nitrosum anserinæ, & Sal volatile roris majalis, quo ante solis ortum herbæ impraegnantur.

Porrò pertinent huc etiam salia, tàm alcalia quàm salsa, in specie nitri, & quæ nitrosæ sunt prosapiæ, ad calculos solvendos, & vi diureticâ promovendos, optima: speciatim tamen excellunt hic salia ex dictis vegetabilibus diureticis parata, ut sal genistæ, sal stipitum fabarum, sal ononidis, stercoris columbini; & in specie omnibus his meliora *sal volatile succini* & sal urinæ egregia sunt diuretica antinephritica, Nitrum fixum, & omnium maximè spiritus nitri dulcis, nobilia sunt remedia, quæ multum obtinent in Cura calculi: & imprimis stercus columbinum nitro feracissimum; item lac caprinum, *lotium capræ*, ut & aliorum animalium *stercora* & *lotia* propter *sal nitrosum* in ipsis contentū, ad calculosos affectus sunt perquàm usitata. De qua vi, vel efficacia *stercoris columbini*, præter communem Autorum consensum, in specie vid. FORESTUS *lib.* 24. *Obs.* 25. *in Schol.* Hinc recipiunt quidam *stercus columbinum*, moderatè calcinant, & sal exinde nitrosum in vino acidulo propinant ceu nobile diureticum; uti & alii recipiunt *stercus columbinum*, istudque macerant in *aceto* per diem, & noctem, posteà filtrant: *Aceti* hujus p. ij. addunt *mellis* depur. part. j. miscent & propinant ceu probatissimum remedium contra calculum POLEMANNI sal Lithontripticū recipit etiam nitrū; cujus præscriptio est hæc:

℞. *Nitri purissimi* ℔j.

Fluat in igne, injiciendo desuper frustum *sulphuris communis* magnitudine fabæ, quo deflagrato aliud superinjice, donec hujus *sulphuris* ℥ß. absumpta sit: Ubi omnia refrixerint, ac denuò pulverisata fuerint, denuò eodem modo procedatur, atque hoc tertiâ vice repetatur, semper successive *sulphuris* ad ℥ß. adiiciendo. Jam

℞. *Nitri ita præp.*
Salis absinth. an. ℥j.
Succini ℥ß.
Sacch. albi ℥vj.
Olei destillat. succin. ℈iv.
Misc. pro pulvere.

De hoc dosis, quantum tres cultelli cuspides capiunt, propinetur unâ vice, bis, ter vel quater in die, pro circumstantiarum variatione. Omnem saburram ex partibus urinariis evertit, & calculum recentem comminuit.

Hisce etiam addatur sal compositum, quod in paroxysmo nephritico ad sistendum dolorem nephriticum & promovendum calculum est egregium, cujus præparatio hæc est:

Fiat *sal fixum ex nitro mediantibus carbonibus*:

Hoc nitrum exponatur aeri, ut liquescat ad pultis consistentiam saltim: Huic affundatur

Olei vitrioli rubri ana;

Et facta ebullitione, & eadem cessante abstrahatur liquor ex retorta forti igne, & remanebit sal candidum subacidum; quod ipsum præter usum singularem nephriticum etiam aliquid singulare obtinebit in usu Pharmaceutico & Alchimistico in puncto solutionis corporum.

Porrò præter dicta salia nitrosa, vi nephriticâ etiam innotuerunt hactenus ipsi *lapides* tàm minerales, quàm animales, ad pellendos & præservandos calculos, unde v. g. *Lapis Judaicus*, lapis *lyncis*, lapis *spongiæ*, lapis *nephriticus*, lapides seu oculi *cancrorum*, lapis in vesica apri seu bovis repertus, mandibulæ lucii piscis, dentes truttarum, lapides percarum, carpionum, aquilæ, item testæ ovorum, maximè struthionis, &c. præcellunt in calculo curando. Verùm hæc ipsa rarò per se solent convenire, sed acidum, calculi coagulatorem, in corpore peccans saltem absorbendo, acrimoniam seri urinarii in paroxysmo temperant, ac mutatione sui saporis in salsum tertium, vim diureticam egregiè acquirunt. Melius est, si dissolvantur cum spiritu salis composito, ex sale communi & sale ammoniaco parato. De ovis struthionum cum *spiritu salis* solutis, vid. TACHENIUS *l. a.* Dant *liquorem nephriticum* salsum præstantem. In pelliculas mucilaginosas spiritus salis testas ovorum solvit, quæ pelliculæ urinosi saporis sunt. Si his autem pelliculis additur sal fixum, præcipitat se pulvis quod probat, pelliculis his adhuc acidum adfuisse. Faciunt huc *Liquores nephritici* dicti, ex hisce lapidibus parati, quibusdam in usu, pro varietate Autorum varii: v. g.

℞. *Lapill. cancr.*
Lapid. Judaic.
Lyncis,
Spongiæ,
Aquilæ,
Glac. Mariæ an. qu. v.

Solvantur in *spiritu salis decrepitati ritè destillato* (id est, ultimo ignis gradu elicito) vel *spiritu salis compos.* Solutio saporis adstrictorii decantatur, filtratur, coagulatur leni calore in vitro ad siccitatem. Materia hæc siccata iterum pulverisanda, & hinc in cella per deliquium dissolvenda, filtranda, & ita pro usu asservanda.

Liquor hic *salsus elegans diureticus* ad 20. vel 30. guttulas in declinatione paroxysmi nephritici ad eliminandum calculum in vino frequenter propinatur, pellit calculum per urinam instar massæ coagulatæ, seu massæ crassioris. Aliàs calculus ex felle bovis desumptus & pulverisatus, ad gr. v. assumptus, admodùm probatum contra calculum dicitur remedium; nam spiritu salis fit ita diureticus, & insigniter expel-

expellens. In cancris fluviatilibus singularis latitat vis antinephritica ratione virtutis diureticæ, quæ in alcali eorum latet, unde Decoctum cancrorum fluviatilium ovulis prægnantium egregiè ad curandum & præservandum commendatur calculum. Item

℞. *Cancr. fluviat.*

Coqu. in *vino* in olla probè obturata tamdiu, donec pulverisari possint.

Hujus pulveris ʒj. propinata aliquot desperato calculo laborantes, & incredibiliter ejulantes restituit, atque hoc certum est.

De calculo humano vid. *Colleg. Pharmacent. in Schræderi Pharmacop. Part. 1. Sect. 3. cap. 8.* Dosis ℈j. ad ʒj. urinam pellit. Quibusdam hinc accedit superstitio, quod proprios calculos devoratos præservare à calculo dicunt. Promovent quidem urinam, sed curativè & præservativè nil valent.

Dictis modò Lapidibus vicariæ sunt *testæ ovorum*, & quidem testis ovorum communibus meliores sunt testæ ovorum, ex quibus exclusi sunt pulli: omnium optima sunt ova struthionum. Unde etiam *testæ ovorum struthionum* ingredi simul solent liquorem nephriticum. Aliàs etiam *testæ ovorum calcinatæ* à multis laudantur. In specie BARTHOLINUS multa habet de virtute testarum ovorum calcinatarum contra calculum *in Hist. Anatom.* imprimis *in Cent. 4 Epist. pag. 451. & 526.* refert *aquam nephriticam* Decoctionis talis calcis testarum ovorum mirè prodesse, & in specie *aquam calcis ostreorum* ad calculum in mucilaganem dissolvendum, multum prodesse refert. Nam ovorum testæ, uti & Marina testacea, calcinando in corpus instar calcis vivæ abeunt, cujus calcis vivæ lixivium ad calculum in paroxysmo promovendum est laudatum. Sanè in ipsa calce viva vulgari singularis vis antinephritica residet, unde & spiritus calcis vivæ Basilii ritè paratus ceu singularissimum calculum frangens laudatur; loco cujus sal ex calce viva cum sale ammoniaco calcinando & elixiviando paratum commodè substitui potest. Unde etiam ex calce viva cum tartaro tincturæ nephriticæ parari solent non inelegantes: Sic famosus aliquando Medicus *tincturam nephriticam* habuit talem: v. gr.

℞. *Calcis vivæ* p. iv.
Tartari crud. part. II.

Coqu. in olla cum *aqua font.* (tartarus enim alcalisatur.) Liquor filtratur, coagulatur, & emergit sal fixum planè singularis naturæ: quod ipsum vel crudum usurpari potest; vel fundatur, hinc extrahatur cum *spiritu vini probè rectificato*, donec rubescat, & saporem urinosum & fortiter penetrantem acquirat. Hinc sub nomine tincturæ nephriticæ, quæ est egregium remedium in calculo in & extra paroxysmum, similibusque morbis tartareis, à ℈j. vel ʒß. ad ʒj. usurpatur:

Quò pertinet *antinephriticum* D. HELVETII, qui scripsit de vitriolo aureo ex calce viva.

℞. *Calcis vivæ* q. v. affunde
Aceti destillati optimi ad eminent. trium, vel quatuor digitor.

Coque, frigefac, decanta, inspissa, seu ad siccitatem evapora: sal candefac in crucibulo, & extrahe vel cum *spiritu vini*, vel cum *vino Hispanico*.

Dosis gutt. 10. ad 20. in calculo.

Externè contra podagram ℥j. infunditur in Vinum aut urinam proprium, & eo laventur partes podagrâ affectæ.

Tandem lumbrici, & horum spiritus per putrefactionem paratus, egregium sunt nephriticum, qui adhuc superantur ab asellis ritè præparatis, de quibus infrà *Memb. 2. Art. 1. cap. 2. ubi de calculo vesicæ.* Speciatim *scarabæi Maiales* præ cæteris insigniter conveniunt: imprimis *alæ* horum *superiores* ac duræ pulverisatæ & propinatæ in vino usurpatæ egregium dant antinephriticum. Vel

℞. *Scarab. maial.* mense Majo, vel medio Junii captos, & absque attactu manus contectos: Suffoca in spiritu vini, suffocati ita blandè exsiccantur: exsiccati discinduntur, & in eorum medio reperitur istud liquidum viscosum, quod eximitur & asseruatur. De hinc ipsum corpus pulverisa, misce cum proprio liquore unctuoso, ut acquirat consistentiam debitam. Post

℞. *Hujus Balsami* ʒj.
Olei destillat. anisi,
Caryoph. à gutt. iij. M. f. Pilulæ.

Harum pilularum ℞. gr. ij. & propina Nephriticis & arthriticis, manè jejuno stomacho, in aqua flor. sambuci, vel sorum. Æger moderatè vivat in diæta, sic brevi post excitabitur stranguria, quæ per 30. dies durabit. Si autem non statim superveniat stranguria, reiteretur secundo die, & optatum habebis eventum in curando calculo. Conf. *Colleg. Pharmac in Schræderi Pharmacop. Part. 1. Sect. 2.*

Huc pariter pertinent scorpionis, si nempè pulvis factus ex quatuor, quinque, vel sex *scorpionibus lavatis*, sicque vivis per 24. horas in vino Malvatico relictis, postmodùm in olla supra folia sal viæ positis in furno blandè crematis. Dosis gr. iij. iv. aut v. in ovo sorbili vel vino propinata, calculum promovet.

Grilli domestici, inrusticorum hypocaustis familiares, egregium sunt Lithontripticum, si nempè unus alterve, abjectis capitibus, alis ac pedibus, in aqua petroselini vel alia appropriata macerentur, idque tamdiu, donec in liquorem lacteum facessant, liquorque propinetur: multoties experimentum hoc factum, & ad miraculum in urinæ retentione fluxus secutus; quin etiam vel integer vel resolutus calculus prodire coactus fuit: vid. M. A. N. C. *Ann. 9. & 10. Obs. 71.* Huc etiam facit essentia reguli avis Gœrlicensium, quam vid. in Dispensat. quæ valdè commendatur in calculo: Nam regulus avis singulariter convenit in affectibus urinariis, in specie in promovenda urina, & pellendo calculo.

Ex dictis Diureticis sequentes Formulæ concinnandæ:

℞. *Aquæ heder. terrestr.*
Petrosel.
Alkekeng. an. ℥j.
Malvat. juniper. ℥iß.
Spiritus lumbric. terrestr. ʒij.
Salis ammoniaci, vel *urinæ* ʒß.
Syrup. heder. terrestr. ʒj.
M. f. Potio: S.
Mixtura diuretica cochleatim sumenda.

℞. *Rad. alth.*
Petrosel. an. ℥j.
Rubiæ tinct. ʒvj.
Liquirit.
Bacc. iunip. an. ℥ß.
Ficuum ping. Num. viij.
Fruct. alkekeng. Num. vj.
Sem. malvæ,
Violar.
Urticæ an. ʒiij.
Coqu. in s. q. *aquæ comm.*
In Colaturæ ℔ij. dissolve
Syrup. de quinque rad. ℥j.
Spiritus salis dulc. ʒj.
M. D. S.
Potio diuretica.

℞. *Malvat. juniper.* ℥iij.
Spiritus salis ℈j
M. D. S.
Elyxir diureticum.

Dosis ʒj. ad ʒij.

℞. *Tincturæ tartari*,
Antimonii an. ℥j.
M. D. S.
Tinctura diuretica.

℞. *Liqu. terræ fol. tartari* ʒij.
Tincturæ tartari ʒj.
M. S. ut antè.

Dosis 40. vel 50. guttulæ.

℞. *Liquor. tartari tartarisat.* vel *tincturæ tartari acerr.* ʒiij.

Dosis 40. guttulæ.

℞. *Tincturæ nephrit.* ʒij. S.
Tinctura diuretica.

℞. *Pulv. coccionellæ* ℈ij.
Salis fimi columb. gr. xvi.
M. pro pulvere.
Div. in 2. part. æquales.

℞. *Tartari vitriolati* ℈j.
Lap. cancrorum præp. ʒß.
Sal sterc. columbin. gr. xv.
Volat. succini ʒß.
Misc. pro tribus dosibus, capiendis in vino.

℞. *Lap. cancr. præp.* ʒß.
Salis volat. succin. ℈ß.
Misc. f. Pulvis. S.
Pulvis diureticus.

Huc quoque pertinent Emulsiones terebinthinatæ cum melle,

melle, vitello ovi, aquâ petroselini vel appropriatâ quadam, & succo citri.

CURA PRÆSERVATORIA.

Cæterum & ea, quæ extra paroxysmum Nephriticos curant, sunt præservativa, seu talia, quæ præcavent, ne generetur de novo calculus. Talia in quatuor scopos distinguuntur; scilicet

1. Sunt ea, quæ primas vias frequentiùs abstergunt, & expurgant.
2. Acidum coagulans primarum viarum, & hinc viarum urinariarum vitiosum corrigunt aut *absorbent*, aut cum urina evehunt.
3. *Quæ renes* moderatis Diureticis *abstergunt*, & ita arenulas & rudimenta calculi maturè tollunt, & ulteriùs arenularum concrementum, et calculorum coagmentationem, successivè prohibent.
4. Ea, *quæ* in specie *renibus*, *eorumque fermento appropriata* sunt, illudque conservant, ejusdem alterationem præternaturalem corrigunt, putredinis præternaturalis notam urinæ imprimendæ tollunt, id est, *vi suâ balsamica*, in sale volatili oleoso fundatâ, putredinalem dispositionem in renibus removent.

Ratione primarum viarum conveniet, harum cruditates singulis tribus vel quatuor mensibus purgatione solenniore, singulis verò septimanis laxante, evacuari: Quarum tamen nec illa fortiora sint, idest, quæ humores nimis exagitant, & ad renes commovent: (vid. NICOLAUS PISO *lib. 3. Pract. cap. 35.* & UNZERUS *de Nephritide lib. 1. pag. 972.*) sed mitiora, qualia præter superiùs recensita sunt helleborus niger, folia sennæ: (vid. MONTANUS *Consil. 267. & 268.*) pulvis *Solenandri* ex senna, Rhabarbaro, turpetho; syrupus rosarum solutivus, &c. Hinc quotidiè etiam assumantur juscula, in quibus radix liquiritiæ, polypodii, flores violarum, &c. ebullierint, aut Decoctum prunorum simplex, vel cum foliis sennæ; item cremor, & crystalli tartari, &c. Imò hujus loci imprimis quoque erunt *Vomitoria*, quæ ipsa subindè repetita multum conferunt in præservando calculo, teste HILDANO *Cent. 5. obs. 61. & Epist. 55.* & UNZERO *l. a. pag. 973.* & quidem modò mitiora, modò potentiora, pro circumstantiarum varietate. Acidū coagulans temperant ac absorbent Terrea absorbentia, vel mineralia, vel animalia, lapides nempè suprà memorati, & testacea, v.g. lapis spongiæ, cancrorum, corallia, silices, & alcalia fixa ex diureticis parata; item Lixivium tale, in quo silices candefacti extincti sunt. His salia volatilia & spiritus urinosos addere licet, frequentiùs cum pastu aut post pastum assumptos, quæ omnia acidum præternaturale in primis viis imbibunt & destruunt, hinc calculi coagulationem prohibent.

Vel

℞. *Arcan dupl.* ℈j.
Corall. rubr. præp.
Matr. perlar. præp. an. ℈ß.
Misc. pro pulvere:
Diu, in 2. part. æqual. S.
Pulvis digestivus.

Tertio scopo satisfaciunt Diuretica volatilia, ut salia volatilia quæcunque, in specie spiritus & sal volatile tartari, spiritus carminativus de tribus, quadraginta gtt. spiritus salis ammoniaci & urinæ, tinctura nephritica Ammelungii, spiritus lumbricorum, elixyr proprietatis.

℞. *Tincturæ tartari acerr.*
Compos. an. ℥iß.
M. S.
Mixtura stomachalis.

℞. *Aquæ alkek.*
Ceras. nigr. cum *nucl.* an. ℥iß.
Malv. iuniperin. ℥vj. ad ℥j.
Tincturæ nephrit. ℥iij.
Lapill. Cancr. præp. ℥ß.
Laud. opiati gr. ij.
Syrup. fragor. ℥ß.
M. D. S.
Mixtura renes purgans cochleatim sumenda.

Addunt his nonnulli lac & lacticinia, excepto caseo. Verùm cum omne lac plus minus substantiæ caseosæ in se habeat, de ejus usu in lithiasi meritò dubitatur: Vid. HORATIUS AUGENIUS T. I. *l. 2. Epist. 1. cap. 8. 9.* &c. & UNZERUS *l. a. pag. 963.*

Renes quoque abstergunt serum lactis, acidulæ, aquea quævis, & pinguia frequentiùs hausta: Hinc ZECCHIUS *Consult. 13. & 17.* Juscula pulli gallinacei, vitulinæ aut vervecinæ carnis, item aquam tepidam simplicem immediatè ante pastum quemlibet commendat, tanquam renes singulariter purgantia ac temperantia. Ast potentiùs agunt hæc Diuretica, quamvis nonnulli sint, qui eorum usum in præservatione à calculo planè interdicunt, scilicet Crato apud Scholzium Consil. 246. Henricus Methodo ad Praxin lib. 2. cap. 12. & RUBÆUS *in Celsum lib. 4. cap. 10.* Ab aliis tamen ea maximè commendantur, v.g. UNZERO, RIVERIO, &c. Sed controversia hæc facilè componi potest, modò observetur in eorum usu, ut

1. Mitiora sint.
2. Jejuno stomacho, & longè ante pastum;
3. Et non, nisi purgatis priùs primis viis, propinentur.

Talia sunt Terebinthinata, Juniperina, de quibus vide AMATUS LUSITANUS; radix barbanæ, raphanorum genera cuncta, v.g. armoraciæ radix & folia, si vinum ab his destilletur, liquor betulæ, de quo heri dictum; semen dauci, quod cum cerevisia fermentatum contra calculum commendat BARTHOLINUS *Centur. 3. Epist. 30.* & BARTHOLINUS *Act. Haffniens. Part. 1. Observat. 19.* Succus veronicæ in saccharo inspissatus, & cum semine violarum mixtus: vid. CRATO *l. a.* Ex scarabæis subcœruleis combustis BORELLUS *Centur. 4. Observat. 73.* addendo tantillum caryophyllorum, pulverem parat: Alii pulverem scorpionum exhibent: Ab aliis verò acidulæ non sine ratione laudantur: Sicut autem superiùs dictum de usu Diureticorum nonnullos Practicos dubitare, ita non adeò frequens is esse debet, & sufficiet bis tantùm in mense, aut vix intra tres septimanas illa assumere; quamvis observatio, cujus AMATUS LUSITANUS *Cent. 2. Obser. 68.* mentionem facit, Terebinthinæ usum frequentiorem concedere videatur.

Pro quarto scopo conducunt ea, quæ præservant à putredine renali, qualia sunt Balsamica, Terebinthinata, Juniperina, balsamus sulphuris terebinthinatus ad quindecim guttas, Hypericata, remedia ex dauco, anisata, moschata, in specie crocus, macis, allium & alliata, succus betulæ, rhabarbarum, & similia renibus dicata.

ARTICULUS III
DE
URINÆ SECRETIONE NIMIS AUCTA.

Hactenus de *calculo renum* occasione *suppressionis urinæ*. *Contrarium huic vitium est immodica & nimia urinæ excretio*, dum plus effluit ex corpore, quàm aut assumpta potulenta materia, aut serum in massa sanguinea proportionaliter suggerere possunt, in affectu qui aliàs dicitur Diabetes.

MEMBRUM UNICUM.
DE
DIABETE.

Aliàs Diabetis nomine *duo vitia* insigniuntur, idque promiscuè, adeòque nec absque confusione. Nam *primò* est Diabetes, (*mingere nimium*,) quando immodicè urina effluit, & plus quidem, quàm bibendo homo assumit: cujus rei *exemplum* stupendum suppeditat DIGBY *in Oratione de Pulvere sympathetico*; sicuti etiam SCHENCKIUS *in Observ. lib. 3. ubi de Diabete*, aliquot profusi hujus urinæ profluvii habet exempla: Inter alia refert quendam, qui quotidiè supra quatuor cantharos minxit, utut vix quadrantem biberit: *Idem* notat *exemplum puellæ* plus paucis diebus mingentis, quàm ut tota ponderaret: Item BARTHOLINUS *in Actis Haffniens. Volum. 1. Observ. 5. pag. 14.* refert virum, qui per aliquot septimanas quotidiè ad ℔ xxiv. urinæ emisit: Vid. etiam M. A. N. C. *Ann. 2. Observ. 162 pag. 260.* & *Observat. 167. pag. 265.* uti etiam TULPIUS, qui *l. 2. observat. 86.* Diabetem refert cujusdam, qui quotidiè sex libras mingeret, utut parum vel nihil biberet. Cum modò dicta copiosa nimis urinæ excretione simul

simul intensissima *sitis*, *debilitas virium*, *macies* totius corporis, *febris continua* lenta, *ardor* in & circa regionem dorsi lumbarem, & similia *symptomata*; uno nomine symptomata instar *Hecticæ* confirmatæ aut instar *Tabis dorsalis*, sicuti etiam cum urina copiosa aliquid pingue excerni, & tandem utplurimum mors subsequi solet. Equidem non rarum est, copiosiores urinæ excretiones naturæ opus esse, quæ e. g. in febre acuta *motu critico* aut huic simili se ipsam à morbis liberat, unde cum ægri euphoria contingit, nec adeò diu durare solet. *Si verò excretio talis urinæ sit Diabetes* morbosus, paulatim & insensibiliter crescere solet, ita ut æger in principio haud adeò curet, sed successivè uberior quantitas prodit, & quia tenuis, aquosa, uno nomine sic dicta cruda, quam & oris siccitas & sitis, virium insignis defectus, & viscerum internorum ardoris quidam sensus, &c. comitantur. Quod si urinam aliquando contineant ægri, lumbi, coxæ & testes cum gravitate intumescunt. *Alio autem sensu* etiam *diabetes* dicitur *cita nimis potulentorum* & liquidorum assumptorum, *aut planè non*, *aut parum* admodum *mutatorum* per vias urinarias *excretio*, ita ut non raròforma, h. e. color, odor & sapor assumptorum liquidorum in excretis per urinam adhuc sint sensiles, quem cœliacæ & lienteriæ similem GALENUS *lib. 6. de loc. aff. cap. 3.* pronunciat. Exempla hujus rei non sunt pauca: Sic BARTHOLINUS *Cent. 1. Histor. 68.* talem *diabetem* calculosi recenset, vinum rubrum assumptum mox per vias urinarias eadem formâ demum reddentis; uti etiam HOEFERUS *in Herc. Med. pag. 171.* vinum rubrum immutatum per vesicam excretum refert, adeò, ut decepti Medici quidam istud vinum pro urina sanguinolenta habuerint: sic HILDANUS *Cent. 5. Observat. 53.* refert Diabeten ex usu acidularum, in quo lac amygdalarum assumptum non immutatum tantum cum urina excretum: sicut HORSTIUS quoque in *Observat. pag. 297.* observat Diabeten mirum, in quo vinum & Emulsio seminis violarum & amygdalarum dulcium eodem modo, ut assumpta fuerunt per urinam, denuò excreta. Imò observatum fuit, *grana anisi*, *semina coriandri* integra, semina ficuum comestorum, & denique radiculas apii incisas, & similia unà cum urina fuisse reddita: vid. SENNERTUS *in Praxi ubi de Diabete*. Quoad semen coriandri legi in Chirurgo Gallo PIGRÆY, qui dicit, quod viderit grana coriandri post pastum assumpta pro stomacho roborando, postmodum cum urina reddita: De semine ficuum ipse vidi exemplum, quod post decoctum ficuum, in quo semina inerant, potum, una semina cum urina reddebantur: Mirabilia urinæ excreta vid. in M. A. N. C. *Ann. 2. Observat. 157. p. 248. Obs. 168. pag. 266.* & *Annotat. ad Obs. 157. p. 401.*

Cæterùm *hi duo affectus distinctissimi*, uno nomine Diabetis vulgò veniunt, quæ tamen vox *propriè*, & secundùm vocabuli vim *posteriori affectui*, nempe *immutatæ assumptorum excretioni*, convenit. Dicitur enim *Diabetes* à *διαβαίνω*, quod est citò transeo, ita ut *prior species*, nempe *copiosior urinæ* excretio, *impropriè Diabetes* dicatur, & *Diabetes propriè sit affectus*, *in quo potulenta citò per corpus transeunt*, & propterea melioris doctrinæ gratiâ *Diabeten in verum & nothum seu spurium distinguo*.

Verus est iste posterior, cujus typum huc dedimus, nempe immutata ingestorum potulentorum per urinam excretio. Exempla videb. in BARTHOLINI *Cent. 1. Hist. 68.* HOEFERI *Herc. Med. pag. 171.* & HILDANI *Cent. 5. Obs. 33.* *Nothus* seu *spurius* erit copiosa saltem & colliquativa urinę excretiò, excedens longè potulentorum quantitatem, cum tabe, siti, febre & similibus affligens. Exempla videb. in citato DIGBY, *Orat. de pulvere sympathet.* & SCHENCKIO *Observat.* item TULPIO *lib. 2. Obs. c. 46.*

His quoque tertius, & quasi intermedius gradus addi potest, cœliaca nempe urinalis seu ad matulam, quando nempe chylus cum urina aut loco urinæ prodit, qualem TIMÆUS *von Gulbenklee*, *lib. 3. Casu 43.* sub *pultaceæ mictionis* termino annotavit.

CAUSÆ.

Quoad causas, de his distinctis distinctas causas narrabo.

Quod ergò *attinet Diabeten nothum seu spurium*, id est nimiam, seu copiosissimam urinæ excretionem, hujus causa investigatu perquam est difficilis. Et quidem duo *consideranda* veniunt.

1. *Unde tanta materiæ quantitas*, quæ excernitur?
2. *Quare in specie eadem per vias urinarias amandetur?*

Quoad quantitatem urinæ excretæ, quæ septies, interdum duodecies, excedit potulentorum quantitatem, sicut exemplum, *supra allegatum* BARTHOLINI *Actis Haffniensibus* testatur, hic quæritur: unde urinæ tantæ Quantitatis origo? Aliquid lucis afferunt eorum exempla, qui insigniter, licet corpulenti, per usum tamen remediorum *diureticorum* admodùm emaciati fuerunt, mediante nempè copioso hinc per Diuretica concitato urinæ profluvio. Exemplum habet HELMONTIUS *Tractat. Ius duumvir.* §. 59. *item Asthma & Tussis* §. 44. item *Latex Hum. Neglect.* §. 44. item SCHENCKIUS *observat. lib. 3. ubi de Diabete*, qui etiam refert, obesos crebrâ mictione subitò extenuatos; sicut aliàs nimia corpulentia per salivationem Mercurialem curata fuit; uti à BORELLO *Cent. 2. Observat. 12.* refertur, continuâ masticatione *foliorum Tabaci* crassitiem & pinguedinem corporis insigniter fuisse immutatam. In omnibus his *per colliquationis* modum, tàm contentorum corporis, quàm ipsius pinguedinis, hæc ipsa in texturam *serosam* resoluta illis modis fuerunt excreta: sicut *Purgantia acriora* simili *colliquativa* ratione alcali acris humores alterare, & flaccidam seri texturam mutare solent, ut succi colliquefacti formâ liquaminis exeant. Hoc posito, arbitror, massam sanguineam, & hinc reliquos corporis succos liquidos primariò ipsam partem ejusdem chylosam nutritivam, ipsum etiam rorem & succum corporis nutritivum, ipsamque adeò tandem pinguedinem resolvi & colliquefieri, atque ita fatiscere in consistentiam ac formam aquosi laticis; ac ita sub ejus forma per loca urinaria excerni. Hinc enim *urinæ Diabeticorum* horum excretæ mira *dulcedo*, ex pinguedinis aut roris chylosi liquefacti cum salibus urinariis misti, mutuâ temperaturâ, & in dulcedinem vergente texturâ: *Confer.* WILLISIUS *Pharm. Rat. Part. 1. pag. 164. & 172.* *Hujus colliquescentiæ causa*, & inde genita copiosa urina subministratur nobis, dum fluxus hic ita dispositus est, ut præcisè per renes, non verò per alia loca transeat; unde causa simul investiganda est in renum fermento nimis acri, quod ex *natura salsa* degenerat in successivam urinosam acrimoniam insignem volatilem seri sanguinis, similem acri isti volatili sali, quod in *cantharidibus*, *asellis*, *scarabæis minoribus*, ac his cognatis insectulis, deprehenditur, quæ ex primis viis derivata mediante chylo sanguini, & hinc universo corpori, communicata est; quæ *acrimonia urinosa* resolvit, attenuat, colliquat, & ita *acidum pingue* talia coagulans dissolvendo satiscere cogit sanguinem & nutrimentum corporis chylosum, & ex eo productam pinguedinem. Patet hæc acrimonia colliquefactiva urinosa ex eo, quod in *Diabete incipiente* urina semper acris, & ob ejus rosionem cum ardoris ingnioris sensu excernatur: item quod hic *nothus Diabetes* ferè curetur à Practicis eodem modo atque *febris hectica*, per ea nempe quæ acrimoniam seri salsam nimiam temperare valent, qualia sunt v. g. *Lacticinia*: denique, quod hic Diabetes nothus inter alias *causas remotas* ex abusu remediorum *diureticorum*, contenta corporis attenuantium, ac renes stimulantium excitari soleat, quod patet ex *observatione* TULPII *loco suprà citato*, & HELMONTIO *l. a.* & ex AMATO LUSITANO *Cent. 2. observat. 49.* ubi natus fuit Diabetes ex usu *vini meracioris*, & *muria feniculi marini*, quæ potens est diureticum; item SCHENCKIUS in *Observat. p. 455.* ex diureticorum usu *Diabeten* natum memorat: sic à nimio *succi betulæ*, cujus vis diuretica nota, usu Diabetes lethalis observatus fuit in M. A. N. C. *Ann. 2. obs. 198. pag. 300.* item à potu spermatis ranarum insignem diabetem LOSSIUS habet *in Observat. pag. 314.* & ex abusu Thee GRIMMIUS; *in compend. Medico Chym. pag. 255.* Nam omnia *Diuretica* hæc alcali subtili plùs minus prædita in acre salsum volatile in primis viis abeundo hinc acriorem reddunt massam sanguineam, cæteraque contenta, hincque liquefactum humorem nutritium, stimulando simul renes, sub forma urinæ excerni faciunt. *Hinc est*, quod *acida volatilia* potulenta ob vim

vim diureticam, quam in primis viis acquirunt, etiam *Diabeten* excitant: sic ex *Cydoniorum* usu *diabeten* notat SCHENCKIUS *in Observat.* Item ex *pomaceis*; item ex *abusu vini Rhenani*, unde incurabilem *diabeten* notat WILLISIUS *Pharm. Rat. P. 1. cap. 3. pag. 171.*

Acrimonia autem hæc sanguinis ejusque seri, colliquans fermentum renum, dependet à fermento ex primis viis, nempe ventriculi digestivo, quavis ratione vitiato aut alterato, adeòque prout ventriculi prima digestio basis est reliquarum omnium, ita & hujus ratione vel macri vel pingues reddimur; & consequenter ex alterato eodem pingues emaciari denuò possunt, prout scilicet *fermentum* ejus spirituosum *plus minus acre* vel temperatum fuerit, indeque similis notæ chylus corpori undique distribuatur, quo tota massa sanguinea, hinc & alia liquida, & tandem etiam solida afficiuntur ita, ut ab acrimonia alcalina, destructo acido pingui, ceu mistionis in sanguine seminali vinculo, liquescant in talia serosa liquamina; sicut crebriùs ex primæ digestionis errato, indeque acri *colliquativo fermento* enato, fluxus alvi colliquativus exoritur, cum insigni, ex corporis macie, virium debilitate; vel sicut remedia purgantia ferè simili colliquescentia operantur; ita pariter simili ex origine aliud acre volatile fermentum, contentorum corporis colliquefactivum, & in serosam consistentiam resolutivum, renasci potest, quo facto satiscit massa sanguinea in substantiam aquosam. Quod etiam intelligendum de pinguedine, antequam coagulata sit ab acido blando: hoc itaque destructo, necessariò illa degenerat in liquamen serosum, utut Bartholinus Act. Haffniens. Vol. 1. Obs. 5. Diabetis spurii periodici mentionem faciat, qui sine ulla corporis consumptione evidente contigerit.

Dubium adhuc est saltem, unde tanta quantitas urinæ excretæ per tàm longum tempus, quæ aliàs non æquivalet toti massæ sanguineæ, & omnibus ejus succis? Non incongruum est, quod nonnulli existimant, nempe cum aeris inspiratione effluvia aquea cum massa sanguinea esse absorpta, & in urinam transmutata.

Sicuti enim omnia alcalia fixa & volatilia sunt vacua, unde humidum ex aere attrahunt, & promptè liquescunt; ita forsan acre hoc alcalinum in massa sanguinea, ad instar reliquorum alcalium imbibitione humiditatis ex aere ambiente sub inspiratione, copiam urinarii laticis augeat. Sed non est adeò probabile. Certum tamen est, salia alcalia, quò magis acria, eò magis aeri exposita, copiosum phlegma attrahere.

Quoad posterius, *Quare* colliquati ita succi ac pinguedo *in specie per renes*, urinæ sub forma, expurgentur? Non est solum textura resoluti & serescentis Fluidi, facilè per poros renum transeuntis, sed *quandoque ipsi renes simul affecti*, & ab acri isto *volatili acido salso fermento* sensibiliter vellicari & irritari videntur, cujus occasione *dolor*, *ardor*, &c. circa renes in lumborum regione percipitur. Spirituum quoque impetus eò magis hinc concitatur, adeòque & massa sanguinea eò uberiùs quasi movetur, non secus ac ex stimulo purgantium ad intestina, ex stimulo Mercurialium ad glandulas gingivarum, uberiùs moventur & excernuntur contenta corporis.

Alteram *Diabetis speciem*, nempe *genuinam*, quod attinet: *oritur* hæc ipsa *ex nimia laxitate* & apertura *viarum* istarum, licèt nondum sufficienter detectarum, per quas *urina potus* ex primis viis ad renes vel loca urinaria mandatur, concurrente forsan simul *pyloro* nimis *laxo*, elabi sinente potulenta ceu fluidiora, antequam perfectè sint alterata. Equidem fateor, vias has pro urina potus nondum detectas esse: Nihilominus autem plures rationes firmiter persuadent, ob quas eam existentiam affirmo, considerando impossibile esse, ut proximâ viâ ex primis viis potulenta sine alteratione, his negatis, deferantur. Fieri enim nequit, ut *semina* integra *coriandri* & *anisi*, frustula radicis apii, excreta cum sanguine rapi, & hinc inde per vasa capillaria circulari potuerint; Item, quia *vinum rubrum*, aut *emulsio amygdalarum dulcium* & sanguini permisceri & circulari cum eodem, sine insigniore alteratione nequeant; adeoque qua data proxima via & occasione ex primis ad loca urinaria transeunt. *Confirmatur* hoc ex eo, quod inter *causas remotas* ad hanc *diabeten* verum, seu viarum laxitatem disponentes imprimis sint *acidulæ*. Jam verò, uti rectè asserit HELMONTIUS, *Acidulæ* vix ascendunt suprà diaphragma. Nam eædem vix haustæ, imprimis continuato eorum usu, subitò per urinam denuò transeunt limpidæ & claræ in eodem quanto, & in eadem ferè forma, qua fuerunt assumptæ. Ab hoc ergò subito ac sæpiùs repetito *acidularum* haustarum transitu laxatæ istæ viæ, ex primariis viis ad urinarias tendentes, etiam potulentis liberiorem concedunt transitum, & sic talis Diabetes supervenit. Willisius quidem Diabeten hunc verum in Pharm. Rat. P. 1. sect. 4. c. 3. omninò negat; sed contra experientiam, quatenus GALENUS *l. 4.* bis eum vidisse dicit, & BARTHOLINUS *cap. 1. Hist. 68.* refert, urinam uino in paroxysmo nephritico epoto adeò similem redditam fuisse, ut ignaris pro ipso uino propinari potuerit; sicut à B. SYLVATICO sibi narratum fuisse dicit, de quodam, qui curis & marasmo senili emaciatus post emulsiones & consummata mox urinam illorum odore tinctam excreuerit.

Sic etiam HILDANUS *in suis Observat. c. 5. Obs. 53.* ex usu *acidularum* obseruat *diabeten*, in quo *lac amygdalarum* immutatum transiit: pariter ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Admir. Observat. 80.* quinquies tale quid se obseruasse; sicut & LOSSIUS cereuisiam immutatam redditam refert. Et JOHANNES PIGRÆY, Chirurgus quidam Gallus, *in sua Chirurgia* refert, se uidisse *grana coriandri*, durante *acidularum* usu post pastum pro roborando stomacho assumpta, immutata cum urina reddita. Unde etiam PETRUS PAW *in Observat. p. 5. quartæ Centur. Histor. Bartholinianarum annexis*, in *Diabete* mortuo renes admodum flaccidos à frequenti liquidorum transitu obseruauit. Verùm, ut existimo, non *flacciditate resolutionis* seu paralyticæ, aliàs enim potius supprimeretur urina; sed *flacciditate* nimiæ *apertionis*, qua renes instar spongiæ porosæ molles & flaccidi, fibræque admodum permeabiles redditæ fuerint. Post acidulas etiam frequens calculus disponit ad hunc *diabetem*. Denique rarum est, quod SALMUTH *Cent. 2. Observat. 53.* obseruauit talem Diabeten potus planè immutati in febre maligna.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica quod attinet: *signa Diabetis veri*, seu immutati potus transitus, facilè patent, modò conferantur assumpta potulenta cum excreta urina.

Diabetes verò nothus, seu copiosum urinæ profluvium, cum paulatim insensibiliter crescat, in principio vix percipitur. Interdum enim fit, ut copiosa urinæ excretio sit naturæ opus, conjunctum cum aperto ægri levamine; verùm ubi copiosam mictionem continuatam debilitas virium, corporis macies cum pinguedine urinæ supernatante, oris siccitas & sitis intensissima, unde etiam diabetes dipsacos audit, ardor ac calor in dorso, & similia symptomata sequuntur, signum est diabetis periculosi. Interdum urina talis est tenuis aquosa & pallida, uno nomine admodum cruda. Curiosum est, quod observavit WILLISIUS *in Pharm. Rat. p. 164. & 172.* quod urina Diabeticorum admodum dulcescat, propter alcali urinosum acre solvens pinguia, unde sapor mutatur. Particulæ enim acriores salinæ, v. g. diureticorum, menstrui instar nutritivam gelatinam & spissiorem sanguinis consistentiam, quin & acrimoniâ particularum suarum cuneorum instar findunt, & affricatu suo alterant pinguedinis & carnis musculosæ texturam molliorem, nec adeò tenacem, adeoque hoc modo resolvunt denuo easdem. Ex hoc Diabeticorum mira dulcedo derivanda videtur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Diabetes verus* parum habet periculi, quia interdum sponte cessat, estque partim facilis curatu, partim non adeò nocivus.

Rarum est, quod duret per totum vitæ cursum, quod sine noxa observatum in M. A. N. C. *ann. 2. Observat. 175. pag. 274.*

Diabetes verò *nothus*, seu copiosum urinæ profluvium est periculosum malum, & sæpe lethale, imprimis nisi in principio, maturè nempe cognitum, curetur; deducit enim successivè ad tabem lethalem homines.

Idem quoque post immodicum laborem, post nimium Veneris exercitium, post chronicas denique febres, plerumque incurabilis est.

CU-

CURA.

Quoad modendi rationem: In *diabete notho* tres observandæ sunt Indicationes.

I. Ante omnia temperanda est acrimonia nimia alcalina volatilis seri, tàm per remedia ex fonte Pharmaceutico, quàm diæretico.
Unde ratione fontis diætetici

II. Alimenta chylosa succulenta temperata & subpinguia subministranda.

III. *Narcoticorum* moderatorum interpolato usu nimia succorum *colliquefactio*, & urinæ secretio nonnihil *impedienda*, additis simul blandis adstringentibus, & renes ac partes corroborantibus.

Ea, quæ primo scopo conveniunt, in specie sunt sulphurea, quippe quæ ab alcali dissoluta istud temperant, & hinc præcipitando compescunt; & absorbentia; hinc acida moderatè austera eadem alterantia quasi figentia, & plus minus *adstringentia*. Quæ verò ex fonte *diætetico*, sunt alimenta succulenta, imprimis *Lacticinia*. In genere rectè asserere videtur ZACUTUS LUSITANUS *lib.18. Med. Princ. Hist. cap.17.* Hujus affectus curationem in quamplurimis convenire cum hectica febre; quia tàm in sex rebus nonnaturalibus, quàm etiam in medendi ratione, is ordo servandus, ut corpus refrigeretur & humectetur, firmentur renes, & eorum exuberans caliditas attemperetur, ut loquitur ZACUTUS LUSITANUS *l.a.* imprimis secundùm ea, quæ circa sex res non naturales, ac in specie alimenta & potulenta observanda sunt.

Ante omnia ergò quoad *Pharmaciam* vomitus commendatur in hoc notho diabete: Apertè enim BRENDELIUS *in Conf.83.* cui alii consentiunt, ex PLATERO asserit; principium curationis esse vomitum, jubendo, ut, dum maximâ æger torquetur siti, copiosam deglutiat frigidam, hancque repentè revomat, quod fit singulis quatuor diebus. Certum hoc est auxilium pro revulsione. Item ZACUTUS LUSITANUS dicit: *prodest vomitus iis præsertim quibus salsa vel viscida pituita in ventriculo abundat*. Conf. etiam EPIPHANIUS FERDINANDUS *Consil.37.* item HORATIUS AUGENIUS *Tom. 1. lib.12. Epist.3.* & RIVERIUS *Pr. lib.14. c.6.*

Hoc ergo præmisso ad ea, quæ corrigunt acrimoniam dicti fermenti, est accedendum, quæ inter appropriata imprimis sunt remedia, quæ præparantur ex *plantagine* & *portulaca*, *nymphæa*, *papavere*, sive eorundem *succi*, sive *syrupi*, aut *Decocta* usurpentur; vi enim suâ stypticâ aliquali simul nonnihil incrassant corporis succos, eorumque colliquefactionem impediunt: Item *Lapis hæmatites*, tàm *naturalis* & ejus præparata varia; quàm *artificialis* ex vitriolo martis & saturni *saccharo* paratus sublimat enim hæmatites quasi verus, primitus à GLAUBERO edoctus, tandem contra *diabetem* nothum descriptus in M. A. N. C. *Ann. Observat.143. pag.227.* descriptus sub nomine *Lapis Chymicus*, qui reverà nil aliud est, quàm. Lapis *hæmatites artificialis*. Processus est legitimus, & nobile remedium per experientiam probatum Loco hujus etiam saccharum Saturni cum vitriolo Martis mistum; hinc etiam tinctura sic dicta *sulphuris vitrioli* aut martis adstringens, ex croco martis & spiritu nitri parata, tinctura martis solaris, saccharum Saturni, & ex eo & vitriolo martis parata tinctura *antiphthisica* usurpari possunt. Hæmatites naturalis quoque in vehiculo acido est usurpandus, operatur vi acido-austerâ. Conveniunt etiam *corallia*, & varia ex his parata, imprimis eorùm solutiones & tincturæ cum succo citri, vel limonum, *Magisterium coralliorum* cum *succo citri*, vel mixtura ex *coralliis cum aceto* polychresta SYLVIO usitata, de qua vid. *lib.1. Prax, cap.30. §.183. pag.573.* & M. A. N. C. *Ann.3. Observat.183. pag.345.* qualis in Cura diabetis sæpè experta fuit; Vel

℞. *Aquæ plantag.* ℥iij.
Aceti vini simpl. vel *destillati* ℥vj.
Corall. rub. pulver. (præparata enim magis discontinuata sunt, unde non danda) vel *terræ sigill.* ʒj.
Laud. opiati gr. ij.
Syr. portulac. ℥j.
M. D. S.
Mixtura adstringens bene circumagitanda.

Capiatur cochleatim.

Porro alumen, & ut alii volunt, spiritus alum., cum convenienti vehiculo est egregium remedium. Et hæc sunt selectiora, præter quæ tamen etiam *succinum* & *succinata*, pinguedine suâ sulphureâ temperatâ imprægnata, locum inveniunt; item *trochisci de carabe*, de terra sigillata, vehiculo subacido assumpti prosunt optimè. Quibus speciatim vespertino tempore Opiata sunt intermiscenda, suasu, BRENDELII & RIVERII *l.a.* Antihecticum Poterii Bezoardicum Joviale, imprimis quando urgent febres, item ardores in regione lumborum, item Bezoardicum Saturninum & similia, sunt optima. Tandem *Aqua calcis vivæ*, sive *simplex* sive *composita*, subinde hausta nobile & singulare est experimentum contra hunc diabetem: vid. WILLISIUS *in Pharm. Rat. Part.1. p.174.* & *177.* dosis ℥vj. iv. ad v. & vj. ter in die. Alia, ut C. C. *ustum*, *crocus Mart. adstringens*, &c. vel spontè ex dictis manifesta evadunt.

Et hæc sufficientia sunt primo & tertio Indicato.

Cum his quoad secundam Indicationem ea, quæ temperant, & nutrimentum suggerunt, simul in auxilium vocanda: inter quæ eminent lacticinia, quæ temperant, ac præsertim lac chalybeatum: Hinc Itali ac veteres cõmendant lac asininum, in quo imprimis ferrum candens extinctum, & ita chalybeatum factum, quod cum *Philonio Persico* permistum ZACUTUS LUSITANUS *l.2. Prax. Admir. Observat.7.* commendat, qua ratione *diabeten* desperatum curavit. Loco asinini aut caprini lactis lac bubulum commodè etiam usurpatur, imprimis cum chalybe probè imprægnatum; Item *emulsiones* factæ ex *amygdalis dulcibus*, *seminibus* quatuor *frigidis* majoribus (quæ ipsa tamen in pauca dosi addenda) & minoribus, *cum semine papav. albi*, &c. eæque crebriùs & copiosiùs haustæ subindè usurpandæ sunt: vid. GRIMM. *l. a.* qui diabetem cum macie ex abusu potus Thee curavit cum diæta ex lacte, & emulsione sem. quatuor frigidorum majorum, quibus syrupus de nymphæa, & syrupus de papavere est intermiscendus. Lac chalybeatum semper cibis est adjungendum seu permiscendum & tempore nocturno seu vespertino opiata non negligenda.

Externè Sacculi & fomenta ex plantagine, foliis quercus &c. in Aqu. chalybeata cocti, subindè regioni renum applicentur: Item cancri, *fluviatiles aut recentes contusi*, eorumque *succus recens expressus*, dicto loco admoveantur.

Diabetes propriè dictus & verus, seu potulentorum nimiùm immutatorum transitus, convenienter curandus venit *per adstringentia* talia, quæ stomachum nempe & primas vias blandè adstringendo roborant, qualia sunt in specie Martialia, & Vegetabilia adstringentia aromatica. Nempe par ratio est, atque quando in potu acidularum subindè usurpanda sunt omni pastu blanda aromatica & adstringentia, quæ stomachum nempe & viscera firmant. Fugienda autem sunt in hoc Diabete *Cydonia* & Cydoniata, aut saltem non crebrò nimis usurpanda; utut enim sint adstringentia, summè tamen sunt diuretica, uti hoc non tantùm observat BARTHOLINUS *Cent.5. Hist.22.* sed etiam SCHENCKIUS *in Observat.* Ergò *Martialia* & adstringentia cum aromaticis & alia Vegetabilia adstringentia, quæ ex plantagine; tormentilla, ex consolida majore, mentha, & similibus parantur; item *Decoctum prunorum sylvestrium*, Decoctum corticum aurantiorum, quercuum, & similia usurpanda veniunt. Crocus Martis adstringens, etiam tinctura *sulphuris vitrioli*, *bolus Armena*, *terra sigillata*, *cum conserva rosarum vitriolata*, & conserva radicis symphyti conducunt. Potus fit plantago in aqua chalybeata cocta. Tandem ceu singulare experimentum commendatur, si recipiatur crista galli calcinatur, eaque manè & vesperi ægro in propria ejus urina propinatur, quod ceu probabile secretum contra diabeten venditant, & eâ fide, qua accepi, communico.

Qui plura de his cupit, adeat præter MOEBIUM & WILLISIUM *de urinis Sylvium in Praxi c.55.* qui tres Autores sufficient.

ARTICULUS IV.

DE

URINÆ DEPRAVATÆ IN RENIBUS SECRETIONE.

VErsamur adhuc in vitiis Urinę Secretionis, & superest *depravata urina in renibus secretio*, cujus modi non tantum

tantum ferè sunt innumerabiles, dum scil. diversimodè affecta urina *in colore consistentia & contentis* excernitur; speciatim tamen sub Praxin Medicam cadit

1. *Urina* nimis *pinguis*, & *oleaginosa*.
2. Urina *rubra* sanguinolenta.

MEMBRUM I.
DE
URINA PINGUI & OLEAGINOSA.

QUod attinet urinam pinguem seu, ut aliàs vocant, *oleaginosam*, diversimodè accipi potest. Nempe hic ante omnia distinguendum inter urinam pinguem, quæ est talis saltem ratione superficiei, & ratione consistentiæ. Quoad consistentiam: an scilicet ita exactè tota urinę materia excreta oleum quoddam repræsentet, vix credo, nisi forsan in Diabete vero pinguia & oleosa assumpta sub forma propria demum excernantur, quod tamen unquam me legisse non memini. Aliàs etiam urina talis, perfectè scilicet oleaginosa, fieri nequit, ob incompatibilem aquæ cum oleo miscelam, quæ nullo modo possunt conjungi, nisi sit sal alcali fixum in urina, pinguedinem solvens, ut videmus in saponibus. Cum verò in urina tantùm sal salsum volatile, non verò purum alcali insit, ideò nec urinæ pinguis & oleaginosæ excretio quoad consistentiam concedi potest. Pinguis ergò sæpè excernitur urina, quando nempe in superficie ejus quasi crusta aut pellicula pinguis supernatat; quæ ipsa tamen crusta, probè distinguenda, an sit vera pinguedo? an verò sit saltem crusta salina, pinguedinem saltem mentiens? uti in scorbuticis & hypochondriacis usu venire solet. Differentiæ ratio in eo consistit, quod talis crusta supernatans, si constet ex concrementis salinis in pelliculam inspissatis, quod tunc ad latus juxta lucem aspecta varios colores instar caudæ pavonum, vel instar iridis in sua superficie repræsentet; Id quod infallibile signum est crustæ salinę ex malo hypochondriaco aut scorbuto, in quibus salia heterogenea abundant. Testantur hoc omnes solutiones salium ad pelliculam inspissatę, quę pingues videntur. Ubi autem vera est pinguedo, quę urinę supernatat, sine ullo colore solet esse conspicua, & etiam subinde quasi guttulas repręsentat, quę & ipsę deficiunt in crusta urinę salina. Pinguis autem fit talis urina ex colliquatione partis pinguioris massę sanguineę, in specie pinguedinis corporis, undè pinguedo talis frequenter apparet in urinis, febre ardente colliquativa aut etiam hectica, tabe, ulceribus renum, & similibus afflictorum. Et hęc ipsa colliquatio oriri videtur ex defectu acidi debiti in massa sanguinea, quod ipsum aliàs spissat & blandè coagulat pinguedinem nutritivam, cujus defectu ipsa denuò liquescit pinguedo, & ita cum urina denuo excernitur; quę tamen cùm non possit intimè urinę misceri, supernatat, & sub forma olei conspicitur.

CURA.

Quoad curam: curatur hęc crusta salina, pinguedinem in urina mentiens, facilè, curato morbo primario; ac in specie conducunt Martialia, acidum peccans absorbentia, & hinc volatilia, illud ad vias urinarias deducentia, ac per cutim emittentia. Urina verò, cui pinguedo vera supernatat, curatur sponte, modò primarius curatus fuerit morbus, in specie per acida blanda, pinguedinis liquefactionem impedientia, eamque coagulantia, ut spiritum salis dulcem.

MEMBRUM II.
DE
MICTU CRUENTO.

POrrò Urina cruenta seu sanguinolenta excernitur, quando ipsi permiscetur sanguis, nunc copiosus, nunc parcus quidem; unde interdum minus tincta loturę carnium similis apparet urina, interdum verò intensiùs rubet, si magis tincta, spissa ac crassa apparet, vel potiùs ex opaco nigrescit, ita ut etiam linteum immersum suo rubore sanguineo inficiat, & interdum cum sanguine in fundo matulę subsidente apparet. *Sanguis iste, qui tingit urinam*, ut plurimum ex renibus effluit, seu *in renibus* ipsi permiscetur, interdum tamen etiam *in ureteribus*, interdum etiam *in vesica*, interdum ex læsis arteriolis *in pene*, quale exemplum vid. in GRAEFIO *lib. de Organis Generat. viror. pag.* 251. Rariùs verò *ex aliis partibus* ad loca urinaria eò defertur, ut cum urina simul excernatur, ver. gr. in casu ab alto, aut si grumi sanguinis in pectore, vel alio quodam loco hæreant, qui successivè ad vias urinarias deferuntur. Id quod tamen fit rariùs, ac citra ullum viarum urinariarum incommodum; sicuti rarum est, quod propter inflammationem aut contusionem hepatis urina cruenta interdum emittatur. Ex causis etiam antecedentibus facilè cognoscitur.

CAUSÆ.

Causę *urinæ cruentæ*, non secus atque aliarum hæmorrhagiarum (est enim mictus cruentus species hęmorrhagię) in genere *oriuntur* interdum *ex anastomosi* vasorum sanguiferorum in viis urinariis, interdum, idque frequentiùs & crebriùs, ex eorum *diæresi*, vel *diabrosi* seu ruptura vasorum sanguiferorum in locis urinariis. *Quoad anastomosin* seu aperturam vasorum: hęc frequenter fit nunc *vitio contentorum*, in specie impetu sanguinis, aperientis suâ irruptione concitatiore oscula vasorum, nunc *vitio ipsorum vasculorum* renalium, quando pori illi renum sunt nimis aperti cum eorum tubulis, undè sanguis per hiantes poros unà cum lotio variè transmittitur; adeoque à tubulis renum nimis apertis mictionem cruentam interdum accidere rectè asserit WILLISIUS *Pharm. Rat. pag.*166. quod vitium Veteres vocant *Imbecillitatem Renum*, estque hujusmodi mictus ferè indolens, minusque intensa tinctura urinę, minusque crassa. Quoad *sanguinis impetum*, inferentem vasorum anastomosin, sequitur interdum mictus cruentus post equitationem nimiam, item post nimium motum corporis, saltum nimium; & facilè in renibus, impetu in sanguine concitato, Orificia aperiri, & ita mictus cruentus inferri potest: Vid. HILDANUS *Cent.*6. *Observat.* 46. In specie *Mictus cruentus* per *anastomosin* nunc est *spontaneus*, nunc *non spontaneus* seu *symptomaticus*: Ille nunc *criticus*, nunc *periodicus*, nunc *vagus*, &c. est. Pręcedere autem solet *Dolor qua gravativus & tensivus*, uti & comitari solet hujusmodi cruentam mictionem perceptibilis in isto loco, in quo sanguis suo impetu anastomosin infert: sequitur enim iterdum solennes excretiones sanguinis suppressas mictus cruentus; hinc etiam FORESTUS *lib.*24. *Observat.* 7. inquit: *Urinam cruentam ex alto delapsis statim emitti videmus, idque sæpius etiam ex nimia Venere in adolescente nobili, in mulieribus etiam mensibus suppressis, & in viris hæmorrhoidibus fluere consuetis & retentis*. Truncatâ etiam manu vel pede, aut pleno corpore, ex abscessibus ulcereque cruento, urinam cruentam emictam fuisse scio: Id quod ulteriori Observatione confirmat de Mictu sanguinis, ex suppressis hæmorrhoidibus per intervalla oriundo, HILDANUS *Cent.*1. *Observat.* 11. Quin & *periodica* quibusdam *urinæ cruentæ mictio* observatur: vid. Præter SCHENCKIUM *in Observat.* SALMUTH *c.* 3. *Hist.*47. de mictu sanguineo periodico & quasi menstruo, qui cohibitus mortem intulit. Criticus observatur sanguinis mictus, dum morbi solvuntur urinæ sanguinolentæ excretione: Sic ZACUTUS LUSITANUS *lib.*2. *Prax. admir. Observat.* 69. *mictum cruentum criticum* in febre ardente observavit; sicuti etiam pleuritides interdum per *sanguinis mictum* judicatæ observantur ab HILDANO *Cent.*1 *Observat.* 31. & SCHENCKIO *lib.*2. *Observat.* 22. ex MARCELLO DONATO. Pertinet huc *vini abusus* ad mictum cruentum disponens, de quo vid. ZACUTUS LUSITANUS *Med. Princ. Hist.*139. Item *Diuretica* fortiora aut acriora, v.g. post *spiritus terebinthinæ* nimiam dosin, mictionem cruentam refert HILDANUS *Cent.* 5. *Observat.*52. *Tandem abusus veneris* anastomosin vasorum, & ita etiam urinam cruentam inferunt, dum in actu Venereo nimio præcipuè circa vesicam & partes genitales vasa sanguifera nimis turgida hiscunt & aperiuntur, quæ aperta sanguinem fundunt: Talia exempla non sunt rara: inter alia refert FORESTUS *lib. Observ.*10. & 13. mictum sanguineum ex nimia venere, qui spon-

spongia aceto calido infusa, & lumbis ac partibus genitalibus circumposita, curatus est; acetum enim temperando temperat æstum, & blandè vasculorum ruptorum oscula adstringit.

Hæc de Anastomosi.

Quoad *Diæresin*, & in specie *Diabrosin*; hæ frequentior causa urinæ sanguinolentæ existunt vitio contentorum acrium, aut erodentium, aut alio modo lædentium vascula dictorum locorum, dum nempe à sero nimis acri vascula sanguifera circa vias urinarias eroduntur: vid. FORESTUS *lib.8. Observat.6. 11. 12. & 13.* Quò etiam pertinent *exulcerationes* & excoriationes *renum* & *vesicæ*, quas ipsas partim propter erosiones vasculorum non rarò mictus cruentus, partim sensus doloris plus minus rodentis, aut etiam alius in parte affecta molestus comitatur. Tali ex causa *mictus* nati *cruenti* scorbuticis, catarrhosis, & sero acido salsiori, aut aliàs plus minus corrosivo præditis, accidere solent: Calculus itidem asperitate suâ lædens & lacerans renum, ureterum aut vesicæ membranulas, subinde talem mictum infert: Faciunt etiam huc imprimis *cantharides*, de quibus notum est, quod aut ineptè assumptæ, aut etiam extrinsecùs cum Vesicatoriis sine judicio applicatæ, imprimis absque acidis, mictum cruentum subindè admodùm dolorosum, & vesicæ excoriationem inferunt, in quo simul penis erectio, & simul ad Venerem excitatio adesse solet: Vid. FORESTUS *lib. 24. Observat.7.* Dico si applicantur absque acidis: Communiter enim ex pulvere cantharidum, fermento & aceto vesicatoria parantur. Ubi tamen observandum est, quod talia vim vesicatoriam imminuant, & eorum corrosivitatem & sal volatile nitrosum temperent, quò minùs potenter quidem possunt vesicare, sed minùs etiam hac ratione interioribus nocent. Cantharides enim habent sal volatile nitrosum, quod cum acidis destruitur; absque acido verò applicatæ cantharides mictum cruentum inferunt, quod quotidiana loquitur experientia. Mictum à vermibus cruentum habet SCHENCKIUS *Observat. lib.3. Observat.294.* Pertinet huc *curiosa ista Observatio* & historia, quam habet Horstius *lib.4. Observat.42.* mictionis purulentæ & sanguineæ ex ulcere colli vesicæ, propter carunculam ibidem loci ex acidularum usu suppuratam. Præter *cantharides* etiam observatus fuit mictus cruentus ex *abusu allii*, teste SCHENCKIO *in Observat.* Item ex nimio aloes usu urina cruenta enata refertur in BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Volum.2. pag.167.* Tandem in morbis malignis, ac speciatim in *variolis*, supervenit subindè mictus cruentus, qui, quando oritur erosione vasculorum aut vesicæ, est pessimus & admodum funestus, cùm ordinariò intereant ægri. Exempla in SCHENCKIO, HOECHSTEDTERO, item in SALMUTH, aliisque similibus inveniuntur, quod nempe sanguinis mictus in variolis ferè semper fuerit lethalis. Forsan & isti mictus cruenti, qui in aliis *febribus malignis* observantur, huc pertinent, ut quando hæmorrhagia penis nimia in febre maligna, aut hæmorrhagia narium lethalis: Vid. HOECHSTEDTERUS *Decad.1. Casu 3.* Quin & in peste observata fuit urina sanguinolenta, quæ inter pessima tunc temporis recensetur signa. Tandem urethram vulneratam, exulceratam, &c. etiam mictum cruentum intulisse, GRAEFFIUS *de Organis Viril. pag.150.* refert.

Hæc quoad Causas Mictus Cruenti internas.

Quoad *causas externas*: quilibet violentus motus ruptioni circa loca urinaria occasionem suggerens, *mictum cruentum* infert: Talia sunt saltus nimius, casus ab alto in dorsum aut lumbos, thorax vulneratus: Vid. RHODIUS *Cent.2. Observat.19.* Item contusio vehemens circa loca inferiora facta.

DIAGNOSIS.

Sequuntur *signa*, quæ satis sunt clara, quoad *Diagnosin*: Nam urinam esse cruore tinctam, facilè per se patet, modò *probè distinguatur rubor urinæ* sanguineus à *rubedine salina*, quando nempe contentis copiosioribus salinis oleosis probè unitis cum liquore continente, idque ferè viaciali, rubeus repræsentatur color; quæ urinæ differentia facilè cognoscitur. Urina enim rubra interdum emittitur, cui nihil sanguinis est admixtum, ubi urinæ rutilantes & quasi sanguineæ excerni solent. Rubedo hæc ex contentis salibus ordinariò est perspicua, clara & quasi fulgida, ac non adeò crassa, aut quæ præcipitata sedimentum vel intensè croceum, vel instar cinnabaris, vel incarnati non nihil coloris, suggerit: è contrà quæ est à sanguine rubra, semper est opaca, turbida & crassiuscula plus minus, prout plus minus sanguinis est permistum. Unde & à salibus contentis orta rubedo splendet quasi: simili namque ratione ac lixivium lotricum, quò magis est alcalibus impregnatum, eò magis ad rubedinem vergit; ita & urina quò magis salibus turget, eò magis flavescit aut rubescit: quæ vero est à sanguine, absque splendore obscura minusque clara observatur. *Illa* interdum in febribus, interdum in scorbuto, malo hypochondriaco & similibus, subinde accidere solet: *Hæc* etiam in aliis ægris deprehenditur.

Et *urina cruenta*, si ex sanguine constat, si aliquandiu steterit, uno alterove die crassamentum seponere solet ex intensè rubro quasi nigrescens, & sanguinem grumosum exactè referens.

Verùm cognoscendum ulteriùs, ex quo loco affecto sanguis profluat? Si enim est ex affectu renum aut vesicę, semper dolor aut gravativus, aut acutus rodens percipitur circa locum affectum: Quorum Ille quoque dignoscitur, si sanguis copiosior fuerit, & urinæ intimiùs permisceatur; item liquidus, ac non grumosus subsideat: Hic, si sanguis parcior urinæ non æqualiter perfundatur, cum grumescentia subsideat, ac cum dolore urina prodeat.

Interdum tamen culpâ meatus urinarii tale quid contingit, cujus læsi signa præcesserunt, sanguis sine urina effluit, & mox concretus subsidet.

Si est ex alio loco sanguis, alius partis affectæ signa & symptomata concurrent.

Ex quibus verò causis oriatur urina cruenta, ostendunt antecedentia & adjuncta. Hinc de omnibus mictus cruenti differentiis Medicus sit curiosus, quoad indagandas causas, an nempe sit ex anastomosi? an ex diæresi? & si est à causa externa, saltu, cantharidibus, &c. patet ex ægri relatione; sin à causa interna, examinandus est æger, an sit scorbuticus? an ordinariò aliàs sanguinis evacuationis suppressione laboret? an percipiat dolores circa renes aut vesicam? Nam si casus ab alto præcesserit, loca læsa, & circa quæ sanguis extravasatus hæret, non possunt esse incognita, in quibus suspicatur sanguinem devehi ex aliis locis ad renes.

Si aliàs adsunt symptomata calculi, semper de renibus, aut de vesica affectis, horumque laceratione, suspicio ingruit: vid. Forestus *lib.8. Observat.6. 11. 12. & 13.* item ulcera vesicæ aut renum antecedentia aut concomitantia ex diæresi mictum cruentum ostendunt; simul adesse solet dolor acutus rodens, morsicans, in specie molestus circa pubem, aut vesicam; item si præcesserit stranguria, dysuria, &c. manifestum signum est, mictum cruentum oriri ex excoriatione & erosione vasculorum.

Observandus simul motus naturæ, sive criticus, sive periodicus, qui ferè citra ullius partis urinariæ affectum contingit, ne impediatur, & pro morboso habeatur, qui tamen salutaris.

Quodsi malum sit à causis externis, à cantharidibus, à radice rubiæ tinctorum, quæ colore rubro inficit urinas; item si ab esu fructus Indici majoris seu opuntiæ oriatur, quæ ipsa etiam tingit urinas, ex relatione ægri cognoscendum.

In specie si sit à cantharidibus, adesse simul solet intensus stimulus Veneris, ita, ut penis sit tensus & rigidus, & ægri ad Venerem insigniter stimulentur, & si quę sunt aliæ similes circumstantię.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: omnis mictus cruentus, imprimis copiosius ac sæpius recurrens, periculosum malum est, invehens eadem variaque symptomata, quæ hæmorrhagias nimias insequi solent: Nam v.g. ex mictu sanguinis diuturno *hydropem* observavit SCHENCKIUS *lib.3. Observat.*

Minus periculosus est sanguinis mictus *ex pudendis*, & à calculo; magis periculosus, qui ab erosione ac exulceratione vesicæ, cùm metuendum sit, ne in vesica subsistens periculosam urinę suppressionem, aut sui corruptelâ varia symptomata inferat.

Omnium maximè periculosus est, qui *ex renibus*, præsertim

sertim *crosis*, aut eorum, ut vocant, *imbecillitate*, malum ortum fuerit.

CURA.

Quoad ergò attinet *Curam*: in hac primariò multiplex causarum remotarum varietas attendenda, & hinc cura nonnihil varianda: unde causa removenda, adeoque anastomosis tàm venæsectione quàm remediis adstringentibus curanda, Diæresis autem vel Diabrosis vulnerariis consolidantibus & appropriatis corrigenda, hinc in specie acrimonia seri erodens aut exulcerans temperanda, & vas apertum vel erosum Vulnerariis & adstringentibus consolidandum; speciatim tamen, cùm frequentissima causa interna soleat esse acrimonia seri erodentis, & plus minus exulcerantis, hanc imprimis *acrimoniam temperantia*, adeoque maximam partem ad *hæmoptysin* dicata remedia, conducunt. Imò cùm serum urinarium plus minus acre omne mictum cruentum undecunque ortum exasperare soleat, semper unà *attemperandi* scopus probè attendendus venit; unde *Papaverina* ac *Opiata*, item *quæ suprà Sect.18. cap. 3. Art.12. & 13. circa exulcerationem renum & vesicæ fuerunt monita*, locum invenient.

II. *Venæsectio* interdum locum habet. Nempe pro *scopo vel revulsorio vel derivatorio*, quando nempe occasione solennis cujusdam sanguinis excretionis suppressæ mictus cruentus ortus fuerit; qua ratione per *phlebotomiam* mictum cruentum ex meri nimia potione in Plethoricis curavit ZACUTUS LUSITANUS *cit. loco*.

III. *Purgantia*, quà talia, non conveniunt, cùm facilè acrimoniâ suâ exasperare malum queant. Saltim *Rhabarbarum est*, quod convenit, & magis pro scopo *alterativo*, quàm *laxativo*, adeòque in serosiore corporis habitu, aut in acriori sanguinis crasi, item in *renum imbecillitate Rhabarbarum* est optimum. Hinc *pilulæ Rhabarbari cum succo plantaginis*; item *pulvis Rhabarbari parùm torrefacti*, & in specie *pilulæ ex terebinthina cum rhabarbaro* aliquandiu continuatæ, nobile sunt experimentum HOEFERI *Herc. Med. pag.*172.

His ita præmissis, *Remedia* vel spontè patent.

In genere ergò quæcunque remedia *suprà Sect.*18. *Cap.*3. *art.*1. *de Hæmorrhagia in genere* dicta, & inter has in specie *Mixtura ista polychresta* SYLVII *in Idea Prax.* ubi de cruento vomitu, locum habet:

℞. *Aquæ Plantag.* ℥ij.
Cinnam. ʒvj.
Aceti destillati ℥ß.
Corall. rub. præp. ʒß.
Sangu. dracon. ℈ß.
Laud. opiat. gr.ij.
Syr. myrtin. ℥ß.
Misc.

Hæc Mistura cochleatim sæpiùs assumpta curabit plerasque vasorum rupturas, & suprà multorum expectationem sanguinis effluxum brevi tollet, secundùm experientiam GRAEFFII *Tr. de organ. Genit. Virorum pag.*154. ubi exemplum habet mictus cruenti periculosissimi ex læsis penis arteriis propter casum; quem aliis irritis ista mistura Sylviana egregiè curavit. Item Martialia & opiata conducunt.

Cùm verò semper ad *acrimoniam* seri urinarii aciduli plus minus respectus sit habendus, præ cæteriis ob id convenit *portulaca* quovis modo usurpata; item *plantago*, & speciatim ejus *succus* ad ℥ij. vel iv. haustus, & omnia ex his parata remedia, quò simpliciùs, eò meliùs: Vid. RIVERIUS. Syrupus item compositus ex succo radicis symphyti, & succo foliorum plantaginis, quem communicavi *suprà Sect.6. cap.2. ubi de Vomitu Cruento*. Post hanc est *equisetum*, ejusque *Decoctum*, quod & ipsum egregiè conducit. Hinc consolida major, *millefolium flore albo*, ejusque *Decoctum*, quod egregiè commendatur ad consolidationem. Convenit quoque bursa pastoris, hedera terrestris in cerevisia cocta. Decoctum auriculæ muris & pimpinellæ Italicæ in lacte caprino commendatur ab HORSTIO *lib.*4. *Observat.* 52. Hisce in specie addatur *agrimonia, seu eupatorium vulgare*, quod imprimis est remedium ab omnibus Practicis expertum contra mictum cruentum quocunque modo usurpetur, tàm internè quàm externè, adeò ut etiam in ipsa renum & vesicæ exulceratione probè conducat, sive agrimonia sola, sive eadem cum hyperico mista, usurpetur; Unde LINDANUS agrimoniam miscet cum quinquefolio, & millefolio, ceu selecta simplicia contra mictum cruentum. Hisce imprimis sociandum *hypericon*, tàm *planta* quàm ejus *semen*; si quidem hoc etiam specificum est ad ulcera renum, ratione odoris sui & saporis terebinthinati; unde etiam cum hoc TIMÆUS *von GuldenKlee* parat *Electuarium* elegans *contra exulcerationem renum*, quod prostat in casibus, ubi *Medicamentor. Descriptiones pag.*421. Vel

℞. *Herb. Agrimon.*
Millefol.
Summ. hyper. flor.
Musci prun. sylvestr. an. M.j.
Rad. symph. mai. ℥ij.
Sem. hyper. ʒij. vel iij. ad ℥ß.

Incis. & contus. coqu. vel in *vino* (cui tempore usus addatur parum de *lap. cancr.*) vel in *Aqu. ferrar.* vel in *lacte*, vel in *sero lactis chalybeato*:

Colatura edulcoretur cum *syr. de symph. Fernel.*

D. S.

Potio adstringens.

De Decocto hoc bibatur subindè haustus, addendo simul, si Decoctio facta fuerit in lacte vel sero lactis, *lapill. cancr. in aceto solutos*. Egregium est ad compescendum mictum cruentum. Vid. etiam *Sect.*18. *cap.*1. *artic.*12. *Decoctum in ulcere renum præscriptum*.

Egregiè quoque conducit tàm præservativè quàm curativè hedera terrestris, sive in Decocto cum aquæ & cerevisiæ ana, sive in Extracto, ebulliendo nempe eam in Aqu. vel in succum exprimendo, & colatum saccharo condiendo.

A quibusdam etiam insigniter laudatur *bellis minor* ac tota ejusdem planta. Porrò chamæpitys seu Iva arthetica commune est experimentum POTERII, cujus Decoctum in jusculo carnis paratum in mictu cruento & ulceribus renum optimum, & *specificum* SULZBERGERI est. Item pertinet huc *Decoctum ad mictum cruentum Mynsichtii in suo Armament.*, quod est egregium. In specie lac ovillum ad ℥jv. cum ʒj. boli Armenæ assumptum omni manè experimentum est, aliquoties comprobatum, uti hoc videre est in FORESTO *lib.* 24. *Obs.*13. quod etiam expertum est cum successu; item TIMÆO *Von GuldenKlee in Cas. lib.*3. *Cas.*40. *pag.*180. qui sæpè hanc bolum Armenam cum lacte ovillo feliciter propinavit; Imprimis conducit, si ab acrimonia seri & exulceratione partium, sive etiam casu ab alto, cruentus mictus oriatur. Adhuc *succinum* & omnia *succinata*, in specie ex hoc parati *trochisci de carabe*, etiam in hoc casu cum fructu usurpari possunt, si cum vel sine terra sigillata sumatur in Aqu. plantaginis, unà cum pauco aceto acidulatâ; sic enim meliùs operantur. Conferatur TIMÆUS *Von GuldenKlee Epist.*23. *pag.*248. ubi *trochisci de carabe* ad ʒj. cum *boli Armenæ* ʒß. in *Aqu. plantaginis*, cum sæpius probatum remedium laudantur: Quibus in malo contumaciori opiata addenda. Huc quoque Trochisci Gordonii, & species dia-plantaginis Mynsichtii pertinent. *Curavi aliquando virum*, mictu cruento laborantem, ex acrimonia seri scorbutica nato, propinando *trochiscos de carabe cum lapillis cancrorum* & pauco *sacchari Saturni*, Sed utut hæc juvarent, constantiam tamen sanitatis conciliavit *liquor Martis solaris*, dosi guttul. decem ad quindecim omni manè ad aliquot dies continuatus. Hinc & tincturæ istæ polychrestæ, tinctura sulphuris vitrioli, & tinctura *antiphthisica* ex saccharo Saturni, in quolibet mictu cruento sunt proficuæ: ista quidem, ubi magis est adstringendum; hæc verò, ubi magis est temperandum. In specie ratione Martis hæmatites inter ea, quæ in genere ad hæmorrhagias nimias conducunt, & ex eo parata remedia conveniunt, ita ut assumptus cum copioso lacte etiam ad mictum cruentum à cantharidibus exortum prosit: loco hujus commodè etiam *terra sigillata* & quæcunque pingues, item bolus Armena, in usum vocantur; acrimoniam enim insigniter temperant. Quò etiam pertinet hæmatites artificialis. Emulsiones etiam ex seminibus lactiferis cum liquoribus adstringentibus parari possunt; e.g.

℞. *Sem. quatuor frigid. mai.* an. ʒj.
Papav. albi ʒiij.
Aquæ Plantag. vel *urticæ*,
Millefol. an. ℥iß.
Rosar. ℥ß.

F. Emul-

℞. Emulsio; cui adde
Corall. rub. præp.
Unic. fossil. vel *terræ sigill.* an. ℈j. vel ℈ij.
Edulcora cum parum *syr. agrimoniæ.*
D. S.
Emulsio adstringens & temperans.

Opiata autem per se nota sunt: in specie *Electuarium Helidei Paduani ad sputum sanguinis* ex conserva violarum & semine hyoscyami, *suprà Sect.*18. *Cap.*3. *Artic.*4. *laudatum*, commodè hic applicari potest.

Ut pro scopo vulnerario hæc consolidantia eò meliùs operari possint, inter hæc eminent remedia ex cancris fluviatilibus, sive succus sive eorum in plenilunio exsiccatorum pulvis usurpetur: quibus dicta quædam vulneraria appropriata, in specie ex jam dictis simplicibus ad mictum cruentum laudatis, superaddenda sunt. Ultra Cancrina & Vegetabilia hactenus dicta præ cæteris expertus est continuatus terebinthinæ usus crudus, abstergendo & consolidando omnibus scopis satisfaciens, ac in specie, ubi mictus cruentus ex diæresi vasorum fuerit; Unde vel *Potio Plateri terebinthinata*, quæ vid. *in Obser. ejus*, e. g.

℞. *Terebinth.* ℥vj.
Mellis ℥j.
Vini Malvat. ℥iv.
Vitell. ovi No. j.
Diluantur, serventur ad usum.

Dosis ℥vj. Optimè conducit in mictu cruento & purulento. Vel

℞. *Terebinth.* ℥ß.
Vitell. ovi No. j.
Mellis ℥j.
Agitentur in mortario, donec probè misceantur; adde
Vini albi,
Aqu. parietar.
Flor. fabar. an. ℥iß.
Syr. Limonum ℥j.
Misc. F. Lac.

Confer. *Colleg. Formular. p.....*

Vel Pilulæ ex terebinthina cum Rhabarbaro torrefacto paratæ, quas continuo usu ad mictum cruentum desperatum singulariter commendat HOEFERUS *l. a.* Quibus Rhabarbarum additur ob vim suam nephriticam renibus dicatam; sicuti ad acrimoniam sanguinis & seri, & inde ortum mictum cruentum, succus plantaginis cum Rhabarbaro assumptus commendari solet ad exulcerationem renum & vesicæ; Vel *Pilulæ Barbette in Chirurgia lib.*2. *cap.*11. sunt optima remedia; Oleum verò & spiritus terebinthinæ, & Balsamus sulphuris terebinthinatus, sunt nimis acria. Unde potius terebinthina recens, vel cum vitello ovi soluta, vel cum ovo sorbili aut cum vitello ovi, & aqua fragor. in formam Emulsionis aut misturam lacteam redacta.

Denique hisce externè subjungatur usus pulveris sympathetici, vel caput mortuum vitrioli non adeò exactè calcinatum.

Quod si ex renum & vesicæ vitio erosæ aut exulceratæ mictus cruentus oriatur, præter ea interna, quæ hactenus suo loco fuerunt recensita, speciatim conducunt *injectiones* similes in vesicam, quales *suprà Sect.* 18. *cap.* 1. *artic.*13. *in vesicæ exulceratione* laudavi. In specie

℞. *Aquæ plantag.* ℥ij.
Trochis. de carabe ℨj.
Misc. f. Injectio: S.
Injectio adstringens.

Vel fiat *injectio* etiam in exulceratione vesicæ non incongrua:

℞. *Herb. Agrimon.*
Equiseti.
Plantag. an. Mß.
Rad. liquirit. mund. ℥ij.
Decoqu. in *aqua beton.* vel potius in *aqua chalyb. ferrar.* (fit etiam aqua vitriolica)
In Colat. ℔ß. dissolve
Mell. rosat. ℥j. vel ℥iß.
Ess. resin. aloes cum *Spiritus vini* extr. ℥iß.
M. S. *Injectio purificans.*

De quo æger singulis horis portionem per syringam injiciat.

Huc etiam referendi Clysteres terebinthinati pro injectione in vesicam, quos descriptos reperietis *suprà Sect.* 9. *cap.*5. *Artic.*1. *ubi de dysenteria*: Imò solum lac, cui terebinthina cum vitello ovi soluta, permista cum pauco saccharo, pro temperandi & leniendi scopo sufficit. *Fortior* est *Injectio* ex *Emulsione papaveris albi cum lapide hæmatite præparata*, *vel succus plantaginis cum pulvere lapidis hæmatitis* per syringam injectus. Si à calculis & arenulis fit sanguinis mictus, quomodò curandus, vid. RIVERIUS *in Praxi*.

Quod si fiat, ut sedato mictu cruento, ac etiam purificato ulcere renum vel vesicæ, *sanguis congrumatus* adhuc *hæreat in vesica*, *tunc*, ne hic ipse suppressionem urinæ inferat, dissolvendus est per remedia appropriata; quæ tamen non nimis citò danda, ne aperiantur denuò vasa. In quo casu imprimis *succinum*, quod sanguinem coagulatum dissolvit, & cruentum cohibet, & omnia succinata, præ cæteris sunt egregia, quæ sanguinem resolvunt, & eundem fluentem sistunt.

Cætera *vid. suprà*, *Sect.*18. *cap.*3. *Artic.*1. *ubi de Hæmorrhagia.*

CAP. II.

DE

URINÆ PER VESICAM EXCRETIONE LÆSA.

Urina ex renibus secreta & alterata *in vesicam per ureteres destillans*, tamdiu ibi continetur, donec vel *nimia copia* vesicam distendens, vel *acrimonia* suâ eandem irritanâ, sui excretionem urgeat, unde aperto sphinctere in collo vesicæ hæc sui constrictione urinam expellit, idque secundùm liberum voluntatis arbitrium.

Læditur autem hæc urinæ per vesicam excretio juxta læsam urinæ in renibus secretionem tribus præterpropter modis:

1. Quando omnino urinæ excretio *abolet ur*, & urina supprimitur: id quod fit in *Ischuria*, *vitio vesicæ contracta*.
2. Vitiatur urinæ excretio, quando eadem *augetur* certo sensu, id est, quando à dormientibus aut vigilantibus urina involuntariè effluit, ut in urinæ *Incontinentia*.
3. Denique, quando *depravatur* urinæ excretio ita, ut hæc ipsa cum doloris & ardoris sensu non absque ægri nisu & conatu fiat, ut in *stranguria* & *Dysuria*, & similibus affectibus.

ARTICULUS I.

DE

URINÆ EXCRETIONE ABOLITA.

MEMBRUM I.

DE

ISCHURIA VESICALI.

CAUSÆ.

Quod *suppressam urinæ excretionem* seu Ischuriam vesicalem: hanc suprà nunc *ex vitio renum*, nunc *ex vitio Vesicæ*, oriri assertum fuit.

Supprimitur urinæ excretio, seu fit *Ischuria vitio vesicæ*, vel vitio vesicæ urinam non emittentis, vel *vitio canalis urinarii*, urinam non transmittentis. Requiritur autem ad naturalem urinæ excretionem

1. Urinæ consistentia, de qua in Ischuria vitio renum jam actum.
2. Urinæ præsentis stimulus.
3. Vesicæ ab urina stimulata contractio.
4. Relaxatio musculi sphincteris orificium vesicę stringentis.
5. Meatus patulus, per quem urina excernitur.

Vesica non emittit urinam, vel quia ipsa se non stringit pro illius excretione, vel quia sphincter ejus pertinaciùs se clau-

claudit. *Non stringit se vesica*, vel vitio quasi paralytico, vel vitio relaxati fibrarum toni, quando nempe est nimis distenta: Canalis verò non emittit, quando est obstructus ab intra, aut quando est compressus ab extrà.

Vesica fit quasi *paralytica*, quando sensus & motus ejus constrictivus est torpidus, ita, ut quamvis vesica plena ac urinæ copiâ distenta sit, non tamen sentiat stimulum urinæ; aut quando vesica se contrahere, & ita urinam expellere nequit. Nam notum est, quod media membrana sit fibrosa, & gaudeat motu peristaltico naturali. Quod si ergò fibræ fiant ineptæ contractioni, tunc vesica non potest exprimere urinam, utut aliàs se sphincter laxet. Id quod fit vel universaliter, ver. gr. in moribundis; vel particulariter, ver. gr. à medullæ oblongatæ parte inferiore, aut nervis læsis, iis nempe, ad vesicam qui derivantur. Sic enim AMATUS LUSITANUS *Cent.* 4. *Obser.* 10. observat suppressionem urinæ propter vesicæ resolutionem seu paralysin ex diuturna mora in aqua frigida contractam. *Facit etiam huc læsio nervorum vesicæ* constrictioni inservientium, sub inepta testis extractione, unde dolorosa mictio, & ferè urinæ suppressio inducta fuit, teste Hildano Cent. 4. Obs. 61. Sic pariter ZACUTUS LUSITANUS *l.* 2. *Med. Princ. Histor. pag.* 146. ex torpido vesicæ sensu urinæ suppressionem notat. *Quò etiam pertinent vertebrarum luxationes*, aut *ictus*, aut *lapsus*, aut spinalis medullæ *vulnera* isto in loco circa os sacrum, unde nervi ad vesicam distributi maximam partem prodeunt, quibus compressis vel laceratis, non percipitur urina stimulans, & sic non emittitur urina: vid. GALENUS *l.* 6. *de loc. aff. cap.* 4. *Facit huc*, quod aliquando *observavi in viro*, qui non aut saltim difficulter urinam poterat emittere, priusquam manu regionem ossis sacri probè fricaret, tunc urinæ sequebatur fluxus. Forsan *usus flagrorum in re venerea* negotium hoc illustrat.

Quoad distensionem nimiam vesicæ: lædit hæc necessariò fibrarum ejus musculosarum tonum, propter quem eadem se ampliùs contrahere nequit; siquidem distentę nimis, & ita quodammodo laceratę fibrę musculosę, ita propter urinam copiosiorem diutiùs retentam, ita in suo tono læduntur, ut nimis distentę fibrę amplius vesicam contrahere nequeant, & quamvis tota repleatur vesica, nil tamen omninò excernere valet: ex. gr. quando pudibundi nolunt justo tempore emittere urinam, fit, ut posthinc vesica in tono debilitata se nequeat contrahere, & ita urina supprimatur: qualia exempla refert SCHENCKIUS *lib.* 3. *Observat.* 5. *pag.* 484. ubi notat Ischuriam periculosam ex eadem causa nimis diu in vesica cohibitam; sicut similem Observationem habet FORESTUS *lib.* 25. *Obser.* 14. Unde æger, quoties volebat urinam emittere, toties manibus calefactis abdomen comprimebat, & ita urinam exprimebat, Quod malum, utut apparenter leve videatur, nihilominus tamen ordinariè ferè *inflammatio vesicæ*, & hinc *gangræna* lethalis supervenit. Videatur FORESTUS *l. a. Observat.* 2. *in Schol.* GALENUS *l. a.* PANAROLLUS *Pentec.* 1. *Obs.* 72. HILDANUS *de Lithiasi cap.* 3. PARÆUS *l.* 16. *cap.* 48. & RIOLANUS *Encheirid. Anat. Pathol lib.* 2. *cap.* 3.

Huc quoque faciunt vermes in vesica stabulantes, lancinando & pungendo fibras vesicę irritantes, hincque suppressionis urinæ autores: vid. SCHENCKIUS *l.* 3. *Observat.* 312.

Pertinent etiam huc vesicę ulcera & vulnera, ejusque laceratio & erosio, item inflammatio (vid. FORESTUS *l.* 25. *Obs.* 27. & 28.) quę vim ejus constrictoriam turbant; tunicarum vesicam constituentium induratio seu soliditas prętematuralis (vid. BONNETTI *Sepulchretum lib.* 3. *Sect.* 24. *Obs* 16.) & paralysis seu laxitas involucri ejus carnosi, v. g. à coitu nimio; vid. BALLONIUS *Epidem.* & *Ephem. l.* 2. *pag.* 156.

Musculos quoque abdominis, dum quacunque de causa non sufficienter contrahuntur, & vesicam comprimunt, Ischuriam excitare posse non improbabile est; quod de tumoribus eorundem Hildanus Epist. 56. suspicatur.

Quoad sphincteris vitium; hujus debita *relaxatio* atque colli vesicę apertura deficit, quando hic *spasmo* quasi affectus, pertinaciùs se stringit: Id quod interdum observare datur in doloribus abdominis spasmodicis, quorum occasione subinde sphincter stringi, & urina supprimi potest, uti hoc *in colicis convulsivis* subinde observavi, atque imprimis *in dolore abdominis scorbutico*: Item *in dolore nephritico*, ceu non rarum pathema pluribus deducitur à DRAWIZIO *Tract. de Scorbuto cap.* 9. *pag.* 354. & WILLISIO *de Anat. Brutorum lib.* 12. *c.* 15. Ischuriam, qua cervix vesicę obturatur à calculo, BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Epist.* 86. annotavit. Forsan huc *cantharides* pertinent, utpote de quibus refert Dn. D. FEHR *de Scorzonera pag.* 88. & 133. quod ex Vesicatoriis, suris admotis, urinę suppressio nata fuerit: nempe stimulo continuo & irritatione sphincteris vesicæ, adeoque superveniente convulsiua ejusdem strictura, vel ex nato irritationis vicinarum partium tumore, & hinc colli vesicę & meatus urinarii compressione, Ischuria talis originem traxisse videtur.

Quoad vitia canalis seu *meatus urinarii*, urinam non transmittentis, ea sunt varia: imprimis se offert ejus *angustia* variis ex *causis* enata. Est enim angustatus vel obstructus ab intra, idque frequentiùs à calculo vesicę eandem infarciente, quod frequentius: vid. ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Admir. lib.* 2. *Obseruat.* 75. 76. & 77. Item *caruncula* seu verruca post exesam in aliquo loco urethram, ex quo erosionis loco caro parua, verrucę instar, plus minus dura & sensilis, enascitur, urethram penitus occludens; quę caruncula frequentissimè gonorrhœam diuturnam virulentam insequitur, & per *catheteris uel candelæ* impositionem, ubi sita sit, optimè cognoscitur: qualem ex uesicę fundo ad urethram exsurgentem, hancque constipantem, in fœmina quadam SYLVIUS *Pr. lib.* 1. *cap.* 57. §. 7. annotauit: Ischuriam quoque à carunculis urethrę cauitatem occupantibus refert RIVERIUS *Cent.* 1. *Obseruat.* 81. Referatur etiam huc scirrhus oui gallinacei magnitudine collum uesicę obturans, quem HILDANUS *Cent.* 2. *Obseruat.* 65. describit: uid. BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 52. FORESTUS *lib.* 25. *Obseruat.* 10. RIOLANUS *Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 28. aut alter ille, cujus *de Lithiasi cap.* 3. meminit. Item *pituita uiscida* & glutinosa, quod recens natis solenne; siue colligatur in uesica ex renibus & ureteribus è calculo lęsis, siue cum urina eò deferatur uitio digestionis primę; obstruit meatum urinarium, & Ischuriam infert. Quò facit nimia crassities lactis nutricis, Ischuriam in puero quodam inducens: uid. AMATUS LUSITANUS *Cent.* 6. *Obseruat.* 12. *sic* ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Pr. Admir. Obseruat.* 64. urinę suppressionem lethalem à filamentis crassis instar calami scriptorii inductam refert. Et sanè, quicunque humor uiscidus in uesicam delapsus, angustant meatum, obstructionem infert: Inter quos humores sępè etiam *sanguinis grumi* in uesica urinaria restitantes, (uid. GALENUS *lib.* 6. *cap.* 4. *de Loc. aff.*) item pus crassum ex uesicę ulcere uel renum, uel aliarum partium eò delatum, & circa uesicę collum collectum, obstruendo urethram inferunt Ischuriam periculosam. Quin & quęcunque comesta, quę promptè cum urina potus ad loca urinaria mouentur, aut *ualidiora diuretica* intempestiuè assumpta, nempe uel mox post alimenta, uel antequam primas uias abstergentia præmissa sint, subindè Ischuriam inferunt, dum occasione celerioris & copiosioris seri urinarii secretionis tanquam uehiculi nutrimenti & excrementi unà chylosa cruda, aut etiam alia contenta uiscosa seu pituitosa, ad loca urinaria rapiuntur, ibique mediante obstructione urinam supprimunt. Sic etiam *ex potu uini recentis*, nec ritè defæcati, partim renes partim ureteres infarcientis urinę suppressionem obseruauit HILDANUS *Cent.* 4. *Obseruat.* 52. qui etiam obseruat periculosissimam urinę suppressionem *ex usu terebinthinæ post cibos* crudos & uiscidos assumptę *Cent.* 5. *Obseruat.* 59. Ab extrà uerò compressus est meatus urinarius propter tumores in ejusdem radice obortos, quos inter eminent *tumores prostatarum glandulosarum* in collo uesicę collocatarum seu sitarum: Fit nempe nonnunquam, ut post nimium exercitium Venereum supprimatur urina, quale exemplum habet FORESTUS, PLATERUS *in Obs p.* 261. HILLFRIUS *Cent.* 1. *c.* 17. & RIOLANUS *l. a.* nec non RHODIUS *Cent.* 3. *obs.* 37. Nam tumefactę spongiosę prostatę seu glandulosę, si diutiùs subsistat tumor, necessariò comprimunt urethram, & ita impediunt urinę transitum. Sic, *cùm essem Romæ*, mortuus est Princeps Tuscianus ex contumacissima *urinæ in uesica suppressione*, cum graui dolore, quam neque *catheter*, neque *candela cerea*, neque res ulla alia prolicere poterat: post mortem, cadauere aperto, nihil uitii in meatu

meatu urinario aut vesica inventum fuit, præterquam inflammatio, & tumor durus prostatarum ad radicem penis sitarum, observatus fuit, à quo tumore lethalis urinæ suppressio exorta fuit. A scibus nimiùm induratis SCHENCKIUS Ischuriam obseruauit *lib.* 3. *Observ.* 8. *pag.* 485. Tandem *inflammatio colli vesicæ*, vel inflammatio etiam *perinæi*, quatenus angustat meatum urinarium, etiam urinæ suppressionem infert. Exemplum tale legitur in ZACUTO LUSITANO *lib.* 7. *Med. Princ. Histor. pag.* 149. & 150. Ischuriam de tumoribus vesicæ cervici adnatis habet M. A. SEVERINVS *de Abscess. pag.* 276. BARTHOLINVS *Cent.* 1. *Epist.* 23. & RIVERIVS *Pr. lib.* 14. *cap.* 8. Item, dum urethræ canalis post vulnera aut ulcera coalescit; aut, quod HILDANVS *Cent.* 6. *Observ.* 49. addit, quando idem canalis in decrepitis concidit, ut anfractuositates & obstacula talia per catheterem se interdum deprehendisse testetur, Ischuria fieri solet. PLATERVS *lib.* 3. *Observ. pag.* 564. refert, glandem penis à præputio ita fuisse occlusam in recens nato infante, ut ne quidem guttulam lotii reddere potuerit. Similes historias videb. in BONETTI SEPULCHRETO *pag.* 1237. Nec dubium est, simili urinæ suppressione urgeri fœminas, quas atretas vocant, si vel à nativitate vel alio errore vulva occludatur in totum.

Hæc de Causis.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa*: Ischuria vesicalis à renali distinguitur, quod in hac aut vitio ureterum nulla gravitas, nulla tensio, nullus dolor circa pubem percipitur, adsuntque potiùs renum & ureterum afflictorum pathemata. Contrà, *si vitium in vesica hæreat*, atque ea urinâ repleta sit, quam excernere non possit, tumor & protuberantia circa vesicam contingit; æger quoque, quamdiu vesicæ sensus salvus est, de tensione & dolore molestissimo, & insigni urinam emittendi nixu, frustraneo tamen, conqueritur; ac Medicus, si regionem vesicæ contrectet, tumidam eandem, sed non absque insigni dolore, percipit. Ischuria hæc ex vitio vesicæ eveniens, malum est per se facilè cognitu, saltem causarum primarum perscrutatio necessaria est, ac imprimis causæ antecedentis, unà cum modo afficiendi, quomodo nempè talis causa prima Ischuriam inferre queat.

Causas has dignoscimus partim ex vesicæ aut aliarum partium vicinarum affectuum signis, partim ex rebus præгressis & concomitantibus. Attentus ergò sit Medicus ad investigandam causam proximam Ischuriæ: e. g. Vitium vesicæ paralyticæ latere nequit ex indolentia & insensibilitate vesicę, vel regionis vesicę, licet distentę.

Vitium fibrarum distentarum latere nequit ex eo, quod urina anteà fuit nimis diu retenta, & quod admotâ licet syringâ nihil effluxit, postmodùm verò, compressâ regione pubis manu, urina profluxerit.

Causam veram verò esse in occluso plus minus meatu urinario seu urethra, ex eo patet, quod ingens tumor in pube, ubi sita est vesica, isque admodùm dolorificus, in ea percipiatur, & quod ex levi loci tumentis compressione hic dolor insigniter exasperetur.

Si adest insensibilitas vesicę, vel dolores circa os sacrum, signum est oriri ex vesica ipsa: si præcesserit nimia vesicę distensio à retentione urinę, hærebit vitium in vesica ab atonia contractum. Unde verò fit angustatio meatus urinarii, ex adjunctis & antecedentibus conjecturare licet: nempè ex signis calculi vesicę, ex mictu cruento antecedente, ex casu ab alto, vulnere, ruptura partium vicinarum, &c. quę suspicionem de sanguine congrumato & extravasato inferre possunt. Materia viscida sępius cum urina excreta, aut etiam pus, obstruere meatum ostenditur, si ęger solitus sit cum urina subindè talem materiam rejicere, quod malum hoc subindè soleat recurrere. *Indicium* hujusmodi suppressionum, præter tumorem & dolorem vesicę ex repleta urina, optimè suggerit *catheter*, qui intrusus per sphincterem vesicę penetrat, & ita aperiendo meatum urinarium, & removendo impedimenta, urinę fluxum promovet: Vid. RIVERIUS *Pr. l.* 14. *c.* 8.

PROGNOSIS.

Quoad *prognosin*: *Suppressio omnis urinæ* malum est periculosum, & quò diutiùs durat, eò est gravius, quia acutum dolorem, sępè inflammationes, & interdum ex nimiis doloribus epilepticas convulsiones infert, utplurimum die 11 necat.

Melius tamen est, si ęgri ex urinę suppressione percipiunt dolorem: Nam retentio urinę totalis in morbo sine dolore, instantis mortis solet esse signum; innuit enim jam deficientem vim sensibilitatis corporis.

Ista, quę fit ex vesicę paralysi Ischuria, item, quę *ex nimia corporis eius distensione* oritur, contumacissima, & sępiùs periculosissima esse solet: Vid. PANAROLLUS, & HILDANUS *l. a.*

Pari ratione se habet, quę à scirrho cervicis, aut partis cujusdam vicinę tumore incurabili oritur, collum sc. & meatum urinarium constipante aut comprimente.

Breviùs morituros denotat tenesmus & singultus.

Contrà frequentiùs solvitur ea, quę à grumo calculove minore inducitur.

CURA.

Quod ergò attinet *Curam*: in hac varietatis causarum imprimis habenda est ratio: Unde

1. Hę ipsę, impedientes transitum urinę, imprimis removendę.
2. Interna diuretica, præsertim salina, seu urinam acrimoniâ suâ promoventia, propinanda.
3. *Externis* vesica subinde stimulanda.

Sin ergò malum est *à vitio nervorum*, vel *vesicæ minùs sensilis*, vel aliàs *quasi paralyticæ*, conveniunt Nervina intrinsecè ęquè propinanda, ac exteriùs admovenda: internè e. g. *malvaticum iuniperinum*, *oleum destillatum* baccarum *iuniperi*, succini, *aut terebinthinæ* conveniunt, idque ad imitationem THONERI *in Obs. pag.* 175. qui Ischuriam & stranguriam gravissimam ab intemperie frigida & humida cum humoribus phlegmaticis, præmissis internis, curavit per oleum destillatum succini ad gtt. vj. cum aqua petroselini. Item conueniunt aselli. Quò etiam spectat cerebrum picarum à RIVERIO *Obs. communic. pag.* 340. laudatum. Injiciendi sunt *Clysteres*, primò quidem blandè *emollientes*, ex parietaria, &c. quale dedi in Cura calculi Renalis Cap. 1. Membr. 1. postmodum etiam *acres* ex *centaurio minori*, *colocynthide* & similibus; aut administranda blanda *Purgantia*, quę aluum stimulare, & per consensum simul vesicam ad excretionem urinę plus minus irritare ualent: Vid. LANGIVS *in Misc. Med. Gymnasm.* 6. *pag.* 14. ubi laudat Autor hic Clysma in casu suppressę urinę uitio uesicæ. Item comprimatur abdomen, detineatur anhelitus, ut ita ui quasi urina proliciatur: quod nisi urina spontè sequatur, *catheter* usurpetur, ut ejus medio urinæ patefiat exitus. Sed quoniam grauia & periculosa subinde symptomata vel ineptè vel crebriùs usurpatus catheter inferre potest, de quo vid. LYSERVS *in Obs. pag.* 250. item PANAROLLVS *Pent.* 2. *Obser.* 20. tutior est *candela cerea*, *melle* aut *oleo amygdalarum dulcium* illita, si immittatur ad imitationem SYLVII *Tract. de cachexia* §. 275. vel usurpetur *fistula membranacea seu coriacea* ad imitationem HELMONTII *Tract. de lithiasi cap.* 7. §. 34. mediante qua simul per *siphonem* applicati liquores commodè possunt injici, ut ita istis mediis retenta proliciatur urina. Prolectâ sic urinâ, *injiciatur* vesicæ liquor decoctionis salviæ, origani, pulegii, calaminthæ, rutæ, florum tiliæ, rosarum, castorei, ac similium nervinarum, antiparalyticarum, ut sensus & motus vesicæ redeat: Item applicanda sunt Fomenta ex decocto similium Nervinorum cum anetho, chamomilla, abrotano, parietaria & similibus in Aqu. vel vino cocta: vel fiat *Fotus ex Decocto*:

♃. *Herb. parietar.* M. iv.
Sem. anisi,
Petrosel. an. ℥ j.
Herb. filipend. rubr. M. j.
Zedoar. ʒij.
Bacc. lauri ʒj.

Decoqu. omnia in *vino* vel *Aqu.* & vel instar *fotus* applicantur *cum spongia* aut linteolis multiplicatis, vel infunduntur in vesicam.

Proficuum est in quavis ferè Ischuria vesicali.

Vel etiam *folia tiliæ* in vino cocta, & super pectinem imposita subitò urinam proliciunt. Vel apponitur *Cataplasma ex parietaria* cum *oleo scorpionum*, quod ipsum aliàs est egregium in quacunque urinæ suppressione. *Litus* item ex oleo scorpionum, castorei, nardino, rutaceo, hyperico, oleo destillato juniperi, terebinthinæ & similibus regioni pubis & perinæi commodè illiniri potest, etiam circa os sacrum: Item *unguentum dialthææ cum oleo scorpionum* mistum pubi, vel lumbis illinatur, addito petroleo. Denique *oleum mastichis destillat.* umbilico inunctum remorantem urinam promovet; e. g.

℞. *Vngu. dialth.* ℥ß.
Olei scorpion. ʒij.
M. D. S.
Vnguentum urinam promovens.

Illinatur pubi ac pectini.

℞. *Vngu. dialth.* ℥ß.
Olei scorpion ʒij.
Destill. bacc. iunip. ʒß.
M. S. ut antè.

Quo illinatur regio pubis.

Item conveniens est Emplastrum nervinum applicatum regioni ossis sacri & pubis, malaxatum priùs cum oleo destill. succini.

Tandem, ubi in graviori vel pertinaciori malo nec hæc suffecerint, *Insessus & semicupia* ex *emollientibus & nervinis* appropriatis, ex materia Medica notis, instituantur, quibus insideat æger, exhibendo paulò ante insessum blanda *diuretica*, v. g. aliquot guttas olei destillati succini vel terebinthinæ, aut aliquot grana salis volat. succini in aqua seu spiritu juniperi, vel alio liquore appropriato.

In *ardentibus aut malignis febribus si suppressia sit urinæ*, vel ægri aliquandiu circumducendi sunt deambulando (conf. SYDENHAM *in Observ. de Morbis acutis pag.* 212.) vel illinatur regio pubis cum *unguento iam dicto*; vel imponantur fomenta & cataplasmata.

Si fiat suppressio urinæ ex extensione vesicæ nimia, præter blandiorem compressionem cum manu, in specie conveniunt externi similes *fotus* nervini *ex parietaria*, *anetho*, *floribus chamomillæ*, *millefolio*, *origano*, *pulegio*, *meliloto*, *semine lini*, *fœnu græci*, & similibus: Item *cataplasma ex chærefolio*, *parietaria & petroselino*, in butyro frixis, quod expertum est à SIMONE PALVI *in Quadrip. Botan. pag.* 175. Vel cataplasma ex parietaria, & cepa cum oleo scorpionum pectini impositum egregiè prodest: item Cataplasmata *ex cepis*, *vel parietaria*, de quibus infrà, applicari possunt, si priùs *modis supra dictis* per *catheterem*, &c. urina fuerit evacuata. Fiat quoque Litus ex oleis destill. aromaticis, cumini, terebinthinæ & juniperi; vel emplastrum de meliloto, malaxatum dicto oleo, applicetur regioni pubis.

Quod si vitio sphincteris supprimatur urina, *litus* in perinæo & pubis regione ex *Vnguento* nervino, *dialthææ cum oleo papaveris*, castorei ac succini confert, & applicetur totus ex nervinis recensitis. *Internè* verò simul propinantur *volatilia* antispasmodica *cum opiatis* mista: sed modò primarius curatus fuerit morbus, secundarium hoc symptoma sponte evanescit. Sic v. g. *si à cantharidibus* ortum fuerit, *lac*, & *emulsiones* lacteæ, sunt optimæ.

Si ab *hæmorrhoidum intumescentia*, *aut prolapsu sinus pudoris*, *hernia*, inflammatione vesicæ, partiumque vicinarum, similibusque tumoribus dissolubilibus, fotibus appropriatis removeri debent.

Quod si obstructa sit urethra, tunc pro diversitate causarum vel materiæ effluentis, varianda remedia. Nam si sit à grumo sanguinis, dentur internè hunc resolventia, ac in specie solutio lapillorum cancrorum in aceto, cum decocto radicis rubiæ tinctorum, aut Krapp: item dandum Decoctum artemisiæ cum Decocto cherefolii, hyperici; vel mumia, myrrha, trochisci de carabe, sperma ceti, essentia cherefolii, essentia hyperici, essentiæ traumaticæ. Cum quibus jungatur Insessus aut fotus ex Decocto simplicium emollientium & resolventium sanguinis grumos, sicut propriâ experientiâ docet TIMÆVS von GuldenKlee *lib.* 3 *Cas.* 41 quales sunt optimi in sanguinis grumis, vel aliis irritis in sanguinis grumositate vesicam obstruente. *Externè* expertum remedium est in grumis sanguinis stercus bouinum, quàm recentissimè adhuc excretum, pectini, pudendo, & perinæo applicatum; hoc ipsum enim euporiston discutit & emollit sanguinem, quo resoluto emanabit urina; si desit *recens* stercus, adhibeatur siccum, oleis appropriatis ad ignem permistum: Vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Adm. Obs.* 65.

Quod si malum sit ab *urethræ obstructione* à materia viscida & mucilaginosa, post purgans blandum conveniunt internè *Raphanacea ex armoracia*, *raphano communi*, terebinthina cum pulvere liquiritiæ frequentiùs exhibita, Decoctum aperiens & diureticum superbibendo; item succus parietariæ, & similia Incidentia; item spiritus gummi ammoniaci compositus, qui est optimus; aut etiam spiritus salis dulcis, qui etiam est egregius: Nam simul urinam stimulat. Imprimis *succus limonum* vel citri ad ℥iij. vel jv. usurpatus: appropriatissimum est remedium vid. AMATVS LVSITANVS *Cent.* 5. *Cur.* 71. Vel ad imitationem RIVERII *in Obs.* 42. à FOMIO *communicata*:

℞. *Vini albi dulc.* ℥iij. vel iv.
Succ. limon. ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij.
Spiritus terebinth. ʒj. ad ʒij.
Misc.

Mucilaginem dissolvit, & urinæ transitum parat.

Item *succus parietariæ cum oxymelite* experimentum est HELIDÆI PADVANI &c. FORESTUS ceu singulare experimentum commendat folia ribes nigræ, ut nempè Decoctis urinam cientibus debeat addi: Hæc enim folia adeò pellere urinam, ut etiam sanguinem proliciant, res est probabilis; Nam ipsa folia odorem urinæ fœtidissimum obtinent, ita, ut nulla matula sit adeò fœtida, quàm hæc folia.

Si malum *sit ex tumoribus prostatarum circa radicem urethræ*, præter cataplasmata cepacea & alliata, prodest beccabunga cum floribus chamomillæ, instar fomenti aut cataplasmatis, regioni perinæi & vesicæ applicata.

Si pus tenacius obstiterit, *succinum cum vino* propinatum est egregium remedium; item Succinata, balsamus sulphuris succinatus, terebinthinatus, & oleum juniperinum, succini, & similia ferè, quæ modò circa grumos sanguinis fuerunt insinuata, sunt egregia; imò etiam vesicæ injicienda: cum quibus simul debitus catheterum usus non negligendus, qui tamen, ubi vesica simul, aut aliàs, inflammata, locum non habet.

Quod si supprimatur urina à caruncula inter meatum urinarium genita, hæc quantocyus removenda est; illus erosio & ablatio tentanda, methodo ab AMATO LUSITANO *Cent.* 4. *Obs.* 14. delineatâ. Convenit in specie sequens:

℞. *Merc. præcipit.* ʒij.
Vngu. de cerus. ℥iß.
Misc. pro Linimento.
Pro magnitudine affectus aliquid *olei vitrioli* addi potest.

Supra *ceream candelam* ponitur, & hoc ipso caruncula aliquoties, sed modestè, in die attingitur: vel *Merc. præcipitatus dulcificatus seu Turbith minerale cum emplastro triapharmaco candelæ cereæ* apponitur, & dicto modo usurpatur: Vid. VELSCHIVS *Mistomm. Cent.* 1. *Obs.* 54. *annex. M. A. N. C. Ann.* 4.

In malo leviori *candela ex cera alba*, cui admiscetur *antimonium crudum pulverisatum*, vel, qui melior, *crocus metallorum*, leviter aufert carunculam. Quod si gravius aut pertinacius fuerit, *magma ex Mercurio sublimato & viridi æris* cum cereo applicetur: Conf. *M. A. N. C. Ann.* 8. *Obs.* 92. *pag.* 152.

Observandum autem, ne virgæ aut candelæ fint ex pura cera, quia facilè nimis franguntur, sed admiscenda est *terebinthina*.

℞. *Ceræ albæ* ℔j.
Terebinth. Venet. ℥j.

Liquefiat *cera*, post addatur *terebinthina*: quibus liquatis tingantur *ellychnia*, fiantque *candelæ*.

Vnguentum de calce viva, *fuscum Felicis Wurzii*, *cum melle rosato* etiam carunculam absumit: Conf. BARBETTE *in Chirurg. pag.* 269.

Quod si exesa fuerit carnucula, pro consolidatione relicti ulcusculi *unguentum album camphoratum* immissum consolidat.

Applicentur tamen *candelæ corrosivis imbutæ* cautè, ne ex nimia corrosione gangræna oboriatur, cujus exem-

exempla videb. in LUSITANI *Observ. pag.* 250. Cætera pro hoc scopo usitata remedia videb. in SENNERTO *lib.* 3. *Prax.* item BORELLO *Cent.* 2. *Obs.* 79.

Externè in quacunque Iscuria convenientissimus est fotus suprà laudatus ex semine anisi, petroselini, & similibus in vino coctis, hinc remedia ex *alliis* & *cepis* cum oleis, coctis aut frixis, pubi aut pectini applicatis, Iscuriam vesicę optimè tollunt. Cepæ albæ concisæ in vino decoctæ, instar fomenti applicentur; vel

℞. *Cepa sub ciner. cocta*:
adde
Pingued. anser. ℥ß.
Misc. sub forma Linimenti : S.
Unguentum urinam promovens.

Illinatur hoc ipsum umbilico & pubi; subitò enim promovet urinam. Probatum hoc est in multis casibus, & aliis nil juvantibus. Conveniens etiam est perinęo applicatum, si à Veneris abusu suppressa sit urina, prout in tali casu expertus est HILLERIUS *Cent.* 1. *Cur.* 17. Vel

℞. *Cepar. alb. crud.* Num. vj.
Cap. allii Num. ij. vel iv.
Contusis in mortario adde
Pingu. anser. q. s.
Olei scorpion. parum.
Adspergantur aliquot guttulæ *olei destillati juniperi*.
Misc. pro Cataplasmate.
D. S.
Cataplasma urinam promovens.

Applicetur regioni renum & pubis.

Post hæc egregium etiam est *Cataplasma ex parietaria* (intelligo semper eam, quę crescit in parietibus antiquis propter rationes suprà dictas) contusa, cocta cum cepis & cum *oleo scorpionum* instar cataplasmatis pectini imposita, quod experimentum singulare est HELIDÆI PADUANI. *Me rarò fefellit*, dicit FORESTUS *lib.* 25. *Obs.* 8. Vel decoquatur Parietaria, cum vino, & subigatur cum cepis in formam Cataplasmatis; Vel

℞. *Herb. Parietar.* M. ij.
Cherefol. M. iß.
Flor. chamom. M. j.
Incisa coqu. ad mollitiem, adde
Butyri rec. ℥ij. vel ℥iv.
Olei scorpion. ℥ß. ad ℥iß.
M. f. Cataplasma
D. S. ut *suprà*

Applicetur calidè pubi, & desuper operculum calidum. Hoc ipso Ischuriam puerperæ ex *frigore subitaneo* desperatam curavit FORESTUS: Vid. l. a. Notabilis est casus.

Tandem etiam in Ischuria ex vitio vesicæ convenit Litus externus cum oleo amygdalarum amararum; item cum oleo nucleorum Persicorum; item fiat linimentum cum unguento dialtheæ, & oleo nucleorum persicorum, oleo scorpionum, acuato cum aliquot guttis olei destillati terebinthinæ, succini & similibus, regioni pubis, perinęo & umbilico inungendum, de quo *suprà dictum*.

Vel
℞. *Olei petræ albæ* ℥iß.
Destill. bacc. junip. ʒß.
Excip. cum s. q. *Unguent. dialth.* pro Litu externo;
D. S.
Unguentum urinam promovens.

Denique *oleum masticbis destill.* inunctum umbilico, remorantem urinam egregiè pellit. Tandem quorundam dicitur experimentum, ut ægro inscio immittantur pedes in aquam fervidam, seu benè calentem; sic enim perterrefactum ægrum subitò urinam reddere asserunt. Quod etiam prodesse dicunt in Tussi.

MEMBRUM II.
DE
CALCULO VESICÆ.

QVod si calculus vesicę meatum urinarium obturaverit, hic removendus venit. An unquam aliquis in vesica calculus producatur, dubitat FERNELIUS, omnemque, qui in ea reperitur, rudimentum suum in renibus traxisse, in vesica verò postmodum incrementum sumpsisse, putat, ideò, quod in contritis vesicæ calculis nuclei sæpiùs reperiantur, diversi à reliqua eorum crusta coloris ac substantiæ, nullusque observetur calculo laborans, nisi qui nephriticis doloribus vexatus fuerit. Et quidem *Calculi vesicæ* frequentissimè ex calculo renum primariam sui originem ducunt: conf. *M. A. N. C. Ann.* 6. *Observat.* 109. *pag.* 147. *Læsa enim ureterum tunica nervosa*, ipsâ etiam vesicâ calculi motu nonnihil attritâ, plorant hæ partes læsæ nutrimentum proprium sub forma mucilaginis crassæ & spissæ; quæ mucilago unà cum urina calculosorum excreta habetur vulgò pro pituita, ex qua per calorem arefacta generetur calculus, cum tamen reverà sit alimentum proprium ureterum ac vesicæ, in vesicæ cavum destillans, & ita concretum. *Hæc ipsa tamen mucilago*, ubi aliquantulum ejus subindè adhæret calculo renali eò delapso, in hujus augmentum cedit. Accrescentibus enim plurimis arenulis, aut advenientibus salibus coagulabilibus ex urina, simul in calculi consortium rapiuntur, & exindè *calculi vesicæ* augmentum oritur, *Hinc vesicæ calculi majores lamellatim concreti* reperiuntur, instar nempè ceparum cortice uno supra alterum concreto, facilè tamen à se invicem separabili. Siquis unquam vidit *lapidem bezoar*, vel *lapidem ex folliculo felleo bovis*, is tales lamellas pariter in calculo vesicæ inveniet, ita, ut in centro parvus lapillus, vel compactæ arenulæ reperiantur, quod eleganter declarat BOYLE *in Phil. Experiment. Confer.* & BORELLUS *Centur.* 2. *Observ.* 62. & VELSCHIUS *Hecat.* 2. *pag.* 32.

Nihilominus autem, utut frequentissimè rem ita se habere concedi debeat, id est plùrimi calculi rudimenta sua prima renibus debeant, in vesica verò morbosum incrementum recipiant; contrarium tamen quoque, id est, quamplurimos calculos ipsam etiam vesicam pro prima minera agnoscere diversa persuadent.

1. Quod multi pueri sine nephriticis symptomatis antecedaneis calculo laborent.
2. Plures etiam calculi è vesica protracti, quoad nucleum & corticem eundem substantiæ modum, quoad interiora & exteriora, habeant.
3. Calculus vesicæ non rarò adnascatur per tunicam quandam: vid. RIVERIUS *lib.* 14. *cap.* 2.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica calculi vesicæ sunt ferè difficillima, potissimùm in principio morbi; grandior autem redditus signa ferè faciliora præ se fert: vid. SALMUTH *Cent.* 1. *Obs.* 25. RIOLANUS *Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 24. HILDANUS *de Lithiasi vesicæ cap.* 3. & *Scholiographus* HOLLERII *lib.* 1. *de Morb. intemperiei cap.* 50.

Conjecturari interim licet calculum in uesica ex sequ. Nam percipitur imprimis impedimentum quodcunque in vesica, ita ut sentiant ægri quasi aliquod obstaculum, quod se opponit meatui urinario sub urinæ excretione, & in medio sui cursu urina subitò supprimatur, unde assiduus ad urinam mittendam stimulus, & summa mejendi difficultas & urinæ stillicidium.

Item *anus in consensum trahitur*, & unà tenesmo affligitur, quod unum ex potissimis est signis: Imò tenesmus hic interdum est tantus, ut ex crebriori egerendi conatu sæpius procidentiam intestini recti comitari soleat.

Ulteriùs ægri calculo vesicæ correpti percipiunt obtusum dolorem perinęi seu colli vesicæ, qui circa finem mictionis exasperatur; & si calculus majorem molem contraxerit, pondus in perinęo & tota pectinis regione.

In penis glande seu balano est *dolor* & pruritus ex continuatione membranæ internæ vesicæ ad glandem penis, ita ut ægri interdum putent, calculum hærere in balano seu glande: vid. HILDANUS *Cent.* 6. *Observ.* 49. hinc urinam redditurì glandem fricent, comprimant & protrahant.

Subindè continuam erectionem atque tensionem *penis* patiuntur, idque ex irritatione membranæ vesicæ internæ cum membrana meatus urinarii circa radicem penis.

Sanè HELIDÆUS PADUANUS ceu expertissima calculi signa vesicæ habet, præter urinæ difficultatem, si post mingendi desiderium etiam adsit desiderium excernendi fęces intestinorum, & si ægri, dum aliquem palum, & simile quid humo attollere volunt, dum se inclinant,

Injiciantur quoque clysteres, quorum formulas dedi suprà *Membro 2. Artic. 1. & 2. Capit. 1* ubi de Calculo Renum. Tandem si hęc irrita fuerint, opera danda erit, ut sectione remoueatur calculus. Sectio hęc ut peragatur, ex Chirurgicis petatur: cui addenda illa vesicę ceruicis perforatio, quam in desperatis RIOLANVS *Encheir. Anatomico-pathol. lib. 2. cap. 30.* & ZECHIVS *Consult. 58.* describunt & commendant. Facilè verò exscinditur calculus vesicę, & nullum subest periculum, nisi fuerit admodum ingens, aut metuenda vel uesicę inflammatio, vel superueniens gangręna lethalis, vel fistula post sectionem relicta.

Hactenus de calculo, occasione suppressionis urinę.

ARTICULUS II.

DE URINÆ EXCRETIONE AUCTA.

MEMBRUM UNUM.

DE URINÆ INCONTINENTIA.

In affectibus, qui in urinæ excretione læsa conueniunt, adhuc uersamur, & absoluimus jam abolitam uesicæ vitio. Contrarium huic vitium est *aucta seu frequens nimis urinæ excretio*, seu quando urina ad voluntatis imperium & arbitrium diu satis retineri nequit, & præter voluntatem effluit, quod vitium communiter aliàs dicitur Urinæ Incontinentia, seu *Involuntarium urinæ profluvium*.

Vitium hoc *duplici modo* affligit ægros: *aut enim dormientes* solummodò urinam continere nequeunt, ut in Lectimingis, seu iis, qui stragula permingunt: aut vitium hoc diurno pariter ac nocturno tempore infestum est, ita ut *vigilantibus* ac *dormientibus* æqualiter urina involuntariò effluat: Quò etiam spectat, si urina satis diu retineri nequeat, sed ad mictionem frequentiorem urgeat.

PARS AFFECTA & CAUSÆ.

Subiectum & Causa hujus affectus *proxima*, quam Veteres retentricem læsam ajebant, est deficiens constrictio sphincteris vesicæ: Sphincter enim musculus vesicæ est, qui fibris suis circularibus collum ejus inuestit, fortiter constringit, arctèque claudit, ita ut non, nisi voluntatis imperio relaxatus, urinæ transitum permittat; quando verò vis hujus constrictoria in fibrarum legitimo tono residens tollitur, vel vitiatur, eo ipso etiam urinæ Incontinentia adest. *Causa ergò proxima erit deficiens sphincteris Vesicæ constrictio.*

Causa Remota, per quam debita sphincteris hujus constrictio, modò sympathicè modò idiopathicè, deficit, est 1. *Paralysis* vel *Resolutio vitio nervorum eveniens*, sive uniuersalis totius corporis, siue partialis, solam vesicam & sphincterem afficiens, dum nempè ex impedimento neruis injecto spirituum animalium irradiatio debita fieri nequit. Si ergò ex quacunque causa, vel interna vel externa, læduntur nerui ad sphincterem abeuntes, eumque stringentes, spiritibus resolutis fibræ relaxatæ se minùs stringunt, & Incontinentia Urinæ infertur. Similiter quoque contingit hæc sphincteris resolutio interdum *à casu ab alto*, siquis ad regionem lumborum, ossis pubis, aut ossis sacri impingat, ubi nempè nerui ex spinali medulla deriuantur ad vesicam: sic *Luxatio* etiam *vertebrarum* in locis istis subinde urinæ incontinentiam infert, qualia exempla videb. apud SCHENCKIUM *in Obs. lib. 3. ex* BENIVENIO, & *in Observ. lib. 3.* ZACVTVM LVSITANVM *l. 2. Med. Princ. Histor. 143.* item refert AMATVS LVSITANVS *Cent. 2. Cur. 11.* de quodam, qui ex lapsu in dorsum urinam retinere non potuit, ex ultima vertebra affecta. Imò *diuturnior mora in aqua frigida* & ipsa resoluere sphincterem vesicæ, & sic urinæ Incontinentiam inferre valet. Pertinet huc, dum *morbis acutis*, ægrisque summè debilitatis, superuenit urinæ Incontinentia ex defectu spirituum animalium, adeòque viribus penèexhaustis: id quod & *apoplecticis* ordinariò ferè accidere solet, in quibus involuntariò & fęces alui & vesicæ effluunt.

Deficit etiam II. sphincteris vesicæ constrictio *ob fibrarum sphincteris etiam nimiam relaxationem*, siue *tonum omninò læsum*, idque sæpiùs propter nimiam distensionem, si nimiùm distendatur sphincter, ut non possit iterum in situm naturalem redigi. Causa hæc subindè affligit in specie mulieres primiparas in partu difficili, facto propter *nimiam fœtus magnitudinem*; hinc enim, dum fœtus eluctari nititur per istas angustias, vaginam uteri, & simul collum vesicæ, ejusque sphincterem, vaginæ uteri implantatum, nimis dilatando in causa est, ut sæpiùs postmodum urinam retinere nequeant. Exemplum tale recenset PLATERVS *in Observat. pag. 256.* de mictu involuntario, ob ceruicis vesicæ in partu dilacerationem, & quasi scissionem.

Tandem III. Quando fibræ sphincteris constrictoriæ omninò lacerantur, ac plùs minùs intensè læduntur, etiam cessat urinæ retentio. Fit hoc non tantùm in *vulneribus* istarum partium fortuitis, sed etiam imprimis in *lithotomia*, seu sectione calculi vesicæ, incautè instituta, fibrisque sphincteris in collo vesicæ plùs minùs discissis, ut ob id postmodùm retineri nequeat: exemplum videb. in SCVLTETI *Armament. Chirurg. Obs. 63.* Pertinet huc etiam obstetricum ineptitudo, quæ vesicæ collum aut carunculam myrtiformem majorem, orificio vesicæ præpositam, in parturientibus subinde digitis aut unguibus lacerant, & inde non rarò grauissimam Incontinentiam urinæ inferunt: Ut taceam *in difficiliori partu* rumpi quasi vesicæ sphincterem; vid. HEINRICVS *ab Heer in Observat. 14.* item SALMVTH *in Observat. C. 1. Histor. 39.* Fit hoc interdum etiam in mulieribus propter *prolapsum sinus pudoris*, in quo casu etiam ex dilatatione & relaxatione fibrarum membranæ vaginæ, simulque relaxatione fibrarum sphincteris, subinde urinæ Incontinentia oriri solet: Vid. BARTHOLINVS *Cent. 4. Histor. Anat. 2. pag. 213.* ubi urinæ Incontinentiam refert *ex ulcerę vesicæ* cum *prolapsu uteri*.

Cæterùm pertinet huc suo modo vitium istud, *quando urina satis diu retineri nequit*, cum quidem potest retineri urina, sed non satis diu, & subindè emitti necesse est, atque nisi hoc fiat, spontè effluit: id quod ferè propter continuum ac sensiliorem in vesica stimulum contingit; ita ut & sæpè & parum excernatur, absque tamen dolore in excretione, aut absque ulla molestia; sin verò retineri debeat diutiùs urina, tunc vesica doleat, aut irritata excretionem stimulet. Contingit hoc interdum in calculo vesicæ, qui incumbens collo vesicæ clauso, suâ mole aut asperitate, aliauè ratione continuò irritando, mictionem urget: item contingit hoc etiam interdum grauidis ultimis gestationis mensibus, dum moles uterina premit vesicam, aut subsidendo distendit vaginam uteri, sicque per consequens orificium vesicæ simul dilatat, unde continuus percipitur stimulus, nec sufficienter urina retineri potest.

Facit huc etiam vitium, quando excoriata aut exulcerata est vesica, in specie ejus orificium; sic enim ab excoriatione ad excretionem stimulata vesica urinam mittit, ut propterea frequentiùs & sæpiùs mingatur.

Denique etiam risus & *tussis* diuturnior & gravior ad hoc vitium disponit, dum ægri crebriùs tussientes simul urinam emittunt, quod etiam obseruauit SALMVTH *Cent. 2. Observat. 30.* item PLATERVS *lib. 2. suarum Observat.* in specie in mulieribus corpore magis obeso aut habitiori prçditis: nempè concutiuntur in tussi cum diaphragmate quęlibet abdominis partes internę, quibus concussis etiam vesica concutitur, & sphincter se laxat, idque eò magis, quò minus in obesiori corporis habitu partes externę cedunt, ut ita quasi impetu protrudatur tanquam ex siphone urina. Fit denique hoc etiam malum in casu, quando vesica ob suam angustiam seu natiuam paruitatem urinam multam, aut diu, retinere nequit, tàm natiuam sub prima generatione, quàm ascititiam propter tumorem vel proprium vel partium uicinarum, ex quarum compressione angustatur, ut urinam diu satis retinere nequeat, v. g. in inflammatione musculorum rectorum abdominis in pubis regione vęsicę superjacentium: vid. TIMÆVS *von gulden Klee lib. 3. Cas. 45.*

Hęc fuit *vera & propriè dicta urinæ Incontinentia*, vigilantibus pariter ac *dormientibus* conueniens.

Verùm, quoad impropriè dictam Incontenentiam Urinę, seu

seu quando interdum optimè retinetur urina, noctu verò *dormientes* saltem stragula permingunt, vitium istud aut est ex debilitate facultatis retentricis, ut vulgò loquuntur, rectiùs verò facultatis a nimalis, i. e. vel ex deficiente activitate, & ita torpore spirituum animalium, aut ex eorundem defectu, dum sc. hi aut deficientes aut torpidi non satis firmant tonum fibrarum sphincteris vesicæ constrictoriarum. *Unde videmus*, quod *in* specie *infantibus* aut *tenellis* propter spirituum torporem aut segnitiem vitium hoc frequens sit, dum nempè spiritus animales nequeunt validè per neruos ac fibras nocturno tempore irruere. Interdum etiam *senibus* in ultimo senio obuenit nocturna Incontinentia urinæ; quin & interdum morbis acutis superuenit, ex prostratione nempè facultatis animalis, seu ex defectu spirituum animalium. Frequenter autem solet affligere senes propter musculum sphincteris semiparalyticum, & propter spirituum animalium vigorem deficientem. Imprimis & his imprimis familiaris est urinæ Incontinentia, qui sub consistente ætate nimis indulserunt potui, & qui obnoxii fuerunt calculo. *Interdum etiam consuetudo* hic superuenit; ita ut pueri, interdum etiam adulti, ex praua consuetudine stragula largiter permingant. Facit etiam huc imaginationis vis, quatenus nonnulli à nimio potu, acriore urina, aut sensibilitate vesicæ majori stimulati lectum permingunt, somniantes se matulam tenere: Utrumque non tàm Medicamentis, quàm flagris aliisque fraudibus cedens.

DIAGNOSIS.

Quoad *signa diagnostica*, affectus hic facillimus est cognitu; Nam si ægri tacent, loquuntur stragula & vestimenta: Saltim causarum diversitas partim ex relatione ægri, partim ex antecedentibus circumstantiis expiscanda venit, vid. RIVERII *Praxis lib.* 14. *cap.* 7. & TIMÆVS *von Gulden Klee l. c.*

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin* verò, istud urinæ profluvium, quod dormientibus saltem obuenit, levius est, quàm quod vigilantibus contingit.

Quodsi adsit talis urinæ Incontinentia ex vitio nervosum paralyticorum, in specie vitio cerebri, aut spinalis medullæ, difficilis curatu & periculosus est affectus, nempè ex vitio sphincteris exortus: Vid. PLATERVS *Observ. pag.* 805.

In senibus urinæ Incontinentia est utplurimùm immedicabilis, nisi quod interdum forsan thermæ iisdem succurrant.

In febribus acutis aut aliis morbis acutis, siue à delirio, siue spirituum resolutione proveniant, superueniens urinæ Incontinentia, summum periculum innuit, & mortem utplurimùm portendit: indicat enim deficientem penitus vim animalem, & deficientes spiritus animales, tonumque nervorum jam fatiscentem.

Puerperis ex læsione violenta superueniens urinæ profluvium rarò curatur.

In pueris interdum per incrementum annorum subindè spontè cessat, sc. intra annum vigesimum quintum: Nam ubi tunc non cessat, metus est, ne ex HIPPOCRATIS mente sit immedicabilis. Observat tale exemplum TIMÆVS *von GuldenKlee in casibus lib.* 5. *Consf.* 22. *pag.* 258. de puero Incontinentiâ urinæ laborante incompescibili, quæ ipsa tamen succedente ætate spontè naturâ curata fuit.

CURA.

Quod attinet *Curam* Incontinentiæ urinæ; in hac imprimis causæ remotæ corrigendæ, hinc frequentissimè in malo hoc musculus sphincter adstringentibus & Neruinis aromaticis roborandus, siue internè propinentur, siue externè admoueantur. Pro quo scopo in genere conueniunt omnia adstringentia, neruina simplicia antiparalytica: Et quidem si malum adsit à paralysi seu resolutione, remedia externa non tantùm vesicæ, sed etiam lumbis, ossique sacro, ubi sibi sc. neruorum vesicæ est exortus, imò ipsi cerebro, applicanda erunt. Purgantibus aliisque Evacuantibus hoc in casu vix videtur opus, nisi humores pituitosos ac serosos abundare constet, ubi Decocta sudorifera ex lignis singularis efficaciæ à RIVERIO *l. c.* proclamantur.

In genere ergò ad quamcunque ferè urinæ Incontinentiam laudantur quædam euporista, per usum appropriata observata, ut *calamintha & mentha*, & omnes his cognatæ simplicium species cum vino coctæ, & ante pastum haustæ. Deinde alchimillæ & agrimoniæ usus, calaminthæ additæ, specificè quocunque modo conueniunt ob vim adstringentem vulnerariam. Hisce accensetur castoreum, quod imprimis in affectu neruino paralytico egregium est remedium. Galanga, non secus atque lignum aloes resinosum subtilissimè pulverisatum ad ℨj. cum cyatho dimidio vini albi generosi, aut etiam in ovo sorbili assumptum, manè & tempore somni insigniter in hoc prodest. Item plantago, radix consolidæ majoris, cyperi, nuces cupressi, equisetum, succinum, flores & semen hyperici, semen agrimoniæ, glandes & medulla glandium, mastix, &c. Certè pulvis *mastichis* ad ℨj. crebriùs haustus in vini haustu admodùm etiam confert; uti etiam myrrha, si propinetur in vino Decoctionis seu Infusionis calaminthæ. Ulterius *thus* ejusque pulvis, item *gummi Arabicum* ad ℨj. in vino assumptum, laudantur, præsertim quandò occasione stimuli præternaturalis non benè retinetur urina. Unde JOEL sequentem commendat pulverem, ad Incontinentiam urinæ paralyticam; v. g.

℞. *Calaminth.*
Myrrhæ,
Castor. an. ℨiij.
Gland. ℨv.

Hæc pulverisata subtilissimè propinentur ad ℨj. cum *vino emulato*.

Glandes singulare sunt adstringens. *Specifica* inter talia conuenit *guttur galli tostum*, *tritum*, & cum vino propinatum ad ℨj. est unum ex optimis specificis, tam in diurna quàm in nocturna urinæ Incontinentia, quod mirè laudatur à SOLENANDRO *Sect.* 4. *Consf.* 11. vid. SENNERTVS *l.* 3. *Prax. ubi de Incontinentia urinæ*, ac HORSTIVS *in Problem.*, item HARTMANNVS *in Praxi Chym.* & LINDANVS. Commendat etiam hoc puerperis, si à partu difficili malum ortum fuerit, HOEFERVS *in Herc. Med. pag.* 340. Porrò *pulvis erinacei combusti* vel calcinati, inter alia etiam specificum optimum & certissimum est ad omnem Incontinentiam urinæ, quod B. D. MICHAELIS frequenter, felici aliquoties cum successu, adhibuit; qui retulit etiam, quendam Medicum, qui 20. annos hoc affectu laboraverat, postmodùm solo hoc medicamento feliciter curatum fuisse. Ipse etiam in puero 12. annorum, post morbum acutum urinæ Incontinentiâ laborante, hunc *pulverem erinacei* cum *medulla Saxorum* mistum, cum successu adhibui. Hinc BARTHOLETVS *in Encyclop. cap.* 104. contra urinæ Incontinentiam adhibet *pulverem* compositum ex *interioris tunicæ ventriculi gallinarum* (quæ exsiccata est instar cornu pulverisabilis) part. j. & *cineris erinacei* (qui tanquam singulare specificum in vehiculo calido usurpatur) part. iij. quæ duo pulverisata insigniter commendantur ad eodem. Unde etiam erinaceus est basis *pulveris* experti *Montagnanæ* pro iis, qui lectum permingunt. Compositio est hæc:

℞. *Tunic. stomach. gallin. pulv.* ℨß.
Herb. agrimon. ℨj.
Erinac. combust. ℨiij.
Misc. f. Pulvis.

Dosis ℨj. cum iure, vel vino propinatur.

Porrò vesica suis vel apri tosta, item vesica capræ exsiccata ad ℨj. data valdoperè commendatur ab HARTMANNO *Praxi pag.* 269. Præ cæteris vesica capræ præ vesica suis & apri commendatur. Hisce addatur medulla lapidis, Germ. *das Stein-Marck*, quæ apud Jenenses & Rochlicenses inuenitur; est etiam expertum specificum contra Incontinentiam urinæ dosi ℈j. ad ℨß. in vino generoso propinatum, quo TACHENIVS nobilem quendam urinæ Incontinentiâ laborantem citra spem & expectationem curavit. Unde quidam admodum commendant hunc pulverem compositum in Urinæ Incontinentia:

℞. *Pulv. medull. lapid.* ℨiij.
Gran. mast. ℨij.
Ligni aloes resinosi exactè pulverif. ℨiß.

M. fiat

M. fiat pulvis pro aliquot dosibus.

Propinetur pro dosi ℈j. in quocunque vehiculo.

Item huc spectat pulvis pro lectimingis, quam officinis suis usualem HOECHSTEDTERVS *Dec.* 2. *Hist.* 2. describit. Piscis in ventre lucii inventus & propinatus commendatur ab HARTMANNO; sicut etiam sunt alii, qui hunc ipsum pro singulari venditant arcano. Porrò *pudendum suis* seu *vulva suilla*, quocunque modo *præparata*, tam in pulvere propinata exsiccata, quàm ex eadem paratum *farcimen* ægro offerendum, singulare est experimentum: non tantùm commendatur à SCHENCKIO *in Thes. Med. c.* 1. ceu remedium sæpiùs sibi observatum in *Praxi*, sed etiam D. MICHAELIS aliis irritis in usu fuit in urinæ Incontinentia, tàm vigilantium quàm dormientiū. Hoc tamen observat SCHMVKIVS, quod farcimen ex pudendo masculi sit pro masculo remedium faciendo, & fœmellæ pro fœmina. Aliàs *cinis pudendi suilli* convenit, & loco farciminis substituitur, quo ipso puer 18. annorum, ab ineunte ætate hoc malo affectus, curatus dicitur: conf. *M. A. N. C. Ann.* 2. *Obs.* 21. *pag.* 36. ac *Ann.* 9. & 10. *Obs.* 150. Alii loco vulvę suillæ ungulas porci castrati siccatas & subtilissimè pulverisatas in haustu vini, vel potu communi propinant, ad sistendam urinæ Incontinentiam. *Mures exsiccati* & pulverisati, vel *mures* in butyro elixi & ita propinati, sæpiùs expertum sunt specificum contrà urinæ Incontinentiam, tam vigilantium, quàm dormientium. Conf. *M. A. N. C. Ann.* 6. *Obs.* 88. *pag.* 124. FORESTVS *lib.* 25. *Obs.* 22. Item cineres eorum. A GALENO laudantur cerebrum & testiculi leporis exsiccati aut combusti: item cochleæ cum testis combustæ: alii stercus leporis propinant, item *stercus capræ*: vid. *Brunschweig* pag. 67. & hæc ipsa promiscuè ad quamcunque urinæ Incontinentiam, tam diurnam, quàm nocturnam, sunt proficua. In specie verò, si dormientibus saltem contingat hoc malum, tunc ex experientia HELIDÆI PADVANI convenit pulvis cupularum glandium in aqua, vel *vino chalybeatis*. Item terra sigillata cum pulvere castorei in junioribus ad ℈j. adultis ad ʒj. in haustu vini, vel aquæ parietariæ sub introitum lecti propinetur: item pulvis pulmonis hędi tosti, & ad ʒj. exhibiti, ceu specificum commendatur. Facit etiam huc *Pulvis Augustanorum pro lectimingis*, quem etiam commendat HOECHSTEDTERVS *Decad.* 6. *Cas.* 2. *in Schol.* ubi habet mixturam contra Incontinentiam urinæ nocturnam. Pulvis est hic:

℞. *Pell. stomach. gallin.*
Mastich.
Galang. an. ʒj.
Agrimon.
Lapill. cancr.
Alchimill. an. ℈ij.
Capul. gland. ʒij.
Nuc. myrist. ʒj.
Erinac. comb. ʒj.
Sacch. ℥ij.
Misc. f. pulvis.

Detur ʒj. ad ʒij. in aqua plantaginis.

Denique cuidam singulare experimentum venditur rana viridis per medium scissa, & renibus applicata. Nutrices & mulieres interdum pueris penes constringunt cum quodam vinculo, ne lectulos permingant; sed fit hoc cum summo periculo. Exemplum videb. in BARTHOLINO *Cent.* 3. *Hist. Anat.* 52. *pag.* 103. Ubi ex penis constrictione periculosa secuta notat symptomata.

Laceratio & distensio sphincteris vesicæ à partu difficili curatur per trochiscos de carabe, glandes quernas, bolum Armenam, guttur galli tostum, &c.

His occurrunt etiam *Externa*, inter quæ imprimis *Balnea* & *Fomenta* laudantur, facta ex incoctis plantis nervinis atque adstringentibus, ut *mentha*, *absinthio*, *floribus rosarum*, *balaustiorum*, *radice tormentillæ*, *bistortæ*, *foliis quercus*, imprimis radice symphyti; quâ etiam defloratæ utuntur virgines; vid. HOECHSTEDTERVS; & similibus, ut ex HORSTIO *lib.* 5. *Obs.* 20. constare potest. Balnea hæc fiunt cum *aqua ferrariorum*, quæ vitriolaceæ prosapiæ, adeoque adstrictoria est. Loco horum artificialium speciatim *Thermæ* sunt proficuæ in malo contumaciori, idque primariò senibus. Harum enim insessione vir 72. annorum ab Incontinentia urinæ fuit levatus. Novi sanè qui à potu, mox atque unicum potum hauriret, continuo eoque perquam doloroso vesicæ cruciatu, & ad continuum mictum stimulo, afficiebatur: aliis multis irritis profuerunt *internè jusculade* coctionis carnium & gallinarum calida, loco potus assumpta; *externè* vero Thermæ. Juxta hos Insessus convenit etiam inunctio lumborum & regionis pubis cum oleo absinthii, mastichis, menthæ, rutaceo, castorei, unguento nervino Augustanorum, item styrace liquido, balsamo Peruviano, oleis nervinis destillatis, oleo destillato macis, terebinthinæ, juniperi, succini, semine dauci vel carvi. Item *emplastrum oxycroceum* vel nervinum, vertebris lumborum applicatum, malaxatum cum Balsamo Peruviano & oleo succini, commendari solet à JOELE *Pr. lib.* 6. *pag.* 134. item à TIMÆO *von guldenklee in Cas. p.* 338. Tandem singulare remedium est *pulvis bufonis vivi* in nova olla usti, & in sacculo collo appensi; quod est Veterum experimentum ad quamcunque urinæ incontinentiam à quacunque causa: vid. HENRICVS *ab Heer Observ.* 14. Putabam primitus falsam hanc esse relationem; tamen confirmatur simile exemplum à DIGBY & BOYLE *in Philos. Exper. pag.* 217. ubi refert, in Anglia fuisse reiteratum hoc experimentum, idque felici cum successu in Incontinentia urinæ ex læsione vesicæ in partu difficili, cujus curationem videb. in *M. A. N. C. ann.* 3. *Observ.* 325. SENNERTO *lib.* 4. *Prax. P.* 2. *cap.* 9. *pag.* 466. qui eandem curat balneo & unguento ex catellis. Quidam hoc *Unguentum* ceu singulare commendant contra profluvium urinæ muliebre, seu potius urinæ stillicidum, quo subinde mulieres post partum difficilem affligi solent:

℞. *Lap. calaminar. in aceto destillato & aqua rosar. bis vel ter loti & subtiliss. pulverisati* ℥iv.
Lithargyr. argent. ℥ij.
Ceruss. præp. ℥i.
Olei rosar.
Chamomill. an. ℥v.

Agitentur simul per horas duas & cum *axungiæ hirci* ℥iij. f. l. a. Unguentum, benè agitando ad horæ quadrantem, donec consistentiam debitam acquirat.

Hoc ipso leniter inungenda est pars affecta, ac linteo cooperienda; miræ dicitur efficaciæ, vidique sæpiùs comprobatum.

Puerperis post partum, à laceratione & distensione sphincteris, conveniunt Insessus & fotus ex radice consolidę, foliis quercus, hederę, gypso usto, bolo & vitriolo; suffimigia ex pice, thure & mastiche: vid. PLATERVS *l. a.* Unguenta ex catulis Sennerti: Item, ubi incontinentia urinæ ex vesicę exulceratione:

℞. *Aquę rosar.*
Plantag. an. ℥ij.
Sacch. cand. ℥ß.
Ceruss.
Litharg.
Alum. crudi
Plumosi an. ℈ij.
Camph. gr. v.
Vngu. Ægypt. ʒß. M. S.
Aquula.

Quodsi dictis modis non cessat malum, pro cura palliativa *vascula* quędam arte applicanda veniunt in maribus, quibus urina continuò depluens colligatur, ut cum minore fastidio vivant: quale Instrumentum videb. in HILDANO *Cent.* 6. *Obs.* 54. & 55. Fœminis verò inserviet, quale ab HEER *l. a.* fuit explicatum.

Habuimus ita imminutam & auctam etiam excretionem urinæ ex vesica: Nunc sequitur

ARTICULUS III.

DE URINÆ EXCRETIONE DEPRAVATA.

Depravata denique *urinæ* est *excretio*, quando urina cum *dolore*, *ardore*, insigni *difficultate*, vel alio modo præternaturali excernitur: quę inter vitia communissimum ferè est *Stranguria*.

MEMBRUM I.

DE STRANGURIA.

Stranguria dicitur ἀπὸ τῆς σραγγὸς, *à gutta*, latinè *urinæ stillicidium*, quia in eâdem urina guttatim excernitur, idque

que cũ acerbo dolore colli vesicę, & urethrę, tàm in quàm post mictionem, remanente nihilominus continuâ ad mingendũ stimulatione. Et quidem in suo genere simillimus stranguriæ est affectus cum *tenesmo*, ubi continuus est conatus excernendi excrementa, unà cum gravi dolore sub excretione. Nam sicuti se habet Tenesmus in podice ejusque sphinctere, ita se habet stranguria in vesica, ejusq; musculo constrictore, dum uterque continuò irritatur; & sicut in tenesmo peccat acidum in subjecto viscido, ita in stranguria peccat acidum in subjecto aqueo, quod ad vesicam delatum stranguriam inducit. Equidem communiter hoc malum oriri volunt *ex refrigeratione* abdominis & partium urinariarum, in specie vesicę, vel à potu etiam frigido internè assumpto; Unde Germanis vocatur *die Kalte Seiche oder Pisse*, quod sc. oriatur ex refrigeratione presupposita. Ast hęc Theoria falsa est;

CAUSÆ.

Potiùs *Causa proxima* hujus stranguriç est vitiosa *urinæ aciditas*, quç acore suo, fibris nerveis inimico, stimulando vesicam, in specie circa collum, ubi admodum sensilis existit, & rodendo suo transitu meatum urinarium, continuum ferè mingendi conatum acerbumque dolorem diu permanentem infert. Urina verò guttatim prodit, quia, dum vesicę sphincter se laxat, ut urina effluat, ab urinę acrimonia acida vellicante subitò denuò se stringit, post denuò se laxat, & iterum stringit, & sic porrò, unde guttatim prodit. *Dolor iste* primariò *percipitur* tàm *in urethra*, quàm *in vesicę collo*, idque post mictionem; iste tamen, qui urethram affligit, acerbior est illo, qui vesicam & ejus collum afficit. Ratio est: licet enim urethra & interior vesicę membrana sit continuata & una eademque substantia; tamen vesica interiùs est oblita muco crasso, nonnihil viscido, qui eam ad instar intestinorum oblinens ab acrimonia urinę plùs minùs rosivę defendit, ita ut minor ex acido in vesica oriatur dolor; & nil aliud est, quàm superfluum nutrimentum membranę vesicariç transudans in cavum proprium; quo cum careat urethra, eò acerbiùs à transeunte cruciatur *urina acida*, qui *acor* urinę est ex parte urinę unica *causa* stranguriam inferens. *Hunc urinæ acorem* peccantem *confirmat* HELMONTIUS *in Tract. Pleura Furens*, qui demonstraturus in urina stranguriosorum peccare acidum, sumere jubet urinam naturalem, i. e. constantem ex sale volatili salso, seu composito ex acido & alcali volatilibus, & huic addere tantillum vini acidi, & injicere in vesicam urinariam; sic enim subitò percipi dolorem stranguriç simillimum: item quod in *nosocomio Lugdunensi* taliter affectorum urina gustata manifestum *acorem* linguę reprçsentarit. Confirmatur hoc ulteriùs per Curam, quę per talia, quę acidum corrigunt in primis viis, istudque destruunt aut obtundendo demulcent, peragitur: hinc etiam urinæ opacæ & turbidæ, albicantes & plùs minùs lacteæ, & hoc in specie in senibus, excernuntur, qui vitio digestionis primæ laborant; inquinunt enim urinæ tales digestionis cruditatem acidam.

Acor hic in urina vitiosus, *stranguriæ* Autor, natales habet suos primis in viis, seu in stomachi digestione, ejusque in duodeno perfectione vitiata, ex cruditate acida, eaque utplurimum vitio assumptorum. *Causa dispositiva* est *inertia fermenti bilis*, non debitè perficientis in duodeno chylum: dum nempè assumpta, imprimis potulenta, non digesta ritè, sed *acore*, aut stomachi aut proprio adhuc tincta & inquinata, è stomacho elapsa rapiuntur ad intestina sine transmutatione in salsum, & ita rapiuntur cum urina potus ad vias urinarias; unde postmodùm in vesica collecta hanc suo acore stimulant, & stranguriam inferunt.

Confirmat hoc quotidiana experientia, dum unusquisque observare potest, quod potus non ritè fermentati, sed facilè adhuc fermentescibiles, indeque acescentes, ut *vinum meracum*, vel *mustum*, vel *cerevisia* nova non ritè defæcata, aut copiosiùs, aut intempestivè assumpta, & similia subindè inferant stranguriam: Vid. HOEFERVS *Herc. Med. lib.* 3. *pag.* 155. item GVILIELMVS FABER *f.* 574. Talia enim facillimè prçternaturaliter in primis viis *acescunt*, & *acorem* conceptum pertinaciter retinent; unde nec adeò facilè, nec in stomacho, nec in duodeno à bilis sale volatili oleoso temperari possunt, quin ulteriùs acor pergat ad loca urinaria, ibi urinam inquinet, & suo acore inficiat; quę urina exin acida facta hostilitate suâ continuum stimulum infert in vesica, & exindè malum stranguriam excitat: Unde urina in senibus simul crassa observatur, quia oritur ex cruditate acida ex primis viis eò delata, interdùm quoque vesicâ excoriatâ, nutrimentum proximum plorante.

Aliàs undecunque natæ *excoriationes*, *exulcerationes*, item *attritiones* à calculo, ita vesicam disponunt, ejusque interiorem superficiem adeò irritabilem reddunt, ut nullius rei accedentis contactum, etiam urinæ naturaliter constitutæ, nisi cum summo dolore ac molestia, adeòque continua irritatione perferre queat, quin continua adsit stranguria: unde & *ulcus vesicæ* aut renum, occasione acrioris puris, stranguriam molestissimam infert: sed rarum est, quia talia potius ad dysuriam disponunt.

Causa ergò proxima stranguriç est continua irritatio vesicæ, ab acido preternaturali in urina, unde continuus mingentium conatus cum ingenti dolore inter mingendum oritur. Causa remota est digestio prima non ritè peracta, in specie vitio assumptorum. Causa verò salis positiva est inertia fermenti fellis. Et hęc quidem est stranguria ordinaria.

Preter hanc ordinariam stranguriam datur etiam virulenta stranguria, utut hęc magis ad dysuriam referenda sit, iis frequens, qui laborant lue Venereâ, ac quę difficillima est curatu, ac subindè in ulcus penis & prostatarum ejus terminatur; quin & hęc *stranguria virulenta* cum quibusdam consenescit ac commoritur, observante SCHENCKIO *lib.* 3. *Obs.* Originem habet ex prostatis glandulosis circa radicem penis inquinamento Venereo infectis, & ita lympham acrem plus minus corrosivam plorantibus. Interim rarum est, quod oriatur stranguria admodum pertinax ac torminosa *ex incantatione*; quale exemplum stranguriç incantatoriç singulare refert HELMONTIVS *Tract. de Lithiasi*, quam per succum betulç, seu cerevisiam betulinam curatam refert, cùm ipsa betula ad incantationes sit singularis.

DIAGNOSIS.

Stranguria per se patet ex relatione ęgrorum, quibus malum hoc insigniter est molestum. Causarum differentia ex circumstantiis antecedentibus est cognoscenda: ideò interrogandus est ęger de usu Externorum assumptorum, cum sępissimè ex causis externis oriatur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: stranguria, si ex vitio Urinę, periculosa non est, utut admodum molesta.

In senibus autem malum curatu perquam difficile, propter deficientem digestionem primam, & inertiam fellis.

Cęterum diuturniorem aut contumaciorem stranguriam, ulcus vesicę interdum pedetentim insequi solet.

Quę ex vitio vesicę est, curatu difficillima, ac subindè periculosa existit.

CVRA.

Curam Stranguriç quod attinet: in hac imprimis

1. Acre acidum urinę corrigendum ac temperandum.
2. Vesicę qualiscunque lęsio restituenda.

Quoad prius: ante omnia imprimis ventriculus est rectificandus, inter quę in malo contumaciori primatum obtinent *Vomitoria*, quorum utilitatem in stranguria & aliis urinariis affectibus multis commendat RIVERIVS *in Pr. lib.* 14. *c.* 9. & confirmat per experientiam HILDANVS *Cent.* 6. *Obs.* 52. Porrò ad rectificandum stomachum prçter vomitoria etiam pro scopo aversorio *Purgantia* blanda interdum propinantur: quę inter sunt imprimis pilulę de terebinthina cum Rhabarbaro, prçter vim laxativam simul acrimoniam urinę temperantes, jalappa cum terebinthina; item spiritus dia-Turbith cum Rhabarbaro, ac denique Extractum panchymagogum cum Mercurio dulci, idque imprimis in virulenta stranguria ex lue venerea, vel quę ad aliquam exulcerationem vult terminare. Sunt qui cassiam quoque hic commendant; experientia tamen multorum Practicorum docet, illam non rarò dolores augere: vid. HORSTIVS *lib.* 4. *Obs.* 4. PIGRÆVS *Chirurg. lib.* 7. *cap.* 4. & HILDANVS *l. a.* Quoad posterius, ea, quę in vesicę exulceratione suprà fuerunt posita, locum obtinent.

Inter remedia pro corrigendo acri acido egregiè convenit radix glycyrrhizę, ejusque decoctum, ac radix malvę cum nummularia in jure pulli: vid. GABELCHOVERVS: portulaca, sonchus lęvis, *glandes pulverisatæ*, aut etiam in specie gallæ, flores violarum, nymphææ, chamomillæ: *fructus* etiam *alkekengi*, & trochisci de alkekengi, cum & sine opio,

opio, optimè conveniunt in stranguria. Præ cæteris quoque *cortices aurantiorum* pulverisati, aut etiam Tinctura seu *essentia* corticum aurantiorum cum spiritu vini tartarisato parata, aut etiam, idque primariò, *oleum destillatum* corticum aurantiorum ad aliquot guttas assumptum, optimum sunt ad stranguriam experimentum. Convenit præsertim *si à causa externa assumptorum* malum ortum fuerit: Horum enim sal volatile oleosum, acidum potenter destruit, & acuit bilem eadem ex ratione. Pulvis nucis moschatæ curat stranguriam ab usu cerevisiæ crudæ vel novellæ enatam, cerevisiæ immissus: Vid. de hoc successu FORESTUS *lib.* 25. *Obs.* 2. Insuper ribes, quæ spirant urinæ odorem, in usu sunt, & tam baccæ, quàm folia: item gemmæ ribes nigræ ad ℥ß. cum *semine dauci* in vino rubro decoctæ, singulariter commendantur à FORESTO *lib.* 28. *Obs.* 4. quo gravem stranguriam curatam refert. Porrò *decoctum raparum* domesticum fermè sine pari remedium est, atque specificum GABELCHOVERI *Cent.* 3. *cur.* 2. *p.* 6. utpotè qui hoc decoctum in affectu urinæ, præsertim in stranguria & dysuria, feliciter adhibet, & in quacunque acrimonia acido-salsa est optimum: Conf. CRATO & SYLVIUS *in Praxi.* Conveniunt quoque semen cannabis, 4. semina frigida majora, ex iisque cum papavere albo paratæ Emulsiones: Nam hujusmodi oleosa semina acrimoniam urinæ obtundunt. Quò pertinet oleum amygdalarum dulcium cum syrupo de althæa, additis lapillis cancrorum ita assumptum; lac ipsum hujusque serum incoctis præprimis floribus cyani & calcatrippæ, malvæ radix & flores; unde horum conservam RIVERIUS & AMATUS LUSITANUS *Cent.* 6. *Histor.* 58. & foliorum Decoctum FORESTUS *l.* 25. *Obs.* 4 & GABELCHOVERUS *Cent.* 1. *Obs.* 21. in stranguria mirè extollunt. Pariter pulvis radicis althææ cum saccharo, aut hujus cum jujubis Decoctum, item semina mucilaginosa, & exindè parata Decocta & syrupus: vid. HARTMANNUS *Prax. pag.* 271. Item hujus loci est albumen ovi cum aqua rosarum conquassatum, Decoctum florum chamomillæ cum lacte, ac Decoctum brassicæ rubræ, de quibus idem FORESTUS *l. a. Observ.* 3. Decoctum item herbæ & baccarum alkekengi cum *passulis* non immeritò laudatur ab AMATO LUSITANO *Cent.* 6. *Cur.* 92. qui miras virtutes habere dicit. Balsamum Peruvianum sunt, qui exhibent à guttis x. xv. vel xx. ad summum ʒj. interiùs assumptum in vehiculo appropriato, miras in contumaci stranguria habere dicunt vires; cui tamen à LINDANO meritò præfertur & specificè commendatur Balsamus ille Indicus de capaibe dictus, ad guttas aliquot in *decocto petroselini* assumptus, utpotè quod nobile etiam experimentum in stranguria contumaci, in specie, quæ comitatur gonorrhœam virulentam, vel luem Veneream: non secus ac balsamus sulphuris, *oleum ceræ*, succini, macis, si ab erosione vesicæ malum, in aqua aut *decocto* appropriato, v. g. *cicerum rubrorum*, propinatum, locum invenit. *Quod si pertinaciùs fuerit malum*, & vitio digestionis solo à cruditatibus ibidem detentis sit stranguria, id quod v. g. *in senibus* frequentiùs evenit, conveniunt Aromatica, & horum olea stomacho grata hujusque digestioni faventia, v. g galanga, zedoaria, nuces moschatæ, crocus, cortices aurantiorum, species diacumini; item *potus vini Hispanici*, aut *Malvatici*, aut *Malvaticum juniperinum* usurpentur; vel etiam convenit *vinum*, *in quo silices candefacti* aliquoties sunt extincti; Fit enim sic vinum diureticum, omnis acidi absorptivum: propter quam rationem in stranguria etiam conveniunt subjecta alcalisata, v. g. lapilli cancrorum, qui imprimis acidum stranguriæ absorbent. Ac sanè in cancris absoluta est stranguriæ cura, vi alcalinâ diureticâ pluribus scopis satisfaciens. Hinc sunt, qui recipiunt duos cancros fluviatiles, quibus cancris in mortario contusis affundunt aquæ appropriatæ vel cerevisiæ q. s. succum exprimunt, & contra stranguriam propinant.

Quibusdam in usu est, ut propinent oleum amygdalarum dulc. cum syrupo althææ Fernelii, quibus adduntur lapilli cancrorum. *Lixivium ex testis ovorum calcinatis* cum vino paratum; item nitrum in vino datum, *spiritus nitri dulcis*, spiritus salis marini dulcis, qui ab Helmontio in stranguria senum laudatur, &c. Pariter hujus loci sunt fortiora absorbentia, sc. Lapides percarum, testæ ovorum, *cornu cervi ustum*, creta, *sal tartari*, sal silicium, *stipitum fabarum*, tinctura tartari, spiritus tartari, spiritus carminativus ex tribus, ex nitro, tartaro & spiritu vini, qui insigniter laudatur: item, ubi alia incassum sunt adhibita, *borracis* ℈j. exhibeatur: Item spiritus vini bibitus ? dum cubitum itur, præservat à stranguria. Spectat huc quoque succinum & succinata, v. g. trochisci de carabe: Item vesica capreoli seu capellæ præparata, hincque pulvis simplex vel compositus, quem HOECHSTEDTERUS *Decad.* 6. *Cas.* 2. describit. Faciunt huc etiam pilulæ Quercetani, quibus utitur in omni stranguria, in omni dysuria & renum exulceratione. Earum compositio hæc:

℞. *Thuris*,
Myrrhæ,
Mastich. an. ʒij.
Succini,
Croci an. ʒß.
Campb. ℈j.
Antimonii diaph. ad pondus omnium.
Cum terebinthina dissol. f. Pilulæ.

quarum dosis sit ℈j. utendo aliquandiu.

Tandem *cepæ* non ultimum sunt stranguriæ remedium: Nempè *cepa* minutim incisa infudatur in aquam simplicem vel althææ, per 24. horas, aqua infusionis hausta stranguriam sistit. Nam sal volatile cepæ egregium est remedium diureticum, & simul absorbet acidum. Ratione calculi & ulceris vesicæ, quomodo hæc tollenda, petatur ex suis locis. Ratione diætæ breviter monendum, cuncta acria, motusque corporis vehementiores, v. g. equitationes esse vitandas; vid. GABELCHOVERUS *l. a.* item frigus, hinc poculenta cuncta calidè assumantur. Hinc variæ fieri possunt formulæ; v. g. in principio:

℞. *Terebinth. Cypr.* ℈ij.
Mag. jalapp. gr. vj.
f. Pilulæ: S.
Pilulæ evacuantes.

Vel

℞. *Massæ pilular. terebinth. cum Rhab.* gr. xv.
Mercurii dulc. ℈ß.
Extr. troch. alb. gr. j.
M. f. Pilulæ.
D. S. ut antè.

℞. *Extr. panch. Crollii*,
Mercurii dulc. an. gr. xv.
Extr. troch. alb. gr. j.
Cum tinctura tartari f. Pilulæ.
D. S. ut antè.

℞. *Conservæ malvæ*, vel *violar.* ʒj.
Ref. jalapp. gr. xij. ad gr. xv.
Tartari vitriolat. gr. viij.
M. f. Bolus, in fine usurpandus: S.
Saccharum evacuans.

℞. *Tincturæ Tartari acerr.* ʒij.
Olei destillat. cort. aurant.
Mac. an. gtt. xij.
M. D. S.
Tinctura leniens.
Dosis 20. guttæ.

℞. *Essent. cort. aurant.*
Zedoar. an. ʒiß.
M. f. ut antè.
Detur 40. guttæ pro dosi.

℞. *Olei destillati cort. aurant.* ℈j.
Zedor. ℈ß.
M. S.
Oleum singulare contra stranguriam.

℞. *Olei destillat. mac.* gtt. iv.
Galangæ,
Bacc. junip. an. gtt. iij.
Sacch. albiss. ʒiß.
M. f. Elæosaccharum pro 2. vel 3. dosib.
D. S.
Saccharum leniens.

℞. *Spec. dia-Cum.* ʒiß.
Pulv. nuc. mosch.
Lapill. cancr. præp. an. ʒj.
Cum sacch. in s. q. *aquæ simpl.* sol. f. Rotulæ, aspergendæ *cum oleo destill. cort. aurant.*
D. S.
Rotulæ lenitivæ.
Dosis no. v. vj. viij. &c.

℞. *Mithridat.* ʒj.
Ol. destill. rutæ,
Cort. aurant. an. gtt. ij.
M. D. S.
Saccharum sedans.

Opiata tamen minus conveniunt in his malis.

℞. *Conf.*

℞. *Conf. flor. malvae* ℥ij.
Calam. arom. condit. ʒvj.
Spec. diagalang.
Diacymin. an. ℈ij.
Lap. cancr. praep.
Succ. praepar.
Nuc. mosch. pulv. an. ʒß.
Cum syr. violar. vel *de althaea Fern.* f. Electuarium: S.
Electuarium leniens.

Convenit quoque pulvis *supra sect. 11. ubi de colica descriptus.*

℞. *Malv. juniper.* ℥iv.
Spiritus carm. de tribus ʒj.
Syr. cort. aurant. vel *de juiubis* ℥j.
M. S.
Succus contra stranguriam pro aliquot vicibus.

℞. *Ol. amygd. dulc.*
Syr. de alth. Fernel. an. ʒvj.
Succ. cancr. fluv. cum aqua malv. extr.
Lap. cancr. praep. ʒj.
Misc.

℞. *Sem. 4. frigid. mai.* an. ʒiß.
Pap. alb. ʒiij.
Cum s. q. *Decoct. rad. alth.* f. Emulsio:
adde
Aquae cinnam. temperat. ℥ß.
Lapill. cancr. praep. ʒj.
Syr. de alth. Fernel. q. s.
M. D. S.
Emulsio leniens.

℞. *Rad. alth.* ʒj.
Liquirit. ℥ß.
Fol. alkekengi,
Malvae,
Nummular. an. m. j.
Fruct. sebesten,
Alkekeng. an. no. x.
Coqu. in s. q. *aqua simpl.*
Colaturae ℔. iß. ad ℔ij. adde
Syrup. de juiub. ℥iß. vel ℥ij.
D. S.
Potio leniens.

℞. *Terebinth. vulg.* vel *Cypr.* ℥ß.
Dissolv. cum s. q. *vitelli ovi:*
adde paulatim
Vini Malvat. ʒvj.
Syr. de alth. Fern. ℥iß.
M. D. S.
Emulsio leniens.
Dosis ℥j. ad ℥iß.

Vir ętatis consistentis, nephriticis & podagricis affectibus crebriùs obnoxius, urgente intenso hyemis frigore tussim siccam ingentem & validam, crebriùs pectus concutientem, affligebat, qua quidem ejiciebat pauca saltem & viscida ejiciebat. Locum, ubi tussis excitabatur, monstrabat anteriùs in collo asperę arterię: accedebat levior invasio podagrica circa manum dextram & cubitum sinistrum. Ego vocatus, pro urgente tussi sicca, mota propter acrimoniam lymphę, cum vestigiis hinc inde podagrę, pręscripsi sequentem Potionem:

℞. *Aquae scabios.*
Menth. an. ℥iß.
Spiritus sal. ammoniaci anis. ʒiij.
Flor. sulphuris ʒß.
Syr. scabios. ʒvj.
Misc.

Interdum etiam gr. j. ad gr. iß. *de laudano opiato* tempore vespertino addit. Hinc tussis quidem evanescebat, sed podagra exasperabatur; Unde iterum pręscripsi:

℞. *Spiritus sal. ammoniaci* ʒij.
Cochlear. ʒj.
Misc.

De quo ter, mane, à meridie & vesperi sub introitum lecti 40. guttas sumebat, imperato simul aliquali sudore; sed sudare non poterat propter pororum constrictionem: Hinc continuato spiritu cessavit quidem affectus podagricus sine sensibili superveniente evacuatione, sed secundâ vel tertiâ die superveniebat stranguria cum gravi dolore in lumbis & vesica. Alcali enim volatile spiritus sal. ammoniaci destruit quidem acidum, unde paroxysmus podagricus cessavit. Sed quia acidum hoc non in totum correctum, sed partibus nerveis infusum, ope hujus spiritus tantùm resolutum, & in motum concitatum fuit, & à sero absumptum, stranguriam intulit. Pro acido ergo temperando & urina promovenda praescripsi:

℞. *Amygd. dulc. Ambr.* ℥ß.
Sem. violar. ʒiij.
Papav. albi ʒiß.
Cum s. q. *aqu. alkekeng.* f. Emulsio ad ℥viij.
adde
Lap. percar. praep. ʒj.
Misce & parum edulcora.

Optimè conferebat haec Potio, unde ter vel quater repetita fuit cum plenaria sanitate.

Tandem ad derivandum acrius serum per alvum, blandum laxativum praescripsi:

℞. *Conf. rosar.* ʒß.
Tartari vitriolat. gr. viij.
Res. ialapp. gr. v.
M. f. Bolus.

Unde 6. vel 7. per alvum excrevit, & ita penitus convaluit. Hinc

℞. *Cort. aurant.* ʒiß.
Lap. percar. praep. vel *test. ovor. calc.* ʒß.
Olei destillat. cort. aurant. gtt. ix.
Cum pauco *saccharo* f. Pulvis pro 3. dosibus:

Vehiculum erat vinum dulce, vel in quo silices candefacti extincti.

Externa ea sunt pauca: v. g. *sevum commune* seu candelae liquefactum, umbilico calidè largiter inunctum convenit, quatenus nempè ex vesica ad umbilicum usque urachus continuatur. Loco istius tamen sevum hircinum cū aliquot guttis *Olei destillati* macis, *cerae*, corticum aurantiorum, mastichis, &c. optimè confert, umbilico illita: v. g.

℞. *Sevi hirc.* ℥ij.
Olei destillat. cerae,
Cort. aurant. an. gtt. v.
Misc. pro Litu.

Solum quoque oleum destillatum corticum aurantiorum umbilico illitum optimum praestat levamen. Item non inconveniens erit inter mingendum, penem in aquam vel lac tepidum aut decoctum anodynum demergere. Non incongruum etiam est, si instituatur suffumigium ad imitationem RULANDI, quod habet in *Thesauro Pract.* seu *Curat. Empir. lib. 3. pag. 291.* nempè

℞. *Raphanus:*

Incidatur & decoquatur in *vino*, vase benè obturato; quibus probè ebullientibus imponatur vas sellae benè perforatae, cui aeger insideat, & vesicae regionem suffimiget, ac ita hoc ipso euporisto meatus reserari, stranguriam demulceri, & urinam defluere & temperari, affirmat allegatus Autor.

Confert etiam hoc ipsum in suppressione urinae ex vitio vesicae.

Aliàs usitatum est quasi sympatheticè & magneticè curari stranguriam: Sc. adscendunt focum cineribus calidis adhuc repletum: hinc abstergunt istos cineres, & largiter permingunt adhuc focum calidum; sic enim exsuscitatur vel elicitur fumus, qui largiter excipiendus est circa locum vesicae seu à partibus genitalibus, sicque curari stranguriam asserunt. (*Satius esset, si vinum colaretur per setaceum pecten puerorum, ut largiùs extensum maiorem de se dare possit vaporem.*)

Conveniunt *Clysteres*, nunc acriores, si alvus fuerit contumacior; nunc *emollientes & anodyni* magis, in specie *ex lacte*, vel solo, vel cum serpillo, malva, althaea, ruta, parietaria, &c. cocti & injecti. Ex quibus etiam fieri possunt balnea, item cataplasmata ex parietaria & ruta, cum lacte & oleo scorpionum cocta & applicata: vid. AMATUS LUSITANUS *Cent. 2. Cur. 92.* Quinimò & ipsa *mictio lactis* in vesicam, imprimis lactis *Chalybeati*, est egregia in stranguria: Quae sūt optima ad acrimoniam urinae temperandam; vel loco hujus oleum amygdalarum dulcium recens expressum simili modo usurpatur, quod ipsum temperat acrimoniam acidā urinae: Item Emulsiones seminum 4. frigidorum, albumina ovorū conquassata, & trochisci alkekengi syringā vesicae immissa. SANQVEZ *in Observat. suis* lac cum quibusdam pediculis vivis per syringam vesicae immissum efficax reperit. Venter verò totus inferior oleo rosarum, nymphaeae, nuguento refrigerante Galeni, rosaceo & oleo scorpionum inungatur.

Senibus, & quibus tonus fibrarum vesicalium lęsus, conveniunt Thermę, quarum Insessus vitia urinario optimè corrigunt: id quod in Syndico Dresdensi ante aliquot annos exper-

expertum audivi. Hic quoties fuit jejuno stomacho, toties optimè se habuit; simul ac in prandio vel cœna tantillum bibit, intensum dolorem in ceruice sensit, cum stranguria continua & diuturna. Urina ejus erat non lactea, nec purulenta, sed in superficie blandè pinguis: tandem thermis curatus fuit, & per biennium se benè exindè habuit. Audivi tamen, malum voluisse recrudescere, quod propter inertiam bilis in senibus facilè fit; hinc in iis stranguria difficilis est curatu.

MEMBRUM II.

DE

DYSURIA.

Habuimus stranguriam, tanquam effectum concernentem vitia urinæ excretionis: sed præter stranguriam vitiatur etiam urinæ excretio in affectu stranguriæ admodùm cognato, nempè in *Dysuria* seu *Urinæ Difficultate*, quando nempè cum magno mingendi conatu & labore ægri, accedente non levi dolore, urina effluit. *Dolor* iste concurrens, cum inter mingendum quasi *ardoris sensum* inferat seu exprimat, ob id exinde malum hoc alio nomine etiam *Ardor Urinæ* venire solet. Conqueruntur enim ægri in tali affectu: *urit, ac si aqua calida curreret*, uti solent exprimere hoc urinæ malum. *Cognatus est* hic *affectus cum stranguria*, *differunt* tamen ambo à se inuicem in eo:

1. Quod *in Dysuria* urina non guttatim, sed sine interruptione, & sæpiùs in debita quantitate, utut cum conatu & labore, in stranguria verò guttatim, effluat.
2. *Quod* etiam Dysuriæ *dolor* tantùm *inter mingendum* percipiatur, non verò ante, aut rarò etiam post mictionem, uti in *stranguria*, ubi post mictionem dolor adhuc urget; qui dolor quoque alterius planè generis est, quàm qui in Dysuria afficit, cùm hic ardoris quidam sensus subsit.
3. Quod rariùs ex propria urinæ acrimonia, sæpiùs verò partium urinosarum, vesicæ puta, aut vicinarum partium affectus, in specie quidem læsio vel erosio, plus minus excoriatio aut exulceratio orificii vesicæ seu principii meatus urinarii Dysuriam inferant. Stranguria verò saltem à sola urinæ acrimonia nimia acida originem ducat.
4. Quod in stranguria urina cum continuo ad mingendum stimulo, tenesmo podicis non absimili, excernatur; Dysuria nihil horum sentiat.

CAUSÆ.

Causæ horum symptomatum quomodò differant, nonnulli equidem, & inter hos SENNERTUS *Pr. lib.* 3. *P.* 8. *Sect.* 2. *cap.* 4. & 5. eruere conati fuerunt; sed multis contradictionibus se immerserunt. *Causæ* ergò talis *urinæ difficultatis ac ardoris seu dysuriæ est aut in ipsa urina*, quæ excernitur, *aut* est, idque frequentiùs, *in partibus* urinariis, vesicâ nempè & partibus vicinis, per quas eadem excernitur. *Hæ ipsæ* enim præternaturaliter affectę, etiam ab urina naturaliter constituta præterfluente lęduntur, & hinc doloris sensum concipiunt.

Quod ergò attinet primò urinam: hęc quidem, licèt rariùs, Dysuriam gravem aut habitualem infert, quando nempè *acris* nimisque *salsa*, *acido-salsa*, aliâvè ratione mutata existit; sive hoc fiat à salibus copiosis imbibitis, ut fit in *Hypochondriacis* & *Scorbuticis*, qualem Dysuriam lethalem ex acrimonia seri scorbutici cum mira penis retractione observarunt *M. A. N. C. Ann.* 4. *Obs.* 155. *p.* 197. siue eadem fiat à pure acriore nimisque salso permisto, quod pus aut exulcerationem renum aut vesicę, aut aliarum partium exulcerationem insequi, & cum urina permisceri, & acrimoniâ suâ vesicam affligere solet. Pertinent huc cantharides vesicam ulcerantes, & corrosivo suo veneno urinam impregnando Dysuriam inducentes, aut applicatæ externè, aut perperam propinatæ internè. Pertinent huc quoque Mercurialia, imprimis pręcipitata non ritè præparata, quę aliàs ad gonorrhœam virulentam adhiberi solent; nam & hęc ad Dysuriam disponere, obseruauit FORESTUS, qui vid. *lib.* 25. *Obs.* 37. de quodam nauta, qui gonorrhœâ laborans & mingendi difficultate, cùm usurpasset pilulas ex mercurio sublimato paratas, exinde in urinę ardorem duplo majorem incurrit.

Sed rarum est, uti dixi, quod urina præcisè affecta dysuriam inferat; *frequentius est*, ut aut ipsę *partes urinariæ* aut vicinę *malè affectæ* Dysuriam inferant, siue *per essentiam*, siue *per consensum* fiat; utplurimùm vesica aut ejus collum, aut etiam meatus urinarius excoriata, aut exulcerata, ingentem & aceruum concipiunt dolorem, dum urina transit, & si quę alia, certè hęc est frequentissima causa. *Hinc* etiam *non rarò vesicæ calculus* eandem attritu suo successivo nonnihil excorians, aut alio modo circa collum, quo continuò incumbit, lędens, urinâ etiam naturaliter constitutâ, nunc stranguriam, nunc dysuriam pertinacem, inducere solet. Pręter calculum etiam exulceratio colli vesicę Dysuriam gravem infert, ita, ut etiam mitissima urina non sine dolore laboriosè emittatur. Pertinent huc prostatę malè affectę, seu glandulę istę, quę in radice penis juxta collum vesicę sunt sitę, imprimis à contagio Venereo per congressum impurum affectę, undè & gonorrhœę virulentę sunt subjectum, & subindè etiam exulcerantur, quibus exulceratis ab urina pręterfluente, immensum dolent. *Quin & ita affectæ* loco lymphę blandioris elaborant succum acrem, & virulentiâ corrosivâ Venereâ infectum, qui ipse succus, dum urethram, per quam fluit, excoriat & lędit, & hoc ipso dysuriam admodum crudelem inferre solet. Difficillimæ curæ tunc est talis *Dysuria*, aut interdum in *ulcus penis* terminatur, quando & hęc ipsa virulenta cum quibusdam conseneſcit & moritur, uti obseruat IOHANNES SCHENCKIUS *lib.* 3. *Observat.* Verùm prçter affectus *per essentiam*, etiam *per consensum* vicinarum partium affectarum dysuria interdum infertur: *Sic enim affecta utero* in mulieribus, aut affecto *intestino recto* in viris, nil frequentius est, quàm supervenire simul Dysuriam. Hinc *propter inflammationem intestini recti*, & tenesmum & Dysuriam molestam observavit AMATUS LUSITANUS *Cent.* 6. *Cur.* 84. item ex consensu *cum hæmorrhoidibus* dolentibus urinę ardorem & stillicidium, curatum post modum per clysma ex oleo violarum, annotat SCHENCKIUS *lib.* 3. *Obs. ubi de Hæmorrhoidibus*.

Obseruandum simùl est, subindè in modò dictis affectibus, stranguria & Dysuria, excerni *materiam crassam*, mucilaginosam & pituitosam, quę ipsa, ut dixi, nihil aliud est, quàm nutrimentum vesicę spermaticum, aut partium illarum urinariarum proximum, quod ex partibus istis lęsis & nonnihil excoriatis continuò exstillans, sub forma talis mucilaginis crassę aut lacteę unà cum urina excernitur; à qua mucilagine urinę ardor magis augeri solet, quatenus meatum urinarium nonnihil obstruendo difficultatem affert in mejendo, ut non absque conatu, & non absque labore, urinę fiat excretio. Hinc est, quod refert VESLINGIUS *in Obs. anat. à Bartholino editis p.* 146. quod in demortuis ex dysuria vesica mucosâ & lentâ albicante materiâ plena observatur.

DIAGNOSIS.

Signa hujus dysurię *diagnostica*, per se & ex se facilè patent, cùm relatio ęgri eadem insinuet.

Imprimis autem causę antecedentes considerandę, & speciatim ad excoriationem vel exulcerationem vesicę respiciendum, quę ex excretis cum urina & circumstantiis antecedentibus facilè patet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Dysuria* variam habet per se, pro varietate causarum.

In genere *malum est* perquàm molestum quidem Dysuria, *non* tamen per se *lethale*, utut subinde contumax admodum, & *diuturnum* sit, sub qua diuturnitate, ex quacunque fit causa, periculum est, ne exulceretur tandem vesica, aut facta jam ejus exulceratio insigniter exasperetur, aut etiam, si diutiùs affligat, urinę incontinentia superveniat.

In senibus, cùm sequatur ordinariò aliquam vesicę exulcerationem, difficilè & rarissimè curatur, nisi forsan potus *vini Malvatici*, aut frequentior usus jusculorum gallinaceorum eandem sublevet; sicuti idem *vinum Malvaticum*, uti etiam *pulvis stomachalis Quercetani*, optimè convenit, si conjuncta cum ista mucilagine materia crassa & alba, &c.

Quæ est cum excretione mucilaginis viscidę, est periculosior eâ, quæ est sine tali mucagine:

Si à mucilagine crassa, quæ interdum in dysuria effluit, oriatur suppressio urinæ ex obstructione canalis, per quem fluit, malum est periculosum, aut saltem molestum.

C U R A.

Quod attinet *Curam*: in hac attendatur ante omnia ad causas, adeòque

1. Acrimonia urinæ lædens temperetur;
   Et hinc
2. *Partes urinariæ* quocunque modo læsæ, in specie vesica exulcerata aut excoriata, consolidentur.
   Ac denique
3. Vicinarum partium affectus maturè removeantur.

Conveniunt ergò in Dysuria temperantia acrimoniam urinæ, & hinc Balsamica, vesicam excoriatam consolidantia; adeoque omnia, *quæ in stranguria conveniunt*, etiam mutatis mutandis, huc applicari possunt. Pluribus scopis in dysuria satisfacit oleum amygdalarum dulcium, quod perquàm egregium est sæpiùs usurpatum; item *oleum amygdalarum dulcium* cum syrupo de althæa permistum, additis lapillis percarum, & pulvere lapillorum cancrorum in forma Potionis mista & crebriùs usurpata. *Malva* etiam, ejusque conserva florum, aliaque Maluacea, *specificè* commendantur, quatenus egregiè urinæ aut puris acrimoniam obtundunt, sensum vesicæ irritatæ demulcent, & loca læsa quasi mucilagine temperante oblinunt. Hinc *conservam florum malvæ* per experientiam comprobatam mirè laudat AMATUS LUSITANUS *Cent. 6. Cur.* 58. ubi ardorem urinæ cum caruncularum mictione beneficio conservæ ex floribus maluæ curavit. *Conferatur &* HOECHSTEDTERUS *Decad. 6. Cas. 2. Schol. Vt & syrupus de Malva*: Exemplum videb. *in* HORSTIO *Juniore Epist. & Obs. pag.* 50. Item *mucilagines seminum cum Decocto althææ* paratæ, & cum hoc ipso propinatæ, sunt *euporiston* HARTMANNI *in Praxi Chymiatr.* Potiùs ex his *Decoctum* fiat, quod vel ita, addendo *lap. cancrorum*, usurpetur; vel addatur nitrum, & potus erit gratus. *Decoctum* pariter *Foresti suprà, Membro 2. Articuli 1. & 2. ubi de calculo renum*, laudatum confert. *Decoctum herbæ & baccarum alkekengi*, si æstas est, & haberi possunt, cum passulis itidem in Dysuria singulariter est laudatum: Vel *decoctum florum nymphææ, petroselini, sonchi lævis cum Sacchara & nitro* adhibeatur. Similiter *Decoctum florum* & herbæ *malvæ cum* passulis, *juiubis & sebesten*, pro usu interno admodum commendatur: Nam, si quid aliud, certè *decoctum* granorum *sebesten* cum aqua semperuivi omni mane ad ℥j assumptum, à GABELCHOVERO ad Dysuriam laudatur. Alii grana sebesten incisa decoquunt vel in Aquæ semperuivi majoris, vel hordei; quod Decoctum ad ℥v. omni manè usurpatum insigniter ardorem & dolorem urinæ lenire dicitur, idque imprimis, si tantillum de *croco* fuerit additum, uti hoc commendat GABELCHOVERUS *Cent. 1. Cur. 21.* STOECKERUS *in Praxi* laudat Decoctum hordei, sebesten & glycyrrhizæ, manè vesperique haustum, unà cum syrupo papaveris. Commune euporiston est *pulvis radicis althææ cum sacchara* mistus & usurpatus: *Emulsiones ex amygdalis dulcibus, semine melonum, nucleis Persicorum*, additis lapillis percarum, sunt egregia. Porrò *lac, serum lactis*, & omnia *lacticinia*, uti in omni dysuria singulariter conveniunt, ita in specie prosunt in ea, quæ est *à cantharidibus*, quarum corrosiui veneni appropriata medela & alexipharmacum est in lacte: in quo casu lac copiosum assumatur, vel decocti sint in eo flores chamomillæ, qui sunt anodyni; sic enim illud magis anodynum fit; loco florum chamomillæ non inconveniens etiam est, si cum lacte ebullierint, aut flores cyani vel calcatrippæ, qui egregiè sunt diuretici; sic enim lac fit magis abstersivum. Hauriantur autem *Lacticinia* copiosè & calidè: Id quod pariter de omnibus Potulentis intelligendum, ut, quantum possibile, calidè hauriantur; cùm certè *potus frigidus* assumptus, aut aer frigidus extrà susceptus, insigniter stranguriam & ischuriam soleant exasperare. Ulterius *terebinthina* & omnia *terebinthinata*, uti in aliis affectibus urinariis, ita & in Dysuria, vitio vesicæ enata, optimè conveniunt, quocunq; modo usurpentur; excoriationes enim & exulcerationes inchoatas sistunt, & maturè tollunt. Cautè tamen *spiritus seu oleum terebinthinæ* adhibeatur, quia nimis acria sunt. Potius *pulveres* convenientes, v. g. olibani, myrrhæ, mastichis, succini, boli Armenæ, sanguinis draconis, & præ omnibus antimonium diaphoreticum excipiantur cum *terebinthina*, sicque redigantur in *pilulas*, v. g. *pilulas Quercetani contra dysuriam* & stranguriam, *supra Membro 1. laudatas*.

Faciunt huc sequentes pilulæ ad ardorem urinę expertę Ellenbergeri, Medici olim Halensis. Compositio est hęc:

℞. *Succi liquirit. depur.*
Succini,
Thuris an. q. v.

Incorporentur cum *terebinthina Cypria*, f. Pilulę. Dentur manè & vesperi, jejuno ventriculo. Dosis ʒß. ad ℈ij.

Facit etiam huc *Pulvis Joelis ad Dysuriam* admodum commendatus, compositus ex testis ovorum, semine urticę & succino; nam succinum & *succinata* omnia admodùm prosunt. Unde etiam *trochisci de carabe*, item trochisci de terra sigillata, uti etiam trochisci *de alkekengi*, in officinis usurpantur ad dysuriam, idque in specie, ubi exulceratio aut excoriatio locorum urinariorum subest. Remedia quoque ex myrrha & mastiche sunt optima. *Vesica capræ præparata*, item vesica *apri sylvestris masculi* siccata & pulverisata, ad stranguriam & dysuram pręstantissima dicuntur remedia, ita ut ægri miraculi instar levamen sentiant, uti loquitur HOECHSTETTERUS *Decad. 6. Cas.* 2., ubi etiam habet quędam de malua. Hisce etiam addatur oleum destill. carui quo THONERUS *in Obs.* aliquot Dysurias graves subitò curavit, guttulas v. propinando. Pulegium quovismodo assumptum ad Dysuriam commendari solet. Pulvis nucleorum persicorum cum calicibus, insigniter conducit in Dysuria pertinaci, etiam senili, uti hoc per experientiam refert GABELCHOVERUS *Cent. 1. Cur. p. 39.* Loco hujus dactyli sunt ferè salubriores; ex his enim tale quorundam euporiston paratur:

℞. *Dactyl.* qu. v.

Ossa limâ redigantur in pulverem tenuissimum; *caro* verò scindatur in particulas, & in clibano exsiccetur, pulverisetur in mortario, & misc. cum *pulvere ossium*, addendo
Sacchar. albiss. part. ęqu.

Hujus *pulveris* manè & vesperi capiatur tantum, quantum mucrone cultri semel aut bis accipi potest; continuetur aliquandiu, idque in mistura sequenti:

℞. *Syr. de alth. Fern.* vel *de juiub.* ℥iij.
Cichor. cum rhabar. ℥j.
Aquæ nymph.
Lactuc.
Chamom. an. ℥iv.
Cinnam. lactesc. ℥ß.
M. pro vehiculo istius pulveris.

Hoc expertum commendatur in dysuria.

Item

℞. *Lap. percar. præp.*
Oss. sep.
Cancr. calcin.
Pulv. nuc. mosch. an. ʒß.
Extr. opii ℈j.
M. F. Pulvis.

℞. *Conserv. violar.* ℥iß.
Rob iuniperi ʒvj.
Pulv. sem. hyper. ʒiij.
Lapill. cancr. præp. ʒj.
Percar. præp. ℈ß.
Laud. op. gr iß.
cum s. q. *syr. scabiosæ* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium leniens.

℞. *Conf. hederæ terrestr.* ℥iß.
Rob juniperi ℥j.
Sem. violar. purp.
Hyperici, an. ʒij.
Lapill. percar. præp. ʒj.
Essent. opii ℈j.
cum s. q. *syr. de alth. Fern.* f. Electuarium.

Externè serpillum calefactum, & partibus urinariis applicatum, dolorem sedat, & urinam promovet, quod expertū à se esse dicit MONTAGNANA *Conf. 187. Cataplasma ex althæa, malva, meliloto, parietaria, cum lacte aut oleo scorpionum* pubi imponatur; aut saltim *ruta & parietaria in oleo scorpionum* cocta & apposita pręsentissimè juvant, dicit AMATUS LUSITANUS *Cent. 6. Cur. 92.*

Vel

℞. *Herb. parietar.* m. ij.
Cherefol.
Flor. chamom. an. m. j.
Incis. coqu. in *lacte* ad mollitiem:

Pulpę

Pulpæ per ſetaceum trajectæ adde
Butyr. rec. ℥j.
Olei ſcorpion. ℥ß.
Miſc. per Cataplaſmate:

Imponatur calidè regioni pubis, & deſuper operculum calefactum.

Porrò *clyſteres* crebrò in uſum ſunt vocandi, nunc blandè *ſtimulantes*, nunc *lenientes*, ex lacte, aut ſimiles Clyſteres anodyni, qui dolorem & calorem mingendi admodum levant; nam quò contumacior eſt alvus, eò intenſior eſt dyſuria. Unde uſitatiſſimus eſt eorum uſus, de quibus, ut & Balneis, vid. *ſuprà*.

Tandem Injectiones ex lacte vel ſimplici, vel Decoctionis Anodynorum, item ex oleo amygdalarum dulcium conveniunt: loco quarum in exulceratione veſicæ Injectiones primò mundificantes, hinc conſolidantes inſtituantur: V. g. Injectio mundificans in exulceratione veſicæ:

℞. *Rad. liquirit.* ℥j.
Cort. fabar. ℥j.
Sem. cicer. rubr. part. j.
Fol. plantag. M. j.
F. Decoct. in aqua, addendo parum *lixivii*. In Colat. ℔. j. diſſolve
Tereb. lar. vel *vulgar. in mell. diſſol.* ℥vj.
Unguent. Ægyptiac. tantum, quantum ferre poteſt.
Idque ſaltem quantum neceſſitas urget, miſc. pro Injectione. D. S.
Injectio mundificans.

Injectio conſolidativa:

℞. *Ramul. equiſeti*,
Fol. plantag.
Sem. hyper. an. M. j.
Rad. cherefol. maj.
Biſtortæ,
Tormentillæ an. ℥j.
Cort. granat. ℥iij.
Coqu. in ℔. j. *aquæ ferrariæ*. vel *martiatæ*:
In Colatura diſſolve
Trochiſc. alb. Rhaſis ſine opio ℥ß.
Boli Armen. ℥j.
Miſc. pro Injectione.
D. S. ut ſuprà.

Anteà commendavi Lacticinia internè & externè: Quò etiam pertinet experimentum SANQVEZ de pediculis vivis cum lacte injectis, *ſuprà*, *Membro* 1. *ubi de ſtranguria*, allegatum; quod etiam laudari audivi à D. MICHAELIS.

Item præter Injecta convenit hoc unguentum expertum ad urinæ difficultatem:

℞. *Unguenti Martiat.*
Agrippæ,
Olei laurin. an. ℥j.
Miſceantur optimè: S.
Unguentum ſingulare.

Hoc blandè calidè ungatur regio pubis, & ſubitò fluet urina, idque abſque dolore.

Hæc de affectibus urinariis, & qui ad illas pertinent.

Pergo igitur ad

SECTIONEM XXI. DE

GLANDVLARVM VSV ET NATVRA LYMPHÆ, EIVSQVE IN GLANDVLIS SEPARATIONE, ET MOTV DEBITO LÆSIS, INDEQVE ORTIS CATARRHIS IN GENERE ET IN SPECIE.

VT pateat Connexio cum ſuperioribus, notandum: quod ſanguis (de quo jam *ſuperiùs* Sect. 19. etiam dictum) ad omnes partes moveatur æquali circulo, in quarum quibuſdam (uti etiam dixi) aliquid patitur, imprimis quidem in viſceribus; quò pertinent ſolennes quædam ſecretiones ab iiſdem factæ: Quò etiam facit, dum poſt renes ſanguis per arterias movetur etiam in particularia viſcera, ad glandulas per univerſum corpus diſſeminatas (de quibus vid. concinnè agens STENO *Tract. Obſerv. de Glandulis & Muſculis*; ſicut iiſdem ſpecialiter quoad ſtructuram agit WARTHONVS *in Adenographia*) ut in iiſdem ex ſanguine & ſpiritibus animalibus aliquid ſeparetur, quod ad conſtitutionem & elaborationem lymphæ requiritur, idque tàm in glandulis conglobatis, quàm conglomeratis. Utræque hæ glandulæ verſantur in elaborando peculiari quodam humore, *Lympha* à BARTHOLINO appellato, qui etiam pro varietate glandularum diſtribuitur diverſimodè. Et quidem omnis lympha infra cor per ductum thoracicum infunditur in venam axillarem ſiniſtram; ſicut lympha in regione ſupra cor tandem etiam per axillarem ſiniſtram infunditur & admiſcetur ſanguini. E glandulis conglomeratis per ſingulares ductus in certam quandam corporis cavitatem effuſus, peculiaria obtinet nomina & officia, ut ſunt ſaliva, ſuccus pancreaticus, lachrymæ &c.: è glandulis verò conglobatis, tàm regionis inferioris quàm ſuperioris, per peculiaria vaſa, lymphatica dicta, ſanguini in vena axillari ſiniſtra infunditur: Vid. de his in ſpecie SYLVIVS *Diſſ.* 5. & 8. item BARTHOLINVS *de vaſis lymphaticis*, item RVDBECCIVS *Tract. de Vaſis hepatis & glandularum ſeroſis*. Ubi enim ſunt glandulæ conglobatæ, neceſſariò oriuntur lymphatica vaſa. Omnibus autem glandulis conglomeratis inſeritur nervus.

Glandulæ ergò omnes, cùm habeant cum lymphaticis commercium, ita ut nuſpiam reperiatur vas lymphaticum quod non ex glandulis ducat originem, patet: glandularum hunc eſſe uſum, ut præparent lympham, eamque præparatam per ductus certos alíorſum derivent; & quidem per ductus lymphaticos ex glandulis conglobatis in venam axillarem ſiniſtram; per ductus verò peculiares excretorios ex glandulis conglomeratis in certam cavitatem quandam, Similis glandularum ſtructura ſimilem in genere humorem ab iis emulgeri demonſtrat, ita quidem, ut lympha omnium glandularum in hoc conveniat, quod ſit liquor aquoſus ſpirituoſus, ut plurimùm acidulus. Conglomeratarum verò diverſitas etiam certam quandam in humore inde elaborato innuit diverſitatem non eſſentialem, ſed accidentalem, diverſis nempè uſibus deſtinatam: Sic eſſentialiter quidem convenit lympha quæcunque cum ſaliva verbi gratiâ, & ſucco pancreatico; accidentaliter tamen pro diverſitate glandularum in textura, in quibus elaborantur, differunt. Undè etiam diverſas functiones adminiſtrare apti nati ſunt, v. g. dum alius uſus eſt ſalivæ, alius lachrymarum, alius ſucci pancreatici, & ſic porrò, prout variant nonnihil dicti liquores ex diſtinctis glandulis oriundi.

Materia ex qua componitur lympha, maximam partem hauritur ex maſſa ſanguinea: idque in ſpecie in glandulis conglomeratis, quæ ſpongiarum inſtar ex ſanguine arteriarum emulgent liquorem ſeroſum limpidum, & ut probabiliſſimè putatur, occultè acidulum, quibus ſe ſociare videntur ſpiritus animales per nervos ad glandulas derivati: Conglobatarum verò glandularum lymphaticarum eodem modo ex ſanguine elaboratur. Interim tamen admodum probabilis videtur iſta hypotheſis, quæ ſpiritus animales in partes per nervos allatos, condenſatos ſimul maximam partem, cum hac lympha conſtituere aſſerit; ita quidem, ut hi ipſi, dum laboribus non abſumantur, omnes cum alimento partium aquoſiori ſe jungant, & ita ſubtilitatem ſuam ſpirituoſam amittant, ac denuò in aquoſam ſubſtantiam condenſentur. Hic ergo limpidus liquor à glandulis imbibitus, & humori ex ſanguine emulcto permiſtus, lympham glandularum conglobatarum conſtituere videtur; de qua hypotheſi vid. SYLVIVS *in ſuprà cit. Diſſ.* 5. item SEGERVS *in Diſſ. de Quidditate & Materia lymphæ*. Dixi verò, quòd ex ſanguine in glandulis elaboretur ſuccus vel liquor quidam acidulus, qui temperetur à ſpiritu iſto volatili condenſato, hoc guſtus lymphæ ſubacidus interdum obſervatus confirmat; vid. BARTHOLINVS *Cent.* 2. *Epiſt.* 55. & 69. item *Cent.* 3. *Epiſt.* 93.

Uſus lymphæ in glandulis conglomeratis eſt, ut excreta per

per ductus excretorios in determinatas cavitates vel loca, certis functionibus & alterationibus prosit, de quibus sub speciali partium usu. Quod verò attinet lymphæ usum in glandulis conglobatis elaboratum, & in venam axillarem sinistram infusæ, hic non adeò est evidens. In genere tamen ejus propè cor cum sanguine commistio, & immediata cordis ventriculo dextro infusio cum sanguine, certum quendam pro sanguificatione ejusque renovatione sanguinis in corde & pulmonibus adjuvanda usum hujus lymphæ arguit; quod lymphæ ascendentis ab inferioribus cum chylo in ductum thoracicum miscela ulteriùs confirmat. Unde dicendum videtur cum SYLVIO *Exerc.* 8. Lympham, quatenus est succus subtilis spirituosus volatilis, disponere sanguinem certo modo ad eam fermentationem & spiritualescentiam, quam in suo transitu per cor & pulmones patitur: Ubi nec negligendum puto, quod chylus, dum à lympha diluitur, hoc ipso faciliùs cum sanguine permiscetur, & ab eodem subigatur & assimiletur.

Consideratâ Theoriâ, nobis jam incumbit vitia seri evolvere. Jam ergo *vitiatur* & læditur hæc lymphæ secretio, & debita ejus in partes distributio, *tribus* imprimis *modis*.

1. *Dum ipsa vitiosè generatur*. Degenerat nempè à naturali crasi & textura, tam in quanto quàm in quali, quatenus generatur aut nimis copiosa, aut nimis acida, aut nimis salsa, aut alio modo vitiata.
2. *Dum eadem* vel naturaliter vel præternaturaliter constituta *vitiosè distribuitur*, & ex glandulis conglomeratis in partes & cavitates infunditur.
3. *Dum eadem* tàm naturaliter quàm præternaturaliter constituta *impeditur in suo motu* ex glandulis conglobatis per vasa lymphatica.

A prioribus duobus vitiis lymphæ oriuntur catarrhi dicti, seu omnes catarrhales Affectus. Et quidem *prius vitium* hinc varia & distincta producit *pathemata*, pro glandularum & partium vicinarum varietate; cum glandulæ sint fontes, ex quibus omnes catarrhi originem ducunt. Quando enim ex vitiatis glandulis vitiatur lymphæ generatio, ita ut hæc exindè fiat acida, aut etiam nimis salsa, aut alio peregrino sapore infecta, indeque distribuitur in partes, in specie ex glandulis conglomeratis, tunc oriuntur catarrhi. Alterum dat *Affectus Catarrhales* propriè sic dictos. Tertio verò lymphæ vitio, nempè in motu impeditæ, oriuntur omnes *Hydropes particulares* & *Tumores* serosi particulares.

CAP. I.

DE

LYMPHÆ VITIOSA GENERATIONE.

Vitiatur *lymphæ generatio* tàm in quanto, quàm in quali, vel *objecti* vel *subjecti* vitio. *Objecti* seu materiæ ex qua (quæ maximam partem est serum sanguinis) *vitio* vitiata generatur lympha, *quando hoc serum parcius* vel *copiosius*, tenuius, vel à contento chyloso rore *crassius, dulcius*, & vitiosè *acrius* fuerit; nam & hinc necessariò lympha varia vitia contrahit. *Subjecti denique vel glandularum vitio* vitiatur lymphæ generatio, quando earundem tonus & textura secretoria, & alia requisita ad lymphæ genesin necessaria non ritè se habent.

Frequentissimum vitium est, quando obstruuntur, hincque plus minus intumescunt, utplurimum à materia lymphæ generandæ viscidore, vel gelatina chylosa magis turgida, quæ undecunque coagulata aut inspissata, tàm à frigore aliavè causa externa, quàm interna, sicque in pituitam abiens, *Tumores glandularum* majores aut minores, molliores aut duriores, benigniores, & cum sensu punctorio maligniores, constituit. *Circa quorum affectuum Theoriam & Praxin* consulendus venit SYLVIUS *lib.1. Prax. cap.* 49. 50. 51. 52. 53. & 54. Ubi saltem hoc simul addidero pro his affectibus *curandis*, illis præsertim, qui *ex obstructis glandulis* originem ducunt, præter *Mercurium dulcem* pro Purgatione, optima remedia esse *sudorifera ex lignis*, præsertim *juniperino*; parata: v. g.

℞. *Rasur. ligni juniperin.* ℥ij.
Sassafr. ℥ß.
Cort. lign. guaiaci ℥j.
Herbæ ror. mar. M. iij.
Bacc. iunip. ℥iß.
Infund. in s. q. *Aqu.* & *vini* ad ℔ij.

Macerata per 24. horas, coqu. in Balneo Mariæ in cucurb cum suo alemb. juncto ad medias;

Colatum & Destillatum misce, & adde
Spiritus sal. ammoniaci ℥iij.
Syr. flor. calend. ℥iß. ad iij.
M. D. S.
Potio catarrhum dissoluens.

Hoc ipso, *præmissa Purgatione Mercuriali*, nupere fœminam cum mensium suppressione, tumores parotidum & glandularum in collo habentem, cum capitis gravedine, narium obstructione, oris siccitate & difficili anhelitu, & pectoris ac pulmonum quasi repletione, interdum suffocationem quandam minante, restitui, capiendo omni mane bonum haustum calidè, & expectando hinc in lecto sudorem.

CAP. II.

DE

LYMPHÆ VITIOSA DISTRIBUTIONE

ARTICULUS

DE

AFFECTIBUS CATARRHALIBUS.

Catarrhi vocem *quod attinet*: in sensu *Hippocratico* quemcunque decubitum seu depositionem alicujus humoris, utplurimum acrioris, in quodam loco vel parte innuit, adeò ut ratione hujus sub generali catarrhorum nomine etiam Diarrhœa, Diabetes, & alii similes morbi HIPPOCRATI *Catarrhi* audiant. Verumtamen in specie, & nunc usitato catarrhi seu Defluxionis nomine, innuitur κατ' ἐξοχὴν decubitus seu effusio lymphæ aut ichoris tenuis, sive jam serum hoc sit mite & insipidum, sive acre, asperum, salinum, ad aliquam certam & determinatam partem. Et hoc est *propè Catarrhus*; *nempè præternaturalis à sero plus minus vitiato in quacunque parte facta alteratio seu functionum læsio*. Vocatur Catarrhus à ῥέω, fluo.

Ulteriùs *Veterum* de Catarrhis *hypothesis*, quod nempè ex intemperie stomachi frigida & jecoris calida exhalent copiosi vapores sursum, qui in capite, tanquam *alembico*, à loci frigiditate denuò condensati in liquores seu aquas serosas, cumulati, postmodum exindè per foramina ossis cribriformis, tanquam per rostrum alembici, successivè in partes inferiores, easque interiores, nares, fauces, oculos, aures, gulam, asperam arteriam, pulmones, &c. defluant, & ita Catarrhos Internos constituant: Vel quod per loca intercutanea externa, inter membranas nempè cranii extimas deriventur in totam corporis peripheriam, etiam ultimos artus usque, à quibus *destillationibus*, seu, ut vocant, *defluxionibus* varia mala, in specie arthritici affectus & similia oriantur, satis notum est; Nam stomachum ex intemperie frigida copiosum phlegma generare; *iecur verò ex intemperie calida* incumbens stomacho istud phlegma in vapores & fumos resoluere, qui copiosè ex ventriculo exhalantes, & evaporantes Catarrhos externos constituant, dixerunt. Et hæc est *Veterum hypothesis* adeò decantata, & à multis adhuc recepta.

Sed hanc Theoriam Veterum sufficienter discussit tàm HELMONTIUS *in eleganti Tract. Catarrhorum deliram.* vocato, quàm etiam SCHNEIDERUS *in Operibus suis prolixis de Catarrhis*: cujus prolixa volumina hunc nucleum continent, quod asserat & defendat, *non à capite* seu cerebro depluere serum pro catarrhis, *sed* istud *ex arteriarum vasculis*, à massa sanguinea facultate expultrice apertis, seponi, & per membranas transudando excerni; unde pro varietate membranarum, per quas fiat ista transudatio, & pro varietate seri, ex sanguine per arterias ita exclusi, & hinc inde sepositi, varii etiam oriantur Catarrhi. Et totum hoc est, quod habet SCHNEIDERUS in omnibus suis libris; correxit tamē suam sententiam, & loco membranarum glandulas supposuit. In qua doctrina glaciem priùs fregerunt SCHNEIDERO tam HELMONTIUS, quàm etiam

CARO-

CAROLVS PISO *in erudito scripto de Colluvie serosa*, cui SCHNEIDERVS multum debet; sicut & PISONI multum debet WILLISIVS, quoad Pathologiam cerebri.

Sed, ut propiùs ad rem accedamus, equidem in hoc non culpandi sunt Veteres. quod *serum* statuerint *materiam catarrhorum*, utut *lymphæ vitiosæ* Moderni hoc adscribant: Nam *serum Veterum* collectum, quod HELMONTIO dicitur *Latex* aquosus seu Humor neglectus, propriè loquendo, Modernorum est *lympha*, & reverà in radice conveniunt; utut in explicanda causa & fiendi modo Catarrhorum errarint, Glandularum vasorumque lymphaticorum naturâ & usu nondum cognitis: Vid. SYLVIVS *lib. 1. in Praxi* de læsa transcolatione lymphæ. *Serum autem catarrhorum est materia*, quoties nunc mediatè ex arteriis cum sanguine excretum, & motu suo plùs minùs impeditum, & in spatiola partium mollium effusum, etiam varios affectus, quos vulgò pariter *Catarrhos* vocant, infert; *nunc* verò, idque primariò, *mediatè*, mediante nempè sui in lympham mutatione, & hinc ex glandulis conglomeratis in certa loca effusione, *Catarrhos propriè* dictos seu *defluxiones*, aut rectiùs loquendo cum modernis, Influxionem constituit. *Materia ergò propriè dictorum catarrhorum est lympha glandularum conglomeratarum*, tàm *naturaliter*, quàm *præternaturaliter* constituta, copiosè, & imprimis uberiùs, in partes effusa. *Fontes* verò, unde scaturiat hæc, dictum, quod glandulæ circa lympham elaborandam & distribuendam sint occupatæ, dum secundùm STENONEM *in Observat. de Glandulis & Musculis* nullum detur vas lymphaticum in corpore, quod non oriatur à glandula quadam, vel in glandulam non terminetur. *Fontes* ergo *Catarrhorum sunt* meritò *glandulæ conglomeratæ*; unde glandulosa saltem vel iis vicina loca, vel quæ cum glandulis habent correspondentiam, propriè dicti Catarrhi affligunt. *Scaturigo prima* Catarrhorum denique est massa sanguinea. Cùm ergò frequentissima *glandularum conglobatarum & conglomeratarum* textura circa cerebrum cohæreat (nam totus ejus cortex seu substantia cerebri corticalis minutissimarum glandularum est textura, demonstrante hoc MALPIGHIO *in scrutinio viscerum*;) cum itidem in cerebri medulla copiosæ glandulæ sint compositæ, vel etiam in locis cerebro uicinis, *oculis*, *faucibus*, *larynge*, *auribus*, &c. copiosæ & insigniores sint *glandulæ*, ac denique collo & asperæ arteriæ copiosæ adhæreant glandulæ, & hinc caput & partes respirationi inservientes præ reliquis externi aeris injuriis & læsionibus sint expositæ; ob id non mirum erit, *si propriè dicti catarrhales affectus* frequentiùs *capiti*, ipsiusque partibus uicinis, [illegible] *faucibus ac asperæ arteriæ*, ac consequenter *pulmonibus* & [illegible]ctori, sint molesti, i. e. ratione causæ efficientis externæ & materialis proximè ad catarrhos hæ partes sint dispositæ, idque eò magis, quò magis externis injuriis, in specie aeris, modò dictæ partes sunt expositæ.

Dixi modò, *Catarrhorum* materiam esse lympham; *fontes* verò glandulas. *Quod verò attinet membranas Schneideri*, in specie binas *pituitarias*, *anteriorem* & *posteriorem*, ab eo *lib. 3. de Catarrhis* accuratè delineatas, per quas materia catarrhorum ab eodem transudare dicitur (utut *in ultimo Tomo de Catarrhis* addat his ipsis etiam *glandulas*, tanquam opercula vasorum) observandum est, quod rectiùs alii his *glandulis*, ceu cribris aut transcolatoriis, originem Catarrhorum adscribant; imprimis cùm hæ ipsæ *membranæ Schneideri* à parte posteriore texturam copiosarum glandularum habeant adhærentem, ex quibus glandulis, ceu fontibus, per vasa minuta excretoria, membranas istas perforantia, omnes Catarrhi excernuntur, sicuti naturaliter per hæc uasa lympha, fauces & nares aliasque partes oblinens, hoc modo excernitur: Vid. STENO *in Obs. de Glandulis & Musculis*.

Per has igitur glandulas conglomeratas lympha aut nimis *abundanter* per loca exclusa, aut *vitiosè* simul præparata, & ita excreta catarrhos constituit, i. e. *defluit lympha* aut *copiosa*, aut *vitiata* ex glandulis, imprimis conglomeratis circa *caput*, *fauces*, *collum*, *laryngem*, *asperam arteriam*, aliasque similes vicinas partes, & proximè constituit Catarrhos. Unde huic lymphæ depositioni non tantummodò functionum istarum partium læsiones, sed pro vario lymphæ uitio uaria etiam simul symptomata superueniunt. Et sanè hoc sensu nil obstat, quin *gonorrhææ virorum*, *fluor albus mulierum*, *salivationes* quælibet, quin & interdum *diarrhææ*, ad *Catarrhos* referri queant.

CAUSÆ.

Vidimus *Catarrhorum materiam*, nempè lympham vitiatam; vidimus *fontes*, nempè glandulas sub membranarum tegmine reconditas: quare pergo ad *Causas*, à quibus ita movetur *lympha* uitiosè, aut generator uitiata, & consequenter Catarrhi. Equidem ipsa, ceu humor sui generis, spontaneo impetu non, nisi fluidi gravis ratione, deorsum movebitur, adeòque purè passivè se se habebit ad hoc, ut *copiosior*, aut plus minùs *vitiata*, per glandulas conglomeratas moueatur, & ita spirituum influxum mouentem, & organorum seu instrumentorum dispositionem *catarrhalis influxio* imitabitur. Ut igitur per glandulas quasuis conglomeratas catarrhalis lymphę fiat excretio, causa proxima, propter quam lympha vel naturaliter vel prętornaturaliter constituta effunditur, & ita vitiosè distribuitur, semper est irritatio & *læsio* quędam in parte quadam plus minùs sensili, in qua vel cujus uicinia sunt glandulę copiosę. Hujus enim irritationis seu lęsionis occasione lympha ob fibrarum stricturam ex glandulis uicinis uberiùs exprimitur, & ita semper restaurata continuus quasi rivus eò deriuatur; quę ipsa, quò plus vel minus grauem *affectum catarrhalem* constituit: v. g. sicut spina digito infixa causa est sanguinis effusionis & inflammationis in loco, ubi plura sunt uasa sanguifera, ita similis spina, v. g. *acidum* inspiratum, aut inspiratus fumus sulphuris, ibidem lymphę uberiorem effusionem, indeque *raucedinem* aut *tussim* subindè chronicam, & materię mucosæ copiosam ejectionem faciet; aut si cuidam pulvis incidit in oculum, mox ex irritatione dolorosa effunduntur copiosę lachrymę, qualis lachrymatio est quasi catarrhus à causa externa ortus. Quod si verò ab interna oritur talis copiosa lachrymatio, tunc rectè dicitur catarrhus. *Læsio ista*, prout *nunc magis superficialis*, adeoque irritatio quędam saltim partis fuerit, vel prout *nunc gravior*, quęque non sensum saltem partis afficiat, sed etiam texturam ejus & spiritum insitum simul alterare valeat, etiam *Catarrhum*, *nunc graviorem nunc leviorem*, infert. *In quo posteriore*, loco laudabilis alimenti uitio spiritus insiti ex proprię digestionis & coctionis lęsione vitiosum continuò excrescit excrementum, quod similiter nouum alimentum corrumpendo, partem magis magisque lædet, unde *catarrhus habitualis* seu perennis catarrhi scaturigo; ut in *phthisi* manifestum est, *de quo infrà*.

Causa ergò *proxima* est irritatio quædam molesta, ubi sunt glandulæ; sive irritatio ista fiat à fermento exotico, sive ab alia causa, perindè est: v. g. si fermentum aliquod exoticum in parte relictum eandem affligit; nam mox in glandulis vicinis copiosæ lymphæ effusio, & consequenter Catarrhus, producitur.

Causa Remota, & quidem materialis *irritans*, & *nunc* saltim sensum *nunc* spiritum insitum magis afficiens, utut sit varia, tàm *externa*, quàm *interna*, speciatim tamen est acidum acre, vel salso-acidum acre, quod occasionem dictæ catarrhali defluxioni subministrat atque infert. Non est excludenda hic *causa efficiens formalis*, quæ est spiritus impetum faciens, & occasione istius irritationis catarrhalem lymphæ excretionem efficiens.

Causæ externæ, quæ irritant partes & loca glandulosa, occasionemque subministrant catarrhis, sunt speciatim aeris injurię, inspirati nempè vitia, ratione cujus evenit subindè, ut *epidemici* fiant *Catarrhi*, iique nunc cum nunc absque malignitate; sicut ex eadem ratione febres malignæ catarrhales epidemicæ observatæ frequentiùs fuerunt, hyberno tempore communissimę. Epidemici hi catarrhi ab aere inspirato originem ducunt duplici modo; quatenus *externa* inspirata *partim lympham* ac serum *inquinant*, & prętornaturali ejus alterationi occasionem prębent; *partim* quoque, quatenus *irritant* loca, per quę transeunt, nares, fauces, &c. unde ibidem lymphę vitiatę seu catarrhalis uberior in dictis locis fit excretio. Sępiùs tamen sine vitio aeris epidemico etiam ex alia ratione aer vitiosus catarrhis occasionem prębet. *Quò ii pertinent*, quando cum aere fumi acres metallici & mercuriales inspirantur in laboratoriis chymicorum & aurifabrorum, quorum acidum gas & particulę acres acidę membranas narium, faucium, laryngis, & sub his reconditas glandulas copiosas, continuâ *irritatione* ad fibrarum contracturam & copiosam lymphę excretionem stimulant; *quin* & *ipsam lympham non rarò vitiant*, ut acrimoniam acidam, spissio-

per ductus excretorios in determinatas cavitates vel loca, certis functionibus & alterationibus prosit, de quibus sub speciali partium usu. Quod verò attinet lymphæ usum in glandulis conglobatis elaboratum, & in venam axillarem sinistram insusæ, hic non adeò est evidens. In genere tamen ejus propè cor cum sanguine commistio, & immediata cordis ventriculo dextro infusio cum sanguine, certum quendam pro sanguificatione ejusque renovatione sanguinis in corde & pulmonibus adjuvanda usum hujus lymphæ arguit; quod lymphæ ascendentis ab inferioribus cum chylo in ductum thoracicum miscela ulteriùs confirmat. Unde dicendum videtur cum SYLVIO *Exerc.* 8. Lympham, quatenus est succus subtilis spirituosus volatilis, disponere sanguinem certo modo ad eam fermentationem & spiritualescentiam, quam in suo transitu per cor & pulmones patitur: Ubi nec negligendum puto, quod chylus, dum à lympha diluitur, hoc ipso faciliùs cum sanguine permiscetur, & ab eodem subigatur & assimiletur.

Consideratâ Theoriâ, nobis jam incumbit vitia ejus evolvere. Jam ergo *vitiatur* & læditur hæc lymphæ secretio, & debita ejus in partes distributio, *tribus* imprimis *modis*.

1. *Dum ipsa vitiosè generatur*. Degenerat nempè à naturali crasi & textura, tam in quanto quàm in quali, quatenus generatur aut nimis copiosa, aut nimis acida, aut nimis salsa, aut alio modo vitiata.
2. *Dum eadem* vel naturaliter vel præternaturaliter constituta *vitiosè distribuitur*, & ex glandulis conglomeratis in partes & cavitates infunditur.
3. *Dum eadem* tàm naturaliter quàm præternaturaliter constituta *impeditur in suo motu* ex glandulis conglobatis per vasa lymphatica.

A prioribus duobus vitiis lymphæ oriuntur catarrhi dicti, seu omnes catarrhales Affectus. Et quidem *prius vitium* hinc varia & distincta producit *pathemata*, pro glandularum & partium vicinarum varietate; cum glandulæ sint fontes, ex quibus omnes catarrhi originem ducunt. Quando enim ex vitiatis glandulis vitiatur lymphæ generatio, ita ut hæc exindè fiat acida, aut etiam nimis salsa, aut alio peregrino sapore infecta, indeque distribuitur in partes, in specie ex glandulis conglomeratis, tunc oriuntur catarrhi. Alterum dat *Affectus Catarrhales* propriè sic dictos. Tertio verò lymphæ vitio, nempè in motu impeditæ, oriuntur omnes *Hydropes particulares* & *Tumores* serosi particulares.

CAP. I.

DE

LYMPHÆ VITIOSA GENERATIONE.

Vitiatur *lymphæ generatio* tàm in quanto, quàm in quali, vel *objecti* vel *subjecti* vitio. *Objecti* seu materiæ ex qua (quæ maximam partem est serum sanguinis) *vitio* vitiata generatur lympha, *quando hoc serum parcius* vel *copiosius*, tenuius, vel à contento chyloso rore *crassius*, *dulcius*, & vitiosè *acrius* fuerit; nam & hinc necessariò lympha varia vitia contrahit. *Subiecti denique vel glandularum vitio* vitiatur lymphæ generatio, quando earundem tonus & textura secretoria, & alia requisita ad lymphæ genesin necessaria non ritè se habent.

Frequentissimum vitium est, quando obstruuntur, hincque plus minus intumescunt, utplurimum à materia lymphæ generandæ viscidore, vel gelatina chylosa magis turgida, quæ undecunque coagulata aut inspissata, tàm à frigore aliavè causa externa, quàm interna, sicque in pituitam abiens, *Tumores glandularum* majores aut minores, molliores aut duriores, benigniores, & cum sensu punctorio maligniores, constituit. *Circa quorum affectuum Theoriam & Praxin* consulendus venit SYLVIUS *lib.1. Prax. cap.* 49. 50. 51. 52. 53. & 54. Ubi saltem hoc simul addidero pro his affectibus *curandis*, illis præsertim, qui *ex obstructis glandulis* originem ducunt, præter *Mercurium dulcem* pro Purgatione, optima remedia esse *sudorifera ex lignis*, præsertim *juniperino*, parata: v. g.

℞. *Rasur. ligni iuniperin.* ℥ij.
Sassafr. ℥ß.
Cort. lign. guaiaci ℥j.
Herbæ ror. mar. M. iij.
Bacc. iunip. ℥ß.
Infund. in s. q. *Aqu. & vini* ad ℔ij.
Macerata per 24. horas, coqu. in Balneo Mariæ in cucurb. cum suo alemb. juncto ad medias;
Colatum & Destillatum misce, & adde
Spiritus sal. ammoniaci ℨiij.
Syr. flor. calend. ℥ß. ad iij.
M. D. S.
Potio catarrhum dissoluens.

Hoc ipso, *præmissa Purgatione Mercuriali*, nupere fœminam cum mensium suppressione, tumores parotidum, & glandularum in collo habentem, cum capitis gravedine, narium obstructione, oris siccitate & difficili anhelitu, & pectoris ac pulmonum quasi repletione, interdum suffocationem quandam minante, restitui, capiendo omni mane bonum haustum calidè, & expectando hinc in lecto sudorem.

CAP. II.

DE

LYMPHÆ VITIOSA DISTRIBUTIONE

ARTICULUS

DE

AFFECTIBUS CATARRHALIBUS.

Catarrhi vocem quod attinet: in sensu *Hippocratico* quemcunque decubitum seu depositionem alicujus humoris, utplurimum acrioris, in quodam loco vel parte innuit, adeò ut ratione hujus sub generali catarrhorum nomine etiam Diarrhœa, Diabetes, & alii similes morbi HIPPOCRATI *Catarrhi* audiant. Verumtamen in specie, & nunc usitato catarrhi seu Defluxionis nomine, innuitur κατ' ἐξοχὴν decubitus seu effusio lymphæ aut ichoris tenuis, sive jam serum hoc sit mite & insipidum, siue acre, asperum, salinum, ad aliquam certam & determinatam partem. Et hoc est *propè Catarrhus*; *nempè præternaturalis à sero plus minus vitiato in quacunque parte facta alteratio seu functionum læsio*. Vocatur Catarrhus à ῥέω, fluo.

Ulteriùs *Veterum* de Catarrhis *hypothesis*, quod nempè ex intemperie stomachi frigida & jecoris calida exhalent copiosi vapores sursum, qui in capite, tanquam *alembico*, à loci frigiditate denuò condensati in liquores seu aquas serosas, cumulati, postmodum exindè per foramina ossis cribriformis, tanquam per rostrum alembici, successivè in partes inferiores, easque interiores, nares, fauces, oculos, aures, gulam, asperam arteriam, pulmones, &c. defluant, & ita Catarrhos Internos constituant: Vel quod per loca intercutanea externa, inter membranas nempè cranii extimas deriventur in totam corporis peripheriam, etiam ultimos artus usque, à quibus *destillationibus*, seu, ut vocant, *defluxionibus* varia mala, in specie arthritici affectus & similia oriantur, satis notum est; Nam stomachum ex intemperie frigida copiosum phlegma generare; *iecur verò ex intemperie calida* incumbens stomacho istud phlegma in vapores & fumos resoluere, qui copiosè ex ventriculo exhalantes, & evaporantes Catarrhos externos constituant, dixerunt. Et hæc est *Veterum hypothesis* adeò decantata, & à multis adhuc recepta.

Sed hanc Theoriam Veterum sufficienter discussit tàm HELMONTIUS *in eleganti Tract. Catarrhorum deliram.* vocato, quàm etiam SCHNEIDERUS *in Operibus suis prolixis de Catarrhis*: cujus prolixa volumina hunc nucleum continent, quod asserat & defendat, *non à capite* seu cerebro depluere serum pro catarrhis, *sed* istud *ex arteriarum vasculis*, à massa sanguinea facultate expultrice apertis, seponi, & per membranas transudando excerni; unde pro varietate membranarum, per quas fiat ista transudatio, & pro varietate seri, ex sanguine per arterias ita exclusi, & hinc inde sepositi, varii etiam oriantur Catarrhi. Et totum hoc est, quod habet SCHNEIDERUS in omnibus suis libris; correxit tamē suam sententiam, & loco membranarum glandulas supposuit. In qua doctrina glaciem priùs fregerunt SCHNEIDERO tam HELMONTIUS, quàm etiam

CARO-

CAROLVS PISO *in erudito scripto de Colluvie serosa*, cui SCHNEIDERVS multum debet; sicut & PISONI multum debet WILLISIVS, quoad Pathologiam cerebri.

Sed, ut propiùs ad rem accedamus, equidem in hoc non culpandi sunt Veteres, quod *serum* statuerint *materiam catarrhorum*, utut *lymphæ vitiosæ* Moderni hoc adscribant: Nam *serum Veterum* collectum, quod HELMONTIO dicitur *Latex* aquosus seu Humor neglectus, propriè loquendo, Modernorum est *lympha*, & reverà in radice conveniunt; utut in explicanda causa & fiendi modo Catarrhorum errarint, Glandularum vasorumque lymphaticorum naturâ & usu nondum cognitis: Vid. SYLVIVS *lib. 1. in Praxi* de læsa transcolatione lymphæ. *Serum autem catarrhorum est materia*, quoties nunc mediatè ex arteriis cum sanguine excretum, & motu suo plùs minùs impeditum, & in spatiola partium mollium effusum, etiam varios affectus, quos vulgò pariter *Catarrhos* vocant, infert; *nunc* verò, idque primariò, *mediatè*, mediante nempè sui in lympham mutatione, & hinc ex glandulis conglomeratis in certa loca effusione, *Catarrhos propriè* dictos seu *defluxiones*, aut rectiùs loquendo cum modernis, Influxionem constituit. *Materia ergò propriè dictorum catarrhorum est lympha glandularum conglomeratarum*, tàm *naturaliter*, quàm *præternaturaliter* constituta, copiosè, & imprimis uberiùs, in partes effusa. *Fontes* verò, unde scaturiat hæc, dictum, quod glandulæ circa lympham elaborandam & distribuendam sint occupatæ, dum secundùm STENONEM *in Observat. de Glandulis & Musculis* nullum detur vas lymphaticum in corpore, quod non oriatur à glandula quadam, vel in glandulam non terminetur. *Fontes* ergo *Catarrhorum sunt* meritò *glandulæ conglomeratæ*; unde glandulosa saltem vel iis vicina loca, vel quæ cum glandulis habent correspondentiam, propriè dicti Catarrhi affligunt. *Scaturigo prima* Catarrhorum denique est massa sanguinea. Cùm ergò frequentissima *glandularum conglobatarum & conglomeratarum* textura circa cerebrum cohæreat (nam totus ejus cortex seu substantia cerebri corticalis minutissimarum glandularum est textura, demonstrante hoc MALPIGHIO *in scrutinio viscerum*;) cum itidem in cerebri medulla copiosæ glandulæ sint compositæ, vel etiam in locis cerebro vicinis, *oculis*, *faucibus*, *larynge*, *auribus*, &c. copiosæ & Insigniores sint *glandulæ*, ac denique collo & asperæ arteriæ copiosæ adhæreant glandulæ, & hinc caput & partes respirationi inservientes præ reliquis externi aeris injuriis & læsionibus sint expositæ; ob id non mirum erit, *si propriè dicti catarrhales affectus* frequentiùs *capiti*, ipsiusque partibus vicinis, [illegible] *faucibus ac asperæ arteriæ*, ac consequenter *pulmonibus* & pectori, sint molesti, i. e. ratione causæ efficientis externæ & materialis proximè ad catarrhos hæ partes sint dispositæ, idque eò magis, quò magis externis injuriis, in specie aeris, modò dictæ partes sunt expositæ.

Dixi modò, *Catarrhorum* materiam esse lympham; *fontes* verò glandulas. *Quod verò attinet membranas Schneideri*, in specie binas *pituitarias*, *anteriorem & posteriorem*, ab eo *lib. 3. de Catarrhis* accuratè delineatas, per quas materia catarrhorum ab eodem transudare dicitur (utut *in ultimo Tomo de Catarrhis* addat his ipsis etiam *glandulas*, tanquam opercula vasorum) observandum est, quod rectiùs aliis his *glandulis*, ceu cribris aut transcolatoriis, originem Catarrhorum adscribant; imprimis cùm hæ ipsæ *membranæ Schneideri* à parte posteriore texturam copiosarum glandularum habeant adhærentem, ex quibus glandulis, ceu fontibus, per vasa minuta excretoria, membranas istas perforantia, omnes Catarrhi excernuntur, sicuti naturaliter per hæc vasa lympha, fauces & nares aliasque partes oblinens, hoc modo excernitur: Vid. STENO *in Obs. de Glandulis & Musculis*.

Per has igitur glandulas conglomeratas lympha aut nimis *abundanter* per loca exclusa, aut *vitiosè* simul præparata, & ita excreta catarrhos constituit, i. e. *defluit lympha* aut *copiosa*, aut *vitiata* ex glandulis, imprimis conglomeratis circa *caput*, *fauces*, *collum*, *laryngem*, *asperam arteriam*, aliasque similes vicinas partes, & proximè constituit Catarrhos. Unde huic lymphæ depositioni non tantummodò functionum istarum partium læsiones, sed pro vario lymphæ vitio varia etiam simul symptomata superveniunt. Et sanè hoc sensu nil obstat, quin *gonorrhϾ virorum*, *fluor albus mulierum*, *salivationes* quælibet, quin & interdum *diarrhϾ*, ad *Catarrhos* referri queant.

CAUSÆ.

Vidimus *Catarrhorum materiam*, nempè lympham vitiatam; vidimus *fontes*, nempè glandulas sub membranarum tegmine reconditas: quare pergo ad *Causas*, à quibus ita movetur *lympha* vitiosè, aut generatur vitiata, & consequenter Catarrhi. Equidem ipsa, ceu humor sui generis, spontaneo impetu non, nisi fluidi gravis ratione, deorsum movebitur, adeòque purè passivè se se habebit ad hoc, ut *copiosior*, aut plus minùs *vitiata*, per glandulas conglomeratas moveatur, & ita spirituum influxum moventem, & organorum seu instrumentorum dispositionem *catarrhalis influxio* imitabitur. Ut igitur per glandulas quasvis conglomeratas catarrhalis lymphę fiat excretio, causa proxima, propter quam lympha vel naturaliter vel prçternaturaliter constituta effunditur, & ita vitiosè distribuitur, semper est irritatio & *læsio* quędam in parte quadam plus minùs sensili, in qua vel cujus vicinia sunt glandulę copiosę. Hujus enim irritationis seu lęsionis occasione lympha ob fibrarum stricturam ex glandulis vicinis uberiùs exprimitur, & ita semper restaurata continuus quasi rivus eò deriuatur; quę ipsa, quò plus vel minus grauem *affectum catarrhalem* constituit: v. g. sicut spina digito infixa causa est sanguinis effusionis & inflammationis in loco, ubi plura sunt vasa sanguifera, ita similis spina, v. g. *acidum* inspiratum, aut inspiratus fumus sulphuris, ibidem lymphę uberiorem effusionem, indeque *raucedinem* aut *tussim* subindè chronicam, & materię mucosæ copiosam ejectionem faciet; aut si cuidam pulvis incidit in oculum, mox ex irritatione dolorosa effunduntur copiosę lachrymę, qualis lachrymatio est quasi catarrhus à causa externa ortus. Quod si verò ab interna oritur talis copiosa lachrymatio, tunc rectè dicitur catarrhus. *Læsio ista*, prout *nunc magis superficialis*, adeoque irritatio quędam saltim partis fuerit, vel prout *nunc gravior*, quęque non sensum saltem partis afficiat, sed etiam texturam ejus & spiritum insitum simul alterare valeat, etiam *Catarrhum*, *nunc grauiorem nunc leviorem*, infert. *In quo posteriore*, loco laudabilis alimenti vitio spiritus insiti ex proprię digestionis & coctionis lęsione vitiosum continuò excrescit excrementum, quod similiter nouum alimentum corrumpendo, partem magis magisque lædet, unde *catarrhus habitualis* seu perennis catarrhi scaturigo; ut in *phthisi* manifestum est, *de quo infrà*.

Causa ergò *proxima* est irritatio quædam molesta, ubi sunt glandulæ; sive irritatio ista fiat à fermento exotico, sive ab alia causa, perindè est: v. g. si fermentum aliquod exoticum in parte relictum eandem affligit; nam mox in glandulis vicinis copiosæ lymphæ effusio, & consequenter Catarrhus, producitur.

Causa Remota, & quidem materialis *irritans*, & *nunc* saltim sensum *nunc* spiritum insitum magis afficiens, utut sit varia, tàm *externa*, quàm *interna*, speciatim tamen est acidum acre, vel salso-acidum acre, quod occasionem dictæ catarrhali defluxioni subministrat atque infert. Non est excludenda hìc *causa efficiens formalis*, quæ est spiritus impetum faciens, & occasione istius irritationis catarrhalem lymphæ excretionem efficiens.

Causæ externæ, quæ irritant partes & loca glandulosa, occasionemque subministrant catarrhis, sunt speciatim aeris injurię, inspirati nempè vitia, ratione cujus evenit subindè, ut *epidemici* fiant *Catarrhi*, iique nunc cum nunc absque malignitate; sicut ex eadem ratione febres malignæ catarrhales epidemicæ observatæ frequentiùs fuerunt, hyberno tempore communissimę. Epidemici hi catarrhi ab aere inspirato originem ducunt duplici modo; quatenus *externa* Inspirata *partim lympham* ac serum *inquinant*, & prçternaturali ejus alterationi occasionem prçbent; *partim* quoque, quatenus *irritant* loca, per quę transeunt, nares, fauces, &c. unde ibidem lymphę vitiatę seu catarrhalis uberior in dictis locis fit excretio. Sçpiùs tamen sine vitio aeris epidemico etiam ex alia ratione aer vitiosus catarrhis occasionem prçbet. *Quò ii pertinent*, quando cum aere fumi acres metallici & mercuriales inspirantur in laboratoriis chymicorum & aurifabrorum, quorum acidum gas & particulę acres acidę membranas narium, faucium, laryngis, & sub his reconditas glandulas copiosas, continuâ *irritatione* ad fibrarum contracturam & copiosam lymphę excretionem stimulant; *quin & ipsam lympham non rarò vitiant*, ut acrimoniam acidam,

spissio-

spissiorem, aut alio modo vitiatam qualitatem, acquirat: Sic *frigus* pariter *externum* aere mediante vehementiùs aut diutiùs haustum similiter has partes lędit, easque ad catarrhales defluxiones disponit: Similiter, quando nos ex inclementia aeris autumnalis & hyberni raucedo, tussis & coryza affligit, quæ ab aere extrinsecùs inspirato dicta loca irritantur, unde sternutationes, tusses &c. non secus atque *in sternutatione* acrimoniâ Inspiratorum irritantur narium membranę & vasa lymphatica excretoria, ut exindè lympha copiosa, subindè mucocrasso impręgnata, profluat: Imò si nares vel vicina loca ab alia pręternaturali causa irritentur, idem omninò evenire solet; sive enim aer inspiratus, sive pulveres sternutatorii vellicent nares, idem est: v.g. si solutionis vitrioli, in specie Veneris, aliquot guttę inspirentur naribus, sic lympha copiosa destillabit, & habetur coryza artificialis, hemicrania istius lateris &c., acrimoniâ autem illius solutionis roduntur membranę narium superiores, unde lympha copiosa destillare solet. Jam lęsio hęc & irritatio interdum eò usque procedit, ut etiam alimentum, seu nutrimentum partis læsæ proximum exindè vitiosè alteratum appositioni fiat ineptum, adeò ut sub forma muci crassi, spissi, varii coloris & consistentiæ, unà cum lympha non rarò excernatur. Porrò non rarò frigus externum etiam post corporis insignem æstum aut nimium motum nudo capite exceptum, aut pleno ore haustum, promptissimè ad catarrhos disponit; Tunc enim ex Improviso sistitur insensibilis transpiratio, quia subitò clausis poris transpiratio coercetur, & id, quod insensibiliter aliàs exhalare deberet, in lympham quodammodo spissatur; Undè cùm salibus acribus sit prædìtum omne id, quod transpirare debet, (uti patet ex sudore,) talis lympha asperior seu acrior & salsior redditur, quæ copiosiùs per glandulas, capitis imprimis, emulcta, aut hinc inde deposita, Catarrhos hinc suggerit.

Hæc de causis externis.

Causæ efficientes Internæ, quæ loca glandulosa irritando, & partem quandam lædendo, & ita ad catarrhos disponunt, sunt duę.

1. Est in ipsa parte.
2. Est in ipso sero seu lympha effusa, quæ acrior irritando partes facit, ut successivo effluxu Catarrhus fiat.

Quoad priorem; in ipsa parte quidem causa catarrhorum hæret, quando aliquid præternaturale, utplurimum acre, ex digestione privata læsa in parte quadam enatum, & successivè congestum, pertinaciùs in eadem hæserit, & quasi fermentum, in specie acidum salsum, sensum molestum parti intulerit, unde occasione talis irritationis sub digestione particulari copiosior ex loco vicino lympha eò effunditur, & ita consequenter Catarrhus excitatur. *Hujus exemplum* sit *character phthiseos hæreditarius*, successivè *phthisin catarrhalem* inferens; vel acidum istud fermentum circa dentium vitiatorum radices hærens, dolori, tumori, ac similibus pathematibus catarrhalibus occasionem præbens. *Lympha* ipsa verò causa catarrhi est, quando eadem præternaturali *acrimonia acido salsa* affecta est, dum per partes distribuitur, eas irritat, ac necessariò dolorem commovet, & ita ad uberiorem sui excretionem stimulat. Ut res per exemplum sit evidens, observandum est: quod sub laboribus chymicis Gas acidum sulphuris vel antimonii inspiratum irritet laryngem, *tussim*, & ex lymphæ præternaturalis effusione *raucedinem*, tandem *sereatum* copiosum, inferat, & hoc est, quod *Catarrhus à causa externa dicitur*: Quod si ex ista occasione larynx & pulmo graviter læsi fuerint, ita ut sub nutritione, ex deficientia spiritus insiti, alimentum proximum debitè assimilari nequeat, sed istud plùs minus subindè depravet, occasione natæ indè molestiæ & irritationis sæpiùs recidivans tussis aut raucedo excitatur, & sic Catarrhus ex *causa interna*, digestionis nempè depravatæ errato, excitabitur. Facilè enim fit, ut evanescente licet malo, in dictis locis remaneant reliquiæ ex dicta digestione depravata, quæ successivè evigilando irritationem faciunt, ut superveniat nova effluxio lymphæ catarrhalis: sicuti v.g. post curam ulcerum tantillum fermenti ulceris relicti infert novum ulcus; ita etiam, si in glandulosis partibus ex catarrhis remaneat tantillum fermenti, quo depravatur digestio, fit deinde gravis lymphæ effluxus; unde dicuntur *Catarrhi accidentales & habituales*. Quod si verò *lympha*, naturaliter aliàs humectans laryngem, citra occasionem talem datam in se *acrior*, *salsior & acidior* fuerit, hoc ipso laryngem vellicando successivè *tussim*, *raucedinem*, *sputum copiosum*, & tandem *phthisin catarrhalem* sic dictam inferet. Par ratio est cum oculo: festuca oculo illapsa dolorem, calorem, tumorem, & copiosæ lymphæ continuam effusionem infert; quæ mala *à causa externa* nata, quasi catarrhum oculi repræsentant. Quę pathemata si ab interna oriantur causa, seu spontè superveniant, dicuntur Catarrhi, si sc. talis quasi quędam festuca à variolis oculis infixa manserit, cujus occasione crebrior recidiva catarrhi excitabitur: v.g. si in scorbuticis acrior lympha oculum, utpotè teneriorem, forsàn læserit, dicta superveniunt symptomata, quæ constituunt catarrhum vitio lymphæ enatum. Quod si verò talia pathemata post variolas in oculis superveniant, ex fermento præternaturali in palpebris hærente, & ibidem digestionem propriam vitiante, & hinc oculi continuà irritatione ista symptomata cum crebriori recidiva inficiente, est catarrhus natus ex particulari partis vitio.

Ut pressiùs examinemus has *causas*, Catarrhus, qui ex ipsius partis ejusque privatæ digestionis læsione oritur, supervenire solet, quando pars quædam vel à violentia externa, vel à quacunque causa interna læditur, ut ita spiritus insitus seu archeus debilitetur; ex tali enim occasione, digestione particulari deficiente, Catarrhi crebriùs recidivantes superveniunt: vid. hìc præter HELMONTIUM *Tractatu Catarrh. Deliramenta*, imprimis PETRUS JOHANNES FABER *in sua Patholog.* Inter *Causas* aliàs ad lymphæ vitia *disponentes* imprimis consideranda vitiata *stomachi digestio*, dum nempè ventriculus impotens non sufficiens est digerendis & coquendis Ingestis (propterea senes imprimis obnoxii sunt catarrhis propter digestionem primam successivè deficientem) *sive* quod ejus fermentum sit nimis iners & debilitatum, *sive* quod ipsa assumpta, imprimis potulenta copiosè nimis assumpta, ejus vim infringant; unde locum invenit hic vulgatum illud: *Potulenta generant fluenta*. Idque tunc imprimis, quando accedit *pauca urinæ excretio*, aut imminuitur sensibilis transpiratio, vel sensilis sudatio: Hinc etiam propter *frigus aeris* ambientis, & imminuta sensibili transpiratione, *frequentiores in hyeme* sunt *Catarrhi*, quàm aliis anni temporibus. Ventriculus ergò in isto casu colliquat potius, quàm reverà concoquit assumpta, chylum facit aquosum nimis & vitiosè acidum, aut etiam vitiosè salsum; unde sanguis aut ipse aquosior & acrior generatur, inde & necessariò etiam tandem lympha in quibusvis glandulis elaborata simul vitiatur. Unde & tabem ex acrimonia sanguinis ordinariò aut præcedunt aut concomitantur *raucedines*, *tu[illegible]*, *coryzæ*, similesque ex acrimonia lymphę orti affectus [illegible]de Veteres erronèe *Tabes istas à destillationibus à capite* oriri voluerunt ob falsum fundamentum, raucedinem, tussim & coryzam ex capite originem habere, cùm reverà ex glandulis particularibus locorum affectorum, & lympha acri salsa suâ acrimoniâ dicta loca irritante, aut exulcerante & ad phthisin disponente, tabes & dicti catarrhi derivandi sint. Sed quoad alia subjecta, in specie *scorbutici* obnoxii sunt acribus & corrosivis catarrhis vitio stomachi, & inde inquinatione totius massę sanguineę & seri ortis, unde etiam lympha salivalis scorbuticorum adeò salsa, acris & acida est, ut gingivarum fibras erodere, eas flaccidas reddere, & hinc omninò exedere soleat. Unde & aliarum glandularum, tàm conglomeratarum quàm conglobatarum, lympha similiter malè affecta necessariò non rarò catarrhos ac febres dabit catarrhales, plus minus lentas, & plùs minùs intensas; quæ originem ducunt à lymphę vitio, quę sanguini infusa naturalem fermentationem turbat, & ad pręternaturalem effervescentiam disponit.

Jam quoad *differentias catarrhorum*, Catarrhus omni ratione modi affligendi potest distingui in *accidentalem* & *habitualem*. Ille est, qui ex improviso, & quasi fortuito casu, vel ex incidentia, parti supervenit, & ejus spiritum insitum afficit, adeòque facilè delebilis existit, & ferè occasione externa propullulat, v.g. raucedo & tussis ex nimis diuturna concione; lympha enim, quæ naturaliter fauces irrorat, si fit acrior, acida & similis, & acrimonia sua fauces dolorosè irritat, tunc majoris lymphæ sequitur effluxus & major Catarrhus. Hinc ex tali causa supervenit phthisis catarrhalis, quatenus sc. talis lympha fauces ad tussim, & ex hac phlogoses &c., disponit, donec tandem phthisis catarrhalis inferatur. *Hic verò, habitualis, est*, qui sæpiùs in eodem loco graviùs recrudescit

sem

seu recidivat, & successivè spiritum insitum graviter labefactat, ac vel levi occasione datâ repetit, & nunc ex vitio hæreditario, nunc contentorum notabili dyscrasia supervenit, & ita firmiter in parte radicatam causam aut occasionem innuit. *Causa crebrioris Catarrhi recidivantis*, seu habitualis est partim loci semel affecti *læsus tonus*, ex spiritus insiti deficientia, unde fibræ ex læso tono laxantur, adeòque ex læso tono facilis lymphæ copiosioris quocunque modo restitutæ receptio: quibus accedit & glandularum læsus tonus, qui exinde spongiosiores & tumidiores factæ faciliùs lympham præternaturali modo effundi faciunt: *partim* verò est *remanens fermentum* præternaturale in glandulis & locis plùs minùs vicinis ex digestione privata læsa enatum, quod plùs minùs commotum & exasperatum, irritando istas partes sensiles, Catarrhum in eodem loco sæpiùs provocat, & recrudescere facit. Non secus enim ac simile tale fermentum in loco quodam exulcerato relictum crebriùs ulcus recidivare facit, ita simili ratione fermentum præternaturale acidoacre in quadam parte relictum, ob id Topicum dictum, crebriùs ulcus recidivare facit; Unde & vulgus per experientiam edoctus dicit: Catarrhi ubi semel alicui obvenniunt, sæpius redire solent; idque, ut dixi, propter *partis robur* læsum aut *inæquale*, ut HELMONTIUS scitè explicat, idque aut propter atoniam ejus: aut propter spiritus insiti aliqualem defectum, indeque digestionem læsam.

Porrò etiam Catarrhus, qui cum sensibili materiæ cujusdam excretione est conjunctus, sub duplici substantia lymphæ extra corpus solet fieri excretio; nunc tenuis aquosa, plus minus acris; nunc crassiuscula viscida: Sub priori schemate incedens dicitur *Catarrhus tenuis*, salsus, acris: sub posteriori *Catarrhus coctus & crassus*. Hinc *tempora paroxysmi Catharralis* probè *distinguenda* sunt, pro quorum ratione catarrhus nunc *tenuis*, nunc *crassus* dicitur. Nempe *in principio* omnis catarrhus, qua talis, solet esse plus minus tenuis, seu crudus, salsus, acris, successivè tandem evadit crassus coctusque. Lympha nempe, quamdiu sincera fluxerit, eadem tenuem seu crudum pro lymphæ ratione constituit Catarrhum. Dum verò diuturniore aut copiosiore lymphæ irritatione laxatur pars, & successivè exasperatur, adeòque superficietenus excoriatur, tunc nutrimentum partis læsæ proprium se associat, quæ *lympham* anteà tenuē *spissiorem*, anteà acrem *temperatam* dulcem & quasi insipidam reddit, id quod ut *in incremento & statu paroxysmi* atque hoc *materiam coctam* & incrassatam appellare solent, cujus excretione, & partis læsæ spontaneâ restitutione *Declinatio paroxysmi* absolvitur.

Tandem *ratione qualitatis* ipsius *lymphæ* effusæ & catarrhum inferentis hoc observatur, quod nunc *sit mitior*, seu insipida, dulcis, &c. idque rariùs; interdum, idque frequentiùs, eadem est acris, in specie acida nunc acidosalsa plus minus corrosiva, à qua acrimonia partes membranosę catarrho affectæ lædi & nonnihil excoriari solent; unde mox dolent, insigniter rubent, & aliquid inflammationis, plus minus tamen, patiuntur, ut v.g. *in epiphora, oculorumque catarrhis* subinde est manifestum; imò partes affectę perfectè exulcerantur, ut v.g. in coryza diuturna, aut in tussi diuturna observari solet; unde aut narium ozænę aut oris exulcerationes Catarrhis aut diuturnioribus, aut frequentioribus succedunt.

Ab his ergò symptomatibus seu Productis catarrhi morbosis, nempe à dolore, rubore, inflammatione &c. differentia inter catarrhum vulgò appellatum *calidum* vel *frigidum* explicanda; qui catarrhi propriè non sunt tales, sed ab iisdem talia symptomata inducuntur. Nam in catarrhis à lympha insipida seu dulci, sępius insimul pręternaturaliter crassa, uberiùs effusa, aut cui mox copiosus mucus adjungitur, *Catarrhus frigidus* appellari solet; à lympha verò acriori & corrosiva Catarrhus si excitatus fuerit, propter excitatam partium affectarum phlogosin *Catarrhus calidus* dicitur.

Hæc ipsa, tantum non omnia, mutatis paucis mutandis, applicari etiam possunt ad *Catarrhum minus propriè dictum*, ex seri cum sanguine infusione per arterias, nunc *immediatè*, nunc *mediatè*, in *lympham* mutati, sed ob fibrarum aliqualem, ob irritationem undecunque factam, stricturam, aliquali remorâ & in parte plus minus coacervatione enatam, hincque partis variam, tam ex lęsione plus minus sensili, quàm seri plus minus insipidi aut acris, parcioris vel copiosioris effusi alterationem & functionem lęsam. Sic enim *ex refrigeratione* partis cujusdam *nocturna* post aliqualem sudationem, manè in variis partibus musculosis, in scapulis, brachiis, circa femora & similia, &c. dolor plus minus sensilis, catarrho adscriptus percipitur. Vulgò dicitur Catarrhus, quod non verum est, sed, ut sępissimè evenit, quod sub quiete noctu membra denudantur, aut aeri externo exponuntur, aut nonnihil madida aeri liberiori committuntur, tunc ex impedita transpiratione dolor talis solet percipi: *Nempe subito clausis poris*, id quod insensibiliter aliàs exhalare deberet, in lympham acrem spissatur; unde interstitiis musculorum distentis talia pathemata ex partis irritatione varia superveniunt. *Sic ex seri scorbutici* in loco quodam, speciatim in pedibus, facta irritatione, & hinc dolorosa alteratione, *dolores lancinantes & lacerantes*, pręsertim *nocturni*, qui catarrhis tribuuntur, oriuntur: *Sic pariter ex dentium irritatione* & dolore, & hinc fibrarum strictura natus tumor maxillę serosus itidem Catarrho tribuitur: Ex sero paulò acriori *pleuram* fortuitò irritante natus *Dolor in Pleuresi notha*, Catarrhis quoque tribuitur.

Causas hi Catarrhi nothi agnoscunt easdem, quas illi suprà dicti Catarrhi: Nam quoad *materialem*, serum *vel immediatè* ex arteriis cum sanguine elapsum, *vel mediatè* in lympham priùs commutatum, hanc constituit: Quoad *Causam efficientem occasionalem*, insequuntur *lęsionem* irritatam; *vel ex occasione externa*, pręsertim refrigeratione partis, v.g. post sudorem; *vel ex ipsius seri* pro materia lymphę distributę *acrioris*, in specie acido-salsi, partes nervosas aut membranosas vellicantis; *vel habituali in malo ex vitioso fermento* ob lęsam digestionem privatam, spiritus insiti vitio collabefactatam, nato, quod data occasione quavis excitatum, ex irritatione tanquam spina infixa *catarrhales affectus* infert. Per catarrhales tales defluxiones ipsę glandulę, per quas fit lymphæ vitiatę transitus, non leviter lęduntur, quia earum tonus interdum insigniter laxatur, ipsęque exinde promtiores fiunt, ut sępiùs & copiosiùs lympham vitiatam transmittant. Unde ex robore glandularum lęsarum ad alias glandulas inęquali faciliùs & sępiùs ex interna causa nata Catarrhi unam eandemque partem postmodum afficiunt, adeò ut sępiùs recurrere, & unam eandemque partem afficere deprehendantur.

Tandem pro varietate partium affectarum, in quibus fit lymphę effusio & inepta distributio, etiam Catarrhus variis specialibus nominibus insigniri solet: Nam qui per nares erumpit, ipsisque vicinas partes infestat, dicitur *coryza*; qui infestat oculos, *Lippitudo* aut Epiphora; qui infestat laryngē, ipsique annexam asperam arteriam, eamque nimis humectat, Bronchus seu Raucedo; qui acrimoniâ suâ nimiâ membranam ejus continuò irritat & pungit, quasique titillat, Tussis catarrhalis, utplurimum tempore vespertino affligens; qui verò alias partes, generali Catarrhi seu Rheumatismi à ῥέω fluo, vel defluxionis nomine venire solet: Si artus infestat lympha vitiata, communiter dicitur Catarrhus frigidus, Catarrhus externus, &c. quo ipso citra sensibilem partis mutationem dolor acerbus eandem excruciat, aut etiam sensus ac motus partis hebescit, aut omninò tollitur, aut etiam sensus quidam formicationis percipitur. Quæ symptomata ex tali lympha acri nimis, sępissimè nimis acido, originem ducunt.

Denique interdum conjuncta esse solet cum catarrhis *febris plus minus acuta*, *Catarrhalis ob id dicta*, de qua *suprà Sect. 15. ubi de Febribus*, non tantùm in catarrhis epidemicè affligentibus, sed etiam in catarrhis cęteris, inter unam alteramvè personam observabilis; & eadem febris nunc lenta plus minus, nunc magis vel minus intensa esse solet, prout magis vel minus vitium lymphę, pręsertim glandularum conglobatarum, sanguini in vena axillari sinistra infusę, junctum fuerit; unde etiam ipsa *febrilis effervescentia* aut major aut minor excitatur, & vespertino tempore, aut nocturno pręsertim, hę ipsę febres exasperantur & incrementum capiunt, & pręcedentibus levissimis horroribus & dorsi refrigerationibus momentaneis, subindè molestę esse solent. In senibus propter spiritum insitum nimis deficientem difficillimè curantur.

Absolvimus superiùs Theoriam Catarrhorum, dicendo, quod materia sit lympha, fontes sint glandulę, Causa modò interna stomachi & massę sanguineę, modò externę lęsiones. Sed si omnia hęc rectè consideremus, manifestum evadit, omnem catarrhi hactenus traditam

Catarrhi ex lymphę motu nonnihil impedito vel aliâ ratione cerebrum inundant, periculosi sunt & uti senibus sunt familiares; ita varia & funesta iis inferunt symptomata, nempe lethargica aut paralytica aut alios systematis nervosi morbos. Nam glandulas minutas cerebri, in specie plexum choroideum, circa lympham esse occupatas, & structura earum, & locus seu situs sufficienter demonstrat; quin & reliquæ cerebri glandulæ pinealis, pituitaria. &c. simile omninò officium obire videntur. Ab his ergò lympha non ritè secreta, tàm *in quanto* quàm *in quali*, & non ritè distributa, sed in cerebrum deposita, istud inundat, & ita periculosa capitis symptomata infert.

Porrò minus periculosus est Catarrhus, qui fluit per nares, vel patulum os; magis suspectus verò qui asperam arteriam aut laryngem infestat.

In catarrhis cum sensibili materiæ excretione coniunctis, quò citius in iis materia cocta reiicitur, eò tutiores sunt, quia periculum est, ne ex graviore læsione partis, gravius malum ipsi immineat. Quò tardius, eò periculosiores, quia metus subest, ne subsistens acrimoniâ suâ partes corrodat, aut etiam exulceret, hinc prava inferat symptomata.

CURA.

His ita præmissis pergo ad *Curam* Catarrhorum, in qua semper tria Capita primaria sunt consideranda: nempe

1. *Causa efficiens* remota.
2. Ipsa materia catarrhalis, seu lymphæ effusæ conditio; Et
3. Locus catarrhalis seu pars affecta, & maior vel minor ipsi inducta *læsio*.

Quoad I. *ratione causæ efficientis* plùs minùs irritantis considerandum: an sit catarrhus à causa externa? an à causa interna? & hæc, an sit lymphæ vitium? an verò topicum partis affectæ vitium.

Quoad II. materiam scilicet catarrhalem, observandum: an ea plus vel minus acris aut mitis, insipida, tenuior aut crassior extiterit?

III. Ratione partis affectæ consideretur præservatio, ne recidivent Catarrhi, in specie roborandæ eædem, & à recidiva præservandæ.

Catarrhus, qui à causa externa, & læsione, in specie aeris, curatur, si percipitur in suo principio, sensum irritationis tollendo, & ita lymphæ affluxum præcavendo. Ob id in principio commodè Opiata, cum salibus volatilibus oleosis, imprimis succinatis, mista usurpentur, expectando, si fieri potest, sudorem. Instituantur etiam suffitus capitis & oris, aut verticis inunctiones cum oleis destillatis aromaticis. Nam opium sensum irritat, & hinc humorum motum sufflaminat; salia volatilia vitia lymphæ corrigunt, & per diaphoresin poros aperiunt, & vitium partis topicum quasi abluunt; Externa ab ulteriori noxa præservant. Si verò jam incrementum sumpsit affectus, Opiata minus tuta sunt, nisi universalia præmissa fuerint. Usurpentur ergò salia volatilia oleosa, & ubi Indicatio aut præsentia materię peccantis adest, evacuetur, speciatim in tussi & stertore per os: quo facto, tutò opiata vel sola, vel appropriatis mista, denuò usurpari possunt. Si verò Catarrhus oriatur ex vitio lymphę peccantis, ipsiusque vitiosę constitutionis, hęc ipsa vitiosa acris, salsa & acida, partes nerveas vellicans & rodens, *aromaticis & volatilibus*, in specie salibus volatilibus *oleosis temperatis* corrigenda, & nunc *per urinam*, nunc, idque optimè per sudores eliminanda. Eadem verò lympha crassa vel nutrimento partis in mucilaginem degenerato impręgnata, attenuanda, incidenda & resolvenda; ubi tamen observetur, modò pars affecta sit restituta, sponte hęc reiicitur. Fontes verò eius, imprimis digestionis primę vitia, & hęc sequens totius massę sanguineę corruptela, in specie ab acrimonia salsa emendanda: hinc Juniperina, sassafrata ac myrrhata, ferè primatum ducunt cum exercitio moderato, idque imprimis extra paroxysmum. In paroxysmo verò salia volatilia oleosa, opiatis mista, propinentur. Nimirum, uti rectè monet SCHNEIDERUS, materię, causę, & loci ratio sedulò in cura catarrhorum habenda. Quod si catarrhales affectus crebriùs recidivantes oriantur ex vitio partis & glandularum, aut obstructarum, aut alio modo lęsarum, propter digestionis privatę lęsiones, & propter reliquias quasi fermentativas in parte affecta, hęc ipsa ex parte removeantur, & hinc pars firmetur. Tales catarrhos curant imprimis *sudorifera*, partium sordes eluentia & abstergentia; item *vesicatoria*, loco affecto aut huic vicino applicata; aut si fieri potest, leni suppuratione factâ per abscessum contumax vitium removendum: v.g. *tumor catarrhosus malæ*, crebriùs recurrens vitio dentis, ex priuata digestione lęsa cariosi, huius euulsione radicitus curatur; sin minus, insitis fonticulis talis catarrhus palliatiuè curandus sic v.g. *tonsillarum tumores* sępiùs recurrunt catarrhali vitio, qui uix radicitus curantur, nisi factâ aliquando *suppuratione* perfectâ, & inde nati abscessus legitimâ mundificatione, & ita vitii particularis correctione, hoc enim modo, quicquid heterogenei fermentatiui partem obsederit, remouetur.

Pro his scopis ritè obtinendis *observandum* est:

I. *Remedia*, quę hìc conueniunt, in genere uidentur esse *Evacuantia*, quę primum locum obtinent. Attendendum igitur est: an, & quando, & quibus in casibus, conueniant. *Per alvum* quidem talia minus in catarrhis sunt commoda, quin potiùs feliciori & promptiori successu *per urinam*, & hinc *per sudorem*, euacuando lymphę augmentum, tollatur; Unde Diuretica, & imprimis sudorifera *ex salibus volatilibus* v.g. *succini Cornu Cervi*, & imprimis salia uolatilia aromatica ex succino, myrrha, &c. ac hinc *ex lignis sudoriferis*, in specie ex ligno sassafras, erunt optima; In catarrhis enim si sudor moveatur, ipsorum insultus desinit. Ubi tamen Catarrhus fuerit contumacior, si magis universaliter plures partes corporis affliguntur, aut idem ex stomachi vitio graviore dependeat, vel etiam corpus impurum offendat, subinde necesse est ad *Purgantia* progredi; Imò interdum in recidivante & contumaciore malo, ex vitio stomachi & lymphæ orto, etiam ad *vomitoria* pergendum suadent PROSPER MARTIANUS *in l.4. Acut. l.202.* & RIVERIUS *in sua Praxi*: id quod confirmat per experientiam in Centur.2. Obs.90. ibi enim refert catarrhum in pulmones cum aspera tussi defluentem, cum insequenti gravi dolore capitis, qui tandem curatus fuit per vomitum, per masticationem foliorum tabaci procuratum.

II. In Catarrhis chronicis & sæpiùs recurrentibus v.g. in senibus, aut similibus affectibus catarrhalibus scorbuticis recurrentibus, imprimis quando ex seri vitio accidat, ac partes nerveas magis afflixerit, semper ante novilunia, interdum & ante plenilunia, vel evacuantia blanda appropriata, vel *à catarrhis* aliàs *præservantia*, usurpanda sunt, cùm affectus à lympha oriundi, & partes nervosas affligentes subindè lunæ motibus auscultare soleant. Inter hæc remedia eminent *succinata*, *myrrhata*, sperma ceti, Juniperina, & similia temperata *oleosa* quasi *balsamica*, lympham seu serum corrigentia, & partes læsas roborantia.

III. In Catarrhis calidis dictis, aut à lymphæ acrimonia vitiosa, præsertim salsâ, vel acri, tenui, &c. à causa externa *Opiata* optimè prosunt præservativè, & in *principio* morbi curativè; ac hinc veteribus in tali casu, nempe in catarrho, ut vocant, tenui *pilulæ de cynoglossa* fuerunt in usu, quas dixerunt inspissare catarrhum tenuem, edulcorare catarrhum acrem, ac refrigerare catarrhum calidum. Quarum Ingredientia cum nimis sint cruda, minusque præparatis Narcoticis composita, v.g. opio, hyoscyamo crudo, & similibus, ob id in desuetudinem ferè abierunt, utut in Belgio adhuc usurpentur. Earum autem loco ferè Opiatis ritè paratis, ut laudano opiato & hysterico, utimur, quibus *opiatis* Catarrhus, nocturnus imprimis, optimè evertitur & curatur.

Sola tamen Opiata vix usurpanda, sed, uti jam monui, *succinatis & appropriatis* Catarrhalibus *aromaticis* semper mista, nempe succino, sulphureis, cephalicis, & similibus aliis, ut simul vitia lymphæ corrigantur, & præsertim diaphoresis auctior ab eorum usu expectetur. Decantat admodum horum *Opiatorum* usum HELMONTIUS *in Affect. Catarrhalibus Tract. Catarrhor. Deliram. Tussis & asthma, custos errans, & ius duumvirat.* §. 62. 64. 65. & inter alia felicem prædicat ægrum, cujus auxiliator Medicus sciat lethalia à papavere separare, retento auxilio excitatore potestatis in duumviratu. Salutarem præterea quoque horum usum confirmat experientia, cùm iisdem ex Modernorum consuetudine frequenter usus fuerit RIVERIUS, qui *Cent.3. Observat.15.* observat catarrhum contumacem cum raucedine curatum per tria grana Laudani opiati assumpta; item in eadem *Cent.3. Observat.69.* refert Catarrhum diuturnum cum tussi per dupli-

cem usum gr. iii. laudani opiati curatum; & eadem *Cent. Observat.* 74. Catarrhum ferinum cum variis febrium complicationibus, præsertim per laudanum opiatum curatum, observat. Assumuntur talia *Opiata*, cumprimis tempore vespertino sub introitum lecti, uti alias est consuetum; vel aliquot horis ante introitum lecti, aut etiam paulo ante, quando moveri solet catarrhus; vel duabus horis ante cœnam, quod melius est, cum cœna parca & moderata. *Observandum tamen*, ne abutamur his ipsis, suspendendo nempe & inhibendo catarrhalem motum, *istis* nempe *in Casibus*, quando catarrhali influxione alius morbus solvitur, *vel quando epidemius* fuerit affectus catarrhalis, *vel quando* ad incrementum jam pervenerit malum. In talibus casibus non statim suspendenda materia catarrhi; Plus enim nocumenti aliàs contingit, nisi *divertentibus*, *sudoriferis*, *diureticis* & similibus mista fuerint *Opiata*.

IV. Chirurgia in Catarrhorum Cura ferè tacet, nisi in iis corporibus interdum locum habeat, ubi Catarrhi à posteriori jam removendi, causæ nempe ferè sunt incorrigibiles, aut ubi sunt admodum contumaces, aut ubi sunt sæpiùs recidivantes, aut ubi sunt similes affectus vitio lymphæ exoradmodum contumaces. Tunc enim à posteriori, non à priori, radicem Catarrhi & causam efficientem tollendo, sed productum morbosum saltem removendo, deceptivum & palliativum *fontanellarum* remedium interdum est adhibendum, item *Vesicatoria*. Ista enim voluntaria ulcera palliativè & *à posteriori* his tantùm affectibus catarrhalibus medentur, aquam nempe exhauriunt, non autem fontem ipsum, ne nimium seri aut lymphæ Catarrhalis inundatio partem debilitet, aut tonum ejus nimiùm destruat. Productum morbosum eliminant, causas verò ipsas radicales relinquunt. Ubi tamen à priori, vel partis vitio topico, vel vitio lymphæ, ex læsa digestione prima dependente, catarrhorum contumaciæ & crebriori recidivæ semper Medicus medicamentis occurrere nequit, per fonticulum à posteriori ferociam ejus nonnihil mitigare intendat, subtrahendo scilicet hujus medio laticem plùs minùs corruptum, & cruorem in parva quidem, sed continua quantitate, quem cum vitioso latice, nec non utili alimentitio succo, in pus corruptum emungit, & ita imminuendo materiam catarrhalem, imprimis vitio cujusdam partis sub digestionis lęsę enatam, horum insultus mitiores reddit. Per se enim totus fonticulus ad eadem valet, ad quę vesicatoria; horumque auxilia in cruoris & laticis seu seri minuta quidem, sed continua, exhaustione consistunt; adeóque *à posteriori* & palliativè tantùm iis propriè conferunt affectibus, qui oriuntur à scorbuto, qui à sordibus quibusdam vitio primę digestionis, aut vitio lęsę in sanguine fermentationis, aut vitio corrupti seri in massa sanguinea enascuntur, aut vitio specialis cujusdam partis sub digestione propria deficientis, enascuntur, ita ut labes illa à *priori* propter subjecti ineptitudinem radicitus, v. g. vel ob senium, vel in mulieribus propter mensium naturalem defectum, aut propter characterem hęreditarium, fit incorrigibilis. *In talibus* ergò *casibus* conveniunt fonticuli in nucha & brachio, ut unà cum sanguine & nutrimento laudabili vel sero evacuetur simul id, quod est nocivum, & etiam, quia excrementitium omne per se naturę hostile ab œconomia vitali est proscriptum, propterea istud facilè, imò faciliùs quàm utiles succi, separatur, & ita per fonticulos excernitur. Sicut interdum fit ut ipsa natura hinc inde in quibusdam subjectis cacochymicis *spontanea* facit in partibus *ulcera*, quę clausa per artem varios morbos nec levia incommoda inferunt; denuò verò aperta ab aliis malis se liberet, & corpori sanitatem restituat: Vid. egregia hujus rei exempla in SCULTETO *in Observat.* 55. & 57. Et sanè id, quod SCULTETUS hic observavit in ulceribus spontaneis, interdum etiam in fonticulis intempestivè occlusis observatum fuit. Pręterea pertinent huc Vesicatoria, quando v. g. in affectibus catarrhalibus, in specie oculorum, in nucha excitantur vesiculę: ubi notum est, quod hic affectus in oculo à priori non curetur, cum non removeatur istud, quod irritat oculos. Jam verò cùm hoc à priori fieri nequeat, hinc ut saltem nimius lymphę affluxus inhibeatur, solemus applicare Vesicatoria in nucha ac propè aures, adeóque à posteriore mitigantur symptomata: ac in specie conveniunt fonticuli & vesicatoria, quando oritur catarrhus vitio partis topico & fermenti peregrini. Hactenus dicta declarabimus exemplo: Notum est, qui patiuntur cariem dentium & crebriorem odontalgiam facilè recidivantem quod simul patiantur sæpiùs tumorem malæ, tuncque dicunt: Est catarrhus: quod suo sensu verum est: Jam quicquid admovetur, sive sint discutientia, resolventia, vesicatoria, &c. à posteriori saltem & palliativè medeatur: Radicalis enim cura consistit in evulsione dentis, quia partis adest vitium topicum, quo evulso omnia symptomata cessant. Quod si ergò dens evellatur, à priori curatur; Sin verò hoc nequeam præstare in oculo, palliativè saltem, & à posteriori Fonticulis & Vesicatoriis ægro succurrendum est.

V. Quoad *venę sectionem*, negotium hoc per se locum non invenit: *Sin verò subjectum sit plethoricum*, aut consueta sanguinis evacuatio suppressa, &c. quibus & aliis similibus occasionibus intenderetur affectus catarrhalis, consultum est, venam secare observando *revulsionum & aversionum regulas*. Quin etiam, cùm confertim nimis fit decubitus catarrhalis in quandam nobiliorem partem, ad impetum illum refrenandum venæ sectio in loco opposito, secundùm *revulsionem & aversionem* instituta, subinde solet *in Praxi* admodum esse proficua: vid. HERCULES SAXONIA *Prælect. Pract. P.* 1. *pag.* 58. & 60. & JULIUS CÆSAR CLAUDINUS *de Catarrhis*. Si tumor capitis ex odontalgia, opposito in brachio secatur vena. Per se autem & primariò non convenit, sed tantùm pro scopo ventilatorio.

Jam progedo ad remedia interna: inter quę (1.) primatum obtinent Opiata, causę efficientis activitatem nonnihil tollentia; hinc (2.) remedia vel *sudorifera*, in specie aromatica & hinc volatilia, quę partes eluunt, earundem sordes mediante sero commodè abstergunt, ac ipsum serum simul corrigunt ac minuunt; tandemque (3.) *aromatica* vel *balsamica* quæ tàm fomitem ipsum lymphæ vitiosæ in stomacho corrigunt & emendant, quàm partes solidas læsas denuò restituunt & roborant, sunt utilissima in paroxysmis catarrhalibus. Hęc ipsa enim Indicationibus suprà factis maximam partem satisfaciunt.

Observata ergò legitima medendi methodo, remedia *simplicia* in affectibus catarrhalibus usitatiora, magisque *appriata*, & imprimis catarrhis à causa interna enatis succurrentia, sunt *serpillum*. quod est singulare catarrhale, quodque ut dicit LINDANUS simul corrigit stomachum, & ita antecedentes causas removet; porrò *satureia*, *thymus*, *maiorana*, *mentha*, hyssopus *betonica*, *salvia*, præsertim *ros marinus*, horum flores, & omnia ex eodem præparata remedia. flores lavendulę, liliorum convallium, *lignum sassafras*, & omnia sassafrata, *guaiacum*, lignum lentiscinum, lignum *iuniperinum*, & similia ligna, quæ communia Decocta sudorifera ingrediuntur: Quin & *baccę iuniperi*, & omnia Juniperina, & ex earum *baccis* paratum *Rob*, *Decoctum ligni*, *Malvaticum iuniperinum* &c macis, acorus verus & adulterinus, Zedoaria, cinnamomum, &c. & similia usitatissimè usurpantur: quibus *succinum*, quod instar omnium est, in affectibus catarrhalibus, succinum catarrhale, & quęlibet *Succinata*, *myrrha* quoque, extractum myrrhę, quę egregia sunt: Tandem sulphur, & omnia sulphurea temperata, *cinnabaris* tàm *nativa* quàm *antimonialis*, *salia volatilia*, tàm *simplicia* quàm *oleosa*, opiata, &c. prosunt; & denique omnia ex & cum eo parata remedia aliis addenda sunt. Quoad *sassafras lignum*, imprimis egregium prę omnibus est ad catarrhos remedium, adeò, ut etiam propterea à BRUNNERO *in suis Consil.* proprium catarrhorum vocetur alexipharmacum; Sal enim aromaticum habet nobile, odorem & saporem fœniculatum, ideò vocatur & lignum feniculare. Corrigit optimè seri & lymphę vitia, tàm acidam quàm salsam, pretereàque eam simul per urinam & sudores evacuat, abstergit vitia partium topica, & noxas eis inductas eludit, simulque digestioni primę succurrit; nobile enim est stomachicum. Unde commune *decoctum ligni sassafras*, & essentia ligni sassafras, vel tinctura sassafras *Mynsichtii*, egregium est remedium ad sistendos & curandos catarrhos, cochleatim usurpata, expectato blando sudore: vid MYNSICHTIUS *in Armam.* quoad tincturā ligni sassafras *pag.* 52 Pertinet huc etiam *Essent. Catarrhalis D. Michaelis*, quę paratur ex *ligno sassafras* cum *spiritu serpilli*; siquidem *serpillum* & ipsum decantatum simplex est contra catarrhales affectus, unde etiam aquam suam *benedictam serpilli* tantopere commendat MYNSICHTIUS *in Armament.* quæ nobilis. Præparatio ejus est hęc: nempe

℞. Summ.

♃. *Summ. serpill. campestr. rec.* qu. pl.
Hisque collectis ante ortum solis dum nocturno rore adhuc madent, affundatur
Vini Malv. q. s. ut tres vel quatuor præterpr. digitos emineat. Digerantur per dies & noctes quatuordecim in Balneo Mariæ vel arena; hinc destilletur per Balneum moderato igne aqua saltem spirituosa, quæ denuò affundatur *recentibus serpilli summitatibus eodem modo collectis*, ac denuò dicto modo digerantur ac destillentur, quæ aliquoties ab alio *serpillo* cohobetur, idque, quò fit sæpiùs, eò aqua fit efficacior, & magis spirituosa evadit. Tandem hæc ipsa *aqua seu spiritus serpilli* affunditur *Rasuræ ligni sassafras*, & debitè digeruntur, donec egregiè imprægnetur à sassafras, & egregiè rubescat; hinc ad usum servatur.

Dosis hujus Tincturæ, prout magis vel minus spirituosa fuerit aqua serpilli, ad gtt. L. vel LX. aut si debilius fuerit menstruum, cochl. j. potest propinari, idque manè, meridie & vesperi, vel etiam urgente necessitate quocunque tempore.

Pertinet huc *aqua ista contra Catarrhos* descripta ab HOFFMANNO *in Clave in annex. Thes. pag.* 6. Cujus Aquæ, nec non benedictæ, dosis cochl. j. ad ij. nunc manè, nunc meridiè, nunc vesperi, vel quocunque alio tempore, propinari potest, estque egregium præservativum & curativum in catarrhis, quæ lymphæ vitia quæcunque corrigit & emendat; ut taceam vim ejus præservativam ab apoplexia in senibus, & curationem in vertigine.

In Catarrho scorbutico miscenda sunt remedia *sassafrata* cum *summitatibus pini* recentibus, ut unà decoquantur. In tali casu commodè miscetur hæc Tinctura ligni sassafras cum remediis ex abiete alba, essentia pini balsamica, & erit egregium remedium contra Catarrhum scorbuticum, imprimis si simul immineat paralysis notha seu scorbutica; aut *Decoctum utriusque* simplicis fructuosè usurpatur. Essentia pini cum spiritu proprio paratur, quæ in affectibus catarrhalibus à lympha scorbutica oriundis instar omnium est, speciatim si cum catarrho scorbutico paralysis scorbutica vel notha velit imminere, vel conjuncta sit. Strobuli enim tenelli pinastri, Germanicè dicitur *von Küffern*, sunt singularissimum in catarrhis scorbuticis. Colligantur coni seu strobuli dicti pini, vel abjetis juniores in fine Martii, & initio Aprilis, & coqu. in Aqu. simpl. seu cerevisia: Postmodum ℥iij vel iv. bibendæ ante pastum. Juxta remedia ex ligno sassafras subinde & aliorum *lignorum Decocta* fructuosè usurpari possunt, uti videri potest *in Observ.* LOTICHII *lib. 2. cap. 3. Observ. 2. & lib. 3. cap. 1. Observ. 1. & 6.* sicut & admodum fructuosus Decoctorum lignorum usus in affectibus catarrhalibus in POTERIO *Cent. 2. Obs. 71. & Pharm. Spag. lib. 1. pag. 338 & pag. 655.* item GABELCHOVERO *in Observ.* qui etiam singulis catarrhosis *decoctum radicis Chinæ* contra catarrhos fructuosè præscribit. Alii non sine ratione commendant *decoctum ligni lentiscini*, ex quo destillat *mastix*: cùm igitur *masti* sit nobile contra catarrhos, nullum dubium est, *quin ligni lentiscini decoctum* æquè sit egregium atque lignum sassafras ad curandos catarrhos: Cui tamen ligno, ceu raro, potius *decoctum ligni juniperi* potest substitui. Pertinet huc decoctum sarsæparillæ & lignorum, quod vid. in *Colleg. Formular. pag.* . . . . . & antimoniale, nec non *decoctum lignorum diaphoreticum* antiscorbuticum, de quibus in *Colleg. Pharmacent. in Schræderi Pharm. Part. 2. pag.* . . . . item

♃. *Rasur. ligni sassafr* ℥j.
Visc. quercin.
Lentiscin an. ℥vi.
Fol. beton M. i.
Antimonii in pet. ligat. ℔ß.
Coqu. in *Aqu. pluv.* mens. iv. in Balneo Mariæ ad consumpt. ℔ß.
Colatura D. S.
Potio singularis contra catarrhos.

Pertinet quoque *decoctum Catarrhale Mynsichtii in arm. p. 376.* quod ex similibus paratur. Aliàs non minus, quàm lignum sassafras, cortex tamarisci ad curam catarrhorum laudari solet; si sc.

♃. *Cort. tamarisc.* ℥vj.
coqu. in
Aqu. simpl. mens. vj.
ad remanentiam dimidiæ partis.

Hoc enim decoctum vel solum usurpatum sæpiùs est contrà lymphæ quamcunque abundantiam, indeque affectus catarrhales quoscunque optimum remedium.

Faciunt etiam huc vina medicata ex infusione aut decoctione istorum simplicium vegetabilium parata contra catarrhos, in specie ex rasura ligni sassafras, additis aliis aromaticis, v. g. junipero & rore marino qualia SENNERTUS *Pr. l. 1. p. 712.* habet: quæ inter est decantatum illud *Paracelsi*, quod pro basi agnoscit radicem caryophyllatæ & acori adulterini:

♃. *Rad. caryoph.*
Acori adul. an. ℥ß.
Summ. maior.
Flor. samb. an. M iij.
Euphras. M. ij.
Infund. in *vini* mens. aliquot,
Stent ita per octiduum.

De hoc vino omni mane ieiuno stomacho, & vesperi sub introitum lecti, capiatur haustus.

Vid. HARTMANNUS *Praxi Chymiatr. c. 21.* Nam PARACELSUS *in Consiliis*, ubi prostat vinum & Electuarium, radicem acori aquatici & caryophillatæ singulariter commendat ad roborandum caput, & ad præservandum à quibuscunque defluxionibus catarrhalibus: vid. etiam POTERIUS *Cent. 3. c. 68.* Sic. v. g. sequens *vinum medicatum* admodum laudat LINDANUS in Cura catarrhorum, & ad affectus catarrhales chronicos, speciatim lymphæ & stomachi vitio genitos:

♃. *Ligni guaiac.*
Cort. tamarisc. an. ℥iij.
Ligni Rhodii,
Sassafr gumm. an. ℥ij.
Herb. absint. vulg. M. j.
Scolopendr.
Lupul. vel *eupator.*
Menthæ,
Hyssopi an. M. ß.
Rad. enul.
Cent. mai.
Zedoar.
Galang.
Cinnam. an. ℥j.
Vini mens. jv.

Stent in Infuso, & de hoc Infuso semper sumatur bonus haustus horâ unâ vel alterâ ante pastum in casu, quando vitia catarrhi oriuntur ex vitio lymphæ, aut ex vitio digestionis primæ & massæ sanguineæ fuerint orti.

Ros marinus nobile est simplex in catarrhis curandis; unde egregium est sequens *Decoctum Catarrhale* modò laudati *Lindani*:

♃. *Ras. ligni sassafr.* ℥ij.
Rad. caryophyll. ℥i.
Herb. rorismar. rec. M. i.
Vini generosi Mens. ii.

Coqu. leni igne vase benè clauso in Balneo Mariæ horis 6. 7. vel 8 Hinc removeantur ab igne, ut refrigescât, & colatura amara usurpetur eodē modo vel inter eibandū, vel in lecto calidè, expectando blandū sudorem.

Vinum est utilis compositionis, sed egregiarum virtutum, & expertum in chronicis catarrhalibus affectibus. Decoctum fiat secundùm modum ZWELFFERI: Vid. etiam HARTMANNI *Praxis de Decoctis*. *Caryophyllata radix*, dicit LINDANUS, *admirabilis est in emendando sanguine & confortando ventriculo; unde sibi expertissimum esse hoc vinum & magnarum virtutum in curandis catarrhis, cùm & ventriculo succurrat, & sanguinem emendet, & in specie lymphæ vitia egregiè corrigat.*

Huc pertinet *Decoctum Catarrhale Michaelis*:

♃. *Decocti ligni sassafr.* cum ℥i. *rad. caryoph par* ℔iß.
cui ferventi infunde
Com. rorismar. Miß.
Flor. papav. errat. M. i.
Stent in Balneo Mariæ per aliquot horas. In fine leniter in vase bene clauso ebulliat:
Colatura D. S.
Potio catarrhalis.

♃. *Herb. hyssopi*,
Veron.
Scabios.
Summ. serpill. floresc. rec. an. M. i.
Flor. anthos M. ß.
Incisa ebulliant in s. q. *Aqu. simpl.*
adde in medio Decoctionis
Rad glycyrrhiz. rasæ ℥i.

Caric. pingu. No. iij.
Colaturæ ℔j. adde
Syr. flor. tunic.
Beton. an. ℥j.
M. S. ut *suprà*.

Pertinet huc *Vinum Hadriani Papæ* dictum *contra Catarrhos* aliàs admodùm decantatum: *Vid. lib. 1. Prax.* SENNERTI, *ubi de Catarrh. pag. 712.* Aliàs etiam sunt egregiæ Essentiæ lignorum compositæ; item tinctura coralliorum sassafrata, seu cum spiritu ligni sassafras parata; item essentia florum anthos, essentia salviæ, essentia serpilli, præ cæteris essentia succini, de qua postmodum; spiritus serpilli, liliorum convall. cerasor. nigror. & similium.

Præter dicta Vegetabilia, ex iisque paratas essentias & tincturas, &c. ulterius conveniunt baccæ juniperi, *malvaticum iuniperinum*, & *electuarium Paracelsi*, quod videb. in *ejusdem consiliis*. Corpus est rob juniperi cum aromatibus, egregium remedium stomachale & anticatarrhale, tàm præservativum quàm curativum. Ac novi hoc Electuarium ab amico paratum insignium virium fuisse. Compositio PARACELSI non æquè succedit propter zinziber crudum nimium ingrediens, & quia nimia quantitas sacchari additur, quod tamen non omnibus convenit: Conditum contrà zingiber est enervatum, quia radix hæc priùs coquitur in aqua, quæ abiicitur. Optimè ergò sequenti modo parari potest:

♃. *Bacc. iunip. contus.* ℔ j.
Coquantur probè in *Vino*:
Decoctum inspissa usque ad consistentiam rob seu mellis crassioris: Tum
♃. Hujus Rob. ℥vj.
adde
Pulv Zing. ʒß.
Acori veri
Macis an. ʒj.
Cubebar. ʒj.
Cum s. q. *sacchari* redige in consistent. Electuarii.

Hoc in vitro probè clauso exponatur soli pro ulteriore digestione, & habebitur optimum Electuarium stomachale, post singulos pastus assumendum: continuatur per duos menses.

Dosis ʒj. ad ʒii. Egregium est in apoplexia, catarrhis, & senibus, qui carent digestione in stomacho, & ita catarrhi fomitem absumit.

Succinum, & omnia ex succino parata remedia, interna & externa, summa sunt specifica contra catarrhos: Sic succinum solito modo *præparatum*, seu, quod melius, *succinum catarrhale* ad modum *D. Michaelis* cum *aqua serpilli spirituosa*, vel *essentia serpilli*, vel solitariò, vel *huius* part. ij. cum part. j. *cinnab. nativæ* præparatum, & largiter imbutum: quinimò essentia succini parata cum spiritu vini rectificatissimo (nisi enim probè fuerit rectificatus, extrahit nihil ex succino) est appropriatum remedium ad quæcunque vitia lymphæ, quæ à guttis 20. vel 25. plus minus, prout magis vel minus est spirituosa, propinatur: Vel fiat cum spiritu serpilli *essentia catarrhalis D. Michaelis*: Item olea destill. v. g. oleum majoranæ, oleum succini, rorismarini, vel pura, vel ex iis cum saccharo parata elæosacchara, internè crebrò usurpantur: quin & balsamus sulphuris anisatus ad aliquot guttulas, vel ex hoc paratum elæosaccharum, admodum conducit in catarrhis: Sal volatile succini à gr. xij. ad ℈j. & sal volatile cornu cervi adeòque ex iis paratus *liquor cornu cervi succinatus*, maximè egregia sunt in catarrhis per sudorem curandis: v. g.

♃. *Spiritus cornu cervi benè rectif. & proprio sale vol. impræg.* ℔ß. vel ℥viij.
cui addantur
Salis vol. succ. probè ab oleo proprio liber. ʒiij.

Hæc mista per reiterata cohobia uniuntur in liquorem, qui vocatur *liquor cornu cervi succinatus*.

Egregium est catarrhale, cuius gtt. xx. vel xxx. assumi possunt; aliàs egregium est antepilepticum, imprimis infantibus exhibitus.

Item spiritus salis ammoniaci succinatus ex sale ammoniaco, calce viva, spiritu vini & rasura succini, per retortam factus itidem est egregius: idque eò magis, si affundatur myrrhæ, & ita essentia catarrhalis elegans paretur. Ex succino & myrrha quoque cum spiritu salis ammoniaci Essentia fieri potest; loco quorum etiam & alia *salia volatilia*, *spiritus salis ammoniaci anisatus*, *Balsamum nervinum D. D. Schefferi, Poliatri Francof. Celeberrimi*, ex sale vol. cornu cervi, sale ammoniaco, oleo macis & spiritu vini, &c. egregia sunt in his affectibus, tàm *curativè* sudorem movendo, quàm *præservativè* contenta corporis alterando. Post succinum est myrrha, tàm in substantia ad ℈ß. quàm eiusdem essentia cum spiritu vini tartarisato, vel Essentia salutis cum tinctura tartari, aut etiam cum spiritu salis ammoniaci vinoso parata (*vino cremato seu adusto confecta*) catarrhorum præservativum & curativum optimum est. Post hæc est sperma ceti, quod acres catarrhos egregiè temperat, modò habeatur recens, & non rancidum; hoc namque & corrigit acrimoniam lymphæ catarrhalis, & simul lympham crassam & viscidam incidit, resolvit, & ad expectorationem disponit; & sic utrique scopo mirè convenit. Addi possunt olibanum, mastix, benzoe & similia, quæ lymphæ acrimoniam temperant, & substantiâ pingui noxas tollunt. Formulas dedi *suprà Sect. 14. Cap. 3. Artic. 3. ubi de tussi*, ex olibano, thure, succino, laudano opiato, &c. nam his sulphureis subiectis optimè permiscetur laudanum opiatum. Faciunt huc *Pilulæ Montagnanæ* ad catarrhos curandos & sistendos egregiæ: Compositio est hæc:

♃. *Mirrhæ*,
Stor. calam.
Croci an. ℈i.
Opii gr. xiv.
Cum *syr. rosar.* f. pilulæ maiores.

De quibus tres aut quinque accipiantur duabus horis post assumptam cœnam.

Quin & ipsum sulphur, & ex eo parata quæcunque remedia, *flores* sulphuris ritè parati, optimè conveniunt in curandis catarrhis, si tàm simpliciter in forma sicca ad ℈i. usurpentur, vel cum aliis misceantur, imprimis cum succino, aut si ex his cum extracto enulæ campanæ fiant pilulæ Catarrhales, quas insigniter commendat RHUMELIUS *in Iatrochymia*; quàm in forma liquida cum oleo destillato terebinthinæ, aut succini aut anthos, aut baccarum iuniperi, aut anisi, &c. in balsamum sulphuris redacti, affectibus catarrhalibus mirè resistit: vel fiat ex tempore Elæosaccharum sulphuratum compositum non inelegans:

♃. *Olei destillati succini* ℈i.
Anthos ℈ß.
c. s. q. *sacchari* (pro ℈i. sacchari sumantur gtt. iii. olei)
f. Elæosaccharum: adde
Flor. sulphuris ℈i
M. S.
Saccharum Catarrhale.

De quo capiat æger mane & vesperi, & sub introitum lecti.

Item Benzoe, tinctura sulphuris cum spiritu vini tartarisato elicita (priùs funde sal tartari cum sulphure) & similia sunt optima: Item Tragea ex balsamo Peruviano, sulphure & saccharo. Hæc sunt appropriata remedia ad catarrhos.

De Opio & *Opiatis*, eorumque usu in catarrhis, ea sufficiunt, quæ *suprà de Tussi catarrhali l. a.* monui. Specjatim si febris catarrhalis affligat, nil melius est volatilibus sudoriferis, quibus subiungatur opium. Ad opiata pertinet *Theriaca*, à Veteribus imprimis ad præcavendam, item ad sistendam excretionem catarrhalem nimis ruentum usitata, tam *vetus*, quàm *recens*, in qua vis opii fermentando non est nimis infracta. Assumitur vel sola, vel additur ipsi aliquid de bolo Armena.

Ex his igitur variæ & innumerabiles ferè fieri possunt formulæ: e. g.

♃. Liqu. Cornu Cervi succin. vel spiritus sal. ammon. anis. vel essent. succini ʒiii. vel ℥ß. essent. opii Tartaris. ʒi.
M. S.
Essentia Catarrhalis.

Dosis, gtt. 40. 50 60. expectando sudorem; vel misceantur in formam Potionis cum aquis destillatis, & Syrupis appropriatis.

Item convenit spiritus salino-volatilis oleosus cum essentia opii: vid. *Dissert. de Præcipitant. usu & abusu.*

♃. *Aquæ serpill.*
Roris mar.
Fœniculi an. ℥i.
Ess. ligni sassafr. ʒiii.
Sal. volat. succini ℈i.
Syrupi de hyssop. ℥ß.
M. S.

Potio

Potio Catarrhalis pro aliquot vicibus.

℞. *Aquæ menth.*
Hyssopi an. ℥j.
Cinnam. ʒß.
Spiritus cornu cervi essent. ʒß.
Salis volat. succin. gr. xv.
Syrup. de hyssopo ʒvj.
M. D. S.

Potio sudorifera pro aliquot vicibus.

℞. *Flor. sulphuris* ʒj.
Benzoes,
Succini præp. an. ʒß.
Myrrh. el.
Tragac. an. ℈j.
Extr. croci ℈ß.
Laud. opiati gr. iij.
Cum *sacch.* ℥iß. *in Aqu. fœniculi sol.* f. Rotulæ; adspergendæ cum *oleo destill. anisi* vel *succini.*
D. S.

Potio in tussi catarrhali.

℞. *Spec. dia-Trag.* ʒiij.
Gumm. Arab. ʒj.
Laud. Op. gr. v.
Cum f. q. *facch. in Emulf. papav. albi solut.* f. Rotulæ.
D. S. ut *antè.*

Monitum fuit superiùs, interdum opus esse pergere ad Purgantia, quæ tamen semper miscenda sunt cum appropriatis catarrhalibus: unde massa Pilular. de succino Cratonis ferè primatum obtinet; sunt blandè aromaticę, & commodè senibus catarrhosis & debilibus præscribi possunt; v. g.

℞. *Massæ Pilular. de succino Crat.* ℈ß. gr. xv. ad ℈j.
Extracti absinth. vel *card. bened.* gr. v. vj. ad ℈ß.
Resin. jalapp. gr. ij. iij. vel jv. ad v.
Scamm. sulphurat. gr. j.
Cum *oleo destillat. succini* f. Pilulę:
D. S.

Pilulæ catarrhales pro una vice.

Blandè evacuant lympham peccantem.

℞. *Massæ Pilular. de succino Crat.* ℈j.
Scam. sulphurat. gr. iij.
Extracti troch. alb. gr. iß.
Cum *ess. succini* f. Pilulę. S.
ut ante.

℞. *Massæ pilular. de succino Crat.* gr. xvj. ad ℈j.
Extr. agar. gr. viij.
Troch. alh.
Scamm. sulphurati an. gr. ij.
Cum *essent. ligni sassafr.* vel *succini* f. pilulę aspergendę cum *succino præp.*
S. ut *antè.*

℞. *Massæ pilular. de succino Crat.* gr. xv.
Extr. absinth. ℈ß. ad scrup. j.
Troch. alhand. gr. j.
Cum *oleo succini*, vel *essent. sassafr.* f. Pilulę.
D. S.

Pilulæ catarrhales.

Et quidem in Catarrho à lympha tenui, acri, salso, *resinâ ialappæ*; in catarrho verò dicto crasso loco jalappę *extract. trochisc. alband.* gr. ij. magis conveniunt. In affectibus senum etiam valent, imminutâ dosi stimuli.

Aliàs etiam *Jalappa* ordinariò præscribitur; sive solitariè dosi scrup. j. addendo aliquid de nitro, vel arcano dupl. sic enim meliùs operatur; sive cum *Mercurio dulci* mixta propinetur. At si tenacior mucus se junxerit, *Colocynthis* locum invenit. RIVERIO in usu est in graviore malo instituere Purgationem ex *Mercurio dulci*, addito scammonio sulphurato, vel jalappa, ita ut ad purgandos catarrhosos recipiat *Mercurii dulcis* scrup. j. cum *radicis jalappæ* gr. viij. scrup. ß. uti videre potestis *Cent.* 3. *Obs.* 28. 31. 41. 46. ubi utitur hoc pulvere pro Purgante catarrhali, idque imprimis, uti dixi, in catarrho tenui. In Catarrho vero spisso, seu ubi adest mucilago crassa, colocynthis convenit, sive Extractum ex trochiscis, sive alio modo correcta. Correctio optima fit, quod obiter moneo, per terram foliatam tartari, vel sal tartari. Porro Magist. Gumm. de Peru seu resina Gummi guttę à gr. vij. ad scrup. ß. specificum dicitur purgans Catarrhosorum.

Aliis in usu est pro purgandis catarrhosis usurpare helleborum nigrum, imprimis mense Octobr. collectum, eiusque decoctum & infusum; siquidem THONERO & PENOTTO *de Medicam.* Autoribus perfecta catarrhorum cura consistit in helleboro nigro. Unde etiam POTERIUS *in suis Observat.* Decocta melanogoga, seu remedia melancholiam purgantia, unà cum ligno sassafras, & rectè, usurpare solet: Et credo, quod in affectibus catarrhalibus penitus extirpandis multum valeant Helleborina, modò virulentia Laxativa corrigatur. Pilulę aloephanginę, aliæque similes usuales, si radix mali fuerit in stomacho & primis viis, usurpari possunt, &c. Senibus autem catarrhosis Vina medicata laxativa præscribi possunt; e. g.

℞. *Bacc. iunip. rec.* ℥vj.
Calam. arom. rec.
Fol. senn. sine stip. an. ℥ß.
Rad. helleb. nigr. crud. ʒij.
Cinnam.
Galang. an. ʒj.
Zingib. ʒj. ad ʒiß.
Crem. tartari ℥ij.
Vini Rhenani ℔ß.
Stent in loco calido per tres dies & noctes, ut dissolvatur cremor tartari, hinc coletur aliquoties per manicam Hipp.
adde
Sacch. ℥iij.
S. *Potio catarrhum laxans.*

Hęc de Internis.

Quod attinet Medicamenta *externa* in catarrhosis affectibus usurpanda: applicanda sunt vel ipsis partibus affectis, vel locis glandulosis catarrhos fundentibus vicinis; partim noxam inductam tollendo, partim præcavendo. Hę ipsę glandulę, quoniam nempe in capite aut circa caput partesque ipsi vicinas sunt consitę aut locatę, hinc in affectibus capitis catarrhalibus remedia imprimis vertici, & hinc temporibus admouentur sub forma Lituum & Emplastrorum; in affectibus vero faucium & asperę arterię suffituum formâ, ut meliùs penetrent, conueniunt. Suffitus hi constare possunt ex resinosis, v. g. ex succino, quod primatum obtinet; sandaracâ, benzoe, olibano, mastiche & gummi animę &c. carbonibus injectis: exspiratus fumus excipitur capite mediantibus Linteaminibus probè hujusmodi suffitu imprægnatis: e. g. secundùm DECKERS *in Praxi Barbette lib.* 1. *cap.* 4.

℞. *Succini* ʒj.
Mastich. scrup. j.
M. f. Puluis grossus.

Quo multos catarrhosos restitutos perhibet. Vel

℞. *Sandarac.* vel *gummi animæ*, vel *ladani* ʒß.
Succini ʒij.
Thuris,
Mastich. an. ʒj.
Benzoes ʒß
Ras. ligni Rhod. ʒj.
Misc. & contundantur grosso modo:
D. S.

Pulvis ad suffitum contra catarrhos.

Inter externa illinenda primatum obtinet oleum destillatum succini, bregmati, uertici, locisque uicinis illitum. Mirum est, quantum faciat ad præseruandum & curandum catarrhum, imprimis si adsit simul grauitas capitis, aut lethargus, aut torpor sensuum. Hoc, ubi acrius & fortius uisum fuerit, substituatur balsamus Peruuianus, qui magis temperatus, uel cum simpliciter illinendo, uel in uitello oui priùs dissolutum, & cum spiritu iuniperi mistum, parti læsæ subindè affricando: uid. TIMÆUS *von Gulden-Klee*: e. g.

℞. *Balf. Peruv.* ʒij.
dissolue cum
Vitell. ov. No I.
addè
Spiritus bacc. iunip. ℥iij.
D. S.

Aqua externa contra dolores catarrhales.

Ceu expertum commendatur in doloribus partium musculosarum, qui fiunt à defluxionibus seu catarrhis frigidis.

Juxta hęc est oleum mastichis, item oleum destillatum maioranę, menthę, oleum macis, &c. Oleum destill. cornu cerui potentissimum est, uertici aut temporibus illitum, modò eiusdem fętor non sit adeò grauis; aliàs cùm hoc oleum sit turgidum sale uolatili, esset summum remedium. Obseruandum tamen, ut si eiusmodi olea

alia penetrantiora & membranas sensiles magis afficientia partibus extus admovenda, sint, talia subjecta vim eorum penetrantem ferre queant, cùm, qui capitis sunt debilioris, ab hujusmodi fumosis lædantur, & vel solo odore sternutatio & incipiens coryza iisdem excitetur. Facit huc etiam unguentum Horstii ex Gummi elemi, cum oleo succini malaxato, impraegnato; vel Emplastrum de betonica, item emplastrum de bregmate usitatum, item de tacamahaca, quæ sunt optima anticatarrhalia, si malaxata cum oleo succini vel appropriatis, Emplastri formâ bregmati applicentur: v.g.

♃. *Empl de beton. usit.*

Gum. tacamab. an. q.s.

Malax. cum s. q. *ol. succini* vel *Bals. Peruviani*; Inducatur super alutam, & obducatur sindone rubrâ, in forma orbis medii, f. Emplastrum pro capite.

D. S.

Emplastrum pro capite.

Vel applicetur Ceratum ex ladano, gummi elemi, sandaraca, olibano, styrace liquida, &c. vel ex aloe, pulegio, calamintha, ladano, &c. utraque à MONTAGNANA *Antitod. cap.3.* descripta: Item emplastrum ex mastiche, gummi juniperi, caryophyllis, & *Ladano*, *Cratonis lib.6. Consf.12.* Pertinet etiam huc *fumus tabaci* seu nicotianæ *haustus*, cujus moderatus usus sanè egregium est remedium ad catarrhos capitis & pectoris, imprimis si ex lymphæ oriantur vitio, & omnibus hunc in finem debet esse commendatus: Sal enim ejus volatile acerrimum penetrat, abstergit & resolvit hostile illud irritans, corrigit acrimoniam lymphæ acidam, incidit eandem crassam & viscidam atque fluxilem facit, abundantemque per ductus salivales evacuat: vid. MAYOW *lib.1. cap.9.* Ratione verò olei sui narcotici, quo Opiatorum vires æmulatur, insigniter sistit efferos motus catarrhales, & irritationis sensum sopit & mitigat, ac vi salivatoriâ nimium lymphæ proventum imminuit. Concinnius est; si tali Nicotianæ, usitatæ aliàs in Catarrho ad brachia & pulmones defluo, pro fumo simul permiscetur semen anisi, coriandri; vel pulvis succini, mastichis, sandaraca, styrax, vel pulvis cardamomi, aut cubebarum; vel si irroretur aliquot guttis olei succini, aut anisi; sic enim fit remedium eò magis appropriatum. Certi sitis, quod in affectibus catarrhalibus vix habeatur par remedium fumo Tabaci; omnibus enim satisfacit scopis. Nec metuamus ab hoc fumo exsiccationem capitis: Falsum etiam est abusu hujus simul nigrescere cerebrum, utut ad subsidentiam disponatur: Pulmones verò magis immediatè læduntur, qui aridi, squalidi, flaccidi, & hinc indè liquidis maculis conspersi redduntur crebriori hujus fumi haustu, cujus rei experimentum videb. in THONERI *Observationibus*. Hi sunt catarrhi propriè dicti.

Ulterius *Lindanus super Hartmannum* mentionem facit *Catarrhi* quasi *nothi*, ita enim disserit: *Noctu sæpè evenit* (sunt verba LINDANI) *ut surgentes homines manè sentiant dolores, præsertim in scapulis, interdum in lumbis, nunc in brachio, nunc in femore aliisque locis: id quod vulgò statim* (inquit) *refertur ad catarrhos, ubi tamen duo sunt observanda. (1.) Non semper esse à catarrho, nec videtur esse à flatibus iis in locis, ubi musculi se invicem contingunt conclusi, ut alii dicunt; Potius, dum corpus noctu sub stragulis satis est perspirabile, adeò ut tunc natura soleat liberaliter per habitum corporis se evacuare; unde, si forsan manus vel alia pars extra lectum denudata eximatur concluditur iste insensilis vapor, qui ex turus erat, & sic dolor admodum molestus ibidem excitatur, nunc fixus, nunc vagus, & qui subindè remittere, ac iterum ingravescere videtur. (2.) Interdum etiam fit, ut solummodo sub forma flatulentiæ hæreat. Utraque dolor satis molestus est: Is, qui à flatu, est vagus, qui agitari, subindè remittere, ac denuò recrudescere, videtur: Si ibi hæreat liquor, fixus est dolor & continuus interdum aliquot dies.* Plura de hujus catarrhi nothi Theoria audivistis suprà. Curantur tales nothi catarrhi, si sunt graviores, per sudorifera, imprimis per salia volatilia, vel spiritus salino-volatiles, opiatis mista, qualia sunt spiritus salis ammoniaci, spiritus Cornu Cervi cranii humani, & similia. Hi enim spiritus urinosi acidum vitiosum absorbent & præcipitant, Opiata verò acorem temperant, & simul dolorem imminuunt. Externè cavendum est ab omnibus oleosis unctuosis: Hæc enim inuncta crustam quasi inducunt cuti, porosque constringunt & implent. Emplastra itidem hic nocent. Optimum in hoc dolore & casu est emplastrum ex *gummi Tacamahaca*, soluto in vino, atque extenso super alutam vel linteum, & parti dolenti impositum: si non benè hæreat, addi debet tantillum *terebinthinæ*, quæ facit, ut adhæreat. Hoc ipsum emplastrum applicatum egregiè resolvit istas humiditates: id quod patet ex eo, quod sub illo utplurimum membra sudent, & omnis dolor promptè evanescit. Convenit etiam interdum cum hoc ipso conjungere *gummi caranne*, hujus part. j. ad illius part. ij. recipiendo, dum duo ista gummata ita imposita optimè resolvant lympham crassam. Quod si eveniat, ut cutis non benè ferre queat *gummatum* applicationem, sed attollatur in pustulas, cum non omnis cutis ferat Emplastra, quia mox in excoriationem incurrunt, tunc potiùs cura instituenda est per tincturas, seu essentias spiritu vini extractas, & ita inunctas; nempe infunduntur ea *aromatica*, quæ potentem vim habent incidendi, attenuandi, penetrandi, resolvendi, & ita simul calefaciendi, v.g. quatuor *semina calida majora*, nigellæ, *erucæ*, allium, *sinapi*, *majorana*, salvia, serpillum, origanum, piper longum, & similia. Ex quibus ipsis cum spiritu vini paratur *essentia* seu tinctura diluta, qua partes affectæ fricentur manu, superimpositis linteis probè calidis. Sufficit quoque spiritus vini à plantis cephalicis nervinis abstractus, seu aqua articularis ad extra; nuncque solitariè, nunc mista cum spiritu salis ammoniaci cum spiritu vini parato, externè calidè illinendo, & locum dolorosum probè affricando; ita optimè dolores sistuntur. Sed rarum est, quod cutis non ferat gummatum impositionem, quæ omnium sunt optima.

Huc quoque pertinet sacculus ex succino cum spiritu vini irroratus, aut ex chamæpityde cum oleo succini conspersus; vid. HARTMANNUS *Pr. pag.* 93.

ARTICULUS II.

DE

CORYZA.

Specialiter inter *Catarrhos* frequentissimus est *catarrhus narium*, qui vulgo etiam coryza Græcis, aut quia caput gravat, Latinis *Gravedo*, & Germanis *der Schnupfen*, dicitur. Est, quando copiosa lympha, tenuis & acris, in principio quidem per nares, defluit, donec successivè adjungente se nutrimento instar partium ex earum læsione corrupto, liquor crassus, spissus, tenax, variéque subinde coloratus, insequitur. Simul percipitur in principio titillatio quædam in naribus, supervenient sternutationes crebriores post incipit caput dolere, & quidem dolore gravativo. *Naturaliter* equidem à lympha insipida moderatè crassa intus oblinuntur nares, cujus vasa & fontes videb. in STENONE *de glandulis oculorum, narium, oris*, &c. quę ipsa lympha blandè humectat non tantùm internam narium membranam, & defendit ab externis Inspiratis, sed etiam suo modo facilitat odoratum. Ipsa tamen moderatè crassa continuo aeris inspiratu attenuata crassiores partes relinquit, spissioris sub muci forma emulgendas. *Quodsi verò præternaturalis lymphæ fiat excretio*, ita, ita ut copiosa, tenuis, sicque minus temperata, sed acrior & sæpè acida effluat, vocatur *Catarrhus narium* seu *coryza*, dum lympha ista acrior, rodendo & irritando membranam narium, primitus *sternutationes* frequentes (modum habuimus *Sect.14. cap.3. Art.1.* ubi *de sternutatione*) deinde ex *narium* læsione *dolorem*, hinc *ruborem*; interdum etiam eorundem *excoriationem* & *exulcerationem* infert; id quod jam suo tempore observavit FORESTUS *lib.13. Obs.15.* cujus exulcerationis remedium sit unguentum pomatum seu de cerussa.

CAUSA.

Causa hujus coryzæ *præter causas generales*, speciatim internas, communes omnibus catarrhis, (*vitium* nempe *lymphæ & massæ sanguineæ internum*, quæ interdum motu naturæ spontaneo per hæc loca tanquam emunctoria quædam auspicatò expurgantur) sæpissimè solet oriri *ex errore externo*, ut dubitem, an præcisè oriri possit à causa interna, imprimis ex vitio aeris austeri, vel inclementia hybernæ aut autumnali? Aer enim hybernus effu-

effluviis acidis acutis videtur impraegnatus, unde talis aer simul partes sibi expositas, labia imprimis, faciem, manus, in specie nares & laryngem, solet lædere: & sicuti facies, & manus exinde finduntur, & quasi corroduntur in fissuras (quæ ipsæ fissuræ optimè *curantur per lotionem, aut saltem humectationem, cum urina propria*, tanquam remedio sale volatili prædito, quo alteratur acidum; *vel per illinitionem cum medulla vitulina vel sevo candelæ*, vel unguento pomato, vel solo, vel misto cum cerussa aut creta, absorbendo & temperando acidum;) ita à simili aere inclementiore, aut effluviis acrioribus acidisque impraegnato, inspiratione hausto, læsa interiora narium, simulque fauces & larynx, ex irritatione ista mox copiosam fundunt lympham puram, tenuem, & ex læsione partium insigniter acidam, à qua *in naribus* coryza, *in faucibus* asperitas & dolor, (propter membranam pituitariam,) *in larynge* raucedo & tussis superveniunt: Hæc ipsa enim ut plurimum in coryza tempore hyberno solent concurrere.

Subjectum patiens coryzæ est summitas interior narium, ubi est membrana, quæ aliàs solet esse subjectum olfactus, cujus structuram vid. in SCHNEIDERO *de osse cribriformi*, in qua etiam ex osse cribriformi inseruntur multi tubuli nervei. Quando ergò à dicta acrimonia vellicatur hæc membrana, superveniunt sternutationes, quando tubuli aliquid convulsivi patiuntur; unde tubulis his vellicatis, corrugatis, & convulsivis crispaturis affectis, similiter membrana cerebri dura, hisce tubulis continua, simili spasmo crispatur, unde dolor gravativus capitis; qui dolor similis videtur, quasi caput interiùs stringatur; estque nunc in toto capite, nunc in altero saltem hemisphærio, pro nare dextra vel sinistra affecta. Notum autem est, quod membrana narium naturaliter humectetur à lympha temperata, pro faucium olfactu, & inspiratorum abluitione. Quando ergò irritatur hæc membrana, sive à lympha acri, sive aere inclementiore, excoriatur eadem, & copiosus fit lymphæ effluxus ex irritatione, & hæc effluens lympha, abluendo subjectum vellicans, est principium coryzæ. Cæterum, continuatur hic fluxus lymphæ, nunc blandioris, nunc acrioris: in principio morbi omnia saltem profluunt aquosa & serosa, successivè magis magisque acria, unde quamdiu durat, tamdiu odoratus magis obtunditur, donec ab aeris, simulque lymphæ vitio læsæ, & nonnihil excoriatæ, narium internę partes doleant, rubeant & plorent nutrimentum proprium, sub forma mucilaginis crassæ, quæ narium suprema obstruendo inspirationem tollit, usque dum hæc sponte effluat, & ita noxa inducta deleatur: In faucibus hærens copiosum screatum facit, & laryngem incrustans frequenti tussi rejicitur: Quin & non rarò in saxeam duritiem in naribus concrescit, quale exemplum observat HENRICUS ab HEER *in Observ.* 28. Omnia ergò hæc recensita symptomata, generatio muci, raucedo item ac tussis, ordinariò supervenientia, semper oriuntur ex irritatione membranæ narium & tubulorum nerveorum ab aere inquinato effluviis acidis, unde & gustus cessans, inspiratio læsa, & alia facilè derivanda sunt.

Præter aerem inclementem inspiratum subindè etiam alia externa possunt coryzam inferre. Nam *sternutatoria acriora*, nimisque frequenter usurpata, continuo stimulo membranam irritando copiosam lympham effluere faciunt, & tandem *coryzam* producunt pertinacem. Mihi enim hoc ipsum evenit tempore æstivo (quo aliàs non sunt frequentes coryzæ) præparanti clyssum antimonii; nescio autem, quo fato frangebatur retorta; quo facto copiosos attraxi fumos, adeò ut postmodùm per aliquot septimanas in coryzam & tussim molestissimam inciderem. Solutio vitrioli in aqua simplici facta, naribus attracta, gravem coryzam cum dolore & æstu capitis admodùm molesto solet inferre, quæ coryza artificialis simillima existit coryzę naturali gravissimę: id quod notandum contra eos, qui dicunt: coryzam sanitati conducere; sunt enim talia in naribus recrementa, quæ sub tali forma ante non præexistebant in sanguine vel corpore.

Quando est à *causa externa*, ut aere externo, Coryza, ut plurimùm *frequentem sputationem* ac *tussim* supervenire videmus, partibus scilicet ipsis, per quas aer rigidus transit, quę copiosis glandulis hinc inde sunt obsessæ, naribus tamen læsis & irritatis, hinc lympham copiosam & vitiatam sub forma catarrhi plorantibus; imò ex partibus istis ita læsis continuâ aeris exspiratione exhalantia miasmata *fermenti* quasi obtinent naturam, unde & *contagiosa* percipitur *coryza*, ita ut ista effluvia aliorum naribus inspirando attracta, vel per halitum, vel per lintea, seu per pocula communia communicata, irritativâ suâ acrimoniâ instar pulveris sternutatorii membranam narium vellicando, & hinc narem lædendo, ac lympham alterando, similem etiam in altero subjecto coryzam inferant, ut adeò rarissimè & parcissimè coryza à causa interna notetur. Adeò sanè falsum est, quod coryza semper sit salubris, ut uulgò dicunt, per coryzam purificari massam sanguineam, quasi existat in massa sanguinea. Nam utut hoc uerum sit, si à causa interna oriatur, quæ tamen coryza rarissima est, non tamen semper procedit negotium, cùm ut plurimùm occasiones externas agnoscat, & talia potiùs fiant in naribus, & faucibus, quàm quod aliò deferantur. Qui uult hæc magis dilucidata, conferat in specie HELMONTIUM *Tract. Tussis & Asthma*, item *Catarrhor. Deliram.* ubi reperiet satisfactionem suorum dubiorum.

DIAGNOSIS.

Diagnosis coryzę facilis, etiam aniculis nota est.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Coryza per se est malum insons, quod caret periculo; saltem obseruetur:

1. Quod crebrior repetens olfactum magis obtundat, & nares ad facilem coryzam disponat.
2. Quod lympha effluens nimis grauis adeò grauiter exulceret interiora narium, & ita *ozænas*, uel *narium ulcera* periculosa producat. De quibus ozænis alio tempore. Imò obseruatum fuit, ex tubulis nerueis nonnihil erosis, superuenire excrescentiam carneo-fibrosam, seu polypum.

CURA.

Cura communis est cum aliis catarrhis scilicet conueniunt ea, quę *superiùs Art.* 1. *de Catarrhis* dicta fuerunt. Duo autem tempora sunt obseruanda ad Coryzę Curam:

I. Tempus coryzę inchoatę, quando incipiunt sternutatio, & caput dolere, & lympha apparet tenuis.

II. Tempus coryzę confirmatę, quando mucus obsidet narium summitatem.

Unde opera danda est, ut ratione prioris irritatio membranę narium internę superioris, ejusque indè oriunda lęsio, sistatur maturè & corrigatur, sic enim mox in principio supprimi potest coryza; ratione uerò posterioris est attendendum, ut genitus mucus nares obsidens crassior & uiscidior in progressu morbi maturè euacuetur. Quibus ipsis pro conditione subjecti patientis, & ipsius *catarrhi*, uel *epidemici*, vel *non epidemici*, copiosioris uel parcioris, nunc blandè *Laxantia*, nunc in specie *sudorifera*, socianda ueniunt. Conueniunt ergo pro primo scopo obtinendo in principio ad irritationem sistendam & lęsionem pręcauendam salia uolatilia oleola odorata, quâcunque formâ adhibita, *in specie, si à causa interna* oriatur: maximè tamen conueniunt *externa uel naribus* applicanda, *uel uertici* inungenda, *uel in ore* masticanda, uel inspiranda; hinc suffitus, inunctiones, uaria odoramenta, &c. coryzam inchoatam curant, & in prima herba suffocant, quatenus *Lęsionem* inductam plus minus corrigunt, acidum uellicans temperant, & irritationem sistunt. Imprimis illinitio narium cum oleo destillato anisi, succini, aut alio simili oleo aromatico. In specie *oleum destillatum anisi*, mox in principio illitum ante excoriationem narisi, est egregium. Oleum succini hęc superat, in specie si illinatur uertici, mirum quantum leuat coryzam, quin & naribus potest illini, idque eò pręsentiori effectu, si aliquot guttę olei destillati caryophyllorum ipsi adduntur: sed quoniam est acriusculum hoc oleum, ob id tantillum bombacis ipsi intingatur, & indè subinde per olfactum naribus admoueatur; nam & sic coryza tollitur. Item *balsamus apoplecticus* naribus illitus & preseruat à coryza in inclementiore constitutione aeris, (quo tempore hyberno metu coryzę nares largiter inunguntur, ut inde interiùs nares condiantur & loricentur; ut eędem per illius halitum quasi pręmuniantur, quò minùs ab aere exteriori lędi possint) & eandem etiam incipientem curat. Tandem solus odor ex cornibus & ungulis raspatis, v. g. cornibus bouinis, aut in pręparatione pectinum perceptus, etiam coryzam recentem subitò sistit; sicut & proficuum est, si raspentur ejusmodi cornua limâ ferreâ, quo facto salibus uolatilibus excitatis, & nares penetrantibus, aufertur coryza. Nec incommodum est, si fiant *suffitus* pro coryza narium: sicuti

Sicuti enim in catarrhis aer attractus inspirando infert asperitatem narium, faucium & laryngis; similiter inspirati suffitus alterationem ab aere præ reliquis tollunt, & harum partium impressas læsiones denuò restituunt, & quasi abstergunt. Sunt isti suffitus imprimis ex gummatibus, quorum accensorum salia volatilia oleosa interiora narium & faucium penetrando, acrimoniam lymphæ & corruptelam nimiam tollunt. Hæc inter excellit suffitus, præsertim ex succino: post succinum suffitus ex mastiche, olibano, & similibus est expertus. Experimentum videbitis in Barbette Praxi, ubi de Catarrhis. Denique *suffitus ex gummi animæ* experimentum est *Hartmanni*, insigniter commendatum à LINDANO. Hic & similis suffitus naribus, ore & totâ facie, repetitis vicibus, exceptus, vitium lymphæ corrigit, & læsionem jam inductam mitigat, & perinde hos affectus curat; v.g. *suffitus suprà in catarrhorum Cura* præscriptus: vel quoque præscribatur *suffitus* talis *compositus Lindani*:

℞. *Gumm. juniperin.* ℥ß.
Animæ,
Succini an. ℥ij.
Thuris,
Mastich. an. ℥j.
Benzoes (in affectibus faucium & laryngis, & hinc pulmonum; est enim anima pulmonum) ℈ij.
M. f. Pulvis: S
Pulvis ad suffitum contra catarrhos,
Vel
℞. *Gummi animæ* ʒvj.
Succini ℥ß.
Styrac. calam. ʒiij.
Thuris,
Mastich.
Benz. an. ℥ij.
M. f. Pulvis:
D. S. ut *antè*.

Qui carbonibus injectus successivè excitat suffitum suavem, naribus crebriùs excipiendum ad sistendam coryzam, quæ ipsæ etiam capiti imponenda erunt. Semen lini sine Storax carbonibus impositus, cujus suffitus in nares attractus, aut semen anisi calefactum, linteo inclusum & odoratum; item tenere faciem super vase aquæ verè calidæ, à quibusdam laudatur. Pertinet & huc *suffitus Tabaci*, aliquot guttis *olei destill. anisi* priùs impraegnati, si scilicet ita præparatus tabacus per fistulam consuetè attrahatur, & fumus inspiretur. Convenit etiam, si recipiatur oleum amygdalarum dulcium, in quo q. s. solutum sit camphoræ, quod ipsum oleum extrinsecùs ossi nasi, vel intrinsecùs superficiei ejus illitum, eleganter coryzam sistit. Perhibetur esse secretum TACKII.

Quodsi verò eò usque processerit malum, ut sub incremento & statu ejus pathemata graviora capitis affixerint, nec non copiosus, nimis crassus, nimisque viscidus mucus narium summitates occupaverit, & nares obstruxerit, tunc attenuantia, resolventia, & excrementa eliminantia locum habent; undè optimus est *suffitus aceti super ferrû candens effusi*, & ex gummi animæ & succino jam laudato: Sic etiam loco suffitus conveniens est spiritus salis ammoniaci odoratus crebriùs, quæ penetrant ac incidunt mucum, materiam resolutam fluxilem faciunt, & nares aperiunt, ac læsionem inductam corrigunt: item oleum camphoræ amygdalinum jam laudatum, quo illinantur summitates narium extrinsecùs, vel internè earum superficies; sic sal volatile camphoræ optimè solvit mucum latitantem. Ulteriùs pro simili scopo optimè conducunt sternutatoria appropriata, lymphæ proritando fluxum, ejus beneficio membranas narium abstergentia, quin & dictum mucum crassum & viscidum eliminantia. Fiant ordinariò ex pulvere Tabaci, ex floribus & radice liliorum convallium, majorana, euphorbio, & similibus:

℞. *Pulv. Tabaci Ind.* ℥ß.
Major.
Flor. lil. convall. an. ʒj ad ʒij.
Olei destillat. salv. vel *roris mar.* vel *anisi*, *major.* an. gtt. vj.
Misc. pro Pulvere sternutatorio subindè naribus hauriendo:
D. S.
Pulvis sternutatorius aperitivus.

Huic, si placet, pro ditioribus subindè addi possunt
Ambræ gr. iii. ad v.
Moschi gr. vi. ad ℈ß.
Misc.

Ita hæc conjuncta dant Pulverem sternutatorium gratum.

Vel etiam fit elegans pulvis sternutatorius ex pulvere radicis Ireos Florentinæ, cui tantummodò aliquot grana euphorbii pulverisati adduntur; hoc enim potenter materiam suâ forti irritatione, rivuli instar, profluere facit.

Pertinet huc etiã *pulvis sternutatorius Helmontii* in hoc casu expertus, ex pulvere radicis hellebori nigri cum ana sacchari mistus, naribus attractus, quibus aliquot guttæ olei destillati caryophyllorum, vel cinnamomi addantur, quem etiam ceu egregium commendat RIVERIUS *in sua Praxi*. Vid. HELMONTIUS *Tract. Tuss. & Asthma.* His ipsis enim corrigitur mucus, & denuò liberantur nares. Item folia Nicotianæ irrorantur aliquot guttis olei destillati majoranæ, & ita odorantur; vel exsiccata pulverisantur: blanda, sed egregia sunt sternutatoria. Conveniens etiam est semen nigellæ cum majorana in forma pulveris, vel sola, vel cum camphora: semen basilici pulverisatum sternutatorium non incongruum est, in principio quoque coryzæ usurpandum. Optima denique *sternutatoria* fiunt ex vitriolo; mitiora, si tantummodò ad albedinem calcinetur; potentiora, si ad aliquam rubedinem uratur seu comburatur: quæ inspirata potenter penetrant, omnesque narium latebras emungunt. Cæterùm, ne nimis acre sit, solvatur tantillum vitrioli albi, seu ad albedinem calcinati, in aqua majoranæ seu aqua liliorum convallium, aut in aqua salviæ diluti, ita ut gr. v. vel vj. pro ℥j. Aq. sufficiant. Liquoris filtratus & naribus attractus quasvis narium latebras emungit, & insigniter convenit coryzæ:

℞. *Flor. lil. convall.*
Herb. major. an. M. ij.
Nicot. M. ß.
Coqu. in s. q. *Aqu.* & *vini* in vase clauso:
Colaturæ ℥vi. adde
Vitrioli albi ℈j.
Colentur per pannum densum ob vitriolum.
D. S.
Aqua abstractiva ad nasum.

Quæ optimè quoque mucum nares obstruentem resolvit in statu coryzæ.

Quidam usurpant olei Nicotianæ & olei nigellæ ana partes æquales cum aliquot guttis olei destillati majoranæ;
Vel
℞. *Olei irini*,
Nicotin. an. ℥j.
Destill. major. gtt. iii. iv. vi. ad ℈ß. & ℈j.
(vel *hujus* & *olei destillat. succin.* an. p. æqu.)
M. S.
Oleum aperitivum ad nasum.

Subindè intra nares attrahatur, vel cum turundula naribus immittatur, vel naribus extrinsecùs illinatur: mucum narium insigniter solvit & elicit, sistitque ita coryzam narium confirmatam.

Melius est oleum anisi, si interiora narium eodem illinantur; reserat enim nares obstructas, & si sit ab effluviis inspiratis, lympham temperat, ne fauces & sanguinem feriat attenuata: vel sumatur oleum anisi, & ita naribus cum bombace in parva turunda immittatur; ita enim egregiè resolvitur mucus crassus, superiores narium partes obstruens; vel oleum succini, vel oleum caryophyllorum, quæ propter acredinem cum oleo amygdalarum dulcium temperentur. TACHENIUS camphoram in duplo olei amygdalarum dulcium solvit. Sic conveniens est, ut naribus admoveatur Nodulus cum filo ex semine nigellæ contuso, qui nodulus subinde olfactus admodum corrigit, & emendat coryzam, in specie nares obstruentem; est remedium Tabernæmontani, quod insigniter commendat. Possunt addi folia majoranæ, aut præparata ex majorana, in specie oleum majoranæ; nam & hoc ipsum curat ozænam: v. g.

℞. *Fol. majoran.* part. iij.
Sem. nigell. contus. ʒii. vel ʒiii.
Olei destill. majoran. gtt. iii. vel iv.
Succini,
Anisi an. gtt. i. vel ii.
M. f. Nodulus:
detur cum filo: S.
Nodulus odorandus.

Quod si caput perturbatum sit, grave & obnubilatum, convenit vel *Balsamum Peruvianum*, vel, ubi fortiùs agendum, *oleum destillatum succini*, aut ejusdem *balsamus* vertici illitus;

unde

unde dolor capitis tensivus ejusque perturbatio successivè remittunt. Loco horum adhiberi etiam possunt Cucuphæ suprà laudatæ:

℞. *Flor. anthos*,
Lavend.
Stœch. Arab.
Rosar. rub
Lil. convall.
Salv. an. pug. ij.
Sem. nigellæ,
Ras. succini an. ℥ij.
Styrac. calam.
Benz. ana ℥j.

Concis. & contus. irrorentur cum guttis aliquot *olei destillati succini*: includ. *sacculo quadrato ex sindone rubra* interpassato.

D. S.

Sacculus vertici imponendus.

Quodsi pro derivatione lymphæ catarrhalis priùs pro præservatione partium oris aliquid agendum sit, pilulæ conveniunt vel *trochisci* parvi *ex mithridatio*, *mastiche & olibano* facti, & in ore retenti: Catarrhum enim & læsionem partium sistunt, dolorem oculorum, dentium fœtorem, & gingivarum corruptelam, &c. tollunt, atque in principio imprimis conveniunt.

ARTICULUS III.

DE

TUSSI, RAUCEDINE, ALIISQUE AFFECTIBUS CATARRHALIBUS.

EX modò dictis etiam Raucedo, & Tussis, faucium phlogosis & dolor, gustus abolitio, similesque faucium affectus catarrhales, tàm cum quàm sine coryza, ordinariò affligentes curari possunt, cùm omnia mutuò invicem concurrant, & partim per læsionem ex causa externa factâ, partim per lympham ex glandula pituitaria superiore in *coryza* depluente, & hinc ad fauces dependente, & ita loca vicina magis magisque irritante, originem ducant. De qua membrana pituitaria, & per hanc transudante coryza, vide SCHNEIDERUS, *partim Tract. de Osse cribriformi*, *partim Tract. de Catarrhis.*

CURA.

In specie tamen *quoad curam* horum, similiter *duo tempora* observentur: *incboata nempe* tussis & raucedo, & *confirmata*. In priori præter *Suffitus suprà insinuatos*, hic etiam convenientissimos, specialiter *opiata*, additis salibus oleosis, *tempore vespertino* in principio horum affectuum adhibita, multùm conveniunt, idque ex methodo Helmontiana: Quibus in principio mali, ubi lymphâ adhuc existente nimis acri & tenaci, aut nimis acidâ, aut corrosivâ, partium affectarum dolores, rubores, phlogoses, &c. superveniunt, subindè *acrimoniam temperantia* & demulcentia usurpanda, quæ aliàs *Incrassantia* dicuntur: qualia sunt *Papaverina*, & quæ fiunt ex jujubis, glyzyrrhiza, ficubus, passulis, sulphure; item pilulis de styrace, &c. In statu verò morbi, ubi mucus crassus & viscidior genitus istas partes obsideat, pro expectoratione conveniunt Expectorantia vulgò dicta, ex hyssopo, Nicotiana, oxymelibus, spiritu salis dulci, spiritu nitri dulcis, & similibus usurpanda, suprà *Sect. 14. cap. 3. Art. 2. Membr. 2. & Art. 3.* ubi *de Tussi, & Raucedine actum* fuit, explicata. Mulierculis nostratibus præsentissimum tussis & raucedinis à causa externa, aere nempè frigido, præbent *passulæ maiores*, *maceratæ in spiritu anisi*, quarum quædam manè jejuno stomacho masticatæ & deglutitæ fauces & asperam arteriam præservant ab insultu & læsionibus aeris hyberni; sicuti etiam radix zingiberis in India condita assumpta manè & masticata, eidem usui confert. Inductos verò jam catarrhos faucium & laryngis ferè curant per caricas, quibus in frustula dissectis aquam vitę seu spiritum vini infundunt, & hunc desuper accendunt, & sic deflagrare sinunt, continuò agitando; hinc frustula illa semiassata vespertino tempore comedunt, & sic tussim & asperitatem faucium egregiè corrigunt, sicque lympham acrem & acidam temperant, & demulcent.

Hæc de lymphæ vitiis, indeque ortis catarrhis: Pergo ad

ARTICULUM IV.

DE

EPIPHORA.

TAndem præter nares, oculos subindè affligunt Catarrhi, ex lymphæ diluvio præternaturali orti. Naturaliter equidem humectantur oculi à lympha subtili, eaque tenui, moderatissimè salsâ, ut facilitetur eorum motus, & à salsedine lymphæ continuatâ abstersione eorum nitor ac claritas, ad visum summè necessaria, conservetur: Hinc si nimiâ frequentiâ & copiâ excernatur hæc lympha oculorum, lachrymarum nomine venit, quæ largiter manantes subindè in os influunt, ubi sensibili, sed subtili, salsedine imprægnatæ gustantur.

Lachrymæ hæ aut naturaliter effluunt solo quanto excedentes in animi pathematis; aut præter naturam emanant in statu morboso, vitioque catarrhali.

Fontes hujus lymphæ, tàm naturalis quàm præternaturalis, sat manifesti sunt, glandulæ tùm istæ, quæ in utroque cantho seu angulo sunt conspicuæ, tùm etiam eæ, quæ in interiore palpebrarum facie sunt sitæ: de quibus imprimis consulendus est STENO *Tract. suprà cit. de vasis oculorum*, ubi etiam habet nonnulla egregia de naturali lachrymarum fluxu.

Lacrymarum ille nimius effluxus morbosus abusivè aliàs vocatur Epiphora: abusivè dico; legitimo enim usu Epiphoræ vox in genere humoris in quamcunque partem influentis impetum significat; qua ratione & uteri, & ventriculi Epiphoræ apud Veteres observantur. In specie tamen ex Modernorum abusu Epiphora nimium lachrymarum fluxum seu Catarrhum oculorum innuit, de qua egi, ubi de Ophthalmia.

CAPUT III.

DE

LYMPHÆ MOTU IMPEDITO, INDEQUE ORTO HYDROPE IN GENERE & IN SPECIE.

PRæter affectus catarrhales à lympha, vel primariò vel secundariò peccante, enatos, lympha etiam peccat in motu, quando impeditur, ut in suo motu *stagnet*, & hinc loca vicina occupet; unde oriuntur tumores aquosi & serosi, seu *Hydropes particulares*.

Hydropis nomine sub generali conceptu nil aliud intelligitur, quàm aquarum, seu, uti loquuntur, serosorum humorum præternaturalis collectio; Latinis aqua intercus non ineptè dicta, quam necessariò tumor & distensio partis, cum ejus tamen mollitie, & non rarò fluctuatione comitantur, utut hoc ipso vocabulo certa Hydropis species determinetur. Aqua hæc collecta vel totum imprægnat corpus seu tumefacit, vel saltem determinatam ejus partem. Illud dat Hydropem universalem, qui dicitur imprimis *Anasarca & Leucophlegmatia*, cui addatur Ascites cachecticus, à pedibus successivè ascendens, usque dum suffocentur ægri: quos Hydropes universales *suprà Sect. 17. Cap 3. Art. 1. 2. & 3.* discussi: Hoc verò dat Hydropem particularem, qui pro partium varietate, in quibus aqua colligiat, variat etiam, & specialia sortitur nomina. Si enim caput sit hydropicum, seu quando aqua colligitur in capite, dicitur *Hydrocephalus*; si colligitur in pectore, eodemque vel toto, vel una saltem ejus medietate, dicitur Hydrops pectoris seu Sternites; si in pericardio præternaturaliter abundet lympha, est Hydrops pericardii; si aqua particulariter colligitur in abdominis cavo, vocatur Hydrops ascitis, ab asce, utre, quia abdomen instar utris repletum, tumefactum & distentum apparet: qui Hydrops ascitis abdominis particularis non confundendus est cum Hydrope ascite magis universali, qui cachexiam comitatur, & præter abdomen etiam pedes universos ac scrotum tumefacit, de quo jam *suprà l. a.* siquidem cachexia confirmata vel in Hydropen. anasarcam, vel in ascitem partium inferiorum universalem terminari solet. In utero collecta aqua dat Hysteruidem, seu hydropem uteri; si in scroto, dicitur Hydrops scroti; in testibus dat Hydrocelen; si in partibus vel membris externis particulariter oriatur in uno alterove membro, vulgò tumoris aquosi aut serosi

gene-

generali nomine appellatur. Imò in omenti bursa copiosæ aquæ conclusæ in insignem tumorem abdomen attollunt, qualia exempla HORSTIUS *in Observat.* habet; & hic est mulier, quæ videtur gravida, & tamen tantùm est Aqua collecta in omento: item in duplicatura peritoni conclusæ aquæ speciem hydropis abdominis mentiuntur, quale exemplum habet JOB à MECKERN *in Observ. Chirurg. cap.* 52.

Ex quibus dictis patet: Hydropem ab Aqua, ὕδωρ dictum, non esse alium, quàm, ubi est Aqua. Hinc hydrops dictus *Tympanites* impropriè est hydrops, cùm flatuum tantum, non verò aquarum, in abdomine sit collectio; unde de eo videantur, quæ *suprà Sect.* 5. *cap.* 2. dixi *de Ructibus & Flatibus stomachi*. Unde tantum propter aliqualem similitudinem tumoris cum ascite particulari, & quia rarò absque aquarum aliquali colluvie contingat, Tympanitidem eundem etiam ad hydropes retulerunt.

Superiori septimanâ incepi discurrere de Hydrope, tàm in genere quàm in specie, & quidem tantùm Præliminaria præmissi: pergo in his, & præmoneo, quod cùm ascites sit frequentissima Hydropis species, & omnium maximè occurrat in Praxi, quæ dicuntur de ascite, etiam de Hydrope in genere intelligenda sunt.

De Hydrope universali, tàm anasarca quàm ascite, omnium partium inferiore universali, cachexias insequente, *suprà l. a.* monitum fuit.

ARTICULUS I.

DE

HYDROPIBUS PARTICULARIBUS IN GENERE.

CAUSA.

IN specie quod attinet Causas hydropis particularis, seu collectionis aquarum, aliter à Veteribus, aliter à modernis derivantur. Veteres hepar affectum accusant, quod nempe, uti notum est, recenter advectum sanguinem non ritè præparet, unde fiat, ut tandem serum in abdomen destillans hydropem inferat.

Sed his contrariatur (1.) Modernorum de sanguificationis organo hypothesis, cum, uti notum est, dejectum sit ab imperio cruento hepar, ipsique publicè ductæ exequiæ.

(2.) Adversantur huic sententiæ omnes, qui observationes Anatomico-Practicas scripserunt, v. g. Bartholinus, Tulpius & similes: Hi enim omnes aperto ore clamitant, sæpissimè hepar insons in Hydropicis, in specie asciticis, fuisse repertum: Hinc refert LINDANUS *super Hartmannum*, se aliquando vidisse Enchusæ virginem hydropicam, cujus ventre dissecto ingens aquarum colluvies profluxit, internè nulla labes viscerum abdominis fuit inventa, donec sinister ventriculus totus putridus, corruptus, & liquore instar atramenti fœtidissimi plenus fuerit inventus; unde origo istius mali. Unde etiam SENNERTUS suo tempore rejecit, quod ex hepate semper oriatur hydrops, imprimis ascites; quia potiùs ex quacunque causa viscera debilitata in genere, modò sanguificationem impediant, esse hydropis ascitis origines: imò impugnat omnes, qui hepar affectum defendunt, *lib.* 3. *Prax. cap. de Ascite*. Unde in principio hujus seculi SYLVIUS LANCEANUS, Medicus Romanus, peculiarem edidit libellum, cujus est Titulus: *Hydropem non semper à jecore fieri*; excusus est hic Tractatu Romæ Anno 1603.

Non nego equidem, hepatis & lienis scirrhos fuisse subinde inventos in hydrope demortuis: Sed hoc commune habent cum aliis visceribus, & etiam subindè reperiuntur exempla asciticorum, in quibus post mortem aut hepatis aut lienis, aut alius visceris scirrhus fuit inventus, qualia vid. in FORESTO *lib.* 19. *Obs.* 29. & in SCHENCKIO *Obser. pag.* 433. Viscerum enim quorumvis varia & multiplex in Hydropicis constitutio præternaturalis observata, ita ut hactenus nil certi de parte solida, primariò in hydrope affecta, colligi queat: Imò fieri potest, ut sine vitio alicujus visceris hydrops nascatur, quando ab errore externo, à potu frigido confertim ingesto, aqua in abdomine colligitur, atque adeò non solius hepatis, sed & aliorum viscerum culpâ, imò interdum visceribus pænitus illæsis, hydropem generari constat.

Quæstio autem superest; an hi tumores sint causa hydropis? an verò eum tantum antecedant? aut ex labe sanguinis eum comitentur; sicut videmus v. g. Quartanas, Tertianas diuturnas, &c. sæpè habere comites scirrhos lienis; qui scirrhi lienis aut hepatis superveniunt istis morbis, adeoque ad morbosa producta potiùs referendi, quàm quod sint radicales eorum causæ. Id quod etiam de Hydrope ascite, qui succedit post morbos chronicos, in specie Quartanas & Icteros, observandum est.

(3.) Tertium, quod est contrarium huic opinioni, est, quod explicanda restet ratio & modus, si ex hepate oriri supponatur, quo fiat collectio & destillato materiæ aquosæ in abdominis cavum, aut alias partes, v. g. in caput, pectus, &c. Nam hæc est consueta naturæ lex, per experientiam quotidianam comprobata, simulque per insignia experimenta, quod nihil excernatur ex massa sanguinea purum, nisi per cribra certa, seu per certos & determinatos poros ac meatus. Quæritur ergo: per quæ loca? quomodo? per quas vias destillentur aquæ, & colligantur, nunc in capite, nunc in pectore, nunc in abdomine, &c. Transudatio est leue effugium, ex vasis nempe sanguifluis. Tunicæ enim venarum, ut taceam de arteriis, tenaces admodum ac densæ non permittunt hos succos effluere ac loca determinata. Anastomosis si adest, necessariò tantillum sanguinis adesset, ut ob id serum instar loturæ carnium, & quasi sanguineum observaretur in Hydropicis: quod tamen non est. Necesse est ergò, ut veterum assertis missis, aliter explicetur Hydrops generalis. Optimum autem & probabile inventum est Modernorum nonnullorum, qui particulares variorum locorum hydropes optimè dilucidant per vasa lymphatica aut lactea, quorum læsorum occasione commodissimè ista aquarum collectio deduci potest; Impedito enim lymphæ motu per hæc vasa, quid aliud, nisi hujus in partibus stagnantis collectio, indeque hydropica intumescentia insequitur? Quod si per totam corporis peripheriam, ut in leucophlegmatia, vitio glandularum & lymphæ ductuum obstructarum, aut alio modo infarctarum lymphæ per glandulas transcolatio, & eius per vasa ad massam sanguineam motus impediatur, anasarca aderit; sicuti, si in uno vel altero membro particulari hoc contingat, anasarca particularis, ascites particularis, &c. supervenit. Primus, qui mentem huc direxit, fuit BARTHOLINUS *in Tract. de vasis lymphat. c.* 7. *p.* 245. quem tanquam Præceptorem sequitur ejus discipulus SIMON HEINRICUS PAULI *in Anatomia anatomiæ Bilsianæ pag.* 85. Causam hydrocephali statuit esse lympham, quæ ex obstructis vasis lymphaticis jugularibus, aliisque cephalicis inter cutim & pericranium, vel inter cranium, & meninges, colligatur. Terit eadem vestigia similiter SYLVIUS, tàm in Scriptis Theoreticis quàm Practicis, in specie *lib.* 1. *Prax. cap.* 17. *& cap.* 52. qui in specie ascitem ex hoc fonte derivat. Sanè ubique per totum corpus & quælibet viscera dispersa sunt vasa lymphatica, tamque per partes internas, quàm per externas, quæ semper habent suam correspondentiam cum glandulis. In his ergo lympha contenta si impediatur moveri, sive sint vasa rupta, sive erosa, cum interim continuus ejus sit proventus, necessariò tamen lymphæ collectio seu *tumor aquosus seu hydrops particularis* in ista parte, ubi fit lymphæ impeditus motus, excitatur, & *tàm in partibus internis*, v. g. ex lymphaticis capitis, Hydrocephalus; ex lymphaticis pulmonum, aut ex lymphaticis glandularum pectoris, Hydrops pectoris; ex lymphaticis hepatis vel lienis vel testium, tam virilium quàm muliebrium, vel lacteis thoracicis &c. Hydrops ascitis particularis, & Hydrocele inducitur; non secus ac in partibus *externis* à lymphaticis artuum Tumores serosi partium externarum superveniunt.

Causa verò generalis, propter quam non movetur lympha, in ordinariis vasis, est aut *ruptio* aut *erosio* vasorum lymphaticorum. Si enim in quodam loco glandulæ, & ex his derivata vasa lymphatica obstruantur, necesse est, cùm lymphæ fiat continuus proventus, ut exinde hujus fiat collectio in glandula, aut ejus cursus in vase ita impediatur, ut necessariò hinc lympha in parte colligatur. Et quidem si obstructum sit vas lymphaticum (præsuppono hic exactam vasorum lymphaticorum notitiam) à materia crassa & viscida, seu, ut vocant, pituita, hoc ipsum vas obstructum à lympha per istud distribuenda insigniter distenditur, tandem rumpitur, & ita lympha successivè effunditur; aut etiam si ipsa lympha fuerit acidior, salsior, acriorque aut alius quicunque humor corrosivus vasa lymphatica tenella exeserit, necessariò etiam lymphæ motus naturalis in ista parte sic impeditur, ita ut lympha exinde in quendam locum præterna-

ternaturaliter effusa & collecta tumores aquosos particulares, aut hydropem particularem, inducat.

Confirmant hanc Hydropis particularis, per lymphaticorum vasorum vitia, originem *Hydatides viscerum*, (bullæ aquosæ,) in specie *hepatis & lienis*, quæ subindè observatæ sunt, aut prodromi, aut comites *hydropis particularis*, ut in specie hoc rectè observat SCHENCKIUS *lib.* 3. *Observ. de Hydrope* item PLATERUS *in Observ pag.* 596. qui observat Hydropem ex lienis & hepatis vesiculis, & SENNERTUS *in Praxi*, *ubi de Hydrope*. Equidem *hydatides* hæ præ aliis partibus frequenter in pulmonibus, *hepates*, ac liene, & similibus visceribus sunt observatæ. De hydatidibus insignioribus pulmonum vid. CAROLUS PISO *in Tract. de Colluvie serosa pag.* 214. De hydatidibus insignioribus hepatis vid. PANAROLLUS *Pentec.* 5. *Observ.* 16. qui quædam egregia habet: quia horum viscerum vasa lymphatica magis exteriora ambiunt, unde humorum horum seu aquarum contentarum collectio magis fit conspicua. Scilicet dictis in locis vesiculæ aquâ turgidæ, nunc minores ac copiosiores, nunc grandiores conspiciuntur; quæ ipsæ sunt nihil aliud, quàm vasa lymphatica, in quibus motus lymphæ est impeditus. Hæc ergò lympha in iis hæret propter interjectas crebriores in vasis lymphaticis valvulas, eaque sensim distendit, & dum intercepta est lympha distendens intra valvulas, quibus plurima vasa lymphatica sunt instructa, spatiola ista intermedia distendendo tumefacit, & ita vesicularum aquosarum faciem repræsentant. Quod si rumpatur una altera ve valvularum, aut ipsorum vasorum lymphaticorum lympha sub membrana visceris tenui coercita, & effusa, sensim majores vesicas & grandiores, ad nucis juglandis magnitudinem interdum observatas, exhibebit, donec tandem ruptis aut erosis hydatidibus lymphæ extravasatio, in cavo corporis quodam collectio, & ita *hydrops* postmodum particularis oritur.

Post Hydatides illustrant hydropis ortum ex lymphæ motu impedito *ascites seu Hydropes abdominis vesicales* dicti, h. e. in quibus Aqua abdominis tumorem quidem faciens, non in cavo ejus fluctuaverit, sed potiùs viscera copiosis & innumeris vesiculis aqua turgidis observata fuerint, ita ut post abdominis apertionem nihil aquæ effluxerit. Exempla aliquot enarrat hujusmodi hydropis vesicalis SENNERTUS *c. l. ubi de Hydrope*, item TULPIUS, qui observat hydropem asciten ex copiosis vesicis mesenterii *lib.* 2. *Obs.* 34. item vid. HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 142. ubi similes hydropes vesicales refert, item HORSTIUS *lib.* 10. *Observ. pag.* 513. & 579. similiter & BARTHOLINUS *Cent.* 4. *Epist.* 58 *pag.* 370. observat asciten ex glandulis vel vesiculis in omento sero repletis, nec non in *Actis Med. Hafn. Volum.* 1. *pag.* 17. sicut & in VALERIOLA. Hæ ipsæ vesiculæ pariter nil aliud sunt, quàm vasa lymphatica, & hinc partium interstitia membranosa, hinc inde ex lympha in motu impedita, ut ratione interjectarum valvularum in lymphaticis vasis tales vesicas repræsentent; aut rumpantur licet vasa, si tamen lympha effluens in membranis ambientibus suprà dicto modo coerceatur, successivè in copiosas tales vesiculas coacervatur & colligitur.

ARTICULUS II.

DE ASCITE PARTICULARI.

Frequentior autem præ cæteris Hydropis particularis speciebus est *Hydrops abdominis* seu *Ascites particularis*, idque *duplici ex ratione*:

1. Quia copiosa & insignia continet viscera, eaque omnia plùs minùs copiosis vasis lymphaticis suis instructa, v. g. hepatis, lienis, renum, testium utriusque sexus, quibus speciatim accedunt vasa lymphatica ab inferioribus locis ad receptaculum commune ascendentia.
2. Ratio secunda est, *quia mensenterium* etiam *instructum est* copiosis *vasis lacteis*, chylum in se tenuem & limpidum vehentibus, quibus plùs minùs ruptis aut exesis similiter *ascites* & eadem pathemata in abdomine sequuntur, quæ aliàs lymphaticis vasis abdominis ruptis: nam quod his lacteis læsis, etiam sequatur ascites, de hoc vid. SYLVIUS *cap.* 17. *Prax.*

CAUSA.

Quoad *Causas*: equidem LINDANUS Asciten Particularem semper à colliquatione oriri asserit, quod tamen vix universale videtur. Plausibilissima est lymphæ chylosæ alteriusve humoris impeditus motus per vasa lactea, unde pariter omnia symptomata hic obvia derivari possunt. Adeoque *Causa proxima* investiganda est vel in *vasis lymphaticis* quacunque causa *erosis*; vel *vasis lacteis obstructis*, *ruptis*, & consequenter lymphæ destillationem patientibus; vel *ex sanguine*, quodam in loco *coagulato*, qui putrescendo transit in aquam, cujus occasione supervenit interdum talis Hydrops Ascites particularis.

Res ut pateat exactiùs, observandum est, vasa lactea ratione structuræ & compositionis revera eadem esse cum vasis *lymphaticis*, saltem contenti ratione à se invicem differunt, dum nempè vehunt chylum distinctum à lympha. Hinc enim est, quod truncus lacteorum & lymphaticorum communis, nempe ductus thoracicus, utriq; liquori vehendo, tàm chylo quàm lymphæ, sit destinatus. Lacteæ ergo hæ venæ tenuem & aquosum chylum vehunt, si aut ipsæ in mesenterio obstruuntur, aut glandulæ mesenterii, per quas chylus mediantibus vasis lymphaticis primi generis traiicitur, in lacteas secundi generis, (de quibus imprimis videndus WARTHONIUS) si inquam glandulæ aut vasa lymphatica obstruantur, necessariò sequitur exindè chyli effusio, & indè tumor asciticus supervenit. Necesse est enim, ut chylus, qui per se est admodum tenuis & aquosus, utpote per angustos intestinorum poros percolatus, tunc subsistat, aut circa glandulas infarctas, aut in lacteis obstructis, hinc vasa distendat, eademque tandem rumpat, iisque ruptis in abdomen influat, quod continuata congestione tandem distendit, & ita tandem tumorem asciticum infert. Hanc chyli in abdomen per nonnulla vasa lactea ex occasione quarundam glandularum obstructarum destillationem unam ex communissimis causis ascitis arbitratur SYLVIUS *cap.* 17. *lib.* 7. Hanc quoque sententiam illustrat imprimis illud experimentum BOYLEI *Tract. de Usu Philosophiæ Experiment. P.* 2. *pag.* 38. in quo refert aquam hydropici cujusdam per paracentesin evacuatam, fuisse spissam, crassam, opacam, & albam, gustu subdulcem, colore turbido; blando igne leniter inspissatam dedisse materiam albam, albumini ovorum similem, magis inspissatam in gelatinam plancrassam concrevisse, quæ aliàs chylo & liquoribus chylo permistis propria esse solet: Sicuti hæc ipsa, quæ dico de vitiis vasorum lacteorum & glandularum mesenterii, illustrant *exempla asciticorum* eorum, in quibus, reliquis visceribus salvis mesenterii tantummodò glandes obstructæ, hinc tumidæ aut scirrhosæ, inventæ fuerunt; item quando *ex ulcere mesenterii*, in quo dubio procul exesa fuerunt vasa lactea, crebrò observatus fuit *hydrops*: id quod confirmat RONDELETIUS *in sua Praxi lib.* 3. *cap.* 35. ubi inquit, id notatu dignum esse, quod ex frequenti dissectione corporum observaverit, omne Hydropicos glandulas mesenterii induratas vel scirrhosas habere: Sic TULPIUS *lib.* 2. *Observ. cap* 33. observat hydropem abdominis propter glandulas mesenterii œdematosas; quod etiam PANAROLLUS testatur, uti etiam HOEFERUS *in Herc. Med. cap* 143. Sic ex ulcere mesenterii quinquies hydropem observavit TULPIUS *lib.* 2. *Observ.* 32. uti etiam HOECHSTEDTERUS *Decad.* 6. *Cas.* 6. ex glandulis mesenterii œdematosis, scirrhosis & exulceratis.

Ex his ergò frequentes sunt Hydropes particulares abdominis, & sanè ubique prostant Observationes Ascitis, nati *ex affectis mesenterii glandulis*; hinc enim destillat serum plus minus chylosum in abdomen, ruptis vasis lymphaticis aut lacteis. Ex hoc fonte etiam causa est Ascitis particularis, qui supervenit quibusdam, quando copiosus potus frigidus ingurgitatur in æstu, aut nimio veneris ardore; frequenter enim observatum est, quod ex solo haustu frigido post æstum nimium, aut corporis exercitium, sudorem nimium aut æstum febrilem, aut nimium calorem, interdum subitaneus ortus fuerit hydrops ascites; qualium exempla PISO *Tract de colluvie serosa* habet, dum refert Ascitem, natum ex haustu frigidæ in declinatione tertianæ: Simile etiam exemplum refert SENNERTUS *lib.* 3. *cap. de Hydrope Ascite pag.* 711. Dicit nempe, se observasse in puella, quod cùm in tertiana vehementer sitiens totam mensuram cerevisiæ secundariæ ebibisset, inde in ascitem inciderit. Item FONSECA *lib.* 7. *Cur.* 29. observat asciten ex potu frigidi vini

vini post longum iter, dum æger admodum esset exæstuatus. Observatum crebrò fuit, quod messores tempore æstatis ex haustu cerevisiæ secundariæ in æstu reddantur Hydropici: Sic ex ingurgitatione aquæ in æstu tertianæ febris observavit hydropem ascitem RIVERIUS *Cent.* 2. *Observ.* 65. Conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Observ.* 52. *p.* 85. Nullus ergò potus frigidus nimis, imprimis febricitantibus, præsertim tempore paroxysmi porrigendus, utquote quamvis moderatè at intempestivè assumptus coagulationi lymphæ & chyli intra vasa lactea, hincque Asciti, non rarò occasionem subministrat. Utut enim HIPPOCRATES frigidæ potum in febribus passim concedat; hic tamen nostræ texturæ minus, quàm Græcorum, aliorumque regiones fervidiores inhabitantium, conveniet: vid. POTERIUS *de Febribus lib.* 2. *cap.* 9. Sicut quoque rationem hujus effectus, quod nempe ex potu aquæ frigidæ sequatur hydrops, ex obstructis vasis lacteis, eleganter reddit SYLVIUS *lib.* 1. *Tr. cap.* 17. & *cap.* 50. §. 6. & 7. hanc; quod mucus seu pituita intestinorum naturalis à calore vel æstu soluta, attenuata, & fluidior reddita, ex intestinis in vasa lactea penetret, quæ postmodum à superveniente frigore, aut externo, aut ex frigore potus seu haustu frigido, denuò conspissata & incrassata vasa lactea & mesenterii glandulas obstruat & infarciat; unde vasis distentis & ruptis magis, vel minus *hydrops subitaneus* sequatur, prout plures vel pauciores lacteæ hoc modo fuerint affectæ: Vid. in specie SYLVII *Tr. de Hydrope*, & LOWERUS *pag.* 124. BARTHOLINUS *Tract. de Vasis lymph. cap.* 7. SIMON HEINRICUS PAULI *Anat. Bils. pag.* 85.

Ascites igitur hic seu hydrops abdominis particularis in specie est collectio aquarum seu colluviei serosæ & aquosæ saltem in abdominis quadam insigniore cavitate, idque subitò intra octo ferè dies, nonnunquam intra tres, cùm ascites universalis sensim accrescat, manus, pedes & artus omnes cum manibus fiunt flaccidi, molles, & successivè contabescunt, primùmque tumor est mollis, post durus. Et non solùm in ipso abdomine colligitur aqua; sed etiam infra duplicaturam peritonæi, cujus exemplum habet JOB *van* MECKERN *in suis Observat. Chirurg. Belgicè conscriptis*; *vel* intra cavum omenti; *vel* saltem lympha stagnans intra partium vesiculas membranosas in mesenterio, aut locis vicinis, hydropem talem abdominis repræsentat: quorum modorum apud Practicos hinc inde leguntur observationes.

Verùm præter vasa lymphatica erosa, & lactea rupta, interdum liquores alii hydropes ascites inferre possunt; Unde in una causa universali quoad asciten vix subsistendum, sed omnes circumstantiæ probè expendendæ: v. g. ex renibus affectis sæpissimè hydropes generantur, adeò ut ex solo hoc fonte Hydropicorum aquas deducat HELMONTIUS *Tract. Hydrops Ignotus*, quod scilicet renes non secernentes serum ab ejus in abdomen ex renibus destillatione tandem supervenit Hydrops: Unde notum est, non tantummodò parcam & imminutam urinæ in quam plurimis Hydropicis esse excretionem, & etiam non rarò dissectis Hydropicis ipsos renes tumidos, & vitiosè turgidos esse repertos: sic à renibus turgidis & perforatis, item ex renibus exulceratis, obortum asciten observat PLATERUS *Prax. Tom.* 3. *pag.* 239. & *in Obs. pag.* 622. 630. & 638.

Porrò alia etiam viscera abdominis non rarò etiam dant Tumores ejusmodi & Ascites, utut non semper puros, sed potiùs aquoso-purulentos. Sic superiùs ex LINDANO habui exemplum Hydropis ascitis pro nati ex uno testiculo, &c. Sic & Hydropem ex testibus muliebribus tumefactis oriri retulit RIVERIUS *in Praxi de Hydrope* BARBETTE *in Anat. Pract. p.* 154. dicit, quod mensibus suppressis interdum superveniat Hydrops ascites, quatenus materia vitiosa & aquosa ex tubulis uterinis in talibus subjectis in duplicaturam peritonæi influit, cujus rei se testem ocularem esse affirmat. Quò etiam facit exemplum prostans *in Observationibus*, *Cultro Anatom.* LYSERI *annexis*, *pag.* 282. de Hydrope ex collectione amurcæ fœtidæ intra cutim & abdominis musculos, ob menses suppressos. Asciten à vesica observavit DODONÆUS *Observat. cap.* 34. atque PLATERUS *Prax. Tom.* 3. *pag.* 244. & ab ureteribus PLATERUS *l.* 4. 1. uti & BONETTUS *Sepulchr. pag.* 1075.

Asciten Particularem à sanguine quod attinet, *hujus* subito facta *suppressio*, vel etiam extrinsecùs facta in quodam loco *contusio*, & ita interna cujusdam partis læsio, ibique sanguinis effusi facta *congrumescentia*, interdum ad hunc hydropem disponit. Equidem notum est, quod asserit HELMONTIUS, dum derivat illum hydropem ex renibus, in quibus ac circa quos sanguis congrumatus fuerit collectus; sicuti etiam observavit hydropem ex congrumato sanguine. Interim hoc effatum non est universale, licèt interdum vitium sit in rene non ritè emulgente; prostantque alia exempla hoc confirmantia: v. g. *ex suppressione lochiorum* talem Asciten particularem hîc Lipsiæ observavi, quæ nullà arte potuerunt revocari, copiosissimæ aquæ in Omento continebantur, quia tumor circumscriptus erat circa umbilicum; brevi post, intumescente abdomine in immensam molem, concepit secundà vice, partumque edidit, denuò lochia supprimebantur, unde abdomen magis intumescebat, candelæ lumen admotum translucebat, & suffocatâ ægrâ abdomen sponte rumpebatur, & incredibilis Aquæ copia evacuabatur. Præterea hujus rei se aliud offert exemplum, ubi *ex contusione* extrinseca in hypochondrio dextro in viro paupere, aliàs sano & robusto, Asciten cum tympanitide particularem observavi; brevi enim post contusionem, abdomine & scroto tumidis factis, tandem interiit. Forsan huc facit LOWERI *experimentum Tr. de Corde Centur.* 2. *pag.* 125. & 125. ubi similiter ex sanguinis motu, ex arteriis in venas impedito, Hydrocephalum ortum recenset.

In his Ascitis speciebus Causa Remota est notabile vitium, occurrens aut in chylosi, aut in hæmatosi. Nam materia ista, quæ cum lympha simul colligitur, & stagnando tumorem ex œdematoso serosum infert, *nihil est aliud*, *quam chylus crudus*, vitio depravatæ hæmatoseos collectus. Hic ergò chylus, aut vitiosus aut sanguini non assimilatus, sero dilutus, ut in inferioribus locis successivè subsistit, ac dum simul lympham inquinat, glandulas ac vasa lymphatica ubique obstruit, unde necessariò & lymphæ stagnatio, & perfectus tandem hydrops supervenit, progrediente successivè malo ulterius, & abdominis superiora petente. Hinc est, quod nimias hæmorrhagias talis insequatur hydrops: sic observat MEARA *in Exam. Febr. Willisian. pag.* 20. hydropem ex hæmorrhagia nimia: sic SCHENCKIUS *l.* 3. *Observat.* aliquot observat hydropes ex diuturna & copiosa narium hæmorrhagia; item ex nimio fluxu hæmorrhoidum, & similibus aliis nimiis hæmorrhagiis; quia scilicet massa sanguinea nimiâ excretione depauperatur, aut etiam, quando hic hydrops succedit morbis chronicis, per cursum morbi effœta hac reddita desinit in naturali fermentatione; unde inepta est chylum ut assimilet, idque eò magis, quod hic ipse vitio stomachi suggeritur vitiatus.

Hæc est Ascites ordinaria ex lympha & sæpius etiam ex chylo crudo, nec non sanguine congrumato, collecto orta.

Cæterum præter dictas interdum extraordinariè & planè singulares ascitis reperiuntur causæ: Sic mirum quod refert BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 74. de Hydrope ascite subitaneo, ex gestatione diuturna oneris gravioris oborto: item BORELLUS *Cent.* 2. *Obs.* 24. observat hydropem ex compressione nimia circa os stomachi; sed ut dixi, hæ sunt causæ extraordinariæ. Non possum, quin quæ de ascite particulari habet LINDANUS *super Hartmannum*, proferam: *Hydrops*, inquit, *est duplex*: *Unus ex causa frigida*, *altera à causa calida*. (Linquimus Lindano has delicias, illumque suo sensu abundare permittimus) *Ille*, inquit, *est ab aquositate & nimia sanguinis dilutione*, *quia nempe chylus nimis aquosus suppeditatur sanguini*, *qui in sanguinem bonum converti nequit*: *Altera species*, inquit, *est ab intemperie calida*, *quando sanguis colliquatur & uritur in ichorem acrem*, *qualis est*, *qui immediatè post febres ardentes sequitur*. *Hic posterior*, inquit LINDANUS, *vocatur Hydrops siccus*; (videtur quidem contradictio, sed ab explicatione suppeditata tollitur) *prior verò vocatur Hydrops humidus*. *qualis est*, *quando omnia marcescunt præter abdomen*. *Nam*, inquit, *Quæritur hic*, *quod sit Hydrops siccus Hippocratis in Sect.* 4. *aphor.* 11. *Omnes Autores dicunt*: *hic intelligendum esse hydropem tympanitidem*, *& sequuntur præceßorem Galenum*. *Ego ex Hippocrate & aliis monstravi*, *esse intelligendum ascitem*, *qualis est*, *quando omnia marcescunt præter abdomen*. *Nam*, inquit, *quomodo*? *Sunt duæ ascitis species*. *Una est*, *in qua ab aquis collectis non tantum venter tumet*, *sed etiam scrotum & pedes*, *ubi interdum pustulæ aperiuntur*, *& effluit humor*, *& hæc ordinaria est species*: *sed præter hanc videbitis & speciem aliam*, *ubi nullus nempe in scroto tumor*, *neque etiam in pede*, *sed in abdomine omnis humor colligitur*; *pedes autem & reliqua membra contabescunt & marcescunt*, *ut squamas*

mas concipiant. Cætera vix ossibus hærent, facies est arida & squalida. Et hic est Hydrops siccus Hippocratis. Dicitur igitur siccus ab illa ariditate, squalore & macie totius, & hydropica aqua sunt lutea, quæ expurgantur: In hydrope sicco urinæ sunt splendidæ, instar aquæ planè croceæ, instar ictericorum, sed non habent illam crassitiem, sunt paucissimæ, & vix 2. vel 3. cochlearia, in ignem effusæ ardent. In ascite verò humido urinæ sunt albæ, pallidæ & crudæ, interdum, ubi renes non sunt affecti, satis copiosæ. Hæc LINDANVS. Exempla hujusmodi *Ascitis particularis* videb. in specie in HOECHSTEDTERO *Decad. 10. Cas. 7. Obs. 78.* Ex quibus patet, hydropem siccum eum appellari, qui fit ex vitio mesenterii, & imprimis uasis lacteis; Hydrops uerò humidus, qui fit ex antecedente hemorrhagia, uitio massę sanguineę deprauatę.

Hęc de Causis & origine Hydropis ascitis.

Sequuntur *Signa*: Ascites particularis facilè cognoscitur; saltim in eo Medicus sit cautus, ut artificiosa conjectura & consideratione omnium circumstantiarum possit cognoscere, an in cauo peritonęi? an in omento, aut utero, aut aliis similibus locis aqua collecta contineatur?

Duobus ferè modis inchoat. Primam ejus invasionem præter signa generalia *in hydrope universali suprà Section. 17. Cap. 3. Art. 3.* recensita, prodit epigastricæ regionis tensio continua equidem, quam tamen alimenta assumpta intendunt: malo verò ingravescente aut abdomen successivè intumescit, hinc pedes & scrotum, quando vitium hæret in ruptis vasis lymphaticis vel lacteis abdominis; aut verò frequentissimè inchoat Ascites, ita ut priùs pedes intumescant, & hinc tumor successivè adscendat, & abdomen occupet; tandemque perfectum Ascitem inducat. Et quidem, quando pedes intumescunt, utplurimum non sola Aqua, sed simul materia quædam crassior ac spissior concurrit, adeò ut non solùm tumor serosus & aquosus, sed simul sit tumor œdematosus: uti fit, quando in cachecticis vel diuturnis morbis sequitur hydrops: & ita adscendit sensim tumor talis œdematosus; donec abdomen occupet. Superiora è contrà, nisi anasarca adjuncta sit, contabescunt, quamvis extrema manuum ob pulsum debiliorem aliquantum inflantur. Æger in latus conversus fluctuationem quandam aquæ instar, interdum etiam murmur percipit, intumescente magis latere, in quod incumbit; & quò magis intumescit abdomē in Ascite, eò magis contabescunt partes superiores, nisi quod interdum ad extremum, ut modò dixi, etiā manus inflentur & tumefiant.

Supervenit tandem difficultas respirandi admodum molesta, præprimis ab alimentis assumptis, propter diaphragmatis liberum impeditum motum, imò interdum orthopnœia, ita ut æger non, nisi corpore erecto, quiescere queat. *Platerus in observ.* dicit, quod dyspnœia nocturna prænunciet hydropem ascitem; in ipsa verò Ascite sit dyspnœia continua.

Interdum & sitis est admodum intensa, idque tunc imprimis, quando vitio mesenterii ruptis lacteis fit hydrops ascites: interdum sitis est parva, quando massa sanguinea ex vitiata hæmatosi est gravata copiosis succis crudis, (non enim omnes Hydropici sitiunt) Tussis etiam sicca supervenit, aut, quæ in principio adfuit, notabiliter augetur.

Ad hæc attentus sit Medicus, ne confundat ascitem particularem cum graviditate: nam quod interdum cum hac confundatur, patet ex exemplis; sicuti hic novi Medicum, & etiam Halæ Saxonum, qui gravidas pro Hydropicis curarunt. Siquidem & mulieribus gravidis subinde copiosæ aquę intra uterum colliguntur, in quibus natat fœtus; sicut etiam iisdem nunc ante nunc post medium gestationis tempus crura non rarò tumefieri assolent, idque tamdiu, donec superveniente partu mediantibus lochiis successivè subsidant. Ne ergò fallamur, nec famæ & arti detrimentum conciliemus, probè observentur signa quædam distinctiva, quæ inter optima sunt, quæ proponit LINDANUS, qui dicit; quod hydrops discernatur à graviditate

1. Ex colore faciei vivido & benè habito, qui est in specie in gravidis, & cæteris paribus sanis, magis floridus, vividus, Hydropici verò malè sę habeant, sint utplurimum pallidi, colore livido.
2. Distinguuntur invicem ex tumoris specie: siquidem in gravidis tumor abdominis magis ad præcordia & sursum versus prominet, latera autem sunt caua, estque inæqualis, nisi, quod tamen rarò, gerant gemellos; tunc enim etiam lumbi sunt distenti; & in specie tumor magis ad umbilicum & supra umbilicum exsurgit primo gestationis tempore, sicuti ultimo versus inferiora: E contra in Hydropicis totum abdomen, etiam latera & lumbi, tumidi sunt, & magis inferunt acuminatum tumorem post medium gestationis tempus.
3. Si motus percipitur aliquis, nempe fœtus, graviditatis præsumptio patet.
4. Denique certum & optimum signum est fluctuatio; sic nempè interdum Hydropici, quando se movent & jectigant, percipiunt aliquam fluctuationem in cavitate corporis, quæ deest in graviditate. Interim tamen fluctuatio non semper hydropem abdominis comitatur: quando enim membrana peritonæi ex spasmo est distensa sine fluctuatione, solent ibidem aquæ contineri.
5. Oculi in gravidis, utut ipsæ malè se habeant, utplurimum tamen solent esse fulgidi & clari: In Hydropicis verò nitor oculorum perit, ipsique oculi apparent quasi cornei, lividi, & sic porrò. Vel si hydrops est siccus, oculi interdum apparent ignei seu fulgidi.
6. Porrò urinæ in gravidis non sunt aquei coloris, ut in hydrope.
7. Hydrops admodum naturam seu membrum genitale mulierum premit, quod non fit in gestatione fœtus.
8. In hydrope, quò se convertunt, eò dilabitur aqua & tumor; quod non fit æquè in graviditate.
9. In hydrope menses interdum aquosè fluunt; in gravidis non, aut rariùs.
10. In hydrope languet appetitus; in gestatione verò non est prostratus appetitus, sed optimè vorant non rarò.

Plura signa prognostica distinctiva suprà, ubi de Ascite universali egimus, videri possunt. Quibus probè observatis, vix fallere potest Medicum hydrops.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: levior & minus periculosus est *Ascites particularis*, quàm *universalis*, & facillimus curatur, modò maturè cura instituatur, ne occasione retentæ colluviei aquosæ viscera interiora abdominis inficiantur, & ad sui corruptelam disponantur; tunc enim per accidens lethalis fieri potest ascites.

Ascites anasarcę superveniens melioris spei habetur, quàm si iste solitarius fuerit, id est, propter tumores viscerum abdominis, v. g. hepatis aut lienis, aut propter vasa lactea, & lymphatica rupta contigerit; cùm prioris affectus causa continens & procatarctica sæpè tollatur aut imminuatur, posterioris verò utraque difficulter admodum aut utplurimum incurabilis existat, aut licet curatus semel, tamen subinde denuò renascitur, & talis hydrops curatus denuò renascens lethalis est, uti habet HIPPOCRATES *in Observ. Coatis*, item DEODATUS *in Valetudin. pag. 160.*

In hydrope post cachexiam & similes morbos diuturnos dejectionem nigram lethalem pronunciat PLATERUS *lib. 3 Observat. pag. 670.*

Hydrops ex perverso Purgantium usu admodum periculosus est, quia hæc admodum inquinant massam sanguineam, uti hoc habet POTERIUS *Cent. 2. cap. 29.*

Hydrops post febrem leviorem ortus non est adeò periculosus, nec adeò curatu difficilis, quàm qui à se ipso invadit.

HIPPOCRATES *aphor. 43. Sect. 6* hanc habet observationem: Qui lienosi dysenteriâ corripiuntur, iis dysenteriâ diutiùs durante Hydrops aut lienteria supervenit, & moriuntur. Expositionem hujus Aphorismi habet SENNERTUS *lib. 3. Prax. cap. de Hydrope*, quæ satis est accurata.

Porrò, quantò minor urinæ copia excernitur, tantò deterior est hydrops, quia serum copiosum augmentatur; Unde etiam dicit CELSUS: tunc demum in hydrope secundam valetudinem sperandam esse, cum plus per urinam excernitur, quàm fuit assumptum per os. Nam optimè Hydropici curantur per diuretica.

Hydropi superveniens tussis, malum, inquit HIPPOCRATES *Sect. 6. aphor. 35. Sect. 7. aphor. 47. & M. A. N. C. Ann. 4. & 5. Observat. 148. p. 168.*

Abscessus vel maculæ in cruribus erumpentes lethales sunt, observante etiam hoc HIPPOCRATE *in Epidemicis*.

Hydrops, qui oritur à partium urinariarum, renum, ureterum, vesicæ, &c. ruptura aut exulceratione, utplurimum

cimum lethalis est, nisi partes hæ celeriùs coalescant, aut urina per ulcus abdominis effluat.

Si Ascitícorum aqua à propinatis medicamentis copiosè & cum euphoria evacuetur, ac venter detumescat, aliqua curationis spes est; sin verò medicamenta hæc nihil aut parum evacuent, sed viscera inde irritata cum abdomine magis intumescunt, omninò desperandum erit.

Iste Ascites particularis, in quo aquæ intra corpus membranosum, omentum, peritoneum, uterum &c. collectæ, cum eo ægri plures annos, cæteris paribus, sani manere possunt.

Tumores serosi artuum particulares vix, nisi aliis supervenientibus morbis, lethalitatem inferunt, utut eorum unus altero difficiliùs, vel ratione causæ, vel aliarum circumstantiarum, sanetur.

Tandem viscerum internorum hydrops nunquam periculo vacat, sed utplurimum funestus existit.

Hæc de Signis Diagnosticis & Prognosticis in genere & in specie. Ubi adhuc observetur: in cognitione Ascitis maximam haberi rationem causarum antecedentium, in quibus legitimè cognoscendis cardo totius curæ consistit. Et hoc est, quod reddit Medicum eruditum, nempè judicii vis in cognoscendo affectu & causis; & hinc in Medico præferrem judicium memoriæ.

Habuimus Theoriam Hydropis in genere & in specie, superest Praxis.

CURA.

In *Cura* ascitis hujus particularis attendendum est:

1. Ut *aquositates collectæ*, quantum fieri potest, *evacuentur* per vias, per quas evacuatio commodè, & cum majori ægri euphoria fieri potest.
2. In vasis lymphaticis & lacteis factæ *obstructiones* solvantur, vel *erosiones* illorum consolidentur, ut & sanguis grumosus, si adest, maturè dissolvatur.

Prius fit per *Purgantia*, hinc, utut rarò, *sudorifera*, & speciatim *Diuretica*; omnium optimè per abdominis *paracentesin*, modernorum more cum acu argentea faciendam, de qua vid. BARBETTE *in Chirurg.* Utilissima & tutissima est hæc operatio, præsertim in hac hydropis specie, modò maturè instituatur, antequam colluvies excrementitia diuturna retentione corrumpatur, & partes contentas solidas inquinet; unde etiam umbilicus spontè apertus talem hydropem curat. Posteriùs fit per salina diuretica, vel volatilia vel fixa, v.g. arcanum duplicatū Mynsichtii. Sudor vix in alio hydrope quàm in hydrope universali seu anasarca convenit. Simul tamen etiam causarū antecedentiū habenda est ratio, eæque variæ, prout scilicet eædem sunt diversæ; utplurimum tamen mucus viscidus vasa lymphatica obstruens, & lympham incrassans, incidendus, dissolvendus, & fluxilis reddendus. Ulteriùs promoveatur consolidatio, quæ spontè succedit, quia talia vasa, quæ rore spermatico chyloso nutriuntur, sunt glutinosa, & spontè coeunt. Sed in specie, quoad hanc medendi methodum, vid. SYLVIUS *l. 1. Prax. cap. 17.* cum quo conf. SENNERTUS. Quod si vitium sanguinis congrumati, aut alia ex causa collecti, morbum intulerit, per *appropriata* naturæ succurrendum, de *quibus jam suprà*.

Remedia, quæ huic scopo satisfaciunt, ubertim nota sunt ex Ascite universali; Hinc enim ex Purgantibus convenit Elaterium: e. g.

℞. *Extr. elater.* gr. xv.
Res. jalapp. gr. v.
Extr. troch. alband. gr. j.
Olei destillat. bacc. junip. gutt. ij.
cum s. q. *Malvat. junip.* f. pilulæ. D. S.
Pilulæ purgantes.

℞. *Succ. Ireos nostr. per resid. depur.* ℥ß. vel ℥vi. ad ℥i.
Aqua cinnam. ℥ij.
Syr. violar. ℥ß.
M. D. S.
Succus purgans pro una vice.

℞. *Aquæ fragor.* ℥j.
Pulv. jalapp. ℈j.
Tartari vitriolat ℈ß.
Syrup. rosat. solut. ℥ß.
M. S.
Potio purgans pro una vice.

Ex diureticis sal genistæ, stipitum fabarum, spiritus tartari volatilis eminent; in specie in hydrope seu ascite particulari nitrum & omnia Nitrata sunt optima in tali casu, imprimis quando post febrem vel in febre ascites talis supervenit subitò, optimum tunc est nitrum crudum probè depuratum, in potu quotidiè assumitur in magna dosi ad ℥ß.

Ex sudoriferis verò volatilia quæcunque in juncta tympanitide. Præ cæteris spiritus nitri dulcis, & hinc spiritus carminativus de tribus, miræ sunt efficaciæ: BORELLUS *Cent. 4. Observ. 16.* sanguinis humani Elixyre Hydropicos bis curavit desperatos & conclamatos intra tres dies, ℥ß. quâlibet vice propinando per tres vices.

Quoad *externa*: habuimus hæc *suprà in Hydrope Universali*.

Fit etiam mentio apud Practicos Hydropis per colliquefactionem, seu in quo sanguis in liquamina serosa fatiscit, de quo jam *superiùs ex* LINDANO quædam allegavi. Et est ille hydrops, qui v. gr. febres ardentes immediatè sequitur, in quo extrema gracilescunt, abdomen contra intumescit. Talem hydropem nomine hydropis sicci ab HIPPOCRATE *lib. 4. Aphor. 11.* insinuari asserunt. Rarus est hic hydrops, & *in eo curando observandum, quod nullæ Purgationes conducant, sed uno & simplici remedio, nempe nitro probè depurato, tales Hydropici curandi sunt, dando nempe quotidiè solum nitrum in vino Rhenano, ita ut quotidie nitri* ℥ß. *absumatur, idque per 24. horas, nempe non simul & semel, sed partitis vicibus; & quoties aliquid bibunt, nitri depuratissimi* ℈j. *addi debet, & nil præterea agendum. A purgatione abstinendum: quantò enim magis expurgabis, tantò magis mox intumescunt, & lotia eò magis indies splendescunt & inflammantur, sicuti in diabete. Temperandus est sanguis nitro; hoc enim sedat sitim, temperat æstum, & ciet urinam. Et quando hæ in tali hydrope post nitri usum non ampliùs splendent, signum est propemodum superati mali, & æger in declinatione morbi est constitutus, tuncque oportet dare bonum aliquod conditum corroborans & confortans.* Vid. LINDANUS.

Absolvimus Praxin ascitis in specie, pergo ad

ARTICULUM III.
DE
HYDROCEPHALO.

INter *Hydropes particulares* eminet in specie post ascitem *Hydrocephalus* seu *Hydrops capitis*, quando nempe colligitur aqua in sphæra capitis. Interim Hydrocephalus hic ratione subjecti immediati, in quo colligitur aqua, ordinariò solet esse *triplex*:

1. *Prima species est*, quando aqua colligitur *intra partes cutaneas & cranium*.
2. Quando aqua colligitur *intra cranium* & ipsum *cerebrum*, sive sit supra sive infra meninges, in specie duram.
3. Tertia species est, quando aqua colligitur in ipso cerebro, speciatim in ventriculis cerebri, nimiâ copiâ cerebrum & ipsam calvariam distendens, & ita *Hydrocephalum* inferens.

Priorum Hydrocephalorum *exempla* sunt frequentiora; rariora autem ista quæ Hydrocephalum internum talem demonstrant, utut hujus primus mentionem fecerit VESALIUS *de structura Corp. Hum. lib. 1. cap. 8.* de puella, in qua cerebrum à collectis aquis omnimodè excavatum, & singulariter distentum fuit. Præter hunc simile exemplum refertur à TULPIO *lib. 1. Observat. cap. 24.* item *cap. 25.* de puero quinquenni, *Hydrocephalo* mortuo, in quo ℔. v. aquæ in capite inventæ sunt. Cerebrum autem amissa figura globosa, induit figuram convexi fornicis, & ab exuberante aqua adeò fuit distenta medulla ipsius cerebri, ut instar membranæ crassiusculæ adhæresceret cranio, manentibus tamen semper salvis operibus naturæ: Id quod fit, sive in utroque ventriculo seu latere colligantur aquæ, sive in alterutra saltem medietate cerebri aquarum Hydrocephali collectio fiat; cujus exemplum videb. in TULPIO *Cent. 2. Obs. 25.* Hydrocephali nempe dimidiati capitis, in cujus cerebri altero ventriculo ultra ℔. ij. aquarum tàm strictè inclusæ fuerunt, ut altera cerebri pars planè illæsa & integra persisteret. Illustrat verò hoc NICOLAUS STENO in Anat. capitis vitulini hydrocephalici instituta: vid. BARTHOLINUM *Act. Med. Hafn. Volum. I. pag. 249. & seq.* Cæterum infantes huic Hydrocephalo imprimis sunt obnoxii,

tis, quia in illis ossa capitis teneriora, quæ non sunt futuris firmiter juncta, faciliùs hiscunt, & ob mollitiem talem obsequentiora facilius distenduntur, unde aquis successive colligendis cedunt. Aliàs rarò observatur Hydrocephalus internus in adultis, in quibus propter ossium cranii firmiorem compagem suturæ discedere nequeunt, adeò ut potiùs alios morbos aquæ in cerebro collectæ inferant. Non tamen penitus desunt: vid. HILDANUS *Cent.* 3. *Observat.* 48. Nam puellam hydrocephalam notat PANAROLLUS *Pent.* 5. *Obs.* 74. septimo anno pereuntem, in qua aqua partim per quasdam suturas dilatatas, partim per cranium perforatum egressa erat; ut externè extra cranium partes in adultis intumescere posse in hydrocephalo extra dubium sit: Sic PISO in eleganti Scripto *de Colluvie serosa* notat Hydrocephalum in puella 22. annorum semel atque iterum periodicè recurrentem: ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Prax. Admirand. Obs.* 12. stupendùm refert Hydrocephalum curatum in viro, cujus caput bovis æquavit. In infantibus etiam interdum vitiatus in utero materno situs (quando embryo nimis citò se vertit) ad Hydrocephalum disponit, quando nempe infantes cum capite diutiùs ossi pubis insident, in quo positu interdum ad aliquot septimanas observantur; Ex hac enim occasione interdum in ipso utero matris, ex impedito lymphæ reditu, in capite infantis collectæ aquæ Hydrocephalum inferunt, qui propter molem capitis necessariò partum difficilem efficit: quam causam urget PLACENTINUS *in Obser.* sicut talia exempla duo observata fuerunt Uratislaviæ. Aliàs *imaginatio materna* quoque signando fœtum, Hydrocephalum infert, teste HILDANO *Cent.* 5. *Obser.* 3. uti etiam MARCELLUS DONATUS *Histor. Med. Mirabil.* refert *lib.* 2. *cap.* 1. quod ipsum gravissimum est malum, quando Hydrocephalo laborant infantes, dum adhuc in utero matris constituti sunt.

CAUSÆ.

Causam proximam quod attinet: solet esse lymphæ stagnatio in præfatis locis, propter ejusdem naturalem distributionem impeditam, ex obstructione vasorum lymphaticorum, nunc extra, nunc intra cranium orienda. Adeoque hic ad lymphæ ductus respiciendum est, ut non tantùm vult PAULI *in Anat. anatomiæ Bilsianæ pag.* 85. sed vel maximè confirmat HEERTODT *in Crocolog. pag.* 282. de puero, Hydrocephalo mortuo, in quo vasa lymphatica cerebri partim turgida, partim rupta visa. Interdum præter aquas solas etiam flatus simul colligi solent, qui cum aqua caput distendêtes tumorê hydrocephali insigniter augent: sed rarò oriuntur tales Hydrocephali. Interdum per artem agyrtæ inducunt Hydrocephalum artificiosum per insufflationem aquæ juxta nucham intra cranium & cutim capitis.

DIAGNOSIS.

Signa Hydrocephali sunt satis manifesta, quia *conditiones & circumstantiæ tumoris* facilè rem innuunt, ac vel *visui* vel *tactui* malum patet.

Discernendum autem imprimis: an flatus, an verò humor solus tumorem Hydrocephali inferant? si enim flatulentiæ seu flatus peccant, nunc solùm, nunc conjunctè cum aqua, solet adesse insignis cutis distensio, ut caput leviter pulsatum instar tympani cujusdam resonet: Deinde si digito prematur tumor, aut non recedit, aut si recedat nonnihil, ad pristinum tamen statum illicò redit. Si verò est ab humore solo, & quidem extra cranium collecto, cognosci potest ex conditione tumoris; videtur enim cutis mollior, caput quasi splendescens observatur, à candela admota translucet, percussum nullum edit sonum, & facilè digito prementi cedit, nec statim ad statum pristinum revertitur.

Quod si verò intra cranium & cerebrum contineatur aqua, tumor non est ad tactum adeò mollis, nisi valida fiat compressio, obstantibus nempe ossibus; in specie frons ipsis quasi extrà protrusus est, palpebrarum tumor, oculi tumidi extra orbitas quasi prominere videntur, seu vix intra orbitas retinentur; simul etiam frequenter lachrymantur, concurrit insignis omnium sensuum hebetudo, & ad somnolentiam inclinatio, cum dolore capitis tensivo.

Quibus successu temporis tàm in infantibus, quàm interdum in adultis, accedit capitis intumescentia ac moles reliquo corpori minus proportionata, & sæpè vix credibilis, qualeexemplum HILDANUS *Cent.* 1. *Observ.* 10. recenset.

His absentibus circumstantiis; tumente nihilominùs insigniter capite, suspicio est, in cerebri ventriculis radices egisse Hydrocephalum.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: difficile est malum & periculosum, minus tamen periculosus est *Hydrocephalus externus* seu supra cranium, & facilè curatur. *Internus* verò, seu intra cerebrum, periculosus est, & plerumque malum incurabile, quia superveniente lethargo, aut apoplexia, aliisque gravissimis affectibus, ægri moriuntur. Intra cranium & cerebrum collectæ aquæ subindè, utut rarò & difficulter, curari solent.

CURA.

In *Cura*

1. Ante omnia *aquæ* sunt *evacuandæ*.
2. Caput ac cerebrum aromaticis volatilibus appropriatis roboranda.

Quoad Evacuantia: hæc sunt vel interna, *sensibiliter* id exhaurientia; vel externa, *insensibiliter* discutientia; vel Media Chirurgica, secta cute humori vias patefacientia.

Interna ergo, *quæ evacuant*, sunt omnia Hydragoga dicta, in Hydrope quocunque usitata, quæ pro robore subjecti patientis determinanda, & præsertim in infantibus, in quibus saltim mitiora & temperata usurpantur: e. g. *Mercur. dulcis* gr. vj. *cum syrupo rosarum solutivo* aut syrupo de Rhabarbaro, aut de spina cervina, aut manna, cui tantillum succi & syrupi ireos nostratis admistum est; item prodest blandum Infusum & syrupus ex mediano cortice sambuci; sicuti adultis generosiora Laxativa, & eadem quæ in ascite in usu sunt, conveniunt, v. g. Elaterium, vel post hoc succus radicis ireos recens, &c. *Clysteres* etiam tàm infantibus quàm adultis mirè conducunt: sed ii sint acres & fortiter stimulantes, v. g. ex radice bryoniæ, ireos, soldanella, gratiolia, cortice sambuci, & similibus. Sic D. MICHAELIS aliquando famulum cujusdam mercatoris hujus loci Hydrocephalo laborantem *clysmatibus* factis ex fortiter stimulantibus, & aquas potenter evacuantibus, restituit. Laboraverat autem antea hydrope in partibus inferioribus, quo soluto tumor quasi ad caput raptus fuit, ita ut non tantum cutim valdè distenderet, sed & oculos ex cavernulis foras protruderet, quin & organa aliorum sensuum læderet, & idem bruti ad instar in lecto jaceret: Sed jussu D. MICHAELIS *Clysma* sequens applicabatur:

℞. *Herb. soldanell.*
Gratiol.
Fol. ebuli,
Asari an. Mß.
Fol. sambuc.
Genist.
Persicor. an. p. II.
Cortic. inter. samb.
Frangul. an. ℥ß.
Rad. ireos nostras.
Bryon.
Esulæ an. ℨiij.
Pulp. colocynth. ℨi.

In *urina pueri* coquebatur; quo applicato, factis simul aliis faciendis, sanitati restitutus fuit.

In infantibus Clysteres blandiores injiciendi sunt. Cum his simul internè vel tinctura tartari infantibus ad guttas x. commodè propinatur pro stimulanda urina; aut spiritus tartari volatilis; & quæcunque volatilia ex tartarò propter vim diureticam & penetrantem ad promovendum urinæ fluxum commodè misceri possunt; sicuti etiam *spiritus Paracelsi ad Hydrocephalum* ex tartaro, vitriolo & radice vincetoxici, (vid. HARMANNUS) tanquam universale remedium, egregius est in Hydrocephalo, quem egregiè commendat POTERIUS *Cent.* 1. *Observ.* 2. *cap.* 13.

Cæterum cum his internis simul usurpanda sunt *Externa*, eaque primariò *Discutientia*, & Tumorem *insensibiliter* resolventia, vel *sensibiliter* Evacuantia. Inter illa sunt *Cataplasmata & Fomenta* ex aromaticis discutientibus, facta ex *chamomilla, meliloto, artemisia, stœchade Arabica, calamintha* montana, *rorемarino, absinthio, origano, pulegio*, cumino, serpillo & similibus: quibus farina fabarum, farina lupinorum, stercus columbinum, caprillum, semen anisi & *cumini*, ac similia, commodè addi possunt.

Conveniunt etiam olea discutientia, ut oleum chamomillæ, oleum anethinum, oleum laurinum, & similia. Hinc usu expertum est præstans oleum seu linimentum FORESTI *lib. 3. Chirurg. Obs. 7.*

℞. *Olei chamom vulg.* ℥iv.
Sulphuris pulveris. ℥i.

Probè invicem mixtis, & digestione unitis, constituunt Linimentum.

Hoc diu continuatum externè illitum, insensibiliter emollit & discutit Hydrocephalum: cui si addantur aliquot guttæ vel ℨi. *olei destillati cumini*, vel *succini*; vel aliis *Unguentis* addatur *Balsamus sulphuris terebinthinatus aut iuniperinus*, erit unguentum eò penetrantius. Imò nullum est dubium, quin ipsum balsamum sulphuris vulgare terebinthinatum, aut, hoc nobilius, anisatum, blandâ manu illitum, potentius sit Hydrocephali discussivum. Tandem AVICENNÆ & RODERICI à CASTRO remedium sunt cochleæ recentes in decocto quodam cephalico, e.g. stœchados Arabicæ, calaminthæ montanæ, &c. contusæ, & in forma Cataplasmatis capiti applicatæ; quod & ipsum remedium modernorum experientiâ compertum est, & in scroti tumore aliàs mirabile est; item cataplasma ex cochleis contusis cum pulvere stercoris caprilli & seminis carvi. Conf. etiam M. A. N. C. *Ann. 4. Append. pag. 46.* Tandem quoque *fotus ex lixivio calcis vivæ* egregium admodum est in discutiendo Hydrocephalo, & quibuscunq; tumoribus serosis in partibus externis, quo feliciter in puerorum Hydrocephalo AQUAPENDENS usus fuit, & vix similem sibi habet. Facit huc illa historia, quæ prostat in *Observationibus Cultro Anatomico* LYSERI *annexis*, ubi prostat hydrops vulvæ in ancilla quadam, curatus simpliciter per lixivium calcis vivæ; unde etiam in Hydrocephalo lixivium hoc est egregium, & meritò à SENNERTO commendatum remedium; nunc quidem illud simpliciter & solum adhibitum; nunc verò, si in eo priùs ebulliat sulphur & nitrum, quo decocto percolato caput foveatur, ut dispareat tumor. Quin & huic aquæ calcis vivæ quædam aromatica cephalica, ut rosmarinus, &c. infundantur, & fomentum magis appropriatum reddi potest. Denique *essentia roris marini*, *salviæ*, *hyperici*, & pro externo litu crebriùs repetendo, ad discutiendas aquas à quibusdam adhibentur. FORESTUS *in loco suprà cit.* pueris recens natis Hydrocephalo correptis solâ olei hyperic continuâ inunctione, addito *pulvere Myrtillorum*; auxilium attulit.

Hisce insensibiliter discutientibus, & similibus remediis irritis, ad *Sectionem Chirurgicam*, ut *sensibiliter evacuentur* aquæ, accendendum erit; idque in specie *in Hydrocephalo externo*: id quod præstat imprimis sectio, quæ fit in loco tumoris maximè eminente, nunc per figuram crucis, nunc literæ V, nunc literæ H, de qua variè hinc inde in Chirurgis, in specie HILDANO *Cent. 3. Observat. 17.* annotata videntur, qui consulendi. *In interno* verò, qui cerebri ventriculos occupat, & hinc extrorsum plùs minùs fertur, periculosissima est, teste HILDANO *l. a.* ubi observat, & experimentis testatur, non semper sine periculo istam Hydrocephali sectionem, quia metus gangrænæ, aut etiam mors superveniat. Qui verò est intra cranium & cerebrum, non nisi cautè, & perquàm circumspectâ sectione, tractandus venit, observando cautelam, ne unicâ vice nimium exhauriatur. Conf. hic MARCUS AURELIUS SEVERINUS *in lib. de Efficacia Medicina.*

ARTICULUS IV.
DE
HYDROPE PECTORIS.

Præter caput, ut dixi, interdum etiam, sed rarò, *Hydrops Pectoris observatur*, quando nempè in cavo pectoris fluctuat aqua, vel lympha plùs minùs copiosa, eaque hydropem infert. Affectus quidem hic non semper est obvius, interim tamen hinc inde apud Practicos hujus Observationes prostant, in specie multa hujus *exempla* egregia & curiosa observavit PISO *Tract. de Colluvie serosa*: *Conferatur etiam* WILLISIUS *Pharm. Ration. Volum. 2. Sect. 1. cap. 12.*

CAUSÆ.

Hydropis huius Pectoris particularis *Causa* sunt eædem cum aliis hydropis speciebus. Nempe nunc vitium est in vasis lymphaticis & lacteis, per quæ, impedito lymphæ motu, hujus ex vasis ruptis ac exesis effusio in thoracem, & hinc collectio, supervenit; unde frequenter ex *hydatidibus in pulmone* observatis *Hydrops Pectoris* natus fuit; *Vid.* BARTHOLINUS *Cent. 2. Hist. 66.* Nam & hic *lactea* pariter & *lymphatica* pulmonum, tàm quæ ad pericardium tendunt, quàm surculos quosdam ductus subinde primariò considerandos esse, non saltim confirmatur à BARTHOLINO *Cent. 3. Epist. pag. 327.* sed etiam imprimis à WILLISIO *Pharm. Rat. Vol. 2. pag. 261.* Vel vitium est in massa sanguinea, quando v. g. simul cum hydrope universali, vel cum hydrope omnium partium inferiorum, simul etiam conjungitur superveniens Hydrops Pectoris: quin etiam ad majorem lymphæ copiam & hydropis incrementum multum conferat habitus corporis magis vel minus cachecticus, ut & vitium renum, & aliæ causæ in hydrope universali observabiles, nullum est dubium. Curiosa & singularis observatio hoc in puncto est MEARÆ *in suis Historiis Medicis Rarioribus pag. 153.* *Hydropis* nempe *Pectoris ex discussa Hydrocele* oborti. Sanè jam olim LAURENTIUS *in sua Anatome* observat singularem quendam consensum pulmonum & pectori cum testibus, adeò ut ipse notaverit à tussi diuturna & vehementi ortam *hydrocelen*; unde hanc controversiam de consensu pulmonum & testium decidit *l. a lib. 7. Quæst. 5. pag. 532.* Aqua hæc in *Hydrope Pectoris nunc* in utraque thoracis parte, *nunc*, utut rariùs, in altera ejus medietate hærere observatur.

DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* Hydropis Pectoris: percipitur in *hoc* ut plurimùm in cavo thoracis *dolor gravans* ob materiæ aquosæ abundantiam, & plerumque illud cum empyemate commune signum, nempe aquæ fluctuantis *sonitus* obscurus in imo pectoris, dum æger corpus movet: Quæ tamen materia fluctuans in hoc à pure distinguitur, quod hoc inflammatio præcedat, illam verò non: hoc quoque brevius; illa diutiùs utplurimum, observatur. Cum empyemate hoc quoque commune hydrops pectoris habet, quod ab epithematum, aut Cataplasmatum calidorum applicatione angustiæ pectoris intendantur, uti WILLISIUS *Pharm. Rat. P. 2. p. 335.* confirmat; quæ tamen angustiæ hydropis ab empyematis per signa jam recensita distingui possunt.

Tussis est *sicca*, cum nil excerni queat, *respiratio difficilis* & frequens, subindè urget orthopnœia (quod signum pathognomonicum cum PISONE *de Morbis ex colluvie serosa lib. 1. Sect. 3. cap. 7.* RIVERIUS *Praxi lib. 7. cap. 5.* refert,) ita ut ægri non possint decumbendo respirare, & imprimis vesperi ac noctu, ut & primo morbi tempore intendi, post mediam verò noctem denuò remitti observatur: Vid. BARTHOLINUS *Act. Med. Haffniens, Vol. 2. pag. 298.* quin etiam, dum in somnum inclinant, subitaneo quasi terrore correpti denuò evigilant.

Pathemata hæc nunc in toto pectore, quando totum ejus cavum impletur, tunc in altera saltem medietate, percipiuntur.

Interim tumor pedum supervenit, & si tumor cessat, mors: *Appetitus prosternitur*, inde tumor pedum & *palpitatio cordis* supervenit, & imprimis, quando corpus anteriora versus movetur, angustias insignes præcordiorum percipiunt, subinde quoque *febricula* accedit: vid. in specie PISO *c. l.*

Tandem his interdum jungitur unius vel alterius brachii dolor atque debilitas seu resolutio, cujus phænomeni causas idem PISO *l. a. pag. 293. & 297.* explicare conatur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Hydrops Pectoris & pulmonum, quia non, nisi à ruptis vasis lymphaticis ac viscerum hujus ventris induratione dependet, organa vitalia & respiratoria immediatè afficit, periculosior est ascite; imo breviùs suffocat, præprimis cùm pulmones cordi agglutinet, & polypum cordis, vel ut causam, vel, ut productum morbosum, comitem habeat. Hinc grave & periculosum malum est, & rarò felicis & fausti omnis, quin sæpius ad mortem deducit ægros.

Et

Et licet idem affectus, sive medicamentis quibusdam curatus fuerit, sive post apertionem thoracis æger levamen sensferit, non tamen est adeò diuturna allevatio, quin recidivante malo ægri suffocati intereant: vid. TULPIUS *lib. 2. Observ.* 16. RIVERIUS *Cent.* 1. *Obs.* 88. & SALMUTH *Cent.* 2. *Obser.* 4. & 16. nisi saltem laceratis vasis lymphaticis minoribus, ac visceribus integris contingat, & materia peccans per ulcus thoracis sensim effluat, qualem observationem WILLISIUS *Pharm. Ration. P.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 13. perhibet.

Ast magis lethalis est Hydrops Pectoris, qui anasarcæ aut asciti supervenit.

CURA.

In *Cura* facillimæ sunt Indicationes, & ante omnia evacuandæ & resolvendæ sunt aquæ, & *firmandæ* seu roborandæ *partes interiores pectoris*.

Pro evacuatione conveniunt eadem, quæ in ascite, tàm Pharmaceutica quàm Chirurgica. Quoad *Pharmaceutica* evacuatur aqua per Purgantia, Diuretica, & imprimis per Sudorifera. Pro scopo purgante conveniunt ea, *quæ in Ascite universali & particulari curando fuerunt* laudata; imprimis *succus bryoniæ*, & hinc *succus ireos nostratis* laudari solet; vid. HARTMANNUS *in Prax. Chym.* RIVERIUS *cum succo bryoniæ* curavit aliquot Hydropes Pectoris, nec non calomelano suo, i. e. Mercurio dulci & scammonio sulphurato mistis: *vid. Centur.* 4. *Observat.* 3. *Conf.* & WILLISIUS *c. l. pag.* 269. Possunt etiam dictæ aquæ per sudorem aut urinam, quantum fieri potest, evacuari; hinc ea quæ sudorem movent, sunt optima; sic enim beneficio *decocti sudoriferi* in sene Hydropem Pectoris curavit RIVERIUS *Cent.* 4. *Obs.* 71.

Quoad media *Chirurgica*: omnium optima est *paracentesis thoracis*, *quæ* maximè salutaris, simillima isti, quæ debet institui pro evacuatione empyematis. Et hæc quidem operatio est facilis, tuta, & sine ullo periculo; de qua vid. WILLISII *Pharm. Ration. Volum.* 2. *pag.* 163. *ubi de sanguinis sputo*.

Et hæc de Hydropis speciebus. Hydrocele & hydrops uteri ad sexum affectus pertinent; Tumores partium externarum ad Chirurgiam.

Pergo ad

SECTIONEM XXII. DE

SANGVINIS MOTV AD CORPORIS CIRCVMFERENTIAM, FACTAQVE IBIDEM INSENSIBILI TRANSPIRATIONE.

Cutis nostra est rete seu nassa, ex triplici minutissimorum vasculorum capillarium ceu fibrarum genere tanquam tot filamentis, artificiosè constructa, ex vasculis nempè capillaribus, venarum, arteriarum, & in specie filamentis nervorum, ex quibus contexitur nassa cutis. Spatiola intermedia replent glandulæ parvæ excretoriis suis vasis, exteriora versus spectantibus, instructæ, quæ poros cutis constituere videntur: Videatur STENO *Tract. Myologiæ specim. ubi in piscis Anatome*; item MALPIGHIUS *Tract. de externo Tactus organo p.* 32. & 39. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Epist.* 65. 67. & 97. PECHLINUS tandem *de Purgantibus, & in Collegio nostro Institut. Part.* 1 *c.* 16. *pag.* 100 Cutis est naturæ tendinosæ: In cute propterea videntur transversum fibræ.

Glandulæ hæ conglomeratæ ex sanguine vasorum capillarium emulgent copiosè partem ejus aqueam, salibus oleosis superfluis acido-salsis, aliisque particulis inutilibus impregnatam, quæ ipsa sub forma halituum per se invisibilium per vascula excretoria exspirat, adjuvante non parùm calore, tàm ipsius corporis exspirantis, quàm corporis ambientis, & *Insensilis Transpiratio* appellatur; cujus insignem copiam, simulque pro varietate circumstantiarum varietatem, & consequenter summam necessitatem, videb. in SANCTORII *Medicina statica*, & *suprà Sect.* 17. *ubi de Nutritione*.

In materia hac insensibiliter transpirante considerandum est & *continens* & *contentum*. *Continens* est latex sanguinis aquosus. *Contentum* verò sunt partes sanguinis inutiles, id est, tàm superfluæ, quàm diuturniori cum sanguine circultu effœtæ factæ, quæ sufficienter pro omnimoda transpiratione, adjuvante simul inspiratione, attenuatæ & volatilisatæ, salinæ volatiles oleosæ, quæ istum liquorem imprægnant. Hujus maxima pars, uti cum urina sanguinis ablegatur, ita residua portio in sanguine à sero ejus dissoluta, dum cum eo circulatur per partes continentes seu solidas, sapore suo salso instar saponis abstergit & abluit nutrimentum harum roridum, non perfectè post cessantem accretionem assimilatum aut coagulatum, (Vid. *Sect* 17. *de Nutritione*, & *cap.* 3. *Prolegom. Artic.* 2. *ubi de sudore*) sed jam diuturniore morâ inutile aut quodammodò excrementitium redditum. Hoc ergò simul abstersum, ne aliquid sordium à nutritione remaneat, secundariò insensibiliter simul exhalat. TACHENIUS *in Hippocrate Chymico* sal volatile ex halitu insensibili facit ex indusiis lixivio maceratis, lixivium absorbet acidum insensibile transpirans, & sal volatile liberatur: vid. *Collegium Instit. l. a.* Nonnulli carent Insensibili Transpiratione, ut indusia per tres septimanas tam pura permaneant: vid. *Acta Societ. Reg. Angl. pag.* 103. ubi ex deficiente Transpiratione insensibili anasarca, & indusium per quinque & sex septimanas tritum puritate non cesserit indusio unum diem trito.

Quod si massa sanguinea ex quacunque causa dissolvatur, & quasi liquescat, indeque majorem concipiat calorem, uti vel in exercitiis corporis, vel post assumpta volatilia salina contingit, sudor oboritur, dum transpiratio in tantum augetur, ut copia materiæ à glandulis imbibitæ confertim sub guttularum minutissimarum forma erumpat, quæ unitæ rivulorum specie promanant. Materia sensilis hujus Transudationis in statu naturali est eadem, quæ Insensibilis Transpirationis, saltim quod copiâ majori excedat; sed tùm si sæpius contingat sudatio, ex massa sanguinea nimis attenuata copiosæ etiam partes utiles, ipsumque nutrimentum partium solidum roridum attenuatum & liquefactum, simul forasque educuntur. Ut nihil dicam de partibus spirituosis in omni sudore evolantibus; hinc enim est, quod nimius sudor debilitet, simulque corpus emaciet, & exsuccum reddat. Sed in statu præternaturali quæcunque sanguinis, uti & partium continentium heterogeneitates auspicatissimè & copiosissimè cum sudore excernuntur, quando scilicet eædem priùs à sanguinis arctiori miscela separatæ & quasi præcipitatæ sunt; tunc enim ab aquosis partibus imbibitæ, *vel* spontaneo naturæ motu in declinatione morbi criticè excernuntur, ut etiam in fine paroxysmorum febrilium in Intermittentibus contingit, *vel* medicamento diaphoretico attenuata & liquefacta massa sanguinea easdem excludit.

Usus ergò Insensibilis Transpirationis & sudoris primarius est, ut purificetur massa sanguinea, singulæque partes ab excrementis salinis aliisque, necessitate materiæ in sanguificatione & nutritione pronatis; unde his excrementis retentis turbatur sanguinis fermentatio, & progignuntur immediatè febres: secundarii sunt, ut acceleretur per sudorem massæ sanguineæ motus, sanguis spissus attenuetur & resolvatur, ne fiat ejus stagnatio, sed promoveatur potiùs ejusdem ventilatio.

Atmosphæram unusquisque homo circa se habet, quam propter raritatem materiæ non videmus; hinc sub tegmine calor, uti pelles propter copiosos pilos, ubi Transpiratum quasi impeditur, calorem faciunt.

An autem ex præcordiis vel interioribus visceribus immediatè interdum sudor prorumpat, ut acutè hoc urget DEUSINGIUS *Exercit. de Depur Alim. pag.* 157. & *Append. pag.* 343. item *in Diss. de Lact. Sect.* 2. §. 63. id sanè valde probabile, licèt ob modi, quo fiat, & viarum, per quas,

quas fiat, latentiam res obscurissima fit. SALMUTH observavit sudorem cerevisiæ: post juscula calida sudor est in tergo, post potum etiam frigidum sudor in toto corpore. In calore autem sanguis dissolvitur; si frigus advenit, serum quasi coagulatur & condensatur, & eò magis serum etiam separatur propter condensationem.

Sudor frigidus in omnibus morbis funestus est. In acutis, quando ægri non possunt sudare, & tandem sudor spontaneus, viribus prostratis, supervenit, malum signum est; fit enim ob defectum virium, sudorque hic nil aliud est, quàm ros nutritivus partium solidarum per poros cutis sub forma sudoris emanans; hinc etiam talis sudor glutinosus, nonnihil viscidus, percipitur, & est signum lethale. Sudor particularis circa caput rectè ab HIPPOCRATE malus dicitur; hinc rarissimum est, quod observavit SCHNEIDERUS, quod sudor capitis aliquando fuerit criticus, & morbum solvens.

In Praxi observatur sudor vel excedens, vel depravatus, raro deficiens.

CAPUT I.
DE
SUDORE NIMIO.

Excedens sudor frequens solet esse Scorbuticis, qui copioso sudore tantum non difsluunt, interdiu pariter ac noctu: Hinc etiam *Phthisici confirmati tempore nocturno sudores copiosissimos* solent effundere. Rationem non incongruam suggerit WILLISIUS in *Pharm. Ration.* quod nempe tales sudores excessivi eveniant propter deficientem assimilationem nutrimenti assumpti & chyli cum massa sanguinea, ita ut tales sudores sint colliquativi, & per quos succus nutritivus, qui assimilari nequit, foras emittitur.

CURA.

Hinc in Cura respiciendum imprimis ad corrigendam sanguinis crasin: Id quod fit in scorbuticis per usum Martialium, & salium volatilium oleosorum, nempe partitis vicibus, tandem per usum Lactis & Lacticiniorum. In phthisicis imprimis lac ad tales sudores compescendos conveniens est: sicut Phthisicorum sudores & inde natas debilitates palliativè sistit Antihecticum Poterii cum laudano opiato, vespertino tempore assumptum; quod est optimum sudores nimios sufflaminans: vid. *Dissert. de Opii Virt. Diaphor. cap.* 3. §. 8. *Idea Formul. Class.* 2. §. 2. *Colleg. Formular. pag.* .... & *suprà Sect.* 17. *cap.* 1. *Art.* 2. *ubi de Phthisi*, item SYLVIUS *ubi de Febre sudator*. Convenit etiam Tinctura antiphthisica, Tinctura solis. In scorbuticis:

℞. *Solut. Martis cum succo pom.* ℥iij.
Spiritus cochlear. ʒj.
M. S.
Tinctura scorbutica.

Post sudorem nimium in morbis acutis & malignis;

℞. *Aqua Ceras. nigr.* ℥iv.
Phlegm. vitrioli ℥ß. vel hujus loco *Clyss. antimonii* ʒii. vel ʒß.
Syr. rub. Idæi ʒj ad ʒiß.
M. D. S.
Potio confortativa cochleatim sumenda.

CAPUT II.
DE
SUDORE DEPRAVATO.

Sudor depravatus fit in specie ex ratione seri ejusque contentorum; quæ prout plus vel minus à statu naturali deficiunt, ita etiam plus vel minus sudores depravatos reddunt; hinc pro varietate depravationis sudoris varia etiam subinde Cura instituenda venit.

CAPUT III.
DE
SUDORE DEFICIENTE.

Deficiens sudor contingere solet, *vel* vitio pororum, *vel* vitio sanguinis ejusque seri, vitio pororum, dum hi arctè plus minus clausi, infarcti aut obstructi sunt, unde lotiones corporis, frictiones rerum calidarum, laterum calidorum applicationes, &c. sudorem promovent. Vitio sanguinis verò deficit sudor, quando tam arctè substantia serosa cum massa sanguinea unita est, ut conveniens seri secretio per glandulas fieri nequeat; id quod interdum in febribus continuis, speciatim malignis, usu venire solet. In tali casu remediis sudores moventibus, tam positivè, ut alcalibus fixis vel volatilibus, quàm privativè talibus, ut sunt lapilli cancrorum, cornu cervi, &c. simul acida blanda addenda erunt, in specie acetum; hujus enim medio deficiens sudor commodè potest excludi.



LIBRI SECVNDI SECTIO I.

DE SPIRITVVM ANIMALIVM GENERATIONE AC DISTRIBVTIONE LÆSA

in genere, indeque

SENSVS ET MOTVS LÆSIONIBVS.

Post sanguinis ad corporis circumferentiam motum, cùm non ampliùs supersit affectus in regione inferiori, pergo ad regionem corporis superiorem, scilicet ad caput, & ibidem reconditum cerebrum, & systema nervosum. Nempe uti movetur sanguis ad omnes partes, imprimis internas, in quibus præter hoc, quod easdem sustentet nutriendo, & vegetet spiritu vitali perfundendo, etiam in quàm plurimis singulare quid patitur; ita per arterias carotides & vertebrales distribuitur etiam ad caput, cerebrum ac cerebellum, in cujus medullam hæ arteriæ ramos quosdam hinc inde spargunt, maxima verò pars in capillaria distributa vasa ubique superficiem ejus densè irrorat, ita quidem ut extimam cerebri & cerebelli superficiem, Cortex cerebri appellatam, ubique copiosissimæ arteriolæ investiant, sanguinem ita ibi infundant, qui in sinus duræ matris resorbetur, & ita per venas jugulares, istis sinubus continuas, tandem in venam cavam refunditur: Vid. HIGHMORUS. Arteriolæ dictæ ubique investientes cerebri superficiem, eidem certum motum tribuere videntur, qui tamen non cerebro est proprius, sed saltim ab arteriarum motu communicatus. Motus cerebri observatur depressorius & subsultorius: Vid. SPERLINGIUS *Anthropol. Phys.* Probatur: si nempe inflantur arteriæ carotides, nunc attollitur nunc deprimitur cerebrum. In ipso cerebro ac cerebello duplex observabilis est substantiæ diversitas; corticalis nempe subcineritia, & medullaris eleganter candida: Illa ex copiosissimis glandulis minutulis ovalis figuræ constat, in quas se insinuant dicta vasa sanguifera: Hæc ex filamentis & ductibus nerveis delicatissimis invicem certo ordine convolutis, ex istis glandulis oriundis, est constructa: quę ipsa postmodum à se invicem separata ac divisa, duplici tamen adhuc meningum membranâ investita, spinalem medullam & nervos hinc inde distributos constituunt; de quo vid. MALPIGHIUS *Tr. de structur. viscerum, ubi de cerebri cortice,* item *in Epist. ejus de Cerebro*.

Substantiæ talis diversitas diversum itidem usum innuit; qui tamen in hoc conspirat, quod nempe earum usus sit, ex sanguine subtilissimam substantiam, spiritum animalem, suo modo conficere & separare. Dari autem quendam spiritum, ab officio Animalem dictum, ex hoc ferè illustratur, v. g. quod nervo dissecto, & ita spiritus animalis fluxu seu irradiatione læsa, partis infra sectionem sensus ac motus perire soleat. Objectiones contra hujus existentiam discussas videb. in ROLFINCIO *Exerc. Anatom.* Optimum ejus scriptum est. Speciatim verò cortice mediante spiritus volatiles sanguinis, Vitales dicti, separantur à sanguine, & per subtilissimæ agillimæque filtrationis modum penetrando, transeunt in cerebri medullam, sanguine ipso ceu crassiore corpore ob pororum angustiam, vehiculo ejus aqueo ob pinguem & oleosam quasi cerebri substantiam, *exclusis*, ita quidem, ut *spiritus* vitalis in cerebro fiat *animalis*, non per modum novæ cujusdam elaborationis aut fermentationis in cerebro perficiendæ, sed per nudam ac simplicem separationem, & quasi per filtrationem, vel per subtilem irradiationem, sine nova cujusdam elaboratione, aut in cerebro fermentatione, aut in cerebro transmutatione; de quo vid. WILLIS. *in Anat. cerebri cap. 9.* item SYLVIUS *in Disp. 4.* Spiritus hi, animalis & vitalis, essentiâ non differunt, sed paucis accidentibus. Qui jam separatus existit, aliàs simul in massa sanguinea erat. Differunt tantùm loco & nomine; adeoque sine formali alteratione spiritus animalis existit.

Separatus ita in cortice cerebri glanduloso spiritus vitalis, & agillimè penetrans in ipsam substantiam medullarem, in hac ipsa, ceu regio palatio, spiritus isti volatiles luminosi debitis motionibus, expansionibus & agitationibus, & inde per nervos in omnes partes radiosis excursionibus, operationes animalibus proprias, sensus nempe, in specie internos, & motus perficiunt.

Determinatur autem modò dictus spiritus animalis numero & essentiâ unus, adeoque ex se indifferens, ad diversas adeò actiones obeundas à partium organicarum dispositione & proprietate, ratione cujus nunc in hac parte hanc functionem, in alia aliam perficit; Nam is ipse, qui v. g. per musculum movet pedem, is conferret suo modo ad visum, si esset in oculo: Et sicuti unus aer diversos sonos pro varietate & formatione fistularum efficit, ac ab una aqua variæ machinæ moventur; ita & unus spiritus pro organi varietate diversas edit functiones. In operationibus quidem externis, nempe in Instrumentis sensuum, magis passivè se habet, quatenus fibras in tensione conservat. Sed quoad internos, & inde dependentem motum animalem, magis activè se exhibere solet, ita ut hoc in spiritu primariò anima animalium, tam brutorum quàm hominum, consistat, cùm sint primarii autores actionum animalibus propriarum. In homine superior adhuc est anima rationalis, cui tamen cum œconomia corporis vitali ac animali, quatenus tali, nullum est commercium.

Ab hoc enim spiritu animali & *sentiendi* habemus potestatem, & simul *movendi* activitatem, cum *ratiocinationis* sublimiori actione: in qua uti spiritus animalis veræ & soli *animæ*, nempe *rationali*, tanquam principaliori agenti, instrumentaliter inservit; ita pro ejus spiritus animalis varia constitutione non tantùm in latitudine sanitatis diversitas *operationum animalium* in singulis individuis observatur multiplex, sed etiam in constitutione morbosa variæ in *sensu* & *motu*, quin & divini *intellectus operationibus*, læsiones oriuntur.

Naturalis spirituum animalium, hinc operationum animalium, & inde dependens ingeniorum, *diversitas*, ex varia crasi & mistura massæ sanguineæ, & hinc diversa constitutione cerebri, ratione compositionis materialis, ratione pororum & meatuum, &c. dependet. *Prout enim diversa est massa sanguinea*, ipsumque cerebrum, diversi etiam emergunt spiritus, tàm vitales quàm animales, qui diversimodè in cerebro moventur & agitantur. *Quoad cerebrum*: variat hujus constitutio, tàm *secundùm compositionem* seu texturam naturalem, quàm *conformationem mechanicam*. *Quoad compositionem naturalem*: præter constitutionem seminalem, sub generationis primordiis natam, multùm varietas ejus dependet à sanguine & spiritu influo; variatâ enim hic ejus nutritione & naturali texturâ, plures aliæ proprietates, *Qualitates* dictæ, & inde emergens *temperatura* in caliditate & humiditate, siccitate & mollitie, &c. variant. *Sicuti in ipsa conformatione mechanica* ratione pororum, meatuum & ductuum, diversitas deprehenditur, quæ omnia & spiritum animalem, ejusdem constitutionem, generationem, distributionem & motum variant. *Hinc ista in actionibus animalibus insignis differentia*, Cholericorum, Melancholicorum &c. ex quibus *Ingeniorum diversitas* deducenda. Ergo spiritus insiti animales plus minus vitiosè geniti, & præter naturam alterati, unà cum organorum corporeorum, tàm cerebri, quàm aliorum,

rum, varia constitutione quasvis *læsiones in sensu & motu* inducunt.

Quod si dicti spiritus in debita quantitate & subtilitate, blando & moderato, eoque ordinato, motu agitentur, indeque cerebrum implendo proprio motu quodammodò expandant, & ita ex eodem secundùm filamentorum cerebri medullarem substantiam constituentium, ductum continuato quasi rivulo aut radio in corpus ejusque partes influant, omnium Actionum Animalium sequitur exercitium, h. e. Vigiliæ: Vigiliæ enim sunt exercitium sensus ac motus. In somno autem respectivè quieti tantum sunt spiritus animales, quia si acu pungitur membrum, sensus spirituum præsentiam & aliqualem operationem ostendit. Sin verò quacunque ex causa perturbati inordinato, vago, & subinde impetuoso motu cieantur, in cerebro exinde deliria varia, speciatim phrenetica, in partibus verò reliquis spasmi & motus convulsivi subinde mirabiles producuntur.

Dixi deliria fieri in hominibus ex perverso ac inordinato spirituum animalium motu: Nam functiones ratiocinationis dependent suo modo à spirituum animalium motu, quatenus nempe hujus occasione anima rationalis diversos conceptus & ideas sibi fingit. Prout erge fit iste spirituum motus vel ordinatus vel inordinatus, etiam ipsæ mentis ideæ seu conceptus vel ordinati erunt vel confusi & vagi; unde ibi legitima ratiocinatio, hic confusa mentis perturbatio, h. e. delirium, superveniet. Bruta enim non delirant; est enim delirium læsio ratiocinationis. Et quidem ingeniorum diversitas primariò ab his animalibus spiritibus, & hinc à cerebri constitutione varia, tàm quoad conformationem non tam externam sensilem, quàm quoad internos meatus insensilem, tùm quoad materialem texturam, aliàs temperiem dictam, dependere videtur. Hinc etiam his circumstantiis plus minus ætate vel morbo mutatis, plus minus etiam in eodem subjecto variat ingenii habitudo; de qua Ingeniorum Varietate videndi sunt imprimis, qui ex professo de Ingeniis scripserunt, quos inter quatuor primatum obtinent, JANUS HUARDUS, Medicus Hispanus, qui scripsit *de scrutinio Ingeniorum*, JOHANNES BARCLAJUS Politicus Gallus, qui scripsit *Iconem Ingeniorum*, ÆSCHACIUS MAJOR, & NEUHUSIUS, Philosophus Belga, qui scripsit *Theatrum Ingenii humani* secundùm constitutiones annorum. Omnes per diversas vias unam materiam tractant, & ad unum scopum collimant. JANUS HUARDUS *in scrutinio Ingeniorum* in genere varietatem ad studia varia inclinantium ex fundamentis physicis Aristotelico-Galenicis scrutatus fuit. Autor est, si quis alius, elegans, tantummodò hoc observetur, ut scilicet ea, quę is tribuit cerebro ratione caliditatis, humiditatis, & siccitatis, potius certo modo applicanda sint spiritibus animalibus; eorundemque variæ constitutioni, subtilitati, agilitati, torpori, & aliis similibus proprietatibus. Nam quod attinet temperaturam cerebri: temperatura ista tàm capitis (uti etiam aliàs monui) quàm omnium partium, à massa sanguinea dependet, quæ quando est calida, vel quando est humida, etiam omnes partes, per quas transit, similes proprietates acquirunt; quæ ipsæ tamen parum ad actiones faciunt, quia tantummodò leviter easdem modificant: Sicut videmus in cholericis ita dictis, in quibus massa sanguinea turget salibus volatilibus oleosis, eos videmus promptos in actionibus, videmus agiles, & quadam cum ferocia & audacia conjunctos. In his enim partes subtiliores & facilè mobiles blandâ in orbem circulatione in spiritus animales volatilisantur, qui in cerebro promptè moti & agitati, & à massa sanguinea calidiore non nihil fervidi, in istam audacem actionem erumpunt, ex mente HUARDI: ergò caliditas & siccitas hic accusata potius est agilitas & subtilitas spirituum. BARCLAJUS *in Icone animarum* scripsit Politica & Historica magis quàm Physica; lectio tamen ejus hoc habet commodi, ut videamus, quantum varient ingenia pro climatum diversitate pro vario regionum situ, & pro consuetudinis diversa ratione. Denique NEUHUSIUS Philosophus, scripsit *in suo Theatro ingeniorum* simul Politica & Physica, sed minus profunde rem scrutatus fuit, quin potius generaliter, nonnihil fusè tamen, ea tractat. Hi tres simul conjungendi sunt, & præmeditatè legendi; sic enim magna lux in hac materia effulgebit.

Hinc si spiritus isti volatiliores celeriùs & agiliùs moveantur, subtilitatem seu acumen ingenii (quatenus nempe hoc in corpore humano à spirituum animalium motu dependet) alacritatemque singularem actionibus conciliant; cui si constitutio cerebri mollior vel durior, indeque vel flexilior vel rigidior accesserit, ibi inconstantiam, hic verò majorem pertinaciam efficiet, uti v. g. in Gallorum ingeniis patet. Quod si his spiritus purus quidem, non tamen adeò subtilis ac agilis sit, indeque tardiùs, ordinatè tamen, moveatur, acuta & accurata, non tamen nimis velocia, conciliat ingenia, cum actionum quadam maturitate, ut in Italis & Hispanis, & in iis, qui dicuntur esse naturæ aliqualiter melancholicæ naturalis, manifestum est. Sin verò torpescant spiritus, minus sint agiles, aut propter filamenta cerebri duriora nimis implicata, motus spirituum minùs sit agilis aut ordinatus, stupor & ingenii hebetudo cum reliquarum actionum torpore obvia est, ut in phlegmaticis sic dictis, item in rusticis, manifestum est. Ingenium quasi ingenitum, id est, ratio judicandi de rebus, est primò à puritate spirituum, & deinde conformatione externa & interna.

Quod si animalium spirituum vigor naturaliter non nihil torpeat, vel ob deficientem quantitatem, vel ob deficientem subtilitatem, indeque parciùs ac tardiùs influant, sensus quiescunt, & alta quies occupat membra, h. e. somnus obrepit: non quod non sint præsentes spiritus animales in partibus corporis, sed quod non sint sufficientes.

Causa ergò somni est:

1. Quando spiritus deficiunt, exhausti v. g. ob labores.
2. Quando sunt torpidi & tardiùs mobiles: quod fit (α) ob cerebri aliqualem humectationem sub ejusdem nutritione, vel quod ex continua spirituum sub vigiliis actione aliquid aquosi simul in cerebrum destillet: (β) ob eorum fixationem sive condensationem ex assumptis sive applicatis medicamentis narcoticis.

Dupliciter cerebrum humectatur; primò à succo nutritio; deinde à sero.

Sed his & similibus Physiologicis omissis, ad Pathologica revertor, & Practica, in quibus considerantur vitia imprimis spirituum animalium morbosa; spiritus enim isti animales vitiosè geniti, & præter naturam alterati, læsiones in sensu & motu inducunt.

Quod attinet horum *spirituum animalium generationem vitiatam*; *tria sunt vitia*, quæ in Praxi occurrunt:

1. Quando *deficiunt*, & nimis pauci sunt, unde hebetudo sensuum, imbecillitas corporis, defectus in motu, &c. apparent; uti videre est v. g. in senibus, aut in iis, qui gravi ex morbo sensim convalescunt. In his enim talis debilitas & impotentia actionum omnium adest propter defectum spirituum animalium.
2. Quando abundant.
3. Quando depravantur, & plus minus à debita crasi degenerant.

Deficiunt hi *spiritus*, *vel propter sui consumptionem*, labore, Venere, studiis: quibus omnibus nimis agitati in cerebro adeò subtilisantur, ut promptissimè dissipabiles existant; *vel propter deficientem debitam sanguinis spirituascentiam*, in constitutione præsertim ejus cacochymico-cachectica, ac primariò ex vitio digestionis primæ, dum non ritè chylus spirituascit in primis viis: quod faciunt inediæ, ac alimenta mali succi & minus spirituascentia & similia; vel *vitio cerebri* & ejusdem corticis, inepti ad separationem spirituum vitalium ex sanguine, propter vitium conformationis & læsionem cerebri, contusionem aut concussionem in casu ab alto, meatuum obstructionem, & similia. In quibus casibus poruli ac insensiles *meatus cerebri* aut *subsidentes*, aut *compressi*, aut omninò *aboliti*, & sanguinis debitum circulum ac spirituum animalium ex eo separationem impediunt. His ergò deficientibus sensus & motus deficit, minus vel plus, prout ii vel magis vel minus deficiunt.

Interim *defectus hic spirituum* facilè & optimè *curatur* per medicamenta *spirituosa* assumpta, ob id Analeptica dicta, ut *vinum generosum*, spiritum liliorum convallium, cerasorum nigrorum, *aquam apoplecticam*, *Quintam Essentiam Matthioli*, *essentiam ambræ* cum spiritu rosarum paratam, spiritum liliorum convallium cum sale volatili cornu cervi circulatum, aut sale volatili succini mistum, spiritus volatiles, olea destillata, aut ex his paratos spiritus vel

salia volatilia oleosa, aliasque aquas spirituosas aromaticas & similia, & quæ aliàs in Lipothymiis adhiberi solent. Sicut si vitium est in conformatione cerebri & læsione externa, curatâ hac externâ læsione, sponte defectus spirituum curatur.

Secundum *vitium* spirituum animalium est, quando *abundant*, & hinc impetum quendam extraordinarium actionibus animalibus, & ex nimia eorum agilitate insignem promptitudinem actionum, tam in sensibus quàm motibus, conciliant. Id quod videmus in iis, qui alimenta laudabiliora usurpant, potuique vini generosi moderatè indulgent, ut agiliores & hilariores fiant, accedente simul blando corporis motu, & vitâ curis vacuâ.

Abundantia hæc spirituum rarò curationi offertur, quia sponte vel per inediam, vel per somnum, naturâ aut arte provocatum, aut denique per motum vehementiorem corporis aut animæ in studiis severioribus cessat.

Denique tertiò *vitiosè generantur spiritus animales*, quando *depravantur* iidem plus minus in sua crasi, unde *motus* eorundem variæ *exorbitantiæ* & anomaliæ, unde craseos vitiatæ ratione iidem vel *stupidi* vel *torpidi*, vel fixi, imò quasi immobiles, vel è contrà nimis agiles vel confusè & inordinatè mobiles, minus *subtiles*, plus minus *acres* & intemperati, generantur, aut alio vix intelligibili modo vitiosi & depravati. Unde varii in sensibus defectus, & in motu exorbitantiæ, & anomaliæ dependent. Spiritus animales enim sunt naturæ sulphureæ volatilis, seu nihil aliud, nisi substantia oleosa volatilis, adeòque pingues, & in recessu acidi instar subtilissimi cujusdam spiritus vini. Equidem paradoxon dicere videor: Dico tamen adhuc, esse eos instar (ad meliùs illustrandam eorum naturam) subtilissimi rectificati spiritus vini. Hoc præsupposito, depravatè spiritus animales generabuntur, quando vel in motu, vel in sua substantia, & hinc consequenter in motu vitiosi redduntur. In substantia quidem, quando degenerant à sua substantia volatili, quando degenerant à subtilitate, volatilitate & spirituositate, evaduntque quasi phlegmatici; vel à sua puritate, ita ut spirituosa heterogenea eorum naturam vitient, unde in natura & crasi defectus sequitur. Deficiunt in motu, quia per motum regunt totum corpus spiritus animales, unde quando vel in motu deficiunt, dant Torpores, vel quando nimiâ agilitate excedunt, vel quando vitiatur ac depravatur motus eorum debitus in confusa agitatione, vel quasi exploduntur, læditur spirituum animalium natura & officium. Vitia hæc, *pro specialium* hinc dependentium *affectuum* ratione, diversimode sunt curabilia, quorum cura in sequentibus patebit.

Accedimus ergò ad

CAPUT I.

DE

FACULTATIS ANIMALIS AFFECTIBUS IN GENERE.

Antequam autem in specie *Affectus facultatis animalis* consideremus, notanda in genere quædam universalia pro iis, quæ in posterioribus dicentur:

I. Totum systema nervosum cerebri, cerebelli, spinalis medullæ, nervorum inde natorum, & quarumcunque partium nervosarum, membranarum, tandem & ligamentorum, non nisi ex *fibris*, nunc *delicatissimis*, nunc minus delicatis, sed paulò *firmioribus*, constare. Quæ fibræ sunt stamina fundamentalia, ex quibus pro majori vel minori, arctiore aut laxiore, unione variæ partes nervosæ compinguntur; & quidem fibræ maximè delicatæ constituunt substantiam levem cerebri & cerebelli, ejus substantiam medullarem; densiores uerò constituunt neruos maximè quidem firmiores, & quò magis hi à cerebro in spinalem medullam prodeunt, eò firmiores sunt & magis robusti; & fibræ hæ pro explicandis phænomenis paulò sensibilibus, ratione suæ texturæ in naturali statu *tensæ* quidem sunt, sed simul continuum quasi nixum, aut impetum aut *vim* quasi *elasticam* obtinent *ad motum*, quæuis, modò impetu interno spirituum animalium roboretur, *motum animalem* quemuis, tàm *spontaneum* quàm *naturalem*, inferr; sicuti tensę hę fibrę, si ab objecto quodam externo commoueantur, constituunt Passionem, scilicet sensum externum, dicimusque sentire; & contra, si moueatur nixus ille elasticus ab impetu spirituum interno, fit motus membrorum, siue uoluntarius siue inuoluntarius, ita ut spirituum diuersè constitutorum diuersi motus, & fibrarum nerueatum diuersa textura & constitutio, basin constituat omnium phænomenorum, quę aliàs Facultatis Animalis nomine ueniunt, & totam sic dictam *animam sensitivam* absoluant.

II. *Cerebrum & nervos singularem* quasi *consensum habere ad extra cum motu lunæ:* cùm obseruationibus constet, secundùm phases lunę affectus cerebri, neruorum, & partium neruosarum, in sensu ac motu consistentes, plus minus exacerbari, plus minus remitti: Itemque quod quęcunque symptomata cerebri & neruorum, in specie Epilepsia, pro stationibus lunæ decrescentis uel accrescentis, habeant suum augmentum & decrementum. Unde tales secundùm lunæ stationes mutabiles affectus non nisi partibus nerueis contingunt, & propriè *Ephemerides* ægrorum dicantur, ubi ex læsione partium fibrosarum remanet talis peculiaris sensus in parte, ut ægri percipiant mutationes temporum, sanis non perceptiles. Ratio, cur fiat, quod systema neruosum magis alteretur à luna quàm à sole? difficilis videtur: Interim, si indulgendum est speculationibus, inde videtur haurienda. Quidam Philosophi sublimiores ex sole, ratione ejusdem radiorum, & exinde nati caloris, & ratione spiritus universalis ex eo prodeuntis, vim vegetativam universæ naturæ derivant. Quod ipsum etiam exactè patet in regno vegetabili, cùm virtuti vegetativæ vis nostra vitalis quodammodo respondeat; unde dicimus; Uti ratione solaris luminis sulphur ejusdem ac universalis spiritus & calor dependet, & certâ ratione alteratio virtutis vegetativę in natura, & consequenter major vel minor vegetatio nostræ uitalitatis oritur, ita è contrario ex modificato solis lumine etiam luna magis afficit facultatem animalem & cerebrum; unde mutata luna in ejus phasibus, & mutato motu solis, subitò etiam mutatur cerebrum, genus neruosum & similia.

III. Obseruandum ante omnia, *mirabilem consensum habere cerebrum & partes* eidem *connexas cum visceribus abdominis*, in specie cum *ventriculo*, ita ut quoque propter hanc continuam conspirationem sæpè contingat, ut origines morborum subindè inuicem confundantur, cerebrique morbi causam proximam ac fomitem habeant in uentriculo & primis uiis, sicut contra stomachi affectus in cerebro fomitem obtinent. Sanè mirabilis est inter has ambas partes consensus, idque exemplis confirmari potest: v. g. ex læso cerebro superueniunt subinde ordinariò uomitus, idque ex capite aut cerebro grauiùs percusso, sæpè nausea, appetitus dejectus, & similia, ex imminente uomitu uertigo, &c. Hæc ipsa HELMONTIUM admodum turbarunt, hinc Obseruata ejus Practica & res facti in *Tract. Duumviratus*, *Ius Duumviratus*, *Sedes Animæ*, *Demens Idea*, *Ignota Actio Regiminis*, &c. sunt optima; sed theoriæ & reflexiones speculatiuæ nil ualent, & nullo modo admitti possunt. *Consensus* interim notissimus est, ut monitum. Similiter ex imaginatione, v. g. ex auditu rei horridæ superuenit nausea, subuersio stomachi, appetitus dejectus, & quę sunt alia symptomata, simpliciter ex cerebro & spiritibus in cerebro, certo motu motis, enata.

Qui difficulter concoquunt aut digerunt, ex stomacho subinde patiuntur uigilias, uertiginem, &c. Vertigines ferè semper ex stomacho oriuntur: Nam hypochondriaci si non omnes, de quo adhuc dubitamus, certè quamplurimi, dum jejuni sunt, uertigine corripiuntur; quodsi uerò aliquid & uel buccellam panis assumant, cessat uertigo. Vir quidam sexaginta quatuor annorum graui corripiebatur uertigine, uesperi quidem sanus lectum petens manè euigilabat, & de lecto surgens in cubiculo præcedebat uertiginosus, hęcque uertigo usque ad meridiem durabat, assumpto autem jusculo uomebat, unde uertigo cessabat. Hanc ergò uertiginem simpliciter ex stomacho fuisse, inde persuasum habeo, quia quęsitus dicebat, urgente uertigine simul affligere anxietates præcordiorum; factâ autem materiæ morbosę excretione solui uertiginem. Quin puto, ipsam imaginationem & sensus externos suo modo dependere ex stomacho & hypochondriis affectis; hinc enim, quando mulieres ex mensium suppressione picâ laborant, phantasiam pravam & imaginationem læsam obtinent, cujus fomes tamen est in stomacho; unde ex affecto stomacho læditur phantasia, secundùm quam nonnunquam superuenit appetitus rerum ridicularum: Sic hypochondriaci ex hypochondriis affectis fiunt melancholici, unde

unde curato vitio in hypochondriis, cessat & melancholia. Præterea motus convulsivos universales radicaliter fieri ex affecto abdomine probo, quia mulieres hystericæ sæpiùs superveniente epilepsiâ corripiuntur: Sic in partu difficili ex abdomine affecto supervenit epilepsia universalis, unde exclusso fœtu cessat etiam hæc epilepsia. Ut ideo certum sit, in omnibus operationibus in sensu & motu, nempe internis, dependere cerebrum à stomacho & hypochondriis, adeòque in Praxi semper uno oculo considerandum cerebrum & nervosum genus, altero verò conspiciatur stomachus & hypochondria. Confirmat hoc, quod remedia excitent aut etiam sistant symptomata capitis & cerebri, dum adhuc existunt in stomacho: Sic vomitoriis assumptis, dum incipiunt operari, ægri corripiuntur vertigine, utut ipsum remedium corporaliter in stomacho sit, & simpliciter in stomacho operetur. Pariter manifestum est, quod Opiata omnia vix assumpta, v. g. *hyoscyami semen*, *opium* &c. dum adhuc in stomacho hærent, facultatem animalem afficiant, & certas alterationes inducant, ac in specie ad somnolentiam disponant: Vid. exemplum HELMONTII *Tract. Jus Duumviratus* §. 22. de causidico, loco seminis anethi sumente seminis hyoscyami drachmas duas, qui deliravit & planè stupidus factus est; semine autem hoc per vomitorium rejecto cessavit delirium & stupiditas. Hæc & similia exempla observari debent, ac injecerunt ejusmodi phænomena jamdudum ingentem scrupulum HELMONTIO, qui videre est *Tractat. Jus Duumviratus*, item *Ignota Actio Regim.* item *Sedes Animæ*. In his Tractatibus mirabilia introducit exempla affectuum cerebri ex affecto stomacho & hypochondriis. Cæterum hic ipse Autor in hoc puncto est planè paradoxus, quia primos conceptus fieri in splene putat, quorum conceptuum executivum sit cerebrum; canis autem exsecto splene vigilat & somniat. Equidem quoad observata exempla, est elegantissimus; quoad superstructam verò theoriam, & quidem officium splenis, nullo modo admitti potest. Cæterùm si dicendum aliquid, unde nam oriatur hic firmus consensus cerebri cum stomacho & hypochondriis? simpliciter per nervos, ad has partes ex cerebro derivatos, fieri statuo. Quod verò hæ partes magis conspirent cum cerebro & cerebello, quàm aliis partibus, id explicare conatur quidam scriptor Gallus, nomine CORDEMOY *Tr de Discrimine Animæ & corporis*, ubi rationem ex prima fœtus formatione in utero derivat: *Nam*, inquit, *embryo sentire incipiens vix alibi, nec ulla pars in homine vel in utero adhuc recondita, vel extra uterum exclusa, priùs sentit, quàm orificium stomachi, dum ratione nutrimenti per os affectus diversas patitur alterationes. Dum ergo ibidem fit prima sensatio, omnes alterationes mater imprimit alimentis, quæ impressionem faciunt in fœtu, in ejus orificio stomachi sinistro. Hinc accedit, ut etiam primò ex cerebro eò alliciantur spiritus animales & alterentur, unde fit semita maximè patula, unde levi motu paratur via spirituum animalium ex cerebro ad stomachum, ita ut in universo corpore non detur pars magis sensilis, quàm orificium stomachi sinistrum.* Unde tàm facilis fit consensus inter cerebrum, cerebellum & stomachum partesque vicinas, ratione nervorum.

IV. *Spiritus animales ceu materiam admodum subtilem conditiones etiam subire certo modo materiales*. Jam verò notum est, quod ex sanguine materialiter fiant, sive sulphureo salinæ, sive lucidæ, sive opacæ, siue alius sint naturæ & conditionis, necessariò pro uaria sanguinis crasi patiuntur diuersas conditiones materiales, id est, ut, crassè loquendo, nunc sint asperi, nunc mites, nunc dulces, nunc acres, nunc lucidi, nunc opaci: &c. unde pro uarietate suæ constitutionis, & inde natarum proprietatum, uariant etiam eorum attributa, & consequenter nunc plus nunc minus appropriati, amici uel hostiles neruis totique eorum systemati in medulla cerebri & cerebelli, itemque reliquis fibris per totum corpus dispersis, existunt. Vnde pro uariis constitutionibus & texturis, materialiter ex textura sanguinis enatis, etiam uaria pathemata secundùm sensus internos & motus corporis, secundum uigilias & somnum, erunt deriuanda.

Hæc in genere præmonuisse sufficiat. Vnum adhuc moneo: Nihil dixi de anima sensitiua aut de eiusdem operationibus: ratio, quia non credo esse animam sensitiuam, neque in brutis, neque in homine, quia hoc, quod aliàs uocatur Anima sensitiua, ceu sentiens, ac omnes huius operationes, commodissimè per systema neruorum ex cerebro protrusorum, & spirituum animalium in systemate isto contentorum explicari, & modo mechanico dilucidari potest: quà in parte tero uestigia Cartesianorum & Anglorum, uti obiter in scriptis CARTESII *de Homine*, item in VILLISII *Anatomia cerebri* & aliis in locis uideri potest.

CAPUT II.

DE

FACULTATIS ANIMALIS AFFECTIBUS IN SPECIE,

seu

MORBIS CAPITIS.

IN *specie* quod *affectus facultatis animalis*, seu sensitivæ & motivæ virtutis, attinet; de iis optimè agit WILLISIUS *Tr. de Anima Brutor. l.* 2. Spiritus nempè vitales, dum per corticalem cerebri substantiam scaturiunt, ac transudant in cerebri medullam fibrosam, ulteriùs derivantur in nervos, & inde in universum corpus, ac ita motu suo extra cerebrum vim motivam distribuunt in organa sensuum, inde in naturali subtilitate ordinatè moti majorem vim conciliando fibriseas sic disponunt, ut fortiùs tensæ facilè mobiles reddantur, & ab objectis externis recipiant impressiones, per quas fit motus. Uti ergo, dum hoc modo côtinuò influunt animantibus spiritus animales in organa sensuū, ut promptè excipiant objectorum externorum impressiones, & sic *sensuum passiones* sustinent, ita promptè varios motus excitant & obeunt, quo in statu animal *vigilare* dicitur; ita quidem ut vigiliæ dependeat à continuo motu spirituum animalium extra cerebri & cerebelli orbitas in organa sensuum externorum, quorum privatio est *somnus*: quæ duo necessaria vicissitudine se mutuò insequuntur naturaliter. Ac ideò radices vigiliarum primariò in cerebro, minus verò in cerebello investigandæ sunt; sicut & somni ipsius. Unde dum sensibus externis feriamur, feriatur etiam sensus internus, unde animal dicitur dormire. *Vicissitudo hæc* mutua *si tollatur*, ita ut *somnus* vel penitus *deficiat*, vel saltim paucior fit, & continuæ sint vigiliæ, vitium hoc vulgò vocatur *Agrypnia* Græcis, Latinis *Pervigilium*, seu vigiliæ nimiæ.

ARTICULUS I.

DE

VIGILIIS NIMIIS.

SIcut somnum naturalem in moderata spirituum animalium quiete, hinc ad sensoria externa influxu cessante consistere, ex hactenus dictis supponimus; ita quicquid quietem hanc interrumpere, illosque ad motum conciliare potest, *Vigilias* seu *Pervigilium* inducit. Atque hoc iterum vel aliorum morborum symptoma est, v. g. febrium, dolorum, dyspnϾ, tussis, &c. vel sine alia ægritudine evidente, & ut morbus solitarius, afficit, ita tamen, ut nonnulli hoc sine molestia singulari ferant, alii verò mox languorem & appetitum prostratum inde percipiant.

CAUSÆ.

Quæritur: quænam sit causa Nimiarum Vigiliarum? Respondeo: omnis seu nimiarum Vigiliarum *Causa proxima* est *motus spirituum animalium*, aut *nimius* aut saltim continuatus in organa machinæ corporeæ, vel *interna* vel *externa*, cujus influxus, ut vocant, seu motus ratione promptè sensilium objectorum impressiones recipiunt, & postmodum pro ratione motionis in organo impressæ similiter ipsi in cerebro commoti varias animæ rationali discursuum occasiones subministrant. Ubi verò in sensibus externis nil percipitur, necessariò animal dormit, adeoque saltim ratione externorum sensuum, & hinc consequenter sensus communis, Vigiliæ vel Somnus oriuntur.

Causa verò *perpetui aut nimii spirituum influxus* seu Remota est duplex:

1. *Objectum sensile* externum, fortiùs organon quoddam, tam *intra* quàm *extra* corpus, afficiens; adeoque

que tunc per modum symptomatis saltem se habent *Vigiliæ*.

2. Est *ipsum vitium morbosum* aut *spirituum animalium* aut *cerebri*, quo iidem mobiliores fiunt.

Spirituum animalium vitium est, quando quavis ex causa mobiliores & quasi magis elastici redduntur iidem. *Cerebri vitium*, cujus occasione isti in continuo motu conservantur, est, *aut pororum* ejus *nimia apertio* atque hiatus ex aliquali ejus ariditate seu siccitate, commodique nutrimenti defectu, unde etiam cerebri poris patulis spiritus in continuo sunt motu, unde tandem urgentur vigiliæ; *aut irritatio* quædam ipsarum fibrarum cerebri aut membranarum ejus propter nutrimentum acrius aut salsius, aut propter serum acrius, undecunque cerebro communicatum.

Primam causam quod attinet: *quando objectum* quoddam fortiùs organa sensuum afficit, necessariò spiritus agitantur & fortiùs moventur, quæ motiones secundùm nervi ductum ad cerebrum usque continuatæ cæteros spiritus in cerebro similiter movent, unde necessariò vigilat animal. Hinc videmus, quod *clamor fortior*, *dolor* quicunque, tam *externus*, v.g. capitis, quàm *internus*, v.g. colicus, *nephriticus* aut iliacus, &c. in sensoriis externis Spiritus in motus inordinatos cogant, somnum tollant, & vigilias continuas inducant: item tussis, quatenus concutitur subinde totum pectus & totum nervosum systema, necessariò in Vigilias deducit. Quin & *dyspnœa*, orthopnœia, &c. ordinariò Vigilias infert, sed saltem symptomaticas, ob sensibilem illam molestiam, quam in pulmonibus & præcordiis excitat.

Præterea Objectum spiritus afficiens sæpiùs in primis viis investigandum. Sanè in omnibus *Agrypniis* pertinacioribus vel *vitium est in spiritibus animalibus* & cerebro, vel *per consensum est*, ex vitio primarum viarum, digestionisque plus minus vitiatæ ratione & undecunque præternaturalis, quæ oritur *vel* ex assumptis vitiosis, *vel* malè digestis, *vel* vitiosè alteratis, *vel* perversè distributis, quæ irritando partes sensiles in illis locis, etiam nobis non sentientibus, Agrypnias inferunt: v.g. *qui largiùs cœnant*, insomnes noctes ducunt; *quibus alvus clausa* est nimis, somnum interruptum habent. *Agrypniæ infantum*, item *pavores* in somno, ex primis viis, præsertim circa stomachum, radicem habent.

Hæc de prima causa seu Objecto quod inducit Vigilias.

Quoad *secundum causam*: est ipsum *vitium spirituum animalium* varium, à quo iidem ad concitatiores & pertinaciores disponuntur motus: quod fit in junioribus & vegetioribus subjectis, laudabili & generoso victu & potu, moderatiùs tamen, utentibus, quibus spiritus nimis mobiles ac nimis agiles generantur; in his namque subinde vigiliæ solent urgere. Pertinet huc totius *cerebri fervor* & incalescentia *in febribus ardentibus* & similibus, cujus occasione velociùs spiritus moti necessariò inducunt pertinaces Vigilias: unde etiam in *æstate*, item in juventute, *& ætate virili*, in genere in *cholericis*, promptiores sunt agrypniæ, somnique minus profundi. Hinc in æstate ab aere æstivo & fervidiore, item sub climate æstuante sanguis, & ab hoc spiritus animales, quasi commoventur, hinc Vigiliæ excitantur. In specie miasmata peregrina & maligna, aut spiritus animales irritando & corrumpendo, & inordinatè agitando, aut cerebrum ejusvè membranas præternaturali sensu afficiendo, pertinaces Vigilias inducunt in febribus malignis, quas deliria & variæ phreneses excipiunt; quia spiritibus animalibus vinosis quasi minus sociabilia sunt hæc miasmata, unde eosdem turbant. Similia miasmata spiritus exagitantia & in herba Theê ac Coffeê potione quoque concipere convenit. Quò etiam facit esus carnium ferinarum, in quosdam vigilias movens: Vid. RHODIUS *Cent.1. Obs.35.* Ad hunc causarum fontem pertinet etiam ipsa *anima rationalis*, curis intensis vel meditationibus & similibus occupata. Cùm enim hæc ipsa utatur, ceu instrumento, ministerio spirituum animalium, quorum motum *graves curæ aut anxiæ meditationes* intensiorem reddunt, necessariò Vigilias Nimias inferunt. Pertinent huc tandem *animi affectus*, ut amor, ira, insignis terror, pavor, metus in gradu intenso, &c. in quibus ob velociores & inordinatos motus nimis coacti spiritus haud facilè cessant, quin continuato motu Agrypnias inducant.

Quod verò attinet cerebri vitia: hoc Vigiliarum causa evadit, si meatus ejus patuli magis & laxiores existunt, adeòque spiritibus animalibus nulla repagula imponuntur. In quo casu hoc peculiare observatur, quod ejusmodi ægri nullum torporem, nullam ad somnum propensionem, nullamque aliam molestiam inde percipiant; cujus causa aliqualis cerebri & fibrarum medullæ ariditas, & squalor, ex defectu humoris nutritii (vel quatenus hic non generatur, vel quatenus absumitur) cerebrum humectantis, & sub nutritione poros angustantis, ratione cujus inane quoddam tractibus illis medullaribus contingit; hinc *inedia* diuturnior *pervigilium* inducit, de quo vid. MARCUS MARCI *Phil. Veterum Rest. pag. 392.* Nempe alimentis, imprimis temperatis roridis, humectatur cerebrum, & blandè irroratur, ipsique adeò spiritus quasi aquosiores facti placidiore motu somnum inferunt; sed sub *inedia*, cerebro minus humectato, sed magis arido & poroso facto, ipsique spiritus animales subtiliores redditi Vigilias inducunt. Et hoc modo intelligenda est illa locutio plebeja; *Æger non edit*, ideoque non potest dormire. Faciunt huc etiam *alimenta acriora* & spirituosa assumpta, & oleosa volatilia, tam *aromata*, *ut piperata*, *cinnamomum*, &c. quàm alia, ut *alliata*, *cepæ*, *eruca* &c. à talibus enim spiritus animales fiunt insigniter volatiles, acuti & quasi acres, unde ex velociori motu irritatum quodammodo cerebrum, & genus nervosum alteratum, Vigilias inducit. Hinc *Venus nimia*, abusivè instituta, causat Vigilias nimias, partim quatenus eâ spiritus animales insigniter commoventur, partim quatenus Venus exhaurit rorem nutritium cerebri ac partium spermaticarum nutritioni dicatum. Quò etiam facit agrypnia à sudore nimio & lienteria, item ab intempestivo purgantis usu, dum quidam sub fervore caniculari ex haustu purgantis factus fuit agrypnus per tres septimanas; vid. M. A. N. *Ann 7. Obs.185. p.346.* & tabaci abusu; dum quidam ex nimio abusu tabaci inciderit in agrypniam septendecim dierū. Equidem tabacum per se est narcoticum, interim ex nimio usu prævalet sal ejus volatile acre, quod salivam excitat, & simul rorem corporis chylosum evacuat, cerebrumque ita porosius reddit: conf. *Miscell. Acad. Nat. Cur. loc. alleg.* In specie *senibus* imprimis *frequens* symptoma est *agrypnia*, idque non tàm ex spirituum vitio, quàm partim *cerebri* textura alterata, partim *digestionis primæ vitio*. Nempe *cerebri* pori, nutritione in senibus nonnihil naturaliter deficiente, nimis aperti ac nimis patuli liberrimum spiritibus commeatum undique continuò permittunt, quorum placidâ quidem, sed continuatâ motione, somnus deficit. *Quoad digestionis primæ vitium* verò; non saltim circa primas vias insensiles molestiæ spiritus turbant, dum minus commodè ea procedit, sed etiam deficientis chyli nutritivi causa, cerebrum partesque nerveæ aridiores ac licciores ferè redduntur: quare etiam his calefacientia, v. g. vinum, aliaque spirituosa, somnum conciliant, ventriculi digestionem juvando; minimè verò humectantia & refrigerantia communiter dicta. Modò etiam agrypniam infert succi chylosi acrimonia, qualem scorbutus interdum inducere solet: quò etiam spectat, quæ de Thee & Coffee suprà adducta. Accedit hic senum ad rem attentio; senum enim continua sedulitas, & continuæ curæ circa rem familiarem, quibus senilis ætas est exposita, calcar addunt spirituum animalium contumaci & magis continuo motui, unde Vigiliæ.

Denique *Melancholici*, maniaci & similes, præ aliis molestissima patiuntur pervigilia, ita ut quidam Melancholicus per quatuordecim menses fuerit vigil & insomnis: et tales Melancholici, utut etiam per aliquot dies, imò menses, in continuis sint vigiliis, continuato cursu hoc malum sine virium debilitate perferunt; ac quidem multiplici ex fonte. Nam præter *phantasmatis* melancholici continuatam *speculationem* suprà insinuatam, eorum massa sanguinea acrior, & *vitio digestionis primæ* acidior esse videtur, unde spiritus animales & ipsi minùs volatiles degenerant à debita crasi, & acriores & asperiores, quodammodo acidiores & fixiores generantur ita inquinati, qui fibras cerebri medullares impetuosiùs vellicant, quæ commotæ motum novum & extraordinarium ipsis spiritibus denuò imprimunt: Unde ex pertinaci spirituum per eosdem poros motu, præter alia pathemata continuè oriuntur vigiliæ, quæ & camphorâ curantur: In quo continuo motu spiritus animales ne fortissimis etiam opiatis auscultant, & somnum capiunt. Interim meticulositas & meditatio suum pensum huc conferunt.

DIAGNOSIS.

Signa *diagnostica* per se sunt nota; æger enim si non dormit, satis manifestat se vigilare.

Præ ceteris tamen cognoscendæ causæ vigiliæ, quæ sunt faci-

faciles, quando æger fatetur se affligi curis, affectibus indulgere. In febribus ardentibus & malignis facilè patet, unde sint vigiliæ.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Vigiliæ nimiæ* non sunt contemnendę, cùm necessariò omnes vigiliæ notabilem virium debilitatem inferant, quæ in somno reficiuntur, ac præsertim non rarò in febribus acutis deliria ac motus convulsivos post se trahunt. Hinc HIPPOCRATES *Sect.7. Aphor.18.* à vigiliis convulsio aut delirium, malum pronunciat.

Deinde *Vigiliæ in ætate consistente aut* in sexu *muliebri* plus nocent, quàm in ætate juvenili aut in sexu virili.

Interim Vigilię in morbis acutis diu nequeunt durare, imprimis in febribus puerperarum, juxta canonem; quod caret alternâ requie, durabile non est: sed vel ad salutem vel ad mortem terminantur. *In chronicis* verò *morbis*, speciatim in affectibus melàncholicis, interdum satis diu citra noxam continuantur vigiliæ; v. g. in puella illa, cujus modò ex MARCO MARCI mentio facta fuit. Sic enim observatæ sunt eædem quadraginta quinque dierum continuæ. FERNELIUS *Patholog. lib.5. cap.2.* & SCHENCKIUS *lib.1. Observat.* refert Vigilias quatuordecim mensium in mente capto.

Sed utut minus malæ sint in chronicis talibus Vigiliæ, quàm in acutis; tamen quò diuturniores, eò tamen pejora symptomata tandem post se trahunt, ac nonnunquam in delirium & fatuitatem terminantur & stupidos reddunt, ut experientia testatur: sic PANAROLLUS *Pent.5. Obser. 40.* refert puerum biennem sex menses insomnem, postea fatuum redditum: Aliquibus tamen minus exitiosæ existunt: vid. M. A. N. C. *Ann.3. Observat.185.*

CURA.

In *Cura* Vigiliarum Agrypniæ causarum remotarum seu antecedentium imprimis habenda est ratio, adeòque vel

1. *Objectum* externum, quocunque modo systema nervosum afficiens, partes sensiles plus minus irritans, & consequenter spiritus animales in Vigilias symptomatica commovens, *removendum* & sistendum; aut
2. Nimia *spirituum animalium* agilitas & *impetus* blandis anodynis aut benè correctis narcoticis moderatè sistenda, iique ad motum blandiorem & torpidiorem quasi disponendi; aut
3. Blandis *temperatis & nutritivis*, & moderatis oleosis, *cerebro* ipsorumque spirituum animalium dyscrasiæ, *prospiciendum*, ut spirituum acrimonia temperetur, & cerebri siccitas, hujusque meatuum amplitudo, per alimenta boni succi & humectantia seu oleosa corrigatur; ventriculi autem digestio vitiosa, si in culpa fuerit, emendetur.

Lacessentia exteriora, quomodo removenda, ex hactenus dictis partim constat, partim in vulgus innotescit. Causæ quia sunt vel acrimonia, vel motus sanguinis impetuosior, vel miasmata heterogenea, patet, quod *Universalia* vulgò dicta, nempe *venæ sectiones*, aut *purgationes*, etiam digestiva, &c. in Vigiliis per se nil conferant, sed vel prioris indicati tantùm intuitu alicujus usus sunt, ut nempe per accidens causam occasionalem auferant: scilicet quamvis v. g. venæ sectio interdum, ubi vigiliæ urgent, postulatur, fit tamen hoc propter morbum adjunctum, sive causa vigiliarum existat sive secus: v. g. ubi peccat acrimonia scorbutica, catharsis aut evacuatio per sudorem; ubi exæstuatio sanguinis, inflammatio dolorifica, &c. venæ sectio locum habet: vid. FORESTUS *lib.10. Obs.26.* Sic etiam refert DEODATUS *in Valetud. pag.25.* Vigilias pertinaces aliis irritis per *catharticum melanogogum* fuisse curatas, quodque per accidens tantùm, nempe ventriculi cruditatibus evacuandis, vigiliis aliquid contulisse, probabile videtur.

Pro secundo verò scopo satisfaciunt medicamenta hypnotica & narcotica dicta, quæ figere solent spiritus potenter, & promptè Vigilias sistunt, Nam utut sint maligna, tamen interdum coactus Medicus iisdem utitur, sed sint probè correcta. Hæc ipsa narcotica sunt imprimis *Papaverina*, usitatissima jam antiquis, exque papavere inspissatus succus, aut expressione elicitus, dictus meconium, quod est nostrum *opium*; aut succus incisione spontè exstillans, quod est genuinum opium, quod correctum vigilias compescit; quia unum est ex genere solanorum exoticorum: sicut etiam omnes solanorum species narcoticam vim obtinent; nicotiana, radix folia & semen hyoscyami, mandragora ejusque radix, flores ligustri, item stramonium ejusque semen à BARTHOLETO commendatum tanquam singulare narcoticum, & quod simul hilaritatem inducat; uti & species ejus nobilior, *Datura Indorum* dicta. Hisce etiam *crocus* ejusque præparata; & suo modo *absinthium* addenda sunt; quæ duo cum papaverinis & opiatis frequentiùs usurpantur; reliquorum enim usus non adeò tutus est, quemadmodum ex radicis hyoscyami esu BORELLUS *Cent.4. Observat. 45.* dementiam annotavit. Aliàs notum est, quod opium assumptum ab incolis orientalibus, præter somnum, inferat somnia jucunda, contrà verò septentrionalibus turbulenta, gravia, ac visiones cacodæmonum, &c. producat. Ex his ipsis hypnoticis varia sunt composita, & veterum & modernorum. Veteribus in usu sunt Philonium Romanum, Pilonium Persicum, Requies Nicolai, Pilulæ de cynoglossa, &c. quæ tamen ipsa remedia, cùm cruda narcotica recipiant, jam propemodum in desuetudinem abjerunt. Loco eorundem à modernis Theriaca, Mithridatium, syrupus de papavere simplex & compositus, diacodium, electuarium diascordii, ac laudana opiata infinita, & similia imprimis usurpari solent, inter quę extractum opii cum tinctura tartari, aut per fermentationem *Laugelotti*, aut per digestionem cum sale tartari aut aliis salibus lixivialibus, item fermentum narcoticum *Concrdingii*, excellunt. Et sanè egregium est Laudanum opiatum, si rectè præparatum fuerit. Permiscetur cum pulveribus; v. g. cum alexipharmacis mistum fit pulvis anodynus alexiterius; cum confortantibus fit pulvis anodynus confortans; item cum alexipharmacis liquidis fit Essentia theriacalis anodyna. Nam rarò opium adhibetur, quin appropriatis addatur. Quibus etiam accensemus aquam hypnoticam *Dorncreilii*, aquam somniferam *Langii*, extractum & pilulas de stramonio, quę easdem habent virtutes cum opio. BARTHOLETUS liquorem somniferum quendã præparat hoc modo:

℞. *Sem. Papau.*
Cucumer.
Stramon. nostr.

Contusa cum s. q. *aquæ* ponit in digestionem fimi equini per quatuor horas, postmodum filtrat, & ex retorta destillat lento igne.

Dosis est ℥ß. ad ℥j. tanquam blandum somniferum.

Pilulas uerò ex stramonio hoc modo pręparat:

℞. *Fruct. Stramon.* ℔.vj.
Contundit & bullit in
Aqu. lactucæ ℔.xij.
ad tertiæ partis consumptionem:

Decoctum exprimit & digerit in sole, postmodum imbibit cum *Aqu. ardente* seu *spiritu uini*, & exsiccat: Iterum spiritu vini humectat, & denuò siccat; hinc succi siccati vel inspissati ℥j. addit

Croci ℥ß.
Olei Cort. Citri scrup.ij.

Miscet pro pasta pilulari.

Dosis à gr.j. ad gr.ij. quæ pilulæ præter somnum blandum etiam quoscunque fluxus sistunt.

Loco huius convenit Essentia seu Pharmacum phantasticum BARTHOLETTI, ac Laudanum sine opio sive ex fructibus daturæ Turcarum sive Indorum ejusdem, quod BARTHOLETUS *in suo Tract. de Respirat. lib.5. cap.1.* describit; scilicet ex daturæ hujus pomorum succo expresso inspissato cum spiritu vini conficit Tincturam; cui ad consistentiam extracti inspissatæ addit crocum & nucem moschatam. Ac sanè datura infert somnum cum quadam lætitia coniunctum. Commendat etiam BARTHOLETUS essentiam opii cum spiritu vitrioli volatili paratam, & spiritum lolii quem omnium præstantissimum proclamat. Spectat huc etiam primum ens Veneris ex uitriolo cum sale ammoniaco parandum; item sulphur uitrioli anodynum, quamuis huic posteriori nihil ejusmodi uirium concedat BARTHOLETUS *l. 4.*

Sed de Opiatorum usu in Agrypnia benè obseruandum quod monet WINCLERUS *Tr. de Opio pag.244.* nempe quod *opiata licet in uigiliis singulariter utilia sint, tamen iis nec semper, nec in omnibus utendum sit. Est enim, quando uigiliæ sunt instantis criseos signum; ubi ferè sunt omittenda opiata, nec naturæ labor impediendus. Est etiam, ubi senes diuturnis uigiliis torquentur, ubi potius analeptica* con-

conducunt, ut spiritus dia-moschi dulcis, di-ambræ, Ambra, & similia. Est tandem etiam, ubi Vigiliæ sunt ex angustia pectoris, ex dyspnœa, in hydrope, ubi opiata vix tutò usurpantur; metus enim est ne somno fortiori provocato suffocentur ægri. Est etiam, ubi vires exhaustæ sunt, spiritusque deficiunt, ubi quoque minus opiata conveniunt. Hæc WINCLERUS. Et si quando usurpanda sunt, usurpentur eadem in quantitate parva, partitis vicibus, ut rectè monet SEPTALIUS, adeòque repetitò crebriùs in parva dosi eorum usu, quoniam corum animam labefactant, & eos stupidi ingenii reddunt. In agrypniis melancholicis nihil faciunt, sed saltem temperata adhibenda sunt ex passulis, liquiritia, borragine, & similibus. Ex. gr.

℞. *Conf. flor. papav. err.* ℥j.
Theriac. vel *Elect. diascord.* ʒß.
Laud. opiat. gr.j.
M. f. Bolus. S.
Electuarium serotinum pro una vice.

℞. *Cinnab. nativ.* vel *antimoni*, vel *mag. Corall. c. f. c.* gr.xv.
Sacch. saturni gr.viij.
Laud. opiat. gr.j. vel ij.
cum *ess. Croci* f. Pil.
D. S.
Pilulæ vespertinæ ad quietem.

Sumantur vesperi horâ ante pastum.

Pro tertio scopo, ut nempe temperatis nutritivis cerebro & dyscrasiæ spirituum animalium prospiciatur, ad Vigilias prosunt vulgò sic dicta *Refrigerantia* & *Humectantia*, hinc *temperata* plus minus oleaginosa, & quasi lactescentia chylosa blandè nutrientia, ut lactuca, & totus lactucarum exercitus, ejusque esus: hæc ipsa etiam jam à GALENI temporibus est in usu contra vigilias nimias. Videantur ZACUTUS LUSITANUS *libr.1. Med. Princ. Hist.14* ubi refert, vigilias ex nimiis meditationibus, aliis frustra adhibitis, peresum lactucarum, & per oleum nymphææ naribus inunctum, curatas fuisse; Ubi etiam refert de GALENO, quod ipsi lactuca fuerit alexipharmacum vigiliarum, &c. Item Nymphæa, ejus folia & flores, imprimis externo usu. Papaverrhœas & ipsum hìc convenit, item sonchi, chondrillæ, flores verbasci, & plura inde parata remedia; In specie fructus seu nuclei & semina lactescentia, scilicet *semina quatuor frigida majora* & minora, hordeum, amygdalæ dulces, pineæ, pistaciæ, nuclei persicorum, ut & ex iisdem nunc solitariis nunc *cum semine papaveris* & portulacæ, factę *emulsiones* sunt usitatæ & in specie cum semine stramonii, cujus gr.j. vel ij. addita mira faciunt, de quo suprà. Hæ Emulsiones humectant blandè, temperant acrimoniam turgescentium humorum, blandè nutriunt, & successivè somnum inferunt: vid. SYLVIUS *Pr. pag.221. §.25.* Vel

℞. *Sem. 4 frig. maior.* ʒß.
Papav. alb. ℥ij.
Amygd. dulc. ℥ij. ad ℥ß.
cum f. q. *Aquæ Nymph.* f. Emulsio:
cui adde
Aquæ Cinam. ℥ß.
Edulcor. cum *syr. Nymph.* vel *Papav.* vel cum
Rot. manus Christi perlat.
M. D. S.
Emulsio confortans ad quietem.

Vel

℞. *Sem. Papav. alb.* ℥ß.
Melon.
Amygd. dulc. an. ℥ij.
Aquæ flor. Sambuc.
Acac.
Hypnot. Dorner. an. ℥ij.
f. Emulsio,
Edulcor. cum *Syr. Nymph. S.*
ut antea.

His emulsionibus postmodum pro affectuum ratione, imprimis in acutis morbis, & alia morbis *appropriata* ulteriùs addi possunt: Verbi gratiâ ponam agrypniam in febre maligna, tunc

℞. *Amygd. dulc. Ambr.*
Sem. Papav. albi an. ℥ij.
Quatuor frig. mai. an. ℥j.
cum f. q. *Aquæ scorzon.* & *Nymph.* f. l. a. Emulsio:
cui adde
Aquæ Cinnam. (ratione virium) ℥ß.
Bezoard. mineral. ℈j.
Edulcoretur *rotulis man. Christ. perlat.*
D. S.
Emulsio vespertina pro una vice.

Hauriatur subinde. Hic enim Bezoardicum minerale resistit malignitati, in febre, quam suppono, obviæ.

Decoctum hordei factum cum papavere & radice liquiritiæ commendatur à LINDANO in agrypnia propter inediam vel defectu roris nutritii humectantis cerebrum; sicuti *hordeaceorum* temperatum usum proficuum expertus est BORELLUS *Centur.4. Observat.89.* in agrypnia, tussi & macie: Summatim: quæcunque diæta nutritiva & quasi semilactea ad talem agrypniam est optima.

Hæc de Internis & opiatis. Sed, uti dixi, imprimis habenda est ratio causarum; in specie ex inedia vel deficiente rore nutritio & siccitate, ubi conveniunt humectantia, hordeum, passulæ & glycyrrhiza, item emulsiones.

Quoad *Externa*; ad agrypniam in genere usitata sunt vel anodyna narcotica opiata, vel blanda humectantia, nunc temporibus ac fronti, nunc manibus ac pedibus in forma pediluviorum applicanda, quamvis eorum usum SANCTORIUS *Meth. l.13. cap.2.* & PRIMEROSIUS *de Error. vulgi lib.4. cap.45.* nullius efficaciæ judicent: scilicet Epithemata aut Lotiones ex decoctis vegetabilium emollientium & anodynorum, flor. ligustri, violarum, paralyseos, jaceæ, chamomillæ, nymphææ, herbæ lactucæ foliorum nymphææ, solani, summitatum anethi, foliorum salicis, vitis, violariæ, corticis mandragoræ, capitum & seminis papaveris albi contusi, & similium. Emulsiones pariter ex *nucleis persicorum*, *semine papaveris albi*, quatuor frigidis majoribus & minoribus, hyoscyami, lactucæ & stramonii (quibus HARTMANNUS semen anthos, fœniculi, & anisi addit) *cum aquæ nymphææ vel* alia quadam, specifica vel *lacte muliebri* paratę, fronti ac temporibus cum linteis multiplicatis applicatæ; sicuti & linteola lacte tepido madida fronti imposita insigniter conveniunt. Hujus etiã loci sunt spongiæ cynosbati, Ger. *die Schlaff Kunzé* & liquor vermiculorum in his repertorum, mense Augusto collectorum. Vermiculi hi conquassentur seu contundantur inter duos lapides, ut liquor exeat, qui colligatur in vitro & asservetur, quo liquore illinantur tempora; est enim suave & blandũ hypnoticũ sine omni periculo narcoseos. Item spongia somnifera ab HEURNIO *Meth. lib 2. cap.7.* descripta, ex succor. hyoscyami, papaveris albi, mandragoræ, mor. celsi immaturorum, coriandri, lactucæ ana ℥j. Opii ʒj. Spongia ita humida facta vel imprægnata his succis, postmodum leni calore exsiccatur, & naribus admovetur pro conciliando somno. Hinc fiunt *Inunctiones ex medulla crurum vituli* & cervi recenti, quæ temporibus aliquoties tempore somni illitæ blandum somnum inducunt; vel accipiatur axungia ex cruribus bovinis elixando in aqua simplici elicita, quæ separata asservetur in vitro, & radiis solaribus vel alii blando calori exponatur, ut depuretur, & post temporibus illinatur. Item suavem infert somnum pinguedo lucii piscis, vel leporis, oleum nymphææ, anethinum, papaveris albi, nucis moschatæ expressum, hyoscyami, nucleorum persicorum, & similia. Quò etiam pertinet unguentum populeum recens, de alabastro & hypnoticum usitatum; quibus aliquot guttę olei hyoscyami, interdum aliquantulum croci interdum aliquot grana opii, addi possunt, imprimis ubi cum Vigiliis infestant dolores capitis. Denique pertinet huc Balsamus hypnoticus Mynsichti, & *cerumen ex auribus asini* quantitate pisi temporibus illitum in agrypnia febrium ardentium potens dicitur narcoticum. Sed observetur, ne augeatur dosis; aliàs nimis profundus & diuturnus somnus inducitur. Sunt qui odorem quoque ejusmodi odoriferorum commendant, v.g florum ligustri SENNERTUS *Pr. lib 1. pag.231.* Item ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Hist. l.1. p.165.* odorem decocti ex rad. mandragoræ, hyoscyami, semine lactucæ, opio, &c. commendat. Quò etiam odor Croci spectat, cujus gratia sacculus, in quo hic asservatus fuit, à vulgo culcitræ supponitur. In M.A.N.C. *Ann.6. Observ. 71.* aliquot prostant euporista somnum conciliantia, qualia sunt: aures leporinæ abscissæ & pulvinari suppositæ; unguen illud seu crassamentum unctuosum, quod rotis molaribus agglutinatur, temporibus illitum; cranium humanum ægro inscio subditum; succus nasturtii aquatici cum aceto naribus illitus; pinguedo item lucii piscis eodem modo adhibita; pulvis ex foliis & semine hyoscyami albi sacculo capiti dormituri vel pulvinari suppositus, quod habet LANGIUS *Epist. lib 3. cap.*

cap.6. qui etiam aliquando hirudines post aures applicuit, & remotis eis gr.j. opii vulneribus imponere solitus est; sicut etiam *turundam* ex grano uno & altero *laudani opiati* cum aliis misti naribus efficacissimè inditam videbitis in TIMÆI *von Gulden-Klee Casib. pag.94.* Prætereà specificè hic prodest sanguis calidus animalium timidorum: v. g. recipiatur pullus gallinaceus trium vel quatuor septimanarum, subitóque disrumpatur, quò sanguis calidus in frontem patientis decidat.

Cæterùm apud Practicos etiam clysmata & suppositoria magno cum fructu interdum ad somnum conciliandum iniiciuntur, quibus gr.v. vel vj. Opii adduntur, ubi tutò internè usurpari nequit opium: sed hæc vix adhibeantur, nisi Vigiliæ oriantur ex intestinorum dolore aut fluxu alvi; secus violentum sunt remedium; ZACUTUS enim LUSITANUS habet aliquot exempla mortuorum ex suppositoriis opiatis. Probatum clysterem habet SCHMUCK ex cort. radicis mandragoræ, & capitibus papaveris cum semine, in lacte coctis, & applicatis.

Formulæ somniferorum externorum sequentes esse possunt:

℞. *Fol. Vitis,*
Salicis,
Nymph.
Herb. Chamomill. cum flor. an. M.j. vel ij.
Rad. Rhod. ℥j.
Caryophyllat.
Ireos Florent. an.℥ß.
Cap. Papav. albi cum sem. contus. No.iv. vj. vel viij.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.*

Quo decocto primò benè foveantur tempora, hinc laventur manus & pedes, ac linteis tandem involuti spontè exsiccentur. Vel

℞. *Fol. lactuc.*
Salic.
Viol. an. M.j.
Fl. Ligustri,
Nymph.
Chamomill. an. M.ij.
Cort. Mandrag. ℥vj.
Cap. Papav. No.x. vel xij.
Incis. D. pro Pediluvio: S.
Species ad pediluvium.

℞. *Olei Nymph.*℥j.
Anethi ℥ß.
Expr. Papav.℈j.
M. S.
Oleum ad somnum.

℞. *Ol. Papav. expr.*℥j. vel ℥ij.
Nucist. expr.℥ß.
M. S.
Unguentum somniferum.

℞. *Ol. Papav. expr.*℥iß.
Hyoscyam. expr.
Nuc. mosch. ana ℥j.
M. S.
Ut antea.

℞. *Olei hyoscyam. cum ol. pap. compos. Lud.*℈j.
Nucist. expr. q.s.
M. S. ut suprà.

℞. *Ol. expr. Papav.*℥ij.
Hyosc. ℥ß.
M. S.
Oleum externum ad somnum.

℞. *Ungu. popul.* vel *hypnot. Off.*℥ij.
Extr. Opii cum spir. vini par. gr.iv. ad viij.
vel loco hujus olei expr. sem. hyosc. ℥ß.
M. S.
Unguentum somniferum.

℞. *Ungu. popul.*℥ß.
Ol. expr. Nucist.℥ß.
Destill. Aneth. gtt.xij.
Extr. Opii scrup.ß.
M. D. S. ut *ante.*

℞. *Ungu. alabastr.*℥ij.
Extr. Opii ℈.ß.
Ol. destill. Aneth.
Anis. an. ℈.j.
M. S. ut *suprà.*

℞. *Ungu. alabastr.*℥.ij.
Ol. expr. hyoscyam.
Papav. an.℈.ij.
Destill. Aneth. gtt.vj.
M. S. ut *suprà.*

℞. *Nucl. persic.*℥ij.
Sem. Papav. alb.℥j.
Aquæ hypnot. Dorner. vel *lact. muliebr.* ℥vj.
f. Emulsio: adde
Opii gr. vj.
Croci gr.v.
M. S.
Emulsio externa ad somnum.

℞. *Nucl. persic.*℥ß.
Sem. Papav. albi ℥ iij.
Anethi,
Hyoscyami,
Lactucæ an.℥ij.
Cum *aqua hypnot. Lang.* f. Emulsio:
D. S. ut *antè.*

Temporibus ac fronti applicentur.

℞. *Aquæ hypnot. Lang.*℥iv.
Philon. Rom. ℥ij.
Camph. ℈.j.
M. S.
Mixtura externa ad somnum.

Vel ad imitationem RULANDI in pertinaciori malo, imprimis quando simul adsunt deliria:

℞. *Aquæ Rosar.* ℥vj. vel viij.
Opii ℈.ij. ad ℥j.
Croci ℈.j. ad ℥.ij.
Misceantur.

Mixturâ hâc imbuta lintea tepidè applicentur temporibus, donec somnus accedat.

De Senum Vigiliis, aut etiam in Vigiliis, quæ insequuntur diuturnas curas & meditationes, jam monitum fuit, non tàm *anodyna* quàm *confortantia* plus minus *aromatica*, ventriculi digestionem primam promoventia convenire, vixque locum habent humectantia illa aut opiata, & quæcunque narcotica, quæ sunt pessima, adeóque talia remedia sic dicta *calida*, potus *vini* Malvatici, aut alius *dulcis*, item *aqua vitæ* apoplectica & *aromata*, *essentia absinthii*, & similia somnum inducentia. In specie verò *vinum dulce* & spiritus vini à pastu senibus convenit, in vigiliis ex vitio cerebri dependentibus. Conferatur hic exemplum elegans HEINRICI *ab* HEER, qui *Observ.2. & 5.* aliquot granis piperis albi conditi, nuce moschata, Zingibere, acoro vero & ambrâ griseâ Vigilias sedatas testatur; sicut etiã SCHENCKIUS *lib.1. Observat.* refert mulierem Patavinam quindecim diebus insomnem, tandem usu panis cum uino Malvatico macerati somnum recuperasse; pariter remedia *ambrata & moschata* laudantur in WEDELII *Opiolog. pag.* 38. Sic quoque Agrypniæ in affectibus sic dictis frigidis, v.g. in catarrhis, per usum *piperis albi*, item per *electuaria ex aromatibus & calidis* optimè sopiuntur. Spectat huc etiam consilium RONDELETII *Meth. curandi lib.1. cap.17.* ubi uentriculo refrigerato, pro uigiliis tollendis olea & unguenta calida; illis autem, qui ob mœrorem & curas uigilant, uinum meracissimum aut Hippocraticum commendat. Alii in uigiliis nimiis à cruditate uentriculi spiritus uini usum post cœnam commendare solent: Siquidem omnia hæc promouent digestionem, & ad somnum blandum disponunt. Sic pariter in agrypniis cum uirium exhaustione, spirituumque absumtione *Analeptica* talia *ex vino dulci* sunt optima: aut si propinanda *Papaverina* aut Opiata, eadem *aromaticis*, in exigua admodum dosi, socianda, & sub analepticis semper uehiculis propinanda sunt: quem morem Veteres in *Philoniorum* compositionibus obseruarunt. Jure-Consultus quidam ex diuturno literarum studio quatuor menses sine somno fuit, ita ut iam putaretur planè fatuus, nullis præsidiis proficientibus *Philonii Persici* drachmâ unâ cum uino *Malvatico* exhibitâ bis uel ter, ad somnum rediit, Autore ZACUTO-LUSITANO *lib.1. Med. Princ. Histor.13.*

ARTI-

ARTICULUS II. DE SOMNO NIMIO.

Absolvimus Vigilias nimias, quibus ipsi contrarium vitium est *somnus* & sopor *nimius*, dum ægri *aut* nimium in somnum sunt propensi, *aut* actu nimis dormiunt. Multi autem affectus sub nomine affectuum soporosorum solent circumferri, sed cum insigni confusione & errore. Fit hoc, judicante sic LINDANO, quod propter neglectos fontes Hippocraticos alios Autores promiscuè scrutantur; indeque in confusos errores promiscuè lapsi fuerunt: quo non parum facit garrulitas GALENI, ejusque fallax autoritas, cujus vestigiis alii insistentes, confusè admodum de affectibus soporosis egerunt. Interim optimè distinxit hos affectus LINDANUS *in Melet. Med. & Chym. pag.* 282. cujus vestigia nos terimus. Cæterum antequam ulteriùs in explicatione soporosorum affectuum progrediamur, *distinguendus* ante omnia est *somnus præternaturalis* & *nimius* ab *impotentia vigilandi*, ægris quibusdam *ex nimia virium prostratione* familiari. Nimius somnus est propensio in somnum, ita ut ægri in somnum inclinantes reverà dormiant. Impotentia vigilandi verò est, dum scilicet ægri ex nimia virium prostratione & operationum animalium imbecillitate oculos apertos non amplius tenere, nec membra alia movere queunt, sed instar dormientium quieti jacent, utut reverà oculis saltem clausis & conniventibus vigilent, nec perfectum somnum capiant. Quod patet ex eo, quod accessu personæ cujusdam inconsuetæ, aut ad ejus auditam loquelam oculos nonnihil aperiant, gestus faciant, & se nonnihil moveant, sed mox collabi oculos sinant, & quod interrogati præ imbecillitate respondere vix possint, omnia tamen audire indicant, & si oculos haberent apertos, omnia viderent, utut impotentes sint ad obeundas actiones vigiliarum. Hic somnus non est præternaturalis, sed saltem impotentia ad vigilandum, Germ. *es ist ein Matter Schlaff*, ubi nullo modo usurpanda talia, quæ aliàs in affectibus soporosis conveniunt, sed potius restaurantia, confortantia spirituosa, in specie ambrata, sunt optima.

Observandum porrò est, *somnum nimium* esse naturaliter alium *præternaturalem*, alium *nonnaturalem*. Somnus nimius naturalis est, quando quis ex habitu, consuetudine, aut alia causa nimium dormit, quando scilicet dormit 24. horas: Nonnaturalis fit, quando quis ex errore externo quodam ad nimium somnum quasi disponitur, v. g. si quis ex abusu opii vel vini, vel post diuturnas vigilias, post exercitia, nimium motum, nimias lassitudines aut labores graviores: qualis somnus trium dierum & noctium contingens ob prægressam lassitudinem, vid. in PLATERI *lib.* 1. *Observat. pag.* 5. Conferatur etiam SALMUTH. *Cent.* 3. *Observat.* 66. de virgine quadam saltationibus defatigata, adeò ut per biduum sine somno esset, postmodum quatuor dies & noctes integras somno consumpsit. Sic refert alium ex itinere fessum, qui octodecim horas profundissimè dormivit. Hic & similes somni naturales sunt, minusque ad affectus præternaturales sunt referendi. Quò etiam facit, quando post sanguinis excretiones, alvi profluvia, dolores magnos, animi pathemata graviora aliquamdiu continuata, adeòque in genere in omni spirituum, præsertim subitò exhaustorum defectu, somnus naturalis imminet. *Observandum* quoque, quod *imminentes lipothymiæ sub specie somnolentiæ* seu propensionis in somnum interdum imponant, ex spirituum animalium defectu oriundç: *v. g. hystericæ* in graviori paroxysmo subinde admodum *somnolentæ* sunt, quibus tamen lipothymiæ imminent. *Mulieres* quædam *post partum* debiliores *somnolentæ* fiunt, sed reverà lipothymiæ imminent. *Post largiores venæsectiones* aliasque sanguinis effusiones somnolentia observatur, sed quæ reverà lipothymiam minatur.

Sed quoad somnum præternaturalem nimium, adeoque *affectus soporosos*, affectus multi huc pertinent, qui cadunt sub considerationem Medici, variis nominibus, iisque confusè admodum insigniti, utut parum referat. Genuinam affectuum soporosorum explicationem nominalem videb. in LINDANI *Meletematibus Physicis & Medicis pag.* 282. *seqq.* Placet hic SYLVII terere vestigia: adeoque præternaturalis somnolentia & inde dependens somnus *vel solitarium* malum est, *vel* eadem somnolentia *delirium ferè comitem habet*.

Uti verò somnus naturalis ex imminuto spirituum in organa externa influxu dependet, propter aliqualem eorundem torporem, dum minus volatiles minusque subtiles, sed potiùs quasi phlegmatici redditi, minus prompti sint ad obeundas animales functiones per solitas expansiones & excursiones; ita etiam in statu præternaturali somnoque præternaturali nimio nimius spirituum torpor considerandus venit. Dictum autem fuit, in somno naturali esse imminutum spirituum influxum in organa externa, nempe respectu motus eorum in vigiliis; non tamen penitus est abolitus: id quod ex eo est manifestum, quia etiam in somno partes externæ moveri possunt. Dictum etiam fuit ad organa externa influere spiritus: nam in somno internè spiritus in cerebro velociter satis moveri & agitari possunt; quâ ratione in somno occasiones animæ rationali pro variis insomniis subministrantur.

Somnia sunt vel *asimantica*, nihil significantia; vel simantica, aliquid significantia, ut pollutio nocturna à copia genituræ.

Hos inter affectus soporosos in specie horum quinque primariæ species considerentur: nempe (1.) *Carus*, (2.) *Côma, somnolentum & vigil*, (3.) *Lethargus*, (4.) *Noctambulones*, & (5.) *Catalepsis*.

MEMBRUM I. DE CARO.

Carus est *somnus adeò profundus*, *ut æger vix aut nullatione* denuo *excitari queat*, quin stertendo profundè admodum dormiat, salvâ tamen manente & integrâ respiratione; & licet à fortiori subjecto, e. g. punctura aciculæ, fortiùs commotus excitatur, unum vel alterum membrum moveat & loquatur, perfectè tamen excitari non potest, sed jacet talis æger sensu & motu destitutus, salvâ saltem respiratione, quæsita enim non intelligit, multò minus ad hæc respondet: Uno nomine: Carus *proximus ad apoplexiam gradus*, propriéque est sopor gravis à vino, & hinc dicuntur Carotici, qui post vini nimium abusum ita profundè dormiunt instar caroticorum, hinc traducta est appellatio. Propriè ergo *Carus* non tam morbus est, sed ex illo symptomatum genere quæ ex quocunque *errore externo* manifesto fiunt, v. g. ex nimia ebrietate; *Nam si ab interna causa* repente talis oriatur somnus, reverà ad apoplexias pertinebit, eritque primus apoplexiæ gradus, seu apoplexia levior. Hinc Carus est, qui abusum vini & spiritus vini insequitur; spiritus enim vini sulphureus non ritè cum spiritibus corporis humani junctus, iis tàm confusè permistus continuum somnum infert. Præter tamen ebriositatem vinosam etiam abusus opii & narcoticorum Carum pertinacem infert, quacunque ratione applicetur; exemplum videb. in SALMUTH. *Cent.* 2. *Observat.* 97. ubi talis affectus fuit inductus à drachma una opii per clysterem injecti, & curatus per aliud clysma ex vino Malvatico injectum. Pertinent huc *fumi* & gas *carbonum* incensorum hausti; nam carbones sulphure narcotico sunt imprægnati, quod ipsum figendo spiritus Carum infert: exemplum videb. in FORESTO *lib.* 10. *Observat.* 39. ubi refert Carum à fumo carbonum ad expugnandum frigus in paroxysmo quartanæ. Ita sulphura mineralia immatura inspirata disponunt ad carum. Facit huc *gas* & halitus *potuum* nimis *fermentescentium*, vinorum, cerevisiarum & similium exspirantes, qui ut suffocationis inferunt metum, ita etiam respiratione attracti somno profundo quasi obruunt ægros pariter & sanos. Facit huc etiam halitus calcis vivæ, parietibus recenter incrustatæ, unde in tali cubiculo dormientes ęgri fiunt *carotici*. Item facit huc nimius *odor croci*, qui vi narcoticâ ad gravem carum disponit, ut observavit BORELLUS *in Observat.* in famulo aromatarii, qui dormiens super sacculum croci semimortuus repertus fuit. Aliud exemplum videb. *in Colleg. Pharm. in Schred. P.* 1. *p.* 43. *ubi de Croco*. Pertinet huc abusus *fumi nicotianæ*, cujus oleum ut ipsum est admodum narcoticum, & vi narcoticâ suâ caroticos reddit nimium haurientes: vid. OSVVALDUS GREMBS *in Arbore Integra & corrupta Hominis lib.* 3. *cap.* 1. §. 37. Item nux juglans, vel potius, qui sub arbore

conducunt, ut spiritus dia-moschi dulcis, di-ambræ, Ambræ, & similia. Est tandem etiam, ubi Vigiliæ sunt ex angustia pectoris, ex dyspnœa, in hydrope, ubi opiata vix tutò usurpantur; metus enim est ne somno fortiori provocato suffocentur ægri. Est etiam, ubi vires exhaustæ sunt, spiritusque deficiunt, ubi quoque minus opiata conveniunt. Hæc WINCLERUS. Et si quando usurpanda sunt, usurpentur eadem in quantitate parva, partitis vicibus, ut rectè monet SEPTALIUS, adeòque repetitò crebriùs in parva dosi eorum usu, quoniam eorum animam labefactant, & eos stupidi ingenii reddunt. In agrypniis melancholicis nihil faciunt, sed saltem temperata adhibenda sunt ex passulis, liquiritia, borragine, & similibus. Ex. gr.

♃. *Conf. flor. papav. err.* ℥j.
Theriac. vel *Elect. diascord.* ℥ß.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. Bolus. S.
Electuarium serotinum pro una vice.

♃. *Cinnab. nativ.* vel *antimoni*, vel *mag. Corall. c. s. c.* gr. xv.
Sacch. saturni gr. viij.
Laud. opiat. gr. j. vel ij.
cum *ess. Croci* f. Pil.
D. S.
Pilulæ vespertinæ ad quietem.

Sumantur vesperi horâ ante pastum.

Pro tertio scopo, ut nempe temperatis nutritivis cerebro & dyscrasiæ spirituum animalium prospiciatur, ad Vigilias prosunt vulgò sic dicta *Refrigerantia* & *Humectantia*, hinc *temperata* plus minus oleaginosa, & quasi lactescentia chylosa blandè nutrientia, ut lactuca, & totus lactucarum exercitus, ejusque esus: hæc ipsa etiam jam à GALENI temporibus est in usu contra vigilias nimias. Videatur ZACUTUS LUSITANUS *libr. 1. Med. Princ. Hist.* 14 ubi refert, vigilias ex nimiis meditationibus, aliis frustra adhibitis, peresum lactucarum, & per oleum nymphææ naribus inunctum, curatas fuisse; Ubi etiam refert de GALENO, quod ipsi lactuca fuerit alexipharmacum vigiliarum, &c. Item Nymphæa, ejus folia & flores, imprimis externo usu. Papaverrhœas & ipsum hîc convenit, item sonchi, chondrillæ, flores verbasci, & plura inde parata remedia; In specie fructus seu nuclei & semina lactescentia, scilicet *semina quatuor frigida maiora* & minora, hordeum, amygdalæ dulces, pineæ, pistaciæ, nuclei persicorum, ut & ex iisdem nunc solitariis nunc *cum semine papaveris* & portulacæ, factę *emulsiones* sunt usitatæ & in specie cum semine stramonii, cujus gr. j. vel ij. addita mira faciunt, de quo suprà. Hæ Emulsiones humectant blandè, temperant acrimoniam turgescentium humorum, blandè nutriunt, & successivè somnum inferunt: vid. SYLVIUS *Pr. pag.* 222. §. 25. Vel

♃. *Sem. 4. frig. maior.* ℥ß.
Papav. alb. ℥ij.
Amygd. dulc. ℥ij. ad ℥ß.
cum f. q. *Aquæ Nymph.* f. Emulsio:
cui adde
Aquæ Cinnam. ℥ß.
Edulcor. cum *Syr. Nymph.* vel *Papav.* vel cum *Rot. manus Christi perlat.*
M. D. S.
Emulsio confortans ad quietem.

Vel

♃. *Sem. Papav. alb.* ℥ß.
Melon.
Amygd. dulc. an. ℥ij.
Aquæ flor. Sambuc.
Acac.
Hypnot. Dorncr. an. ℥ij.
f. Emulsio,
Edulcor. cum *Syr. Nymph.* S.
ut antea.

His emulsionibus postmodum pro affectuum varietate, imprimis in acutis morbis, & alia morbis *appropriata* ulteriùs addi possunt: Verbi gratiâ ponam agrypniam in febre maligna, tunc

♃. *Amygd. dulc. Ambr.*
Sem. Papav. albi an. ℥ij.
Quatuor frig. mai. an. ℥j.
cum f. q. *Aquæ scorzon.* & *Nymph.* f. l. a. Emulsio:
cui adde
Aquæ Cinnam. (ratione virium) ℥ß.
Bezoard. mineral. ℈j.
Edulcoretur *rotulis man. Christ. perlat.*
D. S.
Emulsio vespertina pro una vice.

Hauriatur subinde. Hic enim Bezoardicum minerale resistit malignitati, in febre, quam suppono, obviæ.

Decoctum hordei factum cum papavere & radice liquiritiæ commendatur à LINDANO in agrypniis propter inediam vel defectu roris nutritii humectantis cerebrum; sicuti *hordeaceorum* temperatum usum proficuum expertus est BORELLUS *Centur. 4. Observat.* 89. in agrypnia, tussi & macie: Summatim: quæcunque diæta nutritiva & quasi semilactea ad talem agrypniam est optima.

Hæc de Internis & opiatis. Sed, uti dixi, imprimis habenda est ratio causarum; in specie ex inedia vel deficiente rore nutritio & siccitate, ubi conveniunt humectantia, hordeum, passulæ & glycyrrhiza, item emulsiones.

Quoad *Externa*; ad agrypniam in genere usitata sunt vel anodyna narcotica opiata, vel blanda humectantia, nunc temporibus ac fronti, nunc manibus ac pedibus in forma pediluviorum applicanda, quamvis eorum usum SANCTORIUS *Meth. l.* 13. *cap.* 2. & PRIMEROSIUS *de Error. vulgi lib.* 4. *cap* 45. nullius efficaciæ judicent: scilicet Epithemata aut Lotiones ex decoctis vegetabilium emollientium & anodynorum, flor. ligustri, violarum, paralyseos, jaceæ, chamomillæ, nymphææ, herbæ lactucæ foliorum nymphææ, solani, summitatum anethi, foliorum salicis, vitis, violariæ, corticis mandragorę, capitum & seminis papaveris albi contusi, & similium. Emulsiones pariter ex *nucleis persicorum*, *semine papaveris albi*, quatuor frigidis majoribus & minoribus, hyoscyami, lactucæ & stramonii (quibus HARTMANNUS semen anthos, fœniculi, & anisi addit) *cum aqua nymphææ vel* alia quadam, specifica vel *lacte muliebri* paratę, fronti ac temporibus cum linteis multiplicatis applicatæ; sicuti & linteola lacte tepido madida fronti imposita insigniter conveniunt. Hujus etiã loci sunt spongiæ cynosbati, Ger. *die Schlaff Kunzé* & liquor vermiculorum in his repertorum, mense Augusto collectorum. Vermiculi hi conquassentur seu contundantur inter duos lapides, ut liquor exeat; qui colligatur in vitro & asservetur, quo liquore illinantur tempora; est enim suave & blandũ hypnoticũ sine omni periculo narcoseos. Item spongia somnifera ab HEURNIO *Meth. lib* 2. *cap.* 7. descripta, ex succor. hyoscyami, papaveris albi, mandragoræ, mor. celsi immaturorum, coriandri, lactucæ ana ℥j. Opii ℥j. Spongia ita humida facta vel impręgnata his succis, postmodum leni calore exsiccatur, & naribus admovetur pro conciliando somno. Hinc fiunt *Inunctiones ex medulla crurum vituli* & cervi recenti, quæ temporibus aliquoties tempore somni illitæ blandum somnum inducunt; vel accipiatur axungia ex cruribus bovinis elixando in aqua simplici elicita, quæ separata asservetur in vitro, & radiis solaribus vel alii blando calori exponatur, ut depuretur, & post temporibus illinatur. Item suavem infert somnum pinguedo lucii piscis, vel leporis, oleum nymphææ, anethinum, papaveris albi, nucis moschatæ expressum, hyoscyami, nucleorum persicorum, & similia. Quò etiam pertinet unguentum populeum recens, de alabastro & hypnoticum usitatum; quibus aliquot guttę olei hyoscyami, interdum aliquantulum croci interdum aliquot grana opii, addi possunt, imprimis ubi cum Vigiliis infestant dolores capitis. Denique pertinet huc Balsamus hypnoticus Mynsichti, & *cerumen ex auribus asini* quantitate pisi temporibus illitum in agrypnia febrium ardentium potens dicitur narcoticum. Sed observetur, ne augeatur dosis; aliàs nimis profundus & diuturnus somnus inducitur. Sunt qui odorem quoque ejusmodi odoriferorum commendant, v. g. florum ligustri SENNERTUS *Pr. lib.* 1. *pag.* 231. item ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Hist. l.* 1. *p.* 165. odorem decocti ex rad. mandragoræ, hyoscyami, semine lactucæ, opio, &c. commendat. Quò etiam odor Croci spectat, cujus gratia sacculus, in quo hic asservatus fuit, à vulgo culcitræ supponitur. In M. A. N. C. *Ann.* 6. *Observ.* 171. aliquot prostant euporista somnum conciliantia, qualia sunt: aures leporinæ abscissæ & pulvinari suppositæ: unguen illud seu crassamentum unctuosum, quod rotis molaribus agglutinatur, temporibus illitum; cranium humanum ægro inscio subditum; succus nasturtii aquatici cum aceto naribus illitus; pinguedo item lucii piscis eodem modo adhibita; pulvis ex foliis & semine hyoscyami albi sacculo capiti dormituri vel pulvinari suppositus, quod habet LANGIUS *Epist. lib* 3. *cap.*

ARTICULUS II.
DE
SOMNO NIMIO.

ABsolvimus Vigilias nimias, quibus ipsi contrarium vitium est *somnus* & sopor *nimius*, dum ægri *aut* nimium in somnum sunt propensi, *aut* actu nimis dormiunt. Multi autem affectus sub nomine affectuum soporosorum solent circumferri, sed cum insigni confusione & errore. Fit hoc, judicante sic LINDANO, quod propter neglectos fontes Hippocraticos alios Autores promiscuè scrutantur; indeque in confusos errores promiscuè lapsi fuerunt: quo non parum facit garrulitas GALENI, ejusque fallax autoritas, cujus vestigiis alii insistentes, confusè admodum de affectibus soporosis egerunt. Interim optimè distinxit hos affectus LINDANUS *in Melet. Med. & Chym. pag.* 282. cujus vestigia nos terimus. Cæterum antequam ulteriùs in explicatione soporosorum affectuum progrediamur, *distinguendus* ante omnia est *somnus præternaturalis & nimius* ab *impotentia vigilandi*, ægris quibusdam *ex nimia virium prostratione* familiari. Nimius somnus est propensio in somnum, ita ut ægri in somnum inclinantes reverà dormiant. Impotentia vigilandi verò est, dum scilicet ægri ex nimia virium prostratione & operationum animalium imbecillitate oculos apertos non amplius tenere, nec membra alia movere queunt, sed instar dormientium quieti jacent, utut reverà oculis saltem clausis & conniventibus vigilent, nec perfectum somnum capiant. Quod patet ex eo, quod accessu personæ cujusdam inconsuetæ, aut ad ejus auditam loquelam oculos nonnihil aperiant, gestus faciant, & se nonnihil moveant, sed mox collabi oculos sinant, & quod interrogati præ imbecillitate respondere vix possint, omnia tamen audire indicant, & si oculos haberent apertos, omnia viderent, utut impotentes sint ad obeundas actiones vigiliarum. Hic somnus non est præternaturalis, sed saltem impotentia ad vigilandum, Germ. *es ist ein Matter Schlaff*, ubi nullo modo usurpanda talia, quæ aliàs in affectibus soporosis conveniunt, sed potius restaurantia, confortantia spirituosa, in specie ambrata, sunt optima.

Observandum porrò est, *somnum nimium* esse naturaliter alium *præternaturalem*, alium *nonnaturalem*. Somnus nimius naturalis est, quando quis ex habitu, consuetudine, aut alia causa nimium dormit, quando scilicet dormit 24. horas. Nonnaturalis fit, quando quis ex errore externo quodam ad nimium somnum quasi disponitur, v. g. si quis ex abusu opii vel vini, vel post diuturnas vigilias, post exercitia, nimium motum, nimias lassitudines aut labores graviores: qualis somnus trium dierum & noctium contingens ob prægressam lassitudinem, vid. in PLATERI *lib.* 1. *Observat. pag.* 5. Conferatur etiam SALMUTH. *Cent.* 3. *Observat.* 66. de virgine quadam saltationibus defatigata, adeò ut per biduum sine somno esset, postmodum quatuor dies & noctes integras somno consumpsit. Sic refert alium ex itinere fessum, qui octodecim horas profundissimè dormivit. Hic & similes somni naturales sunt, minusque ad affectus præternaturales sunt referendi. Quò etiam facit, quando post sanguinis excretiones, alvi profluvia, dolores magnos, animi pathemata graviora aliquamdiu continuata, adeòque in genere in omni spirituum, præsertim subitò exhaustorum defectu, somnus naturalis imminet. *Observandum* quoque, quod *imminentes lipothymiæ sub specie somnolentiæ* seu propensionis in somnum interdum imponant, ex spirituum animalium defectu oriundæ: v. g. *hystericæ* in graviori paroxysmo subinde admodum *somnolentæ* sunt; quibus tamen lipothymiæ imminent. *Mulieres* quædam *post partum* debiliores *somnolentæ* fiunt, sed reverà lipothymiæ imminent. *Post largiores venæsectiones* aliasque sanguinis effusiones somnolentia observatur, sed quæ reverà lipothymiam minatur.

Sed quoad somnum præternaturalem nimium, adeoque *affectus soporosos*, affectus multi huc pertinent, qui cadunt sub considerationem Medici, variis nominibus, iisque confusè admodum insigniti, utut parum referat. Genuinam affectuum soporosorum explicationem nominalem videb. in LINDANI *Meletematibus Physicis & Medicis pag.* 282. *seqq.* Placet hic SYLVII terere vestigia: adeoque præternaturalis somnolentia & inde dependens somnus *vel solitarium* malum est, *vel* eadem somnolentia *delirium ferè comitem habet*.

Uti verò somnus naturalis ex imminuto spirituum in organa externa influxu dependet, propter aliqualem eorundem torporem, dum minus volatiles minusque subtiles, sed potiùs quasi phlegmatici redditi, minus prompti sint ad obeundas animales functiones per solitas expansiones & excursiones; ita etiam in statu præternaturali somnoque præternaturali nimio nimius spirituum torpor considerandus venit. Dictum autem fuit, in somno naturali esse imminutum spirituum influxum in organa externa, nempe respectu motus eorum in vigiliis; non tamen penitus est abolitus: id quod ex eo est manifestum, quia etiam in somno partes externæ moveri possunt. Dictum etiam fuit ad organa externa influere spiritus: nam in somno internè spiritus in cerebro velociter satis moveri & agitari possunt; quâ ratione in somno occasiones animæ rationali pro variis insomniis subministrantur.

Somnia sunt vel *asimantica*, nihil significantia; vel *simantica*, aliquid significantia, ut pollutio nocturna à copia genituræ.

Hos inter affectus soporosos in specie horum quinque primariæ species considerentur: nempe (1.) *Carus*, (2.) *Coma, somnolentum & vigil*, (3.) *Lethargus*, (4) *Noctambulones*, & (5.) *Catalepsis*.

MEMBRUM I.
DE
CARO.

CArus est *somnus adeò profundus*, *ut æger vix aut nulla ratione* denuo *excitari queat*, quin stertendo profundè admodum dormiat, salvâ tamen manente & integrâ respiratione; & licet à fortiori subjecto, e. g. punctura aciculæ, fortiùs commotus excitatur, unum vel alterum membrum moveat & loquatur, perfectè tamen excitari non potest, sed jacet talis æger sensu & motu destitutus, salvâ saltem respiratione, quæsita enim non intelligit, multò minus ad hæc respondet: Uno nomine: Carus *proximus ad apoplexiam gradus*, propriéque est sopor gravis à vino, & hinc dicuntur Carotici, qui post vini nimium abusum ita profundè dormiunt instar caroticorum, hinc traducta est appellatio. Propriè ergo *Carus* non tam morbus est, sed ex illo symptomatum genere quæ ex quocunque *errore externo* manifesto fiunt, v. g. ex nimia ebrietate; *Nam si ab interna causa* repente talis oriatur somnus, reverà ad apoplexias pertinebit, eritque primus apoplexiæ gradus, seu apoplexia levior. Hinc Carus est, qui abusum vini & spiritus vini insequitur; spiritus enim vini sulphureus non ritè cum spiritibus corporis humani junctus, iis tàm confusè permistus continuum somnum infert. Præter tamen ebriositatem vinosam etiam abusus opii & narcoticorum Carum pertinacem infert, quacunque ratione applicetur; exemplum videb in SALMUTH. *Cent.* 2. *Observat.* 97. ubi talis affectus fuit inductus à drachma una opii per clysterem injecti, & curatus per aliud clysma ex vino Malvatico injectum. Pertinent huc *fumi* & gas *carbonum* incensorum hausti; nam carbones sulphure narcotico sunt impprægnati, quod ipsum figendo spiritus Carum infert: exemplum videb. in FORESTO *lib.* 10. *Observat.* 39. ubi refert Carum à fumo carbonum ad expugnandum frigus in paroxysmo quartanæ. Ita sulphura mineralia immatura inspirata disponunt ad carum. Facit huc *gas* & halitus *potuum* nimis *fermentescentium*, vinorum, cerevisiarum & similium exspirantes, qui ut suffocationis inferunt metum, ita etiam respiratione attracti somno profundo quasi obruunt ægros pariter & sanos. Facit huc etiam halitus calcis vivæ, parietibus recenter incrustatæ, unde in tali cubiculo dormientes ægri fiunt *carotici*. Item facit huc nimius *odor croci*, qui vi narcoticâ ad gravem carum disponit, ut observavit BORELLUS *in Observat.* in famulo aromatarii, qui dormiens super sacculum croci semimortuus repertus fuit. Aliud exemplum videb. *in Colleg. Pharm. in Schred. P.* 1. *p.* 43. *ubi de Croco*. Pertinet huc abusus *fumi nicotianæ*, cujus oleum ut ipsum est admodum narcoticum, & vi narcoticâ suâ caroticos reddit nimium haurientes: vid. OSVVALDUS GREMBS *in Arbore Integra & corrupta Hominis lib.* 3. *cap* 1. §. 37. Item nux juglans, vel potius, qui sub arbore

bore juglandis diutiùs verſantur aut dormiunt, Caro corripiuntur, hinc etiam à Grecis veteribus nuces *καρύα* dicuntur, quod ſomnum caroticum ſive capitis grauedinem inducant: uid. HILDESHEIM *in Spicileg.4. pag.394. de Affect. capitis*. Denique hydrargyri ſeu *Mercurii vapor* intrò hauſtus, uti uaria infert ſymptomata facultatis animalis, ita pariter interdum Carum infert, Autore PALMARIO *de Morb. Contagioſ.* dum uapore hydrargyri naribus excepto faber quidam aurarius ſtatim graui ſomno correptus concidit, & difficillimè poſtmodum curari potuit. Adeòque hi ſunt *propriè carotici*, qui *ex errore quodam externo* in talem profundum ſomnum incidunt. Quò referendi etiam ſunt ii, qui poſt graues purgationes, *concuſſiones* capitis, ejuſque *contuſiones*, ſiue caſu ab alto ſiue quacunque læſione externa, profundo ſomno ſepulti, & quaſi apoplectici, jacent. Carus ergò pertinet ad affectus, qui oriuntur errore externo, narcoticâ nempe alicujus rei ui, aut aliâ cauſâ extrinſecùs in corpus, ſiue aſſumendo ſiue inſpirando illata, & omnes hi affectus Carotici proximè ad naturam apoplexię accedunt.

MEMBRUM II.

DE

COMATE SOMNOLENTO, ET VIGILI, ſeu CATAPHORA.

QUoad Coma, illud eſt duplex; uel ſomnolentum, uel uigil. Si enim ſomnolentia jungatur cum delirio tali, in quo excitati ęgri fere delięia loquuntur, ac denuò in ſomnum relabuntur, uocatur *Coma ſomnolentum*, & *Cataphora* ab aliis dicta; hęc enim duo HIPPOCRATI ſunt unum idemque. Inſignem ęgri habent ad ſomnum propenſionem, ita ut etiam actu dormiant, ſimiliter tamen propter uaria inſomnia ſub ſomno delirent, facilè excitentur, & excitati ad quæſita reſpondeant, ſimul quoque in profundum ſomnum relabantur. *Coma* hoc propriè non eſt morbus, ſed eſt ſymptoma tantùm morbi; eſt enim ſopor pręternaturalis, qui febrientibus interdum accidit, tàm in febribus continuis quàm intermittentibus, ubi ęgri admodum in ſomnum inclinant, imò etiam ſępè profundè dormiunt. *In intermittentibus* quidem rariùs, imprimis in principio paroxyſmi, ſed potiùs incremento, quando frigus in æſtum mutari incipit; tunc enim febricitantes tales tali ſymptomate corripi ſolent, in ſpecie ſi febres diuturnæ fuerint. In *continuis* uerò obſeruatur ſæpiùs Coma ſomnolentum, uel in principio morbi, uel curſu, uel declinatione: In principio quidem, quando ægri graui morbo ſepulti jacent: in declinatione, quando per metaſtaſin materię morbificę facto raptu deferturad caput. Si autem cum tali ſomno adſunt uigilię internę ſeu Inſomnia, dicitur *Coma Vigil*, in quo ęgri habitu corporis externo, & organis ſenſuum externis, id eſt clauſis & in ſomnum propenſis oculis atque torpore, in ſomnum propendent, ac etiam dormiunt, licèt quoad internas operationes animales reuerà uigiliæ ſeu potiùs fortiora adſunt inſomnia, dum tales ſomniando delirant, ſubinde faucibus apertis clamitant, interdum membra inordinatè mouent, excitati uerò facilè oculos aperiunt, ineptè reſpondent & delirant. Uno nomine, adeſt, quoad externa ſenſuum organa, ſomnolentia ſumma; quoad interna. perpetuę vigiliæ cum delirio. Tale Coma Vigil, quod aliàs etiam dicitur *τυφομανία* ſeu *τυφομανὶα*, ita ut hoc & coma vigil pro uno habeantur, raròeſt affectus ſolitarius, ſed utplurimum aliis, v. g. phrenitidi, lethargo, ſpeciatim in febribus malignis, ſolet eſſe obvius, in quibus tamen potiſſimum ſignum eſſe ſolet imminentium phrenitidum & convulſionum, uti rectè obſervat FORESTUS *lib.6. Obſ.38. in ſchol.* adeò vix ab illis peculiarem curam poſtulat, modò illorum remediis adjungantur cephalica reſolventia, aut potiùs modò vigiliis, modò ſopori, medela fiat, prout ſcilicet hunc aut illas prævalere obſervamus, id eſt, aut perfectus ſomnus, aut perfectæ vigiliæ inducantur, in quo poſteriore caſu poſtmodum opiata totum negotium abſolvunt. Conveniunt cataplaſmata, qualia dabo *Sect.2. Cap.3. Art.6. ubi de Cephalalgia febrili*. *Comata* hæc obſervantur interdum, ſed raró, *ſine febri*: obſervatum enim fuit Coma ex crudis julis ſambuci comeſtis abſque febri in BARTHOLINI *Act. Med. Haſn. Volum.1. pag.64.* Sanè, ut rectè dicit VVEDELIUS *de Opio pag.46.* rariſſimos eſſe affectus ſoporoſos, in quibus non ſimul calor præternaturalis percipiatur; ita comata utplurimum ſunt ſymptomata febris, ſiquidem *in intermittentibus*, præſertim chronicis, non quidem in principio, ſed ſub incremento, quando mutatur frigus in æſtum, ſtatu & declinatione paroxyſmi; ægri profundè dormiunt; quin & in *continuis* ſubinde comata obſervata fuerunt, in quibus delirium vehementius ſubinde convulſiones imminentes præſagit. Non ſolùm obſervantur in principio & curſu morbi, ſed ſuperveniunt etiam in declinatione, quando per metaſtaſin materiæ morbificæ factâ rapturâ defertur ad caput, & ibidem coma infert.

MEMBRUM III.

DE

LETHARGO,

PErtinet ad hos ſoporoſos affectus *tertiò Lethargus*, ſeu *Veternus* Latinis, Veteribus *Arabibus Subeth*, dictus qui propriè eſt ſopor profundus ejuſdem generis cum comate ſomnolento, cum delirio & inſigni oblivione omnium rerum conjunctus, in quo affectu ægri profundè dormiunt, & excitati licet, ſubitò tamen in ſomnum denuò relabuntur, ſtupidi ſimul ſunt & admodum oblivioſi, ita ut *Lethargici* excitati, ſi interrogantur, reſpondeant quidem, aliquid autem poſtulantes, e. g. matulam aut aliud quid petentes, dum illam adhuc in manu tenent, mictionis tamen aut actionis perficiendæ obliviſcantur, ita ut neſciant, quid cum re petita facere velint, ac in ſomnum relabuntur: Adeſt præterea delirium; excitati enim lethargici reſpondent quidem, ſed inconditè & inconvenienter, non ſecus ac ii, qui naturaliter ex ſomno profundo excitati non adeò ſubitò vel appoſitè reſpondent, ſed inordinatè & ridiculè loquuntur. Cum hoc lethargo febricula lenta eſt coniuncta, eaque *continua*, quæ tamen ferè veſpertino ac matutino tempore exacerbatur; *calor* nec acris nec mordax eſt, *pulſus* ſunt *frequentes & magni*, *urina* ut jumentorum redditur *turbida*. Primariam eſſentiam lethargi conſtituit ſopor oblivioſus.

MEMBRVM IV.

DE

NOCTAMBVLIS.

PErtinet *quartò* ad hos affectus etiam, quando cum ſomno inſomnia juncta ſunt, ut in incubo & noctambulis, utut reverà propriè loquendo non ſit affectus morboſus. Eſt enim reverà res maximam partem naturalis, dum clauſis organis ſenſuum externorum ægri tales dormiunt; validâ verò animæ rationalis, cum imaginatione, actione per ſpiritus paulò fixiores agitatos vigilent, à quo poſteriori etiam moveri quidam ſolent, neſcientes tamen quorſum, adeoque eſt quaſi *ſomnus vigilans*, & *vigilia ſomnians*. Uno nomine: eſt *validum ſomnium*, quod non ſecus atque nos ipſi interdum in ſomno ea loquimur, quæ ſomniamus, movendo linguam, laryngem & maxillam inferiorem, interdum quoque pedes aut brachia movemus; ita hi *noctambulones* moventur ad iſtas actiones, ad quas ſomnium dirigit, dum dormiendo ſurgunt, ambulant, & varia opera pro exercendis ipſis vigilantibus aliàs inſueta & horribilia, vel formidantia, vel impoſſibilia exercent, idque nunc clauſis nunc apertis ſeu potiùs ſemi-conniventibus oculis. *Clauſis quidem oculis* in iis locis, quæ interdiù ſæpius peragrare ſolent; in locis verò minus conſuetis, in quibus etiam non ſine nocumento verſantur, oculis ſubinde *conniventibus* ſolent verſari; idque interdum cum damno, dum cadunt ab alto, interdum ſine nocumento. *Symptoma* hoc *hypochondriacis eſt familiare*, iiſque, qui ſimul ad pathemata melancholica nonnihil inclinant, adeoque ſuo modo eſt quaſi affectus mixtus ex affectibus melancholicis & ſoporoſis. & quaſi gradus quidam levior *deliri* aut *melancholiæ hypochondriacæ*, ac ſimili etiam ratione curandus venit. *Auſcultat* verò ſubinde *lunæ phaſibus*, unde nunc plus nunc minus affligit; unde etiam à quibuſdam tales vocantur Lunatici, utut hoc nomine interdum etiam intelligatur epilepſia inveterata ſecundùm lunæ phaſes plus minus affligens, uſitatiùs tamen

hoc

tamen hoc nomine noctambulorum affectus venit.

Hos inter affectus primariam considerationem meretur Lethargus (nam cæteri aut sunt rari aut à causa oriuntur externa, aut alios comitantur morbos) qui revera est morbus primarius, nec adeò rarus, simulque periculosus, & subindè in Praxi occurrit.

CAUSÆ LETHARGI,

& reliquorum

AFFECTUUM SOPOROSORUM.

Quoad causas somni præternaturalis, cujusque variorum modorum: sicut *somnus naturalis* dependet ex imminuto spirituum in organa externa influxu, ex aliquali eorundem torpore, dum minus volatiles minusque subtiles, sed potiùs phlegmatici facti, minus prompti sunt ad obeundas functiones animales per solitas expansiones & excursiones; ita pariter *causa proxima* & ratio formalis Lethargi, & aliorum affectuum soporosorum in genere, est spirituum animalium nimius torpor seu elasticitas fracta, & plus minus impeditus motus intra cerebrum, quo inepti fiunt motionibus & expansionibus debitis ad obeundos sensus & functiones necessarias, unde consequenter somnus supervenit.

Causam remotam, propter quam torpidi redduntur & deficiunt in motu, suggerunt ea, quæ naturaliter somnolentiam & nimium somnum inferre valent: nempe causa est vel

1. Spirituum paucitas & hebetudo.
2. *Nimia aquositas* ac pituitositas *massæ sanguineæ*, & in specie hinc *cerebri*, indeque *phlegmatica spirituum animalium constitutio*, qua instar spiritus vini non rite dephlegmati deficiunt in debita volatilitate & mobilitate, & torpidi redditi faciunt tales affectus.
3. Virulentia stupefactoria quædam, quæ speciali virtute spirituum animalium impetum sistere, adeoque *narcosi* seu stupore eos inquinare & afficere valet.
4. Quæ cerebrum mole sua comprimunt, v.g. sanguis tam intra vasa stagnans, quàm extravasatus, cranium depressum, & cerebri tumores.

Quod verò causæ hæ modò Coma, modò Lethargum, modò Carum producant, vehementiâ distinctos affectus, partim ex earum potentia majore, partim quod exteriores & corticalis magis quàm interiores & medullaris cerebri tractus horumque spiritus afficiant, dependet: vid. RIVERIUS *Pr. lib.*1. *cap.*2. & WILLISIUS *de Anim. Brut. P.*2. *c.*3. *&* 4.

I. Primò ergò spirituum paucitatem & hebetudinem somnolentiæ ejusmodi autorem existere posse colligitur, quod quæ spiritus enervant ac dissipant, scilicet hæmorrhagiæ, coitus nimius, vigiliæ, lassitudo, &c. talem non rarò producant: vid. PLATERUS *Observ. pag.*6. *&* 7. quò etiam Catalepsis ex amore pertinet, de qua vid. TULPIUS *lib.* 1. *Observ.* 22.

II. De secunda causa remota, quod sæpè oriantur affectus soporosi à nimia humiditate & inundatione cerebri, facta à sero & lympha, & ita à spiritibus animalibus quasi phlegmaticis constitutis, res minus dubia est.

III. De tertia causa quæritur: an citra externa inspirata, assumta aut admota, etiam humores in nostro corpore ita præternaturaliter alterari queant, ut vim anodynam & plus minus narcoticam acquirere, & ejusmodi narcosis ex causis internis generari possit? Id quod affirmatur à SENNERTO *Pr. lib.*1. *Part.*2. *cap.*32. *&* 33. ac WILLISIO *de Anima Brutor. P.*2. *cap.*3. 8. *&* 9. Quia extra corpus res non narcoticæ per certam mutationem secundùm minima fiunt stupefactoriæ, quod videmus in musto, quod ante fermentationem nullam possidet vim inebriativam seu stupefactivam; quando verò mustum incipit fermentare, exhalat Gas insigniter stupefactivum: Vinum fermentatum pariter fit narcoticum, propter spiritus fermentatione in eo genitos: Sicut enim *ex musto* per fermentationem & secundum minima alterationem; sicut quoque *ex ligno* & carbonibus per combustionem natis & incensis, emergit de novo virulentia talis narcotica, quæ antea formaliter in iis non præexistebat: ita simili ratione nostro in corpore humores diversimodè alterari, ac similem virulentiam stupefactivam induere ac acquirere possunt. Simili modo ac morsus hominis irati venenosus est: vid. RHEDI *de Vipera*, Archiater Florentinus, contra quem quidem scripsit CHARAS, natione Gallus. Hinc HELMONT. *Venenum inebriativum* soporosos affectus producere ait. Et talem *vim anodynam* etiam subinde in affectibus soporosis, præsertim Lethargo, pro causa similiter agnoscit WILLIS. *de Anim. Brutor. P.*2. *cap.*3.

Quod ergò attinet *aquositatem & inundationem*, ac pituitositatem sanguinis & *cerebri*, indeque oriundum torporem spirituum animalium, notum est ex structura cerebri, quod in hujus substantia corticali separentur spiritus ex sanguine, ita ut depuratissimi ab omni phlegmate aquoso seu ab omni latice in cerebrum scaturiant; hinc non tantummodo substantia cerebri medullaris pinguis & quasi oleosa percipitur, nihil aut parum aquositatis admittens, sed etiam ob id receptacula in cerebro hinc inde pro recipiendo sero sunt excavata, nempe ventriculi. Præterea reperiuntur etiam hinc inde consitæ glandulæ copiosæ, quæ, quicquid superfluum est aquæ, absorbent, & sub lymphæ nomine aliorsum derivant, cùm & ipsa tota corticalis cerebri substantia, per quam imprimis fit spiritus animalis filtratio & quasi destillatio, glandulosa sit, lympham & laticem uberiùs absorbens, & volatiles exinde generans spiritus animales. Quodsi ergò fiat, ut nimis humectetur aut irrigetur præternaturaliter cerebrum à tali seroso latice aut lympha, sive in istud influente, sive in ventriculis ejus, & per consequentiam etiam substantiâ, stagnante, vel etiam ex massa sanguinea, mediante *colluvie serosa* variis recrementis onusta, in cerebrum destillet, qua ratione *loco criseos Lethargum subnatum*, per decubitum materiæ morbosæ in cerebro observat WILLIS. *cit. loco*; qui ipse tam *in Anatom. Cerebri*, *quàm P.*2. *de Anim. brutorum cap.*3. in Lethargicis quoque *alia loca sero inundata obser.* A tali causa spiritus volatiles animales in porulis cerebri hinc inde refertis, propter impedimenta motus debitæque expansionis, minus mobiles, torpidiores & quasi phlegmatici ac minus mobiles redduntur, & hinc in nervos radiatio admodum impeditur, unde pathemata soporosa lethargica, item obliviositas & ex perturbato spirituum motu delirium supervenit. Vid. quoad hanc materiam WILLISIUS *in Anat. cerebri*, qui sæpiùs in lethargicis ventriculos cerebri semper aquâ seu copioso sero repletos invenit; item *Tract. Anima Brutor: P.*2 *ubi de Lethargo pag.*309. quod idem confirmat CAROLUS PISO *de morb. serosis Sect.*2. *Part.*2. *cap.*3. *&* 6. His ergo repletis, id quod superest laticis aquosi, necessariò cerebrum inundat, & ita necessariò occasionem lethargo præbet. Hinc est, quod subinde *ex Hydrocephalo* oriatur *lethargus*, teste HILDANO *Cent.*1. *Obs.*10. item *Cent.*4. *Observ.*10. sicuti etiam SEVERINUS *observat* infantem hydrocephalo laborantem, in eleganti *Tr. de Occulta Abscessuum natura*. Hinc isti, qui constitutionis sunt phlegmaticæ, naturaliter somnolenti esse magis solent, non secus ac naturaliter infantes propter eorum cerebrum fluidius, mollius & humidius, copioso sero rorido inundatum, & spiritus animales ob id torpidiores minusque subtiles, admodum soleant esse somnolenti. Hinc observatum fuit, quod *à crebriori capitis lotione* coma somnolentum enatum in nobili Polono refertur in M. A N. C. *Ann.*3. *Obs.*327. *p.*541. Sic quando incipiunt affligere catarrhi, & similes affectus capitis serosi, lympha in cerebri partibus copiosiùs congesta ante sui excretionem nimis humectando cerebrum, utplurimum ad gravitatem capitis & extraordinariam quandam in somnum propensionem solet disponere. Hinc est, quod *suppressio urinæ* à calculo renum subinde insignem soporem soleat inferre: Sic coma vigil *à sero* enatum in sene refert PISO *Tr. de Colluvie serosa pag.*78. *&* SANCHEZ *in Observ. pag.*380. refert, quendam, qui cum laborasset comate vigili cum febre continua, in capite ejus inventi sint cerebri ventriculi multâ aquâ pleni. Unde etiam petenda ratio, quare lethargicis facies sit pallida & tumida, oculique tumidi, ut ferè iis evenire solet, qui crapulam nondum edormiverunt, vel lethargici quoad faciei habitum quasi Leucophlegmatici videntur. Facit huc observatio DECKERI *in Barbette pag.*36. de lethargo gravi, *sternutatorio* curato, copiosissimum pus per nares alliciente. Sic *lethargum periodicè repetentem* cum arthritide *ex vitio* seri observat PISO *cit. loco*: sicuti similem lethargum periodicum singulis annis eodem die recurrentem notat BORELLUS *Cent.*4. *Observat.* 67.

Quod attinet *vim narcoticam* succorum corporis ex eorundem præternaturali degeneratione enatam, spiritus animales

Cari prognosis semper est mala, præsertim si febribus continuis aliisque morbis cephalicis,& plagis succedat: siue autem ad salutem siue mortem terminetur, abit non raro uel in apoplexiam, uel in paralysin & spasmum; Vid. WILLISIUS *loc. all. cap.*4.

CURA.

In *Cura* Lethargi respectus habendus est imprimis ad Caussas remotas supra deductas, adeoque uel

1. Nimium phlegma, massam sanguineam ac imprimis cerebrum inundans, est euacuandum; nunc per aluum, nunc per sudorem, nunc per uesicatoria, nunc per sternutatoria & similia; Vel
2. Spiritus torpidi excitandi; nunc acidis, si uirulentia narcotica peccauerit; nunc uolatilibus acrioribus plus minus aromaticis, & ita uirulentia narcotica corrigatur: ubi à nimia humiditate cerebri malum originem duxerit, interné acribus, sensuum organa uellicantibus, somnus nimius impediendus.
3. Cerebrum aromatibus, & spiritus animales in motu deficientes restituendi, & in statum naturalem redigendi sunt.
4. Læsiones externę, si adfuerint, per Chirurgiam curandę.

Quoad primam indicationem: inter euacuantia *venæsectio* in Lethargo à sola narcosi interna uix conuenit; ast ubi à colluuie recrementorum, mediante sanguine & sero cerebrum inundante, malum ortum fuerit, uenę sectio ferè semper necessaria est pro scopo *aversorio* aut *derivatorio*, & quidem primò in brachio, uel secundùm quosdam recentiores in uenis iugularibus (uid. WILLISIUS *loc. cit. pag.* 319. RIVERIUS *loco all.* & RIOLANUS *Enchirid. Anatom. Patholog. lib.*3. *cap.*93.) postmodum, si opus fuerit, in crure; siue sanguis causę principalis, siue adiuuantis, rationem habeat, modò ętas & uires illam ferant, quæ non tàm ex actionibus nunc deficientibus, quàm quales ante insultum fuerint, æstimandę. Quem in finem, & quò sanguinis eductio repeti queat, non unâ uice tantum, quantum opus est, statim sanguinis emittatur, cùm per iteratam sanguinis missionem Reuulsio commodiùs fiat, uiresque magis conseruentur. Quibus non sufficientibus altero die *cucurbitulæ scarificatæ* intra scapulas, aut *hirudines* fronti, temporibus, & prope aures applicari possunt.

Simul uerò mox in principio acria & fortiter stimulantia clysmata iniecta & suppositoria optimo cum successu conueniunt, pręprimis si Purgantia non possint conuenienter adhiberi: quibus imprimis addenda salia uolatilia: v. g. fiunt tales clysteres ex Centaurio minori, maiorana, saluia, origano, absinthio, serpillo, ruta, pyrethro, felle tauri inspissato, pulpa colocynthidos in petia ligata, cum electuario de hiera picra cum agarico, cum electuario Indo, & similibus: v. g.

℞. *Herb. Absinth.*
Centaur. min.
Fol. rutæ an. M.j.
Rad. Pyrethr. ℥iii.
Pulp. Colocynth. in pet. lig. (aliàs exulcerat intestina) ℥ß. ad ℥i.
Coqu. in s. q. *Aquæ commun.*
Colat. ℥ix. adde
Elect. hier. cum Agar. ℥i.
Fellis tauri inspiss. ℥i.
Salis vol. succini ℥ß.
Vitell. ovi No.i.
(Vel ubi fortiùs stimulandum
Salis gemm. ℥ß.)
M. f. Clysma; S.
Clyster abstergens.

Aut

℞. *Fol. Asari* uel *Nicot.*
Herb. Rutæ,
Flor. Centaur. min.
Stæchad. Arab. an. M.ß.
Rad. bryon.
Gentian. an.℥ß.
Pulp. Colocynth. in pet. lig. ℥iß.
Coqu. in s. q. *Aquæ comm.* uel *urinę hum.*
In Colat. ℥vii. dissolue
Elect. hier. picr. cum agar. ℥i.
Fell. tauri inspiß. ℥i.
Ess. Castor. ℈ii.
M. f. Enema.
D. S. ut suprà.

Vel ad imitationem PLATERI *Pr. Tom.* 1. *pag.* 322.

℞. *Succ. betæ* ℥ij.
Rutæ.
Saturciæ an. ℥j.
Mell. rutac. ℥iß.
Ol. nucum ℥ij. vel *diacolocynth.* ℥j.
M. f. Enema.

Item subinde applicentur suppositoria, eaque etiam acutiora; nunc scilicet suppositoria acuta usitata, illita cum felle tauri, aut illita cum oleo Colocynthidos Quercetani; vel præparentur de novo ex melle inspissato cum sale gemmæ, aut ex felle tauri inspissato, cum speciebus hieræ picræ, & similibus, quæ cum melle conjunguntur in formam suppositoriorum applicanda:

℞. *Spec. hier. cum Agar.* ℥iß.
Sterc. mur.
Fell. tauri inspiß. an. ℥j.
Cum s. q. *Mell. anthosat.* vel *rutac.* f. suppositorium,
Cum *oleo dia-Colocynth.* aut *Myrrhæ* illinendum.

Quodsi nec resuscitari videtur æger, præmissis talibus vesicatoria largiora & paulo acriora, item sternutatoria, summo cum successu usurpantur in lethargo, & tunc imprimis, quando oriuntur affectus comatosi in declinatione cujusdam morbi; tunc enim propter metastasin materiæ usurpantur: illa quidem *pro scopo aversorio*; hæc autem *pro scopo excitatorio*, ac simul *evacuatorio*, sed non nisi istis priùs præmissis: v. g.

℞. *Pulv. Cantharid.* ℈j. ad ℈ij.
Euphorb. ℈ß. ad gr. xij.
Castor. gr. xv. ad ℈j.
Ferment. acerr. ℥ß. ad ℥j.
M. f. Cataplasma vesicatorium,
D. S.
Emplastrum vesicatorium.

Nam acria ac dolentia in talibus ægris omninò requiruntur. Vel

℞. *Empl. citrin.* vel *diachyl. Ireat.*
p. iij.
Pulv. Cantharid. p.j.
Misc. & malax. cum *ol. Euphorb.* pro Vesicatorio.
D. S. ut antè.

Applicari nunc possunt ordinario modo nuchæ, id est loco circa aures vel collum, nunc vertici, *nunc* ad imitationem WILLISII *sincipiti*, nunc occipiti, nunc brachiis, nunc scapulis, pro scopo derivatorio; *nunc cruribus* pro scopo revulsorio: vid. WILLISIUS *de Anima Brutor. cap. de Lethargo*. Imò etiam applicentur parotidibus, pręprimis si has in tumorem attolli observatur, cùm interdum soporosi affectus per has resolvantur, & lethargum surditate solutum ZACUTUS LUSITANUS *l.*1. *Prax. Admir. Observ.*18. annotavit. Quantæ autem efficacię in his casibus vesicatoria sint, WILLISIUS *l. a.* duobus exemplis notabilibus testatur.

Curavi puellam quatuor annorum, quæ laborabat tineâ capitis, qua evanescente superveniebat Epiphora, oculi dextri cum sensili oculi atrophia. Hac cessante, superveniebat febricula lenta, omni vespere exacerbabatur cum continua in somnum propensione, quæ omninò superveniebat ex tinea capitis & ejusdem fermento acri, mediante lympha ad interiora rapto: puella erat intractabilis, omniaque remedia respuebat, unde defectu aliorum remediorum applicabam vesicatorium nuchæ ex emplastro citrino, liquefacto cum cantharidibus, quod ingentem vesicam efficiebat cum copiosissimo seri profluvio: unde altera die omnis febris & somnolentia evanescebat, epiphora cessabat, & tandem tertia die restituebatur.

Quodsi ab his affluxum aliquantum sedatum esse dignoscas, maturè adhibeantur Purgantia. Inter ea autem primatum obtinet *Vomitus*, qui si commodè potest institui (statim enim in principio, nisi à causa externa, aut à virulentia narcotica interna fuerit, obesse potius quàm prodesse videtur, prout contra communem agendi modum testatur WILLISIUS *loc. all.*) admodum proficuus est, ut vel virulentia narcotica, vel copiosi succi evacuentur: sic enim RIVERIUS *Cent.* 4. *Observat.*28. puerum quin-

que annorum veterno correptum acri clystere & vomitu curavit. Hæc inter, uti notum est, eminent Emetica antimonialia seu vina emetica: Item Tinctura Nicotianç cum spiritu vini extracta, ad drachm.ij. propinata. Loco Vomitoriorum si non sufficiant illa, aut forte nequeant vomitus institui, Purgatio per alvum instituatur citò, neglectâ temporum electione; Neque enim timidus aut cunctabundus Medicus in purgandis Lethargicis debet esse, & quidem forti medicamento fiat, aliàs enim eventu frustrabitur. Inter *Purgantia* imprimis est purgans ex scammonio, cui semper Castoreum, quod affectuum soporosorum appropriatum est alexipharmacum, commisceatur, & jam à TRALLIANI ætate fuit celebratum: v.g.

℞. *Castor.* ℈ij.
Scamm. præp. ℈j.
M. pro 2. dosibus, & detur in vehiculo oxymel.

Quo curavit BORELLUS virum quinquaginta quinque annorum, uti videre est in *Cent.*1. *Obser.*52. Conf. ZACUTUS LUSITANUS *lib* 1. *de Med. Princ. Hist* 16. ac FORESTUS *lib.*10. *Obs.*33. qui curavit Lethargum beneficio pilularum Cochiarum, cum castoreo propinatarum. Aliàs *Extractum melanagogum Quercetani* à scrup.j. ad drachm.ß. item *Extract. esulæ aut trochiscor. alhandal* à gr. vj. ad xij usurpatur, aut aliis addita pro stimulo conveniunt. E.g.

℞. *Extr phlegmag. Querc.* ℈.ß. ad ℈.j.
Castor. vel *Castor. pulverif.* ℈.ß.
Troch alhand. gr.ij
Resin. Ialapp gr.I. ij. ad V.
Cum *eß. Castor.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ purgantes.

℞. *Maßæ Pilular. cochiar.*
Hier. cum agar. an gr. jx.
Mag Ialap.
Extr. Castor. an. gr.iij.
Troch. alhand. gr.ij.
M f Pilul.
D. S. ut antè.

Dictis pilulis commodè etiam Mercurius dulcis addi potest, cùm hic in similibus affectibus aliàs sit egregius. Vel

℞. *Crystall. Tartari* gr.xv.
Scamm. præp ℈ß.
Mag. gum. de Peru gr.iij.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis purgans.

℞. *Ess. Ialapp.* ʒiß.
Scamm ʒj.
Castor. ʒß.
Syr. dia Cartham. ʒij.
M. S.
Essentia purgans.

Præmissis hisce modò narratis universalibus, idque imprimis in casu, quod oriantur affectus soporosi à colluvie serosa (nam si virulentia narcotica hos affectus induxerit, vomitus sufficit) progressus faciendus est ad ea *appropriata*, quæ aut spiritus animales excitant, volatilisant, & agiles reddunt, eorum torporem excutiunt, & ita somnolentiam nimiam compescunt, acrimoniâ suâ subtili penetrando, & sensuum organa vellicando, aut eosdem plus minus restituunt & augent, aut virulentiæ narcoticę resistunt.

In casu ergo colluviei serosæ peccantis alcalia acria volatilia plus minus aromatica, ex plantis acribus cephalicis desumpta, sunt optima; sicuti, quando virulentia narcotica peccat, acida, imprimis acetum, sunt optima. Utroque in casu primatum ducit *Castoreum*, reliquis remediis semper sociandum: singulare est remedium contra affectus soporosos; hinc quævis inde parata interna & externa, vel sola, vel cum acidis, vel alcalibus mixta, præsertim eius *essentia cum spiritu salis ammoniaci urinoso* parata, in largiori dosi propinata, est egregia. Conveniunt ergò in priori casu ruta, serpillum, Pulegium, Origanum, satureia, salvia, Calamus, aromaticus, Raphanus, Cubebæ, semen sinapi, Erucæ, Nasturtii, &c. quæ ipsa insigniter laudantur ad curandum lethargum; Scilla & similia acria volatilia, exque his parata remedia, spirituum animalium torporem corrigentia: Hinc & salia *volatilia* quæcunque, tam *acria* quàm oleosa facta, in Lethargo, apoplexia & Caro, salubriter usurpantur: nempe *spiritus salis ammoniaci. spiritus formicarum volatilis, spiritus seminis sinapi*, sal volatile urinæ, succini, & quæcunque alia, quò acriora, eò meliora, cum vehiculo *aquæ liliorum convallium spirituosæ* propinata, sunt optima, quibus WEDELIUS plus præstitit in affectibus soporosis, quàm spiritibus aromaticis sulphureis: Videatur *Opiologia eius pag.*46. 47. & 52. Quibus spiritus, olea & essentiæ vegetabilium adiungenda, v.g. *Essentia anthos, maioranæ, liliorum convallium*, rutæ, *croci*, spiritus & elixyr citri, Essentia ambræ cum spir. rosarum vel spir. liliorum convallium, cerasorum nigrorum, *oleum anthos maioranæ*, rutæ, caryophyllorum, salviç, satureiæ, similiaque, tàm simplicia quàm composita, per se nota, adduntur. Decoctum *herbæ Theæ* à modernis admodum decantatum optimè convenit, somnolentiam nimiam naturaliter discutiens citra virium dispendium; hinc commodè cum aliis appropriatis, in specie post crapulam, usurpari potest. Est plantula Sinensis & Japanensis foliis myrtinis: hęc collecta coquitur in aqua, istiusque decocti, quod saporem acquirit aromaticum, haustus interiùs assumptus mirum est quàm arceat omnem somnum, ita ut quis etiam per triduum sine somno continuò persistere possit: hinc etiam acuit admodum ingenium. Venetiis, ni fallor, in Germanico domo, *in Emporio Germanorum*, est in usu. Præparandi modus & descriptio huius herbæ videatur in TULPIO *lib.*4. *Observat. cap. ult.* item in WORMII *Mus pag.*165. item BORELLO *Cent.* 3. *Observat.* 39. item SCHROEDERO in *Pharm. Append.* item DEODATI *Valetudinar. pag.*169. Denique est radix Indica, quę vocatur radix Cusci, quam mirificam externo usu esse ad curandum Lethargum refert KIRCHERUS *in Regno Naturæ Magnet. pag.*45. De his acribus remediis torporem spirituum excutientibus, vid. SYLVIUS *lib* 2. *Prax. cap.*26. E. g.

℞. *Aquæ Maioran.*
Rutæ an. ʒiß.
Apopl. ʒvi,
Eß. Castor. ʒiß.
Spirit. fulig. ℈ii.
Syr. de Beton. ʒj.
M. S.
Mixtura emolliens cochleatim sum.

℞. *Spiritus serpill.*
Cort. Citri an. ʒiß.
Sangu. hum. ʒj.
M. D. S.
Spiritus emolliens.

℞. *Conf. Salviæ,*
Anthos
Lavend. an. ʒj.
Spec. di Anthos ʒiß.
Pulv. Cubebar. ʒj.
Sem. sinapi,
Castor. an. scrup.ij.
Cum *syr. flor. pæon.* f. Electuarium:
D. S.
Electuarium emolliens ad Caput.

De reliquis *infrà Sect.*3. *Capit.*3. *Artic.*1. *ubi de Apoplexia*, dicetur.

Quod si verò virulentia narcotica vel ab externa vel ab interna excitata causa affectus soporosos induxerit, conveniunt *acida volatilia* internè & externè: qualia sunt acetum vini, aceta medicata diversa, in specie acetum hystericum Mynsichti, acetum cui castoreum infusum, acetum & oxymel squilliticum, spiritus sulphuris per camp. Veteres *oxymelle squillitico* fuerunt contenti; hodie *spiritu* imprimis *vitrioli volatili* utimur, cuius legitimum signum est, quod non guttatim, sed in forma striarum in alembico appareat. Paratur ex vitriolo artificiosè calcinato, ita ut phlegma saltem evaporet, remanente spiritu volatili, qui postmodum per rectificationem à spiritu fixiore separandus; sic enim fit spiritus vitrioli volatilis excellens in cura lethargi. Excellit hic etiam spiritus æris viridis volatilis; vel per se adjectâ arenâ; vel cum aceto præparatus, qui loco spiritus vitrioli volatilis potest commodè usurpari: Spiritus vitrioli regeneratus, seu ex capite mortuo, aeri exposito, denuò destillatus (qui non tam est vitriolaceus quàm potius nitrosus) & ipse commendatur ad curam lethargi; vel adhibetur *spiritus vitrioli cephalicus D. Michaelis*, paratus ex eodem *capite mortuo* aura exposito, quod irroratur largiter cum *spiritibus vegetabilibus* cephalicis, cerasorum nigrorum, florum tiliæ, li-

liorum convallium, majoranæ, salviæ: Hoc destillatum more solito, & post rectificatum, dat spiritum cephalicum admodum penetrantem & volatilem, qui in cura lethargi mirabilis est. Propinatur ad gutt. 20. vel 30. in *aquis* appropriatis *liliorum convallium*, *rutæ*, majoranæ, roris marini, *cerasorum nigrorum*, *serpilli*, aqua quadam apoplectica, & similibus. Admodum convenit, & egregiè restituit ægros, spiritus vitrioli epilepticus Quercetani cum urina pueri paratus, loco cujus *spiritus æris viridis* jam dictus usurpatur. His præ cæteris addatur acetum vitriolatum benedictum, D. LANGIO in secretis positum, remedium quidem singulare in affectibus catarrhosis, & etiam in affectibus soporosis. Modus præparandi est hic:

Vitriolum in crucibulo leniter calcinatur ad absumptionem phlegmatis: exhausto autem phlegmate crucibulum tegitur operculo, & hoc contegitur *carbonibus vivis*, ita ut per quadrantem horæ calcinatum exactè rubescat: hoc modo *calcinatum pulverisatum*, per setaceum subtiliter traiciatur: postmodum

℞. *Carbon. faginor. duror. bene pulverisat. ac per setaceum traiect.*
Vitrioli istius præp. an. ℥ij.

Benè mistæ indantur vasi pleno & satis patulo terreo, quodque igni tamen resistere valeat, imponatur carbonibus in furno venti, benè calcinentur, continuò agitando cum ratibulo ferreo tam diu, donec nulla amplius scintilla in mistura appareat: Hinc

℞. *h. m. vitriol. præparatum:*

Affundatur *acetum destillatum acerrimum*, ponatur in digestionem in loco calido, aut saltem vase benè contecto, exponantur radiis solaribus, idque per quatuordecim dies & noctes, hinc filtretur acetum per chartam, eritque sic paratum acetum vitriolatum benedictum.

Dosis est à gutt. x. ad xij. in aqua appropriata assumendum: In omnibus catarrhis frigidis, ut vocant, item in affectibus soporosis, admodum commendatum.

Hæc ipsa internè & externè in Lethargo narcotico sunt optima; quibus omnibus semper castoreum addendum est, summum specificum in his affectibus, tam in forma pulveris, quàm essentiæ, extracti; vel aqua hirundinum cum castoreo, vel aliis modis, usurpetur: e g.

℞. *Aquæ ceras. nigr.*
Serpill. an. ℥iß.
Aceti hyster. Mynf. vel *squillit.* ℥ß.
Ess. Castor. ʒij.
Oxymell. squillit. ʒvj.
M. S.

Mixtura emolliens ad caput, cochleatim sumenda.

℞. *Succin. præparat.* vel *catarrhal. Mich.* ʒj.
Cinnab. antimonii ʒß.
Castor. ℈ij.
M. f. pulvis:
Divid. in 4. part. æqu. S.

Pulvis caput confortans.

Quibus ac similibus ritè administratis in fine Cura *Sudorifera*, ex *lignis* imprimis parata, curam claudat.

Post hæc & *sternutatoria* & apophlegmatismi applicentur. Illa, eaque acria, facienda sunt ex radicibus & floribus liliorum convallium, castoreo, turpetho minerali, & pauco radicis hellebori albi, & euphorbii; item ex pulvere nicotianæ cum euphorbio, utut cautè, quibus pro meliori penetrantia grana quædam salis volatilis urinæ, vel salis ammoniaci volatilis, &c. addi possunt, in specie in apoplecticis; aut spiritus salis ammoniaci cum calce viva paratus. Nam hæc salia volatilia commodè permiscentur cum talibus sternutatoriis acrioribus, cùm fortiter penetrent cæteris addita, dum interea alia acria sternutatoria vellicant. *Vitriolum ad albedinem calcinatum* ad ʒj. solutum cum *aquæ majoranæ* ℥j. constituit liquorem, qui naribus attrahendus subinde, pro sternutatorio satis eleganti. Ad tertium autem diem, & post Purgantis operationem, differantur, ne materiam peccantem ad cerebrum magis commoveant apoplegmatismi ex sem. nigellæ, radic pyrethri, confect. anacardina, theriaca, &c. Sternutatoria per pennam naribus insufflanda sunt: v. g.

℞. *Pulv. Nicotian.*
Lil. convall. an. ʒj.
Rad. helleb. albi ℈j.
Castor. gr. xij. ad xv. vel ℈j.
Olei destill. Major. gutt. vj.
M. f. pulvis: S.

Pulvis sternutatorius.

℞. *Spec. dia Tabac. Mynf.*
Castor. an. ℈j.
M. f. pulvis.
D. S. ut *ante*.

℞. *Spec. dia Maior.* ʒj.
Pulv. rad. helleb. alb. ℈j.
Castor. gr. xij.
Olei destill. rutæ gtt. vj.
M. f. Pulv.
D. S. ut *ante*.

Vel sternutatorium TIMÆI *von Gulden Klee* in affectibus soporosis expertum, quod habet *in Cas. pag.* 20.

℞. *Elleb. alb.*
Castor.
Piper. alb. an. ℈j.
Olei destill. rutæ.
Maioran.
Salv. an. gtt. ij.
M. f. Pulvis.

Sternutatorium ex Turbith cum pulvere glycyrrhizæ videb. in BARBETTE *Praxi cum comment. Deckeri*, *pag.* 76.

℞. *Theriac. Androm.* ʒij.
Extr. castor. ℈ß.
Pulv. rad. Pyrethri ℈j.
Olei destill. succin. gtt. vj.
M. pro apophlegmatismo, palato illinendo: S.

Electuarium abstersivum ad Palatum.

Cum his & *externo* usu simul usurpanda, quæ aut spiritus excitare, eorumque torporem discutere valent, acria, penetrantia, & sensuum organa plus minus vellicantia. Admoveatur igitur crebriùs naribus spiritus salis ammoniaci acris, sal urinæ, vel oleum tartari cum sale ammoniaco, &c. in vitro angusti sed longi colli, potenter *lethargicos & apoplecticos* ac alios soporosos, non secus ac mulieres hystericas, excitans. Post hunc aliàs non inelegans experimentum est HARTMANNI ex aceto castoreo imprægnato, cum linteo vel spongia naribus admoto, & epithematis loco fronti & temporibus applicato. HARTMANNUS commendat spongiam cum succo *apii*, fœniculi, *& aceto rosaceo* vel rutaceo, cui adspergit pulverem castorei, & ita crebrò naribus admovendam; vel succus fœniculi, aut etiam succus rutæ recens expressus cum aceto & castoreo naribus admotus, vel cum linteis multiplicatis temporibus, fronti & plantis pedum applicatus, admodum laudatur. Quò etiam facit *acetum radicatum Riverii*, simili modo usurpatum; nam acetum admodum convenit ad arcendum somnum, & adducendas vigilias. Hæc aceta potentiùs penetrabunt, si cum semine nigellæ, rutæ, castoreo &c. cocta, laminæ ferreæ candenti affundantur, quò vapor nares ægri subeat: vid. HOEFERUS *Herc. Med. Part.* 1. *lib.* 1. *pag.* 82. Interim & simul tempora, frons, nares ac facies aquis apoplecticis ac spirituosis, oleis destillatis, succini, majoranæ, anthos, rutæ, saturejæ, serpilli, nigellæ &c. horumque balsamis, aliisque cephalicis illinantur, quæ ipsa etiam linguæ infra affricentur. Curavit WEDELIUS *loc. all.* affectum soporosum in puella spiritu salis ammoniaci volatili, cum aqua liliorum convallium spirituosa propinato: externè inunxit tempora, nares & præcordia oleo succini, & camphoræ cum pinguedine castorei, & in sacculo appendit camphoram, nigellam & castoreum. Capiti quoque admoveantur fomenta nervina, v. g. decoctum satureiæ, cujus etiam aliquot guttæ auribus instillentur: vid. SCHENCKIUS *pag.* 69. Artus nihilominus frictionibus asperioribus tractentur. *Sinapi* etiam *cum aceto* subactum, si hoc ipso fricentur plantæ pedum, vel instar epithematis applicetur, excitat lethargicos &c. Item epithema ex sem. sinapi, piperis, &c. cum spiritu vini & aceto: Vel fiat acetum aromaticum acre ex infuso & decocto baccarum lauri, juniperi, Zedoariæ, herbæ roris marini, seminis sinapi & nasturtii, & simil. e. g.

℞. *Olei destill. Salv.* ʒß.
Castor.
Succin. an. ℈j.
M. pro Oleo, temporibus & faciei illinendo. S.

Oleum expergefaciens.

℞. *Olei destill. rutæ,*
Saturciæ,
Serpill. an. ℈j.
Castor. ℈ß.
Cum s. q. *Corp. pro Balsamis* misc.
D. S.
Balsamus caput expergefaciens.

℞. *Herb. Apii* M ß.
Sem. nigell. ʒiß.
Castor. ʒj.
Ex incisis & contusis f. Nodulus, *aceto rutaceo* irrorandus: S.
Nodulus odorandus.

℞. *Aquæ hirund. cum castor.* ℥ij.
Spiritus cryställ. virid. æris ʒij.
M. pro temporibus & facie irrorandis: S.
Aqua externè applicanda.

Vel
℞. *Aquæ hirund. cum castor* ℥j.
Carbunc. ℥ij.
Spiritus Serpilli,
Virid. æris an. ʒij.
M. S. ut *antè.*

℞. *Aceti rutác.* ℥ij.
Spiritus virid. æris sulphur. ʒij.
Eß. Castor. ʒiß.
M. S. ut *antè.*

℞. *Succ. rutæ rec. expr.* ℥iij.
Spiritus virid. æris ʒij.
Sem. Erucæ pulverij ʒiß.
Pulv. Castor. ʒj.
M. f. Epithema: S.
Epithema externum.

℞. *Herb. Saturciæ*
Rutæ an Mß.
Zedoar. ℥ß.
Bacc. Iunip. ʒvj.
Lauri ℥ß.
Sem. Nasturt.
Sinapi an. ʒij.
Coqu. in s. q. *aceti* pro Epithemate.
D. S. ut antè.

Quodsi à sanguine extravasato, cranio depresso, similivè tale quid contigerit, hæc per remedia appropriata removeantur: de quibus in Chirurgicis videri potest, Elevatorium scilicet, Trepanum, &c.

Comata febrilia quæcunque optimè curat acetum naribus applicatum, quò validius, eò melius; unde & spiritus vitrioli reliquis præfertur.

Comata vigila, præter modò allegata, curat cataplasma ex raphano recenti cum ruta, aceto, fermenti s. q. & sale communi subacta, plantis pedum applicata, & subinde reiterata: vel ex ranunculo cum *sapone nigro*, *sale marino*, & fimo columbino, similibusque acribus invicem mistis paratum *cataplasma* dicto modo pedibus applicetur.

Quodsi Carus ex narcoticorum externo insultu, aut vaporibus venenatis Mercurialibus, aut ex esu nucum jugland. contractus; item qui inspiratum Gas liquorum fermentescentium sequitur &c. curatur, si vomitus maturè instituitur, hinc acetum, præsertim cum *castoreo* imprægnatum, naribus est applicandum, & etiam internè cum castoreo propinandum, ac postmodum spirituosis internis spiritus animales denuò volatilisandi. V. g. ex fumo carbonum, vaporibus venenatis, &c. si oriantur talia mala, vomitus præmittatur, cum pars affecta soleat esse circa orificium stomachi, & tales ægri conquerantur de angustia circa præcordia: In talibus enim apparet suffocatio, unde mox instituatur vomitus per valida vomitoria, post propinentur internè acida cum castoreo probè subacta, eaque in larga dosi, e. g.

℞. *Aquæ Menth.*
Rutæ,
Aceti rutac. an ℥j.
Ess. Castor. ʒvj.
Syr. acetos. citri ℥ß. vel *menthæ* ℥j.
M. D. S.
Mixtura spiritus excitans.
Capiatur crebrò cochleatim.

Naribus verò subinde admoveatur Castorei frustum aceto intinctum. Eadem valent, si malum sit à croco.

Quodsi quis ex abusu opii vel similium in carum aut soporosos inciderit affectus, præmisso vel omisso vomitu, accipiatur acetum vini vel rutaceum, acetum vitriolatum benedictum, vel scilliticum, in quo dissolvatur castoreum; quod est optimum. Hoc etiam figit opium & opii sal volatile oleosum omninò destruit. Unde etiam acetum assumitur à quibusdam ad præparationem laudani opiati. *Famulus cuiusdam materialistæ* cum aliquando ℈j. crudi opii pro reconciliando somno recepisset, binas noctes & dies continuò dormivit: tertiâ die vocatus Medicus recipere jubet *acetum squilliticum*, in quo *extractum castorei* dissolutum fuit, quod infudit copiosè ori, hacque mixtura frontem ac tempora, pulsus etiam manuum ac plantas pedum, & imprimis genitalia, irroravit largiter, & seduló fricanda iussit, sicque successivè denuò evigilavit, & ex mortis faucibus ereptus fuit. Si affectus soporosus ex opio contractus his corrigi non potest, præscribuntur sinapi, eruca &c. salia quippe volatilia languentia illa organa excitant. Clyster etiam ex vino Hispanico curat narcosin ex opio.

Quodsi *ex ebrietate*, abusu vini, spiritu vini ac simili potu generoso Carus aut eiusmodi affectus soporosus oriatur, præmisso *vomitorio*, si non spontè sequatur, acetum fronti ac temporibus applicandum, vel solum vel cum succo apii mistum. *Epithema verò ex succo sempervivi maioris*, cum *aceto & nitro* scroto aut testibus admovendum, ac subinde removendum; Potenter enim ebrietatem discutit. Sic WEDELIUS affectum soporosum à spiritu vini inductum curavit, applicando testibus lintea oxycrato imbuta, ubi statim natura sponte se liberavit vomitu, ubi postea propinavit Elixyr cephalicum, cum spiritu urinoso salis ammoniaci fortiùs acuatum: Vid. *Opiol. pag. 37.* *Spiritus* enim *salis ammoniaci* volatilis aut fuliginis corrigunt & destruunt acidum volatile vini, & inde natam ebrietatem, si sudor expectetur; sicuti & ille ante uinum assumtus, facit ut non inebriemur: si post potum assumitur, crapulam statim discutit.

In Genere ut meliùs obseruetur methodus medendi affectuum soporosorum, considerandum, quod affectus soporosi uel à causa externa uel à causa interna originem ducant. Si à causa externa, assumptis uel inspiratis, post *vomitum* conuenit *acetum & castoreum*: *si à causa interna*, habenda est ratio, an per se & primariò morbum constituant? v. g. lethargus: an uero febribus, aut aliis morbis in statu demum aut declinatione denuò superueniant? *Si per se morbum constituant*, attendendum, an uis narcotica in succis nostris enata; an uerò colluuies recrementosa, in specie serosa, uel alia in cerebri substantiam effusa, eum inducat. Quodsi ergo *per se ex colluvie recrementorum* originem duxerint, uel aliis morbis superueniant, & metastaseos materiæ morbosæ suspicio fuerit, uomitoria, purgantia, & clysteres, item uenæ sectio *aversoria & derivatoria*, hinc *sternutatoria & vesicatoria* sunt optima; quibus tandem *acria volatilia*, spirituum torporem excutientia, optime subiunguntur. Hinc enim & comati uigili, item comati soporoso malignarum uesicatoria nuchæ uel parotidibus, & cataplasmata pedibus applicata conueniunt. *Si verò ex* causa interna, siue *vi narcotica plus minus maligna*, originem ducant affectus soporosi, post *vomitum*, uel præmissum uel omissum, acria excitantia conducunt seu quæcunque *acria volatilia*, sensuum organa fortiùs uellicantia, & spirituum torporem ac immobilitatem corrigentia, uel in specie *acida*, *acria*, *volatilia*, uirulentiæ narcoticæ speciatim contraria.

MEMBRUM V.

DE

CATALEPSI.

PErtinet ultimò ad hos affectus etiam *Catoche* seu *Catalepsis*, affectus rarissimus & summè mirabilis, qui est, quando in ægro cessat omnis sensus internus & externus, unà cum cessante motu, ita ut ægrorum membra rigida & instar statuarum in sua positura, qua ægros corripit affectus, pertinaciter persistant, impulsa tamen moueantur, sed tamen denuò in ista per motum acquisita figura fixa perstent, oculis pertinaciter hiantibus, torui uident, in eodem, quo ponuntur seu collocantur, membrorum

rum positu permanent. *Non dormiunt tales ægri*, sed videntur dormire, dum nihil sentiunt, & tamen moventur, non *ab intrinseco*, sed saltim ab impulsu externo, instar machinæ cujusdam. Quamvis autem in gradu ejus remissiore interdum nonnihil audiant, videant, ac sublato paroxysmo referant, immoti tamen utplurimum sine voce ac tactu manent; hinc vulgò pro Ecstaticis habentur.

CAUSÆ.

In hoc affectu, *quomodo verè constituti sint spiritus animales*? vel quodnam speciale eorum uitium? adhuc *inexplicabile* est. *Fixatos* eorum spiritus esse, minusque mobiles, quàm naturaliter esse debent, certum est. Simul tamen etiam eosdem continuâ suâ præsentiâ membra actuare, & in tono debito conservare & animare, ex eo confirmatur, quod tales stent, sedeant, impulsi progrediantur, oculos apertos servent, adeoque, utut ipsi etiam hoc nesciant, semper figuram antiquam retineant. Unde ad *convulsiones* refert *Catalepsin* VALENTINI *Disp. Inaugural. de Convulsionibus*, ejusque *causam* dicit esse nimium spirituum motum, quatenus uno impetu cerebrum relinquentes, in utrumque musculum antagonistam irruunt, nec inde statim retrocedere possunt, unde rigor ille notabilis. Hoc fusè confirmat ex *antecedentibus*, *concomitantibus*, *juvantibus*, & *nocentibus*: Hinc D. D. DOLÆUS catalepsin, *apoplexiam inversam*, haud inconcinnè vocat in *Encyclop. Med. Tract. tit. de Catalepsi*. Chimici derivant ex fumis quibusdam vitriolaceis acidis, spiritus animales coagulantibus: SYLVIUS *Pr. lib.* 2. *cap.* 24. spirituum animalium *coagulationem* quandam, à spiritu quodam quasi urinoso volatili acri, qui sit similis spiritui urinę per fermentationem parato, coagulante spiritum vinosum rectificatum in quoddam colostrum candidum & spissum: Sed rem dubiam relinquit. Scriptores in hoc conveniunt, inesse certam quandum spirituum animalium coagulationem, tàm in toto quàm in partibus, id est, ut in illa spiritus non tantùm in cerebro, sed intra nervos quoque & musculos quasi coagulentur: qualis verò sit coagulator ille? difficile dictu, cùm nec spiritum illum vitriolicum seu acidum, quem nonnulli in hoc morbo sibi concipiunt, nec spiritum illum urinosum atque volatilem, spiritus animales instar spiritus vini coagulantem, ut SYLVIUS suspicatur, concipere liceat. Rarissimus aliàs est affectus, & qui varias habet *antecedentes causas*: Vid. imprimis HEINRICUS *ab* HEER *Observat.* 3. ubi duo singularia Catalepticorum exempla habet, RONDELETIUS *Meth. Med. lib.* 1. *cap.* 20. FERNELIUS *Pathol. lib.* 5. *cap.* 2. Sic FORESTUS *lib.* 10. *Observat.* 44. *in schol.* refert, puellam, cum nubere cogeretur, hoc affectu fuisse correptam: *Item lib. cit. Observat.* 41. *à frigore* quosdam rigidos instar Catalepticorum fuisse redditos. Item FONSECA *lib.* 2. *Consultat.* 92. refert catalepsin singulis septimanis recurrentem, sex horas tantùm durantem, in muliere *post mensium suppressionem* obortam. HILDESHEIM *in Spicil. Affectuum capitis pag.* 224. meminit cujusdam hypochondriaci Catalepsi correpti, idque, uti ipse affirmat, ex vaporibus ex liene adscendentibus. *A vermibus* quoque aliquoties Catoche observata est, qualia exempla refert MARCELLUS DONATUS *lib.* 2. *Hist. Mirab. c.* 2. & SCHENCKIUS *in Observat.* ubi aliquot historias mirabiles Catalepticorum habet. *In paroxysmis febris intermittentis* Catochen observavit DODONÆUS *Observ.* 44. A *fumo* & *vapore carbonum* accensorum simillimum Catalepsi affectum refert PLATERUS *lib.* 1. *Observat. pag.* 28. Jucundum hujus catalepseos exemplum est, quod refert TULPIUS *lib.* 1. *cap.* 22. Juvenis Britannus impensiùs amori indulgens, ex *inopinato repudio* matrimonii catalepticus factus est: cum verò illi acclamaretur, desideratam eum habiturum amicam, quasi excitatus ex profundiore somno actutum ad se rediit, & prosiliit.

PROGNOSIS.

Catalepsis morbus admodum periculosus est; periculosior tamen, si graviora ipsi combinentur symptomata, scilicet dyspnœia, excrementorum suppressio, viriumque imbecillitas.

CURA.

Remedia hactenus proficua sunt *Vomitoria antimonialia*, *spiritus vini rectificatus*, sive internè sive externè usurpatus: Item *cataplasmata acria*. Sic HENRICUS *ab* HEER refert Capuccinum catochicum factum, per *acre suppositorium* excitatum.

Locutus sum superiùs de vitiis spirituum animalium ac eorum generatione, à quorum legitimo motu & expansione, aut aucta, aut imminuta, sequuntur vel vigiliæ vel somnus: Pergo ergo nunc ad passiones animales, sive ad sensus externos, & ad impressiones in iisdem factas, prout hi ipsi (nempe sensus) ex impressione objectorum sensibilium in organis particularibus machinæ corporeæ variè alterantur & læduntur. Sic ergò

SECTIO II.

DE SENSIBUS EXTERNIS EORUMQUE LÆSIONIBUS.

Officia quibus præsunt animales spiritus, sunt Sensus & Motus, utrique vel interni vel externi.

Externos quod attinet *Sensus*, cùm hi reverà consistant in passione seu motione organi, inducta ab objecto externo sensili, per certum ab hoc factum motum seu impressionem, adeoque saltem in motione filamentorum nerveorum organi, spiritus animales in his hoc saltem præstare videntur, ut suo influxu filamenta nervea organum sensus proximè constituentia, in debito tono & tensione conservent, quò faciliùs ab externis objectis moveri, & ita sensatio externa fieri possit.

Exposita scilicet corporea nostra machina est quorumcunque corporum ambientium activitati & insultui: Hęc ergò ambientia, dum in partem quandam agunt, id est motionem certam inducunt, in ejus nervis, quę motio, seu ab objecto externo facta impressio, continuato nervi ductu, ad cerebrum usque seu ad nervi originem continuatur, quem nervi ab externa causa motum ibidem circa ejus radicē insequitus determinatus spirituum animalium in vicina cerebri medulla motus ab isto excitatus, qui constituit sensum internum; occasione cujus determinati spirituum animalium motus anima rationalis format in nobis conceptum seu ideam, repręsentantem exactè rationem externæ impressionis, fitque tunc formalis cognitio seu sensuum externorum mediantibus internis perceptio: id quod dolor imaginarius eorum, quorum membra fuerunt amputata, illustrare videtur; post membrum enim amputatum observatur tamen dolor in digito majori.

Vires istæ objectorum externorum, quę vulgò *Qualitates sensiles* dicuntur, quibus ambientia corpora agunt in certas corporis partes, organa sensoria dictas, consistunt saltem in certa talium corporum, quoad minimas sui particulas, textura vel conformatione; quæ prout hoc modo nunc in hanc, nunc alio modo in aliam corporis partem agit, & certum motum inducit, tàm varias qualitates sensiles seu in organa sensus agendi potestates habere dicitur: vid. hic DIGBY *in Tr. de Natura Corporū Tr.* 1. *c.* 1 *p.* 3. BOYLE *in egregio scripto de Orig. Formarū & Qualit.* Rem exemplo declarabo: suppono me corticis aurantiorū frustulū in manu tenere; hoc frustulū in se revera est tantum ens unicum, ex particulis minutissimis in unum corpus coalitum, & tamen diversos in meis sensibus effectus producit: Visus in eo colorem aureum; Olfactus odorem suaveolentem; Gustus saporem amaricantem; Tactus denique frigus, scabritiem, mollitiem, &c. deligit: Sensus diversimode ita affecti seu moti nuntios, ratione continuati ductus nervei, ad phantasiam mittunt, tanquam certiores

res facturi, quid quisque in frustulo illo deprehenderit; ita ut ratio postmodum flavedinem, suaveolentiam, amaritiem, frigus, scabritiem, mollitiem, &c. separatum consideret; unde diversæ notiones in mente quasi tot diversorum entium oriuntur, quæ tamen reverà in illo frustulo nullatenus distinguuntur, nec aliud sunt, quàm ipsa illa materia, pro varia organorum dispositione diversimode me afficiens: v.g. eædem particulæ frustulum corticis aurantiorum contexentes, quatenus peculiari modo situatæ lucem reflectunt, coloratæ nobis apparent; quatenus certo modo figuratæ papillas linguæ vel membranam narium afficiunt sapidæ & odoratæ sunt; quatenus denique inæqualiter contextæ, multæ eminent, multæ depressæ sunt scabritiem quandam seu superficiei inæqualitatem tactui repræsentant.

Modus ergò quo objectum sensile afficit organon sensationis, non fit per talem qualitatis ex objecto emanantis in organo receptionem, ut facultas sentiens (hujus qualitatis quasi intuitu) sentiat, sed fit per certum motum, in quem instrumentum sensus proximum cietur, eumque varium pro diversa objecti materiali textura, & hinc alia atque alia ad organum movendum aptitudine; & in hac organi motione formaliter sensus externus seu impressio ab objecto in organo facta consistit. Constant autem sensuum organa variis & distinctis partibus, ita tamen subordinatis, ut una sit primaria, & cujus per objectum externum motione fit sensatio externa, & hæc semper solet esse nervus, cujus filamenta nunc in membranam expansa, nunc in capitula papillaria sunt conglobata, reliquis partibus saltem certum usum eumque varium, habentibus.

CAPUT I.

DE

VISUS LÆSIONIBUS.

OMnes sensus externi quinario numero rectè comprehenduntur, quos inter eminet *Visus*, nobilissimus præ omnibus reliquis, cujus objectum est Lux, primariò solis & ignis, & inde diffusum in orbem Lumen, quod nihil aliud est, quàm ignis rarefactus. Lumen tale vel immediatè in recta linea, vel mediatè, mediante nempe, à corporis opaci superficie, reflexione tali, transit per tunicam oculi corneam & humorem crystallinum, donec impingat in tunicam retinam seu expansionem filamentorum nervi optici, ubi talem facit motionem seu impressionem, quæ ad cerebrum usque continuata à nobis dicitur Visio.

Est scilicet oculus reverà camera obscura opticorum, in quo humor crystallinus est vitrum lenticulare, in quo ut plurimum fieri solet decussatio radiorum luminosorum, donec impingat in tunicam retinam, ubi objectum externum exactissimè, inverso licet situ, repræsentatur, & prout hi intersectionis anguli majores vel minores, etiam res visa major vel minor in tunica retina depingitur, & consequenter ita judicatur.

Quacunque ratione radii luminosi ad oculum deveniant, pro medii, per quod transeunt, diversitate vel rarioris vel spissioris, refringuntur diversimodè, unde res non præcisè in eo loco, in quo reverà existit, apparet; nam radii transeundo ex medio rariori in densius, ex aere in aquam, refringuntur ad perpendicularem, transeundo verò ex densiori in rarius, ex aqua in aerem, refringuntur à perpendiculari.

Quodsi radii isti luminosi, qui sunt subtilissima & tenuissima quædam materia, sub sua in orbem diffusione impingant in corpora opaca, resiliunt propter denegatum transitum plus minus exactè ad eosangulos, ad quos inciderant, ita ut incidentiæ & reflexionis anguli perpetuò sint æquales: id quod in omnibus speculis concavis manifestum est, quando ex radiorum reflexorum in uno puncto concursu vis caustica emergit.

Corpus opacum, à quo reflectuntur radii, est vel *politum*, vel ex particularum in superficie inæquali situ *asperum*: Unde radios eodem ferè modo atque incidunt reflectit, & sic tale corpus secundariò quasi luminosum, splendere dicitur: Hoc verò radios intra istas inæqualitates superficiei seu porulos & meatulos plus minus partim abscondit, & ita cum umbris miscet, partim verò certa ratione, plus minus tamen, à primitiva figura mutatos, ad oculum reflectit; unde taliter modificatum lumen color dicitur.

Ita ut *Color* nihil aliud sit, quàm luminis pro corporis opaci diversa in superficie textura modificatio, & modificati ad oculum reflexio; Unde Colores ex luce & umbra oriri non ineptè dicuntur. Hinc prout textura particularum concreti mutatur imprimis per solutiones & præcipitationes, immutantur colores; dum v.g. solutio vitrioli perspicua, cum Decocto gallarum tantillum flavescente permista, atramentum constituit: de qua colorum genesi vid. BOYLE *Tr. de Coloribus*.

Visus hic *læditur* quatuor *modis*.

I. Quando penitus *abolétur*, ut in *Cæcitate*; aut

II. Quando saltem *imminuitur*, ut in *Visus Hebetudine* varia; quæ propriè est, quando objecta remota obscurè, aut objecta minuta, licet propinqua, difficulter, & non nisi magna etiam objecta, in distantia non adeò remota clarè & distinctè cernuntur.

Quò etiam pertinet *Nyctalopia*, id est istud vitium, quando homines interdiu rectè, vesperi parum, noctu etiam accensis candelis nihil videre possunt.

Vitia hæc aboliti aut imminuti visus fiunt, quando unum alterumvè illorum requisitorum ad Visum rite peragendum plus minus deficit. Ad naturale autem visus exercitium necesse est:

(1) Ut radii possint ritè per foramen pupillæ & per corneam transire, adeoque pupilla pateat.

(2) Ut ipsa cornea, pupillæ foramen obducens, satis perspicua & exactissimè translucida sit.

(3) Ut post hanc tres humores oculi reliqui, speciatim crystallinus, in quo fit specierum decussatio, satis sint puri, defæcati, & absque ullo excremento heterogeneo perspicui & puri.

(4) Ut expansio nervi optici, tunicam retinam efformans, tensa, fortiter expansa, ac à spiritibus animalibus debitè imprægnata sit, quo vel lenissimo luminis, aut puri aut colorati, impulsu moveri, & sic per spirituum animalium motum firmati visio fieri queat.

III. *Depravatur visus*, idque variè *vel*

(1) Quando res vel dexterior, vel sinisterior, quàm est; item res una apparet duplex: id quod fit ex diviso pupillæ situ, & ex diverso situ humoris crystallini; quando nempe v.g. in iis, qui strabismo laborant, in quibus res omnis apparet geminata propter divisam pupillam; siquidem hic mutantur planè oculi, quibus mutatis etiam axes visi vel moventur, sic etiam fit propter diversum situm humoris crystallini, si in uno loco magis superiora versus, in altero versus inferiora & similiter pergat, visus geminatur, & res geminata apparet; Vel

(2) Quando res integræ perforatæ vel dimidiatæ apparent, ex re extranea medium vel dimidium pupillæ occupante: *Vel*

(3) Quando res videtur perforata, dum pupilla à materia opaca in certo sui loco obscuratur, seu quando tunica cornea à materia heterogenea incrustatur, ut foramen pupillæ non ubique in circulo sit pervium & perspicuum; Unde in quocunque loco est impedimento, vitium in objecto judicatur: Sic si est in medio, res in medio perforata apparet; si in superiori vel inferiore pupillæ regione, res alterâ suâ parte truncata videtur; si per medium sui sit obtecta, res dimidia apparet.

Vel denique

(4) Depravatur Visus, quando res videntur apparere, quæ non sunt; v.g. quando splendores, coruscationes & scintillationes Latinis, Hippocrati verò Marmarygæ dictæ, ante oculos vesperi videntur; item quando flocculi, muscæ, filamenta, festucæ, pulvisculi & similia ante oculos versantur.

Prius fit ex motu convulsivo insigni fibrarum tunicæ retinæ præternaturali, simili isti motui, in quem citantur ab objectis externis & radiis visivis: propter similem enim motum internè excitatum, fit idem judicium quasi tales colores ante oculos versentur. Posterius vitium est, in humore aqueo, in quo collectæ sunt quædam sordes; nempe in varias figuras extensæ, faciunt ut talia objecta videantur ante oculos versari; & solent esse prodromi suffusionis talia filamenta.

Per-

Pertinet huc *duplex* illa *visus læsio*:

(1.) Quando *objecta remota optimè*, *proxima verò* vel omninò non vel *difficillimè videntur*, & vocatur *Senum Visio*. Fit quando crystallinus humor posteriora versus propiùs ad tunicam retinam recedit; quod interdum senibus quibusdam, item literatis accidit. Huic

(2) Contrarium vitium est, quando interdum propinqua seu propiùs admota, etiam minutissima, acutè & benè videmus, paulò remotiora verò difficulter aut planè non, qui affectus vocatur *Myopia*. Fit quando humor crystallinus magis anteriora versus tendit, & magis in anterioribus radiorum visivorum fit intersectio.

IV. Denique vitiatur Visio, quando eadem quasi videtur *augere*: quod fit, quando objecta etiam naturaliter constituta, vel nimis *colorata*, & nimis *splendida* ac lucida apparent, ita ut Visus omnibus quasi majorem gradum tribuat, & objectum Visus intensius reddatur: unde fieri solet, ut talis Visio non absque molestia aut dolore & oculorum læsione percipiatur; verbi gratia, quando oculus inflammatione laborat. aut quando oculi ex percussione nonnihil tument; tunc enim levis candelæ splendor instar luminis solis intensus ac nimis lucidus apparet. Causa est: quando partes oculorum membranosæ sunt nonnihil læsæ, ex quacunque fiat causa, in specie tunica retina; unde facta irritatione fit admodum mobilis: hinc etiam ordinaria objecta impingentia in tunicam retinam, eandem nimis movent, & sic ex impressione tunc fortiore graduata, nimis colorata, aut quasi splendida apparent; v.g. dum oculus inflammatione plus minus laborat, levis candelę splendor nimis lucidus, ac instar luminis solis intensus apparet.

Pertinet huc ille affectus, quando quidam noctu cernunt, quorum quædam leguntur exempla, utut talis Visio nocturna non sit continua, sed tantum, quando evigilant, vident, quod tamen Visus acumen pedetentim imminuitur & tollitur.

Hæc *in genere* de Visus læsionibus: *In specie* jam considerabimus *affectus oculorum* frequentiores, & quidem eo ordine, quo radii visivi, à quibus primariò dependet Visio, oculi membranas & humores traiicere solent.

ARTICULUS I.
DE
VISU ABOLITO.
MEMBRUM I.
DE
IMPEDITO RADIORUM VISUALIUM per pupillam INGRESSU.
PUNCTUM I.
DE
PALPEBRARUM PARALYSI.

Vt ergo dictum ordinem observemus, necesse est priùs, ut oculi palpebræ pateant, adeoque oculi aperti sint. Vitiatur hoc in paralysi palpebrarum undecunque nata, quę, dum attoli nequeant, oculum obstinatè claudunt.

CURA.

In hoc casu convenit emplastrum ex tacamahaca & caranna in regione frontis infima applicatum; vel oleum destillatum tartari nigrum cum pauca cera in forma emplastri admoveatur: Conf. M.A.N.C. *Ann.4. Observat.210.pag.296.* Vel imitemur ZACUTUM LUSITANUM *lib.1. Prax. Admir. Observat.56.* cui in paralysi palpebrę post multa frustrà tentata ex usu fuit Unguentum ex balsamo Peruviano, cum aqua vitæ commistum.

PUNCTUM II.
DE
UNGUE seu PANNO OCULI.

Ngressus radiorum per pupillam impeditur propter corneæ perspicuitatem ablatam: quod fit in specie ob *tunicam* quandam præternaturalem, ab uno oculi angulo, & utplurimum à cantho majore circa nasum, frequentiùs enatam; quæ ipsa successivè accrescendo tandem ad pupillam pervenit, & corneam obtegit, quâ obtectione oculi fenestra, foramen pupillæ, foras clauditur, & nullus radio visivo luminoso transitus conceditur. Græcis malum id dicitur *πτερύγιον*, quasi dicere velint Alam, quoniam instar alæ obtegit pupillam; Latinis verò *Ungula* seu *Unguis* aut *Pannus* appellatur.

Tunica hæc non semper uniformis existit, sed habet suas differentias, *nunc est plana*, nunc *tenuis*, *&* *albida* circa solem & lunam apparere solet, & propriè *Tunica* appellatur & *Ungnicula*: interdum verò est crassior & *carnosior*, vestigiis rubicundis venularum & arteriarum nonnihil conspersa, & tunc alio nomine dicitur PANNUS, Germanis *ein Fellüber-dem Auge* nuncupatur.

CAUSÆ.

Causa hujus Tunicæ est eadem cum reliquorum locorum nerveorum excrescentiis in corpore: nerveę enim partes propriè saltem crescunt & excrescunt, quibus sanguineę portiones demum accrescunt, quod in Chirurgia ad peculiare caput de Excrescentiis pertinet. Præcedit nempe semper aliqualis lęsio carnis istius, hoc est, glandulę in oculi angulo sitę, unà cum aliquali lęsione membranæ adnatę illius loci, talis quidem, ut dissolvatur continuitas carnis in isto angulo, unde successivè membranæ dictę accrescit. *Modus* est hic: quando in ophthalmia, v.g. variolis seu aliis similibus nocumentis, lacrymę salino-acidę aut acres carnem in angulo majore sitam nonnihil arrodunt, hujusque simul membranam oculi adnatam lędunt occasione subtilissimę saltem talis erosionis nutrimentum glandulę istius in angulo majore, & imprimis nutrimentum istud membranęadnatę proprium, utrumque chylosum, per porulos, ubi fit subtilissima corrosio, dum non ampliùs à tono fibrarum lęsarum coercetur, successivè transudat & foras emanat, & secundùm membranę lęsę determinationem ab illius spiritu insito pariter in concretum ejusmodi membraneum coagulatur & ita successivè augetur, & juxta oculi extensionem, ubicumque spatium invenerit se applicat, & ita continuato augmento in tantum accrescit, donec integer oculus obtegatur.

Prout igitur ratione lęsionis nutrimentum istarum partium lęsarum, & in membranam coagulatarum, nunc plus nunc minus degenerat à statu naturali, & acido prętернaturali imprægnatum est, etiam tunicarum *diversitas* oritur; ut alia dicatur nunc simplex & *benigna*, alia verò *maligna* & plus minus *cancrosa*: Hęc quidem, quando pannus est nonnihil lividus, nigricans & dolorosus: quin imò, prout antecedens lęsio membranę & glandulę in angulo majore fuerit major vel minor, ita ut etiam minutissima vascula sanguifera simul lęserit, ut hinc & sanguis cum nutrimento transudans sese admisceat & suo motu vascula nova, antiquis unà excrescentibus, continuò efformet, & vasis sanguiferis respersus pannus hic generari solet: *Benigna* verò est, si *pannus* est candidus, clarus, tenuis, nec adeò crassus & indolens; quando enim est nimis crassa, aspera, obscura & dolorosa, tunc talis pannus est cancrosus.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa*: malum hoc per se oculis patet. Conditiones unguis vel tunicę adnatę ejus naturam repręsentant. Tunica enim alba, indolens & tensa, est naturalissima; sin verò sit crassa, dura, nigricans, & nonnihil dolorosa, unguis est periculosus, nempe cancrosus, prout nutrimentum fuerit magis vel minus corruptum.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin:* Unguis hic *aggravescens*, pupillam obtegendo tandem, cæcitatem infert. Malum *recens* uti facilè medicamentis curatur, ita *inveteratum* difficulter, & vix sine Chirurgo potest removeri: neque hoc fit facilè, quia nimis pertinaciter adhæret.

Si *Tunica* est *cancrosa*, non attingenda, ne exasperetur, quia curato minore malo, majus succedit, & subinde in cancrum exulceratum degenerat.

Si cum panno incipiente observetur, quod simul adsit principium quoddam suffusionis in oculo, uti fit post variolas, tunica hæc non attingatur, sublato enim ungue suffusio citiùs perficitur.

CURA.

Ante *Curam* specialem, in genere, quæ in oculorum curationibus observanda sunt, præmittam.

I. Oculi, cum partes sint perquam sensibiles, adeòque facilè irritabiles, ac, texturæ admodum delicatæ, minimè fortia, sed levia, ac quantum possibile, temperata, minusque acria ferunt remedia. Conf. FORESTUS *lib.*1. *Obs.*17. *in schol.*

II. Inter interna ophthalmica in oculorum affectibus felicissimè exhibetur decoctum sassafras; *longa enim experientia didici, plurimum facere in oculorum malis à causa frigida & humida provenientibus*, dicit FERDINANDUS *Hist.*51. Hinc fœniculum, & omnia inde parata, item Euphrasia, ac similia internè conducunt. Facit huc vinum ophthalmicum egregium descriptum in *M. A. N. C. Ann.* 6. *App. pag.*71.

III. Vinum aliàs in oculorum morbis non semper æquè convenit, præsertim si cum phlogosi aut lachrymarum acrium influxu juncti sint, aut ab acrimonia humorum ortum duxerint: interdum tamen, ubi opus est discussione, resolutione & attenuatione adhiberi potest. Conf. BORELLUS *Cent.*1. *obs.*77.

IV. Frigida nimis oculis admota iisdem perquam nociva sunt; sicut etiam fervida & calida nimis admota, iidem ferre minus possunt. Temperata ergò & tepida utplurimum sint, quæ oculis admovenda veniunt.

V. Ex acidularum usu oculi primò lædi videntur, cum tamen solummodo repurgentur, & confestim clarescant. Scio equidem quosdam ex acidularum potu quasi occæcatos fuisse, qui tamen secundâ vel tertiâ die longè, quàm anteà habebant, clariorem lucidioremque visum sunt adepti: protruduntur nempe ex oculis feces & purulentiæ quædam per angulum lachrymalem. Conf. MINDERERUS *de Vitriolo cap.*11.

VI. Alcalia ergò & his cognata sunt optima remedia, ac oculis imprimis proficua: hinc aquæ ex cancris tantillum putrescentibus destillatæ, item aquæ ophthalmicæ Mynsichti ex cancris & chelidonio majori. Facit huc polychrestus liquor, nempe ex flor. cyani aut cichorei, per deliquium in furno pistorio paratus (vid. Sennertus & HARTMANNUS) in quamplurimis oculorum affectibus convenit: item sperma ranarum, de quo & exinde paratis aquis ophthalmicis vid. M. A. N. C. *Ann.*6. *Append. pag.*83. Hinc ablutio oculorum cum lotio proprio matutino multum iisdem conferre solet: Conf. BARTHOLINI *Acta Med. Hafniens. Volum.*2. *pag.*252. Item phlegma ex urinæ & vitrioli destillatione in aqua epileptica Quercetani, item phlegma spiritus urinæ per putrefactionem parati, egregia sunt; Unde etiam aqua stercoris humani destillata ad oculorum affectus multum est commendata: Hinc QUERCETANUS magnificat sequentem aquam:

℞. *Urinæ pueror.* ℔.
Vitrioli albi,
Tutiæ an. ℥iv.
Succ. Chelid. ℔ij.

Stent in digestione per aliquot dies & noctes, postea destillentur & asserventur.

Tutiæ tamen frustraneam additionem arbitror.

Alii

℞. *Rad. Chelidon. mai.*
Valerian. an. ℔j.
Herb. Rutæ,
Siler. mont.
Euphrag. an. M.jv.
Sem. Anisi,
Fenic.
Levist. an. ℥ij.
Flor. calend.
Rosar.
Borrag.
Consol. mai. an. M.iv.
Cancror. fluv. No.xv.

Omnia incide minutissimè, & superfunde
Phlegm. vitrioli,
Succ. Chelid. an. q.s.

Digerantur per mensem: postea destillentur, & in alembico ponatur
Camph. drachm.j.

Liquor prolatus dividatur in duas partes æquales: Una pars per se asservetur; alteri parti infundantur.
Croci metall. drachm.ij.

Stent ita per duas horas, posteà filtretur, & reservetur usui.

Aqua ocularis HARTMANNO familiaris fuit talis:

℞. *Aquæ fænic.*
Anisi an. ℔.j.

In quibus solve
Vitrioli alb. purif. unc.ß.

Ac postea *rad. enulæ campanæ pulverisatam* cum iisdem digere: tandem Colatura in vitro mundo servetur.

Valet ad unguem, albuginem, cicatricem, maculam, item ad rubedinem & caliginem & quamplurima oculorum vitia. Vel

℞. *Aquæ flor. Calcatr.*
Cyani,
Solani an. unc.j.
Vitrioli albi scrup.ß. ad gr.xij.

Solutio filtretur per chartam: adde
Tutiæ prap. drachm.ß.

Applicetur tepidè cum linteolis, vel instilletur canthis, est optimum in ophthalmia.

Exstat etiam in THONERI *Obs. pag.*116. Ad unc.j. *aquæ* sufficiunt *vitrioli* gr.iij.

Denique remedium pro affectibus oculorum *inæstimabile* vocatur LINDANO mistura ista, quam habet HARTMANNUS *Prax. Chymiatr. cap.*43. §.3. *pag.*304. qua se in quamplurimis oculorum affectibus cum felicissimo successu usum fuisse, refert.

VII. Optimus utendi modus hujusmodi Collyriis humidis est iste, ut æger vel in dorso decumbat, vel stans aut sedens caput probè retineat, ut uterque oculus perpendiculariter cœlum versus tendat, & ita guttatim liquor aliquoties in die instilletur in canthum oculi majorem, hinc oculus tegatur, ut ita liquor undique per oculi peripheriam externam diffundi queat; sic enim paucæ guttulæ plus commodi habebunt ex bina tali applicatione, quàm si decies drachmâ una corpore erecto oculi saltem abstergantur.

VIII. In quibusvis verò oculorum vitiis Vesicatoria & Fonticuli sunt optimi: Vesicatoria quidem in nucha aut pone aures in morbis recentibus adhuc increscentibus sunt optima: Fonticuli verò in collo & hinc in brachio ad eosdem inveteratos, & jam in statu perfecto constitutos, admodum proficui observantur: sicut etiam moderatus errhinorum usus iisdem multum conferre solet. Conf. BARTHOLINI *Acta Med Hafn. Vol.*2. *pag.*64. & *Volum.*3 *pag.*21.

In specie autem in Unguis oculi cura tunica hæc præternaturalis ante omnia est *removenda*, aut *medicamentis* abstergentibus & subtili acrimonia blandè erodentibus & resolventibus, aut *opera manuum chirurgica* successivè cum acu detrahatur, vel cum instrumento separetur. Hinc remotâ tunicâ blandè *adstringentibus* fibræ ac hinc poruli circa radicem partis læsæ claudendi & firmandi sunt, ne revertatur denuò malum.

Pro his ergo scopis obtinendis, pro removenda hac ungue conveniunt *saccharum candum*, *mel*, *os sepiæ*, *cornu cervi ustum*, *testæ ovorum calcinatæ*, aut testæ in aceto acerrimo solutæ, siccatæ, & in subtilissimum pulverem redactæ: quæ pulveres oculis insperguntur, & similia blandè abstergentia, subtiliter erodentia & detergentia unguenta, item collyria extrinsecùs applicanda, quæ inter usitata est aqua ophthalmica Quercetani blandè detergens:

℞. *Aqua*

℞. *Aquæ euphras.*
Chelidon. maj.
Fœnic. ana ℥j.
Croci metallor. vel *vitri antimonii* (quorum loco etiam optimè *butyrum antimonii* recipi potest) ℈j.
Stent per aliquot septimanas loco calido; filtretur & usurpetur.

Experta est in ungue non adeò inveterata, & calidè instilletur: frigida enim maximè oculis nocent.

Vel
℞. *Vitr. antimonii pulveris.* scrup. ß. ad gr. xv.
infunde in
Aquæ flor. cyani,
Euphras.
Fœnic. ana ℥j.
stent in loco calido per noctem, manè filtra, & adde
Campb. gr. vj.
M. S.
Collyrium.

Hujus aliquot guttæ instillandæ sunt oculo, ægro supinatim jacente, & hoc interdum repetendum, prout opus fuerit. His si addatur simul parum Camphoræ & Croci, ut meliùs penetrent, conveniunt etiam in suffusione sive Cataracta:

℞. *Salis gemm.* ℨj.
dissolve in
Aquæ rosar.
Fœnic. ana ℥j
M. pro Collyrio.
D. S ut *ante*,

Quo attingatur pannus cum penna, vel gutta una vel altera immittatur in oculum super Unguem. In specie conveniunt *Fella piscium*, speciatim *fel mustelæ* & *lucii piscis*, hujusque *aqua destillata*, item hujus *Essentia*, mire conveniunt in resolvenda hac tunica, in extimo oculi adnata. Præparandi modum videb. in SENNERTO *Pr. lib.* 1 *ubi de Vitiis Oculorum p.* 796. item in HARTMANNI *Praxi Chym. cap.* 39. *pag.* 99.

Vel in hujus defectu, dum non semper potest esse ad manum,

℞. *Aquæ Leucoii bulbosi* vel *sperm. ranar.* ℥iß. ad ℥ij.
Fell. lucii pisc. ℨj.
Mista stent in loco calido per noctem; mane filtrentur, & ita instar collyrii applicentur.
D. S.
Aqua singularis.

Loco hujus *fellis lucii* secretum BURRHI in his casibus est *fel humanum* destillatum ex cucurbita vitrea humili per alembicum æneum seu cupreum, uti videre potestis in *eius Epist. ad* BARTHOLINUM *de Humoribus Oculorum Restituendis p.* 55. Aliàs ex *Stercore anserum juniorum*, mense Aprili collecto, etiam aqua per alembicum destillatur egregia, quæ olim dicitur fuisse usitata Maximiliano Imperatori ad obscuritatem Visus, tunicas oculorum detergendas & alia oculorum vitia, imprimis si superficies oculi post variolas læsa sit. Si pertinacior fuerit pannus, ad *aquam sapphiream Chirurgorum* progrediendum, quam videbitis descriptam in SCHROEDERI *Part.* 2. *Pharmacop. cap.* 29. *de Aquis, mox post* aquas destillatas, *num.* 5. *pag.* 151. Nempe

℞. *Vas aneum*,
cui injiciatur
Aquæ calcis vivæ cum *aqua calcatr. p.æ.* ℔ß.
Sal. ammoniaci ℨj.
Relinquantur donec coloretur.

Vel ex tempore recipi potest *aqua fœniculi* vel *chelidonii majoris*, & in ea solvi *sal. ammoniaci* tantillum, ut moderatissimè linguam feriat, infundendo in *pelvim æneam*, donec coloretur; sic variè dilui, & ita eius acrimonia pro lubitu infringi potest: filtretur & sic oculis instilletur. Optimum est in detergendo ungue, albugine, maculis à variolis relictis, & ulceribus oculorum. Conf. TACHENIUS *Hippocr. Chym. Edit.* 2. *pag.* 11 item RIVERIUS *Cent.* 3. *Obs.* 45. item *Collegium in Schrœderi Pharmac. Part* 2. *p.* .... *Id. Formular. Class.* 4. §. 19. & *Colleg. Formular. pag.* .... Ulteriùs de Chelidonio majori nota est ejusdem egregia vis ophthalmica; unde ipse succus ejus expressus, dilutus cum *rore fœniculo* insidente, & matutino tempore collecto, vel cum aqua euphrasiæ aut alia appropriata, præstans est Collyrium, quod absumit tunicas & pannos oculorum, illitum aut instillatum.

Præter dicta etiam pulveres quidam in forma sicca oculis insufflentur, aut diluti cum aquis, applicari possunt. *Vitriolum album* etiam est egregium, quod laudat POTERIUS. Imprimis observatu digna est ejus Curatio ungulæ oculi post gravem ophthalmiam relictæ, *lib.* 2. *cap.* 8. contra inflammationem & dolorem.

℞. *Vitrioli Cypr.* ℨj.
Tutiæ præpar.
Sacch. candi,
Collyr. albi Rhas. an. ℈iv.
Camph. gr. vi.
Aquæ Verben.
Flor. Euphras.
Rosar. an. ℥iv.
Misc. pro Collyrio:

Quo inflammatio & inflatio curata fuit. Hinc pro ungula, tunc apparente, removenda:

℞. *Oss. sepiæ* ℈j
Sacch. candi ℨj.
Vitrioli alb. ℈ß.
Tutiæ præp. ℨß.
Misc. in forma pulveris subtilissimi, qui vocatur Sief:
S.
Pulvis ad oculos.

Inspergendus vel potius insufflandus in oculum, applicando desuper linteum aquâ florum cyani vel chelidonii majoris imbibitum; & pulvere hoc, quem ex POTERIO suppresso Autoris nomine abstulit RIVERIUS *Pr. lib.* 2. *cap.* 18. *pag.* 184. optimè detersit ungulam, eamque absumpsit;

Vel
adde huic pulveri:
Aquæ Chelidon.
Calcatripp. an. ℥j.
Misc. probè & agit.
D. S
Collyrium.

Beneficio cujus unguis oculi aliquando perfectè fuit curatus.

℞. *Vitrioli albi* ℈j.
Aquæ fœnic. vel *chelid. mai.*
Euphras. an. ℥iij.
M. S. ut *supra*.

Ad pelles oculorum, pro pueris in specie, convenit. Pondus vitrioli est augendum vel minuendum pro tolerantia ægri. Sanè vitriolum album aliis permistum blandè detergit, & excrescentias istas præternaturales absumit.

Facit huc collyrium LOTICHII *in Obs. pag.* 208. quo unguem seu pannum secundùm lunæ motum nunc accrescentem nunc decrescentem delevit:

℞. *Aquæ rosar.*
Euphras.
Fœnicul. an. q. v.

In dictis aquis misc. seq. pulv. quæ mistura cum pluma tunicæ illinatur, cavendo pupillam, ne acrimonia vitrioli eandem exasperet:

℞. *Lap. hæmatit.* ℈ß.
Vitrioli alb. leviter calc. gr. xv.
Myrrhæ,
Croci an. gr. v.
Sacch. cand. alb. scrup. j.
M. in forma pulveris subtilissimi, cum aqua suprà dicta vel alia appropriata subigendi; & sic cum pluma pterygio illinatur, cavendo pupillam.

Facit huc etiam aqua ophthalmica familiaris Hartmanni, utilis ad ungues, maculas & albugines oculorum, ad cicatrices & similia vitia, quam suprà dedi.

Tandem aliis irritis in malo pertinaciori ad Mercurium sublimatum totò confugiendum est, imitando hoc in puncto PLEMPIUM *in Ophthalmogr.* qui ceu secretum mirabile & expertum in puella, quæ per aliquot annos ex ungue oculorum fuerat cæca, laudat. Nempe

℞. *Mercurii sublimati* gr. v. vj. usque ad ℈ß.
Dissolvantur in ℥iij. ad ℔ß. *aquarum Ophthalmicarum*, e. g.
Aquæ rosar. vel *chelidon.*
Euphras.
Fœnic. an. ℥j. ad ℥ij.

Misce

Misce & filtra,

D. S.

Collyrium clarificans.

Et de tali mistura & solutione omni mane, item vesperi, gtt. j. vel ij. infundantur oculo in loco panni, donec removeatur, & sic sensim absumitur ungula: quinetiam curabuntur hoc pacto suffusiones, Germ. *die Staare*, de quibus postmodum.

De cætero, si aliquid est, quod confert ad delendas oculorum membranas & tunicas, est sanè succus formicarum rubrarum, in arboribus resiniferis habitantium, expressus, qui vel per pannum depuratus, & ita vel crudus, vel cum aqua appropriata dilutus, oculo instillatus, removet has tunicas. Quò pertinent etiam RULANDI duæ aquæ ophthalmicæ mirabiles; quarum una parata ex formicis artificialibus, & altera aqua ophthalmica ex infusione vitri antimonii, quæ vid. in ejus remed. & sunt stupendæ in quibuscunque ferè oculorum vitiis.

Superiùs locutus sum de felle lucii piscis: ceu experimentum commendantur omnia exta lucii piscis cum felle, hepate & omnibus reliquis visceribus, quæ dissecta in minutas partes, adjecto M j herbæ fœniculi, ejusque seminis contusi, & conquassati, & ita destillentur. Liquor, qui prodit, utilis est ad absumendos pannos & oculorum tunicas.

Quodsi delicatius sit subjectum, aut sint pueri hoc malo correpti, qui non possunt ferre acriuscula, & qui lachrymantur, aut tunica sit recens, adeoque nondum inveterata aut tenax, in tali casu sufficit mel illitum pelvi æneæ, & suppositis carbonibus ignitis lentè calefiat pelvis, donec mel lenem viriditatem contraxerit; corroditur sic pelvis à melle, quod etiam facit V. M.

Tunc isto melle calido in loco tunicæ blandè illinatur oculus, donec deleatur tunica. Fuit experimentum FORESTI *lib. 1. Obs. 7. in scholio.*

Hæc de Tunica & Panno.

MEMBRVM II.
DE
TUNICÆ CORNEÆ VITIIS.

HActenus *de impedito radiorum* visualium *ingressu per pupillam*. Sed præter hunc etiam evenit sæpe, ut *pars corneæ perspicua*, foramini pupillæ obtensa, visum obscuret, quando *crassescit* aut vitiosum colorem contrahit: dum enim obscuratur aut crassescit, radios impedit; aut si penetrent, omnia vitiosum colorem repræsentant. Fit hoc imprimis in Leucomate seu Albugine, quæ est macula alba in cornea, ob quam Visio læditur.

PUNCTUM I.
DE
NUBECULA, ALBUGINE, ET SUGGILLATIONE.

CAUSÆ.

VItium prius fit, quando in nutritione corneæ perspicuæ vitiatâ alimentum chylosum, seri subtilioris vehiculo distributum, successivè non nihil crassius & viscidius suggeritur; hinc tollitur politura & pororum æqualis situs in cornea, unde fit, ut obscuratâ nonnihil corneâ ægris omnia obscura & quasi per nubeculam appareant; imò si densior fuerit hæc cornea, planè visus pereat; unde vitium hoc Latinis communiter NUBECULA *Oculi* appellatur, propter quam impeditur radiorum transitus.

Vitium 2. fit, quando CICATRICULA ab aliqua erosione vel læsione consolidata tunicæ corneæ, v.g. in variolis, aut in ejus ulcusculis, aut post ejus vulnus remanet. Talis enim cicatricula non secus ac aliæ cicatrices, cum crassior sit ac spissior, minusque polita, quàm reliqua corneæ pars, albedinem repræsentat, quæ non ritè permittit transitus radiorum visualium, tuncque ALBUGO seu LEVCOMA specialiter appellatur.

Vitium 3. fit, quando post ictum vel casum, item post plagas oculo illatas, vel similes injurias externas, læduntur vasa oculorum, ex quibus effunditur *sanguis*, qui effusus & *congrumatus*, si in albo oculi seu cornùa hæret, & ita vitiosos colores, cœruleum, lividum & sanguineum inducit, visusque impedimentum infert: quod malum SUGGILLATIO oculi dicitur.

DIAGNOSIS.

Signa horum malorum oculis patent; Nam cicatrix instar parvæ cujusdam maculæ albæ apparere solet (unde etiam vocatur Macula): In nubecula verò Cornea nonnihil albicans & spissa cernitur: Et in suggillatione color cœruleus, lividus, &c. etiam spontè patet.

Causæ antecedentes, nempè contusiones, plagæ, &c. ex relatione ægrorum patent.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Vitia hæc corneæ per se patent, &, in specie *Cicatrix*, difficillima sunt curatu, propter summam subtilitatem, simulque exquisitissimum sensum corneæ oculi tunicæ, idque eò magis, quò crassior vel magis inveterata fuerit vel *Nubecula* vel Cicatricula.

Suggillatio verò, nisi sit nimia, facilè removeri potest. In pueris tenellis, modò tractabiles sint, faciliùs potest abstergi macula, & ipsa tenuis, quàm in ætate consistente, ubi spissior & contumacior esse solet.

Post variolas, oculos infestantes, imprimis observetur, ut insequens macula vel cicatricula citò amoveatur, antequam in perfectam abeat spissitudinem.

CURA.

In *Cura Nubeculæ* materia crassa, inquinans perspicuitatem tunicæ corneæ, attenuanda, & discutienda aut removenda: *Leucomatis* macula & *cicatricula* abstergenda & detergenda. In *Suggillatione* sanguis congrumatus resolvendus & discutiendus. Propterea in duobus prioribus conveniunt subtilia nonnihil acria & fortiter penetrantia; mitiora quidem in Nubecula, fortiora in Cicatrice.

Pro Nubecula ergò & Cicatrice delenda conveniunt sequentia *remedia*: *semen hormini Sylvestris* seu *Sclareæ*, Germ. *der Scharlach*, in incipiente Nubecula tempore somni oculo impositum purificat oculum à sordibus, eumque abstergit, & multum in macularum & albuginis cura conducit: Vid. de hoc RIVERIUS *in Praxi*, & etiam *in Observ.* Unde etiam ad fomenta oculorum hæc semina & folia adhiberi solent à POTERIO, qui etiam folia hormini Sylvestris in oculorum fomentis præscribit. Effectus hujus ratio est, quod hoc semen oculis impositum à lympha, oculos continuò humectante, extrahatur in mucilaginem, quæ istum effectum abstergendæ albuginis præstat. Aqua fellis bubuli destillata Cicatrices oculorum delet: Aqua Ophthalmica *Imperatoris Maximiliani*, & *Quercetani pag.* 633. nec non fel lucii piscis, perdicis, bovis, &c. cum aqua spermatis ranarum temperatum, vel eorum aquæ destillatæ, item essentiæ. FORESTUS *in lib. 11. Observ. 29.* habet exemplum pueri, qui ex variolis incidit in pustulas oculorum; quæ pustulæ tandem fuerunt exulceratæ, & exinde oborta est Nebula oculorum: hinc profuit sequens Collyrium:

℞. *Aquæ fenicul.* ℥iij.
Fell. Anguill. ʒj. ad ʒiß.
Sacch. candi pulverif subt. ʒj.
M. stent in loco calido per noctem.

D. S.

Collyrium.

Spiritus urinæ cum vitriolo destillatus egregius est. Convenit etiam succus euphrasiæ aut fœniculi recens extractus, cui tantillum balsami Peruviani admistum sit; potenter enim Albuginem discutit, pennâ blande oculis illitus: vid. RIVERIUS *Prax. lib. 2. cap. 7.* Vel loco hujus magis penetrat & detergit liquor fœniculi saccharatus, qui colligitur ex sacchato, caulibus fœniculis excavatis indito & relicto, ut liquescat: vid. suprà, ubi de Ophthalmia seu Inflammat. Oculor. Liquor hic est egregium remedium ad hujusmodi externos corneæ defectus delendos; Vel recipiatur *succus fœniculi* per residentiam nonnihil depuratus, & addatur *saccharum loviale*; sic magis appropriatum redditur remedium ad dictam hebetudinem corneæ, & cicatriculam.

Præ reliquis optimum specificum est liquor oleosus ex hepate

hepate mustelæ piscis in malo leviori saltem palpebris illitus; acris enim admodum & penetrans existit: vid. HARTMANNUS *Prax. Chym. cap. 27. pag. 98.* & SENNERTUS *Pr. lib. 1. Part. 3. Sect. 2. cap. 16.*

In graviori verò malo, in specie Cicatricula magis tensa, etiam cum penna subtilissimè potest illiniri, quod etiam unguibus, item suffusioni, conveniens admodum existit. Oleum papyri, aut panni seu linteorum combustorum, cum penna subtilissimè oculo illitum loco cicatriculæ, est optimum remedium. Ubi validiùs agendum est, recipiatur aqua mellis vel simplex, & quidem prima, aut acuata cum secunda flava, vel composita *Amati Lusitani*. Simplicem quod attinet: mel destillatum dat primò aquam albam, secunda flavam: Prima est mitior, secunda acris. In incipiente macula prima est optima, in graviori sumatur secunda: vid. SCHROEDERI *Pharmac. ubi de Melle:* cum penna illita ad delendas Maculas & Cicatrices oculorum est commendata. Hinc etiam convenit aqua mellis composita à FONSECA *Tom. 2. Cons. 55.* & AMATO LUSITANO *Centur. 3. Cur. 53. ubi Nubeculam graviorem* discussit.

℞. *Mellis in fav.* ℔ii.
Summit. flor. sambuc.
Euphras.
Fenicul. an. M℔.
Sacch. cand. ℥iv.
Destillentur in Balneo Mariæ igne fortiori nonnihil.

Liquor prodiens ad oculorum nubeculam & cicatricem ipsi *Amato Lusitano* per experientiam comprobatus est. Mel enim abstergit & resolvit Leucomata, præsertim si misceatur cum succo chelidonii majoris exactè, & ita blandè illinatur. Succus Anagallidis flore cœruleo, imprimis florum ejus, expressus; item succus Chelidonii majoris expressus, vel solus oculo instillatus, vel cum melle rosaceo mistus & applicatus, tollit Maculas; unde & hic commendari solet aqua anagallidis cœrulea destillata, non minus quàm aqua leucoii bulbosi destillata; sicut etiam integra herba est singularis ophthalmica: qui succus illitus egregiè confert, quamvis mordeat: Si discerpitur caulis, liquor intensè flavescens transudat: tali caute attingenda est moderatè Nubecula vel Cicatricula. Sic diluitur succus à lachrymis supervenientibus, & tandem deletur nubecula & cicatricula. Vel fella animalium cum mellis modico subacta exactè licus formâ oculis applicantur: Vid. HARTMANNUS *Pr. Chymiatr. cap. 37. & Misc. Acad Nat. Cur. Ann. 2. Observ. 126. pag. 208.* de felle serpentum. Loco succi chelidonii succus rutæ etiam capi potest, qui instillatus simili pollet efficaciâ. Tandem, gravia si fuerint mala, aqua sapphirea Chirurgorum suprà laudata, vel cum aqua calcis vivæ in pelvi ænea, vel sine calce viva cum solo sale ammoniaco, & aqua simplici aut appropriata, ut lenissimè linguam feriat, in vase æneo vel orichalceo, donec cœruleum acquirat colorem, etiam egregia est ad dicta oculorum vitia detergenda; hac enim sublatæ sunt maculæ densissimæ in oculo ex diuturna ophthalmia progenitæ: Vid. RIVERIUS *Cent. 3. Observ. 45.* Tandem egregium est experimentum PLATERI, quo omnes albugines & cicatriculas feliciter curavit, *lib. 1. Obs. pag. 112. & 382.*

℞. *Pulp. pomor. odorat. acidul.* Quartarium iß. (idem quod ℔ß.)
Incidantur minutim, & in *aqua rosar. & fœnic.* coquantur, donec in pultem redigantur: cui contusæ permisc.
Mucil. sem. fœnugr. ℥ij. vel iij.
Album ov. Num. ii. vel iii.
Lap. hæmat. minutiss. trit. vel *præparat.* ℥ß ad ℥j.
Cort. Granat. pulveris. ℥ii.
M. f. Cataplasma, oculo clauso imponendum, continuò gestandum, & bis in die removendum.

Convenit, si imprimis malum obveniat cum inflammatione, & insigni lachrymarum acriuscularum fluxione, in albugine, & cicatricula. Pariter & HORSTIUS *lib. 2. Observ. 39.* Leucomata ex variolis nata simili cataplasmate resolvente feliciter curavit; applicatis simul in tali casu post aurem vesicatoriis:

℞. *Pulp. pom. dulc.* ℥vj.
Coqu. in s. q. *aquæ fœnic. & rosar.* ad consistentiam pultis:
addè
Mucil. sem. fenugr. ℥ii.
Misc.

Applicetur per dies aliquot, imprimis somni tempore. Post hujus Cataplasmatis usum:

℞. *Aquæ rosar.*
Fœnic. an. ℥iii.
Margar. præp. ℥i.
Misc.

Cujus solius usu continuato frequenter maculas & suffusiones omninò curatas refert. Conf. PLATERUS *lib. 5.* TIMÆUS *von Guldenklee Cas. lib. 1. Cas. 21. pag. 48. Idea Form. Class. 4. § 23. & Colleg. Formular. p.* .....

Tandem liquores *ex floribus cichorei* cœruleis, aut *flor. cyani*, per deliquium seu colliquationem in furno pistorio parati (Descriptionem videbitis in SCHROEDERI Pharmacia, & HOFFMANNI *Clave*, HARTMANNO, & SENNERTI *Praxi*, *ubi de Ophthalmia*) specifici sunt singulariter ad nubeculas, & Albugines delendas. Porrò curavit aliquando FORESTUS puerum, qui ex variolis in phlyctænas incidit, quæ exulceratæ in oculorum cicatrices abierunt, cum collyrio ex aqua fœniculi, adjecto felle anguillæ vel pauco saccharo. Tandem pulvis ex osse sepiæ, imprimis calcinato, vel solitario, vel cum saccharo albissimo, in pauca quantitate oculis inflatus prodest; uti etiam CNOEFFELII pulvis compositus ex exuviis serpentum, & lapillis cancrorum minutissimè tritis & invicem mistis ita usurpatus, vel cum melle illitus, vel cum aqua appropriata applicatus, Cicatriculas egregiè delet; qui pulvis etiam experimentum egregium est in vulneribus, in ulceribus, item in cancro oculorum, in quibus oculorum malis singularissimus est. His etiam in casibus peculiariter convenit aqua ophthalmica ex chelidonio maiori & cancris fluviatilibus destillata, secundùm methodum MYNSICHTI & CROLLII *in Basil.*

Omnium fortissimum medicamentum est Mercurius sublimatus, quem solutum in aqua appropriata uti ad unguem laudavi, ita & ipsius usus casu ad Nubeculam & Cicatriculas inventus; sic enim in PLATERO *lib. 1.* prostat observatio de quodam Chirurgo, qui curaturus Nubeculam, nescio quo errore seductus, loco sacchari pulverisati insufflavit oculo patientis Mercurium sublimatum, unde gravis quidem nata fuit oculi inflammatio, sed hac sublatâ mox Nubecula simul omninò disparuit, unde ad hujus imitationem levissima solutio mercurii sublimati in graviori casu commendari, &, cum iudicio tamen, applicari potest.

Cæterùm infantes tenellos sæpe etiam affligunt hæ Nubeculæ & Cicatriculæ, post variolas præsertim, vel etiam si ophthalmiam patiantur: quos ut curemus, non incommodum est, si mater vel nutrix masticet semen fœniculi aut ipsum fœniculum, & halitum oris mox immittat in oculum Infantis, idque frequenter; ita enim sæpe Nubeculam incipientem discussam observarunt. Fortius erit, si post masticationem etiam linguâ tangat Albuginem, ut ipsa saliva fœniculo tincta blandè eam irriget.

Quòd si verò suggillati sint oculi, seu sanguis in oculis & in tunicam corneam effusus & coagulatus, indeque visus impeditur, ad resolvendum & discutiendum sanguinem grumosum convenit *fotus ex aqua cherefolii*, *florum cyani & hyssopi*, quæ cum linteis multiplicatis calidè crebrò oculis applicatæ & instillatæ suggillationem auferunt. In gravioribus malis semen cumini vel caryophylli terantur intra dentes, probèque masticentur, hinc halitus oris in oculum suggillatum frequenter immittatur, & mirè confert; & hinc est, quod BURRHUS *in Epist. ad Bartholinum* laudet halitum oris simplicem. Magis appropriatum redditur cum semine fœniculi. Vel in malo contumaciori sumatur coma hyssopi, eaque contusa ebulliat in vino vel aqua calida; decocto isto in forma Focus postmodum calidè largiter foveatur oculus, idque crebriùs, donec successivè sanguis extrafusus discutiatur, & resolvatur; Nam apertè sanguinem extrahere congrumatum asserunt, & confirmat hoc RIOLANUS *in Tract. de Affect. Oculorum*. Tandem ultimum est & quasi anchora sacra decoctum radicis symphyti majoris vel solæ, vel, quod melius, conjunctæ cum dimidio radicis sigilli Salomonis, pro fotu usurpatum certissimè Suggillationem oculi tollit; e. g.

℞. *Rad. consol. mai.* ℥vj.
Sigill. Salom. ℥ij.
Flor. sambuc ℥iß.

Farin.

Farin. fabar. ℥j.

Incisa & contusa hæc vel in forma decocti vel Cataplasmatis, adeòque sub forma Fotus humidi, applicentur; vel trita excipiantur butyro recenti, & in formam Linimenti redigantur, quod extrinsecus oculis imponatur.

In graviori oculorum contusione:

℞. *Rad. consol. mai.*
Minor. an. ℔. ß.
Flor. chamomill.
Melilot. an. ℥ij.
Farin. fabar. ℥iv.
Butyr. rec. ℥iij.
Sem. fœnugr. ℥j.
Croci ʒß.

Coqu. benè secundum artem pro Cataplasmate.

D. S.

Puls resolvens.

Resolvit & discutit potenter, ac dolorem simul insigniter mitigat. Melius tamen est, si sub forma Fotus adhibeatur; pinguia enim oculis sunt nociva: quod etiam de Unguento Nihili notandum. Aut

℞. *Flor. chamomill.*
Summ. hyssopi an. p. ii.
Rad. symph.
Sigill. Salomon. an. ʒii.
N. f. Nodulus.

Instar Fotus humidi applicandus.

D. S.

Sacculus discutiens ad fotum.

℞. *Flor. cyani*
Calcatripp. an. p. j.
Summ. hyssopi M. ß.
Rad. consol. mai. ʒiij.
Sigill. Salom. ʒiß.

Incis. & contus. coqu. in s. q. spiritus vini:
Colaturæ ℥ij. vel iij. adde
Spiritus vini camph. ʒij. vel ʒiij.
M. D. S.

Fotus externus ad oculos.

Tandem egregium est *Linimentum Mynsichti contra livorem faciei in Armam. Chym. pag.* 503. quod, uti quascunque faciei contusiones & livores curat, ita speciatim oculis suggillatis convenit.

PUNCTUM II.

DE

HYPOPIO.

LÆditur quoque tunicæ corneæ pelluciditas ab *Hypopio* seu pure sub cornea, dum ab hoc nunc tota pupilla, nunc eiusdem limbus seu circuitus tantùm tegitur.

DIAGNOSIS.

Suppurationi huic quia ordinariè occasionem præbent ophthalmiæ enormiores & suggillationes, commodè ex morbis præcedentibus dignoscitur, & ad motum oculi movetur eadem materia, imò oculus suppuratus altero interdum prominentior apparet.

CURA.

In *Cura* pus educendum, præmittendo huic, si reliquiæ inflammationis subsint, *remedia de Ophthalmia superiùs commendata*. Eductio autem illa à discutientibus, quæ vulgò commendantur, nunquam speranda, sed ex Chirurgia petenda erit.

PUNCTUM III.

DE

PHLYCTÆNIS seu OCULORUM PUSTULIS.

PErtinent ferè huc *pustulæ* in annata & cornea tunica subinde observabiles, grani milii magnitudinis, cum pruritu, ardore, &c. Græcis *Phlyctænæ* dictæ; quæ, si iuxta pupillam sint, post sui ruptionem cicatricem relinquunt, visum abolentem; sin verò tunicam corneam occupent, eamque exedant, humoris aquei profluvium facere possunt.

CAUSÆ.

Oriuntur ex retentis acribus transpirandis, sed ad transpirationem ineptis, adeoque retentis; hinc in pustulam collectis, quæ successivè rumpuntur, & nunc exilia corpuscula, nunc cicatrices post se relinquunt, suntque quasi particularis oculorum scabies.

CURA.

Unde in *Cura* ad acrimoniam acido-salsam temperandam respiciendum, cætera satagente naturâ. Convenit ergo aqua vitriolata Hartmanni, quæ vid. in eius Praxi cap. 25. §. 3. & cap. 28. Imò simplex vitrioli albi solutio cum addita tutia sufficit: saccharum saturni, item cerussa cum appropriatis aquis instillata, conducit.

Vel

℞. *Lapid. calamin. præp.* ʒß.
Tutiæ præp. ℈ß.
Sacchari Saturni ℈ß.
M. f. Sief.

Oculo pedetentim insufflandum.

D. S.

Pulvis leniens ad oculos.

Aqua albuminis ovorum egregia est, si phlyctænæ aperiantur & exulcerentur, detergit & consolidat.

MEMBRUM III.

DE

HUMORIS AQUEI VITIIS.

POrrò per pupillam transiens radius visivus ulterius penetrat per *humorem aqueum*, qui propterea tenuis, purus, & exactè limpidus esse debet. Posito iam, quod nunc pupilla sit aperta & perforata, nisi tamen permittatur liberior transitus radiis visoriis per pupillam ad tunicã retinam, solet etiam impediri visus. Si ergò in humore aqueo, inter pupillam uveæ & humorem crystallinum impedimentum aliquod se offerat, quod radiis transitum neget, Visio tollitur. Fit hoc, quando materia quædam, reliquo humore aqueo paulò crassior & spissior, sensim in eodem colligitur, quæ primò minutissimorum pulvisculorum formâ sensim in filamenta tenuissima, texturæ aranearum simillima, concrescit, donec hæc ipsa textura tandem in tantum augeatur, ita ut perfectè crassescat & spissescat, & in membranæ consistentiam conglutinetur & coalescat. Membrana hæc vulgò *Cataracta* oculi dicitur: malum verò ipsum *Suffusio* oculi, Græcis ὑπόχυμα vel ὑπόχυσις, Germanis *der Staar*, appellata.

PUNCTUM I.

DE

CATARACTA ET GLAUCOMATE.

CAtaracta est nil aliud, quàm membrana quædam successivè intra humorem aqueum, vel in eo intra pupillam & crystallinum humorem, obducta, quam vocant Germ. *den Staar*.

Non autem confundenda sunt mala plura hoc nomine insignita: sic enim dicitur Germ. *der schwartze Staar*, id est, Cataracta nigra, quando anterior oculi pars fenestrata, serena & diaphana apparet, ita ut nihil vitii in oculo appareat in illo malo, quod vulgò Gutta Serena dicitur. Speciatim verò Cataracta propriè dicta ingravescens, Germ. *der grune Staar*, id est, Cataracta viridis, appellatur, eò quod pupilla ob nubeculam subtus enatam colorem velut marinum & viridescantem exhibet. Perfecta verò Cataracta, Germ. *der weisse oder Milch-Staar*, id est, Cataracta alba, sive lactea, dicitur ob pupillam ab albescente viscidoque humore exactiùs obstructam: hinc increscens illa Cataracta respectu depositionis cum acu faciendæ etiam dicitur Germ. *der unreiffe Staar*, id est, Cataracta immatura, cùm subtilissima illa & quasi araneacea filamenta nondum firmiter

adeò

adeò cohæserint, ut acu mediante absque divulsione possint subtrahi. Cataracta verò perfecta, in qua filamenta ista in membranaceam tenacitatem coaluerunt, adeoque ab acu removeri patiantur, Germ. *der reiffe Staar*, id est, Cataracta matura, dicitur. Cataracta hæc nunc sita est post membranam uveam, inter hanc & humorem crystallinum, nunc sita est ante uveam inter hanc & corneam, utrobique in humore aqueo: quædam corneæ vel uveæ accrescit, quædam non: imò suspicor, omnem adhærere iisdem, atque reverà ex filamentis uveæ membranaceis, præternaturaliter oblongatis & excrescentibus, originem habere.

CAUSA.

Communiter enim *Causa* hujus suffusionis vel *Cataractæ* est materia ista quasi nutritiva, ex qua in suo esse conservatur ille humor aqueus; sive ex arteriis derivetur; sive ex quibusdam glandulis conglomeratis vicinis, earumque lympha subtilissima originem ducat; sive, quod alii putant (quæ sententia tamen minus placet) aqueus humor sit tantùm simpliciter spiritus animalis, vel opticus, in aquam condensatus. Hæc ipsa materia reddita impura, & inquinata particulis crassioribus vel excrementosis, uti puritatem humoris aquei tollit, ita si tales particulæ vitiosæ plus minus glutinosæ successivè invicem connectantur, & magis magisque cohæreant, tandem talem substantiam membranaceam, Cataractam, efformant, ita ut in principio saltem subtilissima filamenta instar telarum aranearum soleant hinc inde in oculo vagari, postmodum verò successivè videntur uniri, & varias figuras repræsentare, donec tandem magis magisque compacta obscurent oculum, & membranulam incipiant constituere. Sed, ut monui, probabilius omninò videtur membranarum, uveæ aut alterius cujusdam, fibras præternaturaliter excrescentes suffusioni occasionem subministrare. Hinc si postmodum membrana talis successivè coagmentata totam pupillam obtegat, visus planè aboletur, plus minus, prout nempe densior vel rarior fuerit: si verò tantummodò dimidiam pupillam obvelet, omnia dimidiata saltem apparent: sin tandem parva saltem incipiens cataracta medium exactæ pupillæ occupet, omnia quasi perforata apparent, & hæc est *suffusio vera*.

Nam datur præterea etiam alia, quæ vocetur *suffusio notha*, sed minus propriè ita dicta, qualis interdum quibusdam, imprimis hypochondriacis, & quibus *jejunis* varia circa oculos filamenta versari videntur, accidit, quæ etiam iis, qui diutiùs crapula & stomachi vitio laborant, dum aut pulvisculi, aut *flosculi*, aut *muscæ*, filamenta aut similia ante oculos versari videntur; aut quando oculi penitus occæcantur, id quod in specie in statu febrium & morborum oculorum, instante crisi per hæmorrhagiam narium, aut etiam in vitiis cerebri, & hinc ex vitiis stomachi, oritur. Curiosum hujus suffusionis nothæ exemplum refert TIMÆUS *von Guldenklee*, *in Cas. pag.* 62. in paroxysmo febris tertianæ tantum affligens, in quo æger omninò cæcus redditus, extra paroxysmum optimè videns cœlum.

Malum hoc subitò transit, iterum redit, & sic porro, & in aliàs sanis sæpissimè stomachum vitiosum pro fomite agnoscit, quocunque etiam modo exinde ad oculum fiat transitus, exceptis saltem febribus ardentibus, vel ex lympha etiam subtilissimè coagulata; hinc etiam Notha hæc suffusio post crapulam in hypochondriacis assumpto jentaculo cessat: unde probabile est, eam per qualemcunque consensum ex stomacho dependere. Quæ aliis morbis supervenit, his curatis ferè cessat. In specie, qui ex vitio stomachi hac laborare solent, optimè aloeticis ventriculum purgantibus, in specie pilulis usualibus aloeticis, item mastichinis & aloephanginis, omni menstruali tempore purgentur, sicuti etiam per usum zingiberis, aut crudi aut in India conditi, manè jejuno stomacho masticati aut esitati curantur. Hypochondriacis malum familiare est; quando verò edunt, cessat.

Distinguendum autem est *inter suffusionem veram*, & inter GLAUCOMA; quippe qui affectus sunt distinctissimi, utut apud BORELLUM *Append. Cent.* 3. *Observ. pag.* 279. aliosque Practicos, sæpè confusio fiat. Origo verò confusionis est, quia Veteres Græci non distinxerunt Glaucoma & Suffusionem, sed subinde, eodemque nomine, ambos affectus apprehenderunt, quia quædam suffusiones se simili colore offerunt; & quod veteres Græci Hypochyma vocarunt, juniores Glaucoma dixerunt. Res tamen ut pateat, dico; Hypochyma denotare suffusionem; Glaucoma verò nil aliud esse, quam tale *humoris crystallini* vitium, quando hic debitâ suâ perspicuitate, quâ se habet instar vitri clarissimi, fit nonnihil opacus, & consequenter obscurè coloratus, adeòque albedine fusca seu obscura, h. e. glauco colore, suffunditur & inquinatur, unde & perspicuitas ejus læditur. Hinc enim in tali humoris crystallini constitutione evenit, ut neque radii visorii rectè possint transire, & color rerum pertransientium vitietur. Simili enim ratione, quo magis obscuratur vitrum, per quod artificialis fit visio, ita etiam, si vitrum lenticulare crystallini humoris fuerit opacum, vel vitiosè coloratum, Glaucoma provenit.

Vitium hoc *senibus* tandem naturaliter ferè supervenit, aliàs præternaturaliter, & quidem simpliciter ex mutata humoris crystallini consistentia, & majori ejus siccitate, densitate & impuritate originem ducit; sic enim minus perspicuus, sed opacus & nonnihil coloratus redditur. Confirmat hoc mechanica anatomica: si nempe humor crystallinus extra oculum sumatur, per eum instar lentis constitutum omnia objecta majora videntur, quod elegans est spectaculum; sin verò idem exsiccetur, vel in aqua fervida ebulliat, fit opacus, densior, & nonnihil albus. Hinc est, quod in senibus sit naturale vitium hoc Glaucoma, ob vitiatum in iisdem humorem crystallinum. Quodsi vitio ætatis decrepitæ accidat, incurabile est, utut possint præservari.

Quodsi in junioribus oriatur ex nimio Veneris usu, sive crystallini sive aquei humoris vitio, convenit in specie, præmissis præmittendis, fomentatio oculi cum spiritu vini, mediante linteo duplicato oculis sub introitum lecti imposito, & per noctem ibidem contento, qua ratione glaucoma etiam præservari potest. Melius est, si recipiantur flores borraginis vel buglossæ, infundantur cum spiritu vini, quę tinctura applicata præservat aut curat in junioribus imminens Glaucoma. Alii laudant tincturam buglossæ cum phlegmate aluminis, addita aqua albuminis ovorum destillata, paratam.

Causæ remotæ, quarum occasione humor aqueus particulis excrementitiis inquinatur, & cum iis quasi congelatur, sunt intempestivæ lachrymationes, ex qua BARTISCH *Part.* 1. *cap.* 3. & HILDANUS *Cent.* 4. *Obs.* 15. cataractam observarunt; oculorum inflammatio, & Venus, tàm intermissa quàm nimia; frigidæ potus, de quo vid. BARTISCH *l. a.* & PANAROLLUS *Pent.* 2. *Obs.* 6. ac *Pentec.* 3. *Obs.* 32. contusio item & vulnera, vid. HILDANUS *Cent.* 5. *Obser.* 13. repellentium fortiorum, v. gr. in ophthalmia, abusus, nec non externa corrosivorum applicatio, vid. BARTISCH *Part.* 5. *cap.* 1. *pag.* 57. & 59.

His quoque accedit cataracta connata, qualem BOYLE *de Util. Philosoph. Experim. Tom.* 2. *Part.* 1. *pag.* 72. sanatam refert.

DIAGNOSIS.

Signa in suffusione vera facilè se manifestant, & in incipiente raro fallunt: Nam conqueruntur ægri in cataracta incipiente de variis punctis, filamentis, flosculis, fumis, aranearum telis, rete vel cribro, & similibus ante oculos obversantibus, muscis oculos circumvolitantibus, objectis sub alieno colore, aut duplicibus, multiplicibus, dimidiatis, fissis, &c. Id quod ut plurimum rudimenti primi pro Cataracta est indicium, utut non æquè semper in perfectam suffusionem terminentur: Conf. BARTHOLINI *Acta Hafniens. Volum.* 2. *pag.* 144. Hinc visus sensim plus minus obscuratur, & color pupillæ nonnihil glaucus, quasi marinus, aut vitro nebuloso similis, apparet.

Quamvis interdum signa hæc planè desint, & ex improviso & subitò satis Cataractæ oriantur, & quidem non tantùm occasione causarum externarum apud HILDANUM *l. a.* sed internarum quoque, ita ut experientia testetur, aliquos oculis sanis obdormientes, cæcos vigilasse, & ad humum lynceos flexos itidem cæcos se erexisse, quem admodum FERNELIUS *Pathol. lib.* 5. *cap.* 5. HILDANUS *Cent.* 5. *Obs.* 14. & BARTISCH *Augendienst*, sive oculorum servitium, *Part.* 4. *cap.* 2. *pag.* 44. perhibent.

Quodsi Cataracta sit perfecta, visus omninò tollitur, & pupilla oculum inspicienti nunc similis vitro contaminato, aut saltim obscuro aut minus perspicuo similis, nunc gypsi, nunc argenti vivi, nunc viridiusculus, nunc lividus, nunc alius color in eo apparet.

Tan-

Tandem perfectus color albus, aut etiam alii post pupillam se exhibentes, jam perfectam suffusionem innuunt. Imò suffusionem quoque completam connasci per experientiam constat.

Cum verò hæc modò vera, modò notha sit, sciendum: in notha rerum circumvolitantium & obversantium phænomena crescere ac decrescere, imò interdum planè evanescere, majora atque frequentiora observari ventriculo repleto, vel digestione prima peracta, item in plenilunio & aere turbulento. Omnia, tunc per fumum & nebulam videri videntur, interdum penitus cæcitas inducitur, & si attentè inspiciatur oculus, insignis & profunda albedo circa pupillam apparere solet: E contrà si vera fuerit, corruscationes & apparitiones illæ sunt continuæ, semper augentur, adeòque visus magis magisque obscuratur, utplurimum unum saltem oculum occupat, quemadmodum notha ob causam communem utrumque, aut si & vera oculum utrumque afficiat, contingit tamen hoc non simul, nec similiter.

Ipse humor aqueus itidem crassescere, & ita visum plus minus impedire observatus fuit in affectu anonymo, utut ad suffusiones à quibusdam itidem referri soleat.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin* horum pathematum: omnis suffusio malum est difficulter curabile.

Recens, & in qua ægri objecta omnia secundùm magnitudinem, figuram, numerum, motum, &c. adhuc discernunt, medicamentis discuti potest; quæ verò magis confirmata est cataracta, ac densiùs concrevit, in qua æger lumen aut solis splendorem propiùs admotum etiam vix aut non videt, medicamentis nunquam, chirurgiâ difficulter curatur, licèt etiam oculo sano clauso pupilla ægra dilatetur.

Quò magis recens suffusio, sive in fieri, sive in facto, eò faciliùs curatur; diuturna verò & confirmata difficiliùs. Unde suffusio seu Cataracta imperfecta & incipiens in corpore aliàs bonæ constitutionis & mediæ ætatis facilius & per sola medicamenta curatur; facta verò non curatur medicamento, sed semper chirurgiam postulat, quamvis SCHENCKIUS *Obs. lib. 1. pag. 159.* & BOYLE *de Util. Philos. Experim. Part. 2. Sect. 1. pag. 72.* hanc solis quoque medicamentis interdum curatam perhibeant.

Vulgò multa de pupillæ amplitudine & nigredine in prognosi habentur, sed sunt fallacia. Nempè dicunt: quibus altero oculo conniventibus & palpebrâ fricata, una alterius pupillam dilatari contingat, si punctio admittatur, recipiendi visum spem esse, aut per medicamenta aut per chirurgiam; quando verò pupilla non dilatetur, nec constringatur, ea incurabilis fit: item quæ suffusio nigra est, & quæcunque splendoris nitorisque expers, nullo modo curari posse. Sed tamen hæc ipsa non adeò universalia sunt, quin revera subindè fallant. Distinguantur ergo exercitii gratia tria tempora suffusionis, ita ut primum tempus sit, quando varia saltem filamenta ante oculos versantur, & hæc est incipiens: secundum tempus, quando filamenta coeunt in membranam, quæ visum impedit: tertium tempus est, quando membrana ista est adeò densa & firma, ut nullo modo possit videri. Prius tempus suffusionis curatur facilè medicamentis appropriatis: secundum vix medicamento; non desperandum tamen est, quia optimè mediante acu tolli potest: tertium medicamentis planè non, chirurgia difficulter admodum, interdum frustrà cura suscipitur.

Porrò membrana hæc, in qua æger lucem claram admotam adhuc obscure videt, potest optimè acu chirurgica curari; sin ea adeò fuerit densa, ut lumen, clarum licet, nullo modo alterationem faciat in oculo, aut percipiatur, talis etiam per chirurgiam incurabilis est.

Item si oculo suffusione affecto, alter oculus comprimitur, & inde oculus æger non nihil humidus fiat, & pupilla in eo dilatetur, signum adhuc habetur, curabilem esse per chirurgiam; si non, est malum desperatum: si enim debet per chirurgiam curari, suffusio sit in secundo & tertio gradu, & membrana jam sit facta, non in fieri. Hinc distinguunt Chirurgi inter suffusionem maturam & immaturam: Matura est, quando compresso oculo ægri membrana intus obtensa in eodem situ permanet, atque erat ante compressionem; sin verò post compressionem incipit moveri & fluctuat, est adhuc immatura. Hoc confirmant etiam colores membranæ, ratione cujus distinctæ diversæ & *quinque primariæ* sunt *species*, nimium suffusio *alba* seu *argentea*, *cinerea*, *cœrulea*, *viridis*, & *flava* seu *buxea*. In specie color albidus aut glaucus, & instar cœli, signum est, cataractam maturam & aptam esse pro depositione chirurgica: quando verò color membranæ est albicans, sicut Ger. *wie Sahne*, ac etiam planè obscurus & lividus, signum est densissimæ Cataractæ. Suffusio cœrulea & viridis instrumentorum vim eludunt; dum argentea, cinerea & flava per chirurgiam interdum sanantur; modò hæc posterior nondum valdè inveterata sit, utpote quæ uveæ tunicæ firmiùs adhærescit, & corneam atque osseam duritiem contrahit, unde vulgò Cataracta vitrea, sive felina, audit. Cataracta autem, Germanis *Nigra*, planè non est loci hujus, utpote cujus formalitas non in crassitie, aut heterogeneitate humoris aquei, sed spirituum animalium per nervos opticos denegato influxu consistit, ut *infra Puncto* 1. *Membri* 4. patebit, & speciali termino Gutta serena audit. Ea ferè nunquam curatur, quamvis eam curatam HILDANUS *Cent. 5. Observ. 20.* & BARTISCH *l. c. pag. 88.* testentur.

Sicut autem inveterata nimis Cataracta nec chirurgiæ cedit, propter tenacitatem, quâ corneæ aut uveæ tunicæ arctiùs connectitur, ut sine harum laceratione vix detrahi queat, ita minus incrassata seu non sufficienter maturata instrumentis contingere haud licet, ne discontinuata totum humorem aqueum turbet, aut mox iterum concrescens magis callosa evadat, utraque autem ratione visum enormiter lædat.

Annatam esse tunicis dictis pelliculam dignoscitur: si (1.) acriorum & rodentium externorum usus præcesserit; (2.) si lineolæ albicantes, corneæ, flavæ, &c. iridem oculi, obliquè spectati, transeant; vel & jam (3.) in ipsa cornea, si hæc rectè inspiciatur, punctula albicantia, id est, ipsa suffusione splendidiora, appareant: imò uveæ etiam cohærere concluditur, si post oculi compressionem atque frictionem pupilla non dilatetur.

Maturationem verò convenientem ante sextum vel septimum annum olim vix exspectabant, hinc ad illud usque tempus operationem differebant cùm tamen sola temporis mensura cataractæ crassities ac maturitas sufficiens determinari nequeat, eò quod suffusionum alia citiùs alia tardiùs vel pro diversa materiæ quantitate, vel coagulatoris v. g. caloris majore aut minore vi, eam acquirat: ita alba vix ante sextum annum chirurgiam admittit, & si citiùs instrumento tractetur, ab hoc instar lactis dissolvitur. Pariter si operatio diutiùs differatur, per eandem in lamellas tenuiores instar glaciei frangitur. Cinerea verò citiùs maturescit, id est, sæpius intra quinque vel sex menses.

Cœrulea minùs frequens & curatu difficillima est, cùm tardiùs ad soliditatem decentem pertingat, spiritus interim valdè debilitet, vel potiùs humorum pelluciditatem destruat, ita ut, pellicula licet separata, visus tamen obscuritas & imbecillitas remaneat.

Viridis & flava citiùs maturescunt; posterior tamen, prout superiùs dictum, nisi mox detrahatur, instar cornu durescit, hinc chirurgiam respuit.

Porrò Cataracta in junioribus potest faciliùs deponi, & sine recidivæ periculo: in ætate autem senili sponte suborta suffusio unius oculi successivè ubi confirmata fuerit, etiam alterum oculum infestat, & ita ægri perfectè cæcutiunt: non potest deponi, & si deponitur, recidivat, vel regenerantur, vel senes non adeò perspicuum visum recuperant.

Quæcum dolore capitis præcedente vel præsente, difficilioris curationis est.

CURA.

In *Cura* suffusionis, in primo & secundo gradu existentis, *substantia ista heterogenea*, in humore aqueo ahhuc fluctuans, ante sui concretionem *discutienda*, & concreta jam, quantum possibile, attenuanda, *resolvenda* aut *dissipanda*, idque saltem in incipiente; sicuti firmiùs concreta mediante acu deorsum versus ex situ suo removenda est.

Remedia ergò, quæ hic conveniunt internè, sunt ea, quæ oculis in specie dicata sunt, remedia ophthalmica, qualiacunque fuerint: quæ inter eminent millepedes, quorum usus internus pro curandis suffusionibus mirabiliter extollitur à BOYLE *in Philos. Experim. pag. 55.* Laudatur etiam Euphrasia, cujus usu septuagenarios visum recuperasse testatur HILDANUS *Epist. 59.* Item decoctum viperarum cum aquis ophthalmicis paratum videb. in CLAUDINO

Consult. 56. A plurimis laudantur Decocta lignorum sudorifera cum euphrasia, chelidonio, verbena, fœniculo, & betonica parata: vid. CLAUDINUS & ZECCHIUS.

Quoad remedia externa: necesse est subtilia, & quantum possibile, penetrantia sint, quæ oculis instillanda veniunt, frustra aliàs laborabitis. Ut igitur meliùs penetrare queant, conveniens est, ut priùs fomentetur oculus vel sacculo emolliente, vid. HARTMANNUS *cap.* 41. §. 3. vel usurpetur Fotus *Plempii*, descriptus à TIMÆO *von Guldenklee lib.* 1. *Epist.* 24. Quibus subjungantur ea, quæ oculis instillanda sunt subtilia: quæ inter præ cæteris eminent *aquæ ophthalmicæ antimoniales*, quæ nobilissimæ sunt in quamplurimis oculorum affectibus, & in specie suffusionibus: vid. *suprà Sect.* 18. *cap.* 1. *Artic.* 15. *ubi de Ophthalm. & Puncto* 2. *hujus Sect. Membr.* 1. *ubi de Unguc Oculi.* Antimonium enim in se habet subtile sulphur acidulum & penetrantissimum. Ergo propter tale subtile sulphur sunt optima infusa antimonialia, quatenus tunicam oculi penetrant, & ibidem suggillationem delent.

Convenit ergò Infusum vitri antimonii pulverisati; loco cujus vitri non immeritò alii caput mortuum butyri antimonii, vel crocum metallorum pulverisatum, pro infusione in aquis ophthalmicis, v. g. aqua fœniculi, euphrasiæ, chelidonii majoris, &c. suadent: quæ Infusa in loco calido aliquandiu digesta, & hinc filtrata, additis aliquot granis camphoræ & croci, in forma collyriorum crebriùs quotidie oculis instillata, & aliquandiu continuata, sunt optima: v. g.

℞. *Vitr. antimonii pulverif.* ℈ß. vel gr. xv.
Infund. in
Aquæ flor. Cyani,
Euphras.
Fœnic. ana ℥j.
Stent in loco calido per noctem:
Manè filtr. adde
Camph. gr. vj.
M. S.
Collyrium.

Hujus aliquot guttæ instillandæ sunt oculo, ægro supinatim jacente, & hoc interdum repetendum; hac enim ratione prostant exempla curatarum suffusionum. RIVERIUS pro simili Infusione commendat vinum album. Post hæc conveniunt etiam egregiè aquæ compositæ ex formicarum ovis cum felle mustelæ piscis præparatæ, quæ mirè à quibusdam laudantur. Nempe

℞. *Ovor. formic.* ℥iv.
Fell. must. pisc. No. xxx.

Mista omnia lento igne destillanda sunt, exit enim sic aqua turbida, quæ filtrata servetur ad usum, & tempore vespertino pro collyrio ad cataractam delendam oculis applicanda.

Et sanè credo, hoc non fore frustraneum: Notum enim est, quam mirabilis, & singulari FORESTI experientia confirmatus, sit *liquor hepatis mustellæ piscis*, qui extrinsecùs saltem palpebris clausis illitus (penetrantissimus enim est) est nobilis in suffusione vel præcavenda vel etiam confirmata curanda: vid. FORESTUS qui à se expertum commendat. Hepar mustelæ piscis (Germ. *Aalraupe*) affigatur ligno, postmodum imponatur in vitrum, & exponatur radiis solaribus tempore æstivo, sic enim destillat & resolvitur in oleum aurei coloris acre. Tempore hyberno non succedit, & dicunt hoc quidem fieri, quia mustela hoc tempore Veneri indulget & generat: At verò hæc nos relinquimus. FERDINANDUS verò *in Histor. Med. mirab.* 25. laudat pro collyrio *aquam destillatam ex stercore humano*, in qua dissolutum sit *fel mustellæ piscis*, aut etiam leporis, cum tantillo sacchari candi, & margaritis subtilissimè præparatis: liquorem hunc oculis instillare crebriùs jubent, est egregius ad curandas Cataractas incipientes. Nec omittenda venit axungia viperarum, vel instillata vel inuncta saltem. Chelidonium majus se ipso putrefactum, item cancri fluviatiles dum incipiunt putrescere, destillata suggerunt aquam alcali subtilissimo ebriam, insigniter penetrantem, & contra suffusiones utilem. Quodsi non videntur sufficere hæc, confugiatur ad aquam istam ophthalmicam Quercetani, quæ sub destillatione spiritus seu aquæ epilepticæ ex vitriolo & urina pueri, aliquamdiu digestis, hinc destillatis, primò prodit, ubi duplex phlegma colligitur, utrumque penetrantissimum, salsum volatile, quod sine sensu oculum penetrat, & confert egregiè in suffusionibus etiam jam factis resolvendis. Vid. SCHROEDERUS *in Pharm. ubi de Vitriolo*, & TACHENIUS: vel loco hujus paratus ex tempore sequens ad modum Quercetani ex urina puerorum & vitriolo. Phlegma hinc elicitum est subtilissimum, & quod penetrando fortiter discutit suffusiones: v. g.

℞. *Urinæ puer.* ℔ß.
Vitrioli alb. ℥iv.

Stent per aliquot dies in digestione, & postmedum destilletur exinde aqua ophthalmica volatilis fortissimæ penetrationis, oculis instillando, egregia ad suffusionem.

Potest etiam ipsis succi chelidonii majoris libra una admisceri, & ita invicem destillari.

Nec minus penetrans est ille liquor, quando vel albumen ovi induratum interiùs excavatum perforatur & repletur saccharo candi & vitriolo albo, & ita suspenditur in cellam; sic enim destillat per deliquium liquor, diluendus cum aqua euphrasiæ, qui egregiam dat aquam ophthalmicam.

Pertinet huc etiam aqua *Hartmanni* ex lapide scissili & sale, *in Praxi sua Chymatr. pag.* 206. descripta. Extractum Chelidonii majoris, succus nempe inspissatus, magnitudine aciculæ capitis oculo impositum, multum laudatur in incipiente suffusione ab HILDANO *Epist.* 59.

De Anagallide flore purpureo, ejusque aqua, vid. HOLLERIUS *lib.* 1. *de Morb. Intern. cap.* 31. Liquorem ex pane, cum sem. fœniculi & rutæ, cum medico mellis mixto, & recenter ex furno protracto, atque intra duas patinas stanneas concluso, proiectum commendant MERCURIALIS *Tom.* 1. *Consil.* 87. & ZECCHIUS *Consult.* 27. Spiritus vini cum linteis multiplicatis oculo impositus extollitur à TIMÆO *von Guldenklee*, *Epist.* 26. Forsan spiritus salis ammoniaci cum calcis vivæ tantillo acuatus, præstantioris erit usus; quin vix aliquid subtilius noverim hoc ipso spiritu, qui pariter quoque cum aquis appropriatis vel applicari vel instillari poterit.

Denique HARTMANNUS *loc. all. cap.* 43. §. 3. habet aquam ophthalmicam Zinziberatam, quam non potest sufficienter laudare *Lindanus* in affectibus oculorum ferè quibuscunque, in specie ad suffusiones; testatur enim LINDANUS, quod aliquoties dicta aqua ophthalmica Zinziberata suffusiones etiam factas curaverit, in specie quandam mulierem quæ in utroque oculo suffusiones habuerit.

In præservandis & curandis suffusionibus his, observandum simul, quod subinde etiam cum fructu & felici successu in principio seu incipiente suffusione adhibeantur *vesicatoria* in nucha aut prope aures; quæ multùm faciunt in affectibus oculorum, teste HILDANO *Epist.* 67. sicut in senibus Fontanellæ feliciter inuruntur; talibus enim solis contumacissimæ subinde & confirmatæ suffusiones curatæ fuerunt: sed in confirmata parum valent. Conveniunt quoque setacea & hujus farinæ alia: vid. HILDANUS *Cent.* 1. *Observat.* 41. & 42. *Cent.* 4. *Observat.* 6. 7. 19. & 17. GLANDORPIUS *cap.* 24. & SCULTETUS *lib.* 1. *Tab.* 5. *fig.* 2. 3. &c. Quodsi hæc nimis molesta videantur, loco horum egregium quoque & singulare remedium est secretum *Schlegeri*, nempe radix Thymeleæ arborescentis seu Mezerei vel Laureolæ majoris, (Germ. *Kellershals*) in aqua solutionis nitri, vel lixivio ex cineribus vitium, macerata & siccata (aliàs enim nimia acrimonia corrodit aures) lobo auris priùs acu perforato immissa, instar fonticuli successivè phlegma copiosum eliciens, adeòque in quibusvis affectibus capitis catarrhalibus, imprimis in affectibus oculorum, & incipiente suffusione, singulare est remedium. Hujus Thymeleæ radicis mentionem facit RIVERIUS *Cent.* 4. *Obs.* 100. item TIMÆUS *von Guldenklee in Epist. pag.* 52. de perforatione aurium. Conf. etiam BARTHOLINUS *in oculorum affectibus.*

In subjectis habitioribus aut copiosiore sero turgentibus in principio mali fumus nicotianæ laudandus venit.

Denique si alia irrita, ipsa verò Cataracta in perfectam firmamque nondum coaluerit membranam, dubium, an non salivatio Mercurialis simili modo, atque in Venerea lue instituta, penetrante intimè mercurio, instituenda veniat? idque eò magis, si ex lue venerea oriatur. Inclinat ad hanc affirmativam FONSECA *lib.* 1. *Cas.* 29. Per experientiam verò felicem hoc illustrat BOYLE *Philos. Experim. pag.* 65. Conf. etiam SCHENCKIUS *Obs. ubi de lue Venerea pag.* 159.

MEM-

MEMBRUM IV.
DE
VITIO NERVI OPTICI.
PUNCTUM I.
DE
GUTTA SERENA.

Vitiatur etiam visio, quando, licet rectè radii visivi extrinsecùs illapsi pertingant per totum oculum usque ad tunicam retinam, eamque feriant, nulla verò sequatur visio, utut nulla aperta aut sensibilis in oculo appareat læsio aut alteratio, tunc vitium hoc dicitur Græcis *Amaurosis*, Latinis *Gutta Serena*, Germanis *der Schwartze Staar*, sive Cataracta nigra, & est omnimoda *Cæcitas*, uti usitatiùs in specie vocatur.

CAUSÆ.

Cæcitatis hujus *Causa* quærenda est ferè semper, cum præsupponitur oculus salvus, vel in *nervo optico*, vel ejus *expansione*, quæ *tunicam retinam* constituit. In nervo optico quidem contingit Gutta serena, quando hic vel obstruitur, vel comprimitur, vel alio modo læditur, tam circa radicem, quàm progressum, ita ut impediatur propterea spirituum animalium influxus & transitus, unde necessariò *Cæcitas* supervenit: vid. BARTISCH AUGEN-DIENST *Part. 6. cap. 1.* LOSSIUS *lib. 1. Observ. 27.* PLATERUS *Observ. pag. 108. & 110.* & RIVERIUS *Pr. lib. 2. cap. 1.* quibus à SCULTETO *Observ. 26.* etiam contabescentia dictorum nervorum accensetur. Sic Guttam serenam à tumore globoso in cerebro, nervos opticos premente, provenientem notat PLATERUS *lib. 1. Observ. pag. 101.* non minus ac PAW *Observ. Anatom. 2.* (quæ additæ sunt BARTHOLINI *Observationibus*) notat cæcitatem ex improviso ortam in diabetica, ob vesicam ingentem aquâ copiosâ plenam circa conjunctionem nervorum opticorum inventam. Sternutatio nimia etiam cæcitatem induxit Autore HILDANO *Centur. 1. Observ. 24.* vid. etiam M. A. N. C. *Ann. 1. Obs 71. pag. 174.* A fortiori cerebri commotione, v. g. post casum, observavit HILDANUS *Cent. 5. Observ. 8.* ab alapa ZACUTUS LUSITANUS *lib. 1. Prax. Admir. Observ. 52.* & AMATUS LUSITANUS *Centur. 7. Observat. Med. 44.* Pariter interdum *post alios morbos* plus minus acutos curatos supervenit talis gutta serena, nunc per metastasin nunc alio modo commotâ causa materiali occasionali, obstruante vel vitiante nervum opticum: Sic enim *ex scabie scorbutica retropulsa* cæcitatem observat SENNERTUS *lib. 1. Prax. pag. 886.* item *ex sublata natta* ex nucha Guttam serenam observavit HORSTIUS *in Observ pag. 574.* item *ex ulcere pedis* intempestivè clauso similem Guttam serenam notat TIMÆUS *von Guldenklee lib. 2. Cas. 28. pag. 60.* ex usu decocti guajaci in lue Venerea, non purgato corpore, Amaurosin notat HENRICUS *ab Heer Observ. 4.* non secus ac RHODIUS ab intempestivo sudorifero notat *Cent. 1. Obs. 37.* à venæ sectione FONTANUS *Exempl. 10. f. 48.* ex veneno TULPIUS *lib. 1. cap. 32.* à purgatione fortiore AMMANUS *Med. Crit. Cas. 79. pag. 530.* &c. Ubi nulla alia hujus phænomeni potest inveniri causa, nisi quod lædatur exinde nervus opticus, & vel obstruatur vel comprimatur. Aliàs curiosum est, quod refert BARTHOLINUS *Cent. 3. Epist. pag. 275.* de monacho, qui quoties barbam raserit, visum amisit; quando verò ea iterum creyit, visum recuperavit: quod fuit factum vitio nervi optici quocunque modo læsi. Sed præter *nervum* hunc *opticum vitiatum* interdum etiam hujus nervi *expansio* membranacea in bulbum oculi, quæ tunicam retinam constituit, interdum causa primaria est guttæ serenæ, quando nempe hujus tonus, tunicæ retinæ nimirum, & legitima tensio, quæ fortiter expansa in oculo, à quovis visualium radiorum illapsu movetur. Unde si hæc ipsa membrana redditur vel paralytica, & deficiat in debito tono, vel quando læduntur fibræ, & vel contunduntur, vel lacerantur, vel alio modo remittunt à debito tono, relaxetur, & ita *flaccida* ac molliuscula evadat, ita ut nonnisi à forti, aut etiam à nullo radio visivo moveatur, necessariò omnino cæcitas plus minus intensa sequitur.

Quod etiam facit, quando ex *Causis externis*, forti percussione oculi, vel ex casu in occiput, vel ex forti sternutatione (vid. HILDANUS *Cent. 1. Obs. 24.*) aut etiam ex nixu nimio epileptico, laceratur quasi, aut alia etiam ratione vitiatur membrana tunicæ retinæ. Hinc observatum, post epilepsiam gravem cæcitatem incurabilem ortam fuisse, quatenus nempe à nimiis convulsionibus tunica retina plus minus lacerata vel læsa Guttam serenam infert. Porrò ad istas causas, quæ possunt inferre læsionem tunicæ retinæ, & inde Guttam serenam, accensendus venit objecti nimis splendentis, v. g. solis, diutinus nimis aspectus, aut etiam diuturnior & continuata lunæ plenæ inspectio, cujus exemplum habet HEINRICUS ab HEER *loc. all.* item SALMUTH *Cent. 2. Hist. 83.* quatenus ab horum radiis violenter impressis, propter nimium talem motum fibræ ipsius tunicæ resolvuntur, & quasi paralyticæ disponuntur, unde Gutta serena.

Quod etiam facit, quod ex bombardarum horribili coruscatione & impetu visus sine externa nota subitò amissus fuerit, teste SCHENCKIO *in Obs.* Quod etiam facit, si ex percussione oculi ex casu in occiput vitietur hujusmodi membrana, ut exinde deficiat visus. Pertinere huc videntur convulsiones, quæ subinde in cæcitatem terminasse visæ sunt, item epilepsiæ, item dolores colici. PLATERUS nempe *lib. 1. Observ. pag. 102.* observat dolores colicos cum convulsione & cæcitate quotannis recurrentes; item *Obs. pag. 100. & 102.* alia exempla refert ejusmodi cæcitatum post convulsiones natarum; non secus ac SCHENCKIUS *in Obs.* ex colicis doloribus excæcatam mulierem refert: Sic HILDANUS *Cent. 5. Obs. 5.* cæcitatem ortam refert post curatam epilepsiam per vomitum. Hæ in specie ad Guttam serenam disponentes fuerunt causæ. In genere observandum, nil magis nocere oculis, quàm nimium Veneris exercitium, adeò, ut hujus solius occasione quosdam gutta serena affectos meminerim.

Sunt porrò, quorum oculi ex idiosyncrasia à quibusdam assumptis notabiliter alterantur. Novi virum, qui ex variolis à pueritia oculos habet debiliores, qui, quoties cancros comedit fluviatiles, toties exasperantur pathemata oculorum; id quod & ex milio ipsi evenit: Sic alium novi virum, ex cancris idem malum contraxisse: Aromatarium novi, qui ex volatilium acrium, armoraciæ, cochleariæ, sinapi, &c. abusu notabilem oculorum hebetudinem incurrit; hinc communiter sæpè oculis hostiles dicuntur: Novi virum jam senescentem vertiginosum, qui ex usu spiritus salis ammoniaci notabilem visus hebetudinem percipit.

Singularem guttam serenam gravidis solennem, quæ statim ab impprægnatione invadit, & ad aliquot menses, imò per totum gestationis tempus, moleste est, & post partum sponte remittit, videbitis in BARTISCH AUGENDIENST; qualem etiam iisdem, quæ mensium suppressione laborant, evenire, neque, nisi his restitutis, evanescere testatur.

DIAGNOSIS.

Cæterùm guttam serenam in Cæcitate adesse, non semper manifestum est; nam possunt etiam occulta oculi vitia Cæcitatem inferre. Hinc ut adeò vitii retinæ conjecturam probabilem hauriamus, attendatur: quando nullo vitio sensili aut notabili in oculo præsente homo nihilominus cæcus evadit, & quidem Cæcitas ista si fiat paulatim, suspicio est, quod ex vitio partium quarundam in oculo non apparente fiat Cæcitas: quæ verò confestim fit, aut breviter sua incrementa capit, citra sensilem læsionem, ex vitio nervi optici quod fiat, probabilissimum est, si præcesserit læsio cerebri aut capitis, nervos plus minus afficiens. Aliàs quæ de amplitudine, dilatatione pupillæ &c proferuntur indicia, ferè fallacia sunt, quibus solis non fidendum, dicit PLATERUS *in Praxi*. Dicunt enim, si fricando oculum unum, & alterum comprimendo, in pupilla ejus, qui fricatur, appareat dilatatio & constrictio, neruum opticum esse illæsum, spiritumque liberum habere commeatum, atque tunc cæteris paribus uitium hærere in tunica retina, uel in alio oculi loco. Si nulla planè sit dilatatio, uitiatos esse neruos opticos: nam amplitudinem pupillæ etiam in hominibus sanis, ad loca tenebrosiora se conuertentibus, naturaliter dari; In casu uerò allabentis luminis excellentioris pupillam arctiùs constringi, ne oculus nimia radiorum uber-

ubertate obruatur, certissimum est. Parilis subest error quoad dilatationem: nam dum æger luci obvertitur, ut pupilla tantò clariùs videri possit, pupilla identidem ad luminis excessum connivet, quod etiam cuivis sano accidit.

P R O G N O S I S.

Quoad Prognosin: senes naturaliter quoad visum hebescunt, & interdum ex relaxata tunica retina omninò excæcantur, unde Guttâ serenâ laborantes non restituuntur, sive dependeat eadem ex vitio nervi optici, vel retinæ.

In genere enim *omnis Gutta serena difficulter* curatur, in specie quæ subitò fit, e. g. ab fortem capitis plagam, aut casum ab alto; quia ejusmodi affectus est talis, ut remedia, antequam ad oculos penetrent, suam vim amittant.

Difficilis etiam curationis est Gutta serena, quæ fit à tumore, qualem Platerus Obs. pag. 108. describit; à nervorum laceratione; eorundem labe, quæ visum penitùs abolet, ut ut hanc, modò causa mobilis fuerit, interdum curatam PLATERUS *l. a. pag.* 110. testetur. In imperfecta verò Gutta serena major salutis spes est, vid. BARTISCH *l. a. in præfat. & cap.* 3. RIVERIUS *l. a.*

C U R A.

Sicut quicunque oculorum affectus sunt difficiles *curatu*; ob nimiam nempè organi sensibilitatem & delicatam structuram, ita præ cæteris Gutta serena per quàm difficulter curatur, sive ea jam tunicæ retinæ, sive nervi optici vitio accidat, perinde est. Si tamen adsit cæcitas ex Gutta serena, curatur ea partim internis, partim externis. Internè quidem conveniunt Evacuantia per sudorem & alvum, & alterantia, quæ per experientiam *visum confortare*, tàm internè quàm externè, hactenus observata fuerunt. Imprimis diæta exquisita summoperè necessaria est. De cetero quoad remedia evacuantia, Vomitoria cautè usurpentur, cum HILDANUS *Cent.* 5. *Observat.* 19. referat, exhibito vomitorio ægrum visum amisisse, ejusdemque beneficio eundem recuperasse; sicuti *idem Cent.* 5. *Observat.* 5. post curatam epilepsiam per vomitum cæcitatem ortam esse refert. Tutius ergò est, alvum stimulare per inferiora, cùm alvi profluvio restitui interdum observati sint oculi. Quæ alvum evacuant, temperata sint; ut ut enim à veteribus pilulæ lucis, ut vocant, & quidem majores pro senibus, & minores pro juvenibus, præscribi soleant, minus tamen ipsis fidendum est, cum scammoniata & quæcunque purgantia acria in oculorum affectibus magis noceant, quàm prosint, secundùm PANAROLLUM *Pentec.* 4. *Observat.* 9. Magis ergò temperata, & minus resinosa, sed moderatè acria usurpentur. *Pilulæ alocphanginæ* singulis novilunils ad ℨß. assumptæ, & deinde continuatæ, ad oculos nebulosos mirè commendantur. Aliàs etiam *Infusum sennæ* & agarici *cum sale tartari* in *aqua euphrasiæ & fœniculi* pro purgatione in oculorum affectibus adhibetur; aut *pilulæ ex extracto panchymagogo cum oleo* destillato *fœniculi* subactæ conveniunt. *Hermodactylorum* genuinorum *pulvis* singulariter etiam ad oculorum affectus pro scopo purgante laudatur à THEODATO *in Valetud. pag.* 153. Potest etiam fieri vinum medicatum alterativum & laxativum ita:

℞. *Herb. Euphras.* Mj.
Flor. Beton.
Calcatripp.
Cyani an. p. ij.
Fol. Sennæ sine stip. ℥j.
Rad. Helleb. nigr.
Esul praep. an. ℥ß.
Sem. Fœnicul.
Cubebar.
Cardam. an. ℨiij.
Sal. tartari ℨj.
Incis. & contus. includ. Nodulo
D. S.
Nodulus laxativus ad oculos.

Infundatur in Vinum, hocque hauriat æger manè, & vesperi dum cubitum eundum est; & sanè hujusmodi noduli ad Guttam serenam non contemnendi sunt. Moderata ergò sint laxativa ad Guttam serenam.

Inter sudorifera excellunt, quæ ex lignis parantur, & imprimis sassafrata conveniunt. De cetero inter alterantia *appropriata aromatica* blanda oleosa, & nonnihil amara, oculis singulariter conveniunt: sed *acria* & volatilia manifesta, v. g. cepa, & quæcunque alliata, armoracia, spiritus salis ammoniaci etiam, internè oculis nocent: sic novi viros, qui quoties armoraciâ utuntur, semper in obscuritatem visus incidunt: hinc cùm aliquando cuidam seni adhuc Veneri & vino indulgenti, & aliis affectibus nervorum, & oculorum affectibus obnoxio, ordinassem cum aliis spiritum salis ammoniaci, ex hoc maximum percepit cæcitatis periculum, ut ut aliàs hoc remedium sit insons. Cæterùm palmam ducit *Euphrasia*, indeque parata conserva, *vinum* euphrasiatum, *essentia* euphrasiæ & similia, quæ ab omnibus Practicis laudata sunt. GABELCHOVERUS *Cent.* 3. *Curat.* 100. non sufficienter commendare potest euphrasiam. Post euphrasiam est *Valeriana*, ejusque *radix*, mirè laudata à TABERNÆMONTANO, *ubi de Valeriana*, ad visus restaurationem. Post hanc *Chelidonium majus* singularissimum est ophthalmicum, item *Levisticum* ac *Fœniculum*, omniaque horum præparata, hinc etiam lignum Sassafras, omniaque *Sassafrata*, fœniculi odorem spirantia, egregia sunt virtute ophthalmica in Gutta serena: unde etiam lignum Sassafras ad nyctalopiam admodum commendat FERDINANDUS *in Hist. Med. Mirab. pag.* 51. Porrò hisce addantur *baccæ Iuniperi*, & omnia ex iis parata, Carduus benedictus, *ruta*, semina quatuor calida majora, helenium, *rosmarinus*, & omnia ex rosmarino parata, oculis & cæcitati optimè conducunt; ex quibus spiritus essentiæ, vina medicata, &c. parari possunt.

Hinc conveniunt Noduli ex hujusmodi simplicibus vino infusis, in & ante pastum subinde hauriendo, quorum descriptiones: videb. in *Cent.* 2. KESLERI *Processuum pag.* 69, & HARTMANNI *Prax. Chymiatr cap.* 15. §. 2. *pag.* 94. ubi vinum medicatum prostat, cujus usum admodum in hebetudine visus commendat. Simili ratione parantur etiam Essentiæ ophthalmicæ ad intra, qualis fuit D. MICHAELIS, similibus ex speciebus paratæ. Vinum enulatum & rorismarini etiam oculos confortare dicuntur.

Facit huc pulvis pro conservatione visus laudatus:

℞. *Herb. Beton.*
Ruthæ,
Chelid. maj.
Euphras.
Levist.
Sem. Anisi.
Rad. levist.
Valerian.
Cinnam. an. ℨj.
Cardam.
Zingib.
Galang.
Sem. Fœnic.
Petrosel.
Siler. mont.
Herb. origani an. ℨß.
Sacch. ℥j.

Ex quibus f. *Pulvis*, qui aliquandiu ante pastum & in pastu sumatur.

Serenissimus Elector Fridericus magnifecit pulverem hunc, qui visum restituit uni, per septem annos cæco, postquam eo usus est quindecim dierum spatio.

Electuario ex seminibus ad visus imbecillitatem simplici, sed efficacissimo, usus olim INNOCENTIUS III. ex semine fœniculi, sileris montani, apii, anethi & petroselini, cum melle, quo viro centum annorum visum amissum restitutum fuisse dicitur; quod ex Manuscripto antiquo Serenissi. Principis Mantuani 1448. adnotatur: Vid. VELSCHIUS *Miscellan. Centur.* 2. *Observ.* 97. SOLENANDER *Sect.* 2. *Cons.* 9. ad imbecillitatem visus mirè commendat hunc pulverem:

℞. *Sterc. falcon. sicc.* ℨij.
Sem. fœnic. ℨj.

Subtilissimè trita misceantur, & partim quotidie usurpetur internè, partim tantillum caligantibus oculis imponendum.

Hinc & Quinta essentia rorismarini, & Quinta essentia fœniculi, pro visu corroborando pluribus in usu sunt.

Excellunt etiam ex regno animali ex *formicis* quævis parata remedia, quæ ad roborandum visum internè mirificè condu-

conducunt, ut aqua magnanimitatis, item lumbricalia, & tandem ex millepedibus parata. Nam quantum valeant, millepedes vino infusi ad visum restituendum & suffusionem curandam, de quo omni manè assumatur haustus. Hujus rei singularia exempla refert BOYLE *in Util. Philosophiæ Experimentalis pag.* 154. & 155. ubi observat, quod mulier cataractâ confirmatâ unius oculi detenta, per usum millepedum, adscendendo à pauco numero ad numerum majorem usque ad 60. cum vino albo assumendo singulis manè, perfectè curata fuerit à suffusione: sicuti etiam alia curata fuit à suffusione utriusque oculi, qui ipsi etiam millepedes interno usu ad alia oculorum vitia erunt proficui.

In Gutta serena à solo spirituum opticorum defectu, propter evacuationes nimias, e. g. Venerem nimiam &c. dissipatorum, sola alimenta eupepta & aromatica analeptica conveniunt: conf. PANAROLLUS *Pent.* 3. *Observ.* 46. Sicuti aliàs cum hactenus dictis, ritè & prudenter administratis, diæta tenuis observanda, vitando simul alimenta crassiora & flatulenta, quatenus RIVERIUS *Observ.* 29. à FOMIO *Communic.* testatur, Guttam serenam casu per inediam solutam fuisse.

Hisce internis etiam addenda sunt *Externa*: quæ inter ad oculos sanos confirmandos & præservandos, debiles verò restituendos, multum convenit ros majalis plantis ophthalmicis, & speciatim fœniculo, insidens, oculis bis de die instillatus & crebriùs usurpatus. Iis, qui lucubrationibus nocturnis oculis nocuere, convenit *liquor fœniculi saccharatus Bartholeti*, quem dedi in *Colleg. Pharmaceut. in Schrœderi Pharm. ubi de Fœniculo pag.* 570. Sic etiam *Infusa antimonialia* prostant, & *aquæ ex fellibus* piscium destillatæ, quarum jam suprà facta mentio, in specie lucii, in confortando & restituendo etiam in gutta serena non sunt contemnenda; item aquæ ophthalmicæ exemplum non inelegans videbitis in BARTHOLINI *Actis Med. Hafniens. Volum.* 2. *pag.* 304. quæ tàm solitariè usurpari, quàm pro infundendis antimonialibus egregiè adhiberi potest: item aqua stercoris anserculorum destillata commendatur ad conservandum visum. Inter alia etiam eminet *suprà laudatum* illud *oleum* sive liquor *hepatis mustelæ piscis*, de cujus efficacia mirabilem habet observationem FORESTUS *lib.* 2. *Observ.* 28. cum quo conf. BORELLUS *Cent.* 3. *Observ.* 91. Hi ipsi Autores dictum liquorem, per experientiam confirmati, ad Guttam serenam extollunt, si palpebris clausis oculis, saltem illinatur. Huc etiam facit pinguedo viperarum, quam tum in hoc tum in omnibus oculorum vitiis mirè deprædicat LUDOVICI *in Pharm.* & WEDELIUS *de Facul. Medic. cap. de Ophthalm. pag.* 182. His addatur succus seu liquor de formicis majoribus expressus, & per residentiam sponte depuratus, qui bis in die instillatus omnes cæcos curare laudatur. Quin etiam aqua ista, quæ verno tempore ex pampinis vitis incisis destillat, ad oculorum vitia similiter commendari solet.

Denique convenit etiam liquor iste, qui ex lumbricis, vitro & massæ panis fermentatæ inclusis, in clibano per deliquium solutis, emergit: nempe si oleum istud fumatur, per linteum densum transcoletur, & cum tantillo camphoræ acuetur, qui liquor blandissimè oculis illitus maximè laudatur à quibusdam ad cæcitatem tollendam. Quidam mirificè commendant contra oculorum hebetudinem & cæcitatem sequens unguentum expertum BRENDELII *Cons.* 53. ubi refert, quod Uratislaviæ fœmina quædam per quatuordecim annos altero oculo cæca visum recuperarit: nempe

℞. *Mel. anthosat.* & despumatum,
ut benè fluat:
eique adde
Zingib. pulverif.
Caryophyll. minutiss. pulverif.
Salis comm. an. ʒß.

Misceantur hæc omnia invicem cum melle in *Unguentum* liquidum.

De quo particulam quantitate seminis sinapi indidit oculo; qui quidem exinde primò vellicatur, sed statim desinit, & postmodum plurimum humiditatis ex oculo effluit: quod continuetur aliquamdiu, donec effectus succedat speratus.

Denique vesicatorium pone aures aut nucham applicetur, eoque exsiccato vel fonticulus vel setaceum in nucha excitatum multum valent ad guttam serenam: conf. SCULTETI *Armam. Observ.* 34. Vel potiùs duplex excitetur fonticulus ad latera quartæ, aut quintæ colli vertebræ; imò ipsi vertici inurendum esse fonticulum, & vesicatorium toti capiti admovendum, RIVERIUS *loc. allegat.* monet.

Nec negligenda sunt Masticatoria, quæ PLEMPIUS *Ophthalmogr. lib.* 5. *cap. ultim.* & SPIGELIUS *Disquis. Corp. Hum. lib.* 7. *cap.* 2. sternutatoriis præferunt; unde etiam usum fumi nicotianæ approbat HILDANUS *Epist.* 67.

ARTICULUS II.
DE
VISU IMMINUTO,
& in specie
DE
NYCTALOPIA.

CÆcitati suo modo cognatum malum est *Nyctalopia*, quando æger de die mediocriter, vesperi parum, ad lucem candelæ ferè nihil cernit. Exempla hinc inde observantur; imprimis HEER *Obs.* 4. notat Nyctalopiam, cui in serena tempestate apparent nebulæ; in turbido verò & obscuro loco non. In specie MANARDUS *lib.* 6. *Epist.* 15. refert quendam interdiu imbecilliter, vesperi parum, noctu nihil cernentem, nisi lucerna geminata sit.

CAUSÆ.

Ex jam dicto exemplo ferè concludo: *Causam* Nyctalopiæ videri paralyticam tunicæ retinæ laxationem, quæ non nisi fortiore & intensione objecto ac acumine moveri potest.

Remotas inter causas diæta mala multum promovet Nyctalopiam, teste HOECHSTEDTERO *Decad.* 9. *pag.* 346. Ex usu loliacei panis notat SCHENCKIUS *Hist. gen. humor. cap.* 2.

CURA.

Nyctalopia hæc difficilis curatu est, ac præsertim inveterata non curatur: Remedia inter alia decoctum ligni sassafras multum commendat FERDINANDUS *in Hist.* Item jecur anguillæ super carbones assatum aliquoties ante cibum assumptum, specificum est PANAROLLI *Pent.* 3. *Observ.* 49. cujus loco hepar bovis coctum in tres partes discissum, & omni mane jejuno ventriculo pars cum successu usurpata fuit: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observ.* 132. *pag.* 243.

Denique pulvere ex semine fœniculi, anisi, coriandri, &c. curata fuit nyctalopia à GABELCHOVERO *Cent.* 4. *Cur.* 49.

Absolvimus læsiones visus & vitia ad visum pertinentia: Pergimus in examine sensuum externorum ad

CAPUT II.
DE
AUDITUS LÆSIONIBUS.

POst Visum sequitur *Auditus*, noctu dieque æque vigens, cujus *objectum* movens externum nil aliud est, quàm *æther* seu *aeris subtilissima* substantia (vid. WILLIS *de Anima Brutor.*) diversimodè, impetuosè tamen & violenter nonnihil, vel percussione vel flatu commotus, qui undique undulatorio motu in orbem diffusus per anfractus auris externæ ad aurem internam, & speciatim ad nervum auditorium seu acusticum, in cochleæ extremitate in membranam expansum, impingit, eamque quasi percutit: qui motus dictæ percussioni analogus, & ad cerebrum continuatus, à nobis *sonus*; ejusdem verò dijudicatio seu perceptio *Auditus*, dicitur *Undulatorius motus*.

Flatus etiam est percussionis species, qui per spatium liberum levem habet sonum; sed si cum impetu per locum angustum fertur, fortior est sonus.

Motiones hujusmodi ethereæ ad aurem continuatæ, prout sibi invicem certâ, secundùm Arithmeticæ leges, proportione in majori vel minori gradu, & intensione aut remissione respondent, gratum vel ingratum, seu harmonicum vel non harmonicum efficiunt sonum: & prout istis motionibus respondentes in cerebro spirituum animalium se habent motus in impetu majori vel minori, ordine vel confusione, &c. varii effectus Musicæ in nobis exsurgunt; quin & à nervo auditorio ramus etiam ad gingivas prodit, unde ingratus sonus etiam dentes quasi afficit.

Motus talis ætheris, prout vel vehementior vel debilior, fortiorem vel remissionem nobis repræsentat sonum: prout fortior & celerior, acutiorem; prout remissior & tardior, graviorem: sicut impingens ætheris motus in corpus densum, repercutitur diversimode, ita tamen, ut angulus repercussionis angulo incidentiæ exactè sit æqualis, indeque repetitum sonum seu Echo constituit, quale in cavitate instrumentorum Resonantia dici solet: vid. SCHOTTUS *in Mag. Naturali*, item KIRCHERI *Phonurg. Musica*.

Ad ætheris motiones flatu factas, tanquam per instrumentum pneumaticum, pertinet motus ejus in animalibus per tracheam seu asperam arteriam factus, *Vox* dictus, quæ simplici per laryngem, imprimis epiglottidis adjumento, elitione Vocales, per linguam verò, dentes & labia modificatione Consonantes, effingit: quæ literæ in hominibus, pro impositionis & consuetudinis ratione, mille modis combinatæ, & artificiosè articulatæ, sermones constituunt; unde & solâ motus organorum sermonis observatione surdus, & mutus ab ortu per oculos seu visum exactè audiens, & ita loqui perfectè reddi potest: Vid. DIGBY *de Immortal. Animæ Tractat. Angl.* item *Amicus hominis surdi, & muti*, qui tamen maximam partem in DIGBY invenitur.

Auditus hic læditur *duobus ferè modis*:

1. Quando *imminuitur in Obauditione*, h. e. in difficili auditu, aut quando omninò *aboletur* in *surditate*: Ac
2. Quando *depravatur* aut vitiatur, ita ut soni, qui non sunt, audiri existimentur, in affectu TINNITUS & sonitus AURIUM appellato, de quo postmodum.

ARTICULUS I.
DE
AUDITU IMMINUTO, ET ABOLITO.
MEMBRUM I.
DE
SURDITATE.

Contingunt hæ læsiones, tanquam symptomata, vel in morbis malignis aut acutis, idque ut plurimum fausto omine, dum interdum crisin portendunt, interdum verò conatum saltem criticum ad parotides; vel extra hos, idque nunc vitio proprio undecunque contracto, nunc aliis chronicis affectibus superveniunt, v. g. lui Venereæ.

CAUSÆ.

Quoad *causas*: hauriendæ sunt ex quatuor fontibus. *Imminuitur* enim aut *aboletur Auditus*

I. *Vitio auris externæ*, si scilicet hæc sit abscissa, vel alio modo læsa; tunc enim tantùm obscurus & raucus minusque distinctus sonus percipitur: unde taliter affecti manibus cavis auribus admotis defectum istum resarcire coguntur. Quò pertinent etiam alia instrumenta otica pro surdastris, quæ vid. apud SCHOTTUM *in Mag. Nat. lib. 3. Art. 2. syntagm. 4. Pragm. 1.*

II. Imminuitur & aboletur auditus vitio meatus auditorii, obstructi scilicet aut infarcti, quò minus aure externâ motâ possit æther interiùs ad aurem internam progredi: quod fit non tantummodò à rebus extrinsecùs illapsis, pisis, nucleis, cerasorum, &c. sed etiam ipsa cerumina diutiùs in auribus retenta & tandem indurata subinde idem præstant. De gryllo in aurem ingresso vid. M. A. N. C. *Ann. 4. Observ. 50.* Nec tantùm meatus auditorius externus, sed internus in fauces hians, similiter angustatus, Auditus difficultatem infert. Quò facit surditas ab incremento nimio glandularum, prope quas excurrit meatus auditorius in os, observata à TULPIO *lib. 1. Obs. cap. 35.*

III. Imminuitur *vel* aboletur auditus *vitio membranæ tympani*. Sanè dubium non est, quin vitiatâ hac membranâ tympani lædatur plus minùs auditus; cùm certum sit, ipsam non frustrà esse conditam in meatu auditorio: saltem de usu ejus est dubium, qui probabiliter saltem statuitur Præservatorius auris internæ, & nervi intrinsecùs expansi auditorii ab externa vi frigoris, aeris, pulveris, similibusvè injuriis; nec magis pertinere ad auditum ipsum videtur, quàm vitrum in fenestris ad visum; id est, sicut hoc intromittit lumen sine offensione eorum, qui sunt in conclavi, ita illud permittit sonum transire, & excludit, quæ aliàs læderent organum, quemadmodum apparet in experimento, quo fractâ membranâ tympani canis videtur nihilominus audire per aliquot septimanas, donec aliæ causæ, v. g. frigus externum, corrumpunt organon: Sic HORSTIUS *lib. 7. Observ. 8. pag. 444.* notat tympanum per abscessum putredine absumptum, sine ulla tamen auditus læsione; Sicuti etiam SCHNEIDERUS *lib. 3. de Catarrh. pag. 402.* eandem membranam ruptam, aut totam ferè excretam, nullam tamen noxam auditus attulisse, observat.

Læditur auditus vitio hujus membranæ vel ruptæ, v. g. à causa externa, imprimis ex forti nimis sonitu, cujus impetu divelli & plus minus lacerari vel rumpi solet (vid. HILDANUS *Cent. 3. Observ. 7.*) hinc fit interdum, ut ab explosione sclopeti huic non assueti surdastri fiant; vel exesæ & plus minus exulceratæ, ut observatum in abscessibus aurium internis, item in variolis & morbillis interiora auris obsidentibus; aut etiam secundùm RIVERIUM vitio membranæ relaxatæ nimis, nimisque humectatæ, tàm propter causas internas in affectibus catarrhalibus, quàm externas, nempe humidam aeris constitutionem: hinc quidam sub tempestate pluviali, vel constitutione aeris austrina vel humidiore, graviorem habent auditum, membranâ istâ ab aeris humiditate plus minus relaxatâ; ex qua causa videtur orta surditas ex copioso oleo communi auri instillato, quàm refert TIMÆUS *von Guldenklee in Resp pag. 109.* in serena verò & sicciori, admodum acutè: uno nomine paralyticæ factæ: aut denique vitio ejusdem convulsæ ac fortiter nimis expansæ. Requiritur namque ad debitum aeris moti seu soni transitum, ut membrana ista sit tensa, & firmiter dispansa; aliàs laxata membrana certò extingueret & supprimeret sonitum, pariter ac in tympano videmus: Conf. *Act. Anglic. Volum. 1. pag. 533.* Nam quoad paralyticam membranæ hujus constitutionem, pertinet huc illa surditatis species à WILLISIO *de Anim. Brutor. Part. 1. cap. 14.* observata, quando quidam sunt surdi & nihil audiunt; quando autem pulsatur tympanum, vel campana, vel inflatur buccina, sub tali fortiori sonitu impulsa redit in debitum tonum, & sic alios intelligunt. Novi mulierum aliquamdiu surditate laborantem, tandem audito sonitu in capite, ac si bombarda exploderetur, cessavit; dicebat: illam non opinatam esse, quod esset in capite suo, interrogavit igitur circumstantes, annon & ipsi idem audivissent. Credo sanè, & probabilissimum est, quod vitiatâ hac membranâ tympani, lædatur tandem auditus successivè vitiatis labyrintho & cochleâ ab externis irruentibus, ut jam *suprà ex* HORSTIO & SCHNEIDERO *loc. cit.* probavi. Pertinet huc etiam stupefactio tympani, vel ab aere frigidiore, vel narcoticorum abusu, vel incrassatione, vel exsiccatione, aut per ætatem, aut ineptâ calidorum applicatione, quale exemplum de pane calidiore annotavit BARTHOLINUS *Cent. 6. Hist. 77.*

Quoad convulsionem hujus membranæ: arbitror, subinde convulsivi quid pati, quatenus ratione musculorum convellitur, & ita nimis tensa & expansa redditur; tunc enim propter talem tensionem & spasmum nequit commodè ab aere externo percuti, sed ille sine fructu retrocedit. Fit hoc v. g. in Hypochondriacis, quibus sæpè aliquid ante aures obtendi videtur, quod nihil aliud innuit, quàm quod ista membrana tympani convulsa tendatur; quando verò iterum relaxatur, iterum audiunt, undè dicunt: cadere ipsis tam repente ante aures, & citò iterum abire: ibi subitò tendi nimis, subitò remittere, denuò videtur. Sanè etiam

in auditus læsione ventriculus cum nervis confusus subindè attendendus, utut à priori non adeò benè explicabilis, cùm subinde, prout ventriculus vel vacuus vel plenus est, remitti aut intendi etiam malum observetur.

IV. Tandem *vitio nervi auditorii* seu acustici in cochleam expansi ut plurimùm imminuitur vel aboletur auditus. Si nempè hic sit (1.) *vitiosè conformatus*, ita ut non ad aurem internam, sed ad alium locum derivetur; quod fit sub prima fœtus formatione, unde tales ægri subindè ab ortu solent esse surdi, & utplurimum simul muti, vid. DEUSINGIUS. Aut etiam (2.) si nervus præternaturaliter est affectus, nunc in exortu, nunc in progressu: In exortu, circa basin cerebri, quando illud est compressum & angustatum, unde intercipitur spirituum animalium motus per hunc nervum ad expansionem in cochlea & labyrintho: In progressu, quando ipse nervus est angustatus, sive sit obstructus, sive sit *compressus*, sive alio modo huc faciente vitiatus, adeò ut spiritibus animalibus omnem transitum intercludat, à quacunque fiat causa, vel in casu ab alto, illisione temporum ex casu, aut eorum & cerebri gravi percussione & contusione, morbo Gallico, vel in affectibus catarrhalibus à lympha subtili se insinuante, & membranam ejus atque ipsas fibras nerveas plus minus humidas, & flaccidas reddente, ut in debito tono cessent; vel etiam subinde in *morbis acutis* ad statum properantibus, & per hæmorrhagiam criticam finituris, arteriis & venis intra ἐλκίσαγον magis distentis, hincque nervum auditorium comprimentibus. (3.) Quando hic nervus in membranam intra cochleam & labyrinthum se expandit, & membrana ista vitiatur, Auditus læditur; idque duplici modo: quando vel quasi paralysi, vel quasi spasmo corripitur. Paralyticam constitutionem quod attinet, quando scilicet fibræ ejus sunt aut ruptæ aut divulsæ, aut relaxatæ plus minus, aut alio modo vitiatæ, adeoque à naturali tono remittunt: hinc etiam convulsis fibris rigidior quasi evadit membrana, & ab externo motu vix mobilis: illud frequentius, hoc rarius arbitror vitium. Nam in paralytica constitutione membrana ista propter atoniam suam inepta erit, ut moveatur ab impellente aere, unde ita auditus necessariò tollitur. Hinc fit sæpiùs, ut post nimis acutos sonos homines fiant surdastri, v. g. in insuetis ex explosione sclopetorum auditus ad tempus tollitur, aut plus minus debilitatur. Quidam reddunt rationem, quod interna expansio nervi acustici aut membrana auditoria in cochleam & labyrinthum ingressa, à sono gravi tam fortiter moveatur, ut aut fibris laceratis aut nonnullis fibrulis ruptis, distentis, vel aliâ ratione malè affectis, auditus plus minus lædatur, unde soni non percipiuntur; vid. HILDANUS *Cent.* 3. *Obs.* 7. quod tamen non videtur probabile, quia membrana tympani extrinsecùs obstat, quæ omnes fortes sonitus retundit, quò minùs possint penetrare. Potiùs ergo tympanum læderetur, quam membrana acustica in cochleam expansa, quod fit saltem à causis externis.

Nam quoad internas, si dicta membrana nimis laxetur, & humectetur, unde & eadem paralytica facta in tono remittit, & minus fortiter à sono potest moveri & percuti, & ita auditum difficilem & obscurum infert: id quod etiam in catarrhali vitio à lympha in suo motu impedita, ibique plus minus excreta, fieri potest. Item si, saltem tantillum recrementi ex privata illius nervi aut membranæ nutritione relicti, aut aliunde cum sanguine transmissi, auditus læsionem inferre poterit, prout vel irritando ad convulsivas, vel nervum obstruendo ad paralyticas aut similes affectiones disponere valebit: quò & metastasis materiæ seu potiùs fermenti in morbis acutis aut etiam chronicis pertinent; item incongruus usus unguenti Mercurialis pro sordibus capitis detergendis; vid. TIMÆUS *lib.* 1. *Epist.* 29. Spasmodicam affectionem membranæ quod attinet; eadem, quacunque occasione irritata, convulsis fibris rigida quasi evadit, adeòque ab externo movente vix mobilis: Facit huc observatio BARTHOLINI *in Cent.* 4. *Epist. pag.* 235. de sene, qui ex surditate acutum visum recuperavit, sed curatâ surditate antiquum visus vitium rediit. Vitium videtur hæsisse in exortu nervorum, ut spasmo nervi acustici spiritus animales ad nervum opticum penetraverint, quo reserato, in tanta copia ad opticum non pervenerunt.

DIAGNOSIS.

Vitium *Obauditionis* & *Surditatis* per se patet, saltem scrutinium causarum incumbit Medico, quarum differentias à priori perscrutari perquàm difficile est; saltem ratio causarum antecedentium, & ita fiendi modus nunc repentinus nunc successivus, item adjuncta aliarum partium symptomata, vel capitis, vel sensuum reliquorum, item an surditas continua sit? an interrupta? an conjungatur cum morbis hypochondriacis & aliis pathematibus? easdem subinde plus minus manifestant. Ex his enim origo seu causa surditatis artificiosa conjectura eruitur.

Causam esse vel defectum auris, vel obstructionem meatus auditorii, vel tympani læsionem, vel etiam malam conformationem, facilè per se & levi ex circumstantiâ patet. Sin verò vitium nervi obstructi aut alio modo læsi adsit, id solâ conjecturâ difficulter admodum à Medico deprehenditur & percipitur.

Affectum esse catarrhalem, ostendunt pathemata catarrhalia conjuncta; item progressus Tinnitus aurium aut etiam Sonitus: item si sensus fuerit ex aliquali obstructione; item difficultas successivè & incohat, & successivè incrementum capit.

In morbis acutis subitò fit surditas, ex quacunque etiam oriatur causa.

Si fit à causa externa, à casu super aurem, à sonitu gravi, &c. ex relatione ægri cognoscitur.

PROGNOSIS.

In *Prognosi* habenda est ratio differentiæ surditatis, quatenus observatur vel in morbi acuti imprimis statu, vel morbo chronico.

In acuto surditas subitò facta, si est à causa externa, nil habet in recessu.

Surditas superveniens in febribus *acutis*, urinâ existente crudâ, delirium grave portendit; sin verò surditas in acutis & malignis febribus cum signis coctionis, aliisque signis bonis conjungatur, utplurimum bonum signum esse solet, cui ipsi interdum aut hæmorrhagiæ narium, aut forsan dejectiones biliosæ plus minus, per diarrhœam criticam superveniunt, & sic finitur morbus; aut si nihil tale eveniat, saltem ex obauditione, febribus acutis superveniente, decubitus quidam & motus translatorius ad parotides ferè innuitur. Nam quod non semper sit malum signum, videbitis præter ZACUTUM LUSITANUM *in lib.* 1. *Med. Princ. Histor. Dubio* 40. & PAULI *in Digress. de Febrib. Mal. pag.* 16. & 17.

Si in morbis acutis surditati superveniat delirium, vigiliæ & similia, pejus est, quàm si surditas superveniat delirio; & si tale delirium surditati superveniens cum anxietatibus, vigiliis, aut etiam cum vomitu conjungatur, periculosum morbum innuit.

Quibus surditas cum gravitate capitis, & hypochondriorum tensione, & oculorum ad splendorem perturbatio adest, iis hæmorrhagia narium indicatur: quod eò magis confirmatur, si ægri vellicant nares.

Surdi ab ortu curantur raró; nihilominus tamen loco aurium iis inserviunt oculi, quoniam arte tales surdi possunt assuefieri, ut oculis, considerato motu labiorum & linguæ, omnem loquelam possint intelligere, & sic ipsi loquentes reddi possint: Sic D. WALLIS, Mathematicus Oxoniensis, duos Nobiles Anglos ab ortu surdos, arte, mediante solo labiorum & linguæ motu, ut loquentes intelligant, & accuratè respondeant, edocuit: Simile exemplum habet DIGBY *in Tract. de Immort. Animæ Humanæ*, de Nobili quodam à nativitate muto, ita instructo, ut quoscunque loquentes perciperet ex solo adspectu, etiam linguam ignotam loquentes. De hoc *Tractatum Anglicum* scripsit D. BRAUN, dictum *Philocophos*, ubi prolixè disserit, quomodo surdi possint institui, ut voces audiant, & accuratè loquantur.

Interim tamen *surditas, quæ per se morbum constituit*, aut chronico morbo successivè supervenit, contumax & difficile curatu malum est: quod ubi semel radices egit, aut facilè redit, aut pertinaciter affligit.

CURA.

CURA.

Cura pro varietate ipsius affectus ejusque causarum imprimis varianda. Et quidem si adsit Surditas in morbis acutis, attendendus est criticus naturæ motus, & quorsum eadem verbat, & talis surditas raró curatur à Medico, quia sub morbi mutatione feré sponte cessat, salutari cum effectu: aliàs Cinnabarina interdum conveniunt. Si post morbum acutum superfit, vel aqua Anhaltina, cum bombace auribus immissa, prodest; vel cucurbitulæ prope aures affigendæ, & fumus tabaci subinde hauriendus: Conf. M. A. N. C. *Ann. 6. Observat.* 110. Si veró sit à morbo non acuto, sed per se affectum primarium feré constituat, varietas causarum observanda est, pro quarum varietate cura varianda. Quæ ex abscissione vel in defectu auris externæ oritur, curatur per instrumenta quædam concava, extrinsecus auribus admota: vid. SCHOTTUS *loco all.* Si obturatæ sunt aures, in specie *à cerumine*, idem *emollientibus* & liquefacientibus attenuetur, & educatur, quod fit v. g. per *succum absinthii* instillatum, vel per essentiam absinthii, vel per urinam pueri, aut *spiritum urinæ* non adeó rectificatum & acrem infusum: quibus liquantur cerumina indurata, quæ postmodum eximantur. *Sin ex aliis causis* internis fuerit malum, feré semper membranæ tympani, & hinc nervi acustici habenda est ratio, ut horum tonus, quantum possibile, *aromaticis*, & *appropriatis nervinis*, præmissis internis, aut conservetur aut restituatur.

Quoad Interna; affectibus catarrhalibus interné conveniunt, ut volatilia, succinata, sassafrata, & similia, quæ ex *suprà dictis lib.* 1. *Sect.* 21. *cap.* 2. *Artic.* 1. cognoscantur: e. g.

℞. *Ess. flor. rorismar.*
Hyperic.
Ligni sassafr. an. ʒij.
M. D. S.
Essentia Catarrhalis.

Inter *remedia* externa præ reliquis granum unum, vel alterum Moschi, vel Ambræ, vel Zibethi cum bombace involutum, optimum est remedium, quod auribus immittatur vesperi sub introitum lecti, sive solitarié usurpetur, sive post medicamenta quæcunque auribus instillata talis bombax moschatus applicetur; item bombax essentia Ambræ imprægnatus ita intrudatur. Ac sané in surditate senum vix melius remedium esse dicitur, quàm Ambra, imprimis ubi simul adest spirituum animalium defectus. Datur interné vel per se, vel ejus essentia crebriùs, vel externé dictis modis. Hamburgi Medicus quidam ejus beneficio cuidam auditum restituit anteà à veneno læsum; sicut & pastor quidam surdus Zibetho cum bombace auribus indito feliciter restitutus: Sic balsamum Peruvianum cum spiritu vini dilutum, & cum gossypio auribus applicatum, admodum confert: Vel *aqua origani cum vino* destillata, vel *aqua cardui benedicti*, per crebriorem à nova planta cohobationem parata, sæpiùs usurpata, fuit polychreston Cratonis; guttatim auribus instillata, vel cum linteolo hac humectato applicatæ conducunt: Item aqua fraxini, ista nempe sponte ex ligno recenti quoad unam extremitatem igni injecto, in altera extremitate exsudans & collecta, experimentum est Cratonis contra surditatem, cum nimia aurium caliditate conjunctam: aut si surditas oriatur à causa calida, aqua picarum cum castoreo, aqua formicarum, aqua muscarum per alembicum destillata, &c. similiter insigniter conducit: Succus raphani, succus cepæ, cum oleo succini & amygdalarum amararum conjunctus auribus instillatus insigniter conducit.

In specie tamen aromatica penetrantia conducunt, ut aqua seu spiritus theriacalis, *essentia absinthii*, essentia *cardui benedicti*, *castorei*, thymi, essentia *caryophyllorum*, cardamomi, & essentiæ compositæ, *spiritus* quoque *acusticus Mynsichti* & *Mindereri* (prostat descriptio in fine Aloedarii) item *Barbette*, vel aliæ similes compositæ aquæ spirituosæ, vel guttatim instillatæ, vel cum bombace crebrius admotæ auribus, sunt egregiæ. Essentiæ itidem ex fellibus animalium cum spiritu vini paratæ præ ceteris omnibus commendari solent; egregium enim sunt remedium ad auditum amissum: sic fel humanum cum spiritu vini mistum, aut etiam fel leporis, vel fel anguillę, si affundatur spiritus vini, stent in digestione, & per filtrum separentur, horum essentię mané & vesperi ad gutt. ij. vel iij. auribus instillantur, & ut singulare specificum commendari solent. Alii

℞. *Fel. bovin.*
Vini Malvat. an. part. ęqu.

Destillant per alembicum: liquor, qui prodit, vel ad paucas guttas auribus instillatur, vel cum gossypio auribus imponitur, & sępiùs repetitur, in aure sano postmodum superdormiendo: Vid. MARTINI SCHMUCKS *Thesauriol. Secretor. Part.* 2. *pag.* 91.

Facit huc essentia acustica, specificum singulare ad auditum. Practici cujusdam celebris Brunsciensis, quâ cum successu crebriùs usus est:

℞. *Rad. helleb. nigr.* ʒß.
Calam. arom. ℈ij.
Pulp. Colocynth. ℈j.
Bacc. lauri excort. sel. ʒj.
Sem. Cumin. ℈ij. ad ʒiiß.
Spiritus vini ʒiv.

Incisa & contusa stent in infuso per aliquot dies in vase vitreo obturato bene, postea colentur cum expressione & filtrentur: cujus essentię aliquot guttę singulis octo horis auribus instillandę, uel cum bombace meatui auditorio applicandę sunt; sicque curauit surditatem inueteratam.

Potest acui cum tantillo essentię ambrę, uel in ea dissoluatur parum moschi aut Zibethi, & erit eó efficacior; uel applicetur cum bombace, in quo antea moschus uel Zibethum jacuit.

Facit huc etiam oleum destillatum succini, anisi, lauendulę, &c. itidem gossypio inuolutum auribus admouendum. LINDANUS fel perdicis cum oleo succini sępiùs rectificato destillat; sic enim potens remedium esse dicitur. Aut oleum destillatum anisi cum oleo amygdalarum amararum, uel cum *oleo nucleorum persicorum*, permistum instillandum uenit. Quo etiam pertinet *oleum destillatum succini*, majoranæ & fœniculi, similibus modis applicatum. Liquor ex ouis formicarum expressus, si quid aliud, admodum confert, & miré commendatur; aut etiam oua formicarum contrita cum succo ceparum permista & in aurem instillata, quàm uetustissimam surditatem sanant. Quidam

℞. *Ovor. formic.* ʒj.
Fell. leporis No. vi.

cum duplo mellis in mortario bené trita & subacta auri instillant, & ita surditatem curant.

Vel etiam sola aqua ex ovis formicarum per Balneum Mariæ destillata in usu esse solet, & commendatur à KUNRATHO *in Medulla Destillatoria*. Item remedia ex formicis, in specie aquæ magnanimitatis dictæ, cujus descriptionem communicavi in *Colleg. Pharmac. in Schrœderum P.* 2. *pag*..... Spiritus item *formicarum* admodum laudatur in gravi auditu & surditate. Facit huc mistura HEERTODII *de Croco pag.* 107. & oleum istud singulare ad quosvis aurium affectus, surditatem, tinnitum, & similia mala laudatum, à quamplurimis miré commendatum, & à nonnullis pro secreto habitum, quod fit ex vermiculis albicantibus, qui in quercu inter corticem & lignum gignuntur. Modus est hic:

℞. Horum *vermicul.* No. xx.
ebulliant in
Olei olivar. immat. ʒiiß:
deinde excavetur *radix cyclaminis*, eaque repleatur oleo dictorum *vermiculorum*, super addendo
Præp. rad. Pyrethri
Costi aromat. an. ℈ß. ad ℈j.
Olei costin. & rutac. quantum
adhuc capere potest.

Occludatur denuó radix cyclaminis, & sub cineribus assetur, & postmodum contundatur in mortario marmoreo, & exprimatur succus fortiter.

De liquore expresso oleoso immittantur aliquot guttæ per octo, novem vel decem aut etiam plures dies in aurem, & est mirabile remedium, quod multi admodum commendant; sicuti de TIMÆO à *Guldenklee*, refertur, quod hoc modo Surditatem feré naturam curaverit. Vide THEODATUS CAMERARIUS *in Memorabil.* & PETRÆUS *in Dissert. Harmon.* 11.

Hisce adnumeranda venit axungia serpentum, meatui auditorio illita, aut cum gossypio applicata, quæ pro magno arcano à quibusdam habetur: Vel serpentes coquantur in

in aqua, cui supernatas pingendo separata, & cum spiritu rectificato juncta, ad consistentiam olei: sic pinguedo viperina cum guttis paucissimis olei succini auribus infusa, admoto postea pane recenti calido, commendatur in VELSCHII MICTOMIM. *Cent.* 1. *Obser.* 39. *annexis Anno* 4. *M. A. N. C.* Huic vix cedit pinguedo Anguillæ, collecta, dum anguilla pinguis assatur in veru: excipitur ista pinguedo exstillans foliis lauri, hinc colligitur, & tepide auri instillatur contra surditatem, vel solum, vel additis aliquot guttis olei destillati anisi, obturando postmodum.

Vulgò solet commendari ad surditatem panis recens furno extractus, spiritu vini impraegnatus, & auribus ita calidè admotus: sed non suadendum juxta BARTHOLINUM, qui maximam exinde noxam observavit. Quidam panem pistorium cum semine anisi, fœniculi & cumini præparant, & recentem auribus applicant.

Vaporem ex spiritu salis ammoniaci, sive simplici, sive anisato; aut mixturæ ex sale ammoniaco, misto cum oleo tartari per deliquium, aut duplo calcis vivæ cum aqua simplici, ex vitro parvo angusti orificii, sed longioris & curvi colli, probè calefacto auribus excipiendum commendat. LUDOVICI *in Pharmac. pag.* 311.

Cæterùm de remediis hisce auribus applicandis, observandum est in genere, ut nempe (1.) quoties talia medicamenta quæcunque auribus sint instillanda, aurem semper obturandum esse facta instillatione cum bombace moschato aut ambrato: (Bombacium in quo Moschus fuit impositus:) aut cui unum alterumvè moschi, vel ambræ granum est impositum; cùm, ut suprà monitum fuit, solus talis bombax gratissimus sit auribus; & per se ad surditatem gravem auditum sit egregius. Adhæc (2.) quoad hæc remedia vel instillanda vel intrudenda, quod oleosa non sint immittenda, nisi priùs benè auris sit abstersa & purificata, & hinc renovetur remedii applicatio. (3.) una vice tres vel quatuor guttas immisisse sufficit. (4.) quoque, quæ sub forma liquorum subtilium, essentiarum, vel spirituum volatilium aut similium auribus instillantur, ferè solent esse mitiora, quàm oleosa ac plus minus viscida. (5.) ea, quæ in aurem immittuntur, nunquam sint intensè calida aut frigida, sed tantùm tepida, calori aurium appropriata. Tandem (6.) post medicamenti applicationem dormiat æger super aure sana, ut ita remedii vis aurem ægram eò meliùs ingrediatur & penetret.

Quando aurium affectus sunt vagi, adeòque in specie, quando habent fomitem in cerebro, & sic ad modum affectuum catarrhalium solent affligere, optimum est, si percipiatur imminens paroxysmus, ut vertici imponatur linteum spiritibus penetrantibus apoplecticis impraegnatum, illinatur vertici oleum destillatum succini, & similia, quod etiam simul observandum, quando suprà dicta aromatica & spirituosa auribus applicantur, in vitio imprimis nervi acustici; nam & talium usus ob auditionem subinde notabiliter levat.

Inter alias causas surditatis fit interdum, ut à nimio sonitu externo, uti dixi, lædatur auditus: in tali casu saltem dictum remedium ex pane locum habet: Nempe recipiendæ sunt baccæ juniperi vel lauri probè contusæ, subigendæ cum massa panis fermentata, & ita, ut reliquus panis coquendus est vel pinsendus: postmodum panis hic medicatus calidissimè furno est extrahendus, discindendus, & per medium apertus ita calidè singulo mane, jejuno ventriculo, auribus ita admovendus; sic enim denuo restituitur auditus.

Item.
℞. *Herb. majoran.*
Salviæ,
Rorismar.
Flor. rosar. rub. ān. M. ß.
Bacc. iunip. ℥j.
Sem. cumin. ℥ß.

Incisa & contusa includantur sacculo interpassando, qui probè calefactus Auri imponatur, vel per se, vel irroratus *cum aqua vitæ Saxonicæ, aqua magnanimitatis, balsamo Anglico,* &c.

Hisce addatur spiritus seu aqua cephalica Anhaltina, cujus descriptionem videb. in SCHROEDERI *Pharm.* quæ auribus instillata experimentum fuit THONERI, & cujus salutarem usum sæpiùs feliciter expertus est in surditate pariter ac aurium tinnitu, & similibus affectibus,

Tandem axungia serpentum, quæ, ceu suprà dictum, superpatat, dum in aqua coquuntur, separata, cum spiritu vini rectificato juncta dat liquorem seu oleum ad deperditum auditum excellentissimum.

Præter dicta etiam suffitus interdum pro auribus instituantur, qui ex asaro, origano, absinthio, verbena, sabina, serpillo, colocynthide, baccis lauri & baccis juniperi, & similibus fiunt, in vino vel aqua decoctis, & ita auribus exceptis. Quidam ceu singulare & perquam egregium commendant suffitum ex decocto limaturæ Martis, cum aceto destillato parato, adjectis herbis cephalicis; quod decoctum instar suffitus in aures excipitur. Sunt etiam, qui suffitum florum sulphuris singulariter commendant ad surditatem: scilicet recipiunt infundibulum, & hoc immittunt carbonibus, quibus sulphur vivum fuit injectum, & per foramen sumum sulphuris facie benè obvelata excipiunt in aurem, quod aliquoties reiteratum admodum commendant. Facit hujus mentionem FONSECA *lib.* 1. *Consil.* 15. & *lib.* 2. *Consil.* 58. Post suffitum oleum fœniculi destillatum cum gossypio applicandum.

In *chronicis auditus* læsionibus, imprimis si oriuntur vel in subjecto senili, vel in ægris, affectibus catarrhalibus obnoxiis, Thermæ subinde proficuæ observantur, in quibus non solùm æger se lavet, sed etiam spongiam amplam capiti imponat, quæ aquam thermarum per epistomium embrochæ modo excipiat; sicuti etiam ex fonticulo, brachio in regione auris affectæ inusto, surditatem diuturnam cum nervosarum partium affectionibus, ex lymphæ præsertim scorbuticæ affectionibus natam, insigniter levari observavi.

Denique fit interdum etiam surditas ex *casu ab alto*, *contusione*, læsione capitis externa, & similibus. In tali casu *aqua cyclaminis* per alembicum destillata reliquis præfertur, vel *emplastrum* egregium est in tali casu, quod fit *Tacamahaca & ceroto de betonica*, ana q. v. ex quibus pararum emplastrum capiti raso imponendum; exinde enim cessat affectus: conf. HOECHSTETTERUS *Decad.* 9 *pag.* 320. Sicut LYSERUS *Observ. pag.* 233. refert surditatem ex ictu curatam per iteratam injectionem urinæ calidæ ex lepore fuga interempto: Et sanè GABELCHOVERUS *Cent.* 1. *Curat.* 60. *in schol.* urinam leporis impositam auribus summum surditatis remedium asserit; hinc spiritus urinæ talis non adeò acris forsan proficuus erit.

Extremum remedium in auditus defectu, idque in casu desperato, est salivatio Mercurialis, sive in specie ex lue Venerea oriatur surditas, sive à causa interna alia, in specie vitio nervi acustici: vid. FONSECA *lib.* 2. *Cas.* 58. Sanè undique penetrat Mercurius, & quosvis etiam angustissimos meatus perreptat; unde si ex obstructione, vel simili causa oriatur malum, proficuus ejus usus probabilis est, utut nemini autor esse velim, ut huic Mercuriali medicamento se facilè exponat. Aliis autem in casibus penitus inutilis erit. Curam aliàs surditatis à lue Venerea, videb. *suprà lib.* 1. *Sect.* 17. *Capit.* 3. *Artic.* 5. *Membr.* 13.

Per transfusionem sanguinis ex agno in canem surditas in cane curata fuit, de quo *Journal des Sçavans Ann.* 1668. *Acta Societ. Reg. Vol.* 1. *pag.* 705.

Hæc de Auditu abolito & imminuto: Sequitur jam *alterum* Auditus *Vitium*, nempe

MEMBRUM II.

DE SONITU ET TINNITU AURIUM.

In quibusdam depravatur Auditus, ut *sonitus* quidam aut *Tinnitus*, qui non est, audiatur. Sonitus est, quod vocant Germ. *das Sausen und Brausen der Ohren*; Tinnitus verò est, *das Klingen der ohren*.

Affectus hic nunc continuus est, adeòque subinde diuturnus & chronicus, nunc intermittens, subinde vagus, qui subinde accedit, & brevi post iterum remittit. Item nunc est per essentiam, nunc per consensum: si per essentiam, nunc per protopathiam, dum per se affectum constituunt: nunc per deuteropathiam, dum morbis acutis aut chronicis superveniunt.

CAU-

CAUSÆ.

Causa omnis Sonitus & Tinnitus, item murmurationis aurium, quærenda est vel in aere isto, qui continuò in cavo tympani seu concha auris continetur, & qui etiam repetat labyrinthum & cochleam; partim verò in nervi acustici excursione membranacea in intimo cochleæ organon constituente; quia in naturali auditu adest fibrarum hujus membranæ motus cum aere interno moto. Quoad aeris istum motum: naturaliter quidem non, aut parum admodum movetur; quodsi verò fiat, quacunque ex causa, ut aere extrinsecùs moto & hinc aer internus moveatur, ut expansionem nervi membraneam in cochlea feriat, auditus fit naturalis; quod præsuppono ex Physiologicis. Quodsi verò citra auræ externæ motum à causa interna præternaturaliter moveatur, qui in concameratis labyrinthi & cochleæ locis crebriùs repercussus ad nervi expansionem continuò allidat, sonitus præternaturalis & ita vitiata auditio contingit. Quod si motus iste aeris interni, & quidem subtilioris & tenuioris, sit velox, celer, & plus minus vehemens, qualis fit, v.g. quandoà nervis vel chordis testudinis fortiter tensis excitatur sonus, tunc excitatur sonus acutus sive tinnitus; sin verò tardiùs, obscurius & confusè moveatur aura ista interna, ut fit in chordis laxioribus, & ipsa aura hæc sit crassior, & minus pura, fit sonus gravis, obscurus & raucus, cum murmurationis sensu.

Causa ergò, quæ movet hanc auram internam, intra tympanum & concham contentam, quærenda vel in ipsa aura undecunque commota, vel in membrana tympani, dictam auram movente.

Auram ipsam commotam quod attinet: hujus motus causa communiter dicitur spiritus flatulentus seu flatulentiæ quædam aut halitus admodum subtiles, ex massa sanguinea per arteriolas eò exhalantes, & dictæ auræ permisti, qui in locis istis concameratis inclusi motu suo præternaturaliter eandem agitando & extraordinariè movendo, istum præternaturalem sonitum & auditum excitent. Nam halitus peregrini in dictis locis vix quieti persistunt, sed hinc inde moti aerem ibi præsentem similiter movebunt.

Experimentum fieri potest cum charta, auribus applicata, German. *Gerollet*; sonus enim in charta ab aere in illa contento auditur, affectum tamen saltem vagum & brevi durantem inducere potest. Præter dictam causam & arteriolarum, interiora aurium subeuntium, fortior pulsatio aerem movere, & ita sonum peregrinum repræsentare potest, de quo infrà.

Tympanum quod attinet seu membranam ejus: hæc à quacunque causa, vel interna, vel externa, crebriùs & præternaturaliter irritata aut molestata, & hinc plus minus motu convulsivo agitata, auram istam in tympano & internis cavitatibus movere, & consequenter auditum depravare valet. Confirmat hoc exemplum HILDANI *Centur. 6. Observat.* 10. qui observavit in rustico quodam Tinnitum ultra annum molestum propter gryllum in aurem ingressum, qui sorde inviscatus tympano agglutinatus fuit; hoc extracto omnis Tinnitus cessavit, cessante nempe irritatione præternaturali, & hanc membranæ tympani à musculis propriis motione; Gryllus enim hic juxta membranam hæsit, & eandem commovit, qua motâ continuus Tinnitus fuit perceptus. Pertinet huc, quando post graves quosdam sonos à valida aeris externi percussione Tinnitus supervenit, cujus occasione etiam Auditus depravari solet, quandò membrana tympani laceratur quodammodo, ex qua læsione semper convulsiones quasdam patitur, propter quos motus convulsivos continuatus iste motus solet percipi. Unde quicquid membranam hanc irritare, & in convulsivos motus agitare valet, etiam Tinnitum vel sonitum Aurium inferre potest. Quin imò ipsa membrana forti impetu translocata nonnihil, ac ossicula translocata etiam inferunt continuum sonitum vel Tinnitum, donec in debitum statum ac situm redeant.

Hę duę causę videntur ordinariæ: nempe aer extrinsecus commotus, & hinc membrana tympani continuò commota ac vibrata. Sanè quilibet diuturnior & contumax aliquot annorum Tinnitus & sonitus minimè ab aurę internę primariò affectę vitio, sed potiùs à partis cujusdam ipsius organi malè affectę ratione, oriri videtur; quas inter, hęc tympani membrana, & hinc nervi acustici expansio membranacea, primatum obtinent.

Quod tandem attinet membranam auditoriam seu expansionem membranaceam nervi acustici in cochlea, ceu alteram causam efficientem Tinnitus & sonitus aurium: hujus fibrillę laceratę, aut quodammodo translocatę, postmodum continuâ suâ motione sonum ingentem & malè affectum repręsentabunt. Imò videtur etiam sonitus & Tinnitus talis oriri posse ex ipsis filamentis membranę hujus acusticę motis, & convulsivo spasmo variè agitatis: v.g. sicut in imminente epilepsia & apoplexia non rarò varii colores & splendores ante oculos versari putantur, propter convulsionem fibrarum nervi optici in tunica retina expansi; ita etiam eodem in casu, item in vertigine, varii sonitus repræsentari videntur, ex spirituum nempe & hinc fibrillarum istarum simili excitato motu, atque aliàs ab objectis externis excitari solet. Nempe hinc videtur oriri, quod auris externæ, temporum, aut capitis vehementiorem percussionem, item sonitus vehementiores in aurem violentiùs irrumpentes, subinde *Tinnitus* aut sonitus contumax soleat insequi, saltem ex affectione & læsione membranæ nervi acustici. Quodsi celeriores & fortiores sint fibrillarum motiones, Tinnitus; sin verò rariores & remissiores sint, sonus gravis percipi videtur.

Ex hac causa febribus Tinnitus Aurium supervenire videtur ex motu humorum, ut vocant, ad superiora, hinc & ad parotides & loca vicina; unde membranularum in istis locis convulsiva plus minus affectio. Nempe non rarum est, quod ex sanguinis turgescentia, in specie febrili, cum dolore capitis, subinde etiam Aurium Tinnitus adsit, ex motis nempe velociùs & vehementiùs arteriolis. Hinc etiam oriri videtur, quod in talibus morbis acutis hæmorrhagiam narium interdum Tinnitus seu sonitus Aurium præcedere soleat, ex sanguine turgescente & effervescente, in istis & vicinis locis quasi stagnante, & ex forti arteriolarum pulsatione, adeòque membranæ acusticæ affectione, Tinnitum inducente; unde tunc in talibus malis, superveniente hæmorrhagia narium, Tinnitus Aurium cessat, sanguine per alium locum evacuato. Facit huc observatio TULPII 35. *libro* 1. ubi observat Tinnitum aurium ex incremento nimio glandularum, prope quas excurrit meatus auditorius. Imò si ex alia quacunque causa, aut ex sanguinis motu circa loca auribus vicina nonnihil impedito, sæpiùs continua & diuturna talis auditus fit depravatio.

Sed quid sibi vult motus & raptus humorum ac sanguinis ad caput & aures, & hinc excitatus aurium sonitus? Scilicèt motus iste humorum, sursum & deorsum in morbis à natura factus, ritè explicandus venit: Moventur humores cum sanguine, & ab hoc mediante cordis pulsu indeterminatè tàm sursum quàm deorsum; quod verò magis unam partem præ alia occupare, ibidem congeri, & hinc per eandem tandem evacuari soleant, non humorum, sed partium solidarum ex causa evenit, dum harum membranæ & fibræ à causa quacunque, interdum ipso humorum influentium vitio, irritatæ, spasmo affectæ, plus minus stringuntur; sicque æquabilem & liberum contentorum circulum aliquo modo sufflaminant, & ita phænomena, quæ aliàs ab ἀναῤῥοπίᾳ humorum, seu raptu eorum ad caput, oriri dicuntur, excitant. Multa hic quæ de surditate ex vitio nervi acustici *suprà Membro* 1. monita fuerunt, etiam huc applicari possunt, dum non rarum sit, permutari invicem ob auditionem cum Tinnitu.

Catarrhalia huc pertinent vitia, sic dicta depositio seri, vitioso sapore inquinati, aut saltem nutrimenti chylosi, illius vehiculo ad unum alterumvè nerveum aut membraneum locum distributi, errata, nervosis partibus inimica, sive membranam tympani sive nervi acustici afficiant. Interim talis Tinnitus non videtur posse esse chronicus, quin potiùs brevi tempore transit, aut non adeò diuturnus est.

DIAGNOSIS.

Causarum omnium harum varietas, præsertim remotarum, non nisi ex circumstantiis probe examinatis cognosci possunt.

Sonitus & ipse Tinnitus Aurium ab ægro refertur. Causæ si sint externæ, patent ægro; ubi verò sint internæ, in

morbis acutis, febribus ardentibus & similibus, facile possumus cognoscere, esse à sanguinis & spirituum animalium inordinato motu; si sint ex alia quacunque causa, rarò à priori cognósci possunt, in locis nempe adeò profundè sitis.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Si in febre ardente sonitus Aurium cum oculorum caligine contingat, cum narium tensiva gravitate, eadem innuit, quæ de surditate *Membro Anteced.* dicta sunt; nempe si cum signis coctionis, hæmorrhagia narium expectanda venit, præsertim si pulsationes in capite simul percipiantur.

In febribus quibuscunque Tinnitus Aurium & sonitus ferè spontè curatur sine medicamentorum usu.

Si verò per se morbum constituat, ex se sine periculo est, nisi quod chronicus & molestus esse soleat. Interdum etiam ad omnimodam surditatem terminatur: sicut aurium tinnitus diuturnus chronicus extra febrem, &, ut dicunt, qui biennium & ultrà duravit, solet esse satis gravis & periculosus, & rarò perfectè curatur; & utut curetur, sæpè tamen recidivat. In specie ordinarius quasi est prodromus apoplexiæ.

Tinnitus Aurium, qui ex frequenti percussione in caput, ac in regione temporum exoritur, propter internam membranæ acusticæ læsionem, non adeò facilè curatur, quin in surditatem degeneret.

CURA.

In *Cura* Tinnitus & Sonitus Aurium consideranda est causarum efficientium ratio.

De cætero *remedia* & auxilia ea, quæ, præmissis universalibus, conveniunt in sonitu & Tinnitu Aurium, ferè sunt similia iis, quæ *Membro Anteced.* commendata fuerunt in surditate. In specie tamen ad Tinnitum Aurium inchoantem *Suffitus* seu Vapor *ex absinthio & verbena*, in lacte vel aqua communi decoctis, auribus exceptus, admodum laudatur ab HARTMANNO *in Praxi Chym. pag. 106.* Loco quorum quoque semina quatuor calida minora, baccæ lauri & juniperi, & similia adhiberi possunt. *Suffitus* etiam *ex succino*, olibano, item ex gummate animæ, commodè auribus exhiberi potest contra tinnitum, & sonitum. Singulare quid obtinet fumus seu vapor aceti bullientis, auribus exceptus, quem laudat LANGIUS *in M. C. pag. 6.* & in specie confert, si aceto incoquantur specifica nervina, & decocto infundatur limatura Martis, & dum maximè bullit, vapor excipiatur auribus. Item oleum vermiculorum quercinorum, item oleum nucleorum persicorum cum castoreo mistum, conducunt. Præter hæc egregius est spiritus volatilis urinæ seu spiritus salis ammoniaci cum bombace in aurem immissus, qui in diuturniori aurium sonitu etiam tanquam singulare laudatur à LINDANO in diuturno aurium sonitu; penetrantia enim hujus spiritus maximè cognita est. Egregius esse solet vapor ex sale ammoniaco, cum oleo tartari per deliquium permisto, exsurgens, *supra Membro 1. in surditate* commendatus. Spiritus succini auribus cum bombace aliquantulum inditus, in Tinnitu & susurratione convenit. Præter dicta, Essentia florum Anthos, Essentia ligni sassafras, castorei, in specie essentia seu tinctura sulphuris, ut & fellium animalium, hominis aut lucii piscis, perdicis, imprimis fellis bovis, gutt. j. ad ij. cum bombace simili modo in usu esse solent, quod quotidiè bis reiteretur, auribus priùs purgatis: item fel humanum vel lucii piscis est optimum. Melius est, si recipiantur fella aliquot luciorum, & vitro inclusa pasta farinacea occludantur, & coquantur in clibano, donec panis est coctus; de hoc liquore aliquot guttæ auribus instillentur, quibus injectis, bombax cum zibetho imponatur. Item liquor ex cortice tenello betulæ, spiritu formicarum aut aqua magnanimitatis cum bombace inditus. Aqua picarum cum castoreo instillata, vel cum gossypio applicata, etiam convenit, & in frequentiori usu erat D. MICHAELIS; non secus atque granum unum aut alterum Zibethi aut moschi bombace involutum: Nam talis bombax cum Zibetho aut moscho non tantùm Tinnitum aurium, sed etiam gravem auditum mirè curat. Sacculus ex milio tosto, & sale tosto cum anetho, & chamomilla mistis factus, probè calefactus, & auri externè applicatus mirè convenit, imprimis si aliquot guttis olei destillati caryophyllorum priùs fuerit irrigatus:

℞. *Herb. & flor. chamom.* M. j.
Anethi vel salviæ,
Majoran.
Rorism. an. M. ß.
Milii tosti ℥j.
Salis torref. ℥ß.

Incisa includantur *sacculo interpassando*, qui probè calefactus auri applicandus.

Frequentissimum auxilium solet esse vapor panis recenter ex furno extracti, parati ex massa fermentata cum semine cumini, fœniculi, anisi, origano, serpillo, baccis lauri mista, & sic in clibano excocta, calidè auribus admota. Interdum juvat, sed cautus sit ejus usus; nam subinde videtur nocere: Sic BARTHOLINUS *Cent. 6 Hist. 77.* notat surditatem ex pane calido auribus applicato. Convenit etiam hic oleum illud mirabile ex vermiculis quercinis; item oleum destillatum caryophyllorum aut lavendulæ & cumini, destillata invicem mista. Pertinet huc oleum oticum ceu Catholicum ad aurium affectus laudatum: Nempe est oleum nucleorum persicorum expressum cum floribus Persici subinde infusum & clarificatum, quod ad gutt. iij. vel iv. in dolore, tinnitu, strepitu aurium, & auditus difficultate, auribus instillatum egregium est: sicuti ad Tinnitum Aurium etiam inveteratum ceu præstantissimum admodum laudatur sequens remedium:

℞. *Helleb. albi,*
Castor. an. ʒij.
Costi Arom. veri ʒiß.
Rutæ ℈ij.
Euphorb. ʒß.
Olei Amygd. amar. vel *nucl. persic.* ℥j.

Decoquantur leniter & successivè in duplici vase in f. q. *olei rutacei*: quod oleum cum *bombace* auribus immittatur, vel guttæ quædam tepidè instillentur auri.

RONDELETII experimentum fuit:

℞. *Rad. helleb. albi* ʒiij.
Fol. lauri
Rutæ an. M. ß.
Fraxini M. j.
F. Decoctio in *oleo Amygd. amar.*

vel *nucum* cum *vino albo* aut *Malvatico*, ad consumptionem vini cocta: Exprimantur, colentur & auri immittantur.

Convenientius tamen est, si loco decoctionis in oleis dictæ species potiùs infundantur in spiritum vini, & exinde fiat Essentia, addendo castoreum, ambram aut moschum pro lubitu, cum bombace auribus applicanda contra tinnitum & sonitum aurium. Vel præparetur Essentia Practici cujusdam Brunsvicensis *Membro Antec.* data. Sicut oleum nucleorum persicorum expressum cum castoreo imprægnatum in usu est. Tandem decoctio sinapi pulverisati in vino sub forma suffitus auribus excepta, est euporiston STECKERI non contemnendum; hinc forsan spiritus sinapi ritè applicatus erit proficuus. In diuturnioribus malis, præsertim ubi suspicio est catarrhalis affectus, fonticuli in brachiis, item cucurbitulæ pone aures, subinde sunt proficuæ. In dyscrasia pituitosa convenit oleum *Barbette*, quod commendat *lib. 2. Anat. Pract. cap. 1.*

℞. *Olei hyoscyami,*
Rutac. an. ʒß.
Destill. Major. ℈. ß.
Castor. gr. vj.
Croci gr. iv.
Misc.

Quod *si Tinnitus* Aurium *fiat ex casu* ab alto aut percussione capitis, aliisque causis externis, imitetur PLATERUS *lib. 1. Observ. pag. 115.* qui præmissis præmittendis mulierem ex casu ab alto tam gravi Aurium Tinnitu correptam, ut nihil ferè audierit, præmissis universalibus restituit:

℞. *Spiritus vini Cochlear* j.
Succ. Cepar. rec. cochl. ß.
Olei destill. spicæ gtt. iv. vel v.
Misc.

Et auribus tantillum ejus instilletur, & ita fuit curata. Huc etiam pertinet cataplasma ex cepis *Faventini*, quod FORESTUS *libro 12. Observat. 1. & 4.* describit.

Præter dicta remedia subinde cōvenit, in specie in junioribus aut

aut plethoricis venam brachii è regione auris sonantis secare; sicut etiam sternutatoria moderata in aurium affectibus diuturnis, præmissis universalibus subinde conducere solent. Fit non raro, ut Tinnitus & sonitus, etiam surditas, nunc remittant, nunc denuò accedant in affectibus quasi catarrhalibus: In tali casu, ubi percipit æger redire malum, optimum est applicare vertici cum linteis duplicatis aquam apoplecticam spirituosam, aut etiam spiritum urinæ, item oleum destillatum succini; hoc ipsum enim uti catarrhos, ita etiam hujusmodi pathemata, præcavere solet.

Ex *remediis internis*, aurium affectibus dicatis, præmissis universalibus duo præ cæteris eminent: nempe sassafras & succinum, & quæcunque ex istis parata; quæ eò meliùs conducere solent, si post eorum usum blandus *sudor* instituatur.

Hæc ferè in Tinnitu Aurium per essentiam observanda fuerunt.

Sed non rarum est, Hypochondriacos pati aurium sonitus, eosque hypochondriorum vitio contractos, qui cum pathematis abdominis modò exacerbantur, modò remittunt. Speciatim ex hypochondriis malum esse, ex eo clarescit, quod pro vario statu stomachi in inedia aut à cibatione plus minus exasperari affectus aurium, aut remitti observetur. Præmissis præmittendis Martialia, carminativa, & hinc salia volatilia urinosa conveniunt, speciatim liquor cornu cervi succinatus, cum leni sudore. Externè essentia castorei confert.

CAPUT III.
DE
LÆSO TACTU.

POst Auditum *tertio modo* est *Tactus*, ubique ferè in corpore reperibilis; ubicunque nempe filamenta reperiuntur nervea, quæ ab objectis externis mille modis horum approximatione affici, & variè moveri possunt. Filamenta talia, uti in contexenda cutanea massa locum primarium obtinent, ita ubique hinc inde in capitula papillaria conglobata ex cute nonnihil prominent, & sub cuticula genuinum & naturale Tactus externum organum constituunt: vid. MALPIGHIUS *in Tr. de Externo Tactus Organo*. Sensus enim communissimus est Tactus, per totum omninò corpus diffusus; nam omnes reliqui sensus externi nonnisi quidam *Tactus speciales* sunt, & certè fiunt simpliciter per Tactum, quæ sensationes externæ consistunt in impressionibus factis in organo sensuum, quæ impressiones consistunt in motu. Requiritur ergò pro recta sensatione, ut fibræ nerveæ sint in legitima tensione beneficio sui toni, qui dependet ab influxu spirituum animalium. Gustus nil aliud est, quàm tactus certus. In hepate ipso nullus est sensus, quia est corpus glandulosum absque nervis. Corpora externa, quæ sui approximatione dicta filamenta & eorum extremitates papillares afficiunt, hoc faciunt solâ particularum minutarum in superficie texturâ, earumque certâ vel motione vel quiete; Exinde enim fiunt Qualitates istæ quæ à nobis dicuntur tactiles. Objectum dicitur aliàs Qualitas tactilis. Sed hæc qualitas tantùm in structura filamentorum consistit; quando enim corpus, cui v. g. manus admovetur, cedit defectu firmæ minimorum cohæsionis: dicitur exinde molle, si non cedat, sed resistat, ex forti earum combinatione, dicitur durum; si quædam particulæ mobiles invicem cohæreant, simulque organo adhæreant, dicitur viscidum; si nihil adhæreat, dicitur siccum seu aridum; si fiat celerrimus & repetitus, in papillis ab objecti externi minimis motis, motus dicitur calor; si nullus, dicitur frigus; & sic in infinitum ferè. Aqua enim, e.g. per se nec frigida, nec calida est: membrum frigefactum in nive sentitur calidum nonnihil. Aqua calida per se frigescit, quia remoto movente externo, igne, cessat calefieri: Vid. BOYLE *Tr. Origo Qualit. & Formar. & Tract. de Fluiditate*.

Vitiatur autem Tactus diversimodè: Nam præter *abolitionem* & *imminutionem* suam *apoplecticam* & *paralyticam privativam*, item præter ejus *Abolitionem positivam* in *Stupore*, Tactus interdum *depravatur* seu potius *augetur* & exasperatur in affectu, dicto dolor.

ARTICULUS I.
DE
STUPORE.

DE *stupore* qui & affectui Tactus obveniens est, nihil addo, cum rarissimè ejus cura incumbat Medico.

PROGNOSIS.

Nam particularis *stupor* citra manifestam causam obveniens, subinde prodromus esse solet aut paralyseos scorbuticæ, aut si plura occupet membra, Hemiplegiæ, aut etiam universalis Apoplexiæ.

CURA.

Et *stupor* quidem, qui maximam corporis partem aut etiam universum corpus, quod tamen rarissimè evenit, invadere solet, optimè per lignum sassafras & medicamenta sassafrata, quocunque modo adhibita, curatur & propellitur.

Pergo ad

ARTICULUM II.
DE
DOLORE.

QUod ergò Dolorem attinet, omnibus sensibus externis communis is est affectus Dolor. Nam ut omnes sensus fiunt per certum tactum vel per contactum seu per impressionem quandam objecti sensilis in organum proximum, quam impressionem sequitur talis spirituum animalium motus in organis, qui vocatur sensus; ita *si in organum tam vehemens fiat impressio*, ut istud nimis moveatur & vibretur, & exinde nimis rapidè & vehementer in eo spiritus agitetur, sequitur sensim adjuncta molestia, ex præternaturali & nimis vehementi objecti, organum contingentis, impressione resultans, quæ ipsa molestia communi nomine *Dolor* appellatur. Sic enim v. g. datur *visio dolorifica*, ex subito aspectu rei nimis lucidæ seu lucis fulgidæ post tenebras, ob vehementem & præternaturalem motionem membranæ retinæ; datur *auditus* molestus seu *dolorosus* & tædiosus ex nimio sono, impetuosius tangente aurem internam, ac nimis fortiter movente membranam auditoriam in cochlea; quod ipsum etiam facit inæqualis motus membranæ in sono non harmonico & inæquali: Idem fit etiam similiter in gustu & odoratu. Speciatim si fibrillis nerveis objectum quoddam tactile in specie sic dictum occurrat, quod eas nimis fortiter & non absque quadam vehementia moveat, sequitur tactui conjuncta molestia, seu in specie sic dictus *Dolor*.

In specie ergo consideratur *Dolor*, quatenus est *symptoma tactus* ferè præcipuum, tàm internas quàm externas partes excrucians.

Pro cognoscendo ergò Dolore præsuppono ex Physiologicis, quod fibræ in genere *subjectum* sint *tactus* & cuiuscunque sensus; in statu quidem naturali tantummodò, & *quæ extra cutim* sub cuticula *in papillas protuberant*, sive in membranas subtilissimè contexantur, sive in corpora papillaria conglobentur, sive nudæ aut solitariæ distribuantur; præternaturali verò in statu etiam reliquum fibrarum systema & ipsum tangendo afficitur, & in specie Dolor sentitur. Neminem ergò confundat, quod in vulneribus vel ulceribus &c. ubi vel nervi, vel nerveæ fibræ tanguntur, & ubi nullæ tales sunt papillæ & membranæ, sensus tamen percipiatur acutissimus & dolorificus insigniter; nam fibræ nerveæ sentiunt, id est promptè moventur. Hæc tamen intercedit differentia, quod in papillis naturalis & blandus fiat motus & sensus, Tactus scilicet simpliciter sic dictus; in fibris verò nerveis ex violento & nimio earum motu, tactus dolorificus & quasi præternaturalis. In membrana autem vel puncta, vel distenta, vel rupta, eadem ratio militat atque in fibris nerveis solitariis. Unde hæ præternaturales affectiones naturali & ordinario tactus organo nil derogare valent.

Fibræ hæ, earumque subtilissimæ fibrillæ, ubi ex fortiori & vehementiori objecti actione & motione quacunque

ratio-

gatione à se invicem violenter separantur, divelluntur, & quasi lacerantur, sequitur in iis adeò vehemens & molesta motio & vibratio, adeò ut ex situ æquali & ordine naturali vitiatis, quædam ab aliis divulsæ quasi contractivâ vi abbrevientur, quæ & alias illæsas in naturali situ violenter quasi trahunt ac lacerant, ad eum modum, quo dolorem ex puncto nervo explicat SYLVIUS *lib. 2. cap.27. §.165.* hinc molestia illa accidit, quam *Dolorem* nominamus: & huc videntur respexisse Veteres, dum dolorem solutionem continui definiverunt.

Affectis fibris, vibrationis istius occasione, spiritus animales & ipsi ad certum motum determinantur, ad cerebrum nempe, ubi *in sensu communi fit formalis Doloris perceptio* seu sensus Doloris Internus: Conf. SYLVIUS *Pr. lib.2. cap.27. § 168.* & WILLISIUS *Pharm. Ration. Part.1. Sect.7.* Hoc ipso simul convulsivi quid patiuntur, & in spasmos aguntur, ita ut motus fibrillarum velocissimus & convulsivus seu spasmodicus sit istud, in quo ratio formalis Doloris consistat. Unde fit quod non rarò Dolores sequantur convulsiones ac motus convulsivi, si scilicet sint aut diuturniores, aut graviores, ex inordinata scilicet & veloci spirituum animalium, occasione Doloris, in cerebro motione; ut v.g. *ex punctura nervi* dolorifica convulsio membri, aut *à nephritide* vomitus superveniat: Imò *in quovis dolore semper convulsio* quædam, occulta licet, jungi solet; hinc enim tendi plus minus pars dolens, & sæpè pulsatoria molestia simul supervenire solet: adeóque hic circulus observandus, ut & à Dolore conuulsio, & à conuulsiuo impetu Doloris incrementum. *Hic est primus Doloris actus.* Quodsi jam fibrilis læsis & nonnihil laceratis, objecti, naturali licet impressione, agentis fiat contactus, tunc fibrillæ anteà nonnihil laceratæ aut diuulsæ, uel tantillo objecti contactu nimis agitatæ & uibratæ nouam Doloris impressionem repræsentare faciunt: Unde uel leuissimus specilli contactus in partibus uulneratis aut ulceratis intolerabilem Dolorem concitat; magis tamen in partibus neruosis ob fibrillas copiosiores, minus in partibus sanguineis ob fibrillas rariores, uel etiam dispersiores.

Similis interim motus seu tactus ab objectis in extremitate fibrarum neruearum in fibris partis sanæ, post abscissionem membri sphacelo correpti, sæpiùs producitur, tum ignorantes ægri existimant, se in digito manus, ante aliquot dies licet abscisso, dolorem percipere; qualia exempla habentur in HILDANO, *Cent.3. Observat.14. & 15.* item in SCULTETO *Armam. pag. 67.* & BINNINGERO; idque ob continuatas tales nerueas fibras ex parte sana ad partem usque anteà abscissam, ob quam continuitatem naturalem dum similis fit motus fibræ circa ejus medietatem post abscissionem, qualis antea fiebat in fibræ extremitate, ante hujus cum parte separationem, hinc fit, ut ex identitate motus etiam in sensu interno & imaginatione idem feratur judicium, & æstimatur pars jam abscissa adhuc sentire, quasi toti adhuc cohæreat.

CAUSÆ.

Ex his *Causa Doloris proxima*, *materialis* nempe læsio, & violenta ac vehemens motio fibrarum nervearum organi ab objecto præternaturali, & *formalis*, *spirituum* hinc *rapidior*, singulariter tamen determinatus, & ad cerebrum usque continuatus *motus*, per se patent. *Illa* pro sensu doloris externo: *Hic* pro sensu Doloris interno.

Remota est omne id, quod Dolorem inferre valet, quod ipsum, prout est varium, & ipsæ quoque partes prout variant, etiam tàm variæ Doloris species exsurgunt, indeque etiam postmodum varias appellationes acquirunt, quorum sanè innumerabiles sunt species, cùm unumquodque objectum peculiari modo agat, & unaquæque pars alio & distincto ab aliis modo impressionem recipiat. Communiter equidem *sex Doloris species* recensentur: Sed, ut dixi, innumerabiles sunt Doloris species, si exactè vellimus exscrutari; omnis tamen in eo convenit, quod violentam nimis impressionem in fibrillis nerveis, & consequenter earum aliqualem læsionem, inferre valeat.

Causæ hæ Remotæ sunt vel *externæ* vel *internæ*: *Externæ* sunt notissimæ, ut omnia ea quæ contundunt, secant, vulnerant, lacerant, urunt, erodunt, & similia, quæ per se patent.

Causæ internæ Dolorem efficienter inferentes, imprimis sub acore vitioso, qui utplurimum acerbissimos Dolores & rosiones, etiam puncturas inferre solet, utpote nervis inimicissimo, militare solent, ita ut ferè in omni Dolore acerbo, à causa interna enato, acidum aut acido-salsum peccans in recessu sit. In omni enim acido sunt particulæ admodum acutæ, simulque duræ, quæ & se insinuant in fibras, easque pungunt, lacerant, & quasi scindunt, & ita acerbum istum Dolorem inferunt, quin & sæpius simul ardoris & ustulationis quendam sensum junctum habent; v. g. siquis vel guttulam spiritus nitri cuti affundat, ab hujus acore excessivo intensus Dolor, unà cum sensu ignis quasi ardentis, infertur & talis Dolor etiam in arthritide & Dolore ischiadico, item in erysipelate, & pleuritide, & similibus Doloribus ab acido ortis est obvius. *Acidi hujus* peccantis dolorosi *origo* utplurimum est *ex stomacho* primisque viis, verbi gratia in arthriticis, in scorbuticis, ischiadicis, rariòs *ex privato partis affectæ in digestione* propria læsæ vitio: v. g. in affectibus dolorosis chronicis aut sæpiùs recurrentibus ab acido natis, in odontalgia, quando dens ex læsione privatæ digestionis acidum colligit, quod Dolorem infert: Sic in osse carioso sæpè recurrens Dolor observatur à nutrimento privato vitiato.

Differentiæ Dolorum sunt tantum non innumerabiles, ex varietate objecti lædentis, multiplicitate organi læsi, & mutuo horum ad se invicem proportione oriundæ: in specie tamen primariæ differentiæ sunt ratione diversi status causæ proximæ, & deinde ratione diversi modi afficiendi partes.

Quod varietatem causæ attinet; Dolor prout excitatur ab acido plus minus volatili seu spirituoso, vel minus volatili, seu & prout fixo, hæret in *subjecto humoroso*, seu vehiculo subtiliore & *tenuiore*, ut lympha, vel crassiore & *viscidiore*, ut chylo, item prout acidum dolorosum plus vel minus *parti dolenti* infixum fuerit: etiam vel pertinaces magis, vel faciliùs aut difficiliùs mobiles, adeoque nunc vagi nunc fixi esse solent; item exinde plus minus recidivantes, aut facilè curabiles, cum aut sine partis erosione juncti, observantur Dolores, adeoque variis modis mutabiles & alterabiles: sic contumacissimi sunt *Dolores Venerei*, & utplurimum cum erosione partis juncti, propter acidum acre in muco glutinosissimo, pertinacissimè parti infixo.

Doloris vagi, adeoque ab acido magis volatili spirituoso, magis spiritu influo, in subjecto seu vehiculo tenuiori partibus communicato, exemplum habemus in arthritide vaga scorbutica: è contra Doloris fixi, ab acido magis fixo vel austero in subjecto viscidiore vel tenaciore hærente, exemplum habemus in arthritide ordinaria in articulis hospitante; item in colica à mucilagine viscida acida in cellulis coli stagante, & pertinacissimum Dolorem inferente.

Frequenter recidivantes quod attinet Dolores: iidem in uno eodemque loco utplurimum cum proprio & privato partis vitio conjuncti esse solent, vitio nempe ejusdem digestionis læsæ, indeque recrementorum acrium dolorosorum proventu oriuntur, & ferè tempestatum mutationibus auscultantes, ægrorumque *ephemerides* constituunt; id quod v. g. in odontalgia est manifestum. Maximè *post articulos graviter vulneratos* Dolores remanent pertinaces, quavis tempestatis mutatione recrudescentes, ex fermento vitioso, in parte ex spiritus insiti debilitate genito, ab externis commoto, & partes sensiles notabiliter uellicante.

Simile ferè atque suprà dictum, Dolor nunc est *continuus*, nunc *interruptus*; & hic uel *periodicus*, uel *non periodicus*. Periodicus est, qui certa obseruat tempora, & frequenter *nocturnus*, v. g scorbuticorum vel Venereorum, esse solet, quando nocte gravis lacerans dolor subsequitur, de die verò nihil sentiunt. *Continuus* præsupponit acre intensiùs parti fortiter inhærens: *Non continuus*, acre remissius, saltem occasionibus quibusdam externis mobile & excitabile, & minus firmiter agglutinatum, & minus fortiter partem afficiens.

Porrò *Dolor* omnis est nunc *cum tumore*, nunc *sine tumore* conjunctus; qui tumor est tam sanguineus, quàm serosus, scirrhosus &c. *Tumor* interdum est *causa* Doloris, interdum, idque frequentiùs, tumor est *effectus* seu productum Doloris: v. g. inflammatorius tumor & suppurans causa est Doloris ardentis, rodentis, pulsatorii: E contra Dolor est causa tumoris in arthritide, odontalgia, &c. ex fibrarum strictura convulsiva, æquabilem

con-

contentorum motum & circulum remorante. Ordinariò in Doloribus arthriticis, quando adest tumor, vel in aliis partibus Dolor, dicunt est Catarrhus, hinc Dolor, hinc tumor, sed falsò; quia ex Dolore supervenit tumor, unde cessante Dolore, cessat tumor: v.g. homo spina pungitur intra digitum, vel vulneratur in quâdam parte, ubi nullum antea habet Dolorem, sed post vulnus supervenit Dolor, post Dolorem tumor. Reverà ergò semper tumor sequitur Dolorem, quia ex objectò dolente seu acido vellicante partes nerveas, & Dolorem excitante, in istis partibus supervenit fibrarum nervearum spasmus ac convulsiones, unde angustantur pori partis, adeoque remoratur sanguinis circulus, unde tumor; Si verò discutitur Dolor anodynis, & removetur spasmus, Dolores cessant sponte. Sic qui in arthritide & similibus volunt curare tumores, curam à posteriori inchoant; sistantur in odontalgia Dolores, & tumores evanescent.

In specie pro meliori methodo medendi, observetur differentia Dolorum, imprimis ex causa interna ortorum, quę ratione afficiendi modi (vid. SYLVIUS *de Dolor. Intestin.*) est decuplex: Has inter species fit

I. DOLOR GRAVATIVUS.

Dolor Gravativus, premere, & tam graviter jacere dicitur, quando sensus quasi ponderis cujusdam prementis & gravantis percipitur, v.g. in hepate tumido aut scirrhoso, in calculo renum ingenti, sed quieto.

Oritur in parte sensu aut pauco aut obscuro prædità, sentiente tamen nonnihil membrana cincta, quæ ipsa pars infarcta & tumefacta imprimis à materia vel crassa, vel viscida, vel fluida, minus acri, sed ferè dulci & insipida, ponderis gravioris sensum repræsentat, uti est pituita, sanguis, serum, lympha, &c.

Sequitur

II. DOLOR seu SENSUS PUNCTORIUS.

Membranis proprius: (pungit instar acuum:) dum *ex improviso* repetitis vicibus quasi aciculis aut acutis instrumentis membranæ punguntur, & interruptim vellicantur, ipso punctionis sensu ad magnum spatium se diffundente: qualis dolor v.g. est in pleuritide, & similibus locis membranosis.

Oritur ab acido acri, firmius parti umbranosæ infixo vel impacto, eandem pungente & rodente, quę hunc convulsivo spasmo crispatur, unde doloris intensio.

Sequitur

III. DOLOR TEREBRANS seu ACUTUS,

Dolori punctorio cognatus, simul tamen terebrationis aut perforationis sensum conjunctum habens, jacet & pungit in uno loco, fixus est, quasi *terebra aut palo pars perforaretur*. qualis e.g. in arthritide, in erysipelate, & similibus affectibus est satis cognitus; item in dolore colico, cephalæa, &c.

Oritur à viscido plus minus *acido*, parti cuidam impacto.

Est

IV. DOLOR RODENS seu MORDAX,

Mordet & rodit, quando percipitur sensus cujusdam rosionis & morsionis, quasi *vermiculi* continuò fodicarent, & roderent, qui membranosis locis proprius.

Oritur ab acri salso succo, nervosa & membranosa loca rodente & *vellicante*.

Hinc vicinis est *Dolor pruriginosus*, ut in purpura & scabie.

Est

V. DOLOR PULSATORIUS,

Pulsat ac si Gallina rostro &c. cibum sumas, quia in eodem pulsatorius sensus aut arterię pulsatio exactè percipitur, ita ut quoties arteria pulset, toties etiam Dolor exasperatur. Proprius est inflammationibus & partibus inflammatis, v.g. in digiti à spina infixa inflammatione.

Provenit hic Dolor, quando in parte quadam tumente & dolorosa tenduntur fibræ & membranæ & cum membranis etiam simul tunicæ membranaceæ ipsarum arteriarum; tunc enim sanguinis per arteriam impeditur nonnihil motus egitimus, & propter fibrarum tensionem difficilis fit sanguinis ejaculatio in dictam partem, quin potius fibræ sanguine irrumpente irritantur; id quod observatur imprimis in stagnationibus humorum, adeòque ortis tumoribus, unde præ ceteris hæc Doloris species observatur in digiti à spina infixa inflammatione, aut fortioribus membranarum tensionibus, item in cephalalgiis.

Est

VI. DOLOR OSTOCOPOS, aliàs FRANGITIVUS,

In quo ossa in sui profundo quasi frangi & malleis contundi videntur, qualis v.g. in lue Venerea affectis, imprimis nocturno tempore, contingit; nec scorbuticis aut hypochondriacis inveteratis & similibus est rarus. Afficitur proximè membrana investiens ossa seu periostium, quod ab acido vellicatum dolores istos repræsentat.

Oritur ab acido non adeò acri, interdum in materia plus minus viscida hærente, pertinacius periostio affixa.

Hinc Dolori vicinus est *Dolor contundens*, profundiora loca occupans, ac mitius urgens.

Est

VII. DOLOR TENSIVUS & DISTENDENS.

Quando quasi disrupta pars distenta videtur. Proprius hic dolor præprimis partibus membranosis, aut membrana quadam densa involutis, per se nullo aut admodum pauco & hebeti tactu præditis, quæ spasmo correptæ tensivum dolorem repræsentant: v.g. qui caput subinde affligit post crapulam, aut dum in odontalgia dimidium caput tendi videtur.

Oritur à spasmo partium membranearum, & fit in specie in malo hypochondriaco, ex irritatione membranosarum partium ab acido molesto.

Distinguendus est hic dolor à dolore distendente: Distendens est quando à re replente, v.g. flatibus, membrana cingens distenditur, & dolorem tensivum repræsentat, ut in inflatione stomachi, hypochondriorum, colica flatulenta, tympanitide, ascite, & similibus.

Est

VIII. DOLOR LANCINANS & quasi LACERANS..

V.g. Exardescens fremitus, & in capite, &c. quasi quis unguibus laceraretur, qualis sæpe in cruribus percipitur. Frequentissimus est in Praxi. Membranis est proprius.

Oritur ex acido acri plus minus salso subtili, ferè volatili & tenui, partes membraneas rodente, vellicante, & variè morsicante. Nunc autem acrius est, nunc salsius, unde nunc lancinans, nunc lacerans, nunc tensivus, nunc similis sensus percipi solet. Scorbuticis est non rarus, qui, utut uno saltim in puncto subinde affligat, per consensum tamen membranarum aut nervorum sæpè integrum nervi ductum vel quoddam membrum afficit: v.g. malum ischiaticum, tantum prope os sacrum est, sed tamen in toto corpore per consensum dolor percipitur.

Est

IX. DOLOR ARDENS,

Quasi ignis scintillulæ hinc inde urerent, *ab acido subtili acri*, fere *volatili*, partes fibrosas & membranosas afficiente, v.g. in erysipelate, in quo pars membranosa solida afficitur, tanquam si *spiritus nitri rectificati* aliquot guttę fuerint inspersæ subinde vero in partibus dolor ardens talis percipitur ab humoribus contentis effervescentibus & à dominante acido volatili producitur.

Denique est

X. DOLOR ALGENS.

Friget & alget, *ab acido minus acri*, sed singulariter fibras alterante, & quasi stupore afficiente.

Sed variæ sunt dolorum species pro varietate objectorum & partium affectarum. Pergimus ad signa:

DIA-

DIAGNOSIS.

De *signis diagnosticis* res clara est, quia Dolores satis manifestantur ab ægris.

Differentiæ Dolorum à modo afficiendi & circumstantiis gnoscuntur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*, *Prognosis Dolorum* variat pro circumstantiarum suprà allegatarum conditione.

Fit interdum, ut cum gravioribus Doloribus coniungatur Pulsus intermittens, qui tamen non debet terrere Medicum, cùm hoc frequentius eveniat, sedato enim dolore statim pulsus ad naturalem redit rhythmum, vid. BARTHOLINUS *in Obser. Anatomicis*.

In genere tamen nullus Dolor in quocunque corporis parte negligatur, semper enim aliquid mali prænuntiat, cum certum sit, quod ubicunque ægri doleant, ibi laborent morbo: Conf. HILDANUS *Cent.5. Obser.7.* Hinc & HIPPOCRATES inquit: *Ubi Dolor, ibi morbus.*

CURA.

In *Cura* Dolor omnis tollitur, aut quamcunque *causam removendo*, aut eam *temperando*, sicque Dolorem demulcendo, aut *sensum partis stupefaciendo*.

Ea quæ causam Doloris removent, si est ab interna, in specie sunt fere *alcalia* tàm *fixa* quàm *volatilia*, tàm *macra* quàm *pinguia*, sive *oleosa* sive *aromatica*, pro circumstantiarum ratione seligenda, quatenus penetrant, acidum corrigunt & tollunt, viscidum incidunt & attenuant, vi sudorifera acidum humorosum resolvunt & discutiunt, abstergunt & removent. Quæ *secundo* dolorem demulcent, sunt *anodyna* blanda, acrimoniam acidi temperantia, fibrarumque tensionem & irritationem demulcentia.

Quæ verò tertium faciunt: *Narcotica* dicuntur, *Temperant & demulcent pinguia oleosa*, *mucilaginosa*, quæ acre quodcunque obtundunt, mitigant, fibrarum spasmum & tensionem blandè emolliunt. Narcotica, ut *Opiata*, *hyoscyamus*, & similia, *stupefaciunt*, quatenus fixiores minusque mobiles reddunt spiritus animales, eatenus etiam dolorosam objecti impressionem, partisvè irritationem percipi inhibent. Usurpantur hic ipsa tàm *interne* quàm *externè*. Interna in specie opiata, & hinc volatilia aromatica, quatenus hæc acida destruunt, & vel per *sudorem* vel per *urinam* evacuant, simulque nervis grata existunt. Præsertim *sudores* ad corrigendos Dolores etiam contumacissimos subinde sunt summe proficui, dum eorum medio & viscidum, in contumacioribus Doloribus simul peccans, plus minus emendetur.

Inter *Purgantia* excellit imprimis *Mercurius dulcis*: Conf. VELSCHIUS *Hecat. lib.2. pag.40.* Quibus evacuantibus pro fomite morboso circa primas vias destruendo *Martialia*, *Saturnina*, *solaria*, ut aurum diaphoreticum, addi solent. Sicuti *externè* pro causæ peccantis remotione nunc *venæ sectio*, *hirundines*, *vesicatoria*, *caustica*, &c. magis inserviunt: v.g. POTERIUS *Cent.3. Cur.84.* *Dolorem* refert *tibiæ* contumacissimum *sudoriferis* nullis curandum, aperta tibia *caustico* curatum. Inventa ibi materia dura, subalbida & sebacea, quâ sublata Dolore evanuit. SCHENCKIUS *lib.5. Observationum* Dolorem omnium membrorum refert, excitatis per phœnigmos copiosis pustulis, & evacuato sero, curatum.

Sanè Dolores artuum graviores ex sero acri scorbutico nati, & in quibus nulla ferè partis alteratio sensilis observatur, per applicatum *vesicatorium* optimè curantur: Sic ZACUTUS LUSITANUS *lib.2. Prax. Admir. Observat.57.* refert, lumborum seuum dolorem impositis supra lumbos *hirundinibus* curatum: *Idem cum vel Obser.72.* refert, immanem inguinum dolorem *salvatellæ sectione* curatum. Ubi dolor sæpe nullis remediis cedit, proficua obseruatur sectio uenarum raninarum sub lingua, de sanguine calido & furioso conf. BORELLUS *Cent.1. Observat.47.* HORSTIUS *lib.8. Observat.9.* habet diuturnum & contumacem brachii dolorem, *diæta sudorifera* curatum.

Res ut melius pateat, de *narcoticis* obseruandum est, quod eadem dolorem quidem tollant, sed saltem *palliative* & quasi à posteriori curent, doloris symptoma sistendo, sed causam materialem nec corrigendo, nec remouendo; adeòque necesse est, cauti simus in eorum usu de quibus cautelis optimè disserit. JOHANNES CHICOTIUS *in dissert. & Epist. Med in Dialogo de Dolore*, dum dicit: *si rodens humor excruciet te, narcotica tutò ex hibeantur, utpote quæ minus hos affectus quam alios, lædunt quippe & tenues vel acres & calidi huiusmodi humores sunt. Hæc autem narcotica non solum salutaria sunt, quod sensui torporem inducant, sed etiam quod humorum tenuitatem cogant & quasi coquant. Ubi verò crassi & glutinosi humores cum acore coniuncti excruciant, in specie simul acor infestat ex irritatione, alienissima sint opiata, quæ torporem inducunt, nempe interdum quidem dolorem mitigant, sed deteriorem reddunt partium affectarum dispositionem, ut in colicis doloribus, in quibus v. g. ex opio, hyosciamo, & similibus remedia membra ad patiendum reddunt idonea, & in pleuritide talia dolorem non sanant, sed doloris sensum tollunt, partem enecant, & ad gangrænam disponunt. In his ergo casibus talis cura deceptio est.* Hactenus CHICOTIUS. Cautè ergo narcoticorum usus adhibeatur, & non nisi urgente *necessitate*, & saltem appropriatis respectu causæ peccantis & partis affectæ mista, *præmissis præmittendis*, adhibeantur. Hinc etiam opiata minus conueniunt in dolore pulsatorio, quoniam metus est, ne ad gangrænam perducant; non conueniunt in dolore ostocopo, in specie lue Venerea correptorum; quamuis enim sedetur dolor, alio tamen tempore eò atrociùs solet urgere; Magis tamen conueniunt in dolore ostocopo scorbuticorum semper tamen addantur appropriata uolatilia. Conueniunt uero in doloribus punctoriis, tensiuis, etiam distendentibus, lancinantibus, & lacerantibus, in doloribus uagis, & quæ sunt aliæ circumstantiæ.

Præter has *circa narcotica cautelas* in quouis Dolore curando *ad tria semper respiciendum*:

1. *Ad partem affectam* plus minus sensilem, adeòque ferè plus minus carnosam & nerueam.
2. *Ad Causam efficientem occasionalem* plus minus acrem.
3. *Ad subiectum* seu quasi uehiculum causæ, uel uiscidum, uel glutinosum, successiuè attenuandum; uel tenue & subtile, facilè discutiendum.

V. g. in nodis & gummatibus Venereis nocentissimus est spiritus salis ammoniaci applicatus, cum implacabiles Dolores inferat, in acidum acre impetuosius agendo: Unde effervescentiæ quasi concitato motu, & resoluto nonnihil subjecto viscido, crudelissimè exacerbantur dolores. Nempe quò sensilior est pars, eò magis temperata conveniunt: Item quo acrior fuerit causa occasionalis: item quo viscidior est fomes, eò minus volatilia discutientia, sed successive emollientia magis conveniunt. Ad removendam causam, si eadem observatur, quod sit acidum vitiosum, præter ejus omnimodam per quascunque vias evacuationem, conveniunt omnia, tàm interna, quam externa, alcalia, acidum quodcunque corrigentia, aut in tertium, aut insipidum, aut in salsum minus dolorificum transmutantia.

Remedia igitur ad primam classem pertinentia *alcalia* plus minus *aromatica*, à priori Dolores curantia, quatenus acidum destruunt, sunt sequentia: Absinthium, Anethum, Chamomilla, Malva, Althea, sambucus, in specie eiusdem flores, Mentha, Verbascum, in speciè ejusdem flores, & Parietaria. Sanè contusum *Absinthium*, & cum *Parietaria* decoctum, & instar *Cataplasmatis* applicatum, in plurimis Doloribus resolvendis & discutiendis perquàm conuenit; siue à causa externa, contusionibus nempe, nati fuerint; siue etiam internè ex acri humore seroso ortum duxerit, tàm in capitis dolore, quam aliarum partium: Sic v.g. AMATUS LUSITANUS *Centur.1. Curat.57.* Dolorem spinæ ad os sacrum intensum per tale cataplasma ex *Absinthio & Parietaria* in *oleo* frixa & applicata curauit. Porrò folia lauri, radices altheæ, liliorum conuallium, crocus, baccæ lauri & juniperi, semina cumini, anethi, carui, lini, fœnugræci, anisi fœniculi, etiam hic conducunt. Ubi catarrhi uel abundans serum acre Dolorem infert, fotus humidus, V.g. ex floribus saluiæ, uel saluia, item Majorana, item rosmarino, non conueniunt, sed dolores ingentes causant. Proficuæ in hoc casu magis sunt Fumigationes ex succino, ut fumigetur pars dolens sic serum acre temperatur, fotus uerò humidus

dus Dolores magis auget. Ex his paratæ aquæ vitæ seu spiritus volatiles, aqua arricularis ad extra & intra, imprimis acuatæ cum *spiritibus urinosis*, ad Dolores præsertim lacerantes & lancinantes, imprimis scorbuticos, nocturno tempore affligentes conferunt. Item urina humana, & omnia ex ea parata remedia, ut spiritus salis ammoniaci, spiritus & sal volatile urinæ humanæ, insigniter conveniunt; nam talia absorbent omnem acorem. Non secus ad hujusmodi Dolores ab acido volatili ortos, imprimis volatilia, ex animalibus petita remedia, conducunt, in specie ex insectis quæ inter sunt imprimis lumbrici, & ex his paratus spiritus lumbricorum terrestrium, formicæ, & ex his parata remedia; unde & *scarabæis cornutis & liquori* ex his parato singularem vim tribuit GLAUBERUS. Hinc v. g.

℞. *Aquæ artic. ad extr.* ℥iß. ad ℥ij.
Spiritus urinæ, vel sale ammoniaci cum calce viva par. ℥vj.
Lumbr. terr. per putr. cum sale vol. acuat. ℥ij. vel ℥iij.
M. D. S.
Aqua articularis externa.

Usurpetur externè, membra priùs fricando.

Vel

℞. *Fol. Nicot.*
Salv.
Rorism. an. M. j.
Rad. Angel. ℥ß.
Ari,
Pyrethri an. ℥ij.
Flor. Anthos,
Lavend.
Stæch. Arab. an. p. ij.
Sem. erucæ ℥vj.
Castor. ℥iij.
Concisis & contusis affund.
Spiritus vini p. ij.
Spiritus Lumbr. p. j.
Stent per aliquot dies vase clauso, in loco tepido,
Liquor filtretur, S.
Spiritus sive essentia pro articulis externè applicanda.

Pertinet huc etiam sapo Venetus in spiritu vini dissolutus & ita in forma liquida illitus; hic enim ratione alcali oleosi Dolores ex acido ortos rodentes, etiam arthriticos, subinde compescit. Quodsi ardoris sensus conjunctus sit, in *spermate ranarum* solvatur; sin minus, solvatur vel liquefiat in *spiritu* urinæ ac *lumbricorum terrestrium*, aut spiritu vini, addita *camphora* & *croco*, & ita cum pluma subinde applicetur. Olea ex flor. verbasci, vel ex floribus sambuci, per putrefactionem & in clibano digestionem, insignia sunt & egregia anodyna; uti *suprà, ubi de Affect. oculor.*, de hoc medicamento audivistis. Pertinet huc etiam *camphora*, potenter anodyna, cùm tota sit sal volatile oleosum concentratum, simulque admodum penetrativa, Dolores ab acido optimè compescit; hinc spiritus vini camphoratus ad sopiendos Dolores inflammatorios, in specie erysipelaceos est optimus. *Spiritus vini* crocatus *camphoratus* in artubus dolorosis est optimus; unde etiam solutioni saponis Veneti nonnunquam camphora additur, idque egregio cum successu. *Ranæ* quoque huc pertinent: imprimis eorum *sperma*, *alcali temperato* singulariter anodyno turgidum, unde & arthriticos hisque cognatos Dolores sopire valet: sicuti *oleum ranarum* ritè paratum egregium quoque est lenitivum plurium dolorum. Sic ex succo ebuli singulare fit oleum per deliquium ad Dolorem & contractionem nervorum: nempe succus ebuli reconditur in vase vitreo, & involvitur cum pasta panis fermentati, immittitur in furnum pistorium, donec succus bene sit coctus: dein excipe vas vitreum, & succus ita liquefactus à crassamento separatus asservatur pro usu, qui est res optima in Doloribus & contractionibus nervorum; adduntur interdum pro meliori efficacia olei ranarum part. iv. v. vel vj. quod mirabiliter operari solet. Simili modo proceditur cum floribus verbasci & chamomillæ Dixi oleum ranarum: Fit enim etiam oleum ex bufonibus, catholicum anodynum, in omnibus doloribus, dum scilicet bufones macerantur in aqua salsa seu aqua marina, postmodum decoquuntur, & aqua inspissatur ad remanentiam salis, quod sal dissolutum cum oleo amygdalarum dulcium dat oleum anodynum ad compescendos Dolores quoscunque. Post oleum bufonum etiam sunt olea lumbricorum terrestrium, liliorum alborum, oleum septem florum seu anodynum Mynsichti, & oleum Chamæmelinum, Anethinum, oleum papaveris & hyoscyami expressum, *olea destillata*, tam aromatica, cumini, anisi, quàm fœtida, *ex animalium ossibus pinguedinibus*, *cera*, &c. in specie fœtida, oleum destillatum tartari fœtidum; item oleum ossium humanorum destillatum, oleum pinguedinis humanæ, oleum ligni guajaci fœtidum, oleum buxi per descensum: fœtida quidem, nobilissima tamen sunt in Doloribus nervorum, vel artuum ab acido ortis. Ulteriùs oleum ceræ cum spiritu vini ana circulatum & probe digestum, ac inunctum in partium nervosarum Doloribus ex contusione est egregium: Videatur RIVERIUS *Cent 4. Observat. 51. Sic oleo destillato pinguedinis humanæ* dolorem brachii diuturnum curavit BORRICHIUS *de Hermet. Sap. pag. 371.* Liberari possunt à fœtore cohobando super caput mortuum.

Facit huc *Galbanetum Paracelsi* seu oleum istud ex galbano cum terebinthinæ & spicæ oleo destillatum (vid. SENNERTUS *in Praxi*, *ubi de Colica*, & SCHROEDERUS *in Pharm.*) quod speciatim in Doloribus artuum & partium nervosarum chronicis & sæpius recurrentibus est admodum egregium remedium. Facit huc Balsamus Peruvianus, qui egregiè anodynus, ad nervos contusos, combustos ac punctos egregius; item in nervorum & articulorum Doloribus nulli cedit remedio, imprimis cum spiritu vini dissolutus. Hinc TIMEUS *von GuldenKlee* in Doloribus partium musculosarum à defluxionibus seu catarrhis frigidis ut vocant, commendat sequentem mixturam: Nempe

℞. *Balß. Peruv* ℥j.
dissolvatur cum *vitello ovi*:
adde
Spiritus bacc. Junip. vel flor samb. ℥iij.
Misc.

& utere externè illinendo: egregiè Dolorem compescit.

Vel etiam sacculus ex milio & sale applicari potest, qui extat in M. A. N. C. *Ann 6. Obs. 94. Gummata* denique, tam *ammoniacum*, quàm *galbanum*, sagapenum, &c. in Doloribus fixioribus, à viscido acido natis, & in specie emplastrum ex tacamahaca, vel sola, vel cum Caranna applicatum, sunt quasi catholicum anodynum in artuum & partium musculosarum Doloribus, in specie ubi nerveæ partes, vel à causa interna, v. g. sero, vel lympha acida, adeòque catarrhis aliàs tributis, vel externa, sunt egregia; unde & *emplastra diaphoretica* dicta, e. g. Mynsichti, vel emplastrum ex tacamahaca, vel sola, vel cum gummi carannæ, egregium est in dictis affectibus, ex sero acri contumacioribus, proficua observantur. Potentiora sunt & penetrantiora, sed acriora & non ubivis obvia, ex dictis gummatibus, ut Emplastrum de galbano crocatum, empl. de meliloto, ad Dolores à contusione vel ex casu ab alto efficacissima sunt remedia, auctore THONERO; quæ exaltantur in suo vigore, si malaxentur cum oleo destillato succini vel cum oleo destillato tartari, vel balsamo Peruviano. *Aliàs emplastrum de meliloto* item terebinthina, teratur cum salibus volatilibus vel spiritu salis ammoniaci fiedant misturam tenacem albidam instar cujusdam emplastri quod itidem Dolores potenter resolvit: non secus ac *emplastrum* Vigonis *de ranis cum Mercurio* est egregium in Doloribus artuum Venereis nocturno tempore affligentibus; quod uti etiam in doloribus à materia viscida acida enatis, item in doloribus cum tumoribus duris plus minus scirrhosis & chronicis, & omnibus reliquis, meritò præfertur, in specie in Doloribus capitis venereis.

His addi possunt *stercora animalium*, egregiè anodyna, ex quibus optimum *est humanum*, seu *stercus vaccinum*, vel recens applicatum, vel *cum oleo rosarum* mistum, sub forma cataplasmatis in graviori dolore brachiorum & pedum mirabiliter conducere solet, ut hoc expertus est sæpiùs ipse THONERUS. Linteum cruore menstruo tinctum, exsiccatum, & Dolori applicatum, eum evanescere facit.

Hæc sufficiant pro primo scopo.

Quoad alteram remediorum classem: Dolorem temperant & demulcent anodyna, suntque temperantia, blando sensu partes nerveas afficientia, imprimis *lac* & quælibet *lacticinia*, vel sola, vel cum aliis in forma fomenti aut cataplasmatis applicata: emulsiones internæ & externæ ex seminibus quatuor frigidis majoribus, papavere, amygdalis dulcibus. Hinc althæa, malva, melilotus, verbascum,

ejus

ejus & sambuci flores, ac omnia emollientia, mucilagines istarum plantarum, & ex seminibus emollientibus, *oleum lumbricorum amygdalarum dulcium*, liliorum alborum, *septem florum Mynsichti*, altheæ, malvæ, verbasci, sambuci, ovorum, laurinum, &c. quæ egregiè anodyna: Sic *lac caprinum* cum pauco melle ebullitum, & loco dolenti applicatum calidè, ad sedandos Dolores à RULANDO commendatur; *oleo* nempe & alcali dives est *lac*, unde præ aliis anodynum: sic RULANDUS etiam

℞. *Lactis* ℥v.
Olei Rosar. ℥ij.
Nymph. ℥ij.

Quæ invicem calefacta cum linteis multiplicatis crebrò parti dolenti applicantur pro leniendis Doloribus: quo dolor brachii totius ingens tanquam fomento brevi tempore curatus fuit.

Pertinet huc *cataplasma* istud Chirurgorum ubique usitatum anodynum, ex mica panis albi (Ger. Weisse Semmel in lacte cocta, addit *croco*, & cataplasmatis instar applicatum. Vel ad imitationem RULANDI in dolore lumborum ex defluxionibus aliquoties ab eo probatum:

℞. *Medull. panis albi*
Maceretur *lacte vaccino*; per cribrum æneum trajiciatur: adde *Vitella ovi* & cum *butyro recenti* & seqq. *oleis* q. s. misce, & hinc calido linteo applica.

℞. *Olei Chamomill.*
Anethi,
Lilior. alb.
Lumbr. terrestr. an. ℥iß.
Misc.

Item cataplasma ex plantis appropriatis narcoticis & anodynis, in lacte coctis, applicatum prodest.

Pertinet huc & liquor ille oleosus ex floribus verbasci & sambuci per deliquium in clibano paratus, potenter anodynus. Pertinent huc etiam *pinguedines animalium* anodynę, ad oblinendam acrimoniam causæ dolorificæ, v. g. butyrum, pinguedo anatis, humana, gallinacea, suilla, taxi, anserina, cuniculi, vulpis, & similes, *cum oleis* subinde miscendæ. Vel ad dolorem brachii ex scarificatione in scapula expertum fuit hoc Unguentum:

℞. *Olei lumbr. terr.* ℥ß.
Pingu. taxi,
Vulpis an. ℥ij.
Misc. & illinatur brachium vel pars affecta.

Vel etiam cum *aqua hirundinum cum castoreo* eadem simul illinatur & foveatur.

Faciunt huc Unguentum dialthęæ, unguentum alabastrinum, anodynum, hypnoticum usitatum, balsamum hypnoticum Mynsichti, & similia usitata.

Quæ tandem *vi narcotica* stupefactivâ dolores sistunt, sunt quęlibet *narcotica*, ut omnia *Papaverina*, internè & externè, in specie omnia opiata, v. g. opium correctum, essentia opii, &c. Juxta hęc est hyoscyamus, in specie ejus semen, & quęvis *ex hyoscyamo* parata remedia, in specie *oleum hyoscyami* expressum, externè potissimum narcoticum. Item stramonium ejusque semen & exinde paratum extractum. Solanum furiosum & ipsum vi stupefactivâ insigni pollet, uti etiam mandragora, ejusque radix & radicis cortex. Sunt qui ex semine hyoscyami parant oleum catholicum penetrans ad quoscunque dolores compescendos: recipiunt semen hyoscyami, ex eoque instar seminis lini oleum exprimunt, cui addunt Camphoram, crocum, & spiritum vini: Hæc omnia simul mista claudantur in vase vitreo, quod obducitur massâ farinaceâ fermentatâ, & ita simul coquuntur in furno pistorio tamdiu, quamdiu solet panis pinsi, quo facto liquor eximitur, & ad longum tempus pro usu asservatur, qui decantatus optimus est in crurum graviori dolore.

Huc quoque pertinent oleum ligni buxi, unguentum anodynum Mynsichti & unguentum populeum: e. g.

℞. *Ungu. hypnot.* ℥ij.
Olei expr. nuc. mosch. unc. ij.
Sem. hyoscyami unc. j.
M. S.
Unguentum lenitivum.

℞. *Olei Anethi,*
Expr. Papav. an. ℥j.
Hyoscyami ℥ß.
M. S. ut *antè*.

Ex his facilè patet, quomodo speciales dolores curari debeant: Nempe

DOLOR GRAVATIVUS

Curatur materiæ remotione. Hinc *venæ sectio*, *Purgantia & sudorifera* locum habent; item *fonticuli*, variatis his ipsis pro circumstantiarum varietate.

Externè olea destillata penetrantia inungenda, in specie si dolor gravior oriatur ex lympha inundante partes, Si à materia viscida & tenaci, usurpentur *emplastra ex gummatibus* & narcoticis, ut ex tacamahaca; item emplastrum diaphoreticum, *de cicuta*, *nicotiana*, de ranis cum Mercurio, & alia contra scirrhos & scrophulas usitata.

DOLOR PUNCTORIUS

Curatur internè per salia volatilia sudorifera, subinde cum opiatis mista, v. g. *spiritum salis ammoniaci anisatum cum essentia opii*.

Externè conducunt *Fomenta emollientia* & aromatica, discutientia; item Litus ex temperatis, ex oleis & pinguedinibus blandè volatilibus mistis, ut *unguentum dialthęæ*, *oleum amygdalarum dulcium*, addito pauco *oleo destillato chamomillæ* & *camphoræ*; item litus ex volatilibus penetrantibus, ut spiritus vini camphoratus, spiritus salis ammoniaci, sperma ranarum, &c. Conducunt etiam ex sapone remedia, ut sapo in spiritu lumbricorum dissolutus, &c. qualia in pleuritide, & hinc arthritide usitata sunt.

DOLOR TEREBRANS

Requirit *internè incidentia & evacuantia*, præsertim, ex gummatibus, item *mercurio dulci*.

Externè gummata; item *emplastrum carminativum Sylvii*, *emplastrum de galbano crocatum Mynsichti*, *emplastrum de ranis cum Mercurio*, &c. *conducunt*.

DOLOR PULSATORIUS

Internè curatur per sudorifera acidum destruentia, subinde cum opiatis mista; non tamen semper.

Externè sedatur per *fomenta ex aromaticis* vino incoctis, ut discutiant & resolvant, doloresque sistantur. Item *empl. de meliloto* cum *theriaca* confert.

DOLOR OSTOCOPOS

Tollitur, præmissa purgatione, imprimis per sudorifera; sed cùm ut plurimum sit contumax, aliquamdiu continuanda, adeoque interdum per *diætam sudoriferam*, ex lignis institutam.

Externè confert *emplastrum ex gummatibus*, speciatim ammoniaco; *item de ranis cum Mercurio*, malaxatum cum *oleis destillatis*, imprimis *fœtidis*, nempe *tartari*, ligni *guaiaci*, *cornu cervi*, succini, petroleo destillato, &c.

DOLOR TENSIVUS

Internè volatilia temperata cum opiatis postulat.

Externè conveniunt *fomenta demulcentia*, *anodyna*, *opiata*, *lacticinia*, exque talibus parata *cataplasmata*.

Cognatus dolor est

DOLOR DISTENDENS

Qui *internè carminantia* seu volatilia oleosa, v. g. spiritum salis ammoniaci anisatum; *externè discutientia* & fomenta aromatica carminantia, &c. requirit.

DOLOR ARDENS

Curatur, si in internis partibus observetur, per *absorbentia*, aliàs effervescentes humores *præcipitantia* dicta. Externis in partibus removetur per *saturnina*, item *ranina*, ut *sperma ranarum*; non per acria, malum magis exacerbantia; non per pinguia ardorem, oblinendo poros, magis intendentia.

DO-

DOLOR ALGENS

Curatur per aromatica, vel oleosa, olea destillata, v.g. *galbanetum*, *spiritum vini crocatum*, *aquam articularem*, &c.

Post hos dolores in genere & in specie, considerandi sunt quidam dolores atrociores particulares, quos inter acerbissimi & satis frequentes esse solent Dolores lancinantes & lacerantes artuum, & Odontalgia. Sit ergò

ARTICULUS III.

DE

ARTUUM DOLORIBUS LANCINANTIBUS & LACERANTIBUS.

Dolores hi frequentes sunt, imprimis in scorbuticis, tam vagi quàm fixi, speciatim fixi crudeles & pertinacissimi sunt.

CAUSÆ.

Oriuntur hi Dolores fixi ex subtili acido, fibris tendinosis aut membranis quibusdam se insinuante, cum intenso Dolore, unde universum partis fibrarum membranarumque systema compatitur, & compatiendo mediante *occulta fibrarum crispatura* totum membrum dolere facit, utut utplurimum ne minima quidem partis dolentis percipiatur alteratio. Confirmat hoc, quod in malo ischiadico laborantibus, ubi malum hæret circa coxendicem, integra crura gravissimo corripi soleant Dolore. Similiter insignis quidam nervus ab acido rosus & afflictus totum fibrarum nervosarum systema in consensum trahit, & ita talem Dolorem repræsentare facit. *Tales Dolores lacerantes scorbutici* in partibus musculosis & nervosis fixi diurno tempore ferè acquiescunt, aut mitiùs affligunt, sed *nocturno* tantum *tempore* per duas vel tres horas ante & post mediam noctem exacerbari solent, & post hanc per horas binas vel ternas remittunt, in quo ipso simillimi sunt hi Dolores Doloribus Venereis & ipsis nocturnis. Dolores isti lacerantes fixi in quadam parte, utut sæpissimè, pro fomite agnoscunt scorbutum, interdum tamen etiam sine scorbuto saltim manifesto ægri patiuntur Dolores tales contumacissimos ubi à rheumatismo oriri dicuntur, in quibus etiam *interna remedia* subinde parum ferè operantur, *externa* verò applicata malum subinde potiùs exasperant, quàm quod istud corrigant; narcotica verò applicata istud aliquomodo mitigant, sed postea malum contumacius & rebellius reddunt. Memini virginem adultam *scorbuticam*, crebriori hæmorrhagiæ narium obnoxiam, hâc per lignum sympatheticum fraxini suppressâ incidisse in hujusmodi *Dolores lancinantes* nocturnos intolerabiles & implacabiles, ab hora decima vespertina ad secundam post mediam noctem constanter affligentes, hinc remittentes & somnum concedentes: Interdiu benè habebat, quavis nocte stato tempore dolores recrudescebant, idque per aliquot septimanas. Verùm quare in specie nocturno tempore recurrant, adhuc latet. Præ ceteris de his Doloribus, & quid in recessu habeant? videri potest HORSTIUS *lib.8. Observ.13. 14.seqq.* elegantissima ibi inveniuntur.

CURA.

Pro curandis his & similibus doloribus venæsectio subinde, præsertim in principio, proficua esse solet (vid. M. A. N. C. *Ann.9. Observat.120.*) observatis tamen Revulsionis & derivationis regulis. Hæc utut per se hæc mala non curet, per accidens tamen, quatenus liberior sanguinis & contentorum conciliatur motus, occasione doloris & fibrarum *stricturæ plus minus deficiens*, v. gr. quando crus affligitur tali dolore, ibi vel in brachio opposito, vel crure opposito secatur vena, & ad aliquot uncias sanguis emittitur, cum sensibili levamine ægri meliùs se habent. *Vesicatoria* quoque in membro dolente convenienti loco applicata, sæpiùs sunt proficua. Interdum ad fonticulos accedendum est, imprimis si pertinaciùs persistat malum, aut crebriùs repetat, qui tamen sedato dolore iterum consolidari possunt.

Internè, cùm acidum peccet, ante omnia observandum est, ut destruatur dictum acidum peccans, & vel per *fixa absorbentia anodynis* mista, istud in primis viis destruentia, partim & imprimis per sudorifera volatilia, singulas partes perreptantia: unde ratione prioris Martialia, & antimonialia sulphurea, *ut antimonium diaphoreticum Martiale*, *cinnabaris antimonii*, *partes animalium duræ & osseæ*, conveniunt: hisque præmissis ratione posterioris salia *volatilia* alcalia, omnia antiscorbutica & antiarthritica, conducunt, in specie ex lumbricis tartaro ac urina parata remedia volatilia subindè subjungenda sunt. Item *decocta lignorum sudorifera*, quæ veteribus Practicis in usu fuerunt, nec contemnenda sunt, præsertim ubi contumacior observatur dolor, ex radice chinæ, ligno sassafras lignoque juniperino, de quibus videri potest in HORSTIO *cit. loc.* ubi talis Dolor Decocto lignorum fuit curatus. Quò etiam pertinere videtur insignis ille *Dolor costarum*, aliis frustra tentatis, per decoctum sequens curatus à PETRO POTERIO *Centur.1. Cur.83.*

℞. *Rad. Vincetox.* ℥iß.
Fol. Myrti M.j.
Sem. hyperic.
Rhabarb. el. an.℥iß.
F. Decoctio in s.q. *aquæ communis*.
In colat. ℥vj. dissolve
Syr. capill. veneris ℥iß.
Misc.

Per alvum & per sudorem dolorem curavit.

Decocti aliàs formula, quam in ejusmodi casibus observavi proficuam, est hæc:

℞. *Rasur. ligni juniperin.* ℥iij.
Cym. pini junior. & rec. M.ij.
Herb. rorismar. M.j.
Incisa minutim macerentur in *aquæ simpl.* ℔vj.
Stent in Balneo Mariæ per noctem: manè coqu. ad tertiam:
Colatura detur pro Haustu matutino sudorifero, præmissis universalibus.

In specie hujusmodi formulam utilem notavi, ubi glandularum circa caput ac fauces obstructiones & tumores simul occurrerunt.

Præter interna ad *externa* subinde fiat accessus. Verùm cauto opus est. *Pinguia* enim *unctuosa*, viscosa & similia, oblinendo poros magis exasperant malum quàm leniunt, adeòque saltem subtilia volatilia penetrantia, nunc urinosa acria, nunc spirituosa, conveniunt. Hinc spiritus vini camphoratus, item spiritus theriacalis camphoratus, in specie cum castoreo imprægnatus, spiritus liliorum convallium, cerasorum nigrorum, salis ammoniaci cum spiritu liliorum convallium subactus & illitus, spiritus urinæ, spiritus tartari volatilis, qui reliquis præfertur pro usu externo, aqua hirundinum cum castoreo, &c. externè conducunt.

Vel
℞. *Spirit. lil. convall. non adeò rectif.* ℥iv.
Sal. ammon. cum calce viva ℥ij.
Ess. Castor. ℥ß.
M. pro usu externo.
D. S.
Spiritus articularis externè applicandi.

Vel:
℞. *Aquæ articul. ad extr.* ℥iß.
Spiritus sal ammoniaci cum calcis vivæ ℥vj.
Lumbric. per putr. ℥iij.
M. D. S.
Aqua articularis externè applicanda.

Cum panno calido exteriùs affricetur membris dolentibus crebriùs.

Vel
℞. *Fol. Nicotian.*
Origan.
Flor. Sambuc. an. M j.
Rad. Angel. ℥j.
Ari.
Pyrethri an ℥ß.
Flor. stæchad. Arab.
Lavend.
Lil. convall. an. p.ij.
Sem. erucæ ℥vj.
Castor. ℥iij.
Concisa & contusa infund. in

Spiri-

DOLOR ALGENS

Curatur per aromatica, vel oleosa, olea destillata, v.g. *galbanetum*, *spiritum vini crocatum*, *aquam articularem*, &c.

Post hos dolores in genere & in specie, considerandi sunt quidam dolores atrociores particulares, quos inter acerbissimi & satis frequentes esse solent Dolores lancinantes & lacerantes artuum, & Odontalgia. Sit ergò

ARTICULUS III.

DE

ARTUUM DOLORIBUS LANCINANTIBUS & LACERANTIBUS.

Dolores hi frequentes sunt, imprimis in scorbuticis, tam vagi quàm fixi, speciatim fixi crudeles & pertinacissimi sunt.

CAUSÆ.

Oriuntur hi Dolores fixi ex subtili acido, fibris tendinosis aut membranis quibusdam se insinuante, cum intenso Dolore, unde universum partis fibrarum membranarumque systema compatitur, & compatiendo mediante occulta fibrarum crispatura totum membrum dolere facit, utut utplurimum ne minima quidem partis dolentis percipiatur alteratio. Confirmat hoc, quod in malo ischiadico laborantibus, ubi malum hæret circa coxendicem, integra crura gravissimo corripi soleant Dolore. Similiter insignis quidam nervus ab acido rosus & afflictus totum fibrarum nervosarum systema in consensum trahit, & ita talem Dolorem repræsentare facit. *Tales Dolores lacerantes scorbutici* in partibus musculosis & nervosis fixi diurno tempore ferè acquiescunt, aut mitiùs affligunt, sed *nocturno* tantum *tempore* per duas vel tres horas ante & post mediam noctem exacerbari solent, & post hanc per horas binas vel ternas remittunt, in quo ipso simillimi sunt hi Dolores Doloribus Venereis & ipsis nocturnis. Dolores isti lacerantes fixi in quadam parte, utut sæpissimè, pro fomite agnoscunt scorbutum, interdum tamen etiam sine scorbuto saltim manifesto ægri patiuntur Dolores tales contumacissimos ubi à rheumatismo oriri dicuntur, in quibus etiam *interna remedia* subinde parum ferè operantur, *externa* verò applicata malum subindè potiùs exasperant, quàm quod istud corrigant; narcotica verò applicata istud aliquomodo mitigant, sed postea malum contumacius & rebellius reddunt. Memini virginem adultam *scorbuticam*, crebriori hæmorrhagiæ narium obnoxiam, hâc per lignum sympatheticum fraxini suppressâ incidisse in hujusmodi *Dolores lancinantes* nocturnos intolerabiles & implacabiles, ab horâ decimâ vespertina ad secundam post mediam noctem constanter affligentes, hinc remittentes & somnum concedentes: Interdiu benè habebat, quavis nocte stato tempore dolores recrudescebant, idque per aliquot septimanas. Verùm quare in specie nocturno tempore recurrant, adhuc latet. Præ ceteris de his Doloribus, & quid in recessu habeant? videri potest HORSTIUS *lib.8. Observ.13. 14. seqq.* elegantissima ibi inveniuntur.

CURA.

Pro curandis his & similibus doloribus venæsectio subinde, præsertim in principio, proficua esse solet (vid. M. A. N. C. *Ann.9. Observat.120.*) observatis tamen Revulsionis & derivationis regulis. Hæc utut per se hæc mala non curet, per accidens tamen, quatenus liberior sanguinis & contentorum conciliatur motus, occasione doloris & fibrarum *strictura plus minus deficiens*, v. gr. quando crus affligitur tali dolore, ibi vel in brachio opposito, vel crure opposito secatur vena, & ad aliquot uncias sanguis emittitur, cum sensibili levamine ægri meliùs se habent. *Vesicatoria* quoque in membro dolente convenienti loco applicata, sæpiùs sunt proficua. Interdum ad fonticulos accedendum est, imprimis si pertinaciùs persistat malum, aut crebriùs repetat, qui tamen sedato dolore iterum consolidari possunt.

Internè, cùm acidum peccet, ante omnia observandum est, ut destruatur dictum acidum peccans, & vel per *fixa absorbentia anodynis* mista, istud in primis viis destruentia, partim & imprimis per sudorifera volatilia, singulas partes perreptantia: unde ratione prioris Martialia, & antimonialia sulphurea, *ut antimonium diaphoreticum Martiale*, *cinnabaris antimonii*, *partes animalium duræ & osseæ*, conveniunt: hisque præmissis ratione posterioris salia *volatilia* alcalia, omnia antiscorbutica & antiarthritica, conducunt, in specie ex lumbricis tartaro ac urina parata remedia volatilia subindè subjungenda sunt. Item *decocta lignorum sudorifera*, quæ veteribus Practicis in usu fuerunt, nec contemnenda sunt, præsertim ubi contumacior observatur dolor, ex radice chinæ, ligno sassafras ligno que juniperino, de quibus videri potest in HORSTIO *cit. loc.* ubi talis Dolor Decocto lignorum fuit curatus. Quò etiam pertinere videtur insignis ille *Dolor costarum*, aliis frustra tentatis, per decoctum sequens curatus à PETRO POTERIO *Centur.1. Cur.83.*

℞. *Rad. Vincetox.* ℥iß.
Fol. Myrti M.j.
Sem. hyperic.
Rhabarb. el. an. ʒiß.
F. Decoctio in s.q. *aquæ communis*.
In colat. ℥vj. dissolve
Syr. capill. veneris ℥ß.
Misc.

Per alvum & per sudorem dolorem curavit.

Decocti aliàs formula, quam in ejusmodi casibus observavi proficuam, est hæc:

℞. *Rasur. ligni iuniperin.* ℥iij.
Cym. pini iunior. & rec. M.ij.
Herb. rorismar. M.j.
Incisa minutim macerentur in *aquæ simpl.* ℔vj.
Stent in Balneo Mariæ per noctem: manè coqu. ad tertiam:
Colatura detur pro Haustu matutino sudorifero, præmissis universalibus.

In specie hujusmodi *formulam* utilem notavi, ubi glandularum circa caput ac fauces obstructiones & tumores simul occurrerunt,

Præter interna ad *externa* subinde fiat accessus. Verùm cauto opus est. *Pinguia* enim *unctuosa*, viscosa & similia, oblinendo poros magis exasperant malum quàm leniunt, adeòque saltem subtilia volatilia penetrantia, nunc urinosa acria, nunc spirituosa, conveniunt. Hinc spiritus vini camphoratus, item spiritus theriacalis camphoratus, in specie cum castoreo impregnatus, spiritus liliorum convallium, cerasorum nigrorum, salis ammoniaci cum spiritu liliorum convallium subactus & illitus, spiritus urinæ, spiritus tartari volatilis, qui reliquis præfertur pro usu externo, aqua hirundinum cum castoreo, &c. externè conducunt.

Vel

℞. *Spirit. lil. convall. non adeò rectif.* ℥iv.
Sal. ammon. cum calce viva ℥j.
Ess. Castor. ʒß.
M. pro usu externo.
D. S.
Spiritus articularis externè applicandi

Vel:

℞. *Aquæ articul. dà extr.* ℥iß.
Spiritus sal ammoniaci cum calcis vivæ ʒvj.
Lumbric. per putr. ʒiij.
M. D. S.
Aqua articularis externè applicanda.

Cum panno calido exteriùs affricetur membris dolentibus crebriùs.

Vel

℞. *Fol. Nicotian.*
Origan.
Flor. Sambuc. an. M j.
Rad. Angel. ʒj.
Ari
Pyrethri an. ʒij.
Flor. stœchad. Arab.
Lavend.
Lil. convall. an. p.ij.
Sem. erucæ ʒvj.
Castor. ʒiij.
Concisa & contusa infund. in

Spiri-

Spiritus vini part.ij.
Spiritus lumbric. part.j.
Digere per dies noctesque aliquot, & filtra.

Convenit quoque sapo Venetus in *spiritu vini* dissolutus, cum *spiritu cerasorum nigrorum & liliorum convallium* mistus, & externè illitus. Imprimis *spiritus tartari volatilis* reliquis præfertur cum *spiritu vini* temperandus, ubi acrior fuerit. *Galbanetum Paracelsi* quocunque modo paratum etiam hoc in casu mirabiliter convenit; sed cum *spiritu vini* seu simili volatili temperatum, aliquamdiu circulatum, ut penetrantius fiat, & ne nimis crassum sit. *Radix consolidæ majoris recens contusa*, & cataplasmatis modo manè & vesperi loco dolenti imposita, singulare quid obtinet. Conferri hic potest HARTMANNUS *ubi de Paralysi*. Proficuum etiam observavi lixivium coriariorum jam usitatum mistum cum dimidio vel ana urinæ humanæ, ex quibus fiat *suffitus* seu Fotus vaporosus. Hæc mixtura probè calida in jectis lapidibus vel ferris ignitis in vaporem resolvitur, qui *vapor* parte dolente, desuper probè tecta, excipiendus, ut sudor hinc concitetur, & subinde repetendus; in tali dolore cruris egregiè admodum confert. NB. multum in recessu habet. Vid. *Id. Formular. Class.*4.§.22. & *Colleg. Formular. pag.*....

Thermæ denique, earumque insessus, aut *luta thermarum & lapides thermales* in aqua probe bulliti, instar *thermarum naturalium* usurpati, etiam hujusmodi dolores crurum lancinantes insigniter placant. Ante paucos annos, (vix est biennium) vir quidam hic tali enormi dolore pedum affligebatur, idque sine ulla manifesta causa, & etiam sine ullo externo apparente læsionis signo, ultra dimidium anni miserabiliter cruciabatur: Tandem omnibus remediis irritis, suasu cujusdam amici accepit hujusmodi lapides, eosque contusos probè coxit in aqua simplici pro balneo, in quo subinde balneavit pedes, hos immittendo, & per longum tempus ita retinendo, unde tumores pedum contraxit. Sed patiens nihilominus dolorum & vitæ pertæsus pergit, & balneum hoc diuti s continuat quo facto non tantummodo tumor, sed etiam omnis dolor omninò evanuit, ægerque perfectè curatus fuit. Similia balnea, thermis naturalibus succedanea, aut thermæ artificiales, parari possunt ex aqua, calce viva, & sulphure, ad imitationem ZWELFERI *in sua Mantiss. Spagyr. pag.*40. *ult. Edit. ubi de sulphura*: Vid. *Colleg. Pharmaceut. in Schrøderum Part.*1. *pag.*281. & 246. Integer formicarum acervus sacculo inclusus in aqua coquitur, cui æger insidet: Item balnea ex vinaceis.

ARTICULUS IV.
DE
ODONTALGIA.

Dolor dentium seu *Odontalgia*, quibusdam *dentium podagra*, nunc *per essentiam*, nunc *per consensum* ex affectis gingivis, enascitur.

CAUSÆ.

Si per essentiam fuerit, *Causa* hujus sæpissimè est *acor vitiosus*: nunc ex vitiosa dentium nutritione seu alimenti eorum proximi corruptione proveniens, qui dum rodit substantiam dentis rodit etiam radicem, membranã nerveã & sensilissimã investitam, ex qua variæ fibræ in dentis cavum penetrant, unde si acor dictus hanc membranam rodit, tàm immanis lancinans dolor emergit: nunc seri vehiculo, dum nutrimentum dentium chylosum, vitioso & acore occulto plus minus inquinatum, hujus medio ad eos derivatus, ad dentem quendam depositum, ut in scorbuto & lue Venerea subinde obvium. Subinde etiam lympha quædam acida per errorem distributionis ex vicinis glandulis eò derivatã talem dolorem infert; est enim affectus catarrhalis. *Forsan interdum & collecti humores* acres in cavernulæ ossium maxillæ superioris infrà oculum multum contribuunt. Vid. MOEBII *Fundam. Physiol. c.* 9. *pag.*414.

Corruptio ista alimenti proximi non assimilati in acorem vitiosum interdùm eò usque procedit, ut etiam ex corruptela dentium ac gingivarum subinde *vermiculi* in alveolis dentium generentur, qui ipsi dolorem istum intensum dentium non leviter exasperant: Vid. BARTHOLINI *Acta Hafniens. Cent.*5. *Observat.*108. BONETTUS *lib.*2. *Med. Sept. Sect.*4. *cap.*13. M. A. N. C. *Ann.* 9. *Observat.*24. & 107. Imò ab acore isto sæpissimè rodente dentes dolorificè, & corrumpente ejusdem alimentum, interdum eorum compages ossea adeò corroditur, ut exinde *dentes cariosi* fiant & excaventur, ac eorum compages laxetur, ut frustulatim tandem excidant.

Ipsi quidem dentes non dolent, sed *membrana* dentium intima investiens, ex expansione nervi orta, & cujus *fibræ* hinc inde per dentium porulos & meatus in eorum substantiam penetrando se insinuant, doloris istius acerbi *subiectum* sunt. Dolorem hunc vicinarum partium & fibrarum nervearum crispationes, leuesque contracturæ per *consensum continuitatis* insequuntur: unde quousque hæc *fibrarum crispatio* dolorifica continuatur, eò usque dolor hinc se extendere uidetur, ita ut exinde perfecta *hemicrania* superueniat; & dum ab ista contractura fibrillarum neruearum angustantur poruli, & stringuntur meatus, per quos sanguis aut alii humores meando circulantur, hinc nunc sanguis, nunc serum aut lympha in motu impedita stagnant, adeoque isti dentium dolori superuenit tandem utplurimum aut inflammatio maxillæ cum dolore tensiuo & pulsatorio, totum capitis hemisphærium occupans, aut etiam tumor, uel sanguineus, uel serosus, uel œdematosus, saltim ab acido membranam nerueam dentis rodente & uellicante.

Causa ergò *proxima* formalis in dolore dentis est spiritus impetum faciens; cujus ratione membrana dicta, hujusque fibræ sentiunt, ac dolorem percipiunt: *materialis* uerò est acidum in radice dentis hærens.

Causa remotæ, quæ uel nutrimentum dentium priuatum corrumpunt, uel acidum præternaturale eò distribuunt, nunc sunt externæ, nunc internæ. Ex internis, quæ nutrimentum uitiosum acore peregrino infestum *seri vehiculo* denti communicant, sunt imprimis ipsius alimenti proximi uitia, seu cacochymia sanguinis & humorum in *lue Venerea* aut scorbuto; Mox enim ingentes tumores in scorbuticis & lue Venereà laborantibus superuenire solent. Externæ sunt imprimis assumpta, quæ dum inter interstitia se insinuant, successiuè acorem contrahunt, & partes denti uicinas rodunt, & nutrimentum priuatum inquinare solent. Inter hæc excellunt *saccharata*, *dulcia*, *fervida*, nimis *frigida*, imprimis *acida*, spiritum insitum dentium labefactantia, & hinc huius materialem texturam uitiantia: speciatim dentibus nocent saccharata & mellita, quæ facilè fermentando acorem, eumque satis subtilem, contrahunt.

DIAGNOSIS.

In odontalgia ægri satis sunt queruli, per quos malum manifestatur: saltim quoad causas remotas obseruetur, quod sæpiùs in scorbuticis acutissimi *dentium* sint *dolores*; sicuti in *lue Venerea* hi ipsi sunt crudelissimi, planè intolerabiles, iique nocturni; id quod à Medico cognoscendum pro faciliori instituenda cura. *Vitiosum* enim, horum morborum causa, *acidum*, dum in talibus dentes anteà non benè se habent, facilè iis se insinuat, nutrimentum priuatum inquinat, & rodendo malum exasperat: Vel dum alius dens per se dolere incipit, facilè ejus occasione acidum præternaturale in corpore concurrere, ac dentis dolorem & uicinorum locorum pathemata crudeliora, efficere ualet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: per se quidem Odontalgia in adultis nullum periculum habet, utut per accidens *contumacior* uel diuturnior conuulsiones, in specie musculi temporalis, uigilias pertinaces, aliaque similia symptomata gravia inferre potest.

Adhæc doloribus his interdum superueniunt tumores, iique inflammatorii, qui ad suppurationem tendunt, & aperti interdum in fistulas degenerant.

Ob id ergò maturè compescendus est dolor.

CU-

CURA.

In *cura acidum* in dentibus peccans est corrigendum, *dens cariosus* evellendus, & tandem *vermiculi* geniti enecandi; imprimis tamen, quantocyus fieri potest, *dolor sistendus*, addendo remediis his semper simul, quæ morbo primario, e. gr. scorbuto aut lui Venereæ, à quo Odontalgia etiam tanquam symptoma dependet, appropriatè conveniunt. *Sic* enim *in dolore dentium scorbutico*, quò etiam ille pertinet, qui *ex malo hypochondriaco* subinde excitatur, vulgaribus odontalgicis simul misceantur subinde appropriata *antiscorbutica*, v. g. lac & lacticinia, internè & externè; sicuti etiam sola sufficit *herba cochleariæ*, aut in hujus penuria nasturtium aquaticum, aut etiam *nasturtium Indicum*, & similia: si nempè dictæ plantæ cum salvia, (quæ est appropriata in affectibus gingivarum & dentium,) roremarino, rosis, plantagine & similibus, pro oris collutione subinde misceantur & decoquantur. Sic *dolor* iste, qui *in lue Venerea* obuenit, appropriatius non habet remedium, quàm quod malignum illum acorem euincere potest; ex quo genere *decoctum guajaci* cum aqua communi, aut ejus *essentia*, in oleum destillatum, & similia optima sunt remedia. Sed de his & similibus uidebitis plura in STROBELBERGERI *Tract.* eleganti *de Podagra dentium*, propriè autem Odontalgia.

Remedia ergò, quæ ad dolorem dentium compescendum usurpantur, & acidum temperant, sunt innumerabilia, & tot, quot sunt ægri, qui patiuntur dolores. Ordine progrediar. In usu sunt *Decocta* plantarum quarundam in ore tenenda, aut gargarismata ex origano Cretico, foliis Nicotianæ, herba persicariæ, radice pyrethri, rasura ligni sancti, buxi, sabina, chamomilla, serpillo, foliis & radice hyoscyami, item teneris germinibus quercus, & similibus, in vino decoctis: e. g.

℞. *Herbæ Persicar.*
Serpill. an. M. j.
Rad. lapath.
Urtic. an. ℥j.
Pyrethri,
Ras. ligni buxi,
Sancti an. ℥ß.
Sem. hyoscyam. alb. ʒj.
Coq. in s. q. *aquæ*.
Cum Colatura gargarisetur os.

Vel sola persicaria cum corticibus *hyoscyami* in vino cocta dolorem sistit. Frequenter coquuntur in *aceto*, ubi dolor dentium est à causa calida, ut vocant, ubi simul est tumor sanguineus; in vino, ubi dolor est à causa frigida, quando conjunctus est tumor serosus & œdematosus: utut hæc parum referant, cùm potius sint producta morbosa. Sed *decocta* in *aceto* cautè applicentur, seu penitus intermittantur: nam acetum acore suo dentibus hostile est, & ejusmodi decocta plus nocent quàm prosunt, dentium compagem soluendo aut friabilem reddendo, & stuporem inducendo: sic mulier quædam doloribus dentium correpta acetum feruidum in os sumpsit, ubi cessavit quidem dolor, sed dentes frustulatim exciderunt. Vel *decoctum sabinæ* cum baccis juniperi in ore detentum commendatur à BRENDELIO. Decoctum itidem radicis & herbæ hyoscyami in vino vel aqua & aceto paratum, in ore detentum, potenter dolorem dentium sistit. Melius est, si ex manuductione PARACELSI recipiatur herba Persicariæ cum cortice radicis hyoscyami, decoquatur in vino, & in ore detineatur: quidam enim simpliciter radicem hyoscyami, seu ramenta hujus radicis, in specie recentis, aut in vino maceratæ, loco dentium dolenti applicant; sic enim acerbus dolor intra horæ spatium fuit aliquando curatus. Oleum hyoscyami ex semine expressum denti applicatum, vel interiùs vel exteriùs, in specie quando vermiculi adsunt, conuenit. Loco hyoscyami usurpatur commodè *Nicotiana*, cujus *fumus*, præmissâ, ubi opus est, *purgatione*, egregius est; sicuti sola nicotiana denti dolenti attrita & masticata (ne tamen saliva deglutiatur) solet vi narcoticâ dolorem dentium sistere, teste RIVERIO *in Observat.* unde *decoctum Nicotianæ* cum *floribus Chamomillæ* in ore detentum ac masticatum remedium fuit HEURNII in dentium dolore: Decoquitur vel in cerevisia secundaria, vel in lacte, vel in lactis sero. Vel

℞. *Piperis nigr.*
Rad. Pyrethri,
Sem. staphisagr. an. part. æqu.
Coqu. in *vino*.

Colatura detur pro gargarisatione. Vid. PARACELSUS.

Sic *gummi Juniperinum* seu sandaracha Arabum in omnibus doloribus dentium admodum laudatur, si scilicet *gummi juniperini* ℥j. in *vini* ℔j. decoquatur, quo ipso colluatur os; hoc enim multum conferre dicitur ad compescendum dolorem dentium, etiam à lue Venerea obortum: Conf. AMATUS LUSITANUS *Centur.* 5. *Cur.* 21. Aliàs experimentum hocce etiam laudatur:

℞. *Flor. spicæ nardi*,
Coqu. in *Vino*.

Et Colatura sæpiùs, & aliquamdiu in ore detineatur; nam & hoc multis prodesse dicitur.

Præ cæteris conueniunt Opiata: nempè fiant *pilulæ* ex opio vel *laudano opiato*, quæ ipsæ denti dolenti vel cavo immissæ subitò dolorem sistunt; vel ejus essentia aut extractum excipiatur cum bombace, & vel denti immittatur, aut extrinsecùs dentibus ac gingivis affricetur.

Vel

℞. *Extr. ligni Guaj.* gr. iij.
Laud opiat. gr. ij.
Olei destill. orig. Cret. vel *caryophyll.* gutt. ij.
M. f. Pilulæ,
D. S.
Pilulæ dolorem sedantes.
Denti cavo intrudantur.

℞. *Flor. benz* gr. vj.
Opii in spiritu vini sol. & insp. gr. iij.
Cum s. q. *Extr. theriac.* f. pilulæ.
D. S. utante.

WEDELIUS *in Opiolog. pag.* 138. commendat sequens:

℞. *Laud. opiat.* ℈j.
Olei Camph.
Caryophyll. an. gtt. v.
Corp. pro Bals. ʒj.
M. f. Balsamum, denti dolenti applicandum.

Interim notabile est, quod refert SALMUTH *Cent.* 3. *Observ.* 34. ex *Laudano opiato*, dentibus dolentibus intempestiuè adhibito, omnium sensuum stuporem, vertiginem & gravedinem capitis oborta fuisse: Et *Zacutus Lusitanus lib.* 1. *Med. Princ. Histor.* 61. ex *opio* in dentis cavum sæpiùs pro ejus sistendo dolore immisso mortem observavit, adeò ut hìc subinde universalia præmittenda. Pertinet huc sotirella parua Augustanorum: Descriptio videatur *in Pharmacop. August.* Ex qua pilula una vel altera aut denti cavo intrusa, aut intrinsecùs admota, denti dolenti etiam, dolorem sistit. Virtute *opii* etiam *Theriaca* recens applicatur denti dolenti; vel ex theriaca recenti paratur emplastrum malæ dolenti imponendum, in specie quando tota series gingivarum cum malis & temporibus dolet. Cera Catholica Burrhi genis applicata quoque convenit, quem in finem & pilularum formâ denti inseri potest. *Quod si dolor & ardor erisypelaceus* adsuerit, tali *emplastro ex theriaca salis absinthii* ℈j. addendus: internè *lac* tepidum simul crebriùs in ore tenendum, præsertim quando suspicio est de latente scorbuto. Optimum & singulare est *Camphora*, itidem denti dolenti imposita, aut integra, aut soluta in *spiritu vini rectificatissimo*: aut, qui mihi in usu est, *spiritus salis ammoniaci* paratus cum *spiritu vini & calce viva*, in quo camphora soluta sit, cum bombace denti cavo immittatur, aut gingivis in loco dolenti imponatur; præsentaneum levamen infert, utut maximè mordeat: vel oleum camphoræ per eius in oleo amygdalarum dulcium dissolutionem factum, non incongruum est. *Essentiæ* quædam vegetabilium aromaticæ mirè etiam conferunt, ut essentia ligni *sassafras* cum spiritu ulni parata, vel essentia ligni guaiaci cum spiritu uini parata. FABER commendat essentiam thymi, satureiæ, serpilli, salviæ, calaminthæ, Zingiberis, &c. quæ sunt nobiles in dentium dolore, si his ipsis gingivæ fricentur, aut etiam cum bombace denti dolenti immittantur. Quò etiam facit *Tinctura odontalgica Mynsichti*, & *Wedelii* ex *ras. ligni sancti* ℥j. *caryophyllorum & radicis pyrethri* ana ʒß. cum *spiritu vini* rectificato extractis. Omnium optima est *Essentia Benzoini*. Hoc habent commodi, ut conuenienter cum

essentia opii misceri, & ita eò præstantius remedium constituere queant. Ego vidi aliquando dolorem dentium curatum per essentiam catarrhalem sassafratam denti applicatam. Loco harum essentiarum etiam *Elixyr Proprietatis sine acido*, cum bombace vel alio modo denti dolenti applicatum, certò dentium dolorem sistit. In specie videatur *Tinctura odontalgica* M. A. N. C. *Ann. 6. Append. pag. 76.* Præcellunt adhuc his essentiis *olea destillata*, utpotè salia volatilia concentrata, acidum vellicans destruentia, v. g. *oleum destillatum caryophyllorum*, &, quod præstantius est, *oleum destillatum origani Cretici*: quibus tantillum camphoræ additum eadem reddit tantò præstantiora. *Rulandi* experimentum certissimum fuit *oleum Heraclinum* ex corylo paratum; loco cujus *oleum destillatum buxi* per descensum, & per vesicam rectificatum, convenienter potest recipi; vi enim narcoticâ nobile est ad odontalgiam: cui præfertur *oleum sabinæ destillatum*, perquàm egregium; sicuti ipsum *sabinæ decoctum* in cerevisia secundaria vel vino paratum, in ore juxta locum dolentem detentum, excretum, & subinde ita repetitum, excellens est, expellens simul dentium vermes. WEDELIUS, ex oleo destillato ligni guajaci & caryophyllorum additâ camphorâ parato oleum odontalgicum, cujus guttas duas vel tres denti carioso cum bombace immittit. His oleis destillatis in acerbissimo dolore tantillum de oleo hyoscyami expresso convenienter addi potest. CLAUDINI remedium fuit *oleum terebinthinæ* cum tantillo *camphoræ*; aut ipsemet *balsamus sulphuris* terebinthinatus cum bombace dentibus inditus etiam confert: cum quo potest, uti dixi, misceri camphora. Præter dicta etiam oleum destillatum rorismarini, oleum salviæ, juniperi, tandem oleum succini, admodum commendatur. Videatur etiam *balsamum odontalgicum* in M. A. N. C. *cit. loc.* Plumbaginis radicem, ceu verum experimentum, laudat PANAROLLUS *Pentec. 4. Observat. 10.* Radix hujus plumbaginis contusa, & carpo manus imposita, per noctem relicta, manè maculam plumbeam relinquit, & dentium dolorem evanescere facit: id quod à multis fuit probatum, ratione cujus effectus etiam à quibusdam Denticaria vocatur. Sulphur auratum antimonii confert etiam, si ejus tantillum cum bombace in dentem cavum immittatur, aut denti dolenti applicetur; imbibitione enim acidi corrosivi dolorem citò sopit, quod ipse aliquoties observavi.

Præter hactenus recensita etiam *Curæ Magneticæ* ac *Transplantatoriæ* in usu sunt. *Magneticas* inter eminet PARACELSI *Cura quoad Persicariam*, dum eam recentem in aqua maceratam imponit loco dolenti malæ, donec probè incalescat; hinc sepeliatur in fimo, ut citò putrescat; sic enim dolor cessat: vid. HELMONTIUS, & MARCUS MARCI. Pertinet huc *ossiculum brachii bufonis*, quod exprimentum HELMONTII & secretum HEURNII fuit, qui recipit os dextri femoris bufonis ab omni carne nudum, hoc gingivas dentis dolentis subinde & fortiter fricat, & subitò cessat dolor. HELMONTIUS *ossiculum brachii dextri bufonis* recipere jubet, quod loco dolenti applicatur, quodque levamen affert, sed non semper, utut sæpius; vidi tamen etiam sine successu applicatum. Quidam recipiunt *frustulum ligni acutum*, fricant dentem dolentem seu gingivas, post verò *lardo* infigunt; sic brevi post evanescit dolor. Lignum fraxini justo tempore cæsum, dentium cavitatibus intrusum, dolorem fugat, ubi & gingivis affricari poterit.

Quoad Transplantationem, imprimis cum *corylo*, hinc cum *sambuco* & *salice*, ea instituitur, si nempè ab his, separato nonnihil cortice, exscindatur festuca, qua ipsæ gingivæ & loca dentis affecti punguntur, usque dum sanguinem fundant; tum lignum cruentum denuò immittatur loco, unde exscissum, cortex denuò applicetur, & luto probè circumdetur: vid. in JOHANNE SOPHRON. KOZAK *Tract. de Sale pag. 513.* Alii ungues abscindunt à manibus, & pedibus, dentesque à sordibus mundant, hæcque omnia linteolo involuunt, atque die Veneris ante solis exortum sambuco priùs discissæ immittunt; quò citiùs foramen illud concrescit eò citiùs dolor remittit. Conveniunt ejusmodi Curæ in sæpius recidivantibus & quasi habitualibus odontalgiis. Quamvis videatur aliquid superstitionis illi actui subesse, ob ceremonias, quæ obseruantur in illo actu, tamen reverà superstitione caret, & ceremoniæ, quæ adhibentur, non sunt de essentia artificii; nam & eis absentibus feliciter procedit Cura.

Subindè etiam à *Chirurgis* externè temporibus emplastra applicari solent eum in finem, ut saltem consensum doloremque per consensum hemicranicum tollant, quod etiam præstant. Fiunt ex *gummi tacamahaca*, vel galbano, quod est melius, vel carannæ, malaxatis cum oleo papaveris expresso, vel cum *balsamo Peruviano*; quæ super linteum in forma thaleri extensa, sanè in odontalgiis gravidarum non sunt contemnenda; & quidem, si in maxilla superiore doleant, temporibus; si in inferiore, propè aures sunt applicanda. Alii *gummi elemi* vel mastichen recipiunt, & eadem parant pro gravidarum doloribus. Alii mastichen & ceram; quidam etiam *gummi ammoniacum* aceto dissolutum, instar emplastri applicant.

℞. *Theriac. Androm.*
Tacamahac. an. ℥ß.
Bals. Peruv. ʒj.
Inducatur super *linteum densum*, & universæ malæ dolenti applicetur.
D. S.
Emplastrum sedans.

Quod si phlogosis quasi erysipelacea adsit:

℞. *Theriac.* ℥ß. ad ℥vj.
Salis Absinth.
Bals. Peruv. an. ʒj.
Misc. & admoveantur.

Fit subinde, ut cum *Odontalgia* etiam ingens *maxillæ tumor* conjunctus sit, tunc Chirurgi imperiti applicant *emplastrum de meliloto*, quo ipso sine ratione abscessum inferunt; nam modò sistatur dolor, tumor & omnia symptomata spontè evanescunt. Potiùs ergò tales tumores fomentis discutientibus & resoluentibus, quàm emplastris suppurantibus, sunt curandi: e. g.

℞. *Flor. chamomill.*
Sambuci an. M. j.
Pulv. rad. Ireos Flor. ℥ß.
Incisa adspergantur
Oleo Papav. expresso.
Includantur sacculo interpassato:
D. S.
Sacculus externus.
Qui calefactus probè ita imponatur, & subinde recentatur.

Fit etiam interdum, ut in gingivis circa radicem dentis dolentis superveniat aliqualis tumor parvus intensè dolens, qui pedetentim ad suppurationem tendit, qui tumor ut eò feliciùs suppuretur, ne præmature evanescens recidivam inferat, sed potius maturè suppuretur, convenit *lac tepidum* in ore tenendum, vel, quod melius, *frustula ficuum*, vel crudarum vel nonnihil assatarum, tuberculo imponenda, quæ insigniter suppurationem promovent: (*citò rumpit, sed valdè dolet.*) *Abscessus* postmodum *apertus* sedulò aquâ mulsâ, qua eluatur os, vel melle illito mundificandum, ne nimis citò consolidetur, aut ne in fistulam abeat; Tantillum enim fermenti remanens crebriorem ejusmodi tumoris *recidivam* facit.

Subinde contumaces Odontalgiæ adeò sunt, ut *propter seri copiosioris retentionem* circa partem dolentem periculosæ sint, imò crebriùs adeò periodicæ, ut subinde quibusvis, etiam generosissimis artis præsidiis, curari vix queant. Exempla singularia videb. in M. A. N. C. *Ann. 8. Observat. 62. pag. 104.* BORELLO *Centur. 3. Observat. 7.* HILDANO *Centur. 4. Observat. 21.* In talibus, ubi *purgatione* opus est, aut saltem metu gravioris mali, eadem instituenda videtur, *Jalappa* est convenientissima: juxta quam & ad *sanguinis missionem* interdum accedendum venit: Hinc *Thonerus lib. 1. Observat. pag. 114.* dolorem dentis per venæ sectionem ad animi usque deliquium curatum refert: *Idem cit. loc.* dolorem dentium à sanguine copioso feruido per *cucurbitulas* scapulis, cervici, cubito applicatas, aliis irritis, curatum memorat: sic dolor dentium contumacissimus nullis cedens remediis per impositionem *cucurbitulæ* maxillæ sanatus obseruatur à FORESTO *lib. 14. Observat. 6.*

Pro reuulsione PARÆUS *Chirurg. lib. 16. cap. 25.* allium tritum illâ manu, in quo latere dolor percipitur, gestatum conferre ex MESUE refert: vid. PLATERUS *lib. 2. Observat. pag. 371.*

Quoad

Quoad dentes cavos aut cariosos: pro his nulla adsunt remedia; quamvis dolor levetur, semper tamen recidivat: unde dens cavus & erosus evellendus aut extrahendus est; vicini enim dentes simul carie inficiuntur. Evulsio hæc non est quidem genuina odontalgiæ cura; nihilominus tamen, quia in dente corroso adhuc hæret fermentum acidum rodens, quod subinde recidivare facit dolorem, optimum est eundem evellere; Etenim quando est evulsus, facta sic foveâ interdum liquor copiosus limpidus solet evacuari, à quo abluitur quasi caverna lo-cti, ne malum possit recrudescere. Nam observatum est, quod odontalgiæ sæpiùs evulso dente fuerint curatæ: sicut & confirmata caries alia ratione, quàm evulsione, curari non potest: Quamdiu verò vel nondum eò usque processerit malum, vel propter pericula, sub dentium evulsione interdum observata, hæc nimis metuatur, remediis res tentanda est, cariei scilicet progressum ulteriorum inhibendo.

Evulsio appropriato peragitur instrumento, ac succedit eò melius, quò minus firmiter dens hæserit, & quò magis idem vacillaverit. Faciunt hoc agyrtæ; & hinc Chirurgi. Ut verò facilior & minus dolens fiat dentis evulsio, optimum est, remedia quædam denti applicare, quæ dentem vacillantem reddant, & ejus casum aut evulsionem promoveant. Hinc inter varia convenientia:

> ℞. *Gum. Ammon.*
> *Sem. hyoscyam.*
> *Succ. hyoscyam.* an. ℥ß.

Quæ cum *pinguedine ranæ viridis*, & pauca *cera* misceantur in unguentum, denti extrahendo illinendum vel indendum, vel circa gingiuas applicandum, & eundem vacillare facit.

Succus ranarum dentibus illitus ita eos labefactat, ut sine dolore sequantur trahentem, inquit GESNERUS *in suis Epistolis*. Succus Chelidonii maioris dentibus cavis illitus vel inditus, frangit eos, & elicit. Ulteriùs lac Tithymali, vel nudè denti carioso inditum, aut si ex eo & sale ammoniaco formentur globuli, & denti indantur, aut cum farina triticea subactum fiat pasta, & cavitati dentis indatur. Præter tithymali lac, & alia ex simili lacteorum genere, pari virtute pollent: ut lac ficulneum (*ficus*) farinæ admistum; vel ex lacte tithymali cum farina triticea subacto fiat pasta, quæ in pinguedine ranæ viridis frixa denti evellendo applicata promovet brevi eiusdem casum sine dolore; aut lac cataputiæ misceatur cum farina filiginis, ut fiat instar pultis, quæ plus denti cauo indita, sicque aliquamdiu permittatur, brevi eiusdem casum promovet. Sal ammoniacum etiam cum succo hyoscyami conuenit. Pinguedo item ranarum viridium dentibus affricata, aut iisdem indita dentium casum promovet: nempè coquuntur ranæ in olla vitreata, affusâ aquâ communi, & pinguedo quædam innatabit, quæ dentis euulsionem promovet.

Cariei verò ulterior progressus per artem & medicamenta inhibetur, efficacissimè imprimis per inustionem dentis cariosi in loco carioso cum cauterio actuali, sive ex ferro, sive ob subtilitatem commodiorem, ex argento vel auro facto; quo facto auro foliato dens cavus repleatur; præseruatur enim sic à maiori putredine & corruptione: vel ex cera cum myrrha probe subacta, vel potiùs ex cera viridi propter admistam æruginem impleatur dentis cariosi excavatio. Ipsa myrrha, denti indita, egregia est in hoc casu. Confer. hic RIVERIUS *in Observat. Communic. pag.* 309. ubi refertur, quod dentes terebinthinâ impleantur, & cauterio actuali dens inuratur in carie. Loco actualis cauterii, ubi necessum visum fuerit, potentiale adhibeatur; sic aqua fortis denti carioso admota, vel spiritus vitrioli gutta j. vel ij. bombacè inditę, ac denti adhibitę, mirè corrosionem juvare & pręservare dicitur. Item Zinziber in oxymelite coctum, & in cavernam dentis immissum, pręservat corruptionem. Coralliorum pulvis denti cavo inditus, vel os sepię, item camphora, cariei ulteriorem progressum inhibent: vel ex pulvere coralliorum alborum, cum melle rosato ad consistentiam linimenti crassioris redacto, dentibus illitum cariem inhibet.

Denique *vermiculi* in dentibus nidulantes sunt enecandi, quod optimè facit Decoctum sabinę cum vino paratum, in ore loco dentis dolentis detentum, quod copiosos vermes elicit. Item suffitus ex semine hyoscyami & cera, in globulos redactis, specificus est per infundibulum dentibus cavis receptus, vermiculos enecat, & mirabiliter egredi facit: Conf. BARTHOLINI *Act. Med. Haffniens. Volum.* 1. *pag.* 209. Melius est si loco huius ex fructibus halicacabi contusis, cum cera mixtis, fiat exinde pasta, & iniciatur in laminam ferream ignitam, quę fumum suggerit, quo ore excepto, cateruatim vermes cum sputo copioso reiecti, & crudelissimi dolores sopiti, observati fuerunt. Spiritus sulphuris vel vitrioli quoque dentibus cum bombace inditus vermes optimè necat, & dolorem inde oriundum placat: vel pulvis gallarum cum succo radicis pyrethri impręgnatus, & cum fermento in pilulam redactus, optimè vermes expurgat, si denti, ubi sunt vermiculi, indatur. Decoctum radicis vel corticis fraxini etjam vermes in dentibus stabulantes enecat. Sevum cervinum ad ignem liquefactum, & gingivis impositum, quantum contra uermes dentium valeat, vid. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Hist.* 96.

Absolvimus Odontalgiam. Pergo igitur ad

ARTICULUM V.

DE

DOLORE OCULORUM.

CAUSÆ.

Dolent etiam non rarò *Oculi* variis in casibus, tam quando inflammantur, quàm etiam, si lachrymę aut lympha eosdem humectans acrior & acido-salsior fuerit, unde rosio, morsicatio, dolor, & rubedo. Pertinent huc *res externæ* quęcunque in oculos incidentes, & Oculorum Dolorem infligentes.

Patiuntur etiam Oculi Dolorem ex rebus intrinsecùs illapsis, & ex lachrymis acrioribus seu lympha salso-acida: Hi posteriores Dolores parum habent in recessu.

DIAGNOSIS.

Malum per se patet in diagnosi.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Dolor in bulbis Oculorum, sine ophthalmia, funestissimum signum est, si in principio morbi acuti ęgri de tali conqueruntur; mox enim delirium & conuulsiones adsunt, quod sępiùs obseruaui.

Cęterum nihil est, quod addam, nisi id, quod *superiùs P.* 1. *Sect.* 18. *Cap.* 1. *Artic.* 13. *monui in Ophthalmia*.

CURA.

In *Cura* sublatâ causâ tollitur effectus, curatâ ophthalmia cessat Dolor. Adeoque si *res externæ* in oculos illapsę fuerint, quantocyus eodem remouendę; in quem finem conuenit imprimis *hormini semen* oculo immissum, quo ipsum à lympha oculari humectatum reddit mucilaginem, qua inuiscantur ea, quę in oculos inciderunt, & ita extrahi possunt. Item *Perla parua*, uel *parvus lapillus cancri*, immittatur in Oculum, & hinc inde factâ agitatione elici solent; quę insiderant: vid. WORMIUS. *Magnes* admouetur oculo in scobe Martis aut scoria chalybis: conf. HILDANUS *Cent.* 1. *Obs.* 13. & *Cent.* 5. *Obs.* 21. Quomodo aliàs instrumentis chirurgicis externa ista ex oculis eximenda sint, vid. HILDANUS *Cent.* 2. *Obs.* 13. *Cent.* 4. *Obs.* 17.

In inflammatione à causa interna, hęc ipsa *appropriatis* curanda uenit, in specie propter Oculorum dolorem: pręter remedia *superiùs notata in Ophthalmia*, decoctum *pomorum dulcium* applicetur, idque *solum*, si sit à causa interna, uel *sociatum cum albumine ovi* bene agitato, si sit à causa externa. Expertum quoque est sequens collyrium *Hildani*:

> ℞. *Mucil. sem. cydon. cum sperm. ran. extr.* ℥iij.
> *Campb.*

Croci an. gr. v. vel vj.
Misc.

Imponatur oculis cum linteis multiplicibus instar collyrii.

Aqua foeniculi cum saccharo Saturni ardores in Oculorum Dolore tollit: si addatur parum camphoræ, erit magis potens.

Vel

℞. *Aquæ Chelidon. maj.*
Flor. Cyani,
Caicatr. an. ℥j.
Vitrioli alb. gr. xij.
Soluta filtrentur per chartam,
adde
Tut. præp. ℈ß.
M. S.
Collyrium.

Cum linteis imponitur oculis.

Singulare est experimentum radix morsus diaboli, si scilicet quinque tales radices lunâ decrescente collectæ appendantur in fine de collo patientis; tunc enim fit, ut tollatur mirabiliter nimius Dolor, & omnes exacerbationes Oculorum affectuum impedit & aufert. Experimentum hoc est quorundam in casibus, ubi alia incassum sunt adhibita.

Sic & *arteriotomia* in Oculi hoc Dolore subinde administranda venit: Videantur BARTHOLINI *Acta Haffniens. Volum.* 1. *pag.* 23. Si adsit lympha corrosiva in oculo, vel lachrymæ acriores, adhibeatur in specie *Tutia* præparata aut, *flores Cinci*, ac loco hujus flores Jovis secundùm manuductionem ZWELFERI parati. Hi cum collyriis applicati, absorbendo acrimoniam lymphę, corrigunt & temperant; qua ratione etiam in Epiphora dolorosa applicari potest. His omnibus præfertur Cataplasma resoluens & discutiens ex pomis dulcibus, quod omnes Practici unanimi consensu mirè deprædicant & commendant, applicando oculo dolenti; verbi gratiâ:

℞. *Pom. dulc. coct. & express.* vel *sub ciner. assat.* Num. iij.
Album. ovi conquass. Num. j.
Sacch. albiss. ℨij.
Campb. gr. x. vel xij. ad xv.
Croci gr. v.
M. f. Cataplasma oculis imponendum.
D. S.
Puls leniens.

Vid. *suprà de Albugine*, & *Colleg. Jonston.* D. MICHAELIS.

Si sit malum à causa externa, applicatur cum albumine ovi benè inuicem mistis & agitatis; si sit à causa interna, albumen commodiùs omittitur. Conuenit in quovis undecunque nato Oculorum Dolore, etiam inflammatorio. Experimentum fuit TIMÆI *von Gulden-Klee in Cas. pag.* 48. *vid. Chirurg.* BARBETTE *pag.* 150. 151. & 188. item *Armam. Chirurgic.* SCULTETI *Observ.* 23. qui egregias de hoc cataplasmate vires recenset; HORSTIUS *Observ. pag.* 443. *Idea Formular. Class.* 3. §. 23. & *Colleg. Formular. p.* ... Pro optimo euporisto habet BORELLUS *Cent.* 1. *Obser.* 81. *sequens.*

℞. *Album. ovi.*

Et cum *Aluminis frustulo* tandiu agitetur, donec pultis consistentiam acquirat: posteà linteo subtili involvantur, & scuto clauso palpebræ imponatur, sæpè rehouando.

Specialis est dolor, qui oculos subinde affligit, estque sensus vehementissimæ compressionis & quasi simul ejusdem lacerationis, sine manifesta oculi læsione vel alteratione. Urget vesperi, & mane quando surgunt, saltim interdum lineolæ rubræ in & circa membranas oculi hærent. Subinde sine causa manifesta urget. Credo esse quasi affectum spasmodicum tunicarum oculi. Dolor hic compressivus & lacerativus curatur per aquas ophthalmicas antimoniales quascunque, ex infuso antimonii, vel vitri antimonii, vel capitis mortui butyri antimonii, vel croci metallorum (vid. *de Ophthalmia suprà l. a.*) cum aqua spermatis ranarum vel fragorum: quibus commodè addi possunt Cerussæ vel facchari Saturni ana ℈j. ad ℨß. vel ℨj. subtilissimè pulverisati: Item *fomenta* POTERII *in Cent.* 3. *cap.* 9. ex *decoctis ophthalmicis* extra adhibitis. Decoctum radicis lapathi majoris quotidiè potum, oculisque illitum, tanquam singulare commendatur: Item *verbena*, *foeniculum*, *euphrasia*, *rosæ*, *sumach*, *tutia* in aqua & vino decocta applicata; vel ad imitationem HILDANI,

℞. *Mucil. sem. Plantag.* vel *foenugr.*
Cydonior.
Hormini seu sclareæ, *cum sperm. ran. extr.* an. ℥j.
Croci gr. vj.
Campb. gr. iv.

Quæ mista applicentur contra dolorem.

Quibus quidam & *lac muliebre* addere solent: vid. HILDANVS *lib.* 1. *Observat.* 2. *pag.* 13. *Folia* item *Nicotianæ* recentia leviter contusa oculis imposita, vel si haberi non possint recentia, accipiantur sicca, macerata nonnihil in vino vel spiritu vini, applicentur; Sic enim ratione salis volatilis oleosi dictum Dolorem solvunt. Ulteriùs *saccharum Joviale* cum aqua rosarum mistum & instillatum, est nobile ophthalmicum, quod mirè commendatur à LINDANO in oculorum doloribus: Fit ita: Saccharum albissimum vel candisatum in mortario vel scutella stannea cum cochleari stanneo teritur usque ad cæruleitatem. Saccharum hoc Joviale singulare fuit LINDANO ad quoscunque oculorum affectus, in specie affectus dolorosos: Vel

℞. *Aquæ plantag.*
Foenicul. an. ℥ß. vel ℨvj. ad ℥j.
Sacch. Jovial. Lind. ℨj. vel ℨiß. ad ℨij.
Tutiæ præp. gr. vij. vel viij.
Croci gr. iij. vel iv.
M. pro Collyrio contra huiusmodi dolores usurpando.
D. S.
Collyrium leniens.

Solummodò etiam saccharum Joviale instar pulveris insuffletur.

Huc pertinet dolor superciliaris periodicus, arthriticis imprimis familiaris, cum vesicatorio retrò aurem curatus, qui vid. in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 252. Hic enim dolor prognosin dat brevi ingruentis arthritidis aut iam factæ.

ARTICULUS VI.
DE
AURIUM DOLORE.

Dolent etiam subinde Aures graviter in *Otalgia*, *Germ. Ohrzwanges*, idque imprimis ratione membranæ internę, meatum auditorium investientis.

CAUSÆ.

Causa hujus Doloris est *vel* frequentissimè *Inflammatio*, de qua jam *suprà suo loco* dictum fuit, juncta cum sensu ardoris ac pulsationis, subinde lancinationis molestissimæ, cum sensu æstuationis in regione externa: & quidem, licet non videatur primitus Dolor ab inflammatione, tamen superveniente puris fluxu & levamine, res ipsa se prodit. *Conf.* in specie, quæ notabiles aurium dolores cum curatione notant, M. A. N. C. *Ann.* 6. *Observat.* 82. *pag.* 117. *Vel* est humor acris & salsus, membranam internam pungens & admodum corrodens; item *lympha* catarrhalis *vitiosa*, aut nimio acore imprægnata, in catarrhalibus affectibus, per errorem distributionis ad aures delata, quæ ad *otalgiam* disponit, & lancinantem dolorem infert. Eundem dolorem etiam infert iste *humor*, ex quo naturaliter concrescunt *cerumina*, depravatus, qui si præternaturaliter reddatur *acris* & *salsus*, membranam internam pungit & nonnihil arrodit, & sic Aurium Dolores infert. Dixi humor, ex quo naturaliter concrescunt cerumina: nam utut hæc ipsa cerumina sub consistentia spissiore flavescente, naturaliter in adultis dicantur amarescere (unde egregium adeò est vulnerarium & ulcerarium), quæ in infantibus dulcescunt; prima tamen eorum genesis est ex quodam humore tenui seu lympha: quod ex eo patet: si quis cerumina aurium expurgans cum stylo altiùs intruso vellicaverit membranam meatus auditorii, tunc humor tenuis roridus fluere percipitur; quod etiam digito profundiùs immisso per se patet: Imò si copiosiùs forsan fluat in aures, apertè *sensus fluxionis* percipi potest.

Hic

Hic ipse ad exteriora Auris effusus resolvitur per aerem, & inspissatur tandem in sordes crassas, quas nos Cerumina vocamus. Tandem *sunt etiam vermes*, nunc *in aures irrepentes*, nunc etiam interdum in ipsis auribus geniti, inde ex auribus etiam ad ipsum cerebum penetrant, qui non raro atroces Dolores Aurium, eosque varios, inferre solent, cum sensu rosionis, punctorio pruritus; item cum sensu reptionis seu progressu vermium in interiori auris meatu: Vid. PANAROLLUS *Pentec. 4. Observ. 27.*

DIAGNOSIS.

Ex modo dictis facilia sunt *signa*: Nam uti videre est, Otalgiæ cognitio patet ex relatione ægri, saltim causarum distinctio probè attendenda.

Si Dolor sit ab inflammatione, adest dolor pulsatorius, coniunctus est sensus ardoris in aure, subinde etiam auris externa rubet.

Si fit ex alia causa humorosa, Dolor sine ullo insigni ardore, cum levi saltem pulsatione, percipitur, & Dolor tantum acutum, pungens & quasi perforans, in Auribus adesse solet.

Considerentur simul signa affectuum catarrhalium, capitis gravitas, &c. item dolor à tali causa nunc acerbior & gravior, nunc remissior esse solet; item per diuturnitatem se manifestat.

Vermes etiam facilè patent; percipitur sensus rosionis aut punctura; item percipitur subinde pruritus à vermibus, interdum etiam reptionis seu progressus sensus in auris internum meatum percipitur; obseruentur simul circumstantiæ antecedentes.

PROGNOSIS.

Aurium Dolor, præsertim *inflammatorius*, admodum periculosum malum est; atrocior enim si fuerit, deliria, gravia cerebri pathemata ipsam interdum etiam mortem infert; idque eò magis, si in profundo affectus hæserit, & magis magisque neruum acusticum afficiat.

Infantibus frequens malum esse solet, & quod facilè superuementi materiæ cujusdam plus minus purulentæ excretioni se jungit, *seniores verò graviùs* & periculosiùs laborant.

Reliqui Aurium Dolores levis momenti esse solent, utut grauiter torqueant ægros.

CURA.

Quoad *Curam*: varietas causarum obseruanda est, Imprimis distinguendus est Dolor inflammatorius Aurium ab aliis eorundem doloribus. *De Inflammatione supra p. 1.* dictum. In specie tamen, vel in genuino Dolore, vel eo, qui superuenit Otalgiæ, expertum est *cataplasma ex cepis Faventini*, quod FORESTUS *in lib. 12. Observ. 1. & 4.* describit: Nempè

℞. *Cep. sub ciner. calent. coct. & Assat.* No. j.
Olei Chamomill. ℥iß.
Anethi,
But. rec. an. ℥ß.
Croci ℈j.
Misc.

Sub forma cataplasmatis applicetur extrinsecus auri affectæ; quo aliquot tales acerbissimos aurium dolores conjunctos cum odontalgia feliciter curavit.

Item ceparum assatarum succus cum oleo irino expressus laudatur *Observat. 2. l. a.* In genere etiam Dolorem Aurium sistunt fomenta ex anodynis & emollientibus in lacte coctis, ut radice althææ, semine fænugræci, floribus chamomillæ, meliloti, betonicæ, &c. applicata, præsertim si malum fit à causa externa: Vid. HILDANUS *Centur. 1. Observat. 5. & 6.* item FORESTUS *lib. 12. Observat. 3.* Conuenit etiam oleum chamomillæ, rosarum, rutaceum; etiam oleum, in quo cancri fluviatiles incocti; per alcali enim olei acidum destruitur: cui in Dolore inflammatorio nonnihil camphoræ addi potest: Item *fumus Nicotianæ* cum fistula inversa auri immissus etiam confert ad Dolorem Aurium compescendum; vel folia nicotianæ, aut recentia, aut aquâ appropriatâ vel spiritu vini vel vino macerata, parum contusa auribus applicata, Dolorem promptè sistunt. Præ ceteris utilia sunt *olea* auribus instillanda, ut oleum ovorum, *insectorum*, *asellorum*, oleum *scarabæorum*, oleum *scorpionum*. Nempè *aselli in oleo violarum*, aut *nymphea*, vel communi, si infundantur & ebulliant, præstans est remedium anodynum in quocunque Aurium Dolore, etiam inflammatorio, auri instillatum. Non cedit hic *oleum scarabæorum*, si scilicet hi contusi aut vivi injiciantur in *oleum rosaceum* vel simplex cum aqua pauca, & ad aquæ consumptionem coquantur, hinc exprimantur; vel vivi in oleo nymphææ infundantur. Præ ceteris expertum est remedium oleum scorpionum, ritè paratum per diuturnam digestionem in sole, cum bombace loco dolenti applicatum, vel solum, vel mixtum cum dimidio olei amygdalarum: Hæc enim duo olea auribus, decumbente ægro super aurem sanam, mirificè conferunt.

Vel
℞. *Olei scorpion.* ℥j.
Amygd. dulc. aut, si opus est aliquali detersione, *amar.* ℥ß.
Destill. Anisi.
Carvi an. ℈ß.
M. D. S.
Oleum leniens.

De mistura hac blandè calefacta auri dolenti instilletur, ægro in aure sana recumbente, aut etiam cum bombace paulò profundius immittatur; quibus non inferius est, oleum lumbricorum rectè paratum.

In Dolore Aurium, ubi aut adest inflammatio, aut metus est, ne inflammatio superveniat, optimè præscribitur hocce:

℞. *Succ. semperv. maj.* ℥ij.
Olei scorpion.
Lumbr. terr.
Chamom. an. ℥j.

Mista instillentur aut saltim cum bombace his oleis intincto auris obturetur: egregiè confert in ejusmodi dolore.

Singulariter etiam non tantùm ad Dolorem aurium, sed etiam simul ad surditatem, laudatur bulbus seu radix panis porcini aut cyclaminis, quam excavant in forma scutellæ, & oleo liliorum alborum aliovè appropriato replent, ad ignem relinquunt usque dum probè cocta fuerint: post coctionem integram radicem benè exprimunt, & de liquore expresso auri dolenti vel immittitur, vel cum gossypio applicatur. Porrò, ubi nulla est inflammationis suspicio, vel nullum ejusdem signum apparet, præter dicta; (nam hæc conveniunt in omni Aurium Dolore) imprimis olea destillata vegetabilia conueniunt, quę inter sunt oleum destillatum origani. Convenit itidem oleum castorei, item Decoctum caryophyllorum aromaticorum in vino auri instillatum, ipso caryophyllo desuper applicato: Etiam confert ad dolorem ex lympha crassa. Urina etiam pueri recens, aut potiùs ejus spiritus phlegmaticus non adeò acris, auri instillatus est egregius, item spiritus otalgicus Mynsichti, qui est egregius spiritus, & optima compositio, aut spiritus otalgicus BARBETTE *in Anat. Pract. lib. 2. cap. 1.* cujus compositio elegans est hæc:

℞. *Ovor. formic. maj.* No. C.
Castor.
Pulp. colocynth.
Majoran.
Sabin.
Absinth.
Rutæ an. M. j.
Sem. Cumini,
Anisi,
Fœniculi,
Carvi an. ℥iij.
Bacc. lauri exc.
Juniperi. an. ℥ß.
Cort. mali Pun. ℥vj.
Rad. helleb. nigri,
Cyperirot.
Raphani min.
Cyclam. an. ℥j.
Cep. mediocr. No. vij.
Amygdal. amar. ℥ij.
Infund. in spiritu Vini q. s.

Per Balneum mariæ abstrahatur.

Aut extracta saltem Essentia auribus instilletur, vel cum bombace applicetur.

Spiritus hic quoque non tantum in obauditione à quacunque causa sine inflammatione, sed etiam in tinnitu aurium & surditate est egregius, si duæ vel tres guttæ instillentur, & postmodum auris obturetur cum bombace moschato aut ambrato: nam & hæc admodum commendantur in aurium affectibus, de *quo postmodum*. Quibus si graviori in malo non cedat, aut ubi dolor est nimis acutus, in spiritu hujusmodi otalgico aut alio, aut tantum spiritu vini tartarisato, dissolvatur parum opii vel laudani opiati, vel addatur tantillum *essentiæ opii*, & ita hoc modo auribus instillentur; sed cauté hoc fiat, ne auditum lædamus. Conf. FORESTUS *lib.* 20. *Obs.* 1. 3. *&* 4. Interdum fumus tabaci auribus insufflatus antiquos & inveteratos dolores prompté sistere solet. Denique oleum è ligno coryli destillatum item oleum ligni buxi, acerbissimos aurium dolores subito sistit: sed olea scorpionum & asellorum instar omnium sufficere possunt.

Præsentissimum remedium ventilatur, si ex cervo excitus globus sumatur, latèque tundatur, & postea auris eo comprimatur.

Si Dolor Aurium à vermibus fuerit, ii quantocyus eliciendi sunt vivi, aut intus enecentur, & ita extrahantur; dolor enim tunc vagè lancinans, hincinde rodens, percipitur. *Lac* tepidum auribus cum spongia aut linteo extrinsecus applicatum, dulcedine sua vermes allicit, ut ita prodeant; vel lac infundatur in aurem, vid. PANAROLLUS *Pentec.* 4. *Obs.* 27. qui notat dolorem aurium intensissimum per lactis infusionem, evocatis vermibus curatum. *Pomum* etiam dulce *assatum* auri applicatum simili modo convenit, uti refert PANAROLLUS *Pentec.* 4. *Obs.* 27. His non sufficientibus interficiendi sunt. Interficit vel angit eosdem *succus absinthii*, aut centaurii minoris, aut cucumeris asinini, aut foliorum persicorum, item oleum nucleorum persicorum recenter expressum, amygdalarum amararum, diacolocynthidis Quercetani; quibus aliquantulum mercurii dulcis addi potest.

Vel

℞. *Olei Nucl. Persic. rec. expr.* ℥j.
Diacolocynth. Quercet. ℥ß.
Mercurii dulc. gr. vj. ad ℈ß.
M. probe. S.
Oleum contra vermes in aure.

Guttatim instilletur, vel cum bombace immittatur auribus.

Vel aqua Hermetica, h. e. aqua hyperici vel graminis, in qua Mercurius vivus purificatus aliquantulum bullierit, vel cum qua probè agitatus fuerit, decantata à Mercurio vivo auribus instillata aut injecta, non erit inconveniens. Elixyr proprietatis ratione myrrhæ & croci, si duæ vel tres guttæ instillentur auribus, etiam conducit ad evacuandos vermes, vel injiciatur Decoctum ex summitatibus absinthii, aloe, vel aliis, mediante siphone pro eluendis auribus; e. g.

℞. *Aloes* ℥ij.
Myrrh. ℥j. ad ℥ij.
Colocynth. ℥ß.
Summ. Absinth. M j.
Coq. in s. q. *vini vel aquæ comm.*
Colatura detur pro Injectione in aurem: S.
Injectio in aurem contra vermes.

Vid. BARBETTE *Anat. Pract. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 110.

Suffitus myrrhæ auribus receptus, & ipse vermes evocat, item infusum seminis nigellæ in aqua vitæ, sive spiritu vini cum bombace auribus applicatum multos vermes eduxit, uti hoc observat SCHENCKIUS. Pro vermibus aurium commendat Agricola sequens unguentum:

℞. *Salis Jupit.* (salis Saturni)
Cerum. aur.
Olei nuc. Coryli expr. an. part. æqu.
Misc.

Cujus felicem usum expertus est contra dolorem aurium.

Aliàs etiam oleum destillatum corylinum omnes vermes aut enecat aut expellit.

Suffimigia amara cum antimonio juncta non auribus tantùm, sed etiam ore & naribus excepta eosdem vermes expellunt; est enim meatus ex auris concha in os, teste SALMUTH. *Cen.* 2. *Obs.* 39. Quo facit etiam *unguentum* HARTMANNI ex pinguedine capi, oleo corylino & mercurio sublimato aut dulci; nam & hoc egregiè aut enecat aut expellit vermiculos. Vel etiam ex semine hyoscyami cum cera formentur parvæ candelæ; quæ accensæ, aut carbonibus injectæ, spirant fumum, qui auribus exceptus mox vermes expellit. *Oleum destillatum juniperi*, item *balsamum sulphuris terebinthinatum*, enecat animalia in aurem ingressa; sicuti etiam *suffitus gummi ammoniaci* quædam ejecit: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 266. *pag.* 480. si *gryllus in aurem* irrepserit, *oleo* infusionis *gryllorum* denuò ejicitur: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Observ.* 50. *pag.* 44. In specie si *musca* ex improviso introrepserit, accipiatur Terebinthina, eaque cum bombace & stylo immittatur in aurem, & inviscata musca extrahatur. Quod si ex improviso *hirudo* in aurem irrepserit, tunc subitò auris externa perfundatur *sanguine* recenti cujusdam animalis, sic enim ad sanguinem prorumpunt hirudines, & ita egrediuntur, qualem historiam habet BARTHOLINUS *Cent.* 4. *Hist.* 74. Vel injiciatur aqua solutionis salis communis. *Quod si pulex in aurem se insinuaverit*, laudatur à RIVERIO globulus ex pilis caninis compositus, extrinsecus auribus applicandus, vel cum stylo in aurem immittendus; pilis enim subitò pulices se insinuant & extrahuntur.

ARTICULUS VII.

De

CEPHALALGIA.

PRæ aliis multiplex & sæpissimè sævus est *dolor*, qui *caput* crebrius *affligit*, in genere *Cephalalgia* dictus, non quod caput integrum doleat, sed tunc saltim ista capitis suprema pars, quæ ossibus cranii circumscribitur; nam reliquæ partes in capite dolentes peculiaribus ferè appellantur nominibus. Et quidem in dicta parte capitis, quæ circumscribitur ossibus cranii, *membranæ* sunt solummodo *ex fibris nerveis* multiplicibus, cruciatim sitis, sensibiliter contextæ, & ex istis natæ nervorum tunicæ; uti & istæ *membranæ*, quæ varias cerebri cavitates & anfractus investiunt, quæ in dicto dolore primariò cruciantur seu afficiuntur, eæque tam *externæ*, cranium & caput, quàm *internæ*, cerebrum in ejusdem ambitu, cingentes. Unde dolor capitis alius est internus, qui saltem meninges in toto sui ambitu solet affligere, & externus, quando externæ saltem membranæ dolent, de quo optimè scripsit WILLISIUS *lib. de An. Brutor. Part.* 2. *cap.* 1. *&* 2. *pag.* 180. cujus etiam vestigia sequemur.

Quoad internas membranas: hæ sunt *dura & tenuis meninx*, utut de hac propter ejus tenuitatem dubitet LINDANUS. *Dura verò mater* seu dura meninx duplici constat tunica, per quam vasa sanguifera multis anfractibus, imprimis ex vena jugulari, transeunt, donec perveniant ad vasa capitis, & tunc ad cerebrum; hinc non potest fieri, quin pro vario sanguinis statu multa patiantur hæ membranæ. Si igitur dilatentur vasa à sanguine, necessario dilatatur tunica, & divellitur ejus duplicatura; Unde necessario sic insequitur Dolor capitis. Utut autem caput omnis generis patiatur dolores, in specie tamen ordinario pulsatorii & tensivi esse solent, qui hanc membranam affligunt, quæ ipsa etiam per consensum pericranium capitis afficere solet; interna enim tunica seu pia mater minus dolorosa videtur propter nimiam sui subtilitatem. Jam verò cum membrana ista dura comitetur nervum opticum usque ad oculum, & ibidem tunicam quandam, sclerotidem nempè, constituat, ob id frequenter in graviori Capitis Dolore ipsi etiam oculi intensè dolere solent; hinc est *Dolor Capitis internus*.

Quoad Capitis *Dolorem externum*: fit hic, quando saltem membranæ cranii, speciatim pericranium, hinc panniculus carnosus, musculi, ipsaque adeò cutis, vel per consensum duræ meningis, vel propter læsionem externam in contusionibus aut concussionibus, aut similibus ex causis externis, afficitur; item quando materia præternaturalis recrementosa ibidem colligitur, uti in

uti in lue Venerea fieri solet, acerbè dolent, qui dolor externus facilè tactu externo perceptibilis & sensibilis. *Subjectum* ergo quod dolet in capite, non est cerebrum, neque cortex, neque medulla, sed saltem membranę in & extra cranium existunt: Unde frequens est dolor capitis tensivus & *pulsatorius*; extraordinariè autem solet esse lacerans & lancinans; sicuti etiam dolorem punctorium, & ostocopum caput perferre solet.

Dolet autem caput nunc universum, totus nempè ab ossibus cranii tractus circumscriptus, atque tunc generaliter *Cephalalgia* audit, qualis iste est dolor, qui subinde homines post crapulam, vel sub aeris mutationibus, vel in febribus ardentibus & intermittentibus, vel alia simili causa affligit, quique secundarius est, & nunc sinciput, nunc occiput (quod tamen rarissimè contingit) magis affligit. Quod si verò Dolor talis capitis universalis sit gravior, diuturnus & contumax, mutato nomine *Cephalæa* dicitur, & causam utplurimum agnoscit fixam in ipso capite, aut certè eo loco radicatam & fixam. *Quod si dimidium* saltim *caput*, imprimis ratione suturę sagittalis, quę caput in partem dextram & sinistram dirimit, vehementer & pertinaciter tantum doleat, ita ut altera medietas sit indolens, est *Hemicrania*, utplurimum diuturna & admodum contumax. *Quod si unica tantummodo pars capitis* inter sagittalem & temporalem suturam afficiatur, dicitur *Ovum*, à magnitudine nempè loci affecti, quę ovum non excedit. *Quod si dolor* porrò *in uno parvo sit loco*, *contumax* tamen & fixus, quasi clavus ibidem sit intrusus, dicitur *Clavus*, sola magnitudine partis affectę *ab ovo differens*. Dolor item in ovo est major, in clavo minor; ovum itidem per vices solet intendi & remittere, *clavus* verò non item; est enim ferè *continuus* eodem modo durans & affligens, nisi à causa externa forsan intendatur. Tandem, utut frequens percipiatur dolor in syncipite, interdum tamen *solum occiput dolet*, idque frequentiùs *in mulieribus*, qui dolor muliebris ferè conjunctus est *cum sensu frigoris* istius loci, quasi glacies intra calvariam esset recondita. Talis dolor fit imprimis *per consensum uteri*, & rarò fallere solet, quin utplurimum ex utero oriatur, utut connexionis ratio haud ęquè nota sit, & interdum etiam senes mares affligat: imò quoque senes, tam mares, quàm vetulas, talis dolor occipitis solet affligere, qui tamen ex alio est fonte.

Ab adjuncto *Cephalalgia* vel *calida*, vel *frigida* dicitur: *Calida*, prout nempè sanguis vel ipse magis fervet, vel ex membranarum spasmo circa capitis partes, præsertim anteriores, magis detinetur; tunc enim *caloris* manifestus sensus, præsertim circa frontem, percipitur: *Frigida* ècontrà dicitur, ubi nil tale occurrit, sed potiùs frigus sentitur, aut saltim gravedo capitis adest.

CAUSÆ.

Causa hujus, quemadmodum omnis doloris, est, quicquid fibras dictarum partium distendere ac rodere valet: quod quia à quamplurimis causis nunc immediatè magis, nunc mediatè fit, *distinguenda* est ante omnia Cephalalgia in eam, quæ est *per essentiam*, ubi vitium & origo mali hæret in ipso capite, v. g. dum caput dolet ex vulnere, contusione capitis &c., ab ea, quæ est *per consensum*, quando nempè vitio, aut mastæ sanguineæ, aut partium quarundam inferiorum, caput dolet & compatitur; estque hæc Cephalalgia omnium frequentissima in Praxi, quæ verò fit per essentiam, contumax magis, & ferè Cephalæa esse solet.

Per consensum partium inferiorum fit *Cephalalgia* absque ulla vaporis aut humoris transmissione atque ascensu, utpotè à WILLISIO aliisque Neotericis refutato, sed simpliciter per solam communicationem membranarum & nervorum cum partibus aliis membranosis ac nerveis spasmodicam, intercedente simul certo nervorum conjugio. Nam sicuti ex contusione capitis aut gravi cerebri ejusque membranarum vulnere concitatur vomitus vehemens solo consensu; & sicuti ex jejunio in hypochondriacis concitatur vertigo in cerebro, interdum etiam in quamplurimis *cephalalgia*; solo consensu cum stomacho; ita etiam ex solo consensu *ventriculi* cum cerebro ejusque membranis, dolor intensus excitari potest: quod confirmat FORESTUS *lib. 9. Observ. 46.* ubi juvenis biliosus, cùm jejunus ambularet, dolore capitis tentabatur; assumpto verò pauxillo cibo subitò omne malum remittebat. Ac sanè fit non alio modo, quàm per *spasmos* alibi inceptos, & nervorum ac membranarum ductu in caput usque continuatos: sic enim *per consensum dolores* oriuntur: vid WILLISIUS *de Anim. Brut. Part. 2. cap. 1.* Cephalalgiâ ex liene & ex hypochondriis nil frequentius; quia lien copiosis nervis est dotatus, ratione quorum & ejus constitutionis membranaceæ, ejus spasmus Cephalalgiam inferre solet. Par ratio est, quando per consensum uteri fit cephalalgia: vid. FORESTUS *lib. 9. Observat. 51.* RIVERIUS *Cent. 2. Observat. 56.* & RIEDELIUS *Observ. 20.* BARTHOLINUS *in Hist.* Pannonicam observat mulierem, quæ hæmicraniâ semper affligebatur, cùm utero non gereret; quando verò conceperat, nihil sensit. Imprimis quando mulieres dolore in occipite laborant, Practici dicunt, laborare uterum: siquidem cum utero membranoso, ejusque partibus ipsi connexis, universum systema nervosum & membranosum consentit; id quod patet in nixu parturientium, in quo sæpè ob consensum membranarum & reliquarum partium nervosarum convulsio epileptica superuenit; ita etiam ex vitio uteri partiumque vicinarum quocunque sensiles cerebri membranæ graviter affici per consensum, & hinc dolere possunt. Sunt enim membranæ quæcunque totius corporis continuatæ & connexæ membranis, cerebrum involventibus, adeòque facilè pars una alteram per consensum ex spasmo afficere potest: vid. D. CROON, *Medicus Angliæ Londin. de Motu musculorum*, in WILLISII *Tr. de Nervis adjunctus*, qui *Anonymus ille Autor* est.

Ex omni *cephalalgia* per *consensum* frequentissima est ista, quæ fit *ex stomacho*, cujus hinc inde variæ prostant observationes: Vid. FORESTUS *lib. 9. Observat.* 44. 45. & 46. WILLISIUS *l. a. cap. 2. pag.* 303. & 305. & LOTICHIUS *in Observat.* Sic dolorem immanem capitis à phlegmate acido in stomacho cum vomitu conjunctum observat THONERUS *in Observat. pag* 141. Quando enim vitiosa recrementa in stomacho sunt, solent inferre graviorem cephalalgiam. Uti etiam BORELLUS *Cent. 2. Observat. 1.* ex hoc fonte hemicraniam observavit; quod rarum est. In specie in iis, qui laborant *βραδυπεψίᾳ* stomachi, item in hypochondriacis & similibus, frequentissimi sunt capitis dolores & tensiones circa frontem per consensum stomachi, imprimis mucilagine acidâ infarcti, & partium vicinarum membranacearum; percipiunt enim semper simul tensionem circa hypochondria. Cephalalgiæ hujus exempla videb. apud FORESTUM *Observat.* 48. & 49. ac RIVERIUM *Cent. 1. Observat.* 11. Interdum philtra inepta cephalalgias crudeles inferunt: Duo exempla hujus rei refert LOTICHIUS *in Observat. pag.* 152. & 154. Porrò *hemicraniæ per consensum* causa subinde est dens cariosus: Conf. THYRMAYER *Consil. lib. 2. pag.* 128. & HILDANUS *Centur. 2. Observat.* 10. Estque omnino *dolor per consensum* saltim *tensivus*, & hinc punctorius ac *pulsatorius*. De utero suprà dixi, quod frequentissimè inferat cephalalgias, in specie quæ occiput occupent, & sensum glaciei repræsentent. Præter uterum renes affecti, imprimis calculo obsessi, per consensum cephalalgiam inferunt: Imprimis in BARTHOLINI *Cent. 4. Epist. 6.* curiosa est observatio hemicraniæ istius lateris, cujus lateris ren calculo erat obsessus; sic ex dolore nephritico similes Cephalalgias observavit FORESTUS *lib. 9. Observat. 51. in scobol.* Quę fit propter nervos affectos, qui in renibus dolorum sunt organa, ortos ex plexibus mesenterii, qui eorum surculos derivant ad stomachum & intestina, unde per consensum afficitur propter spasmum. Tandem & vermes intestinorum subinde contumaces cephalalgias inferre solent: Vid. FORESTUS *l. a. Observat.* 47.

Hæ sunt Cephalalgiæ & cephalææ per consensum.

Cephalalgiam verò *per essentiam* quod attinet: fit, quando malum & radix doloris ipsum caput occupat, qualis est v. g. in clavo & ovo. Talis dolor capitis per essentiam est frequentissimus in hemicrania, non tamen semper, ubi sæpiùs adest stagnatio sanguinis, ejus impeditus motus in uno alterove vasorum ramulo alterius medie-

medietatis. Nam dura mater ipsumque cerebrum in duas dirimitur partes; hinc altera tantum in hemicrania afficitur, quod ex Anatomicis obiter noto.

Ratione causarum est vel *accidentalis*, vel *habitualis*. *Accidentalis* est, quando sine procatarxi aut dispositione praevia à causa evidente solitaria originem ducit, rerum scilicet non naturalium malo regimine, & fortuitarum incongrua invasione, v. g. à crapula, insolatione, exercitio vehementiore, contusione, Mercurii intra cranii laminas, vel à medicamentis Mercurialibus salivantibus, vel à fumis Mercurialibus collectione. Habitualis verò, quando causa certa morbifica disposita hæret in cerebro ejusque partibus, propter quam vel continuò affligit, vel per vices, & à levissima occasione redit ille dolor. V. g. caput vulnere vel contusione graviori læsum per essentiam quidem, sed tamen sine causæ internæ fomite, dat dolorem seu hemicraniam accidentalem: *Quod si verò* post vulnus curatum remaneat, vel atoniâ partis læsæ, vel ex nutritione deficiente, subindè recrementa quædam generentur, quibus occasionibus, aut sub omni mutatione tempestatis anni aut lunæ, sæpiùs redeat Cephalalgia gravis, talis per essentiam, & quidem *habitualis*, erit: Sic FORESTUS *lib.9. Observat.34.* observat Cephalalgiam post curatum vulnus diuturnam, apertâ cute cranii inventum fuit os corruptum, quo exempto, dolor curatus fuit.

Utraque hæc Cephalalgia per essentiam oritur frequenter tàm à causa externa seu evidente, quàm interna & latente. Prioris generis infinitæ possunt dici, scilicet contusiones & vulnera, aeris inclementia varia, crapula, motus corporis, curæ, studia, esus castanearum, glandes quercuum, lactis potus, coriandri assumptio. Posterior verò seu interna causa habituali cephalalgiæ magis propria, triplicem fontem agnoscit: Est (1.) vel à sanguine ejusque motu in vasculis cerebri plus minus vitiato: *vel* (2.) *à lympha* in glandulis cephalicis vitiosè secreta aut malè distributa: vel (3.) à digestionis privatæ in cerebro ejusque membranis internis & externis errore & vitio, unde generantur heterogenea recrementa, quæ Cephalalgiam inferunt: Quò in specie viscidior mucus, vermes, lapilli; abscessus, calculi, &c. in cerebro geniti pertinent: vid. WILLISIUS *Anim. Brutor. Part. 2. cap. 1.* qui optimè omnia tractat, qui instar omnium. Ac sanè in habitualibus hujusmodi cephalalgiis semper ferè observatur simul partis affectæ debilis constitutio, & hinc facilior materiæ morbificæ occasionalis vel receptio vel regeneratio.

Quoad I. A *sanguinis* vitio, ejusque motu depravato, in specie Dolor Capitis tensivus, pulsatorius, cum insigni capitis incalescentia & distensionis sensu excitari solet. Fieri hic solet, dum sanguis aut nimis abundans, vel verè, vel apparenter in turgescentia quadam præternaturali, nempè febrili, quacunque occasione agitatus, aut à suppressione solennis evacuationis coacervatus, vascula meningum harumque fibras præter modum distendit, in suo motu remoratur, & ita Cephalalgiam ex hac causa satis frequentem infert. Iste dolor Capitis, speciatim qui ex *turgescentia* & aucta sanguinis effervescentia oritur, semper conjunctus esse solet cum sensu pulsationis in capite tensivo, plus minus gravativo; & prout aut intensior aut remissior fuerit ista sanguinis turgescentia, etiam major vel minor percipitur Cephalalgia. Hinc est, quod tempore æstivo in nimiis æstibus canicularibus, aut diuturniore sub sole mora, aut exercitio quovis corporis nimio, & ex motu sanguinis rapidiore, ejusque effervescentia nimia, sudoribus, &c. præprimis quando his frigus repentinum superveniat, excitari soleant graviores Cephalalgiæ: Hinc est, quod post crapulam *ex nimio vini & cerevisiæ potu*, præter cruditates relictas, turgidus sanguis postero die Cephalalgiam inferat, cum artuum ferè lassitudine, nisi blando sudore partim præveniatur, partim curetur: Hinc est, quod *refrigeratio capitis*, sicque impedita sanguinis transpiratio, Cephalalgiam inferat, dum retenta effluvia transpirabilia, vasa distendendo & sanguini certam turgescentiam plus minus inferendo, Cephalalgiam excitant: ut taceam ipsa transpiranda salina, partibusque membranosis infixa, dolores inferre. Pariter *sanguinis* occasione quælibet *suppressæ consuetæ evacuationes* ejus ad Cephalalgiam disponunt: Hinc hæmorrhagiæ narium suppressæ contumacissimas habituales cephalalgias inferunt: Hinc est, quod hæmorrhoidibus, mensibus obstructis, solenni quadam sanguinis evacuatione intermissâ, sæpiùs contumacissimæ oriantur cephalalgiæ, observantibus hoc omnibus Practicis, in specie FORESTO: aut quod quibusdam mulieribus non rarò uno alterovè die ante mensium eruptionem Cephalalgiæ sint frequentes propter sanguinis turgescentiam tunc obvenientem. Speciatim febres quæcunque, tàm continuæ, quàm intermittentes, benignæ pariter & malignæ, item febres Castrenses, ordinarium comitem cephalalgiam ducere solent, uti quotidiè experimur; ex turgescentia nempè & fermentatione sanguinis aucta. Huc pertinet phrenitis seu sphacelus cerebri, in quo ob factam inflammationem membranarum cerebri & corticis ejusdem, intolerabilis est dolor. Hæ & similes causæ cephalalgiam inferre solent. Facere huc videntur *odores fortiores*, cephalalgiam non rarò inferentes: Sic curiosum est exemplum, quod ex *odore moschi & ambræ* in viro dolor capitis ortus fuerit: Pariter nón rarum est, *rosarum odore* iis, qui tenuioris sunt in systemate nervoso texturæ, Cephalalgiam inferri, quasi particulæ hujusmodi odoriferæ acrimoniâ suâ vellicent membranam narium superiorem, & ad hanc derivata à dura matre filamenta nervea, quibus unà vellicatis & dura mater simul tendi, hinc sanguinis circulus quasi remorari, & dolor hic pulsatorius & tensivus capitis supervenire solet. Quò etiam *gas carbonum* incensorum, item *rerum fermentescentium*, pertinet, suo inspiratu pertinaces cephalalgias interdum inducens.

Quoad II. *Porrò* ad *procatarxin* ejusmodi spectat, causaque conjuncta evadit *serum*, item *lympha*, quæ aut *viriata* aut stagnans in quodam capitis loco, aut, quod sæpiùs fit, ex lymphæ vitio genitus humor acidus plus minus viscidus, & in quodam interno capitis loco coacervatus, aut ex nutritione membranarum vitiosa collectus, aut ex quacunque ratione in capite depositus, graves Cephalalgias & hemicranias infert, cum dolore lacerante & lancinante, interdum etiam capitis gravativo, subinde tensivo, vitio lymphæ circa glandulas collectæ excernendæ, adjuncto plus minus *sensuum torpore*. Curiosa est observatio hemicraniæ ex his causatæ, per stillicidium aquæ frigidissimæ per nares curatæ: vid. *Misc. A. N. C. Ann. 3. Observat. 184. pag. 455.* Hinc in affectibus catarrhalibus frequentes sunt Cephalalgiæ; hinc senibus frequentes & diuturni exinde oriuntur dolores. Quin etiam contumacissimæ & subinde vix tolerabiles Cephalalgiæ scorbuticæ subinde periodicæ, speciatim nocturnæ, ex lymphæ vitio oriri videntur, quatenus à sale acri scorbutico membranæ cerebri, tàm internæ, quàm externæ, vellicatæ dolores lancinantes & lacerantes crudelissimi excitantur. Imò serum sæpiùs causam conjunctam Cephalalgiæ existere, non saltem ex observationibus Anatomicis, quas collegit PISO & RIVERIUS, aliique, confirmare licet, quibus Cephalæas sæpè pertinaces per excretionem seri diversi generis è naribus solutas, ac lympham copiosam in cerebro post *Cephalalgiam* repertam fuisse constat; sed vel *cor*[illegible] incipiens, aut dolor ex sero quidem & lymphæ successiva collectione gravativus, sed simul interdum quoque tensivus, præcedens testatur: Sic cephalalgiam lethalem à copia humoris serosi notat RIVERIUS *Cent. 1. Observat. 37.* Nec, juxta WILLISIUM, improbabile est, chylum, utut legitimè constitutum, in capite prædisposito idem præstare, fibrasque ac membranas suo appulsu gravare, cùm non saltem hujus doloris paroxysmi post totidem à pastu horas repetant, sed mutatâ quoque victus ratione quoad quantitatem, qualitatem & assumendi tempora, varient.

Tandem III. propriæ *digestionis* privatæ errore quocunque, occasione internâ vel externâ *viriatæ*, & circa membranosa capitis loca congestæ, aut retentæ aut genitæ, subinde oriuntur Capitis Dolores, iique utplurimum diuturni difficulter curabiles, unde in cephaleis, in hemicraniis, *clavo* etiam & *ovo*, subinde ex hoc puncto causæ perscrutandæ sunt. Unde *dolor* nunc quasi *osteocopos* utplurimum simul *rodens* & *pungens*, observari solet, dum materia quædam viscida plus minus acris, vulgò dicta tartarea, aut sanguis congrumatus, sub cranio quovis in loco congestus, istos dolores inferunt. Hæc materia si in altera medietate in capite hæreat, ut sanguinis motum aliquantisper impediat, infert hemicraniam. Mercurialia in hoc puncto sunt opti-

optima, quoniam dissolvunt & attenuant materiam caput occupantem. Unde subinde senes Decrepiti contumacissimis cephalæis sunt obnoxii, & vulgò vocantur Cephalalgiæ & cephalææ à causa frigida, & in tali conjuncta est grauedo capitis seu Dolor Capitis gravativus: imò caput minus calet, quin potiùs friget, dolor est contumax, & qui ægros nocte dieque affligit. Hinc subinde graues Cephalalgiæ sunt è vermibus in cerebro ex vitiata ejus partium digestione genitis: qualis dolor gravissimus & ferè intolerabilis subinde occurrit in febre Ungarica, quæ ipsa propter capitis dolorem istum quibusdam *Vermis Cerebri* dicitur, cùm observatum sit, non rarò *vermes* rejectos per nares fuisse cum levamine: vid. SCHENCKIUS *in Observ. de Febre Ungarica*, & RULANDUS *Tract. de Morbo Castrensi*; item HILDESHEIM *in suo Spicil.* aliquot refert exempla cephalæarum continuarum ex vermibus in cerebro genitis ortarum; vid. BARTHOLINUS *Cent. 2. Epist. 74.* & *Cent. 1. Observ. 64.* ubi pariter post variolas vehementissimus Capitis Dolor à verme in cerebello fuit excitatus; item *Cent. 6. Obs. 3.* Cephalæam habet contumacissimam sedatam post vermes per nares excretos. Similia exempla contumacissimarum Cephalalgiarum reperietis in SCHENCKII *Observat. de Cephalalgia*: Non secus ac FORESTUS *lib. 7. Observat. 9. & lib. 21. Observat. 28.* notat Cephalalgiam admodum intensam, postmodùm excreto verme per nares sublatam. Plura vermium post cephalalgias è naribus excretorum exempla habentur in Misc. A. N. C. *Ann. 1. Obs. 99. pag. 229. & Ann. 2. Obs. 174.* apud SCHNEIDERUM *de Oss. cribrif. pag. 440.* FEHR *in Hiera Picra pag. 79.* BLEGNY *Zodiaco Gall. Mens. April. Obs. 3.* KERKRINGII *Obs. Anat. 43.* TULPIUM *lib. 4. cap. 11. pag. 251.* HILDESHEIM *Spicil. lib. de Cap. affect. pag. 41.* BORELLUM *Cent. 3. Hist. 45.* HOLLERIUM *lib. 1. de Morb. Intern. cap. 54. in Schol.* HILDANUM *Cent. 1. Obs. 8. & Cent. 5. Obs. 1.* MONARDUM *Hist. Med. simpl. cap. 14.* MARCELLUM DONATUM *lib. 4. de Hist. Med. Mir. cap. 26.* nec non ALSARIUM *in* CRUCE *de Quæsit. per Epist. Cent. 3.* EBUSINA *lib. 3. fen. 1. tr. 2. c. 3.* ex Medicorum quorundam Indorum fide, cephalalgiam quandoque generari jam edocuit à vermibus in capite generatis, motu suo, tensione & læ„ sione lædentibus, addens: *Nam vermes multoties nascun„ tur in anteriora capite & super locum, qui est in structura „ narium*, &c.

Post *vermes* subinde etiam *calculi in cerebro geniti* pertinaces Dolores inferunt, qui per nares & alia loca postmodum excreti, Cephalalgiæ levamen intulerunt: Exempla videb. in SCHENCKIO *in Obs.* & etiam BARTHOLINUS *Cent. 1. Obs. 33.* refert Dolorem Capitis sedatum post lapillos per nares excretos.

Fit interdum, ut *humor quidam lentus & viscidus* sæpiùs ex vitio digestionis ultimæ seu propriæ genitus se insinuet intra *suturas* cranii, quas sensim à se invicem separare, & mutuò *discedere* facit, cum intensissimo dolore, ut sensim spatium inter commissuram suturæ possit percipi. Exempla de hac suturarum cranii discessione videb. in BOOTII *Tract. parvo*, sed eleganti, *de Affectib omiss. cap. 4.* Exempla etiam nonnulla refert HILDANUS *in suis Obs. Cent. 2. Obs. 8.* Paria exempla refert BARTHOLINUS *Cent. 2. Epist. 74.* SCHENCKIUS *in Obs.* Mentionem etiam illius facit MINDERERUS *in Med. Militar. pag. 327.* Aliquando B. Doctor MICHAELIS in Principissa vidua *Isenacensi* observavit talem acerbum *Capitis Dolorem*, in quo manifestè *cranii suturæ* à se invicem *discesserant*, idque manifesto cum *sonitu*, ut adstantes percipere potuerint; quem tamen feliciter curavit: & tales dolores sunt pertinacissimi & intensissimi.

Porrò lues Venerea capitis *dolores* horrendos & implacabiles, in specie nocturno tempore affligentes, infert: *Acor* enim *malignus* luis venereæ alimentum cranii proximum chylosum ita corrumpit, ut assimilari nequeat, sed in materiam viscidam & acidam corrosivam sensim degeneret, quæ coacervata super cranium, aut etiam sub cranio, *tumores* illos infert, qui etiam in aliis ossibus reperiuntur, & *Gummata Gallica* vocantur: à quibus uti postmodum corroduntur ipsa ossa, & per consequens ipsum cranium, unde *caries cranii*, cujus exemplum funestum habet MEARA *in Histor. Med. pag. 136.* ubi habet Cephalalgiam cum totius cranii carie ortam à lue Venerea, & SCHENCKIUS *in Obs. pag. 51.* qui ex cranii carie interna similiter implacabilem Capitis Dolorem nofat; ita ab iisdem vicinæ membranæ corrosæ pertinaces & implacabiles dolores inferunt. Sed tamen non tantùm in ipsa lue Venerea fit dolor, quin & subinde post curam luis Venereæ, post inunctiones Mercuriales minus ritè institutas, ex Mercurii virulentia pertinacissimi capitis dolores remanere solent, ex Mercurio scilicet, neruis membranosisque partibus inimicissimo, hinc inde in capite collecto: de quo vid. POTERIUS *Cent. 3. Curat. 6.* qui habet Dolorem Capitis contumacem, concitatum abusu hydrargyri, quem curavit per decoctum chinæ cum oleo Sulphuris subacido. Talia exempla ex Mercurio post curatam luem Veneream observat RIVERIUS *Cent. 2. Obs. 91.* item *in Obs. communic.* ZWINGER. *in Theatro Vitæ Hum. Tom. 1. fol. 520.* ex CARDANO *de subtilit.* Idque partim ex relicto, non satis salivando evacuato, partim ex ipsa Mercurii malignitate, partes nerueas afficiente: quas Cephalalgias Mercuriales curauit per nummum aureum in ore detentum, ut scilicet mercurius præceps ad aurum accurrat, & ita extra corpus eliminetur. Dolor hic Capitis ex lue Venerea nocturnus magis est, & in uno loco instar clavi affligit.

Interdum abscessus interiores capitis partes occupant, qui ipsi contumacissimas Cephalalgias inferunt, & abscessus hypocranii dicuntur. De his non paucæ prostant observationes Cephalalgiarum, per excretionem puris per os, nares, oculos, aures, &c. solutarum: vid. BORELLUS *Cent. 1. Obs. 73.* & WILLISIUS *de Anim. Brut. Part. 2. pag. 203. Edit. Amst.* In specie BOOTIUS *de Affect. omiss. cap. 1.* ex abscessu pericranii gravem & continuum Capitis Dolorem refert. Similia exempla hinc inde etiam reperiuntur *in* BARTHOLINO, ubi intensus Capitis Dolor refertur, excreto per nares pure sedatus: Sic SCHNEIDERUS *Observ. 223.* refert Cephalalgiam crudelissimam à pure intra ossa cranii latente. Abscessus hi non semper ex causa externa, sed frequentissimè vitio digestionis vitiatæ oriuntur.

Juxta abcessum sub cranio locisque vicinis, subinde læsiones capitis externæ, contusiones, vulnera, casus, gestationes ponderis seu oneris gravioris in capite, & similes causæ, etiam curatæ, diuturnas Cephalæas & Hemicranias post se relinquunt, quatenus aut cranium ipsum insigniùs lædunt, aut pericranium, vel fibras saturarum duræ meningi continuatas; aut quatenus *fissuram* quandam in cranio inferunt, imprimis in interiori lamina; unde humor seu succus nutritiuus extra duplicem lamellam per istam fissuram pedetentim destillat in tunicas cerebri, ibique corruptus, hinc acrior factus, gravissimos Capitis Dolores infert: vel quando aliqualis sanguis grumosus circa membranas hæserit: & similes causæ, quæ postmodum etiam diuturnas Cephalæas inferre possunt: Sic namque post curatum vulnus capitis Cephalalgia diuturna oborta fuit, aperto tandem cranio, in vulnere fuit os nonnihil corruptum, quo exemptum etiam dolorem curauit, obseruante hoc FORESTO *lib. 9. observat. 30.* Quò etiam pertinet notabilis obseruatio SCHENCKII *lib. 1. pag. 51.* ubi grauiori pondere in caput suscepto & congestato, laminæ cranii internæ portiunculæ nonnihil diffractæ duodecennalem dolorem capitis crearunt, quibus per nares excretis dolor ille remisit.

Speciatim viscida, tenax & firmiter impacta est materia, quæ Ovum & Clavum primariò efficit, vel proprio partis dolentis vitio genita, vel cum sanguine eò delata, vel denique externæ læsionis occasione relicta. Eadem suspicio est, quoad Hemicraniam, cum & ipsa sit satis contumax, & in qua subinde simul vitium in sanguinis motu, in uno alterove vasorum ramulo alterius saltem cerebri medietatis, conjunctum videtur: Nam dum mater ipsumque cerebrum in duas dirimuntur partes, hinc altera tantum in Hemicrania affici solet. Unde senes decrepiti contumaci Cephalalgiæ sunt obnoxii propter successivam recrementorum vitiosorum intra cranium collectionem.

Observandum hic est, non rarum esse, *Cephalæas observare certas periodos*, uti etiam Hemicranias, ita ut subinde lunæ periodos, subinde solis periodum diurnam,

nam, subinde similes motus, regulariter soleant observare: Conf. SCHENCKIUS *lib.* 1. *obs. pag.* 47., ubi prostat exemplum doloris capitis, qui cum sole oriente inchoabat, circa meridiem maximè intensus erat, quò magis verò sol inclinabat ad occasum, eò magis remittebat: In eodem SCHENCKIO *pag.* 48. est Hemicrania, quę certis lunæ periodis tantùm ægros infestat: Sic notabile exemplum est PLATERI *lib.* 2. *obs. pag.* 346. de Hemicrania periodica, singulâ hyeme certis noctis horis recurrente, & miserabiliter torquente, curatâ tandem per emplastrum Vigonis de ranis cum mercurio: Sic idem PLATERUS *loc. cit.* de Hemicrania forti & continua quindecim annos durante à partu naturali, quæ postmodum post quindecim annos per fœtus masculi exclusionem statim sine ullo medicamento fuit curata. Huc pertinet exemplum BALLONII *supra citatum cons.* 40. *in schol.* de muliere, quæ cùm Hemicraniâ conflictabatur, dum non esset gravida, quàm primum autem concepit omnis Hemicrania cessavit: Sic FONSECA *lib.* 7. *consil.* 87. observat Hemicraniam lateris dextri periodicam, quæ singulis octo diebus die Lunæ tantum in eadem hora repetiit, & per triginta horas acerbissimè afflixit, postmodum verò sine ullo symptomate æger erat sanus usque octo dies fuissent præterlapsi: Conf. etiam M. A. N. C. *Ann.* 4. *Append. pag.* 32. *item Ann.* 6. *obs.* 173. *pag.* 236. Et talia exempla ferè ubique plura observata prostant. Hæc adduxisse sufficiat.

Pergo ad Signa.

DIAGNOSIS.

Capitis Dolor indicatur ab ęgris, cum sint satis queruli de eo; saltem *signa distinctiva* à Medico pręprimis sunt observanda ratione causarum, quas omnes accuratè *distinguere* arduum est, subinde impossibile. Distinguitur autem: an sit per consensum? an per essentiam? *Et quidem per consensum esse Dolorem Capitis*, ferè ex eo cognoscitur, ubi nulla causa evidens, caput lędens, pręcesserit, aut ubi nulla insignior & pertinacior functionum animalium lęsio simul juncta fuerit, partes verò corporis inferiores aliquo modo laborent, ac pro hujus diversa ratione Dolores Capitis exacerbentur.

Dolor itidem subinde varius est, nunc est intensior, nunc est remissior; qui verò capite primariò affecto accidit, sępissimè est continuus: Signa adsunt massę sanguineę non legitimè constitutę, aut etiam adsunt signa vitiatę functionis in quadam parte inferiori lęsa, simulque prout pars talis plus minus affici sentiatur, etiam Dolor Capitis aut intenditur, aut remittit, & quę sunt alia signa ex circumstantiis haurienda, ex quibus prudens Medicus hariolari potest, an per consensum fuerit cephalalgia? In specie stomachi habeat rationem: quamuis non rarò Dolorem Capitis per consensum & essentiam conjungi experientia testetur.

Quod si verò Dolor sit per essentiam, patet, si pręcesserit capitis & cerebri læsio quędam notabilis: item si dolor secundùm siderum motus & phases, pręprimis lunę, variet: vid. FONSECA, PLATERUS: item si vitę genus est tale, ut facilè noxam quandam cerebri possit inferre. Continuus magis dolor esse solet: aut si est interruptus, erit tamen periodicus, & stato tempore recurrens, qualis per consensum excitari nequit, pręsertim si causę antecedentes respondeant, adeoque radicem & diathesin altiùs fundatam hoc ipso insinuat.

Quæ verò pręcisè sit causa huius doloris per essentiam? difficiliùs cognoscitur: nam vermes, calculi, &c. alicubi coacervati, ferè nulla sui prębent signa.

Abscessus quoque hypocranii & similes difficiles sunt cognitu, utut, quantum possibile, eorum indicia describat BOOTIUS *loco cit.* saltim ergo conjecturę locum habent.

A sanguine si fuerit vitium, facilè cognoscitur, cum utplurimum sanguis, vel turgescens, vel in motu suo per vasa plus minus impeditus, affectum induxerit, dolor pulsatorius ardori capitis conjunctus est: vid. FORESTUS *lib.* 9. *obs.* 10. & 11. Item levamina ex sanguinis missione rem manifestant: vid. RHODIUS *Cent.* 1. *obs.* 73. ac RIVERIUS *observ. communic.* 37. *pag.* 273.

Si à chylo, id dignoscitur, quod certis post pastum horis paroxysmi repetant, post somnum evanescant, & pro assumptorum circumstantiis varient.

A lympha aut simili serosa materia, aut etiam à materia viscida aut acida collecta, fieri Cephalalgiam, monstrat gravamen capitis, somnolentia, dolor gravativus magis ac tensivus, qui nocturno tempore solet affligere; cum glandularum interdum morbis circa caput, frigus, ætas senilis & similia, quæ persuadent à tali causa oriri Hemicraniam, imprimis ubi reliqua consenserit signa. Et si hæc acrimoniam foveat, v. g. scorbuticam, scorbuti quoque, similiumq; recrementorum salinorum signa præsto sunt. Quæ ex lue venerea malè curata, ex hujus signis, item quod nocturnus magis & in uno loco instar Clavi affligat dolor: vid. RIVERIUS *Cent.* 2. *obs.* 91. Si vitium fuerit ex vitiata digestione propria, unde coacervantur recrementa & humores viscidi intra calvariam, dolor fixus est & pertinax, crebrior recidivans, nullisque remediis cedens; & si acrimoniæ materia hæc expers, gravativus magis, cum sensu frigoris in parte affecta, in specie si externa præcesserit læsio, ut vermes & calculi, simili modo possunt affligere.

PROGNOSIS.

Prognosis Cephalalgiæ curam promittit vel faciliorem, vel difficiliorem, vel nullam: quorum intuitu accidentalis faciliùs curatur, quàm habitualis.

Habitualis tamen quoque, prout eum procatarxi sua magis inveterata, ita ut ejus paroxysmi à multis annis aut sponte aut à levi quavis occasione repetant, eò minus spei curationis habet, præprimis si maximam partem dolor hic continuus fuerit, utpotè quem à causa magis fixa, scilicet pituita viscidiore, tumore, abscessu, calculo, vermibus, &c. prodire, probabile sit, & qui à tali causa dolor immanis est, utplurimum alia symptomata cephalica graviora, scilicet vertiginem, convulsiones, &c. item vomitum sibi comites assumit, & cum his interficit, aut in apoplexiam, epilepsiam, paralysin, cæcitatem, surditatem, &c. degenerat: vid. HIPPOCRATES *Sect.* 1. *Coac. Prænot.* 6. RIVERIUS *Cent.* 1. *Obs.* 37. RHODIUS *Cent.* 1. *obs.* 33. PAW. *Obs. Anat.* 8. *M. A. N. C. Ann.* 1. *obs.* 68. WILLISIUS *loc. all. pag.* 296. 301. & 302. & BONETUS *Sepulchret. lib.* 1. *sect.* 1. *obs.* 1. & 2. & BOOT. *de Affect. omiss. cap.* 1.

Nihilominus & qui per consensum oritur, nunc facilioris, v. g. culpâ ventriculi, nunc difficilioris, v. g. ex affectibus uterinis, hypochondriaco malo, item à lue venerea, &c. curationis observatur.

Pariter in morbis aliis Dolor Capitis malus interdum propheta existit, quatenus in vehementi Capitis Dolore cum febre acuta, *si urinæ conspiciantur crudæ*, seu claræ & albæ, pessimum signum est, deliria, convulsiones, & tandem mortem portendens; item si aliquod lethalium signorum supervenerit: vid. HIPPOCRATES *Progonost. Text.* 22. §. 22.

Item *Dolor Capitis fortis*, imprimis in febribus & morbis acutis, subitò desinens, non sequente aliquâ evacuatione per crisin, est lethalis, quoniam subinde signum est gangrænæ cerebri, aut omnimodæ insensilitatis membranarum cerebri.

Simili ratione Dolores Capitis soporosi & gravativi, aut cum convulsione, Gravidis ut plurimum periculosi existunt: vid. HIPPOCRATES *l.* 1. *Prædict. Text.* 14. §. 2. & *sect.* 3. *Coac. Prænot.* 105.

Ubi frigent extrema in vehementiori dolore capitis, pessimum est signum; periculum enim inflammationis internæ denotat.

Si dolor capitis circa frontem & tempora sit continuus & admodum vehemens, cum febre acuta, apparente die quarto, signo pernitioso, septimò ferè die mors ingruit.

Si dolori capitis superveniat manifesta quædam excretio, aut aquæ, aut sanguinis, aut puris, sive sit per os, sive per nares, sive per aures, (qualia exempla prostant quamplurima) signum est solutionis morbi secundùm HIPPOCRATEM, *aph.* 11. *sect.* 6.

Facit huc notabilis *aphorismus* HIPPOCRATIS *sect.* 4. *aph.* 32. „ *Quibus nempè ex morbis partium inferiorum* „ *convalescentibus dolor capitis vehemens supervenerit, si non* „ *præcedat excretio manifesta, iis in cerebro futurus est ab-* „ *scessus, morbi materia ab inferioribus ad superiora con-* „ *versa.*

Quicunque in febre non lethali cum capitis dolore & obscu-

obscuritate præ oculis conquerantur de cardialgia sed de morsu & angustia præcordiorum, iis subinde vomitus biliosus salutaris supervenire solet, præsertim si rigor intra hypochondria supervenerit.

Quibus verò in ejusmodi febribus caput dolentibus visus hebetudo contingit, aut splendores circa oculos observantur, aut præ cardiogmo aliquid tenditur in hypochondrio dextro, aut sinistro, neque cum dolore neque cum inflammatione, iis sanguis ex naribus fluet.

Dolores chronici extra morbos acutos minus sunt periculosi, nisi quatenus nimià molestià aut continuis vigiliis ad affectus melancholicos disponere solent.

In gravidis Dolores Capitis soporosi cum gravitate quadam obvenientes, sunt mali.

C U R A.

In *Cura* propter insignem causarum cephalalgiæ varietatem, ipsa etiam cura varianda est, adeò ut non ita commodè determinatis regulis illa ipsa circumscribi queat, sed.

Observ. I. ante omnia: an per essentiam, an per consensum sit cephalalgia? *Hæc*, præmissis universalibus, in specie Vomitorio & Laxativis convenientibus, & sublato affectu primariò, facilè sistitur; *Illa* verò difficulter, adeoque ipsi capitis affectui appropriata remedia simul in usum adhibenda. Ad summum dolor idiopathicus accidentalis phlebotomia, quiete, sudore, & levis opiati usu, tollitur: vid. FORESTUS *lib. 9. obs.* 1. 2. & 3. In habituali verò per essentiam tam sanguinis & lymphæ, quàm capitis dispositio prava corrigatur. Posterius rarò perficere licet. Nihilominus quia causam haud accuratè dignoscere haud conceditur, æger prognostico vix omnimodè linquatur, & si aliud Medicus hoc in passu præstare nequeat, morbi somitem præscindendo ac intercipiendo, crebriores paroxysmorum accessiones inhibeat, cùm experientia testetur, hàc ratione Cephalalgias contumacissimas non rarò curari, i. e. fibras indispositas spontè suâ ad pristinum tonum redire. Observetur tamen insimul hic cautela nonnullorum Practicorum: In dolore capitis diuturno plus præstare caput frequentius roborare, quam evacuationibus pertinaciter insistere.

II. *Opiatis* & Narcoticis in genere ut omnis dolor, ita & Cephalalgia, compescitur; unde etiam subinde intermiscenda veniunt. In his autem ad capitis dolorem sistendum usurpandis simus cauti; metus enim est, ne post narcotica non possimus denuò expergiscere ægrum, uti rectè hoc monet CELSUS: sæpè quippe accidit, ut in gravioribus doloribus parva & ordinaria dosis *opii*, aliquoties licet repetita, nihil adjuvet, unde postmodum usurpata fortiori dosi, si dolorem aliquando sedat subitò lethargicus ferè superveniat somnus, ita ut vix ac ne vix denuò possint excitari ægri: quibus tunc si aliquid eveniat, per acetum est succurrendum, aut humorum motum sistendo Cephalæas graviores tandem reddit: vid. FORESTUS *lib. 9. observat.* 14. & 57. *Anodyna* ergò, quin & *narcotica*, quando usurpanda, adhibeantur primùm in parva dosi & levi, & successivè fiat progressus ad fortiorem & majorem dosin, idque saltem appropriatis additis. Quod si externis in locis applicanda sint *narcotica*, fronti saltem & temporibus, nullo modo suturis, eadem imponenda esse, monent Practici, metu soporosi affectus: Nec instante crisi adhibenda, quia periculum est, ne motus naturæ impediatur, & æger tandem ita interimatur. Sanè *opiata* utut sistant dolorem, quia tamen causam seu somitem relinquunt, & eum magis fixum reddunt, morbum magis in deterius labi faciunt, & propterea magis in dolore per consensum, minus in eo, qui fuerit per essentiam, locum inveniunt.

III. Semper in omni Cephalalgia, nisi forsan febri malignæ periculosiori conjuncta sit, ut alvus sit laxior & aperta; hæc enim quo magis obstructa, eò magis Capitis Dolorem exasperat; aperta verò, si non verum, certè palliativum maximeque lenitivum inter alia remedium erit.

IV. Ex omnibus doloribus Dolor Capitis scorbuticus est contumacissimus, simulque atrocissimus, lancinans admodum, rodens & lacerans, nocturno præsertim tempore gravissimè affligit, nec facilè nisi appropriatis scorbuticis tollitur. Hinc internè *sal volatile* succini, spiritus vitrioli volatilis cum spiritu liliorum convallium, tartari, & cochleariæ mixtus, cinnabaris antimonii, succinum ambra, pilulæ ex ladano *Hartmanni in Pr. pagm.* 48. descriptæ, decocta sudorifera, præsertim ex ligno juniperino, cui rasura ligni buxi addita remedium magis reddit appropriatum, sunt usitata. Hinc lac, quod sicut alias per consensum Dolorem Capitis inferre solet, ita idem in doloribus scorbuticis optimum est remedium, demulcendo acrimoniam salis scorbutici. Externè vesicatoria propè aures applicata; item epithema cancrorum *infrà dicendum*; item flores papaveris rhæados recentes contusi & applicati conveniunt, item zedoaria & baccę juniperi cum aqua vel decocto verbenæ, florum sambuci ac betonicę.

V. In genere in quocunque Capitis Dolore, pręter ordinaria evacuantia, per vomitum imprimis si per consensum ventriculi fuerit, vel per alvum, non omittendam esse *diætam sudoriferam*, quę interdum, imprimis in malo contumaciore, valdè conducit. In specie in Cephalęis antiquis, aut etiam in Hemicraniis inveteratis, necessum est interdum ad Decocta sudorifera lignorum accedere, imprimis à colluvie serosa aut pituitosa, *per essentiam* si fuerit dolor excitatus; quę ipsa Decocta etiam talibus in casibus optimum solent habere successum. Attenuant enim, dissolvunt, & mediante sanguinis circulo removent ex capite causam materialem viscidiorem ac fixiorem, idque magis, quando ex seri aut lymphę vitiis malum ortum fuerit: de quibus conf. FORESTUS *lib. 9. Observat.* 50. AMATUS LUSITANUS *Cent. 4. curat.* 95. sicuti POTERIUS *Cent. 3. cap. 6.* Dolorem Capitis continuum ab hydrargyri usu concitatum *decocto cephalico cum chinæ & oleo sulphuris* curavit. Modum pręscribendi & usurpandi notum pręsuppono ex Materia Medica, vel MORELLO. Loco lignorum vel essentia lignorum, vel ligni sassafras, interdum usurpari possunt in majori dosi.

VI. *Chirurgica* pręsidia, pręsertim circa humorum motum corrigendum occupata, multi usus sunt in Cephalalgiis, qualia sunt Venęsectio, Arteriotomię temporum, & incisiones venę frontis, &c. quin & Vesicantia, Setacea, imò ipsum *Trepanum* ad pertinaces & graviores Cephalęas sunt optima: *Illa*, ubi in vasis sanguiferis vitium hæseit; *Hæc*, ubi ex seri vitio malum oriatur. Sed necesse est, ut *prius ritè præmissa sint universalia*, aliàs metuendum esset, ne, parili ratione atque *cucurbitulæ*, non pręmissis universalibus, in Capitis Dolore sunt voldè noxię, (vid. HILDANUS *Cent. 5. Observ.* 69.) etiam alia pręsidia *chirurgica* malum augerent.

In specie Venę-sectionem quod spectat: in gravioribus Cephalalgiis à sanguinis aut copia aut turgescentia, ut plurimum malum levat, illam imminuendo, hanc compescendo affluxum verò illius ad caput moderando. In paroxysmo vena cubiti dextri (ob rationem ab HIGHMORO *Corp. Human. Disquisit. Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. adductam) derivationis ac interceptionis gratiâ; extra eandem & revulsionis causa in partibus inferioribus, v. g. in talo, aut hęmorrhoidales in assuetis.

De *Arteriotomia* temporum imprimis noto, quod eadem subindè nobile pręsidium sit in contumacioribus malis, speciatim in Cephalęa & Hemicrania desperata, mirabilem habeat successum, uti refert LINDANUS, cujus usum ipsa monstravit natura, vid. *Misc.* A. N. C. *Ann.* 8. *obs.* 72. *pag.* 120. contradicente quamvis WILLISIO *l. a.* Vid. PAREUS *lib.* 16. *cap.* 4. ZACUTUS LUSITANUS *Pr. Admirand. lib.* 1. *observat.* 11. RIVERIUS *Cent.* 2. *obs.* 56. TULPIUS *lib.* 1. *observ.* 48. SCHENCKIUS *lib.* 1. *observat. pag.* 51. & SEVERINUS *Chirurg. Efficac. Part.* 2. *pag.* 41. & 47. item RIVERIUS *Observ. communic. à Jacoz pag.* 318. & *observ.* 31. *à Fonso Comm pag.* 339. ubi habet hemicraniam lateris dextri intolerabilem, quę per arteriotomiam ad ℥v. intra dimidiam horam omninò fuit sanata. Et jam olim GESNERUS *lib.* 3. *Epist.* 96. dolorem hemicranii quotannis redeuntem *secta arteria in tempore* affecto curavit. Refert namque LINDANUS, sibi satis usitatam esse arteriotomiam celebrare in hemicraniis inveteratis desperatis, emittendo interdum in latere affecto largiter ℥v. x. etiam xij. ad ℥xx. vel xxx. sanguinis. Operatio non est difficilis, nec periculosa, modò peritus & artificiosus sit Chirurgus: nec est me-

est metuendum ancurisma, tumor nempè arteriæ, & intra biduum vel triduum hæmatitæ potest sisti; Nam si tantùm *terra vitrioli dulcis* cum *terra sigillata* mista, vel solitaria, vel *cum albumine* ovi subacta, externè applicetur, superinjiciendo fortem ligaturam, intra triduum arteria coalescit: Vid. JOBUS *von* MECKREN. Differt à venæsectione secundùm majus & minus licèt difficiliùs coëat arteria quàm vena, utrobique tamen par ratio postulat fortiora emplastica medicamenta & fortiorem ligaturam: supra temporalem musculum transcurrentes frontem versus arteriolæ spongiâ calente aqua imbuta, abrasis prius accuratè pilis, fovendæ, ægri collum mappa stringendum, capitis situs declivis sit, ut arteriæ intumescant, & transversim incidantur: vid. JOHANNIS *van* HORNE *Microtechne pag.* 151. *& seqq.*

Alias post arteriotomiam, seu loco arteriotomiæ, *Incisio venæ frontis* in Doloribus contumacibus Capitis etiam commendatur: Exempla habet FORESTUS *lib.* 9. *obs.* 11. *in schol. & obs.* 54. ubi observat Cephalalgiam seu Cephalæam antiquam & diuturnam per sectionem venæ in fronte aliis non juvantibus curatam: Sic *obs.* 20. Dolorem Capitis quotannis in autumno admodum affligentem notat curatum per sectam brachii venam, & detonsis capillis in fronte: Item *obs.* 22. *in scholio* vir quadraginta annorum, cùm in occipitio diuturnum Capitis Dolorem habuisset, neque medicamenta juvarent in fronte venæ sectione curatus fuit: Vid. RIVERIUS *Pr. lib.* 1. *cap.* 16. *ubi de cephalalgia*; item *Cent.* 2. *obs.* 21. & BORELLUS.

Loco hujusmodi arteriotomiæ interdum possunt adhiberi *Hirudines* utrinque ad tempora, quarum admotionem commendat ZACUTUS LUSITANUS *loc. alleg. obs.* 9. item pone aures, item ad nucham fieri potest applicatio: Confer. in specie M. A. N. C. *Ann.* 4. *Append. pag.* 51. ubi hemicrania hirudinibus fronti applicatis fuit curata: & *Ann.* 6. & 7. *M. A. N. C. obs.* 9. *pag.* 20. idem effectus ab iisdem, arteriis temporalibus applicatis, fuit secutus.

Mulieri diuturna Cephalalgia sæpiùs recurrente jam per plures annos afflicta, ita ut levi de occasione, vel ex capitis ab aere inclementiore refrigeratione, vel ejusdem propè focum nimia exæstuatione, vel ex instante mensium fluxu, eandem recurrentem pateretur: *Dolor erat per essentiam*; utut enim sub dolore graviore vomitum pateretur, idque cum dolorem levamine aliquali, tamen hic ventriculus propter sui cum capite consensum subvertebatur. Causam remotam noverat nullam, nisi quod sibi puellæ hæmorrhagia narium familiarios fuisset, quâ suppressâ Cephalalgia ista supervenerat. His intellectis cùm alia auxilia essent frustranea, ad *venæsectionem*, vel *hirudinum ad tempora* applicationem, consilium direxi: *frontis venam* incidi non permittebat, constrictionis faucium impatiens, ob id *hirudines binas* utrinque temporibus applicui, & copiosius sanguinem evacuare permisi, bono cum successu.

Item hujus loco pro scopo aversorio Cucurbitulas scarificatas post venæ sectionem in brachio, aut propè scapulas, applicant alii, v. g. FORESTUS; imò ipsi capiti, ut parti affectæ, vid. VELSCHIUS *Episagm. Obs.* 10.

Alias refert RHODIUS *in Cent.* 1. *obs.* 76. quod *incisio venæ inter indicem & pollicem manus* præsentaneum observatum fuerit hemicraniæ remedium, cujus aliquot habet exempla. Quod confirmare potest sententiam RIVERII, qui ad Cephalalgias contumaces *fonticulum inter indicem & pollicem* manus excitatum commendat *in sua Praxi, ubi de Cephalalgia*. Siquidem aliàs in diuturnioribus capitis doloribus aut sæpius recidivantibus *fonticuli* aut in brachio, aut in nucha, aut juxta scapulas, aut ipso loco dolenti ac vertici excitati; non contemnendum sunt remedium (palliativum nimirum: non enim radicitùs curant) quosquidem damnat WILLISIUS *loc. all.* quasi humores magis ad partem affectam traherentur: commendant tamen alii, & quidem per experientiam, scilicet ZACUTUS LUSITANUS *Pr. Admir. lib.* 1. *obs.* 12. FORESTUS *lib.* 9. *obs.* 12. *schol.* PETRUS SALIUS DIVERSUS *in Aliomar. cap.* 11. RODERICUS à FONSECA *Tom.* 1. *Cons.* 63. TULPIUS *lib.* 1. *cap.* 32. RIVERIUS *obs.* 31. à FOMIO *commun. pag.* 379. POTERIUS *Cent.* 3. *obs.* 8. & VELSCHIUS *obs.* 11. sic enim, evacuatâ acri lympha, tandem capiti levamen affertur. Quin imò interdum *vesicatoria* toti capiti raso, vel nuchæ, vel circa aures, vel toti cranio instar cucuphæ sunt applicanda pro cura pertinacium talium Cephalalgiarum à servo natarum, lacerantium aut lancinantium, speciatim nocturnarum: vid. MEARA *in obs. Med. pag.* 128. Simile exemplum reperietis in RIVERIO *Cent.* 1. *observ.* 37. ubi etiam observat Capitis diuturnum Dolorem per vesicatorium instar cucuphæ capiti applicatum curatum: Sic TULPIUS *Cent.* 1. *obsev.* 37. Dolorem Capitis periodicum per vesicatoria occipiti admota curavit: HILDANUS *verò Cent.* 4. *observ.* 6. Dolorem capitis vagum extra cranium contumacem, & alteram tantum capitis partem occupantem, *setaceo* curavit. Cujus tædiosissimi auxilii loco auriculare quasi setaceum aut *fonticulus* infra nucham excitandus venit: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *observ.* 156. Apud veteres subinde occurrit mentio *Fonticuli in capite, in concursu suturæ coronalis & sagittalis* facti, ad graviora capitis & nervosi generis pathemata usurpati, qui jam ferè in desuetudinem abiit, dum cauterio ad os cranii adacto facilè hujus & membranarum cerebri inflammatio excitari possit: cujus tamen medio Cephalalgia inveterata scorbutica curata refertur in M. A. N. C. *Ann.* 3. *obs.* 81. *pag.* 138. Sic POTERIUS *c.* 3. *observat. & curat. cap.* 3. *p.* 210. Dolorem Capitis periodicum in vertice præcisè, ad ciceris tantùm quantitatem se extendentem, sine ullo signo sensibus obvio, post paucam materiam purulentam loco affecto per potentiale causticum aperto curavit. *Mulier gravissima laborabat Cephalalgia frontis ac temporum, descendebat illi per tempora ad malas, post in collum & humeros, ita ut quo se vertere nesciebat.* Idque imprimis nocte à nona hora usque ad tertiam seu quartam matutinam. Causa occasionalis, ut ipsa referebat, fuerat excretio & emunctio materiæ variæ viridis & viscidæ quasi purulentæ per nares, qua deficiente & suppressa, ita ut nares, penitus exsuccæ essent, illi dolor supervenit. Accepit *pilulas Mercuriales*, item *spiritum carminativum de tribus*, qui benè contulit aliquamdiu, sed sine perfecta sanatione. Naribus *oleum nicotianæ* cum pauca *camphora* applicavit, sed frustra. Aliis ergò irritis jussi applicari sibi curaret *Vesicatoria* bina, utrinque juxta aures, quorum beneficio curata fuit. *Juvenis nobilis Cephalalgia gravissima affectus* cum intenso oculorum dolore, nullo licet p. n. in oculis apparente, quæ præsertim vesperi erat gravissima, malum ægro alias subinde familiare. Præmissis primas vias *abstergentibus*, & *spiritu carminativo de tribus*, ordinavi *cataplasma ex fermento acerrimo* misto cum *semine sinapi* contuso, pauco *spiritu vini* addito, nuchæ applicandum (vid. *Idea Formular. Class.* 4. §. 23. & *Colleg. Formular. pag.* .... *sequ.*) idque eò magis, quia oculi simul tumerent. Hujus usum perquam dolorificum, bonum tamen cephalalgiæ remedium, expertus est.

Trepanum tandem quod attinet: Dolorem Capitis hujus medio curatum, videb. in RHODIO *Centur.* 1. *observ.* 69. & 70. In specie AMATUS LUSITANUS *Cent.* 1. *Curat.* 2. refert capitis dolorem intensissimum à lue Gallica jam curata ortum & incurabilem, sed *trepano*, aperto cranio, curatum. Vix tamen, nisi à læsione externa malum, aut suspicio de abscessu latente, admittendum, vid. FORESTUS *l. a. obs.* 31. *in schol.* SEVERINUS *de efficac. Chirurg. pag.* 137. WILLISIUS *loc. alleg.*

Sunt denique, qui in casibus desperatis extra luis Venereæ suspicionem Salivationem commendant, & quidem omnibus probè ponderatis circumstantiis, si non semper cum levamine, certè sine periculo, utut hoc WILLISIUS *loc. alleg. pag.* 293. magnum admodum proclamet.

VII. *Vomitoria* in Cephalalgia, quæ fit *per consensum*, esse tutiora; in ista verò, quæ est per essentiam, nonnisi cautissimè adhibeantur. *Purgantia* in hac conveniunt, quæ inter eminet Colocynthis, radix Jalappæ, scammonium, speciatim *Mercurius dulcis* ritè paratus: Conf. VELSCHIUS *Hecat.* 2. *pag.* 40. in Cephalalgia per consensum stomachi aut uteri aliarumque partium abdominis *pilulæ mastichinæ* & de succino Cratonis sunt optimæ, v. g.

℞. *Pil. Mastichin.* ℈j.
Extr. Helleb. nigr.
Castor. an. gr. v.

Tro-

Trochisc. alband. gr. ij. vel *Extract. eorund.* gr. j.
Cum f. q. *Elixir. Propriet.* f. Pilulæ:
D. S.
Caput purgantes pilulæ.

POTERIUS eleganter usurpat pilulas suas Catholicas ad ℈j. quibus addit gr. iv. laudani opiati; sic enim dolorem sedat & fomitem tollit: Id quod & nos facere possumus, præprimis si in alio doloris capitis pertinacioris casu Mercurius dulcis sit adhibendus; e. g.

℞. *Extr. panchym. Croll.* vel *Helleb. nigr.* (quod magis appropriatum capiti) gr. xv.
Verbenæ gr. vij.
Mercurij dulc. ℈ß. ad gr. xv.
Laud. opiat. gr. ij.
Scamm. sulphurat. gr. ij. vel iij.
Cum f. q. *Ess. Croci* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Extr. panchym Cr.* gr. xv.
Mercurii dulc. ℈j.
Extr. troch. alband. gr. iß.
Cum f. q. *Ess. Croci* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.
℞. *Extr. Helleb. nigr.* gr. xv.
Mercurii dulc. ℈j.
Extr. troch. alband. gr. ij.
Cum *Ess. Succin.* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.

Tardè, sed eleganter, operantur in Hemicrania contumaci.

℞. *Extr. Agaric.* (quod potentissimè caput purgat) ℈ß.
Helleb. nigr. gr. vj.
Aloes rosat.
Res. scammon. an. gr. iij.
Olei destill. anth. vel *Orig Cret.* gutt. j.
M. f. *Pilulæ.*
D. S. ut suprà.

Prosunt in Cephalalgia à pituita & per consensum ventriculi.

℞. *Mass. pilul. aloephang. cum diagr.* ℈j.
Mag. jalapp. gr. vj.
Cum *Ess. Succini* f. Pilulæ.
D. S. ut suprà.
℞. *Extr. aloes tartarif.* ℈j.
Mag. scamm. gr. viij.
f. Pilulæ.
D. S. ut suprà.
℞. *Conf. flor. anth.* ʒj.
Crem. tartari ℈ß.
Sulphuris aurati antimon. gr. v.
Mag. ialapp. gr. iij. vel iv.
M. f. Bolus. S.
Purgans Electuarium capitis pro una vice.
℞. *Conf. flor. anthos* ʒj.
Mag. ialapp. ℈ß.
Extr. troch. alband. gr. j.
M. f. Bolus:
D. S. ut antè.

VIII. Ex Alterantibus, præter decocta lignorum *suprà laudata*, quibus semper Rosmarinus addendus est, conveniunt succinum & *succinata* quælibet. In specie ejus *sal volatile*, & cum eo paratus liquor cornu cervi, est nobilis in Cephalalgia, sive per essentiam fiat, sive per consensum ventriculi aut uteri: permiscetur sal hoc volatile commodè cum Cinnabari, tam nativa, quàm artificiali antimonii, & cum hac parato cephalico specifico, aut cum Bezoardico Joviali aut Lunari; aut etiam his additur aliquantulum de laudano opiato; item *diaphoretica antimonialia*, & salia *volatilia urinosa* jungenda, & imprimis Camphora subinde permisceri potest, & sic fit pulvis compositus ad cephalalgiam. Est enim *camphora* mirabile remedium in Cephalalgia à causa calida, si unum alterumve ejus granum internè usurpetur, aut externè *spiritus vini camphoratus* crocatus aut theriacalis crocatus, aut *oleum camphoræ* in epithematibus aut unctionibus applicetur, quod à PARACELSO admodum commendatur. His etiam tinctura vel *Essentia lunæ genuina* meritò accenseri potest. Tandem spiritus vitrioli volatilis, vel per se, vel addito spiritu vini paratus, est egregius & in frequenti usu. Quibus simul annumeranda est herba Theæ, ejusque decoctum, MOEBIO, & TULPIO *lib.* 4. *obs.* 60. ad dolores Capitis quoscunque admodum commendatum; si nempè

℞. Dictæ *Herb. Thee* ℥ij.
Coqu. f. q. *vini* aut *aquæ simpl.*
Colatura leniter filtretur, & addatur aliquid *Sacchari.*

Sumitur calidissimè imprimis à cœna vel prandio, & breviter quemcunque Dolorem capitis lenit.

℞. *Pulv. Bezoard. Lud.* vel *succini præp.* ℈ß. ad gr. xv.
Cinnab. antimonij ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
Olei destill. ligni Sassafr. gutt. 1.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis caput leniens.
℞. *Cinn. antimonij* vel *nativ.* ℈j.
Extr. ligni aloes gr. xij. vel xv.
Castor. gr. viij. vel ℈ß.
Laud. opiat. gr. iv. vel v.
M. f. Pil pro 4. dosibus;
D. S.
Pilulæ caput lenientes.
℞. *Conf. flor. salviæ,*
Anthos,
Tunic. an. ʒvj.
Succin. catarrhal. ʒj.
Cinn. Antimonij vel *nativ.* ʒß.
Spec. diambr.
Diamoschi dulc. an. ℈ij.
Cum *Syr. flor. Tunic.* f. Electuarium;
D. S.
Electuarium caput confortans.
℞. *Aquæ Ceras. nigr.*
Verben. an. ℥j.
Lil. conval. cum Vin. ʒvj.
Liqu. Cornu Cervi succin. ℈ij.
Syr. Betonic. ʒiij. vel ℥ß.
M. S.
Potio caput confortans.
℞. *Spiritus cornu cervi cum sale vol.* vel *liqu. cornu cervi succin.* ʒiij.
Ess. opii tartarif. ʒj.
M. S.
Essentia caput leniens.
Dosis gutt. 40. vel 50.
℞. *Liqu. cornu cervi succinat.*
Ess. Castor. an. ʒij.
M. S. ut antè.
℞. *Quintæ Essentiæ Rorismar.* ʒiß.
Lavend. ʒiß.
M. S. ut antè.
Dosis gutt. 20.
℞. *Ess. Castor.* ʒij.
Absinth. ʒj.
M. S. ut antè.
Dosis 40. guttulæ.

Convenit item essentia castorei composita ex ana Castorei, zedoariæ & salviæ, cum spiritu salis ammoniaci vinoso extracta. Vel

℞. *Elix. Propr. sine acid.* vel *tartarif.* ʒij.
Ess. rorismar.
Succini an. ʒj.
M. S. ut suprà.
Dosis 30. ad 40. guttulas.
℞. *Ess. Castor. compos.* ʒij.
Succini,
Liqu. cornu cervi succinat. vel *spiritus Bezoard. Buss.* an. ʒj.
M. S. ut suprà.

Prodest in cephalalgia catarrhali. Vel

℞. *Ess. catarrhal.* ʒiij.
Castor. vinos ʒj.
M. S.
Essentia in cephalalgia catarrhali.

Item
℞. *Ess. succin.* vel *Catarrhal.* ʒij.
Spiritus sal. ammoniaci anis.
Succinat. an. ʒj.
M. S. ut antè.

Varien-

Varientur formulæ pro varietate causarum.

IX. Quod aliàs attinet *Externa*, in genere contra Cephalalgias usitata, celebris est insigniter *Verbena*, quæ est celeberrimum remedium ad quemcunque Dolorem Capitis, sive interno usu ejusdem aqua aut essentia usurpetur, sive externè ipsa planta, tàm recens contusa & in forma cataplasmatis, quàm succus, ac linteis duplicatis, fronti & temporibus applicetur; sicuti etiam herba amuleti instar appensa pertinacissimum Capitis Dolorem sistit; de qua virtute contra cephalalgias amuletica singularissima vid. FORESTUS *lib. 9. obs. 51.* utut non æquè ubique succedat. Sunt tamen qui *floribus Papaveris rhœados* non minorem, quàm modò laudatæ *Verbenæ*, laudem contra Cephalalgias tribuunt: Confer. M. A. N. C. *Ann. 4. Append. pag. 33.* Et sanè aliquando cephalalgiam pertinacem nocturnam *floribus papaveris rhœados* leviter contusis fronti & temporibus applicatis curavi. Juxta verbenam est *Betonica*, anodyna & egregia ad Dolores Capitis, nonnihil narcotica: de qua vid. Bartholinus de Betonica.

℞. *Betonicam*:
Coque in *Vino*.

Colatura apponatur capiti per noctem, in dolore capitis ex apostemate.

Vel ubi virtute anodynâ, discussione & resolutione, opus est:

℞. *Herb. beton.* M. ij.
Absinth. M. j.
Cubebar. ℥ij.
Vini ℔ij. vel q. s.
Decoqu.

Colatura hauriatur, vel instar Epithematis applicetur Capiti; removet egregiè Dolorem.

Sedum majus, item Matricaria recens contusa, & fronti applicata, Capitis Dolorem sistit, modò illius odorem ferre possit æger. *Radix Rhodia* etiam non inelegans experimentum est PETRI à CASTRO, Medici Veronensis, qui pertinacissimo capitis dolore recipit *Radicem Rhodiam recentem*, eamque cum lapideo pistillo contritam irrorat cum *aquæ Verbenæ & flor. sambuc.* ana, cataplasmatis instar fronti applicat. Integra etiam planta contusa sub forma cataplasmatis fronti circumponitur.

Vel

℞. *Rad. Rhod.* ℥iß.
Flor. papav. errat.
Rosar. an. M ß.
Capit. papav. Num. iij.
Incisa & contusa coqu. in *aqua simpl.*

Colatura applicetur tepidè fronti & temporibus.

Alii loco radicis hujus *pulverem radicis zedoariæ* recipiunt, & cum aquis appropriatis capiti applicant: v. g.

℞. *Aquæ Verben.*
Flor. sambuc.
Aquæ beton. an. ℥j.
Pulv. zedoar. ℥ß.
M. D. S.
Epithema capiti applicandum.

Et ita applicetur capiti, tam fronti, quàm ubi ita visum fuerit, etiam nuchæ. Sed hoc saltem valet in Cephalalgiis ex causa frigida.

TIMÆO *von GuldenKlee in epist. pag. 195.* in usu fuit tale Epithema:

℞. *Aquæ Verben.* ℥j.
Beton.
Sambuc. an. ℥ß.
Pulv. rad. Rhod. aut *ligni Rhod.* ℈ij.
Acet. rosac. ℥vj.
M. pro Epithemate Cephalico.

Hisce addatur ejusdem PATRI à CASTRO euporiston, nempè cortex medianus trunci arboris juglandis, qui contusus, & cum pauco sale mistus, utrinque temporibus applicatus ad quoscunque capitis dolores ab eo fuit usurpatus. Pertinent huc in specie & ea quæ *aliquali vi narcotica* plus minus pollent: qualia sunt semina Papaveris, anethi, nuclei Persicorum, vel semen hyoscyami & similia: ex quibus fiunt emulsiones, quæ nunc intrinsecùs propinatæ, aut, quod ferè frequentiùs, extrinsecùs sub forma epithematis applicatæ, admodum conveniunt: verbi gratiâ

℞. *Sem. anethi* ℥iij.
Nucl. Persic. ℥ij.
Sem. Papav. alb. ℥iß.
Cum s. q. *aquæ Verben. Beton. & flor. Persic.*
f. Emulsio.
D. S.
Emulsio circa caput.

Hæc tepidè linteis multiplicatis adhibetur fronti & temporibus ad sistendam Cephalalgiam.

Vel

℞. *Nucl. Persic.* ℥ß.
Sem. papav. alb. ℥ij.
Cum s. q. *aquæ Verben. beton.* vel *flor. nymph. & solani* f. Emulsio.
D. S. ut suprà.

Epithematis formâ tepidè cum linteis duplicatis fronti & temporibus applicanda, ad sistendam nimiam cephalalgiam.

℞. *Nucl. Persic.*
Sem. papav. alb. an. ℥iij.
Anethi ℥ij.
Hyoscyam. ℥iß.
Cum *aqua flor. Sambuc. & Chamomill.* f. Emuls.
D. S. ut suprà.

Vid. quoque *Idea Formul. Class. 3. §. 6. & Colleg. Formular. p. ....* Possunt etiam tales Emulsiones fieri recipiendo loco liquoris in dictis emulsionibus decoctum rad. rhodiæ, vel verbenæ, vel betonicæ, vel similia: quibus cum decoctis ex istis seminibus emulsiones efficaciores componuntur. Imprimis *semen hyoscyami* potens est remedium pro placando dolore capitis, uti quocunque, ita in specie scorbutico; unde quidam ceu certissimum hoc laudant:

℞. *Sem. hyoscyam.* ℥j.
Acet. rosac. ℥v.

M. in phiola benè obturata, & ponantur in digestionem Balneo Mariæ per 5. aut 6. horas, ita tamen, ut ne bulliat.

Posteà accipe fasciam ex linteo subtilissimo, quæ ligetur capiti infirmi, atque cum spongia, hoc aceto madida, humectetur fascia, sicque subitò dolorem capitis tolli asserunt.

Tandem & Litus seu Inunctiones conveniunt, ubi eminet unguentum alabastrinum, quod admodum laudatur in quavis Cephalalgia, ex quacunque etiam causa nata, sive sit per consensum, sive ex contusione, sive ex alia causa, in specie in Cephalalgia quarumcunque febrium, à quamplurimis, præsertim FORESTO *in lib. 9. obs. 33.* cui pro circumstantiarum ratione nunc oleum papaveris expressum, nunc oleum hyoscyami expressum, nunc unguentum populeum, nunc camphora, nunc aliquid de laudano opiato, nunc aliud simile, addi potest; E. g.

℞. *Olei expr. sem. papav.* ℥j.
Nucl. Persic. ℥iß. vel ℥ij.
Hyoscyami,
Destill. aneth. an. ℈j.
(vel *olei destill. aneth. & chamom.* an. ℈ß.)
Cum s. q. *Ceræ*, vel *ol. nucistæ expr.*
F. Linimentum, temporibus applicandum,
D. S.
Unguentum ad Caput.

Vel

℞. *Olei hyosc. cum oleo pap. compos.* ℈j.
Expr. Nucist. q. s.
M. S.
Balsamus capitis dolores sedans.

Item, quod in familiari usu habuit D. MICHAELIS:

℞. *Extr. sive succ. inspiss. Verben.* ℥j.
Olei expr. Hyoscyam. ℈ß. (plus minus, prout requirit occasio vel dolor,)
M. & f. Linimentum.

Inungetur caput & tempora in Doloribus Capitis, præprimis scorbuticis.

Vel

℞. *Extr. Verben.*
Anethi an. ℈ij.
Olei expr. Papav. alb.
Hyoscyam. an. ℈ß.
Destill. Aneth.
Chamomill. an. gutt. v.
M. S.

Unguen-

Unguentum ad caput.
℞. *Olei expr. nucl. Persic.*
Sem. Papav. an. ℥j.
Hyoscyam. ʒß.
Destill. Aneth. ℈ß.
M. S.
Oleum dolores sedans.
℞. *Ungu. alabastr.* ʒij.
Medull. crur. vit. ʒj.
Olei expr. Papav. ʒß. vel ʒj.
Hyoscyam. ʒß.
Cum s. q. *Ceræ* f. Unguentum.
D. S.
Unguentum dolores sedans.

Sed hæc & similia *narcotica externa*, uti in genere Dolores sistunt Capitis, ita in specie non nisi urgente graviùs dolore, locum habent, idque magis in accidentalibus quàm habitualibus, tutiùs verò in doloribus *per consensum*, item in doloribus, qui comitantur morbos acutos, conducunt; sicuti dolores Chronici, aut Cephalææ, aut clavi, minùs hujusmodi curari, leviter saltem palliari solent. Potius in chronicis doloribus seu diuturnis egregia sunt emplastra appropriata, v. g. *de Tacamahaca cum balsamo Peruviano* malaxata, & capiti raso in forma emplastri applicata, quod etiam conuenit in doloribus scorbuticis. Loco balsami Peruviani substituatur oleum destillatum succini, imprimis, qui affectibus cerebri & neruorum sunt obnoxii. Sed hæç sunt generalia.

X. Cum verò pro varietate causarum & circumstantiarum subindè varianda sint remedia, propterea ad *Cephalalgiam*, quæ oritur *ex sanguine*, ejusque motu *effervescente aucto & febrili*, conuenit sanguinis missio uariis modis adornanda, de qua *suprà Nota* VI. dictum. Antequam tamen sanguis educatur, clystere aluus expurgetur, postmodum uerò interna propinentur, quæ febriles paroxysmos aut sanguinis turgescentiam soluunt, nempè diaphoretica blanda, acidum temperantia, ex absorbentibus, modicèque condensantibus, v. g. lapidibus cancrorum, unicornu fossili, terra sigillata, &c. Quibus alterationis gratiâ decocta & Julepi cum blandis acidis, de quibus in curatione febrium dictum, jungere conuenit. *Externè* verò conuenit *succus sempervivi* majoris aut *portulacæ* cum pauco *aceto rosaceo*, (si enim multum aceti sumitur, facit ægros agrypnos;) fronti ac temporibus, item testiculis, instar epithematis applicatur, sed calidè; Nam omnia epithemata tepidè admouenda. Conuenit etiam emulsio seminis papaueris albi, cui aliquantulum camphoræ additum fuerit. Vel conuenit *Epithema* cephalicum *Hartmanni* cum *camphora*, quod habet *in Prax. Chymiatr. lib. 2. cap. 1. de Cephalalg.* §. 18. uel quod describit §. 7. Imprimis Epithemata ex gammaris fluuiatilibus contusis & applicatis, aut ex succo cancrorum fluuiatilium expresso instar epithematis usurpato, egregia & singularia sunt in Cephalalgia febrili: quibus ipsis etiam sub contusione acetum rosaceum, aut aqua papaueris rheados, spermatis ranarum, phlegma uitrioli, aut aliç quędam aquç appropriatç, addi possunt: sicuti etiam *unguentum populeum* uel *alabastrinum* cum oleo papaueris expresso, uel anethi, non sine fructu illinitur: Quibus in declinatione addenda magis appropriata, v. g. radix & herba uerbenç, radix Rhodia, zedoariç, item opiata: v. g.

℞. *Ungu. ros.* ʒß.
Olei expr. sem. papav. ʒij.
Hyosc. ʒd.
Nuc. Mosch. ʒj.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum cephalicum.
℞. *Ungu. alabastr.* ʒiij.
Olei papav. expr. ʒß.
Hyosc. expr. ℈j.
M. S.
Ut ante.
℞. *Ungu. alabastr.* ʒiij.
Theriac. Androm. uel *Philon. Rom.* ʒß.
Olei express. nucis mosch. ℈ß.
M. D. S. ut pręcedens.
℞. *Ungu. popul.*
Alabastr. an. ʒij.
Extr. Verben. ʒiß.
Camph. ℈ß.
M. D. S. ut suprà.
℞. *Succ. cancr. fluv. rec. expr.* ℥iij.
Aquæ beton.
Flor. Chamom.
Sambuc. an. ℥j.
Pulv. Zedoar. ʒij. uel ʒß.
M. f. Epithema,
D. S.
Epithema cephalicum externum.
℞. *Succ. cancr. fluv. cum aqua Verben. extr.* ℥iij.
Sal. ammoniaci ʒiß.
Pulv. rad. Rhod ʒij.
M. pro Epithemate.
D. S. ut ante.
℞. *Herb. Verben.*
Violar. an. Mj.
Flor. rosar.
Sambuc.
Violar. an. Mß.
Includantur sacculo, *vino acidiusculo* incoquendo.
D. S.
Sacculus capiti applicandus.
℞. *Nucl. Persic.* ʒij.
Sem. papav. alb. ʒj.
cum s. q. *aquæ Nymph.* f. Emulsio: adde
Succ. cancr. fluv. uel *Verbenæ* ℥ij.
Spiritus theriacal. camph. ʒß.
Pulv. Zedoar. ʒiß.
M. S.
Epithema cephalicum.
Vel juxta PLATERUM *lib. 2. Obs. pag.* 368.
℞. *Empl. de beton.*
Alabastr. an. p. ß.
De ran. cum mercurio p. 1.
Misc. pro Emplastro: S.

Quibus si acrimonia conjuncta, interponantur absorbentia sępiùs recensita.

Quod si in febribus ob nimios dolores Capitis metuantur deliria aut conuulsiones, adeoque, ut aliàs dicunt, raptus materię ad caput:

℞. *Fol. rutæ rec.* M. ij. uel iij.
Rad. raph. incis. Num. ij. uel iij.
Salis comm. M. j.
Ferm. acerr. M. ij.
Acet. rutac. q. s.
M. f. Pulmentum: S.
Emplastrum plantis pedum applicandum.

Quod applicetur plantis pedum, item capiti, & repetatur, si exsiccatum fuerit. Reuulsorium est remedium ratione irritationis, unde in comate uigili febrium egregium est.

Vel
℞. *Fol. rutæ* M. iß.
Fimi columb. ℥j.
Salis comm. ʒß.
Ferm. acerr. ℥ij.
Cum *aceto flor. sambuci* f. Cataplasma,
D. S. ut suprà.
Vid. BARBETTE *in Obs. de Peste*:
℞. *Rosar. cum sale condit.* ℔j.
Nitri ʒiij. ad ʒß.
Camph. ʒß.
M. f. Cataplasma.
D. S. ut suprà.

XI. A *seri* vel *copia* vel *acrimonia peccante* si Dolor urget, pro illius affluxu sedando in subjectis plethoricis conuenit antè omnia venæ-sectio, quatenus vasis exinanitis serum non adeò copiosè transudat, quodque ejus exstillavit, à venis faciliùs resorbetur. Extra quem tamen casum post clysteris injectionem, aut laxantis blandioris usum, vesicatoria ceruici aut pone aures, imò in dolore atrociori toti capiti applicentur: vid. RIVERIUS *Cent. 1. observ.* 37. TULPIUS *lib. 1. cap.* 13. & MEARA *Hist. pag.* 128. simulque per opiatum ulterior affectus & dolor mitigetur, usque dum hoc aliquantum sedato reliquias serosas per potentiora purgantia, diaphoretica, & diuretica, educere liceat. Pro recidiva verò evitanda fonticulus in brachio aut crure excitetur, prout scillicet aliæ circumstantiæ hunc locum determinabunt. Purgatio-

gationis scopo, insequuntur Hydragoga communiter dicta, in principio tamen mitiora, scilicet radix Jalappæ, scammonium, massa pilularum de succino Cratonis, luna hydragoga, &c. Diaphoresi verò atque diuresi lignorum decocta & essentiæ cum catarrhalibus & neruinis aromaticis & diureticis miscenda, v. g. decoctum catarrhale, in *Id. Formul. class.* 4. §. 11. *pag.* 571.

Vel

℞. *Rad. enulæ*,
Caryophyll.
Sarsæpar. an. ℥vj.
Ireos Flor.
Ras. ligni Sassafr. an. ℥ß.
Herb. rorismar.
Salv.
Cherefol. an. M. ß.
Galang. ℥ij.
Sem. fœnicul. ℥iij.
Coq. in s. q. *Aquæ*:
Colat. ℔ijß. adde
Syr. Betonic. vel *papav. errat.* ℥ij.
M. D. S.
Decoctum catarrhale cephalicum.

De hoc ℥ij. vel iij. bis, vel ter de die propinentur.

XII. Quod attinet *Dolorem capitis fixum & nimis contumacem*, seu *Cephalalgiam*, quam vocant à *causa frigida*, seu potiùs *Cephalæam, à materia viscida aut glutinosa ac acri* hinc inde impacta, in specie in *Cephalalgia senum*, præter sudorifera lignorum decocta, aut similia medicamenta sudorifera, de quibus *iam antè dixi*, confert imprimis *balsamum* & oleum destillatum *succini* vertici illitum. Item præ cæteris præstantissimum est *Emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio*, capiti raso impositum, quod ratione Mercurii penetrat, & causam viscidam acidam corrigit, quo ipso desperatas cephalæas curavit PLATERUS, qui videatur in *Observat. pag.* 371. & *Praxi*. Parandum est hoc emplastrum more consueto, nunc dosi ordinariâ, nunc dosi duplicatâ Mercurii, & summum est remedium Mercurius viuus, usurpatur vel solitariè, vel malaxatum cum balsamo Peruviano, oleo Irino, destillato succini, unguento alabastrino, &c. Item *emplastri* hujus p. 1. potest addi *emplastri de betonica & unguenti de alabastro* p. ß. & sic horrendam Cephalæam PLATERUS *loc. cit.* mirabiliter curavit. Ipse aliquando in vetula octogenaria, quæ jam ab aliquot annis continuâ & gravissimâ occipitis laboraverat Cephalæâ, felici cum successu hoc *emplastrum*, *malaxatum cum oleo succini*, usurpavi. Convenit etiam *in discessione suturarum* cranii, affectu pericoloso & difficili; unde Principissæ Isenacensi discessionem suturarum, aliis irritis, curavit D. MICHAELIS mediante hoc emplastro, & clysmatibus acrioribus, & usitatis tantummodo, in quibus tamen præscripsit dissolvenda sequentia: Nempè

℞. *Elect. hier. picr. cum agar.* ℥jv.
De bacc. laur. ℥ij.
Pulv. rad. belleb. nigr. ℥iß.
Fell. tauri insp. ℥iij.
Misc.

Cujus uncias duas semper clysmati domestico addendas jussit; quæ clysmata crebriùs fuerunt repetita. Capiti uerò ad imitationem PLATERI (ut ipse D. MICHAELIS professus est) hoc *emplastrum* applicari præcepit.

℞. *Empl. de ran. Vigon. cum mercurio* ℥iß. ad ℥ij.
Cerat. de beton. usit. ℥j. ad ℥iß.
Probregm. ℥ij. ad ℥vj.
Mista malaxanda cum *Unguento alabastrino*.
(loco cujus *oleum succini* commodè etiam sumi potest)
Inducatur super *alutam*, & applicetur capiti in forma Emplastri.

Quod ipsum modò dictum *Emplastrum*, & *de ranis cum Mercurio*, egregiè etiam conuenit in *Doloribus Capitis nocturnis contumacibus* Gallicis seu Venereis, hujusque mali reliquiis: vid. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Epist.* 55. Ita tamen ut ex SILVATICI consilio stillicidium quoque aquæ calentis sulphureæ huic substitui queat: vid. RHODIUS *Cent.* 1. *Observ.* 75. Non negligenda illa, quæ primario morbo appropriata deprehenduntur remedia, à qua etiam applicatione decente omnes Cephalalgiæ per consensum exortæ tolluntur. *Aliàs in hac suturarum discessione* jubet MINDERERUS *in Medic. Milit. pag.* 327. præmissâ forti capitis ligaturâ & postmodum derasis capillis, *ceratum ex pelle arietina* cum *gummi elemi*, & pauco *cerato de betonica* loco affecto BOOTIUS applicare, & egregiè confert: Vid. quoque *loco supra citato*. In genere in Cephalalgiis ubi subest suspicio peccantis materiæ crassæ, viscidæ, acidæ, &c. ex vitio digestionis privatæ, ibi non habetur melius emplastrum, quàm hoc, idque imprimis propter *Mercurium* penetrantem, & optimè resoluentem; fluxilem enim facit materiam istam, quæcumque etiam sit, & vocetur ut jubet. Alternandumque hoc etiam erit cum Decocto ex speciebus cephalicis, lixivio & vino parato, quale PLATERUS *l. a.* commendat: Aut

℞. *Herb. rorismar.*
Verben.
Betonic.
Flor. Chamomill. Rom. an. M. ß.
Coqu. in *Vino* pro Epithemate.
D. S.
Epithema cephalicum.

Aut

℞. *Empl. de ran. cum mercurio* p. ii.
Beton. p. i.
Malax. cum *olei destill. Anethi*:
D. S.
Emplastrum cephalicum.

XIII. Aliàs, ubi opus est discussione, & hujus medio doloris sedatione, item resolutione in Cephalalgia ex causa frigida, speciatim externo frigore, optimè conducunt *sacculi ex milio & sale communi*, qui sunt egregii, & mirè commendantur à LINDANO; nempè

℞. *Milii leviter tosti* p. iv.
Salis communis similiter *leviter tosti* p. i. vel ii.
Ex quibus fiant sacculi, suffumigandi cum gummi animæ, & ita applicentur capiti.

Varia appropriata possunt pro varietate circumstantiarum, verb. gr. origanum, cum floribus chamomillæ, thymus, flores sambuci, verbena, betonica: vid. FORESTUS *l. a. Observ.* 21. *in schol.* Exempli grat.

℞. *Milii tosti* M. j. vel ij.
Salis comm. parum tosti M. ß. vel I.
Herb. Verben. vel *beton.* vel *flor. samb.*
Flor. Chamomill. an. M ß. vel M. j.
Pulv. rad. Rhod. ℥ß.
M. f. Sacculi interpassati,
calidè capiti applicandi, & ita gestandi;
D. S.
Sacculus contra dolores.

℞. *Milii tosti* ℥vj.
Salis tosti ℥iv.
Herb. thymi,
Flor. sambuc. an. Mj.
Zedoar. ℥j.
Includ. 2. sacculis interpass.
D. S.
Sacculus ad caput.

Vid. *Idea Formul. class.* 4. §. 10. & *Colleg. Formular. p.* ... Conducunt etiam tales sacculi imprimis in doloribus capitis continuis senum, quibus admodum sunt appropriati. In quibus & similibus gravioribus capitis doloribus etiam vesicatoria occipiti & nuchæ, interdum ponè aures applicata, conferunt.

XIV. *Quod si Dolor Capitis sit à causa externa*, ex *vulnere* vel *casu ab alto*, aut ex contusione, hincque relicta debilitate, ibi optimè convenit *Ceratum Alexandri Benedicti*, mediante quo curavit senem, qui ex percussione trabis quindecim dies & noctes obmutuerat; Nempè

℞. *Gummi bederæ* vel *elemi* ℥iij.
Resin. purgat. ℥ß.
Ceræ,
Terebinth. an. ℥iij.
Ol. rosac. ℥iiß.
Gummi animæ aceto sol. ℥j.
Succi corymb. beder. ℥iv.
Farin. fabar. q. s.
Ex quibus omnibus tritis f. Emplastrum.

Hoc

Hoc egregium est in Doloribus Capitis ex contusione, casu, &c. Vid. de hoc etiam HENRICUS ab HEER *in Observ. Obs.* 21. item FORESTUS *lib.* 9. *Obs.* 35. *in schol.* & VALERIOLA *lib.* 5. *Obser.* 9.

Aliàs ad dolores ex percussione, etiam unguentum alabastrinum proficuum observatum fuit. Convenit etiam sacculus Hartmanni ex succino pulverisato, cum essentia piperis irrorato; aut tacamahaca cum oleo succini in emplastrum redacta.

XV. Quod si *Cephalalgia sit à vermibus*, horumque adsint suspiciones, sive in cerebro geniti fuerint, sive per loca externa ad cerebrum usque transierint, in tali casu gravis labor & Medico & ægro subest. Nemo ejus curandi methodum meliùs præscripsit, quàm HILDESHEIM, qui pertinacissimam à vermibus ita curavit: Habuit curè ægrum graviori Cephalalgiâ correptum, in quo cùm, *præmissis universalibus* & copiosis vermibus per alvum rejectis, nihilominus in gravi Capitis Dolore persisteret, ipse verò non vulgarem suspicionem haberet vermium in capite, propterea ante omnia sincipiti applicavit *emplastrum* tale:

℞. *Pulv. aloes*,
Lumbr. terr. an. ʒij.
Fell. tauri ʒj.
Ol. Absinth.
Ceræ an. q. s.
M. in forma Emplastri.
Extendatur super alutam, & sincipiti applicetur.

Hinc pro faciendo fumo *Pulverem* ordinavit:

℞. *Pulv. Centaur. min.*
Marrub.
Beton. an ʒij.
Zedoar. ʒß.
Rad angel. ʒij.
Succini ʒj
Antimonii crudi ʒj.
Milii ʒiß.
(forsan sub nomine milii *Zingiber* intelligitur.)
Boli Arm. ʒj.
Aristol. rotund. ʒij.
Absinth. ʒij. vel ʒiij.
M. f. pulv. grossus pro fumo.

Cùm hoc *emplastro* usus esset, & fumum ter quaterque naribus & ore excipiendum admisisset, tandem tredecim oblongi vermes villosi seu lanuginosi vivi instar erucarum sive oniscorum per fauces, nares & aures prodierunt, quos ipse digito apprehensos extraxit. Continuavit modò dicta, unde tantos dolores & cruciatus posteà non sensit, quantos anteà; sed tamen omnes nondum semotos dicebat ipse, cùm adhuc in sincipite laterent aliqui: unde post aliquot menses prodierunt adhuc duo, non tamen ita magni ac priores, & ita ægrum restituit. Vid. HILDESHEIM *in Spicil* 1. *de Affect. cap. pag.* 45. Ad hujus imitationem, si suspicio est vermium, Medicus similia potest invenire & applicare. Quod etiam facit ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Admirand. lib.* 1. *Obs.* 7. ubi potentiore sternutatorio ex pipere & castoreo vermem, Cephalææ diuturnæ causam, rejectum testatur. Item hujus loci est fumus myrrhæ & spiritus vini, in quo nigellæ semen infusum, auribus immissus, quorum SCHENCKIUS *Observ. pag.* 176. meminit; item SALMUTH *Cent.* 2. *observ.* 39. qui suffitu amarorum & antimonii vermes per nares eductos refert. Sin oriantur à calculis, malum à priori non est curabile, nisi natura vias inveniat, & calculos foras protrudat.

XVI. *Cephalalgia* ab ebrietate & crapula, aliisque *ventriculi cruditatibus*, præmisso vomitorio, vel purgante, stomachicis atque nervinis sedatur: e. g.

℞. *Pulv. rad. asari*,
Crem. tartari an ʒß.
Gummi de Peru corr. gr. v.
Olei destill. macis gutt. ij.
M. S:
Pulvis cephalicus & stomachalis pro una vice.

Inter stomachica convenit piper, vel integrum vel in partes divisum, deglutiendum, quia absumit cruditates in ventriculo; item mastix & hujus spiritus, essentia ligni aloës, spiritus vitrioli cephalicus, &c.

℞. *Elix. Propr.* ʒiij.
Spiritus vitrioli cephal. ʒj.
M. S.
Elixyr cephalicum & stomachale.

Hinc non adeò paradoxon videtur, quod CARDANUS *Art. Parv.* refert, contumacem Dolorem Capitis cerato ventriculo imposito sedatum. Item quod VELSCHIUS *loc. all. obs.* 12. hemicraniam pane succo granatorum imbuto intra triduum solutam testatur: Vid. FORESTVS *lib.* 9. *obs* 44. 45. & 46. In Cephalalgia *ab Ebrietate & Crapula* conuenit *Piper*, uel integrum, uel in partes diuisum, deglutiendum, quia absumit cruditates in *ventriculo*. Item caput leuiter irrorandum, testes uerò in *aquam frigidam aceto* mistam immergantur. Pari methodo tractandæ sunt Cephalalgiæ *ex liene, utero, scorbuto*, &c. obortæ, morbi scilicet primarii ante omnia semper rationem habendo.

XVII. Grauissima species Cephalalgię est *Hemicrania*, in qua præter *arteriotomiam* temporum, quam ualdopere suadet LINDANVS *in Colleg. Pract. super Hartmann. lib.* 2. *cap* 1. § 17. & aliis irritis aliquoties expertus est PAREVS *lib* 6. *cap.* 4. aut *hirudinum* applicationem ex LINDANO & RIVERIO *supra laudatam*, aliaque uniuersalia *supra memorata*, experimentum singulare est cataplasma factum ex *radice cucumeris asinini seu sylvestris*, aut bryoniæ cum *verbena & absinthio*, quod applicandum est lateri dolenti, tanquam euporiston à quamplurimis usitatum & commendatum; uel ex eadem *radice* additis emollientibus fiat Cataplasma, in specie pro soluenda Hemicrania per abscessum ac suppurationem, de quo uid. *curiosa obs.* HORSTII *lib.* 2. *obs.* 10. Vel loco talium Cataplasmatum, quæ sunt difficilia, etiam fieri potest tale *Decoctum* pro fotu hoc modo:

℞. *Rad cucum. asin. rec.* ℥j.
Herb. Absinth. M. ß.
Flor. Violar. p. 1.
Coqu. in ana *Vini* & *Aquæ*.

& *decoctum* colatum subinde applicetur loco dolenti in hemicrania; quod egregiè confert.

℞. *Rad. Cucum. asin. rec.* ℥j.
Fol. absinth.
Verben. an. M. j.
Coqu. in s. q. *aquæ*:
Colatura applicetur, uti dictum.

Nempe fit hoc ad imitationem Medici ueteris PAVLI, qui in hemicraniis recipiebat *radicem cucumeris sylvestris viridem* minutim concisum, & *absinthium*: Hæc incoquebat *Hydrolæo* ad putrilaginem usque. Cum *hydrolæo* hoc calente mediocriter partem dolentem inungebat, hinc *radicem & absinthium* desuper applicabat. Loco hujus radicis *cucumeris sylvestris* convenienter etiam *radix bryoniæ* veræ recipi, & feliciter usurpari potest; si nempe.

℞. *Rad. bryon.* ℥j.
Fol. absinth. M. ij.
Coqu. in *aquæ*.

In decocto spongia noua subinde immergatur, & calidè locus dolens foueatur, idque aliquoties, inungendo postmodum *unguentum alabastrinum*.

Sanè FORESTVS *l.* 4. *obs.* 13. GABELCHOVERVS, FONSECA, & plures alii Practici, multum commendant *radicem cucumeris asinini* ad hemicraniam. His quoque irritis, præprimis ubi pituita uiscida, hinc frigoris sensus obseruatur, adhibentur oleum Euphorbii seu costinum, item sequens Linimentum, quod FORESTVS *lib.* 9. *obs.* 7. & 58. *in schol.* describit, & ceu singulare commendat ad Hemicraniam:

℞. *Euphorb.* ʒj.
Ol. dulciss. ℔j.
Dissolu. & ebulliant inuicem:
post modum adde
Ceræ ℥iij.
f. Vnguentum.

Hoc ipso linimento dimidię frontis & temporis parti & musculis temporalibus in hemicrania commodè inungitur, & admodum conuenit ad hemicraniam, imprimis frigidam, ut uocant.

Aliàs euphorbium aceto dilutum, applicant lateri dextro, dolente sinistro, aut contra; nam & sic conferre dicunt: vid. etiam BINNINGER *in obser.* Item

℞. *Aquæ rorismar.*
Salviæ,
Serpilli an. ℥j.
Spiritus theriacal. vel *serpili*, vel *lilior. conv.* ʒß.

Spir. Cornu cervi vel *sal. ammoniaci* cum *calce viva* ℥ij.
Misc. S.
Aqua cephalica externa.

Aliis irritis multi ad arteriotomiam, item ad sectionem venæ frontis confugiunt, de quibus consulendi Practici.

XVIII. Denique in Dolore *Capitis mulierum ex utero*, seu *Dolore occipitis frigido*, specificus est *sacculus Hartmanni ex succino* pulverisato, & spiritu vini, vel *essentia piperis*, cum spiritu vini extractâ, irrorato, *citato loco* §. 19. & ita crebriùs applicetur. Sicuti etiam *emplastrum ex tacamahaca* cum *succino*, & oleo succini malaxatum admodum convenit in talibus muliebribus doloribus, rasis capillis loco dolenti applicatum, vid. BARTHOLINUS *Cent. 3. Epist. 14.*

Hæc externa semper cum internis usurpentur, quia sola non sufficiunt.

ARTICULUS VIII.
DE
DOLORIBUS ARTICULORUM
seu
ARTHRITIDE.

Dolent præterea frequenter *articulationes* quælibet in affectu, Arthritis dicta in genere, quæ in specie, pro articulorum varietate, *in pedibus Podagra, in genubus Gonagra, in manibus Chiragra, in dentibus* à STROBELBERGERO *Odontalgia, in coxendicis articulis Ischiadicus Morbus* seu *Dolor* appellatur. Præter quas partes tamen & *scapulas & vertebras colli*, & interdum *sternum* occupat: imò observavi in sene admodum podagrico & *alteram nasi* quasi *medietatem* fuisse affectam. *Arthritis ferè per paroxysmos affligere solet*, extra quos, nisi in inveterato malo, satis commode habent ægri. *Quoties imminet paroxysmus*, alvus ferè segnior evadit, ægri *molestiam* quandam haud benè explicabilem *circa præcordia* sentiunt, consuetum *excrementum* intra pedum digitos *non reperitur*, & circa articulos *tensio* percipitur: Hinc supervenit *dolor circa articulos*, qui in incipiente podagra ut plurimum pollicem pedis majorem unius, hinc & alterius pedis, successivè occupat, hinc repetente aut procedente crebriùs malo alia etiam loca successivè, *genua*, hinc *brachia*, occuparet solet. *Dolor*, quem percipiunt ægri, ferè *triplex est*, *pungens*, *lacerans*, & *pulsans*, plus minus tamen intensus: quibus interdum & dolor ardens simul accedit, cum *tumore* simul *erysipelaceo*, in *Arthritide* nempe sic dicta *calida*, quando acidum magis volatile & acre peccat, ruborque partis affectæ intensissimus & æstus accedunt: In qua etiam arthritide omnia symptomata sunt atrociora, sed simul paroxysmi sunt breviores, quàm in *Podagra* dicta communiter *frigida*, in qua acidum magis obtusum & viscidum, dolores remissiores, & *tumor* plus minus *œdematosus*, cum nullo vel levi saltem rubore, affligit, diutiùs tamen persistente paroxysmo, nec tam facilè evanescente tumore. Ægri utplurimum *anxii* sunt *circa præcordia* in paroxysmo, præsertim in incremento ejus, minus in statu: Conqueruntur ægri de *ardore seu æstu* circa regionem stomachi, hinc frigida appetunt; item de gravissima siti & anxietatibus præcordiorum, stomachi monstrando regionem, quæ fiunt eò graviores, quò minus potu se onerant: *Appetitus* penitus est *prostratus*, *clysmata* autem & blandè *laxantia* optime *anxietates has leniunt*. Subinde accidit, ut cum crebriùs repetito, sed inani *vomendi conatu*, affligat, sicque anxietates insigniter exacerbet: Imò observavi, quod cum *lipothymiis* gravibus, subinde repetentibus, paroxysmus in principio & incremento ægros, præsertim inveterato malo laborantes, vexaverit, quæ pathemata tamen in ejus statu, dum dolores & tumores increverunt, & plures partes occupatæ fuerunt, penitus remiserunt: Accedit ferè semper *febris symptomatica continua*, non adeò quidem acuta, magis tamen in principio paroxysmi affligens, mitiùs in statu, quam ad febrium catarrhalium naturam accedere asserit SYLVIUS *lib. 4.*

Hæc ipsa *symptomata* etiam *in dolore ischiadico* ferè occurrunt, ubi *dolor* præter os & in articulo, ubi femoris caput inseritur *coxendici*, imprimis percipitur, etiam *clunes seu nates* hinc intra ossis sacri & lumborum regionem plus minus occupans; quin nervorum & membranarum connexarum & deorsum protensarum ratione, inferiùs versus *suram & pedem* usque, & ad extremum malleolum tandem extenditur, *nocteque ferè graviùs affligit*: & quia partes primariò dolentes in profundo sub tegmine copiosorum musculorum, delitescunt, ferè nulla extrinsecùs mutatio facta conspicitur.

Sæpiùs equidem *dolores* alii istam *superiorem cruris, & coxarum regionem occupant*, & subindè pertinaciter affligunt, non tamen præcisè dolorem ischiadicum constituunt: Confer. SENNERTUS *Tract. de Arthrit. cap. 6. pag. 45.* Quodsi crebriùs redeant paroxysmi, ac pro more vehementiùs affligant, insigniter *debilitantur articuli*, ac *motus* eorum multum *imminuitur*, adeò ut tandem ad *paralyticam* quasi *constitutionem* redigantur, flaccescant simul, & in nutritione deficiant, subinde laxentur. Interdum circa articulos contrahuntur & *rigida* manent *membra*, aut saltim intra articulos contracturæ seu *tophi* & *nodi* colliguntur, qui motum articulorum impediunt.

Ischiadicus dolor speciatim *ad claudicationem*, nonnunquam *coxæ luxationem*, aliquando cruris *atrophiam*, disponit. Imò si inveteratum fuerit malum, præsertim si in paroxysmi declinatione sudores neglexerint ægri, pertinacia in articulis vestigia relinquit arthritis, adeò ut levi occasione & vel fortiore saltem articuli motu & agitatione mox nonnihil recrudescat, aut saltem punctionibus supervenientibus se manifestet.

PARS AFFECTA.

Pars affecta erit pars admodum sensilis circa articulos saltem situata, adeoque nil aliud, quàm *membranea ligamenta*, ipsos articulos vincientia & colligantia. Quinimò his affectis ipsum *periostium* in locis ossium articulationi proximis pati simul, probabile videtur ex acerbitate lacerante doloris, in profundo imprimis siti & apparenter ossium capita immediatè afficientis. *Sed quod articulos in specie afficiat*, videtur esse ex *synovia* seu *aqua glareoli*, Germ. *das Glieder Wasser*, quæ est ros dulcis chylosus, seu acido temperato turgidus, qui ceu nutrimentum ligamentorum & membranarum, ipsorumque forsan ossium, abundans intra articulos collectus pro motu facilitando, & instar axungiæ oblinens ossium articulationes. Hoc ceu appropriatum specifici arthriticorum acidi objectum inquinari imprimis solet, quo facto mox varia circa articulos pathemata superveniunt, dum *partes vicinæ membranaceæ* necessariò *rodi* incipiunt; hinc successivè synovia ista ab acido peccante instar albuminis ovi spissari, & tandem in *cretaceam* seu *gypseam substantiam* coagulari solet, ut patet ex *tophorum* seu *nodorum* intra articulos collectione, qui incisionis viâ exempti *calceum & gypseum tophum* omninò repræsentarunt, & effectum, non causam arthritidis, constituunt: quorum *tophorum examen chymicum* videb. in KERKRINGII *Spicileg. Obs. 28.* & M. A. N. C. *Append. ad Obs. 65. pag. 395.*

CAUSÆ.

Quoad *Causam Efficientem*: omnium optimè eadem in TACHENII *Morborum Principe* expressa & explicata videtur: Nempe *acidum volatile spirituosum*, sui tamen generis seu specifici saporis, spiritui influo maritatum, synoviam imprimis & partes vicinas membranaceas inquinans & affligens, primarius tortor est. *Prima hujus acidi spirituosi origo* est ex primis viis, quam potius ex depravata digestione prima cum TACHENIO, quàm ex pancreate aut glandulis cum SYLVIO, derivare placet: adeoque non in pedum articulis ipsam podagram esse, rectè dicitur, sed ejus solum fructum, cujus radix habitat in stomachi fermento vitali; ita ut licèt dolens pes abscinderetur, podagra proinde non sanaretur. *Quodsi maturè non occurratur malo*, acidum illud spirituosum furtivè & successivè acido stomachi fermentativo se associat, donec *fermenti* more pedetentim hoc superet; ita ut imposterum, nec naturali nec artificiali separationi obediat, adeoque inve-

inveteratum incurabile sit, ut eleganter loquitur TACHENIUS *cit. l. p. 438. Hinc nempe*

1. *Hæreditaria* observatur *podagra*, cum spiritu influo genitali odore acido podagrico communicato fœtui. *Nobilem curavi Iuvenem*, qui ab ineunte octavo ætatis anno sæpiùs podagra correptus fuerat, quod parens ejus & ipse insigniter podagricus in ipso paroxysmo eum genuerat.
2. *Hinc etiam animi pathematibus gravioribus* aut *diuturnioribus* curata observatur podagra, ut *subitanea consternatione*, aut *ira* insigni, aut *mœrore* diuturno, ut in divitibus vel pauperioribus factum: Conf. BARTHOLINUS *Cent.6. Histor.28.* LOTICHIUS *Observat. pag.489.* SALMUTH *Cen.1. Obs.48.* TACHENIUS *Morbor. Princip. pag.356.* Quò etiam pertinet *tortura*, ex HILDANO *Cent.1. Observat. 79.* Nempe perturbatio animi & spirituum peculiaris motus ac alteratio extinxit *fermentum podagricum*, aut saltem plus minus alteravit illud, principaliter quidem in stomacho primariò, qui cùm reliquis præsideat digestionibus, & has exinde alterari necesse est: vid. TACHENIUS *cap.1. pag.357. & 360.* quantum nempe animi pathemata fermenti digestivi & hinc digestionis primæ negotium alterent; quò etiam *confidentiam ægri erga Medicum* vel remedia pertinere per se notum est.
3. *Hinc utplurimum etiam arthritici nephritici esse solent*, eodem acido spirituoso utrobique autore.
4. *Hinc lacticinia* modernorum methodo, sed continuato usu, ut invertantur quasi humores corporis, spiritus & fermentum digestivum, curant arthritidem.
5. *Vini abusus*, volatilis acidi ratione spiritus imprimis afficiens, plures in hoc malum præcipitat. *Observanda tamen differentia inter vina;* dum ea, quæ plus de tartaro vel acido facilè fermentante in nobis continent, nocentiora sunt. Quò alia vegetabilia plus minus tartarea pertinent, ut rectè asserit GLAUBERUS. Ex spiritus vitrioli usu nimio TACHENIUS podagræ ortum notat, *in Hipp. Chym. Hinc.*
6. *Abstinentia vini* contrà quosdam ab arthritide liberasse observata est: Videatur SENNERTUS *cit. loc. pag. 16.* Sic LOTICHIUS *in Observat. pag. 88.* refert, podagram ex abstinentia per integrum annum cessantem, sed hujus copiosâ ingurgitatione recidivantem.

Ex eo est, quod in arthritide producenda *tria ista* vulgò nota ceu *causæ remotæ principaliores* conspirare videntur; dum *Bacchus* ceu *pater vini*, quo innuitur nocivum acidum, ex nimio abusu à fermento stomachico minus debitè superabile ac corrigibile; *Venus* ceu *mater*, quatenus repetito congressu post copiosos spiritus influos, chylo temperato alcalino prædives sub genituræ forma succus nutritius excernitur, & hinc nervosum systema insigniter debilitatur; & *Ira*, ceu *Obstetrix*, commovendo contenta corporis & spiritus, & acidum volatile in nobis augendo, adeoque & spiritus influos asperiores reddendo, in producendo arthritidis fœtu occupata rectè dicuntur. *Dictis ex causis & viri magis quàm fœminæ arthritidi obnoxii* dicuntur, cum ex HIPPOCRATE *Sect.6. Aph.29.* mulieres non laborent podagra, nisi menses deficiant: utut hodie contrarium experiri liceat, cùm secundùm SENECAM non natura, sed vita mulierum mutata sit.

Par ratio est *Eunuchorum*, quos nec podagra laborare, nec calvos fieri olim HIPPOCRATES pronunciavit; item *puerorum*, quos ante Veneris usum non laborare podagrâ asseruit. Quæ ita quidem sub prisci ævi innocentia & temperantia obtinuerunt; hodie verò ex parentum & avorum vitiis ipsa progenies adhuc vitiosior nata, & ulteriùs exorbitans, dictorum veritatem eludit: Non secus ac *ciconia* inter podagræ remedia relata, tamen & ipsa podagrica observata in BARTHOLINI *Act. Hafn. Vol.4. p.154.*

Scorbutici quoque admodum obnoxii sunt podagræ, quæ subinde eos atrociùs affligit. Curiosum est, quod *contagiosa* interdum observata fuerit à BARTHOLINO *Hist. Med.* idque mediantibus vestibus in M. A. N. C. *Ann.6. & 7. Observat.143. pag.205. & Anno 9. & 10. Observ. 44. pag.118. & 119.*

Acido igitur arthritico spirituoso cum spiritibus quavis occasione insigniùs commoto, quod v. g. in motu corporis aut animi, aëre frigido, humido, pororum aperturam debitam prohibente, post effervescentiam in sanguine febrilem imprimis se insinuat synoviæ, & hujus medio articulorum loca affligit, & cùm hac ipsa simul aliqualem probabiliter effervescentiam facit; donec acido spirituoso maximam partem ab eadem intra articulos suscepto ulteriùs illa spirituum & humorum cesset agitatio, sed in articulis adhuc malum hæreat, non citiùs cessans, quàm acido spirituoso saturato ab alcali, & in salsum volatile mutato; hinc dolore cessante, fibrarum contractura cessat, & pori aperti magis liberiorem transpirationem permittunt, quo facto omnia reliqua symptomata absunt.

Sed observandum, crebriùs vel recurrentes paroxysmos, vel diutiùs articulos affligentes, relinquere sui *vestigia*, hoc est, ultra partis dolentis debilitatem, ex spiritus insiti aliquali deficientia, obruti plus minus à spirituoso acido peregrino, & fibrarum nervearum relaxato tono, ipsis partibus membraneis solidis anteà dolentibus infixa permanere de acido peccante occulta spicula, quàvis & facili occasione ac motu in actum dolorosum excitabilia, & spirituum reliquorum hinc facta commotione paroxysmum novum provocantia. Nempe ex acido isto podagrico, imprimis in fermento digestivo stomachi commoto, & hinc totum corpus penetrante, anxia ista præcordiorum pathemata originem ducunt. *Patet autem ex dictis*, utut in quovis paroxysmo *debilitentur* plus minus articuli seu *partes solidæ*, fluidas tamen, tàm *humorosas* quàm spirituosas, eo ipso quasi *depurari:* si quidem non tantum acidum illud spirituosum spiritibus satiatum, dum synoviam inquinat, illorum spirituum consortium plus minus deserit, sed etiam subinde alia massæ sanguineæ heterogenea fermenta, febrili effervescentiâ secreta, nunc unà circa loca dolentia colliguntur ex fibrarum partium dolentium contractura, nunc per sudorem excernuntur *in declinatione;* sicut *in incremento* hi ipsi moderatè proliciti maturant articulorum ab acido podagrico invasionem, & hinc abbreviant insigniter paroxysmi tempora.

Hæc ipsa etiam patefaciunt, quare tàm varia & mirabilia pathemata subindè accidant, acido podagrico alias partes, ac frequentissimè nervosos plexus, occupante extra articulos, quæ omnia superveniente paroxysmo cessant: vid. Misc. A. N. C. *Ann.6. Observat.208. pag.307.* Sic arthritidem in *colicam*, & contrà, mutabilem refert CASTRO: *Epilepsiam* gravem notat LOTICHIUS; sicut paroxysmo non ritè procedente, nec acido volatili sufficienter excluso, vel ob internarum partium defectum spiritibus istis languentibus, & acido podagrico nimis in contentis corporis dominante, vel ob externorum ineptam applicationem, tam diuturna *virium prostratio* & languor & *appetitus dejectus* supersunt: Interdum *palpitationes cordis*, sæpissimè *tusses siccæ*, aut sæpius adhuc *asthmata occulta convulsiva*, subinde ipsa mors, superveniunt.

Quoties arthritici, quibus plures articuli alias occupari solent, paroxysmo corripiuntur, qui non more consueto successivè articulationes istas quoque occupet (nisi per curam præservatoriam malum plus minus in radice mitigatum fuerit) ii vel diutiùs languidi permanent, vel brevi post novo paroxysmo corripiuntur, vel alius gravioris morbi, aut etiam mortis ipsius periculum subeunt. Id quod notavit etiam SENNERTUS *de Arthrit. cap.4.* ut & HOEFERUS *Herc. Med. pag.222.* Hinc *in podagricorum* vel leviter confirmatorum, & *aliis morbis* correptorum cura *ad acidum podagricum simul respiciendum* venit, quod in omnibus aliis morbis symptomata intendere, & morbum vel graviorem aut contumaciorem reddere solet, idque tamdiu ferè, donec vel ipsum vi naturæ aut artis correctum fuerit, aut artus occuparit, quo facto omnia remissiora & leviora mox apparere solent.

PROGNOSIS.

Ex hactenus enarratis *Prognoseos* maxima dependebit ratio. Nam *Arthritis morbus lethalis non est*: sæpe enim arthritici *diu vivunt*, senesque fiunt, unde quibusdam sana ægritudo dicitur, & potius ex podagra deficiente, quàm eàdem ordinariâ ratione superveniente, moriuntur.

Quoties alvus segnior est, & consuetum excrementum intra pedum digitos non reperitur, & crura intumescunt, paroxysmum instantem significari dicit TACHENIUS *Morb. Princ. pag.* 172.

Curatio ejus perquam *difficilis est*, tam *in*, quàm *extra paroxysmum*, idque eò magis, quò magis *inveterata* fuerit: hinc quoniam sæpius in primis paroxysmis negligitur, facilè successivè incurabilis evadit.

RHUMELIUS eleganter distinguit inter *podagram hæreditariam nodosam*, & *solutam*: & *hanc* curabilem, *illam* incurabilem ait. Sed tamen etiam *soluta*, nisi recens, subinde inter incurabiles refertur.

Inter omnes arthritidis species *ischiadicus dolor* gravissimus est: nihilominus tamen *in principio* faciliùs quàm ceteri curari solet; sicut *in progressu* æquè rebellis esse solet.

In senibus Arthritis incurabilis est.

Si articulos principio nervorum proximos afficit, & graviora symptomata conjuncta habet, difficiliùs curatur, & sæpè mortem portendit: vid. SENNERTUS *loc. all. p.* 25. & DRAWIZIUS *de Scorbuto p.* 22.

Si in arthritide contingat luxatio, difficulter sanatur, aut prorsus insanabilis est, *membranis & ligamentis* nimis laxatis, repositum membrum membranis & ligamentis non firmantibus. Ut taceam intra articulos ex synovia coagulata collectam materiam curam impedire: Hinc HIPPOCRATES *sect.* 6. *aph.* 59. „*Quibus diuturno coxendicum dolore infestatis coxa excidit, rursumque incidit, iis mucores superveniunt*.

Si dolores sensim ingravescentes *ad iugulum* & superiores partes transeunt, perniciem minantur: Item *quò plura* & frequentiora conveniunt *symptomata*, eò difficiliùs curatur; ut fit, quando ab externis repellentibus aut stupefacientibus ægri in anxietates, asthma, colicam, epilepsiam, convulsiones, palpitationem cordis, lipothymias, aut alia mala incidunt.

Dolor ischiadicus quidem acerbissimus est; in principio tamen sui interdum reliquis arthriticis doloribus faciliùs sanatur: sicut temporis progressu femoris luxationem, claudicationem, & atrophiam inducit; quod similiter in arthritide vaga attendendum: vid. DRAWITZIUS *de Scorb. p.* 23.

Solvitur Arthritis ferè quatuor *modis*:

1. Ordinariò ferè in totum finito paroxysmo *discutitur* morbus in articulo, ut nullum sui relinquat vestigium, nisi successu temporis superveniant tophi.
2. Rarum est, quando tumor podagricus *in materiam ichorosam* aut saniem purulentam *mutatur*, quæ partibus intercutaneis erosis foras exsudat.
3. Quando *tophi* post paroxysmos *relinquuntur*.
4. *Quando incipiens paroxysmus* sua tempora non absolvit, aut planè deficit, acido podagrico *alias partes extra articulos occupante*: id quod pessimum est, & mille mala post se trahit.

CURA.

Quoad *Curam*, *duo* respicienda sunt *tempora*:

1. *Tempus paroxysmi*, ut curetur.
2. *Tempus extra paroxysmum*, ut præservetur.

Quoad paroxysmi tempus: cum in hoc imprimis *motus naturæ* vigeat, cujus impetu ille excitatur, unde ex deficiente naturæ robore deficientibus paroxysmis ægri in periculoso sunt statu; ob id non sistendus, sed *promovendus*, impedimenta removendo, acidi specifici vini maturè infringendo, urgentia nimis *symptomata* mitigando, semper simul pro legitima remediorum administratione quatuor particularia morborum tempora attendendo: Adeóque

I. *Ingruente podagræ Vomitus* convenit, sed præmisso digestivo absorbente ex *lapidibus cancrorum præparatis*, osteocolla, & sale tartari. Nam acidum ejus oritur in stomacho: hinc imminente podagrâ, appetitus sine manifesta causa est prostratus, & sudores consueti aliàs sponte supprimuntur. De quo *vomitus* usu vid. HILDANUS *Cent.* 6. *Observat.* 84. MERCATUS *de Morb. Intern. lib.* 4. *cap.* 18. RIVERIUS *Prax. lib.* 16. *cap.* 1. & SYLVIUS *in Praxi*, *Tract.* 8. §. 152. 154. & 156. *Sin minus vomitus institui queat*, *Purgantia blanda*, sed mistis temperantibus acida, v. g. *ossibus humanis præparatis*, *vel calcinatis*, &c. in primo principio instituta, conducunt; aut si, præter Clysmata, in cursu paroxysmi aliquid peragendum, infusum sennæ passulatum, aut *pilulæ aloeticæ* saltem, vel solæ, vel *cum appropriatis* propinentur, ad imitationem TACHENII *l.* 4. *p.* 439. Vel passulæ laxativæ, pruna laxativa.

Vel

℞. *Crem. tartari*,
Salis absinth.
Arcan. duplicat. an. gr. viij.
Diagryd gr. iij.
M. f. pulvis: S.
Pulvis arthriticus laxativus.

℞. *Conf. rorismar.*
Salviæ an. ℥vj.
Pulv antipodagr. purg. Parac. ʒiß.
Mag. Ialapp ℈ß.
Cum *Syr. de spin. cerv.*
f. Electuarium
D. S.

Electuarium arthriticum laxativum pro aliquot vicibus.

Aliàs Purgantia qualibet vitanda, utpote quæ in paroxysmo magis nocent, quàm prosunt; *æger* enim, ut monet HARTMANNUS *in Prax. Chymiatr. cap.* 32. §. 2 *in paroxysmo medicamentis purgantibus non defatigetur, sed afflictione liberetur*. Sanè in arthritide, id quod peccat, purgando minus aufertur, sed contenta turbantur, spiritus irritantur, & malum exasperatur: Conf. TACHENIUS *l.* 4. *pag.* 149. & 151. & SENNERTUS *Tr. de arthrit. Quæst.* 11. *pag.* 104. In statu tamen paroxysmi, ubi malum contumacius in articulis hæret, ac febris & alia symptomata planè intermiserint, Purgatio blanda institui potest ad imitationem Riverii per Mercurium dulcem & scammonium sulphuratum: vel mercurius dulcis misceatur cum aloë; vid. VELSCHIUS *Mictomim.* 4. *Cent.* 1. *annex.* M. A N. C. *Anno* 4. & 5. Vel

℞. *Mass. Pilular. de trib. Ruffi.*
Extr. helleb. nigr. an. ℈ß.
Turb. mineral. cum spiritu Sulphuris par.
gr. j. ij. vel iij.
M. f. pilulæ S.
Pilulæ arthriticæ purgantes.

Laudatur etiam radix bryoniæ ad ℥ß. in infuso, vel ejus syrupus ad ℥ß.

II. *Opiata* sunt nunquam ferè proficua, nec *internè*, nec *externè*; sic enim malum contumacius reddunt, utut dolores remittant, motumque naturæ impediunt, & ut vocant, conservant podagram in corpore. Imò *abusus opiatorum* ad paralysin arthriticos disponit: vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Append. pag.* 335. Adeoque cautè usurpentur, nec, nisi præmissis universalibus, nec nisi adjunctis *purgantibus*, aut *sudoriferis*, aut *specificis*; vid. HILDANUS *Cent.* 6. *Hist.* 85. PLATERUS *Prax. Tom.* 2. *cap.* 17. & RIVERIUS *Prax. lib.* 16. *cap.* 1. Suspicor tamen, commodè propinari posse eadem ingruente paroxysmo, præmisso vomitu cum specifico sudorifero. *Quoad mistionem cum Purgantibus*: illustrant hoc *pilulæ antipodagricæ Rhumelii*, quas vocat: *Veni Amice*, *surge & ambula*.

℞. *Mass. Pilular. aloephang.* ʒij.
Laud. opiat. ʒß.
M. f. Pilulæ.
div. in 4. part. æqu.

Quarum una pars in vino assumenda & tribus vel quatuor horis jejunium imperandum.

Conf. etiam quoad opiatorum usum VELSCHIUS *Hecat.* 2. *obs.* 27. *Mistiò verò cum diaphoreticis* etiam vulgò nota est; inter quæ salia volatilia blanda, & spiritus salino-volatiles, opiatis mista, qualia sunt spiritus salis ammoniaci, spiritus cornu cervi, cranii humani, item spiritus tartari volatilis, proliciendo sudorem præ ceteris conveniunt. Præter hæc, fixa acidum absorbentia, uti ossa microcosmi præparata, antimonium diaphoreticum, cinnabaris antimonii, bezoardicum solare, &c. opti-

optimè conducunt, imprimis si sal volatile cornu cervi aut viperarum aut sanguinis humani addantur. Et quidem cum subinde apud nos radix podagræ sit à scorbuto, his commodè spiritus lumbricorum terrestrium per fermentationem paratus; item essentia contra arthritidem vagam, item spiritus cochleariæ, &c. istis diaphoreticis adduntur. Hæc enim volatilia & fixa acidum vitiosum absorbent; opiata verò dolorem temperant: v. g.

℞. *Lapill. cancr. præp.*
Arcan. dupl. Mynf. an. gr. xij.
Salis vol. succin. gr. vj.
Laud. hyster. gr. iij.
M. f. pulvis: S.
Pulvis arthriticus sudoriferus pro una vice.

℞. *Theriac.* ʒß. ad ʒj.
Salis Absinth. ℈j.
Sumatur in haustu *vini* pro sudore.
D. S.
Electuarium sudoriferum pro una vice.

℞. *Aquæ fenicul.*
Card. bened. an. ℥iß.
Spiritus lumbr. terr. per putr. ʒiß.
Sal. ammoniaci
Mag. corall. cum suc. citr. an. ʒß.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. cort. aurant. ℥ß.
M. S.
Potio arthritica sudorifera.

III. *Venæ sectio* in Arthritide, qua tali, inutilis est; quin sine necessitate aut intempestivè adhibita potiùs multum nocet, vires debilitando, & naturæ motus ad articulos impediendo, ut observavit BECHERUS *Phys. subterran. lib. 1. pag. 493.* Adeoque non nisi Plethoricis, aut quibus insigniter sanguis bullit, idque saltem in principio, antequam plures articuli perfectè jam occupati sunt, eadem interdum locum habet: Vid. CRATO *apud Scholtz. Consf. 239.* MERCATUS *l. a.* RIVERIUS *Observat. 9.* à MARSINO *communic. pag. 195.* SYDENHAM *de Podagr. pag. 25.* & WILLISIUS *de Anima Brut. lib. 2. cap. 14.* Loco Venæsectionis quidam in usu habent, ut sub incremento dolorum cucurbitulas sacrificatas adhibeant, hinc loco sacrificato sal commune probe tostum adspergunt, auxilio quidem doloroso, sed interdum proficuo. Probè tamen observandum, ubi affigantur cucurbitulæ, & incisiones fiant, ne tendines aut nerveæ membranæ sub cute delitescentes periculosè lædantur: ac sanè in profundiore vulneratione aut apertura nos abstrahere debent ea, quæ habet HOEFERUS *in Herc. Med. lib. 4. cap. 1. pag. 220.* In dolore autem ischiadico in principio paroxysmi venæ sectio utplurimum necessaria est, præsertim si dolor cum pulsatione est conjunctus: (vid. POTERIUS *Cent. 3. Curat. 94.*) idque ferè in crure dolente, si fieri potest commodè ad derivandum, rarissimè in brachio ad revellendum, nec nisi in summè plethoricis, aut ubi aliæ circumstantiæ id urgeant. Et quidem si dolor in crure magis extrorsum vergat, secanda vena ad malleolum externum, ob usum insignem Ischiadica dicta; si verò dolor magis introrsum vergat, vena saphæna aperienda. Quando autem venæ sectionem non instituere volumus, commodè ejus loco in lumbis potest sacrificatio institui. Conferatur de venæ sectione & cucurbitularum & articulorum applicatione in malo ischiadico SANCTORIUS *in Method. Vitandi Error. pag. 189.*

IV. *Alvus* utplurimum *segnior* in paroxysmo esse solet, & qui purgantibus vix auscultat, hinc dolorem, febrem & anxietatem præcordiorum ferè intendit: adeoque clysmata emollientia & abstergentia sunt optima; vel usurpentur pilulæ aloëticæ saltem, vel alia blanda Laxantia, de quibus *suprà*.

V. His ita pro circumstantiarum circa ægrum ratione probè variè determinatis, in paroxysmo utramque faciunt paginam absorbentia, seu acidum invertentia, & blandà diuresi ac diaphoresi imprimis successivè eiicientia. Siquidem ex CRATONE refert Sennertus: *quamprimum intus sudor detinetur aut inhibetur, maximè si consuetus foret, imminet paroxysmus podagricus*; adeoque ex opposito summè proficua erunt diaphoretica. Conveniunt autem tam fixa, si in primis viis adhuc persistat alteratio, in principio & incremento; quàm volatilia, si jam malum sit in articulis, præsertim in statu. Illa sunt partes animalium duræ, ossa microcosmi præparata, quæ commendat TACHENIUS *l. a.* salia fixa, antimonialia, antimonium diaphoreticum, bezoardicum solare, & cinnabarina, &c. imprimis si cum sale volatili cornu cervi aut viperarum aut sanguinis humani acuentur: e. g.

℞. *Corall. rub. præp.* ʒj.
Cinnab. antimonii ʒß.
Salis vol. cornu cervi ℈j.
M. f. pulvis,
cum vel sine *laudano opiato* in statu paroxysmi.

Hæc verò sunt salia & spiritus urinosi volatiles, quos inter spiritus cornu cervi, cranii humani, spiritus tartari volatilis, spiritus carminativus, item spiritus salis ammoniaci, proiiciendo sudorem, præ cæteris primatum ducunt. Quin decocta lignorum temperatiora, in specie ex radice sarsæparillæ, chinæ, bardanæ majoris, aut ligno juniperino parata & subinde propinata, commodissima sunt: Sic SALMUTH. *Cent. 3. Obs. 74.* refert podagram hereditariam universalem, decocto lignorum curatam; item RIVERIUS *Cent. 2. Obs. 50.* Dolores arthriticos contumaces per decoctum lignorum curatos refert. Et quidem, cùm subinde apud nos radix podagræ sit à scorbuto, his commodè spiritus lumbricorum terrestrium per fermentationem paratus, item essentia contra arthritidem vagam, item spiritus cochleariæ, &c. istis diaphoreticis adduntur. Huc facit quoque Trifolium aquaticum seu palustre, quod in cerevisia coctum & usurpatum mirè arthriticos juvat: M. A. N. C. *Ann. 4. Observat. 123.* tam curandi quàm præservandi fine usurpatur: Sic PETRUS JOHANNES FABER arthriticis antiscorbutica cum successu dedit, nempe succum cochleariæ & anagallidis aquaticæ cum spiritu vini tartarisato: Vid. VELSCHIUS *l. a. Observ. 46.* De sudoriferorum usu conferatur HILDANUS *Cent. 5. Observ. 53. & Cent. 6. Obs. 32.*

VI. Quoad *Topica* seu Externè applicanda, observandum:

1. Quod non debeant esse adstringentia, austera, acida, aut cuti ejusque fibris molesta, quæ harum contracturâ & clausurâ malum potius exasperant, tumorem & igneum fervorem magis accendunt, Repellentia ob id dicta; unde quælibet reiicienda.
2. Non nisi præmissis universalibus locum habent, adeoque non maturanda eorum admotio, cùm vix præterquam in fine incrementi aut statu paroxysmi, articulo sint applicanda.
3. Sint talia, quæ & acidum blandè (hoc est, sine effervescentia excitata) corrigere, illud in salsum mutare, & hinc transpirabile reddere, ac simul dolorem suaviter lenire possunt; unde hic anodyna (narcotica enim quantum possibile fugienda, vid. MERCATUS *l. a.* & SYDENHAM *pag. 114. & 118.*) ibi discutientia dicta locum habent, utrobique alcalia temperata sunt optima.
4. Habeatur simul eorum delectus debitus, considerando & cætera dolori adjuncta symptomata, ardorem, tumorem, ruborem &c., utut, quoad externa talia, certi quid pro quovis subjecto universaliter determinari nequeat, quia uniuscujusque ferè ægri specialis idiosyncrasia multùm variat, adeoque huic auxilium fertur à remedio, à quo alius detrimentum capit.

Ex innumeris pauca annotasse sufficiat: Nempe in *podagra calida* aqua spermatis ranarum legitimè destillata calida, vel sperma ranarum per transcolationem depuratum cum aliquot granis camphoræ, vel pauco spiritu salis ammoniaci simplicis mistum, & in statu applicatum: vid. TACHENIUS *in Hipp. Chym. cap. 19. pag. 148. Eiusdem Clave pag 204. & Princ. Morb. pag. 193.* ubi modus procedendi & cautelæ habentur: Item Spiritus cancrorum fluviatilium non adeò exactè rectificatus, aqua articularis ad extra, magnanimitatis, spiritus lumbricorum terrestrium, spiritus formicarum, vel per se vel cum spiritu lumbricorum mistus, spiritus vini crocatus & camphoratus, præprimis à roremarino rectificatus, item spiritus vini camphoratus cum Saccharo saturni, spiritus theriacalis camphoratus, spiritus urinæ, spiritus salis ammoniaci cum spiritu vini mistus; aut

aut mixturæ ex calce viva & sale ammoniaco affundatur spiritus vini, & huic destillato addatur camphora; sic optimum habebitur specificum in inflammationibus podagræ. Hæc acidum podagricum dolorosum & ardores potenter extinguunt, & sic arthritidem cum inflammatione junctam tollunt: e.g.

℞. *Aquæ artic. ad extr.* ℥vj.
Spiritus sal. ammoniaci ʒij.
M. S.
Aqua articularis ad extra.

Applicetur, præmisso Fotu ex lixivio coriariorum.

Vel

℞. *Aquæ artic. ad extra* ℥ij.
Spiritus lumbric. ℥j.
Sal ammoniaci ʒiij.
M. D. S.
Spiritus ad extra.

Elegans existimo remedium, quod commendat LINDANUS:

℞. *Fl. Sambuc. contus.* q.v.

Injice ollæ recenti, donec exactè plena sit: hanc benè clausam sub terra defode, donec flores in liquorem abierint: sed necesse est, stent per aliquod tempus donec flores computruerint.

Hunc liquorem calide cum linteo applica, egregiè compescit dolores. Egregium etiam in erysipelate dicitur remedium.

Alii recipiunt flores verbasci, iisque ampullam vitream replent, & orificio obturato soli exponunt; sic enim in liquorem diffluunt, qui cum linteo parti affectæ impositus, „dolorem lenit. *Res est mirabilis & expertissima in omni* „*dolore podagrico sistendo*, dicit RAYUS; Et credo, quod liquor talis propter acidum temperatum, putredinis motu extraversum, multùm prosit pro usu externo. Idem dicitur de liquore ex radice vitis albæ rasæ seu bryoniæ, simili ratione, aut ex radice excavata, & proprio operculo tecta, parato, qui locis podagricis illitus egregiè confert; sicuti etiam cum floribus hyoscyami eodem modo liquor summè anodynus haberi potest. Vel flores sambuci in lacte cocti pro fotu subinde applicentur. Porrò folia Valerianæ majoris recentiùs imposita, & subinde renovata, aut folia bardanę majoris ob sal nitrosum conquassata nonnihil durioribus nervis & parti molliori imposita egregium levamen afferre observavi. Lac & omnia lacticinia, alcali oleoso turgida, itidem mitigant dolorem & ardorem, prę sertim quando cum hyoscyamo simul ebullierit; hinc usitatissimum est cataplasma, factum ex medulla seu mica panis (Gemmel) in lacte decocta, additis aliquot ovorum vitellis cum croco; & cataplasma ex floribus chamomillę & lenticula aquatica, in lacte decoctis, cum farina hordei applicatum: cui & inserviunt Melilotus cum Malva & Althęa, Origanum, satureja, artemisia, betonica, lavendula, &c. e. gr.

℞. *Medull. panis tritic.* ℥iij.
Pulv. rad. alth.
Flor. Chamom.
Far. fabar. an. ℥ß.
Far. sem. lini,
Fœnugr. an. ʒiij.
Coqu. in s. q. *lactis* ad consistentiam pultis, adde
Ungu. anod. ℥j.
Balf. Sapon. ʒij.
Vitell. ovi Num. j.
M. f. Cataplasma
D. S.
Cataplasma dolorem sedans.

Hinc caseus ovillus recens planè impositus egregium lenimen pręstat. Item optimum malagma pręebet vetus & vermiculosus caseus cum jure, in quo perna suilla ad tabem decoxerit, quod articulorum etiam tophis multum prodesse dicitur. Caro bubula, alcali ditissima, lacti & prędictis ferè omnibus pręfertur; hujus enim frustum crudum sine pinguedine partem dolentem super-ligatum, manè & vesperi mutatum, feliciter dolores compescit, locum nigredine conspurcatum relinquens. Insuper pulvis radicis consolidę majoris cum aqua communi in pultem coctus, quę minimi digiti grossitie loco dolenti applicata, podagram novellam invasionemque primam optimè mitigat; Vid. TACCHENIUS *Morb. Princ. pag.* 198. *& seqq.* Hinc stercus bubulum, & quod pręstantius, stercus humanum optimè dolores hos sistunt. Cataplasmate sequenti HILLERUS feliciter usus fuit, quo unâ nocte dolorem & tumorem in genubus & pedibus maximum curavit:

℞. *Sterc. bovis* ℔j.
Aquæ rosar.
Veron. an. ℥ij.
Album. ovi, cum frusto alum. conquassis,
Num. j.
Croci ℥j.
Camph. ℈j.
Misc.

Facit huc etiam urina humana, præsertim nonnihil putrefacta, egregia anodyna, vel per se, vel cum adjecto cinere communi ex balneo destillata; vel aqua absorptiva ex salis ammoniaci pulverisati & alcali tartari ana in aqua simplici soluta: vid. TACHENIUS *l. a. pag.* 197. Hinc CNOEFFELIUS in usu habuit extractum cassiæ fistulæ cum spiritu vini parti affectæ imponendo: sicut & stercus hircinum cum urina ægri subactum, & instar cataplasmatis applicatum, egregiè convenit. Vel recipi potest urina vaccæ mense Majo, & imponi pedes aliquamdiu: dein imponatur emplastrum Norimbergense, vel, quod melius, emplastrum de alcalibus Tachenii, cum vel sine camphora pro circumstantiarum ratione, vel emplastrum de spermate ceti. Denique calx viva propter suum alcali hic locum habet: nempe si aquæ calcis vivæ imponantur pedes, extrahit dolorem, & resolvit tumorem. Item urina, in qua calx viva extincta est, applicata benè convenit; loco cujus urina vetustior usurpari potest. Sunt, qui ceu singulare remedium podagricum laudant, recipiendo spiritum vini septies vel octies super sale tartari rectificatum, affundunt hunc calci vivæ, abstrahunt fortiter; hinc enim spiritus vini vim subtilissimam & penetrantissimam tartari articulorum resolutivam acquirit, &, ut per sudorem possit evacuari, hunc disponit. Quod si spiritus hic accensus deflagret in cochleari, relinquit pinguedinem butyrosam, & ipsam pro illitione contra podagram admodum accommodatam, meliorem, quam ipse ferè spiritus, qui citra metum applicari potest. HAUPTMANNUS miscet tincturam tartari acerrimam cum saccharo saturni, quò, tanquam arcano in podagra, affectum locum illinire jubet, & mirandos effectus promittit. Denique suffitus iste ex decocto scobis corticum ligni abietini & quercini coriariorum, cum urina humana, egregius ad quamcunque Arthritidem est, ut partes affectę eo foveantur; hoc ipso enim Comes quidam à podagra contractus factus, restitutus dicitur: vid. M. A. N. C. *Ann* 6. *& 7. Observ.* 229. Forsan lotio cum ipso decocto non esset incongrua: Vel

℞. *Lixiv. Corarior.* ℔ij.
Urinæ human. ℔iij.
M. S.
Fotus ad extra.

Pertinent huc Saturnina, in specie saccharum saturni cum appropriatis applicatum: nempe solutio ejus in spiritu vini aut spermate ranarum, additâ paucâ camphorâ. Hinc quidam emplastrum de spermate ranarum rite paratum copiosiore addito saccharo saturni, non sine effectu applicant. Curavi virum, qui habuit dolores arthriticos in genu cum aliquali rubore erysipelaceo, cui optimè conferebat emplastrum de spermate ranarum, cum copioso saccharo saturni: cum denuò posset ambulare, pro spina infixa evellenda ordinavi aquam arthreticam ad extra cum spiritu salis ammoniaci, optimè habebat per quinque vel sex dies: Sed abusu hujus spiritus recrudescebat paroxysmus, & intensior fiebat à spiritu. Pertinent huc emplastrum ex alcalibus Tacheni, & *emplastra bina Barbette* multum laudata ad podagram, tàm calidam quàm frigidam *lib.* 1. *cap.* 4.

Fugienda sunt nimis *unctuosa pinguia*, quę poros oblinendo malum sępiusculè potius exasperant, & insensibilem transpirationem inhibendo, tandem contumaces *contracturas* inferunt; unde loco *unguentorum emplastra* varia *nervinis* constantia, & cataplasmata dicta calidè adhibenda sunt. Hæc ipsa tamen sæpiùs renovanda, ne actuali suo frigore postmodum stricturam pororum inferendo, malum exasperent.

Quoad

Quoad *podagram frigidam* sic dictam: spiritus vini cum spiritu salis ammoniaci, præsertim cum calce viva parato, convenit. Sapo Venetus uti in quavis podagra, ita in specie in frigida laudatur: Nempe volatilibus subinde sunt jungenda oleosa quasi ferventia, v. g. destillata Tacamahacæ, fuliginis, tartari, &c. rectificata. Recipiatur *Sapo Venetus*, solvatur *in spiritu vini & aquâ sambuci*, & ita illinatur cum pluma parti dolenti. Vel ad imitationem Doctoris MICHAELIS:

℞. *Sapon. Venet.* ℥ij.
Campb. ʒvj.
Croci ʒß.
Spiritus lumbricor. terrestr. q. s. pro solutione.
Misc.

Quâ illinantur cum penna partes dolentes calidè.

Coincidunt hæc cum *Balsamo antipodagrico Rhumelii*:

℞. *Coag. sulphuris animalis & alcali*, id est, *Sapon. Venet.* ℥j.
Gum. mercurial. & sulphureæ naturæ, id est, *Campb.* ʒß.
Quint. Essent. Vegetabilis, id est, *Spirit Vini* q. s.

Digerantur, & separatis fæcibus reliquæ ad usum reserventur, & cum linteis parti dolenti applicentur.

Siquidem in forma liquida quæ adhibentur, majorem sæpè & tutiorem effectum relinquunt. Loco spiritus vini meliùs recipitur spiritus lumbricorum terrestrium.

Alii saponem Venetum liquefaciunt cum spiritu vini super carbones, addito oleo juniperi & petroleô faciunt unguentum & applicant.

In specie oleum destillatum saponis Veneti est potens remedium, præsertim in Arthritide frigida; hinc etiam in dolore ischiadico egregium est idem. De usu ejus polychresto in Doloribus podagricis vid. HORSTIUS *lib.* 2. *Observat.* 23. Sicuti præparationem ejus cum addita calce viva & camphora idem describit *lib.* 8. *Obs.* 2 Oleum petroleû, in quo decocta est radix hellebori nigri, laudatur ab HARTMANNO *in Prax. Chymiatr. ubi de Arthritide* §. 14. & confirmatur ceu expertum à LINDANO, uti & balsamum Peruvianum cum vitello ovi & aqua articulari seu spiritu lumbricorum mistum. Aliàs convenienter usurpantur Tacamahaca vel Caranna, malaxata cum oleo succini; emplastrum ex pice; ac Poterii ex pice navali & sulphure; vel emplastrum diaphoreticum Mynsichti, malaxatum cum oleo destillato tartari fœtido vel succini applicatum est egregium.

Vel

℞. *Empl diaphor. Myns.* ℥iß.
Liquefacto adde
Theriac. ʒß.
Malax. cum *ol. philosophorum* vel potiùs cum *tartari fœtido*:
D. S.
Emplastrum.

Si inflammatio circa articulos adsit, optimè miscentur cum camphôra. Convenit etiam ad discutiendos tumores in declinatione podagræ relictos.

Vel ad imitationem POTERII paretur emplastrum in *Idea Form. class.* 5. §. 5. Hisce etiam Opii ejusque tincturæ tantillum subinde addendum venit: magis tamen in arthritide calida quàm frigida. Theriaca emplastri modo applicata etiam vi anodynâ egregiè convenit, cui subinde in calida de sale absinthii, in frigida de spiritu salis ammoniaci plus minus addi potest. Alia remedia externa, & compositiones elegantes & multiformes, videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 1. *obs.* 142. *pag.* 318. & *Anni* 6. & 7. *Append. pag.* 158. *seqq. Ann.* 9. & 10. *Observ.* 80. *ubi Balsamum arthriticum, & cera Catholica Burrhi*, cujus compositionem etiam dedi in *Collegio Pharmaceut. in Schrœderum p.* 2. *pag.*....

VII. *Vesicatoria ex cantharidibus* an conveniant? equidem doloris ratione dubium videtur: sed cùm balsamus iste ex sapone Veneto, item inunctio cum oleo saponis, pustulas in loco dolente excitent, ex quibus ichor acris profluit cum tali ægri usu, ut rariùs redeat paroxysmus, sicut etiam observavit HORSTIUS *lib.* 2. *observat.* 23. & illa ipsa vesicatoria subinde optimè contulisse visa fuerint, (conf. *Act Societ. Reg. Vol.* 1. *pag.* 535.) sanè haud dubito, quin interdum, idque, ut suspicor, in podagra frigida, ubi acidum intimè magis viscidiore aut copiosiore synovia sociatum, pertinaciter circa profunda articulorum & ossium loca heret, proficua esse queant; cautè tamen, monente SYLVIO *de Arthrit.* §. 183. in ischiade inveterata in loco affecto applicata proficua observata fuerunt: vid. BORELLUS *Cent.* 4. *observ.* 53. siquidem in SCHENCKII *Observat.* refertur ischiadici morbi fortuita, excitatis copiosis vesiculis, curatio. Ut sanè illud *Moxæ Siniticæ*, quæ haud ita pridem tanquam specificum ad hunc affectum innotuit, auxilium, cui tamen & nostratium vegetabilium lanugines substitui possunt, v. gr. artemisiæ, Marrubii aut stœchados, haud aliâ ratione, quàm ratione eschharæ aut pustulæ, ceu cauterium actuale, licèt levius, prodesse videatur. Ut taceam externi ignis acidum in interno evacuando fortè non parum conferre.

VIII. *Tophos* quod attinet arthritidis paroxysmis residuos, de cura eorum vid. HARTMANNI *Praxis*: præstans imprimis est emplastrum ejus attractivum, §. 39. etiam CNOEFFELIO usitatum in M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Append. pag.* 165. Præterea & casei veteris cum decocto carnis suillæ applicatio hic proficua est; nam cute disruptâ successivè tophis exitum parat. Emplastrum de ranis cum Mercurio à quibusdam modò malagmate ex caseo putri & spiritu vini vidi obtemperare. Plumbea bractea subtilis imposita per mensem juvat, aut saltem uberius incrementum prohibet ex ZACUTO LUSITANO *lib.* 2. *Prax. Admir Observ.* 178. Egregius quoque est spiritus calcis vivæ, de quo *suprà dixi*, si illinatur.

IX. Quoad *Malum ischiadicum*, cujus Cura nonnihil variat à cæteris in hoc, præmissa venæsectione, ut *suprà monitum*, etiam præterea hirudines subinde locum habent, sive hæmorrhoidibus applicentur, sive etiam ipsi loco affecto. Quoad prius; FORESTUS *lib.* 29. *Observat.* 4. refert, Arthritidem quamplurimorum articulorum tertianæ intermittenti succedentem, ex hæmorrhoidibus restrictis, quibus denuò fluentibus arthritides cessarunt. In tali ergo casu hirudines applicatæ hæmorrhoidibus sunt optimæ: Nam SCHENCKIUS refert *in Observ.* coxæ dolorem hæmorrhoidum fluxu curatum: sic ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Admir. observat.* 162. Ischiadicum venæ sectione & aliis nil juvantibus, hirudinum usu ano affixarum, curavit. *Idem cit. l. observat.* 159. refert coxæ dolorem, hirudinum suctu supra partem affectam sanatum, quod idem in aliis arthritidis speciebus prodesse ait. His plus minus usurpatis, clysteres imprimis repetiti conveniunt, & quidem acres necesse est sint isti: unde hic clyster à quibusdam laudatur:

℞. *Pom. colocynth.* Num. j.
divid. in 4. partes æquales:
Quarum prima in nodulo coqu. in *Vin.*
Urinæ puer. an. ℔j.
addendo
Herb. Matrisylv. M. j.
Coquantur, donec remaneat tertia pars, quæ Clysteris loco injicitur.

De cætero tutius, quàm in alia Arthritidis specie, Purgantia in principio adhiberi possunt, præsertim Vomitoria: sicut in progressu morbi subinde contumaciori, & pleno statu, etiam ad fortiora purgantia, præsertim ex Mercurio dulci & trochiscis alhandal. accedi potest cùm in Sinovia glutinosiore aut copiosiore firmiùs concentratum malum eradicandum sit: Sicut his præmissis sudorifera ex lignorum decocto aliquamdiu continuata, aut his similia conveniunt; vid. POTERIUS *Cent.* 2. *cap* 85. ubi & aurum ejus diaphoreticum, & hinc Cinnabarina, salia volatilia, &c. sedulò in usum vocanda sunt: Vid. TACHENIUS *Princ. Morbor. pag.* 204.

Externè omnibus encomiis dignum est *emplastrum Poterii de pice sulphuratum*: vide *Cent.* 2. *Obs.* 10. 13. & 86. Descriptio est hæc:

℞. *Picis naval.* ℥iv.
Terebinth. ʒß.
Mastich.
Succini an. ʒij.
Sulphuris comm. pulv. ʒß.
M. f. Cerotum.

Hoc applicatum perquàm proficuum est, ut expertus sum, ac præter dolorem ischiadicum etiam egregium est in dolore nephritico notho scorbutico; item in colica convulsiva lumbos lacerante optimè iisdem applicatur;

item in subluxatione vertebrarum lumborum supra os sacrum applicatum, etiam cum fructu adhibetur. Ob difficultatem detrahendi lapis calefactus ante remotionem applicetur.

Juvenis Nobilis Malo ischiadico in utraque coxa graviter affectus, ita ut in incremento morbi ne tantillum corporis motum sustineret, præmissâ in subjecto sanguineo venæ sectione, præscripsi:

℞. *Antimonii diaphor.*
Bezoard. martial. ana ʒß.
Auri diaphor. gr.v.
Misc. pro pulvere.

Subinde repetatur.

Item

℞. *Aquæ serpilli,*
Menthæ,
Flor. samb. an.℥j.
Spiritus sal. ammoniaci ʒiß.
Ossi. Microcosmi præp. ℈ij.
Antimonii diaphor. ʒj.
Laud. opiat. gr.iij.
Syr. card. bened. ʒvj.
Misc. pro potione.

Usurpet cochleatim, continuando sudorem. Denique

℞. *Spiritus sal. ammoniaci,*
Liqu. Cornu Cervi succin. an.ʒiß.
Misc.

Externè loco dolenti emplastrum Poterii jam dictum applicabatur, quod ita ad aliquot dies noctesque admotum mirè contulit. Tandem hoc ablato, pro reliquiis discutiendis,

℞. *Aquæ artic. ad extr.* ℥iß.
Spiritus sal. ammoniaci cum calce viva ʒvj.
Misc.

Externè affricabatur.

Item

℞. *Aquæ Artic. ad extr.* ℥ij.
Spiritus bacc. Junip. ℥j.
Balf. Peruv. cum vitello ovi dissoluti ʒiij.
Misc. & affricabatur.

Præterea etiam Emplastra ex Tacamahaca, galbano, gummi ammoniaco, & Opio, locis dolentibus applicantur, seu ex semine sinapi, erucæ, radice pyrethri, euphorbii, (quod cum oleo lini applicat TACHENIUS *l. a. pag.* 207.) cum pice navali, gummi elemi, & tacamahaca exceptis, & emplastri formâ applicatis: uti & acria antiscorbutica rubificantia externè imponuntur, qualia sunt cataplasma illud à plurimis commendatum ex piperitide, nasturtio, iberide seu lepidio, id est raphano rusticano, (Germ. *meer-Rettich*:) cum vino coctis, & hinc farinâ lupinorum, floribus chamomillæ & similibus miscèantur, & applicentur, de quo confer. SENNERTUS *de Arthrit. cap.6. pag.*47. Radicem bryoniæ recentem cum oleo lini commistam & tepidè applicatam laudat TACHENIUS *l. a.* Veteres externis & aliis irritis candentibus ferramentis tribus aut quatuor locis supra costam inustionem instituebant, loco cujus apud nos ferè Vesicatoria usurpari possunt.

Denique universi cruris frictio cum spirituosis, oleosis, & urinosis liquoribus, ut sunt spiritus formicarum, lumbricorum, &c. aqua articularis ad extra, cum spiritu salis ammoniaci, & similia adhiberi possunt. Quæ inter non negligendum balneum ex vinaceis, item ex acervo formicarum *supra Artic.*3. *in cura Doloris laccrantis* laudatum.

Quod si finito paroxysmo doloroso nihilominus adhuc tumor adsit; hic optimè discutitur vapore de eruca, absinthio, & artemisia, in aqua & vino coctis, ac pedibus calidè suffumigatis: Vel emplastrum Norimbergense dictum cum oleo tartari malaxatum, aut etiam solitarium, applicetur. Ut verò roborentur articuli, finito paroxysmo convenientissima sunt vina balsamica ex vegetabilium aromaticorum decoctis parata, qualia sunt *decocta Poterii Cent.*2. *cap.*10. & 13. aut qualia prostant in M. A. N.C. *Ann.*6. & 7. *Append. pag.*165. Quod si ægri extra paroxysmum præ nimia membrorum imbecillitate progredi nesciant, cum tamen tophi nondum appareant, iis Fonticulos in diversis corporis partibus excitatos prodesse, ait HORSTIUS *lib.*8. *Observat* 8. aut usurpari potest emplastrum de pice *supra laudatum*, quod firmat tendines, & resolvit nimias humiditates; aut usurpentur remedia BARBETTE *ex Anat. Practica cap.*9. & 10. De podagra malè tractata audivistis supra *p.*1. *Sect.*5. *cap.* 1. ubi de cura chylificationis læsæ.

XI. Quod ad curam *extra paroxysmum*, in hac omnis eò directa sit cura, ut partim radix podagræ ex corpore evellatur, partim articuli antea affecti roborentur. Pro priori scopo inserviunt remedia tam diætetica quàm pharmaceutica, ac chirurgica. Quoad *diætam*, exactissimè est observanda arthriticis: sicut enim hæc neglecta secunda mater podagræ est, ita observata eadem hunc suum fœtum abortivum rursus abolet. Verùm de hac cùm ubivis plura prostent, easque vel SENNERTUS *Tr. de Arthrit. cap.*7. & TACHENIUS *l. a.* recenseant, saltem adhuc sequentia observanda. Nempe nil melius est, quàm omnia acida, & quæ in volatilem aciditatem citò transeunt, aut vim fermenti digestivi enervant, quantum possibile, vitare, convenienti diætæ regimine digestionis primæ negotium & cæteras functiones quasvis sartas tectasque servare, & hinc specifico antipodagrico saporem acidum volatilem, spiritibus sociabilem, ex prima stomachi culina oriundum, corrigere, & in prima herba extinguere, idque per remedium pharmaceuticum, quale CNOEFFELIO fuisse dicitur, & hodie TACHENIUS jactitat. Sed, cùm paucis liceat adire Corinthum; hactenus generalibus necesse est contenti vivamus; existimo tamen in Mercurio, & hinc antimonialibus ritè præparatis, vim absorbendi, & in radice corrigendi hoc acidum podagricum, delitescere. Lac & *diæta lactea* quoque hic remedii vim obtinent contra podagram, tædiosâ quidem methodo, sed aliquoties jam felici eventu, cùm funditus eàdem podagra eradicata sit. Utendi modum delineatum videbitis in M. A. N. C. *Ann.*1. *Observat.*141. *pag.*310. & *Append. hujus anni*, *Anno* 2. *annexa*, *pag.*33. *Ann.*6. *Observ.*58. SENNERTO *de Febr. lib.*3. *cap.*2. *pag.*351. Sicut de cura lactis in arthritide integrum *Tractatum* edidit GREISELIUS: Cui sociari poterit *disputatio* lectu dignissima *de Cura lactis, podagricorum solatii*, à *Dn. D.* WALDSCHMIDIO *Marpurgi* nuper habita, ubi aliquot hujus rei experimenta videbitis. Iis autem saltem convenit subjectis, qui benè & sine corruptione in ventriculo illud perferre possunt, item qui graciles ac macilenti sunt; de quo vid. TACHENIUS *l. a. pag.*416. Sub usu autem hujus æger ab omnibus reliquis alimentis abstineat: vid. BONNETI *Mercur. Compital. pag.*35.

XII. Quoad *auxilia pharmaceutica*: Vomitus primatum tenet, adeò, ut ab omnibus Practicis commendetur præservationis gratiâ. Crebriùs aut rarius, ad minimum omni verno & autumnali tempore circa solstitia, instituetur, nempe in stomacho podagræ cuditur faber. Hinc, quoad evacuantia, per inferiora, Mercurius dulcis, Turbith minerale cum spiritu sulphuris paratum; & alia Mercurialia ex regno minerali sunt optima; sicut ex vegetabili helleborus niger, & hinc Colocynthis, præ aliis conveniunt. Hermodactylorum laus non ampliùs tanta est ac olim, cùm genuini apud nos vix habeantur, utut pulvis arthriticus Paracelsi, descriptus in HARTMANNI *Prax. Chymiatr. de Arthritide* §. 17. & ex hoc natum Electuarium Caryocostinum, quod videb. in SENNERTO *de Arthrit. pag.*55. pluribus sit commendatissimum; non secus ac Electuarium Catharticum violatum Mynsichti mirè laudatur contra arthritidem à LINDANO, dum dicit: *optimum esse medicamentum, ad præveniendum paroxysmum podagricum*. Quo remedio aliquando Studiosum Juris hic felicissimè curavi, qui pessimè habuit & arthriticus fuit adeò, ut quasi contractus videretur; verùm hoc medicamento intra paucos dies curavi. Unde etiam in purgandis arthriticis extractum hellebori nigri & hermodactylorum POTERIO usitatum fuit, e.g.

℞. *Conf. Chamædr.*
Chamæp.
Anthos an.℥ß.
(vel loco harum conservarum recipiatur *pulpa passular.* ℥iß.)
adde
Pulv. antipodagr. Par. ʒiß.
Mag. Jalapp. gr.ix.
Cum *syr. de betonica*
F. Electuarium.

Ast præ fortioribus purgationibus convenientiores longè arbitror blandas purgationes per pilulas usuales, non

nihil

nihil acuatas, qualium pilularum loco videntur optimæ *pilulæ balsamicæ Cnoffelii M. A. N. C. Ann. 6. & 7. Append. pag.* 59. ex helleboro nigro & massa pilularum de tribus Ruffi concinnatæ, imprimis Mercurio fixo acuatæ, *cit. loc. pag.* 147. Sanè in ventriculi vigore conservando multum his tribuerem: aloe autem, pilulas de tribus Ruffi ingrediens, ita præparata sit, ut pars ejus gummosa magis extra vertatur, resinosa verò separetur. His omni novilunio reiterandis, tres vel quatuor dies ante usum adjungantur sudorifera, & alia appropriata, podagricum acidum & corrigentia, & correctum per sudorem eliminantia. Hinc quovis anni quadrante sudores per aliquot dies repetiti proliciantur, quocunque libuerit remedio, sæpiùs urinosa, tùm fixa quàm volatilia, hinc sulphurea antimonialia, item antimonium diaphoreticum & antihecticum Poterii continuando. Sanè spontaneos sudores seu potiùs madores vel omni manè in habitioribus & succulentioribus, vel quàvis septimanâ semel aut bis expectando, proficuos admodum notavi, temporibus extra paroxysmum, præsertim si sub introitum lecti conveniens dosis spiritus salis ammoniaci præmittatur. Post sudorifera etiam Diuretica extra paroxysmum in cura præservatoria sunt optima, quæ duo in plurimis conspirant, ita ut unum alterum sublevet. Imprimis verò Diuretica, tàm in præservando quàm curando, præmisso vomitu, sunt optima; magis tamen in præservando: & speciatim nulla purgantia, nulla violenta sudorifera, tantum valent, quantum appropriata diuretica, imprimis volatilia: qualia sunt spiritus salis ammoniaci, vel simplex vel lavendulatus, aut infusione aromatum cum spiritu vini oleosus factus, tartari volatilis, carminativus de tribus, (qui aliquoties multum præstitit in abusu vini ad præcautionem variorum malorum, quatenus urinam movit) spiritus cornu cervi, liquor cornu cervi succinatus, essentia lignorum, &c. Curavi aliquando Podagricum, paroxysmo imminente subitò præscribebam spiritum salis ammoniaci & spiritum cochleariæ, ut temperaretur acidum. Consilium erat frustraneum: cogitabam de sudore excitando, & continuabam spiritum salis ammoniaci; sed nil profeci, quia ad sudorem adigi non poterat, potiùs superveniebat ardor urinæ dolorosissimus ob salia vitiosa, quæ cùm per sudorem non discuterentur, per urinam deducebantur, & evanescebat podagra. Sic egregia sunt Lumbricalia in podagra ad diuresin; item arcanum duplicatum Mynsichti, præmissis fixis, est nobile; vel sal ammoniacum depuratum, borrax, sal volatile succini, &c. E. g.

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒj.
Corall. rub. præp. ℈j.
Salis volat. succini gr. xv.
M. pro tribus dosibus. S.
Singularis Pulvis articularis.

Pellit etiam calculos.

Hinc scarabæi, speciatim unctuosi, Germ. *die blauen Mayen Käfer*, nobile suggerunt remedium ad podagram præservandam, & curandam per urinam, propter copiosissimum sal diureticum, quod habent, utut cum dolorosa stranguria operentur: Vid. *suprà p.* 1. *ubi de Calculo Renum*, & BORELLUS *Cent.* 4 *Obs.* 73.

Remedia alterantia, quod concernit: eadem prorsus hic conveniunt, quæ *suprà Artic.* 2. *de Doloribus in genere*, sunt laudata, varia nempe *nervina, aromatica & volatilia, calefacientia* vulgò dicta, quæ *sale suo volatili* acidum podagricum invertere, & per transpirationem insensibilem eliminare solent; quibus in specie semper adjunguntur *specifica & appropriata, chamædrys, chamæpitys, Iva arthetica, spiritus salis ammoniaci, spiritus & sal volatile lumbricorum*, carminativus, aliquoties in septimana bihorio ante prandium ad 40. vel 50. guttas, usurpati; item liquor betulæ, herba Thee, &c. Videatur SENNERTUS, RIVERIUS, WILLISIUS, alii, ubi & plures inde concinnatæ *formulæ* occurrunt. Vel

℞. *Rad. Enulæ,*
Pæoniæ,
Caryophyllat. an. ʒvj.
Chinæ ei. ʒj.
Herb. Salviæ,
Melissæ,
Chamædr.
Chamæp. an. M. j.
Summ. rorismar. M. ij.
Bacc. junip. ʒiß.
Galang.
Zingib.
Cinnam. an. ʒij.
Sal. tartari ʒiij. ad ʒß.
Incisa & Contusa includantur Nodulo:
D. S.
Nodulus articulos confortans.

Infundatur in *Vino.*
Vel
℞. *Herb. Chamædr.*
Fragar. an. Miß.
Ononid.
Flor. hyperic. an. M. j.
Rad. bryon. ʒiß.
Sarsapar. ʒj.
Lign. Nephrit. ʒiij.
Bacc. Iunip. rec. ℔ß.
Cost. arom. veri ʒiij.
Incisa & contusa
D. S.
Species ad cerevisiam medicatam.

Includantur nodulo suspendendo in cerevisia fermentata, uel species injiciantur cereuisiæ à colatura adhuc calenti ante fermentationem.

De *saliuatione* mouetur dubium, annon & hæc aliquid usus conferre possit ad radicem podagræ extra paroxysmum exhauriendam? & uidetur eam confirmare KERKRINGIUS *Spicileg. obs.* 28. Conferatur in specie SYLVIUS *de Arthrit.* §. 174. *& seqq.* & ROLFINCIUS *Ord. & Method. special. Commentar. lib.* 6 *sect.* 3. *cap.* 1. & WEDELIUS *lib.* 2. *de Medic. Facult. sect.* 2. *cap.* 12. qui successum saliuationis adhibitæ exemplis confirmant. Tentari posset, sed malo nondum adeò confirmato; aliàs periculum esset, ne magis adhuc offensis articulis, & læsis partibus nerueis, paralysis ac contractura acceleretur.

XIV. Ex *fonte chirurgico* uenæ sectio pro præseruatione parum conferre uidetur, nisi ordinariæ excretiones uel suppressæ uel imminutæ sint: sicuti *suprà* exemplum ex FORESTO *lib.* 29. *Obs.* 4. allegaui de Arthritide quàm plurimorum articulorum, tertianæ intermittenti succedente ex restrictis hæmorrhoidibus, quibus denuò fluentibus arthritides cessarunt. Quidam tamen scarificatione pedum juxta pedis pollicem, unâ uel alterâ horâ ante nouilunium adornatâ, se præseruare nituntur, de quo uid. SALMUTH *Cent.* 3. *Obs.* 46. *Fonticuli*, ut aliàs, & hic remedium sunt: parum quidem ex se proficiunt, nisi per accidens in uoracioribus aut habitioribus, aut uitam sedentariam agentibus, aut quibus ulcera aut similia emissaria consolidata sunt, interdum conferant. In serosioribus tamen non sine fructu in cruribus excitantur, in quibus paroxysmos arthriticos egregiè præseruare solent. Præ cæteris in Ischiadico malo conducunt, nunc in sura excitati, uid. SCULTETUS *in Armament. Tabul. ult. lit. k.* ubi præstans eius declaratur usus; nunc juxta poplitem, secundùm HILDANUM *Cent.* 4. *obs.* 75. nunc super locum affectum excitati; nunc in inguine, qua ratione WILLISIUS *Pharm. Rational. Volum.* 2. *pag.* 450. Ischiadicam inueteratam per fonticulum in inguine curauit. Illustrat hunc in inguine fonticulum obseruatio, quam refert FEHR *de Scorzon pag.* 114. de muliere, ischiade pertinaci laborante ex impuro concubitu, bubone, quo ea affligebatur, quo per apertionem curato, malum ipsum curatum fuit.

XV. *Articulos denique firmant* Lixiuia pro balneatione pedum, dum poros seruant apertos, & alcali suo acidum spiritum ferè euocant, de quo præter experientiam conf. HORSTIUS *lib.* 8. *obs.* 5. præsertim si *baccæ iuniperi* q. s. e. g. p. ii. & *fol. salviæ* aut *rorismarini* p. j. in p. ij. *aquæ commun.* & *lixiuii comm.* p. i. incocta sint: Aut

℞. *Bacc. Iunip.* ℔ß.
Herb. rorismar. M. vj.
Serpilli, uel *thymi*,
Majoranæ, uel *salviæ* an. M. ij.
Incis. & contus. D. S.
Species ad pediluuium.

Coquantur in lixiuio pro Pediluuio, tempore uespertino sub introitum lecti instituendo. Sufficiunt species pro tribus uel quatuor uicibus. Post balneationem pes adhuc humidus linteis inuoluitur tepidis, & æger lecto committitur. Vid. *Id. Formular. Cl.* 4. *fi.* 2.

Præ cæteris conueniunt *Vinacea*, exque iis parata balnea & fomentationes pedum subinde repetitæ; uid. DURETUS in *Holler. lib.* 1. *de Morb. Intern. cap.* 63. & SOLENANDER

DER *sect.* 4. *consil.* 21. quæ cum non semper recentia haberi possint, quidam iis siccatis utuntur, in vino & aqua coquunt, salviam aliaque nervina addendo. Thermæ huc pertinent, quæ cùm remedium externum saltem sint, productis morbosis levandis saltem conferre poterunt, ipsa radice utplurimum in corpore relictâ; unde incipientes podagrici aliquale levamen exinde percipere possunt, confirmati nullum, quin potiùs contractura ac rigiditas articulorum sic acceleratur: vid. SENNERTUS *de Arthrit. Quæst.* 11. Adhæc si adjumenti quid adferunt, in frigida potius quàm calida conferre videntur: Videatur TIMÆUS *lib.* 5. *Epist.* 7. & *Act. Societ. Reg. Vol.* 1. *pag.* 822.

De *Transplantatione* quædam adhuc monenda forent, sed sufficiant hic ea, quæ refert, & per experientiam confirmat TIMÆUS *von Guldenklee*, *lib.* 7. *Epist.* 7. & 8. Catellus Melitensis podagrâ afflictis appositus, anodynus est: vid. observat. BORELLI, & BARTHOLINI, qui catellos hos podagricorum pedibus applicatos claudicasse referunt.

CAPUT IV.
DE
LÆSIONIBUS GUSTUS.

RE stant adhuc inter *sensus externos Gustus & Olfactus*. Gustus nil aliud est, quàm tactus linguæ specialis, & singularis, dum itidem fit per nervos in delicata filamenta divisos, quæ ad superficiem linguæ sub ejus membranam delata conglobantur in similes papillas nerveas, tanquam in capitula fungorum seu cornua limacum. Hæ ergò ratione suæ peculiaris texturæ ita sunt constitutæ, ut præter communia tactus objecta, ut durum, molle, asperum, &c. specialem à particulis salinis recipiant impressionem seu motionem. Sunt nempe salinæ particulæ minutissimæ genuinum gustus objectum, quæ ratione texturæ, rigidæ, acuminatæ, & diversimodè figuratæ, vehiculo aqueo imprimis dilutæ, se insinuant in linguam, ejusque modò dicta filamenta, & speciatim eorum papillas, variè movendo, pungendo, scindendo, secando, &c. talem in iis motum efficiunt, qui à nobis Gustus dicitur. Vno verbo: Sapor consistit in figuratione partium salinarum, quatenus nempè papillas linguæ nerveas pungunt, &c.

Solæ scilicet salinæ particulæ, nunc solitariæ, nunc aliis particulis materialibus intertextæ, adeoque plus minus vel mutatæ, vel exaltatæ, vel retusæ. Ex varietate talis texturæ vim obtinent impressionem certam in linguæ papillas facere, indéque, quod nos vocamus, varios sapores exhibere: Hinc enim acida & urinosa, mutuâ unione mutando texturam, fiunt salsa: acidæ particulæ aceti cum minio seu saturno calcinato junctæ in tantum texturam mutant, ut ex acutis quasi quadrata aut octoëdrica, & ita quodammodo aluminosa, fiant, indeque dulcem saporem repræsentant.

Res quò magis sapidæ, eò magis saliva affluit in os; similem enim motum faciunt, ac si nunc iterum edere vellemus, & ideò pro masticatione saliva affluit.

Læditur Gustatus, ceu propria linguæ actio, *dupliciter*: Vel

1. Quando *Imminuitur* aut *aboletur*, ita ut parum vel nihil gustare possimus.
2. Quando *Depravatur*, ita ut res & objecta quædam alienum saporem, quàm naturaliter habere solent, continuò in ore repræsentent, eumque putridum & fœtidum.

ARTICULUS UNICUS.
DE
GUSTU IMMINUTO ET DEPRAVATO.
CAUSÆ.

IMminuitur vel aboletur Gustus:

I. Vitio spirituum animalium ad linguam distribuendorum, qui vel vitio conformationis nervorum penitus in lingua deficiunt; quale exemplum habet COLUMBUS *in sua Anatome* de quodam vitri & carbonum vorace, qui varia sine Gustu ullo devoravit, in cujus anatome post mortem invenit nervos naturaliter ad extremitatem linguæ derivandos, juxta spinam dorsi posteriora versus reflexos: aut quando præter hoc in apoplecticis, paralyticis, &c. affectibus Gustus linguæ læditur, in quibus casibus cum sensu Tactus & Gustus (est enim Gustus tactus linguę specialis) etiam motus linguę simul plus minus perit; quo ablato, cùm voces articulari nequeant, Loquela amissa appellatur.

II. Læditur Gustus, quando lingua ejusque fibrę nerveę, & specialiter barum extremitates papillares, à nimia eaque vitiata lympha irritatę ita resolvuntur, & ob atoniam ita relaxantur, ut flaccidę ac molles, & quasi paralyticę, minus ab objectis rapidis moveri, & horum impressio percipi possit, pariter atque odoratus: unde etiam in gravedine & coryza graviore, aliisque affectibus catarrhalibus, dum os continuò copiosâ tenui salsaque lympha scatet, cum coryza pręter olfactum deficientem simul etiam Gustus aut imminui plus minus aut aboleri solet.

Depravatum quod attinet *Gustum*, in quo objecta peregrino videntur affecta sapore, fit hic imprimis vitio salivę, vitiosis recrementis & humoribus variis vel sale impręgnatę, quę nunc per se, nunc rebus gustabilibus sub masticatione permista, organum Gustus simul afficit, & inde talem saporem vitiosum lymphę imprimit: Hinc in Ictero, inquinatâ salivâ, omnia assumpta obscurè videntur amaricare: hinc similiter in scorbuto & malo hypochondriaco omnia plus minus acescere aut salsescere; in catarrhis omnia assumpta plus minus salsa muriatica apparere solent. Quò fortè *Picantium Gustus* referendus est. Interdum sapore putido & ferè inexplicabili, & quasi cinereo, objecta infecta videntur: id quod fit imprimis, quando unum alterumve viscerum internorum ulcere aut apostemate incipiente laboret; in his enim à purulentiâ istâ infecta saliva saporem cinereum & putidum repręsentare facit, uti subinde fit in phthisi similibusque morbis, quatenus nempe lympha salivalis ex iisdem corruptionibus inquinatur; ita ut ferè semper Gustus depravati causa in saliva inquinata investiganda sit: ac hinc est, quod observavit MEARA *pag.* 160. *in Hist. Med.* Gustum depravatum, ortum ex auris ulcere, forsan pure successivè ad os delato, quem tamen ipse curavit per Topica auri admota. Rarum est, quod refert DEODATUS *in Valetud. p.* 272. de sapore amaro in apice linguę percęptibili, idque ex affectu hypochondriaco.

DIAGNOSIS.

Affectus hi facilè patent ex ęgri relatione; uti etiam causę antecedentes per eundem & per adjunctas circumstantias, aut pathemata manifestantur. Vbi enim adsunt simul alię operationum animalium labefactationes, de affectu paralytico non est dubium: sin adsit simul vitium catarrhale, v. g. coryza, vel raucedo, & similes defectus, res est facilis. Causa, quę gustum depravat & salivam inquinat, ex affectu adjuncto per se patet: Sic in Ictero, scorbuto, putredine oris, &c. facilè patet affectus primarius, unde afficitur saliva.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Gustus lęsiones in catarrhis per se nullum periculum portendunt, quibus curatis spontè cessant. Idem de aliis enarratis hactenus Gustus vitiis sentiendum. *Sin verò inveterata sint*, difficilia sunt curatu.

CURA.

In *Cura* causæ sunt removendę, & fibrarum linguę debitus tonus nervinis restituendus & conservandus, aut acrioribus quasi stimulandus in *Imminutione* ejus aut *Abolitione*: *Illic* ad catarrhum respectus est habendus; *Hic* verò *nervina* varia & *aromatica* conveniunt. Pro posteriori scopo in specie *raphanus* ante pastum usurpatus & masticatus gustum acuit, & eundem deficientem quasi sensilem reddit, teste HOEFERO *in Herc. Med. p.* 75. HARTMANNUS *gargarismum* habet, & etiam *linimentum* egregium ad Gustus lęsionem, quę videbitis in *Praxi eius Chym. cap.* 83. §. 3. & 4. Egregius quoque est *succus acetosæ*, vel solus, vel ex ana succi acetosę & succi portulacę, cum ana *sacchari* paratus *syrupus*, confert multum ad abolitum saporem, teste ZACUTO LUSITANO *lib. ult. Prax. cap.* 2. *num.* 10.

quo

quo os & lingua subinde abluenda & abstergenda; quin &, si deglutiatur, nihil incommodi affert, sed ventriculum simul egregiè abstergit. Quodsi verò gustus sit depravatus, e. g. in ictero, ita ut omnia videantur amara, salsa, & similiter, in specie tunc convenit *vomitus*: quo præmisso usurpetur *serum lactis acidulatum* cum succo citri, vel cum spiritibus quibusdam mineralibus, vel etiam quæcunque acida conveniunt in Gustu nimis amaro, non secus ac *radix cichorii* condita, item zedoaria, vel radix gentianæ crebriùs affricta, eundem juvant. Locum etiam habet *Gargarismus*, item *Linimentum Hartmanni jam allegatum*. Sed curantur hæc vitia optimè, curato primario morbo. Hinc postmodum nervinis appropriatis partium nervosarum linguę tonus restituendus, & corrigendus.

Sed quæ in specie linguam roborant, ejusque sensum, & motum restituunt, sunt nervina, & ea, quæ aliàs etiam ordinariò in Aphonia & loquela amissa applicari solent, quas hac occasione jam tractabimus.

MEMBRUM I.
DE
APHONIA.

Distinguendum autem est, propriè loquendo, inter *Loquelam amissam*, & inter *Aphoniam*.

Aphonia est, dum vox nulla editur: id quod fit vitio laryngis, ejusque musculorum moventium, aut paralyticorum, aut convulsorum, aut nimis humectatorum. Hac namque ratione in passione hysterica mulieres aphonæ jacent, uti etiam fit in apoplexia graviori, paralysi, malo hypochondriaco & passione hysterica, ubi ægri non rarò omnimodam patiuntur Aphoniam, propter convulsionem musculorum laryngis, cartilagines moventium; quam convulsionem percipientes quasi laqueo fauces cõstringerentur, molestiam se percipere asserunt, ac si collum ipsis torqueretur.

Loquela verò amissa fit vitio linguæ, quando quidem sonus aut vox, sed incondita, à larynge formata ob motum linguæ, sive ex toto, sive ex altera saltem medietate paralyticæ, plus minus amissum aut non sufficientem, in verba articulari nequit, aut alia linguæ vitia suis signis se exhibent: quæ in *Aphonia* secus se habent, in qua nullum linguæ vitium, præsertim quoad motum, observari solet.

Aphonia dicitur aliàs Anaphtia, quæ HIPPOCRATI sunt distincta, à modernis verò confunduntur: *Aphoni enim* HIPPOCRATI idem ac *Apoplectici*, cum *Aphonias* nomine intelligat illos, qui ne motum quidem nullum proæreticum sive voluntarium retinent: *Anaphtos* verò eos, quibus *vitio laryngis* vox deficit: Vid. GORRÆUS *in Definit. Med. pag.* 57. *& pag.* 81. *Aphonia* ista, prout communiter accipitur, fit ex *vitio nervorum & musculorum*, nunc *paralytico*, nunc *spasmodico*. Quod *vitium paralyticum*, *Aphonia* fit frequentissimè *à paralysi musculorum laryngis*, sive hæc *vitio proprio*, *sive vitio nervorum recurrentium* ad eos distributorum, accidat: Nam in canibus dissectis, vel ligatis illis nervis, Aphonia in promptu est: sic videmus non rarò *aphonos* fieri, qui magna *raucedine* laborant. Id quod fit probabiliter *à nimia humiditate* & consequenter *resolutione musculorum laryngis*, ut flaccidi fiant, & impotentes ad motum. Manifestum hujus rei exemplum est, quod refert TULPIUS *lib.* 1. *cap.* 40. *pag.* 78. Hinc etiam *tardior loquela* cujusdam *ob abundans phlegma*, qui anno duodecimo demum loqui cœpit, teste AMATO LUSITANO *Cent.* 6. *Curat.* 5. Pertinet huc etiam *crapula*, subinde *Aphoniam* inferens *paralyticam*: Videat. HOECHSTETTERUS *Decad.* 3. *cas.* 9. Quò etiam facit *Aphonia ex casu ab alto*, & inde contracto *vitio nervorum paralytico*, quam refert POTERIUS *Cent.* 2. *cap.* 11. & jam olim notata observatio GALENI, quam videb. in SENNERTO *lib.* 2. *Prax. pag.* 354. Sic *ex terrore nervorum vitio* oborta, *aphona pro apoplectica* restituta, vid. in BARTHOLINI *Act. Med. Hafniens. Volum.* 1. *Observ.* 101 *pag.* 193. Curiosa etiam est *Aphonia paralytica ex globulo plumbeo* per vomitum moto, indeque recurrentes motus deprimente, de quo vid. DEODATUS *in Valetud. pag.* 97. Utraceam *nervos recurrentes*, quovis infortunio *abscissos* vel *resectos*: Conf. SENNERTUS *lib.* 2. *Prax. Part.* 3. *cap.* 4. *pag.* 355. Observavi aliam *Aphoniam* in virgine, quæ cubans noctu in hypocausto, ac suaviter dormiens; *ob extinctam verò lampadem ex oleo constructam, & hujus fumo successivè inspirato* altero manè surgens, cętera sanissima, *aphona* erat. Videbatur subesse *vitium* quasi *paralyticum laryngis ejusque musculorum* ex isto *fumo inspirato* læsorum. *Curabatur per electuarium ex scordio pulverisato cum melle* excepto, crebriùs assumpto, & deglutito. Atque *hæ Aphoniæ ad constitutionem nervorum & musculorum paralyticam* pertinent, si in *paroxysmo apoplectico* accedant, & hoc cessante etiam aliquamdiu affligant, sive sine eo, aliis functionibus omnibus salvis, ægros subitò prehendat.

Quoad *alterum Aphoniæ fiendi modum*: hunc *ex convulsione musculorum & nervorum laryngis* fieri insinuavi. Observatur tamen crebrò talis in graviori *paroxysmo hysterico*, in quo aphonæ jacent ægræ, pariter ac epilepticis convulsionibus sæpiùs Aphonię superveniunt. Speciatim vid. hic *epileptica aphona* per *venæsectionem* curata apud HOECHSTETTERUM *Decad.* 4. *cas.* 1. & conf. *casus parallelus*, nempe *Cas.* 2. *&* 40. Item *ex vermibus in ventriculo & intestinis* subinde *obmutescentia* observatur, teste FORESTO *lib.* 21. *Obs.* 28. *schol* & *lib.* 14. *observ.* 33. *schol.* Noti nempe *varii spasmodici affectus* sunt, *occasione vermium* obvenientes. Pertinere etiam huc videtur curiosa observatio in BARTHOLINI *Act Med. Hafniens. Volum.* 1. *Obs.* 86. *pag.* 170. Nam ex *constrictionis sensui* in loco affecto *spasmum nervi recurrentis* adfuisse probabiliter concludi potest. Forsan & huc pertinet *Aphonia ista mirabilis* M. A. N. C. *Ann.* 3. *obs.* 121. *pag.* 193. sponte suâ ex improviso affligens, & sponte suâ denuò cessans ac recidivans, &c. Nempe vix paralyticum, sed potiùs convulsivum quid subesse videtur. Forsan etiam huc pertinet *Aphonia* suborta *ex retenta gonorrhæa virulenta*, *fonticulis in inguine apertis* curata, apud ZACUTUM LUSITANUM *lib.* 1. *Prax. Admir. obser.* 97. Nempè *acre luis venenum* facilè *nervos recurrentes* vel *musculos laryngis* irritando, *ex spasmo Aphoniam* inferre potuit. Quoad *Aphoniam in febribus* interdum supervenientem: res dubia, an *paralyticum* potius an *convulsivum* vitium sit? Sanè quantum colligere valeo, ad *convulsiva vitia* potiùs referrem; nam & quæ in *variolis* non rarò observantur *Aphoniæ* (vid. HILDANUS *Cent.* 6. *Obs.* 14.) *ex convulsione* laryngis potius esse videntur; cùm *convulsione pathemata* non rarò in illis observentur: dum scilicet *acre variolarum venenum*, *nervos recurrentes* irritando, ad *spasmos* illos cogit: sicut *tussim*, *raucedinem*, ac his affinia, *asperæ arteriæ ac laryngis mala*, eædem inferunt. Sed pręter *paralysin ac convulsionem* etiam *subitanea spirituum perturbatio* ad *Aphoniam* disponere valet: sicuti videmus, quosdam *nimio terrore perculsos* planè quasi *obmutescere*. Pertinet huc mirabile exemplum *aphoniæ ex visis cancris* in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observ.* 145. *pag.* 229. *& Ann.* 3. *Observ.* 187. *pag.* 348. Præ qua longè curiosior est *subitanea ista Aphonia* cum perfecta in toto corpore ἀναισθησίᾳ, omnibus cæteris, tàm vitalibus, quàm animalibus, functionibus salvis in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 251. *pag.* 454. quæ omnia tamen symptomata beneficio *venarum raninarum sectionis* breviter evanuerunt. Revocarem hoc observatum in dubium, nisi ab autore, viro fide digno, DANIELE LUDOVICI, fuisset relatum.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Apoplexiæ juncta Aphonia* difficiliùs curatur, ac interdum *diuturna* esse solet.

Quæ *cum singultu* sunt *Aphoniæ pessimæ* sunt, autore HIPPOCRATE.

Balbi profluvio alvi maximè corripiuntur, teste HIPPOCRATE *sect.* 6. §. 34. & hoc ipso ferè sanantur.

Aphoniæ per se & solitariæ, modò ritè tractentur ægri, *successivè curabiles* sunt.

CURA.

In *Cura* ad *primarium morbum*, cujus symptoma est *Aphonia*, aut saltem ad ejus *causam antecedentem*, respiciendum, ut his remotis facilior prædicti symptomatis fiat curatio. Pro quo curando ad *laryngem & ejus musculos*, ac *nervos recurrentes* imprimis respiciendum, tàm *eorundem paralysin* undecunque natam, quàm *spasmum* ex nimia irritatione *removendo*, *internè per volatilia aromatica & nervina*, aliàs *Cephalica* dicta, ex. gr. spiritum salis ammoniaci castoreatum, succinatum, spiritum cornu cervi succinatum,

cinatum, & subinde *sudorem* simul *provocando*, & etiam *ptyalismum masticatoriis promovendo*. Imò *in contumaciori malo* præsertim *paralytico*, *diæta sudorifera ex lignorum decoctis* instituenda venit.

Hinc externa remedia topica collo, & imprimis regioni, ubi situs est larynx, sunt applicanda, spirituosa nempe & nervina appropriata, quæ inter est Infusum Majoranæ, florum Chamomillæ, lavendulæ & salviæ cum spiritu vini paratum, quo sub forma fotus cum linteis multiplicatis calidè anteriùs regioni colli crebriùs, donec vox redierit, admoto, aliquoties Aphonias curavi: aut sacculi ex nervinis aromaticis, spiritu vini irroratis, exteriùs collo applicandi; vel aqua articularis ad extra, maritata cum essentia castorei, aut spiritus apoplectici cum *spiritu lumbricorum vel formicarum* eodem in loco calidè cum linteis multiplicatis applicandi; aut *olea destillata nervina*, *succini*, *lavendulæ*, *rutæ*, *iuniperi*, *cum theriaca* permista, ac *cum balsamo Peruviano* subacta, ibidem frequentiùs illinenda; aut etiam *essentia castorei*, vel solitaria, vel istis sociata, sedulò admovenda: Item

℞. *Herb. salu.*
Rorismar. an. M. j.
Sem. Eruc. ℥ij.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.* in vase clauso:
Colat. ℔j. adde
Spiritus Ceras. nigr. ℥vj.
Sal. ammoniaci ʒj.
Mell. anthosat. ℥j.
M. pro Gargarismate
D. S.
Singulare Gargarisma.

Convenit in aphonia, laryngis affectu, post paroxysmum apoplecticum.

Pro quorum omnium meliori successu, ubi circumstantiæ aliæ permiserint, & venæ sectio *sub lingua* interdum institui potest.

MEMBRUM II.
DE
LOQUELA AMISSA.

Loquelæ amissio est, quando sonus & vox formatur quidem à larynge, sed ob motum linguæ aut amissum, aut non sufficientem, vox formari & in loquelam articulari nequit. Vitium hoc paralyticis & apoplecticis imprimis familiare est, & subest paralysis linguæ major vel minor, ad quam pertinet suo modo *Balbuties*, ex deficiente itidem aut impedito linguæ motu oriunda.

CURA.

Hic affectus *curatur* in specie aromaticis oleosis aut spirituosis, linguæ extrinsecùs admotis. Convenit hic Decoctum gallitrichi, salviæ, hyssopi, pyrethri, zingiberis in aqua & vino, quo ipso lingua vel fauces eluendæ, vel etiam instar gargarismatis applicandum. Porrò Decoctum salviæ, & erucæ vel sinapi in vino paratum, propter hujus sal volatile acre, à quibusdam tanquam singulare arcanum commendatur; Item decoctum pulegii & nasturtii in vino: quæ possunt acui cum salibus volatilibus, ut in ore detenta meliùs penetrent; e. g. in pertinaciori malo:

℞. *Herb. rorismar.*
Maioran.
Salu. an. M. j.
Rad. Pyrethr ʒiij. ad ℥ß.
Sem. Erucæ, vel *sinapi* ʒij. vel ʒiij.
Caryophyll. ʒj
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.* in vase clauso:
Colat. ℥x. ad ℔j. adde
Spiritus ceras. nig. vel *bacc. iunip.* ℥vj. ad ℥iß.
Spiritus sal. ammoniaci cum *calce viua*, vel *caryophyllat.* ʒj. ad ʒiß.
Mell. anthosat. ℥vj. ad ℥j.
M. f. Gargarismus: S.
Gargarismus confortatiuus.

Præ cæteris salviæ succus in linguæ paralysi & loquela amissa commendatur, si eo fricetur lingua frequenter: cui tamen pulvis castorei aut semen sinapi contusum commodè addi possunt; Nam sic etiam frictio linguæ cum theriaca, addito pulvere seminis erucæ vel sinapi, quibusdam commendata esse solet. Pro gargarismate hoc commendat Stockerus cum sequenti mistura:

℞. *Salu.*
Hyssopi,
Acori, an. M. j.
Coqu. in s. q. *aquæ*
Colaturæ adde
Oxym. Squillit. ℥j.
M. pro Gargarismate.

Hinc

℞. *Sem. Erucæ*,
Squillæ,
Cepar.
Apii an. ʒß.
Zingib
Trium piper.
Cinnam.
Nuc. mosch. an. ʒj.
Spec. di-Ambr.
Dia-Mosch. dulc.
Di-Anthos an. ℈ij.
Cum s. q. *aquæ uitæ* f. Mistura crassiuscula pro illinitione linguæ & palati.

Porrò in affectibus paralyticis aut apoplecticis præ cæteris olea destillata, spiritus aut aquæ spirituosæ, & essentiæ penetrantiores, sunt egregiæ, v. g. essentiæ florum anthos, salviæ, lavendulæ, imprimis essentia castorei, quæ est expertum remedium in aliquot apoplecticis, cum penna sub lingua illitæ inferiùs juxta locum frenuli, aut ubi nervi sunt motrices. Castoreum ipsum sub lingua detentum, & omnia ex eo parata, uti in loquela amissa, ita etiam in aliis loquelæ vitiis, in specie in balbutie infantum aut puerorum corrigenda, & quando tardiùs loqui incipiunt, multum convenit: in quo affectu masticatio nucis moschatæ etiam confert. Fortius est, si essentia castorei fiat cum spiritu vini, sale volatili cornu cervi aut succini imprægnato, quæ linguæ illita, vel sub lingua applicata, ad restituendam loquelam & paralyticos linguæ affectus est egregia. In specie spiritus cerasorum nigrorum, acuatus cum aliquot guttis olei destillati caryophyllorum, apici linguæ illitus, aut ori infusus, in malo ab apoplexia est admodum efficax. Aliàs etiam oleum destillatum anisi apici linguæ frequenter illitum tanquam singulare specificum ad linguæ paralysin & amissam loquelam ab HARTMANNO laudatur. Conducit etiam spiritus vitrioli cephalicus, mistus cum ana vel duplo spiritus cerasorum nigrorum, orique infusus, ac probe linguæ applicatus, est egregius. Quò pertinet spiritus theriacalis camphoratus, mistus cum spiritu baccarum juniperi aut spiritu liliorum convallium, & similia penetrantia maximè prosunt: Non secus ac oleum destillatum succini ad gutt. viij. cum aqua maioranæ vel liliorum convallium, vel cum aqua lavendulæ & salviæ, ori infusum est admodum efficax. Vel fricetur lingua cum theriaca aut extracto theriacali; Vel

℞. *Mithridat.* ʒiij.
Extr. Castor. ʒß.
Olei destill. lauend.
Succini,
Anisi an. gutt. iv.
M. pro illinitione aut frictione linguæ.

Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *obs.* 207. *Ann.* 4. & 5. *Obs.* 128. *pag.* 137. & *Ann.* 6. & 7. *Obs.* 92. *pag.* 132.

Ulterius in usu etiam sunt Electuaria sub forma lituum linguæ applicanda; v. g. singulare Electuarium in paralysi linguæ, Loquela amissa & cognatis affectibus à STOECKERO admodum laudatur, cuius crebrior facta est experientia, nempe

℞. *Mithridat.* ℥iij.
Rad. acori condit. & subtilissimè trit. ℥j.
Zingib.
Nuc. Mosch. an. ʒij.
Salis comm. vel loco huius potiùs
Salis vol. succ. ʒj.
M. omnia in mortario:
quibus adde
Succ. Salu. depur. ℥j.
Mell. despum. q. s. ad consistentiam debitam Electuarii.

Quod irroretur cum *oleo destillato anisi*, *Maioranæ*, *Saluiæ*, *succini*, &c.

Suma-

Sumatur quantitas avellanæ, teneatur sub lingua, sensim ac sensim deglutiendo, fricetur simul lingua aliquoties, tàm in summitate quàm in parte inferiori juxta frenulum, donec loquela redeat, ad cujus defectum expertum est remedium.

Si verò in sene adest difficilis loquela, optimum est euporiston essentia florum lavendulæ, infusa in spiritu vini, de quo infuso propinetur omni manè & vesperi sub introitum lecti ℥j. Sanè hoc ipso remedio RULANDUS aliquando curavit Loquelam amissam ex paralysi linguæ in sene 86. annorum; sicut etiam in tali casu convenit nux moschata, si particula hujus probè masticetur, & in ore agitetur.

Tandem cum dictis Internis subinde & *Externa* in usum vocanda. Cataplasma factum ex fermento, addito simul pulvere succini aliisvè appropriatis nervinis, vertici impositum, experimentum est RULANDI in Loquela amissa; sicuti etiam oleum destillatum succini vertici aut nuchæ illitum, aut in aqua spirituosa vel lavendulæ vel salviæ linguę admotum, & crebrò applicatum, insigniter recommendatur ad restaurandam amissam antea Loquelam. Sic FORESTUS *lib.* 14. *cap.* 32. refert paralysin linguæ ex catarrho, præmissis universalibus, per vesicatorium nuchæ applicatum curatam. Sic & apertio venarum sub lingua subinde cum fructu institui potest. Conf. curiosa observatio in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 251.

CAPUT V.
DE
LÆSIONE OLFACTUS.

GUstui proximus est *Odoratus*, cùm ut plurimum maximum inter se consensum habeant, ita quidem, ut intensè sapida simul odoratum fortiter afficiant, & contra, uti in oleis destillatis, salibus volatilibus, &c. apparet, adeò ut Tactus, Gustus, & Odoratus non nisi pura graduatione majoris vel minoris materiæ immersionis distinguantur, & tactus diversimodè modificatus sint.

Organum hujus odoratus minus probabiliter statuuntur processus mammillares, sed potiùs hoc videtur esse membrana ista tenera summitati narium, juxta confinia ossis cribriformis intus obtensa, uti eleganter hoc demonstrat SCHNEIDERUS *Tr. de osse cribriformi*: quin & ex analogia cum tactus, & gustus organo de præsentia certarum papillarum, ex filamentis nerveis contextarum, vix dubitandum videtur: de quibus tamen per anatomen, simulque per armatos microscopio oculos, ulterior instituenda est inquisitio.

Dum ergò cum aere pro inspiratione attracto varia simul & innumerabilia nares subintrant effluvia, & miasmata, ex quibuscunque corporibus, insensibiliter licèt, emanantia (adeò ut omnia corpora certam quasi suam & determinatam atmosphæram circa se habere videantur) quædam eorum effluviorum ratione determinatę suę texturę & côformationis insinuant se dictæ narium membranæ, eamque, vellicando, pungendo, titillando, talem in filamentis ejus motionem efficiunt, quæ Odor à nobis dicitur. Omnia enim corpora atmosphæram effluviorum habent; ut magnes habet effluvia, item succinum, quod probat attractio palearum, &c. Res odoratæ etiam talem atmosphæram habent.

Particulæ talem quę habent texturam & conformationem mechanicam, ut speciatim hanc membranam ejusque filamenta nervea movere possint, sunt eæ, quæ communi nomine sulphura dicuntur, & sulphureæ seu pingues sunt naturæ. Nam vix odorem habemus, qui non ex sulphureo tali oriatur principio: unde & prout particulæ tales pingues, seu sulphureæ, ex coalitu cum aliis, speciatim salinis, particulis, mutant texturam, & vel volatilisantur vel figuntur, alia vè ratione immutantur, Odorum exsurgit varietas: Hinc v. g. Moschus odoris expers, si in latrinam suspenditur, sulphureæ particulæ se iterum insinuant in moschum: Oleum terebinthinæ suaveolens cum floribus sulphuris ritè combinatum, fœtidum balsamum sulphuris constituit; pręcipitatio sulphuris, vel scoriarum reguli antimonii, cum aceto fętorem contrahit; spiritus salis ammoniaci urinosi saporis & oderis cum Marte inodoro combinatus, croco aut floribus calendulæ maximè similem repræsentat odorem.

Læditur Olfactus *tripliciter*;

1. Quando *imminuitur*, odoratusque est nimis hebes: Aut
2. Quando omnino *aboletur*, ita ut parum aut nihil odorare queamus:
3. Quando *depravatur*, dum odores alieni in specie putridi & fœtidi, qui non sunt in rebus, continuò à nobis odorari videntur: id quod fit in ulceribus narium, imprimis ex lue venerea interiora nasi occupante; item ex vitio Dentium scorbutico, eorumque putredine, & similibus vitiis: de quo Odore depravato, cùm, curatis istis exulcerationibus, sponte cessare soleat, nihil ampliùs monendum est.

ARTICULUS I.
DE
OLFACTU IMMINUTO
aut
ABOLITO.
CAUSÆ.

IMminuitur aut aboletur Odoratus, ut parum vel nihil odoremur, triplici ex causa: primò ex vitio cerebri, ac nervorum non dimittentium spiritus animales in organo odoratus, v. g. in affectibus apoplecticis, paralyticis, & quando econtrà ex spirituum impetu convulsivi quid patitur membrana narium, olfactus organum, uti fit in epilepticis motibus & vertigine caduca, in quibus objectorum impressiones percipere nequeunt ægri propter spasmum membranę narium internæ, unde Olfactus ad tempus aboletur. Item obstructio summitatis narium, & hinc inducta filamentorum nerveorum ex dura matre per os cribriforme in nares protensorum (de quibus SCHNEIDERUS *de osse Cribriformi*) compressio.

2. Imminuitur odoratus plus minus ob membranam læsam, istam nempe, quæ narium summitatem succingit, ac odoratus primarium organon videtur, sive lædatur à causa interna, sive externa. A causa interna quidem, quando eadem nimis humectata, & à copiosiore lympha irrorata ac nimis relaxata, frequentissimè odoratum abolet aut imminuit. Uti etiam naturaliter hæc membrana madet blandâ lymphâ pro faciliatione odoratus, ita hæc ipsa nimis humectata inepta fit, quę impressiones odoriferas recipiat, cùm ex paralytica quasi constitutione, qua fibrę ejus nimis relaxatę & humectatę ad impulsum vel attactum rerum odoriferarum immobiles ferè sunt, & ipsi quoque animales spiritus eò delati à copioso humore inquinantur, segnes ac plus minus torpidi redduntur, unde consequenter cessat Olfactus. Hinc in coryza & gravedine ac similibus affectibus narium & capitis catarrhalibus, in quibus humectata nimis nares succingens membrana, odoratus omninò aboletur; hinc in constitutione aeris aquilonia, seu humidiori & frigida, odoratus insigniter hebetatur; unde etiam canes venatorii tunc temporis minùs sagaces esse solent, cùm eorum odoratus hebetetur, ut referunt Venatores, ut minus fortis existat. Coryzam & gravedinem quod attinet: circa hanc notum est, quod ordinariò, quando diutiùs effluit lympha catarrhalis per nares, cesset olfactus.

Inter *causas externas* membranam lędentes est continuus nimis fortiter odoratorum olfactus, aut etiam sternutatoriorum abusus. Ab his enim fortiter odorantibus & narium membranam nimis stimulantibus ex forti impressione, & hinc spirituum animalium nimia motione fit, ut postmodum leniora objecta vel omninò non, vel saltim parum, sentiant, quatenus in tono suo vitiata est dicta membrana: ob id enim camphorata crebriùs odorata olfactum lędunt, quia vis ejus odorifera est penetrantissima; vid. BARTHOLINUS *Cent.* 4. *Hist.* 91. Universale nempe hoc est omnibus sensibus externis, ut ex fortiori impressione & motione ab objecto facta in organum hujus fiat lęsio, & sic cesset ejus actio, unde non nisi à valido objecto postmodum moveri & sensualis impressio excitari possit. Sicut enim splendor intensus visum lędit, sonitus auditum; simili ratione fortiter odorifera crebriùs naribus admota, olfactum pessundant, quatenus lacerando quasi destruunt membranę odoratus tonum. In specie dum ista fortiter odorantia, aut acriùs membranam

branam ferientia, ita alterant membranam, ut postmodum leviora obiecta uel omnino non, uel saltim parum sentiantur, imprimis in sternutationibus crispata, & quasi conuulsiuo motu affecta, narium tunica exinde in tono suo ita uitiatur, ut non nisi fortissimorum obiectorum impressione fibras eius moueat. Obseruatur hoc in Italis, qui ferè semper secum gestant puluerem sternutatorium ex nicotiana, & quotidie eum naribus insufflant, nec non aliis honoris gratiâ offerunt; hinc in his continuato abusu horum pulverum cessat tandem ferè in totum odor, adeò ut dum nos Germani ex simplici sternutatorii odore, aut eius tantillo, ad sternutationem mouemur, Itali, copiosè licèt ingerant, nullam tamen sternutationem sentiant, & grauiter odores percipiant: unde & iidem Itali interdum in iunioribus annis cum imminuto olfactu hebetudinem uisus patiuntur, cùm sternutationes noceant oculis. Conueniunt ergò sternutatoria in quibusdam affectibus, sed non nisi moderato usu.

DIAGNOSIS.

Signa odoratus deficientis ex relatione ægri per se patent; sicut causarum diuersitas ab eodem, simulque iunctis circumstantiis aut pathematis aliis, facilè colligitur.

Nempe affectus apoplectici & paralytici per se noti sunt: membranam narium esse humectatam aut ex excretione, aut ex affectibus catarrhalibus patet, imprimis quando lympha destillans est copiosa, tenuis, &c. uti fit in catarrhis.

Denique abusus odoratorum & puluerum sternutatoriorum etiam ab ægro inquirendus est.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: pro uarietate causarum maius uel minus periculum imminet ex olfactus læsione. Hinc quæ læsio odoratus fit ex uitio lymphæ catarrhalis, curatur facile; Nam curato catarrho, facilè cessat: Sin uerò odoratus læsio sit antiqua, præsertim ex causis externis nimis odoriferis, in membrana impressionem facientibus, inducta, talis rarò aut nunquam curari solet.

Porrò quando æger in morbis acutis odores non consuetos sentit, utut non adsint obiecta talia odorifera, v. g. quando percipit odorem piscium putridorum, luti, butyri rancidi, &c. mala signa, & ferè fatum portendunt.

CURA.

Cura pro varietate causarum variat, nempe omnis *causa* removenda: adeoque

1. Pathemata cerebri & nervosi generis tollenda.
2. Affectus catarrhalis curandus, & hinc membrana narium nervinis aromaticis in tonum naturalem restituenda.
3. Externa quælibet, præsertim objecta nimis odorata, maturè sunt removenda.

Præmissis ergò præmittendis, & pro causarum varietate variantibus, pro restituendo Olfactu imprimis duo excellunt, *Majorana*, & Nigella. Majorana quidem, & quælibet ex hac parata remedia, tàm interna quàm externa, conducunt: Sic novi mulieres, quæ uti semper sunt medicastræ, coryzâ laborantes cum olfactu & gustu perdito, internè sumunt cochleare unum majoranæ arefactæ cum cerevisia vel alio vehiculo calido, idque summo cum levamine, & hoc euporiston sæpè egregiam & optimam tulit opem: Sic etiam Extractum Majoranæ ceu expertum remedium laudatur ab HARTMANNO, si omni manè & vesperi usurpetur à gr. vj. vel viij. ad ℈ß. item Essentia Majoranæ cum Essentia Pulegii mista, vel Extractum Majoranæ cum saccharo mistum, addendo aliquot guttas olei destillati Majoranæ, in forma Eleosacchari vel rotularum accipiatur. Conveniunt etiam *pulegium*, *rosmarinus*, & ex his parata *olea*, *essentiæ*, &c. Hinc etiam *Balsamus Majoranæ* ex ejus *oleo* destillato factus, naribus illitæ præ reliquis confert; Vel usurpetur oleum sequens:

℞. *Ol. Nigell.*
Ireos an. ʒß. vel ʒj.
Destill. Maior. ℈ß. vel ℈j.
M. D. S.
Oleum ad nasum.

Quo ipso illinantur interiora narium. Conveniens in specie est in odoratu deperdito, speciatim si simul ex affectibus catarrhalibus adsit obstructio summitatum narium; in tali obstructione vix habetur melius remedium hoc ipso oleo. Quòd si volumus hanc reddere acriorem, addi etiam possunt aliquot guttulæ olei destillati anisi & succini: Vel fiant etiam noduli olfactorii ex majorana & semine nigellæ; v. g.

℞. *Herb. Maioran.*
Sem. Nigell. contus. an. p. ij. vel ʒij.
Irrorantur aliquot guttulis
Ol. destill. Maior. vel *anisi*,
f. l. a. Nodulus cum stylo,
qui subinde naribus admoveatur.
D. S.
Nodulus ad nasum.

Egregiè confert.

Denique in odoratu deperdito experimentum PETRI à CASTRO sequens laudatur:

℞. *Sem. Nigell. in aceto fortiss. infus.* & postea *exsicc.*
Rutæ,
Fumar.
Castor. an. ʒj.

Subtilissimè trita, leniter subigendo misceantur cum *urina pueri*, ut fiant in forma mellis liquidioris seu Syrupi tenuioris.

Hujus omni mane stomacho jejuno quinque vel sex guttas ægri attrahant per nares fortiter, & postea caput versus posteriora inclinent, & in ore aquam calidam detineant: continuentur ad 3. 4. 5. vel 6. dies, donec ægro odor redeat.

Plura qui vult de nigella in usu hoc contra olfactum abolitum, vid. TABERNÆMONTANUM *de Nigella*.

Aliàs in Abolitione Olfactus etiam Menthastrum foliis acutis, & floribus albis sub forma extracti cum decocto rutæ, majoranæ, abrotani & nigellæ, interno usu laudatur: sicuti externè eodem decocto menthastri caput est lavandum.

Denique suffitus ex succino, item gummi animæ, vel ex his duobus mistis, dum catarrhos sistit, etiam deperditum Odoratum nonnihil restituit. Forsan & suffitus ex spiritu salis ammoniaci, & aliis volatilibus spirituosis, nervinisque penetrabilibus, non erit inconveniens.

ARTICULUS II.
DE
POLYPO NARIUM.

Ad narium obstructionem pertinet etiam *Polypus*, qui est Sarcoma seu excrescentia carnosa in naribus, ex earum summitate pronascens, & nasum nunc replens, nunc in fauces usque descendens. Ad imitationem polypi piscis ita dicitur, dum mollis est & lubrica, & nunc unâ, nunc pluribus radiculis & pediculis, in loco, ubi excrescit, naribus se affigit.

PARS AFFECTA.

Pars affecta seu locus, unde excrescat, sunt nunc, idque rariùs, membrana glandulosa in summitate narium, nunc, idque frequentiùs, sunt filamenta nervea os spongiosum opplentia, ex quibus nunc uno, nunc pluribus pediculis, huiusmodi Polypus excrescit. Excrescentia hæc nunc alba, nunc rubra, nunc livida, &c. apparet; nunc solummodò narem implet, nunc adeo increscit, ut etiam in fauces descendat, ac strangulationem minitetur. Quod si livida, dolens, &c. appareat, ferè cancrosam naturam sapit.

CAUSÆ.

Causa efficiens hujus Polypi, non secus ac aliarum excrescentiarum, est nutritio nimia naturalis, & idem dictarum partium nutrimentum plus minus alteratum, & acrimoniâ degeneri acidâ plus minus inquinatû: unde differentia Polypi plus minus cancrosi. Omne punctum in *efficiente occasionali* situm est, quod est læsio unitatis in quodam loco dictarum partium,

partium; sive distensio, aut vellicatio, aut ruptio, aut exulceratio fuerit; unde in loco læso fibræ excrescentes copiosiore nutricatu in tale corpus successivè excrescunt: Sic Catarrhos acriores narium interdum insecutus polypus observatus fuit; A frequenti narium fricatione polypum lethalem notavit KERKRINGIUS *Spicileg. Observat.* 14.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: quò magis mollis, albus ac indolens fuerit Polypus, eò facilioris curationis; qui verò fuscus vel lividus est, præsertim acutè subindè dolens, vix curatur, quia cancrosam naturam sapit.

Quò profundiùs hærent ejus radices, adeoque, quò magis attingit filamenta ista nervea, eò periculosior: quia facilè sub radicum extirpatione occasione doloris inflammatio membranarum cerebri potest oriri; quod si verò radices penitus non extirpentur, semper de novo pullulat.

CURA.

Quoad *Curam*: Excrescentia hæc removenda & eradicanda, idque auxiliis præsertim externis, nunc Pharmaceuticis, nunc Chirurgicis. Rarum enim est, quod polypos duos per sola medicamenta interna, diætam, pharmaciam & sudorem, curaverit sine externis HORSTIUS *lib.* 2. *Observat.* 48. uti & polypum fonticulo curatum videb. in *Miscell. Academ. Natur. Curios. Anno* 9. & 10. *Observat.* 6.

Antequam autem Externa adhibeantur, si corpus est impurum, & universalia evacuantia & alterantia præmittantur, ne ex doloris ratione contenta corporis quovis modo intensiùs commota malum exasperent, aut ob plura symptomata curam difficiliorem reddant. Si verò ex vulnere malè curato sit malum, vel simili læsione externa, in corporibus præsertim puris, non adeò necessaria sunt ista, sed statim Polypus aggrediendus, & extirpandus.

Quoad remedia ergò externa: hæc imprimis decrescente luna usurpanda veniunt; tunc enim tumor minor esse solet. Medicamenta ergò quæ absumunt, & successivè mortificant, ac ita eradicant hoc sarcoma, sunt nunc lenia, nunc acriora plus minus caustica. Lenia sunt v. g. succus granatorum acidorum; vel si ipsum pomum cum tota sua substantia pistetur, bulliat cum melle usque ad spissitudinem unguenti, ac imponatur polypo, carnem superfluam successivè erodit: Conferatur FORESTUS *lib.* 13. *obs.* 18. & M. A. N. C. *loc. alleg.* ubi pulvis ad polypum absumendum usualis extat: Vel sinapi pulverisatum, cum aceto mistum, ita immittatur & applicetur Polypo. Succus onopolii (species est cardui) contusi specificus est, & sæpiùs admoveri debet: Sicut & ipsa herba contusa convenit etiam ad cancrum narium; mediante quo plures curavit rusticus, teste BORELLO *Cent.* 2. *Obs.* 51. Vel pulverem heliotropii specificè commendat POTERIUS ad polypum sine morsu absumendum, sic cum gossypio naribus immittatur: vid. *Cent.* 3. *obs.* 63. Succus nasturtii aquatici crebriùs cum gossypio admotus remedium dicitur, mediante quo plures curati fuerunt: Loco hujus per experientiam commendat LINDANUS succum radicis ari ex radice contusa expressus, cui intinctum gossypium naribus intrudatur, quod ter in die repetatur; sicque successivè consumptus fuit Polypus. Perinde autem esse dicit, an arum? an arisarum? an serpentaria pro hoc recipiantur?

Fortiores paulò sunt placentulæ ex Mercurio sublimato, ærugine, & fermento applicatæ, quas videb. in M. A. N. C. *Ann.* 8. *Obs.* 91. *pag.* 151. Spiritus minerales acidi quilibet successivè Polypum absumunt: sic aqua forti tactus Polypus statim flaccescit, cui tamen etiam aliquantulum auripigmenti addi potest. Vel

℞. *Succ. Granat.* p. iij.
Olei vitrioli p. i.
Misc. S.
Mixtura devorans.

Vel

℞. *Ol. vitrioli* ℈i.
Alum usti ʒi.
Aquæ Plantag. ℥i.
Misc. S. ut antè

Irroretur hinc inde polypus.

Unguentum Ægyptiacum etiam eundem absumit: Sic RIOLANUS

℞. *Cerati myrtin.* ℥i.
Ungu. Ægypt. ʒii.
Misc. pro Linimento.

Quo præterea feliciter uti solet in absumendis excrescentiis, callis, verrucis, condylomatibus. Hoc unguento attingendus sæpius polypus, aut turundæ extremum, quod attingit polypum, unguento eodem illinatur. *Unguentum Myrtinum*, ubi non extat, ex tempore ita parari potest:

℞. *Ol. Myrtin.* ℥i.
Pulp. Myrtill. ʒi.
Ceræ rubræ q. s.
M. pro Cerato.

Ubi unguentum Ægyptiacum non suffecerit, acuetur Mercurio præcipitato, qui benè edulcoratus pluribus lotionibus additur: sarcoma egregiè absumit sine ullo aut exiguo dolore. Hic vel cum melle rosaceo miscendus, eoque intincta turunda in nares immittenda, vel hoc ipso imprægnetur unguentum ab HARTMANNO, præsertim in *Praxi cap.* 55. §. 1. descriptum, vel unguentum Ægyptiacum, aut unguentum Apostolorum addatur pro eradicando Polypo: Vel ad imitationem PLATERI:

℞. *Unguent. Ægypt.* ʒß.
Cort granat.
Gallar. an ʒß.
Ol. vitrioli ℈j.
Misc.

Quo ipso tangatur quotidie aliquoties Polypus, donec exarescens excidat.

Quod si hujusmodi acria aut caustica adhibenda sint, cauti simus, ne partes narium vicinæ attingantur; adeòque vel per fistulam argenteam immittantur, ita, ut fistulæ extremitas Polypum ambiat, & ita medicamenta ad eum ferri possint, intactis naribus: aut gossypium aut turunda, medicamentis imbuta, applicentur, ita ut sarcoma tantum attingant.

Quod si *cancrosus* fuerit Polypus, ne attingatur quidem metu majoris mali. Si *exulceratus* Polypus sit, difficulter curatur, in eodem tamen aquæ & cineres ranarum & pulvis cancrorum, saturnus calcinatus & dulcificatus, crocus Martis & similia adhibeantur: Vid. HILDANUS *Epist.* 61.

Quoad remedia chirurgica: si à petiolo simplici hæreat Polypus, ita ut commodè ferro possit rescindi, optimum est, ut abscindatur, aut saltem filo serico benè cerato circa radicem ligetur; sic enim intra aliquot dies nutrimento destitutus excidet: vel denique forcipe peculiari abscindatur, quam describit SENNERTUS *libro* 1. *Prax. ubi de Polypo pag.* 935. SCULTETUS *Armament. pag.* 9. & 10. Abscissione facta abstringentibus hæmorrhagia sistatur. Ne verò redeat polypus, pulvis gentianæ cum succo scrophulariæ cum turunda naribus immittatur: de quò conf. HENRICUS ab HEER *Observ.* 28.

ARTICULUS III.
DE ODORATU DEPRAVATO ET OZÆNA.

Nter ea, quæ *Odoratum depravant*, imprimis est ulcus vel abscessus in naribus latens, quod ubi vetustum ac putridum, simulque fœtorem tàm ægro quàm adstantibus gravem continuò expirat, *Ozæna* dicitur. Ulcus hujusmodi nunc successivè serpit, & partes vicinas erodit, nunc occasionem suggerit, ut polypus superveniat, nunc copiosam saniem plus minus acrem, plus minus sordidam, affluere facit, nunc graviorem hæmorrhagiam narium infert.

PARS AFFECTA.

Pars Affecta sunt nunc partes solùm molles membranosæ in naribus, nunc verò etiam interstitia cartilaginosa & ossea, nunc ipsum os cribrosum, plus minus simul affectum est.

CAUSÆ.

Causæ sunt nunc externæ, nunc internæ: Illæ varia inspirata: Hæ in specie lues Venerea, quæ inquinando lympham, membranas narium oblinentem, frequentes ozænas junctas habere solet.

PROGNOSIS.

Sunt autem quælibet narium ulcera curatu difficilia.

Recentia ac munda faciliùs curantur: immunda, sordida, crustosa, &c. difficulter curantur, præsertim si simul os ethmoides infecerint.

Denique cautè tractanda sunt, ne cancrosa fiant.

CURA ODORATUS DEPRAVATI.

Cura Odoratus depravati est facilis, modò curetur vel lues Venerea, vel ulcus. Interim tamen pro palliativo remedio optimum est, ut recipiatur Vinum, in quo decoctum fuerit Centaurium minus & calamus aromaticus, quod omni manè & vesperi è vola manus attrahatur in nares tamdiu, donec in palato sentiatur, & ita ulcus mundificetur. Vel mel acuatur cum myrrha, saccharo candi & pauco cinnamomo: quod dilutum cum s. q. aquæ majoranæ intra nares attrahatur, ut ad palatum usque penetrare valeat.

CURA OZÆNÆ.

Quoad *Curam* verò *ozænæ*, præmissis præmittendis, præsertim Mercurialibus internis, ulcus mundificandum, & hinc consolidandum. Si levius fuerit, curatur per folia nicotianæ recentia concisa naribus immissa, & cum per aliquot horas ibi sunt retenta, eximantur, & illinatur: unguento sequenti:

℞. *Ungu. de nicot.* vel *albi campb.* ℥iij.
Balf. sulphuris ad extra ℥j.
M. S.
Unguentum mundificans.

Continuato horum usu subinde cedit. Nam nicotiana & unguentum ex nicotiana, quod describit WECKERUS *in Antidot.* perquam egregium est, hoc imprimis peculiare obtinens, quod ante mundificationem non consolidet: Hinc etiam unguentum nicotianæ laminæ saturni inductum, ac ita applicatum, ceu expertum commendat VELSCHIUS *Hecatost.* 2. *pag.* 24.

Quod si verò crusta adfuerit, vel oleo amygdalarum dulcium, vel oleo rosarum, vel butyro recenti non salito illita crusta priùs removenda, & hinc mundificantibus pergendum. Vi excutienda crusta non venit, ne irritetur ulcus, & fluxio exasperetur.

Inter *Mundificantia* egregium est Horminum sylvestre seu sclarea, decocta cum pauco melle rosato, & ita subinde applicata, & dein singulis mensibus repetatur, ne recrudescat malum: Aut recipiatur *succus sclareæ*, subigatur cum *melle rosato*, ut fiat Unguentum bene mundificans: Quorum loco Decoctum agrimoniæ & verbenæ cum melle, item urina pueri, subinde inijci & applicari possunt; aut usurpetur *unguentum mundificans Hildani* expertum *Cent.* 2. *observat.* 22. Fumus quoque candelæ ex cera rubra naribus exceptus egregius est, & in ulcere inveterato à RONDELETIO expertus: Nempe cinnabaris est, unde hæc efficacia dependet, unde aliis additis candelæ compositæ pro hoc casu fieri possunt. Formulas videbitis in HARTMANNI *Praxi Chym. cap.* 52. §. 6. Aut etiam usurpentur alii fumi cinnabarini compositi ad imitationem BARBETTE *l.* 3. *Chirurg. c.* 7. Utilis quoque est aqua SENNERTI *lib.* 1. *Prax. Part.* 3. *sect.* 4. *cap.* 1.

Item

℞. *Aquæ Maioran.*
Plantag. an. ℥ij.
Spirit. vini rectific. ℥iij.
Mell. rosat. ʒvi.
M. S.
Mixtura mundificans.

Ex vola manus recipiatur, vel cum parva syringa.

Quod si his ipsis contumacius malum cedere nolit, Mercurialia sunt optima: imprimis iam dictæ mixturæ Mercurii sublimati gr. vi. vel ℈ß. addi potest, aut Mercurius dulcis cum aqua plantaginis subinde applicetur: Vel

℞. *Aquæ Plantag.* ℥iv.
Mercurii sublimati gr. xij.
M. S. ut *suprà*.

Solutio filtrata usurpetur pro mundificanda ozæna.

POTERIUS sanè *Mumia sua minerali*, ex *Mercurio dulci probe edulcorato* cum unguento rosaceo plures, præmissis universalibus, maligno ulcere narium, herpete exedente, &c. curavit *Cent.* 3. *Cur. c.* 80. 86. 13. &c. In specie in ozænis Gallicis optimum est Mercurius præcipitatus cum unguento rosaceo subactus, & mediante turunda locis affectis applicatus. Aliàs unguentum Ægyptiacum, item aqua viridis Hartmanni, cum penicillo contumaciores ozænas aut similes partium vicinarum exulcerationes curat: Videatur *Prax. Chym. c.* 53. §. 5. Vel oleum vitrioli, in quo parum gossypii madefiat, eoque duabus vel tribus vicibus optime tangatur, quo facto debitis unguentis curetur. Remedium est optimum ad interna narium ulcera, quantumcunque fuerint maligna: Vid. FERRARA *Obs. Chirurg.* 88.

Hæc de sensibus externis. Pergimus jam ad

SECTIONEM III.
DE
SENSUUM INTERNORUM
ET FUNCTIONUM ANIMALIUM LÆSIONE.

Absolutis sensibus externis, sequuntur Interni. Sensus internos quod attinet, illi rectè dicuntur triplices: *Sensus communis*, *Phantasia*, & *Memoria*.

Negotium est obscurius, propter insignem, quæ hic observatur, confusionem operationum animalium & & rationalium. *Cum enim nostra cognitio* intellectualis, & omnis ratiocinatio præsupponat spirituum animalium exercitium, occasione quorum diversimodè motorum anima rationalis spiritualis diversos sibi formet conceptus seu phantasmata, cùm nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, adeoque sensus animales interni & intellectio in nobis semper sint conjuncti; evenit inde, ut nesciamus, quomodo sensus interni, separatim considerati, se habeant. Unde factum, ut omninò similitudo, quoad actiones externas, intercedat non levis inter homines & quasdam bestias. Huc pertinet brutorum docilitas, ut etiam brutis cognitio propriè sic dicta tributa fuerit, & consequenter ad minimum semirationalia reddita fuerint, h. e. nobis propria ipsis similiter tributa sunt.

Exactiùs si volumus scrutari negotium, necesse est, ut accuratè abstrahamus & separemus res animæ rationali proprias, h. e. quas cognitione reflexa in nobis ipsis percipimus, ab iis, quæ spiritibus & cerebro sunt propriæ, & consideremus, quâ ratione hæ posteriores fiant, cum in his sensuum internorum ratio consistat. Quo facto, manifestum evadet, sensus internos in sola spirituum animalium varia & multiplici in cerebro & cerebello consistere motione & agitatione; unde & brutis omnis perfecta & propriè sic dicta deneganda est cognitio, uti hoc primùm asseruit CARTESIUS, & ex ejusdem hypothesi uberiùs confirmavit FLORENTINUS SCHUYL *in sua Præfat. in Cartesii Hom.* Et non alio modo se habebunt bruta, quàm teneri infantes, utpote

inter quos & bruta nulla est, quoad quascunque actiones, differentia, dum rationalis anima nondum actu secundo operatur. (Operationes brutorum ex consuetudine fiunt, vel ex mechanica constructione; vid. DIGBY *de Anim. Immort.*) Hinc & organicam quæ lædunt cerebri conformationem secundùm poros & meatus, adeoque spirituum animalium motiones & filamentorum nerveorum varias applicationes, impediunt & tollunt etiam sensus internos; sicut quæ spiritus animales turbant, & in varias motionum anomalias cogunt, pervertunt sensus internos: sicut istud in contusionibus capitis gravioribus, hoc in deliriis manifestum evadit. Anima enim rationalis, ceu ens spirituale, ab objectis quibuscunque materialibus est immutabilis.

Adeò ut sensus interni in genere considerati ita se habeant, quod nempe nervorum filamenta, in organis sensuum externorum commota, motum suum continuent in cerebrum usque ad radices dictorum nervorum, unde motus similes in corporibus striatis excitati, & consequenter in spiritibus animalibus sint; id quod sensus communis dicitur, quæ motiones exinde repercussæ in corpus callosum usque, ibi spiritus animales ubertim scaturientes occasione fibrarum motarum agitantur, in quo consistit id, quod vocatur phantasia: & inde reflectuntur suo motu ad spinalem medullam usque, ibique impetu facto vario, nunc in cerebelli, nunc cerebri nervos motorios derivantur; *illic* in cerebello pro motu partium internarum, corde nempe, diaphragmate, &c. & excitatione affectuum, *hic* pro motu membrorum externorum: ita ut varii hi motus nunc sensus communis, nunc phantasiæ nomine veniant, sicut iidem sæpius eodem modo recurrentes Memoria appellari solent: Vid. hæc pluribus deducta in scriptis WILLISII, speciatim *Tract. Anim. Brutor.* An bruta habeant animam contradistinctam materiæ, Veteres, ut & HELMONTIUS statuunt; negant autem CARTESIUS & SCHUYL, & hoc verum est.

Motum quod attinet partium animalem: nempe quarumcunque, sive internarum sive externarum, ejus organon proximum sunt fibræ nerveæ, quæ nunc arctiùs sunt conjunctæ in unum systema, quod vocatur musculus; nunc à se invicem sunt separatæ, & circulari utplurimum ductu partem ambiunt, v. g. in stomacho & intestinis, quæ propriâ appellatione carent.

Fibræ hæ in motu dependent à spiritibus animalibus, per nervos in partes distributis; hinc denegato eorum influxu pars sensu & motu privatur. Fibræ partium circulares, quæ motum partium internarum peristalticum perficiunt, obtinent nervos ex cerebello distributos, & sine prægressa cognitione sensuali motum cient, adeoque talis motus nec promoveri nec cohiberi potest, unde vulgò motus naturalis simpliciter dicitur.

Musculorum verò fibrarum systema nervos ex cerebro distributos obtinent, ac eos gubernat motus, qui prægressam cognitionem sensualem vel intellectualem sequuntur, adeoque à nobis vel impediri, vel promoveri possunt.

Musculi structura ex copiosis constat fibris, in medio sui coagulo sanguineo seu carneo vestitis, quorum plures sibi invicem inæqualiter quidem, æquali tamen ordine superimpositæ ita situantur, ut utrinque, tàm in principio quàm fine, fibræ circa carnis intermediæ substantiam incurvatæ figuram & corpus rhomboideum eleganter constituant, super angulos obtusos, donec in rectos mutentur, mobile: Vid. STENO *Tract. Elementorum Myolog. specimen*, seu *Musculi Descriptio Geometrica*.

Movetur musculus & omnis fibra motrix, quando eadem abbreviatur, & quasi in se contrahitur, ita ut musculi unica sit actio seu contractio, quam sequitur partis annexæ motus, ejusque mutata figura & situatio. Quod si ita contractus persistat musculus, dicitur *Motus tonicus*; si relaxetur denuò, ita ut nullo musculorum agente membrum sit in figura & situ naturalibus, in *figura media positum esse dicitur*.

Motus hic fibrarum sive contractio à tribus dependet causis:

1. Ipsa fibrarum extensarum & partibus annexarum spontanea ad sui contractionem inclinatio, instar chordarum extensarum sponte se contrahentium.
2. Accedit impetus radiosus (propter velocitatem sic nominatus) spirituum animalium per nervos diffusus, qui in fibræ substantiam diffusi eam replent, ac quasi inflant, & ita breviorem reddunt, quod imprimis in musculorum ventre observabile est.
3. Sanguinis arteriosi in musculum copiosior influxus supervenit, qui in ventre ejus dilatato, minorem inveniendo resistentiam uberiùs infunditur, unde & turgescentia musculi & contractionis vigor maximè completur.

Vid. de hoc STETTERUS, STENO, & Autor de Ratione motus musculorum D. CROON in WILLISII *Tr. de Anatome Nervorum eorumque Structura*. Nullus motus fit sine sanguinis arteriosi affluxu; an verò sanguis saltem uberiori suo influxu motum musculorum promoveat? an verò ex sanguine oriantur particulæ elasticæ dictæ; quæ in musculorum fibris occurrendo spiritibus animalibus certam explosionem, & ita insignem dilatationem efficiant? in medio relinquo. Videri tamen hic potest WILLISIUS *de Pathol. Cerebri & Motib. Convulsi.* item MAYOW. *Tract. de Motu musculorum*, *& de Nitro Aereo*.

CAPUT I.

DE

SPIRITUUM *in* CEREBRO, *& hinc* SENSUUM ORGANIS INORDINATA *seu* PRÆTERNATURALI AGITATIONE, *indeque orta* VERTIGINE.

Vitia inter, quæ sensus internos motusque animales lædunt, præ cæteris eminet Vertigo. Præsuppono hic ante omnia exactam notitiam cerebri, & eius vasorum, indeque producti sensus & motus, aliàs me nunquam intelligetis.

Vertigo, ita à *vertendo* dicta, est iste affectus, quo omnia extrinsecùs circumagi, & tàm ipsum caput & corpus ægri, quàm omnia nos ambientia & oculis apparentia corpora, quasi in circulum rotari & gyrari videntur, ut ut hæc omnia sint firmissima, nulloque pacto gyrentur. Per artem imitari possumus hunc affectum, clausis oculis corpus celeriter circumgyrando; sic enim subitâ quiete apertis oculis tanquam vertiginosis omnia circumagi videntur: *Nonnaturaliter* hoc fit in ebriosis, quibus pariter omnia videntur in gyrum agi. Interim tamen non necesse est, ut semper fiat circumgyratio. Sufficit enim motus tremulus & undulatorius, & similis: Nempe est similis affectus isti, qui nobis accidit, quando corpus in circulum agitamus, vel quando diutiùs aspicimus rotas circa axin circumactas.

Ratione graduum (non specierum) *triplex* esse solet *Vertigo*:

1. *Vertigo simplex*, utut promiscuè sic dicta, quæ Græcis Δῖνος & ἴλιγγος audit, quando saltim corpus ægri & omnia exteriora circumagi aut circumgyrari, & omnia nunc sursum, nunc deorsum, nunc alio modo moveri videntur, subitò tamen evanescente σκοτώματι, & est vertigo simplex; in cæteris enim gradibus, ubi nulla rotatio observatur, quin potiùs visus obtenebratur, & plus minus aboletur, impropriè Vertigo dicitur.
2. Gradus secundus est Σκότωμα & Σκοτόδινος, aut Σκότωμα σκοτεινόν, *Vertigo tenebricosa* seu *Scotomia*, in qua oculi simul velut affusâ caligine obscurantur, ita ut Visus tandem omninò pereat, aut etiam varii colores, obscuri, flavi, cœrulei, virides, nigricantes, &c. coram oculis versari videntur, qui insequente tali caligine evanescunt.
3. Tertius vertiginis gradus est *Vertigo caduca*, quando ista oculorum caligo vertiginosa in tantum invalescit, ut *protinus æger concidat*, nisi prehensus, aut proximis adminiculis prehensis, se fulciat.

Crebrò huic Vertigini leves motus convulsivi, & deinde vera epileptica affectio, huic ultimo gradui superveniunt; unde proximus ad epilepsiam, interdum apoplexiam, gradus haberi solet, propterea *parva epilepsia* quibusdam vocatur; cum è contrà Epilepsiæ levioribus comitatæ convulsionibus Vertigines graviores interdum Practicis dicantur. Vix enim est insultus epilepticus qualiscunque, quem non aut antecedat aut proximè comitetur Vertigo gravior aut scotomia. Unde ingruente insultu epileptico ferè dicunt: *mutari ipsis*

ipsis objecta ante oculos, variosque ostendere colores: sicut aliàs quæcunque spirituum animalium *ecclipses & deliquia* insigniora, & in motu ataxias & antecedere & comitari solet *Vertigo*, ut v. g. in lipothymiis, doloribus ingentibus, gravioribus paroxysmis hystericis, &c. manifestum est.

A gyratione ergò & rotatione, ceu nobiliore symptomate, Vertiginis ratio imprimis desumitur: Nihilominus tamen, præter oculos, *& alii sensus simul afficiuntur*, imprimis in secundo & tertio vertiginis gradu: Nam sibilus & *tinnitus*, quin & *raucus* interdum & obtusus *sonus* in auribus percipitur; subinde in tertio gradu perit motus membrorum, & licet apprehendant ægri adminicula, quibus se fulciant, tamen sæpiùs eadem minus firmiter comprehendere valent, ita ut tandem concidant.

PARS AFFECTA.

Quoad Vertiginis subjectum: vulgò rotationem spirituum animalium in cerebro esse causam istius apparentiæ existimant, quod tamen falsum est: *in oculis enim* simpliciter, non vitio cerebri, *fit ista rotatio* seu motus iste inordinatus, qui Vertiginem infert; Nam visui res gyrari & similia pathemata apparent. In organo ergo visionis seu oculo necessariò erit vitium, cùm in cerebro non videamus. Nemo sanè concipere poterit, quomodo spiritus in cerebro agitatus apparere res faciat rotari extra oculum? Vertigo scilicet fit in medio videndi, non in vidente ipso, uti neque in objecto viso; *Medium* verò hoc *est oculus*. Par ratio est, quando oculis videntur obversari nubeculæ, flocculi, muscæ &c., quæ res videntur esse in aere, cùm tamen revera sint in oculo, in specie in humore ejus aqueo: unde etiam *dum res externæ gyrari videntur*, hoc fit in oculo, non extra oculum, vel in cerebro, vel objecto externo. Nemo est, cui non igniculi vel *flammulæ* noctu in tussi graviori vel percussione oculorum in aere versari & extrinsecùs moveri videantur, quæ omnia tamen revera sunt in oculo; hoc enim non saltem fit in tenebris, sed etiam in quibusdam interdiu: ita etiam dum externa objecta gyrari videntur, talis motus fit in oculo. Quod si quis vulgari scholasticæ Philosophiæ addictus dicere velit, reverà visionem formaliter fieri in sensu communi, non verò in oculo, cùm oculus non videat, sed sensus communis tantum, unde gyrati spiritus in medulla cerebri circa principium nervorum, ubi fit sensus communis, vertiginem inferant: Respondeo ego ipsi ex illius hypothesibus, quas tamen nullo modo facio meas, *distinguendo inter circumgyrationem* ipsam, & ipsius motus *apparentiam*, ejusque à nobis *perceptionem*. Concedo ex eorum hypothesi, ipsam apparentiam quidem, seu repræsentationem ipsius circumgyrationis, fieri in sensu communi, adeoque in cerebro, non verò *actualem circumgyrationem*, quæ causa est talis vertiginis. Totum hoc negotium, apposito simili, desumpto à speculo, illustrat PETRUS JOHANNES FABER *in Pathol. sua*, quæ videatur. Nempe si habemus vitrum aquâ plenum, & per hoc videmus objecta externa, illa videntur quieta, quamvis liquor agitetur; si verò accipimus speculum, hocque movemus, pro motu speculi etiam objecta externa simul moveri videntur; & si in gyrum rotatur speculum, etiam ipsa objecta circumvoluta apparent: conf. WILLISIUS *de Anim. Brutor. Part. 2. cap. 7. pag.* 204. In oculis ergò, in specie post humorem aqueum in humore vitreo propè tunicam retinam, fit talis gyratio, qua motus spirituum animalium se habet instar aquæ communis in vitro, rationem speculi habet tunica retina, quod notum est ex Physiologicis.

CAUSÆ.

Causa ergo vertiginis proxima & generalis, ad quasvis earum *differentias* se extendens, est *inordinatus*, confusus plus minus, ac interdum planè interruptus spirituum animalium *motus*: (hic in secundo gradu, ille in priore) & in partes externas influxus, unde omnia cætera dependent symptomata; quæ pluribus videantur adducta in WILLISIO *l. a.*

Motus hic dum fit in oculo, & dum spiritus animales in oculo rotundo concamerato agitantur, hinc necessariò rotundo motu in gyrum agitantur & moventur. Quod si sub motu isto spirituum animalium perturbato nimis, penitus deficiat spirituum dictorum radius in oculis, caligine & tenebris oculi obfuscari videntur. Verùm non in solo oculo, sed in reliquis etiam sensuum organis, præsertim *auribus*, similis fit inordinata agitatio, unde & sonitus aurium; in partibus verò externis minùs firma objectorum apprehensio & casus contingere solet.

Ut ergò rotatio in vertigine sit manifestior, tunica retina considerada est, quæ est speculum, in quo depinguntur objecta. Pro hujus ergo motu etiam objecta moveri videbuntur. Jam verò non motus spiritus in oculo, sed motus in speculo visorio oculi, infert vertiginem; adeoque *sicuti visus* naturalis fit per contactum radiorum visualium ad tunicam retinam, & *sicut contactus* seu appulsus *aeris* interni, moti ad tunicam cochleæ nerveam, auditum excitat; ita etiam spiritus animales, qui in vertigine se habent instar aquæ communis in vitro, in oculo gyrati, dum sub motu illo illidunt in tunicam retinam, ejusdem fibrillas agitant, & ibidem impulsionem faciunt, talem objectorum visorum circumgyrationem apparere faciunt; sicuti appulsus ad tunicam cochleæ *sonitus* istos apparere facit. Sanè peculiarem & ipsius tunicæ retinæ simul concurrere motum, patet simul ex variis coloribus, imò & splendoribus, subinde in Vertigine caduca, quando denuò ingruit paroxysmus, ante oculos apparentibus; item *epilepticis*, nec non mulieribus *hystericis*, ingruente paroxysmo; item *ebriis* tales colores & *splendores* interdum ante oculos versari videntur flavi, cœrulei, virides, & similes; quia in dictis affectibus ab inordinato motu spirituum in fibris tunicæ retinæ talis impulsus seu motus fit in tunica retina, qualis aliàs fit à radiis visualibus ab objectis luteis vel cœruleis, aut splendentibus in oculum illabescentibus: & tunicam retinam determinato motu ferientibus, ut alius motus fit, quando objectum apparet album, alius, quando nigrum &c. Sic si à causa interna talis motus in tunica retina excitatur, simile fit in sensu communi judicium, & similis apparitio, unde cogitamus, tales esse colores: vid. BOYLE. *Imò si nimis* inordinatus & tantùm non interruptus fit motus, præsertim ad oculum, in tantum visus exinde perturbatur, ut etiam *obscuratio* oculi & *caliginis apparentia* superveniat.

Quod attinet *caliginem*: hujus alia ratio est, quod nempe videantur tenebræ. *Caliginis talis sensus* fit, non tam ex perverso spirituum motu, sed quando nihil videmus, concipimus *tenebras*, quando claudimus oculos, caliginem percipimus in oculo. Unde fit caligo vel ex defectu objecti lucidi aut colorati in oculo, vel ex ejus nulla perceptione; Nam utroque in casu tenebras & caliginem nobis imaginamur. Jam verò in Vertigine caliginosa in secundo gradu, sunt objecta lucida, nec tamen eadem vident ægri. Fit igitur, dum in interrupto spirituum animalium motu abrumpitur eorundem ordinata & radiosa series, & in specie in oculis iidem deficere incipiunt, videntur adesse tenebræ, unde caligo quasi repræsentatur. *Ulteriùs*, si ex spirituum istorum animalium inordinato motu ad musculos usque fit continuatio, nunc ex eorum hinc inde quasi abruptorum defectu *cessans objectorum apprehensio, & casus*, dum simul volunt cadere ægri, quia spiritus non sufficiunt pro apprehensione adminiculi; nunc ex inordinato influxu leves convulsiones, imò interdum graves epileptici insultus, superveniunt. Adeòque non solùm spiritus visorius in oculis immediatè perturbari videtur in vertiginis affectu, quin totum spirituum animalium systema impetuosiùs in cerebro concitari in graviori vertigine videtur, ita ut & reliquorum sensuum organa simul afficiantur. Qui affectus verò, quia imprimis in oculo est notabilis beneficio gyri, ob id *à principaliori fit denominatio*, & *Vertigo* appellatur, cùm *posteriores* duo *gradus* ad *Lipothymias* vitio spirituum animalium propiùs accedant.

Quæstio jam est de *Causa Remota*; unde iste motus spirituum inordinatus in cerebro, & hinc in organis sensuum, dependeat, pro qua motus varietate variæ fiunt apparitiones in organis sensuum? Hujus ratione Vertigo est vel *per essentiam*, quæ morbum constituit, v. g. ab affecto cerebro qualicunque immediatè orto; aut ratione vitii cujusdam in cerebro conturbantis spiritus animales, quando vertigo post plagas aut cerebri concussiones sequitur: vel *per consensum*, quæ est saltim symptoma morborum aliorum, quando v. g. vitio stomachi, aut partium quarundam infe-

Inferiorum, uti à passione hysterica, &c. Vertigo oritur. Sed verum ut fatear, rarissima est *Vertigo per essentiam*, quandoquidem quotidiana Praxis & Practicorum observationes monstrant, *Vertiginem* ferè omnem esse *ex vitio partium inferiorum*, utut diutiùs affligens & sæpè recurrens usque eò spiritus animales & cerebri texturam per motus spirituum præternaturales alterare & immutare valeat, ut tandem ex vitio cerebri proximo affligere videatur. Adeoque *si est per essentiam* Vertigo, ferè occasione causæ antecedentis externæ caput ac cerebrum plus minus lædentis successivè oriatur; vel quod crebriore affectione Vertiginis cerebrum & spirituum animalium systema ita sit dispositum, ut cerebrum quasi per essentiam videatur affici: *rarò à causa interna*. Utraque est vel *habitualis*, seu ferè nullo non tempore afficiens, ac à causa interna ac radicata dependens; vel *accidentalis*, à causa tantum evidente oriunda, hinc non, nisi hac præsente, affligens.

Partes istæ, quarum consensu fit Vertigo, primariò est *Ventriculus*, speciatim à sordibus vitiosis in aut circa eum commotis. Hujus varia peccata, imprimis vitiosus sui generis acor volatilis, orificium superius affligens, vertiginem infert, propter spirituum animalium versus cerebrum recursum inordinatum. Hinc enim frequenter iuvenes diligenter literis incumbentes, in specie etiam senes, sæpiùs sunt vertiginosi, quamdiu ieiunus est stomachus; subitò verò atque unam, vel alteram tantùm panis buccellam aut similis esculenti comederint, malum cessat; unde etiam matutinis horis tantillum comedendo vertiginem talem sæpiùs præcavent. Huic etiam qui laborant affectu hypochondriaco, ordinariò sunt vertiginosi, specialiter quando sunt ieiuni. Est vir hìc laborans scabie, quem præmissis præmittendis iubebam se inungere cum unguento quodam, sed calidè: dum autem cubitum petit, accipit unguentum, illinit artus: sed quia cubiculum est frigidum, accipit vas carbonum, & calefacit artus, & sic cubitum petit: Manè evigilans totus erat vertiginosus, & non audebat tres gradus progredi, ne corrueret: Dicebat: *sentire anxietatem & mollitiem, ac si omnia deberet evomere:* Suspicio erat, an scabies esset retropulsa, quia æger etiam inunxit præcordia, brevi tamen post superveniebat vomitus cum euphoria ægri. Ordinavi quædam stomachica: uesperi iussit afferri uas carbonarium, inunctionem repetiturus, & subitò atque olfecit carbones, uertiginosus factus est: Hinc manifestum est, Vertiginem ortam fuisse ex fumo carbonum. Hæc ergo Vertigo erat per consensum stomachi, quia eiusdem pathemata, uomitus, factus cum euphoria ægri, satis ostendit in stomacho fuisse radicem mali. Notum autem est, fumum carbonum reddere homines caroticos, interdum apoplecticos; In hoc uerò homine hic fumus affecit orificium stomachi. Unde si ex fumo carbonum Vertigo oritur, & ille est ex stomacho, quidni etiam, si ex fumo carbonum oritur carus, erit uitium in stomacho? Contagia enim non tam lędunt caput, quam uentriculum, inspirata suspiciendo: uid. *suprà P. 1. ubi de Febr. Malign.* Inter partes ergò per consensum inferentes Vertiginem, *primariò est orificium stomachi sinistrum*; hinc semper conqueruntur de angustiis præcordiorum, uomunt ferè semper; postmodum uomitoria assumpta, dum incipiunt operari, utplurimum scotomiam solent inferre, utut uomitoria adhuc hæreant in stomacho: hinc literatos ordinariò liquor martis solaris curat; unde si manè quid assumitur, subitò cessat uertigo. Pertinent huc *hystericæ mulieres*, quæ admodum sunt uertiginosæ, & utplurimum præcedentibus scotomiis *suffocatio* dicta *uterina* inchoat, aut etiam incipiente paroxysmo hysterico, & dum adhuc primos insultus sentiunt circa præcordia, Vertigine gravi subinde corripiuntur, in qua tamen malè uterus accusatur, utpote qui est insons; est enim saltem modus quidam affectus hydochondriaci hæc suffocatio. Mulieres tales si patiuntur Vertiginem, certæ sunt, ingruere paroxysmum, unde tunc usurpant clysmata, quibus & uertigo curatur, & paroxysmi præcauentur. *Senes* etiam, ut dictum, sæpissimè Vertigini, non ex uitio capitis, nisi interdum, quando præcessit læsio, sed ex stomacho sunt obnoxii, concurrentibus tamen simul proximè spiritibus animalibus debilioribus, cum uitiata simul plus minus cerebri textura; unde uel leui occasione, nempe capitis refrigeratione, attentâ meditatione, aut leui corporis agitatione, paroxysmo uertiginis corripiuntur; imprimis peius habent, dum sunt ieiuni. Quidam senex uertiginosus tempore hyberno præprimis, dum exit jejunus, pejus se habet, quàm aliàs si quid assumat. Malum ergò hic est ex stomacho. *Ebrietas* quoque ad Vertiginem disponit, unde ebriosi omnes vertiginosi sunt; *ipsis omnia duplicia esse apparent: in paroxysmo* quidem *per essentiam* vitio spirituum animalium ab alimento nondum ritè assimilato, ut & spiritu vinoso inordinatè vel confusè agitatorum; *extra paroxysmum* verò ebrietatis vertiginem saltem *per consensum ventriculi* patiuntur. Porrò nonnulla assumpta, v.g. flatulenti cibi sic dicti (non enim sunt flatus in cibis, sed fiunt in stomacho) ut cepæ, allium, nasturtium, rapa, brassica, raphanus hortensis & rusticanus, & similia *oleracea*, etiamnum in ventriculo hærentia, in quibusdam etiam spiritus salis ammoniaci vertiginem & scotomiam in nonnullis excitant. Imprimis sordes præternaturaliter, fortiùs impactæ orificio stomachi, commotæ vertiginem inferunt; unde si proprium fermentum stomachi ieiunum has sordes aggrediatur, Vertiginem infert. Vitia quoque *intestinorum*, v.g. *vermes*, subinde graves inferunt vertigines & scotomias; sicut etiam interdum epilepticas convulsiones. Præterea tamen ex *liene*, utero malè constituto, *renibus*, aliisque partibus nerveis insignioribus, *per consensum* itidem oriri potest Vertigo. Sic etiam *calculus renum*, ex pelvi in ureteres commotus, in quibusdam graves inferre solet Vertigines & scotomias. Quod etiam facit Vertigo à dolore acuto, ulcere, aut sphacelo artuum, cujus WILLISIUS *l.a.* meminit.

Sed quomodo fiat talis *Vertigo per consensum*? quæstio est. Vulgò ad *vapores*, exhalationes & effumationes ex inferioribus partibus in cerebrum elevatis confugiunt: Sed *impossibilis est horum vaporum transitus*, viis omnibus sufficienter munitis, imprimis cum etiam HELMONTIUS *in suis scriptis*, & hinc SCHNEIDERUS *de Catarrh. lib. tribus*, sufficienter discusserint hos ipsos vapores vel halitus, qui è membris aut è cavitatibus corporis exhalare finguntur. Dicendum potius, subesse tunc utplurimum leviores partium internarum spasmos, quorum occasione spirituum versus cerebrum radiativorum inordinatus & quasi undulatorius in eo supervenit motus, & quasi *resilitionis impetus*, qui reliquias eorum copias in cerebro impetuosiùs commovens, eosdem in motus inordinatos & confusos cogit, sicque *Vertiginem* infert: Vid. imprimis WILLISIUS *de Morb. convulsiv.* Dum verò spirituum iste recursus & resilitio plus minus vehemens ab objecto inadæquato, præternaturaliter partem sensilem nerveam vehementiùs afficiente, nata contingit, & ad cerebrum usque defertur, *Formicatio talis*, seu velut *auræ frigidæ adscensus*, persentiri videtur; utut hoc non in omnibus æquè contingat: e. g. *ex graviore* in quodam loco *dolore* quidam *vertiginosi* redduntur objecti dolorifici occasione, spiritibus ad partem dolentem commotis, & aliquid spasmodici plus minus efficientibus: fortioris verò ab objecto doloroso impressionis ratione repulsi, iidem & quasi resilientes, vertiginis pathema inserunt. Exemplum dicta illustrans est, quod refert FONSECA *lib. 2. Consult.* 30. ubi refertur mulier, quæ incepit pati per intervalla hebetudinem quandam repentinam circa oculos, cum quadam ventris perturbatione, quo tempore corpus regere non poterat, ni caderet: *tempore accessionis* dicit se sentire *fumum* quendam ex partibus ventris sursum ascendentem, parum tamen durare hoc symptoma: simul admodum prompta est ad *vomitum*, ita ut quotidiè ferè evomat biliosa, ac pituitosa. Malum hoc est affectus ille, quem *Vertiginem per consensum uteri* vocant, cùm tamen circa hypochondria minera, materia & occasio sensibilis, delitescat, quod *vomitus* persuadet: quâ commotâ, & partibus nerveis istorum locorum alteratis, suprà explicato modo fumi adscensum repræsentat, donec *Vertigo* superveniat. Reverà ad passiones dictas hystericas pertinet. *Fumus hic*, quem sentit mulier adscendentem, sunt *reverà spasmi*, qui inchoati in plexibus mesenterii, & continuato nervorum paris vagi & intercostalis tractu, suprà dorsum sursum prorepentes, talis progressus fumi elevati speciem referunt, donec isti spasmi ad cerebrum usque continuati ibidem spiritus animales in confusiones agant, quibus confusis consequenter in sensuum organis motis Vertigo oritur. Sic BARTHOLINUS *Centur. 5. Histor. 74.* habet *Vertiginem* quinque annorum vaporis instar *ex pede* sinistro in caput ascendentis, accedente simul vago capitis dolore; qui ascensus reverà nil

aliud est, nisi spasmus nervorum ad pedes protensorum, qui antecedit occasione objecti irritantis: impetuosiùs autem inde resilientibus spiritibus, nervi successivè spasmo correpti talem motum adscensionis apparere faciunt, unde vulgò vapores & fumi adscendentes accusantur. In praxi sæpiùs occurrit, quando ægri dicunt: *repit sursum*, *idque possunt sentire*. Pluribus deduxit WILLISIUS *in Anat. Cerebri*, *Patholog. Cerebri*, *& de Anima Brutor. lib. 2. cap. de Vertigine*. Ulteriùs consideretur pro confirmatione calculus, qui simpliciter motu suo extra pelvim in ureteres ad vertiginem disponit, ut suprà innui. Calculus enim in suo motu excitat spasmum omnium partium abdominis, hinc inferunt colicam spasmodicam & vomitus, quæ pathemata spasmodica continuant usque ad radices nervorum in cerebro, cujus fibræ ibidem vellicatæ universum spirituum systema simul commovent, qui commoti vertiginem inferunt. Item considerentur *vomiturientes*, *quando malè se habent*, qui cum *labii tremore* simul vertiginosi quid patiuntur, quod ex spasmo fit: Eadem enim tunica, labia & stomachum investiens, stomacho affecto, simul convellitur, unde tremit labium inferius. Utplurimum ergo, ubi tales accusantur fumi, adsunt nervorum spasmi, aut ubi non adsunt tales spasmi, adest saltim massa sanguinea halituosa & quasi vaporosa, quæ etiam ad hoc malum disponit. Talis massæ sanguineæ halituosæ status apparet in hypochondriacis & scorbuticis, in quibus subinde subitò venæ turgent, & etiam subitò iterum concidunt, sine manifesta causa. Unde interdum, utut rarò, à tali sanguine ad cerebrum delato & spiritus animales inquinantur, & inordinatè agitantur, ac Vertigines oriri solent; adeò ut LINDANUS omnem Vertiginis rationem *ex tali sanguine halituoso* deducat. Illustratur hoc ipsum, quando Vertigo supervenit mulieribus ex *mensium suppressione*, vel viris plethoricis *venæpuris*: Hinc in tali *vertigine*, quæ *vitio sanguinis* fit, subinde venæ sectio optimè convenit: Conf. HORSTIUS *in Probl. 3. Decad. 2. pag. 22.* Unde Vertiginem diuturnam casuali hæmorrhagiâ narium solutam LOSSIUS *lib. 1. obs. 8.* testatur. Reverà autem in *Vertigine* per consensum utplurimum ipsarum partium inferiorum spasmi adsunt, seu occasione mali hypochondriaci, hysterici, splenetici, vomiturientis, aut alius similis excitantur, quarum partium spasmi successivè in cerebrum vibrati, & spiritus ibidem in motiones agentes, vertiginem inferunt: Vid. WILLISIUS *in Anat. Cerebri*: quæ vertigo per consensum, imprimis stomachi, est frequentissima. Quod si sæpius repetat talis per consensum vertigo, fit tandem, ut alteratâ cerebri texturâ à crebrioribus istis & inordinatis animalium spirituum excursionibus, tandem vel levi data occasione in similes inordinatos motus spiritus animales erumpant; & ita tandem suo modo per essentiam evadat.

Quoad attinet Vertiginem per essentiam, ferè triplici modo fieri solet:

1. A conformatione cerebri plus minus vitiosa occasione causarum externarum, quando per contusiones, plagas, concussiones cerebri, casus ab alto fortiores, vulnera capitis graviora, vel etiam sanata, & similes causas, quæ quoscunque poros cerebri, & canales ejusdem minutos, adeoque ipsam texturam, ita immutare valent, ut spirituum animalium cursibus & expansionibus naturalibus impeditis hi ipsi postmodum vitioso & inordinato moveantur motu, unde Vertigines, & Epilepsiæ: Sic DEODATUS observavit Vertiginem ex casu ab equo, ita ut tandem supervenerit apoplexia lethalis; Ibi enim ex concussione cerebri pori & delicatæ fibræ compressæ sunt, unde spiritus animales in motu impediuntur. Interdum, sed rarò, sine talibus manifestis causis læsio cerebri interna, indeque collectio heterogenei, causa occasionalis vertiginis existit, à quibus ceu causis occasionalibus facillimè Vertigo infertur. Faciunt nempe huc fumi metallici, in specie Mercuriales, qui frequentiùs hausti per nares imprimis cerebrum affligunt, & ita Vertigines per essentiam inferunt: cujus exemplum recenset FRAMBESARIUS *lib. 2. Consult. 3.* de Vertigine tenebricosa, sine ulla intermissione in Chirurgo, qui crebrò lue Gallica infectos curaverat beneficio inunctionis Mercurialis, unde à virulentia Mercuriali, generi nervoso ac cerebro infesta, ipsi communicata, malum ortum traxisse probabile est.
2. Ab heterogeneitatibus cum Sanguine ad cerebrum adductis. Heterogeneum istud in cerebro existens triplici modo vertiginem infert: (1.) *Quando aliquid heterogenei sanguini & spiritibus animalibus est permistum*, ut fit v. g. in paroxysmo *ebrietatis*, vitio nempe spirituum animalium per spiritus vini copiam inquinatorum; Spiritus enim vinosi volatiles, nondum ritè iisdem assimilati, iisdem permiscentur, unde impuri redduntur, & in cerebrum translati in suo motu turbantur: Idem etiam fit sub haustu fumi tabaci in non adsuetis. Vel (2.) quando aliquid excrementitii præternaturalis cerebro immissum fuerit cum sanguine aut sero influentibus; hinc enim suppressiones sanguinis consuetæ extraordinariè subinde vertigines inferunt. Vel (3.) quando ex læsione ipsius cerebri quacunque ex vitio digestionis privatæ recrementa varia in eodem generantur, à quibus retentis spiritus animales turbantur, unde vertigines & alia mala oriuntur: sic v gr. ex sero caput & cerebri interiora replente vertiginem observavit PLATERUS *Obs. p. 102.* & SCULTETUS *Armament. obs. 19.* Vertiginem in juvene ex vesiculis aqua limpida plenis in cerebri sinistra parte inventis, observavit WEPFERUS *Tr. de Apopl. pag. 96. & 70.* & ROLFINCKIUS *Dissertat. Anatom. lib. 1. cap. 15.* Item similia exempla ferè habet SCULTETUS *in obs. Chirurg. obs. 10. 11. & obs. 25.* refert fœminam ex contusione syncipitis curatam, quam insecuta vertigo gravissima, quæ tandem in apoplexiam desiit: aperto cranio repertus fuit folliculus aquosus in cerebro, ratione cujus probabile est, Vertiginem enatam fuisse: sic ZACUTUS LUSITANUS *lib. 7. Med. Princ. Histor. Observ. 12.* observat paroxysmum vertiginis per abscessum materiæ purulentæ ex aure aliquoties curatum. Facit huc vertigo singularis SCHENCHII *in Observ. ubi de Vertigine*, curata ingenti purulentæ materiæ per dentium alveolos & os excretione: A vermibus vid. BONETTI *sepulchr. lib. 1. sect. 1. obs. 116.* ex sphacelo cerebri, vid. BARTHOLINI *Acta Haffniens. vol. 1. obs. 33.*
3. Ob sanguinis & spirituum defectum, v. g. in Syncope, vigiliis diuturnis, longiore inedia, hæmorrhagiis, gonorrhœis, &c. Hinc *ex nimia Venere* Vertiginem cum aphonia & intolerabili capitis dolore notat BALLONIUS *in suis Histor.* absumptis nempe spirituũ animalium copiis, & exhausto plus minus cerebro, facilè quid vertiginosi cum sanguine instillare potuit.

DIAGNOSIS.

Sequuntur *signa*. *Signa* Vertiginis partim ex antedictis per se patent, partim ex relatione ægri cognoscuntur, saltem observanda sunt signa distinctiva Vertiginis per essentiam & per consensum.

Per essentiam Vertigines fieri suspicio tunc est, quando morbi capitis præcesserint graviores, vel Vertiginem concomitantur, v. g. insomnia graviora, dolor capitis, aurium tinnitus, &c. aut etiam si externæ quædam læsiones seu molestiæ, v. g. vulnera, &c. anteà acciderint capiti.

Per consensum verò fieri Vertiginem suspicio est, quando non propriè affligit cerebrum, sed si sine dictorum præsentia & cum debilitate & noxa partium aliarum inferiorum, ut affectu hypochondriaco aut hysterico, Vertigo observatur: Ita v. g. ventriculum Vertiginis Autorem existere, dignoscitur ex hujus symptomatis, quando per vomitum Vertigo aut levatur, aut insigniter curatur; item si Vertigo ante pastum potiùs, quàm à pastu affligat, aut post assumptum alimentum quodcunque Vertigo fiat levior, &c. Vertigines stomachales enim rarò affligunt à pastu.

Vertigines mulierum hystericarum, & hypochondriacorum per se patent.

PRO-

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Observandum est, quod *Vertigo* symptomatica accidentalis levior ac recens parum habeat in recessu, & curatu facilis existat: habitualis verò: *gravior* præcipuè & diuturnior, imprimis Scotomia, in specie citra manifestam causam externam inchoans, hypochondriaci mali ferè sit indicium & difficulter curetur: ut plurimum verò *in senibus* apoplexiam, *in iunioribus* epilepsiam, certissimè prænunciat.

Sanè in senibus Vertigo confirmata rarò fallit, quin comitem secum ducat apoplexiam. Unde etiam Vertigo *in senibus* longè periculosior ac difficiliùs curabilis, quàm *in iunioribus*.

Hinc pro varietate graduum etiam plus, vel minus affligit: si quidem *Vertigo caduca* omnium gravissima & periculosissima est; minus Vertigo tenebricans, quando simul caput & corpus gyratur: minimè omnium Vertigo simplex, in qua tantummodo externa circumagi videntur, non tamen caput aut totum corpus.

Quia autem modò anteriorem, modò posteriorem magis, capitis partem afficit: *Illa* pariter magis tuta & curabilis est, dum nonnunquam vel hæmorrhagiâ narium, vel mensium & hæmorrhoidum fluxu solvitur: vid. LOSSII *Observat. lib.* 1. *Obs.* 9. ubi vertigo nullis cedens remediis standem casu ab alto, superveniente hæmorrhagia narium, curata est: quum verisimile est, à sanguine provenisse, ex toto corpore per arterias in cerebri ventriculum anteriorem irrepsisse, qui in plexu choroide agitatus turbulentos sensus & motus reddiderit. quamvis interdum in cephalæam quoque commutetur: E contra *Hæc*, quia spirituum ad nervos influxum magis turbat, longè periculosior observatur, quatenus frequentiùs in apoplexiam, paralysin & morbos convulsivos abit: vid. WILLISIUS *l. a.*

CURA.

In *Cura* hujus morbi duo tempora consideranda sunt:

1. *Tempus extra paroxysmum*, ut *præservatio* instituatur; &
2. *Tempus in paroxysmo*, in specie vertiginis caducæ, ut ritè sistatur, & *curatio* peragatur.

Quoad *Præservationem*, seu Curationem extra paroxysmum: ea respicit fomitem morbosum, ubi in specie causa antecedens vertiginis perscrutanda & removenda, adeoque præsertim viscerum abdominis ratio habenda, hinc spiritus animales appropriatis & roborandi, & impetuosus eorum motus sistendus: & cùm malum frequentissimum sit per consensum ex stomacho seu primis viis, ob id *vomitoria*, juxta HIPPOCRATEM *lib.* 4. *Aphor.* 17. & hinc *remedia stomachica* & aromatica communiter dicta, primatum obtinent; quibus subjungantur *specifica*, Vertigini dicata. Vomitoriis, si fomes extrà ventriculum & vertigo diuturna fuerit, substitui solent Purgantia, eaque blandiora; nam fortia omninò erunt vitanda (juxta HIPPOCRATEM *Prorrhet. l.* 1. *t.* 9.) utpote quæ vertiginosos motus etiam in non-vertiginosis cient; vid. à CRUCE *de Quæst. per Epist. Cent.* 4. *pag.* 427. Cum verò in genere supra dictum sit; *Vertiginem* graviorem esse *parvam* quasi *epilepsiam*, & hanc subinde illam insequi, hinc vertiginem in specie omnia ea appropriata sistunt, quæ *epilepsiæ* conveniunt; sicuti è contrà omnia antivertiginosa etiam epilepsiæ medentur.

In *Curatione ipsius paroxysmi*, præprimis Vertiginis secundi & tertii gradus, vel *vomitus*, vel *opiata*, vel *antiepileptica*; in specie volatilia nervina & aromatica, qualia de Epilepsia notabimus, tàm *externa* quàm *interna*, sunt optima.

Pro his scopis meliùs obtinendis, *observandum*:

I. In Vertigine per consensum *Vomitoria* in utroque casu sunt omnium optima, præsertim in malo contumaciori, vix sine *vomitu* curabili, in specie cum frequentissimè Vertiginis radix hæreat in stomacho. Monstrat hanc viam nobis ipsa natura, quæ in Vertigine per consensum nauseam excitat, interdum vomitus cum ægri euphoria: sic refert PISO *Tr. de Colluvie serosa pag.* 69. de quodam, qui vertigine quinque annorum laboravit, & insigniter commotus fuit, curato per spontaneum naturæ motum, per vomitum frequentem & copiosum aquæ puræ & limpidæ. Sequamur ergò in Vertigine naturam, & imprimis à vomitoriis curam inchoemus: e. g.

℞. *Tartari emet. Myns.* gr. ij.
Sal. ammoniaci depur. gr. ix.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis emeticus.

Loco vomitoriorum, aut etiam post eorum usum, injiciantur clysteres acriores, quales *infra Art.* 1. *Cap.* 3. *ubi de Apoplexia*, annotabo.

II. Post vomitoria in Vertigine diuturna inveterata aut contumaciori, in specie si est per consensum, convenit fomitem morbosum blandis *purgantibus* evacuare: quæ inter eminent *massa pilularum de succino Cratonis*, quæ egregiè conveniunt, adiecto pro stimulo *extracto colocynthidis*; item massa pilularum aloephanginarum, de aloe, Angelicæ dictæ, massa pilularum de nitro. *pilulæ* etiam *mastichinæ* præ cæteris conveniunt, imprimis in vertigine per consensum stomachi, aut etiam uteri, ut vult FORESTUS: Pilulæ cochiæ commendantur, ubi vitium est in ipso cerebro; sunt enim satis vehementes & validæ. Item *Extractum hellebori nigri cum Mercurio dulci*, uti egregium est purgans epilepticorum, ita etiam vertiginosis prodest. Dabo exemplum.

℞. *Mass. pilular. mastichin.* ℈j.
Extr. Agar. gr. v.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Olei destill. Succini gutt. ij.
Cum *Ess. succini* f. Pilulæ:
D. S.
Pilulæ cephalicæ.

Utut potius conveniant stomacho ratione vertiginis per consensum; in signatura simus faciles. Vel

℞. *Mercurii dulc.* gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
M. f. pulvis. S.
Pulvis laxativus.

Præ cæteris observetur, in malo inveterato per consensum minùs convenire Purgantia, sed præservationis gratia convenire potiùs *pilulas usuales*, quæ blandè evacuant primas vias, aliquot sedes moderatas provocando, & singulis noviluniis & pleniluniis instantibus, uno vel altero die ante mutationem lunæ, vesperi usurpari possunt. Fiunt ex *aloe*, *gummi ammoniaco*, *myrrha*, mastiche, & similibus, adjecto stimulo leni, ut mundæ serventur primæ viæ, ac fomes ex abdomine evacuetur, & sic subtrahatur Vertigini fomes.

III. *Venæsectio* per se vix convenit. Interdum tamen, ubi adest ordinaria sanguinis evacuatio suppressa, vel ubi est sanguis copiosus cum vita sedentaria, aut hic facilè sit ebulliens ac turgescens, qui aliis flatuosus dicitur, aut quando à sanguine plus minus fovetur malum, tunc optimè conducunt venæ sectiones: de quo vid. imprimis HORSTIUS *in suis Probl. Decad.* 2. *Quæst.* 5. ubi habet exemplum vertiginosi plethorici, qui aliis irritis per venæ sectionem optimè fuit curatus; item SENNERTUS *Prax. lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 4. *pag.* 269. sicut etiam Vertiginem diuturnam hemorrhagiâ narium casuali solutam LOSSIUS *lib.* 1. *Obs.* 18. testatur; imò idem HORSTIUS *l. a.* PLATERUS, & SYLVATICUS *Cent.* 1. *Cons.* 40. arteriotomiam quoque interdum commendant. Aliis in casibus vix locum habet.

IV. Observandum: A STERNUTATORIIS omninò esse abstinendum, cum in Vertigine per consensum nil conferant, in essentiali autem Vertigine nihil evacuetur ex cerebro, sed saltem circa nares & partes vicinas: genus nervosum nimis commoveant (est enim sternutatio motus convulsivus) indeque facilè spiritus animales in inordinatos motus cogunt: & quamvis nonnulla vitiosæ materiæ pars evacuari videatur (posito esse per essentiam) tamen symptoma exinde potiùs magis concitatur, quia metus est, ne excitetur convulsio thoracis, & sic ad epilepsiam promptiùs disponatur æger. Ut taceam, sternutationem oculis minus esse convenientem, sed potiùs nocivam.

V. *Fonticuli*, Vesicatoria, & Setacea, in senibus & subjectis cacochymico-serosis, in vertigine imprimis per essentiam inveterata, *curativè*, & ratione apoplexiæ *præservativè*, sunt optimi & singularis usus, brachio inusti, ubi affectus simplex; capiti verò aut nuchæ applicandi in Vertigine caduca, aut apoplexiam aut epilepsiam minitante: vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Admir. Obs.* 78. Si verò ex suppressis hæmorrhoidibus, vitio uteri, ulcere, aut fistulâ coalescente, cruribus inurendi.

VI. Præmissis ergò præmittendis, factâ totius corporis purgatione, sedato paroxysmo, in *præservatione* opera danda, ne redeat malum, adeoque imprimis vel roboretur stomachus, & alteretur digestio vitiata, vel specificè Vertigini resistatur.

Quoad stomachica: inter talia eminent aromatica volatilia & paulò acriora, ac vi aromaticâ prædita, quæ imprimis senibus conveniunt; v. g. Galanga, Zingiber, nux moschata, cubebæ, semen sinapi & similia, v. g. semen sinapi omni mane crudum comestum, est egregium ad Vertiginem, imprimis per consensum. Idem etiam convenit senibus, quando sub vertigine metus est apoplexiæ: e. g.

℞. *Galang.* ʒß. ad ʒj.
Cubebar. ʒij. ad ʒiij.
Sacch. ℥ß.
M. f. Tragea:
D. S.
Trisinetum caput confortans.

De qua assumantur ʒij. cum pane biscocto, vino generoso intincto, hora unâ alteràve ante cœnam & prandium.

Vel ad imitationem LINDANI usurpetur pulvis:

℞. *Gran. Pæon.*
Coriandr.
Nuc. moschat.
Visc. querc.
Cubebar.
Galang. an. ʒij.
Piperis long.
Zingib.
Rad. tormentill.
Fol. rorismar. an. ʒj.
M. f. pulvis compositus:

De quo sumatur mane & vesperi ʒß. sive cum, sive sine sacchâro pro lubitu.

Imò vel sola galanga mista cum succino ab eodem commendatur ad curam vertiginis. Convenit itidem Elixyr proprietatis mistum cum spiritu mastichino; sicut in genere omnia mastichina, præsertim in vertigine à stomacho, sunt optima: item *Elixyr Menthæ* & similia *cum spiritu mastichis* mista, præservant à vertigine. In senibus ad præcavendam vertiginem, simulque apoplexiam, convenit imprimis Electuarium ex aromatibus stomachicis crebriùs usurpatum:

℞. *Conf. flor. anthos,*
Salviæ an. ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j.
Majoran. ℥ß. ad ʒvj.
Zingib. in Ind. cond.
Nuc. Mosch. cond. an. ʒiij. vel ℥ß.
Sem. erucæ,
Sinapi an. ʒiß. vel ʒiij. ad ʒvj.
Succini præp. ʒij.
Cardam.
Cubebar.
Galang. an. ℈j.
Salis vol. Succin. ʒß.
Spiritus Ceras. nig. ʒj.
Cum s. q. *Syr. flor. tunicæ* f. Electuarium:
D. S.
Electuarium cephalicum & stomachale pro aliquot vicibus.

Ditioribus addi potest aliquantulum Confectionis alchermes, quæ ratione ambræ & moschi senibus imprimis conducit. Capiatur omni mane & sub introitu lecti quantitas nucis castaneæ; post pastum verò masticentur sem. Sinapi pug. ij. vel iij.

℞. *Conf. Menthæ,*
Meliss an. ℥ß.
Cinnab. antimonii ℈ß.
Olei destill. rorismar.
Succini an. gutt. ij.
Cum *Syr. Menthæ* f. Bolus:
D. S.
Electuarium caput confortans pro una vice.

His equidem *Vertigo accidentalis* seu minus *inveterata*, præsertim per consensum, curari solet. *In habituali* seu *inveterato* malo verò undecunque nato requiruntur præterea, istis tamen non neglectis, *specifica* Vertigini *appropriata*: qualia ex regno vegetabili sunt radix doronici imprimis, cherefolium, calendula, salvia, rosmarinus, buxus, thea, cubebæ, semen sinapi, flores liliorum convallium, radix pæoniæ, de qua vid. RIVERIUS *Obs. communic.* & in genere quælibet cætera cephalica & epileptica. *Doronicum* quidem singulariter à quibusdam laudatur ad curam vertiginis: Sed vereor, ne ex præconcepta magis opinione, quàm rei veritate, fiat. Putant enim *rupicapras Alpinas* ejus usu reddi aptas, ut citra Vertiginem montes adscendant; quod ipsum tamen naturæ proprium & consuetudinis videtur beneficium. Unde etiam lapis in eorum stomachis repertus, seu, ut alii vocant, Ægagropila, pulverisatus assumtus commendatur à WORMIO contra Vertiginem. Quidam parant ex Doronico Essentiam, eamque singulariter ad Vertiginem commendant. *Funambuli* quoque ejus usu contra Vertiginem se munire dicuntur, saltando in funibus, quod ipsi sibi tanquam singulare secretum referunt; attamen pariter dubium. Post doronicum est cherefolium admodum laudatum, quocunque modo usurpetur, sive cum jusculo assumatur, sive Essentia aut extractum paratum cum spiritu proprio usurpetur, in specie, quando est Vertigo ex vitio stomachi. Hinc salvia & rosmarinus sunt egregia. *Salviæ decoctum* in aqua vel vino, tam interno usu quàm externo, si eo abluatur caput, ac applicetur fronti & temporibus, singulariter laudatur à STOECKERO *in Praxi*. Essentia salviæ cum spiritu proprio parata non est inconveniens. Sanè aliquando *Essentiam compositam* ex solo *cherefolio* & *roremarino* proficuam in Vertigine per consensum expertus sum; item Essentiam catarrhalem Michaelis, vel essentiam ex ana salviæ, castorei, zedoariæ, cum spiritu salis ammoniaci paratam, ad 40. guttas exhibitam, vel aliud sal volatile aromaticum & oleosum à 30. ad 40. guttas. *Rosmarinus* ejusque *Essentia* admodum commendatur à FERDINANDO in contumacissima Vertigine, in specie, si exasperetur malum in frigore hyberno, id quod senibus ferè familiare, tunc Essentia modò ex roremarino admodum convenit. Præter dicta hæc vegetabilia etiam Melissa, Majorana, euphrasia, fœniculum, semina calida minora, item ferè omnia aromata, in specie Zingiber & Galanga, commendantur contra vertiginem; item castoreum, ambra grysea, & ex his vegetabilibus paratæ essentiæ, spiritus, & olea: V. g.

℞. *Ess. cheresol.*
Salviæ,
Ocymi sive basil. an. ʒj.
Castor. ʒij.
Ambræ ʒß.
M. D. S.
Essentia contra vertiginem.

Dosis 40. usque ad 50. guttas, bis in die per bihorium ante pastum.

Buxus, in specie ejus *oleum* destillatum, uti in epilepsia, ita in vertigine optimum judicatur remedium intus & extra, quod FONSECA *Consil.* 16. mirè laudat: singularem vim habet narcoticam, extrà quidem inungendo quotidie temporum arterias post aures, hinc pulsus in manibus ac pedibus; intus verò propinat ita:

℞. *Conf. flor. anthos* vel *calend.* ℥iij.
Olei destill. buxi,
Nuc. mosch.
Menthæ an. ʒß.
Cum s. q. *syr. cort. Citri* f. Electuarium.
Dosis est ʒß.

Imò si guttæ vj. viij. vel ad summum x. olei destillati buxi cum aliquot unciis aquæ pæoniæ exhibeantur, egregium esse remedium inquit; cujus defectu & oleum coryllinum non inconveniens est.

Cubebæ masticatæ stomacho jejuno, aut etiam vino infusæ, sicque bibitæ, multum conveniunt; non secus ac *semen sinapi crudum* contusum, jejuno stomacho quotidie comestum, expertum est ad Vertiginem, etiam senum, estque simul egregium antiepilepticum & apoplecticum. Expertum est etiam ad Vertiginem cum *caricis pinguibus* & *semine sinapi* paratum *Electuarium*, quod pro usu præservatorio Vertiginis est egregium. Lignum aloes, item santali, ab HILDESHEIMIO *Spicil. pag.* 455. commendatur, & conserva florum calendulæ à RIVERIO *Prax. lib.* 1. *cap.* 9. Ex compositis aliis in usu est quibusdam *Theriaca Hippocratis* dicta: scilicet

℞. *Succ. absint.*
Marrub.
Stœchad.
Pulv. Mastich.

Rhabarb.
Chamædr.
Chamæp. an. ℥iij.
Hyßopi ℥j.
Agar. ad pond. omnium.

Loco hujus usurpetur Electuarium à SOLENANDRO *sect.* 1. *Cons.* 2. commendatum:

℞. *Theriac. Androm.*
Conf. flor salu. vel *beton.* vel *Anthos* an. part. j.
Rosar. p. ii.
cum *Mell. Anthosat.* f. Electuarium.

Ex regno animali pavo ejusque stercus, ceu singulare specificum mirè laudatur ab omnibus Practicis, cujus non tantùm *carnem* comestam, contra Vertiginem admodum laudat BARTHOLETTUS *in Encyclop.* Sed in specie *stercus pavonis* exsiccatum nobile est specificum contra vertiginem, tàm in forma liquida quàm sicca usurpatum, quod ab omnibus, qui ejus fecerunt periculum, maximè commendatur. Quidam dicunt, habendam esse differentiam ratione sexus: sed videtur huic negotio parum subesse ponderis. Modus præparandi est varius: Usurpari potest vel forma *pulveris* cum ana sacchari, ratione saporis, de quo pulvere æger crebriùs capiat. LINDANUS dicit, se felici cum successu expertum esse, stercus pavonis, præcipuè præmissis universalibus propinatum in forma sicca, exsiccando stercus, & hujus stercoris siccati ℈j. propinat in ℥ii. aquæ appropriatæ: Sic in QUERCETANI *Diætat. Polyhist.* illustre est exemplum curatæ Vertiginis beneficio stercoris pavonis, idque *sect.* 2. *cap.* 1. WILLISIUS *in Anim. Brutor. Part.* 2. *cap.* 2. *de Vertigin.* habet pulverem compositum, cujus basis est stercus pavonis; ad cujus imitationem aliquando viro cuidam à tempore Paschatos ad principium hyemis insigniter vertiginoso præmissis præmittendis præscripsi:

℞. *Sterc. pavon.* ℥iii.
Rad Pæon. mar. ℥i.
Pulv. Caryophyll. ℨiii.
M. f. pulvis.

De quo capiebat quotidiè bis largam dosin manè jejuno stomacho in vehiculo calido, & bihorio ante cœnam in frigido, continuavit per aliquot septimanas, usurpavit bono cum successu. Jussi continuare, quia sub tempestatum mutationibus aliquid sentiebat, & continuando sanus evasit. Omni vespera sub lecti introitum accepit, simul *spiritus salis ammoniaci anisati* guttas xxx. vel xl. pro dosi. Varia tentaverat, etiam fonticulum inuri curavit, sed frustra; vertigo erat vehemens cum cephalalgia intensa in summitate verticis ad magnitudinem palmæ manus: etiam liquor cornu cervi succinatus, item spiritus vitrioli epilepticus Dn. D. MICHAELIS, vomitoria, cathartica, martialia, &c. frustranea erant. Pro cephalalgia linimentum dedi ex oleo destillato succini, vertici, applicando desuper emplastrum de ranis cum mercurio capillis rasis.

Potest etiam hoc stercus in forma *Electuarii* usurpari:

℞. *Sterc. pavon.* mense Majo collect. & in sartag. leniter *exsiccatum*, ut pulverisari possit.
Misc. cum *Conf. flor. Rorismar.* & *Maior.* vel *Melissæ*, vel *simil.* q. s.

de quo quotidie bis capiatur: quo feliciter usus est LINDANUS *in Praxi*.

Vel *in forma liquida* usurpatur, qua ratione quidam recipiunt M. j. *fimi pavonis*, subigunt cum s. q. *vini*, dividunt in tres partes: cujus duas partes post duos paroxysmos vertiginosis propinant, provocato sudore; & tertia dosis post bihorium post tertium paroxysmum propinatur, & sic certò, inquiunt, curari Vertigines.

PETRUS à CASTRO, *Medicus Veronensis*, remedium admirandæ virtutis ad præservandam vertiginem esse dicit:

℞. *Ster. fimi pavon.* masculi pro maribus, mense Majo collect. & exsicc. ℨj.

Macerat per noctem in vino albo, manè traiicit per linteum, liquorem exhibet vertiginoso, continuando à novilunio ad plenilunium usque, manè expectando blandum sudorem.

An præcisè requiratur distinctio sexus ratione ægrorum, ita ut *stercus masculi* pro maribus, *femellæ* pro fœminis vertiginosis sit capiendum, in medio relinquo.

Loco stercoris pavonis, Catti masculi pro mare, fœmellæ pro fœmina, exsiccatum & pulverisatum commendatur.

A quibusdam laudatur cerebrum passerum: unde *Bartholetus Electuarium* ex cerebris animalium in *Encyclop.* p. 166. describit, quod vocat electuarium præsentaneum contra Vertiginem. Compositio est hæc:

℞. *Cerebr. paßer.* Num. 2.
Vituli in vino loti & in fumo exsiccati
Avellanar. ana ℨj.
Mithridat. opt. ℨiij.
M. & cum *syr. de cort. citri* f. Electuarium.

Idem BARTHOLETUS etiam cerebrum pavonis ad Vertiginem laudare solet.

Egregius etiam est liquor Cornu cervi succinatus, castoreum & castoreata. *Hepate rupicaprarum* vertiginem curatam refert VELSCHIUS *Hecat.* 2 *pag.* 6. Dubium tamen, annon additum *eleosaccharum citri* partis cum *hepate* fuerit virtutis.

Denique ex Regno minerali ad Vertiginem remedia sunt succinata quæcunque, petroleum album, *Cinnabaris* vel *nativa* depurata, vel antimonii cinnabaris, insigne remedium Cratonis, trium Imperatorum Archiatri, qui cinnabarin uti magnetem epilepsiæ, ita Vertiginis, appellat: Unde super basin cinnabaris antimonii exstructi pulveres cephalici specifici erunt in omni Vertigine convenientissimi. In Cinnabari multa latent; unde promiscuè potest usurpari dosi ℈j in specie circa mutationem lunæ; egregium est remedium & antepilepticum, & contra Vertiginem, sive per se, sive cum aliis adhibeatur; potest enim fieri pulvis compositus cum sale volatili succini, cubebis, galanga, & similibus. Vehiculum potest esse aqua quædam cephalica, acuata spiritu liliorum convallium, elixyr menthæ, & similibus. Hinc v. g.

℞. *Sterc. pavon. pulverif.* ℨiij.
Cinnab. antimonii vel *nativ.* ℨiß. ad ℨij.
Cubeb.
Galang.
Salis vol. succ. ana ℈i. ad ℨß.
M. f. pulvis:
cui addatur
Eleo. facch. anisi q. s. pro gratia saporis & odoris v. g. ℨj. ℨiß.
M. D. S.

Pulvis contra vertiginem pro aliquot vicibus.

De quo capiatur subinde, quantum cuspis cultelli capit.

Vehiculum hujus pulveris contra vertiginem sit tale:

℞. *Aqua Cherefol.* ℥iij.
Salviæ ℥iß.
Cinnam. ℨvj.
Spir. lil. convall.
Salviæ an. ℨiij. M. D. S.
Aqua ad pulverem.

Vel

℞. *Aqua Cherefol.* ℥iij.
Meliß cum *vino* ℥iß.
Cinnam. cum *Vino* ℨvi.
Spir. lil. convall.
Salviæ,
Ceraf. nigr. an. ℨj.
M. pro vehiculo pulveris,
D. S. ut suprà.

Vel

℞. *Aqua Cherefol.* ℥iij.
Liqu. Cornu cervi succin. ℨj.
M. pro vehiculo dicti pulveris, capiendo aliquot cochlearia.

Cum Cinnabari in specie salia volatilia & olea nobilia sunt contra Vertiginem, internè & externè. Hinc internè *sal volatile* succini, succinum, liquor cornu cervi succinatus, in specie junioribus, & quæcunque succinata: Nam & ipsum succinum est egregium remedium in vertigine; sive internè sumatur succinum præparatum, cum aqua appropriata, in specie cum spiritu vel aqua salviæ; sive etiam eius sal volatile assumatur; aut etiam *oleum*, & cum hoc paratum oleosaccharum, ut faciliùs assumatur, addendo ad ℨj. *sacchari* gutt. iv. *olei*; vel dictum oleum vertici illitum externè, egregia sunt remedia contra Vertiginem.

Oleorum succini & buxi loco *Petroleum album*, imprimis in senibus, usurpari potest, quod non inconveniens est in vertigine per consensum stomachi, præsertim in hypochondriacis. Memini me aliquando Juveni studioso hypochondriaco crebrà vertigine, sive jejunus, sive pastus esset, affecto, præmissis præmittendis, & etiam aliis adhibitis

bitis convenientibus, frustrà tamen omnibus, consuluisse, ut in fine cuiuscunque pastus 6. 7. ad 8. guttas olei succini in ultimo haustu capiat, eoque inungat leviter præcordia seu regionem scrobiculi cordis. Fecit aliquamdiu, & optimè profuit, nihil habuit incommodi præter ructus. Hinc ad hujus imitationem alii Juveni, præmisso vomitu, aliud dedi Electuarium:

℞. *Conf. Menth.* ℥j.
Flor. Anthos ℥ß. vel ʒvj.
Petrol. albi ʒj. ad ʒiß.
Cum s. q. *Syr. Menthæ* vel *flor. tunicæ f.*
Electuarium.

De quo mane capiebat quantitatem castaneæ, & bono cum successu accepit. Acui potest remedium, si addatur simul sal volatile succini à gr. xv. ad ʒß.

Aliis nil juvantibus sacra anchora erit *Laudanum opiatum*, imprimis appropriatis, præsertim *succinatis*, mistum, quod quoscunque spirituum animalium inordinatos motus compescit, eosque frigendo promptè sedat.

Externè commendantur pinguedo sciuri, damæ, & serpentum, temporibus illita; item oleum buxi, & ab HOEFERO pulvis bombycum capiti adspersus, *Herc. Med. Tom. 1. lib. 1. pag. 31.*

Hæc in usu sunt extra Paroxysmum.

Quoad Curationem in paroxysmo: *In ipso paroxysmo* Vertiginis graviori & crebriori, in specie Vertiginis caducæ, dum ægri corruunt, & ad tempus jacent, antequam se erigere queant, conveniunt præ cæteris mox infusa *vomitoria*, quæ eos optimè exsuscitant; loco quorum etiam *clysteres* acres applicantur, cum syrupo emetico vel infuso antimoniali infundendi, usitati aliàs in epilepsia, apoplexia, &c. *Clysteres faciunt revulsionem, retrahunt spiritus aliquantisper à Capite, qui inordinatè ibi se movent. Pro derivatione autem ponuntur cucurbitulæ in cervice.* Vomitoria sunt meliora. Hinc præmissis vel omissis talibus, usurpetur mixtura ex spirituosis cephalicis, & aromaticis nervinis, qualia sunt *spiritus* vitrioli volatilis, aut cephalicus, spiritus cerasorum nigrorum & liliorum convallium, sal volatile succini, cornu cervi, & similia, in aqua majoranæ, salviæ & cerasorum nigrorum. *Castoreum* etiam, ejusque *Essentia*, commodè usurpatur simul, præsertim mulieribus. Item oleum succini ad aliquot guttas in aqua appropriata assumptum & propinatum imprimis convenit.

Externè vertici, temporibus, naribus, scrobiculo cordis & similibus, inungitur essentia castorei, spiritus salis ammoniaci, oleum destillatum succini, aut etiam *balsamus Peruvianus*, vel *apoplecticus*, aut similia antapoplectica & antepileptica; aut objicitur naribus nigella Romana, sive ejus semen aceto irroratum. Radix pæoniæ ritè collecta, & de collo suspensa, Vertiginem desperatam aliquando curavit. Uno nomine, simili ferè modo curatur in paroxysmo, atque aliàs tractari solent *insultus epileptici*, & passiones *graviores hystericæ* & similes in paroxysmo. Quibus volatilibus in malo pertinaci interdum addantur opiata, quæ sistunt Vertiginem graviorem in paroxysmo, in specie si misceantur volatilia; v. g. præmissis præmittendis

℞. *Aqua salv.* ℥iß. vel ℥ij.
Menth. ℥j. vel ℥iß.
Spiritus lil. convall. ʒiij.
Sal. ammoniaci, vel hujus loco *Liqu. Cornu cervi succin.* ʒiß.
Laud. opiat. gr. ij. vel iij.
Syr. cort. aurant. vel *fœnic.* ʒiii. ℥ß. ad ʒvj.
M. S.
Potio contra vertiginem.

Huic in mulieribus *essentia castorei* commodè addi potest.

Vel

℞. *Aqua Ceras. nig.*
Menth.
Lil. convall. cum *Vin.* ana ℥j.
Spirit. Ceras. nig. ʒiij.
Ess. Castor. ʒiß.
Salis vol. Cornu Cervi ℈j.
Succini ℈ß.
Syr. flor. tunic. ℥ß.
M. S. ut suprà.

Convenit etiam, ubi metus est apoplexiæ.

Si *Vertigo* sit *uterina*, potest præscribi hæc mixtura in paroxysmo cochleatim assumenda:

℞. *Aquæ hirund.* cum *Castor.* ℥iß. vel ij.
Meliss. cum *Vino* ℥j. vel ℥iß.
Spir. lil. convall. ʒj. ad ʒij.
Salviæ, vel *ceras.* ʒj.
Sal ammoniaci ʒß. ad ʒiß.
Salis vol. succini gr. xv.
Laud. opiati gr. ii. vel iij.
Syr. cort. aurant. ℥ß. vel ʒvj.
M. S. ut suprà.

Absolvimus superiùs doctrinam Vertiginis, & ea, quæ eò pertinent; Pergo jam ad

CAPUT II.

DE

SPIRITUUM ANIMALIUM NIMIO & INORDINATO *subinde ac* VITIOSO MOTU *in* PARTES EXTERNAS, MOTUI DICATAS,

indeque ortis

CONVULSIONIBUS, MOTIBUS CONVULSIVIS *seu* SPASMIS, & EPILEPSIA.

Dictum fuit *suprà*, quod ex inordinatu motu systematis spirituum animalium in cerebro, & hinc in sentuum organis, talis in functionibus animalibus sequatur perturbatio, quæ dicatur Vertigo; quæ ipsa interdum usque eò procedat, ut etiam ægri concidant, quæ *vertigo* sit *proximus* ad *Epilepsiam gradus*, ita ut continuo isto post casum spirituum animalium inordinato motu ad partes motui destinatas, exinde extra cerebrum *Convulsiones*, & tandem *Epilepsiæ* superveniant; hinc rectà ad Convulsiones & Epilepsias pergamus.

Doctrina hæc in Praxi est frequentissima, utut in Theoria difficillima. Pro rei historia præsuppono, lædi primariò in spasmo motum, secundariò sensus internos & externos. Notum etiam est ex *Parte Medicinæ Physiologica cap. 21. pag. 121.* omnis motus corporis organon proximum esse fibras, quibus tanquam funiculis partes moveantur & contrahantur, easque inflatas per spiritum animalem sui coarctatione moveri, concurrente tamen adjumento sanguinis, *sive* fibræ istæ collectæ & unitæ in unum musculi systema coeant; *sive* hinc inde circulariter dispositæ & intertextæ membranosum corpus constituant, ut v. g. in intestinis, vesica, & similibus obvium est; *sive* partes istæ fibrosæ ex cerebro nervos accipiant; in *motu voluntario*; sive ex cerebello in *motu involuntario*, seu sine sensuum progressione, propterea *naturali*, utut perperam, vocato; sicut & spiritus animales moventes, partim ex cerebro, partim ex cerebello acquiruntur. Quodsi igitur secundùm voluntatis imperium moveantur musculi, aut reliquæ partium internarum fibræ motrices naturali modo & ordine, motus fiet secundùm naturæ leges: sin verò præter voluntatis imperium moveantur hæ fibræ, & ex iis constituti musculi, vel non absque insigni dolore, aut cum insigni violentia contrahantur & agitentur partes, sive internæ, sive externæ, *Convulsio* appellatur Latinis, Græcis *Spasmus*. Σπασμὸς Græcis dicitur à σπάω seu σπῶ, quod est trahere, propterea, quod quasi summâ vi & insigni violentiâ trahantur potiùs partes per fibras & quasi lacerentur, quàm ut legitimè moveantur.

Convulsio autem *hæc* seu *spasmus* in genere *est duplex*: vel *Conductio*, vel *Concussio*: de quo vid. LINDANUS *in Meletem. Physiologicis*, qui ex HIPPOCRATIS sensu rectè deduxit. Per *Conductionem* intelligunt Convulsionem in specie sic dictam; per *concussionem* verò motum convulsivum. *Conductio* dicitur *Convulsio tonica*; *concussio* verò est *Convulsio clonica*, quando ægri tremunt: Nam κλόνος significat præcipuè *inæqualem* membri *motum*, unde etiam vocatur *motus convulsivus* ultrò citroque, seu quod idem est, invita membri contractio & extensio, unde σφυγμὸς κλονώδης seu pulsus vibrans, quando scilicet arteria quasi in motu retracta vibrando pulsum edit. Tonus verò est juxta CELSUM *immobilitas & rigor membri*, quod membrum contractum fit immobile: ita ut *Conductio* seu *Convulsio tonica* membri rigidi contractio-

tractionem, & in uno situ sive figura permanentiam, indicet; *Concussio* verò seu *Convulsio* clonica innuit variam agitationem & vibrationem, modò extensionem, modò contractionem. Convulsio igitur in genere dicitur insolita & præternaturalis musculorum aliarumque partium fibrosarum contractio: quæ retractio si perpetua, adeoque membrum immobile fuerit, Convulsionem in specie & propriè dictam constituit; sin verò interpolata, & membrum variè agitetur, motus convulsivus audit.

Contractura cognata est *Convulsioni tonicæ* affectio, quâ membrum semel convulsum semper postmodum rigidum manet.

Conductio seu *Convulsio vera* varias sub se complectitur symptomatum *species*, nempe *Tetanum*, *Emprosthotonon*, & *Opisthotonon*: Quò & aliæ species pertinent; Nam pertinet huc etiam, (nempe ad Conductionem) *Priapismus* & *Satiryasis*; *item* pertinet huc *Spasmus Cynicus*, cui adjunctum symptoma dicitur *Risus Sardonius*: *Pertinet huc* etiam, quando contrahitur brachium & obrigescit *ex inepta venæsectione*, quando nervus pungitur; item quando tendines obrigescunt ex luxatione: *Pertinet huc* ille *affectus innominatus*, quando *genua* contrahuntur & *rigida* manent propter contractum nervum ac tendinem, qui per cavum genu transeunt.

In specie famosi sunt isti tres capitis affectus: Ἐμπροσθότονος, qui est conductio musculorum collo instratorum seu mastoideorum, hinc est, quod his mentum pectori affigatur: Contrarium vitium est Ὀπισθότονος, conductio musculorum occipitis, quibus occiput versus dorsum & posteriora detrahitur: Τέτανος denique est conductio simultanea & anteriorum & posteriorum capitis musculorum, hinc enim caput ad nullum latus verti potest, sed caput & collum rigidum & immobile permanent. Sunt tamen qui non solùm capitis versus truncum, sed totius trunci tales conductiones sub his nominibus intelligunt: Conf. SYLVIUS *lib.2. Praxeos cap.23.§.19.*

Ad *Emprosthotonon* pertinet *Aphorismus* HIPPOCRATIS *sect.4. aph.35. Si febre detento repente collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo existente tumore, lethale est*: quem aphorismum vulgò, sed malè, de angina & luxatione vertebrarum interpretantur, nam revera intelligit HIPPOCRATES speciem ἐμπροσθότονου. Comprehendit enim iste casus morbum, quem nos vocamus, Germ. *den Hals umbdrehen*, id est collum intorquere; quando nimirum tunc musculus mastoideus convellitur & rigidus manet; sic enim caput circumducitur, aspera arteria comprimitur, & tales ægri tandem suffocantur.

Hæc de Convulsionibus seu spasmis in genere.

ARTICULUS I. DE CONVULSIONE CLONICA ET EPILEPSIA.

Quoad Concussionem seu *Convulsionem* κλονικὴν, aut, uti vulgò appellatur, motus convulsivos, quando unum seu plura membra moventur inæqualiter, sunt varii, pro varietate partium convulsarum, quales sunt omnes species epilepsiarum, pertinentque huc *Cramba*, *seu*, ut vocant, *Spasmus flatulentus*, Germanicè, *der Krampff*, cui imprimis ebriosi, item qui ad arthritidem nonnihil inclinant, sunt obnoxii. Pertinet huc etiam experimento Autorum ista concussio parva, quæ in emissione seminis Venerea accidit; unde quibusdam Philosophis & Medicis, in specie DEMOCRITO, coitus Epilepsia Parva vocari solet.

Dixi, quod *ad concussiones* etiam pertineat *Epilepsia*. Epilepsias ergò quod attinet: hæ sunt revera tales concussiones seu motus convulsivi, in quibus universum corpus, aut plura ejus membra, diversimodè contrahuntur, vibrantur & agitantur, sensuum exercitio quocunque utplurimum abolito: cujus sub sua latitudine tres sunt modi seu gradus (voca ut lubet.)

Primus gradus, isque abusivè seu impropriè *Epilepsiæ* tributus est; quando ægri subitò concidunt & corruunt, aut saltim, sive stent, sive sedeant, omnium sensuum functionibus ac motus exercitio subitò privantur, & quasi somno arctissimo sepulti citra ullam animalem functionem ita persistunt, utut nullus spasmus sensatus, sive externarum partium convulsio accedat; licèt, *si per consensum fiat* partium abdominis, v.g. in *Hystericis* aut *Splenecticis* & similibus, subinde spasmi partium internarum nervosarum concurrant, sub Lipothymiæ conceptu vulgò exprimantur; unde dicunt communiter: *sunt deliquia. Epilepsiam vocare nolunt*. Hic epilepsiæ modus est potiùs tertius gradus, ad *vertiginem caducam* pertinens, quam Epilepsiæ dicimus gradum proximum, cum facillimè sibi Epilepsiam veram comitem adsciscat.

Secundus gradus Epilepsiæ seu secundus affligendi modus est, quando variis motibus & agitationibus corpus universum percutitur & convellitur, sensibus quibusvis, tam internis quàm externis, & ratione, aut integrè perstantibus, aut in delirium abreptis, dum interim quoad externas partes convulsi, sub convulsionibus istis saltant & cantant, interdum rident, nunc lachrymas fundunt, hinc inde percurrunt, pectus percutiunt, interdum ridicula narrant, vociferant, post paroxysmum verò omnium secum actorum, sive delirent sive non delirent, in paroxysmo recordantur, eaque optimè, nunc nihil, sciunt. Exempla talia stupenda videb. in WILLISII *Patholog. Cerebr. de Morb. convulsiv. ubi de Epilepsia*; item in RIVERII *Praxi*, *ubi de Epilepsia*, qui refert talem Epilepsiam in moniali, in qua sensus interni & externi viguerunt, tantummodo epilepticæ variæque partium convulsiones adfuerunt: NEUCRANZIUS *Tract. de Purp. cap.23.* simile habet exemplum: Sic TIMÆUS *von GuldenKlee* miram etiam hujus rei refert historiam *in Epist.9. pag.22.* ubi puer epilepticus adscendit in altum sensibus integris: Sic BARTHOLINUS *Cent. 2. Hist.90. pag.301.* miras describit gesticulationes & actiones epilepticorum. Nam certè tam stupendæ & tam variæ eorum sunt gesticulationes, motus, actiones, gyrationes, ut vix absque stupore legi, nedum aspici possint. Talis Epilepsia sæpe in melancholia hypochondriaca obvenire solet, & optimè curatur per liquorem cornu cervi succinatum. Pertinet huc *Epilepsia cursiva* BOOTII *Tr. de Affect. Omiss. cap.6.* qui refert exemplum pueri epileptici duodecim annorum, qui paroxysmo epileptico vexatus, continuo cursu semper rectà percurrebat per ignem & aquam, per montes, per omnia loca, idque tamdiu, donec obstaculum offendebat, ut longiùs currere non posset. Vocat ob id *Epilepsiam Cursivam*. Similem casum habet VALENTINUS *Tr. de Convuls.* qui & *Epilepsiam rotatoriam* observavit: Vid. M. A. N. C. *Ann.8. Obs.71.* ubi virgo à fulgure territa, mentis tamen compos, alteri innixa, gyrari, cubiculi penes parietes discurrere cogebatur, venæsectione & internis antispasmodicis curata: Sic *Epilepsiam*, in cujus paroxysmo diu & multum ægra *ridet*, videb in M. A. N. C. *Ann.3. Obs.304. pag.526.* Item Epilepsias mirandas, in quibus sensus omnes & intellectus fuerunt illæsi, videb. in FEHR *de Scorzon. pag.96.* Et sæpius in his Epilepsiis tam mira sunt symptomata, ut vix commodè enarrari possint: Conf. SALMUTH *Cent 2. Hist 42.* qui habet Epilepsiam, in cujus paroxysmo oculus extra cavum instar pugni protendebatur, & tamen post paroxysmum in naturalem statũ redibat: item *Cent.2. Hist.41.* visiones & spectra apparentia observavit, tam ante quam post epilepticum paroxysmũ.

Tertius gradus Epilepsiæ seu modus, & quidem communior, est iste, qui ex utrisque modò dictis videtur conflatus, ita ut omnis tàm sensus quàm rationis usus pereat, simulque variis motibus corpus ejusque membra agitentur & concutiantur, ad humum prosternantur, dentibus strideant, brachia jactitent, pollices arctè claudant in manus, pedibus tremant, corpus insigniter attollant & denuò deprimant, instar globi incurvent, spuma per os ejiciatur, labia & lingua morsu lædantur, &c. Quibus omnibus successivè remittentibus æger tanquam sopore oppressus jacet, gravi suspiratione (quod signum est, pectus anteà convulsum fuisse) ad se rediens, nihil omninò scit, tantum de torpore & gravitate quadam capitis, & omnium artuum gravi lassitudine, conqueritur, quod fit ex laceratione fibrarum ex impetu spirituum ad easdem derivatorum. Et hic tertius gradus est omnium frequentissimus & gravissimus: *Primus* gradus non nihil est *rarus*; *secundus rarissimus*, sed vulgò ignoratur: Idem *gradus secundus* est *terribilissimus*; nam tales subinde *pro obsessis à dæmone* habentur, nisi Medici prudentia & scientia innocentiam ægri defendat.

Ex his patet, quod convulsio, motus convulsivi & Epilepsia, non differant in radice, sed saltem modo fiendi. Epilepsia,

lepsia ergò consistit in motu depravato, nempe in motu involuntario, inordinato, interrupto & nimis impetuoso; Convulsio verò seu concussio consistit in motu involuntario ducto & continuo à spirituum nimio & inordinato ac rapido influxu. Unde istud, quod *subjectum est motus naturalis*, id ipsum necessariò etiam subjectum erit hujus motus præternaturalis; & id, quod afficitur in naturali brachii contractione, aut involuntaria fæcum alvi exclusione, id ipsum etiam afficietur in his motionibus præternaturalibus. Cum ergo fibræ nervosæ sint *subjectum* omnis motus naturalis in corpore humano, tàm voluntarii in musculis, quàm non voluntarii in partibus corporis internis membranosis, & ubicunque sunt membranæ, v. g. in intestinis, ob id etiam necessariò in Convulsione & Epilepsia *fibræ* istæ nerveæ contractionum morbosarum *subjectum* erunt: siquidem in omnibus corporis partibus, ubi est motus, ibi sunt fibræ, & ubicunque sunt fibræ, ibi necessariò fit quidam motus; ita ut *fibræ* hæ nerveæ sint *subjectum commune*, *musculi* verò *& membranæ*, ex istis fibris contextæ, sunt *subjectum proprium* seu *speciale*.

Fibræ nerveæ dico: Nam ipsi *nervi* nil aliud sunt, quàm congeries talium fibrarum juxta se variato nexu situatarum, quæ tunicâ duplici à meningibus cerebri continuatâ investitæ corpus nervi constituunt. Similiter fibræ alio modo systematicè coagmentatæ constituunt musculos, demonstrante hoc STENONE. Similes fibræ partibus circulariter, cruciatim, vel alio modo intertextæ, nunc in forma plana constituunt membranas, nunc in forma cylindriaca constituunt stomachum & simil. motusque internos involuntarios excitant. *Fibræ* igitur, & partes per fibras motæ erunt *subjectum Convulsionis & Epilepsiæ*.

Ex dictis fluit *differentia*, cùm *Epilepsiæ & spasmi* dividuntur *in internas & externas*. *Externæ* sunt, quæ saltim membra externa cruciant & concutiunt, v. g. convulsiones brachiorum, capitis, oculorum, pedum, thoracis in asthmate convulsivo, oris, &c. *Internæ* verò Convulsiones sunt, quæ viscera interna membranosa variis Convulsionibus mirè torquent; verbi gratiâ in Colicis scorbuticis convulsivis, item in passionibus hystericis, dum intestina, mesenterium, & annexæ partes convulsionibus spasmodicis mirè affliguntur; in paroxysmis nephriticis, singultu, vomitu, torminibus infantum, tussi & similibus: qui affectus appositè Germanis mulieribus (in nullo Scriptore Latino tale quid invenietis) dicuntur: *die schwere Noth im Leibe* id est, *Epilepsia in corpore*: item *die innerliche schwere Noth bricht aus*, id est, *Epilepsia interna erumpit*. Pertinent huc tensiones abdominis & hypochondriacæ, quando conqueruntur de tensione regionis hypogastricæ, quæ frequenter eveniunt in subjectis scorbuticis, hypochondriacis & similibus; item tensiones circa tempora, &c. Et ubicunque sunt membranosæ partes, si illæ spasmo aut convulsione afficiantur, indurari, obrigescere & instar membranæ tympani fortiùs tendi solent ex fibris, ex spirituum impetu ita afflictis.

Talis etiam affectus est, quando *in nephritide* convulsus stomachus *vomitus*, & convulsa itidem intestina *tormina colica* patiuntur: item quando cor palpitat & convellitur: (omnis enim palpitatio est convulsio) quales *Convulsiones* etiam *in hypochondriacis*, ac quod idem est, *hystericis*, plures observantur, cùm in his subjectis quamplurima vaga & subinde varia ac mira symptomata maximam partem ex talibus spasmis partium internarum oriantur, imprimis quando *plexus nervei*, quales plures sunt in abdomine, speciatim *magnus iste in mesenterio*, afficiuntur: vid. WILLISIUS *l. a.* Cùm enim ex his deriventur nervi in reliquas abdominis partes, facilè totum abdomen, affectis his plexibus, aut saltem plures illius partes convulsiones patiuntur: Et cùm hi plexus mesenterici ex *pari nervorum vago*, nempe octavo, oriundi, conjuncti sint *nervis intercostalibus*, ob id sæpiùs affectis istis plexibus, & *pectoris & capitis* partium *convulsiones* tandem insequuntur, adeò, ut istarum partium internæ convulsiones sæpiùs ad radicem nervorum usque continuatæ, ibique systema spirituum in confusos motus agitantes, terminentur tandem in convulsiones partium externarum, quod vocant: *Epilepsia interna crumpit*. Quâ ratione non rarò *Passionibus Hystericis* gravioribus associatur Epilepsia universalis seu convulsio partium externarum: ut & partui difficili non rarò supervenit epilepsia, toties repentes, quoties ad conatum parturiendi gravida se accingit. Nam isti *dolores parturientium*, nempe dolores abdominis & *dolores post partum*, nil aliud *sunt*, quàm partium abdominis, in specie uteri, mesenterii, & subinde intestinorum *spasmi seu Convulsiones*.

CAUSÆ.

Quoad *Causas*: præsupposito spiritu animali, tanquam motore universali ex cerebro pro motibus voluntariis, ex cerebello pro motibus involuntariis seu naturalibus, per nervos distributo in omnes partes (hoc tamen adhuc patitur suas limitationes, vid. WILLISIUS) qui, quacunque ratione fiat, fibras ad earum contractionem disponat, sive solitariè hoc faciat, sive adjutus simul copulâ elasticâ ex sanguine suppeditata, necessariò idem spiritus etiam movebit in contractione partium morbosa & præternaturali: verbi gratiâ uti spiritus per neruos brachii influens mouet digitos & brachium ex meo arbitrio, ita si fiat punctura nerui & inde conuulsio brachii (cùm hic motus, nempe conuulsiuus seu hæc conuulsio, sit idem motus cum priore brachii contractione uoluntaria, tantummodò in eo differens, quod conuulsio inuito conuulso contingat, & non absque uiolentia insigni, concurrente simul interdum dolore: conf. SYLVIUS *l. 2. Prax. cap. 23. de Morb. Capit. §. 30.*) sequitur necessariò, spiritum animalem, qui secundùm arbitrium mouet brachium, etiam in conuulso brachio ex rapidiore & impetuosiore ejus, propter irritationem & insequentem ejus continuum motum tremulum, (in quo motu consistit dolor) influxu, istius conuulsionis brachii esse autorem: *Sic idem omninò est* motus, siue *sponte* & per jocum rideo, siue epilepticus paroxysmus cum *risu* inuoluntario *Sardonio* eueniat: eadem nempe est musculorum in utroque risu actio & pars affecta, idem motus, ergò idem etiam efficiens seu mouens, nempe spiritus animalis. *Hæc tantum interest differentia*, quod, ut *ordinatè* & placidè moti spiritus, idque dictante priùs sæpe animâ rationali, dant motum naturalem partium & risum naturalem, ita iidem spiritus *inordinatè*, confusè & rapidè in stimulo morboso agitati, & quasi cum impetu per neruum in partem explosi, Conuulsiones & motus conuulsiuos, & v. g. risum conuulsiuum, inferant. *In Epilepsiis tamen habitualibus*, hoc est, inueteratis, & sæpius leui ex causa recurrentibus, item hæreditariis, ferè suspicor deviare tum ipsos spiritus animales è naturali sua crasi & constitutione, & magis elasticos, faciliùs inordinatè, idque cum impetu mobiles reddi, utut in quo alterata hæc constitutio præcisè consistat, determinari certò nondum queat.

Causa ergò proxima formalis Convulsionis & Epilepsiæ cujuscunque erit impetuosus, rapidus, & maximè violentus spirituum animalium motus in partes fibrosas motui inservientes, interruptus quidem diuersimodè, inordinatus magis & confusus in concussionibus & Epilepsiis; continuus verò & ordinatus in conductionibus seu in specie sic dictis Conuulsionibus.

Causæ rapidi & inordinati istius motus spirituum animalium generaliter considerati ad duo capita *causarum*, nempe *remotarum*, *seu materialium aut occasionalium*, referri potest. *Prima* causa est *irritatio quædam in parte* quadam *sensili ac nervea*, quâ occasione spiritus animales in partem irritatam copiosè & impetuosiùs moti, Conuulsionem *nunc* leuiorem *nunc* grauiorem, *nunc* continuam in Conuulsione tonica, *nunc* interruptam in clonica seu epilepticis motibus, inferunt: Sic punctus neruus ob *irritationem* in loco puncturæ, quæ consistit in subtili & celerrimâ fibrillarum ejus motione, uibratione & uellicatione, ad cerebrum usque continuata, commouentur simul spiritus per neruum eum blandè influentes, quorum motu tremulo & celerrimo, unà cum moto neruo concurrente, commouentur simul reliqui spiritus, ita ut hi ipsi aperto quasi tramite per neruum istum cum impetu ferantur, & ita *Convulsionem* fibrarum istarum & musculorum, ad quos terminatur neruus, inducant. Hinc neruus per uenæsectionem læsus aut punctus, breui pòst brachio conuulsionem insignem infert; uid. SYLVIUS *l. a. Prax. cap. 23.* *Sic ex irritatione stomachi* à medicamento antimoniali, hujus fit conuulsio seu *vomitus*: ex *irritatione cordis* fit hujus *palpitatio*: Sic notum est, quod, quando nares irritantur ab objecto acriori, superueniat sternutatio, quam tantillum bellebori narium membranæ infixi concitat; hæc reuera nil aliud est, quàm motus epilepticus thoracis, consistens in conuulsiua exspiratione; unde & SALMUTH *in Obs.* ex suppressa sternutatione grauem epilepsiam ortam refert, quæ sequitur simpliciter irritationem aut uellicationem membranæ narium;

Et

Et quidem convellitur thorax, dum vellicantur nares. Jam cogitate, sicut tantillum acre, quod vellicat nares, tam insignem impetum, motum & convulsionem infert totius thoracis, ita & in aliis Epilepsiis & motibus convulsivis tantillum irritans sæpe in loco remotiore existens, e.g. tantillum fermenti acidi circa membranas cerebri consiti, occationem Epilepsiæ suggerit: Conf. hìc notabilis locus in M: A. N. C. *Ann.6. obs.77. pag.112.* Sic tantillum acidi in plexu mesenterii tam insignes turbas inferre potest in abdomine: sic ex irritatione faucium, aut ex penna in gulam immissa, sequitur vomitus: Sic helleborina ac similia notoriè Convulsiones inducunt; vid. TULPIUS *obs.25.*

Secunda causa Remota generalis est ataxia ipsorum spirituum animalium convulsiva, quando *aliquid præternaturale excrementitium* vel vitiosum, *aut in cerebro* hærens, certis intervallis commotum, eorum motum turbat, aut iis ibidem permistum, eosdem vitiosè & cum impetu exagitat. *Uterque modus*, si spiritus in motus perturbatos, inordinatos, vagos & confusos, cogat, non tantùm sensuum omnium, tàm internorum, quàm externorum, (ad quos placidus & moderatus, isque ordinatus spirituum requiritur motus) hebetudines, sed etiam ex inordinato motu eorum in partes extra cerebrum, tàm internas quàm externas, variis motus convulsivi superveniunt. Nempe huc commodè vis elastica recrementorum præternaturalium potest applicari, dum sui generis recrementa spiritibus animalibus impermiscibilia, mutuo tamen concursu explosivum motum concipientia, Epilepsias inferunt. Experimur hoc non tantùm in febribus à sanguinis exagitationibus nimiis, aut heterogeneitatibus ex hujus materia visceribus ac spirituum Systemati suffusis; sed eandem illustrant diversi *animi affectus graviores*, v.g. ira, terrores nimii, & similes, qui spiritus animales nimis exagitando, eorumque motum insigniter turbando, motus convulsivos aut *Epilepsias subitaneas* non rarò inducunt: id quod præsertim in infantibus notum: Conf. HOECHSTETTERUS *Decad.4. cap.8. in schol.* SCHENCKIUS *in lib.2. Obser.* ubi mulier ex terrore ob ædium incensionem oborto, Convulsiones passa: Exemplum notatu dignum habet G. A. BELCHOVERUS *in Centur.4. Curat.59.* item *Curat.23. & 24.* de quodam, qui ex facillima iracundia in gravem Epilepsiam incidebat, & superaffusâ aquâ frigidâ confestim in ipso paroxysmo subitò levabatur & curabatur.

Ex *fomite morboso*, ubi nempe vel vellicantur aut irritantur nervi, vel ubi sunt recrementa heterogenea spiritus turbantia, oritur divisio Epilepsiæ in *idiopathicam* seu *per essentiam*, ut vocant, affecto primariò cerebro aut cerebello circa principium spinalis medullæ, & spiritibus hujus incolis; & in *sympathicam* seu per *consensum*, quando ex aliâ parte affectâ superveniunt convulsiva pathemata; Ita ut idiopathicarum causa semper in parte convulsâ hæreat, v.g. à læsione nervi; in sympathicis extra eam, v.g. convulsiones partium externarum à lumbricis intestinorum. Per consensum est frequentissimè epilepsia, & sæpiùs irritationes nervorum sequitur. Quæ verò per essentiam est, existit rarior, nisi in membranis cerebri aut in ejusdem ventriculis fomes irritationis hæreat; tunc enim ferè per essentiam esse videtur: Ut v.g. quando in contusione cranii occasione festucæ cerebri membrana graviùs læsa epilepticis motibus occasionem præbet. Quæ ex recrementis heterogeneis, spiritibus permistis, contingit Epilepsia, frequentior est per essentiam, nisi mediante massa sanguinea ex alia parte fomes morbosus instillетur cerebro, ibique spiritus plus minus afficiendo Epilepsiam inferat. Quod attinet istam *irritationem*, quam dixi frequentissimam Epilepsiæ causam, fit hæc variis modis, & varias occupat regiones: nunc enim *circa principium*; nunc *circa medium*, præsertim circa plexus; nunc *circa* finem seu *insertionem* nervi cujusdam contingit. *Ad principium nervi* etiam cerebrum & cerebellum, itemque medulla spinalis, unde oriuntur nervi, pertinent: Unde dum in loco irritationis ex aucto & simul nimis rapido & inordinato spirituum ad locum irritationis in nervo motu, sensim inchoat convulsio, hæc est, primò tantum fibrarum levior contractura, quæ ipsa tamen ob continuatum spirituum impetum sensim continuata successivè secundùm ductum nervi ipsique annexarum fibrarum sursum magis magisque pergit, indeque pars immobilis redditur, donec isto convulsionis motu, ad ipsum principium nervorum continuato, spiritus animales in cerebro violentiùs agitati, facto quasi agmine & impetu per eundem etiam & per vicinos nervos explodi quasi & expandi incipiant. Unde ex inordinato isto motu intra cerebrum non tantùm omnium sensuum perturbatio, sed etiam ex simili depravato motu in partes externas Convulsiones, tam partis istius primariò affectæ, quàm etiam partium aliarum non affectarum, sequuntur. *Dum verò successivè inchoatus spasmus* seu motus convulsivus secundùm nervi ductum, ex spiritibus propter irritationem impetuosiùs irruentibus, sed ex parte simul nonnihil resilientibus, sursum pergit, & urget istam fibrarum contracturam, unde membrum fit immobile, percipiunt aut imaginantur sibi ægri, præsertim cùm *formicationis* quidam sensus interdum superveniat, quod materia quædam subtilis seu *aura* quædam, ut vocant, aut spiritus quasi volatilis, ex uno vel altero membro ita sursum repat, & ubi ad cerebrum pervenerit, ibidem Convulsiones epilepticas inferat. BARTHOLINUS & HILDANUS habent exempla levem auram ex membro ascendentem ad collum, unde cadunt. Confirmat hanc eorum mentem, quod *ligatura* strictior supra partem primariò dolentem, ubi aura ista residere creditur, injecta paroxysmum incipientem præcaveat, quasi auræ adscensus inhibeatur. Illustria exempla suppeditat LINDANUS, quæ postmodum habebimus, v.g. quando ex pollice percipitur quasi adscensus auræ & hinc Epilepsia, ligatura circa pollicem Epilepsiam præcavet. Ipsa verò ligatura non continet impediendo adscendentem auram volatilem, sed potiùs, quatenus eâdem firmâ ligaturâ pars inferior quasi stupida, indeque minus sensilis & minus irritabilis redditur; unde & irritationis sensus, & rapidus spirituum animalium impetus, & sic etiam fibrarum contractura & Convulsio, aut omninò tolluntur, aut saltim, quò minus vehementes sint, impediuntur & suspenduntur. Par ratio est, quando in hysterica passione ligaturâ forti hypochondriorum nimium incrementum præcavetur: Fit hoc non propter auras adscendentes sic quasi exclusas, sed propter inchoatam convulsionem partium inferiorum, quæ istâ ligaturâ impeditur, & ulterior progressus quasi suffiaminatur. Exempla talium epilepticorum non sunt pauca; unum tamen atque alterum curiosum referam: TULPIUS *Centur.4. Observat.* & *5.* talem refert Epilepsiam ex pollice pedis: Pariter BORELLUS refert *Epilepsiam ex pollice* ortam, per cauterium ibidem applicatum curatam, *Cent.2. observat.95.* Sic HEINRICUS *ab* HEER *in obser.24.* refert Epilepsiam ex subita animi consternatione & terrore ob solicitudinem stupri, in cujus paroxysmo ægra continuò fricabat pollicem pedis, in quo facto cauterio cum butyro antimonii, fuit sanata: SALMUTH *Cent.1. obs.90.* habet Epilepsiam concitatam per auram ab extremis adscendentem, per ligaturas partibus istis injectas præservatam: Refert LINDANUS de quadam muliere, quæ quoties paroxysmus epilepticus in procinctu erat, dicebat, intra pubem & regione pubis sentire se levem quandam morsiunculam (quod non potuit esse nisi in utero, quoniam laborabat vitio uteri & mensium defectu, & nunquam reddita fuerat gravida) post morsiunculam sentiebat sibi aliquid surgere, & designabat accuratè locum: Inde à medio corpore infra & supra umbilicum ad superiora: & ista aura, ut vocabat, non surgebat celeriter, sed paulatim, & cùm appropinquaret circa cor, incipiebat illi cor palpitare, & tunc post unum vel alterum pulsum animi deliquio afficiebatur; postmodum, cùm pulsus denuò inciperet, tota citò convellebatur, & superatâ illâ convulsione ad se redibat, donec novus succederet paroxysmus.

„Porrò dicit idem LINDANUS: *Curavi puellam octo-*
„*decim annorum, quæ laborabat epileptica obstructione*
„*lienis scorbutica* (morbi enim lienis ut plurimum convul-
„sivi sunt.) *Hæc à me examinata, retulit se sentire tem-*
„*pus invasionis paroxysmi, se enim sentire ex sinistro hy-*
„*pochondrio transversum quid, & cùm ad medium perve-*
„*nerit corpus, retrogredi, & deinde sursum tendere, &*
„*quando ad cor pervenerit, animi deliquio corripi, & hinc*
„*epilepsiam subitò supervenire. Fui præsens aliquando, &*
„*exactè designavit locum, quomodo moveretur ista aura.*
„Tertiò refert LINDANUS de juvene Franeckeræ, qui
„*habuit cariem ossis in pollice pedis, ex quo subindè sen-*
„*sit surgere auram instar aquæ fervidæ, quæ, ubi supra*
„*regionem hypochondriorum pervenit, Epilepsiam intu-*
„*lit. Poterat præsagire paroxysmum, & quamprimùm*
„*ille in pede sentiebat morsiunculas istas, statim fasciis*

„ *cruralibus, quas ex fune confecerat, supra genu arctis-„ simè constringebat: & si hoc faceret, impediebat paroxys-„ mum; si verò non faceret. statim epilepsia corripiebatur.* „ *Semper*, dicit LINDANUS, *quasivi ex eo, an sentiat* „ *aliquid in capite? qui respondebat, se nil in capite, nisi* „ *vertiginem quandam sentire*. Ex contusione pollicis pe-„ dis vid. M. A. N. C. *Ann. 2. obs. 95. pag. 16.* & *Annus 6.* & *7. Obseruat. 77.* A genu intumescente, RHODIUS *Obseruat. 58.* Sic refert HELIDÆUS *in suis Cons. pag. 29.* de epileptico, qui ante paroxysmum frigiditatem & dolorem pungentem in manu sinistra percipiebat, cujus annularis digitus anteà ex vulnere sensum motumque amiserat. BARTHOLINUS *Cent. 1. observat. 82.* refert Epilepsiam singulis noviluniis cum tumore digiti pedum minimi recurrentem, cauterio isti inflicto curatam: Tandem notabilis est *Observatio 25. Centur. 6.* HILDANI de muliere epileptica ex aura quadam è sinistræ manus *medio digito* adscendente reddita. Paroxysmus quoties redibat, de summo digiti dolore queritabat: tum manus contrahitur, brachium convellitur, & tandem motu convulsivo totum corpus percutitur: Cùm nullis uti vellet medicamentis, facta circa carpum & brachii partem musculosam ligatura forti ex corio humano, evanuere omnes insultus, nec ab eo tempore quicquam eorum percepit. Parile exemplum videbitis in M. A. N. C. *Ann. 3. Obseruat. 336.* Vid. etiam DECKERS *in Barbette Prax. pag. 2.* ex dextræ manus pollice: RHODIUS *Cent. 1. Obseruat. 57.* Hæc & similia exempla ex irritatione ortarum Epilepsiarum sunt creberrima. Aura hæc assurgens, non nisi sensus fallacia est: Nec enim movens adest, quod auram istam propellere, nec spatium, per quod moveri aura ista queat, sed potiùs, dum in loco irritationis ex aucto & simul inordinato spirituum ad locum irritationis motu, in isto loco sensim inchoat convulsio aut convulsivus motus. Quod verò percipiatur utplurimum frigida, fit (1.) quod spiritus animales aliquo modo conferant ad calorem partium, hinc in paraplecticis partes ordinariò sunt frigidæ. (2.) per spasmum partium spirituum motus & influxus liber plus minus sufflaminatur: & (3.) ordinarium est phænoma, membrum dum incipit spasmo convelli, quod refrigerationem videatur percipere: Sic imminente vomitu percipimus quandam refrigerationem, & simil.

Partes, per quarum consensum Epilepsiæ oriuntur, sunt variæ, pro varietate nervorum affectorum in toto corpore: vid. hic imprimis SENNERTUS *ubi de Epilepsia pag. 625.* Prætereà ex retentis corruptis, v. gr. suppressione mensium aut hæmorrhoidum, item ex defectu exercitii Venerei in mulieribus, non raræ sunt epilepsiæ per consensum, quoniam suppressa excretio liquoris seminalis, & inde nata acrimonia non rarò in mulieribus Epilepsiam per consensum infert, irritando partes nervosas circa genitalia: Sic FORESTUS *lib. 10. Obseruat. 115.* observavit Convulsionem *ex utero* totius corporis, ob *Liquoris genitalis corruptionem*: nil proficientibus remediis aliis, facta titillatione per mulierem in genitalibus cum oleo liliaceo, cui Zibethum immixtum erat, ilicò sanata est; Putrescit enim liquor genitalis sæpè, acescunt humores, hinc convulsiones: Sic idem FORESTUS recenset exemplum suffocatæ ex uteri affectu, quam tonsor crinibus pudendorum apprehendit, unde revaluit: Sic HILDANUS *Cent. 6. Obseruat. 25.* refert, *mulierem epilepticam* ex utero cum convulsionibus ad eum modum, quo cum viro coire consueverat, à *viro longè anteà absente* per coitum mox curatam, neque amplius, cum Medico illo conjugali viventem, convulsionibus correptam: Epilepsiam à carnoso cerebri tuberculo videb. in RHODIO *Cent. 1. Obs. 55.* ex hypochondrii dextri obstructione *Obseruat. 56.* *Ex vitio stomachi* frequens est epilepsia. Item *lumbrici* creberrimè tam in infantibus quàm in adultis efficiunt epilepsiam, qualem ex vermibus intestinorum refert BARTHOLINUS *Cent. 6 Hist. 20.* ZACVTVS LVSITANVS *lib. 2. Med. Princ. Hist. cap. 17.* PISO *lib. 2. de Morb. Cognosc. & Cur. c. 19* FORESTVS *lib 10. Obseruat. 65.* GRUVELINGIUS *Cent 3. obs. 74.* MOEBIVS *Instit. lib. 2. part. 2. c. 12.* & RHODIVS *Cent. 1. obs. 59.* à prægnatione *obs. 60.* Mulieres gravidæ, item mulieres parturientes, aut etiam quibus suppressa sunt lochia, sæpe incurrunt Epilepsiam, quam ex utero cum insequente partu refert TULPIUS *lib. 1. Obs. 10.* *Ex ulcere in crure* sanato epilepsiam, quo rursus aperto ea cessavit, vid. in AMATO LUSITANO *Cent. 2. Histor. 6.* Item *ab occluso ulcere in crure*, ex quo adscendens aura epilepsiam infert, vid. in BARTHOLINO *Centur. 3. Histor. 20.* HOTSTIO *lib. 2. Obseru. 10.* HILDANO *Centur. 2. Obseru. 10.* Ab hepate in RHODIO *Centur. 1. Obseru. 62.* Ex liene, qualem *idem lib. 1. Obseru. 9.* SCHENCKIUS *in Obser.* HORSTIUS *in Obseru. &c.* referunt. Ex renibus & vesica calculosa, de qua vid. BARTHOLINUS *Cent. 5. Hist. 61.* Ex abscessu abdominis interno, de quo vid. LOSSIUS *lib. 1. Obseru. 11.* Ex mesenterio, vid. RHODIUS *Centur. 1. Obseruat. 61.* *Variolæ & morbilli* ante sui eruptionem, vel etiam post non sufficientem excretionem, familiarissimè Epilepsiam inferunt. Sic *melancholia* subinde in Epilepsiam abit, vid. SALMUTH. *Centur. 2 Obseru. 42.* sicuti è contrà *epilepsia* subinde *in melancholiam* transit. Ante triennium sub cura habui puerum decem annorum Epilepsia habituali correptum, noctu suaviter dormiebat, manè evigilans dolorem in sinistro hypochondrio percipiebat, & decem vel duodecim in die paroxysmos patiebatur: Curavi eum cum pulvere epileptico antimoniali, sed eò ipso puncto, quo Epilepsia non redibat, aderat melancholia, & quidem ridiculosa; recidivante autem post aliquot septimanas epilepsiâ, melancholia evanuit. *Colicæ* non rara est, nempe *conuulsiua* ista, quæ epilepsiam infert non secus, ac purgantia acriora. *Nixu pariendi* in dispositis epilepsiam excitari supra insinuatum est. *Arthritis* desinens in epilepsiam terminabatur, quæ cessavit revertente arthritide, Authore RIVERIO *Centur. 3. Obseruat. 85.*

Hæ sunt Epilepsiæ per irritationem, idque per consensum. Raræ sunt, quæ fiunt per essentiam cerebro affecto, utut semper percipiantur tales nervorum spasmi.

In specie, quod *Causas remotas* attinet, siue per essentiam, siue per consensum Epilepsiam inferant, causa irritans nunc externa quæcunque lædens, nunc interna est.

Ex *internis* frequentissima solet esse acidum vitiosum nervis inimicissimum; id quod in hypochondriacis, scorbuticis, hystericis, &c. manifestum est, quibus Epilepsiæ habituales & chronicæ familiares sunt; Ita quidem, ut HOGELANDUS *Oecon. pag. 186. & 187.* Epilepsiæ primariam radicem in lienis peruerso fermento concipiat: qualis etiam aciditas causa videtur illius morbi convulsiui à lue Gallica; cujus BARTHOLINUS *Centur. 6. Histor. 23.* mentionem facit. Uno nomine: est acidum vitiosum ex primis viis oriundum, sed volatile magis, minus fixum, hinc inde penetrans, quod vellicando neruos aut partes cognatas, hujusmodi mala infert. Jam ergò siue sit humor acidus, siue fermentum tantùm odore acido, se insinuans, facillimè Epilepsias inferre potest. Acidum enim hoc subinde se insinuat in partes musculorum fibrosas ac tendinosas, easque hinc rigidas, duras ac intractabiles reddit, posthæc ipsos nervos quocunque in loco affligendo, epilepticos paroxysmos infert; propter hujusmodi vitiosas aciditates quibuscunque in locis residentes, non præcisè in musculo contracto, speciatim glandulas & plexus mesenterii occupantes, imò ibidem nutrimentum, earundem spermaticum seu chylosum coagulans, in materiam gypseam & tartaream, ut vocant, interdum transit. Unde omni penitus motu sublato pars ista admodum contracta & immobilis manet. Præ cæteris scorbutici, hypochondriaci & hystericæ, in quibus manifestiora acoris peccantis sunt indicia, adeò crebris obnoxii sunt affectibus spasmodicis, motibusque conuulsiuis & epilepticis, in quibus circa glandulas mesenterii collectum uitiosum acidum, aut ex pancreate in intestina effusum, & hinc in mesenterium promotum, subinde spasmodicas conuulsiones cum rugitu uentris, cum globi in abdomine sensu, cum umbilici ad interiora uersus retractione & similibus affectibus infert: Conf. DRAWITIUS *in Tract. de Scorb.* & RIVERIUS. Unde juuant plurima antispasmodica, & antepileptica naturæ alcalicæ, vel acidum destruentia, uel istud obtundentia aut demulcentia. Inter graues Epilepsias hactenus exercitii gratia uirginem pauperem sub cura habui, quæ inter alia, præter insultus epilepticos, nunc ante, interdum post paroxysmum, insultu maniaco corripiebatur; item patiebatur fluxum menstruum ordinarium, sed singulis binis mensibus: tertiò erat admodum uorax: quartò, quoties dedi uomitorium, semper melius habebat. Ex his potest inferri, quod Epilepsia & mania ex communi radice oriri possint:

(1.)

(1.) Quatenus in mania spirituum motus internus vitiatur, in Epilepsia autem externus.
(2.) Quia adest summa voracitas, testis copiosi acidi.
(3.) Quod faber mastin stomacho & primis viis hæreat; Unde
(4.) Vomitus semper eam cicurant.

Limatura martis nihil valebat, lixivium cineris clavellati etiam non valebat; præ reliquis autem subinde egregium effectum habebat viscum corylinum; levamen quoque sensit ex pulvere quodam præscripto ex gr. iij. pulveris epileptici antimonialis. Propter hoc acidum mulieres hystericæ corripiuntur epilepsiâ. Sic etiam podagrici aliique arthritici non rarò patiuntur convulsiones ex acido. Ob id in iis, quibus accessura est primùm podagra vel chiragra, in illis plerumque antecedunt convulsiones, aut saltem afficiuntur crampis. In specie in podagricis sæpiùs anteambulones sunt convulsiones. Et vitium istud, quod contracturam appellant, fit ab acido, ob omnino rigidum redditum nervum, quo acido corrumpitur nutrimentum proximum, indurantur partes, & continuò contractæ manent & rigidæ.

Alteram quod attinet causam remotam, recrementa nempe vitiosa plus minus *explosiva seu elastica* nitro-sulphurea, ut dicuntur WILLISIO, quæ per *spiritum acidum volatilem explicat* SYLVIUS, hæc in cerebro locisque vicinis congesta, aut spiritibus animalibus permista, eorum crasin vitiant, quæ quibusvis occasionibus, sive immediatè, sive mediante spirituum agmine vehementiùs commoto, v. g. in animi affectibus excitata, motus spirituum inordinatè turbando, & impetuosiùs agitando, graves epilepticos paroxysmos exsuscitat. Quicquid horum sit, sedulò habenda est ratio hujus Epilepsiæ, etiam non adeò raræ. Videtur hoc evenire in epilepsia propriè sic dicta, sine causa manifesta ægros affligente, in specie quæ supervenit variolis & morbillis, ex quibuscunque febribus malignis, in quibus frequentiùs observatur, à tali miasmate spiritus animales eorumque motum turbante. Quod talis copula explosiva de natura acidi sit, probatur per juvantia, salia nempe volatilia, &c. Pertinet huc *Epilepsia hæreditaria*: Nam utut hæc ipsa etiam radicem possit habere in quodam abdominis viscere; nihilominus tamen certò spirituum vitiosè constitutorum, & in crasi sua deficientium, simul videtur subesse erratum. Crebriùs observata fuit Epilepsia, *post cerebrum vulneratum* & non ritè sanatum orta, propter fermentum quoddam acre malignum in & circa basin ejus collectum & relictum; item *post casum ab alto* in caput sanum, ubi sanguis hæret sub cranio, qui putredine corruptus & plus minus acescens, Epilepsiam infert. Hæ enim causæ, quibus cerebrum lædi contingit, etiam spirituum ordinatum motum in consensum permutare valet, aut eos inficiendo, aut iis se permiscendo. Superiori anno cum quidam gravi vulnere læderetur in latere capitis dextro, quod os bregmatis penetraverat cum meningibus & cerebro, observavi paucis post diebus supervenisse Convulsionem, sed levem, lateris læsi seu vulnerati; è contrà perfectam paralysin ac resolutionem totius lateris sani: sed cùm paroxysmi epileptici subinde supervenerint, utrumque latus, ejusque partes promiscuè convellebantur: Sed extra talem paroxysmum paralysi pars sana, spasmo pars ægra, laborabat. Potiùs huc pertinent *febres malignæ*, aut etiam *benignæ continuæ* malè judicatæ, quæ occupando cerebrum, ibique spiritus animales turbando, præter deliria, *convulsiones epilepticas* ordinariò inferunt, quas tractio & *subsultus*, aut quædam *vibratio tendinum* circa carpum imminentes innuunt. Pertinet huc *Epilepsia* lethalis *post aurium dolorem* discussa, sed non suppuratâ, materiâ, quam refert HORSTIUS *in obs. lib. 2. obs. 21.* Item quando *ex suppressa hæmorrhagia narium* paralysi lateris dextri, & ab hac sanata, epilepsia nata fuit, Autore BARTHOLINO *Cent. 4. Hist. 69.* *Ex suppressa* quoque *urina*, renum vitio supervenire Epilepsiam, urinario sero cerebrum inundante, non rarum est. *Suppressi consueti sanguinis effluxus*, v. g. hæmorrhoidum, mensium &c. subinde Epilepsiam inferunt, cerebri ac spirituum alteratorum vitio. Quod etiam facit incipiens *graviditatio*, cujus occasione quædam Epilepsiæ fiunt. Præ ceteris sanguinis recrementa vitiosa & acria sub lymphæ vehiculo cerebro juxta ejus glandulas communicata, *irritando* hujus membranas, creberrimè Epilepsiam hancce per essentiam inferunt, quocunque etiam in loco collecta fuerit peccans ista lympha; de qua vid. SCHNEIDERUS *in suo Tr. de Catarrh. lib. 2. pag.* 103. qui aliquot habet exempla epilepticorum post mortem dissectorum, in quibus serositates vitiosæ in ventriculis cerebri fuerunt repertæ: Similia exempla refert SCHENCKIUS *in suis Observat. pag.* 144. & BONTIUS *Med. Indor. Observat. 1.* Item BORELLUS *Cent. 2. Obser. 78.* habet exemplum epileptici mortui, cujus in cranio aperto inter cerebri ventriculos magnam materiæ adipis æmulæ copiam reperit: Pus in cerebro observavit TULPIUS *Cent. 1. cap. 32.* & quæ sunt similes causæ, quæ inferunt Epilepsiam per essentiam. Denique *apoplexia* interdum in epilepsiam transit, & contra; vid. M. A. N. C *Ann. 6. & 7. Obs. 212. pag. 311.*

Quoad *causas externas*: eæ sunt innumerabiles. Præ ceteris considerandus Mercurius & omnia Mercurialia, cujus etiam miasmata minima generi nervoso sunt infensa; Si enim tantillum ejus circa cerebri confinia hæserit, quocunque modo illi communicata, ad epilepsiam disponunt, propter irritationem, ab acrimonia Mercurialium particularum natam. Hinc enim unguenta Mercurialia capiti contra tineam infantibus illita Epilepsiam non rarò inferunt; quale exemplum videri potest in TIMÆO *von Guldenklee in Resp. pag. 106.* Pertinent huc fumi Joviales, è quibus per nares attractis, ob mercuriales halitus adhuc latitantes, Convulsionem & Epilepsiam obortas notat SALMUTH *Cent. 3. Hist. 39.* Ex coturnicum esu Epilepsiarum & Convulsionum exempla notat SCHENCKIUS *lib. 1. pag. 124.* Vini etiam usus nimius Convulsiones excitat ob aciditatem.

Absolvi ferè ea, quæ ad Theoriam Convulsionum & Epilepsiarum pertinent. Plura qui cupit, adeat WILLISIUM *in Pathologia Cerebri*, ubi ex professo tractat *de morbis convulsivis*: & quidem jure meritoque: nulli enim affectus post febres sunt frequentiores, quàm isti morbi convulsivi, utut, quod obiter noto, interdum aliquantisper confusè, interdum dubiè, loquatur: *Dubiè* quidem, quando infert suam copulam explosivam, quam ex massa sanguinea derivat, conjungendam cum spiritu animali, quæ quid aut qualis sit? fateor me ignorare: *confusè* loquitur, quia non exactè ad origines convulsionum progreditur, sed potiùs datâ quacunque occasione convulsiones modò huc modò illuc determinat: Conf. SYLVIUS *lib. 2. Prax.* UNZERUS *Tr. pecul. de Epilepsia.*

Inter pathemata, quæ epilepticos vexant, non ultimum est *stridor dentium*, maxillarum vehementissima constrictio, idque ex convulsivo impetu. Sed *dentium constrictio*, quod probè notandum extra Epilepsiam interdum observabilis, ex paralysi aliquando musculorum, maxillam inferiorem deorsum trahentium, non semper ex convulsione est: Conf. THYRMAYER *Consf. lib. 2. pag. 174.* Item *Spuma*, quæ ante os epilepticorum interdum conspicitur. Hæc saliva est rarefacta ab aëre, dum constrictis & coangustatis spasmo plus minus faucibus, saliva plus minus copiosè expressa, ab aëre per illas angustias vi exploso agitata, in talem spumosam texturam abit; hinc etiam *ex naribus* interdum *materia* talis excerni solet. Conf. PECHLINUS *in Tr. de Aeris & Alimenti defectu.*

DIFFERENTIÆ.

Quoad Differentias Epilepsiæ: hæc est vel *universalis*; vel *particularis*, quando unum alterumve membrum, aut aliquot saltem partes corporis epilepticis convulsionibus vexantur: Vid. SENNERTUS *Institution. lib. 2. Part 3. sect. 1. cap. 9. de Epilepsia*, ubi curiosa *Epilepsiæ particularis* recensentur exempla.

His præmissis pergo ad signa Convulsionum & Epilepsiarum.

DIAGNOSIS.

Quoad *Diagnosin*: Signis diagnosticis pro Convulsionibus & Epilepsia præsentibus determinandis vix est opus, cùm per se sit aperta, & facillimè cognoscatur; sive sit Convulsio tonica, dum membrum convulsum in suo situ permanet; sive sit convulsio clonica, dum membrum convulsum variè agitatur.

Dolor satis etiam frequenter adest in Convulsione: verùm non semper, sed tantùm interdum supervenit.

Convulsivus motus tremori equidem in pluribus est cognatus; in hoc tamen facillimè discernuntur: quod tremor semper conjungatur cum motu voluntario, v. g. manus nunquam tremet, pes nunquam tremet, nisi ad cursum adigatur, ita ut semper motui voluntario conjungatur tremoris

moris symptoma: in motu convulsivo, ipso ægro inscio, aut præter voluntatem ejus, fiunt motus convulsivi. Denique tam in paralysi quàm spasmo motus membri voluntarius observatur; hæc tamen est differentia, quod in paralysi membrum resolutum sine omni difficultate trahi, flecti & tractari possit; contrarium fit in convulsione, in qua membrum est rigidum, & quod non sine acerbo dolore extendi potest.

Gradus Epilepsiæ primus à lipothymia & caro distinguitur, quatenus in lipothymia pulsus parvus & rarus, in Epilepsia robustus & frequens, carus verò similesque affectus soporosi periodico recursui haud obnoxii sunt, nec facilè cedunt; sicuti Epilepsia per paroxysmos recurrens facilè solvitur.

Præterea in febribus ardentibus & morbis acutis malignis consultum est, prænoscere imminentem Convulsionem & Epilepsiam: quod ex eo patet, quod ægri ex improviso aurium tinnitu, sensuum hebetudine, capitis gravitate, & cordis palpitatione corripiantur, splendores ac coruscationes, & variorum colorum apparitiones, ante oculos versari soleant, ac objecta peregrino colore vestita appareant; istiusmodi enim ignitos splendores creberrimè succedere solent funestæ epilepsiæ: vid. BARTHOLINUS *Cent.3. Hist.45.* & M.A.N.C. *Ann.2. Obs.97. pag.170.*

Si in principio morbi de dolore in bulbis oculorum sine ophthalmia conqueruntur, mox delirium & convulsiones adsunt; quod tanquam funestissimum signum sæpiùs observavi.

Quando muscas capiunt, & floccos colligunt, *lectumque vellicant*, mala sunt signa: Illa delirium, & simul motum in oculis convulsivum, & Convulsiones supervenientes innuit: Hæc jam instantem convulsionem denunciat. Item quando dicunt, se percipere motum quendam membrorum tractorium, aut ex iis aliquid sub auræ frigidioris specie versus caput ferri: vid. RIVERIUS *Prax. lib.1. cap 7.*

Spectat huc destillationis à capite ad pectus & ventriculum ruentis species, quâ quidam apud TULPIUM *lib.1. Obs.15.* Convulsionem periodicam per abusum euphorbii contractam ante octiduum sibi præsagire poterat.

Observatur etiam duplex status: ægri enim nunc delirant, nunc non: si delirant, nihil percipiunt & nihil dicunt. Quando igitur æger delirans talia phænomena aut non percipiat, aut indicare nequeat, v.g. in febribus continuis, & acutis, Medicus, si tangit carpos & tendinosas partes, proximâ occasione de imminentibus convulsionibus usque lethalibus, certus fit, si scilicet quasdam tractiones ac tensiones, aut quosdam subsultus, aut quasdam vibrationes tendinum, qui frequenter supra carpum repunt, in his deprehendat.

Vertigo citra causam manifestam juniores, præsertim non hypochondriacos, aut frequentiùs aut fortiùs affligens, Epilepsiæ est prodromus.

Denique crebrior ephialtis seu incubi sub somnum invasio signum est imminentis Epilepsiæ, testibus ferè omnibus Practicis.

Ipsa Epilepsia præsens ex ejus gradibus suprà explicatis per se patet: nihilominus tamen homo subitò corruit, aut si non corruit, tamen variè membra agitantur: animales functiones aut abolentur aut depravantur in epilepsia cum deliriis, risu, gesticulatione, & similibus conjuncta.

Speciatim quoque consideret Medicus, an convulsiones oriantur ex viscerum internorum vel partium externarum spasmis? Convulsiones & Epilepsia partium externarum ex motu convulsivo membrorum facilè patent: *Internæ verò cognoscuntur* ex motu convulsivo, murmurationibus & borborygmis abdominis, (quos flatus dicunt, qui tamen non semper adsunt) ex subitanea hujus abdominis aut contractione aut intumescentia, ex tensione & duritie abdominis, interdum cum sensatione superiora versus repentis, unde infantibus epilepticis imminente epilepsia solet indurari abdomen; interdum ex umbilici interiora versus retractione, ex acerbis doloribus contorquentibus in abdomine, in specie intestinorum & mesenterii, quos ægri, præprimis hypochondriaci, exprimere nesciunt; item ex præcordiorum tensione & constrictione, ex dolore lacerante circa lumbos, ubi annexum est mesenterium: superveniunt subitanea respiratio difficilis, interdum sensus suffocationis, aut quasi laqueus collo injiceretur. *Subinde externarum partium Epilepsia supervenit.* Unde patet, quanta sit connexio hujus Epilepsiæ Internæ cum passione *hysterica* sic dicta, quæ *cum Epilepsia in radice conspirat*, ut sit unus idemque effectus, & tantùm circumstantiis quibusdam varient: hinc etiam omnia antepileptica hystericam passionem, quælibet è contrà hysterica epilepticos curant.

Pro investigando fomite morbi à Medico cognoscendum est ulterius, an *per essentiam?* an verò per *consensum* sit epilepsia? Si *per essentiam sit* epilepsia, ferè nulla paroxysmi futuri seu invaluri præcognitio præcedit, nec jungitur sensatio quædam molesta in quodam loco, sed dictum factum ex improviso eodem corripiuntur ægri: jungitur quædam sensatio, quando nimis est rapidus spirituum motus, aut post paroxysmum pars dolore lancinante & lassitudine solet affici. *Ubi verò est per consensum*, ibi utplurimum alteratio quædam, v.g. aut dolor, aut motus vermiculationis, aut simile quid, in parte quadam extra caput præcedit, ex quo postmodum Epilepsia quasi surgere percipitur; modò dictus dolor aut motus comitatur, modò cessante demum paroxysmo observatur. Imprimis fit hoc, quando focus epilepticus est in partibus remotioribus: Ibi enim imminens paroxysmus percipitur ex mota quasi aura quadam, quæ sursum adscendente Epilepsiam in promptu esse, facilè patet. Quò etiam faciunt signa lumbricorum, calculi, &c. quæ spasmos ex improviso & sine causa manifesta contingentes exinde exsurgere, probabile est.

Præprimis *in Epilepsia per essentiam* capitis affecti *signa* adsunt, torpor quidam in actionibus animalibus internis; aut saltim depravatio quædam, hebetudo sensuum, capitis gravitas, vertigo, &c. adestant sequuntur: vid. RIVERIUS *l.a.* Interdum graviori in malo fatuitas sequitur, & præcesserunt ferè *causæ externæ*, quæ cerebrum aut capitis partes lædere potuerunt. Imprimis lunæ motibus auscultat epilepsia quævis, magis tamen ea, quæ est per essentiam, & nonnunquam ad lunæ varias periodos diversimodè afficit: id quod non æquè observari potest, quando Epilepsia est per consensum, in qua utplurimum adsunt signa visceris cujusdam vitiati & ejusdem operationis labefactatæ, aut privatæ partis affectæ; utut interdum inveterata & gravior per consensum Epilepsia etiam ad lunæ motus, alterato plus minus cerebro, variare soleat.

PROGNOSIS.

Prognosis Convulsionis & motuum convulsivorum pro varietate virium & circumstantiarum variat.

Convulsio, quæ fit per consensum, minùs periculosa est, & faciliùs, cæteris paribus, curabilis, quàm ea, quæ ex cerebro *per essentiam* originem ducit.

In febribus acutis, præsertim *malignis*, supervenientes Convulsiones sunt periculosæ & sæpius mortem portendunt, nisi per crisin solvantur: vid. HIPPOCRATES *sect.4. Aph.10.*

Epilepsia habitualis & per se morbum constituens sine periculo vitæ subindè ad plures annos durat, utut sæpius recurrens ægros plus minus paralyticos, delirantes aut stupidos reddat; quamvis interdum sua sponte in subjectis junioribus circa pubertatem terminetur: vid. FORESTUS *lib. 16. Obs.57. in schol.*

Si toto corpore à convulsionibus immuni aut labium convellatur, aut palpebræ, aut lingua, pravum symptoma & periculosum putandum est, & quod meritò timorem incutere debet ægro; nam aut mors imminens, aut gravis epilepsia innuitur. Conferendi huc sunt varii *Aphorismi* HIPPOCRATIS, qui de Convulsionibus agunt.

Quò motus in Convulsione est vehementior & diuturnior; aut plures, vel cerebro vicinas, v.g. labia, palpebras aut linguam, vel nobiles magis partes, v.g. præcordium afficit, eò periculosior Convulsio est; hinc epilepsia reliquis speciebus semper periculosior.

Epilepsiæ hæreditariæ, quæ sæpiùs dantur, vel omninò nunquam vel rarissimè curatur.

Epilepsia ante pubertatem eveniens curabilis est; post annum verò vigesimum quintum superveniens ferè usque ad mortem durat, teste HIPPOCRATE *sect.5. Aphor.7.* WILLISIO *de Morb. Convulsiv. cap.3. pag.37.* Quod tamen non semper procedit, quin prostent exempla aliquot in *Observat.* RHODII etiam Epilepsiarum post vigesimum quintum annum curatarum: Vid. etiam RIVERIUS *l.a.* Ideoque de infantibus epilepticis benè sperandum.

Si quid magis universale, est *Aphorismus* HIPPOCRATIS 45. *sect.2. Epilepsia laborantes juniores cùm „ætatis*

„ *ctus liberat*: Nempe quandoque *in pueris* pubertatis mutatio ac Venus; in *puellis* verò menstruorum initium, morbum hujusmodi tollere solet. Conf. FORESTUS *lib.* 10. *obs.* 35. *in schol.*

Paroxysmi quò sæpius repetunt, eò graviores evadunt, & tandem totam functionem animalem evertunt.

Observatum etiam fuit, quod in paroxysmo epileptico, si æger ad usum sternutatoriorum non sternuret, malum sit indicium, atque argumentum; naturam succumbere & prostratam esse.

Si mulierem utero gerentem fortis Epilepsia invadat, magnum periculum minatur, saltim periculum abortus imminet: id quod tamen non semper absolutè verum deprehenditur; siquidem RHODIUS, *Cent.* 1. *Observat.* 60. refert matronam prægnantem, quæ dum utero gereret, post sex septemvè menses epilepticis insultibus affligebatur, partum verò enixa optimè convaluit: Sic etiam SCHENCKIUS *in Observat.* non omnes prægnantes epilepticas abortum pati annotavit.

A copioso sanguinis fluxu singultus aut Convulsio malum; vid. HIPPOCRATES *sect.* 5. *Aphor.* 3. ac 36. „ & *sect.* 7. *aphor.* 9. *A sanguinis profluctio desipientia &* „ *convulsio malum.*

Pariter ab hypercatharsi Convulsio aut singultus malum; *Sect.* 5. *Aph.* 4. & *Sect.* 7. *Aphor.* 25. nam singultus est species convulsionis.

Convulsio ab belleboro lethalis: *sect.* 5. *Aphor.* 1. Rarò enim ægri à convulsionibus post purgantia talia fortiora obortis evadunt, utut non desperandum sit, quin opiatis & theriacalibus alexipharmacis denuò convalescant: sicuti nonnulla exempla eorum, qui evaserunt, adducunt SENNERTUS *Prax.* lib. 1. *pag.* 565. & PETRÆUS NOSOLOG. *Harmon. lib.* 1. *Diss.* 8.

„ *Ab ileo vomitus; singultus, Convulsio, aut delirium* „ *malum*: *sect.* 7. §. 10.

Huc facit ulteriùs *aphor.* 66. *sect* 4. ubi inquit: *In acutis* „ *febribus Convulsio, & circa viscera dolores vehementes,* „ *malum.*

„ Item *aphor.* 13. *sect.* 7. *In ardoribus vehementibus con-* „ *vulsio aut tetanos, malum*: uti Convulsiones, quę graves phrenitides sequuntur, lethales sunt.

„ *A vigiliis convulsio aut desipientia, malum*: *sect.* 7. §. 18.

Febrim convulsioni supervenire, melius est, quàm febri convulsionem: vid. HIPPOCRATES *sect.* 2 *aphor.* 26. GALENUS *super aphor.* 54. *sect.* 4. modò febris non sit maligna: & spasmo aut tetano si febris accesserit, morbum solvit, HIPPOCRATES *sect.* 4. *aphor.* 57. Conf. SENNERTI *Prax. lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 28. *pag.* 566. & TULPIUS *lib.* 3. *Obs.* 42. ubi eleganti discursu hoc declarat. Distinguendi autem sunt casus in horum explicatione: nempe intelligitur convulsio & motus convulsivus chronicus, circa quos observatum fuit, quod superveniens febris eosdem curaverit.

Quartana correpti non admodum convulsionem patiuntur: Si verò prius tentati sint, superveniente quartana liberantur, *sect.* 5. *aphor.* 70. Exemplum, quartanæ solventis Epilepsiam videb. *in* SALMUTH *Cent.* 2. *Histor.* 84.

CURA.

Hisce præmissis pergo ad ipsam Curam Epilepsiæ, & quidem ad curam imprimis in genere adultorum: nam epilepsia infantum & mulierum ad morbos infantum & mulierum pertinent.

Quoad Curam Convulsionum & Epilepsiarum, hæc instituenda venit tàm *extra paroxysmum præservatoria*, quàm *in paroxysmo curatoria*.

Quoad præservatoriam: ante omnia attendendum est, ut *causa remota materialis*, nempe ea, unde oritur inordinatus spirituum motus, *removeatur*, corrigatur, & ejus crebrior recidiva maturè præcaveatur, sive per essentiam, sive per consensum fuerit orta Epilepsia & Convulsiones. Hinc cerebri seu nervorum ac spirituum animalium diathesis *aromaticis ac volatilibus* conservanda, perversus verò motus *anodynis* corrigendus. Pro varietate autem hujus causę cum specificorum usu varianda subinde nonnihil curatio, semper attendendo, an sit ex irritatione quadam partis nerveæ? an inquinati spiritus animales? In specie *considerandum an Convulsiones* & Epilepsiæ sint *affectus primarius*, & per se morbum constituant, adeoque plus minus *habituales* sint? *an verò saltem affectus sint secundarius*, & symptomatis rationem habeant, adeoque *accidentales*? Hinc considerandum, *an per consensum* saltim? *an verò per essentiam* ortum traxerint? *an causa remota externa* vel *interna* fuerit? *an sedes fomitis* sit *intra corpus*? an verò *extra corpus* in membro quodam particulari? Pro quibus omnibus circumstantiis omnino varianda venit Cura, dum alius respectus est habendus, quando Epilepsia est in febre maligna, alius, quando est in mulieribus hystericis, alius, quando est à scorbuto, alius, si in quodam membro particulari, eoque in specie externo, radix mali fuerit. In tali enim casu aut ligatura fortis membri peccantis, aut ibidem, ubi residere percipitur materia stimulans & convulsionem excitans, ustum cauterium, vel excitatus fonticulus, præservat paroxysmum imminentem, interdum fermentum irritans evacuando omninò Epilepsiam curat.

Observandum igitur I. Cùm *Epilepsia* & *Convulsiones, quæ in specie ut morbi* à causis internis oriundi per se *curantur*, adeoque *chronici* sunt, & in genere ferè ex hypochondriaco aut scorbutico malo fluunt, utut ab hoc minùs affligi videantur ægri, utplurimum originem ducant ab acido vitioso, eoque plus minus volatili, & hujus incunabula ferè semper in aut circa primas vias lateant, ob id in genere acidi destruendi & primarum viarum evacuandarum habenda est ratio. *Pertinent* nempe *huc* varia tentamina & experimenta curandarum Epilepsiarum, v. g. per lac vaccinum cum sapone Hispanico decoctum, & medicamentum quoddam ex vitriolo Martis, quibus Epilepsia hypochondriaca per annum durans curata; vid. BARBETTE *Prax. ubi de Epilepsia*, item M. A. N. C. *An.* 1. *obs.* 95. *pag.* 203. vel *acidulas*, conf. RIVERIUS *Prax cap.* 7. aliaque *Martialia*: Sic HENRICUS ab HEER *Obs.* 1. Epilepsiam cum opisthotono gravissimo, cujus paroxysmos præcedebant oscitationes & pandiculationes cum cordis angustia, quarta vel quinta die recurrentes, per *fontes Spadanos* curatam refert. Et quando *marina, testacea, ossea*, ut ungula alcis, *unicornu verum, crystallus*, smaragdus, lapis ceraunius, & similia pro cura epilepsię laudantur, hęc nonnisi absorbendo acidum operari possunt: Sic BORELLUS *Cent* 3. *obs.* 34 refert epilepsiam, in cujus paroxysmo corpus instar dolii intumescebat, per *sal absinthii, coralliorum & perlarum* curatam.

II. In genere semper *observandum*, ut appropriata seu specifica antiepileptica, quæ per experientiam observata sunt, cum istorum membrorum appropriatis, ex quibus Epilepsia oritur, misceantur, & simul continuentur. Hęc sunt varia. In hoc tamen conveniunt, quod vel virtute alcalinâ destruente acidum, vel virtute sulphureâ temperante acidum & figente spiritus, operentur. Et quidem appropriata talia antepileptica conducunt non nisi præmissis universalibus, speciatim ubi *Epilepsia est per essentiam*, aut si per *consensum* sit, fomes ejus non præcisè in membro quodam externo, sed in partibus internis hæreat.

Hinc

III. In his Epilepsiis per consensum partium internarum *vomitus* antimonialibus provocatus primatum obtinet, si malum potissimùm fuerit recens (vid. RIVERIUS *Prax. l.* 1. *pag.* 61.) aut fomes mali hæreat in primis viis, singulis mensibus quatriduo ante plenilunium repetendus: vid. ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Admir. lib.* 1. *Observ.* 24. & 31.

IV. *Purgantia* sint mitiora; secus ac RIVERIUS *Prax. pag.* 60. suadet; cùm frequentiora & potentiora sæpiùs plus noceant quàm prosint. Inter purgantia cum aliis permistus *Mercurius dulcis* primatum obtinet; Sed necessarium est, ut rectè præparetur Mercurius dulcis, & bis vel ter sublimetur, ut totus tandem fiat crystallinus, & nihil de volatilitate arsenicali Mercuriali retineat. Purgantia hujusmodi vel propriè talia, vel etiam saltem Laxantia convenientissimè quatriduo ante novi vel plenilunia usurpari solent: Sicuti etiam aliàs appropriata Epilepsię remedia ante lunę imprimis mutationes, præsertim ante novilunia & plenilunia, aut ejusdem quadraturas, seu tempore harum mutationum, optimè usurpantur.

V. Observandum *quod, si ex fomite in humoribus à nativa crasi degenerantibus*, non adeò exactè à priori cognito, oriantur convulsiones, pro istis emendandis *diætæ sudoriferæ ex decoctis lignorum*, si reliquorum remediorum vis minùs proportionata fuerit, observantur proficuæ: Vid. SENNERTUS *lib* 1. *Prax. ubi de Epileps.* HOEFERUS *Her-*

*Hercul. Med. pag.*10. FONSECA *lib.*2. *obs.*8. & THONERUS *lib.*2. *obs.*94. Commodè his decoctis lignorum viscus corylinum, quercinum, tiliaceum, radix pœoniæ, stercus pavonis, ac similia, tanquam appropriata, addi possunt: vid. HORSTIUS *Decad.*2. *Probl.*9. Sic de *ligni guaiaci* usu in Epilepsia cons. SCHOLZIUS *Consil.*40. & 41. JACHINUS *in lib.*9. *Rhasis c. de Epilepsia*, & ALPHONSUS FERRARIUS. THONERUS Epilepsiam à colica per *Decoctum lignorum* curavit *lib.*2. *Observat. pag.*92. Non secus ac SCHENCKIUS *in Observat.* Vertiginem difficilem per *Decoctum lignorum* cum appropriatis curatam refert. Sed benè priùs præmissa debent esse *Universalia ac primas vias evacuantia.* Certè continuato usu & evocato pro virium ratione *sudore*, multum valent in quibusvis affectibus chronicis *decocta* ista *lignorum* diaphoretica. Alterant simul humorum dyscrasiam & successivè vitiosum quod est, evacuant; id quod vel lues Venerea persuadet, continuato talium *decoctorum* usu curabilis.

VI. Interdum & in casibus desperatis *salivatio* Mercurialis convenit; vid. WILLISIUS *loc. all. pag.*46.

VII. Sternutatoria singulis matutinis horis attrahenda: vid. WILLISIUS *loc. all. pag.* 44. Ex. gr.

℞. *Fol. Majoran.*
Rutæ an. ℨij.
Flor. Lil. convall. ℨj.
Helleb. alb.
Castor. an. ℈j.
M. S. pulvis: S.
Pulvis sternutatorius cerebrum purgans.

VIII. Præter ligaturas fortes, fonticulos & cauteria, de quibus suprà dictum, similia *auxilia chirurgica*, Setacea, Vesicatoria, & cranii apertiones, juvare observantur, ad naturæ nempe imitationem, quæ non saltem digito quasi monstrat, illam per sponte erumpentia ulcera sanando: qualia exempla TULPIUS *lib.*1. *obs.*8. suppeditat de duobus infantibus, per ulcera capitis spontanea ab epilepsia curatis, quæ c. l. refert: Epilepsiam spontè à natura per lenem in fauces influxionem curatam, in HILDANO *Cent.*1. *obs.*41. Sed accidentaliter & per infortunium excitata idem præstant, quale quid v. g. WILLISIUS *loc. all.* de puella quadam, per motus convulsivos super carbones accensos devoluta, hinc caput diversis in locis concremante, refert. Quò etiam facit RHODIUS *Cent.*1. *obs.*62. quà cuidam ab humore calido herpete sanato epilepsiam contigisse refert, brachii setaceo solutam. Unde rectè Vesicatoria, fonticuli & setacea à RONDELETIO *Meth. Med. l.*1. *cap.*36. PLATERO *obs. pag.*256. MONTANO *Cons.*50. PARÆO *l.*10. *cap.*25. FORESTO *l.*10. *obs.*16. HENRICO *ab* HEER *obs.*24. HOLLERIO *de Morb. Intern. l.*1. *cap.*15. HILDANO *Cent.*1. *obs.*41. & TULPIO *l.*4. *obs.*2. & 3. commendantur; In illo tamen tantum casu admittenda, si per essentiam & à causa magis universali malum hoc contingat; sicuti ex scabie retropulsa aut similibus occasionibus nata Epilepsia per *vesicatoria* curanda venit, teste HILDANO *Cent.*3. *obs.*10. Sic Lugdunensibus familiare est vesicatorio suo Epilepsias curare, ulcere ad annum aperto servato, quod videb. in VELSCHII *Mictomim.* 32. *Cent.*1. *annotat. Ann.*4. & 5. M. A. N. C. Item *Ann.*9. *obs.*14. Epilepsia refertur gravior puerperæ vesicatorio curata. Imò *cranii apertio* interdum proficua observatur, nempe, ut refert SCHENCKIUS *in Observat.* quidam vulneribus capiti inflictis ab antiqua Epilepsia fuerunt curati: Item RHODIUS *Cent.*3. *Obs.*66. refert SPIGELIUM sibi memorasse, juvenem quendam nobilem Patavinum sæpius epilepsia afflictum ob gravem lapsum à scalis, à FABRICIO *ab* AQUAPENDENTE apertione cranii per terebram curatum: Vid. etiam RIVERIUS *loc. all.* Siquando ex calvaria, ex lue Venerea cariosa facta, oriatur Epilepsia, præsertim mediante *ustione* eradicanda venit: Vid. SCHENCKIUS *l.*6. *obs.* Hæc ipsa pariter ad *fonticulos* quoque, item ad *vesicatoria* locis certis admovenda, accommodari possunt: Nam PANAROLLUS *Pent.*4. *obs.*30. narrat, puerum epilepticum, aphonum, stolidum, *vesicatorio* in sutura coronali sanatum. Si à *nervo læso* in quacunque, remota quoque, corporis parte oriatur, uti suprà ex *citatis* M. A. N. C. patet, cauterio potentiali loco affecto applicato, curatur.

IX. Observandum, *quod si cum Epilepsia juncta sit sanguinis consueti suppressio*, vel hujus occasione excitatur plus minus Epilepsia, *Venæ sectio* aut alia quævis sanguinis missio erit proficua locis in variis, pro circumstantiarum varietate. Sic enim epilepsiam *apertis hæmorrhoidibus* curatam refert RHODIUS *Cent.*1. *obser.*65. *Idem obs.*64. Epilepsiam in puero octenni ob sanguinis abundantiam venæ sectione curatam refert: Item ZACUTUS LUSITANUS *l.*2. *Prax. Admir. obs.*26. refert, Epilepsiam sævam post partum hirudinibus internæ uteri parti applicatis curatam: Idem *Obs.*27. gravidam septimo mense epilepticam venæsectione in talo tutò curatam memorat: Item gravida nonimestris ex suppressione hæmorrhoidum epileptica, *sectis in tale venis*, & *hirudinibus* ano applicatis, curata fuit *observ.*25. De venæsectionis in talo usu in Epilepsia videb. in M. A. N. C. *Ann.*4. & 5. *obs.*81. Imprimis notabile videtur, quod idem ZACUTUS LUSITANUS *lib.*1. *Med. Princip. Histor.*26. notat, gravidas Epilepsia ab utero correptas, *secta* in brachio *vena* periisse, in tale verò non.

X. An *opiata & narcotica in paroxysmo* conveniant? disputant Autores. „*Illorum usus utilis & noxius est; benè* „*distinguere experti est Doctoris*, inquit BARBETTE „*Prax. pag.*50. Imo DECKERS *loc. all.* eadem planè reiicit. E contra tamen PLATERUS *in Praxi* & SCHMIZIUS *in Enchirid. Pract.* leniora in gravioribus insultibus commendant. Opiata magna sunt remedia epilepsiæ, inquit rectè FONSECA *l.*2. *Cons.*80. Nam feriociores spirituum motus compescunt, indeque sensuum perturbationes & motus inordinatos tollunt. Hinc ad præcavendum paroxysmum *Epilepsiæ*, tam *internè* quàm *externè*, mirè conveniunt opiata, & nunquam omittenda, appropriatis & specificis epilepticis mista, imprimis cum *Camphora*, quæ singulare est ad coërcendos spirituum animalium effervescentium motus: Vid. WEDELIUS *Opiolog. pag.*107. Hac ratione *pilulæ ex Laudano opiato cum oleo camphoræ* paratæ ad imitationem HARTMANNI *in Prax. Chymiatr.* ubi *de Epileps.* sunt egregiæ; unde etiam hic laudanum hystericum suum usum obtinet egregium: & *externè* FONSECA *cit. loc.* inunctionem cum *oleo buxi* tanquam insigni narcotico in temporibus, naribus & pulsibus, propter vim anodynam imminente paroxysmo, (cui alia *anodyna* vel *narcotica* substitui possunt) optimè convenire dicit. Sed abstineamus ab his narcoticis ante præmissa *universalia*. Deinde non tam *ad curationem* crebriùs, sed saltim ad *præservationem* aut atrocioris paroxysmi mitigationem, adeòq; rariùs usurpentur, quia epilepsias diuturnas subinde fatuitas supervenire solet, & periculum, ne *opiatorum* abusu hæc ipsa magis promoveatur.

XI. Cerebri & spirituum animalium dispositio præternaturalis corrigatur per medicamenta appropriata epileptica, maximam partem acidum in corpore peccans absorbentia, singulis diebus ab evacuationibus vacuis propinanda; qualia equidem sunt tantùm non innumerabilia, & duplicis imprimis classis, nempe vel fixa absorbentia, vel volatilia positivè fomitem morbosum corrigentia; *selectiora* tamen ex regno animali, *partes animalium osseæ & corneæ*, in specie cranium humanum, cornu cervi, unicornu marinum, margaritæ, & *dens Hippopotami*; *stercus pavonis*: cujus loco epilepticis quidam magis commendant *stercus leonis*, & aquam ex eo destillatam, qua *Illustr. Comes* à SCHARFFENBERG feliciter usa est: Vid. VELSCHIUS *loc. alleg. No.*9. *Castoreum*, ex his parata salia volatilia, liquorem cornu cervi succinatum, spiritum sanguinis humani, secundinæ humanæ, &c. Ex regno vegetabili eminent visca, quercinum, tiliaceum, & speciatim corylinum, flores liliorum convallium, pœoniæ, opium, camphora, &c. Ex regno minerali *cinnabaris nativa*, à GRATONE Magnes Epilepsiæ dicta, vel antimonii, & alia *sulphures antimonialia fixa*; Item *sulphur vitrioli*, tam fixum, quàm *in spiritu volatile*, v. g. in *spiritu vitrioli epileptico*, vel etiam in *spiritu volatili vitrioli* antepileptico HARTMANNI, unde SIMON PAULI ait: „*Qui Epilepsiæ* „*mederi volunt, ex vegetabilibus pœoniam, ex animalibus* „*castoreum aut hirundines, ex mineralibus vitriolum sibi* „*commendata habeant.* Huc pertinet *succinum*, ejusque *sal volatile & oleum*, *Crystallus*, &c. quibus omnibus juncta sunt anodyna.

Universalia ergò remedia præter vomitum sunt, v. g. helleborina, ex colocynthide, & Mercurialia; Helleborus nempe niger ritè præparatus, ejusque extractum cum Mercurio dulci: Sed cum parum purget, quin tantummodò laxet, ob id optimè permiscetur cum aliis, & quidem cum extracto hellebori nigri. Semper autem in Epilepsia per essentiam fortiora purgantia requiruntur.

℞. *Extr. helleb. nigr.* gr. xv. ad ℈j.

(vel

(vel *Extr. cathol. Andern.* aut *panchym. Croll.* quodcunque lubet, gr xv.)
Mercurii dulc. ritè par. gr. xv.
Extr. troch. alband. gr. j. ij. vel iij.
Olei destillat. succini gutt. ij.
Cum s. q. Ess. Myrrhæ, vel Castor. f. pilulæ.
D. S.
Pilulæ laxativæ pro una vice.

Vid. *Colleg. Pharm. in Schrœderum Part. 1. sect. 3. pag.* 865. Vel ad imitationem RIVERII præscribatur:

℞. *Mercurii dulc.* gr. xv. ad ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. jv. vel v. ad ℈ß.
Misc. sub forma pulveris pro dosi una.
D. S.
Pulvis laxativus pro una vice.

Ex quo cum *Conserva florum anthos* etiam *Bolus* parari potest.

Vel

℞. *Conf. flor. anthos* ʒj.
Pulv. rad Jalapp. ℈ß.
Mercurii dulc. gr. xv.
Cum s. q. *syr. pomor.*
F. Bolus S.
Saccharum laxativum pro una vice.

Potest etiam acui cum gr. iij. *scammonii rosati*.

Invulgari usu sunt Pilulæ Cochiæ, Arabicæ, fœtidæ, imprimis in Convulsionibus partium internarum, suffocatione uterina, & similibus; Optimè conducunt ad gr. xv. præscribuntur cum stimulo appropriato, addito Mercurio dulci; aut, quod convenientius est, pulvis panchymagogus mineralis Hartmanni ex Mercurio dulci cum Mercurio vitæ, forti ac largâ trituratione probè uniti evadunt egregium laxativum per inferiora; amittit enim sic Mercurius vitæ vim vomitoriam, quatenus hæc corrigitur ab acido salis in Mercurio dulci, & fit *Pulvis purgans antimonialis mercurialis* optimus, qui subinde cum aliis miscetur: Vid. HARTMANNUS *in praxi Chymiatr. ubi de Purgantibus Mineralibus*.

Quod ergò attinet *specifica antepileptica*, ex toto acervo & cumulo omnium antepilepticorum (cùm nullus sit Medicus Practicus, qui non habeat suum specificum antepilepticum) tantùm pauca & magis probata referam. Eminent ex *Regno Vegetabili* imprimis ruta, Dentaria, anagallis, hyssopus, cujus infusum cum spiritu vini RULANDUS *Cent.* 10. *Curat.* 95. commendat: *Pœonia* jam à GALENI temporibus laudata, eaque *mas*, seu quæ conspicitur foliis latioribus & magis rotundis (nam fœmina habet folia longiora & magis acuta) cujus radix, sole in leone existente, tempore meridici, mense Martio vel Aprili in ariete, vel luna & sole in ariete existentibus, ante solis ortum lunâ decrescente collecta mirabilis est ad curam Epilepsiæ, tàm pulverisata ad ʒj. interiùs usurpata, ejusque aqua & Syrupus, quàm eadem appensa & instar amuleti gestata; aut *grana* seu *semina nigra Pœoniæ* interno usu laudata in forma emulsionis. Ratio, quod in desuetudinem abiit, fuit deficiens selectus. Certè mirabile simplex est hæc Pœonia, vi ad epilepsiam specificâ certo tempore collecta. Expertus est ejus vim amuleticam jam suo tempore GALENUS, cujus experientiam confirmat FORESTUS *l.* 10 *obs.* 59. sicuti etiam videndus est BARTHOLINUS *Cent* 4. *Hist.* 69. Et experimentum hujus rei de vi amuletica Pœoniæ habetur etiam in RIVERIO, *Observat. à D. des* GRANDS PREZ communicata: Vid. item SIMON BERGER *de Pœonia*, qui quinque tempora habet colligendi, ut & HARTMANNUS *pag.* 71. Amicus retulit, se aliquoties *radice maris Pœoniæ*, effosa die Julij $\frac{22}{23}$ intra horam undecimam & duodecimam, amuleti instar appensa aliquoties curasse Epilepsiam; tunc nempe temporis ordinariò sol leonem ingreditur: *Conf.* M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Append pag.* 63. Sic quidam Medicus veteranus Anglus optimo cum successu usurpavit pœoniam marem appensam contra vertiginem optimo cum successu. Post pœoniam est imprimis *lilium convallium*, egregium ad Epilepsiam specificum, cujus aqua & spiritus legitimè paratus, non tamen sulphureus per fermentationem, sed ad imitationem LINDANI paratus, & essentia legitimè parata, sunt optima. Ut autem legitimè destilletur Lilium convallium, jubet LINDANUS recipere *flores* liliorum convallium benè maturos, adhuc rore matutino madidos (cùm in hoc rore singularis vis lateat) ante solis ortum; hinc protinus, atque collecti fuerint, abscindendi à suis petiolis & immittendi in lagenam, iisque affundatur vinum Hispanicum, lagena benè claudatur, deinde ita per cucurbitam destilletur aqua egregiè spirituosa, quæ recentibus *floribus*, similiter rore madentibus affundatur, & in balneo iterum abstrahatur, idque aliquoties ita repetatur, donec acquiratur spiritus liliorum convallium egregius & antiepilepticus: qui postmodum castoreo affusus, suggerit vel destillando spiritum, vel extrahendo essentiam castorei, ad epilepsiam egregiam, quæ à ʒß. vel ʒj. potest dari adulto, prout fortior vel debilior fuerit. In usu etiam sunt flores lavendulæ, Pœoniæ, hyperici, anethi, radix angelicæ, Valerianæ sylvestris, annotante PANAROLLO *Pentec.* 1. *obs.* 33. antequam caulem contrahant; Vincetoxici, acori, de quo vid. HEURNIUS *in Sect.* 2. *Aphor.* 44. bryoniæ, cujus succum REUSNERUS *Obs.* 158. commendat: Semen Saponariæ ante paroxysmum assumptum, semelque in mense per tria novilunia ad ʒj. paroxysmos valde imminuere; & *rutæ* M. j. in vini amphora infusæ, & per tres dies sumptæ, idem præstare observavit BORELLUS *Cent.* 1. *obs.* 18. Quin & si appendatur *viscus corylinus*, amuleti instar contra Epilepsiam laudatur: Nam in *corylo* multa latent, unde etiam ex ligno coryli justo tempore collecto RULANDUS destillat suum *oleum* famosum & spiritum, *Heraclinum* dictum, cujus stupendos effectus videbitis in *eius Praxi Empirica*, & *Thesauro Practico*. Hinc etiam iuli corylini turgent sulphure vegetabili, quod spargunt tempore verno, & mirabile est specificum ad Epilepsias infantum. Ante triennium rustica uirgo erat ab octo annis paroxysmo epileptico quotidiè correpta, cui cùm menses ritè fluerent, præmisso uehementi uomitorio, quo uaria & copiosa excreuit, pòst usurpaui uiscum corylinum, quo ter uel quater repetito, paroxysmi cessarunt, & quoties eundem percipiebat recurrere, hunc puluerem sumebat, *eoque sentiebat, quomodo supprimebat*: usu huius pulueris per tres menses sana fuit, sed postmodum morbus superuenit contagiosus, quo interiit. Ante biennium uirgo paupercula hic erat, quam epilepsia affixerat à tenera ætate usque ad duodecim annos: præmisso uomitorio dedi ad gr. vj. tartari emetici: Melancholica simul erat; et si Epilepsia non affligeret, melancholica erat, & semper per plures menses sine omni somno erat: ipsa tamen post puluerem coryli, sub introitum lecti assumptum, dormire incipiebat ab hora nona uesperi usque ad secundam pomeridianam diei sequentis, quod miratus fui: Surgebat cum euphoria mitis, tamen adhuc melancholica: Continuato puluere Epilepsia cessabat, omni tamen nouilunio redibat; ipsa tamen plus minus melancholica existente ultra quadrantem anni, ita ut etiam aliquando super ędes præcipitem se dederit, unde interiit. Lignum sanctum, sassafras, item *viscus quercinus*, inter 15. Augusti & 8. Septembris collectus, hinc tiliaceus, & qui omnium optimus est corylinus, qui plus habet in recessu, nobilissima sunt remedia contra Epilepsiam contumacem, seu habitualem inueteratam, præmissis præsertim uomitoriis, multum conferunt, puluerisati à ʒß. ad ʒj. sunt enim leues uisci: in aqua appropriata assumptus uiscus quercinus nobilissimum est ad conuulsiuus spasmos specificum BOYLEI *pag.* 185. *in Philosophia Experimentali*: quę ipsa tamen potiori iure intelligenda de uisco corylino, qui quercino adhuc potentior est, mense Martio decrescente lunâ collecto; qui puluerisatus à ʒß. ad ʒj. propinatus non satis decantatum est specificum ad epilepsiam, dormiunt post usum, & quando ante paroxysmum assumunt, *subito supprimit*: in omni epilepsia, nisi summè sit rebellis, optimum est: Vid. HARTMANNUS *loc. alleg.* Sed observandum, hujusmodi *viscos* repetito usu figere & concentrare fermentum epilepticum in sua quasi minera, unde facilè fieri potest, ut alii morbi, præsertim febres acutæ, exinde superveniant; quippe post eorum usum subjungenda sunt subinde Purgantia, ne quid remaneat, quod alios morbos inferre queat: Vid. *Diss. de Præcipitantium Usu & Abusu cap.* 3. §. 4. Quin & instar amuleti appensus idem viscus quercinus, similiter est admodum laudatus. *Viscus tiliaceus* in memoriam revocat curam Epilepsiæ *per acidulas vegetabiles ex tilia*, de quo vid. Misc. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Append pag.* 52. Vix cedit his lignis *lignum buxi*, ita ut etiam *oleum buxi* destillatum habeatur succedaneum *olei* ligni *Heraclini*, & quod etiam in hujus defectu commodè substitui

poteſt, ſi à gutt. 4.7.8.9. ad 10. in aqua florum tiliæ ad aliquot dies propinetur, vi anodynâ & nonnihil narcoticâ celebre: vid. FONSECA, qui internè propinat aliquot guttas, & imminente paroxyſmo externè illitum commendatur etiam; loco quorum autem oleum deſtillatum ſuccini non incongruè ſubſtituitur. Pertinet huc fungus quercinus, de quo vid. BORELLUS *Cent.2. obſervat.95.* ceraſa nigra, acetum, ſpiritus ceraſorum nigrorum, de quo vid. RIVERIUS *Cent.4. obſervat.* 10. aſa fœtida, camphora, ſpiritus fuliginis, extractum & eſſentia agallochi. Poſt hæc ſingulare quid obtinet ſulphur vegetabile, quod colligitur ex *lycopodio* ſeu *muſco terreſtri clavato*: nobile eſt antiepilepticum, præſertim pro infantibus. Colligatur menſe Auguſto. Nobilius tamen eſt *ſulphur* ſimile tempore verno *ex iulis coryli* collectum. Sulphura hæc ſunt remedia non inelegantia ad morbos convulſivos, doſi ℈j. ad ℈i. & ſingulari vi pollent acidum deſtruendi, quod excitat epilepſiam per conſenſum: Imprimis in iunioribus ſunt elegantia: Vid. M.A. N.C. *Ann.1. obſervat.97. pag.225. ſeqq.* & *Ann.3. obſervat.15.* Pulvis hic maximè inflammabilis eſt; ſi enim candelæ admoveatur, ſtrepitum inſtar bombardæ dat. *Carbo Artemiſiæ rubræ circa feſtum S. Iohannis*, ipſo potius *S. Iohannis die* ante ſolis ortum, circa meridiem, ſub eius radice effoſſus, etiam nobile eſt ſpecificum ad Epilepſiam, uti per experientiam in Illuſtri perſona factam allegat PETRÆUS *in Diſſ. Harmonic. lib.1. Diſſert.6. §.53. pag.83.* uti etiam JOEL *in Praxi de Epilepſ. pag.85.* idem refert de *carbonibus* ſub artemiſia effoſſis: & quidem dicit, tantummodò reperiri die *Feſti S. Iohannis*, alio tempore non. Putavi priùs, eſſe fabulam: nihilominus novi mulierem, quæ fodiendo ſub artemiſia rubra invenit carbones, & mihi monſtravit, quibus egregiè curavit aliquot pueros epilepticos cum aqua florum tiliæ propinatis. Quod ſint? vid. DECKERS *in Comment. in Praxin Barbettianam, ubi de Epilepſia pag.7.* qui fraudem detexit, quod ſint radices annoſæ artemiſiæ, quas vulgus pro carbonibus peculiaribus habet. De *floribus tiliæ* res nota eſt, quod ſint optimum ad epilepſiam remedium; unde liquor radicis tiliæ, de quo vid. TILEMANNUS *de Mat. Medica*, & aqua & ſpiritus florum tiliæ ſunt in vulgatiſſimo uſu. Florum Amaranthi conſervâ cum oleo ſuccini feliciter eſt uſus PETRUS ASSELINÆUS; vid. VELSCHIUS *l.4.* No 10. Syrupus Nicotianæ mirificè commendatur à ZACUTO LUSITANO *lib.1. Prax. Admir. obſ.23. & 24.* paratus nempe ex ſucco foliorum viridium cum melle: Hoc Syrupo, aliis omnibus irritis remediis, pertinaciſſimam Epilepſiam, quotidie quadraginta dierum ſpatio aſſumpto, curavit. Primaria ferè hæc ſunt *ex regno vegetabili*, quibus tamen ſubinde etiam alia remedia *cephalica* quæcunque in ſpecie & *aromatica* ex eodem regno addi poſſunt; Ex hiſce enim emergunt *compoſitiones* aquarum epilepticarum admodum multiplicium, ut *aqua epileptica Langii*, *Kolreuteri*, *Dorncreilii*, & ſimiles aliæ. Modus præparandi pro varietate Autorum variat: Exempli gratia ſit ſequens aqua cephalica, epileptica & apoplectica:

℞. *Herb. & flor. ſalviæ* ℥vi. ad ℥viii.
Flor. lil. convall. ℥iii.
Lavend. odorat. ℥i. ad ℥ii.
Rad. Pæon. mar. ℥ii. ad ℥iii.
Fol. & flor. Maioran. ℥j. ad ℥i.
Cinnam. elect. ℥ii.
Cubebar. ʒß.
Caryophyll. ʒiii.
Macis ʒii.
Infund. cum *Vin. Maluat.* aut *Rhenan. opt.* lb. xiv.

Macerentur per dies & noctes 14. hinc deſtillentur in Balneo Mariæ.

Poteſt parari cum & ſine *caſtoreo*: item poſt rectificationem poteſt addi q. ſ. de *ſpiritus ſalis ammoniaci*, vel ſimili volatili, ut fiat remedium eò generoſius. Qui novit materiam Medicam, facilè poteſt combinare tales aquas.

Ex *Regno Animali* ad epilepſiam commendantur imprimis *remedia* humana ſeu *ab homine deſumpta*; quæ inter eminet *ſanguis humanus*, & remedia ex hoc parata, *ſpiritus* nempe, *ſal volatile & oleum*, ſpecifica ſunt hæc remedia, imprimis *ſpiritus ſanguinis humani* cum *ſale volatili* acuatus, qui etiam tanquam nobiliſſimum remedium in Epilepſia hæreditaria, ſi quid aliud, conferre dicitur ab HELMONTIO, in quo quamplurimi Practicorum conſentiunt. Sed obſervandum ſecundùm LINDANUM, eligendum eſſe *ſanguinem humanum* ab homine recenter decollato collectum, *cùm alius ſanguis vix talem efficaciam habeat, qui vel per ſe deſtillandus, vel in vaſe vitreo priùs cum pauco ſpiritu vini circulandus, & ita lege artis in ſpiritum, ſal volatile ac oleum deſtillandus, remedium, quod ritè paratum eſt egregium ad Epilepſiam & Apoplexiam commendatiſſimum. Ipſe reddit rationem hanc, quod ſcilicet in homine decollato præ metu mortis ſpiritus eius quaſi coaguletur & concentretur. Quicquid ſit, hoc certum eſt, quod ſpiritus & ſal volatile ſanguinis humani ſint decantata ad Epilepſiam remedia. *B. Doctor* MICHAELIS ſanguinem dicto modo collectum & congrumatum decantato ſero deponebat, donec ſitum contraheret; Sic enim copioſiorem *ſpiritum* ac *ſal volatile* eliciebat, quo ſæpius utebatur in Epilepſia, nunc ſolo, nunc cum ſpiritu vitrioli cephalico (de quo poſtmodum) evadit exinde miſtura ſubviridis & ſubcœrulea clecœrulea elegans, qua ipſa etiam hæreditarios epilepticas ſe curaſſe idem teſtabatur. Poſt *ſanguinem* humanum eſt imprimis *Secundina humana*, quæ putrefacta dat ſpiritum volatilem, qui præter effectus ſingulariſſimos in affectibus mulierum, præſertim puerperarum lochiis, Epilepſiam potenter curat: Secretum fuit CNOEFFELII, quo aliquando *Rex Poloniæ* fuit curatus: Datur doſi à guttis xv. ad xxx. xL. vel ʒß. ſub inſignibus lunæ mutationibus. Vel ipſa ſecundina in clibano blandè torrefacta, pulveriſata doſi ʒß. ad ʒi. luna imprimis decreſcente in aqua ſpirituoſa florum tiliæ aut liliorum convallium propinanda venit. Sequitur *cranium humanum* ex homine violenter interempto deſumptum, in ſpecie quidem *os* triangulare vel *triquetrum* ex concurſu ſuturæ ſagittalis & lambdoideæ, quod iuxta PARACELSUM in Epilepticis reperitur, tàm *raſura* eius ſimpliciter *pulveriſata*, quàm quocunque modo præparatum, vel Philoſophicè aut cum igne calcinatum, vel, quod omnium optimum, eiuſdem ſal volatile ac ſpiritus-urinoſus, ſale volatili concentrato turgidus, egregiè conducunt ad curandam Epilepſiam. Cranium ſine igne, aut ſolum præparatum, datur à ℈i. ad ʒß. ℈ii. & ʒi. ſpiritus verò prout fortis vel debilis à gutt. xv. xxx. ad ʒß. & ʒi. Sal volatile à ℈ß. gr.xv. ad ℈i. Primus hæc manifeſtavit PARACELSUS, qui præter gelatinam, ſpiritum & ſal volatile, oleum cranii humani, quod ſimul prodit per deſtillationem, rectificatum à capite mortuo, & vertici inunctum, præſentiſſimum dicit remedium ad arcendum paroxyſmum epilepticum (quod credo; eſt enim ſal volatile concentratum.) Quin & oleum ſuccini, aut *ſuccinum* permiſtum cum *cranio humano* pulveriſato, denuo deſtillatum forti igne gradatim, dat *oleum* antepilepticum penetrans & excellens. Si fœtor eſt inimicus; circuletur oleum priùs ante uſum aliquamdiu cum ſpiritu vini rectificato vel tartariſato, & ita cum eodem leni igne à calcinatis deſtillentur, dat oleum ſuavius, & egregiè penetrans. Juxta *cranium*, *cerebrum* humanum eſt egregium antepilepticum, cuius *ſpiritus & oleum* ad imitationem HARTMANNI præparata ſunt egregia antepileptica. Hæc ipſa pariter & multò magis de *Uſnea cranii humani*, ex patibulo ſeu capite rota fracti collecta, intelligenda ſunt, in qua confermentata eſt mumia capitis microcoſmici, egregia contra Epilepſiam. Quin & *oſſa hominis* reliqua, ex homine violenter occiſo deſumpta, deſtillata aut præparata, ad affectus convulſivos ſunt egregia; uti & aliorum animalium partes oſſeæ & corneæ, imprimis unicornu marinum, *dens hippopotami* ſeu equi marini, ſpina muſtelæ piſcis, dens lupi, lapilli carpionum, raſura cornu cervi, unicornu foſſile, & ex his quæcunque Præparata, ſalia etiam volatilia, ſpiritus cornu cervi, item liquor cornu cervi ſuccinatus, ſunt egregia antepileptica. Dens hippopotami (vid. WORMIUS *in Muſeo*) eſt duriſſimus, & ſingulare ſpecificum in Convulſione quacunque per conſenſum abdominis, qui præparatus ſine igne, aut ex eo deſtillatum ſal volatile, mirè confert ad convulſivos affectus, pariter internos & externos. Externè quoque ex hoc *dente* à quibuſdam fiunt *annuli*, (vid. WERNERUS) qui membro ſeu digito convulſo inſerti, aut etiam digitis pedum, in ſpaſmo flatulento ſive cramba applicati, imprimis gravidarum, ſunt perquam proficui. Laudantur etiam hepata ranarum viri-

viridium, de quorum præparatione vid. HARTMANNI *Prax. pag.67.* & FINCKII *Encheir. Tract. pag.29.* coagulum leporis, coturnicum ova, pulvis millepedum, hepar lupi, cuius usu quendam epilepticum perfectè sanatum fuisse, qui postmodum multos similiter hoc remedio curavit, vid. BORELLUS *Cent.2. obs.95.* testiculi apri, vid. AUGENIUS *Tom.2. l.8. Epist.2.* sel catuli nigri, vid. UNZERUS *de Epilepsia pag.245.* corpus thuri simile, quod in acervis formicarum reperitur, vid. REUSNERUS *obs.15.* picæ, corvus combustus, & mus calcinatus, vid. *Idem obs.13. & 152.* materia, quam pullus equinus vomitu reiicit, vid. HIERONYMUS DONZERINUS *l.6. Consil.35. à* SCHULZIO *editus*: spiritus urinæ, sanguis leporis in venatione probe agitati, hinc pavore capti & iugulati, collectus & exsiccatus, ad ℈I. assumptus, singulare HELMONTII est remedium; aut sumatur linteum eo tinctum, infundatur in haustum vini, donec omnis color extractus, postmodum hauriatur, & remedium erit planè singulare. Pertinet huc *castoreum*, nobile & singulare antiepilepticum, & ad affectus quoscunque nervorum, imprimis quidem, si ad imitationem BARBETTE *cap.1. Prax.* iunctum salibus volatilibus infundatur in spiritu vini. vel liquore alio spirituoso salino-volatili urinoso, quæ Essentia cum aqua cinnamomi vel salviæ est nobilis: v.g.

℞. *Salis vol. succin.*
Cran. human. an.℈I.
*Castor.*ʒii.
Infund. in s. q. spiritus vini. Digerantur & circulentur; fit exinde Tinctura antepileptica elegans.

Vel spiritus salis ammoniaci vinosus cum calce viva & spiritu vini paratus, castoreo affusus, egregiam quoque Essentiam & Tincturam extrahit. Imprimis autem convenit castoreum eiusque Essentia, uti & ex castoreo & asa fœtida cum tinctura aut spiritu tartari parata, in Epilepsia & Convulsionibus internis seu spasmis partium internarum, per consensum abdominis & viscerum inferiorum enatis: quales sunt colica convulsiva, suffocatio hypochondriaca, hysterica, & similes: sicut etiam in quacunque partium Convulsione tonica ab omnibus autoribus mirè commendatur externè usurpatum; quin & applicatum castoreum cum clysteribus in Epilepsiis interdum admodum conducit. Quæ *suprà cap.2. de vertigine* dicta fuerunt de *stercore pavonis*, & ipsa similiter valent in Epilepsia, in qua non minoris pretii est pavonis stercus. Videbitis egregiè de hoc disserentem SCHOLZIUM *Consf.42.* BORELLUM *Cent. 3. Observat. 15.* qui habet experientiam de cura Epilepsiæ per stercus pavonis, quacunque ratione applicetur; sive in substantia sub forma pulveris cum appropriatis; sive infundatur in vino, maceretur & propinetur. De *alce*, eiusque *ungula*, horumque salibus volatilibus & spiritibus, de *hirundinibus*, & earum aqua cum & sine castoreo, nil dico, cùm hæc per se notissima sint, quod conveniant singulariter in Epilepsia. Adhuc ova coturnicis huc pertinent, quæ exsiccata, & pulverisata ad ʒß. propinata, sunt expertum specificum HOEFERI *in Herc. Med. pag. 12.* De his & similibus ex *animali regno* antepilepticis remediis iudicium videbitis in LUDOVICI *Pharm. pag. 939.*

Pergo ad REGNUM MINERALE, in quo primatum ducunt ad curam morborum convulsiuorum *sulphura antimonii* plus minus *fixa*, de natura solis participantia, quæ præ aliis decantata sunt; partim quod generalem habeant uim temperandi quodcunque acre excessiuum; partim quod similiter singularem habeant uim anodynam, adeoque spirituum animalium feroces motus sedent, ubi sulphur antimonii fixum multùm in recessu habeat; partim etiam, quod ui emeticâ tollant fomitem morbi, si est in primis uiis. Obseruatum enim est, si fomes fuerit in primis uiis, excitasse uomitus, hinc fomite sublato, uomitus non ampliùs mouisse. Hæc inter eminet primò cinnabaris antimonii, aliàs magnes Epilepsiæ appellata, quæ insignes uirtutes curandi Epilepsiam obtinet: sed necesse est, legitimè sit præparata, & aliquoties sublimando ab omni uolatili sulphure purgata & separata, ac cum aqua spirituosa quacunque in aëre libero super porphyritidem læuigata. Optimum est, in specie si superueniunt Epilepsia aut motus conuulsiui morbis acutis, ubi nunc solitariè usurpatur, nunc cum salibus uolatilibus, cum quibus eius color augetur. Qui norunt ex hac cinnabari parare cum spiritu quodam uegetabili tincturam, habebunt egregiè antepilepticam. Huc facit remedium, quod uocatur quibusdam Astrum Mercurii secretum, factum ex cinnabari antimonii beneficio menstrui ex nitro & sale gemmæ parati, quod tandem præcipitatur in crystallos auratas instar croci, quæ mirificè conueniunt in Epilepsia. Verùm præter cinnabarin hanc antimonialem adhuc est subtilissimum & *fixius sulphur antimonii*, ex *scoriis reguli antimonii*; dum nempe more solito per secundam præcipitationem ex his separatum fuit sulphur antimonii, auratum dictum, adhuc semel ex liquore isto filtrato simultaneâ iniectione aceti destillati & spiritus urinæ aut salis ammoniaci præcipitatur sulphur subtilissimum & admodum elegans, coloris aurantiorum, quod in minima dosi, ad unum alterumue granum, mirabiles effectus anodyno-epilepticos exerit in curanda Epilepsia infantum & adultorum, & cinnabarin antimonii longè superat. Interdum ratione circumstantiarum priùs facit uomitus, interdum priùs somnum, interdum sudorem; in aliquot Epilepsiis in febribus beneficio huius sulphuris nobile uidi effectus. Dosis infanti unius anni ad usque duos gr. ß: ad gr. i. adulto 9. uel 10. annorum, gr. iii. præter propter. Juxta antimonii cinnabarin etiam *cinnabaris natiua* selectior, & ex eadem parata remedia uaria, non infimæ notæ erunt. Cinnabaris hæc natiua Ungarica multum de sole habet, & optimè cinnabari antimonii substituitur, uel coctione uel lotione purgata, meritò dicitur à Cratone Magnes epilepsiæ. Post fixa *antimonialia* commendatur etiam minera argentea instar rubini transparens, Germanicè *Roth gulden Ertz*. *Vitriolum* optimum est remedium, mirè commendatum à PARACELSO ad coram Epilepsiæ: Sed hæc intelligenda sunt de eius substantia sulphurea, sulphure uitrioli anodyno fixo, de quo tantæ laudes HELMONTII hinc inde prostant; & deinde etiam de spiritu uitrioli uolatili egregiè sulphureo-anodyno, qui per nonum alembicum est prolectus, uti loquitur PARACELSUS. Hic spiritus uitrioli est genuinum ingrediens mixturæ simplicis, quam PARCELSUS sub nomine *Specifici in Peracutis*, primitus commendavit ad affectus epilepticos; non uulgarem istam, spiritibus nullius pretii adulteratam. Spiritum enim vitrioli volatilem, cum spiritu tartari volatili, & spiritu theriacali camphorato miscuit. In Officinis ingreditur *Mixturam simplicem* spiritus vitrioli, non volatilis sed corrosivus, item phlegma ex tartaro; unde est impostoria composito. Modi ad hunc spiritum vitrioli volatilem acquirendum sunt varii. Nota ejus est, ut ipsum phlegma sub destillatione striatum antecedat: (striæ sunt signum spiritus:) propterea eligendum imprimis vitriolum in aëre blandè calcinatum, sub qua blanda calcinatione phlegma eiusdem aquosum sensim exhalet, simulque aliquali vitrioli eiusque subtilioris sulphuris per aërem resolutione, facilitetur spiritus vitrioli volatilis egressus. Alii recipere malunt caput mortuum vitrioli, quod aliquamdiu aeri expositum, ac ita de novo imprægnatum fuit. Cùm verò non omnibus æquè liceat parare eiusmodi spiritus volatiles, ob id eliguntur ii, qui proximè ad eos accedunt, quos inter eminent *volatilisationes vitrioli* beneficio *urinæ humanæ* aut beneficio *spirituum volatilium vegetabilium*. Quoad *urinam humanam*: notus est spiritus vitrioli volatilis antepilepticus, è vitriolo Veneris cum urina humana præparatus juxta QUERCETANI descriptionem *in Tetr.* quæ etiam reperitur in HARTMANNO. Nempe calcinetur vitriolum in sole, donec perfectè albescat; (id quod fit optimè in diebus canicularibus mense Julio & Augusto, quò etiam paratur pulvis sympatheticus) deinde spiritus urinæ, qui absque fermentatione paratur, ipsi commisceatur, ut ex mistura vitriolum instar pultis evadat. Ex hoc tunc destillatur ordine spiritus ex arena igne tamen paulò fortiori. Hic postmodum quinquies bene est rectificandus, & fit spiritus vitrioli antepilepticus non inelegans. Hic spiritus est maximè sulphureus volatilis salsus, non acidus, de quo retulit D. MICHAELIS, se etiam huius usu Epilepsiam hæreditariam curasse. Nam in hoc sulphur vitrioli metallicum ab alcali urinæ dissolvitur, ita ut cum eodem & spiritu acido proprio in forma spirituosa sulphur vitrioli volatile extraversum, elegantem spiritum vitrioli volatilem epilepticum constituat. Dixi etiam

quod volatilisetur spiritus vitrioli beneficio spirituum volatilium, qua ratione spiritus epileptici & cephalici nostrates fiunt: V. g. paretur spiritus vitioli epilepticus aut cephalicus ad imitationem D. MICHAELIS, qui

℞. *Vitriolum Ungaricum dephlegmatum in Balneo Mariæ & pulverisatum:*

Illudque irrorat cum spiritu vegetabili composito cephalico vel epileptico, id est, cum spiritu vini à vegetabilibus cephalicis & aromaticis post præviam digestionem abstracto. Permiscentur hæc ad consistentiam pultis spissioris, destillentur per retortam in igne aperto, more consueto; spiritus qui prodit, adhuc aliquamdiu digeratur in loco calido, hinc *rectificetur* per *alembicum* in *arena*, & prodit primò *Spiritus volatilis striatus* quodammodò nebulosus, quem insequuntur guttæ phlegmaticæ: quibus apparentibus mutetur receptaculum & seorsim capiatur phlegma: quo cessante, & dum nebulæ postmodum denuò surgunt, & sapor acidulus se manifestat, novum applicetur receptaculum, & capiantur spiritus volatiles nebulosi, & ita sub nomine *spiritus* vitrioli *epileptici* vel *cephalici* admodum egregii asservetur, qui est iste, miscendus cum spiritu sanguinis humani ad curam Epilepsiæ hæreditariæ, uti anteà monui.

Loco vitrioli crudi dephlegmati sæpè etiam accepit *caput mortuum vitrioli* per regenerationem denuò ab aëre impregnatum, & cum spiritu vegetabili cephalico imbibitum ad consistentiam pultis, dicto modo tractavit.

Sic quidam miscent vitriolum Hungaricum cum rasura cranii humani, & destillant.

Tandem inter mineralia est adhuc *succinum*, ejusque essentia cum spiritu vini extracta, *sal volatile* ac oleum, egregia & potentia ad integrum systema nervorum, & Epilepsiam, & convulsiva pathemata remedia, imprimis si febribus malignis & affectibus hystericis superveniant. Hinc liquor cornu cervi succinatus, tam solitarius, quàm idem liquor aut *sal volatile succini* eadem methodo cum *spiritu sanguinis humani* mistum, sunt compositiones egregiæ in & extra paroxysmum: Nam in cura Epilepsiæ necessaria sunt, quæ cum impetu quodam penetrant. Quibus ipsis interdum *camphora* additur, quæ figit quodammodo spiritus animales, & ad motum naturalem reducit eosdem; Unde & *camphora* vim somniferam obtinet: Sicut & HARTMANNI secretum in Epilepsia & suffocatione uteri, seu molestia quavis uteri ex laudano opiato & camphora, quod medicamentum ante paroxysmum præservationis gratiâ porrigi potest. *Crystallus* denique montana præparata in Epilepsia per consensum abdominis ubi est opus forti penetrantioris acidi absorptione, multum præstat.

Ex modò dictis simplicibus & similibus plures & innumerabiles ferè possunt fieri compositiones & *formulæ* antepilepticæ: *verbi gratia*

℞. *Aquæ Ceras. nigr.*
Lil. convall. an. ℥iß.
Epil. Lang. ℥j.
Liqu. cornu cervi succin. vel *spiritus cran. hum. rectif.* ʒj.
Syr. flor. tun. ℥j.
M. D. S.
Potio antepileptica.

℞. *Aquæ flor. tiliæ,*
Salviæ,
Cerasor. nigr. vel *Meliss.* à ℥j, vel ℥ij.
Liqu. cornu cervi succin. ʒiij.
Spiritus theriacal. camph. vel *Ess. castor.* ʒj. ad ʒiß.
Ess. Opii ℈j.
Syrup. flor. Pæon. ℥j.
M. S.
Ut supra.

De quo ter vel quater de die, duo, tria, vel quatuor dentur cochlearia pro dosi.

Vel

℞. *Aquæ è typhis cerv.* ℥ij.
Cerebr. human. spirituos. ℥j.
Spiritus sangu. hum. ʒiß.
Cran. human. præp. ʒj.
Salis vol. Cran. hum. gr. xv.
Succin. ℈ß. ad gr. xij.
Laud. opiat. gr. iij. vel v.

Syr. stæchad. Arab. ℥j.
M. S.
Ut supra.

Item:

℞. *Aquæ flor. Pæon.* ℥iij.
Cerebr. hum. cum vin. ℥vj.
Spiritus sangu. hum. essent. ʒiß.
Unicorn. ver. præp. ʒj.
Cinnab. antimonii ʒß.
Laudi opiat. gr. jß.
Syr. stæchad. Arab. ℥iß.
M. S. ut *suprà.*

℞. *Aquæ flor. Pæon.*
Tiliæ an. ℥j.
Cinnam. spirituos. ʒß.
Cornu cervi sine igne ℈j.
Cinnab. nativ.
Bezoard. miner. an. ℈ß.
Laud. hyster. gr. v.
Syr. flor. Pæon. ʒß.
M. S.
Ut *suprà.*

℞. *Aquæ flor. Pæon.* ℥ij.
Visc. corylin. ℈i.
Cinn. nativ.
Bezoard. miner. an. ℈ß.
Laud. hyster. gr. vi.
Syr. flor. Pæon. ʒß.
M. S. ut *suprà.*

Dosis cochl. i. quater vel bis in die.

℞. *Aquæ fœnicul.*
Flor. Tiliæ an. ℥i.
Spiritus sal. ammoniaci,
Liqu. cornu cervi succin. an. ℈ß.
Ess. Castor. ℈i.
Syr. Papav. simpl.
Stæchad. Arab. an. ʒß.
M. S. ut *suprà.*

℞. *Aquæ flor. Pæon.* ℥ii.
Puleg. ℥i.
Aquæ apopl. vel *Epilept. Lang.* ʒvi.
Salis vol. cornu cervi gr. xii.
Succin. gr. vi.
Syr. flor. Pæon ʒiii. vel ʒß.
M. S. ut *suprà.*

℞. *Aqua Meliss.* ℥ii.
Salviæ ℥i.
Ess. Cast. ʒii.
Liqu. cornu cervi succin. ʒi.
Syr. flor. Pæon. ʒß.
M. S. ut *suprà.*

℞. *Cinnab. antimonii* ʒß.
Salis vol. succini gr. xii.
Laud. opiat. ferm. gr. ii. vel iii.
M. f. Pulvis:
div. in 2. part. æqu. S.
Pulvis contra epilepsiam.

Vehiculum sit:

℞. *Aqua salviæ,*
Lil. convall. an. ℥i,
Spirit. lil. convall.
Ceras. nigr. an. ʒiß.
M. S.
Aqua ad pulverem.

℞. *Cran. human. sine igne* ʒi.
Cinnab. antimonii ʒß. vel ℈ii.
Salis vol. cornu cervi gr. xii.
Succin. gr. vi.
M. f. pulv.
div. in 4. part. æqu. S.
Pulvis caput confortans.

℞. *Cinnab. antimonii* gr. xv.
Salis vol. cornu cervi,
Viperar. an. gr. iv.
Camph. gr. ii. vel iii.
M. f. pulv.
D. S. ut antè.

℞. *Antimonii diaphor.*
Cinnab. nativ.
Succin. præp. an. gr. viii. ad ℈ß.
Salis vol. Succin. gr. iii. ad v.

Laud.

Laud. opiat. gr. j.
M. F. pulvis,
D. S. ut *suprà*.

℞. *Cinnab. antimonii*,
Succin. præp. an. ℈j.
Castor. gr. xij.
Salis vol. succini
Cornu cervi an. ℈ß.
Camph. gr. iij.
M. f. pulvis:
div. in 3. part.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Cran. human. sine igne* ʒj.
Cinnab. antimonii ʒß.
Castor. gr. xv.
Salis vol. Cornu cervi,
Succin. an. ℈ß.
M. f. pulvis pro aliquot dosibus,
D. S. ut *suprà*,

Horum vehiculum sit:

℞. *Aquæ lil. convall.*
Ceras. nigr.
Flor. tiliæ an. ℥j.
Ess. flor. anthos, vel castor. ʒiß. ad ʒij, vel ʒiij.
Spiritus cram. human. essent. ʒj.
Syr. flor. Tunic. ʒvj. vel ℥j.
M. pro vehiculo. S.
Aqua ad pulverem.

In quo capiatur præfatus pulvis, vel pulvis epilepticus *Ludovici in Pharm. pag.* 642. vel pulvis ex secundina humana in *Coll. Pharm. in Schrœderum P.* 2. *p*....

Vel

℞. *Cran. human. pulueris.*
Cinn. antimonii vel *natiu.* ʒß.
Salis uol. Cornu cervi gr. vj.
Succin. gr. iij.
Laud. opiat. gr. ij. vel iij.
M. f. *puluis*:
divid. in 3. part. æqu. S.
Puluis epilepticus.

Vel

℞. *Cran. human. sine igne*,
Vnic. marin an. ʒi.
Cinn. antimonii ʒß. ad ℈ll.
Salis uol. Succini,
Cornu cervi an. gr. ix.
Camph. gr. iii.
M. f. pulv. pro tribus vel quatuor dosibus.
D. S.
Ut *suprà*.

Capiantur in vehiculo sequenti:

℞. *Aquæ lil. conuall.* ℥iii.
Apopl. uel epil. ℥ß.
Syr. flor. Pæon. vel tunic. ʒvi.
M S.
Potio ad pulverem.

Vel

℞. *Aquæ flor. Pæon.* ℥iß.
Cinnam. ʒi.
M. S.
Ut *antè*.

Inter *Externa ad Epilepsiam* commendata eminent *Amuleta*: quæ inter primatum obtinet *sambucus super salicem crescens*, cuius applicandi rationem & usum videb. in HARTMANNI *Praxi Chym. ubi de Epilepſ.* SIMONIS PAULI *Quadrip. Botan. class.* 2. *pag.* 140. Experimentum verò egregium eius videb. in BARTHOLINO *Cent.* 4. *obseruat.* 69. *Pica cacat super salicem, inde crescunt rami sambucini, quoniam antea de sambuco comedit*: vid. KERGERUS *sect.* 1. *cap.* 6. *pag.* 51. *De auribus, quæ uocantur* Nuss-Esser, *id est* Nucivoræ, *& quæ nuces moschatas deuorant, ubi postmodum eorum excrementa cadunt, crescit Arbor Moschata.* Radix Ostrutii seu Imperatoriæ, Germ. *Meister-wurtz*, recens dissecta & pollicibus manuum ac pedum alligata commendatur in M. A. N. C. *Ann.* 4. *&* 5. *Obseruat.* 42. *pag.* 38. BOOTIUS *de Lap. & Gemmis lib.* 2. *cap.* 53. & ZECCHIUS *conſ.* 44. Smaragdum commendant: Alii radicem & semen Pœoniæ, vid. FORESTUS *lib.* 10. *obseruat.* 59. & BOYLE *loc. alleg.* Alii ungulam alcis, alii viscum quercinum, alii dentem hippopotami & exinde paratos annulos, de quo *suprà dictum* fuit. Crines canis nigerrimi cum aliis in amuleto appensos laudat FORESTUS *lib.* 10. *obs.* 60. *pag.* 391. De amuleto ex electro maiori *Paracelsi* notum est, quod etiam commendetur à quamplurimis in cura Epilepsiæ & convulsionum. Cinnabarin nativam externè collo appensam, vel carpis manuum annexam in paroxysmis epilepticis consenisse observatum est. Vlteriùs vertici, spinæ & partibus convulsis applicari possunt cucuphæ, emplastra, olea & *inunctiones cum* oleis recensitorum cunctis: v. g. *oleo destillato succini*, si epilepsia est per consensum, ubi cum oleo spicæ illinatur abdomini; cum oleo lavendulæ, *anthos rutæ*, serpilli, *maioranæ*, castorei, coryli, & similibus; item cum *Balsamo Peruuiano* egregiè conducunt. Probè autem perspecta sit idiosyncrasia ægri, qui nempe possunt ferre talia; sunt enim quidam, qui ab eiusmodo odoratis magis læduntur, nimis affectis & commotis ab iisdem spiritibus. Misceri possunt dicta olea destillata cum oleis insusis & coctis, lumbricorum terrestrium, rutaceo, mastichino, castorei & unguentis nervinis; item emplastro Catonis, quod *lib.* 4. *epist. ad Iordanum pag.* 282. describit; item emplastrum, ex *emplastri diacalcith.* ℥ii. *diachyl. ireat.* ℥ß. & *de betonica* ℥ii. compositum. Specialim pinguedo cati sylvestris in paroxysmo, aut eodem imminente, umbilico illita singulare est remedium ad Epilepsiam, & quæcunque convulsiva pathemata, secundùm Schmuckium; habito tamen respectu ex mare pro maribus, &c. In *Epilepsia ab affecto splene*, cum vel sine tumore scirrhoso, optimum est emplastrum de ranis cum Mercurio, in subiectis robustis cum dupla dosi mercurii. Sic in virgine tredecim annorum, cuius mater epileptica erat, observavi, quod eam melancholia aliquando invaserat cum aliquibus insultibus epilepticis in somno, ipsi tamen nesciæ: Manè de lassitudine artuum conquerebatur, primò dolor obscurus affligebat in hypochondrio sinistro: Præmisso ex sale hypochondriaco digestivo, cum vomitu bis repetito, propinavi liquorem Martis solaris gradatim ascendendo ad septimanam: externè admovi emplastrum de ranis cum mercurio, malaxatum cum oleo destillato fœtido: quibus se benè iterum habuit. De cingulo ex corio humano res nota est, si lumbis spasmo correptis seu convulsis circumligetur, aut etiam hypochondriorum regioni circumducatur. Hoc ipso efficacior dicitur nervus crurum insignior parti convulsæ circumligatus. An verò corium humanum habeat vim specialem ab aliis cingulis fortiter ligantibus distinctam? dubitatur.

Hæc ita se habent extra paroxysmum.

Quod *Curam attinet* in ipso *paroxysmo*: Si sit gravior, *ad excitandum epilepticum* mirè conducunt omnia ea, tàm *interna* quàm *externa*, quæ quosvis sensus seu eorum organa fortiter vellicare, & ita spirituum inordinatas commotiones seu fortiora obiecta in ordinem revocare possunt, qualia remedia *suprà* in soporosis affectibus fuerunt proposita: adeoque præter venæsectionem & vomitoria evacuantia uniuersalia vix habent locum. Venæsectio scilicet propter euidentissimam tantùm plethoram, aut sanguinis alicuius euacuationis solennis suppressionem, semper illam DECKERI *in Praxi Barbettiana pag.* 5. animadversionem obseruando, ut parcè satis sanguis educatur; aliàs enim paroxysmi semper grauiores redeunt. In grauiori malo mirè conueniunt *vomitus*, qui aliis irritis sunt nobilissimi. Cæterùm duo urgent incommoda, quæ huius excitationem præprimis inhibent: Scilicet quando arctè clausa labia sunt, & propter conuulsos temporales musculos maxillæ arctiùs seruantur; & secundò, quando in grauiori paroxysmo propter musculorum œsophagi & pharyngis conuulsionem, non possunt deglutire. Propterea cum non potest aperiri os, ad modum BORELLI *in Obseruat.* os ac dentes aperiendi, admouendo nempe pollicem cum minimo digito, uel spatulam aut cochleare, ad oris latera & intra dentes inserendo, fortiterque comprime; sic enim licet cum dolore facile os aperietur, quod beneficio cochlearis potest seruari apertum: quo facto instillandum est ori uel medicamentum forte *uomitorium*, quod admodum conducit ad suscitandum epilepticum, aut alia appropriata. In posteriore uerò casu, si non possunt deglutire, *penna oleo* irino aut alio *acriori* intincta, granis aliquot, tribus aut quatuor, mercurii uitæ uel florum antimonii, aut syrupo emeti-

emetico cum grano mercurii vitę acuato, imbuta faucibus immittenda, & in specie pharynx illinatur, & ita vomitus stimulandus: vid. FONSECA *Consil.15. lib.1.*

Vel

℞. *Aquæ rosar.* ℥ß.
Cinnam. ℥ij.
Syr. emet. ℥iß.
M. S.
Succus emeticus.

Infundatur hoc ori, quocunque demum illud fieri queat modo.

Aut fumus nicotianę faucibus insletur: vid. RIVERIUS *Cent.2. obs.60.* Preprimis tamen vomitoria locum habent, si ex ventriculo & hypochondriis item ab assumptis malum fuerit: vid. SENNERTUS *Prax. lib. 1. pag.596.* & WEPFERUS *de Cicut. aquat. pag. 319. & 324.* Hinc pueris quoque ex cruditatibus aut lactis coagulo tale quid contrahentibus proficua observantur, vid. RIVERIUS *Cent.4. obs.59.* Loco vomitorii, præsertim si nequeat adhiberi, & tamen novus instet paroxysmus, clysteres acres frequentiùs inijciantur, quales *suprà de affectibus soporosis descripsimus*, & *infrà Artic.1. Capit.3. ubi de Apoplexia*, & *lib.4. sect.3. cap.4. ubi de suffocatione hysterica*, describemus, sunt per quam egregii, imprimis si morbi convulsivi sint per consensum: quibus semper stercus pavonum, *castoreum*, aut ejus essentia socianda, & pro stimulo *aqua benedicta*, *syrupus emeticus*, aliaque Infusa similia antimonialia addenda: sicuti commodè olea destillata fortiter penetrantia, aut *salia volatilia* à ℈j. ad ℥ß. verb. grat. Spiritus seu sal volatile sanguinis humani vel cornu cervi vel sal succini addi potest. Mirum conveniunt hæc salia volatilia cum clysmatis applicata, in specie si iuncta sit Epilepsia Interna. Ulteriùs *sternutatoria* ex radice pyrethri, hellebori albi, castoreo vitriolo calcinato, & sale uitrioli & similibus naribus insufflata, interdum potentioribus, v. g. succo aquilegię, cum succo lumbricorum terrestrium, quibusdam in usu sunt; excitant enim epilepticos. Cautè tamen hęc fiant, (nisi in primo Epilepsię gradu, & ubi Convulsionum manifestarum nulla adhuc comparent indicia, eaque moderatissima, & in declinatione demum paroxysmi adhibenda: uid. WEDELIUS *de Facult. Medic. pag. 215.*) ne per sternutationis conuulsiuum motum Epilepsia aut suscitetur, aut exasperetur: Nam aliud est in apoplexia vel comate aliisque affectibus soporosis, ubi excitandi sunt spiritus: aliud in Epilepsia, in qua spirituum exagitatio & orgasmus nimius potiùs sedari, quàm per sternutationem excitari debet. Est enim sternutatio per se motus conuulsiuus, & quasi particularis thoracis conuulsio & epilepsia. Propterea loco talium potiùs *salia acria uolatilia macra*, fortiter penetrantia, eorumuè spiritus, in uitro longi colli naribus admouenda erunt; v. g. spiritus salis ammoniaci cum calce uiua, qui penetrans est, sal uolatile & spiritus urinæ, & similia; aut urgente necessitate naribus ac linguę instillanda, ut excitentur epileptici:

Vel

℞. *Pulv. rad. Helleb. nigr.* ℥ß.
Salis vol. sal ammoniaci, vel urinæ, vel Cornu cervi ℈j.
Sacch. albiss. ʒj. vel q. s.
M. f. pulvis: S.
Pulvis sternutatorius.

Suffitus succini admodum convenit etiam in suscitandis epilepticis; aut etiam *olei destillati succini*, guttæ tres, quatuor vel quinque, in aqua appropriata intus propinatæ, in paroxysmo optimè conducunt, quæ tamen extra paroxysmum lædere dicuntur. Quin & similia spirituosa antispasmodica volatilia & discutientia, v. g. ex spiritu theriacali simplici & camphorato, cerasorum nigrorum, sanguinis humani, salis ammoniaci simplici, succinato, lavendulato, urinæ, sale volatili succini, castorei, essentia castorei, liquore cornu cervi succinato &c. de quibus *suprà dictum*, per os iniicienda in paroxysmo, ut faciliùs & citiùs ad se redeant ægri: e. g.

℞. *Aqua Ceras. nigr.*
Flor. salviæ,
Tiliæ an. ℥j.
Spiritus theriacal. camph. ʒij.
Liqu. Cornu cervi succin. ʒiij.
Syr. ex succ. Pæon. ℥j.
M. S.
Potio epileptica.

Vel

℞. *Aquæ ex tenell. cerv.* ℥iiß.
Cerebr. human. ℥j.
Spiritus sangu. human. ʒiß.
Salis vol. Succini gr. xv.
Syr. de Stœch. Arab. ℥j.
M. S. ut antè.

Successivè infundatur in os, donec ad se redeat æger: quibus etiam *Castoreum* addi potest.

Huc etiam spectat pulvis epilepticus antimonialis.

De cætero revellendo & avocando quasi in paroxysmo quoque agunt frictiones extremorum, & partium convulsarum extensiones; quas tamen moderatas jubent SENNERTUS *loc. all. pag.595.* DECKERS, & WILLISIUS *loc. all.* partim ne duobus laboribus fatigetur æger, partim ne materia peccans motu externo cohibito intra cerebrum retineatur, partim ne ossa luxentur aut frangantur. Hujus etiam loci sunt ligaturæ, communicationem spasmodicam inhibentes, si scilicet ab extremitatibus Convulsiones inchoentur: vid. BARTHOLINUS *Cent.6. Hist. 78.* DECKERS *in Praxi Barbett. pag.2.* & SALMUTH *Cent.1. obs.90.* Item huc spectant spinæ dorsi & extremorum per nervina inunctiones, imò rubificantium usus: vid. *Hollerius lib.1. de Morb. internis cap.15.* & HEINRICUS ab HEER *obs.24.*

Lingua, in paroxysmo vehementiùs sauciata à dentibus, curatur inspersione *pulveris lapidum cancrorum*, & illinitione *extracti* cujusdam *vulnerarii saccharati*: Vid. Misc. A. N. C. *Ann.4. & 5. obs.209. pag.195.*

ARTICULUS II.

DE

CONVULSIONE TONICA.

MOdò dicta *in genere* omni Convulsioni, & *in specie* Convulsioni clonicæ seu epilepsiæ, conveniunt: Sed præter dicta in *Convulsione* partium *tonica*, dum pars convulsa rigida manet, ac metus est, ne omninò contracta permaneat, quædam adhuc monenda sunt.

CAUSÆ.

Causa hujus Convulsionis in specie sic dictæ est *irritatio partis nerveæ*, admodum sensilis continua, in eodem loco, & eodem ferè modo. Cujus occasione continuata nec interrupta copiosè influunt spiritus animales, & ita in continuata contractura fibras, & consequenter partem ipsam retinent. *Irritatio hæc* nunc est *manifesta*, seu ab agente, quod sensibus patet, inducta; nunc est *occulta*, seu ab agente minus sensili nata. *Ex manifesta* irritatione fit *Convulsio in venæsectione*, si nervus lædatur punctim: item *in purgationibus* nimiis, qua ratione ex assumptione vitrioli albi vel *Gillæ vomitivæ Theophrasti*, Convulsionem triginta horarum lethalem refert HEER *observ.26.* Pariter *antimonialia & Mercurialia* non ritè pręparata, & intempestivè adhibita, eandem dant calamitatem: De *Euphorbio* simile exemplum habet TULPIUS *l. 1. observat. 15.* Item *læsiones* partium *externæ*, ut cum ex fractura tibię, ex ictu scopleti, spasmum opisthotonum, tandem tetanum, & sic mortem notavit HOECHSTETTERUS *Dec.5. cas.6.* Sic ex clavo pedis digito infixo opisthotonum refert SCHENCKIUS *in observat. ubi de Convulsion.* Per venę sectionem lęso nervo convulsio lethalis oborta, referente SCHENCKIO *loc. cit.* Ex lęsionibus nervorum in cruribus spasmum cynicum *idem* notat. Et in genere, quęvis *læsiones nervorum*, membranarum, tendinum, pręcipuè in articulis, Convulsiones inferre solent. *Vulnera* capitis quoque huc pertinent: Siquidem ex cutis vulnere in latere sinistro capitis spasmum ingentem cynicum, & universi corporis tetanum, observavit HILDANUS *Cent.5. obs.9.* *Mercurialia unguenta* huc pertinent, ex quorum usu Convulsionem capitis ad latus sinistrum, ut nasus & humerus rectâ lineâ copularentur, &c. refert BARTHOLINUS *Cent. 4. Hist.48.* Conf. HEURNIUS *de Affect. Capitis cap. 23.* De-

23. Denique ex epota aqua forti membrorum insignem contractionem uideb. in BARTHOLINI *Act. Med. Hafniens. Volum.1. pag.210.* Acida enim quodammodo corrugant partes nerueas; quod patet in corio, quod cum acido se corrugat, cum alcalibus non; Unde etiam lacticinia, quę acidum temperant, tales curant.

Quoad irritationem occultam: non rarum est, *febres* quaīuis, præsertim *acutas & malignas* male judicatas, terminari in Convulsiones: sic *Conuulsionem à tertiana* per metastasin febrim soluisse, testatur BARTHOLINUS *Cent.1. Hist.93. Ex erysipelate* & febre spasmum opisthotonum refert SCHENCKIUS *in Observ.* Hinc *podagra* laborantibus superuenit interdum conuulsio, contra GALENI assertum: de quo uid. HOEFERUS *Hercul. Med. pag.14.* Nec rarum est, in *arthriticis*, item hypochondriacis, & similibus, si acidum illud uolatile peccans se insinuet profundiùs in partes musculorum fibrosas & tendinosas, easdem rigidas, duras & intractabiles reddat, ibidem nutrimentum earum spermaticum chylosum coagulari, & in materiam tartaream quasi gypseam transire; Unde omni penitus motu sublato, pars ista postmodum contracta & immobilis manet. Pertinent huc *varia recrementa intra cerebrum deposita*, spasmos inferentia: sic RHODIUS *Cent.1. obs.49.* refert de muliere convulsa, in qua omnes cerebri uentriculi *sero limpido biliosa* referti fuerunt, ex quibus etiam in spinalem medullam profluxit: Et SCHENCKIUS in opisthotono mortui capite duo cochlearia *aquæ acris* intra membranam duram & cerebellum invenit. Facit huc observatio TULPII *Cent. 1. cap.32.* ubi Convulsiones corporis cum dolore capitis, expulso *pure* ex naribus, curatæ. Huc quoque referendi vermes, brachiorum pedumque contracturas excitantes: quo in casu tamen utplurimum tumor ventris simul adest: vid. FORESTUS *lib.10. observat. 117.* SCHENCKIUS *l.1. observ.217.* DRAWIZIUS *de Scorb. Tit.2. pag.127.* M.A.N.C. *Ann.3. obs.62. & Ann 6. & 7. obs. 136.* Denique in India Orientali *epidemicum malum* est varii generis *Convulsio*, de quo eleganter scribit BONTIUS *de Medic. Indorum cap.2.* Pertinet huc *spasmus flatulentus*, vulgò dictus Germ. *der Krampff*, non crura saltem, sed etiam alia musculosa loca subinde affligens, ex subtili acri humore seroso, musculos subinde affligente, oriundus.

Ex dictis patet, quodnam sit *subiectum Convulsionis*? ita quidem, ut nunc in ipso *subiecto inhæsionis* seu parte contracta simul sit fomes seu radix mali seu *subiectum radicationis*, nunc verò differant; unde *Convulsio* partis, nunc *per essentiam*, nunc *per consensum* esse dicitur.

CURA.

Quoad *Curam*: In hac imprimis *causa removenda*, partes nerveæ leniendæ, ac *irritatio* earum *sopienda*; hinc eædem roborandæ, adeoque semper *universalia* præmittenda sunt: quæ inter *clysmatum* injectio perquàm proficua observatur, sicuti urgente interdum graviore dolore simul ad *opiata*, sed appropriatis mista, accedendum.

Remedia interna sunt quælibet *Carminativa*, *Cephalica*, & *antepileptica*, in specie *castoreum*, & omnia ex hoc ipso præparata, salvia, lavendula, succinum, rosmarinus, ejusque *decoctum*, *spiritus vini theriacalis*, *spiritus vini camphoratus*; item pertinaciori in malo *decoctum lignorum*, præsertim *Guaiaci & Iuniperi*, sunt optima: hinc *cinnabaris* & quælibet alia epileptica, presertim *uolatilia*, conducunt.

Quoad *Externa*: conveniunt ea, quæ sub forma *inunctionis oleosæ & spirituosæ* applicantur: quę ipsa tamen in genere, quò minus sunt unctuosa & viscida, minusque oblinunt aut infarciunt poros, magisque sunt *penetrantiora*, & spirituosiora, eò melius conducunt. Præ cæteris lumbrici vivi applicati & *lumbricalia* hìc conveniunt: Nempe, *liquor oleosus per deliquium in clibano* ex lumbricis terrestribus, item *oleum decoctionis lumbricorum terrestrium*: quæ ipsa quoque de *formicis* intelligenda sunt. Aut *sequens linimentum*, quod expertus est FORESTUS in Convulsione à cholera, cum intensissimo dolore juncta:

℞. *Olei irin.*
Verm. terrestr. ana ℥ij.
Castor. pulverisat. ℈iv.
M. continuò agitando.

Quo indesinenter fiat inunctio membri spasmo correpti calidè, donec cessent contractiones. Ubi ab inunctione abstinebatur, statim redibant convulsiones; continuata verò unctione cessarunt: Uid. *l.10. obs.110.*

Præterea *spiritus uini crocatus*, *spiritus* aut *aqua theriacalis camphorata*, *essentia ex infusione nervinorum, &c. Oleosa & pinguia* quæ usurpantur, sunt oleum vulpinum, de castoreo, oleum ex catellis, imprimis oleum vel axungia anseris assando destillans ex ansere, simplicibus aromaticis cephalicis & nervinis priùs repleto, optimè confert in Convulsionibus partium externarum. Pinguedo hæc per assationem ita prolecta *Unguentum* dicitur, quo unico saltim Convulsio curata fuit in *Praxi* RIVERII, *ubi de Paralysi, & observat.8.* à PACHEQUO *communicata*, ubi videbitis modum præparandi & applicandi; item *infrà Artic.3. Capit.3. ubi de Paralysi.*

Sunt, qui convulsos & membrorum contractura laborantes sic sanant:

℞. *Urinam veterem*:

Coquunt cum *mica panis siliginei*, addendo parum *asæ fœtidæ*, & ita inungunt parti affectæ.

Porrò *oleum laurinum*, *oleum lini*, cujus inunctione duos tetano affectos curavit RULANDUS *in Curat Empiric pag.51.* Pinguedo humana & canina, (vid. FORESTUS *l.10. obs.122.*) castorei, medullæ animalium. *Olea acriora* ac penetrantiora contra Convulsiones sunt oleum succini, quod cum petroleo mistum, illitum in contractura rigida, à causa frigida occasionali orta, admodum commendatur; *oleum Philosophorum*, *olea item destillata* juniperi, succini, spicæ, terebinthinæ, galbani, hinc *Galbanetum Paracelsi*, in ejusmodi convulsionibus tonicis in usu sunt: quibus etiam subinde *oleum de Euphorbio* additur, quod optimum, sed quia nimis forte, cautè adhibendum. Hinc

℞. *Olei Terebinth.*
Lumbric. terr. an. ℥iß.
Pingu. human. ℥j.
Canis ℥ß.
M. f. Litus:

Quem habet SENNERTUS *l.1. Prax. Part.2. c.28. pag.569.* Vel

℞. *Pingu. human.* vel *canin.* vel *anser.* ℥iij. ad jv. vel vj.
Ol. destill. terebinth. ʒiij.
Bacc. junip. ʒij.
Spicæ ʒß.
M. S.
Unguentum membra confortans.

PENOTUS sequens *linimentum* mirè prædicat ad Convulsionem brevi tempore dissolvendam:

℞. *Olei terebinth.* ℥ß.
Dest. Caryophyll. gutt.vj.
Mucil. bryon. q. s. pro consist.
Misc. & inunge locum affectum.

Item spiritus theriacalis camphoratus cum castoreo mistus, aqua hirundinum cum castoreo, & similia, externo usu sunt egregia.

Denique *unguentum spasmodicum Mynsichti*, *nervinum*, *dialthææ*, *&c.* commodè applicari possunt, imponendo desuper *emplastrum nervinum* usitatum.

Hæc in genere.

Speciatim si est Convulsio ex *læsione nervo* per puncturam in inepta venæ sectione, convenit, si vulnus dilatetur, & *olei destillati terebinthinæ* calidi pauxillum instilletur; vel *oleum laterinum*, vel *oleum ceræ*, hoc modo applicetur: quę optima sunt. Sed conferatur in specie hìc SYLVIUS *l.2. Prax. ubi de Convulsion. cap.23. §.84.* ex PARÆO Vel hoc ipso in casu, si vulnus fuerit grandius, ut imponi possit emplastrum, imitetur SCULTETUS, qui in *Armam. Chir. obs.64.* sequens commendat:

℞. *Euphorb.* ℈j.
Terebinth. ℥ß.
Ceræ parum.

Mista dant emplastrum, quod talibus læsionibus vel solitariè, vel permistum *oleo terebinthinæ*, desuper applicatum est nobile.

Quodsi verò fiat, ut post scarificationem & venæsectionem ineptam pars quædam dolens aut tumida fiat, tunc ad imitationem RULANDI

℞. *Pingu. Vulpis,*
Taxi an ℥iij.
Ol. dest. spicæ ℥ß.
Mastichin. ℨij.
Vini ℨij. vel ℨiij.
M. ad ignem.

Illinatur crebrò calidè totum membrum.

Pertinet huc balsamus spasmodicus Mynsichti, & pinguedo anserina *suprà laudata*, sicut in dolore, tumore, ac livore partis *Cataplasma* sequens egregium est:

℞. *Herb. agrimon.*
Cherefol.
Flor. Chamomill. an. M.j.
Rad. Consolid. mai. ℥iij.
Sigill. Salom. ℥j. ad ℥iß.
Sem. lini,
Fænugræc. an. ℨß.
Coqu. in f. q. *aquæ simpl.* ad consistentiam Cataplasmatis:
Per setaceum traiiciatur, & subinde applicetur,
D. S.
Cataplasma contra tumorem.

Si ex *luxatione articulorum* aut ejus restitutione superveniat convulsio, quomodo curari debeat? vid. SCULTETUS *in Armament. Chirurg. Tab.*8. *obs.*28. *pag.*74. *Edit. Venet.*

Quodsi ex vulnere partis fiat Convulsio, illinatur pars oleo seu potiùs *liquore oleoso lumbricorum terrestrium, oleo destillato terebinthinæ*, vel vulneri instilletur *balsamum sulphuris terebinthinatum.*

Quodsi fiat Convulsio ex ictu venenati animalis, vel in leviore malo *oleum scorpionum* illitum convenit; *vel* in graviore *cucurbitulæ scarificatæ*, vel *cauterium actuale* supra partem læsam imponatur, aut etiam *emplastrum magneticum arsenicale*, malaxatum cum *oleo bufonum* aut *scorpionum*, imponatur. Internè *theriaca* cum *gentiana* mista propinetur, imperando subinde sudorem.

Si ex hypercatharsi, vel violentiore purgante oriatur Convulsio, internè *opiata & theriacalia* sufficiunt.

In spasmo flatulento seu Cramba frictio levis partis aut panno aspero & calido, aut manu calida, intincta *spiritu baccarum iuniperi* aut spiritu theriacali, vel spiritu vini rectificato, vel inunctio pauxillæ theriacæ, cum aqua juniperi, statim cessare facit malum. Vel si malum sit gravius, fiat refugium ad expertum *Unguentum Cratonis τῶ κρατῶν*:

℞. *Axung. anser. rec.* ℥iv.
Ol. dest. Caryophyll. ℈ß.
Cinnam. gutt. v.
M. pro curando spasmo ventoso seu Cramba.

Nervi ungulæ alcis à quibusdam circumligantur membris spasmo obnoxiis.

In spasmo gravidarum præsertim flatulento euporiston est *matricaria*: Herba illa contundatur, ut fiat succulenta, imponatur cervici, nunc sola, nunc *verbena* mista.

In *Contractura* à causa interna *volatilia* acidum corrigentia, & hinc *temperata*, illud obtundentia, & succum nutritium laudabilem suggerentia, sunt optima. Sic *Contracturam* totalem *ex arthritide* relictam, continuato *lactis usu* curavit TACKIUS *in Phas. Soph.*2. *pag.*128.

ARTICULUS III. DE TREMORE.

Locuti sumus hactenus de convulsione, motibusque convulsivis & morbis, qui huc faciunt: quibus affine malum est *Tremor*, in quo cum motu naturali & voluntario simul aliquid convulsivi concurrit, dum in motu membri, v. g. sursum erecti, membrum subinde remittitur, & in contrariam nonnihil partem abducitur, prævalente tamen motu intento primario. Unde prout *ratione graduum* Tremor est vel *maior* vel *minor*, sic etiam vel *simplex* est, vel *convulsivus*: Simplex est *minor* & vulgaris *Tremor*, qualis v.g. post crapulam, aut post affectus animi graviores, in specie iracundiam, subinde apparet: Tremor verò convulsivus est *maior*, & qui interdum in remissione paroxysmorum epilepticorum accidit, donec omninò cesset cum ipso paroxysmo. Et dicitur hic *Tremor Convulsivus, σπασμώδης τρόμος*. Adeò ut Tremor ad motus corporis depravatos omninò revocandus sit; Quia in tremore ægri membra liberè movere, & protensa ac suspensa sufficienter continere nequeunt, quin vibratione potiùs, & modò subsultatione, modò declinatione varia, depravetur motus, sive totum corpus omnesque artus quacunque ratione, sive unum tantum alterumve membrum particulare ita sit affectum.

CAUSÆ.

Tremor ipse *nunc* est *universalis, nunc particularis*, nunc *magnus*, nunc *parvus*. Vulgò *Causa Tremoris* reiicitur in *facultatem motricem debiliorem & gravitatem membri*, ita ut illa sufficienter movere membrum nequeat, quia hujus gravitas ob facultatis motricis imbecillitatem præponderat. Sed quacunque ratione explicetur hæc sententia, & quicquid etiam intelligatur per *facultatem motricem*, tamen insufficiens est. Ratio, quia in Tremore omninò sufficienter movetur membrum, extenditur pes, arripitur aliquid brachio & manu, & etiam retinetur, sed depravatè. Vitium nempe cujusdam inquietudinis, & præterea inordinati membri motus, adjunctum est, adeoque non *imminutè*, sed *depravatè*, membrum movetur. Facultas enim motrix debilitata præsupponit motum imminutum, non depravatum. Deinde si oriretur Tremor à *facultatis motricis* imbecillitate, ut dicunt, tunc non fieret Tremor, sed tantùm fieret tardior & imbecillior membri motus, non verò depravatus.

Causa igitur *genuina* Tremoris est *actio duorum pluriumvè musculorum simultanea*, seu eodem tempore instituta, sive sint antagonistæ musculi, sive non, sed tantùm tales, qui aliquomodo ad membri motum concurrere solent, vel eum adjuvant. *Inter* tales musculorum *actiones*, alia est *principalis* & intenta, alia minùs *principalis* & præternaturaliter adjuncta; Ita est dum *unus* musculus brachium extendit, *alter* simul agens eundem nonnihil torquet & flectit, vel alio modo vitiosè movet: unde *prior* actio dat motum voluntarium intentum; *posterior* verò dat motum præternaturalem & convulsivum quasi supervenientem, quibus junctis emergit Tremor.

Causa duplicata hujus *musculorum præternaturalis actionis* sunt *spiritus animales*, qui uti naturali motu influentes movent membra naturaliter, ita etiam præternaturali motu *depravatè* eadem agitant: Et quidem *vitium spirituum* animalium *in Tremore* est talis motus inordinatus, ut cùm in unum musculum agiliùs & copiosiùs influere debeant, motu ferè uniformi in geminos seu binos pluresvè distinctos distribuantur, & ita difformem motum inducant; idque vel ex *proprio uitio*, licèt rariùs, vel ex *uitio* ipsius *partis recipientis*, idque frequentiùs.

Proprium uitium est, cùm iidem spiritus confusè admodum & inordinatè moventur in affectibus animi gravioribus, ita ut pro voluntatis arbitrio minùs ordinatum motum instituere queant, v.g. in ira, metu, terrore, & similibus. Et cùm iidem facultate narcotica sunt nonnihil fixiores, depravatè & inordinatè per nervos feruntur: Qua ratione post *potum uini generosi* nimium ex vi ejus narcotica membra subinde tremunt; non secus ac post inconcinnum *narcoticorum* usum, v. g. opiatorum, hyoscyami, &c. unde utplurimum Tremores magis universales fiunt: sic FONSECA *l.*1 *Consil.*38. Tremorem ex largo *uini* ejusque semicorrupti *potu* refert: Conf. BARTHOLINUS *Cent.*5. *Hist.*38. ubi varia Tremoris exempla habet. Sed hujusmodi tremores magis *transitorii & accidentales* videntur & qui facilè denuò cessant.

Partis recipientis vitio fit Tremor, quando vel *neruus*, per quem influere, vel *musculus*, in quem euibrari debent spiritus animales, ita sunt uitiati, ut ob poros aut meatus in situ mutatos & malè conformatos, aut propter fibras non legitimè sitas aut dispositas, aut etiam propter quosdam meatulos, ob lapsum uel ariduram, aut causam aliam uariam, omninò interceptos uel obstructos, legitimus motus spirituum animalium nonnihil peruertatur, ita ut & in musculum primario motui inten-

intento destinatum, & simul quasi quadam deviatione in vicinum ferantur. Sæpiùs enim in Tremore aliquid *irritativi* circa nervi principium, progressum, aut insertionem occurrit, cujus occasione sub motu voluntario spiritus influi non præcisè ad determinatum musculum, sed simul ad alios vicinos ferantur, sicque tremulum motum inferant. Hinc CASTRO *Tract. Quæ ex quibus, pag.* 102. Tremores qui febribus superveniunt, reverà motus convulsivos esse asserit; & HOECHSTETTERUS *Decad.* 4. *cas.* 7. *pag.* 415. Tremores ad convulsivos motus non absurdè refert: adeoque in omnibus *Tremoribus gravioribus* plus minus *inveteratis* aut *habitualibus* aliisque, ad partem ipsam spirituum motum recipientem respiciendum est.

His ipsis *causis* ac *fiendi modis* facilè *Causæ remotiores occasionales* accommodari possunt: quas inter eminent imprimis fumi Mercuriales, auri & argenti; hinc enim operarii, qui talia tractant, v. g. *aurifabri*, subinde tremunt. Item qui incautè *cingulo sapientiæ* seu Mercuriali contra scabiem utuntur, subinde Tremore corripiuntur. Ad tremorem etiam sepè disponit Venus nimia, & nimia partis refrigeratio. Sic BORELLUS *in Obs. Cent.* 1. *observ.* 84. Tremorem à nimio frigore venæ sectione curatum refert. Hinc etiam *potus* nimis *frigidorum*, v. g. copiosæ aquæ frigidæ in febribus, aut *potus nive* vel *glacie* immoderatè refrigeratus, Autore SENNERTO, ubi de Tremore, interdum Tremores partium inferunt. Excretiones sanguinis salutares suppressæ & ipsæ suo modo Tremorem inducunt; aut saltim mala Tremori vicina, quæ inter sunt primariò *mensium* & *lochiorum suppressiones*, item secundinæ *fœtusque motui retentio*: vid. LANGIUS *lib.* 3, *Epist.* 1. qui refert Tremorem brachiorum & cordis ob defectum evacuationis lochiorum in puerpera. Facit huc etiam observatio curiosa FORESTI *in lib.* 10. *Obs.* 101. ubi mulieri ob obstructos menses vitio uteri singulis diebus vapor quidam seu spiritus adscendebat, potissimùm sub noctem, ex imo ventre, qui tandem repens per venas, & arterias, etiam colli, ita ut ipsam & ibidem interiùs sentiret, qui ad musculos maxillarum adscendens, ad tempus hærebat, palpitationem quandam & jectigationem manifestam inducens, mox in genis ruborem inferens & dolorem, sine tamen epileptica procidentia, per *uterina aperientia* autem curata fuit. Idem FORESTUS *Obs.* 10. mulieri fluentibus mensibus mense Majo venam secavit, unde menses statim retracti ad superiora & restricti fuerunt: post singulis mensibus minùs profluebant, & semper eodem tempore simul experiebatur palpitationem tremulam in brachio, eodem speciatim in loco, in quo venæ sectio priùs fuerat instituta, non sine molestia ac magno dolore, atque hæc singulis mensibus patiebatur: tandem ad ciendos menses factâ venâ saphænâ curata fuit. Fuit hic affectus similis tantum Tremori.

Denique notum est, quod in febribus malignis etiam interdum Tremor, sicut convulsio non rarò supervenit: Sic etiam EPIPHANIUS FERDINANDUS *Histor.* 41. observat tremorem criticum tertianam continuam solventem. SALMUTH *lib.* 3. de Tremore periodico exemplum *habet*.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*: Tremor seipsum oculis prodit, tàm universalis quàm particularis, tàm magnus quàm parvus. Et ab aliis affectibus, in specie paralysi, & motibus convulsivis propriè sic dictis, ex eo distinguitur, quod semper conjunctus esse soleat cum motu voluntario, cui supervenit: Nisi enim membrum moveatur voluntario motu, aut extendatur, nunquam Tremor oritur; v. g. manus vix unquam tremit, aut pes, nisi ad cursum adigatur, ita ut semper motui voluntario conjungatur Tremoris symptoma: In motu verò convulsivo, ipso ægro nescio, ac præter voluntatem ejus, motus convulsivi accidunt.

Diagnosis causarum ex antecedentibus & adjunctis circùmstantiis facillimè cognosci possunt: Si enim vitium sit spirituum animalium, & alia signa facultatis, ut vocant, animalis læsæ simul notantur: Si verò in ipsis membris resideat vitium, ferè particulare est symptoma, præcesserunt causæ speciales, membrum unum aut alterum plus minus lædentes.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Per se nihil periculi portendit.

Si superveniat, aut succedat *paralysi*, non est malum; indicium enim est paralyseos remittentis, & motus naturalis nonnihil redeuntis.

Tremor ipse *à causis internis* pendens, utut in se non sit periculosus, quoniam tamen facilè degenerat in alios graviores affectus nervinos, v. g. in *paralysin*, *apoplexiam*, *lethargum*, *spasmum*, &c. ob id ratione horum consequentium, non est negligendus.

Tremor senum vix curari potest, quia utplurimum hos ad mortem comitatur.

Tremor hæreditarius, seu cujus parentes simili affectu laborarunt, item qui ex vitiosa diæta successivè genitus, sed jam confirmatus est, in his rarò etiam perfectè curatur.

Tremor si permutetur in convulsionem, periculosum est.

Item, *si in febre ardente* Tremoribus succedat delirium ex metastasi materiæ morbificæ, periculosum est; cùm delirium periculosius sit symptoma, quàm Tremor, imprimis si ex metastasi oriatur materiæ.

„ Item HIPPOCRATIS est prænotio: *Qui tremores*, „ inquit, *ad manus resiliunt*, *mali sunt*. Interdum enim, si ægri manus attentè consideratur aut attingatur, contremiscentem illam quasi subitò revelli animadvertimus. Est spasmus tromodes, seu motus ex convulsivo & tremore compositus, & periculum non leve portendit, imminentem scilicet convulsionem, similiaque pathemata, idque in specie in febribus ardentibus.

Tremor, *qui supervenit mulieribus* post partum, ex retentis quibuscunque in utero, periculosus est affectus; subinde enim epilepsias lethales infert.

Et denique *Tremor* in apoplexia aut lethargo accidens, malum signum est, prostratæ scilicet ferè penitus facultatus animalis, ejusque functionum.

Si Tremor est *in labio inferiore*, notum est sequi vomitum; qui tamen Tremor in labio est potiùs motus convulsivus, quàm reverà Tremor.

CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac *removendæ* imprimis sunt *causæ* quæcunque remotæ; hinc *appropriatis nervinis* & *cephalicis*, tàm *internis* quàm *externis*, Tremori succurrendum; quæ inter sunt omnia ea, quæ in paralyticis, apoplecticis & convulsivis morbis conveniunt. Adeoque *pro varietate causarum* determinanda nonnihil cura: *in malignis* nempe usurpantur *alexipharmaca*; in retentis vitiosis *uterinis* usurpantur expellentia ex secundina: *si ex fumis metallicis* & *Mercurialibus*, imprimis *mineralia* conducunt; cùm minerales morbi nonnisi per remedia mineralia curari queant: Quodsi evacuandi sit scopus in Tremore, pilulæ arthreticæ officinales, aut extracta catholica, aliaque laxativa cum Mercurio dulci in usu esse solent.

Aliàs *remedia appropriata* ad Tremorem sunt, ut dixi, *nervina* imprimis, tàm interna quàm externa. Hæc inter sunt primariò *salvia*, & quæcunque ex hac parata. Inter plura autem Essentia salviæ, spiritus salviæ, &c. quâ ratione FORESTUS *lib.* 10. *obs.* 99. *cerevisiam salviatam* pro potu ordinario mirè commendat: dicit enim se novisse artificem valdè trementem, qui continuè hac cerevisiâ salviatâ utebatur, & etiam salviâ crudâ, cum pane butyraceo, aut salviâ præparatâ cum cibis; unde sic tandem beneficio salviæ à tremore liberatus fuit. Unde etiam *essentia salviæ* cum spiritu liliorum convallium parata, & cum *essentia castorei* mista, internè sunt usitatissimæ; sicuti etiam pro usu *externo* infusum salviæ cum vino aut aqua, & similia laudantur, si nempe quotidie his laventur manus aliquoties, & per se siccari permittantur: Aut etiam spiritus salviæ infusione castorei impregnatus, vel etiam essentia salviæ, mista cum castoreo aut ejus essentia, fricando aut inungendo partem affectam, usu externo adhiberi solet pro cura Tremoris: Conf. BARTHOLINUS *Hist. Anat. Cent.* 5. *Hist.* 58. Juxta salviam eminet Stœchas Arabica, Primula veris, Rosmarinus, *melissa*, majorana; imprimis melissa, & ex eadem remedia spirituosa parata, ejus & spiritus essentia, item folia melissæ

melissæ in vino generoso vel spiritu vini infusa, præ cæteris sunt egregia in cura Tremoris. Porrò radix acori veri, uti etiam acorus conditus, radix pœoniæ & helenii, semenque pœoniæ laudantur. In baccis juniperi uti egregia inest vis nervina, ita speciatim *essentia* baccarum *juniperi* per spiritum vini tantùm parata, spiritusacoleum, malvaticum juniperinum, continuato aliquandiu usu interno & externo, item *Rob iuniperi*, imperando simul sudorem, sunt convenientissima; aut ipsæ baccæ spiritu vini infusæ, ita ut quotidie tantillum hujus infusi bibatur, simulque quotidie decem grana baccarum infusarum devorentur; sic enim & nervi roborantur, & Tremor tollitur: Item *decoctum ligni iuniperi* per modum *diætæ sudoriferæ* propinatum. Sanè in quibusvis facultatis animalis & nervosi generis diuturnis ac inveteratis morbis nil utilius adhiberi poterit, quàm *decoctum lignorum* ritè paratum, & hæc inter in specie *ligni iuniperini* per aliquot septimanas continuatum, præmissâ corporis debitâ evacuatione: Substantia nempe aromatica dicti *decocti* mediante sudore penetrat undique per uniuersi corporis poros ac meatus, dissolvit mucositates, abstergit sordes, purificat sanguinem & corporis habitum, & ita in paralyticis convulsivis Tremoribus, apoplecticis, & similibus affectibus æquè polychrestus eorum est usus, ac in catarrhalibus affectibus. Quidam decoctum aliaque medicamenta ex fraxino, ob signaturam tremuli seminis laudant.

Aromata, ceu egregia ad affectus nervinos per se sunt nota, in specie Nux moschata, Caryophylli, & Cinnamomum. Castoreum & omnia ex castoreo parata, essentia, oleum, extractum, interno & externo usu singulariter laudantur ad curam tremoris: quò etiam facit essentia florum anthos, essentia chamædryos, summitatum hyperici, ambræ, aqua theriacalis Stapediana, pulvis analepticus Mindereri, confectio alchermes, &c.

Cerebrum leporis assatum & comestum ab antiquis admodum laudatur. De hoc ipso refert FORESTUS *lib.* 10. *obs.* 99. sibi esse relatum à Pharmacopœo fide digno, artificem Bruxellensem esu continuo cerebri leporis assati solùm à Tremore liberatum fuisse. Aliàs notum est, quod usus ciconiarum, usus palumborum in cibis, item solum cerebrum palumborum assatum & devoratum, conducant contra Tremores.

In Tremoribus senum nimiis laudatur præ cæteris *fimus pavonis*, cum s.q. spiritus vini vel aquæ vitæ subactus, & in potu usurpatus temporibus matutinis, pro una vice ʒj. sufficit: Vid. BORELLUS *in observ. Cent.* 3. *Observ.* 98. Quæ supra de *oleo buxi*, *corylino*, &c. contra convulsiones fuerunt insinuata, pariter etiam tremori applicanda sunt. Aliàs etiam cinnabaris antimonii, specificum cephalicum, imprimis si ex fumis metallicis, antimonium diaphoreticum, & similia sulphurea antimonialia, cum ossibus humanis præparatis mista & propinata, blandum sudorem expectando, adhiberi solent. Præsertim quidem, si à mineralibus, imprimis Mercurialibus, excitatus fuerit Tremor, insigniter conducunt talia mineralia, ad hoc nempe, ut beneficio eorum eliciatur foras Mercurius, quo sublatâ causâ tollatur effectus. Aliàs decoctum helenii & fœniculi ad eliminandum extra corpus Mercurium, & delendam ejus malignitatem in corpore; tanquam summum experimentum est. Potio ista HOECHSTETTERI *in Observ. Decad.* 3. *cas.* 4 *pag.* 231. & ex eo D. MICHAELIS *in Collegio Practico*, quæ hæc est:

℞. *Rad helen.* ℥ij. vel iij.
Fœnicul. ℥iß.

Quæ infundendæ in *Vini vel liquoris cuiusdam* quartariis quinque, id est, ℔iiß. infusæ per diem naturalem, coquantur ad consumptionem tertiæ partis.

Dividatur Colatura in partes quatuor, bibat æger partem unam manè & vesperi, ac sudet coopertus; sic enim partim expellitur Mercurius sub forma sudoris citrini, partim corrigitur; qua potione utendum, donec talis color non videatur ampliùs.

Aliàs in tali casu remedia *solaria*, ac ipsum adeò *aurum foliatum* assumptum, non omittenda sunt; Mercurium enim alliciunt, & ita è corpore secum rapiunt. ZACUTUS LUSITANUS inungit unguentum ex auro, quia Mercurius se subitò jungit auro. Ut ergò hic ipse eliciatur ex corpore, tale unguentum erit admodum conveniens.

Inter *Externa* contra Tremorem quemcunque, à quacunque causa excitatum, ceu singulare & indubitatum experimentum commendat FORESTUS *lib.* 8. *obser.* 5. frictionem & lotionem membri cum urina propria recens excreta: Loco cujus *spiritus formicarum*, item spiritus *lumbricorum* terrestrium, qui præ cæteris palmam præfert, & cum his paratæ aquæ articulares ad extra, item spiritus *salis ammoniaci* conducunt pro fricandis membris, præsertim nucha & spina dorsi, in loco benè calido.

Vel

℞. *Aquæ articul. ad extr* ℥iij. vel iv.
Spirit. lumbr. terr. ℥iß.
Formicar. ʒvj. ad ℥j.
Ess. Castor. ʒiij. vel ʒß.
M. D. S.
Externa aqua articularis.

Aliàs partibus trementibus utiliter PETRUS à CASTRO illinit aquam destillatam ex urticis minoribus, Germ. *aus den Eyter-Nesseln*, ut vocant, mense Majo collectis & destillatis. Tempore somni hac ipsa aqua benè perfricandæ sunt partes trementes, idque sæpiùs repetendum & continuandum. Fraxinus, cùm ejusdem semen sit in continuo tremulo motu, ob id commendatur à quibusdam *Lixivium* impregnatum seu superfusum foliis Fraxini, quo lixivio partes trementes lavandæ, & spontè exsiccandæ; sic enim curari Tremorem asserunt. In malo diuturno conveniunt Thermæ, item Insessus seu Balneum ex cubili formicarum subinde repetitus; egregius enim est pro cura tremoris. De hoc cubili videatur *infrà*, *Artic.* 3. *Cap.* 3 *ubi de Paralysi*.

Præter dicta conveniunt oleum nardinum & costinum, oleum castorei, oleum lumbricorum terrestrium, item oleum laurinum, oleum destillatum juniperi, salviæ, majoranæ, & ex his oleis parata balsama pro inunctione membrorum trementium.

His ita pertractatis, de morbis convulsivis & convulsionibus, pergo ad

CAPUT III.
DE
SPIRITUUM ANIMALIUM MOTU ET INFLUXU ABOLITO.

ARTICULUS I.
DE
APOPLEXIA.

Opposita ferè vitia sunt, *dum omnes functiones animales in sensu & motu constitutæ subitò cessant*, ita ut taliter affectus non secus ac ex improviso quasi fulmine in terram percussus & attonitus jaceat, (unde etiam *Morbus Attonitus & Sideratus* dicitur,) sensus omnis internus, atque externus, ac motus, imprimis tamen spontaneus cesset, simulque *vox auferatur*, *respiratione* ipsa plus minus imminuta, cum aut sine *stertore*, pulsu adhuc nonnihil vegeto & perquàm duro, nisi in statu seu casu admodum periculoso, ubi deficit, interdum est pusillus, interdum verò vix observabilis. Quandò ergò motus & sensus totius corporis ita perit, dicitur *Apoplexia*, Ger. *der Schlagk*: Nempe utplurimum saltem functiones & actus spontanei seu voluntarii læduntur, minus verò motus naturalis, utut interdum & hi afficiantur: (cordis motus:) *color faciei & oculorum* utplurimum rubet, facies tumida est, & corpus simul calet, utut interdum & in paroxysmo diuturniore facies pallere observetur: *Membra* omnia sunt *laxa*, & si brachium vel pes levetur, pondere suo statim dilabitur: Æger fortiter tactus, irritatus, vel acclamatus, nec sentit nec loquitur, ore hiante, & interdum *stertente*, profundum dormit: Resolvitur subinde simul vesicæ & ani sphincter, unde *fæces alvi*, aut injecta enemata, & urina inscio sponte sua & involuntariò effluunt. Verbo: Apoplectici non differunt à mortuis, nisi quod supersint vestigia respirationis, pulsus, & aliquis color in facie. Supervenit tandem & spuma circa os, unde respiratio cessat. Hæc dum ita fiunt, est *Apoplexia* universalis seu fortis. Dividitur enim communiter ratione pulsus & respirationis superstitis in *levem*, *vehementem*, *fortem*, & *fortissimam*; ita ut in priore pulsus & respiratio sint adhuc

satis

satis naturales, in reliquis speciebus magis magisque deficiant cum sudore frigido; & quidem in *forti* cum stertore & spuma, in fortissima respiratio ad sensum omnis aboleatur, pulsus verò languidus, parvus ac celer, evadat. Deinde *ratione subiecti* dividitur Apoplexia in *universalem* & *particularem*; quatenus illa cum capite totum corpus: hæc modò dimidium caput & trunci mediam partem affligit, diciturque *Hemiplegia* seu *Hemiplexia*; nunc capite integro omnes partes corporis attonitas reddit, & peculiari nomine destituitur; nunc hoc vel illud tantum membrum motu ac sensu subitò privat, sub Paraplexiæ & Paraplegiæ nomine. *Hemiplexia* est *affectus talis dimidii corporis*, quando homo quoad omnes, vel dexteras vel sinistras tantùm, partes ita afficitur, inde à sagittali sutura per mediam lineam exactè usque ad perinæum; ita ut mirum sit, quod ad sagittalem usque suturam una saltem medietas privetur sensu & motu, altera verò & sentiat & moveatur: Sic in talibus dimidia lingua nihil sentit nec movetur, altera verò medietas utrumque præstat. Denique addit his LINDANVS quandam *speciem Apoplexiæ*, hactenus innominatam, seu *quæ proprio nomine caret*, quando nempe toti corpori *perit sensus & motus excepto tantum capite*, ubi quicquid infra collum est, manus, pedes, &c. omnia resoluta sunt & attonita jacent, excepto solummodò capite, in quo lingua loquitur, aures audiunt, &c. quæ ipsa species rarò quidem, interdum tamen, observatur. Quoad ultimam Apoplexiæ speciem, *Paraplexiam* seu *Paraplegiam*, ea tantùm *in uno alterove membro*, majore vel minore, contingit, ut eius sensus & motus subitò in totum pereat, & privetur iisdem. Hanc ipsam tertiam speciem, qui modus Apoplexiæ particularis, Autores passim solent referre *ad paralysin*; sed malè, ut rectè demonstrat & asserit etiam LINDANVS, HIPPOCRATES, ARETÆVS (qui etiam fuit Græcus) & alii Autores, imò omnes antiqui, qui distinguebant accuratè Paralysin ab Apoplexia: & quos affectus ex interna causa natos hodiè ad paralysin referimus vulgò, illi ad Apoplexiam retulerunt, quod nisi faciatis, nemo commodè explicare poterit, quid sit *Apoplexia levis*, & Apoplexia *vehemens*? Genuino enim sensu apud Veteres Paraplexia vocari solet talis affectus, quia fiendi modo, curatione & symptomatibus quibuscunque talis particularis Apoplexia cum universali convenit: unde Apoplexia universalis in paraplexiam desinere solet: quo sensu „ etiam *Aphorismus* HIPPOCRATIS *sect.* 2. *aphor.* 42. „ *Apoplexia levis facilè solvitur*, *Apoplexia vehemens* „ *nunquam sine febre*, interpretandus venit. *Commentatores* super hunc aphorismum variè se torquent, GALENUS obiter transcurrit, & ipse CARDANVS, qui explicat, tantummodo Grammaticum agit, non Medicum: Sed ex dictis explicatio facilis est, dum per *vehementem Apoplexiam* intelligit LINDANVS illam totius corporis *universalem*, & de illa nemo curatur, nisi superveniat febris; per *Apoplexiam verò levem* intelligit vel *hemiplegiam* vel *innominatam*, vel aliam. *Levis* est dicta respectu nempe totalis & *universalis*, & videmus quod tales hemiplectici diu supervivant, cùm omnes affectus apoplectici & paralytici sint difficulter curabiles. Quando ergò sensus & motus corporis ita perit, vel *in toto*, vel *in parte*, quæstio est de *causa*; quæ hujus cessationis subitaneæ actionum omnium animalium? Per motum enim æquabilem spirituum animalium in cerebro & cerebello, & ex his per nervos in partes organicas, fit sensus & motus, & omnis animalis functio, uti superius aliquando præsupposui ex Physiologicis. Cessante ergò hoc motu spirituum animalium æquabili & naturali, etiam cessat subitò omnis animalis actio. Vnde facilè patet. Quod Apoplexia sit affectus, qui affligit vel partem principalem, unde sensus ac motus dependeant; vel ministeria sensui ac motui dicata, & quidem remotè, quod in apoplexia non affligantur proximè organa sensui ac motui dicata, patet; quod his salvis & sine eorum alteratione ingruat & cesset Apoplexia. Revera *ergò in spiritu animali hærebit causa Apoplexiæ*.

CAVSÆ.

Circa *Causas Apoplexiæ* considerandæ sunt & *causæ generationis*, & *causæ permutationis*. *Causa proxima generationis formalis* est deficiens spirituum animalium motus *in cerebro*, interdum simul etiam *cerebello*, & hinc eorundem cessans influxus in membra reliqua. *Et quidem si cerebelli culpa* fiat, non tàm apoplexia erit, (in qua, nisi fortissima fuerit, saltem *motus spontanei* plus minus abolentur, non verò *naturales* in pulsu & respiratione:) quam *Syncope cardiaca*, in qua cordis motu penitùs sublato, circulationis sanguinis cessatio, ejusdem in cerebrum distributio, & spirituum animalium & vitalium necessaria anαεxio, omninò tollitur, & mox pulsu & respiratione plus minus interdum ad sensum penitus sublatis sine sensu & motu mortuorum instar jacent; *sive sanguinis vitio*, quod rarius, sive *nervorum* cardiacorum culpâ, v. g. *convulsorum*, ut in affectibus hystericis & similibus; sive *spirituum* in suo ex cerebello *influxu* inhibitorum causa eveniat. Confer. WILLISIVS *de Anim. Brutor. Part.* 2. *cap.* 8.

Causa Remota materialis seu occasionalis est vel *interna*, vel *externa*. Vtriusque, præcipuè *internæ*, ratione fit *Apoplexia* vel *accidentalis*, vel *habitualis*: de quibus vid. WILLISIVS *de Anim. Brutor. Part.* 2. *cap.* 8. *ubi de Apoplexia*. *Habitualis* est, quæ post certas prægressas in corpore occasiones, & dispositiones interdum supervenit: *Accidentalis* verò, quæ subitò, interdum fortuitò, sine præcedente certa in corpore alteratione, ægros prehendit: quod frequentissimè à causis externis oritur.

Vtraque est vel *privativa*, vel *positiva*, secundùm HELMONTII doctrinam *Tr. de Lithiasi cap.* 9. *seu ult.* ita distinguendo. *Illa*, *privativa* est, quæ citra directum activitatem in spiritus animales, aut citra peculiarem iis inductam alterationem, saltem impedimenta quædam infert, propter quæ legitimè idem aut generari, aut distribui nequeunt; adeoque talis causa à *posteriori* & *indirectè* saltem, vel spiritibus animalibus producendis materiam subtrahendo, vel eorum motum atque emanationem inhibendo, Apoplexiam infert: v. g. qui *ex suspendio*, (suspendium est Apoplexia,) aut *casu ab alto*, aut *sanguinis* intra cranium *effusione*, aut *meatuum cerebri obstructione* qualicunque, Apoplexiam patiuntur: *Positiva verò Apoplexia* est, quæ à tali fit causa, quæ spirituum animalium crasin & constitutionem vitiare, eosdem ad motum & inde dependentes functiones planè ineptos reddere, & ita narcosi & stupore quodam eosdem afficere, aut instar liquorum fermentescentium Gas eosdem quasi extinguere & suffocare valet: qualis vis in *opiatis*, *carbonum fumo*, *fulmine*, & similibus notissima est.

Quod attinet *Apoplexiam privativam*: ea fit, vel ob *sanguinis deficientem naturalem circulum* ad & per cerebrum, & inde cessantem spirituum animalium generationem, quo sanguinis circulo sublato subitò omnis animalium sensus & motus, & subitò omnis spirituum animalium motus, ex sanguine in cerebro scaturientium, cessat & tollitur; idque vel *viarum* vel *sanguinis* ipsius culpa; vel *ob spirituum denegatum motum* in cerebro, & consequenter effluxum, ob pororum cerebri & meatuum ejus vitium, vel *obstructorum vel compressorum*, sive in ejus *centro* medullari, adeoque in ipso corpore calloso fiat, sive in ejusdem progressibus, scilicet corporibus striatis & caudicis medullaris initio; idque nunc in *universo cerebro*, nunc in *altera* saltem ejus *medietate*: Confer. WILLISIUS, qui de Apoplexia privativa optimè agit; sed de positiva nihil.

Sanguinis motus & influxus ad cerebrum deficit, vel vitio vasorum, arteriarum nempe carotidum & vertebralium obstructione, aut compressione, aut penitus laceratione. Sanguinis hunc motum circularem deficientem, & inde natam Apoplexiam, illustrat *ligatura* fortis collo injecta: hanc enim ligaturam colli, si fortiùs stringas tanquam hominem suspensurus, eo ipso momento, quo arteriæ carotides & venæ jugulares in collo constrictæ sanguinis motum ad cerebrum tollunt, eo ipso quoque momento omnis motus sensusque perit in talibus, utut adhuc ad tempus & aliquot horas supervivant: unde postmodum remoto

moto vinculo dicunt, se nihil vidisse, nec sensisse ampliùs, quod testantur, qui laqueo dissecto liberati fuerunt. Patet hoc etiam experimento Anatomico in canibus, in quibus si facta cutis colli apertione ligentur fortiter arteriæ carotides, ita tamen, ut parvæ arteriæ cervicales adhuc liberæ relinquantur, canis exinde somnolentus, torpidus, & stupidus jacet, & tamen ad biduum ferè supervivit, actionibus tamen animalibus maximè imminutis, de quibus quicquid superest, id obtinet beneficio arteriolarum cervicalium adhuc liberarum, tandem tamen moritur.

Causa ergò hujus *Apoplexiæ*, ut loquitur HIPPOCRATES, est *obstructio venæ*. Per *venam* verò hoc loco tam vena propriè dicta, quàm arteria intellecta fuit apud Veteres. Hic enim mos fuit *Veterum*, non distinguere hæc duo vasa, sed uno venæ nomine ambo nominabantur. Hoc non tantummodò apud HIPPOCRATEM, sed etiam patet hoc ex CELSO, qui inquit: *Venæ credimus rei incertissimæ: ubi arteriæ pulsus minuitur*. Veteres etiam per venam arterias & nervos intellexerunt.

Verùm hìc loci non existimandum est, deficientem influxum sanguinis per unum alterumve arteriarum carotidum ramum inferre Apoplexiam, sed potiùs ex impedito sanguinis per venas refluxu, & hinc ejusdem in cerebri cerebellique confiniis, aut stagnatione aut extravasatione immodica potius, aut externorum comprimentium violentia, v. g. luxatione vertebrarum colli enormi, Apoplexiam oriri, WEPFERO concedimus. *Contra* hanc enim hypothesin, arteriarum nempe carotidum ac vertebralium à causa interna angustiam, & hinc *sanguinis denegatum affluxum* ad cerebrum, rectè & eleganter disputat WILLIS *loco suprà citato*, & majus periculum ex sanguinis abundantia, quàm defectu apoplecticis imminere asserit, cùm arteriæ carotides vel vertebrales mutuis anastomoseis coëant, adeoque quamvis forsan in uno latere arteria sit compressa aut obstructa, alterius tamen lateris arteria sanguinis transcolationem peragere, & totum cerebrum irrigare possit. Unde & SYLVIUS *lib. 2. Prax. cap. 21. pag. 160. §. 36. Edit. Belg.* minùs hoc concedere vult, dum vasa arteriosa obstrui aut comprimi posse, indeque Apoplexiam oriri non putat: ita ut non nisi raram, & saltem propter externæ causæ violentiam talem apoplexiam, *ex denegato sanguinis per arterias influxu* dependentem, oriri æstimem, quin potius propter impeditum circulum *ex denegato refluxu*, & hinc *cerebri* aut *repletione*, aut *compressione*, aut à *sero* extravasato repletione, sicque spirituum impedito motu in cerebro, & impedito influxu ad partes reliquas, Apoplexias hujusmodi privativas, vitio sanguinis circuli contingentes, oriri arbitror.

Causa, verò propter quam *sanguinis refluxus impediatur*, est vel in viis aut vasis, vel in sanguine ipso. In viis vel vasis, quando hæ angustatæ aut ex obstructione, aut ex contusione, laceratione in capite, ruptione, aut anastomosi aperta, & similibus occasionibus, sanguis præternaturaliter in cerebrum vel cerebri ambitum effunditur, ejusque naturalis circulus impeditur: meatus enim cerebri & substantiam plus minus angustando, Apoplexiam infert.

In sanguine verò hæret vitium seu causa ejus stagnationis, quando hic crassus, grumosus, aut nonnihil coagulatus existit, & ita in vasis stagnat aut hæret; sive in vasculis meningum, sive in sinubus cerebri, sive in ramis carotidum aut jugularium, sive denique in ramis pulmonalibus: Nam & in hisce coagulatus existat, *Syncopen cardiacam* aliis dictam, vitio sanguinis natam, aliis verò Catarrhum suffocativum dictum, infert. Nam hic affectus est finitimus & simillimus Apoplexiæ, adeò ut catarrhus talis suffocativus ex sanguinis stasi in pulmonibus, & apoplexia ex sanguinis stasi in cerebro aut ejus vasis, loco tantummodò differant. Stagnante enim sanguine in vasis pulmonalibus ipsoque corde, est Catarrhus suffocativus: *in cerebro* verò & ejus vasis si idem contingat, est *Apoplexia*: Vid. *suprà ubi de suffocativo catarrho, Sect. 14. cap. 3. Artic. 4.* Qua ratione etiam Syncope ab Hermeticis dicitur lunaris ecclipsis: apoplexia verò solaris ecclipsis. Nec ullum est dubium, tales ægros sive à sanguine stagnante suffocatos, sive apoplecticos, eodem modo interfici: Unde etiam teste FRACASSATO *in Epist. de cerebro ad Malpigh.* apoplecticorum vasa sanguifera in pulmonibus interdum admodum turgida, aut penitus disrupta, inventa fuerunt. Facit huc etiam exemplum PANAROLLI de quodam morbo, apoplectico insultui simillimo, orto ex sanguinis copia & una stagnatione. Sed de his & similibus pluribus & Apoplexia ex hac causa nata, vid. imprimis WEPFERUS *de Apopl. & de loco affecto in Apoplex.* Videatur etiam SCHNEIDERUS *Tract. de Catarrhis*, in specie *ubi de Catarrho suffocativo, & de Catarrho sanguinis*.

Communis Veterum sententia est, in Apoplexia *cerebri ventriculos repleri*, & exinde spirituum animalium motum tolli: *Sed experientia testatur*, sæpiùs aliis morbis mortuos exhibuisse ventriculos cerebri repletos & obstructos, nulla autem secuta sit Apoplexia; Sic refert LINDANUS, Amstelodami dissectum fuisse caput viri, qui per tres annos dolore capitis acerbissimo laboraverat, cujus ventriculi ita repleti fuere humore seroso aut limpido, simili lymphæ vasorum lymphaticorum, ut integra Pinta Hollandica exinde potuerit eximi, nunquam tamen fuerat apoplecticus: Sic FERNELIUS exemplum recenset inter alia aperti cujusdam capitis apoplectici, in cujus cerebro nihil noxæ inventum fuit, sed tantummodo in vena juglari repertos esse *sanguinis grumos*: id quod convenit cum NYMMANNI sententia *de Apoplex.* qui sedem Apoplexiæ statuit in torculari Herophili seu loco concursus quatuor sinuum duræ meningis, & dicit, sanguinem abire in grumos, & grumositates ibi stagnantes impediendo motum humorum Apoplexiam inferre: quò etiam videbitis accedere HOFFMANNUM *in Institut.* Ignoravit autem Nymmannus circulationem sanguinis, unde spirituum influxum cum sanguine denegatum causam asserit; cùm potiùs ex impedito refluxu, hinc sanguinis stagnatione, & cessante in cerebro circulo, Apoplexia inde oriatur. Rarissimæ sunt ergò Apoplexiæ ex impedimento sanguinis versus cerebrum, nisi fiant à maxima violentia externa: Sic aliàs notum est ex concusso aut depresso cranio secutam Apoplexiam, ex porulis ac meatibus cerebri nimiùm depressis, & invicem conniventibus; unde & sanguinis & spirituum animalium motus omnino fuit interceptus.

Ex dictis patet, quod *Apoplexiæ causæ proximæ* sint vel impeditus spirituum animalium motus in cerebro, vel impeditus sanguinis circulus per cerebrum. His causis proximis adjungendæ causæ *remotiores*, quæ quacunque ratione proximas inferunt, & per consequens Apoplexiam causant. Hæ verò omnes eò conducunt, quatenus sanguinis, ut & spirituum animalium, influxum & motum, & sanguinis circulum tollunt.

Remotiores causæ, quæ ad Apoplexiam hanc, ex sanguinis deficiente motu oriundam, disponunt, sunt variæ: nempe frigus repentinum aut frigus nimium congelando quasi sanguinem & ita inspissando, ejus motum impedit, aut quocunque modo alterando sanguinem aut spiritus, ad Apoplexiam disponit. Facit huc, quod juxta HIPPOCRATEM *Aphor. 15. & 23. l. 3.* aer frigidus & humidus, hyems, autumnus; item aer aquilonius continuis imbribus irrigatus, ad Apoplexiam disponat: quæ ipsa & confirmantur à FORESTO *l. 10. observ. 70.* E contrà verò æstus nimius aut calor ambiens nimius, liquando nimis massam sanguineam, & ipse disponere potest ad apoplexiam, teste SCHENCKIO *l. 1. Obs. de Apoplex. Obser. 1.* Sic cum quidam in tertiana intermittente die intermissionis se diutiùs exposuisset solis ardori diebus canicularibus, apoplecticorum more repentè concidit, & altero die extinctus est: vid. PISO *de Colluv. serosa.* Forsan & huc pertinet suo modo lauta nimis & larga diæta cum vita sedentaria conjuncta; hinc enim rectè dicit HENRICUS ab HEER *Obs. 18.* quod nos septentrionales imprimis ex ingluvie & comessationibus corripiamur Apoplexia. Quò facit lotio capitis illegitima cum aqua tepida, si scilicet subitò caput exponatur aeri frigido: Exemplum tale observavit AMATUS LUSITANUS *Cent. 1. Curat. 36.* in puella, quæ ex lotione capitis in Apoplexiam incidit, quæ ipsa Apoplexia postmodum in paralysin lateris sinistri desiit (unde dicitur Paralysis, sed est potius Paraplegia.) Ex tumore cranii externo sanato Apoplexiam natam refert BARTHOLINUS *Cent. 4. obs. 86.* Morbi melancholici in Apoplexiam quoque abeunt, quod præter MOEBIUM *in Instit.* etiam observavit FORESTUS *l. 10. obs. 78.* Post nimia purgantia sanguis draconis pro adstrictione alvi adhibitus Apoplexiam infert, teste BARTHOLINO *Cent. 2. Epistol.*

Epistol. pag. 680. Speciatim suppressæ quædam solennes sanguinis evacuationes per hæmorrhoides aut uterum, aut hæmorrhagiam narium, &c. frequenter admodum ad Apoplexiam disponunt, & hanc etiam inferunt. Sic ex suppressa narium hæmorrhagia consueta Apoplexiam observat HILDANUS *Cent.* 3. *observ.* 11. Quia sanguis suppressus coacervatus faciliùs sic stagnat hinc inde, aut per anastomosin vasorum, aut eorundem ruptionem in cerebro & vicinis locis extravasatione Apoplexiam infert. Sic in ZACUTO LUSITANO *l.* 7. *Hist. Med. Princ. cap.* 7. observatio est de juvene florentis ætatis, per scalas altè decidente, unde ingens hæmorrhagia per nares secuta est: Et sanguine rectè fluente optimè se habuit æger; hac ipsa verò hæmorrhagiâ suppressâ æger in Apoplexiam incidit, quæ non priùs sublata fuit, quàm copiosa institueretur venæ sectio. Item in puerpera ex non ritè fluentibus lochiis Apoplexiam obortam venæ sectione in brachio curatam refert FONTANUS *l.* 1. *Curat. & Respons. p.* 25. Et hinc est propter talem sanguinem extravasatum, aut ex anastomosi effusum, quod tam sæpè in Apoplexiâ mortuis sanguis congrumatus & coagulatus in cerebro ejusque ventriculis fuerit repertus: Sic BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 60. & RHODIUS *Cent.* 1. *Observ.* 67. ex sanguine congrumato & extravasato, ventriculos cerebri replente, ex plexibus choroideis eò effuso Apoplexiam lethalem observat: sicut etiam in occipitio sanguis congrumatus sæpe repertus fuit: Sic HILDANUS *Cent.* 3. *Observ.* 11. observat mulierem, quæ menstrua suppressa sæpius per os & nares excrevit, quæ tandem & hac suppressâ excretione Apoplexiâ lethali correpta fuit, & post mortem post triginta sex horas sanguinem adhuc per dicta loca excrevit: sicuti etiam in *Observ.* 11. *citatæ Cent.* idem HILDANUS tale refert: Vid. BORELLUS *Cent.* 3. *Hist.* 34. Venus è contra nimia, potissimùm in senibus ad apoplexiam multum disponit: Vid. HENRICUS ab HEER *observ.* 18. & PLATERUS in *observat.* Pertinent huc imprimis affectus animi graviores quicunque, qui tanquam causa procatarctica apoplecticos insultus excitant: quos inter imprimis est ira, quæ cum inducat sanguinis ebullitionem ejusque insignem fervorem, in prædisposito cerebro facilè stagnationem sanguinis & Apoplexiam infert. Et cumprimis homines [illegible] subinde Apoplexiâ correpti obseruantur ex iracundia, monente FORESTO *l.* 10. *obs.* 70.

Spirituum animalium quod attinet deficientem motum: cessat hic ferè *ex pororum* ac meatuum *conniventia* & subsidentia quasi, cujus plures possunt esse occasiones: à *contusione* v. g. cerebri & valida commotione; item à *materia tenui*, subtili & quasi lymphatica, successivè circa cerebri corticem glandulosum congesta, subitò & impetuosè interiora versus irruente, & ita poros & meatus obstruente: quam causam in habituali Apoplexia imprimis accusat WILLIS. *cit. loc.* Item à *sanguine grumoso*, v. g. post capitis contusiones extravasato: Item *ab abscessu* in meningibus rupto, aut alia vitiosa materia *extrinsecùs* cerebro instillata, aut *intrinsecus* in cerebro collecta, aut circa ejus basin congesta, ibique compressionem cerebri, & in specie radicis medullaris & nervorum principii inferente.

An etiam mucus viscidus & *pituita* præternaturaliter *extrinsecùs circa medullam spinalem colligi*, eandem comprimere, & ita Apoplexiam aut cognatos affectus inferre valeat, prout asserit SYLVIUS *lib.* 2. *Prax. cap.* 21. §. 49. *pag.* 162. ceu dubium & minùs probabile in medio relinquo, ob lentum pituitæ motum, nisi vehiculo *seri* aut *lymphæ*, à motu naturali quacunque causâ oberrantis, ad ista loca delata & collecta fuerit: vid. HELMONTIUS *Tr. de Lithiasi.*

Disponunt ad hanc Apoplexiam *contusiones*, & concussiones capitis, tàm cum quàm sine manifesta ejus *læsione* factæ; sive collabantur & angustentur saltem pori, sive sanguinis simul vitietur circuitus intra cranium, v. g. *ex nimio sonitu*: commotum enim & concussum cerebrum subsidet quasi, ita ut poris ejus sic collabantibus & angustatis, aut distortis, aut vitiosè difformatis, spirituum meatus & viæ deleantur: Sic ob casum ab alto, ex gravi cerebri concussione, Apoplexiam lethalem observavit HORSTIUS *l.* 2. *obs.* 13. sicut etiam DEODATUS *in Valetud. pag.* 121. *ex casu ab* equo vertiginem, quæ tandem in Apoplexiam lethalem desiit, observavit: sic notum est *ex alapa inflicta*, apoplexiam fuisse obortam, qualia exempla talia habet SCHENCKIUS ex BENIVENIO *in observ.*, ut etiam HILDANUS *Cent.* 5. *obs.* 85. & *Cent.* 6. *obs.* 11. Item ex *ictu oculi* nimio, indeque valida capitis & cerebri concussione, Apoplexiam in puero observavit FERNELIUS *lib.* 2. *de Abdit. Rer. Causis cap.* 15. Non secus atque idem FERNELIUS *eod. loc.* refert, virum quendam ex *vulnerato oculo* apoplecticum, in quo dissecto sanguis grumosus copiosus circa cerebri basin decubuerit. Sic ex *percussione oculi* cum raphano Apoplexiam vidit obortam SCULTETUS *in Armament. Chirurg. obs.* 21. Apoplexiam à *cranio depresso* & sanguine *extravasato*, præter quotidianam experientiam, etiam testantur DURETUS *in Hipp. Coac. Prænot pag.* 366. BORELLUS *Cent.* 2. *obs.* 34. HENRICUS *ab* HEER *obser.* 12. WEPFERUS *de Apoplex. observ.* 1 & 2. BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 60. & BONETTUS *Sepulchret. l.* 1. *sect.* 2. *observ.* 7. 8. 12. *ac* 13.

Præter sanguinis *collectiones* intra cerebrum, pertinent huc etiam *vitia seri & lymphæ*, quatenus, ut *suprà monitum*, inundando cerebrum, & omnes ejusdem poros replendo, Apoplexiam non rarò periculosam inducere possunt, Autore MARCELLO *Donato lib.* 2. *Hist. Med. Mirab. cap.* 6. qui refert de quodam forti Apoplexiâ peremto, in cujus aperto cranio tota cerebri substantia *aquoso humore* perfusa & oppleta fuit reperta, qui ipse humor etiam in cerebri ventriculis redundavit: dissectis carotidibus ingens sanguinis crassi melancholici emanavit copia: Sic affirmat COLUMBUS *in sua Anat. cap.* 15. quod apoplecticorum capita dissecta exhibuerint sæpissimè cerebrum magnâ *aquæ glutinosæ* copiâ distentum. Facit huc Observatio JOHANNIS DANIELIS HORSTII, *filii*, *in Obs. Anatom.* 3. de Principe apoplectico mortuo, in quo præter alia observatum fuit cerebrum magnum & grande, *sero & pituita* plus quàm refertum, maximè in ventriculis; arteria autem venosa ac orta nigro humore, atramento simili, fuit repleta & perfusa, qualem Princeps ante Apoplexiam ad aliquod tempus in lingua & faucibus habuerat. Plura exempla vid. apud WEPFERUM *obs.* 4. & 15. ac WILLISIUM *Anat. Cerebri c.* 12. Adeò ut probabile videatur, interdum à lympha & sero copioso, cerebrum inundante & replente, oriri posse apoplexiam. Facit huc suo modo potus vini nimius & crebriùs repetita ebrietas, quæ multos, & quidem ætatis consistentis, & aliàs optimi habitus, ad Apoplexiam disponit: Nam ex his ortam Apoplexiam refert FONSECA *lib.* 2. *Cons.* 89. uti etiam FORESTUS *l.* 10. *Cons.* 69. Non enim solùm vis narcotica spiritus vini, spiritus animales alterare & Apoplexiam inferre potest, sed & copiosa lymphæ generatio & cerebri inundatio à potu vini copioso huc pertinet, dum post nimium ejus potum Apoplexiam & inde paralysin (quæ potiùs fuit Paraplexia) linguæ & lateris dextri observat PISO *Tract. de Colluv. serosa pag.* 88. Apoplexiam à tumore, v. g. steatematico, vid. apud BONETTUM *loc. all. Obs.* 13. *seroso*, apud PANAROLLUM *Pent.* 1. *observ.* 17. Pertinet huc etiam *scabies retropulsa*, ex qua Apoplexiam in viro ætatis consistentis observavit MOEBIUS *in Instit. pag.* 265. *Variolæ* etiam huc videntur facere nonnihil, repulsæ Apoplexiam inferentes, teste FORESTO *lib.* 10. *observ.* 70. qui refert de puella, quæ post expulsas variolas, cùm se citiùs aeri pluvioso exposuisset, ut & ad fossam aqueam decubuisset, intra biduum Apoplexiâ tacta interiit: vid. SENNERTUS. Ita ut *privativa Apoplexia*, quatenus ex causa saltim externa oritur, pro faciliori praxi nunc *sanguinea*, vitio nempe sanguinis in cerebro extravasati, & grumis suis cerebri structuram & spirituum motum lædentis, nunc *serosa* seu lymphatica dicenda sit: Vid. *Observ. Anat. in* BONETTI *Sepulchreto*: (dico: pro meliori Praxi; nam in Theoria vix omne ferre poterit punctum:) quorum ista hominibus mediæ seu consistentis ætatis, iracundis, corpulentis, obesis, ebriosis, & aliàs apparenter sanissimis, posterior verò senibus decrepitis, catarrhosis, & similibus, obvenire solet.

Vapores Mercuriales pariter Apoplexiam inducunt, vid. LANGIUS *Epist. l.* 1. *Epist.* 44. hinc qui Venetiis specula Mercurio illinunt, ad Apoplexiam declinant: Vid. *Acta Societ. Reg. Vol.* 1. *pag.* 18. Præterea vapores thermarum sulphurearum Apoplexiam inferre notat SCHENCKIUS *l.* 1. *Observ.* 2. Sicuti ex *nimio fœtore ex vaporibus* puteorum cœnosorum Apoplexiam refert MARCELLUS *lib.* 2. *c.* 6. *Fumi narcotici*, metallici, *carbonum*, cerevisiarum, & *vino-*

& uinorum effernescentium, etiam referuntur à quamplurimis ad causas Apoplexiæ privativæ remotas, quatenus spiritibus animalibus vincula injiciunt, ut ipsa experientia loquitur. Verùm hi ipsi fumi narcotici potiùs Carum inferunt, quàm perfectam Apoplexiam, & inferunt quidem interdum carum sæpiùs satis profundum & Apoplexiæ finitimum, non tamen, uti dixi, Apoplexiam perfectam.

In talibus caroticis, à narcoticis fumis obortis, probabile est admodum, præter spirituum animalium fixationem à narcosi, simul etiam accedere aliqualem sanguinis coagulationem, quatenus tales affectus sæpiùs in pleuritides & peripneumonias (post fumos tales haustos) & similes affectus, à sanguinis coagulo ortos, desinunt: Unde rectè quibusdam talis carus similis apoplexiæ, aut proximus saltem ejus gradus, habetur. Cui etiam causarum generi adscribendus venit terror ac gaudium immodicum: de quorum priore vid. HILDANUS *Cent. 6. obs. 12.* & LOSSIUS *lib. 1. obs. 14.* qui refert, terrorem ex sclopeto exploso Apoplexiam intulisse; quatenus spirituum motum & agilitatem sistendo, horum influxum ad inferiora inhibent: Sicut ex nimio sonitu Apoplexiam obortam etiam notat FONTANUS *in Curat.* & *Respons. l. 1. pag. 49.* & AMATUS LUSITANUS *Cent. 3. obs. 26.* à tonitru BENIVENIUS *c. 23.* Quò etiam pertinent Apoplexiæ ex fulmine, quæ notæ sunt ex MARCELLO DONATO, & SCHENCKIO.

Sed ultra hanc *privativam Apoplexiam*, etiam alteram dari *positivam*, confirmant tàm *opiata* in majori dosi usurpata, quàm *Gas carbonum*, aut *liquorum fermescentium*, quando in cellis vinariis subitò Apoplexiâ instar suffocatorum intereunt; uti & *spiritus vini vel vini generosioris* abusus, quæ positivâ efficaciâ narcoticâ, & stupefactiva qualitate Apoplexiam inferunt, spiritus animales alterando & stupefaciendo, unde in motu cessant. Sed cùm hæc fiant saltim *à causa externa*; tamen & talem etiam *à causa interna* oriri, primus docet & accuratè defendit HELMONTIUS, & probabile fit ex eo, quod alii *affectus soporosi*, speciatim comata, lethargi & catalepses, ex causa interna oriantur: quidni ergò & apoplexia? quæ vix essentialiter ab istis differre videtur: Scilicet HELMONTIUS *Tr. de Lithiasi cap. 9. à §. 41. ad §. 90.* In eo est totus, ut propriè sic dictam Apoplexiam à causa interna enasci asserat, eaque positiva, nempe à certo quodam veneno anodyno & *glaciali* in stomacho hærente, ex digestionis propriæ errore enato, occasione cujus archeus horrescat, fugiat, & ideas cadaverosas illius recrementi pariat, quo ipso cerebrum cum pedissequis potentiis, horum nempe spiritum insitum, in sui obsequium trahat, per actionem regiminis stomachi aut duumviratus. Unde talis terror in spiritibus dictorum locorum incolis excitatur, propter quem terrorem nunc utrumque, nunc debilius medullæ latus, contrahitur, unde paralysis Apoplexiæ supervenire dicitur. Quia HELMONTIUS est obscurus, conferatur GREMBS *Tr. Arbor Ruinosa & Integra Hom. l. 2. cap. 1. §. 43. & seqq. pag. 268.* qui meliùs explicavit hypothesin HELMONTII.

In hac hypothesi *duo* consideranda:

1. *Res ipsa, an sit* talis Apoplexia positiva?
2. *Modus rei*, quo se habeat, ut ex tali fomite morboso in præcordiis hærente inferatur Apoplexia?

Quoad prius: excitari Apoplexias à causis internis, spiritus animales vitiantibus, & stupidos ac torpidos reddentibus (ut nostro loquendi modo rem declarem) & ita *positivè* operantibus, iisque circa stomachum seu ventriculi superius orificium consistis seu hærentibus, h. e. dari *Apoplexiam positivam* ex præcordiis excitatam, verissimè arbitror: Idque (1.) *à iuvantibus*: Observatum enim frequenter, quod vomitus optimum sit in quamplurimis Apoplexiis etiam fortissimis remedium; quò citius provocatur, eò melius. Præter HELMONTII effata vid. LANGIUS *in Misc. pag. 11. & 12.* ubi binos fortes apoplecticos per vomitum curatos refert: HENRICUS *ab* HEER *Obs. 18.* ex observationibus præfert vomitus venæ sectioni in Apoplexia: quod etiam observavit BARBETTE *in Praxi*, qui dicit, venæ sectionem rarò convenire in Apoplexia, sed potiùs vomitoria. Certum est, in Apoplexia, sed positiva, optima esse vomitoria, quorum loco clysmata acria in Praxi vulgari usurpari solent; Perinde enim est, sive stimuletur anus, sive vomitus excitetur. Item subtilia aromatica, odorifera & omnia stomachalia, brevi recreant tales apoplecticos. (2.) *A nocentibus*: Nempe Gas seu halitus carbonum oretenus inspiratus interdum Apoplexiam, utut ad cerebrum non perveniat, sed dum affligit orificium stomachi, graves vertigines, item caroticos affectus infert, ex affecto imprimis stomacho. Dicunt: afficiendo sanguinem etiam successivè afficit cerebrum: Sed posito, rem ita se habere; certum tamen est, quod hoc Gas imprimis simul afficiat orificium stomachi; unde ex stomacho affecto vertigo & Apoplexia superveniunt: qua ratione imprimis ex stomacho affecto Apoplexiam deducere conatur HELMONTIUS, utut non possit dici modus aut ratio fiendi; Nam ob id *vomitus* juvat: Hinc cupediarum artifex ex *carbonum Gas* inebriatus, mortui instar in carbones incidit candentes, sine sensu totum femur comburens. Par ratio est in iis, qui vaporibus vini ac cerevisiæ fermentantis subitò suffocati intereunt; Nam vel vomitus superveniens, vel mox institutus, est salubris. Facit huc vini generosioris abusus, item Nicotianæ fumus, qui manifestò Apoplexiam talem positivam ex præcordiis oriundam infert: Vid. GREMBS *lib. 2. cap. 1. §. 37. pag. 465. cit. Tract.* qui hanc HELMONTII sententiam de veneno narcotico in præcordiis, apoplexiam excitante, confirmat nobili exemplo per *tabaci abusum*, quendam ex eo redditum esse adeò stupidum, ut cum stertore instar apoplecticorum jacuerit. Fuit Apoplexia positiva ex vi narcotica, per vomitoria curata. Nicotianæ fumus ergò in specie circa stomachum hærendo, & per consensum cerebrum afficiendo, Apoplexiam intulit. Sic ex esu fungorum excitatam Apoplexiam, vomitu, quo fungi ex stomacho rejecti fuerunt, imprimis curatam, videb. in BARTHOLINI *Act. Haffn. Volum. 2. pag. 295.* (3.) *Ab Adjunctis*, quæ in talibus observata sunt: Curavi ante biennium mulierem quadraginta annorum, ex causa interna apoplexia forti ex improviso enata correptam, quę brevi in Hemiplexiam totius lateris sinistri desinebat: Hæc in insultu & post conquerebatur in paroxysmo de gravissima *angustia & anxietate præcordiorum*, simul cum insigni in somnum propensione: Non erat debilis ex spirituum animalium defectu, non in membris, nec imminebat animi deliquium, sed in somnum propensio positiva; Aliud enim est defectus virium ex spirituum animalium defectu præcisè, aliud *somnolentia* ex eorum torpore. Summè debiles ex spirituum animalium defectu ad ultimum vitæ articulum sunt insomnes: isti verò aliàs validi ex improviso somnolenti fiunt. Et quidem recrudescente subinde paroxysmo, præcedebat præcordiorum angustia, cui superveniebat somnolentia: illa cessante & hæc cessabat. Unde & alio tempore, sex vel octo septimanis à primo insultu, propinatum ex alia causa vomitorium antimoniale, cum anxietate præcordiorum virium imbecillitatem & insignem ad somnum propensionem inferebat. Jam verò quid vomitoria præstant ad somnum proferendum? Confirmat hanc hypothesin HELMONTII, quod nempe tunc circa stomachum vomitorium dum inferret angustias, & ægra inclinaret ad somnum, & quod hæc Apoplexia fomitem suum in orificio stomachi habuerit. (4.) *Ab antecedentibus*: Sic *vertigo* diuturna, per consensum stomachi enata, est prodromus Apoplexiæ in senibus. Dico: in senibus; nam homines consistentis ætatis sine ulla tali præcedente apoplectici fiunt. Plura huius novi exempla: *Parenti meo* certò imminet Apoplexia: Plures sunt anni, quod vertigine per consensum stomachi laborat, & hæreditario vitio ad apoplexiam inclinat: unde certus sum, quod hæc vertigo ex stomacho certò prædicet Apoplexiam. Omnes ejus ex materna linea parentes Apoplexia tacti fuerunt: *Avia materna* hoc affectu interiit, & *mater* jam semel Apoplexiæ correpta fuit: Unde hæreditarius character à parentibus apoplecticis in liberos delatus patet. Nam si quid aliud, Apoplexia est *malum* admodum *hæreditarium*, quod ab omnibus Practicis asseritur. Notatu dignum hujus rei exemplum refert FORESTUS *l. 10. observ. 70.* de sene quodam sexagenario crasso & obeso, cujus frater apoplexia interierat: cui cum inter ambulandum annunciatum fuisset, quendam octogenarium virum sibi familiarem subitò extinctum esse, subitò pes sinister ipsi tremere cępit, & domum reversus Apoplexia correptus fuit: qua sublata, sequente anno denuò ab Apoplexia tactus interiit, non secus ac pater, ac ejus frater. Sed talis *character hæreditarius apoplecticus*, qui à parentibus transfertur in liberos, antequam ipsi Apo-

Apoplexiâ correpti fuerint, revera *poſitivi* quid in Apoplexia ſubeſſe innuit, à quo *vertigo* etiam ex ſtomachi conſenſu, & tandem *Apoplexia* ſupervenit. (5.) Experientia POTERII idem perſuadet, qui omnes Apoplexias & paraplegias, etiam poſt Apoplexiam ſupervenientes, curavit per *aurum* ſuum *diaphoreticum*, præmiſſis univerſalibus, quod habet adhuc in ſe corporale aurum, adeoque ejus efficacia ſe exerit in ſtomacho, & primis viis, ultra quas non extenditur: quia eſt remedium fixum. Hoc etiam confirmant remedia alia appropriata, v. g. *cinnabaris antimonii* & ſimilia, non niſi intra primas vias *poſitivè* operantia, quæ ad Apoplexias & paralyſes ſunt egregia. (6.) *Modus fiendi ſubitaneus* & frequenter *momentaneus* rem per *humorum defluxum*, aut *viarum oppilationem*, quæ per ſucceſſionem ſaltem fit, vix ſufficienter explicat, adeòque aliud quid ſubſit neceſſe eſt, quod tam ſubitò malum inferat. Sed hoc *Gas rerum fermenteſcentium* ſuâ penetrante narcoſi & momentanea operatione optimè illuſtrat. Ob id etiam WILLISIUS non acquieſcit in ſolo humorum ſeroſorum aliorumve in cerebri meditullium præternaturali translatione, ſed ſimul *vim virulentam*, ſpiritus animales fugantem & extinguentem, unà accuſat. Equidem ſæpiſſimè *ſigna* quædam *circa caput* & animalem facultatem præcedunt, quæ imminentis Apoplexiæ metum incutiunt: vid. SYLVIUS *lib. 2. cap. 21. §. 22. & ſeqq.* Sed hæc ipſa medio ſe habent modo, ita ut capitis affectum per eſſentiam, ut & per conſenſum, inſequi poſſint; ſicut vertigo ex ſtomacho in ſenibus tale exiſtit prodromum ſymptoma in habituali Apoplexia. *Unde ſedulò ſemper inveſtigandum*: an aliæ concurrentes circumſtantiæ generales plus minus affectum capitis per *πρωτοπάθειαν*? an verò per *δευτεροπάθειαν* deſignent? Sicut non rarum eſt, *epilepſias univerſales per abdominis conſenſum* excitari, & *remedia*, quæ abdominis aut hypochondriorum ſpatia non excedunt, & deliriis & ſpaſmis & cephalalgiis optimè ſubvenire, v. g. Martialia, cinnabarina, vomitoria, clyſmata, &c. Mulier epileptica, laborans malo hypochondriaco, conquerebatur de dolore capitis, & ſimul de tenſione hypochondriorum. Jam verò quoties uſurpabantur Martialia, remittebat tenſio hypochondriorum & dolor capitis; ſi verò repetebat tenſio hypochondriorum, etiam dolor capitis repetebat. Unde ſymptomata iſta, quæ ſunt prodromi Apoplexiæ imminentis, poſſunt fieri ex capite, per conſenſum & per eſſentiam affecto.

Quoad poſterius, nempe Apoplexiam ex affecto ſtomacho: hæc quidem *quoad rem ipſam* ſatis clara eſſe videntur, ſed *quoad modum rei* res obſcura & intricatiſſima eſt: Ad veterum *vapores* & halitus, aut Chymiſtarum effluvia vitriolica ſtupefactiva adſcendentia, effugere eſt ridiculum: *Ignotam Actionem Regiminis* HELMONTII profiteri, eſt palliare propriam ignorantiam: *Conſenſus*, qui *per nervos* ſaltem explicabilis eſt, & hic vix locum mereri videtur, cùm hic ſemper ſenſum, & hujus demum ratione conſenſum præſupponat, qui in apoplecticis penitus torpet; niſi dicere velimus, per conſenſum irritatorum nervorum circa præcordia, ſtringi cerebri fibras nervorumque principium, cujus contracturæ occaſione ſpirituum in partibus externis deficiat motus, qui in cerebri meditullio perturbatus ſenſum & rationem tollat: *Per ſanguinis* & ſpirituum animalium *circularem motum* negotium quodammodò illuſtrari poſſet, ſed & hic quamplurima obſtant. Res ergò difficillima eſt: *Narcoſi* quidem *percuti & ſtupefieri ſpiritus* animales, ſeu figi, & quaſi plus minus coagulari, plauſibile eſt: quomodo verò hoc ex præcordiis fiat? res hæret & à priori latet. Nempe ſicuti *opiata* vel *ſemen hyoſcyami*, *fungi* vel *Gas carbonum* in ſtomacho adhuc hærentia, inferunt affectus ſoporoſos & caroticos, & hac ratione ſpiritus animales inficiunt & torpidos reddunt; ita etiam ſimilis *virulentia narcotica* ex cauſis internis in corpore nata, & circa præcordia exiſtens in regione ſtomachi, ſpiritus animales afficiendo Apoplexiam poſitivam inferre ſolet. *Modus tamen rei latet*. Sufficiat pro meliori doctrina, & ad Praxin manuductione, *differentiam* apoplexiæ *in privativam & poſitivam* inſinuaſſe; obſervando ſimul, ex cauſis externis frequentiorem eſſe accidentalem; ſicut *ex internis habitualem*: & has inter, quæ ex cauſis internis oriuntur, ferè frequentiores eſſe *poſitivas*, quàm *privativas*.

Conſideremus jam *Cauſas remotas* Apoplexiæ *poſitivæ*: ſed ſi has ipſas, prout à Scriptoribus conſignatæ deprehenduntur, conſideremus, eædem ferè ad *privativas*, minùs ad *poſitivas Apoplexias* pertinent, utut notabilis & curioſa ſit obſervatio WILLISII *de Anima Brutor. Part. 2. cap. 8.* Deinde magis accidentales ferè, quàm habituales ſunt Apoplexiæ iſtæ, quas referunt. Adhæc *remotæ* iſtæ *cauſæ*, exceptis iis, quæ manifeſtâ læſione caput afficiunt, potiùs *προηγούμεναι* ſunt ſeu *antecedentes*, quæ *cauſam continentem* movent; aut ſaltem ſunt ſubinde *cauſæ procatarcticæ*, quæ *diſpoſitionem morboſam* internam commovent, ut eæ *proximas* conſtituant. Ut taceam in *Obſervationum Anatomicarum conſideratione* ex inſpectis cadaveribus facillimam, modò non frequentem, eſſe *fallaciam à non cauſa ut cauſa*; ita ut vel præternaturale quid forſan repertum, pro cauſa morbi mortiſque habeatur; vel etiam productum quoddam morboſum pro genuina illius habeatur origine.

Quoad cauſas permutationis Apoplexiæ: tribus ferè modis permutatur hæc; vel terminatur ad ſalutem ægri integram, remotâ & correctâ plus minus cauſa proxima; *vel* terminatur *ad mortem*, ceſſante tandem cordis motu pulſatorio, unde ſuffocati intereunt ægri; *vel denique ex univerſali in particularem* tranſit Apoplexia, *nunc* pauciora, *nunc* plura occupantem membra.

Quoad (1.) fit, quando poſt ſucceſſivam evacuationem, ſive ſanguinis, ſive per vomitoria, ſive per alvum, in ſpecie per ſudorem ſolvitur pedetentim Apoplexia ad perfectam ægri ſalutem. Quò pertinet, quando mediante ſalivatione uberiore, vel ſpontanea, vel remediis Mercurialibus inſtituta, ſucceſſivè curatur Apoplexia; quod obſervavit SENNERTUS *in Praxi lib. 1. Part. 2. cap. 33. pag. 664. ubi de Apoplexia*, & DECKERS *in Barbette Prax pag. 21. & 29.*

Si verò (2.) terminatur ad mortem, fit, quando ſucceſſivè ægri ſuffocati intereunt. Fit, quatenus ceſſat plus minus ſpirituum animalium motus, etiam ex cerebello ad cor & organa reſpiratoria, deficit pedetentim pulſus & reſpiratio, quibus ceſſantibus ægri ſuffocati intereunt: cujus rei prodromus eſt ſtertor profundus, cum ſpuma per aſperam arteriam elevata, & pedetentim circa os apparente. Nam talis ſpuma ſignum eſt manifeſtum ſanguinis motus per pulmones planè impediti, qui in pulmonibus hærens, per aliquam aeris inſpirationem concuſſus & agitatus, reſolvitur in talem ſpumam; eodem modo ac cerevisia agitata in aere in ſimilem ſpumam abit. Quod talis ſpuma ſit ſanguis ita attenuatus & reſolutus, teſtatur anatomia mortuorum; quia TULPIUS *lib. 5. cap. 57.* refert in iis, qui Apoplexiâ moriuntur, quod aſpera arteria ſpumoſo ſanguine referta reperiatur: Sic HIPPOCRATES dicit, quod ſtrangulati & ſuffocati ad ſe non redeant, quibus circa os ſpuma collecta appareat; item, qui repentè obmuteſcunt cum ſtertore, intra ſeptem dies pereant, niſi febris ſuperveniat; item, qui repente obmuteſcunt & ſtertunt, ſi ſpuma circa os appareat, intereant. Diſtinguendum tamen eſt inter ſpumam, quæ ex profunditate pulmonum erumpit; & iſtum humorem viſcidum, qui in ægro, catarrho ſuffocativo laborante, cum aliquo ſtertore ſolet emitti, qui originem ducit ex membrana poſteriori & inferiori Schneideri. Ceſſante tandem pulſu & reſpiratione, apoplectici ſuffocati intereunt.

(3.) In paralyſin ſeu in Apoplexiam particularem paroxyſmus mutatur, quamvis nec hoc modo æger ſemper ſervetur, ſed ſæpè aut prior morbus redeat, aut ſopor lethalis superveniat. De modo, quomodo aut Hemiplexia aut Paraplegia ſeu Apoplexia particularis quædam Apoplexiæ univerſali ſuccedat; v. g. ut brachium poſt univerſalem Apoplexiam maneat tantum paraplecticum, reliquis partibus omnibus ſenſum & motum recuperantibus? res difficilis eſt. Equidem cùm Apoplexia ſanguinea in paraplegiam tranſeat, quodcunque etiam ſanguinis, vel motu deficientis, vel extravaſati, fuerit vitium, ſere hæreo: quin potius talem Apoplexiam utplurimùm lethalem, rariùs curabilem perfectè, exiſtimo, niſi forſan venæſectio largior opem ferat: vid. TULPIUS *lib. 1. cap. 7.* & ZACUTUS LUSITANUS *Medic. Princip. Hiſtor. capit. 7.* ubi habet juvenem florentis ætatis per ſcalam decidentem, cui copioſa hemorrhagia

rhagia narium secuta est, quâ depressa, in Apoplexiam incidit, à qua venæ sectione fuit levatus. Aut si paraplegia superuenerit, probabile est, ex sanguine congrumato aut plus minus subsistente laticem aquosum fecisse secessum; & vel interiùs profundiùs penetrans, scilicet per cerebrum in caudicem medullarem; vel exteriùs deflu-xisse secundùm situationem spinalis medullæ, & ita unius alteriusuè nervi læsione vel oppressione paraplegiam intulisse. *Privativa verò lymphatica Apoplexia* successivâ lymphæ materiæve peccantis ulteriori progressione, & in caudicem medullarem interiora versus insinuatione, adeoque certis in locis vel obstructione vel compressione paraplegiam inferre posse, satis plausibile videtur, in qua nunc motus solùm deficiat in leviori malo, nunc sensus tantùm in graviori, & in quo omnis spirituum animalium transitus penitus intercludatur. *Positivam etiam* excipere paraplegiam res nota est: Sed modus est obscurissimus: interim ob occultum modum rei rem ipsam negare, absonum est. Paraplegiam esse contracturam partium neruosarum, quâ impediatur spirituum pro motu transitus, non improbabilis est HELMONTII assertio: sed quomodo fiat? & quibus differentiis à propriè sic dicta contractura seu spasmo partium differat? difficile est determinatu, nisi forsan dicere velimus, nervos eorumque fibras circa radicem aut prope exortum ex caudice medullari contractos, inducere paraplegiam; sicut ipsi nervi in progressu sui ipsius cum toto neruorum & fibrarum nervosarum, cum quibus connectuntur, systemate contracti, dare convulsionem.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa*: Apoplexiâ tactum esse hominem facilè patet, si subitò omnis sensus ac motus pereat & simul vox repentè auferatur, solâ respiratione nunc libera, nunc satis difficili remanente: Æger quasi dormiens aut semimortuus, nisi adhuc aliquis faciei color & pulsus animaduertatur, jacet nam: quidam apoplectici pulsum adhuc habent naturalem; quidam pusillum; quidam omninò nullum, uti rectè observat LINDANUS, prout plus vel minus sanguinis circa præcordia stagnet, aut prout etiam nervus cor movens simul afficiatur. Color faciei & oculorum interdum rubet, tumidus est, & simul corpus calet, in illa ipsa Apoplexia, quę est ex sanguinis stasi seu impedito circulo: è contrà uerò interdum facies pallet, flaccidaque est, & corpus sensim infrigidatur, ubi aliud vitium, quàm sanguinis stasis, Apoplexiam infert. Membra omnia in Apoplexia sunt laxa, & si brachium vel pes leuetur, pondere suo statim denuò concidit. Æger tactus, irritatus, acclamatus, nec loquitur, ore hiante, & plus minus stertente quasi profundum dormit. Resoluitur interdum simul ani sphincter, unde alui fęces, aut iniecta clysmata, denuò inscio ęgro ejiciuntur & rejiciuntur. Denique memorię subitanea lęsio absque causa externa imminentis Apoplexię indicium habetur.

Ut autem ritè *distinguatur Apoplexia*, qualis sit? *an positiva? an privatiua? ab antecedentibus*, & hinc ab *adiunctis* cognosci debet: *Illam* causę externę, uitę genus, habitus ęgri, dięta, &c. suggerunt; facilè tamen *positivæ privativam* superuenire, & inuicem complicari possunt: *Illius occasione*, sanguinis motu sufflaminato, & ita circa cerebrum eodem stagnante, *syncope cardiaca*, similis affectus Apoplexię, oritur, ut *suprà* monitum. Sic v. g. si ęger aliàs laborat uertigine, quę ferè semper ex stomacho, si antea fuit natus à parentibus apoplectici, hęc præsumunt esse Apoplexiam positiuam: Sicuti etiam si Apoplexia corripitur juuenis εὔσαρκος, plethoricus, uitam sedentariam agens, suspicio est, malum esse Apoplexiam priuatiuam ex sanguinis uitio. Si corripitur Apoplexia senex, qui sępius fuit catarrhosus, suspicio est, esse Apoplexiam priuatiuam uitio lymphę, ex uberiore lympha in ambitu cerebri natam. Si ęger in mediocri Apoplexia aliqua signa possit edere, ubi urgeat, & manu tangit pręcordia, certum signum est, esse positiuam: quando uellicat caput, & mouet manum ad caput, signum est priuatiuę.

Dixi, quod uicinissimus affectus sit Apoplexia cum *syncope cardiaca* seu Catarrho suffocatiuo, & differant tantùm loco affecto, adeò ut quidam etiam Apoplexiam ad affectus cordis referant, & eodem modo curent. Cautus ergò sit Medicus, ut cognoscat Apoplexiam à catarrho suffocativo: Scilicet differentia est facilis, modò cognoscatur respirationis negotium plus minus laboriosum. *Signa* ergò, quæ *pro distinctione Apoplexiæ* & catarrhi suffocativi observentur, sunt hæc: quod in *syncope cardiaca*, seu *catarrho suffocatiuo*, ex sanguinis stasi in pulmonibus æger difficillimè respiret, & signa adsint gravissimæ in pectore angustiæ, ipse æger omni etiam conatu membra & artus movere conetur, utut mortuorum instar jaceant. Qui autem Apoplexia graviore corripitur, is vix manifesta vitæ habet signa, neque tamen tanta spirandi difficultate vexari solet. Nam in catarrho suffocativo difficillimè respirant, in Apoplexia etiam parum, aut tardè, aut saltim *naturaliter* spiritum ducunt, nisi in summo gradu ejusdem. Pulsus quoque, qui in *syncope cardiaca* ferè deficit, in affectibus apoplecticis ferè durus observatur, ita ut aliqui pulsum servent, alii pusillum habeant, rarò, nisi in fortissima Apoplexia, nullum, prout nempe plus vel minus præcordiorum sanguis stagnat, aut nervus cordis afficitur. Præterea *in syncope cardiaca* externa frigent, facies pallescit, sudor frigidus erumpit, pulsu evanescente, & respiratione penitus ablata. *In Apoplexia*, abolitis functionibus animalibus, nihilominus respirant, arteriæ pulsant, extrema calida utplurimum deprehenduntur, & facies rubicunda observatur: Vid. WEPFERUS *de loc. affect. in Apopl.* Præterea *in Apoplexia* quavis fortis stertor est, quia spiritus animales, qui à cerebro accedunt musculis thoracis ad complementum respirationis, solùm sunt ablati, durante adhuc per cor & pulmones sanguinis circulo; unde *in syncope cardiaca* nullus est stertor, quia cor ipsum subitò occupatur.

In graui passione hysterica etiam ægræ instar apoplecticarum jacent, unde confunditur cum Apoplexia interdum. *Distinguuntur* tamen facilè, quod in *suffocatione uterina* dicta præcesserint symptomata affecti abdominis; item quod in *suffocatione uterina* interdum vis sentiendi persistat, nec respiratio tam facilè impediatur; & quod in suffocatione hac pulsus fiat obscurus, debilis aut parvus, aut ferè nullus; qui sæpè *in Apoplexia* admodum sensilis est. Et in specie cum subinde in Apoplexia faciei color ferè persistat, imò rubicundi ac tumidi subinde in facie appareant, hic in *suffocatione uterina* omninò color perit, quin potiùs facies palleat.

A Caro facilè distinguitur Apoplexia in eo, quod sensim invadat, non adeò subitò ac Apoplexia: item caro etiam laborantibus est respiratio facilis sine omni stertore; aut si adsit stertor, adest cum somno, eoque satis profundo.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Notum est, quod *Apoplexia* sit acutissimus & periculosissimus affectus, qui ægrum utplurimum trucidet; & licèt non semper exin moriantur ægri, paralytici tamen evadant. De hoc dicit HIPPOCRATES *sect.* 5. *Aphor.* 5. item *sect.* 6. *Aphor.* 51. quod quicunque sani repentè doloribus capitis tententur, statim obmutescant & stertent, in septem diebus pereant, nisi febris eosdem prehendat, quæ Apoplexiæ superveniens conducit.

Febris tamen non sit à stagnatione sanguinis circa cerebrum aut phlegmonode hujus constitutione, nec lenta: Imò & hoc addere convenit, nisi à comprimente extrinseco fuerit malum, illudque tempestivè tollatur.

Dicit etiam *sect.* 2. *Aphor.* 42. quod Apoplexiam fortem solvere impossibile sit, debilem verò non adeò facile: (quid per debilem & fortem intelligatur, *suprà* dixi) Interim vitæ periculum variat pro diverso morbi gradu, huicque magis aut minùs difficili combinatâ respiratione. Vehementia autem hæc & periculum Apoplexiæ ex noxa, quam *respiratio* affert, imprimis cognoscitur; *nam qui Apoplexia moriuntur*, omnes *suffocati intereunt*. Unde quò liberior est respiratio, eò minor est Apoplexia, & major salutis spes; & contrà, quò magis impeditur respiratio, eò majus periculum solet imminere apoplectico.

Imprimis quidem, ubi Apoplexia in tantum lædit respirationem, ut præter stertorem etiam *spumà circa os*

os apparere incipiat, ferè lethale Apoplexiæ signum est, ut rectè hoc affirmat FORESTUS *lib.* 10. *Obs.* 74. *in schol.* ubi dicit, quod spuma circa os apparens sit unum è præcipuis signis lethalibus, cùm sit extremum signum, à quo tarò evadunt: Item TULPIUS *lib.* 1. *Observ. cap.* 51. refert, quod in iis, qui Apoplexiâ moriuntur, aspera arteria reperiri soleat post obitum spumoso sanguine repleta.

Spuma ista, ut jam supra *Sect.* 14. *Cap.* 3. *Artic.* 4. *de Catarrho suffocativo* monui, *certum & infallibile signum est sanguinis motus* omninò *per pulmones impediti*: ex quo sanguine in pulmonibus, & tandem in ipso corde, stagnante per aëris validam & reciprocam, sed frustraneam, respirationem elevantur spumæ, unde hæ ipsæ etiam non nisi in ultimo ferè articulo apparere solent. Unde dicit etiam HIPPOCRATES *sect.* 2. *aph.* 43. quod strangulati & suffocati, nondum tamen mortui, ad se non redeant, quorum circa os spuma collecta appareat. Multum hìc litigant Autores; optima est interpretatio LINDANI: *Strangulatio hìc non à collo, sed per eos* „ *intelligit hos, quibus subitò à causa interna respiratio in-* „ *tercipitur. Hæc à multis potest intercipi, v. g. in suffo-* „ *catione uterina. Itaque Hippocrates hoc vult: Potest res-* „ *piratio intercipi, & non redire: sed an reditura sit?* „ *cognosces, si spuma oriatur circa os, tunc certus esto,* „ *eam suffocationem esse circa cor, à stagnatione sanguinis* „ *circa illud. Quando enim natura extremo conatu voluit* „ *sanguinem propellere, inde suborta in pulmone spuma est,* „ *& ad os detrusa; & si aperto ore spuma prodierit, des-* „ *perata res est*. Hæc LINDANUS. Nempè *spuma* non præcisè mortis, sed supremus viventium conatus est in talibus ægris; hinc non semper & necessariò mortem portendit, quemadmodum TULPIUS *lib.* 1. *observat.* 7. testatur, cùm materia spumæ hujus modò serum ex pulmonibus transudans, modò salivalis humiditas ad os deposita, & per difficiliorem & crebriorem respirationem in spumam redacta sit: quorum illud suffocationis instantis signum, Apoplexiam semper lethalem; hæc non semper, indicat: vid. SENNERTUS *Prax. lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 33. & TULPIUS *lib.* 1. *Observat.* 6. Observandum ergò est hìc, ne confundatur spuma vera cum viscoso quodam liquore vel saliva viscida effluente. Fit enim nonnunquam, tàm in catarrho suffocativo, quàm Apoplexia, ut ægri ita jacentes humorem viscidum copiosè per os rejiciant, qui nihil habet confinitatis cum spuma, sed ex membranis pituitariis Schneideri, vel potiùs ex glandulis sub illis latentibus emungitur. Omnis spuma oritur ex aëris & humoris plus minus viscidi mistura, adeò ut etiam sanguis in *spumam albam subrubicundam* abeat, ad instar cerevisiæ obscuræ, per agitationem tamen cum aëre in candidam spumam abeuntis. Spuma autem vera non nisi est parva, nec adeò copiosa, ex imo pectore sensim scatet, & sursum fertur, sensim sensimque augmentata. Non ergò *levis* ista *spuma* adeò periculosum signum est, quæ *ex saliva* intra fauces agitata oritur, & qualis in paroxysmis epilepticorum ordinariò observatur; sed illa ferè fatalis est, quæ *ex imo pectore* seu ipsis pulmonibus ex sanguine plus minus stagnante, per aëris reciprocum motum attenuato, & ita in spumam rarefacto, oritur, & ita in fauces foras ebullit: adeò ut observati sint apoplectici in SCHENCKII *Observationibus*, quibus etiamnum post mortem talis copiosa *fervida spuma* per nares, os, & prominentes oculos fuerit excreta. Quò major spuma in ore, eò majus est periculum: quò major pulsus, eò melior spes. Ex spuma eò magis afficiuntur pulmones, quia agitatur aër, nec promovetur in locum consuetum, scilicet cor.

Deinde de *stertore* equidem certum est, & illum utplurimum, quò vehementiorem, eò difficiliorem morbum ostendere: nihilominus etsi hic remittat, reliquis symptomatis tamen non simul remittentibus, non salutis, sed mortis certissimæ signum evadit; & contra, ubi mox cum sensu & motu respiratio aboletur, quamvis nec stertor nec spuma appareat, fortissima & lethalis Apoplexia erit dicenda.

Denique *apoplecticis*, si in difficillima respiratione supervenit *sudor*, lethale est; Est enim sudor symptomaticus, & quasi syncopticus (*ein Angst-Schweis*, ut vocant) non verò naturalis sudatio, & signum est deficientis planè facultatis vitalis.

Apoplectici curati facilè recidivant, & hi ipsi melius

habentes post *universalia*, bonum est; aut aliquomodo excitati, si denuò somnolenti aut plus minus torpidi fiant, iisdem periculum *recidivæ* imminet; siquidem apoplectici, perfectè licet curati, facilè tamen recidivant.

De cætero si erecto corpore locatus æger, aut post sanguinis missionem, aliquantum ad se redeat, aliqua spes affulget: sin verò post hæc & alia remedia affectus ultra 24. horas in eodem statu permanet, aut cum somnolentia, vertigine, ac torpore recrudescat, de ægro actum erit.

In Apoplexia correptis imprimis habenda distinctio ætatis, & hinc dependentis corporis status; cùm Apoplexia juvenum, aut mediæ ætatis sanguinem corripiens, vix sit ejusdem rationis cum Apoplexia, quæ senem, aut debilem, aut emaciatum, aut similem affligit.

Solvitur Apoplexia, quando evacuationibus per inferiora aut per sudorem tota discutitur, aut si eadem in paraplegiam quandam aut etiam hemiplexiam desinit. Observatum fuit, terminari interdum Apoplexiam fluxu auris lymphatico, qualis lue Venereâ laborantibus post inunctionem Mercurialem accidit. Unde etiam BARBETTE in curanda Apoplexia talem inunctionem commendat. Aut etiam ipsa apoplexia facie somni admodum profundi, ægrum interimit. Cætera vid. in SCHENCKII *Observationibus*.

CURA.

Quod ergò attinet *Curam*, hæc duplex est: *Curatoria*, seu quæ instituenda est *in ipso paroxysmo*, in quo exsuscitandus quasi est æger, ut spirituum animalium motus redeat; ac *Præservatoria*, seu extra paroxysmum, quæ causarum antecedentium tantùm rationem habet, quo tempore observatis debitis evacuationibus, simulque usurpatis caput ac ventriculum roborantibus aromaticis, reditus paroxysmi est præcavendus. Neque enim cùm æger apertè reconvaluit, scopi curationis sunt negligendi; nam tales sæpius diu *stupidi* manent, *variaque accidentia* eos vexant, adeò ut si Medicus sit negligens in Cura, facilè eveniat, ut paroxysmus revertatur, unde ægri postmodum moriuntur.

In ipso paroxysmo duo imprimis Præsidia generosiora sunt, quæ aut liberant ægros rectè administrata, aut eos trucidant, malè applicata: & hæc sunt *Vomitus* & *Venæsectio*, quorum unum utplurimum necessariò adhibendum est, interdum utrumque simul. Nam de *clysteribus* eorumque usu, item de *suppositoriis*, quæ acriora & fortiora semper sunt applicanda, etiam omnes concordant Medici Practici, quod in omni paroxysmo apoplectico, & post eundem etiam, tutissimè & etiam necessariò usurpentur. Clysteres tales acres in minore copia subindè injiciuntur, nempè à ℔ß. ad summum ℥viij., quia sic diutiùs retinentur & meliùs operari solent. Quod si non retineantur, aut saltim non satis diu persistant in corpore propter sphincterem ani resolutum, repetendus est eorum usus, idque eò frequentiùs, quò magis urget morbus: Si verò nullo modo in actum deduci possit clyster, tunc remanentia clysmatis, seu materia decocti remanens, instar pultis est coquenda, super pannum extendenda, & toti abdomini instar cataplasmatis imponenda. Hoc enim remedio feliciter usus fuit D. MOEBIUS in curando SLEVOGTIO *apoplectico*.

Sed ut redeam ad *Vomitum* & Venæ sectionem, metus admodum est in *Vomitu*, ne suffocationis imminentis acceleretur periculum, quod non paucos, accuratos etiam, Medicos deterret, adhæc cum deficiat motus corporis, & etiam partium internarum: Et sanè posito, quod ex impedito sanguinis motu fiat Apoplexia privativa, vix tamen videtur conveniens vomitus & necessarius, sed nocuus dicitur; imò periculum est, ne sub vomendi conatu sanguis ac serum circa collum & caput retineatur, & hinc istæ partes magis obruantur, cùm naturaliter sub vomendi conatu facies rubescere, oculi tumescere, & collum inflari soleat. E contrà *venæsectionis* medio *sanguinis circularis motus* in quavis Apoplexia plus minus impeditus *promoveri potest*. Interim *de venæ sectione* ipsius CELSI est pronunciatum, quod sanguinis detractio in Apoplexiæ paroxysmo adornata, aut occidat aut

Aaa libe-

liberet ægrum, i. e. prout tempestivè vel intempestivè magis applicatur. Unde etiam venæ sectionem rejicit BARBETTE per experientiam confirmatus *in sua Praxi cap.* 2. tanquam frustraneam, sæpiusque nocivam: uti etiam observandum est imprimis illud, quod habet HEINRICUS ab HEER *in Observat.* 18. quod nempè nostrates, qui ingluvie & comessationibus ferè Apoplexiam incurrant, *phlebotomiâ* vix unquam curentur, ob id etiam vocat dubium remedium venæ sectionem in Apoplexia, adeò ut centesimus ægrè, educto sanguine, evadat: *Quæ etiam causa est, cur prudentiores Medici* (verba sunt HEINRICI ab HEER) *nostro cœlo ferè ab illa abstineant*. Et in tali casu reverà vomitus præ venæ sectione longè magis necessarius videtur. Res ut aliquantisper fiat clarior, pro decisione observanda est differentia Apoplexiæ, quam suprà insinuavi. Si enim signa adsint, vel suspicio quædam saltim probabilior, sanguinem imprimis peccare, & sui stagnatione aut in cerebro aut in pulmonibus inducere Apoplexiam, tam positivam, quàm privativam, ut in iis, imprimis junioribus, qui sunt corpore εὐσάρκῳ & succi pleno, qui vitam agunt sedentariam, in quibus facies insigniter rubet sub paroxysmo apoplexiæ, quibus consueta sanguinis per uterum, nares &c. evacuatio sit suppressa, in talibus pro imminuendo sanguinis quanto & ejus circulo promovendo venæ sectio instituenda est, quam pluribus commendat SYLVIUS *lib.* 2. *cap.* 21. §. 96. CORTNUMMIUS *de Morbo Attonito cap.* 60. NYMMANNUS *de Apoplex. cap.* 39. idque quò citius eò meliùs, ut sub liberiore circulo fiat melior respiratio: Hinc ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Admir. lib.* 2. *observat.* 104. fœminam suppressione mensium laborantem, & venæ sectionem negligentem, Apoplexiâ mortuam; in alia verò apoplectica, ritè quamvis fluentibus mensibus, eandem cum euphoria administratam, *lib.* 1. *de Medic. Princ. Hist.* 38. testatur. Ubi verò à sero malum, præservativè tantum venæ sectio agit, i. e. vasa deplendo ab affluxu sanguinis præservat, & ut serum faciliùs intra lymphatica & venas resorbeatur, præstat. Ast in positiva à narcosi, sive interna, sive externa, per se nihil, sed per accidens tantum aliquid levaminis præstat, stagnationem sanguinis circa præcordia declinando & solvendo: qua ratione in omnibus quoque reliquis Apoplexiæ speciebus, item in illa, quæ à terrore, similive affectu animi, non inutilis videtur: vid. PROSPER MARTIANUS *in lib.* 4. *de vict. Acutorum* §. 43. HILDANUS *Cent.* 3. *Observat.* 11. & 12. NYMANNUS *de Apopl. pag.* 216. & 217. ac SYLVIUS *Prax. l.* 4. § 114. Cautè nihilominus illa est adhibenda, aut de quorum virium debilitate (ante paroxysmum) constat, ne simile contingat, quod mulieri Hebrææ apud AMATUM LUSITANUM *Cent.* 4. *Hist.* 23. vid. HEINRICUS ab HEER: Adeoque pariter vix locum habet, ubi sanguinem viscidiorem & mucosum hariolamur; vid. WEPFERUS *de Apopl. pag.* 218. aliàs enim Apoplexia, qua talis, non postulat venæ sectionem. Sed in senibus aut in debilibus ante paroxysmum, aut in ebriosis, & qui ex ingluvie præcedente corripiuntur Apoplexiâ, ubi cruditates ventriculi, ubi narcosis, sive interna sive externa, aut quibus jam vertigo & alia signa quædam capitis affecti præcesserint, ubi potius videtur subesse lymphæ vitium, aut saltem in quibus nullum sanguinis primarium deprehenditur vitium, his convenit potius Vomitus, & nociva est venæ sectio, & sedulò hic observandum est monitum suprà allegatum HENRICI *ab* HEER *in observat.* 18. Uno nomine: *In Apoplexia privativa magis Venæ sectio*, aut loco ejus in senibus cucurbitulæ, scarificationes &c.; *in positiva magis vomitus*, & loco hujus, præsertim in senibus, *clysmata acria* conveniunt. Hinc illis præmissis, in privativa sudorifera *volatilia*, vesicatoria, fonticuli, *cucurbitulæ &c.*; in positiva verò Apoplexia aromatica, metallica sulphurea, & majora arcana, & stomachica conducunt. Quæ omnia *ex circumstantiis secundùm res naturales, nonnaturales & præternaturales*, in cujusvis ægri cura semper observandis, diversimodè adhuc limitantur.

De vena incidenda eadem observanda, quæ circa affectus soporosos monita; imprimis verò jugularium venarum incisio maximè commendatur; vid. *Boyle de Apopl. cap.* 11. aut in Plethoricis utriusque brachii venæ; vid. TULPIUS *l.* 5. *obser.* 7. *Pro venæ sectionis negotio illustrando* confert *cura cujusdam ancillæ*, mox à media nocte insultu apoplectico tactæ: Accedens manè horâ octavâ illam habitus carnosi, succi pleni, robustam, facie & membris insigniter rubram, quasi sanguis undique stagnaret, offendi, membra difficillimè, & saltim brachia æqualiter, movere poterat, de summa præcordiorum anxietate, tremula & vix intelligibili voce, conquerebatur, innuendo scrobiculum cordis. Hinc præscribebam *vomitorium* in dosi intensiori; aliquoties, sed non vehementer purgabatur, suprà & infrà. A meridie venæ sectionem in brachio ordinabam, & præscribebam misturam ex *spiritu salis ammoniaci*, ceu basi, cum aliis *spirituosis aromaticis* nervinis. Cordi verò jubebam applicare linteum multiplicatum, *spiritu vini* calidè probè imprægnatum, idque sæpius repetere. Accedens altero manè eam paulò meliorem offendebam, facie adhuc admodum rubicundâ cum pulsu duro: hinc cùm hæmorrhagiam observassem, non obstante jam factâ venæ sectione, jubebam etiam in crure, brachio, in quo venæ sectio facta fuerat, opposito, circa talum venam incidere. Nocte sequente adhuc supervenit fluxus menstruus. Unde continuato usu *spiritus salis ammoniaci* interno, & *spiritus vini* externo, cum interposito semel *pulvere laxativo*, intra octiduum convaluit. Et ita in hac ancilla corpulenta & staturæ brevis, ast robusta, natura ultra duplicem venæ sectionem, adhuc hæmorrhagiam narium & uteri provocavit. Videbatur mihi in subjecto hoc sanguinis circulus admodum lentus, non præcisè ex copia, sed ex fibrarum nervearum ac membranosarum strictura quasi spasmodica, quâ occasione sanguinis refluxus nonnihil moratus, ruborem illum faciei & artuum exhibet, sanguine ipso ob tardiorem transsudationem ex arteriis in venas, præter venæ sectionem nunc oscula vasorum narium, nunc uteri per anastomosin aperiente.

In genere verò & utplurimum tutius & simul potentius remedium in paroxysmo est *Vomitus*, quàm venæ sectio, quem etiam suadet imprimis LINDANUS *in suis scriptis*; adeò ut Vomitoria fortiora antimonialia, in specie ex Mercurio vitæ, admodum commendentur ad apoplecticos curandos in tempore, ubi non opus venæ sectione; quam ipsam tamen rarissimè adhibendam suadet. Et quidem vomitus *optimè suscitat* ægros, & quod aliàs irritando clysmate intendunt Practici, hoc efficacissimè obtinemus *vomitu*, præsertim cùm experientia ejusdem usum sæpiùs comprobaverit. Quantum enim in apoplecticis valeat vomitus, duo egregia habebitis exempla in *Misc. Curiosis* LANGII *pag.* 1. & 12. ubi sunt duæ curæ notatu dignæ propter usum vomitoriorum; & PETRUS à CASTRO *in Meth. Med.* se *vomitoriis* ultra spem plurimos desperatos excitasse affirmat, & *antimonialia* valdoperè commendat. Conf. ulteriùs JULIUS CÆSAR CLAUDINUS *in Empir. pag.* 349. & POTERIUS, qui *croci metallorum vulgaris* granis tribus vehementissimum apoplecticum excitavit, inuncto simul ori *oleo cinnamomi*; item RIVERIUS, & alii plures. Infundenda ergò semper Vomitoria in forma liquida, ut spontè quasi per gulam defluere queant, (malè enim deglutiunt, propterea sicci pulveres non conveniunt,) miscendo eadem unà cum vehiculis spirituosis, cum aqua *cinnamomi* spirituosa, sicut facit FABER, cum aqua & spiritu salviæ, spiritu cerasorum nigrorum, & similibus, quæ valent excitare Apoplecticos, ut horum medio simul spirituum vigor nonnihil promoveatur. Et quidem augenda nonnihil in paroxysmo Vomitorii dosis, ut & aliorum remediorum, quæ excitare debeant ægrum, cum torpor ægri insignem aliàs efficaciam ejus eludat: imò, monente HARTMANNO *in Praxi Chym.* duplâ dosi dentur, prout scilicet torpor major minorve est. Hinc *syrupus emeticus* ad ℥vj. & ℥i. præscribendus, item aqua benedicta Rulandi. Essentiam quoque nicotianæ ad ℥ij. cum melle exceptam, & in os infusam, potenter educere, laudant RIVERIUS *Pr. l.* 1. *cap.* 2. & HARTAMANNUS *l.* 4. *pag.* 74. & 81. *Occurrebat curanda mulier* vegeta, sed jam ætatis nonnihil decrescentis, correpta affectu ex apoplexia & epilepsia quasi mixto: Vocatus manè, præmissâ venæ sectione, (utut non tàm affectus, quàm adstantium ratione facerem,) præscribebam Potionem cum *syrupi emetici Salæ* ℥vj. capiebat sine alteratione; denuò ordinabam ℥ij. ejusdem, quas capiebat iterum sine alteratione: tandem adhuc ℥iij. ejusdem in pauca Potione præscri-

præscribebam, ut successivè caperet, & sic tandem, aliquoties suprà & infrà purgata, meliùs habuit. *Posito*, de prima Mistura aliquid deperditum fuisse, cùm ex ore aliquid deflueret, tamen ad minimum ℥j. ad ℥jx. hujus *syrupi* intra bihorium accepit, nec tamen adeò insigniter purgata fuit.

In paroxysmo igitur ante omnia opera danda, ut *excitetur æger*, & ut *servetur respirationis actio* & usus, quantum possibile, integra. Hinc *prioris ratione* sensuum organa quæcunque & partes quævis sensiles fortiùs affricandæ: *posterioris ratione* in loco non nimis clauso, aut vapido, sed temperato, & aëre libero perflato, sive extra lectum, si viribus potens, sive intra hunc, ita situandus est æger, ut corpore erecto quasi sedeat, partim pro liberiore respiratione, partim pro humorum affluxu moderando, partim pro somnolentia arcenda, ac sanguinis ebullitione vitanda; quin & ventus artificialis subinde circa eum faciendus. Mox igitur venę sectio instituenda, in brachio dextro: quâ peractâ vel *vomitorium* ordinandum, vel *clysma acre*, quod juxta WALÆUM sanguinem etiam proliciat, injiciendum. *Non differenda vomitoria*, ut monet LINDANUS, cùm in forti Apoplexia occasio præceps; & si quid revellere potest, ac consopitum ægrum suscitare, certè *vomitoria* possunt. Horum ergò uno alterove administrato, aut etiam leviori in malo his penitus omissis, *clysterium acrium* & fortiter stimulantium usus semper est commendatus; quales partim *suprà*, *ubi de Lethargo*, videantur, partim & ex dicendis jam patebunt. Perinde enim est, sive stimuletur anus, sive vomitus excitetur; quia intestina sunt ventriculus continuatus.

Parantur autem ejusmodi Clysteres ex *salvia*, lavendula, majorana, origano, *calamintha*, centaurio minori, ruta, serpillo, foliis nicotianę, asari, *radice cyclaminis*, *pyrethri*, ireos nostratis, cortice radicis ebuli, cortice mediano sambuci, semine urticę, &c. Quibus incoquatur *pulpa colocynthidis* in petia ligata, aut addatur *Infusum aut Decoctum croci metallorum* ab ℥j. vel ℥ij. usque ad ℥jv. quod RIVERIO in usu fuit: item adduntur commodè *sal gemmæ*, aut sal ammoniacum. Oleosa omittenda sunt, quoniam temperando & oblinendo acrimoniam, stimulum tollunt, non secus quàm mellita. His ipsis Clysteribus commodè etiam addi possunt Salia volatilia, ut penetrent, & exsuscitent ęgros. De horum usu revulsorio vid. CORTHNUMMIUS *de Morbo Attox. c. 66. §. 23. p. 347.* Modus prescribendi est notus; e. g.

♃. *Fol. nicot.*
Salviæ,
Flor. chamom. an. M. j.
Rad. pyrethri ʒß. ad ʒvj.
Pulp. colocynth. in pet. lig. (subtilissima enim ramenta tormina inferunt) ʒj.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl. Colaturæ* ℥ix.
adde
Mell. anthosat. vel rosat. ℥ß. vel ʒvj.
Elect. hieræ picræ cum agar. ℥ß. ad ℥j.
Castor. pulverif. ℈j. ad ʒß.
Salis gemmæ ʒß. vel ℈ij.
M. f. Clyster. S.
Clyster revellens.

♃. *Herb. serpilli*,
Fol. nicotian.
Summ. centaur. min. an. M. j.
Flor. lavend. M. ß.
Rad. pyrethri,
Ireos nostrat. an. ʒiij.
Sem. urticæ ʒij.
Pulpæ Colocynth. in pet. lig. ʒiß.
Coqu. in s. q. *urinæ humanæ*:
In Colaturę ℥viij. dissolve
Elect. hier. cum agar. ℥j.
Ext. troch. alband. ℈ß.
Ess. castor. ʒj.
M. pro Enemate.
D. S. ut suprà.

♃. *Flor. chamom.* M. j.
Rad. pyrethri ʒvi.
Sem. anisi ʒiß.
Pulp. colocynth. in pet. lig. ʒi.
Coqu. in s. q. *aquæ communis*: Colaturæ ℔j. adde
Elect. hier. cum agar.
Mell. Mercurial. an. ℥j.
Olei destillat. bacc. iunip. ʒß.
M. pro Clysmate:
D. S. ut suprà.

♃. *Dec. Rutæ*, in quo ʒß. *Croci metallor.* decocta, ℥ix. adde
Fellis tauri inspiss. ʒiß.
Extr. troch. alband. ℈ß.
Mell. anthos. ℥iß.
M. pro Clystere:
D. S. ut suprà.

♃. *Decoct. flor. chamom.* ℔ß.
Infus. croci metall. cum Vino ℥ij. vel iii.
Mellis ℥ß. ad ℥i.
M. pro Clystere:
D. S. ut suprà.

♃. *Decoct. emoll. usit.* ℔ß.
Elect. lenitiv. ℥ß. ad ℥i.
Syr. emet. Ang. Salæ ʒvi. ad ℥j.
M. f. Enema.
D. S. ut suprà.

Cautelas circa horum compositionem videbitis in CORTHNUMMIO *l. a. p. 311.*

Quinimò urgente necessitate *Clysma ex iusculo quodam communi*, addito *lixivio*, vel cum *M. j. aut ij. salis communis* acuato, addito *Infuso* vel *syrupo antimoniali* in dupla, vel tripla dosi, imò interdum quadrupla dosi, ex tempore infundi potest.

Adeoque hęc Enemata frequentiùs erunt repetenda, prępimis si non adeò diu subsistant: aut ipsis substituantur suppositoria pariter acerrima: e. g.

♃. *Rad. belleb. albi pulverif.*
Scamm. suphurat.
Troch. alband. an. ℈ß.
Castor. pulver. gr. viij.
Sal. ammoniaci ℈j.
Cum s. q. *Mellis* f. Suppositorium:
D. S.
Acre Suppositorium.

Cum his ipsis & *aquæ vitæ spirituosæ*, *apoplecticæ*, ut vocant, &c. instillantur ori & faucibus, acuandę pręsertim *salibus* & *spiritibus urinosis* & *oleosis*: verbi gratiâ Mixtura in paroxysmo usurpanda pręmissis pręmittendis sit talis:

♃. *Aquæ apoplect. opt.* ℥i.
Lil. convall. ℥ß.
Quintæ essentiæ Matthiol. ʒii.
Liqu. cornu cervi ʒi.
Syr. flor. tunic. ℥ß.
M. S.
Suscitans mixtura, cochleatim sumenda.

Vel

♃. *Aquæ lil. convall.* vel *Cerasor. nigr.*
Menthæ an. ℥iß.
Spiritus Ceras. nigr. ʒvi.
Liq. cornu cervi succin. ritè par. vel *Spiritus sal ammoniaci*, vel *sang. hum.* aut *alius volat.* ʒiß. ad ʒiii.
Ol. dest. succini gutt. iv. vel vi.
Syr. flor. tunic. ℥ß.
M. S. ut antè.
Cochleatim usurpetur crebriùs in paroxysmo apoplectico.

Additur *spiritus cerasorum nigrorum*, qui optimus est interne in paroxysmo apoplectico; vid. KESLERUS *in Process. Chymic.*

♃. *Aquę flor. lavend.*
Salviæ an. ℥i.
Epilep. Lang. ʒvi.
Ess. Castor. ʒiß.
Spiritus sal. ammoniaci ʒi.
Ol. dest. Succini gutt. viii.
Syr. de Stœchad. ℥i.
M. S. ut suprà.

♃. *Aquę epilept.* vel *Apoplect. Lang.* ℥ii.
Spiritus serpill. ʒii.
Liqu. cornu cervi succin. ʒi.
Syr. flor. tunic. ʒiii.
M. S. ut suprà.

Pertinent huc mixturę in paroxysmo epilepsię *suprà c. 2. Artic. 1.* prescriptę: Item

℞. *Aquæ apoplect.* ℥ii.
Hirund. cum Castor. ℥i.
Spiritus theriacal. camph.
Liq. cornu cervi succin. an. ʒiij.
Conf. alcherm. compl. ʒß.
M. S. ut suprà.

℞. *Aquæ lil. convall. cum vin.* ℥iß.
Flor. samb. ℥j.
Carmin. ℥ß.
Liqu. cornu cervi succin. ʒiß.
Conf. alcherm. compl. ʒj.
M. S.
Mixtura pro capite confortando.

℞. *Aquæ Ceras. nigr.* ℥ij.
Spiritus ceras. nigr.
Theriac. simpl. an. ℥ß.
Syr. flor. tun. ʒvj.
M. S.
Potio caput confortans.

Facit huc *Electuarium arcanum Timæi von GuldenKlee contra apoplexiam & epilepsiam*, præsertim si juncta Aphonia, quæ inter symptomata apoplexiæ maximè terribilis est; imò contra omnes soporosos affectus, uti & contra suffocationem hystericam. Mixtura ejus est hæc:

℞. *Salis vol. succin.* ʒß.
Theriac. Androm. ʒiß.
Pulv. castor. ʒij.
Olei destillat. rutæ,
Succin.
Rorismar. an. gutt. iij.
M. f. Opiata:

De qua, quantum cuspis cultelli capit, dissolvatur in aqua quadam *apoplectica*, vel *epileptica Langii*, vel in aqua hirundinum cum castoreo, vel in aqua spirituosa lavendulæ, & ægro in os infundatur, ut deglutiat, simulque lingua, palatus & partes vicinæ hoc ipso Electuario fortiter fricentur.

Porrò Theriaca & extractum theriacale cum extracto salviæ, rutæ, castorei &c, & cui aliquid salis volatilis succini, *olei destillati succini*, rutæ &c., *& camphoræ* additum fuit, pro fricanda lingua, palato, & partibus vicinis admodum laudantur, ut dictæ partes in sanguine & motu redeant. *Dictæ* etiam *partes fricari possunt* cum *spiritu theriacali*, vel simplici vel probè *camphorato*; item cum *spiritu* liliorum convallium, melissæ, *cerasorum* nigrorum *rectificato*, vel solitario, vel cum paucis guttis *olei destillati cinnamomi* aut *caryophyllorum* acuato; item essentiâ castorei & similibus.

Vel

℞. *Aquæ lil. convall. cum vino* ℥ij.
Spiritus bacc. junip. ʒj.
Ess. castor. ʒiij.
Salis vol. aromat. ʒß.
M. D. S.
Mixtura ad palatum.

Si his præmissis post horæ quadrantem non redeat ad se æger, repetantur, & naribus sequens sternutatorium forte & pere insufletur:

℞. *Rad. helleb. albi,*
Pyrethri,
Fol. maior.
Flor. lil. convall.
Castor. an. ℈j.
M. f. Pulvis sternutatorius, naribus insufflandus:
D. S.
Suscitans pulvis sternutatorius.

Vel

℞. *Flor. lil. convall.* ʒj.
Rad. helleb. alb. ℈j.
Pulverisati; adde
Olei destillat. caryoph.
Major. an. gutt. iij.
M. S ut antè.

Naribus etiam, pro suscitandis Apoplecticis, subinde objiciuntur odores acres, præsertim ex salibus volatilibus & spiritibus urinosis penetrantioribus, in liquore aqueo dissolutis: imprimis spiritus urinæ, liquor cornu cervi succinatus, & spiritus salis ammoniaci: item Balsama apoplectica, & cephalica, e. g. rutæ, Schwizeri, &c. Vel pro temporibus & naso:

℞. *Aquæ meliss.*
Lil. conv. cum vino ℥ij.
Aquæ apopl. ℥j.
Acet. rutæ ʒii.
M. D. S.
Aqua pro temporibus & naso.

Convenit etiam suffitus castorei, & *suffitus succinatus*, naribus admotus.

Hinc succinum & omnia succinata, uti in hystericis aliisque spasmodicis affectibus nulli cedunt, ita perquàm egregia sunt in Apoplexia, & præservanda & curanda. Imprimis in Apoplexia curanda oleum & sal volatile precellit, in præservanda verò succinum præparatum, vel etiam succinata quæcunque. Guttæ 3. vel 4. olei destillati succini, cum aqua appropriata in paroxysmo infusi, mirificè commendantur in paroxysmo apoplectico: hinc RHUMELIUS *in suo antidot.* P. 1. *pag.* 167. parat oleum peculiare ex succino, quod vocat *apoplecticum*, dum *oleum succini non rectificatum* miscet cum dimidio *olei rorismarini*, superaffundit aquam fontanam, & ita per vesicam destillat: sicque *oleum rectificat*. Dosis sunt guttulæ 6. ad 12. vel 15. pro usu interno in aqua appropriata. Externè eodem inunguntur vertex, tempora, nucha, & spina dorsi: additâ camphorâ paucâ efficacius medicamentum fit. Similiter digerendo succinum cum oleo fuliginis insigne aliquod Apoplecticum fieri potest. Hinc sola essentia succini, præsertim cum spiritu cerasorum nigrorum, vel liliorum convallium mediante spiritu vini Malvatici abstracto, parata, à guttulis 30. vel 40. ori indita, loquelam restituit Apoplecticis. Item à quibusdam instillantur auribus aquæ apoplecticæ: nam PETRUS JOHANNES FABER apoplecticis propinat vomitorium internè, & auribus atque naso instillat essentiam caryophyllorum, essentiam thymi cum tantillo oleo cinnamomi: vid. *in Curat.* 40. *Camphora* pariter, & oleum, & omnia camphorata, his ipsis instillandis & affricandis commodissimè adduntur.

Cum dictis subinde simul fiant *externæ Inunctiones* verticis, nuchæ & temporum, cum oleis destillatis, & ex iis paratis *Balsamis apoplecticis*, aut cephalicis. Sufficiunt oleum destillatum succini, *maioranæ, lavendulæ*, spicæ, rorismarini, *salviæ*, cinnamomi, caryophyllorum, & similia: Item emplastrum nervinum, malaxatum cum oleo destillato lavendulæ & succini, vertici imponitur; vel Unguentum, quod describit DECKERS *in Praxin Barbette p.* 22.

℞. *Olei expr. nucist.* ʒiß.
Destillat. rutæ ℈j.
Spicæ,
Succini an. ℈ß.
M. D. S.
Balsamus cephalicus.

Vel

℞. *Olei petræ alb.* ʒij.
Destillat. succ. ʒj.
Lavend.
Maior.
Salviæ an. ℈j.
Misc. cum vel sine *corpore:*
D. S.
Balsamus pro capite confortando.

Ejusmodi Inunctiones etiam commodè regioni stomachali possunt inungi, superimponendo *laterem calefactum*.

Sed *observandum*, ut hujusmodi Odorata *oleosa* non nimis largiter aut copiosè dictis locis illinantur; nam non omnes eadem ferre possunt, & redeuntes ad se ægri *de insigni capitis perturbatione* & gravitate *ex oleorum* hujusmodi fumosorum illinitione conqueruntur.

Si non redeat ad se æger, unum alterumve repetendum venit; v. g. *Vomitoria* subinde reiteranda, injectis desuper *clysteribus*, extremorum vellicationem, puncturam, & similia, quæ externos sensus afficiunt, continuando. Horum quidem effectum SYLVIUS *Pr. l. a.* §. 99. 100. &c. in dubium vocat: Verùm quantum frictio plantarum pedum cum *muria acri*, aut hujus loco cum *aceto & sale*, cum *setaceo* prosit ad excitandos tales, videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 8. *observ.* 96. *pag.* 160. Puncturarum verò efficaciam videbitis in HEINRICO ab HEER *obs.* 21. Quin etiam Rubefacientia & *Vesicatoria* ampla juxta Willisium pone aures, cervici, brachiis, præsertim in carpi parte interna, & cruribus propè inguina, suras, &c. applicanda. *Si redierit æger ad se nonnihil, sed non sufficienter*, interna spirituosa continuanda, *Vesicatoria* appli-

applicanda, quin & *cucurbitulæ*, nunc cum nunc sine scarificatione, scapulis & brachiis admovendæ: qualia HEINRICUS ab HEER *Obs.* 21. commendat; aliaque administranda, prout æger ad se rediens de uno altero ve symptomate magis, vel minus querulus fiat.

Mulier constitutionis aliàs robustæ, ætatis jam tum consistentis, & cui ordinariò adhuc fluebant menses, ex improviso, prægresso anxioso cordis sensu, & scotomiâ insequente, corripitur Apoplexiâ, quæ mox in hemiplegiam lateris sinistri terminabatur, subinde tamen insultu apoplectico recurrente: hinc mox vocatus, idque vesperi horâ sextâ, præscribebam potionem ex volatilibus & spirituosis cephalicis, unà cum clysmate acri, & balsamo pro naribus, nucha & præcordiis, ex cephalicis odoriferis; hinc post cœnam, propter recurrentes sæpiùs insultus apoplecticos, vomitorium antimoniale ex syrupo emetico ad ℥vj. aliquantulum, sed non adeò copiosè, evacuans: Die sequente Solis, cùm saltem esset hemiplectica, imperabam venæ sectionem in latere parti affectæ opposito, potionem ex volatilibus & spirituosis continuando: Die Lunæ ad imitationem HARTMANNI *in Praxi Chymiatrica* præscribebam:

℞. *Conf. flor. tunic.* ʒj.
Mercurij vitæ gr. ij.
Ref. Scamm. gr. iv.
Misc. pro *Bolo*.

Laxabat parum, ipsâ ægrâ intereà semper, quoties deteriùs haberet, primariò de præcordiorum angustia conquerente: Hinc propter capitis perturbationes adhuc residuas Sternutatorium forte ordinabam:

℞. *Pulv. lil. convall.* ʒj.
Rad. belleb. alb. ℈j.
Ol. dest. Caryoph. gutt. iv.
Misc.

Hinc pro usu interno:

℞. *Aquæ lil. convall.*
Ceras. nigr.
Menthæ an. ℥j.
Spiritus Ceras. nigr. ʒvj.
Salis vel cornu cervi gr. xv.
Cinnab. Antimonij ℈j.
Syr. flor. Tunic. ℥j.
Misc. pro Potione.

Externè pro membris hemiplecticis, ter quotidiè inungendis, post prægressam fortem eorundem frictionem, item pro illinenda spina dorsi:

℞. *Ol. petræ albi* ℥ß.
Dest. spicæ,
Lavend.
Maioran. an. ℈ij.
Succini ʒj.
Misc.

Item pro eodem usu:

℞. *Spir. vini campb.* ℥iij.
Spiritus Lumbr. terrestr. per putrefact. ℥iß.
Essent. Castor. ʒvj.
Misc.

Spiritus hic blandè calidus probè affricabatur partibus; hinc oleum præscriptum illinebatur.

Porrò istis ita ordinatis pro usu interno præscribebam:

℞. *Extr. belleb. nigr.* gr. xvj.
Castor. ℈ß.
Troch. alband. gr. jv.
Ol. dest. Succini gutt. ij.
F. *Pilulæ*.

Hinc pro promovendo nonnihil sudore ad imitationem POTERII præscribebam:

℞. *Ras. ligni Sassafr.* ℥ij.
Herb. rorismar. rec. M. ij.
Bacc. Junip. rec. ℥ij.
Coq. in *aquæ* & *vini* an. ℔iß. in cucurbita, cum alembico clausa:
Colaturæ & liquori destillato adde
Spiritus bacc. Junip. ℥jv.
Sal. ammoniaci simpl. ℥ij.
Syr. flor. tunic. ℥iij.
Misc.

Potionem hanc hausit quotidie ter, manè, à meridie, & ingruente nocte, exspectando sudorem, melius exinde aliquantulum habuit, subinde etiam liquorem cornu cervi succinatum hausit &c. Pediluvium ex nervinis aquæ simplici incoctis quotidiè fervidè bis usurpavit, idque pedi optimè profuit. Hinc pro continuandis externis in brachio ordinavi:

℞. *Sem. Sinapi* p. j.
Bacc. Iunip. rec. p. ij.
Contus. infund. in s. q. *spiritus vini*, vel *spiritus bacc. Iunip.*

Hinc tam cum ipso spiritu impraegnato, quàm magmate residuo, fricentur sæpiùs membra.

Sed cùm malùm esset contumax, ita ut, licet utcunque melius haberet, hemiplexia tamen eandem adhuc affligeret, ad imitationem POTERII præscripsi:

℞. *Aquæ Ceras. nigr.* ʒvj.
Spiritus theriacal. ℥ß.
Auri diaphor. ℈ß.
Misc.

Capiebat uesperi, idque repetitis vicibus. Primis duabus uicibus anxietatem quandam circa præcordia percepit, hinc calor quidam sensilis in universo corpore erupit, quem levis sudor secutus fuit: tertiâ vice horâ nocturnâ tertiâ idem aurum diaphoreticum cum aqua vitæ juniperina accepit, unde per quatuor horas optimè dormivit, & sudore largo ubique perfusa fuit, ac quoad cetera optimè se habuit. Sanè ex omnibus etiam volatilissimis assumptis talem sensilem operationem ac elegantem adeò sudorem nunquam, ac ab hoc pulvere fixo, percepit. Saltem adhuc brachium in articulatione humeri graviter dolebat, pro quo tollendo spiritum vini, & desuper balsamum Peruvianum, frequenter illinivit, exque hujus usu melius habuit.

Discusso ita *paroxysmo*, instituenda *Cura præservatoria*, tam *in iis*, qui jam semel Apoplexiâ tacti fuerunt, ut præcaveatur crebra recidiva, quàm *in iis*, qui futuram aliquando Apoplexiam metuunt: Cujus *prodromi* sunt: (in habituali tunc dicta) dolor capitis, vertigo, tumor carotidum, memoriæ debilitas, spontaneæ oculorum illachrymationes, scotomiæ, incubus, vocis tarditas & hæsitantia, oris distorsiones, dentiumque stridores in somno, stupor frequens brachii aut pedis, aut etiam refrigeratio extremarum partium. In his *pro præservatione*, præmissis digestivis conuenientibus, Purgatio conueniens instituenda, & postmodum sudori præ ceteris opera danda, cùm sudorifera aliàs maximoperè sint apta ad curandos apoplecticos: & hæc ipsa sudorifera mirificè commendat LINDANUS; quod nempè eadem ipsa admodum conueniant in cura Apoplexiæ. Simul quoque stomacho prospiciendum, ut digestio prima, quantum possibile, conseruetur in naturali modo, idque respectu Apoplexiæ positivæ aromatibus, ut cerebrum ac systema neruosum in debita constitutione ac tono retineatur.

Remedia aliàs, quæ in paroxysmo ægros excitant apoplecticos, aut eos excitatos præseruant à recidiva, sunt ferè sequentia, aliàs generali Cephalicorum & stomachicorum nomine nota; nempè Salvia, Ruta, Origanum, Chamædrys, Chamæpitys, Calamintha, Pulegium, sem. Carui, fœniculi, anisi, sinapi, erucæ, cerasa nigra, radix angelicę, aristolochię rotundę, caryophyllatę, valerianę, vincetoxici, flores stœchados Arabicę, lavendulę, anthos, primulę veris, liliorum conuallium, &c. Prę cęteris *Salvia* hìc est in usu, cujus saluię continuatus usus, & quęlibet ex hac parata, item vinum salviatum, &c. mirè commendantur à KYPERO *in Collegio Practico*. In Cubebis, Cardamomo, *semine sinapi* & *erucæ*, singularia latent remedia ad pręseruandam Apoplexiam senum, ita ut dicant, nihil potentiùs eosdem pręseruare, imprimis si omni manè & vesperi seminis erucę vel sinapi & cubebarum pulverisatarum aliquantulum & crebriùs sumatur; uid. TABERNÆMONTANUS & SCHNEIDERUS *de Catarrhis*: hinc quidam recipiunt grana vj. vij. x. xij. ad xv. & xx. *seminis sinapi*, eaque manè jejunè leviter masticata deglutiunt ad prępcavendam Apoplexiam; vel pulverisetur, & cum aqua florum lavendulę spirituosa usurpetur. STOEKERUS *in Praxi* expertum remedium contra Apoplexiam sequentem pulverem dicit esse:

℞. *Cardamom.* (ratione cerebri) ℥ß.
Sem. Coriandr. (ratione stomachi) ʒij.
Erucæ vel *sinapi albi* ℥ß.
Misc. f. pulvis pro aliquot dosibus.

De hoc sumatur circa introitum lecti.

Ad hujus imitationem:

℞. *Sem. sinapi alb.* ℥ß.
Cubebar. ʒj.
Cardamom. ʒj.
Misc. & pulverisf.
D. S.
Pulvis cephalicus pro aliquot dosibus.

Sumatur circa introitum lecti pro aliquot dosibus. Est egregium præservativum in puncto apoplexiæ metus. Vel, quod aliis placet, commodiùs sub forma *electuarii* hoc semen usurpetur:

℞. Tres *Caricas pingues* minutim concisas:
adde
Sem. Sinapi albi seu *erucæ* cochl. j.
Misc. in mortario, addendo
Aquæ Lavend. simpl. vel *spirituos.* Cochl. j.
Succi Violar. ℥ß. vel qu. pl.

De quo sit dosis omni manè magnitudo juglandis: certè præservat ab apoplexia, teste SCHMUKIO *Thes. 2. Secret. Med. 16.*

Vel
℞. *Caric. pingu.* Num. vj.
Incis. & contus.
adde
Sem. sinapi alb. seu *erucæ* ℥ß. ad ʒvj.
Cardamom. ℈j. ad ʒj.
Mis. exactè; adde simul
Spiritus lavendul. Cochl. j.
vel cum *Syr. flor. tunicæ* vel *borrag.* f. Electuar.
D. S.
Electuarium cephalicum.

De quo omni manè dosis juglandis magnitudine capiendum; à meridie spiritus carminativus de tribus, vel *Spiritus sal. ammoniaci anisatus.*

In genere omnes Autores commendant semen *sinapi* & erucæ pro præservativo; siquidem sal volatile sinapi & erucæ specificam vim in Apoplexia obtinet, & ab ea præservat; unde etiam in paroxysmo spiritus seminis erucæ urinosus cum calce viva paratus (de quo videb. *in Colleg. Pharmac. in Schrœderum P. 1. Sect. 1. p. 465.*) cum *aquis apoplecticis* misceri, & ita commodè administrari potest. Notum aliàs etiam est, quantum valeant omnia remedia ex *cerasis nigris dulcibus* parata, quod nempè hæc ipsa singulariter conveniant: imprimis spiritus cerasorum nigrorum mirificè à KESLERO extollitur ceu summum remedium ad resuscitandos epilepticos & apoplecticos in paroxysmo, & curandos extra paroxysmum, & in specie loquelam restituendam: Vid. ejusdem *Processus pag. 370.* ubi asserit, se quandam nobilem, quæ per tres dies jacuerat desperatè apoplectica, beneficio spiritus cerasorum nigrorum denuò curasse vel restituisse. Ad hæc volatilia, tam in paroxysmo, quàm extra paroxysmum, pertinet spiritus vitrioli volatilis quicunque. Qui non habent genuinum, faciant *spiritum vitrioli apoplecticum* ex *spiritu vini* & *vitriolo*, fiunt spiritus sulphurei exinde optimi. Modus est hic:

℞. *Vitriolum* imprimis *Hungaricum* ad solem *calcinatum*, vel *caput mortuum vitrioli* diuturnâ *expositione aeris* de novo *impregnatum*.

Misce & irrora ad consistentiam pultis cum f. q. *spiritus vini à plantis aromaticis abstracti*: Stent per aliquot septimanas in digestione, destillentur igne aperto, prout destillantur mineralia. Post spiritus aliquamdiu stet in digestione, tandem ex cucurbita destilletur per alembicum, tunc prodit spiritus striatim: nebulæ quando proveniunt, mutetur receptaculum, & capiatur spiritus vitrioli volatilis. Spiritus hi misti aliquamdiu digerantur, de novo per balneum cohobentur, & asserventur pro usu sub nomine *spiritus vitrioli cephalici*, vel etiam *epileptici*.

Quidam non malè spiritum cerasorum nigrorum vitriolo in sole probè calcinato affundunt, aliquot cohobiis abstrahunt, & ita spiritum vitrioli quodammodò volatilem antiapoplecticum egregium acquirunt.

Ex dictis & similibus fiunt simul ordinariò *Aquæ apoplecticæ* spirituosæ, quæ sunt spiritus volatiles inflammabiles ab aromatibus largiter impregnatæ. Ordinariò parantur ex aromatibus, in specie salinis volatilibus oleosis, v. g. ex salvia, roremarino, ruta, floribus liliorum convallium, origano, fœniculo, floribus lavendulæ, stœchados Arabicæ, anthos, & similibus: e. g. fit *spiritus* seu *Aqua Apoplectica* B. D. *Mœbii.* Compositio est hæc:

℞. *Flor. lil. convall.* ℔vj.
Cinnamom. ℔j.
Zedoar. ℔ß.
Croci ℥j.
Macis,
Caryophyll. an. ℥ß. ad ℥iß.

Digere in *Vino Hispan.* q. f. per mensem: spiritum destilla per vesicam, abstrahendo saltem spiritum volatilem aromaticum, quem serva:

Hinc
℞. *Rad. Valerian.*
Vincetox.
Pæon. an. ℥ij.
Fol. Meliss.
Botryos,
Rorismar. an. M. iij.
Flor. tiliæ M. vj.
Lavend.
Spicæ,
Salviæ,
Thymi an. M. j.

Mista macerentur in *spiritu superiore* per mensem, clauso vase & benè munito: Tunc destilla per vesicam, addendo iterum *Vini Hispan.* q. f. Tandem rectificentur in Mariæ Balneo super *ambra*, *moscho*, & *camphora*, & habebitur spiritus mirandarum virtutum, & egregiè apoplecticus.

Potest hic inservire simul pro spiritu vitrioli cephalico vel apoplectico parando, pro spiritu vitrioli volatilisando; de quibus superiùs monui.

Sed non immeritò quæritur: An tutò satis hæ aquæ possint administrari in paroxysmo? Nego; Hæ ipsæ enim aquæ interdum plus nocent, quàm prosunt.

Nam

1. Hujusmodi spiritus inflammabiles cùm sint oleum resolutum, vi inebriativâ & narcoticâ pollent, adeoque metus est, ne copioso usu subinde narcosis & stupor intendatur. Moderatè ergò illis erit utendum, præprimis si à sanguine fuerit malum, utpotè quem magis turgescere faciunt: Vid. CRATO *lib. 1. consil. 5.* SENNERTUS *loc. all. quæst. 4.* & HOECHSTETTERUS *in Dec. 9. cas. 5. pag. 334.*
2. Non paucæ sunt mulieres imprimis, quæ talia spirituosa non semper possunt ferre, quin paroxysmos hystericos incurrant.
3. Etiam viri, in specie literati, quorum genus nervosum debilius, minùs possunt ferre talia spirituosa fortiora odorifera, quin percipant aliqualem capitis gravedinem, tensionem circa tempora, & similia.

In his ergò & similibus casibus non conveniunt; Propterea magis laudantur salia volatilia oleosa, i. e. Salia volatilia oleis destillatis juncta, vel hujusmodi spiritibus sociata, ut ita aromatum efficacia à spiritibus urinosis intendatur, & noxa à spiritibus sulphuratis metuenda præcaveatur. Plethorici tamen ad Apoplexiam proni salia volatilia oleosa internè non ferunt, utut optimè externè, sed potius macra. Spiritus ergò urinosi volatiles, & salia volatilia urinosa macra, ad sudorem maximè disponentia, magis conducunt.

Porrò castorei essentia, & omnia ex castoreo parata remedia, spirituosis mista, specificè commendantur & insigniter conducunt: quibus addantur spiritus vegetabiles liliorum convallium, spiritus baccarum juniperi & cerasorum nigrorum, serpilli, lavendulæ, theriacalis camphoratus, spiritus vini camphoratus aliis admistus, vel etiam ori infusus est satis penetrans: Aqua magnanimitatis seu spiritus formicarum Laurembergii admodum conducit in Apoplexia; aqua & spiritus apoplecticus Mynsichti, aqua apoplectica Kolreuteri, Langii, & Hartmanni, aqua & elixyr vitæ Matthioli, aqua Anhaltina, hirundinum cum castoreo; aqua angelicæ, serpilli, cinnamomi, liliorum convallium, salviæ, &c. cum vino paratæ. De essentiis vegetabilium nihil addo. *Spiritus* & sal volatile *secundinæ humanæ* specificum fuit GNOEFFELII in curanda epilepsia & Apoplexia. Præ cæteris *spiritus sanguinis humani* est commendatum remedium GRASECCII, & quem etiam, ceu singu-

singulare specificum, admodum laudat HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr.* & HELMONTIUS *Tr. Spiritus Vitæ*; uti etiam spiritus cranii humani, & post hunc sal volatile, spiritus, & aqua spirituosa cerebri humani, etiam sunt egregia remedia in Apoplexiis: quibus ab aliis simul additur & specificè laudatur *spiritus fuliginis*; Item *spiritus salis ammoniaci*, tàm simplex, quàm cum *camphora* junctus & legitimè unitus, fit spiritus volatilis penetrantissimus: Item spiritus salis ammoniaci succinatus ac lavendulatus. Salia enim volatilia propter insignem penetrantiam, & quod excellant vi sudoriferâ, in Apoplexia privativa maximè utilia sunt, cùm præcaveant transitum in paraplegiam, quæ optimè curatur per salia volatilia, sudorem expectando. Hinc conueniunt etiam ulteriùs spiritus & salia volatilia reliqua, cranii humani, sanguinis humani, & sanguinis cerui, viperarum, succini; hinc spiritus cornu cerui, & liquor cornu cerui succinatus D. *Michaelis* perquàm egregii sunt ad quosuis soporosos & imprimis apoplecticos affectus excitandos.

Ex dictis variæ formulę pręscribi possunt: e. g.

℞. *Quintæ essentiæ Rorismar.* ʒiiß.
Lavend. ʒiß.
M. S.
Essentia cephalica.

Dos. 20. gutt. omni manè: Vesperi usurpari potest *spiritus salis ammoniaci* ad 30. gutt. vel *liquor cornu cervi succinatus.*

℞. *Ess. Castor.* ʒiij.
Quinta essentia Rorismar. ʒj.
M. S. ut suprà.

Dosi ad 30. vel 40. guttas.

Quò etiam pertinet *essentia composita ex ana salviæ, zedoariæ & castorei*, cum *spiritu salis ammoniaci extracta.*

Vel

℞. *Essent. succini*, vel *castor. vinos.* ʒiß.
Spiritus sal. ammoniaci anis.
Succin. an. ʒj.
M. S. ut suprà.

Dosis 30. ad 40. gutt. bis in die.

In metu apoplexię aviæ meę non sine successu pręscripsi sequentem mixturam:

℞. *Aquæ flor. tiliæ,*
Lavendul.
Prim. ver. an. ℥j.
Apoplect.
Spiritus ceras. nigr. an. ʒiß.
Ess. Primul. veris ʒiij.
Salis vol. succini ʒß.
Syr. flor. tunic. ʒiß.
Misc.

Dosis 2. cochlear. singulis tribus horis.

Eidem avię, crebrâ scotomiâ cum insigni actionum animalium imbecillitate correptę, pręscripsi:

℞. *Aquæ Menth.*
Lil. convall. cum vin.
Ceras. nigr. an. ℥j.
Spiritus Ceras. nigr. ʒiij.
Ess. Castor. ʒiß.
Salis vol. cornu cervi ℈j.
Succin. ℈ß.
Syr. flor. tunic. ʒß.
Misc.

Huc quoque pertinent mixturę *suprà* in paroxysmo vertiginis *cap.* 1. pręscriptę; quibus semper essentia castorei addi potest.

Hisce tandem meritò annumerandum est *aurum diaphoreticum Poterii*, quod ritè paratum, cum conserua florum tunicę assumptum, est perquàm egregium: item *cinnabaris antimonii*, & cinnabarina: hinc de specificis cephalicis pro pręseruatione capiendis res nota est, cùm in genere quęuis antepileptica etiam ferè ad apoplexiam laudentur. E. g.

℞. *Corall. rubr. præp.* ʒj.
Cinnab. antimonii ʒß.
Salis vol. succini ℈j.
Cubebar. ʒß.
M. f. pulu.
D. S.
Pulvis cephalicus.

Ad pręseruationem aliàs usurpantur Electuaria: v. g.

℞. *Conf. flor. salviæ,*
Conf. flor. Rorismar.
Tunic. an. ℥ß.
Conf. alcherm.
Sem. sinapi an. ʒiij.
Cardamom.
Cubebar.
Macis an. ʒß.
Cum s. q. *syr. flor. tunic.* f. Electuarium:
D. S.
Electuarium cephalicum.

℞. *Conf. flor. anthos,*
Lavend.
Meliss. an. ℥j.
Cort. aurant. cond. ʒvi.
Zingib. cond. ℥ß.
Sem. sinapi,
Erucæ an. ʒiiß.
Cubebar.
Cinnam.
Cardam.
Salis vol. succini oleos. an. ʒi.
Cum s. q. *Syr. flor. tunic.* f. Electuarium.
D. S. ut suprà.

℞. *Conf. Menth.* ℥ii.
Flor. anthos ℥i.
Sem. sinapi pulveris. ʒvi.
Cinnam.
Caryophyll. an. ʒß.
Salis vol. succin. ʒi.
Ol. dest. Menthæ,
Macis an. gutt. viii.
Cum s. q. *Conf. Alcherm.* vel *syr. flor. tunic.*
f. Electuarium.
D. S. ut suprà.

℞. *Conf. flor. anthos,*
Salviæ an. ℥iß.
Zingib. in Ind. cond. vel *Nuc. Ind. condit.*
Sem. sinapi acr. an. ʒvi.
Corall. rub. præp. ʒiß.
Unic. ver.
Cinnab. antimonii,
Salis vol. succin. an. ʒi.
Ol. destill. succini ʒß.
Cum *brod. zingib.* f. Electuarium:
D. S.
Ut supra.

℞. *Conf. Alcherm.* vel *Conf. flor. anthos* ℥iß.
Nuc. Ind. cond. ʒii.
Sem. erucæ ʒii.
Cumini ʒi.
Succin. præp. ʒiß.
Cardam.
Cubebar.
Cinnam. an. ℈i.
Spiritus Ceras. nigr. ʒi.
Cum *syr. flor. tunic.* q. s. f. Electuarium:
D. S.
Ut supra.

℞. *Conf. flor. anthos* ℥ii.
Zingib. cond. ℥ß.
Sem. sinapi,
Erucæ an. ʒii.
Cardam.
Cubebar. an. ʒi.
Cum s. q. *Conf. Alcherm.* vel *syr. flor. tunic.*
f. Electuarium:
D. S. ut antè.

℞. *Conf. flor. anthos,*
Tunic. an. ℥iß.
Nuc. Ind. condit. ʒvi.
Conf. alcherm.
Sem. sinapi an. ʒiii.
Spec. dianthos ʒi.
Cum *brod. Nucis Ind.* f. Electuarium:
D. S. ut antè.

℞. *Conf. flor. anthos,*
Salv. an. ℥ß.
Conf. alcherm. ʒii.
Castor. pulveris.
Spec. dia-Ambr.
Dia-Mosch. dulc. an. ℈i.

Cinnab. antimonii ℥ß.
Ol. destill. Succin. ℥ß.
Cum s. q. *Syr. flor. Tunic.* f. Electuarium:
D. S. ut suprà.
℞. *Spec. dia-Ambr.*
Dia-Mosch. dulc. an. ʒi.
Cum s. q. *Sacch. in aqua Salviæ sol.* f. Rotulæ:
adspergendæ cum
Ol. destill. Cubebar. vel *salviæ*:
D. S.
Rotulæ cephalicæ.
Conf. *Idea Formul. Class.* 1. §. 6.
Quò etiam pertinet *D. Kolbii Mixtura præservativa ab Apoplexiis*. Compositio est hæc:
℞. *Spec. dia-Ambr.*
Dia-Mosch. dulc. an. ʒj.
Margar. præp.
Corall. rub. præp. an. ℈j.
Succin. alb. præp. ℈iv.
Conf. alcherm. ʒij.
Extr. rad. helen. ℈ij.
Ireos ʒß.
Calam. arom. ℈j.
Pœon.
Ligni Aloes an. ℈ß.
Ol. destill. salviæ,
Rorismar.
Succin. an. gutt. xvj.
Lavend. gutt. xx.
Spicæ,
Anisi,
Fœnicul.
Macis,
Nuc. moschat. an. gutt. xij.
Cubeb.
Caryophyll. an. gutt. viii.
Rutæ gutt. vi.
Sacchar. optim. ℥vii.
M. f. Pulvis.
D. S.
Saccharum apoplecticum.

Sed obseruetur, quod *semen sinapi & erucæ* imprimis his addenda sint.

Hæc Interna tam intra, quàm extra paroxysmum conueniunt.

Inter *Evacuantia*, extra paroxysmum usurpanda, primatum obtinent *Vomitoria*, & quidem antimonialia, ut suprà monui; quæ inter

Mercurius vitæ, tartarus emeticus, &c. præscribi potest: e. g.

℞. *Tartari emet. Myns.* gr. ii.
Sal. ammoniaci gr. ix.
M. f. pulv.
Vel
℞. *Tartari vitriolat.* gr. vi.
Emet. Myns. gr. ii.
Scamm. sulphurat. gr. i.
M. f. pulv.

Præter Vomitorium conducunt etiam *Purgantia*, e. g. helleborus niger, pilulæ fœtidæ, cochiæ, pilulę proprietatis Mynsichti, pilulę polychrestę eiusdem, extractum hellebori nigri, agarici, *Mercurius dulcis*: quibus pro stimulo semper extractum colocynthidis, vel alhandal legitimè paratum, addendum est: quin etiam semper ad pręcavendam recidiuam necessaria sunt Purgantia: Vid. CORTHNUMMIUS *l. c. cap.* 70. Sequentes pilulas avię maternę pręscripsi:

℞. *Mass. pilular. de succ. Crat.*
Extr. absinth. an ℈ß.
Troch. alband. gr. i.
Olei destillat. succini gutt. ii.
Cum *Ess. Prim. veris* f. Pilulę.
℞. *Mercurii dulc.* ℈i.
Scamm. sulphurat. gr. v.
Cum *Conf. flor. tunic.* f. Bolus:
D. S.
Saccharum purgans pro una dosi.

Item conducunt pilulæ ex Mercurio dulci cum extracto hellebori nigri, *supra cap.* 2. *Artic.* 1. *ubi de Epilepsia*, pręscriptę.

Vel

℞. *Mass. pilular. de trib. Ruffi* ℈ß.
Extr. helleb. nigr. gr. v.
Tartari vitriolat. gr. iii.
Cum *ol. destill. Carvi* f. Pilulę.
D. S.
Pilulę.
℞. *Gumm. ammoniaci acet. sol.*
Bdell. in acet. sol. an. ʒß.
Vitriol. martis ad albed. calc. ℈i.
Mag. gum. de Peru gr. xv.
Scamm pręp. Brendel. ℈i,
Extr. troch. alband. gr. vi.
f. Pilu. instar Francof.
D. S.
Pilulę emollientes, pro aliquot vicibus.
Dosis Num. xv.

Sudorifera ex lignis declinante paroxysmo aliquamdiu continuata, sunt maximè proficua.

Si his remediis non satisfacimus scopo, etiam cucurbitulę, setacea, fonticuli, & similia adhibeantur.

Vir quidam in decrescente ętate ultra septuaginta annos constitutus, aliàs sanus, sed inordinatę minusque regulatę, utut non lautę, diętę, adsuetus, aliquando cum sociis extra urbis portas ambulans, sine sensu & motu subitò corruebat totus pallidus, ab adstantibus denuò excitatus, quid secum actum, ferè nesciebat. Debilitatus tamen, & ob anhelitus difficultatem aliquoties desidere coactus, denuò intra civitatem revertebatur. Interiectis aliquot septimanis, cùm intereà semper commodè habuisset, templum petens, simili ratione ex improviso denuò corruebat, sed balsamis & aquis antiepilepticis refectus, domum lento gradu petebat. Aliquoties hoc accidebat, donec ingravescente malo extra privatos parietes ipsi uersari vix liceret, quin ex levi corporis motu vix omnimodà anhelitus interceptione, & simultaneà caligine oculorum affectus, forti impetu non tam corruere, quàm prosterni videretur, sensu & motu carens; hinc tabernam suam mercatoriam aliquando ingrediens, ex simili corporis prostratione nasum tam fortiter mensę allidebat, ut mediam eius osseam substantiam sine perceptione dolorosa perstringeret. Cum ergò tempore hyemali de paroxysmi huius apoplectici insultu sollicitus me consuleret, sequentia ordinavi:

℞. *Spiritus sal. ammoniaci,*
Cornu cerui essentif. an. ʒii.
Misc.

De quo capiebat quotidie ter, guttas xxx. vel xl. manè in vehiculo calido, à meridie in frigido: unà cum hoc pręscripsi:

℞. *Ol. dest. succini* ʒi.
Caryoph.
Macis an. ℈i.
Mur. Mosch. expr. q. s.
Misc. pro Balsamo.

Hoc manè & uesperi tempora, uerticem, nucham, & regionem stomachi inungebat: sic nec tàm crebrò, nec atrox paroxysmus fuit.

Appetente uerò uerno tempore ordinaui, pręmisso digestiuo salino, purgationem Mercurialem cum extracto panchymagogo, quo pluries excreuit cum leuamine, hinc internè pro pręseruatione pręscripsi:

℞. *Ficuum pingu.* minutim incis. No. iv.
adde
Sem. sinapi contus. ʒi.
Cardam. pulveris. ʒii.
Cum s. q. *Syr. flor. tunic.* & *Spiritus lil. convall.*
f. Electuarium:

De quo omni manè capiebat quantitatem nucis inglandis ieiuno stomacho, desuper sorbendo quantum placet de iusculo calido.

Externè capiti imponebat sequens Emplastrum:

℞. *Empl. de ran. cum mercurio* q. s.
Malaxabatur cum s. q. *Bals. Peruviani in vitello ovi soluti*, & super *alutam* extensum sub mitra parva semper gestabat, cum usu pręfati balsami.

Sic hactenus benè se habuit, ut spes sit, continuato usu horum remediorum malum imminens pręcaveri posse. Corpus est exsuccum, macrum, rugosum; hinc inutilem duxi fonticulum.

Aliàs *Fonticuli* in Apoplexia, tàm præseruativè, quàm cura-

curativè, præsertim in senibus vel decrepitis, ubi affectus catarrhales sunt frequentes, familiari sunt in usu, & multùm conferunt: & quidem veteres *setaceum* in nucha usurparunt, cujus setacei ad præservandam Apoplexiam in nucha usum videbitis in HORSTIO *lib.* 1. *observ.* 14. sed est remedium admodum molestum; potius fonticulus in nucha inustus, vel homoplatis, aut etiam fonticulus unus in brachio, alter in crure paratus, est egregius. Veteres etiam fonticulum inusserunt in vertice; sed est ridiculum remedium, & propter inflammationem plerumque periculosum. Interim cum distinctione agendum: Nempè Apoplexia positiva, si præfatis remediis non cessaverit, ferè lethalis est. Saltem ergò *in Apoplexia privativa* fonticuli & cucurbitulæ in regione dorsi intra scapulas commodè adhiberi possunt; *in positiva* enim præcavenda parum auxilii afferre solent. Unde dum obseruationes prostant *nunc* proficuorum, *nunc* inanium horum remediorum, causa videtur esse, quod nunquam obseruata fuerit differentia Apoplexiæ positivæ & privativæ: v. g. qui à carbonum fumo cadit apoplecticus, talis ab hujusmodi remediis externis nullum sperare potest auxilium; ubi verò ex sanguine grumoso, & ubi suspicio est peccantis plus minus lymphæ, dicta auxilia chirurgica multum adferunt commodi.

Denique *Salivatio* in declinante Apoplexia pro eradicando morbo non ineptè à BARBETTE *in Praxi* proponitur, & à DECKERO *in Comment.* commendatur *pag.* 23.

Suprà dictum, quod Apoplexia ex universali in particularem, *nunc* pauciora, *nunc* plura membra occupantem, transeat: Pergo igitur ad

ARTICULUM II.
DE
PARAPLEGIA.

QUoad Paraplegiam: hæc nunc *apoplexiam* sequitur, sicque *morbus secundarius* est, nunc verò *per se* incboat, sine præcedente apoplexia, utut plus minus alios morbos sequatur, *estque Apoplexia particularis*. Notabilis est permutatio ista, cujus meminit FORESTUS *l.* 1. *observ.* 80. ubi apoplexia mutata in paralysin, (rectiùs in Paraplegiam,) deinde in epilepsiam, & ex ea denuò in apoplexiam lethalem. Sanè *apoplexiæ* & hinc natæ *Paraplegiæ* ac epilepsiæ singularem habent & mutuam conuenientiam, & quasi in radice identitatem. *In modo fiendi* saltem aut affligendi *differunt*: hinc & permutatio mutua earum, & quoque in cura remediorum identitas. Hinc certè GORRÆUS *in Defin. Medicis* inquit; Paraplegiam signare HIPPOCRATI paralysin, quæ apoplexiæ vel epilepsiæ succedit. Non enim rarum est, epilepsias in Paraplegias mutari, & contra: sic epilepsiam, quæ in paralysin totius ferè corporis, excepto brachio dextro, abiit, in quo sensus, ablato motu, perierunt, notat HILDESHEIM *in Spicileg. de Affect. Capitis cap.* 7. Item SCHENCKIUS *in obser.* refert, epilepsiam ex terrore contractam post biennium in paraplegiam alterius lateris transiisse, nihilominus singulis mensibus circa novilunium affligens: Item FONTANUS *Respons. & Curat. lib.* 1. *pag.* 32. Paraplegiam oculi sinistri post epilepsiam in gravida obseruat, quæ post partum gemellorum mortuorum apoplectica interiit: HORSTIUS *l.* 2. *obs.* 41. notat ex epilepsia Paraplegiam lateris dextri, & hinc denuò insultus epilepticos. Pertinet huc notabilis obseruatio *Ann.*6. & 7. M.A.N.C *obs.*212. ubi mutuò paralysis & epilepsia se exceperunt: Item confirmat hæc BARTHOLINUS *Cent.* 4. *observ.* 3. dum paraplegiam lateris sinistri & convulsionem lateris dextri in febre petechiali annotat. Sanè non secus in *Apoplexia & Paraplegia*, quàm epilepsia, simul *aliquid convulsivi* subesse videtur: Notabilis hic est HILDANI *observatio* 4. *Cent.* 1. ubi ex sola nervuli in aure irritatione, ob immissum globulum, stupores quasi paralytici, dolores, & atrophia brachii istius lateris, ac tandem epilepticæ convulsiones excitabantur. *Ex irritatione ista*, quid aliud quàm *spasmus* fieri potuit? Similem observationem de dolore & stupore cum ejusdem atrophia ex cerallina sphærula in aurem illapsa refert SCHENCKIUS *in observat.*, *ubi de aurium morbis*. Hujusmodi *Paraplegiæ*, quæ apoplexiam, epilepsiam, aliosque morbos immediatè sequuntur, vulgò *Paralyses* vocantur, & hoc nomine tractant Theoriam earum ac Praxin Practici, præsertim veteres. Omnium loco sufficiat WILLISIUS *de Anima Brutor. Part.* 2. *cap.* 9. Cùm tamen, propriè loquendo, paralysis longè alius affectus sit ab iis Apoplexiis particularibus sive Paraplegiis, ut *infrà Artic.* 3. monebitur. *Probè hoc observetur in Autorum lectione*, qui ordinariè Paralyses & Paraplegiam confundunt, unâque methodo Theoriam & Praxin tractant.

In Hemiplexia, & multò magis *Paraplegia*, sive apoplexiam, sive alium similem sequatur affectum, & malè paralysis vocatur, *tres hujus gradus observandi* sunt:

1. Enim *motus solùm deficit superstite sensu*.
2. *Sensus & motus planè deficiunt* in parte, *restitante* tamen adhuc partis *calore* naturali.
3. *Istis deficientibus* etiam calor partis evanescit, eaque simul ferè continuò frigida percipitur, quam constitutionem partis insequi solet ejus *flacciditas* notabilis ac mollities; & hinc *marasmus*.

Differunt hæ Paraplegiæ secundùm magis ac minus, prout magis & minus est impedimentum in nervis.

CAUSÆ.

Quoad *Causas Paraplegiæ*: communiter *obstructionem nervorum* accusant, quæ tamen nec cum modo fiendi, nec cum cura benè convenit. Saltim non *universalis causa* hæc esse videtur; siquidem *& per consensum* aliarum partium remotarum Paraplegiam fieri observatum fuit: Nempè sicut notum est, quod graviores *passiones hystericas* subinde epilepticæ convulsiones superveniant; ita iisdem *paralyses* & *hemiplexias* supervenisse observatum fuit, in specie à QUERCETANO *in Tetr. gravissimor. affect.* Item *lumbrici* uti convulsiones & epilepsias excitant, ita etiam ad paralyses terminantur, teste SALMUTH *Cent.* 2. *observ.* 45. Hinc etiam apoplexiam paraplegia lateris sinistri & convulsio dextræ insecutæ fuerunt: vid. SCHENCKIUS *in observ.* Ut taceam paraplecticos desperatos quosdam subinde *ex graviori animi pathemate*, ira vel terrore, ex improviso curatos fuisse, autore HORSTIO *lib.* 11. *Observat.* 15.

Adeoque *Paraplegiæ* istę *pro fiendi ratione* nunc *privativæ*, nunc *positivæ* esse videntur; & in his positivis *aliquid convulsivi* omninò intercedere, dicta modò ratio, & cum affectibus convulsivis faciles permutationes, omninò persuadent. Sed cum in specie apoplexias non lethales ferè ordinariò insequantur Paraplegiæ, hujus *permutationis ratio* est inquirenda. Equidem *apoplexiam sanguineam universalem*, quę ex sanguinis extravasatione evenit, utplurimum lethalem esse existimo. Aliàs *sanguinea privativa*, quæ tantum ex motu sanguinis intercepto in vasis cerebri oritur, si universalis sit, quomodo in paraplegiam transeat, sanè obscurissimum, nisi forsan venæ sectio largior, sanguinis motum promovendo, saltim alterius cerebri lateris affectum *particularem* reddat, qui antè *universalis* erat, ita ut saltem in altera cerebri medietate, aut saltim circa neruorum exortum, & sanguinis consistentis & turgescentium inde vasorum vitio, Paraplegiæ oriantur. Imò *si apoplexiæ privativæ sanguineæ Paraplegia supervenerit*, probabile est ex sanguine congrumato & subsistente plus minus laticem aquosum fecisse secessum, & vel interiùs profundiùs penetrasse in cerebrum per caudicem medullarem, vel exteriùs defluxisse secundùm ductum spinalis medullæ, & ita unius alteriusvè neruі læsione vel oppressione Paraplegiam intulisse. In *privativa* verò *lymphatica*, aut huic cognata, si unquam observetur, *pituitosa apoplexia*, lymphæ materiæve peccantis in caudicem medullarem interiora versus progressus, adeoque obstructiones, vel ejus secundùm radicem spinalis medullæ defluxus, & certis in locis compressio, Paraplegiam inferre potest, ut satis plausibile videtur. *Imò forsan aliqualis irritatio* contractioni fibrarum & membranarum circa principium neruorum originem subministrare, & hinc sufficientem spirituum influxum impedire, poterit.

Positivam apoplexiam etiam excipere Paraplegiam, res nota est, sed *modus* est admodum obscurus. Esset tunc Paraplegiam *contracturam partium nervosarum* circa radi-

radicem spinalis medullæ, quâ impediatur spirituum pro motu transitus, ut HELMONT. asserit, non improbabile est: *sed quomodo fiat?* reverà intricatum. Interim tamen *sicut* calculus in rene subinde crus istius lateris stupidum & semiparalyticum reddit, aut quando colicam intestinorum convulsivam ex improviso vel crurum paralysis, aut hemiplegia insequuntur, si causa materialis communicetur, ex simplici partium nervosarum concursu; *ita* similiter probabile est, *per consensum nervorum*, eorumque fibras circà sui radicem in caudice medullati, aut in hujus progressu contractas, spirituum sufficientem pro motu impediri influxum, sicque partes, ad quas isti nervi distribuuntur, sensu & motu plus minus privari. Ex hoc enim *permutationis ratio affectuum paralyticorum & convulsivorum*, & eorum *identitas*, optimè explicari possunt.

PROGNOSIS.

Ex his patet *Prognosis* de cura hemiplexiæ & paraplexiæ: nempè pro varietate graduum plus vel minus gravis est cura.

Paraplegia quævis malum difficile est curatus.

Primus gradus levissimus est, & qui cæteris paribus faciliùs curatur: *ultimus* gradus difficillimus curatu, & etiam *gravissimus* & periculosissimus est.

Si parti paraplexiâ correptæ vel *tremor* superveniat, aut *formicationis* sensus, aut doloris molestia, bonum signum est pro restitutione.

Quò magis calor membri paraplectici *deficit*, eò minor spes superest.

CURA.

Quoad *Curam* harum apoplexiarum particularium: In hac eadem ferè, quæ in Apoplexia universali curanda, observanda sunt. *Remedia* verò ipsa *appropriata* sunt eadem, quæ *epilepsiæ* aut *apoplexiæ* medentur.

Vomitus in quavis Paraplegia est optimus, idque quando eadem supervenit apoplexiæ positivæ, & quidem fortè necesse est *vomitorium*; quem in finem Mercurius vitæ cum *scammonio* sulphurato ab HARTMANNO *in Prax. Chymiatr.* laudatur: v. g.

℞. *Mercurii vitæ* gr. ij.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Cum *Conf. flor. bugloss.* f. Bolus.
D. S.
Saccharum emeticum pro una dosi.

Sin vomitoria non velimus usurpare, instituantur fortes *purgationes*: quibus addendus est semper stimulus acris ex colocynthide, Vel

℞. *Resin. Ialapp.* ℈ß.
Dissolv. cum s. q. *vitell. ovor.*, diluatur cum
Aquæ fumar. ℥vj.
Cinnam. ℨj.
M. S.
Lac purgans.

Item subinde necesse est, ut *venæ sectio* instituatur, sed in latere opposito, non tamen semper æquè necessaria est. *Lindani* verba sunt: „*Venæ sectionem instituere, nisi plethora adsit, magis iugulat, & puto ideò multas curationes malè succedere, quod in principio sanguinem mittimus: statim vomitorium propinandum, idque ab initio.*" Adeoque *vomitoria* imprimis in paraplegia, quæ sequitur apoplexiam positivam, conveniunt. Sicuti venæ sectio magis locum habet in ea, quæ sequitur post apoplexiam privativam, ubi etiam *fonticuli*, item *vesicatoria* nuchæ admota, & *cucurbitulæ* scarificatæ intra scapulas conveniunt. Utrobique verò venæ sectio *adhibenda in plethoricis*, aut in quibus solennis quædam sanguinis excretio suppressa fuerit.

His & similibus præmissis, inter *remedia interna* præ cæteris *Sudorifera* laudatissima sunt, nunc communia, nunc specifica. Communia seu generalia ista in apoplexia commendata sunt speciatim *salia volatilia* in paulò majori dosi, & *spiritus*, *sanguinis humani*, cranii humani, & similia, in paulò majori dosi; nempè spiritus ad integras drachmas, salia à ℈j. ad ℨß. *Liquor cornu cervi succinatus* est egregius. Loco horum Veteres etiam usurparunt Decocta sudorifera lignorum, quæ interpositis *appropriatis* sunt optima. Speciatim *Decoctum ligni sassafras* egregiè confert, ex quo & *baccis* juniperi vel *lauri* paratum *Decoctum* efficaciter paralyticum restituit, teste POTERIO *Cent. 2. observ. 26.* Item *Decoctum sassafras cum roremarino* imprimis convenit, quod singulare quid obtinet in hujusmodi nervorum affectibus. Item *helenium* ejusque *radix* dictis *Decoctis* additum, benè convenit: verbi gratiâ ad imitationem POTERII præscripsi;

℞. *Rasur. ligni sassafr.* ℥ij.
Herb. rorismar. rec. M. j. vel ij.
Bacc. Junip. rec. succul. vel *lauri* ℥iß. vel ℥ij.
Coqu. in *Vin.* & *Aquæ* an. ℔iß. per Balneum Mariæ in cucurbita, cum suo alembico munita:
Colaturam & destillatum misce,
adde
Spiritus bacc. Junip. ℥ij.
Sal. ammoniaci ℨiij. ad ℥ß. vel ℨvj.
Syr. flor. tunic. ℥iij. vel q. s. pro grato sapore.
M. S.
Potio articulos confortans.

De qua potione ter quotidie, mane, à meridie, & ingruente nocte bonum haustum capiat æger aliquamdiu, blandum sudorem expectando.

Specifica verò sudorifera sunt *aurum diaphoreticum Poterii*, *cinnabaris antimonii*, *coralliata*, *cranium humanum*. *Aurum diaphoreticum* certè in frequentissimo usu habuit POTERIUS, & elegantes curas in paralyticis præstitit. Paravit vel ex auro per amalgamationem calcinato, vel aurum fulminans cum duplo florum sulphuris in mortario lapideo optimè miscetur, (cavendo, ne fortiori trituratione illud incalescat & fulminet;) in crucibulo prunis ardentissimis in pulverem purpureum vertitur: cum *spiritu* vini rectificatissimo *anisato* per quindecim dies blando calore digeritur, & spiritu hoc, aut per destillationem aut per deflagrationem, separato, ad usus convenientes asservatur. Absque calcinatione etiam cum floribus sulphuris solâ digestione cum spiritu vini rectificatissimo vel anisi, & cum eo ZWELFFERUS, hoc aurum diaphoreticum præparant; ita tamen ut prior quatuor saltem dierum, posterior aliquot septimanarum, digestionem adhibeat atque commendet. Sicuti aliàs idem cum *Mercurio antimonii* præparavit nobiliori modo & effectu: Vid. POTERIUS quoad descriptionem *in sua Pharmac. Spag. l. 2. cap. 14. pag. 456. seqq.* & *in Append. pag. 599.* quoad usum & vires mirabiles, vid. *Cent. 1. Curat. 73. Cent. 2. Cur. 66. & 87.* & *Cent. 3. Cur. 14.* Hoc à gr. v. ad ℈ß. in conserva quadam propinetur: in vehiculo enim liquido ad fundum cadit aurum diaphoreticum: Sic grana sex hujus auri assumpta cum sensibili quadam alteratione circa præcordia sudorem cum aliquali somnolentia inferunt. Aliquando viro adulto affectu quasi paralytico correpto dedi duas doses *auri diaphoretici* cum *conserva florum tunicæ*: Prima dosis cum blando sudore tormina abdominis & mirabilia excreta excitavit, alterâ vice verò copiosum sudorem emanare fecit cum euphoria. Modus præscribendi est:

℞. *Conf. flor. tunic.* ℨj.
Soli diaph. gr. xv. ad ℈j.
M. f. Bolus:
div. in 2. part. æqu. S.
Saccharum sudoriferum.

Assumptâ unâ dosi hauriatur desuper spiritus theriacalis cochleare j. vel ij. & ita per sudorem repetitum, præmissis præmittendis, malum curabitur.

Vel

℞. *Cran. hum. præp.*
Unic. ver. præp. an. gr. xij.
Auri diaph. ℈ß.
M. S.
Pulvis confortativus.

℞. *Cran. hum. sine igne*,
Corall. rub. præp. an. gr. xv.
Auri fulmin. gr. iij.
M. S.
Ut antè.

℞. *Cran. hum. sine igne*,
Unic. ver. præp. an. gr. xij.
Auri fulmin. gr. iv.
Salis vol. viperar. gr. vj.
M. S.
Ut antè.

Quoad

Quoad Cinnabarin antimonii verò, loco auri diaphoretici egregia est ritè parata. Hæc datur à gr. xv. ad ℈j. nunc solitariè, nunc cum ossibus humanis præparatis, nunc cum sale volatili cranii humani & similibus, idque repetatur crebro usu.

Vel

℞. *Cinnab. Antimonii* gr. xv.
Succin. catarrhal. ℈ß.
Salis vol. Succin. gr. v.
M. f. pulvis
D. S. ut suprà.

Accipiatur in vehiculo appropriato, & expectetur sudor.

℞. *Cran. hum. præp.*
Corall. rub. præp.
Cinnab. antimonii an. ℈ß.
Ol. dest. Cinnam.
Caryoph. an. gutt. j.
M. S.
Pulvis cephalicus.

℞. *Aquæ Ceras. nigr.*
Lil. convall.
Menthæ an. ℥j.
Spiritus Ceras. nigr. ʒvj.
Cinn. antimonii ʒß.
Salis vol. cornu cervi gr. xv.
Syr. flor. tunic. ℥j.
M. S.
Potio cephalica.

Cum his internis optimè simul *externa* regioni spinæ dorsi, item vertici, aut saltim loco unde exoritur neruus partis affectæ, illinenda conueniunt: Unde in manuum apoplexiâ admoveantur nuchæ, in apoplexia crurum ossi sacro, regioni lumborum, & simil. Ipsa membra apoplectica illinire superfluum videtur, cùm malum illis non hæreat, sed ipsa saltim passivè se habeant. Hæc inter conueniunt olea destillata (nam expressa, per infusionem, aut pinguia mucilaginosa non penetrant) vel spirituosa, vel emplastra. Olea destillata quod attinet: talia sunt v. g. *oleum destillatum succini, lavendulæ, spicæ, galbanetum Paracelsi*, quibus Petroleum album nativum, aut etiam petroleum cum cineribus destillatum, potest addi. Juxta hæc in usu sunt spirituosa, ut *essentiæ* ex infusis nervinorum, & *aqua articularis ad extra*, i. e. spiritus vini, affusus simplicibus neruinis aromaticis, & aliquot cohobiis abstractus, quæ vel solitariè, vel mista cum parte dimidiâ vel tertiâ spiritus salis ammoniaci cum calce viva & spiritu vini parati. Pro *aquis articularibus ad extra* quidam

℞. *Sem. Sinapi* p. j.
Bacc. Iunip. part. ij.

Contusa infundunt in *spiritu vini*, eundemque impraegnatum partibus affricant: pro quo scopo & ipsum magma simpliciter adhiberi potest.

Item *essentia castorei*, extracta cum *aqua spirituosa liliorum convallium cum vino*, pro frictione spinæ dorsi vel alius loci commodi calidè, est egregia, in specie post sudores, ut poris apertis meliùs possint penetrari; item spiritus vini camphoratus ter quotidie in loco calido benè affricando parti paraplecticæ. His ipsis spirituosis aquis & *salia volatilia*, in specie *spiritus & sal volatile lumbricorum terrestrium ac formicarum*, addi possent.

Vel

℞. *Spir. vini camphor.* vel *formic.* vel *aquæ artic. ad extra* ℥iij.
Spiritus lumbr. terr. ℥iß.
Ess. Castor. ʒvj.
Spirius sal. ammoniaci cum calce viva ℥ij.
M. D. S.
Spiritus externus.

Quod si spina dorsi probè his ipsis perfricata fuerit, applicandum desuper *linteum cum gummi animæ* probè suffumigatum atque calidum: Vel præmissis cum *aquis spirituosis* frictionibus istis *olea suprà laudata* desuper illinenda sunt, ut apertis his mediis poris, penetrantioris efficaciæ sint hæc ipsa, quibus etiam imprimis *oleum* destillatum *tartari*, & olea *ex pinguedinibus* aut partibus animalium durioribus destillata addi possunt, utut horridè fœteant; tamen aliquoties cohobando super caput mortuum, aut *ossa calcinata*, à nimio fœtore liberantur, & utilissima sunt in quibuscunque artuum affectibus. Illinuntur hæc *olea* nunc ita simpliciter, nunc ubi nimis acria fuerint, paruasque pustulas excitent, subigenda sunt vel cum *oleo lumbricorum terrestrium* per *decoctionem*, & ita illinenda. Possunt etiam fortibus frictionibus & litibus asperis, calidis ac penetrantioribus, illiniri totæ partes paraplecticæ, ut irritentur partes sensiles, & hujus medio provocetur plus minus spirituum impetus: proptereà & ipsas partes ita resolutas his modis tractare consuetum est, & propter hunc finem dictis litibus *alumen plumeum*, tàm *crudum*, quàm, quod præstat, ex hoc paratum *arcanum aluminis Wurzii*, simul addendum est, in specie quando ad atrophiam seu marasmum membrum paraplegiâ affectum inclinare velit: e. g.

℞. *Liqu. lumbr. terrestr. in clibano parat.* ℥iij.
Ol. destill. Spicæ,
Iuniperi an. ʒiß.
Lavend.
Maioran. an. ʒß.
Succini ℈ij.
Alum. plum. ℈j.
M. S.
Unguentum articulare.
Partibus affricetur.

Qui autem acria ferre non possunt, ut scorbutici, & in quibus atrophia membri metuitur,

℞. *Pingu. hum.* vel *anser.* vel *Butyr. Maial.* ℥iij. jv. ad vj.
Ol. dest. tereb. ℥ij.
Bacc. Iunip. ℥ij.
Spicæ ʒß.
M. S. ut suprà.

Quibus & desuper subinde circa locum affectum, in specie spinæ dorsi, emplastra ex nervinis & aromaticis imponi possunt, imprimis ex gummatibus penetrantibus:

℞. *Gum. Galb.* p. ij.
Carannæ p. j.

Malax. cum *Petrol.* in consistentiam Emplastri.
D. S.
Emplastrum articulare.

Quod in regione spinæ dorsi agglutinandum erit.

Pertinet huc unguentum & emplastrum paralyticum Mynsichti, & similia.

Alia plura remedia contra Paraplegiam videb. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Append. pag.* 44.

Balnea denique *ex formicis*, reverà singulare quid obtinent in Paraplegiis curandis: Conf. M. A. N. C. *Ann. 4. & 5. Observat.* 128. *pag.* 137.

ARTICULUS III.
DE
PARALYSI.

COgnata pathemata sunt *Paralysis* & *Stupor*; unde etiam propter summam, quam habent, affinitatem vulgò & non absque errore confundi & promiscuè tractari solent. Nam quod attinet Paralysin, Germ. *die Lahmung*: ad illam vulgò etiam referunt Hemiplexiam, item speciem innominatam & *paraplexiam*; cum tamen hæ species reverà sint species apoplexiæ, nempè particularis, & oriuntur ex affectis neruis. *Paralyses* verò sunt resolutiones membrorum tales, in quibus *primariò motus deficit, superstite plus minus sensu*, ob spirituum animalium motum & activitatem denegatam. *Stupor* è contrà est affectus, in quo, deficiente in partibus sensu, superest motus, Græcis *ἀναισθησία* dictus, symptoma tactus est, quod ad paralyticos affectus nullo modo referri debet.

Hæc *tria* mirum inuicem confunduntur, quia explicantur ex *Arabum* & *Galeni* Scriptis. Genuino verò sensu apud Veteres *Paralysis* propriè significabat laxationem & resolutionem neruorum; à *παρὰ* & *λύω*, penitus resoluo, idque imprimis interprete CELSO, *Medicorum* nempè *Cicerone* qui tempore AUGUSTI, ante GALENUM longè, in uiuis fuit, & in hoc puncto satis accuratus est. *Nervus* autem, Græcis dicto *νεῦρος*, ab ipso dicitur vel tendo musculorum, vel ipsum ligamentum, quo nectuntur artus: Et id, quod nos hodie vocamus *nervum*, prisci generali nomine *venarum* complexi fuere: vid. LINDANUS *in Colleg. Pract. ad Hartm.* & CELSUS.

Paralysis ergò ex genuino sensu erit *resolutio & relaxatio* istius adstrictionis, quam debet habere neruus seu tendo & ligamentum, quibus mediantibus connectuntur & proxime moventur artus: quæ ipsa instrumenta, tendines, fibræ & ligamenta, quando sunt laxiora, vel humidiora & flaccida, sunt inepta pro movendis istis partibus, & tunc dicitur Paralysis. *Talis affectus est*, quem describit BONTIUS *in sua Med. Indorum cap.* 1. tanquam malum Indis familiare, sub nomine Indico *Beriberi*: Conf. etiam Tulpius Obseruat. lib. 4. cap. 5. item BARTHOLINI *Act. Med. Hafniens. Volum.* 4. *pag.* 145. Est scilicet talis resolutio musculorum & neruorum, ut totum corpus & ejus partes moveri nequeant. Hic ergo affectus est *genuina Veterum Paralysis*, quando tendines, & ligamenta, & fibræ artuum, ita humectantur & laxantur, ut resoluta & laxata non possint mouere membra, sive uniuersum corpus, siue certas saltem partes occupet. Nempè *cessat primariò motus* in membro paralytico, sensu plus minus superstite, malumque est in ipsa parte affecta, minus verò in neruo.

Ex quo facilè patet, quod paraplegia & Hemiplexia sint species apoplexiæ, non verò species Paralyseos; Paralysis enim est propriè loquendo saltem symptoma motus læsi, cum si lædatur simul sensus, est per accidens. Et propter neglectum hujus distinctionis Autores nesciunt, quomodo fiat, quod pereat motus superstite sensu? quod tamen facilè cognosceretur, modò fieret distinctio hujus ab apoplexiæ speciebus. Quomodo autem sensus superesse possit motu deficiente, licet uterque ab eodem prodeat principio, optimè declarare videtur WILLISIUS *de Anim. Brutorum Part.* 2. *pag.* 280. Paralysis ista, quæ fit saltem ita, ut lædatur motus, remanente sensu, *est levior*, & vocatur ordinariò *Paresis*, qualis est ista, quæ superuenit colicæ, & qualis imprimis sæpiùs est in scorbuto: videb. DRAWIZIUS *de Scorbuto dolorifico, ubi de paresi scorbutica.* Quando verò sensus & motus simul, vel post motum sensus etiam partis, pereunt, gravior *Paralyseos* solet esse species. Plus enim Paralysis pertinet ad motum quàm ad sensum. *Subiectum ergo Paralyseos* sunt fibræ, & tendines, & ligamenta.

Ex dictis patet, quod *Paralysis* propriè sit atonia fibrarum nerueàrum & musculorum, præcipuè autem in tendinibus & ligamentis; quæ partes propter atoniam resolutę, flaccidæ, molles & relaxatę, ineptę fiunt, ut trahere aut conuenienti robore firmare possint membrum; qui levior affectus dicitur *Paresis*, sicut fortior *Paralysis*.

Malè ergò & ex falsa hypothesi *Paresin Paralysin notham* vulgò indigitant. Putant nempè, paralysin oriri ex obstructione neruorum, & insequi apoplexiam, (id quod tamen dat paraplegiam,) qualis obstructio cum non sit obuia in paresi, propterea eam *Paralysin notham* indigitant; cum tamen revera paresis Paralyseos sit species, sed levior, in qua nerui non primariò, sed tantum consecutivè, affectis fibris & tendinibus laxatis, & ipsi afficiuntur.

Facilis aliàs est *distinctio inter paraplegiam supervenientem apoplexiæ, & Paralysin*. *Differunt* enim (1.) *origine*: Nam *Paraplegia* sequitur imprimis cerebri & spinæ morbos, & frequentissimè comitatur apoplexiam, epilepsiam, conuulsiones &c., cùm dicti affectus subinde sint mutuò permutabiles, & desinant in paraplexiam; *Paralysis* verò sequitur alios corporis affectus, in specie post scorbutum, malum hypochondriacum, & colicam conuulsivam: frequentior est regionibus, ubi copiosum hauriunt uinum, aut oritur etiam subinde à causis externis.

Differunt (2.) *subiecto*: Nam in paraplexia primariò afficiuntur nerui, quoad exortum; *in Paralysi* verò iidem in progressu & insertione imprimi musculi, & in specie tendines & artus. Hinc medicamentorum topicorum diversa in utroque affectu applicandi ratio, quę in paraplegia magis origini neruorum partis affectę, in Paralysi ipsi parti affectę applicanda.

(3.) *Symptomatis* simul differunt: Nam *in legitima paraplegia* sensu tactus utplurimum cum motu uoluntario simul perit & tollitur; *in Paralysi* verò subinde sensus tactus superest, quandoque etiam, ut in scorbuticis, cum sensu doloroso, formicante, lacerante, & simili, tantummodo motus tollitur, & labescit.

Quibus addatur (4.) quod genuina nervorum resolutio seu paraplexia à principio ad finem eodem ferè habitu sit constans, aut quodammodo perpetua, & crebriùs Medicorum operam fallat; nam paraplegiæ, post apoplexiam sunt difficillimæ curationis: è contra Paralyses & pareses sæpius per interualla ægros magis & minus vexant, labefactant, cessant & redeunt, quandoque cum *arthriticis* quasi *doloribus* complicantur, ut quotidiè evenit in paresi scorbutica, donec habitum in membro contraxerint: Quin & interdum in *convulsiones* abeunt, & in malo confirmato pertinacem *contracturam* post se trahunt, nec tamen adeò rebelles sunt exercitatis Medicis, ut paraplegiæ, quin nondum confirmatæ facilè tolli possint: vid. DRAWITZII *Scorbutus dolorificus*.

Quæ dicta hactenus, ostendunt, quid genuina sit paralysis. Verùm communiter in genere & abusivè omnis sensus & motus in parte depravatus à quacunque causa, dicitur Paralysis: sic etiam, quando ex dissecto, v. g. per medium, nervo pereunt sensus & motus in partium vulneribus, dicitur etiam Paralysis, cùm propriè in Paralysi vera pereat motus, remanente sensu, rarò verò simul sensus etiam pereat; in paraplegia verò sensus & motus simul perit. Rarissimus è contrà est affectus, ut pereunte sensu remaneat motus, & tunc malè quoque ad Paralyses refertur, cùm tantùm *ἀναισθησία* sit, seu Insensilitas, aliis stupor dicta, de quo *suprà Sect.* 2. *Cap.* 3. *Artic.* 1. egimus.

CAVSÆ.

Causas Paralyseos quod attinet: hæc, prout à paraplegia distinguitur, ratione causæ est vel *privativa* impropriè sic dicta, vel *positiva*; quarum *illa* nervos afficit, & spirituum emanationem inhibet; *hæc* narcosin seu simile quid, quod spirituum animalium activitatem turbat, presupponit.

Causæ ergò Paralyseos revocari possunt ad duplicem classem; nempè spirituum torporem, & viarum angustiam seu interceptionem. Siquidem privativa in viarum seu nervorum, medullæ oblongatæ, ac tendinum dissectione in vulneribus, distorsione aut *compressione*, aliovè vitio consistit; quæ nunc hunc nunc istum nervum sine præcedente affectu apoplectico solent affligere: quò etiam pertinet, quando *nervorum* quorundam particularium per *μετάστασιν* causæ morbosæ fit *obstructio*, aut *compressio*, vel superficietenus, vel intra membranas, aut alia nondum satis cognita affectio, quò minùs possit sensus & motus communicari partibus, v. g. quando post variolas retropulsas aut malè curatas, uti habet LOTICHIUS *lib.* 2. *Observat. cap.* 1. *Observat.* 15. qui observat paralysin linguæ in infante à variolis malè curatis, aut post erysipelas capitis malè curatum oritur paralysis linguæ, (vid. SALMVTH. *Cent.* 2. *Observ.* 43.) item à *varis faciei retropulsis* primò arthritis, post etiam paralysis, & tandem brevi mors secuta fuit, notante SALMVTH. *l. a. Observat.* 35. quæ tamen omnes à causa privativa excitatæ Paralyses reverà potius *paraplegiæ* sunt, hodie consuetâ confusione invicem confusæ. Facit huc etiam, quando per vulnera cerebri & medullæ spinalis, aliarumque partium, *dissecantur nervi*; aut quando nervi in medullæ spinalis compressione, ex luxatione ac fractura vertebrarum inferiorum partium dorsi, aut casibus ab alto, sunt distorti aut compressi, quod observavit HOEFERVS; unde supervenit paralysis privativa cęterarum partium. His enim modis vitiati nervi denegant spirituum animalium influxum, & per consequens sensum & motum partibus istis, in quas derivantur; unde paraplegiæ potius, quàm paralyses: Sic HOEFERVS *in Hercul. Medic. pag.* 29. observat paralysin omnium partium inferiorum *ex luxata vertebra lumborum, coxæ proxima*: Ita *post casum in os sacrum* ex scala lapidea paralysin brachii & cruris sinistri secutam, & inunctione appropriata curatam fuisse, refert AMATVS LVSITANVS *lib.* 1. *Curat.* 19. Sic *percussiones capitis* excitant paralysin vel potiùs paraplegiam in opposito latere: Hinc quidam ex arbore decidens in os sacrum, ex hujus contusione in paralysin dictam pedum inciderat, ut hoc observat BAR-

BARTHOLINUS *Cent. 5. Observat. 8.* Similiter paralysin sinistri lateris, conuulsionem & mortem, *ex contusione musculi temporalis* à lapsu notavit GLANDORPIUS *Specul. Chirurg. Observat.* 10. Quò pertinet *gibbus* paralysin sensim inducens, cujus curam videb. in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observat.* 230. *pag.* 333. Sed hæc ipsa modò allegata potius paraplegiam, quàm paralysin inducunt.

Positiva verò Paralysis est, quæ propriè *Paralysin* constituit, & nunc ab *externa*, nunc ab *interna* oritur *causa*.

Externas inter *nimia humectatio* ac *nimia refrigeratio*, e. g. *aer frigidior* ac *pluviosus*, indeque nata resolutio & flacciditas fibrarum ac tendinum, infert Paralysin, eamque propriam: Sic enim non solùm GALENUS jam suo tempore ex mora diuturna in aqua frigida, & ex balneo aquæ frigidæ; sed etiam ZACVTVS LVSITANVS *lib.* 1. *Prax. Admir. Observat.* 34. & 37. ex diuturniore mora in aqua frigida pluuiosa, item ex frequenti natatione in aqua frigida, Paralyses obseruarunt. Hinc etiam senes, item infantes, sunt quasi semi-paralytici; quia in infantibus fibræ & tendines copioso rore nutritio irroratæ, laxæ & flaccidæ sunt, & propter deficiens robur, vix valent membris movendis; in senibus verò deficiente rore nutritio succedit sæpius aquositas serosa, aut alia, quæ laxando fibras & tendines, tales semi-paralyticos reddit. Unde etiam ii, qui diutiùs in pluvia versantur, & vestimenta madida in corpore exsiccare permittunt, in uno alterove membro fiunt paralytici, teste HORSTIO *in Observat.*

Imprimis autem & sæpissimè à causa interna fit *Paralysis positiva* ex *lympha acida* seu ex materia quadam vitiosè acida, lymphæ cognata, quæ lymphæ aut seri vehiculo ad quoddam membrum delata, nervosas partes istius loci irrorans, (cùm aliàs omne acidum neruis sit inimicissimum, cujus occasione fibræ unius alteriusvè tendinis aut musculi affici ac quasi nonnihil intorqueri aut corrugari videntur,) earum tonum successivè corrumpit, ut ineptæ fiant istæ partes neruosæ movendis ossibus & membris; unde consequenter motus defectus cum sensu plus minus deficiente, aut saltim aliquali stupore juncto. Exempla talis paralyseos positivæ à causa interna, v. g. à sero ad spinam descendente, videb. in PLATERO *Praxeos Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. VOLCHERO COITER *Observat. miscel. pag.* 114. & BONETTI *Sepulchreto lib.* 1. *Sect.* 15. *Obervat.* 3. item ab abscessu cerebri, vid. SCULTETUS *Observat. Chirurg.* 19.: à tumore scirrhoso vid. WILLISIUS *de Anima Brutor. lib.* 2. *cap.* 9. Hac ratione *potatores vini* in quibusdam regionibus subinde fiunt *paralytici*; & quidem cum tali paralysi ex acore contracta etiam subinde sensus quidam molestus, si non dolorosus, saltem nunc formicans, aut tantummodo titillans, aut lancinans, nunc cum stupore, conjunctus est, qui in principio nunc est gravior, nunc remissior, donec successivè superveniat partis magis magisque immobilitas, & tandem planè deficiens motus. Sensus formicans oritur ex acido primitivo vellicante, & præternaturaliter rodente fibras, nervos verò non tangente, unde tactus est salvus. Et tales paralyses frequentes sunt in Austria, Moravia, & similibus locis, ubi copiosum potatur vinum, acore insigni tartareo satis volatili turgidum; qui acor vitiosus nonnihil austerus, in stomacho non ritè correctus, pergit ad membra & partes extimas, & defixus circa nervosas partes, tendines, fibras & ligamenta, non tantùm arthritidem, sed etiam paralysin illis infert, in quibus pereunte motu imminutus aut vitiatus sensus remanet, qui & successu temporis perit. Huc facit, quod habet PARACELSUS *de Contract. Membror.* qui dicit, quod hoc vinum inducat contracturam membrorum, aliud lithiasin, &c. Conf. etiam HELMONTIUS *Tract. de Lithiasi*, qui refert, causam esse in tartaro vini plus minus volatili. Nempè ab occulto acido volatili plus minus austero irroratæ fibræ, tendines, &c. rigidiores quodammodò & minùs mobiles fiunt, hinc enim & contractura interdum superuenit: acida enim corrugant quodammodo partes nerveas, (corium cum acido corrugat se, cum alcalibus non,) adeoque in his casibus primò sequitur paresis, hinc tonus fibrarum naturalis solvitur & perfecta Paralysis, & tandem earum corrugatio præternaturalis, omnimoda membri immobilitas & contractura inducitur: Quæ illustrat BARTHOLINUS *in Act. Med. Haffniens. Vol.* 1. *pag.* 210. ubi refert, Chirurgum ex potu aquæ fortis tantam passum fuisse contracturam membrorum, ut eum planè contraxerit, adeò ut ex magno homine pusillus factus fuerit: Sicuti huc facit observatio TACKII *in Triplici Phasi Soph. pag. m.* 148. qui refert Paralysin omnium membrorum cum contractura ex acriori sanguine, curatam per lacticinia, quæ acidum temperant, & fibras paralysi affectas restaurant. Disponit etiam ad talem paralysin vinum, præmaturè, & antequam se depurat, sulphuratum, quò minùs tartareæ fæculentiæ debitè possint fermentando præcipitari, & sulphur narcoticum exhalare, unde *acidum* resilitans plus minus *volatile*, profundiùs intra corpus penetrat, nerveas partes affligit, & ad hujusmodi Paralysin disponit: Vid. de vino ad paralysin hanc disponente M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observat.* 39 *pag.* 70. *Quod si magis volatilisatum*, adeoque & spirituosius vinum fuerit, ac *synoviam* articulorum infecerit, *podagram* infert; aut inficiendo spiritum insitum, aut fermentum renum, *lithiasin*. Unde præmissis præmittendis *Paralyses* tales & hinc natæ contracturæ, *lacticiniorum* usu inter alia optimè curantur.

Scorbutici etiam ex vitiato acido, item colici, nempè in colica convulsiva, simili ratione *Paralysin* & paresin incurrunt. Nam si acidum scorbuticum junctum fuerit vehiculo seroso, hinc inde vitiantur fibræ musculosæ ac tendinosæ, & partes ad paralysin planè singularem disponuntur plus minus contumacem: *Sensim incipit* & procedit, & primò saltem vagus stupor aut insensilitas cum formicationis sensu partem prehendit, unde successivè labefactari tonus membri, & magis magisque paralyticus reddi incipit. *Est autem vaga* vel minùs constans, nisi nimis inveterata fuerit, ita ut æger unò die melius, in altero pejus habeat, uno die ferè incedere, altero die decumbere cogatur: hinc nunc digiti, aut manuum aut pedum, intumescere, nunc detumescere observantur; nunc unus alterve digitus stupet, qui brevi meliùs se habet: *Sensus manet utplurimum*, aut saltim aliqualis stupor inducitur; subinde cum dolore gravi, utplurimum vago, rarò fixo, juncta est: Jacentes verò commodè membra movere possunt, sed stantes vix denuò pergere, nec absque dolore aut stuporis sensu incedere possunt; sicuti hunc ipsum affectum omnium optimè delineat DRAWITIUS *de Scorbut. Sect.* 3. Sanè *acidum volatile austerum* est, quod hic peccat, quod nerveas fibras diversimodè afficiendo, *nunc* aliquid convulsivi, *nunc* aliquid paralytici infert, ita ut hujusmodi paralysis quasi medium quid sit inter morbos paralyticos & convulsivos in specie sic dictos. Unde non rarum est, ut in talibus ægris scorbuticis membrum nunc spasmo contractum *rigidum* reddatur, nunc paralysi affectum idem *flaccescat*, & plus minus stupeat, prout nervi aut fibræ tendinum vel acido irritantur, vel eodem austero intorquentur. Huc quoque pertinet lues Venerea, Paralysin producens: vid. RHODIUS *Cent.* 2. *Observat.* 34.

Par est ratio istius *Paralyseos*, quæ insequitur *Colicam*, & quidem istam, quæ est magis *habitualis*, & quæ vulgò à tenui acri humore oriri dicitur, & aliàs à Practicis *Colica biliosa* vocatur. Aluus est pertinaciter clausa, tormina atrociora & contumacissima vexant, purgantibus quibusvis per os assumptis maximè exasperatur malum, umbilicus interiora versus retrahitur. *Quod si vel malè tractetur*, quod imprimis fit, si irritetur acrioribus aut purgantibus, aut plus minus desævire videtur, successivè unius alteriusve aut plurium membrorum stupor, hinc subita motus impotentia, tandem perfecta Paralysis, superuenit. *Si negotium hoc rectè consideretur*, reverà est *Colica* ratione modi *convulsiva*, ratione causæ occasionalis materialis *scorbutica*; nidus verò & fomes in plexibus mesenterii nerueis est; nam in ista colica non tàm intestina affligùntur, quàm mesenterium. *Acidum austerum*, imprimis *scorbuticum*, est, quod has turbas, nempè conuulsiones partium internarum &, colicam dat in abdomine. *Dubium saltim est*, *quomodo colicam talem Paralysis actuum insequatur*, cum interdum subitò atque cessat dolor, membra observentur

tur paralytica? Nempè *in principio* mali paralytici saltem *convulsivi quid* subest, unde spirituum interrupto fluxu stupor & aliqualis insultus paralyticus superuenit. Hinc *colica* talis in *Paralysin*, subinde in *convulsionem*, subinde in *arthriticos dolores*, in principio mutationis suæ terminatur, *donec* ipsum acidum volatile circa mesenterii plexus resolutum, materialiter partes istas ita malè affectas attingens, perfectam Paralysin, & tandem ex fibrarum tendinosarum congregatione contracturam, efficiat. Nempè *sicut renum calculum stupor* crurum non rarò comitatur, ita & hoc malum nonnihil remittens, ex simplici consensu unius alteriusve membri ex nerui spasmo & spirituum interrupto motu paralytica dispositio insequitur, donec malo inueterato ipsum quasi per πρωτοπάθειαν fiat, quod quoad originem, saltem per δευτεροπάθειαν erat. De cætero par ferè hujus cum *Paralysi scorbutica* videtur esse ratio; partim ergò ex mutuo membrorum consensu, partim ex metastasi materiæ vitiosæ in membra externa, fibras corrugantis, fiunt pareses: hinc enim etiam suffocationi matricis paralysin superuenire notat QUERCETANUS, sicuti epilepsia & ipsa interdum paralysin post se relinquit: uti etiam ex vermibus intestinorum interdum paralysin oriri, observat SALMUTH. *Centur.* 1. *Observat.* 44. & *Centur.* 2. *Observat.* 45.

Hisce addenda sunt porrò corpora quædam specialia, quæ singulari virtute membris & nervis torporem paralyticum inferunt. Quò pertinet Torpedo piscis non tantùm, (de quo notum est, quod piscatoribus & aliis sub attactu inferat stuporem & torpedinem, unde etiam nomen accepit, vid. REDI *in Observat.* & STEPHANUS FLORENZIN, qui de hoc pisce accuratam anatomen edidit, ubi observat, in certo quodam corporis ejus loco saltim residere vim istam, unde emissa effluvia torporem inducant;) sed præter hunc piscem etiam in India Occidentali noviter reperta est certa species quædam conchyliorum, quæ ipsa similiter solo sui contactu manibus & brachiis cæterisque membris stuporem paralyticum infert: Vid. KIRCHERUS *in Regno Naturæ Magnet. Sect.* 4. *cap.* 4. *pag.* 182. Ulteriùs Mercurius & omnia Mercurialia, uti fibris & neruosis partibus sunt inimicissima (hujus rationem TACHENIUS derivat ex acido) ita etiam ij, qui tractant Mercurialia, ut aurifabri, item qui specula inargentant, subinde partium paralysin incurrunt, uti, præter SENNERTUM *in Prax. cap. de Paralysi*, FORESTUS *lib.* 5. *Observat.* 5. obseruat; hinc etiam ij, qui in fodinis Mercurii in Foro Julii laborant: Vid. *Acta Societ. Reg. Angl. Vol.* 1. *pag.* 18. Huc etiam pertinent antimonii, simillumque mineralium exhalationes & fumi, omniaque narcotica, spiritus animales prosternentia.

Interdum fit, ut solennes sanguinis evacuationes suppressæ Paralysin inferant: Sic mulieri propter suppressa post partum lochia Paralysi crurum cum febre ardente fuit correpta, quæ sectâ venâ in talo fuit curata: Vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Admir. Observat.* 37. item DEODATUS *in Valetud. pag.* 212. Sic ex suppressa hæmorrhagia narium notat Paralysin lateris dextri BARTHOLINUS *Centur.* 4. *Obseruat.* 69. & ZACUTUS LUSITANUS *l.* 2. *Observat.* 39. Nempè non rarum est, venæ-sectioni adsuetos, si eam intermittant, torporem quendam & lassitudinem quasi paralyticam in uno alterové membro percipere, non nisi sanguinis missione soluendam.

Porrò affectus animi graviores, terrores, mœrores, pavores, iracundiæ, &c. inducunt Paralysin. Exempla habet CORNARIUS *in Observat.*: Item ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Med. Princ. Histor.* 46. ex nimio mœrore & inedia Paralysin natam refert: Sic ex subita consternatione natam Paralysin videb. in M. A. N. C. *Ann.* 4. *Observat.* 9. *pag.* 14. Interim tamen & è contrario pertinaces etiam Paralyses, & à Medicis pro desperatis habitæ, curatæ observatæ sunt ex subitaneis animi affectibus, ex ira, excandescentia, & similibus: qualia exempla curiosa Paralyseos, curatæ per tales animi consternationes, habet HORSTIUS *lib.* 10. *Obser.* 15. item SCHENCKIUS *in Obser. de Paralysi*, ubi duo habet exempla ex Valeriola, per terrorem & iram curatorum. Paralysin denique à febribus natam videbitis in LOSSIO *lib.* 1. *Observat.* 17. & 18. & à dentitione in AMATO LUSITANO *Vol.* 1. *Observat.* 18.

DIAGNOSIS.

Quod attinet Paralyseos *signa*, ea ipsa per se satis patent; cessante enim sensu aut motu, aut pereunte utroque, unicuique notum erit, membrum affici Paralysi, quam subinde atrophia membri, ejusque contabescentia, Ger. *das Gliederschwinden*, insequi solet.

Cum verò à tam variis causis oriatur Paralysis, in his cognoscendis imprimis sedulus sit Medicus; hinc in loco affecto, an musculi? (quod *Paralysis positiva propriè* dicitur) an tendines? an ligamenta? an ipsi nervi primariò afficiantur? pro meliori Praxi probè observandum est. Ubi enim vitium est in nervo, medicamenta ejus principio applicantur: ubi est in parte tota, pars ipsa externis est medicanda.

Quoad *causas remotas*: semper Medici judicio relinquitur pro expiscandis iis, non secus ac proximis. Imprimis antecedentia hìc probè consulenda sunt.

Quod attinet locum affectum: Si oriatur Paralysis seu paraplegia post apoplexiam, res clara est, medicamenta primariò principio nervorum applicanda esse.

Si à læsione externa, à casu, vulneratione, &c. oriatur malum, utplurimum nervus est affectus, adeoque ad hujus ortum & progressum respiciendum in cura.

Si nullæ tales præcesserint causæ, sensus est perscrutandus: quò enim plus restitat tactus, eò minus afficitur sensus; quò verò plus de tactu periit, eò magis sensus seu nervus affectus.

Interdum ubi cessat motus, restitante tactu, ferè insons solet esse nervus, & ligamenta ac tendines magis sunt in culpa.

In specie, quoad *paralysin faciei*, benè est distinguenda convulsio faciei canina seu spasmus cynicus ab ejusdem paralysi, ne confundamur; sive enim medietas faciei sit paralytica, sive sit convulsa, semper contractio canina oris sequitur, quæ tamen facilè hoc modo distinguuntur. Nam si distorsio oris oritur ex paralysi, pars ista, quæ trahitur & paralytica est, mollis & flaccida percipitur, & ad partem sanam trahitur, & hæc ipsa pars facilè potest in naturalem situm per manuum operam deduci, quia mollis & flaccida est. Contrarium fit in convulsione: nam in hac pars convulsa dura & firmiter contracta percipitur; & denique si volumus partem convulsam retrahere, dolor oritur, quod non fit in Paralysi.

PROGNOSIS.

Pergo ad *Prognosin*: Præter eam *suprà Artic. anteced.* de Paraplegia notatam, Paralysis seu paresis omnis, cæteris paribus, facilliùs curatur, *quàm paraplegia, quæ omnem Medici operam eludit*, nisi fortioribus & generosis instructus sit remediis.

Qualibet tamen *Paralysis* positiva curatu est difficilis, eò magis, *quò magis inveterata* est, & partes contractæ. *Quò magis vagum* est malum, eò maior curationis spes.

Paralysis, in qua saltem motus læditur, superstite sensu, secura est, & facilè curabilis: & vice versa, quò magis in paralysi læditur sensus, eò gravior est affectus, & difficilioris curationis.

Paralysis privativa, quæ fit à causa evidente solitaria, scilicet ex ictu, vulnere, luxatione valida & subitanea vertebrarum aut dorsi, aut in specie cervicis, utplurimum est lethalis.

Quæ apoplexiæ aliisque cerebri & nervosi generis affectibus supervenit, si non brevi in melius mutetur, plerumque incurabilis evadit, potissimùm si sensus & motus simul aboliti fuerint: imò quæ apoplexiæ succedanea, plerumque incurabilis evadit. Nihilominus qui à paralysi, cujus causa evidens solitaria, semel curantur, rariùs recidivant, quàm ubi morbus à causa interna dependerit.

Facilior est cura à causa positiva, potissimùm si fuerit recens, membrum adhuc calidum, ac nondum contracturam minetur: è contrà quò magis calor mem-

brorum

brorum resolvitur, ac atrophiâ corripitur, eò minus spei pro salute recuperandâ affulget; item si resoluti lateris oculus imminuatur.

Quò magis pars Paralysi saltem laborat, & minùs inclinat ad contracturam, eò facilior est cura: si verò supervenit successivè contractura & immobilitas, difficilior & gravior solet esse curandi ratio.

Si Paralysi superveniat tremor partis, bonum signum est recuperandi motum; resuscitari siquidem, aut influxum novum moliri spiritus animales, indicat.

In senibus cacochymicis & cachecticis, & si levior sit Paralysis, rarò tamen aut difficillimè curatur, quin ad mortem eos comitetur.

Diarrhœa Paralysin debilem solvit: apoplexiæ verò, seu Paralysi, seu Paraplegiæ forti, superveniens febris acuta, uti similibus affectibus nervosis, ita hic admodum conducit, & bonum est, quia sæpiùs morbum tollit.

CURA.

Quod attinet *Curam*; in ea observanda est distinctio affectuum, eorumque origines, quæ generali Paralyseos nomine appellantur, & pro affectuum horum eorumque causarum diversitate etiam subinde varianda est cura. Alia enim est cura in Paralysi privativa, alia in positiva. *Privativa enim Paralysis* plus minus paraplegiis cognata, *si ex causis internis* præsertim ex metastasi materiæ morbificæ oriatur, eodem ferè modo curatur, atque paraplegia: In quem finem sudorifera & nervina moderato usu sunt optima; quin & in malo contumaciori nil obstat, quò minus salivatio instituatur, de qua vid. imprimis WILLISIUS *de Anim. Brutor. Part. 2. cap. 9. Sin verò à vitio externi*, contusione, luxatione, laceratione nervorum, &c. malum ortum fuerit, causæ hæ removeantur; adeoque v. g. vertebra luxata, si fieri possit, reponatur. Contusioni verò medela fiat per externa, fomenta, linimenta, aut balsama fortia cephalica & nervina, partibus applicata, scilicet fomenta ex herba rorismarini, salviæ, menthæ, floribus lavendulæ, chamomillæ, & similibus cum vino cocta. Post hæc conveniunt ex linimentis aromaticis aqua rorismarini spirituosa, quæ nomine aquæ Reginæ Hungariæ à Gallis circumfertur, oleum chamomillæ, hyperici, lumbricorum terrestrium, acuata cum oleis aromaticis destillatis, succini, lavendulæ, salviæ, chamomillæ, rorismarini, & similibus. *Litus* quoque *cum Petroleo, vel solo, vel oleo Juniperino* nonnihil acuato, hic est egregius; Item spiritus vini cum oleo salviæ vel lavendulæ impregnatus. In specie *balsamum Peruvianum præ cæteris est nobile* in quibusdam nervorum affectibus externè illitum callidè; item balsamum paralyticum Mynsichti, emplastrum nervinum cum *tacamahaca* mistum. Internè vix præstantius datur remedium oleo destillato lavendulæ, quod ad aliquot guttas, jv. vel vj. assumptum, expectato sudore in lecto, egregium est; quòd etiam spectat oleum destillatum succini, simili modo ad plures guttulas usurpatum.

In *Paralysi* verò *propriè sic dicta & positiva* attendendum:

1. Ut causa materialis seu materia peccans, & nervos aut tendines fibrasque infestans, corrigatur & removeatur; id quod speciatim præstant diaphoretica, præsertim volatilia, & aromatica resolventia & discutientia.
2. Ut partium nervosarum affectarum tonus debitus restituatur & roboretur *appropriatis*, & in specie *nervinis* aromaticis ac volatilibus, vulgò calefacientibus & siccantibus dictis, idque ferè imprimis applicatis remediis externis, sed non nimis unctuosis.

Pro his scopis obtinendis observetur:

I. Cùm tam Paraplegia, quàm Paralysis à causa interna nata, fomitem altiùs, tam in massa sanguinea & lympha, quàm etiam in officina digestionis & primis viis, præsupponat radicatum, v. g. in scorbuto, colica convulsiva, malo hypochondriaco, arthritide, ischiadico affectu, passione hysterica &c., quos imprimis solet infestare paralysis, tunc præter specialem paralyseos curam simul, præmissis debitis alterantibus & appropriatis, fomes iste evacuandus & corrigendus, semperque ad acidum austerum plus minus volatile respiciendum. Ob id fomes morbi, digestivis salinis resolutus & abstersus, convenientibus evacuantibus est expurgandus: quæ inter præter clysmata acriora, & purgantia blanda per inferiora, in specie vomitoria sunt, quæ præ aliis evacuantibus à RIVERIO commendantur, & à LINDANO mox in principio instituenda præscribuntur. Fortiora autem per inferiora Purgantia sedulò hic fugienda: nam multi in uno latere resoluti seu paraplectici, si in principio fortiora præscribantur Purgantia, etiam in altero latere Paralysi tentati & tandem extincti fuerunt, uti hoc observavit SOLENANDER, & ex eo THONERUS *in Observationibus*.

II. Diæta temperata & probè nutritiva lactea, acidum quodcunque corrigens, & copiosum chylum subministrans (pro quo scopo lac præmissis præmittendis est optimum) instituatur, ne copioso sudore loca nervea succo nutritivo defraudentur.

III. *Ubi à colica fuerit paresis*, cautus vel maximè sit Medicus in *purgantibus fortioribus*, cùm ejusmodi colicæ exinde exasperentur, & metus sit, ne sequantur convulsiones & similia mala. Hinc POTERIUS in hujusmodi affectibus utitur decoctis melanagogis blandis, & ex basi hellebori nigri paratis: saltem ergò helleborinis mitioribus, iisque partitis vicibus, *purgatio* blanda instituenda venit: id quod etiam in scorbuticis probè observandum est, qui ipsi etiam fortiores purgationes vix aut rarò ferunt; sicuti in genere omnis fortis purgatio est nociva. Imò si scorbuticis membrorum affectibus correptis, imprimis paralyticis, fortiora propinentur *purgantia*, facillimè morbi convulsivi iisdem excitari possunt. Nervus totius *curæ ad abdomen* dirigendus est, adeòque potius frequentes conveniunt *clysteres*; quibus olea carminativa & nervina addantur, v. g. oleum angelicæ, salviæ, succini, cumini, & carvi; sintque in principio saltim emollientes & lubricantes; item ex *lacte & terebinthina*, quæ optima sunt. In progressu verò imprimis si fomes morbi hæret circa viscera abdominis, & patiens nullum exinde sentiat levamen, tunc acriores nonnihil clysteres interdum adhiberi possunt. Quò frequentiùs injiciuntur, eò magis prosunt, & eò magis paralysin præservant.

IV. *Externa* remedia usurpanda sunt ad restituendum tonum partis, imprimis post provocatos sudores eorumque abstersionem; pori enim tunc aperti faciliùs remedii externi admittunt ingressum. Observandum tamen hic, *si scorbutus subsit*, non semper calida acria convenire, quoniam interdum magis videntur exasperare malum; Potius igitur temperata priùs tentanda, antequam ad acriora illa fiat accessus. Observandum quoque, non semper convenire *unguenta* pinguia, viscida aut glutinantia, poros cutis plus minus obstruentia, quæ non penetrant, adeòque præstat interdum uti *suffitibus*, *fomentis*, *lotionibus*. In specie tamen observanda cautela QUERCETANI, qui monet in administratione topicorum remediorum, quæ ut plurimum calefaciunt & attenuant, quod accuratè debeat expendere Medicus, ut, si paralysis sit ab humore aquoso aut *pituitoso*, i. e. à lympha vitiata plus minus acida, & æger sit similis ferè constitutionis, parsque paralytica intumuerit, quod medicamenta tunc adhibenda sint subtilia & penetrantia, nunc volatilia, nunc spirituosa, nunc salina, quorum penetrantia optimè occurrit his affectibus: Sin verò pars affecta jam marcescat, & plus minus in atrophiam labatur, & æger ipse quodammodo constitutionis sit biliosioris, ab iis abstinere debet Medicus.

V. Si Paralysis sequitur solennem sanguinis suppressionem, idque in corpore eusarco & juvenili, solet eam curare *venæ sectio* subinde repetita: Exemplum vid. in VALERIOLA *lib. 4. Observ. 4.* qui refert de Paralysi dextræ partis in sene optimi habitus, & magnarum adhuc virium, quæ solâ purgatione & sanguinis missione fuit curata. Post venæ sectionem *sudor* convenit.

Quoad remedia ergo appropriata: alterantia, & vi sudoriferâ corrigentia causam morbosam in paralyticis affectibus, in genere omnia apoplectica & antepileptica, commendantur & applicantur, etiam in quibusvis paralyseos speciebus, tam in Paralysi vera, quàm Paraplegia.

Intereà quod attinet primò vomitoria: hæc sunt satis nota, quæ inter flores antimonii commendat HARTMANNUS *cum* extracto scammonii *in Praxi Chymiatr.*

Inter

Inter *Purgantia* videntur cathartica potentiora, utpote malum sæpius exasperantia, nisi pituitosorum & serosorum humorum abundantia fortiora evacuantia postulet. Imprimis conducunt mitiora tantum ac rariora laxantia, v. g. *belleborina*: vid. *Poterius l. a.* Aliàs commendatur Turbith à ℥ß. ad ℥iß. item hermodactyli à ℥ß. ad ℥iß. in infuso ad ℥ß. utut parum infuso tribuant; eorum loco species dia-turbith cum Rhabarbaro à ℈j. ad ℥ß. propinari possunt, quæ insigniter admodum conducunt ad evacuandum. Pilulæ fœtidæ & similes, uti & pilulæ de hiera cum Agarico, acuatæ cum extracto trochiscorum alhandal seu colocynthidis, usurpandæ; Nam in paralyticis affectibus utplurimum stimulus debet esse colocynthis. Spectat huc Mercurius dulcis, quem optimum in hoc affectu remedium deprædicat SYLVIUS *Prax. lib. 2. cap. 22. §. 62.* item terebinthina, quam PLATERUS *in Praxi* tanquam remedium appropriatum commendat: e.g.

℞. *Mass. pilular. arthrit.* ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. iv.
Extr. troch. alband. gr. j.
Cum *Ess. salviæ* f. pilulæ:
D. S.
Pilulæ purgantes.

Ad imitationem BARBETTE *in Praxi:*

℞. *Herb. Chamædr.*
Chamæp. an. M. j.
Flor. Anthos,
Prim. ver.
Salviæ an. p. ij.
Rad. Angel.
Imperat.
Ireos Flor. an. ℥iij.
Helleb. nigri ℥j.
Fol. sennæ sine stip. ℥vj.
Cort. rad. esulæ ℥ß.
Cardamom.
Cubeb. an. ℥iij.
Sal. tartari ℥iß.
F. Nodulus Vino infundendus.

Aliàs eidem evacuationis scopo egregiè satis faciunt Sudorifera à PLATERO *Prax. p. 1. l. 2. cap. 1.* commendata, v. g. Decoctum guajaci & chinæ, rob ebuli à PLATERO *l. a.* aut hujus decoctum à RIVERIO laudatum, item bardanæ & volatilium atque aromaticorum plurium, e. g. decoctum rorismarini, helenii, &c. Quamvis WILLISIUS *de An. Brut. Part. 2. cap. 9.* de sudoribus annotavit, illos sæpiùs quidem multum juvare, nonnunquam tamen valdè etiam obesse; adeòque non convenire subjectis illis, quorum sanguis sale fixiori minusque difflabili gaudet, sed tantum his, quibus à sero magis insipido & aqueo hic diluitur.

Inter appropriata remedia esse dixi & apoplectica & *epileptica*. In genere ergò conveniunt, & præ cæteris in usu sunt in specie, salvia, chamædrys & chamæpitys, & *rosmarinus*, cui certè multum tribuitur ab omnibus Autoribus, in specie tamen à LINDANO, qui rorem marinum nobilissimum vocat ad curandos paralyticos, si ejus decoctum factum lento igne in Mariæ Balneo, propinetur ægro, jejuno ventriculo, liberaliter bonus haustus; movet enim sic blandum sudorem, & egregiè destruit Paralysin; cui additum sit extracti, seu essentiæ castorei, quantum placet, cum successu magis felici.

De primula veris res nota est, quod vocetur herba paralysis propter insignem vim, quam obtinet in paralyticis curandis, quocunque usu adhibeatur.

Stœchas Arabica & ipsa interno usu singularis; item omnia aromata, uti & ex his & similibus parata, essentiæ, extracta, olea destillata, v. g. infusum salviæ cum vino, essentia salviæ, oleum florum anthos seu rorismarini, oleum destillatum succini, quod commendat FONSECA *lib. 1. cap. 17.* oleum destillatum florum lavendulę, & similia, ad aliquot guttas interno usu in aqua betonicę propinata admodum laudantur; ut & nervina cuncta *suprà Artic. 1. in Apoplexia* allegata, item *castoreum*, *theriaca*, & *extracta theriacalia* ac similia. Aliàs helenium quoque admodum laudari solet, imprimis in paresi ex colica, aut abusu vinorum, & quælibet ex helenio parata remedia, vinum, decoctum, essentia, & extractum helenii. In specie decoctum radicis enulæ & fœniculi *Hœchstedteri decad. 3. Observ. 1.* ad paresim ex colica admodum commendatur. Ligna etiam, eorumque decocta, in praxi Veterum ad paralysin curandam commendantur. Decocta lignorum cum roremarino laudat LINDANUS, qualia etiam BONTIUS *in Beriberi Indorum* commendat. Hęc inter Sassafras primatum obtinet, quod est egregium aroma, affectibus acidis ex lympha commendatum: Post hoc optimum est lignum guajacum; quorum decocta pro cura sudorifera laudem suam merentur; vid. HARTMANNUS *Prax. Chymiatr. pag. 86. §. 3.* Quibus decoctis speciatim rosmarinus, baccę juniperi, vel baccę lauri sunt addendę; sic enim meliora fieri solent. POTERIUS *Cent. 2. Curat. 26.* hoc habet decoctum, quo paralysin cum gravissimis symptomatis stipatam curavit, ex

Rasur. ligni sassafr. ℥j.
Bacc. Lauri ℥iß.

quę in ℔vj. vini ad medias decoxit, & ita ęgris propinando curavit.

Ad hujus imitationem parari potest decoctum *suprà Artic. Anteced. in Paraplexia*, & *in Idea Formul. Cl. 4. §. 12.* annotatum. Horum decoctorum loco & essentia lignorum cum spiritu sambuci parata, vel essentia ligni sassafras cum spiritu serpilli, vel essentia catarrhalis ex ligno sassafras cum succino misto conducunt. Hinc spiritus lignorum, cum spiritibus simplicium nervinorum misti & conjuncti, erunt egregii. Modernis quibusdam Belgis, imprimis LINDANO, in usu est lignum ex Indiis noviter allatum dictum Pavana, de quo videatur *Theatrum Botanicum* BAUHINI, qui vocat *lib. 3. cap. 151.* lignum Moluccense. Hoc fuit in frequenti & felici usu LINDANO: est lignum album, admodum leve, cujus rasi & in pulverem subtilem triti dedit ℥ß. ad ℈ij. in cochleari spiritus vini, quod remedium ipsi tres insignes effectus pręstitit: nam vomitum, purgationem, & etiam sudationem sine virium prostratione provocavit: quo ipso feliciter post tres doses repetitas aliquando mulierem insigniter paralyticam restituit. Hoc ipsum cum reliquis lignis, in specie sassafras, potest conjungi in eundem usum, idque, ut spero, egregio cum fructu.

Milium vulgare quidem & simplex est remedium, imprimis paresi ex colica, per copiosum admodum sudorem sępiùs repetitum hunc morbum curans: vid. SCHENCKIUS *in Observat. de Paresi ex colica*, qui omnibus sudoriferis in paresi ex colica, ista longè præfert. Vid. SCHRODERUS *in Pharm. ubi de Milio*, sub nomine decocti & syrupi Divi Ambrosii. Juxta hæc tartarus admodum se commendat in affectibus paralyticis, & imprimis volatilia ex tartaro, & sal volatile tartari, & hinc tinctura Bezoardica ritè parata, mirè commendari solet in quacunque paresi, à quacunque causa, in specie in colicis paralyticis, in scorbuto & malo hypochondiaco, quæ spiritus tartari volatilis optimè curat internè & externè. Juxta quæ etiam tinctura tartari commodè parari potest; aut saltem *spiritus tartari* vulgaris optimè rectificatus, cohobatur cum ana spiritus vini optimè dephlegmati & sæpius tartarisati; Nam sic fit spiritus vini tartarisatus volatilis, qui à LINDANO ad paralytica pathemata maximè commendatur. Vel præparetur sal volatile & spiritus tartari ex fęcibus vini, vel ex oleo tartari fœtido; loco cujus spiritus carminativus nobilissimum est remedium. Externè etiam spiritus vini convenit tartaro crudo affusus, & cum eodem destillatus, pro fricandis membris externis, paresi affectis.

Juxta hęc volatilia ex tartaro, quæcunque etiam alia salia volatilia, eorumque spiritus, præprimis aromatisati, suam merentur laudem, ut spiritus & sal volatile urinæ per putrefactionem parata, spiritus salis ammoniaci simplex, lavendulatus, succinatus, & sassafratus, *sal volatile oleosum D. Sylvii*, quo solebat curare pareses ex colica obortas. Porrò laudari solent insigniter medicamenta viperarum quæcunque, exteriùs oleum, internè verò spiritus & sal volatile viperarum; sicut & Paralysis ab omnibus, ceu desperata relicta, curata dicitur Decocto viperarum. Post sal volatile viperarum non minùs laudatur liquor cornu cervi succinatus, sal volatile succini, si conjungatur cum pulvere paralytico *Hartmanni* ex cinnabari antimonii, & magisterio perlarum: Vid. *Prax. Chymiatr.* Quibus præferuntur volatilia ex lumbricis & formicis parata, ceu remedia appropriatissima in hujusmodi affectibus partium externarum; unde etiam aqua magnanimitatis & similes non tantùm externè, sed etiam in specie

specie internè, hic suam merentur laudem, In speciè, si spiritus quidam vegetabilis affundatur formicis, digerantur ad tempus, & postmodum aliquoties cohobentur; sic enim fit *spiritus antiparalyticus* internè, & externè egregius. Per se dant spiritum acidum: si verò asserventur, ut situm contrahant, ex iis destillatur spiritus & sal volatile urinosum penetrans, & admodum volatile, internè & externè optimum. Et certè in lumbricis ac formicis singularia latent contra affectus nervorum, præsertim eos, qui ex acido plus minus occulto originem ducunt.

Verùm in usu horum volatilium observetur, quod non *semper ac promiscuè conducant, in specie sub primo morbi insultu, quia videntur affectus exasperari, & dolorem reddi, propter effervescentiam, quæ cum Acido excitatur, ratione cujus varia pathemata inferuntur. Quodsi hoc observatur, priùs fixiora & acidum primarum viarum absorbentia præmittantur*, & volatilia omittantur. Inter fixa eminent antimonialia & Martialia sudorifera, ut *antimonium diaphoreticum Martiale*, Bezoardicum Martiale, *unicornu verum*; præsertim *cinnabaris antimonii* est egregia his in affectibus, quam HARTMANNUS, & B. D. MICHAELIS semper combinavit cum osse humano præparato, quo ipso pulvere aliquoties restituit paralyticos, & ego aliquoties præscripsi cum felici successu in paralysi scorbutica hoc modo:

℞. *Off microcosm prep.* ℈j. ad ʒß.
Cinnab antimonii gr. xii. xv. xvi. ad ℈i.
Sal. vol. succini ℈ß. ad gr. xii.
M. f. pulvis:
div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis caput & membra confortans.

Tempore vespertino assumendus in aqua spirituosa lavendulæ, & egregiè conveniet.

Curato acido in primis viis per hæc absorbentia, tunc demum tutò ad volatilia sudorifera validiora possumus accedere.

POTERIUS in frequentissimo habuit usu suum *aurum diaphoreticum suprà, Artic. Anteced. ubi de Paraplegia*, laudatum, quod singularem sui meretur consideratio nem. Nihil est aliud, quàm aurum fulminans cum duplo florum sulphuris calcinando fixatum, ut obmutescat, & hinc cum spiritu vini alcoholisato digestum. Hoc ipso ad paralysin ferè semper & utiliter usus fuit. Descriptionem videbitis admodum obscuram *in Append. ad Pharm.* Dosis gr. vj. Effectus videbitis *Cent.* 2. *cap* 66. 67. 81. & 87. item *Cent.* 3. *cap.* 14. item *Cent.* 1. *cap.* 73. In hac ultima observat Paralysin quindecim annorum curatam beneficio sui auri diaphoretici. Helmontius etiam dat imprimis tincturam coralliorum volatilem: sed hæc est rara avis. Vidi ego illam in Laboratorio Regio Londinensi, ubi Dn FEBURE beneficio spiritus tartari volatilis tincturam hanc parabat, ita quidem, ut beneficio hujus spiritus, volatilis tinctura per retortam destillaretur; Coloris erat rubri obscuri, odoris admodum penetrantis, & saporis urinacei: quę esset remedium egregium ad paralyticos curandos, si esset divulgata.

Quodsi oriatur Paralysis positiva ex nimia *refrigeratione, humectatione & relaxatione* fibrarum, tendinum ac ligamentorum, sive *à causa interna* sive *externa* oriatur, cuncta ea locum habent, quę *suprà* in Paralysi privativa dictæ sunt, non tantum memorum affectum, sed spinam quoque dorsi cum his aut unguento ZACUTI LUSITANI, quod *lib* 1. *Prax. Admir. Observat.* 37. describit, fricando. In specie convenit *oleum terræ* cum *axungia humana* & *anserina* mistum, & parti affectę illitum: e. gr.

℞. *Axung human.*
Anserin. an. ℥i.
Ol. terræ ʒiii.
M f. Linimentum: S.
Unguentum externum arthriticum.

Item Tacamahaca cum balsamo Peruviano commista, laudem suam meretur, vel *emplastrum* nervinum *ex tacamahaca & galbano*, cum *oleo destillato succini & Philosophorum* malaxatum, & circa articulos applicatum. Item si eò usque procedat malum, ut ligamenta ita quoque resoluta Paralysin aut relaxationem ferè membri inferant, confert *emplastrum stitticum Crollii cum oleo Philosophorum & terræ* malaxatum: internè cum *theriaca* sudor crebriùs provocetur. Sed de his affectibus vid. imprimis BARBETTE *in Anat. Pract. cap.* 5. & 10. qui tale emplastrum commendat:

℞. *Gumm. Caran* ʒß.
Galban. ʒi
Ol. euphorb ʒiß.
M f Emplastrum.

Sin à Mercuriali veneno malum ortum fuerit, convenit imprimis *Decoctum fœniculi, & helenii, suprà, Cap.* 2. *Artic.* 3. *ubi de Tremore*, laudatum; vid. HOECHSTETTERUS *l. a.* sicuti ubi per sudores *venena Mercurialia* sufficienter exclusa fuerint, *lac & serum lactis* commodè propinari possunt: Sic enim HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 9. Paralysin ex fumis metallicis, Mercurii & antimonii, in aurifabro, omnibus aliis frustraneis, per *serum lactis* à FORESTO curatam refert.

In *Paresi scorbutica* volatilia urinosa & lacticinia locum habent. Observandum autem in specie, quod juxta *volatilia* ista *urinosa* primatum obtineant remedia ex pino & abiete, ex ejus in specie strobilis molliusculis: Decoctum nempe strobilorum pini seu potius pinastri secundùm BAUHINUM, est nobile remedium & appropriatum specificum ad affectus artuum ex scorbuto oriundos, sive sint cum sive sine dolore, sudoris beneficio has pareses curans, præsertim cum *radice chinæ* præparatum, v. gr.

℞. *Turion. abiet.* ʒiß.
Rad. Chinæ ʒj.
Incisa & contusa Coqu. in *aqua & cerevisia* ad medietatis consumptionem:
Colatura D. S.
Potio arthritica contra scorbutum.

Decoctum bibatur bis quotidie, expectando præsertim manè sudorem blandum. In lacte quoque alterationis gratiâ coqui possunt.

Egregium quoque est decoctum DECKERS *in Notis ad Praxin Barbett. Decoctum betonicæ cum baccis Iuniperi* quoque laudatur. Vid. DRAWIZIUS *de scorbuto pag.* 167. Præter decoctum strobilorum etiam essentia ex eorum Rob cum spiritu antiscorbutico, vel proprio, parata sunt appropriatissima remedia in Paralysi scorbutica: item essentia contra arthritidem vagam ex simplicibus artheticis cum spiritu lumbricorum terrestrium per fermentationem & cum spiritu cornu cervi parata, in his paralyticis affectibus est optima, quam & ipse probatam habeo. Cum his semper jungendum est Castoreum, sale volatili oleoso penetranti constans, & nervinis affectibus speciatim commendatum.

Istis debitè præmissis *serum lactis cum* antiscorbuticis mistum, & ipsum quoque lac egregium est, Curamque absolvit: sed, ut *suprà* monui, necesse est, *præmissa* sint *universalia*, non tàm laxantia, quàm primò *fixa absorbentia*, hinc *volatilia*; quibus præmissis tandem ad ista appropriata acceditur.

Spectant huc fonticuli & setacea, de quibus vid. SYLVIUS *Prax lib.* 2. *cap.* 22. §. 54. & 71.

Quodsi denique colicam insequatur Paralysis, cautus vel maximè sit Medicus in *purgantibus fortioribus*, cùm ejusmodi colicæ exinde exasperentur, & provocentur magis paralyses & convulsiones. Nervus totius *curæ ad abdomen* dirigendus, adeòque *clysmata lenientia & abstergentia*, item ex *lacte & terebinthina* optima sunt: Quò frequentiùs injiciuntur, eò magis prosunt & eò magis à paralysi præservant. Hinc internè *semina quatuor calida majora*, eorumque in fine *decoctum*, aut alia ex iisdem parata remedia, teste HELMONTIO, sunt *appropriata* intestinorum solamina; quibus & adjungatur *helenii decoctum*, præmissis præmittendis, ejusvè *essentia* pro blando sudore propinata. *Decoctum milii*, seu, ut aliàs vocant, *Syrupus Divi Ambrosii*, mirabiliter laudatur in hujusmodi *Paralysi ex colica*, per sudorem hanc ipsam removens: Quibus si *lignum sassafras* addatur, foret eò melius. *Serum lactis* cum *antiscorbuticis* & similibus medicamentum nobile est in hac colica, & inde nata Paralysi. Hinc ceu summum appropriatum accensetur *Galbanetum Paracelsi*, tàm simpliciter secundùm modum HARTMANNI paratum *Prax. Chymiatr. cap.* 12. §. 8. quàm præstantius illud *Drawizii pag.* 193. Hoc ipsum non solummodò umbilico inungitur frequenter, sed etiam ipso membro paralytico, si priùs *spiritu tartari*, aut *spiritu salis ammoniaci vinoso*, fuerit probè perfrictum, quod *galbaneto* hoc quotidiè ter ungatur ad imitationem HARTMANNI *l. a. cap.* 13. §. 4.

Hæc sunt Interna, quibus addenda ea, quæ hinc inde in Practicis sunt obvia.

Quoad *Externa*, quæ tonum fibrarum & motum partium restituunt, sunt nunc spirituosa & aromatica, nunc salina oleosa, nunquam viscida & glutinosa, nisi forsan tabes, atrophia & contractura imminens, aut superveniens, volatilium ejusmodi usum inhibeat, & blandiora, v.g. pinguedines oleaque infusa, commendet. Tempora igitur sunt distinguenda; morbus enim est vel inveteratus, vel non: si est inveteratus, ad atrophiam & ariduram partes inclinant; si non, saltem motus deficit, superstite plus minus sensu. Quoad ergò posterius: eminent omnes aquæ apoplecticæ dictæ, spiritus vini rectificatus, & aquæ articulares ad extra. Recipiuntur nempe species aromaticæ nervinæ antiparalyticæ, quibus addenda acriora, v.g. piper, semen rutæ, urticæ, sinapi, radix ari, pyrethri, item herba saturejæ, folia nicotianæ, quorum essentiam HARTMANNUS commendat: quorum etiam intuitu à CRATONE frictio spinæ cum radice iridis nostratis, & bulbo lilii, ab aliis cum radice bryoniæ aut hujus Decocto, præscribitur. Speciebus dictis affunditur spiritus vini brevi cum digestione inde aliquoties cohobandus, vel solus spiritus simplici digestione impregnatus sine tali destillatione commodè externè applicatur. Harum omnium loco sit formula, quam dedi in *Idea Formular. Class.* 4. *§.* 19.

Vel

♃. *Fol. Nicotian. rec.* M. j. vel ij.
Origan.
Flor. sambuc. an. M. j.
Rad. Angel. ℥j. ad ℥ij.
Pyrethr.
Aron. rec. an. ℥j.
Euphorb.
Castor.
Myrrh. an. ℥ß ad ʒvj.
Piperis utriusque an. ʒiij.
Flor. Stœchad. Arab.
Lavend.
Lil. convall. an. ℥ß.
Sem. Erucæ, vel *sinapi*
Siler. mont. an. ʒvj. vel ℥iß.
Concisis & contusis affundantur
Spir. vini rectif. part. ij.
Lumbr. terrestr. part. j.

Digerantur in Balneo Mariæ, & vel filtrando separentur, vel destillatione spiritus abstrahatur.

Liquore hoc fricetur aut inungatur pars paralytica post abstersionem sudoris, & aliqualem ægri requiem, dum pori adhuc sunt aperti, linteis thure & succino suffumigatis; post quam detersionem hoc ipso infuso probè partes fricandæ & largiter illinendæ sunt: aut spiritus vini à speciebus aliquoties cohobando abstractus, tanquam aqua articularis ad extra, applicandus. Item

♃. *Herb. rorismar.*
Salviæ,
Majoran. vel *lavend.* an. M. j.
Flor. lavend.
Lil. convall.
Rorismar. an. p. ij.
Bacc. Junip. ℥j.
Sem. sinapi ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j.
Castor. ʒiij.
Piperis nig. ʒiß.
Concis. & contus. infundantur in s. q. *spiritus vini*, digeratur aliquamdiu & filtretur:
D. S.
Essentia externa arthritica.

Cum his aquis articularibus ad extra optimè etiam quarta vel quinta pars spiritus lumbricorum terrestrium per putrefactionem, aut spiritus formicarum, permisceatur: exemplum dedi alio loco. Quò etiam facit spiritus primulæ veris. Hisce commodè, in specie si dolores scorbutici adsint, addantur quædam *salia volatilia*, quæ inter excellit spiritus salis ammoniaci cum calce viva; Nam hic in pluribus differt à spiritu salis ammoniaci cum sale fixo parato: e.g.

♃. *Sal. ammoniaci* p. j.
Calcis vivæ p. ij.
Irrora cum *spir. vin.*
Destilla, & optima spiritus est.

Vel

♃. *Aquæ articul. ad extr.* ℥ij iij. ad iv.
Spiritus sal ammoniaci cum *calce viva* ℥j. ad ℥ij.
Lumbr. terr. per putr ℥ß.
M. S.
Membra confortans spiritus.

Fricentur membra ter in die cum spiritu vini camphorato, in loco calido, ut incalescant, & pori hiscant, hinc spiritus calefactus applicetur externè.

Vel

♃. *Spiritus Vini camph* ℥iij.
Lumbr. terr. per putref. par. ℥j.
Ess. castor. ʒvj.
M. pro usu externo.
D. S. ut suprà.

Item

♃. *Aquæ apoplect.* supra descript. vel *Ludov.* ℥iij.
Spiritus lumbr. terr. per putref. par.
Sal. ammoniaci succin. an. ℥ß.
M. S. ut suprà.

Loco talium *spiritus tartari rectificatus*, mistus cum ana vel duplo spiritus vini tartarisati, & cohobatus, perquàm egregius est, præsertim in Paralysi ex colica. Porrò *tinctura seu essentia succini cum spiritu vini rectificato* parata, membris paralyticis contractis, aut quomodocunque refrigeratis, ritè cum successu affricatur & applicatur: vid. KUNRATH *in Medulla destillator.* Quin & his aquis externis balsamus Peruvianus commodè admodum addi potest. Modus est hic: subigatur balsamus Peruvianus in parva quantitate cum vitello ovi, unde aquis articularibus vel spiritui lumbricorum terrestrium, aut formicarum potest misceri: vidi felicem effectum in crurum dolore ischiadico, cum incipiente paralysi conjuncto. Applicatur etiam externè, quando *nervi sunt læsi, contorti & simil.* & ita in Paralysi privativa. Hinc etiam notus est spiritus seu essentia foliorum tabaci cum vino malvatico parata, de quibus vid. HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr.* S. 4. *cap.* 11. Pertinet huc *urina humana*, quæ ratione *salis volatilis* itidem pro membris laudatur paralyticis, & hinc lotiones & frictiones membrorum cum *urina* propria vel *pueri* calida vulgariter commendari solent. Melius est, si urtica major coquatur in urina propria ægri, vel urina pueri, & cum hac pars paralytica subinde lavetur, bene fricando. Loco solius urinæ, spiritus urinæ phlegmaticus etiam non est inelegans; vel ad imitationem STOECKERI *in Praxi*, qui dicit, esse remedium expertum sui Patris. Fit hoc modo:

♃. *Urtic. maior.* M. iij.
Chamomill. M. j.
Sem. Cumin. ℥j.
Salis ℥iij.
Pistentur omnia probè in mortario, & decoquantur in *urinæ humanæ* Pinthis duabus seu s. q. ad consumptionem quartæ partis:

Quo ipso decocto balneetur manè & vesperi pars affecta. Quin etiam postea pannis ex decocto madefactis involvatur pars de nocte & die, & ita per tres vel quatuor dies, aut ampliùs, continuetur; hincque postea membrum cum *oleo vulpino* inungatur, donec sanetur.

Quò etiam facit unguentum catulinum FAVENTINI *in Prax. cap* 7. *pag.* 36. vel oleum catellorum, vid. RIVERIUS *Cent.* 1 *Observat.* 52. unguentum HILDANI *Tract. de Gangr. cap.* 24. & neuriticum ad imitationem PROTTENII.

Membrum post apoplexiam paralyticum seu paraplecticum factum, fricandum est ter in die cum spiritu vini camphorato in loco calido; brevi enim post restituitur membrum, quod mihi egregius quidam Practicus ex propria experientia confirmavit. *Urticæ* quoque & *urticationes* vetus jam sunt remedium, conveniens tamen imprimis in paraplegiis, quod EPIPHANIUS FERDINANDUS multoties expertus est, qui *Hist.* 46. dicit, quod *præmissis urticationibus* optimum sit pungere corpus urticis: Et testor Deum, me hoc genere remedii pluries esse usum, & semper maximâ cum utilitate & felicitate, & nunquam votis sum deceptus.

Pariter hujus loci sunt *Balnea* seu Insessus ac fomenta, v.g. ex decoctis nervinis, *vinaceis* fermentescentibus, & *formicis*: Vid. JULIUS CÆSAR CLAUDINUS *de Ingress. ad Infirm. sect.* 16. *pag.* 593. & 512. M. A. N. C. *Ann.* 4.

Ann. 4. Observat. 128. Balnea ex *vinaceis*, German. *aus dem wein-drusen*, sunt singularia, & mirabilem habent effectum in Paralysi scorbutica, Paralysi ex colica, aliisque ex acido vitioso natis, præsertim in malo pertinaciori, si iisdem sibi mutuò impositis, vel sponte fermentationis motu calefactis, vel, si spontè suâ non incalescant, inspersione pulveris calcis vivæ incalescentibus, immergatur membrum affectum fortiter sudando, ut tartarus volatilis in membra se insinuet, ita aliquoties continuetur, & mirum effectum edit. Si quidem horum usu, & partis paralyticæ debito fotu & insessu, sensus motusque restituitur: hoc ipso enim desperati ischiadici, & ex ischiade facti paralytici à PETRO à CASTRO curati fuerunt. Conf. BORELLUS *Centur.* 2. *Observat.* 42. & ZWELFFERUS *in Apol. contra Tachen.* Nec minoris usus sunt *balnea ex formicis* parata, quæ reverà sunt egregia in paraplegiis, item in Paralysi ex resolutione & relaxatione tendinum ac ligamentorum, si integer eorum acervus, vel solus, vel cum speciebus appropriatis antiparalyticis, sacculo inclusus injiciatur aquæ ferventi, cujus vapori excipiendo insideat æger in vanno probè tecto: Sequenti die in dicta aqua coquatur iste sacculus, & ita denuò in vanno vaporem excipiat æger: idque bis vel ter, quamdiu penetrantem odorem spirant: Postmodum ac sequentibus diebus etiam insideat isti decocto semper cum sacculo denuò calefacto, idque aliquot vicibus, donec melioratio percipiatur. Species v. g. videb in MYNSICHTI *Armament. Chym. ubi habet Balneum paralyticum.* STOECKERUS *in Praxi*, hoc habet Balneum non inelegans:

℞. *Sulphuris vivi*,
Bacc. lauri an. ℔ß.
Rad. Gentian. M. iij.
Enul.
Aristol long. an. M. ij.
Incidantur & contundantur pro Balneo
Coqu. in aqua calcis vivæ temperata, loco aquæ communis.

Tandem aliis ferè nil juvantibus, ultimum asylum sunt *Thermæ* artificiales, sed cautelâ opus est. Interdum juvant, interdum non. In paraplegiis magis, quàm paralyticis, convenire videntur, & in illis magis post privativas apoplexias, quàm positivas. In Paralysi quæ est ex colica, vino & similibus, non conveniunt, quia arthriticis affectibus sunt noxiæ, & podagrici ex thermis subinde redduntur contracti. Metus ergò, ne nimis maturè promoveatur contractura. Cum discretione quoque instituantur, nec omnibus sine discrimine adhibendæ, dum meliùs conducunt iis, qui constitutionis sunt sanguineæ & phlegmaticæ, minus qui constitutionis biliosæ seu cholericæ. De quibus cautelis vid. *Collegium Pharmaceut. in Schrœderum P.* 1. *Sect.* 3. *cap.* 3. *pag.* 160. *& seq.* & WILLISIUS *l. c. propè finem.* De parandis hujusmodi thermis artificialibus vid. ZWELFFERUS *in Mant. Hermet. ubi de Sulphure.*

Quoad Fomenta: convenit fotus seu inunctio per spiritum vini appropriatum; vid. HORSTIUS *Obs. pag.* 108. 109. *&* 111.

Vel

℞. *Herb. Maioran.*
Salv. an. M. j.
Rorismar. M. ij.
Bacc. Iuniperi ℥iv.
Lauri ℥ij.
Rad. Pyrethri ℥j.
Incis. & contus. S.
Species ad fotum.

Coquantur in *aqua simplici*: Decoctum fervidum submittatur pedibus, & sic fumus ascendit: Vel dividatur in duas portiones, ut refrigeratâ unâ altera substitui possit. Suffitus fiat beneficio *silicum* vel *laterum candefactorum*, pro membro stupore affecto vel paralytico.

Præ cæteris galbaneta, & balsama seu olea destillata ex galbano parata, pro externa inunctione mirè conveniunt: imprimis in usu est galbanetum Paracelsi & omnia cum eodem parata. Modos parandi varios videb. in SCHROEDERO *lib.* 3. *Class.* 2. *ubi de Galbano & de Balsamis lib.* 2. Vid. etiam HARTMANNUS *in Pr. Chymiatr.* & SENNERTUS *Prax. lib.* 3. *cap. de Colica.* Sunt qui hoc modo præparatum præ reliquis reddunt admodum conveniens:

℞. *Galban.* ℔ß.
Ol. terebinth. clar. ℔j. vel q. s.
Destilletur exinde oleum; cui addatur
Ol. lauend. ℥j.
& repetatur destillatio, unde evadit balsamus generosus, qui affuso *spiritu uini rectificato* vel *tartarisato* aliquamdiu digestus & circulatus fit penetrantissimus & præstantissimus *ad dolores colicos & scorbuticos, ac indenatas pareses*, si umbilicus, & pars paralysi affecta inungatur, vel solitariè, vel cum oleo saponis Veneti & paucis granis camphoræ mistus: sicuti etiam præservationis causâ spina potest inungi, si malum ulterius serpere videamus.

Juxta hæc Petroleum, & oleum terræ dictum potenter penetrat & paralyticos restituit; sicut etiam alia *olea destillata* conducunt, v. g. oleum destillatum baccarum *iuniperi*, succini, *spicæ*, *lauendulæ*, salviæ, menthæ, terebinthinæ, item *olea destillata rectificata ex tartaro*, *lignis*, in specie de ligno fraxini, *galbano*, &c. Hæc *olea*, *oleo nucistæ*, vel laurino excepta, illinuntur & affricantur partibus affectis, & regioni spinæ dorsi, idque aliquoties interdiu. E. gr.

℞. *Ol. Petræ alb* ℥ij.
Destill succin. ℥ß.
Lavend.
Maior.
Spicæ an. ℈j.
M. pro Inunctione membrorum:
D. S.
Externum oleum arthriticum.

Ad emplastra quod attinet: ex cacamahaca imprimis sunt paranda, quæ applicari solent in Paralysi ex humectatione nervorum nimia externa. De his vid. BARBETTE *in Anatom. Pract. pagina* 51. *Edit. Holland.* ubi loco olei terræ in ejus defectu oleum petræ substitui potest.

Quibus verò acria ejusmodi non æquè conferunt, ut fit quibusdam scorbuticis, temperata magis conducunt, atque tunc imprimis conveniunt animalium pinguedines resolutæ, ut axungia humana, axungia viperina, axungia serpentis, ciconiæ, castorina, felina, vulpina, muris montani, canina, in specie pinguedo anserina, de qua vid. CRATO *lib.* 6. *consil.* 50. Hæc ipsa nunc solitariè, nunc cum *petroleo* aut *oleo terræ*, & pauco *oleo* quodam *destillato*, nonnihil acuata & benè calida, præmissâ debitâ frictione, applicari possunt, idque imprimis, ubi jam imminet rigiditas & contractura, aut metuitur atrophia membri: e. g.

℞. *Pingu. anserin* vel *human.* ℥iij. iv. ad ℥vj.
Olei destill terebinth. ℥iij.
Bacc. Iunip. ℥j.
Spicæ ℥ß.
M. S.
Externum unguentum arthriticum.

℞. *Pingu. human.* ℥ij.
Ol. lumbr. terr. ℥j.
Petræ ℥iij.
Succini ℥iß.
M. S. ut antè.

Vel, quæ hoc in passu reliquis præfertur, pinguedo anseris aromatica ex assando destillans, dum impletur simplicibus balsamicis vel nervinis, quæ pinguedo destillans asservatur pro linimento externo, ad membra paralytica inungenda. Modi ubique sunt obvii: e. g.

℞. *Anserem eviseeratum*;
qui infarciatur cum *fol. Salviæ*, *Rorismarini*, *Spicæ*, *Caryophyll.*
quibus addunt
Pingu. cati sylv. ℥iß.
Thuris,
Mastich.
Succin. an. ℥ß.
Castor.
Euphorb. an. ℥ij.
Insuantur omnia, & assetur anser in veru, & *pinguedo* destillans cautè colligatur, & pro usu servetur.

HILDESHEIM sequens oleum anseris commendat, quo quendam Medicum in Duce Borussiæ usum fuisse asserit:

℞. *Anserem masculum deplumatum & exenteratum*, probè *ablutum*:
Lavat probè *vino* intus & extra; Post
℞. *Thuris alb.*
Myrrh.
Mastich. an. ℥ij.
Ungu. martiat. ℥vj.
Repleatur iis mixtis *venter anseris*, assetur in veru; phlegma, quod prodit, abjicitur, *pinguedo* verò stillans asservatur pro usu externæ illinitionis.

Huius *liquoris* cuilibet unciæ addit *pulveris vermium terrestrium* ℨj. quo illinuntur membra. Alii
℞. *Pingu. huius anser.* ℥j.
addunt
Pulv verm. terrestr. ℥ij.
Mista destillant per retortam, & sic acquirunt oleum pro inungendis membris paralyticis.

Quidam canem ruffum cum herbis appropriatis, item myrrhâ, mastiche, galbano, &c. assant. Parili ratione venter *ciconiæ* impleri & hujusmodi linimentum elici potest.

His accedunt olea cocta quædam, v. g. vulpinum, lumbricorum terrestrium, euphorbii, de piperibus, & seminis trifolii, asphaltitis sive bituminosi, à SYLVIO *Prax. lib.* 2. *cap.* 22. commendata. His addenda unguenta, scilicet de bdellio, de quo vid. AMATUS LUSITANUS *Cent.* 4. *Curat.* 22. Agrippæ, Martiatum, pervinum, paralyticum Mynsichti, balsamus Guidonis. Quibus alumen plumosum admiscere jubet SYLVIUS *loc. all.* si aridura subsit; vid. *suprà l.* 1. *ubi de Atrophia*. Item cataplasma ex radice Symphyti majoris, cujus usum videbitis in HARTMANNO; & similia remedia.

Hujusmodi tamen pinguia & oleosa non adeò semper conveniunt in Paralysi, quoniam poros infarciunt & oblinunt. Dicta autem unguenta oleosa & similia remedia applicantur toti membro, ubi ligamenta & tendines laborant; ubi verò vitium est in nervo in membrum delato, tunc talia remedia spinæ dorsi aut nuchæ aut vertici commodè applicantur. In hoc necessum est, sit Medicus Anatomicus, & sciat originem & progressum nervorum.

CAPUT IV.

DE OPERATIONUM RATIONALIUM DEFECTU.

HAbuimus hactenus has Operationes, earumque læsiones, quæ homini, ut animali, tàm ad Esse animale, quàm ad Esse Vitale, conveniunt, & ita cum brutis illi *communes* sunt. Jam accessum faciam ad læsiones *operationum* ipsi *propriarum*, & à quibus in Esse humano constituitur, ita ut iis abolitis brutum animal fiat homo. *Operatio* talis est *Intellectus*, & inde promanans RATIOCINATIO, quæ ipsa vera est forma & vera anima, & quamdiu juncta est corpori, sensuum internorum, & consequenter spirituum animalium, in cerebro rectè disposito, utitur ministerio, quatenus intelligentem oportet speculari phantasmata seu objecta, quæ sensus afficiunt internos. Quando ergò objectorum in phantasia repræsentatio malè se habet, Ratiocinatio vitiatur, hincque omnes ratiocinationis læsiones à sensuum internorum vitiis dependent: adeoque iam *sensus interni*, eorumque vitia, tractandi sunt, prout pro eorum læsione & Ratiocinatio læsa sequitur. Fiunt autem sensus interni à motu spirituum animalium in cerebro: prout ergo spiritus tam per se quàm in motu variant, & prout se habet cerebrum, etiam variant sensus interni, & consequenter Ratiocinatio, cuius aberrationes saltem per sermonem & gesticulationem corporis, adeoque per sermones inconditos & ridiculas gesticulationes à posteriori cognoscimus, ex quo pervenimus porrò in notitiam Memoriæ læsionis. Etenim per se Ratiocinatio non potest lædi, quia hæc immediatè dependet ab anima rationali; quæ ipsa, cùm sit spiritus, & substantia immaterialis, erit à materia aut obiectis materialibus seu causis naturalibus impatibilis, & consequenter inalterabilis: Unde quicquid defectuum in eius operationibus occurrit, sunt læsiones Imaginationis & Memoriæ, quæ ipsæ aliàs fiunt per certum motum spirituum animalium in cerebro legitimè dispositorum: Et quando memoria & imaginatiò per morbos læduntur, causæ simpliciter inuestigandæ sunt in cerebri textura & spirituum animalium crasi læsis. Nam his læsis & animæ rationalis operationes læduntur; ipsis verò restitutis etiam ratiocinatio redit, utut nemini adhuc à priori sit cognitum, quid sit substantia ista immaterialis animæ rationalis? aut quomodo spiritus nostros gubernet in intellectu? aut quomodo ipsi spiritus in operatione animæ, & iudicio formando, inseruiant? cum de rebus immaterialibus nullum habeamus conceptum positiuum, sed negatiuum, id est, cognoscimus de anima rationali, quid non sit? aut quomodo non operetur? non autem, quid sit? Anima rationalis in infante, aut in sene denuò puerascente, non minùs apta est, ut ratiocinetur ac anima iunioris subtilissimi ingenii, nisi diuersitas operationum naturalium, quas sub ætatum mutationibus omnes experimur, à spirituum animalium aut cerebri alterationibus originaliter dependerent.

His suppositis dico; Omnem læsam ratiocinationem inpuere defectus imaginationis & memoriæ.

Vitiatur autem ratiocinatio duobus modis: nempe
1. Quando *imminuitur*, ut in STUPIDITATE seu TARDITATE INGENII; aut *aboletur*, v. g. in STULTITIA, AMENTIA, & FATUITATE, uel etiam *in senibus* ex naturali causarum ordine.
2. Quando *depravatur*; id quod fit in omnibus *deliriis*, tàm in genere, quàm uario modo in diuersis deliriorum speciebus.

ARTICULUS I.

DE RATIOCINATIONE IMMINUTA ET ABOLITA,

& inde natâ

MEMORIÆ LÆSIONE

&

STUPIDITATE.

QUoad imminutam aut *abolitam Ratiocinationem*, superiùs innui, Ratiocinationem ex se nunquam imminui aut aboleri, nisi etiam in Memoriâ simile adsit, aut etiam præcurrat vitium: quod verissimum est; hinc enim senes stolidi, quia eorum Memoria deficit aut fatiscit: & qui nullam habent Memoriam, semper manent pueri, dum nihil addiscunt; & sapientissimi, si ex morbo quodam vel causa quadam externa Memoriam lædant & amittant, stupidissimi & stolidi fiunt. Tantum nempè saltem scimus, quantum memoriâ comprehendimus, & cum judicio ponderamus & applicamus.

Hujus ergo Memoriæ *læsiones* hic imprimis sunt considerandæ, quibus ipsa aut *immuitur*, aut prorsus *aboletur*; *depravari* enim aut morbosè augeri nequit: Nam memoria non rectè aut vitiosè retinens, est Memoria deficiens seu imminuta.

CAUSÆ.

Hujus ergò aut *imminutæ* aut *abolitæ Causam proximam & universalem* certò determinare impossibile est; (loquor syncerè;) partim quoniam nondum à priori cognitum, quomodo naturaliter fiant memorationis actus? aut in quo consistat? aut in quantum etiam in hoc negotio explicando GUILHELMUS GRATAROLUS, *Tract. de Memoria conservanda* inscripto, conatus est, saltim tamen sunt verbalia, adeoque in modo memorandi genuino omnes impingunt, utut præ cæteris CARTESIUS rem nonnihil clariùs aggressus fuerit; partim verò quoniam tam multæ, eæque tam variæ remotæ causæ Memoriam lædere, & eam deficientem reddere valent. Hoc saltim observandum (1) memoriam nobis communem cum brutis esse, prout nempe reminiscentiæ opponitur, quæ nobis & propria, & fit per ratiocinationis discursum: (2.) *Læsiones* Memoriæ sequi *læsiones capitis* certo modo.

In

In capite quoad hoc negotium saltim spiritus animales & cerebrum consideranda; in quorum altero, tanquam radice, fundata erit Memoria: Spiritibus autem, ceu substantiæ continuò mutabili, non erit impressa Memoria, quia Memoria fixam habet sedem. Certum ergò est, quod cerebrum subjectum radicale sit Memoriæ; quomodo autem sit, nescio. Jam verò & omnes causæ remotæ, quæ lædunt Memoriam, triplicis sunt generis, & ferè eò collimant, ut aut

1. Cerebri conformationem & texturam mechanicam, secundùm porulos scilicet & meatus, & hinc natam temperaturam, imprimis in humiditate aut siccitate; aut
2. Universum sanguinem & spiritus vitales certo modo vitient aut corrumpant, hinc aptam spiritibus animalibus materiam subtrahant; aut
3. Denique spiritus animales præter modum consumant, dissipent, aut quocunque modo torpidos reddant.

Quarum causarum variarum omnium ad unam proximam restrictio vix possibilis est.

In consideratione ergò læsionis Memoriæ probè semper attendantur causæ eius remotæ, ut iisdem quasi manuducamur ad feliciorem praxin.

I. *Prioris classis Causæ remotæ* sunt (1.) res *fortuitæ* & casuales, v.g. casus ab alto, vulnera, & contusiones capitis enormes, & cranii violentæ depressiones, ac ictus in caput, & similes externæ læsiones, Memoriam destruentes: qualia exempla PLINIUS *Nat. Histor. lib.* 7. *cap.* 24. RONDELETIUS *Meth. Med. pag.* 314. PLATERUS *Observat. pag.* 13. BORELLUS *Cent.* 2. *Observat.* 37. & TULPIUS *lib.* 4 *Observat.* 15. allegant: Sic etiam HILDANUS *Cent.* 3. *Observat.* 1. refert puerum aliàs admodum ingeniosum, in quo ex depressione cranii omnimoda Memoriæ abolitio & stupiditas fuerit secuta: Sic LINDANUS *super Hartmannum*, ex subitanea capitis percussione omnium rerum antea notarum oblivionem obortam refert: Similia exempla videbitis in SCHENCKII *Observat. lib.* 1. *ubi de Memoria Observat.* 9. & 10. *pag.* 74 & 75. Sicut ex vulnere occipitis à sclopeto omnimodam Ratiocinationis & memoriæ ablationem observat obortam HORSTIUS *lib.* 2. *Observat.* 7. Item nimia & frequens capitis lotio memoriam lædit. (2.) Conformatio capitis & cerebri à primo ortu vitiosa, ita ut qui pravam cerebri figuram habent, utplurimum stolidi, obliviosi, &c. observantur: vid. BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 20. WILLISIUS *Anat. Cerebri lib.* 1. *cap* 3. *fig.* 4.

II. *Secundæ classis* sunt causæ *non fortuitæ* seu naturales, aut ex classe rerum vel nonnaturalium vel præternaturalium. Nonnaturales sunt vel assumpta diversa, vel excreta & retenta, vel animi pathemata. Quoad (1.) assumpta; v. g. vini generosi immoderatior usus seu potiùs abusus, ut & crebrior ebrietas, Memoriam labefactare solet. (2.) Inedia gravior & diuturnior: Sic observatum fuit in virgine post diuturnam & tantùm non miraculosam inediam, cum denuò comedere inceperit, oblivionem & mentis stuporem successisse, teste HORSTIO *lib.* 2. *Observ.* 15. (3.) excreta, quando nempe naturaliter excrementa supprimuntur. Suppressa sanguinis evacuatio consueta & similis Memoriam hebetare potest: Exemplum suppressionis mensium obstinatæ, oblivionem inducentis, per cauterium in occipite curatæ, videb. in BARTHOLINI *Act. Haffniens. Volum.* 2. *pag* 196. Item curiosam observationem habet ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Admir. Observat* 47. de insania, orta ex suppressis hæmorrhoidibus, postmodum tamen sponte curata ex diuturna hæmorrhagia, facta in interfœmineo per porum quendam insensilem: Sic ex suppressis lochiis puerperæ oblivionem cum melancholia natam observat SALMUTH. *Cent.* 1. *Observat* 72. Item (4.) hæmorrhagiæ nimiæ, præter stuporem mentis, oblivionem quoque inducunt.

III. *Tertii* denique generis sunt (1.) assumpta vitiosa, spiritibus animalibus minus congrua: vid. RIVERIUS de quodam, qui post longum usum aquæ papaveris rheados Memoriâ fuit destitutus & fatuus factus, in cujus ventriculis cerebri post mortem niger seu atramentarius humor inventus fuerit. Opii abusus mentis stuporem & oblivionem subinde inducit: Sic WILLISIUS *Pharm. Rat. Part.* 1, *pag.* 306. ab opii abusu mirabilem & particularem Memoriæ amissionem refert. Philtra multùm etiam in recessu habent, quæ uti non rarò varias mentis læsiones, & in specie manias, ita etiam fatuitatem & gravem Memoriæ læsionem inducunt, teste SCHENCKIO *in Observat.* Exemplum notabile refert HENRICUS *ab* HEER *in Observat.* 13. de quodam juvene quatuordecim annorum, stupendi aliàs ingenii, qui quatuor condiscipulis diversa dictitabat carmina, ipse verò quintum scribebat, & nihilominus tamen postmodum per philtrum omnium rerum, imò etiam proprii nominis oblitus fuit, & alphabetum rursus addidicit: De philtris, felis cerebro, aliisque narcoticis internè & externè applicatis, oblivionem inductam SENNERTUS *Prax. lib.* 1. *pag.* 241. 242. & 296. testatur. Sic etiam venena nonnulla assumpta omnem Memoriam perdere solent. Vid. SCHENCKIUS *in Observat. Medicinal. lib.* 1. *de Memoria Observat.* 3. *pag.* 74. (2.) Venus nimia, quæ quò largiùs exercetur, eò magis Memoriam debilitat, aut ad fatuitatem disponit, vid. SCHENCKIUS *in Observat.* ac curiosum est, quod SALMUTH *Cent.* 1. *Observat.* 61. refert de viro docto, qui, ut conjugi placeret, usus fuerit stimulantibus Venerem, unde sine Memoria redditus fuerit fatuus: *Eodem loco* refert de quodam, qui ex nimio Veneris abusu adeò exsiccatum habuit cerebrum, ut illud intra cranium hinc inde moveri perciperetur. (3.) Affectus animi diversi, diuturnę curæ cum vigiliis conjunctæ, & studia immodica, præprimis circa diversa objecta, hic etiam in lędenda Memoria multùm faciunt; Nam ex terrore Memoriam sæpiùs lædi, notissimum est; item ex terrore repentino quosdam Memoriâ subitò privatos refert SCHENCKIUS *in Observat.* 2. *loc. alleg.* (4) Morbi varii cerebro & spiritibus animalibus infesti Memoriam abolentes, in specie affectus soporosi, scilicèt lethargus, carus, apoplexia, imprimis morbi acuti graviores, aut febres ardentes, item diuturniores epilepsiæ. non rarò Memoriam vitiantes. Vid. PLATERUS *Observat.* 7. & HILDESHEIM *Spicileg.* 3 *pag.* 315. Apoplexiam subinde oblivionem lectionis salvâ scriptione excitare, videb. in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Observat* 154. *pag.* 169. sicuti etiam interdum ex febre ardente vel acuta resurgentes omninò obliviosi redditi observati fuerunt in SCHENCKII *Observat.* & CHRISTOPHORUS *à Vega lib.* 3. *Artic. Med. cap.* 30. refert de quodam Franciscano, à febre acuta memoriam amittente; hinc etiam post pestem Memoriam oblitam observat SCHENCKIUS. Ex mania omnium rerum oblivionem habet TIMÆUS *von Guldenklee, in Casibus pag.* 19. Ut taceam, quæ de peste illa Attica famosa referunt, quod in hac homines tanta omnium rerum ceperit oblivio, ut nec familiares nec se ipsos agnoverint. Tandem HEINRICUS *ab* HEER *in Observat.* 3. refert exemplum de viro quodam quadraginta annorum fatuo & oblivioso facto (non nato) qui mortuus, cùm cranium fuisset apertum, cerebrum siccissimum & durum, adeòque in summa sui parte digitis friabile repertum fuit, unà cum flavedine citri æmula, undiquaquè ad digiti altitudinem imbutum, circa ventriculos tantum & basin mollius tamen inventum fuit: quo non abludit SALMUTH. *Cent* 1. *Observat.* 61. (5.) Senectus, dum v. gr. BASSIANUS LANDUS *de Humana Historia Franciscum Barbarum Græcarum literarum*, quarum erat doctissimus, in extrema senectute planè oblitum fuisse refert. Hæ & similes causæ remotæ subinde benè perpendendæ & benè recognoscendæ sunt in Praxi, ut pro varietate earum variemus curam.

In quibusdam à natura Memoria & ratiocinatio est deficiens; in aliis verò per naturam percipitur admodum subtilis Memoria, & acriter ratiocinantur. Naturalem autem ad Memoriam inhabilitatem, adeòque *naturalem stupiditatem*, ceu difficulter aut planè non curabilem, prætermitto.

Interim in memoriæ læsione pro meliore medendi ratione in genere observetur diversitas subjectorum (si est à causa interna) an sit in corpore senili? an verò in corpore juvenili? &, si in corpore senili Memorię lęsio, in his pro medendi methodo ante actę vitę ratio consideranda est, an vita præcedens fuerit sedentaria & quieta magis ab animi & sensuum internorum motibus? an verò semper in his fuerit actuosa, v. gr. in studiis, curis, &c. Nam juvenes, imprimis malo hypochondriaco

eo graviùs obnoxii, item juvenes, qui interdum epilepsiâ corripiuntur, debilem habent Memoriam, qualia ego hic jam læsio exempla. Quodsi ista Memoriæ læsio ex in corpore senili, utplurimum etiam reliquarum actionum animalium torpor quidam conjunctus esse solet propter spirituum similem torporem, idque ferè ob cerebrum lymphâ copiosiore nimis inundatum, præprimis quando rejiciunt copiosa phlegmata per os & aures: id quod fit imprimis in senibus, quorum ante acta vita multis curis aut studiis sublimioribus non fuit agitata, & judicium adhuc aliquomodo valet: Nam in senibus doctis, quorum nempe vita occupata fuit in studiis, meditationibus, curis ac negotiis urgentibus, in his adhuc est sæpe judicium, & in talibus, quod probè observetur, cerebrum aridum, siccum, ac quasi porosum nimis existit, uti etiam in his habitus corporis aridior, somnus paucus, & rarò excretio per nares, & os adest, & licèt dormiant, facilè tamen evigilant.

In junioribus, cùm Memoria nonnihil debilis aut læsa nonnihil, judicium tamen & similes rationales operationes, nempe vis judicii & ingenii, sint utplurimum vegetæ & firmæ, debilitatâ saltem Memoriâ, dicitur Præcocitas: id quod fit ob spiritus animales subtiliores, agiliores, fervidiores ac ferè igneos, (unde videntur tales agiles & acuti judicii,) unde cerebrum similiter aridum & exsuccum, minusque nutritio succo irroratum: Hinc judicium quidem ad tempus habile, sed Memoria nonnihil debilis, & tales in senili ætate omninò judicium & Memoriam amittunt, imprimis si sint studiis dediti, & sic spontè tandem fatuunt. Sin verò simul judicium cum Memoria firma adsit in juvene, præcox est ingenium, sed rarò durabile, quin solito citiùs judicium & Memoriam amittunt. Quodsi juvenis sit, qui conqueritur de aliquali Memoriæ debilitate, ita ut accedat torpor sensuum internorum, in tali actiones istæ, nempe Ratiocinatio & phantasia, sunt obtusæ ac minus acutæ, quæ præter naturam statum cerebri humidiorem & spirituum animalium defectum innuunt, & cæteris paribus facilè corriguntur.

Quæ & similes circumstantiæ in Praxi Memoriæ læsæ benè perpendendæ; his enim neglectis, & causis remotis non probè ponderatis, faciliùs destruitur, quàm promovetur Memoria.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa* Memoriæ & Ratiocinationis vitiatę, ex relatione ægri patent: imò & hujus causæ remotæ ex vitæ genere, actionibus animalibus, & similibus antecedentibus ac concomitantibus, partim à Medico hariolantur, partim ab ægro confirmantur.

Et ferè cerebri status ac spirituum ex adjunctis ratione aliarum actionum animalium, & hinc ex antecedentibus rebus non naturalibus, considerandus venit; speciatim ubi æger est iuvenis, iudiciosus, studiis nimis addictus, diætâ non admodum lautâ utens in cibis, qui de Memoriæ defectu est querulus: in talibus ariditas & siccitas cerebri cum spirituum animalium subtiliorum fervida agilitate in causa est. Ubi verò est somnolentus, aut quando post affectus soporosos aut lethargicos Memoria læditur, aut in actionibus torpor percipitur, aut per nares & os copiosè excernitur, aut quando est senex studiis minus in iuventute deditus, &c. in his Memoriæ læsionem ex spiritibus torpidis & nimia cerebri humectatione oriri suspicio est. Adeò temperatura cerebri mediocris, in æquabili eius textura fundata, ad Memoriam imprimis requiritur.

PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognosin*; hæc variat pro causarum remotarum varietate. Hinc Memoriæ læsio in iis, qui nimis studiis sunt dediti, idque ex fervore & activitate spirituum animalium, & siccitate cerebri, difficillimè curantur; & tales, si volatilibus analepticis & aromatibus spirituosis utuntur, planè fatui tandem redduntur; sicut olim ex frequentiore usu confectionis anacardinæ cuidam contigisse ex relatione D. D. MICHAELIS recordor; & Ambrata pro confortanda memoria ab his, quibus phantasia potentior est, assumpta, stuporem tandem mentis inducere, notissimum est.

E contrà faciliùs & etiam meliùs est in iis, quibus cerebrum lymphâ copiosiore madidum, & spirituum aliqualis torpor, nisi senectus impediat.

Prætereà *Memoriæ subitanea* magis *læsio* absque causa externa orta imminentis Apoplexiæ & Paralyseos, quin & interdum epilepsiæ, indicium est: sin verò ægro viribus iam dum fracto hoc contingat, mortis imminentis signum existit.

Naturalis stupiditas, & à capitis conformatione vitiosa, est incurabilis.

Superveniens pro causis remotis variis, nunc faciliùs, nunc difficiliùs curatur.

In specie, *quæ est ex philtris*, rarissimè & difficillimè curabilis est, quia, uti suprà dictum est, cerebrum tam acriter afficitur ab iis, & facilè in maniam degenerat.

Quæ ab inveterata epilepsia, similibusque capitis affectibus, morbis malignis & acutis, item venenis, oritur Memoriæ læsio, exindeque stupiditas, ferè incurabilis est.

CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac ipsa

1. Ante omnia *causarum remotarum* antecedentium activitas & conditio benè est pensitanda, & quomodo noceant? maturè considerandum, & iis obviam eundum, & inducta labes emendanda & sistenda, unde e. g. hęmorrhagia sistenda, evacuationes consuetę suppressę promovendę, humoris genitalis dispendia immoderata, ac inedia diuturnior evitanda.

Hinc

2. Constitutio *cerebri*, an illud aridum nimis? an humidum? & spirituum animalium ratio probè consideranda est; & ubi illi sunt nimis ignei & fervidiores, & cerebrum aridius, hæc sunt attemperanda, & ad statum naturalem reducenda, solâ nempe diæta lauta & eupepta, & alimentis succulentis, & benè nutrientibus, v. g. lacte & lacticiniis, chocolata in lacte vel vino assumpta, &c. spirituum volatilitatem blandè temperantibus, & chyloso rore imprægnatis, irrorantibus, quiete, &c. Ubi verò cerebri nimia humiditas prępollet, & spiritus sunt torpidi, minus agiles, volatilibus quasi sunt excitandi, suscitandi, & subtilisandi, aromaticis cephalicis acribus spirituosis & similibus crebrò adhibitis.

Adeoque prior ista Memoriæ læsio ex ariditate & squalore cerebri & spirituum fervore nata, ex fonte Pharmaceutico non solet curari, sed saltem diæta lautâ & humida, quæ copiosum roridum nutrimentum exhibet; posterior verò aromaticis cephalicis restauranda, & quantum possibile, denuo curanda. Omnes hæ & aliæ circumstantiæ probè examinandæ sunt; aliàs remediis citiùs imminui, quàm iuvari solet Memoria.

Pro varietate ergò causarum tantum subinde specificis utendum est. Utplurimum tamen læsio Memoriæ, quæ stupiditatem infert, & curari debet ac potest medicamentis Pharmaceuticis, ex spirituum animalium torpore, & humidiore cerebri constitutione, originem ducit; unde & si serosorum humorum abundantia subsit, post purgantia blandiora, masticatoria, & sternutatoria, utplurimum aromatica conducunt: sed ne his aromaticis in contrarium fiat præceps lapsus, insimul diæta temperata humida, & rorem nutritivum copiosum suggerens, instituenda.

Remedia ergò quod attinet: In genere omnia *cephalica* dicta, salia volatilia, *spirituosa odorata* & *aromatica*, ad roborandam Memoriam & acuendum ingenium multùm laudantur, non tamen semper acriora; v. g. prosunt rosmarinus, melissa, ocymum, flores liliorum convallium, stœchados Arabicę, tunicæ, primulæ veris, spicæ, serpillum, cubebæ, caryophylli, cardamomum, cinnamomum &c. Et imprimis *cubebæ*, numero tres manè jejuno stomacho comestæ, acuunt insigniter ingenium & Memoriam: siquidem ipse adhuc puer, cùm ab informatoribus coactus fuerim ad ediscendas lectiones, si voluerim aliquid retinere, assumpsi cubebas tres vel quatuor ieiuno stomacho, (moderata earum dosis sit, cùm sint nimis volatiles,) & percepi

cepi operationes mentis insigniter acuatas. Quod etiam faciunt grana cardamomi: sed in juvene studioso cautè applicentur, propter nimiam volatilitatem & acrimoniam aromaticam, in senibus verò tutiora sunt. Præterea thus, *castoreum*, & *succinum* cum omnibus succinatis, etiam ad Memoriam laudantur: in specie thus album pulverisatum, circa plenilunium & novilunium assumptum, laudatur ad roborandam Memoriam. Ex præparatis & compositis conservæ recensitorum vegetabilium, horumque olea destillata, imprimis cinnamomi, sunt præscribenda. Sic quoque *pulvis Trithemii* admodum laudatur ad roborandam memoriam, cujus descriptionem *videb. in Praxi Chymiatr. Hartmann. cap.* 14. *ubi de Memoriæ læsione pag.* 1. Aliam compositionem habet SCHROEDERUS *in Pharmac. Medico-Chym. Part.* 1. *pag.* 272. Item huc facit pulvis analepticus Mindereri, species aromaticæ rosatæ, *species dianthos*, diambræ, *diamoschi dulcis*, & similes, sunt admodum convenientes. De Ambra noto, quod sit omnium optima, & quod non habeatur par remedium in firmandis viribus animalibus, & roboranda Memoria, omnibusque mentis actionibus: adeò ut nihil æquè fulciat senes labescentes, quàm ambra, sive sub forma pulveris cum ana sacchari exhibeatur, sive sub forma essentiæ vel tincturæ, parandæ cum spiritu rosarum aut cerasorum nigrorum, vel cum spiritu melissæ præparandæ, propinetur. Item elegantissima etiam fit tinctura cephalica ex granis chermes & ambra, cum spiritu liliorum convallium, vel aliis dictis spiritibus, extractis.

Sed observetur de his ambratis, quod cautè admodum internè sint usurpanda, speciatim cautiùs & parciùs in juvenibus calidioribus, aut ubi ex aridura cerebri Memoriæ læsio metuitur; tutiùs autem senibus. Nam sicut verum est, quod ad tempus quidem fulciat Memoriam, & reddat mirabilem; ita crebriori usu data postmodum plus nocet, quàm prodest, cùm præmaturam stupiditatem post se relinquat; vim enim aliqualem inebriativo narcoticam ambra habet conjunctam, ratione cujus etiam reverà spiritus admodum resocillat & fervidos reddit, sed postmodum sensim sensimque virtute inebriativà stuporem & omnimodam fatuitatem & stultitiam infert. Cauti ergo simus in usu ambræ, ac detur potiùs ambra parciùs & sæpius, quàm semel in nimia dosi, hinc interdum etiam ejusjusus senibus concedendus: sed abusus fugiendus, quoniam certum est, quod stupiditatem etiam inferat totalem in senibus. Sic notum quoque est, quod ambra egregiè Venerem stimulet: & simul observatu dignum est, quod omnia imprimis aromatica, Venerem propriè stimulantia, volatilia, spirituosa, satyracea, & similia omnia, ad actionis animales & Memoriam roborandam conducant; hac tamen cum noxa, ut si stimulo Venereo velimus satisfacere, Memoria insigniter debilitetur. Unde Chocolata cum vino hausta moderatè Venerem stimulat, qua suppressa Memoriam etiam egregiè firmat, in specie si cum lacte usurpetur: Hinc etiam satyrion egregiè venerem stimulans à PARACELSO ad Memoriam firmandam mirificè commendatur, quod etiam venereum est, unde etiam necesse, ut frenum injiciatur Veneri: quò magis autem impetus venerei cohibentur, eò magis Memoria roboratur.

Porrò ambræ ratione confectio al-chermes memoriæ firmandæ, imprimis senibus, conducit; sicut etiam ab aliis commendari solet *confectio anacardina*; sed cautè admodum usurpetur propter ingredientia vegetabilia nimis acria, nimisque volatilia; unde ejus abusu quidam insani, alii acutè febricitantes facti fuerunt, adeò ut rarissimè vel nunquam sit usurpanda.

Insuper spectant huc omnia spirituosa ex *formicis* parata, quæ omnibus functionibus animalibus robur addunt, ac speciatim *aqua magnanimitatis* Laurembergii ad memoriæ robur & ingenii acumen laudatur; quæ etiam ipsa egregiè stimulat Venerem; de qua, uti etiam ejusdem arte Memoriam firmandi, vid. LAUREMBERGIUS *in libello suo rarissimo Mnemonica* dicto *in Ann.* 2. *M. A. N. C. in Append. pag.* 599. ubi omnia ejus remedia pro Memoria, & *in Collegio Ionstoniano* D. MICHAELIS invenienda, instar omnium in hoc puncto sit. Negotium perficit remediis quatuor: (1.) masticatorio, (2.) capitis lotione (3.) aquâ magnanimitatis, & (4.) linimento externo. Et hæc in illo casu possunt usurpari, ubi subest torpor spirituum, & cerebri inundatio. Nam quoad primum, masticatorium seu apophlegmatizans est tale:

℞. *Herb. Nicotian. siccat.* M. ij.
Rad. Pyrethr. ℥iij.
Zingiber. ℥j.

Cum *Melle* purissimo in pultem redacta, commisceantur, & fiant globuli in forma pilularum majusculorum.

De quibus omni manè una in ore agitetur hinc inde, unde copiosum phlegma colligitur in os, quod exspuendum.

Quoad secundum, nempe Lotionem capitis, est hæc:

℞. *Herb. Meliss.*
Maioran.
Salviæ rec.
Rorismar.
Fol. lauri an. M. j.
Flor. lavend.
Lil. convall.
Tiliæ,
Stœch. Arab. an. p. j.

Coqu. in *Vino Hispan.* Gallico, vel Rhenano: quo caput lavetur omni quarto, quinto, vel sexto die.

Quoad Aquam Magnanimitatis, ea est hæc:

℞. *Vin. Malvat.*
In cujus s. q. macera per 14. dies & noctes
Herb. basilic.
Maioran.
Salviæ,
Melissæ,
Puleg. an. M℔.
Flor. Borrag.
Salviæ,
Flor. Prim. veris,
Rorism.
Stœchad. Arab.
Lil. convall. an. p. j.

Hæc destilla per alembicum:

Spiritum destillatum in cucurbitam amplam suprà apertam inde, & pone in *nidum formicarum* circa solstitium æstivum, nempe in talem nidum, cujus *formicæ* percussæ manu acidum de se spirant, & quæ nulla habent ova, & sunt *nigræ*, Germ. *Schwartzrothe*, & *mainsculæ*, quæ reperiuntur circiter arbores resinosas: in ejusmodi acervum hanc cucurbitam illo *spiritu vini aromatico* impletam, ut saltem quarta pars cucurbitæ sit plena, pone; hinc in dictam cucurbitam formicæ irrepunt, quarum ubi præter propter manipuli iv. vel v. irreperunt, bacillo ligneo commovendæ sunt, ut omnes suffocentur. Hoc facto digere formicas cum spiritu vini aromatico adhuc per dies & noctes 14. in radiis solaribus, hinc abstrahe spiritum destillando, in quem infunde:

Conf. Anacard.
Cinnamom. an. ℥j.
Croci ℥ß.
Moschi gr. xij.

Mista digerit, & filtrando depurat.

De hac aqua dat cochlear unum in haustu vini modicè generosi, tempore matutino quotidie, vel saltem alternis diebus pro varietate circumstantiarum.

Quoad quartum, Linimentum externum est illud:

℞. *Herb. Nicotian.* M. ij.
Flor. Basilic.
Meliß.
Primul. veris,
Maioran. an. M. i.

Omnia contusa misc. cum
Ol. olivar.
Butyri non salit. an. ℥iii.
adde
Vini Rhenan. vel *Malvat.* ℥v.

Coqu. pro Linimento crasso, & Cola.

Illinatur externè temporibus, & crebriùs vertici.

Cum dicta aqua magnanimitatis Laurembergii quidam faciunt Essentiam ex confectione anacardina, & sic tutiùs ferè usurpantur remedia anacardina: Conf. HARTMANNUS *Prax. cap.* 14. *§.* 2. Porrò nota est *Aqua sophorum Dornereilij*, item *aqua cephalica Mynsichti*, Quinta

Quinta Essentia Matthioli, aqua & *spiritus cerebri humani*: quæ omnes commendatæ sunt pro robore memoriæ à BARTHOLETO. Myrobalani conditæ: in specie myrobalani Chebulæ conditæ, laudantur insigniter à MONTAGNANA ad conciliandam Memoriam firmam, si subinde æger unam alteramve comedat. Idem MONTAGNANA *Consil.* 71. commendat sequentes pilulas, quas bonum secretum vocat ad Memoriam, quibus virum antea doctum, sed Memoriâ privatum, restituit:

℞. *Cubebar.*
Calaminth.
Masticis,
Nuc. moschat.
Caryophyll. an. ℥j.
Ambr. Orient. ʒß.
Moschi gr. v.
Misc. & cum *succ. Majoran.* f. Pilulæ.

De quibus omni vespere, dum vadit ad lectum, deglutiat aliquot, manè verò capiat duplum, hinc jejunet duas vel quatuor horas.

Sic celebres sunt *Pilulæ ad memoriam Sebizij*:

℞. *Aloes* ℥j.
Rhabarb. ʒij.
Myrrhæ,
Croci,
Agar. an. ʒj.
Rad. Gentian.
Zedoar. an. ℈j.
Cum *Theriac. opt.* q. s. f. Pilulæ, magnitudine Francofurtensium.

Quarum septem vel novem deglutiendæ.

Vel species hæ extrahi cum spiritu vini possunt in forma elixyris: vid. *Velsch. Mictomim. Cent.* 1. *Obser.* 50. *Annex. Ann.* 4. & 5. M. A. N. C.

His adnumeranda est Herba Thee, egregiè facultates animales & operationes mentis internas confortans; & quidem decoctum ejus mirabile est, dum judicium, & memoriam maximè auget, magis tamen senum quàm juvenum, ita ut sine somno & torpore aliquamdiu persistant, nempe in vino bullita, cujus haustulus omni manè assumatur.

Hæc sunt interna, quibus addi possunt spiritus & essentia salviæ, rorismarini, melissæ, ligni aloes, liliorum convallium, cinnamomi, castorei, ambræ, & similes.

Vel

℞. *Aquæ cephal. ad intra*,
Sophor. an ℥ij.
Quint. Essent. Matthiol. ʒß.
Spir. ceras. nigr.
Lil. convall.
Prim. veris,
Ess. Ambræ an. ʒj.
Syr. de Beton. ℥j.
M. S.

Potio caput & memoriam confortans,

℞. *Conf. flor. Anthos*,
Salviæ,
Tunic. an. ʒß.
Nuc. Ind. concl. ʒiij.
Spec. diamb.
Diamoschi dulc.
Spir. lil. convall. an. ʒiß.
Cum s. q. *syr. flor. tunicæ* f. Electuarium:
D. S.

Electuarium caput & memoriam confortans.

Item

℞. *Caric. ping.* No. vj.
Sem. Eruc. ʒvj.
Cartham ℈j.
Cum *syr. flor. Tunic.* f. Electuarium.
D. S. ut antè.

De quo dosis quantitas juglandis tempore matutino: A meridie usurpari potest liquor cornu cervi succinatus, spiritus carminativus, vel salis ammoniaci caryophyllatus, vel succinatus.

Remedia lunaria pariter & hic locum inveniunt. Notum est de lunæ rasura Memoriæ robur conciliante; quare resolutio lunæ cum spiritu salis ammoniaci vinoso ad imitationem KUNCKELII parata hìc proficua foret.

Externè pauca sunt, quæ locum inveniunt. *Oleum Myrrhæ per deliquium* factum solet insigniter commendari; vid. SCHROEDERUS *in Pharm.* quod divinum remedium vocat HILDESHEIM *in Spicil.* ad Memoriam. Oleum hoc myrrhæ per deliquium si temporibus & occipiti inungatur, mirificè memoriam restituere asserit. Sic Zapatha curavit memoriam imminutam ob abundantiam succorum frigidorum in capite per spiritum vini, cui piperis parum infusum fuerat, inungendo hoc ipso subinde suturam coronalem & sagittalem; vid. ZAPATHA *capit* 4 *in Medic.* Simile quid est, quod commendat HILDESHEIM *in Spicil.* 3. *pag.* 319. ubi laudat sequentem essentiam ad memoriam conciliandam; nempe

℞. *Fol. betonic.*
Salviæ,
Lavend.
Rorismar.
Flor. Rof. rub. an. M. j.
Nuc. moschat.
Piperis long.
Galang.
Cyperi rotundi an. ℈iv.
Castor. ʒij.
Nuc. Indic. ʒß.
Myrrhæ,
Thuris an. ʒiij.
Croci ʒß. vel ℈ij.
Infundantur in *vino* vel *spiritu vini*, aut *spiritu appropriato*, digerantur in Mariæ Balneo & filtrentur.

Hoc ipso liquore, seu, ut vocant, oleo nares & tempora & vertex largiter illinantur pro ingenii robore firmando.

Conveniunt quoque balsamum memoriæ Mynsichti, & lixivium sapientiæ Mynsichti. Aliàs etiam pinguedo ursina temporibus & fronti illita ad roborandam memoriam commendatur; item unguentum Caroli Ducis Burgundiæ. Præparationem videbitis in SENNERTI *Praxi*, *ubi de Memoriæ læsionibus*.

His præmissis jam accedimus ad Ratiocinationem depravatam; unde sequitur

ARTICULUS II.

DE

DELIRIIS IN GENERE.

Quando depravatur Ratiocinatio occasione læsæ imaginationis seu phantasiæ & memoriæ, ita ut à consueta lege & ordine aberret, dicitur *Delirium*.

Aberratio hæc observatur nunc conjunctim, nunc seorsim, secundùm omnes tres mentis operationes: Nam

1. In simplicium objectorum indeque formatorum conceptuum apprehensione: v. g. cùm delirans quid pro quo, vel aliud pro alio, concipit, ut dum quendam vulgarem hominem Regem Hispaniæ appellat.

Deinde

2. In ipsorum conceptuum apprehensorum compositione & divisione, indeque factâ conclusione & ratiocinatione; ut dum aliquis putat, se conflatum esse ex butyro; Unde
3. ignem horret, ne liquescat: vid. SCHENCKII *Observationes*.

Omnes hæ aberrationes à recta ratione uno nomine Delirium appellantur, Græcis παραφροσύνη, nempe depravatio rationis, & aberratio ejusdem ab ordinaria cogitationis lege, quà Deliria varia, nunc ridicula & jocosa cum ægri gaudio & voluptate conjuncta, quando nempe rident, cantant, jocosa narrant, nunc etiam morosa seu seria, ubi cum quodam impetu, furore, &c. delirant, sed absque nexu & ordine, & sine fundamento, confusè utplurimum producuntur.

CAUSÆ.

Causa horum Deliriorum *in genere* consistit in spiritu animali, in substantia nempe & motu plus minus alterato & vitiato, ita ut spiritus à debita crasi degenerent: unde prout variat crasis spirituum & eorum motus præter naturâ, variant

variant etiam Deliria. *Mens* enim, id eſt, *anima rationalis*, utpote immaterialis & immutabilis, eadem ſemper manet, & à nulla alia cauſa materiali lædi & inquinari poteſt.

In ſpiritu ergò hæret vitium, idque varium & diverſum, prout ipſius alterationis inductæ & cauſarum occaſionalium multiplex eſt varietas, unde etiam varia deliria variæque eorundem ſpecies. Rem hanc exemplo declarabo: Quemadmodum in ebriis idem vinum ſub ebrietatis exorbitantia diverſa parit Deliria in diverſis ſubjectis, dum unus ſub Delirio vinoſo fit iracundus aut furioſus, alter fit amoroſus, tertius fit canorus ſeu cantans, quartus jocoſus & ridiculus, quintus fit ſomnolentus, ſextus ſe æſtimat maximè divitem, ſeptimus omnium evadit ſapientiſſimus, octavus alio phantaſmate afficitur &c., in his affectibus, utut unum ſit vinum, quod omnes inebriat, indeque omnes etiam delirantes reddit; nihilominus tamen pro diverſa conſtitutione ſubjectorum, eorumque alia habitudine diverſa, ex maſſæ ſanguineæ craſi materiali & ſeminali diſtincta, & inde pro varia ſpirituum animalium conſtitutione *varia* tamen & diſtincta fiunt *Deliria*.

Quoad *Differentias Deliriorum*: *in genere* omnia vel ex *interna* oriuntur *cauſa*, ſeu quæ habent ſomitem quendam internum in corpore ſtabulantem, vel ab externa. Ab *externa* quæ proveniunt cauſa Deliria, originem ducunt vel ab aſſumptis intra corpus, vel extrinſecùs admotis, e. g. morſu canis rabidi, felis rabidæ, tarantulæ ictu: utraque ſive *ex vegetabili* ſeu *animali* ex regno oriuntur.

Externas quod attinet *Cauſas*: *ex regno vegetabili* ſunt liquores ſpirituoſi & temulentiam inducentes, in ebriis delirium excitantes; item omnia *narcotica* ſtupefactiva, quæ ſimul cum virtute fixativa & quaſi ligativa ſpirituum animalium, certam vim ſimul etiam obtinent determinandi certo modo ſpirituum animalium motum, cujus immutati occaſione diverſi & extraordinarii conceptus in mente formentur, indeque varia Deliria oriantur: v. g. refert KIRCHERUS *Tr. Scrutinium Peſtis* exemplum de duobus monachis, qui ex eſu radicum cicutæ prope aquas creſcentis, loco petroſelini, in tale inciderunt Delirium, ut ſe in anſeres & anates transformatos putarint, indeque iſti monachi piſcinis, ſtagnis & paludibus (creſcit enim prope flumina) ſe immerſerint, & anatum inſtar natare voluerint.

Conf. etiam WEPFERUS *de Cicuta Aquatica*. Pertinent huc, præter opium, ferè univerſus ſolanorum exercitus, quos inter in ſpecie eminet Nicotiana, hyoſcyamus, Datura, ſtramonium, ſolanum maniacum, &c. Pertinet huc *Pharmacum Phantaſticum Bartholetti* ex ſtramonii ſemine paratum, quo ipſo determinare vult Deliria pro lubitu ad certum conceptum & certam imaginationis ſpeciem, pro additorum aliorum varietate: de quo prolixè agit in *Tractatu de Reſpirationis Vitiis lib.5. cap.1. & 3. pag. 405. & ſeqq.* NB. rarum eſt ſcriptum. Sic *opium* & opiata copioſiùs & frequentius propinata, (uti mos eſt in Provinciis Orientalibus, in India, Perſia, & ſimilibus) ſimilia narcotica nobis Occidentalibus & Septentrionalibus ſomnum cum inſomniis horrendis & admodum terriculoſis, de dæmonibus aut ſpectris inferunt, quaſi vexaremur à dæmone, quaſi vulneremur & verſemur in jurgiis; Orientalibus autem, nempe Turcis, ſub ſomno inſomnia ſuavia, quaſi in viridariis verſentur in paradiſo, ibique hilariter & jucundiſſimè vivant excitat. Conf. M. A. N. C. *Ann.2. Obſervat.69.* Sic *hyoſcyamus* aſſumptus quibuſdam ridiculum infert delirium cum jurgiis & contumeliis: Vid. BORELLUS *Cent. 4. Obſ.45.* ubi refert quendam ruſticum cum ſua familia ex uſu radicis hyoſcyami totum fuiſſe *dementatum*, ita ut quaſi ſimia varias geſticulos & ridiculas actiones perageret. Pertinet huc vis narcotica Nucis Metellę Arabum, quę idem eſt atque Datura Turcarum, à cujus ſemine, ad certum pondus dato, *riſum* effici, *aut ſtultitiam* cum riſu & iucunda animi hilaritate, & cum inſigni liberalitate, ita ut qui ſumpſerit iſtud ſemen, liberali manu omnia ſua det & offerat, omnia delicta profiteatur, & omnibus juſſis obſecundet: ac reverà hyoſcyami eſt ſpecies: vid. BARTHOLETUS *loc. alleg.* E contrà ſemen & cortex hyoſcyami Peruviani, eodem Autore referente, delirium facit eſtaticum, quo delirantes putant ſe verſare in viridariis in converſatione Angelorum: de hujus narcoſi *vid. Mandelslo in deſcriptione itineris Indiæ orientalis, pag 123.* cujus narcoticæ virtutis medela eſt acetum; Vid. HOECHSTETTERUS *decad.7. pag.136.* Sicut ſemen hyoſcyami nigri infert delirium cum jurgiis & contumeliis; & ſemen ſolani majoris dat delirium, quo ſe à dæmonibus vexari & à ſerpentibus ac ſatellitibus malè tractari exiſtimant. Plura ſimilia, eaque non inelegantia & admodum curioſa, de ejuſmodi artificiali quaſi dementia per externa excitata, videb. in DOERINGIO *Tr. de Opio ejuſque virtute*, ubi *cap.7. pag.72. & 79.* inter alia obſervat artificialem dementiam quandam, qua ægri putant ſe naufragium pati: Sicuti idem DOERING *loc. cit. pag.79.* obſervat dementiam ſimiliter ex medicamento, quo ægri primò hilares, hinc iracundi, tandem admodum mæſti fiunt. Sed dementari, ſtupidos reddi, & Delirium induci ab hujuſmodi vegetabilibus narcoticis extra dubium eſt. An verò ſemper in diverſis ſubiectis deliria determinata inferant, aut arte per addita ita ſpecificari queant, ut ſaltem determinatum efficiant delirium, de hoc admodum dubitare quis poteſt, cùm & hyoſcyamus pro ſubiectorum varietate amentias diverſas inferat; pariſi ferè modo, atque ſuprà de vino monui: Conf. M. A. N. C. *Ann.4. & 5. Obſervat.124 pag.134.* Huc pertinet crocus, de quo vid. Kircherus *loc. all.* Sulphura enim vegetabilium minùs tuta ſunt, quia ſtupefactiva & narcotica ſunt; ſulphura verò ex regno minerali ſunt tantùm anodyna, non verò ſtupefactiva.

Sed præter vegetabilia etiam animalia certa & determinata inferunt Deliria, in ſpecie animalia nobis dicta venenata, & hinc etiam *animalia rabida*, canis ſeu felis, &c. Vid. BAUHINUS. Sic in *rabie* notum eſt, quod à *cane rabido* demorſi ſimile delirium rabioſum contrahant, ſub quo in canes ſe mutatos exiſtiment, unde in mores caninos ferè transformantur: ſicuti iidem ſemper hydrophobia ſeu inſigni omnium liquidorum & aquarum metu corripiuntur. Notus quoque præterea eſt *Tarantiſmus*, quando *à tarantulis* demorſi earundem geſtus, telarum texturam, & ad determinatam muſicam, amorem, & ſimilia exactè acquirunt. Nota etiam eſt *rabies felina* dum tres Helvetii juvenes à fele rabida interfecta comedentes deliri exinde & rabidi fuerint, ut felium inſtar unguibus & dentibus ſe lacerarint, & morſicando invicem congreſſi fuerint: Vid. KIRCHERUS *in Scrutin. Peſtis pag.207.* & WEINRICHIUS *Tr. de Monſtris*, ubi habet exemplum morum felinorum, ex ſanguine felis aſſumpto inductorum. Quò ſimiliter *lupina* & *ſuilla rabies* pertinet, quorum eſu ſimiliter homines in talia deliria feruntur. Exempla proſtant hinc inde, imprimis apud BAUHINUM, qui habet de rabie canum, luporum, &c. Pertinent huc quoque *philtra*, tàm vera quàm falſa: Falſa ſæpiùs maniam inferunt & furorem; Vera per mumiæ animalis confermentationem cum certo ſubjecto habent ſimul vim determinandi ſpiritus animales, ita ut exinde ferantur in determinatam perſonam ſua inclinatione, unde conſequenter amor; de quo veri philtri parandi modo per mumiæ naturalis confermentationem cum certo ſubjecto, & hinc transplantationem *infra Membro 4. Articuli 4.* plura. In Suecia ſeptentrionali eſt Gulo, animal ſic dictum voraciſſimum, cujus pellis pretioſiſſima, ſi dormientibus obtegatur, facit inſomnia animali congrua, nempe voraciſſimi hominis. De marte, quod faciat Delirium ridiculum, vid. BARTHOLETUS *loc. all.* Ab his ergò & ſimilibus externis certo modo determinantur ſpiritus animales, quatenus horum craſin certo modo alterant, & motum in cerebro variant, ut hujus motus occaſione anima rationalis exinde tàm miros ac deliros formet conceptus, ut anteà dixi. Quod quomodo fiat, ut externè admota determinatum ac ſpecificatum Delirium inducant, certò nondum conſtat, & adhuc perſcrutandum eſt, cùm nulla adhuc Autoris conſtet opinio, quæ animum ſcrupuloſum, ſimulque veritatis avidum, poſſit exſatiare.

Præ cæteris operoſus hic fuit HELMONTIUS *in ſuis ſcriptis*, & hinc MARCVS MARCI *Tract. de Ideis operatricibus*, item *Tract. de Philoſoph. veterum reſtituta*; qui per ideas naturam determinantes negotium explicare nituntur: quæ hypotheſis, ſi rem exactè conſideremus, plauſibilis primo videtur, & maxima probabilitate conceptibili nobis imponere ſolent. Sed tamen ſi exactiùs paulò ad rectam rationis trutinam examinentur, & ad prima uſque fundamenta vera fiat inquiſitio, ſi etiam paulatim in noſmet ipſos faciamus reflexionem, ut poſſimus concipere, quid & quale ſit, & quomodo operari poſſit talis entitas idealis ſeu intentionalis & immaterialis ſub compage materiæ? aut quomodo hæc ipſa aut involvi aut evolvi poſſit? certus ſum, quod tunc omnis iſta idealis imaginatio inſtar fumi ſeu vanę cuiuſdam ideæ ſubitò ſit tranſparitura & evanitura.

Hinc

Hinc est, quod multi curiosi & exercitati naturæ scrutatores, quos inter meritò refero nonnullos Anglos, & hos inter Dn. BOYLE, non sine nominis honore nominandus, maximè æstimat & admiratur HELMONTIUM, ubi in Praxeos & Philosophiæ naturalis terminis se continet: ubi verò in extravagantias ideales prorumpit, ejusdem somniis quidem indulgendum non verò inhærendum arbitratur. Et quidem fundamentum istius opinionis, ex quo subinde probat existentiam talium idearum HELMONTIO seminalium, MARCO MARCI operatricium dictarum, desumptum est à formatione fœtus, in utero, ejusque per ideam ab imaginatione materna conceptam transformatione. Hoc ipso tamen obscurum per æquè obscurum declarare nititur, æquè enim obscurum est formationis fœtus & transformationis ejus per maternam imaginationem negotium, quàm tota superstructa eidem φαντασιων, modò allegatorum explicatio; adeo ut obscuri per æquè obscurum declaratio non satisfacere possit nobis. Hæc de delirio à causa externa in genere.

Ea *Deliria* verò, quæ fiunt *à causa & occasione interna*, adeoque sponte fomitem intra corpus continent, & ipsa pro fomitis interni varietate, & prout diversimode spiritus afficiuntur; nunc sunt varia & diversa, nunc quidem *vaga* sunt seu *indeterminata*, ut in febribus ardentibus & malignis; nunc verò sunt *fixa*, ut in pluribus *melancholicis*, & quasi ad certum objectum *determinata*. Quod autem à talibus causis internis possint determinari spiritus in suo motu, ut hujus occasione depravetur ratiocinatio ad certum objectum, ac certum superveniat Delirium, per manifestum exemplum declarabo: consideremus v.g. picantes hic sanè pica est appetitus carbonum, cretæ, halecis, &c. delirus, qui tamen excitatur occasione positiva in stomacho fundata: sic etiam ponamus v.g. quendam, qui tempore nocturno in somno patitur distensionem vesicæ ex collecta inibi urina, (vel quando genitura turgescens in vasculis & vesiculis seminalibus titillationem suavem excitat) in talibus certè exinde ita determinantur spiritus animales, ut superveniat somnium: & quidem in priori, quasi emitteret urinam, adeoque stragula permingit; in posteriori verò casu patitur somnium venereum, quo somniando imaginamur, nos exercere venerea negotia cum formosis puellis, indeque etiam seminis excretio seu pollutio nocturna ordinariò succedit. Par ratio est cum pica, in qua determinatum est delirium. Optimè facit huc exemplum istud Veneris imaginariæ: uti enim genitura turgescens titillando infert somnium Venereum, ita etiam simili ferè modo sordes vitiosæ, vel alia quæcunque causa interna, spiritus ad Deliria certa determinare valet. Consideremus ergo hic, quomodo seminis turgescentia inferat somnium Venereum? in quo notorium est, imaginationem ferri in objectum quasi præsens, quod tamen absens: Rectè enim in dormientibus insomnia dicuntur dormientium deliria; sicuti contrà vigilum Deliria reverà sunt vigilantium insomnia, cum sanè tale quid patiantur delirantes vigilantes, quod patiuntur somniantes. Unde etiam delirantes vigilantes interdum recordantur eorum, quæ sub Delirio fecerunt, interdum verò non; non secus atque fit interdum cum somniis paulo profundioribus, interdum verò obliviscantur: adeò, ut qui rectè noverit declarare naturam & fiendi modum insomniorum, hic ipse quoque manifestam habebit theoriam deliriorum, quatenus nempe ea ex fomite interno originem habent, cùm aliàs notum sit, quod somnia naturali ordine soleant insequi temperaturam, ut vocant, seu naturalem humorum ac spirituum crasin. Istud exemplum de pollutione nocturna curioso potest administrare ansam meditandi insomniorum & Deliriorum naturam. Quò etiam pertinet Delirium, dictum Furor uterinus, ubi manifestum est Delirium, ex liquoris seminalis circa genitalia turgescentis, simili ferè ex causa, atque in maribus pollutio nocturna, mulieribus superveniens.

Hæc quoad Generalia.

ARTICULUS III.

DE

DELIRIIS A CAUSIS INTERNIS.

VT verò singulas & frequentiores eorum species sigillatim absolvamus, initium faciamus ab iis, quæ *à causa interna* oriuntur.

Deliria, quæ ab interna oriuntur causa, rursus sunt varia. Et primò quidem sunt vel *cum febre*, vel *sine febre*. Delirium cum febre aut levius est, aut gravius: Illud communiter Delirium simplex (nam deliria febrilia propriò speciali nomine carent, tàm apud Græcos, quàm Latinos) appellatur: Hoc verò, quod *gravius* & ferocius, hodiè *ordinaria appellatione Phrenitis* audit, quod mitius *Paraphrenitis*. Delirium sine febre est *Mania*.

MEMBRUM I.

DE

PHRENITIDE.

PHrenitidem *ex inflammatione membranarum cerebri*, ejusque substantiæ cineritiæ, oriri vulgò æstimant. De hac Phrenitide ita explicata jam *suprà l.1.* monui, quod nempe secundùm primos Medicinæ Autores propriè *diaphragmatis inflammationem* innuat, secundùm quos inflammatio cerebri ejusque membranarum vocata fuerit Sphacelus, malum, ut rarum, ita utplurimum funestum ac lethale. Verùm cùm loquendum sit cum vulgo, sentiendum autem cum paucis, ob id etiam nos hac vice Phrenitidis nomen in vulgari sensu retinebimus, idque imprimis, quia ratione methodi medendi & in diaphragmatis inflammatione, & in sphacelo *cerebri*, eadem sit curandi ratio, quæ in vulgò sic dicta Phrenitide; sicut paraphrenitidis nomine innuimus leviora Deliria.

CAUSÆ.

Causa ergò universalis tam *levioris* quàm *gravioris delirii febrilis* seu Phrenitidis est in genere spirituum animalium varius, velocissimus & confusus in cerebro, præsertim ejus corpore calloso, motus, cujus occasione (dico occasione) fit, ut ratiocinatio & imaginatio pervertantur; unde & post tàm varia & minus cohærentia phantasmata ab anima efformantur, quorum index & nuntius sunt inconditi sermones, risus aut fletus, flocculorum, quæ nusquam sunt, collectiones, vigiliæ, muscarum, quæ nusquam sunt, insolitæ venationes, & variæ artuum motiones, &c. donec aucto & nimis impetuoso, penitusque inordinato facto spirituum jam deficientium motu, *convulsiones* sæpè lethales superveniant, aut tandem spiritibus tantùm non absumptis per inconditum narcoticorum usum penitus fixatis, Phrenitis in lethargum, aut in affectum soporosum potius, mutetur, aut successivè superato malo æquabilis ordo ac circuitus spiritibus redeat.

Causa verò remota inconditi istius spirituum animalium motus in cerebro est nimia eorum & cerebri æstuatio & incalescentia, nunc minor nunc major, idque vel simpliciter ob sanguinis nimiam incalescentiam, & pulsum in cerebro frequentiorem, ex ejus effervescentia natum in *paraphreniti de*, vel ob stagnationem, & exinde membranarum aut corticalis cerebri substantiæ inflammationem in *Phrenitide* propriè dicta. Cogitemus saltem æstum febrium talium acutarum, & vasa insignia & numerosa ad cerebrum distributa, & tunc hujus fervor facilè & sponte patebit: quod multò magis fiet, si cerebrum ipsum patiatur inflammationem, in quo casu dum cerebrum adeò fervore & ardore æstuat, necessariò spiritus animales fervidi movebuntur, & imaginatio ratiocinatioque lædentur. Unde primò in principio febrium talium acutarum vigiliæ pertinaces tanquam delirii prodromus seu primus gradus ex spirituum continuo motu, secundò in incremento & statu deliria ipsa ex eorundem motu perverso, ac tandem tertiò convulsiones, ex spirituum quasi ultimo nixu in membra se mutuò subsequuntur; & hi termini mortis prodromi fere esse solent.

Ab effervescente ergò insigniter sanguine, & magis adhuc exæstuante hinc cerebro, subtiliores & fervidiores redditi spiritus animales agiliùs quidem, sed simul confusiùs & perturbatiùs in cerebro moventur; unde deliria similia, præsertim in incremento aut principio status febrium talium ardentium continuarum superveniunt, ubi nempe maxima est sanguinis effervescentia. Ubi enim in *principio morbi* aut incremento, *absque* tamen *insigniori febrili sanguinis effervescentia*. *vigiliæ pertinaces cum leviori delirio imminente se manifestare incipiunt*, gravioris *malignitatis anguis latet* sub herba, & virus malignum perturbati spirituum animalium motus est origo, uti fit in peste & simili-

bus

bus morbis malignioribus; quod probè observetur pro Praxi. Unde patet, quod *causa remota* sit vel simpliciter cerebri incalescentia, ex sanguinis fervore in febribus benignis & malignis; vel cerebri & ejus membranarum propria inflammatio, ex sanguinis stagnatione ibidem facta, idque in perfecta phrenitide. Subesse autem, præter simplicem cerebri exæstuationem, subinde etiam membranarum aut corticis ejus inflammationem, confirmarunt exempla phreniticorum post mortem dissectorum: Sic enim refert RHODIUS *Cent.1. Observat.* 39. phreneticum biduò extinctum, in cujus capite aperto cerebrum & membranæ ejus cum intenso rubore adeò tumebant, ut facilè venæ ab ipsius substantia potuerint separari; & *Observat.*40. Phrenitidem sic dictam à piæ matris inflammatione: Sic etiam NICOLAUS FONTANUS *in Analect. cap.2.* in juvene febre continuâ perniciosâ laborante, symptomatis horrendis stipatâ, ingentem cephalalgiam observavit, accedente vigiliâ & paraphrenitide, ex qua paulatim Phrenitis subnata nullis auxiliis levari potuit, sed furiosus, amens & inquietus, ac insomnis decimo octavo die occubit: resecto cranio cerebrum sine læsione fuit, sed maculis sanguineis undique conspersum, & meninges, in specie pia mater, tumida admodum & sanguine nigriusculo turgens visa fuit, & omnes ejusdem rami per cerebrum dispersi, sanguine congrumato tumidi reperti fuerunt: Sic PAW *Observat. Anat.*8. in cujusdam phrenitide & convulsione mortui cadavere abscessum in cerebello & excisionem duræ matris observavit. Tunc quoque inflammationem membranarum cerebri ejusque corticis adesse suspicio est, quando per metastasin aliarum inflammationum oriuntur Pleuritides, v. g. quando post erysipelas externum, aut post pleuritidem, aut peripneumoniam, aut post anginam subitò evanescentes insequitur Phrenitis, inflammatione partes assuetas saltem mutante: in talibus non dubium est, sanguinem in aliis locis coagulatum, solutum verò denuò, stagnare in membranis cerebri, aut ipso cerebro, & ibidem novam inducere inflammationem. Certum ergò est, subinde in deliriis febrium gravioribus inflammationem cerebri & membranarum, non tamen semper, esse.

Causas quod attinet *remotiores procatarcticas*, à quibus corpus disponitur ad febres acutas, & consequenter harum pedissequas, deliria, vel simplicia, vel phrenetica: ex variæ quidem sunt, omnes tamen coincidunt cum iis, *quæ inferunt sanguini motum impetuosiorem* & febres ardentes: sic v. g. notum est, quod *ætas juvenilis*, *aer æstivus*, *crebrior ebriositas*, & *abusus potuum generosorum*, in specie *vini* & spiritus vini, nos reddant admodum promptos uti ad febres ardentes, ita etiam ad deliria & perfectas Phrenitides, uti hoc ferè videmus in ebriosis: Exempla sanè prostant ubivis ex abusu vini juvenum correptorum phrenitide: sic enim HORSTIUS *lib.2. Observat.*25. phrenitidem post nimiam vini ingurgitationem refert. *Suppressæ quoque sanguinis evacuationes* solennes, uti febres, ita etiam stagnationem sanguinis in cerebro, & Phrenitides subinde inferunt: quâ ratione *ex lochiis* puerperæ non ritè expurgatis Phrenitidem obortam refert HORSTIUS *lib.2. Observat.*25. & *Observat.*26. idem malum ex retentione hæmorrhoidum in viro annotat. Tandem etiam huc *affectus animi graviores* pertinent: quos inter in specie primatum obtinet *ira*, quæ admodum nos disponit ad *febres acutas*, ipsisque coniuncta deliria: Sic phrenitidem ex ira sub mensium fluxu hunc coercente referunt BARTHOLINI *Acta Hafn. Volum.* 2. *pag.* 138. Nam potentes admodum sunt animi affectus, præsertim ira ad inducendas febres ac deliria. Ira enim ipsa per se est febris quasi talis naturalis. Nam in hac sanguis intensiùs effervescit circa præcordia, unde & in hac corpus intensè calet, facies rubore tincta perspicuo. caput dolet, pulsus est frequentior & maior, ex aucta sanguinis fermentatione; Unde non mirum, si superveniat febris cum delirio, aut etiam Phrenitis. *Febres malignæ* quoque, uti monui, sæpissimè conjuncta habent deliria & Phrenitides, tàm in principio, quàm in incremento. Et quidem hæ Phrenitides in febribus malignis supervenire solent interdum citra insignem corporis incalescentiam, aut massæ sanguineæ effervescentiam; unde talia deliria in principio cautum reddant Medicum in instituenda cura, ne perditos reddat ægros. Omnia illa, quæ febres magis acutas excitant, deliria & Phrenitides inferunt; ita tamen ut Phrenitis, quamvis semper cum febre, non tamen semper à febre fit. Notabile est, quod refert PLATERUS *lib.1. Observat. pag.*87. ubi delirans in febre continua uxorem per vim comprimit, mox exspirat; uxor verò mox eodem morbo correpta, licet fuerit sanata, mens tamen nunquam se rectè habuit. Denique gonorrhœa virulenta suppressa Phrenitidem quoque intulit, curatam post universalia per ℥j. Philonii Romani à FONTANO *Curat. & Resp. lib.1. pag.*21.

DIFFERENTIÆ.

Differentias quod attinet: præter has, ut suprà fuit insinuatum, quod *deliria febrilia*, Phrenitis & Paraphrenitis, sint nunc *graviora*, nunc *leviora*, eadem porrò, in *Phrenitide* præprimis, sunt nunc *ridicula*, nunc sunt *feria*. Illa sunt, quando ægri varia absurda, incondita, & minùs cohærentia, cum quadam plus minus hilaritate, interdum & cum risu & aliquali facilitate, proferunt. Serium verò delirium est, quando ægri, quicquid faciunt, quasi aliquantisper irati cum impetu, quodam furore & morositate proferunt varia & incondita, idque non tam inscii, ut videri volunt, quàm quod quasi præmeditato & summo studio facto (κατὰ σπουδῆς) hoc faciant. Quæ *differentia* probè observanda propter effatum HIPPOCRATIS dicentis: Quod *deliria ridicula* sint tutiora & minùs mala, quàm *deliria seria* aut cum jurgiis juncta.

DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* duorum horum deliriorum, Phrenitidis nempe & Paraphrenitidis: primò quidem in febribus necesse est, ut delirium imminens præcognoscatur, ut possimus ejus ferociam præcavere.

Et quidem præsens delirium cuilibet manifestum est, imminens verò, ut præcaveri possit, attendatur.

Imminens autem delirium ferè patet ex quadam garrulitate insolita, & nimia loquendi promptitudine plus minus audaci, & cum ferocia; sicut & imminente delirio insignis mutatio morum adesse solet: ita ut, si is, qui aliàs fuit mitis & facilis in respondendo, fiat nonnihil ferox & temerarius, aut facilè proclivis ad iram; & qui antea fuit compositis moribus, & quietus in lecto, jam fiat inquietus; item si is, qui aliàs est taciturnus, evadat loquax, si corpus indecorè moveat (quod signum mortis certum) si etiam corpus aut membra quædam denudet, si eorum, quæ legerit vel locutus fuerit, subitò obliviscatur, si eundem sermonem sæpiùs citra rationem repetat; item, si vigiliæ aut cephalalgiæ pertinaces adsint, aut saltim somnus admodum interruptus & turbulentus præcesserit, jactitant membra variè, & mille inconcinnitates solent exercere actionibus & sermonibus, in talibus casibus delirium simplex imminere patet.

Quod si verò jam dicta deliria adsint, ægri solent esse morosi, varia incondita loquuntur, fiunt furiosi, ex lectis prosiliunt; accedunt his simul urina primò crassa, mox tenuis, imò diaphana, capitis tactus calidior, item oculi: qui enim, si fiant aliquantisper mobiliores, solito splendidiores & quasi fulgidi & ignei, si fiant quasi rigentes, & aspectus sit nonnihil ferox, *cum adeò rigidè aliquem intuentur*, facilè delirium non leve, sed furiosum infallibile cognoscitur; sunt nempe oculi, uti fenestra animi, ita & corporis: unde etiam oculi nimis fulgidi aut pallidiores, aut pluès minus cornei apparentes, insignem virium prostrationem, spirituum ex defectu, innuunt.

Si in principio morbi acuti de dolore in bulbis oculorum seu ophthalmia conqueruntur ægri, funestissimum signum est; mox enim delirium & convulsiones adsunt; quod sæpiùs observavi.

Colores varii ante oculos apparentes, & objecta peregrino colore vestita, convulsiones, deliria, &c. innuunt. Visitavi aliquando ægrum malignâ febre correptum, licet aliàs benè se haberet, dicebat: me indutum esse pallio & veste cœrulea; imò omnis niger color cœruleus illi videbatur: signum hoc aderat manè, à meridie subsequebantur delirium & convulsiones, & tandem interibat.

Alvi dejectiones & urinæ interdum sine sensu effluunt.

Quod si verò porrò in delirio febrili adsit inflammatio cerebri, vel potiùs membranarum ejus, aut verò tantummodo incalescentia nimia, & fervor ejus ac spirituum, adeòque vera modernorum Phrenitis, hisce ferè modis

modis distingui potest: quod nempe tunc, præter delirium summè ferox, immanis capitis dolor, præprimis circa occiput, adsit in Phrenitide, in qua est inflammatio cerebri, unde hoc sæpiùs fricant, cum respiratione difficili, magna & tarda, quia non percipiunt ægri, cum febre continua & siti nullâ utut hujus causæ adsint. Nam ex natura partis facilè patet, quod dolor sit vehementissimus, cum dura mater cerebri simul sit affecta, quæ est sensibilissima.

Dum autem membrana cerebri, aut corticalis ejus substantia, inflammationem patiuntur, non potest non fieri ardoris sensus: unde est, quod veri Phrenetici soleant evellere capillos, inscii tamen, propter immanem & acutissimum dolorem, quem percipiunt: Item manus perpetuò capiti admovent, & vario ac quasi furioso motu caput agitant hinc inde: propter quos acerbissimos dolores etiam adeò brevis est affectus, cùm non possint superesse spiritus cum immani adeo dolore. Accedunt prætereà interdum convulsiones, idque, quando inflammatio cerebri incipit abire in gangrænam: nam omnis inflammationis finis est gangræna, ubi ferocia remittit, & qui antea ex lecto prosiliebant, subitò fiunt mites, taciturni, oculis clausis prostrati decumbunt, & lethargici evadunt ægri. Adhæc in vera Phrenitide pulsatio adest vehementissima in & circa caput, de qua etiam ante delirium conqueruntur ægri, quę, quanta sit; percipitur, si attentè conspiciatur collum; ibi enim arteriæ carotides quàm impetuosimè pulsant propter sanguinem influentem, sed ob inflammationem in cerebro stagnantem: Unde etiam Hippocrates pulsationes seu arteriam pulsantem in temporibus prænuntium æstimat Phrenitidis imminentis.

PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognosin*: *Phrenitis* omnis malum periculosum est & acutum, imò utplurimum lethale, cùm intra quatuor aut septem dies frequentiùs terminetur ad mortem, raròque ad salutem, nisi in ætate juvenili & temperamento sanguineo per sudorem aut hæmorrhagiam narium criticam solvatur. Magis tamen est periculosum, in qua simpliciter inflammatæ sunt membranæ vel ipsum cerebrum, nisi vires optimè constent; utplurimum moriuntur ægri: minùs periculosum, ubi saltem adest spirituum tantum fervor & sanguinis incalescentia, ut in paraphrenitide & delirio febrili, utpote quæ ex se & per se absque aliis pravis symptomatis & cum signis criticis parum in recessu habent, cùm ordinarium febrium ardentium acutarum & malignarum graviorum symptoma sit.

De cætero, si interdum quædam intervalla habet, melior, quàm in discontinua, observatur: si autem post somnum delirium contingat aut exacerbetur, pessimum est, præprimis si non cum risu, sed cum ferocia, hoc fiat; jocosa verò deliria minus funesta sunt, è quibus ægri facilè evadunt.

Si vires mox sint languidæ in vera phrenitide, si difficilis respiratio, si facies cadaverosa, si oblivio rerum adsit, rigor, si floccos legant ægri, stillicidium narium, signum est lethale, & utplurimum moriuntur ægri.

Quodsi caput sudet particulariter sine alio corporis sudore, in specie, si sudor sit glutinosus & subfrigidus, semper lethale signum est.

Si accedant Phrenitidi convulsiones, vel diuturnæ vigiliæ, aut cephalalgiæ, à quibus jam vires attritæ, aphonia, aut singultus, aut dentium stridor, (quod ex convulsione musculi temporalis provenit) aut vox, lingua & manus tremulæ, aut urinæ minus tinctæ, aut fœcum & urinæ inscia dejectio, hæc semper Phrenitidem lethalem innuunt.

Si febre mitescente delirium non cesset, utplurimum in lethargum, (qui etiam utplurimum lethalis est) maniam aut melancholiam mutatur.

Phrenitis si mutetur in lethargum, aut affectum comatosum, raró curatur, & utplurimum lethalis est; extinctionem enim spirituum animalium ferè innuit: hinc notatu digna est observatio ZACUTI LUSITANI *lib.1. Prax. Admir. Observat.15.* quamvis in illo subjecto somnus non adeò profundus extiterit.

Observandum autem quoad deliria febribus acutis supervenientia: eadem nunc esse symptomatica, speciatim curanda; alia verò esse critica, in quibus naturæ saltem motum observet Medicus, cùm utplurimum hęmorrhagia narium critica insequi soleat; quæ probè distinguenda à symptomaticis, quoniam symptomatica curare debet Medicus, critica verò omninò intacta relinquere, & crisin expectare.

Signa ergo delirii critici, quod utplurimum hęmorrhagia narium sequitur, sunt sequentia: Si coctionis signa appareant in urina, & pulsus sit inęqualis, nonnihil magnus & nonnihil validus; item si tranquillitas quędam in symptomatibus sit in ęgro; si ex oculis splendores videantur elici; si delirium superveniat subitò natam cephalalgiam; item si adsint circa aures murmura, aut strepitus vel sonitus; si nares pruriant; si facies rubeat, & adsit tensio mollis hypochondriorum, ętas sit juvenilis, & forsan aliàs ęger consuetus sit sanguinem per nares excernere: Vid. SENNERTUS *in Instit. ubi de sign. criseos*. In tali delirio caveat Medicus, ne istud solvat, quia est motus naturę, & imminet crisis.

Quoad delirium criticum, cui, ut dixi, hęmorrhagia narium utplurimum succedit; & tale delirium est salutare & saluberrimum; reliqua symptomata semper sunt suspecta. Reliqua verò, quę apparent cum signis cruditatis, diuturnis vigiliis & pulsu malo, sunt symptomatica.

NB. Rariùs apud nos crises contingunt.

CURA.

In *Cura* deliriorum, tàm simplicium quàm phreneticorum, ante omnia

I. Sanguinis turgescentia febrilis compescenda, imprimis sanguinem evacuando, & ejus stagnationem, & inde natam cerebri membranarum inflammationem in phrenitide vera, resolvendo ac maturę discutiendo.

2. Inde natus spirituum fervor, & impetuosus ac perversus motus, figentibus nonnihil, tam internis quàm externis, compescendus est & sistendus. Adeòque cùm delirium saltem sit symptoma in his febribus, unde principali morbo curato, nempe febre, ipsum delirium evanescit sponte, & hujus ratione saltem anodyna interna, & hinc varia externa saltem conveniunt.

Aliàs eadem ferè febrium cum deliriis conjunctarum, ipsarumque Phrenitidum, curandi est ratio, quæ *esse solet in aliis febribus acutis*, *in specie cum* inflammatione conjunctis. Delirium autem si criticum fuerit, vix peculiarem indicationem habet.

Pro ritè instituenda Cura observandum:

I. Ut sibi caveat Medicus, imprimis junior, ne ad ebrium vocatus ejus ceu morbo delirioso correpti aut phrenetici curationem instituat, ut aliquando factum fuisse ab incautis Medicis observatum fuit: (vid. BARTHOLETUS, & HENRICUS *ab* HEER,) ne hac occasione se risui exponat ignavo, popello.

II. Quod cum phrenitide & deliriis efferus sit spirituum motus, hinc somnus deficiat, seu agrypnia & cephalalgia adsit, quæ delirium admodum exasperant, subinde blandis anodynis, & hypnoticis plus minus narcoticis utendum erit, idque tàm in medicamentis internis, quàm externis. Cautè autem usurpentur talia internè, in specie opiata: Nam si opiata non sistant spiritus, eorumque motum compescant, potiùs delirium gravius reddunt, cùm ipsum opium somnia turbulenta & truculenta inducat. Sin verò narcoticis nimis continuatis spiritus nimis figantur, metus est, ne ægrum sopiendo idem non possit amplius exsuscitari, aut metus est, ne per opiata phrenitis in lethargum transmutetur. Cùm enim spiritus in Phrenitide sint admodum volatiles & subtiles, & simul propter motum continuum auctum pauci, obid facilè ex narcoticorum dosi aucta permutari in lethargum seu carum potest, quæ mutatio est periculosissima. Certum est, quod opiata legitimè adhibita sint magna remedia, & quæ optimo cum successu in deliriis febrilibus usurpantur; verùm si opiata tempore non opportuno, aut non legitimè parata, adhibeantur, plus nocent, quàm prosunt.

In eorum ergò usu observetur:

1. Quod pro usu febrili legitimè præparanda sint, in morbis quidem hujusmodi ardentibus & acutis cum Acidis, nempe aceto.
2. Ratione temporis adhibeantur opiata non nimis tardè, sed maturè, nempe in incremento morbi, dum æger pertinaciùs vigilat, & delirium imminet; melius enim est, tempore vigiliarum, quàm delirii, adhibere narcotica. Non adhibeantur statim in principio, neque statu morbi: quia in principio morbi turbant naturæ motum; in statu verò

eorum

eorum usus frustraneus & magis adhuc nocivus est, dum somnum non inducunt, delirium ingravescit.

3. Nec viribus jamdum fractis, ne veternum similesque affectus comatosos excitent: vid. RIVERIUS *Prax. lib.1. cap.13.* & WILLISIUS *de Anima Brutor. lib.2. cap.10.* quamvis etiam septimo delirii die ZACUTUS LUSITANUS Philonium Romanum cum successu se dedisse *lib.1. Prax. Admir. Observat. 16.* perhibeat.

4. Ut his Opiatis semper addantur appropriata, diaphoretica, & bezoardica, v. g. antimonialia fixa, cinnabaris antimonii, antimonium diaphoreticum, bezoardicum Joviale, cranium humanum, &c. non tantùm, quod in talibus febribus dolorosis, ipsaque phrenitide, sæpiùs subsit malignitas, sed etiam, quia blandâ diaphoresi concitata effervescentia sanguinis febrilis insigniter placatur & mitigatur. Unde etiam per consequens talibus ipsa Phrenitis non rarò tollitur.

III. Observandum, quod in delirio phrenitico ante omnia larga *venæsectio* sit instituenda, quò citius, eò melius, nisi tempus & conditio febris, v. g. malignitas juncta, illam inhibeat: cùm è contrà, si febris symptomatica, semper locum habeat. Si ergò fuerit febris ardens phrenetica absque insigniore malignitate, optimè convenit hæc ipsa; aut licèt adsit malignitas, illa etiam in principio, imò sine tanto periculo, commodè potest secari vena. Larga autem sit venæ sectio, cùm morbus sit peracutus, vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib.1. de Medic. Princip. Histor.10.* ut hoc medio acquiramus occasionem meliùs adhibendi remedium, ne in pejus malum cedat. In specie in inflammatoria plus minus constitutione membranarum cerebri larga sit venæsectio, autore LINDANO, qui refert: *suum parentem cum D. TULPIO viro cuidam phrenetico prima die uncias triginta sex sanguinis emisisse, tertia die totidem, & quarto die uncias viginti quinque; sic enim*, inquit, *Medicus, si adest furor, Medicum se præstare debet.*

Verùm in ipsa venæsectione quoad locum est notandum:

1. Quod si forsan præcesserit suppressa quædam sanguinis evacuatio, ut in puerperis, in partibus inferioribus, nempe in talo, & postmodum in brachio secanda sit vena; sicuti in genere in Phrenitide, si repetenda fuerit, in quocunque casu primò vena poplitea pro revulsione, hinc in brachio pro aversione, imò tandem in fronte pro derivatione, commodè celebretur: quamvis si necessitas urgeat, & ubi in extremis commodè venam secare non licèt, statim ad venæ frontis similiumque vicinarum aperturam transire liceat: vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib.1. de Med. Princ. Hist.10. Observ. 12.* & *lib.1. Prax. Admir. Obs.13.* ac RIVERIUS *loco all.* De arteriotomiæ temporum usu in phreneticis multùm laudato vid. PANAROLUS *Pent.1. obs.30.* Loco venæ frontis forsan cucurbitulæ scarificatæ locum habent, quâ syncipiti admota Phrenitidem confirmatam curavit Zacutus Lusitanus *lib.1. Prax. Admir. obs.11.* Observandum ulterius,

2. Quod tempore venæsectionis Medicus ponat manum super carpum ægri, ut ex pulsu cognoscat, quando forsan sit sufficiens sanguinis evacuatio; item ut ex pulsu cognoscat, an æger sit animo defecturus? & magis vel minus ferat sanguinis evacuationem?

3. In ipsa sanguinis evacuatione subindè digito foramen obturandum est, denuo aperiendum ac denuò obturandum, bis vel ter repetendo, donec sufficiens sanguinis quantitas sit extravasata; sic enim cum meliori euphoria & minori ægri debilitate sanguis evacuatur.

IV. Observandum: In topicis seu externis, utut aliquanti sper aceti addere quibusdam placeat; tamen non nimium ejus addendum, quoniam odoratu suo acri somnum impedit, & vigilias & agrypnias auget, utut somnus ad deliria sistenda optimus sit. Unde etiam nimis gravia odorata in externis sunt vitanda, ne talibus volatilibus augeatur Phrenitis propter continuam spirituum incitationem, utut camphora videatur excipienda, quæ in deliriis quibusvis, præsertim febrilibus, tàm interno quàm externo usu, singulare quid obtinet.

Medicamenta ergò, quæ conveniunt in cura deliriorum febrilium, ac ipsa adeò Phrenitide, non sunt adeò prægnantia, quia deliratio est symptoma superveniens morbis: Unde patet, quod morbo primario curato, delirium sponte cesset, & quod saltem delirium, quà tale, opiata internè & externè, ut & refrigerantia, imminuat: ipse verò morbus primarius, nempe febris ardens, aut benigna aut maligna, aut inflammatio cerebri, methodo ordinaria curandus sit. Adeòque conveniunt sudorifera & diaphoretica, v. g. bezoardica, sulphurea, antimonialia, cinnabarina, item succi vegetabilium subacidi, granatorum, ribium & berberum; Porrò serum lactis, & cum eo parati *Julebi*; item aqua anagallidis, aqua verbenæ, aqua nymphææ, papaver erraticum, & omnia ex eodem remedia: v. g.

℞. *Aquæ Anagallid.*
Portulac.
Nymph. an. ℥iß.
Syr. Nymph.
Papav. simpl. an. ℥vj.
M. S.
Potio refrigerans.

Item conveniunt *spiritus acidi minerales* vitrioli, salis, sulphuris; in specie *spiritus nitri dulcis*, & spiritus salis dulcis, Tinctura papaveris rhœados &c. compescit effervescentiam sanguinis, figitque parumper sanguinem ob vitrioli phlegma, quod BASILIUS VALENTINUS spiritum cœlestem vocat. HELMONT. varia ex hoc phlegmate habet. Item *camphora* cum aliis, imprimis cum nitro, propinatur commodè. Hæc enim licet sit volatilissimum & penetrantissimum remedium, tamen virtute quadam singulari spirituum nonnihil fixativa & narcotica pollet, unde etiam tam egregiè in Phrenitide curanda cum aliis externè & internè convenit. Internè præscribitur unà cum opio in potionibus sudoriferis; sed tunc opii dosis nonnihil imminuenda, quando simul præscribitur camphora, quod ego ita semper observo: e. g.

℞. *Conf. flor. papav. err. vitriolat.* ʒß.
Laud. opiat. Lang. gr. j.
Camph. gr. ij.
M. D. S.
Compescens saccharum vespertinum.

Externè epithematibus & frontalibus commodè etiam additur. Saccharum Saturni cum spiritu nitri factum, & medicamenta similia saturnina similiter commendantur ad phrenitidem. *Mixtura* ulterius *simplex tinctura bezoardica*, uti etiam *nitrum antimoniatum* largiter in potu ordinario dissolutum, frequenti in usu esse solent. Hisce addatur tanquam singulare specificum *herba* & *flores anagallidis flore phœniceo*, usu interno & externo ad deliria febrium admodum commendata; de qua vid. GABELCHOVERTS *Cent.6. Curat.13.* qui refert, quod sit in febribus phreniticis & paraphreneticis experientia frequenti compertum remedium: habet decoctum anagallidis flore rubeo: præcipit ut manipuli duo *anagallidis* hujus decoquantur in *vini* & *aquæ* ana mensurâ semis, ad consumptionem tertiæ partis, de quo decocto manè & vesperi detur bonus haustus; simulque fiat ex ista planta sacculus interpassatus, similiter in prædicto decocto humectandus, & ita suturæ coronali extrinsecùs applicandus; ubi exsiccatus fuerit, denuò humectetur. Confirmat hoc HILDESHEIM *in suo spicileg.* qui ad deliria febrilia & phrenitica commendat hoc decoctum:

℞. *Herb. Anagall. cum flore* M. ij.
Coron. cap. papav. albi No. xx.

Hæc contusa invicem coquenda dicit in ℥xvj. *vini Malvatici* & *Rhenani* ad casum ℥vi. colaturam fortissima expressione trajicit, & pro duabus vicibus hauriendam propinat *in Spicileg.2. pag.150.*

Existimarem tamen, generosum hunc nimis esse potum: propterea aquam simplicem cum pauco vino Rhenano acuatam potius seligerem.

Post anagallidem etiam est lactuca, nymphæa, sedum majus; item semina quatuor frigida majora, & papaveris, & exinde paratæ emulsiones: e. g.

℞. *Sem. 4. frig. mai.* an. ℥iß.
Papav. alb. ʒiij.
Cum s. q. *aquæ Portulac.* f. Emulsio:
cui adde
Cran. hum. sine igne ʒß.
Bezoard. miner. ʒj.
Syr. Portulac. ℥ß.

M. D.

M. D. S.
Emulsio bezoardica pro aliquot dosibus.

Sed juxta hæc primatum obtinent *opiata* legitimè applicata, quæ delirii respectu sunt convenientissima; quò pertinet syrupus papaveris albi, qui est magis usitatus, quàm de papavere nigro, emulsiones papaverinæ, & laudanum opiatum. BARTHOLETUS non immeritò commendat essentiam opii cum spiritu vitrioli volatili paratam. Veteres in usu habuerunt Philonium Romanum, syrupos diacodion, Requiem Nicolai, & similia; loco quorum nos hodie Laudanis opiatis utimur. HORSTIUS aliquando curavit Phrenitidem post vini generosioris abusum per potionem narcoticam ex unciis duabus syrupi papaveris, aliis additis, idque jam die sexto, uti refert *lib.2. Observat.12.* Pariter atque FONTANUS *in Cur. & Respons. lib.1. pag.20.* refert juvenem viginti duorum annorum ex gonorrhœa virulenta Phrenitide correptum, qui post universalia remedia per drachmam unam Philonii Romani fuit curatus. Præscribi ergo potest in *Phrenitide* speciatim *maligna* sequens pulvis:

℞. *Cinnab. antimonii* gr.xij. ad xv.
Bezoard. Lunar. gr.vj. vel viij.
Laud. opiat.
Camph. an. gr.j. vel gr.iß.
(vel *laud. opiat.* gr.j.
Camph. gr.ii.)
M. f. pulvis:
Dentur 2. doses: S.
Pulvis cephalicus bezoardicus.

Propinetur in decocto Anagallidis rubræ, vel in aqua anagallidis, aut in emulsione tenui seminis papaveris albi, parata cum aqua anagallidis, nymphæ, hyperici, & similibus. Item

℞. *Specif. cephal.* ℈j.
Sacch. Saturni gr.vi.
Camph. gr.ii.
Laud. opiat. gr.iß.
M. f. pulvis: S.
ut antè.

Juxta hæc simul pro scopo alterativo & Julebi aciduli, in specie spiritus nitri dulcis, propinantur, dum effervescentiam sanguinis compescunt; quibus pro alvo reseranda, si adsit obstructa, commodè tamarindi incoqui possunt, quia laxant blandè, & simul sanguinis effervescentiam plus minus compescunt. Revulsionis scopo etiam cæteris paribus satisfacerent clysteres, modò eosdem applicare commodè liceret.

Inter *Externa* pro revulsionis scopo commendantur admodum *cataplasmata* plantis pedum admovenda ex ruta, chamomilla, verbena, radice bryoniæ, & sapone; vel cataplasma ex raphano, sale, & fermento cum aceto acerrimo *l.1.* in delirio febrili præscriptum; item *sedum majus* contusum & instar *cataplasmatis* cum *aceto* spinæ dorsi, plantis pedum, & testibus applicatum.

Vel

℞. *Succ. sempervio. mai. rec. expreß.* ℥vj.
Acet. vini acerr. ℥iß.
Nitri ℨij.
Camph. ℨß.
M. pro Epithemate,
Plantis pedum & testibus applicando:
D. S.
Epithema externum.

Item commendantur pedum lotiones à MERCATO commendatæ, aut vesicatoria brachiis aut cruribus admota. Discutiendo operantur *cataplasmata* ex *portulaca* ac sempervivo recentibus & *rosis*, similibusque refrigerantibus, capiti raso, fronti & temporibus largiter imposita; quibus etiam nonnulli addunt nympheam, chamomillam, & melilotum. BARTHOLETUS *Tr. de Dyspn.* in graviori delirio quasi phrenitico commendat carnem cucurbitæ contusam, & abraso capiti impositam, quâ præter omnem spem desperatus phreniticus fuit curatus: Facit etiam huc observatio BORELLI *Cent.4. Observat.94.* de rustico, qui alterum phreneticum per taleolas cucurbitæ capiti impositas curavit: Confirmant etiam hæc, quæ habet GABELCHOVERUS *Cent.3. Curat.23. in schol.* quod scilicèt, si excavetur cucurbita per medium dissecta, & in utramque cavitatem æger immittat pedem ad tempus, idque cum cucurbita recenti tribus vicibus repetatur, tollat insigniter & fervorem febrilem, & etiam ipsum delirium phreneticum. Commodè etiam plantis pedum & sincipiti admoveri potest cataplasma & epithema ex sedo majori & aceto superiùs laudatum, quia fervorem cerebri, & spirituum motum, adeòque delirium blandè demulcet; sed detrahatur, quando æger incipit dormire. RIVERIUS *lib.1. Prax. cap.12.* commendat cum lacte muliebri Epithema fronti admovendum, conducit ex mastiche & myrrha cum tinctura santali; vid. descriptionem in RIVERIO *loc. alleg. pag.117.* Decoctum radicis mandragoræ & hyoscyami, cum similibus externè appicatum tepidè fronti, commendatur ceu expertum à ZACUTO LUSITANO. Egregius quoque est *succus cancrorum fluviatilium* vivorum recenter expressus, qui ad imitationem RULANDI sub epithematis forma largiter fronti applicatus mirificè confert: Sicuti idem RULANDUS sequens *epithema* compositum de opio cum linteis duplicatis temporibus utiliter admovet:

℞. *Aquæ Rosar.* ℥ii.
Opii ℨj.
Croci ℈ß.
Misc. pro Epithemate.

Cum linteis duplicatis tepidè fronti admovetur. Nam sic blando conciliato somno mens redit.

Vel fiat epithema ad imitationem HARTMANNI *Prax. cap 8. §.4.* ubi & alia externa opiata præscribuntur. BARTHOLETUS commendat usum aquæ spermatis ranarum extrinsecùs applicatum (& credo, quod sperma ranarum, ejusque ritè destillata aqua, sit potens remedium fronti & temporibus crebrò applicatum.) Potentius est, si misceatur cum succo cancrorum fluviatilium, addendo opium & camphoram, ut fiat epithema cephalicum compositum, ad imitationem RULANDI, quod credo non futurum inelegans hoc modo:

℞. *Sperm. ranar. per transcolat.* vel *aquæ sper. ranar.* ℨvj. vel viij.
Succ. cancr. fluv. rec. expr. ℥ij. iij. vel iv.
Opii aceto solut. ℨß. ad ℈ij.
Camph.
Croci an. gr.vj. viij. vel ℈ß.
M. pro Epithemate.
D. S. ut suprà.

Vel

℞. *Succ. cancr. fluv. cum aqua sperm. ran.* par. ℥vi.
Acet. rosac. ℥ii.
Theriac. Androm. ℨii.
Camph. ℈ß.
Croci gr.vi.
M. pro Epithemate.
D. S. ut suprà.

Tepidè vel subfrigidè sincipiti, fronti, ac temporibus admoveatur.

Veteribus in cura Phrenitidis frequenti & felici in usu fuit, animalcula viva, v.g. anseres, anates, catellos, gallinas, *columbas* aut palumbes, per medium dissecta, & ita cruenta ac calida sincipiti aut toti capiti raso applicare: conf. HARTMANNUS *cit. loc. §.7.* quæ remedii ratio è schola GALENI ad nos dimanavit; nihilominus tamen jam apud nos ferè in desuetudinem abiit. LINDANUS interim dicit; hoc *remedium esse inæstimabile* ad curandam Phrenitidem, qui curat phreniticos sanguinem mittendo primùm, hinc propinando sub noctem opium præparatum, vel uncias duas syrupi papaveris: Tum adhibet columbam viventem, vel gallum viventem, vel catellum vivum; quæ animalia secat per pectus, & statim cum omnibus interraneis ita applicat capiti, si fieri potest, raso. Et applicato ita animalculo imponuntur lintea, vel culcitra, ne subitò cesset omnis calor: mirum, dicit, quantum iuvent hæc animalcula; in quo etiam consentit HARTMANNUS *cit. loc.* Remoto uno, post hoc subitò applicetur aliud, idque aliquoties repetatur, donec dolor cesset, & ipsum delirium imminuatur. Dicit, si per horam relinquatur, & postmodum removeatur, horrendum emergere fœtorem ex animali applicato, ut necesse sit, subitò immergere in aquas propter fœtorem intensissimum. Animalia verò illa non statim in principio admoveantur ubi affluxum potiùs augerent. Præter hæc & similia observanda sunt ea, quæ aliàs conveniunt in febribus ardentibus.

Fit interdum, ut phrenitici non percipientes urinæ stimu-

stimulum, continuò eandem retineant non absque nocumento. In tali casu impositæ perinæo cepæ coctæ cum pinguedine anserina urinam provocant: Aut

℞. *Fol. Parietar.* M ij.
Herb. Petrosel. cum rad. M. j.
f. decoctio cum aqua:
Pulpæ contusæ
adde
Olei scorp. ℥ij.
Et ita f. Cataplasma pro pube.
D. S.
Urinam provocans epithema.

Post fotum:
℞. *Pingu. Cunic.* vel *Ungu. dialth.* ℥j.
Olei Scorpion. ℨß.
M. S.
Urinam provocans unguentum.

Illinatur, quod solum etiam sine Cataplasmate adhibetur.

Absolvimus Phrenitidem & deliria à causa interna cum febre: Pergo jam ad reliquas deliriorum species, & imprimis quidem à causa interna oriundas, sed *sine febre*; nam de deliriis à causa externa alio tempore.

MEMBRUM II.

DE

DELIRIIS MELANCHOLICIS.

Deliria hæc vulgò generali nomine Deliria Melancholica appellantur; eàque vel simpliciter talia & mitiora; vel in summo gradu maniaca seu graviora; & per se absque febre affligere solent, aut saltem in paroxysmo graviore aliquid febrile subesse videtur, dum pulsum celeriorem & frequentiorem habent, æstuationibus corporis vagis & capitis, in specie incalescentia, vexantur, sitis tamen nulla adest, nec propriè febris dici potest, quanquam FORESTUS *Observat. lib. 10. Observat. 7. in schol.* Melancholicorum febricitantium exempla describat.

De his ante omnia observetur; *aliud esse melancholicum affectum seu Melancholiam, & aliud esse Delirium Melancholicum:* quæ non confundenda; Rectè enim hæc duo distinguit STEPHANUS *in Oper. Med. Comment. de Morbis virg. pag. 41.* & exactè observanda monet. Nam affectus melancholicus seu Melancholia est, quando homo fit nonnihil mœstus & morosus, cum omnium ferè rerum aliàs gratarum abominatione, quin subinde facilè irascatur, & quidem sine manifesta causa, si ipsi nihil arridet, si tristis & cogitabundus est, sine occasione externa; item quando interdum facilè terretur, quando citra manifestam causam angustias & anxietates quasdam circa præcordia percipit, & quasi rei gravissimæ perpetratæ sibi conscius esset, & similes cogitationes oriuntur; dicunt: *Cœlum & terram ipsis angusta esse, sentire cordis gravitatem, neque scire, quid sibi velit.* Hæc & similia sunt propriè Melancholia seu affectus Melancholicus.

Postmodum verò, ubi talibus subiectis supervenit tandem phantasma, constituit *Delirium Melancholicum*, & dat delirantem ex Melancholia, quod est *morbus secundarius*, ex causa externa sæpissimè proveniens; affectus verò ipse Melancholicus est morbus *primarius*, fomitem habens utplurimum internum. Scilicet aliud est ipse affectus, & aliud est ipsi adjunctum seu superveniens Delirium, occasionem utplurimum externam agnoscens. Videmus hoc in nobis ipsis, quando nempe hyberno tempore ex tempestate obscura nubilosa humida & ingrata reddimur Melancholici, anxii & tristes sumus, sentimus gravamen quoddam non bene explicabile, facilè irascimur, est sanè hic affectus à causa externa, ex mutatione tempestatum oriundus, & quasi affectus Melancholicus naturalis; ad cujus imitationem quidam à causa interna fiunt morbosè Melancholici, quibus Delirium Melancholicum supervenit, pro varietate objectorum, phantasmatum ac symptomatum varium: Nempe aliud est *amorosum seu eroticum*, aliud *ridiculum*, aliud *rabiosum*, aliud *Melancholico maniacum desperabundum, meticulosum*, &c.

Melancholia hæc *sine delirio* simpliciter solet vocari apud Practicos *perturbatio mentis*, quæ perturbationes mentis Melancholicæ satis sunt frequentes, ita ut adhuc recta ratio sine delirio constet: Sic PLATERUS observat talem animi perturbationem in muliere, quæ subinde stimulabatur, ut interficeret infantem; erat tamen adhuc compos rectæ rationis, & resistebat istis cogitationibus. Et hæc est *perturbatio Melancholica, non verò perfectum delirium:* sicuti talis animi perturbatio est, quod idem refert PLATERUS de quadam muliere, quæ subinde impellebatur ad maledicendum Deo; ipsa verò sana rectâ ratione resistebat his cogitationibus malis, adeòque erat tantùm perturbatio animi, non verò Delirium Melancholicum. His ergò *taliter constitutis citra manifestam causam, si interdum tandem superveniat Delirium, hi ipsi rectè Delirio Melancholico dicuntur* affligi.

Dicitur Melancholia & delirium Melancholicum, non quod semper cum mœrore & tristitia conjunctum sit, ut vulgò equidem volunt, & falsò; (nam etiam dantur Deliria ridicula, in quibus admodum sunt læti & hilares ægrotantes) sed propterea dicitur Melancholicum, quod oriri dicatur ab humore Melancholico secundùm Veteres, id est vitioso acido fixo.

Verùm Varia Melancholicorum delirantium sunt exempla, admodum inter se diversa, omnia tamen quoad Theoriam in certis quibusdam punctis fundamentalibus, in quibus radix consistit, conveniunt. Et

I. Quoad Theoriam quidem, quod in omnibus delirantibus & Melancholicis talibus observetur cogitatio & meditatio intensa & assidua, defixa in uno saltem objecto; utut interdum aliquot objecta ordine sibi invicem succedant, à quibus unum Delirium diversimodè variatur, circa eadem tamen objecta occupata continuò videbitur, ut *infrà* ex exemplis constabit.

II. Omnes tales ægri timidi, anxiosi nonnihil, & quasi in angustiis constituti videntur, adeòque quæcunque vident vel audiunt, sibi pejora & periculosiora persuadent: & licet interdum videantur esse ridentes, hilares & læti, v. g. quando quis putat, se esse divitem; nihilominus tamen non est reverà hilaritas, non verum gaudium, sed potiùs est apparens, & aliquid conjunctum cum risu sardonico; estque hæc hilaritas tantum transitoria, & facilè succedit novus mœror & præcordiorum anxietas, sine causa iterum torvum vident, & parum aut nihil omninò dormiunt, imò licet etiam Principes & Monarchas magnos se concipiant, adeòque fastuosi potiùs videantur, anguntur nihilominus cultu & veneratione ipsis denegata. Rectè itaque ARETÆUS *lib. 1. de Caus. & sign. Morb. diuturn. cap. 5.* describit Melancholiam, quod sit animi angor in una cogitatione defixus atque inhærens, absque febre & furore, à phantasmate Melancholico ortus.

III. Omnes somnum admodum paucum & turbulentum satis patiuntur, & cum insomniis gravioribus, ita ut experientia testetur, quosdam in malo inveterato plures non saltem noctes, sed septimanas & annos quoque, insomnes transegisse; aut si capiant somnum, turbulentus is est, cum turbulentis insomniis, adeòque cum terrore evigilant.

IV. In hoc conveniunt ferè omnes, quod Deliria subinde remittant, ita ut recta ratio restituta denuò videatur; subindè tamen vel pro diversitate causarum internarum, v. g. fluxus menstrui imminentis, vel externarum, scilicèt sub mutationibus tempestatum insignioribus, vel ex lunæ motibus, vel mutatione temporum anni, vel etiam, idque sæpissimè ex gravioribus animi pathematis, subinde recurrunt & recidivant.

V. Quoad Praxin, in hoc conveniunt Melancholici inter se, quod malum sit contumacissimum, & nulli ferè cedat arti, quin interdum citra adjumentum Medici, & quidem in ejusdem dedecus, sponte non rarò remittat; idque imprimis per insignem quandam in diæta mutationem, v. g. aëris, victus, motus corporis, &c.

VI. Quod in iis non tàm ad caput, quàm massam sanguineam, & imprimis ad viscera abdominis in hypochondriis sita, sit respiciendum, quoad curationis fundamentum. In hypochondriis enim semper nidus & fomes morbi Melancholici est, supervenientibus tandem Deliriis; Unde à vomitoriis imprimis curatio & inchoanda & persequenda: Imò non dari puto Delirium Melancholicum absque Melancholia hypochondriaca, quæ non habeat fomitem in hypochondriis. Sicut enim Pica, quæ est Delirium mulierum picantium, idcircò objectum aliquod fomitem in stomacho habens; ita etiam Deliria-Melancholica habent utplurimum interdum sedem in hypochondriis & primis viis. Hinc etiam primariò cura per vomitoria instituenda est; nam

M. D. S.

Emulsio bezoardica pro aliquot dosibus.

Sed juxta hæc primatum obtinent *opiata* legitimè applicata, quæ delirii respectu sunt convenientissima; quò pertinet syrupus papaveris albi, qui est magis usitatus, quàm de papavere nigro, emulsiones papaverinæ, & laudanum opiatum. BARTHOLETUS non immeritò commendat essentiam opii cum spiritu vitrioli volatili paratam. Veteres in usu habuerunt Philonium Romanum, syrupos diacodion, Requiem Nicolai, & similia; loco quorum nos hodie Laudanis opiatis utimur. HORSTIUS aliquando curavit Phrenitidem post vini generosioris abusum per potionem narcoticam ex unciis duabus syrupi papaveris, aliis additis, idque jam die sexto, uti refert *lib.2. Observat.12.* Pariter atque FONTANUS *in Cur. & Respons. lib.1. pag.20.* refert juvenem viginti duorum annorum ex gonorrhœa virulenta Phrenitide correptum, qui post universalia remedia per drachmam unam Philonii Romani fuit curatus. Præscribi ergo potest in *Phrenitide* speciatim *maligna* sequens pulvis:

℞. *Cinnab. antimonii* gr.xij. ad xv.
Bezoard. Lunar. gr.vj. vel viij.
Laud. opiat.
Camph. an. gr.j. vel gr.iß.
(vel *laud. opiat.* gr.j.
Camph. gr.ii.)
M. f. pulvis:
Dentur 2. doses: S.
Pulvis cephalicus bezoardicus.

Propinetur in decocto Anagallidis rubræ, vel in aqua anagallidis, aut in emulsione tenui seminis papaveris albi, parata cum aqua anagallidis, nymphææ, hyperici, & similibus. Item

℞. *Specif. cephal.* ℈j.
Sacch. Saturni gr.vi.
Camph. gr.ii.
Laud. opiat. gr.iß.
M. f. pulvis: S.
ut antè.

Juxta hæc simul pro scopo alterativo & Julebi aciduli, in specie spiritus nitri dulcis, propinantur, dum effervescentiam sanguinis compescunt; quibus pro alvo referanda, si adsit obstructa, commodè tamarindi incoqui possunt, quia laxant blandè, & simul sanguinis effervescentiam plus minus compescunt. Revulsionis scopo etiam cæteris paribus satisfacerent clysteres, modò eosdem applicare commodè liceret.

Inter *Externa* pro revulsionis scopo commendantur admodum *cataplasmata* plantis pedum admovenda ex ruta, chamomilla, verbena, radice bryoniæ, & sapone; vel cataplasma ex raphano, sale, & fermento cum aceto acerrimo *l.1.* in delirio febrili præscriptum; item *sedum maius* contusum & instar *cataplasmatis* cum *aceto* spinæ dorsi, plantis pedum, & testibus applicatum.

Vel

℞. *Succ. sempervív. mai. rec. expreß.* ℥vj.
Acet. vini acerr. ℥iß.
Nitri ʒij.
Camph. ʒß.
M. pro Epithemate,
Plantis pedum & testibus applicando:
D. S.
Epithema externum.

Item commendantur pedum lotiones à MERCATO commendatæ, aut vesicatoria brachiis aut cruribus admota. Discutiendo operantur *cataplasmata* ex *portulaca* ac sempervivo recentibus & *rosis*, similibusque refrigerantibus, capiti raso, fronti & temporibus largiter imposita; quibus etiam nonnulli addunt nympheam, chamomillam, & melilotum. BARTHOLETUS *Tr. de Dyspn.* in graviori delirio quasi phrenitico commendat carnem cucurbitæ contusam, & abraso capiti impositam, quâ præter omnem spem desperatus phreniticus fuit curatus: Facit etiam huc observatio BORELLI *Cent.4. Observat.94.* de rustico, qui alterum phreneticum per taleolas cucurbitæ capiti impositas curavit: Confirmant etiam hæc, quæ habet GABELCHOVERUS *Cent.3. Curat.23. in schol.* quod scilicèt, si excavetur cucurbita per medium dissecta, & in utramque cavitatem æger immittat pedem ad tempus, idque cum cucurbita recenti tribus vicibus repetatur, tollat insigniter & fervorem febrilem, & etiam ipsum delirium phreneticum. Commodè etiam plantis pedum & sincipiti admoveri potest cataplasma & epithema ex sedo majori & aceto superiùs laudatum, quia fervorem cerebri, & spirituum motum, adeòque delirium blandè demulcet; sed detrahatur, quando æger incipit dormire. RIVERIUS *lib.1. Prax. cap.12.* commendat cum lacte muliebri Epithema fronti admovendum, conducit ex mastiche & myrrha cum tinctura santali; vid. descriptionem in RIVERIO *loc. alleg. pag.117.* Decoctum radicis mandragoræ & hyoscyami, cum similibus externè appicatum tepidè fronti, commendatur ceu expertum à ZACUTO LUSITANO. Egregius quoque est *succus cancrorum fluviatilium* vivorum recenter expressus, qui ad imitationem RULANDI sub epithematis forma largiter fronti applicatus mirificè confert: Sicuti idem RULANDUS sequens *epithema* compositum de opio cum linteis duplicatis temporibus utiliter admovet:

℞. *Aqua Rosar.* ℥x.
Opii ʒj.
Croci ℈ß.
Misc. pro Epithemate.

Cum linteis duplicatis tepidè fronti admovetur. Nam sic blando conciliato somno mens redit.

Vel fiat epithema ad imitationem HARTMANNI *Prax. cap 8. §.4.* ubi & alia externa opiata præscribuntur. BARTHOLETUS commendat usum aquæ spermatis ranarum extrinsecùs applicatum (& credo, quod sperma ranarum, ejusque ritè destillata aqua, sit potens remedium fronti & temporibus crebrò applicatum.) Potentius est, si misceatur cum succo cancrorum fluviatilium, addendo opium & camphoram, ut fiat epithema cephalicum compositum, ad imitationem RULANDI, quod credo non futurum ineleganshoc modo:

℞. *Sperm. ranar. per transcolat.* vel *aquæ sper. ranar.* ℥vj. vel viij.
Succ. cancr. fluv. rec. expr. ℥ij. iij. vel iv.
Opii aceto solut. ʒß. ad ℈ij.
Camph.
Croci an. gr.vj. viij. vel ℈ß.
M. pro Epithemate.
D. S. ut suprà.

Vel

℞. *Succ. cancr. fluv. cum aqua sperm. ran. par.* ℥vi.
Acet. rosac. ℥ii.
Theriac. Androm. ʒii.
Camph. ℈ß.
Croci gr.vi.
M. pro Epithemate.
D. S. ut suprà.

Tepidè vel subfrigidè sincipiti, fronti, ac temporibus admoveatur.

Veteribus in cura Phrenitidis frequenti & felici in usu fuit, animalcula viva, v.g. anseres, anates, catellos, gallinas, *columbas* aut palumbes, per medium dissecta, & ita cruenta ac calida sincipiti aut toti capiti raso applicare: conf. HARTMANNUS *cit. loc. §.7.* quæ remedii ratio è schola GALENI ad nos dimanavit; nihilominus tamen iam apud nos ferè in desuetudinem abiit. LINDANUS interim dicit; hoc *remedium esse inæstimabile* ad curandam Phrenitidem, qui curat phreniticos sanguinem mittendo primùm, hinc propinando sub noctem opium præparatum, vel uncias duas syrupi papaveris: Tum adhibet columbam viventem, vel gallum viventem, vel catellum vivum; quæ animalia secat per pectus, & statim cum omnibus interraneis ita applicat capiti, si fieri potest, raso. Et applicato ita animalculo imponuntur lintea, vel culcitra, ne subitò cesset omnis calor: mirum, dicit, quantum iuvent hæc animalcula; in quo etiam consentit HARTMANNUS *cit. loc.* Remoto uno, post hoc subitò applicetur aliud, idque aliquoties repetatur, donec dolor cesset, & ipsum delirium imminuatur. Dicit, si per horam relinquatur, & postmodum removeatur, horrendum emergere fœtorem ex animali applicato, ut necesse sit, subitò immergere in aquas propter fœtorem intensissimum. Animalia verò illa non statim in principio admoveantur ubi affluxum potiùs augerent. Præter hæc & similia observanda sunt ea, quæ aliàs conveniunt in febribus ardentibus.

Fit interdum, ut phrenitici non percipientes urinæ stimu-

stimulum, continuò eandem retineant non absque nocumento. In tali casu impositæ perinæo cepæ coctæ cum pinguedine anserina urinam provocant: Aut

℞. *Fol. Parietar.* M.ij.
Herb. Petrosel. cum rad. M.j.
f. decoctio cum *aqua*:
Pulpæ contusæ
adde
Olei scorp. ℥ij.
Et ita f. Cataplasma pro pube.
D. S.
Urinam provocans epithema.

Post fotum:

℞. *Pingu. Cunic.* vel *Ungu. dialth.* ℥j.
Olei Scorpion. ℥ß.
M. S.
Urinam provocans unguentum.

Illinatur, quod solum etiam sine Cataplasmate adhibetur.

Absolvimus Phrenitidem & deliria à causa interna cum febre: Pergo jam ad reliquas deliriorum species, & imprimis quidem à causa interna oriundas, sed *sine febre*; nam de deliriis à causa externa alio tempore.

MEMBRUM II.
DE
DELIRIIS MELANCHOLICIS.

Deliria hæc vulgò generali nomine Deliria Melancholica appellantur; eàque vel simpliciter talia & mitiora; vel in summo gradu maniaca seu graviora; & per se absque febre affligere solent, aut saltem in paroxysmo graviore aliquid febrile subesse videtur, dum pulsum celeriorem & frequentiorem habent, æstuationibus corporis vagis & capitis, in specie incalescentia, vexantur, sitis tamen nulla adest, nec propriè febris dici potest, quanquam FORESTUS *Observat. lib.* 10. *Observat.* 7. *in schol.* Melancholicorum febricitantium exempla describat.

De his ante omnia observetur; *aliud esse melancholicum affectum seu Melancholiam, & aliud esse Delirium Melancholicum*: quæ non confundenda; Rectè enim hæc duo distinguit STEPHANUS *in Oper. Med. Comment. de Morbis virg. pag.* 41. & exactè observanda monet. Nam affectus melancholicus seu Melancholia est, quando homo fit nonnihil mœstus & morosus, cum omnium ferè rerum aliàs gratarum abominatione, quin subinde facilè irascatur, & quidem sine manifesta causa, si ipsi nihil arridet, si tristis & cogitabundus est, sine occasione externa; item quando interdum facilè terretur, quando citra manifestam causam angustias & anxietates quasdam circa præcordia percipit, & quasi rei gravissimæ perpetratæ sibi conscius esset, & similes cogitationes oriuntur; dicunt: *Cœlum & terram ipsis angusta esse; sentire cordis gravitatem, neque scire, quid sibi velit.* Hæc & similia sunt propriè Melancholia seu affectus Melancholicus.

Postmodum verò, ubi talibus subjectis supervenit tandem phantasma, constituit *Delirium Melancholicum*, & dat delirantem ex Melancholia, quod est *morbus secundarius*, ex causa externa sæpissimè proveniens; affectus verò ipse Melancholicus est morbus *primarius*, fomitem habens utplurimum internum. Scilicet aliud est ipse affectus, & aliud est ipsi adjunctum seu superveniens Delirium, occasionem utplurimum externam agnoscens. Videmus hoc in nobis ipsis, quando nempe hyberno tempore ex tempestate obscura nubilosa humida & ingrata reddimur Melancholici, anxii & tristes sumus, sentimus gravamen quoddam non bene explicabile, facilè irascimur, est sanè hic affectus à causa externa, ex mutatione tempestatum oriundus, & quasi affectus Melancholicus naturalis; ad cujus imitationem quidam à causa interna fiunt morbosè Melancholici, quibus Delirium Melancholicum supervenit, pro varietate objectorum, phantasmatum ac symptomatum varium: Nempe aliud est *amorosum* seu *eroticum*, aliud *ridiculum*, aliud *rabiosum*, aliud *Melancholico maniacum desperabundum*, *meticulosum*, &c.

Melancholia hæc *sine delirio* simpliciter solet vocari apud Practicos *perturbatio mentis*, quæ perturbationes mentis Melancholicæ satis sunt frequentes, ita ut adhuc recta ratio sine delirio constet: Sic PLATERUS observat talem animi perturbationem in muliere, quæ subinde stimulabatur, ut interficeret infantem; erat tamen adhuc compos rectæ rationis, & resistebat istis cogitationibus. Et hæc est *perturbatio Melancholica, non verò perfectum delirium*: sicuti talis animi perturbatio est, quod idem refert PLATERUS de quadam muliere, quæ subinde impellebatur ad maledicendum Deo; ipsa verò sana rectâ ratione resistebat his cogitationibus malis, adeòque erat tantùm perturbatio animi, non verò Delirium Melancholicum. His ergò *taliter constitutis citra manifestam causam, si interdum tandem superveniat Delirium, hi ipsi rectè Delirio Melancholico dicuntur affligi.*

Dicitur Melancholia & delirium Melancholicum, non quod semper cum mœrore & tristitia conjunctum sit, ut vulgò equidem volunt, & falsò; (nam etiam dantur Deliria ridicula, in quibus admodum sunt læti & hilares ægrotantes) sed propterea dicitur Melancholicum, quod oriri dicatur ab humore Melancholico secundùm Veteres, id est vitioso acido fixo.

Verùm Varia Melancholicorum delirantium sunt exempla, admodum inter se diversa, omnia tamen quoad Theoriam in certis quibusdam punctis fundamentalibus, in quibus radix consistit, conveniunt. Et

I. Quoad Theoriam quidem, quod in omnibus delirantibus & Melancholicis talibus observetur cogitatio & meditatio intensa & assidua, defixa in uno saltem objecto; utut interdum aliquot objecta ordine sibi invicem succedant, à quibus unum Delirium diversimodè variatur, circa eadem tamen objecta occupata continuò videbitur, ut *infrà* ex exemplis constabit.

II. Omnes tales ægri timidi, anxiosi nonnihil, & quasi in angustiis constituti videntur, adeòque quæcunque vident vel audiunt, sibi pejora & periculosiora persuadent: & licet interdum videantur esse ridentes, hilares & læti, v. g. quando quis putat, se esse divitem; nihilominus tamen non est reverà hilaritas, non verum gaudium, sed potiùs est apparens, & aliquid conjunctum cum risu sardonico; estque hæc hilaritas tantum transitoria, & facilè succedit novus mœror & præcordiorum anxietas, sine causa iterum torvum vident, & parum aut nihil omninò dormiunt, imò licet etiam Principes & Monarchas magnos se concipiant, adeòque fastuosi potiùs videantur, anguntur nihilominus cultu & veneratione ipsis denegata. Rectè itaque ARETÆUS *lib.* 1. *de Caus. & sign. Morb. diuturn. cap.* 5. describit Melancholiam, quod sit animi angor in una cogitatione defixus atque inhærens, absque febre & furore, à phantasmate Melancholico ortus.

III. Omnes somnum admodum paucum & turbulentum satis patiuntur, & cum insomniis gravioribus, ita ut experientia testetur, quosdam in malo inveterato plures non saltem noctes, sed septimanas & annos quoque, insomnes transegisse; aut si capiant somnum, turbulentus is est, cum turbulentis insomniis, adeòque cum terrore evigilant.

IV. In hoc conveniunt ferè omnes, quod Deliria subinde remittant, ita ut recta ratio restituta denuò videatur; subindè tamen vel pro diversitate causarum internarum, v. g. fluxus menstrui imminentis, vel externarum, scilicet sub mutationibus tempestatum insignioribus, vel ex lunæ motibus, vel mutatione temporum anni, vel etiam, idque sæpissimè ex gravioribus animi pathematis, subindè recurrunt & recidivant.

V. Quoad Praxin; in hoc conveniunt Melancholici inter se, quod malum sit contumacissimum, & nulli ferè cedat arti, quin interdum citra adjumentum Medici, & quidem in ejusdem dedecus, sponte non rarò remittat; idque imprimis per insignem quandam in diæta mutationem, v. g. aëris, victus, motus corporis, &c.

VI. Quod in iis non tàm ad caput, quàm massam sanguineam, & imprimis ad viscera abdominis in hypochondriis sita, sit respiciendum, quoad curationis fundamentum. In hypochondriis enim semper nidus & fomes morbi Melancholici est, supervenientibus tandem Deliriis; Unde à vomitoriis imprimis curatio & inchoanda & persequenda: Imò non dari puto Delirium Melancholicum absque Melancholia hypochondriaca, quæ non habeat fomitem in hypochondriis. Sicut enim Pica, quæ est Delirium mulierum picantium, idcircò objectum aliquod fomitem in stomacho habens; ita etiam Deliria Melancholica habent utplurimum interdum sedem in hypochondriis & primis viis. Hinc etiam primariò cura per vomitoria instituenda est; nam ita

ita sublato fomite Delirium Melancholicum sponte cessat, aut vel persuasione curari potest.

VII. Agrypnia omni studio profliganda, cùm, quò magis vigilant, eò pertinacius malum reddi soleat, quò minùs, eò faciliùs curabile sit.

VIII. Observandum, quod in genere præmissis præmittendis omnia Deliria stulta stultis quoque interdum curentur remediis, adeo ut ridiculo modo ridicula deliria fuerint curata, ut scilicet semel impressum phantasma per aliud contrarium quasi deleatur & extinguatur: vid. THONERUS *lib.2. Observat.1.* PLATERUS *lib.1. Observat. pag.40.* BARTHOLINUS *Cent.2. Hist.26.* Sic enim v.g. refert FORESTUS *lib.10. Observat.13.* de quodam Melancholico deliro, putante se habere in abdomine serpentes; unde præmissis præmittendis, excrementis alvi redditis serpentes addendos jussit, quos cum vidisset æger, restitutus est: Quidam putans se habere in capite passeres, curatus fuit per Medicum, qui passeres vivos applicavit naribus, quorum morsiunculas persentiscens æger, putans eos esse extractos per nares, ad sanam mentem rediit: Alius nasum sibi instar pedis bubuli constare putabat, qui curatus est intestino alicujus animalis appenso, quod Medicus abscindebat, & ita se nasum abscidisse dicebat, & curatus est, referente FORESTO *lib.10. Observat.13. in Schol.* Alius putavit, se gestare cornua, qui fuit curatus cornuum cervinorum alligatione, & postmodum per serram abscissione: Alius putavit se carere capite, quale exemplum habet Forestus *l.1. Observat.12.* unde ille fuit curatus per impositum pileum plumbeum, cujus gravitate fuit persuasus se habere caput: Aliud ridiculum delirium parilemque ejus curationem videbitis in M.A.N.C. *Ann.3. Observat.49.*

CAUSÆ.

Quoad *Causas & fiendi modum*, unde & quomodo in Melancholicis oriantur deliria? res à priori & adeò perspicuè determinari priùs nequit, quàm quomodo iste sensus internus, quem imaginationem vocamus, fiat, declaretur; nescimus enim, quomodo imaginatio percipi seu peragi soleat; Quia ergo hoc nescimus, non possumus demonstrativè procedere. Interim certum est, animam rationalem esse insontem ac proin totum negotium erit in facultate animali situm, non in sensu communi, non in memoria: ergo in imaginatione seu phantasia, quę consistit in unione variorum objectorum cum spiritibus animalibus per sensus externos perceptorum & spiritibus impressorum; adeòque probabilissima eorum est opinio, quod per certum motum spirituum animalium, in cerebri meditullio, nunc ab externo obiecto, nunc ab anima rationali excitatum, eandem peragi asserunt, occasione cuius varii motus spirituum animalium, à natura volatili temperata lucida deflectentium, anima rationalis varias concipit ideas. Motus autem hi spirituum animalium dependent nunc ab objectis, sensus externos affecientibus, nunc ab anima rationali diriguntur; unde etiam perturbato ac læso spirituum animalium motu, & perturbari imaginationem, & hinc deliro modo lædi ratiocinationem sequitur.

His præmissis, considerabimus adhuc aliquot exempla eorum, qui his Deliriis Melancholicis fuerunt correpti. Nonnulli, in specie pauperes, vel servili conditioni addicti, putant se esse monarchas totius mundi: quale exemplum habet SENNERTUS *lib.1. Prax. Part.2. cap.8. pag.339.* item THONERUS *lib.2. Observat.1.* Alii fastuosi multa magna sibi imaginantur: confer. M.A.N.C. *Ann.3. Observat.84. pag.284.* Sic mulier quædam se in speculo vidisse ore aperto frustum aliquod carnis supernè ad fauces dependere, quod suffocationem sibi minari valdè intenderet, sibi imaginabatur, vid. M.A.N.C. *Ann.9. & 10. Obs.41.* Alius pistores panem intoxicando, vitæ suæ insidiari querebatur, *loc. alleg. Obs.46.* Quidam butyrum comedens se ex butyro totum constare arbitrabatur indeque ignem accedere nolebat, ne liquesceret: sicut strenuus potator mingere nolebat, metuens ne, quando mingeret, mundus diluvio interiret, qualia exempla refert LANGIUS *in Comm. in Fabrum.* Quidam se ranam vivam in corpore gestare putabat, referente FORESTO, & PLATERO *lib.1. Obs pag.40.* Alius putavit se biblia in capite gestare: Exemplum hoc refert FORESTUS *lib.1. Obs.* [illegible] Sic puer lapide in caput ictus, & postmodum Melancholicè delirus semper syllogismos optimos in lingua Germanica confecit, quos ipse postmodum componere nesciebat postquam curatus fuit: Sic LINDANUS *in Colleg. Practico* habet exemplum mulieris, indoctæ aliàs, quæ in delirio versus concinnos elaboravit: Rusticus quidam semper sub novilunio carmina conficiebat, sed post novilunium ne verbum quidem Latinè proferre poterat. Alius fuit Melancholicus, qui putavit se semper frigere, seu sese summo frigore esse affectum: hic fuit arte curatus postmodum, dum ipsi applicata fuit vestis ex pelle agnina spiritu vini seu aqua vitæ imbuta, quâ accensâ æger non amplius se frigere dixit, & ita curatus fuit, uti habet ZACUTUS LUSITANUS *lib.1. Prax. Admir. Observat.44.* RULANDUS refert exemplum piscatoris, qui cantabat, ridebat, concionabatur, disputabat cum adstantibus, uno nomine se omnium doctissimum putabat. Rarum est exemplum, quod habet HEINRICUS *ab* HEER *Observat.27.* de quodam Melancholico, qui singulos menses in tres dividebat partes: in prima parte erat solus & meditabundus, in secunda venationi operam dabat, in tertia cantationibus musicis se delectabat & mirè hilaris erat. TULPIUS *lib. 1. Observat. cap.20* refert, alium Melancholicum putasse, se carere suris, qui fuit curatus postmodum percussione fortis furarum. BARTHOLINUS *Cent.2. Hist. Anatom.26.* refert Melancholicum Medicum Venetum quotannis sub diebus canicularibus sub lecto sedentem, qui se testam esse putabat, finito verò tempore caniculari & mense isto sanus evasit, & per totum annum ita mansit, donec redirent altero anno dies caniculares. Refert SALMUTH. *Cent.1. Observat.63.* delirium melancholicum singulis septem annis recurrens periodicè, semper durans integrum annum in chirurgo, finito anno iterum cessavit, & post exactum septennium rediit. Mulier quędam se Regi cuidam esse desponsatam imaginabatur; unde vitra perforata quasi gemmas à sponso datas diligenter asservabat, ut refert SENNERTUS *de Melanchol. pag.339.* Alia Venerem se esse ajebat, & ut eò faciliùs crederent vestes omnes exuebat. Alius se granum milii esse cogitabat. BRENDELIUS *in Consil.24.* refert, concionatorem quendam sibi imaginatum fuisse, se audire vocem Dei & Angelorum. Quidam se anserem credebat, annotante SALMUTH. *Cent.3. Observ.92.* Alius juxta TULPIUM *lib.1. Observat.18.* cuncta ossa sibi mollia contigisse. Fęmina *loc. alleg. Observat.19.* se molam gerere, postmodum se fato functam, & in mundo sine corde remissam esse, somniabat. Ut taceam illorum, qui mortuos se concipiebant, qualium MARCUS MARCI *Philos. vet. Restit. pag.396.* meminit. LOSSIUS *lib.1. Obser. 21.* refert, quendam cibum & potum, eo detrectasse quod ad gulam usque fęcibus & urinâ se repletum esse crederet. Et quę sunt similia varia Melancholicorum phantasmata, quorum multa egregia exempla videbitis in CASPARI à REYES *Camp. Elys. Iucund. Quæst. Quæstione 73 pag. 66.*

Ex his modò allatis exemplis hoc perspicuum est, utut varia sint delirantium phantasmata in diversis subjectis, nihilominus tamen unum saltem sit, circa quod occupantur ordinariò, & quòd utplurimum pro determinatione phantasmatis habeant causas externas vel objectum quoddam, quod aut fortiùs placet aut displicet; unde ibi desiderium, hic fuga, adeòque affectus insignes excitet: aut quod sępiùs recurrit, aut super quod certam reflexionem faciunt melancholici. Quod objectum per sensus externos spiritibus animalibus vitiosè constitutis fortiùs impressum, eos subinde iisdem motibus in cerebro sępè reiteratis cieri vel rotari facit, cujus continuati motus occasione anima rationalis idem phantasma seu eundem conceptum vel ideam seu speciem intelligibilem & intentionalem (vocate ut lubet) continuò format & elicit.

Ulteriùs in his deliriis determinatis solet fieri, ut in ægris jam Melancholicis, nondum tamen delirantibus, ab objecto quodam externo fortiùs affectis, ejusque, vel ratione complacentię vel displicentię, impressione forti oriantur affectus animi graviores, ratione quorum certum & determinatum Delirium patiuntur Melancholicum super unum objectum; ita enim evenit, ut spiritus animales fortiùs moti sibi novos quasi & aptos meatus exsculpant, & sic motibus agitati in alios tramites redire nesciant. Quod ipsum ita declarabo: scilicet idem in talibus contingit ac in iis, qui graviori quodam negotio aut intensiore cura pressi, aut qui graviori affectu, ira, terrore, mœrore, &c. perculsi, eidem sedulò & obstinatiùs incumbentes, tempore nocturno ob negotium, continuò mentem occupans, dormire nequeunt; aut licet dormiant, propter actionem tamen & tractationem diurnam spiritus animales motionibus iisdem & tractibus, quos sæpius percurrerant, adsueti

fueti in cerebro, licet parciùs in organa externa influunt, eodem tamen modo in somno moventur, adeòque eadem objecta, circa quae versata fuit de die mens, eidem repræsentant, & ita somniis variis somnum turbatum efficiunt: ubi sanè id, quod hic fit in dormiente, parili ratione in delirantibus Melancholicis, licèt vigilantibus, evenit; unde id, quod interdiu anxiè tractamus, continuò & fortiter in somnio impressum habemus: sicut enim spiritus animales in cerebro continuò moti inferunt somnium; ita in delirantibus spiritus eodem motu gaudentes occasionem præbent animæ rationali, ut hæc semper eandem motionem concipiat. Unde etiam est, ut subinde ex talibus curis & negotiis, cum summa intentione tractatis, interdum tales fiant delirantes Melancholici: v.g. si studiosus impensiùs dat operam studiis Theologicis aut concionibus, atque studium hoc concionatorium sibi continuò inculcat, ut evadat egregius Theologus aut concionator, adeòque semper divina tractet, non tantùm fit, ut alteretur successivè corporis habitus & sanguis, & in constitutionem Melancholicam abeat, sed alteratione hac spiritus continuò occupati tandem eum reddunt delirum, ut putet se summum esse concionatorem, & cum Deo, Angelis aut Dæmone confabulari.

Imprimis verò notanda est *differentia Delirii Melancholici*, quando aliud est *fixum*, aliud *vagum*: *Hic* in plerisque ferè actionibus aberrant à recta ratione, & vana atque delira loquuntur: *Illic* verò circa unum & determinatum versantur objectum, circa quod varia sibi phantasmata fingunt, aut *concupiscendo*, aut *aversando*. Vagum Delirium fit, quando spiritus animales planè deficiunt ab ordinato suo motu, ac novos poros in cerebro quasi exsculpunt. Fit tamen sæpe, ut Melancholia & Delirium Melancholicum, quod primò & in se *vagum* erat & determinatum, paulò post, quando objectum aliquod excellentius aut gravius in sensus occurrit, & mentem potentiùs afficit, quòd fortiùs moveat, & validiori impressione afficiat spiritus animales, qui unum eundemque motum continuò tenent, & exinde motuum suorum manifesta relinquunt vestigia intra fibras cerebri medullares, quę continuò peragrantur ab iisdem, unde certo modo delirium determinatum redditur, & circa tale objectum quasi *fixum*, quando quasi delirans se esse Monachum putat, & in hac ratione continuò occupatus est. Ver. gr. sit Melancholicus nondum quidem delirans, sed tantùm solitudinarius, mœstus, meditabundus & morosus, hic transiens casu per locum, ubi vidit peponem putridum, facilè incidet in cogitationem: quid dum tu ita debes putrescere, & si jam putresceres? unde perterritus, sicut tales semper sunt anxii & mœsti, adeò afficientur inde spiritus, per terrorem nempe, ut superveniat Delirium melancholicum, quo putet se esse putridum, vel se etiam esse pupeponem: nempe hac impressione facta, quasi vivus putresceret, fit ut moti spiritus animales continuò easdem orbitas repetant, adeòque obuenit delirium. Vel sit talis melancholicus, qui audiens frangi vitra, statim potest venire in mentem: quid si tu etiam tali ratione frangaris? unde delirium determinatur, ut putet se esse uitrum, & metuat ne frangatur. Sic sit hypochondriacus ad Melancholiam inclinans, qui percipit ructus, sonitum & murmura, & quasi coaxationes in abdomine: his sonitibus perterritus Melancholicus, & circa eosdem fixis cogitationibus inhęrens, facilè exinde potest incidere in istud delirium, ut putet, se habere ranas viventes in ventre; & utut aliàs benè ratiocinetur, tamen continuò meditetur de suis ranis, ratione quarum anxius est; Unde dum ab obiecto fortiori sibi incutit metum, spiritus animales continuò moti delirium excitabunt. Sic ponamus juvenem amatorem, qui licèt per se sit sanissimus, hic primò sibi admodum placet circa pręsentiam amasiæ, postmodum absens meditatur subinde de ejusdem pulchritudine, cogitat, quomodo denuò possit acquirere ejusdem pręsentiam; hinc meditatur confabulationes, &c. porrò cùm semper mens & spiritus animales occupati eodem modo moventur, fit, ut subinde in somno postmodum species amasię & actiones cum eadem occurrant: tandem ita determinantur spiritus, ut non nisi amasiam repręsentent; hinc tale sequitur delirium eroticum sive amatorium, ut ęger continuò putet, se habere pręsentem amasiam, unde incipit cum eadem confabulari, adulari, &c. talesque facit cęremonias, quasi ipsa amasia esset pręsens, utut neminem pręsentem habeat. Hęc & similia tali modo se insequuntur. Multum hìc faciunt pro determinandis deliriis terrores, tristitia, mœror, vel similes animi insigniores affectiones, idque in specie in iis, qui jam habitu Melancholico pręter naturam sunt prędîti; qua ratione v. g. mulier perterrita ex viso suspenso gravissima Melancholia correpta fuit, teste PLATERO *Observat. lib.*1. & SCHENCKIO *Obs. lib.*2.

Nam observandum quoad *Causam Remotam* ad Melancholiam, & hinc Deliria Melancholica disponentem, eam ferè esse duplicem: nempe quod vel à *causa externa* vel graviore animi affectu primò oriatur; vel à *causa interna*, constitutione nempe massę sanguineę successivè alterata, originem ducat, quibus constitutionibus Melancholicis inde natis demum Deliria superveniunt.

Deliria ergò quęlibet, undecunque aut quocunque ab objecto oriantur, quare non ęquè in omnibus oriuntur, seu v.g. quare non in omnibus ex animi affectibus gravioribus oriuntur Deliria melancholica? Hic consideranda est certa subjecti conditio; nam certum est, quod unum magis promptum sit ad Delirium, alterum minus prout constitutio Melancholica in uno plus, in altero minus fuerit confirmata. Causa ergò huius promptitudinis ad deliria remota, est in massa sanguinea: proxima verò hęret in spiritu animali. Nempe ex superioribus innotescit, in deliriis melancholicis duo probè distinguenda esse:

1. Habitum seu Constitutionem massę sanguineę & spirituum melancholicam plus minus, naturalem vel preternaturalem seu morbosam.
2. *Superadditum* huic ipsum *Delirium* Melancholicum dictum, idque vel vagum sive indeterminatum, circa quęcunque objecta oberrans, vel determinatum circa unum saltem objectum, e. g. quando quis ex butyro se conflatum putat, & in hoc puncto saltem delirat, licet quoad reliqua rectè ratiocinetur; & huius ratio potissimùm in *spiritibus animalibus* eorundemque *natura* & *motu* in cerebro vitiatis, investiganda venit.

Deliriorum constitutioni melancholicæ supervenientium rationem hactenus consideravimus, *constitutio ipsa melancholica iam pensitanda venit*, quæ oritur nunc à causa externa, nunc ab interna. *Externa* est objectum quodvis, insigniorem animi affectum concitans; tunc enim v. g. ex mœrore diuturno, tristitia protracta, terroribus frequentioribus, curis intentis, &c. afficiuntur spiritus animales, unde alteratur successivè ab iisdem tam sanguinis motus, quàm digestio prima, sicque supervenit constitutio Melancholica. Causa *interna est* ipsa alteratio contentorum successiva, vitio diætæ, &c. nata, sanguinem & spiritus successivè afficiens, sicque ad constitutionem Melancholicam perducens. Quæ duæ remotiores causæ semper probè distinguendæ & attendendæ sunt, nec confundendæ.

Constitutionem ergò sanguinis & spirituum melancholicam quod attinet: notum est, quod, prout variat massæ sanguineę crasis naturalis ex semine oriunda, ita etiam hominum mores subinde variare; & hoc est, quod jam olim suo idiotismo optimè dixit GALENUS, quod *mores animi sequantur temperamentum corporis*. Nempe nonnullis affectus hic merè est naturalis, & totâ die experimur, quosdam naturâ esse *lætos*, quosdam iracundos, quosdam *tristes* & meditabundos, idque pro varietate sanguineę craseos, & inde dependentis variæ spirituum animalium constitutionis, unde etiam morum ista & ingeniorum diversitas. Ob eandem etiam crasin hic affectus in posteros, ut alii morbi hæreditarii, transfertur, in specie in mulieres frequenter propagatur, ita ut eædem, licet antea sanę videantur, tamen gravidæ factę ad minimum Deliriis Melancholicis vexentur. In his verò qui dispositi sunt ad Melancholiam ac Deliria melancholica, illi ut plurimum sunt *hypochondriaci*, unde etiam *malum hypochondriacum* confirmatum sępissimè Delirium Melancholicum post se trahit, quod *Melancholia hypochondriaca* audit; Aut, si non sunt apertè hypochondriaci, simile tamen vitium in stomacho ac primis viis ferè patiuntur, unde subinde acida eructant, egregium appetitum habent, alvo obstructâ plus minus laborant.

Sanè non arbitror, dari perfectam constitutionem Melancholicam, quæ disposita sit ad deliria talia, quæ non fomitem aut radicem habeat in primis viis ac circa hypochondria, ejusque digestione & fermentatione plus minus læsa, sive occasione graviorum animi affectuum, & ita quasi

quasi ab extra orta fuerit, sive ex causis internis nunc per se inchoaverit, nunc alios morbos, subinde febres acutas, insecuta fuerit: Nam utut, quoad remotam causam, affectus melancholici à causa externa, pathemate scilicet quodam graviore animi, amore, terrore, &c. nonnunquam oriantur, in perfectum tamen Delirium non degenerant, nisi hypochondriis eorumque visceribus character vitiosus imprimatur; uti etiam ea, quæ sunt ab animi pathemate, graviora sunt, quàm quæ sponte enascuntur. Et talis Melancholia, quæ manifestò fomitem in primis viis latentem exhibet, per *consensum hypochondriorum oriri dicitur*: sicuti, ubi nulla manifesta talis consensus signa adsunt, per essentiam cerebri oriri putant, quæ tamen ceu non-ens reiicienda: sicuti, quę insequitur post suppressos hæmorrhoides aut restrictos menses, *Melancholia ex utero* vocari solet. Equidem nota mihi est differentia illorum, quam communiter Practici inculcant, dum melancholiam ratione fomitis dividunt per essentiam, dum fomes materialis in ipso capite & cerebro hæret, & eam, quæ est per consensum: Sed hæc differentia nil valet. Nulla enim datur per essentiam capitis, quin revera omnis, si à causa interna, sub hoc sensu per consensum dicenda venit; Unde etiam HOFFMANNUS *in Institut.* melancholiam cordis affectum, non cerebri, esse ostendit. Sed potiùs fundamentum melancholicum semper circa hypochondria consistit, utut remotior causa interna subinde aliunde oriatur, in quo puncto frequentissimè lien & uterus incusari solent.

Communiter Melancholiam ex splene oriri volunt, & omnes splenеticos obnoxios esse dicunt melancholię: Sed non video, quare splen affectus precisè melancholias inferre soleat, nisi ad humorem melancholicum, cujus receptaculum Veteres lienem dixerunt, respicere velimus: unde splenis viscus, si non semper, utplurimum saltem in his casibus insons arbitror, etsi in insigniter Melancholicis simul varia splenis pathemata, splen scilicet infarctum & tumidum reperiatur, unde fortes in hypochondrio sinistro pulsationes succedunt ob sanguinis in arteriis stagnationem. An verò splen ceu primarius focus morbosus hic considerandus sit? non immeritò dubitari potest, quin subinde ceu pars secundariò affecta & productum morbosum, Melancholiam tamen per nervorum consensum insigniter exasperans, se habere videatur, quàm ut radicalis eorundem sit sedes. Saltim exinde patet, quod verum dicit HIPPOCRATES, dum affirmat: *Quibus vena fortiter in hypochondriis* (arteriam intelligit) *pulsaverit, iis mens ægrotat*: siquidem tumidus aut infarctus splen aut vasa ejus propter fibrarum nervearum implicationes harumque spasmos plus minus constricta reverà sanguinis motum per arterias remorant, & inde pulsationis manifestum sensum in hypochondrio sinistro inferre possunt. Aliàs in Melancholia splenis viscus est insons, cùm munere secernendi succum quendam melancholicum iamdudum sit exutus. Verum est, subinde in hypochondrio sinistro graves alterationes & passiones ab ęgris melancholicis percipiuntur; sed cùm hypochondriaci spasmis partium membranosarum sint obnoxii, & cùm splen habeat copiosos nervos, ob varios nexus cum pari vago & intercostali consentientes, quid mirum est, ex iis spasmo continuato affectis quod superveniant pulsationes hypochondrij & cordis, & hinc abdominis pathemata & difficiles respirationes seu convulsiva symptomata? ut adeò, si splen simul affectus deprehendatur, id fiat saltem per deuteropathiam. Quodsi digestioni primę vitiatę viscerum aliorum pathemata superveniunt, speciatim hypochondriacis lienis mala, ab his primarius affectus eò magis nunc confirmatur, nunc deterioratur. In his ergò subiectis melancholicis seu Melancholia hypochondriaca imprimis acidum vitiosum in primis viis abundare, indeque digestionem primam in stomacho vitiare, quin etiam ipsam massam sanguineam exinde firmiorem seu spissiorem, minusque fermentativam ac minus spirituascibilem esse, multa adjuncta symptomata persuadent, non minus quàm cura etiam. Quoad symptomata: omnes melancholici sunt egregiè voraces, & alvi naturaliter utplurimum adstrictioris, simulque observantur ructus acidi; quę pathemata omnia acidi peccantis in primis viis signa sunt: quoad curam verò, ea fundamentalis consistit in eo, ut per acidum vitiosum absorbentia & destruentia, martialia quippe & tartarea, instituatur.

In taliter constituta massa sanguinea non tantùm fermentatio ejus vitalis in pręcordiis lentè nec rectè procedit, unde anxietates istę, imò non rarò graves cordis palpitationes sine causa manifesta superveniunt; sed etiam ex deficiente fermentatione spirituascentia massę sanguineę, ejusque in spiritus subtiles volatilisatio, minus convenienter perficitur, idque eò magis, si in aëre crasso aut cœnoso aut paludoso habitet talis ęger: nam aër multa tribuit ad volatilisationem spirituum; hinc etiam ex sola aëris mutatione in clarum, tenuem & subtilem, accedente corporis motu, melancholia curata obseruata fuit. Ex massa ergò sanguinea minus spirituascente spiritus uitales, & consequenter quoque animales, minus volatiles minusque subtiles, minus puri aut minus mobiles generantur, sed quodammodò texturę fixioris, & quasi subacidæ & crassioris fiunt, adeòque, ut probabiliter multi affirmant, minus lucidæ, sed tenebricosæ: vid. BARTHOLINUS *de Luce animal.* unde iidem animales facti minus apti sunt ad varias motiones & expansiones pro multitudine objectorum sensilium variâ in cerebro perficiendas, sed potius quasi fixiores, & à naturali crasi volatili temperata plus minus in acriorem, asperiorem & quasi acidulam degenerantes, ab uno objecto suprà dictis modis fortiùs affecti, non possunt non iidem quoad motum suum in cerebri meditullio vitiari; hinc vel inordinatè & vagè moventur, vel pertinaciter iisdem motionum orbitis insistent. Si prius contingat, oriuntur Deliria Melancholica vaga, circa quęcunque objecta directa: sin ab objecto externo quodam fortiùs affecti, unam eandemque in cerebro motionis orbitam servent, id est in semel inchoato tramite inter fibras nerveas cerebri eodem cursu & recursu continuò pergunt, unde subministratur occasio animæ rationali immutabile & unum tantum phantasma formandi & subinde repetendi. Nam anima non afficitur rationalis, sed læditur in talibus saltem imaginatio seu phantasia, circa objectorum sensibilium per certos spirituum motus in cerebri meditullio repræsentationem occupata. Dum ergò hęc læditur, ita ut continuò circa unum objectum versetur, ex identitate motus vitiosorum spirituum circa idem objectum delirium postmodum supervenit. Sed ex eo, quod anima rationalis sit sana, evenit, ut hujusmodi melancholici, determinata deliria patientes, circa illud objectum, circa quod delirant, subinde in reliquis satis prudentes sint. Sic enim legimus v. g. in AMATO LUSITANO (ni fallor) exemplum cujusdam pueri, qui se putabat esse regem ingentem, sub quo Delirio loquebatur de ratione status & arcanis politicis, & tam subtilia & acuta Rempublicam gubernandi promebat consilia, ut omnes in sui admirationem raperet: postmodum curato delirio, puer de talibus politicis parum vel nihil sciebat. Satis ergò prudentes sunt melancholici circa objectum delirii: id quod non minus est mirum, quàm quod observationes Practicorum docent, somnambulones noctu surrexisse, & versus admodum concinnos scripsisse, manè tamen eorum, quæ noctu egerint, nihil scivisse. Nam circa idem objectum semper occupata est anima rationalis, quia tota ejus essentia, prout equidem à nobis cognoscibilis est, consistit in eo, quod sit substantia immaterialis, quæ semper ratiocinatur, & aliquid cogitat. Hinc anima rationalis indefessè semper ratiocinando circa idem objectum subinde occupata, necessariò de eodem elegantes & rationales formabit discursus, quoniam à nullo alio objecto interturbatur & impeditur; & utut in uno erret, tamen in reliquis suas potentias exercere potest.

Cum verò à rebus non-naturalibus factæ mutationes in alteranda massa sanguinea & afficiendis spiritibus animalibus magnę sint potentiæ, ut quotidie in brutis videmus, non mirum est pro varietate v. g. tempestatum, secundùm mensium decursum, etiam mutari Melancholicos, ita ut nunc meliùs nunc peiùs habeant; unde temporibus successivè correctis, corriguntur etiam constitutiones: ac hinc est, quod sub isto delirio per mutatum victum, per continuas vigilias, & subinde alias res non-naturales, mutetur insigniter massæ sanguineę crasis, & consequenter spiritus animales (videmus enim, quod tales Melancholici fiant subinde admodum pingues) hinc fit subinde, ut interdum sponte nonnihil cessent deliria, quæ tamen novâ alteratione, per graviora obiecta inducta, denuò recurrant; quin & ex tali mutatione craseos massæ sanguineæ & spirituum fit nonnunquam, ut delirantes Melancholici ex uno objecto in

in aliud successivè dilabantur, *parili ratione, atque videmus quosdam* sub ebrietate ex *vini potu fieri primò hilares, hinc* admodum *loquaces, tandem rixosos*, & quasi maniacos, & furiosos, *denique somnolentos & torpidos*, qui altero verò die subinde sunt mœsti, tristes plus minus turbulenti, & quasi melancholici. Unde, sicut hoc facit vinum mutando crasin massæ sanguineæ & spirituum, cùm sit causa externa, ita simili ratione successivè à causis internis facta alteratio Deliria subinde & Melancholias mutat.

Ratione fundamenti hujus Melancholiæ, in massa sanguinea & spiritibus inveteratus semel affectus melancholicus non saltem contumax est, & qui per paroxysmos sæpius recurrit, sed etiam subinde hæreditarius esse solet, ita ut à parentibus Melancholicis sæpè in liberos transplantetur, & hi tandem ad Melancholiam deducantur, in specie in mulieribus (quamvis hæ à matribus Melancholicis editæ semper aliàs videantur sanæ mentis) præsertim gravidationis vel puerperii tempore character hæreditarius evigilare solet.

Quod verò tales stulti stultis & ridiculis interdum curentur remediis, & quod talia ridicula remedia curent subinde ridiculos ægros, ex eo ferè est, quod anima rationalis, circa unum tantummodo objectum occupata, ex firma tali persuasione ab objecto novo, & dum objectum morbosum remotum videt æger, & exinde lætitia vel alio affectu alteratur, spiritibus animalibus novum conciliet motum; vel si ex superveniente contrario aut fortiori objecto etiam alio modo moveantur spiritus, fit, ut tale fortius objectum, & quidem aliud ac novum, ex immutato spirituum motu animæ rationali præbeat occasionem variandi conceptus & speculationem, & ita omnes priores ridiculi conceptus à supervenientibus novis quasi omnino in momento cum manu deleantur & expunguntur: qua ratione v. g. immersio subitanea in fluvium curat delirium maniacum; hac ratione stratagemata per assensum, delendo quasi conceptus deliros, & removendo objecta, quasi talia deliria auferunt: quæ etiam cura eò magis vel minùs erit diuturna vel constans, quò magis vel minus restituta simul fuerit massæ sanguineæ depravata crasis: sic Melancholia observata est, quæ curata fuit per gaudium nimium & profusum, ex improviso concitatum, quoniam fortius objectum delevit prius.

Plura quoad hanc Theoriam videb. in WILLISIO *de Anima Brutor. Part. 2. cap. 21.*

DIAGNOSIS.

Necessum est autem imprimis, ut nimius progressus Melancholiæ maturè præcaveatur, in quem finem imminens ea præcognoscenda venit.

Signa autem, quendam esse habitus melancholici, vel naturalis, vel præternaturalis, tunc colligitur, quando talis æger gravioribus subinde insomniis terretur, quando somnum habet turbulentum & insomniis intermistum, quando evadit solitudinarius, quando præter solitum fit morosus vel tristior, etiam invitus, quando funesta cogitat & tristia, quando meticulosus est sine manifesta causa, quando vel levissimo objecto subinde terretur, item si in una cogitatione subinde fixior hæret, si meditabundus & cogitabundus fuerit, &c. Hæc enim & similia sunt verè signa imminentis Melancholiæ, sive ipsius affectus perturbationis mentis.

Quodsi æger postmodum incipiat fabulari ridiculè de uno alterovè objecto, quando putat se esse sapientissimum, & sic porrò, tunc delirans melancholicè seu Delirium Melancholicum facilè manifestum evadit.

Verùm ipsa Malancholia ejusque Delirium per se patet facilè: Speciatim fomes & causæ remotæ Melancholiæ diligenter sunt considerandæ pro felici instituenda cura; adeoque cognoscendum est: an causa occasionalis externa seu animi affectus quidam gravior, terror, ira, timor, primam dederit occasionem Melancholiæ, ratione cujus inferunt spiritus animales delirium? an verò ex interno vitio & depravatione ipsius massæ sanguineæ melancholica (loquor cum vulgo) seu hypochondriaca affectione successivè primam originem duxerit melancholia sine causa externa (nam longè difficiliùs Deliria ex affectibus animi nata, quàm à causa interna, curantur.) Signa hæc observanda esse inculcat LINDANUS, dum dicit: *Quando incidit is in Melancholicos, hoc agite, ut noscatis originem mali, an v. gr. sit ex tristitia? nisi enim hoc agitis, laterem lavatis. Multæ enim res sunt, quæ homines tristiores, & sic longo tempore perseverantes, in melancholiam deducere possunt: Vid. Hippocrates lib. 6. aphor. 26. Et hæc est ratio, quare tam rarò restituantur in integrum melancholici. Didici ex pulsu cognoscere, an sit Melancholia ex hanimi affectibus? an sit ex sanguine melancholico? Nam si est ab animi gravioribus affectibus, pulsus in illis est valdè obscurus, quasi contractus & inconstans, quandoque æqualiter, sæpiùs verò inæqualis, & deinde qui habet plerumque speciem deficientis. Vermicularis est interdum, interdum non.* (Vermicularis & formicans est unum & idem: formicans est, quando celerrimo motu pulsus currit; formicæ enim celerrimè currunt: quando autem non tam subtilis est, sed paulò planior, dicitur vermiculans, talis est horum melancholicorum.) *Frequenter enim hæc inæqualitas & inconstantia pulsus certum signum est melancholiæ ex animi affectibus: quoties enim animus parum relaxatur, statim etiam mutatur pulsus, undè facilè animi affectus exinde patescunt.* Hactenus LINDANUS.

Hoc observavi nupera æstate in muliere 75. annorum, aliàs devota, dicente, se rem Veneream per viginti annos cum dæmone habuisse: hoc confirmabat, dum fassa esset, aurigæ equum se fascinasse, & parere infantes dæmonicos per vulvam, adeò ut ferè ad rogum damnaretur. Advocatus tunc medicus inquiebat rem veram esse. At aliter se res habuit: nam interrogata à me, ubi doleret? monstrabat superiorem regionem hypochondriorum, pulsusque octavâ vel nonâ vice deficiebat, ac uno nomine, perfecta erat melancholico-hypochondriaca; alvus enim aderat obstructa, Scybala erant dura, sibi invicem imposita conglobataque, eademque sub primo somno patiebatur incubum cum insultibus epilepticis, unde custodes excubantes baculo tetigerant alvum ejusque abdomen, putantes quasi sic se posse dæmonem superincumbentem fugare, aliquot septimanas insomnes ducebat. Huic autem Delirio Melancholico ansa dedit, quod audivisset de fascinatione, adeòque cogitasset, quid si tu hoc fecisses?

Facies quoque in melancholicis nunc rubore nunc pallore suffunditur angustiis ejusmodi homines variè corripiuntur, prout objecti simulachra variant; sicuti testantur historiæ melancholiæ ex amore detectæ, quas GALENUS *lib. de Præcogn. ad Posthum. cap. 6.* ARETÆUS *lib. 1. de Caus. & sign. diuturnor. morbor. cap. 5.* & ZACUTUS LUSITANUS *lib. 1. de Med. Princip. Hist. 40.* adducunt.

Si causa remota sint suppressiones hæmorrhoidum vel mensium, ex ægro cognoscitur.

Quodsi verò pedetentim & citra objectum externum fiat Melancholia, tunc tales ægri habent Deliria vaga, quorum causa remota est affectus hypochondriacus. Hujus affectus signa propria erunt præsentiora, vel majora vel minora: In specie ægri tales conqueruntur de palpitatione cordis, de anxietate cordis & ructibus acidis; item conqueruntur de pathematis abdominis, de borborygmis & murmuribus intestinorum, de alvo obstructa, flatibus, de sensu molesto plus minus obscuro in hypochondrio sinistro (*in liene*) cum sensu pulsationis in dorso aut dicto hypochondrio, mala quæ ex splene videntur oriri, somniaque habent turbulenta (ex quibus mox suspicio venit, adesse Melancholiam hypochondriacam) phlogosi vaga crebriùs afficiuntur, & circa frontem in facie calent, &c.

Ipse affectus melancholicus, specialiùs ex vitiata tantum massa sanguinea, suas habet exacerbationes & remissiones, item ægri admodum sunt anxiosi & queruli, palpitatio cordis subinde est frequens, item præ aliis sunt tristes & mœrentes, & quæ sunt similia signa affectæ massæ sanguineæ.

Metus tamen & tristitia præ cæteris etiam sunt pensitanda in melancholicis; quidam enim interdum hilares, interdum pusillanimes & plus minus desperati fiunt. *Non quidem rarum,* inquit PETRÆUS *in Dissert. Harmon. est, quod gaudere & ridere videantur: minimè tamen gaudium est verum & verus risus, sed quasi cynicus, & sarcasticus, quin paulò post mœsti & tristes evadunt, unde etiam solitudines amant, & conversationes hominum pertimescunt.*

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin:* Melancholia ut talis, licet nunquam lethalis existat affectus, ratione tamen eventus, temporis & modi, valdè incerta est ejus prognosis, quatenus ex illa nonnulli brevi reconvalescunt, alii non nisi tardiùs, alii nunquam.

Utplurimum tamen Melancholia, quę ab occasione evidente & ab affectu animi est, longè feliciùs curatur, quàm quæ post diuturnam demum procatarxin seu prædispositionem Melancholicam intrinsecam sensim invadit: vid. LOSSIUS *lib.1. Observat.22.* Ita enim sublatâ dictâ causâ evidente sæpè spontè cessat delirium; hinc plures ex crumena quàm ex pharmacopolio levamen suscipiunt, cùm in posteriori casu, quo sanguis & spiritus ab ordinaria & debita crasi recesserunt, imò ipsa cerebri tandem conformatio temporis successu incorrigibiliter mutatur, res difficilior sit.

Pariter malum recens & quod nondum diu duravit, & cui nondum supervenit delirium, semper faciliùs (nempè cęteris paribus, & nisi ortum ex graviori animi pathemate fuerit) curatur; subinde etiam à sola ferè conveniente victus ratione, & familiari conversatione cum jocosis, & mutatione aeris, sic laudabilis, tenuis & spirituosus generatur sanguis: Inveterata verò Melancholia, & orta ab animi pathemate externo, aut studiis immodicis in noctem protractis, in specie cui pertinax delirium accessit, aut quæ hæreditaria est, aut quæ subinde repetit, rarò aut difficillimè curatur, quin ægros utplurimum ad mortem comitetur.

Delirium ascititium faciliùs cedit præ hæreditario.

Melancholia quæ post morbos alios, ut post febres diuturnas aut acutas, aut post phrenitidem supervenit, faciliùs aliis, mutato scilicet corporis habitu, & sæpè per solam diætam curatur.

Porrò in viris familiarior & frequentior ferè est melancholia, sed minùs difficilis curatu: *in fęminis* quidem rarior, sed diuturnior & pertinacior, speciatim si mensium jam deficiat excretio aut gravidæ existant, tum etiam harum nonnullæ, quæ è parentibus melancholicis natę, etsi aliàs semper sanæ mentis observentur, prægnantes tamen hujus quasdam hallucinationes ostendunt.

Præterea Melancholia, *quæ est cum* risu, joco seu *gaudio*, & hilaritate quadam intermixta, mitior, tutior, & cęteris paribus tractabilior est, quàm quæ est cum studio, aut cum quodam furore aut tristitia continua ac cum summo mœrore.

Melancholia, quæ à charactere seminali per parentes in liberos fuit transplantata, rarò potest curari.

Si melancholicus præter solitum in risum, aut fletum, aut lachrymas solvatur, metuendum est, ne in morosin, imò maniam transeat, nonnunquam in paralysin, & quamvis rariùs, in morbos convulsivos, item in apoplexiam.

Ad salutem monstratur via, si successivè mitiora deliria fiunt, si superveniat hæmorrhoidum, aut etiam uteri fluxus, si superveniant varices, Germ. *auffgelauffene Adern an SchencKeln*, quos ipsos commendat HIPPOCRATES *sect.6. Aphor.11. & 21.* & RIVERIUS *Prax. lib. 1. cap.13.* Item si in scabiem & similia cutanea vitia fiat transmutatio; item si urina hactenus tenuis, crassa, turbida, opaca & nigra evadat. His enim modis interdum ferè aut remittit aut planè cessat melancholia.

Ad interitum verò declinant ægri, si ægri omnem cibum & potum pertinaciter aversentur, quin etiam quando nihil dormiunt, aut tandem vires successivè fatiscunt: Nam observatum fuit, Melancholicos interdum ad aliquot menses ne momentum quidem dormivisse, & ita tandem collapsis viribus intereunt.

Denique rariùs fit, quod Deliriis melancholicis superveniant *convulsiones* aut epilepsiæ, quæ cerebrum afficiunt.

CURA.

Quod attinet methodum medendi ad curandam melancholiam & Deliria Melancholica, est vel præservatoria, & quæ causam antecedentem respicit, vel curatoria, scilicet ipsius delirii hujusque causæ proximæ. Ad *duo* igitur, ut jam suprà monitum, respiciendum est:

1. Ad constitutionem massę sanguineæ & spirituum melancholicam.

2. Ad superinductum Delirium.

Unde *ratione prioris*, curandi tales ęgri, ut malo hypochondriaco affecti, hinc vomitoria & martialia sunt proficua. Tota cura consistit in rectificatione massæ sanguineæ, in correctione ejusdem vitiorum & regeneratione massæ sanguineæ spirituosa & volatili: sed hoc etiam non caret difficultate, partim quod malum per se sit contumax, partim etiam quod Melancholici statim omnium remediorum sint pertæsi, & aliàs etiam per se satis immorigeri.

Ratione posterioris, humores educantur & alterentur, atque spiritibus animalibus aliqualis tranquillitas concilianda, illique à perverso & inordinato motu sunt avocandi, & in circulos pristinos redigendi: idque *vel* medicamentis *vel* rationibus, hoc est, auxiliis vel Medicis vel Ethicis; Medicis, hoc est, *medicamentis* anodynis, tàm mineralibus, quàm opiatis & camphoratis: Ethicis, vel eorum conceptibus *assentiendo* per stratagemata & fraudes; vid. FORESTUS *lib.10. Observat.13.* & TULPIUS *lib.1. Observat.18. & 19.* vel dissentiendo & corrigendo per persuasiones rationales, variis confabulationibus, recreationibus, negotiorum commissionibus. Semper sanè in malo pertinaciori simul eò respiciendum est, ut melancholicos præmissis præmittendis cauto quodam stratagemate decipiamus, eosque à semel concepta opinione, etiam subinde mediis ridiculis, avocemus; Talia enim stratagemata minùs sunt aliena à Medico.

Propterea pro meliori Cura observetur:

I. Ut causa remota removeatur; quæ si sit affectus animi gravior, removenda est non tàm per Medicum quàm per Ethicum seu Moralistam, nempe per rationes; sin verò causa sint internę, menses suppressi, malum hypochondriacum, &c. tunc hę primitus curandę. In genere habito causę remotę respectu per *omnia ea remedia*, *quæ in affectu hypochondriaco* usurpantur, tractandę sunt Melancholiæ & omnes ejusdem species, tàm per digestiva quàm laxativa: quibus addenda postmodum appropriata confortantia dicta, quę spiritus animales volatiliores, subtiliores & agiliores reddere, & fermentationes sanguinis naturalem restituere, ejusque crasin attemperare valent. Inter priora ista ad massam sanguineam corrigendam & spirituascentiam instituendam primatum obtinent tartarea & Martialia, vel laxativa, vomitoria, &c. quę sunt basis curę. Inter posteriora verò, confortantia, sunt imprimis Vinum, crocus, melissa, ambrata, & omnia cephalica spirituosa.

II. Observandum rectè monent Autores, omnia in cassum circa Melancholicorum & Maniacorum curam tentari, nisi quàm studiosissimè *Emeticorum* usus observetur, Nam in vomitoriis revera consistit radix curę omnis Melancholię Deliriorum & manię, quę in majori malo, & pro ratione circumstantiarum, etiam subinde repetenda, & non una vice ipsis insistendum. In specie nemo poterit maniacum curare, nisi priùs propinato vomitorio. Ut adeò in vomitoriis sępè repetitis cura tàm pręservativa quàm curativa Deliriorum horum fundamentalis consistat. Deliri siquidem melancholici tractati per vomitoria mitescunt ex voto.

III. Caveat sibi diligenter Medicus, ne solus melancholicos aut maniacos adeat, aut iisdem propiùs accedat. Nam hi ipsi admodum infensi sunt Medicis, & simulantes licèt pacem, eos subinde malè tractant, verberibusque onerant, in specie maniaci. Exempla talia videb. in HILDANO *Cent.4. Observat.9.* & FORESTO *lib. 10. Observat.22. in schol.* Quin etiam curati licèt, ferè odio suum habent Medicum, ut rectè observatum fuit à BORRICHIO *in* BARTHOLINI *Act. Haffniens. Vol.4. pag.148.*

IV. Observandum, quod in malo pertinaciori, & ubi ægri tales delirantes firmiùs conceptâ hypothesi insistant, prę̨missis jam prę̨mittendis nil melius sit, quàm ut cauto quodam stratagemate eos decipiamus, & à semel concepta opinione etiam ridiculis remediis nonnunquam deducamus: Vid. FORESTUS *loc. all. Observat. 13.*

V. Obs. Alvus contumacior semper & quotidie mollis & lubrica servanda. Nihil enim est, quod magis hypochondriacos infestat, quàm alvus obstructa; Quò magis enim obstructio affligit alvina, eò magis iidem sunt morosi & insomnes, omniaque exasperantur symptomata, Unde alvus quotidie respondere debet, aut arte aut naturâ; cui scopo omnium optimè satisfaciunt passulę & par-

& passulata, quæ pro scopo tàm alterandi contenta quàm emolliendi sunt optima; hinc tartarea item gummata: NB. Clysmatum quoque humectantium, item ex & cum lacte paratorum usus hic admodum est proficuus.

VI. Cum melancholici, qui semel delirantes fuerunt, subinde recidivent circa anni cardines, solstitia & æquinoctia, ob id opportunè & tempestivè vere & autumno nonnunquam cura prophylactica per laxativa & alterantia appropriata spirituosa instituenda.

VII. Quidam *Venæ-sectionem* adhibent, sed nescio, ob quam causam. Utut enim venæ sectio in mania conveniat, non tamen video, quomodo melancholiæ conferat, cumque in specie melancholici debeant curari per alimenta eupepta. Quàm injuriosum ergò est, si sanguinem eorum exhauriamus? quin potiùs alteretur sanguis ope medicamentorum infra dicendorum, non verò protervè evacuetur. PLATERUS quidem reiteratam venæ sectionem commendat; cujus rei hanc rationem reddit WILLISIUS, quod nimirum sanguine effœto toties educto novus faciliùs generetur: sed errant, cum nihil sanguinem generet, nisi ipse sanguis; & observatur quosdam ex Melancholia per venæ-sectionem, intempestivè & crebrò nimis administratam, in morosin & stupiditatem conjici. Habenda siquidem ratio est causarum antecedentium & virium, quorum intuitu in plethoricis, ac non adeò torpidis, venæ-sectio locum habet, sicuti etiam, quando vel suppressio evacuationis consuetę præcesserit, vel nimiæ phlogoses aut ęstuationes subinde observentur, vel caput circa frontem intensiùs subinde incalescat, metu majoris periculi, aut ne in maniam degeneret, vena brachii aperienda, item frontis in declinatione, aut saphæna in fœminis incidenda. Quò etiam spectant varicum, & hęmorrhoidum per hirudines in maribus aperturę. Imò Melancholia aliis irritis per hirudines temporibus admotas curata refertur à FONTANO *in Consil. & Respons. pag.* 112. Evacuationibus quoque accensenda est Trepanatio, & Fonticulorum suprà suturam coronalem inustio profundior, à RONDELETIO *Prax. lib.* 1. *cap.* 41. *&* 43. commendatę, ideòquod nonnulli fracto fortuitò cranio curati fuerint; Huic adstipulatur RHODIUS *Cent.* 1. *Observat.* 43. per experientiam Casserii. Nupertimè mulieri melancholicę crebrioribus ęstuationibus corporis vagis afflictę, & pręsertim intenso frontis ęstu subinde correptę, vesicatoria utrique brachio admovere iussi, ut doloris ratione impetum spirituum & humorum à capite averterem, ne mania supervenire queat.

VIII. Observandum, quod pręter Vomitoria in principio mali *Purgantia per inferiora* conducant. In principio dico: Purgantia enim propriè dicta in morbi cursu minus commoda sunt, diuretica parum aut nihil operantur, potiùs nocent. In principio ergò melancholicos semel & iterum purgare licebit, monente LINDANO; in progressu verò morbi plus nocebitis, quàm proficietis per Purgantia: quin potiùs loco illorum malum optimè per urinas, & hinc per leves & repetitos sudores tollitur, uti differit LINDANUS. Nam (1.) Melancholici ordinariò plus mingunt quàm alii; & quoniam (2.) rarò sudant ob habitum corporis densiorem, & constipationem pororum cutis, materia urinę subinde augeri solet.

IX. Diuretica sunt optima. Et in genere hìc monendum, quod omnes ii affectus, qui dicuntur splenetici, aut qui dicuntur oriri ab humore melancholico, præmissis pręmittendis, id est purgantibus, præsertim vomitoriis, & hinc alterantibus martialibus, optimè per diuretica & salia curantur. Et observatum fuit, quod in talibus urina turbida & crassa, opaca interdum etiam nigra reddita, & copiosis contentis saturata, signum sit declinantis in talibus morbi & imminentis sanitatis: adeòque hic diuretica, & tanquam alterantia & tanquam evacuantia, optimè hìc conducunt; v. g. arcanum duplicatum Mynsichti, nitrum antimoniatum in potu solutum, & hinc remedia tartarea, in specie tinctura tartari, tinctura nephritica Amelungii, spiritus tartari volatilis.

X. Rectè monet RIVERIUS, semper ad hypochondria pręcipuam dirigendam esse curam, undecunque etiam malum primitus traxerit originem; unde curatio pro malo hypochondriaco ad reliquarum melancholiarum curationem sufficit. Unde etiam BARTHOLETTUS *Tract. de Respir.* inquit, quod Melancholia, quę ex consensu totius cum corde derivatur, respondeat quantę exquisitę, adeòque etiam esse tractandos melancholicos ut Quarantarios.

XI. Quantum fieri potest, opera danda, ut Agrypnia coërceatur, & somnus aut conservetur, aut restituatur vid. HORSTIUS *lib.* 2. *Observat.* 18. Id quod interdum post vomitorium facilè evenit, ut tunc plus minùs lassati ægri vel sponte in somnum inclinent, & ut faciliùs ad somnum disponantur. In specie ad somnum promovendum alimenta, quæ sunt humida, ac bono nutrimento rorido turgida, qualia sunt juscula, ova, carnes facilis digestionis, serum lactis, lacticinia, *oryza*, *milium*, &c. ipsis primariò conveniunt; ita enim temperatur massa sanguinea, & humectatur cerebrum, adeòque multum diæta habet in recessu. Certè quamdiu adhuc dormiunt, minùs grave malum esse solet, aut si post agrypnias somnus redeat, faustissimum signum esse solet.

XII. Opiata sola, & nisi præmissis universalibus, nunquam danda sunt. Nam in talibus opiata parum vel nil operantur, præsertim in principio, & subinde duplicata aut triplicata dosi nihil faciunt, ob acidum in primis viis stabulans, eorumque vim destruens; idque eò magis, quò diutiùs somnum non viderit æger eò minus narcotica & opiata operantur; sed potius, dum non faciunt somnum, gravant malum, & reddunt ægros quasi delirantes, cùm talia narcotica per se sæpiùs aut in majori dosi usurpata somnia nonnihil turbulenta & quasi delira inferant. Internè ergò semper appropriatis specificis miscenda opiata, in specie humectantibus, & etiam occurrendum simul externis epithematibus capiti & fronti applicandis; item pediluvia ac similia pro scopo hypnotico melancholicis optimè conferunt.

XIII. In tota cura studiosè semper *Diæta* observanda est, ut sit lauta & nutritiva; unde dentur alimenta & potulenta, quæ blando humore temperato & nutritivo probè sint turgida & imprægnata, ut *lacticinia*, passulæ, & similia, humectantia communiter dicta; siquidem notante LOSSIO *lib.* 1. *Observat.* 21. melancholici non diutiùs curantur, quàm humectantur: unde & passulata, item poma dulcia, mirè conveniunt melancholicis. Nec negligendus haustus vini generosi, quod *vinum* optimè exhilarat Melancholicos; sicuti etiam motus corporis & excernendorum excretio, quantum possibile, promovenda.

Quod ergò attinet ipsam materiam medicam hisce scopis inservientem: radix exstirpandæ melancholicæ rectè à PARACELSO dicitur consistere in antimonio, cujus præparata sunt varia, imprimis vomitoria antimonialia, & hinc remedia quędam ejus per inferiora purgantia, sunt optima. Vomitoria jam alliàs nota sunt. In specie hic observandum est, eadem in paulo majori & sæpè dupla vel tripla dosi esse usurpanda, si aliquid agere debent, ut rectè observatum in BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Volum* 4. *pag.* 148. quia melancholici ordinaria dosi non moventur, sed saltem per inferiora moventur, minùs per superiora, dum per inadvertentiam animi & objecta fortiora spiritus animales in cerebro & reliquis locis non solent percipere alterationem. Certè nonnonquam observavi, quod *tartarus emeticus Mynsichti*, cujus grana ij. vel iij. ad jv. aliàs dantur, in hypochondriacis & Melancholicis à gran. vj. ad viij. imò ad xvij. aut in forma liquida syrupus emeticus Salæ à drachm. vj. ad unc j. propinatus fuerit. Et sanè tales ægri longè commodiùs etiam ac faciliùs perferunt vomitoria pauló fortiora, quàm alii; quin subinde repetenda sunt: Sic aliquando puerperæ, post 14. dies à partu Delirio melancholico laboranti, ad grana vj. propinavi, & tamen modicè vomitum experta est: Inde similiter studioso cuidam Melancholico exhibui syrupi emetici unc. ß. qui tamen nullam hinc sensit motionem. Ideò vomitoria in majori dosi propinentur. Præstat tamen prima vice ordinariam dosin propinare, ut ex huius operatione pauca vel nulla concludere possit Medicus, in quantum augmentanda dosis. Et in specie flores antimonii commendat PARACELSUS quorum florum elegantem præparationem videb. in FINCKII *Encheirid. Dogmatico-Hermetico* de Melancholia, tanquam appropriatissimum ad curandos Melancholicos remedium. Aliàs pro vomitorio sit aurum vitæ seu præcipitatum mercurii cum auro (imprimis *Kegleri*,) item infusum mercurii vitæ repetitum interdum confert.

fert. Sapa vomitoria Sylvii ex musto & mercurio vitę est etiam egregia; item syrupus emeticus ad unc.j. & ultra. Magni enim momenti sunt vomitoria, & utplurimum ab horum usu mitescunt ęgri. Aliquando cuidam melancholico propinare coactus fui:

℞. *Aquæ Fumar.* ℥j.
Gumm. Amm. in vino solut. ℈j. ad ʒß.
Syr. emet. concentr. ʒi.
Scamm. sulphurat.
Extr. troch. alband. an. gr. j.
Syr. rosat. simpl. ʒij.
Misc. pro Potione.

Cujus una vice sumpti usu æger ter vel quater viscida commodè per vomitum evacuavit, & bis per alvum laxavit cum euphoria.

Par ratio est Purgantium, quæ sine addito stimulo salino, præsertim tartareo, in ordinaria dosi non operantur, quin hæc potiùs ordinariò augmentanda venit.

Inter purgantia minoralia eminent antimonialia: Nam antimonium peculiare alexipharmacum debellans Melancholiæ videtur; unde ex antimonialibus per inferiora purgantibus eminet Mercurius vitæ per sal tartari cicuratus, aut multis aliis modis parabilis, est admodum conveniens; Sic enim cessante vi emetica egregiè per inferiora purgat. Inter vegetabilia verò imprimis sunt helleborus & helleborata, quę non tam propter laxationem simpliciter, quàm propter vim alterativam specificam in affectibus melancholicis, & in Deliriis Melancholicis conducunt. D. MICHAELIS refert exemplum delirantis, ex quo dæmon locutus, purgati per helleborata; unde nidus fuerit destructus, & cedere oportuerit. In malo verò contumaciori & mania helleborus albus, (de quo cras;) in melancholiis verò reliquis helleborus niger, palmam obtinet; nam pręter vim laxativam simul habet alterativam, melancholię convenientem: vid. VELSCHIUS *Hecatost.*2. *pag.*11. Unde extractum cum phlegmate vitrioli spirituoso paratum, & exinde paratę pilulę cum antimonio per inferiora purgante, hoc modo conveniunt:

℞. *Extr helleb nigr.* ℈j.
Troch. alband. gr. ij.
Antimonii vel *Mercurii vitæ per infer. purg.* gr. v. (pro varietate tamen pręparationis variat dosis)
Cum *Ess. Martis*, vel *Tinctur. tartari* f. Pilulę.
D. S.
Pilulæ purgantes.

Vel, quod melius, cum *aqua Anagallidis* & *flor. hyperici* f. Potiuncula, edulcoranda cum *syrupo de pomis laxativo*, & ita propinanda:
D. S.
Potio purgans.

Extractum trochiscorum alhandal hic adhibetur pro stimulo, ut corrigat simul viscidum pręternaturale, quod, ut in omnibus chronicis morbis, ita & Melancholicis pathematis seu subjectum causę materialis simul peccare observatur. De usu extracti colocynthidos & trochiscorum alhandal, vid. M. A. N. C. *Ann.*3. *Observat.*102.

Vel
℞. *Extr. helleb. nigr.* ℈j.
Martis cum succo pom. gr. xij.
Troch. alband. gr. ij.
Cum *Ess. fumar.* f. Pilulę:
D. S.
ut *suprà*.

℞. *Extr. helleb. nigri,*
Mercurii dulc. an. ℈j.
Mag. Ialapp. gr. vj.
Cum *Gummi amm. in acet. sol.* f. Pilulę:
D. S. *ut suprà*.

℞. *Aquæ Menth.* ℥i.
Extr. Martis liquid. ʒß.
Helleb. nigri ℈i.
Troch. alband. gr. i.
Syr. de pom. Reg. Sabor. ʒß.
M. S.
Potio purgans.

℞. *Aquæ Menthæ* ℥i.
Gumm. ammoniaci acet. sol. ℈i. vel ʒß.
Tartari vitriolat. ℈ß.
Extr. troch. alband. gr. i.
Syr. de pom. Reg. Sab. ʒß.
M. S. ut *ante*.

℞. *Aquæ Menth.* ℥i.
Extr. helleb. nigri gr. xv.
Troch. alband. gr. i.
Scamm. sulphurat. gr. ii.
Syr. Rosar. ʒß.
M. S. ut *ante*.

Vel radix hellebori nigri cum foliis sennę infundantur in aqua florum hyperici & anagallidis rubrę, vel in vino, acuantur cum sale tartari: liquor colatus appropriatum & egregium erit purgans Melancholicum in principio ad deliria: e. g.

℞. *Fol. senn. sine stipit.* ʒii. ad iii.
Rad. Polypod. ʒiii. ad ʒß.
Helleb. nigr. ʒi. ad ʒii.
Sal. tartari ℈i. ad ʒß. vel *Crem. tartari* ʒß. ad ℈ii.
Stent in infusione per noctem in loco calido cum f. q. *aquæ simplicis*, vel *anagallidis*, *florum hyperici*, &c. aut *seri lactis depurati*: manè, facta unâ aut alterâ ebullitione, coletur:
Colat. ℥iii. adde
Aquæ cinnam. ʒiß.
Syr. de pom. ʒiii. vel ʒß. ad ʒvi.
M. S.
Potio purgans pro una vice.

Item possunt fieri noduli vino infundendi ex appropriatis ad imitationem HARTMANNI *cap.*5. §.7. Vel

℞. *Passul. min. cont* ℥iii.
Fol. Senn. sine stipit. ʒvi.
Cinnam. el. ʒiii.
Caryophyll. ʒiß.
Crem. tartari ʒiii.
Contusa includuntur nodulo, & infundantur in *aquę simplicis* ℔iij. stent per noctem in digestione.

Convenit etiam vinum helleboratum *Quercetani*, quod videb. *in Pharmacop.* Est convenientissimum laxativum melancholicorum. Item tartarus vitriolatus ad grana iv. vel v. propinatus est etiam conveniens. Pręparandi modus prostat in SCHRODERI *Pharmac.* vel cum stimulo blando acuatur.

℞. *Gumm. ammoniaci cum aceto sol.* gr. v.
Tartari vitriolat. gr. iii.
Extr. aloes gumm. gr. ii.
Cum *Ess. Gum. ammo.* f. Pilulę:
D. S.
Pilulæ purgantes.

Post helleborata sunt imprimis sennata; eadem tamen nunquam sine stimulo tartareo pręscribenda: e. g.

℞. *Passul. min. contus.* ℥iii.
Coqu. in f. q. *aquæ*;
Colaturę ℔iii. infunde
Fol. Senn. sine stipit. ʒvi.
Cinnamom. ʒiii.
Caryophyll. ʒiß.
Crem. tartari ʒiii.
Stent in loco calido per noctem vase probe clauso; manè coletur:
D. S.
Potio laxativa.

Dosis ℥iii. vel iv. & alvus blandè laxatur.

Loco horum conveniunt etiam pro scopo laxativo massa pilularum de ammoniaco Quercetani, massa pilularum tartarearum Quercetani, massa pilularum de fumaria, item, quod rarius fit, de lapide Lazuli, & extractum melanagogum Quercetani.

Purgantibus his & vomitoriis semper pręmittantur Digestiva, absorbentia acidum, imprimis Martialia: e. g.

℞. *Vitrioli Martis ritè par*
Terræ fol. Tartari an. p. æqu.
Terantur in mortario lapideo, sub tritura liquescit, hinc blando calore exsiccetur, & iterum teratur.
Dosis scrup. j.

Vel cremor tartari & vitriolum martis solvantur in aqua fervida, & in crystallos flavescentes coagulentur. Item convenit tinctura vitrioli martis Zuvelfferi, essentia martis liquida, vel liquor martis solaris; vel pulvis ex cremore Tartari & sale Tartari: Vel

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒß.
Corall. rub. præp.

Croci

Croc. martis alterat. an. ℈ß.
M. f. Pulvis
div. in 2. part. S.
Pulvis digestivus.
℞. *Matr. perlar. præp.* vel *lapill. cancr. præp.* ʒß.
Arcan. duplicat. ℈I.
Salis absinth. ℈ß.
M. f. Pulvis.
diuv. in 2. part.
D. S.
Ut *antè.*
℞. *Sal. ammoniaci,*
Salis Absinth.
Lapill. cancr. præp. an. gr. xv.
Laud. opiat. gr. ii. vel iii.
M. f. Pulvis pro duab. dosibus:
D. S.
Pulvis digestivus pro duabus dosibus.

Vel

Convenit Potio digestiva in *Idea Formul. Class.* 3. §. 1.

Quoad *remedia alterantia*: ea vel respiciunt acidum corrigendum, vel crasin sanguinis emendandam, & per urinam purificandum, & quasi curandum malum hypochondriacum. Vnde ex simplicibus specificè conveniunt omnia ea, quæ in malo hypochondriaco & melancholia hypochondriaca usurpantur: quibus addenda simul splenetica antiscorbutica. Et quidem acidum corrigunt Martialia, Saturnina, corralliata, aliaque acidum absorbentia: quibus addenda est tinctura lunæ vera. Sanguinem alterant & per urinam mundificant tartarea, tàm fixa, quàm volatilia urinosa, aliàs contra malum hypochondriacum usitata. Quibus tamen in specie vegetabilia temperata, aliàs cordialia dicta, à Veteribus ceu specifica contra affectus melancholicos laudata; item splenetica quælibet sedulò addenda sunt. Talia reverà temperando specificum acidum in melancholicis saporem operantur, suntque *fumaria anagallis*, hypericum, *borrago*, *buglossa*, poma dulcia, præsertim Borsdorffiana, quæ ceu alterativum specificum ab omnibus Practicis laudantur, flores tunicæ, &c. in specie *crocus* & camphora, quæ immediatè agunt in spiritus & eorundem dyscrasiam alterant.

Martialia quod attinet; convenit horum usus pro scopo alterandi in cursu curæ, imprimis Infusum martis cum succo pomorum Borsdorffianorum, quod largiter propinatum est specificum; item fiat extractum Martis cum succo pomorum, (pomorum succus cum Marte se saturat, & non fermentat, sed liquor nigrescit, & perquam diu perstat). Porrò omnes croci martis aperitivi, non saturati; item tinctura martis Mynsichti, essentia martis liquida, tinctura vitrioli Martis Zuvelfferi, liquor martis solaris à gutt. xx. ad xxx. manè pulvis cachecticus Hartmanni, & similia, inter alterantia in Deliriis Melancholicis primatum ducunt, & optimè conveniunt. Faciunt etiam huc Acidulæ melancholicis optimæ: Sic GABELCHOVERVS *Cent.* 2. *Curat.* 69. refert mulierem melancholiâ hypochondriacâ gravissimè laborantem, per potum acidularum curatam, sed quæ ex balneo eorum pessimè habuit: Sicuti etiam thermæ melancholicis maximè nocent. Conf. BRVNNEMANNVS *Cons.* 5. *de Melanchol. Hypochondr.*

Post hæc quoque excellit Saturnus, & eius imprimis saccharum, quod frequenter usurpatum dosi ℈I. egregium & specificum est in melancholia imprimis hypochondriaca compescenda, & ex hoc ipso parata tinctura cum vitriolo martis, aliàs tinctura antiphthisica dicta. Loco huius etiam crystalli mineræ saturni cum spiritu nitri aceto acuato paratæ specificæ sunt in mania & reliquis melancholiis. Loco harum vel solum saccharum Saturni singulariter convenit, quo ipso Monachus quidam Italiæ omnes maniacos & melancholicos curavit propinando quotidie: Sanè iuvenem philiatrum novi, per solum & frequentiorem saturni sacchari usum à Melancholia gravi hypochondriaca curatum. Metus, quod steriles reddat, est inanis.

Cognata sunt martialibus corallia rubra, vel cruda, vel quæcunque ex iis parata, non saltem quod acidum simpliciter destruant, sed & quod sulphur eorum contra tristitiam, anxietatem, Melancholias & Deliria, appropriatum sit; unde tàm in substantia propinari possunt, quàm in specie eorundem tincturæ veræ, quæ præmissis universalibus singulare quid obtinent in Deliriis Melancholicis, imprimis si reducantur ad statum volatilitatis. Sed quia eiusmodi tincturæ sunt raræ, usurpetur loco harum tinctura coralliorum cum spiritu ligni sassafras parata, item cum spiritu cordis cervi, additâ essentiâ ambræ. Egregium enim remedium est tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi in tristitia, anxietatibus cordis, huiusque palpitatione, aliisque angustiis melancholicis, ob sulphur, simul etiam egregiè ad phantasmata melancholica dispellenda confert: e. g.

℞. *Tincturæ Corall. cum spiritu cord. cervi*
vel
Rosar. par. ʒj.
Ess. Melist.
Croci an. ʒß.
M. S.
Singularis Tinctura Corallorum.

Vel essentia fumariæ mista cum tinctura coralliorum antiscorbutica est egregia.

Ad lunaria spectat tinctura lunæ vera, non cœrulea, quæ omnis est impostoria, & tantùm est tinctura veneris cum luna imprægnata. Sine Venere enim tinctura lunæ colorem cœruleum nunquam repræsentat: sed luna purissima aliquoties cum saturno optimè purificetur, ita emergit hinc tinctura ex rubro obscuri coloris (vid. BARTHOLINI *Actor. Med. Haffniens. Volum.* 1.) in melancholicis deliriis præmissis præmittendis ceu appropriatum alterativum est optima: vel harum loco magisterium lunæ, ob id à quibusdam Ger. *das Narren-Pulver* dictum, (videatur ROLFINCKII *Chym. sub tit. Luna*;) Fatui enim restituuntur beneficio huius medicamenti. Potest cum aliis absorbentibus misceri, v. g. coralliis rubris præparatis; aliàs ingratum habet saporem, vomitus & nauseam concitat. Item aqua cephalica, in qua extinguitur luna cum sulphure calcinata, extinguendo eandem ab omni calcinatione, in affectibus melancholicis præstans est.

Maximè quoque à quibusdam laudatur lapis Lazuli, tanquam singulare remedium ad affectus melancholicos, tam in forma pulveris ad imitationem HARTMANNI propinatus, quàm sub forma tincturæ smaragdinæ cum spiritu vini & spiritu urinę. Verùm lapis hic sanè est concretum hermaphroditicum, participat itidem de luna & Venere, unde in quibusdam non ritè pręparatus facit vomitus. Ratione ergò lunę affectui melancholico succurrit, unde paretur ita, ut eliciatur saltem vis lunaris, relicta substantia Venerea; & pro usu servetur; sic enim habebitur appropriatùm specificum, alterans causam peccantem. Dosis à guttis xii. ad xx. Miscetur commodè cum essentia anagallidis composita, hoc modo:

℞. *Ess. Anagall. compos.* ʒiii.
Tincturæ lap. Lazuli ʒi.
M. S.
Essentia Cephalica & Splenetica.
Dosis 40. vel 50. Guttę.

Ratione huius lapidis confectionem alchermes optimè convenire ad melancholiam, pręmissis medicamentis hypochondriacis, dicunt; maxima tamen vis dependet ab Ambra, quę confortat melancholicos, hinc etiam usurpari potest essentia ambrę.

Juxta hęc inter alterantia appropriata eminet speciatim arcanum duplicatum Mynsichti, quod est egregium in omnibus Deliriis melancholicis, & mihi frequentis usus medicamentum: hinc quoque nitrum antimoniatum, in specie cum camphora.

Insuper ex regno vegetabili quędam temperata afferuntur. Prę cęteris tartarus & tartarea quęlibet sunt optima, sive pro scopo digestivo humorum in primis viis usurpentur, sive pro scopo alterativo & diuretico: hinc cremor tartari, tartarus vitriolatus, cremor tartari mistus cum salibus aliis lixivialibus, in specie cum sale absinthii, cum sale fraxini, item *cum ana salis tartari*, *est egregium digestivum in* affectibus melancholicis. Imprimis conveniunt volatilia, quæ vi diuretica & acidi destructiva melancholicos iuvant: Talia sunt imprimis spiritus & sal tartari volatile, tinctura tartari, aut etiam spiritus vini tartarisatus. Paratur spiritus tartari volatilis ex tartaro diversimodè, & optimus est in affectibus melancholicis. His pręfero spiritum carminativum ex nitro, tartaro, spiritu vini, &c. qui est convenientissimus, dum in paroxysmo hypochondriaco & Melancholia gravior mœstitia, angu-

fliæ & anxietates cordis, palpitationes ejus, &c. graviùs urgent: in tali casu, præter coralliata, spiritus hic carminativus est optimus à ʒß. ad ʒj. propinatus, nunc solitarius, nunc spiritui salis ammoniaci sociatus; in cujus locum tinctura nephritica composita seu clyssus urinosus substitui potest. Pertinet huc etiam *liquor tartari diaphoreticus cum succis Dn. D. Rhefeldii*, qui ita se habet:

℞. *Succ. expreß. Piperit.* ℥iv.
Cochlear.
Raphani mar.
Nasturt. aquat.
Hortens. an. ℥j.
Dictis addit
Spiritus tartari probè rectif. ℔j.
Mista hæc omnia, & digesta aliquandiu, destillat aliquoties lento igne in Mariæ balneo.

Dosis à ʒij. ad ʒß. optimè conferens pro scopo alterandi in quacunque melancholia, præsertim hypochondriaca, non minus quàm in aliis melancholiæ speciebus; sic enim vel per sudorem vel urinam operatur.

Remedia ex borragine, buglossa, fumaria, & similibus, quæcunque eorum alterantia appropriata per se nota sunt, & speciatim in largiori dosi pro vehiculo reliquorum inserviunt. In specie tamen fumaria præ cæteris est utilis, & omnia ex fumaria parata remedia; Unde essentia fumariæ composita nostra pro scopo alterandi optimè convenit, si misceatur cum essentia seu tinctura martis liquida; e. g.

℞. *Eß. fumar. compos.* ʒiij.
Tincturæ martis liquid. ʒij.
Eß. Croci ʒj.
M. D. S.
Essentia Cephalica & Splenetica, pro una dosi 50. guttæ.
Usurpatur ter in die:

Vel
℞. *Eß. martis liquid.* ʒij.
Fumar. compos.
Croci an. ʒj.
Camph. gr. v.
M. S. ut *antè*.
Dos. 30. vel 40. guttæ.

Vel in forma Noduli:
℞. *Herb. scolopendr.* M. ij.
Fumar. M. iß.
Flor. borrag.
Bugloß. an. M. j.
Tunic.
Violar. an. M. ß.
Cort. tamar.
Fraxini an. ʒvj.
Rad. polypod. vel *enulæ*,
Limat. martis an. ℥j.
Cinnam. ʒii.
Incisa & contusa includ. Nodulo:
D. S.
Nodulus ad vinum.

Post fumariam succus pomorum Borsdorffianorum depuratus, vel etiam omnia ex pomis parata remedia, v. g. syrupus de pomis, extractum Martis cum succo pomorum diutiùs continuandum, vel solitarium vel camphoratum, interponendo interdum usum spiritus salis ammoniaci; extractum granorum chermes cum succo pomorum ex Hartmanno & similia; item extractum & syrupus de succo borraginis, item buglossæ, à veteribus laudantur in majori dosi, & crebriùs usurpantur; essentia splenetica, medicamenta quæcunque ex lupulo, & similia. Apud RHODIUM *Cent.* 1. *Observat.* 44. infusis cichoraceis in prima mensa haustis Melancholia hypochondriaca profligata fuit. Sed hæc sunt clara ex Cura mali hypochondriaci. Eminent quoque anagallis flore phœniceo, quæ communiter dicitur Ger. *Vernunffts-Kraut*, & hinc hypericon: Hæc enim duo mirè conferunt contra phantasmata melancholica, sive tantùm coquantur in aqua appropriata, & propinentur, sive fiat essentia & tinctura composita: quò pertinet tinctura hyperici Mynsichti, quæ ad Deliria Melancholica & Maniaca ab eodem commendatur, quotidiè bis vel ter usurpata; item essentia anagallidis composita D. Michaelis, quæ ad 50. vel 60. guttas bis in die sumatur: *Tinctura hyperici Mynsichti* datur pro dosi ad aliquot cochlearia. *Satyrium, ejusque conserva, item essentia satyrii, magnam vim habet mærores & tristitias pellendi*, inquiunt Autores: sed observetur in usu, ne sit Melancholia erotica seu ex amore, utpote quam potius aggravat. Essentia & conserva cum aliis mista conducit. Helenium miram vim ad spiritus excitandos habere RONDELETIUS *Prax. l.* 1. *cap.* 9. dicit. *Crocus* præ reliquis singulare quid obtinet, & optimum est simplex ad affectus melancholicos cum & sine delirio dispellendos: nam insigniter convenit ad volatilisandos & subtilisandos spiritus, utut occultâ narcoticâ vi eos figat; hinc HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr.* meritò commendat essentiam croci cum aqua vitis destillata paratam; cui tamen meritò præfert LINDANUS croci essentiam cum aqua betulæ, mense Martio ex surculis profluente paratam, utpote cùm dicta aqua betulæ per se sit egregia pro scopo alterativo humorum & diuretico in melancholiis, sive sit aqua destillata betulæ, sive per fermentationem purificata, & ita propinata. *Essentia* croci summa cordis lætitia à PARACELSO vocatur, cùm simul habeat vim sudoriferam, & pro scopo afficiendi spiritus mirè convenit; unde etiam *Lindanus* meritò etiam *syrupum ex succo borraginis*, cui crocus additus sit, in prælentibus affectibus singulariter commendat. Siquidem & externè crocus in nodulo circa scrobiculum cordis appensus egregiè convenit ad tristitiam, mœstitiam & angorem Melancholicorum curandum, uti BORELLUS *Cent.* 2. *Observat.* 99. de muliere Melancholica continuò mœstante, gestatione croci super cor curatâ, refert. Melius tamen est, quod soleo facere, ut *croco* huic addatur *camphora*, & appendatur dicto loco, quia est optima. STOECKERUS *in Praxi* insigniter commendat in affectibus Melancholicis hanc aquam destillatam:

℞. *Fl. Anthos,*
Borrag.
Bugloß. an. ℥iv.
Croci ʒi.
Mal. Coton. ℥iv.
Vini albi gener. ℔. ii.
Mista digerantur per 15. dies, & destillentur.

Aqua propinetur ad ℥i. quam iubet asservandam tanquam pupillam oculi. Sed an tantæ sit efficaciæ, nescio, & ferè dubito. Datur, uti dico, in affectibus melancholicis ad ℥i. subinde repetendo.

Croco non cedit Camphora, & ejus essentia, quæ uti singularissima est in mania, & omnium optimè conducit; ita etiam in reliquis Deliriorum Melancholicorum speciebus, tam internè cum saccharo saturni, vel arcano duplicato permista, quàm cum croci ʒi. noduli formâ suspensa & aliquamdiu gestata. Exemplum novi in quodam amico, qui terroribus subinde affligitur & hoc ipso amuleto egregiè levatur. In forma quoque *epithematis* externè capiti applicari potest, quando deliri conqueruntur de perturbatione capitis; v. g. hoc modo:

℞. *Aquæ flor. sambuc.*
Hyperic. an. ℥iß.
adde
Camph. gr. vi. vel ix.
M. f. Epithema: S.
Epithema externum.

Quod applicatur fronti & temporibus, & benè confert.
Internè non adhibeatur, nisi præmissis præmittendis, e. g.

℞. *Pulv. cachect. Hartm* ʒi.
Corall. rubr. præp. ʒß.
Camph. gr. xv.
M.
div. in 3. part. æqual.
D. S.
Singularis pulvis cephalicus & splenericus.
Quarum una capiatur omni manè.

℞. *Arcan. dupl. Mynf.* gr. xxiv. vel ʒß.
Corall. rub. præp. vel *Mag. Corall. cum succo citri* ʒi. vel gr. xxiv.
Camph. gr. iv.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus:
D. S. ut *antè*.

℞. *Arcan dupl.* ʒß.
Sacch saturni gr. xii. ad scrup. i.
Camph. gr. vi. vel *laud. op.* gr. iv.
Misc. pro duabus dosibus:
D. S. ut *suprà*.

Capian-

Capiantur manè & vesperi, repetantur aliquoties, in specie vesperi tempore somni; nam camphora Melancholicos disponit ad somnum.

℞. *Mag. corall.* cum *succ. citri*, vel *Corall. rub. præp.* gr. xij. ad xv.
Sacch. Saturni gr. viij.
Camph. gr. iij.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis vesperi sumendus.

Vel omissâ camphorâ addatur *Laud. opiat.* gr. ij. vel *Extr. croci* gr. v.

℞. *Sacch. Saturni* gr. v. vj. ad ix.
Laud. opiat. gr. ij.
Ol. dest. Camph. gtt. iij.
M. f. Pilulæ: S.
Pilulæ ante somnum sumendæ.

Capiantur tempore somni.

℞. *Extr. Martis* cum *suc. pom.* ℈j. ad ʒß.
Camph. gr. ij. vel iij.
M. f. Bolus pro una vice.
D. S.
Bolus vespertinus pro una vice.

℞. *Aquæ Borrag.* ℥j.
Arcan. duplic. ℈j.
Mag. corall. cum *succ. Citri* ℈ß.
Camph. gr. iij.
Syr. Borrag. ʒß.
M. S.
Potio vespertina pro una vice,
Capiatur pro una vice.

℞. *Aqua Anagall.*
Borrag.
Flor. hyperic. an. ℥j.
Arcan. duplic. ℈ij.
Sacch. Saturni ℈j.
Camph. gr. vj.
Syr. borrag. crocat. ℥j.
M. S.
Potio cephalica, & splenetica cochleatim sumenda.
Capiat inde æger pro lubitu.

℞. *Aqua Anagall.*
Meliss. an. ℥ij.
Arcan. duplic. ʒß.
Spec. dia-saturni Myns. ℈j.
Camph. gr. v.
Syr. flor. borrag. vel *Meliss.* an. ʒß.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Aqua Anagall.*
Flor. hyperic.
Cordial. Herc. Saxon. frig. an. ℥j.
Ess. Enul. vel *fumar. compos.* ʒij. vel iij.
Croci ʒj.
Tinct. Corall. cum *spir. cord. cervi* ʒiß.
Ess. Ambræ gtt. xv. ad ℈j.
Camph. gr. vj. vel *spiritus vini camph.* ʒiß.
Syr. de canell. vel *flor. tunicæ*, vel *borrag.* ℥j.
M. S.
Potio confortativa pro aliquot vicibus.
Subinde usurpanda coch. i. vel etiam ii.

Semper camphora medicamentis alterantibus pro affectibus melancholicis & maniacis addenda venit; camphora enim immediatè spirituum animalium vitiatam crasin alterat; cùmque tota nil aliud sit, quàm sal oleosum, hinc consequenter sociabilis est spiritibus, internè & externè usurpata.

Interdum pro sudorifero convenit præter misturam simplicem imprimis spiritus salis ammoniaci volatilis, qui ad curam mali hypochondriaci, & hinc Melancholicæ est optimus, imprimis si misceatur cum spiritus carminativi ana; vel pro scopo diuretico

℞. *Spirit sal ammoniaci* ʒiii.
Liqu. terræ fol. tart. ʒiii. ad ʒß.
M. S.
Essentia splenem aperiens.
Dosis gutt. xxx. ad L.

Hisce Elixyr proprietatis *Sennerti* cum succis paratum, tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi, spiritus & salia volatilia, pro circumstantiarum ratione etiam accensenda sunt.

Ubi phlogoses frequentiores adsunt, ac æstuationes vagæ, item ubi humorum alteratione & per urinam evacuatione magis indicium, arcanum duplicatum, nunc solitarium, nunc aliis sociatum, est optimum. Sanè huius usu agrypniam melancholicis nonnihil emendari, fuit observatum.

Denique pro scopo analeptico, unà cum laudabili diæta, convenit essentia melissæ, essentia corticum citri vel corticum aurantiorum, elixyr citri, tinctura solis cum oleo cinnamomi Mynsichti, tinctura coralliorum, essentia helenii, & similes. Usurpari etiam potest in paroxysmo melancholico *Opiata antimelancholica* TIMÆI *von Guldenklee*, quam mirè commendat in paroxysmo. Compositio est hæc non inelegans:

℞. *Conf. de hyacinth* ℥i.
Alchermes ʒß.
Lap. Bezoar ℈i.
Smaragd. præp. ℈ii.
Corn. alcis sine igne ʒj.
Mag. succin. albi / *Perlar.* / *Corall. rub.* } potiùs *præp.* an. ℈i.
Spiritus Rosar.
Rubi idæi,
Lil. convall. an. gtt. xiii.
Syr. flor. Pæon. q. s.
M. f. Electuarium.

Assumatur in aqua appropriata à ʒß. ad ʒj.

In diæta serum lactis tàm simplex quàm medicatum, & alia lacticinia dentur, nisi quid obstet; item remedia ex pomis, imprimis Borsdorffianis, vinum ex passulis cum succo pomorum Borsdorffianorum fermentatis, & denique omnia alimenta rore nutritio turgida, minus squalida, & minus arida, conveniunt, ut jam *suprà notatum*. Nam benè edunt Melancholici; si non appetant, malum signum est. In specie vinum generosum præmissis præmittendis mirè convenit Melancholicis, si præprimis mœrore quasi succumbant, utpote quod spiritus excitat, lætitiam quandam conciliat, animum exhilarat, & simul somnum inducit, modò non in nimia dosi capiatur, ne phlogoses excitentur; & quamdiu hæ urgent, ab illo abstinendum. Egregium vini usum in affectibus Melancholicis videb. approbatum à GABELCHOVERO *Cent.* 3. *Curat.* 18. *in schol* & THONERUS *lib.* 2. *Observat.* 3. refert, quod quidam Melancholicus in summo gradu haustu vini tandem revocatus & ita curatus fuerit.

Ut res exemplis fiat clarior:

Sacerdos Melancholicus accipiebat primò syrupum emeticum duabus vicibus, hinc liquoris martis solaris ʒß. dosi xx. ad xxx. guttas omni manè:

℞. *Sacch. Saturni* ʒiß.
Laud. opiat.
Camph. an. gr. viij.
Miscebantur pro 4. dosibus vespertinis.
Item
℞. *Arcan. dupl.* ʒij.
Corall. rub. præp. ʒj.
Camph. ʒß.
Misc. pro 6. dosibus vespertinis.

Item interposito blando laxativo ex tartaro vitriolato cum scammonio præparato & trochiscis alhandal. Continuavit ante meridieam solutionem Martis cum succo pomorum: à meridie verò

℞. *Arcan. dupl.* ʒii.
Camph. gr. xv.
Sacch. Saturni ℈ii. ad ʒj.
Miscendo pro 8. dosibus.

Finem curæ tandem spiritus salis ammoniaci aliquamdiu continuatus absolvere solet.

Alium melancholicum, qui sibi violentam manum injecerat, simili ferè modo curavi:

Primò ordinavi jam dictos sex pulveres ex arcano duplicato, corallis rubris præparatis, & camphora; de quibus quotidie binas doses capiebat, manè & vesperi. Hinc exhibui syrupi emetici ʒvj. cum levamine: sed manebat anxius, & multum bibebat. Hinc usurpabat liquorem martis solaris, dosi xx. ad xxx. guttas omni manè; appetente verò nocte

℞. *Sacch. Saturni* ℈j.
Laud. opiat. gr. ii.
Camph. gr. iii.
Misc. pro dosi, sub introitu lecti.

Post

Post tres dies repetii vomitorium sequens:

℞. *Tartari emet.* ℈ß.
Vitriolat. gr. viij.
Misc.

Assumebat cum egregio levamine.

Post continuavit manè liquorem martis solaris, & à meridie octo illos pulveres Sacerdoti melancholico præscriptos, ex arcano duplicato, saccharo saturni, & camphora; & sic continuando & alvum servando apertam, restitutus fuit.

Puerpera, cujus mater in puerperio sæpiùs delira melancholica fuerat, cùm omnia in partu rectè se habuissent, nihilominùs decimo quarto die puerperii fiebat melancholica, & hinc tantum non maniaca. Hisce verò curata fuit: Applicabatur clyster carminans: hinc

℞. *Solut. Martis* cum *succo pom.* ℥iij.
Ess. Croci ʒj.
Misc.
Dosis 40. vel 50. gutt.

Continuavit per triduum: Sed cum die quarto ferè fieret maniaca:

℞. *Tartari emet. Mynf.* gr. vj.

Dabam mane; quo benè operante placida reddebatur; hinc

℞. *Arcan. duplic.* gr. xv.
Sacch Saturni gr. v.
Camph. gr. iij.
Miscendo pro pulvere:

Capiebat horâ quintâ vespertinâ. Sub introitu verò lecti præscribebam:

℞. *Sacch. Saturni* gr. v.
Laud. opiat. gr. ij.
Ol. destil. Camph. q. s. pro pilulis.

Quarum usu cum multò melius habuisset, continuavit adhuc essentiam Martialem superiorem. Sed cùm aliquot adhinc diebus supervenirent pathemata quædam hysterica, injiciebatur idem clyster carminans, & assumebat cochleatim sequentem Potionem:

℞. *Aquæ meliss.*
Hirund. cum *castor.*
Menth. an. ℥j.
Spiritus sal. ammoniaci ʒj.
Cochlear. ʒß.
Camph. gr. v.
Syr. de cort. Aurant. ℥ß.
Misc.
F. Potio.

Cum verò alvus non benè responderet, purgabatur leniter per Decoctum sennæ cum cremore tartari; hinc continuabatur eadem solutio martis, sed cum spiritu vini camphorato mista. Cum hinc optimè se haberet, & saltem de capitis perturbatione adhuc conquereretur, præscribebam sequens Epithema:

℞. *Aquæ flor. sambuc.*
Hyperic an. ℥iß.
Camph. gr. vj.
Miscendo pro Epithemate,

aliquoties fronti applicando, & ita convaluit.

Externè, præter *suprà dictum* epithema camphoratum, & nodulum ex camphora & croco, emplastrum ex tacamahaca capiti raso applicatum commendatur ab HOECHSTETTERO *Dec.* 9. *pag.* 319. Alii

℞. *Tacamahac.*
Gumm. Caram.
Animæ an. p. æqu.

Ex his liquefactis faciunt Emplastrum simili modo applicandum.

Sed non opus est: sufficit tacamahaca, quæ egregii usus ad Deliria melancholica. D. SCHOLZIUS in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observ.* 157. Species sequentes tanquam expertissimas in Melancholia à fastu commendat:

℞. *Herb. beton.*
Verben.
Flor. Chamom.
Salviæ,
Sambuci,
Rorismar.
Nymph. an. p. ii.
Sem. Fenic.
Nigell. præp.
Coriand. præp.
Anethi an. ʒß.

Concisa grosso modo misceantur & subigantur cum *farina* & *aqua*, fiat lege artis panis, qui rescissâ inferiore crustâ, parùmque excavatâ medullâ, instar mitræ calidè capiti impositus fuit.

Quodsi junctum sit splenis vitium, præter interna saturnina emplastrum de nicotiana splenis regioni applicatum convenit.

Quodsi phlogoses frequentiores adsint, aut caput nimis æstuet, ita ut Mania metuatur, observavi limum recentem cum aceto subactum, plantis pedum & cervici applicatum, nonnihil prodesse, renovando subinde; nam fortiter adhæret, ita ut vi avellendus sit.

MEMBRUM III.
DE
MANIA.

Absolvimus Deliria Melancholica. Superest verò adhuc *summus deliriorum melancholicorum gradus*, & magis crudelis species, ex eo, quia homines omninò quasi in bruta transmutantur; estque ista melancholia, quæ aliàs *μανία* dicitur Græcis, Latinis *Insania*, Germanis *die Raserey oder die unsinnigkeit*, quæ tale est absque febre delirium, (utut mania cum quoq; febris corripere possit,) quo correpti ægri melancholici cum insigni furore & audacia, deposito omni pudore, & exutâ quasi omni ratione in tantum, non in totum, planè feroces redduntur, ita ut, quæcunque objecta aggrediuntur, eadem diffringant & lacerent, multa absurda loquantur & faciant, cum insigni furore sæviant in alios, etiam in se ipsos, adeò ut quoscunque homines obviam venientes verberibus malè mulctent, & impediti gravioribus contumeliis & conviciis eosdem lacessant, ita ut ob furorem & quæcunque perpetrandi audaciam catenis subinde devinciendi & arctè incarcerandi sint ægri, & si sui juris sunt, interdum aufugiunt, quin & sese, nisi defendantur, nonnunquam jugulant aut suspendunt, & horrenda peragunt. Pertinacissimè vigilant, ita ut FERNELIUS referat, quendam maniacum per quatuordecim menses insomnem fuisse.

In his deliriis maniacis verò observandæ sunt tres circumstantiæ: nempe *Furor*, *Robur*, & *Frigoris tolerantia* mirabilis. Imprimis considerabilis est *furor* iste, quo tales ægri quæcunque perpetrare audent, qui tamen furor insignis & hæc apparens *audacia* non est planè absque aliquali meticulositate & absque timore interno, imprimis erga custodes suos. Nam si furiosi aut maniaci aliquem metuentem, vel pavidum vident, in eum audaces promptè irruunt; sed si audacem & constantem quem vident, eundem formidant; quin &, si ab aliquo aliquando verberibus excepti fuerint maniaci, eundem admodum metuunt, &, quacunque ratione possunt, fugiunt. Audaciæ huic, vel potius temeritati, conjunctum est insigne, & tantum non stupendum in maniacis *robur*, cùm validissima ferramenta diffringant & disjiciant, & quæcunque obvia subitò conterant & devastent: Sic BENIVENIUS observat nutricem maniacam, quæ dentibus quæcunque obvia comminuit, & etiam validissima diffregit. Conf. BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 69. Hoc robur est stupendum, ut subinde tres robusti viri unum maniacum non possint retinere. Quod ipsum tamen non adeò proprium est solis maniacis, quin & interdum in graviori febrili quasi phrenetico delirio observetur; quale exemplum refert PANAROLLUS *Pent.* 4. *Obser.* 49. ubi quidam phreneticus in vigore febris cancellos ferreos, ac si cerei essent, tractavit, & pondera ingentia facillimè elevavit, qui tamen transacto morbo (nempe febris & phrenitidis) vigore adeò imbecillis fuit, ut vix surgere potuisset. Aliàs tamen in maniacis Robur ordinariò observatur. A phrenitide hinc Maniaci distinguuntur, quod nulla iis adsit febris prægressa, nullum signum graviter affecti capitis aut cerebri. Cum dæmoniacis quidem subinde confunduntur: sed in hoc ferè differre observantur, quod hi sæpiùs per vomitum ferramenta, crines, aliaque inconsueta soleant rejicere, id quod saltem in veneficiis contingere solet. Accedit his tertium notatu & consideratione dignum in maniacis, insignis nempe *frigoris*, etiam intensissimi, *tolerantia*. Utplurimum enim maniaci omnes vestes lacerant, & inde etiam in gelu hyberno ita jacent, aut per vias ambulant, idque sæpè membris nudis, aut solo indusio amictis, sine ulla corporis exinde contracta læsione. Sic LINDANUS refert,

fert, vidisse se Amstelodami Gallum quendam maniacum in ergastulo, qui nudus in intensissimo frigore hyberno solo solo indusio amictus incedebat, quamdiu nempe furor perduravit, quique accedente paroxysmo caput antliæ submittens, aquam frigidissimam capite excipiens, levamen sentiebat. Quò etiam facit exemplum FORESTI *lib.* 10. *Observ.* 22. de muliere maniaca, quæ in hyeme nuda in lecto jacens, corpus tamen habuit admodum calidum, ubique sorido sudore perfusum: Hoc ipsum fit partim ex statu massæ sanguineæ, quæ intus vitiosè exæstuat, partim verò ex eo, quod maniaci in furore constituti vim frigoris minùs sentiunt atque percipiunt. Hoc ipsum tamen, nempe tolerantia frigoris, utplurimum equidem adest in maniacis, non tamen semper, nec in omnibus observatur, sed tantum utplurimum: Interdum enim observati fuerunt maniaci vestibus contecti, aut vestes sub gelu hyberno postulantes & de frigore conquerentes; quale exemplum RIVERIUS *in Observat.* habet. Quò etiam facit observatio rarissima PLATERI *lib. Observat. pag.* 82. de quodam maniaco, qui hyeme, frigore intensissimo, periit, & manè congelatus inventus est. Interdum quidem, sed rarò, conqueruntur de frigore; quod, si accidit, bonum signum est.

CAUSÆ.

His ita de Maniâ affectis prælibatis, accedo ad causas. Quod ergò attinet *Causas* Maniæ: arbitror deliria maniaca non differre radicaliter à reliquis Melancholiis, & deliriorum melancholicorum speciebus, sed saltem circumstantiis quibusdam observabilibus, ob crasin spirituum animalium plus minus læsam. Nam quod non differant in radice, patet, quòd nonnunquam ambo hæc inter se transmutentur, cùm videamus, quod Mania confabulationes & cantus, similiaque hilaritatis phænomena, nonnunquam interjecta habeat, & melancholicos fieri maniacos, & melancholicos subinde manere, qui ante fuerant maniaci: quò imprimis pertinet observatu dignissima observatio RIVERIO à FOMIO *communicata* 32. de Mania gravissima, post quælibet extrema remedia, nempe arteriotomiam, persistente in juvene, quæ tandem castratione fuerit curata, ita tamen, ut per castrationem cessarit ista Mania, & remanserit delirium melancholicum. Multum habet in recessu hæc observatio. Conf. etiam LOSSIUS *lib.* 1. *Observ.* 23. Sicuti è contrà non rarò melancholici mœsti & tristes, aut aliàs deliri, interdum in maniacos planè exacerbantur & transeunt: imo Maniæ paroxysmi cum melancholico delirio alternare solent, hocque illius gradus tantum remissior videtur: Unde etiam Mania, non secus ac aliæ melancholiæ species, iisdem omninò remediis, eâdemque medendi methodo, curari solent, saltem quod in Mania remedia in majori dosi adhibeantur. Nempe, ut loquitur LINDANUS, in melancholia sanguis frigidus & siccus, in Mania calidus & siccus, h. e. textura talis est sanguinis asperior, minusque succulenta nutritiva, ut utrobique dominetur acidum, sed mitius & fixius in melancholicis, acrius & subtilius in maniacis. Est nempe Mania talis melancholicæ species, quæ cum summa morositate & omnium objectorum tædio, adeòque facili iracundia, eâque subinde intensâ, conjuncta est: uti enim observantur melancholiæ cum tristitia, uti dantur melancholiæ cum risu, cum cantilenio, cum amore; ita simili ratione datur melancholia cum intensa iracundia seu furore, quæ est nostra Mania. Hoc ut fiat clarius, consideremus saltem hominem aliàs sanum & rectâ ratione utentem, summè tamen & admodum iracundum; aut saltem consideremus ebrium ad iram provocatum: (nam quibusdam ebriis in more positum est, ut insigniter incandescant:) in quibus sanguinis status & motus turgescentiam febrilem; spirituum verò alteratio & impetus eorum sub mania constitutionem ferè repræsentat. In tali casu, præsertim ebrii, considerate actiones, & videbitis in his ipsis quandam Maniam naturalem. Quæ enim non aggrediuntur, & quæ non perpetrant tales ebrii? Mirandum, quantâ audaciâ instructi sint, & omnia tentent, & quantum caleat subinde eorum corpus. Similiter, si in melancholia ex quacunque causa, subinde ex irritatione externa, aut ex positu astrorum, aut ex interna massæ sanguineæ aucta nonnihil fermentatione, & tunc Acido melancholico volatilisato magis assurgunt affectus iracundiç, perfectum habebitis maniacum. Nam omnis iracundus solet esse robustior, quàm quando est animo pacato, & ratio inepta est regimini spirituum animalium in ebrietate admodum ferocientium. Ipsi melancholici ordinariò sunt morosi, facilèque ad iram provocari possunt; unde etiam melancholici facilè ad verbera prorumpunt: quo facile fit, ut auctâ in iis morositate, & inde natâ iracundiâ, in Maniam degenerent. Cum ergò in radice & essentia conveniant Melancholia & Mania, dum hçc, sedato spirituum impetu & fervore, v.g. per castrationem, in melancholiam degeneret, illa verò concitato spirituum jam malè constitutorum impetu in maniam assurgat, sequitur, differentiam harum proximè in spiritibus animalibus eorumque constitutione & motu consistere: qui in constitutione melancholica quidem alterati, obscuriores & fixiores existunt, & quasi ad acetosam naturam accedunt; acerrimi, & aquç forti seu stygiç analogi quodammodo fiunt in maniacis; ut pluribus hoc deducit WILLISIUS *de Anima Brutor. Part.* 2 *cap.* 12. qua acri volatili aciditate illorum extraordinaria illa caloris in toto corpore impressio, & hinc frigoris tolerantia. Verùm sicut in omni irato & iracundo est quçdam exçstuatio & agitatio extraordinaria massç sanguineç, unde etiam totum eorum corpus calore plus minus excessivo percipitur perfusum; ita in maniacis & ipsa massa sanguinea, unde generantur tales spiritus, crassa quidem & spissa, plus tamen solito agitatę, sub rapido circulo movetur, & à spirituum consortio vehementiorem concipit çstum, quàm naturaliter: id quod manifestatur partim per pulsum, partim per respirationem: Nam pulsus in manicis est plenus, frequens, & satis magnus; respiratio ipsa est frequens, alta, & satis magna. Ipse verò sanguis venç sectione semissus, observatus fuit à LINDANO crassus, spissus, & intensè calidus, ita tamen ater, ut atramenti speciem retulerit. Et ita in maniacis massa sanguinea acido quidem vitioso abundante turget, volatiliori tamen & faciliùs mobili, unde intestino motu fermentativo intensiùs agitata simul plus solito vehementiorem concipit calorem, indeque corpus calidum & frigoris tolerabile redditur; quin etiam iisdem, ut iracundis, audacia ex spiritibus nonnihil velociùs motis intensa conciliatur.

Vulgò juxta GALENUM à temperie cerebri calida & sicca, seu atra bile, hoc est, melancholia adusta, deriuant Maniam, quam RIVERIUS *lib.* 1. *Prax. cap.* 15. rejicit: Hanc autem atram bilem ex Pathologicis præsuppono nil aliud esse, quàm uitiosum acidum effervescendo exasperatum, ac ita quodammodo volatilisatum & acrius redditum. Ab hoc enim vitioso, sed admodum acuto, acore humor atrabilarius aquæ & terræ iniectus efferuescere & ebullire, uel fermentare Veteribus dicitur: Unde etiam facilè in melancholicis ac maniacis uitiosus acor inductâ efferuescentiâ exasperari & uolatilisari potest, ut ita maiorem & intensiorem acquirat gradum, quem etiam atram bilem appellant: Vid. WILLISIUS *de Anima Brutorum loc. all.*

Causa ergò Maniæ cum delirii melancholici causa eadem est; scilicèt *Causa proxima, eaque formalis*, consistit in *spiritibus animalibus*, quoad crasin suam & motum plus minus uitiatis, & quasi acidulis: *Causa proxima materialis & remota* uerò quærenda est in *massa sanguinea acida*, ut uocant, atrabiliaria, minus spiritualscente, uitio primarum uiarum, imprimis *stomachi*, intestini duodeni, & *viscerum inferiorum* in hypochondriis; unde cum melancholia in fundamento conuenit. Videantur, quæ *supra Memb.* 2. de causis melancholiæ dicta sunt. *Spiritus animales quod attinet*; hi degenerant penitus à crasi seminali naturali & sulphureo-salino volatili, cùm ex sanguinis dyscrasia acida inquinati generentur ipsi spiritus vitales & animales quidem, subtiles satis & agiles in suo genere, sed *acres salini* & quasi *sulphureo-acidi*, indeque nimis mobiles, & in motibus suis ordinariis minus coërcibiles, hinc acrimoniâ suâ hinc inde penetrantes, & in continuo motu existentes, ratione quorum maniaci sęmper irrequieti & insomnes sunt. Iidem sunt acriores & sulphureo-acidi, dum prorumpunt, sensum quendam caloris in iisdem excitant, ut externum frigus percipere non soleant; quibus adiungitur simul aliqualis sanguinis exæstuatio. Quin etiam isti spiritus acriores ad partes delati & irruentes, iisdem tàm ualidum robur conciliant, ut sub motu partes quasi rigidæ & semi-convulsæ appareant, unde tantum robur obtinent.

Causa remota, ut dixi, hæret in dyscrasia massæ sanguineæ. Hinc est, quod dicant, oriri *ex constitutione atrabilari*: unde *in radice conveniunt* Melancholia & Mania: *Illic* peccat uitiosum acidum in hypochondriis; *hìc* idem, sed exasperatum, adeòque acrius redditum. *Causæ* igitur remotiores sunt ferè eçdem, quç reliquarum melancholiarum, ita ut, quoad causas internas remotas, ad primas uias, & uiscera

scera hypochondriaca, eorumque functiones, nunc immediatè nunc mediatè vitiatas, semper respectus habendus sit: V. g. excretio sanguinis solennis suppressa, in specie hæmorrhoidum, menstruorum, lochiorum, &c. in iis, qui inclinant ad habitum melancholicum, uti melancholiam, ita interdum etiam Maniam inducit, quod FORESTUS *lib.* 10. *Observat.* 24. testatur: Sic *ex hæmorrhoidibus* suppressis maniam notat ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Prax. Admir. Observat.* 51. Sic etiam ex ulcere intempestivè clauso orta Mania obseruata fuit: sed aperto rursus ulcere æger conualuit. In specie ulcerum antiquorum & uaricum curationem & occlusionem insequitur mania; sicut uarices & ulcera sponte exorta maniam non rarò soluunt: nam hoc iam satis de MARCO, antiquo Romano, constat, quod ex occlusione uaricum in cruribus fuerit redditus maniacus: sicuti è contrà HIPPOCRATES *sect.* 6. *Aphor.* 21. inquit: Si insanis uarices & hæmorrhoides superueniant, solutionem fieri maniæ. Facit huc, quod refert FORESTUS *l.* 10. *Obs.* 24. de puella, quæ post ulcus in crure inueteratum nimis citò curatum, & propter menstruam purgationem longè suppressam, in maniam incidit, quæ postmodum curata fuit, & restituta sectâ saphenâ menstruis fluentibus. Item HENRICUS *ab* HEER *Observ.* 14. recenset furorem in puerpera ob malè tractatas mammas, in quibus mammis, apertis pustulis & evacuato pure, omnis Mania omninò cessavit. Subinde etiam febres ardentes acutæ, pleuritides & epilepsiæ diuturnæ in maniam subinde degenerant: Sic enim HENRICUS ab HEER *Observ.* 3. observat insaniam post febrem acutam ex melancholia contractam: & post quartanas diuturnas singularis quædam maniæ species singulariter quoque tractanda, vid. in SYDENHAM *Observat. de Morb. Acut. pag.* 112. Sic post variolas maniam natam videbitis in M. A N. C. *Ann.* 6. & 7. *Observat.* 93. *pag.* 133. Pariter melancholico & maniaco delirio communes existunt graves animi affectus. Seminis retentiones diuturnas Maniam inducere, probat furor uterinus. De hæreditario charactere res aliàs nota est.

Quoad *causas externas*: in specie venena nonnulla narcotica assumpta vim habent specialiter inducendi Maniam, seu potiùs affectum quendam Maniæ similem: Sic BARTHOLETUS *de Respir. lib.* 5. *cap.* 3. *pag.* 405. refert: *radicem solani furiosi infusam vino, amico semel propinari vidi, qui post ejus haustum ita extra rationis lyram emotus est, ut delirans extra fenestram magna vi se deiicere tentaverit, quem illicò vomitus citri succo & frigido potu excitatus in rectam rationem reduxit*: *Idem* etiam vidit hyoscyami nigri semen certa dosi datum jurgiosam & contumeliosam effecisse stultitiam: Ex esu napelli maniam lethalem notat WILLISIUS *loc. cit.* Sed differentias maniæ à medicamento extrinsecùs assumpto ab ea, quæ ab interna oritur causa, idem BARTHOLETUS *cit. loco* refert. Nempe in illa somnolenti somnia concepta firmiter impressa effutiunt & ajunt, cùm in vera Mania valdè vigilent, & quasi cum ratione insaniant. Sic cerebrum felis comestum maniacam insaniam inducere dicitur: vid. SALMUTH *Cent.* 3. *Observat.* 100. In specie *philtra* subinde juvenibus Manias vel dementias potenter inducunt, speciatim si parata sunt cum menstruo muliebri, præsertim primo, ut refert PETRÆUS *in Diss. Harmon.* 3. *lib.* 1. §. 16. & confirmat BORELLUS *Cent.* 1. *Observ.* 65. ubi dicit, Theologum prope urbem Castrensem à philtro menstruorum muliebrium, cum leporis sanguine in condimento sumpto, in maniam tantam incidisse, ut patrem proprium occiderit. Veneni illius remedium sunt margaritæ præparatæ. Sic RULANDUS refert, à propinato per veneficam veneno quendam per sexennium quotannis bis epilepticum & maniacum factum, tandem evacuatione forti particulari per sternutationem, & universali per infusionem croci metallorum, curatum fuisse. Jucundum est, quod rusticus maniacus sternutamento forti excitatus excreta eruca curatus fuit: vid. M. A. N. C. *Ann.* 4 & 5. *Observ.* 37. *pag.* 35. utut minus propriè dicta Mania videatur.

Dictum, insignem esse audaciam, robur & similia; hinc habentur à quibusdam pro dæmoniacis, pro quibus etiam habentur epileptici secundi gradus.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa Maniarum*: Mania levi admodum negotio cognosci potest, cùm illa satis pateat.

Imminentis verò duo signorum genera observantur; quorum alia *remotiora* sunt, & dispositionem tantum ad hunc morbum denotant; alia affectum *proximè imminentem* indicant. Illa sunt (1.) ægri temperatura atrabilaria vulgò dicta: (2.) sexus, ratione cujus viri ad maniam magis proclives sunt feminis; nisi ex utero & partibus spermaticis tale quid contrahant (3.) ætas juvenilis præ senili: Propinquiora verò denuò observantur vel *communissima*, vel *communia*, vel *propria*. *Communissima* delirium in genere portendunt, scilicet dolor & gravitas capitis assidua, vigiliæ contumaces, aut somni interrupti, insomnia turbulenta, & aurium sonitus. *Communia* Maniæ cum morosi & melancholia observantur curæ & solicitudines molestæ, ac terrores ex levi causa. *Propria* denique maniæ signa sunt, quando ægri continuò & multa absurda loquuntur & faciunt, hisque interiicitur taciturnitas meditabunda, sæviunt cum quodam furore & temeritate in obvios, & etiam in seipsos, adeò ut quoscunque obvios unguentibus & morsu instar bestiarum aggrediantur; quin & interdum, nisi prohibeantur, se ipsos interdum interimant, aut suspendant, aut jugulum abscindant. Præterea & pertinacissimè vigilant maniaci, accedit robur insigne, tolerantia frigoris &c. Oculi nonnullis sanguinolenti, item torvi & truculenti conspiciuntur, præceps & frequens iracundia, ex minima vel nulla justa occasione, splendores oculis obversantes, proclivitas ad Venerem inconsueta, pollutio nocturna frequentior, risus præter consuetudinem & rationem, &c. Hæc sunt signa Maniæ.

Porrò cognoscendum, quomodo *distinguatur Mania ab aliis affectibus cognatis?* Et quidem *Aphrenitide* differt in eo; quod nulla adsit febris, nullumque signum graviter affecti ipsius cerebri, ut fit in phrenitide. *A dæmoniacis* verò distinguuntur maniaci, cum quibus etiam interdum confunduntur, qui tunc tandem sunt habendi pro dæmoniacis, quando perpetrant talia, quæ superant humanam potentiam, & in natura non sunt perpetrabilia, quando sæpiùs per medicamenta vomitoria ferramenta, frusta lignorum, animalcula viva, aliaque in corpore aliàs non reperibilia, aut non ingesta antea, solent reiicere; quod semper dæmonis ope à veneficis & incantatoribus oriri solet.

Quid habendum sit de iis, qui in deliriis peregrina linguâ loquuntur? res ardua est. Habentur communiter pro dæmoniacis; quod tamen videtur magnum effatum; sed potiùs aliquid naturale subest: Vid. MARCUS MARCI. Certè prostant observationes de melancholicis, qui in delirio plura calluerunt, quàm post deliria. Vid. SCHENCKIUS *in Observationibus*.

PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognosin*. *Mania* à causis internis excitata in genere est malum admodum diuturnum & curatu difficillimum; quod, etsi interdum per menses & annos quosdam remittat, subindè tamen melancholiam post se relinquit; quæ facili ratione exasperata, postmodum novâ atrociâ recurrit, & sæpè ad mortem usque comitatur ægros, imprimis si Melancholia & Mania fuerit hæreditaria: quæ mania *hæreditaria* semper est incurabilis, nisi palliativè, certis anni temporibus reiterans.

Quæ tamen mania est cum risu & actionibus ridiculis, mitior est & tutior, quàm ista, quæ est cum temeritate & quadam sævitia, nimio furore & audacia.

Porrò in maniacis si alvus sit ritè aperta, & in specie, si menses & hæmorrhoides ordinario naturæ cursu fluant, bonum est signum: si verò maniæ superveniat hujusmodi fluxus suppressio, vel si sub mania supprimatur, pejor est; Mania enim degenerat interdum in alios morbos.

Maniæ per metastasin superveniens sudor, aut alvi fluxus, aut hæmorrhagia narium, hæmorrhoides, uteri, dysenteria, aut hydrops, aut tertiana, aut quartana, aut varices, aut scabies & similia, item alius quidam morbus, præsertim abdominis, maniam terminat. Sola dysenteria sæpius est funesta, propter acerrimam acrimoniam humoris corrodentis intestina, quæ ad gangrænam terminat: Subinde tamen etiam in hydropem terminasse observatum fuit; sed periculosum.

Dum intereunt maniaci, virium fatiscentiam ex vigiliis, inediis, & continuo motu ferè vitæ terminum patiuntur.

CURA.

CURA.

In *Cura* ante omnia opera danda est, ut *furor mitigetur*, & eò faciliùs tractabiles fiant insani, pro medicamentis meliùs adhibendis. Id quod optimè fit per venæsectiones iteratas, & valida *vomitoria*; quibus subjungenda sunt *appropriata* alterantia, dyscrasiam spirituum & sanguinis emendantia. Spiritus imprimis reficiunt camphorata & moschata, sanguinem verò cæterosque humores Martialia & Saturnina, somniferis maritata, de cætero, si paroxysmus furoris est sedatus, simul observanda sunt etiam ea, quæ *suprà Membro* 2. monui in melancholicis.

Radix ergò curationis consistit in *vomitoriis* validis & generosissimis, (*sunt enim fortes, & equinæ naturæ*;) quæ omnibus maniacis, (si ab animalibus venenatis demorsi & icti, excipiantur) non tantum in principio, sed morbi etiam progressu, maximè proficua sunt; non tantum, quod radicem mali, sive ab assumptis sive dispositione intrinseca illud fuerit, præscindant, sed quod mites & tractabiles admodum ægros reddant, adeòque non tantum indicationi præservatoriæ, sed curatoriæ quoque satisfaciant, spirituum efferationes aliquantum supprimendo, hinc ad venæ sectionem aliorumque remediorum admissionem disponant. Veteres in hoc casu, & primus autor HIPPOCRATES, helleboro albo usi fuerunt cum felici successu & optato cum eventu, vel quia ex climatis ratione mitior his ipsis fuit, vel quia concinniùs ac nos præparare & propinare eundem noverunt: Nam apud nos violentum est remedium, & quod vix, præterquam in contumacioribus melancholiis, & præsertim Maniis, locum inveniat. Facilè quidem nos posset terrere GEIGERUS *in Tr. de Microcosm. Hypochondr. cap.* 23. qui refert, quendam maniacum ex usu Decocti hellebori albi convulsum interiisse: id quod etiam HIPPOCRATES *in Aphor.* observat, dum inquit: *Convulsio ab helleboro lethalis*. Simile exemplum recenset HELMONTIUS *Dispens. Modern.* §. 50. Satis tamen tutum & specificum maniacorum est remedium. Non igitur præscribendum in subjectis tenerioribus, v. g. fœminis; ab eo enim abstineant: vid. SIMON PAULI *Quadr. Botan. pag.* 6. Scilicet juxta BENEDICTUM SYLVATICUM *Cent.* 1. *Observat.* 53. vix unquam in substantia erit propinanda radix hæc, sed tantum ejus insusum cum vino, primâ saltem vice illam infundendo, alterâ simul leviter ebulliendo, ac tertiâ diutiùs coquendo ac exprimendo: Hinc Helleborismus Heurnii, scilicet ejus Infusum simplex cum vino Hispanico aut Malvatico paratum. Felicem ejus usum suadet LINDANUS *super Hartmann. in Prax. Chymiat.* per propriam experientiam confirmatus; hic enim refert curam melancholici per helleborum album per se institutam: Dicit nempe quod pro ablatione Maniæ non cognoscat generosius remedium, quàm helleborum album & oxymel helleboratum. Cum impetu sursum & deorsum evacuat, & maniacos insigniter curat. Præparandi modus hellebori est hic;

℞. *Rad. helleb. albi* à ℥ß. ad ℥i.

Coquitur in *vino*, donec mollescat: *radix* ubi cocta est, eximatur, *vinum* verò decoctionis abiciatur; (non potest hanc præparationem satis laudare;) *radix* verò hæc ita præparata in aliud *vinum* iniicitur, & ita per noctem relinquitur, absque coctione tamen in loco calido; tunc mane hoc vinum, vel sine expressione, si minus validum esse velimus, vel cum levi aut fortiori expressione, prout magis vel minùs validius expostuletur, propinatur.

Vires hujus vini sunt optimæ, nec unquam satis laudatæ. Dosis summa ℥j. quæ sufficienter operabitur. De usu hujus Vini LINDANUS *in Colleg. suprà Hartmann* refert: *Habui virum iuvenem vigintiquinque annorum, qui adeò insanus erat, ut benè munito cubiculo includeretur. Totum ferè pavimentum attollebat; Nam crasso palo humi infixo alligatus erat catena in utroque pede & manibus, sic nudus semper ambulabat. Hunc prima vice cum adirem, nihil potui efficere, secunda effeci, ut ignarus hauriret vinum helleboratum supradicto modo præparatum ad* ℥j. *unde fortiter purgabatur* ἄνω καὶ κάτω. *Prima hæc purgatio illum nonnihil lassabat, ut tanquam mitis ovis redderetur: sic constituto venæ sectionem adhibui, & eduxi magnam sanguinis quantitatem, ferè* ℥xxx. *qui non grumescebat, fæculentus, ater & horridus adspectu erat; unde ita lassatus non quidem amplius adeò insaniebat, nondum tamen animus constabat. Sequenti itaque* (nempe quarto) *die vomitorium ex helleboro reiteravi, quo egregiè vomuit multa & varia, ex quo planè quietus, querebatur de frigore, & postulabat vestimenta, rogatus an tegi vellet? cubitum abiit. Hoc videns, altero die venæsectionem, sed parcam, iterum adhibui, & sanguis erat melior. Hinc bonum cibum præparare jussi, gallinas cum endivia, &c. Hinc septimo vel octavo die, tertia & ultima vice dedi præfatum vomitorium ex helleboro ad* ℥ß. *unde iterum copiosissimè vomuit, nondum tamen mens constabat. Ob id denique dedi Decoctum subtile in vino in diplomate* (nempe Mariæ balneo) *factum, ne vinum possit exspirare, ex radice polypodii, filicis, scorzoneræ, cum herba endiviæ & borraginis magna quantitate: cui decocto bonam quantitatem seminis papaveris albi sub finem decoctionis addidi, item radicem hellebori nigri ad* ℥iij. *pro scopo alterativo & laxativo. Hoc Decocto quotidiè bis ter vel quater fuit expurgatus, & sic illum curavi, & plures alios etiam maniacos. Inter alia pergit, matronam quandam Leidensem saltim bis reiterato dicto vomitorio ex helleboro curaui: In puncto insaniæ unum maximè obseruabile est: quia spiritus sunt in furibundo motu, compesci debent, si fieri potest, per opiata; sed non in forma solida sed liquida: Et si hoc obtineas, ut obdormiscant, statim post cum apto vomitorio est properandum. Quoties somnum potui conciliare, felicius curavi, aliàs vix admittunt quicquam. Ego statim excessi modum in exhibendis medicamentis generosissimis: nam non deducitur in actum à spiritu, quia spiritus defixus circa aliud obiectum, cætera negligit.* Hæc LINDANUS.

Aliàs loco hujus Helleborismi ad maniam & reliquas melancholias in usu etiam sunt Infusa vomitoria *antimonialia*, & dicit LINDANUS quod aqua benedicta antimonialis ipsi sit successoria: sed vix semper sufficiunt, quia sunt nimis debilia, nisi Mercurium vitæ excipere velimus. Ejusdem generis est aurum vitæ *Kelgeri*, à POTERIO & FABRO valdè commendatum; item folia Asari: cuncta tamen in majore, quàm aliàs, dosi propinanda, prout de delirio melancholico dictum: e. g.

℞. *Conf. fol. Asar.* ℥j.
Pulv. rad. Asari ℈ij.
Merc. vitæ gr. j.
M. f. Bolus: S.
Bolus emeticus pro una dosi.

℞. *Oxysacch. emet. A. S.* ℥vj.
Ext. helleb. nig. gr. ij.
M. S.
Succus emeticus pro una vice.

Quæ tamen ubi sunt debiliora, ad helleborum album confugiendum est. Et certè credo, esse optimam præparationem hellebori albi ad imitandos Veteres in affectibus maniacis eradicandis. Si antimonialia non sufficiunt, infusum rasuræ unguium humanorum est etiam validum, & omnia vomitoria antimonialia superat.

Si in principio morbi interdum *per inferiora fieri debeat purgatio* seu evacuatio, usurpentur *superiùs Membro Anteced.* in Melancholia allegata, imprimis usurpetur helleborus niger, qui secundum FREITAGIUM optimum in hoc affectu purgans est, ejusque extractum & extractum melanagogum Quercetani, item syrupus de helleboro nigro, & oxymel helleboratum Gesneri. Quibus semper addendus est stimulus validior ex antimonio per inferiora purgante, aut ex Mercurio vitæ laxativo, &c. cùm, secundum PARACELSUM, appropriatum purgans melancholicorum sit antimonium, uti heri dixi: e. g.

℞. *Ess. helleb. nig.* ℈iß.
Anagall. ℥ß.
Syr. emet. Ang. S. ℥ß.
M. S.
Succus purgans.

℞. *Fol. Senn. sine stip.* ℥ij.
Rad. helleb. nig. crud. ℥iß.
Flor. hyperic. p. ij.
Terræ fol. tartari ℥ß.
Infund. in s. q. *aquæ Anagall.* per noctem, manè ebull. & experim.
adde
Syr. de spina cervina ℥iij.
M. S.
Potio purgans pro una vice.

Post purgationem validam *Venæ sectio* instituatur, eaque copiosa, & quidem sæpiùs reiteranda, uti antea dictum ex LINDANO; Nam interdum empirici per solam venæ-sectionem

ctionem curant maniacos. Primò instituenda in malleolo, postmodum in brachio & fronte: vid. SYLVIUS & RIVERIUS, PLATERUS *Tom.* 1. *cap.* 3. & BARTHOLETUS *de Respir. lib.* 5. *cap.* 3. Sed non priùs potest institui, quàm post vomitoria, paroxysmo cicurato & furore mitigato, propter intractabilitatem, tunc larga instituenda, quia optimè ferunt. Confirmat hoc PLATERUS *lib.* 1. *Observat. pag.* 80. de muliere ob mœrorem maniaca, quæ ab empirico in una septimana septuaginta venæ sectionibus, diversis in locis institutis, fuit curata. Quamvis autem audax satis remedium hoc fuerit, tamen venæ sectio debitè administrata convenit. Arteriotomiâ quoque nonnullos maniacos sanatos MARCUS AURELIUS SEVERINUS *Angiolog. pag.* 45. & PANAROLLUS *Pentec.* 1. *Observ.* 29. testantur. Spectant huc cauteria & trepanationes calvariæ, ut remedium tutissimum, ac utilissimum, à SYLVATICO *l. a. Observ.* 59. & HARTMANNO *Prax. pag.* 57. *&* 64. deprædicatum. Quarum tamen hæ secundùm SYLVATICUM ad alteram tantùm laminam sunt adigendæ: confirmatque præter experientiam SEVERINI *de Efficac. Chirurg. pag.* 54. MERCURIALIS *lib.* 1. *cap.* 16. & GLANDORPII *Gazophylac. pagina* 110. cauteriorum & terebrationum vim GORDONIUS per historiam maniaci, qui quamdiu vulnus & fractura cranii, quæ passus, aperta, benè se habuit; clauso verò vulnere rediit ad pristinam insaniam: Ut taceam eorum, quæ superiùs de ulceribus clausis & apertis monita. Imò non tantum vertici & nuchæ, sed brachiis & cruribus quoque, cauteria inusta magnæ efficaciæ observantur: vid. EPIPHANIUS FERDINANDUS *Histor.* 91. ROLFINCKIUS *Meth. pag.* 413. & GLANDORPIUS *l. a.* Salivationem quoque per mercurium commendat ROLFINCKIUS *lib.* 2. *Consil.* 8. eâque leviore quendam restitutum *Meth. special. pag.* 590. testatur: quamvis circa applicationis rationem non levia existant dubia.

Quæ omnia interim dum fiunt & facta vomitoria etiam repetita sunt, ejusmodi exhibeantur Alterantia, quæ sanguinis & spirituum ferocem magis turgescentiam & efferum motum refrænant, varii generis à Practicis annotata, eaque vel interna vel externa. In principio hujus morbi mox excedendus est modus solitus in exhibendis remediis generosis, quia spiritus animales, quando occupati sunt in alio, vix adjuvant in actum deducere medicamenta, ob id valida sunt propinanda, quæ fortiùs movent & stimulant. Mox ergò in principio insaniæ pro effero spirituum motu & effervescentia sanguinis aucta compescenda, unà cum alterantibus *opiata & sulphura mineralia*, fixa *anodyna* propinentur. Nam quò diuturnior fuerit affectus, eò minus opiata juvant. Propinanda imprimis sunt in dosi satis valida, aliàs nihil operantur. Et si hoc obtinemus, ut obdormiscant, statim post ad validum vomitorium properandum; sic enim feliciter operatur. Nam dicit LINDANUS: *Quoties potui somnum conciliare, feliciter curavi, aliàs enim propter morositatem parum vel nihil admittunt.* De cætero, quod attinet reliqua remedia alterantia & appropriata: conveniunt etiam hic omnia ea, quæ aliàs *in Melancholia supra l. a.* fuerunt laudata, in specie tartarea, martialia & saturnina. Prætereà etiam huc facit *nitrum crudum* & omnia nitrata, quæ studiosissimè usurpentur: singularem enim vim sanguinis æstus & orgasmos domandi habent; in specie quidem nitrum *antimoniatum* & vitriolatum, aut etiam nitrum saltem purificatum, copiosiùs cerevisiæ aut potui ordinario, in mensura nempe una potus ʒß. ad ʒj. injiciendum, & ita unà propinandum; Nam egregiè conducit maniacis nimis furiosis. Vel

℞. *Nitri depur.* ʒß.
Camph. gr. viii.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis caput confortans.

Vel

℞. *Nitri depur.* ℈ij.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut antè.

De nitri efficacia res curiosa videtur: Nam notum est ex Casibus TIMÆI *von Guldenklee*, quod aliquando curaverit Musicum salacissimum (qui propter intolerabilem salacitatem castrationem postulavit) per continuum usum nitri crudi. Porrò juvenis maniacus ex RIVERIO per castrationem fuit curatus. Cum ergò nitrum artificialiter castret, hoc effectu maniacos feroces curare videtur.

Præmissis ita universalibus & generosis, tandem & *appropriata specifica* sunt subjungenda, quæ inter tamen ex appropriatissimis remediis est sanguis asininus arteriosus, prope aures decrescente verno tempore (ultra annum non durat) vel linteo mundato excipiendo collectus, & ita exsiccatus, vel per se collectus, quando grumescit, qui in furno exsiccari patitur: Linteum tale longitudinis & latitudinis digitorum duorum, cerevisiæ vel vino, vel aquæ fontanæ aut anagallidis rubræ vel hyperici vel fumariæ infusum, maceratur tamdiu, donec liquor contrahat colorem: qui cum forti expressione propinatus, & aliquoties repetitus, largo sudore, præmissis reliquis, maniacos curat. Quandoque etiam pulvis istius sanguinis exsiccati ad drachm. j. usurpatus in *aqua anagallidis* simili sudoris effectu maniacos curat. HARTMANNUS *in Prax. Chymiatr. cap.* 3. *pag.* 55. PRÆVOTIUS & alii meritò hunc *sanguinem* commendant. Torpor nempe asini sistit furorem maniacum, *pigrescunt etenim asinorum instar.* Vel

℞. *Lint. sangu. asinino tinct.* manus longitudinem & latitud. æquans:
Infund. in s. q. *aqua hyperic.*
Colat. ℥ij. adde
Ess. Anagall. ʒß
Laud. opiat. ferm. gr. j.
M. S.
Singularis potio cephalica pro una vice.

Post Asini sanguinem vix melius est remedium, quàm *Anagallis flore phœniceo.* Hujus *Decoctio* scilicet QUERCETANUS & HARTMANNUS gloriantur se mira præstitisse in maniacis; quod etiam frequentiùs in usu fuit D. MICHAELIS, qui aliquando sutoris filium catenis alligatum, præmissis præmittendis, beneficio essentiæ suę Anagallidis compositę restituit. Hinc est quod Anagallis hęc quibusdam dicatur salus fatuorum, Germanis *Vernunfft Kraut*, quia contra Maniam & etiam veneficia seu maleficia est adeò commendata, è qua Dn. D. MICHAELIS etiam pręparavit Essentiam compositam cum spiritu proprio: cui autem meritò pręfertur Decoctum. Juxta anagallidem porrò imprimis non minimam laudem meretur *hypericon*, quacunque ratione usurpatum; unde etiam *tinctura* hyperici composita *Mynsichti* laudata est in Mania. Porrò Fumaria, Nymphęa, Borrago, Melissa, Ceterach & similia, cum alimentis crebriùs usurpata, aut alio modo adhibita, pro maniacis in usu sunt. Hinc est *Solanum tetraphyllon* seu herba Paris, quæ 20. diebus continuis ad dimidii cochlearis quantitatem sumpta, ad curam Manię laudatur, cujus etiam baccas, folia, semen & radicem pulverisatam VELSCHIUS *in Epispaphmat. Observat.* 15. exhibet. Succus polypodii quercini expressus in Marię balneo digestus & clarificatus ad ℥iv. vel v. propinatus, nonnullis in usu est; maximè laudatur à BARTHOLETO *de Respirat. læsa pag.* 412. ejus Decoctum compositum: e. g.

℞. *Herb. Paris cum bacc.* M. ij.
Anagall. purpur.
Flor. hyperic. an. M. j.
Rad. Polypod. querc. ℥j.
Passul. min. contus. ℥ij.
Coqu. in s. q. *seri lactis:*
Colat. ℔iij. adde
Essent. Anagallid. ℥i.
Misc.

Hisce associanda simul studiosè remedia lunaria superiùs insinuata. De *foliis buxi*, eorumque ad Maniam usu, vid. in HARTMANNI *Prax. Chymiatr. cap.* 4. item SENNERTO *ubi de Mania.* Aliquando enim cum ordinaria diętа hęcce folia minutim incisa continuò ordinata, fuerunt egregia, licèt de his propriam experientiam adhuc etiam neget prior; forsan tamen eorum vis est à blanda narcosi, quâ vegetabile hoc gaudet. De opiatis res clara est, quod etiam subinde in usum vocanda, & semper cum aliis miscenda, in specie quidem cum medicamentis ex anagallide & ex hyperico: item pilulæ ex laudano opiato & camphora, vel cum oleo camphoræ quacunque ratione paratæ, crebriùs vespertino tempore, præmissis validis vomitoriis, exhibitę, egregiæ sunt pro maniacis & melancholicis. Ordinaria tamen dosis parum præstat, quin dupla aut tripla dosis ferè conveniat. Quodsi eorum usu sequatur somnus, res benè habet; si verò non, deterius ferè habent ægri, cùm turbulenti magis ac morosi exinde fieri soleant. Propterea benè, præsertim per alcalia, correctum saltem usurpetur opium; præsertim pilulæ ex laudano opiato cum oleo camphoræ singularissimæ

riſſimæ ſunt ad curam Maniæ. Serum lactis denique pro potu frequentiori largiter concedi poteſt maniacis ceu optimum alterativum, nunc ſimplex, nunc medicatum imprimis confert. Eſſentia Anagallidis, eſſentia fumariæ, ſeu fumaria ſero lactis infuſa, eſſentia croci, eſſentia hyperici, & ex his parata varia compoſita, ſpiritus ſecundinæ humanæ, tinctura coralliorum cum ſpiritu cordis cervi, & aliæ coralliorum tincturæ, hic admodum commendantur. RIVERIUS ceu ſpecificum in illuſtri quadam familia ſecretum hoc dicit eſſe *in ſua Praxi*:

℞. *Fol. Meliſſæ* M. j.
Quæ minutim inciſa, infundit
Spiritus vini ℥iv.
& addit
Margarit. præp. ʒß.

Doſis ſunt cochlearia ij. quotidie repetendo.

Arcanum ſanguinis humani commendat FABER *Curat.* 5. Nec ſaccharum ſaturni, item cryſtalli mineræ ſaturni, & balſamus ſaturni, inefficacia planè hoc in paſſu obſervantur.

His omnibus ſemper *camphora* eſt addenda, de qua modò dixi, & ſingulariſſima eſt in maniacorum cura internè & externè, & multum habet in receſſu. Ex PARACELSO ab HARTMANNO & JONSTONIO admodum laudatur hujuſmodi miſtura, tanquam remedium PARACELSI expertum Maniacum:

℞. *Ol. Camphor.* ℥j.
Muſci ʒß. ad ʒj.
Miſce, & adminiſtra qualibet vice ʒß.

Et mirabiliter maniam extinguere dicitur à PARACELSO; id quod pariter & alii Autores confirmant.

Quid autem per hoc oleum muſci intelligat, omnes ignorant; unde vel camphora in ſubſtantia à ℈ß vel ℈ij. & hujus oleum ad guttas viij. vel xii. propinatum ſufficit. præprimis ſi opio connubant. Confirmat hoc PRÆVOTIUS qui dicit: *oleum camphoræ cum bolo deſtillatum* (non eſt verum oleum, ſed affuſâ aquâ ſtatim regeneratur camphora) ad ℈ß. ſi propinetur, mirabiliter furorem maniacum intra aliquot horas ſiſtere. Quò etiam facit *miſtura Fabri in ſua Pathologia*, quam ceu potentiſſimam ad curandam maniam commendat, hoc modo:

℞. *Ol. Camph.* ſaltem *per diſſolut.* ʒß.
Eſſ. Saturni gr. x.
Martis gtt. vj.
Miſc.

& cum aqua appropriata, vel, ut vult LANGIUS, cum aqua ſpermatis ranarum, internè propinetur.

Sic quoque cum ſaccharo ſaturni vel arcano duplicato Mynſichti propinari poteſt. Sanè camphora immediatè videtur agere in ſpiritus, eorumque dyſcraſiam ac motum efficaciter corrigere.

Nec tantùm internè, ſed etiam *externè camphora* utiliſſima eſt maniacis, capiti applicata, uti hoc conſtat ex epithemate ex ſale prunellæ, & camphora RIVERII *Prax. lib.* 1. *cap.* 13. Hinc enim ad capitis perturbationem ſiſtendam

℞. *Aquæ flor. ſamb.*
Hyperic. an. ℥iß.
Camph. gr. vj. ad ix.
Miſc. pro Epithemate, crebrò capiti applicando.
D. S.
Externum epithema circa caput.

Vel ad imitationem HILLERII *in ſuis Obſervat.* ubi ad maniam commendat ablutionem temporum tali liquore:

℞. *Spiritus Vini* ℥iß.
in quo diſſolve
Camph. ʒß.
Miſc.
Huic *ſpir. vini* imponit Nodulum ex
Opii ℈ij. & *Moſchi* gr. iv.

Hoc ipſo liquore tempora frequenter illinenda, nodulus verò ſubinde odorandus eſt ad extinguendum furorem maniacum, & blandum ſomnum conciliandum.

Pertinet huc experimentum PENOTTI, cui etiam adſtipulatur CLUSIUS, quibus mirè ſiſti phreneticos & maniacos aſſerunt, applicando præmiſſis univerſalibus:

℞. *Moſchi* gr. xij.
Camph. ℈j.
Aquæ Roſar. rub. cum *Tinct. ſantali rubri impragn.* ℥xv.

Miſta probè & capiti deraſo cum linteis multiplicatis, temporibus, & per omnes ſuturas applicentur; ubi linteum iterum ſiccatum fuerit, de novo humectetur, & applicetur, & ita per 24. horas continuetur.

Conſ. RIVERIUS *loc. all. cap.* 11.

Vel

℞. *Ungu. ſomnifer.* ʒij.
Ol. deſt. Camph. ℈j.
Moſchi ℈ß.
Croci gr. viij.
Miſc. pro Linimento: S.
Unguentum cephalicum.

Capiti & temporibus etiam applicanda erunt ſacculus ex baccis lauri, hellebori nigri, cum decocto herbarum cephalicarum admovendus, modo illo quem HARTMANNUS *Prax. pag.* 56. deſcribit: Item

℞. *Nitri* ʒj.
Camph. ℈j.

Miſc. cum aqua Nymph. juxta RIVERIUM.

Aliàs etiam in mania commendatum eſt externè Epithema *Rulandi* quod *Curat. lib.* 1. *pag.* 24. deſcribit: & THONERUS *in Obſerv. pag.* 260. commendat tanquam à ſe maximè expertum:

℞. *Aquæ Roſar.* vel *ſucci cancr. fluviat.* ℥x.
Opii ʒß.
Croci ℈ß.
M. pro Epithemate, fronti & temporibus admovendo.

Aqua ſpermatis ranarum erit melior loco aquæ roſarum. *Excellens eſt epithema hoc, cujus uſu non ſemel ad ſe redierunt maniaci*, dicit FORESTUS *lib.* 5. *Conſil.* 10. *pag.* 260. Camphora addenda foret. Nam in capitis perturbationibus melancholicis & quaſi maniacis ſimplex hoc epithema aliquoties cum fructu applicavi:

℞. *Sem. papav. alb.* ʒiij.
Aquæ flor. Nymph. vel *ſamb.*
Verben. vel *flor. hyper.* an. ℥iß.
f. Emulſio: adde
Camph. gr. ix. ℈ß. ad gr. xij.
M. pro Epithemate aliquoties applicando.

Quin & ſolus ſuccus cancrorum fluviatilium expreſſus inſtar epithematis applicatur: Vel

℞. *Nucl. Perſic.* ʒß.
Sem. Papav. alb. ʒij.
Cum ſ. q. *Succi cancr. fluv.* f. Emulſio:
adde
Camph. gr. xii.
Opii gr. vj.
M. S.
Epithema externum.

Aut ipſi cancri viventes contuſi inſtar cataplaſmatis appoſiti fronti ac temporibus expertum eſſe remedium, unà cum aliis, in mania & phrenitide dicitur, modò perferant ægri. Sanè retulit mihi quidam, ſe per hoc ipſum ſervum ſuum maniacum ſolum ferè curaſſe. Non minus quàm decoctum muſci tectorum fronti applicatum admodum commendatur ad curam Maniæ, ſed obſervetur, quod cautè applicandum ſit, & nonniſi urgente ſumma neceſſitate. Omnia epithemata, præmiſſis præmittendis, dum nempe furor maniacus fuerit mitigatus, applicentur.

Porrò cerebrum canum, imprimis juniorum commendatur à quibuſdam inſigniter. Exemplum Maniarum curatarum per cerebrum canis coctum videbitis in SENNERTO *lib.* 1. *Prax. cap. de Mania pag.* 421. Alii tale præparant remedium:

℞. *Catellos adhuc lactantes* ætatis 7. vel 8. dierum:

Ex his capiunt cerebrum iſtud, deſtillant per ſe: Aquam ſtestillatam ſpirituoſam imbibunt cum *vitriolo*, & ita per retortam deſtillant & poſtmodum rectificant.

Doſis eſt ℈j. Quo quatuor maniaci curati dicuntur.

Loco liquoris cerebri canis quidam comendant *liquorem cerebri humani*.

Tandem etiam nonnunquam obſervatum eſt, immerſione ſubitaneâ in aquam frigidam vel fluvium maniacos reſtitutos eſſe præmiſſis præmittendis, quod non ita abſurdum videtur. Alii aqua tepidam, alii frigidam volunt, ſive dulcis ſive ſalſa fuerit: vid. BENEDICTUS SYLVATICUS *Cent.* 1. *Obſerv.* 54. & FABER *Myrothec. Spagyric. Curat.* 3. & 8. Verùm non tam balneatio ſimplex, quàm improviſa

ſa in aquam demiſſio, & hinc orta formido ſeu terror, effe-ctum deſideratum præſtat, ſimili ferè ratione atque rabidi curari ſolent; id quod experientia crebriori confirmatus ſuadet HELMONTIUS *Tract. Demens Idea* §. 49. Conferri etiam poteſt BORRICHIUS *de Hermet. Medic. pag.* 168. In pavore mortis enim fiunt placidi & tremuli, & phantaſma mortis in aliud mutatur: Nempe furorem maniacum ſubita alteratio ex inducto graviſſimo terrore extinguit, ſed tamen Melancholia adhuc remanet.

ARTICULUS IV.

DE

DELIRIIS A CAUSA EXTERNA.

HÆc fuerunt ferè deliria, quæ ab internis oriuntur cauſis, ſive cum ſive ſine febre. Sequuntur jam ea *Deliria à cauſa externa*: quæ ipſæ cauſæ externæ ſingulari virtute ſpiritus animales determinant, adeò ut ex iis lædatur imaginatio, ac ſubinde ſtupenda & miranda inducantur delia. Hæc ſunt *duplicia*: vel

1. *A morſu animalium* iratorum, & in ſpecie *rabidorum*; vel
2. *Ab aſſumptis* malignis narcoticis.

Illic Rabies & *Hydrophobia*, hic *Philtra* ſunt conſideranda.

MEMBRUM I.

DE

RABIE.

HÆc inter præ cæteris eminet, præter vegetabilia narcotica, (à quibus inducta deliria præmiſſo vomitu optimè acidis, ut aceto, ſucco citri, &c. cum & ſine caſtoreo, profligantur,) morſus animalium rabidorum ac venenatorum, in ſpecie morſus canis, ceu frequentiſſimus, unde delirium rabioſum ſeu *Rabies* oritur, in ſpecie mirabile adjunctum ſymptoma; *Hydrophobia*. Rabies autem eſt talis affectus, in quo ipſo ſimul homo planè rabioſus redditur, & omninò in mores brutales tranſmutari videtur, ut nihil ferè humani apud ſe retineat, quin homo rabioſus exactè illius bruti mores, geſtus &c. referat, à quo rabido demorſus fuerit.

Frequens imprimis eſt *canina Rabies*, excitata à morſu canum rabidorum, cùm præ reliquis brutis canes frequenter rabidi fiant. Præter canes tamen etiam feles, galli gallinacei, lupi, equi, muli, & ſimilia animalia, fiunt rabida, quorum non raræ proſtant obſervationes. Sic enim de mulo rabido refert SCHENCKIUS *lib.* 7. *Obſervat.* quod mulus rabidus flumen tranans ac affatim potans fuerit curatus. Sic etiam boves interdum fiunt rabidi, idque imprimis à cane rabido demorſi, teſte BARTHOLINO *Cent.* 2. *Hiſt.* 89. qui etiam *Cent.* 5. *Hiſt.* 52. varia habet exempla variorum animalium rabidorum, in ſpecie Rabiei humanæ ex morſu galli gallinacei; & conferatur ſimul *Cent.* 3. *Epiſt. pag.* 199. ubi habetur Rabies equorum, qui natando in mari curati ſunt. Nec ſolùm per morſum ab animalibus rabidis reddimur nos homines rabidi, ſed etiam ipſe homo, aut jam rabioſus factus, aut ſine Rabie, modò graviori ira ſit perciłus, morſicando alios ſimiliter poteſt reddere ferè rabioſos, aut ſi non Rabiem, revera læſiones malignas ac admodum periculoſas infert: Nam, uti rectè refert HILDANUS *Cent.* 1. *Obſervat.* 84. morſus ab homine rabido malignus eſt ſummè & noxius, & non ſecus ac morſus à cane rabido curandus; item BECHERUS *in Microcoſm. Med lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 10. *ubi de ſaliva*, obſervat hydrophobiam ex morſu humano obortam. Et notabile exemplum habet BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hiſt.* 89. de muliere hydrophobica in Belgio, in Rheno abluta, quæ cum in curru in civitatem reverſura vomeret, animam ſimul evomuit; ſocia verò venenato vomitu adſperſa quinto ab hinc die exſpiravit. Vid. etiam ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Prax. Admir. Obſerv.* 88. qui obſervat mortem ex morſu hominis irati. Nam omnium animalium iratorum morſus, & adeò etiam hominis, eſt venenatus & malignus, ut rectè hoc ſuo tempore obſervat CELSUS ex Juriſconſulto factus Medicus, quo dicit: *Omnis feræ morſus habet quoddam virus*: Id quod pluribus confirmat HILDANUS *Cent.* 1. *Obſ.* 86. ubi præter morſum feræ, etiam hominum iratorum morſum lethalem, vel ſaltem venenatum, pronunciat. Vid. etiam *Diſp. noſtra de Morſu Viperæ*, & HILDESHEIM *in ſpicil.* Ex hoc ipſo tamen non ſequitur, venenum animalium ſolùm conſiſtere in idea furoris, morſu in Archeo noſtro ſigillata, qua poſt mortem ceſſante etiam venenum animalibus deficiat, quæ eſt ſententia HELMONTII in ſuis ſcriptis, cujus veſtigiis etiam inſiſtit ZWELFERUS. Contrarium, nempè revera in ſubjecto materiali hærere venenum animalium, oſtendit RHEDI *de Vipera*: cui licet ſe opponat CHARAS *Tr. Experiment. de Viperis*, qui HELMONTII hypotheſin defendit mordicus, nihilominus tamen & huic ſatisfactum eſt à jam laudato RHEDI *in Epiſt. Reſp.* 1. Vid. in *Ann.* 2. *M. A. N. C. Append.* Sed hæc obiter.

In his rabidis notatu digna quædam occurrunt. (1.) Quod etiam leviſſimus morſus, leviſſima læſio, vel etiam tantillus ſalivæ contactus, receptus in homine ab animali rabido, nihilominus ſuo tempore Rabiem inferat, ut refert HILDANUS *loc. all.* ubi quidam à fele rabido ſola ſcalptura per unguem in dextro pollice læſus, vix epidermide læſa ſeu affecta, nihilominus tamen rabioſus in ſummo gradu factus eſt, & omnia ſymptomata morſum canis inſequentia perpeſſus fuit. *Loco citato* idem refert HILDANUS de muliere, cujus veſtis à cane rabido fuit lacerata, unde mulier conſuendo veſtem laceratam filum dentibus amputavit, & ſic poſt tres menſes hydrophoba facta periit: Par ferè eſt exemplum, quod ex alio auctore refert HILDESHEIM *in Spicil. pag.* 193. cuiuſdam ſartricis, quæ cùm chlamydem rabidis morſibus ſciſſam ſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, & linguâ pannorum ſuturas lamberet, tertiâ die rabioſam factam eſſe. Imò levis tantùm reſperſio aut aliqualis ſaltem contactus idem malum infert: Quin & infuſio ſilicis à cane rabido demorſi poteſt hominem furioſum & rabidum reddere, teſte BORELLO *Cent.* 4 *Obſervat.* 22. Mirabilius eſt, quod *c. l. Obſervat.* 83. refert, quendam cum gladio vulneratum, quo ante octo annos canis rabidus occiſus erat, poſt triennium rabidum interiiſſe. MATTHIOLUS aſſerit, ſe duos vidiſſe, qui ſpumâ tantum perfuſi, nullo accepto ex morſu vulnere, Rabiem contraxerint. Facit huc exemplum CODRONCHII, & PALMARII *de Morb. Contag.* qui inquit: *Vidi ex ſtraminis, in quo rabie perciti ſues decubuerant, eſu, equos, boves, oves, & reliqua animalia, quæ ſtramina deguſtaſſent, rabiem contraxiſſe, tandemque periiſſe.* Ruſticus quidam rabie perculſus, cùm brevi ſibi è vivis emigrandum intelligeret, aſſidentes rogavit, ut ſibi liberos exoſculari liceret, quod cum fuerit conceſſum, liberiſque oſcula vibraſſet, extinctus eſt: intra ſeptem verò dies & noctes liberi eadem rabie perculſi, iiſdemque cruciatibus torti, brevi interierunt. CARDANUS teſtatur, Venetum Patricium exoſculatione canis rabidi, quem amabat, antequam mitteret ad occidendum, rabidum fuiſſe factum: item ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Prax. Admir. Obſervat.* 82. exoſculatione demortui canis rabidi Rabiem contractam refert. Adeò penetrans, & adeò malignum eſt iſtud ſeminium, quod Rabiem infert.

Præter hoc, nempe inficiendi modum, (2.) notabile eſt in Rabie ſive morſu rabioſorum ſymptoma, *Hydrophobia*, ſive liquidorum omnium fuga & metus, qui omni Rabiei, à quocunque malo ortæ, ſolet eſſe conjunctus. Nempè tales ægri non poſſunt ferre liquida, ſed aſpectu eorum contremiſcunt toti, anxietatibus affliguntur, & miſerabiles torturas perferunt; imò potiùs ſiti intereunt, quàm tantillum humidi guſtent. Proprium ergo videtur rabidis, ut aquam metuant. Nihilominus tamen, an ſolùm animalium rabidorum morſum ſequatur hydrophobia? res adhuc dubia ex eo videtur, quoniam proſtare videntur auctorum obſervationes, citra animalium morſus eas eſſe ortas. Exemplum talis hydrophobiæ citra ullum animalis rabidi morſum recenſet MARCELLUS DONATUS *Med. Hiſt. Mir. lib.* 6. *cap.* 1. item PLATERUS *lib.* 1. *Obſervat.* de fœmina quadam, quæ noctu extra urbem relicta, ac ſolitudine territa, domum reverſa nihil liquidi deglutire potuit, quin illis oblatis ſuffocationis periculum incurrit, & octavâ die extincta eſt: Conf. BORELLUS *Cent.* 3. *Obſerv.* 38. Sic hydrophobiam in febre maligna citra morſum animalis rabidi obortam refert SALMUTH *Cent.* 2. *Obſervat.* 52. de quo etiam videndus CODRONCKIUS *in Tract. de Hydrophobia cap.* 10. Duo exempla admodum notabilia hydrophobiæ gravioris in febribus malignis enatæ quartâ, item quintâ die, citra morſum alicujus animalis ſeu canis rabidi, habet

SAN-

SANCHEZ *in suis Operibus Med. in Observat. pag.* 378. (est Medicus Hispanus.) *Quidam medio Augusti incidit in hydrophobiam cum febre continua citra ullum morsum ab animali rabido, in qua non poterat ferre adspectum aquæ neque potus cuiusdam, aut vini, aut insculorum, & quamvis bibere amitteretur, tamen ubi potum aut inscula sumpsisset, tanta eum premebat cordis angustia, tantus tremor, tanta corporis totius anxietas, ut cogeretur liquorem eiicere foras, ne guttula quidem hausta: agnoscebat quidem se non posse vivere sine potu, nec manus tamen abluere audebat; cumque nobis iubentibus scyphum admovisset, idem horror, & tanta concussio apprehendebat eum, ut totus pertremisceret, ut sudaret & convelleretur: hic quinto die periit*. Alterum est simillimum huic. Et in mulieribus vitio uteri hydrophobiam sine morsu canis rabidi annotavit SENNERTUS *Prax. lib.* 4. *pag.* 277. Vid. etiam *lib.* 6. *Part.* 2. *cap.* 5. *pag.* 811. Verùm in his ipsis hydrophobus, sine faucium aut gulæ ulla affectione, etiam citra morsum animalis rabidi enatis, adhuc hæreo dubius, annon aliquando morsus quidam à cane rabido, aut contagium seu inquinamentum ab animali rabido præcesserit? Nam notum est, quod tantillus ex saliva animalis rabidi contactus inferat hydrophobiam, utut sæpiùs per decem vel plures annos contagium hoc lateat in corpore, antequam virtutem suam exserat: quod ipsum ulterius adhuc investigandum venit. Ob id quæstio est: annon in talibus præcesserit aliqualis infectio, utut ipsis non adeò cognita? Adeò ut determinati certò non possit, hydrophobiam non esse signum rabidi pathognomonicum.

(3.) In Rabie notabile est, quod contagium rabiei istud malignum, ab animalibus rabidis communicatum, subinde ad biennium & triennium, item ad plures & multos annos, absconditum lateat in corpore, donec evigilet, & in actum secundum erumpat: Vid. SENNERTUS *Prax lib.* 6. *Part.* 8. *cap.* 30 *pag.* 353. Sic LINDANUS *super Hartmann.* refert exemplum hydrophobiæ lethalis in agyrta decimo tertio anno post morsum canis rabidi evenientis: & BORELLUS *Cent.* 1. *Observat.* 74. refert quendam septem annis demum à morsu hydrophobum factum esse: Alius in crure morsus & curatus, longo post tempore, tamen eodem die, & in eodem loco, in quo morsus fuerat, dolore magno in parte demorsa correptus fuit, veneno quasi per integrum annum in eodem loco sopito iacente: Imò per viginti annos hydrophobiam occultatam videb. in M. A. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Observ.* 43.

(4.) Notabile est, quod subinde animalcula generentur, vel conspiciantur in saliva vel lotio animalium rabidorum, similia iis quodammodò animalibus, à quibus Rabies fuit inducta; unde v.g. vermes catelliformes, aut capitulis catulorum similes in urina taliter ægrotantium observarunt. Notarunt hoc jam suo tempore veteres Arabes, in specie AVICENNA & AVENZOAR; quod tamen rarum est, unde ex modernis quidam plane negare volunt, sed malè. Certum enim est, reperta interdum fuisse talia animalcula, non tamen semper. Fidem facere aliqualem videtur exemplum illud notabile SALMUTH *Cent.* 2. *Observat* 83. de muliere, quæ fuit in fimbria vestis morsa seu lacerata à cane rabido, & ista fimbria saliva adspersa; Unde mulier suspendit vestem laceratam aeri libero, ut exsiccaret, & post unum vel alterum diem in loco, ubi fuit saliva, percepit parva animalcula, quarum capita simillima fuerunt capiti canino: Mulier verò à canis morsu rabida octodecim frusta catellis similia per alvum ejiciens, refertur in M. A. N. C. *Anno* 8. *Observat*, 58. *pag.* 98.

Denique (5.) notabile est, animalia rabida, quæ fiunt rabida ab alio animali rabido, v.gr. homo rabidus, qui ab alio animali, per morsum nempè canis, vel felis, fit rabidus, exactè imitari istorum animalium rabidorum anteà lædentium mores & actiones, latrando & ringendo instar canis, vel morsicando & lacerando instar felis: Sic COLLE *in Cosmitore Medicæo pag.* 319. refert Rabiem à morsu felis in indice digito, post duas horas lethalem, quâ æger volebat mordere: Quò facit curiosa BORELLI *Observ. Cent.* 3. *Observat.* 68. de quodam à cane rabido demorso, qui non tantummodò subitò factus est rabidus, sed simul etiam instar canum adeò sagax, ut accedentes amicos, etiam adhuc aliquatenus è longinquo, quamvis non videret, tamen odorari & nominare potuerit: Vid. quoque *Cent.* 2. *Observat.* 74. & RHODIUS *Cent.* 1. *Observ.* 46. Sic qui à fele rabida redduntur rabidi, mores felinos sono oris, unguibus & digitis mutuò in alios invadendo imitantur: vid. KIRCHERUS *in Scrutin. Pestis loco suprà citato*. De quo ipso, ut & aliis subinde apud Practicos observabilibus sit fides penes Autores. Hæc sunt symptomata primaria.

CAUSÆ.

Quod attinet *Causas* hujus Rabiei, & factæ inde transplantationis morum animalis lædentis in animal læsum sub tantillo contagio, istud à nemine hactenus perspicuè explicatum fuit. Præ reliquis tamen curiosè & acutè rem attigisse videntur idearum assertores, nempè HELMONTIUS *Tract. Demens idea, de Morbis Idealibus*, & simil. & præsertim MARCUS MARCI in eleganti scripto, *Philosophia Veterum Restituta*, qui ex professo de hoc agit, & instar omnium de hac materia potest consuli; item DAVID *von der Becke*, & qui talem sequuntur doctrinam, quod nempe ideæ seminales transplantentur ab animali rabido in animal quod lædunt, mediante contagio spirituoso, à quibus ideis archæus animalis læsi determinetur ita postmodum, ut pro illorum directione, & non aliter, operari queat: Nec adeò abludere videtur BORELLUS *Cent.* 1. *Observ.* 74. dum vim seminalem veneni accusat. Hi ipsi quidem præ ceteris omnibus nonnihil plausibiliter rem explicant; sed idealis hæc hypothesis, utut subtilis admodum & prima facie plausibilis videatur, illis tamen, qui intelligibilem, seu, ut vocant, sensatam amant Philosophiam, nullo modo satis faciunt. Nam si ad ipsum fundamentum perveniamus, est hæc hypothesis simpliciter idealis. Unde & hic profitendum est, aquam in hisce nobis hærere, & rem à priori non esse explicabilem. A posteriori ergo saltem dari potest hypothesis nonnihil plausibilis.

Doctrinæ gratia Fermentum hic peculiare accusamus ab animali rabido per morsum communicatum: nam, quod alii de *veneno peculiari* habent, id omne ad *fermentum* est applicandum. Hoc fermentum *ideas*, ab animali furente impressas, homini communicat, primariò spiritus animales, quod etiam confirmant pathemata convulsiva, secundariò massam sanguineam afficit, ita ut ferè similes evadant spiritibus & sanguini animalis furentis: hinc fieri non potest, quin easdem quoque actiones edat, quas canis v.g. aut aliud animal rabidum edit. Notandum autem, *animalia in se venenata non esse*: hinc neque omnis morsus rabiem parit, sed animalis, aut *irati* aut *rabidi*; *ira* enim & *furor* nocent, & ita maximam partem ideale est; tamen & his adjuncto fluido aliquid acrimoniæ malignæ subesse, confirmat cura per cancrips, terram sigillatam, radicem gentianæ, &c.

Causa occasionalis & propinquior est *saliva* fermentescens & effervescens, *per morsum* insimul vulneri infusa, systemati nervoso, & hinc spiritibus ac massæ sanguineæ communicata; hinc nisi vulnus sit factum, ita ut spiritus animales afficere possit, *furor* non fit.

DIAGNOSIS.

Hisce relictis pergo propriùs ad ea, quæ potiùs Praxin spectant; ubi ante omnia observandum: an animal, v. g. canis, fuerit rabidus, qui momorderit, vel à quo quis demorsus, rabiosus fuerit, an non? ut nempe præcaveatur imminens tandem Rabies. Quod ut cognoscatur, nonnulli accuratiores in hoc puncto præcipiunt, ut nuces juglandes recentes contritæ imponantur vulneri facto, & ad aliquot horas super vulnere relinquantur, quæ postmodum devorandæ objiciuntur gallo gallinaceo vel gallinæ: Quodsi animal non fuerit rabidum, gallina non moritur; Si verò fuerit rabidum, altero die interit.

Idem applicandi & judicandi processus est de sanguine; quando alii sanguinem, vel per se, vel per scarificationem, ex vulnere eliciunt, ex eoque cum farina pastam formant, & gallinæ objiciunt, quæ si moriatur, signum est, animal fuisse rabidum.

Simili ratione Avicenna præcipit medullam panis vulneri facto affricare & applicare, & sanie vulneris impregnatam postmodum cani objicere devorandam; nam si illam medullam non comedere neque olfacere voluerit, aut si moriatur, signum est, fuisse rabidum.

Ipsum canem esse rabidum facillimè ex eo cognoscitur; quòd tales canes rabidi omnem cibum & potum aversentur, mul-

multam materiam viscidam sputumque circa dentes, linguam & fauces habeant, interdum ex ore & naribus emittant, torvum videant, oculos habeant rubentes & igneos, quoscunque obvios invadant, notum pariter & ignotum similiter lædant.

Ulteriùs canes rabidi sunt macilenti, caudam demissam sub ventre reflectunt, linguam exserunt, eamque rubram, sæpiùs croceam, interdum nigram, velociter currunt, & sub isto cursu in obvia quæque impingunt, omnes alios canes adoriuntur, & omnes alios fugant.

De cane rabido vulgò affirmatur, sub lingua ejus latere vermem quendam oblongum, quem alii à se ipsis visum testantur, quo maturè dempto nullus canis rabidus fiat; eodem verò increscente, Rabiem necessariò supervenire; unde quidam ad præcautionem solent extrahere hunc vermiculum: quidam existimant, non esse vermiculum, sed pro sanguinis congrumati particula in venis raninis sub lingua collecti & stagnantis habent. Rem hanc ceu nondum sufficienter exploratam in medio relinquo.

Interim Rabiei & impotentiæ lumbaris causa in lupis, vermes copiosi, in eorum renibus & aliis locis geniti, observati fuerunt: Vid. M. A. N. C. *Ann. 3. obs. 193. pag. 365.*

Ubi contagio inquinatus fuerit homo, in specie morsu, sive mox sive post plures annos etiam afficiatur Rabie & hydrophobia, *Rabiei incipientis* & etiam jam *factæ signa sunt*; si se offerat anxietas præcordiorum, iracundia citra causam manifestam, si conqueratur æger de molestia aeris ambientis, de corporis gravitate & ineptitudine in actionibus & variis impedimentis, aut de inquietudine, ægri sunt solitarii & morosi, mœsti, tristes, uno nomine melancholici, semper murmurent, subinde lucem fugiant, & abstineant à potu.

In parte olim vulneratâ solet adesse aut sentiri incipit morsicatio & titillatio, aut etiam quidam dolor.

Quodsi jam perfecta rabies inchoet, adest membrorum distensio, & quasi convulsiva explicatio corporis, facies rubet, ægri sunt anxii, spumant circa os, oculos horridos habent, quidam latrant instar canum, si à cane rabido morsi sunt; collum & fauces ringunt, &, si à cane sit, obviam factos invadunt, & dentibus impetunt; sin à fele, unguibus lacerare tentant; & denique omnibus commune est, ut liquida & etiam aquea horreant, quorum præsentia etiam admodum anxiosi, interdum etiam convulsi fiunt, deliquium quasi animi patiuntur; quin imò nunc vociferant, nunc ferè sonos edunt, lædentibus eorum bestiis similes; nunc sibi propiores lædunt & infestant, facie sunt horribili, sine ullo somno, inquieti, loca tenebrosa amant, &c.

Febris Rabiosis interdum adest, interdum abest, utut PALMARIUS existimet, Rabiei perpetuam esse comitem febrem.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Imminens Rabies, aut jam incipiens, appropriatis remediis curari potest:

Si verò jam perfecta *Rabies* adsit, præsertim cum hydrophobia, est affectus satis acutus, qui *rarò perfectè curatur*, & spes in angusto hæret; quin sæpissimè, si diutiùs lateat in corpore seminium rabiosum, homines jugulet; sæpiùs nempe secundo vel tertio, ad summum quarto die ab eo tempore, quo hydrophobia eos corripuerit, moriuntur.

Antequam verò Rabies post læsionem insequatur, observandum est, quod quando in principio, ubi sanguis copiosè è loco vulneris evacuatus & extractus fuerit; item si largiter fluxerit sanies, aut ipsum vulnus recens ritè tractatum sit, sponte vel sudor multus, vel urina, præcipuè nigra, evacuetur, præservari potest Rabies & hydrophobia. Nam quò diutiùs vulnus factum apertum fuerit servatum, eò minor metus adest: E contrà post factam ejus consolidationem ineptam, citiorem justo scilicet, & quò magis fermentum rabiosum intraverit partes nerveas, eò certiùs hydrophobia metuenda est. Unde præservativè possumus aliquamdiu ægros detinere.

CURA.

Subsistimus adhuc in Rabie & affectibus rabiosis, & quidem superest tantum *Cura*, quomodo Rabies, aut jam incipiens, aut morsus à rabido inflictus, debeat curari? Hanc quod attinet; in hac *duo tempora* observanda: (1.) ipsum tempus primæ læsionis seu vulnerationis & inquinamenti facti ab animali rabido: (2.) tempus ipsius *Rabiei* supervenientis, ubi, licèt diu consolidatum sit vulnus, nihilominus tamen venenum jam tum in actum secundum deducitur, & delirium inducitur; ipsiusque adeò hydrophobiæ, ejusque vel imminentis, vel jam præsentis.

1. Ergo quoad prius tempus, ex vulnere facto, quantocyus fieri potest, malignum virus per morsum extrahendum aut delendum, & ob id hujus sanatio non adeò citò perficienda. Quod ipsum vulnus à rabido animali inflictum attinet, quantum fieri potest, apertum servandum; ac præsertim id, quod de saliva adhæret, magno studio removendum: Quem in finem *vulnus* est *ampliandum*, ut cum sanguine saliva potiùs effluat, quàm retrocedat.
2. Quoad posterius tempus: observandum est, ut venenum rabiosum, quacunque ratione communicatum, sive jam adhuc recens, sive jam inveteratum fuerit, sive ipsam jam Rabiem inducere incipiat, per appropriata, vel sudorifera, vel diuretica, aliisve mediis per experientiã cognitis, extinguatur.

Pro his scopis obtinendis, in posteriori, scilicet Rabie, id unicè agendum, ut fermentum massam sanguineam jam occupans ex corpore expellatur. Ea autem, quæ huic fermento contraria sunt, & venenum expellunt, sunt *interna alexipharmaca*, tàm *communia*, quàm *specifica* per experientiam cognita, quæ conveniunt tàm præservativè, quàm curativè. Nam propter rationem Rabiei adhuc incognitam non possumus invenire remedia à priori. Appropriata talia sunt in specie radix gentianæ, radix vincetoxici, alysson Galeni, ruta, hypericon, pimpinella, carduus benedictus, & in specie carduus fullonum, salvia, betonica, myrrha, & similia. Ex his ferè primatum obtinet Alyssum verum Galeni, quo jam suo tempore GALENUS curavit suos ægros: quamvis, quid hoc propriè sit? dubium inter Autores existat: cujus tamen descriptionem restauratam videb. in *ultima Editione* TABERNÆMONTANI *pag. 928. sub nomine Alyssum primum Hispanicum Galeni*. Et hoc Alyssum Galeni optimum dicitur experimentum contra morsum canis rabidi, quocunque modo usurpatum. Usus ejus ferè abolevit, sed malè; Nam RENEALMUS *in Observ. suis* Essentiam habet Alyssi, qua ipsa curavit aliquot ægros à cane rabido demorsos. Ex his & similibus vegetabilibus conflatus est pulvis *Palmarii* expertissimus contra morsum canis rabidi *cap. 3.* cujus descriptio est satis nota, & ubique prostat apud Autores, estque talis:

℞. *Fol. Rutæ,*
Salviæ,
Plantag.
Polypod.
Verben.
Absinth. vulg.
Menthæ,
Artemis.
Melissophyll.
Beton.
Hyperic.
centaur. min. an. qu. v.
Misc. f. *Pulvis*.

Pulverem hunc Dosi ℨj. ad ℨiß. vel ℨij. subinde demorsis exhibet in jusculo calido, vel *haustu vini*, vel cum *Theriacæ* ℨß. & *Syrupo acetositatis citri*, expectato sudore, & per 40. dies ad minimum continuat.

Præter PALMARIUM felicem hujus pulveris usum expertus est SENNERTUS *lib. 1. Prax. Part. 2. cap. 16. de Hydrophobia*, item TIMÆUS *von Guldenklee in Epist. lib. 5. Epist. 17. pag. 376.* Pulveri autem huic tantum tribuere, vix opus videtur. Ex similibus ferè etiam concinnatum est euporiston illud infallibile contra morsum canis rabidi in BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Volum. 2. Observat. 110. pag. 275.*

Aliàs semen cardui benedicti, & lactei seu cardui Mariæ, & quod præstantius habetur, cardui fullonum seu Dipsaci, ad ℨij. pro dosi aliquoties manè assumptum expectato sudore, tanquam egregium specificum experimentum commendatur à LINDANO *super Hartmann*. Item contra morsum à cane rabido radix Vincetoxici ad ℨiß. vel ℨij. cum aqua cardui benedicti ad 40. dies omni manè propinata, laudatur à quibusdam specificè contra morsum canis rabidi, expectando sudorem. Vehicula, in quibus assumuntur hujusmodi pulveres, optima sunt aqua scordii, aqua

cardui

cardui benedicti, uti aqua tormentillæ, aqua theriacalis, aqua rutæ caprariæ, cancrorum fluviatilium, & similes cum spiritu theriacali: Vel

℞. *Pulv. rad. Contraierv.*
Gentian.
Pimpinell.
Vincetox. an. ℥j.
M. f. Pulvis.
div. in 4. part. æqu.
D. S.
Pulvis venenum pellens.

Porrò terra sigillata, item terra Lemnia, & imprimis terra S. Pauli seu terra Melitea, itidem internè ad morsum canis rabidi conducunt. *Theriaca* etiam & theriacalia, *Mithridatium*, *Electuarium de ovo*, &c. præcipuum obtinent locum, & sunt in frequenti usu, à ℨj. ad ℨij. assumta. Sed præ his magistralibus compositionibus præ cæteris theriaca dia-tessaron est præferenda, quoniam ejus quatuor ingredientia, nempe gentiana, myrrha, &c. ferè sunt specifica contra morsum canis rabidi. Hoc ergò, modò cum opio acuetur, erit remedium maximè appropriatum ad Rabiem. Aliàs mistura simplex laudatur ab HARTMANNO, tanquam remedium à se expertum, quod propinandum est in tali casu cum copiosa aqua cancrorum fluviatilium, aqua Poterii; prout B. D. MICHAELIS Tincturam bezoardicam, vel misturam simplicem non absque successu, expellendi per sudorem venenum canis rabidi, propinare consuetus fuit; item essentia theriacalis, cum essentia absinthii; sed omnia in dupla dosi exhibenda: ut

℞. *Aquæ flor. hyperic.* ℥iß.
Theriac. ℨß.
Tincturæ Bezoard. ℨiß.
Ess. lapill. cancr. ℨj.
M. pro dosi cum sudore.
D. S.
Potio sudorifera pro una vice.

℞. *Mixt. simpl.* ℨij.
Spir. cancr. ℨj. ad ℨiß.
M. D. S.
Mixtura sudorifera guttatim sumenda.

Dentur 60. gutt. pro dosi.

℞. *Spiritus theriacal. camph.* ℨij.
Cancr. fluviat. ℨj.
M. S. ut suprà.

℞. *Theriac.* ℨj.
Salis Absinth. ℨß.
M. D. S.
Electuarium sudoriferum pro una dosi.

Detur in haustu vini aciduli.

Ab his autem *alexipharmacis* per integrum anni quadrantem non est desistendum: Nam sæpe post 40. dies, aut aliquot menses interdum & post integrum annum, iterum se prodidit *hydrophobia*.

Quodsi verò *sudoriferorum* usus intermittatur, tamen *specifica* adhuc aliquamdiu continuanda. *Lapilli* cancrorum unum ex optimis specificis sunt, unde & *Bezoar rabidorum* audiunt; unde

℞. *Lapill. cancr. præp.*
Cornu cervi ust. præp.
Maxill. lucii pisc. præp. an. ℨj.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis pro 3. dosibus.

Dosis ℨj.

Nam si quid aliud, in cancris fluviatilibus est vis certa & specifica contra morsum canis rabidi, jam à GALENI tempore laudata. Recipiuntur nempe cancri, non isti, qui dicuntur Gammari seu Astaci, seu qui caudis sunt longis; sed eligendi sunt speciatim cancri non caudati, seu rotundi, Germ. *Taschen-Krebse*, quales reperiuntur ad loca maritima, tam in Italia quàm Belgio. Hi enim sunt genuini cancri ad morsum canis rabidi à veteribus commendati; conf. BARTHOLINUS *Cent. 2. Hist. 89.* quorum tamen defectu etiam nostrates cancri fluviatiles seu Gammari seu Astaci non penitus privandi sunt virtute contra morsum canis rabidi, atque ob id penitus rejiciendi, sed commodè usurpari possunt: Nam loco cancrorum fluviatilium etiam testæ ostrearum superiores calcinatæ, simili modo applicatæ & usurpatæ, proficuæ sunt. Colliguntur cancri post ortum canis seu tempore canicularium, quando sol leonem transit, v. g. 18. Julii capti, & calcinantur vivi; quorum cineris detur ℨj. vel ℨij. (*est exigui ponderis*) & pulveris gentianæ ℨj. & in cyatho vini boni propinatur ægro, expectando bonum sudorem; *ita Veteres illud propinarunt*; idque repetierunt tàm in metu imminentis quàm præsentis Rabiei. De hac præparatione, & præparationis ratione, vid. PALMARIUS *loc. all.* & SCHENCKIUS *Obser. pag. 856.* Ne autem sub calcinatione oleum & sal volatile pereat, loco calcinationis horum melius est, ut tales cancri, iique vivi, probe contusi, destillentur per alembicum in Mariæ Balneo, ut ita accipiatur aqua cancrorum, adeò à POTERIO decantata *in Pharm. Spagyr. pag. 47.* Id quod remanet, seu pulvis cancrorum, postmodum pro usu interno etiam usurpari potest à ℨß. ad ℨj. cum aqua destillata propria jam dicta, vel succo cancrorum fluviatilium, in specie addito pulvere radicis gentianæ, vel pimpinellæ: e. g.

℞. *Theriac.* ℨj.
Cancr. fluv. h. m. præp.
Rad. Pimpin. an. ℨß.
M. S.
Electuarium sudoriferum.

Juxta quem pulverem etiam modò dicta aqua destillata, item Decoctum cancrorum, ut & succus, commodè usurpari potest, quæ optima sunt vehicula remediorum contra hydrophobiam. Pertinet huc pulvis *Heurnii* expertus contra Rabiem:

℞. *Rad. Gentian* ℨij.
Cancr fluv. calc. ℨiij.
Terræ sigill. ℨß.
M f. Pulvis.

Hujus pulveris compositi ℨj. præbet in decocto cancrorum fluviatilium, imperando sudorem, subinde repetendo.

Vel secundùm HEINRICUM ab HEER

℞. *Pulv. Gentian.*
Myrrh. an. ℨj.
Cancr. fluv. d. m. præpar. ℨij.
M. cum *vino*, vel *decocto* vel *aqua cancrorum fluviatilium*, & propinant imperando semper sudorem.
Dosis est ℨß. ad ℨj.

Conf. BARTHOLINI *Act. Med. Haffniens. Volum. 2. Observ. 110. pag. 276.* & SACHSII *Gammarol. lib. 2. Sect. 3. pag. 638. sequ.*

Præter dicta radix Rosæ sylvestris seu Cynorrhodi jam ab antiquissimis temporibus est commendata. Sunt tamen, qui præferunt huic radici spiritum seu essentiam vermiculorum cynosbati, de quibus alio tempore dictum. Aliàs experimentum *Stæckeri*, quod nunquam eum decepit, uti asserit, est sequens, idque contra quoscunque animalium, tàm venenatorum quàm rabidorum, morsus:

℞. *Gentian. pulveris.* ℨj.
cum *Theriac.* ℨj. miscuit.

Tribus diebus continuis, omni manè propinavit, jejunando desuper per quinque vel sex horas, simul expectando sudorem, qui semper expectari debet. Super morsus verò locum allium, rutam, & sal, eaque contusa & mista in forma cataplasmatis, apponit.

Ulterius medicamenta, quæ ipse canis rabidus suggerit, præ cæteris sunt laudata, qua ratione sanguis canis rabidi pulverisatus, & per triduum dosi ℨj. usurpatus, certò juvare rabiem & hydrophobias, dicitur à PALMARIO *loc. alleg.* Item crines vel pili canis rabidi, quos præter PALMARIUM commendat SCHMUCKIUS, vel *cor & hepar animalis mordentis* decoquantur & patienti propinentur; vel *in pulverem* redacta dentur ad ℨj.

Præ cæteris optima cura est *immersio ægri in aquam frigidam*, quod remedium ceu expertum ubique commendat HELMONTIUS *in Tract. Demens Idea pag. 278. §. 47. 48. & 49.* Confirmatur etiam per experientiam FORESTI *lib. 10. Observat. 27. & 28.* item TULPII *lib. 1. Observat. 20.* Quò facit rara observatio SCHENCKII *lib. 7. Observat.* recensita de mulo rabido in Rhodano fluvio injecto, qui sic à Rabie sanatus: ubi plura sunt exempla curatarum Rabierum per immersionem in aquam frigidam: Vid. etiam PARÆUS *lib. 20. cap. 14.* Remedii hujus prima vestigia reperiuntur in CELSO, qui tales ægros in piscinas injiciendos suadet. Et quidem circa hanc submersionem notandæ sunt duæ circumstantiæ:

1. Ex improviso immergendi; &

3. Aliquamdiu ita relinquendi sunt tales ægri sub aquis, ut post terrorem injectum ex suffocatione imminente eò efficacior pavor mortis ipsis imprimatur; sicque feliciùs idea deletur, & delirium curatur. Vid. *suprà Artic.* 3. *Membr.* 3. *ubi de Mania*.

Immersio ista fiat bis vel ter pro ratione circumstantiarum: sic multi fuerunt curati.

Controversia est aliàs inter Autores, an conveniant Purgantia in & circa curam hydrophobiæ & rabiei? Et notandum, quod per se nihil conferant, quia humores exagitant, & ab habitu ad interiora venenum derivant; è contra sola appropriata alexipharmaca, imprimis sudorifera, sufficiunt, & utramque absolvunt paginam. Nihilominus tamen si sit jam longum tempus, ex quo æger fuerit commorsus, & tamen nondum perfectè sit rabiosus, utut signa imminentis Rabiei se manifestent, ægerque talis non evacuatus fuerit, in his & similibus casibus pro metu subsequentis Rabiei feliciùs tollendo, utilem commendant catharsin per superiora aut inferiora, scilicet helleborum album & nigrum, item agaricum, utpote quę vim simul alexipharmacam habent: vid. SENNERTUS *Prax. lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 16. *Quæst.* 3. Nam testatus est jam suo tempore DIOSCORIDES, catharsin his tantum opem ferre, qui jam hydrophobiam seu aquæ metum incipientem tantummodo sentirent: Et sumpto helleboro simul ac primum morbi impetum experirentur, cum impetu expurgati, multi certâ experientiâ fuerunt servati: Sic quidam referunt, multos canes rabiosos helleboro cum polenta accepto vomuisse, & statim à Rabie liberatos ad se rediisse. Hinc post helleborum etiam Hiera, quæ colocynthidem recipit, non parum commendatur. PALMARIUS affirmat, se multos nosse rusticos, qui propinato pharmaco vehementi, quo una eademque opera suprà & infra supervacanea omnis generis è corpore excluderentur, ab hydrophobia evaserint.

Post Purgantia faciunt huc simul aliquid fortiora Diuretica, per urinam, præsertim cruentam, virus alterantia & eliminantia: quæ inter Valeriana, imò Cantharides vim specificam obtinent. Hos AVICENNA commendat contra Rabiem & hydrophobiam, ut etiam asserat, si rabidus exinde sanguinem minxerit, securum esse ab hydrophobia. Quibus vulgò nostrates scarabæos Majales, & vermes Majales substituunt: Vid. SENNERTUS *in Praxi Part.* 1. *lib.* 2. *ubi de Rabie pag.* 440. & 441. Remedium *Avicennæ* hactenus apud Practicos sepultum est, cujus tamen mentio fit in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Observat.* 133. & in *Append. pag.* 32. ubi cantharides ab Ungaris in aceto fortissimo asservantur, & postmodum No. 4. 5. vel 6. in haustu spiritus vini contra venena rabiosorum animalium sine dysuria aut mictu sanguineo propinantur; unde saltem per fortem diuresin liberati sunt. Horum tamen c. l. dosis à nobis non imitanda, quoniam Hungari fortioris sunt idiosyncrasiæ; sufficiat, quod cantharidum vis quasi specifica sit ad rabiem; sicuti etiam in dictis M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observat.* 302. *pag.* 524. prostant exempla Rabiei beneficio scarabæorum aut vermium Majalium curatæ. Alii recipiunt *Cantharides* vel *scarabæos* pulverisatos, cum *melle* miscent & asservant, & propinant ad ℈j. Vid. SENNERTUS *l. a.*

Quod *vulnus* à *rabido animali inflictum* attinet: hocipsum, dum recens est, non statim claudendum aut sanandum est, sed aliquamdiu apertum servandum, vel *ampliandum*, quantum fieri potest, ut cum sanguine saliva potius effluat, quàm retrocedat; aut id, quod de saliva adhæret corpori, licèt non vulnerato, diligentissimè & magna cura est removendum, ut omnis virulentia beneficio tumoris, inflammationis & suppurationis ex ipso loco eliciatur. Et quidem in specie maturanda sunt auxilia chirurgica; nam nisi primis statim horis ac diebus fuerint adhibita, ut virus malignum citò extrahatur, alio tempore in cassum ferè adhibentur, quando scilicet virus jam ad interiora penetravit. Ob id statim est properandum, & imponendi sunt primò pili canis ipsius rabidi, qui tanquam singulare experimentum vulneri, à cane rabido inflicto, apponuntur ex PARÆO, ut venenum magneticâ vi extrahatur; id quod etiam confirmat SCHMUCK *in Curationibus Magico-magneticis pag.* 38. Vel *Theriaca* cum *succo rutæ* & allio subacta, morsui canis rabidi etiam utiliter imponitur: conf. WEDELIUS *de Med. Facult.* Præcæteris nempe cepæ sub cineribus assatæ, & cepacea vulneri imposita, multùm conducunt, præmissa in loco affecto scarificatione: Sic enim AMATUS LUSITANUS *Cent.* 5 *Curat.* 55. puerum duodecim annorum in crure à rabido animali demorsum ita restituit, dum accersito chirurgo locum læsum profundioribus incisuris scarificare, & calido vino vel aqua salina lavare jussit: hinc loco optimè absterso hoc Cataplasma admovit:

℞. *Cepam acrem* No. j.
Alliorum capit. 5. radicem mediam.
Theriaces opt. ℥. ad ʒvj.
Fermenti ℥j.
Omnia pistentur, & loco affecto forma Cataplasmatis supponantur: quibus puer brevi sanatus est.

HELIDÆUS PADUANUS, præmissâ loci scarificatione, cepam cum melle contusam simpliciter imponit; vel loco mellis cepam cum theriaca subactam, & ita morsui applicat, aliquot dies continuando. HORSTIUS *lib.* 7. *Observat.* 23. commendat emplastrum ex allio, sale, & terebinthina. Sunt, qui cataplasmatis his scordium & semen sinapi addunt: v. g.

℞. *Herb. rutæ*
Scord. an. M. j.
Rad. Allii ℥j.
Coqu. in s. q. *Vini* ad putrilaginem:
adde
Pulv. rad. Gent. rubr.
Aristol. rot. an. ʒiß.
Sem. sinapi ʒij.
Mellis ʒvj.
M. f. Cataplasma.

Conf. HILDANUS *Cent.* 1. *Obs.* 87. & LOTICHIUS *Cent.* 6. *Observ.* 1. *cap.* 5.

Scarificatio profundè satis fiat, nisi loci conditio, v. g. ratione vasorum subjacentium, hoc impediat. Alii *hepar animalis* imponunt, vel *partem carnis*. Quò & *columbarum vivarum & dilaceratarum* applicatio pertinet. Quidam *ligaturas* magni æstimant. Præ cæteris insigniter etiam conducit Emplastrum magneticum Angeli Salæ ex magnete arsenicali paratum, *suprà l.* 1. *ubi de peste*, descriptum; scilicet post scarificationem vulneris, sanguinisque per cucurbitulam extractionem, loco demorsus applicatum & impositum; vel locus scarificatus eluendus est cum spiritu vini theriacali aut camphorato, aut muria, aut vino, aut aqua salina, aut decocto scordii & radicis gentianæ cum vino aut aqua parato, cui salis, vel spiritus salis, parum admistum sit, & hinc emplastrum magneticum applicari, vel solitarium, vel etiā ℥j vel ℥ij pulveris cancrorum fluviatilium siccatorum aut calcinatorum potest admisceri; continuetur quotidiè repetendo bis: vid. AGRICOLA *in Chirurg. Parva pag.* 448. Quod si velit hoc emplastrum magneticum dolorem vel inflammationem, vel excoriationem excitare, tunc optimum est, ut saltem oleum scorpionum vel hyperici cum sacchar ò saturni mistum, vel unguentum nutritum, aut simile saturninum, circa vulnus illinatur; vel recipiatur *oleum ceræ*, addatur parum *sacchari saturni*, & ita illinatur, istudque emplastrum repetatur: Vel imponatur tale *emplastrum*:

℞. *Ceræ* ʒvj.
Ol. Olivar.
Sevi hircin. an ℥iij.
liquefactis adde
Thuris elect. ℥ß.
M. f. Emplastrum: S.
Singulare emplastrum.

Alii imponunt *emplastrum de ranis cum Mercurio*, vel Ceratum dia-dictamni, quod sacrum Galeni aliàs appellatur: e. g.

℞. *Cerat. dia dictamn. Galen.* ℥iß.
Pulv. cancr. fluviat. ʒiij.
Cum s. q. *Ungu. de Litharg.* f. Emplastrum:
D. S. ut antè.

Verùm promptissimum remedium externum est ustio loci affecti cum ferro candente seu cauterio actuali, cùm ustio omnem virulentiam penitùs destruat; hoc enim securissimum & tutissimum remedium est curandi morsus animalium rabidorum; de quo, præter alios, vid. HILDANUS *Cent.* 1. *Observat.* 84. 85. 86. 87. & *Cent.* 2. *Observ.* 97. qui hoc didicit ab Empirico quodam, qui omnes cane rabido demorsos solo hoc cauterio actuali feliciter restituit, & rectè: Ustione enim penitus destruitur ipsa virulentia, & seminalis crasis virulentiæ malignæ tollitur, modò conditio loci affecti id permittat. Simili modo admotione ferramenti igniti

citra

citra ustionem curat BOYLE *in Philosophia Experimentali* morsus viperarum. Quodsi verò tardiùs talia externa administrentur, aut, si consolidato jam vulnere Rabies postea supervenint, optimum est denuò scarificando aperire locum, cucurbitam cum magna flamma applicare, & præter dictam elotionem morsum cauterio actuali profundè satis, imò diversis in locis, adurere; ustionis verò loco spiritus vini theriacalis, aut in quo aliquid theriacæ solutum, cum gossypio imponatur, ac vulneri cataplasmata modo descripta insternuntur: sequenti die incidenda est eschara, undique eadem topica continuando, usque dum illa secedat: quo facto mediante piso ulcus per aliquot menses apertum servatur, singulis septimanis bis vel ter Mercurium sublimatum simplicem, vel compositum *Hildani, Cent. 1. Observat.* 87. descriptum, inspergendo, & sudorifera interdum propinando; siquidem, ut suprà monitum, validas in isto loco punctiones tunc sentiant. Imò placet consilium SENNERTI *lib. 1. Prax. ubi de Rabie*, ut quocunque tempore fonticulus in aut proximè loco affecto excitetur, ut continua illa evacuatione quasi revulsoria veneni, naturæ opem feramus.

Hæc de morsu canis rabidi, & inde nata Rabie.

MEMBRUM II.

DE TARANTISMO.

Vicinum ferè malum est Tarantismus, seu rabies eorum, qui à tarantulis sunt morsi. De hoc tarantulæ veneno, indeque orto delirio musico, jam quædam monenda forent; sed cum morbus hic in Europa, præter Apuliam, nullibi cognitus, & jam ab aliis sufficienter explicatus sit, qui de Tarantismo scripserunt, in specie à KIRCHERO *in Musurg. Magna & in ejus Arte Magnet.* à SCHOTTO *in Magia Naturali Part. 2. ubi de Auditu*, à FERDINANDO *in Hist. Med.* nec non à SENGUERDO *de Tarantula*, qui integrum libellum de hac materia scripsit, cujus contenta extant in *Act. Philos. Angl. Part. 4. Ann. 1668. pag. 66.* utut non multum videatur habere in recessu, & alii similes Autores; ob id, ne actum agam, in specie, cùm apud nos hic affectus non occurrat, eundem transire permittam. MARCUS MARCI etiam videatur *in Philosophia Veterum Restituta, in cap. de Tarantismo*.

Primariò spiritus animales affecti sunt, & ita maximam partem affectus idealis est: tamen & his hoc modo affectis in juncto fluido aliquid acrimoniæ malignæ subesse, præter convulsiva pathemata, imprimis cura, quæ per lac in Persia instituitur, confirmat.

CURA.

Cura ejus aliàs est Musica, cujus rationem WILLISIUS *de Morb. Convulsi. cap. 7. pag. 65.* ita deducit: Venenum hoc mitius esse, quàm ut spiritus animales penitus extinguere valeat, aut distractos prorsus dissipare; sed eos tantum in fugam conjicere, fugatosque in spasmos leviores incitare: at verò musicam spiritus facilè congregare ac mutuò associare, hinc serie quadam nervorum corpora subeuntes certis velut in cancellis ferri, donec veneno dissipato paroxysmus cesset.

Omissis ergò hisce, ad deliria, ab externa causa inducta, pergo. Hæc quod attinet seu *ab assumptis* aut inspiratis *venenis*, in specie simul *narcoticis*, oriantur, priora optimè curantur vomitorio in principio adhibito; posteriora verò, præmissis universalibus, vel in genere aceto cum *castoreo* & camphora misto, vel unicuique assumpto in specie appropriata exhibenda erunt.

MEMBRUM III.

DE AMORE INSANO.

Ad hujusmodi deliria, quæ extrinsecùs adveniunt, pertinet etiam Amor insanus, qui à philtris probè *distinguendus*. Nam *Amor insanus est species quædam melancholiæ*, quam ex nimio, sed verò Amore nonnulli contrahunt: non secus ac alii ex nimia mœstitia, molestia & curis

melancholici fiunt, & ad deliria melancholica disponuntur: ita etiam tales amantes ex nimio amore in graviori malo nonnunquam in maniam dilabuntur, & amentes fiunt, ut superiùs aliquando monui.

DIAGNOSIS.

Quoad signa cognoscendi amorem insanum: ex primariis signis est *Pulsus*, sicut superiùs monui, quòd affectus animi ex pulsu cognoscantur.

Controversia aliàs est: *An detur pulsus amatorius*, qui proprius sit intensè amantibus? seu an ex pulsu certo cognosci possit, quendam amore nimio laborare? Experientia quemcunque informare potest. Negatur: Non datur pulsus amatorius ab aliis pulsibus specie distinctus, utut ex nimia pulsus perturbatione ac inæqualitate, concurrentibus simul aliis symptomatis, probabilis conjectura haberi possit. De hac controversia vid. HORSTIUS *in Oper. Med. Tom. 1. circa finem*, cui annexa est *Dissertatio* quædam *de Pulsu amatorio* an detur specialis? ubi idem negatur. Saltem hoc obtinet, ut in talibus soleat esse admodum *varius*, & insigniter *inæqualis*, turbulentus & *inordinatus*: sed simul atque fiat mentio personæ amatæ, subitò alteretur & mutetur pulsus in maiorem, celeriorem & vehementiorem: Postmodum verò, ubi mentio istius personæ amatæ cessat, pulsus obscurus, turbulentus & inordinatus denuo fiat; & ita tandem subinde repetenda mentione istius personæ amatæ, ex pulsus tali mutatione facilè pervenire possimus in cognitionem hujus affectus. Exempla vid. in FORESTO *lib. 10. Observat.* 30. Sicuti etiam iam GALENUS tale exemplum annotavit. Sed hoc nil est peculiare; commune enim hoc habet, cum omnibus melancholicorum pulsibus.

CURA.

Amor Insanus removendus est, partim remediis ethicis, partim remediis *Medicis*: Illis, ethicis nempe, persuasionibus rationalibus, ut amor iste insanus & nimius removeatur, & impetus iste cœcus amorosus corrigatur & emendetur: His, medicis nempe, similibus ferè, quæ aliàs in Melancholia & affectibus melancholicis solent commendari & præscribi. Mitiora tamen utplurimum usurpanda, aut pro circumstantiarum diversitate divermodè immutanda, cùm affectus animi hic prævalent, qui persuasionibus imprimis curandi sunt.

MEMBRUM IV.

DE PHILTRIS.

Pergo potius ad ipsa *Philtra*, seu ad media quibus amor & affectio quædam unius personæ singularis erga aliam personam determinatam conciliatur; ita quidem, ut ex præsentia talium subjectorum facultas animalis, in specie quoad affectus animi, se optimè habeat; sicuti talium personarum absentia est plus minus molesta, aut gravioribus animi anxietatibus & quasi deliquiis obnoxia. Unde *philtra* possunt usurpari inter mares & mares, inter fœminas & fœminas, inter *mares & fœminas*, inter *homines & bruta*, inter bruta & bruta, ut sic mutuus amor concilietur. Hæc ipsa Philtra sunt vel vera vel falsa. *Philtra falsa seu notha* sunt, quæ à plebeculis, vetulis, & mulieribus, aut etiam prostibulis & similibus, subinde propinantur. Sed hæc ipsa sunt vel *vana*, vel *frustranea*, vel alio passu nocent; aut sunt præternaturalia, aut *Magica*, aut si non sunt magica, saltem virtute verorum Philtrorum carent. *Vana & frustranea* ex variis subjectis parari solent, & ordinariò ferè & frequentissimè ex eorum menstruo sanguine, nunc solitario, nunc adjecto *sanguine leporino*, tanquam animalis fœcundi & salacis, componuntur. Alii ex parte umbilici infantum decidui singularem amorem conciliare volunt; alii *secundinas* adhibent; sunt, qui beneficio seminis humani Philtra magnetica seu amorem conciliare volunt. Alii testiculis animalium salacium, sudore certi hominis probè irrigatis, homines in amorem cogere volunt. Sed hæc omnia & similia sunt ludicra & falsa, ut & Magica & præternaturalia, quibus nil obtinetur: Nam loco cupiti amoris talibus, qui postulantur, ut ament, subinde

gravia & periculosa symptomata, subinde *maniam*, dementiam & *stupiditatem* inferunt. In specie *exemplum* hujus rei stupendum vid. in HENRICO *ab* HEER *Observat.* 13. stupendorum spirituum ex philtro tali falso natorum.

Vera quod attinet Philtra: ea sunt talia, quibus verus amor & naturalis quædam inclinatio unius personæ in aliam excitari potest, idque medio quodam naturali, tanquam magnete transplantatorio, perficitur, ut exinde sequatur mutuus affectus. Vid. D. CLAUDERI *Disputatio de Philtris*, quæ perquam elegans est. Quæritur hic: an dentur talia philtra, & quæ sine metu maniæ in determinata persona inclinationem & amorem excitare & conciliare valeant? Communiter propter ignorantiam modi, quo fiat, etiam res ipsa negatur: sed malè & contra experientiam. *Veritatem*, nempe quod dentur, beneficio quorum inclinatio determinata hujus personæ in istam possit conciliari, *confirmat experientia*; ubique enim prostant *exempla*, quibus *coactus amor* possit fieri. Nam (1.) per experientiam res certa est, quod legitimè instituta & usurpata Philtra omninò hanc vim obtineant, tàm in hominibus, quàm etiam in brutis. Sic *quidam studiosus* in ædibus meis paternis à lotrice sua in balneo intritum (*Kalte Schaale*, Germanis dicitur) benignum, ast satis potens amorificum accepit, per cujus esum tantum amore erga eandem deflagrabat, ut planè anxius redderetur, nisi quotidie eam visitaret. A quibusdam quæri solet; an fiat per *Magiam & artificia Diaboli*? & respondeo, quod non. Posito, sed non concesso, subesse ludibrium dæmonis, saltem dæmon non potest agere suprà naturam, sed potiùs secundùm vires in natura fundatas. De cane notum est, quod si quis recipiat frustum panis, & sub axillis detineat, ut insensibili transpiratione & sudore proprio benè imprægnetur & madescat, & ei postmodum propinetur, tunc canis talem hominem vix unquam deserit, & ad heri sui amorem singularem allicietur. Notum exemplum HELMONTII, quod refert *in suo Tract. de Magnetica Vulnerum Curatione* §. 27. quod nempe receperit hebam, quam ad tempus detinuerit in manu, & postmodum pedem cujusdam catuli itidem ad tempus detinuit in manu ista; unde factum fuit, ut postmodum catulus eum amicè secutus fuerit, relicto antiquo hero. Præterea & Dn. D. HAUPTMANNUS habuit passerem, cui similiter tale Philtrum, eorum vim & virtutem probaturus, propinavit ex medio vegetabili, ita ut exinde passer eum nunquam deserere potuerit, sed in Museo illi semper adstiterit: visitans ægros cum eodem hinc inde circumvolavit, & nunquam eum deseruit, referente D. MICHAELIS. Conferantur hic ea, quæ habet HELMONTIUS *loc. cit. pag.* 599. de cura vulnerum transplantatoria, quæ fit cum pulvere sympathetico, persicaria, & similibus. Sunt duæ plantæ ubique obviæ, quæ si in manu detineantur, quæcunque ex illis sit, ut benè intepescant, (nam hæc est conditio sine qua non) & hinc manus abjectâ herbâ porrigatur virgini, ita ut & illius manus probè detineatur, ut similiter incalescat, hinc amor mutuus conciliatur, certus, non tamen diu durans, sed tantùm per quatuor aut quinque dies. Primam plantam hyoscyamum, alteram Cochleariam vel Persicariam puto fuisse. His & similibus exemplis certis nullum dubium est, quin possit fieri amoris certa conciliatio. Sufficit, quod ubique prostent exempla actionum in distantem & determinatam personam, tam in melius, quàm in pejus. (2.) Confirmant Philtrorum possibilitatem exempla analoga sympathiarum mutuarum, in natura obviarum, inter quædam animalia; ad quas pertinent curæ magneticæ in morbis, ut nempè certo medio morbus possit transferri ex uno animali in alterum, ita tamen, ut morbus curetur affecto altero. Sic, ut nihil dicam de pulvere sympathetico, in ictero ex urina ægri & farina fiunt placentulæ, quæ placentæ pro transplantatione morbi propinantur cani, vel feli, & icterus exinde sanabitur; quod verissimum est: Vid. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Histor.* 66. MARCUS MARCI *in Philos. Vet. Restit.* & HELMONTIUS. De atrophia per sanguinem ægri ovo inclusum curanda, vid. HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr.* & BURGGRAVIUS *in Biolychnio*, cujus experientia certa facta est in Anglia, referente hoc BOYLE *in Philos. Experiment.* quali sympathia & mariti per incantationem fascinati curantur. Nihil dico de podagræ curatione per transplantationem in quercum, &c. Hæc & similia omnia innuunt correspondentiam totius cum partibus à toto secretis. Nota etiam est sympathia & amor naturalis inter consanguineos, dum v. g. frater in Germania variolis correptus, similiter & alter frater, qui in Gallia est, iisdem simul eodem tempore corripitur: aut si gemelli, unus Lipsiæ, alter Wittebergæ, simul eodem tempore variolis corripiuntur: Conferantur & singularia talia sympathiæ exempla, quæ recenset BORELLUS *Cent.* 2. *Observat.* 47. de puella, quæ nimiis torturis & artuum lancinationibus torquebatur tunc temporis, cùm ejusdem pater in loco satis dissito rota frangeretur. Simile exemplum habet de muliere, quæ sensit dolorem exquisitum in fronte, cujus maritus sclopeto in capite vulnus accepit: Item BARTHOLINUS habet simile exemplum *Cent.* 5. *Observat.* 79. de marito, toties & cruciatus & tormina intestinorum perferente, quoties uxor fuit in labore partus: Item in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observat.* 215. *pag.* 316. & 317. refertur de marito, cujus uxor, quoties fuit gravida, toties ille pica & vomitu correptus est. Hæc & similia exempla & curæ in distans multùm illustrant verorum determinatorum Philtrorum existentiam & naturam, ac firmum amorem subjectorum, inter sese, etiam remediis naturalibus conciliatum. (3.) Ex opposito notum est, quoad certas idiosyncrasias, secundùm quas certa objecta abhorrentur, ubi quidam, v. g. felem etiam invisam, maximè horrent & anguntur; ita quid obstat, quò minùs fieri possit, ut certa objecta amentur? Conf. BORELLUS *Cent.* 1. *Observat.* 91. de odio singulari arte inter conjuges concitato. (4.) nemo negabit, quod dentur Philtra Magica, h. e. quando inito cum dæmone pacto hujus ope alterius conciliatur amor. Adeoque necesse est, ut dentur etiam naturalia Philtra, cùm dæmon nec supra naturam, nec contra naturam, nisi Deo specialissimè concedente, agere queat; hinc non, nisi per media naturalia, necessariò, quicquid agit, perficiat.

CAUSÆ.

Causa proxima, scilicet qua mediante operentur talia *Philtra determinata* ad certam aliquam personam, optimè declarari videtur ab HELMONTIO *loc. suprà cit.* dum dicit; quod philtra requirant mumialem confermentationem, mediante qua ad certum objectum trahatur alterius dilectio, ubi nempe, ut suprà dictum, plantam tenet in manu, & postmodum apprehendit catellum, qui eum secutus est, relicto proprio hero. Reddit ita rationem, quare contactu herbæ prævio, ejusque benè tepescentis auxilio, in brutum vel hominem fiat amoris transplantatio: *quia*, dicit, *calor priùs herbam calefaciens, isque non solitarius, sed effluvio quodam spirituum animalium imprægnatus, herbam ad se determinat, individuatque sibi, & aßumpto hoc fermento per magnetismum alterius subjecti contacti spiritum trahit, ut superveniat mutuus amor.* (Omnes plantæ non habent vim singularem conservandi spiritum animalem.) In his nempè nervus est omnis actionis trãsplantatoriæ & curationis magneticæ, & etiam in his consistit fundamentum ipsorum philtrorum genuinum. Dumque dicit, fieri debere per confermentationem mumialem, mediante qua ad certum objectum trahatur affectio & inclinatio, observandum est, quid per mumiam intelligatur? Per *mumiam* autem stylo *Helmontiano intelligitur primariò spiritus insitus, idque imprimis in cadaveribus*, in quibus *influi evanuere* spiritus, *relicto saltem insito*; *secundariò* tamen & in viventibus spiritus influus mumiæ spiritualis nomine subindè venit, & hic ipse sufficiens est pro tali transplantatione instituenda, modò medio quodam tertio, quod HELMONTIO vocatur *Magnes*, v. g. planta quadam; ita ut spiritus iste mumialis mediante magnetismo ex uno subjecto haustus, & certo modo alteratus & determinatus, conferatur in alterum subjectum, cujus spiritui mumiali, tàm insito quàm influo, arctè nubat, eique se jungat, ex qua conjunctione & unione postmodum inter hæc duo subjecta mutua combinatio & inclinatio concitatur, magnetismo mumiali in distans mutuò agente. Nempe ex hoc fonte omnes *actiones* & curationes *magneticæ*, *sympatheticæ*, transplantatoriæ, & similia naturæ mirabilia sunt derivanda & deducenda, quæ partim in *Theoria*, partim & in *Praxi* multum habent in recessu.

Hæc Philtra vera, cum tantùm honestatis & amoris gratiâ instituantur, &, quà talia, nullum nocumentum inferant, non etiam est occupatus circa eadem Medicus, nec ullo modo sunt impedienda & curanda. Verùm cum sæpissimè fiat,

fiat, ut loco Philtri veri propinetur Philtrum falsum, aut per magiam illicitam & incantationem concilletur amor, ob id necesse est, ut pessimis inde oriundis symptomatis, non rarò maniacis, sedula Cura à Medico adhibeatur.

DIAGNOSIS.

Cæterum quæritur: *an possit cognosci Philtrum tale nothum propinatum?* Neg. *Signa* enim, quibus Philtra falsa à veris dignoscenda, certa sunt nulla; Nulla enim nocumenta inferunt, nisi quod subinde à falsis gravium mox symptomatum superventus fraudem latentem manifestet. Ob id omnes circumstantiæ morbum, qui à Philtro falso oriri putatur, antecedentes probè perpendendæ, & saltem artificiosis conjecturis, partim ab ægro, partim à Medico, cognoscendæ. *Primatum obtinet*, quod subinde ægri tales mox post assumptionem cujusdam rei, vel esculentæ, vel poculentæ, se malè habeant circa stomachum; quando & ipsi interdum subinde suspicionem habent, à tali vel tali persona propinatum fuisse Philtrum. In specie tamen, & tantùm non semper, post *Philtra* falsa de anxietatibus præcordiorum, imprimis de *pessimo stomachi habitu*, & hinc de sensuum internorum læsione tales ægri post propinata Philtra falsa conqueruntur. Stomachi vitium nonnunquam solet esse pertinacissimum, etiam aliquot annos à propinato Philtro interdum durans, & semper eò pejus malum, quò diutiùs durat malum à Philtris inductum. Hisce superveniunt *mentis perturbationes*, & *deliria* patiuntur, vel insaniam. Mirum est, quod interdum periodicè *impetus* talis *amatorius* & morbosus ex Philtro causatus, repetat: Sic namque refert AGRICOLA *Comment. in Popp. ubi de Antimonio*, de amore per philtrum inducto, cujus paroxysmus singulis pleniluniis repetebat, & per sex dies continuos durabat, intermedio tempore ægro satis benè se habente: Sic B.D. LANGIUS curavit aliquando hic quendam juvenem, qui postquam à levioris notæ fœmina Philtrum quoddam sub dimidio pomo citrio horâ quartâ pomeridianâ comesto accepisset, quotidie postmodum per horæ spatium, idque sub eadem hora, tanto desiderio & anxio amore in istam fœminam flagravit, ut planè anxius hinc inde cursitaret, & inquieto animo ejus præsentiam flagitaret, eamque amplecti desideraret: Cum verò aliquando voti sui compos reddi nequiret propter absentem tunc mulierem, malum in dies succrevit eadem horâ in tantum, ut exinde in pessimum habitum degenerarit, donec curatus fuit. De cura postmodùm suo loco.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: In hac prout variant subjecta, quæ pro *mediis amatoriis* in Philtris falsis assumuntur, etiam variant *nocumenta* ab iisdem inducta.

In specie tamen post *Philtra falsa*, præter ventriculi insignes noxas & inde derivata pathemata plurima, frequentissimè supervenit melancholia & *delirium melancholicum*, sæpiùs *mania*, interdum *amentia*, tandem lenta mors infertur.

CURA.

Quod *Curam*: In hac exhibenda sunt

1. Universalia, imprimis Vomitoria; quibus subjungenda
2. Specifica.

Illa inter eminent Vomitoria, sine quibus vix aliquid laude digni potest perfici; quod si illa ferre nequeat æger, Purgantia usurpentur, & his præmissis Sudorifera, quibus commodè etiam admisceri possunt Specifica.

Deinde ante omnia, quantum fieri potest, laborandum est Medico, ut æstimatis omnibus circumstantiis, & perpensis minimis conjecturis, possit invenire materialem causam, quæ applicata vel usurpata fuit in Philtro falso. Inquiratur igitur? an scilicet solùm inductus sit amor per *media Magica* illicita, seu signum Magicum & superstitiosum? an verò naturalia, nempe per sanguinem menstruum, aut semen, aut urinam, aut alvi excrementa aut similia? Nam *si suspicio sit, quod mediis Magicis Philtrum fuerit inductum*, præmisso *vomitu* antimoniali, etiam interdum repetito, adhibeantur remedia contra incantationes directa, aut contra morbos à veneficio natos vulgò aliàs usitata: quæ inter præcipuè excellit *viscus corylinus*, legitimo tempore collectus, tam solus *internè* assumptus, quàm externè: vid. HEINRICUS ab HEER *loco suprà cit.* ubi habet *unguentum* seu *linimentum* ex visco corylino, cum axungia cati, ursina & *caponum* paratum: vid. CARRICHTERUS *in Herbar. edit. in 8.* Item juxta hunc viscum valet *Valeriana minor* seu Phu Ponticum Dioscoridis, (vid. Matthiolus,) carduus benedictus, *flores hyperici*, flores & folia *aquilegia*, & *corallia* quoque usurpari solent *internè* & *externè* in forma *amuleti*. Facit huc *emplastrum fœtidum Mynsichti*, quod videb. *in ejus Armamentar.* item Electrum artificiosum è septem metallis compositum, & certo tempore confectum, *amuleti* formâ applicatum: vid. HELMONTIUS *Tract. Iniaculatorum Modos Extrahendi.* Convenit etiam *Electrum immaturum Paracelsi*, etiam ab HELMONTIO commendatum; sed incertum adhuc est, quid sit: Alii *Zincum* sed male; alii Germ. *Gulden Ertz*, alii *folia auri Hungarici* substituunt, &c. Sin verò de Philtris, quæ per media naturalia, utut frustranea, v.g. menstruum sanguinem, inducuntur, fit suspicio, tunc optimum est, ut præmissis universalibus remedia Philtris aliàs appropriata, mista simul cum specificis istius rei, à qua inductum Philtrum, usurpentur. Propinatis etiam universalibus, sudoris provocatio per appropriata imprimis est conducibilis, & subinde necessaria. Ante omnia autem vigilet Medicus, præsertim in melancholia aut mania amatoria, ut dormire possint ægri, quò placidiores reddantur, ac ferociam deponant.

Universalia sunt imprimis *Vomitoria*, quæ sæpiùs totam curam absolvunt, cujuscunque etiam generis ista fuerint: vid. RULANDUS *Cent. 3. Curat. 9.* & FABER *Curat. 94.* In specie infusa *antimonialia*, eaque valida & magna dosi usurpanda, ut *infusum vitri antimonii* ad ℥ß. aqua benedicta, aurum vitæ Kegleri, Mercurius vitæ in substantia, & similia, præ reliquis conveniunt. Sic enim Dn. D. LANGIUS *suprà dictum* juvenem curavit propinando vomitorium ex *butyro antimonii* cum sole & luna destillato secundùm methodum FABRI *in suis scriptis*, è quo præcipitatus est Mercurius vitæ cum sole & luna compositus; Unde ex propinata prima dosi multum quidem, sed absque levamine, evomuit; hinc tertio post die illud idem vomitorium antimoniale mox ante ingruentis paroxysmi tempus iteratum ipsi dedit, & ita suprà ac infrà materiæ fœtidissimæ & nigerrimæ ejecit saburram, quibus duobus vomitoriis convaluit. Sic Halæ Saxonum fuit juvenis certus, qui certis horarum intervallis ità adeò sæviret, ut ex ædibus aufugeret, ac si maniacus esset: Unde cùm in hoc esset suspicio Philtri propinati, propinatus ipsi fuit Mercurius vitæ ad gr. v. (*fortiter sunt accipiendi!*) quibus suprà & infrà multum evacuatus est, sed nondum tamen ritè restitutus: data fuit alterâ die *Theriaca* cum ʒj. *pulveris serpentum* cum *aqua Theriacali* vel cardui benedicti; unde secutus est sudor copiosus, quo omninò curatus fuit. RULANDUS *lib. 1. Curat. Empir. pag. 32.* refert, insanum ex philtro, à malefica in placentis accepto, datâ aquâ benedictâ feliciter evomuisse placentas, quæ in terram projectæ effervescebant & ebulliebant, non secus ac cibus super ignem. Aliàs oleum sambuci ex Arillis à ʒj. ad ʒiß. tanquam appropriatum vomitorium contra philtra laudatur. Ad talia remedia generaliora etiam videtur pertinere *urina equina* recens emicta hausta, quæ subinde per superiora & inferiora philtra evacuat. Historiam elegantem recenset SALMUTH. *Cent. 2. Observat. 70.* Datum pomum, in quo reconditum fuit Philtrum, sepositum intrà nigricans apparet, & rursus intra triduum ranæ plurimæ ex eo progenitæ fuerunt; lacte calido affuso valdoperè increverunt; sed urina equina recenter emicta interfectæ fuerunt. Serva quædam accepto Philtro & cruciatibus afflicta, evomuit post sumptam urinam equinam duas lacertas & duas ranas. Nempe non novum est, post propinata talia Philtra, varia *insecta* intra corpus fuisse generata: Sic D. MICHAELIS observavit aliquando ab assumpto Philtro *vermes* tres oblongos nigros excretos fuisse. Conf. etiam SCHENCKIUS *lib. 7. Observat.* de quodam, qui Philtrum accepit, ac postmodum varia *animalia viva* observavit vomitu excreta. Unde in talibus casibus urina equina propinata non erit inconveniens remedium.

Præmissis ergo *Vomitoriis* & *sudoriferis*, v. g. *mistura simplici*, *appropriata* magis remedia sunt usurpanda: quæ inter eminet imprimis *Nasturtium aquaticum*, cujus succus, & quæcunque ex eo parata, multum laudantur; quod etiam convenit, ubi ex Philtris ad maniam jam inclinant ægri,

ægri, de quo vid. MONAVIUS *apud Cratonem lib. 7. Epist.* 23. uti etiam aqua nasturtii aquatici ceu conveniens vehiculum usurpatur pro medicamentis contra Philtra. Mirabiles effectus, si non ficto exemplo, nasturtii hujus usu contra Philtra confirmat SCHENCKIUS *in Obser. lib. 7. pag.* 83. ex quo desumpsit BONETTUS *in Sepulchreto pag.* 620. Præterea Mixturam simplicem ceu appropriatum sudoriferum contra Philtra commendat HARTMANNUS hinc & tinctura bezoardica parari potest. Singulare specificum est contra Philtra *secundina humana*, ejusque *spiritus urinosus volatilis* per putrefactionem paratus, item pulvis per phlegmatis abstractionem in Mariæ balneo paratus; aliàs, si in clibano torretur, sal volatile aufugit; e.g.

℞. *Secundina humana*:
& detractâ membranâ unà cum vasis majoribus, eadem in Mariæ balneo in cucurbita mediante alembico, destillatur, & prodit sic phlegma; & remanentia in *pulverem* potest redigi.

Et quidem datur pulvis secundinæ à ʒß. ʒj. ad ʒiß. vel ʒij. Item spiritus secundinæ datur à ʒß. ad ʒj. vel ʒij. eaque cum vehiculo aquæ nasturtii, nunc solitariè, nunc cum tincturę bezoardicæ nonnihil, nunc spiritu theriacali camphorato mistis, expectando sudorem, non absque felici successu propinari solent: e.g.

℞. *Spiritus theriacal. campb.* ʒj.
Secundinæ hum. ℈j.
M. pro sudorifero:
D. S.
Spiritus sudoriferus pro una vice.

℞. *Ess. viperar.*
Spiritus secundin hum. an. ʒij.
M. S.
Essentia singularis.
Dosis gutt. 50.

℞. *Theriac. Androm.* ʒj.
Pulv. secundin. hum. ℈ij. vel ʒj.
M. S.
Electuarium sudoriferum pro una vice.

Et spectatim quælibet remedia ex secundina parata conveniunt, ubi ex sanguine menstruo paratum fuit Philtrum. *Sed observetur*, quod parata ex secundina, imprimis *pulvis*, ultra annum non duret, sed copiosissimos vermiculos generet; spiritus verò per fermentationem seu putrefactionem paratus diu durat; adeòque pulvis singulis annis renovandus.

His succedit *spiritus theriacalis camphoratus*, & omnia ex theriaca parata, spiritus cancrorum, *extractum theriacale*, item *hypericon*, anagallis, & omnia ex hac parata, absinthium, hinc vinum absinthites RULANDUS *loc. all.* propinavit; *baccæ herbæ paridis* & ipsæ *pulverisatæ* ad ʒj. comendantur expectando sudorem. Corallia, & ex his paratæ tincturæ elegantiores, terra sigillata Lignicensis vel Strigensis, vel etiam, uti vocant, axungia solis, tàm ad absorbendum, quàm per sudorem discutiendum Philtrum adhibetur: nempe in principio ad ʒj. cum extracto theriacali mixta; ubi verò se sanè diffudit Philtrum, per sudorem dispellendum. Decoctum corticis mediani sambuci in sero caprillo manè & vesperi aliquoties datum, etiam ante triennium propinatam materiam noxiam pro philtro, expellit, Autore BLOCHWIZIO *in Anat. Sambuci.* Essentia mumiæ humanæ, & essentia serpentum, pulvis serpentum, imò & reliqua quæcunque, tàm ex *homine* quàm *serpentibus*, vel viperis, item ex mumia humana parata remedia, *præmissis universalibus*, sunt maximè appropriata in curandis Philtris. Nam etiam calculus humanus pulverisatus, à ℈j. ad ʒj. in aqua nasturtii aquatici assumptus, contra Philtra & melancholiam eroticam plurimum confert, expellendo simul urinam plurimam, imprimis si à sanguine menstruo, teste HENRICO ab HEER *in Obs.* 13. *& in Obs. Spadanis:* Vid. SCHROEDERUS *Dilucid. Part.* 1. *sect.* 1. *pag.* 23. Tandem HARTMANNUS *in Praxi Chym.* habet *electuarium* ex lapide magnete *cap* 7 §. 13. descriptum, contra Philtra, quod præmissis universalibus experimentum planè singulare & verissimum est, & cuius felicem usum B. D. MICHAELIS in studiosis graviter afflictis aliquoties observavit. PRÆVOTIUS commendat corymbos hederæ albicantes per octo dies ex vino vel decocto cicerum exhibitos ad ʒj.

Quodsi jam Philtrum ad maniam procedat, tunc optimum experimentum habetur nasturtium aquaticum, de quo anteà monui. Sunt, qui dicunt, quod etiam confirmat SCHMUCKIUS *in Cur. Magico-magnet. pag.* 72. quod contra maniam ex philtro fit admodum certum, si quis accipiat calceos novos, in illis probè currat, donec incalescant, & sudore pedum madescant, hinc potum infundat & hauriat: fides tamen sit penes experientiam. Tandem *margaritæ præparatæ* contra Philtrum in specie ex *menstruo* mulierum, item cum *sanguine* leporino, laudantur à BORELLO *Cent.* 1. *Observ.* 65. Quibus & alia alexipharmaca theriacalia & sudorifera aliàs etiam usitata commodè addi & subjungi possunt. Unum adhuc referam, mihi à quodam fide digno narratum: Vir quidam loco Philtri ab uxore aliquid de ejus sanguine menstruo accepit inscius, unde fit, ut tridui spatio mirum quantum totum corpus intumuit, omnesque partes mirabiliter inflammatæ fuerint. Pro cura propinatum fuit illi pulveris cardui benedicti & theriacæ ana in aqua cardui benedicti; umbilico verò appositum dimidium panis recentis seu recenter ex furno extracti, parum excavati, & similiter *theriaca* & *pulvere cardui benedicti* impleti. Sicque provocatus sudor: unde tumor cessavit, & remoto pane dimidio, livido & subcœruleo, secuta levis diarrhœa, à qua ipsa tandem æger fuit perfectè curatus.



LIBER

LIBER III.
DE
MORBIS SEXUI VIRILI PROPRIIS.

CUM lubitum fuerit vobis adhuc continuare ea, in quibus substitimus hactenus in Praxi, scil. post pertractatos morbos totius corporis in genere, & utrique sexui communes, etiam in specie considerare affectus appropriatos cuivis sexui & ætati, exorato priùs Numine Divino, ad illos nos accingimus.

Et quidem, quod attinet primò *affectus virorum*: inter illos primò omnium genituræ generatio læsa consideranda. Præsuppono hic *officium virorum*, quà talium, consistere in eo, *ut & genitura in testibus elaboretur fœcunda*, idem ad debitum tempus retineant & denique retentum sub coitus fervore, & certo membro excernant: unde accessum facio ad

SECTIONEM I.
DE
SEMINIS, vel potiùs GENITURÆ, VIRILIS LÆSA GENERATIONE.

MUltiplicant se homines mediante genitura utriusque sexus, quarum geniturarum coalitu fit verum semen humanum seu ovum fœcundum. Quod ergò maris attinet genituram, vulgò, sed malè, semen apellatam, (vid. THOMAS CORNELIUS CONSENTINUS *Progymn.* 5. *pag.* 172.) elaboratur hæc in testibus, qui nihil aliud sunt, quàm congeries minutissimorum vasculorum, quorum aliquot ex teste erumpentium variis suis flexibus corpus illud constituunt, quod testium dorso incumbit, & Epididymis appellatur, quod ipsum tandem dilatatum constituit vas deferens, quod hiat tandem in vesiculas seminales, ubi genitura in testibus elaborata, in epididymidibus perfecta, per vias deferens advecta asservatur, donec spumoso impetu ejaculetur. Structuram hanc testium pluribus explicatam videb. in GREFFIO *de Organ. Viror. Generationi inservient.* item in *Act. Philos. Anglic. pag.* 708. & *pag.* 564.

Genitura est istud, quod uterque sexus confert: Semen est utriusque geniture miscela.

Geniture maris, dum elicitur, simul admiscetur liquor serosus & blandus, uno nomine: lympha sui generis in corpore prostatarum glanduloso & spongioso elaborata, quę in urethram effusa genituram seu semen maris vehiculi instar promovet, ut eò meliùs per penem eiaculari queat, cuius etiam ratione eunuchi adhuc aliqualem coitum celebrare possunt. Prostatæ hæ in iis, qui sæpiùs Venere utuntur, maiores sunt, ut in canibus, situm circa radicem penis habent, quorum liquoris beneficio eunuchi adhuc aliqualem coitum celebrant.

Materia genituræ virilis est chylus cum sanguine per arterias hinc indè raptus, & per vasa spermatica ad testes delatus, ubi ex arteriolis transudat in vascula seminalia, & ibidem formali alteratione in genituram mutatur: Videatur CONSENTINUS *c. l.* & BARBATUS *de sero sanguinis*, quicquid etiam in contrarium dicat CHARLETON *de succo nutritio*, nempe *in Exercit.* 10. & WARTHONUS *in Adenogr. cap.* 27. aut VELTHUSIUS *de Generat. cap.* 6. Huic genituræ se associant in specie sub coitus fervore spiritus animales copiosi, à quibus Generationis opus primariò perficitur, & qui constituunt contagium istud spirituosum, quod fœcundat ova muliebria: Hi sunt quasi nucleus, cui genitura siliquæ instar inservit: de qua seminis formali ratione, eiusque fęcunditate, vid. RALLIUS *de Generat. Animal. Sect.* 5.

Efficiens seu istud, quod alterat chylum in testibus, ut propriè dicta genitura seu semen evadat, est fermentum speciale, in vasculis istis seminariis reconditum, à quo, uti primariò genitura perficitur, ita ab eodem cum sanguine & lympha à testibus refluis, reliquo corpori communicato, singulares istę alterationes eveniunt, quę sub pubertatis annis, dum homines generare incipiunt, se exserere solent, & cuius etiam defectu eunuchi adeò effœminati sunt; siquidem quasi fermento inspirato massa sanguinea tota alteratur & fermentatur, unde spirituosa magis, magisque fervida redditur, unde totius corporis habitus similiter alteratur: Vid. *de Alteratione Corporis Humani* GRAEFFIUS *c. l. pag.* 25. Sic Purgans quidam assumpsit, postmodum ancillam comprimens, illam vehementer purgavit medicamentum illud: vid. MOEBIUS *in Fund Med. pag.* 280. HORSTIUS simile exemplum habet in *Obs. Anat.* 10. de nobili sibi amicissimo, qui Aureliæ in Gallia scorto, post horam à purgante medicamento assumpto jusculum ferenti, inter meretricios amplexus coitu purgantem efficaciam insinuavit, ut ἄνω καὶ κάτω decies vehementer purgaretur. Sic mania per castrationem curatur & cicuratur, vid. RIVERIUS. Si consideremus, quantùm non rarò mulieres quædam ex fœcundo congressu, in toto alterentur corpore, non adeò absona videbitur STENONIS sententia, quam recenset CASPAR BARTHOLINUS *in Exercit. miscell. pag.* 45. quod semen virile in uterum injectum (non aliter ac medicamenta aut alimenta assumpta vires subtiliores statim ad sanguinem & spiritus animales amādare videamus) sanguini & nervoso generi communicetur, & ita universum mulieris corpus suo modo alteret: hinc quædam mulieres mox à conceptu vomere omni mane, breviter picâ corripi solent; &c. hinc etiam in nutricibus lac brevi à conceptione novâ alterari, & infantibus hostile fieri incipit.

Mulierum, & omnium animalium fœminei sexus, genitura consistit in ovulo, eoque simplici in Viviparis, composito verò ex vitello & albumine in oviparis. Ovipara animalia speciatim sunt aves & crocodilus, &c. quæ in ovario vitellum generant, quod in uterum ubi inciderit, albumine investitur, mas verò spiritu animali vitellum fœcundat, ut exinde ovum fœcundum emittatur, ita, ut etiam unus galli coitus reddat gallinam aliquot menses ovorum fœcundorum genitricem. Quod verò pisces oviparos attinet; in his, quod Germanis dicitur *des Ragen*, nil aliud est, quàm ovulorum vel vitellorum congeries, quæ ovula in coitu (quod fit tantùm per partium posteriorum attritum) à fœmella excluduntur, à genitura maris resperguntur. Quæ ergò ab ista maris genitura irrorata fuerint, sunt fœcunda, fiuntque ex iis pisciculi: quæ verò non, ea ceu infœcunda intereunt: Videatur LYSERI *Culter Anatom.* ubi gallina vivos pullos exclusit. Dantur etiam pisces vivipari, ut balænæ.

Fœminæ & ipsæ suam genitarum oviformem ad generationem conferunt, quatenus istud corpus, quod Veteres testes muliebres appellarunt, reverà est Ovarium, in quo generantur ovula, ita, ut unumquodque in sua capsula lateat reconditum, ipso teste sic dicto, præter ovula contenta, saltim crassam ac firmam membranosam substantiam exhibente. Ovula hæc peculiari suâ tunicâ investita continent humorem albicantem lacteum, qui beneficio spiritus genitalis maris fœcundatur, adeoque succum, ex quo formatur fœtus, constituit. Ovula hæc per tubam uterinam traiiciuntur in uterum, nunc unum, nunc duo, prout vel simplex, vel multiplex generatur fętus; fœcundantur enim nunc simul, nunc successivè, unde *superfetationis* contingit negotium: vid. GRAEFFIUS *de Organis Mulierum, Generationi Inservient.* Item KERCKRINGIUS *in Anthropog.* item *Tabula* RUYSCHII, ELSHOLZ *de Generat. Hominis in tuba uteri*. Superfœtatio ex his ovulis

clara

para est. Quando tria fœcundantur ovula, fit fœtus trimellus.

Læditur hæc *generatio Seminis* seu *genituræ* in maribus, aut præternaturalis redditur tribus modis:

1. Quando hæc *deficit*, *aut imminuitur*.
2. *Quando eadem abundat*.
3. *Quando depravatur*, aut eadem *vitiosa redditur*, dum nempe non tale semen, quale generationi aptum, scilicet aut acre nimis, aut aquosius, aut purulentius producitur, aut alio peregrino colore est insignitum.

CAPUT I.
DE
SEMINIS DEFECTU aut INSUFFICIENTIA.

CUM autem posteriores modi rarò occurrant, in hac sectione primariam considerationem meretur deficiens & insufficiens seminis Generatio.

CAUSA.

Causa duplex est: aut fit

1. *Ex vitio & defectu materiæ*, ex qua genitura elaboranda est; aut
2. Vitio testium, qui istam elaborare debent.

In priori causa, quibus genitura planè deficit, præter hoc, quod careant stimulo Venereo, sunt etiam *effeminati*, *torpidi*, *languidi*, *minus alacres*, & *eunuchos* omnibus moribus imitantur.

Quod attinet materiam seminalem, seu ex qua genitura elaboranda venit: suprà dixi, quod materiam constituat pars sanguinis chylosa, subdulcis & pinguior, adeoque plus minùs viscosa seu mucilaginosa. Hæc ut naturaliter in alimentum partium nervosarum, seu, ut alii vocant, partium spermaticarum (quæ loquendi ratio certo modo explicata stare cum priori optimè potest) impenditur; ita eadem ipsa pars chylosa hinc inde secreta varios liquores, in specie lac in mammis, nutrimentum fœtus in utero, & denique testibus materiam genituræ sufficienter largitur. Nam quod talis materia seu substantia chylosa sit materia, ex qua genitura elaboratur, confirmant omnia genituræ attributa, nempe ejus color lacteus, ejus consistentia mucilaginosa, naturaque subpinguis. Pinguem dixi, indeque nonnihil unctuosam: Nam ob id ad morem pinguium & mucilaginosorum in actu generationis spiritibus impregnata & turgida spumescit, & in bullas attollitur, quatenus spiritus animales irritati pinguedinem ejus in bullas ac spumam elevant, quod proprium est subjectis mucilaginosis à materia subtili impregnatis. Jam ergò, quicquid hanc materiam sanguinis chylosam absumere potest, illud etiam omne genituræ defectum inducit, uti fit in vita nimis laboriosa, inedia, pravo victu, læsa chylificatione, & aliis vehementioribus animi affectibus, evacuationibus immodicis, vigiliis, &c. quò etiam fonticulorum abusus spectat. In specie vita laboriosa, exercitia, & alii graviores animi affectus, quæ acuendo quasi sanguinis fermentationem, & consequenter sanguinem nimis rarefaciendo, attenuando, & acrem reddendo, eo ipso citam chyli assimilationem producunt, & sic materiam seminalem exhauriunt. Unde etiam est, quod *Pingues* & *Corpulenti* non semper genitura abundent, sed sæpè defectum illius patiantur, utut lacte chyloso sanguis eorum scateat. Ratio est hæc, quia iste chylus subdulcis nondum sanguini assimilatus in pinguedinem facessit; unde, quia in pinguedinem materia hæc, quæ aliàs suâ naturâ in genituram facessit, absumpta, minùs semini impenditur. Sed hæc, ceu nota, relinquo. Facit huc appositè tritum istud proverbium: *Sine Cerere & Libero seu Bacco friget Venus*: Confirmat nempe, quantum ad Venerem faciat diæta laudabilis.

Pergo ad *alteram causam*, dum *testium vitio* deficit seminis generatio, quod multiplex est, & vel in *defectu fermenti seminalis*, vel in *conformatione*, in specie *testium tumoribus*, consistit.

Quod I. genituræ elaboratio impeditur, si *fermentum* ejus spermatis effectivum sit nimis torpidum, enervatum aut minùs activum, utut enim parenchyma testium sit tantummodò congeries minutissimorum vasculorum, nihilominùs tamen certum quoddam & spirituosum his ipsis insitum est fermentum, sub dictum cursu, anno circiter 14. evigilans, quod chylosum succum alterat in genituram seu sperma; Nam in *genitura elaboranda sunt* consideranda:

1. *Materiæ transcolatio* in testium substantiam.
2. Materiæ transcolatæ certa & determinata *alteratio*, quæ fit à fermento testium.

Fermentum tale ut incumbit elaborationi genituræ, ita prætereà cum sanguine aut lympha ex testibus refluis massæ sanguineæ inspiratum & permixtum, successivè eandem alterat, & volatiliorem, simulque spirituosiorem reddit, hinc singulare toti corpori robur & virium vigorem, & insignem alterationem sub annis pubertatis conciliat; unde barbæ & pubis eruptio, & similia alia accidentia, tàm in fœminis quàm in viris contingunt. Unde etiam fit, ut morbi puerorum chronici, item incurabiles aliàs epilepsiæ, sub id tempus sponte natura curentur, teste HIPPOCRATE „*in Aphor. Qui epilepsia corripiuntur*, *in iis anno* 14. *fit morbi solutio*; quatenus scil. à fermento isto testium tàm insignis massæ sanguineæ ac totius corporis fit alteratio. *Fermentum hoc quid sit?* non potest determinari; Probabile tamen est, *spiritus animales in testibus esse concentratos*, qui volatili sua efficacia materiam chylosam eò delatam in substantiam spermatis transmutant. Spirituosum ergò est hoc fermentum, quod ubi torpet, minusque est volatile, tunc est causa deficientis seminis. Spirituosum dixi, adeoque acidum oleosum volatile. *Confirmatur hoc*, quod omnia, quæ spiritus animales figunt, genituræ elaborationi obicem ponunt, v. g. *acida* nimis fixa, *vitriolata*, *nitrata*, &c. quæ Veneri sunt inimica, figendo & destruendo spiritus animales, & per consequens infringunt fermentum hoc & vim genitalem inde dependentem: hinc est, quod ècontrà *acria volatilia*, imprimis aromatica & spirituosa, spiritus excitando acuant hoc, & stimulent Venerem: hinc acida, in specie spiritus vitrioli aut nitri crebriùs usurpatus, notabiliter genituræ elaborationem in testibus enervat; quod confirmat historia notabilis, quam refert B. noster LANGIUS *in Discurs. super Fabrum*, dum refert, quendam ex nimio abusu spiritus vitrioli adeò immutatos acquisivisse testiculos, ut tandem ad pisorum quantitatem redacti fuerint: postmodùm intermisso spiritus vitrioli abusu sensim sensimque eosdem recuperaverit. Item quod nitrum crudum, copioso acido turgidum, copiosiùs assumptum, Veneris impetus cohibeat, hujus rei imprimis habet notabilem casum TIMÆUS *von Guldenklee lib.3. Cas.32.* de quodam Musico ad Venerem hiante, adeò, ut nullo modo saturari possit, idque ex acriore Veneris stimulo; qui tamen fuit curatus continuo usu nitri crudi, seu nitri tantummodò depurati, in quo semen ita extinctum est, fermento testium destructo (hinc enim tanta copia genitura elaborari non potuit) ut vix propriæ uxori postmodum satisfecerit. Sicut èocontrà acria, ut cantharides, piperata, eruca, formicæ, item spiritus ex sanguine galli, & similia fermentum testium, & sic Venerem stimulant. Defectus ergò & inertia hujus fermenti etiam facit, ut deficiat genitura maris. De ruta & mentha dicunt quidam, quod Venerem extinguant, ut & de lactuca, sed sine ratione. Ad huiusmodi torporem testibus inducendum, vel fermentum testium extinguendum, multum etiam facit refrigeratio, aut nimium frigus externum; hinc enim & testes languent, generatio sanguinis imminuitur, & ipsum corpus denique totum insigniter alteratur. Facit nempe huc, quod observavit SALMUTH *Cent.3. Obs.91.* qui refert, quod milites, dum fluvia transeunt (*genitalibus sub aquis existentibus*) si iisdem nimis refrigerentur & humectentur testes, quod exindè admodum effeminentur, & animositas in iis immutetur. Id quod illustratur ex eo, quod ebrietas, hæmorrhagia narium, &c. applicatis externè testibus frigidis & humidis, sedentur: hinc enim acetum testibus applicatum ebrietatem subitò discutit; item simili ratione succus sempervivi cum aceto & nitro mistus & applicatus scroto sedat hæmorrhagiam narium, à nimia sanguinis effervescentia & turgescentia, ex causa interna obortam. Quin & maniaci furibundi, vinculis constringendi, testium excisione optimè curantur; Sic enim impetus furoris insigniter cessat, teste RIVERIO, qui *in Obs. à* FOMIO *communicata* exemplum hujus rei habet: Sicut maniam ex semine retento recenset FORESTUS *lib.10. Obs.24.* Faciunt etiam suo modo Mercurialia seu *Mercurius vivus*, imprimis externè circa genitalia illita; nam & hic ipse, uti nervis inimicus, ita etiam testibus hostilis est; Nam testium fermentum destruit, & virtutem seminalem evertendi vim insignem habet: Refert enim SCHENCKIUS *in Obs. lib.4.* de Virilita-

rilitate & stimulo Venereo inunctione per unguentum Mercuriale ad fugandos pediculos pubis omninò ademptis, litu tamen *olei destillati spicæ* tanquam *aromatici*, omisso hoc linimento Mercuriali, restitutis, quo & pediculi enecati sunt. Facit huc etiam Venus nimia, quæ vim genitalem insigniter enervat, partim, quatenus testium fermentum successivè hebetat, partim, quatenus *digestionem primam*, subtrahendo nimis spiritus, notoriè turbat & imminuit, & ita, dum chylus non subit rectam spirituascentiam, cruditatibus occasionem suggerit. Imprimis ad *vim testium genitalem* conservandam, multùm hæret in negotio *digestionis*; Omnes enim, in quibus deficit naturaliter vigor genitalis & appetitus Venereus, il etiam simul laborant defectu digestionis primæ, cruditatibus & anorexia; quod probè pro cura ipsorum observandum: In his nullus vel exiguus Veneris appetitus, pulsus parvus, corporis gravitas ac pigrities, ipsiusque ac præcipuarum partium intemperies frigida observatur, genitura cruda, aquosa & liquida est, sub cujus emissione etiam exiguam vel nullam voluptatem percipiunt. Hinc Ebriosi, qui nimio potu corpus obruunt, hinc Hydropici & Cachectici, sterilescunt. Facit huc etiam abusus Veneris, imprimis, si nimis citò, & in prima juventute, & nimis crebrò, instituatur: Nam in nimio Veneris abusu & in manustuprationibus, continuata geniture elaboratione necessariò vis fermenti genitalis testiculorum deficit tandem, & continuo usu quasi attritum torpescit, & minùs volatile evadit; unde genitura priùs aquosa, postmodùm defectuosa, reddi solet; In tantum enim exhauritur fermentum, ut non possit iterum restitui. In quo casu & laxior & flaccidior testium accedit structura, eorumque tonus omninò destruitur, cùm à copiosiore & frequentiore materiæ transitu tandem viæ ita laxantur, & patulæ fiunt, ut postmodum nihil ampliùs legitimè secernatur & elaboretur; quin ex hoc tono testium læsio, apertis sanguinis vasculis, loco geniture sanguis tandem purus in coitu effundatur, cujus non pauca prostant exempla: vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Hist.* 18. & *Prax. Admir. lib.* 2. *Obs.* 102. imprimis quandò præcesserit illegitimus cantharidum usus, qui acriùs stimulando, sanguinem loco geniture effundere facit. Huic malo etiam non rarò diuturnior à Venere abstinentia ansam suggerit, quemadmodum de monacho quodam VIDUS VIDIUS *lib.* 11. *Curat. Membr. cap.* 2. refert, cujus testes licet in adolescentia justam magnitudinem adepti fuerint, progressu nihilominus temporis, ob votum castitatis inviolabiliter ab ipso observatum, cum vasis spermaticis ferè penitùs exaruerint, ut hęc post mortem instar duorum ligamentorum fuerint visa.

Deficit II. Geniture Generatio ex *testium defectu*, aut naturali, aut morboso; imprimis si ambo deficiant, uti fit in castratis, quia etiam cum unico teste satis fęcundi observati fuerunt: Sic in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obs.* 13. mentio fit monorchidis, plurium liberorum patris. Hic tamen non confundendus est defectus testium cum eorundem *situ mutato*, scil *retractione seu occultatione intra corpus* seu *intra abdomen*, cùm sępiùs observatum fuerit, nunc testes in abdomine latuisse, nunc in ossę pubis subsedisse, & ibidem tumorem instar hernię induxisse: Nec tamen proinde tales pro impotentibus habendi sunt. Sic BRECHFELD BARTHOLINI *in Act. Hafniens. Volum.* 1. *pag.* 197. refert, testiculum alterum circa annos pubertatis primùm erumpentem; unde etiam monorchides an reverà sint tales? non sine ratione dubitat BORRICHIUS *in Act. Haffniens. Volum.* 4. *pag.* 169. Exempla talium non sunt pauca: Sic SCHENCKIUS *lib.* 4. *Obs.* quendam equitatione vehementi testiculorum alterum in ephippio contorquendo ita pressisse refert, ut ad abdominis musculos ad inguen retrocederet: Sic SALMUTH *Cent.* 1. *Observat.* 91. observat testiculum per 13. annos in abdomine latentem, per 14. postmodùm sponte in scrotum prorupit. Imò interdum fit etiam ut unus, alterve testiculus ex scroto sursùm in abdomen retrahatur, Sic scil. idem SALMUTH *Observat.* 91. *Cent.* 1. observat retractionem testiculi in paroxysmo epileptico, ex convulsione scilicet musculi cremasteris: item *Cent.* 3. *Obs.* 63. observat testiculum sinistrum intra peritonæum retractum ex nimio Veneris usu, & testiculum alterum in abdomine latentem: Vid. in BARTHOLINO *Cent.* 1. *Obs.* 36. Conf. hic LAURENTIUS *Cons.* 11. de juvene 30. annorum, qui testibus vacuum omninò habuit scrotum, in quo tamen signa virilitatis apparebant, ut vox gravis, hirsuties, barba, &c. Dubitabatur ergò, an pro eunucho habendus.

Deficit III. Geniture Generatio *vitio testium* malè affectorum, quando nempe læditur plùs minùs *testium conformatio*; quò pertinent imprimis eorum *tumores* varii, cùm in tumidis & infarctis testibus nulla, aut materiæ seminalis collectio, aut collecti elaboratio fieri possit, quin necessariò genitura deficiat: De quibus Tumoribus in specie.

Hæ sunt Causæ, quæ Geniture defectum imprimis inducunt.

DIAGNOSIS.

Signa deficere vim genitalem, indeque productam genituram, patet ex relatione ægri, & in talibus vel nullus, vel exiguus Veneris appetitus adesse solet, corpus ipsum similiter grave, pigrum, minùsque agile existit, ipseque æger minus activus, & præsertim in actionibus animalibus deficiens observatur.

Causas quod attinet differentes: hæ ipsæ ex antecedentibus & ex adjunctis imprimis, expiscandæ erunt: Nam si nullum vitium in ipsis testibus deprehendatur, vel materiæ defectum, vel fermenti testium inertiam, in culpa esse patet. Utrum horum sit? antecedentes circumstantię ostendunt: Nam si ex defectu materiæ chylosæ fit, ex vitæ genere, diæta, exercitiis, &c. patescit. Si vitio testium, vel ex defectu fermenti testium contingat, præter appetitus Venerei defectum, corporis gravitatem & pigritiem, patet quando in coitu geniture aliquantulum emittitur, hæcque tenuis & aquosa, minusque calida seu fervida, emitti percipitur. Quod si præcesserit causa, quæ testes labefactare potuerit, suspiciones hæ sunt eò clariores.

Defectus denique Testium per se sponte patet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: facilè patet, quod læsa geniture generatio non sit periculosus affectus: admodùm tamen est molestus, quia impedit opus generationis, & mares reddit generationi ineptos; unde speciei quidem, non autem individuo nocet; utut interdum per accidens vel ex animi mœrore, vel ex deficiente sanguinis alteratione à testibus inducta, languor universalis & quasi tabes superveniat; unde &, quatenus virili mente præditos effœminatos facit, & actionibus obeundis minus agiles reddit eosdem, omninò curandus est.

Senibus est incurabilis ferè, uti etiam iis, qui in juventute ex nimio Veneris usu fermentum testium labefactarunt, est difficillimæ curationis; Cùm semel destructum fermentum testium non possit restitui.

CURA.

Variat hæc pro varietate causarum remotarum.

1. Per alimenta temperata, *succo chyloso* pingui & dulci turgida, *materia seminis copiosa subministranda*. Quibus
2. Simul intermiscenda sunt spirituosa & volatilia, imprimis acriora & aromatica, quæ *fermentum testium* transmutativum acuunt, ipsique stimulum quasi addunt, & robustius reddunt.
3. *Tumores* testium autem sunt maturè *discutiendi*, aut resolvendi & *emolliendi*, aut ad abscessum perducendi & *aperiendi*, aut quacunque ratione aliis irritis, ubi majus imminet periculum, Chirurgica methodo, sectione sc. sunt tollendi.

His scopis ut satisfaciamus, inter ea, quæ defectui materiæ, & enervato fermento testium, dicata sunt, eminent alimenta temperata, quæ vel copiosum *succum chylosum* & subdulcem suppeditant, vel quæ *acria aromatica* existunt, adeoque Venerem plùs minus stimulant: Ubi *observandum*: est

I. Ut semper simul *Cura stomachi habeatur*, & digestio prima promoveatur, & in debitis functionibus conservetur; quâ enim deficiente, deficit etiam vis genitalis: Conf. LUDOVICI *Pharm. pag.* 719. & 720. ubi simul de usu & effectu Aphrodisiacorum.

II. Remedia istis inservientia sunt vel talia, quæ materiam geniture suggerunt, vel quæ saltem veneris impetum stimulant. Nam semel pro semper moneo: ubi Venus est stimu-

ægri, de quo vid. MONAVIUS *apud Cratonem lib. 7. Epist.* 23. ubi etiam aqua nasturtii aquatici ceu conveniens vehiculum usurpatur pro medicamentis contra Philtra. Mirabiles effectus, si non ficto exemplo, nasturtii hujus usu contra Philtra confirmat SCHENCKIUS *in Obser. lib. 7. pag. 835.* ex quo desumpsit BONETTUS *in Sepulchreto pag. 620.* Præterea Misturam simplicem ceu appropriatum sudoriferum contra Philtra commendat HARTMANNUS hinc & tinctura bezoardica parari potest. Singulare specificum est contra Philtra *secundina humana*, ejusque *spiritus urinosus volatilis* per putrefactionem paratus, item pulvis per phlegmatis abstractionem in Mariæ balneo paratus; aliàs, si in clibano torretur, sal volatile aufugit; e. g.

℞. *Secundina humana*:
& detractâ membranâ unà cum vasis majoribus, eadem in Mariæ balneo in cucurbita mediante alembico, destillatur, & prodit sic phlegma; & remanentia in *pulverem* potest redigi.

Et quidem datur pulvis secundinæ à ʒß. ʒj. ad ʒiß. vel ʒij. Item spiritus secundinæ datur à ʒß ad ʒj. vel ʒij eaque cum vehiculo aquæ nasturtii, nunc solitariè, nunc cum tincturæ bezoardicæ nonnihil, nunc spiritu theriacali camphorato mistis, expectando sudorem, non absque felici successu propinari solent: e. g.

℞. *Spiritus theriacal. camph.* ʒj.
Secundinæ hum. ℈j.
M. pro sudorifero:
D. S.
Spiritus sudoriferus pro una vice.

℞. *Ess. viperar.*
Spiritus secundin. hum. an. ʒij.
M. S.
Essentia singularis.
Dosis gutt. 30.

℞. *Theriac. Androm.* ʒj.
Pulv. secundin. hum. ℈ij. vel ʒj.
M. S.
Electuarium sudoriferum pro una vice.

Et speciatim quælibet remedia ex secundina parata conveniunt, ubi ex sanguine menstruo paratum fuit Philtrum. *Sed observetur*, quod parata ex secundina, imprimis *pulvis*, ultra annum non duret, sed copiosissimos vermiculos generet; spiritus verò per fermentationem seu putrefactionem paratus diu durat; adeòque pulvis singulis annis renovandus.

His succedit *spiritus theriacalis camphoratus*, & omnia ex theriaca parata, spiritus cancrorum, *extractum theriacale*, item *hypericon*, anagallis, & omnia ex hac parata, absinthium, hinc vinum absinthites RULANDUS *loc. all.* propinavit; *baccæ herbæ paridis* & ipsæ *pulverisatæ* ad ʒj. comendantur expectando sudorem. Corallia, & ex his paratæ tincturæ elegantiores, terra sigillata Lignicensis vel Strigensis, vel etiam, uti vocant, axungia solis, tàm ad absorbendum, quàm per sudorem discutiendum Philtrum adhibetur: nempe in principio ad ʒj. cum extracto theriacali mixta; ubi verò se sanè diffudit Philtrum, per sudorem dispellendum. Decoctum corticis mediani sambuci in sero caprillo manè & vesperi aliquoties datum, etiam ante triennium propinatam materiam noxiam pro philtro, expellit, Autore BLOCHWIZIO *in Anat. Sambuci.* Essentia mumiæ humanæ, & essentia serpentum, pulvis serpentum, imò & reliqua quæcunque, tàm ex *homine* quàm *serpentibus*, vel viperis, item ex mumia humana parata remedia, *præmissis universalibus*, sunt maximè appropriata in curandis Philtris. Nam etiam calculus humanus pulverisatus, à ℈j. ad ʒj. in aqua nasturtii aquatici assumptus, contra Philtra & melancholiam eroticam plurimum confert, expellendo simul urinam plurimam, imprimis si à sanguine menstruo, teste HENRICO *ab* HEER *in Obs.* 13. & *in Obs. Spadanis:* Vid. SCHROEDERUS *Dilucid. Part. 1. sect. 2. pag. 23.* Tandem HARTMANNUS *in Praxi Chym.* habet *electuarium* ex lapide magnete *cap. 7. §. 13.* descriptum, contra Philtra, quod præmissis universalibus experimentum planè singulare & verissimum est, & cujus felicem usum B. D. MICHAELIS in studiosis graviter afflictis aliquoties observavit. PRÆVOTIUS commendat corymbos hederæ albicantes per octo dies ex vino vel decocto cicerum exhibitos ad ʒj.

Quodsi jam Philtrum ad maniam procedat, tunc optimum experimentum habetur nasturtium aquaticum, de quo antea monui. Sunt, qui dicunt, quod etiam confirmat SCHMUCKIUS *in Cur. Magico-magnet. pag. 72.* quod contra maniam ex philtro fit admodum certum, si quis accipiat calceos novos, in illis probè currat, donec incalescant, & sudore pedum madescant, hinc potum infundat & hauriat: fides tamen sit penes experientiam. Tandem *margaritæ præparatæ* contra Philtrum in specie ex *menstruo* mulierum, item cum *sanguine* leporino, laudantur à BORELLO *Cent. 1. Observ. 65.* Quibus & alia alexipharmaca theriacalia & sudorifera aliàs etiam usitata commodè addi & subjungi possunt. Unum adhuc referam, mihi à quodam fide digno narratum: Vir quidam loco Philtri ab uxore aliquid de ejus sanguine menstruo accepit inscius, unde fit, ut tridui spatio mirum quantum totum corpus intumuit, omnesque partes mirabiliter inflammatæ fuerint. Pro cura propinatum fuit illi pulveris cardui benedicti & theriacæ ana in aqua cardui benedicti; umbilico verò appositum dimidium panis recentis seu recenter ex furno extracti, parum excavati, & similiter *theriaca* & *pulvere cardui benedicti* impleti. Sicque provocatus sudor: unde tumor cessavit, & remoto pane dimidio, livido & subcœruleo, secuta levis diarrhœa, à qua ipsa tandem æger fuit perfectè curatus.



LIBER III. DE MORBIS SEXUI VIRILI PROPRIIS.

CUM lubitum fuerit vobis adhuc continuare ea, in quibus substitimus hactenus in Praxi, scil. post pertractatos morbos totius corporis in genere, & utrique sexui communes, etiam in specie considerare affectus appropriatos cuivis sexui & ætati, exorato priùs Numine Divino, ad illos nos accingimus.

Et quidem, quod attinet primò *affectus virorum*: inter illos primò omnium genituræ generatio læsa consideranda. Præsuppono hic *officium virorum*, quà talium, consistere in eo, *ut & genitura in testibus elaboretur fœcunda*, idem ad debitum tempus retineant & denique retentum sub coitus fervore, & certo membro excernant: unde accessum facio ad

SECTIONEM I. DE SEMINIS, vel potiùs GENITURÆ, VIRILIS LÆSA GENERATIONE.

MUltiplicant se homines mediante genitura utriusque sexus, quarum geniturarum coalitu fit verum semen humanum seu ovum fœcundum. Quod ergò maris attinet genituram, vulgò, sed malè, semen appellatam, (vid. THOMAS CORNELIUS CONSENTINUS *Progymn.* 5. *pag.* 172.) elaboratur hæc in testibus, qui nihil aliud sunt, quàm congeries minutissimorum vasculorum, quorum aliquot ex teste erumpentium variis suis flexibus corpus illud constituunt, quod testium dorso incumbit, & Epididymis appellatur, quod ipsum tandem dilatatum constituit vas deferens, quod hiat tandem in vesiculas seminales, ubi genitura in testibus elaborata, in epididymidibus perfecta, per vias deferens advecta asservatur, donec spumoso impetu ejaculetur. Structuram hanc testium pluribus explicatam videb. in GREFFIO *de Organ. Viror. Generationi inservient.* item in *Act. Philos. Anglic. pag.* 708. *& pag.* 564.

Genitura est istud, quod uterque sexus confert: Semen est utriusque geniture miscela.

Genituræ maris, dum ejicitur, simul admiscetur liquor serosus & blandus, uno nomine: lympha sui generis in corpore prostatarum glanduloso & spongioso elaborata, que in urethram effusa genituram seu semen maris vehiculi instar promovet, ut eò meliùs per penem ejaculari queat, cujus etiam ratione eunuchi adhuc aliqualem coitum celebrare possunt. Prostatæ hæ in iis, qui sæpiùs Venere utuntur, majores sunt, ut in canibus, situm circa radicem penis habent, quorum liquoris beneficio eunuchi adhuc aliqualem coitum celebrant.

Materia genituræ virilis est chylus cum sanguine per arterias hinc inde raptus, & per vasa spermatica ad testes delatus, ubi ex arteriolis transudat in vascula seminalia, & ibidem formali alteratione in genituram mutatur: Videatur CONSENTINUS *c. l.* & BARBATUS *de sero sanguinis*, quicquid etiam in contrarium dicat CHARLETON *de succo nutritio*, nempe *in Exercit.* 10. & WARTHONUS *in Adenogr. cap.* 27. aut VELTHUSIUS *de Generat. cap.* 6. Huic genituræ se associant in specie sub coitus fervore spiritus animales copiosi, à quibus Generationis opus primariò perficitur, & qui constituunt contagium istud spirituosum, quod fœcundat ova muliebria: Hi sunt quasi nucleus, cui genitura siliquæ instar inservit: de quâ seminis formali ratione, ejusque fecunditate, vid. RALLIUS *de Generat. Animal. Sect.* 5.

Efficiens seu istud, quod alterat chylum in testibus, ut propriè dicta genitura seu semen evadat, est fermentum speciale, in vasculis istis seminariis reconditum, à quo, uti primariò genitura perficitur, ita ab eodem cum sanguine & lympha à testibus refluis, reliquo corpori communicato, singulares iste alterationes eveniunt, que sub pubertatis annis, dum homines generare incipiunt, se exserere solent, & cujus etiam defectu eunuchi adeò effœminati sunt; siquidem quasi fermento inspirato massa sanguinea tota alteratur & fermentatur, unde spirituosa magis, magisque fervida redditur, unde totius corporis habitus similiter alteratur: Vid. *de Alteratione Corporis Humani* GRAEFFIUS *c. l. pag.* 25. Sic Purgans quidam assumpsit, postmodum ancillam comprimens, illam vehementer purgavit medicamentum illud: vid. MOEBIUS *in Fund Med. pag.* 280. HORSTIUS simile exemplum habet in *Obs. Anat.* 10. de nobili sibi amicissimo, qui Aureliæ in Gallia scorto, post horam à purgante medicamento assumpto jusculum ferenti, inter meretricios amplexus coitu purgantem efficaciam insinuavit, ut ἄνω καὶ κάτω decies vehementer purgaretur. Sic mania per castrationem curatur & cicuratur, vid. RIVERIUS. Si consideremus, quantùm non rarò mulieres quædam ex fœcundo congressu, in toto alterentur corpore, non adeò absona videbitur STENONIS sententia, quam recenset CASPAR BARTHOLINUS *in Exercit. miscell. pag.* 45. quod semen virile in uterum injectum (non aliter ac medicamenta aut alimenta assumpta vires subtiliores statim ad sanguinem & spiritus animales amādare videamus) sanguini & nervoso generi communicetur, & ita universum mulieris corpus suo modo alteret; hinc quædam mulieres mox à conceptu vomere omni mane, breviter pica corripi solent, &c. hinc etiam in nutricibus lac brevi à conceptione novâ alterari, & infantibus hostile fieri incipit.

Mulierum, & omnium animalium fœminei sexus, genitura consistit in ovulo, eoque simplici in Viviparis, composito verò ex vitello & albumine in oviparis. Ovipara animalia speciatim sunt aves & crocodilus, &c. quæ in ovario vitellum generant, quod in uterum ubi inciderit, albumine investitur, mas verò spiritu animali vitellum fœcundat, ut exinde ovum fœcundum emittatur, ita, ut etiam unus galli coitus reddat gallinam aliquot menses ovorum fœcundorum genitricem. Quod verò pisces oviparos attinet; in his, quod Germanis dicitur *der Ragen*, nil aliud est, quàm ovulorum vel vitellorum congeries, quæ ovula in coitu (quod fit tantùm per partium posteriorum affrictum) à fœmella excluduntur, à genitura maris resperguntur. Quæ ergò ab ista maris genitura irrorata fuerint, sunt fœcunda, fiuntque ex iis pisciculi: quæ verò non, ea ceu infecunda intereunt: Videatur LYSERI *Culter Anatom.* ubi gallina vivos pullos exclusit. Dantur etiam pisces vivipari, ut balænæ.

Fœminæ & ipsæ suam genitarum oviformem ad generationem conferunt, quatenus istud corpus, quod Veteres testes muliebres appellarunt, reverà est Ovarium, in quo generantur ovula, ita, ut unumquodque in sua capsula lateat reconditum, ipso teste sic dicto, præter ovula contenta, saltim crassam ac firmam membranosam substantiam exhibente. Ovula hæc peculiari suâ tunicâ investita continent humorem albicantem lacteum, qui beneficio spiritus genitalis maris fœcundatur, adeoque succum, ex quo formatur fœtus, constituit. Ovula hæc per tubam uterinam trajiciuntur in uterum, nunc unum, nunc duo, prout vel simplex, vel multiplex generatur fetus; fœcundantur enim nunc simul, nunc successivè, unde *superfetationis* contingit negotium: vid. GRAEFFIUS *de Organis Mulierum, Generationi Inservient.* item KERCKRINGIUS *in Anthropog.* item *Tabula* RUYSCHII, ELSHOLZ *de Generat. Hominis in tuba uteri*. Superfœtatio ex his ovulis

rilitate & stimulo Venereo inunctione per unguentum Mercuriale ad fugandos pediculos pubis omninò ademptis, litu tamen *olei destillati spicæ* tanquam *aromatici*, omisso hoc linimento Mercuriali, restitutis, quo & pediculi enecati sunt. Facit huc etiam Venus nimia, quæ vim genitalem insigniter enervat, partim, quatenus testium fermentum successivè hebetat, partim, quatenus *digestionem primam*, subtrahendo nimis spiritus, notoriè turbat & imminuit, & ita, dum chylus non subit rectam spirituascentiam, cruditatibus occasionem suggerit. Imprimis ad *vim testium genitalem* conservandam, multùm hæret in negotio *digestionis*; Omnes enim, in quibus deficit naturaliter vigor genitalis & appetitus Venereus, ii etiam simul laborant defectu digestionis primæ, cruditatibus & anorexia; quod probè pro cura ipsorum observandum: In his nullus vel exiguus Veneris appetitus, pulsus parvus, corporis gravitas ac pigrities, ipsiusque ac præcipuarum partium intemperies frigida observatur, genituræ cruda, aquosa & liquida est, sub cujus emissione, etiam exiguam vel nullam voluptatem percipiunt. Hinc Ebriosi, qui nimio potu corpus obruunt, hinc Hydropici & Cachectici, sterilescunt. Facit huc etiam abusus Veneris, imprimis, si nimis citò, & in prima juventute, & nimis crebrò, instituatur: Nam in nimio Veneris abusu & in manustuprationibus, continuata genituræ elaboratione necessariò vis fermenti genitalis testiculorum deficit tandem, & continuo usu quasi attritum torpescit, & minùs volatile evadit; unde genitura priùs aquosa, postmodùm defectuosa, reddi solet; In tantum enim exhauritur fermentum, ut non possit iterum restitui. In quo casu & laxior & flaccidior testium accedit structura, eorumque tonus omninò destruitur, cùm à copiosiore & frequentiore materiæ transitu tandem viæ ita laxantur, & patulæ fiunt, ut postmodum nihil ampliùs legitimè secernatur & elaboretur; quin ex hoc tono testium læsio, apertis sanguinis vasculis, loco genituræ sanguis tandem purus in coitu effundatur, cujus non pauca prostant exempla: vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Hist.* 18. & *Prax. Admir. lib.* 2. *Obs.* 102. imprimis quandò præcesserit illegitimus cantharidum usus, qui acriùs stimulando, sanguinem loco genituræ effundere facit. Huic malo etiam non rarò diuturnior à Venere abstinentia ansam suggerit, quemadmodum de monacho quodam VIDUS VIDIUS *lib.* 11. *Curat. Membr. cap.* 2. refert, cujus testes licet in adolescentia justam magnitudinem adepti fuerint, progressu nihilominus temporis, ob votum castitatis inviolabiliter ab ipso observatum, cum vasis spermaticis ferè penitùs exaruerint, ut hæc post mortem instar duorum ligamentorum fuerint visa.

Deficit II. Genituræ Generatio ex *testium defectu*, aut naturali, aut morboso; imprimis si ambo deficiant, uti fit in castratis, quia etiam cum unico teste satis fœcundi observati fuerunt: Sic in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obs.* 13. mentio fit monorchidis, plurium liberorum patris. Hic tamen non confundendus est defectus testium cum eorundem *situ mutato*, scil. *retractione seu occultatione intra corpus* seu *intra abdomen*, cùm sæpiùs observatum fuerit, nunc testes in abdomine latuisse, nunc in osse pubis subsedisse, & ibidem tumorem instar herniæ induxisse: Nec tamen proinde tales pro impotentibus habendi sunt. Sic BRECHFELD BARTHOLINI *in Act. Hafniens. Volum.* 3. *pag.* 197. refert, testiculum alterum circa annos pubertatis primùm erumpentem; unde etiam monorchides an reverà sint tales? non sine ratione dubitat BORRICHIUS *in Act. Haffniens. Volum.* 4. *pag.* 169. Exempla talium non sunt pauca: Sic SCHENCKIUS *lib.* 4. *Obs.* quendam equitatione vehementi testiculorum alterum in ephippio contorquendo ita pressisse refert, ut ad abdominis musculos ad inguen retrocederet: Sic SALMUTH *Cent.* 1. *Observat.* 91. observat testiculum per 13. annos in abdomine latentem, per 14. postmodùm spontè in scrotum prorupit. Imò interdum fit etiam ut unus, alterve testiculus ex scroto sursùm in abdomen retrahatur, Sic scil. idem SALMUTH *Observat.* 91. *Cent.* 1. observat retractionem testiculi in paroxysmo epileptico, ex convulsione scilicet musculi cremasteris: item *Cent.* 3. *Obs.* 63. observat testiculum sinistrum intra peritonæum retractum ex nimio Veneris usu, & testiculum alterum in abdomine latentem: Vid. in BARTHOLINO *Cent.* 1. *Obs.* 36. Conf. hic LAURENTIUS *Cons.* 11. de juvene 30. annorum, qui testibus vacuum omninò habuit scrotum, in quo tamen signa virilitatis apparebant, ut vox gravis, hirsuties, barba, &c. Dubitabatur ergò, an pro eunucho habendus.

Deficit III. Genituræ Generatio *vitio testium* malè affectorum, quando nempe læditur plùs minùs *testium conformatio*; quò pertinent imprimis eorum *tumores* varii, cùm in tumidis & infarctis testibus nulla, aut materiæ seminalis collectio, aut collecti elaboratio fieri possit, quin necessariò genitura deficiat: De quibus Tumoribus in specie.

Hæ sunt Causæ, quæ Genituræ defectum imprimis inducunt.

DIAGNOSIS.

Signa deficere vim genitalem, indeque productam genituram, patet ex relatione ægri, & in talibus vel nullus, vel exiguus Veneris appetitus adesse solet, corpus ipsum similiter grave, pigrum, minusque agile existit, ipseque æger minus activus, & præsertim in actionibus animalibus deficiens observatur.

Causas quod attinet differentes: hæ ipsæ ex antecedentibus & ex adjunctis imprimis, expiscandæ erunt: Nam si nullum vitium in ipsis testibus deprehendatur, vel materiæ defectum, vel fermenti testium inertiam, in culpa esse patet. Utrum horum sit? antecedentes circumstantiæ ostendunt: Nam si ex defectu materiæ chylosæ fit, ex vitæ genere, diæta, exercitiis, &c. patescit. Si vitio testium, vel ex defectu fermenti testium contingat, præter appetitus Venerei defectum, corporis gravitatem & pigritiem, patet quando in coitu genituræ aliquantulum emittitur, hæcque tenuis & aquosa, minusque calida seu fervida, emitti percipitur. Quod si præcesserit causa, quæ testes labefactare potuerit, suspiciones hæ sunt eò clariores.

Defectus denique Testium per se spontè patet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: facilè patet, quod læsa genituræ generatio non sit periculosus affectus: admodùm tamen est molestus, quia impedit opus generationis, & mares reddit generationi ineptos; unde speciei quidem, non autem individuo nocet; utut interdum per accidens vel ex animi mœrore, vel ex deficiente sanguinis alteratione à testibus inducta, languor universalis & quasi tabes superveniat; unde &, quatenus virili mente præditos effœminatos facit, & actionibus obeundis minus agiles reddit eosdem, omninò curandus est.

Senibus est incurabilis ferè, uti etiam iis, qui in juventute ex nimio Veneris usu fermentum testium labefactarunt, est difficillimæ curationis; Cùm semel destructum fermentum testium non possit restitui.

CURA.

Variat hæc pro varietate causarum remotarum.

1. Per alimenta temperata, *succo chyloso* pingui & dulci turgida, *materia seminis copiosa subministranda*. Quibus
2. Simul intermiscenda sunt spirituosa & volatilia, imprimis acriora & aromatica, quæ *fermentum testium* transmutativum acuunt, ipsique stimulum quasi addunt, & robustius reddunt.
3. *Tumores* testium autem sunt maturè *discutiendi*, aut resolvendi & *emolliendi*, aut ad abscessum perducendi & *aperiendi*, aut quacunque ratione aliis irritis, ubi majus imminet periculum, Chirurgica methodo, sectione sc. sunt tollendi.

His scopis ut satisfaciamus, inter ea, quæ defectui materiæ, & enervato fermento testium, dicata sunt, eminent alimenta temperata, quæ vel copiosum *succum chylosum* & subdulcem suppeditant, vel quæ *acria aromatica* existunt, adeoque Venerem plùs minùs stimulant: Ubi *observandum*: est

I. Ut semper simul *Cura stomachi habeatur*, & digestio prima promoveatur, & in debitis functionibus conservetur; quâ enim deficiente, deficit etiam vis genitalis: Conf. LUDOVICI *Pharm. pag.* 719. & 720. ubi simul de usu & effectu Aphrodisiacorum.

II. Remedia istis inservientia sunt vel talia, quæ materiam genituræ suggerunt, vel quæ saltem veneris impetum stimulant. Nam semel pro semper moneo: ubi Venus est

stimu-

stimulanda, ibi non tantum Aromaticis, stimulum augentibus, sed etiam temperatis, quantitatem seminis majorem suppeditantibus', esse studendum; vix enim citra damnum ægri sola stimulantia usurpantur: de quo, ubi de Erectione penis læsa. Ita v. g. sunt imprimis *semina* succo lacteo turgida, ut amygdalæ dulces, pineæ, pistacia, castaneę, &c. ex quibus parantur *Emulsiones*; hinc oleum pistaciorum & nucleorum pini recens expressum; item dactyli, ostreę & *conchæ*, chocolata Indica, *lac*, & omnia ex lacte parata, imprimis tamen *muliebre* ex mammis suctum, quod mirè etiam confert ad Venerem; item *vinum dulce & generosum*, imprimis *Hispanicum* & *Malvaticum*, sub introitu lecti haustum convenit. Hinc piper, eruca, formicę, &c. neutra horum solitariò usurpanda, sed ferè semper Venerem stimulantibus copiosum semen generantia jungenda: Non aromatica nimis acria sola, quia imbecilles reddunt: non lactea sola, quia materiam seminalem minùs spirituosam reddunt: ambo ergò combinanda: Vid. VELSCHIUS *Hecatost*. 2. *p*.10. Ista ergò, quę materiam geniturę suggerunt, *ova* recentia, aut etiam sorbilia, hinc *vitellum ovi* recens unum alterumve haustum, seu totum conquassatum, & cum vino Hispanico mistum & ita bibitum est optimum, teste LINDANO. Huic misturę si addantur aliquot grana ambrę, aut quędam Aromatica, ut sunt cubebę, nux moschata, aut etiam species diapipereon, erit mistura, quę mirè armat in Venerem, & semen augendo & simul membrum genitale stimulando. Hinc optimum est ad imitationem SOLENANDRI *Sect*.4. *Conf*.17. ut *lac* dulce recipiamus cum pipere, quod in specie tempore ęstivo ad augmentandum semen tanquam optimum commendat pro usu quotidiano:

℞. *Lactis* ℥iij.
Sacch. ℥iij. ℥ß. vel ℥j.
Piperis ℨß.
Mista hauriantur pro una vice.

Hisce accensendi sunt testiculi gallorum exsiccati, quorum efficacia res nota est ex AMATO LUSITANO *Cent*. 2. *Cur*. 18. & SCHENCKIO *in obs*. *l*.4. quod mirè stimulent Venerem: Vnde Itali farcimina ex cristis & testiculis gallorum cum sanguine galli irroratis parata, mirè commendant. His & similibus simul acria stimulantia, & specificè Venerem excitantia adduntur.

Quæ spirituositate & acrimoniâ aromatica volatili fermentum testium acuunt, qualia sunt radix zingiberis, tam pulverisata, quàm in India condita, ejusque syrupus conservativus, quę laudatur in hoc affectu, non minus, quàm aromata cuncta aut Aromatica; Et talia sunt in specie *cubebæ*, *caryophylli*, *galanga*, *cinnamomum*, macis, crocus, *cardamomum*. Pręter hęc aromata verò sunt semen fraxini seu lingue auis, semen sinapi, anisi, fœniculi, nasturtii, item semen erucę. Pertinet huc etiam *castoreum*, *baccæ sabinæ* puluerisatę, & *borrax Veneta*, de qua uid. AMATVS LVSITANVS. Ex dictis Aromatibus fiunt uarię *species officinarum*, species diatrion pipereon, diambrę, diamoschi, Venereę Mynsichti, *diagalangæ*, *&c.* rotulę stimulantes Mynsichtii cum ambrę & opii gr. j uel ij. item *aqua magnanimitatis Laurembergii* cum Cephalicis & uino Maluatico, & *spiritus formicarum* egregiè conducunt ad augmentandam uim seminis genitalem, externè & internè. Pręter testiculos & cristam galli suprà laudatos habetur singularissimus spiritus sanguinis galli ex sanguine aliquantulum putrefacto destillatus; Nam hoc certum est, quod mirè Venerem stimulet, & etiam testes torpentes insigniter excitet; uel exsiccatus huius puluis cum pauco ambrę. De Satyrio condito res nota est, sc. ista species, quę Cynosorchis uocatur, Germ. *Knaben-kraut*, *Hundes Haubtlein*, *&c.* Hęc duos habet bulbos, unum turgidum, alterum flaccidum, quorum is, qui hoc anno fuit turgidus, altero fit flaccidus; & qui fuit flaccidus, turgidus: Jam bulbus iste cynosorchides turgidus insigniter commendatur ad Venerem stimulandam, & augendam genituram; sicut contrà alter bulbus flaccidus Venerem imminuit: unde ex hac radice satyrii paratur electuarium diasatyrii Augustanum, & essentia Satyrii Crollii: quę mirę commendationis est ad stimulandam Venerem, si misceatur cū *aqua magnanimitatis* seu spiritu formicarum, simulq; addatur spiritus *sanguinis galli*. Pręter radicem satyrii etiam radix eryngii condita laudatur, ut & Electuarium magnanimitatis Mynsichti. De *ambra* res nota est, quod in forma essentiæ, imprimis si cum certa quantitate opii fiat, aut quacunque ratione usurpata, mirè spiritus reficiat, & insigniter Venerem stimulet. Ex opio & ambra etiam parantur pilulæ ad diuturniorem Venerem reddendam. Tinctura auri cum oleo cinnamomi; cantharides aliis permistę, multùm valent ad intensiùs stimulandam Venerem: exemplum vid. in PLATERO *Observ*. *pag*. 139. pro quo scopo etiam paratur essentia cantharidum ad imitationem BARTHOLINI cum infusione vini. Cautè verò adhibendi sunt cantharides. Sanguis & cerebrum cervi aut tauri Veneri inhiantis, ex eoque parata remedia, insigniter Venerem stimulare solent. Sanguis & cerebella passerum, præcipuè in actu Venereo transfossorum, fuit secretum pro stimulo Venereo *Comitis* à PAPPENHEIM, in re Venerea & Martiali excellentissimi. Sanguis & testiculi cervi in actu Venereo transfossi fuit singulare arcanum Venereum cujusdam Principis. Alii commendant potius priapum cervinum exscissum ex cervo interfecto, dum in amore est; Nam ℨj. pulveris talis priapi cervini cum ovo sorbili misti, & pauco vino generoso superbibito, egregiè profuit: Vid. SOLENANDER *Conf*. 19. *Sect*.4. Tauri priapus laudatur apud BARTHOLINUM *Cent*. 6. *Hist*. 60. Notabile est & hoc, quod rasura cornu tauri in ipso coitu abrasa mirè conducat Venerem conciliando & excitando: Et hæc fuit secretum *Comitis Solmensis*. Hisce addantur, quæ κατ' ἐξοχὴν Venerem armare dicuntur, *ut ambra*, *moschus*, *Zibethum*, cum *oleis destillatis aromatum* subacta & imprægnata.

Ex quibus uaria in usu sunt simplicia & composita; ver. g. borrax in ouo sorbili assumptus, item borrax cum saccharo mixtus, & cum pomo assato assumptus, mirè Venerem stimulare dicitur, quo utitur DVX *Saxo Lavenburgicus*, *&c.* Nonnullis tale remedium in usu est: Recipiunt *vinum generosum Malvaticum*, addunt *vitella ovorum recentia*, acuata cum aliquot granis *ambræ*, uel aliis *aromatibus*, uel *speciebus aromaticis*, & exhibent pro potu, qui una uice stimulat Venerem. Principis cuiusdam secretum fuit sequens:

℞. *Olei pistac. rec. express.* cochl. i.
Vitell. ovi No. i.
Ambræ, quantum capit cultelli cuspis.
Sacchari Candi, quantum capiunt 3. cultelli cusp.

In cineribus calidis mista egregiè Veneri prodesse dicunt. Alii

℞. *Vitell. ov.* No. ii.
Ambr. cusp. cultell. i.
Sacch. albiss. uel *Candit*. cuspid. cult. iii.

Mixta propè cineres calidos exhibent haurienda una vice, & Venus stimulatur.

Faciunt huc *Mixturæ*, *essentiæ*, *electuaria*, morsuli, rotulę stimulantes Mynsichti, *Tabulæ viriles Paracelsi*, *Hartmann. Prax. cap.* 204. Mixtura uirilis *Hartmanni cap.* 204. §. 4. *& similia* in eiusmodi casibus usitata. Mixtura *Timæi* contra impotentiam fuit sequens:

℞. *Aquæ magnan.* ℥viii.
Cinnam. ℥iv.
Essent. satyr. ℥ii.
Ambr. ℈i.
Misc.

Propinetur subinde dosis cochlearis unius.

Vel

℞. *Aquæ magnanim.* ℥iii.
Cinnam. cum vino.
Essent. satyr. an. ℨiii.
Tincturę corallior. ℨii.
Essent. ambræ. ℈i.
M. S.
Mixtura confortans, cochleatim sumenda.

Trochisci viperini etiam hic locum inveniunt: Conf. M. A. N. C. *Ann*. 6. & 7. *App. pag*. 130. item HOEFFERVS *Herc. Med. pag*. 209. Unde pulli viperis nutriti, & cum testiculis gallorum pro alimento assumpti, Principibus inserviunt: Imprimis electuariorum formâ remedia hic propinari solent; e. g.

℞. *Conf. magnanim.*
Pacif. Myns.
Satyr. an. ℥ß.
Essent. satyr. ℨiii.
Ambr. ℨß.
M. S.
Electuarium confortativum.

Dosis

Dosis quantitas nucis juglandis.

℞. *Chocolat. Ind.* ℥j. ad ℥iß.
Elect. diasatyr. ℥ß.
Condit. rad. eryng.
Satyrion. an. ʒiij. vel ʒvj.
Nuc. Indic. ʒij.
Zingib. ʒiß. ad ℥ß.
Rasur. priap. cervi Veneri inhiant. ℥ß.
Cubebar.
Cardamom. an. ʒj.
Spec. diambr.
Diamosch. dulc. an. ℈iv.
Sem. erucæ,
Pastinac.
Urticæ,
Lingu. avis seu fraxini an. ʒj.
Ambr. opt.
Mosch. elect. an. gr. vi. ℈ß. ad ℈j.

C. s. q. *brodii helenii* vel *zingib.* vel *syrup. de canella* f. Electuarium, tempore usus cum *aqua magnanim.* aut spiritu *formicar.* probè irrorandum, & ita usurpandum. (*Oportet exinde bene madefieri.*)

Huc facit Electuarium expertum *Rulandi*, quo præmissis universalibus impotentes restituit. Compositio est hæc:

℞. *Spec. dia-satyr.* (composit. officinal.) ℥ij.
Galang. ʒii.
Ambræ,
Moschi dulc. an. ℈ii.
Rasur. priap. cervi, cùm hiat in Venerem interfect. ʒi. ad ʒij.
Pinear.
Pistac.
Amygd. dulc. an. ℥ß. (hic semen augentia admiscentur stimulantibus)
Carn. scinci marin. ʒii. (ex vana persuasione; quia nihil valent)
Sem. erucæ,
Nasturt.
Urtic. vel *sinapi* an. ℈i. ad ℈ij.

Terantur, & F. cum *melle* vel *Conditum* vel *Electuarium*.

Conveniens est, si tale conditum sæpiùs irroretur cum aqua cinnamomi, aut *Magnanimitatis*, vel spiritu *sanguinis galli*, aut formicarum. Loco mellis simpl. convenienter conf. alchermes recipi potest.

℞. *Elect. diasatyr.* ʒi.
Rot. stimul. Mynf. ℈i.
Ambræ,
Moschi an. gr. ii.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. l. a. Bolus: S.
Electuarium confortans pro una vice.

Vel usurpentur Electuaria contra defectum seminis, quæ dedi *in Collegio Formular. pag....* Vel

℞. *Conf. rad. eryng.*
Satyr. an. ℥iii.
Cortic. citri condit.
Zingib. in Ind. cond. an. ℥ß.
Amygd. dulc.
Nuc. pinear.
Pistac. an. ʒiii. ad ℥i.
Carn. dactyl.
Pulp. nucis myrist. an. ℥i.
Priap. tauri ʒvi.
Sem. erucæ,
Pastinacæ,
Sinapi an. ʒii.
Cinnam. vel *cubebar.*
Galang.
Piperis albi an. ʒi.
Olei destillat. caryoph. ʒß.

Cum *brod. zingib.* f. *Electuarium*: S.
Electuarium confortativum.

Quidam addunt pulverem cantharidum, sed non convenit: conveniunt saltem *cantharides*, ubi deficit erectio penis. PLATERUS *Observ. lib. 1. pag. 256.* pulverem hunc tanquam efficacissimum commendat. Pertinet huc Electuarium ad coitum *Comitis à* WALLENSTEIN, quod sequenti modo componitur:

℞. *Sem. erucæ*,
Satureiæ,
Urticæ an. ʒi.
Priapi cervi in coitu transfoss.
Ras. cornu tauri in coitu abr. an. ʒii.
Ambr. gris. ʒi.
Moschi ℈i.
Conf. alcherm. ʒx.
Mell. despum. q. s.
M. f. Electuarium.

Dosis magnitud. juglandis manè & vesperi.

Solent etiam præscribi Morsuli:

℞. *Amygd. dulc. ambros. exc.* ℥i.
Pinear.
Pistac. an. ℥ß.
Nuc. Ind. condit. ʒvi.
Spec. diationpiper. ʒii.
Sangu. galli exsicc. ℥i.

c. s. q. *sacch. in aqua cinnam. sol.* f. Morsuli, subindè usurpandi:
D. S.
Morsuli confortativi.

Hæc fuerunt Interna.

Cum hisce socientur *Externa* nonnulla, quæ & ipsa glandi, perinæo, scroto & testibus, item circa inguina, ubi descendunt vasa præparantia, illinantur: quæ inter est imprimis balsamus apoplecticus, aut balsamus *Venereus Mynsichtii*, oleum destillatum piperis, nucis moschatæ. Loco horum *oleum destillatum macis* dictis locis blandè illitum est egregium: possunt addi, si placet, aliquot guttæ *olei destillati caryophyllorum & spicæ*: vel ex dictis oleis cum *axungia castorei* vel Corpore pro Balsamis fiat *Balsamus*. Glans moscho aut zibetho vel balsamo apoplectico inuncta, Venerem stimulat, voluptatem auget, & facilitatur in mulieribus conceptio: Item *spiritus formicarum* externè etiam potest inungi, quia valdè intendit Venerem. Tandem fiat Linimentum seu Balsamum Venereum ex oleo nucis moschatæ expresso, quod misceatur cum aliquot guttis olei destillati caryophyllorum, sic mollescit, hinc adde aliquot grana zibethi & moschi q. pl. quo scrotum, testes & regio pubis inungantur: vel succo ex ovis formicarum expresso parum zibethi admisceatur. Verùm observandum, quod, ubi talia svaveolentia inunguntur testibus pro excitanda eorum vi, aut inunguntur peni pro augenda voluptate in actu Venereo, ne odor nimis feriat nares, nec simul inungantur talibus nares; aliàs plus nocent, quàm prosunt; nimis enim tunc spiritus afficiuntur, ut minùs possint sufficere actui ipsi seu exercitio Venereo.

Consideravimus hactenus Venerem stimulantia, materiam subministrando seminalem, & acredine confortantia fermentum testium: Quod attinet defectum Testium si scilicet lateant testes in abdomine, uti interdum fit, tunc ad restituendos testes in naturalem locum, ut scilicet in scrotum descendant, optimus est motus corporis, saltatio ac similia exercitia. RULANDUS *in Thes. Pract. pag. 282.* curavit duos adolescentes, quorum scrotum testibus erat vacuum, & qui super os pubis jam à nativitate usque retracti fuerant, beneficio Balnei emollientis: post quem Insessum inunxit locum, ubi erant testiculi cum balsamo sulphuris, hinc successivè detrusit testes in scrotum infra, & hinc sub virga, laxiore injecta ligatura eorum retractionem impedivit.

Supersunt nunc Testium *Tumores*, à quibus geniture generatio periculosè impeditur.

Quoad tumores hos: sunt

1. A sanguine, unde testium Inflammatio.
2. A flatibus, unde Pneumatocele.
3. Ab aqua intra testium membranas collecta, ut in Hydrocele.
4. Est Tumor scirrhosus.
5. Sarcocele; &
6. Cirsocele, seu Hernia Varicosa.

ARTICULUS I.

DE TESTIUM INFLAMMATIONE.

Inter Testium *Tumores* primatum ducit *Inflammatio* seu Phlegmone *testium* & scroti, quæ fit ob sanguinis circulum per testium canales impeditum, indeque obortam sanguinis stagnationem, qui stagnans sanguis, cùm continuo affluxus sanguinis augeatur, in tumorem inflam-

flammatorium, seu, ut alii vocant, phlegmonen convertitur.

Causa Inflammationis testium, uti rarò est interna, ita sæpissimè externa, ut externa concussio scroti & testium, v.g. sub equitatione compressio violenta, *cum scilicet quis impingit in ephippii arculum*, (vid. M. A. N. C. *ann.6.& 7. obs.47. pag. 81. & 82. & ann.9. & 10. obs.158. p. 349.*) contusio, plagæ & crebra verberum inflictio, ligaturæ violentæ, & quæ sunt aliæ, quæ contundunt, aut sanguinis motum in testibus inhibere, & ita Inflammationem excitare possunt. Interdum gonorrhϾ, in specie virulentæ seu malignæ, suppressio etiam causa solet esse periculosæ testium inflammationis.

DIAGNOSIS.

Inflammatio Testium facillimè cognoscitur ex tumore, tàm testium, quàm interdum simul scroti à latere testis affecti, coniuncto cum dolore gravi, partim lancinante, partim vehementer pulsante, orto ex sanguinis impedito motu & circulo, cum calore ardente, & denique ex partium vicinarum sæpissimè scroti, rubore & incalescentia: nam calor, dolor, pulsationis sensus vicinarum partium, & rubor, &c. Inflammationem testium ostendit; sicut febris plus minus lenta pro Inflammationis ratione observatur. Tactu imprimis dolor exasperatur, & sensus doloris sursum usque ad lumbos ferè porrigitur ratione membranarum, vasa spermatica & testes involventium, membranis circa lumbos continuarum.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Inflammatio testium non contemnenda est, propter gravem dolorem interdum convulsiones inferentem, & metum gangrænæ, in quam, nisi citò dicutiatur, transit.

Ubi est inveterata, & ad statum perducta, periculosa est sæpissimè propter abscessum, cui pariter facilè gangrena supervenire solet, faciliùs tamen in scroto inflammato (ut aliquoties vidi in Italia, imprimis ubi causa remota est venenum Venereum) quàm in testibus inflammatis: cui tamen per gangrænam absumpto natura provida substantiam carnosam substituit, qua muniuntur testes: Vid. PANAROLLUS *Pent.1.cap.15.* BARTHOLINUS *Cent.6. Hist.69.* TIMÆUS *Von GuldenKlee in Casibus pag.296.* SENNERTUS *lib.3. Prax. ubi de scroti morbis pag.911.*

CURA.

Quoad *Curam Testium & scroti Inflammationis*: hæc ipsa vel

1. Discutienda; idque diversimodè pro causarum ratione, quod ut meliùs fiat, dolor imprimis sistendus est; Vel
2. Suppurandus; Hinc
3. Abscessus aperiendus, & ulcus mundificandum.

Præmissis ergò universalibus internis, & venæsectione, ubi opus est, curatur per diaphoretica, Inflammationem, quantum possibile est, citò discutientia, imprimis per ea, quæ blando sudore sanguinis circuitum promovent, & quæ aliàs in omnibus Inflammationibus in usu sunt.

Externè pro discutiendo tumore & resolvendo præ cæteris expertissimum est *Cataplasma ex farina fabarum*, cum aceto vini, vel solo, vel cum *oxycrato*, id est aqua & aceto, cocta & applicata. Tale cataplasma expertissimum dico ad quamcunque testium inflammationem, (*equidem valde commendo*) cujus aliquot experientias videbitis in RIVERII *observ Cent.2. obs.39. Cent.3. obs.1. Cent 4 obs.74.* uti & *in Observat. Communicatis*. Addi etiam commodè potest semen cumini, item flores chamomillæ & meliloti, & magis discutit. Quod si acrius fuerit *cataplasma* propter acetum, & scrotum excoriari velit, sub decoctione *lithargyrii* vel cerussæ parum, commodè addi potest, sic dulcescit acetum; hæc enim Saturnina acorem aceti nimium temperant, & in dulcedinem resolventem mutant: e.g.

℞. *Farina fabar.* ℥iij. vel iv.
Pulv sem. cumin. vel *anisi*. ℥iß. vel ℥ij.
Cum *vino*, vel *aceto*, vel *oxycrato*, id est, part. j aceti & part. iv. *aquæ simpl.* q. s. redigatur in Cataplasma.
Et si propter acetum sit acrius, adde simul
Lithargyr. vel *cerussæ*. ℥j. ad ℥iij.
M. S.
Puls discutiens.

Applicetur sæpiùs tepidè ad discutiendam Inflammationem. Convenit ad quascunque Inflammationes, non tantùm in simplici Inflammatione testium, sed etiam, quæ interdum suppressis gonorrhœis, tàm benignis quàm virulentis, seu ex similibus causis supervenit, &c. Sic tumor scroti ex percussione curatus fuit per cataplasma ex farina fabarum, hordei, semine cumini, floribus chamomillæ, meliloti, rosarum cum oxymelle, vid. RIVERIUS *obs. Commun.* Item

℞. *Aquæ Calcis vivæ* ℔j. ad ℔iß.
Spiritus vini camphorat. ℥ß. ad ℥j.
Ceruss. vel *sacch. Saturni* ℥iß.
M. pro Epithemate: S.
Epithema discutiens & refrigerans.

Calidè applicetur, cui & in graviori dolore addi potest *opii in aceto sol.* ℈j.

Posthæc convenit cataplasma ex herba Paridis contusa, & ita cataplasmatis instar testibus applicatum. Aliàs fieri possunt similia cataplasmata & Fotus ex cicuta, solano, *agrimonia*, vel *radice cucumeris asinini*, verbena, foliis rutę, floribus chamomillę, & similibus, in vino vel posca coctis, & partim tanquam fomentum, partim tanquam *cataplasma* sic applicentur pro inflammationibus discutiendis: Vid. FORESTUS *lib.27. obs.1. in schol. & obs.4.* Cataplasma HARTMANNI ex *foliis nymphææ & nasturtii aquatici*, si ana coqu. in aceto rosaceo & vino, & cocta ita & subacta permisceantur cum pauxillo olei rosarum, applicari potest. Quod si testes & scrotum inflammantur ex contagio venereo post coitum cum meretrice, aut inflammatio dictarum partium conjuncta sit cum gonorrhœa, vel benigna vel maligna, cataplasma ex *foliis rutæ* & ebuli cum posca coctis applicatum est optimum, quod laudatur ab HARTMANNO. Melius adhuc est fomentum expertum *Lindani* ex *decocto radicis chinæ* & florum sambuci in cerevisia generosa, aut loco hujus in vino; quo decocto sępiùs fomententur partes, donec disparuerit Inflammatio, quam discutit & resolvit. Fit interdum, ut ex applicatis acrioribus externis oriatur Inflammatio dictarum partium, in qua optimus est *fotus ex lacte*, cui incocti sunt *flores chamomillæ & sambuci*. Subindè fit, ut acerbus dolor conjungatur cum inflammatis testibus, hic ut sedetur, modò dictis externis optimè adduntur folia hyoscyami: e.g.

℞. *Herb. absint.*
Alchimill.
Cent. min.
Flor. acac.
Chamom.
Verbasc.
Fol hyoscyami an. M.j.
Incisa coqu. in vino, addito parum aquæ (vel in *posca*:)

Colatura cum linteis calidè sępiùs applicetur.

Aut adduntur his ipsis mucilagines seminis psyllii cum aqua spermatis ranarum extractæ. Tandem balsamus sulphuris Rulandi ad extra cum oleo nucum paratus, reliquias tumoris absumit.

Quod si modò dictis remediis nequeat discuti Inflammatio, sed ad suppurationem tendat, necesse est, ut adjuvemus naturam in suppuratione, & suppuratæ inflammationis apertione. Pro maturanda ergò suppuratione conveniunt Maturantia & Emollientia in lacte cocta. Præ aliis expertum est Emplastrum filii Zachariæ, cujus descriptio habetur in *Phar. August.* malaxatum cum balsamo sulphuris terebinthinato, qui egregiè abscessus maturat: item ubi dolor simul urget in Suppuratione, qui semper est præsens, tunc recipiantur folia hyoscyami sub cineribus cocta & contusa, excipiantur cum axungia porcina, & reducantur ad formam Cataplasmatis, quod dolorem sedat, & simul Inflammationem maturat. Quò etiam pertinet unguentum dialthææ, populeum, unguentum dia-chylon, & similia, quæ aliàs solent maturare tales Inflammationes. Maturatus tandem debitè abscessus aperiendus est manu chirurgi, lancetta, & hinc suppurantibus & exsiccãtibus curetur. Vid. quæ *supra l.1. de Inflammationib. in genere* dicta fuerunt, & BARBETTE *Anat. Pract. Part. 2.cap.2.* item M. A. N. C. *Ann.2. obs.235. pag.337. Ann.6. & 7. obs.47. pag.87. & Ann.9. & 10. obs.158.*

ARTI-

ARTICULUS II.

DE

PNEUMATOCELE.

Pneumatocele est *Tumor*, qui oritur *à flatibus*, imprimis intra membranas testes involventes collectis; estque saltem inflatio testium, nunc unius solùm, nunc utriusque, nunc testis solius, nunc etiam scroti. Pneumatocele hæc nunc est solitaria, nunc, idque utplurimùm, cum hydrocele juncta.

CAUSÆ.

Flatus hi nunc, idque rariùs, in scrotum aut vicina loca ex abdomine transmittuntur, nunc, idque frequentissimè, in ipsa parte affecta ex nutrimento spermatico membranarum testes obvolventium, quod vitiosè alteratum & corruptum, plus minus, ab acido vitioso per fermentationem inducto transmutatur in *flatus*; quod malum pueris ferè est familiare. Nempe hic omnia possunt applicari, quæ *l.* 1. *sect.* 5. *cap.* 2. sunt dicta *de origine flatuum in stomacho & intestinis*.

DIAGNOSIS.

Pneumatocele cognoscitur, quando testes successivè fiunt tumidi insigniter, sine pondere tamen & gravitate, cum dolore tensivo, simulque *scrotum* in se est adhuc *rugosum* & flaccidum. Si verò flatus ipsum scrotum occupant, hoc, si manibus premitur, facilè de loco in locum movetur.

PROGNOSIS.

Pneumatocele est sine periculo, nisi propter dolorem & tumorem sit molesta.

CURA.

Pneumatocele, seu *Hernia flatulenta* est omnium levissima (sive flatus soli, aut in hydrocele simul adfuerint) & curatu facillima, discutientibus & carminantibus saltem tractanda. Unde interna, quæ *l.* 1. *Sect.* 5. *Cap.* 2. *de flatibus* & *Sect.* 11. *de Colica flatulenta* dicta sunt, adhibeantur; In specie remedia ex seminibus 4. calidis majoribus, ex corticibus aurantiorum, floribus chamomillæ, baccis lauri, &c.

Externè ex similibus parentur cataplasmata cum oleo rutæ, chamæmelino, costino, &c. addito Spiritu vini, ut eò meliùs penetrent: Agrimonia in specie valet ad Inflammationem testium; vid. HILDANUS *Cent.* 3. *Obs.* 87. His accedunt, *Fotus discutientes*, inter quos usitatus est iste, ex duplo sc. *fabarum farinæ*, & parte j. *seminis cumini*, in quorum defectu commodè usurpari possunt *baccæ lauri*, imprimis subacti cum *fimo vaccino recenti*, quod *cataplasma* mirè discutit: e.g.

℞. *Pulv. flor. chamom.*
Melil.
Far. fabar. an. ℥vj.
Sterc. caprill.
Baccar. lauri an. ℥ß.
Cum *vino* & *oleo anethino* f. Cataplasma:
D. S.
Cataplasma resolvens.

Potentius est sequens:

℞. *Fimi vaccini* ℔ij.
Sulphuris vivi,
Sem. cumini an. ℥j.
c. s. q. *mellis* & *olei anethi* f. Cataplasma, laudatum quoque à FORESTO *lib.* 27. *Obser.* 25. Optimè convenit *Fotus*, quo SOLENANDER *Cons.* 15. tumorem scroti & testium ab humore influente & flatu enatum curavit, cum pannis ibidem intinctis crebriùs applicandis:

℞. *Sem. coriandri* ℥ß.
Cumini,
Anisi an. ℥ij.
Alum. ℥ß.
Vini,
Aquæ commun. an. ℔j.
Coqu. invicem leviter, & dicto modo applicetur loco *herniosoex flatibus*.

Et hæc conferunt quoque in *hydrocele*, aut ubi cum hydrocele conjuncti sunt flatus, ubi tamen dictis *Balsamus sulphuris* vel *terebinthinatus* vel *juniperinus* commodè additur: nempe calidè hernia flatulenta illinatur, imponendo desuper *emplastrum diasulphuris Rulandi*. Si acrius fuerit, & excoriationem scroti minatur, potest temperari cum tantillo *olei nucis moschatæ expresso*.

ARTICULUS III.

DE

HYDROCELE.

Hydrocele, seu Tumor testium aquosus, qui Tumori scroti & testium hydropico contradistinguitur, ita dicitur ab aqua, intra testium membranas contentâ. Aliàs *Tumores testium* dicuntur *Herniæ*, propterea saltem, quia cum scroti tumore conjuncti sunt, sed impropriissimè; quia tamen aliquam similitudinem habent cum *hernia vera*, quæ fit ex descensu intestinorum in scrotum, sic appellari possunt.

CAUSÆ.

Hernia hæc aquosa seu *Hydrocele* oritur à lymphæ recursu ex testibus impedito, dum nempe vasa lymphatica in quodam loco obstructa, & lympham effundunt intra membranas testes involventes; nam & testes habent sua vasa lymphatica, quæ lympham ex testibus ad receptaculum commune, uti notum est, revehunt. Quod si ergò fiat, ut obstruatur lymphæ recurrenti via, oboritur ex ruptis vasis lymphaticis collectio, & stagnatio tandem istius lymphæ in teste, unde ruptâ tunicâ, vasis lymphaticis propria, perquam tenerâ, eadem intra tunicas testium extimas, elythroidem nempè satis validam peritonæo continuatam, coacervata lympha Tumorem talem aquosum seu Hydrocelen facit, qui vulgò, sed pessimo more, vocatur Hernia; nihil enim minus est, quàm hernia. Quod si hæ rumpantur tunicæ, ipsum scrotum in medietate testis affecti etiam impleri solet: sed ferè membrana istius testium, in qua colligitur, aqua, quò diutiùs stagnat, eò solet fieri spissior, crassior & densior, unde malum redditur contumacius, adeò, ut nec facilè rumpatur, sed potiùs tumorem plus minùs duriusculum repræsentat. Reverà *Hydrocele* ex vitio testium proprio nihil est aliud, quàm hydrops testium particularis, (sive ruptum, sive excesum, sive alio modo vitiatum sit vas lymphaticum ad testes protensum,) distinctus ab isto *tumore scroti hydropico*, quando ex hydrope ascite in scrotum aqua diffluit; nam *hydropici* simul solent ordinariò incurrere *tumorem scroti*. Nunc autem *tumor scroti* accrescit cum *ascite* & intenditur; nunc in *ascite particulari* abdominis, evacuata per paracentesin hydropicorum aquâ, supervenit *tumor aquosus scroti*; vid. BARBETTE *in Anat. Pract.* *Prius fit*, quando aquæ in abdomine hydropicorum collectæ per processus peritonæi successivè in scrotum destillant: *Posterius*, quando scrotum, utut flaccidum, post evacuationem aquæ repletur; quia aqua ultra peritonæum & musculos abdominis est, & tunc, ubi relaxantur partes, descendit: Verùm cum hoc hydrope hic loci nobis nil est negotii. Interdum huic *Hydroceli* propriè dictæ seu tumori testium supervenit *tumor scroti aquosus*, dum rumpitur tunica quædam testis à lympha distenta, & tandem ipsum scrotum ab ista medietate, cujus testis anteà fuit affectus, impletur: quem etiam pessimo more vocant Hydrocelen.

DIAGNOSIS.

Hydrocele non facilè *cognoscitur*, in specie quando malum est confirmatum, & membranæ, in quibus collecta aqua, admodum spissæ ac crassiores fiunt; tunc enim subindè tumorem duriusculum, renitentem tactui, repræsentant, adeoque Hydrocele similis est *herniis carnosis*. Interim testi, si *hernia aquosa* laborat, utut sit durus, potest ei induci fovea, quod in *carnosa hernia* non fit.

Patet

Patet aliàs Hydrocele ex sensu fluctuationis cujusdam in scroto seu locis vicinis, dum scilicet testes premuntur intra membranas internas, tumor nunc molliusculus, aut facilè tactui cedens percipitur; item *scrotum*, vel ex toto, vel ex dimidio *quasi lucidum* ac minùs rugosum *apparet*, planè erugatum, *præcipuè si ex opposito candela ponatur*, *ægerque de pondere & gravitate conqueratur*, *nec tumor* per compressionem aut decubitum resupinatum *facilè in abdomen recedat*, ut in Enterocele fit, sed semper ferè ejusdem magnitudinis, rotundus, paulò longior, instar ovi, apparet, neque habet suas vicissitudines, & potiùs incrementum, quàm decrementum sumit, testiculus è contrà tactui ferè occultatur.

Quod si testes soli intumescant, scrotum adhuc rugosum aliquo modo apparet; quod non evenit, ubi præter testes *intra scrotum iam aqua collecta fuerit*, quod ipsum tunc expansum, & sine rugis conspicitur.

Si verò collectus est humor intra tunicas intimas, non potest percipi; nam hic ipse testem relaxare solet.

Prout autem humor lymphaticus aut intra scrotum, aut intra tunicas testium, nunc in superiori, nunc in inferiori loco includitur, etiam diversam tactui formam cum teste plus minùs manifesto aut occultato repræsentat.

PROGNOSIS.

Hydrocele periculo caret, & tantùm dolore, & tumore molesta est. Si verò Hydrocele seu Hernia aquosa sit inveterata, ita, ut membranæ istam investientes jam tenaciores & firmiores redditæ fuerint, vix sine Chirurgia curatur, recens verò adhuc medicamentis discuti potest.

Iste scroti tumor aqueus, qui hydropem ascitem comitatur, vix, nisi hydrope curato, perfectè curari potest.

CURA.

In Tumoris testium aquosi seu Hydrocelis *Cura* imprimis in principio Discutientia, & Resolventia valida applicata conducunt, præmissis & annexis internè essentia & extracto elaterii, radice gialappæ, gummi de Peru, & similibus serum superfluum evacuantibus: quin & præmissis Diureticis, specialiter succinatis & arcano duplicato, quod feliciter adhibuit LUDOVICI in M. A. N. C. *ann.* 9. & 10. *obs.* 158.

Externè conveniunt, uti dixi, Discutientia & Resolventia: quæ inter convenit emplastrum hydropicum Augustanorum, quod applicari potest, item emplastrum ad hernias Schrœderi cum exuviis serpentum, loco anguillarum, paratum: Vel illinatur Balsamum sulphuris *Rulandi*, vel solum, vel cum unguento althææ mistum: e. g.

℞. *Ungu. dialth.* ℥iij.
Bals. sulphuris terebinth. ʒvj.
M. S.
Unguentum resolvens.

Hoc inungatur scrotum calidè.

Si est debilius, convenit hoc cataplasma crassum seu *Emplastrum*:

℞. *Emplastr. de bacc. lauri*,
Stercor. caprill. (quod ad multas inflammationes œdematosas conducit) an. ℥ij.
Sem. cumini,
Flor. sulphuris, aut *sulphuris pulverisat.* ana ℥ij.
Misc. & malax. cum *oleo rutæ* & *chamomillæ* ana q. s. f. Emplastrum.

Parti tumenti, tàm in *hernia aquosa*, quàm in *tumore scroti hydropico*, admoveatur.

Loco huius emplastri *Emplastrum carminativum Mynsichtii* scroto applicari potest. Primatum obtinent cochleæ cum suis testis contusæ, & cataplasmatis modo applicentur, vel solæ, vel cum stercoribus animalium, in specie caprino & vaccino, & semine carvi, quorum *Formulas* vid. *suprà* l. c. *ubi de Hydrope*. Vel, quod mirè commendat D. MICHAELIS in Tumore hydropico conveniens:

℞. *Flor. chamom.*
Herb. Parid. an. M. ij.
Farin. fabar. ℥ß. vel ℥j.
Sterc. caprill. ℥iij.
Pulv. testar. cochlear. ℥ij.
Coque in
Aquæ chamom. part. iv.
Aceti vini vel destill. part. j. vel ana part. æqu. ad consistentiam cataplasmatis scroto applicandi:
D. S.
Cataplasma discutiens.

Vel

℞. *Flor. chamom. Rom.* M. iij.
Farin. fabar. ʒvj.
Stercor. caprill. ℥iij.
Pulv. testar. cochlear. ℥iß.
Concisa & contusa coqu. *in vino*.
D. S. ut ante.

Decocto priùs fomentetur scrotum, & demum desuper applicetur Cataplasma ad resolvendam Hydrocelen:

℞. *Sterc. caprilli* ℔j.
Flor. chamom.
Sambuci ana M. ij.
Sem. cumini ℥j.
Coqu. in s. q. *urinæ pueri*:

Colatura usurpetur pro Fotu; Remanentia verò pro Cataplasmate.

Vel denique

℞. *Cochl. cum test. cont.* ℥iv.
Bacc. lauri,
Sulphuris ana ℥ij.
Sterc. capr. ℥iij.
cum s. q. *Lixivii* f. Cataplasma.

Verùm in Hydrocele confirmata nihil præstabunt.

Quod si forsan ex ascite immineat Hydrocele, aut tumor scroti hydropicus, tunc petroselinum viride contusum, & scroto impositum, domesticum quidem, sed laudandum est remedium.

Item

℞. *Nasturt. aquat.*
Nymph. ana part. æqual.

Ex quibus cum *aceto rosacco* contusis, addito *oleo rosaceo*, paratur Cataplasma, quo tumorem testium magnum dolorificum in hydrope, aliis irritis, curavit RULANDUS *in suis Curationibus*.

Cataplasma ex farina fabarum cum vino & oxymelite, suprà laudatum, etiam in Hydrocele confert. Conf. RIVERIUS *Cent.* 2. *obs.* 4.

Sed nihil nobis negotii est cum tumore scroti hydropico, potiùs ad *Hydrocelen* pergimus; quæ si *confirmata*, medicamentis non potest resolvi aut discuti, quin pertinaciùs resistat, aut si simul substantia corrosa adesse observetur, quæ facilè in cancrum degenerat, ad *Chirurgiam* accedendum est, quæ duplici modo instituitur; vel *punctura*, vel *castratione*. Quoad *puncturam*: perforatur scrotum, quo perforato simul pertunditur membrana testium extima, in qua solet esse conclusus humor seu lympha. Hæc apertio in Hydrocele simplici nullum habet conjunctum periculum, & tutissimè instituitur, utut apertio scroti & testium in tumore eius aquoso hydropico sit periculosissima: Nam in tumore testium scrotique hydropico aperto utplurimum supervenire solet gangræna, sive per cauterium potentiale, quod minùs tutum, sive cum ferro, quod tutius est, apertio instituatur: Conferatur BARTHOLINUS *Centur.* 3. *Histor.* 69. Sed, uti dixi, nullum periculum est in Hydrocele propriè dicta, & commodè apertio institui potest: Conf. HILDANUS *Centur.* 4. *Observat.* 68. Verùm, utut aperiatur & extrahatur seu evacuetur liquor, nihilominus tamen non semper radicaliter malum curatur; quin periculum est, ne crebriùs recurrat; unde sæpe necesse est ad tollendam Hydrocelen amputatio integri testis Hydrocele affecti ut instituatur, præprimis si durior ac spissior fuerit membrana, aut testis gangræna affectus sit, ne partes vicinæ corruptæ ex superventu gangrænæ vitæ periculum inferant. Operatio est tuta & extra periculum, modò cum dexteritate obeatur. Superiori anno adfui tali operationi: scilicet in isto latere, ubi nempe est tumor testium aquosus, instituitur apertio scroti inferiùs, & super tumorem vasa præparantia filo interjecto fortiter constringuntur & ligantur, quod celeri manu fiat, quia dolorosum est; postmodùm infra ligaturam abscinditur testis una cum tumore. Vulnus scroti lentè curatur, ut filum, quod extra scrotum propendet, sponté separetur, & tunc citra periculum vulnus scroti coit. De cura Hydroceles per sectionem vid. AMATUS LUSITANUS *Cent.* 4. *Centur.* 2. *Cur.* 84. & *Cent.* 5. *Cur.* 69. ubi singulis sex mensibus humor

mor sectione evacuandus venit. Sunt etiam, qui ad Hydrocelen laudant punctum aureum, quo ipso & solent curare herniam intestinalem; sed minùs tutum, minusque certum est hoc auxilii genus.

ARTICULUS IV.
DE
TESTIUM SCIRRHO.

Sequitur Tumor testium durus, qui in specie ex inflammatione eorum malè curata oboritur, sine calore, sine febri; qui tumores duri & indolentes Scirrhi vocari solent.

CAUSÆ.

Oriuntur imprimis & sæpissimè ex vitiosa inflammationis curatione, aut insufficiente discussione, quatenus acidum in omni inflammatione præsens & concentratum per modum coagulationis materiam inspissat & indurat; unde tales tumores duri indolentes, uno nomine scirrhi, generari solent, qui interdum nonnihil maligni, quasi cancrosi, præsertim, si punctiones subindè acutæ in iis observentur. Interdum etiam durities seu scirrhus in teste à calculis observatus fuit, post mortem inventis, teste PLATERO *Obs. pag.* 664.

DIAGNOSIS.

Scirrhos testium facillimè cognoscimus tactu: Imprimis tumor durus renitens tactui & indolens, sine calore vel inflammatione, eamque minùs concinnè tractatam sequens, vel alio modo superveniens, scirrhum innuit.

Quod si subinde punctionis percipiatur sensus, aut cujusdam lancinationis, latentis tumoris cancrosi seu scirrhi nothi oritur suspicio.

PROGNOSIS.

Tumores testium scirrhosi per se parum periculi habent conjunctum, nisi interdum dolor punctorius accesserit; tunc enim ad cancrum inclinant, & ita periculum latentis cancri incutiunt, qui periculosissimum malum innuit.

CURA.

Quod si testes inflammati ex perversa cura in tumores & scirrhum degenerent, fiatque tumor durus ac scirrhosus, hic emolliatur, ac discutiatur materia collecta: id quod tamen difficulter fit.

Pro quo scopo conveniunt præ cæteris gummata in aceto soluta, & sunt primariò ammoniacum, hinc galbanum, bdellium & similia; item emplastra officinalia de cicuta, de ammoniaco, cujus descriptio est in *Pharmacop. Augustana*; (Nam hoc ipso FORESTUS curavit testem insigniter scirrhosum post inflammationem, idque omnibus remediis aliis irritis, in *lib.* 27. *Obs.* 5.) Balsamum sulphuris & Emplastrum diasulphuris Rulandi. Convenienter etiam cum emplastro ammoniaco miscetur emplastrum de cicuta, si ambo malaxentur cum oleo chamomillæ, ac ita applicentur; resolvunt namque testium scirrhos: e.g.

℞. *Gum. amm cum aceto solut.* ℥vj.
Empl. de cicut. an. q. s.
Dissol. malax. cum s. q. *olei destillati tartari*, vel *ligni Guaiaci*, & inducantur super linteum.
D. S.
Emplastrum emolliens.

Imponitur loco affecto, alternis diebus novum imponendo, *valde conducit*.

Vel

℞. *Empl. diachyl. simpl.* & *c. gumm.* an. ℥i.
Gummi ammoniaci ℥ß.
M. pro Emplastro.
D. S. ut antè.

Quibus etiam semen & folia hyoscyami addere licet; nam tali cerato apostema frigidum & durum scroti ac testium curatum fuit à FORESTO *l. c. Obs.* 7. Efficacissimum quoque est hoc:

℞. *Rad. alth.*
Fr. halicacabi an. M. i.
Rad. mandrag. rec. ℥vi.
Coqu. in s. q. *sapæ*, & contundantur, & per cribrum traiiciantur: adde
Opopan.
Bdellii,
Gumm. amm. in vino sol. an. ℥vi.
Styrac. ℥iii.
Cum s. q. *aquæ chamom.* f. Cataplasma, vel cum *cera* f. Emplastrum.
D. S. ut suprà.

Aliud Emplastrum expertum vid. in TIMÆO *von Guldenklee in Cas. lib.* 6. *Cons.* 12. *pag.* 271. quod præmisso fotu emolliente, & suffitu vaporis aceti ex lapide lateritio seu silice candente excitati, applicavit, & quo ipso discussit scirrhum.

Compositio est hæc:

℞. *Mucilag. rad. alth.*
Sem. fœnugr.
Ficuum pingu. coct. an. ℥iii.
Gumm. ammoniaci,
Bdellii,
Galbani an. ℥i.
Medull. crurum vituli,
Adip. anserin.
Gallinæ,
Sevi hircini,
Terebinthin. an. ℥vi.
Olei lil. alb.
Ceræ flav. an. q. s.
f. Emplastrum.

Observandum tamen in scirrho testium, si simul sit dolorosus, cautè esse procedendum, ne in cancrum degenerare faciamus eundem; unde oleosa, mucilagnosa, & quæ aliàs propriè emollientia dicuntur, sunt omittenda, & in solis Gummatis & similibus persistendum.

Forsan Vinacea hic non sunt inutilia: Sic enim BORELLUS *Cent.* 2. *Obs.* 42. refert dolorem & tumorem cum inflammatione sæpiùs recurrentes, demersione femorum in vinacea calida curatos.

Quod si à suppressa gonorrhœa, præsertim Gallica, supersit Tumor durus, applicari potest emplastrum de ranis cum Mercurio: vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Append. pag.* 62.

Quod si in pus abeat substantia tumoris, maturè apertio fiat, ne integra testis substantia corrumpatur, aut gangræna superveniat, quin & subinde necessum est, testem tùm exscindere.

ARTICULUS V.
DE
SARCOCELE.

Præter dictum tumorem scirrhosum & alius tumor durus superuenit testibus, qui affectus vocatur *Sarcocele* seu *Hernia carnosa*: nempè caro quædam superflua his interdum adnascitur, nunc tantùm alteri, nunc utrique, quando occasione quadam externâ læduntur, partim *fibræ nerveæ*, partim *carneæ*, ubi circa dictas fibras læsas coagulatur & exoritur *excrescentia* quædam *carnea*, medii generis intra fibras carneas & nerveas, eaque duplex: nunc *dolens*, *maligna*, *cancrosa*, cum punctionibus variis molesta; nunc *indolens*. Hæc ipsa *sarcocele* seu *hernia* notha communis est ambobus testibus; Siquidem tàm in dextro, quàm in sinistro & hydrocele & sarcocele observata fuit; quod observandum contra HILDANUM *in Observ. Chirurgicis Cent.* 4. *Observat.* 64. qui refert, dextrum testiculum imprimis sarcocele, sinistrum verò testiculum hydrocele laborare. Hoc ipsum tamen HILDANI effatum non est verum nec universale, cùm, teste experientiâ; promiscuè fiant: Nam *Riolanus Anthropologiæ lib.* 2. *cap.* 31. in dextro testiculo ter hydrocelen vidit; sicuti etiam aliquando in sinistro teste herniam carnosam, ut vocant: quin & talis caro non solùm testibus, sed etiam membranæ Dartos seu scroti internæ non rarò adhæret, citra testium contactum. Tumor observatur in scroto

in scroto ductus, successivè auctus, ferè indolens, interdum, si malignus, punctorius dolor adest.

CAUSÆ.

Oriuntur hi tumores carnosi seu Sarcocele utplurimum à læsione testium externa, contusione, ictu, lapsu, laceratione, &c. Nam uti hæ, & similes causæ aliæ, inflammationem interdum inducunt; ita etiam interdum, laceratis fibris atque membranis, & vasculis testium ruptis & laceratis, alimentum proximum & sanguis in motu nonnihil sistuntur, & in poris hinc inde uberiùs coacervantur & alterantur, & tandem successivè in substantiam talem carnosam, plùs minùs notham, assimilantur ac transmutantur, unde successivè talis caro sylvestris concrescens, sive in testibus, sive sub membrana scroti, quæ & Dartos dicitur, sarcocelen constituit; simili modo, ac si, ut rectè loquitur SENNERTUS, in arboribus cortex externus lædatur, ex affluente alimento nodi fieri solent. Probè tamen hic quoque observandum est, ne, ut suprà simonitum, lympha intra crassefactam membranam densiùs constricta ramicis carnosi seu sarcoceles facie imponat. Neque confundenda est hæc cum *tumore prostatarum*, seu epididymidum, quæ seminali materiâ tumidæ speciem *sarcoceles* incautis inferre solent: vid. BARBETTE *in Chirurg.* Siquidem subindè præ seminalis succi copia epididymides ita tument, ut non rarò testium molem repræsentent, aut superant; idque propter sui extensionemho non absque duritie; aut quando testiculi sunt scirrhosi, unde in epididymides copiosiùs sanguis influit; aut etiam quando copia talis adest succi seminalis, ut copiosiùs collectus in epididymidibus, & ibi suppressus, Epididymides tumere faciat, adeò ut ex tali causa observatum fuerit, epididymides mole interdum ipsos testes æquasse. Sed dicti casus non sunt confundendi cum sarcocele vera, ne fallamur in diagnosi. *Inveterata* etiam *hydrocele* propter densitatem membranarum *sarcocelen* interdum mentitur.

DIAGNOSIS.

Sarcocele ex Tumore duro indolente, & ferè scirrhoso, vel teste incumbente aut adnato, vel ipso scroto adhærente, patet, immutabilis est, constans potiùs, subindè accrescens, (*modò sit spissa, modò tenuis*,) quasi ponderis testi adhærentis sensum percipiunt ægri: Sin verò simul dolet, periculum est, ne sit caro cancrosa, quæ mox ad cancrum declinat.

Successivè ad molem talem succrescit caro hæc, & ex insensibili principio sensim augetur, secus ac in aliis testium tumoribus.

Interim tamen non confundenda est sarcocele cum tumore prostatarum, quorum signa distinctiva jam explicui.

PROGNOSIS.

Tumores testium carnosi non admodùm periculosi sunt, nisi quod propter accedentem dolorem punctorium cancer metuendus sit. *Sarcocele* ergò, si est *dolens* & *maligna cancrosa*, non est tangenda.

CURA.

Sarcocele incipiens curatur internè per medicamenta, imò si tantillum inveterata, non nisi vel ipsius *carnis*, scroto vel testi adnatæ, *abscissione*, vel *testis* ipsius *exsectione*: Vid. BARBETTE *in Chirurg. p. 1. cap. 25.* HIERONYMUS ab AQUAPENDENTE, & SCULTETUS *in Armament. Chirurg.* In cura ergò, præmissis universalibus, attenuantibus & exsiccantibus, aut Tumoris incrementum præcavendum, aut ipse Tumor successivè absumendus: quæ si non succedant, chirurgiâ testis exsecandus. Pro hoc scopo inter remedia interna conveniunt *Terrea* calcinata *& alcalisata*, quæ in strumarum cura solent esse in usu, v. g. pulvis contra strumas usitatus *Arnoldi Villanovani*: Loco hujus adhibeatur pulvis *Lotichii in obs. pag. 514.* ex spongiis combustis, cynosbati, *lapide spongiæ*, ex radice consolidæ majoris, herniaria, perfoliata, *terra sigillata*, *&c.* conflatus. Item *pulvis radicis ononidis* meretur laudem, qui ad ℈i. per plures menses usurpatus, non tantummodò à MATTHIOLO, sed etiam ab HORNIO *in Cista Medica*, SCULTETO *in Armam. Chirurg. observ. 74.* BARTHOLINO, *Act. Med. Hafniens. Vol. 1. pag. 189.* & in *Ep. Cent. 4. Epist. 13. & 14. pag. 52. & 57.* admodùm commendatur; item ejus Decoctum & essentia, cujus præparationem dedi *in Colleg. Pharm. in Schrœderum sect. 1. p. 68.* ut & spiritus salis dulcis, tam internè assumptus, quàm tumori externè illitus, ab AGRICOLA commendatur *Comm. in Poppium*. Verùm Interna parùm præstant, cùm & Externa non semper satisfaciant scopo. Antequam tamen ad excisionem testis sarcocele affecti perveniamus, applicanda sunt externa potenter emollientia & resolventia: quæ inter imprimis sunt Fotus ex cineribus sarmentorum vitis cum nitro & aceto mistus & applicatus, emplastrum diasulphuris Rulandi, item Cataplasma ex sulphure & testis cochlearum cum aceto; Item luta thermarum in ipsis Thermis applicata scroto, usurpantur. Primatum ducunt *Gummata* penetrantia & *resolventia*, & hujusmodi Tumores nunc *emollientia*, nunc *suppurationem* eorum promoventia; unde gummi ammoniacum, & ex eodem paratum Cerotum & Emplastrum, hic suam meretur commendationem: Sic in SCULTETI *Armam. Chirurg. obs. 47.* habetur emplastrum ex ammoniaco expertum contra Sarcocelen: vel usurpetur sequens *Emplastrum*, quod præscribit LOTICHIUS *in observat. pag. 514.* & ipsi tanquam secretum communicatum fuit à quodam Lithotomo, tam contra aquosam, quàm carnosam herniam, cui multum à quibusdam tribuitur: Compositio non est inelegans:

℞. *Gumm. ammoniaci* ℥iß.
Bdellii,
Farin. sem. sinapi,
Urticæ (propriè seminibus competit farinæ nomen) *rotand.* an. ℥vi.
Lap. spong. ℥i.
Pulv. rad. aristol.
Sulphuris ℥ß.
Terebinth. ℥i.
Spiritus vini ℥iß.
Olei olivar. ℥iv.
Ceræ ℥vi.
M. pro Emplastro herniæ carnosæ subindè applicando.

Emplastrum aliud ad Hernias carnosas commendatum vid. in *Scriptis* PARACELSI, *Tom. 5. Cens. 3.*

℞. Nempè *Gumm. amm.*
Serapin. seu *sagapen.*
Opopan.
Galbani an. ℥i.

Hæc dissol. in *acetum rosaceo*, denuoq; nonnihil inspissata misc. cum s. q. *olei Philosoph.* redigantur in formam *Emplastri* spissi, & ita supra locum herniæ integræ applicetur.

Gestetur per aliquot septimanas hoc emplastrum, donec vel evanescat vel maturetur tumor carnosus; *sic enim*, dicit „ PARACELSUS, *maturatur tumor & suppuratur, aut si* „ *fuerit recens, penitus dissolvitur & discutitur.*

Hæc autem saltem fiunt in *Sarcocele benigna*; in *maligna* non. *Si suppuratur*, loco convenienti aperiatur, aut factâ aperturâ spontaneâ, apostemati aperto imponendum est Emplastrum ex gummis & colophonia, donec materia resoluta evacuetur, quod *Emplastro styptico* debito modo ulteriùs tractandum & consolidandum venit. Si non metuat æger de impotentia Venerea, optimum est applicare *Emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio*, quod est egregiû, sed propter *Mercurium* periculosum est, ne destruatur vis testium. *Thermarum* usus sarcocelen si non planè discutit, ejusdem tamen incrementum avertere solet. Ubi talia & similia non juvant, sectio instituenda, & cum tumore testiculus amputandus: Apertio facienda, ubi tumor fuerit minor, in scroto à latere: Ubi verò altiùs in vasa præparantia adscenderit tumor, apertio facienda in inguine supra os pubis, ubi vasa spermatica descendunt ad scrotum, & ibi vel substantia carnosa solitaria sectione tollenda, vel unà cum teste excrescentia exscindenda, & ligatio, uti artis est, facienda.

ARTI-

ARTICULUS IV.

DE

HERNIA VARICOSA.

Pars affecta Tumoris testium varicosi, dicti Hernia *Varicosa* seu *κιρσοκήλη*, sunt vasa spermatica, præsertim venosa, ad testes protensa, quæ subinde dilatantur, & tumorem circa testem in scroto efficiunt: Nam vasa hæc super testes in varios anfractus, in varias inter se anastomoses, invicem intexuntur & contorquentur, ut inde vasa pampiniformia dicantur. Quod si fiat, ut sanguis refluens crassior ob aliquod impedimentum in ejusdem motu circulari, in his anfractibus seu amplexibus circa valvulas hærens, ibidem stagnet, fit, ut venæ circa valvulas laxatæ in uno loco plus, in altero minus & inæqualiter distentæ hinc indè circa testem tumeant, & tandem talem *Tumorem* interruptum seu inæqualem & *varicosum*, nunc eminentem, nunc depressum constituant, ubi contactus testium inæqualis est, tuncque hinc inde *crispaturæ* quasi se offerunt. Tumor rarò est adeò ingens, & cùm testis tumidus tangitur, quasi funiculi tensi hinc indè obliquè distributi, & nodi inæqualiter uvæ in modum conglomerati observantur cum testiculi plus minus relaxatione. Indolens ferè est malum, interdum tamen, dum intestina flatibus sunt distenta, aut pedes refrigerantur, aut vasa ista quavis ex causa dilatantur, dolor aliqualis percipitur. Fit utplurimùm à causa externa, saltu nimio, casu, interdum etiam refrigeratione & humectatione scroti nimia.

DIAGNOSIS.

Κιρσοκήλη, seu *Hernia varicosa* tactu patet; dum vasa testium tumida hinc inde percipiuntur instar funiculorum hinc inde complicatorum, teste ipso laxiùs utplurimùm propendente, nisi cùm flatus intestina distendunt, aut pedes refrigerantur, aut graviore conatu fęces alvinę excernuntur. Dolor subindè hunc tumorem comitari solet. Loquendum cum vulgo.

PROGNOSIS.

Cirsocele difficile malum est, & quod etiam interdum Cancrosi aliquid occultum habet.

CURA.

Quoad *Curam*: *Tumor varicosus* medicamentis internis curatu difficilis est: attenuantibus tamen & dissolventibus curatio tentanda; in quem finem, præstantissimum auxilium, laudatur imprimis *unguentum basilicum*, pinguedinibus emollientibus & medullis animalium si imprimis conjungatur & applicetur, donec emolliatur tumor varicosus, autore FERRARA *observ. Chirurg. lib.* 1. *pag.* 58.: Egregium est scriptum Chirurgicum. Item applicari potest *emplastrum de mucilaginibus*, mixtum cum ana *gummi ammoniaci* in vino soluti, & emplastri de ammoniaco: vel solum oleum Philosophorum probè rectificatum illitum loco hernioso discutit eosdem tumores. *Thermarum* etiam externus *usus* observatus fuit admodum proficuus, & commendatus esse solet; si non planè discutit, eorundem tamen incrementum inhibet. Hernia autem varicosa inveterata non curari potest citra Chirurgiam.

Hactenus de Affectibus, quibus genituræ elaboratio impeditur: dicendum iam est ulteriùs de huius generatione aucta, item vitiata. Sed cùm eandem, qua depravatam, ad gonorrhœam referre possumus, ubi occasione causarum de his dicetur, etiam ibidem commodiùs tractabitur. Pergo ad



CAPUT II.

DE

LÆSA GENITURÆ VIRILIS RETENTIONE & EXCRETIONE.

Nam præsuppono (uti anteà monui) quod genitura in testibus elaborata, & per vasa deferentia in vesiculas seminales delata, debeat retineri eò usque, donec sub coitus ardore spiritibus turgida & spumosa, cum impetu eiaculetur. Læditur autem naturalis hæc *genituræ retentio* & *excretio* 4. modis:

1. Quando *genitura citra coitum effluit*.
2. Quando *in coitu nimis citò eiaculatur*.
3. Quando *in coitu nimis tardè emittitur*; &
4. Quando *nulla genitura neque in neque extra coitum excerni potest*.

ARTICULUS I.

DE

GENITURÆ CITRA COITUM EXCRETIONE.

Quoad 1. *quando citra coitum genitura effluit*, vel hoc interdum tantùm nocturno tempore moderatè cum insomniis, & iuncta voluptate Venerea effunditur, diciturque tunc POLLUTIO NOCTURNA, quę res est omninò naturalis, & quæ, quà talis, Medico Practico non subiicitur.

Vel semen effluit *noctu* sæpiùs, idque imprimis citra sensum Venereum, imò etiam subindè *interdiu*, frequentiùs, aut rariùs, citra voluptatem, interdum cum dolore, ac sine seu citra membri tensionem &c., tunc talis fluxus genituræ GONORRHOEA appellatur, à *ῥέω* fluo, & *γονή*.

Hanc *Gonorrhœam* melioris methodi ergò distinguam in *veram* & *notham*. *Gonorrhœa vera* est, quando vera materia seminalis, aut ipsi saltem proximè similis, in testibus tamen elaborata, crebrò nimis & *copiosiùs effluit*, tàm *noctu*, citra tentiginem, quàm *interdiu*, flaccido etiam pene. *Notha Gonorrhœa* verò est, quando alia materia vitiosa, vel liquamen serosum plus minus acre, aut decolor aut fœtidum, loco seminis ex pene continuò effunditur, eaque ex prostatis.

MEMBRUM I.

DE

GONORRHOEA VERA.

In Gonorrhœa vera *ægri* fiunt graciles circa lumbos, & *impotentes in motu*: Conqueruntur de *lassitudine* & *debilitate* crurum *capitisque*: Supervenit huic ipsi atrophia corporis, & imprimis debiles & pallidi fiunt, oculorumque orbitæ excavatæ apparent: *Visus & oculorum fulgor* perit, quin potiùs oculi quasi opaci aut cornei, & minùs lucidi solent perspici: Tandem fiunt tremuli, appetitus perit, functiones animales sensim deficiunt, cùm semper cum genitura aliquid spiritus genitalis simul effluere soleat, & ad tabem dorsalem pergunt, eamque duplicem: de qua vid. WILLISIUS *Pharm. Ration.*

PARS AFFECTA.

Pars primariò affecta sunt *vesiculæ seminales*, in quas *ex vasis deferentibus* defertur *genitura*, & in quibus solet retineri, donec vel spontaneo impetu, vel in coitu debeat effundi. Harum vesicularum structuram videbitis in GRAFFIO.

CAUSÆ.

Gonorrhœa vera triplici fit ex causa: Fit nempè 1. à *nimia copia* aut abundantia genituræ, unà cum laudabili eiusdem consistentia, aut nimia eius excitata turgescentia; unde non tantùm uberior & continuus Veneris

stimulus adest, sed etiam, ubi genitura paulatim turgescere incipit, levi occasione, impetu facto, ex Vesiculis seminalibus mox erumpit, & cum voluptate ejaculatur.

Causæ Remotæ sunt Victus largior & lautior, potus vini dulcis generosi, vitæ genus laboribus, tàm corporis, quàm animi, vacuum, meditationes & conversationes circa Objecta Venerea, Veneris consuetæ abstinentia, &c.: quod etiam facit situs corporis, quando dormientes nocturno tempore imprimis dorso diutiùs supini incumbunt; tunc enim sanguis in regionibus abdominis posterioribus & exterioribus uberiùs coacervatus, indeque magis incalescens, etiam per vasa spermatica aliaque ad pudenda derivata, immensè calefaciendo genituram abundantem, hanc turgere, hinc stimulare, & tandem, spirituum animalium superveniente impetu, erumpere facit: id quod fit non tantùm iuvenibus, sed etiam in viduis, quæ à Venere solita abstinere coguntur. Par quoad effectum est ratio *flagrorum* ad rem Veneream interdum utilium: de quo vid. MEIBOMIUS *Tract. de usu Flagrorum in Re Venerea.* Gonorrhœa talis nocturno imprimis tempore accidit.

Sin verò cum dicta genituræ abundantia *seminales vesiculæ* simul nonnihil laxæ & flaccidæ, aut etiam meatus in urethram, ex iisdem nempè vesiculis, patentiores solito sint, in talibus levi datâ occasione & turgescentiâ, etiam interdiu genitura subindè elabi solet, accedente membri tensione, & aliquali Venereo pruritu, idque, quod excernitur, est copiosum, crassiusculum, candidum, glutinosum, & naturaliter constitutum, uno nomine: genitura naturaliter constituta, idque imprimis cum stimulo aut pruritu Venereo. Unde mulieres frequenter vel intensiùs cogitantes de re Venerea, ut noctu facilè genituram ejaculantur, ita etiam interdiu quandoque; quod fit eò faciliùs, quando vesiculæ seminales sunt laxiores ac flaccidiores.

2. Fit etiam Gonorrhœa vera à *nimia acrimonia genituræ*, specifico sapore acido, aut salso, seu aromatico impregnatæ; unde & irritantur partes genitales, in specie vesiculæ seminales, continuo pruritu Venereo, & prætereà istâ irritatione fibræ vesicularum seminalium & vicinorum musculorum, in specie elevatorum, ad sui contractionem coguntur, adeoque ita genitura stimulans exprimendo effunditur: hæcque una ex frequentibus gonorrhϾ est causis. *Genitura* in principio apparet laudabilis, attamen nunc est magis *tenuis, &c. Acrimonia tunc peccans solet esse acida* utplurimum, quæ cum sero ad dictas partes delata, solet irritare has partes.

Causæ Remotæ, quæ vel genituram acriorem generare & alterare; vel vesiculas seminales & vicinas partes magis stimulare valent, sunt imprimis copiosiùs assumpta acriora, aromatica, sinapi, eruca, & in specie Piperata: Item in iis, qui iam hoc vitio laborant, acida volatilia plus minus vinosa, ut sunt præter vinum, cerevisiæ triticeæ, &c. Sic enim SCHENCKIUS *l. 4. obs. pag.* 536. ex BRUYERINO *l.* 8. *cap.* 43. *de Re cibaria*, refert, quendam Gonorrhœam sisymbrio seu nasturtio aquatico comesto semper pro lubitu, quoties voluit, provocasse; ex acrimonia enim salis volatilis assumpti nasturtii, semen copiosum genitum stimulando, talis producitur gonorrhœa: Hinc etiam *Purgantia* assumpta acrimoniâ volatili nimiâ quosdam sæpius, partes genitales stimulando, ad Venerem & Gonorrhœam stimulant. Exempla videbitis in TIMÆO *von GuldenKlee*, & PLATERO. Cantharides quoque perversè usurpatæ gonorrhœam, acrimoniâ suâ acuendo semen, & vellicando vesiculas seminales, inferunt. Facit & hoc constitutio massæ sanguineæ paulò acrior, aut sero salsiore prædita, quod ipsum serum acrius imminuens chylosam materiam, genituram reddit acriorem, & stimulantem: hinc in *scorbuticis*, & iis, qui laborant *malo hypochondriaco* confirmato, propter serum massæ sanguineæ, ceu vehiculum materiæ, ex quâ fit genitura, salsius & acrius, genituræ simul plus minus commistum, adeoq; acriorem ferè genituram reddens, stimulando hoc malum subinde infertur. In tali casu genitura nocturno pariter ac diurno tempore, nocturno tamen frequentiùs, cùm voluptate Venerea effluit, prout plus minùs spirituosa fuerit genitura, aut prout plus minus à naturali statu recesserit, licet non absque pruritu fortiori, continuo stimulo Venereo ac tentigine sæpiùs urgente; unde & priapismus interdum conjungitur, vel dolor. *In specie observanda est materia excreta*, quæ nunc tenuior & liquidior, nunc spissior: illa acrior, hæc minus acris.

3. Fit gonorrhœa vera ex nimia tenuitate genituræ, concurrente tunc simul nimiâ seminalium vesicularum laxitate & flacciditate, non secus ac prostatarum glandularum, nimiâque aperturâ seu hiscentiâ meatuum ex dictis vesiculis in urethram patentium. Unde & aquosa genitura, dum non ritè continetur, facilè effluit: quia laxatis, ac atoniâ seu nimiâ relaxatione affectis vesiculis, ista contineri aut retineri nequit: quæ laxitas vix spontè à *causa interna* induci potest, sed ferè semper agnoscit *causam antecedentem*, & fit vel propter nimium, præsertim iunioribus annis, Veneris abusum, vel utplurimum propter nefariam mastuprationem, quâ sæpiùs reiteratâ & testes laxantur, & fermentum eorum debilitatur: Exemplum huius rei habet TIMÆUS *von GuldenKlee Cas.* 49. *lib.* 3. de Studioso Juris, qui tali damnato modo gonorrhœam sibi contraxit. Patent etiam glandulæ prostatæ poris quibusdam in urethram, quod evidenter apparet in iis, qui *gonorrhœâ* obiere, cuius gonorrhœæ non rarò hi pori dilatati propria sedes sunt: Vid. BARTHOLINUS *Anat. pag.* 144. *Genitura* quæ tunc effluit, est vel *crassa* & laudabilis, vel tandem *tenuis* admodùm, aquosa & serosa plus solito: Illud evenit, si nullum in testibus iunctum est vitium, eorum vis est adhuc laudabilis: Hoc verò, si testes simul laborent; signum enim est, per istam mastuprationem vim testium generativam esse enervatam, seu eorum fermentum debilitatum, quod ineptum est elaborandæ genituræ, unde genituræ loco saltem liquor aquosus effluit. Hinc etiam vesiculis seminalibus nimis laxatis, sine insignioris voluptatis aut sine vehementioris tentiginis sensu, interdum non advertentibus, elabitur talis genitura, vel statim ad levem imaginationem Veneream, vel ad levem fœminæ contactum hoc ipsum spontè exilit, effluit, interdiu pariter ac noctu, aut ad alvi exonerationem paulò laboriosiorem exprimitur. *Adeoque pars affecta in gonorrhœa vera primariò sunt vesiculæ seminales.*

DIAGNOSIS.

Species Gonorrhœæ veræ sunt variæ, cuius *diagnosis* & causarum distinctio partim ex ægro, partim ex recensitis est manifesta. Hoc tantùm addo: quoniam genitura semel excreta novo subindè supplemento ex massa sanguinea resarcitur, fit exindè, ut defraudato corpori succo suo rorido & chylo nutritio, tales ægri gracilescant, & tabe dorsali corripiantur.

PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognosin* gonorrhœæ: Recens facilis curatu, minusque periculosa est: *inveterata verò grave est malum*, & difficiliùs curatur. Dum enim diutiùs continuatur, hominem tandem contabescere, & succumbere lethaliter cogit: vel eundem in operationibus animalibus hebetat: supervenit imprimis febris hecticæ similis, cum tali atrophiæ specie, qualis est tabes dorsalis noviter nuptorum: qualis hectica tunc difficillimæ est curationis.

Ulteriùs Gonorrhœa diuturna non subitò nimis supprimenda est, imprimis ubi inclinat nonnihil ad virulentiam Veneream: Metus enim est, ne materia anteà copiosiùs affluens suppressa, & interdum à naturali statu deficiens, inflammationem, aut supervenientem durum tumorem plus minus scirrhosum, ac varia symptomata testium inducat, ex stagnatione & regurgitatione materiæ excerni consvetæ.

Gonorrhœæ deploratæ indicium habetur, quæ digito in anum immisso renitentiam habet ad sensum, aut si catheter argenteus intrusus sublividus extrahatur: Tumoris nempè aut abscessus ulcerati illud: hoc verò ichoris gangrænosi, indicium est: quod tamen potius de Gonorrhœa notha maligna, quàm de Gonorrhœa vera intelligendum videtur. Conf. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *App. p.* 59.

CURA.

Quod attinet *Curam*: In hac Causæ imprimis removendæ sunt, adeoque aut genitura imminuenda, aut eius fervor & acrimonia temperanda, aut denique testium fermento roborato partes laxæ constringentibus firmandæ.

Pro quibus scopis obtinendis semper observandum simul

1. Ut

1. Ut habeatur ratio acidi aut acris in quavis ferè Gonorrhœa, simulque plùs minùs peccantis.
2. Habenda est ratio testium, an si plùs minùs ritè constituti sint, ac genituram vel naturaliter, vel defectuosè conficiant: id quod præter eorum flacciditatem & mollitiem, & pendulum nimis situm, & ipsa genitura excreta plus minus à naturali statu degenerans, ostendit: adeoque cavendum, ne remediis quibusdam præposterè adhibitis destruatur vis generativa.

Remedia ergò, quæ in genituræ copia conveniunt, sunt ea, *quæ materiam* seminalem imminuunt, aut genituram turgescentem compescunt, & fermentum testium plus minus enervant. Instituatur ergò *diæta* parcior ex *alimentis* parum *acidioribus*, minùs chylosum succum suggerentibus, unà cum *vigiliis & exercitiis* corporis, quæ *partim* chyli cum sanguine assimilationem faciunt, & *partim* per transpirationem eandem imminuunt. Quæ *fermentum testium enervant*, sunt imprimis *acida*, *vitriolata & nitrata*, quæ vim genitalem admodum infringunt: Præ reliquis *spiritus vitrioli*, & *nitrum crudum*, dosi ℈j. *bis* vel *ter* assumpta, sunt egregia. Loco horum *temperata* sunt succus citri, granatorum, succus *Limonum*, qui sunt remedium licèt simplex, optimum tamen ad gonorrhœas sistendas, sive sint ex acri genitura, sive ex abundante, & ab omnibus Autoribus mirè laudantur: unde experimentum SYLVATICI *Cent.* 4. *Conf.* 1. non est inefficax: Nempè

℞. *Aquæ rosar.* ℥iij.
Succ. citri vel *limon.* ℥j.
Album ovi No. j.

Mixtura hæc capiatur quotidiè vel alternis diebus pro una vice. *Sylvaticus* quartâ quâlibet vice propinat non sine successu.

PETRUS JOHANNES FABER ad curandam Gonorrhœam propinat succum limonum, cui instillavit spiritum terebinthinæ, unà cum tantillo camphoræ. Certum enim est, quod succus limonum, Germ. *Citronen-Safft*, admodùm extinguit Venerem. *Solutiones coralliorum cum succo citri* etiam laudantur. Porrò radix & flores nymphææ albæ, nec non absinthium, commendantur; item millefolium album, myrrha, specio-la Crollii, semen agni casti seu viticis: uti etiam semina cannabis, papaveris albi, lactucæ, plantaginis, &c. quacunque ratione usurpata, solent sistere has gonorrhœas. In specie semen cannabis ad inveteratas etiam, & tantùm non desperatas gonorrhœas commendatur, si ex eodem, non secus ac ex reliquis seminibus, cum aqua castitatis fiant Emulsiones; quæ tamen Emulsiones cum cautela usurpandæ, cùm *semen cannabis* propter vim narcoticam sit hostile spiritibus animalibus: e. g.

℞. *Sem. cannab.* ℥ß.
Agni casti ʒij.
Cum s. q. *aquæ millefol.* f. Emulsio:
adde
Succini præp.
Ossis sepiæ præp. an. ʒj.
M. edulcoretur parum:
D. S.
Emulsio adstringens.

℞. *Sem. agni casti*, vel *cannab.* ℥j.
4. frigid. maj. an. ʒj.
Cum *aquis appropriatis* f. Emulsio:
adde
Succin. præpar.
Ossis sep. præp. an. ʒj.
Edulc. cum s. q. *syrupi de Nymphæa* vel *sacch. alb.*
M. S. ut antè.
Vel
℞. *Sem. agni casti* ℥ß.
Cannab. ʒij.
Cum s. q. *aquæ nymph.* f. Emulsio:
adde
Corall. rubr. præp.
Succini albi præp.
Antimonii diaph. an. ʒß.
M. S. ut suprà.

℞. *Sem. agni casti*,
Melon. an. ʒij.
Cannab.
Papav. alb. an. ʒiß.
Cum s. q. *aquæ nymph.* & *portulac.* f. Emulsio:
adde
Off. sep. præp. ʒj.
Pulv. sperniol. comp. Crollii ℈ij. ad ʒj.
Succini albi præp.
Antimon. diaph. an. ʒß.
M. edulcoretur cum *rotul. man. Christi perlat.*
D. S.
Emulsio adstringens & confortans.

Imprimis si simul fervor adjunctus fuerit in inguine circa perinæum, & hinc ad lumborum principium.

℞. *Sem. agni casti* ℥iij.
Papav. albi ℥j.
Cum s. q. *aquæ nymph.* f. Emulsio:
adde
Mag. corall. cum succo citri ʒj.
Edulcoretur parum.

Conf. *Idea Formul. Class.* 3. §. 7. & *Coll. Formul. pag.* ....

Convenit præterea urtica mortua seu Galeopsis flor. albo, quæ ex signatura commendatur à CARRICHTHERO, egregio in hoc puncto Botanico, si Decoctum propinetur cum vino: Hinc

℞. *Herb. galeops. flore albo* M. jv.
Millefol. albi M. ij.
Sem. agni casti ℥ß. vel ʒvj.
Incis. & contus. coqu. in s. q. *aquæ simpl.* vel in *aquæ menthæ*, vel *rutæ*, vel *ferrar.* vel *vini*:
Colaturæ ℔j. ad ℔iß. adde
Syrup. de nymph. q. s.
M. D. S.
Potio adstringens.
Subinde hauriatur.

Præterea res nota est de mentha, item de ruta, de portulaca & similibus; unde sunt, qui insigniter commendant sequentem pulverem: scil.

℞. *Fol. menthæ*,
Rutæ,
Sem. agni casti,
Gall. pulverif. an. q. v.

Cujus pulveris ʒij. propinavit in vino chalybeato, quotidie repetendo. Εὐπόριστον est HELIDÆI PADUANI, qui non tantummodò ad gonorrhœam, sed præterea quoque ad fluorem album mulierum commendat; ubi simul ceu expertum specificum commendat succum Ceterach seu scolopendrii, si ad cochl. j. repetitis vicibus adsumatur; Hoc ipso enim singulariter gonorrhœas sisti notat idem HELIDÆUS PADUANUS *in Obser. pag.* 170. & 171.

Succus item millefolii ad ℥iij. cum lacte dulci exhibitus gonorrhœam totaliter curare referunt, imprimis ubi succus simul lactucæ cum camphora externè testibus applicetur. Alii succum malvæ expressum, & in dicto vehiculo adhibitum laudant. Pertinet huc quævis *essentia castitatis*, quam vid. in MYNSICHTO & RIVERIO. Præ cæteris efficax est, idque propter admistam terebinthinam, *aqua ad gonorrhœam Riverii*, cujus descriptionem vid. *in C.* 1. *Observ.* 25. & *in C.* 2. *Observ.* 30. Prostat etiam in Officinis nostris aqua Castitatis Mynsichti: sed composito ejus est admodum inepta; multa enim continet, quæ nihil per alembicum transmittunt: vid. ZWELFFERUS *in Pharm. Reg.* Potiùs loco ejusdem è seminibus ingredientibus fiat emulsio cum aquis destillatis illarum plantarum; cui postmodum addi possunt pulveres reliqui appropriati, terra sigillata, camphora, saccharum saturni, &c. De essentia absinthii, de ejus vino, & essentia menthæ, &c. nihil dico, quia sunt satis clara & cognita. Terebinthina imprimis conducit, in specie spiritus terebinthinæ, si ipsi addatur saccharum Saturni; hinc enim evadit Mistura elegantissimè rubicunda, quæ crebriùs usurpata mirè compescit Gonorrhœas.

Quoad *secundum scopum*: quando Gonorrhœa frequens est à causa interna, *genituræ nempè acrimonia nimia*, conveniunt, *quæ acrimoniam* istam temperant & corrigunt, & simul aliquali vi stypticâ prædita sunt. Conveniunt ergò corallia rubra, imprimis eorundem solutio & tinctura cum spiritu lignorum, aut etiam *tinctura coralliorum* sassafrata, quæ egregii sunt usus in Gonorrhœis. Deinde etiam *Martialia*, ut *crocus martis adstringens*, tincturas martis adstringens, sulphuris vitrioli, & Saturnina, & imprimis *succinata*, ac quævis ex *succino præparata*, quæ simul vi diureticâ & abstergendi partes genitales vim habent, sunt commen-

commendata ad gonorrhœam: Scil. succinum album præparatum, quotidiè propinatum in jusculo calido, jejuno stomacho, mirè ad gonorrhœam valet, quo Dn. ELLENBERGERUS in gonorrhœa usus est, egregiè vasa seminalia expurgavit, & restitutus fuit æger: quin & oleum succini aliis additum in tali casu usurpari potest; per se enim est paulò acrius, ita, ut tutiùs solus pulvis usurpetur: sicuti dictus ELLENBERGERUS in alio quodam ægro oleum succini adhibuit, & tanta tormina excitavit, ut intermittere & succino albo præparato uti cogeretur. Ulteriùs crystallus montana præparata acrimoniam genituræ temperat, & gonorrhœas nimias compescit. *Trochisci* etiam *de Carabe* possunt usurpari, item mandibulæ lucii piscis. Pertinet huc Electuarium sequens seu *Conditum Lindani*, quod à quibusdam laudatur; ad cujus imitationem

℞. *Conserv. ros. rubr.*
Menth. crisp. an. ℥i. vel ℥iß.
Oss. sepiæ præp. (est specificum) ʒii.
Borrac. instar alum. calc. (est instar aluminis & Venerem extinguit) ʒi.
Nuc. mosch. ʒß.
Syrup. de rosis sicc. q. s.
M. f. exinde Electuarium:
D. S.
Electuarium temperans & adstringens.
De hoc quotidiè bis vel ter usurpetur.

Borrax cruda intensissimè Venerem stimulat, ideò calcinetur, & relinquit terram seu *caput mortuum stypticum* in Gonorrhœa optimum. Facit huc *succus millefolii*, de quo jam dictum; vel succus lactucæ mixtus cum camphora, & propinatus temperat fervorem materiæ seminalis; item *pulvis Hartmanni*, qui vid. *in Praxi Chymiatr.* Item emulsiones ex seminibus 4. frigidis suprà dictis cum temperantibus, plantago, decoctum radicis nymphæ albæ, &c. Vel

℞. *Pulv. oss. sepiæ* ʒi.
Sacch. Saturni gr. xv.
M. pro 4. dosibus: S.
Pulvis adstringens.

℞. *Oss. sepiæ præp.* ʒi.
Corall. rubr. præp. ℈ii. vel ʒi.
Sacch. saturni ℈ß.
M. pro 6. dosibus.
D. S. ut antè.

℞. *Crystall. præp.*
Ossis sep.
Succini præp. an. ʒß. vel ℈ii.
Antimonii diaph. simpl. vel *martial.* ℈i.
Sperniolæ Crollii ℈ß. ad ℈i.
Sacch. saturni gr. xv.
M. f. Pulvis pro 5. vel 6. dosibus.
D. S. ut suprà.

Ulteriùs terebinthina & quælibet Terebinthinata, vi diureticâ genituram vitiosam corrigentia, sunt optima; hinc B. D. MICHAELIS militem quendam diu gonorrhœâ afflictum curavit pilulis de terebinthina Cypria cum croco martis subactâ, nullis aliis adhibitis remediis: vel fiant pilulæ ex terebinthina cum rhabarbaro;

Vel
℞. *Terebinth. Cypriæ* ʒii.
Succini præp. vel *oss. sepiæ* ʒi.
M. f. Pilulæ
D. S.
Pilulæ adstringentes.

Sicuti os sepiæ præparatum singulare specificum contra has gonorrhœas fuit HARTMANNI, & jam laudati Dni. D. MICHAELIS, qui ipse ordinariò & feliciter utebatur pulvere ex osse sepiæ & antimonio diaphoretico, seu cerussa antimoniali, quæ mista à ʒß. ad ʒj. per aliquot dies propinavit, nullis aliis adhibitis remediis, nisi quod interdum succinum præparatum, aut trochiscos de carabe simul adhiberet: nam & antimonium diaphoreticum simplex & Martiale cum aqua plantaginis haustum gonorrhœas sistit; sicuti etiam Bezoardicum Martiale, item Bezoardicum Venereum, usurpari solet: Vel

℞. *Aquæ rutæ*,
Nymph. an. ℥ß.
Succi limon. vel *citri* ʒvi.
Boli Armenæ ʒi.
Oss. sepiæ,
Antimonii diaph. cum marte an. ʒß. ad ℈ii.
Syr. nymph. vel *granat.* vel *limon.* vel *citri* ℥ß. vel ʒvi.
D. S.
Potio temperans & adstringens.
Usurpentur cochleatim.

Modernorum experimentum est Balsamus de capaiwe ex Indiis allatum, cujus 10. aut 15. guttæ haustæ mirum sunt experimentum ad gonorrhœas quascunque sistendas: propinatur cum vino Hispanico, vel alio liquore appropriato, & pro mirabili habetur remedio. Saccharum saturni, & cum eodem parata tinctura antiphthisica est admodùm egregia, propter vitriolum martis & sacch. saturni, in Gonorrhœa hac curanda, præsertim quando in gonorrhœa, in specie in lumbis circa regionem renum, ardoris sensus percipitur, qui nota malignæ gonorrheæ est sæpiùs: Unde etiam Balsamus saturni terebinthinatus, quem describit HOFFMANNUS *in Clave pag.* 251. multùm contra gonorrheas laudatur.

Ubi ab acrimonia genituræ penis exulceratio:

℞. *Lact. muliebr.* vel *bubul.* ℥iv.
Tutiæ præp. ʒii.
Aloes hepat. ʒi.
Sacch. candi vel *albiss.* ʒß.
M. D. S.
Iniectio temperans.
Cum syringa iniiciatur pro una vice ℥ß. ad ʒvi. aliquandiu retineatur.

Quod si verò præter dictas causas genitura aquosa ac vesicularum seminalium laxitas inducat gonorrheam veram, in tali casu internè medicamenta ex mentha & absinthio, succino, thure, mastiche, & similibus, conferunt. In specie corallia alba, essentia item lignorum, & essentia ligni sassafras, tinctura coralliorum cum spiritu lignorum, item tinctura martis adstringens admodum laudantur: succus menthæ cum melle coctus, & ad consistentiam syrupi inspissatus, si ad ℥iß. usurpetur, commendatur à FORESTO. Item thus pulverisatum, & cum aqua plantaginis ad 3. vel 4. dies propinatum, feliciter has gonorrheas sistit, quod BURSERI est secretum. Sed non est adeò sæpè hoc ipsum repetendum, quoniam aliàs etiam urinæ fluxum cohibet. In genere omnia adstringentia blanda conveniunt, quæ inspissant, & fluxilia coagulant, præsertim Martialia & Terrea; hinc crocus martis quilibet, tinctura sulphuris vitrioli, tinctura martis adstringens, terræ sigillatæ, bolus Armena cum aceto vel acidis usurpata sunt optima: hinc corallia cum acidis, saccharum Saturni, trochisci de carabe, trochisci de terra sigillata, & hinc radix tormentillæ, ejusque *extractum*, &c. cum saccharo saturni, & similia, sunt optimi usus. Quidam ergò præscribunt pilulas contra gonorrheam hoc modo:

℞. *Extract. rad. tormentill.* ʒij.
Sperniol. compos. Crollii (hoc etiam admodum laudatur ad gonorrheam) ℈i. ad ℈ii.
Pulv. sem. agni casti,
Plantag.
Rad. consol. mai. an. ℈ß. ad ℈i.
Terebinth. Venet. coct.
Camphor. an. gr. xii.
M. f. Pilulæ: S.
Pilulæ adstringentes.

Vel
℞. *Extr. torment.* ʒi.
Sacch. saturni ℥ß.
Camph. ʒii. vel ʒiii. ad ℥ß.
M. f. Pilulæ, quæ subinde usurpentur.

Vel usurpetur decoctum adstringens & Electuarium cum simili regimine, quibus TIMÆUS *Von GuldenKlee* gonorrheam ex frequenti manustupratione natam curavit *in Casibus p.* 191. Curavi aliquando studiosum Suecum, ex manustupratione, sub primo pubertatis tempore per plures annos repetita, diurnâ gonorrheâ affectum, idque ob vesicularum seminalium laxitatem. Mille ferè remedia frustranea adhibita fuerant, tandem solùm ferè curatus fuit, ordinario

℞. *Tincturæ sulphuris vitrioli* ℥ß.

De qua capiebat omni mane 30. vel 40. guttas in vehiculo calido; à meridie verò hora quintâ vespertinâ assumebat ʒß. trochisc. de carabe: quæ aliquandiu continuata, observando simul diætam tenuem, & decumbendo magis in lateribus, quàm dorso.

Non rarum est, ut post curatas gonorrheas saltem subtilis

subtilis liquor aquosus adhuc guttatim interdum prodeat, pro qua gonorrhœa declinante penitus exstirpanda conveniunt imprimis *pilulæ Riverii Cent. 2. Obs. 74.* ad cujus imitationem aliquando præscripsi:

℞. *Gum. Arab.*
Tragac.
Succini albi præp.
Mumiæ præp.
Boli Arm. ana ℈j.
Laud. op. ℈ß.
Cum s. q. tincturę catechu f. Pilulę, pondere gr. j.
Dentur pro 5. dosibus.

Sic & Thermę ac Balnea aluminosa naturalia in malo vel graviore, vel contumaciore, conveniunt.

Externè etiam fiant fomenta adstringentia cum vino austeriore, in quo decoquuntur cortices granatorum, balaustia, & rosę, item radix consolidę majoris, plantago & similia: aut fiat inunctio perinæi ac radicis penis cum oleo myrtillorum; scil.

℞. *Olei myrtill.* ℥iij.
Destillat. mastich. ʒj.
Caryoph.
Expreff. nuc. mosch. an. ʒß.
Cum pauca *cer.* f. linimentum,
D. S.
Unguentum adstringens.

Quod vesiculas seminales nimis laxas nonnihil roborabit atque adstringet.

Externa plura vid. in WEDELII *Tr. de Med. Facultat. pag.* 223.

Quod si aquosior, serosior & tenuior simul genitura fuerit, quę in gonorrhœa prodit, idque ferè testium vitio, victus nitritivus temperatus ex lacte, oryza, ovis, &c. quę genituram semper lacteam reddunt, & ejus acrimoniam temperant, imprimis adhibenda sunt: Conveniunt etiam *ova cum aromatibus.*

Quod si necessum fuerit, ut etiam interdum sub cursu vel sub principio morbi Purgatio instituatur, prę cęteris in usu erit terebinthina cum Purgantibus, v. g. Pilulę de terebinthina Mynsichtii, ʒß. ad ℈ij.; vel etiam Pilulę factę ex sola terebinthina cum Rhabarbaro pulverisato; item pilulę factę ex massa pilulari de fumaria & terebinthina cum Mercurio dulci, ubi suspicio subest luis Venereę. In genere Terebinthinata cùm laxent blandè, & simul vias urinarias ac spermaticas abstergant, hîc sunt convenientissima; v. g.

℞. *Terebinth. Cypr. coct.* ℈j.
Scamm. ros.
Res. jalapp. an. gr. v.
F. Pilulę pro dosi.
D. S.
Pilulæ abstergentes.

Hę fuerunt species Gonorrhœę verę.

MEMBRUM II.
DE
GONORRHŒA NOTHA.

QUod attinet *Gonorrhœas nothas*: in his loco geniturę genuinę alia materia vitiosa, vel liquamen serosum, plus minus acre aut decolor, aut fœtidum, nunc cum nunc sine dolore, nunc cum aliis symptomatis, ex pene continuò effunditur. Sic seminis calidissimi & fœtidissimi excretionem vid. in M. A. N. C. *Ann. 4. & 5. Append. pag. 67.* Hæc ipsa denuò est duplex: vel benigna, vel maligna, seu, ut aliàs vocatur, *virulenta*. De maligna seu Venerea jam *suprà l. 1. suo loco* actum. *Benigna* est, *quando citra causam manifestam*, v. g. citra prægressum actum Venereum suspectum, *effluit continuò* ex pene materia seu liquamen aquosum & copiosum, idque citra pruritum Venereum, aut citra membri tentiginem; fluxus talis aquosus die nocteque diutiùs subindè continuatur, ita, ut citra omnem intermissionem etiam ad aliquot annos protrahatur citra insignem noxam, & tali fluxui, si genitura vera esset, proportionatam virium prostrationem. Respondet hic fluxus Gonorrhœæ nothæ virorum, *fluori* uterino *albo mulierum*. Aliàs à quibusdam etiam, utut pauci fuerint Autores, qui ejusdem fecerunt mentionem, *Gonorrhœa Catarrhalis* vocari solet. Autores pauci, uti dico, qui de tali Gonorrhœâ agunt, sunt LAURENTIUS *in suis Consil. Consil. 10. pag. 60.* LANGIUS *in suis Epist. lib. 2. Tr. 5. Epist. 21.* SCHNEIDERUS *de Catarrbis lib. 3. cap. 8. pag. 313.* HILDANUS *in Obs. pag. 1032. Observ.* HOECHSTEDTERI *Decur. 10. Cas. 2. pag. 390.* ac deniquè MARCELLUS DONATUS *Histor. Medic. Mirab. lib. 4. cap. 18.* in specie vid. M. A. N. C. *Ann. 4. & 5. Obs. 20. pag. 23.* Sicut fluorem illum mulierum hac quoque ex ratione coryzam uteri vocat VALENTINUS *in Epist. de Nova Matr. & Morbon. Muliebr. anatome.*

PARS AFFECTA.

Si pressiùs examinemus hanc Gonorrhœam notham, inveniemus, quod subjectum, seu *Pars affecta* in eadem sint *glandulæ prostatæ*, vel laxiores factæ, vel leniter excoriatæ, vel penitùs exulceratæ, in radice urethræ circa cervicem vesicæ constitutæ: quod sufficientissimè probat GRAAFFIUS *in novissimo suo Tract. de Organis virorum & Generat. inservientibus pag. 119.* Sicuti hę ipsę prostatę glandulosę mirabilium morborum perindè sunt subjecta; Scio enim ex iisdem obstructis & insigniter tumefactis ischuriam seu suppressionem urinæ lethalem Romę in quodam Principe fuisse inductam; sicuti è contrà hę ipsę prostatę glandulosę nimis laxę, aut alio modo vitiatę, sunt subjectum hujus gonorrhœę nothę dicendę. Cùm enim naturaliter substantia hęc glandulosa & spongiosa pręparet & secernat lympham quandam sui generis, seu humorem limpidum aquosum, tenuem & lubricantem, inservientem pro vehiculo genituræ ex vesiculis seminalibus in urethram expressæ, quæ genitura cùm fuerit glutinosa, hujus lymphæ indiget vehiculo ad fortiorem ejaculationem: Quod si ergò fiat, ut laxatis his ipsis substantiis glandulosis nimiū, copiosiùs & frequentius ex massa sanguinea talis lympha excernatur in urethram, quid miri, talis humor copiosus & frequenter elaboretur? qui tunc simul in naturali statu ad quandam viscositatem inclinat, & sic continuò citra Veneris exercitium effluit ad purgamentum totius massæ sanguineæ; exindè hæc oritur Gonorrhœa notha. Nempè quod in faucibus *tussis* est, & in oculis *illachrymatio*, hoc talis *Gonorrhœa* Notha est in viris.

CAUSÆ.

Causa ergò *materialis* hujus gonorrhœæ erit dyscrasia sanguinis seroso-cachectica, seu in qua sanguis crudior copiosiore latice aquoso seu sero chyloso, *ex deficiente* tàm *chylosi*, quàm *hæmatosi*, est imprægnata, quæ per hanc substantiam prostatarum glandulosam, tanquam per colatorium aut cribrum naturale, copiosiùs excernitur & separatur.

Causæ Remotæ ad hanc Gonorrhœam disponentes erunt præter alia omnia, quæ quacunque ratione serum sanguinis coacervare solent; *stomachi nempè labes* non ritè digerentis alimenta, sed hæc in cremorem aquosum & salsum pervertentis: unde etiam subjecta talia exinde vitiosum sanguinem generare, & ad *cachexiam* nonnihil inclinare solent; aut si non mox in principio resolvatur talis gonorrhœa, postmodum cachexia supervenit.

Causa efficiens formalis hujus excretionis, seu quare in specie per hanc partem fiat ista transcolatio & secretio? est laxitas nimia, adeoque insignis porositas ipsarum prostatarum glandulosarum, unà cum crebrioris excretionis provocatione, tàm per manustuprationem, quàm per crebriùs repetitum actum Venereum, unde promptè per eas serum sanguinis nimium cribrari, & quasi filtrari potest. Ubi ergò hæc ipsa corpuscula aut ex equitatione nimia, aut ex lapsu, aut ex alia quacunque ratione, erunt relaxata, aut distenta, aut alio modo vitiata, tunc talis latex massæ sanguineæ superfluus per has ipsas prostatas glandulosas, tanquam colatorium, excernitur, & ita Gonorrhœam talem notham constituit, ut etiam sanguis subindè loco geniturę excretus observatus fuerit.

DIAGNOSIS.

Signa hujus Gonorrhœæ ex ejus historia sunt manifesta.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Expurgatur equidem sub forma talis Gonorrhœę universa massa sanguinea, sed tamen simul plus minùs depauperatur; adeoque caveant sibi ægri, ne tandem in cachexiam cum tabe dilabantur, cujus prodromus vel comes hęc Gonorrhœa est.

CURA.

Cura ad Gonorrhœam hæc, ceu superveniens quoddam symptoma, minùs dirigenda venit, sed potiùs radix *morbi & primus fons est corrigendus*: nempè

1. Stomachus est roborandus, ejusque digestio rectificanda.
2. Massæ sanguineę cruditas emendanda & corrigenda, ejusque serum superfluum per sudores & vias urinarias amandandum; Denique
3. Partes genitales abstergendæ seu mundificandæ, & externis blandè adstringentibus prostatæ glandulosæ firmandę, & in tonum naturalem restituendę.

Ex quibus Indicationibus vel spontè methodus medendi & materia medica patent. Præ cæteris *Remedia*, quæ his satisfaciunt scopis, ex illis, quæ *superiùs l. 1. de Cachexia*, & *Affectibus catarrhalibus*, dixi petenda: unde ratione cachexiæ & digestionis primæ *amaricantia aromatica*, ut absinthium, *mentha*, rosmarinus, & ex his parata remedia, quæ & stomacho & Gonorrhœæ satisfaciunt; ratione autem seri superflui Juniperina, & ex ligno sassafras parata remedia, ejusque essentia cum spiritu serpilli parata, crebriùs & in majori dosi assumpta, conducunt; item Decocta & essentia lignorum cum tormentilla paratę. Observatum quoque fuit, acidularũ potum, uti in aliis morbis chronicis, ita in hac Gonorrhœa diuturna contulisse, item succinata, in specie sal volatile, quod cachexiam imminentem subinde pervertit, diuretica vi, cujus ratione etiam Terebinthinata, & pilulę ex terebinthina, pilulæ Riverii supra laudatæ, apprimè conveniunt. Pulvere thuris ad ℥j. ex ovo sorbili sæpiùs dato, plures curavit PETRUS ASSELINÆUS; vid. VELSCHIUS *Mislomim. Cent. 2. Obs. 50.* quod etiam facit mastix & gummi animæ: quin & si forsan scorbutus subsit, à quo foveatur malum, & hujus ratio simul habenda. Conf. in specie M. A. N. C. *Ann. 4. & 5. Obs. 20.*

Thermarum tandem usus externus, imprimis post bibitas acidulas, pro restaurando tono prostatarum læsarum est convenientissimus, & gonorrhϾ hujus Curam absolvit, Conf. SENNERTUS *lib. 3. Prax. ubi de Gonorrhœa pag. 963.* Aut etiam balnea aluminosa artificialia aut similia adstringentia erunt commodè in usum vocanda. In specie non nimis citò supprimenda est hæc Gonorrhœa, nisi universalia præmissa sint, quoniam natura abutitur his viis ad evacuandam massam sanguineam: emendetur saltem priùs imminens cachexia, & vitium stomachi, & ferè semper spontè cessabit Gonorrhœa.

Quòd si verò vel suppressa sit intempestivè, vel supprimenda sit, fonticulus in inguine aut altero crure aperiendus, ne quasi derivando alia mala præcaveamus, ad imitationem ZACUTI LUSITANI *lib. 1. Prax. Admir. Obs. 97.*

Hæc de Gonorrhœa, seu isto vitio genituræ in Excretione & retentione, quando citra coitum & nimis copiosè effunditur.

De Gonorrhœa maligna seu virulenta *superiùs l. 1. inter symtomata Luis Venereæ* sufficienter egi.

Sequitur jam secundum in Excretione & Retentione vitium, nempè quandò genitura nimis citò in congressu effunditur.

ARTICULUS II.
DE
NIMIS CITA GENITURÆ EJACULATIONE.

CAUSÆ.

Causa ejus est *duplex*: Aut enim

1. *Nimis laxæ sunt vesiculæ seminales*, earumque meatus nimis aperti, unde vel sub levi partium attritu, & prima geniture turgescentia, hanc elabi potius sinunt, quàm ejaculantur: aut
2. Nimis spirituosa ac fervida, indeque nimis turgida est genitura, ut fit in adolescentibus, Veneri rariùs, sed tamen acriùs operam dantibus, ita, ut primo impetu turgefacta à spirituum animalium uberiore agilitate, & sanguinis fervore prorumpat foras, ut fit in Italis.

CURA.

Prius vitium commodè adstringentibus blandis imprimis *curatur*, tàm internis, talibus nempè, quæ modò *Artic. 1. Membr. 1. in Gonorrhœa ex laxitate vesicularum seminalium* fuerunt proposita, partim externis, Insessibus nempè, Balneis, Thermis, & similibus, quæ *Artic. 1. Membr. 2. in Gonorrhœa notha benigna externè* usurpanda dixi.

Posterius verò *vitium*, ubi nimius spirituum impetus genituram ejiciat, opio & opiatis imprimis est sistendum; hoc ipsum enim nimium spirituum animalium impetum figit, & hinc subitam geniture turgescentiam cohibet. Nam, utut verum sit, quod opium tàm ab Indis Orientalibus quàm à Turcis usurpetur, ut scilicet hanc voluptuosiorem reddant, fit tamen hoc, quatenus opium refrænando spirituum animalium impetum, remoratur nonnihil geniture citam ejaculationem, & ita per consequens ipsum coitus actum longiorem reddit. Mulieres sanè Indæ sunt admodum voluptuosæ, testibus rerum Indicarum Scriptoribus, quæ non tam sæpiùs repetitum, quàm unà vice longiùs continuatum exoptant actum Venereum. Cui desiderio ut meliùs satisfiat, opio se priùs armant mariti, utpotè quorum impetus, qui aliàs in cita geniture spirituosæ & fervidæ in calidioribus istis climatibus eruptione consistit, retunditur seu retardatur. Verùm ne opium spiritus figendo nimis noceat, & cùm in actu ipso spiritus copiosè excernantur, reliqui autem restitantes torpidiores ab opio, mentis tandem stuporem inducant; item cùm spiritus genitales conjugum in actu coitus fœcundo transplantentur in fœtum, ne exinde fatui generentur fœtus, stupor, aliudque facultatis animalis ipsi inducatur vitium, quod non sine causa metuendum; ob id consultum est cum *opio* præparato in his casibus miscere ambram, ex quibus mistis potens fit confortativum spirituum, & egregium remedium Venereum, idque innocuum adhibetur, quod & Veneris actum ratione opii protrahendo voluptuosiorem, & ratione ambræ spiritus confortando minùs nocivum redditur. Hinc talii in casu essentia ambræ, cui in præparatione simul opium certâ quantitate additum, cum spiritu rosarum parata, & essentia ambræ anodyna vocata, in aqua cinnamomi vel haustu vini Malvatici propinata, egregium erit remedium Venereum. Aliàs in tali casu ceu singularis commendatur Globulus, factus ex sanguine cervino cum Venerem stimulantibus misto, ac coitus tempore in manu detentus, de quo *infrà Sect. 2. Cap. 3.*

Pertinet ad hos effectus singularis illa Observatio notatu dignissima HEINRICI ab HEER *Obs. 10.* de cita nimis, & ex primo quoq; penis contactu, Excretione geniture, ob ulcus, in intestino recto latens, à quod ipso vesiculæ seminales (*tangunt enim* Intestinum rectum) per consensum affectæ & irritatæ, genituram retinere nequeunt, sed illam præmaturè ejiciunt.

ARTICULUS III.
DE
GENITURÆ EXCRETIONE NIMIS TARDA.

Tertium vitium huc pertinens mox *in principio hujus capitis* dixi esse nimis tardam geniture Excretionem, quando nempè tardè nimis excernitur genitura in coitu, idque etiam in specie à *defectu spirituum animalium* & turgescentiæ geniture ipsius, hinc oriundæ, debitæ dependens: Quin & *vesicularum seminalium* laxitas seu flacciditas, earunque & *musculorum* penis vicinorum aliqualis *languor*, & hinc ad expressionem geniture minus turgentis ineptitudo, multùm huc facit. *Dum ergò spiritus deficiunt*, nec genitura ritè turgescit, nec partes ritè constringuntur, nec ritè potest ejici genitura. Nempè *huc pertinet* etiam *vitium istud*, quod in coitu, erecto licet & agitato membro, nulla tamen genitura effluit, quæ tamen posteà flaccido membro in somno, invito etiam,

etiam, effluit: qualia exempla vid. in ZACUTO LUSITANO *lib.* 3. *Medicor. Princip. Hist.* 29. Sic VESLINGIUS *in obs. & suis Epistolis, à* BARTHOLINO *editis, Epist.* 38. *pag.* 150. similem refert historiam de viro, qui pene licet erecto genituram in coitu effundere non potuit; pene autem jam flaccido illam sponte, & ad levissimum contactum genitalium muliebrium, effluxit. Ratio hujus affectus ex modò dictis patet, & etiam à VESLINGIO concinnè *c. l.* traditur: Nempè consistit in defectu spirituum animalium (nam penis à sanguine intumescit) genituram ad debitam consistentiam non impraegnantium, & postmodùm in laxitate & flacciditate tàm vesicularum seminalium, quàm *in specie* musculorum penis: his enim turgidis factis in coitu, non potest genitura per porulos & meatus angustos in pene erecto ac turgido quodammodo occlusos cum impetu ac robore solito excerni & exprimi; siquidem & prostatae intumescentes ita superent impetum excretorium ex vesiculis, ut arctatis osculis earum non absque impetu ejaculatorio genitura exprimatur, quo robore vesicularum deficiente, erecto membro, & turgescentibus vicinis partibus, minùs genitura excerni poterit; quin potiùs remittente penis rigore, & hinc hiantibus & apertis quasi magis meatibus genitura adhuc aliquantisper turgida sponte postmodum elabitur; unde etiam in tali casu tensio penis solita circa radicem ejus à musculis non percipitur, propter eorum flacciditatem.

CURA.

Unde etiam rectè calida nervina acria & *aromatica*, quae spiritus animales augent, & genituram ad excretionem promptiorem reddunt, tàm internè, quàm externè adhibita, ad *curam* commendat VESLINGIUS; sicuti similibus, speciatim castoreo, praefatum aegrum suum curavit ZACUTUS LUSITANUS. Fiat ergò praemissis internis & stimulantibus Inunctio radicis penis & perinaei ex oleo nucis moschatae expresso cum oleo macis destillato, caryophyllorum, & similibus: quibus vel zibethum, vel moschus, item oleum formicarum, item spiritus formicarum volatilis, addi potest.

ARTICULUS IV. DE SEMINIS EXCRETIONE ABOLITA.

MEMBRUM DE CARUNCULA PENIS.

SUbsistimus adhuc in Capite de laesa Geniturae Retentione & Excretione: Superest, quando omnino *non potest excerni genitura*: Id quod praeter dictos casus fit imprimis, quando meatus urinarius seu urethra obsessa est carunculâ seu carne quadam parvâ excrescente in ipso canali, quo obstructo, & urinae & geniturae tandem tollitur excretio.

CAUSAE.

Origo hujus mali cùm rarissimè ex alia *causa* praegressa, quàm imprimis ex gonorrhoea Gallica, quando nempè acrimonia acida corrosiva Liquaminis effluentis corrodit istum membranaceum ductum & nonnihil exulcerat, unde sequitur tandem, ut in loco corroso ex alimento naturali affluente succrescat substantia quaedam carnosa instar cujusdam verrucae; ideò de hoc *l. 1. inter symptomata Luis Venereae* dixi.

Pertinent huc tamen istae curiosae Observationes, dum quidam *coeuntes ventris crepitum loco geniturae emittunt*; vel excrementa alvi iisdem profluunt; vid. SCHENCKIUS *Obs. lib.* 4. aut quando flatus per penem geniturae loco emittitur; vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 46. *p.* 85. item quando sanguis in congressu geniturae loco emittitur; vid. SCHENCKIUS *c. l.* BORELLUS *Cent.* 4. *Obs.* 17. & SALMUTH *lib.* 1. *Obs.* 81.

CURA.

Haec & similia vitia, observatis antecedentibus causis, & aliis adjunctis circumstantiis, diversimodè curantur. Flatus quod attinet; per viscidum evacuantia, hinc subministrata Carminantia nervina, refraenantur: sanguis verò adstringentibus interiùs ac externis coërcetur.

Sed de his in specie vid. SENNERTUS *lib.* 3. *Prax. P.* 9. *Sect.* 2. *cap.* 6. & 7. *pag.* 969. *sequ.*

Haec sufficiant de Seminis Laesâ Retentione & Excretione. Pergo jam ad

SECTIONEM II. DE LAESA PENIS ERECTIONE.

REquiritur nempè ulteriùs in sexu masculino ad generationis negotium, ut *pene erecto* genitura ejaculetur, quae deficiens erectio, vulgo *Impotentia Virilis* dicitur, utut & deficiens geniturae excretio ita dicatur: Impotens enim est is, qui non potest id quod maritum decet. In duobus enim consistit impotentia propriè sic dicta virilis: nempè in deficiente membri Erectione, & deficiente per istud seminis ejaculatione: utrumque necesse est ad hoc, ut aliquis impotens dicatur: Nam prius deficiens erectio impotentem ad coëundum; posterius ad generandum reddit. *Laeditur* autem haec *erectio penis* ad coitum necessaria, & hinc copula maritalis debita, tribus modis:

1. Quando *deficit*, seu est imminuta.
2. Quando *excedit*, estque nimia ejus extensio.
3. Quando *depravatur*, dumque penis non convenienter modo & figurâ turgescit & erigitur.

Ad doctrinam hujus rei explicandam necesse est distinguere inter penis *erectionem*, & ejus *turgescentiam*. Praesuppono hîc ex Physiologico-Anatomicis: distensionem & turgescentiam penis fieri primariò à sanguine arterioso, corpora penis bina nervosa instar spongiae excavata & foraminulenta replente, eaque fortiter distendente.

Haec de distensione & inflatione penis.

Ut verò postmodùm reddatur firmior, erectionem penis inflati & distenti, & motum ejus tonicum (ut in tali figura & statu persistat) fieri imprimis à 4. ejus musculis, seu duobus musculorum paribus, circa ejusdem radicem implantatis (Anatomiam vid. in GRAAFFIO) à quibus versus originem suam contractis, adeoque in suo vertice turgescentibus, non tantùm comprimitur & angustatur vena penis dorsum excurrens, ita, ut sanguis per arterias in corpora penis nervosa effusus, eademque distendens, refluere nequeat, & penem validè distendat; sed praetereà quoque horum musculorum contractione penis ita rigidus, & distentus maneat, caputque firmiùs attollat, & ita erigatur, quo ipso genitura spiritibus tempore congressus turgida (dico: tempore congressus, aliàs non) inflans & distendens vesiculas seminales, ab horum musculorum contractorum, vesiculas simul comprimentium, robore, in sua eruptione in meatum urinarium non leviter juvatur. Unde simul atque dictorum musculorum contractio ac tonus cessat, sanguis ex pene refluus per venam denuò apertam corpus ejus flaccidum, rugosum, & tandem pendulum relinquit. Laesiones ergò hujus erectionis in pene imprimis fundatae erunt primariò in istis musculis, qui contractione suâ venam in dorso penis comprimunt, stringunt, & sanguinis regressum impediunt, & secundariò etiam in genitura in vesiculis seminalibus plus minus irritante, & ita musculorum contracturam stimulante.



CAPUT I.
DE PENIS ERECTIONE DEFICIENTE,
& hinc oriunda
IMPOTENTIA VIRILI.
CAUSÆ.

Deficit ergò Erectio vel distensio penis triplici imprimis ex causa:

1. Vitio instrumenti erigentis, musculorum nempè & spirituum animalium.
2. Vitio stimuli in genitalibus, spiritus animales ad determinatum motum excitantis.
3. Fascino seu maleficio.

Quod ergò attinet musculos: laborant hi, quando ita sunt affecti, ut se proprio motu contrahere nequeant: id quod fit in paralysi & resolutione ipsarum fibrarum. Resoluti sunt musculi penis erectores ex affectione ipsorum nervorum, spiritus ad animandas eorum fibras devehentium; quâ ratione è *causis remotioribus*, interdum *equitatio nimia*, comprimendo & in se cogendo hos musculos, & quasi contundendo, erectioni penis ineptos reddit: Tale exemplum recenset JACOBUS FONTANUS *Cons.* 2. de Nobili, qui ab exercitio violento, & qui equitatione nimiâ incidit in privationem erectionis penis, ob vias ejus & meatus à motu obstructos, qui ad musculos derivantur. Dico: equitatione nimiâ; Nam equitatio moderata potiùs prodest ad erectionem: Sic enim FERDINANDUS *Hist.* 26. post gonorrhœam benignam ex equitatione priapismum ingentem observavit. Casus item aut percussio super os sacrum vicinas partes, ubi nervi horum musculorum originem ducunt; item in dorsum, ut paralysin aliorum locorum, ita etiam penis, propter affectos nervos infert, ejusque erectionem impedit: vid. JACOBUS FONTANUS *l. a.* & HILDANUS *Cent.* 6. *Observ.* 59 ubi ex casu in dorsum erectio penis omninò fuit sublata, manente etiamnum insigni ad Venerem stimulo, quatenus nervi ad penem ejusque musculos tendentes, aut compressione, aut aliâ ratione affecti fuerunt: sicuti *c. l.* similiter ex gravi percussione capitis, ejusque vulneribus, talem erigendi membri impotentiam, ex simili causa ortam refert: Conf. etiam M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observ.* 104. *p.* 177. Pertinent huc Mercurialia; siquidem virilitas inunctione per unguentum Mercuriale adempta, per oleum spicæ verò fuit restituta, observante SCHENCKIO *lib.* 4. *obs.* 1. cui analoga est observatio PANAROLLI *in Pent.* 5. *observat.* 39. Facit huc etiam frigus, cujus occasione etiam non pauci impotentes fiunt, resolutis quasi musculis.

Spiritus animales quod attinet, musculos hos ad radicem penis sitos moventes, & ita ad penis erectionem facientes: horum defectus imprimis erectionem deficientem facit, dum musculos non contrahunt, quibus non contractis venula laxata est, ut penis flaccescat. Deficiunt hi in musculis istis, *vel in genere ex eorum defectu universali*, ut fit in *senibus* debilibus & lâguidis ex morbo, unde in morborum acutorum statu & declinatione erectio membri naturalis (naturalis dico: nam interdû est præternaturalis & convulsiva, quæ malo rediens, faustum signum esse solet spirituum animalium regeneratorum, & in debitas motiones concitatorum: *Vel in specie* deficiunt spiritus animales in pene, & specialiter in ejus musculis, quando *in motu suo perturbati* sunt, & plus minus languent *in perturbatione mentis*, quando animus aut imaginatio (loquor cum vulgo) circa illud objectum occupata eos in cerebro ac aliis partibus detinet, & minùs ad penem influunt spiritus. Hac ratione & pudor, terror, pavor & similia interdum, imò sæpiùs, penis erectionem prohibent, aut eam jam factam denuò tollunt, quatenùs aliò vocant spiritus per imaginationem pudibundam &c., ubi penis flaccescit, propter spirituum animalium motum perturbatum: sicut è contrà meditatio rerum Venerearum, aut titillatio membri, spirituum motum ad illud ejusque musculos dirigit, sicque penis erectionem promovet. Ex hac causa, nempè pudore nimio & intempestivo, interdum evenit, ut noviter nupti se maleficatos putent, cùm tamen potiùs ex nimio pudore impediatur debita membri erectio, quo tandem discusso, res alacriùs succedit. Pertinent huc ii, qui melancholiâ hypochondriacâ laborât, qui ut variis subindè cõflictantur phantasmatibus, ita & tales subindè imaginatione propriâ decepti *se impotentes* æstimant, & reverà tunc minùs commodè rem peragunt, qui curato malo hypochondriaco, sponte suâ ad rem familiarè posteà redierunt: qualia exempla habentur in SALMUTH *Cent.* 2. *obs.* 78. Simile exemplum est, quod habet SYLVATICUS *in Cent.* 4. *Cons.* 4. ubi refert impotentiam ad coitum ex malo hypochondriaco, in quo distenditur penis, sed dum accingitur ad opus, flaccescit.

Hæc est prima causa.

Secunda causa est deficiens stimulus Venereus à genitura minùs copiosa, minùsque turgescente: sicut enim ab hujus turgescentia aut copia, indeque facta partium istarum irritatione, & hinc dependente determinato spirituum animalium motu ad istas partes, Venus stimulatur, & pollutiones, tam nocturnæ, quàm interdum etiam diurnæ, oriuntur; ità à deficiente irritatione & erectiones & pollutiones consuetæ cessantur, membraque flaccida & pendula fiunt.

Pertinent huc imprimis quælibet vitia testium, & vesicularum seminalium, genituræ præparationem & retentionem vitiantium. Tales aliàs dicuntur *Frigidi*, cùm nullo stimulo in Venerem ferantur, nullâque aut paucâ libidine tententur; unde etiam, si quid emittant genituræ, aquea ferè, minùsque spumosa existit, quin & sponte sine voluptatis sensu exit: Tales naturaliter sunt senes, qui in hoc negotio naturaliter tandem deficiunt. Et pertinent huc præterea quælibet partium genitalium vitia. Sic HILDANUS *Cent.* 5. *observ.* 40. refert Impotentiam ad coitum ex defectu testiculi sinistri, & depravatione vasorum spermaticorum. Pertinent huc Camphorata, vigorem genitalem supprimentia: Sic LOSSIUS *obs. p.* 314. observat virilitatem amissam ex solo continuato odore camphoræ. De nitri usu frequentiore Venerem extinguente infra constabit ex TIMÆO *von Guldenklee*.

Huc faciunt flagra natibus infligenda, quorum flagrorum ad rem Veneream magnus est usus; de quo vid. elegans *Tractatûs* MEIBOMII *de usu flagrorum ad rem Veneream*, quem nuperrimè notis illustratum edidit BARTHOLINUS, ubi refertur exemplum cujusdam, qui nunquam potuit amasiæ satisfacere, nisi priùs virgis cæderetur ab hac: unde postmodum ita cæsus egregiè officio præstando functus est. Causis hisce duabus naturalibus, & quasi ordinariis, propter quas deficit subindè membri erectio, & huic succedens negotium, simul *tertia causa*, nempè *extraordinaria & Magica* addenda venit, quæ est *fascinum seu maleficium*, *aut incantatio noviter nuptorum*, dum scilicet sub ipso puncto copulationis matrimonialis sacerdotalis per *maleficia*, v. g. per *seram clausam*, per ligulam constrictam, *cum culmo stramineo*, aut *cultrum parieti infixum*, aut aliis ultra 50. modis, quos taceo, ita ligatur sponsus, ut postmodùm, stimulante licet naturâ, & erigente se membro, sponsæ zonam solvere, coitum celebrare, & cum sponsa gaudia optata peragere nequeat: quin etiam, ubi armatus propiùs accedit, subitò membrum jam erectum iterum flaccescat, & tamen cum alia quacunque, exceptâ sponsâ, facilè & optimè, nisi ex aliis causis simul sit impotens, coire potest: sin verò ad sponsam, vel noviter nuptam propiùs accedat, mox mentula torpida cornua contrahit. Existimant equidem multi, quos inter est WIERUS *de Præstigiis Dæmon.* SALMUTH *Cent.* 2. *obs.* 78. & BORELLUS *Cent.* 4. *obs.* 65. hæc vana esse, falsaque, & provenire solummodò ex animi affectibus, à nimio gaudio, aut pudore, aut motu, aut aliâ quacunque causâ, vel etiam ex imaginatione falsa, & in specie *melancholiæ hypochondriacæ*, spirituumque animalium hinc avocatione: Contrarium tamen loquitur experientia, & cum eadem BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Histor. Anat.* 71.

Causa maleficii formalis, seu quomodo fiat? si non omninò perscrutabilis, nec præcisè à Diaboli est præstigiis (quod non temerè faciendum in rebus naturalibus, quippe quæ Deo potiùs acceptæ ferendæ) forsan à sola dependet imaginatione ligantis, seu ejus, qui hanc vexationem facit: Quorsum non tantum inclinat VERULAMIUS *in Sylva Sylvarum*, sed prætereà etiam HELMONTIUS *de Magnet. Vulner. Curatione* & MARCUS MARCI *in Philos. Vet. Restituta*, aliisque scriptis; qui omnes, uti hoc fascinum, ita præstigia dæmonum, ac reliquos effectus ab incantatione per sagas inductos, effectivè soli imaginationi sagæ vel incantatoris adscribunt.

DIA-

DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* de Erectione membri læsa: res per se patet, & ab ægro querulo, seu potiùs uxore ejus, facilè manifestatur, saltim causæ perscrutandæ sunt proximæ, & omnes remotæ probè pensitandæ à Medico.

Si ergò vitium adsit quasi paralyticum, membrum flaccidum est, nec ullo unquam objecto, etiamsi Veneris desiderium adsit, moveri aut erigi potest.

Spirituum animalium defectus ex universali corporis languore ac imbecillitate, & actionibus reliquis animalibus, manifestus est.

Sin ex animi affectu aliò vocentur, præprimis in hypochondriacis, ab ægro cognoscitur: quia variæ cogitationes, varia phantasmata, & similia subjecta actu se repræsentabunt.

Quod si verò nullus adsit stimulus Venereus, ab ægro etiam hoc ipsum facilè cognoscitur, quod ipse patiens nullum appetitum habeat ad tales actiones.

Denique ab incantatione seu maleficio affectum ortum habere, manifestatur, si homo aliàs ad Venerem satis aptus fuerit, nec ulla causa manifesta præcesserit, quæ id ipsi, & præcipuè subitò, inducere potuerit; aut etiam, quando cum alia quacunque coire potest, exceptâ solâ sponsâ.

PROGNOSIS.

Prognosis est, quod tales sint infœcundi, tamdiu sc. quamdiu debitè adire nequeunt.

Per se nihil mali inde imminet ægris; per accidens verò, propter oriundum inde mœrorem, tristitiam, & alia animi pathemata, alia mala supervenire possunt.

Malum ab incantatione naturalibus pariter remediis depelli potest, cùm ipse Satan operetur secundùm naturam, modò adsit v. g. suspicio de ligatura.

CURA.

Cura varia est, in qua, si ex primis duabus oritur causis, *observandum est*, ut

1. *Volatilibus spirituosis* spirituum animalium impetus & influxus promoveatur.
2. Ut *aromaticis volatilibus acrioribus* aphrodisiacis seminis impetus & acrimonia intendatur.
3. Fascinum, si quod fuerit, quantum possibile, empiricis removendum, experientiâ nempè & à posteriore cognitis.

Pro duobus ergo prioribus scopis conveniunt omnia ea, quæ *suprà sect. 1. cap. 1 in deficiente genituræ Elaboratione* fuerunt allegata, interna & externa, imprimis aromata & omnia aromatica, ut cinnamomum, cubebæ, caryophylli, grana paradisi, cibis permista, sinapi, eruca, macis, piper, semen coriandri, aut vinum cinnamomo maceratum, & quælibet ibidem laudata, egregiè conducunt. Sic *ovum sorbile*, in quo *veretrum cervi* vel *tauri*, in Veneris actu interfecti, *exsiccatum & pulverisatum*, cum *cinnamomo* convenit, cujus *usus internus* qualiscunque ante coitum, validam erectionem facere dicitur. Item ex formicis, ex ambra, ex sanguine galli, &c. parata remedia sunt proficua: Sic namque radix satyrii condita, & essentia satyrii cum spiritu formicarum parata, in haustu vini Malvatici sub introitum lecti assumenda: Borrax in ovo sorbili à gr. xv. ℈i. ad ʒß. vid. AMATUS LUSITANUS *Cent. 2. Cur. 18.* & MERCURIALIS *Cas. 48.* Pineæ, amygdalæ dulces, pistaciæ, lac, &c. materiam seminalem augent, unde quidam lac muliebre in ipso actu hauriunt; item oleum ex pinis expressum. Angli pro Venere roboranda usurpant electuarium ex Ambra & Laudano opiato in parva dosi, excipiunt cum syrupo quodam. Spiritus genitales seu animales augmentat spiritus sanguinis galli cum spiritu formicarum, & Electuaria *suprà c. 1.* præscripta: Vel

℞. *Rad. satyr. condit.*
Eryng. condit.
Pin. excort. an. ʒii.
Zingib. cond.
Nuc. Indic. cond. an. ʒi.
Conf. alcherm. ʒß.
Sem. eruc.
Nasturt. an. ʒii.
Piperis albi,
Caryoph. an. ℈i.
Syr. cinnam. q. s.
f. Electuarium molle:
D. S.
Electuarium confortativum.

De hoc manè, à meridie, & vesperi, quantitas instar nucis moschatæ sumatur.

℞. *Conf. rad. eryng.*
Satyr. an. ʒii.
Zingib. in Ind. cond. ʒvi.
Amygd. dulc. ambr. exc. ʒi.
Conf. alcherm. ʒiß.
Pulv. sem. erucæ,
Sinapi an. ʒiii.
Spec. diatrion piper. ʒii.
Cum s. q. *syrupi belenii* f. Electuarium.
D. S. ut antè.

℞. *Conf. flor. anthor.* ʒii.
Rad. eryng. condit. ʒß. ad ʒvi.
Amygd. dulc. ambros. ʒii.
Cubebar.
Galang. an. ʒß.
Macis ℈i.
Essent. satyr. ʒiii.
Cum s. q. *conf. alcherm.* f. Electuarium.
D. S. ut suprà.

Sed de his internis ad nauseam usque, *Sect. 1. c. 1. ubi de Seminis Generatione læsa*. In specie cantharides, acrimoniâ suâ potentissimè irritando vesicæ collum, & hinc stimulando musculos penis ibidem situatos, potentiorem erectionem solent inducere: sicut PLATERUS *obs. p. 239.* refert impotentiam ex imbecillitate vasorum seminalium seu genitalium ob Veneris nimium usum, refrigeratis iis & relaxatis, contractam, aliis irritis per usum cantharidum cum speciebus aliis aromaticis curatam.

Externè huc facientia sunt v. g. calor, dum e. g. membrum virile igni admoveatur & titilletur pro membri erectione: vid. M. A. N. C. *Ann. 6.* & *7. Obs. 179.* Balnea nervina, Insessus, Fotus nervini, vel Inunctiones contra paralysin penis secundùm ZACUTUM LUSITANUM *l. 7. Prax. Hist. c. 10.* aliàs usitata, sunt instituenda. Cubebæ bulliant in vino generoso, vel liquore appropriato, & decoctum ita applicetur testibus & locis vicinis: item balsamum Venereum *Mynsichti in Armament. Chym.* nunc solitarium, nunc cum *oleo formicarum* mistum, simul ad erectionem & ad voluptatem prodest, perinæo & radici penis, item scroto & testibus, inunctum.

Vel

℞. *Succi pastin.*
Ol. sinapi an. ʒii.
Ovor. formic. magnor. ʒi.

Pistentur ova, & exponantur soli per diem 1. aut 2. deinde permisceantur in formam *Linimenti*, quo glans ante coitum est illinenda. *Si membrum post coitum adhuc rigeat*, abluatur aquâ calidâ.

Junctio pectinis vel glandis cum felle apri magnam erectionem & delectationem facere ab HARTMANNO *in Crollium pag. 357.* & MONTAGNANA asseritur. Radix hellebori nigri pulverisata, vel pulvis radicis pyrethri cum *pinguedine coturnicis* commista, & hoc ipso linimento radix penis vel glans illita, singularissimum est: Hoc enim non tantummodò validam facit erectionem; sed & hoc præstare dicitur (sit fides penes experientiam) ut & mulier virgo, & ipse maritus magis hastatus, appareant. Item aqua & spiritus formicarum, aqua destillata & succus ovorum formicarum expressus, cui parum zibethi additum sit, vel cum oleo de piperibus & costino, vel de castoreo mistus, aut testibus aut perinæo, quod est interstitium inter membrum & anum, inunctus, cui & in specie oleum caryophyllorum permisceri potest. Aliàs oleum costinum, oleum nucis moschatæ, macis, oleum euphorbii, ac similia in usu sunt: aluminis plumosi aliquid addi potest ad imitationem consilii eruditi in M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. App. p. 143.* Unde Decoctum pyrethri & euphorbii cum Vino parat FORESTUS *lib. 10. obs. 92.* pro abluendis genitalibus. ANGELUS SALA tale habet Linimentum, sed pretiosum:

℞. *Zibethi* gr. viii.
Ambr. gr. vi.
Moschi gr. v.
Olei destillat. cinnam. gutt. viii.
Nucist gutt. iv.

Bals.

Balf. Peruv. q. f. ut incorporentur omnia.
Misc.

Hoc inungatur glans ante congressum, vel præsertim post Balneum ex Nervinis eodem inungatur perinæum: loco cujus tamen etiam balsamus apoplecticus Venereus *Mynsichti* aut similis, cum zibetho, moscho, aut aliis paratus, radici penis vel perinæo, aut etiam spatio inter scrotum & penem, ubi musculi siti sunt, ad firmam erectionem illitus, sufficit: sicuti glans eodem illita utique sexui voluptatem auget. Unde etiam præcipitur, ut in passione hysterica, & eius paroxysmo desperato ferè, vir glande ita inunctâ uxorem comprimat, pro solvendo paroxysmo.

Pertinent huc poma ambræ in manu tenenda pro promovenda erectione & continuando congressu, senibus & iis conducibilia, in quibus calor naturalis imminuitur, & qui in morbo chronico, vel arte quadam veneficâ, in virilitate debiles facti, quæ vid. in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 41. *p.* 77. Quibusdam sequens pro singulari habetur secreto:

℞. *Sangu. ex cervo, dum Veneri inhiat*, sclopeto intersecto, *rec. collectum*:
Cui adhuc calido adde
Pulv. tragac. ℥ii.
Nuc. mosch.
Caryoph.
Cinnam. an. ℥ß.
Camph.
Moschi,
Ambr. an. ʒi.

F. cum f. q. *sanguinis* illius Massa in formam globi, exsiccetur & asservetur.

Ii, qui nimis citò genituram in coitu emittunt, dum coëunt, hoc pomum in manu detineant; quamdiu continuerint, tamdiu continuare poterunt Venerem, citra spiritus aut genituræ emissionem. Quando autem pomum deposuerunt, genituram mittunt. Sit tamen fides penes experientiam.

Ab *incantatione si fuerit malum*, aliis opus est remediis: Conducunt Vomitoria antimonialia, ut tartarus emeticus Mynsichtii, & ex helleboro albo, quæ præmittantur in Cura. Post hæc convenit imprimis *betula*; *mictus* nempè per scopas betulinas recentes à CARRICHTHERO laudatus, qui, si quis alius, in morbis ab incantatione oriundis exercitatissimus est. Potus cerevisiæ betulinæ, seu in qua decocti sunt surculi betulæ recentiores, experimentum est HELMONTII, *Tract. de Lithiasi cap.* 8. §. 25. qui commendat tanquam experimentum contra maritorum seu sponsorum fascinationem; cuius loco substitui potest *succus betulinus* ex ramo eius sauciato fluens. GANSIUS *Tract. de Coralliis* commendat pulverem sequentem:

℞. *Corall. rubr.*
Dent. hom. mort. maris an. ʒj.
Sem. & herbæ antirrh. an. ʒß.
M. f. Pulvis pro suffitu.

Hic pulvis sæpiùs repetitus probatus fuit aliquoties in his ipsis ligaturis virorum.

Hypericon seu Fuga dæmonum, ejusque essentia *Mynsichti*, Tinctura coralliorum, quæ laudatur maximè ab Helmontio contra veneficos morbos; Valeriana, in specie pratensis, & Phu vulgare, quod à CARRICHTHERO *in l. de veneficio* laudatur; abrotanum, momordica, artemisia rubra, plantago aquatica, herba Paris, quæ pulverisata, & ad ʒj. assumpta, multa præstat in veneficiis; uti & sorbus, vel decoctus, vel pulverisatus in syrupo, singulariter à quibusdam commendatur. Haustus etiam bonus lactis muliebris laudatur. Porrò valent origanum, aquilegia cum toto, Antirrhinum, adianthum album & nigrum, Ricinus Americanus, radix contrajervæ, aristolochiæ rotundæ, quæ multis præfertur. Aliàs tanquam secretum habetur pulvis factus ex *rasura campanæ* ex eo loco derasa, ubi pistillum eam ferit, rasura hæc etiam miscetur cum pulvere *priapi tauri* & croci modico, & sponso propinatur. Mercurius vivus in nuce avellana, vel in calamo scriptorio, collo appensus Præservativum est certum sponsorum, ne ligentur in copula sacerdotali. Quibusdam placet unà cum hoc Mercurio, calamo scriptorio incluso, plantas quasdam appropriatas, e. g. hyperici, capillorum Veneris, sem. antirrhini, herbam & baccas Paridis & similia nodulo includere, & ex collo suspendere. Fuit experimentum D. MICHAELIS, & ab aliis hic aliquoties expertum: e. g.

℞. *Mercurii viv. calamo incl.* ℥ii.
Capill. Veneris,
Flor. aquileg.
Hyperic.
Sem. hyperici,
Grana parad. an. ʒi.
Misc.

In linteo gestentur contra omnes incantationes, Veneficia & ligationes coniugii.

Helmontius laudat Electrum immaturum *Paracelsi*, quod ZWELFFERUS *in Mantiss. spagyr. cap. de auro* aurum embryonatum, nondum satis fixatum, esse putat. Observatum aliàs fuit, quod primatum ducat viscum ex corylo, quod cum adipe canis, caponis vel ursi, redigitur in unguentum contra Veneficia: vid. CARRICHTHERUS, & HEINRICUS ab HEER *in Obs.* Valent item viscum quercinum & tiliaceum. Laudatur quoque fel corvi, & fel canis nigri illitum. MYNSICHTIUS habet emplastrum fœtidum, quod etiam D. MICHAELIS expertus est in veneficiis. BURRHUS emplastrum antidiabolicum ex cera benedicta & asa fœtida habet. HARTMANNI experimentum certum, & aliquoties probatum, quod ipse recenset *in Praxi chymiatrica pag.* 265. fuit lotio pudendorum utriusque sexus cum *decocto herbæ*, florum ac seminis aquilegiæ; (hoc enim est singulare.) Post lotionem fecit suffitum dictis partibus excipiendum, ex dentibus hominis mortui pulverisatis super carbones proiectis. Modus suffitus est hic: Recipiantur tres *dentes ex capite mortui viri*, qui minutè pulverisentur: hinc recipiantur 2. *lateres novi*, qui candefacti per crucem disponantur in terram, hinc affundatur *spiritus vini Rhenani optimi*, & superimponatur *pulvis dentium* illorum contusorum, fumo imponatur membrum incantatum, & ita excipiatur fumus, donec membrum incipiat sudare: hinc hic sudor cum linteo mundo deorsum versus abstergatur. Quo facto inungatur membrum cum asa fœtida, (quæ est basis emplastri Mynsichtii contra incantationes,) hinc linteis involvatur, & ita incantatus cubitum se conferat.

Item expertum fuit aliquando, si quis emat Lucium piscem sexus masculini, huic per vim aperiatur os, & in os eius mittatur urina maleficiati: hinc Lucius ita vivus immittatur in fluvium, idque contra eiusdem cursum, & ita finatur; subitò namque tolli maleficium. Si malum non sit nimis inveteratum, seu in maleficio novo, singulare etiam habetur secretum mictio per annulum sponsalitium, Germ. *Trauring*, ante & post copulationem, eaque reciproca, aut per asseris ex reliquo trunco extrusum nodum: vid. WEDELIUS *de Medic. Facult. p.* 225. Ubi hoc non sufficit, accipiatur simul rasura annuli sponsalitii, quæ interiùs in potu vini assumpta singulare est experimentum in tali casu. Venefica docuit iuvenem urinam mittere per columnæ patibuli foramen terebrâ factum, & liberatus fuit. Fuit aliquando curatus quidam similiter incantatus consilio ipsi à vetula suppeditato, dum sc. in cœmiterio quodam misit urinam per ansam, seu annulum cuiusdam epitaphii, vel lapidis sepulchro incumbentis. Denique siquid aliud, singulare est, si quis accipiat ovum recens, hoc coquat cum urina propria ad absumptionem medietatis: quo facto urina superstes projiciatur in flumen secundùm eiusdem cursum, ovum verò ita coctum leviter apertum immittatur in acervum formicarum; Unde, quando formicæ absumpserunt ovum, solutum erit fascinum: vid. HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr. ubi de Atrophia.* Quidam stercus proprium post duas horas excretum vesicæ includunt, & fumo exponunt: quo facto dolores aliaque mala à veneficio inducta cessare, & veneficam eundem gustum percipere dicunt.

Plura, quia pertinent ad morbos ab incantationibus ortos, non addo. Quoad hæc enim, quia adhuc hæremus in *Theoria*, etiam hæremus in *Praxi*, dubitantes, an sint licita? an verò minus? Plura vid. in AGRICOLÆ *Chirurg. Parv. Germ. p.* 656. 661. &c. item in CARRICHTHERI *Herbario von Zauberischen Kranckheiten.* Interim observetur, quòd, prout variant media, quibus instituitur ligatio, ita etiam necesse sit variare remedia; unde cum dubii sumus, quomodo facta sit ligatura? etiam varia remedia tentanda sunt.

Versamur adhuc in morbis Virorum in puncto erectionis penis; tractavimus primum vitium, nempè deficientem penis erectionem, à quacunque causa oriatur: sequitur

CA-

CAPUT II.

DE

PENIS ERECTIONE AUCTA.

ARTICULUS I.

DE

NIMIA SALACITATE.

Secundum nimirum in erectione membri vitium est, quando nimiùm, aut sepiùs, aut diutiùs, quàm naturaliter fieri solet, imò ferè continuò, distentum & erectum est membrum, adeoque consequenter erectio & rigiditas nimis aucta est.

Affectus est duplex, qui occurrit in nimia membri erectione, secundùm duplicem modum, quo fit; ita tamen, ut *pars affecta* semper *sint musculi circa radicem penis*, qui contractione suâ comprimendo venam, impediunt sanguinis refluxum, & penem erigunt; quod tamen cùm duobus modis fieri soleat, est etiam *duplex affectus*. Primus est modus, quando ægri ex stimulo Veneris huic acriter inhiant, & hinc *sæpiùs & diutiùs membri tensionem* cum prurigine in Venerem patiuntur, & tunc dicitur SALACITAS, seu nimia in Venerem propensio, in qua per integram noctem vel de vilissimâ mentione *tensionem penis insignem* percipiunt, quod malum interdum eò usque excedit, ut etiam quandoque *delirium* aut furorem quendam Venereũ inducat; idq; ex nimia genituræ turgescentia & orgasmo, qui ipse furor vix, nisi genituræ uberiore excretione sedari potest: Conf. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Obs. 54. & 55. p. 87. & 88.* tuncq; affectus est simillimus brutorum œstro Venereo, dum certis anni temporibus ex liquoris genitalis turgescentia, hincque junctâ sanguinis auctâ fermentatione, cum spirituum insigniore fervore in Venerem impetuosiùs ruunt. Hic affectus in maribus est summus salacitatis gradus, & ferè idem, qui in mulieribus *Furor Uterinus* dici solet.

CAUSÆ.

Causa hujus salacitatis ac Satyriasis facilè patet: est nempè *genituræ* naturaliter constitutæ & uberiùs collectæ, simulque spirituosæ ac acrioris, *nimius fervor ac turgescentia*, & inde natus *stimulus ad Venerem*, quem sequitur determinatus spirituum animalium motus & penis erectio.

Causæ remotæ sunt variæ: omnia nempè, quæ genituram augent, vel spirituum animalium impetum excitant, aut acrimoniâ loca genitalia stimulant: hinc *vita sedentaria*, *diæta lauta* cum *aromatibus condita*, assumpta & propinata Purgantia, aliave Venerem stimulantia, meditationes Venereæ, aliæve occasiones externæ, ad hoc malum disponunt. Præsupponit laudabilem genitalium constitutionem, qualis deprehenditur in iis, qui sunt *triorchides*; item quando SALMUTH *Cent. 1. Obs. 23.* refert Venereos insignes, in quorum altero magni renes, in altero tres venæ seminales dextræ visæ fuerunt. De Medicamentis purgantibus, Venerem stimulantibus, præter PLATERUM vid. TIMÆUS *von GuldenKlee in Cas. pag. 193.* item M. A. N. C. *Ann. 2. Obs. 71. pag. 131.* Sin ulteriùs excedat *hæc Salacitas*, ut coitu vix satiari possit, quin etiam post coitum Venereum adhuc membrum rigidum & tensum continuâ prurigine in Venerem stimulet, ut coëundo vix satiari possit, usitato vocabulo SATYRIASIS, *summus* nempè *salacitatis gradus*, dicitur à Satyris, qui membro erecto, & ad libidinem deplendam semper prono, finguntur & pinguntur: Monstra scil. talia, quæ & ipsa ex nefando hominum virorum cum capris congressu prognata fuerunt. Exemplum talis Satyriaseos, si quod aliud, insigne vid. in TIMÆO *von GuldenKlee lib. 3. Casu 32.*

DIAGNOSIS.

Diagnosis Salacitatis & Satyriasis, ex relatione ægrorum, & suprà dictis per se patet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Ex Salacitate & Satyriasi nullum incommodum, nisi quod nimiam Venerem insequitur, metuendum est: nempè debilitas corporis, ejusque tabes, in specie actionum animalium insignis læsio, viriumque labefactatio, oriri solet; quin etiam vitam abbreviat.

CURA.

Quoad *Curam*: In *Salacitate* ac Satyriasi genitura ita imminuenda, ac spiritus animales, fervidiores ac alacriores, sunt absumendi & sistendi, & si aliqualis adsit *genituræ acrimonia*, *appropriatis temperanda*. Unde præter animum curis occupatum, vigillas nimias, victum tenuem, ieiunium, labores, & motum corporis validum, aut vitæ genus exercitiis occupatum, ita, ut *fortis sudor* indè erumpat &c., hic conducunt venæ sectio, eaque subindè repetita; item omnia ea, quæ *suprà Sect. 1. Cap. 2. Artic. 1. Memb. 1. de Gonorrhœa ex turgescentia & abundantia genituræ* fuerunt proposita. In specie *acida* fixa *vitriolata*, citrata, *nitrata* & Saturnina, hic conducunt, hinc *opium & camphora*. Vitriolata & Nitrata vim genitalem nonnihil refrenant, & genituræ vim ac impetum coërcent: vid. LANGIUS *in Pathol. Fabri*. Opium & camphora spirituum animalium impetum sistunt & refrenant. Quoad acida: succus citri ac limonum, item *acetum rutaceum* sæpiùs usurpatum Salacitati nimiæ frænum injicit: quibus & succus menthæ est permiscendus, quibus *opium* & *camphora* maritanda sunt. Hinc Nitrata sunt optima, ut nitrũ crebriùs & copiosiùs usurpatũ notabiliter salacitatis œstrum temperat; aliis namque omnibus irritis, per nitrum purum in *aqua nymphææ* bis in die, manè & vesperi usurpatum, & crebriùs continuatum, TIMÆUS *von GuldenKlee lib. 3. Cas. 32. pag. 173.* curavit suprà dictum salacissimum hominem; Unde etiam spiritus nitri, & omnia ex nitro, acido spiritu adhuc turgida, sunt usurpanda. Quoad Saturnina convenit tinctura antiphthisica, saccharum Saturni &c.: vid. WEDELIUS *de Medic. Fac. pag. 237.* De *Vitriolo* & ejus *spiritu* D. LANGIUS *super Fabrum* refert, quod crebrior aut diuturnior ejus usus notabiliter imminuere soleat vim testium genitalem, ut etiam hujus abusu structura testium penitus fuerit immutata; unde spiritus vitrioli crebriùs ac diu usurpatus, compescit egregiè Satyriasin: item tinctura florum papaveris rhœados ac florum cyani & tunicæ cum phlegmate vitrioli acidulo crebriùs hausta. Nec minùs conveniunt alia per experientiam cognita, quæ inter est nymphæa, præsertim flore albo, ejusque radix, quæ specificè commendatur, item lactuca, ejusque succus, portulaca: quibus addatur millefolium flore albo, ruta, & quæ ex citatis internè usurpari possunt remedia; item *cicuta*, quæ apud nos insons deprehenditur: Imprimis mentha his addita laudari solet. De vitice seu agno casto, cujus folia, flores, & semen sunt usitatissima, res satis est nota. Post *viticis semen*, semen cannabis est etiam insignis laudis; item semen lactucæ, portulacæ & similia. De *salice* res nota est; nempè sunt *ramuli teneri salicis*, ex quibus incisis *liquor albus* emanat, qui impetum Venereum solet extinguere: folia salicis cocta; item cum his folia verbenæ mista, cocta, diutiùs continuata mirè stimulum Venereum interimunt. His optimo consilio Nitrata adduntur. Camphora est hic non negligenda, non quod absumat, ut volunt, semen, aut vim genitalem imminuat, sed quod certâ quadam virtute spirituum fixativâ sit prędita; quâ ratione & deliriis febrium malignarum adeò potenter resistit. Quò facit, quod ZACUTUS LUSITANUS *lib. 3. Med. Princ. Histor. 20.* refert, coitum assiduum camphorę usu curatum; item Electuarium ejus camphoratum, quod habet *l. 2. Prax. Admir. Obs. 108.* Conf. TACHENIUS *Hipp. Chym.* Ratione cujus virtutis spirituum fixativę & Opiata conveniũt, quę per se usurpata spirituum ferociam & agilitatem compescendo, impetum Venereum retundunt, spiritus figendo, & eorum impetum cohibendo. De opio dubium videri potest, cùm in regionibus Orientalibus opium tanquam Venereum optimum usurpetur. Ad hęc opium habet summam acrimoniam, quę etiam in quibusdam sudorem pruriginosum infert; nil tamen impedit, quò minùs & spirituum impetum figat, cùm & hac ratione stimulantibus sociatum, actum Venereum diutiùs continuandum efficiat, & spirituum impetum impediat. Sic, ut Formulas quasdam annectam, egregia hic est *Emulsio Mynsichti cannabina*:

℞. *Sem. cannab.* ℥iß.

Semin.

Semin. 4. frigid. mai. an. ℥i.
Cum s. q. *aquæ flor. nymph.* & *rosar.* an. f. Emulsio: Huius ℥xiii. adde
Syr. è succ. violar. ℥ii.
Aquæ cinnam. bugloss. ℥i.
Misc.

Hęc in *pollutione nocturna*, *satyriasi*, *priapismo*, & omnibus aliis, à nimia genituræ quantitate vel acrimonia provenientibus affectibus, est nobilissima. Notandum, quod *Aqua cinnamomi buglossata* omittatur commodiùs, nisi ob nimiam genituræ projectionem insimul vires defecerint; aliàs enim, cùm spirituosa sit & aromatica, malum nonnihil exasperare posset. Aliàs & ita præscribere soleo:

℞. *Sem. cannab.*
Melon. an. ℥ii.
4. frig. mai. an. ℥i.
Aqua lactuc.
Acetos.
Flor. nymph. an. ℥iii.
F. Emulsio, edulcoranda cum *syr. pap. albi.*
D. S.
Emulsio sistens.

Sic & *Mixturæ* præscribi possunt:
℞. *Aquæ fol. vitis,*
Salicis an. ℥iß.
Spiritus nitri dulc. vel *vitrioli dulc.* ʒß.
Edulcor. cum s. q. *manus Christi simpl.*
D. S. ut antè. Vel
℞. *Phlegm. vitrioli* ℥ii.
Tincturæ flor. bellid.
Rosar. an. ʒß.
M. S.
Tinctura compescens.

Vel in forma *Pulveris*:
℞. *Pulv. sem. agni casti,*
Nitri depur. an. ʒii.
Camph. ℈ß.
Laud. opiat. gr. vi.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis ad pudorem, 3. cuspidibus cultri sumendus in aqua sequenti.
℞. *Aquæ acetos.*
Flor. nymph. an. ℥ii.
Liqu. salicis ℥iß.
Syr. nymph. q. s.
M. S.
Aqua ad pulverem.

Cum his *externè* commodè applicantur partibus genitalibus, in specie scroto & pectini, succus plantaginis, solani, cicutę, *hyoscyami*, sempervivi, cum aceto vel simplici, vel destillato, & saccharo saturni misti, & in forma Epithematis applicandi, ad compescendam nimiam salacitatem, & impediendam genituræ turgescentiam: aut fiant ex his plantis Cataplasmata aceto impregnanda: Vel partes genitales similiter foveantur succo sempervivi aut *lactucæ*, in quo nitrum crudum vel purgatum q. s. solutum sit. Testibus hoc in forma Epithematis applicatum, mirè spirituum impetus refrenatur, quin & posteà regio lumbaris, seu renes, ipsumque scrotum subinde humectari potest: item partes genitales, pecten, scrotum, &c. foveantur *aquâ nymphææ*, in qua dissolutum sit *opium*: sin ob penetrationem ad aliqualem opii correctionem acetum admisceatur, eò melius erit. Suadent quidam *laminam Saturni* lumbis applicare circa regionem renum, sed malè; quia quandoque sic insecuta est gravior urinæ suppressio.

ARTICULUS II. DE PRIAPISMO.

SEcundus modus nimię penis Erectionis est, dum *penis ita rigidus* & ita distentus est in omnem dimensionem, *ut exindè graviter doleat*, & dolorem tensivum sentiat: in qua ipsa distensione *nullum* Veneris adest desiderium, unde & coëundo nullum aut paucissimum semen emittunt; coitu nullo levantur, quin potiùs malum insigniter exasperatur, adeò, ut si tales sępiùs coitum tentare velint, incidant subindè in convulsionem totius corporis. Morbus hic usitatè PRIAPISMUS dicitur, à Priapo, scortorum apud Gentiles Patrono, qui tali membro semper erecto & rigido fingitur.

CAUSÆ.

Causa proxima hujus priapismi est *convulsio musculorum penis*, quorum spasmo & continuâ spasmodicâ contracturâ; & venâ penis penitùs occlusâ sanguis penem distendens, omninò impeditur & sistitur in refluxu, & simul dolorifica tensio in radice penis percipitur. Undè, dum sanguis copiosiùs in penis corporibus nervosis hęret coacervatus, tandem dolorifico tali distensionis sensu membrum cruciatur, & cum spasmo dictorum musculorum convulsivi quid patitur. A tali nempè musculorum penis convulsione est, quod Epilepticis quibusdam insciis & invitis in paroxysmo subindè membrum tendatur, imò & iisdem in paroxysmo epileptico genitura interdum elabatur, à tali sc. musculorum penis, vicinarumque partium membranosarum convulsione: Item videtur hinc oriri, quod interdum quibusdam *suspensis* erigatur membrum: vid. SCHENCKIUS *in Observ. ubi de Spasmo*; Confer. simul SALMUTH. *Cent.* 3. *Observ.* 21. & 40. ubi tale exemplum recenset, similis sc. membri convulsionis in Turca interfecto propter copiosum Masiah assumptum. Verùm nè fiat confusio, dum superiùs dixi, inflammationem scroti, penis, ac testium fieri ex impedito sanguinis refluxu & motu; hic verò dicam, priapismum oriri ex impedito sanguinis motu propter convulsionem musculorum; Ne, inquam, circa hoc fiat confusio, observandum moneo: quod sanguis in corporibus penis membranosis excavatis coërcitus, & in refluxu impeditus, det membri pertinacem erectionem & tensionem: Ubi verò sanguis in ipsa substantia penis, quam irrigat, ut ibidem stagnet, tunc in procinctu esse solet periculosa eius inflammatio.

Convulsionis huius musculorum penis, & inde oriundi *priapismi*, *causa est irritatio* quæcunque, aut musculos penis aut horum nervos afficiens; unde spirituum animalium continuato influxu hi contracti & convulsi manent, & tandem *priapismum* inferunt; non secus sc. atque punctura nervi cujusdam per irritationem partis, ad quam nervus tendit, convulsionem infert, unde huius membri fit contractio & rigiditas. *Irritatio hæc* à *causa* tam *in*-quàm *externa* excitatur, rariùs autem à causa interna, frequenter ex externa. Inter has externas primatum obtinent cantharides, intempestivè & incautè usurpatæ: quæ sicut tàm *externâ applicatione*, quàm *internâ assumptione*, urinam cruentam aut ulcus vesicæ inducunt; ita quibusdam, Italis præsertim, loco stimuli Venerei inserviunt, sed quorum acre & salinum vitus ad musculos penis delatum, continuâ irritatione, pertinacis priapismi subindè causa est. Imò etiam alia Aphrodisiaca acriora, magisque *aromatica*, & copiosiùs assumpta, interdum *priapismum* inferunt: Hinc enim curiosum est, quod observat SALMUTH *Cent.* 3. *Obs.* 29. de Sene defuncto, qui tertia die nuptiarum mortuus, pertinaci penis erectione repertus est, ex nimio abusu medicamentorum Venereorum, quibus usus fuerat, ut in nuptiis secundis noviter nuptæ iuvenculæ satisfaceret, & meliùs placeret. Dubio procul convulsus mortuus est; nam dum ante, & in ipsa morte, musculi penis convulsi, rigidi sunt, facilè fibræ post mortem in eodem tono, ex contentis humoribus successivè condensatis, perstare, & ita ex sanguine successivè in pene coagulato etiam post mortem hujus tentigo continuari potest: Vid. GARMANNUS *de Mirac. Mortuor.* & M. A. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Obs.* 34. *p.* 98. Sed malum hoc satis est rarum, ut plura addere verear. BORELLUS tamen *Cent.* 2. *Obs.* 31. notat quendam in coitu instar canum iunctum remansisse, quod à nimio ardore partium genitalium tumefactarum provenire existimat; vel quod è zibetho, quo consilio amici cuiusdam, voluptatis augendæ gratia balanum inunxerat, partes hæ calefactæ & irritatæ fuerint.

DIAGNOSIS.

Diagnosis hujus affectus ex relatione ægrorum, & suprà dictis addiscenda.

PROGNOSIS.

Priapismus, cum sit interdum satis dolorificus, ac dolorem inferre soleat similem tetano, seu membris tetano correptis, metum infert, ne & aliarum partium superveniant *convulsiones*, ægerque sic moriatur; aut nunc tumorem, nunc inflam-

inflammationem, nunc periculosum apostema membri post se trahat.

CURA.

Curatur Priapismus, convulsionem musculorum imprimis removendo, causam irritantem sistendo; nam sic sponte flaccescet penis. Ubi simul Causa occasionalis excrementitia latet in corpore, ad revulsionem commendatur vomitus, qui præ aliis purgandi modis, præsertim ad priapismum confert, utut *Purgantia* per inferiora eandem removere videantur; eorum tamen vis minùs est valida; prætereaque notum, quod Purgantia interdum tentiginem inducant, & Venerem stimulent: Exemplum habet de Viduo PLATERUS, qui ex usu pilularum aromaticarum & mastichinarum tale quid percepit, unde Purgantia rectè omittuntur. Potiùs ergò *Vomitoria* laudantur in priapismo ad revulsionem, uti dicunt, causæ irritantis: vid. FORESTUS *lib. 26. Obs. 6.* Idem habet EPIPHANIUS FERDINANDUS *Hist. Med. 26.* Post *Vomitoria* conveniunt acida, mentha, ruta, vitex seu agnus castus, ejusque semen: Nempè *Decoctum lentium* cum *semine agni casti* aliquandiu usurpatum, experimentum est LINDANI contra Priapismum, qui etiam refert se aliquando curasse senem septuagenarium priapismo laborantem, in quo externè & internè oleum destillatum rutæ, aliàs ab HARTMANNO insigniter commendatum, frustrà adhibuerit, postmodùm verò eundem restituerit decocto lactucæ & semine agni casti crebriùs ac diutiùs usurpato. *Opium*, item *camphora*, & similia, cum succo citri copiosiùs usurpata etiam huc conferunt. POTERIUS, qui non habuit nec habebit parem inter Italos, *C. 1. cap. 54.* refert, quendam 30. annorum diu pravâ tentigine tentatum, tandem per usum auri diaphoretici fuisse curatum. Hinc lac prodest, ubi ex cantharidibus malum ortum fuerit.

Externè Epithema ex vino, in quo coctum sit cuminum & ruta, adhiberi debet, quod JOEL *in sua Praxi* in usu habet; uti etiam oleum rutæ, menthæ, &c. genitalibus & perinæo illinendum. Cataplasmata quoque ex ruta, mentha, cumino, floribus nymphææ cum aceto & aqua parata; vel ex ruta contusa & semine cumini cum aceto conveniunt. Conducunt quoque *cataplasmata camphorata*: Vel illinatur *oleum amygdalarum dulcium*, in quo soluta sit *camphora*, radici penis; vel applicetur *camphora* in *aceto vini* soluta, cum *aqua nymphææ* superfusa rutæ contusæ. Sedulò interim monent omnes Practici, ut in priapismi cura unà cum genituram extinguentibus usurpentur medicamenta carminantia, ut est v. g. aqua carminativa communis, mista cum aqua castitatis *Quercetani*; aut aqua castitatis *Riverii*, mista cum spiritu nitri dulci. Dico commendant Practici, quibus tamen minimè possum consentire; hypothesis enim eorum est, quod oriatur priapismus ex liquore flatuoso, seu ex flatibus penè distendentibus, quod tamen minùs philosophicè aut scientificè videtur locutum: unde ex hac hypothesi carminativa commendant: hinc etiam ZACUTUS LUSITANUS *lib. 2. Prax. Admir. Obs. 105.* aquam ex caryophyllis viridibus destillatam laudat. Potiùs acida vitriolacea commendo, & juxta hæc Nitrata, quæ & ipsa priapismum curare valent. Denique Clysteres carminantes laudantur à ZACUTO LUSITANO *lib. 3. Med. Princ. Hist. 21.* Imprimis si addantur urinæ pueri ℥iii. fermenti acris ℨi.

Hæc est aucta Penis erectio.

CAPUT III.

DE

PENIS ERECTIONE DEPRAVATA.

Tertium vitium in Erectione denique erat *depravata penis erectio seu contorsio*. Nam depravatè erigitur membrum, dum non debita in figura & modo debito contingit, cùm naturaliter penis tensus in figura rectâ absque dolore soleat extendi. Quando ergò contortus est penis, seu quando curvam aut aliam vitiatam figuram acquirit, dum erigi debet, læditur ejus actio, de cujus causa interna nihil est, quod addam, nisi quod consulendus sit HEINRICUS ab HEER *obs. 7.* ubi habet aliquot rara exempla contorsionum penis, & ex AURANTIO refert modum, depravationem hujus erectionis & contorsionem penis corrigendi: item SENNERTUS *l. 3. Prax. p. 923.* Pertinet huc *retractio penis omnimoda* in imum ventrem, per cucurbitularum appositionem curanda, secundùm HEINRICUM ab HEER *obs. 7.* item Carminantibus applicandis restituenda. Vid. M. A. N. C. *Ann. 2. obs. 50. pag. 89.*

Pertinet huc *Penis Tumor* præternaturalis, ut quando Tumorem penis subitaneum tympaniticum, fotu carminativo curandum observarunt in M. A. N. C. *Ann. 3. observ. 99. p. 160.*

Depravatur etiam penis erectio subindè *fræni*, vel *præputii vitio*, quando non ritè potest erigi, vel extendi membrum, *Frænulum* quod attinet, si nimis breve est, & tenditur membrum, glans retrahitur, & membrum incurvatur, & sic non tantùm *generatio impeditur*, sed etiam *dolor oritur*. Hoc ergò *curatur Chirurgiâ*, ubi frænum simplici incisione secatur, uti videbitis ex HILDANO *Cent. 6. Hist. 6. Observandum tamen*, ut aliquid potiùs detrahatur de membrana præputii, quàm de glande, si res est curta: facto hoc, applicetur stuppa cannabis cum albumine ovi & bolo imprægnata, quæ immergatur in locum, ubi facta est incisio.

Præputii verò ratione fit, quando hoc ita est angustum & strictum, ut glans commodè detegi nequeat; sic enim coërcitus penis re ipsâ se explanare nequit. Vitium hoc aliàs *Phimosis* dicitur.

ARTICULUS I.

DE

PHIMOSI.

CAUSÆ.

Phimosis verò triplici ratione fit: nunc est malum nativum; nunc fit interdum à coitu cum fœmina infecta, & inflammationem concipit; nunc preputium incipit corrugari, ut non possit detrahi, nisi concipiat fissuram.

CURA.

Phimosis hæc, quæ est à nativitate, sectione Chirurgicâ facilè curatur, & removetur: Scilicet cùm incisura in præputium inciditur: interdum etiam per crucem fieri solet, observando saltem hoc, ut vitetur vena pudendi, seu istud vas, quod circa latus præputii se manifestat.

Si verò ex congressu impuro facta est inflammatio præputii, quæ solet habere conjunctum insignem pruritum, optimum est sequens Fotus:

℞. *Mucilag. sem. psyllii,*
Cydon.
Fænugr. cum aqua plantag. extr. an. ℥i.
Vitell. ovi No. i.
Lact. vaccini ℥iii.
M. sub forma Fomenti: S.
Fotus leniens.

Applicetur crebrò loco affecto.

Vel

℞. *Aquæ vel Decoct. calcis vivæ*:
Cum quo vel solo, vel addito *sacch. saturni* vel *mercurio dulci*, f. Fotus calidè applicandus.
D. S.
Fotus refrigerans & discutiens.

℞. *Flor. chamom.*
Samb. an. M. i.
Hyosc.
Sem. anisi,
Fænic. an. M. ß.
Bacc. lauri ℨß.
Incis. & contusa coque in *Aquæ calcis vivæ* lbi.
Colatura D. S.
Epithema leniens.

Applicatur calidè. Convenit etiam in Paraphimosi.

Vel fiat Cataplasma ex farina fabarum cum dicta aqua calcis vivæ, invicem miscendo, quod præputio affecto applicatum, tumorem discutit, & malum curat.

In Phimosi, in quâ præputium corrugatum est, ut citra fissuram non possit detrahi, præter jam dictum Cataplasma, in specie convenit cremor calcis vivæ, qui subigitur cum butyro non salito.

ARTI-

ARTICULUS II. DE PARAPHIMOSI.

Contrarium vitium est *Paraphimosis*, tanta post glandem præputii retractio, ut nequeat denuò retrahi, vel supra glandem duci, ut etiam glandis periculosam inflammationem inducat.

CAUSA.

Vocatur Paraphimosis, & imprimis ex violentiori oritur coitu, eoque sæpissimè primo, dum ex relaxatione fræni in tantum ex impetuoso coitu præputium retrahitur, ut tumefactum non nihil infra glandem subsistat, & ita paraphimosin inducat.

CURA.

Cura huius vitii fit præprimis per *Emollientia*, & cùm *præputii* utplurimùm accidat *tumor*, per *Discutientia*. Convenit e. g. *Fotus ex lacte*, in quo *flores sambuci* ebulliant. Convenit etiam *cataplasma ex floribus chamomillæ*, *parietariæ*, *rosis rubris*, *cum lacte* coctis & calidè loco affecto applicatis. FORESTUS applicat fotum ex Decocto malvæ, violariæ, & hyoscyami propter dolorem: Aut etiam applicat Decoctum rosarum aut meliloti cum farina fabarum & foliis hyoscyami. Quidam commendant ad talem præputii dolorem, si recipiatur cortex sambuci medius, qui coquatur in lacte, quo calidè suffumigetur priapus, & postmodum pano linteo, in isto Decocto intincto, fomentetur: v. g.

℞. *Herb. malv.*
Parietar.
Alth. an. Ml.
Rad. alth.
Lil. alb. an. ℥i.
Flor. rof. rubr.
Chamom. an. p. ii.
Coqu. in lacte ad consistentiam pultis, & applica.
D. S.
Puls emolliens & leniens.

Vel applicetur Fotus ex flor. chamom. sambuci, hyoscyami, &c. cum aqua calcis vivæ, suprà Artic. 1. in Phimosi laudatus: cui, *si membrum insigniter simul doleat*, addi potest *croci* momentum. Multum quoque præstat commune Chirurgorum Cataplasma, ex *pane triticeo* cum *lacte*, Germ. *ein Semmel-Brey*: sit exemplum:

℞. *Medull. panis similag. in lacte infus.* ℔ß.
Vitell. ovor. No. iii.
Ol. rosac. ℥ii.
Croci ℈i.
M. f. Cataplasma.

ARTICULUS III. DE PENIS INFLAMMATIONE.

Pertinet huc etiam *Inflammatio Penis*, ut plurimùm à causa externa, in qua confert Cataplasma iam dictum ex floribus chamomillæ, parietar. &c. & aqua calcis vivæ cum appropriatis additis. Iis fermè curatur remediis, quæ retuli *Sect. 1. cap. 1. Artic. 1. de Inflammatione testium*. Unum tantùm recensebo exemplum: Fuit aliquando puer, qui adhoc, ut membrum acquireret paulò generosius & maius, inunxit non tantùm membrum, sed etiam scrotum, cum lacte esulæ seu tithymali, unde facta fuit insignis harum partium inflammatio cum non levi dolore coniuncta: facilè tamen fuit discussa & curata per Fomenta ex lacte, tepidè sæpiùs iterata: cui, si flores sambuci incocti fuissent, effectus eò præstantior fuisset.

ARTICULUS IV. DE PENIS DOLORE.

Ultimò denique impeditur, seu depravatur debita membri erectio ex *dolore*, dum sc. impensiùs dolet membrum: Sic ex forti labore in coitu subindè fit, ut doleat, ut etiam intumescat glans, quod vitium insigniter leniunt cicutæ folia trita, & per patentem præputii hiatum immissa. Commendat hoc remedium etiā HEINRICUS ab HEER *in obs. 7.* contra inflammationem glandis crystallinam, in qua glans tumida & quasi perspicua instar crystalli erat cum gravi dolore, dum sc. sumptâ cicutâ, eâque immisâ per patentem præputii hiatum, sedatus dolor, & tumor discussus fuit. *Quod si* verò anguis sub herba latitet, & *gonorrhϾ* virulentæ *coniunctus* sit Penis dolor ac reliqua hactenus dicta glandis vitia, quod tantùm non semper evenire solet, & huic quoque per *interna* prospiciendum erit, *Purgantia* nimirum, & *Balsamica Terebinthinata*, quæ *supra l. 1. ubi de Gonorrhœa virulenta*, videantur. Optimum aliàs est Balsamum Peruvianum, dum sc. hoc ipsum excipiatur filo crasso, albumine ovi durato, & hoc ipso balsamum Peruvianum infigatur & applicetur; sic enim dolor in virgæ initio à gonorrhœa facilè sedatur.

Denique *dolet penis non rarò ex calculo vesicæ*, in quo nihil præstantius est, quàm aqua albuminis ovorum, cum lacte muliebri & camphoræ modico, quæ omnia calice excepta frigida actu vel tepida admoveantur peni, ita, ut membrum huic immittatur; sic namque statim omnem dolorem sedari, Autor est ZECHIUS *in Consil.*

Et hi fuerunt Morbi Virorum, de quibus hæc dixisse sufficiat: Pergo ad Morbos Mulierum.



LIBER IV.
DE
MORBIS MULIERUM.
SECTIO I.
DE
FLVORIS MENSTRVI VITIIS.

VT virilis Sexus, simul ac genituræ in eodem fit generatio, singulares suas patitur alterationes, ita & Sexus muliebris, dum ad generandum fit aptus, seu ova in eorum testibus fiunt fœcunda, etiam non minorem in corpore incurrit mutationem. Nam præterquam, quod puberes fiant mulieres, h. e. quod lanugo in monte Veneris efflorescere incipiat, etiam mammæ turgescere, seu, ut vocant, sororiari incipiant (*cum sint binæ*) *vox* gravior fit, & mutationes viris similes patiuntur: sed in specie sibi habent propriam sanguinis per genitalia excretionem, quæ imprimis suam meretur considerationem, & *à periodo*, quâ ordinatè repetere solet, *fluxus menstrui*, vel mensium nomine Latinis, Germanis *die Bluhme, die Rose, die Zeit*, appellatur. Propriam dixi hanc purgationem esse feminis: Nam inter animalia nullum, præter simiam & barbum piscem, similem pati fluxum dicitur. Observata tamen sunt quoque exempla, licet pauca, quod & ipsi viri omni menstruo spatio similem menstruum fluxum per *penem* passi fuerunt. Exemplum tale præter ZACUTUM LUSITANUM *lib.* 2. *Prax. Admir. Observat.* 101. & D. MICHAELIS, etiam annotavit BARTHOLINUS *Cent.* 5. *Hist.* 32. item FEHR *Tract. de Absinth pag.* 138. in specie THIERMEYERUS *lib.* 1. *Consil. pag.* 186. & 189. ubi refert mensium excretionem virilem per virgam, omni novilunio redeuntem, cum symptomatibus iisdem, quæ molestant feminas, si forsan suppressionem patiantur: Sicuti aliàs interdum periodicus, & menstruus *hæmorrhoidum fluxus* in viris æmulatur quasi menstruationes mulierum: cùm & in succulentioribus & habitioribus mulieribus, desinentibus mensibus, post annum ætatis 49. succedat interdum ordinatus menstruus hæmorrhoidum fluxus; quin & interdum loco menstruorum suppressorum, quàm mensibus fluentibus intermedio temporis spatio, hæmorrhoidalis fluxus contingat. Prioris exemplum videri potest in HORSTII *Observat. pag.* 296. & *Problem. pag.* 91. Posterioris in SENNERTO *lib.* 3. *Prax. pag.* 418. qui nempè observavit in muliere cum menstruorum ordinario fluxu simul ordinarium hæmorrhoidum fluxum, decimoquarto die post menses cessantes supervenientem: ut taceam, subindè cum mensibus etiam fluentes hæmorrhoides; vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observat.* 22. *pag.* 3.. *Ann.* 4. & 5. *pag.* 299. *Ann* 6. & 7. *observ.* 63. & BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Volum.* 1. *pag.* 165. Repetere dixi hunc fluxum singulis mensibus, utut in quibusdam anticipet unam vel duas dies, in quibusdam verò per tot dies etiam postponat: unde illæ priores tredecim hæ tantummodò undecim vicibus, purganturin anno: Rarum namque est exemplum illud, quod PANAROLLUS *Pentec.* 2. *Observ.* 41. refert de muliere singulis mensibus bis menstruata, sine sanitatis noxa: Conf. M. A N. C. *Ann.* 6. & 7. *obs.* 153. *pag.* 219. SENNERTUS *l.* 3. *Prax. pag.* 418.

Incipit, ut dixi, hic fluxus menstruorum tempore *pubertatis*, dum maturæ viro, & ad generationem habiles fiunt: id quod fit ordinariò circa decimumquartum *ætatis annum*: incipit nimirum quasi motu naturæ critico in secundo septenario, & desinit similiter in septimo septenario, nempè anno 49. utut interdum circa duodecimum annum quædam mulieres & puberes, & menstruatæ fiant; & rarum est, quòd citiùs inchoent, aut diutiùs fluant, quorum tamen exempla prostant. Propria hoc in passu *idiosyncrasia* subiecti probè est consideranda: nunc enim *iuniores*, *alacriores*, *spirituosæ*, *vegetiores*, diætâ lautâ *utentes*, & *salaciores*, citiùs patiuntur hunc fluxum: quæ verò se habent contrario modo, iisdem tardiùs erumpunt. Rara ergo sunt, & quæ ob id ordinario naturæ cursui nihil derogant, quod refert SCHENCKIUS *in lib.* 4. *observ.* de puella novenni menstruata: item, quando refert TULPIUS *lib.* 3. *observ cap.* 36. de puella quatuor annorum menstruata: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *obs.* 23. *Ann.* 6. & 7. *obs.* 63. *Ann.* 9. & 10. *obs.* 28. Sicuti è contrà nil derogat, quando iisdem menses ulteriùs producuntur: qua ratione HILDANUS *in Cent.* 4 *observat.* 63. refert, menses cuidam fluxisse ultra septuaginta annos: sic mulieri septuagintasex annorum mensium fluxus rediit, statam servans periodum; vid. M. A. N. C. *Ann.* 9. & 10. *obser.* 9. *pag* 46. sicut & PANAROLLUS de menstruo in vetula diutiùs durante observationem habet.

Fluunt quidem *continuò*, nisi quod ordinariò soleant supprimi *gestationis tempore*, in quibusdam etiam *tempore Lactationis*: Unde non minùs rarum est, quando quibusdam viraginibus seu virilis habitus mulieribus, etiam omninò fœcundis, nulli unquam fluant menses: vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *obs.* 64. Sic præter SCHENCKIUM PANAROLLUS *Cent.* 1. *observ.* 15. refert mulierem quintà vice prægnantem, nunquam tamen menstruatam: Sicut rarum est, quando impraegnatis etiam primis gestationis mensibus iidem adhuc fluant, imò usque ad partum sine noxa; vid. M. A. N. C. *Ann.* 9 & 10. *obs.* 28. Aliàs curiosum est, quod mulieri ante matrimonium legitimè menses fluxerint, qui post matrimonium omninò suppressi fuerunt, citra ullum tamen sanitatis incommodum, ut refert PLATERUS *lib.* 1. *obs.* Non minùs observatu dignum est, quod idem PLATERUS *in obs.* refert, quod in alia muliere menses suppressi fuerunt, quoties pueros lactaret; sin verò puellas, hi liberè & ordinariâ periodo fluebant.

De modo, quo fiat? res nota est ex *Physiologia*: Nempè *fit menstruatio hæc* seu sanguinis fluxus per turgescentiam quandam & fermentationem extraordinariam massæ sanguineæ, propter vim peculiarem fermentativam ab uteri glandulis cum sanguine & lympha ab ipsis refluis, toti massæ sanguineæ communicatam, & etiam ipsi lymphæ seminali uteri & prostatarum concessam: quæ uti acriores factæ pruritum Venereum insolitum ferè excitant; ita ratione illius in sanguine turgescentiæ per *anastomosin in vasis uterinis* exitum invenit. Patet hoc, quia mulieres nunquam sunt *salaciores*, quàm instante mensium fluxu, & cessante, cùm uberiùs turgescens sanguis, & rapidiùs per vasa circulatus, distendat hæc ipsa; Unde subindè lassitudo artuum, dolores lumborum subinde tensivi, item pulsationes arteriarum in lumbis & circa os sacrum, phlogoses quædam tunc temporis se exhibent, donec istâ sanguinis turgescentiâ, apertis tandem vasis sanguifluis in vaginam uteri insertis (nam per uterum nihil fluit) sanguis erumpat, quo denique sufficienter evacuato & ejus turgescentia & fermentatio omninò cessat, & vasa denuò subsident ac connivent, donec à novo orgasmo sanguinis denuò aperiantur. Adesse tamen fermentationem sanguinis extraordinariam seu nonnaturalem in menstruatione, præter alia omnibus obvia hoc etiam testatur, quod odor fermenti vulgaris sæpiùs per nares haustus promoveat mensium fluxum subsistentem, quod uberiùs facere dicitur, si frustulum ejus, quantitatis castaneæ, cum pauco nucis moschatæ assumatur. Unde & notabile est, quod conservæ, si recipiant halitum menstruatæ, desubitò acescant: sicut etiam halitus earum vinum & cerevisiam acescere facit, ob vim talem fermentativam, quæ earum hali-

halitui inest: hinc etiam est, quod Chirurgi in Vulnerum cura & deligatione nullam admittant fœminam metu menstruationis, quia earundem effluviis vulnera depravantur. Et quod per fermentationem fiat menstruatio, probat KERGERUS *de Ferm. Sect.* 3. *cap.* 2. *pag.* 214. Si enim solâ quantitate efficiente proflueret, quotidiè tantum derivandum esset, quantum excederet, &c. Vel si cumularetur tot mensis tempore, ultimis diebus prægrauarentur ejusmodi onere, & fluxus in principio esset maximus. Fermentationem hanc etiam confirmat, quod febrile quid tunc temporis patiantur fœmellæ, unde & febrim menstruam observavit LINDANUS, id est, talem, quæ singulis mensibus recurreret & ad biduum duraret, quoties menstrua prorumperent: item circa uterum, arteriam portam, & venam cavam eò loci præcipuè percipiuntur tensio, dolores atque anxietas, hypochondriorum durities, respirationis difficultas, aliaque mala: Vid. KERGERUS *l. a. pag.* 214. Confirmant denique talem sanguinis fermentationem etiam omnia ea, quæ hunc fluxum sistunt, ut omnia acida, quæ hoc ipsum faciunt, quatenus imprimis istam sanguinis turgescentiam fermentativam supprimunt & impediunt, aut subitò sistunt, destruendo salia volatilia, & coagulando blandè massam sanguineam: è contrà, quæ menses stimulant, de natura salina volatili esse debent, & utplurimùm insigniter amaricantia, v.g. præter aromata, ut cinnamomum, caryophyllos, &c. excellit castoreum, crocus, myrrha, sabina, aloëtica, hinc Elixyr proprietatis, &c. Unde & splen bovis menses stimulare dicitur, ratione virtutis fermentativæ sanguinis in splene residentis: Imprimis ex colocynthide, sive intus assumpta, sive foras Pessorum formâ exhibita, menses insigniter stimulant. Sicuti gaudium, ira, &c. promovent fluxum: ita *terror*, *tristitia*, mœror, metus, &c. eum impediunt.

His pro fundamentis totius Praxeos pro mensium vitiis præmissis, *læditur* hæc *menstrua excretio* tribus modis:

1. *Quando imminuta est*, ita, ut aut parciùs fluant, aut nullo modo appareant.
2. *Quando eadem aucta est*, ut uberiori rivo scateat, tàm una vice, quàm partitis vicibus, i. e. quando quovis mense aliquoties evacuantur.
3. *Quando eadem depravata est*, & nonnaturali modo cum variis symptomatis, doloribus abdominis, &c. comitata se manifestat: vel per aliena loca, vel *inordinato tempore* fluit, vel *sanguis* adjunctas habet præternaturales *alterationes*, ut, quando menses decolores, atri, aut fœtidi excernuntur, & qui sunt præternaturales errores circa menstruationem evenientes.

CAPUT I.
DE
MENSIUM EMANSIONE.

Quod attinet *primum vitium*: *sive* imminuta, *sive* planè absit menstruatio hæc, vulgò *mensium suppressio*, potiùs tamen cum LINDANO *in Meletematibus Emansio mensium* dici debet; sicut, quando actu fluentes cohibentur, tunc optimè mensium suppressionem vocare possumus. Sed in verbis simus faciles, modò constet de re. *Emansio* ergò hæc mensium est vel *naturalis*, vel *præternaturalis*. *Naturalis* est talis aut *ratione ætatis*, dum post 49. vel 50. annum naturaliter deficiunt; aut *ratione* ipsius *mulieris status* seu conditionis, dum non observatur in gravidis, utut quibusdam habitioribus primis gestationis mensibus ad medium tempus fluat: item in quamplurimis Lactantibus naturaliter emanet sanguinis fluxus menstruus: In convalescentibus denique seu talibus, quæ à gravi morbo resurgunt, etiam naturaliter deficiunt; in his enim depauperata massa sanguinea, partim in *quanto*, partim in *quali*, & exhausti plus minùs, torpidique spiritus minùs apti sunt ad fermentationem menstruam. Item naturaliter deficiunt menses in iis, in *quibus* alia quædam insignior *evacuatio*, aut sanguinis immediatè in gravioribus vulneribus, aut mediatè sub transmutationis forma, v.g. saniei aut ichoris in ulceribus inveteratis, fit, aut facta est absumptio. Sic refert BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 87. de fluxu mensium suppresso, qui postmodum apertis & consolidatis quibusdam abscessibus, denuò fuerat revocatus. Hæ & similes mulieres relinquendæ sunt naturæ, nec fatigandæ præposterè medicamentis, nisi ut *lauta diæta* sanguinis copia reconcilietur: id quod taxat FORESTUS *lib.* 28. *observ.* 5. in quodam Medico imperito, qui nitebatur evocare menses in puella planè extenuata. Hoc interim est notabile in iis, quæ *ulcera* vel vulnera habent graviora, & quibus ob id fluxus ordinarius plus minus est suppressus, quòd hæ isto tempore, quo aliàs ordinariò fluere deberent, singularem quandam in vulnere aut ulcere *alterationem* in pejus semper sentiant: scilicet percipiunt aut dolorem, aut tumorem & incipientem inflammationem, aut copiosiorem & abundantiorem fœtidæ saniei effluxum, qui, ubi aliquot dies ita duraverit, spontè cessat, donec post menstruam periodum ferè redeat usque ad mali curationem.

CAUSÆ.

Quod ergò attinet *Causas*, propter quas menses præter naturam supprimuntur aut emanent: sunt hæ ipsæ vel ex vitio sanguinis ipsius excernendi, vel ex vitio uteri & vasorum, per quæ debet effluere sanguis. Ex *uteri* quidem *vitio* est obstructio & interceptio viarum, adeoque pituita glutinosa ac plus minus viscida vasa uterina obstruens, in causa est: aut quando vasorum in vaginam terminantium *orificium externum* non hiat, vel propter *carunculas* membranæ nimis densæ unitas, vel quando vaginæ uteri exulceratæ, aut aliâ quadam ratione læsæ, coalescunt parietes, unde fluxus mensium impeditur. Ex *sanguinis* verò *vitio* est ejusdem crassities, viscíditas, & quicquid hunc ad fermentationem uberiorem ac turgescentiam ineptum reddere valet. Utriusque ratione defectus mensium est vel *accidentalis*, qui ex causa fortuita & improvisa evenit, vel *habitualis* qui altiùs radicatas in corpore habeat causas antecedentes. In specie *defectus* mensium *habitualis* vitio sanguinis fit imprimis ex cachexia seu sanguinis cruditate, ex chylo non sufficienter digesto, & hinc plus minus acido, nec ritè volatilisato, in sanguinem ingesto, unde & hujus spissitudo, & uiarum hypogastricarum infarctus, & sanguinis fixitas, indeque ineptitudo ad turgescentiam fermentatiuam; quæ cum à particulis uolatilibus spirituosis imprimis dependeat, hæ ipsæ, à cruditate eius uiscida obrutæ & oppressę, uim suam exerere nequeunt.

Alii inuertunt potiùs hoc, dicentes, quod uitium uteri sequatur ex cachexia. Uno nomine: est cruditas acida cum inertia bilis, adeoque defectus acidi uolatilis oleosi seu spirituosi: è contrà excessus acidi fixioris in subiecto uiscido sunt causæ, sanguinis *fermentationem*, & hinc euacuationem menstruam, impedientes, h. e. ut loquitur SYLVIUS, defectus bilis, & pituitæ excessus.

Origo autem hujus acidi est ex stomacho: oritur nempè ex chylo non ritè digesto, unde nil magis disponit mulieres ad defectum mensium, quàm *cruditas* acida stomachi, ratione cuius bilis hebetatur, & turgescentia sanguinis fermentatiua supprimitur, impeditur, & consequenter mensium fluxus cessat: quin & scorbutus hic non rarò suam tragœdiam ludit, dum fœminæ scorbuticæ sæpissimè, si non totali mensium suppressione torquentur, parcè tamen admodum non sine difficultate expurgari solent, quin & his ipsis citra debitum ordinem inordinatè menses fluere solent.

Quoad *causas remotas*, uitio sanguinis mensium suppressionem, tàm habitualem, quàm accidentalem, inferentes: inter sex *res nonnaturales* sunt primò aeris frigidi susceptio, tàm in uterum sub tempore mensium, unde subita sanguinis coagulatio & grumescentia, qui in uasis constrictis hęret: uti ex casu uel immersione in aquam frigidam sub menstruatione, mensium obstructionem & hinc pleuritidem natam refert TIMÆUS *von Guldenklee*, *in Casibus lib.* 2. *Cas.* 7. Hinc rectè *Lindanus* dicit: nil magis posse sistere fermentationem sanguinis menstruam, „ quàm frigus. *Duæ scilicet potissimum causæ sunt, quæ* „ *illud præstant*: (1.) *refrigeratio pedum, & quidem subita*; (2.) *refrigeratio vehemens ventriculi. Sin gelidam aquam vel cerevisiam tempore fervoris bibant*, „ *refrigerando ventriculum percellunt sanguinem, vel potiùs spiritum, & sistitur fluxus: sic nonnullis bibito lacte acido sistitur, vel pomis acidis.* Hucusque LINDANUS: Sic namque obseruat FORESTUS *lib.* 18. *obs.* 2. & 3.

& 3. menses ex terrore & saltu in aqua frigida subitò restrictos, unde summus angor circa præcordia secutus fuit; quæ ipsa tamen fuit curata per Sudorifera, ita, ut sponte postmodum redierint menses. His enim sanguinis fermentatio & turgescentia per modum coagulationis sistitur, unde cessante eiusdem fermentativâ turgescentiâ, & menstruus cessat fluxus; idque in specie *solet nocere*, quando vel *instat* excretio menstrua, vel quando *excerni* solet: Sic namque subitò *refrigeratio pedum* eo tempore, quo menses fluunt, multùm huc facit: Sic si mulieres sub fluxu mensium lotionibus in aqua frigida indulgent, vel pedes in aqua frigida lavant, solet mensium fluxus cessare, & vel *imminens*, vel *fluens* supprimi. Facit huc etiam subitanea, ceu suprà dictum, refrigeratio ventriculi: Sic namque TIMÆUS *von Guldenklee in Cas.* 202. observat menses fluentes suppressos ex haustu frigidæ post incalescentiam corporis, cum atrocissimo uteri dolore. Simile exemplum recenset FORESTUS *Cent.* 1. *Observat.* 3. *Schol.* de puella, cuius menses cùm purgarentur tempore insignioris æstus, bibitâ copiosa aquâ frigidâ lethaliter sibi menses suppressit. Item menses frigore suppressos vomitum sanguinis inferentes, vid. in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Observ.* 95. *pag.* 224. Sic ex frigida nive hausta mensium suppressionem SCHENCKIUS; item ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Hist.* 4. *Med. Princ.* annotarunt. Præter *frigus* ad suppressionem mensium multùm conferunt assumpta, inter quæ sunt omnia difficulter digestibilia, in specie omnia *acida*, imprimis mineralia fixa, vitrioli, salis, nitri, &c. quæ admodum impediunt mensium fluxum, quatenus sanguinem inspissant, eiusdem fermentationem à volatilibus oriundam omninò tollunt, & coagulationem inferunt; quod etiam faciunt omnia cruda aut viscida, sanguinis *fermentationem* impedientia, obtundendo *sal fermentativum*, ut *caseus*: hinc & *panis recens* furno extractus aut calens admodum nocivus est puellis & mulieribus, *obstipat ipsas subitò*, cùm viscido suo lentore promoveat cruditatem stomachi acidam, & sanguinis fermentationem insigniter impediat: Hinc etiam à Lacte & omnibus lacticiniis tempore menstruationis, vel imminentis, vel præsentis, abstineant mulierculæ, quoniam lac sistere menses aptum natum est: quo etiam faciunt carnes fumo induratæ. Nam cùm ex assumptis digestio stomachi vitietur ita, ut exinde fiat cacochylia, hinc cacochymia, & hinc denique cachexia, ordinariò etiam ex sanguinis cruditate fermentatio menstrua impeditur, & hinc cachexia, quam specialiter virgineam vocant, seu febris alba, oritur; hinc ex hac causa BARBETTE *in sua Praxi pag.* 83. vitium mensium suppressorum à causis externis in stomacho radicari non ineptè asserit. Confirmatur hoc malum ulteriùs, dum ex mensium suppressione *pica* laborare incipiant, & varia, imprimis insolita aut inconsueta, promiscuè ingerant; tunc enim malum longè deterius redditur: Sic namque SCHENCHIUS *lib.* 4. *obs.* narrat mulierculam, quæ devorata magna copia prunorum mensium suppressionem & tumorem ventris incurrit, qui tumor tandem incredibili copiâ ossiculorum post annum excreta subsedit, & menses repetierunt: Sic ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. admir. observ.* 99. refert quandam carbonum voracem ex pica, tandem, cùm per decem annos menses fuissent suppressi, curatam per conservam artemisiæ & menthæ. Denique & *animi* affectus multùm valent ad sanguinis fermentationem, hinc & crasin alterandam: hinc uti gaudium, uti moderata ira, quibusdam per auctam sanguinis exagitationem menstrum fluxum crebriùs provocant; ita contrà terror subitaneus, tristitia, mœror, pavor ac metus insigniores, periculosè menses imminentes sistunt, vel subitò supprimere valent fluentes: Sicuti notum etiam est, quod hæmorrhagia narium subitò incusso terrore subindè soleat compesci. Observandum tamen, contrarios effectus subindè ab iisdem animi pathematis sub menstruatione observari, ita, ut ab iisdem nunc intendatur, nunc cohibeatur fluxus: Conf. SYLVIUS *lib.* 3. *Prax. pag.* 84. 85. *seq. cap.* 3. *§.* 263. *seq.* Fumi carbonum multum nocent, si foveant se mulieres per inferiora: vid. *Rodericus à Castro pag.* 76. Vitio uteri fit mensium suppressio, vel vasorum, vel uteri orificiorum culpâ. Vasa quidem obstruuntur à mucosa pituita inspissata, & sub menstruationis declinatione sensim condensata, vasa infarciente. Orificium autem internum, idque frequentiùs, rariùs autem externum, uteri occlusum est causa suppressionis mensium: Observatum nempè fuit subindè, clausum fuisse orificium externum uteri per membranam, nunc integram, ubi simul urinæ excretio læditur, nunc in medio sic perforatam; estque talis membrana nihil aliud, quàm hymen adeò decantatum, præter naturam auctum seu coalitum; de quo hymene quasvis controversias optimè decidere videtur PANAROLLUS *Pent.* 5. *Observ.* 50. quod nihil aliud sit, quàm membrana transversa, aliquando tenuior, aliquando crassior & carnosior propè collum vesicæ, in vaginæ initio: quæ, si labia tantisper deducantur, lunaris figuræ apparet; si verò labia concidant, & hymen corrugetur, carunculas quasdam repræsentare.

Denique vulnerati, aut excoriati, aut exulcerati plus minùs vaginæ parietes sub consolidatione subindè coalescunt, & ita vias consuetas occludunt; sicut à pinguedine, cicatrice, vel tumoribus comprimentibus mensium suppressio observata fuit. Conf. TIMÆUS *von Guldenklee lib.* 4. *cas.* 7. Quò etiam pertinent læsiones genitalium post partum violentum, subindè præternaturalem eorundem coalitum inferentes: Vid. SEVERINUS *Tract. de Efficaci Medicina pag.* 285. PLATERUS *lib.* 1. *obser.* BARTHOLINUS *Cent.* 2. *pag.* 221. HILDANUS *Cent.* 6. *obs.* 67. Sed de huiusmodi Atretis seu clausis & velatis plures & varias Observationes vid. in SENNERTI *Praxi lib.* 4. *Part.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 3 *pag.* 11.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa diagnostica*: menses suppressos, nec ritè fluere, manifestatur imprimis ex relatione ægrarum, & ex symptomatis concomitantibus. In virginibus enim sanguis suppressus per venas hinc inde vagans, per insueta nonnunquam & aliena loca expurgari solet; imò non rarò febres infert: item color corporis in talibus insigniter solet esse mutabilis, dum pallidæ fiunt, subtumidæ, & colore ad livorem inclinante; supervenit tandem febris, quam vocant albam seu febrem virgineam.

Probè autem cognoscendum est, an menses sint suppressi naturaliter ex graviditate? an verò præternaturaliter suppressi?

Quibus emanent præter naturam vel morbosè, præter Observationes proprias conqueruntur de *difficili anhelitu*; quando nempè quodammodò moventur, præsertim adscendendo, mox *suffocatio* imminet: Ulteriùs patiuntur *lassitudinem* in omnibus artubus hinc inde, in specie circa *lumbos dolores tensivos graves* percipiunt, hinc præcordiorum anxietates, pedetentim color corporis *floridus* perit, labia pallida superveniunt, fiunt apparenter *cachecticæ*, *oculi* tument: supervenire solent stomachi affectus, cibi fastidium, nausea, vomitus, *pica*, & tandem *perfectè cachecticæ* evadunt.

Sed hæc per se facilè patent.

Magis cognoscenda est differentia causarum, an vitio sanguinis, non debitè turgescentis? an verò *vitio uteri & obstructorum vasorum* supprimantur menses? Si sanguinis non debitè turgescentis vitio menses emaneant, nulla symptomata abdominis aut lumborum, quæ menstruationem antecedere solent, observantur: alia tamen symptomata, quæ sanguinis labem ostendunt, adesse solent, in specie urinæ crudæ, alvi segnities, ac symptomata hypochondriaca, & procedente tempore nullam penitùs stata periodo alterationem in corpore ampliùs percipiunt. Sin verò saltem uteri eiusque vasorum infarctorum vitio deficiant menses, præfata symptomata consueto tempore vigebunt, quæ ostendunt adhuc sanguinis impetum & motum excretorium, dum sanguis turgescens, quatenus consuetis viis effundi nequit, alibi impetu facto per anastomosin effluit, unde nunc vomitus cruentus, nunc hæmoptysis superveniunt: Exempla vid. in M. A. N. C. *Ann.* 1. *obs.* 95. *Ann.* 6. & 7. *obs.* 49. Item varia pathemata in his statis temporibus, quibus aliàs fluere *menses* debent, percipiunt fœminæ: *frequentes* sunt dolores lumborum circa vasa lumborum, & quæ ex ramis iliacis oriuntur.

Conqueruntur ulteriùs de sensu cuiusdam tensionis circa *regionem pubis*: Item percipiunt *pulsationes* hinc inde in variis corporis locis, nunc circa *hypochondria*, nunc in *artubus*; adsunt *murmura*, *borborygmi*, *dolores lancinantes* in lumbis, qui ostendunt sanguinis tunc urgentem fermentationem & turgescentiam menstruam, quæ propter impedimenta in vasis non potest emitti, unde quandoque in talibus sanguis per loca alia effluere solet, interdum etiam per excretionem cutaneam: quæ semper augentur, quoties tempus menstruationis instat, uel quando fluere debent menses, & si quid fortè effluat, mucosum albidum excernitur.

Hæc ostendunt deficere menses propter vasa obstructa.

Sed quia nusquam tuta fides apud mulieres, & ipsæ interdum incertæ sunt, an sint *gravidæ*? an revera præternaturaliter *menses deficiant*? subinde solent interrogare Medicos de hac re. Quæritur ergò: an dentur signa, quibus possit demonstrari, an talis mensium emansio sit ab ingrauidatione? uel an ab alia causa oriatur? Signa certa distinctiua non habemus, quia sunt admodum similia. Dicit LINDANUS: *Soleo iubere, ut expectent medium gestationis tempus, quo certæ possint esse propter motum infantis: quod si se non prodat, nihilominùs difficile est iudicare, quia sunt, qui motum fœtus non percipiunt, etiam ultimo mense, & nihilominus pariunt. Summa: res est periculi plena, facilè credere mulieribus. Itaque semper cauti estote. Habet tamen suppressio naturalis illustria etiam signa, sed non absolutè vera; possunt enim etiam cum conceptu esse: itaque oportet Medicum valdè circumspectum esse &c.* Nam pathemata, quæ insequuntur grauidationem, nempè appetitus prostratus, nausea, uomitus matutini, picæ, item lac in mammis, &c. hæc omnia etiam obseruata fuerunt insecuta suppressionem mensium, etiam in uirginibus sine grauiditate: uid. THEODORICUS *in Valetudinario pag.* 128. HIPPOCRATES equidem *Sect.* 5. *Aph.* 39. hanc suggerit cautelam: quod nempè mulier, si nec grauida sit, neque puerpera, habeat verò lac, quod eidem deficiant menses. Nihilominus tamen hoc ipsum τεκμήριον est fallax; Prostant enim multa exempla virginum, quibus, ut dixi, illibatis, mensibus etiam fluentibus, lac tamen genitum fuit: Imò BARTHOLINUS *in sua Anatome* refert exemplum cuiusdam familiæ, cui hoc fuit hæreditarium, ut omnes virgines, simul ac puberes fiunt, lac generent: Huic etiam GALENUS assentit *in Comment. in Hippocratem*, qui licèt id rarò evenire scribit, tamen aliquando fieri posse concedit: Scribit etiam ALEXANDER BENEDICTUS *lib.* 3. *Anat. cap.* 4. se vidisse mulierem, cui, cum virgo esset, quoniam infecunda erat, menses substiterant, lacte mammæ semper diffluxerint: Et CHRISTOPHORUS à VEGA *Comm. ad Aphor. Hippocratis* refert, se vidisse puellam Burgensem, cui mensibus suppressis lac in mammis inerat. Raròquidem accidit, ut virgines lac generent, & propterea, si alicui, quæ virginem se prædicat, lac in mammis appareat, haud facilè fides habenda, sed diligenter inquirendum, annon & alia conceptionis signa adsint? Interim Hippocrati & experientię non est contradicendum; rationi enim non adversum videtur, virgines quoque lac in mammis habere posse. Fallibile quoque est signum quando dicunt: percipere motum fętus; nam quæ habent sanguinem serosum, ex propter aquam, in qua fętus quasi innatat, tardè percipiunt motum fœtus.

Propterea cautissimus, necesse est, sit Medicus, ne gravidam curet tanquam eam, cui menses deficiunt morbosè, nec vix, præterquam post aliquot mensium cursum certus de ingravidatione, vel præsente vel deficiente, esse potest: Ubi ergò sumus incerti, possumus dare Martialia, quæ gravidis non nocent.

Certum est, quod cibi fastidium, aut etiam pica, sit admodum suspectum signum gravidationis, ita, ut ubi concurrit cum mensium suppressione, virgo quæ fuit, tanquam fœmina tractanda sit, juxta HIPPOCRATEM *Section.* 5. *Aphor.* 61. *Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente ubique fastidium accidat, tum prægnantem esse putato.*

Aliàs ordinaria signa, quæ naturalem suppressionem mensium sequuntur, sunt ferè ejusdem conditionis, quàm quæ sequuntur graviditatem. Hæc tantùm est differentia in paucis quibusdam, quod nempe

1. In gravidis successivè symptomata circa primas vias mitescant, venter attollatur, mammæ turgidæ fiant; quibus verò morbosè suppressi sint menses, semper magis magisque in deterius labantur, cachecticæ evadant, pedes intumescant.
2. Quibus præternaturaliter suppressi sunt menses, iis, pallor non tantummodò in facie, sed etiam in toto corpore, cum tumore quasi inflativo supervenit.
3. Quod appetitus in gravidis ultra tertium mensem non soleat esse prostratus: sin verò fastidium sit perpetuum, magna est suspicio suppressionis præternaturalis.
4. Capitis continui dolores, & ipsi suppressionem prętematuralem arguunt.
5. Perpetuæ in lumbis gravitates & pulsationes, aut etiam in aliis corporis partibus insoliti arteriarum motus, similiter præternaturalem suppressionem arguunt.
6. Crebriores vicissitudines seu mutationes caloris, & frigoris per totum corpus, etiam præternaturalem suppressionem mensium innuunt: imprimis quibus deficiunt menses propter impedimentum venarum uterinarum, superest tamen adhuc motus & turgescentia sanguinis ad excretionem apti, tales phlogosi vagâ solent simul torqueri: hincque iisdem minùs dari convenit volatilia oleosa, olea destillata, nam sic magis intenduntur phlogoses.
7. Respiratio anhela & admodùm difficilis ad levem etiam corporis motum, similiter non ex postremis est signis, quæ præternaturalem innuunt suppressionem.
8. Pulsus ibidem frequens, inæqualis, obscurus, interdum quodammodò deficiens, etiam præternaturalem innuit suppressionem.
9. Si in tempore non succrescat abdomen, insontes esse puellas certum est.
10. De hoc imprimis solent esse sollicitæ mulieres, an per urinas etiam possit cognosci gravidatio? Mulieres enim, simul ac in virginibus suppressionem mensium deprehendunt, statim urinas Medicis inspiciendas afferunt. Veteres imprimis secundùm AVICENNAM, affirmant, ex urinis hoc posse videri. *Avicennę* dogma est, quod certum imprægnationis signum sit, si ineunte imprægnatione excernantur urinæ subalbidæ, tenues, & cui grana innatent quædam instar cottæ carminatæ (*vel sicut gossypium pexum*;) quod tamen ab omnibus Medicis, etiam expertissimis, tanquam vanum rejicitur. Probabiliùs procedit in hoc puncto GABELCHOVERUS *Cent.* 1. *Cur.* 55. *in Annotat.* ubi dicit: si urinæ in iis; quibus suppressi fuerunt menses, omni ferè labe vacarunt, & ferè ex toto naturales fuerunt, tunc conceptus spem has ipsas urinas fecisse; sin verò præter naturam suppressi fuerint menses, hoc ipso vix fieri posse, quin mutentur, ac præter modum subinde aut tenuiores, aut pallidiores, ac flammeæ, interdum simul crassę ac turbidæ, fiant urinæ.
11. Denique absentia tumoris uterini, qui gravidis paulatim magis magisque contingit: Conf. LINDANUS.

Hæc de signis mensium suppressionis diagnosticis.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: menses sistuntur vel in fluxu, aut accidentaliter, vel supprimuntur ante fluxum: Suppressio mensium accidentalis facilè curabilis est, modò maturè occurratur; habitualis verò tardè, & subinde difficulter curatur. Suppressio in ipso fluxu aut accidentalis gravis & periculosa subinde symptomata post se trahit; vid. HIPPOCRATES *lib.* 5. *Aphorism.* 57. & *lib.* 1. *de M. M. T.* 34. difficilem nempe anhelitum, lassitudinem tensivam totius corporis, sanguinis sputum, gravissimas cephalalgias, dolores abdominis, lumborum; imò etiam periculosa uteri mala, tumores inflammatorios aut scirrhosos, inflammationes, abscessus, ulcera, &c. vid. HILDANUS *Cent.* 2. *Observat.* 46. 62. 63. & 64. convulsiones manuum; vid. SALMUTH. *Hist.* 3. *obs.* 28. quæ omnia maturam urgent curam.

In *habituali* mensium suppressione quò diutiùs suppressi sunt, eò difficiliùs, sæpè etiam nunquam, malum curatur, & tales mulieres successivè cachecticæ, hinc leucophlegmaticæ evadunt: non quod cachexia sit effectus deficientium mensium, sed quod *cachexia* incipiens inferat menses deficientes. Quibus ergò deficiunt cachexia incipiente, his redditur confirmata.

Morbi, quibus supervenit mensium emansio, redduntur deteriores, in specię *chronici*; non solent rectè curari, nisi simul promoveatur mensium fluxus; est enim lerna malorum, adeò, ut inde tantùm non omnes muliebres affectus excitentur & oriantur.

Unde quilibet Medicus, simul ac vocatus fuerit ad mulierem, quærere debet de statu mensium eorumque fluxu: nam

ex suppressis mensibus cachexiæ, hydropes, ulcera partium varia, asthmata, & anhelationis difficultas, ventriculi & hypochondriorum pathemata, melancholia, &c. imò tandem ipsa mors, ingruit.

Rectè monet PRIMEROSIUS *lib.1. cap.2.* quod certum de mensium suppressione judicium ferri non possit, cùm pro varia ætatis, craseos, & reliquarum circumstantiarum ratione quædam mulieres facilè, quædam nunquam curentur; faciliùs enim v. g. curantur, quibus menses à plethora & hæmorrhagia suppressi, quàm à cruditate massæ sanguineæ; sicut & hæc faciliùs curatur, quàm quæ à scirrho uteri.

Quæ aliàs anginâ laborarunt, his propter menses suppressos facilè redire solet.

Quædam & hirsutæ fiunt toto corpore; imò quibusdam barbam erupisse, & viris eas similes factas, observatum.

Et quidē magis læduntur mulieres, si penitus suppressi sint menses: si tamen per aliam convenientem viam sanguis, v. g. per alvum, nares, &c. evacuetur, minùs læduntur: Hinc HIPPOCRATES *Sect. 5. Aph.33. Mulieri menstruis deficientibus sanguis è naribus profluens, benè est.*

Denique urina nigra in mensibus suppressis bonum signum est: vid. JOEL *in Praxi T. 5. de Febr. Sect. 2. pag.* 64.

CURA.

Quod attinet *curam* mensium suppressionis: in hac ante omnia

1. Ventriculi chylosis imprimis est rectificanda.
2. *Sanguinis cruditas volatilibus* salinis *aromaticis* est corrigenda.
3. Humorum vasa uterina obstruentium visciditas *iisdem* incidenda; &
4. His simul adjunctis *appropriatis* fermentatio menstrua stimulanda, idque nunc *In-* nunc *Externis*.

Quod si à causa externa de subitò restringantur menses, tunc labes inducta emendanda, in specie sanguinem resolventibus & attenuantibus, fluxusque debitus appropriatis revocandus.

Pro scopo primo, nempe chylosi rectificanda, conveniunt *Vomitoria*, hinc Aromatica volatilia: Pro secundo scopo conveniunt Martialia, & *volatilia oleosa* aromatica, quę sal volatile oleosum sanguinis & bilis intendunt: Pro scopo tertio conveniunt imprimis *gummata*, gummi ammoniacum in specie, & hinc Mercurialia, imprimis *Mercurius dulcis*: Pro scopo quarto conveniunt *appropriata*, & quæ per *experientiam sunt cognita*, quæ menses stimulant; quæ tamen utplurimùm vi acida *destructiva* sanguinem dissolutum sosent pellere.

Pro his scopis imprimis, ubi diutiùs suppressi fuerint menses, obtinendis, ulteriùs observandum:

I. Nunquam danda esse specifica menses moventia in confirmato malo, nisi præmissis universalibus, adeoque non sunt ciendi menses, nisi priùs mundatæ sint primæ viæ, & correcta sit massa sanguinea: Nam frustrà adhibentur omnia menses cientia, nisi correcta fuerit massa sanguinea, & restituta debita fermentatio, tàm chylificatoria, quàm sanguificatoria.

II. Antequam menses moveantur, priùs consideretur: an fluere debeant; ratione nempè constitutionis subjecti; nam emaciatis, aut à morbo resurgentibus, aut quæ nunquam viderunt menses, non, nisi cautè iidem stimulandi sunt, aut potiùs penitus relinquendi. Conf HARTMANNUS *Prax. cap. 219 §. 2. & 3.* ubi imprimis monet, curari non debere, quæ menstruationem nunquam habuerunt. Nam sæpè fit, ut virgo 18. vel 20. annorum nondum menstruata sit, consulitur Medicus; si quoad cætera in omnibus sit sana, non debet curare, quamvis menses hactenùs non processerint. Menstruatio enim est opus naturæ, hac cessante, quid agat Medicus? Nisi igitur gravia adsint symptoma„ ta, curam omittat. *Sæpè fit, ut virgines vel ter expertæ „ menses sint, & emaneant per vices plurimas; quæ, si sanæ „ sint, nec incommodum grave sentiant, relinquendæ, & si quid „ agendum, solis aromaticis & roborantibus procedendum, „ nempè cinnamomo & similibus*, ut dicit LINDANUS.

III. Tunc demùm menses stimulandi sunt & provocandi, quando statutum & naturale fluxionis aliàs consuetæ est tempus. Adeoque probè facienda est computatio, quando iidem naturaliter redire debeant, ut tunc propinentur remedia: e. g. sit mulier, quæ per semestre spatium fluxum non habuit, ubi non usurpanda sunt appropriata, nisi præmissis Evacuantibus, & acidum absorbentibus, sed tunc temporis usurpentur appropriata, ubi calculo facto deberent fluere menses; aliàs enim quocunque tempore usurpata sunt frustranea. Sed quando hoc punctum seu tempus latet ob nimiam diuturnitatem suppressionis, interrogandæ sunt, annon singularem interdum in corpore percipiant sanguinis motionem & agitationem? v. g. annon percipiant certo tempore insolitos tensivos dolores lumborum, aut etiam pulsationes in locis vicinis? aut annon interdum extraordinarias phlogoses, aut febriles effervescentias, aut corporis incalescentias aut effervescentias percipiant? Quando enim certis quibusdam temporibus talia eveniunt, certum est, eadem provenire à turgescentia sanguinis menstrua, quæ urget quidem excretionem, sed non sufficiens est, adeòque tunc temporis imprimis stimulantia sunt propinanda. Quòd si verò ob confirmatum malum nec talia percipiantur, monent Practici, quod convenientissimè dentur specifica tempore novilunii, mox scilicet post peractam conjunctionem Luminarium, præmissis præmittendis; hoc enim ipsum observavit optimo cum successu RULANDUS *in sua Praxi & Obs. pag. 285.* & tunc simul temporis sub lunæ incremento turgescentes, & quasi spumefacti humores faciliùs obsecundant.

IV. Inter *Universalia* eminent imprimis *Evacuantia*, & hinc *venæsectio*. *Evacuantia* sunt tàm per superiora, quàm per inferiora. Nam *vomitus*, præmissis quibusdam *digestivis*, mirè convenit, sub principio curæ provocatus, aut etiam interdum repetitus, ad evacuandam ventriculi & primarum viarum saburram, sivè instituatur per Antimonialia, sive per Asarina, de quibus alio loco & tempore plura. Uno nomine: cura talis affectus eadem est cum cura *cachexiæ*, cui tandem adjungantur *appropriata menses pellentia*.

Hinc subministrantur Purgantia: Nam Purgationes, præsertim acriores, & in specie colocynthis & helleborus niger, simul quoque menses stimulare, ac uterum sollicitare solent, quia, dum dejectiones promovent, etiam vicini uteri ejusque vasorum vim expultricem sollicitant, ut menses revocentur. Propterea etiam Purgantia iis, quibus nimium fluunt menses, aut etiam in mulieribus gravidis, non, nisi cum summa cautela, sunt administranda, ne scilicet in his per hæc menses nimis moveantur; & in illis, quibus substiterunt, plus sæpè catharticis, præsertim si ea, quæ menses movent, simul commisceantur, quàm aliis, quæ tantùm menses vi propriâ movent, efficitur. Purgatio talis rarò fit confestim, potiùs successivè & per epicrasin: in quem finem conducunt præsertim noduli in vino, aut etiam pilulæ, tàm usuales, quàm etiam his similes magistrales, præsertim cum gummatibus concinnatæ, de quibus *suprà l. 1. ubi de Malo hypochondriaco*.

Hæc inter Purgantia eminet in specie aloë & aloëtica, helleborus niger, qui non sine successu, in nodulis in specie, usurpatur; Nam omnia helleborata valdè prosunt, unde etiam in specie ejus Extractum cum vino paratum confert, permistum cum Mercurio dulci: Item Colocynthis, & omnia ex colocynthide parata. HELIDÆUS PADUANUS *pag. 176.* mirè commendat turpethum, & ex hoc parata remedia purgantia; unde species diaturbith cum Rha-Barbaro à ℈ß. ad ℈j. commendantur in decocto pulegii. Præterea pilulæ de tribus Ruffi (ex aloë, croco, myrrha, cum gummi ammoniaco:) conf. WEDELIUS *de Medicament. Facultat. pag. 191.* Item pilulæ de hiera cum agarico, pilulæ fœtidæ, & de asa fœtida, de sagapeno, mastichinæ, pilulæ aloëphanginæ cum extracto albandal acuatæ, *pilulæ* expertæ *Bartholini* ex hiera simplici cum extractis agarici, castorei, aristolochiæ longæ, sabinę, myrrha ruara, & oleo destillato succini ac cinnamomi; quarum salutarem effectum sæpè se expertum fuisse asserit *Centur. 5. Histor. Anatom.* 100. *pag. 186.* Præter quæ Purgantia etiam diuretica vel fortiora, vel aliquandiu continuata, menses promovere solent: Conf. M. A. N. C. *Ann. 6 & 7. Obs. 5. pag. 16.* In quem finem, præmissis præmittendis, præsertim Martialibus, frequentem usum quibusdam rob baccarum juniperi suasi cum successu; gummi enim hoc resinâ volatili acri aromaticâ impregnatum multùm confert. His Purgantibus commodè præmittuntur pulveres digestivi salini, quales videb. *suprà libro primo ubi de Cachexia*:

℞. *Arcan. dupl. Mynf.* (quod est egregium) ℥ß.
Croci Martis cachect. ℈ii.
Sal. tartari ℈ß.
M. f. Pulvis.
Div. in 2. part. æqu.
D. S.
Pulvis digestivus.

His subnectuntur Purgantia: V. g. sint Pilulæ usuales ex *Purgantibus & Alterantibus.*

℞. *Gumm. ammon. cùm aceto sol. & inspiss.*
Extr. belleb. nigr. an. gr. xv.
Castor.
Extr. croci an. gr. iii.
Troch. alband. gr. ii. vel iii.
cum s. q. *Olei terebinth.* vel *succin.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ aperitivæ pro una vice.

℞. *Massæ pilular. fœtid.* (nam hæ sunt appropriatę) ʒi.
Gumm. ammon. in aceto squill. sol. (egregiè incidit viscida) ʒß.
Extr. troch. alband. gr. iii.
cum s. q. *Olei destillat. succin.* f. Pilulę.
D. S.
Pilulæ laxativæ pro aliquot dosibus.
Vel

℞. *Massæ pilular. de bier. cum agar.*
Mercurii dulc. ritè pręp. an. gr. xv.
Extr. troch. alband. gr. ii. vel iii.
cum s. q. *essent. castor.* f. Pilulę.
D. S.
Pilulę laxativę pro una vice.

℞. *Extr. bier. cum agar.* gr. xii.
Scamm. sulphurat. gr. ii.
Extr. troch. alband. gr. i.
cum *ess. absinth.* f. Pilulę.
D. S. *ut antè.*

℞. *Extr. panchym. Crolii*, vel *Cathol.* ℈i.
Gumm. amm. in aceto sol. vel *sagap.* ʒß.
Extr. croci,
Castor. an. gr. v.
Troch. alband. an. gr. iv.
cum s. q. *Olei succini* f. Pilulę pro aliquot dosibus.
D. S.
Pilulę laxativę pro aliquot vicibus.

LINDANUS commendat oxymel helleboratum à ʒi. ad ʒii. in potionibus convenientibus ac Decoctis usurpatum. BARBETTE *in sua Praxi, ubi de Mensium Suppressione*, habet elegantes pilulas, ex gummi ammoniaco paratas cum aliis, quę sunt admodum egregiæ in mensium suppressione, quas videatis.

De his & similibus capiat ęgra dosin omnibus 4. vel 5. diebus: tempore verò intermedio in usu sint proficuo Noduli vino infundendi ex alterantibus aromaticis; v. g.

℞. *Rad. angelic.*
Levist. vel *meu*, an. ʒß. ad ʒi.
Galang. ʒii. ad ʒß.
Fol. rorismar.
Matricar.
Sabin. an. M. i.
Bacc. lauri, vel *iuniperi rec.* ʒvi. ʒi. ad ʒiß.
Cinnam. acuti ʒii. vel iii.
Macis ʒi.
Croci ʒß. ad ʒi. (est enim potens, & levis in pondere)
Sal. tartari (loco stimuli pro extrahendis Vegetabilibus) ʒiß. ad ʒii. vel ʒiii.
Incisa & contusa includantur nodulo:
D. S.
Nodulus matricalis aperitivus.

Qui pro scopo alterativo simpliciter infundatur in vinum, & de quo quotidie, manè ieiuno stomacho, & à meridie per bihorium ante cœnam, hauriatur bonus haustus.
Vel

℞. *Rad. caryophyll.* ʒi.
Enulę,
Fœniculi an. ʒß.
Com. absinth.
Card. bened. vel *cent. min.*
Fol. rorismar. an. M. i.
Cort. citri,
Cort. Aurant. an. ʒiii.
Sem. 4. cal. min. an. ʒiß.
Bacc. iuniperi ʒß.
Galang.
Gingiber. an. ʒi.
Sal. tartari ʒii.
Incisa & contus. misc. infundantur in *vino*.

Convenientius est, si omisso sale tartari, nodulus infundatur in vinum chalybeatum, seu in quo limatura chalybis candefacta aliquoties fuit extincta; sic namque Mars ipsorum Vegetabilium activitatem egregiè adiuvat.

℞. *Herb. artemis.*
Puleg.
Rorism. an. M. i.
Rad. angelic. ʒvi.
Cinnam. ʒii.
Croci ʒi.
Incis. & contus. includ. Nodulo, cui affunde
Vini Rhenan. in quo crebriùs *chalybs candefactus extinctus* fuerit, Mens. ii.

Conf. HARTMANNI *Prax. Chymiatr. c. 169. §. 2. & 97. §. 8.*

Si Nodulos hos volumus reddere laxativos, addi potest *senna*, radix hellebori nigri, quę singularis est in mensium affectibus, radix Rha-Barbari, bryonię, &c. v. g.

℞. *Rad. belleb. nigri crudi* ʒß. ad ʒiß.
Fol. senn. sine stip. ʒß. ad ʒvi.
Sem. cartham. contus. vel *rad. bryon.* ʒß.

Quę superioribus addita cum sale tartari corrigenda extrahendaque Purgantia, infundantur, ut dixi, in vinum.
Vel

℞. *Fol. senn. sine stip.* ʒiß.
Rad. belleb. nigri ʒvi.
Rha-Barb. el. ʒiii.
Incis. & contus. misc.

V. Factâ hac corporis pręparatione & purgatione venęsectio est salutaris, & auxilium in provocandis mensibus. Verùm disquisitio est, *quando*, & *ubi*, convenit venęsectio? quę lites facilè decidendę. Res ut pateat, (1.) aut expectantur menses, qui nunquam aliàs fluxerunt: pro talibus inutilis venæsectio. Sufficiunt talibus Balnea & Insessus, vel particularia pediluvia, seu magis universalia semicupia, junctis simul appropriatis.

Vel (2.) Revocandi sunt menses, quando subsistunt, & diutiùs à fluxu cessarunt, sanguis coacervatur, & coacervatus tardiùs circulatur, & sic *mille mala infert*: adeoque in talibus, in quibus quasi *plethora* præsupponitur, & *dolor gravativus artuum*, *difficilis respiratio*, &c. adest, in talibus necessarium est, instituere evacuationem per venæsectionem. Sed quæritur, in quo loco sit instituenda? an in brachio, an in crure? Ut plurimum in hoc conveniunt Practici, secandam esse imprimis venam saphęnam, quam ob id etiam uterinam vocare solent: Sed pręcæteris omnibus hac in parte accurata est doctrina LINDANI, qui duo distinguit tempora in fluxu mensium deficiente, in quibus vena secanda; nempe vel instar mensium fluxus; vel actu fluunt menses, & quacunque occasione imminuuntur aut sistuntur. Jam ergo optimo consilio vena est secanda in brachio ad provocanda menstrua fluenda, seu dum imminet fluxus; sic enim auspicato brevi post menses superveniunt: vid. M. A. N. C. *Ann. 1. Obs. 6. pag. 24.* e. g. ęgrę cuidam sub mensium difficultate menses instant, cui pro facilitando mensium fluxu aliquot dies ante illum secatur vena in brachio, pro ventilatione seu liberiori sanguinis circulo conciliando: Nam si secetur in pede, periculum est, ne sanguis concitatiore fluxu ad inferiora tractus, stagnet circa vasa uteri, & menses supprimantur.

Aut (3.) revocandi sunt menses jam actu, sed non sufficienter, fluentes (nisi sit impedimentum in conformatione vasorum) aut casu, v. g. refrigerio, terrore, &c. in fluxu suppressi, aut iamiam fluere uolentes, ad ea reuocanda commodè saphęnę aut alius apparentis fit sectio in *pede* uel *crure*; quia in eam regionem, in qua uena aperitur, sanguis rapidiori motu solet ferri propter uasa liberiora, & maius requirit spatium, &c. Merentur considerari, quę docet LINDANUS: „ *Venæsectio ante balneum fieri debet. Omnes autem venæsectiones fieri debere in saphæna dicunt, quàm propterea uterinam appellant: sed me usus diù docuit, nihil magis nocivum esse, quàm venæ saphænæ sectionem ante balneum.*

„ balneum. Fœmina quædam ex gravi febre decubuit: Hanc „ visitavit meus parens cum D. Tulpio, & interrogabant; „ an menses instarent? respondit ægra, abesse adhuc sex „ dies: ob id noluerant saphænam incidere, sed potiùs ape- „ ruerunt venam brachii: Redeuntibus altero die Medicis, „ narrat mulier, menses eius refluxisse, ob id, dicit LIN- „ DANUS, secavimus venam ante tempus ordinarium in „ bracchio, & intra 24 horas sequebatur menstruatio, ita, „ ut iam velim gravi pignore certare, ut, si fœmina sanæ, „ cui triduo vel quatriduo menstruo instet, & intra 24. ho- „ ras purgabitur. Fundamentum desumit ab effervescentia „ sanguinis, dum scilicet menses fluxuros præsentiunt fœ- „ minæ, imprimis pergit, si fœminis accidat, ut menstrui „ tempore laborent simul febre, unde tunc venam brachii se- „ candam monui, & brevi post secuta menstruatio; in pede „ verò nunquam secandam esse venam, nisi aut menstruum „ actu fluat, aut ipse fluxus suppressus fuerit, & tunc non „ fallit; nam viæ eo tempore laxæ sunt. Ratio autem ve- „ næsectionis in bracchio est, quod instantibus mensibus, dum „ turgescit & rarescit sanguis, tunc in eo est omnis naturæ „ conatus, ut deorsum versus deducat sanguinem: itaque „ viæ cùm sint exiles, non statim etiam aperiri possunt, sed „ potiùs distentæ quodammodò sanguinis fluxum sistunt. „ Quando itaque per saphænam apertam inferiùs sanguinis „ promovetur impetus, plus ad uterum ducitur, & ita „ malum augetur; sin verò aperta brachii vena sursum non- „ nihil revellitur, liberantur viæ ab oppressione, & sanguis „ faciliùs fluet. Nunquam certè experiemini saphænæ sectio- „ nem menses provocasse, nisi aut actu fluentes, vel ex frigore, „ vel ex pavore fuerint restricti. Eædem leges observandæ sunt „ circa puerperas: interdum instante labore partus, aut in „ ipso partu, secanda est vena in bracchio; post partum ve- „ rò, quando sunt suppressa lochia, tunc vena saphænæ se- „ ctio aliquid valet ad revocandum illud, quod fluebat. In „ tàm subitanea suppressione, licèt non fluant menses, na- „ turæ tamen conatus non perit, neque sanguinis rarefactio, „ sola causa externa impedit. Quantò maior est dolor lum- „ borum & rigor, tantò maior est conatus deorsum, & tan- „ tò liberiùs potestis venæsectionem in bracchio instituere. Hactenus LINDANUS. Vid. M. A. N. C. *Ann 3. obs.* 57. Hæc, quæ dicit LINDANUS, confirmata videbitis exemplo notabili à RIVERIO *Cent. 2. obs. 2.* item AMATO LUSITANO *Cent. 2. obs. 28.* ubi egregius casus, in quo refert; mulierem, cui menses aliquandiu suppressi fuerunt, secta pedis venâ steterint, qui tertio die secta vena in brachio optimè fluxerint; WALLÆO *in M. M. pag. 98.* HOEFERO *in Herc. Med. pag. 304.* DEODATO *in Valetud. pag. 129.* HOFFMANNUS tamen habet exemplum mulieris, quæ sub mensium fluxu in nimia ira perterrita, passa fuit suppressionem, Medicus secavit venam in pede, curata fuit: Inclinat etiam huc FEHR *Tract. de Absinth. pag. 138.* qui dicit: „ *Ubi magna est difficultas respirandi cum cephalalgia, & cordis palpitatione, audacter* „ *medianam, vel cephalicam brachii tundendam suadet.* Cum his etiam consentit SANCTORIUS *in Methodo vit. Errores in Med. pag. 811.* SYLVIUS *lib. 3. Prax. 3. §. 95.* Hoc ipsum non vulgariter illustratur ex eo, quod per venam in brachio sectam curetur ischuria seu urinæ suppressio, in tali casu, in quo pauló uberior copia sanguinis ejusdem impedit secretionem per renes: Cujus rei notatu dignum refert exemplum idem RIVERIUS *Cent. 1. obs. 1. & obs. 89. pag. 87.* ejusdem *Cent. 1.* ubi aliis irritis venæ sectione in brachio fuit curata. Ratio est, quod sanguis impetu suo & copiâ se ipsum impedierit, & circa renes stagnarit, vena secta liberior evaserit. Quemadmodum autem *ischuria* tollitur venæsectione in brachio, ita etiam suppressionem sanguinis menstrui tollit venæsectio in brachio, in specie, dum instat fluxus, unde etiam fit, ut in plethoricis dolores nephriticì à calculo renali per scarificationem dorsi & lumborum non leviter mitigentur: sed *quàm periculosæ etiam sint fluentibus mensibus in bracchio venæsectiones*, vid. BARTHOLINI *Act. Med. Haffniens. Volum. 2. pag. 194.* VELTHUSIUS *de Generat. p. 148.* & FORESTUS *l. 28. obs 3.* Imò mensibus actu fluentibus cucurbitularum dorso applicatarum quanta sit noxa, docet GABELCHOVERUS *Cent. 4. Cur. 92. pag. 215.*

Aut 4. revocandi sunt menses, quando metus, quod circa ordinarium terminum non sint redituri: ubi verò venæ sectio in talo pro concitando sanguinis motu deorsum, non inconcinna videtur.

Quod si adsint inflammationes auctæ cum mensium suppressione, aut etiam cum mensibus actu fluentibus, ubi secanda sit vena, prolixè ventilat ZACUTUS LUSITANUS *lib. 1. Med. Princ. Hist. 77.*

V. His vicariæ sunt cucurbitulæ, præsertim scarificatæ, quæ in debilioribus venæsectionis loco sunt. Conveniunt autem hæ tàm cum quàm sine scarificatione, præsertim iis in casibus, quando sanguis ad alia loca feratur, ut hic ad uterum revocetur, & commodè imponuntur primò locis remotioribus nempè cruribus, in specie femoris regioni internæ, & supra genu, vel hirundines labiis vulvæ, hinc propioribus, nempè coxis, & sic consequenter.

VI. His universalibus præmissis, progressus fiat pro corrigenda sanguinis crasi ad *Martialia*. Martialia sanè multum valent in mensium vitiis: & quidem *inveteratam emansionem* mensium citra *Martialia* curare impossibile est, adeò ut de his referat LINDANUS, quod in Marte sit, quicquid ad ciendos menses desideratur. Operatur non quidem positivè, sed ferè privativè, removendo nempè impedimenta, quatenus absorbent scilicet acidum illud, cujus causa fermentatio menstrua supprimitur. Unde etiam aperientia sic dicta Martialia, quivis pulveres cachectici, tincturæ Martiales, infusa & extracta Martialia, &c. aptè locum inveniunt. Convenit ergò *Limatura Martis cruda*, vel sola pulverisata, vel cum pauco cinnamomo mista in vino Malvatico aut Rhenaño pota; Sic namque natura ipsa in stomacho extractum Martis egregium facit. Et certum est, in iis, quibus stomachus robustus potentiori abundat acido, aut etiam, in quibus validum acidum intestina occupat, his meliùs propinatur Limatura Martis cruda præparata & pulverisata, quàm salibus vel acidis extra stomachum subacta, & in crocum corrosa. ZACUTUS LUSITANUS laudat terram Martialem in ferrifodinis inventam, ad stimulandos menses egregiam. Post hæc eximia est essentia Martis, cum succo pomorum Borsdorffianorum parata, aut *tinctura vitrioli Martis Zuvelferi*, Viennæ usitatissima, ad pallidum Virginum colorem experta. Vina etiam medicata extinctionis vel infusionis Martis non sunt contemnenda; item Claretum chalybeatum Mynsichtii, *vinum Malvaticum Martiale Hartmanni:*

℞. *Limat. Martis crud.* ℥ij.
Cinnam. ℥j.
Infund. in *Vini* q. pl.

De hac ægra bibat bonū haustum manè & vesperi ante pastū.

Item convenit pulvis cachecticus *Hartmanni* cum stercore anseris junioris, vid. HARTMANNI *Prax. Chym. pag. 266.* & *pulvis ad pallidos virginum colores* HEINRICI *ab* HEER *obs. 6.* item *sal Martis* compositum, *liquor Martis solaris*. Potus acidularum quoque egregiè promovet mensium fluxum. Hinc Electuarium Martiale *Horstii*, *Hartmanni*, plura Martialia, huc facientia: Vid. *in eius Praxi cap. 219.* Optimè autem propinantur Martialia cum Laxantibus, mutatis invicem vicibus.

Hisce denique socientur subinde volatilia aromatica amaricantia, in morbis cachecticis & chronicis usitata, ex quibus tamen speciatim eligantur subjungantur aut permisceantur, quæ simul sunt appropriata menses stimulantia, tàm *interna* quàm externa, v. g. *rosmarinus*, calamintha, cherefolium, levisticum, matricaria, centaurium minus, spica Celtica, Marubium, de quo vid. BORELLUS *Cent. 4. obs. 14.* flores cheiri, flores item calendulæ, de quibus vid. RIVERIUS *in obs.* à PACHEQUO *communicatis obs. 30.* flores item lavendulæ, semina sale volatili vel acri aromatico prædita, v. g. erucæ, nasturtii, fœniculi, anisi, dauci, cumini, baccæ itidem lauri & *iuniperi*, semen milii solis, semen ammeos, violarum, quod CORBÆUS laudat cum granis aliquot piperis & myrrhæ, sabina, radix angelicæ, de qua vid. PETRÆI *Nosolog. Disp. 93. §. 28.* radix item fœniculi, eryngii, bryoniæ, radix item rubiæ tinctorum, de qua vid. FONSECA *Tom. 2. Cons. 23.* & RIVERIUS *Pr. l. 14. c. 2.* aristolochiæ rotundæ, gentianæ, enulæ, curcumæ ac pyrethri, artemisia, melissa, gentiana, cinnamomum, cassia lignea, costus, galanga, nux moschata, caryophylli, cardamomum, piperata, *myrrha*, essentia myrrhæ, Elixyr proprietatis, tinctura tartari composita, & omnia ex & *cum myrrha* parata, gummata, colocynthis, castoreum, splen bovis, borrax, salia alcalia, primariò volatilia, secundariò fixa; item arcanum duplicatum *Mynsichtii*, &c. Hæc nempè sunt primaria præmissis præmittendis menses stimulantia. Radicis angelicæ aromatica vis singularis est uterina, & mensibus ciendis dicata, radix asari in aqua communi bullita; sic namque mitescit ejusdem

ejusdem vis vomitiva, ac sit aromatica diuretica: Marrubium album vino infusum specificum est BORELLI *Cent.* 4. *obs.* 14. Decoctum artemisiæ rubræ cum oleo fœniculi destillato vel succini propinatum, mirè à CROLLIO commendatur: (nam oleum succini aliquamdiu assumptum etiam egregium est ad ciendos menses:) aut conserva artemisiæ à ZACUTO LUSITANO pro corpore aliorum ingredientium. Pulegium admodum elegans est pro mulierculis remedium: Rosmarinus singulariter affectibus internis & mulieribus convenit: baccæ lauri pulverisatæ saltem in communi sunt usu ad promovendos menses. Hinc decoctum rorismarini cum croco, aut cum floribus cheiri in vino chalybeato, laudatur insigniter à Practicis, aliquandiu continuatum: Vulgò

℞. *Herb. rorismar.* M. iij.
Rad. armor. rec. ℥iij.
Bacc. iunip. rec. ℥iß.
Sem. carv. ℥j.

Incis. & contus. misc. affundunt spiritum vini, & digerunt in sole.

Sabina est fortissimum remedium, præsertim oleum ejus *destillatum*, quod stupendæ est potentiæ: quam ob causam adhibetur etiam ad pellendum fœtum, sed tamen frustraneo sæpè cum successu, reluctante scilicet ipsâ naturâ: hinc etiam pilulæ de sabina Mynsichtii in usu sunt: item extractum sabinæ, cui etiam oleum destillatum succini commodè potest surrogari. Viscum quercinum singulare quid obtinet in hoc casu. De Malicorio vid. AUGENIUS, & BARTHOLINUS *in Epist.* Conducunt ulteriùs flores cheiri, ut modò innui: flores item lavendulæ: Nam decoctum radicis angelicæ cum floribus lavendulæ in vino eximiæ est commendationis: Flores Calendulæ, exque his paratæ conservæ: Refert namque RIVERIUS *in obser. Communic.* quod ipsi menses naturaliter constituti odorem floris calendulæ spirent: Quod an verum sit? experientia consulatur: Unde concludit ex signatura Autor, etiam ipsos calendulæ flores non esse inutiles, quod etiam credo. Flores croci seu crocus mirè menses promovet, & optimum est remedium iis, quæ patiuntur difficultatem mensium actu fluentium, unde communiter cerevisiæ calidæ incoquitur crocus & cinnamomum, (quæ Germanis dicuntur *Saffran-Suppen*:) pro remedio menses remorantes fortiter ciente, in tantùm, ut ex eo etiam lethalis mensium fluxus supervenerit: vid. RIVERIUS. Præter crocum, cinnamomum cum suprà dictis aromaticis est laudatissimum, quorum salia volatilia oleosa ad stomachi robur & sanguinis vitiatam emendandam crasin, & acuendam fermentationem menstruam, mirè conducunt. Certum quorundam Empiricum est hoc; nempe

℞. *Muc moschat.* ℥iv.
Sacchari fini ℥xij.

Hæc probè miscent, exhibent quantitate nucis avellanæ manè & vesperi, præmissis universalibus.

Et hoc mirè conducere experientiam certam dicunt. De semine ciceris rubri notum est, quod hujus diuretica vis insigniter menses stimulet & Lochia: vid. SEBIZIUS. Sunt ergo, qui

℞. *Cicer. rubr.* M. iij.

Macerant eos per 2. vel 3. dies & noctes in *aqua pluviali tepefacta*, addunt deinde nonnihil *croci*, ut & parum *fermenti*, quo panis aliàs fermentari solet, miscent, transcolant, & colaturam ægræ subindè bibendam propinant.

Præter talia, & alia similia modò dicta, imprimis efficacissimum est *castoreum*, sive in substantia assumptum, sive ex eodem parata essentia & extractum cum spiritu vini tartarisato, quæ in frequenti sunt usu. Facit huc Infusum & Mixtura BARBETTE *in sua Praxi*, ubi castoreum extrahit per salia volatilia cum spiritu vini diluta, adque imitationem ejus potest fieri hoc modo: (nam in Barbettianam ingreditur aqua prophylactica, quam rejicio, quia destruit salia volatilia:)

℞. *Castor.* ℨij.
Sal. volat. succini,
Cornu cervi an. ℨj.

His affundatur q. s. *spiritus vini non adeò rectif.* & diluatur cum *aqua cinnam.*

Stent in Infuso in vase clauso in loco tepido, donec extrahatur tinctura, quæ postmodum, prout plus vel minus menstrui assumptum fuerit, ad ℨj. vel cochl. j. poterit propinari.

Propius fit, si liquor cornu cervi succinatus affundatur castoreo: extrahit enim potenter ejus sal volatile oleosum, sibique unit, & sic erit *essentia* ad menses admodùm potens, ad guttas 30. vel 40. tempore solitæ vel debitæ saltim menstruationis assumenda.

Quidam etiam tutò castoreum usurpant in gravidis, aut in talibus, in quibus suspecta est graviditas cum mensium suppressione: Sic namque CORBÆUS *in Gynecæo* suo, si cum suppressione mensium suspecta sit conceptio, sequentem laudat pulverem:

℞. *Castor.*
Sem. anisi,
Apii an. ℨj.

Trita cum vino dissoluta exhibuit.

„ *Si gravida fuerit, fœtum roborabit: si non fuerit gravi-*
„ *da, menses movebit.*

Castoreo non cedit myrrha, egregium balsamicum uterinum, quæ cum aliis mista mirè menses stimulat: Hinc omnia ex & cum myrrha parata conveniunt; unde tinctura myrrhæ cum spiritu salis ammoniaci vinoso, item essentia salutis D. Langii, parata ex myrrha cum spiritu vini tartarisato (sed quis est genuinus?) vel cum tinctura tartari, est egregia medicina. Myrrha aliàs per spiritum vini, licet rectificatissimus sit, solvi nequit, nisi aliquid acidi, in specie spiritus salis, ingrediatur: Sed acida mulieribus inimica, & mensibus promovendis potiùs nocent: Ob id è contrà myrrha etiam solvi potest per alcalia, tàm volatilia (quod probè notandum) quam etiam alcalia fixa, imprimis lixivialia, & sic erit eò promptioris effectus ad stimulandos menses. Aliàs in officinis prostant *trochisci de myrrha*, qui ad ℨj. ad summum propinati potentis sunt efficaciæ ad menses movendos: item essentia composita ex castoreo, myrrha & similibus, cum salibus volatilibus in spiritu vini dissolutis, ad imitationem BARBETTE *in sua Praxi cap. de mensium suppressione.* Succinum & ipsum egregium est in hoc casu, imprimis, si cum cinnamomo aut croco propinetur: sal ejus volatile insigniter conducit, & ad multa prodest symptomata, ex mensium suppressione procata. De aloe res nota est: Undè facilè patet, quod Elixyr proprietatis, ut vulgò vocant, insigniter conducat ad stimulandos menses; unde pro usu muliebri sunt qui parant *Elixyr proprietatis sine acido*, loco spirituum acidorum addendo spiritui vini sal tartari fixum, quod egregiè extrahit aloen, crocum & myrrham: Alii parant cum spiritu salis ammoniaci pro usu muliebri, tàm menstruatarum, quàm etiam pro usu puerperarum: aut ejusdem species in forma sicca seu massa pilularum pestilentialium *Ruffi* usurpantur. Quæ suprà dicta fuerunt de castoreo, intelligi quoque similiter possunt de asa fœtida, non minùs efficaci in morbis muliercularum: hinc pertinet huc *essentia anonyma D. Langii*, parata ex castoreo & asa fœtida cum tinctura tartari. *Colocynthis*, uti pro scopo laxativo deficientibus mensibus succurrit, evacuando visciditatem; ita correcta per sal tartari *amaritudine* suâ specificè menses ciere potest, siquidem quocunque modo internè & externè usurpata egregiè convenit in mensium vitiis: vid. TIMÆUS *von Gulden klee*, *in Cas. p.* 207. Splen bovis specificè laudatur à PARACELSO in suis scriptis ad menses remoratos, hinc fit decoctum splenis bovis, *essentia splenis bovis* composita cum spiritu vini myrrhato parata, & extractum, indeque essentia ad menses composita frequenti fuerunt in usu D. MICHAELIS ad mensium vitia: vid. CROLLIUS & HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr. pag.* 240. Item *Decoctum* splenis bovis *Quercetani* in RIVERII *Praxi p. m.* 188. *Elixyr uterinum* Crollii ad guttas xxx. vel xl. hinc essentia artemisiæ, sabinæ, croci, castorei, in usu est: quibus & essentia ambræ in virginibus, quibus minus nocent Odorata, commodè admisceri potest. Propinantur talia commodè in vehiculo aquæ cinnamomi, aqua pulegii, sabinæ, & similibus. Olea etiam destillata cinnamomi, aut caryophyllorum, aut succini, aut, quod optimum, sabinæ, similiter pellunt egregiè menses.

Sanguis menstruus primus juvenculæ excipiatur linteo, linteum probè tinctum exsiccetur, & sub usu cum aceto scillitico extrahatur è linteo tinctura; quod acetum internè commodè ad promovendum menstruum fluxum propinari potest: vid. HELVETIUS. HELMONTIUS *Tractat. Tribut. Lunare* dicit, mulierem ex menstruo hausto esse suffocatam.

Tandem *borax* potentissimè menses stimulat, & aliis irritis optimè datur in *Decocto pulegii*, addito *croco*, vel *pulvere cinnamomi*: vel addita aqua cinnamomi spirituosa egregium

Regium est emmenagogum secundùm LINDANUM; sine cinnamomo enim nullum tale remedium dandum, quia hoc spiritus vitales egregiè roborat & excitat: Hinc trochisci de borrace commendantur in M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Appen. pag. 140.* item Pilulæ aperientes & alterantes sequentes:

℞. *Gumm. sagap. cum aceto solut. & inspiß.*
Succin. alb. præp.
Borrac. Ven. an. ℈j.
Myrrh. rub.
Castor. an. gr. xv.
Croci ℈ß.
Olei caryoph. gutt. vj.
F. Pilulæ subinde capiendæ.

Item conveniunt Pilulæ *Cnœfelii* in M. A. N. C. loco allegato; item POTERII *Cent. 3. cap. 32.* ubi optima medicamenta ad promovendos menses enarrantur; Item conf *Cent. 3. Curat. 42.* Cum borrace etiam salia vegetabilium *fixa*, sal melissæ, sal sabinæ, & sal uterinum Mynsichti, item sal succini uolatile, commodè combinari potest. His omnibus palmam præripit arcanum duplicatum *Mynsichti*, singularis medicina pro mulierculis, & quæ mirè conducit ad menses ciendos. Pertinet huc pulvis ex stercore columbino & croco, alibi explicatus. Cæterùm spiritus & *salia volatilia* cornu cervi, salis ammoniaci, secundinæ humanæ, præsertim spiritus carminativus, sunt egregia ad promovendos menses. Omnia hæc usurpentur eo tempore, quo menses fluere debent: In specie horum operatio eò est præstantior, si cum hujusmodi appropriatis jungantur, & post hæc imperetur corporis motus; vel expectetur post eorum usum blandus in lecto mador matutinus pro meliore alteratione & circulatione sanguinis, & feliciùs excitatur mensium recursus.

Mihi aliquando curanda fuit virgo 18. annorum, quæ nunquam adhuc viderat menses, ad scorbutum inclinabat, & tussis phthisica eam subinde concutiebat: Mater ejus & ipsa 20. demum anno prima vice mensium fluxum passa erat. Huic ergo, præmisso *Nodulo ex alterantibus & laxantibus*, per spirituum carminativum menses fluere feci; nempe

℞. *Herb. rec. cochlear.*
Chelidon.
Fumar.
Absinth. an. M. j.
Pass. minor. ℥j.
Croci,
Cinnam. an. ʒj.
Incisa & contusa includebantur Nodulo, qui infundebatur in *vino*.

Adjunxi simul tincturam coralliorum antiscorbuticam, in jam dicto vino medicato hauriendam.

Hausto hoc vino propinavi *Vomitorium* ex syrupo emetico Angeli Salæ. Denique spiritum salis ammoniaci cum spiritu carminativo quotidiè bis usurpandum jussi, undè postmodum menses spontè eruperunt, cùm jam in eo essem, ut ordinarem *sequentes pilulas*, quas tamen non usurpavit, quia jam aderant menses:

℞. *Gummi. ammoniaci in aceto sol.* gr. xv.
Extr. agar. ℈ß.
Croci gr. v.
Troch. al-hand. gr. iij.
Castor. gr. v.
cum s. q. *essent. succ.* f. Pilulæ.

Sed his, uti dixi, opus non est.

Ex his hactenus dictis facillimè diversę fieri possunt Pręscriptiones.

℞. *Tincturæ vitrioli Mart. Zwuelf. vel solut. Mart. cum succ. pom.* ʒij.
Essent. castor.
Croci an. ʒj.
M. S.
Essentia aperitiva.

Dosis 40. vel 50. ad 60. guttę, bis vel ter in die in vehiculo calido, mulier nonnihil exerceat corpus blando motu.

Item
℞. *Spiritus sal. ammoniaci*
Secundin. human. an. ʒj.
(nam & hęc egregiè conducit, ut & *spiritus cornu cervi cum sale uol. acuatus.*)
Liqu. cornu cervi succin. ʒiß. ad ʒij.
M. S.
Spiritus aperitivus.

Vel
℞. *Spiritus sal. ammoniaci,*
Secundin. human.
Liqu. cornu cervi succin. an. ʒj.
M. D. S. ut antè.

Dentur guttæ 30. vel 40.

℞. *Liqu. cornu cervi succin.* ʒij.
Spiritus secundin. ʒj.
M. pro 6. dosibus matutino tempore assumendis cum motu blanda expectata diaphoresi.
D. S. ut suprà.

Essentia splenis bovis composita etiam optima est cum essentia Martis mista: e. g.

℞. *Sol. Martis cum succ. pom.*
Essent. splen. bou. compos.
Ad mens. Mich. vel *sabinæ compos.* an. ʒij.
M. S.
Essentia aperitiva.

℞. *Essent. sabinæ compos.* ʒiij. vel iv.
Tinct. salut. Langii ʒj. uel ʒij.
M. S. ut anteà.

Dosis 40. gutt. bis vel ter in die.

℞. *Ess. castor.* ʒij.
Quint. Essent. rorism.
Spirit. sal. ammoniaci succin. an. ʒj.
M. S. ut antea.

℞. *Ess. rorism.* ʒij.
Croci ʒj.
M. S. ut anteà.

In forma pulveris:

℞. *Borrac.* ʒj.
Myrrh. ʒß.
Croci gr. xv.
M. f. Pulvis pro 4. dosibus: S.
Pulvis aperitivus.

℞. *Borrac. Ven.*
Cinnam. acuti an. ʒß.
Myrrh. gr. xv.
M. f. Pulvis pro 3. dosibus.
D. S. ut antè.

℞. *Borrac.* ʒß.
Myrrh. gr. xv.
Cinnam. ℈ß.
M. f. P. pro 2. dosibus.
D. S. ut suprà.

℞. *Borrac.* ℈j.
Cinnam. ℈ß.
M. f. Pulvis.
D. S. ut supra.

Detur in *Decocto pulegii* vel *rorism.*

℞. *Arcan. dupl. Mynsich.* ℈iv.
Castor. ʒß.
Myrrh. ℈j.
Croci ℈ß.
M. f. Pulvis.

Div. in 3. vel 4. part. equ.
D. S. ut suprà.

℞. *Vitriol. Mart. tart.* ʒß.
Myrrh. el. ʒj.
Croci ℈j.
M. f. Pulvis. D. S.
Pulvis aperitivus pro aliquot vicibus.

℞. *Fimi columb. calc.* ʒij.
Myrrh. el. gr. xvj.
Croci orient. ʒß.
M. f. Pulvis pro 5. dosibus.
D. S. ut antè.

Pro vehiculo horum pulverum inserviat:

℞. *Aquæ artemis.* ℥ij.
Cinnam. ʒj.
Essen. splen. bovis ʒiij.
Castor. ʒj.
Syr. de canella ʒvj.
M. S.
Potio ad pulverem.

Capiatur cochleatim & pro vehiculo pulverum.

℞. *Aquæ artemis. compos.* ℥iij.
Cinnam. ʒj.
Essent. splen. bov. ʒß.
Syr. de canella ʒvj. M. S.

Potio

Potio ad pulverem.

℞. *Conf. meliss.* ℥iß.
Menth. ℥vj.
Limat. martis præp. & olei destillat. sabinæ parum impregn. ℈ii.
Flor. sulphuris, vel *fulig.* ʒi.
Borrac. Venet. ʒß.
Cinnam. acerr.
Galang.
Zedoar. an. ℈i.
cum s. q. *syr. artemis.* f. Electuarium.
D. S.

Electuarium aperitivum pro aliquot vicibus.

℞. *Splen. bov. castrat.* num. i. vel ii.
Herb. rorismar. M. ii.
Meliss. M. i.
Sabinæ M. ß.
Zedoar. ℥ß.
Sem. 4. calid. min. an. ʒi.
Salis tartari ʒii.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.* leniter in vase clauso: Colat. ℔iß. adde
Syr. artemis. ℥ii.
Cinnam. ʒi.
M. S.

Potio aperitiva.

Infundi potest parvus nodulus cum croco.

℞. *Herb. rorismar.*
Puleg.
Spicæ an. M. i.
Flor. cheiri,
Sclareæ,
Cham. an. p. i.
Coqu. in s. q. *aquæ martial.* in cucurbita suo alembico munita:
colat. ferventis ℥viii. adde
Aquam prius destillatam,
Syrup. meliß. ℥iv.
Ess. croci ʒi.
M. S. ut *anteà*.

Hisce annumerandum est simul Balsamum sulphuris terebinthinatum, & succinatum, & ipsum menses promovens.

Hæc ferè sunt ista, quæ ad mensium conducunt stimulum internè.

Cura suppressionis mensium, quæ fit *uteri vitio*, requirit, ut vasa obstructa aperiantur Incidentibus Volatilibus, præsertim cum aliquali sudore usurpatis, membranæ remediis Chirurgicis incidantur; coalitus verò mutuus etiam separetur. Modum operandi vid. in SEVERINO *de Efficaci Medicina lib. 2. cap. 88.* in FORESTO *lib. 28. Obs. 55.* SCHENCKIO *lib. 4. Obs.* HILDANO *Cent. 3. Observ. 60.* BARTHOLINO *Cent. 5. Hist. 42. & 43.* in specie VIARDEL *in observationibus pag. 47.* ubi collum uteri tumoribus obsessum, coitum impediens; curatum refert.

Casus, propter quos contingit mensium suppressio accidentalis, sunt duo:

1. *Nimia refrigeratio extremorum,*
2. *Gravior animi affectus:*

Curantur autem, causam, quæ menses suppressit, corrigendo & removendo: v. g. si fiat, ut actu fluentes mense *à subito frigore, vel alio* tali casu restringantur, præmissâ vel omissâ venæ saphænæ apertiones, propinanda sunt volatilia oleosa aromatica, quæ sanguinem grumosum dissolvunt, & , accedente blando sudore, eundem denuò fluere faciunt, & in naturalem motum reducunt; hinc spiritus salis ammoniaci & *salia volatilia* oleosa non satis laudanda, cum castoreo vel myrrha propinentur, quorum usu, & blando subsequente sudore sanguis ad fluorem iterum disponitur: item *sperma ceti* ad ʒi. cum *castoreo* in cerevisia calida optimo jure exhibetur, & ægra ad blandum sudorem se componant; experimentum namque hoc est TIMÆI *Von Gulden-Klee in casibus lib. 2. Cas. 7. pag. 91.* vel commodè potest usurpari *sal quoddam fixum*, *sal artemisiæ* aut *sabinæ*, &c. In specie addantur remedia ex *croco* & *cinnamomo*. In tali casu interdum supervenit *gravissimus uteri dolor*, *ex sanguine coagulato ibidem hærente*, ubi inter alia convenit *decoctum chamæmeli*, quod internè usurpatum cum his internis dictis optimum est: *externè* imponere jubeo regioni pubis magma decocti in forma *cataplasmatis*, quàm calidè fieri potest, ad imitationem TIMÆI *Von Gulden-Klee in Cas. pag. 202.* Cum his necesse est, ut in graviore malo secetur *vena in pede*, quia actu fluentes menses fuerunt restricti; tunc enim non secandæ sunt venæ superiores: Id quod eleganti observatione docet FORESTUS *lib. 28. Obs. 3.* in qua refert mulierem, cui ob menses subitò suppressos vena fuit secta in bracchio, unde singulis mensibus molestam palpitationem in bracchio recurrentem habuit, donec venâ in talo sectâ, statis temporibus redierint: Sic etiam GABELCHOVERUS *Cent. 4. Cur. 92.* varia symptomata, & insignem dorsi dolorem observavit in muliere, cui menstruatæ scarificationes in dorso factæ fuerunt.

Quod si ex *graviore animi affectu*, v. g. terrore subitaneo, iracundia, vel simili menses actu fluentes restinguantur, revocantur secando uenam in pede, hinc propinando internè spiritum salis ammoniaci bis uel ter in die. FORESTUS *lib. 28. Obs. 2.* in tali casu ex terrore restrictorum mensium non inconsultò usurpat *decoctum florum chamomillæ* ad ℥iii. cui addit *oxymel. simpl.* ℥i. vel ii. & propinat. His exhaustis, sudor secutus; unde menses à terrore restricti denuò fluxerunt. Loco hujus similiter myrrha & castoreum cum salibus quibusdam volatilibus oleosis, aliisque quibusdam appropriatis aromaticis, quietem & blandum sudorem simul imperando, in aqua cinnamomi usurpari possunt.

Hæc remedia interdum conueniunt itidem in *paucitate mensium*, de qua *suo loco*, HOEFERUS *Herc. Med.* in animi affectibus grauioribus extractis menses cientibus laudanum opiatum jungit, unde sopiuntur adjuncta symptomata, ut menses denuò fluant.

Hisce internis etiam adjungenda sunt simul *externa*, *mensium fluxum promoventia*, qualia sunt imprimis Fotus, *Balnea*, *Insessus* & *Semicupia*, item, Pediluuia crebriùs instituta, *valdè proficiunt & prosunt*, quæ præmissâ in bracchio venæ sectione, quando menses erumpere debent, instituantur (nam dum menses fluere incipiunt, aut sub ipso eorum fluxu, potiùs nociua sunt Balnea) parata vel ex simplici, vel ex emollientibus vulgaribus, & appropriatis aromaticis, v. g. sabina, matricaria, artemisia, calamintha (*est pulegium sylvester*, Germ. *wilder poley*,) pulegio, lauro, & similibus parata, vid. GABELCHOVERUS *Cent. 4. pag. 214. item* HORSTIUS *Obs. pag. 264. & 265. Idea Formul. Claß. 4. §. 20. & Colleg. Formul. p.* ....

Vel

℞. *Herb. artemis.*
Puleg.
Serpill. an. M. ii.
Sabinæ,
Flor. chamom.
Lil. alb. an. M. i.
Rad. alth. vel *malvæ,*
Aristol. rot.
Rubiæ tinct. an. ℥ii.
Angel.
Zedoar. an. ℥i.
Bacc. lauri, vel *juniperi* ℥iß. vel ana ℥vi.
Sal tartari ℥vi.
M. pro Balneo: S.

Ad balneum.

℞. *Herb. sab.* M. iv.
Matricar.
Puleg. an. M. ii.
Flor. cheiri M. i.
Bacc. junip. rec. ℥iv.
Lauri. ℥ii.
Grosso modo incis. & contus.
D. S.

Species ad fotum seu balneum.

Post insessum inungantur partes circa lumbos, inguina, & regionem hypogastricam unguento appropriato:

Item

℞. *Herb. Artemis.*
Puleg. an. M. iii.
Sabinæ M. i.
Bacc. lauri,
Junip. an. ℥iii.
Incis. & contus.
D. S.

Species ad balneum herbarium.

Coqu. in *aquæ simpl.* & ad regionem umbilicalem insideat ægra; vel sacculus ex hisce constans in balneo applicetur umbilico & genitalibus.

Pertinent huc *Thermæ*, quarum insessus diuturnus menses

ses solet leuare & curare. HELVETIUS ad menses pellendos commendat, si immittantur pedes in secundinam calidam recenter extractam. Conveniunt quoque inunctiones externæ, circa regionem iliacam & pubis illinendæ, quæ fiunt ex oleo cheirino, laurino, irino, diacolocynthidos, &c. quæ acuuntur cum oleo destillato sabinæ, spicæ, lauendulę, baccarum lauri, petroleo & similibus. Odorem fermenti quidam hic commendant. Odorem moschi menses promouere probabiliter admodum refert BARTHOLINUS *Cent. 2. Histor. 87. Suffitus* etiam per siphonem & infundibulum membro genitali intrusum vel admotum excepti, non adeò sunt incongrui, ad imitationem TIMÆI *Von Gulden-Klee in Casibus* ex colocynthide solâ per medium dissectâ, eâque in aqua simplici decoctâ, insigniter conducunt ad menses eliendos: subinde hoc decocto *silices candefacti* injiciuntur. Item fiant trochisci pro fumo appropriati, v. g. ex zinzibere, sabina, collocynthide, myrrha, & similibus, vel seq. egregii:

℞. *Fol. sabinæ* M. ß.
Myrrh. ℥iß. vel ℥ii.
Ligni aloes ℥i.
Troch. alband. ℈ii. ad ℥i.
M. f. Pulvis grossus: S.
Pulvis aperitivus ad suffitum.

Injiciatur carbonibus ignitis, ut ita excitetur suffitus utero excipiendus.

Vel ex his pulverisatis cum *balsamo* sulphuris *terebinthinato* & aceto fiant *Trochisci*, qui injiciantur carbonibus, & excitetur fumus.

Facit huc suffitus de sabina Mynsichti, &c. Omnium optimus fumus fit ex decocto scoriarum reguli Antimonii: nempè

℞. *Scor. reguli antimonii* q. s.
solvantur in
Aquæ simplic. vel secundùm alios in *lixivio acri*:
℞. *Solutionis* hujus p. iv.
Vini malvat. part. I.

Hujus mixturæ unum, 2. vel 3. cochlearia injiciuntur silicibus candentibus, inde elevatus fumus nudo corpore excipitur, præsertim in mulieribus, quibus infundibulum pro suscipiendo hoc fotu submittere possumus. Mirabiliter ciet menses, & pro certissimo remedio habuit B. D. MICHAELIS, & ab HARTMANNO, PETRÆO, AGRICOLA, CORBÆO, multisque aliis laudatur Practicis. Si verò metuatur, ne præ nimio motu excitato sanguis non inveniat viam, uenæ sectio excitanda. Nec minùs efficax est suffitus similis paratus ex scoriis martis ignitis, vel limaturâ Martis candefacta, cum *urina*, imprimis *antiqua* & fętida, irroratis, qui dicto modo utero exceptus mirè conducit ad promovendum mensium fluxum; vid. GLAUBERUS *de Furnis Philosoph. cap.* 88. sal uolatile enim ascendit (*oportet, ut sit urina putida, aliàs sal volatile retromanet*:) non enim solummodo penetrat in uasa, sed vellicat etiam uterum, ut promoueatur sanguinis excretio. Veteres ulteriùs exhibuerunt pessos, quos inter non inutilis est pessus factus ex felle tauri, mixto cum succo Mercurialis, in quo cocta sit colocynthis: Hæc inuicem mista dant pessum satis potentem, qui quatenus irritat parietes vaginæ uterinæ, hoc ipso stimulat, ut eò meliùs excernantur menses.

Item allium, ejusque capita cum oleo spicæ trita, in sacculum indita, tanquam pessus commodè applicantur. Extractum hellebori nigri cum melle exceptum sua forma pessi, qui sindone obducitur, & ita applicatur, insigniter prodest ad proritandos menses. Item hellebori pulvis à ℈ß. ad ℈j. nodulo inclusus, & uaginæ uteri intrusus mirificè prolicit menses. Laudatur imprimis ab ANGELO SALA *in eius Scriptis.*

Vel

℞. *Fol. Persicar. maculat.* Sole in Leone existente collect. & umbrâ exsicc. ℥ß.
Rad. helleb. nigri ʒ ß. ad ʒi.
cum s. q. *mucilag. tragac.* f. Nodulus parvus, qui potenter operatur.

Aut denique Pessus ex ℥ß. croci post Balneum applicatus est egregius. Sed horum usus solet esse rarus, & quia virginibus non æquè conueniunt, propterea loco horum applausum meretur *instrumentum Glauberi* ligneum, omnibus satis notum, quod est instar *pollicis longum & crassum*, in superiore parte est *capitulum* foraminibus pertusum, mediante quo spiritus urinæ concentratus, aut spiritus salis ammoniaci bombace exceptus, vel *sal volatile salis ammoniaci*, aut mixtura ex calce viva cum sale ammoniaco, irroratis cum spiritu vini, vel alia salia volatilia, deriuantur in genitalia mulierum; sic enim particulę exhalantes, irritando parietes vaginę uterinę, menses provocant: quod remedium uti aliàs in quamplurimis uterinis affectibus egregium, ita in specie ad mensium vitia insigne est. Potentiùs operatur, si phiola vitrea dictę mixturę q. s. repleta, carbonibus candentibus applicetur, sicque utero excipiatur. Interdum in malo magis obstinato ad cantharides internè & externè accedendum: vid. VELSCHIUS *Hecat. 2. pag. 13.*

CAPUT II.
DE
MENSIUM FLUXU NIMIO.

Consideravimus & absolvimus ea, quę mensium emansionem spectant: *Contrarium mensium* suppressioni vitium est, si nimis *superflue* fluant, adeoque est *nimius mensium fluxus*: ad quod vitium pertinet, quando frequenter fluunt, id est, quando non expectant *tempus menstruum*, sed omnibus duabus vel tribus *septimanis* redeunt: *Hic* tunc venit curandus, quando debilitat mulieres. Variat equidem sanguinis excernendi quantitas naturalis, pro subjectorum varietate; *in una etenim magis fluit, quàm in altera*: quæ enim constitutionis sunt succulentæ, quæ sunt iuvenculæ, & vtuntur ὑγρῷ pastu, quæ sunt *habitiores*, & quæ sunt *scorbuticæ*, in iis sine *læsione* copiosiùs fluunt, ac diutiùs durant menses; & tales relinquendę sunt: unde etiam quantitas debita menstruorum fluentium saltem respectu individuorum, & virium imminente debilitate, non verò ex certa quadam copia, determinanda venit: confer. FORESTUS *lib. 28. Observ. 10. in Schol.* & PRIMEROSIUS *de M. M. l. 1. cap. 9.* Quibus ergò fluunt menses, ita, ut debilitentur exindè, propter copiam nempè in tali subiecto insuetam, venit curandum.

CAUSÆ.

Causa fluxus copiosi sine virium jactura est, quod natura hac vice abutatur, & quod excernitur, non tàm sanguis est, quàm serum sanguinis, & sanguineum quid instar loturæ carnium.

Antequam ad causarum fluxus nimii evolutionem accedamus, tria imprimis observanda sunt circa mulieres nimio fluxui obnoxias.

1. In omnibus nimio ac diuturno fluxu laborantibus stomachi robur enervatum, cum appetitu delecto, carnisque plus minùs nausea, observatur: ac rarum est, appetitum sibi constare in eiusmodi mulieribus.
2. Observatur in talibus utplurimùm dolor in dorso circa lumbos tensivus & lancinans, continuò vexans, adeò, ut non rarò putent, se nephritico obnoxias esse affectui. Nempè acidum est vitiosum, quod & nerveas circa lumbos vexat partes, & irritando simul uterum, excretionem per hæc loca stimulat, huiusque vasculorum ora plùs minùs aperit. Hinc laudabiliter BARBETTE *in Praxi* dicit, partem primariò affectam esse stomachum, hinc renes.
3. Scorbuticæ volatili acido imprægnatæ, aut his cognatæ, ferè obnoxiæ sunt huic fluxui, unde & fluidiore faciei colore in iuuentute, & ætate consistente præditæ, tactu molles, & habitu quasi aquoso tali affectui magis obnoxiæ.

His præmissis, *Causæ* nimii fluxus sunt eædem, quæ reliquarum hæmorrhagiarum, quas vid. *suprà l. 1. de Hæmorrhagia in genere*. Speciatim investigandæ etiam sunt vel in *utero*, vel primariò & frequentiùs in ipso *sanguine*. In *Utero* hæret vitium menstruationis nimię, vel ex nimia apertione vasorum uterinorum; vel ex atonia uteri eiusque fibrarum, vasa eorumque orificia non debitè firmantium; vel ex irritatione ipsarum partium in & circa uterum, unde spasmodica vasorum contractura supervenit, ut, refluxu per venas impedito, sanguis per arterias impulsus, quâ data porta, ruat; vel si uterus violentia quadam externa fuerit læsus, aut vasa sint rupta seu cum impetu aperta, v. g. dum nimium pondus forsan elevatum, quod fit cum nisu & inspiratione

ratione aeris, aut occasione externâ vasa hypogastrica in eodem rupta; aut etiam in *abortu*, ubi præter naturam separatur secundina, vasis multùm dilatatis cum non levi uteri dolore, unde copiosus fluxus; aut à *partu laborioso*; aut refrigeratione manuum & pedum à partu aut abortu, quæ multum intendit hunc fluxum; item apertura nimia osculorum vasorum ex distensione & quasi dilatatione; aut applicatione acrium eadem sint erosa, qualia sunt *pessi acriores*, admoti pro stimulo mensium, in specie ex *helleboro* nigro: Talia enim interdum excoriant uterum superficialiter, ut vasa nimis aperta non possint denuò connivere, sed superveniant menses & sanguinis fluxus nimius; sicut etiam VARANDÆUS *de Morbis mulierum* refert exitialem uteri hæmorrhagiam ex pessario minus acri, ad aliquod tempus in utero relicto: aut denique si ex motu inordinato corporis, in specie ex sternutatione nimia, ex nimio vomitu, aut laboribus, similibusque aliis causis, quæ mensium fluxu laborantibus & actu fluentibus accidunt, à sanguinis impetu quasi disrupta aut aperta nimis fuerint vasa, & propterea sequatur nimia sanguinis hæmorrhagia: Sic namque refert FORESTUS *in lib. 28. Observat. 16.* Mensium profluvium nimium ex uteri venis perruptis ex gravi pondere sublato: Sic HILDANUS *Cent. 3. Observ. 58.* observat profluvium mensium & gravissimum & periculosissimum, provocatum ex violenta & immoderata sternutatione. Speciatim aliquid præternaturale in utero hærens, vel sanguis grumosus, vel mola, aut fœtus abortivus, vel pars secundinæ retenta, vel simile quid, &c. uteri hæmorrhagiam excitat; ex his enim occasionibus irritato utero fluxus non rarò desperatus planè excitatur, non priùs coercibilis, quàm dicta irritamenta fuerint remota. Sed hæ causæ, quæ uteri vitio profluvium mensium excitare solent, uti dixi, sunt raræ; de quibus & similibus causis FORESTUS *lib. 28. Obs. 11. & sequ.*

Frequentissima ergò causa hujus fluxus est in sanguine, qui tribus modis peccare solet.

Prima est, *quia abundat*, sed hoc rarissimè; nam cum ordinario fluxu vix plethora sanguinis conjuncta esse potest: ut taceam sanguinem abundantem per menses excretum potiùs levare vires suppressas, quàm easdem debilitare, unde non nimius, sed potiùs saltem sufficiens, hac occasione oriatur fluxus. Potiùs ergò peccat *orgasmo Venereo*, aliavè fermentatione aucta & *turgescentia nimia*, ratione cujus *tenuior fluxiliorque* euadit, nimis cietur: unde immodicè turgescens uberiùs etiam per uteri vasa perrumpit. Hoc vulgò dicitur de sanguine bilioso; sicut & nimium coeundi desiderium in iuuenili ætate in quibusdam, quæ à Venere abstinent, subindè sanguinem impetuosiùs effervescentem & erumpentem, hinc fluxum uteri nimium, infert. Pertinet huc aer calidior, exercitatio corporis insignior, gaudium, ira, potus generosi, aromaticorum, in specie crocatorum abusus, & omnia, quæ sanguinem nimis movere, & fermentationem eius augere valent, &c.

Secunda, eaque creberrima, profluvii uterini causa est sanguis serosus nimis, aquosus & tenuis, ac fluxilis, unde frequentissima dependet occasio nimii mensium fluoris. Nam imprimis mulieres habitus succulentioris, simul tamen serosi, obnoxiæ sunt huic uterino profluuio, unde etiam sanguis, quem excernunt tunc, utplurimum est tenuior, fluidior, & qui minùs in grumos concrescere solet, nisi forsan intra vaginam diutiùs hæreat, qui facillimè vasorum ora aperit, & sic effluens subindè instar loturę carnium similis in tali casu esse solet. *Fundamentum* ferè est *in stomacho*, qui copioso potu, simulque variâ & ineptâ diæta onustus, minùs commodè alimenta digerit, sed nimis *colliquescere* cogit, & in *chylum* nimis *serosum* transmutat, unde sanguis etiam *serosus* redditur: Hinc etiam BARBETTE *in sua Praxi pag. 91.* in nimio mensium fluxu primariò stomachum, & hinc renes affici, ceu radices & fomites mali asserit: Ille, nempè stomachus, non ritè chylum elaborando, sed aquosiorem gignendo, indeque totalem sanguinem: Hi, nempè renes, postmodum minùs euacuando laticem aquosum superfluum. *Serum* itaque insigniter coacervatum, frequentem mensium fluxum solet inferre, & inde in specie in *scorbuticis*, quę omnes copiosè purgantur per menstrua.

Tertia denique causa est nimii sanguinis profluvii *serum* massę sanguineę *acrius*, aut *acido salsius*, unde quędam scorbuticæ per uterum solent purgari. Uno nomine: utplurimum junctum est acidum sui generis, quod irritando partes membranaceas ac sensibiles circa lumbos & uterum, hujusque fluoris causa existit. Id quod manifestum est ex eo, quod præter dolores circa lumbos lancinantes, in talibus interdum ante aut post menstruationem sanies serosa adeò acris paulatim effluit, ut etiam hinc erodantur plus minus genitalia. Disponunt ad hoc *edulia acria* copiosè assumpta; ut nihil dicam de *acrimonia succorum* in primis viis.

DIAGNOSIS.

Malum ipsum manifestatur ab ægris: superuenit virium debilitas & membrorum languor, ceu manifestum signum nimiùm fluentis sanguinis. Nimium enim est illud, quod excedit, vel quantitatem, vel qualitatem, vel durationem solitam: Quantitas verò, ut anteà monui, in fœminis non est incerta, nec semper adeò determinata: Tunc ergo τὸ nimium fluxus menstrui optimè æstimandum est ex virium prostratione, quę certissima est regula ęstimandi illud, quod nimium est, quando nempè manifestè vires debilitantur: Euacuantur namque menses, ut leuetur fœmina, non gravetur. Unde, quando nimius est fluxus, citra tamen virium prostrationem, tunc signum est, ipsam naturam abuti hoc fluxu pro sui levatione, sive sit fluxus uterinus criticus, sive alio etiam tempore extra crisin se manifestet: ubi verò debilitatur fœmina hoc fluxu, tunc signum est, quod sit nimius.

Saltim causarum signa probè attendenda, quæ partim antecedentia, partim ipse sanguis, qui effluit, suggerunt. Uteri læsiones, cùm manifestis dependeant ex causis, per se patent. Considerandus ergò sanguis est, qui excernitur: Nam sanguinem ex *nimia apertione vasorum*, *vel nimio orgasmo & turgescentia fermentativa* effluere, constat ex Phlogosibus, genis rubentibus, venis turgidis, pulsu magno, celeri & frequenti, & quæ sunt similia signa sanguinis orgasmi: Qui effluit sanguis, solet & esse *floridus*, naturaliter constitutus, facilè grumescit, obscurioris nonnihil est coloris, &c. Uno nomine: signa adsunt sanguinis boni. *Si sanguis aquosus sit* fomes mali, tunc ipsa excretio & excreti conditio hoc monstrat; Qui enim effluit, est *tenuis*, floridus, intensè coloratus; dilutus nempè color est, lintea, quibus capiuntur hęc Catamenia, multùm tingens, sed non adeò concrescens.

Interdum etiam loturę carnium similis effluit, vel etiam, si sanguis linteo exceptus ita appareat, ut linteum habeat *circulum pallidum*, monstrat sanguinis *serositatem*. Accedunt alia signa, talem sanguinis statum confirmantia, ut pedum aliqualis tumor, facies subtumida, habitus corporis mollior & crassior, &c. Vix, dixi, in grumos concrescere talem sanguinem: Interdum tamen, ubi ex arcta vulvę clausura coercetur nimiùm, in grumos tandem convertitur, quod perindè neminem fallere debet.

Quod si *acrimonia seri aut sanguinis malum* induxerint, dolor plus minùs rodens, morsicans, pruriginosus & genitalia vellicans, cum conatu quodam *ejiciendi*, simul percipi solet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: molestum non saltem mulieribus, sed etiam periculosum malum est *nimia menstruatio*; Eadem enim *mala*, quę aliàs insequuntur hęmorrhagias nimias, etiam nimium mensium fluorem insequuntur, cùm præter virium debilitatem, digestionis primę defectus, cachexia, pedum tumor œdematosus, ipse hydrops, item fluor albus, utplurimùm supervenit mulieribus sępiùs hoc malo correptis.

Quò autem diuturnior est fluxus, eò difficiliùs curatur; Observatum enim fuit à LINDANO, quod interdum ad triennium continuò duraverit.

In senescente muliere superveniens nimia menstruatio plerumque incurabilis est, & ad mortem eam comitatur. Plura audiuistis *supra l. 1. ubi de Hæmorrhagia.*

CURA.

His ita præmissis consideranda est *Cura*: in qua fluxus sistendus est, observando tamen, ne fiat hoc subitò nimis, aut uno quasi impetu, præprimis si aliquandiu suppressus fuerit, aut parcè prodierit; potissimùm in Plethoricis, & si crisis subfuerit. Nam *plethoricæ habitiores*, quando *sine debilitate*

tate fluxum hunc perferunt, relinquenda sunt, quia aliàs mille & gravia nocumenta infert subitò restrictus fluxus, (vid. M. A. N. C. *Ann. 2. obs. 26. p. 47.*) nempè uteri inflammationem, vel si in alium locum sanguis derivatur, ut in pulmones, dyspnœam, choleram, dolores abdominis, &c. quin potiùs, si *debilitas*, syncope, aut convulsiones superveniant, demum curandus venit, ubi causarum remotarum vis infringenda, & ita fluxus sistendus: vid. MERCATUS *de Ind. Med. cap. 5.* & SYLVIUS *Pr. l. 3. c. 3.* Adeoque in Cura causarum imprimis habeatur respectus: hinc

1. Opera danda est, ut sanguis vel imminuatur inediâ, laboribus, sanguinis detractione; vel alteretur absinthio, Rha-Barbaro; vel *fervor* & turgescentia eius nimia compescatur, & plantagine, portulacâ, & blandis acidis coerceatur: Vel
2. Eius *fluiditas* inspissanda incrassantibus, & serositates acres Martialibus & absorbentibus dictis corrigendæ & temperandæ.
3. Atonia & vasa eius nimis laxa coarctanda, vel læsa consolidanda, & adstringentibus, imprimis Martialibus, firmanda.

Ad hos scopos assequendos observandum:

I. Ne subitò nimis, qui aliquandiu iam duravit, supprimatur fluxus, sed potiùs successivè; adeò omnis subita suppressio periculosa esse solet: Conf. M. A. N. C. *Ann. 2. loco allegato.*

II. Diæta probè observanda, & ordinanda, quæ consistit in potu calido, quiete corporis & animi perquam necessaria, extremorum fotu calido, vitando aerem frigidum, & vinum: huius enim usu ordinariò exasperatur insigniter fluxus.

III. Quoad *Purgantia*: laudantur ab his, culpantur ab illis. LINDANUS sanè ab his abstinendum esse ait. Interim tamen cum distinctione hoc accipiendum: Conveniunt nempè Purgantia in subiectis serosioribus, ut ita serum nimium evacuetur, & ita subtracto sanguinem diluente latice, hic spissior redditus minùs effluat: deinde commodiùs ad præcavendum, antequam ille fluor superveniat, non in ipso fluxu, adhibentur, cùm, si in ipso fluxu propinentur Purgantia quæcunque, mensium fluxum potius stimulent & promoveant. Aut ergò penitus omittenda, aut, ubi iisdem utendum est, lenia sunt usurpanda, & quæ adstrictionem aliquam post se relinquunt; quę inter eminent Rhabarbarum, etiam à BARBETTE laudatum, quod in talibus casibus vi alteratiuâ plus iuvat, quàm laxatiua noceret, & Myrobalani: vid. SENNERTUS *Prax. l. 4. P. 2. S. 2. c. 6.* Et quidem Rha-barbarum propinatur ad ʒi. cum *conserva rosarum* mixtum, vel cum *syrupo cydoniorum aromatisato*, seu *simplici*: v. g.

℞. *Pulv. Rha-Barb. el.* ℈i. ʒß. ad ʒi.
Miv. cydon. simpl. ʒii. vel ℥ß.
Aquæ plantag. ʒvi. ad ℥i.
M. pro haustulo laxativo, qui post se adstrictionem relinquit.
D. S.
Potio abluens.

In ipso fluxu etiam nimio singulis septimanis bis Rha-barbarum usurpari potest à ʒß. ad ℈ii. vel solum vel cum nuce moschata, manè in vehiculo calido: e. g.

℞. *Pulv. Rha Barb.* ℈i. ʒß. ad ʒii.
Nuc. mosch. gr. vi.
M. D. S.
Pulvis abluens.

IV. Venæ sectionem in brachio sunt, qui suadent, ut repellatur sanguis ad loca superiora; sed quocunque in loco instituatur, pessimo adhibetur consilio. Quid enim opus est sanguinem ex nimio fluxu deficientem ulteriùs imminuere? potiùs removeantur causæ fluxum stimulantes, & ipse cessabit fluxus. Vanum ergo, in nimio mensium fluxu præmittenda esse universalia, qui canon ineptè intellectus multos perdit. Stultum remedium venæ sectionem vocat LINDANUS, quod potiùs plus promoveat fluxum, quàm prohibeat. „ *Ego*, dicit, *plures tales absque venæ* „ *sectione curavi*; *doctus enim*, *à venæ sectione fluxum* „ *fieri vehementiorem. Neque etiam laudo*, dicit, *cucur-* „ *bitulas*; *licet enim aliquid agant applicatæ*, *tamen* „ *quando attrahere cessant*, *rursus procedit fluxus.* Solent enim aliàs Practici cucurbitulas nunc dorso, nunc etiam mammis applicare secundùm HIPPOCRATEM, „ nempè *Sect. 5. Aphor. 50. Mulieri si placet menstrua si-* „ *stere*, *cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.* Has tamen nocivas esse, etiam putat BARBETTE *in Praxi.*

V. Quin præstat, si in statu sanguinis *seroso* evacuatio quædam instituenda, loco Purgantium aut venæ sectionis per sudores & diuresin eandem instituere, ut ita textura sanguinis alteretur, & etiam serosum vehiculum unà cum acrioribus salibus nonnihil subtrahatur, unde reliqua massa sanguinea necessariò crassior ac spissior fieri debet. Et utut sub ipsa sudatione fluidior reddita massa sanguinea uberiùs per uterum excerni videatur, post peractam tamen sudationem, dum serum fuit evacuatum, & sanguis *spissior factus*, fluxus uterinus postmodùm cessat. Idem est cum *Diureticis.*

VI *Opiata* in paroxysmo præcavendo & curando multùm prosunt, cùm & spirituum impetum sistendo, & irritationem circa partes uterinas sufflaminando, notabiliter fluxum impediant. Habeatur tamen ratio in eorum usu virium, ne viribus nimis exhaustis copiosiùs usurpentur opiata.

Remedia ergò, quæ contra fluxum mensium nimium sunt in usu, sunt maximam partem vel Absorbentia aut Temperantia ratione sanguinis; vel adstringentia ratione uteri. Sanè vix reperitur hic fluxus nimius, nisi utplurimum simul subsit acidum sui generis eundem stimulans. In genere ergò, quæ aliàs *ad hæmorrhagias nimias superiùs lib. 1.* sunt commendata remedia, etiam hic habent suum locum. Et quidem, ubi æstus ac orgasmus sanguinis est nimius, ibi oleum seu spiritus vitrioli in aqua plantaginis propinatus, & subindè libatus, sanguinem sistit, idque imprimis, ubi calor & ardor simul affuerint. Quando minor adest æstus, solum nitrum præparatum, aut ex ipso paratus lapis prunellæ, sufficere possunt: quin & tunc alia blanda acida adstringentia Corallinis, cydoniatis, ac similibus mista, utiliter usurpantur, v. g. succus & syrupus granatorum, succus berberum cum coralliis præparatis, cum syrupo coralliorum *Quercetani*, ac similibus. In specie tamen appropriata sanguinem incrassantia & adstringentia, & fluiditatem corrigentia, sunt sequentia: plantago, quæ ipsa, quacunque ratione usurpata, mirè conducit: *Succus plantaginis* ad uncias aliquot internè haustus multùm conducit: Sic experimento SOLENANDRI ex succo plantag. ℥iv. colophon. ʒi. exhibito, nimium menstruorum fluxum curatum, observauit SCHLEGELIUS: vid. VELSCHIUS *Mision. Cent. 1. observ. 43. annexis ann. 4. & 5.* M. A. N. C. Sicut etiam idem succus extrinsecùs in vaginam uteri iniectus, vasa adstringit; vid. FORESTUS: aut etiam mixtura ex pauco aceto & bolo armena, simul etiam vulgari, externè imposita lumbis, & regioni hypogastricæ, aut genitalibus, aut utero iniecta, insigniter sistit fluxum. Post plantaginem est portulaca, item bursa pastoris, urtica maior, millefolium flore albo, & imprimis horum succi, qui mensium profluvium sistunt: item muscus prunorum sylvestrium, & muscus quercinus ad ʒi. in ovo sorbili mixtus, si non primâ vice, certè secundâ vel tertiâ vice, nimium uteri fluxum compescit. Porrò singularis est lysimachia flore purpureo, & similia: item symphytum maius, eiusque radix, radix bistortę, imprimis acori palustris seu acori adulterini, & ex eodem paratus syrupus adstringens Langii: sic etiam nux moschata, cortices aurantiorum acidorum, eorumque decoctum, commendantur à quibusdam; item cortices radicis mori, cortices granatorum. De floribus balaustiorum res nota est. Semen papaveris & hyoscyami modò dictis convenienter additur; unde pulvis ex semine hyoscyami *Plateri*, ac huic valdè similis *Heurnii*, conveniunt. Pyra, sorba, cydonia, mespilla, & similia adstringentia sunt nota. De semine argentinæ vid. BURGOIS *Lib. de Obstetricibus T. 4. cap. 7.* Lignum Lentiscinum, ubi prostat, & ex eodem paratum decoctum, experimentum est FONSECÆ, qui istud insigniter commendat & laudat. Ex hoc ligno Lentiscino desumpta mastiche etiam egregiæ est virtutis, undè pro potu ordinario Decoctum mastichis in vino austero usurpandum venit. Alii viscum quercinum ad ʒi. in ovo sorbili propinant, & ita menses restringunt.

Ut plurimum tamen ad serum sanguinis, vel copiosius vel aquosius, respiciendum erit: pro quo scopo remedia inter eminet Mars & *Martialia* quæcunque, sive sint aperientia, sive sint adstringentia, imprimis ubi cachexia imminet; hinc excellit hic liquor *Martis solaris*, qui, [illegible] menses stimulet, tamen & menses nimiùm fluentes, & lo-

& lochia nimiùm fluentia sistit, *aperit & constringit*. Egregiè ergò convenit. Per se namque omnia remedia ex Marte adstringunt, & dum absorbent acidum in primis viis, si non inveniunt, quæ præcipitent & absorbeant, tunc vi aperitivâ vel potiùs alterativâ optimè conveniunt. Unde juxta hæc *tinctura Martis adstringens*, vel *tinctura sulphuris vitrioli*, quæ est Martialis, vel tinctura antiphthisica, ex vitriolo Martis & saccharo Saturni parata, sunt optima. Pertinent huc alia subiecta Martialia, ut *lapis hæmatites* præparatus, qui in *succo granatorum* vel *cydoniorum* sumptus menses sistit. Tinctura lapidis hæmatitis, item liquor stypticus ex terra Martiali, quæ in fodinis Martis reperitur, cum spiritu vitrioli paratus, & similia alia *Martialia* adstringentia. Præter dicta inter Simplicia sunt adhuc corallia pulverisata, vel præparata, & omnia ex corallis parata, tinctura eorum cum spiritu lignorum parata, & alia ex corallis parari possunt: Nam POTERIUS *in Cent.* 3. *cap.* 43. & 95. curavit immodicum & inordinatum mensium fluorem, aliis irritis, essentiâ Martis adstringente ac tincturâ coralliorum. Bolus item Armena, terra sigillata cum spiritu vitrioli irrorata, & quælibet his cognata Martialia, uti etiam medulla saxorum, egregia sunt remedia; nam sic potentiùs adstringit terra vitrioli dulcis. Præter Martialia aliaque conveniunt in specie talia, quæ adhuc serositatem absorbent, acrimoniam temperant, & partes laxatas vi stypticâ firmant: qualia sunt *succinum album*, *trochisci de carabe* à ʒß. ad ʒi. de terra etiam sigillata, os sepiæ præparatum, sanguis draconis. Pro vehiculo talium inservit aqua ad hæmorrhagiam uteri Mynsichti, tenellorum cornu cervi, spermatis ranarum, aqua, succus & syrupus plantaginis, portulacæ, millefolii, urticæ maioris; item syrupus granatorum, syrupus coralliorum Quercetani, papaveris, & similia possunt addi.

Juxta hæc ex regno animali, sicuti alias hæmorrhagias, ita in specie uterinas, sistunt stercora: quæ inter primatum obtinet asininum, & hinc suillum, sive pulvis, sive ex iisdem exprimatur succus, qui cum tantundem *syrupi myrtillorum* miscetur & diluitur cum *aqua plantaginis*: e.g.

℞. *Aquæ plantag.* ℥i.
Succ. sterc. asin. vel *suill.*
Syrup. myrtill. an. ℥ß.
M. S.
Potio adstringens.

Vel ex hoc stercore asinino vino infuso, addito saccharo, fiat syrupus, mirè conducens ad uteri hæmorrhagiam; nam stercus asininum est potentius porcino. Imò *stercus caninum* album pulverisatum, & defectu dictorum stercorum vel per se, vel cum aliis propinatum, nobile est remedium, & certum experimentum. Novi mulierem jam vetulam, quæ adhuc in media ætate seu flore ætatis aliquando desperatâ uteri hæmorrhagiâ laborabat, quæ, aliis omnibus irritis, arrepto stercore canino ex platea, pulverisato, & vino acidulo propinato, sublevata & sic curata fuit: Sic jam dimidius annus est, cùm experimenti gratiâ mulieri rusticæ, graviter hoc malo afflictæ, rusticum remedium suasi, scilicet stercus caninum, quo assumpto, subitò convaluit. Aderant verò adhuc tormina, forsan ex grumis sanguinis adhuc restitantibus, quæ propinatâ tincturâ bezoardicâ, mediante blando sudore sponte sedabantur. Aliàs etiam usnea cranii humani ad ʒj. interiùs usurpata, aliis nihil juvantibus, multoties à D. MICHAELIS experta fuit; nam mirè confert ad sedandam quamcunque, in specie uteri, hæmorrhagiam. Vitellum ovi in vino rubro dissolutum, ac sæpiùs repetitum, experimentum est HARTMANNI, quod didicit ex AMATO LUSITANO *Centur.* 4. *Curat.* 12. Ubi refert, menses diuturno tempore fluentes, aliis irritis, per vitellum ovi in aqua rosarum dissolutum, restrictos Conveniunt ulteriùs ossa & cornua animalium calcinata, cornu cervi ustum, cortices ovorum usti, item rasura cranii humani pulverisata &c., quæ ad ʒi. subinde assumpta, etiam egregiè conducunt. Rasura dentis hippopotami in aqua sanguisorbæ assumpta ab HOECHSTEDTERO *Decad.* 4. *Cas.* 2. insigniter laudatur. Quidam similiter usurpant Sperniolam Crollii, quæ tamen propter myrrham & crocum ingredientia minùs commodè applicari potest. Pulvis turturis certo modo præparatus est experimentum certum FORESTI, quod describit *lib.* 28 *observ.* 10. & quod postmodum in usu comprobavit LINDANUS, qui hoc ipso pulvere turturis aliquando in desperato casu ægram sublevavit, Videatur præparatio in FORESTO, HARTMANNO & aliis. Quin & essentia mumiæ, aut ipsa mumia quantitate avellanæ in vino rubro, aut in *aqua plantaginis* vitriolata assumpta, cuidam in secretis fuit, aut his cognata papaverina.

Cum his ex opio parata anodyna nunquam omittenda sunt ad sanguinis excretionem sistendam: quæ inter excellit laudanum opiatum, Theriaca, trochisci de carabe, electuarium diascordii Fracastorii, cum vehiculo *acido* assumpta: Nam si oritur fluxus ex *nimia turgescentia*, eundem simpliciter sistit spiritus vitrioli in *aqua plantaginis*: Sic pilulæ POTERII laudianæ ex laudano opiato paratæ insigniter prosunt: Refert namque POTERIUS *Cent.* 3. *cap.* 49. se aliquando continuum sanguinis ex utero fluxum duobus annis perdurantem curasse per vitriolū Martis & pilulas laudinas, cùm jam cachexia & leucophlegmatia immineret. Sulphur antimonii TACHENII vi anodina hæmorrhagias uteri sistit.

Denique alumen & aluminis usus etiam sunt experta remedia; Alumen enim crudum à ℈ß. ad ℈i. vel ʒß. quotidiè assumptum, vel per se, vel cum aliis, remedium summum est Zwelferi. Unde etiam à quibusdam balneum aquæ, in qua alumen pulverisatum decoctum, ceu infallibile experimentum commendatur.

Ex his multæ fieri possunt formulæ: e.g. LINDANUS sequenti pulvere composito quamplures restituit, speciatim dum ex nimia serositate sanguinis malum ortum traxerit:

℞. *Corall. rub. præp.*
Succini flav.
Bol. Armen.
Sangu. dracon. an. ʒii.
Sem. plantag.
Borrac. calcin. an. ʒi.
Laud. opiati gr. iv. vel vi.
Extr. croci Hartmanni (*Prax.c.* 59. *§.*8.) an. ℈i.
M. sub forma Pulveris.

Pulvere hoc ipse innumeras mulieres, mensium nimio fluxu laborantes, restituisse dicit. „ *Inter alias, pergit, nuperrimè curavi fœminam, quæ per triemium hoc fluxu laboraverat. Me nunquam fefellit. Nullo alio opus habetis remedio. Verùm notetis, continuari oportere, si opus fuerit, & repetendum. Continuari debet per* 5. *vel* 6. *septimanas, & ultrà.* Usus est ter in die, manè, ante prandium, & ante cœnam ad ʒi. Vel cum s. q. syrupi de rosis siccis f. Electuarium, cuius dosis nucis castaneæ magnitudo. Sic ego ad imitationem hujus pulveris aliquando mulieri corpulentæ, sed sanguine *serosiore* turgidæ & *scorbuticæ*, post abortum aliquo temporis spatio interiecto subindè in enormem uteri hæmorrhagiam relabenti, aliis ferè frustraneis, cum successu præscripsi hoc Electuarium:

℞. *Conf. rof. antiqu.* ʒvi.
Diacydon. sine spec. ʒiii.
Corall. rub. præp.
Oß. hum. calc. præp.
Trochisc. de carabe an. ʒi.
Alum. crudi,
Sem. plantag. an. ℈ii.
Laud. op. gr. iii. vel iv. vel vi.
Cum *syrupo corall.* vel *de rosis siccis* q. s. f. Electuarium.

Quod ipsum in principio propter alumen aliqualiter turgescit, tanquam fermentans, sed mox sponte desinit. Hoc ter in die magnitudine juglandis capiendum, & haustulus vini superbibendus, egregiè conducit ad sistendam nimiam uteri hæmorrhagiam.

Vel

℞. *Conf. rosar. vitriolat.* ℥i.
Cornu cervi ust. præp.
Hæmat. præp. an. ʒi.
Alum. sacchar. gr. xii.
Laud. op. per ferm. gr. ii.
Cum *syr. granat. acidor.* f. Electuarium,
D. S.
Electuarium adstringens.

℞. *Conf. rof. antiqu.* ℥i.
Corall. rub. præp.
Bol. Arm. præp.
Hæmat. præp. an. ʒi.
Cornu cervi usti præp. ʒiß.
Alum. crudi ʒß.
Laud. op. cū acet. præp. vel modo *Glauberi* gr. vi.
Cum *syr. de rof. siccis* f. Electuarium.
D. S. *ut suprà.*

Dosis

Dosis quantitas iuglandis manè post haustum iusculum, item ante prandium, bihorio ante cœnam, & sub introitum lecti, sępiùs continuando.

Allud Electuarium vid. in *Idea Formul. Cl. 1. §. 6.* & Decoctum adstringens *Cl. 4. §. 10.* Vel propinetur sequens Mixtura Sylviana, ad omnes hęmorrhagias communis:

℞. *Aquæ bursæ past.*
Plantag.
Tormentill. an. ℥i.
Aceti destillat. ℨiii. ad ℥ß.
Corall præp.
Hæmat.
Sang. drac. an. ℈i.
Laud. op. gr. ii.
Syr. myrtini ℨvi. ad ℥i.
M. S.
Potio adstringens pro aliquot dosibus.
Detur cochleatim.

℞. *Aquæ sperm. ranar.*
Fol. querc. an. ℨvi.
Hæmat. præp. ℈ii.
Musci cranii humani ℈i.
Syr. myrtill. ℨiii.
M. S.
Potio adstringens pro una vice.

℞. *Aquæ plantag* ℥iii.
Spiritus theriac. simpl. ℨiß. ad ℨiii.
Aceti vini ℨiii.
Corall. rubr. præp. ℨß.
Terræ sigill. vel *hæmat. præp.* gr. xv.
Laud. op. Glauberi, vel cum *aceto destillato præp.* gr. iii.
Syr. plantag. ℨiii.
M. S. ut *antè*.

Huc pertinet Potio illa cum alumine & spiritu vitrioli, quam dedi *suprà l. 1. Sect. 6. c. 1. ubi de vomitu nimio*.

Mulieri in fluxu mensium nimio, omnibus 14. diebus recerrenti, post fętum mortuum, ordinaui liquorem martis solaris omni manè usurpandum: appetente verò vespera pręscripsi sequentem pulverem:

℞. *Corall. rub. præp* ℨii.
Dent. hippop. ℨiß.
Hæmat. præp. ℨi.
Misc.
Convaluit.

Alia plebeia occasione frigoris hyberni nimium & immoderatum mensium fluxum patiebatur, cui ordinabam liquorem martis solaris, usurpabat per quindecim dies & noctes, hinc cessabat.

Mulier alia mensium fluxum patiebatur, recente pane vescebatur, & menses sistebantur (*subitò enim sistit menses*) nec per dimidium annum recurrebant; abdomen intumescebat, ut putaret, se gravidam esse; hinc effluxis sex mensibus, occasione ponderis & abdominis in altum elevati sensum ruptionis in imo ventriculo percipiebat, hinc maxima copia sanguinis per plures septimanas profluebat, venter detumescebat, vires labescebant, appetitus deficiebat, ipsa pallida evadebat, unde pro adstrictorio scopo liquorem hunc ordinabam, cuius usu fluxus nimius sistebatur.

Superiore autem ęstate eundem liquorem dedi mulieri cuidam nimio mensium fluxu laboranti, sed frustrà; quia bibacula erat, unde nihil præstabat. Verùm corallia cum terra sigillata aliquandiu propinata hunc fluxum curabant.

Mulier alia gravi hæmorrhagiâ uteri, eâque sæpiùs recurrente, cum scorbuto & atonia uteri afficiebatur: curabatur, propinando interdum pulveris Rab-barbari ℨß. pro dosi. Hinc præscribebam:

℞. *Corall. rubr. præp.*
Lap. hæmatit. præp.
Boli Armen. præp.
Unic. veri præpar. an. ℨi.
Sem. plantag. ℨii.
Alum. crudi ℈ß.
Laud. op. gr. v.
M. f. Pulvis.

Bis in die capiebat, bihorio ante cœnam, & sub introitum lecti, manè verò capiebat solut. martis cum succo pomorum gutt. xxx. Interdum pulvis iste cum conservæ menthæ, & rosarum rubr. an. ℨvi. & syrupo rosar. in consist. Electuarii, sed ipsi ingrati, redigebatur.

Hisce maximam partem convaluit: nempè huius sanguis serosior, acore scorbutico inquinatus, cum atonia uteri, & vicinarum partium; hinc Martialia, Rha-barbarata, & pulveres partim alterantes, partim absorbentes, partim adstringentes, proficua fuerunt. Insequente tempore, crebriore & aliquandiu continuato succi absinthii recenter expressi usu matutino, optimè habuit, alterando dyscrasiam sanguinis, & atoniam viscerum, hincque imminentis hydropis metum avertendo.

Alia mulier serosioris ac scorbuticæ admodum constitutionis, fluxu crebro & copioso admodùm tentabatur, idque per aliquot annos, præmissis Martialibus, & pulveribus modò præscriptis similibus, convaluit, capiendo omni manè succi absinthii & plantaginis, ex concisis recenter expressis, post iusculum pro lubitu, excipiendo subindè pro pane ebutyrato absinthium, & quibusvis 8. vel 14. diebus semel dosin pulveris rhabarbari. Hisce continuatis convaluit, & cùm aliquandiu ex gemellarum partu fuisset læsa, ita, ut superiùs graves dolores in profundo hypogastrii sinistri perciperet, quos ferè sequebatur hæmorrhagia uteri, horum succorum dicto modo continuato usu & hi evanuerunt. Tàm præstans est plantago in talibus casibus, in cuius succi defectu extractum succosum, aut pulvis folior. plantaginis, commodè substitui potest.

Hæc sunt *Interna*: Juxta quæ subindè tamen etiam quædam *Externa*, fluxum mensium nimium compescentia, & collo appendenda, & circa uterum applicanda sunt. Jaspidem collo appendendum sunt qui laudant. Ego verò commendo bufonem violenter interemptum, exsiccatum; vel ossa eius collo aut sub axillis appensa, sic gestata: Alii bufones vivos contusos, aut etiam exsiccatos circa os sacrum applicant, non absque ratione aut successu. MINDERERUS *in Medicina militari* producit nodulum appendendum, in quo rana viridis lentè exsiccata fuit. Pessi ex stercore asinino & suillo cum succo plantaginis, & mucilagine seminis cydoniorum formati, sindone excepti & applicati, potenter sistunt hos fluores: vel ex fimo porcino fiat pessus ad imitationem CNOEFELII *M. A. N. C. Ann. 6. & 7. App pag.* 143. loco quorum clysteres uterini ex simplicium adstringentium decocto, vel ex eorum succis, addito alumine, vel ex succo ac decocto stercoris asinini cum aqua appropriata, vel iniectiones ex *succo plantaginis*, vel solo, vel dicto stercore impręgnatæ, sunt egregiæ: e. g.

℞. *Fol. querc.* vel *plantag.* M. i.
Rad. torment. vel *bistort.* ℨvi.
Gall. contus. ℥ß.
Stercor. asinini ℥iß. vel huius & *sterc. suill.* an. ℨvi.
Coqu. in s. q. *aqua simpl.* ad ℥viii. vel ix. Colaturæ
D. S.
Inspersio adstringens.
Pro dosi ℥ii. iii. ad ℥iv.
Iniiciantur per Metrenchiten.

Plures formulas vid. in *Idea Form. Cl. 4. §. 27.* & *Colleg. Formular. p.* ....

Si simul dolor vehemens adsit, & ardor in *vagina uterina*, commodè etiam folia hyoscyami & *papaveris semen* adstringentibus decoquendis possunt addi.

Cingulum ex helleborastro, seu ex helleboro albo, cuius folia sunt instar plantaginis, sed maiora, experimentum est *Rencalini*, ut etiam HARTMANNI *in Praxi cap.* 220. §. 12. quo etiam feliciter cum successu usus fuit LINDANUS in puerpera, cui fluitarunt nimis lochia: sed æstate tantùm possunt haberi hæc folia recentia; unde in horum defectu potest substitui cingulum ex bursa pastoris & millefolio, quod lumbis circumdari potest: Hisce ferè præferrem polygonum seu centumnodium, quod intra duos lapides contritum, sub axillis, item circa lumbos, item in regione pubis, commodè applicari potest. PANAROLLUS *in Fascic. Arcan. p.* 414. pro cura magnetica ad fluorem sistendum commendat linteum sanguine fluente imbutum, & sub cineribus calidis positum, cuius fumus utero inspiretur & excipiatur: Hoc succedit, ubi est abęstu & turgescentia sanguinis; sed ubi est à nimia sanguinis fluiditate, frustrà adhibetur. De pulvere sympathetico res nota est, quod etiā hunc fluxum soleat sistere. Affirmavit mihi huius efficaciam quidam amicus, qui aliquando felicem huius percepit usum: scilicet recepit huius *pulveris* pug. 1. quem dissolvit in *aqua tepida*: solutioni immisit *linteum*, *sanguine fluente recente tinctum*. Et hoc ipsum prodest non tantùm in vulgari hęmorrhagia uteri nimia, sed etiam, si eadem post abortum sequatur. Alud experimentum refert HELVETIUS *in Distributorio*

rario Med pag. 117. quod nempè menses sistat, si mulier tali fluxu laborans induat indusium per octiduum à viro gestatum; *sed metuendum*, dicit, *ne exindè in tantum supprimantur menses, ut nunquam amplius in posterum fluant.*

Progredimur in Externis: Cataplasma ex gypso, vel terra cimelia, cum aceto irrorata, spinę dorsi prope lumbos, applicandum: vid. TIMÆUS *Von Gulden Klee, lib.* 4. *Cas.* 29. & M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *app. pag.* 142. *Spongia* marina in *aceto* simpl. aut *rosaceo*, vel solo, vel cum vino rubro permisto, bulliat seu impregnetur, & supra pubem aut genitalia applicetur: Conf. RIVERIUS *Cent.* 4. *Obs.* 86. Vel Sperniola Crollii in aqua spermatis ranarum dissoluta, & cum spongiis vel linteis duplicatis admoveatur vulvę, & sic sistitur affectus.

Item

♃. *Rubr. fabril.*
Hæmatit.
Terræ vitrioli dulc.
Boli rubri an. part. æqu.

Pulverisata misc. cum s. q. *album. ovor.* & *aceti* in consistentiam Cataplasmatis, abdomini, in specie regioni pubis, applicandi.

D. S.

Cataplasma adstringens.

Succus plantaginis etiam, vel ipsa plantago contusa, & cum aceto irrorata, mammis applicari debet; sic enim etiam uteri hęmorrhagia sistitur. Id quod etiam fit, ubi aqua spermatis ranarum cum aceto permista cum linteis aut spongia applicatur mammis. Optimum est sperma ranarum recens collectum, non destillatum, sed *methodo Zwelfferiana* per saccum transcolatum, & cum alumine conservatum, cum linteo duplicato, vel spongia frigidè aut saltem tepidè regioni pubis & uteri aut lumbis, aut regioni ossis sacri, vel cum spongia vulvę, applicetur, sępiùs repetendo: cui parum aceti rosacei potest addi: e. g.

♃. *Sperm. ran. meth. Zwelff. asserv.* ℥iv.
Aceti rosac. ℥iß.

M. & in forma Epithematis dicto modo applica.

Si hoc non sufficeret:

♃. *Vitrioli ad albed. blandè calcin.* q. v.
Sperm. ranar. non destillat. q. s. pro incorporatione ad pultis mollioris formam.

Quæ mixtura cum panno crasso, vel linteo triplicato aut quadruplicato, dorso & lumbis versus & ad umbilicum usque applicanda, & egregiè convenit.

De succo sempervivi, cum nitro & aceto, mammis applicato, vid. suprà, ubi de phrenitide. Sacculus item ex stercore asinino in aceto calido immersus vel decoctus, regioni pubis vel vulvæ applicatus est, egregius. Chelidonium majus, aut plantago cum aceto contusa, pubi imponantur, item mammis; nam hæc mammis imposita fluxum uterinum restringere dicuntur, eodem modo, atque similia in maribus testibus admota, hæmorrhagiam narium sistunt. Unguenta sunt v. g. Comitissæ, quæ applicantur ossi sacro vel spinæ dorsi. Sed verum ut fatear, hęc ipsa parum aut nihil Iuuant. Salvię succus cum farina triticea extra pubi tanquam cataplasma applicatus, etiam compescit adstringendo hunc fluxum. Preterea *suffitus ex thure*, *mastiche*, ladano, vel *vapor aceti*, super *scorias Martis ignitas* effusi, exceptus genitalibus compescit nimium mensium fluxum. Nihil ęquè etiam menses sistere dicitur, quàm fumus seminis sinapi, vel salviæ herbę, per infundibulum exceptus. Denique in malo chronico pręmissis pręmittendis usus externus thermarum naturalium est egregius. Fotus ex decocto aluminis pulverisati, vel solitario, vel addito centumnodio, radice bistortę, aut similibus, cum linteis multiplicatis aut spongia applicatus regioni pubis quibusdam convenit.

CAPUT III.

DE MENSIUM FLUXU DEPRAVATO.

TErtium in *menstruo fluxu* occurrens *vitium* est, quandò hic vitiosè seu depravatè, & variis comitatus symptomatibus procedit: ad quod ipsum caput quamplurima accidentia & vitia, & quidem Mensium difficultas, pertinet.

ARTICULUS I.

DE MENSIUM DIFFICULTATE.

VT ut quidem citra ullum gravius symptoma seu accidens menses naturaliter fluant, fit tamen in quibusdam, imprimis corporis impurioris & cacochymici, seu quatum succi à naturali ac debita crasi in varios, acriores plus minus, austeros vel acidos sapores degenerant, ut eędem circa mensium tempus uno alterovè die ante mensium proventum, aut etiam dum actu erumpere incipiunt, capitis dolores, ventriculi morsus ac dolores admodum gravativos, pulsatorios & tensiuos, in lumbis percipiant, qui subindè ad pubem usque se extendunt. Pręterea non rarò dolores atrocissimi, tanquam colici, abdomen excruciant, & variè fœmellas torquent; qui dolores ab umbilico, abdomen vagè percurrentes, ad genitalia continuantur, & hinc ad posteriora, ad lumbos, reflectuntur, & similes sunt doloribus parturientium. Ulteriùs imminentes quasi suffocationes, aut saltem insignes angustias in pręcordiis, item cordis palpitationes, respirationes anhelas, ac similia pathemata persentiunt, imprimis uno alterove die, dum menses instant, donec eorum fiat fluxus; quibus fluentibus, symptomata hęc aut remittunt, aut saltim continuant, licèt non adeò atrociter, donec cessante mensium fluxu omnia denique pacata fiant. Affectus est satis frequens in mulieribus, quę vitam agunt sedentariam, aut is, qui nunquam pepererunt.

CAUSÆ.

Causæ difficiliorum horum menstruorum eædem sunt, quæ mensium suppressorum, nempè orgasmus & fermentatio sanguinis menstrui ordinaria, quidem qualis extra menstruationem solet observari, sed quæ ob vasa vaginæ uteri nimis constricta, aut à prægressa menstruatione infarcta, facilè impediunt sanguinis egressum, unde isti lumborum, & circa regionem pubis dolores tensivi, istæque pulsationes. Imò ex sanguine in præcordiis turgescente plus minùs quasi & stagnante istæ anxietates, palpitationes cordis, & respirandi difficultas superveniunt. Quod si in cacochymicis vitiata bilis, vitiosusque succus pancreaticus sub ista sanguinis fermentatione copiosiùs in intestina effundantur, quod utplurimùm fit, hi vitiosa ex effervescentia, cùm acidum pancreaticum vitiosum in talibus imprimis præpolleat, copiosos generant flatus. Prætereà acor iste vitiosus per intestina delatus, indeque etiam ad mesenterium penetrans, membranas & nervos, horumque plexus afficiens, illorum spasmos & convulsivas contracturas, colicas convulsivas, ac indè lancinantes vagos ac mirè contorquentes dolores excitant, donec factâ sanguinis evacuatione, & cessante eius fermentatione menstruâ, omnia fiant pacatiora, in statum naturalem redeant. Uno nomine; tales mulieres patiuntur symptomata, simillima iis, quæ patiuntur passionem hystericam, de qua suo loco plura.

DIAGNOSIS.

Hęc mensium difficultas ex ęgra facillimè patet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: non contemnendum malum est, partim, quia subindè, nisi maturè succurratur, omnino menses supprimuntur, partim interdum gravia pathemata hysterica dicta, aliaque symptomata, superveniunt. Imò ubi virgines tales difficiles patiuntur menses, eæ mulieres factę, graves pati solent uteri suffocationes. Aliquot novi exempla.

CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac tempus paroxysmi, & extra eundem observandum est. In paroxysmo

1. Fermentatio sanguinis menstrualis promovenda, ut menses promptiùs erumpant, quod faciunt aromatica volatilia.
2. Vitiati succi, præsertim primarum viarum, qualis bilis & succus pancreaticus, effervescentes corrigendi,

di, eorum effervescentiam coercendo, flatus hinc natos resolvendo: quod præstant Martialia, hinc acida fixa &c. Et

3. Denique nati exindè spasmi & spasmodicæ convulsiones abdominis supprimendæ.

Extra paroxysmum verò vitiata crasis sanguinis remediis anticachecticis, hoc est, Martialibus, & aromaticis volatilibus, additis vel interpositis blandè Laxantibus, emendanda est.

Quoad tempus paroxysmi: imitandus hac in parte est HORSTIUS, qui in *lib.* 5. *Obs.* 27. habet exemplum fœminæ iuvenculæ, quæ singulis mensibus paulò ante fluxum vehementissimos dolores quasi colicos patiebatur, cum subsequente diarrhœa, sæpiùs etiam vomitu laborioso, maximaque tensione versus pubem: Hanc ipsam curavit præmisso per octiduum ante fluxum Nodulo alterante & laxativo in vino, propinando in ipso mensium fluxu pilulas suas hystericas, ex menses blandè stimulantibus compositas, quarum hæc fuit compositio:

℞. *Aloes succotr.* ℥iii.
Myrrh. opt. ℈i.
Extr. calami arom.
Card. bened. an. ℈ß.
Croci gr. iii.
Rad. gentianæ,
Aristol. rot.
Dictamni an. gr. v.
Cum *ess. myrrhæ* f. Pilulæ:
Quarum ℈ß. vel ℈i. dies aliquot continuandæ sunt, ut citra molestiam fluant menses.

Conveniunt ergò in paroxysmo Clysteres carminantes & blandè laxantes, imprimis terebinthinati, qui difficiles menses faciliùs promovent. Item essentia ad menses composita, ex splene bovis parata, nunc sola, nunc cum essentia liquida Martis, vel solutione Martis cum succo pomorum permista; cui & addi potest essentia croci. Ipsum Elixyr proprietatis vulgare, vel, quod melius est, sine acido, & antiscorbuticum, tinctura tartari composita ritè parata, insigniter conducit ad promovendos menses difficiles, uti etiam menses suppressos, ratione aloes, croci & myrrhę. Oleum destillatum anisi ad aliquot guttas propinatum convenientissimum est in doloribus abdominis quasi colicis, cum menstruorum eruptione coniunctis: id quod didici ex RIVERIO *Cent.* 4. *Observat.* 85. & huius etiam felicem usum aliquoties vidi; pręstantius tamen est oleum destillatum succini: loco quorum spiritus salis ammoniaci succinatus & anisatus usurpari possunt. Parili ratione oleum destillatum cumini ad menses stimulandos, imprimis dolorosos, convenit. In genere Martialia & Aromatica volatilia, speciatim appropriata, primatum ducunt, quin etiam omnia remedia aromatica volatilia, quę *in suffocatione uterina sunt proficua*, in paroxysmo commodè pręscribi possunt, in specie tamen pulveres cachectici Martiales, castoreum & myrrha, & ex hac parata essentia myrrhę cum tinctura tartari compos. V.g.

℞. *Ess. Martis liqu.* ℥ii.
Ad mens. compos. ℥i.
Croci ℨß. ad ℨi.
M. D. S.
Essentia aperitiva.

Dosis 40. vel 50. guttę ter vel quater in die, menses difficiles valdè promovet.

Vel

℞. *Tincturæ vitrioli Martis Zwelf.* ℥ii.
Ess. absinth. vel *cent. min.* vel *similis arom.* ℥iß.
M. S. ut *anteà.*

Aut potest fieri talis Mistura:

℞. *Aquæ puleg.* ℥ii.
Artemis. ℥ß.
Essent. castor. ℨiß.
Spiritus salis ammoniaci ℨß.
Olei destillat. anisi gutt. iii.
Syrup. de artemis. ℨvi.
M. f. Potio: S.
Mixtura aperitiva, cochleatim sumenda.

℞. *Aquæ fœnic.*
Puleg. an. ℥i.
Carminat. ℨvi.
Tincturæ tartari ℨii.
Liqu. cornu cervi succin. ℈ii.
Syr. de artemis. compos. ℥ß.
M. S. ut *anteà.*

℞. *Aquæ fœnic.* ℥iß.
Carminat. ℨvi.
Flor. sulphuris (qui in doloribus abdominis colicis & hystericis egregiè conveniunt) ℨß.
Castor. gr. xv.
Myrrh. gr. viii.
Salis vol. succini ℈ß.
Syr. de Canell. ℥ß. vel ℨvi.
M. S. ut *anteà*

De qua Mixtura successivè hauriantur aliquot cochlearia, & egregiè conducit ad levanda symptomata in mensium eruptione.

Item

℞. *Aquæ puleg.* ℥ii. vel *huius* & *aquę fœnic.* an. ℥ß.
Cinnam. ℨiii. ℨß. ad ℨvi.
Essent. castor. ℨi.
Spiritus Salis ammoniaci ℨß.
Olei destillat. succini gutt. v.
Syr. de artemis. compos. ℨiii.
M. S.
Potio aperitiva pro aliquot vicibus.

Dulcia vitanda sunt in tali casu, quia malum exasperant fermentando.

Vel

℞. *Aquæ artemis. compos.* ℥iii.
Solut. Martis cum succo pomor. ℨi. ad ℨii.
Syr. flor. calend. ℥iß.
M. S. ut *anteà.*

Fui aliquando vocatus ad mulierem, quę ex lęsa dięta, cùm instarent menses, graves abdominis patiebatur dolores, & subindè recurrentes leves hystericas passiones. Clyster hic fuisset optimus sine dubio, quem tamen respuebat: Pręscripsi ergo sequentem potiunculam:

℞. *Aquæ hirund. cum castor.* ℥iß.
Carminat. ℥i.
Puleg. ℥ß.
Sperm. ceti ℈i.
Lapill. cancr. præp. (propter acidum) ℈i.
Antimonii diaph. ℈ß.
Sal. vol. succini gr. viii.
Syr. de canell. ℨvi.
M. f. Potio:

Quę aliquoties cochleatim hausta symptomata levavit, & Menses provocavit:

Hęc potio etiam conveniret, *si ex subito frigore externo suppressi essent menses* propter sperma ceti coagulatum sanguinem resolvens, modo aliquid castorei in substantia addatur.

Mulier quędam difficultate mensium actu fluentium, doloribus vagantibus & lancinantibus in omnibus artubus, iisque scorbuticis, uti & hystericis, abdominis pathematis afflicta, cum scotomiis, syncope, ita ut ab adstantibus mortua putaretur: huic pręscripsi:

℞. *Aquæ flor. succini* ℥iii.
Ess. castor. ℨiß.
Spiritus cochlear.
Salis ammoniaci an. ℨi.
Lapill. cancr præp. ℈ß.
Syr. cort. aurant. ℨvi.
M. S. ut *anteà.*

Hausit cochleatim, unde insecuto sudore meliùs habuit. Extra

℞. *Olei destillat. succ.*
Spicæ an. ℨi.
M. S.
Oleum aperitivum.

Mista illinebantur scrobiculo cordis, plantis pedum, & aliquot guttę vertici.

Ast cum ex mœrore & tristitia ob obitum mariti graviter affligeretur cum summa virium prostratione & anesthisia, *nullum sentiebat membrum, frigus verò continuum:*

℞. *Aquæ menth.*
Flor. samb. an. ℥iß.
Ess. ligni sassafr. ℨiii.
Spiritus salis ammoniaci ℨi.
Cochlear. ℨß.
Syr. scelotyrb. ℥ß.
M. S. ut *antea.*

Profuit equidem, sed propter inquietudines nocturnas pariter & diurnas, ut & anxietates,

℞. *Lapill. cancr. præp.* gr. xv,
Sal. vol. succini gr. vi.
Myrrh. gr. ii.
M. pro Pulvere.

Hinc meliùs habuit.

Ubi graviora adsunt symptomata, in specie dolores, ubi metus est, ne menses supprimantur, sicut per dolores in partu lochiorum fluxus subindè impeditur, tunc ut sistatur dolor, ad ipsum laudanum opiatum potest fieri accessus: hac tamen observatâ cautelâ, ut misceatur idem cum menses cientibus; notum enim est, quod laudanum opiatum sistat omnes omnino fluxus, in specie verò hæmorrhagias. Hoc ut ne fiat, sed potiùs caveantur ab eodem symptomata, opium cum menses cientibus aromaticis saluberrimo miscetur consilio; idque ad imitationem HOEFERI *in Herc. Med. lib.* 7. *pag.* 306. qui in his casibus commendat pilulas factas ex extractis aromaticis, calami aromatici, helenii, zedoariæ, radicis gentianæ, cardui benedicti, & aloes, cui laudanum opiatum admiscendum sit, *cùm menses ipsis veniunt cum lancinatione*, uti granum unum alterumvè extracti trochiscorum alhandal commodissimè talibus pilulis admisceri potest.

Quoad *Venæ sectionem*: Dum iamiam instant, aut etiam fluere incipiunt in graviore malo, eadem *inpede* secanda est: sin verò adhuc aliquot dies noctesque restent, (*unum vel duos dies*) antequam fluere debeant, vena in bracchio nonnihil evacuanda.

Externè omnia ea, quæ in colica convulsiva & passione sic dicta hysterica præscribuntur, conveniunt; item sequens fotus:

℞. *Fol lauri*,
Herb. artemis. an. M. ii.
Puleg. M. i.
Flor. chamom. Rom.
Samb. an. M. ß.
Rad. angel.
Levist. an. ℥i.
Bacc. lauri ℥i.
Junip. ℥ß.
Sem. 4. *cal. maj.* an. ℥ß.
Concis. & contus. coqu. in s. q. *vini* vase clauso:
Colatura D. S.
Totus externus.

ARTICULUS II.

DE MENSIUM PAUCITATE.

SEcundum vitium in depravato mensium fluxu est *Mensium Paucitas*, dum fluunt equidem menses, sed parciùs quàm fieri debet, & non sufficienter.

CAUSÆ.

Causæ ferè sunt eædem, quæ menses nimium inducunt suppressos; præprimis in his culpanda est viscidítas & Lentor sanguinis ex chylosi læsa ortum ducens; qui exinde fermentationi debitę ciendę ineptus est: Unde in tali casu observantur simul cum sanguine prodire cruda, viscida & mucilaginosa excrementa.

DIAGNOSIS.

Signum mensium paucitatis est, quod mulieres tales patiuntur sub fluxu anxietates, si non consuetâ quantitate fluunt menses, si conqueruntur de palpitatione cordis, difficili anhelitu, de dolore pulsatorio circa lumbos, & tunc curanda venit.

PROGNOSIS.

Cauti tamen simus in hoc passu, ubi curandę sunt maritatę, quę conqueruntur de mensium paucitate. Utut enim post conceptum ordinariò menses subsistant, nihilominùs tamen in quibusdam usque ad medium gestationis tempus seu mensem quartum ordinariam periodum observant, aut saltim primis mensibus panciore quantitate effluere videntur. Ubi ergo est suspicio gravidationis, cautus sit Medicus, nè intempestivè menses proritet.

CURA.

In *Cura* addendus est stimulus mensibus apparentibus, sed non satis fluentibus, propinando in aqua pulegii aut cinnamomi borragionata borracem Venetam à ℈ß. ad ℈ß. cum aliquot guttis essentię croci: aut etiam ex sabina paratum Decoctum, eiusque extractum, aut aliquot guttę eius olei sunt egregię. Myrrha cùm castoreo, cui sal volatile succini addatur, similiter potenter hic succurrit; non minùs, quam spiritus salis ammoniaci, aut alius quicunque spiritus volatilis urinosus. *Omnia ergò*, *quæ aliàs tanquam appropriata ad mensium fluxum promovendum* dicta sunt, etiam hic conveniunt: & quidem, si magis urgeat malum, coniungenda venę sectio in pede. Quando quidem etiam loco venęsectionis in tali casu *cucurbitulę sine scarificatione* possunt applicari *cruribus* vel *femori* in regione superiore interna: perinæo etiam aut inguinibus applicatę, promouent sanguinis fluxum. ZACUTUS LUSITANUS applicavit *hirudines* orificio uteri externo.

Sic etiam CASTRO in hoc casu pessos ex aloë mirę ad sanguinem proliciendum deficientem commendat. Quodsi forsan contingat, ut vasa vaginę uteri citò nimis conniveant ac angustentur, in tali casu externę fomentationes ex Emollientibus, & stimulantibus, ex althęa, malva, meliloto, sabina, pulegio, maiorana, & similibus applicatę conducunt: Vel excipiatur vapor ex horum decocto, & hinc cum oleo cheirino illinuntur inguina.

ARTICVLVS III.

DE MENSIUM STILLICIDIO.

PAucitati huic Mensium *tertio loco* oppositum est vitium, *Mensium seu uteri Stillicidium*, Affectus mensium fluxui nimio cognatus, nec nisi minoris ratione ab hoc differens. Est scilicet continuus quidem, aut saltem unaquaque periodo diutiùs durans fluxus, sed qui non confestim more naturali, verùm tantummodò successivè atque guttatim potiùs utero exstillet, quàm effluat.

CAUSÆ.

Causa huius mensium stillicidii est *acrimonia sanguinis, coniuncta cum eius lentore & crassitie*, quod tamen rarius est, frequentiùs concurrit simul viarum vasorumque angustia; unde irritatione quidem continuâ vasorum uteri sui excretionem continuò urget, sed ipse transire, aut sufficienter per angustiora loca transmitti nequit, hinc etiam continuata quidem, sed guttatim saltem fit mensium excretio. Unde etiam FORESTUS *lib.* 28. *Obs.* 37. observat stillicidium mensium diuturnum, quod tandem in exulcerationem uteri desiit in muliere insigniter cachectica.

DIAGNOSIS.

Affectus ex relatione ægræ patet.

PROGNOSIS.

Si accedit lentor & sanguinis crassities, malum est magis contumax.

CURA.

Simili ratione curatur, atque fluxus nimius.

Præter universalia anticachectica Mars & Martialia, præsertim adstringentia dicta, imprimis primatum ducunt internè, quæ huic medentur vitio, & cachexiam corrigendo, & acrimoniam acidam absorbendo, & simul partium tonum constringendo firmant; Unde pulvis cachecticus, item crocus Martis aperitivus, & tinctura mar-

Martis blandè adstringentes conducunt. Quarum ventriculo adhuc suus constat tonus, hę capiant limaturam Martis, infundant vino cum cinnamomo; Vel recipiant vinum infusionis baccarum iuniperi cum croco Martis aut Marte crudo, & hauriant; fit enim blanda tunc Martis solutio, cuivis Martis tincturę artificiali pręferenda. Hinc Noduli laxantes & alterantes cum uterinis additis ex fumaria, melissa, zedoaria, Rha-Barbaro, & similibus conducunt. FORESTUS *cit. loc.* castorei usum insigniter commendat.

Externè cum frequenter adsit excoriatio in utero, conveniunt iniectiones vulnerarię.

ARTICVLVS IV.

DE

MENSIUM DECOLORATIONE.

IUxta hoc stillidiuium observandum, quod menses interdum variis qualitatibus imbuti prodire soleant, quò pertinet *Mensium decoloratio*, illud nempè mensium vitium, quando non debito colore, sed serosior est instar loturę carnium, albidus, lividus, flavescens, atrior, aut simul acris quasi rodens, & variis fœdis coloribus tinctus, sanguis se manifestat. In specie quidem copiosus mucus viscidus & albicans simul prodire solet, ita tamen, ut adhuc sanguis abundet; aliàs enim ad fluores potiùs muliebres pertinerent.

CAUSÆ.

Omnia hęc cachexię filię & cacochylię nepotes existunt, ut *superiùs* monui: Unde ad statum sanguinis cachecticum prospiciendum est, utut quandoque coniunctus sit fluor albus. Differentia horum est hęc, quod non semper continuet fluxus albus, interdum se societ cum mensium fluxu, & extra hunc etiam dispareat.

CURA.

Colores fędos *curamus*, curato vel fluore albo, vel curato sanguinis vitio cacochymico: ubi premisso vomitorio eminent Martialia, aloe, myrrha, & crocus, sive in forma solida, sive liquida Elixyris, aut tincturę tartari compos. propinentur. Pręter Nodulos alterantes & purgantes hìc prępmittendos, in hoc casu Autores laudant scordium: Item hisce addantur Elixyr uterinum *Crollii*, uti etiam Elixyr proprietatis, mistum cum essentia croci, ut fiat validius. Instituatur etiam Purgatio, quibus pilulę aloeticę cum Mercurio dulci sunt coniungendę. Denique Bezoardicum Martiale, aut Bezoardicum Joviale, item antihecticum *Poterii*, etiam hìc insigniter conducunt.

ARTICVLVS V.

DE

MENSIUM FOETORE.

NAturaliter equidem sanguis, qui profluit, nullo odore est impregnatus, nisi ipsi calendulæ odorem tribuere velis, uti superiùs monui ex RIVERII *Observat.* Interdum tamen ex sanguinis stagnatione & mora in vasis uterinis, fœtor contrahitur, & menses fętidi seu cum fętore coniuncti excernuntur. Odor iste fętidus interdum est hircinus, seu hircum olet certo tempore, interdum etiam alius quidam, vel ipsis mulieribus detestabilis.

CAUSÆ.

Fit ex inchoata putredine sanguinis in vasis uteri, dum alcali massæ sanguineæ dissolvit eius sulphur, superveniente verò acido destruitur hæc actio alcali in pingue, unde oritur iste fętor. In specie solet fieri, dum menses pedetentim solent effluere.

CURA.

Cura est facilis. Opera danda est, ut per aromatica promovendo fluxum omnis sanguinis remora tollatur. Aloë, myrrha & crocus, quin & Elixyr proprietatis, tinctura tartari composita, essentia myrrhæ, uti etiam succinum, essentia succini, & quælibet succinata, balsamum sulphuris terebinthinatum, aloë, & omnia aloëtica, cum Mercurio dulci, ad absumendam putredinem, in specie volatilia, huic scopo egregiè satisfaciunt.

ARTICULUS VI.

DE

ERRATICO & INORDINATO MENSIUM FLUXU.

SExtò fit sæpiùs, ut non certam suam periodum observent menses, sed inordinato fluxu recurrant, nunc postponendo quidem, nunc anticipando, interdum vagè comparendo: quod vitium *Inordinatus mensium fluxus* vocatur.

CAUSÆ.

Sequitur hoc ipsum vitium utplurimum viciatam sanguinis crasin, quatenus ineptus est ad turgescentiam, quæ sub tempore menstruationis observanda est, cum genitalium partium debilitate; unde vitiato sanguine inordinata, interrupta scilicet & impedita, adeòque nunc maturè resurgens, nunc iterum deficiens, oritur menstruatio aut fermentatio, ipso fermento menstruo à genitalibus inspirato, minùs volatili spirituoso existente. Rariùs vitium est in utero. Semper ergo ad sanguinem respiciendum est, quod confirmat cura.

PROGNOSIS.

Menses, quando fluunt inordinatè, semper sunt prodromi cachexiæ, malum, quod tandem in omnimodam suppressionem, aut Leucophlegmatiam, terminatur.

CURA.

Faciunt pro *Cura* mensium inordinatorum utramque paginam Martialia & Corallia, & quæ ex his duobus subiectis parantur remedia egregia. Verùm necesse est, usus eorum sit continuatus; admiscenda subinde, quæ aut promovent nonnihil, aut sistunt fluxum: speciatim Martialia maritentur cum Aromaticis; quod præstant vina Martialia ex infuso Martiali, addito cinnamomo, aut aliis menses pellentibus: nunc sistentia opiata, item Temperantia socianda: Nempè, si semper anticipare observetur fluxus, id quod ferè acrimoniam sanguinis stimulantem innuit, prosunt imprimis præter Martialia ea, quæ sanguinem purificare dicuntur, ex fumaria, scordio, Rha-Barbaro Monachorum, centaurio minori, helleboro nigro, &c. & hinc, quę eiusdem acrimoniam temperare solent, lac pręsertim cum succo fumarię. Ex Marte, pręter crocos & essentias, etiam acidulę artificiales conducunt, item uitriolū Martis artificiale purum, item pilulę *Poterii*, quę fiunt ex croco Martis cum gummatibus, vid. eius *Cent. 3. c. 41.* Ex coralliis, corallia cum sale ammoniaco sublimata, & ab eodem pręcipitata conveniunt: Item insigniter prosunt tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi, quâ methodo pręparata fuit à D. MICHAELIS, nec non tinctura coralliorum cum spiritu lignorum, aut in specie sassafrata, quę hoc in casu tàm in defectu, quàm in excessu est egregia; revera enim aliquid Martis in coralliis rubris inesse videtur. His nunc stimulantia aromatica, præsertim ex myrrha, croco, &c. nunc sistentia opiata, item temperantia, socianda: Nempè si semper anticipare observetur fluxus, id quod ferè acrimoniam sanguinis stimulantem innuit, prosunt imprimis, pręter Martialia, ea, quę sanguinem purificare dicuntur, ex fumaria, scordio, Rhabarbaro Monachorum, centaurio minori, helleboro nigro, &c. & hinc, quę eiusdem acrimoniam temperare solent, lac pręsertim cum succo fumarię.

ARTICULUS VII.
DE
MENSIUM PER LOCA ALIENA EFFLUXU.

Denique depravatur mensium fluxus, quando hi per *alia loca* excernuntur, idque nunc ordinatè, nunc inordinatè. Loca sunt varia: Observatæ scilicet fuerunt mulieres, quibus per gingivas; aliæ quibus per umbilicum; aliæ quibus per uterum aut vaginæ seu vulvæ labia; aliæ quibus per pollicem sinistri pedis emanarunt menses: sicut ex modò dictis exempla refert ZACUTUS LUSITANUS *in Prax. Admir.* & BARTHOLINUS *Hist.* 16. *c.* 1. menses ex pedibus fluentes observavit, quòd propter vasorum uterinorum obstructionem à consueta via fuerint exclusi. Aliis per *mammas* fluxerunt; imò utplurimùm per *os*, aut vomitu, aut, quod periculosius, sanguinis sputo, menses eiiciuntur. Præter BENIVENIUM refert sanè PANAROLLUS *Pent.* 1. *Observat.* 6. de vetula septuagenaria, in qua ab adolescentia semper menses per *os* citra ullam jacturam seu noxam fuerunt excreti: Imò *in lib.* 4. *Observat.* SCHENCKII prostant notata exempla mensium per vulnera, mulieribus inflicta, erumpentium: Aliis quoque effluxerunt per *anum*, aliis intra *ungues*, aliis ex *oculorum canthis*, quod SALA observavit, & per salvatellæ sectionem curavit.

CAUSÆ.

Causa huius perversæ mensium excretionis ferè quærenda est simpliciter in vasis hypogastricis ad vaginam uteri terminantibus (non enim fluit per uterum sanguis, nisi post partum) sanguini exitum quærenti, viam intercludentibus, idque ex horum conformatione nativa vitiatis, vel ex horum angustia & obstructione impeditis, unde sanguis tali orgasmo hinc inde circulatus tandem aliis locis exitum quærit, & eundem invenit.

CURA.

Cura ergò, habitâ simul ratione corporis aut sani, aut cachectici, eò est dirigenda, non ut supprimatur fluxus ex metu graviorum symptomatum, vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observ.* 24 *p.* 42.) sed ut *revertatur* saltem & ad locum naturalem, nempe uterum, ubibidem possit effluere: quod faciliùs fit, ubi aliàs per uterum iam fluxerunt menses; difficiliùs autem, ubi nunquam vestigia ista elegerunt.

Internè in paroxysmo pauca sunt in usu, quia ad *uterum* specificè non perveniunt, & tandem sanguinem plus excitant: *Externè* autem usurpentur, quæ sanguinis impetum vel *ad inferiora* trahunt, vel quæ *uteri vasa* hiscere faciunt.

Extra paroxysmum ergo saltem usurpentur internè Aromatica volatilia, vasa obstructa reserantia.

Inter *priora* eminet imprimis saphænæ sectio, imminente fluxu instituta: item *cucurbitula* inguinibus aut pedum suris & femoribus in regione interna applicatæ, nunc cum, nunc sine scarificatione, uti hoc salubriter monet TULPIUS *lib.* 3. *observ. cap.* 33. qui suadet, ut quando sanguis menstruus per os reiicitur, cucurbitulæ inguinibus applicentur: Sic AMATUS LUSITANUS *Cent.* 2. *Cur.* 21. refert, mulierem per mammas sanguinem menstruum emittentem, curatam tamen per saphænam sectam: Idem AMATUS LUSITANUS *Cent.* 2. *Curat.* 17. refert mulierem enixam, quæ sanguinem menstruum per nares & os excernebat, sed saphænæ sectione, & cucurbitulis femoribus admotis, fuit curata: Notabile est, quod SANCHEZ refert in *Observ. pag.* 466. menses per aurem excretos sectione venarum utriusque brachii sanatos. *Pediluvia* etiam possunt institui. Inter *posteriora* sunt fotus externi utero admoti, aut suffumigia ex colocynthide, aut pessi ex helleborinis, aloeticis & similibus in mensium suppressione usitati; sicut *Clysmata* acriora per consensum contiguitatis uterum vellicantia, tempore quo menses redire debent, non omittenda: Sic namque FORESTUS *lib.* 26. *Observ.* 25. refert, menstruam purgationem per vomitum rejectam, cum dolore circa lumbos & pecten, & urinæ suppressione; qui affectus iniecto clystere emolliente omninò fuit curatus, dum ob alvum solutam vomitus cessavit, & menses ordinariò per uterum fluere cœperunt, donec tandem tempore instantium mensium venæsectione hi ipsi naturalem & ordinarium locum semper repetierint: Hinc *Clysmata gravidis* propter *metum abortus* suspecta sunt. Cum his instituantur *iniectiones uterinæ ex Decocto pulegii, chamomillæ, sabinæ*, unà cum *colocynthide*, quæ in uteri vaginam iniectæ penetrant, & aperiunt faciliùs vasa uterina. Omnia etiam, quæ *cap.* 1. *in mensium suppressione pro usu externo fuerunt allegata*, huc possunt applicari, habitâ simul ratione corporis ægri, an sani? an cachectici) ut intermedio tempore vitiis ejus maturè occurratur.

Sed quid de *gravidis*? Gravidis interdum primis mensibus gestationis per loca insueta erumpit sanguis, menstruo succedaneus: Sic namque SALMUTH *Centur.* 3. *Hist.* 36. refert mulierem quandam gravidam, cui statis temporibus & quantitate sufficiente per urinas fuerunt excreti menses. Imò interdum gravidis per mammas sanguis erumpere solet, signum ab HIPPOCRATE habitum pessimum, infirmioris scilicet fœtus debilitatis; quod tamen non est universale. In talibus ergo, ne periculum subsequatur, corrigatur perversus fluxus; aut ubi in benè habitis ex redundante sanguinis quantitate oriatur, tunc in specie ex superioribus locis, v. g. è mammis si effluat, venæsectione in brachiis instituta commodè iste sanguinis motus & effluxus corrigi potest.

Hæc sufficiant de vitiis mensium.

CAPUT IV.
DE
FLUORE ALBO.

Locuti simul hactenus de affectibus, qui vitio mensium mulieribus contingunt; & absolvimus etiam ea quæ huc spectant: Superest nobis adhuc cognatus affectus, Fluor albus mulierum. *Frequens malum* est, in quo præter sanguinem, quem nunc naturaliter, nunc præternaturaliter, genitalia muliebria plorant, etiam interdum *liquor* alius *serosus*, item plus minùs *pituitosus*, ut vocant, excerni solet; qui affectus exin vocatur *Fluor* mulierum *albus*, à quibusdam appellatur gonorrhœa muliebris; à quibusdam tamen hi duo, tanquam affectus distincti, à se invicem separantur. Consideranda ergò historia huius *fluxus*: nempè *fluxus uterinus* est excretio colluviei variæ per genitalia muliebria, dum scilicet nunc humor pituitosus seu crassus & mucosus, nunc aquosus & serosus effluit, isque interdum paucior, interdum copiosior, interdum plus minus acris & salinus & mordax, interdum verò benignus, mitis & blandus. Utplurimùm hic *fluor initio morbi* solet esse *mitis*, pedetentim magis magisque accrescit, ut etiam subinde *excoriationem genitalium* inferat: ALBUS quidem est ut plurimum, progressu tamen temporis varius color confluit, rariùs lividus est aut flavescens, interdum, sed rariùs, nigrescit, in maligno statu viridescit, interdum alio, sed vitioso, colore est tinctus: Inodorus est utplurimum, rariùs solet esse graveolens, ut fœtidus, nec solet esse ferè talis, nisi inordinariò, & simul quadam exulceratio conjuncta sit, ex qua purulenta fœtor tunc simul oritur. Occupat hic fluxus omnis ætatis & omnis status fœmellas, tàm *virgines*, quàm *maritatas*; Virgines inquam illibatas adhuc & innocentes: Falsum namque est, quod quidam putant, hunc fluxum iis non convenire, nisi quæ iam virum passæ fuerint. Falsum hoc est: Testantur namque observationes, præter *vetulas* etiam puellas triennales, septennales, (vid. M. A. N. C. *Ann.* 9. *Observat.* 28.) item puellas novennes; item puellas tredecim annorum, quæ nunquam nec menstruum fluxum, nec virum passæ fuerunt, huic ipsi fluori albo fuisse obnoxias. Item mulieres, quas affligit, non solùm *extra graviditatis tempus*, sed etiam dum *gravidæ* fuerint, solet affligere: Sic *mulieres*, dum gerunt *gemellos*, *fluore* hoc *continuò* corripiuntur: ipse memini mulierem gemellos gestantem toto ferè gestationis tempore hoc fluxu admodum affectam fuisse; quod observandum contra eos, qui dicunt, ex utero effluere, quod in gravidis impossibile est. Unde etiam *hic fluor albus longè alind vitium est à mensium decoloratione*, cùm æqualiter menstruatas & non menstruatas affligat, tàm quæ nunquam adhuc menstrua viderunt, quàm etiam, quibus ratione ætatis & lege naturæ menstrua non ampliùs fluunt.

fluunt. Et quidem maritatas familiarissimè affligit hic fluxus, rariùs verò virgines aut puellas adhuc innocentes affligit. *Typum* aut *periodum* certam hic fluxus observat nullam, sed nunc continuis, nunc interruptis quidem, sed inordinatis, vicibus recurrit, nunc *copiosiùs*, nunc *parciùs*; nunc menses comitatur, nunc iisdem cessantibus aliquandiu perstat; circa menstruationis legitimum tempus tamen copiosiùs ferè & uberiùs antè aut post scaturit.

De hoc affectu, eiusque natura & causis, si liberè pronunciare debeo, quæ sentiam, proponam; Nam à nemine adhuc eius natura legitimè producta fuit & explicata: Dico ergo, *hunc fluxum album mulierum nihil esse aliud, quàm gonorrhœam muliebrem; nunc veram*, quando *liquor seminalis* ex prostatis glandulosis effluit; *nunc notham*, quando *alius ichor* seu *liquamen serosum* variis quandoque coloribus effluit, ubi necesse est, adesse transcolationem quandam. Analoga autem est hæc muliebris gonorrhœa virili. Dico analogam; non verò eandem. Hoc negotium per se pateret, si ex Veterum hypothesi mulieres in testibus semen elaborare, illudque in uterum, & tandem in vaginam effundere, statuere velim; Sic enim, qualis esset gonorrhœa, per se pateret. Sed quia huic sententiæ minorem fidem habeo (scilicet seminis generationi in testibus muliebribus) quàm vulgò fieri solet, cùm testes muliebres potiùs ovarium muliebre dicam, ob id hic fluor albus, seu gonorrhœa alio modo explicanda venit.

Hoc ut pateat, certum est, fœminas in *coitu* sensibiliter, interdum etiam extra coitum in somniis, utrobique cum insigni *voluptate*, aliquam *materiam* excernere; Hanc hac vice *lympham genitalem* vocabo (dabitur enim occasio ulteriùs de hoc discurrendi.) Jam ergò, cùm hæc ipsa materia, quam effundunt, non sit semen muliebre, quod propriè loquando non habent, sed *loco huius* prostant *ova*, sequitur: materiam huius non esse *seminalem*, sed eius usum esse, ut stimulet mulieres ad coitum. Unde autem excernatur? vel qualis hæc sit materia? hic quæstio est. Respondet hic HORNIUS Batavus iste Anatomicus *in Prodromo epistolico de Partibus mulierum generationi inservientibus ad Rolfincium misso*, qui satis est notus; In hoc asserit, quod mulieres, quanquàm talem materiam voluptuosè in congressu excernant, hanc ipsam tamen non ex testibus effluere, sed ex glandulosa osculi uteri interni substantia per multos minutosque meatus exprimi & elici, idque beneficio spirituum per arteriolas & nervos effluentium. Hæc HORNII assertio, utut per anatomen nondum omnibus oculariter demonstrata, multis tamen admodùm probabilis videtur, partim quod maxima voluptas muliebris Venerea in earum clitoride ex dulci eius à membro virili fricatorio motu, partim circa istud orificium uteri internum ab istius liquoris modò dicti excretione percipiatur; Unde glandulosam istam orificii uteri internam substantiam prostatis glandulosis & spongiosis virorum in radice penis quodammodò analogam æstimant. Primus autem glaciem fregit GRAAFFIUS *in Anat. Partium genitalium Mulier. cap. 6. dicens*: quod meatus urinarius in mulieribus ubique sit circumdatus *substantia membranacea glandulosa*, *analoga prostatis glandulosis virorum*, ex quibus, circa meatum urinarium sitis, observatæ sunt *lacunæ* seu apertiones, quæ hiant in orificium uteri externum. Has *lacunas* etiam observavit RHODIUS *in Mantissa Observ. Anatom. Observ. 53.* quæ Mantissa *Observ. Anatom. Rhodii* est annexa *Cent. 6. Observat. & Hist. Anatom.* BARTHOLINI. Hic RHODIUS apposité refert, humorem quendam limpidum, seu, ut vocat, salivalem, qui in congressu maris pubem irrigat, & per binas lacunas, juxta muliebris pudendi labia sitas, exsudare (tàm in quàm extra coitum) quæ lacunæ observabiles sint imprimis in vivis mox post congressum, in defunctis verò, cùm arctè conniveant, vix observabiles. His præmissis, dico: Liquor iste, in fluore albo emanat, excernitur partim ex binis lacunis, iuxta pudendi muliebris labia sitis, adeoque ex prostatis glandosis circa meatum urinarium consitis, partim verò ex ipsa vagina uterina, quæ à Modernis membranoso-glandulosa dicitur. Ex quibus glandulis in coitu mediante attritu membri virilis etiam genitalem huiusmodi lympham turgescentem mulieres unà excernunt, adeoque tam gonorrhœa muliebris, quàm fluor earum albus, etiam partim ex prostatis glandulosis, partim ex textura vaginæ glandulo-membranea, explicanda venit: Nam immediatè tales fluxus procedere ex massa sanguinea asseri nequit, cùm in œconomia humana nunquam liquoris à sanguine distinctio vel generatio, vel separatio, aut transcolatio sine certo ... ro vel filtro, fiat. Ergo & tale organum hic pariter necessarium erit, nisi exulceratas semper has partes dicere velimus, & materiam profluentem purulentam saniem esse.

DIFFERENTIÆ.

Pro meliore ergo distinctione observanda est *Differentia* quædam in hoc *fluore* muliebri, dum alius est *levior*, in quo lympha genitalis pauca albicans, idque non adeò frequenter, sed interruptis vicibus, & nonnihil, parum tamen, spissa, *glutinosa*, *mitis*, sine sensu *ardoris* aut *rosionis* excernitur, & sine graviori corporis vitio ac labe est adiuncta; estque *Gonorrhœa* vera, in qua materia hæc est lympha genitalis, quæ solummodò ex dictis prostatis glandulosis circa vesicæ collum effluit: Id quod probatur ex GRAAFIO *l. a.* qui in muliere gonorrhœâ laborante has prostatas exulceratas observavit. E contrà observatur alius *fluxus copiosus & continuus*, ubi multa serosa subindè, variè colorata, interdum admodum acria & similia, uberiore rivo excernuntur, concurritque tunc simul procedente malo Leucophlegmatia, cachexia totius corporis plus minus confirmata, interdum accedit tumor pedum ædematosus, torpor actionum, flacciditas membrorum, febres lentæ, & quæ sunt huiusmodi alia concurrentia symptomata: Estque hic posterior fluor *Gonorrhœa notha*, seu propriè dictus fluor albus; & hic iterum vel benignus, vel malignus. *Benigna gonorrhœa notha* est, modò enarratus lymphæ vitiatæ fluxus ex glandulosa textura vaginæ uterinæ, forsan & prostatis illis glandulosis simul, *vitio* massæ sanguineæ totius *cachectico*, ex vitio stomachi circa chylificationem imprimis enata: Nam quod ex his prostatis solis effluere nequeat, copia subindè eius insignis manifestè persuadet. Præ cæteris accuratè hos duos fluores, gonorrhœam hanc notham à vera distinguit HEURNIUS, vocans priorem *Profluvium uterinum*, tanquam quod solummodo ex uteri orificii vitio accidat: Posteriorem verò *Profluvium muliebre*, ceu id, quod ex tota muliere effluat. Denique est & *Gonorrhœa nota maligna* seu *virulenta*, h. e. fluor muliebris Gallicus, à contagio Gallico oriundus, nec nisi congressum cum infecto insequens, in quo acria saniosa plus minùs purulenta ac livida subindè excerni solent. Plura, quæ ad cognitionem harum gonorrhœarum seu fluorum muliebrium, de quibus, ut dixi, pauci Autores fecerunt mentionem faciunt, qui cupit, is videat HOECHSTEDTERUM *in Decad. 4. observ. 1 in Scholio p. 287.* imprimis *pag. 296.* & ex hoc etiam SCHNEIDERUM *lib. 3. de Catarrhis; ubi p. 282. & sequ.* fusè & prolixè historiam huius affectus cum primis ex aliis Autoribus declarat in integro *cap. 8.* item SYLVIUM *lib. 3. Pr. cap. de Fluore mulier. pag. 147.*

CAUSÆ.

Causam ergo quod attinet *fluoris* primi, seu gonorrhœæ veræ: est materiæ istius genitalis *copia* & ubertas, aut eius spirituosior turgescentia, vel eiusdem acrimonia, coniuncta tamen cum aliquali orificiorum binarum glandulosarum prostatarum *laxitate* seu *flacciditate*, quæ sola etiam hanc Gonorrhœam inducere solet; Unde hæ faciliùs dilabi ex se permittunt dictam materiam, &c. Frequentissima causa ex his videtur acrimonia istius lymphæ irritans, & ita sui excretionem provocans. Accedit & imprimis *coitus* ad aliquod tempus intermissus, aut ingens coeundi tàm in maritatis quàm in virginibus desiderium: *Virginibus* enim *salacibus*, & quæ propter humiditatem vasa *spermatica* habent *laxa*, & *semen aquosius* emittunt, hi fluores solent esse familiares, imprimis, ubi adest simul laudabilis victus ratio, vita sedentaria, & curis ac meditationibus vacua, & quæ minùs gravibus turbata est affectibus.

Causæ remotæ eædem ferè sunt cum istis, quæ Gonorrhœam in viris inferunt.

Posterioris vero fluoris seu *Gonorrhœæ nothæ benignæ causa proxima* investiganda est in lymphæ, in dictis locis collectæ, & alteratæ, *nimia acrimonia*, eaque quidem nunc *salsa muriatica* simpliciter, nunc *acido salsa*, unde subinde excoriationem, dolores, interdum dictarum partium exulcerationem, infert: Accedit simul successivè à crebriore fluxu texturæ illius glanduloso-membranosæ laxitas &

tas & flacciditas, seu tonus earum ita læsus & laxatus, in specie orificii, quacunque ex cau[illegible] ... stractus, unde eò contumacior emergit fluxus. Scilicet vitiatæ huius & acrioris huius lymphæ ratio partim est in ipsis *glandulis* nimis flaccidis, mollioribus & laxioribus, earumque iam vitiato acido, fermenti instar lympham transcolandam in tale liquamen alterante, partim est in ipsa massa sanguinea & chylo vitiatis, ex quibus fit lymphæ istius secretio: vid. SYLVIUS *lib.* 3. *Prax. cap.* 4. *pag.* 167. Nam observatur in talibus vitium sanguinis plus minus cachecticum ex vitio ventriculi circa chylificationem imprimis enatum, vid. ZECHIUS *Cons.* 37. & 97. unde partem primariò affectam stomachum esse, BARBETTE asserit *in sua Praxi*. Hinc per dictas partes glandulosas, tanquam per emunctorium quoddam universale, massæ sanguineæ cruditates cachecticæ, copiosiore sero acriore dilutæ, evacuantur & transcolantur, ac ita tædiosè & continuò istæ nymphæ aliàs in sicco ludentes, humectantur & maculantur. Cùm verò simul de spiritibus ac nutritivo rore plus minùs evacuetur, habitus corporis perfectè fit cachecticus, ac tandem perfecta quædam leucophlegmatia; hinc tumores pedum œdematosi, febres lentæ, appetitus Venereus extinctus, & similia concurrentia symptomata manifestè se exhibent in talibus fœmellis. Quod verò in specie per has partes glandulosas genitalium ista effluant sanguinis liquamina, in causa est iunctum proprium glandularum vitium, harum scilicet vel nimis laxarum, flaccidarum, erosarum, & quasi resolutarum. Unde præter alias causas remotas etiam partus difficilis (vid. BLASIUS *P.* 5. *Obser. Anat.* 3.) aut abortus interdum in causa est, ut oriatur talis fluxus ex laceratione, aut alia læsione harum prostatarum, vel earundem sensibiliùs irritatarum, hinc liquorem uberiùs transmittentium, vel quavis alia occasione interna aut externa, unde semel factâ excretione continuata postmodùm transcolatio succedit.

Nihil est, quod huic theoriæ obstare possit; saltem unicum est, quod scrupulum movere videtur huic asserto, nempè abundantia seu excessiva subindè copia materiæ excretæ, quæ cum parvo colatorio vix consistere potest: Sed quando modò consideremus, quantum materiæ subindè unicâ die & nocte, dum coryzâ laboramus, per *nares* excernatur, quantum materiæ in cacochymicis subindè ulcusculum quoddam plorare soleat, quantum materiæ continuò stillent lippientes oculi, &c. facilè possumus concipere, quod & per has prostatas vitiatas ex massa sanguinea cacochymica copiosiùs tale liquamen continuò effluere possit in *malo inveterato*. Nempè quod est in naribus coryza, in oculis nimia lacbrymatio; in faucibus copiosior tussis & screatus, h.e. talis, tàm in maribus quàm in fœminis, gonorrhœa notha; adeoque tam ad materiæ & cæterorum contentorum vitium, quàm ad partis solidæ affectæ morbosam constitutionem, simul respiciendum. Speciatim acidum sui generis seu specificum est, quod alterando materiam lymphæ, quàm afficiendo istas glandulas circa genitalia, hunc fluorem album mulierum infert, cuius primus faber in ventriculo residere videtur, utut semel factâ per ista loca excretione ulteriori postmodùm quælibet vitiatæ sordes unà evacuentur. Scorbuticæ præsertim & graviùs & pertinaciùs fluore eiusmodi albo laborare observantur. Simul tandem observandum est pro ulteriore scrutinio, quod habet HORNIUS *l. a.* nempè *orificium uterinum* internum esse *glandulosum*, ex quo etiam succus seminalis soleat emitti: videatur *David von der Becke* in Meditat. circa Principia Rerum Natur. pag. 193. ubi refert, *vaginam uteri* esse *porosam*, & continuò quandam *lympham* solere transudare, & humectare genitalia viri in congressu: interim SYLVIUS asserit, totam substantiam uteri & vaginæ esse membranoso-glandulosam, quæ hypothesis & fermento menstruo & huic fluori albo, præterea nutrimenti fœtus transcolationi, & quamplurimis similibus problematis solvendis, aptissima esse solet.

Hæc quoad Theoriam huius Affectus.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa*: Morbus hic patescit Medico ex relatione ipsarum ægrarum: Et quidem imprimis distinguendus fluor hic, qualis sit gonorrhœa? an vera? an verò notha? quæ differentia ex adiunctis & ex effectu patet. *Prior* enim fluor paucus est in moderata quantitate, *crassiusculus*, *glutinosus*, *serosus*, citra ullam materiæ acrimoniam, nunc *statis*, nunc *vagis temporibus* evacuatur, & talis gonorrhœa *vera* seu fluor subinde diu sine insigni incommodo perdurare potest: Sin verò copiosiora acria serosiora, viridescentia, fœtida, tenuia, aut similia plus minus alterata effluant, accedente comite cachexiâ, prostrato appetitu, tumore pedum, ructibus, virium prostratione, omnium actionum torpore, nauseâ à coitu cùm spiritus deficiant in genitura, dolore *in lumbis*, & circa *os sacrum*, &c. talia fluxum gonorrhϾ nothæ ostendunt: cui, ubi & acrior simul concurrat lympha, febris nocturna seu vespertina, quasi catarrhalis, seu febricula quædam lenta, imprimis vespertino tempore exacerbans, solet simul supervenire.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Gonorrhœa vera* nihil habet in recessu; *notha* verò præter alia mala hoc habet incommodi, quod subindè fœminas redeat infœcundas & *steriles*, utut non semper.

Quodsi fluores hi diutiùs duraverint, graves morbos, diabeten, languorem totius corporis, cachexiam, *hydropem*, *tabem*, *atrophiam*, item prolapsum sinus pudoris, infert.

Rarum interim est, quod refert BALLONIUS *consil.* 59. de Fluore muliebri continuò suppresso, quod exinde mutatus fuerit in diabeten lethalem.

Quò diutiùs duraverit gonorrhœa hæc notha, eò *difficiliùs* curatur, & imprimis sedulâ medicamentorum continuatione opus habet; hinc fœminas nonnihil seniles malum hoc plerumque ad mortem usque comitatur. In iuvenculis autem faciliùs curationem admittit hic fluxus.

Si acrior sit materia profluа, pruritus, ardores, exulcerationes genitalium, *gangrænam*, & tandem *mortem* infert.

CURA.

Ubi fluxus hic est de natura gonorrhϾ veræ, tunc observandum est monitum HELIDÆI PADUANI, „ qui *in Observat. pag.* 179. dicit: *Si singulis mensibus bi-* „ *duo vel triduo durat, & postmodum cessat, hinc suo tem-* „ *pore redit, non est cohibenda; si verò perpetuò durat, maturè sistenda est. In Cura ergò Gonorrhœæ veræ* eodem modo procedendum est, atque in gonorrhœa vera virili, aut absumendo lympham genitalem, aut temperando eandem, aut *adstringendo* partes *laxiores*. Optima medendi ratio est *copula cum viro*, quâ in viduis & virginibus deficiente usurpentur ea, quæ aliàs in gonorrhœa virili ex tumescentia aut acrimonia nimia geniture sunt in usu, de quâ iam *suprà lib* 3. *cap.* 2. *Artic.* 1. *membro* 1. pluribus actum. In specie mala citria & limonia, eorumque succus ad ℥ii. vel iii. singulo mane ad temperandam caliditatem geniture, h. e. acrimoniam, & inde dependentem fervorem lymphæ genitalis, usurpantur, imprimis ubi cum ipso fluxu titillatio quædam aut pruritus ad Venerem fuerit coniunctus: sed continuanda sunt hæc. Item, terebinthina in ovo sorbili, vel mediante ovi vitello cum aqua florum salicis mista, omni manè assumpta, & aliquandiu continuata, conducit. Folia & flores seu cimæ salicis decocta in vino & potata, crebriùs etiam hic conducunt; item *succus* exstillans ex *surculis salicum* verno tempore incisis, quod aliquandiu propinetur. Decoctum & extractum florum urticæ mortuæ seu galeopsidos flore albo in hac gonorrhœa specificè laudatur; vel mentha & urtica hæc mortua, item sclarea, iniicienda cerevisiæ, & ita potus hauriendus; Nam hæc urtica mortua, seu galeopsis flore albo præ aliis in gonorrhœa muliebri tàm vera, quàm notha, convenit. Tanquam efficax & expertum commendatur sequens Decoctum:

℞. *Rasur. rad. liquirit.*
Sem. myrtill.
Coriandri,
Plantag.
Viticis seu *agni casti an.* ℨi.
Papav. albi ℈ii.
Hyoscyami ℈ß.
Hord. mundat. M. i.
Acaciæ,

Sem.

Sem. sumach. an. ℈i.
Contusa coqu. in s. q. *aquæ chalybeatæ:*
Colaturæ ℔iß. addendo postmodùm
Trochisc. de alkekeng. ℈i.
Misc.

Quidam

℞. *Sem. viticis,*
Plantag. an. ℥ii.
Rutæ ℥iß.
Fol. menthæ ʒi.
Corall. rubr. præp.
Cornu cervi usti præp. an. ℥iß.
Ebor. rasur. pulv. ʒi.
Maxill. luc. pisc. ʒß.
M. f. Pulvis.
Dosis est ʒß.

Vel

℞. *Conf flor. anthos* ℥ii.
Ras. eboris pulv.
Mag. succini cum spiritu vini extr. an. ʒiii.
Osteocoll. ʒiß.
Putam. avell. pulv. ʒß.
cum s. q. *syr. rosar. rub.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium adstringens.
Dosis magnitud. castaneæ.

Præter dicta *Pulvis mandibularum lucii piscis* à ʒß. ad ʒi. usurpatus & continuatus, itidem conducere solet. *Trochisci* etiam de *terra sigillata*, *trochisci de carabe*, itidem in usu esse solent. Ipsum succinum etiam præparatum, & similia etiam sunt usus laudati; item balsamus sulphuris terebinthinatus.

Externè *Balnea* & Fomenta *blandè adstringentia*, facta ex cortice radicis pruni sylvestris, cortice ligni guaiaci, &c. cum alumine in aqua chalybeata, adiecto pauco aceto, decoctis, vel applicatis, vel iniectis, vel cum parva spongia instar pessi applicatis, flacciditatem prostatarum coercere, & hos fluxus sistere valent.

In *gonorrhœa verò notha benigna*, seu fluore mulierum albo posteriore & deteriore, curanda:

1. Stomachi chylificatio procuranda & emendanda per vomitum, & administranda experta *stomachica*: vid. JUL. CÆSAR CLAUDINUS *Resp. pag.* 220. & RECHIUS *Conf.* 97.
2. Sanguinis *cruditas cachectica* corrigenda, partim per appropriata cachectica, aut remedia Martialia, partim salia volatilia & *aromatica*, præsertim ex lignis.
3. Ipsi *fluori*, & partibus à fluore læsis adstringentibus & Nervinis est succurrendum.
4. In specie *appropriatis* seu specificis malo occurrendum: quæ ferè sunt talia, quæ acidum salsum specificum temperant, serositates superfluas quasi imbibunt, & hinc adstrictionem quandam post se relinquunt; qualia ferè in gonorrhœa virorum notha, aut quæ ex genitura acriore oritur, in usu esse solent.

In specie observandum:

I. Non statim est supprimenda hæc gonorrhœa notha seu fluor mulierum albus, præsertim, si diutiùs duraverit, cùm aliàs gravia pathemata inducat, uti videri potest in M. A. N. C. *Ann.* 3. *pag.* 344. item in BALLONIO *lib.* 1. *Conf.* 56. ubi fluor muliebris contumax suppressus diabeten lethalem intulit: quin potiùs præmissis præmittendis demùm per specifica & appropriatas fluxus sistendus. Conf. HELIDÆUS PADUANUS *loco allegato*.

II. Sanguinis detractiones quævis nihil adiumenti afferunt: interdum tamen fonticuli in crure pro scopo aversorio aliquid efficere possunt.

III. Quoad Evacuantia: *Vomitoria* commendavi, quæ præmissis *digestivis* imprimis sunt egregia; hæc inter specificè convenit pulvis radicis asari ad ℈ii.

Repetenda sunt etiam, ubi necessitas postularit. Nam reliqua *Purgantia* propriè dicta circumspectè & rarissimè usurpanda sunt, quia *parum vel nihil* iuvant; quin potiùs fluorem album magis augent: Autore enim PLATERO observatum fuit, quod Purgantibus fluxus talis interdum fuerit excitatus in iis, quæ aliàs eundem nunquam passæ fuerunt; Vomitoria verò fomitem subtrahendo eundem imminuant. Cautè ergo usurpanda hic Purgantia per inferiora, aut omninò omittenda. Ubi verò necessitas postulat eadem, maritanda sunt imprimis Jalappa & Rha-Barbaro, quod etiam vi alterativâ in specie convenit, & cuius adstrictione relictâ emendetur à purgante inducta noxa; unde species dia-turbith cum Rha-Barbaro insigniter commendantur ab HELIDÆO PADUANO. Juxta pulverem ialappæ eiusque resinam, Mercurius dulcis aliis additus proficuus videtur, quatenus cachexiam sanguinis emendat: Sic Laxativa ex helleboro nigro, eiusque extracto, Massa pilul. de hiera cum agarico, &c. cum Mercurio dulci conveniunt: item bryonia appropriatum, ubi necessitas postulârit, est purgans. Quæ omnia laxativa colocynthide, vel potiùs extracto trochiscorum alhandal sunt acuenda. Loco *Purgantium* verò sola sufficiunt *Sudorifera*, quæ tutiora sunt: uti & *Diuretica* cum appropriatis maximè proficua observari solent, præsertim in subiectis humidioribus, serosioribus, aut scorbuticis, &c.

Ratione ergò *sudoriferorum* in usu sunt *Ligna*, lignum *sassafras*, speciatim *Decoctum* lignorum, iuniperi; guaiaci & sassafras, cum agrimonia, fragaria; *essentia* lignorum composita, tinctura ligni sassafras, item tinctura corall. cum spiritu lignorum, expectando sudorem, sunt utilissimæ: Sic ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Admir. Observ.* 89. refert uteri profluvium, unde tabes secuta, Decocto lignorum curatum: Et tincturæ corallorum cum spiritu lignorum egregium usum, præmissis præmittendis videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 8. *Observat.* 25. *pag.* 26. Pro scopo *diuretico* conveniunt in specie *terebinthina* & *terebinthinata*, *terebinthina* in vitello ovi soluta, *balsamum* sulphuris *terebinthinatum*: Sic namque FONSECA *lib.* 1. *Conf.* 21. pro derivatione ad urinas commendat & laudat hoc:

℞. *Terebinth. cum aqua rof. lotæ* ʒß.
Pulv. corall. rub.
Boli arm. an. ʒß.
Misc.

Sumat ieiunè bis in qualibet septimana in conveniente vehiculo.

Unde etiam RIVERIUS *Cent.* 1. *Obser.* 40. tanquam utiles commendat *pilulas* ex *terebinthina* cum *Rhabarbaro* efformatas.

Hæc unà cum *appropriatis* usurpanda sunt.

Quoad II. conveniunt stomachica, salia volatilia oleosa aromatica, chyli & sanguinis alterativa & anticachectica, quæ secundùm SYLVIUM *libr.* 3. *Prax. cap.* 2. *pag.* 80. præservant à fluore albo, unde etiam eundem iam præsentem corrigunt, sanguinis vitium, radicem fluoris albi, eradicando, & corrigendo. In specie verò ad corrigendam cachexiam, simulque inde oriundum fluorem album, si quid aliud, expertum specificum est *rosmarinus*, eiusque Decoctum, ad sistendum fluorem album: Hoc namque solo Decocto *rosmarini* diutiùs continuato quosvis fluores mulierum albos semper felicissimè curari asserit LINDANUS *in suis Practicis*, nec opus esse alio remedio. Et credo, quod verum sit; nobile enim est simplex rosmarinus in mulierum affectibus. Huc essentia & spiritus rorismarini, essentia lignorum; elixyr proprietatis fine acido, elixyr proprietatis cachecticum, elixyr cachecticum alterativum & laxativum, etiam conferunt: ut de balsamo sulphuris terebinthinato, iuniperino & succinato nihil dicam, quæ multis usibus conducunt. Sunt qui rosmarino adiungunt folia menthæ & melissæ: ex quo ternario medicamenta quæcunque continuato usu administranda moneo. Conveniunt etiam alia ad cachexiam appropriata, ut sunt v. g. radix galangæ, cyperi, caryophyllatæ, maiorana, antophylli, caryophylli, & oleum horum destillatum; etiam vulneraria, ut alchimilla, agrimonia, veronica, baccæ lauri, &c.

Inter Martialia eminent liquor Martis solaris, tinctura Martis tartarisata Ludovici, solutio Martis cum succo cydoniorum, Borsdorffianorum, &c.

Specifica verò interna, quæ in hoc fluore conveniunt, sunt ea, quæ acre salsum acidum temperant, serositates imbibunt, & hinc aliqualem adstrictionem relinquunt, & talia imprimis in gonorrhœa virorum ex semine seroso acriori usurpari debent. Talia sunt imprimis *viscus quercinus*, qui est commendatus pro usu, tàm in *substantia*, quàm in *decocto*: hinc PANAROLLUS *in Pent.* 2. *Obs.* 48. laudat Decoctum nucis pineæ cum ligno visci quercini, quo Decocto sæpiùs hausto tanquam mirabili & experto remedio in hoc morbo curando se usum fuisse asserit.

Hinc radix filipendulę, tormentillę, sigilli Salomonis, angelicę & similes conducunt. *Sclarea* tùm propriè dicta (quam vulgò horminum odoratum, item gallitrichon, vocant) quàm horminum sylvestre, singulare est specificum interno externoque usu ad hunc fluxum, quacunque ratione usurpata, in specie si infundatur vino, & crebriùs hauriatur, prępimis Decoctum sclarę cum rore marino in vase clauso, vel essentia; unde etiam essentia contra fluxum album D. *Michaelis* ex sclarea, tanquam basi, est constructa. Post sclaream *galeopsis* seu lamium *flore albo*, species urticę mortuę, est nobile, cuius aqua, conserva, & Decoctum in vino, mirè conferunt: Certè aliquando, cum essem adhuc sub informatione Dn. D. MICHAELIS, Decoctum hujus galiopsidis in vino generosam fœminam, diu & contumaciter hoc fluxu albo laborantem, restituisse novi, aliisquamplurimus irritis. Post hanc etiam cortices avellanarum, *millefolium album*, radix *filicis*, *melilotus flore albo*, item plantago, cymę rubi idęi, equisetum, hyssopus & similia laudantur. Horum Simplicium flores, & in specie nymphęę albę, item bellis flore albo, diutius continuata specificè album fluxum sistere à quibusdam laudantur. Lignum Lentiscinum, guaiacum, in specie sassafras, commodè, ubi placet simul movere sudores, usurpatur. Modus utendi sub forma Decocti & essentię est satis cognitus. De aromaticis nihil dico, quoniam ratione cachexię per se commendantur, uti iam suprà dixi. Porrò vinum, in quo extinctum est aurum, tanquam experimentum laudatur tam à FORESTO, quàm CORBEJO. Lac etiam suum usum habet; siquidem lac chalybeatum cum bolo Armena mistum, crebriùs usurpatum, in biliosioribus & melancholicis in usu esse solet, id est, ubi acrius acidum est, quod affectum hunc pertinaciorem reddit. Essentia castitatis *Michaelis* magno est in pretio. Ista *ex vegetabilibus* primatum obtinent. Hiscè porrò etiam adiungenda sunt *putamina ovorum* post exclusos pullos, tàm crudè pulverisata, quàm *calcinata*, dosi ʒß. assumpta, *os sepiæ* pręparatum, *maxilla lucii piscis* cruda & calcinata, cancri fluviatiles calcinati, cranium seu caput caponis exsiccatum & pulverisatum, item suber ustum, quod ad ʒi. propinatum, fuit experimentum *Helidæi Paduani*. Prę cęteris *ebur* sine igne præparatum, aut, quod melius, raspatum, & pulverisatum, *succinum* album cum ovo sorbili, (vid. FORESTVS *lib.* 28. *Obser.* 25.) & omnia succinata, trochisci de carabe, crystallus pręparata, *osteocolla* pręparata, item *pumex*, vel pulverisatus vel calcinatus, *antimonium diaphoreticum*, alumen plumosum, item lapis amianthus pulverisatus ℈i. in haustu vini vel spiritu vini, *priapus cervi* & aceti à ʒß. ad ʒi. pręmissis pręmittendis est egregius. Horum omnium vis eò collimat, ut destruatur *acidum* aut *salsum*, quę in *gonorrhœa* primariò peccare solent. Osteocollę lapis est unum ex primariis specificis TIMÆO *Von GuldenKlee*, ad curandum fluorem album mulierum in specie usitatum, qui vel solus, vel cum aliis propinari potest:

℞. *Magist Osteocoll.* ℥ß.
Carneol. præp. ℥iß.

Quibus mistis à ℈i. ad ʒß. in *aqua* vel *conserva rorismarini* uti solet. Vid. eius *Casus lib.* 4. *Cas.* 15. *pag.* 4. Aliam paululum urinam descriptionem his ipsis tamen primariò ingredientibus, habet idem TIMÆUS *l. a.* sequenti modo:

℞. *Magister. osteocoll.* ℥ß.
Carneol. præp. ʒiii.
Corall. alb. ʒii.
Smaragdi ʒi.
M. f. Pulvis.

Quid autem per *Magisterium osteocollæ* intelligat? ut verum fatear, nescio, nisi osteocollam pręparatam intellectam velit: Est enim osteocolla substantia adeò dura, ut neque in igne calcinari, neque per quodcunque menstruum corrosivum dissolvi, & in magisterium redigi possit. Erit ergo intelligenda *osteocoll. præparata*: ex qua etiam TACHENIUS Venetiis, ut obiter moneam, pręparat remedium singulare contra Casum ab alto, item contra febres quascunque. Loco igitur huius pulveris compositi

℞. *Lap. Osteocoll. præp.* ℥ß.
Crystall. præp.
Maxill. lucii pisc. an. ʒi.
Cum s. q. *conf. rorismar.* seu *flor. anthos* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium adstringens.
De quo ęgra bis vel ter quotidie capiat.

Lapidis amianthi seu aluminis plumosi pulverem BOETIUS miscet cum aqua vitę & sacharo, & ita patienti propinat eundem; vid. *Tract. de Gemmis*. Alia per se cognita lubens omitto. Vitellum ovi in aqua rosarum dilutum, propinatum & iteratum superiùs ex AMATO LUSITANO commendaui in Fluxu rubro, seu mensibus nimis fluentibus. Idem AMATUS LUSITANVS ad fluorem album commendat albumen oui cum aqua rosarum conquassatum, & ita repetitis uicibus usurpatum; hoc ipso enim se & fluorem album, & gonorrhœam curasse asserit: Vid. *Centur.* 4. *Cur* 12. Efficacius erit, si aliquot mastichis grana ad ℈i. huic albumini oui adsumendo adiungantur. Emulsione seminis lactucæ cum aqua chalybeata pręparata, addito ebore, plurimas restituit MEYNOLDVS, Medicus Venetus: Vid. VELSCHIVS *Mictomim. C.* 5. *Obs.* 95. in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. RIVERIVS & CORBÆVS coagulum leporis in Decocto fol. quercus commendant, quo MERCVRIALIS fluorem album se curasse testatur.

Ex his uaria possunt fieri Composita. Medicus quidam egregius ceu experimentum contra fluorem album cortices seu putamina dura auellanarum cum semine anisi multum commendat. Ad eius imitationem pręscripsi sequentem pulverem:

℞. *Cort. avellan.* ʒii.
Sem anisi ʒi.

M. f. Pulvis pro 4. vel 5. dosibus non pœnitendo effectu. Sed necesse est, aliquandiu continuetur.

Alio casu præscripsi:

℞. *Ebor. sine igne,*
Corall. rubr. præp. an. ʒi.
Lap. osteoc. ʒii.
Olei destillat. tereb. vel *anthos* gutt. xii.
M. f. Pulvis pro aliquot dosibus:
D. S.
Pulvis adstringens.

Vel

℞. *Osteocoll.* ʒi.
Hæmat. præp.
Ebor sine igne an. ℈ii.
Corall. rubr. præp. ℈i.
Olei destillat. anisi,
Macis an. gutt. x.
M. f. Pulvis:
D. S. ut *antè*.

Medicus quidam celebris hac methodo fluorem album curavit: pręmissis pręmittendis propinavit ante pastum sequentem pulverem:

℞. *Cornu cervi usti* ʒii.
Limat. ebor.
Corall. rubr. præp. an. ʒiß.
Succin. præp.
Boli Armen.
Mastich.
Sem. anisi ℈ii. ad ʒi.
Cinnam.
Caryoph. an. ℈ii.
Ligni aloes ℈i.
Ambræ,
Moschi an. gr. iv.
Sacch. albiss. q. pl.
M. f. *Pulvis*.

Dosis ʒß. ad ʒi.

Sequenti verò Decocto bis in die pudenda abluere, & iis inijcere iussit:

℞. *Ligni sancti* ℥ii.
Cort. granat. ℥i.
Alum. rochæ,
Thuris an. ℥ß.
Mastich. ʒii.
Flor. balaust.
Rosar. rubr.
Myrtill. an. M. ß.
Infundantur omnia simul per 24. horas in
Aquæ comm. ℔ii.
Ebulliant lento igne ad medietatis consumptionem:
adde
Vini rubri aust. ℔i.
Ebulliant adhuc semel,
Colatura servetur pro usu.

Electuarium vid. *in Idea Form. Cl.* 1. §. 6.

Externa quod attinet remedia pro curando fluore albo: decan-

decantatum est hoc unguentum evporiston ex sclarea, de quo CORBEJUS *de Morbis Mulierum*, item STOECHERUS *in sua Praxi* recensent quasdam mulieres albo fluore affectas, per hoc unguentum curatas:

℞. *Sclaream:*

Quæ contusa cum *butyro* subigatur, in quo aliquandiu putrefiat: postmodum coquatur aliquantulum, coletur & servetur usui.

Hoc ipso mulieri ab umbilico inferiora versus ad regionem pubis usque sedulò inunge, immittendo simul parum de hoc ipso unguento per pessos vulvæ. Comedat quoque herbam ipsam. *Hoc unguentum* etiam commendatur ad omnes graviores post partum dolores compescendos. *Thermæ* itidem præmissis præmittendis, sunt perquam proficuæ, primariò naturales, imprimis Toplicenses, ut & Wolckensteinenses, & confirmatum malum curant, quarum loco fiant *artificiales ex sulphure*, *calce viva*, alumine, adjunctis *Vegetabilibus*, nunc *nervinis*, nunc uterinis, nunc *adstringentibus*, & parum aluminis parandæ, v. g. cum plantagine, cum salvia, sclarea, matricaria, artemisia, & similibus. Horum loco Balnea & fotus adstringentes, vel *Iniectiones uterinæ*, adhiberi possunt; in specie *sessio in Decocto radicis ebuli* laudari solet. Inter FOMENTA pro ventre inferiore & pube excellit Decoctum vincæ pervincæ cum alumine, quod commendatur à FORESTO. In specie cinis nucleorum juglandium cum vino mistus, in uterum injectus, mirificè hunc fluxum sistere asseritur. Iniectionem in uterum vid. in *Idea Formul. Class.* 4. §. 27. Vel pro Balneo

℞. *Herb. absinth.*
Menth.
Rorismar.
Spicæ,
Flor. ros. rubr. an. M. I.
Cort. Granat. ℥j.
Incis. & contus. D. pro Balneo: S.
Species ad balneum.

Aliàs suffitus ex thure & mastiche, item ex ladano, gummi juniperino, mastiche, nuce moschata, succino, bidellio, & similibus est egregius, & frequenti in usu: vid. LOTICHIUS *lib.* 5. *cap.* 1. *obs.* 12. Suffitus salviæ per infundibulum exceptus ex secretum *Corbeii*, & in specie commendari solet. *Adstringentibus* simul *abstergentia* combinanda sunt cum *essentia succini*, *essentia traumatica*, &c. Nec inutiles sunt Fonticuli, femori, tibiis ac humero, pro scopo evacuatorio & aversorio inurendi: vid. VINCENTIUS ALSARIUS À CRUCE *de Quæsit. Cap.* 14. *pag.* 287. RIVERIUS *l.* 15. *c.* 4. & ZECCHIUS *Consult.* 35.

Absolvimus affectus, *qui obveniunt fæmellis*, quando nubiles fiunt, menstruationem nempè & fluorem album muliebrem. Pergo ad

SECTIONEM II.
DE
APPETITUS VENEREI VITIIS.

CAPUT I.
DE
VIRGINITATE LÆSA.

FOEmellæ simul atque puberes fiunt anno ætatis præter propter decimo quarto, & dum menstruus flos primitùs erumpere incipit, simul quoque appetitu venereo tentantur. Huic appetitui quamdiu satisfactionem denegant, tamdiu naturaliter virgines dicuntur, vel mulieres seu fœminæ nondum virum passæ; sin verò ad explendam famem istam à viro se satiari permittant, mutato nomine *defloratæ* appellantur. Congressus ergò legitimus distinguit virgines à non virginibus, non verò conceptio: potest enim concipere virgo ita, ut talis maneat, non autem potest congredi circa læsam Virginitatem: (istud de conceptione in sequentibus patebit, quod nempè virgo concipere queat, sine eo, ut lædatur Virginitatis nota.) In congressu verò nulla alia in mulieribus genitalibus fit mutatio, nisi quod eadem à virili membro dilatentur, & ita ampliora fiant, quę anteà angustioribus circumscribebantur terminis: idque eò magis, quò crebriùs repetatur congressus; sive effundatur sanguis in primo congressu, quod fit interdum; sive non fundatur, perindè est: hæc enim cruentatio tanquam essentiale ad virgines non pertinet. In hoc ergo, minore nempe vel maiore orificii uteri externi, & ipsi continuatę vaginæ angustia, vel maiore & minore amplitudine, naturalis & Physica consistit Virginitas. Nam non aliud deflorationis indicium deprehendere potui, dicit PLATERUS *lib.* 3. *observ.* quàm quod introitus orificii ex dilatatione illa amplior fiat, & quod maturæ virgines ex venis, frictione Venereà in coitu reseratis, sanguinem interdum profundant, (non semper). Ad hanc ipsam genitalium adstrictionem & angustiam præ cæteris pertinet caruncularum myrtiformium, post orificium uteri in introitu sitarum, cohæsio & connexus mutuus per membranam mediam, suis vasculis minutulis instructam: Hæc enim membrana ex istis carunculis unitis nata, reverà est: decantatum illud Virginitatis & infallibile, ubi adest, signum, quod aliàs hymen appellatur: non autem conversim, ubi hymen abest, Virginitas læsa statim exinde concludi potest; cùm mille casibus vitiari & lædi hæc ipsa membrana possit.

Hæc ergò membrana transversa, in collo seu vagina uteri post insertionem cervicis vesicæ urinariæ sita, aliquando tenuior, aliquandò crassior, si divaricatis pedibus, & diductis pudendi labiis, introspiciatur, ipsa extensa figura lunari seu lunæ crescentis in latere quodam superiore perforata conspicitur. Quod si verò adductis cruribus labia denique concidant, aut & ipsa ista membrana corrugata, carunculas quasdam repræsentat: uti exactè hanc hymenis sic dicti constitutionem & observavit & descripsit PANAROLLUS *Pent.* 5. *obs* 50.

Membrana ergò hæc angustior in coitu primo stricturam efficit & impedimentum auget; unde eius violentiore laxatione & distensione aliquantulum sanguinis in tenerioribus nonnihil, aut quæ nimis mentulato substernuntur, erumpere solet. Præter hanc enim carunculam (à cuius coarctatione constrictio meatus) non est alia membrana post carunculas istas obtensa, nisi errore forsan naturæ id contingat nonnunquam: qua ratione etiam atretæ seu imperforatæ tales dicuntur, quibus pudendi labia membrana obducta conclusa reperiuntur, uti observat AQUAPENDENS *de Operat. Chirurg.* CABROLIUS *Observat.* 23. ROENHUYSIUS *pag.* 102. & SENNERTUS *Prax. libro* 4. *Part.* 1. *Section* 1. *cap.* 8. Sed de his & aliis virginitatis signis, præter PINÆUM *Tract. de Virginitatis Signis*, in specie consulendus est PAULUS ZACCHIAS in suis eruditissimis *Quæstionibus Medico Legal. lib.* 4. *Sect. Tit.* 2.

Post amissam per congressum Virginitatem, & inde sæpiùs factum conceptum, inter alias corporis mutationes etiam una insignior in mammis contingit, dum non tantùm in defloratis color papillarum lividus reddatur, sed etiam ipsæ mammæ, quæ in virginibus rotundæ, erectæ, duriusculæ & minores contrectantur, in defloratis molliores, maiores & flaccidiores, magisque pendulæ, successivè fieri solent; quin & lac in iis successivè se monstrare solet. *Hæc tamen lactis præsentia non statim est infallibile deflorationis signum*, cùm & ex mensium suppressione lac in mammis interdum coacervari in innocentibus queat, ut iam suo tempore docuit HIPPOCRATES *Sect.* 5. *Aphorism.* 39. ubi scribit: „ *Mulieri*, *quæ nec prægnans*, *nec puerpera est*, *habeat tamen lac*, *menses suppressi sunt*. Unde etiam in infantibus tenellis & puellis brevi post egressum ex utero matris sæpè observatum fuit lac ex mammis stillans; Id quod observationes Medicæ testantur: Vt taceam de viris, interdum ex mammis suis paulò carniosioribus lac emulgentibus: quin & BARTHOLINUS *in sua Anatome* recenset de Familia quadam Nobili in Norwegia, cui hæreditarium fuit, ut etiam intemeratæ

meratæ notæ virgines simul ac pubetes fierent, lac in mammis generarint.

ARTICULUS I.

DE

GENITALIUM MULIEBRIUM SOPHISTICATIONE.

SEmel amissa virginitas denuò in integrum restitui nequit; factum enim infectum fieri nequit: nihilominus adstrictio genitalium artificiosa, virginitatis veræ æmula, quin progenerari possit, nullum est dubium. Quæ ipsa artificialis adstrictio præter hunc usum, ut dissimuletur commissum scelus, etiam interdum hunc in finem necessaria est, ut post partum, dum nimis dilatata sunt genitalia, eadem denuò adstricta ad naturalem tonum redeant, ut viris postmodum gratiores fiant denuò puerperæ. Conducunt ergo hic imprimis Balnea, fomenta, insessus, & similia ex adstringentibus parata: quæ inter primatum obtinet radix symphyti maioris, de qua observationem habet non inelegantem HOECHSTEDTERUS *Decad.* 3. *Conf.* 5. *in schol.* ubi observat quidem, Balnea ex decocto radicis symphyti maioris facta mirè angustasse virginalia. Præter hanc radicem aluminosa imprimis conducunt in decoctis adstringentibus dissoluta, vaginę uteri iniecta: v. g. dissolvitur aluminis aliquantulum in Decocto plantaginis, quod iniicitur in vaginam uteri, & etiam tanquam fomentum externè applicatur. Alii

℞. *Fol. querc.*
Plantag. an. M. i.
Rad. consol. mai. ℥ii. vel ℥iii.
Gall. contus. ʒvi. vel ℥i.
Alum. contus. ℥ß.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*

Decoctum per syringam iniiciatur in vaginam uteri; aut eodem Decocto impregnata *spongia* aut *linteolum* externè applicetur; aut ipsi intinctus *pessus minor* immittatur.

In talibus Decoctis commodè etiam *rob acaciæ nostratis immatura* dissolvi potest ad quantitatem sufficientem; hoc enim miram adstringendi facultatem partes membranosas obtinet.

Conducit hic etiam alchimilla, cuius Decoctum vapore tenus in vaginam susceptum insigniter virginalia angustat.

ARTICVLVS II.

DE

MAMMARVM SOPHISTICATIONE.

MAmmas quod attinet: ut & hę denuò fiant virgines, conducit imprimis Fotus cum aqua pini viridis per alembicum destillata, qua aqua vesperi lauentur mammę, & spontè exsiccentur, & mirè laudatur. Item decoctum alchimillę pro fotu applicatum mirè conducit. In specie mamillas flaccidas duriores reddit, si fomententur calidè per quinquaginta dies Decocto matricarię & alchimillę. Denique pendulas mammas erigit pannus lineus in Decocto gallitrichi, seu sclareę, de qua *suprà*, madefactus, mammisque superimpositus.

Dixi hactenus: amittere virginem Virginitatis coronam per congressum cum viro: Causa huius congressus impellens & stimulans ex parte fœminę est appetitus Venereus naturalis, cuius vitia sunt: quando est vel imminutus in quibusdam, aut planè nullus; vel quando est nimis auctus, adeò ut omnino in furorem sic dictum uterinum degeneret. Progredior ad



CAPUT II.

DE

APPETITU VENEREO LÆSO.

SIve is auctus fuerit, siue omninò, quod rariùs fit, abolitus. Et quidem præsupponendum est ante omnia, in quonam consistat *Venereus* mulierum *appetitus*? Aut quomodo fiat ista *titillatio seu pruritus* & delectatio mulierum, quam in congressu experiuntur? Testes hic esse insontes, certum est, qualecunque etiam sit eorum officium: Nam hi ipsi sunt insensiles, non secus ac in viris: unde iidem ad Venerem minùs facessere poterunt. Nec uterus ipse, eiusque vagina, ceu partes membranosæ, hic incusandæ, in quibus sensum nullum, aut non adeò singularem, neq; ante neque in coitu, percipiunt fęminæ, nisi interdum immensus dolor in quibusdam affectibus easdem partes corripiat. Potiùs id, quod in congressu voluptate Venereâ afficitur, est etiam id, cuius titillationis quodam stimulo in appetitum Venereum ruunt fęminæ; & hoc ipsum primariò est *clitoris*, pars *peni virili* analoga; hujus enim tensi ac instar penis parvi erecti frictione in actu Venereo mirè delectantur fęminæ, adeò, ut affluentibus hinc cum sanguine per arterias & nervos spiritibus animalibus liquor genitalis, tàm in prostatis glandulosis, quàm in glandulosa textura vaginæ, turgescens cum summa voluptate erŭpat. Cuius orgasmo ut Venereâ voluptas summè augetur, ita huius eruptione, non secùs ac in viris, etiam postmodum cessat titillatio Venerea. Rectè etiam *sedem libidinis clitoridem* vocat COLUMBUS *in Anatom.* *Appetitus* ergò & desiderium *Veneris* fit, quando materia seminalis præcisè in prostatis glandulosis & glandulis vaginæ impensiùs turgescit, ut clitoris exinde tendatur & erigatur, unde singularis istarum partium *sensus* & quasi *obscura titillatio* emergit, quę, non secùs ac in sexu masculino, coitum urget, in Salacibus etiam Satyriasin efficit. *Sensus* ergo appetitus hæret in *clitoride*, ratione cujus fęminæ etiam possunt exercere & imitari coitus Venereos.

Læditur hic *Appetitus Venereus*, sine quo alliàs nemo hominum facilè ad tam fędam actionem se accingeret, vel

1. Quando est imminutus, aut in totum *deficit*, quod rarum est; vel
2. Quando *excedit*, quod frequentiùs observatur.

ARTICVLVS I.

DE

APPETITUS VENEREI DEFECTU.

DEficientis Appetitus Venerei rara sunt exempla; adsunt tamen: Nempe, ubi quędam mulieres Venerem non desiderant, nec ex congressu voluptatem percipiunt, quod symptoma PLATERUS *Impotentiam fœminarum* appellat. Salacitati contrarium est, eiusque exempla videbitis in PLATERO *Pr. T.* 1. *p.* 554. & RIVERIO *obs.* 19. à PACHEQUO communic. Voluptas tamen non est necessaria, quia etiam quandoque sine voluptate possunt concipere: qualia exempla singularia per totum aboliti Appetitus Venerei, ac deficientis omnis in coitu voluptatis, recensentur à PLATERO *l.* 1. *obs. p.* 243. ubi habet fęminas nunquam à natura ad Venerem stimulatas, nec unquam in coitu cum maritis celebrato delectatas, quales etiam à viro initæ steriles tamen permanent.

CAUSÆ.

Causæ deficientis appetitus Venerei varię equidem esse possunt: In genere tamen omnes ferè referendæ eò,

1. Quod vel omnimodum *defectum*, vel *paucitatem* saltem, liquoris istius genitalis minusque spirituosi insequantur; unde & tales fęminæ steriles ferè permanent: Hinc *scorbuticæ* quædam confirmatæ minùs ad Venerem inclinant (scio aliquot exempla) quia iste *liquor seminalis* minùs spirituosus generatur: Hinc in *gonorrhœa notha* benigna inveterata, seu

seu fluore albo mulierum etiam pauca, & nulla in Venerem est propensio.

2. Ubi nullus in Venerem est stimulus, cujus rarissima sunt exempla, ibi malum ex vitio conformationis oriri arbitror, in specie in iis, qui nunquam habuerunt *Appetitum Venereum*: quò etiam pertinet *castratio*, cùm certum sit, fœminas brutorum, factâ in latere incisione castrari, extractis testibus in extremitate cornuum uterinorum sitis. Hanc in fœminis etiam possibilem esse, arbitratur PLATERUS *in loco suprà cit.* Reverà autem factam eandem esse in fœminis ex aliis refert SENNERTUS *lib. 3. Pr. P. 2. Sect. 2. cap. 1. de appetitu Veneris læso*, dum ovaria seu testes eximunt, faciendo incisuram in regione inguinum superiore. Sed castratio, utut steriles reddat castratas, appetitum tamen Venereum ex toto an possit delere? ferè dubito. Nam & Eunuchi viriles, infœcundi licet, salacitate tamen & voluptate Venereâ aut stimulo non carent, dum liquor prostatarum loco virilis seminis ipsis quodammodo satisfacere possit: cui analogum puto liquorem istum genitalem fœmellarum, ex labiorum pudendi lacunis emanantem, hunc ipsum adhuc sufficientem puto, quod eas stimulet ad Venerem.

D I A G N O S I S.

Signa diagnostica recensentur ab ipsis fœmellis.

P R O G N O S I S.

Quoad *Prognosin*: malum est extra periculum, nisi quod ferè steriles esse soleant fœminæ, quæ nullam persentiunt in coitu voluptatem, aut appetitum Venereum.

C U R A.

Cura, nisi vitium sit à conformatione nativa,

1. Instituenda per aromatica volatilia, quæ volatilitate suâ & acrimoniâ turgescentiam & vellicationem quandam in liquore genitali excitare valent.
2. Suppeditando simul uberiore copiâ alimenta euchyma, illius & spirituum copiam præbentia.
3. Si adsit *morbus* quidam primarius, Scorbutus, fluor albus, &c. à quo *dependeat*, hic ipse ante omnia erit removendus.

Inter remedia omnia sunt eadem, atque superiùs *lib. 3. Sect. 1. c. 1. & Sect. 2 c. 1. in affectibus virorum* laudavimus, nempè quæ conveniunt *in genituræ generatione deficiente*, & *penis erectione læsa*, imprimis Ambrata, Moschata, Zibethina, &c. Inter alia RIVERIUS *Obs. 19. communicata à Pachequo*, cujus experientiam ipse fecit ad stimulandam in fœminis Venerem.

Externa remedia imprimis ex *formicis* sunt petenda: scilicet fiat *Insessus* aut *Balneum* ex formicis cum earum cubili collectis, cui balneo insideat fœmina, et sacculum istum, formicarum cubili repletum, pudendis admoveat. Item fiat inunctio pubis & pudendorum regionisque uteri cum oleo formicarum volantium (sunt enim formicæ, quæ alas tandem acquirunt, & avolant) id quod commendatur à RIVERIO *loco suprà citato*. Item olea aromatica Zibetho & moscho mista, aut balsamum apoplecticum cum *Zibetho & moscho* inungantur genitalibus, in specie clitoridi.

ARTICULUS II.

D E

APPETITU VENEREO AUCTO.

Contrarium abstinentiæ Venereæ in appetitu læso vitium est *nimia appetentia Veneris*, seu *Appetitus Venereus Auctus*, qui aliàs *Salacitas*, item *Satyriasis*, appellari solet: non secùs enim ac in viris penis, ita in talibus fœminis ad Venerem proclivibus clitoris tensus, turgidus, & plus minùs prominulus esse solet. Affectus est talis, in quo mulieres continuò Venerì inhiant, & instar Messalinæ lassari potiùs, quàm satiari volunt & solent: cujus extremus gradus *Furor Uterinus* appellatur.

Ad appetitum hunc Venereum augendum non parum facit Pruritus & Pustulæ pudendorum & uteri: quæ duo imprimis vitia, si non subindè simul ad Venerem exercendam, saltem tamen ad genitalia scalpenda, continuò impellunt. Sit itaque

M E M B R U M I.

D E

UTERI ET GENITALIUM MULIEBRIUM PRURITU.

Pruritum quod attinet Pudendorum seu finus pudoris, quid sit? per se patet. Est scilicet titillatio in labiis pudendorum & vagina uteri, quæ continuum scalpendi & vellicandi desiderium excitat. Hoc præterquam quod à fœminis spontè manifestetur, ipsæ vix possunt celare, cùm continuò aut saltem sæpissimè manus genitalibus admovere soleant, aut pedes saltem successivè mutuò attollere, & similes motiones exercere soleant: vid. M. A. N. C. *Ann. 4. & 5. obs. 47.*

C A U S A.

Causam hujus pruritus credo esse humorem illum genitalem, qui naturaliter vaginam & pudenda blandè humectare, in congressu verò copiosiùs excerni solet, utrobique ex glandulosa harum partium textura scaturiens, qui ipse vel retentus diutiùs, cum sit reverà quædam lympha, vel in specie acrior aut salsior, aut nonnihil acidior factus, talem pruritum in locis excretionis suæ vicinis inducere solet. Unde & interdum est, ut adsit pruritus uteri cum superveniente liquoris genitalis electione, quale exemplum refert MANARDES *lib. 13. Epist. 5.* hinc & vetulis frequentior contingit pruritus talis, quàm junioribus. Adest interdum simul coeundi libido, utut hæc ipsa sæpiùs absit, interdum diu durat hoc malum, ac difficiliùs curatur. Refert namque ZACUTUS LUSITANUS *lib. 2. Prax. Admir. Obs. 83.* talem pruritum uterinum diuturnum & ferè incurabilem factum, tandem causticis seu fontanellis duabus in femoribus excitatis fuisse curatum.

P R O G N O S I S.

Malum hoc interdum est adeò molestum, ut continuo pruritu somnum etiam impediat.

C U R A.

Quod attinet *Curam*: præmissis, ubi opus fuerit, blandis Laxativis, aut blandis Sudoriferis, item temperatâ nonnihil, ubi opus fuerit, lymphæ acrimoniâ, externis, quod superest, absolvendum.

Conveniunt ergò Infusa & Decocta ex fumaria, cichorio, scabiosa, melissa, pulegio, radice bryoniæ, hellebori nigri, polypodii, & similibus. Imprimis Mercurius dulcis egregius est & appropriatus, item extractum trochiscorum alhandal. Medicamenta nunc vino, nunc, idque sæpius, sero lactis infundi possunt in biliosis, h. e. in quibus acidus sapor, nunc magis nunc minùs volatilis, imprimis dominatur. Hinc essentia rob sambuci, essentia lignorum, tinctura coralliorum cum spiritu lignorum, pro scopo alterativo, & diaphoretico imprimis, conducunt.

Externa inter excellunt Saturnina, hinc Mercurialia: imprimis convenit Linimentum factum ex lithargyrio auri, quod per diem & noctem in aceto acerrimo maceratum fuit, si hujus recipiatur ℥i. & misceatur cum olei violar. ℥ß. vel ℥i. Exinde enim, imprimis si ducantur in mortario plumbeo, fit Linimentum molle, secretum expertum HELIDÆI, quo ipso illinantur partes affectæ. In tali uterino pruritu conducit etiam acetum, in quo solutum sit plumbum calcinatum; tale enim acetum edulcoratum pro lotione pudendorum applicatum, insigniter conducit. Alii usurpant acetum per alembicum plumbeum destillatum, pro simili pruritum curandi scopo. Sin contumacius fuerit malum, tunc fiat unguentum ex p. i. unguenti de tutia, & parte dimidia olei hyoscyami: Hæc duo subacta in mortario plumbeo

beo illinantur labiis pudendi ad sedandum pruritum.

Vel

℞. *Ungu. de ceruss.* ℥ß.
Lithargyr. ℥j.
Olei rosac. parum.

Ducantur in mortario plumbeo, f. Unguentum:
D. S.
Unguentum leniens.

Quo imbutus pannus applicatur locis pruritu affectis, & plus minùs excoriatis.

Usurpari etiam potest hìc in pertinaciori malo unguentum FORESTI *lib.* 27. *obs.* 8. quo pruritum & excoriationem penis, aliis irritus, restituit. Item ubi contumacius adhuc fuerit malum,

℞. *Ungu. pomati* ℥iv.
Mercurii dulc. ℥ij.
M. in mortario marmoreo pistillo lapideo, f.
Linimentum:
D. S. ut suprà.

Potest etiam addi cerussæ aut sacchari Saturni ℥j. hoc ipsum enim tanquam singulare remedium in pruritu & excoriatione uteri & labiorum commendatur.

Item

℞. *Ungu. enulat.*
Misc. cum *Mercurio dulc.* addendo *oleum nicot.* sicque fiat Linimentum contra nimium uteri pruritum.

Pertinaciori in malo vesicatoria in femore, vel fonticulus in crure, possunt excitari ad imitationem WEDELII *in Opiol. pag.* 137. pertinacem scroti pruritum hoc modo curantis.

Rarum est, quod pruritus uteri fiat ab ascaridibus, injectionibus amaris & abstergentibus evacuandis: Vid. SENNERTUS *lib.* 4. *Prax. P.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 14. *p.* 204. in specie M.A.N.C. *Ann.* 8. *Obs.* 73. *p.* 224.

MEMBRUM II.

DE GENITALIUM PUSTULIS & SCABIE.

POst hunc pruritum uteri simplicem, ex simili forsan vitiosa ac nimis acida lympha retenta *corrosio in labio pudendi ac sinu pudoris, hinc furfures, pustulæ, ac denique pudendorum scabrities*, interdum oriri solet, adest simul intensus Pruritus, interdum simul coeundi desiderium.

Pustulæ hæ nunc sunt saltem mitiores & insigniter prurientes, ac reverà scabiem saltem pudendorum specialem constituunt; quædam verò earum sunt maligniores, & in specie *Epinyctides* vocantur, quarum dolor insigniter intensus est, & qui longè excedit proportionem magnitudinis pustulæ; nunquam enim faba maiores visuntur hæ epinyctides, sæpè sunt minores, scabræ, pruriginosæ ac furfuraceæ, squamas de se proiicientes, interdum insignem ardoris sensum excitantes.

CAUSÆ.

Ex causis internis retentis excernendis pustulæ tales benignæ generantur. Præter has enim etiam aliæ malignæ oriri solent, à contagio acido Venereo natæ ex congressu cum infectis, rodentes & dolentes insigniter, & successivè in exulcerationes abeuntes.

DIAGNOSIS.

Malum hoc seu pustulæ tàm tactu ægrarum, quàm adspectu Chirurgi, facillimè per se cognoscuntur.

PROGNOSIS.

Omnes hæ pustulæ, præter molestiam, quam excitant, ac præter contumaciam, dum difficulter curantur, simul contagiosæ sunt, & viros, qui talium fœminarum consuetudine utuntur, simul inficiunt.

CURA.

In *Cura* universalia ista, quæ vel in genere in scabiosis usurpantur, præmittenda, vel in specie eadem, quæ jam *Membro Anteced. de Pruritu uteri* fuerunt insinuata, adhibenda, imprimis Noduli laxantes, cum radice bryoniæ & esulæ parati. Quod si Venereæ sint pustulæ, ad luem Gallicam cura est dirigenda, aut huic saltem similis instituenda; unde Mercurialia, & quæ ex lignis ad impugnandam luem Veneream usurpantur remedia.

Præter talia imprimis conducunt externa applicanda, quæ aliàs ad scabiem usurpari solent; in specie oleum rosatum, mistum cum vitellis ovorum, agitetur in mortario plumbea tamdiu, donec colorem mutet; item Decoctum calcis vivæ, cui additum sit saccharum Saturni: e. g.

℞. *Decocti calc. vivæ* ℔i.
Sacch. Saturni ℨ. ad ℥i.
M. S.
Mixtura purificans & leniens.

Partim externè applicetur, partim iniiciatur.

Aut, ubi contagium est suspectum, loco sacchari Saturaddatur Mercurius dulcis ad ℨj. Vel præscribatur Mixtura composita, quam SENNERTUS tanquam expertam describit *lib.* 4. *Prax. Part.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 4. Compositio est hæc:

℞. *Aloes*,
Myrrhæ ana pondere quantit. ciceris.
Viridis æris, seu, ut vocant, *flor. æris* dimid. ciceris.
His adde
Vini albi,
Aquæ rosar.
Plantag. an. ℥i.
M. S. ut antè.

Hæc Mixtura injiciatur, & eâdem abluantur pustulæ.

Remedium hoc insigniter commendat CASTRO *in suo Tractat. de Morb. Mulierum*, utpote quod ipsum etiam sine omni nocumento præter pustulas omnia ulcera pudendorum sanet & emendet, si per siphonem iniiciatur.

Sequitur post hanc *l.* 4. alia Injectio, quæ fortior est, ex aqua plantaginis, rosarum, cum nitro, alumine, Mercurio præcipitato, & viride æris, & conducit, ubi malum est à lue Venerea.

Aliàs ad furfures & pustulas conducit etiam unguentum, factum ex melle cum myrrha, cui alumen sit additum. Ulteriùs unguentum album camphoratum, aut de lithargyrio, mistum cum oleo aut sale tartari per deliquium in benignis, aut cum Mercurio dulci in malignis, imprimis conducit, si post istas lotiones inungatur. Denique si contumaciores sæpiùs verè pullulantes fuerunt hæ pustulæ, observandum id, quod dicit CASTRO: „ *Aperiatur fonticulus* „ *in crure, ac diu apertus servetur*: quod utut sit palliativum, forsan etiam impostorium, nihilominus tamen interdum contulisse observatum fuit.

MEMBRUM III.

DE FURORE UTERINO.

SUmmus *Salacitatis* gradus vocatur *Furor uterinus*, dum appetitus Venereus nimirùm augetur, & eò usque exsurgit, ut *delirium* libidinosum tandem inferat, ad maniam blandiorem & mitiorem accedens, idque oriundum, ut dixi, ex nimio *Veneris desiderio*. Nempe *affectus* hic, *Furor Uterinus*, *est complicatus ex nimio Veneris desiderio & delirio*; tàm *virginibus*, quàm maritatis accidit, quarum scilicet mariti aut ægrotant, aut peregrè absunt, hinc illæ diutiùs à congressu abstinent; item viduis: magis tamen iis, quæ iam gustarunt aliquoties Veneris delicias, quàm virginibus. In hoc affectu iam ad delirium propiùs accedente fœminæ fiunt garrulæ, loquaces, interdum vociferantur & iubilos edunt, inquietæ sunt, & vix *intra domus* coerceri possunt, quin foras se proripiant, & interdum per plateas vagentur, iracundæ sint simul, & non rarò obviam venientes, & in specie viros, aggrediuntur, quos *ad Venerem* interdum solicitant, renuentes verò verbis interdum, interdum

dum verberibus, malè puniunt: In specie inconditis sermonibus suis multa & varia de *rebus Venereis* interferunt, & cuicunque argumento aliquid de concubitu semper intermiscere solent: interdum frequenter detrectant *genitalia*; imò lasciviùs interdū in præsentia virorū se denudant, & quę sunt alia modò maiora, modò minora symptomata. *Congressus* validus & nervosus, sæpiùs repetitus, citra ullum aliud remediū, tales fęminas optimè curat. Inter alia SCHENCKIUS *in observ. pag.* 142. *ubi de Mania*, refert, quandam virginem furore uterino percitam hinc inde per plateas oberrasse, & mares ad concubitum solicitasse, idque diutiùs, donec tandem in taberna meritoria unâ nocte à quindecim viris fuerit compressa, undè optimè sanata, manè domum rediit: Simile exemplum habet BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Hist.* 69. PANAROLLUS *Pent.* 3. *obs.* 9. & hinc inde talia apud Autores leguntur.

CAUSÆ.

In perscrutanda autem hujus furoris uterini natura duo sunt consideranda:

I. Quidem liquoris seminalis *fermentatio et turgescentia*, & hinc derivanda ipsa veneris exercendæ appetentia seu salacitas.

II. Adjunctum *insigne delirium*, quod *mitior* quamdam *maniæ species* esse videtur.

In genere affectus hic simillimus est œstro illi Venereo, quo bruta certis anni temporibus percita, v. gr. cervi & damæ, simili *furore* in venerem ruunt: Nam reverà hic *Furor uterinus brutalis quidam impetus* est in his fęminis, quæ ita contra omne honestæ rationis dictamen simpliciter *ex præternaturali veneris stimulo* quasi in venerem ruunt; sicut bruta ex vehementi, sed naturali, certis anni temporibus stimulo eam appetunt. Jam verò sicut hic *brutorum furor* est ex *turgescentia & effervescentia* quadam *genituræ* in maribus, ita etiam ex lymphæ genitalis turgescentia in fęmininis contingit, qua partes genitales irritatæ, & fervidiores redditæ, suavem ac voluptuosam veneream titillationem concipiunt: Vnde etiam quædam bruta, v. g. canes Venere luxuriantes, (Germ. *die Batzen*,) materiam albidam aquosam & nonnihil mucilaginosam spontè & continuò per genitalia effundunt, quod alio tempore non fit: & talibus simul per sanguinem & lympham turgescentem, à partibus genitalibus refluam, simili fermentatione massa sanguinea reliqua inquinatur, turgescit & effervescit uberiùs; Unde successivè spiritus animales & volatiliores & concitatiores fiunt, à quibus velocius simul in cerebro fervefacto agitatis, accedente isto pruritu venereo genitalium, tàm insignis in venerem impetus consequitur: Similiter etiam se res habet in *mulieribus*, quæ lymphâ propriâ genitali quasi turgidæ aut gravidæ, istâ scilicet quæ in prostatis circa urethram generatur aut coacervatur, hujus excitato orgasmo & fermentativâ *turgescentiâ*, accedente simul forsan acrimoniâ eius volatili ex quodam blando in genitalibus vellicationis aut titillationis sensu, prius in veneris desiderium auctum incidunt, idque imprimis, si anteà consuetæ fuerint aut congressui, aut aliàs habuerint suas pollutiones nocturnas, quas utraque ubi cessant aut deficiunt, tunc clitoris simul in isto orgasmo tenditur, & turgidus veneris desiderium magis magisque incendit: Nam hunc clitoridem manifestè tumere, & in furore uterino phlogosin quasi quandam & ruborem concipere, asseritur *in Epist. Bartholinianis Cent.* 3. *Epist.* 94. *pag.* 407. Jam verò occasione hujus venereæ titillationis in genitalibus talis *spirituum animaliū* in cerebro excitatur *motus*, cuius occasione anima concipit *actum venereum*: Quo motu spirituum animalium diutiùs & vehementiùs continuato, tandem inordinatio quædam supervenit, unde *delirium*, sed venereum, excitatur.

Effectum hunc obscurum nonnihil declarant sufficienter *pollutiones nocturnæ* virorum: In his enim *turgescente* ex quacunque causa *geniturâ* in vesiculis seminalibus, inchoatâ suâ titillatione excitatur *talis spirituum animalium motus*, unde exinde oritur somnium exercitii venerei, vel aliud simile, indeque *genituræ* tandem fit *excretio* in somnio. Jam verò *deliria* sunt *vigilantium somnia* & *somnia* sunt *dormientium deliria*: Unde sicut se habet tale delirium nocturnum, aut somnium in pollutione nocturna virorum; ita se habet tale delirium diurnum in fœminis *furore uterino* afflictis, in quibus ex sua vi genitalium prurigine, ob turgescentem illum & fermentantē seminalem liquorem facilè excitatur impressio seu idea venerea, quæ continuâ sui repræsentatione instar cuiusdam delirantis nil aliud cogitare permittit, quàm exercitia venerea. Dum enim liquor hic genitalis, per sanguinem & lympham refluus, etiam alterat simul sanguinem & totam massam sanguineam, eius acrior fit fermentatio & effervescentia; Unde *spirituum impetus* magis *celer & agilis* redditur, ut ex concitatioribus hinc spirituum animalium agitationibus talis animositas, & audacia insolita, aggrediendi conatus, & similes exorbitantiæ in fœminis, imò insolita corporis incalescentia, exinde sequantur, unde tales mulieres sunt audaces, minusque timidæ.

Quoad *causas externas* seu *remotas*, disponentes ad hoc malum, sunt omnia ea, quæ istum liquorem genitalem vel augere, vel acriorem eundem reddere, & in turgescentiam insolitam concitare possunt: Qualia, præter assumpta varia aromatibus condita & potum generosiorem, sunt vita sedentaria, curisque vacua, lauta diæta, abstinentia à venere, habitus succi plenus, &c. Sic SENNERTUS *lib.* 4. *Prax. ubi de furore uterino pag.* 255. refert, observatam fuisse quandam fœminam ex haustu vini Hippocratici, in quo aliquantulum borracis dissolutum fuit, hoc malum incurrisse; Aliis idem accidisse post congressum cum viris, qui ad venerem augendam, & voluptatem fœminis conciliandam, virile membrum *moscho & oleis calidioribus* inunxerunt. Nempe effluvia talia odorifera & lympham genitalem & totam massam sanguineam impraegnarunt. Præter causas istas nonnunquam evenit interdum, quod *moniales* ferè subindè obnoxiæ sint huic passioni, cùm ordinaria remedia iis non admittantur. Et sanè, si quid aliud, mirabilis uterini furoris in *moniali* cum copiosissimis pollutionibus nocturnis exemplum BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Epistol.* 39. ex literis HORSTII refert: Quò referenda etiam similis ferè historia AMATI LUSITANI *Cent.* 6. *Cur.* 97. Furoris uterini in moniali; Sic ex imminente primitus mensium fluxu furorem uterinum notant BARTHOLINI *Acta Haffniensia Vol.* 1. *pag.* 164. in quem desierat pleuritis spuria; vid. *Acta Haffniens. Vol.* 4. *pag.* 167.

DIAGNOSIS.

Signa diagnostica ex modò dictis suprà de habitu mulierum mutato facilè patent.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Recens facilè curatur; si verò negligatur, periculum est, ne malum diutiùs durans (nam per paroxysmos interdum recurrere solet) nisi maturè supprimatur, in perfectam tandem maniam degeneret.

CURA.

Quoad *Curam*: Ista, quæ fit per nervosum, validum, & crebriùs repetitum congressum, est optima; Quæ ipsa tamen, cum interdum nolentibus volentibus denegetur, hi quatuor scopi observandi sunt: Opera ergò danda est,

1. Ut *materia peccans in primis viis* evacuetur.
2. Genituræ ubertas inhibeatur: quod præter diætam tenacem ea omnia faciunt, quæ peculiari vi genituram absumere, aut saltem alterare, per experientiam cognita sunt, & qualia *suprà l.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 2. *Artic.* 1. *Membr.* 1. & *l.* 4. *Sect.* 1. *cap.* 4. in *gonorrhœa tàm mulierum*, quàm *virorum*, fuerunt recensita.
3. Effervescentia sanguinis, & hinc nata turgescentia liquoris seminalis, dometur per venæsectionem, per absorbentia, & lenia diaphoretica.
4. *Spiritus animales* corrigendi, eorumque *impetuosus motus* ad venerem plus minus impellens sistendus ac coërcendus: quod faciunt imprimis opiata & camphorata.

Priori scopo satisfaciunt imprimis *Vomitoria* in pauló majore dosi, partim, quæ ægram mitigando, & partim lymphæ genitalis materiam revellendo, item ægras debilitando & delassando, optimè conducunt.

Pro *secundo scopo* ad genituræ ubertatem omnia ferè remedia conveniunt, quæ *suprà l.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 2. *art.* 1. *Membr.* 1. & *Sect.* 2. *c.* 2. *Artic.* 1. & 2. circa *gonorrhœam*, *salacitatem*, *ac satyriasin virorum* dicta sunt, ut radix nymphææ albæ, & quælibet ex ea parata; item vitex seu agnus castus, in specie eius semen, & ex agno casto parata remedia, lactuca,

lactuca, ruta, portulaca, cicuta, in specie eius semen, folia salicis. Nam, dum tempore verno amputantur rami salicis tenuiores, effluere solet ex iis liquor limpidus & aquosus, qui propinatus, ac cum *farina* in pastillos redactus, mulieribus, *furore uterino* laborantibus, omnem ad venerem propensionem extinguit. Quod etiam facit *Decoctum* foliorum *salicis*, in specie junioris, aliquoties epotum Ieiuno stomacho: nam & hoc omnem appetitum venereum in fœminis cohibet, quin & tandem omnes mulieres steriles facit: item extractum foliorum salicis de quo vid. LUDOVICI *Pharm. pag.* 716 Hinc semen cannabaris, viticis, papaveris, & similia laudantur. A quibusdam propterea hæc laudatur Emulsio:

℞. *Sem. cannab.* ℥ii.
Lactuc.
Portulac. an. ʒii.
Cum s. q. *aquæ nymph.* vel *portulacæ* f. Emulsio, edulcoranda cum *syrupo de nymphæa*, pro aliquot dosibus:

D. S.
Emulsio cohibens.

Si addatur aliquid de *camphora* vel *opiato* quodam, remedium erit eò efficacius: cautè tamen usurpetur propter cannabim. Vel ex *semine viticis* possunt fieri *Emulsiones*; ex. gr.

℞. *Sem. agn. casti* ℥ß.
Cum s. q. *aquæ nymph.* f. Emulsio,
adde
Camph. ℈ß.
M. S.
Emulsio refrigerans.

Pro *tertio scopo* ad massæ sanguineæ turgescentiam convenit venæ sectio repetita; hinc usurpentur *acida* sæpiùs laudata, in specie *succus citri & limonum, granatorum*, & similia acida, speciatim nitrum & omnia *Nitrata*, aliquandiu continuata: quibus addantur *sudorifera*: item *serum caprillum* copiosè haustum convenit. Alia, ut saccharum Saturni, corallia, & similia, quæ sanguinis effervescentiam etiam compescunt, non sunt omittenda, sed diligenter usurpanda: Quin & bolum ex terebinthina ad evacuandam materiam seminalem commendat RIVERIUS.

Pro *quarto scopo* optima sunt papaverina, & quælibet *opiata*, & hinc *camphorata*. *Camphoram* quod attinet: ad compescendum furorem uterinum huius crebrior usus præ aliis remediis specificè convenit, & omnia ex camphora parata. Confirmat hoc HORSTIUS *Epist. ad Bartholinum*, ubi dicit: se sæpiùs expertum fuisse in virginibus hoc malo correptis, quod ferè nihil meliùs contulerit, quàm *camphora* incensa, & sæpiùs in potu ordinario extincta, & ita pro potu ordinario ægræ propinata, qui potus est medicatus contra furorem uterinum: vid. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Epist.* 39. *pag.* 147. Credo hoc ipsum; nam notum aliàs est, quod camphora in mania ipsa sit singulare remedium; Imò, quod etiam deliria febre malignâ aut febre ardente correptorum egregiè domare soleat: Unde camphora tum his omnibus remediis miscenda, imò præferenda, cùm simul habeat vim narcoticam & spirituum fixativam. De opio & eius laudano itidem constat, quod conducat in Furore uterino, & genituræ compescendo turgescentiam, & spirituum cohibendo motum impetuosum: Exemplum huius rei clarum, quantum opiata valeant, refert BARTHOLINUS *Centur.* 5. *Histor. Anatom.* 85. de muliere, quæ subitò furore uterino gravi fuit affecta, curata postmodum per grana ij. laudani opiati. Vi tali anodynâ & cannabis semen prodesse videtur.

Ex his multæ formulæ possunt adornari, quales vid. in *Coll. Casuali*. Si opus sit evacuatione, infusum sennæ in serum caprinum apprimè conducit.

Externè conveniunt *Cataplasmata*, Balnea & *Fomenta*, tàm regioni uteri externæ, quàm mammis, ex mandragora, solano, portulaca, ruta, papavere & similibus applicata. Cicuta quacunque ratione usurpata genitalibus, vel folia recentia, vel succus, imprimis commendatur. Alii laudant Mercurialem cum lenticula palustri, sub forma *cataplasmatis* pectini & lumbis impositum. Denique succus agni casti, salicis, lactucæ, hyoscyami, sempervivi maioris, cum aceto, saccharo Saturni, camphorâ, & similibus, frigidè dictis locis utiliter applicantur.

SECTIO III.
DE
AFFECTIBUS TOTIUS CORPORIS, QUI SEQUIORI SEXUI EX VITIO UTERI VULGO CONTINGERE DICUNTUR,

NAm modò dicta Sectio huc manu nos ducit: Nempe, cùm quotidiana constet experientia, quantum genitalis liquor in utroque sexu, in puberibus naturaliter constitutis, & in iis, in quibus abundat præternaturaliter, alteret corpus, meritò accedimus ad affectus, qui vulgò ex utero vel per consensum uteri fieri in *mulieribus* putantur. Putantur, dico, fieri varii affectus ex *utero*, sed malè, cùm reverà non sint ex utero, qua tali, nisi uteri nomine partem continentem pro vitiis contentorum vel transmittendorum accipere, & sic totum genitalium muliebrium systema simplici uteri nomine appellare velimus: Sed reverà eveniunt aut vitio liquoris genitalis diutiùs retenti, & ita præternaturaliter corrupti, vel alio modo alterati; (hic liquor genitalis ille est, qui in coitu fœminis effluit, & non confundendus est cum genitura seu ovario;) aut vitio mensium, in specie suppressorum, nec ritè fluentium. Uterus enim ceu vasculum membranaceum simul glandulosum rarissimis, nec adeò crebris, affligitur passionibus, iisque saltem cum aliis affectibus particularibus aliarum partium communibus, quales v. g. sunt inflammatio, tumor aquosus seu hydrops uteri, inflammatio uteri, scirrhus, dolor, cancer, & sic porrò, à quibus non maior sequitur corporis alteratio, quàm si eędem passiones alias partes occupent, cùm dicta pathemata non uterum solum, sed & alias corporis partes affligant. De cætero neque ullum cum aliis corporis partibus commercium habet uterus, quàm quod fit beneficio nervorum ex plexibus mesenterii oriundorum, cum reliquis abdominis partibus. Unde, siqui ex utero per consensum sunt affectus, hi solum erunt *spasmi* aut spasmodicæ convulsiones, unde dolores oriuntur, & pathemata, qualia Gravidis in, ante, & post partum, frequenter accidere solent.

Quando ergo *uterus* accusatur à Practicis in mulierum morbis abstrusioribus & contumacioribus, & variis humoribus infarctus putatur, unde pessima surgant miasmata, à quibus aliæ partes afficiantur, aut quando intemperiebus quamplurimis laborare putatur, tunc profectò causam non causam proferunt, & potius tales excusationes sunt vana effugia ignoratæ causæ proximæ magis, quàm *accusationes uteri* reverà affecti, quibus affectibus pallium saltim quæritur. Unde etiam regimen istud singularis monarchiæ in totum corpus, quod ex utero statuit HELMONTIUS, inter suaves eiusdem proprio arbitrio effictas hypotheses referri debet.

Misso ergo utero, pathemata ista, quæ vulgò tribuuntur utero, dictum est originem ducere ex liquoris genitalis plus minus *turgescentia & menstruorum suppressione*. Quod attinet lympham genitalem: (ubi semper intellectum volo non liquorem quendam in testibus contentum aut elaboratum, hic enim nullus est, imprimis cum testes sint ovarium; sed potius intelligo eum liquorem, quem mulieres in coitu voluptuoso sensibiliter, imprimis in prostatis glandulosis colli vesicæ, & forsan etiam in vagina uterina ratione texturę eius membranoso-glandulosæ, elaboratum & asservatum, excernunt:) si inquam retenta ista materia & coacervata turgescendo, & stimulando dat *Satyriasin*, in qua clitoris instar

penis

penis rigidas prurigine Venereâ afficitur, (adeoque affectus idem cum satyriasi virorum,) adeoque ipsum & furorem uterinum; nondubium est, si hæc ipsa materia diutiùs retineatur & supprimatur, quò minùs aut consuetis pollutionibus, aut congressibus excernatur, & ex retentione diuturniore insigniter alteretur, quin & mutata tandem omninò depravetur, ita, ut postmodum hæc ipsa insignes in toto corpore mutationes inferre possit. Saltem considerentur *alterationes*, quæ mulieribus tempore *pubertatis* accidunt, simillimæ iis, quæ viris obveniunt ex causa eadem: Multò magis ergo ex *inquinata massa sanguinea*, quæ inquinata est ab hoc *liquore seminali*, varia evenerint symptomata.

CAPUT I.

DE

CHLOROSI.

HAs inter corporis mutationes *primo loco* considerandus est *Color pallidus virginum seu Chlorosis*, quæ alio nomine etiam *Febris alba virginea*, *item Ictericia alba* appellari solet, & malè ab omnibus ferè Autoribus cum cachexia muliebri, quæ vel *mensium* secum trahit *suppressionem*, vel ex mensium suppressione sequitur, & in qua mulieres non secùs ac viri cachectici pallidæ etiam & decolores fiunt, confunditur. Nam posterior hæc cachexia in genere ita dicta ex æquo omnibus mulieribus, quocunque in statu sint, contingere solet, tàm virginibus quàm *maritatis*, tàm junioribus quàm vetulis: Et hanc cachexiam, quàm mulieres cum viris habent communem, semper aut antecedit aut insequitur mensium suppressio. Sed hæc ipsa cachexia non est *chlorosis* seu febris alba virginea: Nam & nominis ratio sufficienter monstrat, esse hunc affectum proprium aut virginibus aut viduis, aut similibus extra viri consortium viventibus, aut quibus mariti non satisfaciunt. Tales enim *pallent*, aut *sublivido* potius aut fœdo nonnihil *colore* tinctæ apparent, imprimis sub oculis *coronam* quandam quasi subcœruleam, & subrubescentem habere solent, *anxiæ* sunt, & non rarò *tristes* citra manifestam causam, *menses* non semper suppressi sunt, sed fluunt sæpiùs ferè statis temporibus, donec malo ulteriùs procedente tandem & illi emaneant. Febricula sæpius adest lenta, & quodammodò *inordinata*, ac quasi est erratica, *obscura* tamen & ægris ipsis *vix sensibilis*: *pulsus* sunt inæquales & varii, vomitus etiam interdùm infestat, ac præcordiorum anxietas, &c.

CAUSÆ.

Tales vulgò putantur laborare vitio uteri tali, quod contrahatur ex mensibus suppressis: quod non semper verum est, sed *mensium suppressio* supervenit quandoque tanquam *effectus*: & posito, quod mensium suppressio sit causa huius affectus, sicut nec hæc suppressio ex causarum numero omninò excludi potest, cùm hanc in maritatis æquè ac non maritatis & similia symptomata sequantur, (vid. HORSTIUS *lib.* 5. *obs.* 5. & 6. ac TIMÆUS *von Gulden klee*, *lib.* 4. *Consf.* 16.) quæritur; quare tales iuvet, & felicissimè restituat congressus cùm viro? idque eò meliùs, quò frequentiùs hic ipse reiteratur, habitâ simul circumstantiarum ratione, quod non fit in suppressione mensium laborantibus. Sane congressus, quâ talis, ad cachexiam sanguinis in genere, & hinc mensium suppressionem curandam, parum aut nihil facit; potius dicendum cum LINDANO: *Non statim cachexia mensium laborant fœminæ, quæ pallent; nam sub-*
„ *indè virgines admodum pallent, & tamen non laborant*
„ *mensium suppressione, sed potiùs volunt tales cohabitare*
„ *viro*. Scilicet vitium est in liquore genitali suppresso, indeque alterato, & tandem nonnihil *corrupto*, cujus corrupti vitium massæ sanguineæ communicatum instar fermenti & hanc corrumpit, unde & reliqui hinc secernendi corporis succi, uti & lympha, similiter corrumpuntur; hinc successivè talis *color*, *febris lenta*, & maiores calamitates, & citra ullum diætæ vitium talis pallor & malus habitus, cui tandem necessariò quoque supervenit *mensium suppressio*, virgines tales affligit. Nam uti genitalis liquor naturaliter constitutus sub pubertatis tempore tàm notabiliter corpus fœmineum alterat, & alacritatem, robur, venustatem, & similia cum mêstrua fermentatione & mammarum tororiatione inducit: Item sicut idem liquor genitalis luxurians copiosiùs impetum quendam plusquàm humanum, furiosum & quasi brutalem, in furore uterino infert, idque per auctas sanguinis spirituascentias; ita retentus è contra & corruptus ac alteratus simili fermentativâ virtute & totum sanguinem, hinc & spiritus inquinat, & tandem alterat & vitiat, & consequenter corporis habitum possundat. Per venerem ergò excreto isto liquore, & à spiritu genitali maris novo quasi fermento genitalibus muliebribus inspirato, denuò spirituascit, & impetuosiùs fermentare incipit massa sanguinea, & spiritus alacriores & volatiliores, motuque elastico aptiores, totam corporis machinam pererrant, & omnes corporis partes animant, unde totum corpus denuò restituitur in statum sanum, & sic redditur ejus color floridus. Hinc postmodum tales fœminæ per conjugium tandem tàm elegantes & formosæ fieri solent, quæ anteà erant pallidæ & decolores, ut tantum non omnibus sint admirationi, adeoque virgines pallentes sæpè dant mulieres pulchras. Multum sanè ad venustatem muliebrem juvat moderata Venus; sicut nimia hanc ipsam (venustatem nempe) successivè absumit. Hæc ergò propriè dicta est febris alba virginea, iis tantum fœminis, quæ marium consortio destituuntur, propriè competens, quæ non est confundenda cum ista cachexia muliebri, quæ iisdem cum viris est communis, & à perversa diæta oritur, & quam antecedit, aut tandem sequitur mensium suppressio. Quę dixi, confirmari possunt observationibus & Historiis affectum plurium ex simili causa natorum: in specie PANAROLLUS *Pentecost.* 3. *Observat.* 14. rectè talem febrim albam ex amore puellarum nubilium deducit, unde & missis aliis remediis iisdem medicandis suadet.

A *liquore* ergò spermatico *coacervato* & retento, hinc morâ diuturniore corrupto & inquinato, etiam vitiari dixi massam sanguineam & lympham, donec successivè ipsi adeò spiritus & reliqui corporis succi inquinentur. Hinc ex liquore isto genitali retento horrendos hystericos cruciatus cum *tetano convulsivo* totius corporis mirabili, ac oris tortura in vetula enatos, recenset PANAROLLUS *Pent.* 4. *observ.* 1. quę tamen pristinam consecuta est sanitatem, superveniente uberiore liquoris genitalis ad aliquot dies noctesque *profluvio*: Est observatio notatu digna, quę vid. in *Autore allegato*: Id quod etiam LEMNIUS *de occult. Nat. Mir.* confirmat *cap.* 6. *lib.* 1. qui ex istius liquoris retentione, fluentibus etiamnum mensibus, virgines adultiores, item viduas, ut variis hystericis passionibus, ita etiam hâc ipsâ febre albâ conflictari, eleganter illustrat; non secùs ac DEODATUS *in suo Valetud. pag.* 177. observavit iuvenculam mulierem, post obitum mariti viduam factam, quam ex retentione excernendorum per congressum vomitus horrendi, omni aurorâ repetentes cum gravi *tetano totius corporis*, per integrum annum afflixerunt, donec tandem adhibitis appropriatis fuerit restituta: Conf. HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 137. & HILDANUS *Cent.* 4. *obs.* 32. item *Cent.* 6. *obs.* 25. qui etiam hac ex causa in *monialibus graves vomitus* oriri asserit. Facit huc etiam, quod in superioribus discursibus ex Dn. BOYLE monui de *virgine*, *sensu tactus* in toto corpore destituta, salvo tamen motu in omnibus partibus, idque ex vitio simili, unde & per exercitium Venereum repetitum postmodum fuit curata, teste BOYLEO *in Philos. Experiment. P.* 2. *pag.* 75. Nec rarum est, convulsiones graviores varias & epilepticos membrorum cruciatus supervenire *virginibus nubilibus*, aut *viduis* salacibus, quatenus propter *liquorem seminalem retentum* nervis uterinis, hinc reliquis abdominis plexibus, graviter irritatis, hi ulterius spasmos convulsivos continuant, & ita ad superiora loca quoque retorquent: Conf. hic HOECHSTETTERUS *Dec.* 4. *Cas.* 2. *p.* 110. Sed rari sunt tales ex vitio liquoris seminalis muliebris affectus, imprimis apud nos, quia aut conjugio præveniuntur, aut ipsa natura pollutionibus spontaneis, vel nocturno tempore, vel cum ipsa menstruatione evenientibus, se liberat.

DIAGNOSIS.

Cognitio affectuum horum, & qui ex vitio liquoris genitalis retenti, & corrupti & alterati oriantur, difficillima est, ac sagacem, prudentem & solertem præsupponit Medicum.

Febris alba quidem virginea, ex eo ferè cognoscitur, quod *citra* ullum *errorem diætæ* seu sex rerum nonnaturalium successivè inchoaverit, & citra manifestam causam, etiam citra mensium obstructionem, ita processerit, donec negotio ulteriùs progresso ita curata fuerit. Suppressio enim men-

sium

ſum non adeò eſt cauſa chloroſeos, ſed potiùs illa effectus huius eſt, quia in maſſa ſanguinea eſt vitiata ex aliis præcedentibus. Quin & confirmatur tunc conjectura ſimul ex eo, ſi aut virgo nubilis, & iamdiu talis fuerit, quæ aliàs per ſe procax & nonnihil petulantior fuerit, quæ poſtmodum ita ſucceſſivè *triſtis*, *anxia*, & in alium ſtatum permutata apparuit: Item ſi *vidua* ſit, quæ viro iuncta cum fuiſſet, optimè ſemper ſe geſſit, ſed poſt huius obitum ita ſucceſſivè affecta fuerit, imprimis, ubi aliæ cauſæ, *diæta lauta*, *vita ſedentaria*, curis vacua, converſatio cum iuvenibus, *potus generoſus*, & ſimilia alia, *liquorem ſeminalem* augentia, acceſſerint. Reliqua & alia vitia, præter febrim albam virgineam, occaſione lymphæ genitalis oriri, præter dictas rationes ex eo ferè coniecturatur, ſi alia ferè nulla adſit vel manifeſta, vel ſaltem probabilis cauſa, vel nulla alia effingi poſſit occulta, ſi menſes ritè fluant, aut haud ita pridem adhuc fluxerint, ſique ſubiecto modò enarratæ conditiones & circumſtantiæ ſimul reſpondeant. His & ſimilibus confirmatur Medicus, ut habeat reſpectum ad hæc *mala*, *ex liquore ſeminali derivanda*.

PROGNOSIS.

Prognoſis pro ipſorum affectuum varietate & ipſa etiam variat: Nam quò diutiùs durant, eò deteriora inſequuntur ſymptomata, ſic porrò.

CURA.

Curam quod attinet: in ea nil facilius aut melius eſt, quàm iucundo congreſſu levare tàm moleſta hæc mala: vid. BOYLE *Phil. Experim. P 2. pag. 73.* HIPPOCRATES *de Morb. Virgin. T. 3.* LANGIUS *Ep. 2.* & PANAROLLUS *l. a.* Quod ſi hoc ipſum non liceat, ad *remedia alia* accedendum. Verùm pauca admodum, ut ita explicatorum affectuum, ita & remediorum, apud Practicos proſtant veſtigia, aut ſi horum remediorum fit mentio, ſunt *anticachectica*, ſed malè. Eò ergò imprimis, quoad Indicationes, eſt collimandum: ut liquoris genitalis vitium corrigatur; & maſſæ ſanguineæ hinc derivata craſis vitiata emendetur; ac denique variis indè ortis ſymptomatis debitis appropriatis obviam eatur.

Ut à poſteriore incipiam, *ſymptomata* ipſa quæcunque obvia, eorumque truculentiam, optimè ſuſpendunt & mitigant opiata, ſpecificis miſta. Sed hæc ipſa opiata in talibus non curant radicaliter morbum, ſed ſaltem, ferocitatem eius palliando, occultant; Undè ſaltem conveniunt ad ſymptomata atrocia mitiganda, ad malum verò radicitùs evellendum non valent. Quæ ergò liquoris genitalis corruptelam & virulentiam corrigere valent, imprimis erunt camphora & camphorata, quæ non tàm abſumunt quantitatem, quàm corrigunt liquoris dicti virulentiam, hinc & maſſæ ſanguineæ *dyſcraſiam*, & *ſpirituum animalium* vitia mirè emendant: Singulare enim quid pro his affectibus latet in *camphora*; unde & peſtifera miaſmata tàm potenter corrigit, & eorum truculentam ferociam mitigat & obtundit. Hinc opiatis & camphoræ adiungatur *ſuccinum & ſuccinata*, quæ ſunt proficua: Nam præter vim corrigendi malignitatem liquoris genitalis, ſal eius volatile oleoſum acidulum ad hyſtericas & alias convulſiones mirum eſt auxilium. Myrrham etiam non contemnendi uſus putarem, cuius balſamica vis corruptionem liquoris ſeminalis efficaciter emendat, in ſpecie *eſſentia myrrhæ* cum ſpiritu ſalis dulci aut ſpiritu nitri dulci parata. Convenit etiam *caſtoreum*, & omnia *caſtorina*, liquor Cornu Cervi ſuccinatus, ſpiritus ſalis ammoniaci quo febris virginea ferè deſperata in Belgio curabatur, præmiſſo vomitu. Denique ex Saturno parata remedia, tam eius ſal ſeu ſaccharum, quàm cum ſpiritu nitri, aut ſolo, aut aceto deſtillato acuato, paratæ ex minio, aut ex minera Saturni pura, *cryſtalli*: nam & hæ egregiæ ſunt in huiuſmodi affectibus primariò, quando occaſione talium *delirium* imminet; ſiquidem vitioſos ſapores ſuccorum corporis corrigere, & præternaturales ſanguinis alterationes potenter emendare valent. His addantur *moderata acida*, ex citro imprimis petita, item ex granatis ac cydonio erunt proficua, non ſecus ac nitro, omniaque *Nitrata* omnibus addantur, utpote quæ *mala ex corruptione liquoris ſeminalis* & eius *turgeſcentia* ſolent ſiſtere: E. g.

℞. *Conſ. meliſſ.* ℥ iß.
Pulp. citri,
Cydon. condit. an. ℥ vi.
Eſſ. myrrh. ʒß.
Succini præp. ℈ ii.
Cryſt. miner. Saturni,
Caſtor. pulveriſ. an. ℈ i.
Caryophyll.
Macis,
Zedoar. an. ℈ i.
Camph. ℈ß.
Cum ſ. q. *ſyr. granat.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium alterativum.

His intermiſcenda ſemen extinguentia dicta, ut ex vitice, ſalice, cannabe, ac ſimilibus parata remedia. Forſan & balſamica vis terebinthinæ, genitalibus locis præſertim dicata, quatenus urinam promovet, & loca urinaria emundat, erit proficua.

Venæſectio denique cum prudentia inſtitui, interdum etiam pro circumſtantiarum ratione repeti poteſt: Vid. HIPPOCRATES *l. a.* quia liquoris genitalis elaborationi obicem ponit, & per conſenſum eius turgeſcentiam refrænat. Verùm, cùm raro occurrant tales affectus, eorum medelam primariam innuiſſe ſufficiat.

CAPUT II.
DE
CACHEXIA MULIEBRI.

Altera ſpecies affectuum utero vulgò adſcriptorum oritur ex menſium impedita excretione; Exindè enim mira malorum procella fœminis imminere ſolet. Hos inter affectus, qui ſequuntur *menſium ſuppreſſionem*, primariò refertur *Cachexia muliebris* in genere ſic dicta, eadem omninò cum iſta *cachexia*, de qua alio loco & tempore iam locutus ſum, niſi quod in muliebri ſexu ſemper ſimul *menſium* adſit *ſuppreſſio*, quæ ipſa menſium ſuppreſſio vulgò quidem, nunc iſtius *cachexiæ* cauſa, nunc potiùs, idque utplurimum, effectus eſſe ſolet. Habitus enim ſanguinis *cachecticus* & *cacochymicus*, à naturali ſalina volatili aut ſpirituoſa craſi deficiens, & in maſſam crudam ex cacochylia degenerans, & imminutam ſanguinis fermentationem menſtruam, indeque ſubſequentem deficientem excretionem, infert. Rectè enim inquit RENEALMUS *in Obſ. 89.* „ *In fœdis mulierum coloribus ſupprimuntur menſes ut* „ *plurimum à cruditatum copia, quæ ſanguificationem per-* „ *vertens myriadem ſymptomatum invehit. Saltem ergo cu-* „ *retur cachexia more communi per Vomitoria, & hinc al-* „ *terantia, primariò Martialia, & deinde aromatica, &* „ *blanda hinc addita menſes leniter ſtimulantia, donec hi ipſi* „ *ſponte erumpant.*

Ceterum interim eſt, quod menſes ex quacunque ratione demum ſuppreſſi mala cachectica exacerbent, & mille malis mulctent fœminas, ſpeciatim ſi actu fluentes ex terrore, vel ex alia quadam cauſa ſubitanea, ſupprimantur. Sic enim non tantum *Inflammationes partium eryſipelaceus*, ex acido ſanguinem coagulante natas, ut pleuritides, anginas, uteri inflammationes, epilepſias, & ſimilia mala inducent; ſed & in ſpecie omni menſtruâ periodo, dum turgeſcere ſolet ſanguis, & tamen per loca conſueta erumpere nequit, miras ludit tragedias, ſuperveniunt *picæ* & inſolitæ appetentiæ, diſponuntur mulieres ad periculoſas paſſiones ſic dictas hyſtericas, ſuperveniunt *epilepſiæ*, ac ſtupendæ interdum convulſiones, interdum *melancholiæ ex utero* dictæ, ſimiles ex aſſe melancholiæ hypochondriacæ: Superveniunt etiam interdum *tumores & ſcirrhi viſcerum*, in ſpecie *lienis*, unde poſtmodum mala omnia ex ſplene, tanquam radice, eſſe vulgò dicuntur, cùm potiùs ex morbo primario alio tanquam productum dependeat lien affectus, & conſequens ſit *menſium ſuppreſſionis*. Ulteriùs *cephalalgiæ inſanæ* & contumaciſſimæ talibus mulieribus ſunt frequentes, item *palpitationes* & pulſationes, tàm in corde, quàm in variis corporis partibus, ſe manifeſtant, in ſpecie quidem in dorſo & lumbis, & hinc in hypochondriis, & quæ alia quamplurima ſunt ſymptomata, donec tandem ex ſucceſſivè magis magiſque corrupto ventriculi fermento digeſtivo, vitiatoque bilis balſamo, & denique ſucci pancreatici corruptâ naturâ, variæ cachexiæ, icteri, leucophlegmatiæ, hydropes, atrophiæ, utplurimùm *chronici affectus* difficilè curabiles, ac neſcio quæ non mala exindè ſcaturiant: V. g. epilepſiam ex retentis menſibus Venere & puerperio curatam

Iam vid. in M. A. N. C. *Ann. 1. obs. 86. pag. 204.* Melancholiam uterinam cum pertinacioribus vigiliis in HORSTIO *lib. 2. Observat. 18.* Convulsiones virginis cum risu ex utero in M. A. N. C. *Ann. 3. Observat. 304. pag. 526.* Sic SCHENCKIUS *lib. 1. Observ. de Epilepsi.* observat uteri vitio suscitatam epilepsiam in puella, erumpentibus primùm menstruis curatam.

CAUSÆ.

Causam ergò horum symptomatum omnium, in cachexia muliebri occurrentium, dixi esse interdum suppressionem menstruam. Nam hinc est, quod mala hæc omnia semper exasperari soleant omni *menstrua periodo*, & eò atrociùs affligere, quò diutiùs suppressi menses manserint, donec obliterato omninò typo continuam passionem, aut erraticas & inordinatas exasperationes, inferant. Mulieribus maritatis non fœcundis, succulentioribus, communes sunt hi affectus.

Utut autem ex omni suppressione sanguinis menstrui omnia hæc mala sequantur; in specie tamen hæc oriuntur, si ex improviso repentè iidem fluentes supprimantur, idque ex duplici ratione:

1. Ex sanguinis excernendi retenti *quantitate*.
2. Ex sanguinis retenti *vitiosa qualitate*.

I. Quod attinet *quantitatem* sanguinis excernendi: certè dum nimius est sanguis, ineptus est æquabili per vasa circulationi & debitæ in præcordiis fermentationi: Unde hic ipse sanguis à debita turgescentia & fermentatione cohibitus, instar musti vasis arctè & strictè obseratis inclusi, minùs spirituosus, minusque volatilis, sed potius crassus, plus minùs viscidus, glutinosus, & à debita crasi omninò degener, vappidus & iners evadit; Unde angustiæ præcordiorum, pulsationes & palpitationes variæ, cephalalgiæ, aliarumque partium dolores, inflammationes partium, quin & viscerum, in specie splenis infarctus, & similia mala.

II. Quoad *secundum*: præmonendum, quod licet *sanguis* excernendus singulis mensibus, sub nomine menstrui excernendi, ejusdem sit conditionis & naturæ cum eo, qui post excretionem retinetur citra nocumentum in corpore; tamen eo ipso, quo tanquam excernendus separatur per fermentationem menstruam à reliqua massa sanguinea, alterationem quandam singularem circa uteri vasa, ubi effunditur, induit, & proprietatem quandam acrem, erosioni aptam, seu *tincturam aluminosam acquirit*, ut scitè loquitur HELMONTIUS, & demonstrat in *Tract. Lunare Tributum*, & supprimitur. Unde *sanguis* tali vitioso *charactere* insignitus, & peregrino acore inquinatus, reliquæ massæ sanguineæ permistus, insigniter eius crasin alterare, & à naturali statu deturbare solet; quin & inquinando simul & alterando reliquos corporis succos, vitiosum appetitum, digestionem pravam, & picam, abdominis cruciatus & tormina, tàm à mucilagine acida, quàm hinc oriundis flatibus nata, passiones & tensiones hypochondriorum, melancholica deliria, & similia mala inducit. Nam in fœminis, quibus ex mensibus suppressis oriuntur morbi, in iis imprimis *acidum vitiosum austerum*, idque primariò in prima abdominis regione abundare & tragœdiam ludere deprehenditur: id quod & affectus postmodum in *nervoso genere* & aliis locis indè nati, & *methodus medendi* per acidum destruentia, sufficienter declarat.

DIAGNOSIS.

Cognitio horum affectuum fit aperta per relationem ægræ, quæ subitò referunt, sibi menses esse obstructos.

PROGNOSIS.

Prognosis plus minus est periculosa, prout plus vel minus invaluerint dicta vitia, aut prout eadem vel mitiora vel graviora fuerint: Restituto enim fluxu, omnia cessant, quo de superiùs dictum: quò verò diutius suppressi sunt, tandem post varias calamitates intereunt.

CURA.

In *Cura* ergo talium passionum duo sunt attendenda:

1. Est corrigenda *sanguinis & reliquorum succorum* indè dependentium *vitiata crasis*; speciatim corrigendum est acidum austerum.
2. Stimulanda est fermentatio sanguinis menstrua, ut redeant *menses* in debitum fluxum.

Coniunctim ut plurimum, & quidem præmissis debitis Evacuantibus, *remedia utrique scopo satisfacientia* erunt usurpanda: nam frustrà *menses* cientur, nisi crasis & fermentatio sanguinis debita restituatur; & denique hæc ipsa vix restituetur plenariè, nisi *menses* denuò apparere incipiant. Conducunt ergo pro primario *scopo Martialia* ac similia, vitiosos sapores absorbentia & corrigentia, hinc *aromatica*, naturalem *fermentationem ac volatilitatem* sanguinis restituentia. Pro secundo scopo ea conducunt, quæ aliàs menses suppressos revocare solent, qualia sunt *Aromatica volatilia*, seu *salia* volatilia plus minùs *oleosa* & *aromatica*. In genere omnes hi affectus curantur ista methodo, quæ alias *cachexia* vulgaris, & postmodum *mensium suppressio*, ab Autoribus curari solet, habitâ tamen simul ratione symptomatum urgentium, quæ subindè simul mitiganda veniunt.

Paucis curam percurremus: Radicem curæ constituit vomitus, qui interdum sæpiùs repetitus mirè confert, sive per antimonialia, quæ sunt optima, sive per asarina, sive denique in robustioribus per helleborismum, instituatur. Formulæ omnibus sunt notæ. Sic v.g. oxymel helleboratum *Gesneri* ad ℥ii. propinatum promptè vomitum ciet. Ex Purgantibus pilulæ tartareæ & de ammoniaco *Quercetani* hic mirè conducunt; similiter etiam pilulæ de hiera, item de agarico: Nodulis diligenter admiscendæ sunt radices bryoniæ ac hellebori nigri, imprimis affectibus menstruorum muliebrium dicatæ: quibus omnia pro stimulo ratione mensium inserviunt ex colocynthide seu trochiscis alhandal parata medicamenta. Hinc Martialia & alterantia, quæ vulgò vocantur Aperientia, sunt usurpanda. Ex his Martialibus nota est tinctura vitrioli Martis *Zwelferi*, quæ insigniter est experta in talibus affectibus cum menstruorum suppressione coniunctis: Potest etiam fieri aptissima Martis tinctura beneficio spiritus salis ammoniaci, iuncti cum spiritu vini: hæc duo enim parvâ encheiresi coniunguntur, & præbent menstruum, quod limaturæ Martis affusum promptissimè tincturam elegantem educit, optimam in his casibus: Sicuti etiam (quod incidenter moneo) spiritus salis ammoniaci affusus sali essentiali tartari *Zwelferi* promptè hoc imbibit, & dat tertium salsum volatile, egregium remedium in morbis mulierum chronicis. Alii croci Martis aperitivi salini, cum salibus fixis parati, item aliæ tincturæ Martis iam notæ sunt. Item vina Martialia, infusionis nempè Martis, v.g. Vinum Malvaticum cum limatura Martis & cinnamomo infusa; item vinum Rhenanum extinctione chalybis impregnatum, & similia, sunt proficua. Pertinet huc *vinum medicatum Cnœfelii* ad cachexiam virginum: Descriptio eius est hæc:

℞. *Limat. Martis rubiginos.*
(sic enim iam facta est corrosio) per ablutionem cum *aqua à sordibus purg.* ℥vi.
Rad. eryng.
Helen. an. ℥vi.
Cinnam. ℥iii.
Caryophyll. ℥ii.
Spicæ nardi ℥iii.
Ras. eboris,
Cornu Cervi sine igne,
Macis an. ℥v.
Ceterach.,
Flor. anthos,
Genistæ,
Epithymi an. p. I.
Spec. diatrion santal. ℥ß.
Bacc. iunip. ℥ii.
Vini albi ℔vii.
Sacch. ℥vi.

Mista digerantur absque igne per octiduum, bis agitando in die, post bibatur *vinum* transcolatum, quotidie bis in phialis probè obturatis adservatum.

Pulverem cachecticum *Quercetani*, item pulverem ad pallidos virginum colores HEINRICI *ab* HEER *in Observ. 6.* lubens prætereo, cum aliàs sit notus. Remedia hæc Martialia, ubi non habent pro vehiculo vinum, optimè assumantur in Decocto vel Infuso rorismarini; Nam rosmarinus aliquid singulare habet in morbis mulierum, à mensibus obstructis ortis.

Post Martialia sunt Aromatica dicta, quæ inter sunt vulgaria omnia aperientia, imprimis lignum sassafras, galanga, semina calida maiora, baccæ lauri & iuniperi (quæ si-

mul sunt diureticæ.) Hæc autem Aromatica, ut superiùs dixi, cum Martialibus juncta, usurpanda sunt: e.g.

℞. *Conf. flor. anthos,*
Meliss.
Flor. Salv. an. ℥iii.
Cortic. citri vel aurant. cond.
Zing. in Ind. condit. an. ℥ii.
Solut. Martis cum succo pomor. ℥ß.
Pulv. cach. Martial. ℥ii.
Borrac. Venet.
Spec. diasabinæ Myns. an. ℨi.
Zedoar.
Galang.
Cinnam. an. ℈i.
Olei destillat. sabinæ ℈i.
Cum s. q. *syr. de artemis.* f. Electuarium:
D. S.
Electuarium aperiens & alterativum.

Item convenit spiritus tartari volatilis, elixyr proprietatis, sed sine acido paratum. Modus *elixyr proprietatis absque acido* parandi est, si ex tartaro & nitro per detonationem paretur alcali, seu, quod ferè melius, ex nitro fuso, injecto carbonum pulvere, fiat alcali: Quod alcali per deliquium solvatur, lixivium affundatur speciebus, aloë, croco, & myrrhæ, quod ipsum istas species solvit & extrahit promptè, imprimis myrrham, quæ aliàs difficillimè solvitur: Extractio ita nonnihil inspissata conjungitur spiritui vini, sicque fit elixyr proprietatis sine acido, appropriatissimum morbis mulierum, & non est adeò nauseosum atque vulgare elixyr proprietatis. Aliàs elegantiori modo cum spiritu salis ammoniaci parari potest, paucis accedentibus encheiresibus, & est remedium admodum nobile.

SYMPTOMATA.

I. EPILEPSIA.

Symptomatis cum his morbis conjunctis simul nonnihil est resistendum, pro quorum autem *varietate* etiam *specifica* ordinanda sunt: v. g. si supervenit *Epilepsia*, vel *motus convulsivi*, præter *Cinnabarina*, remedia ex *castoreo & succino* sunt optima.

II. CEPHALALGIA.

Si *Cephalalgia* sit uterina, ut vocant, seu cum mensium suppressione conjuncta, tunc habitâ ratione primarii morbi ordinariis remediis *salia volatilia & antiscorbutica*, ut *liquor Cornu cervi succinatus*, addenda veniunt, quin & ipsum sal volatile succini usurpatum est conveniens.

Externè ad tollendam cephalalgiam convenit sacculus ex succino pulverisato cum essentia piperis irroratus, capitis vertici impositus: Loco hujus ipsum oleum succini destillatum etiam convenit cum balsamo Peruviano mistum, paucis guttis vertici illitum.

III. PALPITATIO CORDIS.

Ubi *palpitationes cordis*, & similes apparenter periculosi affectus conjunguntur, remedia ex corallis sunt miscenda, imprimis tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi, item ipse spiritus Cornu Cervi maritatus cum camphora, aut liquor Cornu Cervi succinatus. In pauperculis convenit pulvis zedoariæ, cum *corallijs* rubris præparatis mistus, & propinatus.

IV. MELANCHOLIA.

Quod si *Melancholica deliria* mensibus superveniant suppressis, Antimonialia vomitoria sæpiùs repetenda: hinc appropriatis miscendi spiritus, item pulvis secundinæ humanæ: Hæc enim ipsa in delirio, quod vocatur ex utero, egregia sunt remedia.

Reliqua medendi ratio ex cura cachexiæ per se est nota.



CAPUT III.

DE PASSIONE HYSTERICA.

Absolvimus ferè superiùs affectus, qui uteri culpâ muliebri sexui obvenire dicuntur: Verùm hos inter affectus nullus frequentior, nec alius atrocior est eo, qui vulgò *Suffocatio uterina* seu *Passio hysterica* appellatur, Germ. *die Mutterbeschwerung*, à primario symptomate, & quod maximè urgere solet, utut non semper, nempè ab *angustia præcordiorum*, & adjuncta summa in respiratione difficultate, ita appellatus. Nam hæc ipsa respirationis difficultas subinde tanta est, ut taliter constitutæ mulieres se suffocari singulis momentis putent, imò interdum suffocatæ quasi sine ullo sensu & motu, sine pulsu aut respiratione sensibili ad aliquod tempus *mortuorum* instar jacent: Observavit namque LINDANUS aliquando mulierem per sex horas sine ullo sensu ac motu ac respiratione & pulsu sensili instar mortuæ jacentem: Imò interdum ad aliquot dies sic jacent, ita ut jam jam sepeliendæ interdum denuò ad se redierint. Exempla præter SCHENCKIUM de tali casu vid. in SALMUTH *Centur. 2. Histor. 86. & 87. Mulieres inquiunt: Matrix cubile suum reliquit, & cordi se adjunxit, dum talem præcordiorum angustiam, suffocationem & languorem sentiunt.* Aliàs etiam hic morbus *Strangulatus uteri*, item *ascensio uteri*, ab HELMONTIO verò *uteri Asthma muliebre*, à PARACELSO, qui ad *epilepsiæ* speciem refert, *Caducus uteri* seu *Matricis*, appellari solet, *Tract. de Caduco Matricis* §. 2. Communiter passio seu affectus hystericus, ab ὑστέρα, uterus; à modernis quibusdam *Suffocatio hypochondriaca* dicitur. Ratio tàm diversæ appellationis ex dicendis patebit. Hujus affectus varia cùm sit forma, & hinc diversis symptomatis, nec semper iisdem, subinde sese manifestet, & si quis alius frequentissimus sit mulieribus, ob id ejus naturam paulò prolixiùs, prout quidem temporis ratio permittit, considerabimus. Ante omnia ejus historia observanda est: nempè tales mulieres, quibus imminet paroxysmus seu jam adest, in ventre infimo seu abdomine subinde *rugitus & borborygmos* percipiunt, hinc sentiunt motum quasi undulatorium in eodem (nempè abdomine) interdum velut globi cujusdam hinc indè impetuosè in abdomine moti & agitati, & ab imo loco ad superiora pedetentim adscendentis: Adest ferè semper *hypochondriorum* nunc *tensio*, nunc distensio; Et quidem tensio, quando conqueruntur de dolore tensivo; distensio autem, quando conqueruntur de inflatione regionis hypochondriorum: Item murmur, unà cum flatuum copiosa imprimis per os eructatione, quandoque & per anum exspiratione, à quorum emissione notabile levamen percipiunt. Copiosissimorum ructuum notatu dignum exemplum habet BARTHOLINUS *Cent. 2. Hist. Anat.* 21. Cum his flatibus subindè oscitationes & pandiculationes crebræ ac similia symptomata junguntur, & imprimis paroxysmum imminentem antecedunt, aut inchoantem paroxysmum comitantur: Speciatim *dolores* crebri & admodum atroces in *abdomine*, nunc lancinantes, nunc distendentes, nunc utplurimum contorquentes, nunc *fixi*, nunc hinc inde *vagi*, sunt conjuncti: rarum est, quod nulli penitus percipiantur: *Appetitus*, imprimis in paroxysmo, ut plurimum est *prostratus*, & omnia, quæ assumunt, *vitiosa* & quasi corrupto quodam *sapore* imprægnata videntur: Rarum est, quod observata sit *intensa fames* post paroxysmum: *Alvus* utplurimum est *constipata*, & mulieres tales ordinariò *alvi durioris* esse solent; quâ verò apertâ, sive sponte, sive per clysteres, levamen egregium exindè percipiunt, præsertim si *flatus* simul *copiosi* erumpant: quinimò mirandi interdum *sonitus*, & quasi *voces* horrendæ *quædam*, ex intimis visceribus exaudiri solent, ut etiam à dæmone credantur obsessæ tales mulieres. Exempla talia vid. in SCHENCKIO. Subindè *vomitus* ac aliæ dejectiones superveniunt in quibusdam materiæ viridis, flavæ, sæpius acidæ, interdum alieni ac peregrini saporis: quasdam in paroxysmo sæpè inanis *vomendi conatus* admodum affligit, sed rariùs, semper tamen cum levamine: Accedunt his insignes anxietates & angustiæ circa præcordia; conqueruntur: *æquè ipsis esse, ac si cor & ilia ipsis rumpantur*; item dicunt: *esse ipsis, ac si cor anxiè constringatur, & sub prælo quodam comprimatur.* Unde mox accedit *palpitatio cordis* tremula, cum pulsu raro, parvo & debili, subindè intermittente, aliquando

de superveniente periculosa lipothymia & *syncope*; & sæpiùs recurrente, ad sensum omninò abolito: *Respiratio* imprimis difficillima est, inæqualis, impedita, ita ut *suffocatio* immineat: Imò in malo graviore *respiratio ad sensum* est *abolita*, percipiuntque mulieres tales simul angustiam in collo & faucibus, simulque constrictionis quendam sensum, non secus ac si laqueo injecto fauces præcluderentur: *Vertigo* capitis & visus obscuratio imminentem paroxysmum ordinariò innuunt, in iis scilicet quæ sæpiùs solent eodem malo affligi; & mulieres tales, si easdem incipiat corripere *Vertigo*, certæ sunt de imminente *paroxysmo*, & hanc esse per consensum stomachi aut abdominis: *In ipso paroxysmo quandoque perfecta adest scotomia cum oculorum rotatione*, inversione & obtenebratione, & tandem corruunt: Interdum in *copiosum risum*, ægris licèt in vitum & insciam, terminatur, qui etiam aliquandiu continuatur; quin & *subinde delirium* varii generis *adest*, & in *paroxysmo* varia, non raro *ridicula*, loquuntur, & differunt delirando: *Subindè in paroxysmis gravioribus convulsiones artuum & gravissimi epileptici* totius corporis *superveniunt insultus*, & *tam atroces*, *ut stuporem injiciant adstantibus*, quale robur habent in membris ab epilepsia correptæ; & *tunc mutato nomine Epilepsia Uterina vocatur*, & *superveniunt miræ non rarò artuum*, *brachiorum aut pedum*, *ac corporis gesticulationes*: *Adest interdum ferè sensuum omnium*, *tàm internorum quàm externorum*, *uti & motus abolitio*: Interdum sensibus omninò integris talia fiunt, utut ægræ aphonià correptæ in *paroxysmo* nil dicere aut significare possint, donec redeunte paroxysmo omnia secum acta memorentur, eademque etiam enarrant: rariùs tamen in epilepticas perfectas terminatur convulsiones, sæpiùs abdominis & thoracis tantummodò adsunt hujusmodi symptomata, de quibus vid. *suprà l.* 1. *ubi de Dolor. abdominis Colicis*: Interdum in graviore *paroxysmo*, & quidem in *principio*, & *incremento*, ad tactum frigent: supervenit utplurimum in statu calor præternaturalis, ac si adesset febris, in largum tandem sudorem finiens, qui calor etiam post paroxysmum aliquandiu perdurare solet, & non sunt securæ, nisi largus sudor superveniat. Mali hypochondriaci nomine venit in viris.

Quod attinet *subjectum*; infestant hæc symptomata omnis ætatis omnisque conditionis fœmellas, juniores ac *vetulas*, etiam *virgines*, imò interdum etiam *ante mensium fluxum*; sicuti etiam non rarò vetulæ, quibus jam naturaliter defecerunt menses, hoc ipso interdum frequentiùs confligantur. *Symptomata* autem talia non sunt in omnibus simul, nec in omnibus eadem, sed in quibusdam *pauciora*, in quibusdam *plura*, atrociora & *mitiora*: *Sæpè post paroxysmum exanthemata ipsis in ore*, *labiis & facie prorumpunt*: Ordinariò motiones & plus minùs dolores, murmurationes, distensiones, & alia symptomata abdominis, cum *præcordiorum angustia* & respirationis difficultate, flatibus & scotomiis vel vertiginosa affectione, adesse solent, quæ passionis hystericæ rationem formalem constituunt. Est affectus, si quis alius, complicatissimus; Unde tres ferè gradus hujus paroxysmi statuunt:

1. Dum respiratio est libera.
2. Quando hæc impedita & pulsus ferè cessat.
3. Quando etiam convulsiones superveniunt.

CAUSÆ.

Inter *Causas remotas*, quæ tales paroxysmos hystericos in consuetis aut dispositis excitare, aut insuetas ad eosdem disponere solent, imprimis sunt (1.) *passiones animi graves*, *in specie ira*, in quibusdam etiam *terror*. *Certè nil frequentius est*, *quàm quod mulieres ex graviore iracundia paroxysmum hystericum incurrant*. Aliquot enim novi mulieres, toties sic dictæ uterinæ passioni obnoxias, quoties iræ nimium indulgent, sicut rectè PRIMEROSIUS ab *ira*, *mœrore*, item *malo nuncio*, affectum uterinum excitatum fuisse memorat; in specie iræ *fervor* maximè *passionem hystericam* movere solet. Deindè (2.) *odores fortes* naribus admoti, aut fortiter nares ferientes, hic admodum potentes, & mirabilium ac stupendorum sunt effectuum, tàm in *excitando* hoc affectu in iis, quæ sæpius jam conflictatæ fuerunt, quàm etiam in eodem compescendo. Vtplurimùm equidem (utplurimùm dico, non semper,) *suaveolentia*, *moschus*, *ambra*, *zibethum*, & interdum *rosarum odor*, naribus admota eum suscitant: HOEFERUS certè *in Herc. Medico pag.* 311. refert suffocationem hystericam lethalem in muliere puerpera ex odore rosarum; sicuti in virgine ex eadem causa, odore rosarum scilicet, similem passionem annotavit LANGIUS *in Miscell. Curios. pag.* 46. & ex eadem causa periculosam uteri suffocationem etiam annotavit TIMÆUS *von Guldenklee in suis Cas. pag.* 216. quem verò *graveolentia* subtilia, castoreum, asa fœtida, cornua raspata & *accensa*, *Camphora*, &c. odorata compescunt; sicut contrà *suaveolentia* genitali antro applicata paroxysmum leniunt. Imò eæ, quibus maximè infesta sunt suaveolentia odoretenus hausta, iis eadem in paroxysmo ad eum curandum, aut extra paroxysmum ad eum præservandum, intrò propinata optimè conducunt, modò nares non feriant, seu modò talia mulieres non olfaciant. Vtplurimum equidem hæc (quod nempe suaveolentia suscitent, graveolentia verò sistant paroxysmum,) dixi ita evenire: non est tamen universale; prostant namque etiam contraria exempla mulierum, quibus suaveolentia optimè prosunt in paroxysmo passionis hystericæ naribus admota, graveolentia verò potius nocent; adeò, ut hac in parte in specie idiosyncrasiæ muliebris insignis habenda sit ratio; hinc enim, quod huic prodest, alteri nocet, & vice versa. Conferatur hic imprimis HORSTIUS *lib.* 5. *Obs.* 26. *pag.* 582. & *lib.* 10. *Obs.* 4. *pag.* 462. ubi imprimis tale habet exemplum de muliere hysterica, unàque epileptica, cui suaveolentia naribus admota paroxysmum sedarunt; dicitque, quod *graveolentia* non omnibus prosint suffocatis, iis nempè nocent, quibus unà *insultus* aut *convulsiones* hujusmodi *epilepticæ* adsunt, aut quibus ob accessiones epilepticas in adolescentia, vel alias ob causas *caput* ac nervosum genus est *debile*: Similiter BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Hist. Anat.* 28. Suaveolentia quibusdam paroxysmos hystericos sedasse aut saltem conduxisse observavit: Vid. HOECHSTEDTERUS *Decad.* 4. *Cas.* 2. *Schol.* item *Decad.* 9. & HORATIUS AUGENIUS *lib.* 12. *Epist.* 7. qui sæpè in passione hysterica utitur suo experimento, quod eum, ut ipse fatetur, nunquam fefellit, quodque maximè odoratum est; v. g.

℞. *Moschi opt.* gr. v.
Cinam.
Caryoph.
Nuc. moschi. an. ℈j.

Quæ in vino odorato soluta propinavit: sicuti etiam *l. c.* pilulas de moscho tanquàm efficacissimum præsidium commendat: Conf. SACHSII *Gamarol. pag.* 984. Præterea quoque, quibus prosunt fœtida, nocent verò suaveolentia, earum omnium non est par ratio, dum quibusdam hæc fœtida magis prosint, aliis alia. Mira hæc res est, quoad odores in paroxysmo hoc hysterico: quædam levantur *pice incensa*, *sulphure* incenso, *castoreo*, *balsamo apoplectico*, &c. Nam si eis *odor contrarius*, paroxysmos incurrunt, & quando *incipit paroxysmus*, sentiunt malum *circa regionem stomachi*. Observavi etiam quasdem, quæ maximum solamen à graveolentibus, v. g. castoreo, habent in paroxysmo; hoc discusso, & affectu percurato, dum denuò restitutæ sunt, non sine motione animi & alteratione insigni odorem castorei postmodum perferre potuisse. Ad causas remotas (3.) mutatio status virginitatis, seu virginalis in uxoratum, subindè etiam multum huc facit, in specie si mox fiant *gravidæ*, & supprimantur *menses*. Hinc enim observare licet totâ die, *virgines*, quæ optimè odoratissima quæcunque perferre possunt; factæ postmodum mulieres tales, & hinc *gravidæ*, talia postmodùm non ampliùs citra præsentaneum periculum talis passionis perferre posse: aut etiam si tanquam uxores, nondum tamen *gravidæ*, eadem perferunt, *gravidæ* tamen factæ ab iis omninò abhorrere, idque ita toto gestationis & puerperii tempore fere continuari, imprimis, si sint nonnihil *cacochymicæ*: quo transacto, dum denuò ventre sunt vacuo, quædam minùs adhuc citra paroxysmi metum dicta odorata ferunt, quædam è contra eadem iterum optimè perferunt, donec denuò gravidæ fiant. Denique (4.) inter causas remotas, inter assumpta *dulcia* imprimis sunt, quæ ordinariò exacerbant paroxysmos, aut eosdem excitant: v. gr. omnia Saccharata, omnia Syrupisata, Mellita, & similia *dulcia* facilè fermentescibilia, adeoque partim promptè acescentia flatusque generantia, partim fermentativo impetu contenta primarum viarum alterantia, nociva sunt his mulieribus: non ergo præscribantur dulcia: Sic novi vetulam quandam ferè 60. jam annorum, quæ à solo passulæ unius usu graves passiones hystericas persentit. Interim tamen & hic idiosyncrasiæ habenda est ratio, cum in BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Volum.* 2. *pag.* 207. referatur hysterica ab omnibus abhorrens, dulcia tamen seu saccharum ferens: Sic aliam novi juvenculam, quæ spiritum cochleariæ

non absque passione hysterica assumpsit. Adeò ut & in assumptis idiosyncrasiæ muliebris insignis habenda sit ratio. Imprimis dulcia si excitarint paroxysmum, optimè tunc curatur per amara, in specie absinthium; amarorum enim sal nitrosum dulcem saporem, & inde ortam acescentiam, fermentando optimè corrigit & transmutat: Docet hoc FORESTUS *lib.* 28. *obs.* 28. dum refert, quod talibus mulieribus, quæ ex dulcibus paroxysmos incurrunt, Decoctum absinthii optimè conferat: Refert *idem* mulierem, quæ ex ira frequenter suffocationem uterinam passa fuerat, in specie si aliquid dulcium simul assumeret; cui consuluit, ut extra paroxysmum biberet cerevisiam absinthitem, qua ipsa postmodum à paroxysmo præservata fuit: Plura de syrupo absinthii vid. *in obs.* 30. *cit. lib.* 28.

His ita præmissis, in specie pergendum est ad complicati hujus affectus *Causam proximam*, *& subjectum patiens*: de quibus notum est, quod in huiusmodi pathematis vulgò incusetur *uterus* (vel juxta RIOLANUM testes & tubæ) qui nempè *sanguine menstruo & genitura*, aliisve humoribus vitiatis & corruptis, turgidus, esse soleat *subjectum* horum affectuum, quatenus partim ipse commoveatur sursum, unde ex commotione camarinæ, in eodem retentæ, tàm tetra & maligna miasmata & halitus seu effluvia exspirent, quæ superiora versus per corpus nostrum ubique perspirabile, effumando, nervosum genus & cor afficiant, indeque omnia hæc symptomata tragica excitent, dum uterus ipse sursum delatus sub forma globi alicuius in abdomine variè & violenter moti uersus cor & diaphragma, tactui se offerat, donec tandem diaphragma comprimendo, & sic respirationem impediendo, anxietatem & suffocationis periculum inferat, unde anxietates. Hæc est vulgaris Theoria, quam sufficienter refellunt:

1. Uteri *situs*, firmissimaque ejus, & quidem mediata cum intestino recto, & etiam mediatè per ligamenta teretia cum osse pubis *connexio* atque agglutinatio, ita ut non, nisi summâ vi ex hoc situ sursum divelli possit. Nam & communis *procidentia uteri* falsa est, cùm & reverà dicta procidentia uteri nil aliud sit, quàm prolapsus sinus pudoris, qui fit à relaxatione membranæ vaginæ interioris, etiam ob id simpliciter post repositionem per adstringentia externa curabilis: vid. BARBETTE *in sua Praxi c.* 10. *lib.* 4. *de Procidentia uteri*, item JOB *van Meckern in Obs. Chirurg.* ut suo loco demonstrabo.

2. Contrariatur isti hypothesi *Anatome* ipsa, quæ fraudem similiter detexit. Sæpissimè in tali passione mortuis mulieribus uterus parvus in naturali situ & constitutione citra excrementorum humorosorum præsentiam repertus fuit: vid. SYLVIUS, HIGHMORUS *de Pass. hyster.* & WILLISIUS *Tract. de affect. hypochondr. & hyster.* nec non *de Morb. convulf. cap.* 10. uti & *cap.* 6. *pag.* 92. ubi habet exemplum mulieris, hystericis passionibus gravissimè laborantis, cujus corpus cùm post mortem aperuisset, uterum invenit insontem; verùm *juxta mesenterii plexus nerveos, in molem attolli & elevari solitos*, visceris illius membranas ab invicem divulsas & solutas uidit. Hanc quoque sententiam probat SYLVIUS aliique Modernorum. Ruit ergò HELMONTII *Monarchatus uteri*, *& Ignota actio Regiminis.* Quod autem vel clitoridis contrectatio, vel odorum ad uterum applicatio, paroxysmum levet, ratio est, quod titillatione istius sensibilissimæ partis voluptuosa spiritus fortiter afficiantur, & ad determinatum motum redigantur, unde motus inordinatus, convulsiones nempè, cæteraq; symptomata, remittunt.

Denique 3. quod viri interdum, qui tamen omnium consensu utero carent, simili omninò passione, atque est in mulieribus, dictâ hystericâ afficiantur, unde etiam in paroxysmo à forti ligatura hypochondriorum levamen sentiunt, *ut & mulieres faciunt*: & tales mares semper graviter *malo hypochondriaco* laborare solent, & non tantùm simillima abdominis, quæ tales mulieres patiuntur, percipiunt pathemata, & eundem *globi* ascendentis *motum* uterum esse, multi, muliercularum instar, ridiculè asserunt, sed etiam suffocationis præsentissimæ, & faucium constrictionis sensu, apertè & manifestè afficiuntur: Item sunt viri, qui *odores suaveolentes* non possunt ferre. Exemplum apprimè huc faciens viri passione hystericâ correpti, unà cum globo isto in abdomine violenter moto, vid. in WILLISIO *de Morb. convulf. cap.* 5. *Observat.* 6. *pag.* 77. Facit huc etiam *Historia* BARTHOLINI *Centur.* 1. *Histor. Anat.* 45. cuius aurigæ affectus, si mulierem corripuisset, hysterica passio lethalis citra dubium ab omnibus vocata fuisset. Pertinet huc etiam *contractiva gulæ affectio* cum variis symptomatis hypochondriacis, simillimis hystericis, quam annotat HOECHSTETTERUS *Decad.* 5. *Cas.* 2. Nihil sanè in Praxi est frequentius, quàm quod etiam viri, qui gravioribus affectibus hypochondriacis, aut scorbuticis obnoxii sunt symptomatis, quod de ingruente suffocatione cum abdominis variis passionibus, ac mulieres hystericæ, conquerantur, & etiam simili modo curantur, ut per *castoreum & volatilia*. Consuluit me aliquando Studiosus quidam, insignis hypochondriacus, quem omni nocte circa eius medium evigilantem affligebat rugitus & gravis murmur in abdomine: jam verò aliàs continuò eum torquebant copiosissimæ flatulentiæ abdomen distendentes: hinc post hæc murmura abdomen interiora versus retrahebatur, quod ipsum insequebatur insignis *respirandi difficultas*, ita, ut omni momento suffocandus videretur, cum misera *cordis anxietate & palpitatione* violenta: Referabat mihi, angustiam pectoris sub respirationis ista difficultate esse tantam, & se percipere talem sensum, non secus ac si intra torculare vel intra duos asseres cum violentia summa thorax constringeretur & comprimeretur, ut putabat, ut eum nullâ vi pro inspiratione dilatare posset: Hinc accedebant simul *sensuum internorum* imprimis quædam *perturbationes* & imminutiones sub istis anxietatibus, donec post horam circiter cum dimidia, aut etiam fere duas, sudore tandem modico erumpente, paroxysmus ita discuteretur, qui tamen omni nocte stato tempore revertebatur. Passio hæc hystericæ suffocationi adeò similis erat, ut ovum ouo similius esse nequeat, quæ etiam, si corripuisset mulierem, ab omnibus hysterica uocata fuisset, (*sive suffocatio uterina*,) cùm tamen in hoc subjecto saltem esset affectio hypochondriaca dicta, quæ istis symptomatis erat stipata: Curaui etiam eum, præmisso *Vomitorio & Martial.* per *volatilia tartarea*, imprimis per spiritum carminativum de tribus & spiritum sal. ammoniaci, per aromatica carminantia, & acidum absorbentia. Aderat in hoc subjecto, quod obiter moneo, simul pertinax alvi obstructio, & mira acidi præternaturalis in primis uiis, præprimis stomacho, abundantia, unde continuò insigni appetentiâ laborabat. Congeries ista symptomatum truculenta, quæ mali hypochondriaci in uiris, suffocationis uerò uterinæ (si nempè est acerbior) in mulieribus nomine uenit, adeò interdum per paroxysmos sæuit, ut à dæmone obsessi ab ignara plebe habeantur ægri. Testimonia adhuc plurima hinc inde prostant. Sed reuerà in utrisque unus idemque affectus est; & suffocationis sensu in affectu hypochondriaco grauiore uiros torqueri, nihil noui est, idque duplici modo: nunc quidem putant & dicunt, fauces & laryngem à uaporibus uel humoribus acidis, ponticis, austeris & stypticis quasi constringi, quale exemplum B. D. MICHAELIS uidit in Jurisconsulto, quem acidum absorbentibus & concentrantibus, alcalibus fixis, nempè creta, lapillis cancrorum, antimonio diaphoretico & similibus, restituit; cuiusmodi casus etiam mentionem facit SENNERTUS *lib.* 3. *Prax. Part.* 1. *Sectione* 1. *cap.* 1. *pag.* 7. nunc uerò sine tali in faucibus molestia, saltem impotentia mouendi thoracem adest, & cingulo uel zonâ quasi circa diaphragmatis cum costis connexionem se constringi & coarctari queruntur ægri: Ita ut reuerà affectu suffocationis uterinæ uiros quoq; laborare, dici possit. Sic quoq; aliquando iuuenis nobilis curabatur à me, qui genuinam passionem hystericam repræsentabat: dicebat se esse procliuem ad *colicam*, item ad *epilepsiam*, ita quidem, ut graues subindè patiatur insultus abdominis; abdomen contrahebatur, quoties *dulcia* quædam comedebat; *epilepsia* corripiebatur, quoties *ira* aut *terrore* afficiebatur: Subindè utrumque coincidebat, quando edebat *dulcia*: dicebat: *esse ipsi ac si malum ipsum torqueret*, & ueniret pedetentim ad superiora; tunc circulum circumdabat circa pectus, ac si *sensationes colicæ* superueniant, ne superiora uersus adscendant. Affectus hic si fuisset in muliere, fuisset *passio hysterica*; sed est iuuenis *hypochondriacus*: Hinc *Martialia*, hinc etiam *spiritus salis ammoniaci*, & *emplastrum de galbano* impositum, solebat eum curare.

His ergo ita consideratis, moderni alio modo affectum hunc, tot symptomatibus complicatum, explicant, quorum *hypothesis* est *duplex*. I. SYLVIUS, & qui eum sequuntur, *ex acido pancreatis* nimis *austero*, uitiosè in intestinis efferuescente, hinc copiosos *flatus* & uapores generante, & dolores abdominis & præcordiorum, aliaque symptomata inferente, hinc ad massam sanguineam delato, eam nonnihil coagulante, &c. originem huius passionis deducunt, adeoque

quæ ad affectus hypochondriacos graviores passionem hanc vulgò hystericam referunt, & per *salia volatilia oleosa* optimo consilio eam curandam suscipiunt.

II. Alii è contrà, ut imprimis WILLISIUS, & eius sectatores, ad *convulsivos morbos ac spasmodicos affectus* passionem hanc hystericam referunt, quales spasmi imprimis in scorbuticis & hypochondriacis affectibus frequentes esse solent, quorum symptomatum syndrome vocatur *Passio hysterica*. Dicit enim WILLISIUS *de Morbis convulsivis cap.* 10. *pag.* 165. se mulierem illustrissimam passione hysterica demortuam aperuisse, &, utero insonte, invenisse in occipite principium nervorum sero acri madidum, ac ferè immersum: Deducit ergo *passionem hystericam à spiritibus animalibus*, principia nervorum intra cerebrum occupantibus, malè affectis, quatenus in confusionem acti, vel humoribus vitiosis perfusi, copulam explosivam sibi adsciscant, quam unà secum in canales nerveos deducant: quod etiam ante WILLISIUM insinuavit HOECHSTETTERUS *Decad.* 4. *Cas.* 3. *p.* 385. qui apertè asserit, sibi videri ad spasmodicam affectionem accedere uteri errorem, quæ, si reliquis cognatis *partibus nervosis* communicetur, & hæ in hostem assurgant, maximè si vellicatio maior accesserit.

Mihi mediâ placet incedere viâ, & utramque certo modo combinare opinionem: Nam quod materialiter seu occasionaliter *acidum* peccet primariò in hoc affectu, idque vitiosum, tàm in quanto quàm in quali, à naturali statu degenerans, multa in hoc affectu occurrentia demonstrant.

1. Quod scorbutica & hypochondriaca subiecta cuiuscunque sexus imprimis obnoxia sint huic affectui; unde & *scorbuticæ* & *hypochondriacæ* mulieres, licet lenia etiam ipsis propinentur Purgantia, ex moto tamen ad intestina copiosiùs peccante acido acri succo, vel pancreatis, vel, quod probabilius, in plexibus nerveis mesenterii, præter tormina acerba, facillimè in hystericos incidunt insignes paroxysmos: Cautè ergò purgandæ sunt mulieres scorbuticæ & hystericæ.
2. Quod *sanguis* in talibus quodammodò *coagulatus* esse soleat, à cuius sanguinis incrassati *stagnatione* in præcordiis *anxietates*, *ἀσευξία*, & syncopes non leviter exacerbantur; de quo vid. WILLISIUS *c. l. cap.* 5. *p.* 78. qui *viro isti hysterico*, de quo superiùs, cum detraxisset venâ sectâ sanguinem, hic minùs fluidus, sed semicongrumatus, & in guttulas concretus, fuit evacuatus. Unde
3. Et per vomitus, à natura spontè aut arte provocatos, bilem æruginosam, porraceam, in quibus peccat primariò *acidum*, præcipitans bilem in istum viridem colorem, acerbam ac similia in talibus reiicere solent. Unde &
4. *Dulcia*, quæ facilè fermentatione acescunt, & hinc copiosos generant flatus, *Hypochondriacis* sunt molesta, & paroxysmos hystericos insigniter excitant; & copia, quæ adest flatuum in paroxysmo insignis, ab acido est oriunda, à quacunque oriatur causa externa. In specie acidum pancreatis vitiosum in paroxysmo semper præsens multùm huc facit; Unde
5. *Martialia* extra paroxysmum *præservativè*, *salia verò volatilia* spirituosa & oleosa in paroxysmo *curativè*, præ cæteris succurrunt, quatenus *acidum* vitiosum absorbendo destruunt & corrigunt, teste experientiâ. Hinc BARBETTE *in sua Praxi pag.* 81. medicamenta *antiscorbutica* applicanda *ad passionem hystericam* suadet. Et LANGIUS *Commentar. super Fabri Pathol. p.* 10. omnia nobiliora *anticolica*, & ea, quæ *ardorem stomachi*, nec non *stranguriam* compescunt, in hysterica passione quàm maximè appropriata remedia esse affirmat. Qui affectus modò recensiti omnes ab acido vitioso primarum viarum dependent.

Quod verò præter tale *acidum* in primis viis etiam *spasmi* & convulsiones, tàm partium abdominis membranosarum, quàm partium thoracis & colli musculosarum, simul concurrant, tantùm non manu palpari potest.

Ut enim

1. *Convulsiones istas epilepticas*, quæ in fine paroxysmi, interdum & in medio, variis ridiculis, subindè & horrendis, ab ignaro vulgò per Dæmoniacis habitis, gesticulationibus superveniunt, taceam; Certè
2. Spasmos & convulsiones testatur globus iste in abdomine commotus, & sursum versus cum impetu retractus; Non enim semper persentiscitur globus ille, qui dependet à plexibus mesenterii nervinis, iisque inferioribus, unâ aut pluribus convulsis, à quibus simul imæ hypogastrii partes & convelli, & quasi attoli solent, & ita molis cuiusdam agitatæ aut adscendentis speciem tactui repræsentant. Hinc
3. Sub fine paroxysmi hysterici risus observatur interterdum, & quidem *Hystericis* invitis supervenire, qui est reverà *risus* quidam *Sardonius* (de quo *suprà l.* 1. *ubi de convulsionibus*,) ex *convulsione* clonica seu *motu convulsivo diaphragmatis* primariò dependens; sicut *diaphragma* tonicè convulsum difficillimam istam respirationem & *dolorem* circa regionem cinguli infert: Quod & fœminæ post paroxysmum haud obscurè indicant, dum post graviorem paroxysmum sibi zonam, id est, regionem istam, ubi diaphragma costis annectitur, dolere conqueruntur. Convulso autem plus minus diaphragmate, & reliqui thoracis motui dicati musculi simul convelluntur, dum hos inter *musculos* cum diaphragmate ex communitate nervorum intercostalium, ex quibus musculi habent suos surculos, perpetua motus fit proportio.
4. *Spasmos* etiam testantur dolores illi in abdomine lancinantes, contorquentes, vagi & hinc inde oberrantes, qui oriuntur à violentis contorsionibus & spasmodicis convulsionibus intestinorum: quales dolores etiam intestinorum in scorbuto, item sexui fœminino in & post partum, solent esse frequentissimi: Nam & hinc est, quod fœminis nephriticis cum dolore calculi simul cum vomitibus passiones hystericæ satis dolorosæ contingant; Unde tunc dicunt communiter: *Calculum movere matricem*. Sicut enim in viris colicæ nephriticæ dictæ tunc oriuntur, dum scilicet nervis renum convulsis continuatâ, crispatione ad horum usque principium, plexus scilicet mesaraicos, vergente, hi convulsi intestina & stomachum spasmo, ratione suorum nervorum ex istis plexibus oriundorum, corripere solent; eadem ratione hæc in nephritide contingunt per consensum, atque aliàs per se hysterico dicto affectu contingere solent. Talem dolorem abdominis lacerantem & contorquentem, frequentem in *infantibus*, item in viris, mulieres appositè vocant: *Epilepsiam in corpore*; convulsiones scil. quasi epilepticas partium abdominis internarum.
5. Quod si tandem post *tormina* & manifestæ artuum externorum superveniant convulsiones epilepticæ, hinc dicunt: *Malum internum crumpit*. Dum verò ita intestina convelluntur, *flatus* ab acido vitioso effervescente in iis enati, conclusi, & variè agitati, ac tumultuosè oberrantes, istos borborygmos, murmura, ac similes sonitus varios, quales in *passione* hypochondriaca & *hysterica* sentiunt, repræsentant.

Acidum ergò *peccans*, & inde natæ convulsiones spasmodicæ in abdomine, in scrutinio suffocationis uterinæ combinanda sunt: vid. WILLISIUS *de Morb. Convulsf. c.* 10.

Quod ergò *modum fiendi* passionis hystericæ attinet: ex hactenus dictis innotuit, complicatissimum sanè affectum esse, qui Passio hysterica dicitur: compositus nempe, (1.) & quasi materialis, ex vitiosa in intestinis ab *acido* præternaturali, vel stomachi, vel *pancreatico*, aliarumque glandularum intestinalium, cum succo bilioso effervescentia; unde *copiosi* admodum *flatus* & eructationes proveniunt: & irritationis talis occasione simul acidum in plexibus nerveis mesentericis commovetur, à quibus consequenter isti *sonitus & borborygmi*, aliaque tàm varia & multiplicia *abdominis* symptomata: quo vitioso *acido* ulteriùs promoto, etiam *sanguinis coagulationes*, & in præcordiis *stagnationes*, oriuntur. His simul coniungitur (2) quasi formaliter depravatus & perturbatus *spirituum animalium* motus, primariò quidem in nervo intercostali & vago, hinc consequenter interdum etiam in reliquis nervis, in quibus inordinatus ac explosivus iste motus spirituum animalium percipitur: unde *sub huius incohamento in cerebro vertigines & scotomiæ*, variaque *deliria*, *& sub progressu spasmi insignes in partibus abdominis membranosis*, *intestinis*, *mesenterio*, & similibus; item

simul in partibus *thoracis* musculosis, ipsoque adeò cordis musculo quodammodò convulso; unde huius *palpitatio*, aut ex eius continuata ferè systole iste compressionis in corde sensus.

Quoad fiendi ordinem: Talis est inter symptomata, ex effervescentia ab acido vitioso in intestinis natæ; unde ex irritatione ab isto acido partium nervosarum & surculorum nervorum *spasmi interni*, hinc consequenter capitis perturbatio, & denique membrorum externorum periculosæ *convulsiones* superveniunt, ut v. g. in *ira*, in *esu dulcium*, in *nephritide*, in doloribus abdominis scorbuticis. Interdum verò præcedunt, præsertim in malo habituali, *spirituum animalium impetus* & explosiones inordinatæ ex cerebro, eorumque agitationes vitiosæ per nervos; unde *scotomiæ*, *varii colores* ante oculos apparentes, sensus & motus deficiens, & similia inchoante paroxysmo primitus corripiunt ægros, & dū ab his inordinatè motis constringuntur & quasi concutiuntur abdominis viscera & ductus, effusa tandem uberiùs pancreaticâ lymphâ, adeoque commoto sic acido, & abdominis superveniunt symptomata. Et hoc evenit, quoties ab *ira*, aut terrore, aut ab odoratis nimium, aut simili causa externa, organa sensuum afficiente primariò malum procedit; *odores* enim fortiter afficiendo commovent sensuum organa, & percellunt spiritus, eosque ad motus inordinatos cogunt, quâ occasione *pancreas & porus biliarius conquassata* effundunt suos succos. Et prout plures vel pauciores afficiuntur nervorum surculi, rami aut plexus, etiam plurium paucorum partium symptomata & actiones læsæ conjunctæ sunt: Sic v. g. interdum tantummodò plexus nervei lienares, interdum saltem stomachici, primariò afficiuntur, & tunc paroxysmi à sinistro hypochondrio incipientes, non uteri, sed *lienis vitio*, oriri dicuntur, utut sit unum pathema. Sed hæc imprimis, quoad adiuncta convulsiva symptomata, & uberiùs & elegantiùs etiam explicata, videb. in WILLISIO *de Morb. convulſ. cap.* 10. qui sanè primus est, qui *in Historiis & Observ. Morborum convulsivorum* in Praxi frequentissimis eosdem, in specie internos, exactiùs explicavit: Huius doctrinâ benè observatâ, varii affectus in Praxi occurrentes faciliùs patebunt. Nam frequentissimi tales affectus interni, qui optimè per convulsionem nervorum explicari possunt; sicut ea, quæ ad intelligenda nocumenta acidi, & hinc natam *effervescentiam præternaturalem*, & vitia succorum in primis viis, & inde originaliter dependentia abdominis accidentia, concernunt, quæ primariò in passione hysterica consideranda, videri imprimis possunt *in scriptis* SYLVII, qui alterationes humorum ex salium doctrina, alcali & acido; seu bile & lympha explicando, facillimam & Theoriæ & Praxeos rationem satis accuratè superstruxit; Vid. *Eiusdem Disput. de Suffocat. hypochondriaca Belg.*

Ex his ergo patet, quod revera Passio hysterica sic dicta uterina sit saltem paroxysmus gravior mali hypochondriaci & scorbuti *admodum exacerbati*, oriundi imprimis *ex irritante acido vitioso*, sive vitio *stomachi*, quod sæpiùs adiungitur, sive in specie vitio succi pancreatici genito, & in intestina effuso, à quo primariò oriuntur dicta pathemata, quatenus *nervi* afficiuntur, affligens potissimùm *mulieres* & fœminas, quàm mares: idque ex debiliore, imbecilliore, teneriore, & magis sensili systematis nervosi, (quod faciliùs commovetur, ac in spasmum convulsivum cogitur,) texturâ, & spirituum eorum animalium subtiliorum maiore raritate, & faciliore promptitudine in varias motuum exorbitantias & ataxias: (vid. WILLISIUS *l. c.*) vel saltem, quibus non placet affectio hypochondriaca, est certa species *colicæ convulsivæ* gravioris: Nam hæc, dum scilicet *intestinorum spasmi*, ex irritante acido, in plexus mesenterii continuati, ad alias superiores partes ex connexione & crebriore concursu nervi vagi & nervi intercostalis eiibrantur, etiam *angustia*, *difficilis respiratio*, & similia urgent: id quod ex anatome nervorum, quæ hic exactè debet esse cognita, perspiciendum: hinc *virorum vera colica*, & *mulierum vera passio hysterica*, à quibusdam ex vulgò pro iisdem habentur.

Odorum vis spiritus animales promptè afficit, eosque ad varios distinctos & enormes motus subindè disponit: Et prout variè constituti sunt ipsi spiritus animales, variatque intrinseca eorum specialis differentia, hinc idiosyncrasiæ, eatenus etiam distincti odores in distinctas motuum anomalias eos adigunt: Unde etiam literati, quorum spiritus animales magis sunt volatiles, rarò possunt ferre odores fortes, quin patiantur aut cephalalgiam, aut angustiam quandam circa præcordia: Unde mulieres etiam ab odoriferis istis tàm facilè alterantur, & in iisdem suffocatio hysterica resuscitatur. Observandum tamen, quod odorifera seu effluvia ista volatilia subtilia non tantùm afficiant spiritus animales in omnibus, sed etiam circa ipsas partes genitales, dum nempe effluvia odorata promptè spiritus istius loci afficiunt, & hos ita alterando eosdem ad determinatum, nimisque erroneum seu convulsivum motum disponunt: Id quod ex eo patet, quod augeatur utrique sexui Venerea voluptas, si zibetho, balsamo apoplectico, vel similibus odoratis volatilibus inungatur membrum: Conf. WILLISIUS *l. c.* Præterea tamen & odores tàm naribus applicati vel hausti, quàm cum aere attracti, prout variè alterant massam sanguineam in pulmonibus fermentando æstuantem & spiritus animales, similiter non parùm contribuunt ad levanda aut exasperanda hysterica symptomata, quæ ex massæ sanguineæ motu, & eiusdem impedito traiectæ per pulmones, oriuntur: Nam hinc fumus cornuum aut pennarum accensarum, *perdicum imprimis*, item castorei olfactus, & & similia, angustias præcordiorum lenire, & ampliùs quasi in thorace spatium efficere afferunt ægræ, quatenùs sal volatile istorum subiectorum incensione sui juris factum, cùm aere inspirato interiùs attractum sanguinem dissolvit, *acidumque* ejus absorbet, sicque diuturniorem in pulmonibus moram & stagnationem tollit, & liberiorem circulum ipsi ferè reddit.

Ex dictis hactenus patet: paroxysmatim ingruere passionem hystericam, unde sub hoc respectu nunc *accidentale*, nunc *habituale* malum esse, observatur. *Habituali* in malo uti plures possunt esse causæ, à quibus excitatur paroxsmus; ita etiam variis in partibus internis potest delitescere fomes seu causa occasionalis quæcunque, cujus commotæ occasione propter irritationem hinc inde factam paroxysmus hystericus provocari potest: ut v. g. quando TACKIUS *in Chrysogon. pag.* 93. notat uteri suffocationem ferè lethalem ex deglutitione frusti integri pellis lardi cocti: Sic in tali respectu non semper eximendæ sunt *partes genitales* in mulieribus, quia interdum habent rationem fomitis morbosi, non quidem, quasi *uterus* aut *testes* soli cum vulgò accusandi sint, aut quod uteri perversus motus talia symptomata inferat; non: sed vel primo modo, quatenus menses suppressi, & inde coacervatum *fermentum vitiosum*, occasionem præbent, uti variis aliis affectibus totius corporis, ita & huic complicato Protheo, uti superiùs monitum, vel eveniendo, vel postmodum exasperando: aut secundo modo, quatenus liquor genitalis retentus & corruptus, & specificè acrior factus, uti partes nerveas irritando, ita & succos corporis quoscunque inquinando, in specie spiritus animales vitiando & pervertendo, hos ad varias motuum anomalias disponit, & varia symptomata infert, & ita sicut epilepticos paroxysmos, ita & hystericos affectus inducit: v. gr. quoad prius, POTERIUS *Cent.* 3. *Cur.* 30. habet rarum exemplum uterinorum affectuum ex suppressione mensium curatorum his apertis. Quod verò ex *liquore* genitali retento superveniant talia symptomata, patet ex observationibus: Refert namque FORESTUS *lib.* 18. *Observat.* 25. & 26. se observasse suffocationem uterinam in vidua ex retentione excernendorum per coitum, & ex vellicatione pudendorum curatam: item *cap.* 1. *Observat.* 29. lethalem uteri suffocationem annotavit in muliere ex semine, ut inquit, retento ortam: in specie ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Admir. Observ.* 85. quorsum etiam facit exemplum FONSECÆ *lib.* 2 *consil.* 35. qui observavit suffocationem hystericam in virgine, quæ semper, antequam paroxysmus incederet, inexplicabili coeundi libidine tenebatur: præ cæteris elegans est historiola, quam recenset GABELCHOVERUS *Cent.* 4. *Cur.* 95. *in Schol.* ubi mulier hysterica fuit exsuscitata fricatione forti partium genitalium cum *oleo spicæ*, unde copiosus liquor seminalis fuit excretus; Verba historiæ sunt hæc: *Ego aliquando unà „cū alio Medico vocatus eram ad nobilem quandam mulierem, „quæ vehementissimos dolores & tormenta ex utero sustine- „bat. Nos variis utebamur rationibus, clysteribus & aliis, „quæ cùm nihil prodessent, ego abii: alter medicus reman- „serat tanquam propior. Is sorori huius nobilis, quæ etiam „erat maritata, suadebat, ut digitos oleo spicæ inungeret, & „sinum muliebrem fricaret. Quod cùm illa facere nollet, ipse „Medicus aggressus est, & cum digitis inunctis oleo dictū locū „fricuit, unde illa maximā copiā crassi seminis excrevit. Ma- „ritus ipsius erat paralyticus ex colica, illaq; invare nō pote- „rat. Mortuus autē fuit ipse brevi post, superveniēte epilepsia: „mulier autē longo post tēpore vixit, & alteri viro nupsit, etc.*

Con-

Confirmat denique hoc, quod nempè modò dictæ alterationes circa partes genitales aliquid conferant interdum, quod videamus mulieres quasdam, dum virgines sunt, nihil perpeti de hoc malo aut odoribus; uxoratæ vel maritatæ postquam fuerint, aut gravidæ redditæ, huic malo insigniter obnoxiæ deprehenduntur, quatenus in maritatis per spiritum genitalem virilem, & in gravidis per retenta menstrua, succorum varietates & alterationes, & consequenter diversæ spirituum animalium immutationes, oriri solent. Sed hæc saltem interdum observantur, adeoque respectu passionis hystericæ saltem causæ cuiusdam specialis remotæ, non verò proximæ, locum habent.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *signa* huius mali diagnostica: suffocatio uterina ceu affectus complicatissimus pathognomonicum signum vix habet; cognosci tamen facilè potest ex iis symptomatis, quæ in Historia huius affectus suprà propositâ fuerunt recensita, &, ut aliàs monui, interdum suffocatio uterina, interdum Epilepsia uterina, vocatur.

Suffocatio tamen *uterina ab epilepsia* vera *differt parte affecta*, *quod nempe in epilepsia affectæ sint partes externæ*; *in suffocatione uterina internæ*. In epilepsia vera solet deprehendi spuma circa os; id quod non æquè, aut non nisi in desperata ferè suffocatione uterina contingit.

Prætereà in Epilepticis pulsus cum valido nisu ferit manum tangentis, cuius contrarium evenit in suffocatione uterina.

Et Epilepticæ veræ (nempe in 2. vel 3. classe,) post paroxysmum vix reminiscuntur eorum, quæ circa ipsas dicta gestavè fuerunt; Hystericæ verò non rarò istarum rerum firmam habent memoriam.

A syncope differt: quod hæc ex improviso magis invadat; passio verò hysterica per dicta similiaque ingruentia signa se prodat: in syncope pallor faciei est maior; in hysterica verò passione minor, imò utplurimùm rubedo: vid. RIVERIUS *lib.* 15. *cap.* 6. Sudores in syncope sunt frigidi; nunquam autem in affectibus hystericis: Syncope brevior fit, sive ad salutem, sive ad mortem terminetur; hysterica verò passio ad horas & dies durat; utut interdum syncope cum passione hysterica sit coniuncta, aut illa huic superveniat, quando nempè ab huius pertinacia vires nimis enervantur: In syncope pulsus cessat; in passione autem hysterica semper percipitur, utut debilis sit: Imò ab odoribus gratis syncope sedatur; hysterica verò passio utplurimùm exasperatur.

Ab *apoplexia differt*, quod *antecedentia* fuerint alia, ac in *apoplexia*, nisi suffocatio uterina confirmata sit; non semper *pulsus & respiratio* abolentur, sed satis vegeta sunt: Interdum, ubi gravior est paroxysmus, mortuæ apparent.

Signa, quibus à verè mortuis discerni possunt, sunt vulgò specula & plumæ: Optimum est sternutatorium, si nempe forte in nares insufflatum nihil operari velit: Item si vomitorium generosum infusum citra effectum deprehendatur, tunc est suspicio, esse mortuam. Aliàs & D. PRÆVOTIUS Patavinus (quod obiter moneo,) nullum remedium efficacius observavit, quàm vesicantia coxis applicata: Ubi vesicas excitant, spes est clara de vita; si frustra applicentur, res est desperata.

A *colica*, *malo hypochondriaco*, *scorbuto &c.* non differt *realiter*, sed saltem *variatione symptomatum*.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: malum hoc *rarò* est *lethale*, præprimis si superveniat gravior syncope, aut graviores convulsiones, utut subindè redeat, & graviores paroxysmos mulieribus inferat: quò gravior est paroxysmus, eò periculosius est.

Interdum si non *maturè occurratur*, potest mulierem, in specie gravidam, necare.

Interim, quò plures partes in consensum trahuntur, adeoque graviora symptomata excitantur, & quò respiratio & pulsus magis aboletur, & lipothymia accedit, eò malum est periculosius: Vid. FORESTUS *lib.* 28. *Observ.* 29. & PLATERUS *Obs. pag.* 187.

Periculosior interim est, si ex liquoris genitalis retentione & corruptione, quàm aliundè oriatur: Vid. GABELCHOVERUS *Cent.* 4. *Obs.* 95. *in Scholio*, & FORESTUS *l. a. in Schol.*

Mulieri graviore suffocatione uterinâ laboranti si superveniat sternutatio, res salva est, iuxta HIPPOCRATEM *lib.* 5. *aph.* 35. signum enim est, ut sic dicam, naturæ se ipsam resuscitantis.

In iuvenibus ut plurimùm cessat hoc malum in partu, aut saltem tempore puerperii cum lochiorum fluxu; In senibus verò, quibus catamenia fiunt suppressa, in iisdem rarò perfectè curatur, quin sæpiùs recurrat.

Præ cæteris prægnantes, & hinc puerperæ, periculosiùs laborant hoc affectu: Prægnantes quidem propter metum abortus; puerperæ verò propter metum suppressionis lochiorum, ac propter insignem debilitatem virium, aliaque gravia, quæ iungi ferè solent, symptomata.

Interim tamen, utut pulsus, respiratio, omnesque actiones animales quoad sensum cessant, non statim desperandum est, quin potiùs generosis remediis succurrendum; cùm mortuorum instar jacent, &, uti superiùs monui, per 24. horas mortuæ habitæ denuò revixerint, adeoque non statim sunt sepeliendæ: Sic de hystericis pro mortuis habitis iam sepeliendis, vid. SALMUTH *Cent.* 2. *Hist.* 86. & *Hist.* 87. Quò etiam pertinet inchoata anatome mulieris, ex uteri strangulatu mortuæ putatæ, quam refert PARÆUS *lib.* 23. *cap.* 46. & ex eo SENNERTUS *lib.* 4. *Prax. ubi de suffocat. uteri pag.* 239. Vid. etiam FORESTUS *l. a. obs.* 27. & 29. & LOSSIUS *lib.* 4. *obs.* 13.

Optimum τεκμήριον sunt *sternutatoria fortiora*, quæ naribus inflata, si sternutationem excitent, bonum signum est; si non, & repetitis etiam vicibus citra effectum inspirentur, malum est signum.

CURA.

Quoad *Curam*: Cum per paroxysmos ut plurimum seviat malum, hi ipsi verò subitaneam postulent opem, ob id *duplex tempus* in passione hysterica distinguendum: nempè *tempus paroxysmi*, & extra paroxysmum. *In Paroxysmo* eò est attendendum, ut

1. *Acidum vitiosum* corrigatur & alteretur, indeque *flatuum* proventus nimius inhibeatur.
2. Ut *convulsiones & spasmi*, sistendo efferos *spirituum motus*, sopiantur & placentur.

Adeoque in paroxysmo utrique *scopo*, speciatim *priori*, optimè satisfaciunt salia volatilia spirituosa, nunc macria, nunc oleosa: pro posteriore scopo Opiatis & Camphoratis in quibusdam mista; Nam omnes non ferunt *camphoram*.

Extra paroxysmum verò successivè alterantibus, inter quæ primatum obtinent Martialia, Euacuantibus & similibus, radix mali tollenda, & quantum possibile, euellenda.

Quod attinet curam in paroxysmo, usurpantur tàm interna, quàm externa.

Inter Externa eminent

1. Odorata, tàm naribus applicanda, utplurimum graveolentia, aut saltem fortiter penetrantia, quàm sinui muliebri intrudenda, utplurimùm suaveolentia, eaque nunc sub forma *spirituum*, aut salium volatilium urinosorum, nunc sub forma *suffitus*, nunc *oleorum*: Vid. TACHENIUS *Clave Hipp. Med. pag.* 224. & *seq.* Pertinent huc *sternutatoria* in graviore paroxysmo usitata.
2. *Umbilico* inungenda, aut *abdomini* applicanda.
3. *Clysmata* appropriata inicienda ad relerandam alvum.

I. Quod attinet: mulieribus hystericis mox *odores fortes & graveolentes*, pro ratione ægræ, admovendi sunt *naribus*. Omnibus præfero *salia volatilia* fortiter penetrantia, naribus admota, v. g. *spiritum salis ammoniaci acriorem naribus admotum*, in vitro angusti, sed longiusculi, colli contentum, qui optimum est remedium, & etiam *in apoplexia & epilepsia mira* facit. Loco huius etiam spiritus cornu cervi, vel alius spiritus urinosus volatilis, naribus applicari potest. Hic spiritus si sit maritatus ac imprægnatus cum castoreo, eò magis præsentaneam affert opem. In usu aliàs communi est *castoreum*, item *asa fœtida*, naribus admota. Ubi gravior syncope urget, castoreum immittitur in ulnum generosum & spirituosum, & ita naribus applicatur; Nam sic refectiuum, magisque penetratiuum euadit remedium. Radix leuistici in uino macerata applicatur naribus.

Vel

℞. *Aquæ hyster. Lud.* ℥ii.
Essent. castor. vol. ℥ii.
Aceti rutac. ℥i. vel ℥iß.
M. S.
Mulierum aqua apoplectica.

Naribus etiam commodè admoventur suffitus: Quos inter primatum obtinet suffitus succini, qui & Epilepticos mirè suscitat; item suffitus nucis moschatæ carbonibus iniectæ: hinc plumæ & pennæ avium, imprimis *perdicum* combustę, (vid. FORESTUS *lib.* 26. *Obser.* 31. *in Schol.*) pili item & cornua animalium combusta, quorum sal volatile acre oleosum nares potenter ferit. Lignum agallochum incensum, etiam dat egregium fumum naribus admovendum in hystericis. JOEL *in Praxi p.* 200.

℞. *Castor.*
Galban. cum aceto sol. an. ℥ii.
Sulphuris citrin. ℥ß.
Asæ fœtidæ ℥i.
M. f. Massa cum *petroleo*;
ex quo fumum ad nares emittit.

RIVERIUS dicit, quod fumus tabaci citissimè excitet hystericas, quod tamen mihi adhuc videtur paradoxon; non minùs, quàm qui fumum sulphuris accensi naribus admovent; Nam hoc ipsum omninò reiicio, quia rarissimè conducere solet, & periculum est, ne acidum sulphuris flagma, quod aliàs in sanis angustias præcordiorum, & difficultatem anhelitus infert, ne idem in ægris malum exasperet. Verùm habeatur ratio *idiosyncrasiæ*; quibusdam enim magis placent *suaveolentia*; vid. HORSTIUS, & HOECHSTETTERUS *l.* 4. Interim observandum, quod mulieres, quas lædunt *suaveolentia* naribus admota, non lædant interiùs assumpta, ut *moschus*, item *zibethum* cum castoreo, modò mulieres non percipiant odorem: vid. HORSTIUS *lib.* 5. *Observ.* 26. SOLENANDER *Sect.* 5. *Cons.* 15. cujus remedium sequens etiam laudat RIVERIUS:

℞. *Moschi*,
Sangu. dracon. an. ℈i.
Sumendo *in aquæ menthæ* ℥iii.

& HORATIUS AUGENIUS *lib.* 1. *Epist.* qui utitur *pulvere suprà descripto* ex moscho, cinnamomo, caryophyllis, & nuce moschata.

Juxta dictos suffitus naribus admotos etiam interdum utero, imprimis genitalibus, quædam admoventur: quæ sunt Balsamum apoplecticum, (vid. SIMON PAULI *Q.B. pag.* 201.) allium dissectum orificio vulvæ admotum: Vel fiat *suffitus*, per tubum aut infundibulum ad uterum mittendus, quos inter eminet experimentum *Paracelsi*, quod est suffitus paratus ex verrucis equorum, de quo etiam affirmat FONSECA, nullam esse ab utero suffocationem, quæ ab hoc fumo non sistatur. Compositio est hæc:

℞. *Verruc. equor.* ℥i.
Asæ fœtid. ℥ii.
Ungu. capræ ℥ii.
M. f. *Pulvis*: cuius ℈i. vel ℨi. carbonibus iniecta pro suffitu, per tubum vel infundibulum in uterum suscipiendo, inserviat.

Oleum etiam, ut oleum succini destillatum, oleum gagatis, oleũ tartari fœtidum, oleũ cornu cervi destillatum, & similia naribus admota, valdè conducunt: observandum tamen, quod huiusmodi oleosa nimis fortia (nam salinorum alia ratio est) cautiùs sint usurpanda, ubi in apertas convulsiones epilepticas malum desinit.

Quæ si non deficiant, sed ægræ mortuæ ferè iaceant, ad excitandos & resocillandos ægros inspiretur naribus sternutatorium, quæ aliàs egregii sunt usus, ex Nicotianâ aut radice hellebori nigri, aut per radicem & flores liliorum convallium & maioranæ folia: v. g.

℞. *Castor.* ℈i.
Piperis longi ℈ß. vel gr. xv.
Rad. helleb. albi ℈ß.
Pyrethri gr. v. vel vi.
M. f. *Pulvis sternutatorius*:
D. S.
Resuscitans pulvis sternutatorius.

Cuius tantillum subinde per calamum ægræ naribus insufflетur, sed cautè.

Cum his II. simul consultum est, abdominis regioni, nempe umbilicali, & scrobiculo cordis, aromatica illinere, aut imponere, quæ spasmum intestinorum cohibent. Ratione inunctionis inungitur oleũ rutaceum, anethinum, laurinum, castorei, succini, oleum tartari fœtidum, oleum ligni guaiaci, spicæ, &c. unguentum factum ex sclarea, in butyro cocta, mistum cum tacamahaca abdomini illinitur: quod penetrantius erit, si imprægnetur simul camphorâ in oleo amygdalarum dulcium solutâ. Mirè enim per se à quibusdam laudatur camphora, itidem cum oleo amygdalarum dulcium soluta, umbilico admota. Inter alia eminet *Galbanetum Paracelsi*. Vel

℞. *Olei castor.* ℥ii.
Destillat. succini ℥i.
Spicæ ℥ß.
Cum *camph.* vel *huius olei* gr. vel gtt. v.
M. S.
Oleum matricale externum.

Inungatur his ipsis regio umbilicalis, & scrobiculum cordis, & imponatur desuper emplastrum.
Vel

℞. *Axung. castor.* ℥iii.
Olei destillat. chamom.
Cumini,
Carvi an. ℈i.
Spicæ ℥ß.
M. f. Linimentum umbilicale: S.
Linimentum matricale.

Quod tepidè illinatur dictis locis, imponatur desuper *later calefactus*.

Mihi saltem in usu est *oleum destillatum succini*, mixtum cum ana vel dimidio *olei destillati spicæ*, illinendo spinæ dorsi, regioni umbilicali & scrobiculo cordis; vel quando sunt acriora, excipiantur cum *oleo castorei*, *irino*, vel *corpore pro Balsamo*. Vel

℞. *Olei destillat. succini*,
Spicæ an. ℥ß.
Cumini ℈ß.
Macis gtt. ix.
M. S.
Oleum matricale externum.

℞. *Balsam. succin.* ℥i.
Ol. destillat. galbani ℈ß.
M. S.
Balsamus matricalis.

℞. *Olei laurini*,
Rutac. an. ℥ii.
Destillat. chamom.
Succini,
Spicæ,
Anethi an. ℈i.
M. pro Linimento: S.
Unguentum matricale.

Vel

℞. *Olei aneth.*
Chamom. an. ℥ii.
Destillat. chamom.
Anisi,
Carvi,
Cumini an. ℈i.
Cum s. q. *corp. pro balsamo*.
M. S.
Balsamus matricalis.

Consultum est, ut his linimentis desuper imponantur *Emplastra*, idque in specie ex *galbano*. Usitatissimè galbanum solutum corio rotundo inductum, instar emplastri applicatur regioni umbilicali, quod egregiè conducit. Addunt alii tacamahacam, alii castoreum, picem, &c. In medio huius emplastri recondunt aliquot grana zibethi, ita ut zibethum exactè umbilico imponatur, & hinc forti ligaturâ supra umbilicum firmetur; zibethum enim umbilico illitum suffocationes hystericas insigniter alleviat, modò non nares nimium feriat: v. g. *Emplastrum matricale de galbano usitatum* q. s. vel solum, vel cum part. i. *galbani in aceto soluti*, malaxetur cum s. q. *olei tartari fœtid.* vel *cum oleo succini*, vel *castorei*, vel *spicæ*: inducatur super linteum in forma rotunda.

Vel

℞. *Galbani cum aceto sol.* q. s.
Malaxetur cum part. iii *Olei destillat. succini*, & part. i. *Spicæ*:
Extende super *alutam*, & impone regioni umbilicali.

Plura Emplastra de Galbano huc spectantia, vid. *suprà l.* 1. *ubi de Colica convulsiva*, & in *Idea Form. Cl.* 5. *§.* 5. Vel ad imitationem HERTODTII *in Crocol. pag.* 222. fiat Emplastrum magistrale tale:

℞. *Gal-*

℞. *Galbani in aceto* vel *vino solut.* & ad pultis consistent, inspissari, vel quod meliùs, simpliciter lento igne in *terebinth.* liquat. ℥iii.
Extract. castor. vel *castor. pulveris.*
Croci an. ʒii. vel ℥ß.
Olei destillat. succini,
Coriandri,
Spicæ an. ʒiß. vel ʒii.
M. pro Emplastro efficacissimo ad usum, asservando in vasculo clauso.
D. S.
Emplastrum matricale.

De hoc s. q. induc. super alutam in forma rotunda, & ita imponatur abdomini & regioni umbilicali, ut firmiter conglutinetur, facto priùs debito litu, imponendo desuper *laterem calefactum*, ut eò meliùs operetur remedium. Quibus displicet agglutinatio, in iis mediante *sindone rubra*, Emplastro obducta, applicari potest.

Vel

℞. *Tacamahacæ* q. s.
Subigatur & malaxetur cum s. q. *Olei destillati anisi, carvi, cumini, chamomillæ, &c.*
Induc. super alutam pro Emplastro carminativo.
D. S. *ut suprà.*

Prodest etiam allium contusum & umbilico impositum. Juxta hæc fortis ligatura circa hypochondria cum quocunque cingulo utplurimum multùm conducit ad levandos paroxysmos & symptomata abdominis: *idque necessariò debet fieri*. Nam simulatque laxant, mox præcordiorum angustias, imminentem quasi syncopen, aut imminentem suffocationem, sentiunt. In specie laudatur *cingulum* factum *ex corio humano* fœminino, de cuius usu vid. BARTHOLINUS *Cent. 3. Hist. Anat. pag. 177.* Loco corii humani fœminini etiam sunt, qui commendant cingulum ex corio cervi in coitu transfossi seu interempti. Neque inconsulta est vellicatio pilorum pubis à multis ceu expertum remedium laudata, qua facilè ad se redeunt; aut suaveolentium genitalibus circa clitoridem applicatio, imprimis si adsit turgescentia liquoris genitalis: Scilicet immittitur pessus inunctus cum balsamo Peruviano, aut pessus inunctus cum oleo nucis moschatæ, in quo solutum est parum zibethi; aut illinantur vulvæ in loco clitoridis Balsamum apoplecticum, zibetum, moschus:

Vel

℞. *Styrac. liquid.* ℈ß.
Bals. apopl. gr. vi.
Zibethi gr. iii.
Ex quibus facta Mixtura illinatur *lanæ bombicinæ*, & ita indatur pudendis: Sed fit rarò.

Vel celebretur coitus, si licitus; vid. FORESTUS *Obs. 25. & 29. in Schol.*

Vnà cum his Externis ita administratis III. perquàm necessaria sunt *Clysmata*, quæ optimo cum successu seduló inijciuntur, ex Carminantibus imprimis, Aromaticis, & nonnihil penetrantibus parata: quibus interdum *salia volatilia* addi possunt. Hæc tempore certo applicata & retenta, *evacuando* intestina, & promovendo *flatuum* expulsionem, mirè levant paroxysmos. Talium Clysterum formulæ videndæ *suprà l. 1. ubi de Cardialgia, & Colica, & in Colleg. Formular. pag.* ..... necnon in *Idea Formul. Cl. 4. §. 25.*

Vel

℞. *Herb. chamomill. cum flor.*
Salv.
Matricar. an. M. i.
Rad. angel.
Levist. an. ʒvi.
Sem. 4. calid. min.
Sal. tartari an. ʒi.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colaturæ ℥ix. adde
Elect. de baccis lauri ℥i.
Olei destillat. succini,
Sal. vol. cornu cervi, vel urinæ, vel alius an. ℈i.
Vitelli ovi num. i.
M. f. *Enema*: S.
Clyster matricalis.

℞. *Herb. matricar.*
Levist. an. M. i.
Flor. Chamom. Rom. M. ii.
Rad. angel. ʒvi.
Fœnic.
Bacc. lauri an. ℥ß.
Sal. tartari ʒi.
Coqu. in s. q. aquæ:
Colatur. ℥ix. adde
Elect. hier. picræ ℥i.
Castor. ʒ . ad ʒi.
Olei destillat. succini ℈i. ad ʒß.
M. pro *Clysmate.*
D. S. *ut antè.*

℞. *Rad. angel.* ʒvi.
Herb. matricar. M. ii.
Flor. chamom. M. i.
Bacc. lauri ʒvi.
Sal. tartari ʒiß. vel ʒii.
Coqu. in s. q. aquæ:
Colat. ℥ix. adde
Elect. de bacc. lauri ʒvi. ad ℥iß.
Castor. ʒß. ad ʒi.
Olei destillat. cumini,
Carvi,
Succini an. ℈ß.
(vel horum loco *olei destillat. bacc. iunip.* vel *terebinth.* an. ℈i.)
M. pro Clysmate pro 2. vicibus applicando:
D. S.
Clyster matricalis pro 2. vicibus.

℞. *Rad. angel.* ʒvi.
Fœnic. ℥ß.
Flor. cham. Rom. M. i. vel vulg. M. ii.
Herb. matricar.
Levist. an. M. i.
Bacc. lauri ℥ß.
Sem. 4. calid. mai. an. ʒi.
Coqu. in s. *aquæ comm.* & *urinæ comm.* an.
Colaturæ ℥ix. vel ℔i. adde *iam dicta*:
D. S.
Clyster matricalis.

℞. *Rad. angel.* ʒvi.
Fœnic. vel *Imperat.* ℥ß.
Herb. matricar.
Levist.
Flor. chamom. an. M. i.
Bacc. lauri ʒvi.
Sal. tartari ʒiß. ad ʒii.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colaturæ ℥ix. adde *superiùs dicta*:
M. pro *clysmate*.
D. S. *ut antea.*

Quibus loco *oleorum* destillatorum, ex se quidem satis penetrantium, à Modernis *salia volatilia* commodè addi solent à ℈i. ad ℥ß. v. g. sal volat. urinæ, cornu cervi succini, &c. & mirè prosunt in affectibus ipsis etiam Epilepticis, & abdominis doloribus convulsivis, utut ultra colon ascendere nequeant Clysmata.

Vel

℞. *Herb. calaminth.*
Origani,
Flor. Chamom. an. M. i.
Rad. angel. ʒi.
Imperat. ℥ß.
Bac. iuniperi ʒvi.
Sem. carvi,
Cumini an. ʒii.
Sal. tartari ʒiß.
Coqu. in s. q. aquæ:
Colat. ℥x. adde
Elect. de baccis lauri,
Hiera cum agar. an. ℥ß.
Spiritus salis ammoniaci anis. ʒiß.
M. pro Enemate.
D. S. *ut suprà.*

℞. *Herb. matricar.*
Salviæ,
Flor. cham. an. M. i.
Rad. angel. ʒi.
Bacc. lauri vel *iunip.* ʒvi.
Coqu. in s. q. aquæ:
Colat. ℥x. adde
Elect. hier. cum agar. ℥ß.
Castor. ℈ii.
Spiritus cornu cervi cum sale vol. ʒi.

M. pro

M. pro *Enemate*:
D. S. *ut suprà*.

℞. *Herb. rut.* M. i.
Matricar.
Flor. chamom. an. M. ß.
Rad. levist. ℥i.
Bacc. lauri ℥ß.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℥ix. adde
Elect. hier. picræ cum agar. ℨvi.
Castor. ℨß.
Sal. volat. cornu cervi vel *urinæ* ℈i.
Vitelli ovi num. i.
M. pro Clysmate, simplici vel duplici vice applicando.
D. S. *ut suprà*.
Vel
℞. *Herb. matricar.*
Rutæ,
Chamom. cum flor. an M. i.
Rad. meu,
Imperator. an. ℨvi.
Bacc. iuniperi rec. ℥i.
Cum s. q. aquæ coquantur:
Colat. ℥x. adde
Elect. de bacc. lauri ℨvi.
Spiritus salis ammoniaci anisat. ℨiß.
M. f. Enema.
D. S. *ut suprà*.

Pro maiori stimulo Clysteribus dictis addi potest ℥i. ad ℥iß. *syrupi emetici*.

Alii tanquam singulare laudant Clysmata, parata ex Decocto hederę terrestris ad ℔i. & ℥i. mithridat. quę iniecta ad suffocationem uterinam commendant. Egregiè etiam conferunt clysmata terebinthinata (de quibus *l. 4. ubi de dysenteria, colica, calculo renum, & scorbuto;*) seu in quibus terebinthina cum vitello ovi dissoluta, à ℨii. ad ℥i. unà immittitur, singulariter prosunt in uterina suffocatione: Vid. HORSTIUS *Cent. 8. Obs. 17.* item VELSCHIUS *Hecatost. 2. pag. 42.* WILLISIUS *de Anima Brut. ubi de Colica pag. 293.* Nam egregium & balsamicum & oleosum est sal in terebinthina, intestinis & matrici gratissimum: e. g.

℞. *Lact. bubul.* uel *Decoct. flor. chamom. cum lact.* uel *Decoct. carminat.*
uel *urin. puer.* ℥viii. ad ℔i.
adde
Terebinth. Venet. cum vitello ovi solut. ℨii. vel ℨiii. ad ℥i.
Mell. anthosat. ℨvi.
M. pro *Clysmate*.
D. S. *ut suprà*.

Iniiciuntur hæc Clysmata vel semel, vel partitis vicibus, præsertim quando flatuum impetus remoratur debitam clysmatis applicationem, vel retentionem. In casu fortiori WILLISIUS *de Morbis Convulsi.* commendat Enemata acriora, v. g. ex radice bryon. & carminat. &c.

Clysteres ex fumo tabaci, ut in Colica, ita in passione hysterica, perquàm sunt egregii.

Denique interdum usu venit, ut in ipso paroxysmo vel lipothymia, imprimis in Plethoricis, vena aperienda sit, cautè tamen & circumspectè. Præ cæteris observationem notabilem de hoc habet PANAROLLUS *Pent. 3. Obs. 32.* dum hystericam virginem ex nimia sanguinis copia, & circa cor stagnatione, ad mortem usque deductam in ipsa lipothymia per institutam phlebotomiam liberavit. WILLISIUS *l. a.* in casu fortiori commendat frictiones crurum & pedum, & si ad fortiora procedendum est, cucurbitulas abdomini aut inguinibus applicandas. His ipsis externis adiungenda simul *interna*, *suprà insinuata* in paroxysmo, omniaque ea penetrantia, nempè *salia volatilia oleosa & spirituosa*; & in specie, quia promptè *sudorem* movent, hi autem paroxysmi *per sudorem* finiri solent: Quibus addantur subindè *opiata* ad impetum *spasmi* coërcendum. In usu ergo vulgari sunt amara, *zedoaria*, abrotanum, absinthium, *levisticum*, angelica, radix gentianæ, mentha, galanga, pulegium, matricaria, sclarea, hujus decoctum & spiritus, chamomilla Romana & vulgaris, cortex malorum aurantiorum, semen dauci, baccæ iuniperi, allium haustum cum vino, electuarium de allio, crocus, rosmarinus, & similia: quæ omnia eò collimant, ut *sale volatili* plus minus *oleoso* acidum destruant.

De castoreo & asa fœtida res est notissima, quod singulariter conducant in hoc affectu, quatenus suâ oleositate salinâ acidum vitiosum, eiusque effervescentiam, promptissimè compescunt. JOHANNES ANGELICUS commendat *semen pastinacæ* vel *aquilegiæ in vino*: vid. WILLISIUS *de Morb. convulsi. pag. 20. & pag. 84.* Sed Modernis eminent ipsa *salia volatilia*, quæ immediatè agunt; Unde mixturæ ex salibus volatilibus cum *castoreo* & opiatis paroxysmum hystericum sedant optimè. Et quidem inter salia volatilia, quæ Autores ab experientia commendant, primatum obtinent spiritus salis ammoniaci ritè præparatus, cornu cervi, sale volatile succinii, & omnia *succinata*; sal scilicet volatile à gr. v. ad vi. vel viii. usque ad xii. in aqua hirundinum cum castoreo per os propinatum seu infusum. Essentia etiam succini cum spiritu vini rectificatissimo parata, à ℨß. ad ℨi. in adulta muliere insigniter prodest. Aliàs aliquot saltem guttæ (3. 4. 5.) olei succini destillati, utut propter nimios *ructus*, quos solet ciere, ingrati, insigniter tamen conferunt in paroxysmo: vid. BORELLUS *Cent. 2. Obs. 66.* Spiritus & sal volatile fuliginis, & quæcunque salia volatilia, interno usu, quocunque modo usurpata, sunt perquàm convenientia, *imò optima*: hinc etiam tinctura tartari, tinctura scoriarum reguli antimonii, propter alcali nempè, item liquor cornu cervi succinatus, sunt egregia remedia à gtt. xv. ad xxx. seu ℨß. cum appropriato vehiculo infusa. Pertinet huc etiam *essentia castorei*, quæ cum spiritu vini paratur. Meliori ratione paratur cum spiritu vini, maritato *cum sale volatili* seu spiritu salino volatili oleoso, ad imitationem BARBETTE, qui promptè penetrat castoreum, illudque dissolvit, & elegantem & penetrantissimam suggerit essentiam, de qua *superiùs*, *ubi de Mensium Emansione*. Quin & tinctura tartari, spiritus salis ammoniaci uinosus, liquor cornu cervi succinatus, spiritus carminatiuus de tribus, &c. castoreo affusi, elegantem tincturam seu Essentiam eliciunt, proficuam sanè in paroxysmo etiam graviore hysterico. Item *tinctura anonyma D. Langii* est Essentia specifica hysterica ex *castoreo*, *asa fœtida*, myrrha, & pauco croco, per spiritum uini tartarisatum parata: quibus speciebus commodissimè baccę sambuci exsiccatæ, item zedoaria & galanga, addi potuissent. Baccæ enim sambuci benè maturæ cautè exsiccatæ, item baccæ chamæactes seu ebuli similiter exsiccatæ & contusę, cum spiritu uini dant tincturam, cuius cochl. i. uel ii. propinata in *paroxysmo*, eundem mirè leuant, prouocando breui post *sudorem*. Tinctura hęc tanquam expertissima commendatur à LINDANO. Loco horum baccę hederę arboreę, seu potiùs Extractum baccarum hederæ mixtum cum Tryphera magna est experimentum *Prævotii*. Loco horum ex granis kermes, aut iuxta alios ex baccis iuniperi, eodem successu tinctura seu essentia pręparatur in hysterica passione conueniens. Sclarea, eiusque Decoctum, ac cum spiritu uini parata essentia, nobilissima sunt, si propinentur in paroxysmo hysterico, imprimis essentia cum camphora mista, non secus ac gentianę puluis. Occasione castorei dicti, (cuius oleum destillat. optimum quoque est,) mentio facienda myrrhę, balsamici remedii in quamplurimis affectibus, in specie suffocatione hysterica: Nam *Trochisci de myrrha* vulgò à ℈i. ℨß. ad ℈ii. propinati, egregiè, paroxysmum sedant. Potentior est essentia myrrhę absque acido, cum alcali, tàm fixo quàm volatili, cum spiritu vini maritato, parata, v. g. cum tinctura tartari vel spiritu salis ammoniaci vinoso; Sic enim dat essentiam admodum elegantem. Pertinet huc etiam Elixyr proprietatis muliebre sine acido per alcalia paratum de quo *superiùs*, quod in paroxysmo erit admodum proficuum: item essentia asę fœtidę, vel cum tinctura tartari vel cum spiritu salis ammoniaci uinoso parata, est optima. Multum etiam conducunt salia destillata & rectificata fuliginis, tartari fœtidum, ligni guaiaci, sassafras, &c. His addendum *Elixyr uterinum Crollii*, dosi ℈i. ad ℨß. in *paroxysmo* propinatum, *sudorem* expectando: hoc enim pręterquam quod paroxysmum leuet, si singulis mensibus appropinquante menstruo fluxu propinetur, pręseruare hunc morbum dicitur, ut nunquam reuertatur. Huc etiam pertinet tinctura uterina Mynsichti. Camphora singulariter conducit, in specie si sublimetur cum sale volatili spiritus salis ammoniaci, aut si paretur spiritus salis ammoniaci camphoratus; sic enim efficassimum acquiritur remedium multis affectibus, in specie suffocationi uterinę, dicatum: quin & camphora accensa in potu ordinario extincta non est frustranea, de quo *suprà*, *ubi de furore uterino*, dictum fuit: sicut camphoram cum oleo amygdalarum dulcium in desperata suffocatione abhibuit

cum

cum successu JOHANNES PISTORIUS; vid. VELSCHIUS *Miscellan. curios. Ann. 4. & 5. M. A. N. C. num.* 7. Spiritus secundinæ, imprimis primiparæ, per fermentationem seu putredinem paratus; item pulvis secundinæ à ʒß. ad ʒi. usurpatus insigniter conveniunt. Hisce ultimum, sed nulli cedens remedium, annumerandum est, *stercus equinum* maris non castrati, in quo, vulgari licet subiecto, singulare est experimentum contra suffocationem uterinam: Nam sicut *succus* eius *expressus* est præsentaneum remedium contra colicam virorum, ita idem succus cum cerevisia calida aut cum vino expressus, aut decoctum propinatum, ad expectandum sudorem, est incomparabile remedium, præservando & in paroxysmo egregiè per sudorem hunc sistendo: vid. JOEL *Prax. l. 8. Sect. 1.* Loco succi sunt, qui Extractum stercoris equini, vel extractum lichenum equi Schrœderi vel Hartmanni commendant. Cum quibus etiam fixa, ut Bezoardicum Martiale, cinnabaris antimonii nativa, à ℈ß. ad gr. xv. sal card. benedicti & similia usurpari possunt. Vulgò notum est, quod Jovialia remedia usurpentur: sunt namque, qui rasuram stanni in aqua appropriata propinatam admodum laudant: loco huius Magisterium Jovis Mynsichtii, item antihecticum *Poterii*, item Bezoardicum Joviale, aut Sudoriferum magnum *Fabri*, sunt usurpanda. Panacea Holsatica seu arcanum duplicatum Mynsichti & ipsum est egregium pro affectu uterino mulierum. Remedium domesticum, sed satis proficuum, est *fuligo furni* splendens, Germ. *der Spiegel-ruß*, ut vocant, à ʒß. ad ʒi. usurpata. Partes animalium osseæ seu duræ, & *flores sulphuris*, in eadem dosi imperando sudorem, propinantur. Item flores sulphuris, aut sulphuris crudi part. ii. mistæ cum parte i. nucis moschatæ, à ℈i. ad ℈ii. subindè usurpata, singulare experimentum est ad curandam & præservandam uterinam suffocationem: Quibus simul auxiliares manus fert opium, adeoque laudanum hystericum, laudanum opiatum, mithridatium, theriaca, aliaque theriacalia simul proficua sunt in passione hysterica; Theriacæ enim parum in vino dissolutum si propinetur, hystericum paroxysmum mirè levat. Est remedium pro pauperculis. Potentiùs hoc facit, si addatur ℈ß. castorei; vel spiritus theriacalis camphoratus, in quo extractum vel pulvis castorei dissolutus cochleatim propinetur in paroxysmo; sicut & essentia theriacalis ratione opii & virtutis diaphoreticæ, egregiè conferunt, & 600. alia his similia composita locum inveniunt: Nam camphora, ut iam dictum, est egregium antihystericum, ex qua & laudano opiato fit Hartmanni secretum in epilepsia, & suffocatione seu molestia quavis uteri, ante paroxysmum præservationis gratiâ propinando; utut eandem non omnes hystericæ ferre possint: vid. THONERUS *lib. 7. de morb. uteri Observ. 8.* vel possunt ex tempore præscribi Misturæ, quæ in hoc conspirent, ut sint salinæ volatiles oleosæ: Observando semper, attendendum esse, ut paroxysmus largo finiatur sudore; quia sic tuti magis esse possumus à metu recidivæ, siquidem simul atque excitatur sudor, levamen atque declinatio paroxysmi ferè sequitur: Præscribi ergo possunt *Mixturæ in Colleg. Formular. pag....... Ludoviciano p......* & *Jd. Formular. cap. 1. §. 9.*

℞. *Aquæ puleg.*
Matricar.
Flor. sambuci an. ℥i.
Spiritus theriac. simpl. ʒiii. ad ʒvi.
Ess. castor. vel *elixyr. uterin. Crollii* ʒi. ad ʒiß.
Spiritus sal. ammoniaci ʒß. ad ʒi.
Olei destillat. cort. aurant. gtt. v.
Syr. fænic. ʒiii.
M. f. *Potio.*
D. S.
Potio matricalis.

Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ flor. chamom.* vel *samb.*
Matricar. an. ℥iß.
Ess. castor. ʒiß. ad ʒiii.
Liqu. cornu cervi succin. ʒi.
Laud. hyster. gr. ix.
Syr. cardi bened. ʒiii.
M. S. ut *antè*.

℞. *Aquæ flor. chamom.*
Samb.
Puleg. an. ℥i.
Hirund. cum. cast. ʒiii.
Liqu. cornu cervi succin. ʒiß.
Ess. cast. ʒi.
Laud. hyster. gr. ix.
Syr. cort. aurant. ʒiii.
M. S. ut *suprà*.

Dosis cochl. ii. expectando madorem seu blandum sudorem.

Mihi in graviori malo usitata est hæc deterrimi quidem saporis, sed præsentanei effectus, Potio, quam aliquando mulieri desperatè laboranti, & instar mortuæ sine sensu & motu in paroxysmo hysterico iacenti præscripsi:

℞. *Aquæ menth.*
Flor. sambuci,
Matricar. an. ℥i.
Essent. castor ʒiß. ad ʒiii.
Sal. volat. cornu cervi gr. xii.
Succini gr. vi. viii. ad xii.
Laud. hyster. gr. ix. vel ℈ß. vel *laud. op* gr. iii.
Syr. cort. aurant. ʒiii. vi. vel ℥i.

Potest etiam addi *spiritus salis ammoniaci* ʒi.

Dosis laudani hysterici aliàs est ad gr. vi. Hic autem vix gr. iß est in unaquaque dosi Mixturæ, quæ propter repetitum usum sufficit; capitur enim cochleatim, expectando sudorem. Vel

℞. *Aquæ melis.*
Flor sambuc. an. ℥iß.
Carmin. ℥i.
Essent. castor. ʒii.
Spiritus salis ammoniaci ʒi.
Liqu. cornu cervi succinat. ʒß.
Syr. de artemis. ʒvi.
Misc. pro Potione.
D. S. ut *suprà*.

Capiatur cochleatim.

Si dolores urgent, *laudani opiati* parum addi potest.

Vel

℞. *Aquæ puleg.*
Matricar.
Menth. an. ℥i.
Ess. myrrh. ʒiß.
Spiritus salis ammoniac. ʒi,
Sal. vol. succini,
Cornu cervi,
Laud. op. an. gr. iii.
Syr. cort. aurant. ʒß.
M. pro Potione.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Aquæ melis. cum vino* ℥ii.
Carminat. ℥i.
Essent castor. ʒiß.
Spiritus Salis ammoniaci ʒß.
Sal. volat succini ℈ß.
Olei destillat. succini gtt. vi.
Syr. de artemis. ʒvi.
M. f. Potio.
D. S. ut *suprà*.

Propinetur cochleatim in paroxysmo.

Paroxysmo sedato, ne subitò revertatur novus, his ipsis Opiata & Camphorata sunt immiscenda, quæ in paroxysmo non semper conducunt: v. g.

℞. *Aquæ melis.* vel *puleg.* ℥ii.
Hirund. cum castor. ℥i.

(Simplicissima, si quæ alia, huius est compositio, & tamen efficacissimam sæpiùs expertus sum:)

Tincturæ gran. actes seu sambuci ʒvi.
Spiritus salis ammoniaci ʒi.
Laud. opiati gr. ii. vel iii.
Camph. gr. iii.
Syr. cort. aurant. ʒvi.
M. f. Potiuncula.
M. S. ut *suprà*.

Iteratis vicibus propinetur.

Nam certum est, quod laudanum opiatum mirè conducat ad auertendum paroxysmum hystericum imminentem, tàm intrà assumptum, quàm solùm naribus odoratum, de quo vid. RIVERIUS *Cent. 4. Obs. 85.*

℞. *Aquæ menth.*
Matricar. an. ℥iß.
Ess. castor. ʒiii.
Spiritus salis ammoniaci ʒi.
Laud. op. gr. iii.
Syr. artemis. ʒvi.
M. f. Potio.

D. S.

D. S. ut *suprà*.
℞. *Aquæ matricar.* ℥iß.
Menthæ ℥i,
Zedoar. cum Vin. ℥ß.
Ess. castor. ʒiß.
Spiritus salis ammoniaci succin. ʒi.
Essent. opii ʒß.
Syr. cort. aurant. ʒiii.
M. pro Potione.
D. S. ut *supra*.

Usurpetur cochleatim, crebriùs aut rariùs pro varietate circumstantiarum.

℞. *Aquæ flor. sambuci,*
Matricar.
Menth. an. ℥i.
Essent. castor. ʒiß. ad ʒiii.
Liq. cornu cervi succin. ʒi. vel ʒiß.
Laud. opiat. gr. ii.
Syr. flor. calend. ℥ß.
M. S. ut *suprà*.

Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ menth.* ℥iß.
Spiritus theriac. camph. ʒiii.
Essent. castor. vol. ʒiß.
Laud. op. gr. ii.
Syr. menthæ ʒii.
M. S. ut *suprà*.

℞. *Aquæ fœnic.*
Flor. samb.
Matricar. an. ℥i.
Essent. castor. ʒiii.
Liqu. cornu cervi succin. ʒii.
Laud. op. gr. iii.
Syr. cort. aurant. ʒvi.
M. S.
Sistens potio matricalis.

℞. *Aquæ hirund. cum castor.* ℥iii.
Essent. castor.
Myrrh. an. ʒi.
Sal. volat. succini,
Salis ammoniaci an. gr. xv.
Laud. opiat.
Camph. an. gr. iii.
Oleosacch. nucis. q. s.
M. pro aliquot dosibus.
D. S. ut *antè*.

℞. *Aquæ matricar.*
Meliß. an. ℥iß.
Spiritus salis ammoniaci succinat. ʒiß.
Essent. opii tartaris. ʒß.
Syr. menth. ʒiii.
M. f. Potio.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Aquæ puleg.*
Fœnic. an ℥iß.
Cinnam. ʒiii.
Elixyr. uterin. vel *eß. castor.* ʒi.
Spiritus salis ammoniaci caryophyllat. ʒß.
Essent. opii tartaris. ℈i.
Syr. artemis. ʒiii.
M. pro Potione.
D. S. ut *suprà*,

℞. *Aquæ flor. samb.* ℥ii.
Matricar. ℥i.
Essent. castor. ʒiii.
Liqu. cornu cervi succin. ʒiß.
Laud. hyster. gr. ix.
Syr. card. bened. ʒvi.
M. pro Potione.
D. S. ut *antè*.

℞. *Aquæ flor. sambuci,*
Matric.
Menthæ an. ℥i.
Ess. castor. ʒiii.
Liqu. cornu cervi succin. ʒi.
Spiritus salis ammoniaci ʒß.
Syr. artemis. ʒiii.
M. pro Potione.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Aquæ menth.*
Matricar. an. ℥i.
Aqu. Carminat. vel *vitæ mulier.* vel *apopl.* ℥ß.
Essent. castor. ʒii.
Spiritus salis ammoniaci ʒi.
Laud. op. gr. iii.
Syr. artemis. ʒvi.
M. S. ut *suprà*.

℞. *Aquæ flor. sambuci* ℥iiß.
Menthæ ℥ß.
Essent. castor. ʒiß.
Cornu cervi usti præp.
Corall. rub. præp. an. ℈i. ad ʒß.
Syr. flor. tunic. ʒiii.
M. f. Potio.
D. S. ut *suprà*.

In suffocatione uterina ex nephritide cuidam sequentem præscripsi formulam cum successu:

℞. *Aquæ cerasor. nigr.*
Menthæ an. ℥iß.
Liqu. cornu cervi succin. ʒii.
Spiritus salis ammoniaci anis. ʒi.
Laud. hyster. gr. vi.
Syr. cort. aurant. ʒvi.
M. pro Potione.

℞. *Asæ fœtid.* gr. iv. v.
Extr. castor. ℈ß.
Sal. volat. succini gr. v.
Laud. op. gr. i. vel ii.
Cum *Oleo destillat. chamom.* f. *Pilulæ hystericæ.*
Confer. RIVERIUS *Prax. lib.* 15. *cap.* 6.

℞. *Extr. zedoar.*
Castor. an. gr. iv. vel v.
Laud. opiati gr. ii.
M. f. Pilulæ.
Cum *oleo destillat. succini.*
D. S.
Pilulæ matricales.

Plures pilularum formulæ occurrunt suo loco *in Colleg. Consult.*

℞. *Essent. castor.*
Liqu. cornu cervi succin. an. ʒiß.
M. S.
Mixtura matricalis, cochleatim sumenda.

Pertinet huc *pulvis hystericus Timæi*, quem se nunquam fefellisse asserit. Descriptio est hæc:

℞. *Facul. bryon.* (nihil valet, cuius tamen loco *succin. præp.* vel *flor. sulphuris* substitui possunt)
Margar. præp. (quatenus acidum absorbent, quod tamen melius præstant *lap. cancr.*)
Castor. gr. xxi.
Olei destillat. rutæ,
Succini an. gtt. v.
M. f. Pulvis.

Div. in 3. part. æqu. quarum quævis dosis propinetur in vino, in quo macis & croci parum bullierit.

Fęcula hęc nihil facit, Margaritę saltem absorbent acidum, Castoreum autem & olea destillata optimè pręstant.

Hinc ergò sequens Formula pręferenda:

℞. *Succin. præp.*
Flor. sulph.
Castor. pulveris. an. ʒi.
Myrrhæ ʒß.
Camph. ℈ß.
Olei express. nuc. mosch. gr. xv.
Destillat. succini gtt. xii. vel xv.
M. pro 8. dosibus.

℞. *Matr. perlar. præp.* ʒß.
Cinnab. antimonii, vel *antih. Poterii*, vel *Bezoard. Jovial.* vel *Martial.*
Salis vol. cornu cervi an. gr. xii.
Laud. op. gr. ii.
Olei destillat. caryoph. gtt. ii.
M. f. Puluis pro 2. dosibus.
D. S.
Sistentes pilulæ matricales.

In aqua hirund. cum castor. capiantur.

Plures pulverum formulas vid. in *Colleg. Consultatorio.*

Adhuc notandum, quod Castoreata, & huiusmodi salia volatilia oleosa fortiter nares ferientia, non omnibus hystericis, quę spiritus animales & systema nervosum nimis sensile habent, conducant. Talibus ergo salia volatilia macra pręscribenda. Si verò ab his salibus uolatilibus oleosis paroxys-

rotysmus exasperatus fuerit, ad sistendum eum spiritus nitri dulcis usurpetur, qui hunc impetum in corpore excitatum figit & sistit.

Quando occasione Dulcium excitatur paroxysmus, talibus in specie amara, v.g. Decoctum absinthii, cerevisia & vinum absinthites, in & extra paroxysmum conveniunt: item pilulę ex castoreo & asa fętida: Confer. FORESTUS *lib.* 28. *Obs.* 28. Sic mulieri, ex ira frequeuter suffocationem uteri patienti, imprimis si aliquis dulcium pręcesserit usus, imperavi extra paroxysmum, ut cerevisiam absinthitem, item syrupum ejus caperet, & sicà paroxysmo pręservabatur: vid. FORESTUS *citato loco Observat.* 30.

His & similibus depellitur paroxysmus. Quod si semel sedato paroxysmo metus sit, ne ex acido austero acriori facilius redeat, Martialibus ferè hoc pręcaueri potest: v.g.

℞. *Aquæ hyssopi,*
Antiscorb. an. ℥iß.
Solut. martis cum succo pomorum ℥iij.
Spiritus cochlear. ʒiß.
Laud. ferment. gr. ij.
Syr. scelotyrb. ʒij.
M. f. Potio.
D. S.
Præservans potio matricalis.

Quod si hęc talia non sufficiant pro sedando paroxysmo, sed ęgrę mortuorum instar sine sensu & motu ferè iaceant, ne omni auxilio destitutę intereant, in extremo casu extrema tentanda remedia, & duro nodo durus opponendus est cuneus: nempè sternutatoria suprà insinuata conducunt; quibus non satisfacientibus, aliis irritis, vomitorium propinetur, cum satis tutum sit remedium, quod est univocum, desperatas & tantùm non pro mortuis habitas poter exsuscitans. Hystericis non quidem sunt adeò proficua, quia stomachum in convulsionem cient, & effundere faciunt bilem & succum pancreaticum, itaque paroxysmus exacerbatur. In casu tamen desperato tandem ad vomitorium fit recursus. Insignes videbitis observationes de hoc apud PETRUM JOHANNEM FABRUM *in suis Curat.* imprimis in *Cura* 11. 12. & 13. ubi mulieres iam desperatas & pro mortuis habitas per ℥ij. salis vitrioli (est dupla dosis) in ℥ij. aquę salvię cum pauca aqua imperiali propinati, tandem restituit: Idem *Curat.* 39. similem curam desperatę mulieris refert. Sed uitriolacea sunt suspecta; Loco horum ergo antimonialia sunt tutiora. Videbitis etiam de uomitoriorum uirtute in paroxysmo ad resuscitandas desperatas hystericas RIVERIUM *Cent.* 1. *Obs.* 65. & 4. *Obs.* 85. Sed non conveniunt, nisi aliis irritis: uid. HORATIUS AUGENIUS *l. a*

Quin etiam in desperato adeò casu venæsectio quibusdam instituta salutaris obiervata fuit: Sic enim HOECHSTETTERUS *Decur.* 4. *Cas.* 1. aphoniam cum hysterica convulsione phlebotomia aversam & impeditam refert: Item PANAROLLUS *Pent.* 1. *Obs.* 32. notat hystericam fœminam ex nimia sanguinis copia ad mortem usque adactam, venæ sectione in ipsa lipothymia curatam: Item passiones hystericas conclamatas venæ sectione in poplite curatas videb. in M. A. N. C *Anni* 4. & 5 *App. pag.* 31. Commendatur etiam à CAPIVACCIO *Pr. lib.* 4. *cap.* 22. HORSTIO *Decad.* 9. *Probl.* 3. & MERCATO *de Mulier. affect. lib.* 2. *cap.* 3.

Substitimus in *cap. de suffocatione uterina*, in quo ultimò proposui modum tractandi mulieres in paroxysmo: Extra paroxysmum autem passio hysterica, ceu *alius aliquis morbus chronicus*, curandus est. Opera ergo detur, ut præcaveatur ejusdem recursus, & fomes mali corrigatur & eradicetur. Præmissis digestiuis usurpentur vomitoria, & *remedia antihypochondriaca* & antiscorbutica. Digestiua *vid. l.* 1. *ubi de Malo hypochondr. & scorbuto, in Coll. Institut. pag.* 275. & 276. Vel

℞. *Corall. rub. præp.* vel *matr. perlar.* vel *lapill. cancr. præp.* ʒß.
Arcani dupl. ℈j.
Salis absinth. ℈ß.
M. pro 3. dosibus.
D. S.
Pulvis digestivus.

Convenit item Potio acidum destruens *in Prolegom.* præscripta. Pro Vomitorio:

℞. *Arcan. dupl.* vel *tartari vitriolat. Tachen.* gr. ix.
Tartari emet. Mynf. gr. ij. vel iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis vomitorius.

Juxta hæc conveniunt imprimis Aromatica, blandis laxativis temperata. Ea ipsa ferè, quæ in paroxysmo ceu appropriata internè assumuntur, itidem post paroxysmum ad curam ipsius mali commodè adhiberi & usurpari possunt, imprimis *eadem ferè medendi methodus atque in malo hypochondriaco* pro eradicando malo *extra paroxysmum* instituitur. Unde communiter Nodulorum alterantium vino infundendorum usus admodum proficuus est, qui præscribuntur ex carminativis & nervinis uterinis. Huc tamen omnia collimant, quod vel de alcali volatili, vel de sale volatili oleoso aromatico plus minus amaro participent, vel acidum absorbeant, vel vi anodynâ plus minus conducant: hinc præter modò allegata sunt radix angelicæ, petasitidis, zedoariæ, leuistici, gentianæ & similes, item cortices aurantiorum, omnia aromata. In specie Sclarea, Germ. *der stinckende Scharlach*, est experimentum singulare paucis notum in suffocatione uterina, siue decoctum ejus, siue alia ex eadem parata remedia usurpentur. Hinc melissa, rosmarinus, artemisia, salvia, matricaria, & tanacetum: hinc semina carminativa, quæ vocantur calida, cum omnibus aromaticis: quibus addantur blanda laxantia, speciatim helleborus niger, & bryonia, quæ præ cæteris laudatur; v. g. sit Nodulus alterans & laxans:

℞. *Herb. meliss.*
Matricar.
Puleg. an. M. j.
Fol. senn.
Rad. gentian.
Helleb. nigri an. ℥j.
Esulæ. præp.
Costi aromat. veri an. ʒiij.
Zedoar.
Sal. tartari an. ʒß.
Incis. & contus. includ. *Nodulo.*
D. S.
Nodulus matricalis aperitivus.

Alios nodulos alterativo-laxatiuos vid. in *Colleg. Formular. pag.* ...... & ...... Vel

℞. *Herb. matricar.*
Meliß. an. M. iß.
Fol. senn. sine *stipit.*
Rad. angel. an. ℥j.
Helleb. nigri ʒß.
Bryon. rec.
Bacc. iunip. an. ʒvj.
Cinnam. acut.
Zedoar. an. ʒij.
Sal. tartari ʒiß.
Incis. & contus. includ. *Nodulo*, qui infund. in *vini Rhen.* Mens. ij.
Stent per diem & noctem in loco calido, & hinc omni mane ægra capiat haustum.

Juxta quæ etiam Martialia admodum solent esse proficua pro more aliorum affectuum chronicorum & hypochondriacorum, sine Martialibus vix curabilium; utut spiritus salis ammoniaci succinatus, similiaque volatilia ad gtt. 30. simul vesperi, tempore somni, assumi possint. Quæ ipsa Martialia etiam curatiuè in ipso paroxysmo, præsertim in iis, quæ volatilia non æquè ferre possunt, etiam sunt egregia, quæ inter eminet sal Martis compositum mulieribus hystericis admodum conveniens, qualia ex *supra dictis de cachexia*, *de malo hypochondriaco* iam nota sunt; uti etiam alia appropriata plus minùs Absorbentia.

Cum his usurpanda sunt blanda laxativa: pro quo scopo HELVETIUS *in Dir. Med. pag.* 116. laudat Infusum sennę & Rhabarbari, cui addenda sit ʒß. pulveris secundinæ humanæ, ex quo laxatiuo appropriato multum utilitatis se hausisse affirmat in suffocatione uterina; Nam secundina ipsa est experta, uti jam suprà habui. Aliàs pilulæ hierę cum agarico, cum myrrha & castoreo acuatę, item pilulę fętidę communes ad ℈j. (vid. RIVERIUS *l. a.*) addito Mercurio dulci, pro expurgandis talibus mulieribus conducunt. Verùm in talibus Hystericis laxandis duo consideranda:

1. Quod in earum malo confirmato, ubi nempè crebriùs recurrunt paroxysmi hysterici, aut difficiliùs sopiuntur, adsit simul pituita uitrea acida, hoc est mucus uiscidus, specifico acido austero sapore inquinatus, primas vias occupans.

2. Ut

2. Ut blandis tractentur laxantibus, quia aliàs paroxysmus redit, & in talibus facilis est dysenteria, si acrioribus stimulantur Purgantibus. Ergo saltem blandè stimulantia cum salibus acuata assumentur, aut Purgantia blanda beneficio gummatum propinanda sunt: v. g. pro removendo muco dicto viscido:

℞. *Tartari vitriolati, vel arcan. dupl. Mynf.* ℈ß. vel gr. xv.
Scamm. fulphurat. gr. ij. vel iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis aperitivus.

Optimę sunt pilulę cum gummatibus:

℞. *Gum. ammoniaci cum acetosol.* gr. xv.
Extr. castor. gr. v.
Troch. alhandal.
Scamm. fulphurat. an. gr. j. vel ij.
Cum *essent. salv.* vel *rorismar.*
f. Pilulę: S.
Pilulæ matricales aperitivæ.

Vel

℞. *Gum. ammoniaci in acetosol.* ℈ß.
Vitrioli martis gr. v.
Extr. castor. gr. iij vel iv.
Troch. alband. gr. j. vel iß. aut *trochiscorum alband.* gr. iii.
Cum s. q. *olei destillat. succini* f. Pilulę.
D. S. ut antè.

Plures *Pilulas usuales* vid. *locis allegatis.*

Ad prçcauendum paroxysmum & dysenteriam purgantibus quoque Opiata admisceri possunt.

Prçter hçc dicta tàm in quàm extra paroxysmum ulterius conducunt tinctura uterina Mynsichti, item eiusdem Extractum specificum uterinum. *Riverii pilulæ præservativæ* à paroxysmo similiter conueniunt, factę ex castoreo, asa fętida & laudano opiato: (sunt alteratiuę, non laxatiuę.)

Colophonidis loco addam aliquot casus, quos mihi uidere contigit superiore ęstate: Vocabar ad mulierem juuenculam, quę in partu aliquando malè fuerat tractata, tempore tamen puerperii & lactationis fętus commodè satis se gessit: Cum ablactasset fętum, & redirent menses, incidit in hęmorrhagiam uteri nimiam, non quidem confertim, nec etiam adeò continuam, sed ita, ut menses interdum per integras sex hebdomadas fluerent: Tandem superueniebant tormina abdominis uehementissima & crudelissima, quę principium capiebant in hypochondrio sinistro, hinc extendebantur in totum abdomen, & tandem in specie regionem dorsi lumbarem crudeliter lacerabant: Superueniebat hinc difficilis respiratio, & graues anxietates, ac compressiones cordis, ita, ut etiam syncopè interveniret: tandem Crampus quasi seu conuulsio quędam tonica, dimidii corporis sinistri superueniebat, ita, ut dimidium caput, faciei ac nasi sinistri, ac dimidius truncus cum brachio & pede totaliter rigerent, & quasi tetano afficerentur, parte dextrâ totâ sanâ: Pulsus erat parvus, celer, imò interdum ferè nullus, hęcque per paroxysmos subindè recurrebant. Reuera erat affectus, quem uocant hystericum. Vocatus ergo in paroxysmo, cùm ex relatione adstantium mulier per quinque dies habebat aluum suppressam, pręscribebam clysterem carminantem & emollientem:

℞. *Rad. angel.*
Levist. an. ℥ß. ad ʒvj.
Herb. malvæ,
Chamom. an. M. j.
Flor. chamom.
Samb. an. M ß.
Sem. 4. calid. mai. an. ʒij.
Coqu. in s. q. *aquæ simplicis*:
Colat ℥viij. vel ix. adde
Elect. de baccis lauri ʒvj.
Castor. ʒ ß.
Olei destillat. succini,
Cumini an. gtt. vj. ad ℈ß.
Vitell. ov. num. j.

Injiciebantur pro Clysmate, quod egregiè proderat.

Pro usu interno pręscribebam hanc mixturam:

℞. *Aquæ hirund. cum castor.* ℥ij.
Meliß cum uino ℥j.
Spirit. salis ammoniaci, impr. caryophyllat. ʒj.
Cochlear. ʒß.
Sal. uol. succini (est oleosum) ℈ß.
Laud. op. gr. iij. vel *essent. opii* ʒß.
Syr. cort. aurant. ʒiij. ad ʒvj.
M. f. Potio, finito paroxysmo subindè cochleatim haurienda.

Pauca hęc remedia ex toto leuarunt malum, ita, ut hęmorrhagia uteri sisteretur, & omnia symptomata disparerent.

Pro confirmatione autem imprimis abdominis pręscripsi inunctionem saltim externam:

℞. *Olei chamom.* ʒij.
destillat. succini ℈ij.
Carui,
Fœnic. an. ℈ß.
M. pro inunctione hypochondri sinistri & regionis umbilicalis, applicato desuper latere calente.

Mulier triginta quatuor annorum, agilis aliàs & uegeta, de duobus tumoribus conquerebatur, magnitudinis oui gallinacei paulò supra os pubis prominentibus, sine molestia tamen insigniori: dum supina iacerent, tumores disparebant; dum uerò tussiret, aut erecta incederet, denuò prominebant: sine noxa etiam ulla aut incommodo hos patiebatur, etiam grauida facta; tunc enim nullum aderat tumoris uestigium, post partum dictis tumoribus recurrentibus. Interim cum hoc, quod suaueolentia ferre nequeat, fętida uero & Castorina eam delectent, frequentes, idque leuissimâ occasione, singulares paroxysmos patiebatur, in quibus, pręgressâ graui totius corporis refrigeratione, unà cum tumultu aliquo in abdomine sentiebat aliquid sursum pergere, & pręcordia occupare, dicebat: quod ut impediret, ligaturâ forti hypochondria cingebat, hinc uomitus graues sępè eam prehendebant, & utplurimum repetitę dejectiones aluine sub quo statu tumores isti admodum protuberabant, indurabantur, *lapidis instar*, dolebant: alias molles & indolentes, unà cum torminibus grauissimis & exquisitis doloribus lancinantibus, saltim circa loca à tumore afflicta, supra umbilicum uerò non adscendentibus. Sub hoc statu ea medicamentum capiebat domesticum, absinthium, matricariam, horumque cum aqua simplici Decoctum calidè bibebat, & ita sub corporis horripilatione quocunque modo ad sudorem se disponebat; quo erumpente res saluę erant, symptomata euanescebant, ipsaque uegeta resurrexit. Sed cum aliquando mense Februario totâ die linum carminando se grauiùs exercuisset, eadem symptomata pręfati paroxysmi redibant sed atrocissima, in specie pręter uomitum tumor prope inguen sinistrum cum insigni duritie, cruciatu lancinante intolerabili, & abdominis borborygmis, alvoque pertinaciter clausa eam affligebant: Ipsa ęgra ad assumpta quęliber sępius singultiebat, & violenter eructare videbatur, sine flatu tamen. Tertiâ die verò, cum in hoc statu constituta fuisset, me vocabat. Ego ęgram visitans dicebam: esse passionem hystericam cum hernia complicatam, quę tamen à passione hysterica exasperatur, ac ita curavi: scilicet cum per tres dies in statu dicto perstitisset, antequam me vocandum curasset, die tertiâ morbi à meride pręscripsi clysma carminans cum sale tartari & oleo destillato succini pro scopo aluum emolliendi stimulandique, internè simul hanc formulam ordinando:

℞. *Salis card. bened.*
Lapill. cancr. prap. an. ℈j.
Laud. hyster. gr. vj.
Misce div. in 2. part. ęqu.

Cepit unam dosin vesperi, alteram circa noctem mediam, sicque dolores sedabantur. Clysma autem eodem modo, quo iniectum erat, effluebat, & sine efficacia.

Post noctem mediam, laudani opiati vi cessante, symptomata omnia recrudescebant, unde clysma ex lacte ordinavi, cui parum lixivii communis additum fuit; itemque simul pariter externè ægræ emplastrum ex galbano applicandum jussi, malaxatum cum s. q. olei destillati succini; simul præscribendo sequentem mixturam:

℞. *Liqu. cornu cervi succin.*
Essent. castor an. ʒij.
M. S.
Essentia matricalis.

Capiebat 40 guttas bis vel ter in die pro lubitu.

His factis Clysma denuò rejiciebatur, & omnia frustranea erant. Ergo die quarto vesperi sequentem formulā pręscripsi:

℞. *Cinnab. antimonii* ʒß.
Laud. hyster. ℈ß.
Olei destillat. anisi gtt. iij.
Cum *essent. aurant.* f. Pilulę pro 2. dosibus.

Qua-

Quarum unam illa vesperi cepit, alteram post noctem mediam, & manè sequente bene se habens, de nihilo conquerebatur, nisi quod alvus clausa sit, & sitiat; quam tandem vetula quædam, quibusdam in cassum adhibitis, cataplasmate ex pomis Borsdorffianis cum pauxillo croci regioni umbilicali & herniosæ applicato, totumque abdomen cum sevo hircino inungendo, reseravit.

Ancillæ cuidam menses fluentes, nescio quo casu, supprimebantur: dolor aderat gravis in regione pubis ac lumborum, respiratio difficillima, amissa loquela, fauces occlusæ, ut iusculum calidum deglutire nequiret; anxietates, lipothymiæ recurrentes, suffocatio imminens, rugitus abdominis, dolor capitis, scotomiæ, tinnitus aurium, &c. Adstantes putabant esse catarrhum suffocativum; ego passionem hystericam dicebam, & mensium cohibitionem. Propinabam internè, præmissâ hypochondriorum ligaturâ, sequentem Potionem cochleatim:

℞. *Aquæ puleg.*
Meliss. an. ℥iß.
Spiritus salis ammoniaci ʒI.
Ess. myrrh. ʒß.
Sal. volat. succini,
Cornu cervi an. gr. vi.
Syr. cort. aurant. ℥iii.
Misc.

Præscriptum simul fuit clysma carminans, quæ optimè contulerant. Manè sequente aperiebatur vena in pede cum euphoria. Internè præscribebam:

℞. *Spiritus salis ammoniaci simpl.* (vel *succin.* aut *caryoph.* ℥i.)
Essent. castor.
Myrrhæ an. ʒß.
Olei destillat. caryoph. gutt. i. vel ii.
M. S.
Mixtura matricalis.

Dosis 50. gutt. ter quotidie usurpando.

Hisce meliùs habuit: Sed cùm præcordia essent plena mucilagine viscidâ, & dolores acerbi punctorii in hypochondrio sinistro, pro fomite removendo præscripsi potionem ex gummi ammoniaco cum successu; item sperma ceti, de quo *in Dissert. mea cap. 2. pag. 12.*

Fœmina quædam aliquando subitò gravissimo dolore lancinante & pungente in regione vulvæ, speciatim in labio eius dextro, corripiebatur, dolor horrendus erat, subinde sursum vergens versus umbilicum: putabam primò calculum esse vesicæ, aut exulcerationem eius aut pudendorum; sed horum nihil aderat, quia liberè urinam excernebat, & nunquam calculosa fuerat, nec pus nec sanguis in urina conspicua erant; & quia subitò dolores hi invadebant, & subitò etiam desinebant. post dimidium annum recurrebant, dubius eram: sed cùm proclivis anteà ad passionem hystericam fuerat, & se multoties curauerat per mentham contusam, in forma globuli pudendis intrusam, ubi dictum factum paroxysmus evanuerat. Hoc audiens, de spasmo imprimis, quia dolor sursum pergebat, cogitabam, & præscribebam:

℞. *Lapill. percar. præp.*
Cinn. antimonii an. ℈I.
Laud op. gr. ii. vel iii.
M. f. pulvis pro duabus dosibus.

Capiebat in cerevisia calida: & ex prima dosi sensile levamen percepit, post alteram evanuit paroxysmus; nisi quod levia circa pudenda se offerrent, unde ordinavi emulsionem violarum, tincturam nephriticam; sed frustra. Externè inunxi cum oleo succini cum oleo petræ, sed male habebat ab acrimonia olei: tandem ordinabam spiritum salis ammoniaci & essentiam myrrhæ, cuius usu iam per annum sana fuit, & quoties aliquid sentit, statim ad hanc mixturam confugit.

Hæc de suffocatione sic dicta uterina, & etiam de morbis, qui vitio uteri adscribuntur, sufficiant. Pergo ad

SECTIONEM IV.
DE
VIRI ADMISSIONE LÆSA.

FOEmina nempè quæcunque, quæ cum mensium fluxu ad generationem quasi se habilitat, & cui pruritu venereo titillant genitalia, à viro præstandi satisfactionem desiderii recipit per debitum *congressum*, seu potiùs per debitam in congressu Admissionem. Læditur hæc viri admissio vario *orificii uteri externi*, & *vaginæ* uterinæ vitio, vel nimis clausæ, aut nimis strictæ, aut angustæ, vel nimis patulæ; seu denique impedita est Admissio hæc in affectu, qui vocatur vulgò *Procidentia uteri*, seu eius Prolapsus; & in Inflammatione atque Exulceratione uteri.

CAPUT I.
DE
VAGINÆ UTERINÆ ANGUSTIA.

QUoad *nimiam angustiam* seu *clausuram uteri*, hæc est vel *naturalis*, vel *præternaturalis*: *Naturalis*, de qua suprà dictum: *Præternaturalis* verò, quæ est huius loci.

CAUSÆ.

Fit à coalitu vulneris, rupturæ, erosionis &c. inconcinno, per quem aut vaginæ uterinæ parietes iusto arctiùs conglutinantur, aut excrescentia carnea meatum hunc occludit, cuius exemplum videb. in WIERI *Obs. pag.* 114. Plures causas, utut infrequentiores, vid in ROENHUYSIO *pag.* 114. & 118. necnon WIERO *pag.* 99.

CURA.

Nimia angustia subindè repetito coitu solet curari. Optimum aliàs remedium est, ut recipiatur rapa exsiccata debitæ magnitudinis, quæ immittatur sinui pudoris, ita per diem relinquatur; Intumescendo enim clausuram laxiorem facit: sin minùs id fiat, per speculum uterinum dilatanda venit. Si verò clausa sit vagina nimis, *methodo Chirurgicâ* curatur, de cuius Cura iam suprà locutus sum. Ast si *vagina uterina* forsan *coalescat* post *excoriationem* aut *exulcerationem*, malum difficile est, & citra *sectionem* non potest curari; quæ tamen etiam maximè dubia est. Si verò *nimis patula* sit *vagina*, beneficio *Balneorum*, *Insessuum* aut lotionum aluminosorum adstringentium, curatur.

CAPUT II.
DE
PROCIDENTIA UTERI.

VTeri procidentiam in specie quod spectat: Vocatur ita propterea, quia communiter putant, quod uterus extra situm suum naturalem fermè progrediatur, exeat, & ita per pudenda propendeat, ita, ut procidere observetur corpus quoddam rotundum colore carneo, in medio perforatum, nunc magis nunc minus; qualem molem verum uterum, seu uteri fundum, esse putant. Verùm illi sanè errant, quamvis illam communem opinionem defendere conetur GRAAFIUS *de Part. mulier. Generationi Inservient. cap.* 11. argumentis tamen maximè imbecillibus. Nam si iam consideramus firmam istam uteri connexionem circa os sacrum cum intestino recto ac partibus vicinis, item per membranas (quibus ligamenta eiusdem lata laxè connectuntur per firmam cum lumbis connexionem) sanè per se patet, uterum planè esse immobilem, & omninò impossibile, ut talis fiat uteri Prolapsus, *à causa* scilicet *interna*, sed necesse est, ut semper concurrat insignis *violentia externa*, atque ita sit potius *Vterus protractus*, quàm Uterus *prolapsus*. Evenit hæc *Protractio* interdum *in partu difficili*, dum obstetrices sæpè malè tractant mulieres parturientes & puer-

puerperas: fit itidem hoc à nimis valida & violenta secundinarum, utero interdum adnatarum, extractione, cum quibus simul & uterus tandem necessariò foras extrahitur, & violenter à situ naturali divellitur. Id quod tamen fieri nequit citra ingens vitæ periculum, ita ut tales mulieres propter *vasorum ruptionem & lacerationem partium*, ut & *inflammationem gangrænescentem*, vix ac ne vix quidem salvari possint, sed semper necesse sit intereant. Exemplum tale recenset BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Histor. Anatom.* 91. ubi habet uteri extractionem cum secundina lethalem: Videatur itidem HILDANUS *Cent.* 4. *Obs.* 60. ubi etiam habetur uteri extractio propter ineptam violentam secundinæ tractionem. Plura vid. in BERENGARIO, DIEMERBROCIO *Anat. lib.* 1. *cap.* 24. CARPO *Isagog. Anat. pag.* 25. MAURICEAU *de M. M. lib.* 9. *c.* 6. *Obs.* 76. & PRIMEROSIO *de M. M. lib.* 2. *c.* 15.

Verùm cum talis extractio seu protractio sit omninò periculosa & subindè lethalis, patet, quid habendum sit de traditione ista satis communi, qua uterus aut exsectus aut ulcere absumptus statuitur, remanente interim vitæ aut sanitatis integritate, imò adhuc restitante vi concipiendi? Affectus autem iste, qui vulgò nomine Procidentiæ seu Prolapsus uterini venit, *minimè utero* propriè sic dicto competit, sed tantùm *vaginam uterinam* afficit, utero semper in situ ac constitutione sua naturali permanente: ac ob id à Modernis genuino nomine *Prolapsus sinus pudoris* rectè vocatur, fitque duobus modis:

1. Quando *vagina uteri* tota nimis relaxata aut extensa propendet foras, quod interdum fit in partu difficiliori, aut improvida obstetricis manu; vid. ROENHUYSIUS *Obs. Chir. lib.* 2. *pag.* 91. in quo nimis laxatur, extenditur & distenditur vagina uteri, eiusque imprimis membrana interna rugosa: post talem enim difficilem partum facilè evenit, ut non rarò duos digitos latos globosè extra genitalia propendeat, ac in medio sui foramen exhibeat, quod falsò pro uteri orificio interno Veteres habuerunt. Quod si etiam ab alia quacunque causa, vel interna vel externa, *relaxata*, aut nimis *extensa*, & in naturali tono vitiata fuerit ista vaginæ interna membrana, facilè citra uteri affectionem, vel in situ mutationem foras propendere, vel in labiis pudendi hærere, vel ulteriùs plus minùs procidere potest.
2. Etiam fit prolapsus seu procidentia vulgò, sed falsò sic dicta uteri, quando *rugæ vaginæ uterinæ* in quadam sui parte *laxatæ*, aut *exesæ*, aut *erosæ* nonnihil, sanguine vel aliis humoribus repletæ, successivè in tantum à naturali tono relaxantur, ut pedetentim extra vulvæ labia propendere incipiant, ita, ut tandem repræsentent *corpus amplum*, *rotundum*, *angusto collo annexum*, & extra sinum pudoris propendens; quod collum ulteriùs intra sinum pudoris se abscondit. Corpus propendens istud interdum in tantum augetur, ut tandem ad *capitis infantis* magnitudinem quoque accedat, & interdum *ad genua usque* propendeat; Imò interdum alteratum ab aëre externo, vel humoribus, tandem ulceratur, & graveolentem fœtorem exspirat, & pondere suo ac situ, *Dolorem* molestum, pariter & impedimentum in progressu, mulieribus affert.

CAUSÆ.

Causæ huiusmodi protuberantiarum, quas uteri procidentiâ dicunt, sunt sæpius *internæ*; utplurimum post *hæmorrhagias uteri nimias*, à sanguine serosiore, aut post diutiùs continuatum fluxum album, oritur, dum laxatis fibris aut membranis, rugas vaginæ constituentibus, hæ successivè sanguinem aliosque humores colligunt, coacervant, tandemque in tale corpus successivè augentur. Humores isti conclusi successivè corrupti putredinalem tandem acorem contrahunt, sicque in *ulcera* fœtida tandem corpus proprium exedunt. Quod si tandem superveniente interdum gangrenâ propendens moles abscindatur, tùm uterum prolapsum, vel integrum ulceratum, citra vitę periculum abscissum esse & abscindi posse, veteres iactitarunt: & cum tactu intus inęqualitatem quandam repręsentet propendens tumor, testiculos vel similia corpora in utero inverso latere putarunt: quę tamen omnia veterum asserta de utero propendente sufficienter refellit Modernorum experientia Anatomico-Chirurgica, in specie ROHNHUYSEN *Observ. P.* 1. *pag.* 91. & Chirurgi Amstelodamensis JOB *van Meeckern*, qui in *Observ. suis Medico Chirurg. Idiomate Belgico conscriptis*, sed mox Germanico prodituris, *Observ.* 51. §. 2. *pag.* 310. *seq.* & *in Append. cap.* 14. *pag.* 491. elegantibus Observationibus docet, post mortem mulierem, quę cum aliis affectibus variis complicatis lethalibus, & procidentiâ sic dictâ uterinâ insigni laborarunt, post factam corporis apertionem in talibus uterum verum naturali suo loco & situ constitutum fuisse, & id quod propenderit, solùm in vagina uterina relaxata, aut eius aliquot rugis nimis protensis fuisse, adeò, ut aliquando ingentem talem procidentiam post convenientem in parte sui angustiore, seu collo, ligaturam Chirurgi abscinderint, & relicto filo in loco abscissionis intus reposuerint, post mortem mulieris, aliquot dies postmodum euenientem, reperierunt filum parti cuidam laterali in collo seu vagina uteri, ubi relaxatę quędam rugę collum istius tumoris constituunt, fuisse annexum, utero in situ naturali, hoc est in pelvis cavo, laudabiliter constituto. Unde manifestè talis experientia docuit, id quod propenderit & abscissum fuerit, solùm à vagina relaxata & propendente ortum fuisse. Imò post resectionem atque exstirpationem corporis prolabentis seu uteri spurii mulieres non saltem superstites & incolumes euasisse, sed prolem quoque concepisse ac peperisse, ROENHUYS & plures Autores perhibent. Interdum etiam *excrescentię* vaginæ varię, nunc *rugosę*, nunc *carnosę*, nunc polyposę, extra vaginam uterinam enatę, aut aliis modis curandas suscipiunt, sed frustrà. Occasio excrescentię talis ferè esse solet læsio quędam in interiore uaginę superficie, excoriatio aut exulceratio in locis huiusmodi membranosis, ex qua facilè talis excescentia emergere solet: Conf. hîc MEECKERN *l. a.* item ROENHUYSEN *Heil-Cubr*, *id est*, *Cura Salutaris*, *l.* 2. *c.* 49. *Bartholinus Cent.* 2. *Hist.* 58. SALMUTH *Cent.* 1. *Obs.* 44. KERKRINGIUS *in Spicileg. Anat. Obs.* 53. qui refert exempla *Sarcomatum*, nunc in orificio uteri interno natorum, nunc propendentium ex uagina uteri, quę pro *utero prolapso* habita sunt: Sic in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 121. *pag.* 199. prostant exempla *excrescentiæ fungosæ* uaginę, *uteri prolapsum* mentientis.

DIAGNOSIS.

Quod ergo attinet *Diagnosin* huius procidentię sic dictę uterinę, duplex solet esse gradus, nempè vel saltem eius descensus, vel eiusdem prolapsus: Moles enim foras propendens vel adhuc est in labiis, vel circa labia pudendi, & hoc saltem descensus uteri appellatur, tuncque apparet exiguus tumor labia pudendorum occupans, quasi extensa pellis, & simul pondus quoddam instar cuiusdam oui maioris circa labia pudendi hęrentis: quod si ulterius tumor pergat, ut etiam foras propendeat, propriè prolapsus seu procidentia dicitur, atque tunc apparet tumor oui anseris instar, modò minor, modò maior, ita ut interdum, ceu dixi, ad capitis infantis usque magnitudinem intumescat: Interdum habet in medio sui foramen, ut anteà monui, quod internum uteri orificium putatur, & tunc est vagina tota relaxata, quę foras prominet: Interdum citra tale foramen tumor est rotundus, globosus, & tunc aliquot vaginę uteri rugæ affectę esse solent: Adest in principio imprimis insignis dolor quidam tensiuus partium, quibus annectitur uterus, lumborum, hypogastrii, pudendi, & circa os sacrum, aut partibus vicinis annexis, ex tumore propendente uiolenter protractis & tensis: Interdum superuenit febris, interdum etiam conuulsiones, & substantia propendens corrupta ulceratur non rarò, imò gangręnescit: postquam aliquandiu durauit malum ob consuetudinem dolor mitigatur, & solùm ponderis molestia quędam sentitur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Prolapsum seu Protractum uteri uerum, seu Protractionem uteri à causa uiolenta, ut in principio monui, affectum pronunciat incurabilem LINDANUS, utut curâ palliatiuâ, si non sit lethalis, intus retineri possit. Fit enim talis protractio uteri uiolenta non nisi & auulsis & ruptis ligamentis latis, quorum consolidatio, aut repetita connexio, uix per artem potest perfici.

Quod verò attinet reliquas prolapsus putati differentias: descensus *faciliùs* potest curari, idque imprimis in iunioribus, quàm procidentia.

Quod si dolor, febris, convulsio, aliàve gravia symptomata accedant, mortis causa esse possunt.

Quò magis id, quod prolapsum est, ab ambiente aëre alteratum, inflammatum, & gangrænâ plus minus corruptum fuerit, eò periculosius est, nec nisi manuali Chirurgi excisione curabile.

Quod si diutius malum fuerit (nam interdum per plures annos sine vitæ nocumento durant, uti observavit MORISONIUS *de Morbis mulierum pag. 386.*) eò *difficiliùs* ad scopum optatum cura pervenire potest.

Aliàs sinus pudoris prolapsus *per se* rarò est lethalis, valdè tamen molestus & periculosus admodum, supervenientibus ulceribus tædiosissimis propter fœtorem.

Si fit *à causa interna* per *successivam relaxationem*, *faciliùs* curari potest eo, qui fit per *violentiam externam*: Qui verò fit per *impetum obstetricis*, *incurabilis* est.

CURA.

Quod ergo attinet *Curam*: Prolapsum sinus pudoris ex vaginæ vitio quocunque curare qui vult, sequentes tres attendat scopos:

1. Partem prolapsam convenienter in situm naturalem reponere.
2. Repositam adstringentibus commodis vel verè, vel aliis mediis palliativè, *in debito situ firmare*.
3. Quod si vel reponi nequeat, aut *alterata*, aut jam *corrupta* & ulcerosa, aut etiam jam gangrænosa, substantia propendens fuerit, abscissione totaliter extirpari debet. Excrescentia verò quælibet eradicanda venit, idque omnium optimè ferro.

Repositio fieri debet *citò*, partim ne alteretur ab aëre vel *urina*, partim quia sic faciliùs curari potest. Fiat ut mulier debitè corpore situetur, nempè in dorso jaceat elevatis cruribus, & constrictis natibus, ut ita commodiùs intrudi possit: Quo facto, manuum ope *linteum* fotui ex aromaticis blandè discutientibus *intinctum* circumvolvatur digitis, & interiora versus blandè substantia eminens intrudatur, atque in situm naturalem *reponatur*: postmodum ægræ *quies* injungenda est. Ante repositionem autem, imprimis si alteratus & relaxatus nimis fuerit tumor propendens ab aëre, commodè fotus aromatici confortantes & appropriati usurpandi sunt, quorum ope denuò restituitur uterus: v. g. fiat Fotus ex *rore marino*, *salvia*, *absinthio*, *&c.* decoctis in *vino*, aut vini & aquæ partibus æqualibus, aut *aqua ferrariorum*: Item Fotus ex decocto allii in lacte, quod JOEL commendat: aut coquantur folia & baccæ lauri, menthæ, flores sambuci, ac summitates artemisiæ, in vino adstringente: quo fomento humido, tepidè cum linteis applicato, aliquandiu fomentetur *sinus pudoris prolapsus*, ut partim *tumor* propendens, partim labes contracta corrigatur. Hinc pro scopo *repositionis & firmationis* conveniunt omnia alia remedia, quæ *in ano prolapso*, *item quæ in Hernia intestinali*, *superiùs l. 1. dicta* sunt. Communiter suaveolentia naribus, fœtida tumori propendenti, applicant, persuasi de antiquata opinione, uterum, ut talem, delectari suaveolentibus, quibus ut vicinior fit, sursum repat: Sed de his alio tempore. Aliàs ubi repositio est difficilior, singulare experimentum est HELIDÆI suffitus institutus ex stercore bubulo siccato, cui adhuc præstantior, & ab omnibus decantatum experimentum, est suffitus pellis anguillæ salitæ, in fumo exsiccatæ & *pulverisatæ*, ex qua, carbonibus imposita, fumus vulvæ per tritorium excipiatur; suffitum enim præbet excellentissimum ad repositionem uteri. In defectu hujus quibusdam experimentum est ovum gallinæ putridum, quod, rupto cortice ipsius, panno subtili vel lanâ exceptum immediatè tumori propendenti applicatur, & mirè confert ad reponendum prolapsum sinus pudoris. Est experimentum FORESTI, STOECKERI, & aliorum. Quidam laudant pro hoc scopo inunctionem regionis ossis sacri & circa os coxendicis *pinguedine ursina*, aut *erinacei*, item applicationem emplastri magnetici contra herniam: Sed an hæc tantum valere possint? dubito, utut aliàs paria, quæ in ano prolapso vel in hernia intestinali conducunt, etiam in prolapsu sinus pudoris locum inveniant. Jubent quidam pro utero reponendo, ut mulier *terreatur*; quia sic ferè sponte retrahatur sinus: nempè ut Chirurgus, vel Medicus, ferrum candens ipsi tunc manu ostendat, ac stimulet, quasi vellet uterum eo tangere; sic enim, muliere terrefactâ, introcedere, uti ex CASTRO refert SENNERTUS *lib. 4. Prax. ubi de uteri procidentia p. 95.* ZACUTUS LUSITANUS, & ex eo RIVERIUS *in Praxi*, terrorem per *mures vivos* filo alligatos per mulieris crus sinistrum discurrere permittunt. Quidam *cucurbitulas maiores cum flamma* inguini, umbilico, & sub mammis apponunt.

Repositus sic dictus *uterus* seu sinus prolapsus *firmandus & retinendus* est, vel verè, vel palliativè: Verè *remediis* convenientibus adstringentibus, tàm in- quàm *externis*: Nam & *internè* vulneraria adstringentia, & ex iis parata *Decocta* à quibusdam usurpantur, quæ fiunt ex *herniaria*, *pilosella*, polygono, radice symphyti, nuce cupressi, *betonica*, *tormentilla*, & similibus. POTERIUS cum successu intus usurpat sequens Decoctum post repositionem & firmationem uteri:

℞. *Nuc. cupress.* (vel loco hujus possunt accipi gallæ:) no. xij.
Rad. symph. mai. ℥ij.
Fol. seu Herb. polyg.
Herniar.
Beton.
Pilosell. an. m. j.
Coqu. in s. q. aquæ & *vini*.

De Colatura dantur pro dosi aliquot unciæ cum *Syrupo limonum*.

Cum etiam flatus intestinorum, turgescentiâ suâ stimulantes alvum, malum exasperare, & ad recidivam disponere possint, propterea crebriorem usum seminis anisi & fœniculi convenienter suadet POTERIUS. Addantur etiam *semina 4. calida majora* Decoctis vulnerariis, ut præcaveatur *flatuum* nimius proventus, ne quodammodò denuò protrudatur substantia modò reposita.

Sed imprimis firmandus est Prolapsus sinus pudoris per externa *Fomenta adstringentia*, nunc sub forma *Injectionum*, nunc *Fomentorum* vulvæ extrinsecùs applicandorum, nunc suffituum modò laudatorum, nunc *Pessi ex lana carminata* hujusmodi *Decoctis adstringentibus* intincti applicantur. Parantur talia *Fomenta* ex adstringentibus aliàs cognitis, v. g. ex gallis, foliis quercus, myrti, prunorum sylvestrium, ex equiseto, alchimilla, & millefolio, ex corticibus granatorum, sumach, & similibus, quæ decoquuntur in *aqua ferrariorum*: quibus etiam potest addi parum *aluminis*, eo nempè in casu, quando *partes* non sunt *excoriatæ* aut exulceratæ, & quando sunt *indolentes*; aliàs talia *acria* intermittenda sunt: e. g.

℞. *Rad. symph. mai.* ℥j.
Gland. no. vij.
Malicor. seu *cort. granat.* ℥ß.
Alum ℥i.
Coqu. in *vino rubro* ad medias. S.
Fotus adstringens.

Hoc ipso Decocto fomentetur sinus pudoris, & etiam pessus ex lana vel spongia hoc ipso ebria immittatur, ut eò meliùs firmetur.

POTERIUS *Cent. 3. cap. 91.* hoc fotu felici cum successu usus fuit:

℞. *Nuc. cupress.*
Gallar.
Cortic. granat.
Balaust.
Sumach. an. ℥ij.
Fol. myrti,
Olivæ seu *oleæ*,
Quercus,
Polyg. an. m. j.
Flor. rosar. p. j.
Bulliant in *vino rubro*: quo fotu pars affecta bis vel ter in die foveatur, muliere interea quietè jacente.

Præterea Decoctum aluminis aut musci quercini pro fotu, aut etiam pro injectione in vaginam uterinam, commodè usurpatur. Decoctum etiam gallarum in aqua ferrata, seu in quo ferrum aliquoties extinctum fuit, utero injectum, ceu admodum proficuum laudatur: Si in forma *pessorum* & *globulorum* usurpentur, cauti simus, ne pessi tales nimis magni sint & irritent vaginam uterinam; Metus enim est, ne excitetur *fluxus albus*, qui tunc solet malum subinde exasperare. Radix & folia urticæ contusa, & instar cataplasmatis imposita conferunt. Præterea non incongruum est, ut continuentur suffitus ex stercore vaccino aut equino, qui egregiè conveniunt; Item ex pelle anguillæ aliisque similiter fœtentibus. Loco horum ex *aceto*, *succino*, *thure*, *mastiche*, *gummi juniperi*, & similibus forsan magis

magis sunt profecui. Hinc pinguedine ursi inungatur regio ossis sacri, item regio pubis. Quidam ceu singulare laudant, si sumatur chrysanthemum Peruvianum, quod vulgò vocatur flos solis, Germ. *die Sonnenblume*, qui coquatur, & decocto parabene fomentetur, quo facto regio dorsi lumbaris cum axungia seu pinguedine ursi inungenda, ut firmetur tumor uteri prolabens.

Quibus placet, possunt applicare *emplastrum* regioni umbilicali & hypogastricæ, ita ut pubem versum pertingat, aut ossis sacri, ex *opoponace*, *galbano*, *tacamahaca*, & similibus, aut etiam ceratum ex solo galbano. Nescio an tantū valeant, quantum dicunt. Alii præscribunt tale Emplastrum:

℞. *Olibani*,
Mastich.
Opoponac.
Galbani,
Serapini,
Terebinth.
Styrac. liquid.
Pic. sicc. an. p. æqu.
Ceræ parum.
Fiat Emplastrum.

Hoc posteriùs circa lumbos, & anteriùs circa pubem imponendum pro firmando prolapsu.

In malo graviore, aut inveterato, aut sæpius recidivante, Thermarum usus est optimus: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. *pag.* 89. *&* 7. *Observ.* 57.

His si nequeat denuò firmari propendens tumor, *palliativè* firmetur, & intrudatur in vaginam uterinam globulus cereus, & gestetur; vel factus ex subere, cerâ candidâ, aut massa emplastri, facta ex cera, colophonia, gummi elemi & similibus obducto: qualium globorum, aut rotundorum, aut oblongorum, aut pyriformium, optimam descriptionem & delineationem videbitis apud RHUMELIUM descriptam, & imprimis in MORISONIO *de Morb. mulier. lib.* 3. *c.* 5. *Part. lib.* 23. *cap.* 41. SCULTETO *lib.* 22. in HILDANO *Cent.* 4. *Observat.* 61. & ex eodem habet SENNERTUS de Procidentia uterina. Hi globi immittendi exactè respondeant amplitudini vaginæ, ne nimis parvi procidentiam impediant, nimis verò magni vaginam irritent, aut nimis dilatent, & ad fluxum album stimulent; unde commodius erit, subligaculis idoneis pessum firmare. Consultum autem est, ut in medio sint perforati, & insi ructi filo, ut partim mensibus concedatur transitus, partim verò, ut pro lubitu possint extrahi, quando libuerit, in specie, si forsan maritus ingressum moliatur; sic diu supervivunt sine molestia, quin imo concipiunt & pariunt: extra tempus autem congressus semper debent gestari hi globuli.

Putant vulgò, hos globulos intrudi in uterum, quod impossibile, sed hærent tantum in vaginæ summitate; nam replendo exactè, laxitatem, & simul hinc propendentem tumorem, impediunt & fulciunt: Cavitas enim uteri tam parva est, ut impossibiliter possit capere, aut si capiat, non possent tàm facilè extrahi & rep ni hi globuli. Loco globulorum SENNERTUS facit mentionem *annulorum* sinui pudoris intrudendorum, quibus similiter prolabens tumor superiùs retinetur, nè propendeat. Hi similiter nullo modo ad uterum pertingunt, sed rugas saltem vaginæ distentas & laxatas inde egressum molientes firmant & fulciunt, & ita malum palliativè curant.

Quod si verò *excrescentiæ* sint, aut saltem tumor ex relaxata una alterave vaginæ ruga, aut sinus pudoris prolapsus sit *alteratus* ab aëre, & vel *corruptus* vel *ulceratus*, in tali casu optimum est, ut radicitus *abscindatur*: quod fit sine periculo, *injectâ* priùs *ligaturâ* cum filo; hinc instar ulceris curetur: vid. PARÆUS *lib.* 23. *cap.* 41. & ROUSSETUS *de Partu Cæs. c.* 4.

Locutus sum de admissione viri læsa, & occasione hujus de Procidentia dicta uterina: Sequitur jam

CAPUT III.
DE
INFLAMMATIONE UTERI.

CAUSÆ.

Uteri Inflammationis *Causa proxima*, sicut omnium inflammationum, est sanguis intra poros uteri stagnatio.

Causæ remotæ & occasionales frequentiùs sunt coitus nimius, aër frigidior post menses, aut mox à partu admissus, partus difficilis, contusiones & lacerationes uteri à partu difficili, & vulnera, (vid. FORESTUS *lib.* 28. *Obs.* 41.) nec non menses & lochia intempestivè suppressa.

DIAGNOSIS.

Cognoscitur, & à vicinarum partium inflammatione distinguitur per tumorem, æstum, dolorem tensivum & gravativum genitalium, inguinum, hypogastrii & umbilici, qui post immissum digitum in genitalia augetur, & interdum ad coxas, spinam dorsi & scapulas usque extenditur; unde propter diaphragmatis compressionem & pleuræ consensum, suffocatio imminet: percipitur simul fervor, unà cum orificii interni duritie, & retractione, & duritie: vagina uteri fit rubicundior cum venulis turgidioribus, menses & lochia supprimuntur, mammæ quasi inflantur & dolent, adestque simul nunc alvi, nunc urinæ suppressio: conjuncta est febris ardens continua, interdum lipyria cum siti, linguæ ariditate, cephalalgia & delirio, convulsionibus: de quibus vid. HIPPOCRATES *lib.* 2. *de Morb. mulier. t.* 20. 54.

PROGNOSIS.

Inflammatio uteri malum satis periculosum est, quæ, imprimis ejus fundus, facilè in gangrænam abit: vid. HIPPOCRATES *Aphor.* 43. & HERCULES *de Saxonia Prælect. P.* 2. *pag.* 208.

De cætero tutius est, quando inflammatio hæc discutitur, quàm suppuratur; quia suppuratione abscessus, si ad cavitatem abdominis pertingat, novum periculum excitat; quia pus per inguina rariùs evacuatur, uti hoc BENEDICTUS *de Curat. Morbor. cap.* 5. annotavit; aut per alvum expurgatur, quod observavit RHODIUS *Cent.* 2 *Hist.* 89.

Denique uteri Inflammatio interdum in scirrhum degenerat, qui affectus difficilis satis est, & utplurimum hydropem conjunctum habet: quo præsente, doloris & ardoris & reliquorum symptomatum remissione tumor, renitentia, & gravitas hypogastrii atque crurum remanet.

CURA.

Quoad *Curam*: in primo inflammationis principio revulsionis causâ venæ sectio instituatur in brachio, & altero die interjecto clystere in malleolo: vid. SENNERTUS *lib.* 4. *P.* 1. *S.* 2. *cap.* 13. & HERCULES *de Saxonia l. a. p.* 208. Post, clysteres applicentur temperati, emollientes & resolventes, ex lactuca, malva, violaria, floribus chamomillæ, sambuci, verbasci, in aqua calcis vivę decocti, & cum electuario lenitivo, syrupo rosarum solutivo, atque nitro injecti. Ratione alvi evacuandæ usurpetur Decoctum tamarindorum vel passularum minorum, cui infusa folia sennæ cum cremore tartari ad imitationem TIMÆI: quales *formulas supra l.* 3. dedi, *ubi de Alvo obstructa.*

Externè Fotus aut Cataplasmata resolventia & anodyna, qualia parantur ex malva, althæa, pulegio, artemisia, meliloto, floribus verbasci, chamomillæ in aqua, vel simplici, vel calcis vivę, aut cum vino coctis, pectini applicentur, in incremento, & statu morbi continuanda: sicut etiam emplastrum de galbano crocatum & reliqua Resolventia usurpari possunt.

CAPUT IV.
DE
UTERI EJUSQUE VAGINÆ ULCERIBUS.

Interdum uterus ejusque vagina exulceratur.

CAUSÆ.

Causæ horum ulcerum sunt vel internæ, ut lochia retenta, & inflammationes suppuratæ, sordes intra rugas retentæ, fœtus & mola corrupta, gonorrhœa maligna, fluor albus nimis acris, aliorumque humorum acrium diuturnior affluxus; vel externæ, ut frequens & violentior coitus, vaginæ attritio, partus difficilis, &c.

DIA-

DIAGNOSIS.

Ulcera hæc *cognoscuntur* nunc solis oculis, nunc vaginâ uteri per speculum uterinum distentâ; vel si profundiora & in ipso utero fuerint, ex dolore & mordicationis sensu, & quidem molestiore, si partes nempè hæ contrectentur, v. g. in coitu, vel acrioribus injectis.

Signa hæc confirmant fluor albus, retentio lochiorum, & acriorum applicatio, excretio purulenta, ulcus vesicæ propinquius, mictio frequens, ardor urinæ, & si posterior pars vaginæ affecta, tenesmus: quibus tandem febris symptomatica lenta supervenit, cum crebris horroribus & lipothymiis: vid. HIPPOCRATES *lib. 1. de M. M. s.* 88.

PROGNOSIS.

Uteri ejusque vaginæ exulceratio semper est periculosa; ulcera enim horum difficiliùs consolidantur, & in fistulas plerumque degenerant, tandèmque hydropem excitant, imprimis si ulcera fuerint majora.

In vetulis, & quibus major humorum affluxus, difficiliùs curantur.

Ulcera ipsius uteri, etiam post inductam cicatricem, mulieres reddunt steriles, (vid. HIPPOCRATES *l. a.*) utut PRIMEROSIUS *l. 2. c.* 12. & ROUSSETUS *de Partu Cæsar. cap.* 4. testentur, quasdam post enormiora ulcera concepisse.

CURA.

In *Cura* habenda est ratio causarum & symptomatum: unde ulcera à causa externa, v. g. coitu violentiore, solis conglutinantibus tractanda: ubi humorum acrimonia peccat, hæc corrigenda & vacuanda. Ante omnia dolor mitigandus, pus & reliquæ sordes acriores detergantur.

Internè conveniunt vulneraria mundificantia, e. g. Decoctum summitatum hyperici in cerevisia vel sero lactis, quocunque tempore bibitum.

Vel

℞. *Herb. heder. terr.* m. j.
Plantag.
Sanic.
Summ. hyperic. an. m. ß.
Ras. cornu cervi ℥iij.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℥viij. adde
Syr. corallior.
De symph. Fern. an. ℥j.
M. D. S.
Potio vulneraria matricem purificans.

De quo quater in die bonus haustus cum gutt. 3. vel 4. Bals. sulphuris.

Convenit quoque Elixyr proprietatis, manè 30. ad 35. gutt., à meridie liqu. martis solar. ad 25. gutt. Externè conveniunt Injectiones uterinæ ex decoct. summitat. hyperici & florum verbasc. cum aqua calcis vivæ: Item

℞. *Lact. chalyb.* ℔i.
Tereb. cum vitello ovi sol. ℥ß. ad ℥vj.
Mellis rosat. ℥j.
Misc. S.
Inspersio mundificans.

Sæpius uaginæ uterinæ injicatur pro ulcere mundificando & consolidando.

Plures formulas tradam suo loco *in Chirurg. Medica*; quæ seligenda, & mutatis mutandis huc & in omnibus reliquis exulcerationibus applicanda. Conf. etiam hìc, quæ *suprà de Pruritu & pustulis vaginæ uteri* dixi.

SECTIO V.
DE CONCEPTIONE LÆSA.

Notum est, quod, dum legitimè copulantur mas & fœmina, mas emittat genituram suam, cujus spiritus genitalis impręgnet ovum muliebre, instar ovi in ovario oviparorum, sicque fiat conceptio; i. e. cōceptio est ovuli uterini à spiritus genitalis masculini afflatu facta fœcundatio, parili ratione atq; spiritus genitalis galli uno compressu omnia ova in ovario fœcunda reddere solet: simili ratione mulierum testes ovaria superiùs dicta sunt, in quibus ovula pisorum magnitudine producuntur, quæ per tubam uterinam, cornubus uteri in brutis analogam, sub coitus ardore ad testem contortam, expanso hujus orificio excepta deferuntur ad uterum. Et hæc est compressio & generatio ordinaria: Id enim quod est ovarium in oviparis, hoc sunt testes in viviparis, & in specie in mulieribus, utpote qui testes perfecta parva ovula in se continent, humore limpido scatentia, & propriis pelliculi circumdata, quæ ovula aquę ferventi immissa coagulantur in formam albuminis ovi indurati, in aqua fervente cocti: Vid. STENO, HARVÆUS, HORNIUS, GRAAFIUS, MALPIGHIUS &c.: quę doctrina Neotericorum in Compend. vid. in M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Observ.* 196. 197. & 198.

Ovulum tale fœcundatum si in tuba uterina hæreat, *conceptio* fit *tubaria* præternaturalis in homine, i. e. fœtus in tubis uterinis conceptio & generatio, matrique lethalis; de qua parvus, sed non inelegans est *Tractatus* ELSHOLZII *de Concept. Tubaria, observata Parisis*: Vid etiam RIOLANUS. Extraordinariò quidem fit talis conceptio in genere humano; ordinariò enim fit in brutis, nempè in eorum cornibus uterinis, cum in brutis tubæ seu cornua sint verus locus generationis: Nil dicam de eo, quod refert SALMUTH, in stomacho nempè mulieris ex nefando congressu factam conceptionem, fœtusque digitalis postmodum per os exclusionem.

Dixi, quod spiritus genitalis maris fęcundet ova, iste nempè, qui sub crassioris genituræ involucro unà excernitur, istâ materiâ genituræ crassa nullo modo vel in utero subsistente, vel ceu materia fœtum constituente; demonstrante hoc HARVÆO *Exerc.* 6. 39. 49. 67. 68. &c. qui primus hanc veterum opinionem concussit, & ejus fundamentum, nempè ingressum & misturam genituræ utriusque sexus, funditus diruit. Unde ejus Observationes Experimentales meritò magni sunt æstimandæ, dum in *Oviparis* ova, sive tota sive saltem eorundem vitellos, à spiritu genitali maris galli, seu cujusque ovipari, tanquam contagio quodam spirituoso afflari, & ita fœcundari asserit: in *viviparis* verò uterum hoc ipso vel eodem contagio spirituoso infici, & ita fœminam à mari imprægnari seu concipere dicit, unde successivè ex materia albuginea in uterum destillante, virtute istius contagii spirituosi generatur tandem fœtus perfectus.

Sed maximè hoc videtur obscurum, quâ ratione *simplex* talis spiritus, uterum saltim fœcundans, sit *causa conceptionis?* Hisce ergò dubiis occurrunt Modernorum jam allegatorum inventa Anatomica, quod sc. solus spiritus genitalis contagii instar & ovum muliebre penetret, fœcundum reddat, & in motum concitet, mulieremque ita imprægnet, ut ex eodem tandem generetur fœtus perfectus. Gallina per integrum annum fœcunda observatur ab uno coitu galli. Spiritus hic genitalis habet se instar fermenti, addendi ovo ceu massæ fermentandæ: crassa materia pro tutela tantùm vel pro custodia spiritus inservit: Ovulū se habet instar fomitis, qui in proxima est potentia, ut incendatur etiam à tantilla scintillula spiritus genitalis masculini: Mas confert principiū activum, fęmina uerò principium passivum, quod veteres dixerunt menstruum. In ovulo ita fœcundato, seu à spiritu genitali maris in motum concitato, nempè quoad materiā, mox inchoatur fętus formatio, dum non solùm ovum successivè magis magisque turgescit & dilatatur, sed etiam tum speciatim primitus apparet punctulū se movens & quasi subsiliens cū filamentis circumcirca rubicundis, ita ut cordis palpitantis rudimentum inter partes solidas, & sanguinis vitalis liquor inter partes liquidas, primitus conspiciantur, & partes primogenitæ esse videantur. Emergit brevi post circa sanguinea vasa crassius quid & albidius instar nubeculæ apparens,

rens, in duas partes divisum; cujus major pars rudimentum præbet, quatuor vesiculis constans, quæ cerebrum, cerebellum & oculos binos repræsentant; minor verò pars inferiùs instar carinæ protensa, spinæ rudimentum est, ex quo brachia & pedes sensim protuberant, donec vasis sanguifluis viscera successivè quoque adnata fœtum perfectum constituant.

Materia, ex qua formatur fœtus, sunt *partim* humor limpidus albugineus, per arterias ad uterum delatus, ejusque glandulosam substantiam, in ejus cavum destillans, & hinc ovulo in utero fœcundato affusus, tandemque in conceptum perfectum seu ovum uterinum Harveanum concrescens, non secus ac in oviparis propriè dictis vitellum ex ovario dilapsum in uterum, e. g. gallinæ, ibidem tandem albumine investitur; (præter *Harvæum*, *Stevonem* & alios, etiam tale ovulum sub forma vesicali in testiculis muliebribus observatum notat BARTHOLINUS *Cent. 1. Hist. Anat. 92.*) *partim* verò est sanguis ex dicto chyloso succo priùs elaboratus, ita ut verissima sit distinctio in partes spermaticas & nerveas, & sanguineas & carneas: Illis ex materia lactea seu chylosa pronatis: his ex sanguine circum istas concreto pedetentim exstructis. Liquor hic nutritius primis gestationis mensibus spiritu nitri coagulatur in caseosam substantiam, ultimis verò diebus gestationis non coagulatur, quia materia chylosa jam absumpta est. Ex albumine nutriuntur partes nerveæ; ex vitello verò sanguineæ. Membranulæ ovorum sunt illæ, quæ postmodum fiunt secundinæ, vid. KERCKRINGIUS *Anthropogr.* In genitura, ut & in ovo, tantùm gemmula aliqua inest, quæ fœcunda est. Juxta HARVÆUM nullus meliùs, quàm MALPIGHIUS *de Pulli in ovo formatione* scripsit. Ova ergo hæc fœcundata, dum ita in utero foventur & retinentur, donec fœtus ex iisdem emergat perfectus, dant animalia vivipara; Sin verò excludantur ante perfectam formationem, & postmodum solo ovipari externo incubatu foveantur, donec perfecti pulli egrediantur, dant animalia ovipara. Non autem est *essentialis differentia*; Nam & observatum est, gallinam ova intra se fovisse, & loco ouorum pullos uiuos numero sex exclusisse unâ uice, utut hoc ipsum cum morte gallinæ matris fuerit conjunctum; Quam obseruationem videbitis in *Observat.* quas BARTHOLINUS *Cultro Anat. Lyseri adiecit*, est *Observatio 6. Bartholino à* LYSERO communicata. Dictum est, *punctum saliens*, quod postmodum cor constituit, cum sanguine primò ante omnia generari. Sunt quidam, qui existimant, partes omnes simul delineari, easdem verò postmodum successivè generari & perfici. Non incongrua videtur hæc assertio ex eo, quod MALPIGHIUS observet, in ovo fœcundato jam reperiri gemmulam capitulo rotundo, cum protenso corporis rudimento conspicuam, ex qua successivè aucta pedetentim quasi evolvantur partes, ita ut suspicari liceat in ista gemmula jam rudimenta omnium partium esse posita ac figurata, quæ postmodum per extensionem sub nutritione & auctione pedetentim magis magisque fiant conspicuæ. Par nempè ratio hic esse videtur atque in plantarum seminibus seu potius ovulis: in his etiam est gemmula, ex qua planta nascitur, & in qua tota planta jam delineata conspicitur, quâ corruptâ perit omnis vis & spes generationis: Ita similiter in ovulo est macula, seu cicatricula, seu gemmula, in qua partes pulli omnes potentia insunt, & ex qua ordine explicantur, in qua macula seu gemmula est spiritus, cui Creator potestatem fecit fœtum efformandi. De seminibus plantarum quod sint ova sui generis, vid. FABRICIUS ab AQUAPENDENTE, & GREW, Anglus, *de Vegetabil. Generat.* seu *Anatome de parte ad partem*. Dum generatur semen, generatur etiam planta. Dum ergò coëunt mas & fœmina, statim generatio fit.

Efficiens hujus Formationis videtur esse spiritus genitalis utriusque sexus, matris quidem in ovulo concentratus, maris mediante geniturâ in congressu ejaculatur; qui licet originaliter videatur duplex, in ovo tamen mutuâ coitione unitus ex materia limpida in ovo coërcita corporis machinam format. Quomodo autem fiat? res est obscurissima: Cartesiani, & hos sequentes, ex solo motu particularum per calorem excitato fieri formationem volunt, determinante hunc plus minus spiritu ipso genitali, quo motu particulæ minimæ materiæ agitatæ ob suas figuras, texturas, aliasque proprietates, necessariò in germen animalis abeant, eo modo, quo ex oblongis salium particulis, in aqua vi caloris agitatis, & inter se conjunctis, variæ salium, eæque distinctæ, efformentur figuræ: Confirmat hoc, quod ova fœcunda si concutiantur, vel agitentur fortiter, fiant infœcunda. Aliis casuale nimis, & quasi fortuitum stupendum, formationis corporis negotium hoc modo explicandum videtur, quin mirabilis structura in tot mille animalibus eodem modo eveniens, & speciales parentum texturas simul exhibens, determinatum & specialem formatorem exigat; unde tales per ideas seminales negotium hoc explicant, quæ anteà confusæ, sed successivè & ordinatâ serie evolutæ, corporis formatorem spiritum dirigant, ut determinatus tale vel tale corpus fabricet. Id quod confirmare videtur idea matris imaginando concepta, formationem corporis fœtus diversimodè modificans; si enim Idea est extraordinaria, dat fœtum extraordinarium, ut caput suillum fissum, &c. Idea ergo etiam ordinaria seminalis fœtum dat naturalem. Omnes homines essentiâ sunt similes, sed differunt accidentalibus lineamentis.

Ex hac Modernorum doctrina spinosæ quamplurimæ controversiæ de Conceptione & Generatione prolium numerosa, & *superfœtatione* faciliùs possunt expediri, dum nempè sæpius gemelli, interdum trimelli, imò quatuor, etiam octo fœtus vivi, sani & vegeti unâ vice à muliere excluduntur, teste BORELLO *Cent. 2. Observ. 44.* pro numero scilicet ovulorum in uno, aut pluribus se invicem subsequentibus congressibus, à spiritu maris genitali, tanquam à gallo fœcundatorum, & in utero retentorum. HARVÆUS etiam observavit ova, quæ constant duplici, aut triplici, aut etiam pluribus vitellis: An sit universale? nondum determinatum est. Huc pertinet observatio SVAMMERDAMMII, quam allegat SCHRADERUS *in Præfat. de Generat. animalium*, de muliere, quæ mense sexto ex abortu gemellorum interiit, observatis vestigiis seu foraminibus duorum ovorum juxta se invicem consitorum, ubi etiam observata sunt ova non separatim existentia, sed bina quædam ita invicem connexa fuisse, ut ab invicem separari non potuerint. *Probabile ergo est, oriri gemellos ex binis ovis inter se connexis.* Hisce & *superfœtationis* obscura aliàs doctrina fœneratur lucem, quæ fit, quando ovulum unum, & post aliquot septimanas vel menses repetito denuò congressu aliud fœcundatur, unde post partum primum aliquot septimanarum vel mensium spatio alius partus vitalis supervenit.

Spiritum genitalem maris imprimis observandum monui, qui scilicet sub crassiori genituræ tegmine excretus, utero susceptus, fœcunda reddit fœminæ ova, ipso crassiore genituræ corpore unà cum fœminæ liquore sic dicto seminali denuò ex vagina effluente. Unde patet, verum esse, posse concipere etiam virginem, cui penis non adeò profundè intrudatur, & cui claustra, quæ vocantur virginalia, minus in tali casu aperiuntur, modò tam artificiosè ejaculetur genitura maris, ne ab aëris externi ingressu vitiari, aut spiritus genitalis dissipari possit, quin potius hic ipse promptè se in uterum insinuet, & ita virginem imprægnet. Exempla, quæ hoc confirmant, habet BORELLUS *Cent 4. Observ. 26.* non tantummodò de virgine, quæ citra perfectam penis immissionem fuit imprægnata, sed in specie de equa, cui fibulis & annulis ferreis vulva fuit occlusa, quæ nihilominus tamen concepit. Curiosa etiam est observatio de puella imperforata, & cui tantùm esset foramen exiguum magnitudine pisi, quæ tamen ex sola amasii externa ejus membro frictione, & ita genituræ facta excretione, concepit, ita ut imminente partu membrana, foramen obvelans, rescindenda, & vulva aperienda fuerit, ne periculum in partu incurreret: vid. *Observatio 13. Communicata* BARTHOLINO à MOINICHEN, quæ etiam annexa est *Cultro Anat. Lyseri*, item HOBOKEN *in Spicileg. Epist. pag.* 188. HARVÆUS *Exercit. de Partu p.* 369. Item mirabilia refert exempla GUILLEMEAU *de Partul. 2. c.* 10. GRAAFIUS *de Organ. Mulier. pag.* 51. M. A. N. C. *Ann. 3 Obs. 273. pag.* 34. VIARDEL *in observationibus de Genitura muliebri pag.* 46. MARCUS AURELIUS SEVERINUS *in Offic. Med. pag* 285. Sufficit ergo ad conceptionem saltem spiritus genitalis maris, modò extra aërem externum possit venire in vaginam uteri. Plura quoad materiam conceptionis & fœtus vid. in HARVÆO *in Exerc. de Generat. animalium*, item in DEUSINGIO *Exercitat. de Genesi Microcosmi*, item CLAUDIO *de la* COURVEE, *Archiatro Regis Poloniæ*, *Tract. de Nutrit. fœtus in utero*, item MARCO MARCI *de Ideis operatric.*

In spe-

In specie simus soliciti de *signis conceptionis*, cum multum intersit, ut cognoscamus, an mulier conceperit, nec ne? Equidem *signa* concepisse mulierem, certa ac *pathognomonica* rariùs deprehenduntur, imò ferè penitus non dantur, cum notum sit, ipsas falli mulieres in hoc casu. In quibusdam autem mulieribus ex peculiari idiosyncrasia evenit, ut saltem habeant signa quædam specialia, seu ipsis solummodò propria, nec multis communia. Quia igitur sunt particularia, non de omnibus testantur: qua ratione e. g. AMATUS LUSITANUS refert de muliere, quæ semper quadam melancholiâ uterinâ laboravit; simul verò atque concepit, etiam ista melancholia cessavit: Sic PANAROLLUS *Pent.* 5. *Obs.* 46. observavit aliquando tale signum infallibile conceptionis in quadam muliere, in qua cum concepisset, statim primis mensibus vena tumens in femoris interna parte circa genu apparuit: Aliæ quædam uno alterove post conceptionem die crebris vomitibus manifestari solent: aliæ extra gravidationem *libidine pruriunt*, *sed factâ* conceptione *ardor* videtur *extinctus*, uti videb. in PANAROLLO *Pent.* 3. *Obs.* 9. & SCHENCKIO *lib.* 4. *Observ. ubi de Conceptione*. Ordinarium ferè est gravidis surarum tensio & stupor pedum; dextri quidem, si masculus; sinistri, si fœmella fuerit embryo: Exempla vid. in BINNINGERO *Cent.* 2. *Obs.* 38. Interdum mulier gravida facta post paucos dies epilepsiâ corripitur. Sed hæc, uti dixi, sunt signa particularia, quę rarò observantur, & quibusdam individuis saltem propria: Communia autem Conceptionis signa pathognomonica, atque hinc infallibilia, non dantur. *Probabilia* tamen *signa*, & ex quorum syndromé satis apparenter concludi potest Conceptio, sunt ferè *sequentia*: Nempè

1. *Orificii uterni interni* stricta *clausura*, ita ut, teste HIPPOCRATE *Sect.* 5. *Aphor.* 51. ne specillum quidem admittat. Hoc ipsum signum pluribus evenit, & tanquam unum ex certissimis commendat PANAROLLUS *Pent.* 3. *Observat.* 20. dum dicit, hoc ipsum immisso digito posse cognosci; item FORESTUS *lib.* 28. *Observ.* 49. In mulieribus non gravidis, dum percutiuntur œstro libidinis, aut fricantur genitalia, (aut furore vexantur genitalium,) orificium uteri internum solet hiscere instar pisi; foveam enim quasi quandam repræsentat uterus non clausus, & si non concepit, efformat circa orificium foraminulum: quod si verò firmiter claudatur, post factam scilicet conceptionem, nulla fovea aut sinus tunc reperitur; vid. etiam RODERICUS à CASTRO *de Morbis mulierum P.* 1. *l.* 3. *pag.* 4. qui est in hac opinione. Et hoc signum ferè ex primariis habetur.

2. Succedit *menstruorum ordinaria emansio seu retentio*, quę ordinariò ferè à conceptione supervenit. Ordinariò dico, & utplurimum; quia non universale est: Dantur enim exempla mulierum, quibus etiam primis gestationis mensibus menses adhuc ordinariò fluxerunt: Nempè sanguine serosiore, item copiosiore & spirituosiore abundantibus, quin & quibusdam toto gestationis tempore menses fluxisse observatum est. Excipiuntur hic quoque virgines quędam, quibus labra nunquam polluerunt catamenia, & tamen fęcundę sunt, viragines aliàs dictę, quę in hoc passu alterationem non sentiunt: vid. SCHENCKIUS, & MARCELLUS DONATUS *Hist. mirab. Cent.* 4. *Obs.* 23. Rarum est, quod in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs* 348 *pag.* 555. refertur de muliere, quę nunquam passa est menstrua, nisi fuerit gravida.

3. Primis *post congressum* diebus subindè horror aut horripilatio quędam, aut vagus frigoris sensus, corpus seu potius corporis peripheriam *sine manifesta causa* pererrare percipitur; aut saltim ipsę mulieres dicunt se sentire, nescio quid? in corpore: utplurimum tamen, uti dico, ille frigoris sensus, & horror seu horripilatio percipitur post conceptionem.

4. Succedunt etiam successivè *symptomata* varia circa *stomachum ac digestionem*: nempè primò *appetitus est dejectus*, hinc *vomunt* omni manè, adjunguntur *picæ*, fastidium alimentorum, in specie carnis, & nausea ingens esculentorum aliàs consuetorum, ita ut ne quidem odorem carnis, imprimis coctę, subindè perferre possint. In locum hujus appetitus ordinarii deperditi, succedere solet pica, & appetitus planè insolitus, aut intensior circa esculenta ordinaria: prioris est exemplum, v. g. quod habet FORESTUS de gravida uno mense, quę unà vice 12. haleces recenter salitos absque noxa cum egregio appetitu devoravit: posterioris exemplum est, quod refert SALMUTH de gravida carbones avidè comedente. Et quod non rigorosus sit Medicus in prohibendis talibus, quę appetunt, modò non nimis excedant quantitatem; vix enim aliquod incommodum exinde persentiunt mulieres. Hęc symptomata mox primis mensibus superveniunt, non ob sanguinem menstruum retentum, aut plethoram hinc incusandam, ut vulgò existimant; sed propter motum fermentativum menstruum humoribus adhuc impressum, (vid. VELTHUYSIUS *de Generat. pag.* 138.) vel certè fiunt non tàm ab humoribus contentis, quàm propter consensum ventriculi cum utero, uti arbitratur MORISONIUS *de Morb mulierum pag.* 125. Nam observantur fęminę, quę simul atque gravidę factę fuerint, in primis diebus vomitu affliguntur, rejiciendo per os copiosa aquosa & limpida. Hęc tamen insequuntur etiam *sine ingravidatione* simpliciter *mensium præternaturalem emansionem*.

5. Mulieribus, imprimis quę aliqualiter sunt *cacochymicæ*, vel quę inclinant ad *scorbutum*, factâ conceptione, superveniunt sępius hysterici dicti affectus, licet aliàs nunquam fuerint *obnoxiæ* huic passioni: adeò ut gravia *abdominis tormina*, cum respiratione nonnihil impedita, ac superveniente vomitu, & similia, post partum è contrà nihil de affectibus hisce patiantur: Idque pręsertim fit circa *primos* tantùm *menses*, quę tamen symptomata postmodum circa *medium gestationis tempus* spontè cessant.

6. *Venter sensim attollitur* ac intumescit ex utero distento, i. e. *ab imo ad summum* protuberat. *Tumor ventris* est *circa regionem umbilicalem*, *&* *sursum* tendit, *partes inferiores* manent *in naturali suo situ*, & *tumor* quidem est talis, ut imprimis *circa lineam* abdominis *albam* prom neat, regiones verò laterales lumbares quodammodò ęquales & quasi depressę sint. Id quod probè observandum est, quò meliùs impręgnatio vera ab aliis tumoribus congeneribus uteri vel abdominis distingui queat. Observandum tamen, quod pro situ vario fętus, & uteri etiam tumor nunc plus nunc minus protuberet.

7. Circa medium gestationis tempus tertio & quarto mense percipitur motus infantis, isque modò in hac, modò in ista parte, pręsertim quarto, aut *in principio quinti mensis*; qui motus est *in principio* saltem obscurus & *subsultorius*, successivè tamen magis fit *manifestus*. Sed nec hoc semper contingit; sunt enim mulieres, quę *motum fœtus* percipiunt *citiùs*, & alię, quę *tardiùs*: Sic quędam *tertio mense*, quędam nono saltim mense, fętus motum demum percipiunt, & nihilominus tamen brevi post feliciter pariunt. Contingit hoc imprimis iis, quę sunt *serosiores* & *aquosiores*, in quibus copiosus chylus nutritivus transcolatur per uterum: in his ex abundantia talium aquarum uberiorum, ut vocant, seu liquorum, quibus fętus includitur, quarum copiâ uterus ita impleri & distendi potest, ut mater *motum fœtus* non percipiat; imprimis si hic ipse forsan simul debilior paulò fuerit. Retardatur etiam aliàs à matre febriente motus, teste BARTHOLINO *Cent.* 1. *Hist. Anat.* 96. ubi observavit in muliere febriente motum fętus demum post vigesimam septimam septimanam. In fęminis etiam pinguiusculis accidit, ut hę *motum fœtus minùs* vel *tardiùs* percipiant. vid. BARTHOLINUS *Cent.* 5. *Histor.* 78.

8. Denique sępius primis mensibus gravitas capitis & vagę vertigines, imò sępè etiam dolor dentium admodum molestus, & similia, superveniunt.

Ex quibus similibus signis probabiliter conjecturari solet fęminam esse gravidam: quę conjecturę eò sunt certiores, quò circa medium gestationis tempus, in fine quarti & principio quinti mensis, motus fętus percipitur. Additur in mulieribus propria uniuscunque *idiosyncrasia*; & hoc est, quod Praxin mulierum reddit adeò difficilem. Mulieres, quę semel conceperunt, alio tempore vix falli possunt. Vulgò tanquam primarium signum recensent retentionem spermatis seu genitur ę virilis in utero, ita quidem, ut post peractum complexum mulier non sentiat denuò excerni maris genituram: Hoc an verum sit? & an unquam contingat? vehementer dubito: cum nihil de genitura maris propriè sic dicta ad constitutionem fętus concurrat, aut admodum dubium sit, an gutta ejus in uterum recipiatur? Sanè cum consideramus ovipara animalia, v. g gallum gallinaceum, constat, de hujus genitura materiali nihil (distinguendum enim materiale à spirituali) permisceri ovis fęcundis: Sic etiam pisces ovipari generant ova, quæ tantum resperguntur aut quasi irrorantur à genitura piscis maris. Ova ista, quæ irrorantur, fœcunda sunt, & dant pisciculos; quæ non irrorantur, fatiscunt, & non sunt

sunt fœcunda. Idem potest observari in papilionum genere, in specie bombyce: hujus fœmella copiosissima generat ova, postmodum in coitu fœmella ova hæc excludit, quæ à tenui subrubicundo, aut nonnihil flavescente liquore seu genitura maris resperguntur; & quæ ita respersa sunt, sunt fœcunda, & dant novas erucas, hinc papiliones; quæ non adsperguntur, manent infœcunda.

Stante ergo hypothesi, mulieres generare ova (de quo postmodum) quæ fœcundantur tantummodò à spiritu genitali maris, tanquam ova gallinæ à gallo, citra materialem genituræ propriè sic dictæ contactum: certè istud signum, si mulier retineat genituram seu semen virile, tanquam falsissimum sponte corruet.

Unum saltem habent argumentum contra hanc opinionem, quod etiam semen maris necessariò simul concurrat: nempè similitudinem fœtus, qui sæpius patrem, non minus quàm matrem, referat, ex qua materialem genituræ maris commistionem concurrere putant: Sed plumbeum est & elumbe hoc argumentum: Nam gallinæ non minus referunt patrem gallum, quàm alia animalia vivipara, & nihilominus tantum ex Observationibus Harvæanis certum est, quod de genitura galli nihil ingrediatur aut ovum, aut ovarium gallinæ. Deinde imaginatio materna signat fœtum, ut nunc fraga, nunc mora, nunc mures, in certis corporis locis depicta aut genita reperiantur. Imaginatio hæc, quacunque ratione hoc faciat, citra commistionem materialem hic operatur, ita ut nihil materiei pro talibus excrescentiis communicetur fœtui. Unde etiam fœtus potest esse similis patri, utut nihil de genitura ejusdem ad constitutionem illius concurrat.

Conceptio autem hæc læditur quatuor modis:

1. Quando est *falsa*, ita ut mulier quidem se æstimet gravidam, cum tamen non sit: quod fieri solet in Inflatione uteri; item in *hydrope* uteri, quæ sub forma gestationis mulieres decipiunt.
2. *Imminuta*, ita, ut sit vel *nulla*, vel admodum *rara* in sterilitate.
3. Quando est *aucta*, & copiosi fœtus concipiuntur, gestantur, & excluduntur unâ vice.
4. Quando est *depravata*, ut est in Mola.

CAPUT I.
DE
CONCEPTIONE FALSA,
ARTICVLVS I.
DE
UTERI INFLATIONE.

HAs inter conceptiones falsas, quæ sæpissimè mulieres fallunt, est *Uteri Inflatio*, seu insignis ejusdem *intumescentia à flatibus*, in cavitate uteri collectis. Dubitant autem *Practici* quidam, an possint contineri *flatus* in uteri cavo? Sed utique verum est, quia quædam post remedia copiosos flatus ex utero emiserunt. *Uterus* ergò *inflatus intumescit*, & non tantùm *tumor* abdominis, non secus ac in grauidis, sensim sensimque *augetur*; sed *menses* etiam simul *supprimuntur*, aut *parciùs* saltem nonnihil fluere solent; quin & *lac* in talium mammis genitum observatum fuit; Unde tandem tales muliercula se gravidas firmiter credunt. Interim tamen nihilominus interdum fit, ut *ultra solitum partus tempus* ad annum integrum, imò ad biennium, se utero concepisse ita sibi videantur, & postmodum vel *medicamentis*, vel supervenientibus doloribus parturientium, aut etiam interdum sine his, excludant ex utero solummodò aliquos bombos & *flatulentias*, subsideatque denuò venter, & patet tunc vel spontè falsitas putatæ conceptionis; Unde hic affectus etiam à quibusdam *mola ventosa* seu *flatuosa* appellari solet. Interdum verò sine manifesta talium flatuum eruptione impetuosa *sensim* & insensibiliter omnino flatus exhalant; venter subsidet, & nesciunt tunc temporis mulieres, quid cum fœtu & conceptione factum fuerit? Vid. exempla in GABELCHOVERO *Cent.* 1. *Cur.* 25. HOECHSTETTERO *Decad.* 6. *Obs.* 4. WELSCHIO *in obstetricum l. p.* 580. SENNERTO *de Morb. Mulier. lib.* 4. *P.* 1. *c.* 10. *ubi de Uteri Inflatione*, M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obs.* 45. & HARTMANNO.

CAUSA.

Inter *Causas* huius Inflationis, qua mulieres sæpius decipiuntur, primaria & frequentissima est *susceptio aeris frigidi externi* in uterum, idque imprimis *post partum* aut abortum, intra aut post menses, post usum balnei, &c. quales historias videbitis in FORESTO *lib.* 28. *Obs.* 38. & 39. atque SALMUTH *Cent.* 2. *Obs.* 57. Dum enim citò nimis aëri externo se exponunt mulieres, non benè circa genitalia munitæ, subindè in tantum inflatur uterus, ut quasi denuò fœtum gerere videantur: quod si fiat, ut simul supprimantur lochia, dolores acerbi & crudelissimi totum abdomen cruciantes sunt conjuncti: Imò etiam interdum, si *post* peractum debitum *lochiorum fluxum* in secunda post partum septimana mulier audaciùs paulò aëri libero se exponat, ventus in utero nondum perfectè clauso, sed adhuc connivente, susceptus, in loco isto calido uberiore dilatatione turgescit, & tandem talem uteri & abdominis tumorem & distensionem successivè infert. Rariùs enim à causa interna citra talem causam manifestam externam accidit talis *uteri Inflatio*, & ferè sequitur *conceptionem falsam*, videturque fieri *occasione genituræ maris*, sine conceptione in utero contentæ, seu vix solet observari, nisi forsan parvus quidam uteri hydrops conjunctus, aut ejus principium flatuum copiam simul inducat, cum aliàs pura talis Inflatio citra ullum materiæ concursum aut collectionem rariùs reperiatur. Attendendum tunc simul ad primas vias, & digestionem ibidem peractam, circa quam ferè flatuum proventus copiosior observari solet.

DIAGNOSIS.

Quod ergo attinet *Signa* hujus Inflationis uterinæ: tunc intumescit quidem successivè uterus, verùm non præcisè prominet in medio abdominis, sed potius in omnes dimensiones abdominis se expandit; & cùm contenta flatulentia nunc augeatur, nunc imminuatur, nunc magis sese expandat, nunc minus, etiam uterus nunc plus nunc minus turgidus & extensus apparet. Adest præterea simul vitium quoddam in hypochondriis & stomachi digestione, dum circa ista loca flatus & borborygmi copiosiores non rarò persentiuntur. Præterea insignis tensio dolorque tensivus uterum occupat, adeò ut dum tumor premitur, exindè doleant muliercula propter nimiam distensionem: quin & nullus motus fœtus, aut similis in talibus percipitur subjectis, & quando fœmina se volvit in hoc vel istud latus, uterus eò non volvitur, sed manet in loco.

In hac *Inflatione Uteri* considerandum est, ut probè distinguatur *à conceptione vera*: ob id probè observanda sunt omnia indicia & signa, in specie *causæ antecedentes*, ex quibus aliàs concludere potest mulier se, esse gravidam, quorum uno alterove absentibus, Inflationis saltem suspicio oboritur. Et quidem *distinguitur* in eo, quod

1. Flatus, cum nunc minui, nunc augeri, nunc magis dilatari, nunc magis condensari, nunc plus minus distendere partem inflatam soleant, uterus etiam vi eorum elasticâ nunc plus minus intumescere, aut detumescere videbitur: secus ac fit *in vera ingravidatione*, ubi *tumor æqualis* est, *successivè accrescens*.
2. Quando observat mulier medio gestationis tempore motum aliquem, sedulò attendendum, an motus sit genuinus ex fœtu, nec ne? Nam utut palpitationis aliquis sensus, si abdomen fortiùs manu comprimatur, percipitur, isque ex flatuum saltem impetu oritur; præterea quoque distensus ac instar tympani, vel vesicæ protuberans magis videtur uterus, quàm revera à fœtu contento fieri assolet: vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 1. *pag.* 14. Ad hæc
3. In uteri inflatione distensio abdominis est multò major, quam in legitima gravidatione: è contra ponderosa est minus, quam in legitima conceptione, & vulva minus gravata, minusque pressa sentitur. Interdum, sed rariùs, manu percussus venter *instar tympani*, & sonitum edere videtur. Verùm *in conceptione moles* est *minor*, & in specie *pondus* est *majus*, uterus & abdomen compressa *primò cedunt*, sed *successivè attolluntur* iterum.

PRO-

PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognosin* : Inflatio uteri *per se* rarò aliquid periculi infert, cum interdum vel sponte cesset : sin verò mox à puerperio contingat, & impediat mensium vel lochiorum fluxum, per accidens solet gravissimos in utero dolores & alia mala excitare, & tunc res est satis periculosa, quicquid SENNERTUS aliique contradixerint. Vid. FORESTUS *lib.* 28. *Obs.* 28.

CURA.

Quod ergo attinet *Curam* : *Flatus* uterum distendentes *eiiciendi* sunt aperto uteri orificio interno, & *discutiendi*. Cum verò frequenter simul adsint signa vitiatæ in stomacho digestionis, & oborientium hinc copiosiorum flatuum, propterea debitis *Alterantibus* & *Laxantibus* stomachum & primas vias, est corrigenda. Modum hujus *curæ* vid. in FORESTO *l. a. Obs.* 39. & TIMÆO *von GuldenKlee in Cas. pag.* 203. Pro his scopis, si malum oriatur ex purgatione, post partum vel menstruis actu suppressis, vena saphæna fere incidi potest. Hinc inter remedia, quæ huc conducunt, ordinariò sunt & *carminativa* aromatica dicta, aliàs nota : Primatum obtinet *castoreum*, & omnia *castorina*. *Flores chamomillæ*, tam vulgaris, quàm etiam Romanæ, quacunque ratione usurpati internè & externè mirè conducunt in hoc affectu ; *Decoctum* scilicet, aut essentia, & oleum destillatum sapphirinum ex his parata : Nam conducit hæc chamomilla etiam egregiè in Inflatione uteri mox post partum, & ubi lochia suppressa crudeles minantur dolores. Addi huic chamomillæ, in specie Romanæ, potest pro varietate circumstantiarum etiam rosmarinus, *matricaria*, pulegium, salvia, &c. Decoctum calendulæ florum, chamomillæ, senecionis &c. item *radix* helenii, *zedoariæ*, *& gentianæ* ; semina itidem 4. calida majora seu carminativa, cum galanga & zingibere, ex quibus conveniens vinum medicatum ad imitationem TIMÆI *von GuldenKlee* confici potest ; macis in vino cocta, decoctum nucis moschatæ cum matricaria in vino &c. oleum destillatum macis, spiritus carminativus vel aromaticus Sylvii, vel de tribus D. *Michaelis*, spiritus aut essentia zedoariæ, item spiritus & essentia rob juniperi cum essentia castorei crebriùs usurpata, sunt egregia.

Ratione *stomachi* præ cæteris conveniunt remedia *sassafrata*, *decoctum* nempè *ligni sassafras* cum *Carminativis* haustum, & ab omni pastu assumptum *Tragema*, v. g. ex *zedoaria & cardamomo*, quibus additur *Elæosaccharum caryophyllorum*, *elæosaccharum macis*, *cumini*, *carvi*, *&c.* TIMÆUS *von GuldenKlee lib.* 4. *Cas.* 5. cum fructu usurpat decoctum ligni sassafras & ligni sancti cum seminibus anisi, fœniculi, & similibus carminativis, per integrum mensem, exhibendo sub introitum lecti essentiam zedoariæ.

Sed hæc & similia Carminativa interna per se patent.

Hisce pro scopo blandè abstergendi Purgantia amara, species hierarum, massa pilular. de hiera cum agarico, extractum elaterii subjungenda.

Externè conducunt imprimis fotus & sacculi abdomini instrati ex chamomilla parati ; in specie si fiat ex milio, & sale tosto, cui addantur postmodum chamomilla & semina carminativa : coquantur hæc in vino & aqua, & sic sacculus admoveatur regioni pubis, seu uteri extensi. Item litus cum oleo chamomillæ, castorei, lauri, &c. addi possunt. In specie præmisso Insessu seu Semicupio in decocto chamomillæ hujusmodi litus applicatus convenit, in lectum bene calidum immittendo postmodum ægrum, &c. Sunt qui cataplasma ex stercore caprino cum seminibus carminantibus in vino coctis paratum ceu singulare non citra rationem laudant. Item emplastrum de baccis lauri & gummi carannæ, malaxatum cum s. q. Balsami Peruviani aut oleo destillato baccarum juniperi, insternatur abdomini : emplastrum quoque *ex galbano & tacamahaca*, malaxatum cum *oleo destillato chamomillæ*, vel cum *oleo fœniculi*, *cumini*, macis & carvi. Expertissimum est, & quod tam à SOLENANDRO *Sect.* 5. *Cons.* 15. & HARTMANNO *Praxi p.* 27. quàm LINDANO, & aliis commendatur, suffitus nucis moschatæ per infundibulum utero exceptus. Modus utendi vid. in HARTMANNI *Prax. Chymiatr. p.* 279. *ubi de Inflatione uteri*. Convenit etiam vapor salis ammoniaci genitalibus exceptus, de quo vid. SYLVIUS M M. *lib.* 2. *c.* 21. §. 18. Aliis irritis imprimis Thermæ conducunt ad flatulentiam uteri curandam.

ARTICULUS II.

DE

UTERI HYDROPE.

POst inflationem uteri non rarò etiam Hydrops uteri seu tumor ejus aquosus fœminas decipit, ut se gravidas æstiment, qui non est adeò rarus : Vid. SENNERTUS *de Morb. mul. cap.* 11. Verùm quia de hoc Hydrope uteri confusè admodum loquantur Autores Practici, propterea doctrinæ melioris gratiâ distinguo *hydropem uteri* propriè sic dictum à *mola uteri aquosa*. *Ille*, nempè *Hydrops uteri*, est rarior : *Hæc*, sc. *mola aquosa*, est frequentior. In *illo* copiosæ limpidæ aquæ, rariùs croceæ, in utero collectæ, eum tumentem reddunt : Hic verò in mola aquosa liquor utplurimum nonnihil viscidus & subinde aquosus, membranâ inclusus propriâ, & quidem nunc unâ, nunc pluribus distinctis, coacervatus, ita ut tot vesiculas, modò majores modò minores, repræsentet, foras excluditur ; unde etiam à quibusdam *Hydrops uteri vesicalis* appellatur. Talis molæ periculosæ, seu Hydropis vesicalis illustre exemplum habet TULPIUS *lib.* 3. *Obs. cap.* 32. item SCHENCKIUS *l.* 4. *Obs. de mola.*

Hæc posterior species molæ aquosæ ad doctrinam de molis pertinet, estque, ut obiter moneam, *facta quædam conceptio*, ovique uterini impregnatio, sed in quo postmodum fuit læsa & destructa debita *conformatio*, affluente adhuc humore nutritivo, pro formatione & nutritione fœtus, qui sensim membranâ vel unâ, vel hâc disruptâ & divisâ, pluribus distinctis membranis collectus, molam vesicalem, vel aliam molam aquosam repræsentat, ut in specie de molis dicetur.

CAUSÆ.

Verum autem & propriè dictum Hydropem uterinum, quod attinet, seu copiosam aquarum in utero collectionem & stagnationem : *causæ* hujus *sunt variæ*. *Antecedentes proximæ* sunt in triplici differentia. Nempè 1. interdum conjunctus est *hydrops uteri* cum *conceptione* & gravidatione *vera*, adeoque cum *fœtu vero*, quale exemplum videbitis in DODONÆO *Obs.* 49. *in Schol.* PRIMEROSIO *lib.* 2. *c.* 7. SCHENCKIO *Obs. p.* 62. & in HILDANO *Cent.* 2. *Obs.* 56. ubi mulieri gravidæ primitus parturienti ℔xvij. aquæ limpidissimæ ante partum effluxere, ultra quam copiam aquæ ulterius adhuc ℔jx. aquæ fœtum comitatæ sunt, donec tandem ipse fœtus vegetus supervenit : Vid. etiam SALMUTH *Centur.* 1. *Obs.* 59. quod notabilius adhuc est, ubi mulieri gravidæ aquæ ad ℔iv. effluxere, qui fluxus aliquot dies continuavit, donec refocillatâ matre ipsâ sexto mense post fluxum filiolum vivum & benè valentem pareret. Talis *Hydropis* cum *gravidatione* conjuncti origo est abundantia liquoris istius limpidi & albicantis seu chylosi nutritivi, sed in talibus subiectis copioso vehiculo aquoso diluti, qui pro nutrimento & augmento fœtus affluens ad uterum secernitur, qui non totus in alimentum fœtus cedens, donec tandem uberiùs congestus talem molam constituit. Unde, uti non rarò causa est, quò minus motum fœtus mater persentiat ; Ita, ubi copiosior congestus fuerit, ruptâ membranâ extimâ fœtum cingente, aut aliquot menses ante partum, aut in partu ipso ante fœtum, copiosiùs erumpit, salvâ matre & fœtu. Forsan etiam est vitium in *vasis lymphaticis*, quibus obstructis *lympha* uberiùs congesta, molam hanc constituit. Pro *usu* ergo *Practico* observetur, si ante partum erumpat, cautus sit Medicus, ne abortum instare, aut, ut mulierculæ clamant, molam aquosam adesse, statim existimet, quin omnia prius benè perpendat, ut analepticis matremque roborantibus potius insistat, quàm temerè quipiam inchoët. In habitioribus enim fit, ut aquæ in chorio inclusæ effluant, reliquis in corpore restantibus, quod fit sine nocumento : Si verò ex amnio, abortum infert.

2. Deinde Hydropem uterinum etiam interdum inferunt menses & lochia suppressa, eaque vel planè non, vel parcè admodum fluentia, (vid. TULPIUS *lib.* 4. *Obs.* 45.) ita ut sanguis licet primò effluxerit, materia tamen ista serosa & quasi lactea, quæ hinc succedit, remaneat, cum coërcetur ; successivè congesta uterum in tumorem attollit, & *hydropem* constituit : cum quali hydrope subinde simul ex fermentatione retenti liquoris *flatus* conjuncti esse solent, adeo-

adeoque cum *Hydrope Inflatio* uteri est conjuncta. In talibus Hydropicis ordinariò postmodum fluunt menses, & tamen uteri tumor & abdominis remanet; imò observatū fuit, quod tales denuò conceperint & pepererint, & secundo demum partu copiosè effluxerint lochia cum ventre & utero detumescente: Imò non rarò fit, ut suppressa talis evacuanda materia aliò ruat, & in aliam quandam partem per metastasin congeratur, & ibi liquefiat in *materiam serosam*. Exemplum hujus est in Ephippiarii cujusdam muliere hujus urbis, in qua lochia post binos partus ex toto suppressa fuerunt: brevi post insigniter *intumescebat abdomen*, ita, ut in summitate ejus perciperet *fluctuationem aquæ*; menses tamen debitè fluebant, denuò concipiebat: tertio partu *lochia* rursus supprimebantur: *Tumor abdominis* insigniter accrescebat, quod in erecta ad genua ferè propendebat, ut abdomen in fascia gestare necesse haberet, ita, ut umbilicus sedenti versus genitalia incumberet: cætera erant plana, saltim instar sacci amplius propendans abdomen intumuerat, quem saccum quoque aquis repletum in lecto decumbens nunc ad hoc, nunc ad istud latus seponebat: candelà admotâ translucebat: Erat *hydrops omenti*: omnia lochia suppressa per metastasin erant collecta, & in hujus duplicatura coacervata per sui corruptionem in liquamen serosum alterata fuerunt ita, ut exactè ad peripheriam omenti tumor immensus in abdomine sentiretur, unde etiam nec mensium excretioni, nec conceptioni, aut partui impedimento fuerat: Hinc neque Purgantia, neque sudorifera conducebant: Suadebam paracentesin, ad quam tamen admodum erat obstinata, post moriebatur. Facit huc singulare & curiosum exemplum JOB *van Meeckern Obs. cap.* 49. qui observavit in muliere hydropem insignem, saltem collectum in duplicatura peritonæi inferiore, ex suppressis mensibus natum.

3. Denique observatur subindè hydrops uteri sine graviditatione, rariùs licet detur, quando nempè in utero colliguntur sponte quasi & subindè *à causa interna*, cumque perquam tumentem & inflatum reddunt; qui tamen utplurimum ob mensium suppressionem contumacem, aut impeditum lymphæ ex utero refluxum (vasa lymphatica ex utero vidit MEECKERN) aut simile vitium internum quoddam interdum præsupponit. Facit huc imprimis hydrops abdominis observatus ex mensibus suppressis, in quo collecta fuit materia in duplicatura peritonei: item facit huc Hydrops cornuum seu tubarum (in brutis dicuntur cornua, in hominibus tubæ) uterinarum, qualem singularissimum observat TULPIUS *lib.* 4. *Obs. cap.* 34. Forsan intelligit hydropem collectum in alis vespertilionum.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Signa hydropis uteri accuratè percenset HIPPOCRATES *de Morbis mulierum*, dum inquit: „ *Si hydrops uteri adnascatur, menses pauciores & parvi* „ *fiunt, & arte tempus deficiunt, imus venter intumescit,* „ *mammæ solidæ aliàs molliores fiunt, lac nullum habet, utut* „ *putet, se in ventre habere*. Scilicet cognoscitur imprimis hydrops uteri:

1. Ex tumore, qui primariò hypogastrium occupat.
2. Ex fluctuatione, quando tumor tangitur, aut se movet mulier.
3. Ex indolentia loci pressi, quod nullus adsit dolor seu tensio.
4. Ex insigni gravitate vulvę seu sinus pudoris à pondere materiæ incumbentis.
5. A delapso in latus secundùm motum mulieris decumbentis.

Ante omnia necesse est, ut probè cognoscat Medicus *distinctionem hydropis uteri*, qualiscunque fuerit, *à vera conceptione*; utut res sit ardua: nempè ex eo ferè suspicio est, esse *Hydropem* uteri, quando

1. *Tumor aliqualiter* distenditur juxta uteri & ventris amplitudinem, nec sit acuminatus, ut in vera conceptione; cùm *in conceptione* anteriora versus *promineat*.
2. Si mulier adultior sit, & quæ amplius non concepit, & simul sit bono faciei colore, ferè hydropem uteri innuit.
3. Si alia signa mulieris gravidæ absint, & uterus tamen intumescat, suspicio est de hydrope uteri.
4. Si decimus gestationis putatitiæ mensis sit prætersapsus, tunc etiam suspicio adest, adesse veram conceptionem.
5. Si nullus motus fœtus conveniens unquam perceptus fuerit.
6. Si mulier *sub primo gestationis* putatæ *tempore* commodè se habeat, nec alia indicia, præsertim primis mensibus familiaria, *gravidarum symptomata* non observata fuerunt. Vel
7. Si patiatur *symptomata*, & hæc *post medium gestationis tempus* non cessent, signum est, esse vel *hydropem*, vel inflationem *uteri*.

Ab abdominis vero Hydrops uteri discernitur, si color faciei est bonus, sitis nulla, tumor incipit à parte inferiore, & adscendit in medio sui versus superiora, &c.

PROGNOSIS.

Si è sola contenta lympha oritur, diuturnus quidem, sed absque periculo, esse solet: Si verò liquor contentus sit pravus seu vitiosè corruptus, periculosum malum propter varia hinc inde symptomata esse solet, quod tandem ad mortem usque deducit mulieres.

Si mulier post conceptionem hydrope uteri corripiatur, fœtus intra aliquot menses ab illuvie humorum ferè enecatur, adeoque abortu rejicitur; rarò enim ad legitimum partus tempus servatur.

Observandum quoque est, quod post *fluxum aquæ* tandem *intereant* mulieres.

CURA.

Quoad *Curam*: ubi constiterit per conjecturam esse collectionem copiosarum aquarum in utero, considerandum est, an sint *cum fœtu*, aut absque eo? Si cum fœtu, parum aut nihil omninò tentandum est, sed relinquatur mulieri aut saltem blandis *Hydragogis* sic dictis, blandè & quasi per epicrasin evacuandum est nonnihil serum copiosum. *Diuretica* non sunt tuta, quia stimulant menses, & metus est abortus. Sin verò nulla suspicio sit de fœtu, sed vel molam, vel pura liquamina adesse conjecturæ sint, tunc maturè & audacter fortioribus Purgantibus stimuletur uterus & partes vicinæ, ut aqua evacuetur, & Sudoriferis, Diureticis, & in specie remediis fortioribus *fœtum pellentibus*, urgeatur uterus ad excludendas *aquas*. Ubi verò constiterit, esse aquas, aut hydropem vesicalem, in utero, necesse est, ejiciatur.

In genere eadem remedia, & eadem methodus medendi adhibenda, quæ aliàs in hydrope ascite sunt laudata: hinc imprimis Purgantia conveniunt, inter quæ eminet extractum elaterii, quod cum *Mercurio dulci* aliquoties potest propinari. Convenit etiam radix esulę, ejusque Infusum & Extractum, item radix bryoniæ ad ℥ß. in Infuso, vel ejus syrupo ad ℥ß. Radix ireos nostratis in lacte coquatur, succus expressus propinetur. Item resina jalappæ, & resina gummi de Peru conducunt. V. g. fiat Purgatio per pilulas:

℞. *Extr. elater.* gr. xij. ad xv.
Mercurii dulc. gr. xv.
Troch. alband. vel cor. extr. gr. iij.
Cum *spiritu rorisinar. vel ess. lign.* f. Pilulæ:
D. S.
Pilulæ abducentes.

Quæ in muliere supra allegata sine molestia evacuarunt massam nigram, atramenti instar, 6. vel 7. vicibus.

Vomitoria propter nisum, quem exserunt, ferè ad omnibus commendantur: in quorum locum acres saltem clysteres, uterum simul stimulantes, etiam injiciuntur commodè; quin & clysteres uterini purgantes.

Juxta hæc, Evacuantia etiam sunt usurpanda Interna, uterum irritantia, & excretionem contentorum sensilem promoventia, aut insensibiliter discutientia: qualia sunt Decoctum nepethæ, pulegii, & cepæ albæ cum saccharo, quod copiosè expellit aquas, teste ZACUTO LUSITANO *lib.* 2. *Prax. Admir. Obs.* 144. Item borrax cum croco & extracto sabinæ succoso redigatur in bolum, quem commendat RIVERIUS: Castoreum, myrrha, crocus, aromata quæ libet, elixyr proprietatis, rosmarinus, calamintha, salvia, &c. & ex his parata remedia plura. In fine Decoctum lignorum usurpari potest; sicut ad præservationem species diacurcumæ cum vino Malvatico pro corroborando utero commendat ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Admir. Obs.* 143.

Inter.

Inter *Externa* conveniunt imprimis Pessi purgantes & stimulantes: v. g.

℞. *Elater.* ʒß.
Cum *caricar.* q. s. f. Pessus: D. S.
Pessus matricalis.
Item
℞. *Colocynth.*
Extr. helleb. nigri an. ʒß.
Pulp. caricar. pingv. ʒß. vel s. q.
F. Pessus. D. S. ut antè.

Item Injectiones seu Clysteres uterini, parati ex decocto foliorum pulegii, sabinæ, calaminthæ, &c. in aqua & urina humana coctis, Electuario hieræ simplicis impregnatis, injiciantur.

Vel
℞. *Fol. Mezer.*
Rad. ireos nostrat. an. m. j.
Coqu. in s. q. *aquæ Colatura* D. S.
Clyster matricalis.

Injiciatur in uterum pro illo stimulando ad reddendas aquas.

Præstat etiam ante horum applicationem priùs Balneis & Insessibus ex blandè Emollientibus & leniter stimulantibus fomentare uterum & genitalia ad meliorem excretionem: quibus subjunguntur Litus ex oleo irino, cheirino, laurino, destillato anisi, carvi, sabinæ: vel cataplasma imponendum tumori ex foliis & radice bryoniæ, angelicæ, ireos nostratis, cum calamintha, rore marino, satureja, additis floribus calendulæ & croco; vel ex stercore caprillo, fermento & sapone, quod suadet JOEL *in sua Praxi.*: item Emplastrum de baccis lauri, & hydropicum Augustanorum, vel de stercore caprillo cum castoreo imponi potest. Thermæ etiam sulphureæ hic locum suum inveniunt.

Rarum est, quod refertur in BARTHOLINI *Act. Med. Haffnienf. Volum.* 1. *pag.* 194. de hydrope dextræ tubæ uteri paracentesi curato.

Sed hæc & similia ex cura Hydropis antea sunt cognita.

ARTICULUS III.
DE
HYDROPE PUDENDORUM.

Propter argumenti affinitatem observandum est, gravidas subindè circa labia pudendorum intumescere, adeoque hydropem particularem labiorum pudendorum, nunc utrorum, nunc alterius, pati. In tali casu Fotus discutiens ex aqua calcis vivæ est egregius, teste LYSERO *in Obs. Cultr. Anatom. p.* 279.

CAPUT II.
DE
CONCEPTIONE IMMINUTA ET ABOLITA.

Occasione læsæ conceptionis dixi de Inflatione uteri, & de Hydrope uteri. His præmissis, pergendum est ad læsiones ipsius conceptionis ordinariæ, ita ut nunc *deficiat* in *sterilitate*, nunc quasi *augeatur*, partim in *Partu multiplici*, partim in *superfœtatione*, quando semel concepto fœtu, repetito coitu, novus fœtus concipitur.

ARTICULUS UNICUS.
DE
STERILITATE.

Conceptio læsa, ita ut rara aut etiam nulla sequatur, repetito licet coitu, vocatur vulgò *Sterilitas*.

CAUSÆ.

Hujus sterilitatis *Causæ* tantum non innumeræ, & subindè imperscrutabiles sunt: nam ex parte viri potest esse vitium circa seminis seu genituræ generationem & excretionem: ex parte fœminæ vel vitium in ejusdem vel ovario non ritè generante ova; vel in tubis uterinis angustiis, tumore obsessis, obstructis &c. (vid. VESLINGIUS *Anat. lib.* 7. *Tulpius lib.* 4. *Obs.* 43.) in utero scirrhoso, aut calloso & cartilagineo, (vid. BONETI *sepulchretum lib.* 3. *S.* 34. *Obs.* 4. §. 2. & RIOLANUS *Anthropol. lib.* 2. *cap.* 32.) non ritè fovente ova fœcundata, ipsique annexa vagina: in conceptus retentione aut excretione, &c. hinc est, quod sæpius, imò ordinariò ferè, post abortum laboriosiorem fœminæ postmodum fiant steriles: quò pertinet vitium ex sanguine ad uterum non ritè distributo. Item ex parte utriusque simul potest esse vitium absolutè, uti, & respectivè, (respectiva est certa & requisita proportio spiritus genitalis maris ad ova fœcundanda,) hoc est cum ut mas hæc fœmina, quod crebrò observatur, generare non possit, qui tamen cum alia optimè generat; & contra potest esse, ut fœmina cum hoc mare sit infœcunda, quæ postmodum alii nupta satis fœcunda fit. Nam & omnes Practici, tàm veteres quàm Moderni, in hoc unanimiter censuerunt & consentiunt, requiri certam inter marem & fœminam, quoad generationis negotium, proportionem & harmoniam, ut ovum fœminæ spiritus genitalis maris in motum ciere possit. Sed qualis hæc sit? & in quo consistat hæc proportio & harmonia? à nemine huc usque explicari potuit; Nec explicare ego id mihi præsumo. Res se videtur habere, ut scintillulæ, quæ recipiuntur à fomite: Scintillulam repræsentat spiritus genitalis maris, fomitem verò ovum uterinum: Quando ergo fomes est pinguis, & scintillula non rectè lucida, non potest concipere ignem: Sic quando spiritus genitalis minus est volatilis & activus, & ovum non ritè formatum, deficit fœcundatio.

In specie tamen magis in sexu fœmineo, quàm masculino sexu, causam sterilitatis propriè latere, ex eo confirmatur: quod major apparatus sit in fœminis, quibus variè læsis frustratur conceptus; è contrà vitium in viro sit primario unicum, & imprimis in semine lateat, ex quo vitiato generationi est ineptus: Nam membri vitia aut parum obsunt, aut facilè corrigi, aut emendari possunt. Unicum ergo vitium est in genitura maris, si aut deficiat, aut nimis aquosa ac tenuis, atque minus spirituosa sit, quod facilè ex congressu patet: qui si languidior sit, aut diutiùs cum tædio protrahatur, minus spirituosam, & ob id ferè defectuosam genituram innuit. Hinc frequentissima causa sterilitatis in maribus est, si nimis citò veneri indulgere incipiunt, & sub primis pubertatis annis crebriùs eandem exercere solent; enervantur enim ferè sic testes & ceteræ partes genitales, unde postmodum minus fœcundi tales fiunt. Fœmina è contra, quæ & concipere, conceptum fovere, & tandem excludere debet, variis ac multiformibus, & ovarii & tubarum seu oviductuum, & uteri, & vaginæ, omniumque harum diversarum partium imò totius corporis vitiis, laborare potest, utut mas optimè se habeat, & per consequens ob id conceptionem frustrari: Item sub gestatione variis infortuniis & rerum non naturalium insultibus est obnoxia, ratione cujus conceptum potest minus commodè fovere, ac retinere. Et quidem præ ceteris internis ferè & latentibus causis in fœminis accusatur defectus genituræ, qui ex modernorum hypothesi in ovulorum vel defectu, vel deficiente in uterum injectione, vel eorum ad fœcunditatem concipiendam ineptitudine, consistit. Hinc accusari solet in fœminis defectus materiæ chylosæ, ex qua albumen, ut sic dicam, seu incrementum ovi uterini, & tandem nutrimentum fœtui in utero, suppeditetur: hinc enim nutrices, aut mulieres quæ lactant, rariùs concipere solent, aut conceptum fovere, dum lactatione istâ adhuc occupantur. Par ratio est in nimis pinguibus, cum materia albuminis istius in supplementum pinguedinis suppeditetur, & ipsæ etiam minus fœcundæ observentur, cùm nutrimentum chylosum pro humectatione uteri ac fœtus nutrimento, in talibus ob corporis uberiorem nutritionem ferè deficiat: hinc ulcera manantia inveterata, aut fistulæ & fontanellæ uberiùs fluentes, massam sanguineam exhaurendo, ad sterilitatem disponere dicuntur: *conf. Sennertus l.* 3. *Prax. pag.* 946. & *Hæferus Herc. Med.* Imò macriores etiam & aridiores fœminæ, rubicundæ, &, ut vocantur, cholericæ, interdum minus fœcundæ esse solent, ex ovulorum partim ineptitudine ad fœcundationem, partim ex defectu albuminis ad ovum fœcundandum necessariæ: Ut taceam uterum in talibus, partesque genitales externas, minus aptè ad congressum fœcundum esse dispositas; hinc enim virgines adultiores non tàm facilè fœcundæ esse solent, utero talium aridiore & quasi ex succo existente, adeoque ad fomentationem ovuli minus apto. Ulterius & ipsa uteri membranosa structura vitiata, nimis

laxa sc.

laxa sc. & flaccida, & cujus imprimis orificium internum aptiùs minùs connivet, etiam insigniter ad sterilitatem disponit, quia ovula non continere, aut sinu suo fovere solet. Et hoc observare datur in mulieribus cachecticis fluxu albo laborantibus, hæmorrhagiâ uteri nimiâ ex sanguine serosiore afflictis, & similibus. Vocant hoc vulgò intemperiem uteri frigidam & humidam, aut inundationem ejus ab excrementis serosis aut pituitosis. Unde imprimis, qui albo fluxu diutiùs laborarunt, minus fœcundæ, quin sæpius steriles esse soleant. Pertinet huc conformatio vitiosa: Sic tumores orificium uteri internum obsidentes, scirrhi orificii interni, item hujus laceratio, quæ fit in difficili partu vel abortu, mulieres reddunt steriles, quatenus impediunt retentionem ovi uterini & fœtus.

Denique externa quædam à quibusdam, ceu conceptionem impedientia aut eundem jam factum tollentia, allegantur, quorum tamen fides sit penes Autores: qualia sunt, v. g. abusus borracis ante vel post conceptum assumptæ, quæ ad sterilitatem seu conceptus impedimentum disponere dicitur: Decoctum salicis junioris, aut aqua seu liquor limpidus ex salicibus tenellis incisis emanans, vel succus expressus, jejuno ventriculo aliquoties epotus, appetitum Venereum extinguere, conceptionem impedire affirmant: Item lapidis specularis seu glaciei Mariæ ℥j. in decocto salicis vel vino statim à coitu hausta ceu singulare experimentum contra conceptionem commendatur: Item mox post congressum pessus ex helleboro albo cum castoreo intrusus etiam conceptionem tollere ajunt.

Hæc de Causis conceptionis læsæ: Quas inter tamen adhuc sunt quædam latentes, & nobis à priori imperscrutabiles.

DIAGNOSIS.

Quod attinet signa: signa conjugii infœcundi cognoscere res est difficillima, cujus sit vitium? maris an feminæ? ut exindè impediatur conceptio, adeò, ut tantum non penitus sit impossibile. Equidem vitia viri, item vitia uteri externa, v. g. scirrhus uteri, ulcus, &c. facilè cognosci possunt: sed vera interna causa in muliere latens, & ista utriusque sexus ad se invicem proportio, in specie, an femina absolutè? an verò respectivè solùm cum hoc vel isto viro sit sterilis? ut à priori cognoscatur, omninò impossibile æstimo. Probam per suffitum, de qua vid. SENNERTUS *Prax. lib. 4. ubi de sterilitate*, cum sine fundamento sit, meritò rejicio; licet primam originem habuisse videatur ex HIPPOCRATE *Sect. 5. Aphor. 59.* Item quod quidam de pesso ex melanterio utero intrudendo proponunt, hoc ceu minus certum, aut omninò fabulosum, tantum institutum muliercularum arbitror. HIPPOCRATES etiam jubet alii caput derasum in utero subdi, & si postridiè odor ad os pervenerit, mulierem ad conceptionem aptam; sin minus, ineptam fore affirmat. AMATUS LUSITANUS etiam recipit coaguli leporini ℥j. quod dissolutum in aqua calida mulieri in balneo existenti propinat: Quod si sentiat dolores & ventris tormina, fecundam esse? sin minus, contra asserit. Alii pessarium ex galbano intrudunt, capite bene fumigato & circumvoluto; Si manè odor galbani ex vertice exierit, mulierem fecundam dicunt; sin minus, contra. BORELLUS *Cent. 1. Obs. 11.* observavit pilos albos in adolescentulis pene repertos sterilitatem denotasse. Alii ad probandam sterilitatem recipiunt urinam mulieris, & affundunt malo sylvestri, quæ si exsiccetur triduo, signum esse sterilitatis dicunt. Nonnulli hordeum in urina maceratum sepeliunt, si eo die germinet, fecunditatem; si minus, sterilitatem arguere putant. Alii aliis probationibus utuntur. Quatenus autem adhuc nondum planè perspicuum factum est negotium fecundationis ovi uterini, nondum causæ sterilitatis exactè determinari possunt: unde etiam cognitio sterilitatis in quonam consistat? est difficillima.

Equidem, quando mas emittit genituram largiter, & quando nullum adest vitium conformationis, mas absolvitur, & vitium est in femina, quæ mille modis potest impediri, præprimis quando adsunt conformationis vitia.

PROGNOSIS.

Prognosis, an sterilitas possit corrigi & emendari? si non impossibilis, tamen difficilis est. Certè si dependet malum à vitiis & causis manifestis, facilis est: Si verò vitia sint latentia, aut incognita harmonia & proportio in utroque sexu, cautus sit Medicus in prognosi, quia nihil potest determinari, cum in negotio adeò obscuro & dubio quoad diagnosin, etiam quoad Prognosin pariter difficultates urgeant.

In specie sterilitas, ubi uterus exulceratus, incurabilis est: Vid. HIPPOCRATES *lib. 2. Prædict. 24. & 34. & l. 1. de M. M. 7. & 11.*

Aliàs est sine periculo, quia si non alterantur vires, ad longævitatem perducit. Habitiores verò lautâ diætâ utentes, successivè disponuntur ad morbos chronicos, quibus fecundatio est salutaris.

CURA.

Cura, ut mulier fiat gravida, pro varietate causarum varianda est; sed quia hæ sunt partim manifestæ, partim verò valdè abstrusæ, neque huc usque satis determinatæ, specialiter tractari non potest. In genere tamen præmissis, ubi opus fuerit, universalibus, danda sunt ante omnia aromatica blanda, quæ utero sunt amica, ut conservetur ejusdem & ovarii tonus legitimè constitutus: hinc ad promovendam conceptionem danda sunt talia, quæ ceu Venerem stimulantia aliàs commendantur, & quæ etiam viris propinari solent: hinc subjicienda & ea, quæ per experientiam ut cognita ad sterilitatem muliebrem remedia commendantur; habitâ tamen semper simul ratione constitutionis, & craseos subjecti propriæ, imprimis, an macra? an pinguis? an sana? an cachexiâ serosâ affecta fuerit mulier? Ubi præsupponitur constitutio uteri laxa, & minus firma præ cæteris circa tempus mensium & post illos instituenda cura, & ad tempus continuanda; quia sic meliùs operantur: v. g. ante menses præmittantur universalia, totum corpus respicientia, post menses verò demum continuentur specifica utero appropriata, quæ cum in specie roborant, firmant, & ad conceptum disponunt, tam interna, quàm in specie externa: Videatur hic in specie PLATERUS *in Praxi, & lib. 1. Obs. circa finem*, ubi aliquot steriles feminas curavit, quæ cum sint elegantia, instar ideæ sufficiant; *excellit enim præ aliis.*

Quoad remedia ergo, observandum est effatum LINDANI *super Hartmannum*, qui dicit: *Sterilitas, si à nimia caliditate & siccitate sanguinis fuerit, optimè prodest lac; sin à nimia frigiditate & humiditate sanguinis, optimum est rosmarinus, maximè fœminis conducit, & sassafras.* Et quidem posterior causa frequentissima videtur; unde etiam volatilia & aromatica imprimis talibus conducunt, quæ uterum, & ejus tonum nerveum cum ovario legitimè constitutum asservant, & virtute salinâ volatili roborant; hinc præter rorem marinum, qui in mulierum sterilitate corrigenda egregius est, & ejus Decoctum ad methodum Zwelferi paratum usurpatur: de effectu rorismarini vid. etiam *Pauli in Quadrip. Bot. pag. 133.* Confert præterea salvia, lavendula, majorana, uterina selecta dicta, ut & melissa, pulegium, radix pimpinellæ, zedoariæ, galangæ, cassia lignea, macis, anthophylli, costus aromaticus, cardamomum, nux moschata, melissa, myrrha, & similia. Lignum guajacum, præsertim sassafras, est unum, quod præ cæteris ad sterilitatem muliebrem emendandam & corrigendam commendatur, in specie, si aut ad cachexiam serosam nonnihil inclinent, aut sanguine nimis seroso turgeant; unde uterus fit magis laxus. Talibus aquosioribus aut scorbuticis ad massæ sanguineæ crasin immutandam diæta sudorifera ex decocto lignorum, præsertim *sassafras*, cum aliis appropriatis instituenda, & sudores in conopeo eliciendi veniunt; aut secundùm HOEFRUM *in Herc. Med.* vina medicata, præsertim vinum infusionis ligni sassafras, item essentia lignorum, in specie sassafras, cum spiritu serpilli parata, copiosiùs & crebriùs usurpata egregiè conferunt; Unde etiam tinctura colliorum sassafrata admodum laudari solet. Nam esse ita remedia contra sterilitatem pro varietate temperamentorum immutanda, videb. in VELTHUYSIO *de Generat. pag. 119.*

Præter dicta, quæ alterationem subjecti totius respiciunt, conveniunt etiam appropriata & specifica, tàm interna quàm externa, quæ Venerem blandè stimulant, & mulieres aptas reddunt ad coitum fecundum. Quò enim voluptuosior est congressus, eò magis fecundantur; quod tamen non universale est, cum sine sensu voluptatis quandoque etiam concipiant. Huic scopo satisfaciunt nux moschata, an-

ta, anthophylli, melissa, satyrion & eryngion, item aromata, semina acria, eruca, sinapi, & similia Venerem stimulantia, quæ abundè cognita sunt. Inter reliqua excellunt quoque ambra & quælibet ambrata, ac moschus, quæ egregia sunt ad promovendam conceptionem, etiam externè post mensium fluxum cum pessis vaginæ uteri intrusa, multum obtinent contra sterilitatem: hinc ex frequenti ambræ usu fœminam. quatuor annos sterilem, fœcundam redditam fuisse testatur ROLFINCIUS *in Ord. & Meth. Sect. 6. c. 1.* Imprimis paranda essentia ambræ pro usu muliebri cum spiritu melissæ, hinc propinanda cum essentia rorismarini, vel essentia satyrii, vel cum spiritu formicarum. Confectio alchermes, species diambræ, &c. aliàs notæ, transeant. HARTMANNUS tanquam experimentum commendat sal satyrii, si à ℈ß. ad ℈j. in aqua vitæ mulierum alba, vel vino Hispanico assumatur. Ulterius etiam in viperis singulare quid latet ad conciliandam fœcunditatem; unde viperarum usus, earundem remedia, essentia viperina, aut in specie sal volatile viperinum, non erunt frustranea ad conciliandam fœcunditatem, cum notum sit, quod viperarum esus mares reddat fœcundos, aut carnes pullorum aliorumque viperis nutritorum, usurpentur à Principibus ad fœcundationem, quo remedio fœcundum se reddidit defunctus *Dux Bavariæ*: Brodium item, in quo carnes viperinæ decoctæ, conducit. Præ cæteris observationem curiosam & notatu dignam habet HELIDÆUS PADUANUS *in Obs. p. 294.* ubi in priori seculo brodio, in quo carnes viperinæ decoctæ fuerunt, unà cum columba juveni, myrobalanis, floribus cordialibus, epithymo, polypodio, anetho & similibus, curavit non tantummodò mulierem leprosam à lepra, sed præterea quoque jam quadragenariam, cum anteà semper sterilis fuisset, hoc ipso Decocto tantum & sanata à lepra, & simul fœcunda facta est: Unde hujusmodi brodio ad corrigendam mulierum sterilitatem optimè quis uti posse ait. Pulvis cancrorum fluviatilium, blando calore balnei exsiccatorum, uti abortum præcavet, ita etiam contra sterilitatem laudatur.

Juxta hæc ulterius specificè commendantur testiculi cervæ & apri, qui fuerunt secretum *Corbeii & Hartmanni*, ex quibus hic parat suam essentiam contra sterilitatem, quam tanquam singularissimam sibi propriam reservavit, quæ cum essentia satyrii *Crollii*, aut cum essentia florum anthos, laudari solet in vino generoso vel aqua spirituosa post fluxum menstruum usurpata: Vid. *Prax. ejus Chym. c. 227.* In SCHENCKII *obs. lib. 4.* porci testes laudantur. Aliàs notum est, quod matrix suilla, vel leporina, vel cervina exsiccata & pulverisata, mulieribus sterilibus commendetur. Porrò formicæ egregium subministrant remedium, uti ad impotentiam virilem, ita & sterilitatem muliebrem: Spiritus formicarum, & ex his parata essentia uterina, additis aliis specificis appropriatis uterinis, insigniter confert contra sterilitatem: unde aqua magnanimitatis & spiritus formicarum, vel cum hoc, aut cum spiritu rorismarini parata essentia testiculorum cervæ; vel essentia horum testiculorum propinata unà cum essentia ambræ post mensium fluxum, & continuata, est remedium non contemnendum: Quò etiam pertinet essentia satyrii cum spiritu formicarum parata, & flores anthos, melissæ, radix satyrii condita, cortex aurantiorum conditus, rasura eboris cum vino rubro. Quidam commendant Electuarium, factum ex priapo cervi & tauri cum floribus stœchadis Arabicæ & melle: cui ipsi Electuario convenientissimè ex formicis parata remedia addi, aut his hoc Electuarium largiter irrorari potest. Aliàs sunt etiam, qui pulverem secundinæ humanæ ad ʒj. usurpatam contra sterilitatem insigniter laudant.

Externè præter Thermas naturales, quæ sæpius observatæ fuerunt proficuæ, conveniunt contra sterilitatem, præmissâ debitâ corporis præparatione, præsertim Balnea, finitâ menstruâ purgatione aliquot diebus continuanda, parata vel ex decocto aromaticorum uterinorum, vel, quod præstat, Balnea, quibus incoctum cubile formicarum cum ipsis formicis in constitutione præprimis succulenta: vid. *Balneum Mynsichti contra sterilitatem. & Cunradi, Medlla Destill.* ubi habet egregia de Formicis. Balnea ex cicuta aliqui commendant: vid. PLATERUS *loc. sup. cit.* Sic etiam oleum formicarum volantium externè utero illitum ad conceptionem disponit. Item convenit ulterius suffitus ex appropriatis uterinis, resinis suaveolentibus & aromaticis, v. g. gummi juniperino, baccis juniperi, succino, thure, styrace, mastiche, benzoë, castoreo, gummi caranne, animæ, & similibus, post mensium fluxum frequenter institutus admodum confert. Post quem suffitum applicantur pessi uterum nonnihil expurgantes, ex alio cum oleo spicæ ad imitationem Riverii parati, item pessi ex foliis matricariæ & Mercurialis contusis, & pauco oleo spicæ irroratis, qui pessi post suffitum vespertinum applicati per noctem postmodum retineantur. BORELLUS *Cent. 1. Obs. 29.* pro secreto communicat, si mulieres steriles, modò à vitio conformationis non dependeat sterilitas, antequam virum accedant, placentulam menthastri vulvæ imponant, coronæ instar effigiatam, idque sub fine menstruarum purgationum fieri debere; uti *sequenti Observatione* herbæ clandestinæ potentiam ad sterilitatem arcendam mirè deprædicat. Inunctio etiam glandis membri viriliscum balsamo apoplectico, vel cum zibetho, vel moscho, ante congressum; quò uti utrique coitus redditur voluptuosus, ita mulieribus sub voluptuoso congressu ad promovendum conceptum non parum confert. Ulterius sunt, qui inungunt regionem uterinam seu pubis cum oleo cheirino, irino nucistæ expresso, & oleis destillatis, ut nucis moschatæ destillato, majoranæ, spicæ caryophyllorum, macis, melissæ & similibus, styrace liquidâ exceptis, & pro balsamo usurpatis: sicuti etiam emplastrum ex mastiche, tacamahaca, caranna, cum Balsamo Peruviano subactum, alutæ superinductum, & regioni uterinæ supra juncturam impositum, pro utero confortando sterilibus non inutiliter suadetur.

CAPUT III.

DE

CONCEPTIONE AUCTA.

HAbuimus in superioribus de conceptione deficiente, ex qua etiam facilè possumus judicare, quando rariùs contingit conceptio. De *aucta* non opus est, ut multa addam, quia ordinariò aut gemelli aut trimelli, rariùs plures unâ vice excluduntur Fœtus: Pergo potius ad

CAPUT IV.

DE

FORMATIONE FOETUS LÆSA.

NOtum est, quod, postquam concepit mulier, successivè in ovo uterino fœcundato formetur fœtus, qui corpore aut est similis speciei humanæ, aut est dissimilis: Similis est, quando ab hominibus generatur homo perfectus, sicuti ab equis equus, à canibus canis, & est formatio naturalis: Verum si dissimilis, est formatio præternaturalis, quæ ad duo capita referri debet, nempe

1. Ita dissimilis est speciei parentum, ut ad certam aliam quandam viventium speciem, sed vitiosè formatam, accedat, à qua etiam primariò denominationem habet, & tunc vocatur monstrum; sic v. g. est monstrum humanum, monstrum caninum &c. Vel
2. Ita vitiosè conformatum est id, quod loco fœtus ex utero prodit, ut ad nullam certam speciem viventium corporum propriè referri possit, & tunc Mola appellatur.

ARTICULUS I.

DE

PARTU MONSTROSO.

P*Artus monstrosi* sunt, quando animalia perfecta à mulieribus ex utero excluduntur, dum nempè imaginatione seductæ alia animalia, e. g. mures & ranas, in utero formant & pariunt: qualia exempla observat BORELLUS *Cent. 3. Obs. 73.* sicut SALMUTH *Cent. 1. Obs 65.* refert, mulierem mures admodum horrentem, molas exclusisse, mures repræsentantes: sic molas instar ranarum ejectas notat AMATUS LUSITANUS *Cent. 1. Curat. 27.* ranas enixas, quod in quibusdam Regni Neapolitani locis familiare esse, ex *Antonio Torquemata* DELRIO *Disqu. Mag. lib. 2. Quæst. 7.* item avem mordentem vivum cum fœtu editum, qui fœtus partem absumpserat, in Comitissa Mansfeldia observat

SAL-

SALMUTH *Cent.* 1. *Obs.* 66. In SCHENCKIO *l.* 4. *Obs. ubi de Mola*, sunt exempla mulierum, porcos, leones, canes, serpentes, astacorum copiam, &c. edentium: gliris à puerpera editi exemplum habet BARTHOLINUS *Cent.* 1. *Histor.* 10. molam volatilem vivam, aliaque animalia excreta ex utero, videb. in M. A. N. C. nec non *Ann.* 1. *Observat.* 1. *Schol. pag.* 12. nec non *Ann.* 3. *Observ.* 16c. *pag.* 255.

CAUSÆ.

Monstrorum horum *Causæ* consistunt simpliciter in imaginatione materna, quod sufficienter explicavi in *Colleg. Institut.* si enim ex imaginatione materna fœtus capite canino aut felino, aut pede equino, generari possunt, qualia non raro prostant exempla, quidni etiam totius corporis formatio ita transformari, & in alia animalia monstrosè compingi possunt. Verùm cùm partus hi monstrosi, qua tales, sub Praxin medicam non cadant, sed ad Physiologiam potius pertineant, pauca de his datâ occasione dixisse sufficiat. Pergo igitur ad

ARTICULUM II.

DE

MOLA.

Mola ita dicitur à pondere, dum quasi moles quædam incondita fœminæ uterum premit, malèque afficit: Germanis dicitur *Ein GeWaechse, ein Mutter-Kalb, ein Monden-Kind &c.* quas quidam adhuc pluribus inter se distinguunt, sed citra necessitatem. *Est nempè mola massa quædam informis in utero, ex conceptu vero loco fœtus ordinarii genita, & ita malè formata*, ut ad *nullam certam animalium speciem referri possit*; unde à mola excludo animalia perfecta ex utero exclusa à mulieribus, quæ non tàm ad molas, quàm ad monstrosos partus jam allegatos revoco.

Ex conceptu verò molas fieri in definitione dixi: Excludo ergò hic virgines & viduas, quæ, qua tales, sine viri societate molas patere non possunt. Reperimus quidem multos Autores, qui asserunt, virgines & viduas, castas licet, molas ferre ex sanguine menstruo & semine proprio, instar gallinarum, ova hypomenia seu subventanea citra galli contactum parientium: vid. HOECHSTETTERUS *in Obs. pag.* 293. & KERCKRINGIUS *in Spicil. Obs.* 81. quod tamen falsum est: Et mulieres, quæ sine mare ferunt molas, sunt meretrices. Nam utut verum est, quod ovipara generent ova subventanea, citra galli benedictionem infœcunda, nihilominus tamen hoc in nullo viviparorum genere vel specie observatur, ut sc. aliquid tale in se generent, citra prægressum maris congressum & contactum: Unde nec homini hoc solùm tribuendum est citra necessitatem, quod nulli viviparorum speciei convenit: Et ob id etiam raræ sunt adeò molæ inter virgines & viduas, licet multas & annosas observatæ: Quæ (2.) si naturaliter citra viri adjumentum generentur, quidni, quæso, essent frequentiores saltem in brutis aliàs ordinariò multiparis, uti in canibus, felibus, avibus, & similibus? Deinde (3.) etiam est differentia inter molas, dum quædam ejiciuntur animatæ seu potius vitales, & motu vitalitatem & animalitatem testantur, cum edant motum exercitum, & actu secundo & vitali animali gaudeant; quædam verò sunt non vitales: Sic SALMUTH *Cent.* 3. *Observ.* 98. refert molam viventem, se moventem: sic pariter ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax Admir. Observ.* 144. refert molam carneam mirabilem viventem, tribus oculis rejectam. Jam ergo, si citra viri consortium generaretur mola, unde quæso vitalitas? Nam ova subventanea seu ova hypomenia, & quæ citra fœcundantis galli contactum excluduntur, nunquam vel tantillum vitalitatis exhibent, quin potius sub incubatu putrescunt brevi, & corrumpuntur. Ergò solæ saltim erunt vitales molæ, quæ à mulieribus maritatis excluduntur. Virgines verò suppositæ saltem non vitales excluderent molas. Jam verò (4.) falsum est, esse molam ullam non vitalem, i. e. quæ nec in utero vitam habuisset, licet vel ante exclusionem, vel sub exclusione ex utero, vitalitatem amiserit, cum etiam sæpè diutiùs informes molæ in utero gestentur, quæ postmodum citra ullum vitalitatis signum excluduntur: Sanè talis substantia omni vitalitate orbata citra sui corruptionem & putrefactionem tamdiu in utero persistere nequiret (nisi in scirrhosam duritiem, vel simile concrementum durius & siccius abeant; tales enim molas esse, quas per plures annos subindè mulieres in utero gestant, probabile est, & confirmatur ex PARÆO, qui *lib.* 2. *cap.* 34. refert, quandam fœminam totos annos 17. molam scirrhosam utero circumtulisse) cum etiam infans verus, quamdiu vivit, citra corruptionem in utero hæreat; simul atque verò moritur, si diutiùs paulò retineatur, ad corruptionem & putredinem breviter tendit. Par ratio etiam est cùm secundina uterinaque placenta, quamdiu est fœtui viventi in utero juncta, ejus vità communi fruitur, tamdiu sana & salva perstat; simul verò atque separato fœtu illa in utero remanet, vitalitate spoliata corrumpitur & putrescit. Ut taceam molas omnes à parvo principio per veram nutritionē & augmentationem successivè accrescere, item conformari plus minus, licet vitiosè, videamus molas, quæ operatio vitalis citra vitæ possessionem exequi nequit: Sic HORSTIUS *in Observ.* refert molam muris formam referentem, à virgine in lucem editam: Sic mola bufonem referens refertur ab HOEFERO *in Herc. Med. pag.* 344. Ex quibus dictis concludo: non dari molas non vitales, aliàs putrescerent, & dum sunt vitales, non esse ova hypomenia, sed vera: Molas ergò quascunque nullo modo neque à virginibus, neque à viduis citra viri consortium excludi aut generari posse. Plura quoad hanc controversiam videb. in SENNERTO *de Morb. Mulier. cap. de Mola*, ubi, quod sanè miror, viduis castis molas citra viri contactum concedit, non verò virginibus, cum tamen viduæ cum virginibus pari passu ambulent. Rigorosè satis pro nostra parte stat PAULUS ZACCHIAS in eruditis propter copiam rerum *Quæst. Medico Legal. lib.* 1.

Molæ hæ Germanis vocantur *Ein Sonnen-Kind*, *ein Mutter-Kalb*: item quibusdam *Mond-Kinder*: Dicunt namque obstetrices, si mas post coitum emittat urinam, ut radii lunares tangant membrum virile, generari molam. Ordinariò verò vocantur *ein GeWaechse*; utut quidam rigorosè inter has tres molas, tanquam tres species distinctas, distinguere velint, quod tamen superfluum. Observandum autem, non confundendas molas propriè sic dictas cum excretis aliis ex utero: siquidem subindè quædam feminæ, declinante mensium fluxu, aut etiam alio tempore, excludere solent ex genitalibus massam apparenter carnosam, quæ etiam reverà nihil aliud sunt, quàm majores grumi sanguinis firmiùs coagulati, utut sine textura carnosa aut membranosa, qualis in molis observatur: Sic pariter observantur feminæ, quæ quavis menstruatione excludunt parva corpora quasi membranosa, quæ quidem pro pituita viscida condensata habentur, quæ forsan ovula sunt ex ovario matura, sponte suâ in uterum per tubas decidua. Conf. huc MAURICEAU *de Mulier. Morb. lib.* 1. *c.* 10. Et hujusmodi rejectanea, quæ non sunt molæ, tàm virginibus, quàm maritatis sunt communia.

Conjunguntur molæ propriè sic dictæ utplurimum, non tamen semper, cum fœtu vivo & vero: imò refert KERCKRINGIUS *Spicil. Anat. Observ.* 65. infantem molæ inclusum repertum: & interdum unà cum fœtu, aut brevi post, interdum etiam aliquot menses vel septimanas ante fœtum, excluduntur, ipso fœtu adhuc in utero subsistente, & suo tempore in lucem emergente: Id quod fit imprimis, si ex quocunque accidente mola moriatur; tunc enim ceu excrementitium, à consortio vitalitatis proscriptum, ex utero ejicitur, vivo subsistente fœtu. Interdum post fœtum & secundinas prodeunt, fœtu legitimè constituto; frequenter tamen occasione molæ fœtus abortu rejicitur: Interdum mola fœtui juncta huic nutrimentum subtrahit, unde sanguisuga dicitur; vid. BARTHOLINUS *Act. Haffniens. T.* 1. *Observ.* 26. & LEMNIUS *de occult. Nat. Mirac. c.* 8. Quæ verò sunt absque fœtu molæ, interdum diutiùs admodum in utero subsistunt, & ipsi firmiter accrescunt aut, saltem in scirrhosam similemve duritiem degenerant, ac cum mulieribus consenescunt, quas tandem trucidare solent.

CAUSÆ.

Quod ergò *Causam proximam* attinet, & Generationis modum in mola, res perquàm intricata est. Qui veterum vestigia, imprimis HIPPOCRATIS *l.* 1. *de M. M. & de sterilitate*, legunt de Generatione fœtus ex seminibus utriusque sexus mistis, & sanguine menstruo, indeque molam ex sangui-

sanguine fœminæ copioso; & semine utriusque sexus, in specie virili, pauco vel debili, generari asserunt, illos suo sensu abundare permitto. Qui verò ex Harvæanis aut Hornianis & Graafianis principiis de ovo uterino generationem molæ explicare vult, is videat CLAUDIUM *de la* COURVEE, *Medicum Regis Poloniæ, Tract. de Nutrit. Fœtus in utero P.* 3. *cap.* 4. qui de mola optimè explicat originē & generationem molarum. Nempè quoad rationem conceptus nulla est differentia inter verum conceptum, qui dat fœtum, & inter conceptum, qui dat molam, sive in principio, sive in progressu formationis hoc ipsum fiat: sc. inter duplicem membranam, amnium & chorium, fœtus tàm perfectus, quàm ejus rudimenta, continentur: Amnion quidem tenuior est membrana, quæ tanquam munimentum est, in quo & fœtus formatur & etiam custoditur, ne humor albugineus nutritius affatim ex chorio irruat in colliquamentum ovi, & incboatam tenelli embryonis delineationem & formationem omninò interturbet. Si igitur fiat, ut lædatur ista interna amnii membrana, quæ tanquam monumentum est, indeque fiat liquorum amborum inordinata confusio, exinde impeditur formatio, & ex confusione istorum humorum, nempè nutrimenti, & ex quo & in quo formatur fœtus, loco fœtus perfecti emergit hinc tandem moles talis incondita & inconcinna, quas molas vocamus; quæ tamen nunc proprio motu secundùm agentia & patientia naturalia oriri, nunc à superveniente imaginatione materna, ejusque forti impressione sub ista incondita forma, figuratione plus minus quadam certa, & charactere sæpius rudi, insigniri tandem solet: Sic enim refert FORESTUS *in lib.* 28. *Observat.* 67. de muliere, quæ molam carneam cum capite & quasi rostro cujusdam aquilæ conformatam ejecit, cujus rictus cartilagineus utrinque diduci potuit, natam ex imaginatione matris, sc. cum antea monstrosas figuras similibus capitibus depictas adspexisset: PLATERUS *lib.* 3. *Prax. pag.* 898. molam vidit, stellam arboream marinam perfectè repræsentantem: Molam figuram capitis ouilli æmulantem, habet BARTHOLINUS *Cent.* 4. *Histor.* 48. Molam, quæ maris figuram repræsentauit, uideb. in HORSTIO *lib.* 5. *Observ.* 39. & SALMUTH *Centur.* 1. *Obser.* 65. refertque DIVERSUS *in Annotat. in Altom. cap.* 112. se nouisse mulierem, quæ 3. molas ad similitudinem pudendi uirilis formatas peperit: MATTHÆUS *de* GRADIBUS *in cap.* 9. *Rhasis* vidit bis vel ter frustum aliqualiter figuratum: Conf. GARMANNUS *in Dissert. de Gemellis & Partu numeroso c.* 1. §. 1. Exemplum quoque KERCKRINGIUS *in Observ. anat. Observ.* 95. *pag.* 184. adducit, cui anno 1669. Amstelodami ab obstetrice quadam 9. Februarii mola corporis formâ instar cyprini exhibita fuit, in bifurcatam caudam desinens, capite & ore perforato Cyprino simili, & in medio molæ ventre infans perfectè efformatus, quantus solet unius mensis fœtus esse: Simile exemplum etiam ALEXANDER BENEDICTUS *lib.* 25. *cap.* 29. *de Cur. morbor.* refert. Quod si ergo liquores hi confundantur, & formatio fœtus interturbetur sub primis gestationis mensibus, in principio nempè conformationis, tunc humores isti albuginei confusi, & vel unà chorii membran- communi, vel ex rupto amnio, quasi pluribus membranaceis particularibus capsulis muniti, dant molam istam aquosam vesicularem, de qua vid. LOSSIUS *lib.* 4. *Observ.* 167. & TULPIUS *lib.* 3. *Observ.* 32. & *superiùs*, *Sect.* 5. *Artic.* 2. *Capit.* 1. *ubi de Hydrope Uteri*. Sin verò talis humorum confusio & formationis interturbatio tardiùs fiat, cùm stamina sanguinea sint efformata, & sanguis copiosus genitus sit, tunc utplurimum mola sanguinea & carnea, quasi parenchymata viscerum repræsentans, apparet. Si denique adhuc longiùs protrahatur talis humorum confusio, & ubi jam in fœtu stamina fibrosa nervorum fuerunt deducta, & spiritus animales geniti ac distributi, tunc motum simul quendam, interdum ordinatum, interdum palpitantem tantum, nata hinc mola obtinere solet. Imò in tali mola interdum etiam unum alterumve membrum, v. g. os, nasus, oculi, aut cerebrum, aut parenchyma quoddam, exactè satis jam elaboratum deprehenditur. Nempè sunt sanè membra & viscera fœtus tenella juxta se quidem posita, sed minus firmiter connexa, & quæ non, nisi ultimo gestationis tempore, cute ac tegumentis membranaceis firmiter investiuntur: unde confuso humore chorii crassiore cum liquore amnii tenuiore, facillimè formatarum partium solidarum tenellarum translocatio, confusio, & tandem extensis jam firmiter vasorum sanguifluorum canalibus tenuibus aliqualis sanguinis circulatio, & sic molæ inconditæ nutritio, & informis plus minus augmentatio, contingere potest, donec mola insignis & variformis emergat.

Negotium hoc ulterius declarant ova fœcunda gallinarum, quæ ipsa vel ante incubatum, vel dum jam aliquandiu fuerint incubatu fota, si talia, inquam, ova fortiter concutiantur vel agitentur, impeditur fœtus formatio, & nullus exindè excluditur pullus, confusis & permistis invicem vitelli & albuminis liquoribus, aut translocatis ex toto sub vitio conformationis partibus tenellis jam nonnihil formatis, pullus imperfectus in testa reperiatur. Hinc etiam est, quod tonitru forte, dum gallinæ incubant ovis, debitam conformationem impediat, aut pulli moriantur, ac ova, licet fœcunda, tamen ut corrumpantur, efficiat, à simili ovorum, in eorum sc. testis, concussione & confusione oritur: Unde etiam sub fervido æstatis tempore minus solent feliciter excludi pulli, propterea, quia ab aëre subtili & calore ambiente humores facilè colliquescunt & confunduntur, & ita formationem pulli turbant. Simile si fiat in conceptu seu ovo humano, facilè hinc frustratur formatio, & hinc molæ, vel aquosæ, vel carnosæ, vel sanguineæ, vel denique ruditer, plus minus licet, in varias figuras formatæ, generatio sequitur: Vid. HARVÆUS *de Gener. animal. cap.* 16. Quod verò subindè cum fœtu deprehendantur molæ, fieri videtur, quatenus vel gemellorum, pluriumque fœtuum conceptio simultanea, aut saltim superfœtatio facta fuerit, aut aliâ ratione plurium ovulorum sub congressu fœcundo, aut uno aut pluribus, exclusio contigerit, inde ovum unum in fœtum perfectum successivè adolevit, cæteris impeditis, & sub formatione inchoata quacunque occasione vitiatis, in molam degenerantibus.

Causæ remotæ, quod generetur mola, sæpissimè sunt in matre, & subindè externæ: sic interdum ex inconcinno motu matris, aut ventris nimia percussione, aut saltu, vel casu, aut ira, aut aliis gravioribus animi pathematibus, formatio conceptus impeditur, membrana amnii dissolvitur, humores confunduntur, & ita molæ oriuntur. Item iis, quæ sunt salaciores, aut quæ subindè pariunt gemellos, non rarum est, quod cum fœtu prodeant molæ, ubi sub congressu plura ova fœcundata, unde alter magis, alter minùs fœcundatur. Allegantur etiam hìc à quibusdam mulieres fervidiore sanguine præditæ, unde aut colliquescunt humores, & extra debitam consistentiam abeunt, & ad conformationem inepti fiunt, membrana amnii adhuc tenera rumpitur, ac ita humores ovi uterini distincti inordinatè confunduntur, sicque formationis negotium interrumpitur, ut fiant molæ.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: molam ritè cognoscere, & à vera gravidatione discernere, difficile est, & res accurato scrutinio digna: vid. FORESTUS *lib.* 28. *Obser.* 62. Equidem mola sine fœtu faciliùs cognoscitur, quàm quæ cum fœtu: In specie primis mensibus, aut ante quartum mensem, aut medium gestationis tempus, vix minima ejus præbetur suspicio.

Signa autem, quæ molam produnt, mense quarto, vel instante proximo, magis innotescunt, quæ inter imprimis sunt:

(1.) Motus, qui latentem molam nonnihil manifestat; nam fœtus tunc moveri successivè incipit, primò motu pulsatorio, qui magis fit validior successivè, quod non fit in mola. Hæ enim si adsunt, vel nullum motum sensibilem edunt, vel si aliquem habeant, ipsæ mulieres illum facilè à motu genuino fœtus discernere valent: Nempè ante tertium mensem tremulus saltem, minus validus & palpitatorius est, vel constrictorius & dilatationis saltem: vid. RIVERIUS *Cent.* 2. *Observ* 100. Non verò in omnem situs differentiam, ut in fœtu perfecto accidit, qui interdum calcitrando firmiùs se mouet, & tumorem quasi facit. Interdum etiam insignes motus obseruantur sub præsentia molæ, qui tantum sunt uteri, non uerò molæ contentæ: sunt nempè species motuum conuulsiuorum matricis irritatæ à mola, non uerò ipsius molæ, cum interdum obseruentur fœminæ cum motibus adeò uiolentis, quasi plura animalia in eodem essent uentre: Vid. hic MAURICEAU *suprà citatus*.

(2.) Si jam fœmina de latere in latus se uertit, mola pariliter etiam ratione in latus, in quod decumbit mulier, instar lapidis, & insignis ponderis dorsum prementis, impetuosè uoluitur; quod longè majus sentiunt, quàm dum in

utero

utero fętum perfectum gestarunt, cum in legitima grauidatione fętus citra talem ponderis motum in utero firmiter expanso, quocunque se moueat mulier, ferè eundem situm obtineat. Hinc etiam ponderis major sensus percipitur, & quasi incumbit utero, dum gestatur mola, quàm quando gestatur fętus verus; & istud pondus deorsum versus vulvam premit in gestatione molæ, quod non æquè fit in fętu vero, qui potius in ventre sine molestia gestatur, nisi ultimo mense, circa tempus partus, ubi magis ad inferiora declinat &c.

(3.) Si tempus motus fętus, mensis nempè quartus vel quintus gestationis, præterierit, & nihilominus nullus motus in utero percipiatur, interim verò venter intumescat, nec tamen vel hydropis ascitis, vel hydropis uterini signa adsint, molæ latentis indicium est.

(4.) Fętus uerus à mola uentris figurâ discernitur. Nam in fętu uero uenter præsertim ad umbilicum uersus attollitur & protuberat, uersus latera nonnihil coarctatur: In mola uerò uenter non antrorsum uersus apparet turgidus, sed potius ubique tam ad latera, quàm anteriora, circa hypogastrii imprimis regionem intumescit, & in omnem dimensionem æqualiter attollitur, & quasi globulus seu massa in utero & lumborum regione posita tactu percipitur.

(5.) In ritè grauidis quamplurimis, in specie habitioribus, lac uerum circa quartum mensem aut medium gestationis tempus subindè generari incipit: in mola uerò mammæ raro intumescunt, aut utut intumescant, tamen uerum lac non generatur, sed cruda saltem quædam massa & liquamen seroso-excrementitium ad mammas deriuatur, & ex iisdem effluere solet, quæ successiuè denuò euanescit.

(6.) Molam dolor quidam in utero, punctionis sensum inferens, subsequitur, teste FORESTO *lib. 28. Observ. 61.* & punctiones has dolorificas subindè molestas, peculiares molæ carneæ esse notas, quibus eam à uero conceptu distinguere queamus, asserit SCHOLZIUS *in Consil. 355.*

(7.) Grauiora molas, quàm uterum uerum gestantes, mulieres habent symptomata, præsertim minus coloratæ & pallidiores quasi cachecticæ apparent, uiresque magis prosternuntur, ac cachexiæ similia, circa uniuersi languorem, difficilem respirationem, decolorationem, &c. patiuntur: in uerè autem grauidis medio gestationis tempore symptomata grauia remittere solent.

(8.) Si post decimum mensem, adeoque præterlapso tempore partus legitimo, uenter adhuc tumeat, nec hydropis & inflationis signa adsint, de mola suspicio adest, quæ postmodum successivè magis magisque se prodit, quò diutiùs in utero ita retinetur. Et dum

(9.) Gravidis menstrua Purgatio omninò cessat, plerumque molam gestantibus ex intervallis, tertio quovis mense, vel etiam longioris temporis intercapedine effrænes uterini fluores sanguinei fęminis superveniunt, sed colore vitioso: id quod minus convenit in vera fętus gestatione, si est sanus, vel uitalis. Interdum quoque per aliquot dies mictio laboriosa & dolorifica est, ægrèque procedit. Item tempore mensium consueto grauidæ neque dolores neque tensiones percipiunt, sed potius tantùm fortiorem motum fętus; contrarium verò fieri solet in mola. Quibusdam menses fluunt, utplurimum verò hi ipsi, non secus ac in legitimè gravidis, suppressi sunt.

Hæc signa faciliùs apparent, ubi mola est sola, & citra adjunctum fœtum verum, ex quibus probabilia eruantur, ut præsens mola cognoscatur. Mulieres gravidæ semper solent optimè de se sperare; unde etiam, nisi varia adsint symptomata, difficulter iisdem potest persuaderi, quod gestent molam. Quod si fœtus verus & vivus sit conjunctus, quod interdum fit, hoc difficiliùs omninò cognoscitur, nisi forsan ex quantitatis pondere, ventris mole majore, ac symptomatibus gravioribus distincta singularis, quoad motum ab uno latere in alterum, & similia alia supervenientia signa, suspicio oritur.

In genere cognoscitur rectissimè mola ex pondere & gravitatis sensu in utero, & ex motu ejus, quem ægra, dum se erigit, vel ambulat, vel de latere in latus movetur, percipit. Si ergo hæc conjectura adest, relinquatur mulier usque ad tempus partus.

Qua ratione autem mola & fœtus simul probabili conjecturâ possint cognosci, conf. SENNERTUS *lib. 4. Prax. ubi de Mola.*

PROGNOSIS.

Quod *Prognosin*: Mola semper periculosus affectus est, matrem lædens, & multa symptomata, tam cum retinetur, quàm cum excluditur, inferens, cujus occasione dum retinentur menses, tam uterus quàm universum corpus exindè insigniter læduntur.

Quò citiùs ejicitur mola, eò melius.

Quò major eadem, vel diutiùs retinetur, eò majus periculum imminet, & interdum in asciten lethalem degenerat: vid. FORESTUS *l. 28. Obs. 62.* HILDANUS *Cent. 2. Observ. 55.*

Interdum tamen etiam celeri satis morte enecat; vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib. 3. Princ. Hist. cap. 16. Observ. 2.* aut si prodeat, dolores acerbissimos, hæmorrhagias, aliaque symptomata periculosa excitat, & egrediendo enecat.

Si verò in plures partes divisa fuerit, minus periculi affert, cum successivè frustula aliquot diebus aut mensibus interjectis ejici soleant.

Si fœtui mola jungatur, eum vel enecat, vel insigniter lædit, sæpiusque causa est, ut mulier abortiat; aut si cum fœtu excluditur, partum laboriosum facit. Curiosum est, quod refert SALMUTH *Cent. 1. Obs. 66.* de ave mordente cum fœtu edito, qui fœtus partem absumpserat.

Si est citra fœtum, quando corrumpitur antequam ejiciatur, putrescendo uterum inquinat, ac ad similem putredinem disponit: quod quidem perquam rarum est, observatum tamen à SCHENCKIO *lib. 4. Observ. ubi de Mola.*

Molæ si hydrops uteri junctus sit, ferè lethalis est, cùm duos gravissimos morbos vix superare possit mulier, quin jugulent.

Molæ solæ, si non corrumpantur, & inalteratæ persistant, subindè pluribus mensibus, quin & 2. 3. imò etiam decem annos in utero hærent citra gravidationis læsionem, & cum eadem consenescunt, imò matrem usque ad mortem comitari solent, utut non sine insigni mulieris nocumento, & successivè viribus languescentibus matrem propriam jugulent.

Si excludantur tandem spontè, quod rarius est, vel medicamentorum vi per artem, cruciatus insignes, & imprimis periculosæ hæmorrhagiæ uteri, supervenire solent.

CURA.

Quod ergo attinet *Curam*: In ea observandum est, ante omnia, quantum possibile, antequam ad Indicationes procedatur, an mola sit conjuncta cum fœtu? an verò sine eo? Si mola est cum fętu perfecto, nihil temerè agendum est, sed saltem abortus præservandus, & hujus exclusio expectanda; tunc enim utplurimum simul ejicitur mola. Ubi verò observandum, subindè placentas uteri insignes grandævas, aut variformes, haberi subindè pro molis, quod tamen non est. Aut si præter spem retineatur, tunc demum vel manu Chirurgica, vel ope Pharmaceutica extrahenda aut expellenda erit. Sin verò sine fętu suspicio adsit, id quod imprimis fit, si ultra 10. menses, aut ultra annum integrum in utero persistat, tunc opera danda est, ut quantocyus ejiciatur, ne diuturnâ morâ vel fiat grandis, vel matrem gestantem lædat. Ob id ergò omnia fortiora menses pellentia, & partum difficilem promoventia, & denique omnia fętum mortuum ejicientia, usurpanda sunt. Conveniunt ob id eadem M. M. eademque remedia, quæ in partu difficili, fętu mortuo, secundinis retentis, mensibusque suppressis, usurpantur.

Ut ergo hoc fiat, præmittantur quædam Præparantia, hinc pellentia. inter Præparantia Insessus, Balnea, Fomenta, Inunctiones & Clysteres alvini & uterini, & similia ex Emollientibus & Laxantibus parata. Scil. Insessus in Decoctis plantarum emollientium, laudantur: Clysteres uterini ex oleo; alvi ex lacte, solent laudari: Fomenta uteri ex oleo & lacte applicanda, & quæ sunt aliàs satis cognita, & de partu alibi recensebuntur, quæ vias laxant, uterum ejusque fibras, ac ambientes membranas, molliores, flaccidiores, & tractabiliores & distensioni aptiores reddunt. Præparatis sic viis, convenit venæsectio, primò in brachio, postmodum in pede. Post hanc in usu sunt Vomitoria ualida, cùm potentia sint ad excludenda in utero contenta; siue sint antimonialia, quæ sunt optima, seu uitriolata,

Inter quæ est sal vitrioli vomitivum, quæ minus sunt commoda. Juxta hæc præscribantur Purgantia fortiora, quæ, uti notum est, simul potenter uterum stimulant, & ad ejectionem contentorum disponunt: qualia sunt pilulæ fœtidæ, pilulæ de hiera cum colocynthide, aut ejus extractum, species Diaturbith cum Rhabarbaro: Item Decoctum sennæ, pulegii, sabinæ an. M. ß. in sero lactis, ad aliquot dies haustum, ad imitationem RULANDI *in Thesaur. pag.* 300. quo Decocto aliquot molas ejecit: Item extractum & remedia ex helleboro nigro & colocynthide, & similia Drastica cetera interne usurpanda. His subinde addantur pellentia menses, fœtum & similia, imprimis ex ruta, artemisia, pulegio, sabina, bryonia, gentiana, asaro, anetho, & similibus: Ex baccis item juniperi, ex semine nigellæ, ciceribus & similibus, quibus commode aqua spirituosa seu tinctura in magna copia, & similia ex cinnamomo & canella remedia adduntur; Nam hæc potentia sunt ad promovendam ex utero excretionem: Decoctum anethi & rutæ in vino secundum FORESTUM *lib.* 28. *Obs.* 61. Essentia & oleum caryophyllorum, & pilulæ de sabina Mynsichti, hic etiam locum habent: item Decoctum ac oleum destillatum sabinæ cum aliquot guttulis olei destillati caryophyllorum cum saccharo in Elæosaccharum redacta, diutius continuata, stimulum potentem inferunt: Vel fiat pulvis ex borracis, myrrhæ, castorei ana part. æqu. addito sale volatili succini; de quo pulvere ʒß. in aqua cinnamomi quotidie semel aut bis repetitis vicibus assumatur. Pertinet huc asa fœtida; aut fiant pilulæ ex trochiscorum de myrrha ℨj. ad ʒj. cum gran. iij. euphorbii, cum essentia myrrhæ, quæ pro 3. dosibus per 3. dies successive hauriantur. Præ reliquis experimentum est pulvis secundinæ blando igne exsiccatæ ad ʒj. in aqua cinnamomi aut alia appropriata propinatus, *specificum* est *Hartmanni in Prax. Chymiatr.* commendatum insigniter à LINDANO, & adhuc usitatum SYLVIO. Est singularis hæc secundina ad præternaturalia ex utero pellenda. Spiritus secundinæ per putrefactionem est optimus. ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Prax. Admir. Obs.* 145. ceu experimentum commendat pilulas ex euphorbii ʒj. cum syrupo artemisiæ paratas; Nam & hæ potenter expellunt. Hæc & alia aliquandiu interne continuanda sunt, donec provocetur successive uterus ad molæ exclusionem.

Hisce internis simul addantur *Externa*: Externe ergò præter clysteres fortiter stimulantes & menses provocantes acriores, aliaque vaginam uteri & orificium uteri internum irritantia, & spasmum promoventia, usurpanda sunt. Hinc fiant Clysteres al vini, imprimis ex pulegio, matricaria, sabina, pulpa colocynthidos in nodulo ligata, ac similibus injiciendi: Vel fiat Clyster uterinus sequens:

℞. *Herb. artemis.*
Sabinæ an. m. j.
Sal. tartari ʒß.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℥iv. vel ℔ß. adde
Ess. myrrhæ,
Asæ fœtid. an. ʒj.
Castor. ʒß.
Olei laurin.
Irin.
Lil. albor. an. ʒvj. ad ℥j.
Vitell. ovi no. j.
Syr. de artemis. ℥j.

Mista sub forma Clysteris uterini per metrenchiten in vaginam uterinam injiciantur, & repetantur;

D. S.

Clyster uterinus stimulans.



COURVEE laudat Pessos acutos ex *Galbani* ℥j. cum ʒij. *hellebori albi*, qui satis acres sunt, & violenter stimulat. Accedunt etiam suffitus ex sabina, colocynthide & cinnamomo, galanga, myrrha, mace, galbano, & similibus, & per infundibulum excipiantur: Suffitus ex anetho & cumino, cum rasura ungulæ asini, ad desperatam molam commendatur à CORBEJO: item suffitus ex scoriis reguli antimonii martialis, vel cum vino, vel cum aqua, vel urina fœtida institutus: item salia volatilia fœtida, aut saltim spiritus sal. ammoniaci cum calce viva paratus, & cum hoc parata essentia castorei: mediante *instrumento Glauberi*, aut mediante phiolâ carbonibus impositâ, pudendis excipiatur super pubem & uteri regionem, præmissis inunctionibus emollientibus, cum oleo diacolocynthidos vel cheirino & anethino, additis paucis guttis olei destillati succini, sabinæ &c. & ex his cum fimo bovillo subactis fiat cataplasma pectini imponendum, quod ceu proficuum remedium commendatur à FORESTO *lib.* 28. *Obs.* 61. His ipsis opera danda, ut stimulatâ naturâ ejiciatur mola. De cætero eò meliùs operantur hæc remedia quælibet, si simul mulier fortiore motu, in specie saltu, similive exercitio crebriùs se exercuerit, quin etiam si sanguine turgeat mulier, venæ sectio largiter instituta convenit.

Quod si his & similibus superveniat nixus excretorius, qua vis operâ hic ipse promovendus est, ut ejiciatur mola.

Quod si difficiliùs succedunt negotium, ad manualem Chirurgi operam confugiendum erit. Speculum uterinum applicandum vaginæ uteri, & orificium uteri internum dilatandum, & vel manu immissa à Chirurgo, vel instrumentis, mola extrahenda, eaque tota, ne frustula relicta turbas inferant. Encheirises pro tali operatione videbitis in HILDANO *Cent.* 2. *Observ.* 52. item *in ejusdem Epistolis*. In specie Chirurgica operatio hic necessaria est eo in casu, quando cum nisu excretorio uteri magna hæmorrhagia adest, quæ cum remediis internis & ejicientibus multò magis exasperari solet. Revera tali in casu Chirurgica auxilia præferenda sunt Pharmaceuticis: vid. MAURICEAU *lib.* 2. *cap.* 23. Nec desistendum est, si operatio Chirurgica in principio non statim succedat, quin post aliquot dies eadem reiteranda venit, ut rectè hoc monet ac docet HILDANUS *Cent.* 1. *Epist.* 39.

Ejectâ molâ quacunque ratione, subinde non leve periculum imminet à nimio sanguinis fluxu, & hinc graves dolores uterini insequi solent, quæ symptomata eodem modo curanda sunt, atque si eadem post partum naturalem accidant: v. g. ad nimium ac desperatum sanguinis post molam fluxum, remedia *nimium mensium aut lochiorum fluxum* sedantia conducunt: Expertum est Electuarium FORESTI *lib.* 28. *Obs.* 62. quo feliciter usus est:

℞. *Conf. rosar. antiqu.* ℥j.
Diacydon. sine spec. ʒß.
Trochisc. de carabe,
Terra sigill.
Spodio an. ʒß.
Sem. acetos.
Cornu Cervi usti præp. an. ℈j.
Cum s. q. *syr. cydon. & menthæ* f. Electuarium:

D. S.

Electuarium confortativum adstringens.

De quo mulier capiat pro lubitu.

Ad hujus imitationem varia possunt formari.

Absolvi occasione vitiatæ formationis doctrinam de Molis: Reliqua formationis vitia, quæ vel imaginatione maternâ, vel terrore, vel aliâ quacunque causa externa contingunt, cum sub Casum Practicum non cadant, meritò omitto, & pergo ad



SE-

SECTIONEM VI. DE REGIMINE GRAVIDARUM.

DUm nempè concepit mulier, in eaque generatur & formatur fœtus, gravida dicitur, quasi à fœtu in ventre gravata: unde in his, tàm ratione Hygienes quàm Therapevticos, semper ad duo primaria in toto earum statu, vel naturali vel præternaturali, respiciendum est:

1. Ad fœtum simul, ne huic noxa, sed potius robur inferatur, neque ad præmaturam sui exclusionem seu abortum disponatur.
2. Quod naturaliter suppressi sint menses, ratione quorum ut varia oriuntur symptomata, ita etiam ratione causarum & curæ symptomatum, semper ad menses respiciendum est.

In regimine ergò gravidarum semper respiciendum est ad vires matris & fœtus, & ad corporis noxam illatam.

CAPUT I. DE DIÆTA GRAVIDARUM.

QUoad *Diætam* ergo Gravidarum, seu Regimen sex rerum nonnaturalium: consuetudinis, uti in aliis, ita etiam in gravidis præsertim habenda est ratio, idque jam olim nos docuit HIPPOCRATES *lib. 2. Aphor. 50. & 52.* Hic enim in *allegatis aphorismis* inter alia asserit, quod consueta licet deteriora, insuetis tamen licet melioribus, minus nocere soleant: item quod sanitatis studium sit, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores; in gravidis quidem moderatos, cum & omne nimium naturæ inimicum observetur: Item idem asserit, quiete & abstinentiâ multos magnos morbos curari posse. Speciatim ergo quoad res nonnaturales: ad conservandam gravidarum sanitatem, imprimis ratione *aeris*, odores nimis fortes, croci & alliorum, sive sint suaveolentes ob hystericas passiones, sive graveolentes ob metum abortus, vitandi sunt. Tales enim simul exagitant massam sanguineam: propterea ne hoc fiat, aut periculum fœtui abortus immineat, eosdem fugiant, imprimis, si mulier proclivis est ad passionem hystericam: item propter metum abortus fugiant, ne commotis spiritibus & successivè commoveatur uterus, & excludatur fœtus. Notum namque est, quod odor carbonum incensorum, & fœtor candelarum extinctarum, maximè nocivus sit fœtui, ut in quibusdam abortum provocare soleant.

Deinde quoad *assumpta*: utplurimum appetitus audiatur, & assueta assumantur, modo sub moderata dosi appetitus „ desiderio satisfiat: *Sobrietas* enim, teste HELMON„ TIO, *cardo est totius diatæ in ratione victus*. In specie tamen *fructus horæi* non nimis capiantur propter vim fermentativam; partim quia fermentatione istâ subindè Diarrhœas aut Dysenterias, gravidis imprimis funestas, inducere solent; partim quia præter flatus inde natos subindè passionem hystericam solent excitare; partim etiam, quia facilè acescunt, qui acor inimicissimus est fœtui tenello. *Aromata* quod attinet: & ipsa etiam moderatè sunt usurpanda, speciatim acriora, quia sunt spirituosa ac volatilia, indeque facillimè massam sanguineam commovere, hincque partum, lochia, secundinas, menses, aliasque uteri hæmorrhagias, vel similes periculosas excretiones, excitare possunt. Notum enim est de cinnamomo, caryophyllis, galanga, croco, pipere, zedoaria, gingibere, quod, præter mensium vim pulsivam, lochia &c. promoveant; Metus enim est, ne fœtum ad abortum disponant: Moderatè ergò usurpentur, saltem ut flatus discutiant. *Acida* etiam imprimis nocent, & toto gestationis tempore, cujuscunque sint generis, vitentur: præter hoc enim, quod sexui sequiori minus conveniant, speciatim fœtui, cujus systema nervosum debile & facillimè irritabile est, hostilia sunt, unde uterum, ceu membranosum & nervosum, insigniter irritando ad abortus disponunt, cùm membranosis & nervosis partibus, nil æquè sit hostile & inimicum, quàm acidum. Ne ergò ab acido irritatus uterus ad abortum commoveatur, ab iis excessivis sedulò est cavendum: Sic mulieres, quæ crebrò utuntur aceto, aliisque acidis, pariunt infantes dispositos ad epilepsiam, & sine epidermide natos: Conf. M. A. N. C. *Ann. 2. Observat. 49. pag. 233. Butyri esum* prægnantibus & suffocationi uterinæ crebriori detentis noxium asserit BORELLUS *Cent. 3. Observat. 26.* quod tamen falsum existimo.

Hinc *vinum* non semper conducit Gravidis, imprimis gravidis vegetis; disponit enim fœtum ad epilepsiam; & in specie si mulier fuerit paulò spirituosior & vegeta, Vinum etiam ad abortum disponit. Parcè ergò & moderatè bibatur. Dulcia magis conveniunt utero membranoso, ipsique fœtui gratiora, quàm ista acida vina. Præterea etiam facilè *fermentescibilia* quæcunque, *ut cerevisia recens*, esculenta & potulenta, indeque *flatulenta*, sedulò aut studiosè sunt à gravidis vitanda, cum abdomen uberiùs distendatur, & distendendo difficilem respirationem matri, & angustiam fœtui, tormina, passiones hystericas, cholera aut diarrhœas, inferre soleant.

Quoad *motum*: omnis motus violentus caveatur, qui maximè nocivus est gravidis, ac manuum extensio sursum, cùm facilè enim abortum patiantur mulieres propter uteri compressionem, & abdominis attractionem: Contracto ita sic abdomine, valdè comprimitur & coarctatur uterus, subinde concitantur dolores uterini, & distentâ & extentâ vaginâ dilatatur nimis orificium uteri, & sæpius à tali manuum sursum versus tensione membranæ fœtum ambientes rumpuntur, & præmaturus aquarum excitatur effluxus. Item omnis *gestatio* aut *sublatio oneris* gravioris cum nisu tali, ut inspirent, propter retentionem halitus, ac depressionem diaphragmatis inferiora versus, est nociva, quia sic premitur uterus, & deorsum movetur. *Saltus* item pedum quilibet deorsum, in specie primis gestationis mensibus, mulieribus gravidis ob metum abortus propter placentæ avulsionem nocet; Movetur enim sic ovum uterinum inferiora versus, ut exinde ejusdem fiat effluxus, uti quidem abortus primis mensibus vocatur. Motus autem moderatus ultimis imprimis gestationis mensibus, ut saltatio blanda, satis conveniens est, quia tali motione uterus nonnihil subsidet, fœtus magis deorsum inclinat; hinc successivè distenduntur & dehiscunt viæ angustiores orificii uterini & vaginæ, & istâ subsidentiâ ac motu deorsum nonnihil incipit laxari os pubis; unde post moderatum motum ultimis mensibus facilior sequitur partus, & faciliùs secundina separari potest, quæ in iis, quæ sunt quietæ, difficulter separatur: sed cautè admodum, ne hujus occasione fœtus situm præternaturalem in partu acquirat, ut rectè contra communem opinionem hoc urget MAURICEAU *de Morb. Mulier. lib. 1. cap. 11. & lib. 2. cap. 6.*

Vigiliæ nimiæ autem diutiùs protractæ gravidis multum periculosæ, Autore BARTHOLINO *Cent. 4. Hist. 70.*

Quoad *Veneris exercitium*: hoc ipsum vitandum, cum non adeò conducat gravidis, utut rarò soleant abstinere ab eodem; quia metus est, ne in fœcundioribus primis mensibus ex repetita Venere fiat superfœtatio, aut etiam periculosæ molæ generatio: ultimis mensibus penitus omittenda, ne venter tumidus nimis compressus noxam fœtui inferat.

Quoad *animi pathemata* graviora: ea etiam suas merentur cautelas; imprimis terror, hinc ira, fugienda sunt, quia sunt affectus nocentissimi: *Ira* enim, cum insigniter moveat massam sanguineam, & excitet lochia, & hæmorrhagias uteri graviores, ad abortum disponere solet: *Terror* verò maximè signat fœtum, cui adeò est nocivus, ut interdum exindè interimatur fœtus, aut exinde ad epilepsiam lethalem jam in utero materno disponatur; sicut mulieres primo gestationis tempore terrefactæ interficiunt

ciunt fœtum, ultimo verò reddunt epilepticum: Sic mulier ultimo momento gravidationis vesperi gravi terrore afficiebatur, post mediam noctem pariebat, fœtus erat mortuus. *Gaudium moderatum*, *lætitia* & similia sunt saluberrima, in specie gaudium sæpiùs feliciorem solet præcedere partum.

Inter *Excreta & Retenta* in gravidis studendum est, ut *alvus* quotidiè sit *laxa* seu aperta, cùm retenta scybala & suppressi flatus graves aliàs dent turbas, in specie ultimis mensibus: Quod si sit *clausa*, fluida servanda est omni studio. Pro hoc tamen scopo sedulò vitanda sunt *Suppositoria*, in specie acriora, tam primis quàm ultimis mensibus, idque ob metum abortus ex irritatione vaginæ uteri cum intestino recto arctè connexi, ne uterus disponatur ad spasmum seu sui contractionem. Item vitentur *Clysteres* quicunque in gravidis, nisi interdum ad horum usum, sed rarò, cogatur Medicus, iique cautè in minore præscribantur dosi, & non, nisi ex blandè Emollientibus & Carminantibus, Lacticiniis, Jusculis avenaceis, non verò ex aromaticis acribus præparandi. *Adstricta* ergò si fuerit *alvus*, potus uberior assumendus est, qui hic solet emollire, & ulterius derivare fæces: aut juscula pinguiora, aut copiosiora, aut similia fluida aut liquidiora, crebriùs deglutiantur: aut cremor tartari, vel solus ad ʒß. vel ℈ij vel quod melius, cum dimidio salis tartari mistus cum jusculo carnis fervido subindè usurpatus, est optimus; sic enim alvum retinet laxam. *Aloetica* vitentur omnia, etiam *pilulæ*, quas vocant *Francofurtenses*; Nam omnia aloetica menses stimulant, & vellicativa vi ad abortum disponunt: præterea aloë nimiam post se adstrictionem relinquit, & ita, quantum juvat, tantum nocet. Vitetetur etiam *Senna*, quia tormina admodum gravia excitat, quæ mulieribus gravidis sunt nociva, propter metum abortus: Si tamen adduntur tartarea, sine torminibus operatur. Postmodum *Purgantia* quæcunque vitentur studiosè, quia omnia sunt venenosa, virulenta, & vim habent enecandi fœtum, & corrumpendi ejusdem nutrimentum proximum. Vix ex veris Purgantibus aliud, quàm *Rhabarbarum* tutò potest concedi gravidis, idque non solum propter adstrictionem, sed semper vel sociatum tartareo, vel cum passulato vehiculo usurpatum. *Cassia*, quæ à quibusdam propinatur prægnantibus, est nociva, ob tormina & flatus, quæ ab illa excitari solent: item propter vim fermentativam passiones hystericas in quibusdam causat; Est enim cassia succus crudus facilè fermentescibilis. Item *Manna* nocet, quia propter dulcedinem fermentativam, adeoque propter flatulentiam, hystericam passionem inducit. *Oleum* denique *amygdalarum dulcium* recens expressum, ab ʒß. ad ʒj. vel ʒiß. in jusculo calido jejuno stomacho haustum, optimè conducit ad emolliendam alvum adstrictam, in specie, si à scybalis induratis fuerit adstricta. *Ova* etiam *tremula* seu liquida sorbilia, cum pauco saccharo, optimè prosunt ad alvum emolliendam. Conducunt ergo *passulæ minores* laxativæ, *tamarindum*, & *Tartarea*, aut ex passulis & tamarindis Laxativa leniora, vel sola, vel cum Tartareis mista, quæ imprimis convenientia sunt mulieribus pro laxanda alvo. Res ut pateat clariùs, v. g.

℞. *Crem tartari* ℈j.
Sal. tartari gr. viij. ad x. vel xij.
M. D. S.
Pulvis aperiens.

Capiatur manè in jusculo benè calido. Aut

℞. *Crem tartari* ℈j. ad ʒß.
Pulv. ialapp. gr. v. ad vj.
M. f. Pulvis laxativus:
D. S. ut antè.
Vel

℞. *Pulp. passular.* ad ʒj.
Crem. tartari ʒij. vel *arcan. dupl.* ʒj.
Sem anisi ʒß. ad ℈jv.
Syr. rosar. solut. sine scamm. par. q. s.
M. f. Electuarium.
D. S.
Electuarium laxans.

De quo gravida quantitatem 2. castanearum capiat manè jejuno stomacho, quoties alvus fuerit adstricta, ingeratque post usum vel jusculum, vel haustum cerevisiæ.

Sin paulò acriùs alvus sit stimulanda:

℞. *Pulp. passul.* ʒij.
Rhabarb. el. gr. xv.
Sal tartari gr. vij.
Olei destillat. anisi gtt. ij.
Cum *syr. de cichb. cum Rhabarb* s. q. f. Bolus:
D. S.
Electuarium laxativum pro una vice.

Faciunt etiam huc Passulæ laxativæ usitatæ, sine tamen scammonio.

Quod si in forma liquida potius usurpanda sunt Passulata, tunc Decocta & Infusa passulata, ut Infusum cum senna, vinum Rhenanum Infusionis passularum contusarum, sunt egregia ad laxandam alvum mulierum: v. g.

℞. *Paß min* ʒj.
Contundantur in mortario, f. exindè Pasta: quæ coquatur in ℔iß. *aquæ communis*:
Colaturæ serventi infundantur
Fol senn sine stipit. ʒij.
Crem. tartari ʒj.
Sem anisi ʒiß.
Flor violar. p. ij.
Stent in loco calido per noctem: Manè coletur.
D. S.
Potio laxativa.

Elegans admodum & proficua est Potio, suavis saporis, cujus haustulus, quoties opus est, assumptus facillimè alvum laxat.

Quod si forsan dulcia ex passulis nonnihil sint adversa, ad acidula ex tamarindo commodè potest fieri accessus; pulpa enim extracta à ʒij. ad ℥. vel etiam, si cum tali pulpa misceatur tantillum Rhabarbari, etiam commendatur, egregiè laxat: e. g.

℞. *Pulp tamarind* ʒij. ad ℥j.
Crem tartari gr. xv.
Sal. tartari gr. vj vel viij.
Syr. de cichor cum Rhabarb. q. s.
F. Bolus: S.
Bolus laxativus pro una vice.

Item Tamarindum contusum, nodulo inclusum, & vino vel cerevisiæ infusum, hauriatur pro Potu: Vel coquatur, aut ebulliat leniter in vino, vel in aqua, & hinc Colatura vel simplex, vel tantillo syrupi rubi idæi, vel rosarū solutivi edulcorata, datur pro Laxativo Gravidarum blando, subinde haustum capiendo. Hinc HORSTII Electuarium de Tamarindis pro laxandis gravidis describitur in *Observ. lib.* 11. *pag.* 560. In hujusmodi Laxativis flatuum proventus vitandus: Ob id semen anisi aut fœniculi contusum hujusmodi Decoctis, aut olea horum destillata pulveribus & Electuariis, commodissimè adduntur, cùm hæc ipsa flatus egregiè discutiant, & proventum flatulentiarum insigniter impediant. Fœtus ratione etiam de caryophyllis aut cinnamomo, aut parum de nuce moschata, intermisceri potest. Elæosaccharum anisi & fœniculi etiam amicum est fœtui.

CAPUT II.

DE

FOETU DEBILI ROBORANDO.

Mater etiam respiciat ad *fœtum*, ejusque *robur spirituosum* conservet. Pro fœtu ergo custodiendo & roborando Gravidis conducit interdum aqua cinnamomi borraginata, aut cydoniata ritè parata, (nam officinalis est phlegma,) ut blandâ istâ volatilitate oleosa recreentur spiritus animales exerciti in fœtu: item conveniunt succus, syrupus, & miva cydoniorum, attemperata cum pauco pulveris caryophyllorum, & macis aut nucis moschatæ; Aromata enim gravidis prosunt pro conservando fœtu: PANAROLLUS præ cæteris laudat ova sorbilia recentia, jejuno ventriculo assumpta: Item amygdalatum, factum more consueto ex amygdalis ambrosinis, cum semine fœniculi & pauco syrupo cydoniorum subactis, in gravidis debilibus ad roborandum fœtum conducit. Haustulus vini interdum post pastum in adsuetis & in debilibus non est nocivus; in robustioribus verò aut spirituosis, ut sic dicam, non semper est tutum vinum, sed tales ad abortum disponit: haustulus tamen vini dulcis à pastu in adsuetis potest usurpari. Vel fiat vinum aromaticum Infusionis plantarum aromaticarum, ut ra-

dice galangæ, levistici cum cinnamomo, aut temperantibus aromaticis, de qua interdum, sed raró, capiatur haustus.

Externè pro hoc scopo commodè frustum panis aquâ vitæ mulierum, aut balsamo embryonum sic dicto, vino generoso Malvatico, & similibus irroratus applicetur umbilico, aut supra regionem pubis: item quando adsunt tormina abdominis aut dorsi, & metus est abortus. Panis piperatus, qui Germanis dicitur *Pfeffer Kuchen*, irroratus vino Malvatico, & adspersus pulvere caryophyllorum & nucis moschatæ, similiter pro fœtu roborando optimè conducit: & hæc ipsa imprimis si debilior sit fœtus. Vel sacculus interpassatus fiat ex mentha, melissa, zingibere, galanga, caryophyllis, anthophyllis, semine anisi, fœniculi, coriandri, & similibus, oleis destillatis aromaticis, citri, cort. aurantiorum, caryophyllorum, cinnamomi, &c. adspergendis, qui sub introitum lecti applicatur ventri tumido calidus circa regionem umbilicalem, vel siccus, vel vino generoso irroratus, ut restauretur fœtus.

Hæc de Diæta.

CAPUT III.

DE

GRAVIDARUM REGIMINE IN MORBIS.

QUuoad ergo Therapiam seu *regimen gravidarum in morbis*, tàm acutis quàm chronicis, eadem sanè in his curandi est ratio, quæ in aliis subjectis, nisi quod accuratè semper uno oculo ad menses, altero ad fœtum, sit respiciendum, ne aut aliquid noxæ, aut quoad ejus corpus, aut quoad ejus in utero retentionem, superveniat.

ARTICULUS I.

DE

VENÆ SECTIONE IN GRAVIDIS.

QUod ergo attinet sic dicta remedia universalia: utut minus jam habeatur eorum ratio, de venæ sectione imprimis quæritur, an conveniat gravidis? Nunc convenit, nunc nocet. Notum quidem est ex *Aphorismis*, quod mulieribus venæ sectio si administretur, abortum inducat. Verùm HIPPOCRATES vixit in climate fervidiore, & ubi mediâ diætâ utebantur mulieres. Apud nos, ubi luxuriantes sunt mulieres, administrare venæ sectionem subindè consultum est, nempè junioribus, habitioribus & plethoricis. Quoad gravidas sanas: in iis sanè, qui sunt habitus laudabilioris, quæ corpore sunt succulento, & denique lauto utuntur victu & vino, in iis interdum necessaria est venæ sectio medio gestationis tempore, scilicet quarto, quinto, vel septimo mense instituta, quia præservat eas ab abortu, cui aliàs essent obnoxiæ. Testantur enim observationes, quod intermissâ venæ sectione mulieres nonnullæ abortum fuerint passæ, & fœtum sanguinis copiâ suffocaverint: Refert PANAROLLUS *Pent.* 1. *Observ.* 10. se novisse mulierem quinto mense semper abortientem, quæ tamen inde tutâ phlebotomiâ fuit præservata; unde in *Pentec.* 2. *Observ.* 23. tanquam optimum præservativum gravidarum plethoricarum laudatur, ubi audacter primis mensibus venæ sectionem instituere suadet. Interdum etiam binâ, interdum tertiâ vice, secatur vena medio gestationis tempore, interdum etiam ultrà: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observ.* 47. *Ann.* 6 & 7. *Observ.* 204. *pag.* 301 & *Ann* 9 & 10. *Observ* 48. *pag.* 123. PETRUS SALIUS DIVERSUS *de Affect Part cap.* 22. ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Pr. Admir. Obs.* 144. & RIVERIUS *Prax. lib.* 15. *cap.* 16. Non verò administranda est venæ sectio ex intentione HIPPOCRATIS, qui dicit: si secetur vena, medio gestationis tempore, tunc esse talem innoxiam à purpura; quod falsum est. Et quidem instituatur venæ sectio imprimis in brachio quocunque, non verò in pede, quicquid etiam dicat ZACUTUS LUSITANUS. Interim tamen non simus nimis profusi in sanguine exhauriendo in gravidis, sed sanguinis thesaurum conservemus sartum tectumque, ne partum reddamus difficiliorem debilibus gravidis. Instituatur potius venæ sectio, si opus est, repetitâ vice, quàm ut semel nimis de sanguine detrahatur. Nam & in talibus etiam in partu interdum, ad facilitandum hunc ipsum laboriosiorem, necessarium est, venæ sectionem administrare, ut meliùs negotium succedat: qualia non pauca prostant exempla, ita ut apertâ venâ facillima successerit exclusio fetus. Id quod pariter tamen in morbis acutis observandum, in quibus, urgentibus Indicationibus, venæ sectio convenit; tutiùs tamen medio gestationis tempore, minùs verò primis aut ultimis mensibus. Præsertim in his nostris regionibus temperatis, non semper adeò necessaria est venæ sectio; aut, si instituitur, parciùs institui potest, quàm in climatibus calidioribus, & ubi diæta magis lauta & spirituosa in usu est, uti in Gallia & Italia. Unde etiam apud nos non imitanda consuetudo istorum in venæ sectione nimis excedentium, nec nisi observatis superioribus conditionibus, ad eam accedendum; Nec ad exemplum illius gravidæ, cui 48. vicibus secta fuit vena sine periculo matris & fœtus, quo refertur à MAURICEAU *lib.* 1. *cap.* 12.

Hæc de Venæ sectione.

ARTICULUS II.

DE

PURGATIONE GRAVIDARUM.

PUrgationem quod attinet: In iis, quæ facilè vomunt, quæ continuò nauseâ, aut picâ, aut stomachi dolore & similibus symptomatis laborant, leviora & blanda vomitoria primis mensibus propinare sæpè proficuum est. Nam ipsa natura hac in parte subindè nostra est magistra, quæ nobis viam præmonstrat, & in primis mensibus crebros, interdum continuos provocat vomitus, in specie, ubi adsunt symptomata stomachi, citra matris aut fœtus noxam. Hinc ipsam ergo & cautè imitari, cui erit prohibitum? Sic gravidam melancholicam vomitorio, sine fetus noxa curatam videb. in M. A. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Observ.* 73. Imò hoc tempore Vomitoria tutiora longè sunt purgantibus fortioribus per inferiora; *Quia mulieres si facilè vomunt, benè postea se gerunt in sex puerperii hebdomadibus.*

Quod verò *Purgantia per inferiora* attinet: præter ista Emollientia, Laxantia & blandè abstergentia superiùs proposita, omnia ea, præsertim acriora, omninò damno; utut exempla testentur non pauca, gravidis citra ullam noxam etiam frequentiora, & vehementiora propinata & usurpata fuisse solutiva: vid. SCHOLZIUS *lib* 4. *Observ.* 2. item ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Med. Princ. Hist.* 14. Cum sanè aliàs difficillimum sit, arte provocare abortum; Nihilominus tamen in talibus nullus cordatus Medicus exempla talia suspecta saltim, & dubia alia, quæ accidentariò saltem contingunt, studiò & temerè imitari debet. Nam Purgantia propriè sic dicta

1. Ob malignitatem suam, quâ succum nutritium corrumpunt & alterant, fetui sunt nocentissima.
2. Ex torminibus & spasmis intestinorum, si non hystericam in gravidis passionem excitare, tamen per consensum uterum ad sui contracturam & abortum periculosè stimulare possunt.

Quod si ergò Purgans aliquod interdum, invito etiam Medico, propinandum sit, cautissimè, ac saltem quarto vel quinto mense id fiat, idque medio tempore gestationis, & probè circumspectâ ejus quantitate, omnibusque ritè simul pensitatis circumstantiis, vitando omnem irritationem ac tormina: conf. HIPPOCRATES *lib.* 4. *Aphor.* 1. & *lib.* 5. *Aphor.* 29. RIVERIUS *Prax. lib.* 15. *cap.* 16. SENNERTUS *Prax. lib.* 4. *P.* 2. *Quæst.* 2. & ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *de Med. Princ. Hist.* 14.

ARTICULUS III.

DE

OPIATORUM USU IN GRAVIDIS.

SYmptomata denique quod attinet urgentia: utut his omnibus ferè facilè succurrat *Opium*, ejusque laudanum, vix tamen tutò hoc usurpare licet in gravidis, saltim tremulâ manu, & in succincta admodum dosi: Observatum namque fuit, sæpissimè quævis opiata incautè administrata imprimis utero & gravidis maximè esse nociva, & omni

omni gestationis mense, etiam circa ultima tempora, ut plurimum abortus & fœtus immaturi ejectionem sæpius induxisse. Nocentissima sunt fœtui tenello, cùm spirituum animalium exercitum destruere, & fœtum enecare possint: Item in causa sunt, ut torpentibus ab adhibitis opiatis spiritibus, motus æquabilis & blanda fibrarum nervosarum inflatio cesset, unde & fibris uteri quasi resolutis & relaxatis, elabi ferè fœtum patiantur sub forma abortus, tono uteri sic resoluto; adeò ut cautissimus in eorum usu pro gravidis sit Medicus, si laudabilem ejus exoptat usum. Interdum tamen, ubi metus est nimiæ uteri irritationis, aut nimiæ spirituum animalium commotionis in gravidis, ne commotione tali vel noxa inducatur utero, vel provocetur fœtus ad abortum, consideratis priùs benè omnibus circumstantiis, tantillum laudani opiati unà cum aliis adhiberi potest. Item aliis irritis in affectibus matris catarrhalibus nocturnis contumacioribus, v. g. tussi ferina, vigiliis nimiis, &c. necessitate urgente interdum ad laudanum opiatum, cautè tamen & appropriatis mistum confugere licet: De quo successu Opiatorum in affectibus catarrhalibus: vid. HORSTIUS *lib.* 10. *Observ* 111. In genere quoad Purgantia & Opiata: in gravidis observandum, an magis vel minus ferat mulier eadem gravida? namque, quæ debiles sunt stomacho, & facilè moventur à Purgantibus, iis cautè propinanda laxantia; sicuti quæ debiliore sunt systemate nervoso, & quorum spirituum animalium rarior textura est, talibus non, nisi cautè, Opiata propinanda.

CAPUT IV.

DE

GRAVIDARUM SYMPTOMATIBUS.

Quod ergò in specie graviora attinet SYMPTOMATA, quæ gravidas subindè vexant; horum quadruplex ferè causa observanda venit:

1. Activitas auræ genitalis maris, cujus occasione mox post conceptionem varia pathemata gravidas affligunt.
2. Motus sanguinis fermentativus menstruus humoribus adhuc impressus, cujus occasione ex denegata excretione varia pathemata ex commotis humoribus superveniunt, idque ferè primis gestationis mensibus.
3. Ob menses retentos, hinc sanguinem uberius congestum, & ex retentis aliis excernendis multiplices actionum alterationes.
4. Consensus uteri alterati, & successivè distenti cum aliis partibus abdominis, præsertim cum ventriculo.

Et hæc 4. sunt fontes symptomatum gravidas in specie affligentium, inter quæ stomachi pathemata sunt frequentissima, imprimis sæpius familiaris & molestus est vomitus.

ARTICULUS I.

DE

VOMITU GRAVIDARUM.

Vomitus nunc saltim primis gestationis mensibus molestus est, & partim ex vi auræ genitalis, partim ex motu humorum fermentativo menstruo resipiente, oritur; sicut vomitus quotidianus cruentus in gravidis innoxius observatus fuit in M. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Observ.* 6. Nunc mediis gestationis mensibus gravius affligit, & ferè ob mensium suppressionem in plus minus cacochymicis oritur: nunc etiam ad ultimos usque gestationis menses perdurat, & modò dictas pariter agnoscit causas: nunc verò ultimis gestationis mensibus saltim supervenit, qui antea non adfuerat, & partim ex consensu ventriculi cum utero nimis distento, partim ex irritatione ventriculi ab utero sursum nimis elato, originem ducit. Pro varia hujus in fiendi modo ratione diversimodà instituenda

CURA.

Vomitus, qui primo, secundo, aut tertio gestationis mense accidit, non facilè sistendus, sed naturæ negotium committendum, cum plerumque post unum alterumvè mensem spontè cessare soleat; quò crebriùs enim vomunt, eò facilius habent puerperium. Quod si diutiùs continuetur circa medium gestationis tempus, potius venæ sectione, quàm remediis compescendus; venæ sectione enim in brachio in talibus vomitus cessat. Quod si ex cacochymia, adeoque retentis acrioribus, forsan vomitus contingat, præsertim ultra medium gestationis tempus, blandè ab'orbentia & abstergentia ac temperantia conducunt, non neglegendo, quæ stomachum confortant. De vomitu autem observetur, quo diversimodè affligat mulieres: Quædam, simulatque gravidæ factæ fuerint, etiam mox primis diebus vomitu affliguntur, rejiciendo per os varia aquosa & limpida, qualia subitò non sunt sistenda; aliæ in fine primi, & principio secundi mensis vomunt, & vomunt usque ad medium gestationis tempus; quædam etiam usque ad partum vomunt, & nauseâ laborant. Sed ultimis gestationis mensibus admodum periculosus esse solet, adeoque tunc maturè est compescendus. Pro sistendo ergò gravidarum vomitu, imprimis si pertinaciter hæreat, tàm secundo, tertio, quàm ultimis mensibus; tunc præmissis aut interpositis blandè laxantibus, appropriata stomachica sunt usurpanda: quæ inter conveniunt remedia quæcunque ex cydoniis, succus cydoniorum, miva cydoniorum, item syrupus ribium, agrestæ, de citro, & acetositatis citri, quæ sunt egregia. Grana mastichis mandè assumpta & comesta, item aqua menthæ, cinnamomi cydonia, spiritus mastichis acidus cum aqua cinnamomi propinatus, etiam conveniunt: item liquor terræ fol. tartari, in specie quando adest nausea propter mucum salsum vel pituitam salsam, vellicantem orificium stomachi: in talibus hic liquor est egregius, dosi ℈ß. Ex his possunt fieri Misturæ, quarum descriptiones seu compositiones sunt facillimæ: v. g.

℞. *Aquæ menth* ℥iß. vel ℥ij.
Cinnam. ℥ij vel ℥ß. ad ℨvj.
Liqu. terræ fol. tartari ℈iiß. vel ℈iij.
M. S.
Potio stomachalis dissolvens.

Capiantur cochl. ij. vel iij. donec compescatur vomitus. Tinctura etiam vitrioli Martis Zwelferi in mulieribus gravidis nimis vomentibus ad 30 vel 40 guttas non est inconcinna, benè confortat. Alia Martialia Marte magis impregnata minus tuta sunt; cùm eorum usu tormina parturientium similia excitata observaverim. Spiritus mastichis, spiritus vitrioli Martis, hinc conserva rosarum, aut conserva menth. parumper cum spiritu vitrioli Martis acidulata, &c. in usu sunt. Quod si acriores succi sunt, præsertim ultimis mensibus, à quibus omni mane vomitus stimuletur:

℞. *Corall. rubr. præp* ℈j.
Lap. cancr. præp ℈ß.
Pulv caryoph gr. xv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis stomachalis.

De quo capiatur omni mane, quantum cuspis cultelli capit, in brodio calido. Vel

℞. *Corall rubr. præp.* ℈ß.
Pulv. cancr. calcin. gr. xv.
Nuc mosch ℈ß.
Olei destillat. mac gtt. iij.
M. f. Pulvis pro 2. dosibus.
D. S. ut antè.

Externè regioni stomachi in vomitu nimio imponendum est Emplastrum stomachale Cratonis, mistum cum Tacamahaca: Emplastrum ex Theriaca, impregnata cum aliquot guttulis olei destillati menthæ & macis: aut imponatur Cataplasma ex fermento cum speciebus stomachicis, in specie aromaticis. Item fiat inunctio stomachi cum oleo mastichino, oleo absinthii, cum oleo destillato mastichis, menthæ, & oleo nucis moschatæ, tam expresso quàm destillato. Præterea crusta panis in vino generoso intincta, & aromatibus adspersa, ventriculo applicata conducit. Vel Balsamum Peruvianum inducatur linteo denso, cui inspergatur pulvis gallarum contusarum, & aliquantum macis, & ita subindè applicetur stomacho. In vomitu contumaciore, ac gravi nimis vomendi conatu, ubi mulieribus excitantur pathemata hysterica, vel si primis gesta-

gestationis mensibus *urgeant passiones hystericæ* cum vomitu, in tali casu, præter tincturam vitrioli Martis Zwelferi, Emplastra hysterica, v. g. Emplastrum matricale de galbano & tacamahaca, malaxatis invicem cum balsamo Peruviano, regioni umbilicali applicata, conducunt. Isti vomitus sunt simpliciter convulsivi.

ARTICULUS II.
DE
PICA.

SUbstitimus in symptomatis, quæ Gravidis gestationis tempore subindè obvenire solent; Hæc inter symptomata molesta sunt duo famosa, nempè Pica, & Alimentorum Fastidium.

Quoad *Picam*: est ea appetitus insignior rerum insolitarum, superveniens ferè circa secundum mensem, dum menstruus sanguis in suo motu fuit impeditus, unde stomachi fermentum alteratur, quod à sapore naturali in acidum degenerat, & sal volatile oleosum obtundit. Appetuntur in pica vel consueta, vel aliàs esui insolita. Si appetuntur esui insolita, vix tutò concedi potest: Nam, utut talia comesta non semper noceant, si non nimia quantitate assumantur, tamen vix tutò semper, imprimis si sint res absurdiores, concedi possunt. Sin verò appetantur res esui aliàs aptæ, tunc sanè concedendæ sunt: Nam res appetitæ faciliùs digeruntur & concoquuntur, & sæpè tales gravidæ citra noxam hujusmodi cibos assumunt, quæ non-gravidis ipsis vix essent absque noxa.

PROGNOSIS.

Malum hoc nihil habet in recessu, nisi mulier fiat languida & debilis, cum si comedat nimis intensè, periculum est, ne varia symptomata superveniant, & fœtus ad abortum disponatur.

CURA.

Quoad *Curam*: utiliter ea usurpari possunt, que *Artic. 1. de vomitu* dicta sunt. Quod si verò talia appetunt, quæ haberi nequeunt, ne exinde fœtui imprimatur signum aliquod, aut ne fœtui accidat nocumentum, exhibendum est gravidæ aliquid de nuce moschata cum pauco melle; hoc enim ceu probatum in tali casu laudatur. Aliàs in Pica succus citri & aurantiorum, aqua corticum aurantiorum, syrupus de corticibus aurantiorum & citri, syrupus de absinthio, item pulvis nucis moschatæ, cortex aurantiorum & citri laudantur. Tenella etiam folia vitis, exque iis expressus succus purificatus, vel solus, vel cum succo, aut syrupo, aut miva cydoniorum haustus, contra picam optima sunt: item aqua vitis, quæ Majo mense spontè ex pampinis incisis exstillat; aut aqua acidula tenellorum vitis foliorum destillata, ceu specifica grauidarum picantium habentur remedia: oleum destillatum corticum aurantiorum, & eorum essentia, etiam utiliter propinatur. Hinc granata, eorumque succus acidus, cydoniorum &c. est egregius in pica; & panis in his ipsis maceratus comestus etiam picam tollere solet. Quodsi appetantur res insolitæ, quæ apparenter sunt difficilis digestionis, ut creta, calx, carbones, &c. tunc fixa acidum absorbentia conveniunt, ut sunt corallia præparata, mater perlarum, lapilli cancrorum, cornu cervi, item ebur, tam sine igne quàm ustum, quæ vel cruda, vel cum tantillo aceti irrorata, aut cum vino pauco assumantur interiùs.

ARTICULUS III.
DE
NAUSEA ET FASTIDIO CIBORUM.

DUo hi affectus non rarò ad tertium usque protrahuntur mensem, quo transacto, spontè cessare solet omne hujusmodi fastidium. Hoc fastidium, tanquam gravidationis signum, proponit HIPPOCRATES *Sect. 5. Aphor. 45.* dum inquit: *Si mulieri cessent Purgationes* (nempè menstruæ) *neque horror, neque febris superveniat*, & cibi fastidia accedant, judica, ipsam in utero habere.

CAUSÆ.

Origo horum est ex alteratione contentorum corporis, ac fermenti stomachalis, partim ab aura genitali maris, partim à retentis menstruis.

PROGNOSIS.

Mala hæc nihil in recessu habent, nisi mulier languida & debilis fiat, &c.

CURA.

Ne ergo ex fastidio graviore corpus contabescat, aut etiam generatio ovi uterini, & albumini vestimentum, ut sic dicam, seu albumini generando materia deficiat, propterea ad tollendum fastidium quædam à Medico sunt ordinanda. Primò lene vomitorium propinatum, imprimis in nonnihil cacochymicis, sæpiùs utile est: Quod si non tollatur, potest propinari fortius vomitorium. Præter hæc Pilulæ aloëphanginæ sine Purgantibus paratæ convenienter propinantur; aromaticæ enim cum sint, stomachum detergent, eumque roborant. Juxta hæc subindè sunt acida assumenda, ad corrigendum succũ stomachalem inquinatum. Hinc syrupus conservativus radicis zingiberis, aut ipsum zingiber in India conditum, vel etiam nux moschata in India condita, vino acidulo irrorata, & parum ejusdem tempore matutino haustum, fastidium ciborum delet. Vinum generosum Maluaticum cum buccella panis assumptum, Mala cydonia condita, miva, succus, & omnia ex cydoniis parata, & quæ jam *Art. 1. de vomitu* commendata, ad Gravidarum fastidium tollendum conducunt. Fœniculum aceto conditum, item cappares aceto conditi, Elixyr item stomachale, (nam ab Elixyr proprietatis abstinendum propter aloën, crocum & myrrham,) ac similia commodè usurpantur. Præ cæteris spiritus mastichis acidus, item spiritus salis dulcis, convenientissimè fastidium gravidarum tollit, si assumatur in vino Malvatico, vel pauco vini generosi: vel propinetur mixtura:

℞. *Aquæ menth.* ℥iß.
Cinnam. ℥vj.
Spiritus mastich. ℈iij.
Theriac. camph. ʒj.
Salis dulc. gtt. xij.
Syr. de succ. cydon. ʒß.
M. f. Mixtura.
D. S.
Potio pro stomacho confortando.

De qua interdum cochleare exhauriat gravida primis mensibus, quæ ipsa in stomachi affectibus earundem insigniter conducit.

Externè commodè oleum mastichinum, oleum menthæ, cydoniorum, cum pauco oleo stomach. Cratonis (propter copiosam nucem moschatam) regioni stomachi inungitur, & later calidus desuper applicari potest: aut etiam ceratum seu emplastrum de crusta panis, malaxatum cum oleo mastichino, item ceratum de tacamahaca, commodè imponitur regioni stomachi.

ARTICULUS IV.
DE
TORMINIBUS VENTRIS GRAVIDARUM.

VLteriùs sæpè *Tormina ventris* dolorosa molesta sunt gravidis; nunc quidem in fine gestationis, quo tempore dolores nothos parturientium constituunt, de quibus *infrà*; nunc verò etiam prioribus mensibus iisdem gravia sunt; nunc ex flatibus, ab acido vitioso in intestinis per fermentationem suscitatis, sicut in passione hysterica; nunc à mucilagine viscida pontica intestinis adhærente, & ea vellicante ortum habet, & colligitur, quando non vomunt & voraces sunt, ubi contumacia & acerba oriuntur tormina.

CURA.

C U R A.

Utrobique Absorbentia cum Aromatibus temperatis sociata, Carminantibus imprimis, sunt in usum vocanda. Non tantum modò semina quatuor calida majora & carminativa notissima, in vino bullita; sed præterea etiam cortices citri & cortices aurantiorum cum maxillis lucii piscis; item vina aromatica, seu clareta Hippocratica; aqua etiam & spiritus zedoariæ, ubi à flatibus est malum, corticum citri & aurantiorum tincturæ seu essentiæ, & olea destillata: anisum etiam & fœniculum, horumque olea, in vehiculis appropriatis cum coralliis & similibus propinata, tinctura tartari cum oleo destillato anisi impraegnata, egregia sunt. Præ reliquis convenit aqua vitæ mulierum cum oleo fœniculi aut corticum aurantiorum, insigniter juvat. Potest hinc fieri talis Mistura:

℞. *Aquæ fœnic.* ℥i.
Cinnam. ℥ß. ad ℥j.
Carminat. ℥ß. ad ℥j.
Spiritus zedoar. ʒiij. vel ʒvj.
Nitri dulc. ʒß. ad ʒj.
Syrup. de cort. aurant. ℥ß.
M. f. Potio: S.
Potio leniens cochleatim sumenda.

Cujus aliquot cochlearia subindè delibantur, quæ efficaciter discutient flatus.

Convenit etiam gummi ammoniacum in forma Potionis liquidæ assumptum, pro abstersione mucaginis acidæ. *Externè* inungantur superiores abdominis regiones oleo rutæ, laurino, chamomillino, acuato cum oleo destillato chamomillæ. Item Fomenta seu Sacculi ex carminantibus, v. g. ex sale & milio tosto cum seminibus istis calidis majoribus, qui sacculi interpassati, spiritu vini aut vino irrorati abdomini applicati conducunt ad sistendos dolores: Aut, quod est experimentum à CASTRO, fiat placenta mollis ex *vitellis ovorum* num. 17 quibus fortiter agitatis addatur *pulveris anisi*, *cumini*, *fœniculi*, an. ʒj. & cum s. q. *olei laurini* misc. pro placenta insternenda abdomini. Vel fiat Cataplasma molle ex seminibus quatuor calidis contusis, cum vitello ovi exceptis, linteo superinductum, & abdomini instratum.

ARTICULUS V.

DE

DIARRHOEA GRAVIDARUM.

Ulterius tam primis, quàm etiam subindè ultimis mensibus, alvi fluxus seu *Diarrhœa*, nunc simpliciter talis, nunc cruenta, est molesta gravidis, periculum abortus inducens.

PROGNOSIS.

In principio gestationis periculosior ac mali ominis esse solet, adeoque sistenda: Circa ultimos verò menses fine causa manifesta obveniens, nisi sit nimia, relinquenda; siquidem prægnantes nonnunquam hujusmodi diarrhœas, interdum & leves dysenterias, cum euphoria ferunt usque ad partum citra noxam, quo tempore sponte cessant per lochiorum fluxum: vid. SCHOLZIUS *Consf.* 340.

Nimia autem est affectus periculosus, uti jam suo tempore monuit HIPPOCRATES *Sect.* 5. *Aphor.* 34.

C U R A.

Sin ergo fiat quocunque gestationis tempore sine virium prostratione, nec sit adeo copiosus, nec interturbet somnum, & quæ sunt similes circumstantiæ, admodum consultum est, ut non adeò facilè sistatur, sed aliquandiu relinquatur hæc diarrhœa, & potius stomacho prospiciatur; quoniam naturâ ductrice sanguinis excernitur excrementum, & sic purgatur. Sin verò sit diarrhœa nimia medio gestationis tempore, aut vires dejiciat, ut metus sit abortus, speciatim si dysenteria maligna apprehendat mulieres grauidas, ferè semper abortiunt. Si ergo sistenda sit Diarrhœa, tunc Purgantia omninò exulent, aut saltim Rhabarbarum usurpandum est. Potius conferunt blandæ adstringentia acidula; qualia imprimis sunt: Cydonia cocta condita, succus cydoniorum fumo sulphuris asseruatus, rob cydoniorum, item syrupus & omnia remedia cydoniata, corallia soluta, etiam syrupi & tincturæ coralliorum, cornu cervi ustum, &c. Decoctum radicis tormentillæ aliis permistum est egregium. Item gelatina cornu cervi ad ℥ß. in potu ordinario dissoluta quotidiè bibita; diarrhœam sistere solet. Denique Theriaca, vel Electuarium diascordii Fracastorii, aliis irritis in vehiculo appropriato, admisto quodam acido, usurpatum est efficax. Cautus tamen sit ejus usus propter opium simul ingrediens: unde ut opium corrigatur, & ipsum Electuarium meliùs operetur, cum tantillo aceti vel aliis temperandum est; Nam acida corrigunt opium. In tali ergo casu potest fieri talis Mistura:

℞. *Aquæ menth.* ℥iß.
Succ. cydon ʒvj.
Spiritus mastich. ritè par. ʒiij.
Elect. diascord. Frac. ʒi.
Extr. torment. ℈i. vel ʒß.
Syr. corall. ℥ß.
M. f. Potio subindè haurienda.
D. S.
Potio adstringens.

Quibus accedat subinde blandus sudor: Nam tali omnium optimè potest sisti nimia gravidarum Diarrhœa ac dysenteria.

Spiritus mastichis etiam confert: item conserva rosarum vitriolata, cum coralliis rubris præparatis, & syrupo aut succo cydoniorum instar Electuarii, repetitim comesta conducit: e. g.

℞. *Conf. rosar. vitriolat.* ℥j.
El. diascord. Frac. ʒiij.
Corall. rub prap. ʒj.
Nuc moschat. ʒß.
Cum s. q. *syr. cydon.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium adstringens.

Dosis quantitas nucis moschatæ.

Externè commendatur Emplastrum, factum ex mastiche, subacta cum oleo rosarum, quę cum sufficiente quantitate ceræ in forma emplastri inducatur linteo: & dat Emplastrum efficax, umbilici regioni applicandum, quod pariter in vomitu locum invenit. Vel fiat Cataplasma ex cydoniis coctis, cum quorum pulpa misc. pulvis macis, caryophyllorum, nucis moschatæ, mastichis & similium, quod ipsum imprimis stomacho est applicandum.

ARTICULUS VI.

DE

DOLORE LUMBORUM, COXENDICUM, & PUBIS.

Dolores *lumborum*, *coxendicum*, ac *pubis*, subindè multum affligunt gravidas, & ferè oriuntur ex distensione uteri, ejusque ligamentorum & membranarum ipsi connexarum; idque in lumborum & coxendicum; vel à pondere uteri magis subsidentis, aut anteriora versus prominentis; idque in dolore pubis. Ligamenta ista & partes vicinæ interdum adeò distenduntur, ut etiam ruptio in uno alterové loco fiat, unde vomitus, dolores, febres, &c. superveniunt: vid. de hoc MAURICEAU *de Morbor. mulier. lib.* 1. *cap.* 13. Observandum autem hic, varium esse fętus situm in abdomine: Nam quædam fęminæ portant fętum altè, unde nullas sentiunt infra molestias; aliæ admodum infra eundem gestant, id quod dolores inguinum & coxarum infert, quatenus dictæ partes distenduntur; aliæ gestant fętus, ut insigniter promineant; aliæ, ut iidem intus sint quasi reconditi, unde dolores dorsi & renum inducuntur.

C U R A.

Pro doloribus his leniendis litus blandè emollientes & laxantes ex oleo lumbricorum terrestrium, amygdalarum dulcium recenti, chamomillę, &c acuatis cum pauco olei destillati juniperini: item pro coxarum doloribus subin-

subinde graviter lancinantibus aqua articularis ad extra cum spiritu lumbricorum terrestrium bene affricando.

ARTICULUS VII.
DE
ODONTALGIA GRAVIDARUM.

Communis etiam querela est gravidarum, ut molestias dolorosas percipiant ex dentium dolore: quem dentium dolorem, primis mensibus molestum, optimè sistunt decocta appropriata in ore detenta, v. g. ex absinthio, quinquefolio, oxylapatho, urtica majore, & ligno sancto: quorum in aqua, pauco addito aceto, detineatur decoctum in ore, & subindè exspuatur. Quod si dolores dentium forsitan sint ex scorbuto, loco aquæ & aceti fiat decoctum in lacte vel sero lactis, quod magis appropriatum est in dolore dentium scorbutico. Aliàs etiam Decoctum Nicotianæ in ore detentum, (hâc cautelâ, ne aliquid deglutiatur; nam vomitus movet,) etiam potenter dolorem dentium sistit. Vel oleum camphoræ, aut oleum origani Cretici, aut oleum destillatum caryophyllorum, bombace exceptum immittatur, aut imponatur interius denti; nam & hæc dolorem sistunt. Item essentia ligni Guajaci aut sassafras cum spiritu vini parata, est admodum elegans & efficax in dolore dentium: Si in hoc solvantur aliquot grana laudani opiati, dant tincturam odontalgicam, cum bombace salubriter applicandam; Nam veteres Philonium Romanum non sine successu denti dolenti imposuerunt ratione papaveris: Externè temporibus applicatur emplastrum in forma thaleri ex mastiche & tacamahaca, quæ diu subacta, temporibus imposita, non rarò conducunt.

ARTICULUS VIII.
DE
CORDIS PALPITATIONE ET SYNCOPE GRAVIDARUM.

Juxta hæc procedente successivè gestationis tempore, supervenit grauidis etiam molesta palpitatio cordis, cui interdum syncope superuenit: & quidem

1. Pauló habitioribus juvenculis, imprimis, si ambulando se movere incipiunt: Talis palpitatio est ex abundantia sanguinis.
2. Affliguntur gravidæ hypochondriacæ, in quibus supervenit vitio sanguinis, & affectu nervosarum spasmodico, à vitioso acido ad congruescentiam dispositi & apti, ut in ventriculis cordis stagnet.

CURA.

Priori in casu, si Palpitatio sit vehementior, si superveniat circa medium gestationis tempus, si sit in constitutione corporis laudabiliore aut succulenta, optimè tollitur per venæ sectionem: quæ si non possit admitti, vel non prosit, ad alia appropriata contra cordis palpitationem est accedendum. Posteriore in casu acidum destruatur: quæ inter eminent Marina, & hinc quædam salia volatilia in parva dosi. Inter Marina conveniunt corallia, & omnia ex corallis ritè parata, in specie tinctura coralliorum antiscorbutica; tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi est remedium admodum elegans in gravidarum Palpitatione cordis, si à 30. ad 40. vel 50. guttas bis quotidiè usurpetur: aut saltem loco hujus in pauperculis solutio coralliorum cum succo citri sacchato edulcorata propinanda est, & ipsa conducit. Conveniunt etiam mater perlarum præparata, testæ concharum & ostrearum. His addi potest parum de sale volatili macro, non oleoso, v. g. sale volatili urinæ probè rectificato, vel salis ammoniaci; tale enim sale volatile ab omni oleo liberatum convenit ad palpitationem cordis: Hinc spiritus rosarum & melissæ, & cum his parata essentia ambræ; (nam interdum non abhorrent gravidæ ambram) in palpitatione cordis, ubi metus adest syncopes, commodè ad paucas guttas in vino generoso propinatur. Elixyr etiam citri cum modico proprii succi in paroxysmo egregiè convenit. Interdum etiam Theriaca in haustu vini propinari potest. De cætero aqua cordis cervi composita, aqua cordialis Hereplis Saxoniæ, Confectio alchermes cum succo citri soluta, & similia, per se sunt nota. Externè melissa cum vino irrorata regioni cordis; vel linteamina spiritu cordiali calida madida dicto loco imponantur: Vel fiat Inunctio pulsuum & regionis cordis cum oleo destillato melissæ, citri, cinnamomi, quæ cum corpore pro balsamo inungantur contra lipothymiam & cordis palpitationem.

ARTICULUS IX.
DE
TUSSI GRAVIDARUM.

Juxta palpitationem cordis subindè graviter & periculosè vexat *Tussis* gravidas, quæ, quò major & grandior est fœtus, eò periculosior, propter concussionem abdominis, & hinc abortus metum. Circa hanc tamen ejus differentiæ observandæ; cum nunc sit nocturna, adeoque imprimis catarrhalis, ex lympha acri imprimis oriunda laryngem vellicante, in qua pauca & modica ejiciuntur; nunc verò diurna, quæ est continua, & utplurimum ex vitio stomachi oritur, & in qua rejecta viscida & mucilaginosa malum leniunt; nunc sicca, seu à materia tenui, sive à causa externa, sive à lympha acriore; nunc humida seu à materia crassa.

Quod si Tussis sit nocturna, & à materia tenui, quæ frequens est, curatur optimè mox in principio, mediantibus remediis temperantibus anodynis, seu medicamentis incrassantibus dictis: Hæc inter conducunt species diaireos temperatæ, dia Tragacanthi frigidæ, conspersæ aliquot guttulis olei destillati fœniculi vel anisi &c. semen fœniculi sacchаro obductum, quod roborare simul fœtum, & oculos ejus elegantes reddere dicitur; Decocta avenacea cum syrupo violarum, pulpa passularum, syrupo diacodii Montani, qui optimum remedium est, & cum baculo de glycyrrhiza capi potest. Juxta hæc in usu sunt passulæ, à quibus spiritus vini deflagravit, & passulata, loch de passulis, pulpa passularum, imprimis cum spiritu vel elæosaccharo anisi impregnata. Elæosaccharum anisi, fœniculi, ac similia temperantia olea destillata, ac grata carminantia, in usu sunt gravidis. Rotulæ paratæ ex speciebus dia ireos cum oleo destillato fœniculi & anisi; quæ Rotulæ sub introitum lecti in ore detentæ ac deglutitæ, faucium asperitatem leniunt, & tussis ferociam mitigant: quod melius adhuc faciunt pilulæ de styrace moderatâ dosi, propter ingrediens opium; quæ ipsæ post moderatam cœnam sub introitum lecti deglutiantur: Vid. Compositio in SYLVII *Praxi*, & SCHROEDERI *Pharmacopœia*, *ubi de de Pilulis*: Nam interdum, aliis irritis, in tussi vehementiore cum cephalalgia continua, & supervenientibus vigiliis, ad laudanum opiatum, circumspectè usurpando, aliis permissum confugere necesse est, de cujus efficacia locum ex HORSTIO allegavi: Propinatur imprimis cum pulvere pectorali ex benzoe, antihectico Poterii, radice ireos Florentinæ, &c. Aliàs syrupus de jujubis, de hyssopo, & tussilagine, ac similes etiam, temperant acriorem lympham, tussim nocturnam inferentem.

In *Tussi* verò *humida* & diurna, optimum est usurpare Alterantia & Incidentia, in specie stomachica; talis enim tussis frequenter habet locum in stomacho. Conveniunt ergo semen fœniculi & anisi, quod sæpiùs comestum & tussim sedare, & simul fœtum roborare asseritur; Adeoque optimè leniunt Fœniculata, anisata, aqua asthmatica Rudolphi, tanquam spirituosa aromatica, mista cum dimidio spiritus viridis æris aut g. ammon cum viridi æris ritè parati, quæ ad 40. vel 50 guttulas usurpata, solvendo mucilaginem viscidam & excretionem adjuvant, & tussim leniunt. Item syrupus & remedia ex hyssopo, syrupus & decoctum de marrubio, helenio, mixtura ex oxymelle scyllitico, si ferre possunt, cum aqua hyssopi & cinnamomi, cui parum spiritus salis dulcis sit additum, etiam lenit contumaciorem tussim, excernendo materiam. Item species dia ireos, passulæ sæpius deglutitæ, vel etiam decoctum helenii cum passulis in vino subindè delibatum, blandum & ele-

& elegans est remedium ad Tussim Gravidarum: Item Electuarium ex pulvere helenii cum melle, &c. Succus raphani est egregius, modò ut præcaveatur eius flatulentia, addendo de eleosaccharo, ex oleis seminum carminativorum parato.

ARTICULUS X.

DE

HÆMORRHAGIIS GRAVIDARUM.

IUxta Tussim interdum *Hæmorrhagiæ* variæ non rarò terribiles & periculosæ mediis & ultimis mensibus gravidis sunt molestæ; quæ nunc sunt per uterum, nunc verò sunt per alia quædam singularia loca: Uterinæ nunc sunt periodicæ, nunc vagæ. In his cautus sit Medicus, ne utiles supprimat, superfluas verò relinquat. Quæ fiunt per uterum, utplurimum funestæ sunt, utpote quæ præsentaneum abortus inferunt periculum. Cum verò etiam plures prostent Observationes mulierum gravidarum, quibus mensium fluxus innoxius fuerit, v. g. in HORSTIO *lib.* 5. *Observ.* 38. item in M. A. N. C. *Ann.* 1 *pag.* 224. *Observat.* 96. *&* *Ann.* 9. *&* 10. *Observ.* 29. ubi refertur stillicidium uteri usque ad partum innoxium; propterea non confundenda est hæmorrhagia uteri præternaturalis, & quæ abortum minatur, cum hæmorrhagia vaginæ uterinæ, & quæ instar mensium fluxus se habet. Nempè sanguis, qui effluit in gravidis, aut prodit ex ipso utero pro orificium eius internum, aut prodit saltem ex vagina uterina, excerniturque ex vasis sanguifluis hypogastricis: prius si fiat, periculum abortus imminet; posterius verò sine periculo est, & instar fluxus menstrui se habet. Fluxus menstruus ex eo ferè cognoscitur, quod periodicè & tempore consueto eveniat, idque sine dolore, & quod successivè ac pedetentim ex collo matricis effluat, internum verò orificium uteri exactè clausum observetur: Si verò ex ipso utero fluat, dolores adsunt hypogastrii, lumborum lancinantes, parturientium similes, subitò accidit, & sanguis, in magna abundantia effluit, continuò quoque prodit, nisi à grumo sanguinis aliquandiu sistatur, sed brevi post maiori impetu adhuc redit.

CURA.

Hæmorrhagiæ hæ uterinæ sequuntur occasione mensium suppressorum: si tamen sunt periodicæ, singulis duabus aut quatuor septimanis repetentes, sive sint ex utero, sive ex aliis locis, & fiant cum euphoria gravidæ, & mensium excretioni vicariæ sint, vel relinquendæ sunt, nec curandæ, nisi sint nimiæ; tunc enim moderatâ venæsectione, & remediis appropriatis adstringentibus, nonnihil sufflaminari possunt. Certum est, fœminis quibusdam iunioribus & habitus laudabilioris, gravidis licet, ordinatâ tamen periodo adhuc fluere menses: item observatum est in aliis, cum menses non fluant per ordinaria loca, toto gestationis tempore subindè per alia erumpant: nunc quidem per nares; observata namque fuit talis hæmorrhagia narium satis contumax in gravida, tamen innoxia: vid. *Observat. in lib.* 4. *Observat.* SCHENCKII *pag.* 573. *ubi de gravidis*: sic SALMUTH *Centur.* 2. *Hist.* 54. & SOLENANDER *Sect.* 5. *Consf.* 15. *f.* 36. observat vomitum sanguinis in gravida crebriorem, nihilominus tamen sine noxa: imò quibusdam gravidis, loco mensium, hęmorrhoidum supervenit fluxus admodum salubris; vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *&* 5. *pag.* 299. *&* *Ann.* 6. *Observat.* 63. si supprimantur forsan, per hirudines sunt revocandi. Singularem huius rei habet Observationem ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Med. Princ. Observ.* 27. ubi refert, gravidam nonimestrem epilepsia correptam, ob suppressas hæmorrhoides, quæ postmodum per applicatas hirudines ano fuit curata. Si verò hęmorrhagiæ sunt *vagæ & extra uterum*, signum est, quod subsit vitium sanguinis acrioris, aut inclinantis ad scorbutum, quæ uti minus sunt periculosæ, ita pro circumstantiarum ratione nunc relinquendæ, nunc per venęsectionem avertendę, nunc remediis curandę, quod utplurimum fit per Martialia, quę in gravidis satis tuta sunt. Si graviores sunt, venęsectio adhibeatur. Verùm hęmorrhagię gravidarum *vagæ*, *quæ ex utero immediatè proveniunt*, plus habent in recessu. Si primis gestationis mensibus mulieribus effluat sanguis ex utero, nunc florescens, nunc aquosus, sive fiat cum torminibus, sive sine his, semper pessimum est: Nam innuit molam, nunc simplicem, nunc fœtui coniunctam, quibus occasionibus irritatus uterus ad contenti prçternaturalis exclusionem se accingit. Si verò, quod peius, in ipsis mediis plus minus aut ultimis gestationis mensibus graviores hęmorrhagię uteri, vagę & interruptę accidant, periculum adest vel abortus, vel fœtus iam mortui, vel debilis, vel molę, fiunt nempè ex imbecillitate uteri, qui irritatur ex re prçternaturali, unde ex irritatione ferè avulsio & separatio placentę ab utero sequitur, quam avulsionem sanguinis in uterum effusio, hinc ex utero irritato eiusdem per orificium internum excretio, & tandem ipse abortus insequuntur. Rarum enim est, quod quibusdam gravidis mensium fluxus innocuus contingat.

His & similibus consideratis benè, omnes perpendat circumstantias Medicus, an potiùs sit opus naturę talis hęmorrhagia quocunque in loco erumpens? an verò sit quoddam symptoma, quod in gravidis, quare fœtus est debilior, supervenit? Nam ex HIPPOCRATE iam scimus, quod sanguis ex utero aut ex mammis effluens, fœtus debilitatem & imminentem abortum innuat: hoc ipsum tamen, ut prçcaveatur, omnia benè sunt pensitanda. Si mulieri consuetus sit sanguinis fluxus, si citra virium debilitatem contingat, si cum euphoria hoc fiat, si mulier aliàs abortum fecerit ex sanguine abundantiore, & quę sunt similes circumstantię: in talibus casibus sinendus est fluxus, & saltem eius copia est moderanda, non verò citra necessitatem ex toto supprimendus est, in specie, si simul certam quandam periodum observare videatur.

Quod si non fiat, sed gravior hęmorrhagia uteri superveniat, & mater percipiat debiliorem fętus motum, ipsa fiat lassa & debilis, sentiat gravius solito pondus in utero, appetitus ipsi deiiciatur, superveniant dolores vagi lancinantes in dorso & regione lumbari, eò peiora sunt: In talibus casibus vix aliis remediis est locus, quàm promptè liberare fęminam, vel per molę electionem, vel ut abortum promoveat; minus quidem auxiliis Pharmaceuticis, utpote, quę hęmorrhagiam magis intendunt, sed potius auxiliis Chirurgicis manuum operâ, tam orificium uteri internum diducendo, magis magisque aperiendo, & ita molam aut abortum extrahendo: conf. MAURICEAU *lib.* 1. *cap.* 20. *& lib.* 2. *c.* 27. item VELSCHIUS *Mictom. Cent.* 3. *Observ.* 89. ubi Parisiensium quotidiana Praxi abortus promotionem, necessariam esse, confirmat SLEGELIUS. Non enim sisti solet & potest sanguinis profluvium, sed si aliquandiu perstiterit, tam matrem quàm infantem è medio tollit: si verò fętus statim eiiciatur, matris viribus constantibus, illa servari potest. Notatu digna est Observatio RIVERII *in Cent.* 3. *Observ.* 24. ubi observavit fluxum sanguinis in gravida immodicum, evenientem ex fętu mortuo, qui alio modo nec potuit nec debuit curari, quàm fętus mortui expulsione. Rationem dabo *infra*, *ubi de fœtus extractione*. Quod si ante huiusmodi auxilia manualia aliquid tentare locus superest, semper respiciendum est ad fętum, ut robur partim externis analepticis, partim internis probè nutrientibus & nonnihil spirituosis concilietur. Iuxta hęc blandè adstringentibus firmetur uterus, & simul nonnihil coërceatur sanguinis impetus, ne abortus tandem superveniat. Quod si verò hęmorrhagia fiat per alium locum, minus periculosa esse solet, & consideratis circumstantiis, imprimis habitâ ratione gravidę, nunc sistenda, nunc, si moderata fuerit, relinquenda. Pro hęmorrhagia compescenda usurpetur v. g. mistura polychresta SYLVII *cap.* 9. *lib.* 1. *Prax.* §. 20. item corallia rubra pręparata cum lapide hęmatite, terra sigillata in succo granatorum vel cydoniorum &c. remedia ex tormentilla, syrupus plantaginis, syrupus paratus ex succo symphyti & portulacę, cui necessitate urgente parum syrupi papaveris albi admisceatur. Propinetur in aqua tormentillę, portulacę &c. Syrupus item coralliorum, ribium, myrtillorum, cydoniorum & similes usurpantur. Tinctura coralliorum cum spiritu lignorum, ad plures guttas bis vel ter quotidiè usurpata, optimè convenit: Aut fiat Electuarium ex conserva rosarum antiqua vitriolata, cui corallia rubra & terra sigillata intermisceantur, cum syrupo cydoniorum, irrorandum cum tinctura sulphuris vitrioli, vel liquore styptico; de quo Electuario bis vel ter quotidiè quantitate nucis iuglandis vel castaneę accipiatur.

Vel

℞. *Rad. torment ill.*
Bistort. an. ℥ß.
Herb. consol. maj.
Sanic.
Pyrol.
Summit. hyper. an. M i.
Coqu. *in aqua chalybeata* q. s.
Colaturæ ℥xv. ad ℔iß.
adde
Aqua cinnam. ℥ß.
Syr. de symph. Fernel. ℥iii.
D. S.
Potio adstringens.
Dosis ℥iv. tepidè.

Item in statu sanguinis serosi bolus Armena, Cornu Cervi ustum, &c. usurpanda sunt. Interdum etiam ad syrupum dia codiæ veterum, vel ad mitiora opiata fugiendum, nempè si dolores lancinantes crebriùs repetant. Conveniunt præter alia, quæ *aliàs in nimia narium, mensium, & uteri hæmorrhagiis*, superiùs fuerunt commendata, unà cum corporis quiete, & externorum à frigore munitione. Observavi aliquando gravidæ scorbuticæ, & facilè hæmorrhagiis nimiis uteri obnoxiæ, ex propinata tinctura tartari composita hæmorrhoidum fluxum esse curatum, cum in non-gravidis subindè menses stimulet.

ARTICULUS XI. DE SUPPRESSIONE URINÆ IN GRAVIDIS.

Juxta hæmorrhagias subindè, speciatim ultimis gestationis mensibus, supprimitur interdum gravidis urina, ex utero distento, & propter pondus inferiùs subsidente, ac vesicam comprimente. Fit hoc pro vario situ fœtus & uteri, quod rectè observavit GUILLIMEAU *de felici Puerperio*, qui observavit varium situm fœtus; quia mulieres quædam gerunt fœtum altè, unde nullam sentiunt molestiam; quædam infra, unde dolores inguinales & vagos solent pati, &c. Si ergo in ultimo gestationis tempore ex pondere uteri premi vesicæ collum conqueruntur gravidæ, urinam reddere nequeunt sine insigni nisu; & hinc imprimis urina est suppressa, quando fœmina stat erecta, eâdem verò jacente, faciliùs prodit.

CURA.

In tali casu monet GUILLIMEAU, ut mulieres suis manibus attollant ventrem prominus superiora versus, blandè tamen, ne corpus matricis prematur; quod fit eò faciliùs, si simul adjungunt Fotus emollientes, ut relaxentur vasa uteri. Internè à diureticis abstinendum, aut leniora saltem eadem sunt propinanda. Externè potius regio vesicæ in pube illinenda est oleo scorpionum; vel Balnea & Fomenta instituantur ex althæa, malva, meliloto, parietaria & similibus; pro laxandis viis, & promovenda urina optimum est cataplasma, factum ex Parietaria cum pinguedine anserina & oleo scorpionum, quod pubis regioni impositum promovet urinam remorantem: e. g.

℞. *Herb parietar.* M. ii.
Cherefol. vel flor. chamom. M. i. ad Miß.
Coquantur ad mollitiem:
Pulpæ per setaceum trajectæ
adde
Butyr. rec. ℥i. vel ℥ii.
Olei scorpion. ℥ß. vel ℥iß.
M. f. Cataplasma. S.
Cataplasma urinam promovens.

Applicetur calidè regioni pubis, imponendo operculum calidum.

Vel fiat Cataplasma ad imitationem WEDELII *Tract. de Compos. Medicam. pag.* 159.

℞. *Rad. allii,*
Cep. sub ciner coct. an. no. i.
Herb. cherefol.
Parietar,
Flor. chamom.
Meliloti an. M. i.
Bacc. iunip. ℥ß.
Sem. lini,
Cumini an. ℨii.
Olei scorpion. ℥iß. vel ℥ii.
M. f. Cataplasma.

ARTICULUS XII. DE STRANGURIA IN GRAVIDIS.

Stranguriam quod attinet: de hac optimè dicit GESNERUS *lib.* 3. *Epistol. pag.* 84. desperatam stranguriam mitigari posse in gravidis, si per intervalla iis alvus solvatur cum syrupo de floribus persicorum, sic enim partim evacuantur, partim revelluntur humores; & interdum, si libuerit, decoctum radicis althææ recentis cum passulis & saccharo, aut cum simili decocto emulsio ex amygdalis præparetur. Item convenit decoctum jujubarum cum lapillis percarum, &c. In mentem recurrit affectus cujusdam gravidæ medio gestationis tempore, quasi intensior stranguriæ gradus, unà cum dolore nephritico: nempè urgebat dolor in dorso è regione lumborum, urinæ creberrimus stimulus, ejusque crassæ ac turgidæ excretio cum summo conatu, ita ut etiam alvus exindè crebriùs deponeretur: continuò urgebat urina, quam diutiùs continere non poterat, sub excretione totius corporis tremula concussio aderat: Suspicabatur peregrinum acidum urinam inquinans, simulque membraneas renibus vicinas partes molestè irritans: Propterea præscripsi:

℞. *Corall. rub. præp.*
Lap. percar. præp. an. ℈i.
Olei destillat. cort. aurant. gtt. ii.
Extract. opii gr. ß.
M. pro 2. dosibus.

Et hinc

℞. *Ess. balsam. de capaiba cum tinctura tartari par.* ℨii.

Dosis gtt. xx. vel xxx. quibus melius habuit.

ARTICULUS XIII. DE SPASMIS GRAVIDARUM.

Spasmus interdum gravidas torquet, præsertim crurum, item surarum ac pedum. Convenit dens equi marini præparatus, & externè annulus ex dente equi marini, pollici pedis applicatus: item oleum & spiritus lumbricorum terrestrium pro litu: item oleum scorpionum, amygdalarum dulcium cum pinguedine viperina: de quibus vid. VELSCHIUS *Hecat.* 2. *pag.* 57. Euporiston etiam est matricaria recens contusa, & cervici imposita, nunc sola, nunc cum verbena mista.

Gravida quædam dolore crurum quasi convulsivo agitata sequenti remedio fuit restituta:

℞. *Aquæ hirund. cum castor.* ℥i.
Theriacal.
Cephal.
Spiritus lil. convall. an. ℨii.
Misce.

Qua mistura pedes calidè fuere inuncti.

Simile exemplum habet HORSTIUS doloris pedum periodici acerbissimi & diuturni, in quo externè insigniter profuit aqua hysterica camphorata, cum spiritu liliorum convallium & cerasorum nigrorum mista, externè usurpata. Aliàs aqua articularis ad extra, mista cum spiritu lumbricorum terrestrium in talibus doloribus insigniter confert externè.



AR-

ARTICULUS XIV.

DE

DOLORE TENSIVO, FISSURIS ET RIMIS ABDOMINIS IN GRAVIDIS.

Fit interdum, ut mulierculæ ultimis mensibus, quando nempe primâ vice utero gerunt, ex distensione pellis abdominis gravem *dolorem tensivum* & lacerantem percipiant: imò distensio hæc interdum est tanta, ut si forte *cutis* sit tenerior, interdum *fissuras* agat, ac *rimas* malas dolentes & molestas. Huic malo, partim dolori, partim imminentibus rimis ut succurratur, optima sunt unguenta & linimenta laxantia & emollientia, quæ fiunt v. g. ex mucilagine seminis lini, semine fœnu græci, radicis althææ, cum medulla crurum vituli, addito simul oleo amygdalarum dulcium ac liliorum alborum, item pinguedine gallinacea & anserina ac similibus: vel linimentum ad præmaturum aquarum effluxum mox dicendum, quibus ipsis mane & vesperi illinatur abdomen; laxat enim cutim abdominis, eamque flaccidam ac mollem reddit in specie, dum eo illinitur regio pubis: Vel solum unguentum pomatum calidè abdomini dolenti illitum convenit.

ARTICULUS XV.

DE

AQUARUM EX UTERO EFFLUXU IMMATURO IN GRAVIDIS.

Vlteriùs interdum per mensem, interdum per aliquot septimanas, ante partum fit *aquarum ex utero effluxus immaturus*, qui est symptoma grave ac periculosum, & suam considerationem meretur:

1. Quia metus est, ne fœtus moriatur.
2. Quia hæ aquæ nonnihil viscidæ & glutinosæ in partu sunt necessariæ ad laxandas & lubricandas vias, pro facilitando partus labore.

Distinguendus ergò semper est à fluore albo mulierum. In quibusdam enim nunc toto gestationis tempore, nunc certis mensibus, humiditates rubicundæ, item fluores albi, non tam ex matrice, quàm potius collo ejus, prodeunt, & nihil commercii habent cum immaturo aquarum effluxu: Hi linquendi sunt, nisi forsan interdum nimiâ quantitate excedant, & periculum sit, ne abortum provocent, aut insignis impuritas vel etiam fœtores adsint; tunc enim infusum Rhabarbari, aut etiam pulvis ejus optimo cum successu datur. Nam interdum ultimis mensibus mulieribus erumpunt ex utero copiosæ aquæ, quæ sub partu effluere debent, & fœtui nunc imminet noxa, nunc citra ullam noxam fœtus, nunc cum nunc sine doloribus, hoc evenit. Nempe observantur subindè feminæ, quas HIPPOCRATES vocat aquosas propter abundantiam aquarum, quas evacuant: nam loco purgamentorum post partum cruentorum & benè coloratorum emittunt saltem aquas, & pauco tempore multa linteamina his ipsis replent: Conf. de his GUILLEMEAU *de Felici Partu l.* 3. ubi observavit quasdam, quæ uno die in pelvi supposita plusquam ℔iij. aquarum talium evacuaverint, per tres & ampliùs septimanas continuando, sine hoc, ut guttam sanguinis evacuarint. Tales mulieres conqueruntur de facili lipothymia ac virium imbecillitate, ac necesse habent, quando tales aquæ impetu quodam prodeunt, sicut interdum accidit, aliquantulum vini bibere, aliàs lipothymias incurrunt. Simile quid evenit honestæ mulieri, quæ 8. diebus absque doloribus per diversos dies plus quàm quatuor pintas aquarum limpidarum evacuavit: aqua talis non fluebat ex matrice ejus, quoniam interius orificium exactè clausum, sed saltim ex venulis vaginæ uterinæ: post octiduum feliciter peperit, paucis cum cruentis evacuationibus, & per tres septimanas puerperii nil aliud, quàm aquas limpidas, evacuavit. Notabile est, quod ipsa in aliis gravidationibus labia pudendorum ita inflata habebat, & aquis plena, uti etiam coxas & latera abdominis: Conf. etiam de hujusmodi aquis HARVÆUS *de Generat. Animalium Exercit.* 56. Talibus, quæ sunt magis serosæ, interdum aliquot septimanis vel diebus ante partum aquæ fluunt citra noxam, molestiam, & sine dolore. Noxa imminet fœtui periculosa, quando tam ex amnio, quàm chorio, ex copiosa aqua distentis, ruptis & læsis, effluit humor seu liquor; deficit enim sic fœtui nutrimentum per os hauriendum, quia fœtus adhuc intra amnion contentus probè nutritur per placentam uterinam: Sin verò ex solo chorio læso aut rupto effluit, minus periculi subest. An verò ex ambobus? an ex una tantum effluat? perfectè cognosci nequit, nisi ex effectu: si enim fiat effluxus harum aquarum etiam ex amnio, speciatim generantur dolores lancinantes in regione lumbari, & periculum est, ne insequatur abortus, vel ne fœtus reddatur debilis, vel viæ, per quas fit partus, fiant aridæ & siccæ, & laboriosus postmodum sequatur partus. Notandum est, quod recenset GUILLEMEAU, in effluxu aquarum attendendum esse, an dolores veri ad partum adsint? aut an effluentes aquæ reverà sint istæ, in quibus natat infans? in quibusdam enim longè ante partum effluunt. Ordinariè quidem aquas effusas dolores partus intra trium horarum spatium sequuntur; nihilominus tamen sæpissimè partus, aquis iam effluxis, retardatur ad 6. 10. interdum etiam ad 20. horas, imò Amstelodami ad trium septimanarum & trium dierum spatium observatum fuit; vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *obs.* 132. Notabile est, quod Comitissa de Starenberg semper quindecim diebus ante partum aquam puerperii rejecerit sine gravi nocumento, ubi masculum peperit; non item, ubi fœmellam: vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 13. Ergò sub tali aquarum effluxu non statim partus instans concludendus venit: Sic GUILLEMEAU *cap.* 3. *lib.* 7. refert de fœmina septem mensium gravida, gravi colicâ afflictâ, quotidiè ferè per 2. menses certis horis eam affligente; quæ postquam evasit, copiosam simul aquam evacuavit, & colica etiam cessavit, ita ut putaret, se non ampliùs esse gravidam: nihilominus tamen post 5. dies peperit filiam citra insignes dolores, cum pauco admodum aquarum effluxu. Aliis plus 10. diebus ante partum copiosæ aquæ effluunt, aliis longiùs. Id quod probè observandum, ne nimis acceleretur partus: si enim sunt saltem aquæ ex chorio, nihil periculi subest: aliàs si dolores debiti & legitimi non superveniant, tales mulieres quasi hydrope uterinâ simul laborare videntur, ut loquitur MAURICEAU *lib.* 1. *cap.* 23. In tali ergo casu, aquarum nempè præmaturo effluxu, quietam se contineat mulier, ne vehementiore motu fluxum augmentet. Quod si, cessante fluxu, sed superveniente partu, hic laboriosior fiat, loco aquarum tunc effluxarum substituantur olea, mucilagines, linimenta, & unguenta blanda emollientia (de quibus paulò ante, ubi de fissuris & rimis abdominis sufficienter dictum,) quibus inungenda vagina uteri ac loca vicina, unde & instar aquæ sub partu effluendæ continuò laxentur, emolliantur, ac lubrica reddantur, & ita partus facilitetur:

℞. *Mucilag. sem. lini,*
Fœnugr.
Rad. alth. ana, cum aqua lil. alborum extr. ℥j.
Axung. anserin.
Olei lil. albor.
Amygd. dulc. an. ʒvj.
Ceræ albæ q. s.
M. S.
Unguentum emolliens.

Conveniens etiam est Linimentum, quod infrà pro facilitando partu præscriptum, aut unguentum Cumenii ex M. A. N. C. *l. a.* Nempe

℞. *Olei chamom.* ℥j.
Cheirin.
Ungu. dialth. compos. an. ℥ß.
Pingued. gallinæ
Taxi an. ʒvj.
M. f. Linimentum.

Item Iniiciendum est oleum amygdalarum dulcium, aut oleum liliorum alborum, chamomillæ &c. in vaginam uterinam, ac similia, ut ab his ipsis laxentur viæ, & suppleatur defectus aquarum effluentium.



AR-

ARTICULUS XVI. DE TUMORE ET INFLATIONE CRURUM IN GRAVIDIS.

JUxta hæc interdum circa ultimos gestationis menses gravidis *crura* tumore seroso insigniter *inflantur & intumescunt*. Talis autem tumor & inflatio pedum frequenter & ordinariò illis accidit, quæ ante conceptionem fluore albo laborarunt; non secus ac quæ sunt constitutionis humidæ ac serosæ, seu quæ sanguinem habent serosum, in talibus crura inflari & tumescere solent. Fit hoc saltem duobus ultimis mensibus, in quibusdam etiam secundo gestationis mense, & tamen sine periculo, saltem est molestum, & ferè usque ad subsequentem partum relinquitur; tunc enim per lochiorum fluxum evacuatur, & sponte evanescit. Sin verò sit nimius tumor & excessivus, inungantur crura tumida vespertino tempore cum oleo anethino, chamomelino, hyperici & similibus: aut, quod optimum est, applicentur Fotus, vel Cataplasma ex chamomilla, ejusque floribus, quod dissipat tumorem: vel involvantur crura sacculo sale & cineribus pleno, item aqua calcis vivæ fotus instar applicata: Vel fiat etiam fotus cum lixivio sarmentorum vitis cum vino paratus, in quo simul incoqui possunt origanum, chamomilla, pulegium, calamintha, & similia: E. g. sit sequens Fotus ac Cataplasma:

♃. *Fol. salviæ,*
Maioran.
Ebuli,
Rorismar. an. M. I.
Flor. chamom.
Meliloti,
Hyperici,
Lavendulę,
Rosar. an. p. i.
Balaust.
Bacc. lauri
Iuniperi an. ℥ß. ad ℥I.
Coqu. in *lixivio sarment. vitis.*
adde
Alum. crudi ℥i.
Aceti ℥ii.
F. Fotus cum spongiis applicandus.
D. S.
Fotus dissolvens.

Post hunc applicetur tale Cataplasma:

♃. *Farin. fabar.*
Hordei,
Orobi an. ℥iii.
Coqu. in *Decocto superiori:*
adde
Fæc. vini rubri ℥iii.
Terebinth. ℥iß.
Unguenti rosat. Mes.
Olei chamom.
Rutæ an. ℥ii.
Pulv. rad. ireos,
Rosar. an. ℥iß.
M. f. Cataplasma: S.
Cataplasma dissolvens.

Admoveatur parti calidè, præmisso Fotu.

In leviori malo sufficit fotus ex lixivio sarmentorũ vitis, in quo parũ chamomillæ bullierit; post hunc cataplasma sequens:

♃. *Farin. fabar.*
Lupinor. an. ℥ii.
Sulphuris ℥i.
Sterc. columb. ℥ß.
Cum *aqua chalybeata* vel *Decocto chamomillæ & calamintha* bulliendo redigantur in consistent. Cataplasmatis.

Vid. SENNERTUS *Pr. lib. 4. P. 2. §. 5. & 6.*

Sed mediocres crurum hujusmodi tumores ferè relinquuntur naturæ, cum ferè ultimis gestationis mensibus accidant, post partum verò penitus cessent.

Post partum in puerperio frequenter sudent.

ARTICULUS XVII. DE HYDROPE PUDENDORUM IN GRAVIDIS.

POst has pedum intumescentias etiam gravidis quibusdam supervenit *Hydrops pudoris*, in quo labia pudoris, nunc utraque, nunc alterum, ita tument, ut vid. GUILLEMEAU accedere hunc tumorem ad capitis infantis magnitudinem, unde femora ad se invicem movere nequeunt.

Tumor hic observatur clarus & pellucidus instar hydroceles, cùm solam aquam contineat.

CURA.

Necesse est autem, ut curetur ante partum. In tali casu convenit imprimis aqua calcis vivæ sub forma Fomenti crebriùs applicata, quæ est egregiè discutiens: vid. *Obser. in Cultro Anat.* LYSERI *pag.* 223. Sufficit etiam simpliciter Cataplasma carminativum impositum. His non sufficientibus, putat Guillemeau, loca tumida scarificanda longitudine & profunditate, & aqua clara per aperturas cum lancetta factas removenda: Vid. M.A.N.C. *Ann. 3. Obser.* 256. & MAURICEAU *de Morbis Mulier. l. 1. c. 24.* Item optimum quoque est, applicare hirudines.

ARTICULUS XVIII. DE VARICIBUS GRAVIDARUM.

FRequens etiam est, ut circa ultimos gestationis menses *Varices* seu venarum intumescentiæ crura gravidarum occupent, quæ ferè naturæ ad partum usque relinquuntur. Verùm cum interdum adeò sint magnæ & tumidæ varices, ut periculosam ruptionem venarum inferant, tunc optimum consilium est, inungere venas tumidas cum oleo laurino & unguento de baccis lauri, aut cum oleo de ranis, aut cum oleo lumbricorum terrestrium, & tunc cum fascia non nihil latiori vino intincta, aut decocto quodam nonnihil adstringente madefacta, constringantur.

ARTICULUS XIX. DE HÆMORRHOIDUM TUMORE IN GRAVIDIS.

DEnique tædiosum symptoma, quod ultimo gestationis tempore supervenit gravidis, est *Hæmorrhoidum Tumor*, nunc dolorosus, nunc indolens: pro quo resolvendo applicanda est spongia, decocto adstringente mitiore in vino imbuta: vel inungatur tumor hæmorrhoidum cum oleo ovorum, cum oleo mastichino. In specie oleum momordicæ per infusionem est experimentum optimum: unguentum linariæ applicatum etiam confert. Ac denique, si gravius videatur malum, applicanda est pulpa pomorum coctorum, cui intermisti sint millepedes, aut saltim additum oleum millepedum.

Hæc sunt symptomata, quæ gravidis accidunt.

Absolvimus ea, quæ ad gravidas, qua tales, pertinent, earumque symptomata & affectus frequentiores pauld lustravimus: Pergo jam ad

SECTIONEM VII.
DE
PARTU, & PARTURIENTIUM REGIMINE.

Partus nil aliud est, quàm fœtus maturi & perfectè formati debito tempore legitima facta exclusio. Contingit hæc conatu simultaneo fœtus & matris. Fœtus enim valdoperè auctus & grandior factus proprio motu exitum quærit, convolvendo sese & invertendo caput deorsum versus, unde & capite primò egreditur. Motu hoc membranæ diuturniore morâ tenuiores factæ dehiscunt & rumpuntur, unde & aquæ effluunt. Huic fœtus conatui accedit simul matris labor, quæ tam inspirando, & diaphragma deorsum movendo, quàm musculos abdominis contrahendo, uterum comprimit, qui quoque simul nimiâ distensione irritatus modico sensu & stimulo, contractis suis fibris fœtum excludit.

Contingit hoc mense post conceptionem utplurimùm nono, nempè circa hujus finem, vel circa decimi principium, (*versus quadragesimam septimanam*) ordinariè; interdum, sed rariùs, mense septimo, idque ferè saltim in primo partu, in tenerioribus autem juvenculis: qui septimestris partus ferè imperfectionis quasdam notas in auriculis, ore, aut digitis habere solet, utpote quæ partes ultimò omnium perficiuntur; de quo vid. BORELLUS *Cent.* 1. *observat.* 71. Accidit tamen interdum, ut vel mater vetula, vel fœtus imbecillior, ultra decem menses partum differant; sicut interdum anticipant, & mense octavo pariunt: quos non vitales esse fœtus falsum est, cum plurimi hoc mense nati vixerint, de quo vid. SCHENCKIUS *in obs.* siquidem etiam vitales non rarò sunt fœtus, qui septimo excluduntur mense. Quod si verò moriantur octimestres, hoc fit, quando ex irritatione uteri, vel fœtus, vel ex alia causa nonnunquam fœtus quasi per abortum octavo mense excludatur, qui nono mense debuisset nasci: de quo vid. DRELINCURTIUS *Differ. de Partu Octimestri*, item PAULUS ZACCHIAS *in Quæst. Medico-Legal.* Raræ aliàs, eæque paucæ, prostant Observationes fœtuum 6. 12. 15. mense natorum, qualia videb. in SCHENCKIO *l. a.* Observandum tamen hic simul, falli non rarò mulieres in calculo, dum primum conceptionis tempus non adeò exactè observare solent.

Causa impulsiva, quæ fœtum stimulat & impellit, ut moliatur egressum, videtur esse anxietas quædam in fœtu propter defectum legitimæ respirationis, cùm aquis immersus respirare nequeat: Sanguis enim sensim sensimque circa præcordia nonnihil magis movetur, & ita circa præcordia angustias excitat, unde fœtus anxius egressum molitur, & quamprimùm egreditur, respirat: de qua controversia, quod nempè fœtum stimulet ad egressum, videri potest DEUSINGIUS *in Genesi Microcosmi*. Hinc proba potest institui, an fœtus natus sit vivus? an verò natus sit mortuus? idque per pulmones, qui per respirationem expanduntur, & ita leviores ac spongiosiores fiunt; pulmo enim spongiosus rarius aquis supernatat. Quod verò de vagitu fœtuum circumfertur, & cujus non vulgaria prostant exempla, ea, uti rara, ita ferè solent esse prodigiosa, cum non vagiisse tantùm, sed etiam articulatas voces emisisse infantes adhuc in utero inclusos, testentur observationes: Vid. SPERLINGIUS *de Format. Fœtus cap.* 7. *Quæst.* 2.

Fœtui per funiculum umbilicalem cohærentes secundinæ & ipsæ post fœtum exclusum maturè extrahendæ, quibus extractis uterus extensus denuò fibrarum suarum beneficio se contrahit; sicque spongiæ instar compressæ liquores, partim gestationis tempore imbibitos, partim in & post partum uberiùs affluentes, hic exprimit; unde purgamenta uteri post partum seu lochia succedunt. Effluit autem primò cruentus humor seu sanguis purus, hinc sanguis dilutus, aquoso nempè & lacteo sero, tandem materia mucosa alba, quam esse reliquias succi nutritii fœtus in utero, cum DEUSINGIO arbitror. Nec improbabilis eorum est opinio, qui sub primo lochiorum fluxu similem ferè fermentationem in sanguine fieri existimant, qualis sub menstruatione ordinaria observari solet. Quantitas hujus purgationis, & tempus, quamdiu durat, varium est, pro varietate constitutionis ipsius puerperæ: nonnullæ ad quindecim dies purgantur, aliæ citiùs, quibusdam octo dierum spatio effluxus iste absolvitur. Quando jam appropinquat pariendi tempus, formatus fœtus angustiis uteri inclusus, isque grandior factus, tandem calcitrando, & se fortiùs movendo, egredi nititur; unde tunc graves dolores prehendunt gravidam, à quibus ipsa impellitur, ut adjuvando fœtus conatum, hunc tandem expellat vel excludat. Uterus scilicet membranosus & fibrosus, mole & motu fœtus inclusi distentus, successivè subsidere incipit, uti dicunt, & magis ad os pubis deorsum vergit: hinc tandem fœtus inclusus grandior & robustior factus, cùm istas angustias ampliùs perferre nequeat, se validè movet, & agitat artus, ac invertendo sese, qui anteà erat convolutus, capite deorsum versus proruit, ita ut tandem caput aut ossi pubis aut orificio uteri interno perfectè insistat & immineat: Si ossi pubis, *dicunt enim, insistit arcu*, (est terminus technicus mulierum.) Hinc uterus membranosus & fibrosus isto fœtus conatu irritatus, se validè spasmodico & convulsivo quodam motu successivè & partitis vicibus contrahere nititur; unde nunc graves isti dolores lancinantes & contorquentes mulieres prehendunt. Vocantur hi dolores partus: Qui si sunt legitimi ad partum, quod probè observandum, sint frequentes, subindè repetant. Si inchoant probè umbilicalem regionem, & in dorso circa regionem renum, hinc successivè deorsum versus pubem, & ex sinu pudoris denuò posteriùs sursum versus ad lumbos & dorsum retorquentur, ibique ingentem lancinationis sensum inferunt, minusque inferiora versus vergunt, non sunt dolores partus veri, sed vocantur Dolores nothi, & nunc vomitus, nunc tremorem brachiorum, nunc alia inferunt symptomata. Ast meliùs sunt dolores, qui continuò ex lumbis incipientes secundùm abdomen deorsum protenduntur ad regionem pubis usque, hinc clunes & coxas occupant, & ita tremorem genuum inferunt; qui sunt spasmi dolorosi musculorum, quando convelluntur, & sunt optimi. Fiunt ergo hi dolores ex spasmo uteri & partium membranosarum connexarum, unde tales spasmi sunt conjuncti ex his partibus simul affectis. Sub his doloribus orificium uteri internum se pandere & aperire incipit: Nam in hujusmodi cavitatum contractionibus & constrictionibus semper orificii accedit amplitudo; unde etiam tunc, quando uterus se contrahit, orificium uteri internum se aperit, quod etiam obstetrices facilè immisso in sinum pudoris digito studiosè explorare solent & debent. Percipiunt enim tunc foraminulum, & supra foraminulum membranam quandam adhuc integram, collectis etiam & inclusis aquis distentam, per dictum orificium ampliatum prominens, in forma ferè ovi mollis, cui exterior dura testa deficit, quod vocant: *Aqua se trahit*. Nec priùs mulieres ad labores partus facilè admoneant, aut reluctantes cogant, nisi digitis orificium hians uteri, & jam vel fœtum, vel membranas densas fœtum cingentes, & à conatu fœtus fortiter distensas deprehenderint; doloresque isti parturientium veri simul accesserint: Horum quoddam ubi deficit, non sunt ad partum cogendæ. Continuato ergo fœtus motu, & repetitis uteri spasmis, rumpuntur tandem membranæ fœtum cingentes, effluuntque liquores in iis contenti, unde dicunt vulgò: *Aqua salit*: qui liquores rarò sunt sinceri, sed subindè nonnihil sanguine tincti, quod fit ex orificio uteri interno aperto: Quoties enim hoc aperitur, solet sanguinem plorare. qui nunc solus, nunc cum his liquoribus solet effluere. Liquor hic seu aquarum effluxus laxat, emollit, ac lubricat vias, ut faciliùs hæ distendi, fœtusque per easdem, aliàs satis angustas, promoveri possit. Patienter autem, necesse est, expectet obstetrix spontaneam membranarum rupturam aquarumque effluxum, nec unguibus suis membranas rumpere debet, id quod fieret cum insigni fœtus & matricis nocumento, semperque partûs impedimento; conf. MAURICEAU *lib.* 2. *cap.* 7. aut in tali casu, quando membranæ seniores unà cum fœtu prodeant, & mul-

tum admodum promineant; tunc enim aquas rumpere licet; vid. *Idem lib. 2. cap* 11. uti etiam, si in præternaturali partu placenta priùs se offerat; tunc enim etiam membranas pro facilitando partu aperire licet: vid. *Idem lib. 2. cap.* 28. Hæc dum fiunt, mulier ista seu mater sellæ appropriatæ imposita (cuius figura prostat in Dn. D. WELSCHII *Libro Obstetricum, lib. 1. cap. 23.*) aut aliàs commodè situata, nempè per transversum lecti cruribus inflexis, ita ut totæ nates attingant, vid. VIARDEL *in libro Obstetricum p.* 33. Item MAURICEAU *lib. 2. cap. 8*) comprimendo abdomen expulsioni fœtus multùm adiumenti affert. Sub hoc conatu imprimis, dum trement genua, ex utroque latere adsideat fœmina robusta, quæ dicta genua fortiter teneat & firmet, aliàs gravia symptomata in coxis post partum percipiunt. Imò si negligenter firmantur, tàm debilitantur pedes, ut difficulter incedere queant. Mulier autem gravida adjuvet motum fœtus. Quod si ergò debilior in labore fiat, pauco vino generoso, aut aqua cinnamomi spirituosa, aqua vitæ mulierum, aut pauca aqua hirundinum cum castoreo, si forsan hystericæ passiones immineant, refocilletur, ut strenuò pergat in incepto labore, dum obstetrix interea temporisante & intra genua parturientis posita & situata expectet, manus & digitos oleo liliorum alborum, aut amygdalarum dulcium, aut oleo cheirino aut similibus illitas in vaginam uteri immittat, fœtum approximantem digitis blandè arripiat, ordinet, locet, & tandem capite priùs ita nonnihil protrahat, arreptoque hinc umbilicali fune simul placentam uterinam cum conjunctis membranis seu secundinis unà extrahat, studiosè observando, ne tantillum aeris externi aut frigidiusculi in uterum parturientis ante aut post partum irrumpere possit. Hinc omnia linteis, stragulis & similibus benè munita esse solent circa partum, ut aeris impediatur accessus, quia aliàs, metus est, ne lochiorum suppressio, hincque uteri inflammatio, aut uteri inflatio, aut similia sexcenta mala, exinde superveniant.

CAPUT I.

DE PARTUS LÆSIONIBUS.

QUod partum ipsum attinet: ad hunc, ut fiat naturaliter, tria imprimis requiruntur:

1. Ut fiat legitimo tempore, nempè fœtu maturo iam & perfecto.
2. Ut fiat legitimo modo, cum debito scilicet situ & positu infantis.
3. Ut nullis gravioribus aut periculosis comitetur symptomatis.

Quoad I. notum est, quod sub ratione sanitatis & circumstantiarum variarum præter propter partus tempus naturaliter sit mensis nonus, in huius imprimis fine, aut circa principium decimi: unde qui eo tempore nascuntur, dicuntur legitimi, per se semper vitales; qui verò citiùs excluduntur, abortivi & non legitimi, subindè non vitales, idque eò magis (scilicet sunt abortivi) quò longiùs à legitimo absunt termino; Nam etiam in septimo vel octavo mense vitales nasci fetus, interdum observatum est, utut sæpiùs moriantur, quia abortivi sunt. Nec minùs lethalis est septimestris partus, quam octimestris, aut minùs vitalis octimestris, quàm septimestris: Sed ambo utplurimum sunt lethales, quia sunt, ut dictum, abortivi fetus, nono mense excludendi. Quod si septimestres aut octimestres sint vitales, hoc fit, quando vel falso calculum suum supputavit mulier seu fœmina, vel quando computavit falsum conceptionis principium, aut quoniam est partus primus in juvencula, seu robustis & vegetis parentibus genitus, in quibus equidem generatur fetus robustus, sed quia uterus est angustus nimis, eundem retinere nequit. De partu octimestri, an sit vitalis vel non? elegantem conscripsit Dissertationem DRELINCOURT (*Scriptor Gallicus, Professor Lugdunensis,*) ubi statuit, quod per se octimestris non sit lethalis, qua octimestris, sed sit lethalis, qua abortivus mensis noni.

Ut autem cognoscatur, an septimo mense natus fetus reverà sit talis? cum interdum partus septimestris sit pallium impudentiæ noviter nuptorum: ut, inquam, cognoscatur, observandum est, quod septimo mense nati ut plurimum habebant imperfectionis quasdam notas, nempè in auriculis, in labio oris superiore, in digitis pedum, & similibus, istis scilicet partibus, quæ ultimò omnium perficiuntur, & quæ postmodum nono demum gestationis mense apparent perfectæ, observante hoc BORELLO *Cent. 1. Observ. 71.* aut certè imbecilles, aut debiles admodum sunt: Confer. THIERMAYERUS *Consil. lib. 2. pag. 72.* Hinc perfectus & robustus fetus suspectus est, quod sit legitimus, & non septimestris: Conf M. A. N. C. *Ann. 8. Observ. 69. pag. 117.* Rarum est, quod familiæ integræ observatæ fuerint, quorum liberi omnes partu septimestri editi, Autore SYLVIO *lib. 3. Prax. cap. 7. §. 19.* Interim tamen si mulieres, uti dixi, iuvenculæ, primiparæ, graciles ac agiles, tales primo partu rarò novem menses absolutè complent; sicuti mulieres, quæ iam sæpiùs pepererunt, aut ætati consistenti sunt viciniores, utplurimum usque ad mensem nonum perfectum, vel medium decimi mensis, utero gestare solent.

In *computando autem partus tempore intelliguntur menses solares, non lunares:* Conf. obsoletus *Tractatus* JOHANNIS PEGISSONELII *de Tempore humani Partus*, qui demonstrat, etiam HIPPOCRATEM numerare 30. dies pro mense, & ita intelligere menses solares: nempè lunaris est dierum 27. & 8. horarum, sed mensis solaris est dierum 30. Ergo decem menses Lunares, & novem menses Solares cum 10. diebus, exactè conveniunt, utrobique 40. septimanas complent, & ita finem noni, principium decimi mensis solaris constituunt. Hæ 40. septimanæ complent exactè 10. menstruationes muliebres; unde in computando tempore partus ad mensium emansionem post conceptionem contingentem, practico respectus habendus est, i. e. quod absolutè nonâ à mensibus primò emanentibus periodo, aut absolutè decimâ à mensibus ultimò comparentibus ante conceptionem periodo, fiat partus, idque præcisè tunc temporis, cum menses periodicè redire deberent: id quod observasse me aliquoties memini.

Hæc ratione temporis.

Quoad II. *ratione modi*, partus est vel *naturalis*, vel *præternaturalis*: *Ille*, quando partus accidit fetu in caput prono, ita ut capite primò prodeat: Præternaturalis verò partus est, quando alio situ, aliove membro, v. g. manu, pede, podice, &c. ad orificium uteri internum primitus se sistat. Huius quindecim modi ab Autoribus annotati reperiuntur: vid. in LUDOVICÆ BOURGEOIS, & Dn. D. WELSCHII *Libro obstetricum*. Situm hunc acquirit fetus, quando ultimo tempore se incipit extendere & invertere, capite inclinato orificio uteri imminet, quod fit instante iam partu, anxiæ tunc fiunt mulieres, & dolores percipiunt. Capite prono & primitus apparente fetum naturaliter prodire dixi: Nam brevi ante partum, dum violentiùs se movet fetus, hic se invertit, ut ita capite pronus se offerat.

Rarissimum est & ferè singulare, (forsan adhuc dubium,) quando per septimanam unam vel alteram, imò per mensem, ita in utero, inverso situ, observati fuerunt fetus: Nec facilè hoc crederem, nisi LOUIS BOURGEOIS *lib. 1. cap. 46. in libro Obstetricum*, narraret tale exemplum mulieris, quæ fetum per duas septimanas & octo dies gestavit inverso situ & positu, ita ut capite ossi pubis immineret. Præter hoc exemplum ipsa de se testatur, quod sex septimanas aliquandò ante partum fetum ita gesta verit inversum, & pluries se hoc observasse, similiter asseverat. Hoc ipsum etiam nuperrimè mihi confirmavit & fassa est nostra obstetrix, paucis abhinc septimanis defuncta, quæ ultra 4000. infantes ad lucem produxit, sanctè asseverans: sibi certò constare, quod aliquando ultra tres septimanas fetus super os pubis inversus ita à quadam muliere fuerit gestatus. Fateor, res est difficillima creditu, dum pensitamus, quomodo fetus tali inverso situ in utero vivere possit ad longum tempus, cum notissimum sit, adultos pedibus suspensos ex vitiato sanguinis per caput circulo, non ita multo post quasi apoplecticos interire; quod idem de fetu subsumi potest, nisi tales observationes, quas omnes ceu falsas traducere nequeo, aliud imperent & loquerentur. Res ergò adhuc, quoad hoc negotium, ulteriori experientæ relinquenda.

III. Denique læditur partus, quando graviora accedunt symptomata, ita ut aut laboriosior, aut difficilior fiat, quàm naturaliter esse debeat: quod facit imprimis, ubi fetus in utero fuit mortuus.

De his læsionibus iam in specie.

ARTICULUS I
DE
PARTU IMMATURO.
MEMBRUM UNICUM.
DE
ABORTU.

PRimum ergo est vitium, nempè fętus nondum perfectus immaturè ejectus, qui ob id non, nisi rarissimè, vitalis, lato sensu *Abortus* dicitur. Germ. *Es gehet ihnen unrichtig, nicht wohl*, dicunt de hominibus; de brutis verò, *Sie haben verworffen*. Græci rectiùs & accuratiùs rem distinguunt pro varietate temporis, dum scilicet eiectionem oui ab abortu propriè sic dicto & fętu mortuo accuratè distinguunt, Nā Græci habent ἐκρυσιν & ἔκτρωμα: ἐκρυσις propriè est ovi exclusio seu reiectio conceptus seu fętus non formati sub forma oui, quale exemplum in *Hippocratis* scriptis reperitur: ἔκτρωμα verò est abortus seu eiectio fętus iam constituti. ἐκρυσις seu oui hæc eiectio fit intra sex primas à conceptione septimanas: postmodum conceptus à formatione ad decimam sextam sęptimanam, vel ad tempus motus, uocatur ἔκτρωμα: Nam post quartum mensem, ubi fętus moueri incipit, à medio gestationis tempore ad uerum partus tempus, dicitur Fętus mortuus.

Ergò *Abortus ordinarius est, qui venit ante tempus motus*, prout quidem fęminæ motum æstimare solent; post motum uerò, perceptum in fęmina, dicitur fętus mortuus; quæ ipsa tamen à latinis sub generali Abortus nomine comprehendi solent.

CAVSÆ.

Causa autem *proxima*, propter quam fętus & conceptus non retineatur ad absolutum gestationem & partus tempus, sed citiùs eliciatur, est in utero, cuius vel præternaturalis coarctatio ex irritatione, contractarum fibrarum occasionem præbente, conceptum fętum excludit, id quod frequentissimè uel eius pręternaturalis relaxatio, e.g. à fluore albo aut cachexia serosa; uid. HIPPOCRATES *lib. 5. Aphor. 45.* & AMATUS LUSITANUS *Cent. 6. Cur* 50. item ab opiatis, eundem ad tempus debitum retinere nequit; hocque rariùs; membranosus enim uterus & hinc fibrosus est, ex quarum tono naturali dependet, ut retineatur fętus.

Sin ergò uel relaxatione, uel contractione (nam in huiusmodi cauitatum coarctationibus & constrictionibus semper orificii ampliatio adesse solet, v.g. in vesica urinaria,) fibrarum & membranarum, eius lædatur tonus, lęditur etiam debita fętus retentio, ut vel excludatur intempestiuè, uel non debitè retineatur, quin potiùs quasi elabatur.

Inter causas remotas primariò sunt tres, quę abortum excitant: Scilicet

1. Causa externa, imprimis commotio uteri.
2. Causa violenta, aut nimius motus, aut saltus, aut similia; &
3. Rariùs quidem, à vitio ipsius matris, non conveniens fętui suggerentis nutrimentum. Accedit etiam interdum, ut nimiâ curâ pręcauendi abortum, abortum prouocemus, multis scilicet citra necessitatem medicamentis adhibitis: *Fœminæ* „ nempè *gravidæ nunquam meliùs valent, quàm* „ *quando nil medicamentorum assumunt*, ut rectè loquitur LINDANUS.

Sed ut hæc legitimè & decenter expediam, ad contractionem quidem nimiam, & prœmaturum spasmum, hinc præmaturam fœtus exclusionem ex utero, irritatur vel stimulatur uterus, vel à fœtu ipso, vel sui ipsius vitio, vel matris, pro varietate sex rerum non-naturalium.

Primò quoad fœtum, uterum irritantem & ad sui exclusionem stimulantem, fit Abortus, quando fœtus est admodum debilis, ut quasi sarcina iners in utero retineatur, aut ægrotat, aut etiam moritur, vel quando non ritè utero cohæret: hinc enim ex præternaturali contento irritatus uterus, affluentibus spiribus animalibus, se contrahit, & exinde excluditur fœtus. Afficitur etiam fœtus, si ex erroribus diætæ fœtui debitum deficiat nutrimentum, debitam cohæsionem cum utero impediens. Sic etiam matris morbi in fętum derivati, hunc ad abortum disponunt, quod de variolis BARTHOLINUS *Cent. 2. Epist.* 85. & PLATERUS *Prax. Tom. 3. pag.* 250. & ictero KERCKRINGIUS *Spic. Obs.* 57. & PANAROLLUS *Pent. 4. Observ.* 44. testatur.

Secundum in utero vitium, quo irritatus & contractus fœtum excludit, est in affectibus vel per essentiam, vel per consensum aut partium vicinarum læsiones & irritationes. Per essentiam, quando est vitiosè constitutus, nimis angustus & exulceratus, aut quando tumoribus dolorosis est affectus, v.gr. scirrho, qualem scirrhum abortus causam observavit HILDANUS, aut quandò laborat abscessu occulto. Ex tali enim occasione uterus, dum debet extendi, ex dolore irritatus convellitur, hincque fœtus conceptus eiicitur. Huiusmodi affectus à priori semper sunt imperscrutabiles. Faciliùs patent per consensum, v.g. si dysenteria corripiantur intestina, aut anus tenesmo, aut etiam, si acriora clysmata & suppositoria acria inconsideratè admoveantur, quæ ratione contiguitatis vaginam uteri & uterum ipsum stimulant ad contractionem & expulsionem: quò etiam pertinent hæmorrhagiæ graves; Hinc etiam est, quod mulieres nephriticæ, aut gravidæ nephritico dolore, præsertim primis gestationis temporibus, correptæ sæpiùs abortiant: Vid. MAURICEAU *lib. 1. cap.* 13. per consensum enim uterus irritatur, se stringit & fœtum excludit: & hinc etiam PANAROLLUS *Pent. 3. Observ.* 20. refert, se frequentissimè observasse, abortus causam in fœmellis quibusdam fuisse nimiam rènum debilitatem. Faciunt huc tormina colica, ex fructibus horræis fermentantibus interdum in gravidis oborta; item tormina, quæ coniunguntur cum passione hysterica; nam & hæc similiter interdum abortum provocant.

Tertiò ipsa mater pro rerum sex non naturalium varietate diversimodè affecta solet irritare uterum, & abortum provocare. Eminent hìc assumpta, in specie acida, quæ nimis aut frequentiùs usurpata, & ad uterum delata, hunc irritant, fœtui nocent, eundem ad epilepsiam disponunt, & ad abortum cogunt: Vid. DAVID *vander* BECKE *de Princ. Rer. Natural. pag.* 214. *& seqq.* Porrò ex alimento generosiore & potu spirituosiore assumpto, quæ sanguinem nimis spirituascere & turgescere faciunt, v.g. ex aromatibus acrioribus, ex usu vini generosi, &c. subinde sequitur abortus; Vinum enim pellit fœtum in iis, quæ sunt saniores, vegetiores & spirituosiores, seu, ut vulgò dicuntur, calidioris naturæ. Id quod imprimis ab initio conceptionis primis mensibus, & medio gestationis tempore observandum est: Nam tribus ultimis mensibus haustulus vini generosi sub introitum lecti est optimus & proficuus interdum: vitetur tamen vinum Hispanicum aut Malvaticum, quod nimis est spirituosum ac fermentativum. Faciunt huc odores fortes, de quibus *jam suprà* insinuatum, imprimis fœtor candelarum extinctarum, hinc fumus carbonum extinctorum, de quo exemplum notabile refert MAURICEAU *lib. 1. cap. 1.* Irritant nempè hi ipsi membranosum uteri nimis extensi, adeoque admodum irritabilis, systema, unde contractio, & fœtus exclusio. Notabile est, quod BORELLUS *Centur. 2. Observat.* 98. abortum in fœmina, cùm sæpè pyxidi camphoræ insedisset, referat. Pertinent huc excreta & retenta, ubi consideretur in gravidis suppressio; unde etiam in quibusdam sanguinis abundantia, fermentatio, & hinc uberior spirituum proventus, obruendo fœtum, hinc irritando uterum; adeoque communiter sic dicta plethora, dum imprimis sanguis in gravidis, ex suppressis mensibus, circa uterum coacervatus, huius contractione occasionem præbet non rarò Abortui, imprimis in juvenculis alacrioribus, spirituosioribus, & similibus; qui Abortus præcavendus est sectâ venâ vel cucurbitulis medio gestationis tempore, aut etiam repetitur bis vel ter hæc ipsa phlebotomia, in regionibus imprimis calidioribus: Vid. SYLVIUS *lib. Prax. cap. 6. §. 6. &c.* Imò ZACVTVS LVSITANVS refert de venæsectione singulis mensibus instituenda ad pręcavendum abortum. Deinde affectus animi nonnulli graviores, qui massam sanguineam insigniter commovent, & spiritus animales in vagos & inordinatos motus cogere solent, sæpissimè ad Abortum inducendum multùm in recessu habent; his enim facilè quoque uterus commovetur, sicque fœtus expellitur. Excellunt inter hos, terror, tristitia, gaudium nimium, iracundia, & similia: Et quidem frequentissimè mulieres nimis iracundæ Abortus patiuntur; commotis enim sic spiritibus & tota massa sanguinea, exinde non tantum humores in fœtu, & quibus fœtus includitur, conturbantur,

bantur, sed etiam spirituum animalium impetus perverti-tur, systema nervosum convellitur, & uterus hinc commotus contrahitur, sicque fœtum expellit. De terrore postmodum. Motus quoque nimius & exercitatio corporis incondita, imprimis mediis gestationis mensibus, si sit nimia, noxia est, & maximè facit ad Abortum: Hinc corporis equitando agitatio, saltatio nimia, cursus & casus vel ab alto, vel pronus in abdomen, & rerum ponderosarum sublatio, item fortis extensio brachiorum & manuum supra caput, & omnia ejusmodi, quæ corpus graviter moveant, fœtum commovent, & placentam avellunt à cohæsione cum utero, & faciunt, ut proveniat exinde abortus: Vid. SINIBALDUS *Geneanthr. lib.* 8. *Tr.* 2. *cap.* 3. *pag.* 701. BURNETUS *Thes. Pract. lib.* 1. *sect.* 5. *pag.* 6. A sublatione enim ponderis gravioris propter retentionem halitus, & depressionem diaphragmatis, inferiora versus premitur uterus, & deorsum movetur: Ab extensione autem manus supra caput uteri orificium ampliatur, uterus dislocatur, & interdum membranæ fœtus rumpuntur. Facit huc etiam sternutatio, tussis item ferina, imprimis vomitus, qui si sint contumaciores, aut graviores, omnia hæc commovendo nimis, & plus minus irritando uterum, facilè Abortum fœminæ provocant: Conf. SYLVIUS *loco citato*.

Versamur adhuc in consideratione Abortus seu partus immaturi: consideravimus ejus causas remotas, quibus disponitur uterus ad abortivam sui contractionem, adeoque fœtus præproperam exclusionem: Pergimus jam ad eas causas remotas, easque rariores, nempè quæ uterum nimis laxant, eumque laxatum ita disponunt, quo minùs commodè fœtum retinere possit, sed ut præmaturè ejiciatur. Talis causa adest in fœminis, graviori & diuturno fluore albo correptis, ante vel etiam post conceptionem; item in iisdem, quæ cachexiâ serosâ sunt afflictæ: in his enim fibræ & membranæ uteri nimis laxatæ, flaccidæ & debiles, & uteri orificium internum nimis patulum, convenienter detenere nequit fœtum. Facit huc *Aphorismus* HIPPOCRATIS 45. *sect.* 5. „ *Quæ verò mediocre corpus habentes secundo aut tertio mense absque manifestâ causâ abortiunt, his cotyledones mucilaginibus sunt refertæ, & fœtum propter gravitatem retinere non possunt, sed abrumpitur:* Vid. etiam AMATUS LUSITANUS *Cent.* 6. *Curat.* 56. Præterea facit huc imprimis etiam defectus sanguinis & spirituum, unde & debitus tonus uteri deficit: hinc nempe hæmorrhagiæ insignes, aut etiam venæsectiones intempestivæ, ac similes causæ, sanguinem & spiritus animales malè afficientes, aut depauperantes, ad abortum etiam ex parte disponunt.

Tandem terror & pavor subitaneus uti fœtui non rarò necem, ita & utero relaxationem nimiam inducunt, ut ob id fœtum minus commodè retineat. Notum enim est, quod in terrore & pavore omnes partes exteriores subitò spirituum sentiant defectum: hinc uti in terrore subitaneo firmiter apprehendere, aut res apprehensas retinere non possumus, sed gravi terrore perculsi rem aliquam continentes dilabi sinimus; ita simili ratione à terrore & pavore disponitur uterus, ut brevi post elabatur fœtus tanquam moles iners: unde & syncopes & similes aliæ contingentes causæ, lipothymiæ, &c. subitò abortum provocare possunt: qua ratione etiam timor ac mæstitiæ diuturnæ sæpiùs Abortum inducunt.

Denique, ut jam suo loco superiùs monui, opiata sæpius Abortus sunt causa, quatenus spiritus animales figendo, eorum volatilitatem ac debitam in motu agilitatem non nihil sistant, unde etiam membranarum ac fibrarum uteri tonus relaxatus abortum infert, utut etiam opiata ipsi fœtui existunt nocentissima, cujus internecionem ferè inducunt.

Hæc ferè sunt causæ, à quibus ordinariò & utplurimum supervenire solet Abortus.

DIAGNOSIS.

Quod jam attinet *Signa* abortus præsentis, nempè exclusionis fœtus immaturi, per se patent. Potius ergò præcognoscendus est futurus abortus seu instans, ut commodè præservari possit à Medico.

Imminentem ergò abortum innuunt in specie gravitas quædam insolita circa lumbos & coxas, cum qua concurrit segnities quædam ad motum: adhæc conqueruntur tales gravidæ, quibus imminet abortus, de sensu quodam insoliti ponderis incumbentis sinui pudoris, ac prementis vulvam. Nam aliàs fortes mulieres gravidæ per gestationem salubres, sunt satis agiles, & nunquam tale percipiunt pondus, nisi ultimis septimanis, quando imminet partus, & quando uterus subsidet. Quando ergò alio tempore conqueruntur de similibus insuetis & insolitis gravationis doloribus in sinu pudoris, periculosum est signum imminentis abortus.

Quod si præterea accedant vagi dolores lancinantes crebriùs recurrentes in abdomine & circa umbilicum, & ad sinum pudoris usque deorsum sese extendentes, periculosum admodum est signum, ne subsequatur abortus; imprimis si simul adsit quidam involuntarius conatus quasi egerendi ex utero.

Certè hæc duo sola signa, nempè gravitas insolita à regione lumbari deorsum tendens, & supervenientes vagi dolores deorsum ad sinum pudoris protensi, sæpè soli sunt certum signum imminentis Abortus, cujus aliquot vidi exempla.

Item tenesmus in gravida abortum portendit.

Insolita admodum segnities, in appetentia in gravida, situs uteri vel abdominis mutatus, ita ut qui antea sursum supra regionem pubis in medio ventre blandè eminebat & protuberabat, jam conglobatus deorsum versus pudenda inclinet, & omnis tumor ossi pubis nimis quasi approperet, varia etiam vaga symptomata, rigores quidam & horrores, quos subinde comitantur subitaneæ phlogoses, idque reciprocè, item tremores, cordis palpitationes, &c. imminentis Abortus sunt prodromi: qui magis urget, si jam circa ventrem & lumbos dolores percipiuntur, qui versus pubem & os sacrum desinunt cum quodam egerendi conatu. Quod si post aut cum hujusmodi doloribus simul sanguinis, vel puri vel serosi, ex utero per orificium ejus internum observetur aliqualis effluxus, jamjam minitantis partus indicium est. Item si mulieribus gravidis ex quacunque causa, quæ ad abortum disponere potest, serum cruentum, vel etiam sanguis ex utero effluere incipiat, etiamsi non statim sequatur abortus, si etiam stillicidium tale perduret, aut subinde repetatur, ante septimum vel nonum diem à prima apparentia, securi ab Abortu esse non possumus, quin hic duobus diebus utplurimum subsequatur. Liquores seu aquarum eruptio, qualis ferè oriri solet in partu, innuit jam factam esse membranarum ruptionem, & hiare insigniter orificium uteri internum, adeòque instare proximè abortum.

Ex antiqua HIPPOCRATIS doctrina etiam ex mammis solet desumi signum futuri abortus: Vid. *Section.* 5. *Aphorism* 35. dum ex flacciditate & extenuatione mammarum, aut etiam ex fluxu lactis, aut sanguinis ex iisdem, metum futuri abortus præsagit; innuit enim hoc ipsum corruptionem ac depravationem nutrimenti fœtus in utero, cum quo eadem est materia, quæ mammas reddit turgidas, & consequenter mammarum lac constituit: Vitiata ergò ista materiâ, ita ut aut omninò deficiat, aut in mammis corrumpatur, forsan motum fœtus deorsum, & per consequens futurum Abortum, innuit.

Hæc inter signa diagnostica etiam hoc observandum simul probè: fieri scilicet interdum, ut ex fœtu adhuc in sua matre mortuo, & ad aliquot dies gestato; matre scilicet inscia, etiam irritetur uterus ad exclusionem; unde signa & symptomata abortientium superveniunt. Apparentibus ergò signis excretionis & abortus, cavendum est, ne fœtum mortuum excernendum, tanquam fœtum vivum abortientem retinere studeamus. Cognoscitur fœtus mortuus ex signis infra declarandis: in genere, quantum ad præsens negotium, sufficiant hoc loco signa ab HIPPOCRATE *in libr. de superfœtat.* recensita, dum dicit: „ *Cum mortuus fœtus fuerit, dilabitur in utero, quocunque se vertat mulier, tanquam saxum, aut aliud quippiam simile, & pectinem frigidum ordinariò habet mulier.* Regio pubis est frigida.

Hæc duo sufficienter in imminente abortu concludunt, fœtum esse mortuum.

Certè ex subito pavore, qui tertio mense v. g. corripit mulierem, facillimè fit, ut moriatur fœtus, matre verò pavorem nil sentiente.

Habent equidem fœminæ plura mortui fœtus signa: Sed hæc dubia sunt, quoniam mulieres semper benè de se sperare solent: rebus tamen in dubiis, ubi hoc solum adest signum, gravari plus solito naturam muliebrem seu geni-

genitalia, hoc ipsum sufficit imminere abortum. Et quidem si observavit fœmina tertio mense gravida se leviter aliquando ex repentina causa, terrore, pavore magno & simili modo inhorruisse, evenit, ut dictum factum à tali horrore moriatur fœtus, matre minùs hoc putante. Ubi ergò post talem horrorem brevi post sequitur gravamen pubis & genitalium, certum est signum, imminere exclusionem fœtus mortui. In tali ergò casu abstinendum est ab omnibus adstringentibus, quin potiùs movenda est exclusio, quantò citiùs, tantò meliùs: „ *Nam si adstringentia adhibeatis*, „ *quia abortus in exclusione fœtus consistit, naturæ motum* „ *impeditis: In fœtu ergo mortuo, vel saltim eius si suspi-* „ *cio adsit, nihil date quod adstringat, quia aliàs pericu-* „ *lum infertur corruptionis uteri, eiusque periculosæ in-* „ *flammationis*, ut rectè loquitur LINDANUS. Par ratio est, si mola in utero congesta malum hoc inferat.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Notum est, quod in Abortu omni mulieres longè periculosiùs laborent, & quidem graviùs, quàm in partu genuino & naturali, quia violentia subest, & post eundem vel mox vel post aliquot septimanas gravi hæmorrhagià uteri corripiuntur: hinc metus est, ne secundina retineatur, & dolores, hæmorrhagias graviores, ac alia graviora patiuntur symptomata, quæ si superent, subinde multis adhuc symptomatibus, iisque variis, per plures interdum annos infestantur.

Ex abortu graviori etiam interdum steriles redduntur ex læsione uteri ac vaginæ, ut postmodum non ampliùs uterum gerere queant mulieres, speciatim si primus conceptus fuerit abortu rejectus.

Quò grandior etiam fœtus est, eò quoque periculosior solet esse abortus: & quò minor & imbecillior est idem, eò minùs periclitantur.

Ex casu ab alto ovi uterini primæ conceptionis rejectionem novi in juvencula. Sine ominoso aut abortus ulterioris aut omnimodæ sterilitatis periculo: quin jam 35. annos nata, 12 liberorum fœcunda mater superest; semel tamen post sextum partum ex terrore ferè circa medium gestationis tempus idem se passam esse, mihi retulit.

CURA.

Quoad *Curam*: Ea in abortu est nulla, dum nempè jam fit, seu quando jam fœtus à connexione cum utero est separatus; sed potiùs adjuvetur à Medico, ut eò citiùs & cum minoribus symptomatis eveniat. Nam si præsente abortu adstringentibus aliisve similibus remediis jam imminentem indubitatò, aut incipientem, aut jam quoddammodo factum abortum, & in quo sanguis jam incipit erumpere, aut fœtus jam extinctus est, retinere velimus, periculosum est, & verendum, ne fœtus mortui (nam interdum fœtus in egressu moritur) retentionem, & hinc ejus & secundinæ putredinem, aut tandem ex sanguinis impedita excretione hujus coagulati congestionem, aut periculosissimam uteri inflammationem inferamus; ut taceam alia mille hinc metuenda symptomata. *Aliàs religio summa sit Medico, quocunque in casu vel tantillum dare mulieri, quod ad abortum facere possit*; sicuti ad hoc tenetur juxta juramentum HIPPOCRATIS. Nam ut taceam, non tam facilè esse, in sanis provocare abortum, quin non simul subinde ipsius matris vita periclitetur; sanè in ægris, si abortum provocare vellemus, tamen incertum est, an hoc ipso gravida per abortum salvari possit: Rarus interim & notabilis casus est, quem refert CASTRO *Tract. Quæ ex quibus*: Hoc ergò opus incumbat Medico:

(1.) Ut abortus præcaveatur.

(2.) Ut post abortum factum mulier ritè tractetur, & mala imminentia maturè præcaveantur.

Quoad præservationem: imprimis instituenda est, dum adhuc in suo situ naturali fœtus est constitutus in utero, & saltim metus imminentis abortus adest; eaque ipsa præservatio pro causarum remotarum, quæ aut irritatione, uterique præmatura constrictione, aut nimia eius relaxatione, & membranarum tonum lædendo, Abortum inducere valent, varietate varia instituatur. Nam prima causa est frequentissima, etiam in primis gestationis temporibus; posterior verò rarior, & fœminis saltem circa secundum, tertium, ac principium quarti mensis, obvenit. Prout ergò distinguuntur hæ causæ, proxima & remotæ, eatenus etiam dirigenda venit cura præservatoria. Ubi in genere observandum, in plethoricis venæsectionem interdum ab abortu præservare: vid. AMATUS LUSITANUS *Cent. 2. Curat.* 95. item M.A.N.C. *Ann. 2. Observat. 47. pag. 86.* & *Ann. 6. & 7. Obs. 204. pag. 301. Ann. 9 & 10. Observ. 40.* Imò ad præcautionem abortus singulis mensibus gestationis sectam venam refert RIVERIUS *Cent. 1. Observ. 53.* item BINNINGER *in observat.* Conferatur etiam HEINRICUS ab HEER *observ. 14.* de mulieribus, quæ cum quotannis abortirent, ter toto gestationis tempore secta vena vitales fœtus ediderint. Aperitur vena ferè in brachio; nec nisi cautè, & certis solùm in casibus venæ saphænæ sectio instituenda, de quo vid. ZACUTUS LUSITANUS *lib. 2. Prax. Admir. observat. 150.* Interdum in impetuosiore spirituum motu, aut graviore uteri irritatione aut spasmo, subindè consideratis probè quibusvis circumstantiis, ad opiata, nempè laudanum opiatum, cum aliis confugiendum erit. Ubi verò laxitas in causa est, vitanda sunt, quin potiùs in hoc casu cura præservatoria instituatur cum aromaticis nervinis utero gratis, laxitatem & tonum corrigentibus; quin etiam cura similis pro cachecticis per remedia ex lignis cum aromatibus instituenda est. In genere tamen contra quemcunque Abortum præservandum commendatur ex vegetabilibus quocunque in casu primariò verbena; cuius usus, sive sit internus in Decocto, vel etiam aqua eius destillata frequentiùs cohobata, essentia, extractum aut succus, sive etiam externus, est præsentissimum eupóriston mulierculárum ad præservandum Abortum: quibus admisceri potest parum aquæ cinnamomi, quia confortat fœtum & uterum. Post verbenam sunt grana chermes, quæ multum habent in recessu, modò possint haberi sincera, & quantum fieri potest, recentia; quorum vel pulvis, vel elicita tinctura Zwelferi, item confectio alchermes sine ambra & moscho, si gravida perferre possit dulcia, optima sunt, & mirè conveniunt ad præcavendum abortum. De adstringentibus, millefolio, eiusque Decocto, bistorta, tormentilla, de plantagine, eiusque succo, de remediis mastichinis, & ex cydoniis, & similibus adstringentibus, ceu remediis per se notis, nihil addere volo. Semen plantaginis ad ʒß. cum granis coccineis ex ovo sorbili toto gestationis tempore adhibitum, abortum præcavet: vid. VELSCHIUS *Mictom. Cent. 3. obs. 66.*

Imprimis ex regno animali contra abortum conducit Ebur, & omnia ex ebore parata remedia, ebur sine igne, gelatina eboris in potu dissoluta, ac similia frequenti sunt in usu: ac tandem ex hoc regno sunt imprimis Astaci seu cancri fluviatiles, qui singulare sunt experimentum ad præcavendum abortum, quacunque ratione adhibeantur: Sic eorum pulvis in fumo lentè exsiccatorum specificum est *Poterii* singulare ad præcavendum contra abortum imminentem: non secus atq; succus cancrorum fluviatilium contusorum, cum bono vino expressus, & omni mense repetitis vicibus à gravida haustus, experimentum est singulare: HARTMANNI *pag. 228.* contra abortum imminentem: ab aliis etiam succus astacorum, aut etiam cancrorum fluviatilium, cum jusculis pullorum contusorum & expressorum laudatur: conf. etiam SACHSII *Gammarolog.* Loco horum pulverem cancrorum fluviatilium calcinatorum etiam cum successu usurpare possumus.

Denique ad omnem abortum ex regno minerali, si ita loqui liceat, optimè conveniunt Corallia præparata, eorumque paratæ convenientes tincturæ, & quæcunque coralliata, in specie tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi legitimè parata, insigniter confert ad præcavendum abortum, si à fœminis aliquoties per septimanam in liquore convenïente hauriatur: item hypochondriacis & scorbuticis tinctura coralliorum sassafrata & antiscorbutica est egregia: quò etiam syrupus coralliorum Quercetani referri potest. Ex his varia parantur Composita, quæ in frequenti solent esse usu, ut pulvis contra abortum Augustanorum, pulvis Marchionis, Margaritæ præparatæ, &c. propinanda in aqua verbenæ cum succo & syrupo cydoniorum, coralliorum Quercetani, de corticibus citri, & similibus: V. g. contra abortum in genere:

℞. *Pulv. contr. abort. Aug.* ʒii.
Matr. perlar. prap.
Ebor. sine igne ana ʒii.
M. D. S.

Pulvis,

Pulvis adstringens, pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Mag. Corall. cum succ. citri,*
Ebor. sine igne,
Gran. Mastich. an. ʒi.
Pellic. ventric. gallin. ℈iv.
M. f. Pulv. S.

Pulvis adstringens, de quo duę cultri cuspides sumantur bis in die.

℞. *Pulv. cancr. fluviat. in Marię Balneo exsicc.* ʒii.
Calcinat.
Matr. perlar. præp. an. ʒi.
M. f. Pulvis,
irrorandus cum *olei destillati macis* gutt. aliquot.
D. S. *ut antè.*

Item

℞. *Aquæ ceras. nigr.*
Flor. til.
Epil. Lang. an. ℥i.
Corall. rub. præp.
Ebor. sine igne ana ʒß.
Syr. Corall. Querc. ʒvi.
M. D. S.

Potio adstringens, benè circumagitanda.

Detur cochleatim.

Externè in genere ad præcavendum abortum optimè conducit panis piperatus, in forma rotunda, melle illitus, & pulvere caryophyllorum, macis, cumini, & similibus benè aspersus, & utrinque, tàm lumbis, tàm abdomini, regioni pubis, calidè applicatus, dum nimis subsidet uterus; hinc enim fit interdum, ut denuò sursum versus in naturalem situm se disponat ac redeat. Nec inconveniens est, ut in imminente abortu fermentum, cum pauco cinamomi & caryophyllorum, & aliis aromatis, mediante vino subactum, in forma cataplasmatis applicetur infrà regionem umbilicalem & ad lumbos: vel dum jam dolores incipiunt corripere mulieres, optimum est applicatus sacculus ex herbis menthæ, absinthii, rorismarini, melissæ, & similibus, in vino generoso bullitis, calidè applicatus: præsertim quando fętus est debilior, aqua vitæ mulierum, vel balsamus puerorum, vel vinum Malvaticum cum pane tosto, abdominis regioni umbilicali convenienter imponitur. Optimum est cataplasma ex melle cum melissa, chamomilla, pipere, nuce moschata, zedoaria & similibus, quod nunc umbilico, nunc lumbis, ubi ad ilia descendere incipiunt, applicetur. Thermæ à quibusdam usurpantur: Sed hoc intelligitur eo in casu, quando mulieres ex nimia laxitate abortiunt, tunc quando nondum sunt gravidæ, sunt saluberrimæ. Aliàs, ubi imminet abortus ex relaxatione uteri, conducunt bdellium & mastix aceto dissoluta, linteis inducta, & instar cataplasmatis seu emplastri regioni abdominis hypogastricæ applicata.

Vel

℞. *Empl. de galb.*
Tacamahac. ana q. s.
Malax. cum s. q. *Bals. Peruv.*
D. S.

Cataplasma adstringens.

Et applicetur lumborum regioni.

HEURNIUS in tali casu commendat balnea aluminosa; quæ tamen in ultimis gestationis mensibus minus sunt tuta, quoniam notum, quod vaginam aliàs reddunt angustam, unde sequitur partus laboriosus.

Hæc in genere.

Juxta hæc in specie, pro varietate causarum remotarum, imprimis ex sex rebus non-naturalibus, & variarum indicationum, varianda etiam est cura, cum sæpissimè causæ sint graviores *animi affectus*, primariò iracundia, terror, & pavor, qui insigniter hostiles sunt gravidis, & mortem seu necem minantur fętui, & ex his causis imminentem abortum necesse est maturè levet Medicus. Et quidem si ex *medicamentis acribus* irritantibus, imò acido vel assumpto vel intus genito uterum irritante, & *iracundia*, quà omnes succi confusi effervescentiam excitant, sicuti etiam in terrore, pavore, & similibus metus abortus immineat, appropriata quædam absorbentia, præcipitantia dicta, quæ acidum corrigunt, & sanguinis imminentem coagulationem, & stagnationem impediunt, in usu esse solent. His ergò in casibus convenit ebur sine igne & medicamenta ex ebore, (& quidem si ab ira immineat abortus, ebur sine igne, propinetur in vino acidulo, vel in aceto rosaceo: convenit etiam gelatina eboris acida reddita, in vehiculo appropriato hausta, vel in potu ordinario dissoluta:) Cancri fluviatiles, & omnia cancrina jam laudata, singulare quid obtinent pulvis contra abortum Augustanorum, cinnabaris antimonii, item pulvis Marchionis, specificum cephalicum, pellicula cartilaginosa ex ventriculo gallinarum sumpta, exsiccata et pulverisata ad ʒi. tali leporis, præparata ex dente hippopotamis ex dente castoris, & similibus, in usu sunt: quibus addantur blanda aromatica, nux moschata, caryophylli, tantillum cinamomi, itē coralliorum tinctura, in specie sassafrata, quæ à terrore imminentem abortum præservant. Aliquando juvenculæ quarto mense gravidæ, quæ per scalas deciderat in cellam, & exinde insigniter *terrefacta*, ita ut, ferè per dimidiam noctem non sentiret motum fętus aliàs alacris, præscripsi sequentem Misturam, quæ in quovis abortu, à gravioribus animi pathematis metuendo, usurpari potest;

℞. *Aquæ lil. convall.*
Ceras. nigr.
Epil. Lang. ana ℥i.
Ebor. sine igne ʒß.
Pulv. epilept. March. ℈ß. ad ℈i.
Specif. cephal. gr. xv. ad ℈i.
Thuris,
Mastich. ana gr. v.
Syr. Corall. Querc. ʒvi.
M. D. S.

Potio confortativa adstringens.

De qua mistura non ingrata capiebat subinde, benè agitata, aliquot cochlearia: unde factum est, ut postmodum cessaret alteratio à pavore inducta, & fętus indè roboratus denuò se alacriter moveret: applicatâ simul externè crustâ panis cum vino malvatico abdomini, de quo superiùs.

In specie si *iracundia* fuerit *gravior*, consultum est, ad orgasmum succorum & perturbatum spirituum animalium motum sistendum, ut nonnihil de laudano opiato, cautè tamen, usurpetur, ut sistatur facilis uteri irritatio & contractio. Quodsi uterus aut fętus roborandus sint, tormentilla, decoctum millefolii, grana chermes, mastix, thus, & similia adhibenda veniunt. Sin *à nimio frigore externo*, ut interdum fit, immineat abortus, ita ut fętus quasi torpidus & nonnihil stupefactus hæreat, convenit internæ aqua vitæ mulierum, balsamus embryonum, sive interne sive externè usurpentur, aqua caryophyllorum composita, (vid. VELSCHII *Micrcom. Cent.* 1. *Observat.* 10. *annexa* M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5.) & similes aquæ spirituosæ. *Externè* conveniunt inunctiones cum oleo mastichino, cui additum sit oleum destillatum macis, caryophyllorum, aliquot guttæ olei destillati cinamomi cum balsamo Peruviano.

Sin à *lipothymiis* metuendus abortus, aqua cinnamomi borraginata, tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi, confectio de hyacintho, syrupus florum tunicæ, &c. conducunt.

Quodsi à *cachexia serosa* fit malum, lignorum decoctum ad præcautionem abortus sunt optima; Sic enim PLATERUS *lib.* 3. *Observ.* abortum frequentem aliàs per crebriorem decocti guajaci usum curavit. In quo casu, ut etiam in albo fluore nimio, Fontanellæ in crure apertæ, non sunt inutiles: Sic ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Admir. Observ.* 450. pro præservatione abortus fontanellam summè prodesse observavit.

Ubi ex *torminibus* seu *doloribus abdominis nothis* imminet periculum abortus: convenit panis iste piperatus cum melle abdomini applicatus ac superimpositus: internè verò convenit pulvis zedoariæ, vel per se, vel cum pane, cui illitum sit butyrum, assumptus.

Hæc sunt primaria remedia, quæ contra Abortum ad eius præservationem solent usurpari.

Facto jam abortu, Medicus præcaveat symptomata. Ad duo ergò respiciat:

(1.) Ut secundina & placenta post fętum simul excernantur integra: Nam post abortum pertinaciter adhęret utero, unde periculum est, ne lacerata secundina, quando ab obstetrice pauló fortiùs tractatur, ex parte prodeat, & ex parte remaneat: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 1. *observat.* 128. *pag.* 287. Si non excernatur, manu imprimis cautè extrahenda: (conf. MAURICEAU *lib.* 2. *cap.* 10.) cum

eò m interna medicamenta secundinam pellentia propter hæmorrhagiæ metum ferè suspecta sint. In specie verò mulier mox post abortum in lectum benè calefactum se componat, extensis probè simulque invicem superimpositis cruribus quietè jaceat, & ab omni frigore, quantum possibile, imprimis etiam extremorum, manuum & pedum, se muniat, nec manus etiam, si tempus sit frigidiusculum, extra lectum exserat. Nam

(2.) Frigefactis externis vel modicè, vehementissima ac periculosa utplurimum uteri imminet hæmorrhagia, nunc immediatè post abortum, nunc post quartam demum septimanam ab abortu, ut ferè periculum mortis incurrat mulier: in qua propinanda tandem ea, quæ infra *Sect. 8. cap. 2. Art. 2. circa lochiorum nimium fluxum* proponentur, & aliàs contra hæmorrhagiam uteri nimiam quæcunque usurpari solent, conducunt.

Vel

℞. *Aqua tenell. cornu cervi* ℥iii.
Succ. Cydon.
vel
Granat. acid. ℥i.
Hæmatit. præp.
Corall. rub. præp.
Terræ sigillat. ana ℈i.
Laud. opiat. gr. iß. ad gr. iii.
Syr. plantag. ʒvi.
M. D. S.
Potio adstringens, benè circumagitanda.

Ad imitationem SYLVII:

℞. *Aquæ plantag.*
Meliss. an. ℥iß.
Spirit. theriac. simpl. ʒiii.
Acet. vini ℥ß.
Troch. de Carabe ʒi.
Croci Martis præp. ʒß.
Syr. de ros. sicc. ℥ß. ad ʒvi.
M. S. ut antè.

Externè verò spongiæ aceto ac vino rubro madefactæ applicentur secundùm RIVERIUM *Cent. 4. Observat. 46.* Aut fiant sacculi ex rosis, balaustiis, malicorio, & similibus, qui in vino rubro bulliti calidè applicentur.

Hæc de partu ratione temporis immaturo.

ARTICULUS II.
DE
PARTUS SITU VITIOSO.

Quod attinet II. Partum præternaturalem, ratione situs infantis vitiosi, cujus modi quindecim enarrantur, hujus correctio imprimis obstetrici expertæ incumbit, quæ manibus, oleis appropriatis junctis, fœtum in naturalem situm, quantum possibile, reponere debet, sive sit vivus, sive mortuus, ut repositum commodè extrahat. Cum verò hoc rarissimè fieri possit in omni situ fœtus vitioso, optimus succurrendi modus est, ut pedibus arreptus fœtus extrahatur, de quo consulenda venit experientia VIARDEL *in suo libro Obstetricum*, & hinc MAURICEAU *de Morb. Mulier.* Tutissima hæc simulque facillima est methodus, cujus encheirises pluribus ab hinc Autoribus descriptæ videantur. Quodsi hoc fieri nequeat, qua data faciliori occasione ac situ fœtus extrahendus, & hac ratione matris vita salvanda. Modi videantur in iis, qui scripserunt ex professo de hac materia, imprimis LUDOVICA BOURGOIS, item SCIPIONIS MERCURII *Tractatus*, quem in nostra vernacula edidit spectabilis *Decanus noster* Dn. D. WELSCHIUS. Si enim fœtus non est vitalis, non semper necesse est, ut in debitum situm reponatur, sed in malo graviori imprimis etiam quocunque modo eum extrahere nitatur obstetrix. Unum adhuc moneo circa partum difficilem: Præ cæteris casus est periculosissimus, quando pedibus primò prodit infans, ita ut etiam manus deorsum versus inclinent: nam sic fit, ut egresso corpore orificium uteri internum circa collum iterum se stringat, ita ut fœtus extra uterum, caput autem ejus adhuc in utero hæreat, & reddat partum difficilem. Casus est periculosissimus, & tales fœtus dicuntur Agrippæ. Ubi non potest emendari talis positura infantis, obstetrix saltem alterutrum infantis brachium eò dirigat, ut sursum versus ad caput vergat; Sic enim fit, ut propter brachii extensionem sursum factam uterus non possit se contrahere circa collum: quo brachio retracto se vel ultrò fœtus ad sui exitum accingit, eumque insigniter adjuvat, utut non sine gravissimis cruciatibus matris: Vid. interea, qui de hoc scripserunt ex professo. Si fœtus ita est mortuus, ut nequeat arripi, chirurgicis instrumentis frustulatim discissus extrahatur.

ARTICULUS III.
DE
SYMPTOMATIS IN ET CIRCA PARTUM.
MEMBRUM I.
DE
DOLORIBUS PARTURIENTIUM NOTHIS.

Patet ex hactenus dictis, quod in Partu ex spasmo uteri & partium membranosarum dolores certi, pro stimulando partu necessarii oriantur: qui dolores parturientium veri cautè & accuratè discriminandi sunt à Doloribus Parturientium Nothis, utpotè qui Parturientes maximè cruciant, & partum difficilem reddunt; de quibus pauci quidem mentionem faciunt, cum tamen probè observandi sint. Fit enim subinde, ut graves dolores abdominis circa umbilicum, regionem lumbarem & totum ventrem, ad pubem protensi, interdum per mensem, interdum per aliquot septimanas aut aliquot dies, antequam partus instet, semper fœminas mirè torqueant, qui non tantummodò totum abdomen instar torminum colicorum & iliacorum occupant, sed interdum etiam subinde inferiora versus ad pubem usque descendunt, & incautis tanquam veri partus dolores imponunt. Quod si tunc mulieres cogantur ad laborem partus, id cum summa difficultate, labore & anxietate contingit: imò fit interdum, ut, dum maximè eniti in talibus doloribus volunt fœminæ, denuò remittant dolores & evanescant, & interdum adhuc per tres, vel quatuor, vel octo, interdum per quatuordecim dies, & interdum per & ultra integrum mensem, fœtum denuò retineant: Tales ergò dolores vocantur vulgò DOLORES NOTHI.

CAUSÆ.

Nempè oriuntur hi ipsi dolores Nothi à convulsionibus seu spasmis intestinorum & mesenterii, adeòque ad Colicas convulsivas reverà pertinent; unde etiam vicinæ utero partes simul nonnihil convulsæ similem dolorem, instar parturientium, repræsentant. Uno verbo: *Sunt nihil aliud, quàm dolores intestinorum colici & iliaci graviores*, qui fiunt ab eorum dolorificis spasmis & convulsionibus, aut qui interdum hystericam passionem aut antecedunt, aut comitantur, & non tantùm ab assumptis flatulentis, aut ab ingestis acidis, similibusque, sed etiam interdum ex effervescentia vitiosa succi pancreatici, & bilis, in primis viis corruptorum, oriuntur, prædominante etiam Acido plus minùs austero, unde & imprimis suffocationes hystericæ talibus doloribus in prædispositis subinde superveniunt, vel lipothymiæ. Fiunt item interdum tales Dolores Nothi à mucilagine pontica acida, tenaciùs intestinis affixa, quavis occasione commota aut resoluta; unde dum eam crispationibus dolorosis excutere nituntur intestina, facilè tales falsi Parturientium Dolores succedunt: Sic mulier quædam aliquamdiu ex esu raphani incidebat sequenti nocte in graves dolores abdominis, ita ut accesserit obstetrix; & aliæ mulieres, volebat eniti, nihil procedebat, instabat laboribus per integram noctem, manè dolores cessabant, & expectabat adhuc quatuordecim dies ac noctes. Sæpissimè in partu veris partus Doloribus Nothi hi ipsi dolores, uti subinde antecedunt verum partum, ita quandoque conjunguntur ipsi partui, & non rarò post partum etiam ad tempus durant, dum nempè uterus in partu spasmo correptus & contractus pro excludendo fœtu, motus istos convulsivos ratione suorum nervorum,

9. Pertinet huc nimia laxitas rugarum vaginæ uteri in iis, quæ vel crebriùs pepererunt, vel quæ diutiùs fluore albo laborarunt, ubi hæ rugæ nimis laxæ aut flaccidæ, ut minus se contrahere valeant, partum laborioſiorem reddunt, & quem obſtetrices interdum manu juvare neceſſum habent. Aliàs rugæ hæ, contrahendo ſeſe, multum faciunt ad excluſionem fœtus.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Partus difficilis & laborioſus per ſe patet.

Cauſarum ſigna imprimis cognoſcenda; quod facilè fieri poteſt, modò omnes circumſtantiæ partus penſitentur à Medico.

Matris vitia ac debilitates, eamque minus eſſe promptam ad partum, ex eius relatione & cauſis antecedentibus facilè cognoſcuntur, ſi dolores partus ſint remiſſiores, ſi ſint interrupti, item ſi mater aliàs per ſe debilis aut debilitata fuerit.

Meatuum vitia, *ſi vulvam ſeu vaginam habent anguſtam*, ex obſtetricis relatione imprimis cognoſcantur, ſi & ſtrenuè laborante matre, & ſtrenuè ſe movente fœtu, & continuantibus partus doloribus, nihilominus tamen viæ anguſtæ maneant, id quod tangendo experitur obſtetrix, aut orificium uteri pertinaciùs clauſum fuerit: in quo caſu emollientia & laxantia iniicienda.

Fœtus vitia ex circumſtantiis, præſertim ex deficiente ejus motu ac debito conatu, cognoſcuntur, ſi partus, licèt doloribus continuantibus, hic tamen tardius aut imbecillius moveatur, qui aliàs ſtrenuè ſe gerit, imò interdum omninò in motu ceſſat, ut quibuſdam fœtus putetur mortuus: quod quomodo cognoſcendum, *Membro* 3. habebimus. Scilicet (ut obiter hoc loco moneam) obſtetrix inungat manum aquâ vitæ mulierum vel alia ſpirituoſa, & ita, eàdem in uterum immiſsâ, fœtum tangit; qui ſi vivus adhuc eſt, ſubitò ſe movere incipit; ſin minus, mortuus eſt.

In ſpecie tres ſunt circumſtantiæ, quæ, monente GUILLEMEAU *Tract. de Felici Partu Mulier.* Partum difficilem & periculoſum reddunt, & ſpecialem evolutionem merentur:

1. Quando fœtus mortuus reddit partum difficilem.
2. Quando nimia hæmorrhagia uteri partum præcedit.
3. Quando partu imminente adſunt vel ſuperveniunt convulſiones.

De his adhuc quædam monenda. De fœtu mortuo *infra ſuo loco*.

Quod attinet Hæmorrhagiam uteri: ſæpius evenit, ut nonnullæ uterum gerentes obnoxiæ ſint fluxui ſanguinis per uterum: Si igitur imminente partu accidat, obſervet Medicus, ex quo loco ſanguis prodeat? an nempè ſaltem ex vagina uteri? an ex matrice? Ex qua non prodit, ſi mulieres nullos patiantur partus dolores; item, ſi orificium uteri internum clauſum & non apertum ſit; ſed ſanguis prodit ſaltem ex vagina uteri.

Interim ſimul obſervetur, ut quando orificio uteri aperto ſanguis prodit, ut tunc attendat Medicus, quid iſtud ſit, quod orificio uteri immineat? an ſit ſecundina? an fœtus? ſi ſit ſecundina, ſignum eſt, eam eſſe diſruptam à connexione cum utero, & imminere mortem fœtus, adeòque accelerandam eſſe foetus excluſionem.

Quod verò attinet convulſiones parturientibus ſupervenientes, plures ſunt mulieres, quæ ſine convulſionibus pariunt, niſi aliàs affectibus convulſivis affecta ſit mulier (tunc enim parum refert). Hinc quibuſdam fœtibus epilepſia ſub partu eſt ſalubris, quibuſdam lethalis: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 67. *pag.* 124. & *Ann.* 3. *Obſervat.* 317. *pag.* 534. Interim ſi adſunt, oriuntur utplurimum ex impetu fœtus in utero, dum ſummo conatu exire nititur.

His ſignis diagnoſticis adjungatur notatu digna obſervatio HORSTII *lib.* 5. *obſervat.* 37. ubi fœtus ante medium geſtationis tempus, & adeò ante motum, inſciâ matre ejus, mortuus relictus fuit, qui poſtmodum ex ſupervenientibus variis ſymptomatis cachecticis, gravioribus lipothymiis, à poſteriori ceu mortuus cognitus, ac feliciter expulſus fuit.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: In primiparis partus non rarò ſolet eſſe paulò laborioſior: nec tamen id perpetuæ obſervantiæ putandum eſt, cùm crebriores proſtent obſervationes, quod fœminæ, quæ primum partum faciliùs abſolvunt, ſequentibus temporibus de partu in partum ferè difficiliùs habeant, & tales ſæpius in partu, aut etiam ſæpiùs in puerperio, moriantur: E contra partus primus quò difficilior, eò faciliores ſecundi & inſequentes eſſe ſolent.

Virginibus etiam ſeriùs maritatis imprimis periculoſior & difficillimus imminet partus, imprimis quando circa trigeſimum vel trigeſimum quintum annum nubent: Nam quò propius tales virgines appropinquant ad quadrageſimum annum, eò periculoſiùs in partu ſe habent, ſæpè & hæ ſolent mori, vel in partu, vel in puerperio; idque propter ſortem juncturam & firmitatem partium uteri membranacearum.

In valdè juvenculis verò difficilis eſt partus, quia membra omnia teneriora ſunt, & exitus non adeò apertus; infantes enim primipari valdè magni eſſe ſolent utplurimum.

Interim tamen partus difficilis omnis periculoſum malum eſt, cùm exhauſtis ſucceſſivè viribus, vel matri vel fœtui, vel utriuſque vitæ ſubinde immineat periculum, quia matri gravia ſuperveniunt ſymptomata, ut hæmorrhagiæ uteri, febres, &c.

Porrò partui difficili ſuperveniunt non rarò convulſiones & paroxyſmi epileptici funeſti & lethales, niſi brevi poſt ſequatur fœtus; nam ubi ſequitur fœtus, tunc ceſſant vel ſponte.

Quod ſi verò fœtus non ritè fuerit ſituatus, vel inverſus, tam ingentem uteri diſtenſionem facit, ut metus ſit, ne utero lacerato mater gravius malum, aut periculum vitæ, incurrat.

Interdum in partu laborioſo rumpitur vagina uteri in pudendo, ita ut ſinus pudoris cum podice in unum abeat foramen; de quo inferiùs plura.

Si mulier quatuor diebus partu difficili laboret, vix poteſt fieri, fœtum permanere vivum, quin tandem moriatur, matris ſcilicet & fœtus viribus collabeſcentibus.

Partus difficilis, qui fit ex anguſtia viarum, ſpeciatim oſſis ſtructura validiore, periculoſus eſt, & ſubinde cum periculo fœtus fit conjunctus, & ſubinde Chirurgi accedat opera, neceſſe eſt.

CURA.

Quoad *Curam* Partus difficilis: ut plurimum duplex inſtituitur, partim præſervatoria, partim curatoria, id eſt, Medico incumbit, tàm ut præcaveatur, qui metuitur, quàm etiam ut facilitetur, qui actu inſtat, ut fiat minus laborioſus, per medicamenta tam externa quàm interna.

Aliquot ergo diebus ante partum, qui metuitur difficilis, ad hunc facilitandum, utatur mulier balneis & inſeſſibus emollientibus, laxantibus & nervinis, ex althæa, malva, meliloto, chamomilla, pulegio, artemiſia, ſerpillo, matricaria, & ſimilibus: e. g.

℞. *Herb. Malv.*
Artemiſ.
Matricar.
Mercurial.
Puleg.
Meliſſ.
Alth.
Violar.
Branc. urſin.
Parietar.
Flor. Chamom.
Sambuc.
Malu.
Melilot.
Lm. an. Mj.
Radic. alth. ℥i.
Malv.

Rad. Lil.

Rad. Lil. alb. an. ℥ß.
Sem. lin.
Fenugr.
Aneth. an. ℥i.
Incisa & contusa S.
Species ad Balneum.

Cui & lactis mensura una vel duæ infundi possunt.

His poma momordicæ seu fructus momordicæ quidam addendos suadent, propter signaturam: nam si hæc poma contineantur in manu, crepitu edito per medium disrumpuntur, & sua semina ita effundunt; unde per similem signaturam, clysteribus incocta, etiam in partu facilitando à VOLCHAMERO in M. A. N. C. *Ann. 6. observ. 72.* aliisque laudantur. Loco balneorum usurpant quędam fomenta, ex dictis simplicibus, sacculo insutis, in aqua vel lacte probè coctis, & subinde hypogastrio tumenti admotis, concinnata. Post balneum aut talem fotum, vel sine eo, illinatur regio abdominis inferior, item pudenda & regio lumbaris, cum mucilaginibus, oleis & pinguedinibus, vel simili *linimento*, quod *suprà sect. 7. cap. 4. Artic. 15.* datum est, vel sequenti:

℞. *Mucil. sem. Lin.*
Fenugr.
Radic. Alth.
Malv. an. ℥i.
Olei lil. alb.
Cheirin.
Chamom.
Momord.
Amygd. dulc. an. ℥ß.
Bals. Peruvian. ʒii. vel ʒiii.
Misce, pro linimento: S.
Unguentum emolliens.

Quo post balneum vel fomentum illinatur mulier.

Conveniens etiam est, quando aquę prematurè effluxerint, & genitalia nimis arida existant. Vel oleum amygdalarum dulcium & oleum liliorum alborum sola conveniunt.

Dum verò iam partus instat, & dolores mulierem prehendunt, optimum est, alvo existente uel clausa, vel intestinis flatu turgidis, applicare enema carminativo emolliens, quod maximè confert: imò ubi dolores partus nothi, aut etiam colici, aut pathemata hysterica, graviùs parturientes simul affligunt, talia clysmata ad facilitandum partum optimè conducunt; & in ipso partu difficili, aliis ferè frustraneis, se aliquoties felicem successum ex tali enemate observasse, scribit TIMÆUS *von Guldenklee, in Epist. 16. lib. 6. pag. 432.* Enema ab ipso insigniter commendatum, in ipso labore partus infundendum, est hoc satis forte:

℞. *Herb. Parietar.*
Branc. ursin.
Malu.
Violar.
Parietar. an. Mi.
Flor. Chamom.
Melilot.
Sambuc. an. Mß.
Radic. Alth.
Lil. alb.
Bryon. an. ℥ß.
Sem. Anis.
Fœniculi,
Lin. an. ʒii. vel ʒiii.
Agaric. trochiscat.
in pet. ligat. ʒiii.
Incisa & conquass. coqu. in s. q.
aquæ simpl.
Colaturæ ℔i.
adde
Elect. hier. picr. ℥i.
Catholic. ℥ß.
Ol. lil. albor. ℥iß. ad ℥ii.
Sal. gemm ʒiii.
M. f. Enema infundendum.,

Idque, ut dicit, *felici cum successu.*

His etiam factis, aut adhuc faciendis, dum Partus instat, obstetrix ante mulierem collocata manibus inunctis oleo liliorum alborum, amygdalarum dulcium, cheirino, aut pinguedine gallinacea, aut anserina, aut ursina & similibus, blandè vaginam dilatet, abdomen mulieris tumidum, & lateralem regionem lumbarem similiter inungat, subinde etiam abdomen mulieris blandè deorsum versus premat.

Quod si in longum partus protrahatur, & dolores non sint continui, sed per longa intervalla interrupti, mulier non statim cogatur in sellam, & ad puerperii conatus ac labores instigetur, in quo morosæ, imprudentes, vel aliis puerperis ad lucrum intentæ obstetrices sæpè delinquunt; quin potiùs, cùm anxia sit mulier, &; subinde stare, subinde sedere, subinde decumbere aut ambulare velit, tamdiu parturienti libertas & blandus motus, in specie blanda ambulatio & inclinatio ad parietem concedatur, ut fœtus situs deorsum versus eò meliùs promoveatur, quamdiu post effluxam aquam uterus nondum perfectè apertus, nec fœtus capite uteri orificio immineat, & ad partum jam dispositus sit: tunc enim sellæ impositam in eodem situ obstetrix constanter retineat, & firmiter ad partus labores urgeat, nec priùs dimittat, nisi fœtus subsequutus sit: Nam tunc, quando ita imminet partus, neque sedere, neque ambulare possunt; quin potiùs periculum est, ne sub conatu ambulandi vel sedendi vitietur positura situs infantis, & qui erat naturalis, nunc semotus vel ventre vel brachio vel aliâ parte orificio uteri incumbat; & ita partus præternaturalis reddatur. Intereà dum longius labor protrahitur, obstetrix oleo cheirino, pinguedine anserina, oleo succini, liliorum alborum, & similibus suprà dictis linimentis abdomen gravidæ & vaginam uteri inungat, ut in tali casu uterus & abdominis musculi relaxentur, & blandâ manu puerperam tractet, & eam audacter ad partum stimulet. Fit interdum, ut aquæ remorentur, unde ruptis unguibus suis membranis obstetrices maturiùs effundere faciunt: id quod tamen insigni cum detrimento fœtus & matris, sæpeque impedimento partus, evenit; potius suffitus ex emollientibus & carminantibus, in specie decocto chamomillæ, utero excipiendos instituat obstetrix. BORELLUS *Cent. 2. observ. 25.* habet, à potu olei olivarum ante partum mirè eundem facilitari, ita ut nec tormina ulla patiantur puerperæ, cùm oleum hoc vias molles & lubricas reddat, præsertim si etiam extra admoveatur.

De Obstetricum Officio vid. LUDOVICA BOURGOIS, JOANNES VESLINGIUS *in Observat. Anatom. posthumis*, à CASPARO BARTHOLINO *editis, pag. 159. & pag. 168.* BARTHOLINUS *in Actis Hafniens. Volum. 1. Observ. 139. pag. 286. ad pag. 292. & Volum. 2. Observ. 22. pag. 53. sequ. &* MURALD. *Clav. Medic. pagina 429. De Qualitatibus & Requisitis earum,* VIARDOL. *in observationibus de sanguine muliebri pag. 159. seq. de earum examine* PECHLINUS *l. 1. Observ. 33.* ubi & *Observ. antecedente de infelici obstetricis manu* conqueritur.

Intereà temporis, si fœtus in ipsis oris iphæreat, & metus sit, ne vel fętus, vel mater debilitetur, ad roborandam matrem & fœtum, & ita promovendum partum, Medicus vocatus internè tam analeptica varia propinet, quàm externè admovenda ordinet. Internè propinet ea, quæ per experimenta partum promovere cognita sunt, miscendo simul cum spirituosis urinosis volatilibus, & acribus aromaticis, spiritus animales roborantibus, & ita ad enixum meliùs disponentibus; & neque his sufficientibus ad specifica, fortiter pellentia, per experientiam confirmata, progressus fiat, in specie cum cinnamomo, sine quo nulla remedia pro facilitando partu propinanda veniunt. Ut ut autem spirituosa analeptica, matrem & fętum roborantia, semper conveniant, posteriora tamen aromatica acria volatilia, & specifica fœtum pellentia, non priùs danda sunt, quod probè notetur, nisi aliis irritis, omnibusque ad partum ratione matris & ratione fœtus jam prædispositis, *cum fœtus est in partu*, atque hìc saltem tardiùs procedat, id est, nisi aquæ effluxerint, orificium uteri hiet, dolores parturientis rectè se habeant, & ipse fœtus in convenienti situ positus, adeóque, ut vocant, *cum fœtus adest & capite instat orificio uteri*; aliàs enim, nisi hæc omnia adsint, fętu malè situato, aut tempore ad partum nondum requisito, ab internis partum pellentibus seu promoventibus, quibus crebrò à mulieribus peccatur, omninò est abstinendum, quia subinde frustrà & cum periculo propinantur. Nihil peius est, quàm quod obstetrices mox mulieres ad partum cogant, antequam omnia sint parata. Uno nomine: non conveniunt talia nisi in partu naturali, in præternaturali penitus ab iisdem

iisdem abstinendum. Vnde quando dolores instant, non opus est remediis pellentibus; ubi verò omnia sunt parata ad partum, dolores tamen remittant, spirituosis analepticis tanquam vehiculo, appropriata fetum pellentia, & novos dolores excitantia, sunt intermiscenda.

Cæterùm ex innumerabili remediorum farragine saltem selecta proponemus, quæ in partu difficili promovendo sunt usitata, & in tres classes dividuntur. Remedia ergo, quæ parturientibus conveniunt, sunt, vel *spirituosa analeptica*, adeoque nervina, motum partium beneficio spirituum promoventia, atque matrem & fœtum resocillantia; vel remedia *aromatica volatilia acria* fœtum stimulantia; vel *specifica* per experientiam cognita, uterum speciatim irritantia, & spasmos concitantia.

Quoad 1. *Spirituosa:* sunt cinnamomum, vinum generosum, spiritus vini, aqua vitæ mulierum, aquæ hystericæ spirituosæ compositæ variæ, aqua cinnamomi spirituosa, aqua pulegii & melissæ cum vino destillata, cum syrupo de canella, de artemisia, cum syrupo de cortice aurantiorum, & hujusmodi alia, quæ omnia sunt egregia: imò hæc spirituosa insuper id commodi habent, ut dum commovent massæ sanguineæ circulum, postmodum lochia meliùs fluant.

II. *Aromatica* fetum stimulantia sunt dictamnus Creticus verus, salvia, artemisia, aromata omnia, in specie cinnamomum, quod unum est ex optimis; unde rectè monet LINDANVS nunquam sine cinnamomo in partu mulieribus medicamenta, fetum vel vivum vel mortuum pellentia, esse propinanda, eò quod vires restauret & fetum pellat. Item pertinet huc canella, id est, costus Arabicus verus, Antophylli, & cassia lignea: dicimus ligneam, propterea, quia sæpiùs reperiuntur apud Practicos formulæ, ubi ex ignorantia substituta fuit cassia fistularis, cùm tamen huius cortex nil valeat, sed sit elumbe & medicamentum sine usu. Post cassiam Crocus est egregius, qui uti menses, ita etiam fetum pellit, & miraculosus à quibusdam ad partum difficilem dicitur, adeò ut etiam quandoque ex eius usu fetus observatus fuerit colore flavescente tinctus, utut is crocus ipso partus labore assumptus sit: Vid. AMATVS LVSITANVS *Cent.* 5. *Curat.* 24. & 157. *Cent.* 6. *Curat.* 87. *Cent.* 7. *Curat.* 86. HORSTIVS FILIVS *in observ. Anat.* 31. HENRICVS *ab* HEER *observ.* 14. Quibus addantur omnia salia alcalia fixa & volatilia, speciatim volatilia oleosa, & olea aromatica, essentia croci, &c. quæ egregia sunt ad fetum promovendum.

III. Succedunt *Specifica*, inter quæ flores cyani & calcatrippæ in vino cocti à quibusdam singulariter laudantur, sicut etiam *Essentiam ad Partum D. Michaelis* ingrediuntur: item Antheræ liliorum alborum, flores calendulæ, semen lavendulæ, milii Solis, &c. Pauperculis in usu est haustus urinę mariti, uti dicit HARTMANNVS; Et sanè scio, hoc feliciter quibusdam successisse, dum scilicet haustu urinę maritorum liberati fuerunt ab ipso labore partus. Porrò castoreum, & omnia ex eo, sunt egregia; item succinum album, & omnia ex hoc; Nam succinum prę paratum solum ad ℈ii. vel ʒi. propinatum, promovet partum; & essentia succini, seu potiùs oleum succini destillatum, quod sub nomine Quintę Essentię succini laudat BORELLVS *Cent.* 3. *Observat.* 52. sicut RVLANDVS *in Thesaur. Curat. pag.* 320. & 321. oleum succini egregio cum successu expertus, quod à guttis viii. x. xii. xiii. ad xxx. in aqua melissæ cum vino, vel aqua pulegii spirituosa intus propinatum, est singularissimum remedium, in casu difficili simul externè umbilico inungendum: si acuatur aliquot guttis olei destillati cinnamomi, erit eò magis præsentaneum remedium. Loco hujus efficacius longè experimentum est RVLANDO *l.a.* in usu positum suum oleum Heraclinum, ex corylo, certo tempore dissecto, præparatum, quod tam internè assumptum ad guttas xii. xv. usque ad xxv. & externè umbilico illitum, mirè partum promovet. Essentiam succini tartarisatam cum essentia castorei mistam, & ad guttas xxiv. aliquoties exhibitam, LVDOVICI commendat in M. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Observat.* 35. cui essentia Croci etiam associari potest. His non cedit sal volatile succini, dosi ℈. vel gr. xv. in aqua liliorum alborum, quod fuit Secretum SVLTZBERGERI, olim Archiatri Saxonici, ad promovendum partum difficilem; unde liquor cornu cervi succinatus à ʒß. ad ʒi. est remedium egregium.

Porrò myrrha, asa fœtida ac similia sunt expertissima: Hinc pilulę fœtidæ, ad ʒi. cum decocto sabinę propinatæ, mirè stimulant partum. Myrrha imprimis & singularissima, & in specie trochisci de myrrha usitati sunt ad fetum pellendum, & vivum & mortuum, propinati à ʒß. ad ʒj. Quò pertinet etiam sabina, item decoctum; imprimis oleum destillatum sabinę est efficacissimum fetum pellens: vid. VELSCHIVS *Hecat pag.* 32. Præ cæteris eminet secundina humana, cuius *spiritum* per putrefactionem paratum, & ritè rectificatum, ceu summum specificum, primariò primiparæ, instar omnium in partu difficili, fetu vivo vel mortuo, vobis commendo. Modus pręparandi est hic: secundina cum membranis concisa minutim, in vase amplo benè clauso in Marię Balneo, digeratur per mensem & plus; sic enim resolvitur tota secundina in liquorem, sed horrendè fętentem, paucis tantummodò vestigiis membranarum crassiusculis relictis: hic liquor rectificandus est per balneum, ut solus prodeat spiritus, qui spiritus ad guttas 30. vel 40. usurpatus, non habet sibi par remedium in morbis, qui partum attinent, & post partum succedunt; in fluxu lochiorum, doloribus post partum, & fętu mortuo pellendo, est singularissimum remedium. Hoc ipso in superiori anno in quadam, medio gestationis tempore abortienre, cum relictæ essent secundinę, & per tres dies retentę, frustulatim licèt, expuli. Sed hęc obiter. Hinc quoque cum hoc ipso spiritu secundinę humanę, ceu menstruo, parantur Essentię ad partum, imprimis *Essentia ad partum B. Dn. D. Michaelis*, cuius ingredientia sunt pręter alia aromata, antophylli & cinnamomum sive canella, costus Arabicus, caryophylli, flores cyani, tunicę, calcatrippę & cheiri, antherę liliorum alborum, sabina &c. Ex his beneficio spiritus secundinę fit essentia ad partum admodum efficax. Datur spiritus ille à ʒß. ad ʒi. in aqua liliorum alborum, aut cinnamomi, aut pulegii, aut melissę. Qui non habent spiritum secundinę, assumunt secundinam, eamque blandè exsiccant in clibano, aut phlegmatis in Marię balneo abstractione; cujus pulveris ʒß. ad ʒj. propinant ęquali ferè effectu. Quia autem secundina, nisi ritè & sedulò exsiccetur, vix profert moram, sed facilè putrescit, inde ut hoc pręcaveatur, pulvis impręgnetur oleo destillato caryophyllorum aut cinnamomi; sic enim diu servari potest, & meliùs quoque operatur. De Fuligine res nota est, quod in substantia ad ʒi. propinata insigniter conducat pro promovendo partu. Hinc loco spiritus secundinę etiam spiritus fuliginis benè rectificatus est egregius ad pellendum fetum: in specie ubi vires deficiunt mulieri, doloresque parturientium desinunt, & sic partus periclitatur, tunc promptè propinatur spiritus & sal volatile fuliginis, vel oleum rectificatum; sic enim promptè denuò redeunt dolores ad laborem: item applicatur fuligo furni splendens, subacta cum aceto destillato pulsibus; sic enim facilè denuò partus labores repetunt. Secundinę humanę & fuligini succedit jecur anguillarum, unà cum suo folliculo fellis exsiccatum & pulverisatum, quod *specificum* singulare *Helmontii* est, *Tractat. Jus Duumvirat.* §. 47. ad promovendum partum, cuius miram efficaciam ad promovendum partum etiam insigniter extollunt PANNAROLLVS, ceu certissimum, *in Observationibus, Pentec.* 3. *obs.* 21. BINNINGER *in Obs.* du HAMEL *de Affect. Corp. pag.* 309. ZWELFFERVS *Apol pag.* 103. & BOYLE *in Philosophia experimentali pag.* 478. ubi dicit, se aliquoties huius hepatis exsiccati usu dosi ʒß. ad ʒi. in casu desperato adhibuisse, dummodò sit recentius, nec ultra duos annos asservatum. Loco hepatis anguillę etiam potest usurpari ęquali cum successu hepar serpentis, aut, quod melius adhuc, hepar viperarum, similiter cum suo folliculo fellis exsiccatum & pulverisatum, & hepati anguillę non cedit. Juxta hęc Testes equini, exsiccati & pulverisati, sunt specificum singulare ad partum difficilem, cujus apud Practicos frequentia vestigia existant. Singularem horum & mirabilem efficaciam à ʒß. ad ʒi. vel si soli propinantur, vel si cum cantillo borracis in aqua liliorum alborum hauriantur, mirè commendat CLAVDINVS *Cons.* 107. & HENRICVS *ab* HEER *in observ.* 14. & basis sunt pulveris ad partum difficilem HELIDÆI PADVANI, qui satis est efficax. Juxta hos testiculos etiam pro pauperculis est stercus equinum, eiusque succus cum vino expressus, qui loco urinę mariti haustus egregium est remedium, quod potenter pellit partum, & etiam ceu ἐμπειρικόν, sędum licet, efficax tamen,

tamen, commendat LINDANUS. Quibus omnibus subinde pro circumstantiarum ratione & alia socianda veniunt. In specie borrax Veneta unum ex optimis & potentissimis est ad promovendum partum, fœtum mortuum, lochia & secundinas, si à ℈i. ad ʒß. & ʒi. propinetur in decocto vel syrupo appropriato, meritò laudatur à ZACUTO LUSITANO *lib.* 2. *Prax. Admir. Observ.* 41. 49. & 158. quod rarò fallit, ubi affectus est curabilis. Porrò Mercurius vivus propinatus expertum est remedium à BARTHOLINO *Cent.* 4. *Epistolar. pag.* 492. Sicuti ab aliis mirè commendatur aurum fulminans, ita ut aliis quamplurimis frustrà adhibitis hoc solum sit singulare, & ceu anchora sacra, & ultimum remedium. LANGIUS *in Misc. Cur. pag.* 101. mirè extollit tanquam expertissimum in hoc casu specificum cephalicum D. Michaelis, præprimis si epilepticis insultibus sit stipatus partus difficilis.

Jam ex his paucis & selectis mille possunt fieri formulæ: v. gr.

℞. *Aquæ Matricar.* ℥ii.
Cinnam. ℥ß.
Borrac. Venet. ʒß.
Myrrha ℈i.
Salis volat. succini ℈ß.
Syr. de canella ʒiii.
M. f. Potio pro duabus dosibus.
D. S.
Potio partum promovens.

℞. *Aquæ liliorum alb.* ℥ii. vel ℥iii.
Cinam. ʒiii. vel ʒvi.
Liqu. Cornu Cervi succinat. ʒiß.
Borrac. Venet. ʒi.
Syr. Artemis. ʒiii.
M. D. S.
Potio promovens pro aliquot vicibus.
Capiatur pro lubitu.
Vel

℞. *Aquæ lil. alb.*
Puleg. an. ℥i.
Cinnam. ʒß.
Spiritus fulig. à ʒi. ad ʒii. (prout rectificatus plus vel minus)
Pulv. secund. human. præp. ʒi.
Syr. de Canell. ʒß.
M. pro 2. dos.
D. S.
Potio promovens pro 2. dosibus.

℞. *Aquæ lil. alb* ℥ii.
Meliss.
Puleg. an ℥i.
Cinnam spirituos. ʒß.
Testic. equin pulveris. ℈iv.
Borrac. Venet. ℈ii.
Ess. Castor.
Succin. an. gtt. xx.
Ol. destill Nuc. mosch. gtt. vi.
Sacch. albiss. ʒii.
M. D. S.
Potio promovens pro aliquot vicibus.
Propinetur cochleatim.

℞. *Aquæ flor. Cheiri* ℥ii.
Puleg cum vino ℥i.
Cinnam. cum vino ℥ß.
Pulv. Hepat. Anguill. cum felle ʒß.
Borrac. ℈i.
Syr. Artemis. ʒiii.
M. S. *ut antè.*
Detur pro lubitu.

Pertinet huc *Mixtura experta* TIMÆI *von Guldenklee*, ex myrrha, croco & succino, cujus efficaciam vel centies in difficili partu se expertum fuisse affirmat *in Casibus lib.* 4. *cas.* 25. *pag.* 223. & 28. Formula est hæc:

℞. *Aquæ Meliss.*
Artemis.
Cinnam.
Hysteric. an. ℥i.
Myrrh. elect. ʒß.
Succin. alb. præp. ℈i.
Croci ℈ß.

M. f. Potio, haurienda calidè, quæ subitò partum promovet.

Item *Mixtura* TIMÆI *von Guldenklee*, *Cas.* 28. cujus formulam *infrà Sect.* 8. *cap.* 2. *artic.* 1. *ubi de Lochiis suppressis*, communicabo. Meritò addit succinum album, ob rationes suprà dictas. BARAETTE, ut & SYLVIUS, insigniter commendant hanc potiunculam:

℞. *Aquæ puleg.* ℥ii.
Meliss. cum Vino ℥i.
Vitæ Matth. ʒvi.
Syr. de Artemis. ʒß.
Misc. pro Potione.

De hac mistura aliquot cochlearia subinde propinata, mirè matrem roborare & partum promovere dicuntur: si non fuerit sufficiens, reliquis pro vehiculo inservire potest.

D. CUMMIUS in M.A.N.C. *Ann.* 3. *obs.* 132. talem commendat mixturam roborantem in partu difficili:

℞. *Aquæ puleg.*
Fœnic. an. ℥ii.
Vitæ mulier. ʒvi.
Ess. Castor.
Croci an. ʒß.
Syr. de Artemis. ℥i.
Misc.
Detur cochleatim per vices.

Pertinent huc species dia-borracis Mynsichtii, cum Decocto Matricariæ vel Sabinæ propinatæ, quæ mirificè fœtum pellunt: & *in Curationibus* HILLERUS curavit feminam triduano partu laborantem, propinando tandem borracis ℈i. cum unicorn. animal. ℈ii. & sic tandem peperit filium mortuum. Pulveres aliquot compositos expertos vid. in HERTODTII *Crocol. pag.* 224. Item convenit pulvis ad partum Augustanorum, & pulvis ad difficilem partum HELIDÆI PADUANI, qui satis est efficax, & cujus hæc est compositio:

℞. *Testic. equin. exsicc. & pulveris.* ℈iiß. vel ʒi.
Borrac. ℈ii.
Cinnam.
Croci an. ℈ß.
M. f. Pulvis pro duabus vel tribus dosibus:
quarum singula in ℥ii. *aquæ artemisiæ* propinanda.

Pertinet huc *pulvis expertus Lindani*, quem in defectu secundinæ humanæ se semper felici cum successu etiam aliquoties in propria uxore ad fœtum pellendum adhibuisse testatur:

℞. *Cinnam. acerr.*
Oss Dactyl.
Borrac. Venet. an. ℈i.
M. f. Pulvis.

Detur in haustu *vini generosi* vel *Hippocratici*, aut in *Decocto radicis liliorum alborum*.

Si potentius debeat esse remedium, loco ossium dactylorum sumatur *Trochiscorum de myrrha* ℈i.

Mirè laudat hunc pulverem, ubi vires deficiunt, & dolores in parturientibus remittunt; ab assumpto enim hoc pulvere subitò rediisse dolores, se aliquoties observasse affirmat. Vel

℞. *Troch. de Myrrha,*
Borrac. Venet. an. ʒß.
Cinnam acuti ℈i.
M. f. pulvis: S.
Pulvis promovens.
Item

℞. *Pulv. hepat Anguill.* ʒi.
Borrac. Venet. ℈i.
Myrrh. ℈i.
M. pro 3. dos.
S ut antè.

Quorum vehiculum sit:

℞. *Aquæ puleg.* ℥iiß.
Cinnam. ʒiiß.
Misc.
Vel

℞. *Pulv. hepat. Anguill.*
Secund. hum. an ℈i.
Borrac. Venet. ℈ii.
M. pro 3. dosibus.
D. S.
Ut antè.

Propinantur in vehiculo sequenti:

℞. *Aquæ Lil. alb.* ℥ii.
Puleg. ℥i.
Cinnam. spirituos. ʒiii.
M. pro vehiculo: S.

Aqua ad pulverem.

Similis ferè est *pulvis Sylvii* ad promovendum *partum*:

℞. *Borrac. Venet.* ʒß.
Myrrh. el. ℈i.
Croci opt. ℈ß.
Cinnam. acut. gr. viii.
M. f. pulvis pro duabus dosibus.

quæ ex mixtura spirituosa propinentur.

Dum jam mentionem facio Croci, hoc ipso memoratu digna est observatio AMATI LUSITANI *Cent.* 5. *Cur.* 34. *Cent* 6. *Curat.* 51. *Cent.* 7. *Curat.* 66. cujus egregius & expertus pulvis est sequens:

℞. *Cinnam. opt.*
Troch. de myrrh.
Croci an. ʒß.
M. f. Pulvis pro una vel duabus dosibus.

A quo postmodum infantes enixi quasi luteo colore apparuere tincti, ratione nempè croci, cujus nimia videtur quantitas.

Dum de Borrace superiùs locutus sum, in mentem venit, quod scribit CORNARIUS *in suis Observationibus*, quod „ *si scilicet pariendi conatus ex longa mora infantis & orificii uteri angustia deficere volunt, tunc exhibeatur pulvis sequens:*

℞. *Borrac. Venet.* ℈iv.
Croci,
Cinnam. an. ℈i.
Misc.

„ *& propinetur gravidis pro duabus dosibus in aqua artemisiæ aut vino dulci dissolutis.*

„ *Obstetrix verò interea abdomen & loca parturientis adipe coturnicis liquefacto calidè inungat, unde subitò & brevi post nova tormina superveniunt & partus sequitur.*

Hæc equidem sunt talia, quæ partum promovent, & dolores imprimis reiterare faciunt: quod si tamen nimii sint dolores, ita ut ab his ipsis fatigetur nimis ac debilitetur fœmina, tunc SYLVIUS hisce fętum pellentibus aliquot grana laudani opiati tutò addenda suadet, (consilium quod apud neminem Practicorum unquam invenietis) si propinetur imprimis in aqua appropriata cum tinctura castorei.

Cum his internis sæpè necesse est, ut usurpentur quædam *Externa*: inter quæ præ cæteris convenit Cingulum ex exuviis serpentum, circa hypochondria vel lumbis circumligatum, quod singulare quid obtinet ad promovendum partum: Sic etiam ad eundem facilitandum unguentum fit ex exuviis serpentum, quas spontè deponunt, axungia vulpis, leporis, lumbricis terrestribus, & succo cancrorum fluviatilium, abdomini illinendum; quod ipsum, à quibusdam in secretis habitum, partum potentissimè promovet. Descriptum videri potest in *Gammarol.* SACHSII *pag.* 782. Sed mox abstergendum propter nimiam pellendi virtutem. Item convenit suffitus ex benzoë, ladano, succino, thure, & mastiche; vel fiat *suffitus* STOECKERI, quem *infrà Sect.* 8. *cap.* 1. dabo, item unguentum ex oleo cheirino, liliorum alborum, unguento althææ ʒ &c. quæ acuuntur cum oleo destillato succini imprimis & spicæ q. s. pro litu externo abdominis: e. gr.

℞. *Olei Cheirin.* ʒvi.
Dest. succin. ℈i.
M. D. S.

Unguentum promovens.

Illinatur regio umbilicalis & abdominis tumens.

Vel

℞. *Ungu. Nervin.*
Ol. laurin. an. ʒß.
Dest. succin. ʒß. ad ʒi.
M. pro Linimento.
D. S. ut antè.

quo abdomen illinatur.

Item subigatur succus sabinæ pinguedine anserinâ, & moderato igne redigantur in formam linimenti, quod illitum abdomini, fętum promovet. Alii commendant zibethum humanum seu pinguedinem circa testiculos virorum, quam vulvæ & umbilico illitam fętum pellere affirmant. Præ cæteris specificè laudatur axungia viperina & serpentum, quæ regioni umbilicali inuncta promptissimè pellit fętum: Sed quoniam est singulare remedium, post partum mox abstergatur, *valdè promovet* lochia: Item oleum destillatum succini, mistum cum axungia serpentum, umbilico illitum, mirè partum promovet. Hoc enim à Lotichio laudatur ad promovendum fętum etiam mortuum, quo etiam vaginam uterinam illinendam suadet, ut feliciter succedat partus: v. g.

℞. *Pingu. viperin.* ʒvi.
Ol. Cheirin. vel *Momord.* ʒiii.
Destill. spicæ ℈i.
M. D. S.

Unguentum promovens.

Vel fiat Fotus abdomini applicandus ex plantis aromaticis pellentibus, v. g. ex mercuriali, dictamno Cretico, radice Ireos, radice Cucumeris agrestis, Floribus chamomillæ, pulegio, artemisia & similibus, ex quo fotu abdomen aliquamdiu fomentetur, postmodum verò illinatur abdomini unguentum de arthanita, quod potenter pellit. Vel fiat cataplasma ex Decocto colocynthidos, succino, ruta, & myrrha cum farina hordei, quæ omnia insternantur abdomini sub cataplasmatis forma. Et hæc ita internè & externè in partu difficili ac in fętu mortuo conveniunt, nisi quod in hoc magis valida, & in maiori dosi usurpanda sint. Pessi intruduntur ex sabina viridi, contusa cum croco; vel ex galbano in aceto dissoluto, cui myrrha & crocus addita sint: e. g.

℞. *Galban. in acet. dissolut.* ʒi.
Myrrh. ℈ii.
Croci ʒß.
Cum *Ol. Irino*
F. Pessus: S.

Pessus promovens.

Alia Externa, nempè cingulum ex corio humano, lapis ætites coxæ alligatus, per se sunt nota. Frustum cutis Tigris femori sinistro alligatum, partum facilitare, vid. in M. A. N. C. *Ann.* 6. *observ.* 59. Oculos leporis exsiccatos, vertici aut umbilico applicatos, laudat HARTMANNUS ad pellendum fętum: res mihi subinde fuit visa ridicula, nihilominus tamen MACASIUS *in Promptuar. Med.* item MAIOR *in Tract. de Inunct. Vert.* hoc ipsum experimentum comprobant.

His verò & similibus adhibitis, ubi speratus non succedit effectus, & fętus adhuc in partus hæreat angustiis, aliquantisper fortiora adhibenda sunt remedia. Necesse ergò est, ut subiungantur simul sternutatoria quędam, dum sternutationis nisu per vices quasi irritantur fęminę, & ita forti diaphragmatis & abdominis concussione concutitur uterus & partus simul promovetur. De eorum usu uid. HEER *Obser.* 14. HARVÆUS *lib. de Partu*: HILDANUS *Cent.* 3. *Observat.* 53. Fiant autem ista sternutatoria ex nicotiana, helleboro albo & nigro, majorana, radice & floribus liliorum convallium, pipere, castoreo, caryophyllis & similibus.

Quibus frustra adhibitis, tandem in causa nonnihil difficiliori & desperata videtur necessarium, ut ad vomitoria fiat accessus, quæ extremum sint remedium. Hæc inter eminet mercurius vitæ, quem mirificis extollit laudibus LANGIUS *Misc. cur. p.* 101. HOFFMANNUS *Meth. Med. lib.* 1. *cap.* 9. & BILLICHIUS *in suis Paradox. & Observ. Chymicis*, ubi occasione mercurii vitæ egregium discursum habet, & partum difficilem desperatum hoc ipso beneficio vomitus curari dicit. Et certum est, quod inter vomitoria, quoad partum difficilem, hic mercurius vitæ sit singularissimus, qui rarò fallit, & in isto vomitus conatu aliis desperatis tandem excludunt fœminæ tam vivum quàm mortuum fœtum. Sunt qui succum nicotianæ inspissatum pro vomitorio hìc laudant, sed est nimis violentus, nimisque malignus: Potiùs ergò Mercurius vitæ in substantia, vel infusum antimoniale ex mercurio vitæ est usurpandum. Quinimo Modernorum audacia pro facilitando partu venæ sectioni locum interdum concessit; & aliquot novi exempla, in aliis locis (non hic) mulierum, quæ cum aliàs laborarent ordinariò partu difficili, sibi, dum inciperent dolores partus, venam aperire in brachio, curarunt, unde facilè postmodum fuerunt liberatæ: & ipse PATINUS Parisiis mihi retulit, se plus quàm ter in partu difficili secasse venam in cubito, unde brevi post liberatæ fuerunt fœminæ à fętu. Nec res est impossibilis aut absurda, in paulò scilicet habitioribus juvenculis, & in magis plethoricis, quæ sanguine spirituosiore & magis turgescente abundant. Id quod antea etiam docuit *de la* COURVEE *in Parad. de Nutrit. Fętus in utero, qui c. ultimo circa finem p.* 357. uti in aliis grauidarum affectibus, ita in specie venę sectionem commendat ad facilitandum Partum, cujus fœlicem usum etiam

BAV-

BAUHINUS observavit. Imò jam vestigia prostant in HIPPOCRATE *lib.* 1. *de Morb. Mulierum*, ubi Venæ Sectionem in talo instituendam hic commendat. vid. ZACUTUS LUSITANUS *l.* 2. *Prax. Admir. Observat.* 64. BORELLUS *Cent.* 4. *Observat.* 24. & RIVERIUS *Prax. lib.* 15. *cap.* 16. Apud nos non videtur necessaria hæc Venæ Sectio. In climatibus calidioribus, & in habitu fœmellarum succulentiore pauló, aut quæ utuntur pro potu ordinario Vino, in his venæ sectio in ipso partus labore instituta admodum necessaria & proficua est; sic enim imminuto sanguinis quanto interdum mirabiliter partum promovet.

Quodsi imminente partu hæmorrhagia uteri accedat, huic alio modo succurrere non possumus, nisi ut quantocyus à fœtu liberetur mater, aliàs impossibile est, ut sistatur sanguis: adeo opera danda est, ut fœtus excludatur & foras provocetur, ne diuturniore morâ vel fœtus vel mater periculum vitæ incurrat; vid. MAURICEAU *de Morb. mulier. cap.* 21. idque præprimis, si dolores parturientium præcesserint, aut adsint; item si simul aquæ vel effluunt, vel effluere incipiunt, etiamsi fœtus vel sex vel septem vel octo fuerit mensium; item si orificio uteri aperto secundina immineat. Si verò orificio interno clauso sanguis ex vagina uteri saltem prodeat, tunc mulieres non sunt urgendæ ad partum, sed curandæ sunt ad modum curationis aliarum hæmorrhagiarum.

Si adsunt in partu convulsiones, quæ ut plurimum ex impetu fœtus in utero, ejusque summo egrediendi conatu, oriuntur, in hoc casu egregiè se gerit *specificum cephalicum D. Michaelis ad* ℈j. in aqua quadam spirituosa exhibitum: vid. LANGIUS *Miscell. Cur. pag.* 92. Hoc non sufficiente, & metu uteri lacerationis aut alius gravioris mali, subitò mater à fœtu liberetur, in specie manuali operatione secundùm modos, quos docet tam GUILLEMEAU, quàm MAURICEAU *l. a.*

Sæpè etiam evenit, ut in partu difficili, fœtu vivo existente, mater intereat, ubi vix aliud salvandi fœtus est medium, quàm *Sectio Cæsarea*, seu abdominis in regione laterali hypogastrica, ibique facta apertio, & exeo fœtus vivus extrahendus, qui postmodum, uti notum est, appellantur Cæsares: quæ sectio abdominis pro partu Cæsareo non, nisi in hoc casu, toleranda. Vid. prout pluribus hoc explicat MAURICEAU *l.* 2. *cap.* 33. Hujus feliciter administratæ exempla, præter ROUSSÆUM *de Partu Cæsareo*, qui optimus, & SENNERTUM, vid. VALERIOLA *l.* 2. *Observ.* 22. MARCELLUS DONATUS *Histor. Med. lib.* 7. *cap.* 12. BARTHOLINUS *C.* 2. *Histor.* 8. ubi refertur mulier, cui quater & amplius, & alia *in Epist. Medicin. Cent.* 4. *Epist.* 41. *pag.* 237. ubi ter fœtus exsecti fuerunt.

MEMBRUM III.

DE

FOETU MORTUO.

PEriculosi & difficilem partum præ cæteris casibus fœtus ipse mortuus constituit, quia omnis ejus conatus tunc cessat, sæpeq; etiam perversum habet situm, & totum negotium matri, sæpissimè tunc debili, unicè incumbit; unde vel postmodum mater debilitata tandem & ipsa in labore satiscit & moritur, vel non sine labore fœtum tardè enititur. Imò in tali casu euenit interdum, ut mortuo fœtu in matre debilitata, cessante fœtus motu & conamine, omninò dolores partus cessent & evanescant, nec unquam redeant, quicquid etiam ad promovendos eos adhibeatur; aut si redeant, non tamen sufficiant pro excludendo fœtu, imprimis si vitiosè simul situatus fuerit infans in utero materno, adeoque omnia medicamenta sunt frustranea.

CAUSÆ.

Moritur fœtus aut in partu, aut aliquot diebus vel mensibus ante partum. In partu moritur ex iisdem ferè causis, ex quibus aliàs difficilis fit partus; v. g. aut ex propria fœtus debilitate; aut ex matris debilitate fœtus conatum non promoventis; aut ex viarum angustia, ex quibus eniti nequit, quin suffocatus quasi hæreat, & quandoque capite vehementer compresso intereat. Imò perversus ejus situs multum etiam simul tribuere potest ad ejusdem internecionem, si scilicet accedat simul fortior matris conatus, quatenus subinde aut collum ejus inuertendo, aut laxando, mors hinc fœtui in utero acceleratur. Ante debitum verò partus tempus sæpissimè *externis ex causis* moritur fœtus, v. g. ex nimia matris ira, terrore aut ejus pavore, à quo etiam in utero adhuc constitutus tenellus loco mortis epilepticis convulsionibus corripi solet. Item etiam perit fœtus ex prolapsu matris in abdomen ex percussione gravi abdominis, & similibus. Ex *causis internis* febres acutæ, alii morbi acuti matrem grauiter affligentes, sæpiùs fœtum adhuc in utero interimunt.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *Diagnosin fœtus mortui*: circa hunc imprimis arduum negotium incumbit Medico, ut cognoscat, an revera fœtus sit mortuus? aut saltem, an sit debilitatus quidem, & adhuc vivus? Et quidem si hoc euenit, vel suspicio sit de fœtu mortuo, observetur, an tempore legitimo partus hoc eueniat? ut exindè sciat, an chirurgica applicanda sint instrumenta? siue extrahendus sit uncis, sive discindendus scalpellis, & ita frustulatim foras protrahendus: sin verò ante tempus partus moritur, necesse est cognoscat, an fœtus sit mortuus? ut eundem mortuum maturè ejiciat, ne eundem tanquam vivum retinere studeat, nec retentus in utero suâ putredine matri detrimentum insigne, & ejusdem uteri corruptionem ac putredinem, & tandem mortem inferat.

Signa, fœtum esse mortuum, infallibilia & certò demonstrantia non dantur, potiùs aliquot vel plura simul sumpta accuratiùs inter se collata & bene pensitata, rem tandem certiorem reddere valent. Nam fit subinde, ut à doloribus nothis irritatus & uterus & fœtus, egressum moliantur mense septimo & octavo, sub quo molimine adeo interdum debilitatur fœtus, ut non ampliùs se moveat, adeoque interdum tanquam mortuus in utero hæreat. In tali casu, ne fiat deceptio, omnes omninò circumstantiæ probè sunt pensitandæ.

Horum ergo signorum, quæ manifestant fœtum vel in partu, vel aliàs esse mortuum, sunt sequentia:

1. Quando mater & obstetrix, si est in partu, motum fœtus ampliusnon percipiunt, etiamsi roborantia, aut aliàs confortativa spirituosa exhibeantur, sive interna sive externa.
2. Quando gravida de latere in latus se vertendo ac volvendo fœtum simul ex una parte in alteram lapidis aut molis cujusdam inconditæ instar, dilabi & moveri sentit. BN. Sæpe fallit hoc.
3. Facies & imprimis labia puerperæ admodum pallent.
4. Partes extremæ interdum sublividæ, & ad tactum frigidæ apparent.
5. Vteri regio extima, & pecten ejusque cervix, frigida tactu deprehenduntur; hinc, quando obstetrices sentiunt os pubis frigidum, dicunt: *Os pubis friget*.
6. Mammæ, quæ anteà blandè turgebant, & surgebant, flaccescere, emolliri ac perlæ fieri incipiunt, & lac, quod est, emulgetur instar seri candidi.
7. Temporis progressu anhelitus gravidæ fit fœtidus: hinc
8. Aqua & sanies tandem fœtida ex utero effluit.
9. Superveniunt hinc subinde febres admodum graves, periculosis lipothymiis, cordis palpitatione & & deliriis conjunctæ: Et
10. Subitò horror febrilis sine manifesta causa accidit tali matri: & curiosum est, quod extincto fœtu mox sequatur horripilatio ingens. Vnde si post grauem terrorem, vel si in ipso partu, vel ante partum, matrem ingens horripilatio prehendat, unum est ex familiaribus & certissimis signis, fœtum esse mortuum: vid. SALMUTH. *Cent.* 2. *Observ.* 69. Sunt, qui hoc signum tanquam infallibile putant; non tamen est universale: semper quidem, quando fœtus moritur, matres corripiuntur horrore, sed non vice versâ, cùm nihilominus ab experto quodam Practico mihi relatum fuit, se observasse frigus cum tali horripilatione, fœtum tamen adhuc superstitem fuisse vivum; sæpe enim parturientes horrore percutiuntur, utut vivus sit fœtus.
11. Subinde graviora animi deliquia superveniunt.

12. Sto-

12. Stomachi & capitis dolores interdum, si fętus mortuus aliquandiu retineatur, superveniunt.
13. Interdum & convulsiones, nonnunquam horrendæ, accedunt.
14. Si ante fętum secundinæ excludantur, vel vasa umbilicalia flaccida, item si obstetrix funiculum umbilicalem contingens, non percipiat arteriarum pulsum, fetus in utero extincti & mortui signum admodum certum, & RIVERIO signum certissimum est, & rarò fallit. Cessante enim debito sanguinis circulo inter fętum & placentam, item inter placentam & uterum, necesse est mori fętum, verissimum est. Exemplum contrarium, nempè in partu difficili secundinam ante fętum prodiisse, matre & fętu saluis, observavit LOSSIUS *in Observ. pag.* 380.
15. Si prægnans, quæ suspicatur de fętu mortuo, manum in calentem aquam imponat, in eaque aliquandiu teneat, nec fętum moveri sentiat, signum etiam est ultimum, eum mortuum esse.
16. Dolores parturientium, si subitò penitus ex toto intermittant, noxam fętui illatam testantur; id quod adhuc validius est signum, si succedat adhuc horror & pandiculatio.
17. Manus aquâ frigidâ madida cujusdam adstantis ventri matris imposita manifestat ex subsequente motu fętum vivum; si enim hinc non moveatur, fętum mortuum esse, signum est: Vid. BARTHOLINVS *Cent.* 5. *Hist.* 78.
18. Majorana viridis digitis trita umbilico imponenda est; fętus enim se movebit, si adhuc in vivis sit.
19. Panis vino malvatico intinctus applicetur ventri, in pede vero fiat parva venæ sectio, & fetus, si est vivus, movebitur: Vid. BARBETTE *in Chirurg.* Vlterius
20. Caput infantis in partus loco situatum, si fontanella ejus capitis seu membranea, Germ. *das Blatgen*, in interstitiis ossium cranii est flaccida, nec fortiter tensa, tunc ex tali flacciditate ejus arguitur, fętum certò esse mortuum.
21. Vltimò denique unum ex primariis, & certissimis fętus mortui in partu signum est, si in partu meconii seu excrementa alvi ante fętum prodierint. Nihilominus tamen RVLANDVS huius rei habet contrariam experientiam *in Thes. p.* 300. ibi enim refert fęminam, quæ cùm biduum parere non potuisset, etiam fętus meconium exclusisset, nihilominus tamen postmodum fętum vivum expulit beneficio olei succini, cujus guttas 30. cum vino propinavit, oleo ligni heraclini umbilico illito, sic enim post dimidiam horam fęminam esse enixam sanum & salvum filium.

Plura signa videbitis in MAVRICEAV *lib.* 2. *de Morb. Gravidar. c.* 12. Ex hactenus dictis signis primatum obtinet deficiens motus fętus, horripilatio matris, secundinarum aut meconii prægressus, & denique membrana fętus flaccida.

PROGNOSIS.

Quoad *mortui Fœtus Prognosin*: Hic retentus, præter hoc, quod difficilem reddat partum, ad putredinem ruit, & gravissimum periculum vitæ matri variis modiis affere solet: his enim, præter anhelitum difficilem, superveniunt appetitus dejectus, cachexiæ, febres erraticæ, lipothymiæ, pathemata convulsiva, ac varia symptomata, tandem & ipsa mors.

Rarissimum est, Fętum mortuum ad tempus citra corruptionem putredinalem, aut citra sensibile matris incommodum, fuisse in utero retentum, nisi exsiccatus fuerit: de quo vid. BARTHOLINVS *Centur.* 1. *Histor.* 12. & M. A. N. C. *Ann.* 6. *&* 7. *Observ.* 13. *pag.* 23.

Interdum autem, utut fętus mortuus sui putredine matri mortem intendat, putrefactus tamen frustulatim per uterum ejusque vaginam excernitur: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observat.* 256. *pag.* 382. Interdum partes molles in liquamen corruptæ profluunt, durioribus ossibus relictis, ita ut mater sceleton in utero gestet. Interdum ex putredine fętus uterus corruptus, & ipse putrescit, unde vicinæ partes simili putredine correptæ putrilaginem fętus aut per umbilicum, aut per alvum, aut per inguina, aut per alia similia loca erosa ac corrupta, ejiciuntur. Miræ hujusmodi historię fętuum mortuorum, in utero matris putrefactorum, per varia loca illæsâ matre frustulatim ejectorum, videbitis in SENNERTO *lib.* 4. *Prax. ubi de Fœtu mortuo*, & in SCHENCKII *Observationibus, ubi de Fœtu mortuo*, in specie BARTHOLINO, *Tract. de Insolit. Partus Hum. Viis.*

CURA.

Absolvimus *Membro* 2. quæ pertinent ad partum difficilem promovendum. Restat adhuc, ut subnectam, quomodo Fętus mortuus, partus præ aliis casibus admodum difficilis & periculosus, promendus & ejiciendus.

Si ergo mortuus sit fętus, opera danda est, ut quantocyus, quocunque tempore mortuus fuerit, promoveatur & excludatur. Omnia igitur validiora, partum difficilem promoventia, fętumque pellentia, hìc locum habent, modò præmissa sint priùs, quæ primas vias emollire, laxare, & lubricas reddere valent, idque imprimis, si fętus mortuus ante legitimum partus tempus sit excludendus.

Et quidem, si ipso in partu extinctus fuerit fętus, quantocyus promovendus venit, tam internè fœtum pellentibus, quàm externis, manuum operâ, vel speculi, vel instrumentis armatâ admotis.

Quoad Interna: præ cæteris remedia ex secundina, myrrha & borrace, hìc conveniunt: v. g.

℞. *Trochisc. de Myrrh.* ʒß.
Borrac. gr. xv.
M. f. Pulvis:

in aqua artemisiæ vel alia appropriata propinandus. Experimentum sunt Thoneri.

Vel ʒj. pulveris secundinæ, quæ primatum obtinet, cum unicornu veri in vino Malvatico vel aqua cinnamomi exhibeatur; aut loco hujus, si non habeatur pulvis secundinæ, ceu æqualis efficaciæ, LINDANUS sequentem substituit pulverem compositum:

℞. *Troch. de Myrrh.*
Borrac. Ven. an. ʒß.
Cinnam. ℈j.
Cum *decocto rad. lil. alb.* f. Potio.

Egregia est ad promovendum mortuum fœtum; aut in forma pulveris pro una dosi in haustu vini vel aquę cinnamomi assumatur.

Vel

℞. *Testicul. equin. pulverif.*
Borrac. Venet. an. ʒi.
Croci ℈j.
M. pro 2. dosibus,
in aqua lil. albor. propinandis.
M. D. S.
Pulvis promovens.

Quin & succinata, in specie oleum succini ad guttas xij. xx. usque ad xxx. (duro enim nodo durus quærendus est cuneus) in haustu vini internè propinatum, & externè simul umbilico ac musculis abdominis illitum, mirè conducit. Reliqua interna ex superioribus jam sunt cognita. Vomitoria itidem ex aquis benedictis Infusionis antimonii, aut etiam gr. jv. Mercurii vitæ internè propinati, vomitu forti fœtum pellunt.

Externè balnea & fomenta, imò emollientia, laxantia & lubricantia, similiaque ejectionem præliminariter faciliorem reddentia, v. g. ex malva, althæa, mercuriali, floribus genistæ, chamomillæ, artemisia, pulegio, oleo liliorum alborum, amygdalarum dulcium, chamomillæ, adipe anseris, &c. sed post horum usum fortiter pellentia usurpentur. Inter balnea convenit, quod præscribit *Joel in sua Praxi*, hoc modo:

℞. *Flor. Chamomill.*
Abrotani,
Parietar.
Puleg.
Artemis.
Malvæ cum rad.
Betonic.
Sabin. an. M. ij.
Rad. Bryon.
Aristoloc. long.
Filic. an. ℥ij.
Sem. lini,

Fœnugr.

Sem. Fœnugr. an. M. iij.
Concisa & contusa
Coque in aqua pro Balneo,
cui insideat usque ad umbilicum mulier.

Ipsæ species sacculo postmodum inclusæ pro fomento externo crebriùs applicentur abdomini.

Post tale balneum & fomenta, usurpantur unguenta pellentia, ut dixi; inter quæ conveniunt etiam unguentum de arthanita cum oleo succini subactis, & largiter regionibus umbilicalibus & hypogastricis inunctum, præmisso fotu ex pellentibus seu irritantibus, qualem *suprà Sect. 1. cap. 1. de Mens. emans.* commendavi; aut cataplasmata expellentia, in specie ex decocto colocynthidos: post quem cataplasmatum pellentium usum inunctio cum oleo succini instituitur, aut unguento jam dicto: Vel

℞. *Rad. Cyclam.*
Ireos,
Aristol. rot.
Cucum. Sylv. an. ℥j.
Nitri,
Myrrhæ an. ℥j.
Opoponac. ℥ß.
Ol. Cheirin. q. s.
F. Cataplasma ventri insternendum:
D. S.
Cataplasma promovens.

His etiam sociandi sunt Pessi stimulantes, qualem, ceu validissimum, sequentem commendant:

℞. *Gum. Ammon.*
Opoponac.
Asphalti an. ℥j.
Ellebori nigri,
Sem. staphisagr.
Rad. Aristol. long.
Pulp. Colocynth. an. ℥iß.
Scammon. ℥j.

Ex quibus cum s. q. *Fellis tauri* conformetur massa, quæ lanæ involuta, & *sindone* obducta, instar pessi applicetur.

Quin & suffitus instituantur orificio pudendorum per infundibulum excipiendi. Quos inter præ cæteris experimentum est singulare suffitus ex decocto uvarum putridarum paratus: v. g.

℞. *Uvar putridar.* (cujuscunque sortis sint) ℥jv. Projice in *aquam ferventem* per horæ dimidium: hinc supra ardentes prunas impone, & suffumigium excipiat fœmina septies in die per vulvam quadrantis spatio.

Ceu experimentum singulare fuit communicatum, cujus tamen mentionem factam invenietis cum felici successu in SCULTETI *Observat. Chirurg. Observ.* 77. uti etiam in ZACUTO LUSITANO *in ejusdem Praxi Historiar.*

Loco hujus ex sequentibus trochiscis, à JOELE commendatis, non immeritò potest fieri suffitus utero expiciendus:

℞. *Vernat.* seu *exuv. serpent.* Num. j.
Myrrhæ,
Castor. an. ℥j.
Rad. rub. tinctor.
Sterc. Columbin. an. ℈ij.

Contusa omnia cum *felle bubulo* redigantur in trochiscos, qui carbonibus ignitis impositi, dant fumum ad proritandum fetum.

Aliàs etiam suffitus ex ungula asini vel asinæ cum galbano ac myrrha institutus, ad promovendum fętum insigniter commendatur.

Denique ubi res est admodum periculosa, imitandum est experimentum BARTHOLINI, quod recenset *in Cent. 6. Histor. Anatomicar. Histor.* 83. Nempè imponitur orbis ligneus seu stanneus abdomini tumido matris, in casu scilicet, quando fętus est in situ ad partum naturali, sed tamen mortuus & valida manu à Medico percutitur, hac enim forti percussione quasi cum impetu rejicitur fetus. Observetur hoc, refert enim *c. l.* BARTHOLINUS hoc modo expulsum fętum mortuum, ubi omnia fuere desperata.

In contumaci uteri clausura, mediante *instrumento Glauberi* volatilia utero veniunt applicanda: vid. *supra ubi de mensib. suppressis*, conf. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Epist. pag.* 67.

His & similibus occurrimus matri & fetui, vivo & mortuo, in partu difficili. Quod si hæc pro fętu ejiciendo non sufficiant, ad chirurgiam progrediendum; vel instrumentis, in specie uncis aut hamulis aut sub mento aut circa claviculas infixis, extrahitur fętus totus; sive, quando vitiosè nimis est situatus, novaculis & scalpellis artificiosè adhibitis, in frustra discissus extrahatur, utut casus sit periculosissimus, in specie apud nos, ubi vix nisi in desperatissimo casu, tale admittere solent. De hac operatione vid. SENNERTUS *in lib. 4. Praxeos, ubi de Fetu mortuo*; SCULTETUS, PARÆUS, & BARBETTE *in suis Chirurgicis*.

Hęc sufficiant de Partus lęsionibus, Pergo à partu ad

SECTIONEM VIII. DE REGIMINE PUERPERARUM.

Ubi ergo jam peperit mulier, studiosè sibi caveat ab omni aëris externi frigidi insultu, ne uterum lędat, quia metus est, ne ex talis aëris susceptione inflatio uteri superveniat, aut ne coagulatus sanguis inde stagnet in utero, & inde periculosam inflammationem, lochiorumque defectum inferat, imo dolores gravissimi partum insequantur. Unde obstetrix mox post egressum infantis cum funiculo umbilicali secundinam extrahat, quo facto puerpera circa costas cingulo vel linteo probè cincta, in specie cum cingulo ex corio humano, mox in lectum transferatur, & pedibus probè extensis vel blandè incurvatis, quietis, labiisque vulvæ spongiis aut linteis probè munitis, pro excipiendo sanguine effluente: Post hinc quieta jaceat, & ab omni corporis jectigatione, aut etiam extremorum frigido aëri expositione, studiosè caveat; aliàs enim supprimuntur lochia, quæ inferunt tormina, & similia symptomata. Jam verò, dum lectum petunt, utplurimum insigniter ex labore partus incalescunt, subinde etiam non parum debilitantur, & speciatim ordinariò siti gravi ex æstu, sudore, & lochiorum fluxu premuntur; hinc vulgò receptum est, propinari post partum jusculagallinacea, eaque calida recentia pro refocillandis viribus, ratione gelatinæ blandæ quam continent, & fallenda siti: loco quorum etiam haustulus cerevisiæ calidæ imprimis, cui cuminum pulverisatum incoctum sit, commodè propinari potest; sic enim nonnihil recreantur, quin etiam promoventur lochia, & sistuntur post partum, ratione cumini, dolores supervenientes. Interim ditioribus propinari queunt juscula gallinarum calida, sed cautè: nempè ea sint non nimis pinguia, neque nimis diu gallinæ coquantur, ne juscula ista carnium nimis substantiâ carnis imprægnata, sed diluta, & quibus pinguedo detracta, nec adeò nimis sint nutritiva, sed talia, qualia pro viribus sufficiunt: nam quando nimis diu fuere cocta, non sunt puerperis convenientia, cùm talia juscula nutrientia postulent priùs stomachum, qui eadem digerat & concoquat. Jam verò periculum est, ne loco digestionis laudabilis talia juscula aut alimenta nimis nutritiva cadaverisentur & corrumpantur in stomacho mulieris, noviter à partu liberatæ, non secus atque aliàs fieri solet in febrientibus, cùm semper puerperæ recentes plus solitò caleant, & quasi febrile quid patiantur. Nam earum pulsus est frequens, celer, mollis, magnus, aut saltem in magnitudine & vehementia moderatus, & quasi febrilis, prout plus, vel minus debilitata fuerit puerpera Est scilicet tunc aucta insigniter sanguinis turgescentia & fermentatio, & rapidior fit ejus circulus, similis isti, qui aliàs sub quavis menstruatione contingit, mediante quâ & lochiorum promovetur fluxus, & simul quicquid heterogenei est in ejus massa, simul expellitur & se-

& separatur. Unde non tantùm suffocationes hystericæ ratione inordinati motus spirituum animalium, & copiosiùs effusorum succorum, biliosi & pancreatici ad intestina, & impetuosiùs motorum spirituum animalium, sed etiam febres ardentes, aut malignæ & petechiales, item purpuratæ, subinde talibus superveniunt. Nullo autem modo impedienda est talis in partu sanguinis ebullitio, cùm multum salutis hinc fœminis emergat: quæ etiam observanda sunt circa alimenta, ne scilicet mulier post partum lautè nimis nutriatur; putrescunt enim, cadaverisantur, & exinde mulieres ad febres continuas malignas, petechiales, purpuratas, & similes disponuntur, *imò ad diversos alios morbos, imprimis illis septem diebus*. Adeòque à partu potius propinetur cerevisia calida cum cumino, vel juscula gallinarum macria, parcè nutrientia. Quibus verò minus arrident aut conveniunt talia juscula nutritiva, ut in specie debilitatis, iis haustulus parvus vini generosi non nimis frigidi est concedendus, ac stultè mulieres nostrates horrent vinum, dicentes, *esse ipsis nimis calidum*: aut mica panis similaginei mollior vino intincta propinanda; hinc enim mirè denuò refocillantur tales mulieres debiliores: nec ex ficta ista vini caliditate, aut aciditate, febris vel caloris intensio superstitiosè inde metuenda est; nam potiùs restaurat, & lochiorum simul promovet fluxum, quibus fluentibus vix febris intensio supervenire potest, modò hoc observetur, ne frigidum præbeatur: quod etiam de omni potu cerevisiæ & aëre ambiente intelligendum; si enim hoc fiat, ut frigida assumantur, subitò supprimuntur lochia, & dolores abdominis graves excitantur. Tepida ergo propinentur; sic enim nullo modo nocebit vinum: quædam etiam non inconsultò præbent buccellam panis butyro illitam, adspergendo eidem pulverem zedoariæ, quod laudandum; vel etiam hunc solitariè cum cerevisia exhauriendum suadent; his enim mox à partu appropriatis dolores sistuntur, & promoventur lochia. Refocillatæ ita post aliquot horas possunt assumere ovum sorbile cum pauco cinnamomi, ac tantillo nucis moschatæ, vel vitellum ovi cum jusculo gallinæ & tantillo cinnamomi. Pro medicamento vero analeptico excellit tinctura Coralliorum cum spiritu cordis cervi, quæ est egregia atque nobilis.

Superveniente æstate vocabar ad parturientem, quæ post partum felicem insigniter licèt debilitata, gravi premebatur siti, superveniebant suffocationes hystericæ leves, & in specie immensus lochiorum fluxus; erat enim juvencula, & succi plena: Veniebam ad ipsam, mulieres adferebant jusculum gallinaceum, quibus restiti, interim suadebam vinum, omnes ridebant, utut tamen, propinato tandem haustulo vini, egregiè refocillabatur fœmina: Ergò in tali casu maximè observanda est virium ratio, & propinandus loco jusculi gallinacei potiùs haustulus vini tepidi, utut lochiorum fluxus hoc in tali casu potuisset inhibere. Sed hæc obiter.

Porrò mox à partu puerpera somno non indulgeat, sed aliquot horas ad minimum vigilet; interdum enim quibusdam post partum hystericæ suffocationes aut lipothymiæ sub forma soporis gravioris, aut nimiæ in somnum propensionis, imminent, in quibus, nisi cauti sint adstantes, puerperæ sub specie somni lipothymiâ aut passionibus hystericis correptæ ita dormire possunt, ut non ampliùs evigilent: unde aliquot horis vigilent, donec debitis remediis dicta symptomata præcauta sint, vel cessaverint. Insuper odorifera omnia & nimis spirituosa à puerpera studiosè fugienda sunt, & in specie, dum fluunt lochia, cùm non tantum promptissimè hystericam passionem, sed etiam affectus capitis, in specie graves cephalalgias, & contumaces agrypnias, facilè excitare possint, nisi in imminente hysterica passione interdum odor castorei, aut similis olfactus appropriatus, præter voluntatem sit concedendus.

Præ cæteris ex omnibus animi pathematis etiam Ira ac Terror maximè nocent puerperis, cùm mille gravissima post se trahant symptomata. Nam ex ira periculosæ febres, incoercibiles ferè uteri hæmorrhagiæ, & lipothymiæ; ex terrore verò lochiorum suppressio, & multa alia mala supervenire solent: Vid. TULPIUS *observ. cap.* 20. *lib.* 2. & SALMUTH *Cent.* 3. *histor* 49. qui observavit ex terrore profluvium lochiorum lethale, quod rarum est. Item omnis esus acidorum est noxius, quia infantes hinc facilè in tormina ventris incidunt.

Remedia inter, puerperis primis à partu diebus propinanda, imprimis laudo Misturam aliàs polychrestam, quæ pluribus scopis, tam præservatione quàm curatione, recentissimis puerperis confert:

℞. *Aqua Cerasor.*
Matricar. an. ℥iß.
Acet. vini ℥iij. ad ℥ß.
Lap. Cancr. præp. ℈j.
Antimonii diaphor ℈j.
Syr. Artemis. ℥ß. ad ℨvj.
M. D. S.
Mixtura discutiens.

Capiatur cochleatim.

Mistura hæc est quasi vulneraria, genitalium in partu plus minus læsiones, inde metuenda symptomata, maturè restituit, lochiorum grumescentiam dissolvit, & hinc eorum fluxus promovet, corpus in diaphoresi & blando madore conservat, æstum plus minus febrilem, puerperis interdum gravem, moderatè coercet, cephalalgiam earum tollit, sitim earum minuit, &c. Ubi animus est promouere lochia, myrrhæ ℈ß. ad gr. xv. ad ℈j. addi possunt. Si dolores abdominis aut uteri adsint, lochiorum fluxum plus minus impedientes, commodè Laudani opiati gr. iß. addi potest.

Interdum ordinariò post partum aluus contumaciter est clausa, quam validioribus remediis movere, aut acrioribus clysmatis stimulare, religio est, nisi forsan lochia parciùs fluant; potius illa tertio aut quarto die à partu nisi spontè soluta, aperiatur, antequam nempè superveniat febris lactea, unde aut blandis clysmatis vel suppositoriis, aut, quod optimum, globulis zibethinis proritetur, aut observatis circumstantiis, assumptione *pilularum pestilentialium Ruffi* (ex aloë, myrrha, croco & gummi ammoniaco compositarum) ad gr. vi viii. x. xi. xii. xv. & ℈j. aluus segnior denuo aperiatur, cùm ad promovendam alvum & lochiorum fluxum simul egregia, & hìc in felicissimo usu sint: vel mediante Elixyr Proprietatis cum Rhabarbaro, ad guttas 30. 40 50. propinato, reseretur, cujus ingredientia simul lochia pellunt: Vel, quod satis commodum est:

℞. *Crem. tart.* ℈ß. ad gr. xv.
Pulv. Jalappæ gr. iij.
M. Puluis: S.
Pulvis aperiens.

Capiatur in uehiculo jusculi calidi.

Quod si autem simul non ritè fluant lochia, imprimis locum habent clysmata fortiter stimulantia, ut ita cum alvo etiam lochiorum fluxus prouocetur; habitâ tamen semper, uti dico, ratione attentâ, an adsit febris maligna ex genere petechialium, an purpuratarum? nam in his aluum vel suppositorio stimulare, non caret periculo, *imprimis* si fuerit febris purpurata alba, quam uocant Germ. *den weissen Friesel*, in qua uel minimus error est lethalis.

De uenæ sectione notandum, quod hæc in principio puerperii, lochiis ritè fluentibus, magis noceat quàm prosit, licet indicatio ejus adfuerit; cùm sanguinis euacuationem natura tunc temporis rectè agens dirigat: sin uerò lochia suppressa uel imminuata fuerint, uenæ sectio maximè necessaria erit, tanta nempè, quæ lochiorum fluxui tum temporis naturali proportionata sit. Quod si uerò progressu demum temporis ejusmodi affectus uenæ sectionem postulantes eueniant, intra terminos nihilominus adhuc lochiorum, ac mulier non perfectè purgata sit, uenæ sectio omninò locum habet: imò licet puerpera commodè euacuata fuerit, propter morbum tamen ingrauescentem, ejusque symptomata, parca uenæ sectio administranda: sin autem post lochiorum fluxum, & in puerperii declinatione, morbus uenæ sectionem urgens euenerit, ab hac indicata neutiquam erit metuendum: Vid. RIVERIUS *Prax. lib.* 15. *cap* 24. & TULPIUS *lib.* 2. *Observ.* 2.

Absoluimus jam ea, quæ ad regimen puerperarum secundum leges diætæ requiri uidebantur: Pergo ad alios affectus, qui & ipsi puerperis non rarò solent esse familiares; inter quos omnium primus est secundina aut mola post partum retenta, siue secundina tota, siue saltim frustulum ejus in utero relinquatur.



CA-

CAPUT I.
DE
SECUNDINÆ RETENTIONE.

POst partum, simul atque fœtus exclusus est, secundina, id est placenta uterina cum membranis fetum naturaliter involuentibus, mola etiam, aut quicquid præternaturale in utero reperiatur, sequi debet. Secundinæ autem relictæ in naturali partu utplurimum tertiâ die sponte suâ vim facillimè ex utero per funiculum umbilicalem sequuntur, & citra extrahuntur. Fit tamen subinde, ut secundinæ post partum restitent, quando eædem aut cum difficultate separantur, aut quando omninò non prodeunt, sed rupto umbilicali fune intra uterum subsistunt, adeoque quando nunc integræ, nunc frustulum earum in utero remaneat; tota enim secundina ejici debet, quia vel tantillum relictum frustulum non vulgares dare solet turbas.

CAUSÆ.

Causæ, quare secundina nunc tota, nunc verò quædam frustula, in utero matris retineantur, nec debitè excernantur, sunt:

(1) Quando eadem suis vasis pertinaciter uteri poris inosculata & agglutinata quasi fuerit, & sic firmiùs adhærescit; siquidem PLATERUS *Obs. p.* 231. Secundinas utero connatas refert; qui coalitus fit imprimis, quando præmaturè excluditur fœtus, ut in abortibus fieri solet: hinc enim tenaciùs utero adhærens secundina non sine difficultate solet divelli, secus ac in partu legitimo, & ubi legitimum tempus instat, tunc enim sæpe quasi spontè sequitur secundina; quò magis enim partus instat tempus, eò magis remittit, & eò minus firmiter placenta utero adhærere solet. Firmiori coalescentiæ occasionem suggerunt, præter partum ante debitum exactè tempus supervenientem, interdum causæ externæ ex contusione vel simili modo lædentes placentas aut uterum, & ita sub alterutrius sanatione firmiorem coalitum inducentes. Huc facit, quando mulieres, præprimis ultimis gestationis mensibus, vitam nimis sedentariam agunt; nam & in his firmiùs adhærent: contra quæ laboriosæ sunt, quæ exercent corpus vel ambulatione vel similibus, in his longè feliciùs divellitur secundina post fœtum. Vel

(2) Quando funiculus umbilicalis tenerior in labore partus rumpitur, & à secundina avellitur, vel propter vim infantis, vel propter ipsius funiculi corruptelam, vel propter intempestivam funiculi umbilicalis in fœtu rescissionem vel similem læsionē; aut ineptè ab obstetrice tractatur, tunc enim fit, ut instar chordæ contortæ funiculus umbilicalis separatus in se invicem retrocedat, ac subitò uterum introeat: unde defectu hujus funiculi non potest trahendo separari secundina, & tunc utero connivente secundina excludi non potest. Non enim semper necesse est, ut obstetrix immissa in naturalia manu secundinam arripiat, præprimis si manu non priùs prehenderit funiculum; sed potius blanda contorsione saltem funiculi umbilicalis secundinarum avulsionem procurare debet.

Caveat ergo obstetrix separare funiculum umbilicalem à fœtu, antequam post eum etiam prodierit secundina; aut si forsan diutiùs retineatur in utero, ita ut fœtus periculum immineat, tunc resecandus quidem venit funiculus umbilicalis, sed separatus forti filo alligandus est femori, ne denuò intra uterum repere, & secundinę exclusionem impedire possit; permittendo tamen, ut sanguis è funiculo probè exstillet, ut ita placenta, in magnitudine imminuta, faciliùs extrahi possit.

De obstetricum aliàs malitia circa neglectionem secundinę extrahendę videri potest KERKRINGIUS *Observat. Anatom.* 36.

(3) Quando cervix uteri seu orificium uteri internum tumet, adeoque angustum, aut citò nimis clausum est.

(4) Denique si puerpera non bene muniatur in partu, sed aër frigidiusculus in uterum irrepat, facilè hinc uteri contractura, sanguinis coagulatio, secundinarum retentio, &c. accidere possunt.

Et hę sunt causę ordinarię: alię causę minus frequentes, ut refrigeratio extremorum subitanea, &c. transeant.

DIAGNOSIS.

Signa: secundinam retineri, vel integram, vel ex parte, ipsis oculis patet; ubi cauti simus, ne vel minima particula remaneat: nam retentam secundinam brevi post ejus putrefactio, hinc febris acuta & periculosa, & dolor ventris, post partum insignis, & tormina infra umbilicum in & circa uteri regionem, quasi secundus generandus esset fętus, superveniunt.

Sępiùs, licèt rariùs, supprimuntur simul nonnihil lochia semper venter turget, magnus fit; sicuti è contra, sin frustulatim prodeat secundina, retentum frustulum continuò irritando uterum subinde crudelem uteri hęmorrhagiam excitat: superveniunt difficultas anhelitus, halitus fętens intolerabilis, lipothymię, & tandem convulsiones.

Quę per genitalia excernuntur post aliquot dies, sunt saniosa, fętida, ac horrendè olentia; unde etiam lochia fętorem cadaverosum referentia secundinarum partem in utero relictam indicant, quę successivè sub tutrilaginis formâ, seu liquaminis putridi specie, ex utero effluit, de quo vid. RIVERIUS *Cent.* 1. *Obser* 61. Conf HORSTIUS *in Obser. pag.* 293. KERKRINGIUS *Spicileg. Anat. Observ.* 36 & PRIMEROSIUS *de Morb. Mulier lib.* 4 *cap.* 9. sic VELSCHIUS *Hecat.* 2. *pag.* 4. refert, secundinam septemdecim dies à partu retentam & putrefactam sine nocumento: non secus ac in M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Observ.* 322 *pag.* 2. caput fętus in utero relictum successivè per septem annos excretum refertur: nunc verò putrescendo uterum inficit, eumque similiter in putredinem & gangrenam lethalem abire facit.

Rarum est, quod retenta secundina in utero exsiccata fuerit secundùm RIVERIUM *Cent.* 2. *Observat.* 3. Rarius adhuc est, quod observavit KERKRINGIUS *in Spicileg. Anat. Observat.* 36. de secundinę portione quarto demum mense à partu incorruptâ & innoxia edita: sicut & id curiosam est, quod prostat in M. A N. C. *Annot.* 3. *Observat.* 117. *pag.* 107. de secundina, ultra mensem incorrupta, in utero reperta: aut quando post quatuordecim septimanas integra excernitur, Conf. BARTHOLINUS *in Act. Med. Hafſn. Vol.* 2. *Observ.* 22. KERKRINGIUS *Observ. Anat.* 30. Scilicet evenit subindè pertinaciter ut secundina vel tota, vel saltim pars ejus non tam adhęreat, quàm firmiter utero connectatur, ipsique quasi adnascatur, unde fit, ut secundina non vivat fętus vitâ, sed matris, & ceu pars uteri se habeat, atque hoc in casu, si se habeat ut pars matris in utero, citra sui corruptionem in utero hęret, utpote sanguine & spiritu vitali matris ad uterum delato adhuc perfusa; secus fit, si eadem vitâ fętus vivat, uti ordinariò contingit, unde detracto fętu, & sic impeditâ sanguinis & spirituum animalium in secundinam distributione, in cadaver degenerat & putrescit.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Gravissima pericula, & omnia eadem mala, quę fętum sequuntur mortuum, comitari etiam solent secundinam retentam, tandem quoque mors; nec aliter speranda salus, nisi ejiciatur: Nam aut retenta putrescit, indeque febrem malignam periculosam, uteri corruptelam, aut saltem deterrima & gangrenosa ulcera, ac tandem mortem infert: aut putrefacta tandem, sub forma saniei putridę foras excluditur, quod tamen tarò fit citra notabile damnum.

CURA.

Quoad *Curam*: Pro ea optimum est, secundinam maturè, quantum fieri potest, totam, non discissam, extrahere. Quod si gemelli adfuerint, hi ipsi interdum unam, interdum duplicem habent secundinam: Ubi secundina fuerit duplex, post fętum propria secundina prodit: sin verò gemelli unicam habent secundinam, aut saltem unam placentam cum duplicibus membranis, tunc, cum primus infans in lucem prodiit, prudentiores obstetrices ejusdem funiculum umbilicalem rescindunt, & ipsius residuum, cujus superior pars secundinis intra uterum adhęret, parturientis femori alligant, quoad alterius infantis intus manentis umbilicus ab utero, unà cum placenta,

centa, divellatur, & ita cum secundo fetu amborum secundina integra excernatur, & tunc denique funiculus à femore solvatur; sicut hoc facillimè succedens negotium rectè urget RODERICUS à *Castro Part. 1. lib. 3. de Morb. Mulier.* Quodsi post fetum egressum vel mores agat secundina intra uterum, vel particula ejus remaneat, jubeatur, ut dum ægra vel puerpera adhuc sellæ insidet, tussiat subinde, & tussiendo aut quasi sternutando, concusso utero & abdomine, ea separetur; quæ tussis si non sufficiat inflетur naribus sternutatorium, ut sic concussione totius corporis promoveatur separatio secundinæ: vid. BARTHOLINUS *Cent. 5. Histor. 39.* unde non nisi in graviori casu, & ubi circumstantiæ aliæ id urgent, vomitoria conveniunt. Quibus irritis, ne frigus puerperam corripiat, imponatur ea lecto firmiter ligata, obstetrice intereà continuò abdomen ægræ comprimente deorsum versus, ut ita secundina discedat, & faciliùs excernatur. Et his medelis mulieres ordinariò utuntur, quibus nonnunquam opera Medici est addenda; adeòque in retentione secundinæ usurpanda sunt remedia secundinas expellentia, & eadem ferè omnia, quæ in partu difficili, aut mola & fetu mortuo promovendo, usurpantur; de quibus superiùs jam sufficienter dictum fuit. Præ cæteris expertus pulvis & decoctum prostat in TULPIO *lib. 4. Observ. 41.* quæ ceu experta sæpiùs multumque proficua in secundina retenta commendat:

℞. *Borrac. Venet.*
Succin. alb. an. ℈j.
Croci,
Cass. lign.
Castor. an. ℈ß.
M. f. Pulvis.

Cui tanquam vehiculum inserviat sequens Decoctum:

℞. *Rad. Gramin.*
Paeon.
Scorzoner.
Cichor. an. ℥j.
Herb. Acetos.
Endiv.
Borrag.
Meliss. an. M. j.
Artemis.
Card. bened. an. Mß.
Borrac. Venet ʒiij.
Coqu. ex aqua hord. ad ℔ij.
quibus adde
Syrup Artemis.
Limon. an. ℥ij.
Misceatur, & subinde exhibeatur.

Cujus felicem experientiam se aliquoties fecisse idem Autor memorat.

Alia, quæ vulgò exhibentur ad pellendam hujusmodi secundinam retentam, satis nota sunt, in specie Cherefolium, & jusculum ex decocto cherefolii egregium etiam est, & singulare, de quo vid. M. A. N. C. *Anno 3. loc. allegat.* Item decoctum Artemisiæ rubræ cum antheris liliorum alborum, quibus & sabina adjici potest, admodum laudatur à CORBEIO: sicut fimus equinus, vino infusus & expressus propinetur, qui tanquam remedium potens, pellens secundinam, mirè laudatur. Omnibus palmam præferunt pulvis & spiritus ex secundina, primariò quidem ex humana, secundariò etiam ex secundina ovis vel capræ; nam & hanc ceu infallibilem commendat CORBEJUS. Singulare certè quid latet in secundina humana, supra quam non datur præstantius remedium: nam non tantummodo parturientium & puerperarum quamplurimis succurrit affectibus; sed præterea epilepsiam etiam, ut quidam asserunt, hæreditariam, singulari virtute paratus ex eadem spiritus pellit & domat: imo experientia, prudentum & stultorum magistra, docuit, per secundinam magica naturalia, per magnetismum in damnum primariò fœtus, secundariò ipsius puerperæ, non leve inferri posse; hinc & bruta omnia devorant secundinas post partum, id quod non sine singulari naturæ instinctu fieri, admodum probabile est. Pulveris item Sabinæ ʒß. cum Croci ℈ß. in aliquot unciis aquæ liliorum alborum secundinas pellit. De oleo Heraclino ex RULANDO res nota est; loco ejus olei ligni Iuniperni guttæ 30. aut olei succini destillati guttæ 18. propinatæ, non vulgares possident vires. His adnumeretur Myrrha, & trochisci de myrrha, in aqua cinnamomi, vel vino generoso propinati: item borrax, Castoreum, succinum, sal volatile succini, & similia, nec non oleum destillatum succini.

Ex his sub forma pulveris vel decocti usurpantur remedia ad pellendam secundinam: Conf. TULPIUS *lib. 4 Observ. cap. 48.*

Vel
℞. *Myrrh rub.* ℈j.
Croci ℈ß.
Borrac. Venet. ʒß.
Ol. destill. Cinnam. gtt. iij.
M. f. Pulvis S.
Pulvis pellens.

Conveniunt etiam *Mixturæ* TIMÆI *von Gulden Klee* in *casib. l. 4. Cas. 25. p. 223. & Casu 28. p. 227.*

Quodsi incipiat putrescere secundina retenta, vel tota vel frustulatim, & in saniem colliquescere, commodè Elixyr proprietatis propinari potest, ut scilicet præter hoc, quod pellat secundinam, simul putredinis noxa cohibeatur, nec aliæ vicinæ partes sanæ simili contagio inquinentur, unde illud tam simplex, vulgari modo acidulatum, aut, quod melius (in omni enim ulcere seu putredine est acidum) cum alcali fixo paratum, egregiè progressum putredinis præcavet, idque imprimis, si cum spiritu theriacali camphorato extractum.

Insuper cum his internis conveniunt quædam *Externa* abdomini imposita, uti vulgò in usu habent, ut recipiant semen lini contusum, illudque coctum in oleo lini in formam cataplasmatis calidè abdomini insternunt, quod euporiston periculoso quodam in casu proficuum fuisse novi.

Aliàs quoque conveniunt suffitus per vulvam excipiendi: quos inter sequentem suffitum tanquam expertum ad extrahendam secundinam, fetum, molam, ipsumque sanguinem in matrice coagulatum, commendat STOECKERUS *in sua Praxi*:

℞. *Myrrhæ el.* ʒß.
Cinnam.
Galban.
Castor. an. ʒß.
Opoponac. ʒj.
Helleb. nigr ʒiß.

Ex his cum *felle vacino* fiant Trochisci.

De quibus projiciantur quidam super carbones, & excipiatur fumus genitalibus beneficio infundibuli vel syphonis, quo aliquoties repetito, prodibit secundina.

Quodsi secundina non exierit, dicit *citatus Autor*, non amplius esse quid tentandum, sed injiciendum esse unguentum Basilicon putrefactionem promovens:

Convenit etiam suffitus ex scoriis reguli antimonii.

Alii inter externa usurpant exuvias serpentum ad coxam alligatas; nam has, ut aliquoties monui, etiam secundinas pellere dicunt; mox tamen removendæ sunt, ubi prodierint. Juxta hæc clysteres uterini ex Decoctis simplicium stimulantium, & acriorum aromaticorum, imprimis artemisiæ, salviæ, calaminthæ, sabinæ, pulegii, colocynthidos, & similium etiam conveniunt, partim ut stimuletur uterus ad secundinas pellendas, partim ut sanies ex putrefactis secundinis exhauriatur; modò maturè fiat, antequam orificium uteri internum denuo se stringat: sicut etiam eadem ingredientia commodè sub forma fotus vel cataplasmatis calidè insterni possunt. Item applicentur pessi ex sabina, salvia, colocynthide, helleboro, cum oleo cheirino, felle bubulo, aut melle, &c. Imo etiam inunctiones cum oleo cheirino, & oleo colocynthidos, quibus aliquot guttæ olei destillati sabinæ vel succini additæ sint, crebriùs repetitæ conveniunt. Vel usurpetur Mixtura salis ammoniaci & salis tartari in instrumento Glauberi vel vitro longioris colli, vaginæ uteri intruso, ut spiritus subtilis sensim in uterum se insinuet, & secundinæ aut frustulorum relictorum excretionem stimulet. Simul etiam sternutatoria consilio HIPPOCRATIS *lib. 5. Aphor. 49.* de quibus *suprà in Partu difficili* dictum. Vehementiùs quoque puerpera sub specie tussis exspiret.

Sed optimum est, vel mox, vel saltem primis diebus à partu, manuum operâ admotâ arripere, blandè intorquere, & ita ex utero extrahere secundinam; sic enim secundinam relictam tertiâ die sine labore manuum operâ extractam videb. in BORELLO *Cent. 5. Histor. 39.* MAURICEAU simile huic refert exemplum *libr. 2. cap. 9.* Siquidem non adeo citò apertus uterus se con-

contrahere solet, quin per octiduum à partu uterus amplus & spissus esse solet, antequam se contrahat, ut loquitur PLATERUS *in Observ. pag.* 231. His tamen non sufficientibus, si suspicio sit secundinam penitus retentam tandem putrescere, injiciantur in uterum decocta emollientia, secundinæ putrefactionem blandè promoventia; in quem finem

℞. *Herb. Malv.*
Alth.
Parietar.
Matricar.
Chamom. an. Mß.
Coqu. In *aqua simpl.* ℔iß.
Colat. ℔ß. adde
Myrrhæ,
Aloes,
Rad. Aristol. rot. an. ℨß. ad ℨvj.
Ol. rosat. ℥i². ad ℥ij.
Acet. vini ℥j
M. pro Injectione: S.
Inspersio promovens.

Quibus subinde addantur vel subjiciantur etiam injectiones cum unguento basilico, vel pauco unguento Ægyptiaco, ut ita putrefacta separetur, & uterus à putredine præservetur. Forsan aqua calcis vivæ hisce liquoribus addita, aut etiam cum aqua calcis vivæ parata Decocta, ad putrefactionem secundinæ promovendam, & præservationem corruptelæ uteri obtinendam, proficuo cum usu applicari poterunt. Par omnino ratio est de mola retenta. Ast si tales casus superveniunt, raro solent supervivere puerperæ.

Sin fiat, ut uterus denuo conniveat, ac se claudat, præter interna stimulantia externæ injectiones emollientes & lubricitantes denuo sunt injiciendæ in vaginam uteri, & inungendus uterus laxantibus & emollientibus, aut apertus faciliùs prodeat secundina.

Eadem locum habent in Mola, à fœtu superstite, ex utero ejicienda.

CAPUT II.

DE

LOCHIORUM VITIIS.

CÆterum subinde sunt mulieres, quibus licet post partum sequatur secundina, & se optimè habeant; nihilominus tamen interdum contingit, ut post octo, decem vel quatuordecim dies à partu superveniant *horrores*, cum *gravi æstu & doloribus dorsi*, regionisque hypogastricæ; uno nomine, cum *doloribus partus* redeuntibus. Hoc si fiat, certum *signum* est, vel subesse *sanguinem grumosum* in utero, ex *defectu lochiorum* non rite evacuatorum, vel etiam tales mulieres emittunt sub partu *copiosas aquas limpidas*, quod vocant vulgò non incongruè: *Restitare adhuc molam, vel bullam aqueam*. Observatur etiam subinde aliquid, *molæ*, simile, *aquosum* in membrana contentum, quod post partum remanet, & stimulando novos dolores infert, non cessantes, antequam dicta materia in utero coërcita denuo sit rejecta. Aliàs quando ita in partu separantur fœtus & *secundina*, in toto hoc labore cum secundinis uberior sanguinis fluxus per uterum consequi solet, ita ut subinde plus subinde minùs evacuatur, pro circumstantiarum varietate. Effluit continuò, in quibusdam diutiùs, in quibusdam breviùs.

Vocatur hic sanguinis fluxus post partum Græcis λόχια, quibusdam sanguis puerperalis, aut Purgamenta uterina. Cæterum hic sanguis non solus est: Nam fluunt lochia partim cum ipso fœtu, cum quo simul sanguis plus minus copiosus excernitur: deinde post fœtum adhuc naturaliter per triduum ferè vel quatriduum sanguis fluit: post loco materiæ cruentæ effluit *liquor aquosus*, sanguine saltem tinctus, instar loturæ carnium crassioris, quod fit usque ad diem sextum vel septimum; hinc materia viscida & quodammodo mucilaginosa & tandem serosa, pauco aut nullo sanguine permista, fluere incipiunt, idque ferè per novem, decem aut quatuordecim dies, & sic successivè cessat lochiorum fluxus: in quibusdam tamen, quibus non adeo copiosè aut confertim fluunt, ferè ad tres aut quatuor septimanas excretio durat, donec debita menstruatio denuo superveniat: in quibusdam integris fere sex septimanis evacuatio hæc protrahitur; vid. HARVÆUS *Tract. de Partu pag.* 353. Quantum lochiorum effluere debeat, determinari exactè non potest; quin pro mulierum idiosyncrasiæ ratione in quibusdam plus, in quibusdam minus eorum evacuatur.

Variat interim lochiorum quantitas duplici ex causa: Nam

(1) Habeatur ratio mensium, cùm mulieres, quæ menstruatim largiùs evacuantur, largiùs etiam per lochia purgantur; vel quæ parciorem habent *mensium fluxum*, hæ etiam parciùs solent purgari per *lochia*; & quibus durante gestationis tempore vel per *uterum*, vel per *nares*, vel alia loca, crebrior fuit facta *sanguinis excretio* præternaturalis, iis etiam *parum sanguinis* post partum evacuatur. Rarissimum est, quod citra noxam puerperæ pauca vel nulla fluant lochia in iis, quæ non habent menstrua, utut sint fœcundæ, quod ut plurimum fit in iis, quæ minus sunt succulentæ, & aliàs dicuntur naturæ siccioris: quale exemplum refertur à SALMUTH *Cent.* 3. *Observat.* 89. de quadam parturiente, cui lochia nulla fluxerunt citra noxam, ob corporis sicci constitutionem, & sanguinis exhaustionem.

(2) *Mulieres*, quæ *lactant*, aut *lactare* volunt, in talibus post sanguinis excretionem *parum* de *materia serosa*, aut *lactea*, ac nonnihil *glutinosa* solet evacuari, quia multum absumitur in materiam lactis; quæ verò *lactare* nolunt, iis *uterus* evacuatur. Observatum autem à me fuit, quod, quando inceperunt mammæ *turgescere* & lacte scaturire, parum per uterum *materiæ serosæ* fluxerit: postmodum verò, quando *lac* fuit *suppressum*, *copiosa materia* per uterum fuit evacuata.

Unde pro determinanda lochiorum sufficientia vel insufficientia observetur mensium fluxus, an hic naturaliter copiosior vel parcior existat?

Ita se res habet naturaliter. Sed observandum est, quod non semper *lochia* hujusmodi *colorem naturalem* obtineant: Nam interdum etiam flava lochia quandoque observantur, de quibus exemplum videb. in M. A. N. C. *Ann.* 3. *observat.* 115. *pag.* 186. & HARVÆO *Exerc.* 58. Imo interdum simpliciter aquosa sine sanguine rejiciuntur confertim uti hoc observat GUILHELMUS *lib.* 3. qui refert, se aliquoties observasse, quod reperiantur mulieres, quæ simpliciter *aquosa* saltim evacuaverint loco veri sanguinis: Sic refert historiam de muliere, quæ octo dies ante partum sine ullo dolore abdominis per aliquot dies quatuor vel quinque Pintas *aquæ clarissimæ* evacuaverit, quæ tamen non fuit intra matricem firmiter clausam, sed prodiit per vasa quædam colli uterini seu vaginæ: post octo dies peperit filium, parumque cruenti evacuavit: Imo, quod notandum, simul observavit, tempore gestationis labia pudendi ab aqua ita fuisse inflata, ut mulier non potuerit commodè incedere.

Jam autem *Fluxus* hic sanguinis, seu *Lochiorum* excretio, vitiatur triplici modo:

1. *Quando deficit omnino*, aut *saltem imminuta est*; vel
2. Quando est *nimis copiosa* ac *abundans*; aut denique
3. Quando per *aliena loca ejiciuntur* dicta sic lochia.

ARTICULUS I.

DE

LOCHIIS RETENTIS.

CAUSÆ.

LOCHIORUM SUPPRESSIONEM aut vitiatam excretionem quod attinet: hujus causæ non solùm in sanguine aut humoribus circa uterum coacervatis, sed simul etiam tum in vasis ipsius uteri, per quæ fieri debet excretio, tum imprimis in spiritu movente, quærendæ sunt. Quoad vasa uteri: eadem constricta & obstructa suppressionis lochiorum sunt causa, quando adstringuntur in subita *uteri* refrigeratione, si in partu, aut brevi post eundem, *frigus aeris* externum subitò irruat in uterum, quale

de exemplum refert TIMÆUS *Von Guldenklee in Caf. pag. 626.* vel etiam *linteamina frigida*, tam *sicca* quàm *humida*, admoventur, quæ subitò *sanguinem* plus minus coagulando lochiorum fluxum imminuere solent; à grumis enim circa vasorum orificia hærentibus ulterior excretio supprimitur. Par ratio est, si frigidum potum hauriat, aut etiam mammæ & extrema, manus pedesque, refrigerentur; item in dolore uteri undecunque nato, cujus occasione, etiam stringuntur fibræ, & angustantur vasa. In movente spiritu est causa suppressionis lochiorum, quando per graviora animi pathemata, iram, terrorem, pavorem, tristitiam, metum & similia, subinde diversimodè determinatur ejusdem motus, sicque simul sanguinis motus & spirituum animalium impetus, hinc consequenter etiam lochiorum fluxus, modificatur, & naturalis cohibetur: ex stagnatione verò & coacervatione sanguinis retenti per alia loca evacuatio instituitur; ipseque observavi in muliere fœtum mortuum pariente, quod ob *dolorem* & inde natam *tristitiam*, nil *lochiorum* evacuaverit, nisi arte postmodum succurreretur: ipsæmet etiam mulierculæ nimis verecundæ exhibent occasionem, quod sistantur lochia: item si in succulentioribus primo post partum impetu uberiùs proruant excrementa uterina, à quibusdam insulsè per internè propinata, aut externè applicata adstringentia, perniciosè sistuntur lochia. Unde in sistendis lochiis mox post partum simus cautissimi.

DIAGNOSIS.

Quoad *Signa*: Deficere aut imminui *lochia*, præter ipsum visum aut relationem ægræ, confirmant supervenientia alia, dum nempè abdomen ordinariò tumidum manet, tenditur & induratur, nec debitè subsidere potest, dolor gravativus, distendens & lancinans, item pulsationis & ardoris, ventrem imum, lumbos & inguina occupat, uterus interdum inflammatur: hinc rigor & *febres periculosæ*, præcordiorum angustiæ & anxietates, respirationes difficiles, plus minus anhelosæ; dicunt: *velle ipsis cor supprimere*; animi deliquia, sudores frigidi, pulsatio temporum, cephalalgia crudelis, & similia symptomata, *à sanguinis motu per* inferiora *impedito* enata, deliria, & interdum ipsa mors, superveniunt.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Ex dictis spontè manifestum est, quot pericula mulieri ex lochiorum suppressione imminere possint; idque eò periculosius, quò magis vel minus sanguis supprimitur, ut neque arte possint per uterum evacuari, neque per alia loca, mammas, alvum, nares, & similia exitum querant. Vid. BARTHOLINUS loc. all. & M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observat* 184. *pag.* 282.

Quod si uterus inflammatur, perquam periculosum est, si alia superveniant pathemata, melancholia, sanguinis sputum, pleuritis, hydrops &c. Hæc omnia difficillima curatu sunt, & in quibus semper mensium debita evacuatio ante omnia lochiorum loco procuranda venit. Si tamen copiosiùs sudor in puerpera erumpat, aut successivè livida, nigra, fœtida, &c. copiosè tamen, ex utero fluere incipiant, hæc ipsa lochiorum vices supplere possunt.

CURA.

Quoad *Curam*: Cura pro causarum varietate & suppressionis ratione plus minus varianda. Primarius scopus esto, ut, quantum potest, præcaveatur *suppressio lochiorum fluxus*. Obtinebitur hoc partim per *remedia chirurgica*, partim per *pharmaciam*.

Inter *remedia Chirurgica* eminet venæ sectio, aut hirudinum applicatio, imprimis ubi metuitur, sine hac vel non suffectura, vel non citò satis operatura interna remedia: in specie, ubi aut sanguinis abundantia absolutè, aut hujus turgescentia fermentativa, febris nimia, &c. magis subitaneum postulant auxilium, tandem ad apertionem venæ est accedendum. Malè enim communiter à saphænæ sectione initium promovendorum lochiorum faciunt, quin potiùs internis stimulantibus præmissis, & non sufficientibus, aut his adjunctis, vena aperienda est. Sin lochia non sufficienter fluant, & sanguinis minor adsit abundantia, sufficit saphænæ sectio; & ibidem pro circumstantiarum varietate plus vel minus evacuetur de sanguine pro revulsione particulari, & ut sanguinis eò major impetus concilietur ab utero, & hanc solam ferè Autores adhibent (vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observ.* 53.) istam, quæ in brachio fit, omninò rejicientes, contra quos tamen rectè disputat MAURICEAU *de Morb. Infant. lib.* 3. *cap.* 11. In Gallia & Italia loco hujus, vel etiam præmissâ eâdem, pro derivatione applicant *hirudines* interiori vulvæ parti: vid. *Theodatus in Valetud. pag.* 191. Sic ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 1. *Med. Princ. Hist.* 4. *in annexa observatione* refert, ex puerperio retento febrim continuam cum pleuritide, hirudinibus internè uteri parti applicatis curatam: Item THEODATUS *Valetud. pag.* 171. refert lochia suppressa cum febre ardente & delirio, hirudinibus interiori parti vulvæ applicatis curata. Applicandi modum communicavi *in Colleg. Pharmaceut. in Schrœd. par.* 1. *sect.* 2. *pag.* 221. Ast verò hoc remedium nostrates mulierculæ horrent. Loco venæ sectionis *cucurbitulæ*, *vel cum vel sine scarificatione*, suris vel interiori femoris parti commodè applicari possunt. Quod si in juvencula aut succulento corpore, cui suppressa sunt lochia, major sanguinis abundantis fit turgescentia, & hinc superveniat inflammatio uteri cum febre acuta, difficili respiratione &c. in tali casu, ne nimio impetu deorsum provocetur sanguis, si saltem in talo instituatur venæ sectio, præmittenda est in brachio moderata, & hinc subjungenda sufficiens saphænæ evacuatio: Rationem hujus superiùs, *ubi de Mensibus suppressis*, dedi. Nempè supprimuntur lochia, uti superiùs jam dictum, vel ex causa, quæ in ipso sanguine ejusdemque motu hæret, vel etiam supprimuntur saltem ex vitio in ipso utero ejusque vasis latente. Prius accidit v. g. à terrore, quale exemplum prostat apud NICOLAUM TULPIUM *lib.* 2. *observ.* 2. à mœrore, quale exemplum vidit *Sylvius in Praxi*: Posterius fit, quando ex grumo sanguinis in utero, ex ejus præternaturali contractura, &c. idem accidit. Si prius, venæ sectio in pede omninò convenit, ut ejus medio modificetur quasi & determinetur illius motus ad uterum, aut saltem in plethoricis præmissâ illâ in brachio in pede demum instituenda venit: sin verò in utero sit vitium, venæ sectio in pede inutilis erit. Mulier hìc partu octavo abortiebat, hinc lochia supprimebantur, superveniebant anxietates præcordiorum, quas vocabat *Cordis angustiam*, æstus, sitis &c., cui ex venæ sectione in pede statim lochia redibant, unde sub fluxu Myrrham internè exhibui. Ubi verò alia superiorum partium ex lochiis suppressis urgeant pathemata, ut cephalalgia, dyspnœa, vomitus aut sputum cruentum, &c. venæ sectio saltem in brachio instituenda venit, pro urgentibus istis mitigandis symptomatis.

Quoad *remedia Pharmaceutica*: ea sunt interna & externa.

Inter Interna, præmissâ vel omissâ venæsectione, conducunt remedia appropriata, menses aliàs aut fœtum, tam vivum quàm mortuum, pellentia, blandis aromaticis diaphoreticis mista, ut ab hisaut à frigore coagulatus sanguis resolvatur, aut cessans sanguinis turgescentia post partum restituatur & corrigatur, sanguis fluxilis magisque fermentativus redditus, & ejus circulus concitatior procuretur, dum illa uterum imprimis irritant, ut per hunc evacuetur sanguis. Inter appropriata in specie conducunt *Myrrha*, quæ egregia est in lochiorum fluxu deficiente, tam in substantia usurpata, quàm *essentia myrrhæ* cum *tinctura tartari*, vel *spiritu vini* probè *tartarisato* parata, unde & trochisci de myrrha sunt elegantes: hinc Crocus, Borrax Veneta, Zedoaria, essentia Zedoariæ, Dictamnus Creticus, Castoreum, Succinum, Cuminum cum cerevisia coctum, aliaque similia *in mensium defectu*, *fœtu & secundinis promovendis ferè usitata*. Nostratium mulierculuarum ordinarium *remedium* sunt *Ciceres rubri*, quorum *decoctum* vel per se, vel cum *radice petroselini* in jure carnis paratum, addito croco exhibitum, non inconveniens est, eleganter lochia ciet, & uterum purgat; attamen non semper juvat. Aliàs syrupus vel Decoctum Absinthii, si à frigore supprimantur lochia, est optimum; item Decoctum pulegii, Decoctum & aqua florum cheiri, Matricariæ cum Artemisia & chamomilla; vel Decoctum betonicæ, vel Chamomillæ usurpatum cum Elixyr proprietatis, aut etiam, quod melius, & Lotichii experimentum est:

℞. *Flor. Chamomill. nostr.* M. ß.
Cort. Aurant. sicc. ℥j.
Coqu. in s. q. *Cerevisiæ*.

Hoc decoctum propinatum egregiè convenit in lochiorum suppressione. Potest aliquid addi de *myrrha*, vel propinetur in eodem *Elixyr Proprietatis*, præsertim *sine acido*, seu *cum spiritu*

spiritu salis ammoniaci paratum, quod est egregium euporiston, *& probatum*.

Hinc essentia sabinæ, essentia ad menses, & essentia castorei conveniunt. In lochiis suppressis mihi, cum hic frequentissimus sit hic affectus, in more positum, cum dicto decocto ex Chamomilla propinare sequentem pulverem, qui admodum convenit, nec unquam me fefellit:

℞. *Antimonii diaphoret.* ℈j.
Zedoar. ℈ß.
Myrrh. elect. gr. viij.
Cinnam. gr. vj.
Croci gr. v. vel vj.
M. f. Pulvis pro una vel duabus dosibus:
D. S.
Pulvis aperiens.

Exhibentur in modò dicto decocto, vel cerevisia calida, ita blandè sudando lochia copiosè promoventur, & dolores post partum cum lochiis suppressis frequentissimi simul sopiuntur.

Vel

℞. *Antimonii diaphor.* ℈ij.
Myrrhæ ℈ß.
Castor. gr. xij.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus.
D. S. ut antè.

Externè simul flores chamomillæ modò decocti regioni pubis, adhuc tumenti, imponi possunt; Nam egregiè etiam conveniunt.

Faciunt huc Mixturæ TIMÆI *Von Guldenklee* expertæ in *partu difficili*, *secundinis & lochiis retentis*, ex *myrrha*, *castoreo*, *succino & croco*, dilutis in convenienti vehiculo, quæ convenienter usurpari possunt, & multis profuerunt: Harum prior descriptio *in Casib. lib.* 4. *Cas.* 25. *p.* 223. (vid. supra, ubi de Partu difficili) posterior verò *Cas.* 28. *pag.* 227. est hæc:

℞. *Aquæ Artemis.*
Hyster. Mynf. an. ℥iß.
Cinnam. ʒß.
Pulv. Myrrh. el. ℈j.
Succin alb. præp.
Castor. an. ℈ß.
M. pro una dosi:

Quam admodum laudat; neque sine causa.

Vel

℞. *Ess. Myrrh. cum sp. vin tartarisat.* ʒiij.
Tincturę antimonii ex scor. ʒj.
M. D. S.
Essentia aperiens.

Dosis 40. vel 50. guttæ bis vel ter in die.

Vel

℞. *Myrrh. elect.* gr. xv.
Borrac. ℈j.
Croci gr. vj.
M. pro 2. dos. S.
Pulvis aperiens.

℞. *Aquæ Card. bened.*
Matricar. an. ℥iß.
Ess. Myrrhæ ʒiij.
Borrac. Venet. ʒj.
Sal. vol. cornu cervi gr. jx.
Syr. Artemis. ʒvj.
M. D. S.
Mixtura aperiens cochleatim sumenda.

Capiatur subinde cochleatim, vel assumatur pro tribus vicibus; *gustui verò non est gratum*.

Aliquando mulieri jam tertio à partu die, cui penitus suppressa essent lochia, præscripsi:

℞. *Borrac.* ʒß. ad ℈ij.
Myrrh. gr. xv.
Croci ℈ß.
M. f. pulvis pro duabus dosibus,

accipiendis in haustu cerevisiæ calidæ, vel, quod melius, in decocto artemisiæ & chamomillæ, præmissa venæ sectione in pede.

Ego aliquandò femellæ juvenculæ sanæ, post partum felicem *parum de lochiis* expurganti, cui post decimo à partu die *varia colluvies* ex utero effluxit, ut promoveretur lochiorum fluxus, ordinavi ipsi Essentiam Myrrhæ cum tinctura tartari paratam, ad aliquot dies usurpandam; sed frustra nihilominus hic labor fuit: Hinc, ut promoverem eadem, præscripsi sequentem pulverem:

℞. *Borrac. Venet.* ℈ij.
Myrrh. elect. gr. xvj.
Croci gr. viij.

Mistis his, & duabus dosibus usurpatis, maxima copia *lochiorum & colluviei* expurgata seu evacuata fuit, ut necesse fuerit sanguinem denuo supprimere; Hunc enim pulverem in graviori malo adhibere soleo.

Pulvis radicis *Zedoariæ* à ʒß. ad ʒj. multis symptomatis puerperarum medetur, in specie, si sit conjuncta *lochiorum retentio* cum *dolore post partum*, vel pulveris Zedoariæ ʒj. pro duabus dosibus propinetur, acuendo cum aliquot guttis olei destillati rorismarini ad provocanda lochia: Vid. BARTHOLINUS *Act. Med. Hafn. Volum.* 2. *pag.* 209.

Pellentibus his etiam possunt annumerari Elixyr Proprietatis absque acido, sed cum alcali fixo (quod magis accedit ad præparationem Paracelsi, quàm vulgare) vel spiritu salis ammoniaci paratum: Item, loco hujus Elixyr Proprietatis siccum seu pilulæ pestilentiales Ruffi, Avicennæ, vel de sagapeno, stimulant lochia, simulque ventrem, alvus si sit obstructa, laxant. Nam mox post partum non convenit purgatio ad promovenda lochia, nisi septem aut novem dies effluxerint, quo tempore blandum infusum ex Rhabarbaro, Agarico & succino, propinari potest: cautè tamen in nostris regionibus propter latentes sæpiùs febres malignas purpuratas, quæ interdum vix ante nonum aut undecimum diem à partu se manifestant.

Quodsi à frigore sanguinis grumosi aut plus minus coagulati subsit suspicio, his ipsis appropriatis *sperma ceti* addi potest, quod cum pauco *castoreo* multum conducit ad solvendos sanguinis grumos; vel etiam *Mixtura* hæc, quam ingrediuntur *lapilli cancrorum cum aceto*, est egregia ad *sanguinem grumosum* resolvendum & *lochiorum fluxum* promovendum: v. g.

℞. *Aqua Cherefol.*
Matricar. an. ℥iß.
Acet vini acerr. ʒvj.
Lapill. cancr præp. ʒj.
Antimonii diaphor. ℈j.
Syr. artemis. ℥ß.
M. D. S.
Mixtura discutiens & aperiens, cochleatim sumenda.

Quodsi cum lochiis suppressis gravia urgeant symptomata, aut insignis perturbatio in corpore juncta sit, aut dolores uterini urgeant, in specie ubi aut adest crudelis cephalalgia, aut periculosum imminet delirium, commodè tali misturæ & dictis stimulantibus ac lochia pellentibus laudani opiati gr. j. vel gr. iß. addi potest, monente hoc non incongruè WILLISIO *Tract. de Febr. pag.* 284.

Externè Fomenta & sacculi ex chamomilla cum sabina & serpillo; quin & Litus emollientes, sanguinis grumos resolventes & blandè stimulantes seu cientes, sunt optimi, fomentando & ungendo partes abdominis inferiores cum oleis penetrantibus laxantibus & aromaticis, *oleo cheirini*, cui additum sit *oleum destillatum succini*, *baccarum iuniperi*, item parum olei destillati *spicæ*: v. g.

℞. *Ol. Cheirin* ℥ß.
destill. Cumin.
Bacc iunip. an. ʒj.
Succini ʒß.
M. D. S.
Oleum discutiens & aperiens.

Hoc calidè inungatur largiter abdomen ab umbilico usque ad genitalia, litui superimponatur later calefactus, vel *sacculus* emolliens, resolvens, plus minus ciens, probè *calidus*, ex artemisia, *absinthio*, *matricaria*, *mentha*, *pulegio*, serpillo, melissa, floribus chamomillæ, *radice angelicæ*, *seminibus quatuor carminantiuis maioribus*, & similibus, nunc in forma sicca, nunc in vino coctis. Conf. HILDANUS *Cent.* 5. *obs.* 42. V. g.

℞. *Herb Absinth.*
Flor. Chamomill. an. M. iij.
Herb Matricar. M. ij.
Rad. Angel. ℥iß.
Sem. 4. *cal. mai.* an. ʒij.
Bacc. Junip. ℥ij.

Incisa & contusa includantur *sacculis duobus*.
D. S.

Sacculi discutientes & aperientes.

Hi mutuò, quàm calidè fieri potest, imponantur abdomini, priùs isto *oleo* inuncto, idque crebriùs repetatur. Prodest huc euporiston in specie, si à *frigore externo* oritur *lochiorum suppressio*. Egregie convenit Fotus, quem *supra* dedi, *ubi de Mensium emansione*: item *in Colleg. Formular. pag.....* & *Id. Formular. Cl. 4. §. 20.*

Vel

℞. *Herb. sabinæ* M. ij.
Artemis.
Puleg. an. M j.
Rad. Alcann. ℥ij.
Valer. ʒvj.
Flor. Chamom. Rom. M. ij.
Cheiri,
Samb. an. M. j.
Bacc. Juniper. ℥ij.
Lauri ℥j.
Incisa & contusa includantur *sacculis duobus* rotundis *interpassandis*:
D. S. ut ante.

Ebulliant in *aqua* & vino, & vicissim applicentur.

Ubi simul adest urinæ suppressio, convenit cataplasma ex parietaria, cherefolio, & oleo scorpionum, v. g:

℞. *Herb. Parietar.* M. ii.
Cherefol.
Flor. Chamomill. an. M. j.
Coqu. ad mollitiem:
Pulpæ per setaceum traiectæ adde
Ol. scorpion. ℥ß.
Butyr. rec. ℥j.
M. D. S.
Cataplasma urinam promovens.

Imponatur calidè regioni pubis, applicato desuper operculo calido.

Ut hactenus dicta fiant magis clara, exemplum lochiorum retentionis, cum suppressione urinæ & doloribus post partum complicatæ, curatæ narrabo: Mulier nempè partu perquàm laborioso, in quo ab obstetrice ruditer tractata erat, filium enitebatur, quem difficilis & turba Secundinarum, earumque frustulatim discerptarum, exclusio sequebatur: Hinc lecto imposita altero manè graves abdominis lancinantes & ad pubem usque protensos dolores patiebatur, repetitis iisque crebrioribus vicibus recurrentes, similes partus doloribus: Acerbissimè simul circa pubis regionem dolebat, ita ut præ dolore tantum non ejulare cogeretur: Lochia parcè fluebant, loturæ carnium similia, eaque pauca: urina difficulter reddebatur, eaque tandem penitus supprimebatur: Ponderis sensum in abdominis regione hypogastrica, versus genitalia prementis, intrinsecùs sentire dicebat. Tertiâ demum die vocatus, ægram, præter enarrata frigidiusculè circa extrema & frontem sudantem, cum ructu & singultu offendebam, simulque pulsum celerem, frequentem, magnitudine & vehementiâ moderatum, durum non nihil deprehendebam: quam sic curavi:

Primitus ut promoverentur lochia penitus ferre suppressa, præscripsi duos pulveres:

℞. *Borrac. Venet.* ʒß.
Myrrh. gr. xvj.
Croci ℈ß.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus.

Primam dosin mulier manè capiebat, secundam revomebat; vesperi ob id præscripsi sequentes pulveres:

℞. *Salis Card. Bened.*
Artemis. an. ℈ß.
Borrac. Venet. ʒß.
M. pro 2. dosibus.

Primam dosin capiebat vesperi, alteram à media nocte.

Externè præscribebam Litum:

℞. *Ol. Cheirin.* ʒß.
Destill. Cumin.
Bacc. Junip. an. ʒj.
Misc.

Hoc calidè illinebat regionem hypochondriorum & pubis, idque crebriùs; hinc post primam pulveris dosin sat commodè fluxere lochia: Sed insequente manè & die penitus supprimebantur cum ventris tumore intensoque dolore, tactui venter durus erat, sudor frigidus superveniebat, hinc sanguinis grumos in utero adesse collegi, & præscripsi sequentem Potionem:

℞. *Aquæ Cherefol.*
Matricar. an. ℥iß.
Acet. vin acerr. ʒvj.
Lapill. cancr. præp. ʒj.
Myrrhæ gr. xv.
Laud. opiat. gr. iß.
Syr. Artemis. ʒvj.
M. pro Potione.

Probè agitando capiebat sæpiùs cochleatim.

Cum usu hujus Potionis sacculi parabantur, & repetitis vicibus abdomini calidè applicabantur:

℞. *Flor. Chamomill.*
Herb. Absinth. an. M. iij.
Matric. M. ij.
Rad. Angel. ℥ij.
Sem. 4. cal. mai. an. ʒij.
Bacc. Junip. ℥ß.

Concisa & contusa *sacculis duobus* inclusa, ut dixi, applicabantur; & exinde sanguis dissolutus egregiè evacuabatur.

Cum autem ægra adhuc urinæ suppressione molestaretur, sequens cataplasma pectini calidè applicare jussi:

℞. *Herb. Parietar.* M. ij.
Cherefol. Miß.
Incis. coqu. ad consist. pultis:
cui adde
Butyr. rec. non salit. ℥ij.
Ol. scorpion. ʒiij.
Destill. terebinth. ℥iß.
Misceantur.

Alii mulieri per tres dies & noctes partu difficili laboranti, & tandem fœtum mortuum excludenti, post partum, cum graviter partes essent læsæ & urina non contineretur, & lochia supprimerentur, dictam Misturam felici cum successu dedi: Sed sexto die Purpura alba superveniebat, cui hæc mistura propter additam myrrham egregiè profuit.

Insuper cum his, quando puerpera sub *mutatione stragulorum*, aut lectum petens, metuit de periculo imminente, consultum est, ut in sella perforata fiat *suffitus* ex sagapeno, myrrha, succino, gallia moschata, ex trochiscis de myrrha, bdellio, scoriis reguli antimonii & similibus, blandè uterum stimulantibus: Quibus adnumerandi trochisci *suprà cap. 1. ubi de secundinæ Retentione*, præscripti. Præ cæteris optimi sunt suffitus, parati ex *colocynthide*, qui potentissimè restitantes purgationes post partum promovent & eliciunt, de cujus suffitus egregio usu vid *in Cas.* TIMÆI *Von GuldenKlee pag. 226.* Lateres quoque igniti in lixivium scoriarum reguli antimonii injiciantur, & per infundibulum fumus attrahatur. Item si forsan adsit inflatio uteri dolorifica, optimè convenit suffitus ex nuce moschata, de quo vid. HARTMANNI *Praxis Chymiatr.*

Quibus tandem accedant Clysteres alvini, ex emollientibus blandioribus, aromaticis, carminantibus & uterum stimulantibus, ano injecti, imprimis ubi mulieres simul laborant *suppressione alvi*, qui tanquam fomentum sanguinem circa uterum stagnantem incidunt, fluxilem & excretioni aptum reddunt. Horum proficuus usus vid. in BARTHOLINO *Cent. 3. Hist. 19.* & TIMÆO *Von GuldenKlee in Casibus lib. 4. cas. 28. pag. 227.* ubi tale præscribit Enema:

℞. *Rad. levist.*
Alth.
Lil. alb. an. ℥ß.
Aristol. utriusque an. ʒij.
Herb. Malvæ,
Puleg.
Artemis.
Sabinæ,
Calaminth. an. M. ß.
Flor. Chamomill.
Sambuci,
Melilot. an. p. i.
Sem. Lini,
Aneth.
Fænugr. an. ʒii.
Bacc. Lauri ℥ß.
Incisa & conquassata coqu. in s. q. aquæ simpl.
Colaturæ ℥x. adde
Spec. hier. simpl. ℈iv.
Ol. Chamomill.

Anet.

Ol. Aneth. an. ℥j.
Ungu. de Arthanit.
Salis gemm. an. ʒj.
Mista injiciantur pro Enemate.

Instrumentum Glauberianum hic locum suum invenit; sicut hellebori nigri pulvis inclusus nodulo, & vaginæ uteri intrusus, mirificè prolicit lochia.

Lotio denique pedum in auxilium quasi revulsorium institui potest.

Haremus adhuc in affectibus, *qui post partum* solent supervenire puerperis, è quibus absolvimus retentionem secundinæ, & remoratam expulsionem lochiorum: Pergo jam ad

ARTICULUM II.
DE
LOCHIORUM FLUXU NIMIO.

Contrarium vitium est *Nimius lochiorum* in partu seu mox post partum *Fluxus*. Sæpius etiam usu venit imprimis post abortum, item post rejectam molam, aut etiam post exclusionem fœtus mortui, item, rariùs licèt, post legitimum partum, ut graves subsequantur sanguinis fluxus ex utero seu nimiæ lochiorum excretiones, vel sanguinis obscuri, nigricantis, grumosi, vel sanguinis floridi, tenuis, coccinei: prius ex venoso genere; posterius ex arterioso fluere solet.

CAUSÆ.

Causæ nimii lochiorum fluxus sunt:

1. *Sanguis uberior* aut *serosior* & *aquosior*, adeòque *fluxilior*.
2. Idem concitatior, aut etiam magis turgescens.
3. A læsione uteri, imprimis ex *placenta avulsa*.
4. *Irritatio uteri*, vel à *sanguine grumoso*, vel *à frustulis placentæ*, vel *à mola* in utero relictis.

Primum quod attinet: aut effluit interdum quidem naturaliter sanguis copiosior in juvenculis succi plenis, calidioribus, coacervatus gestationis tempore, imprimis quæ ordinariò patiuntur mensium fluxus: aut evenit, ubi *sanguis* sua natura est *serosior*, *aquosior*, ac paulo *acrior*, adeòque fluxilior, ut patet in *scorbuto* & similibus, quibus cum impetu fluunt lochia.

Secundum quod attinet: in specie in puerperis, dum insigniter incalescit corpus & sanguis fermentescit, ordinariò quoque adest pulsus celer, frequens, magnus, ubi sub turgescentia in partu uberiora effluunt lochia. Item evenit non rarò, ut in ipso pariendi conatu, ubi paulo fuerit difficilior, propinata copiosiùs spirituosa, nempè vinum, aquæ vitæ, mulierum &c. nec non salina, fœtum pellentia, &c. massa sanguinea postmodum exagitetur, rarescat, turgescat, & uberius ejus profluvium per uterum inducatur. Sanè muliercularum plebejarum mos est, aut vino generoso tantum non inebriare fœminas parturientes, aut loco hujus aquas apoplecticas spirituosas, seu spiritum baccarum juniperi, aut similia, copiosiùs, ad vomitum usque interdum, propinare, à quibus volatilisata partim, partimque fluxilior & magis fermentativa reddita massa sanguinea, uberiùs post partum evacuatur.

Quoad *tertium*, nempè læsionem uteri: accidit interdum nimius lochiorum post partum fluxus ex placenta disrupta, aut violentiùs avulsa: id quod imprimis fit in abortivis aut intempestivis partubus; aut etiam, quando alioquocunque tempore firmiùs secundina cum utero adhærescit, tunc hàc abruptâ *vasa uterina* læduntur, ubi *ex laceratione* quasi *uteri* gravius subindè profluvium sanguinis excitatur. Quò etiam pertinet vaginæ uteri plus minus excoriatio, aut ejusdem in parte quadam ruptio, cujus occasione etiam *nimiæ hæmorrhagiæ* interdum supervenire possunt: vid. VESLINGIUS *in Obs. pag.* 164. *Bartholinanæ Editionis*.

Quartus denique periculosus uteri fluxus fit ab irritatione uteri ob res molestas, quando placenta uterina remanet, aut tota non extrahitur, sed una alterave ejus supermanet in utero particula, cujus cadaveris præsentia continuò irritat uterum ad copiosam sanguinis profusionem. Interdum non tam placentæ frustulum est, quàm *mola* quædam à partu interdum adhuc in utero relicta: & hæc posterior ferè frequentior solet esse causa, cujus molesta præsentia uterus irritatus copiosum plorat sanguinem. Rectè enim hic loquitur AMATUS LUSITANUS *Cent.* 7. *Cur.* 54. „ dum dicit: *Enixo fœtu & secundinis, sæpiùs nimium sanguinis sequitur profluvium, quod nullis restringi potest remediis, idque ob molam quandam in utero adhuc latentem, qua excreta, vel spontè sistitur istud sanguinis profluvium*. Prosunt ergo tunc menses cientia, ut pessus ex elaterio, item medicamenta ex cyclamine, sabina, &c. Nec sola mola, sed frustulum secundinæ, violenter abruptæ aut laceratæ, in utero restitans similem infert hæmorrhagiam: Quò etiam facit observatio elegans RIVERII *in Cent.* 3. *obs.* 24. ubi gravis uteri fuit exorta hæmorrhagia, cùm fœtus mortuus in eodem contineretur. Huc denique etiam pertinent *sanguinis grumi* in utero collecti. Omnia hæc præternaturali sua præsentia continuò irritando uterum, graves hæmorrhagias inferunt, ita quidem, ut vel impossibile sit has sistere, vel easdem sine recidivæ metu compescere, nisi dictæ illæ res molestæ in utero existentes priùs fuerint remotæ, quæ quamdiu durant, tamdiu etiam fluxus lochiorum non cessat. Quin & retenta intestinorum præternaturalia, aut excrementa viscidiora aut duriora, abdominis dolores ac tormina inferentia, per accidens etiam ex consensu nimiam lochiorum excretionem inferre possunt. Notabilis in hunc finem est observatio, quam habet MAURICEAU *lib.* 3. *de Morb. Mulier. cap.* 5. hæmorrhagiæ uteri nimiæ ex simili causa natæ, per acrius injectum clysma curatæ.

Hæ sunt causæ, quæ inferunt nimium lochiorum fluxum.

DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: fluxus & quantitas sanguinis excreti nimia facilè & spontè per se patent & cognoscuntur, idque eo magis, si in ipso partu non pauca hujus effluxerit copia.

Arteriosus, an venosus sanguis effluat? testantur conditiones in fluxu, nempè materia excreta.

Causæ per antecedentia fiunt manifestæ: primariò tamen vires puerperæ innuunt, an nimium sit, quod effluxerit? an secus? ubi enim dejiciuntur vires, ac pulsus debilis ac frequens supervenit, ubi fastidium, visus obtenebratio, aurium tinnitus, & quodammodo animi deliquium tandem imminere videtur, imo interdum mors ipsa subsequitur, tunc satis patet, nimium esse id, quod effluit.

PROGNOSIS.

Quemadmodum *omnes hæmorrhagiæ* uteri sunt nimis *periculosæ*, ita mulieribus periculosus est nimius lochiorum fluxus; quia in laboribus partus vires debilitatæ, & massa sanguinea nimis agitata & exhausta, easdem plurimum solet labefactare: quin imo mœstitia, melancholia, & alia gravia superveniunt symptomata, imprimis *deliria* & syncope, quibus si *convulsiones* superveniant, eò pejus est; vid. HIPPOCRATES *sect.* 5. *Aph.* 56. dum etiam interdum *mors* ipsa supervenire solet.

Cæterum distinctionem hic faciunt mulieres inter *sanguinem* ut sic seu venosum, &, ut dicunt, Ger. *sub sanguine cordis*: Quæ distinctio non est de nihilo.] Per *sanguinem cordis* enim intelligunt *sanguinem arteriosum*; Nam qui effluit *post partum*, is est *ex venis*, quod monstrat color obscurus & ex rubro nigricans. Si ergo *sanguis intensè floridus* seu magis coccineus, & ex rubro ad flavum colorem inclinans, emanat, revera indicium est, quod immediatè *ex arteriis* evacuetur. Periculosius ergo est, si arteriosus effluat sanguis.

Porrò lochiorum hæc hæmorrhagia nimia frequentiùs accidit post arbortum, quàm post partum legitimum: Illa, quæ sequitur vel *violentam secundinæ separationem*, vel *abortum*, solet esse longè periculosior & gravior, quam quæ sequitur partum naturaliter constitutum: Aut si post abortum parum videtur excerni sanguinis, tamen mestrua periodo & graviorem & periculosiorem hæmorrhagiam supervenisse observavi.

Et in genere: Quæcunque vitia aliàs hæmorrhagias inferre solent, ista in specie sequuntur lochiorum nimium fluxum.

CURA.

Quoad *Curam*: in hac optimum est, ut habeatur ratio *causarum remotarum*, quibus sufflaminatis, facilè constabit omne negotium. Opera ergo danda est, ut *sanguinis* nimius fluxus sistatur; idque pro causarum varietate vel sanguinem incrassantibus, demendo simul ipsi superfluum serum; vel ejusdem motum fermentativum, à spirituosis excitatum, compescentibus; vel læsiones uteri ab avulsa placenta consolidantibus, adstringentibus; vel denique istud, quod uterum irritet, frusta nempè secundinæ, seu molas retentas, removentibus: nam ubi hæc fuerint secreta, vel spontè subindè sistitur sanguis; ipsa enim sanguinis copia, fluxum faciens uberiorem, sponte sistitur, ubi tandem, quod superfluum est, fuerit evacuatum.

Ex quibus patet, venæ sectionem in brachio esse auxilium minus conveniens in lochiorum fluxu, ut ut hanc admodum ceu probabilissimum remedium approbat GUILLEMEAU *lib. 3. cap. 10.* nisi vel in habitioribus, vel in casu adeò gravi, ut ex necessitate pro aliquali saltem revulsione venæ sectionem in cubito instituere cogatur Medicus, qualem refert SYLVIUS *lib. 3. cap. 8. §. 55.*

Quod ergo attinet remedia: ea sunt pro varietate causarum varia. Hinc, dum *sanguis est serosior & aquosior*, mediantibus *sudoriferis* serum derivetur per loca aliena. Sudorifera certè ex omnibus evacuandi rationibus, sola conducunt, & interdum maximè prosunt in nimio lochiorum fluxu: nam utut in ipsa sudatione ex fluidiore massa sanguinea, & rapidiori ejusdem circulo, incrementum contingat ipsius fluxus, tamen hic, ubi sufficienter sudavit corpus, aut spontè imminuitur, ut postea sanguis inspissatus parciùs effluat per uterum. Etiam in ipsa sudatione spongia aceto rosaceo imbuta genitalibus ac regioni pubis applicanda est; sic enim præcavetur, quod metuendum est, sanguinis nimium profluvium. Ratione sanguinis turgescentis conveniunt *blanda acida*, sanguinis ferociam compescentia, & eundem mediocriter ad coagulationem disponentia; qualia sunt remedia ex Tormentilla, Portulaca, Plantago, lysimachia flore purpureo, quæ ceu specifica hic commendantur à quibusdam.

Ratione *causæ tertiæ*, quando nempè uterus læsus ab avulsa placenta infert nimium lochiorum fluxum, adstringentia *blanda & vulneraria* conveniunt: quæ inter eminet *Cherefolium*, cujus *Decoctum* inter *vulneraria* est egregium: quibus addatur *Plantago*, *Cydoniata* quæcunque, &c. Vel fiat talis Mistura:

℞. *Aquæ Plantag.*
Portulac. an. ℥j.
Cinnam. ℨvj.
Acet. destill. ℨß.
Corall. rub. præp.
Terræ sigillat.
Hæmatit. an. ℈j.
Laud. opiat. gr. ii.
Syr. Cydonior. vel *Corall.* ℥j.
M. D. S.
Mixtura sanans & adstringens.

Mistura hæc subinde cochleatim hausta, blandè fluxum adstringit, & uterum denuò consolidat.

Vel

℞. *Aquæ Plantag.* ℥vj.
Fl. Acac. ℥ij.
Extr. flor. hyperic.
Plantag.
Fol. Alth.
Sanicul. an. ℨß.
Laud. opiat. Lang. gr. iij.
Syr. Corall. vel *de Alth. Fern.* ℥j.
M. S. ut antè.

Detur cochleatim.

Quod si in quarta causa, irritato nempè utero, fiat, ut restitans placentæ frustulum, vel mola, &c. nimium sanguinis concitet fluxum, periculosum imminet Medico negotium; necesse enim est, ut expellatur hæc secundina retenta molesta, quo facto mox cessabit nimia *uteri hæmorrhagia*. Cum verò omnia *pellentia* simul soleant promovere *lochiorum fluxum*, & stimulent uteri excretionem, ideò cauti simus in utendis his ipsis; quin potiùs, cùm ista retenta sint causa profluvii, pellentia aromatica ratione retenti frusti, & simul incrassantia seu blanda adstringentia ratione uberioris fluxus, sunt conjungenda; applicando externè pessos, aut irritando uterum, internè verò, quæ possunt nonnihil adstringere, simul tamen secundinam aut molam promovere: v. g. SYLVIUS *in Prax. lib. 3. de Morb. Mulier. cap. 8. de Lochiorum fluxu læso §. 2.* habet *mixturam ex radice bistortæ, herba maioranæ, pulegii*, &c. quâ dicit feliciter se usum esse in hoc casu. Interim in hoc sphalma typographicum latere puto, & pro ℥ij. *radicis bistortæ*, sumendas esse suspicor ℨij. Nam hoc magis probabile videtur. Ad imitationem ergò Sylvii in tali casu fiat tale Decoctum:

℞. *Rad. Bistortæ* aut *Tormentill.*
(est adstringens) ℨij.
Fol. Maioran.
Puleg. (menses pellentia sunt,) an. M. j.
Coqu. ex *aqua pura & vini albi* ß. an. f. q.
Colat. ℥xx. adde
Syr. Artemis. ℥j. vel ℥ij.
Aquæ Cinnam. ℥ß.
M. D. S.
Decoctum matricale.

De hoc capiat subindè ægra bis vel ter in die ℥ij. vel iij.

Vel

℞. *Rad. Bistor.* ℨiß.
Tormentill. ℨvj.
Herb. seu *summ. Maioran.*
Puleg.
Com. hyperic. an. M. j.
Coq. in s. q. *aquæ & vini*;
Colatur. ℔j. ad ℔iß.
adde
Aquæ Cinnam. ℥ß. vel ℨvj.
Syr. Artemis. ℥iß.

M. f. Potio adstringens nonnihil, simul tamen pellens:
D. S. ut *antè*.

Succinata imprimis conveniunt in hoc casu, ut succinum præparatum, trochisci de Carabe, &c. quæ & sanguinis fluxum cohibent, & simul pellunt contenta uterina. Quod si debiliùs promoveant, acuenda sunt aut sale volatili succini, aut aliquot guttulis ejus olei destillati, aut granis sufficientibus borracis Venetæ. Si ergo quis pro decocto malit pulverem, talis parari potest:

℞. *Cornu Cervi usti* ℈ij.
Borrac. ℈j.
Cinnam.
Croci an. ℈ß.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus: S.
Pulvis singularis.

Capiatur in aqua Cinnamomi.

Vel

℞. *Cornu Cervi usti præp.* ℈ij.
Hæmatit. præp.
Cinnam.
Croci,
Borrac. an. ℈j.
M. f. Pulvis pro duabus vel tribus dosibus:
D. S. ut *antè*.

Aliàs in genere in quibuscunque fluxibus nimiis optimum est, miscere subinde, quæ plurimis satisfaciunt scopis; hinc Cydonia & omnia Cydoniata conveniunt, succus nempè cydoniorum, vel vinum seu succus granatorum. Conducunt itidem *Corallia* & Coralliata, inspecie tinctura coralliorum sassafrata, *corallia rubra* mixta cum succo granatorum acidorum recenter expresso, quæ mixtura puerperis subinde propinata solet lochia nimis fluentia egregiè sistere: quibus etiam possunt addi *succus* aut *syrupus Portulacæ*, imprimis in *acrimonia sanguinis* aut *utero læso*. Pulvis dentis hippopotami, vel unicornu verum, à ℨß. ad ℨj. ceu specificum experimentum laudatur à MINDERERO *in Medic. Militari*, & VELSCHIO *Hecat. 2. pag. 26.* Observandum tamen de dente hippopotami, miras ejus esse facultates ad quascunque sistendas hæmorrhagias: differentia tamen quædam intercedit inter ipsos dentes, cùm non omnes sint ejusdem efficaciæ, sed certo tempore ejecti ab ipsis brutis, hic conveniunt. In genere autem in quibuscunque lochiorum fluxibus nimiis conveniunt imprimis *Martialia*, & hinc *Terrea*, adeoque eminet *lapis hæmatites* præparatus, *Bolus Armena*, *Terra sigillata*, Cor-

Cornu cervi ustum, Crocus martis adstringens, in specie Tinctura martis adstrictiva, aut, quæ ejusdem est naturæ, *Tinctura sulphuris vitrioli* ritè præparata, aut *liquor Martis solaris*, in graviori malo mirificè conveniunt: *liquor martis solaris* à gutt. viij. x. xij. & xv. *tinctura* verò *sulphuris vitrioli* à gutt. xx. ad xxx. utut fortioribus his non facilè utamur, nisi in graviori casu.

Mulier quædam hîc patiebatur nimium lochiorum fluxum, cùm jam puerperium esset sublatum, usurpabat liquorem martis solaris à gutt. xij. ad xv. per aliquot dies, & fluxus cessabat.

Alia mulier juvenis parum lochiorum sub tertio partu emittebat, hinc subsistebant, & sequebatur gravis hypochondriorum dolor; pro quo scopo ordinabam Essentiam Myrrhæ cum tinctura tartari, sed frustra; Unde præscripsi sequentes pulveres:

℞. *Borrac. Venet.* ℈ij.
Myrrh. gr. xvi.
Croci gr. viii.
M. pro 2. dosibus.

Exinde copiam & variam colluviem emittebat, ita ut Fluxum hunc stringere necesse esset, quod mediante hoc liquore præstabam.

Sunt, qui laudant sperniolam Crollii: sed hæc propter myrrham & additum crocum minus laudanda, minusque conveniens videtur: potius conveniunt *trochisci de carabe*, item *de terra sigillata*, vel *per se* in vehiculo quocunque, vel *in vino austero acidulo*, vel etiam cum cochleari *aceti*: in specie conducunt, ubi vel *læsio* inducta est utero *ex avulsa secundina*, vel ubi subest *sanguis serosior & aquosior*; uti etiam antihecticum Poterii, imprimis Bezoardicum Joviale, ad compescendum uteri fluxum conveniunt.

Conveniunt aliàs hîc omnia ea, quæ *superiùs de Hæmorrhagiis in genere*, aut *nimio mensium fluxu* commendavi, imprimis Laudanum opiatum, & ex eo parata remedia; desperatam enim uteri hæmorrhagiam post partum hoc ipso Laudano opiato curavit TIMÆUS *Von Gulgenklee*, *in suis Casibus*. Vehiculum horum assumendorum constituunt aqua tormentillæ, fragorum, plantaginis, item vinum granatorum, aqua martialis seu ferrata, & similia; imprimis aquam tenellorum cornuum cervi, Germ. *Hirschkolbenwasser*, cochleatim propinata. Nam hæc aqua arcanum fuit Cratonis, trium Imperatorum Archiatri, ad nimium mensium fluxum, cum qua propinavit pulverem de osse cordis cervi: in specie, si sanguis arteriosus fluere percipiatur, quod vocant, *Sanguis Cordialis abit*, id quod ex tenuitate, colore florido & uberiori scaturigine cognoscitur, vix melius habebitis remedium, quàm aquam tenellorum cornuum cervi ritè præparata, & cum spiritu cornu cervi nonnihil acuatam, cum cornu cervi, vel coralliis rubris, &c.

Hæc primatum ducunt in *Hæmorrhagia nimia post partum*: Hinc v. g.

℞. *Cornu Cervi usti præp.* ʒj.
Terræ Sigillat.
Lap. hæmat. præp (est melius quàm Crocus *Martis* adstringens) an. ʒß.
Laud. opiat. ferment gr. iß. vel gr. ij.
M. pro 2. vel 3. dosibus. S.
Pulvis adstringens.

Propinentur in vino austeriusculo.

℞. *Lapill. cancr. præp.* vel *Corall. rub. præp.* ℈ij.
Terræ Sigillat. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus.
Cum aceto vini non nimis forti assumendis.
D. S. ut *antè*.

Vel

℞. *Conf. rosar. antiqu.* ℥j.
Dia. Cydon. sine specieb. ℥ß.
Trochisc. de Carabe.
Terræ Sigill.
Cornu cervi usti præp. an. ℈ij. vel ʒj.
Cum s. q. *Syrup. cydonior.* f. Electuarium.

De quo capiatur subinde quantitas nucis juglandis: Vid. FORESTUS *lib.* 28. *Obs.* 62.

Vel

℞. *Aquæ Tormentill.*
Menth. an. ℥ß.
Cinnam. cum vino ℥iij.
Trochisc. de Carabe ʒiß.
Syr. Corallior. ʒvj.
M. S.
Mixtura adstringens.

Cochleatim hauriatur.

℞. *Aquæ Tenell. cornu Cervi* ℥iij.
Succ. Cydon. vel *Granat. acid.* ℥j.
Hæmat. præp. ℈ij.
Corall. rub. præp.
Bol. Armen. prap. an. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. Corall. ʒvj.
M. S. ut *antè*.

Hanc & sequentem Mixturam, ad imitationem SYLVII *lib.* 3. *Tr. cap.* 8. præscriptam, egregiè profuisse observavi: Scilicet superiori æstate *mulier quædam* erat, quæ altero die post partum irascebatur, unde ex *ira*, confusis sic *succis & spiritibus*, supprimebantur *lochia*, quod aliàs rarò evenire solet. Erat autem mulier non plethorica, sed inclinabat ad cachexiam: tertio, quinto & sexto die à suppressione superveniebant *graves dolores abdominis*, & hinc *enormis lochiorum fluxus* repetebat de novo. *Causa* erant *sanguinis grumi*, qui in utero coacervati postmodum *dolores* istos, hinc *nimiam hæmorrhagiam* inferebant, quod monstrabatur, quia grumosus sanguis cum florido ejiciebatur. Variis ceteroquin tractatis, præscripsi sequentem Mixturam, quæ feliciter operata est:

℞. *Aq. Tenell. cornu cervi* (euporiston CRATONIS in hæmorrhagia uteri nimia) ℥iij.
Succ. Cydon. rec. ℥j.
Corall. rub. præp. ʒj.
Hæmat. præp ʒß. ad ʒj.
Laud. opiat. gr. iß.
Syr. Cydon. vel *Plantag.* ʒß. ad ʒvi.
Misc.

Hæc Mixtura usurpabatur repetitis vicibus cochleatim, & brevi post lochia suppressa sunt, & sic unà cum aliis successivè curata fuit.

Observandum tamen adhuc est, non subitò esse supprimendum sanguinem, in specie mox à partu, quia subinde ubi primus impetus cessaverit, sponte denuò soleat sisti: quod si non fiat, tunc demum ad appropriata accedendum erit.

In graviori autem malo, aliis desperatis, ultimum refugium sit Bolus ex *conserva* appropriata, nempè rosarum vel *radicis symphyti* majoris, in quo parum *aluminis* propinetur, scilicet à ℈ß, ad gr. xv. aut ℈j. & ʒß. ad ℈ij. pro una vel duabus vicibus exhibendum, & ceu optimum laudatur experimentum.

Opiata per se in hoc casu nota sunt.

Cum his *internis Externa blanda*, vel sanguinem nimis effluentem *sistentia*, vel vasa circa uterum nonnihil *adstringentia*, adjungenda sunt. Quibusdam in usu sunt Injectiones in uterum ex decoctis adstringentibus. Commendat VALERIOLA *lib.* 4. *Obs.* 6. injectionem factam ex *Decocto* aut *succo plantaginis* aut *portulacæ*, ex decocto stercoris suilli, & similibus in aqua *ferrariorum* decoctis, injiciantur cum siphone in uterum, imprimis ubi suspicio est *læsi* aut *excoriati uteri*; quibus necessitate urgente Unguentum Comitissæ adstringens addendum monet *citatus* VALERIOLA. Vel fiant decocta adstringentia cum aqua ferrariorum, in quibus succus Acaciæ nostratis, item sanguis draconis aut bolus Armena dissoluta sint: item fiat *cataplasma ex fuligine* cum *aceto rosaceo & albumine ovi*, quod regioni lumbari propè os sacrum applicandum & subinde repetendum suadet RIVERIUS. Vel argilla calcinata simili modo cum aceto subacta, circa regionem renum lumbarem applicari potest. Item pubi ac genitalibus applicari potest Epithema ex aqua spermatis ranarum ritè destillata, aut spermate ranarum cum aceto rosaceo pauco mista, cum spongia, vel tepidè vel frigidè, admovenda. Nec incongruum est, ut applicentur *mammis* quædam, & quidem si fluunt nimiùm *lochia* ex sanguinis turgescentia & nimio orgasmo: nempè *Epithemata* ex aceto, *succo sempervivi*, *nitro*, & *aqua spermatis ranarum*, frigidè applicata & sæpe reiterata, imprimis in iis, quæ nolunt lactare: Vel applicentur *cucurbitulæ cum magna flamma* sub mammis, ut ita motu sanguinis quasi contrario sursum concitato impediatur ejus nimius raptus ad vasa uteri.

Tandem singulare experimentum est cingulum, factum ex foliis hellebori albi (folia scilicet nonnihil contusa, ut partes nerveæ subsideant, assuantur linteo, & ita cinguli for-

formâ applicentur nudæ pubi circa lumbos) est *Experimentum* HARTMANNI, quod ceu expertum à se commendat LINDANUS in nimio lochiorum fluxu.

Denique in habitioribus aut sanguine turgescentiori, impetuosè per uterum erumpente, prædi
titis, venæ sectio in cubito maturè instituta, subinde in prima herba affectum suffocat, quia ejus impetum deorsum versus tollit. Hanc imprimis extollit GUILLEMEAU: Ast facit hoc more Gallis consueto, cùm tantum locum habeat venæ sectio in statu sanguinis copiosi, & nimis quasi febriliter turgescentis.

Hæc fuerunt lochia nimis fluentia.

ARTICULUS III.
DE
LOCHIORVM PER LOCA ALIENA EXCRETIONE.

NEmpè ubi impeditur Lochiorum Excretio, vel pertinaciter supprimuntur, non mirum est, ut regurgitantia in massam sanguineam fermentativâ turgescentiâ per alium quendam locum moliantur egressum. Pro partium natura, in quas fit metastasis, multiplicia symptomata superveniunt, qua ratione BARTHOLINUS refert *Cent.* 3. *Hist. Anatom.* 19. se observasse aliquoties lochia salutariter non rarò per alvum expurgata: Sic SALMUTH refert *Cent.* 4. *Observ.* 89. quod à retentis lochiis febris acutissima, doloresque abdominis in puerpera fuerint oborti, donec lochiis per nares erumpentibus hæc omnia cessarint: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observat.* 184. *pag.* 282. Quin & observatum fuit aliquando, per mammas suppressa lochia salutariter fuisse evacuata: Gravissimum morbum ex lochiis retentis videbitis apud HILDANUM *Cent.* 5. *Observ.* 42. Scabiem fœdissimam & fere leprosam per lochiorum suppressionem obortam apud eundem *c. l. Observ.* 43. SALMUTH *Cent.* 1. *Obser.* 82. observavit melancholiam & oblivionem: FORESTUS *in Respons. Medicis pag.* 25. Apoplexiam: ex lochiis non ritè fluentibus phthisin & pulmonum corruptelam CATTIER *apud* BORELLUM *Observ.* 11. Paralysis etiam supervenit lochiis suppressis, imprimis in partibus inferioribus; quale exemplum etiam habet THEODATUS *in Valetud. pag.* 112. sicuti etiam ex lochiis suppressis epilepsiam observavit TIMÆUS *Von GuldenKlee in Epist. pag.* 26.

CURA.

In tali casu cautus sit Medicus, ne turbet motum naturæ, quem facilius est impedire quàm corrigere, & nisi notabile damnum adferat Excretio lochiorum per aliena loca, semel cepta vestigia ne turbet, sed naturæ motum permittat: sin verò malum aliquod immineat, v. g. si tussi aut hæmoptysi rejiciatur, tunc per externa lochia suppressa revocanda ad uterum, & perversè excretorum lochiorum corrigat fluxum.

CAPUT III.
DE
DOLORIBVS POST PARTVM.

POrrò præter hos affectus circa lochiorum fluxum etiam mirè cruciant frequenter puerperas post partum *Dolores*, iique varii, qui ipsi nunc similes sunt Doloribus partus, nunc verò sunt dissimiles: Si sint similes, vocantur *Dolores post partum*; vix enim est partus, cui non superveniant. Non tamen confundendi sunt varii hi dolores, qui possunt mulieribus à partu supervenire: propterea, qui forsan superveniunt orificio interno læso, vel *vaginæ uteri* laceratæ, illi huc non pertinent propriè, sed iidem dolores, qui affligunt *puerperas* post partum *in ipso abdomine*, sunt propriè illi; adeoque dividuntur in dolores *Veros* propriè dictos, & *Nothos* seu impropriè dictos. *Veri* sunt, qui affligunt *intestina*, *mesenterium*, partesque his connexas.

Dolores veri sunt nihil aliud, quàm continuatus pariendi conatus, dum ex quacunque causa adhuc post partum uterus vel irritatus, vel insigniter læsus, continuato spasmo violento & convulsione se contrahere, & rem irritantem excutere, nititur, & tales *Dolores* infert: propterea etiam sunt *vagi*, non continui, sed nunc insurgunt, nunc remittunt, iis similes, quos aliàs percipiunt in partu, & saltim aliquot horas, interdum aliquot dies puerperas vexant. Imò & hi ipsi dolores post partum, interdum atrociores & crudeliores sunt, quàm ipsi dolores *in partu*, ita ut Patientes dicant, se libentiùs partum ipsum, quàm dolores hos perferre velle.

Hi sunt veri post partum dolores, similes ferè ipsius partus doloribus.

CAUSÆ.

Causa horum dolorum in genere est saltem irritatio uteri, & hinc laboriosus & ferè frustraneus egerendi conatus, seu, ut sic dicam Tenesmus uterinus.

Causa autem, quæ uterum irritare, & eundem in *spasmum* concitare valet, est *duplex*: nempè, vel *frigus* extrinsecùs admissum; vel grumi sanguinis in utero retenti, aut secundinæ frustula, vel etiam *mola*, vel simile quid *post partum* adhuc in utero restans, quod aliàs excernendum fuisset: Quibus occasionibus uterus irritatus, continuatis sic spasmis dolores superveniunt, speciatim si puerperæ aërem frigidum post partum citò nimis suscipiunt, hinc enim subinde atroces superveniunt dolores. Hoc observavi in quadam muliere, quæ vesperi ante partum convivio præsens vescebatur nimio pulmento, Germ. *Kombs*, hinc nocte insequente, urgente tunc frigore, corripiebatur diarrhœâ cum copiosis flatibus, unde ter aut quater lecto surgens alvum exonerabat: hinc frigus contrahebat, post horam pariebat, peractoque partu integris 24. horis gravibus doloribus cruciabatur, ut etiam diceret, ludum esse pariendi dolores veros, si cum his conferantur. Frigus enim externum, lædendo plus minus uterum, eumque irritando, occasionem præbebat supervenientibus doloribus; sicut ex eadem causa sanguine grumoso facto & impediebatur lochiorum fluxus, unde graves dolores lancinantes, qui reverà conveniunt cum veris partus doloribus aut eosdem superant; quod etiam fit subinde, quando secundina diutiùs post fœtum in utero moratur; tunc enim ex frigore externo aëris inflatus uterus admodum dolet, imminutâ plus minus lochiorum excretione. Id quoque similiter fit, quando extrema, v. g. manus vel pedes, nonnihil refrigerati sunt. Par ferè ratio est potus frigidi mox post partum aut saltim in puerperio crebriùs hausti, nam & hinc uterus læditur, fere tumidus & quasi inflatus redditur, & plus minus dolet. Vel (2) *infert tales dolores post partum* interdum plus minus violenta secundinarum, utero firmiùs connexarum, avulsio, indeque nata uteri læsio & quasi excoriatio; unde læsus uterus à partu dolet, qui dolores continui, nec lancinantes sed angentes esse solent, & hoc habent conjunctum sibi, quod abdomen, non verò corpus, angant, ut dicant: *Se non debere corpus tangere*, *esse enim quasi purulentum*; quod ipsum signum est *læsi uteri*, & vel *à placenta impetuosè avulsa*, vel *ab excretis* ibidem *acrioribus*, sanguine nempè acrioti, salsiori, &c. uterum in suo transitu plus minus irritante, & ad dolores stimulante. Quod si autem dictæ causæ concurrant, *dolores* sunt eò *graviores*; utut *rariores* sint, qui ab utero læso, *frequentiores* tamen ratione *frigoris suscepti*, vel *sanguinis grumosi*. Cæterùm his causis simul adde *flatus*, quibus si inflatus uterus, dolores post partum oriuntur cum gravissima regionis hypogastricæ distensione, dicuntque ejusmodi ægræ: *esse ipsis ac si corpus vellet dirumpi*.

Dolores verò *nothos* & colicis similes, Germ. *die falschen Wehen*, quod attinet: simillimi sunt iis doloribus, qui sub mensium difficultate subinde mulieres affligunt, & eandem rationem fiendi & curandi habent: Nempè circa *umbilicum tensiones* percipiunt, dolores ad *cor* properant, uno nomine: sunt saltem tormina ventris seu dolores colici & iliaci, aut hypochondriaci, &c. oriundi à dictis lochiorum *spasmis* quasi hystericis, qui ipsi graviter interdum excruciant mulieres, & excitantur ab excrementis retentis ante partum, vel succis in intestinis effusis, qui ubi *efferuescunt*, flatus & tormina inferunt, vel similibus causis, quibus intestina irritantur, atque ita post partum dolores non tam uteri, quàm abdominis partium contentarum inferunt, unde injectis clysmatis facilè levantur.

DIAGNOSIS.

Quoad *Signa*: Puerperæ ipsæ hos dolores & indicant, & nothos à veris facilè discernere possunt; partim *à loco*; in doloribus enim veris loca abdominis inferiora affliguntur, quia sunt similes genuinis partus laboribus & doloribus, reliqui verò hypochondria, specialiter sinistrum, magis occupare solent, vagi sunt, & modo atrociùs, modò remissiùs cruciant; quin & ad superiora magis recurrunt, cum veri dolores post partum descendant deorsum ad pubem, & hinc reflectantur ad lumbos: partim *à dolore*; in doloribus enim veris est irritatio in utero, ubi dicunt: *esse ipsis ac si denuò debeant parere*; si vero uterus sit læsus, dicunt *intolerabiles in utero sentire dolores*; si *flatus* distendunt uterum, tunc in specie *lochia* simul *suppressa* sunt.

Causæ, an sanguis congrumatus? an aër susceptus? ab antecedentibus, item ab excretis lochiis aliisque circumstantiis & relatione ægræ, facilè cognosci possunt.

Vana interim est muliercularum persuasio, quasi salubres & admodum proficui sint hi dolores post partum, quatenus lochiorum promoveant fluxum; quod tamen falsissimum est, quin potius interdum impediunt eundem: quando enim uterus est irritatus, inflatus, aut excoriatus, ulteriùs ejus orificium interius se stringit, lochiaque supprimuntur, & sic dolores fiunt longè acerbiores, subindeque magis excruciant puerperas, quàm veri dolores.

Interdum occasione lochiorum suppressorum exsuscitatur febris cum delirio, adeoque virium defectum & inde varia mala inferunt, ut in ipso partu mulier non adeo debilitata fuerit; unde potiùs dolores præcavendi sunt, quàm curandi.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Molestissimi puerperis sunt hi dolores à partu, reddunt illas inquietas, & præter lochiorum suppressionem, graviores si fuerint, ad convulsiones ac deliria, disponunt: imò ex istis doloribus universo corpore commoto interdum occasionem suggerunt, ut febrim contrahat mulier periculosam, in specie summam virium prostrationem post se trahant, unde symptomatis aliis ferendis post impares sunt. Errant ergo hoc in passu mulieres, ceu dixi, quæ dolores hos proficuos, quasi lochiorum fluxum concitantes, putant. Conf. in specie SYLVIUS *lib. 3. Prax. cap. 9.* ubi prolixè de his doloribus post partum agit, §. 2.

CURA.

In hac ergo opera danda est, ut dolores maturè removeantur, & sistantur, tam per interna aromatica carminantia, & sanguinis fluxum nonnihil promoventia, quàm per externa fomenta uterina aromatica, uterum, ut vocant, roborantia, succurrendo tamen in specie causis variis. Hinc si malum fuerit *ex frigore suscepto*, tunc præter remedia ex chamomilla, optimè conveniunt *fomenta & litus*, in specie suffitus ex nuce moschata *suprà*, ubi *de inflammatione uteri*, allegatus: Sic SCHENCKIUS *libr. 4. Observat. de Puerperis* refert, puerperam intempestivè egressam puerperium, contractis doloribus magnis, suffitu nucis moschatæ adhibito, emisso ingenti crepitu ex utero, curatam. Si sint ex *retentione sanguinis grumosi* vel lochiorum, præter *misturam polychrestam supra laudatam* nil melius est *cherefolio*, cujus *aqua & decoctum*, ac quoque esus, sanè multiplici usu prodest puerperis: consolidat simul, si quid læsum est in utero, & sanguinis grumos optimè dissolvit, aliaque retenta ejicit, ac multis scopis satisfacit: addi potest crocus & macis, sic enim magis stimulat, *si aliquid ibi contrarium est.* In specie convenit *sperma ceti* à ℈ß. ad ℈j. in aqua cardui benedicti vel *decocto florum chamomillæ* exhibitum, nam & hoc talem dolorem ex sanguine congrumato curavit TIMÆUS *Von Guldenklee in Casib. pag. 34.* Aut ad dissolvendum sanguinem grumosum tale paretur decoctum, quod etiam est experimentum.

> ℞. *Rad. Gramin.* ℥j.
> *Herb. Cherefol.* M. j.
> Coqu. in *aqua fontan.*
> addendo in fine *crocum & macin*:
> *Colatura* pro libitu *edulcorata* S.
> *Decoctum pro aliquot vicibus.*

Hujus potu sanguis grumosus in utero optimè dissolvitur.

Quod si lochia minus benè fluxerint, usurpari potest:

> ℞. *Tinctura tartari* ʒij.
> *Ess. Myrrh.* ʒj.
> M. S.
> *Essentia dissolvens & leniens.*

Dosis guttæ 40.

Si acrior sanguis hos dolores concitaverit, cornu cervi ustum convenit, item oleum amygdalarum dulcium recens expressum ad aliquot uncias subinde repetitis vicibus à partu assumptum: Vel

> ℞. *Ol. amygd. dulc rec.* ℥ij.
> *Syr. Violar.* ℥j.
> *Aquæ Borrag.* ℥ß.
> M. D. S.
> *Mixtura leniens, cochleatim capienda.*

Quod si verò dolores illi sint ab excoriatione vel læsione uteri, tunc præter Misturam polychrestam, vulneraria supra allegatis anodynis addita, conveniunt, ut & *Corallia* & coralliata, blanda *Martialia* & hæmatites, in vehiculo specifico. In genere omnium optimè conducunt, præter semina calida ista carminantia, cumini, fœniculi, anisi, carvi, & remedia ex iis specifica, qualia etiam utero non incongrua sunt; semina enim hæc in vino bullita ac propinata optimè conducunt in doloribus post partum, non secus ac semen cumini in cerevisia coctum. Juxta hæc nobile est simplex ad sopiendos post partum dolores uteri chamomilla, quæ par sibi remedium non habet, tam communis, quàm Romana. Decoctum sanè florum chamomillæ vulgaris internè haustum, quo semper tanquam arcano felicissimo usus sit cum successu, commendat FORESTUS *lib. 28. Observat. 75. & 81.* Confirmant hoc alii, in specie AMATUS LUSITANUS, item ROSENCREUZERUS *in sua Astronom. Inferiorum*, qui omnes singularissimè hanc chamomillam, ejusque decoctum, nunc solitariè, nunc cum aliis, aliaque remedia contra nimios dolores post partum laudant: Imprimis si accipiatur chamomilla Romana, magis aromatica & volatilis, esset remedium eò magis præsentaneum: unde etiam *aqua & essentia* florum *chamomillæ*, tam *vulgaris* quàm *Romanæ*, cum spiritu proprio parata, erit egregia; non minus quàm oleum chamomillæ utriusque destillatum saphirinum mirè conducit, & ad aliquot guttas haustum vix deseret ægram aut Medicum. Sic potest etiam in *Decocto chamomillæ* assumi *Elixyr proprietatis*, vel *essentia Myrrhæ*, imprimis dum non rectè fluunt lochia: & sanè creberrimè in *doloribus post partum*, imprimis quando sanguis grumosus aut lochia suppressa simul aderant, felicissimo cum successu *Decocto* florum *chamomillæ*, cum cerevisia parato, usus fuit. Aliquando curavi hoc *Decocto*, in quo ratione lochiorum simul propinabatur *Elixyr Proprietatis*, mulierem hujusmodi acutissimis post partum doloribus, cum imminuto admodum lochiorum fluxu, & hinc gravissimis præcordiorum anxietatibus afflictam, magma decoctionis residuum regioni pubis simul imponendo, & his ipsis omnis postmodum dolor brevi evanuit: & sanè ab omnibus Practicis hæc ipsa chamomilla extolli solet. Addi potest interdum Artemisia rubra, ut fiat remedium eò magis appropriatum. Juxta chamomillam convenit in specie etiam Lavendulæ decoctum, in vino vel cerevisia pro sopiendis his doloribus. De remediis ex secundina res nota est, quod in his doloribus *ex conatu ejiciendi* oriundis sit singulare & infallibile experimentum, si vel pulvis secundinæ à ℈ß. ad ℈j. vel spiritus secundinæ in simili dosi, calidè exhibeatur in jusculo gallinæ. Quibus addatur Castoreum cum Myrrha sociatum, & omnia ex iisdem parata, essentia castorei, essentia myrrhæ cum tinctura tartari parata, item *tinctura hysterica* seu *anonyma D. Langii* ex castoreo & asa fœtida cum spiritu vini confecta, quæ sunt admodum proficua; item spiritus salis ammoniaci anisatus commodè propinari potest in his doloribus. Juxta hæc est *Zedoaria*, item galanga, commune muliercularum euporiston, quarum *pulvis* à ℈ß. ad ℈j. in haustu vini calidi assumptus, optimè confert ad nimios post partum dolores. Obstetrices nostræ laudabili consilio ad præcavendos nimios tales dolores propinant post partum panem butyratum, cui *pulvis zedoariæ*, argiter adspersus, aut saltem in vino calido propinant, subinde etiam repetunt, idque felici cum successu. Ad præcavendos æquè atque sopiendos post partum dolores, *arcanum* muliercularum plebejarum est aqua seu lotura butyri, quantitate trium cochlearium hausta, admoto naribus pane to-

ſlo, ne excitetur vomitus: quod etiam duo decies ſe expertum habere, dixit mihi experientiâ ipsâ edocta quædam mulier; cui nec ignotum eſt vinum, poſt partum tepidè hauſtum, mirè refocillare, quæ itidem dolores partus veros à nothis diſcernere novit, dum dicit: *Dolores nothi ſurſum aſcendunt, neque ſequuntur partum, ſicut veri.*

Præter dicta etiam conveniunt ex Artemiſia, item ex Matricaria parata remedia, uti etiam Angelica, eſſentia Zedoariæ, ſuccini, &c. cum aqua cinnamomi propinata, cinnamomum, Zingiber, cardamomum, oleum deſtillatum baccarum lauri, &c.

His ipſis non ſufficientibus in graviori malo ad opiata, neceſſitate coacti, confugimus, addendo tamen ſimul, quæ nonnihil ſtimulent, ne lochiorum impediatur fluxus; ſecus enim illa ſiſtuntur: e. g.

℞. *Aquæ Puleg.*
Chamomill. an. ℥i.
Carmin. ℥ß
Eſſ. Caſtor. ℈i.
Ol. Chamom. ſaphir. gtt. ii.
Laud. opiat. gr. ii.
Syr. Artemiſ. ℥vi.
M. f. Potiuncula,
Interdum cochleatim haurienda.
D. S.
Mixtura leniens & aperiens pro aliquot vicibus.

Quodſi febricula ſimul adſit aut ſuperveniat, his commodè parum de ſpiritu nitri dulci addi poteſt.

Sin *Dolores poſt partum ſint nothi*, tormina nempè abdominis & hypochondriaca, optimo cum conſilio applicantur Clyſmata ex carminantibus & aromaticis conflata, quæ iſtiuſmodi dolorem brevi ſopiunt. Internè propinetur Zedoaria, ſpiritus carminativus ex tartaro & nitro, ut & ſpiritus ſalis ammoniaci, & ſic etiam ſubinde evaneſcunt dolores.

Juxta hæc *externè* in genere conveniunt imprimis in doloribus, tam veris quàm nothis, *Fomenta* abdomini applicata, paranda imprimis ex Artemiſia, Matricaria, Pulegio, Abſinthio, floribus chamomillæ, Roremarino, foliis & baccis lauri & juniperi, & ſimilibus aromaticis carminantibus, in vino vel aqua decoctis; quæ vel intinctis linteis vel ſacculis incluſa, quàm calidè fieri poteſt, abdomini applicantur. Primatum obtinet fomentum ex decocto Artemiſiæ; Hoc ipſo enim RULANDUS *in Theſaur.* curavit fœminam quandam, poſt gemellorum difficilem partum difficillimo dolore matricis in orificio cum omnimoda urinæ ſuppreſſione, per multos dies durante, correptam: ſolam ſcilicet herbam coxit in aqua ſimplici, quo decocto fomentando uterum externè, malum curavit. Item conveniunt *fomenta ſuprà annotata, ubi de Colica*:

Vel
℞. *Herb. Rutæ,*
Fol. lauri an. M. ii.
Summ. Aneth.
Flor. chamom. Rom.
Samb. an. Mß.
Rad. Angel.
Leviſt. an. ℥ii.
Bacc. lauri ℥i.
Juniperi ℥ß.
Sem. 4. cal. mai. an. ℥ii.
Coqu. in ſ. q. *Vini*, vaſe clauſo:

Huic linteamina immerſa tepidè applicentur, imponendo deſuper laterem calefactum.

Item Litus ex oleo cheirino, oleo liliorum alborum, chamæmelino, anethino, lumbricorum; item ex *axungia caſtorei* cum oleo deſtillato ſpicæ, ſuccini, cumini, angelicæ, & baccarum lauri, niſi fortè unum horum ægra ob odorem non poſſit ferre: e. g.

℞. *Axung. Caſtorei* ℥ii.
Olei deſtill. ſpicæ,
Succini,
Cumini,
Angel. an. ℈ß. vel gutt. xv.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum leniens.

Quo calidè inungatur umbilicus & regio hypogaſtrica ſub eodem repetitis vicibus.

Vel applicentur linimentum, unguentum ſeu Emplaſtrum, *ſuprà ubi de ſuffocatione uterina*, & *in Idea Form. Claſſ. 5. §. 3.* commendata. Si poteſt mulier ferre odorata, *Zibethum* illinatur calidè abdomini, & reiteretur, vel *Linimentum* mollius ex axungia gallinarum, mixta cum oleo deſtillato chamomillæ, illinendo abdomini; præſertim quando puerperas jam aliquot poſt partum *diebus* dolores lancinantes & pulſantes in hypogaſtrio, nunc in altero, nunc in utroque, vexant. Aut

℞. *Ungu. de Alth.* ℥ß.
Ol. Chamom. ℥ii.
Deſtill. Chamom.
Succini an. ℈i.
M. S. *ut ſuprà.*

Illinendo abdomini. Applicentur deſuper linteamina probè calefacta.

Vel applicetur *Emplaſtrum matricale de galbano*, malaxetur cum *oleo deſtillato chamomillæ*, & inſternatur abdomini. Vel applicari poteſt ſequens *Cataplaſma*, quod & ipſum ceu ſingulare laudatur:

℞. *Bacc. lauri pulveriſ.* ℥iß.
Rad. Alth. ℥i.
Calam. arom ℥ii. vel ℥iii.
Coqu. ad ſpiſſitudinem pulticulæ in aqua fontana:
adde
Pingu. Capon.
Anſerin.
Gallinæ an. ℥iß.
Subigantur deinde blando igne ad conſiſtentiam Cataplaſmatis ſpiſſioris, ut linteo induci, & ita pubi calidè applicari poſſit; ubi refrixerit, ſubinde repetatur.
D. S.
Cataplaſma leniens.

Nec inconveniens eſt *cataplaſma* ad imitationem CORVEI *de Morb. mulierum*, ex radice liliorum alborum & cepis coctis cum farina ſeminis lini, cumini, addito oleo chamomillæ: v. g.

℞. *Cepas in aqua coctas* No. iii. vel iv.
His comminutis adde
Pulv. ſem. cumini,
Lini,
Flor. chamom. an. M. i.
Farin. hord. q. ſ.
Cum ſ. q. *aquæ, in qua coctæ cepæ*:
F. Cataplaſma.

Quod applicetur calidè abdomini infra umbilicum.

Sclarea cum butyro frixa, & umbilicali regioni & infrà eam inuncta, quoſvis à partu dolores etiam ſiſtit.

Quodſi ex *inflatione uteri dolores* ortum trahant, *clyſteres* carminantes ex herba matricariæ, calaminthæ, pulegio, artemiſia, radice althææ, liliorum alborum, &c. (vid. TIMÆUS *loc. all. Caſ. 30.*) injecti per anum; & *ſuffitus*, imprimis ſi à refrigerio malum fuerit, *ex nuce moſchata* inſtitutus, optimè conveniunt: Vid. HARTMANNUS *Pr. pag. 279.* & SOLENANDER *Sect. 5. Conſ. 15.* Plura *ſuprà dixi, ubi de Uteri Inflatione.*

CAPUT IV.
DE
LIPOTHYMIIS PUERPERARUM,
ET
UTERI SUFFOCATIONE.

PORrò *Suffocatio* ſeu *Strangulatio uteri* gravior, ut vocant, ſæpè mox à partu, interdum aliquot poſt partum diebus, affligit puerperas, eaque duplici modo: Interdum enim mox à partu *lipothymiæ* imminent, ac tunc dormire volunt, quod ipſum reverà eſt Paſſio Hyſterica: vel *Paſſiones* tales *hyſtericæ* ſuperveniunt poſtmodum in curſu puerperii, atque ſunt vel ſolitariæ, vel conjunctæ aliis morbis.

Prius ſi fit, optimum eſt, ut utamur ſaltem ſale quodam *volatili*: v. g. ſolus *ſpiritus ſalis ammoniaci* cum *liquore cornu cervi ſuccinato* in vehiculo calido diſſipat imminentes *lipothymias* hyſtericas, repetendo aliquoties, donec mulier evadat immunis. Verùm ſi *poſterius ſit*, nempè *paſſiones hyſtericæ* in curſu puerperii, vel complicatæ cum aliis affectibus, eſt malum difficilius, partim quia non poteſt facilè cognoſci ob alios morbos, partim quia *in cura* reſpectus habendus

bendus est ad ipsum partum: Nempè si aliquot dies à partu tales superveniunt *suffocationes uteri*, hæ ipsæ imprimis se manifestant maximis cordis anxietatibus, & insigni compressione præcordiorum, cum difficili respiratione, adiuncta symptomata abdominis vel pauca sunt vel nulla, nisi postmodum tandem superveniant; adeoque ut interdum quibusdam pro alio affectu imponat, & ipsæ interdum puerperæ nesciant, se laborare hystericâ passione.

CAUSÆ.

Imprimis excitatur hoc symptoma, si pro cura alius affectus propinantur remedia aut dulcia, aut aliàs ingrata & fastidiosa; tunc enim subitò solet excitari hoc ipsum πάθημα, & supervenire istę angustię. In specie verò apud nostrates mulierculas cum purpura imminente & erumpente se solet frequenter coniungere, adeò ut nesciamus sępè, an *febris* & purpura? an hysterica passio magis excruciet puerperam?

DIAGNOSIS.

Interim tamen in *passione hysterica anxietates præcordiorum* affligunt circa regionem stomachi & hypochondriorum; quibus verò imminet *purpura*, conqueruntur simul de *difficili anhelitu*, non quod thoracis motus impediatur, sed quod *pectus repletum* sit: Dicunt, *totum pectus ipsis esse repletum*. Quod ipsum fit ex aliquali sanguinis stasi, propter *vitiatam fermentationem* circa prę cordia.

CURA.

In tali ergo casu, utut pręter absorbentia & remedia ex castoreo ac myrrha, optima essent clysmata, quę ipsa etiam talem hystericam passionem subitò tollunt, tamen ubi purpura incipit erumpere, cavendum studiosè ab omni evacuante, aut alvum stimulante, idque eò magis, si purpura fuerit alba, Germ. *der weise Friesel*; nam rubra minus est periculosa. Vbi ergo suspicamur, esse complicatam *passionem hystericam cum imminente* purpura aut alio *morbo acuto*, aut adjunctus ęstus aut intensus calor cruciet puerperam, simus cauti in remediorum volatilium exhibitione; quia non semper eadem ferunt *morbi acuti*. Potiùs ergo, cum semper simul habenda sit reflexio ad lochiorum fluxum, *temperata*, e.g. castoreata, hinc myrrhata, ac denique ex succino, quibus semper simul fixa temperata ex matre perlarum, antihectico Poterii, antimonio diaphoretico, cinnabari antimonii & similibus, item salia fixa, cardui benedicti, &c. cum myrrha, salibus volatilibus, cornu cervi & succini, sociata, usurpari debent, ut ita utrique affectui urgenti, nempè *passioni hystericæ*, & *morbo acuto*, vel imminenti vel præsenti, simul occurramus. Propinanda sunt in aqua hirundinum cum castoreo: Vmbilico verò inungatur oleum succini, cum quo probè subactum sit parum castorei. Res mira in tali casu, dum in hysterico paroxysmo probè contectę tales mulieres sudant, si illis propinetur subinde, quod necesse est fiat, cochlear unum vel alterum aquę hirundinum cum castoreo, subitò stimulatur urina, & insciæ subinde stragula permingunt. In tali casu, ubi est hysterica passio cum erumpente purpura, præscribi potest talis pulvis; Nam potulenta, dulcia, &c. instar diaboli fugienda sunt: V.g.

℞. *Ebor. sine igne*,
Antimonii diaphor.
Specif. Cephal. vel *Cin. antimonii* an. ℈j.
Myrrh. elect. (ratione lochiorum & ratione purpuræ: nam myrrha est appropriatum remedium febrium purpuratarum) ℈ß.
Castor. gr. vj.
Sal. vol. Cornu Cervi,
Succini an. gr. ix.
M. f. Pulvis pro tribus dosibus: S.
Pulvis matricalis.

Propinatur in aqua hirundinum cum castoreo, acuata cum tantillo de essentia castorei. Est pulvis nauseosus, sed bonus; nam & purpuram promovet, & hystericam passionem sistit, & lochia stimulat.

Aliàs ubi nullus metus est purpuræ, volatilia oleosa castoreata vel sola sufficiunt, modò observetur, quod vel solæ anxietates præcordiorum, citra sensibile abdominis symptoma, sufficiant pro passione hysterica. Item vitentur omnia dulcia in puerperis.

CAPUT V.

DE

INSULTIBUS EPILEPTICIS PUERPERARUM.

POrrò interdum mox post partum, aut suppressis lochiis, aut interdum etiam ritè fluentibus lochiis, sed cum suffocatione quasi hysterica superveniunt *Epileptici insultus*; qui ubi adsunt, nisi subsit singularis malignitas, sæpius vitium lochiorum subitò suppressorum, aut hystericæ passionis plus minus manifestæ præsupponere solent, vel hanc sibi comitem adsciscunt: sicut etiam TIMÆUS *von Guldenklee*, *in Epist. pag.* 26. Epilepsiam ex retentione lochiorum observavit.

CURA.

Conveniunt ergo in hoc casu, præmissâ tamen vel omissa venę in talo sectione, imprimis liquor cornu cervi succinatus, qui utrique scopo satisfacit, cum castoreatis propinatus, Conducit etiam Essentia hysterica D. Langii, quę hic est commendata: aut ex myrrha & castoreo parata essentia cum spiritu salis ammoniaci oleoso; aliaque castoreata & & myrrhata cum volatilibus mista, sunt experta: aut saltem usurpentur antimonialia fixa, pręsertim cinnabaris antimonii cum succinatis volatilibus mista; sic namque ex utriusque connubio aptissimum pro epilepticis puerperis habetur remedium, subinde reiterandum.

CAPUT VI.

DE

GRAVIDARUM CEPHALALGIA, VIGILIIS, ET DELIRIIS.

PAr ratio est, si *Vigiliæ*, *Deliria* ac similia *Pathemata Capitis* ac nervosi generis, superveniunt puerperis; in his enim primariò ad lochiorum fluxum respiciendum venit; Sic SALMUTH *Cent.* 1. *Observ.* 82. refert melancholiam & oblivionem puerperę ex lochiis retentis: FORESTUS *in Resp. Med. pag.* 25. observat puerperam ex non ritè fluentibus lochiis apoplexiam incurrentem, clysteribus & venę cephalicę sectione curatam.

Quod si Vigilię comitentur febres acutas, levantur optimè per medullam crurum vituli temporibus bis vel ter illitam. Opiata non facilè usurpantur.

CAPUT VII.

DE

PUDENDORUM EXCORIATIONE.

FIt interdum etiam, ut *in partu*, idque imprimis difficili & *violento*, *contundantur*, *excorientur* aut *lædantur Pudenda*; in quali casu in specie prodest, si *oleum hyperici* & rosatum misceantur cum *ovis integris* probè contusis, & sub forma *Linimenti mollioris* applicentur.

CAPUT VIII.

DE

TUMORE PUDENDORUM.

IUxta hanc pudendorum excoriationem, evenit interdum, ut in partu, vel primo vel difficili, ex dilatatione nimia & quasi fibrillarum & membranarum laceratione oriatur *Tumor inguinum & pudendorum*, & aliqualis eorum inflammatio, aut saltem tumor ędematosus post partum, quod vocant, Germ. *Matricem esse turgidam*.

CVRA.

CURA.

In tali casu convenit oleum verbasci & chamomillę: imprimis fotus ex *floribus chamomillæ & sambuci* in vino & aqua coctis, qui cum linteis calidè & crebrò applicatus discutit tumorem. Vel recipiatur *Beccabunga viridis* contusa (est enim succulenta) cum *floribus chamomillæ*, quę calidè instar *cataplasmatis* imponantur pudendis tumidis; sic enim etiam cessare solet pudendorum tumor. Item *herba Meliloti* cum *semine fænugræci* in fotus forma usurpata admodum laudatur à PAULI *in Quadrip. Botan. ubi de Meliloto*.

CAPUT IX.

DE FISSURIS LABIORUM PUDENDI.

IN *Fissuris* & laceratione *labiorum vulvæ* ac orificii uteri exterioris à partu difficiliori, usurpant nostrates Decoctum raparum exsiccatarum in Torgaviensi cerevisia, cum butyro pauco non salito: Hoc decocto eluunt, mundificant & purgant partes lęsas, quod etiam convenit in pudendorum excoriatione. Optimè etiam convenit Emplastrum sequens:

℞. *Ceræ alb.* ℥ß.
Ol. Amygd. dulc. ℥i.
Liquefactis adde
Bals. Peruv. ʒiii.
Misc. pro Linimento,

agitando donec refrigescat, & plumaceolis applicetur in loco affecto:

D. S.
Unguentum sanans.

In majoribus verò fissuris:

℞. *Ol. hyperic.* ℥ß. vel *Bals. Peruviani* ʒiii.
Axung. porcin. ℥ii. vel ℥iii.
Ol. vitell. ovor. ʒiii.
Terebinth Venet. ʒi.
M. f. Balsamus. S.
Balsamus sanans.

Applicetur cum plumaceolis intinctis, Germ. *mit geschabten Faßgen*, dictis fissuris.

CAPUT X.

DE RUPTURA VULVÆ SEU PERINÆI.

VErsamur adhuc in symptomatibus, quę post partum, tam naturalem quam pręternaturalem difficilem, solent subsequi subinde: juxta quę etiam puerperas grave affligit malum, quando nempè interdum in *primiparis*, vel ex angustiis viarum, vel ex partu difficiliore, vel à grandiore fętu, contigit *Ruptura Perinæi*, seu spatii, quod est inter rimam vulvę & anum, ita ut hi duo sinus efficiant unum idemque foramen.

PROGNOSIS.

Affectus, si quis alius, est molestus & dolorosus, qui non ritè tractatus, facilè in inflammationem, hinc *gangrænam* degenerat, & ita mortem infert.

CVRA.

Malum hoc nunc est recens, nunc inveteratum, ita ut loca disrupta jam cicatrices contraxerint. Recens si fuerit, ante omnia vulnus recens elvatur cum Decocto calido pruni sylvestris, in quo dissolutum sit rob acaciæ, sic labia loci rupti adstringendo nonnihil uniuntur: hinc sutura conjungenda, sive cum filo consuantur, sive mediante sutura per *gluten* adstringens, Germ. *ein Hefft pflaster*, linteo inducendum, & utrinque labiis ruptis imponendum; quæ ubi probè cohæserint, per ansulas mutuò colligantur, & ita unienda: Factâ conjunctione imprimis convenit radix consolidæ majoris, si scilicet pulverisata saltem inspergatur, aut misceatur cum *albumine ovi*, & ita rimæ in spatio illo factæ blandè illinatur, aut cum filamentis carptis imponatur; sic enim breviter fit consolidatio foraminis. Affirmant quidam intra vigintiquatuor horas fieri; sed vix credo, esset nimis cita curatio. Alii faciunt cataplasma ex decocto radicis consolidæ majoris cum herba verbasci, quo cataplasmate applicato curare volunt hoc ipsum vulnus, situando ita puerperam, ut clunibus elevatis, cruribus & pedibus probè angustatis, supina continuò jaceat ad octo vel novem dies, vitando omnem motum tussis, sternutationis, & similem. Vel cum plumaceolis subinde immittatur balsamum quoddam vulnerarium; v. g. balsamus sulphuris ad extra, nunc solitarius, nunc cum balsamo Peruviano imponitur; aut solus *balsamus Peruvianus*, qui si fuerit acrior, diluatur cum vitello ovi; aut imponatur balsamus sulphuris terebinthinatus, promptè consolidans, aut alius expertus balsamus in vulneribus recentibus, cum oleo hyperici aut momordicæ, donec perfectè fuerit consolidatum, ægrâ intereà ab omni motu corporis abstinente, & quieto in loco jacente. Optima methodus medendi est, quam docet in *Cas. Medicis*. TIMÆUS *von GuldenKlee*, *lib. 4. Cas. 31. pag. 230.* ubi solo glutine, utrinque labiis rimæ ruptæ applicato, curavit talem *rupturam* citra balsamum vulnerarium. Descriptio est hæc:

℞. *Pulv. rad. Consol. mai.* ʒii.
Boli Arm.
Mastich.
Sangu. dracon.
Sarcocoll.
Farin. volat.
Pompholyg. an. ʒi.

Cum *resinæ pini* & *album. ovi* q. s. misc. pro Glutine.

Quod si accidat, ut ex urina effluente, & neglecta ruptura immineat gangræna, quale exemplum refert RULANDUS *in Thesaur.* tunc abscissa parte gangrænosâ applicetur crebrò aqua calcis vivæ cum linteolis duplicatis, sic gangræna sistetur: quo facto, illinatur balsamus sulphuris terebinthinatus, ut pars gangrænosa consolidetur.

Sin verò jam inveterata fuerit ruptura, ita ut utrinque cicatrices jam sint adnatæ, cura ad eum modum, quo labiorum leporinorum cura, instituenda venit, vulnerando aut leviter exulcerando labia cicatrisata, hinc consuendo eadem, & cum balsamo vulnerario consolidanda. Conferatur hic VIARDEL *in suo libro Obstetricum cap. ult. p. 210.* Aliàs curiosum casum & singulare exemplum *rupturæ* vulvæ ad anum habet GUILLEMEAU *in lib. 3. cap 7 de felici Puerperio*, quæ ruptura neglecta cicatrices induxit, ita ut unum foramen remanserit: interim mulier denuò concepit, & postmodum sequente partu ab eo fuit curata eodem modo, quo *labia leporina* curari solent, scilicet *abscindendo* primò pellem cicatrisatam, post per filum circa anum transfixum denuo ductum labia uniendo, & postmodum in extremitatibus levibus suturis conjungendo, & pro consolidatione hocce *balsamum Elemi compositum*, mediante quo curabatur, applicando:

℞. *Gum. Elemi* ℥ii.
Terebint. Venet. ʒiii.
Ol. hyperici ʒiiß.
Sangu. dracon.
Myrrhæ,
Aloes an. ʒi.
Liquefiant omnia simul,
& f. l. a. *Balsamum*.

CAPUT XI.

DE INFLAMMATIONE UTERI CUM GANGRÆNA.

POrrò in difficiliori partu ex contusione & laceratione uteri subinde huius inflammationem cum gangræna & sphacelo supervenire, supra dictum. Quod si hoc fiat in ipso utero, conveniunt Injectiones, qualem describit VIARDEL *in libro Obstetricum*, *cap. 24.* & quę *suprà cap. 1.* fuerunt *insinuata*, *ubi de retenta & putrescente secundina*.

Vel

℞. *Herb.*

℞. *Herb. lactuc.*
Nymph.
Plantag.
Scord. an. M.I.
Coqu. in s. q. *seri lactis*, vel in *lacte ipso*:
Colatura
D. S.
Lac inspergendum.

Sed si mala hæc ipsum uterum afficiunt, rarò curari eundem arbitror, quin potiùs intereant puerperæ: sin verò partes exteriores affligantur, imitari possumus RULANDUM, qui gangrænam vulvæ curavit præscindendo quotidie partes, utpotè carnes emortuas: Post præscissionem affecta loca mundificavit intus & extus aquâ calcis vivæ, mundificatas & linteolis siccatas partes ungebat oleo sulphuris suo, posteà desuper applicabat emplastrum diasulphuris, quibus dolor mitiùs agebat, & partes corruptæ in dies consanescebant: vel fortes è profundo faciendæ sunt incisiones, hinc instituenda ablutio cum vino, melle, sale & aceto, hinc linimenta mundificantia usurpanda. Vid. RIVERIUS *Observ.* 22. & 23. communicata à FOMIO.

CAPUT XII.
DE
HÆMORRHOIDIBUS CÆCIS.

Porrò in quibusdam *Hæmorrhoides cæcæ*, à partu prorumpere incipiunt, & doloribus acerbis puerperas affligunt, tàm internè quàm externè. Non statim applicandę sunt hirudines, quod quidam faciunt, ne per derivationem lochiorum impediatur fluxus, sed potius dolor sistatur hoc fotu:

℞. *Flor. Chamomill.*
Verbasc.
Sambuc.
Herb. linar. an. M ß.
Mista & concisa ebulliant in lacte:
Colatura D. S.
Lac leniens.

Partim sub forma fomenti usurpetur, partim spongia decocto imprægnata ano applicetur.

Item radix fabariæ vel scrophulariæ recens in dorso suspensa convenit:

Vel

℞. *Ol. Verbasci* ℥ii.
Expr. sem. Papav. ℥i.
Ceruss. ℥ß.
Camph. gr. iii.
Mista probè ducantur in mortario plumbeo pro Linimento:
D. S.
Unguentum leniens.

Applicetur crebrò.

CAPUT XIII.
DE
ALVO SUPPRESSA PUERPERARUM.

Porrò *superiùs* dixi, alvum puerperis esse sæpiùs suppressam, quæ tamen nullo modo acrioribus est irritanda: Curam *supra* simul, ubi *de symptomatibus gravidarum*, exhibui. Sufficiunt, ut monui, pilulæ pestilentiales Ruffi, aut passulæ laxativæ, si eas propter dulcorem ferunt puerperæ; ad summum, suppositorio usitato leniore stimulanda est alvus: fortiora ante nonum aut decimum quartum à partu diem vix tutò usurpari possunt.



CAPUT XIV.
DE
DIARRHOEA PUERPERARUM.

Contrarium huic & periculosum vitium est, quando puerperis supervenit *Diarrhœa*, utplurimum, nisi fuerit à causa externa, funesta & lethalis; nam interdum puerperæ sunt nimis siticulosæ, & bibunt frigidum potum, parum quidem unâ vice, sed crebriùs, unde supervenit tandem Diarrhœa, quæ à tali manifesta causa non est adeò periculosa, nisi forsan in adiunctâ purpura & petechiali febre similive casu retrocessum excernendorum inducat; nam in hoc casu esset admodum periculosa.

CURA.

Hæc diarrhœa à potu copioso, in specie si frigidiusculus hauriatur, sistitur inungendo umbilico & regioni stomachi oleum destillatum Macis, cum oleo destillato succini: (posterius additur, ne odor gratus macis hystericam passionem excitet). Item propinentur ova ad duritiem cocta, quibus parum pulveris nucis moschatæ recentis inditur; Nam hæc denuò diarrhœam supprimunt. Puerperis imprimis malignè febrientibus primis post partum diebus frigidus potus, ceu pestilentissimus, est fugiendus. Hauriatur potus usitatus & ordinarius, & quantum fieri potest, tepidè aut nullo modo frigidè, & simul dissolvatur in eodem gelatina cornu cervi simplex, ubi nullus adest æstus corporis, gelatina verò cornu cervi acida, ubi æstuatio febrilis simul adsit: nam potus tepidè haustus promovet lochia, addita gelatina cornu cervi malignitati sæpiùs latenti obviam venit, & corpus in blanda diaphoresi servat.

Imprimis in Diarrhœa puerperarum duæ circumstantiæ sunt considerandæ:

1. An ritè fluant vel fluxerint lochia?
2. An adjunctus sit *morbus acutus malignus*.

In utroque casu cautus sit Medicus. Si superveniat *Diarrhœa lochiis rectè fluentibus*, sistenda venit, in specie *blandis sudoriferis*, & simul *stypticis*: si verò vel *non manant*, vel non sufficienter *fluxerunt*, relinquenda. Interdum enim fit, ut *Diarrhœa* oriatur aut potius superveniat lochiis suppressis, naturæ conatu admodum salubri, quæ interdum, ut se ipsam liberet, diarrhœam instituit loco suppressionis *lochiorum*: quale exemplum videbitis in BARTHOLINO *Centur.* 2. *Histor.* 19. Cum ergo interdum *lochia* per *diarrhœam* soleant evacuari, propterea talis Diarrhœa, ubi *lochia* vel non, vel non sufficienter fluunt, nisi sit nimia, aut nisi nimis debilitet ægram, adeòque quamdiu durat cum appetitu integro, nullo modo est supprimenda; potius propinando lochia stimulantia, horum fluxus aut revocandus, aut saltim, ut promptior per alvum fiat similis excretio, stimulandus. Sin verò febri malignæ à causa interna, efflorescentiis cutaneis, &c. superveniat Diarrhœa, res est periculo plenissima, & quia impeditur eàdem naturæ motus, propterea venit *curanda*, atque tunc externè aromaticis, internè præcipitantibus sudoriferis fixis, nonnihil stypticis, malo obviam eundum est, ut ita beneficio stypticorum alvi fluxus sistatur, per sudorifera verò eliciantur *recrementa*, *causa Diarrhœę*. Conveniunt ergo *cornu cervi ustum*, *terra sigillata*, *magisterium coralliorum* cum *succo citri*, quibus pro circumstantiarum ratione addendum est nonnihil de *laudano opiato*, imprimis ubi lochia sufficienter fluxerunt; sic enim prohibetur *causæ motus*, & *causa* ipsa per sudorifera evacuatur; *styptica* verò fluxum sistunt, & diarrhœam compescunt. Subinde intermiscenda sunt Cydoniata blanda, stomachum & intestina modicè adstringentia.



CA-

CAPUT XV.

DE INCONTINENTIA URINÆ PUERPERARUM.

POrrò fit interdum in laborioso partu, ut fœtus grandior, nimis distendendo vaginam uterinam, adeò distendat collum vesicę urinariæ, vaginæ uterinæ insertum, ut ex hujus distensione puerperæ continere nequeant urinam: id quod, præter talem distensionem, accidit etiam interdum vitio obstetricum ignararum vel incautarum, malè digitis genitalia tractantium, in specie carunculam istam myrtiformem majorem, isti vesicæ orificio in vulva instar pessuli oppositam, & simul sphincterem vesicę, lacerantium, vel alio modo lædentium: vid. HILDANUS *Centur.* 6. *observ.* 39. SALMUTH *Cent.* 1. *observ.* 69.

PROGNOSIS.

Sęvissimum hoc symptoma ratione molestię est, quando parturientes tractantur ita, ut simul lędatur *sphincter vesicæ*, & urina cohiberi non possit; exinde enim excoriantur & exulcerantur pudenda, malum est difficulter, aut si inveteratum, non curabile: vid. HEINRICVS *ab* HEER *Cent.* 1. *obs.* 14.

CURA.

Talis urinę incontinentia ex fibrillarum laceratione aut nimia distensione orta & *recens* curatur imprimis per fotus aromaticos nervinos, fibras lęsas in naturalem tonum restituentes. Fiunt scilicet decocta aut sacculi decoquendi ex foliis lauri, rorismarini, pulegii, origani & similibus, quę in vino cocta instar fotuum vel sacculorum applicantur pubi, item lintea humectata intruduntur vaginę instar parvorum pessorum, ut ita fibris nerveis lęsis in vagina & orificio vesicę, redeat suus tonus. Alii Autores insessus & balnea ex nervinis, additis adstringentibus, instituunt. Item conveniunt injectiones adstringentes vulnerarię, linimenta & similia, imprimis unguentum de catellis, quod habet SENNERTVS *Prax. lib.* 4. *Part.* 2. *sect.* 7. *cap.* 9. *ubi de Morbis Mulierum*, & inter hos *de hoc symptomate*; aut oleum ab HORSTIO *lib.* 5. *obs.* 20. laudatum, singularissimum experimentum est in tali casu, quod *bufones* legitimo tempore occisi, vel *vivi*, in olla nova *calcinati* & appensi, ut immineant regioni stomachi, hanc urinę incontinentiam sistant & compescant, teste non tantum experientia HEINRICI *ab* HEER *Observat.* 14. sed preterea etiam BOYLE *in sua Philosophia Experimentali* similem in Anglia factam experientiam notat *pag.* 216. Jam verò BOYLE est Autor fide dignissimus, de quo nullum est dubium. Certum est, quod inveteratum malum ferè incurabile sit, nisi forsan Thermę, de quibus tamen adhuc dubito, aliquid conferant; Sphincter enim lęsus vix cicatricem contrahit, unde vix curari potest hoc malum.

CAPUT XVI.

DE SUPPRESSIONE URINÆ PUERPERARUM.

COntrarium vitium *Urina retentio* est, quando interdum supprimitur urina in puerperis, quando, quod rarius est, tumet nonnihil vagina uteri aut collum vesicę post partum laboriosum; aut, quod frequentiùs accidit, fit talis suppressio aliquot à partu diebus, dum sanguinis quidam grumi circa vesicam in vagina uteri hęrent, aut etiam in vicinis locis in vasis sanguis stagnat & grumescit, à quibus grumis impeditur urinę excretio, ut non fiat aut fieri possit, nisi cum summo excernendi conatu, postmodum verò, si resoluti sint tandem grumi isti, spontè denuò urina fluit.

CURA.

In tali suppressione urinę à partu externè inunctio cum oleo scorpionum, pubi & vesicę regioni illito, convenit, aut applicentur fomenta ex simplicibus sanguinis grumos resolventibus & urinam stimulantibus, v. g. ex parietaria, ex cherefolio, ex floribus chamomillę, cum radice rubię tinctorum: quibus si addantur lumbrici contusi, aut oleum lumbricorum, erit eò melius: Hinc

♃. *Herb. Parietar.* M. ii.
Cherefol. M. i. vel iß.
Flor. Chamomill. M. i.
Incisa coquantur ad consistentiam pultis; cui adde
Butyr. rec. non *salit.* ℥i. vel ℥ii.
Ol. Scorpion. ℥ß. ad ℥iß.
Terebinth. vel *Iunip.* ℥iß.
M. D. S.
Cataplasma urinam promovens.

Imponatur calidè regioni pubis, & desuper adhuc operculum calidum.

Internè quando sanguinis grumus urinę impedit excretionem, in tali casu post usum sanguinem grumosum dissolventium, imprimis decocti cherefolii cum spermate ceti, denuò urina fluit. Reliqua ad sanguinis grumos dissolvendos nota sunt ex *suprà dictis articulo primo Capit.* 1. *de lochiorum fluxo imminuto post partum* ex sanguinis grumis. Convenit item emulsio seminis violarum cum aliis usurpata.

Cęterum pręter interna conveniunt etiam *Clysmata* acriora & similia injecta, alvum laxantia & fortiter stimulantia; nam ab his stimulatur etiam sanguis stagnans, non minus quàm urina restitans.

CAPVT XVII.

DE VENTRIS RVGIS.

COnqueruntur etiam sępè Puerperæ, imprimis delicatiores, de rugis ventris post partum: quę cum perquam tędiosę sint illis, fiat unguentum ex spermate ceti cum oleo nucistę expresso, cera & pauco croco, mixtis in consistentiam unguenti vel emplastri, calidè abdomini applicandi, quod abdominis rugas optimè delet & corrigit; vel adhibeatur emplastrum de spermate ceti Mynsichti;


Vel

♃. *Cera nov.* ℥iii.
Sperm. Ceti ℥iß.
Terebinth. ℥ii.
Olei amygd. dulc.
Hyperici an. ℥i.
Myrtin.
Mastich. an. ℥ß.
Sev. cervin. vel *medull. crur. bubul.* ℥ii.
M. f. Vngu. S.
Vnguentum singulare.

CAPVT XVIII.

DE FEBRIBVS PVERPERARVM.

REstant adhuc duo primaria symptomata *Puerperarum*, nempè *febres*, & *morbi acuti*; utplurimum febres continuę & acutę, rarò absque malignitate, & prę aliis affectibus specialiter periculosę vel infestę, vel communes sunt omnibus puerperis, vel saltem quibusdam particulares.



ARTICULUS I.
DE
FEBRE LACTEA.

Communis omnibus est *Febris lactea* ita dicta: Nempè à partu successivè mammæ turgent, colligitur in iisdem colostrum seu serum lacteum, donec, dum perfectum lac in iisdem generari incipiat, ordinariò sub primo lactis propriè sic dicti in mammas impetu, circa tertium aut quartum diem à partu præter propter, supervenit simul febris, quam vocant Lacteam; tunc enim, à proventu hujus subitaneo levi horrore concutiuntur (*tertio vel quarto die est horror, quando venit colostrum, & postea venit lac*) postmodum insequitur æstus continuus moderatus, biduum vel triduum durans, & circa nonum, interdum septimum à partu diem, blando sudore & madore faustò finitur. Nihilominus tamen observatum etiam est, quod hæc febris lactea subinde pro subjecti & circumstantiarum varietate variare soleat, & demum septimo, imò nono die à partu superveniat, utut jam ante mammæ lacte turgidæ conspiciantur.

CAUSÆ.

Oritur ex materia lactis, quæ aliàs per uterum ad fœtum pro nutrimento derivata fuit, quæ sub uteri contractura vasorumque clausura regurgitat ad massam sanguineam, in eaque motus hujusmodi inordinati febrilis occasionem præbet, donec depositâ eâdem in mammas, hinc successive excretâ, & ita continuò promotâ, febricula cesset, id quod sub turgescentiæ motu simul ex massa sanguinea secretum fuit, per sudorem tandem excernitur: conf. WILLISIUS *de Febr. cap.* 16. Per fermentationem enim & per præcipitationem aliquam lac disponi, ut faciliùs à sanguine secedat, præter febrem ipsam lacteam inde constat, quod fœminæ lactantes mox, antequam ad mammas deferatur, sitim quandam & phlogosin percipiant; quam sitim, licèt nonnulli à seri seu succi nutritivi detractione & ad mammas depositione deducant, quia tamen illa sitis, antequam mammæ turgescant, tales affligit, tunc scilicet, quando intra vasa adhuc hæret secernendum lac, imo postquam hæc secretio facta denuò cessat; ab agitatione fermentativa potius, hancque excipiente præcipitatione seu secretione sola, hæc sitis derivanda erit.

Plura de hac febre non addo, cum rarò aut nunquam cadat sub praxin Medicam, & quæ de eadem notatu sunt digna, eadem in specie à WILLISIO *loc. alleg.* sufficienter declarata sunt: sicuti etiam hic WILLISIUS optimus & solus ferè est, qui aliquid laudatu dignum scripsit de febribus Puerperarum. Hoc saltem moneo, observandum esse, non tantum febrem hanc lacteam ordinariò oriri sub primo lactis in mammas impetu tertiâ & quartâ à partu die, sed si casu fiat, ut lac in mammis vel non exsugatur, vel aliâ ratione in corpus ex mammis regurgitet, tunc simili quoque ratione & rigorem & subsequentem æstum non levem inferre, itidem per sudores discutiendum, aut lactis continuata exsuctione curandum.

Et hoc saltem colligitur, quàm proficuus sit sudor puerperis, ita ut, quando à partu mox madere incipiunt, & mador talis plus minus copiosus postmodum continuet per aliquot dies, in specie usque ad septimum vel nonum, hoc ita conducere puerperis, ut per reliquum puerperii tempus incolumes sint, aut licet interdum febres aliæ etiam superveniant, tam malignæ quàm purpuratæ aliæve, tamen modò corpus continuò madeat, has ipsas faciliores fore: & contra dum sine madore sunt puerperæ primis à partu diebus, vix sine febribus aut aliis gravioribus symptomatis puerperium transigunt.

CURA.

In febre ergo lactea curanda natura sibi ipsi ferè prospicit, per sudorem quasi criticum malum levans. Pro levando tamen malo, si quid agendum, optimum est, ut sudor blandè promoveatur, & lochia nonnihil stimulentur, & sic citiùs evanescat febris hæc lactea. Observandum autem, an lactare velit mater? an secus? Si prius, lochia non stimulanda sunt; sin verò posterius, pro imminuendo lactis quanto lochia eò copiosiùs movenda. Ut ergo compescatur æstus & concurrens cephalalgia, quin & diaphoresi blandâ magis ventiletur massa sanguinea, hunc pulverem ordinare soleo:

℞. *Antimonii diaph.* gr. xv. ad ℈i. vel ʒß.
Myrrh. el. gr. iv. v. vel vi.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis sudoriferus.

Propinetur ægræ pro dosi, subinde repetendus, blando sudore & lochiorum fluxum promovendo hanc febrim finiens, nisi puerpera in laboribus partus vel post partum largiter sudarit, aut lochia sufficienter fluant.

Vel

℞. *Lapill. cancr. præp.* vel *antimonii diaphor.* ℈i ad ʒß.
Salis Absinth. vel *Card. Bened.* ℈ß. ad gr. xii.
Myrrh. el. gr. v. vi. vel viii.
M. div. in 2. part. æqual.
D. S. ut suprà.

Item Mixtura polychresta supra laudata optimè quoque convenit.

Quodsi verò fiat, quod non rarum est, ut ingruente hac febre die quarto simul angustia præcordiorum & difficilis respiratio oboriatur, ex eo, quod tunc uberiùs lac turgescat in sanguine: tunc præter dicta utilis est emulsio ex seminibus expellentibus cum antimonio diaphoretico, v. g. ex semine cardui benedicti, napi, aquilegiæ, &c. cum pauco myrrhæ, additâ antimonii diaphoretici sufficiente quantitate. Hac emulsione dicta præcordiorum pathemata & febris lactea facilè evanescunt.

Mulier quædam juvencula secundâ vice puellam enixa, à partu optimè se habebat, & cum ipsa infantem prima vice lactasset, secundo partu laboris pertæsa nutrici negotium committebat: Sed die saturni, à partu nono, media nocte intenso corripiebatur æstu, cum siti, cephalalgia & anxietate, mammæ anteà lacte moderatè repletæ immensum turgebant, & tumebant, dolebant & indurabantur: appetente aurora prædicta, præter mammarum symptomata, per levem sudorem evanescebant, superstite saltem insigni virium prostratione, appetituque dejecto. Die solis vocatus, præter externa mammis imponenda, præscripsi sequentes pulveres;

℞. *Cornu cervi sine igne* ʒß.
Salis Absinth. ℈ß.
Myrrh. el. gr. viii.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus.

Quarum unam ægra à meridie hora tertia capiebat.

Verùm omnia supra dicta symptomata cum simili ferocia redibant & ad mediam noctem perdurabant, quo tempore alteram dosin sumere debuisset; dubitabat tamen, an hoc facere debeat? Die lunæ insequente melius habebat, mammæ minus dolebant, lac per papillas effluebat, nox insequens quieta erat: sicut & die Martis horis antimeridianis optimè habebat: A meridie præscripsi hunc pulverem:

℞. *Lapill. cancr. præp.* ℈j.
Salis Absinth. gr. xii.
M. pro dosi:

Quem hora prima capiebat; & circa vesperam hora quinta ex improviso gravi horrore per horam durante corripiebatur, æstus gravis per aliquot horas superveniebat, mamma sinistra de novo intumescebat, indurabatur, insigniter dolebat, post mediam noctem symptomata febrilia remittebant, mammæ affectibus eodem tenore durantibus.

Die Mercurii cum benè se haberet, nisi quod mamma doleret & dura esset, præscripsi:

℞. *Spiritus sal. ammoniaci cum calce viva* ℥ij.
Ess. Croci ℥iii.
Misc.
Hinc
℞. *Empl. de galb. croc. Mynf.* q. s.
Malaxabatur cum s. q. *olei tartari fœtid.*

Inducebatur super linteum, quod in medio perforabatur pro papillæ protuberantia. Spiritus ille tepidè calefactus spongiola illinebatur mammæ, & applicabatur desuper Empiastrum allegatum calidè: Hinc imponebantur sacculi oryzâ, avenâ vel milio ad pollinis crassitiem referti, iique, quantum fieri poterat, calidissimi. Die Jovis benè se habebat; sed hoc ipso à meridie eodem tempore rigor & æstus cum reliquis symptomatis redibant, dextra simul mamma

mamma indurabatur, tumebat, dolebat, & speciatim tumor durus magnitudine ferè instar ovi gallinacei in prima mammæ parte paulò profundiùs tactu percipiebatur. Post mediam noctem symptomata remittebant, mammarum saltem pathemata affligebant, ægra ipsa fatebatur appropinquante paroxysmo se sæpiùs aliquid in mamma percipere: pulverem igitur præscriptum aliquoties repetebat, & remedia dicta externa ter quotidiè applicabat, intermedio tempore sacculos probè calidos sæpè renovando, & sic convaluit; sicuti usu hujus emplastri mamma sinistra & dextra, in quibus jam tum nodi duriores erant, curabantur.

ARTICULUS II.

DE

MORBIS ACUTIS PUERPERARUM.

Quod verò attinet cæteros puerperarum *Morbos acutos* febresque, rarò hæ *sunt* benignæ, sed *ut plurimum malignæ*, unde etiam in pluribus, quoad principaliora capita, imprimis quoad excretiones cutaneas, cum reliquis conveniunt febribus malignis, tam in Theoria, quàm Praxi, de quibus alio tempore pluribus actum. Ea saltem monebo, quæ circa puerperarum febres, tanquam ipsis peculiaria & propria, imprimis sunt consideranda. Superveniunt hæ febres puerperis, *aut* dum fluunt rectè lochia, *aut* dum hęc pręternaturaliter sunt imminuta *aut* suppressa, *aut* dum hęc naturaliter non amplius fluunt, ritè tamen fluxerunt; Nam lochiorum excernendorum in his febribus summa habenda est ratio. Et quidem si supprimantur lochia adhuc fluentia, immediatè febrilia symptomata ac ipsa denique febris superveniunt: unde primum, quod tunc agendum, est, ut revocetur lochiorum fluxus per *venæ sectionem in talo* administratam, & per remedia interna, *lochia promoventia*, corpusque ad blandam *diaphoresin disponentia*. Si verò non amplius fluant lochia, rectè autem anteà *fluxerint*, ut aliæ febres benignæ vel malignę, aut cum excretionibus cutaneis conjunctę, v.g. petechiales, curandę sunt. *In omnibus* enim *febribus acutis* & malignis *puerperarum ad duo* imprimis *respiciendum est* primariò:

1. Ad lochiorum fluxum, qualis ille & quantus fuerit?
2. Ad primas vias & succorum ibidem scaturiginem, horumque ibi factam commistionem, alterationem & ejectionem ex pancreate, poro cholodocho, & glandulis mesenterii in & post labores partus.

Cum enim ex mensibus suppressis alterentur hi succi insigniter toto gestationis tempore, prout plus minus cacochymicum fuerit corpus, indeque tam varia pathemata circa primas vias oriri soleant, ob id succi circa partum commoti, adeòque plus minus effervescentes, observandi sunt probè, qualia symptomata in primis viis post quartum inferant? speciatim an simul pathemata hysterica, aut alia pathemata, excitent? ut partim pręcaveri, partim etiam maturè coerceri queant.

DIAGNOSIS.

Febres puerperarum acutę primò invadunt cum rigore, quem mox insequitur ęstus continuus, ac vehemens cum siti inextinguibili, pulsu celeri, inæquabili & debili, virium prostratione, vigiliis, inquietudine, urina crassa & rubicunda lochiorum suppressione: quibus tandem superveniunt passiones hystericę, deliria, stupor, convulsiones, similiaque generis nervosi symptomata.

PROGNOSIS.

Febres hę puerperarum satis periculosę sunt, nisi statim in principio diarrhœa, lochiorum fluxu, aut simili evacuatione solvantur.

In specie tinnitus aurium, & gravitas capitis, tertio aut quarto die supervenientes, generis nervosi symptomata graviora innuunt: quibus si accedant summa pręcordiorum anxietas, respiratio difficilis, cum pulsu debili & inęquali, res desperata est.

CURA.

Febres ergo superveniunt puerperis, vel dum fluunt ritè lochia, vel dum hęc pręternaturaliter sunt suppressa, vel dum hęc non ampliùs fluunt: nam lochiorum in his febribus summa habenda est ratio. Et quidem, si supprimantur lochia, immediatè febrilia pathemata, & ipsa denique febris, superveniunt. Unde primum quod attinet; agendum est, ut revocetur lochiorum fluxus: si verò lochia non amplius fluant, anteà autem ritè fluxerint, febres supervenientes ut alię febres curandę ferè sunt. Si verò lochia adhuc fluant, horum motus ita gubernandus erit, ne alia symptomata ab iisdem augeantur, vel motus naturę in sanguine turgescente, aut nimio eorum fluxu impediatur, aut imminuto eorum fluxu perturbetur aut impediatur.

Verùm cum hę puerperarum febres utplurimum sint malignę, imprimis quę superveniunt ritè factę expurgationi per uterum, (in quibus, quoad malignitatem, in sudoris legitima provocatione primarium curationis punctum consistit,) tunc *cautus sit Medicus*, *ne* nimis sudorem provocando *lochiorum sistat fluxum*, quod ordinariò ferè accidere solet; dum enim superveniunt tales febres, lochiorum fluxus conveniens est, modò non excedat: aut etiam caveat sibi, ne, dum lochia fluant copiosiùs malignitati hac ratione pandatur accessus ad interiora; cum notum sit aliàs, quàm periculosę sint quęcunque in febribus malignis evacuationes, tàm sanguinis, quàm aliorum humorum, nisi ea, quę est per sudorem. Et imprimis cum tales febres interdum per excretiones cutaneas, sive petechiales, sive pustulares, Germ. *Bocken und Masern*, sive miliares, Germ. *Friesel* nempè, salubri naturę conatu mitigentur, observet probè Medicus, ne lochiorum fluxus nimius æstum, quem vocant, naturę conatum excretorium, impediat: (*Puerpera Medici sagacitatem periculo exponunt*:) Ob id *inter ea remedia*, has febres curantia, *primatum obtinent* ea alexipharmaca, quę & blanda diaphoresi maligna fermenta removent, naturęque conatum excretorium adiuvant, & simul nonnihil stimulando ęquabilem lochiorum fluxum conservant, ne cum diaphoresi & leni subinde madore lochia imminuantur. *Si tamen nfluant nimio*, addantur talia, quę blanda vi adstrictoria lochiorum fluxum nimium sistant, ut *terra sigillata & cornu cervi ustum*, ut adeò cum moderatis alexipharmacis nunc stimulantia, ut *myrrha*, nunc adstringentia, combinanda sint. Fortiora tamen pellentia addenda, ubi supprimi incipiunt, aut cum omninò iam suppressa sunt. Quę si revocari nulla arte possint, fortiùs moti & profusiùs emissi sudores eorum defectui & inde ortis malis mederi ferè possunt. In genere ergo in febribus puerperarum malignis remedia ex cornu cervi parata, item ex antimonio fixato, nempè diaphoretico, bezoardico minerali, item myrrha, & succino, & hinc salibus volatilibus, fuliginis, cornu cervi, viperarum &c., & hinc fixis concinnata remedia, in his febribus primatum obtinent, ac quidem Cornu cervi, tam sine igne pręparatum, quàm cornu cervi solare, quod imprimis in febribus purpuratis egregium est. His addi possunt, pręter antimonialia, etiam alia diaphoretica nota, imprimis Cinnabaris antimonii ritè pręparata, quę in puerperarum morbis malignis maximè sunt proficua. De sale volatili succini & sale volatili cornu cervi, ana mixtis, & additis fixioribus in pauca quantitate res, nota est.

Quoad *Purgationes* verò: eę in febribus his malignis cautissimè instituendę sunt, quin potiùs omninò omittendę (contra Gallos & Italos) cùm certò observatum sit, etiam clysteres applicatos in his febribus cum excretione cutanea junctis subinde fuisse periculosissimos; imo Purpuram albam, Germ. *den weissen Friesel*, vel suppositorium applicatum, retrocedere facit. Unde cautus hac in parte sit Medicus, & mox in principio puerperii secundo vel tertio die, ubi suspicio est imminere morbum malignum, primas vias eluat, v.g. pilulis pestilentialibus Ruffi, & similibus, vel clysmate aliquo temperato præueniat. Ergo alui stimulatio vel tantilla est periculosa: sicut venę sectio, ubi ritè fluunt aut fluxerint lochia, locum nullum habet, imo nociua est; idque pręsertim in nostro climate; nam alibi quod fit apud Hispanos, Gallos, &c. in corporibus ex sex rerum non naturalium uarietate diuersimodè dispositis,

apud

apud nos æquè non imitari potest: v.g. dum ZACUTUS LUSITANUS *lib. 1. Princ. Medic. Hist. 77. in annexa observatione* refert fœminam, tribus diebus à partu anginâ suffocante correptam, ritè fluentibus lochiis per sectam venam in utroque brachio curatam, apud nos non adeò commodè institui potest, cum minùs acutus hujusmodi affectus esse soleat. Suppressis verò mox in principio lochiis, ubi urget malignitas, nemo cogitet de aperienda vena; sin verò in minus periculosis malignis, aut etiam in simplici febre in institui necesse sit, consideret Medicus habitum ægræ, an juvencula sit? In plethoricis enim seu sanguineis juvenculis, ubi ebullit sanguis, applicatis priùs utero emollientibus ac nonnihil stimulantibus convenientibus, sanguinem ibidem hærentem resolventibus, meatus laxantibus & ad fluxum disponentibus, secetur saphæna in talo, *utram vis, potiùs tamen internam, quàm externam*, ut ita concilietur sanguini impetus inferiora versus. Sin verò graviter affligat malum, & corpus sit succulentum, & sanguinis insignior copia adsit, quod tamen vix apud nos locum habet, interdum præmittenda est brachii venæ apertio, & hinc subjungenda istius est postmodum incisio, quæ est in cruribus. Nihilominus tamen rarissimè aperiatur vena, *equidem id nemini consulo*, imprimis ubi saltem in partu aut aliquot dies à partu impetuosiùs lochia fluxerint, à venæsectione in malignis supersedere debet Medicus.

Diæta in quibusvis puerperarum febribus, non secus ac in primis puerperii diebus, sit tenuior, aut saltim pro consuetudinis ratione mediocris, quæ sustentet saltem corpus, & vires hinc non augeantur. Notabile est effatum FONSECÆ *Consult. 45. Tom. 1.* ubi refert, quod febres acutæ puerperarum ex retentis lochiis ob pleniorem plus debito victum sæpius recurrant, sed semper sequentibus sudoribus salubriter solvantur: Ubi observatur, quod in tantum noceat liberalior victus, in quantum prosunt diaphoresis aucta atque sudores.

Quodsi lochia suppressa dent febres benignas ardentes, sive solitarias, sive inflammatorias, v.g. *comitatas* cum pleuritide, angina, uteri inflammatione &c., tunc tutior res est, ac *præmissa*, aut etiam omissa *venæ sectione* (imprimis in nostro climate) in pede, sudoriferis, aut salinis volatilibus potentioribus, aut antimonialibus fixis, similibusque acidum absorbentibus, adjunctis myrrhatis, propter lochia nempè, sanguinis coagulatio, & stagnatio, & hinc lochiorum suppressio est corrigenda. Mox ergo usurpentur talia, quæ *sanguinis grumos* ab acido natos promptè *dissolvunt*, & effuso sudore sanguinem stagnantem in debitum circuitum revocare possunt; unde, præter remedia ad inflammationes laudata, item myrrhata & castorina, sæpiùs sperma ceti usurpetur.

De cetero ad sitim fallendam, & temperandum sanguinis effervescentis æstum, acida nimis non benè conveniunt in his ardentibus acutis, ut & in reliquis malignis puerperarum febribus, ex eo, quia periculum hic est, ne alterando sanguinem, fluxum lochiorum, uti aliàs menses, sistant propter coagulationem, cum & acida utero membranoso, & à partu plus minus læso & facilè adhuc irritabili, indeque doloroso, sint inimica. Potius ergo temperata, aut subacida temperatis mista, in casu majoris sitis & æstus sunt convenientia, ut v.g. sunt tincturæ florum aquilegiæ aut cyani, gelatina cornu cervi acida, citri, granatorum, berberum, cydoniorum, cum Decocto cornu cervi infusa blãda acida, & similia blandiora: quibus in moderata dosi, aut etiam, ubi nimis urget æstus, spiritus salis aut nitri dulcis parum potest addi.

Qualis Cura & qualia remedia his febribus imprimis conveniant, ex supra dictis per se patet; nempè præcipitantia dicta & diaphoretica, simulque lochiorum fluxum conservantia primatum ducunt: Hinc variæ solent fieri formulæ variis in casibus. Res ut pateat, ad febres puerperarum malignas hæc formula est admodum conveniens, imprimis in principio:

℞. *Aquę puleg.*
Flor. sambuci an. ℥iß.
Acet. vini ℥vi.
Lapill. cancr. pulverisat. (fit salsum tertium diureticum) ℈ii.
Bezoard. mineral. ℈i.
Myrrh. el. ℈ß.
Syr. Artemis. ℥ß.
M. f. Potio: S.
Mixtura resolvens sudorifera.

Capiatur subinde cochleatim.

In pleuritide à partu superveniente, & quidem imprimis cum lochiis suppressis:

℞. *Aquæ Puleg.*
Papav. errat. an. ℥i.
Antimonii diaphor. ℈i.
Salis vol. Fulig. aut loco hujus *salis vol. urinæ*, aut *salis vol. sal. ammoniaci* vel *Cornu cervi* gr. iv. v. vel vi.
Succini gr. iii. iv. v. vel vi.
Myrrh. el. gr. iv.
Castor. gr. ii. } (ratione lochiorum.)
Syr. Card. Bened. ℥ii. vel ℥ß.
M. D. S.
Potio sudorifera pro una vice.

Hæc Potio & pellit per sudorem, & lochia simul stimulat & promovet: Vel

℞. *Aquæ flor. Papav. errat.*
Puleg. an. ℥iß.
Spiritus salis ammoniaci ℈i.
Eß. Castor.
Antimonii diaphor. an. ℈ß.
Myrrh. gr. v.
Syr. card. Bened. ℥i.
M. S. ut *antè*.

Item in forma pulveris:

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈i.
Salis card. Bened. gr. xii.
Antimonii diaphor. gr. vi.
M. f. Pulvis pro una vel duabus dosibus;
D. S.
Pulvis sudoriferus.

℞. *Cornu cervi sine igne*,
Antim. diaphor.
Nitri antimoniati an. ℈ß.
M. div. in 2. part. æqual.
D. S. ut antè.

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈i.
Antim. diaphor.
Salis Card. Bened. an. ℈ß.
Myrrh. el. gr. vi.
M. f. Pulvis.
Div. in 2. part. æqual.
D. S. ut suprà.
Vel

℞. *Antimonii diaphor.*
Salis. Card. bened. an. ℈ß.
Myrrh. el. gr. v.
M. pro dosi.
D. S. ut antè.

Item, præsertim si excretio quædam cutanea immineat:

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈ß.
Antimonii diaph.
Bezoard. miner. an. ℈ß.
Myrrh. gr. vi.
M. pro 2. dos. S.
Pulvis sudoriferus.

Capiatur in vehiculo calido: (*frigida omninò prohibeantur:*)
Vel

℞. *Ebor. sine igne*,
Antimonii diaphor.
Specif. cephal. an. ℈i.
Myrrh. gr. xii.
Sal. vol. cornu Cervi gr. ix.
M. pro 3. dosibus.
D. S. ut antè.

Propinetur in *aqua pulegii* &c.

Cinnabaris antimonii egregia est in febribus puerperarum, præsertim malignis, & in quibus nervosum genus afficitur: Hinc

℞. *Pulv. Bezoard. D. Mich.*
Cinnab. antimonij an. gr. xii.
Salis vol. cornu cervi,
Succin. an. gr. ii.
M. S. ut suprà.

Capiatur in vehiculo pro lubitu.
Vel

℞. *Pulv. Bezoard. M.* ℈i.
Cinnab. antimonii ℈i.
Sal. vol. cornu cervi,
Succin. an. gr. xii.

M. f.

M. f. Pulvis pro aliquot dosibus:
D. S.
Pulvis sudoriferus.
Item
℞. *Cornu cervi solar.* ℈I.
Pulv. Bezoard.
Cinnab. antimonii an. ℈ß.
Salis vol Viper. gr. viii.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus:
D. S. ut suprà.
℞. *Antimonii diaphor.*
Cinnab. Antimonii an. ℈i.
Salis vol. sangu. hum. ℈ß.
Succini gr. vi.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus.
Cui etiam pro ratione circumstantiarum addi possunt
Myrrh. gr. iv. vel vi.
D. S. ut suprà.

Sumuntur dicti pulveres in aqua tenellorum cornuum cervi, aut aqua scorzoneræ, ulmariæ, & similibus, pauco vel nullo syrupo dulci admisso propter metum hystericæ passionis; aut propinetur in aqua hirundinum cum castoreo, vel simili.

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈ß.
Antimonii diaphor.
Cinnab antimonii ritè par. an. gr. xv.
Myrrh. el. gr. xii.
M. f. Pulvis pro duabus vel tribus dosibus:
D. S. ut suprà.

Propinantur in quocunque vehiculo; aut ubi suspicio adest angustiæ præcordiorum in hystericis, in aqua hirundinum cum castoreo, quæ ipsa blandè acida.

Bezoardicum Joviale, solare, Antihecticum Poterli, &c. commodè etiam propinari possunt: item Tinctura Coralliorum antiscorbutica in nostratibus purpurâ afflictis est egregia: item Tinctura Coralliorum cum spiritu cordis cervi in hisce febribus, in quibus vires unà debilitantur, est egregia. Laudano opiato & opiatis in his cautè & parcè utendum est, ne sufflaminando symptomata, motus naturæ inhibeatur, lochiorum fluxus imminuatur, & ad deliria ac convulsiones disponatur ægra: Interdum tamen laudanum opiatum cum croco aut aliis appropriatis mistum usurpari potest, etiãsi lochia suppressa sint, si insignior sanguinis & humorum agitatio in corpore adsit: conf. WILLISIUS *de Febr. Puerperarum pag.* 285. & 293.

Puerpera secundo à partu die gravi terrore percussa, subito intensissimum corporis æstum cum gravi cephalalgia, lochiorum maximam partem suppressione, mammarum turgescentia, & post quatuor vel quinque horas incipiente delirio, incurrit: hinc ante omnia venam in pede aperiendam jussi, licet esset hora nona vespertina, simul præscripsi sequentes pulveres:

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈ß.
Antimonii diaphor. ℈i.
Myrrh el.
Salis vol. cornu cervi an. gr. vi.
Mista div. in 2 part. æqual.

Unam capiebat vesperi, alteram appetente diluculo.

Manè sequenti, cum melius haberet, propter vaga abdominis symptomata usurpatum clysma carminativum cum euphoria. Internè præscripsi sequentes duos pulveres:

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈i.
Bezoard. miner. gr. xvi.
Salis Absinth ℈ß.
M. pro 2. dosibus.

Hinc altero manè satis commodè habebat, pulsu licet admodum febrili adhuc existente; quibus tamen & similibus insistendo, & in declinatione essentiam quoque myrrhæ cum tinctura tartari frequenter usurpando, tandem convaluit.

Pro Fotu Julebi interdum præscribi solent, qui tamen minus conducunt in principio harum febrium, aut etiam prima puerperii septimana: reliquis temporibus tutiùs Julebi, moderatè tamen acidulati, & semper cum gelatina cornu cervi imprægnati, usurpari possunt: verbi gratia Julebus pro Potu in febribus malignis Puerperarum sit sequens:

℞. *Decoct. hord. cum rad scorz.* vel solius *radicis scorzon.* ℥viii.
Gelat cornu cervi rec. ℥I.
Tinct. flor. aquileg.
Tinct. flor. Cyani an. i.
Syr. Ribium,
De Juiub, vel *Violar.* an. ℥vi.
Spiritus nitri dulc. parum.
M. pro blando Julebo.
D. S.
Julepus Bezoardicus.
Vel
℞. *Aquæ Ulmariæ,*
Puleg. an. ℥iv.
Hirund. cum castor. ℥ii.
Gelat. cornu Cervi acid. ℥ß.
Acet. theriacal. ℥iii. (aut loco huius tincturæ *flor. Aquileg.* & *Cyani* an. ℥i.)
Syr. Ribium
de Juiub.
Corall. an. ℥vi.
Spir. nitri dulc. parum.
M. f. Potio: S.
Mixtura Bezoardica, cochleatim sumenda.

Potius insipida acida, quàm dulc-acida sit.

Vel etiam in siti nimia ordinetur *Julebus ex infusione florum Sylvii*, vid. *suprà lib. 1. ubi de siti læsa*; ut & ex *Colleg. Formul. pag.* ..... acidulatus parum: e. g.

℞. *Flor. Viol.*
Cyani,
Aquileg. an. p. i. vel Mß.
Irrorentur parum cum *spiritu sulphuris*:
(quem hic meritò eligo)
infund. in
Aquæ cherefol.
Ulmar.
Meliss. an. q. s. (vel *aquæ Card. Bened.* vel etiam *aquæ simpl.*)
Stent in loco tepido vel Balneo Mariæ, donec liquor probè tinctus sit:
Tunc Colat. adde
Syr. Berber.
Scord.
Artemis. vel *Ribium* q. s.
ad suavem & nonnihil dulcem saporem, qui nec nimis acidus, nec nimis dulcis sit, aliàs in prædispositis excitat passionem hystericam.
D. S.
Julepus confortativus.

Vinum generosum puerperis malignis febrientibus cautè exhibetur, imprimis mox partum, ut rectè monet HOEFERUS *in Herc. Med.*

ARTICULUS III.

DE

PURPURA *seu* FEBRE MILIARI PUERPERARUM.

Speciatim ex omnibus febribus malignis ferè, imprimis apud nos, pessimæ notæ est *Febris Purpurata* mulierum, Germ. *der Friesel*, seu *Febris Miliaris* quorundam dicta; sive rubra fuerit, quod pustulæ saltem rubræ sint, eaque ferè salutaris: sive alba fuerit, dum milii instar candida grana copiosissima, ceu tot pustulæ, corpus incrustant, eaque periculosior. Purpura hæc est maligna, quæ tamen, ut mihi videtur, radicem quodammodò ac fomitem suum acquirit ex scorbuto, idque ideò, quod observaverim, unà cum reliquis remediis in febribus malignis usitatis etiam remedia antiscorbutica permixta & usurpata promovere insigniter purpuræ eruptionem.

DIAGNOSIS.

Imminere febrim miliarem, aut saltem aliam excretionem cutaneam, ferè ex hoc cognoscitur, si puerperæ graviter febrientes, cum aliquali tamen madore, percipiant subinde vagos ac leves horrores, dorsum aut peripheriam corporis occupantes, aut si pungi dorsum hinc inde, tanquam si abaciculis fiat, sentiant.

PROGNOSIS.

Salutis spes affulget, si tempore critico per universum corpus cum symptomatum levamine confertim purpura erumpat, hinc prurire incipiat, donec pustulæ exsiccatæ sub minutarum squamularum forma erumpant. Alterutrum istorum si deficiat, semper periculum subesse innuitur, speciatim in purpura alba, quæ præ cæteris admodum periculosa.

CURA.

Scilicet ad instar variolarum duplex tempus observandum est in purpura:

1. Tempus ebullitionis.
2. Tempus excretionis.

Istud quidem in imminente purpura: Hoc verò in eadem erumpente.

In *tempore ebullitionis*, ratione effervescentiæ succorum compescendæ, conveniunt simpliciter remedia effervescentes humores compescentia, & blanda diaphoretica: quibus semper vel parum de *myrrha*, ceu appropriatum malignitati purpuræ in specie resistens, vel parum de *sale volatili*, addendum.

Postmodum, ubi imminet *tempus excretionis*, & vestigia Purpuræ incipiunt apparere, simpliciter *expulsiva* conveniunt: adeoque v. gr. *in principio morbi* excellunt partes animalium duræ & antimoniata, cornu cervi ustum, & solare ad ℈i. bolus Armena, terra sigillata, Bezoardica mineralia quæcunque, cinnabaris antimonii, Jupiter diaphoreticus. Si quod aliud in his febribus miliaribus periculosum est symptoma, hoc est diarrhœa, quâ uti impeditur excretio cutanea, ita huic supervenienti absorbentia modò dicta optimè resistunt; item *sal volatile cornu cervi*, & succini ana mista, & in parva dosi cum dictis pulveribus sociata; quin & conveniunt *Salia fixa vegetabilium*, ut cardui benedicti, &c. v. gr.

℞. *Cornu cervi solar.* ℈i.
Bezoard. miner.
Cinnab. antimonii an. ℈ß.
Sal vol. Cornu cervi,
Succini an. gr. ii. vel iii.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus;
D. S.
Pulvis excretorius.

Perquam est egregius; hauriatur in potu ordinario.

Vel

℞. *Cornu cervi sine igne* gr. xii. ad xv.
Salis Card. Bened. ℈ß.
Myrrh. el. gr. iii.
M. f. Pulvis pro dosi.
D. S.
Ut suprà.

Qui pulvis in specie egregius est.

In progressu Purpuræ, ubi vestigia se ostendunt, egregia est tinctura Coralliorum cum spiritu cordis cervi, & *Tinctura Coralliorum antiscorbutica*, quæ optimè expellit, dosi gutt. xxx. vel xl. Loco hujus prodest sequens Mixtura nobilis, quam observavi proficuam:

℞. *Aquæ scord.*
Scorzoner. vel *tenell. Cornu cervi*, vel *liquoris vitis* an. ℥ß.
Spiritus Cochlear. ʒi. ad ʒiß.
Mag. Corall. cum succ. citri,
Antimonii diaphoret. an. ʒß.
Syr. de scord. vel *de Calend.* ʒvi.
M. D. S.
Mixtura sudorifera.

Capiatur pro una vel bina dosi, vel usurpetur subinde cochleatim.

Vel etiam, *ubi incipit apparere* Purpura, optimè conveniunt *Emulsiones ex seminibus* expellentibus, *Cardui benedicti, napi, aquilegiæ, citri* & similibus, cum vel sine myrrha: aut essentia myrrhæ pro ratione *lochiorum*, additisque simul cornu cervi sine igne, antimonio diaphoretico, bezoardico minerali, pulvere bezoardico SENNERTI, &c. ad imitationem ZWELFFERI: quales *formulas suprà lib. 1. de Febribus malignis & petechialibus* dedi. Nam hæ Emulsiones potenter expellunt Purpuram imminentem, aut nondum sufficienter erumpentem: v. g.

℞. *Flav. cort. Citri* ʒii.
Sem. Citri ʒi.
Card. bened.
Aquileg.
Myrrh. an. ʒß.
Amygd. dulc. ʒi.
Cum s. q. *aquæ scorzoner.*
F. Emulsio,
Leniter edulcoranda:
D. S.
Emulsio expellens.

Vel

℞. *Flav. cort. Citri* ʒii.
Contusis in mortario adde
Sem. Card. bened. ʒii.
Napi,
Citri an. ʒi.
Myrrh. el. gr. xvi.
Cum s. q. *aquæ flor. samb. & scabios.*
F. Emulsio:
adde
Cornu cervi sine igne ℈ii.
Antimonii diaphor. ℈i.
Edulcor. parum.
M. D. S.
Ut antè.

In specie tamen observetur:

1. Quod acida, nisi admodum temperata, puerperis purpurâ laborantibus minus conveniant, propter uterum à partu læsum, propter lac in mammis, & etiam propter lochiorum fluxum.
2. Ut etiam calidissimè tractentur, ex eo, quia tantillus *halitus frigidus* facit retrocedere omnem Purpuram: Unde subitò *difficultas respirationis, anxietates præcordiorum, ictigationes* corporis, subindeque *diarrhœa* lethalis, & similia superveniunt: speciatim hoc advertatur in purpura alba, præ reliquis puerperis periculosa.

Plures cautelas dedi *suprà lib. 1. cap. 9. Sect. 15.*

Quod si Purpura prurire incipiat, & sub forma squamarum decidat, continuentur remedia antiscorbutica; sic enim reliquiæ ejus radicitus evelluntur.

Absolvi ferè ea, quæ Mulieribus post partum sunt vel nociva, aut saltem molesta:

Pergo ad

SECTIONEM IX.
DE
LACTIS ET LACTANTIUM VITIIS.

Ut infans seu fœtus in utero nutritur lacte, ita & extra uterum, quam diu tenellus est, nec solidiora alimenta commodè digerere potest, sed lacte ex mammis hausto nutritur. Mox enim secundo aut tertio post partum die puerperis mammæ, primò quidem lacte aquoso vel seroso & tenui, quod vocant Colostrum, turgescere incipiunt; procedente verò tempore aut quarto præter propter die, imprimis cum febre, lactea dicta, lac ipsum verum sub naturali consistentia mammas replet. Materiam lactis Veteres omnes sanguinem menstruum statuerunt, cum lactantibus menses utplurimum deficiant: quibus manifestissimè contradicit HIPPOCRATES *de Nat. Puer. F. 21. & de Morb. Mulier. lib. 1. Text. 95.* ubi alium sanguine dulciorem, pinguiorem & candicantem succum ex cibis & potibus ad mammas exprimi dicit: cui subscribunt Neoterici ferè omnes. Materia enim ex qua nihil aliud est, quàm chylus: Vid. *suprà lib. 1. ubi de Motus chyli*, PLEMPIUS *Fund. Med. pag. 63.* ENTIUS *pro Circul. sanguinis pag. 186.* MOEBIUS *Fund. Physiol pag. 565.* WARTHONUS *Adenograph. pag. 239.* CHARLETON *Oeconom. Animal. pag. 126.* EVERHARDUS *de Hom. Brutique Exortu pag. 176.* SCHNEIDERUS *de Catarrh. lib. 3. cap. 3.* BARBATUS *de Sanguine & sero pag. 39.* Chylo tamen huic etiam in mammis, sicut sero in glandulis, à spiritibus animalibus aliquid per nervos accedere, ex NEEDHAM *de Form. Fœt. pag. 13.* & WARTHONO *Adenogr. pag. 237. & 211.* videri potest.

Per quas vias autem chylus hic ad mammas deferatur, novæ iterum exortæ sunt lites: Quippè BILSIUS vasis suis roriferis negotium hoc assignat; DEUSINGIUS, EVERHARDUS, & alii plurimi peculiaria vasa lactea hactenus incognita ex receptaculo lumbari & ductu thoracico ad mammas tendentia se observasse putant. Verùm nemo Anatomicorum post jam dictos Autores vasa hæc, utut accuratiùs investigata fuerint, invenire potuit; sicut etiam vasa lymphatica seu rorifera BILSII ex mammis potius refellunt sua asserta. Probabilissimum igitur est, *per arterias mammarias chylum nondum huic assimilatum cum sanguine arterioso per totum corpus, non per vias singulares, ad mammas distribui*: Vid. WARTHONUS *Adenogr. pag. 240.* CORNELIUS CONSENTINUS *Progymn. Phys. pag. 219.* NEEDHAM *de Form. fœt. pag. 18.* LOWERUS *de Corde pag. 216.* Accedit & hoc, quod in lactantibus arteriæ hæ cum suis venis longè crassiores magisque tumentes sint.

De modo lac generandi similiter controvertitur, dum quæritur: quomodo lactis materia ad mammas moveatur, & à reliqua massa sanguinea separetur, ut lactis formam acquirat? DEUSINGIUS dispositionem peculiarem lacti generando aptam, atque ab utero contractam, in mammis præsupponit, & in gravidis ob compressionem ventriculi, hepatis ac reliquorum abdominis viscerum à fœtu increscente factam, chylum versus mammas propelli statuit, quod tamen refutat DIEMERBROECK *Anat. lib. 2. pag. 247.* Unde alii ad ignorantiæ illud asylum, peculiarem naturæ providentiam confugiunt, quæ tamen tanquam particularis & proxima non, sed tanquam universalis, consideranda. Alii denique suctionem frequentiorem pro motu hujus ad mammas vero, tanquam causam, in medium proferunt; hinc SALMUTH *Centur. 1. Observat. 92.* de virgine quadam refert, quæ, cùm infanti, cujus curam egerat, mammam frequentiùs sugendam exhibuisset, lactis proventum in iisdem deprehenderit; imò maribus quibusdam tale quid per solam contrectationem & suctionem frequentiorem accidisse, DIEMERBROECK *l. a. cap. 2.* ex diversis Auctoribus & propriâ experientiâ exempla ejusmodi adducit; nervosè tamen satis ad hanc hypothesin respondet, quod in centum viris, virginibus aut fœminis non lactantibus, licèt harum sugantur aut contrectentur mammæ, quousque placet, non omnibus, sed forsan aut nulli aut alteri tantum lac ad mammas derivetur. Aliam ergo causam suppeditat, & quidem talem, cujus neminem hactenus mentionem fecisse putat, fortiorem scilicet imaginationem, seu intentam & crebram de lacte & mammis prolisque nutritione cogitationem, cùm imaginationem aliàs in corpore mirabilia operari, notum sit. Verùm, utut suctio frequentior, non minus ac intenta quoque, de infante lactando cogitatio pro lacte advocando multum faciat; attamen nec illam, nec hanc, primariam hujusmodi causam esse, inde patet, quod (1.) non meretricibus saltem, dum fœtus sui in utero nullam rationem habent, nulloque illius amore trahuntur, & de expellendo vel perdendo fœtu cogitant; sed in aliis quoque mulierculis, rerum harum minus gnaris, quæque se gravidas esse ignorant, circa medium gestationis tempus mammæ à lacte intumescant, hocque per papillas copiosè satis effluat: (2.) Non infrequens fit, ut matres, quæ eâ lactis quantitate, quâ proli sufficienter nutriendæ opus habent, destituuntur, sæpiùs per intentam nimis de lactatione incommoda cogitationem fontes hujus liquoris planè exsiccent: (3.) Historia à DIEMERBROECKIO de uxore propria adducta, circumstantias tales continet, quæ thesin ipsam ambiguam satis reddunt; *v. g.* dum refert, post tempus demum illam voti sui compotem factam, post longum, quùm scilicet per aliquot menses nihil lactis produci potuerit. Probabilius ergò videtur, nutrimentum fœtus lacteum in utero, sub hujus contractione ad massam sanguineam regurgitare, & propter denegatam cum massa sanguinea subactionem, fermentationem ac agitationem, & per consequens febrem lacteam ita dictam, excitari, donec cessante motu febrili materia lactea à sanguine secedat, & per tubulos mammarios excerni possit. Per motum enim febrilem & aliquam præcipitationem lac à sanguine faciliùs secedere, *suprà Sect. 8. Articulo 1. capitis 19. ubi de Febre lactea*, sufficienter explicavi.

Sicut autem per fermentationem hanc lac ad mammas tam copiosiùs non urgetur, quàm ita disponitur, ut faciliùs in mammis postmodum secedat; simili ratione ac in chyli à fœcibus secretione illa fermentatio & præcipitatio, quam à bile & succo pancreatico chylus sustinet, non sufficit, sed transcolatione per vasorum lacteorum oscula ad intestina hiantia opus est: ita chylus lacteus sanguini laxiùs cohærens, dum per glandulas mammarias defertur, ab hoc secedit, & intra tubulos lactiferos sub lactis forma excernitur.

Generatur ergo lac per modum transcolationis, accedente tamen pro hoc negotio certa quasi tinctura seu fermento glandularum mammariarum, cujus ratione serum sanguinis chylosum alteratur, & quodammodo disponitur pro materia lactis, quod hinc per tubulos lacteos ex glandulis ad papillas derivatur. Sicut enim in diversis glandulis diversimodè, ratione consistentiæ, saporis & similium proprietatum, serum transcolatum alteratur; Ita in mammarum glandulis idem serum chylosum aliquo modo immutari, probabile est, utpote quod ratione substantiæ, coloris, & saporis, à chylo, reliquarumque glandularum sero, multum differt. Serum chylosum in mammis alterari probatur: quia ex sero beneficio cujusdam spiritus aut tincturæ acidæ præcipitatur grumus lacteus; unde blandum acidum, in dictis glandulis unà elaboratum, probabile est, præcipitare ex sero dictum chylum, & eum condensare in lac, quod deferatur tandem ad papillas, quod est spissius ipso sero. Notum enim est, quod sanguis lacteus observatus sit, & LAURENTIUS *in Controvers. Anatom.* exemplum mulieris, quæ lac per lochia excrevit, refert; mulieresque brevi à partu tempore percipiant motum materiæ ad mammas, ita ut primum lac sit aquosius, sicuti tertio vel quarto die cum febre lactea propriè dictum lac generari solet. Lac istud præbendum est infanti, quod est alimentum medicamentosum.

In spe-

In specie *circa lac & ejus generationem tria vitia consideranda sunt*:

1. Quando deficit.
2. Quando nimis abundat; &
3. Denique, quando præternaturaliter depravatum est in mammis & corruptum.

Causæ horum in genere sunt vitia materiæ, vel vitia organi.

CAPUT I. DE LACTIS DEFECTU.

CAUSÆ.

Quoad primum in specie, nempè *Defectum Lactis*: *deficit* lac vel vitio seu defectu *materiæ*, *ex qua* lac generandum est; vel deficit lac *vitio* vel defectu *mammarum*, materiam alterantium, in specie glandularum, chylum non sequestrantium. *Materia deficit*, dum vel non generatur, vel genita licet, absumitur, vel aliorsum transfertur: hinc nimis macræ, juvenculæ, teneriores, febrientes, nimis sudantes, &c. parum vel planè nihil comedentes & bibentes, ac illæ, quibus immensiùs fluxerunt lochia, quibus uberiùs evacuatur materia candida serosa, &c. minùs lacte abundant; sed hoc rarius est: item quæ gravidationis tempore vel ex nausea alimentorum parum comederint, vel ex ratione picæ vitiosa alimenta assumpserint, rarò à partu lacte abundare solent: item mulieres sicciores lacte minus abundant, cum chylus promptè in sanguinem assimiletur. In morbis acutis lac quoque imminuitur, unde puerperis febrientibus lac ferè deficere incipit, &c. Puerperæ etiam nimis sudantes nunc vitium, nunc totalem lactis defectum patiuntur: unde quæ lactare nolunt, præter copiosiorem lochiorum fluxum, copiosiùs imprimis sudant. Tempore quoque gestationis lactantibus lac partim imminuitur, partim notabiliter alteratur, dum è contrà majori quantitate ad uterum defertur. Vinum, item acida & austera quælibet, lactis copiam imminuunt; in specie vinum acidulum, v. gr. Rhenanum, &c. lac notabiliter depauperare solet. Denique mœror, tristitia, item interdum terror subitaneus, lac imminuunt in specie. Communiter post animi pathemata dicunt, *lac retro remansit*, dum spirituum perturbato motu etiam contentorum corporis motus alterari, ac plus minus perturbari solet.

Utplurimum *mammarum vitio* deficit lac, quando nempè harum glandulæ transcolatoriæ sunt vitiosæ, quarum primum vitium est, quando vel scirrhosæ, vel induratæ, vel obstructæ, vel vi nimis adstrictæ, minus porosæ & poris arctis constantes, aut quando viæ ad mammas aut tubuli glandularum excretorii nimis angustati fuerint; id quod fit in specie arte, quando mulieres adhuc virgines nimis constringunt vestimentis thoracem, & comprimunt mammas & vasa ac meatus ad has tendentes: Et hæc est causa, quare nostratas puerperæ tàm rarò possint lactare proprios fœtus seu infantes, quoniam in juventute nimis adstringendo & comprimendo mammas impediunt lactis proventum. Præterea huc etiam faciunt, quando externis variis admotis mammarum augmentum aut turgescentia & glandularum debita structura, sub pubertatis annis impeditur, aut etiam, quando mediis gestationis mensibus, dum mammæ itidem augeri incipiunt, similibus earundem augmentum coercent. Accedit huc etiam, utut indirectè, infans debilis, non sufficienter sugens ac quasi attrahens lac ex mammis; quò magis enim hoc allicitur, eò magis illabitur, eòque magis ampliantur vasa: unde interdum ex nimio infantum suctu sanguis purus loco lactis emanare observatus fuit: hinc tales puerperæ interdum priùs catellos aut alios infantes robustiores admovent mammis, ut horum suctu promoveatur lactis affluxus. Notabile exemplum lactis, solius fœtus ope in mammas attracti, videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observ.* 135. *in Schol. pag.* 219. & in vetula *Ann.* 3. *Observ.* 10. *pag.* 14. item SALMUTH *Cent.* 1. *Hist.* 61. ubi refertur virgo lactans, cum infanti sæpiùs ex petulantia mammas exhibuisset. Si ipsæ mammæ in culpa sunt, subtile istud acidum volatile, quod chylum in mammis præcipitando coagulat, si vitiosum sit, causa est supervenientis lactis defectus.

Cæterùm præter hactenus enarratas causas lactis defectus, simul in specie consideranda venit certa quædam conspiratio aut quasi sympathia uteri & mammarum, dum imprimis post conceptum, item post partum, lac ad mammas moveri incipit; item quod uterus & mammæ iisdem ferè morbis, in specie scirrho & cancris, affligi soleant; ita quidem gravidatione lac alterari & imminui soleat; sicut in aliis, quamdiu lactare solent, ferè conceptio impediri solet, &c. Quæ omnia certam quandam inter uterum & mammas conspirationem ostendunt, qua unius functio ab alterius functione plus minus adjuvari vel impediri videtur.

DIAGNOSIS.

Deficere lac per se patet, idque imprimis, si simul accesserint mammæ flaccidæ ac pendulæ minusque turgentes, ex quibus parum vel nihil lactis effluere possit.

Causarum signa ex circumstantiis & antecedentibus sunt pensitanda.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Puerperis equidem per se parum aut nihil mali infert lactis defectus, modò ritè fluant lochia, utut infanti subinde nocivum sit, quia non potest ritè nutriri, hinc viribus deficere, ex ploratu verò continuo varia mala accelerari solent. *Interdum, cum infantes unam modò sugunt mammam, tum lac in altera remanet, indurescit, nec vult exire.*

CURA.

Quod ergò attinet *Curam*: In hac aut *externis* emollientibus, mammas irritantibus, admotis viæ ampliandæ, laxandæ, & mammæ quasi spongiosiores & molliores reddendæ, aut *internis* appropriatis lactis proventus accelerandus, subministrando simul victum εὔχυμον & laudabilem, imprimis lacticinia, ova sorbilia, pultes ex ovis cum lacte, butyro, item ex amygdalis, &c. Oryzam aut hordeum excorticatum contusum, in lacte coquendo, & instar pultis capiendo, quæ plus condienda est cum cinnamomo, galanga, caryophyllis ac similibus. Nostrates secale contusum in aqua coquunt, & ita jusculi formâ copiosum lac suggerentis assumunt: carnes mamillarum vaccæ juvenculæ, quæ etiam cocta, indurata & pulverisata, cum aliis lac provocantibus miscentur. Inter remedia appropriata eminent *flores sambuci in lacte* moderatè *cocti*; lac decoctionis bibitum, copiosum lac subministrat: Vid. LANGIUS *in Miscell. pag.* 46.

Nempè

℞ *Fl. sambuc. arid* M. j.

& cum mensura una *lactis vaccini* coquatur.

Quod decoctum bibat calidè nutrix ad augmentandum lac: Vidi enim aliquando, quod hi flores copiosiùs in lacte cocti, & à muliere assumpti, lac equidem ejus augmentarint, sed & fœtum & puerperam insigniter purgant, id quod, cum interdum sit minus consultum, propterea in minori sumantur quantitate.

Juxta hos in specie eminet fœniculum totum, cujus summitates recentes comestæ egregiè conducunt ad lactis proventum augmentandum; unde aliæ decoquunt summitates fœniculi utplurimum, vel cum potu ordinario, vel in lacte, & ita hauriunt: adeoque ipsum semen fœniculi copiosiùs assumptum, item radix fœniculi, & decoctum summitatum fœniculi, sunt experimentum AMATI LUSITANI *Cent.* 6. *Curat.* 86. unde etiam oleum destillatum fœniculi, in usu esse solet ad lac augmentandum. Præter dicta lumbrici singulare quid obtinent in augmento lactis conciliando; v. g. decoctum lumbricorum terrestrium cum fœniculo egregium est *experimentum Helidæi Paduani* in brodio fœniculi *ad generandum lac*, item pulvis lumbricorum terrestrium ad ʒj. aliquamdiu propinatus. Post fœniculum imprimis conducit anisum, ejusque semen. Hoc enim semen anisi egregium est remedium copiosiùs comestum ad generandum lac, sive in substantia assumatur, sive ejus oleum destillatum subinde gustetur, sive in lacte coquatur. Novi puerperam, cui decoctum hoc propinatum pro copia lactis suggerenda, cum uberrimo lactis proventu gravissimum somnum induxerit. Post hæc semen Carvi, quod Germanis dicitur *cuminum album*, cardui Mariæ, Dauci, semen Nigellæ, &c.

&c. omnia optimè conducunt in hoc casu. Semen Anethi, vel solum, vel cum semine cardui Mariæ, nutricibus lac auget. Item hic in usu sunt Agaricus mineralis seu *lac lunæ*, à ℥ß. ad ℥i. propinatum; *crystallus* præparata ad ℈i. assumpta, *species diacrystalli Mynsichti*, & marga saxorum, quę pro lacte nutricum multiplicando summum sunt remedium; privativè scilicet operantur removendo vitiosum acidum, lactis profluxum impediens; nunc solùm in cerevisia calidâ, nunc addito semine fœniculi. Olea destillata præfatorum seminum, præsertim anisi, juxta hoc, quod lac generent, simul etiam lac medicamentosum reddunt, *depellit infantibus lancinationes, ipsumque lac sapit postea illud oleum*. Observavit Kerckringius, quod crepitus ventris, odorem anisi referentes, fœtus, habuerit; quia mater lactescens oleum destillatum anisi assumpserat. Semen Dauci nostratis egregiè convenit, *& insculacummi*.

Hinc

℞. *Lact. Lunæ* ℈ii. vel ℥i.
Crystall. præp. ℈i.
Ol. dest. anisi,
Fœnic. an. gtt. vi. vii. ix. vel xii.
M. f. Pulvis pro duabus vel tribus dosibus:
D. S.
Pulvis lac promovens.

Capiatur vel brodio gallinæ, vel in brodio decoctionis fœniculi.

Vel

℞. *Lact Lunæ* ℈ii.
Crystal. præp. ℈i.
Olei dest. Fœnic. gtt. ix.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus.
D. S.
Ut antè.

Vel

℞. *Sem. anis.* ℥ii.
Lact. Lunæ ℥i.
Crystall. præp. ℥ß vel ℈ii.
Ol. dest anis. gutt. viii.
M. f. Pulvis pro 4. dosibus;
D. S.
Ut antè.

Assumendus in decocto fœniculi.

Vel

℞. *Crystall. præp.* ℥ij.
Sem. Fœnic.
Carvi an. ℥iß.
Ol destill. anis. gtt. vi.
M. f. Pulvis:
D. S.
Ut antè.

Quoad *Externa*: usurpentur partim Emollientia mammas, partim irritantia & lac promoventia; unde confert fotus ex decoctis simplicium appropriatorum, cum emollientibus aliàs notis mistorum, crebriùs mammis applicatus: v. g. ex herba & radice fœniculi, ex malva, mentha, floribus sambuci, meliloti, semine fœniculi, anisi, nigellæ & similibus: quæ vel in lacte vaccino, vel in aqua simplici coquantur, ut ita ad majorem lactis copiam transmittendam disponantur mammæ. Item sunt qui commendant cataplasma ex farina hordei, herba malvæ, & fermento, mammis applicatum, quod nonnihil attrahit. Item Inunctio mammarum cum oleo lumbricorum terrestrium laudatur, (vid. HILDANUS *Cent.* 4. *observ.* 17.) quod impregnandum venit cum aliquot guttis olei destillati anisi. Item herba Pimpinellæ mammis apposita, aut vinca pervinca contusa, mammis circumdata lac augmentat: quin & post pastum & absolutam digestionem frictio mammarum moderata cum pannis asperis, ut incalescant nonnihil, ac ita mediante sanguine uberiùs affluente, uberiori lacte turgescant. Mercurius in nuce avellana excavata intra mammas alligatus commendatur: Vid. WEDELIUS *de Fac. Med. pag.* 196.

Hic est defectus lactis.

CAPUT II.
DE
LACTIS ABUNDANTIA.

Contrarium vitium est, cùm lac nimis redundat, quod vocatur *Lactis Abundantia*. Fit enim interdum, ut lac nimis redundet, ita ut plus debitò luxuriet lac, dum non tantummodò sufficit nutriendo fœtui, sed præterea etiam vel spontè effluit: Idque fit vel absolutè, vel respectivè: *respectivè* in iis, quę lactare nolunt, & ita lac in mammis colligitur; *absolutè* lac abundat, quando mulieres, etiam lactantes, plus lactis congerunt, quàm fœtus exsugere potest.

CAUSÆ.

Origo ejus investiganda est vel in materiæ copia seu uberiori alimento assumpto in subjectis sanis & salubribus, *hinc* in laudabili digestione stomachi; vel mammarum laxitate mollitieque, hinc spongiositate glandularum copiosarum & melioris consistentiæ, à quibus uberior lactis copia emulgetur & transcolatur; & in specie volatili acido, præcipitante lac ex massa sanguinea: quò & ipse fœtus robustior & famelicus, fortiùs exsugens lac, acproinde majorem ejus influxum per accidens excitans, pertinet.

DIAGNOSIS.

Quoad *Signa*: *sequentia observanda sunt*:

(1.) Evenit interdum, ut mulieres lactantes, dum lac promptè vel uberiùs affluit ad mammas, vel quibus jam lac copiosum in mammis est, in iis percipiant insignem turgescentiam à lacte retento, & dolorem quasi prementem & contundentem in regione spinæ dorsi; quod ipsis perquàm molestum est, *sæpè enim non possunt dormire*. Et hoc sæpissimè evenit ex abundantia lactis, vel quando simpliciter redundat, vel quando non sufficienter emulgetur ex mammis; quod ipse observavi non solùm in mulieribus lactantibus, sed etiam habitioribus & succulentioribus, quibus mediis gestationis mensibus, dum scilicet lac in mammis suboriri in quibusdam solet, qui tamen dolores evanuerunt, ubi lacti patuit exitus per mammas. Et talis, uti dixi, dorsi compressivus dolor oritur ex redundantia lactis, stagnantis quasi in locis & vasis, per quę aliàs esset deferendum ad mammas.

(2.) Quod lac, quando vel uberiùs ad ubera movetur, & copiosiùs in iis retinetur, interdum simul tumorem glandularum mulieribus, ubi sub axillis musculus pectoralis, qui brachium attrahit, inferat, quod ineptè Chirurgi pro abscessu radicali interdum habent: unde puerperæ lactantes brachium movere sine dolore non possunt. Præterea

(3.) Lactis abundantia patet ex copiosiore excretione ejus, quæ imprimis tunc est curanda, quando tam copiosè abundat lac, ac simul spontè effluit, ut exinde emacietur fœmina, aut etiam nonnihil debilitetur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Malum per se patet, per se innocuum est, & benignum naturæ beneficium.

Moderata ergo abundantia minus mala est; cum fœtus successivè grandior ac robustior, plus ejus in sui nutrimentum absumat.

Non tamen adeò contemnendum est, si enim nimis abundet, ut atrophia sequatur, aut virium debilitas, curationem omninò postulat. Metus quoque est, ne lac in mammis redundans ex tumore nimio dolorem, inflammationem, hinc lactis corruptionem inferat: imo ipsum lac in mammis uberiùs congestum, quàm vel fœtus exsugit, vel in mulieribus, quæ lactare non volunt, proprio motu ad sui corruptionem & acescentiam vergere, coagulari, & ita mammarum dolorosa irritatione scirrhos, scrophulas & abscessus, aliaque mala, inferre potest: minus tamen adest periculum, quando uberius fluunt lochia.

CURA.

CURA.

Quoad *Curam*: In hac *duo scopi observandi sunt*:

1. Nimius lactis proventus tam internis appropriatis, quàm externis, præcavendus.
2. Genitum verò jam lac copiosum & mammas distendens, vel mediante sudore, quo etiam promovetur lochiorum excretio, vel mediante per papillas effluxu, removendum.

Effluxus per papillas promovetur vel emulctione spontaneâ; vel suctione per canem, qui dentes non habet; vel mediantibus sacculis oryzâ, aut milio, aut hordeo contuso plenis, quàm fervidè ferri potest, mammis impositis, idque in specie, si priùs impositum fuerit *emplastrum de spermate ceti Mynsichti*, ut integras mammas tegat; sic præcavetur lac à sui coagulatione; fiant nempè sacculi pollicis crassitie, iique interpassati, probè calefacti imponantur dicto emplastro, crebriùs repetendo, toties nempè, quoties calor remittit, sic lac fluidum manet, & spontè per papillas emanat. Milium enim, oryza & hordeum mammis imponuntur non propter specialem vim, sed propter calorem, quia magis quàm aliud subjectum calorem retinet.

Post moderatam ergo diætam Interna quædam appropriata, in specie autem Externa, vel adstringentia, vel resolventia, vel appropriata, quæ lactis redundantiam tam præservant quàm curant, usurpanda veniunt.

Quoad remedia interna: Mentha, ejusque aqua & decoctum, est unum ex optimis lac absumentibus: (quidam etiam dicunt, lac generare:) item Cicuta, Apium, ejusque aqua vel decoctum radicis bibitum; item *Vitex* seu agnus castus, *eiusque semen*, & ex eodem parata remedia. Rosmarinus etiam & Cherefolium ad lactis copiam imminuendam laudantur. Nicotianæ usus lac potenter absumit, Autore SANCHEZ *in Observationibus*. Ex Anetho etiam, Cherefolio, item Cumino, Coriandro & Myrrha, quæcunque assumpta lac imminunt. Semen lactucæ lac imminuere solet, quando nimirum in nimia copia affluit, temperando illud; quod quidem non solum, sed cum vitice facit. In genere omnia ea lac muliebre imminuunt, quæ aliàs ad genituram extinguendam & imminuendam in gonorrhœa in usu sunt; sed parciùs ea usurpari solent, ne vis genitalis imminuatur: quibus accedat uberior lochiorum fluxus, aut revocentur in ordinarium cursum menses, qui ut plurimum sunt suppressi lactantibus; aut instituatur venæ sectio in brachio.

Potiùs tamen externis hìc insistendum est, quæ sunt imprimis aqua apii & menthæ applicata, quæ epithematum instar lac imminuunt; sicut ipsa mentha contusa, instar cataplasmatis mammis circumposita, lac discutit & dissolvit in iis, quæ lactare nolunt, uti & calamintha. Quædam ideò mulierculæ aquam menthæ reiiciunt, quod posteà nunquam lactare possint. Fotus ex semine cumini contuso in aceto & aqua decocto applicatus, vel decoctum cumini cum aceto, cum vel sine pauco alumine, fotus instar calidè subinde mammis applicatur; aut paratum cataplasma ex semine cumini contuso cum aceto simplici, & ita calidè applicatum, convenit. Cataplasma ex farina fabarum & lentium in oxycrato decoctum est expertissimum mammis impositum: Vid. M.A.N.C. *Ann*. 6. & 7. *Append. pag.* 36.

Vel

℞. *Rad. Apii* ℥j.
Sem. Cumini,
Coriandr. an. ℥ß.
Coqu. in s. q. *aceti & aquæ Menthæ*, vel in *aqua*, & *vino*, addendo parum aceti destillati.
Colatura D. pro Epithemate.

Cum linteis multiplicatis calidè applicando mammis, cui interdum etiam aliquid *aluminis* addi potest:

D. S.
Externum epithema.

Expertus est hic fotus sæpissimè à D. MICHAELIS ad præcavendam lactis abundantiam. Cautè tamen applicandum hoc epithema, ne lac tam ab hoc, quàm aceto, coaguletur.

Folia & radix petroselini nonnihil siccata, vel in nodulis infusa & externè applicata, lactis abundantiam impediunt. Eminent *Cicuta & Mentha*, vel recenter contusa & mammis applicata; vel ex his paratum fomentum cum semine cumini & coriandri in aqua vel vino, linteis multiplicatis applicatum mammis calidè; vel ex decoctis fiat cataplasma additâ farinâ fabarum cum oxycrato, seu aqua & aceto, quod cataplasma etiam egregiè conducit; vel cicuta cum aqua cherefolii, vel succus cicutæ aceti tantillo temperatus, item folia cucurbitæ & plantaginis cum aceto contusa, applicata, item emplastrum de cicuta mammis impositum, confert ad imminuendum lac; simul quoq; lactis coagulationem, & glandularũ indurationem præcavet; uti etiam succus plantaginis mammis illitus certò lac imminuit; quod etiam facit facit vinca per vinca in forma cataplasmatis dorso applicata. Papyrus griseus, *sive charta bibula*, melle virgineo illitus, mammis impositus lac imminuit: ac denique cancri fluviatiles calcinati, sacculo lineo inclusi & mammis applicati, usurpantur ad lac imminuendum.

Quodsi mulier lactare nolit, ut evanescat lac denuò, convenit imprimis cataplasma ex mica panis, pulvere menthæ, aceto & sale, quo usus subinde TIMÆUS *von Guldenklee*. Vid. etiam WEDELIUS *de Med. Facult. p.* 197. Nec inconveniens est emplastrum HOEFERI *in Hercul. Med. pag.* 340. cujus hœc est compositio:

℞. *Ceræ alb.*
Flavæ,
Pingu. gallin.
Axung. cervin. an. ℥ß.
Mistis & liquatis adde
Camphoræ,
Myrrh.
Asæfœt. ana ʒß.
Croci ℈j.
M. f. Emplastrum:

Quo tingantur *lintea* in formam mammarum concinnata, sed ita perforata, ut papillæ exeant, sicque gestentur per sex septimanas.

WEDELIUS *l. a. & pag.* 199 mammis applicat emplastrum diachylon simplex, exceptis papillis, quæ liberæ sint; dorso verò emplastrum de spermate ranarum cum ana albi cocti, ut influxurum lac in via etiam impediatur, nec in mammas perveniat. Euporiston mulierum nostratium est, ut mox post partum, aut quando lac se manifestat, aut etiam dum jam effluere incipit, herba Alsine viridis, Germ. *das Mause gedarme*, leviter contusa nonnihil calidè applicetur mammis, & subinde renovetur, & ita lactis proventus in mammis sistitur. Vel folia brassicæ capitatæ albæ, leniter conquassatæ, imponi solent, aut solitaria, aut petroselino viridi nonnihil contuso repleta, calidè applicant ad præcavendum lac. Quidam recipiunt folia brassicæ capitatæ, & huic imponunt alsinem contusam, & calidè admovent mammis, crebriùs repetendo. De cætero etiam optimum *est experimentum sympatheticum*, ut quando mulier vel recusat lactare, vel infantem ablactavit, pro lactis ubertate tollenda, si de suo lacte emulgeat aliquid in carbones candentes, vel in ferrum candens; Omne enim lac, quod reliquum est in mammis, exsiccatur, & successivè breviter absumitur. Notat hoc HELMONTIUS *in suis Scriptis* per experientiam, certum esse. Expertum etiam fuit à PETRO à CASTRO, Medico Veronensi. Probatum est aliquoties post ablactationem infantum ad lac imminuendum: Nihil nocet lacti, alioque tempore lac accipiunt. Quando infantes clamitant, mater dolorem in mammis sentit, licet non sit domi: si fœtui mors imminet, lac mulieri deficere incipit. Communis etiam *traditio est* muliercularum, quod si mus nutricis lac gustaverit, lac statim in mammis absumitur, quod tamen ferè dubium mihi videtur. Ratio dubitandi est hæc, quod in nutricum lacte seposito murium excrementa sæpius fuerint reperta, absque tamen impedimento ulterioris lactationis, utut lac degustaverint. Si post infantis ablactationem lac adhuc restitans mammis dolorem conciliet, prodest tunc ad lactis in iis scaturiginem sistendam, si succinum & crystallus appendantur in regione dorsi mammis opposita in nodulo; sic enim lac successivè ex mammis moveri, & per alvum egredi, asserunt.



CAPUT III.
DE
LACTE IN MAMMIS DEPRAVATO, ET VARIIS INDE NATIS AFFECTIBUS.

ARTICULUS I.
DE
COAGULATIONE LACTIS.

CAUSÆ.

Tertium denique vitium est, quando *Lac depravatur* ac vitiosum fit: 1. quod variis modis in sapore, in colore & consistentia, fieri potest, pro vario usu sex rerum non naturalium, & hinc digestionum varietate: qua ratione MEARA *contra* WILLISIUM observavit lac cœruleum ex mammis excretum. Præ ceteris tamen familiarissimum & nocentissimum vitium est in lacte, si in mammis concrescat & coaguletur in grumos, ac in caseationem secedat; quod fit, quoties acidum, tàm lacti proprium, quàm aliunde superveniens, excessivum, lac condensaverit; sive coagulatio hæc in mammarum substantia fiat, sive in ductibus & glandulis ad papillas derivatis, perinde est. Jam verò promptissimè acescit & coagulatur lac, *partim* quod in se ipso occultum gerat acidum; hinc enim acorem, & per consequens coagulationem, lacti inducunt omnia ea, quę eius alterationi vel aliquali corruptioni occasionem præbent, hinc namque subitò acescit, unde ejusmodi congrumescentia: *partim* quod in glandulis mammarum à lympha acidula, tanquam peculiari fermento, probabiliter specifico acido, corrumpatur: quibus si accedit spirituum animalium defectus, ex motu nempè eorum sub animi pathematis gravioribus perturbato, necessariò acidum anteà blandum & occultum fit manifestum, indeque lactis proprii coagulativum. *Coagulatur* nunc ergo *lac sua sponte, nunc à rebus non naturalibus*. Suâ sponte, quando quocunque modo in mammis alteratur, aut etiam diutiùs in iisdem retinetur; sic enim retentum, nec excretum, tepore loci occultâ fermentatione, alteratur, alteratum facillimè acescit & grumescit, & hinc mammarum supervenit tandem inflammatio, atque huiusmodi coagulationes pedetentim fiunt; sicut subitò id accidit in rebus non-naturalibus, v.g. animi pathematis, mœrore, terrore subitaneo gravi, ira ac similibus; ab his enim mulieres mox percipiunt lactis grumos in mammis. Ex terrore mox lac coagulatur: Novi puerperam, quæ in somno ex graviori insomnio perterrefacta, huius insomnii occasione, mox lac in mammis coagulatum contraxerit. Si iracundiâ nimiâ sint affectæ, lactis coagulationem & erysipelas contrahunt. Facit huc etiam si post sudorem mammæ subitò exponantur aeri frigido; sic enim subitò induci solet sicuti sanguinis, ita etiam lactis, ab acore suborto coagulatio. Porrò acida qualibet assumpta, in specie austera, si copiosiùs ingerantur, nisi corrigantur maturè in primis viis, vel extra inconsultò & intempestivè mammis applicentur, lac quoque coagulare valent: qua ratione fomenta nimis acida, & quæ recipiunt acetum ab aliis admistis non ritè temperatum (cuminum temperat acetum) facilè lactis coagulationem inducere possunt. Rigor febrilis in febribus intermittentibus lac pariter in mammis coagulat, ut observat SCHNEIDERUS *in Obs. pag.* 228.

Causæ hæ si fuerint graviores, lac totum coagulant, mammasque induratas reddunt: leviores si fuerint, lac tantummodo in una alterave glandula grumefaciunt, aut exinde saltem aliquot loborum infarctum inducunt, unde tunc fit, ut permaneat adhuc lactis per papillas effluxus, utut grumosa, & caseosa in mammis deprehendantur tactu.

DIAGNOSIS.

Quoad *Signa*: Lac in mammis in grumos abiisse, subitò percipiunt fœminæ: sed *aliud est* durities mammarum à lacte nimio mammas distendente, *alind* lac coagulatum in mammis. Ordinariò in puerperio, quando tertio vel quarto die lac defertur ad mammas, mammæ durissimę apparent, sed tunc sunt æqualiter duræ: Verùm quando lac coagulatum est in mammis, mammæ inæqualiter tument, nempè hinc inde tumores duri, tactui renitentes, nunc simplices, nunc multiplices, duplices, triplices, &c. subitò deprehenduntur, modò majores, modò minores, modò continui, modò interrupti, prout plus vel minus continuæ, vel secretæ aut discretæ, fuerint affectæ glandulæ; basis enim semper est glandula lacte circumfessa.

Tumor hic in principio est sine dolore; successivè autem mulier dolorem obtusum gravativum & quasi contundentem in mamma percipit, nisi maturè dissolvatur grumus coagulatus.

Malo occasione grumi caseosi procedente supervenit calor, rubor, & insignis æstus mammæ in loco lactis caseati, cum pulsu & pathematis totius corporis febrilibus, hinc dolor punctorius, intensissimus ardor, &c. mammam prehendunt, magis magisque phlogosi seu inflammatione intumescit, ac ex fibrarum spasmo propter irritationem doloris indurescit, hinc insigniter augentur dolores ardentes, pungentes, pulsantes, non secus ac si spina digito infixa est: hinc sub his tormentis inflammatio successivè suppuratur, ac simul lac caseatum in pus mutatur; factâ suppuratione aperitur abscessus, & ulcus factum mundificantibus & consolidantibus lege artis tractetur. Hæc ordinaria sunt phænomena, quæ insequuntur lac coagulatum; quibus semper suppurationis negotio febricula plus minus intensa jungitur, nisi lac jam grumosum factum maturè dissolvatur. Nam ubi perfectè semel induraverit coagulum lacteum: non nisi suppurationis negotio solvi, & ex mamma eiici potest. Nempè ex lactis coagulatione tres sunt modi evadendi; *aut* successivè emollitum disparet; *aut* superveniente inflammatione, beneficio abscessus, nunc spontaneâ aperturâ, nunc chirurgicâ per lancettam, vel cauterium potentiale apertione evacuatur; *aut* tertiò tandem, utut rarò, promptè induratur, & in scirrhum abit.

Quod si ab animi pathematis, speciatim à terrore, fiat lactis coagulatio, ordinariò mox inflammatio erysipelacea primitus occupat mammam, cum intenso rubore, ardore, dolore pungente, in superficie mamma simul induratur, & in profundo grumi lactis caseati apparent; qui discussâ inflammatione erysipelaceâ adhuc contumaces perstant, & ita suprà dicto modo, superventu genuinæ inflammationis & suppurationis, dissolvuntur.

PROGNOSIS.

Patet ex his *Prognosis* facilè: scilicet non leve malum esse lactis acescentiam, cùm dolorosissima mammarum sint apostemata, febris etiam adjuncta, plus minus intensa esse soleat, & ex his occasionibus ulcera mammarum diuturna & cacoëthea, cùm sint partes glandulosæ, facilè oriri possunt.

Tota ergò hujus ratio consistit in grumo lactis, qui si dissolvatur maturè, res in vado: si verò hæreat pertinax, non nisi mediante abscessu potest curari, qui nunc ritè mundificatur, nunc in ulcus sinuosum & fistulosum abit, nunc ipse tumor in scirrhum induratur, nunc facilè etiam in cancrum degenerat.

CURA.

In *Cura* ergo, ubi adest suspicio vel præsentia lactis coagulati in mammis, lac nondum concretum quantocyus removendum, coagulatum maturè resolvendum, & lac resolutum vel insensibiliter discutiendum, per sudores nempe, vel sensibiliter emulgendum; grumus verò si resolvi nequeat, saltem suppuratio promovenda, & abscessus maturandus, ut citiùs & jucundiùs, hoc est, minori doloris tormento, liberetur.

Unde pro his scopis obtinendis subitò quantocyus mulier coagulum lactis, vel exinde sibi nasci tumorem, in mamma percipit, mammam emulgeat, quantum potest; vel si non possint, lac emulgere, mammam exsugendam cani præbeat, aut exsuctio per vitra instituatur, ut id, quod nondum concretum est, maturè removeatur, ne & hoc concrescere incipiat. Quo facto, ut grumi citò dissolvantur, usurpentur internè sudorifera absorbentia seu acidum coagulans infringentia, atque hinc sanguinem & lac grumosum resolventia, qualia sunt sperma ceti, grumos quoscunque resolvens, à ℨß. ad ℨi. usurpatum. Hinc etiam emplastrum de spermate ceti Mynsichti, externè mammis mulierum lactare nolen-

polentium statim impositum, ad præcavendos lactis grumes non habet æquale remedium, præcavet simul, ne reliquum lac tàm facilè in mammis concrescere possit. Propinentur ergò lapilli cancrorum, qui vulnerarii, & acido absorpto lac resolvunt, imprimis si myrrhæ paululum iis addatur, cornu cervi sine igne, antimonium diaphoreticum cum salibus fixis, cardui benedicti nempè, absinthii & similibus; nunc in forma pulveris, nunc cum rob sambuci in forma boli, & mediante superventu sudoris acidum infringatur, & lactis grumus, quantum possibile, dissolvatur. Pulvis millepedum seu asellorum sicut mira præstat in chirurgicis casibus, ita etiam in specie in resolvendo lacte coagulato si à ʒß. ad ʒi. crebriùs hauriatur, idque experientiâ RIVERII *Cent.* 4. *Observ.* 89. ulceraque mammarum cavernosa mirabiliter curat. Porrò semen fœniculi, cumini, anisi, crocus, salvia, mentha, cherefolium ac similia internè usurpata etiam lactis præcavent & resolvunt grumos. Præ cæteris *salia volatilia*, quæ per sudorem & vi alcalinâ grumos lactis coagulatos dissolvunt; primariò spiritus salis ammoniaci probè rectificatus, liquor cornu cervi succinatus & similia, acidum quodcunque destruentia, & hinc lactis grumos dissolventia, conveniunt dosi à ℈i. ad ʒi. & blandum sudorem, istis propinatis, mulier exspectet. Et si rectè sudant, mox sensibile levamen in mammis percipiunt, tam in lactis coagulatione, quàm etiam, si supervenit inflammatio. Si spiritus salis ammoniaci usus sit nauseosus, commodè dissolvitur & assumitur cum lacte; sic enim sapor & odor ejus fit insensilis.

Quoad *Externa*: ubi sudaverunt, mox in principio ad dissolvendos lactis grumos maturè imponatur emplastrum de spermate ceti Mynsichti, de quo jam monui, tanquam optimum, imponendo desuper suprà laudatos sacculos ex oryza, milio vel hordeo contuso, ut partim internis, partim his externis, grumus lactis denuò dissolvatur, quæ ipsa etiam remedia aliquamdiu continuanda. Certè emplastrum hoc de spermate ceti non est contemnendum, ritè paratum nempè, si ceræ albæ liquefactæ in sartagine addatur galbanum, & hinc probè mistis ab igne remoto addatur demum sperma ceti, ut fiat emplastrum ductile, totis mammis inducendum. Conferatur de ejus usibus TIMÆUS *von Guldenklee in Casibus pagina* 234. Tamen hoc magis præservationis gratiâ, aut saltim in principio coagulationis confert. Si enim jam grumi quidam appareant, aut coagulum lactis durius & pertinacius fuerit, ita ut dicto emplastro cedere nolit, vel coagulum hoc modo resolutum iri vix suspicio sit, tunc optimum est emplastrum de galbano crocatum Mynsichti probè calidum (*Galbanum est valdè bonum*) integræ mammæ instratum, admotis simul modò dictis sacculis, & continuatis internis, imprimis cum sudore: certè egregium est hoc emplastrum in grumis lactis dissolvendis, vel sequens *emplastrum*, quod aliquoties expertus fui:

℞. *Empl. de Galb. crocat. Myns.*
Gummi ammoniaci aceto solut. vel *lento igne liquat.* an. q. s.
Liquefacta malax. & sign.
Emplastrum resolvens.

Inducatur super *alutam* seu *linteum crassum* (*aliàs xylinum*) ita ut integram mammam obtegat, transcindendo *foramen pro papilla*; post imponatur mammæ probè calidè, & imponantur sacculi fervidi jam dicti, & mulier disponatur ad sudorem; sic inchoatos grumos absumit, & denuò resolvit, atque lac successivè evanescit. Sed necesse est, ut fiat in principio; si enim per biduum aut triduum lac coagulatum in mammis hæserit, frustrà est, ut dissolvantur grumi, & insensibiliter dispareant. Convenit etiam hujus emplastri usus iis, qui infantes ablactant, & quibus ex lacte retento & coacervato dolor & grumescentia imminet. Sanè si ex terrore vel alia subitanea occasione lac in grumos abeat etiam emplastra dicta imposita cum sacculis istis sæpiùs renovatis, & internè sudoriferis propinatis, in principio administrata multùm prosunt. Externè quotidie bis sequentem spiritum illinire jubeo:

℞. *Spiritus sal. ammoniaci cum calce viva*, vel *aqua calcis vivæ saltem*, ʒiß.
Ess. Croci ʒiii.
Diluantur cum *spiritu Vini*, *non adeò rectificato plus minus*:
D. S.
Externa Mixtura resolvens.

Mixturâ hac calida illinantur loca grumosa, & sic imponatur dictum emplastrum, quotidie bis renovando illinitionem, & idem emplastrum denuò, & desuper sacculum oryzâ & avenâ repletum calefactumque imponendo.

Subinde etiam ita præscribo:

℞. *Empl. de Galb. crocat.* ʒiß.
Diachylon simpl. ʒiii.
Liquefacta malax. cum s. q. *sevi cervini*.

Inducatur super *linteum* amplum, & applicetur mammæ
D. S.
Emplastrum resolvens.

Egregiè dissolvit.

Novi mulieres, quæ ubi ex quodam affectu animi, vel alia quavis occasione duritiem mammæ cum rubore & phlogosi erysipelacea observant, & hinc lactis coagulationem metuunt, mox emplastrum Norimbergense dictum applicant, & hinc potentem sudorem eliciunt.

Juxta hæc etiam hic in usu est, ut ad lactis coagulati grumos dissolvendos *Ruta & Mentha* contusa, & tanquam cataplasma mammis imponatur per octiduum, quotidie novam recipiendo: Optimè resolvit lactis grumos, imprimis si simul propinetur internè omni manè ʒi. seminis anethi. Hinc cicuta contusa & imposita etiam lac grumosum resolvit. Quidam etiam fotus suadent ex decocto chelidonii majoris applicato; vel ex decoctis fœniculi, anethi, abrotani, chamomillæ, cherefolii, cicutæ, menthæ, & similibus applicantur: quò etiam pertinet fotus PAULI *in Quadr. Botan. pag.* 396. ex herba menthæ, & rutæ cum tantillo seminis carvi in aceto cerevisiæ coctis, & instar cataplasmatis applicatis. Vel

℞. *Herb. Menthæ*,
Flor. Chamomill.
Lil. alb. an. M. I.
Rad. apii ʒß.
Sem. Cumin.
Coriandr. an. ʒii.
Incisa & contusa D. S.
Externæ species.

Ebulliant in *posca* sive *oxycrato*, id est, mixtura ex aqua & aceto: Decocto immergantur lintea, & calidè repetitis vicibus mammæ admoveantur.

Sed quoniam hujusmodi humida admota facilè refrigerantur, unde & tenera & sensilis mammarum cutis occasione frigidi & humidi ambientis poros contrahit, indeque ex insensili transpiratione impedita dolor, irritatio, & hinc inflammatio exasperatur, propterea fotuum loco majoris facio emplastra. His etiam adnumerentur folia & radix petroselini imposita, quæ lactis grumescentiam impediunt: verùm hæc saltim juvant in principio. Quod si nihilominus in duriores grumos abierit lac, ita ut dictis modis discuti nequeant, tunc supervenit vel inflammatio mammarum, vel gangræna, vel indurantur in scirrhum.

ARTICULUS II.

DE

ABSCESSU LACTANTIUM.

Si ergo hactenus dicta sint irrita, ita ut ex lactis coagulo jam immineat mammæ inflammatio, suppuratio & futurus abscessus, ut maturetur inflammatio, & promoveatur suppuratio, internè propinetur pulvis ex lapill. cancrorum, sale cardui benedicti, myrrha & similibus, quæ nimium acorem in primis viis absorbent & destruunt. Si mulier sudet interdum, est curatio magis prospera.

Externè egregium est pro maturando abscessu, ut mamma tumida illinatur spiritu salis ammoniaci cum calce viva, & spiritu vini parato; melius est, si addantur crocus & caryophylli, & destilletur; e. g.

℞. *Spiritus sal. ammoniaci cum calc. viv.* ʒvi.
Ess. croci ʒiii.
M. D. S.
Externa mixtura leniens.
Vel
℞. *Aquæ artic. ad extra* ʒi.
Spir. sal. ammon. cum calc. viv. ʒvi.
M. S. ut antè.

Illinatur, quàm calidè ferrè possunt, *cum linteolo*, mammæ tumidæ, quousque rubet, tumet & dolet, ter quotidie, imponendo desuper calidè emplastrum diachylon cum gummis, vel modò laudatum emplastrum de galbano crocatum Mynsi-

Mynsichti, malaxatum cum sufficiente quantitate olei tartari fœtidi, superimponendo calidè sacculum oryzæ, vel milio turgidum. Reiteretur hoc quotidie bis vel ter; his enim mediis facilitatur in tantum suppuratio abscessus, ut ne dimidios dolores percipiant, quos aliàs sentirent, si cataplasmata Chirurgis usitata applicentur: *suppurat facilè & emollit*, &c. Vel illinatur mamma isto spiritu, & imponatur desuper emplastrum diachylon cum gummatibus, vel solum, vel cum aliis mixtum, e.g.

℞. *Empl. de Melil.* ℥iii.
Diachylon. cum gumm. ℥iß.
Mista malaxentur cum s. q. *ol. lil. alb.*
D. S.
Emplastrum emolliens.
Aut
℞. *Empl. de galb croc. Mynf.* ℥ii.
Diachyl simpl.
Gumm. ammon. cum acet. dissol. an. ℥ii.
M. pro Emplastro,
Malax. cum s. q. *Ol. Philos.*
D. S. ut antè.

Hoc post factum istum litum semper denuò probè calefactum imponatur, idque quotidie ter repetatur; sic pedetentim suppuratur abscessus. Nam successivè in quodam loco levius emergit tuberculum, quod si appareat, digito contingendum est, an sub eo omnia sint molliora? nam si durum est, continuentur remedia; sin verò molle, aperiendum est cultello. Aliàs pro promovenda suppuratione in usu est, ut imponatur *emplastrum e x mica panis cum lacte*, vel *medulla panis cum succo apii* imprægnata; sed faciunt dolores. Sin uerò suspicio supervenientis inflammationis absit, sed futuræ apostematis apertionis, commendatur remedium HILDANI *Cent.* 2. *Obs.* 58. quod est cataplasma, quod vel solum impositum mammæ interdum dissolvit coagulum, & cessare facit inflammationem, vel si hoc non fit, facilè ad abscessum ducit inflammationem. Accipitur etiam ad maturandam suppurationem succus fimi ovilli, qui mistus cum aqua agrimoniæ imponitur; aut ipsa herba agrimoniæ, vel cherefolii cum radice contusa, addito butyro & melle, suppurat, & maturatę suppurationis abscessum adjuvat. Sicuti etiam loco horum ad maturandum & rumpendum tumorem sequens cataplasma est egregium:

℞. *Rad. Ireos nost.* vel *Florent.*
Cepar. sub cineribus cal. coct. an. ℥iiii.
Fermenti ℥ii.
Vitell. ovor. No. iii.
Axung. porcin. rec. non salit. ℥ß.
Ol. Rosar.
Farin. fœnugr. vel *fabar.*
Sem. Lini an. ℥i ad ℥ii.
Omnia contund. & Misc. pro Cataplasmate mammis imponendo:
D. S.
Puls emolliens.

His modis ferè lactis gromositates & ex his natæ inflammationes tractandæ veniunt.

Quodsi maturatus sit abscessus, convenientissimum est, ut lancettâ aperiatur; dolorum enim atrocitas non permittit, ut expectetur spontanea apertura. Cutis nempè membranosa & densa longum tempus requirit, donec plus minus salsum penetret, unde dolores majores, quando ad cutim pervenit. Internè autem, quia tantum glandulæ & pinguedo facilè à pure resolvuntur, inde minores dolores observamus. Aperto abscessu evacuandum est pus, postmodum mundificandus est, partim ut grumi foras eliciantur, partim ne in ulcus sordidum degeneret. Pro purificando & consolidando abscessu facto optimum est applicare cum turundis balsamum Peruvianum, balsamum sulphuris terebinthinatum, oleum hyperici, aut saltem digestivum quoddam commune ex vitello ovi, melle & terebinthina. Egregiè etiam mundificat abscessus mammarum oleum nucis juglandis cum turundis applicatum. Loco huius præstantius longè est oleum stercoris humani, quòd ulcera & abscessus mammarum periculosos, qui acriores facti gangrænescunt, egregiè mundificat & purificat. Prętereà commendatur *oleum Momordicæ* per infusionem, vel infundantur poma momordicę rubicunda & spinosa in oleo olivarum vel lini. Hoc cum turundis applicatum, vel blanda manu instillatum in abscessum, est admirabile in mammarum abscessibus & ulceribus. In defectu huius sumitur *balsamus sulphuris* vel communis *Rulandi cum oleo papaveris*, vel oleo nucum, vel *amygdalarum dulcium* expresso, vel nobilior cum oleis destillatis, terebinthinę, &c. & vel solus, vel si acrior fuerit, mixtus cum vitello ovi applicatur, applicato desuper emplastro dia sulphuris Rulandi, vel emplastro diachylon composito. Solis etiam foliis tussilaginis ulcera mammarum curata sunt. Abscessus servatur tamdiu apertus, donec parum vel nullum tumoris duri superfit indicium.

ARTICULUS III.
DE
MAMMARUM FISTULIS.

Quodsi fiat, ut abscessus apertus degeneret in *Fistulam* (quę in huiusmodi locis glandulosis admodum sunt contumaces) sinuosaque ulcera, sanè oleum modò laudatum Momordicę est prętantissimum ritè adhibitum, aut usurpanda sunt medicamenta FORESTI *lib.* 1. *observ.* 24. Nempe eluenda est quotidie fistula bis cum decocto agrimonię, in quo parum aluminis & myrrhæ sunt contenta: Hinc tale applicetur unguentum:

℞. *Succ. agrimon.* ℥i.
Aloes,
Myrrhæ,
Sarcocoll.
Alum. plum. an. ℨi.
Et incorporentur cum *melle* pro Unguento ad fistulas mammarum.
D. S.
Unguentum mundificans.

Alia remedia fistulis dicata pro mammis videbitis in SCULTETI *Armam. Chirurg. obs.* 75.

ARTICULUS IV.
DE
INFLAMMATIONE MAMMARUM.

Habuimus *superiùs* symptomata, quę circa lactis generationem superveniunt: verùm hęc ipsa symptomata, in specie coagulum lactis, sępissimè causa est variorum & gravium mammarum tumorum, quibus mulctantur fœminę; qui tumores propiùs ad Chirurgiam spectant. Quoniam autem periculosissimi sunt, & singulare quid obtinent, de his quędam adhuc monenda sunt. In genere in omnibus mammarum affectibus observandum est, quod mamilla affecta rarò ad sanitatem perducatur, nisi altera sana lacte exsiccetur, ut rectè hoc observat AMATUS LUSITANUS *in Cent.* 1. *Cur.* 47. quia, dum lac influit ad unam mammam, etiam fluit ad alteram, & sic malum exasperatur. Observatur enim, quod in muliere lacte abundante, si fœtus mammam unam sugit, ex altera etiam lac ploret vel stillet.

CAUSÆ.

Sępè ergò ex lactis coagulo in mammis, aut quod aliàs stagnat, acescentiâ vitiosa, aut quacunque ex causa, Inflammatio vel simplex, vel erysipelacea, mammam mulieris, pręsertim puerperę, prehendit: id quod pręter intensum ruborem & dolorem gravativum ac nonnihil lancinantem, simul rigor febrilis cum insequenti ęstu, & in medio sui vehemens pulsatio, ostendit. Rariùs oriuntur inflammationes mammarum ex contusione externa, aut etiam ex angusta nimis mammarum constrictione.

Hæ ferè sunt causæ, quæ inducunt inflammationem Mammarum.

DIAGNOSIS.

Signa ex dictis patent: Nempè ex tumore, dolore, ardore, & pulsationis sensu, ratione arteriarum in sanguinis distributione impeditarum: quę si percipiuntur, certum signum est, properare tumorem mammę ad inflammationem & suppurationem, ubi frustra est omnis conatus discutiendi grumos lactis & tumorem inflammativum; qui tumor est quidem minor in Erysipelate, ardor verò & dolor in hoc est maior.

PRO-

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Inflammationes omnes mammarum sunt periculosæ, quia utplurimum abeunt in abscessus, & hinc in ulcera sinuosa, interdum etiam in fistulas: si non abeunt in abscessus, indurantur in scirrhos, qui levi errore abeunt in cancros. *Rarissimè enim inflammationes mammarum, in specie ex lactis coagulo, discuti possunt.*

CURA.

Quoad *Curam*: mox opera danda est, ut lac sedulò emulgeatur, inflammatio verò resolvatur ac discutiatur quantocyus: aut si hoc fieri nequeat, sanguinis aut lactis grumi ex acido coagulati & stagnantes, per suppurantia maturentur, & in abscessum transmutentur. Internè sudoriferum fixum ex pulveribus diaphoreticis cum salibus fixis, lapillis cancrorum, *myrrha*, sale absinthii, cardui benedicti, & similibus propinandum, ut largiter sudent. Conveniunt etiam remedia ex mentha & cherefolio; nam horum decota, succi, aquæ, &c. inflammationem sistunt, aut suppurationem fientem adjuvant; vel sola aqua ex mentha & cherefolio destillata artificiosè, si poterit mirificè in inflammatione mammarum conducit. Hinc ex carduo benedicto blandè & moderatè usurpata sudorifera sanguinis stagnationem egregiè tollunt. Hisce sperma ceti primariò est addendum, si parum eius misceatur cum myrrha: prius, nempè sperma ceti, coagulum tàm lactis quàm sanguinis dissolvit: posterius, myrrha scilicet, acorem corruptivum sub suppuratione arcet.

Præ cæteris tamen, *Externis* imprimis insistendum, quæ inter ad inflammationem mammarum discutiendam imponatur Papyrus griseus, *seu charta bibula*, vel cœruleus propter colorem, qui est ex Cobalto, benè confricatus, melle virgineo illitus, mammis impositus. Si verò fuerit *Inflammatio gravior*, est optimum phlegma vitrioli, purum sine acido, aliquoties à proprio capite mortuo cohobatum; quia singulares habet vires à sulphure vitrioli: Item aqua cicutæ, aqua plantaginis, in specie spermatis ranarum, remedium singularissimum ad quæcunque erysipelata. Convenit itidem decoctum thuris & myrrhæ in aceto & vino tepidè applicatum. Aqua calcis vivæ, si quæ alia, inflammationem omnem avertit, resolvit & discutit: vid. WEDELIUS *de Med. Facult. pag.* 199. Ulterius unum ex expertissimis ad mammarum inflammationes remediis est *cataplasma*, factum ex farinis, v. gr. *ex farina fabarum, lupinorum* & lentium in oxycrato, seu aqua & aceto, coctis & subactis, & cum abdominis ovi pauco mistis, imponatur mammæ: vid. RIVERIUS *Cent.* 4. *Observ.* 74. Hoc cataplasma, uti *suprà ad Inflammationes Testium* ceu singularissimum commendavi, quia etiam sunt corpora glandulosa; ita & hoc ipsum est experimentum RIVERII, tam in testium quàm mammæ inflammatione, in *Cent.* 2. *observ.* 39. *Cent.* 3. *obs.* 1. *& Cent.* 4. *obs.* 74. & AMATI LUSITANI *Cent.* 2. *Cur.* 34. contra mammarum inflammationes: idque calidè sæpiùs repetendo; sicuti loco huius alii usurpant Linimentum ex farina seminis lini cum melle subacta illitum. Porrò etiam cancri fluviatiles triti crudi, tumentibus mamillis illiti, mire prosunt; Nam in cancris ad rem Chirurgicam pertinentia multa latent arcana. Tandem emplastrum de spermate ceti Mynsichti, emplastrum de cicuta Hildani, & similia, inflammationes similiter resolvunt. Præ ceteris observatu dignum est, quod manus, in qua talpa viva tamdiu fuit detenta, donec moriatur, si imponatur mammæ, in principio statim inflammationes egregiè sistantur; quæ ipsa manus etiam cancrum mammæ occultum, singulariter curat: Vid. SCHMUCK *in Curat. Magico-Magnet.* & HORSTIUS. Denique pinguedo serpentum in tumore mammarum ex lacte abundante cum metu inflammationis mirificè confert, si illinatur; uti etiam in iam dicto casu singulariter utile est, si recipiatur medulla panis, imbibatur cum succo apiî, & imponatur mammæ; sic enim sanabitur.

His & similibus dictæ inflammationes discutiendæ; sin minus, suppuratio expectanda & promouenda, de qua *suprà* sufficienter dixi.

ARTICULUS V.

DE ERYSIPELATE MAMMARUM.

CAUSÆ.

Distinctio *autem facienda* est ab inflammatione mammarum, quæ ab alia causa superuenit, & etiam ab ERYSIPELATE. Interdum enim, & quidem sæpissime, terrori puerperarum superuenit similis erysipelacea inflammatio in mammis, una cum lactis coagulo; exinde enim horrore corripiuntur, postmodum grauem æstum incurrunt, & vehementem pulsationem in mammis percipiunt.

DIAGNOSIS.

Erysipelas mammæ mox apparet, mamma rubet, calet, coccineo colore tincta est, & dolores lancinantes & pungentes in eius superficie percipiuntur.

CURA.

In *Cura* lac emulgeatur. Internè verò, dum calor durat, propinentur remedia diaphoretica fixa, in specie alcalia, acidum absorbentia, v. g. Bezoardica antimonialia, cornu cervi, lapilli, cancrorum, &c. cum sale absinthii, cardui benedicti, &c. v. g.

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈i.
Salis Card. bened. ℈ß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis dissolvens.

Expectetur sudor, sub quo mammæ linteis calidis probè obtegantur, ut sudor erumpat.

Hoc facto, si levius fuerit erysipelas, pro discussione tumoris erysipelacei applicentur *sacculi ex floribus sambuci*, qui interpassati cum *spiritu vini* probè rectificato largiter *irrorentur*, suffumigando pulvere *succini & thuris*, & quàm calidè fieri potest, admoveantur, aliquoties repetendo. Vel, si gravius fuerit malum, optimum est, ut fiat emplastrum ex *theriaca* & sale *absinthii*:

Nempe
℞. *Theriac.* ℥ß.
Salis Absinth. ℈i. vel ʒß.

Quæ mixta in forma emplastri calidè imponantur mammæ erysipelate affectæ; *est præsens remedium.*

Loco horum est optimum *Rob sambuci*, quod inducatur *linteo*, & postmodum probè calefactum tam calidè, quàm mulier perferre potest, imponatur, & hoc omni hora repetatur calidè (in hoc enim consistit arcanum) sic & resolvitur lac & discutitur imminens & jam factum erysipelas. Superstitio est, quod horreat talia humida. Vel pulvis erysipelatodes Mynsichti cum spiritu vini tartarisato ebrius, calidè mammis applicandus, & imponatur vel linteum vel sacculus ex floribus sambuci & chamomillæ, mulierque blandè sudet, aut semper madeat. Convenit itidem decoctum thuris & myrrhæ in aceto & vino tepidè applicatum. Ubi dolor intensior, aut folia hyoscyami, aut laudani opiati tantillum, aut similia, commodè addi possunt. Vulgo, & quidem non à vulgo Medicorum, sed à singularibus Chymiatris, commendantur specula pavonum seu orbicula lucida, quæ in pennis pavonum sunt conspicua, idque ex signatura, quam habere dicuntur cum mammis, quas quodammodo repræsentant: Sed profectò nescio, annon ex falsa quadam hypothesi seducti sint hi Autores de speculis pavonum; & vereor, ne soli imaginationi indulgentes frustra usurpentur.



ARTICULUS VI. DE SCIRRHO MAMMARUM.

CAUSÆ.

VErùm hi ipsi tumores, sive sint ex sanguinis sive lactis coagulo, non semper resolvuntur, neque etiam suppurantur, sed sæpissimè non ritè tractati, ab acido proprio, contracto in materia coagulata, indurantur in tumores duros & indolentes: Et quidem si sint ex sanguinis grumis, ex inflammatione indurata & coagulata, oriuntur imprimis scirrhi: sin verò sint ex lacte, in glandulis mammæ coagulato & indurato, oriuntur scrophulæ seu strumæ, utut hoc rariùs fiat, quin utplurimum per suppurationem grumorum lactis, tanquam spina exotica à natura ejicitur. Alias causas vix habent scirrhi & scrophulæ, nisi interdum in mulieribus ex mensium aut emansione naturali aut suppressione præternaturali superveniat scirrhus in mamma.

DIAGNOSIS.

Tumor talis tactui renitens, indolens, & qui instar lapidis in parte infixus ponderosus hæret.

Indolentem dixi tam scirrhum quàm strumam. Scirrhi mammarum sunt varii; oriuntur enim vel à causa manifesta, & sunt indolentes; vel pedetentim ab interna causa, qui subindè sunt nonnihil dolentes, non quidem continuò, sed interdum. Scirrhi hi, si duri, indolentes, sine insigni caloris naturalis mutati vestigio fuerint, scirrhi legitimi dicuntur, & specialiter ex acido fixiori, lac aut sanguinem fortiùs condensante & coagulante, oriuntur. Sin verò pulsare & hinc dolere incipiunt, & punctiones acutæ in eodem observantur, calor etiam, obscurus licet, non nihil in eodem observetur & color ad aliqualem livorem degenerat, signum est scirrhi illegitimi seu cancrosi, aut saltim ad cancri naturam declinantis, & ab acido volatili corrosivo facillimè effervescibili originem ducit: unde relinquendi sunt, ne exasperentur, & crabrones irritentur; *reliqui vero scirrhi curandi sunt*. Ex quibus facilè patet, quomodo cognoscantur scirrhi & scrophulæ mammarum.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin* eorum: Cautè & circumspectè admodum curari debent; nam facili errore in cancros degenerant; idque imprimis in mulieribus, quibus jam naturaliter deficiunt menstrua.

Imo qui ex mensium vitiis superveniunt scirrhi aut scrophulæ, scirrhi imprimis, non nisi cautè attingi debent, quia ut plurimum, si non semper, aliquid cancrosi subest.

CURA.

Quando ergo tumorem durum scirrhosum, utplurimum inveteratum, patiuntur mammæ, hic, si indolens fuerit, id est sine punctionibus subinde recurrentibus affligat, durum coagulum, sive sanguinis sit in scirrho, sive lactis in scrophula, nunc relinquendum, nunc verò successivè emolliendum, discutiendum & resolvendum est. Nam ut suppurantia applicentur, nisi ipsa natura eò tendat, nemini autor ero; periculum enim est, ne suppurantia & emollientia propriè sic dicta acidum scirrhi attenuent & volatilisent, & ita promptissimè hos tumores in cancrosam naturam degenerare faciant. Acria ergo resolventia, penetrantia, & potenter emollientia, sunt applicanda. Internè ex fumaria & vulnerariis parata remedia, & similia, sunt usitata, quæ tamen facillima.

Externè primatum obtinent ad scirrhum legitimum & scorphulas mammarum *emolliendum* gummata, speciatim gummi ammoniacum in aceto solutum, & instar emplastri mammis inductum. Easdem vires cum ammoniaco obtinet etiam Galbanum ut & in genere quælibet emplastra ex gummatibus composita. Semper autem, antequam applicentur, præmittendus suffitus ex vino & aceto, silici seu lateri candenti affuso. Convenit itidem *Unguentum de cicuta Hildani*, *mistum cum ana gummi ammoniaci*, vel succus cicutæ cum gummi ammoniaco in forma emplastri. Item emplastrum de ranis Vigonis cum mercurio, emplastrum de cicuta, de ammoniaco Forelli, diachylon magnum, ad tumores scrophulosos & scirrhosos mammarum, non cancrosos, resolvendos optima sunt. Potest sumi Mercurij vivi dosi dupla. Vel fiat Linimentum tenue ex succo solani, subacto cum lithargyrio in mortario plumbeo; talia enim, quæ acidum absorbent, hos tumores curant, uti sunt saturnina. Si non suffecerint, mammarum scirrhosus tumor emolliri & discuti potest Emplastro THONERI *in Observ.* quo tumorem dextræ mammæ scirrhosum chronicum aliis irritis facili cum successu curavit:

♃. *Empl. diachyl. magn.*
De Melil.
Ceron. vel *de Peto* an. ℥j.
Gum. ammoniaci in aceto dissol. ℥ß. ad ʒvj.
Misc. instar Emplastri,
Tumori mammæ duro applicandi.

♃. *Empl. diachyl. magn.*
Ceron.
Gum. ammoniaci in aceto subact. an. ℥j.
M. S.
Emplastrum emolliens.

Sin verò scirrhus sit illegitimus, adeoque ad cancri naturam degeneret, cautissimè abstinendum est ab omnibus emollientibus, ac vel minimùm scirrhum irritantibus; periculum enim est, ne in cancrum exulceratum abeat. Quod ne fiat, optimum est *unguentum contra tumores scirrhosos as cancrum degenerantes Hildani*, quod habet *in Cent. 6. obs. 75*. Habetur etiam Cataplasma excellens in tumoribus mammarum duris, in cancrum degenerantibus, curandis in *Methodo Medendi* HOFFMANNI *pag. 417.* factum ex pulpa pomorum Borsdorffianorum cum aliis:

♃. *Pulp. pom. Borsdorff.*
Rapar. mai. an. ʒj.
Coqu. in *lacte caprillo* vel *aqua Malvæ* ad pultis consistentiam:
adde
Medull. panis albiss. ℥ß.
Farin. Fabar.
Pulv. sem. Fænugr. an ʒij.
Fol. Alth.
Brass. rubræ,
Flor. Malv. arb.
Rosar. rub. an. ʒj.
Ficuum No. vij.
Croci ℈ß.
F. Cataplasma.

Revera enim in pomis Brosdorffianis bene maturis multa egregia latitant recondita contra ulcera maligna, alcali eorum specifico fermento ulcerum contrario: hinc etiam succus, item aqua Borsdorffianorum pomorum destillata in grangræna mammarum est laudata.

Hoc cataplasma potest adhuc meliorari, si lumbrici contusi aut horum succus simul applicetur; hæc enim remedia ex lumbricis parata in hujusmodi mammarum scirrhosis tumoribus, in cancrum vergentibus, simul optima. Sin verò dictus scirrhosus tumor subinde punctionibus molestus fuerit, non attingendus est, quia talis facillimè in cancrum degenerare potest.

ARTICVLVS VII. DE SCROHPULIS seu STRUMIS MAMMARVM.

SEd præter modò dictos scirrhos, in specie glandulæ mammarum tumores contrahunt, duros, plus minus magnos, propriè *Scrophulæ* seu *Strumæ mammarum* dictos ex lympha in iisdem coagulata, & condensata ab acido sui generis; unde etiam nunc legitimæ, nunc illegitimæ, plus minus cancrosæ esse solent. Tumor est circumscriptus & qui specialem suam habet figuram ad glandulæ modum, non adeo indeterminatus, ut scirrhus.

CURA.

Curatur autem iisdem ferè, quæ modò de scirrho monita fuerunt.

ARTICULUS VIII.
DE
CANCRO MAMMARUM.

Denique quoad *Cancrum mammarum*: hic aut per se incipit, aut alios mammarum affectus, inflammationes, ulcera, scirrhos, &c. insequitur. Verùm hoc ipsum acidum in scirrhis mammarum, aut etiam earundem cancris, interdum vel sponte adeò est excessivum, vel remediis nonnullis fermentando exasperatur, ut corrosivitatem arsenicalem acquirat, ac in cancrum degeneret, qui cancer frequentissimè glandulas, ac primariò in mammis, infestat. Ut plurimum enim cancer ex prægresso mammæ scirrho aut scrophula, in specie si adjungatur his mensium vitium: Rarissimè per se incipit. Et quidem si per se oriatur cancer, tunc primitus se saltem manifestat sub forma tuberculi parvi, quod in profundo situm vix ciceris aut fabæ, primùm rubicundi, hinc livescentis, & nonnihil nigricantis, magnitudinem superat. Tuberculum hoc successivè augmentum capit, donec pulsatione & punctionibus quibusdam acutis in eodem se manifestet, & tumor evadat paulatim magnus, & cum venis circumcirca tumentibus & liventibus instar pedum cancrinorum, unde etiam nomen habet, se prodat. Scirrho vel scrophulæ si supervenit, vel hi degenerent in cancrum, tunc hi tumores duri, aut aliàs indolentes, continuis punctur is acerbum dolorem, ardorem & æstum concipiunt, citra hoc ut inflammatio quædam suppuratoria superveniat: Huic accedit partis tumor, color tumoris livescens, venæ tumidæ, &c. Hujusmodi *cancer est vel occultus* vel *est manifestus*. *Occultus est*, cujus acidum nondum fermentando eò usque exaltatum est, ut possit mammarum corrosionem constituere, sed quod adhuc à propria materia concentratur & saturatur. Quod si verò acidum hoc per fermentationes exasperetur, & etiam partes vicinas aggrediatur, & exesâ cute exulceretur, & acorem putrefactivum concipiat, ulcus emergat fœtidum & sordidum, labra habeat inversa, loco puris sanies acris, & successivè latiùs se diffundat, tunc *cancer manifestus* seu *cancer exulceratus appellatur*.

CAUSÆ.

Proxima causa est acidum volatile fermentativum.

Causæ remotæ sunt ferè occasiones externæ, compressio, contusio, percussio aut contrectatio inclementior mammæ in quodam loco. Menstruatio multum ad cancrum confert, eundem plus exasperando, prout plus minus menses fluxerint: Quantum enim ad cancrum mammæ producendum conferant mensium suppressiones, vid. in BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Vol. 2. pag.* 193.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Observandum est Autore HIPPOCRATE *sect. 3. Aphor.* 38. quod nempè cancri occulti non sint attingendi, quia sic diutiùs supervivunt: è contra si attingantur, facillimè abeant in cancros incurabiles. Quare & HIPPOCRATES & GALENUS incurabilem, nisi ferro & igne extirpetur, censuere.

CURA.

In *Cura* occultus cancer, quamdiu talis est, ita relinquendus; multi enim talibus cum cancris multos annos supervixerunt, adeòque saltim palliative est curandus, ita ut universum corpus expurgetur, fonticuli in loca vicina inurantur, acredo ejusdem, quantum possibile, temperetur, & hac temperatâ tumor successivè insensibiliter resolvatur.

Faciunt huc ex regno minerali imprimis remedia Saturnina, quæ absorbendo successivè acidum, illud in dulcedinem adstrictivam aluminosam transmutant, hinc ejus effervescentiam ac suppurationem, adeoque in cancrum manifestum exasperationem impediunt.

Ex regno vegetabili huc faciunt Vulneraria, alcali temperato & quodammodo occulto prædita, quæ aliàs frigida appellantur.

Ex regno animali imprimis conducunt cancri, & ex his quæcunque parata remedia, similiter alcali occulto, sed copioso, prædita; loco quorum etiam ranæ in aquis puris viventes commodè usurpari possunt.

Præter interna etiam *Externè* ex Geranio Rupertiano, Agrimonia & Persicaria, & similibus usurpata, sunt optima. Externè dixi, quod imprimis Saturnina conveniant; unde ad cancrum occultum omnia Linimenta & unguenta, omniaque emplastra, diu multumque subigenda sunt in mortario plumbeo, ut ramenta saturni successivè commisceantur cum iisdem. Præter cerussam & saccharum saturni in cancro imprimis emplastrum saturninum Mynsichti est usitatum pro extirpando cancro occulto, dum impedit, ne fiat manifestus: vid. TIMÆUS *Von GuldenKlee in Cas. pag.* 240. Hinc Ceratum Prævotii; vid. SCULTETUS *in Armament. pag.* 155. Unguentum de cerussa album, diapompholygos, lamina plumbea imposita, & similia, cum fructu conducunt; vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Observ.* 161. Ex vegetabilibus herba & succus Onopordi contusi sæpe admoveri debet, vid. BORELLI *Observat. pag.* 151. Item Plantago eidem substitui potest; aut succus plantaginis extra impositus, subigendo plantas has recentes aut succos in mortario plumbeo, ut sic fiat magis appropriatus. Præter dictum hoc Geranium Robertianum, Sonchus, Scabiosa, Agrimonia, Persicaria, & ex his parata externa, sunt optima, non minus quàm succus aut aqua pomorum putridorum, imprimis Borsdorffianorum: in quibus pomis putridis singularia latent ad chirurgiam pertinentia. Quoad vulneraria alia, quomodo etiam in mammis per appropriata vulneraria cancer occultus sit conservandus, ne fiat manifestus, vid. TIMÆVS *Von GuldenKlee in lib. 4. Consil.* 39. & 40. ubi habet egregia remedia.

Quod si verò fiat, ut nihilominus cancer occultus fiat manifestus & exulceratus, talem, ceu dictum, incurabilem judicant HIPPOCRATES & GALENUS, nisi ferro & igne eradicetur, nisi, præmissis præmittendis ferro cancer exscindatur, & hinc ferro ignito hæmorrhagia sistatur, & sic ipsa mamma cancrosa radicitus extirpetur. Sententia hæc stetit hactenus inconcussa in scholis Medicorum, donec ante sex, & quod excurrit, annos D. ALLIOTH, Lotharingicus, Archiater Ducis Lotharingici, novum modum invenit curandi cancrum exulceratum citra ferrum & ignem, cujus curationis aliquot singularia & illustria exempla fecit Parisiis in mulieribus infectis, ut exinde etiam ad Regiam matrem, licet tardiùs, fuerit vocatus. Arcanum curæ fundatum est eleganter super hypotheses has dictas de acido cancri arsenicali, quod curandum præcipit per alcalia, tanquam acidis omnibus contraria: alcalia verò jubet sumenda non pura; quoniam alcalia si la pura concurrentia cum acidis nimis, effervescentiam inducunt periculosam, unde postmodum tumor & dolor mammæ major conciliatur. Propterea temperare jubet alcalia per sulphur, ut sulphuribus temperata alcalia promptè postmodum acidum cancri corrosivum jugulent citra supervenientia periculosa symptomata. Prostat ejus scriptum de hoc ante septem præter propter annos editum, in quo tribus thesibus totum hoc comprehendit negotium. Verùm cum non omnibus liceat adire Corinthum, ubi exulceratus est cancer, neque torturam ferri aut ignis velit subire fœmina, saltim applicatis externis malignitas corrosiva cancri est mitiganda, & sic uberior ejus progressus per palliativam curam, ne uberiùs serpere possit, inhibendus.

Præ cæteris singulare quid obtinet cancer vivus, cui colligatæ sunt chelæ, cancro exulcerato impositus: dum enim ad tempus geritur, moritur; hinc renovanda est impositio cum novo cancro, idque toties, quoties moritur, donec in vita permaneat; tunc enim signum est, virulentiam fermenti cancrosi esse jam temperatam. Hinc conveniunt pro temperando acido ferè *suprà dicta*, quæ cancrum occultum sistunt: v. g. imponenda est cancro lamina plumbea, quæ acidum absorbet, aut etiam pulveres, parati ex bufonibus, ranis & cancris, unguentis & emplastris saturninis aliisque appropriatis permiscendi. Aqua item pomorum putridorum, aqua calcis vivæ, sunt egregia ad eluendum cancrum exulceratum. Notus etiam est pulvis benedictus hinc inde prostans apud Autores, cujus circumspectus usus admodum est proficuus. Fuligo furni etiam singulare est remedium in cancro exulcerato, sive ipsa fuligo inspergatur, sive liquor ex sale fuliginis per deliquium paratus inungatur, sive cremor calcis vivæ, de natura temperatorum alcalium, illinatur. Aliàs nota sunt emplastra & unguenta parata ex succis scrophulariæ, urticæ, geranii Robertiani, virgæ aureæ, solani & similibus, cum pomphology-

pholyge mistis, & in mortario plumbeo subactis: qua ratione *Linimentum ad cancros mammarum Spigelii*, impediens ejus nimium progressum, est sequens.

℞. *Succ. Virgæ aur.*
Solani,
Sonchi an. ℥j.
Ol. Violar.
Rosar. an. ℥iß.

Hæc in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo subigantur, & redigantur in formam unguenti seu Linimenti, quod est optimum.

Huic, si addatur (quod non habet SPIGELIUS) sal calcis vivæ, aut ejus cremor, (quod sal calcis vivæ quibusdam est non ens,) est remedium satis potens ad absumendam virulentiam cancri exulcerati.

Plura de mammarum tumoribus uberius explicata videb. in specie in BARBETTE *Chirurg. de Affect. Mamillar.* & SENNERTO *lib.* 4. *Prax. ubi de Cancro Mammarum*.

CAPUT IV.
DE
LACTATIONE LÆSA.

HÆc de Lactis Vitiis in mammis. Præter hæc lactis vitia etiam *Vitiatur lactatio*, vitio nempè papillarum: v. g. quando papillæ aut sunt nimis parvæ, aut omnino deficiunt, aut quando papillæ agunt fissuras seu rimas, propter quarum dolorem non possunt admovere nutrices infantes; aut denique, quando ulcusculis corripiuntur papillæ.

ARTICULUS I.
DE
PAPILLARUM DEFECTU.

PApillæ au *parvæ* nimis, aut *minus prominentes*, facilè extrahuntur beneficio cucurbitulæ superimpositæ: vel habetur vulgo instrumentum quoddam vitreum, quo applicato, oris suctu facilè extrahitur papilla latens. Verùm licet papillæ pateant, non tamen satis sint perforatæ, tunc foraminula earum fiant ampliora imprimis per suctum, institutum aut per catellos admotos, aut si mulier quædam fortiùs sugat; sic enim aperitur meatus in papilla.

ARTICULUS II.
DE
FISSURIS PAPILLARUM.

CAUSÆ.

POrrò frequenter rimas agit & fissuras papilla, quæ acerbissimum lactantibus dolorem pariunt, adeò ut lactationi haud sufficiant. Interdum eousque procedunt fissuræ hæ mamillarum, ut per ipsas papillas penetrent, adeò, ut frustulatim earum particulæ decidant: Interdum ipsius papillæ integræ jacturam faciant lactantes, quod fit interdum, si serum lactis acrius sit paulo, quod corrodendo nonnihil valet exulcerare ipsas papillas, unde agunt fissuras & rimas: Fit etiam quando infantes lactantes papillas lacte humidas relinquunt; unde ab aëre ambiente alteratum lac acescens teneriorem papillarum substantiam subtiliter erodit, ut rimas & fissuras agant.

CURA.

Pro hoc malo præservando optimum est, ut mulieres ante partum aliquandiu recipiant Nucem moschatam, eamque excavatam, adeò ut exactè papillæ respondeat, huic imponant, & ritè aliquandiu gestent. Vel fiat Linimentum ex bolo communi exactè pulverisato, cum pinguedine porcina subacto, quo ipso aliquandiu ante partum manè & vesperi illinantur papillæ, quæ exinde majorem firmitudinem acquirunt, quò minus tam facilè scindi queant.

Quodsi factæ sint rimæ seu fissuræ papillarum, curantur facilè cum balsamo Peruviano. Expertum quoque est oleum Momordicę, quod est optimum: potentius fit hoc, si misceatur oleum ovorum; nam & hoc est egregium remedium ad papillarum fissuras, si illinantur crebrò, papillâ priùs salivâ madefactâ: quod etiam facit oleum ceræ, florum hyperici. Pinguedo crurum vituli crebriùs illita est unum ex optimis. Oleum seu liquor sacchari etiam est egregium remedium; item oleum nucum cum saccharo: vid. RIVERIUS *Observ.* 14. à PACHEQVO *communicata*. HARTMANNUS oleum ceræ commendat; DECKERS *in Praxi* flores zinci. Pinguedo cochlearum est usitatissimum remedium, & experimentum HARTMANNI. Geranium Robertianum viride contusum & impositum, vel gossypium hujus succo impregnatum & applicatum, est præstantissimum: vid. VELSCHIUS *Mictomin. Cent.* 2. *obs.* 38. *annexis Anno* 4. & 5. M. A. N. C. Mucilago tragacanthæ cum aqua appropriata parata, fissuris illita easdem consolidat; aut etiam pulvis tragacanthæ inspergatur iisdem: vid. VELSCHIUS *l. a. Cent.* 3. *Observ.* 95. sicut etiam IOEL. Vernicem & mucilaginem tragacanthæ, item mucilaginem cydoniorum cum aqua rosarum aut succo plantaginis paratam: quæ omnia tamen antecellit succus millepedum cum vino expressus & applicatus. Item unguentum de saturno, de tutia, aut tutia præparata cum oleo liliorum alborum continuatâ agitatione in mortario plumbeo in linimenti formam redacta, & applicata sunt egregia. His applicatis sæpius quotidie vel folium hederæ recens desuper imponatur, vel folium lilii albi recens, vel calcei corium desuper admoveatur, vel, quod optimum est, passulæ magnæ exacinatæ superimponantur papillis; nam hę solę fissuras leviores solent curare.

In fissuris grandioribus:

℞. *Aquæ Plantaginis*,
In qua dissolv. parum de *Sacchar o saturni*.
D. S.
Mixtura sanans.

Illinatur frequenter locis illis, & imponatur desuper folium hederę vel plantaginis, &c. bene abluendo papillam cum aqua calida, ne relictum intra fissuras lac acescendo malum intendat, & modò laudatum remedium desuper applicetur.

Sic in fissuris hisce remedium incomparabile dicitur Coagulum albuminis masculum, Italis dicitur *Gallatura*, cum aqua rosarum & saccharo applicatum: Vid. VELSCHIUS *Mictom.* 26. *Cent.* 1. Idem præstat quoque oleum albuminis ovorum, de quo vid. in *Colleg. Pharmacent. P.* 1. *Sect.* 2. *pag.* 250.

Quodsi verò altiùs serpat malum, ita ut potentiora requirantur remedia, tunc faciendum est unguentum:

℞. *Lithargyr.* ℥ß.
Myrrhæ ʒij.
Alum. ʒj.

quę cum *oleo rosaceo* subacta in formam Linimenti, pro inungendis papillis:

D. S.
Unguentum sanans.

Quod si ulcera contrahant papillę, quę utplurimum gravem simul habent dolorem, tunc pręter remedium ultimo loco positum convenientissima est aqua seu decoctum calcis vivę, si eâdem applicatâ laventur papillę.

Graviora si fuerint ulcera papillarum, huic aquę calcis vivę parum Mercurii dulcis additum, est optimum remedium.

Hęc de morbis mulierum sufficiant.

Absolvimus Bono cum Deo Morbos Mulierum: Pergimus ergo recto tramite ex coniunctione & connexione ad Librum V.

LIBER V.

DE MORBIS INFANTUM.

CAPUT I. DE INFANTUM REGIMINE.

Scilicet Infans, simul atque utero materno in lucem egreditur, excipitur cum sequente & simul annexa secundina ab obstetrice, balneo aquæ dulcis tepidæ abluitur, & probè mundificatur, & sordes istæ mucilaginosæ, quæ in naribus, auribus, ano & similibus locis reperiuntur, probè eluuntur, ut ita infans purificetur. Antequam autem in balneum eum imponat obstetrix, umbilicalem placentæ funem probè ligatum ab umbilico resecat per tres vel quatuor transversos digitos supra umbilicum, linteaque tepidiuscula superimponit, & ita linteolis involutum in lectulum reponit, ut collectis in utero materno recrementis excretis aptior fiat pro nutrimento lactis ex mammis vel maternis vel ad id conductæ nutricis, emulgendo. Studiosè quoque incumbendum, ut copiosæ impuritates gestationis tempore collectæ ejiciantur. In hunc finem subinde post balneum recens natis parum sacchari albissimi vel penidii, aut *oleum amygdalarum dulcium* recens expressum ingeritur; aut conjunctim, e. g.

℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ℥v.
Sacch. albiß. vel penidii ℥ij.
M. S.
Mixtura evacuans.

Horum enim ope lubricantur & absterguntur stomachus & intestina, & copiosæ sordes, gestationis tempore collectæ, eliminantur: aut, quod optimum, parum de syrupo cichorii cum rhabarbaro, vel de syrupo rosarum solutivo, aut de melle rosarum solutivo feliciori sanè cum successu in os imponitur, ut lentè deglutiatur. Soli enim huic oleo non fidendum est; cum vel rancescendo facillimè infanti propinatum, non leve incommodum in primis viis inferat; vel non rancidum licèt, vix tamen omnia ex iis tam exactè eliminet, quin subinde aliquid sordium remaneat. Mihi convenientissimum semper & in usu est præscribere pulpam passularum minorum cum ana *syrupi de cichorio cum rhabarbaro* mistam, addito pauxillo coralliorum rubrorum præparatorum & lapillorum cancrorum præparatorum ana, horum ℈j. vel ʒß. ad illorum ℥ß. addendo:

Vel
℞. *Syr. rosat. sol.* ℥ij.
De Cich. cum Rhab. ℥j.
Emet. A. S. ʒß.
M. S.
Syrupus evacuans.

Quæ cum parvulo cochleari subinde & successivè propinantur infanti recens nato, idque toties & tam diu, donec copiosè partim per vomitum auspicatum à copioso sero mucilaginoso ventriculum occupante, partim per secessus à meconio, seu nigricante illo & spisso excremento, in intestinis stabulante, evacuetur, & in specie vitiosa ejus & succorum aliorum acescentia absorbeatur & tollatur: nam hæc excrementa, præsertim meconium, retenta vitiosa sui acescentia lac ingestum inquinant, & mille malis, præsertim epilepsia mulctant infantes: vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Observat.* 201. Denique *syrupus de spina cervina* seu domesticus est optimum & convenientissimum abstergens omnium sordium, & laxans infantum, speciatim si loco *sacchari* cum *melle* per se depurato sub insolatione confectus fuerit, vix unquam fallens & sine ullo incommodo evacuans, imprimis cum pulvere lapillorum cancrorum præparatorum & coralliorum præparatorum si subactus fuerit. Nec infans facilè priùs mammæ admovendus, quàm aliquoties supra aut infra purgatus fuerit. A partu infantes ante decem vel duodecim, quatuordecim vel quindecim horas non admovendi sunt mammis, sed quò longiùs post partum esuriunt, eò melius est, donec interea in mammis matris se colligat Colostron seu lactis primum rudimentum, serum nempè lacteum: Hoc ipsum equidem tanquam nocivum, sunt qui præbere infantibus prohibent: sed hoc pessimo consilio, cùm blandum sit infantum laxativum, abstergens optimè sordes ejus, & purificans intestina; & cum minus negotii facessat stomacho pro digestione, hoc ipso faciliùs transit, minusque lacte ipso corrumpitur in eodem, dum interea lacti perfecto, tertio vel quarto die supervenienti cum febre lactea, concoquendo adsuescat meliùs infans, & hujus nutrimento magis largo sustentetur. Colostrum namque est alimentum medicamentosum, quod natura eum in finem generavit, ut modicè nutriendo, leviter pro infantis imbecillitate purget per aliquot dies, ut rectè asserit SPIGELIUS *Tr. de Form. Fœt. cap.* 13. *pag.* 17. Ab ipsa matre lactetur infans, si est sana, & lac habet quod huic negotio sufficiens; aliàs eligenda est nutrix. Vulgò *examinant* hujus lac per colorem, odorem, saporem, &c. an scilicet crassum, tenue, dulce, pingue, &c. sit? sed ridiculo planè consilio: Non enim hæ & similes proprietates lac vel bonum vel malum reddunt, cum occulti sæpiùs defectus maximi momenti hoc ipso cognosci & videri nequeant, qui tamen sæpius longè majoris sunt conditionis, & insensilia utplurimum vitia, secum vehunt, quæ lactis corrumpunt miscelam, ut non tantum in seminibus morbosis cum lacte transplantatis, sed in specie vitiis moralibus per lac insensibiliter communicatis, est manifestum. Sed, ut rectè loquitur HELMONTIUS *Tr. Sextupl. Digest.* §. 74. æstimanda est lactis conditio ex sanitate nutricis, & bestiæ, vita, & cibis. Modò ergo sana sit nutrix, bonis utatur alimentis, aut talibus saltim, quibus aliàs consueta sit, & quæ facilè ferat, & denique ab affectibus animi gravioribus se temperet, & abstineat, laudabile erit lac, sive crassum, sive tenue, sive plus minus album, sive flavescens nonnihil fuerit. Nam conditiones lactis etiam sani sunt variæ: cum, uti digestio prima in unaquaque specie & individuo certa ratione variat, ita etiam varient conditiones inde oriundorum corporis succorum, & per consequens lactis. Potest nutrix lue Venerea inquinata lac apparenter optimum habere, & alia sana non. Lac enim in mammis pro nutrimento fœtus extra uterum ejusdem ferè naturæ & rationis est, cum alimento fœtus chyloso intra uterum, ut ob id minùs audiendus sit supra laudatus HELMONTIUS, inter dicens ipsum lac tenellis. Nam, quod obiter moneo, omnia ea mala, quæ infantibus incumbunt, ex hausto lacte è mammis, & recensentur ab HELMONTIO, eadem ipsa mala impendent & adhærent iisdem in utero ab eorundem alimento chyloso simul deglutito. Uti autem nihilominus providissimo consilio natura infantes nutrit in utero materia lactea; ita simili ratione extra uterum eodem nutrimento naturalissimè sustentandus est. Lactet autem mater seu nutrix infantem utraque mammâ; quia infantes aliàs fiût luscioſi, seu strabismo laborant: si uni tantummodo admoveantur mammę, continuò oculos ad hanc conferunt, & ita tandem ex consuetudine luscioſi fiunt.

Utrique ergo mammæ admoveantur, ne ita ex consuetudine oculorum perversum acquirant motum: id quod aliàs in situ infantum in cunis observandum, ne ex altera tantummodo parte candelas lucentes & fenestras adspiciant; sed ita situati sint, ut vel promiscuè modò dextrum modò sinistrum latus illuminetur, & etiam candelæ utrique parti admoveantur & situentur, propter vitandum strabismum infantum.

Jam verò tam sub tempore lactationis, quàm post eandem, *infantes* variis corripiuntur *morbis*, qui dum exactè considerantur, ad *duos* ferè principaliores *causarum fontes* referri possunt remotè, excluso tamen semper vel vitio parentum hæreditario, vel aliunde hausto fermento contagioso. Nempè est *primus fons* obstinata *retentio excernendorum*, & secundus *perversa ingestio nutriendorum*.

Hæc

Hæc facilè inferunt cruditatem acidam & viscidam, ex qua, tanquam causa proxima, omnes eorum morbi oriuntur. Ibi quidem eminet (1.) *fecum* primarum viarum, & *meconii in specie, suppressio*; & hinc (2.) *insensibilis transpirationis occlusio*: Hic verò offerunt primariò se *Vitia Lactis*, & *Errata pultis*. Hæc quatuor suppetunt Capita generalia affectuum infantilium.

CAPUT II.

DE

MORBORUM INFANTILIUM ORIGINE.

NOn absque præmeditata ratione miratur HARVÆUS *de Generat. Animalium Exercitat. de Partu pag. m.* 501. qui fiat, quod fœtus non tantum ultimis gestationis mensibus in utero, sed etiam tandem extra uterum, dum membranis adhuc integris est opertus, & etiamnum in aqua sua manens, per aliquot horas citra suffocationis periculum superstes sit? Idem tamen secundinis exutus, si semel aerem intra pulmones attraxerit, posteà ne momentum quidem temporis absque eo durare possit, sed confestim moriatur? Ast æquè, si non magis mirabile videri possit, quod fœtus ex tam subitanea, adeòque apparenter periculosa mutatione, quam subit, simul atque ex claustris vapidis uteri materni in liberum apertumque irrumpit aerem, non statim graviter & ferè lethaliter ægrotet? quidni enim loci calidi cum frigido, humidi anxiosique æstuarii cum aura sicca patulaque permutatio, & ab aere in pulmones primò irrumpente, & inde succedente reciproco respirationis negotio, maxima in sanguine facta mutatio, totius corporis sensibilem inducat alterationem? Tantam sanè, quantam post primam hanc inspirationem usque ad ultimam exspirationem per totum vitæ cursum vix perferre videtur animal. Hæc ipsa, quam tunc suscipiunt corporis mutationem infantes, non ad ejus destructionem, sed perfectionem potius tendit. Plus sanè in recessu habet operosum respirationis negotium, quàm ut vel fuliginum explosioni, vel sanguinis simpliciter refrigerationi, vel hujus saltem circulationi, vel soni formationi inserviat, modò attendamus mirabilem aeris naturam & effectus, simulque nexum respirationis cum vita, ita ut quamdiu extra uterum vivimus, tamdiu etiam necessariò respiremus, & contrà. Scilicet ad sanguinis perfectionem & spirituascentiam vitalem tendit hic aeris suctus, ita ut hujus medio attenuetur, & resolvatur sanguis in pulmonibus, & imprimis ejusdem sulphur hac ratione quodammodo resolvatur & volatilisetur, quo sub aucta fermentatione in corde cum salibus sanguinis volatilibus coëat in gas spirituosum volatile, sive spiritus vitales, calidos & probabiliter lucidos, ac ita sanguis quasi accendatur. Quod cum ritè fiat primitus in fœtu, dum utero materno egreditur, non potest non ex debita perfectione sanguini tunc primitus inducta, adeoque ejus majori spirituascentia & incalescentia ex aucta ejusdem fermentatione, cum rapidiori per omnes meatus circulo, & uberiori spirituum animalium proventu, indeque organorum corporis quorumcunque ad motum singulari nisu, fœtus quasi noviter aut propriè animatus reddi, & vita perfecta animali dotari, qui antea in uteri materni claustris saltem plantæ cujusdam aut zoophyti vitam egisse videtur. Occultum nempè vitæ cibum in aere contineri, sublimiorum naturæ scrutatorum communis fert sententia: idque ratione salis sui, ut sic dicam, mirabilis, quæcunque penetrantis, resolventis, & volatilisantis, atque universalis quasi solventis. Unde tanta respirationis ad vitam emergit necessitas, ut quæcunque animalia, simul atque ex ovis semel eruperint, aeris pernecessario victu nunquam carere possint, ipsis etiam insectis eodem indigentibus, non secus ac pisces, aquarum licet incolæ.

Cum ergo ad perfectivas potius quam destructivas alterationes pertineat dicta fœtus singularissima passio, quam primo in mundum ingressu suscipit, saltem hæc ipsa rationem videtur subministrare probabilem: qui fiat non rarò, quod matres quædam cacochymicæ, & in specie nostrates scorbuticæ, quos in utero feliciter gestarunt, & optimè lacteo nutrimento aluerunt fœtus, postmodum facta exclusione citra periculum lactare ipsæ nequeant, quin potius, si eosdem sanos conservare velint, conductæ id nutrici committere necesse habeant, qui aliàs sub proprio matris lacte, eo nempè, ex quo ipsæ partes corporis primò coaluerunt, adeoque iisdem appropriatissimum sit, continuo ploratu, torminibus, non rarò quoque supervenientibus epilepticis insultibus, aliisque variis pathematis, non leves ægritudines testentur, subinde ad mortem terminantes: quæ omnia alieno lactis superveniente suctu, successivè evanescant & non rarò cum optimo infantis habitu permutentur? Solutionem hujus dubii subministrat præfata sanguinis & totius corporis per inspiratum aerem alteratio, sub qua ipsa sanguis citatiori fermentatione turgescit, & ab inspirato aere resolvitur, unde simul morbosa semina, sub nutrimento lacteo in utero matris communicata, excitantur, & ceu fermenta exotica partim sanguinis crasin vitiant, partim alios à sanguine dependentes succos, in specie lympham & bilem alterant, aut ipsum stomachi fermentum protopepticum inquinant, unde successivè largæ morbosorum affectuum segetes progerminant: Idque eò magis, quò amplius simili, inquinato nempè à morbosæ matris lacte, nutritur infans, & ita seminibus morbosis, nempè igni oleum, aptissimum se multiplicandi subjectum subministratur. Simile ferè hic evenit atque id, quod tempore verno sub renovati quasi aeris inspiratione adultis etiam crebriùs accidit, ut scilicet eodem tempore latentia & antea sopita morborum semina quasi evigilent, & varios affectus, & corporis passiones, ceu tot flores, protrudant. Maturè ergo à mammis propriis abigant necesse est matres tales suos fœtus, & alienis in tali casu tradant, pauperculis licet, mulieribus, modò sub moderata diæta, & laborum continuato exercitio, sanæ magis & vividæ existant, ut temperato & salubri tali lacte opprimantur morbosa fermenta, imprimis salina scorbutica, & corrigantur sanguinis dyscrasiæ, quò constans & firma magis exinde conservetur sanitas. Ex hoc ipso etiam ratio indaganda, quare infantes, speciatim nostrates, recens nati, subinde tertio aut quarto à partu die efflorescentiâ cutis miliari, purpurâ, Germanis *der Friesel* dicta, affligantur, quatenus scilicet ex respiratione facta massa sanguinea intensiori fermentationis gradu agitata, salia heterogenea præcipitando separat, & ceu feculentias non ritè miscibiles ex suo mistio extrudit, quæ ipsa seroso latice, ceu communi nutrimenti & excrementi vehiculo imbibita, occasione balnei in recens nato instituti, & promotæ hac ratione liberioris perspirationis, ad corporis peripheriam, in specie glandulas intercutaneas miliares, deponuntur, ubi cum rubedine, pruritu, & aliquali subsequente excoriatione seu cuticulæ desquammatione pedetentim exhalant. Revera purpuræ nostratis origo, ex scorbutica affectione matrum, originem ducere videtur, cuius productum inter alia pathemata & purpurata hæc existit efflorescentia.

Monitum fuit suprà, ex spirituascentia majori ab inspirato aere promota, indeque spirituum vitalium concitatiori impetu, in organis quibusvis insignem ad motus nisum excitari. Exinde namque originem ducit, quod fetus recens editus non tantùm artus validè moveat & vibret, adeoque digitos variè inflectat, sed quod in specie urinam brevi post per urethram emittat, crebriori vomitu cruditates stomachi eliciat, & alvi recrementa varia protrudat: Quæ ipsa in utero nunquam naturaliter excernuntur, adeò, ut certum signum fetus in partu ex labore & nimio conatu mortui referatur à VELSCHIO *de Ægagrop. Dissert. 2. pag. 61. Curat. 61.* si meconium seu alvi excrementum, antequam fœtus prodierit, emittatur; utut contrarium huic asserto exemplum reperiatur apud RULANDUM, *Thes. Curation. Empiricar. Cent. 3. cap. 66. pag.* 300. Sternutare etiam interdum fetus recens exclusus observatur, dum ex membrana narium irritata, nervis intercostalibus per consensum connexionis affectis, etiam convulsiva partium, cui inseruntur, sequatur commotio & concussio. Hæc ipsa tamen omnia, cùm opera potius sint naturæ, quàm morbosa symptomata, ob id propiùs ad affectus præternaturales accedamus.



CAPUT III.

DE RETENTIONE EXCREMENTORUM IN FOETU.

ARTICULUS I.

DE RETENTIONE MECONII.

FÆces *primarum viarum* quod attinet: præter ventriculum albicante plus minus lentâque materiâ refertum, pituitosa, *flava*, & *variegata recrementa* interdum intestina tenuia occupant, in crassioribus verò excrementa *dura*, crassiora & quasi *picea*, *ex nigro viridescentia*, papaverculum seu *Meconium* quibusdam appellata (utut meconii vox generaliter HIPPOCRATI *de Vict. Acutorum Sect.* 69. *Num.* 9. quod primum natis exit excrementum denotet) hospitantur, & omnia hæc ex nutrimento, per os sub formatione & nutritione fœtus in utero hausto, genita sunt. Hæc ipsa verò maturè ex corpore infantis *expurganda* sunt, ne diutiùs retenta aut pertinacem alvi obstructionem inferant, aut *lactis* nutritivi *distributionem* impediant, aut sub distributione per intestinorum gyros idem corrumpant, & æruginoso virore tinctum ad corruptionem & *cadaverisationem* disponant, aut intestinis pertinaciter adhærendo, & acditate rodendo, *tormina crudelia* inferant. Constans sanè omnium *Practicorum* est sententia, omnium atrociorum *torminum*, uti & *epilepsiæ*, *originem* esse ex *excrementis* his diutiùs *retentis*, & hinc in deterius corruptis: quemadmodum & meconium retentum sæpissimè est causa, quare recens natis interdum tertio aut quarto die à partu efflorescat *Icterus*, imò ipsis interdum connascatur: item meconium retentum sæpissimè causa est, quod infantes afficiantur aphthis seu ulcusculis oris, *de quibus posteà*, quatenus hoc meconium lac haustum coagulat, spissat, & acescere facit: Unde si meconium tempestivè vel per assumpta vel per colostrum evacuetur, ab omnibus his malis possunt præservari. Hinc ipsa natura provida ordinariâ lege mox à partu est occupata, ut partim *vomitu*, partim *secessu*, infantes expurget, etiam antequam aliud quid moliatur, præmonstrans his ipsis viam ministro Medico, quid sub tardiori ejus conatu ipsi agendum sit? Præ cæteris *meconium* malè audire solet, idque suo merito; nam *acidum præternaturale* est, quod in ejus recessu peccat. Cùm enim oriatur ex *nutrimento fœtus* quasi *lacteo* in utero, nil aliud esse videtur, quàm crudior caseus, à reliqua substantia nutritiva separatus & quasi præcipitatus: qui ipse *acorem* in stomacho semel conceptum plus minus retinere solet, indeque occurrente in intestinis *bile* obscurum, *ex nigro viridescentem* colorem contrahit, & pedetentim in intestinorum cellulis sub mora diuturniori coagulatur firmiùs, & eò magis nocens evadit: quæ ipsa mutatis mutandis & reliquis recrementis accommodari possunt.

Pro meconio ergo purgando nil æquè convenit, atque *colostrum*, quod est aquosius, salsius, & vi abstersivâ præditum: & ceu alimentum medicamentosum infantes blandè purgat. Hoc si fieri nequit, studiosè incumbendum est in id, ut *pharmacis* nihilominus evacuentur dictæ sordes ex primis viis, tam per *vomitum*, quàm per *secessum*: in quem finem propinentur ea, quæ *supra dicta* sunt.

ARTICULUS II.

DE TRANSPIRATIONIS OCCLUSIONE.

QUod attinet *insensibilis Transpirationis morbosam* in infantibus *occlusionem*, ceu alterum Fontem morborum infantilium: notum est hujus in omni ætate & vitæ genere summam esse necessitatem pariter & quantitatem, quod eleganter docuit SANCTORIUS *in Medicina Statica*, adeo ut corpus nostrum in continuo fluxu constitutum atmosphæram certam ubique in ambitu circumfundat. Præ cæteris infantes cùm copioso sustententur nutrimento, ob id necesse est, ut copiosè quoque transpirent, partim ut nutrimenti, tam universalis seu remoti in massa sanguinea, quàm particularis seu proximi hinc inde distributi puritas, ab omni vel heterogenea vel effœta feculentia, partibus non assimilabili, sarta tectaque conservetur, partim etiam, si quid feculenti sub nutritione enatum ipsis commistum sit, mediante *insensibili transpiratione* ex partibus solidis eliminetur. Jam verò notum est, infantum corpora ordinariò *crusta* quasi aut *mucilagine viscida* & glutinosa obducta esse, quæ lanugo oritur ex liquore nutritivo, in quo innatant, à quo muco successivè cuti extrinsecùs adhærente, insensibilis halitus effluxus insigniter impediri solet. *Retenta* igitur talia *transpirabilia* in massa sanguinea si concerventur, hujus æquabilem turbant fermentationem, & ad febres ordinariò disponunt; sin verò sub poris cutis deposita hæreant, & variam corruptionem subeunt, & cùm simul sint naturæ salinæ, & sapore salso adeoque composito prædita, plus minùs licèt, (vid. TACHENIUS *Hipp. Chym. pag.* 78.) exinde facilè sub cute hærendo suâ corruptione intentam acrimoniam contrahunt, nunc salsam simpliciter, nunc acido-salsam, nunc urinoso-salsam, utplurimum acido-salsam, unde digestiones particulares seu privatæ partium subcutanearum turbantur, & *cutanei affectus* efflorescunt, alterato & corrupto ab illis *retentis nutrimento* dictarum partium *proximo*, simulque destructo plus minus *fermento* dictarum partium *digestivo*: qui affectus eò promptiùs eveniunt, quò magis excrementa transpirabilia ex mucilagine minus temperata, sed magis acriore, vel salsiore, vel facilè acescibili, vel alio modo vitiata, originem ducunt; sive fiat vitio *nutricis* perversè lac infanti præbentis; sive vitio *digestionis primæ* in infantibus, vel non corrigentis nutrimentum minus adæquatum, vel ipsum acore præternaturali inquinantis. Quodsi verò dicta transpirabilia retenta, fuerint magis temperata, & nonnihil pinguia, adeò ut minus ad acrimoniam salso acidam degenerare queant, fit ut cohibeantur partim sua sponte, partim tepore loci humido, in infantibus semilacteis ad putredinem ruant, & emergente tunc alcali destruente acidum larga seges animalculorum variorum pedetentim emergere soleat.

Ut verò *insensibilis* promoveatur *transpiratio*, auspicatò solent mulierculæ recens natos infantulos immergere *balneo aquæ dulcis tepido* seu subcalido (non, qui asperrimus & sanæ rationi pariter ac constitutioni sanæ reluctans erat veterum Germanorum mos, de quo vid. SENNERTUS *lib. de Morb. Infantum Part.* 1. *cap.* 4. aquæ frigidæ aut flumini) ut illius medio abluantur sordes viscosæ, lanuginis instar tegentes tenerrimam cutim, & accedente blandâ frictione aperiantur & magis pateant pori reddantur conniventes aliàs cutis pori. Non ineptum est, quod in more positum, ut simul *saponis* adjumento fiat sordium ablutio, & hujus alcalinâ lixiviali acrimoniâ promptiùs detergantur ista caseosa quasi concrementa extracutanea, quia satis sunt viscosa, & difficiliùs removeri possunt: postmodum, si reiterantur crebriùs hæc balnea, ipsi aquæ, quâ abluantur, parum *lixivii communis* addendum erit, ut eò meliùs tam resolvantur & detergantur dictæ sordes, quàm etiam hujus alcalini salis beneficio præcaveantur maturè *affectus* infantum *cutanei*; sicuti hos affectus jam inductos dicta alcalia fixa optimè tollunt, ut *infra* monebitur. In communi recipiunt *farinam pisorum*, & hujus medio abstergunt infantes toties, quoties balneantur: Nempè reiteranda est sæpius hæc *balneatio*, quoties sanitas infantis & vires permittunt, idque in specie primis septimanis, in quibus quotidie balneandi sunt infantes, reliquis alternis aut tertiis diebus, donec exactè purificatus, glaber, mollis, rubicundus atque nitidus appareat fœtus; aliàs enim suggerunt occasionem vel febrium, vel affectuum intercutaneorum. Unde non rarum est, quod flavedine quodammodo croceâ, adeoque Icteritio colore tincti in lucem prodeant infantes, aut tertio vel quarto die post partum dictus color superveniat; qui extraordinarius color vix meliùs dictis balneis detergi penitùs, & deleri poterit; quibus convenit etiam, si gr. j. croci optimè triti in lacte nutricis vel alio convenienti liquore exhibeatur fœtui, & aliquoties in die propinetur, quo ipso dicta cutis defœdatio extingui potest.

AR-

ARTICULUS III.
DE
VITIIS LACTIS.

Erat hæc excernendorum retentio: ad nutriendorum vitiosam pergo digestionem, ubi primariò se offerunt Vitia Lactis. Lac est naturalissimus cibus & succus nutritivus infantum, quod necessariò infantibus lactantibus propinandum, certo tamen ordine.

Eius vitia sunt varia: quorum primum est, quando fuerit *alienum*, h. e. dum non à propria matre tenellis porrigitur mamma, sed nutricibus hoc negotium committitur. Quod ut pateat clariùs, præsuppono:

1. Fœtum in utero materno nutriri non solùm per umbilicum, sed simul etiam per os: Vid. *Dissert.* SEGERI *de Hipp. Orthod. & Democr. Heterod. in Nutrit. fœtus*; JOHANN. CLAUDIUS, item *de la* COURVEE *Tr. de Nut. Fœtus in utero*, item HARVÆUS *de Gener. Animal. Exercit.* 58. item 56. & *Exercit. de Humor.*
2. Nutrimentum utrobique non esse sanguinem, sed lac sive chylum lacteum, cum sanguine per arterias (cum aliæ nondum repertæ sint viæ, in vaccis licet lactantibus instituta fuerit inquisitio Anatomica) ad uterum delatum: Vid. præter *loc. cit.* NEEDHAM. *Tract. de Form. Fœtus cap.* 1.
3. Lac mammarum & ipsum revera esse chylum, in mammarum glandulis secretum, & ductibus particularibus exinde ad papillam delatum: Vid. DEUSINGIUS *de Lacte*, & CHARLETON *Exerc. de Galaxia*.

Jam verò unicuique mulieri suum proprium est lac, seu specialis lactis proprietas ac idiosyncrasia (ut taceam lac diversum in una mammarum observatum fuisse ab eo, quod erat in altera, à LYSERO *Observ.* 11. *annexa Cultro suo Anatomico*) eaque oriunda ex speciali fermenti digestivi stomachalis differentia (nam hoc in omni individuo insignem patitur latitudinem:) unde hoc fermentum, prout in unoquoque individuo fuerit constitutum tam naturaliter, quàm præternaturaliter, hatenus distincta oritur appetitus & digestionis primæ ratio, eorundem licet assumptorum, unde supervenit distinctum lac pro diversitate mulieris, in qua generatur. Diversum ergo lac mammarum nutricis, à lacte uterino matris necessariò in stomacho infantuli tali lacti aliàs non adsueti, (cum consueta longo tempore, licèt deteriora, insuetis minus molesta esse soleant, juxta HIPPOCRATEM *Sect.* 2. *Aphor.* 50. idque ob intimam symbolizationem assumendorum cum fermento) alterationem insignem infert, & plus minus ad corruptionem pergit, aut digestionem primam necessariò insigniter turbat; quin imò lac istud alienum distributum ulterius in massa sanguinea heterogeneitate sua turbat hujus crasin, & fermentationem vitalem, antequam successivè stomachi fermento alterato, & sanguinis crasi immutatâ, conveniens magisque homogeneum fiat nutrimentum, cum generalis stomachi digestio præsit quibusque singularium digestionum culinis. Speciatim cum matres subinde vivant opiparè, & ita cæteris paribus lac nutritivum generent, nutrices verò adscititiæ sint utplurimum pauperculæ, & quibuscunque eduliis subinde latranti satisfaciant stomacho, vix fieri potest, quin & cacochymia in iis superveniat: (vid. SENNERTUS *de Cura Infant. Part.* 1. *cap.* 1.) & sic lac maximè est diversum & contrarium lacti matris, ex quo coaluit fœtus: unde per dictum lac tam *vitia naturalia* quàm *moralia* à nutricibus generantur in infantes, de quo meritò côqueritur HELMONTIUS *Tractatu Infant. Nutrit. pag. m.* 623. cum legitimo sensu verissimum sit illud Galeni, quod mores sequantur temperamentum corporis: Sic puella v. g. observata fuit admodum siticulosa ex nutrice bibacula à DEODATO *Valetud. pag. vigesimasexta*. Cùm & brutales proprietates & mores cum lacte in infantem penetrent ac in vitam perseverent, ut in pueris à cervæ, item à capræ lacte nutritis observatum fuit; REIES *Camp. Elys. quæstion.* 41. *pag.* 586. Hic Lipsiæ aliquando infans ob defectum nutricis lacte caprino nutritus fuit, qui adhuc vocem capræ imitari potest. Sed hæc cum minus faciant ad scopum nostrum, ob id vel summis labris ea delibasse sufficiat. Quæ ipsa de lacte ex chylo elaborato explicata hactenus, fortius adhuc eos stringunt, qui ex sanguine lactis fontes derivant. Proprium igitur matris lac, si fieri possit, infanti est propinandum, quod est omnium optimum; quia ex hoc primò concrevit infans, nec sine insigni alteratione alterius lacti adsuescit, imprimis si mater sana sit, vel non admodum morbosa, & habeat lac negotio sufficiens; aliàs in ejus locum, utut deteriorem, eligenda est nutrix, quæ mammas infanti præbeat: Vid. SENNERTUS *Tr. de Morb. Infant. Part.* 1. *cap.* 1. *quæst.*

Hæc ipsa simul ostendunt, quàm aliena sit à vero eorum opinio, qui consideratione facilis corruptionis lactis in infantulis, indeque natorum variorum malorum, alio potius nutrimento, quàm lacte, tenellos cibare & educare malunt: Adeoque vel hordeata juscula, vel ex crepatura hordei addito vitello ovorum emulsioni similem misturam, vel jusculа avenacea, vel amygdalorum emulctum lacteum succum, aliudve simile substituunt: quo etiam nutrimentum HELMONTII pro pueris, *Tr. Infant. Nutrit.* pertinet, ex pane tantisper cum tenui cerevisia bullito cum melle. Siquidem nec frustra, nec sine prægnanti ratione, aut ornatus saltim gratiâ, mammæ mulieribus, & in iis mox post partum lac, non secus ac reliquis brutis terrestribus, uti & quibusdam aquatilibus concessum fuit à natura; quin hæc ipsa potiùs digito quasi intento hanc fœtuum nutritionem monstraverit. Hinc aves mammis carentes earum defectu grana deglutita, & in ingluvie aliquali mora macerata, ac ita ad fundendum citiùs lacteum suum nutrimentum prædisposita, evomunt denuo, pro meliori pullorum sustentatione. Tenerior siquidem infantum est stomachus, minusque exaltatum fermentum eorum digestivum, unde quæcunque ferè ingesta laboriosam saltem, si non & defectuosam penitus redderent digestionem; quæ facillima & summè nutritiva erit, dum lac, seu chylus jam ante in nutrice elaboratus, ipsis suggeritur: Talis scilicet succus, ex quo & primitus machina eorum corporea constructa fuit, & ipse fœtus jam in utero sustentatus, & quem ceu jam consuetum facillimè digerere & concoquere potest. Quod si quædam ex lactis alteratione in infantibus metuenda erunt pericula, ea sanè in se sunt facilè corrigibilia, modò maturè & legitimè iisdem occurratur. Unde & rarissima eorum observata fuerunt exempla, qui defectu nutricum feliciter adoleverint.

2. Secundum lactis vitium est, *si fuerit morbosum*: sive ergo nutriatur à matre, sive nutrice fitiens puerulus, nisi vegetâ & sanâ gaudeat corporis œconomiâ, indubitatum est, varia morborum semina radicesque firmissimas in eum tanquam per medium fomitem transplantari in fœtum: *Sic lithiasin* ex nutrice calculosa derivatam in puerum, cujus fratres priores à calculo liberi fuerunt, notat HELMONTIUS *Tr. Nutritio Infantum ad Vitam long. & de Lithiasi*: Sic *Lues Venerea*, *Scorbutus*, *&c.* quorum contagiosa indoles per se notissima, per lac communicata sunt fœtibus, ita ut quæcunque contagia morbosa ex nutrice vel matre facilè deriventur in infantem, si non sint sanæ: Lue venereâ per matres infectas puellas inquinatas binas observavi in nosocomio Patavino: Nutrices habitus serosioris ad affectus catarrhales proclives reddere, quos nutriunt infantes, compertum est. Sed res ipsa cum loquatur, quid opus ulteriori deductione? Quin etiam sana licèt in proprio corpore deprehendatur nutrix, si tamen propriæ constitutionis causâ: idque ex ratione peculiaris in stomacho digestionis, vel serosioris & salsioris sanguinis constitutionis, vel certæ in glandulis mammarum texturæ, serosius, acrius aut salsius, aliovè modo minùs conducens infanti lac colligat, etiam citra sugentis noxam id propinari nequit, quin nutrimentum tale, ipsi minus appropriatum, hostile & inimicum evadat.

3. Tertium lactis vitium est, si fuerit *nimis nutritivum*. Scilicet utut sanissima etiam sit mater vel nutrix, tamen tenello infantulo ipsum lac probè excoctum, crassius, spissius, adeoque magis butyrosum & nutritivum, non æquè primo statim haustu vix convenire videtur, quia in utero materno adhuc conclusus fœtus nutrimento lacteo tenui & limpido fuerit sustentatus; unde mox à partu si tale lac hauriatur, ab eodem oneratur ejusdem stomachus, & exinde varia recrementa coacervantur. Ob id nempè provida mater natura post partum matribus in salutem editi fœtus in mammas derivat colostrum, h. e. serosiorem tenuioremque chylum, quod præmittitur lacti perfecto, pinguiori & spissiori,

fieri, tertio vel quarto die demum supervenienti. Colostrum enim ab ipsa natura præmittitur, ut ceu serosum ac tenue minus negotii facessat stomacho, sed potius serositate salinâ abstergat blandè stomachi mucum, & intestinorum sub gestatione collectas sordes expurget, & simul virtute diureticâ urinarias vias probè eluat, & vias quasi patulas reddat, donec successivè, lacte magis magisque alimentoso reddito, stomachus eidem adsuescat, facilitetur digestio, & impediatur facillima ejus corruptio. Rectè igitur dicunt Practici: Colostrum non esse reiiciendum, sed esse fœtui alimentum medicamentosum pro purificatione primarum uiarum eidem inseruiens. Hinc istud, quod die primo scaturit ad mammas, potentiùs purgat; quod secundo & tertio, minus, donec succedat purgatrici uis nutrix. Matres ergo quàm pessimè infantes statim nutricibus robustis, obesis aut pinguibus, aut quæ jam aliquandiu lactarunt, exponunt, quia ab harum lacte butyroso & caseoso nimis oneratur stomachus tenellus, & digestionis opus inde insigniter retardatur, ac cruditati acidæ, lactisque coagulo, promptissima occasio subministratur. Illustrat hæc epilepsiæ exemplum aliquot filiabus lethale, ex nimia lactis, materni licèt, butyrositate & pinguedine, quod recenset HOFFMANNUS *Tr. de Usu & Abusu Medic. Chym. pag.* 49. Quod si verò matres nutrire intendant suus fœtus, quo quæso consilio corrigunt naturæ prudentissimos conatus, & tam studiosè emulgent tam salutare hoc colostrum: quasi nocere possit Infanti, quod ceu divina medicina ipsi propinandum foret; de quo etiam imprimis contra Medicum quendam sufficienter & egregiè disserit VESLINGIUS *in Epist. & Obs.* 28 *pag.* 123. & antè eum SPIGELIUS *in erudito scripto de Formato Fœtu cap.* 13. *pag.* 16., ubi valdè peccare matres ait, quod non admoveant recens natos mammis, dum scilicet habent adhuc colostrum. Propinent ergo matres vel nutrices suis infantibus colostrum, ut hoc præparentur ad ipsum lac uberiùs nutritivum.

Sed tolerabile aduc, quia facilè corrigibile, esset hoc erratum nisi IV. gravius longè, familiarissimum licèt, se offerret vitium, nempè *superflua & inordinata*, & tantum non *per vim* lactis infusio in os & stomachū infantis, ut subindè mater aut nutrix pueros suos nimis alendo sæpiùs necet. aut lactando mactet, ut rectè observat KERCKRINGIUS *in Spicileg. Anat. Observ.* 40. Familiare enim est, ut infantibus ad quemvis ex quacunque causa excitatum ejulatum, ipsis renuentibus licèt, sæpius præbeant mammam, & unâ die decies imò vigesies lactent, antequam priùs lac haustum ex toto digestum; unde crudum adhuc & subacidum in stomacho hærens, à superventu novi lactis grumescit, caseatur, & abit in mucilaginem acidam, viscidam & tenacem, atque sic unum corrumpit alterum: unde ab inordinata ingestione & corruptione pylorus indignatur, ut vel, salutari licèt effectu, omnia ista vitiata vomitu reijciat, vel eadem corrupta & caseata se pertinaciter stringendo transmittere nolit, hinc infantibus mille impendent mala. Secundùm KERCKINGIUM enim *l. a.* pylorus in infantibus se firmiter claudit, unde ea ulteriori morâ in stomacho retenta, in loco isto tepido in deterius, ac ex cruditate acida in corruptionem putredinalem delabuntur, & in liquamen putridum, flavescens, nidorosum, viridescens, &c. tandem degenerant: Vid. HELMONTIUS *Tr. Infant. Nutrit.* qui tragœdiam hanc graphicè & eleganter delineavit.

Lactet ergo nutrix fœtum, quantum sufficit, cavendo imprimis, ne crebriùs seu sæpius ac copiosiùs fiat: nam aliàs aut acori seu cruditati acidæ, aut nidori seu corruptioni nidorosæ lactis occasio datur. Præstat sanè peccare hìc in defectu, quàm in excessu, cùm repletiones ad extremum productæ graves esse soleant, teste HIPPOCRATE *Sect.* 2. *Aph.* 14. & sicut in adultis omnis repletio, in specie panis, est pessima, quod verissimum est; ita sanè lactis in Infantibus nocet: hinc enim consequenter impura corpora, quò magis nutriveris, eò magis læseris; Vid. HIPPOCRATES *Sect.* 2. *Aph.* 10. Nam tantùm non omnes infantum affectus primariam originem habent ex lactis vitio; sive acescat, sive coaguletur, sive alio modo corrumpatur, idque vel vitio ventriculi infantilis, vel vitio nutricis, aut insuetis aut incommodis alimentis utentis, aut affectibus animi nimis indulgentis.

Unde V. periculosius jam urget fatum misellos lactentes, si *lac* per perversam & sæpissimè inordinatam diætam matris vel nutricis fuerit *depravatam*. Diætæ peccata sunt

1. Varia alimentorum ingluvies.
2. Affectum neglecta refrænatio, &
3. Excernendorum pariter ac retinendorum neglectus.

1. Quod attinet assumpta: Equidem sanis omnia sunt sana, modò per internam appetentiam assumantur, & sobriè ingerantur; quod enim sapit, nutrit. Adeò ut in sanis scrupulosus alimentorum delectus reverà sit frustraneus, quin potiùs, si appetitus circa aliquod objectum feratur intensiùs, imprimis consuetum, (nam in insuetis appetitus subinde medicamentum quærit,) vix denegandum sit, quia fermentum digestivum potenter quælibet in sui ditionem trahit & coercet, utut talia cum moderamine mediocritatis propinanda sint, cùm sobrietas rectè cardo totius dicatur diætæ; id quod nutricibus conductitiis in specie observandum, ut plurimum egenis, adeoque famelicis, & frequenter nimio nutrimentorum excessui primitus indulgentibus. Nihilominus tamen lactantes præ cæteris in specie respicere debent fœtus tenellos, quibus errata nutrici innocua solent esse nocentissima, & graves subinde inducunt passiones; siquidem assumptorum, plures proprietates in chylo persistunt, quæ utut plus minus infractæ aut alteratæ sint, & nutrici non noceant, suam tamen in lacte præsentiam manifestò exserunt, & fœtui nocivæ sunt. Res nota est de *Purgantibus*, quæ à nutrice assumpta subinde graviter infantem laxant, & omnia imprimis propriè dicta infantibus sunt inimicissima. Notum est de *aniso*, quod pro augmentando & corrigendo lacteo chylo propinatum nutrici, sui in eo vestigia odore repræsentet. Tacebo peculiares idiosyncrasias infantum quoad certa assumpta, à parentibus transplantatas, quæ à nutricibus neglecta graviter tenellos lædunt, quorum exempla recenset DIGBY *de Nat. Corpor. Tr.* 1. *cap.* 38. *pag. m.* 424. & 436. Imprimis autem urgentur *acida*, in quibus ordinariò peccatur, nempè quæcunque *acida* aut acescentia, sive sint condimenta sive potulenta, mox sui vestigia in dulci lacte, utut sensibus abscondita, relinquunt, quæ ordinariò ejus coagulatio & congrumescentia, & corruptio in excreta viridia & acria, manifestè acorem spirantia, &c. sequuntur; unde tunc temporis tormina infantibus molestissima, ab acido intestina torquente, convulsiones & infantum epilepsiæ, ardores & insultus febriles, ab acore peregrino sanguini infuso, aphthæ, achores, favi, tineæ, abdominis inflationes, & similia mala ab acido orIunda. Et hæc mala infantibus sunt frequentissima, sicut etiam corruptio lactis acida ipsis est familiarissima, unde etiam conveniunt infantibus primariò absorbentia terrea, marina &c. Hinc & cautiores matres, dum fœtum in utero inclusum gestant, acida nimia fugiunt, ne insontes infantes in utero præmaturè torqueant, aut iisdem *fomitem epilepticum* ingenerent. Sic sæpius observavit *Clarissimus* SYLVIUS, quod tales mulieres ordinariò generent fœtus epilepticos; dum verò acido abstinuerint alio gravidationis tempore, fœtus saniores, epilepsiæ minus obnoxios, produxerint, idque etiam adeo pluribus matribus prædixit: Cùm præterea acidorum abusus ad abortum gravidas disponere rectè asseratur à BECKIO *in Med. & Experimen. pag.* 214. Quod etiam de vino, quod nempè fœtum pellat, asserit HARTMANNUS *Prax. Chymiatr. cap.* 228 §. 3. Unde etiam JOHAN-ANTONIUS *Von der* LINDEN *in Comment. super hunc loc.* primis gestationis mensibus vinum gravidis, in specie, ut vocat, calidioribus, prohibet, metu abortus, quibus ultimis duobus vel tribus mensibus Creticum aut Malvaticum, in parva tamen dosi, concedit. Hic etiam *vinum* nutricibus (non assuetis) non semper prodest, quia ab hujus præmatura coagulatione ad grumescentiam lac in mammis disponitur: In quo tamen acido frequentissimè peccatur, amicum & gratissimum cùm sit stomacho, tantum non quotidianum ejus percipimus appetitum. Caseo itidem non immeritò interdicitur nutricibus, ne hoc, tanquam præmaturo coagulo, ad grumescentiam præternaturalem jam in mammis lac disponatur. *Cerevisia* non ritè fermentata, aut à fæcibus depurata, utut nutrici sine torminibus aliaque noxa propinetur, à fermento stomachi ferè subacta, tamen lac corruptum ab ea pueris *diarrhœas torminosas* excitare solet. Quod etiam de *fructibus horais succulentis, uvis, musto, prunis*, & similibus facilè fermentescibilibus, verum est, quorum esu infantes solent disponi ad *diarrhœam torminosam*: sicut aridiores è contra alvum pertinaciùs sistunt, dum refert TIMÆUS *von GuldenKlee in Cas. l.* 5. *Cas* 15. *p.* 252. ex eo, quod nutrix castaneas copiosiùs assumpserat, alvum infantis pertinaciter obstructam: sicuti

ex florum sambuci lacti incoctorum uberiori haustu & nutricem & fœtum copiosè purgatas esse observavi. Confer. BARTHOLINUS *Cent. 2. Hist. 93. pag. 338.* utut aliàs insons soleat esse potus, imò admodum proficuus pro lactis augmento. Propterea cautæ sint nutrices in assumptione alimentorum, plus minus tamen, prout nempè aut consuetudinis, aut digestionis primæ, vel absolutioris vel deficientis, adeoque subactorum plus minus, & alteratorum à fermento digestivo ingestorum, in iis fert ratio.

Juxta hanc acidam corruptionem, & hinc ortam coagulanem, & fœtidissimam corruptionem, & depravationem lactis ab assumptis, etiam *secundò Affectuum exorbitantiæ* jam attingendæ sunt, quorum inordinatus insultus, ut generaliter spiritus animales, totumque genus nervosum, & his mediantibus massam sanguineam & reliqua corporis contenta liquida commovendo, insigniter alterat; ita specialiter nutrientium corrumpit lac. Imprimis dum nutrix affectuum agitata fluctibus, nunc irâ, nunc libidine æstuat, nunc terrore perculsa; ex his enim lac inspissatur, & ad coagulationem & corruptionem disponitur: unde lac ita alteratur, ut exinde epileptici insultus frequentes, in specie ab ira, superveniant infantibus. Turbant sanè affectus omnes concoctionis primæ negotium, adeò ut ex tristi nuncio esurienti inopinatò allato, adeòque incusso sic terrore, statim pereat omnis appetitus, unde digestionis consequenter impedimenta, & cruditatum acidarum occasiones: qui effectus itidem ex iræ furore exspectandi sunt, sub cujus fervore vel maximè sanguinis ebullitio & quasi febrilis effervescentia cum bilis orgasmo consideranda veniunt. Ex alterato ergo ac depravato chylo simile generabitur lac, aut hoc genitum licèt in statu pacato, sub intestina tamen affectuum rebellione, & inde nata omnium corporis contentorum à spirituum vario ac præternaturali impetu, non potest non insigniter alterari, & variè commotum & quasi secundùm minima concussum, in partes secedere, & butyri ac casei ex seroso vehiculo quasi separationem præternaturalem pati. Sic *terror* non minus, quàm *iracundia*, mediante *lactis coagulo*, ac in mammis grumescentia, inflammationes, dolorosissimosque abscessus, & in specie *erysipelas mammarum*, sæpissimè inferunt; hinc mater insonti infanti præsens lacte tali semicaseato mille nocumenta infert. Nihil magis autem infantes ad *epilepsiam* ordinariò disponit, quàm *terror & iracundia* nutricis: Sic quædam puerpera voluit nutrire proprium fœtum, sed simul lactare catellum, ut lac uberiùs alliceretur: aliquo die casu patella porcellanea ex alto hypocausto decidit & frangitur, unde graviter perterrefit, unde repentè ad se cùm rediisset animus, mox catellum mammis, ut lac terrore alteratum exsugat, applicat, ne isto fœtui noceret: quo facto intra dimidiam horam gravi epilepsiâ catellus corripitur; propinat eidem *Theriacam*, unde oborto gravi somno fuit curatus. Sed præter has insignes coagulationis & grumescentiæ qualitates nocivas, & alias multifarias difformitates induit lac, ex tam variis affectuum fluctibus, quibus sanè non tam matres, quàm specialiter nutrices, obnoxiæ succumbunt, quarum singulæ infantis nutrimentum lacteum morbosè disponunt; hinc in varia liquamina cadaverisatur, unde excrementa nunc intensè flava dulcia, nunc fœculenta fœtida, instar fœcum cerevisiæ, nunc ex nigro putrida, aut alio modo corrupta, imprimis in diarrhœa infantum, reiiciuntur: quin & vomitus, febres, atrophia tandem, aut saltim varii cutanei affectus superveniunt, quæ ita fœtus sanitatem graviter labefactant.

Præter dictas lactis materni depravationes, ab affectuum exorbitantiis oriundas, matres etiam gravidæ occasione subitanei terroris, & inde ortæ fortioris impressionis, suos in utero materno adhuc conclusos fœtus notabiliter signare, aut horum cutim variis maculis defœdare solent, unde

NÆVI MATERNI.

Nævi materni sunt maculæ varii, imprimis rubicundi, vel sanguinei, flavi quoque & nigri coloris, & variæ figuræ, quâ nunc planæ, nunc in tumores aliquo modo elevatæ, imò excrescentiæ carneæ, conspiciuntur variarum rerum, nimium imprimis appetitarum, e.g. fragorum, myrtillorum, cerasorum, pomorum, &c. hanc vel illam fœtus in utero materno adhuc conclusi partem afficiunt, à subitanea & pavida rei horrendæ, e.g. flammæ, sanguinis, linguæ bubulæ, muris, aut cujusdam animalis ex angulo prosilientis, ulceris cacoëthei, &c. aspectu, & inde fortiori matris impressione inductæ; unde & rerum harum figuram & colorem referunt.

PARS AFFECTA.

Subiectum patiens seu *Pars affecta* sunt partes cutaneæ, vel solæ, vel cum vasorum ramis majusculis conjunctæ, quæ in tales excrescentias terminari solent; unde æquè feliciter ac aliæ partes corporis naturales succrescunt, adeoque non sine periculo præscinduntur.

CAUSÆ.

Causa proxima latitat in ideali, tàm matris quàm fœtus, primariò tamen matris, specifico conceptu & impressione, adeòque spiritus insiti in certa corporis parte alteratione. Dum enim mater gravida ex subitaneo & improviso hæmorrhagiæ, flammæ, muris, aut alius rei conspectu, certam corporis partem, v.g. frontem, labia, genitalia, &c. attingit, ab idea hac concepta, & spiritibus animalibus repræsentata, spiritui insito simul alterato rei conceptæ character, & sic fœtui eâdem in parte nævus certus imprimitur: Sic notum est HELMONTII exemplum de militis manu abscissa, cujus aspectu gravida quædam filium manu carentem peperit: Sic paucis abhinc annis in consistorio quodam Ecclesiastico in causâ divortii casus sequens de vulva monstrosa, erinacei vultum repræsentante, adeoque congressui inepta, ventilationi subiiciebatur: Scilicet fœmina quædam Illustris ex prosapia, ni fallor, Comitis cujusdam oriunda, alterâ aut tertiâ nuptiarum die circa vesperam inter saltandum à Tychone citata, vesicam exoneratura, in proximum conclave se recipit; inter mingendum verò ex improviso erinaceus in angulo delitescens proruit; quo perterrita genitalia fortè attingit: unde suo tempore filiam peperit, quæ pudendis non solùm erinacei vultum repræsentavit, sed cui etiam debito pubertatis tempore loco pubis pili crassiores, aculeos erinacei ferè referentes, effloruerunt.

Denique tertiò superest consideranda Ratio *Excernendorum ac Retinendorum* in nutricibus. *Excreta* quod attinet: hæc inter primarium obtinent *menstrua muliebria*; nam sicut gravidis, ita etiam in lactantibus naturaliter supprimuntur *menses*, probabiliter in salutem fœtus. In habitioribus tamen, sanguine turgescentiore præditis, Viraginibus dictis, vel plethoricis, subinde primis gestationis mensibus etiam adhuc sub ipso lactationis tempore iisdem ordinariâ periodo crebriùs fluunt; qualia collegit exempla SCHENCKIUS *in Observat. pag. 754. & 630.* Jam verò observandum, quoties nutrici fluunt *menses*, quod tunc fœtus minus commodè se habeat, & sensilis in eo observetur alteratio, languidus, lachrymosus ac imbecillis fit toto menstruationis tempore; quo cessante cessat etiam dictus languor fœtus: Id quod itidem observatum à PAULO ZACCHIA *Quæst. Medico legal. lib. 7. Tit. 3. quæst. 3. pag. 49?.* Nempè certâ fermentatione massa sanguinea sub menstruatione agitatur, & turgescit, unde & menstruam febrim, sive omni mense, cum sanguis per genitalia evacuaretur, recurrentem, ex acriori scilicet sanguinis effervescentia observavit LINDANUS *in Coll. Manuscr. super Hartm. Prax. Chymiatricam*, sub qua commovetur camarina cacochymiæ; unde tunc menses partim curant, partim præservant multos morbos chronicos. Si ergo commovetur camarina sub lactatione, exinde lac tunc temporis alteratum, & similem fermentativum concipit motum, qui & turbat infantis primam digestionem, & vitalem sanguinis fermentationem vitiat, fœtum lædit, & eundem ægrotum reddit; forsan simili quodammodo ratione, atque quando adulti cerevisiæ potui vel vini adsueti, ex potu talis liquoris adhuc nonnihil fermentantis, ceu extraordinariè affecti subinde non leviter læduntur. Imprimis insigniter alteratur lac, si furtivâ nutrix utatur Venere, aut clanculum denuò fuerit impregnata; corrumpitur hinc lac, & horridam quodammodo acquirit impressionem, fœtui nocivam; unde istud nauseat infantis stomachus, ut subinde spontè se ablactent infantes: id quod & in brutis observabile est; ut curioso exemplo observatum à GRÆFIO *de Organ. Virorum Genital. p. 126.* de cane felem lactante. Lac ita depravatum, ne dicam corruptum, ab infante haustum, tanquam hostile, aut in ejus stomacho in peregrinum casei coagulum abit, tenello infantis stomacho mirè infestum, adeò ut eidem exinde stigma, casei

aver-

aversatio multis familiaris, & per totam vitam durabilis, imprimatur; aut lac aliâ ratione in liquamen dulce putridum, flavescens, &c. alteratum, diarrhœas, maciem, ac modò dicta mala infert. Ob id & Medicorum est præceptum, ut toto lactationis tempore nutrices à coitu abstineant; unde etiam lactantes matres à redditione debiti excusat, propter insignia fœtus nocumenta: PAULUS ZACCHIAS *loco supra citato*. Quod verò ex alteratione lactis post impregnationem, & inde in stomacho ejus facta caseatione, oriatur aversatio casei, postmodum per totam vitam durabilis, præ cæteris eleganter deducit MARTINUS SCHOOCKIUS *Tr. de Aversatione Casei*, & Illustris DIGBY *Tr.* satis acurrato & eleganti Physico, *de Immortal. Animæ hum.* uti & *de Nat. Corpor. cap.* 38. *pag.* 437. & denique SCHOTTUS *in Phys. Curios. cap. peculiari* prolixiùs *de Aversatione casei pag.* 534.

CURA.

Lactis hæc & *lactationis vitia* aut *errata* ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facillimè quivis corrigere valet; Nempè semper habeatur respectus, ut omnis ejus sub digestione prima oriunda *vitiosa acescentia*, hincque grumosa *coagulatio*, ceu familiarissima vitia, quantum possibile, præcaveantur. Unde in infantum curis vel maximè nutricum habenda est ratio, cùm peccatorum earum pœnas sæpissimè luant infantes insontes. Propterea mulieribus vel nutricibus commendatissimus sit usus *anisi* & hinc *fœniculi*, sive semina eorum post singulos pastus comedantur, sive radix saltem & herba fœniculi quacunque ratione usurpetur, & ex his parata medicamenta: nam præter lactis ubertatem, etiam saluberrimam vim, & corruptioni minus obnoxiam, ipsi simul conciliant, aromaticâ volatili oleosâ naturâ vitiosam & præmaturam lactis acescentiam & coagulationem prohibent & corrigunt; quin & *tormina* & flatus infantis feliciter tollunt, blandèque intestina abstergendo infantes laxant. Caveat nutrix simul sedulò, ne aquæ frigidæ diutiùs aut crebriùs manus immergat, vel ne crebriùs pedibus nudis in loco frigido ambulet, & statim ab hoc lac infanti infundat; sic enim statim lac in mammis alteratur, nec infantes tantum, sed & ipsa nutrix, ventris tormina solent pati.

Quodsi *inopinato terrore* percussa, vel *ira* commota fuerit mulier vel nutrix, lactisque graviorem alterationem metuat, primò omne lac ex mammis priùs *emulgeat*, posteà assumat *spermatis ceti* ℥ß. ad ℥j. cum lapillorum cancrorum, vel *antimonii diaphoretici*, vel coralliorum gr. xv. ad ℈j. in haustu cerevisiæ calidæ, & ad blandum sudorem se componat, quo omnis lactis corruptela sic emendetur; sperma ceti enim quemcunque grumum & quodcunque coagulum lactis promptè dissolvit. Vel

℞. *Cornu Cervi sine igne* ℥ß.
. *Salis card. bened.* ℥ß. ad gr. xv.
M. F. Pulvis: S.
Resolvens pulvis sudoriferus.

Capiat in aqua florum sambuci, & blandum sudorem expectet.

Vel in tumore, dolore, & duritie superveniente, & ita inflammationis metu:

℞. *Cornu Cervi sine igne* ℈j.
Antimonii diaphor. ℈ß.
Sal. vol. cornu Cervi aut *viper.* gr. viij.
M. D. S. ut *antè*.

Vel horum loco spiritum salis ammoniaci à ℥ß. ad ℥j. in aqua cardui benedicti hauriat, & sudorem plus minus largum expectet, imponendo simul mammæ, in leviori quidem affectu, emplastrum de spermate ceti Mynsichti; in graviori verò inducendo mammæ emplastrum de galbano crocatum Mynsichti, cum ana gummi ammoniaci, in aceto destillato soluti, invicem liquefactis, & linteo denso inductis, confectum, quàm calidè perferre potest: utroque in casu desuper sacculum interpassatum ex oryza confectum probè calefactum imponat, ut per sudorifera ista alcalina dissolutum lac horum adjumento promoveatur in motum, & stagnatio ejus ac grumescentia ita corrigantur maturè. Aliud emplastrum, lactis coagulationem à terrore præcavens, habet SYLVIUS *in Praxi pag.* 387. §. 45.

Uti autem in infantibus adhuc lactentibus imprimis habenda est ratio corruptelæ lactis, & inde natorum liquaminum multiplicium, in specie cruditatis acidæ; ita in infantibus ablactandis habenda quoque est ratio digestionis primæ, & propter voracitatem seu addiphagiam cumulatorum excrementorum acidorum viscidorum, unde morbi infantum ablactatorum maximam partem oriuntur, ad quæ in cura primariò respiciendum venit.

Nævi Materni, cum sibi relicti, imprimis profundiores, ad ultimum vitæ terminum remaneant, & ad reliquarum corporis partium modum adaugeantur, maturam requirunt *Curam*: pro quo optimum remedium est secundina, sive propria, sive alius fœtus, si eâdem adhuc cruentâ & calidâ nævus mox à partu aliquoties fricetur; sicut & puelli mortui attactus, & quidem sæpius admissus, à multis laudatur. Quidam requirunt secundinam primiparæ & puellum primogenitum: sed non necesse est; modò sæpiùs repetatur. Lintea etiam sanguine menstruo tincta sufficiunt; quibus nævi probè fricandi: ganglia enim hisce linteis curata vid. HELMONTIUS laudat frictionem cum pomis re dolentibus, de qua vid. *Tract. de Magnet Vulner. Curat.* Itali contra hos nævos bufones crustatos, *seu testudines*, tanquam secretissimum remedium commendant, sanguinem linteolis exceptum applicando, & simul particulam carnis imponendo. His non juvantibus ad corrosiva magis accedendum, v. g. aquam Divinam Fernelii. Huc etiam pertinet sinapi masticatum, cum quo pars defœdata frequentiùs fricanda. Ubi verò integra corpora excrevere, eaque majora, propriis vasis sanguiferis & nervis majoribus instructa, per constrictionem & abscissionem sunt auferenda.

Quoad *Ablactationis Tempus*: lactet infantem mater præter propter annuo spatio; ablactandus postmodum venit commodissimè verno & autumnali tempore post æquinoctia, idque potius crescente luna, quàm decrescente. Sub alteratione hac maximè lædantur infantes à potu nocturno cerevisiæ, vel aliorum liquidiorum; hinc enim stomachi atonia inflatio totius abdominis, diarrhœa, & mille mala superveniunt: Propterea potui nocturno semper aliquantulum essentiæ absinthij addendum, partim ut amarore hujus deterreantur ab ulteriore potu, partim ut hoc modo medicatus ipse potus ventriculo & primis viis medicamentosus evadat, nec ampliùs noceat. Sin verò supradicta mala ex potu nocturno jam orta sint, corriguntur optimè, pauxillum vini Malvatici propinando: externè verò sacculum ex mentha, rosemarino, angelica, caryophyllis, mace, & similibus aromaticis, confertim abdomini applicando.

ARTICULUS IV.
DE
VITIIS PULTIS.

HÆc vitia lactis fuere, restant adhuc *Errata Pultis*, ceu secundum genus errorum in assumptis.

Sunt hæc potissimum
1. *Præparatio*;
2. *Propinatio*:
quæ culpantur.

Quoad 1. detestor in pulte imprimis farinæ crudæ usum, quæ vel cum aqua simplici, vel cum lacte subacta & cocta, ac in pulmentum viscidum, crassum & glutinosum, &c. redacta, quid aliud dabit, quàm pastam tenacem, crudam & viscidam, utiliorem bibliopegis pro glutinandis chartis, quàm infantibus pro nutritione? Jam verò notum est, quod farina quæcunque cum aqua sufficienti subacta, & in loco tepido asservata, spontè suâ & facilè incipiat insigniter acescere, & hinc fermentare, atque spumosè turgescere, etiam citra fermenti additionem: quid jam fiet in stomacho infantis, quem talis puls ingreditur, & postmodum lac butyrosum superfunditur? Ex hoc nempè præternaturali & stomacho peregrino pultis acore emergit materia acida, viscida, cui superingestum lac mox corrumpitur, & in grumos caseosos coagulatur, adeoque digestio prima exinde depravatur insigniter. Siquidem ob fermentationis farinæ in panificio pro adultis etiam summè necessariæ defectum difficillimæ eadem pasta existit digestionis, quia laboriosæ in ventriculo fermentationis. Considerate saltem, quod panis ex quacunque farina confectus, non ritè fermentatus, ac ita pro digestione stomachali facilius suspicienda, & in aliis unà assumptis promptiùs adjuvanda ineptus, ex defectu acidi spirituosi volatilis, crudam farinæ mucaginem resolventis & volatilisantis, adultis maximè fit noxius, & quàm

fœcundus sit genitor morborum chronicorum; quod præter quotidianam experientiam vel muliebris loquitur sexus, ex talis panis esu menstruorum patiens defectus & cachexias, ut pluribus videri potest KERGERUS *de Fermentat. Sect. 3. cap. 2. pag. 216.* & SCHOOCKIUS *de Ferment. cap. 2. & 3.* Quid ergo fiet, si edamus panem ex farina cruda cum aqua subacta? Ast robustus est adultorum ex spirituosiori ac acriori fermento stomachus, debilis è contra infantis. Ingerat quis tale pulmentum glutinosum & viscidum infanti, & superaffundat lac butyro & caseo pingui turgidum, quidni talis puls infantibus erit admodum nociva? tenax nempè & glutinosus, stomacho ponderosus, vitiosoque acore intensè tinctus emerget mucus, mille malorum in junioribus talibus fœcundus parens. Potius ergo farinæ talis pro meliori digestione fermentativa præparatio extra corpus præmittatur, quàm quod tanto sanitatis periculo eadem in stomacho demum instituenda supponatur. Perspexerunt hoc, & rejecerunt ob id tales pultes jam olim plures insigniores Medici, uti de hoc videri potest VELSCHIUS *de Vena Med. seu Dracunculis Veter. Excitat. de Verm. capill. infantum pag. 291.* Conf. simul HILDANUS *Cent. 6. Observ. 34.* qui periculosissimam pylori obstructionem, à tali spissa pulte natam, observat.

Quoad 2. post pultis præparationem culpo etiam ejus *usurpationem*, dum consuetæ sunt mulieres vel nutrices, ut pultem priùs ingerant in proprium os, & cum saliva ad debitam fluiditatem subactam postea in os infantis intrudant. Consideremus ergo salivam, & ejusdem singularem fermentativam vim, à modernis sufficienter declaratam, (ratione cujus proficua sanè esset ejus cum pulte miscela, si exactè sana nutrix eam institueret) quàm promptè sub ejus vehiculo ratione hujus virtutis fermentativæ etiam morbi contagiosi promptissimè soleant communicari, & propagari in distans; ob id minus istam nutricis delibationem permittere possum, cum exinde facillimè ad morbosam corruptelam puls disponatur, imprimis si tantillum scorbutici fermenti gingivas & salivam inquinaverit. Si ergo saliva talis nutricis vel tantillo cacochymiæ vel scorbuti est inquinata, eo etiam inquinat infantem, cum tamen per se puls sit satis nocens.

Superest pultis correctio, quæ consistit in eo, ut loco farinæ sumatur panis triticeus, vel, ut vocant, similagineus, qui nonnihil exsiccatus vel induratus, probè tritus, cum lacte vel cum aqua, adjecto vitello ovi, in pultis consistentiam mollem coquatur, tantillum *seminis anisi pulverisati* superaddendo. Experientia me hactenus docuit, talem optimè conducere tenellis, & ubertim eos nutrire, variaque mala præcavere. Nempè fermentatus panis similagineus, adeòque facilè resolubilis, promptiùsque in stomacho digestibilis, melior est, quàm pasta farinacea cruda, unde salubriores fiunt pultes. Pauciores enim sic elevabuntur flatus, & mucus erit longè liquidior post ejus usum, & minus viscidus, qui etiam faciliùs potest abstergi, quàm è communi pulte fieri solet. Sed etiam non nimiâ quantitate propinetur puls, verùm tantum saltem, quantum citra coctionem absumit infans.

Quibus hactenus dictis ritè observatis, nullum est dubium, quin infantes vitam sanam sint conservaturi diutiùs.

CAPUT IV.

DE MORBIS INFANTUM PRÆCIPUIS.

SEd quàm facilè hæc imperantur, quæ tantum non impossibilia sunt, ut observentur, idque tam à matre, quàm à nutrice, non poterit tamen tam rigorosum regimen institui, quin propter multiplices circumstantiarum varietates colligatur tandem succus acidus, copiosior vel parcior, acidior vel temperatior, viscidior & pituitosior vel serosior; unde morbi infantiles plerique successivè propullulant. Sub hoc enim nutritionis cursu frequentissimis tenelli obnoxii sunt ægritudinibus, quæ & ipsæ post ablactationem non statim desinunt, quin interdum factâ ablactatione demùm se prodant, ob errores circa nutritionem commissos. Primitus intestinorum tormina frequentissimè cruciant illos, cum quibus excreta alvi à consueta flavedine subinde deflectunt, & obscuriori colore subinde viridi omninò, porraceam vocant Practici bilem, tincta apparent: quin & cum hoc peregrino colore (rariùs sine eo) eadem ipsa non indebita fluida æqualiter permixta consistentia cernuntur, sed in parvos quasi grumulos discerpta procedunt: præter quas vitiosas excretiones & copiosior alvi fluxus seu diarrhœa non rarò eos delassat. Juxta has passiones, & vigiliæ pertinaces maximè necessariam junioribus somnolentam quietem tollunt, aut interrupti pavores eandem turbant, prodromi scilicet gravioris mali epileptici, cui vel maximè ista ætas est obnoxia, sive interiores abdominis tantum convellantur partes & thoracis (quod nostrates vocant *epilepsiam in corpore*) sive externa concutiantur membra. Hypochondriorum præterea flatulenta intumescentia, tumorque præcordiorum angustat eosdem, non minus quàm difficilis respiratio, tussisque perquàm vel ex eo molesta, quod aut nesciant aut nequeant rejicere ea, quæ ad tussim proritant, nisi repetitus vomitus spontè naturâ vitiosa auspicatò eliminet. Utut autem viscerum & membrorum mollis extensilitas aptissima sit pro uberiori augmentante nutritione; crebrò tamen exarescunt potiùs, aut deficiente nutrimento atrophiâ laborant, aut, nutriantur licet, vitio tamen hujus nutritii succi prava non rarò efflorescunt tubercula, in ulcera saniosa & cutaneas partes instar favorum in mellificio exedentia, aut tineæ instar cranii tegmina erodentia: quibus malis nec linguæ artificiosus musculus, nec palati concamerata structura carent, quin ulcusculis, Aphthis appellatis, infestentur. Ut nihil dicam de febribus variis, in specie lentis, item de variolarum, & morbillorum contagioso insultu, musteum tenellorum sanguinem, non minus quàm paulò adultorum magis, febrili turgescentia & tantum non effervescentia turbante. Supervenit tandem & dentitio, dolorosa eadem, & pessimorum symptomatum concitatrix: non secus ac intertrigo, sive cuticulæ tenerrimæ hinc inde facta excoriatio. Ac ne malorum aliquid desit, lumbricorum incondita turba, quibus non malis mulctat infantes? in intestinis qui hospitantur, dum crinones seu capillares vermiculi intercutanea loca catervatim inhabitant.

Talis tantaque malorum strages imminet pueris, ut rectè cum PLINIO *in Proœm lib. 7. Histor. Natural.* dicendum sit: *à suppliciis vitam auspicatur homo, unam tantùm ob culpam, quia natus est*: aut asserendum cum sapiente SOLONE: *Homo est putredo in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte*.

CAUSA PROXIMA.

Detectis hactenus remotioribus causarum morbificarum fontibus, dum exactiùs consideramus omnia hæc vitia, & nocendi rationem proximam seu rationem causandi, perspicuum evadit, *succum vitiosè acidum*, nunc *viscidum*, nunc *aquosum serosum*, defectu primæ digestionis in ventriculo, ejusque in intestino duodeno perfectionis, adeoque ex cruditate acida coacervatum, esse *Causam proximam & radicem* omnium ferè *affectuum infantilium*. Hunc, sive Galenicorum pituitam acidam, sive Paracelsistarum sal acidum, sive tartarum fœcalem appellare velitis, mihi perinde est; simus namque in verbis faciles, modò in rebus conveniamus. Nempè omnia *vitia lactis* in stomacho concurrunt, inque eo magis alterantur, & in *coagulum acidum* abeunt, idque eò magis, quò copiosiùs aut inordinatiùs ingeritur, hinc spissescit, & facta per coagulum seri à contentis separatione casei cum butyro perniciosus grumus nunc in stomacho, nunc in intestinis subsidet, & plus minus pertinaciter agglutinatus hæret; unde oriundus mucus impensè acidus & ponticus originem ducit: id quod excreta inde per alvum viridia, seu porracea & æruginosa, quasi grumosa, & quamplurimi morbi, sufficienter declarant, dum præter tormina sæpe corripiuntur epilepsia, flatibus, inflatione præcordiorum, convulsionibus, pustulis, achoribus, favis, morbillis, variolis, atrophia, &c. Confert huc suum symbolum *puls farinacea* cruda & viscida facilè acescibilis, unà cum retento & plus minus corrupto meconio, unde ex conditione loci, hoc est stomachi calidi, & ratione contentorum, uti & ingestorum lacteorum & pultaceorum, intensus acor necessariò & de facili oritur; qui nunc materia viscida irrititus in primis viis ludit tragœdias; nunc vehiculo aqueo-seroso & lymphatico ulterius distributus, etiam aliis & remotis in locis mille malorum existit artifex. Clara hæc evadunt spontè, modò superiùs explicata probè consideremus, in specie quæ de retentione meco-

meconii, vitiis lactis & pultis, dixi. Confirmat etiam hoc medendi ratio, quæ ordinariò & optimè instituitur per *alcalia*, tam *fixa* quàm *volatilia*, in specie per *salia volatilia*, aromatica oleosa, infantibus optima remedia, quæ *acidum* destruunt, & *serosum* evacuant.

Hæc tamen non ita intelligenda sunt, ac si hæc quasi solitaria sint *causa proxima* horum affectuum, sed quod etiam subinde, rariùs tamen, alia errata in copore tenello observentur; ubique enim excipiendi sunt *morbi hæreditarii*, utut occasione tali subinde maturiùs expergiscantur, uti & à lactantibus transplantata morborum seminaria, aut aliorsum hausta contagia. Præterea *lac* in sui corruptione mille larvas induit, mille inde nocendi artes, non tantum dum adhuc in mammis turget, sed in specie, dum nunc in stomacho, nunc in intestinis à *bile & succo pancreatico* diversimodè alteratur, subinde à restitante meconio similibusque excernendis inquinatur, quin & propriâ sponte de facili corrumpitur, unde diversimodè dulcescit, amarescit, colliquescit, viridescit, livescit, putrescit, verminescit, aliasque quàm plurimas peregrinas adsciscit sibi qualitates: nam & iam in tenellis sexcenta seu potius infinita Hippocratea, de quibus *Autor libri de Prisca Medicina*, locum inveniunt. Unde tam in abdominis visceribus, quàm massa sanguinea, & inde derivatis reliquis contentis liquoribus activis, quàmplurima præternaturalia nocumenta præstò adsunt; Utut frequentissimum & familiarissimum sit nocumentum, si in *coagulum acidum* aut cruditatem acidam abeat.

Verùm hoc quibusdam paradoxum videtur, infantibus tenellis semilacteis, adeoque dulci rore chyloso ubique perfusis, ex lacte dulci primitus concretis, & eodem cùm pulte insipido dulci enutritis peccare posse *acidum* adeo nocivum, & subinde *excessivum*, à quo tam tetra superveniant symptomata. Sed clarius redditur facilè totum negotium, modò consideremus *assumpta* tam matris utero gestantis, quàm nutricis lactantis, & postmodum ipsam *naturam lactis*, tum facilè patebit, quod subinde *acidum*, etiam satis *excessivum*, in fœtu tenello possit congeri. Frequens est, ut mater & nutrix ex dictamine appetitus ingerant manifestè acida; sed posito, non vesci talibus, certum tamen est, matrem & nutricem vesci saltem pane, & bibere cerevisias: Jam verò in pane omni, in specie secalino, semper adest spiritus acidus, volatilis tamen, saluberrimus quidem in se, sed adeò potens, ut etiam duriora corpora, v.g. corallia, vitrum antimonii, martem, saturnum, aliaque rodere & dissolvere queat. Iam verò panis cum aliis assumptis etiam materiam lacti suggerit, unde hic ipse acor, quamvis in stomacho sub digestione, & in jejuno ab alcali bilis, alteretur plus minus in salsum volatile; nihilominus adhuc in lacte occultus hæret, qui per se quidem est innocuus, datâ tamen occasione facilè denuo se exserit & operatur, & dicta mala infantibus infert; hinc enim tam facilis lactis acescentia, & assumpta acida matri ac nutrici innocua, tamen infantibus per lac, reverà ad gustum dulce, sunt torminosa, & vel maximè hostilia. *Cerevisiæ* quoque facillimè acescunt, cùm modica lupuli pinguis aromatica conditura non semper sufficiat, quin tandem acescat. Si ergo cerevisia novella, vel à fæcibus nondum sufficienter depurata, fermentando in stomacho facillimè acescens, aut cerevisia inveterata jam nonnihil acidula à nutricibus subinde ingeratur, facilè in his suo acore lac inquinat, ut consequenter in fœtu quoque evigilando lac dictum acorem possit inferre. De cætero his ipsis vix ulla est cura, quantum sua assumpta fœtum aut infantem afficiant, utut earum delicta diu post demum luant infantes, idque datâ qualibet occasione, ut plurimum per epilepsiam, ut suprà monitum. De *fructibus horæis*, effervescibilibus facillimè, acetariis & similibus, gravidis pariter ac lactantibus, citra reflexionem in fœtum familiarissimis, res nota est. Adeò ut acidum sit, quod morborum infantilium frequentissimus est autor: sicut subjectum ejus viscidum eos contumaces subindè reddit, aut crebriùs recidivantes; vehiculum verò aquosum etiam in remotioribus locis, & extrema corporis peripheria eosdem propullulare facit.

CURA IN GENERE.

Pro horum correctione, & inde natorum morborum cura, in genere, remedia talia conveniunt, quæ *acidum* absorbent vel *destruunt*, *viscidum incidunt*, seu attenuant, & utrumque pro ratione occasionis, tam per *urinam*, tam *insensibilem transpirationem*, quàm per alvum evacuare, primasque vias seu fomitem morbosum abstergere valent; Adeoque mox à nativitate propinanda sunt, & subinde repetenda remedia *temperata*, his indicationibus satisfacientia: inter quæ prima sunt ex animalium partibus parata *salia volatilia*, in specie *oleosa*, quæ optimè acidum corrigunt, & in salsum alcalinum blandum transmutant, diureticum pariter & diaphoreticum; quin etiam penetrando potentissimè attenuant & resolvunt quascunque obvias cruditates viscidas, & sic lac salubre & à corruptione præservant; unde *spiritus salis ammoniaci* vel simplex, vel cum aromatibus destillatus, sicque factus oleosus, item *spiritus salis ammoniaci anisatus*, & *caryophyllatus* convenit. Optimè etiã conveniunt aliquot guttæ spiritus cornu Cervi, & quem mille encomiis extollo pro curandis infantibus, *liquor cornu Cervi succinatus*, à B. *Doctore* MICHAELIS primitus in usum vocatus, & hactenus mille experimentis multis in casibus adultorum pariter ac juniorum utriusque sexus comprobatus. Hæc enim salia volatilia hostiles acores altiùs in corpus tenellum penetrantes, & inde ortas convulsiones & epilepticas passiones corrigunt & sedant, eorumque declinantem sanitatem firmant: hinc etiam spiritus cornu cervi succinatus, pusillo ad duas vel tres, infanti unius anni ad septem vel octo guttulas, est expertum remedium in epilepsia infantum. Paratur modò laudatus liquor ex spiritu cornu cervi & sale volatili succini, ab omni oleositate empyreumatica crebrioribus cum aqua & spiritu vini solutionibus, & inde sublimationibus, purificato, ana quantum sufficit, ut imbibat & soluat intimè dicta salia: quæ mistura, utut efferuescat primitus, cùm succini sal volatile acidum suavissimum admodumque delicatum conjunctum habeat; breui tamen amicè coeunt, & digestione debitâ ac cohobatione reiteratâ liquorem hunc commenda tissimum constituunt. Nec est, quod generosa nimis nimisque graduata pro infantibus putemus *salia volatilia*; nam circumspectus usus in lacte nutricis, uel in *aqua* aut *syrupo menthæ*, *fœniculi* &c., & limitata ad guttulas saltem dosis optimè potest accommodari tenellis pariter ac paulò robustioribus infantibus; & licèt, dum propinantur infantibus, mirè mutentur, nemo tamen interit; mox enim ad se redeunt, & aliquot dosibus repetitis, iisdem quatenus consuetis minus solent angi. Miratus sum sæpius, à quibusdam uel præconceptis opinionibus excæcatis, uel experientiâ debitâ destitutis Medicis, cum pauore quasi audiri salium uolatilium mentionem, speciatim pro infantum cura, cùm tamen sub legitimo & circumspecto usu Deorum manus eadem uocanda existimem. Volatilibus hisce alcalibus & fixa per spiritum uini temperata in solutiones tinctas etiam subjungenda erunt, imprimis tinctura tartari, & tinctura scoriarum reguli antimonii.

Præter salia hæc uolatilia acriora & aromatica, conueniunt etiam infantibus ægris subjecta alia aromatica & oleosa, suo uolatili sale non destituta. Inter hæc eminet *Anisum*, ejusque semen pulverisatum; quod recens, dosi ℈j. ad ʒß. aromaticâ ui uitiosas acescentias corrigit, & inde productionem flatuum impedit, blandèque intestina abstergendo tenellos laxat; sicuti commendatur ab HEURNIO *in Meth. ad Prax. lib. 2. cap. 26.* Juxta hæc *Castoreum* benedicta est Medicina, mirè temperans acidum austerum, & quascunque conuulsiones & tormina leniens. *Myrrha* quoque omnem corruptionem & acorem tollit, & balsamicâ ui quamcunque corruptionem putredinalem inhibet, indeque ad uitam longam ab HELMONTIO commendatur *Tr. Arcan. Paracelʃ. pag. 626.* Unde PARACELSUS ipse *in Consil. antipestil. Sterzingens.* *Myrrham* junioribus & infantibus, ceu optimum pestis præseruatiuum, commendat. Propterea *Tinctura salutis* B. Doctoris Langii ex myrrha *cum spiritu vini tartarisato* uel *tinctura tartari* parata, salutare est pueris remedium, corrigens acidum, & resoluens uiscidum; loco cujus etiam *spiritus salis ammoniaci cum* spiritu uini paratus pro menstruo pro elicienda *essentia myrrhæ* capi potest. Facit huc etiam *Elixyr proprietatis sine acido* paratum, per alcalia nempè, uel fixa, ut sal tartari, & hinc dissoluta cum spiritu uini, uel uolatilia, cum spiritu salis ammoniaci: hoc ipsum enim iis, qui adhuc lactis gaudent nutrimento, mirificè conducit; sicut post ablactationem id, quod cum acido consueto modo uulgò conficitur, tutò concedi potest.

Hisce acidum corrigentibus uolatilibus, partim salinis, partim oleosis, adjungenda simul erunt denique Concreta quasi terrea & paulò fixiora, acidum, quod talia rodit, in se absorbentia: qualia sunt imprimis marina seu aquatilia, ut

ut *lapilli cancrorum*, & cum his, vix nobilioris usus, *margaritæ* præparatę, maxilla lucii piscis, *unicornu* verum præparatum, *dens hippopotami præparatus*, *corallia rubra*, &c. in genere etiam quævis animalium partes duræ, ut *Cornu Cervi*, tam communi modo, quàm *fine igne* aut philosophicè, ut vocant, ustum, ut & *ebur* simili modo tractatum, &c. ex quibus decantatus *pulvis Marchionis* ferè est compositus, qui ad *tormina* & *epilepticos insultus* infantum mulierculis est usitatissimus: item mineralia absorbentia, in specie crystallus, terra sigillata, antimonium diaphoreticum, *lapis bezoar* animalis. His denique pro scopo anodyno aut Theriacæ aut Mithridatii, anniculis gr. j. vel grana ij. pro una vel duabus dosibus, aut cinnabaris antimonii, aut pulvis epilepticus antimonialis, addi possunt. Nec est, ut Theriacæ aut Mithridatii vel caliditatem vel narcosin opiaticam metuamus, modò à grano dimidio ad gr. j. vel ij. pro ratione ætatis propinetur; quin & acida vitiosa temperent, & inde illatas noxas dolorosas blando sopore fallant. Opiata autē nimis generosa nocent infantibus, tam ante quàm post ablactationem, *jacent ibi, ac si mortui essent*: Conf. PANAROLLUS *Pentec.* 2. *Obs.* 27. V. g. loco pulveris epileptici Marchionis etiam feliciter usurpari solet pulvis pro pueris polychrestus sequens:

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒß.
Cornu Cervi fine igne ℈j. ad ʒß.
Corall. rub. præp. ℈ß.
Myrrh. el. gr. vj. vel ix.
Ther. Androm. gr. iij. vel iv.
Ol. destill. anisi gtt. iij. ad vj.
M. f. *Pulvis*: S.
Pulvis infantum contra tormina.

℞. *Cornu Cervi fine igne* ℈j.
Lapill. cancr. præp. ℈ß.
Myrrh. el. gr. vj.
Ol. dest. anisi gtt. iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis pro pueris.

Vel

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒß.
Corall. rub. præp.
Cornu Cervi fine igne an. ℈j.
Salis Card. ben. gr. xij.
Theriac. gr. iv.
Ol. destill. anisi gtt. vj.
M. f. Pulvis.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Lapill. cancr. præp.* ℈ij.
Salis absinth. gr. xij.
Myrrh. gr. vj.
M. S.
Ut ante.

De his, quantum sufficit, in lacte matris vel nutricis, vel in pulte, vel alio vehiculo, infanti propinetur: & loco *salis cardui benedicti* vel absinthii grana quædam *salis volatilis cornu Cervi*, vel *salis volalatilis cranii humani*, vel viperarum, permisceri possunt; erit enim sic usus ejus longè salubrior, magisque præsentaneus: E. g.

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒß.
Cornu Cervi fine igne ℈j.
Unic. veri præp. gr. xv.
Salis volatil. cornu Cervi vel *cancr. hum.* gr. ix.
Theriac. gr. iij.
Ol. destill. anis. gtt. iv.
M. f. pulvis:
D. S. ut *suprà*.

Vel

℞. *Cornu Cervi fine igne* ℈ß. ad ℈j.
Lapill. cancr. præp.
Corall. rub. præp. an. ℈ß.
Salis vol. cornu Cervi gr. vj.
Theriac. gr. iv.
Myrrh. el. gr. iij.
M. f. pulvis: S.
Pulvis pro infantibus sanguinem mundificans.

Item Mixtura polychresta:

℞. *Aquæ flor. samb.* ℥ij.
Spir. sal. ammoniaci gtt. xij. ad xv.
Cornu Cervi fine igne,
Maxill. lucii pisc.
Unic. veri præp. an. gr. ix. ad ℈ß.
Syr. Papav. albi vel *Diacod.* ℥iß. ad ℥ij.
M. D. S.

Potio leniens contra tormina.

Temperatus sic partim, partim resolutus mucus acidus viscidus, necesse interdum est, ut foras eliminetur, idque per alvum imprimis, obstetricante naturæ defectibus arte. Opiatam hic ferunt opem *Clysmata*, imprimis cum *sale tartari* aut simili lixiviali acuata, quæ mucum in crassioribus intestinis resolvunt, optiméque deducunt, & stimulo reliquis intestinulis ita injecto, cætero muco descendenti vias patentiores reddunt. Optimè parantur ex *decocto florum chamomillæ*, v. g.

℞. *Decoct. flor. Chamomill.* ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij.
pro ratione ætatis,
adde
Mell. rutac. ʒß.
Sal. tartari ℈ß. ad ℈j.
Ol. destill. anisi gtt. iij. vel iv.
M. pro Enemate.
D. S.
Clysma abluens.

Quod injectum feliciter operatur.

℞. *Decoct. emoll.* ℥ij.
Ungu. clysmat. ʒiij.
M. pro Enemate:
S. ut *suprà*.

℞. *Spec. emoll.* M. ij.
Bacc. iuniper. ʒß.
Cin. clavell. ʒiij.
Coqu. in *aqua simplici*:
Colat. ℥iv. adde
Ol. lil. alb.
Mell. mercurial. an. ʒß.
Misc. pro Clysmate:
D. S. ut *suprà*.

℞. *Spec. carmin.* M. j.
Sal. tartari ʒß.
Coqu. in s. q. *aquæ* ad ℥iij.
Colaturæ adde
Elect. Hier. cum agar. ʒiij.
M. f. Enema:
D. S. ut *suprà*.

℞. *Rad. lil. alb.* ℥j.
Flor. Chamomill. M. j.
Sem. anisi ʒß.
Coqu. in s. q. *aquæ*:
Colat. ℥iij. adde
Elect. de bacc. lauri ℥j.
Mell. mercurial. ʒiij.
Ol. destill. Tereb. ℈ß.
M. f. Enema:
D. S. ut *antè*.

Vel loco talium enematum injiciantur ex lacte dulci, sed cum terebinthina mediante vitello ovi dissoluta permixto, quæ admodum sunt egregia, idque in specie, ubi dolorosi abdominis affectus simul urgent: E. g.

℞. *Lactis* ℥ij. vel iij.
Terebinth. cum vitello ovi dissol. ʒij.
M. pro Enemate: S.
Clyster leniens contra tormina.

Quin si & fortiùs agendum per clysmata, ubi stimulanda alvus, & detergendus mucus, non rarò vitreus, etiam talibus ex simplici vegetabili decocto paratis, pro fortiori acumine addendus est syrupus emeticus à ʒj. ad ʒij. pro ætatis ratione, aut etiam infusum quoddam antimoniale, nomine aquæ benedictæ aliàs cognitum: qualia pertinacioribus in malis, epilepsiam jam minitantibus, quæ ferè semper in infantibus fomitem obtinet in abdomine, convenientissima sunt: E. gr.

℞. *Decoct. carmin. cum* ℈ß. vel ℈j. *sal. tartari* par. ℥ij. vel iij.
Syr. emet. ʒß. ʒj. ad ʒij.
Mell. rosac. ʒij.
M. S.
Clyster abstergens.

Quoad *laxantia*; sanè infantes benè possunt ferre Purgantia, ut rectè observavit WEDELIUS *in Opiol. pag.* 38. Quod si opus sit ex lacte farinaque in pulte congestum mucum per vomitum evacuare, in specie in asthmatis aut gravioris suffocationis metu, sufficit *pulvis radicis Ireos Florentinæ* ad grana aliquot (iv. vel xij.) propinatus. Instar omnium fit syrupus emeticus seu Oxysaccharum emeticum Angeli Salæ. De hoc, ut apud nos paratur, infanti unius

unius anni ℈ß. trium annorum ʒß. sex annorum ʒi. & sic porrò, ratione ætatis præter propter plus minus propinatur: Quod si viscidior mucus occupet præcordia, parum de syrupo nicotianæ potest addi: v.g. Infanti unius anni adhuc lactanti:

℞. *Aquæ Hyss.* ℥iii.
Syr. Nicot. ʒß.
Emet. ℈i.
M. D. S.
Potio emetica.

Propinatur pro dosi.

Quando infantes teneriores, propter sordes in primis viis copiosas, vomitu sunt evacuandi, tutissima est methodus, ut recipiatur quantitas syrupi emetici, quoad dosin pluribus guttis ætatem infantis superans, e.g. gtt. vi. vel viii. ad ℈i. diluatur cum aquæ menthæ vel fœniculi vel alius appropriatæ, ℥ß. vel ℥j. & de mistura hac aliquoties, successivè tamen, idque tutius, quàm semel pro una dosi, quod periculosius, cochleare parvum unum vel duo ad tria propinetur, tamdiu continuando, donec sufficiens evacuatio successerit, suadente hoc itidem experto LUDOVICI *c.l. pag.* 197. sic enim sine ullo periculo possunt purgari infantes, & haud facilè nec in excessu, nec defectu peccari potest: Sit v.g. Infans dimidii anni, cui præscriberem pro vomitorio:

℞. *Aquæ Menth.* ℥ß.
Syr. emet. ʒß.
M. S. ut *suprà.*

De hoc cochleatim propinetur, donec sufficiens sequatur evacuatio:

Sedulò nempè hoc observandum in omnibus remediis, quæ infantibus propinantur, nunc plus nunc minus se exserere in operando posse; quatenus vel copiosior mucus, grumusque caseosus, vel parcior, aut prout tenacior vel minus tenax in stomacho & primis viis hæserit. *Faucium irritatio cum pena* oleo intincta molestissimum est remedium; interdum enim frustra infantes ad vomitum stimulat.

Si per inferiora purgandi sunt infantes, præter ea, quæ *suprà Artic.* 1. *cap.* 3. *pro meconio removendo* laudavi; omnibus palmam præripit *syrupus de spina cervina* vel domesticus, vel solùm, vel cum *syrupo de fumaria* mixtus & subinde exhibitus; item syrupus de cichorio cum rhabarbaro: V.g.

℞. *Syr. de Fumar.* ℥iij.
Domest. ℥j.
M. S.
Succus aperiens.

℞. *Aquæ Menth.* ℥vj.
Syr. de spina cerv. ʒß.
M. S.
Ut ante.

De quo propinetur infanti pro lubitu.

Vel

℞. *Syr. de spin. cerv.* ℥j. (*vel hujus & syr. ros. solut.* an. ʒß.)
Lapill. cancr. præp. vel *Maxill. lucij pisc.* ʒß. ad ʒj.
M. S.
Succus aperiens bene circumagitandus.

℞. *Syr. de spin. cerv.* ʒß. *Cichor. cum Rhab.* ʒij.
Lap. canc. præp. ℈j. ad ʒß.
M. D. S. ut *supra.*

Propinetur cochleatim.

Potest etiam dilui cum pauco aquæ cujusdam appropriatæ. Item

℞. *Syr. de spin. cer.* ℥j. *rosar.* ʒij.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Corall. rub. præp gr. xij.
Spiritus Anisi parum.
M. S. ut *suprà.*

Propinetur cochleatim. Vel

℞. *Syr. de Spin. cerv.* ʒß.
Aquæ Cinnam. ʒij.
Spiritus sal. ammoniaci ʒß.
Lapill. cancr. præp. ℈j ad ʒß.
Mista diluantur cum pauca *aqua fœniculi.*
D. S. ut *suprà.*

Singulare aliàs pro reseranda alvo infantum quid obtinet *Muscerda*, non nisi superfluè delicatis horrida, cujus minutæ pilulæ No. j. vel ij. aut iij. pulverisatæ, & cum lacte, vel pulte potiùs, exhibitæ ad imitationem RULANDI *Thes. lib.* 3. *pag.* 220. optimè solent purgare infantes; vel tales pilulæ vj. vel viij. aut x. dissolvantur in lacte, per linteum exprimantur, & exhibeantur.

Jalappa quoque absorbentibus in parca dosi addi potest, nempè ad imitationem LUDOVICI *in accurata Pharm. Dissert.* 1. *pag.* 190. qui

℞. *Cornu Cervi usti præp.* vel *sine igne* p. iij.
Pulv. Jalapp. p. j.
M. pro pulvere.

Dosis gr. j. vel. ij. trimestri gr. iij. ad v. pro ratione ætatis & virium, feliciter purgat.

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. xij.
Pulvis Jalapp. gr. iij. vel jv.
Ol. destill. anis. gtt. jv.
M. pro 4 dos. S.
Pulvis aperiens pro aliquot vicibus.

Ablactatis infantibus eadem Jalappa cum tartari cremore commodè potest propinari, semper grano uno alterove excedendo annorum numerum; v.g. pro purgando infante quadrienni:

℞. *Crem. tartari,*
Pulv. Jalapp. an. gr. v.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis purgans.

Item

℞. *Pulver. Jalapp.* gr. vj.
Tartari vitriolat. ℈ß.
M. S.
Ut ante.

Vel

℞. *Pulver. Jalapp.*
Crem. tartari an. gr. vj. vlj. viij. ad ℈ß.
M. f. Pulvis pro infante 5. vel 6. annor.

Propinetur in jusculo calido, vel in syrupo domestico, aut de cichorio cum rhabarbaro.

Vel pro infante 8. annorum:

℞. *Crem. tartari* gr. xij.
Pulv. Jalapp. gr. jx. ad. ℈ß.
Ol. dest. anisi gtt. j.
M. f. Pulvis pro dosi:
D. S. ut *antè.*

Propinatur in vehiculo jusculi fervidi.

His ipsis quoque Nodulus ex Rhabarbaro pulverisato in cerevisia suspendi potest, cui addenda subinde interdum radix Helenii, quæ pulverisata potui ordinario in nodulo suspensa, interdum expressa, commodè satis infantes laxant; non minus quàm dimidia vel unica pilula aloëtica ab eodem LUDOVICI *cit. loc.* præscripta. Habitioribus paulò eadem mutatâ saltem dosi conveniunt. Manna quoque Calabrina purior in pulte & infantibus propinata quantitate plus minus auctâ, ʒij. ad ʒß. pro scopi vel ætatis ratione, suaviter & blandè eosdem laxare solet, sed est simul fermentativa, & flatuum torminumque in infantibus autor. Præ aliis specificè infantes evacuat Mercurius dulcis & aurum fulminans. Nam cùm gravissimi infantum morbi in lactantibus oriantur ex acido in fomite plus minus viscido, & in ablactatis ex simili cruditate acida, convenientissimus est mercurii dulcis usus & corrigens acidum dissolvens viscidum. Infanti, dum adhuc lactatur, gr. j. vel ij. in lacte, vel potius in aqua quadam destillata, cerasorum, menthæ, &c. propinatur. Mirum quantum viscida & horrida evacuat. Datur tutò etiam febricitantibus: Item quando suspicio est de nutrice mali moris, necesse est mercurius dulcis sedulò infantibus detur. In ablactatis verò datur ad plura grana ferè pro ætatis ratione, tot scilicet ferè grana, quot sunt annorum, in paulò robustioribus & vegetioribus stimulum grani unius alteriusve Jalappæ addendo: v.g. infanti trium annorum:

℞. *Mercurij dulc.* gr. iij. vel jv.
Sacch. gr. ij. vel vj.
M. S.
Pulvis purgans.

℞. *Pulp. passul.* ʒß.
Mercurii dulc. gr. iß.
Pulv. Jalapp. gr. iij.
M. S.
Electuarium purgans pro una vice.

Infanti quinque annorum:

℞. *Mercurii dulc.* gr. v.
Pulv. Jalapp. gr. j.
Conf. Rosar. q. s.

M. f. Bolus: S.
Bolus laxativus,

Egregiè operatur.

Infanti sex annorum:

℞. *Mercurii dulc* gr. viij. adde.
Sacch. ℨß.
M. f. pulvis. S.
Pulvis purgans.

Puero octo vel novem annorum:

℞. *Mercurii dulc*. gr. ix.
Scamm. præp. gr. j.
M. S.
Ut anteà.

Vel

℞. *Pulv. passul. min*. ℈j.
Mercurii dulc. gr. viij.
Scamm. præp. gr. j.
M. D. S.
Succus purgans.

Puero decem annorum:

℞. *Mercurii dulc*. ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr. ß.
M. f. Pulvis pro j. dosi.
D. S.
Pulvis purgans.

In specie imminentibus variolis & morbillis mirabilis est ejus usus in principio propinatus; nam tunc simul ordinariè vomitus movet, & variolæ faciliùs postmodum erumpunt, pauciores fiunt, & minus malignæ, quod probè observandum: & pro infantum cura singulare quid latet in mercurio dulci. Hic, ubi non videtur sufficere, ad aurum fulminans me accingo, cujus operationes ordinariè in infantibus sunt, quòd horridas dejectiones efficiat, interdum etiam vomitus moveat, ordinariò, ante vel post evacuationem, quiete insequente: nempè acrimoniam corrosivam, unde ferè epileptica pathemata, in infantibus absorbet, & simul viscidissimas sordes notabiliter abstergit; saltim dosis probè notanda est; potenter enim operatur. Infantibus adhuc lactentibus gr. j. pro dosi, aut in delicatioribus gr. iß. pro duabus ferè dosibus sufficit, idque quamdiu lacte utuntur; robustiores si fuerint, aut tenaciores sordes primas vias occupaverint, ad gr. ij. etiam adscendere possumus: ✝ & aliquando infanti septem dierum cum coralliis præparatis auri fulminantis gr. ij. pro duabus dosibus dedi in torminibus gravioribus, in quibus epilepsiæ metuebatur proventus. Infanti duarum septimanarum in insigni totius corporis æstu, torminibus acerbissimis & epilepsiâ affecto, cum clysmatibus præmissis præscripsi sequentes pulveres:

℞. *Unic. veri præp*. gr. iij.
Ebor. sine igne,
Crystall. mont. præp. an. gr. vj.
Auri fulm. gr. iiß.
M. pro 2. dosibus:
in *aqua flor. Pæoniæ* propinandis:
D. S.
Pulvis aperiens singularis.

Item aliquando puellæ viginti septimanarum:

℞. *Dent. Hippop*.
Ebor. sine igne an. ℈ß.
Auri fulmin. gr. ij.
M. pro 2. dosibus:
D. S. ut *suprà*.

℞. *Ebor. sine igne* ℈ß.
Auri fulmin. gr. j.
M. S.
Pulvis singularis.

Et ita quidem, quamdiu infantes lactantur, in dosi gr. I. ferè subsisto, rarò plus, interdum, ubi cautiùs agendum, paulò minus propinando.

Quodsi ablactati fuerint, cautior hujus auri fulminantis sit usus: quia enim in his deficit lac, aut hujus in stomacho coagulum, à quo notabiliter aliàs temperatur aurum fulminans, propterea potentiùs operatur, adeoque secundùm annorum rationem grana etiam ordinanda pro dosi: & hinc est, quod ablactato subinde vomitus moveat, minùs lactentibus; item quod infanti lactenti unius alteriusve septimanæ tantum propinare queam, quantum ejusdem lactenti octo vel novem mensium; quia nempè, quò juniores sunt infantes, eò copiosiori utuntur lacte, adeoque eò magis temperatur aurum fulminans; item quò juniores sunt infantes, eò temperatius est acidum fermentum vitale in ventriculo, quod in ablactatis potentius magis valet dissolvendo, vel acuendo auro fulminante, unde in talibus etiam potentiùs operatur: Sic infanti duorum annorum, & qui jam diu ablactatus est, propinata gr. ij. aliquot vomitus & secessus movent cum impetu, & sic porro in aliis. De cætero, quando infantibus, tam lactentibus, quàm ablactatis, copiosæ sordes occupant primas viâs, præsertim acido plus minus corrosivo impregnatæ, unde hypochondriorum inflationes, epilepsia partium internarum & externarum, asthmata convulsiva, tormina, æstuationes universi corporis, convulsiones &c. in talibus casibus sacra anchora est aurum fulminans, repetito in usu adhibendum. *Sunt* qui scammonii usum reliquis præferunt, & ejus aliquot granula in forma emulsionis propinant, & admodum commendant; vel si ejus gr. j. aut ij. syrupo de cichoriorio addantur. Sed acrius est, & infantibus perniciosius simplex, & vix, præterquam in ablactatis & robustioribus, locum habet. Horreo esulinam vel tithymalinam scammonii virulentiam, adultis & robustis gravem, & subinde nocivam, tantò minus infantibus tolerabilem. Quidam etiam mediante nutrice purgare volunt infantes; sed consilium est inconstans seu incertum, prout scilicet plus vel minus alterari potest remedium purgans in stomacho nutricis; item prout citiùs vel tardiùs purgabitur infans: propterea, quia res est dubia, simplici remedio tutiùs laxantur infantes. Huc pertinet aliquo modo, quando papillis pulvis quidam laxativus inspergitur, de quo PANAROLLUS *Pent. 5. Observ. 10.* sed propter summam incertitudinem doseos, quę in tali casu ad fœtum certò determinari nequit, adeoque ob metum, ne plus debito purgentur tenelli, minus tutum negotium existimo: Vid. BARTHOLINUS *Cent. 2. Histor. Anatom. 93.*

CAPUT V.

MORBI INFANTUM SPECIALES.

Actis hisce fundamentis facilis est via ulteriùs indagandi suprà enarratorum morborum generationes.

ARTICULUS I.

DE

TORMINIBUS VENTRIS.

Quod ergò specialia attinet pathemata infantum, familiarissimè affligunt infantes, præsertim recens natos, *Tormina Abdominis*, Germ. *das Reisen imleibe*, quæ ipsis ferè sunt inevitabilia, unde infantes sunt inquieti, continuò plorant, pedibus calcitrant, mirè se torquent, & hinc inde jactant, mammas recusant; præterea subinde simul venter inflatur, aut crepitus copiosè emittuntur, alvus plus minus adstricta esse solet, & quæ excernunt, sunt aut viridia plus minus, & æruginosa, quæ ordinariò acidum odorem spirant, aut flava, sed quæ brevi post in aëre viridescunt, aut sunt grumosa. Tormina hæc formaliter sunt motus convulsivi intestinorum; unde non rarum est, quod gravioribus his torminibus, cum convulsivis spasmis junctis, non rarò superveniant *epilepsiæ*. Materialiter seu occasionaliter oriuntur à corruptela lactis, quia lac acescendo, aut in stomacho aut postmodum in intestinis præternaturali hostili ac viscido acore intestina afficiendo, rodendo, lancinando &c. tormina talia inducit, eaque eò crudeliora, quò acidum viscidius & glutinosius se affixerit parietibus intestinorum; quin & ex acido per vitiosam cum bile fermentationem excitantur flatus, à quibus simul & hypochondria infantum, Ger. *das Hertz gespann*, uti vocant, & præterea totum abdomen, mirè distenditur. Vidi ego aliquando tantam à flatibus abdominis distensionem, ut etiam Hernia scrotalis sequeretur.

Tales infantes, qui torminibus *ab acido excessivo* & vitioso infestantur, habent *excrementa* utplurimum *viridia*, sive, ut vocant, porracea, sive eruginosa cum grumis lactis excreti, cum bile salina oleosa volatili permista, ex quorum miscela viriditas ista exsurgit. Comprobat hoc experientia quotidiana, dum acida, imprimis acria, bilem solent in viridem colorem transmutare; unde simile *acidum* in intestinis concurrens & effervescens cum *bile*, istum virorem inducere potest.

Equi-

Equidem viridis color reverà sub concursu plurium ex mistela flavi & cerulei emergit: flavedo in bile clara est, & conspicua: ceruleus color in nullo succorum corporis unquam, nec naturaliter nec præternaturaliter, observatus fuit; unde rarissimum & ferè unicum est exemplum, quod recenset MEARA de lacte nutricis, sapphirinum colorem exactè referente, *in Exam. Diatrib. de Febribus* Willisii *pag.* 75. Cum tamen ceruleus color ad nigrum accedat propiùs, adeòque in certa luminis maximam partem introsusceptione in porulos, & cum umbrulis mistone consistat, loco hujus in corpore absentis acidum, perspicuum licèt, constringendo tamen & angustando aliquali, subjecti coagulatione, poros flavi corporis, sufficiet, imprimis si dictum acidum & ipsum in subjecto nonnihil densiore & crassiore hæreat, ut exinde viridis ceu medius inter ceruleum & flavum color emergat. Comprobat dicta experimentum GRAFII *de Succo Pancreatico Thes.* 145. & 147. ubi bilis flava ex miscela cum spiritu vitrioli atrovirescentem induit colorem. Nec est, quod quoad experimenti fidem obiici possit, id quod alio mihi obtigit tempore, in spiritu vitrioli adhuc contentas esse, & sub rigoroso ignis examine cum acido simul elevatas metallicas cupreas & martiales particulas, quæ attactu alcali bilis præcipitatæ virorem repræsentent; sicut eædem attactu gallarum in vitriolo atrum colorem induant: nam idem experimentum tentavi & cum spiritu salis purissimo, non secus ac cum spiritu nitri, & ubique idem fuit successus & eventus, quod nempè istâ misturâ intensus viror effloruerit; id quod simili ratione de lactis vitioso acore, virorem cum bile producente, verum erit. Hinc talia sub infantum torminibus excreta, licèt non semper simul *viridia*, subinde sunt tamen *grumosa*; qui grumi sunt lac à *præternali acido condensatum & coagulatum*, quod illam larvam induit. Talia grumosa etiam nunc sunt *viridia*, nunc *flava*, quorum excrementorum discoloratio oritur à *bile per acidum* mutata & corrupta; in intestinis mox *virorem* contrahunt; sæpè tamen evenit, ut feces excernantur flavæ, quæ pauco tempore postmodum colorem viridem acquirunt. Causa hujus phænomeni est: (1.) quod acidum in corpore in bilem, quamdiù in corpore fuit, non sufficienter egerit, propter impedimentum à lacte, continuò vel brevibus intervallis tantum assumpto, quippè quod ejus vim temperando infringat: (2.) quia non nisi finitâ effervescentia & factâ præcipitatione mutationem rerum accuratam observare licet, unde post factam præcipitationem, dum aer externus accedit, finitâ mutuâ actione & reactione permistorum, color tandem tertius emergit: (3.) quia & ipsa commista excreta faciliùs forsan in aere libero novum coloris schema arripiunt, quàm dum in intestinis adhuc sunt coërcita. Observandum quoque hoc loco, atrocissima non rarò adesse tormina, excretis alvi aquæ instar leviter flavescentis fluidis, quæ nimis fluida, subinde adeò acria observantur, ut & podex excoriari exinde soleat.

Corrumpitur lac nunc à meconio retento, nunc ex proprio suo motu alterativo in ventriculo abdominis. Meconium quidem pessimè corrumpit lac, unde sedulò à partu hoc evacuandum, cùm hoc retentum ex lactis inductà vitiosa corruptela epilepsiæ sæpius recurrentis fomes existit. Proprio motu acescit lac, vel quia nutrices acidis vinosis utuntur, vel quia copiosus nimis infanti ingeritur; unde recens priori nondum digesto supergressum promptè acorem contrahit. Vulgò refrigeratio corporis non immeritò hic accusatur; nam frigidum facilè lædit tenellum infantis stomachum, ut exinde non ritè digeratur lac, sed acore corruptivo inquinatum ad intestina descendat.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Dolores hi infantum vires prosternunt, crebrò convulsiones & epilepsias excitant.

CURA.

In *Cura* imprimis opera danda, ut alvus sit aperta, cùm alvo obstructâ pathemata hæc insigniter exasperari soleant: hinc ea, quæ acidum temperant, viscidum incidunt & abstergunt, sunt convenientissima; adjungendo subinde blanda anodyna, dolorem sedantia.

Pro his scopis conveniunt injecti clysteres suprà laudati, reiterandi: attendendo sedulò, an magis acrimonia acida, an viscidítas causæ peccantis urgeat? ut ita delectus aliquis instituatur in clysmatibus injiciendis; speciatim si *tenuia* & *liquida*, laticis cujusdam instar, plus minus *flavedine tincta*, utut acerrima, reiiciantur per alvum, ut etiam, præter gravia infantum tormina, excorietur podex, sufficiunt clysmata simplicia ex lacte bubulo, vel cum vel sine *terebinthina*, aut eum pauco saccharo impraegnata, injecta, quibus dicta acrimonia temperari, & quæ imminet intestinorum crassorum gravis læsio ac excoriatio, tutò præcaveri potest: si verò *viscida* sint, conveniunt *clysmata ex decocto simplici*, chamomillæ imprimis, parietariæ, foliorum & baccarum lauri atque juniperi, imprimis pisorum, *cum sale tartari* vel simili *sale lixiviali*, quæ dissolvunt mucum & abstergunt. In quo decocto olei destillati rutæ aliquot guttæ possunt dissolvi, quod est egregium in torminibus infantum: loco olei rutæ aliquot guttæ olei destillati anisi commodè dissolvantur; nam & huius aromatica vis intestina solatur, ut utar verbis HELMONTII. Electuarium etiam de baccis lauri commodè dissolvitur in his clysteribus: V. g.

℞. *Spec. carmin.* M. i.
Sal tartari ℈i. ad ʒß.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colaturæ ℞. ℥iß. ad ℥iii. (prout pro uno vel duplici clystere præscribitur)
adde
Mell: rosat. ʒß. ad ℥i.
Ol. dest. anisi,
Bacc. iuniper. an. gtt. iii.
M. pro Clysmate. S.
Clyster leniens.

℞. *Spec. Dec. carm.* M. ß.
Bacc. lauri ℥i.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℥iii. adde
El. de bacc. lauri ℥ii.
Ol. dest. Cumini,
Carvi an. gtt. i.
M. f. Enema:
D. S. ut suprà.

℞. *Decoct. Carm.* ℥iii.
El. de bacc. lauri ℥iß.
Vitell. ovi No. i.
Ol. dest. bacc. lauri gtt. ii.
M. pro Enemate:
S. ut suprà.

Item
℞. *Decoct. Pisor.* ℥ii.
El. de bacc. lauri ʒß.
Sal. tartari ℈i.
Ol. dest. succini gtt. iv. ad vi.
M. f. Enema:
D. S. ut suprà.

Præter ista clysmata internè conducunt lenia Abstergentia, quæ sunt syrupus rosarum solutivus, item pulvis seminis anisi ad ℈i. propinatus, qui maximè conducit tenellis, dum non tantummodò corruptionem lactis acidam corrigit, sed etiam aromaticâ vi flatuum generationem impedit, & ut suprà monui, blandè infantes laxat; vel præter laxativa *superiùs cap.* 4. allegata, convenit pulvis Comitis de Warwich ad ʒß. propinatus, qui à RIVERIO *Cent.* 2. *obser.* 27. commendatur. In specie, ubi tormina cum flatibus aut excretis viridiusculis & porraceis aliisve dejectionibus præternaturalibus conjuncta sunt, in tali casu non crebrò nimis præbenda est mamma, sed interea

℞. *Aquæ Fœnic.* ℥i.
Spiritus sal. ammoniaci anis. ʒß.
Lap. Cancr. præp. ℈i. ad ʒß.
Syr. de Spin. cerv. ʒß.
M. D. S.
Potio aperiens, benè circumagitanda.

Detur cochleatim crebriùs.

Aqua etiam carminativa Dornerelli, in qua cum syrupo de chamomilla, qui expertissimus est, aliquot guttæ olei destillati anisi sint permistæ, optimè conducunt: Quin & syrupus de corticibus aurantiorum non inconvenienter præbetur tenellis.

Conveniunt porrò cum lacte Corallia præparata, & lapilli cancrorum, additâ semper anaticâ portione pulveris seminis anisi; Item Crystallus præparata, quæ in horridis torminibus ventris à bile æruginosa optimum remedium est, & similia absorbentia; aut loco talium *pulvis Marchionis*, aut, qui præsentanei magis est auxilii, *pulvis suprà cap.* 4. dictus

dictus puerilis propinetur, augmentando dosin *olei destillati anisi*; vel istis acidum torminosum absorbentibus *castorei* parum addendum, & quacunque ratione fieri potest, propinandum. Sin pertinacius malum fuerit, nec talibus crebriùs repetitis quiescat, ita ut jam vel epilepsia metuenda, *salia volatilia*, v.g. sal cornu cervi, & suprà dicti *spiritus* & liquores salini volatiles, imprimis blandè aromatisati oleosi, liquor cornu cervi succinatus, spiritus salis ammoniaci anisatus, &c. Theriaca aut Mithridatium pisi vel minoris vel majoris magnitudine, vel quantum cultelli parvi cuspide capi potest, sub vesperam exhibitum plus minus pro ætatis ratione, blandam quietem inducit; v.g. infantulis aliquot dierum pro una vel duabus dosibus: item Laudanum opiatum ad gr. i. in Misturæ ℥iii. vel ℥iv. usurpari potest. Castoreum quoque mirè convenit. Hinc aliis irritis *aurum fulminans* secundùm leges suprà insinuatas, idque imprimis ubi simul contumacior ac obstructa alvus fuerit, magnæ hoc in casu observatur efficaciæ. Datur infanti aliquot dierum, aut etiam unius septimanæ, gr. i. cum gr. iii. nitri depurati vel antimoniati: datur etiam solum vel absque addito in iis, qui jam fuerint aliquot septimanarum, gr. ii. vel iii. pro ratione circumstantiarum: propinatur in lacte, vel, quod melius, in *aqua florum tiliæ* aut *cerasorum nigrorum*, vel alia aqua destillata idonea, & præter alios effectus, quos aliquoties admiratus fui, sanè tormina sistit, horridas dejectiones alvi inducit, & epilepticos insultus, tàm imminentes præcavet, quàm præsentes sopit. Observetur autem varietas in auri fulminantis operatione: interdum fortiùs, interdum debiliùs, interdum citiùs, interdum tardiùs operatur, quatenus, uti suspicor, plus minus in ventriculo infantis à grumo lactis vel muco vituitoso obviscatur vel irritatur. Semen anisi contusum cum pulte exhibitum egregium est in torminibus cum flatibus: sic sperma ceti cum semine anisi, vel ejus oleo destillato maritatum, egregium est remedium; hinc etiam oleum destillatum anisi convenienter aliis additur: V.g. in torminibus ventris, ubi adest pavor in somno:

℞. *Cornu Cervi sine igne*,
Lapill. cancr. præp. an. ℈i. ad ʒß.
Myrrh. el. gr. vi.
Theriac. gr. iii.
Ol. dest. anisi gtt. iii.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis infantum contra tormina.

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈i. ad ʒß.
Corall. rub. præp.
Cinnab. antimonii an. ℈ß.
Theriac. gr. iv.
Ol. dest. anis. gtt. iii.
M. f. Pulvis:
D. S. ut supra.

℞. *Cornu cervi sine igne* ʒß.
Myrrh. el. gr. vi. ad ix.
Sal. vol. Cornu cervi gr. vi.
Theriac. Andr. gr. iii. ad iv.
Ol. dest. anisi vel *Caryoph.* gtt. iv.
M. f. Pulvis pro 4. vel 5. dosibus;
D. S. ut suprà.

℞. *Pulver. diaphor. Lud.* ℈i.
Theriac. gr. ii. vel iii.
Ol. dest. anisi,
Caryoph. an. gtt. i.
M. f. Pulvis:
D. S. ut suprà.

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒß.
Salis absinth. gr. vi. vel viii.
M. pro 2. vel 3. dosib.
D. S. ut suprà.

℞. *Lap. cancr. præp.* ʒß.
Crystall præp. gr. xii.
Corall. rub. præp. gr. vi.
Ol. dest. anisi gtt. iv.
M. f. Pulvis:
D. S. ut suprà.

Detur cum lacte pro aliquot dosibus:

In forma potiunculæ puerulis duarum vel trium septimanarum:

℞. *Aquæ flor. samb.* ℥ii.
Liqu. cornu Cerv. succin. ʒß.
Lapill. cancr. præp.
Cornu cervi sine igne an. ℈ß.
Syr. ros. sol. ʒß.
M. D. S.
Mixtura leniens, benè circumagitanda.

Vel, v. gr. pro infante decem vel duodecim septimanarum:

℞. *Aquæ ceras. nigr.* ℥ii.
Menth. ʒß.
Spiritus sal. ammoniaci anis. ʒß.
Lap. cancr. præp. ℈ß.
Crystalli præp. ℈ß.
Syr. diacod. ʒii vel iii.
M. D. S. *Ut antè.*

Si cum torminibus purpura emineat:

℞. *Aquæ scorzon.* ℥i.
Menthæ ʒß.
Cornu cervi sine igne,
Maxill. lucii pisc. an. ℈ß.
Salis vol. Cornu cervi gr. iii. ad vi.
Syr. Fumar. ʒiii.
M. D. S.
Potio leniens & purgans.

Quodsi cum torminibus adsint simul alvi dejectiones crebræ, fluidæ, acres, podicem excoriantes;

℞. *Cornu cervi usti* ʒß.
Corall. rub. præp.
Terræ sigill. an. gr. xii.
Ol. dest. anisi gtt. iv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis adstringens.

Aut

℞. *Cornu cervi usti* ℈ii.
Unic. foss. ℈i.
Terræ sigill. ℈ß.
Theriac. gr. iv.
Extr. Castor. gr. iii.
Ol. dest. Macis gtt. ii.
M. f. Pulvis: S.
Ut antè.

E contra, ubi cum torminibus alvus simul laxanda venit, in infante v.g. trium mensium:

℞. *Lap. Cancr. præp.* ℈i.
Crystall. præp. ℈ß.
Salis vol. cornu Cervi gr. iv. ad vi.
Pulv. Ialapp. gr. iii. ad v.
Ol. dest. anisi gtt. iii.
M. f. Pulvis pro 4. vel 5. dosibus.
D. S.
Pulvis aperiens.

Aliquando in torminibus infantis quasi dysentericis, cum excretis horridis, etiam viscido rubicundis, in infante 18. septimanarum:

℞. *Cornu cervi usti* ℈i.
Cryst. præp. ℈ß:
Pulv. hepat. Viper. gr. xii.
M. pro 2. dos. S.
Pulvis adstringens.

Aliquando in torminibus ventris cum metu jamjam imminentis epilepsiæ cum singulari effectu præscripsi:

℞. *Unic. veri præp.* gr. ix.
Cinnab. antimonii gr. iv.
Extr. Castor. gr. ß.
M. f. Pulvis pro dosi.

Item pro infante trium mensium:

℞. *Aquæ Menthæ*,
Chamomill. an. ʒvi,
Ess. Castor. ʒß.
Lap. cancr. præp. ℈i.
Syr. fænic. ʒii.
M. pro Potione: S.
Potio leniens, benè circumagitanda.

Usurpetur crebriùs cochleatim.

Aliquando puero, altero à partu die gravissimis torminibus correpto, præscripsi:

℞. *Aquæ flor. Pæon.* ʒx.
Liqu. cornu Cervi succin. ℈i.
Cran. hum. præp.
Unic. veri præp. an. ℈ß.
Syr. flor. Pæon. ʒii.
M. D. S. ut antè.

Externè abdomini & umbilico infantis inungendum venit oleum septem florum Mynsichti, acutum cum oleo destillato

stillato fœniculi, anisi, caryophyllorum, rutæ, &c. Item scrobiculo cordis & umbilico utiliter inungi potest oleum anethi, chamomillæ, rutæ, per infusionem ceu corpus, aut oleum nucistę expressum, aut oleum stomachale Gratonis, acuata cum oleo destillato Angelicę, carui, cumini, chamomillę, corticum aurantiorum, & similibus, ne hæc destillatorum acrimonia dolorem ex excoriatione inferat; E. g.

℞. *Ol. destill. Cumini,*
Chamomill. an. ℈ß.
Succin. gtt. vi.
Corp. pro Bals. q. s.
M. S.
Balsamus leniens.

℞. *Ol. coct. absinth.* ʒi.
Expr. Nucist. ℈i.
Dest. Macis,
Anisi an. ℈ß.
M. S.
Oleum leniens.

℞. *Ol. expr. Nuc. mosch.* ʒi.
Dest. Iunip. ℈i.
Macis gtt. vi.
M. S.
Balsamus leniens.

Quibusdam commendatur linimentum seu unguentum, factum ex spolio vel exuviis serpentum coctis in pinguedine propria cum oleo anethi; ex quibus paratum unguentum abdomini illitum confert contra tormina infantum. Item pulvis caryophyllorum cum aqua menthæ applicetur calidè abdomini secundùm VELSCHIUM *in Hecatost.* 2. *pag.* 22. Fotus parati ex aniso & chamomilla cum summitatibus anethi & foliis lauri, etiam commodè imponuntur abdomini.

Quod si tormina oriantur à mucilagine acida viscida, pertinaciter intestinis adhærente, & quę per clysmata convenienter abstergi nequeat, convenienter paratur unguentum ex gummi ammoniaco & hujusmodi, liquefactis vel in vino, uel in aceto destillato: e. g.

℞. *Gummi ammoniaci in aceto sol.* ʒii.
Terebinth. ʒi.
Aloes hepat. ʒi. vel ℈ii.
Seui hircin. vel *ceruin.*
Butyri non saliti an. q. s. pro consistentia debita.
M. f. Unguentum.

Huic ulterius semper, quoties illinitur, *olei destillati anisi* vel *cumini* ℈ß. convenienter additur, & ita abdomini, uel umbilicalibus dictis locis, imponitur, ac quoties opus fuerit, aliquali portione *fellis tauri* acuatur.

D. S.
Unguentum emolliens.

Hoc unguentum resoluit, & liquefacit mucilaginem acidam uiscidam, eamque per inferius guttur faciliùs euacuare iuuat.

ARTICULUS II.

DE INFLATIONE ET TENSIONE HYPOCHONDRIORUM.

Dixi hactenus, quod lac acidum, aut aciditate corruptum, in intestinis cum *bile* concurrendo per fermentationem generet *flatus*, qui collecti in intestino colo sub hypochondriis juxta tormina recens natis sæpiùs inferunt *Inflationem & Tensionem Hypochondriorum*, quam vulgò vocant Germ. *das Hertz - gespan*, seu *Affectionem Cardiacam*, dùm nempè hypochondria utrinque tumida, inflata, & insigniter distenta sunt, unde difficilem respirationem cum inquietudine & agrypniis ferè patiuntur.

CAUSÆ.

Oritur malum ex nimia lactis aut pultis ingestione, dum plus assumunt, quàm digerere valent, unde ex cruditate acida fermentando emergunt flatulentię, speciatim hypochondria distendentes. Oritur etiam, quando infantes aeri uentoso nimis exponantur, hinc enim quoque hoc malum superuenit.

DIAGNOSIS.

Solo uisu facilè patet.

CURA.

In *Cura* imprimis radicis Angelicæ pulvis convenit cum pulticula propinatus, vel gutta una aut altera olei destillati simul cum lacte infantibus porrecta, & omnia hactenus recensita ad inflationem hypochondriorum, aut tympaniticam quoque abdominis distensionem, optima sunt. Præ reliquis convenit semen cumini & anisi, ejusdem oleum, & spiritus salis ammoniaci anisatus, species diacumini, item emulsio seminis violarum & cardui Mariæ secundùm VELSCHIUM *Hecat.* 2. *pag.* 53. Vel

℞. *Sem. anisi pulverif.* ʒ.
Corall. rub. præp. gr. xv.
M. f. pulvis: S.
Pulvis infantum contra flatus.

Detur in pulte infantibus tenellis.

Item olæosaccharum anisi propinetur cum lapillis cancrinis, item Theriacæ parum propinari potest. Herba botryos, Germ. *das Trauben-kraut*, à quibusdam tanquam experimentum singulare laudatur, si aqua ejus destillata sæpiùs propinetur infantibus, imprimis sæpiùs cohobata à nova planta; mirè enim conducere ad inflationem hypochondriorum prædicant: cui incommodè syrupus corticum aurantiorum addi poterit.

Externè quoque conducit oleum rutaceum & laurinum, cui aliquot guttæ olei destillati angelicæ sunt additæ:

Vel
℞. *Ol. Chamom.* ʒi.
Dest. Cumin. vel *anisi* ℈i.
Misc.

Illinantur calidè hypochondria.

Item extractum Angelicæ illinatur umbilico, item butyrum rubrum, acuetur aliquot guttis olei destillati Angelicæ, & loco tumenti illinatur. Sunt qui semen botryos contusum in oleo communi infusum & digestum tanquam expertissimum laudant, si externè inungatur hypochondriis inflatis: Item cataplasma ex cherefolio cum butyro contuso commendatum à PAULI *in Quadrip. pag.* 257.

ARTICULUS III.

DE ANOREXIA ET VOMITU.

Iuxta hæc observetur, quod si *copiosior tenaciorque grumus* ex lacte & pulte stomacho incumbat, cui per pylorum transitus denegetur, *Appetitus* hinc dejiciatur, & activitate fermenti digestivi à lacte, vel copiosiore vel coagulato, obruta *horror Mammæ* oriatur, cum absoluta *apepsia*; cùm quotidie observemus, istud quod semel stomachum læserit, ceu hostile postmodum diu ab eodem aversari.

Quod si graviùs adhuc oneretur stomachus, & irritetur pylorus, infantes continuò *vomunt*, eaque varia, nunc albicantia viscida, nunc tenuia flavescentia, nunc viridia acria, quæ vulgò vocantur æruginosa, nunc similia.

CAUSÆ.

Causa vomitus quęrenda est in lacte imprimis, quod vel per se vitiatum, vel in stomacho fœtus corruptum, irritando pylorum vomitum infert. Imprimis equidem copia lactis sola sæpè est causa vomitus, imprimis si ingeratur lac novum, priore nondum concocto: Hinc enim fit, ut lac recens super infusum congrumescat aut coaguletur, aut saltim transeat in liquamen viscidum aut mucilaginosum, quod obstruendo pylorum, eumque oppilando (de quo vid. HOEFERUS *Hercul. Medic. pagina* 149. item HILDANUS *Cent.* 6. *Observ.* 34.) vel irritando quoque, causa est hujus convulsivæ contractionis, quam vomitus violenti sequuntur, in quibus cum lacte assumpto copiosa viscida rejiciuntur: qui vomitus tenellos infantes insigniter quidem lædunt & debilitant, salubres tamen sunt, quatenus excrementa ista rejiciuntur, & gravia mala jam jam imminentia præcaventur. Fingite enim, hærere talia

diutiùs

diutiùs in ventriculi bursa, facilè ex acore fermentativo pastæ instar farinaceæ intumescent, & impetuoso flatuum proventu intumescentiam præcordiorum, hinc diaphragmatis impedito motu, difficilem respirationem, & ex horum flatuum in orificium sinistrum impetu, hujusque pertinaci strictura, præcordiorum anxietates, inde inquietudines, somni impedimenta, vigilias, &c. inferent; & quamdiu tales grumi, aut talia liquamina viscida, pylorum infarciunt, tamdiu vomitus etiam continuat, ac præterea inquieti sunt infantes, & interruptis clamoribus in somno perturbantur. Nec tantummodò lactis copia, & inde orti grumi ac viscida, in pyloro hærentia, sed etiam quæcunque ejusdem corruptiones in ventriculo vomitum inducunt. Unde si nidore corripiatur lac, flavescentia fœtida excernuntur: Sin vitiosis succis ex intestinis in stomachum regurgitantibus, in specie acore peregrino, in stomacho inficitur lac, hoc viridescens & æruginosum per vomitum reiicitur.

DIAGNOSIS.

Affectus per se patet: cognitio saltem circa causas versatur.

Copiam lactis adesse, vomitus materiæ albicantis & viscidæ testantur.

Nidore corrumpi lac, fœtida flavescentia reiecta loquuntur.

Viridia & similia per se patent.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Utilis est vomitus in infantibus, ex quacunque causa oriatur, si non sit nimius; innuit enim robustum stomachum (vulgò dicitur stomachus flaccidus, quod tamen falsum est) id est, satis sensilem & validè se contrahentem, molesta reiicientem, quin & interdum promovendus est vomitus, si signum adsit ventriculi malè digerentis ingurgitatum lac.

Et quidem minimum periculum habet vomitus, si sit à copia lactis; suspectus autem est nonnihil, quando vario colore, crocea, viridiuscula ac nigricantia, reiiciuntur.

Pravus est, & non absque cautela considerandus, qui est fœtidus, cum putredinem lactis insignem subesse connotet.

CURA.

Quoad *Curam*, si *Vomitus* turbet infantes, isque per essentiam, ut vocant, fuerit, sinendus est, donec mucus vitiosus aut acris latex evacuati fuerint; posteà cum moderato lactis usu pulvis ex nuce moschata, coralliis & caryophyllis pauculis propinetur, & subinde repetatur: e. g.

℞. *Corall. rub. præp.* ʒß.
Nuc. mosch. gr. vi.
Caryophyll gr. iii. vel iv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis stomachalis adstringens.

℞. *Lapill. cancr. præp.*
Corall. rub. præp. an. ℈ß.
Crystall. præp. gr. vi.
Nuc. mosch gr. v.
M. f. Pulvis:
Div. in 2. part. S.
Ut antè.

℞. *Corall. rub. præp.*
Lapill. cancr. præp. an. ℈i.
Extr. tormentill. gr. vi.
M. f. Pulvis:
D. S. ut antè.

Vel temperatior *aqua Cinnam. spir.* iis infundatur. *Theriacæ* etiam externus pariter ac internus usus in minuta dosi non negligatur, idque etiamsi per consensum fuerit. Quod si ablactati fuerint infantes, & sufficienter evacuatus stomachus, pro quo scopo syrupus de cichorio cum rhabarbaro interdum conducit, tunc ad quemcunque infantum vomitum non immeritò commendat JOEL *in Pr. lib. 9. Sect. 4. membr. 3. pag. 344.* Decoctum, quod fit ex *Caryophyll* ʒß & *gran. Mastich.* ℈ii. quæ simul concisa in ℥vi. *vini rubri* bulliant; cujus colaturæ subinde cochleare unum vel alterum infanti propinandum est.

Imò commendat hic ipse etiam in absentia febris, quod in infantum vomitu commodè propinentur gutt. ii. olei destillati caryophyllorum in pauxillo vini, quod mirè conducit contra infantum vomitus. Loco olei caryophyllorum, quod tamen ferè est optimum, sunt qui oleum menthæ destillatum, item oleum destillatum zedoariæ, imprimis ubi simul sunt tormina, commendant; hinc talem potiunculam præscribere possumus:

℞. *Aquæ menthæ* ℥iß.
Corall. rub. præp. gr. xv.
Ol. dest. zedoar. gtt. iv.
Menthæ gtt. ii.
Syr. Cydonior. ʒvi.

Subacta invicem misceantur, & in absentia febris propinetur cochlear unum vel alterum contra vomitum infantum:

D. S.
Potio stomachalis adstringens.

Ex Cydoniis aliàs quæcunque parata & aromatica condita, ut acor temperetur, conducunt contra vomitum infantum, & talia subacida tutiùs usurpari possunt, quando ablactati sunt infantes, quoniam tunc lactis coagulatio non æquè metuenda est. Conveniunt itidem grana mastichis cum pulvere galangæ & caryophyllorum infanti propinata; Item nux moschata pulverisata, pulticulæ instrata, acescentiam lactis prohibet, concoctionem adjuvat, & in specie vomitum sistit.

Sed, ut *suprà monui*, non nimis citò compescendus est vomitus, in specie si *nausea* urget, aut *stertor* anhelando auditur.

Quod si variegata seu diversicolora & multiformia vomitu reiiciantur recrementa, & suspicio est, non ritè fieri separationem chyli à fecibus in intestinis, cum talia non absque perverso regurgitationis motu ex superioribus intestinis in ventriculum eveniant, imprimis clysmata suprà laudata conducunt, quæ stimulando inferiora perversum superiorum peristalticum motum inferiora versus corrigunt, materiam ex superioribus deorsum versus proliciunt, & ita vomitus violentiam cohibent. Clysmata hæc componenda sunt ex carminantibus imprimis aromaticis, quibus pro stimulo parum salis gemmæ addatur.

Aliàs externè inungatur stomachi regio cum oleo mastichis & cydoniorum, quibus aliquot guttæ olei destillati caryophyllorum & menthæ simul adduntur; vel aliquot guttæ olei destillati macis cum *oleo nucis moschatæ expresso* exceptæ commendantur.

Vel

℞. *Ol. stomach. Crat.* ʒiß.
Dest. bacc. iunip. ʒß.
Menthæ gtt. v.
M. S.
Balsamum stomachale.

Aut recipiatur *frustulum panis* madefactum *vino Malvatico*, imponatur regioni stomachi; aut irroratum *aceto destillato*, cui inspergatur ulteriùs *pulvis caryophyllorum*, & *nucis moschatæ*, & hoc epithema imponatur externè regioni stomachi & hypochondriorum ad nimium sistendum vomitum. Vel recipiatur parum *fermenti*, & misceatur cum *pulvere menthæ*, *nucis moschatæ* & *caryophyllorum*, quæ invicem subacta, calefacta apponantur stomacho.

Cerotum stomachale ex LINDANO & ipsum convenit infantibus non minus quàm adultis.

ARTICULUS IV.

DE SINGULTU.

SI *tenacior* aut *acidior mucus* in superiori ventriculi orificio firmiùs adhæserit, per consensum firmissimæ connexionis diaphragma simul irritatur; unde hujus sub inspiratione facta *convulsiva contractio*, indeque *singultus* subinde etiam infantibus contumax & pertinax obvenit, qui in talibus ordinariò ex *viscido acido*, circa stomachi orificium superius stabulante, originem ducit.

CU-

CURA.

Si ergo *Singultus* ex quacunque causa, & paulò *pertinacior* adsit, *vomitus* imprimis conducit, evellendo acres acidas sordes, stomacho & orificio superiori adhærentes. Propinetur postmodum *pulvis Ioelis* in omni singultu ab eo æstimatus, ex *cornu cervi usto & coralliis præparatis* ana mistis conflatus, cui interdum consultò gutta una vel altera olei destillati anisi aut *cinnamomi* aut *caryophyllorum* addi potest. Nec omittendus proficuus Theriaces usus, aut, quod jam sæpius laudavi, nostras aroma, Anisum nempè, singultui etiam adultorum appropriatum, externo pariter ac interno usu, non minus quàm polychrestum castoreum.

ARTICULUS V.

DE ALVI ADSTRICTIONE.

PORrò frequenter infantes affligit *Alvi Adstrictio*, ita quidem, ut infantes, qui naturaliter bis quotidie ad minimum egerunt, interdum ad biduum & ultra nil excernant; unde abdomen intumescit, inflatur, indurescit, difficulter respirant, inquieti sunt, immoderatiùs æstuant, &c.

CAUSÆ.

Causa sæpissimè est mucilago viscida, crassa & tenax, ex vitio lactis crassioris, spissioris, minùs debitè digesti, magisque caseosi, quæ cum sit tenax & viscida, difficulter mobilis, hinc inde obstructioni alvi occasionem præbet. *Nunc* oritur ex vitio assumptorum à nutrice, si nempè nutrices vescantur alimentis adstringentibus, unde lac crassum, aut alimentis adstringentibus adstrictorium redditur, & hinc interdum infantibus alvus obstruitur; siquidem omnia assumpta à nutrice sui vestigia lacti imprimunt: Sic TIMÆUS *von Guldenklee in Cas. pag.* 252. refert pertinacem alvi obstructionem in infante ex nimio esu castanearum à nutrice. *Nunc* causa hujus morbi sunt grumi lactei, ex lactis benè constituti corruptela in intestinis nati, hinc inde cellulas intestinorum occupantes, sicque admodum tardiores secessus remorantes.

Denique accedit his simul bilis defectus in intestinis, cujus vis salina attenuat & liquefacit feces alvinas, easque mobiles reddit ac fluidas. Unde si vel mox post partum infarctus sit ductus cholodochus à meconio, (unde tunc fit icterus interdum in infantibus,) aut si mucilago similis tenax eundem ductum oppleverit, utplurimum infans solet esse obstructæ & adstrictæ alvi.

DIAGNOSIS.

Ipsum vitium per se est manifestum.

Causæ ipsæ latere non possunt, imprimis si est à matre vel nutrice.

Sin viscida & tenax mucilago sit causa, excreta sunt crassa & tenaciora.

Bilis denique defectus in intestinis si fuerit, ea, quę reiiciuntur, alba sunt, cineritia, minusque ordinariè tincta.

PROGNOSIS.

Periculosum quidem malum hoc non est, nisi si nimis diuturnum; naturale enim est infantibus, ut alvus eorumdem sit ordinariò laxa.

CURA.

In *Cura* ergò alvi obstructæ conveniunt blandè emollientia & laxantia, nempè syrupus florum persicorum recentium decerptorum, non sponte decidentium, syrupus de cichorio cum rhabarbaro, syrupus rosatus solutivus, syrupus de pomis Regis Saboris: item passulæ laxativæ officinales propinatæ; aut saltem brodium passularum laxativum subinde infusum cochleatim. Manna pro ratione ætatis à ℥ß. ad ℥i. vel ℥ii. in lacte dissoluta, vel unà cum pulte propinata, egregiè laxat infantes; nam dulcedine sua blandiente non reiicitur ab infantibus: item cum ℥i. olei amygdalarum dulcium manna commodè propinari potest; sed cautissimus in hujus usu, cum sit fermentativa, & flatuum torminumque in infantibus Autor. Aliàs oleum raparum saccharatum movet felicissimè alvum: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *pag.* 74. Præ omnibus præstantissimum est remedium muscerda No. i. vel ii. ad v. vel vi. pro varietate ętatis plus minus; vel pulverisata cum pulticula usitata permisceatur & infanti detur; vel cum lacte dissoluta propinetur; vel aliquot eorum permisceantur lacti, subigantur, & lac per linteum expressum ita propinetur. Sanè optimè alvum laxat; rarò fallit: Medium hoc est RULANDO expertum, qui proprio filiolo tres menses nato ex alvo obstructa, insignibus alvi torminibus correpto, propinavit muscerdæ No. i. in pulticula solita, unde soluta fuit alvus, & dolor omnis cessavit. Vel propinatur tenello spermatis ceti tantum, quantum cuspis cultelli potest capere in cerevisia calida; nam hoc etiam blandè viscidam mucilaginem abstergit, & alvum laxat: sicut in paulò robustioribus pulvis mechoacannæ insipidus, & tamen qui pituitam viscidam suaviter detergit, optimè confert, an. ℈i. ad ʒß. cum pulte vel cum pane Martio propinatus, quamvis sit citra saporem & odorem. Denique, ubi magis adultus fuerit infans,

℞. *Crem. tartari* ℈i.
Diagrid. gr. v.
M. f. pulvis: S.
Pulvis aperiens.

Datur à. ℈ß. ad ℈i. pro conditione nempè ætatis.

In malo graviori ad Mercurium dulcem aut aurum fulminans confugere licet.

Externè imprimis conducunt balnea. Quibus præmissis suppositoria ex ʒß. stercoris muris cum melle ad duritiem cocto, quod alvum blandè proritat, aut saltem domestica ex sapone, vel simplici vel Veneto confecta applicentur, & ubi fortiùs stimulandum, oleum diacolocynthidos Quercetani illinantur. Vel omnium optimè conducunt Clysteres emollientes ad ℥ii. vel iv. pro ratione ætatis: quibus, ubi opus est abstersione, simul mel addi potest: item clysteres ex brodio seu decocto pisorum cum saccharo Thomæo; nam hoc abstergendo sordes mucilaginosas alvum aperit. Sin meconium seu excrementa indurata sint in colo ejusque cellulis, clysma solum ex oleo lini & raporum paratum commodè eadem educit, quia emollit & lubricat. Quod si opus sit fortiori stimulo, Decocto emollienti addi potest extractum hellebori nigri, quod stimulando alvum solvet. Prętereà etiam epomphalia seu unguenta laxativa umbilico imponantur pro solvenda alvo: nempè *specierum hieræ picræ* ʒi. cum *scammonii* gr. v. misceantur, cum nuce juglande applicentur umbilico, contumacem alvum irritant. Item pomum Borsdorffianum putridum cum pinguedine anserina subactum applicetur abdomini, quod promptè alvum infantum reserat. Item oleum dia-colocynthidos Quercetani, item oleum chamomillę, cui incocta sit pulpa colocynthidis, similiter illinatur. Butyrum vel adeps gallinarum cum felle bubulo & scammonio subactum, illinatur quoque, pro stimulanda alvo, umbilico. Vel

℞. *Ungu. de Artan.* ʒii.
Fell. taur. insp. ʒi.
Cum s. q. *Ol. Colocynth.* f. Linimentum: S.
Linimentum aperiens.

Item

℞. *Aloes* ʒii.
Fell. tauri ʒi.
Scammon. ℈j.
Butyr. rec. q. s.
M. f. Linimentum,
D. S. ut suprà.

Illinatur umbilico, sic aperitur alvus.

His ipsis Epomphaliis etiam oleum nicotianę, unguentum dialtheę, &, ubi fortiùs agendum, unguentum de arthanita, commodè permiscetur. Vel fiat Linimentum ex succo cyclaminis, subacto cum adipe gallinę, quę blando calore decoquantur ad consistentiam linimenti, umbilico illinendi.



AR-

ARTICULUS VI. DE INTERTRIGINE.

INtertrigine frequenter acerbo dolore excruciantur infantes tenelli, Germani vocant *das Fralt seyn der Kinder*, & nil aliud est, quàm excoriatio circa genitalia & clunes, item sub axillis, in rimis colli, & similibus locis: quę oritur partim ex urina, qua continuò humectatę partes ab hujus salina acrimonia tenerrimam epidermidem amittunt, & ita pedetentim penitus excoriantur, aut quando lintea humectata minus sedulò permutantur & exsiccantur: partim verò à sudore, vel insensibili transpiratione in articulorum flexuris, & sub axillis aliisve locis retenta, acrimoniâ simili cuticulam erodente: qua ita abrasâ nuda cutis admodum dolet, interdum plus minus exulceratur, unde agrypnię, & continuati infantum vagitus aliaque pathemata subsequuntur, quę exulceratio etiam ad mortificationem partis subinde tendit. In multis nempè sudor & urina convenit, adeòque affectuum identitatem comitem secum trahere solent.

DIAGNOSIS.

Malum per se patet.

CURA.

In *Cura* ergo ea, quæ acre temperare, humidum imbibere, & blandâ exsiccatione & adstrictione poros cutis firmare possunt, adhibenda.

Inspergatur ergo Nihil album, Cornu cervi ustum, Creta, Cerussa, Tutia, lapis calaminaris pulverisatus; aut loco hujus lac lunę etiam convenit, & similia. In specie vix citiùs aut jucundiùs removetur Intertrigo, quàm croco martis ex vitriolo martis pręcipitato, qui sine ullo vel minimo sensu excoriata loca restituit; cujus defectus & terra vitrioli dulcis consultò substitui potest, nisi macularum in linteis exinde nata flavedo sit obstaculo. Nempè abluantur priùs partes intertrigine affectę aquâ calidâ, hinc pulveres isti, nodulo inclusi raro, ita inspergantur: V. gr.

℞. *Lapid. calam. exactè pulverif.* ℥iß.
Tut. præp. ℥ß.
Ceruß lotæ ℈j.
Terræ vitrioli dulc. gr. xv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis inspergendus.

Ex nodulo tenui suspensâ manu blandè inspergatur, superimposito linteolo.

Vel qui fit ex cornu cervi usto, creta & cerussa mistis: v. g.

℞. *Cornu cervi usti præp.* ℥ij.
Cretæ albę præp. ℥iß.
Ceruß. ℥ß.
Pulv. Rosar. rubr. q. s. pro gratia coloris.
M. f. Pulvis:
D. S. ut *antè*.
Vel
℞. *Lap. calam.* ℥ß.
Croci Martis ex vitriolo Martis præcipitati ℥i.
Cretæ præp.
Cerussæ an. ℈i.
M. f. Pulvis subtilis.
D. S. ut *antè*.

Gravius si malum fuerit, & ad aliqualem exulcerationem jam devenerit, aut ubi rubor saltem & color adjunctus sit intensus, saccharum saturni commodè additur; vel loco hujus cerussa, vel unguentum de lithargyrio, aut unguentum album seu de cerussa camphoratum, aut unguentum diampompholygos, &c. hisce locis commodè inungitur.

ARTICULUS VII. DE UMBILICALI PROMINENTIA.

POrrò infantibus recens natis subinde umbilicus laxior insigniter protuberat ac prominet, & in formam parvi & angusti farciminis inversi protenditur, in *Umbilici Prominentia* dicta. Nullus adest ardor, nullus mutatur color, nec tumor, specialiter umbilicus ita protuberat, & in medio sui propè peritonęum foraminulum quasi exhibet. Accidit hoc malum, cum funiculus umbilicalis à partu non debitè ligatur, parsque ejus major, quàm debeat, relicta est, quę ita in altum attollitur & protuberat, vel cum peritonęo nonnihil relaxatur, unde vel omentum, vel intestinulum quoddam relaxatum, se insinuat, & ita eundem prominere faciunt: id quod frequentiùs à fletu infantum nimio, item à tussi vehementiori accipiunt, quibus occasionibus facilè relaxari peritonęum, & ita umbilici prominentia induci potest.

DIAGNOSIS.

Umbilicalis hęc prominentia per se manifesta est, dum foras prominet & tumet citra colorem, & citra omnem ad tactum dolorem.

Causę antecedentes facilè patent per se.

PROGNOSIS.

Malum non contemnendum est, quia temporis successu successivè increscere, & ita in omphalocelen seu perfectam umbilici herniam degenerare potest.

CURA.

In *Cura* probè observandum est, ut præcaveantur sedulò flatus in infante, in quem finem semen anisi, exque eo parata remedia, sedulò usurpentur.

Externè verò, imprimis si ruptura adest peritonæi, convenit herba perfoliata, contusa, cocta, umbilico imposita: item rob Acaciæ nostratis, dissolutum in liquore appropriato ad consistentiam unguenti seu linimenti, illinatur umbilico relaxato, donec denuò coeat: vel, quod optimum est, pulvis mastiches, pauxillo terebinthinæ in mortario calido subactus, & cum linteo impositus; vid. WELSCHIUS *Hecad.* 2. *pag.* 22. Item plantago & muscus pruni sylvestris in vino rubro probè cocta, & cataplasmatis formâ imposita, & aliquamdiu continuata. Semen perfoliatæ cum adipe ursino probè subactum etiam confert. Optimum est, si formentur globuli ex corio, magnitudine rotundi grossi præter propter seu quanta est prominentia umbilici, qui globuli linteo obvoluti obducendi sunt emplastro oxycroceo aut mastiche, & ita imponendi sunt cum firma ligatura umbilico prominenti. Conducit etiam, si oleo ovorum illinatur umbilicus prominens toties, quoties ligatur infans novis fasciis, & post inunctionem hanc imponitur globulus latus, factus ex cera flava cum mastiche permista, qui globulus convenienti fasciâ firmandus est, ut firmiter hæreat, donec denuò coeat successivè umbilicus. Nostrates ex cera flava faciunt pileolum parvum, quem inverso situ umbilico imponunt, & ita ligaturâ firmant, aliquamdiu ita relinquunt, donec denuò sponte suâ coalescat peritonæum, atque curetur malum.

ARTICULUS VIII. DE UMBILICI INFLAMMATIONE.

REcens decisus *Umbilicus* interdum *inflammatur*, unde ejusdem tumor, rubor, & ad tactum insignis calor percipitur, durus est umbilicus, nonnihil dolet, nec tactui facilè cedit, & si attingantur infantes, ejulatu dolorem produnt.

CAU-

CAUSÆ.

Oritur ferè, cùm ligatura ante abscissionem non firma satis facta fuerit; hinc enim ex abscissione propter dolorem, aliamve similem occasionem facilè inflammatio excitari potest, quo rupto intestina procidunt. Imò interdum simul ipsa intestina afficiuntur, ita ut excretio secum alvi per umbilicum suppuratum observata & curata fuerit in M. A. N. C. *Ann.* 3. *observ.* 64. *pag.* 110. Fit etiam ex alteratione ejus ab aere externo, vel etiam interdum ex nimio clamore & tensione abdominis; quod tamen rarum est.

PROGNOSIS.

Facilè curari potest, si maturè fiat; sin verò cura tardiùs instituatur, & factus sit abscessus, periculum est prolapsus intestinorum infantis per umbilicum.

CURA.

In *Cura* ergò inflammatio subitò, & quantocyus fieri potest, discutienda & resolvenda est; in quem finem optimè convenit, ut maturè illinatur locus inflammatus oleo rosarum, aut oleo lumbricorum terrestrium, cum cerussa vel saccharo saturni probè subactum: item saccharum saturni in decocto Malvæ solutum, addito oleo rosaceo, cum linteis multiplicatis imponatur: item emplastrum de spermate Ceti Mynsichti, emplastrum album seu de cerussa camphoratum, aut emplastrum de spermate ranarum officinarum, imponendum.

Sedatâ denique inflammatione oleum chamomillæ vel anethi tepidiuscula illinenda sunt ad reliquias omninò discutiendas.

ARTICULUS IX.

DE

ANI PROCIDENTIA ET TENESMO.

Cognatus his intestinalibus affectibus est frequens in pueris observabilis *Ani Procidentia*, eòque frequentior, uti dico, in pueris, quò laxior magis, magisque flaccida existit substantia intestini recti & musculorum ejus.

CAUSÆ.

Causa ergò, quare interdum foras promineat anus seu intestinum rectum, est sæpius *Tenesmus*, seu continuus, frustraneus tamen, egerendi infantum conatus; qui tenesmus oritur ex mucilagine acida & viscida, intestinum rectum obsidente, à qua continuò irritatum continuò egerere nititur, unde tandem foras protruditur intestinum rectum. Præter talem tenesmum etiam nimia laxitas ac nimia flacciditas musculorum intestini recti subinde causa est hujus procidentiæ, in specie quando nimis frequenter suppositoriis molestantur tenelli.

DIAGNOSIS.

Affectus ipse per se patet, facilis etiam est restitutionis, si tempestivè fiat: aliàs periculum est, ne ab aere ambiente alteratum intestinum in gangrænam dilabatur.

CURA.

Ut ergo denuò restituatur anus prolapsus, si est ex laxitate, sufficit sola cum linteo calido repositio, aptaque infantis fasciatio, ut pedibus extensis ita permaneat.

Sin verò causa prolapsus sit tenesmus, tunc ad corrigendum & tollendum tenesmum conducit imprimis sacculus, aut etiam insessus, balneum, voca ut lubet: v. g.

℞. *Flor. Verbasc.* M. iii.
Furfur. tritic. M. ii.
Sem. Cumin. ℥i.
Bacc. laur. ℥ß.
Incisa & contusa includantur
sacculo interpassando:
D. S.
Sacculus sistens.

Sacculo insuta coquantur in sufficiente quantitate aquæ: sacculus expressus calidus supponatur, ita ut eidem insideat infans; nam hic tollit tenesmum.

Utilis etiam est ad tenesmum suffitus ex terebinthina prunis injecta seu imposita.

Vel

℞. *Suffit. ex Colophon.* ℥ß.
Sarcocoll. ʒii.
Bacc. lauri,
Sem. fœnic. an. ʒi.

Quæ pulverisata prunis injiciantur, & inde exiens fumus excipiatur ano:

D. S.
Pulvis singularis ad suffitum.

Curato tenesmo facilè postmodum restitui potest anus prolapsus.

Quod si citra tenesmum anus sit prolapsus, si ab aere alteratus nonnihil intumuerit, ante repositionem fovendus est decocto malvæ & seminis cumini in aqua & vino: foveatur hoc decocto.

Fotus ita anus denuò blandè reponendus, qui repositus in suo loco maneat. Optimum est, si infans insideat asseri plano calido, cui mastix sit illita; aut etiam loco mastichis, sevum hircinum aut cervinum sufficit, si asseri dicto calido illinantur: Vel etiam fovendus est anus hoc ipso sevo hircino aut cervino liquefacto, & ita reponendus; non enim adeò facilè postmodum denuò excidit.

Conducit etiam insessus ad umbilicum usque in decocto adstringentium; gallarum nempè, glandium, corticum granatorum, foliis myrti & similibus, adjecto, si opus sit, pauco alumine. Aut etiam intrudatur vel applicetur ano parum bombacis imprægnatæ pulvere sanguinis draconis, mastichis pulverisatæ, balaustiorum, thuris & similium. Nam his facilè anus repositus in loco suo firmabitur.

ARTICULUS X.

DE

URINÆ SUPPRESSIONE.

Non rarum est, quod infantes tenelli, præsertim puelli, retentionem aut difficultatem urinæ patiantur, ita ut vel planè non eandem excernere possint, vel cum insigni difficultate aut dolore eandem excernant, idque interdum mox à partu observatur in talibus materia instar sabuli subtilis rufescentis, qui meatum urinarium obsidet, & cum urina interdum excernitur. Putant mulierculæ esse calculi rudimentum; quod tamen non est, cùm successivè subtili hoc sabulo excreto, ordinariè & ritè profluat urina.

CAUSÆ.

Frequentior *Causa* est pituitosus humor viscidus & crassus, quacunque ratione ad meatum urinarium delatus, qui in cervice vesicæ denuò quasi inspissatus aut concretus, meatum urinarium plus minus obstruit, & malum hoc infert, unde talium urina crassa & fæculenta quasi excernitur.

Origo hujus mucilaginis est ab assumptis, imprimis pultaceis viscidioribus, dum propinantur pultes ex farina, aut pane similagineo (Germ. *von Semmel*) non ritè fermentato, quo viscidum in stomacho difficulter digeritur, & viscida copiosa inde in primis viis generantur, quæ ad vesicam urinariam cum urina derivata retentionem & difficultatem urinæ inferunt.

Denique pueri interdum reverà calculo observantur obsessi, unde urinæ suppressio.

DIAGNOSIS.

Malum per se patet, dum nihil vel parum ab infantibus excerni conspicitur.

Item ejulatus & aliqualis tumor circa regionem vesicæ sufficienter malum declarant.

Calculus præsens vix aliâ ratione, quàm per catheterem in infante jam nonnihil robustiore cognosci potest.

PRO-

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Malum in pueris non contemnendum est hæc urinæ suppressio, cùm nulla excretio præternaturaliter sine periculo in infantibus supprimatur, quin plura alia symptomata, nempè dolor, ejulatus, vigiliæ & similia exinde oriri queant.

Imò si diutiùs protrahatur malum, periculum est, ne exinde mors immineat infantibus.

CURA.

Ergò primò quidem mucilago tenax & viscida est evacuanda: quod præstat imprimis mechoacanna propinata cum syrupo rosarum solutivo.

Evacuato corpore promovenda est blandè urina. Conveniunt imprimis flores cyani & calcatrippæ; sive propinetur horum aqua destillata, minoris tamen efficaciæ; sive decoquantur in aqua simplici vel potu ordinario cerevisiæ, & propinetur decoctum infanti; aut, quod melius est, si in iis, qui jam sunt ablactati, fiat infusio horum florum cyani & calcatrippæ in aqua polygoni & ononidis cum spiritu salis dulci acidulatis; sic enim extrahitur elegans tinctura, cui gratia saporis concilianda cum syrupo capillorum veneris, aut cum syrupo artemisiæ. Convenit imprimis decoctum cicerum & decoctum radicis & summitatum fœniculi, quæ sufficiunt in infantibus ad promovendam urinam. Therebinthinata omnia, in specie spiritus terebinthinæ, egregius est ad promovendam infantum urinam. Expertus est succus pastinacæ luteæ recens expressus, & infantibus ita propinatus. Semen violarum, & ex hoc parata emulsio cum dictis aquis appropriatis, in specie ononidis, etiam egregium est medicamentum: v. g.

℞. *Sem. violar.*
Amygd. dulc. an. ℥i.
Cum s. q. *aquæ Petrosel* f. emulsio:
cui adde
Lapill. cancr præp.
Corall rub præp an. ℈ß.
Edulcoretur parum.
M. S.
Emulsio aperiens & leniens.

Profuit infanti 4. dierum, alvi tormina & urinæ suppressionem habenti.

Item in alio infante, ex suppressione urinæ:

℞. *Sem. Violar.* ℥i.
Cum s. q. *aquæ flor. sambuci* f. Emulsio:
adde
Cornu cervi sine igne ℈ß.
Antimonii diaphor. gr. v.
Edulcoretur parum.
D. S.
Ut suprà.

Farina ex lycopodio seu sulphur vegetabile nobile specificum est in suppressione urinæ infantum, etiam si jam exinde epilepsia immineat: vid M. A. N. C. *Anno* 3. *Observat.* 15. *in Schol pag.* 20. Datur à ℈ß. infanti trium annorum.

Externè illinatur regio pubis & perinęi cum oleo scorpionum simplici:

Vel

℞. *Olei lil alb.*
Chamom.
Scorpion. an. ℥i.
Pulv. Scorpion. ʒi. ad ʒiß.
M. D. S.
Unguentum urinam promovens.

Quod linimentum post balneum aut totum inungatur dictæ regioni.

Aut etiam unguentum dialthęę cum oleo scorpionum permistum, iisdem in locis illinendum est. Si fortiùs agendum est, oleum scorpionum cum pauco oleo ceræ illinatur regioni vesicæ ad promovendam urinam: item cataplasmata ex parietaria cum oleis aut pinguedine anserina applicata: item cataplasmata ex chamomilla vulgari applicata regioni vesicæ sunt optima. Possunt etiam simul addi modò dicto cataplasmati ex parietaria cępæ sub cineribus coctæ, quæ & solitariæ sunt optimæ; sic enim optimè & promptissimè promovetur urinæ fluxus.

Vel

℞. *Herb. Pariet.* M. ß.
Cherefol.
Flor. chamomill. an. M. i.
Coqu. ad mollitiem:
Pulpæ per setaceum trajectæ adde
Ol. scorp. ℥ß.
Butyr. rec. ℥i.
M. D. S.
Cataplasma aperiens.

Applicetur calidè regioni pubis.

Balnea denique sunt usitata, quæ emolliunt & resolvunt nonnihil sordes istas mucilaginosas, multum prosunt ad stimulandam suppressionem.

ARTICULUS XI.

DE

INCONTINENTIA URINÆ.

Contrarium vitium est, quando infantes retinere nequeunt urinam, & dicitur incontinentia urinæ. malum quod in ætate tenella vix potest judicari, quoniam imprimis infantes in somno excernunt nescientes & nolentes; postmodum verò ubi talia intelligere incipiunt, si urinam retinere nequeant, vitiosum est, sive fiat ex consuetudine, sive fiat interdum ex vitio partium vesicæ, in specie ex *resolutione* ejusdem sphincteris, aut ex læsione ejusdem è calculo, aut quacunque alia sphincteris vesicæ læsione.

An sit ex consuetudine, vel non? non potest cognosci, nisi in infantibus non nihil robustioribus: in quo casu & tempore etiam cura instituenda est.

Talis urinæ incontinentia ex consuetudine nihil mali sub se habet; sin verò vitium sit in sphinctere, hoc ipsum maturè corrigendum est, imprimis per balnea ex nervinis & adstringentibus parata, uti sunt in specie ex foliis quercus, ex salvia, ex satureja, fœniculo & similibus. Inungi *etiam* potest oleum mastichinum, quod valdè adstringit, *uti etiam* unguentum Comitissæ cum oleo irino, & etiam cum oleo costino.

Internè pulverem ex castoreo & myrrha cum oxymelite propinandum commendat JOEL, si subsit affectus quodammodo paralyticus seu ex laxatione sphincteris vesicæ.

Commodè etiam propinatur internè pulvis ex erinaceo usto, herba & semine agrimoniæ, mastiche, medulla saxorum, & similibus *suprà l. 1.* ubi de urinæ suppressione actum fuit, propositis.

ARTICULUS XII.

DE

HERNIIS INFANTUM.

Multùm etiam infantes teneriores obnoxii sunt Herniis, tàm umbilici, quàm scroti, ex peritonęi frequentiùs relaxatione, rariùs ex ejusdem ruptione.

Occasionem peritonæo relaxando suggerit clamor nimius aut continuus ejulatus, tussis crebrior ac vehementior, ac denique intensior fęces egerendi per alvum conatus; quæ ipsa eò magis ad hoc malum disponunt, quò magis infantum abdomen, vel naturaliter vel præternaturaliter tumet, aut pro ut magis vel minus flatibus fuerit turgidum.

DIAGNOSIS.

Signa herniarum, scroti & umbilicalis per se patent, dum imprimis violenta talis causa præcesserit, v. g. ejulatus, clamor, tussis, vehemens egerendi conatus &c. sicut etiam, quod altera tantummodò scroti medietas ordinariò ferè sit affecta & tumida.

Ab Hydrocele seu tumore ex aquositatibus, ex abdomine in scrotum descendentibus, nato Hernia distinguitur, quod ille utrumque scroti latus occupet; scrotum quoque tumidum magis, quàm in herniis, observetur, nec tàm facilè recedat tumor, atque recedit iste, qui est ab intestinis; atque denique admotâ candela quasi limpidus & perspicuus iste tumor apparere solet, si est Hydrocele; in herniis verò intestina prolapsa tactu ferè possunt deprehendi, secus ac in alio scroti tumore.

Herniæ umbilicales etiam per se manifestæ sunt, dum foras

ras prominet & tumet citra dolorem, & citra omnem ad tactum dolorem.

Causæ antecedentes facilè patent per se.

PROGNOSIS.

Propriè dictæ herniæ in infantibus facilè curantur, modò debitum regimen accedat, peritonæo adhuc molliori existente, & quidem naturali augmento facilè firmatur denuò ac consolidatur.

CURA.

In *Cura* ergò herniarum internè pulveres, decocta, aut syrupi ex vulnerariis præparati imprimis conveniunt, v.gr. decoctum herniariæ edulcoratum cum syrupo symphyti, aut decoctum perfoliatæ cum sanicula; aut detur pulvis seminis perfoliatæ, herniariæ, consolidæ majoris, &c. item harum, uti & saniculæ, plantaginis, &c. aquæ destillatæ: observando simul, ut, quantum possibile, flatus arceantur ab intestinis.

Externè singulare experimentum est in herniis infantum, si admoveatur frustum pellis seu cutis anguillæ solummodo obtinctæ cum albumine ovi; hæc enim applicata mirè consolidat rupturam peritonæi: cum quo remedio internè simul propinandum est semen nasturtii vino infusum. Certum est experimentum. Quòd si ipsa cutis anguillę hoc modo applicata non sit sufficiens, accipiatur pellis anguillæ salitæ, quæ coquatur in lixivio forti ad consistentiam emplastri, alutæ inducendi, quod emplastrum loco rupturæ applicatum brevi consolidat eandem. Vel fiat emplastrum ex *gummi caranna* p. ij. & *seminis nasturtii* p. j. subactis cum pauxillo *terebinthinæ coctæ*, quod inducatur super linteum crassum, & applicetur loco hernioso, ut probè adhæreat. Item emplastrum dia-sulphuris Rulandi, aut saltim cerotum ex pice, imponatur, relinquendo tamdiu, quamdiu firmiter adhæret, simul subligaculis aut fasciis muniendo loca herniosa, ut intestina & omentum in loco naturali retineantur.

Ubi reposita fuerint intestina, superimponunt fomenta adstringentia ex vulnerariis, perfoliata, herniaria, plantagine, myrtillo, rob acaciæ & alumine, in aqua & aceto nonnihil coctis & ita applicatis. Superimponendum quoque est loco rupto aut laxato emplastrum ex gummi elemi, in aceto macerato, denuò inspissato, cum oleo ovorum in formam emplastri subacto. Vel fiat emplastrum adstringens & quasi corrugans ex *mastiche*, *ichthyocolla*, *tacamahaca*, & *gummi Arabico* ana ℥ij. *thuris*, *picis Græcæ* ac *picis nigræ* ana ℥ij. quæ subacta alutæ (vel linteo potius, quod tractabilius est) inducta imponantur loco rupturæ. Aut illinatur frequenter locus rupturæ cum oleo hyperici & oleo ovorum, & superimponatur postmodum emplastrum de pelle arietina.

Communiter lapis ceraunius seu lapis fulminaris ad curandas hernias infantum laudatur. Novi infantem ejus beneficio curatum, qui ex nimiis clamoribus Enterocelen scroti contraxerat: nempè mater omni manè & vesperi, quoties infantem lecto imponeret, cum lapide fulminari salivâ probè humectato, aliquoties compressit sursum versus lapidem ducendo, & ita continuato usu herniam curatam vidi. Porrò radix consolidæ majoris conteratur, & cataplasmatis instar loco affecto imponatur, omnibus duodecim horis renovando, multùm confert contra hæc mala.

Quodsi copiosi flatus adsint, litibus, aut fotibus ex foliis lauri, floribus chamomillæ & sambuci, cum quatuor seminibus calidis majoribus, aliisque carminantibus, vino in coctis, & instar fomenti applicatis, sedulò hi ipsi discutiendi, ne consolidationem impediant.

ARTICVLVS XIII.
DE
SCROTI TUMORE AQUOSO.

Observandum, præter hujusmodi hernias umbilici ac scroti, etiam infantes subinde alio adhuc *Scroti Tumore*, nempè *aquoso*, laborare, in quo, peritonæo salvo, scrotum à collectis aquositatibus serosis intumescit, & insciis pro hernioso affectu imponit.

DIAGNOSIS.

Signa Hydroceles ex *Artic. antecedente patent.*

PROGNOSIS.

Tumores aquosi scroti sine periculo sunt, cùm nisi sint nimii, spontà suâ evanescant, vel solius arcani duplicati usui cedant.

CURA.

Tumor scroti aquosus & Hydrocele curatur litu olei laurini & chamomillæ, vel cataplasmate ex farina fabarum, pulvere seminis cumini ac similibus in aqua coctis, impositis. Cataplasma ex stercore caprillo est optimum, aut solus fotus ex succo stercoris caprilli admotus est optimus.

ARTICULUS XIV.
DE
APHTHIS.

Familiare perquàm malum est interdum paucis à partu diebus affligens, quod *Aphthas* vocant, Germ. *Schwamme, oder Blasen auff der zunge der Kinder*. Sunt scilicèt tubercula parva, seu pustulæ quasi vesicales, quæ hinc inde in lingua, carne gingivarum, faucibus, palato, œsophago &c. elevantur, in medio sui albicantes: in circumferentia intensè rubent, infantibus verò insigni ardore & dolore non levi impedimento sunt, quò minus lac sugere possunt. Hæ ipsæ vesiculæ successivè, nisi curentur, interdum in perfecta abeunt ulcuscula, exesa scilicet superiori tunicâ seu pellicula, quæ tamen postmodum facilè curantur: non rarò serpunt, & in ulcera serpentia abeunt, & aliqualem imprimis gingivarum putredinem inducunt: interdum acriori dum constant materia, fœtere solent, & putredine junctâ longiùs serpunt, ac serpendo latiùs vicina depascunt. Affligunt imprimis fauces, linguam, hinc gingivas & palatum, interdum tamen etiam œsophagum & ventriculum, imò & ipsa intestina occupant: id quod tunc temporis imprimis patet, quando in excrementis rejectis parvæ squamulæ hinc inde conspiciuntur.

CAUSÆ.

Causa harum aphtharum est acre acidum, excorians & exulcerans plus minus dictarum partium superficiem. Fons peccantis acidi sæpissimè est corruptela & acescentia nimia pultis & lactis tenuis aquosi in ventriculo. Utut enim aut lactis nutricis aut salivæ ipsius infantis à quibusdam nimia accusetur acrimonia, vix tamen in infantibus aliam originem agnoscunt, quàm acres halitus, qui successivè ex stomacho assurgunt, os quodammodo inflammant, & hinc inde talia ulcuscula excitant. Nam & in adultis frequenter contingere solet, ut correpti febribus, cruditatibus recrementosis, in specie porraceis in stomacho existentibus, aphthis molestè laborent, nisi maturè fomes removeatur à Medico ex ventriculo.

DIAGNOSIS.

Diagnosis ex dictis patet in principio.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Per se nihil periculi habent aphthæ, nisi sint nigricantes aut sublividæ; tales enim sæpè abeunt in ulcera depascentia & periculosa: sicuti etiam aphthæ reliquæ, si perfectè exulcerentur, & in ulcuscula abeant serpentia, non sunt adeò contemnendæ.

CURA.

Maturè romovendæ sunt, partim quod utplurimum suctionem lactis impediant, partim quod periculum ulterioris exulcerationis inferant. Conducunt ergò collutio aphtharum cum urina propria, eaque repetita, vel aqua ferrariorum,

riorum, in qua salvia & parum mellis bullierint, pro abluendo ore: item succus sempervivi & portulacæ cum aqua osarum permistus usurpatur, quæ etiam easdem subitò corrigunt & emendant.

Vel

♃. *Aquæ Rosar.* ℥j.
Misc. cum *vitello ovi* probè conquassato, & *facchari albi* vel *candi* parum: quâ misturâ abluantur aphthæ, ut sic dispareant.

Ubi nimis æstuaverint, tunc loco aquæ rosarum commodè aqua spermatis ranarum, aut aqua fragorum, cum tantillo aluminis potest adhiberi. Mucilago etiam seminis cydoniorum cum aqua spermatis ranarum extracta, etiam cum succo sempervivi majoris subacta, linimentum præbet non inconveniens pro illinendis aphthis. Plures in usu habent fungos sambuci, Auriculæ Judæ dictæ, quos infundunt aut coquunt in aqua salviæ vel lacte, & abluunt aphthas, & sanè optimè prosunt. Præ cæteris rapæ in aphthis egregiè conveniunt, *sive* recipiatur succus raparum in aqua coctarum expressus, cui aliquid facchari vel mellis addatur, *sive* recipiatur decoctum raparum, *sive* recipiantur rapæ supra ignem tecto vase sine aqua assatæ, ex quibus expressus succus, etiam sine facchato, est optimus dicto modo illitus. Item oleum raparum saccharatum est præstantissimum pro aphthis: Vid. de his SYLVIUS *lib. 3. Prax. ubi de morbis Infantum*; item *Misc. Academ. Nat. Curiof. Ann. 4. & 5. pag. 73.* BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Vol. 4. pag. 49.* Si deteriores sint aphthæ, pro lotione oris decoctum Veronicæ in aqua simplici factum cum melle mistum; aut loco Veronicæ potest sumi satureja, quæ simili ratione adhibita convenit. Decoctum salviæ in vino vel hydromelite fricando aphthas & benè os abluendo easdem sanat: aut etiam decoctum foliorum & florum ligustri in aqua communi, addito pauco melle, pro aphthis perfectè exulceratis sanandis usu frequenti compertissimum est.

Facit huc gingivarum putredo, curanda per sequens decoctum:

♃. *Herb. Cherefol.* M. j.
Salv. M℥.

Quæ in *aqua simplici* decocta, cui parum *aceti*, & in fine paululum *mellis* additum sit, dat quasi gargarisma seu misturam admodum convenientem in hac putredine gingivarum.

Vel ubi adhuc plus ulcerantur, convenit linimentum ex myrrha, thure, gallis, & melle; quæ invicem mista exulceratis locis illinuntur.

In aphthis exulceratis periculosioribus adeoque serpentibus, idque in ablactandis imprimis (nam lactantium nutrimentum lacteum pro medicina ex parte inservire potest:)

♃. *Aquæ plantag.*

Quæ imprægnetur *spiritu vitrioli* ad suavem saporem, addito vel omisso *melle* aut *syrupo violarum*.

Hoc ipso tangantur aphthæ, optimè prodest.

Porrò ubi alia non juvant, instar omnium sit linimentum ex melle rosato, vel simplici, cui tantillum spiritus sulphuris vel spiritus vitrioli, vel, quod magis placet, spiritus salis fuerit admistum, quo subinde illinantur aphthæ exulceratæ; sic enim curantur. Aut denique ulcera oris serpentia in ore infantum curat linimentum ex melle despumato, cui album græcum est immistum; hoc enim illitum loco exulcerato eundem sanat. Colluatur postmodum os cum aqua vincæ pervincæ, cum aqua salviæ, plantaginis, & similibus.

Sed cum hac cura externa etiam interna, partim absorbentia, partim blandè laxantia, interdum anodyna usurpanda sunt: Conf. RIVERIUS *Cent. 2. Observ. 43.* & *Centur. 3. Observ. 35.*

ARTICULUS XV.
DE
VIGILIIS NIMIS.

V*igiliæ nimiæ*, dum nimis vigilant, & parum dormiunt, subinde graviter vexant infantes, unde non solùm nutritio eorum impeditur, sed etiam aliis malis occasio simul suggeritur. Utplurimum alios sequuntur affectus, & adsunt non per πρωτοπάθειαν, sed per δευτεροπάθειαν.

CAUSÆ.

Causa omnium frequentissima est (1.) abundantia lactis & pultis, quo infarcti infantes ex digestione laboriosiore minus dormire possunt. (2.) Est lac acrius plus minus, irritans præcordia aliasque partes nervosas, cum quotidie in Praxi observemus, lac unius nutricis longè magis quietos reddere infantes, quàm alterius; quo minus nempè temperatum, sed magis butyrosum fuerit, eò minus dormire valent. (3.) Cruditates & acria contenta præternaturalia in stomacho & primis viis, lac plus minus vitiantia, & partes nerveas circa hypochondria irritantia, sæpissimè inquietos reddunt infantes, & somnum interruptum efficiunt, in specie ubi cruditates vitiosæ fermentando simul inflationes hypochondriorum effecerint. (4.) Dentitio difficilis. (5.) Lumbrici subinde pertinaces vigilias cum ejulatu diuturno solent inducere: Vid. M. A. N. C. *Ann. 8. obser. 36. pag. 66.* Adeòque semper in agrypniis infantum ex causa interna ad primas vias respiciendum, cùm ibidem ferè causæ lateant.

SIGNA.

Affectus per se est manifestus, & periculosus, propterea, quoniam vires infantum notabiliter dejicit, atque occasionem dat epilepticis insultibus.

CURA.

In *Cura* ergo præmissis præmittendis, in specie blandè laxantibus ac primas vias abstergentibus, cautiùs usurpentur Papaverina, nempè syrupus de papavere, emulsio ex semine papaveris & similia, infantibus tenellis ferè damnosa, nec, nisi præmissis aliis, idque cautè, admovenda, vel in imminuta dosi propinentur, quia stuporem & torporem insignem inducunt spiritibus animalibus, ut postmodum tales semper habere soleant ingenia stupida: Non ergo, nisi in adultioribus seu adultis, ad papaverina est accedendum. Aut quod tolerabilius est, sufficit pulmentum ex lacte, in quo cortices capitis papaveris cocti fuere; in his enim mitior est vis hypnotica. Nostrates propterea Mithridatii vel Theriaces tantillum propinant: vel fiant emulsiones:

♃. *Amygd. dulc.* ʒj.
Sem. Papav. alb. ʒß.
Cum *Aqua Fœnic.* f. Emulf.
adde
Cornu Cervi sine igne gr. xv.
Sal. vol. Cornu Cervis gr. iv. vel v.
Edulcoretur parum.
M. D. S.
Emulsio ad quietem.

Item syrupus papaveris albi, aut diacodium cum aliis, in parca dosi exhibetur: vel etiam loco syrupi papaveris simplicis syrupus papaveris rhœados, tanquam minus malignus, est usurpandus; interdum unum alterumve parvum cochlear cum aqua hypnotica Dorncreilii propinari potest. Cinnabaris antimonii cum cervinis similibusque absorbentibus propinetur. Aliquando infanti, pertinacibus vigiliis afflicto, ex acrimonia humorum cum metu imminentis epilepsiæ, præscripsi:

♃. *Aquæ Fœnic.* ℥j.
Farin. lycopod. ℈j.
Cran. hum. præp. gr. xij.
Syr. flor. Tunic. ʒj.
M. f. Potiuncula:

Propinetur crebriùs.

Externè:

♃. *Ol. expr. Nuc. mosch.* ʒj.
Dest. rutæ ℈j.
Succini ℈ß.
Misc.

Hoc ipso illinantur præcordia & nucha, quod factum cum successu.

Etiam oleum anethi destillatum ad aliquot guttas commodissimè misceri cum oleo nucis moschatæ expresso, & temporibus blandè illini potest: quibus etiam commodè applicatur lac muliebre cum pauco croco temporibus illitum: vel fiat emulsio ex nucleis persicorum cum lacte muliebri, quæ instar epithematis tepidè fronti admovenda est. Item pinguedo lucii piscis, plantis pedum applicetur. Item medulla

dulla cervina vel medulla crurum vituli liquefacta temporibus illinatur, aut, quod tutius est, plantis pedum inuncta commodè usurpatur.

ARTICULUS XVI.

DE

PAVORIBUS IN SOMNO.

PRæter agrypnias, dormientes licet, infantes etiam subinde *Pavoribus in somno* corripiuntur, eò magis suspectis & periculosis, quò frequentiùs epilepsiæ solent esse prodromi.

CAUSÆ.

Oriuntur ex explosivo ferè impetu spirituum animalium in nervos, qui cùm sub somni requie blando tardoque gressu influere debeant, impetuosiùs irruentes inopinatò totius infantis corpusculum ex fibrillarum nervearum momentaneo nisu contractivo inferunt ejusmodi concussionem, adeò ut hi *pavores* non ineptè mulierculis habeantur prodromi *Epilepsiæ*; qui *Insultus epileptici* aliàs admodum solent esse familiares infantibus. Fomitem, imprimis cruditatem acidam, semper agnoscunt, in primis viis circa ventriculum & intestina, iisdem ferè ex causis, ex quibus agrypnias induci modò insinuatum fuit. In specie ad acre acidum volatile hìc imprimis respiciendum, quod vellicando præcordia, os ventriculi, &c. somnum ita interrumpit, & pavidos infantes reddit; unde subinde etiam plorant. Sæpius etiam torminibus infestantur infantes pavore nocturno correpti, *cum noctu de improviso expavescunt*.

PROGNOSIS.

Pavor hic est periculosus, non per se, sed quod prodromus utplurimum sit epilepsiæ.

CURA.

Proptereà in *Cura* ea, quæ hoc acidum temperare possunt, primatum ducunt, semper simul respiciendo ad epilepsiam, proptereà etiam subinde antepileptica cum successu usurpari possunt. Conveniunt ergo Crystallus præparata, cranium humanum præparatum, cornu cervi sine igne, smaragdus præparatus, pulvis puerorum seu Marchionis, cinnabaris antimonii, pulvis epilepticus antimonialis, corallia rubra præparata, dens hippopotami, &c. in aqua pœoniæ, menthæ, fœniculi, &c. cum quibus etiam semen pœoniæ non inconcinnam præbet emulsionem. Hinc pulvis ex semine anisi, aquilegiæ, & succino præparato, commodissimè propinatur infanti cum pulte; sicut & specificum cephalicum cum semine anisi permistum commodè propinatur; est enim oleum anisi optimum specificum etiam contra pavorem nocturnum. Imò mechoacannæ pulvis pro abstergendo lacte corrupto ex primiis viis subinde propinatur.

Externè Clysmata acria pro scopo revulsionis injiciuntur. Hinc oleum stomachale Cratonis, cum oleo destillato anisi acuatum, ventriculo, umbilico & hypochondriis illinatur; vel oleum nucis moschatæ expressum cum oleo destillato anisi imprægnatum, tam ventriculo quàm temporibus illinatur, sed in parva dosi. Vel sacculus ex aniso contuso vertici capitis impositus, unà cum reliquis commodè usurpari potest.

ARTICULUS XVII.

DE

EPILEPSIA.

MAter puerorum, seu potiùs eorum noverca, quibusdam dicitur *Epilepsia*, qua frequentissimè afficiuntur infantes, nata ex inordinato & perverso *spirituum animalium motu* in cerebro, & violenta *explosione* in nervos. Frequentissimè autem paris vagi & intercostalis ramificationibus annexæ partes abdominis & thoracis præ cæteris partibus *convulsionibus* hujusmodi *epilepticis* tentari solent, iisque subinde gravia tormina in abdomine superveniunt, quia dictæ partes internæ prius affliguntur, quę tormina mulierculæ convenienter admodum *epilepsiam in corpore* appellare solent. Post repetita autem talia pathemata superveniunt etiam convulsiones epilepticæ in partibus externis, quia continuus & nunquam interruptus spirituum animalium in hos nervos est motus & influxus, pro continuando motu cordis, diaphragmatis, & respirationi inservientium musculorum primariorum, ut & ventriculi & intestinorum motu peristaltico perficiendo: unde consueto quasi tramite longè promptiùs irruunt in dictarum partium nervos spiritus animales, quàm in membra externa in infantibus magis quieta, adeòque dictos spasmos internos frequentiùs concitant. Quod si verò crebriùs repetant, tandem totum spirituum animalium exercitum integrumque systema nervosum per consensum & continuitatem motus similiter afficiunt, unde *universalis* tandem supervenit *epilepsia*, de qua dicunt: *epilepsia erumpit*.

CAUSÆ.

Malum hoc ferè semper per συμπάθειαν seu per consensum partium nervosarum cum partibus nervosis & membranis oriri solet, insequitur nervorum & horum fibrarum quocunque in loco *irritationem*, quæ tamen effectivè excitatur occasione vitiosi volatilis & corrosivi acidi, per se nervis inimicissimi, multò magis nervis tenellorum, quorum fibrarum nervearum textura mollior, tenerior & subtilior, facillimè mobilis, & ita in convulsivos motus crispabilis, ut sic dicam, existit. Hinc quò propinquiores sunt partes fonti vitiosi acidi, stomacho nempè & intestinis, aut mediantibus nervis connectuntur iisdem, etiam frequentiùs patiuntur convulsivos spasmos, qui continuati ulteriùs in tantum, donec totum nervorum systema in cerebri cerebellique confiniis concutiant, universalem tandem epilepsiam, superveniente spirituum impetu, inferant. Uti in adultis subinde in membro quodam externo focus latet epilepticus, qui per continuatos spasmos sub apparente auræ frigidæ sensu sursum delatus ad cerebrum, tandem universum microcosmum concutit; ita pari ratione ex acido, quod imprimis viscidum in intestinis aut glandulis mesenterii hospitatur, tam spasmi leviores interni, quàm epilepticus totius corpusculi insultus, oriuntur: propterea absorbentia rariora, & hinc *liquor cornu cervi succinatus*, aliaque salia volatilia acria, quæ acidum destruunt, & viscidum incidunt, experientia teste infantibus epilepticis solent esse convenientissima. Adeò ut rarissimam infantum existimem epilepsiam, cujus focus acidus non in abdomine lateat, aut ex abdomine non derivetur, ita tamen, ut citra halituum aut fumorum impossibilem adscensum malum dicto modo explicari queat. Fomitem epilepsiæ infantilis existere ferè in abdomine, ex eo concludi potest, quod imminente malo ferè semper soleat tendi abdomen, &, ut arbitror, peritonæi membrana spasmo afficiatur; hinc infantes solent difficulter & quasi cum suspiriis respirare; Vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *observat.* 201. qualis difficilis respiratio in iisdem ferè semper originem ex hypochondriis ac stomacho, harumque partium vel repletione, vel tensione habere solet: hinc vomitoria tali in casu sunt optima. Oboriri autem nocturnos pavores & epilepsiam infantum primariò ex acido peccante, etiamsi nulla hujus indicia vel adsint, vel præcesserint, nisi ex dentitionis dolore epilepsia superveniat, ex eo fit manifestum:

(1.) Quod frequenter *tormina* infantes cum excretis æruginosis aut nigricantibus simul affligant, & si diutiùs continuentur, tandem in infantibus *epilepsiam* inferant, teste prɇter QUERCETANUM *in Tetr. Graviss. Cass. Aff. cap.* 11. *pag. m.* 116. LINDANO *super Hartm. in Prax. Chymiatricam*, qui vix virorem æruginis instar intensam in infantum excretis observari asserit citra epilepsiam. Quod si dicta materia ita sit acris, ut febris eam accedat, plerumque interimit infantes. Epilepsiam ab hac causa ortam prægredi solent ejulatus infantum ferè continui, tormina & dolores abdominis, & jectigationes infantum; tormina verò & talia excreta ex acido lactis corrupto superius derivavi.

(2.) Juxta HIPPOCRATEM *lib. de morbo sacro* post curatam epilepsiam undecunque natam pustulæ & achores, aut scabies, nunc in universo corpore, nunc in capite, nunc circa aures, nunc in

in facie, nunc in nucha & dorso, efflorescere solent, quæ cum pruritu supparantur, hinc decidunt, idque cum euphoria: Vid. SENNERTUS *de Morb. Infant. Part. 2. cap. 3. pag. 28.* quas exulcerationes etiam ex acido lymphæ deduxi. Quibus

(3.) Accedit cura epilepsiæ infantis per alcalia volatilia, item per terrea acidum absorbentia.

Alias frequentissimæ epilepsiæ occasiones solent esse:

(1.) Meconium à partu non sufficienter expurgatum; vid. M. A. N. C. *loco allegato*.

Hinc

(2.) Lactis in stomacho corruptela, & inde natus vitiosus acor, sæpissimè infert epilepsiam; atque tunc excreta infantum solent esse viridia aut nigricantia.

Deinde

(3.) Dentitio difficilis propter dolorem, & propter fibras nervosas in gingivis à dentibus erumpentibus punctas, concitando inordinatum spirituum animalium motum, & commovendo in corpore acidum vitiosum, facillimè epilepticos reddit infantes.

(4.) Vehementiores ac subitanei animi affectus, tam nutricis quàm infantis, præsertim illius ira, hujus verò terror, ordinariò ferè ad epilepsiam disponunt.

(5.) Excreta retenta aut cohibita, v. g. achores, variolæ, epilepsiam inferunt.

(6.) Lumbrici familiarissimi epilepsiarum sunt Autores: Vid. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. obs. 107. & 236.*

Hæ sex causæ, aut meconium retentum, aut acor lactis vitiosus, aut dentitio difficilis, aut immoderatus animi affectus nutricis, aut excreta cohibita, aut lumbrici, facillimè inordinatum spirituum animalium in infante concitant motum. Unde consequenter epilepsia, & quidem eò facilior in infantibus, quò debilior adhuc textura partium nervosarum, & quò porosius & spongiosus adhuc, minusque solidum aut poris angustioribus pertusum eorundem est cerebrum; unde facilè hinc inde dispergi & inordinatè moveri possunt spiritus.

DIAGNOSIS.

Signa epilepsiæ per se patent.

Causæ etiam latere non possunt, partim ratione ipsius infantis, ex retento meconio, difficili dentitione; partim relatione nutricis, si vult, partim ex acescentia lactis.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Funestum malum est infantibus, licèt familiare, ex quo sæpius periclitantur, mortemque obeunt, præsertim si in tenuiore constitutione crebriùs malum repetat.

In principio variolarum minus periculi habet; nam ubi erumpunt variolæ, spontè cessat epilepsia.

CURA.

Pro *Cura*, causarum habenda est ratio: cùm verò utplurimùm ex *stomacho & acido* acri ibi genito malum oriatur, absorbentia & acidum destruentia, tàm fixa quàm volatilia, & hinc anodyna mineralia, sunt optima. Specificè conveniunt radix pœoniæ, & internè & externè, justo tempore collecta, emulsio ex semine pœoniæ, vid. STROBELBERGERUS *Tract. de morb. Infant.* & omnia ex pœonia parata. Majoris pretii tamen est viscus corylinus, & post hunc viscus quercinus, optimus ad curam epilepsiæ infantum. Præ cæteris tamen omnibus est expertum remedium in epilepsia infantum Succinum, & quibusdam inter secreta repositus pulvis iste citrinus seu farina ex musco clavato terrestri, h. e. lycopodio insidens, sulphureæ prosapiæ, adeoque facilè flammam concipiens, & instar pyrii pulveris crepitum edens: & verum est, interdum ad ℈ß. ceu summum epilepticum puerile interdum prosperè adhibetur. Multò magis tamen convenit similis farina ista seu *pulvis flavus* primo vere ex *iulis coryli* collectus, ob sulphur anodynum nobilissimus in epilepsia & plurimis infantum affectibus. Deinde non rejiciendæ communia euporista, unicornu marinum præparatum, dens hippopotami, crystallus præparata, imprimis si excernantur per alvum viridia, acidum enim interimit, cum appropriatis imprimis si permisceatur, spina mustellæ piscis, cranium humanum, lapis bezoar animalis, pulvis Marchionis, &c. Omnia enim hæc acidum nervos infestans absorbent, & ita malum non mediocriter levant, interdum planè tollunt. Quæ si non sufficerint, fit pulvis secundinæ humanæ primiparæ, quilibet spiritus urinosi, ac quælibet salia volatilia, in specie spiritus & sal volatile cornu cervi, cranii humani, secundinæ humanæ, & sal volatile succini, quod sibi par non habet remedium in infantum curanda epilepsia quacunque, etiamsi dentitionis difficultas easdem excitaverit, suo tamen officio optimè satisfacit, crebriori experientiâ comprobatum: Hinc liquor cornu cervi succinatus nunquam satis laudari potest pro epilepsia infantili, ita ut vix quenquam relinquat hic liquor, si epilepsia non sit lethalis: sicuti gr. i. camphoræ in aqua florum cheiri post paroxysmum assumptum præservat, ne tam facilè recurrere possit. Porrò cinnabaris antimonii, nec minoris pretii cinnabaris nativa, præparata, depurata, & super ejus basin compositum specificum cephalicum, optimum est remedium in epilepsia infantum. Hisce tamen, si non superius, nobile sanè est medicamentum *Sulphur antimonii, ex scoriis reguli* ultimâ vice certo modo præcipitatum. Infantibus datur ad gr. i. & in robustioribus paulò ad gr. iß. ad summum gr. ij. Mirabilis est ejus vis in epilepsia infantum tam imminente quàm præsente sistenda; nempè primâ vice mineram morbi auspicato vomitu exturbat, si quandam inveniat; si verò primis viis repurgatis nihil offendit, etiam repetitis vicibus sine tali effectu insensibiliter per sudorem operatur, & insequente blando somno infantes curabit. Vocatur pulvis antepilepticus antimonialis. Aurum quoque fulminans mirabilis est efficaciæ in corrigendo & eradicando fomite epileptico, cum arcano duplicato vel nitro depurato propinatum. Si à terrore sit malum, smaragdus laudatur. Alia etiam sexcenta ad epilepsiam infantum commendata facilè modò dictis applicari possunt. Vehicula horum sunt satis nota.

Ex his plures possunt fieri formulæ: v. g.

℞. *Aqua Fænic.*
Flor. Pæon. an. ℥j.
Cran. hum. præp. ℈j.
Cinnabaris antimonii gr. ix.
Syr. Fænic. ℥ij.
M. f. Potiuncula: S.
Potiuncula cephalica contra epilepsiam.

℞. *Aqua Fænic.*
Fl. Tiliæ an. ℥j.
Eff. Castor. ℈j.
Spiritus sal. ammoniaci,
Liqu. cornu Cervi succin. an. gtt. viij.
Syr. de Stæchad.
Papav. simpl. an. ʒß.
M. S.
Ut suprà.

Item

℞. *Unic. fossil.*
Ver. præp. an. ʒß.
Olei dest. succini, aut si sit nauseosus, *Rorismar.* vel *Rutæ* gtt. iij. vel v.
Theriac. gr. ij.
M. f. Pulvis pro aliquot dosibus.
D. S.
Pulvis singularis antepilepticus.

Item

℞. *Unic. ver. præp.* ʒß.
Cinnab. nat. sel. gr. xv.
Salis vol. Cornu cervi gr. iij.
Extr. Castor. gr. j.
Ol. dest. anisi gtt. ij.
M. f. Pulvis pro tribus dosibus:
D. S.
Pulvis singularis.

℞. *Unic. veri præp.*
Cran. hum. an. ℈ß.
Sal. vol. Viper. gr. iv.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus.
D. S.
Ut suprà.

Præ-

Præmissis præmittendis, in specie auro fulminante, quò fomes morbosus eò melius eradicetur, e. gr.

℞. *Ebor. sine igne* ℈ß.
Auri fulmin. gr. j.
M. S.
Pulvis singularis.

℞. *Unic. veri præp.*
Cran. hum. sine igne an ℈ß.
Auri fulmin. gr. ij.
M. f. Pulvis.
Div. in duas partes.
D. S. ut *suprà.*

℞. *Aquæ flor. Pæon.* ℥iß.
Cinnam. cum vino ℥ß.
Syr. flor. tunic. ʒiß.
M. S.
Aqua ad pulverem.

Pro Infante aliquot dierum.
℞. *Unic. mar. præp.* gr. viij.
Pulv. epilept. Antimonial. gr. ß.
M. S.
Pulvis singularis.

Infanti duorum annorum.
℞. *Pulv. epil. Antimonial.*
Auri fulmin. an. gr. iij.
M. S.
Pulvis cephalicus.

Item
℞. *Farin. lycop* ℈ß.
Cinn. nativ. gr. iv.
M. f. Pulvis.

Puella undecim dierum laborabat purpurâ, *anhelabat, nec respirare poterat*, extrema refrigescebant, oculi contorti erant, mortui instar jacebat cum stertore: uno nomine, erat epilepsia partium internarum, aut saltim asthma convulsivum occasione muci vitiosi in ventriculo & primis viis concervati: subitò vocatus, præscriberem:

℞. *Aquæ ex succ. rad. Pæon.* ℥j.
Liqu. cornu Cervi succin. ℥j.
Syr. emet. A. S. ʒß.
Misc.

Propinetur cochleatim.

Præscribebam item clysma. Potiuncula continuabatur, donec superveniente repetito vomitu infans ad se rediret.

℞. *Auri fulmin.* gr. iß.
Unic. veri præp. ℈j.
M pro duabus dosibus.

Horridi secuti secessus, infans convaluit.

Item in aliis tenerioribus, præmissis præmittendis:

℞. *Aquæ flor. Pæon.* ℥i.
Unic. ver. præp. gr. xv.
Salis vol. cornu Cervi gr. viij.
Syrup. flor. Tunic. ʒij.
M. D. S.
Mixtura caput confortans.

Propinetur cochleatim, excitato sudore melius habent infantes.

Infanti unius & dimidii anni epilepsiâ gravi occasione dentitionis correpto, præscribebam:

℞. *Liqu. cornu Cervi succin.* ʒii.
Dosis gtt. xij. ad xv. vel xvj. sæpiùs in vehiculo *aquæ flor. Acaciæ.*

Item
℞. *Unic. veri præp.* ℈j.
Auri fulm. gr. iij.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus.

Item
℞. *Farin. lycopod.* ℈ß.
Auri fulmin. gr. ß.

Dabatur in vehiculo jusculi carnis calidi: hinc

℞. *Aquæ ceras. nigr.*
Fl. Tiliæ aa. ℥j.
Unic. veri præp.
Cran. hum. præp. an. gr. xv.
Salis vol. cornu Cervi ℈ß.
Syr. flor. Tunic. ʒij.
M. f. Potiuncula.

Item
℞. *Ol. destill succin.*
Rutæ an. ℈ß.
Ol. expr. Nucistæ q. s. pro consist. Balsami.

quo illinebantur præcordia, nucha aut vertebræ colli & dorsi.

Pro Clysmate:
℞. *Flor. Chamomill.* M. j.
Sem. Anisi ʒß.
Bacc. iunip. ʒvj.
Coqu. in s. q. *aqua commun.*
Colat. ℥vj. adde
Elect. de baccis lauri ʒvi.
Syr. emet. Salæ ʒii.
M. pro Clysmate.

Hisce convaluit.

Sequens etiam convenit Clysma:
℞. *Fl. Chamom. Rom.* M. i.
Coqu. in s. *aquæ simpl.*
Colat. ℥iij. adde
Salis vol. cornu Cervi gr. viij.
Mell. rosat. ʒiij.
Olei dest. anisi gtt. v.
M. pro Clysmate infantis unius anni.

℞. *Rad. Pæon.* ʒß.
Angel.
Levist. an. ʒij.
Flor. Chamomill.
Sambuc. an. p. j.
Coqu. in s. q. *aquæ:*
Colat. ℥ii. adde
Ungu. clysmat. ℥j.
Elect. Hier. cum agar. ʒß.
Sal. vol. succini gr. v.
M. f. Enema pro infante unius anni.

Puero quatuor & dimidii annorum insigniter epileptico unà cum aliis imprimis contulit:
℞. *Unic. veri præp.* ℈j.
Bez. solar. ℈ß.
Auri fulmin. gr. v.
M pro 2. dosib.

Proficua etiam erat sequens Potio:
℞. *Aquæ flor. Pæon.* ℥j.
Farin. Lycopod. ʒß.
Auri fulm. gr. ij.
M. pro 2. dosib.

Hæc ipsa farina lycopodii etiam commodè cum pulte propinari, & ita variis infantum affectibus succurri potest.

Quoad externa: optimè confert & præservat ab infantum epilepsia Cinnabaris nativa, de collo tantum suspensa, vel, ut aliis placet, carpis applicata. Usneam cranii humani externè contra infantum epilepsiam prodesse scribit KIRCHERUS *in Regn. Naturæ sympath.* Officulum bufonis pulsui infantis applicatum, ob ideam pavoris, epilepsiam ex ira vel terrore nutricis, & infantem paulò post lactantis, natam sistit. Vertici, si paulò robustior fuerit infans, oleum succini commodè illinitur: dico, si fuerit robustior; nam est penetrans remedium. Aliàs Litus pro vertice, præcordiis & abdomine ex oleis & balsamis rutæ, rorismarini, fœniculi, imprimis balsamum succini, seu optimum euporiston, sedulò in usum vocandi; quibus & paucum castorei vel extractum ejus subinde addi potest; quin & oleum castorei pedum plantis utiliter admovetur. Quò etiam pertinet oleum seminis ricini majoris seu granorum tilli expressum, cujus p. i. cum p. iv. pinguedinis erinacei in Linimentum rediguntur, quod umbilico illinitur.

Item
℞. *Cerot. pro bregm. usitat.* q. s.

Malaxetur cum *oleo succini* aut *rutæ*, aut, si penetrantiora hæc videantur, cum *balsamo Peruviano*, & imponatur capiti: qualia potentiùs in infantibus operantur, quàm in adultis, quoniam fontanella in iisdem est adhuc aperta.



ARTICULUS XVIII.

DE DENTITIONE INFANTUM DIFFICILI.

SÆpius epilepsiæ occasio est *Dentitio* infantis *difficilis*, partim, dum intra alveolos incrementum capiunt, partim, dum extra gingivas jam robustiores dentes prorumpunt. Hujus ergo dentitionis negotium, & symptomata ejus occasione excitata, hìc evolvenda erunt. Nam dentium pulpa radicalis in formatione fœtus inseritur gingivis in forma mucilaginis mollis: postmodum dum quinque vel sex mensium sunt infantes, circa sextum vel septimum ista pulpa dentium successivè indurata & augmentata penetrari incipit per gingivarum carnem spongiosam. Si ergo facilè penetrat, & hanc carnem perforat, est dentitio facilis; quod si propter tenacitatem aut duritiem gingivarum difficiliùs erumpat, propter concurrentia gravia symptomata, est dentitio difficilis. Erumpunt primò dentes incisores seu anteriores, hinc canini, ac tandem molares.

Dixi, quod imprimis gingivarum durities sit causa: unde sub dentitione hac, dum non possunt satis penetrare, insignem pruritum, hinc intensum dolorem, ardorem febrilem, &c. percipiunt gingivæ, dum ab aculeatis talibus ossibus increscentibus perforantur, eædem insigniter intumescunt, simul plus minus inflammantur, inde inquietudines, ploratus, agrypniæ, &c. superveniunt. Dolor qui primariò urget, similis quodammodo est illi, dum aciculo morboso gingivæ in dentium radicibus punguntur & quasi perforantur. Sed cum sensilis gingivarum ex interspersis variis nervulis substantia cum partibus vicinis insignem consensum habere soleat, quod ex odontalgia adultorum, subinde dimidiam capitis sphæram per consensum afficientem, interdum musculi temporalis aliquem spasmum inferente, notissimum est, de facili evenit, ut atrocioribus sub doloribus tandem universum ferè nervorum systema simul vellicetur, & inde convulsiones, epilepsiæ superveniant: idque eò promptius, quò vel per se & in se ipso nervorum systema infantum tenerius & mobilius extiterit, vel ipsum ex perversa diæta matris vel nutricis, acidis abutentibus, in primis suis staminibus debilius, & faciliùs irritabile redditum, vel ex lympha vitiosa commota hinc inde irritatum fuerit: item cum doloris gingivarum occasione vicina glandularum, præprimis salivarum, vasa, & illas integentes membranæ, vellicari soleant simul, hoc ipso copiosior saliva in os effundatur, ordinariè copiosè admodum salivant infantes; quod vocant Germ. *das Geiffern*, & interdum aliquamdiu præcedere dentitionem molestiorem solet: qua salivâ copiosiùs etiam deglutitâ læditur appetitus, nunc turbatur digestio prima, relaxatur ventriculus & intestina, interdum supervenit vomitus cum tussi ferina, aut certè copiosa diarrhœa plus minus serosa, quæ hoc tamen habet commodi, quod quò copiosiùs fuerit, eò minus epilepsiâ tentari soleant infantes. Item cùm copiosiori ex saliva, regionisque vicinæ dolore, simul irritantur fauces, etiam copiosior lymphæ ad fauces & asperam arteriam affluxus supervenire solet: quæ lympha, si & ipsa minus temperata, sed salso acida plus minus fuerit, ejus occasione, præter rosionem faucium & laryngis, tussis creberrima sicca seu inaniscum respiratione stertoria quibusdam accidit: Imò cùm in infantibus minus sanis doloris & agrypniæ ratione, commotis nimis spiritibus, quælibet in corpore turbari soleant, facilè vitiosum acidum commoveri, hinc epilepsia tam frequenter dentitioni supervenire solet, donec erumpentibus tandem dentibus ista symptomata successivè cessent. Et quidem diarrhœa dentitioni superveniens est salubris, nec adeò facilè sistenda. Observatus fuit interdum in infantibus sub dentitionis tempore genarum tumor, qui linquendus est; nam superveniens diarrhœa interdum eundem solvere solet. Contingunt hæc ferè, dum sex septemve mensium fuerit infans: idque omnium maximè in dentibus caninis erumpentibus, hinc in molaribus, omnium minimè in incisoribus, symptomata talia observari solent.

DIAGNOSIS.

Quoad *Signa diagnostica*: ista patent ex jam dictis, ex dolore, saliva, tumore, caloris sensu, & sic porrò: imprimis facilè sentiunt nutrices imminentes dentes, quando nempè infantes, dum sugunt, papillas gingivis acriùs & fortiùs apprehendunt, ac adstringunt: item calor insuetus in ore infantis percipitur, ipsique infantes manibus ori ingestis doloris locum ferè ostendunt.

PROGNOSIS.

Quoad *Signa Prognostica*: Dentitio ipsa per se malum est minus periculosum, saltem propter supervenientia symptomata, nempè convulsiones epilepticas, aut diarrhœas excessivas, periculum incurrunt, quæ tamen & leviores sunt & minus periculosæ, si adjuncta sit diarrhœa moderata, aliàs sæpius sunt funestæ. In specie autem ex caninis dentibus graviter laborare solent infantes, propter eorum duritiem & majorem acutiem.

CURA.

In *Cura* omnis intentio eò dirigatur, ut emolliantur gingivæ, ardor & dolor earum sopiatur, symptomata supervenientia mitigentur, atque erumpentes dentes faciliùs transmittantur: in quem finem recipiatur *mucilago seminis cydoniorum & psyllii* cum *aqua spermat. ran. extr.* quæ dentibus subinde illinenda.

Vel

℞. *Mucill. sem Psyll.*
Radic. alth. cum aqua semperviv. par. an. ℥ß.
Olei amygd. dulc.
Papav an. ʒij.
M. D S.
Linimentum.

℞. *Mucil. sem. Cydon.*
Sem. alth. par. cum aqua sperm. ran.
But. rec. non salit. an. ℥ß.
Quibus addatur.
Vitellum ovi dimidium.
Subigantur mutuò in formam Linimenti;
D. S.
Unguentum leniens.

Quo illinendæ sunt gingivæ.

Mel etiam vel solum, vel cum medulla crurum vituli subactum, & gingivis illitum, dolorem sistit. *Frustulum radicis Althææ recens*, vel *aridum*, *in aqua malvæ* maceratum, sæpius detur infantibus, ut istud probè masticent, & masticando mucilago *radicis extracta* successivè emolliat gingivas; cujus loco non ineptè alii frustulum *corii lardi recentis* substituunt. Non enim approbo communem sententiam, quâ dens aut lupinus, crystalli frustum infantibus pro masticatione porrigitur, quoniam durities horum facit, ut gingivæ fortiori attritu magis potius indurentur, quàm ut emolliantur. Item medulla crurum vituli, aut unguentum dialthϾ, gingivis illinendum venit: succus cancrorum fluviatilium, cum aqua florum cyani contusorum, illitus gingivis puerorum, benè confert: vel fiat balsamum puerorum dentientium, quo illinantur gingivæ, quale elegans describit JOHANN. DANIEL HORSTIUS *in Dispens. pag.* 567. vel M. A. N. C. *Ann.* 6. *&* 7. *Append. pag.* 576. Præ aliis sanguis ex crista galli parum incisa exstillans gingivis illitus, ad dentium eruptionem promovendam impensè quibusdam laudatur. Vel ipsa crista à gallo nigro rupta vel decisa infanti pro masticatione quasi, vel gingivis conterenda porrigitur infanti; hoc enim modo etiam promovetur dentium eruptio. Potentissimum remedium dicitur cerebrum leporinum gingivis illitum, quod potenter dentium quasi extractionem promovet; coctum tamen & cum melle in forma linimenti mixtum, tutiùs esse dicitur, quam crudum; ejusdem enim vis nimia sic mitigatur. Leporino cerebro cerebrum agni aut hirci alii substituunt. Aliis irritis, si protuberantia gingivarum, & superior ejus candidior reddita pars, dentis jam proximè absconditi signum exhibeant, scalpello eas incidit PARÆUS *lib.* 23. *capit.* 67. quod ceu tutum sibique compertum & summè proficuum commendat BORELLUS *Centur.* 1. *observat.* 97.

Extra

Extra fiunt fotus maxillarum, item inunctiones ex emollientibus, discutientibus & lenientibus; hinc butyrum recens insulsum, medulla crurum vituli, oleum amygdalarum dulcium, oleum liliorum alborum, oleum chamomillæ, unguentum dialthεæ, mucilago radicis althεæ aut seminis psyllii, theriaca, &c. maxilis & regioni temporum loci dolentis illinatur pro leniendo spasmo doloroso dictorum locorum, & intensiore dolore. Quidam faciunt linimentum ex axungia leporis cum melle despumato, ana ℥. ex quibus paratum linimentum post aures vel ante aures illinunt, ut facilitetur & dentium eruptio, & præcaveatur vicinarum partium tumor.

Intra os supra dicta Emollientia ex mucilaginibus & axungiis non adeò nimis copiosè aut frequenter usurpanda sunt, quando nempè adest diarrhœa, quia periculum est, ne talibus laxantibus & lubricitantibus successivè deglutitis exasperetur potiùs quàm leniatur diarrhœa, utut dentibus conducat.

Ut verò reliqua interea mitigentur supervenientia symptomata, qualia primariò sunt febres & convulsiones, optimum fuerit, si alvus, quantum possibile, servetur probè fluida: nam quibus, cùm dentes erumpunt, alvus crebrò lavatur, minus convulsiones tentantur, inquit HIPPOCRATES *de Dentit. lib.* Hinc vel spontè alvus fluidior servetur talis, vel eadem clysmatis, similibusque remediis laxior reddatur; conf. HOEFERUS *Herc. Med pag.* 355. Idque speciatim in iis, qui ex nutricis cacochymia minus laudabilem sanguinis, reliquorumque contentorum crasin obtinent: nam & tales ordinariò gravius sub dentitione laborare assolent. Internè gelatina cornu cervi recens, crebriùs quocunque vehiculo propinata, & hinc liquor cornu cervi succinatus, ob convulsionum imprimis metum, medicamenta sunt tutissima & utilissima.

Hæc est Dentitio vera.

ARTICULUS XIX.

DE DENTITIONE NOTHA.

Reperitur præterea etiam *Dentitio notha*, quod vocant Germ. *Beul-Zahne*, quando scilicet erumpunt tubercula, Germ. *Beulen*, in gingivis, eaque insigniter dolentia, ex quibus tamen nulli dentes erumpunt, quin potius lactationem impediunt, & lactando infantes suctum sonorum edunt.

DIAGNOSIS.

Imprimis hujusmodi dentitio notha cognoscitur, si infantes juxta aures digitis premantur: tunc enim incipiunt eiulare.

PROGNOSIS.

Malum hoc propter dolorem aut subsequentem inflammationem est satis periculosum non rarò.

CURA.

Cura hujus *Dentitionis nothæ* consistit in eo, ut inungantur infantes circa & penes aures axungiâ leporinâ: ipsi verò tumores illinendi sunt & fovendi oleo amygdalarum dulcium recenti, sic enim successivè evanescunt.

ARTICULUS XX.

DE DIARRHOEA.

Alvi fluxus sæpissimè est dentitionis difficilioris comes, dum nempè infantes copiosissimè eliciunt per alvum, cum quo conjuncta esse solet eorundem imbecillitas: sæpiùs adest dejectus appetitus, & tandem nonnihil atrophia corripi incipiunt infantes.

CAUSÆ.

Quoad *Causas*: ordinariò, uti notum est, dentitionis tempore supervenit diarrhœa, dum continuò os madet saliva, quæ copiosiùs deglutita lactis digestionem prohibet, & intestina nimis laxat, cum simul propter dolorem & inquietudinem lac minùs commodè concoqui possit, quod ipontè ex pyloro denuò egeratur. Præterea tamen etiam nutricum lac nimis aquosum, tenue, acrius, salsius, serosius, &c. sæpissimè diarrhœæ est causa, irritando intestina ac ventriculum, & ita ad diarrhœam disponendo. Id quod fit imprimis, quando nutrices crebriùs usurpant potum frigidum, aut etiam quando mammas libero aeri nimis exponunt; tunc enim lac crudius & serosius generari solet, à quo hausto sæpissimè alvi fluxus supervenit. Aut denique ipsa infantis digestio læsa, indeque nata liquamina acria, salsa aut æruginosa, alvi fluxum inducere valent.

DIAGNOSIS.

Malum per se patet.
An causa sit dentitio, etiam non latet.
Vitium nutricis ex ejus diæta cognoscitur.

PROGNOSIS.

Per se quidem proficua observatur alvus laxior infantibus, præprimis in dentitione, in qua, uti monui, potiùs conducit, quàm nociva est: sin verò crebriùs affligat, imprimis si ad septimum usque porrigatur diem, funesta esse solet.

Mitior tamen est alvi fluxus, ubi albicantia aut flavescentia reiiciuntur; deterior, ubi acria, viridia, in specie fœtida plus minus nigra excernuntur, adeòque de remediis cogitandum.

Si appetitus adhuc constat, res benè habet; hoc nimis dejecto, res non caret periculo.

In febre ardente, aut acuta, si nigra reiiciantur, infantibus ferè periculum mortis imminet.

CURA.

Ordinatâ ergò debitâ nutricibus diætâ, præsertim ex oryza, milio & similibus, potuque calido, ut ita lac ejus nonnihil alteretur, conveniunt internè cornu Cervi ustum, terra sigillata, maxilla lucii piscis, crystallus, corallia, pulvis tormentillæ, nux moschata, theriaca, & similia. Ulterius Mumia cum spermate ceti permista, ad ℈i. optimè sistit alvum infantum, etiam ubi laborant dysenteria. Gummi Arabicum ad ʒj. in jusculo gallinæ aut carnis exhibitum insigniter conducit ad sistendam infantum alvum. Item pilulę ex extracto tormentillæ, cui granulum semis, aut etiam adhuc minus, Laudani opiati sit additum, offerri etiam possunt infantibus, in lacte dissolutæ: v. g.

℞. *Pulv. diaphor. Lud.* gr. vi. viii. x. ad xii.
Theriac gr. i. vel ii.
M. D. S.
Pulvis adstringens.

℞. *Cornu cervi ust. præp.*
Terræ sigill. an. gr. viij.
Extr. rad. Torment. gr. xii.
Theriac. gr. ii.
M. pro 2. dos. S.
Ut antè.

Vel

℞. *Aqua menth.*
Scord. an. ʒvj.
Cornu cervi usti præp. gr. xv.
Terræ sigill. gr. xii.
Theriac. gr. ii. vel iii.
Syr. Plantag. ʒii.
M. D. S.
Potio adstringens.

Vel

℞. *Aquę Plantag.*
Cinnam. cydon. an. ℥i.
Extr. tormentill. ʒß.
Theriac. gr. viii.
Syr. Corall. ʒß.
M. D. S.

Mixtura adstringens.

De qua mistura cochleare unum alterumve interdum, sed rariùs, propinetur infanti ad sistendam alvum.

Grana mastiches cum pauco nucis moschatæ permista, etiam stomachum roborant, & alvi fluxum sistunt: vel subigatur mastiche cum pauco syrupo de rosis siccis, & cydoniorum, aut etiam cum syrupo mastichino, & subinde lambenda offeratur infanti. Tincturæ coralliorum imprimis commendantur à modernis, si nimio acore non sint inquinatæ; Unde tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi in parva dosi propinari potest infanti, in specie si cum febre maligna vel torminibus conjunctus sit alvi fluxus.

Item in Diarrhœa infantis cum excretis viridibus & acribus, æstu corporis, &c. ex acrimonia contentorum aut lactis nata,

℞. *Aquæ Plantag.* ℥j.
Menthæ ℥ij.
Gel. cornu Cervi rec. ℥ß.
Lap. cancr. præp. gr. vj.
M. D. S.
Potio adstringens.

Vel

℞. *Cornu cervi ust. præp.* ʒß.
Terræ sigill. gr. xij.
Theriac. Androm. gr. iij.
Ol. destill. Macis gtt. i.
M. pro 3. dos. S.
Pulvis adstringens.

Usurpando simul clysmata ex lacte, & illinendo regioni ventriculi & umbilici vel balsamum nucis moschatæ, vel theriacam.

Clysmata lenientia imprimis, quando acres succi peccant, egregiè conveniunt. Curavi aliquando puellam quatuor annorum ex febre acuta laborantem, & diarrhœa insigni cum flatuum copiosiorum proventu correptam, crebròque, sed parum deiicientem, (quod non tam quantitatem, quàm qualitatem seu stimulum excrementorum subesse indicabat,) quæ beneficio clysmatis ex lacte optimè levabatur.

Hisce, si dysentericus superveniat fluxus, bolus armena, crystallus præparata, maxilla lucii piscis, ac similia acidum absorbentia, addi possunt.

In infantibus ablactatis diarrhœa affectis:

℞. *Aquæ flor sambuc.*
Fenic. an. ℥i.
Succ. Cydon. ʒvj.
Corall. rub. præp. ℈j.
Terræ sigill. ß.
Syr. Papav. alb. ʒiii.
M. S.
Potio adstringens.

Externè infantibus convenit pro litu umbilici theriaca, aut oleum destillatum menthæ, macis, absinthii, spicæ, excepta cum theriaca aut balsamo Peruviano aut similibus; aut etiam oleum mastichinum & nardinum, cum aliquot guttis olei spicæ umbilico illitum: vel cataplasma ex cydoniis coctis, per setaceum trajectis. Item fotus ex decocto rosarum rubrarum, radicis tormentillæ, menthæ, plantaginis, &c. in vino rubro coctis, cui simul nux moschata, & caryophylli sunt addita, & ita cum pannis multiplicatis applicatur calidè abdomini, ut nimius impediatur fluxus.

ARTICULUS XXI.

DE LUMBRICIS.

PRæ cæteris mille malorum autoribus infantibus existunt *Lumbrici*, iique saltem longi, Germ. *die Spuhl-wurmer*: raro enim lumbricus latus seu tinea aut cucurbitinus in infantibus observatur, exemplum tamen videatur in BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Vol. 3. pag. 116.* Non raro etiam ascaridibus torquentur, quæ scilicet incolunt intestinum rectum. Nullum ferè est symptoma, quod non excitetur à lumbricis, in intestinis infantum stabulantibus, adeò ut etiam horrendas epilepticas convulsiones in iisdem excitent. Ob id accuratiores Practici studiosè monent, in omnibus affectibus infantum curandis, imprimis abstrusioribus, semper ad lumbricos esse attendendum, qui latentes pessima inferunt symptomata, utut certa certa eorundem indicia vix dentur & sæpissimè in obscuro lateant. In specie tamen infantibus talibus, quibus lumbrici in intestinis latent, os copiosâ salivâ, & quidem semper jejuno stomacho, continuò abundat, item crebrò nares fricant, admodum turbulenti & pavidi in somno sunt, strident præter solitum dentibus in somno. Hæc sunt ferè primaria signa, quæ in lumbricorum præsentia se solent manifestare. His accedunt, quod tussis sæpiùs adsit sicca, sitis plerumque infantes, præsertim manè evigilantes, graviter infestat, appetitus etiam subinde nimius est, cum quo nihilominus marcescunt, & minus nutriuntur, interdum planè deiicitur venter, interdum simul inflatur & intumescit, alvus ut plurimum lubrica est & laxa, tormina ventris rosiva crebrò adsunt, præsertim ventre vacuo existente; quæ tormina ferè cessare solent, ubi aliquid alimenti assumpserint; color faciei est inconstans, interdum phlogosi quadam rubere videtur, interdum subitò denuò pallet. Superveniunt tandem febres, eæque sæpiùs malignæ, aut saltim varii typi inconstantis, quæ mirè infantes excruciant: interdum periculosæ epilepsiæ & convulsiones capitis, manuum ac crurum: vid. M. A. N. C *Ann. 3 obs. 63. & Ann. 6 & 7. obs. 137. & 187.* THONERUS *lib. 2. observ. pag. 94.* BONETTUS *lib. 1. Med. Sept. sect. 15. cap. 5. pag. 132. & lib. 3. sect. 16. cap. 3.* AVICENNA *fen. 16. 3. Tr.* Lipothymiæ, aliaque lethalia interdum symptomata superveniunt, quæ omnia, sive plura sive pauciora horum adsint, suspicionem de vermibus eò magis confirmant, si interdum unus alterve mortuus per alvum excretus observatus fuerit, aut ex plurium jam dictorum symptomatum syndrome de vermibus conjectura fieri potest: ex quibus potiora sunt copiosior saliva, stridor dentium in somno, narium crebrior scalpturа, sitis matutina, ventris tumor, &c.

CAUSÆ.

Generantur lumbrici in intestinis, imprimis tenuibus, & sæpius oriuntur ex ἀπεψίᾳ seu copia *assumptorum*, lactis aut pultis, aliorumque alimentorum; hæc enim copiosiùs ingurgitata, dum non ritè digeri possunt, in mucum degenerant. Mucus hic blandus tamen & dulcis, ex alimentorum, vel non digestorum, vel ritè licet digestorum, reliquiis, si in intestinis diutiùs hæserit, mediante *calore levi*, & consequenter *inchoata* successivè *putrefactione*, semina *Lumbricorum* recondita gerit: quæ in infantibus, quorum vis digestiva tam potenter alterare assumpta nequit, facilè resuscitata, lumbricos producunt. Nempè *semina* vegetabilium, imprimis *cerealia*, speciatim *secalina* & *triticea*, vel immediatè in pulte infantum farinacea, vel mediatè in lacte nutricis, ex pane ingesto nata, & seminali insectorum variorum contagio, (quod sub minima etiam mole latere potest, utpote constituere dicitur saltem 280c. partem sui seminalis corporis) quasi imprægnata, data occasione & quasi evigilando in infantibus dictos lumbricos excludunt. Accedit, ut monui, *tepor loci* blandus, simulque in infantibus *vis digestiva* ventriculi *debilitata*, quando digerendo non subiguntur exactè omnia dictorum animalculorum seminalia principia, sed vivos foetus emittunt. Prætereà etiam dulcia, imprimis saccharata, quibus delectantur, facillimè animalia subministrantia, eaque varia, faciunt, ut eò promptiùs in infantibus lumbrici generentur. Et hinc est, quod etiam lumbrici per dulcia ex lacte, saccharo, melle, &c. parata, imprimis alliciantur & inescentur. Accedit denique temperata *bilis* acrimonia, minusque amara in infantibus, aliàs succos, quos attingit, à tam prompta putredine & verminatione defendens; quæ cum deficiat in infantibus, ubi vis digestiva stomachi est mitior, & bilis temperata, minus coruptelam humorum animatam temperare ac præcavere potest, atque in adultis. Uti namque sal volatile oleosum bilis instar balsami condit chylum, eumque præservat ab omni corruptione, idque eò magis, quò acrior magisque salina volatilis fuerit, uti est in juvenibus adultis; ita cum in infantibus sit magis temperata & minus salina, ob id minus condire potest chylum, minusque defendere eundum à putredine & verminatione, unde tandem *mucus lacteus subdulcis* in intestinis putrefactus *lumbricos* excludit: Hinc & ubi bilis deficit balsamus, lumbricorum est patria, rectè dicit HELMONTIUS *Tractat. sextupl. Dig. §. 82.* hinc etiam *tinearum* in adultis causam refert HARTMANNUS potissimùm *in obstructionem*

nem folliculi fellis, in Prax. Chymiatr. cap. 156. §. 21. Unde etiam talia quæ amaricantia sunt, & bilis balsamo cognata, uti sunt myrrhata, absinthiaca, aloetica, colocynthiaca, & denique ipsum fel bubulum, prompté lumbricos fugant & pellunt.

Denique in ablactatis præter addiphagiam, fructuum horæorum esus vi fermentativa uti corrumpit lacticinia & pultacea, ita promptissimé infantes ad lumbricos disponit. Talibus ergo occasionibus facilé viva ista putredo excitari poterit. Diutiùs equidem lumbricis subinde affliguntur infantes sine notabili detrimento, utplurimum tamen pessima symptomata inducunt, ex quibus non raró periclitari contingit infantes. Quodsi suspicio sit de eorum præsentia, maturé ejiciendi & excludendi sunt.

CURA.

In *Cura* eorumdem conveniunt omnia amara, quæ eos aut enecant, aut ceu ipsis adversa fugant. Si propinentur enecantia, simul vel brevi post subjungenda sunt purgantia, eos expellentia. Nam licét semel enecati sint, si tamen adhuc hospitentur in corpore, ex eorum corruptione novi exsurgunt lumbrici.

Conveniunt ergo interné mechoacanna, item paululum de jalappa: item syrupus florum persicorum admodum infensus lumbricis, si pauló robustior fuerit fœtus: non est melius interficiens aut enecans lumbricos, quàm species diaturbith cum rhabarbaro à gr. viii. x. usque ad xv. propinatæ: si non habentur, assumendus est *Mercurius dulcis*: e. g.

℞. *Mercurii dulc.*
Sacch. an. gr. iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis laxativus pro una vice.

Detur in vehiculo liquido ex cochleari ligneo.

Commodissimé autem cum conserva florum persicorum in forma boli, vel cum saccharo in rotulas redactus, usurpatur; (metuitur enim est, ne in forma pulveris sub antiqua facie cochleari metallico adhæreat:) v. g.

℞. *Conf. Rosar.* vel, quod melius, *Conf. flor. Persic.* (quæ tamen amaricat:) ℈ß. ʒß. ad ʒj.
Mercurii dulc. gr. iij. iv. ℈ß. vel gr. xv. ad xviij. (pro ratione ætatis.)
Cum s. q. *Syr. flor. Persic.* f. Bolus. S.
Bolus laxativus contra lumbricos.

℞. *Conf. flor. Persic.* ℈ij.
Mercurii dulc. gr. xv.
M. f. Bolus infanti 3. annorum pro duabus vicibus.
D. S. ut anté.

Ubi infans fuerit jam aliquot annorum, commodé etiam pro stimulo aliquot grana jalappæ addi possunt; nam Jalappa etiam prompté pellit lumbricos: e. g.

℞. *Conf. flor. Persic.* ℈ii.
Mercurii dulc. gr. xii.
Pulv. Jalapp. gr. v.
Cum *Syr. flor. Persic.* f. Bolus pro duabus vicibus infanti 3. annorum.
D. S. ut suprà.

℞. *Mercurii dulc.* gr. v.
Pulv. Jalapp. gr. i.
Conf. Rosar. parum.
M. f. Bolus. S.
Bolus laxativus pro una vice.

℞. *Conf. flor. Persic.* ʒj.
Mercurii dulc. ℈i.
Spec. diaturb. cum Rhab. gr. v.
Cum *Syr. flor. Persic.* f. Bolus. S.
Bolus contra vermes.

Iuratus enim lumbricorum hostis est Mercurius, si cum *saccharo*, quod succum singularem vocat SCHROEDERUS *in Pharm. lib. 3. cap. 15. pag. 398.* subigat probe tamdiu in mortario vitreo, donec pulvis gryseus emergat, qui pulvis aliàs notus est sub nomine *pulveris c. vermes D. Michaelis*, à ℈j. ad ʒß. certum experimentum in cochleari ligneo, promptissimé vermes enecat & expellit.

Vel

℞. *Conf. flor. Persic.* vel *Rosar.* ℈j. ad ʒß.
Pulvis Mercurial. facchar. gr. xij. xv. ℈j. ad ʒß.
Misc. pro una vel duabus dosibus:
D. S. ut anté.

℞. *Conf. Rosar.* ʒj.
Pulv. Mercurial. facchar. ʒß.
Ol. destill. spicæ gtt. iij.
Cum *Syr. flor. Persic.* f. Bolus:
D. S. ut anté.

Vid. HORSTIUS *obs. pag. 449.*

Etiam *aqua Mercurialis Hermetica*, quam vocant, vel *anthelmintica Helmontii*, seu quæ fit ex infusione Mercurij vivi, eiusque agitatione aut ebullitione, certum est experimentum ad lumbricos: Nempé recipiatur ʒj. *Mercurii vivi* bené *purgati*, aut, quod melius est, ex laboribus Mercurialibus *resuscitati*: (vocatur aliàs reuiuificatus:) infund. in ℔i. *aquæ simpl.* vel *radicis graminis*, vel *hyperici* (nam hæc etiam sunt inimica lumbricis) & probé agitantur invicem in lagena vitrea, vel decoquuntur: Reponitur hæc Mixtura, ut Mercurius omnis fundum petat, & aqua superstans contagio Mercurii infecta clarescat: quæ aqua est certissimum experimentum ad enecandos & fugandos lumbricos. Vocatur ab HORATIO *Augenio Aqua Hermetica*, quę filtrata cochleatim datur.

Pręter dicta ulterius lumbricos enecant & pellunt omnia cornu Cerui ustum, & ex cornu Cerui parata, quęlibet ex marte; hinc absinthium, hypericon, corallina, eiusque puluis, zedoaria, scordium; puluis item summitatum & seminis tenaceti, gentianę puluis cum cornu Cerui sine igne & tantillo myrrhę, jurato lumbricorum hoste; uel quę presentaneam magis fert opem, tinctura salutis, aloe & similia amaricantia: sal uolatile & spiritus cornu Cerui probé essentificatus, uel sale uolatili proprio acuatus, adeoque & polychrestus liquor cornu Cerui succinatus; hic enim prompté lumbricos pellit, & commodé usurpatur, ubi simul imminent epilepticę conuulsiones cum lumbricis.

Ex his aut similibus parantur Essentia composita contra uermes, qualem habet SCHARFFIUS *in Descript. Iuniperi*. Aqua destillata raphani rusticani, de qua uid. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. obseru. 187.* ubi ob acrimoniam cum aliis mixta & propinata 11. uermes, motuum convulsiuorum autores, exturbauit. Aliàs Decoctum radicis filicis in lacte infantibus propinatum, tanquam certissimum commendatur contra uermes. Crocus martis ex uitriolo pręcipitatus huc quoque pertinet: e. g.

℞. *Croc. Martis per precipitat.* ʒij.
Sem. tanaceti ʒi.
Pulu. Zedoar. ℈ij.
Cum s. q. *Sacchari*,
F. Rotulę.

Certissimum experimentum etiam pro adultis est Pręcipitatum Veneris, quod & TIMÆUS *Von Guldenklee*, tanquam arcanum, & ZWELFFERUS tanquam expertum ad lumbricos commendat: Nempé uitriolo Veneris affundit phlegma uitrioli Veneris acuatum cum pauco spiritu proprio, ut in hoc liquore soluatur uitriolum; solutio filtrata pręcipitatur cum oleo tartari per deliquium; sic acquiritur puluis, uel cœruleus, uel exacté uiridis, qui optimé edulcoratus ad gr. v. vel vj. pro ratione ętatis in uehiculo conuenienti propinatus, in infantibus promptissimé pellit lumbricos, qui & in adultis eosdem certó fugat.

Ubi non amplius lactantur infantes, optima sunt remedia spiritus sulphuris, seu, quod melius est, spiritus vitrioli, utut in radice conueniant; si nempe quicunque potus, & aqua appropriata hyperici, portulacę, radicis graminis, aut etiam saltem aqua communis acidulata, pręscriptis spiritibus sulphuris uel uitrioli modicé, de qua interdum pro lubitu hauriat infans, mixum est, quam prompté pellat lumbricos, eosque fuget.

Cum his interné assumptis uermes pellentibus simul per *Clysteres* semper injiciantur dulcia, quę lumbricis sunt amica, & deorsum uersus ad se alliciunt; qualia sunt clysteres ex *lacte uaccino* uel *muliebri* ad ℥i. vel iij. cum sufficiente quantitate *sacchari* pro ratione ętatis infantis; aut ex decocto passularum cum saccharo, aut ex decocto caricarum aut similibus, quorum dulcedine allecti lumbrici, dum fugiunt per os assumpta hostilia, in fugam uersi faciliùs ita ejiciuntur; aut saltem aqua saccharo impregnata loco clysmatis injicitur.

Externé simul umbilico applicetur Linimentum sequens, domesticum quidem, sed certum, cujus aliquoties felicem uidi successum:

℞. *Aloes*

℞. *Aloes* ℥ij.
Myrrhæ ℨß.
Cum *felle Tauri* f. Linimentum:
D. S.
Linimentum contra vermes.

Cum oleo colocynthidos acuatum indetur frusto vesicæ bubulæ vel suillæ quantitate palmæ seu parvæ manus, & ita applicetur umbilico, & quamdiu adhæret, retineatur; sic namque facilè halitu suo lumbricos fugat: Quodsi adsint lumbrici, fortiter adhæret, nec priùs cadere solet, quod certissimum est, & ipse uidi, nisi enecati & fugati fuerint lumbrici, quo tempore spontè cadit: Quodsi verò applicatum non adhæreat, est signum non improbabile, non adesse lumbricos.

Præterea etiam oleum absinthii, oleum diacolocynthidos, oleum nucleorum persicorum expressum, unguentum contra vermes Augustanorum, unguentum de arthanita, & similia Linimenta, umbilici regioni illinantur.

Vel

℞. *Ungu. de Arthan.* ℥ij.
Fellis tauri inspiß. ℥j.
Ol. diacoloc. Querc. q. s.
Destill. Absinth. gtt. vj.
M. f. l. a. Linimentum:
D. S. ut antè.

Quod si strictè adhæret, certò adsunt lumbrici.

Quibusdam in usu est, applicare etiam Theriacam cum succo vel oleo absinthii aut rutæ.

Vel

℞. *Aquæ Absinth.* ℔j.
in qua dissolv.
Aloes ℥ij.
Misc.

probè terendo & subigendo.

Valet contra vermes, corpora puerorum in balneo fricando.

ARTICULUS XXII.
DE
VERME UMBILICALI.

Sed præter hos lumbricos in intestinis infantum stabulantes, notabilis est *Vermis umbilici*, quem vocant Germani *den Nabelwurm*, *den Zehrwurm*, *don Geitzwurm*: de quo vid. pauca in specie in SENNERTO *lib. 3. Prax. P. 10. de Morb. Abdominis cap. 4. pag. 984.* Affectus est rarissimus; nullus enim Autorum de tali verme umbilicali habet aliquid: veritas tamen horum etiam observata fuit à D. Michaëlis, qui etiam methodo mox recensenda eosdem fugavit.

DIAGNOSIS.

In tali casu infantes cum nutrice optima, optimè sugentes licet, successivè emaciantur, labia pallent, *sunt quasi cærulei coloris*, & deficiunt à nativo calore, inquieti sunt, & quasi tormina ventris patiuntur, interdum se jactitant.

Signa alia manifesta sunt nulla hujus vermis umbilicalis.

CURA.

Quoad CURAM: ubi adest suspicio talis vermis, applicetur fundulus umbilico sub introitu lecti; quem depascit vermis, idque bis vel ter repetitur, imponendo novum fundulum, ut simus certi de præsentia hujus vermis umbilicalis; postmodum applicetur putamen nucis juglandis internum, *idque durius*, excavatum, pulveris vitri Veneti & sabinæ cum sufficienti quantitate mellis repletum; hoc modo dulcedine mellis allectus vermis cum sabina & pulvere vitri postmodum enecatur, ut extrahi queat. Dum ergo apparet, nil absumi ex mistura nuci juglandi insita, tunc appropriata purgantia usurpentur, ut vermis enecatus quacunque via evacuetur.

ARTICULUS XXIII.
DE
TUSSI.

Infantes ulterius subinde *Tussi* & affectibus catarrhalibus laborare solent, circa quàm infantum tussim melioris doctrinæ gratia ante omnia observanda venit differentia Tussis, vel *humidæ*, vel *siccæ*; item vel *stomachalis*, vel *pectoralis*. Tussis sicca est, quando solummodo est absque materiæ excretione, & hæc est apud infantes rarior, nisi quod sæpius soleat esse prodromus variolarum. Tussis verò humida seu cum materiæ excretione est, quando rejiciuntur aut saltem rejectibilia deglutiuntur, postmodum viscida, mucilaginosa & pituitosa, ut vocant.

Hoc præsupposito, *Tussis* ista *sicca* pectoralis est à lympha nimis acida, vellicante fauces & membranam eas subcingentem, in specie istam quæ cingit interius laryngem asperamque arteriam, de qua lympha jam alio loco plura dicta fuere. Aliàs omnis *tussis infantum* est *humida*. Par ratio est circa tussim istam, quæ sub dentitionis tempore frequenter oritur, ut suprà insinuatum fuit, cui successivè propter copiosioris salivæ subinde salso-acrioris defluxum in stomachum, & imprimis membranas pituitarias copiosam lympham plorantes, & per gulam in ventriculum dimittentes, & inde *defectuosam* redditam *digestionem primam* & coacervatas cruditates, etiam Tussis stomachalis humida supervenire solet tandem. Item aëris inclementioris afflatus liberiorque inspiratus suo modo infantes subinde ad tussim siccam pectoralem disponit, ex lymphæ nempè ab aere copiosiùs effusione, quæ tandem evadit humida ex successiva muci generatione cum stertore affligens. Pertinet huc *tussis puerorum convulsiva*, de qua WILLIS. *in Pharm. Rat. Part. 2. sect. 1. cap. 6. pag. 101.*

Sed frequentior est tussis *infantum ferina*, seu quibusdam *furibunda* dicta, in qua infantes multum ac diu tussiunt, & quæ subindè tanta violentia repetens vix sisti potest, nisi spontaneus tandem supervenerit vomitus copiosique muci rejectio, post quem vomitum cessat tussis ad tempus, donec reuertatur post dimidium diem præter propter similis ferè tussiendi paroxysmus, simili vomitu claudendus. Talis ordinariò ex ventriculo esse solet. Oritur hæc ipsa ordinariò vel ex addiphagia infantum seu copiosiore pultaceorum ingestione, vel lactis acrioris & serosioris crebriore haustu, vel ejusdem in stomacho corruptione, & acrimonia singulari ventriculum vellicante: quæ duo nimia copia cum imparia fiant fermento stomachi digestivo ex defectu concoctionis, degenerant in liquamina viscida, crassa & mucilaginosa, quæ ipsa nunc flatuum subministrant materiam, unde difficilis respiratio, quamdiu supini jacent infantes, aut etiam hæc pituitosa acida aut salso: acida in stomachi cavo magis fluctuantia, successivè irritando orificium stomachi sinistrum, & cum hoc arctè connexum diaphragma, tussim pertinacem, & primo quidem inanem hinc cum rejectione mucilaginis viscidæ conjunctam inferunt; sicut in ablactatis frequentior hæc tussis ex muco viscido, utut pauco, orificium inferius obsidente, oriri solet: vel infensà & molesta sui præsentia; vel saltem halitibus acrioribus, excitant sub exspiratione per consensum uellicati diaphragmatis, & ipsi compatientium musculorum thoracis exspirationi inseruientium, horum conuulsiuos motus, unde tusses sæpiùs repetentes tenella pectora concutiunt.

Idem sentiendum est de *Asthmate* infantum, quod utplurimum etiam ex stomacho onerato oritur, propter cruditates acidas mucilaginosas coacervatas, quæ si turgescant, & in flatus abeant, fermentando in tantum diaphragmatis deorsum uersus impeditur contractio, ut molestus talis asthmaticus paroxysmus immineat; hinc enim etiam prouocato *vomitu* statim liberantur, Autore PRIMEROSIO *de Pueror. Morb. pag. 73.* Unde in tali infantum tussi semper ad stomachum erit respiciendum.

DIAGNOSIS.

Affectus per se patet: an sit sicca uel humida? etiam est in propatulo.

In specie, quando est *sicca tussis*, coniuncta solet esse sternutatio, coniuncta solet esse inuoluntaria oculorum illachry-

chrymatio, & qui sunt similes affectus ex lympha paulo acidiori oriundi.

Tussis humida ex eo luculenta est, quod cum stertore quodam respirare soleant infantes, item quod tussiendo materiam rejiciant, aut resolutam denuo deglutiant.

Subinde etiam *inflatio* quædam in præcordiis, & quædam ibidem locorum intumescentia adesse solet; *Venter enim ipsis solet intumescere*; & quæ sunt similia tussim satis manifestantia signa.

PROGNOSIS.

Non negligenda est tussis in infantibus, quia præter vigilias & vomitus etiam hernias, suffocationes &c. inducere solet.

CURA.

Si prodromus est variolarum tussis, vix curari solet, cum sponte postmodum cesset, imprimis autem tussis humida sub curam Medici cadit. In tussis enim cura, uti etiam in cura asthmatis infantilis semper suprà insinuata observanda venit differentia. In genere tamen tussis infantum inveterata, humida quælibet, & hinc ista, quæ ex stomacho, præ cæteris tussis speciebus furibunda, vix curari poterit absque vomitu; quo uno, apte, si opus fuerit, repetito, plus præstare possumus, quàm pluribus aliis remediis, diu licet continuatis; hinc nisi sponte superveniat vomitus, arte provocandus est: quo facto, vel sponte remittunt dicta pathemata.

Provocatur facile in infantibus, si digito oleo illito irritentur fauces, aut etiam si penna similiter oleo tincta faucibus intrudatur; sic namque infantes aliàs facile vomiturientes ad vomitum stimulantur, & subvenit vomitus tam in tussi, quàm in difficili respiratione, asthmate infantum & similibus admodum utilis.

Vel

℞. *Aquæ hyssopi* ℥ß.
Oxysacch. emet. A. Salæ ʒj.
M. S.
Succus emeticus.

Ubi per inferiora volumus evacuare, mechoacannæ pulvis adhibetur utilissime, habitâ ratione ætatis pro ratione doseos.

In *Tussi* ergo contumaci *Sicca* pectorali sæpius nocturna, aut larynge potius affecta, & à lympha acriore, vel *aere* inclementiore irritata, convenit imprimis loch ex passulis cum mucilagine seminis lini aut cydoniorum permistum; est enim blandum temperans. In tali etiam tussi mulierum euporiston est ex CRATONIS, trium Imperatorum Archiatri, experientia ipsis compertum, jusculum raparum, in specie *siccarum cum saccharo*, quod crebriùs infantibus propinatum *tussim catarrhalem* sistit: item succus raparum, &c. Adultioribus paulo decoctum radicis helenii cum uvis Corinthiacis in vino Malvatico, pauco addito saccharo, ut fiat quasi syrupus, ad levandam tussim mirè conducit. Syrupus diacodium egregius est, uti & succinum & succinata, succinum catarrhale, species diatragacanthi, pulvis contra tussim infantum Mynsichti, item flores sulphuris cum saccharo pauco misti; temperant enim acrimoniam lymphæ. *Sperma ceti* annuo ad ℈ß. quacunque ratione, commodissimè in cerevisia calida, vel in jusculo aut cum lacte probè calido propinatum, aliove simili calido vehiculo; item syrupus de jujubis, de scabiosa, de glycyrrhiza, &c. quibus & *spiritus salis ammoniaci anisatus* pro lubitu addi potest, qui infantibus est egregius; & insigni meritò extollendus encomio: etiam ubi *Difficilior Dentitio* talem *Tussim*, quod interdum contingit, infantibus excitaverit, quo in casu vomitorium interdum præmittendum erit. Præ cæteris tamen *liquor cornu Cervi succinatus*, supra pluribus laudatus, nunquam omittendus est; *in Affectibus Catarrhalibus* quibuscunque, infantum præcipuè, & inde in *tussi sicca* primum meretur locum. Pinguedo itidem caponis in jure pisorum liquefacta & propinata, mirè commendatur.

Et hæc Incrassantia dicta in quavis tussis infantum sicca, tam pectorali quàm stomachali, locum inveniunt. Nostrates mulieres in tali tussi infantibus ablactatis non absque successu propinant caricas pingues, in minutas particulas concisas, in spiritu vini maceratas, deflagrando; caricas relictas propinant vesperi felici cum successu.

FORESTUS asserit, infantem tussi laborantem curari per mures coctos, esitatos, manducatos priùs à nutrice, & in os infantis inditos.

Quoad *Externa*: præ cæteris in tali *Tussi sicca* in usu est lotio pedum in cerevisia calida; qua peractâ pinguedo lucii piscis recens, vel loco hujus sevum hircinum, aut medulla cervina, liquefacta in cochleari, & plantis pedum inuncta, contra hanc tussim optimè prodest, in specie si misceatur cum oleo laurino. Linimentum ex pinguedine caponis cum capitibus alliorum factum, ceu notum, hic præsuppono. Item si ex catarrhali fuerit vitio, suffitus ex succino, thure, gummi juniperino, &c. bombace exceptus, capiti imponitur felici cum successu; vel cerotum pro bregmate usitatum, cum tacamahaca mistum, oleo destillato majoranæ irroratum, capiti imponitur.

In Tussi convulsiva convenit liquor cornu Cervi succinatus, essentia castorei, & remedia à WILLISIO *l. a.* commendata: Vel

℞. *Aqua fænic.*
Hyssopi an. ℥vj.
Spirit. sal. ammoniac. lavendul.
Succin an. gtt. xx.
Syr. papav. simpl. ℥ß.
M. D. S.
Tussim sedans potio.

℞. *Ess. castor. vinos* ʒj.
Spirit. sal. ammoniac. succin. ʒß.
M. D. S.
Tussim sedans Essentia.

Quodsi tussis fuerit humida, atque juncta copioso muco acido viscido, præter vomitum incidentia & attenuantia conveniunt: quæ inter primatum ducit spiritus salis ammoniaci anisatus: item syrupus de nicotiana ritè paratus perquam egregius est in incidendo & attenuando muco & libidis infantibus à suffocatione: Hinc syrupus de hyssopo item de scabiosa, vel syrupus de erysimo &c. qui propinari possunt in aqua hyssopi, in aqua scabiosæ, vel menthæ, ac similibus.

Vel

℞. *Syr. Nicotian.*
Hyssopi an. ℥iij.
Emet. ʒj.
M. S.
Succus emolliens.

Resolvit mucum, & vomitum blandè movet.

Succus item raphani recens cum *saccharo depurato* temperatus, ingratus licet, efficacissimus tamen est: vel, qui mitior & temperatior, non minus tamen potens est, qui ex *raphano excavato & saccharo repleto* in frigido per deliquium, aut ex raphano in taleolas inciso, saccharoque largiter insperso, defluit, aut intra duos orbiculos stanneos exprimitur, succus est egregius pro resolvendo muco stomachi, tussim & asthma inferente. Item succus fœniculi, mistus cum lacte & propinatus, non parum levat infantum tussim. Convenit etiam ad mucilagines stomachi resolvendas sperma ceti, si hoc in pauca quantitate pro ratione ætatis in lacte calido propinetur infanti; resolvit enim insigniter mucilagines stomachi. Elæosacchara fœniculi & anisi optimè conducunt, si lambenda præbeantur infantibus: Hinc pulvis radicis Ireos, radicis aronis, liquor cornu Cervi succinatus, pulvis contra tussim infantum Mynsichti, &c. V. g. Infans 12. septimanarum tussi humida cum copioso muco, os & bronchia infarciente, periculosè ob suffocationis metum infestabatur:

℞. *Aqua Menth.* ℥iij.
Syr. emet. Salæ ʒj.
M. f. Potiuncula;

Quæ cochleatim propinabatur, donec sequeretur vomitus: sed parum operabatur: Hinc

℞. *Aquæ Hiss.* ℥iß.
Syr. Nicot. ʒvj.
Spirit. sal. ammoniac. anis. ʒj.
Misc.

Quatuor vel quinque horas ab illo priori remedio porrigere incipiebant, hinc tandem per repetitos supervenientes vomitus admodum mucilaginosos, & serosos secessus beneficio suppositorii, infans levabatur. Mirabar vomitorii dosin in infante unius anni & amplius, sufficientis minus ex se ipso vomitum suscitasse: sed partim copia muci, partim usus lactis, remedii vim obtundebat.

Item in tussi sicca:

℞. Rob.

℞. *Rob Passul.*
Syr. Papav. alb. an. ℥ß.
Misc.

Interdum addebantur
Lapill. cancr. praep.
Flor. sulphuris an. gr. xv.
Misc.

ropinabatur infanti saepius.

Item decoctum raparum flaccidarum cum passulis & ficubus bene confert.

In tussi sicca pro puero trium annorum:

℞. *Aquae Scabios.* ℥ij.
Spirit. sal. ammoniac. anis. ʒß.
Syr. diacod. ʒiij. ad ℥ß.
M. D. S.
Potiuncula contra tussim.

In asthmate infantum, vinum infusionis millepedum est optimum, auctore HERTODT *in Crocol. pag.* 129.

Externè oleum chamomillae & amygdalarum dulcium pectori illitum convenit.

Puer ingenuus novem vel decem annorum, macilentus corpore, facie tamen plenâ, paulo tamen pallidiore ornatus, laborabat catarrho suffocativo ex vitio lymphae in arteria aspera; subinde enim subito solebat, nocturno tempore somno alto oppressus, in respirationem difficillimam incurrere, ita ut eum stertore seu sonitu (adstantes dicebant, *sibildt*) spiritum ducendo expergefactus omni momento suffocandus videretur, facie sub angustiis istis intumescente, & ex rubro caerulescente cum extremorum refrigeratione: tussis crebra accedebat, sed difficillima & inanis, cujus impetu nil praeterquam aqua tenuis, eaque non copiosa, excernebatur; sic pedetentim paroxysmus remittebat, febre aliquot dierum lentâ superstite, ipse verò aeger, cum facie subtumida raucus remanebat, & continuò tussiebat. Tandem, praeterlapsis duabus vel tribus diebus, materiam viscidam copiosam rejiciebat, quo facto totius morbi cursus absolvebatur. Idem paroxysmus redibat crebriùs, utplurimum omni menstruo spatio semel, idque tempore praesertim autumnali & hyberno: Interrogatus, quid sub paroxysmo patiatur? de respirationis difficultate, & in larynge titillatione, conquerebatur: Interdum praecedebat dolor capitis, colli aut partium vicinarum, ipse aeger etiam subinde dolori & tumori tonsillarum obnoxius erat. Occasionem paroxysmo redeunti suggerebat nunc aurae frigidae susceptio, nunc praegresso corporis motu & exercitio, aliqualis extremorum refrigeratio.

Curavi hunc puerum sequenti modo: In Paroxysmo, qui repentè affligebat puerum, mox verticem inunxi oleo destillato succini, brachio verò applicare jubebam stricturas fortes: nam si aetatis fuisset consistentis, venam aperire necesse fuisset.

Cum his mixturam sequentem ordinavi:

℞. *Aquae Scabios.* ℥ij.
Asthmat. Rud. ℥ß.
Syr. diacod. Mont. ʒvj. ad ℥j.
Misc.

Ubi lymphae vitium magis urgebat, pro sudore procurando

℞. *Aquae Scabios.* ℥iij.
Spirit. sal. ammoniac. anis. ʒiß.
Syr. Papav. alb. ʒvj.
Misc. pro Potiuncula.

Capiebat cochleatim in principio paroxysmi, *ad respirationem facilitandam*, quod saltem poteram facere, sensum vellicationis sistendo, & lymphae acrimoniam temperando.

In incremento

℞. *Aquae Scabios.*
Serpill. an. ℥iß.
Asthmat. ʒvj.
Flor. sulphuris ·ß. ad ℈ij.
Syr. vel scabios. vel Violar. vel papav. vel de Iniub. ʒvj. ad ℥j.
M. f. Potio.

Haec probè agitata crebriùsque assumpta tussim minuebat, & materiae copiosioris proventui praeveniebam: Nam & irritantem causam in faucibus demulcebam, & sensum irritationis sistebam, unde lymphae effluxus copiosior praecavebatur.

Post in statu, cum mucus excerneretur, sufficiebat succus raphani cum pauco saccharo expressus.

Quod adhuc febriculae lentae restabat, sudore blando per liquorem cornu Cervi succinatum, vel spiritum salis ammoniaci oleosum, vel per blanda diuretica, praesertim ex succino, vel ex lumbricis, removebam.

Preservationis gratiâ extra paroxysmum plura tentabam; semper tamen voracitas pueri & vita sedentaria obstabat, egregiè erat somnolentus, &c. qui cum habitu corporis serosiore ostendebant, à priori succurri non posse; unde inurebatur fonticulus brachio sinistro, & sic levabatur. Fonticulus tam ubertim fluebat, ut manè & vesperi mundandus esset.

ARTICULUS XXIV.

DE OBSTRUCTIONE NARIUM IN INFANTIBUS.

HAc occasione etiam moneo, fieri non rarò, ut nares infantum in summitate narium sint obstructae ac infarctae muco crasso, quem ut resolvamus, optimum est auxilium sequens:

℞. *Vitrioli albi* gr. jv. ad v.
Aquae Maior.
Ceras. nigr. an. ℥ß.
Misce & filtra.

Filtratura detur, de qua cum linteolis naribus intrudatur.

Extra, nares supremae inungatur butyro sine sale, vel oleo amygdalarum dulcium, cum aliquot guttis olei majoranae destillati misto: hoc enim aut externè illitum summitati narium, aut labris narium externè applicatum, resolvit sordes & denuo respirationem per nares liberam reddit: vel naribus butyrum non salitum pisi magnitudine indatur.

ARTICULUS XXV.

DE CRUSTA LACTEA, SEU ACHORIBUS, FAUIS ET TINEIS.

POrro Lactationis tempore frequenter infantes affligunt exanthemata faciei & capitis, seu pustulae & ulcuscula, quae cutim faciei, hinc superficiem capitis pilosam, interdum etiam quodammodo universam cutim, incrustant. Vocantur aliàs haec ipsa ulcuscula & pustulae *Crusta Lactea* seu *Lactumina*, Germanis *der Ansprung*, Graecis ἄχωρες, qui si profundiùs eroserint cutim, *Favi* appellantur. Post ablactationem autem simile vitium capitis partem pilosam affligit, quae *Tinea* dicitur, Germanis *der böse Grind*. Lactumina sunt pustulae prurientes rubrae, quae successivè suppurantur, hinc exulcerantur, & nunc exsiccando in crustas abeunt, quibus deciduis subindè de novo propullulant, nunc post exulcerationem ulcera manantia, plus minus sordida, supermanent. Occupat malum hoc ordinariò faciem, hinc ad caput etiam subindè se extendit; interdum etiam brachia, crura, ipsumque corpus hinc inde plus minus affligit. Tinea verò caput saltim occupat, pruritu imprimis incipit, hinc furfures copiosi decidunt, donec pustulę hinc indè erumpant, quę suppurantur & exulcerantur, & nunc saltim in crustas vel squamas siccas abeunt, nunc verò ulcera manantia & copiosas sordes plorantia inferunt. Uno nomine: sunt haec mala nil aliud, quàm scabiei quaedam species, infantibus magis propria. Crusta lactea quidem, sive infantes lactentes infestet, sive post lactationem denuo se manifestet, fere ex acido vitioso lactis non diffiabili & resolubili per poros corporis oritur; à quo acido nutrimentum partium cutanearum inficitur, unde pustulae, pruritus, exulcerationes, non secus ac in variolis aut scabie humida vel sicca oriri solet. Tinea verò, quae interdum plures annos post ablactationem demum infantes affligit, oritur ex simili vitioso acido, intrà corporis cutim coercito, ex massa sanguinea tamen & lympha secreto, & ad partes intercutaneas beneficio sanguinis circuli deposito; unde semper ferè tumores glandularum in collo pone aures & pone cervicem comitari solent tineam. Si enim cum sanguine & lympha plus minus acida, acri & *viscida*, nutrimentum exinde pro augmento & sustentatione partium confectum has ipsas subin-

-tret,

tret, nullo modo iis perfectè assimilari potest; sed potius volatili acore, antea quidem apparenter occultato, & aliquali simul visciditate ipsis inimica, hinc inde in pustulas extollitur, in quibus acor denuo successivè manifestatus, cum vicinis partium succis acriùs effervescit: hinc altior tumor, intensior *rubor* & *ardor* supervenit, donec mutua temperatura nunc in *pus*, nunc in *saniem*, nunc aliud simile liquamen abeat, & per pruritum in *pustulas* vel alio modo exeat, relicto adhuc post se *fermento* subtili *acido viscido*, quod etiam aliud inculpatæ notæ alimentum inquinat, istudque in similes sordes transmutat, & consequenter dicta mala magis magisque propagat; hinc etiam adjacentes partes è dictis pustulis pruritu & ardore inquinantur, unde *Favi*, *Tinea*, *Crusta lactea*, uti etiam *Furunculi* infantum, primitus enascuntur. Quæ eò facilius eveniunt, eòque pertinaciores radices figunt, quò minus transpirabiles sunt partes ita affectę, & quò magis poris earum clausis dicta excernenda successivè congeruntur.

Facta modò lymphæ prętet naturaliter acidæ ac viscidę, hic crustæ lacteæ mentio, uberiorem sui explicationem urget. Nam dictæ corporis, & imprimis capitis ac faciei, defœdationes pustulosæ, crustosæ, ulcerosæ &c. quæ crustæ lacteæ, achorum, & tineæ nomine venire solent, quarum descriptiones & differentiæ saltem accidentales vid. apud Practicos, revera ex *lympha nimis* seu præternaturaliter *acida*, & plus minus simul *viscida* originem ducunt; *lacte* vel matris in utero sub gestatione fœtus, vel nutricis extra uterum sub ejus lactatione *vitioso*, *causę remotę* vices gerente: semper etiam ferè cum hisce affectibus externis *glandularum* in collo & capite densè consitarum, item *parotidum*, &c. *tumores* conjuncti esse solent, quos vocant Germ. *Haupt-Drusen*; ita quidem, ut vel præcedant, aut simul affligant, vel hos affectus declinantes subsequantur. Ordinariò autem rarissimè observatur, quod insequantur, & si fit, vel metus recidivæ, vel mutatio defœdationis dictæ in pejores affectus insinuatur: Istud priùs frequens nempè est, ut hos affectus comitentur, ut hinc etiam mulieres per experientiam edoctæ ex conditione dictorum tumorum quasi scrophulosorum, & quos ordinariè Germ. *Haupt-Drusen* appellare solent, affectuum horum vel magnitudinem vel diuturnitatem, aliasvè circumstantias, probabiliter soleant hariolari. Certè observavi in infante quinque mensium tumores tales glandularum in collo propè aures ad ovi parvi gallinacei magnitudinem cum *crusta lactea* caput obducente, qua evanescente dicti tumores etiam evanuerunt, & tandem *lactumina* illa denuo efflorescebant. Iam verò non amplius dubitatur, glandularum functiones versari circa lymphæ præparationem & distributionem: unde spontè patescit, *lymphę vitium primarium* subesse, ita quidem, ut ab ejus consistentia materiali obstruantur glandulæ, & inde consequenter intumescant, ab ejus verò *acido* largiùs in partes intercutaneas capitis extimas effuso, ex denegatâ plus minus debita distributione & motu per glandulas, pruritus intensissimus in dictis locis cum pustulis rubris pedetentim albicantibus, & in pus abeuntibus, & squamis insequentibus ac furfuribus, ex cutis & cuticulæ erosionibus superveniant: quæ omnia, ut pruritus, purulenta *sanies*, *crusta* & *squama*, ab acri salso plus minùs acido agente, tanquam causa peccante, manifestè fiunt, ut alio loco & ab aliis probatum est. Imo hujusmodi crusta, tinea capitis, & horum acor vitiosus usque eò serpit, ut etiam ossa cranii erodat, eaque cariosa reddat, pro more acidorum, osseas substantias facilè erodentium; de quo vid. SENNERTUS *lib. de Morb. Infantum Part.* 2. *cap* 3. *pag*. 281. id quod fit imprimis, quando nutrix contagio Gallico non nihil inquinata lactaverit infantem. Hinc & capitis partes exteriores præ reliquis locis magis infestantur his affectibus propter copiosiores glandulas, quibus caput hinc inde, speciatim collum, stipatum est.

Differentia autem has inter capitis defœdationes observatur, quod materia peccans, prout est nunc *acrior*, aut *acidior* & *tenuior*, soleat inferre *ulcuscula manantia*, & *copiosam* acrem *saniem* fundentia: Sed quatenus eadem est *minus acris*, sed ferè magis temperata & *viscida* extiterit, tunc *crustę crassiores* & densè subinde compactæ, & sibi invicem superstratæ, induci solent, successivè decidentes: imò etiam pro lymphæ ita peccantis ratione varia glandularum quoque observatur constitutio, de quo uberior experientia adhuc consulenda venit. Et sanè non levis est cognatio horum *lactuminum* cum adultorum *scabie*: nam & subinde contagiosa sunt, & mediantibus linteaminibus in alios etiam infantes propagantur: unde iisdem ferè remediis, in specie nicotiana, sulphure, mercurio, &c. quibus adultorum pertinax & ferina scabies curatur, etiam curari possunt; & retropulsa, ut vocant, varia planè inferunt symptomata, ita ut quasi particularis capitis sit scabies. Equidem vulgi fert persuasio, salubres esse infantibus tales defœdationes, quatenus præservent eos à gravioribus affectibus: quod negari suo modo nequit, quatenus sunt bonum signum. Sed malæ causę, quæ si abesset, magis conducere.

Quæ hactenus sunt exposita, videtur confirmare, dum observavi in puerulo novem mensium præterpropter, vitio nutricis cacochymico scorbuticæ insigniter dicta crusta lactea super cranii hemisphęrium & faciem ferè integram mirè deformato: quæ cum spontè evanuisset, successit gravissima tussis, tenellum pectus insigniter & continuò quatiens, cum copiosi muci in stomacho & œsophagi præsentia, una cum diarrhœa serosa adeo acri, uti etiam extrema podicis & vicina loca excoriarentur: totum corpusculum insigni æstu fervebat, et insultus quidam epileptici subinde istud convellebant. Factem hic fuisse arbitror lymphæ peccantis metastasin, præter alia loca in specie ad glandulas salivales, & quæ laryngem irrorant, ut & ad pancreaticas, per quas lympha ista acida acris, non adeo viscida, uberiùs effusa speciatim dictam tussim & diarrhœam, alia ut transeam symptomata, induxerunt. Dicta modò etiam rationem aurium humiditatis fluentis, excoriationis & exulcerationis, item labiorum, manifestam reddunt.

DIAGNOSIS.

Signa horum achorum, tineæ & favorum, sunt manifesta per se.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Omnes hi affectus bonum equidem sunt signum malæ causæ: Bonum signum, quod non tam inquinent massam sanguineam, sed potius in partibus intercutaneis defixi hæreant: Malæ causæ; innuunt enim acidum vitiosum, quod massam sanguineam inquinavit, & hinc expulsione sua ista ulcuscula interdum periculosa excitat. Ostendunt nempè secretionem acidi vitiosi ad partes intercutaneas, sed à quo ipso, nutrimentum proximum dictarum partium inficiente, affectus diuturnitas, & per contagium multiplicabilitas oriuntur. Subinde tamen horum affectuum medio ab aliis gravioribus malis, in specie epilepticis preservantur & liberantur infantes; sicuti retropulsis his ipsis pustulis, aut exsiccatis subitò ulcusculis (id quod sæpius fit occasione supervenientium dolorum dentitionis) multa mala, in specie febris lymphatica plus minus lenta, convulsiones, diarrhœę, tusses pectorales diuturnę, & similia superveniunt.

Spontè naturę subinde sanantur: interim tamen si diuturniora seu contumaciora fuerint hęc ulcera saniosa, interdum in ulcera maligna & depascentia degenerant.

CURA.

In *Cura* ergo dyscrasia contentorum corporis corrigenda & evacuanda, acidum intercutaneum fermentativum corrigendum, blanda diaphoresi ad partes ambientes beneficio sudoris est promovendum, & hinc nata mala admotis externis removenda.

Internè ergo conveniunt medicamenta ex fumaria, syrupus ex fumaria simplex & compositus, essentia de fumaria simplex & composita, essentia cardui benedicti, essentia helenii, essentia lignorum composita, tinctura coralliorum sassafrata, item remedia ex sambuco, rob sambuci, aqua, spiritus & essentia ex floribus & rob sambuci parata; item aqua betulę, liquor cornu Cervi succinatus, cornu Cervi sine igne, omnia ex cornu Cervi parata diaphoretica, imprimis utilia sunt, item quęlibet *viperina*, essentia viperarum, earumque pulvis & sal volatile. In adultoribus infantibus, *quatuor vel quinque annorũ*, una alterave gutta olei destillati viperarum fœtidi miram vim sudorem pellendi, & hujus medio hos affectus curandi, obtinet: E. g.

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. xxjv.
Antimonij diaph. gr. xvj.
Sal. vel. cornu Cervi gr. jv.
Theriac. gr. xiij. M. f. Pulvis: S.

Pul-

Pulvis sanguinem purificans ad quietem.

Decoctum florum acaciæ cum radice helenii est elegantissimum laxativum & alterativum; specificari potest cum fumaria. Quælibet *alcalia*, vel *salia* volatilia sæpè laudata, essentia myrrhæ, vel lapilli cancrorum, aut cornu cervi sine igne, aut antimonium diaphoreticum cum pulvere myrrhæ propinata & sæpius repetita, curationem horum ulcusculorum mirè facilitant. Convenit etiam cinnabaris antimonii, & tinctura antimonii ex scoriis supra laudata, crebriùs guttatim exhibendo, ut destruatur *acidum primarum viarum*, quod subinde nutrimentum solet inquinare. V. g.

℞. *Tinctura antimonii*,
Tartari an. ℥iß.
M. D. S.
Tinctura sanguinem mundificans.

De purgantibus præmittendis studio taceo. Præ omnibus Mercurius dulcis ceu appropriatissimus convenit.

Quodsi gravis affectus aut symptomatis alicujus occasione introcedat crusta lactea, pro expellenda eadem convenit emulsio seminis napi, nasturtii, aquilegiæ, cum myrrha, cornu cervi, &c.

Externè in his malis pro lotionibus specificum est oxylapathum acutum, nicotiana, helenium, malva, pisa; item linimenta, vel sulphurea, vel quælibet saturnina, acidum absorbentia aut temperantia blandè inungantur; hinc pro ratione circumstantiarum tutia præparata, pulvis lapidis calaminaris, unguentum diapompholygos, unguentum enulatum: quibus si addatur parum *salis tartari*, habebitur effectus magis tutus. Unde unguentum de cerussa camphoratum, vel *diapompholygos*, vel unguentum enulatum, mistum cum floribus sulphuris & sufficiente quantitate *olei nicotianæ vulgaris*, addendo salis tartari plus minus, prout acrius vel mitius postulamus Linimentum, egregiè convenit, quo ipso illitæ pustulæ optimè exarescent & curabuntur. Unguenta & linimenta vulgaria meritò fugimus, ubi simplicia cerâ, oleis, terebinthinâ, pinguedinibus, resinis, similibusve permixta, & partim saturata, partim obruta & subacta, nullam operandi vim exserere valent, nisi quod poros cutis densè incrustando malum longè deterius reddant.

Meritò autem duplex harum in cute efflorescentiarum status duplicem medendi rationem Medico insinuat; unde in specie observanda est *Differentia ulcerum*, *an sint crustosa*? quando nempè mitius in dictis ulcusculis peccaverit acidum, idque jam sub sua salsedine temperata cum purulentia viscida in tenaces & subinde spissas crustas colverit; *an manantia*? quando interdum pustulæ ex acriori acido in ulcuscula manantia jam degeneraverint, acrem plus minus tenuemque saniem jugiter plorantia. V. g. si lactumina, *sive Crusta lactea*, faciei obfuscant nitorem, præmissis præmittendis internis, imprimis laudo inter externa in ulceribus manantibus inspersionem pulverum, acida absorbentium, viscida modicè resolventium & abstergentium, & ita, ut vocant, exsiccantium & detergentium: quales componuntur ex *creta*, *lacte lunæ*, succino, cornu cervi usto, cerussa, tutia, *myrrha*, floribus sulphuris, & similibus, quibus tantillum *salis tartari*, cosmetici summi, quantum nempè sine doloris sensu perferre potest, imprimis si contumaciores fuerint, aut subinde repullularint defœdationes dictæ, consultò addendum: V. g.

℞. *Lap. calam. præp.* ʒi. vel ʒiß.
Cornu cervi usti præp. vel *Ceruss.* ʒß. ad ℈ij.
Flor. sulphuris ℈j. ad ʒß. vel ℈ij.
Sal. tartari gr. xij. vel xv.
M. f. Pulvis subtilissimus:
D. S.
Pulvis inspergendus.

Ulcusculis cum linteolo vel spongiola, *aqua spermatis ranarum* impregnata, abstersis blandè inspergatur.

Vel

℞. *Cretæ pulverisat.*
Tutiæ prep. an. ℈j.
Flor. sulphuris ʒß.
Sal. tartari,
Myrrh. an. gr. xij.
M. f. Pulvis.
D. S. *Ut antè.*

Hinc namque absorpto acido, & deterso viscido, spontè successivè coibunt ulcuscula, idque citra ullum recidivæ metum.

Quibus omnibus præfero & proptereà addendum suadeo pulverem seu crocum ex *vitriolo Martis*, per oleum aut lixivium salis tartari præcipitato factum, & probè ablutum, qui solùm ex nodulo inspersus mirè absumit acida, & prædicta ulcera ad sanitatem perducit; cui pariter tantillum salis tartari admisceri potest; e. g.

℞. *Croci Martis per præcipitat.* ʒj.
Lapid. calam. præp. ʒß.
Cretæ præp.
Ceruß. an. ℈j.
M. D. S.
Ut antè.

Quodsi sicca fuerit *Crusta crassa*, sufficiant simpliciter alcalia fixa, tales crustas blandè emollientia, & acidum vitiosum in radice penitus destruentia, ita ut spontè decidant; quem in finem optimum est, ut blandè humectentur subinde dictæ pustulæ, vel cum lixivio vulgari, vel blandè quasi illinantur cum *oleo tartari per deliquium*, vel illinantur oleo amygdalarum dulcium recenti, aut butyro recenti non salito, addita tamen pauca camphora; sic emollitur crusta, ut ita blandè auferatur, relinquendo vel naturæ, quod superest, conficiendum, vel si supersint ulcera manantia, blandè istos pulveres inspergendo. Commodè etiam oleo amygdalarum dulcium expresso; aut dicto butyro parum olei tartari per deliquium addi potest pro Linimento blando & tenui, eum in finem, ut eò meliùs corrigat fermentum acidum: moderatè tamen hoc fiat, ne acriori litu doloris ratione exasperetur malum. Quin & ulteriùs conducunt balsamus sulphuris temperatus cum axungia porcina & illitus; quæ axungia porcina cum sola camphora subacta in mortario plumbeo, dat unguentum admodum conveniens ad crustam lacteam & capitis tineam.

Aliquando puero novem mensium, cujus cubitum talis crusta lactea infestabat, & instar herpetis exulcerati magis magisque serpendo maximam brachii partem occupabat, præscripsi:

℞. *Cornu cervi sine igne*,
Lap. cancr. præp. an. ʒß.
Mercurii dulc. gr. iv.
Misc. pro usu interno,

Hinc

℞. *Ceruss. præp.*
Cretæ pulverisf.
Lap. calam. an. ℈j.
Sal. tartari gr. vj.
Misc. pro Pulvere.

Inspergebatur leniter ex nodulo locis exulceratis, hinc filamenta carpta imponebantur.

Par curandi ratio est Tineæ capitis infantum, nempè præmissis & continuatis internis: quoad externorum usum, tinea est vel *sicca crustosa*, vel *est humida manans*. In *Tinea crustosa* sicca saltem *litu emolliente suprà insinuato* crustæ semel factæ emolliantur (non tamen citò nimis, ne remotis crustis cutis eadem exulcerata appareat,) & hinc lotione facta ex decocto radicis oxylapathi, chelidonii majoris, betonicæ, saponariæ, herbæ malvæ cum pisis in cerevisia secundaria, quibus commmodè surfures addi solent, abluatur: idque non adeò crebrò, sed intra tres, quatuor ad sex septimanas semel, prout necessitas requisiverit, lotio talis instituatur, istud, quod de crustis internè subnatum fuerit, & interdum à litu emollitum, pectine sive scopa blandè removendo. Convenit etiam decoctum radicis althææ cum urina infantis, pro lotione capitis usurpatum. *Generosissima Comes* à FLECKENSTEIN tinea & alopecia correpta, purgata est pilulis Mercurii dulcis, & pulvere viperarum sæpius ex vino sumpto, caput lixivio cynoglossæ abluendo, & pinguedine natricum Germ. illinendo convaluit: Vid. VELSCHIUS *Mictomim Cent.* 1. *Observ.* 23. annex. *Ann.* 4. & 5. M. A. N. C. Sic porrò tineas in puello Nobili, pileolo ex carne suilla salita imposito brevi percuratus est Patavii: *vid. loc. all. Cent.* 2. *Obs.* 68. Si verò tinea manans & ulcerosa fuerit, ante omnia crines abluendi sunt: Si enim hi ipsi à sordibus manantibus invisrantur, crustam tam densam inducunt, sub qua non solùm cuniculos profundos agit sanies, sed etiam generantur copiosi pediculi, quorum morsicationibus stimulati infantes, scalpendo caput, eò magis malum exasperant, ac deterius reddunt; remotis crinibus filamenta carpta locis exulceratis imponantur, item abstersis sordibus *pulveres suprà insinuati* leniter inspergantur, & hinc dictis filamentis muniantur, donec successi-

successivè crusta sicca supernascatur, sub qua, ne nimiæ colligantur sordes, illa ipsa subinde exprimenda est, ut saniei pateat exitus, deinde ubi sicca apparuerit, litu emolliente, attenuanda, & hinc pedetentim separanda.

Tumores grandiores glandularum in collo & capite, si qui supersint, emplastro de ammoniaco, de cicuta, de galbano matricali, &c. applicatis attenuandi & discutiendi. Vel Emplastrum de meliloto malaxetur cum oleo Philosophorum vel fiat compositum ex eodem cũ emplastro de galbano crocato Mynsichti & ita imponantur, aliquamdiu relinquendo.

Hisce quidem modis mitiori malo commodè succurri potest; si vero gravius fuerit, non secus atque scabies curandæ veniunt. In specie in capitis tinea graviori vulgi experimentum est lotio capitis ex decocto nicotianæ pulverisvè ejus inspersio: sed pessimo cum consilio, cùm ebrietatem turbulentam, anxietates præcordiorum, lipothymias, vomitus, copiosos secessus, & alia gravia symptomata inferre soleat: Conferatur BOYLE *in sua Philosophia Experimentali*, & FEHR *Tract. de Absinth. pag.* 90. qui similem ebrietatem observavit ex pulvere nicotianæ ulceribus capitis manantibus insperso: Sic novi exemplum de puero aliquot annorum pediculis affecto, cui inunctum fuit caput unguento ex pulvere nicotianæ parato, additis aliis, quo ipso brevi post infans percipit angustias præcordiorum, superveniunt purgationes crebriores suprà & infrà, unà cum lipothymiis repetitis. Causa omnes latebat: Tandem deveniebant in suspicionem unguenti, quod abluunt & cum linteolo detergunt: & omnia cessarunt supra dicta symptomata. Propterea cautissimus in usurpandis remediis ex nicotiana.

Præter Nicotianam contra tineam capitis etiam utuntur Mercurialibus litibus, nunc ex Mercurio crudo, nunc vario modo præparato constantibus: Sed hoc non semper absque periculo, quia imprimis in tenerioribus gravissima inducere solet symptomata Mercurius capiti applicatus: e. g. infans achoribus laborans ex inunctione capitis Mercuriali *epilepsiam* letbalem contraxit, referente TIMÆO *Von GuldenKlee in Resp.* 43. *pag.* 106. In robustioribus etiam infantibus *Mercurialia* cautè sunt usurpanda propter metum salivationis, quæ superveniens tam spontè & facilè sisti nequit: Ob id mercurius vivus necessitate cogente in pauca quantitate est permiscendus remediis. Tutiùs adhuc, quàm Mercurius vivus, usurpatur Mercurius præparatus, imprimis cum spiritu nitri præcipitatus, qui communiter appellatur arcanum corallinum: Item conducit etiam Mercurius dulcis, qui non inconvenienter unguentis & linimentis permisceri potest. Aliàs cingulum Mercuriale, seu, ut vocant, cingulum sapientiæ, lumbis saltem circumdatum achores & tineas, uti etiam phthiriasin, optimè curat: Paratur ex cingulo panneo bene insuccato, ut sic dicam, cum Mercurio vivo, vel subigatur mercurius vivus cum axungia porcina, & bene illinatur in cingulum ex panno paratum. Tutò usurpatur in adultis tale cingulum, si præmissa fuerint universalia, si continuò simul usurpentur corpus in blãda diaphoresi conservantia, illudque non nimis exponatur frigori, quin cadum & probè munitum continuò conservetur: Sic FONTANUS *in Anal. cap.* 9. *Exempl.* 6. refert, rusticum achoribus & phthiriasi laborantem, præmissis universalibus zona Mercurio vivo cincta lumbis circumdatâ curatum. Rectè dicit: *universalibus præmissis*; his enim non priùs adhibitis non facilè hæc mala curanda veniunt: Sic enim PLATERUS *in Observat. pag.* 342. refert crustas in mulieris capite erumpentes intempestivè exsiccatas, unde continuò secuta est cephalæa, quæ aperta denuò capitis cute per vesicatorium desiit. Aliàs forma talis unguenti Mercurialis fit:

℞. *Ungu. ros.* ℥ij.
Mercurii vivi,
Pulv. sem. staphisagr. an. ʒij.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum contra pediculos.

Tutius est, quod describit JOEL *in sua Praxi* ad tineam capitis contumacem, post lotionem capitis cum decocto Malvæ, aut aliam appropriatam illinendum:

℞. *Lithargyr.*
Ceruss. an. ℥ij.
Flor. sulphuris,
Mercurii vivi an. ℥j.

Cum s. q. *olei Rosarum* commisc. in mortario plumbeo diutissimè, & f. Unguentum contra tineam non inelegans.

D. S.
Unguentum mundificans.

℞. *Ungu. pedicul.* ℥ij.
Ol. Nicot. ʒvj.
Sal. tartari ʒiß.
M. f. Unguentum.
D. S. ut *suprà*.

℞. *Ol. tartari per deliq.* ℥ij.
Amygd. dulc. rec. expr. q. s. pro consistentia Linimenti:
adde
Ol. destill. spicæ ʒß.
M. S. ut *antè*.

Sed non, nisi extremo in casu, mercurialibus, iisque cautè, utendum erit; hæc enim infantibus tenellis externè sunt nociva, utpote quos subinde ad epilepsiam disponunt. Tutius est, quod ceu mirandum & sæpius expertum unguentum commendat PANAROLLUS *in Pentec.* 5. *Obs.* 31. quod paratur ex *sulphure*, *axungia porcina & succo limonum*. Item Linimentum de amiantho paratum miraculosum dicitur ad tineam puerorum à BOOTIO *libro secundo de Gemmis & Lapid pag.* 204. quo etiam non sine successu usus fuit SCULTETUS *in Armam. Chirurg. Obs.* 96. quo ipso capitis tineam contumacem curavit. Revera tamen parum de Amiantho participare videtur, sed plus de saturno & tutia. Oleum non contemnendum contra capitis tineam est & hoc:

℞. *vitell. ov. ad durit. elix.* No. xvj.
Myrrhæ ℥ß.
Rad. ari,
Serpentar. an. ʒß.
Helleb. nigr. gr. iv.

Misc. probè, & coquantur super carbonibus ignitis absque flamma, donec spumescere incipiant, tuncque exprimatur oleum usui reservandum.

In specie decrescente luna commodè instituitur cura tineæ; nam achores & favi spontè naturæ cessant. Ubi pertinaciora aut periculosiora fuerint ulcera, lapis medicamentosus Crollii (descriptio prostat in BEGUINO & aliis) dissolvatur in aqua nicotianæ, & ita levi manu inungatur; valdè enim juvat.

Quodsi verò ex increscente cranium fuerit læsum, præmissa ablutione ulcerum, cranio læso inungendum est mel rosaceum cum spiritu vini, hinc applicetur pulvis aristolochiæ subactus cum balsamo Peruviano; sic enim successivè deletur caries, & os denuò sanescit.

Quæcunque autem modò recensita externa non nisi præmissis internis, & fomitem morbosum tam in primis viis, speciatim in stomacho, quàm in latice lymphæ corrigentibus & delentibus, in usum vocanda sunt, ne pallietur morbus externus, & gravior internus inducatur affectus.

ARTICULUS XXVI.

DE AFFECTU PEDICULARI SEU PHTHIRIASI.

Tineæ capitis conjunctus & familiaris est affectus pedicularis seu Phthiriasis, infantes sæpissimè mirè torquens, etiam interdum adultos.

CAUSÆ.

Causa hujus est in singulari seminio, ex quo generantur pediculi, quod imprimis in corpore infantili se exserit, & fœtus suos excludit.

Ex internis causis sicus sunt, qui inferre dicuntur phthiriasin, uti hoc observavit HEINRICUS *ab Heer in Observationibus oppidò raris*.

DIAGNOSIS.

Malum ex molestia, quæ inde oritur, per se patet.

CURA.

CURA.

In *Cura* conveniunt lotiones capitis cum semine staphisagriæ, item cum scordio, absinthio, colocynthide, centaurio minori, radice hellebori nigri, & similibus in aqua appropriata coctis. Vulgò commendatur lotio capitis cum decocto nicotianæ, sed pessimo cum consilio, ex rationibus supra dictis. Sanè tutius est usurpare aquam lavendulæ aut spicæ nardi, si his abluantur loca pediculis infestata; aut oleo spicæ, quod est unum ex optimis, vesperi sub introitu lecti caput leviter illinatur, operiendo post inunctionem istud vitiâ; sic enim intereà noctis omnes pediculi interimuntur. Quodsi acrius fuerit oleum, subigi potest cũ pauco butyro non salito, aut oleo amygdalarum dulcium, aut unguento nicotianæ; sic enim dictum factum delentur pediculi, abluendo subsequente mane caput cum lixivio decoctionis spicæ seu lavendulę. Etiam si inquinant loca pudenda pediculi, oleum spicæ est tutissimum. Vel succus absinthii depuratus, in quo probè agitatus fuerit Mercurius vivus, & hic denuò subsederit, optimus est, si illinantur loca pediculis infestata. Semen staphisagrię coquitur in lixivio, vel cum butyro recenti, fit unguentum: item Cocculi de levante pulverisati, & cum butyro non salito subacti, suo litu in margine primò, deinceps vertici & toti capiti, potenter enecant quosvis pediculos.

Vel

℞. *Pulv. Coccul. de lev.* vel *rad. Gent.* ℥ iß.
Rad. Helleb albi ℨß.
Cum s. q. *Ol. Nicot.* vel *Laurin.* f. Linimentum,
irrorandum sub mistione cum aliquot gutt.
Ol. dest. spicæ,

D. S.

Unguentum contra pediculos.

Aloë etiam, & cum hac parata *aqua aloetica* TIMÆI *Von GuldenKlee in Cas. pag* 444. imprimis etiam confert ad affectus pediculares, si hâc aquâ abluantur loca pediculis inquinata: Præ omnibus equidem juratus pediculorum hostis est Mercurius, minus pulicibus infensus: confer. BARTHOLINI *Acta Med. Haffn. Vol.* 4. *pag.* 156. Sed non semper tuto uti licet Mercurio in phthiriasi, quia graviora infert symptomata. Interim præsentissimum remedium, quò omnes fugantur & interimuntur pediculi, ratione Mercurii est, si pediculi hæreant in locis secretis, in superciliis, &c. si abstergantur hi loci linteolis istis, quibus aurifabri pocula sua post deaurationem detergere solent; sic pediculi adhærent vitâ privati. Aliàs certum est, quod Mercurius vivus, aut dulcis, aut cum spiritu nitri præcipitatus, quibusvis unguentis additus, subitò quosvis enecet pediculos. In specie ex pinguedine porcina, succo absinthii, farinâ lupinorum, & pulvere seminis staphisagriæ paratur Linimentum Mercuriale, sed pauco addito Mercurio acuendum. Denique vel solum *cingulum* istud *Mercuriale* seu *sapientiæ*, de quo *superius* locutus sum, etiam certo pediculos fugat, saltim si lumbis circumgestetur; vel Mercurius vivus in bursula secum gestatus in vestimentis pediculos fugat, eosque interficit.

ARTICULUS XXVII.
DE
VARIOLIS ET MORBILLIS.

HActenus dicta occasionem suggerunt in *Morbillorum* & in specie *Variolarum*, originem & abstrusam aliàs naturam meditandi, & inquirendi quæ, quà tales, cum dicta *crusta lactea*, &c. quoad faciem externam, fiendi modum & effectum, in quàm plurimis conveniunt, cùm etiam tinea capitis non rarò post variolas superesse, aut etiam easdem insequi soleat.

CAUSÆ.

Torquet imprimis Philiatros inevitabilis ferè harum insultus, omnibus Europæis, ne dicam de aliis quibusdam Nationibus, familiaris. Ex menstrui sanguinis reliquiis multi cum Arabibus earum radicem derivant; alii ex repetita post semel factam conceptionem venerea libidine; neutrum mihi satisfacere videtur. Quin potius, si quid certi statuendum est, quod aliquod in nobis quasi implantatum sit *variolarum* principium, ratione cujus nemo ferè possit effugere eas, videtur probabile, quod hæ ipsæ originem habeant ex corruptela lactis nutritivi, tam in, quam extra uterum, & vitioso viscido acore infantes inde inquinante; exinde enim & frequentissimè saltem infantes & pueros, rarissimè demum adultos, affligere solent, dum lac peregrino acore inquinatum ad massam sanguineam perfertur, ubi acor iste aut mox cum sale volatili oleoso massæ sanguineæ effervescendo præcipitatur, aut aliquamdiu latens occultè, tandem quasi maturatus occasione datâ, in specie excitatâ massâ sanguineâ, per *fermentum* simile extrinsecùs inspiratum vel haustum, successivè quasi coagulando tandem perniciosam effervescentiam febrilem infert, quocunque tempore hoc eveniat, concurrente, acido fermentativo viscido cum sale volatili oleoso massæ sanguineæ, donec præcipitato & subjugato acido isto vitioso, & sero involuto, critica sanguinis purgatione per vasa capillaria hinc inde sub cute defixa, in specie beneficio glandularum subcutanearum miliarium excernatur, & ibidem sub cuticula hærendo, successivè in *pustulas* tales coacervetur, quarum contentus *succus salso acidus* effervescendo ulterius mitescit, & in pus perfectum abit, unde cuticulæ tandem in squamas erosio, erodente interea sub his ipsis acido cutim subjectam in foveas plus minus, prout magis vel minus effervescentiâ febrili temperatum fuerit: hinc post *variolas* interdum *ulcera periculosa* & cacoethea remanent, tam in partibus externis quàm internis, in specie in tenera vesiculosa pulmonum substantia, pro conditione acidi plus minus virulenti varia; & subinde *tinea capitis* variolas insequitur; uti in variolis hęc sunt satis clara.

Quæ omnia sunt mitiora in reliquis febribus vel cum morbillis vel cum petechiis conjunctis: Utplurimum tamen sunt variolæ.

Præter dicta, ut sunt erosio, ulcuscula *& similia*, quæ confirmant acorem in variolis, etiam confirmatur ex eo, quod imprimis soleat præcedere tussis sicca, rubor & illachrimatio oculorum; quæ omnia loquuntur acrimoniam nimiam in lympha: item, quod in variolis sæpius sit conjunctus ardor urinæ & exulceratio vesicæ, effectus *acidi*, quod ipsum in dictis variolis ossa non rarò arrodere & corrumpere assolet; id quod expertus testatur PARÆUS *de Variol. cap.* 1. Hinc etiam liberi à parentibus lue Venereâ infectis prognati, si postmodum corripiantur variolis, longè pejus habent, observante hoc HORSTIO *lib.* 6. *Observat. Append. pag. m.* 308. Hinc etiam *Mercurius dulcis* in scabie & lue venerea acidum viscidum delet, & ceu singulare alexipharmacon, *maturè* administratus, variolas quoque curat, & earum maturam expulsionem promovet, pariterque præservat: Conf. M. N C *Ann.* 3. *Observat.* 9 & 56. Unde & *convulsivi motus* & *epileptici insultus* variolas sæpè antecedunt, vellicante & lædente partes nervosas (quibus omnia acida imprimis sunt inimicissima) acido viscido, & ad crispaturas earum fibras, & hinc ad inordinatos ac impetuosos motus spiritus animales irritante, antequam perfectè sit præcipitatum effervescendo & in salsum transmutatum, in quo tamen adhuc præpollet acidùm. Unde variolæ & similes febres cum exanthematis in infantibus conjunctæ optimè curantur per remedia acidum istud vitiosum in massa sanguinea corrigentia, & salia volatilia id per sudorem eliminantia, sive absorbendo sive temperando: absorbendo per sal volatile cornu Cervi, cornu Cervi sine igne, ebur sine igne, unicornu fossile, antimonium diaphoreticum, corallia, & similia: temperando per myrrham, castoreum, cinnabarin antimonii, &c. Non rejicio hoc ipso vermiculorum exercitum, in singulis pustulis acervatim grassantem: vid. BORELLUS *Cent.* 2. *Obs.* 72. & *Observ. Microscop Obs.* 51. *pag.* 21. item LIPSIUS *de Variol.* BARTHOLINUS *Cent.* 5 *Hist.* 20. RHODIUS *Cent.* 3. *Obs.* 64. cùm nullum pus absque horum pullulante segete reperiatur, sed hos tanquam effectus spontè ex ordine causarum morbosarum in pure supervenientes, transmitto.

Unicus hic est scrupulus: *cur variolæ interdum tam tardè in quibusdam erumpant*, ita ut interdum ad annos sex, decem, & ferè ad ætatem adultam harum fermentum in corpore lateat? Verùm si consideremus, quod diutiùs morbosa fermenta in corpore delitescere possint, donec sub sua dierum maturitate tandem evigilent; id quod non-

tan-

tum evenit *in affectibus hæreditariis*, sed etiam in *canis rabidi salivali fermento*, & febrium petechialium subinde ad aliquot hebdomadas latente contagio: item, quod vel seminium *luis Venereæ* haustum diutiùs sæpè in corpore lateat, non adeo ineptum videbitur, etiam dicta *fermenta variolarum* tamdiu in corpore latere posse, antiquâ occasione miasmatis similis externè hausti variolas inferente: unde & infantes, qui sub nutritione sani erant & vegeti, post ablactationem subindè cutanea contrahunt vitia, achores & similia, dum vitia lactis per consuetudinem sub lactatione quasi appropriata naturæ citra nocumentum adsunt, quæ mutatâ dietâ per effervescentiæ motum in musteo sanguine separata, & instar fecum præcipitata, hinc inde per sanguinis circulum sub cute defiguntur, & ibidem coacervata suas morbosas ludunt tragœdias, redeuntes subinde pertinaciter, quamdiu tantillum miasmatis morbosi aut seminii fermentativi, nunc sub sanguinis velamento, nunc sub epidermidis tegumento latuerit; quod ex materia conveniente datâ occasione se multiplicat, & malum renovat: quæ ipsa de variolis & morbillis pariter asserenda videntur.

DIAGNOSIS.

Imminentes ergo variolas in infantibus innuunt æstus insignis corporis, dolor pulsatorius in spina dorsi, tussis sicca, quatiens pulmones, oculorum tumor & illachrymatio, pruritus in naribus, angustia quædam, & occultus dolor in faucibus, donec hinc inde die imprimis tertio vel quarto incipiunt emergere monticuli parvi rubicundi, acutiores in variolis, plani ferè & depressi in morbillis. Hi monticuli in variolis rubicundi, interdum etiam purpurei, interdum pessimo omine lividi, turgidiores facti tandem suppurantur, & abeunt in pus, à quo pure tandem corrupta cuticula abit in squamam, quæ tandem spontè decidit, relicto post se foramine, modò maiore modò minore, in ipsa cute.

PROGNOSIS.

Variolæ, quæ quarto die erumpunt, septimo suppurantur, (nam criticus motus in variolis imprimis est observandus) & undecimo incipiunt exsiccari & decidere, sunt salubres & facilè curantur: sin verò variolæ erumpentes non sint plenæ sive turgidæ, sed depressæ & in medio sui habeant quasi foveam, innuit deficientem expulsionem variolarum, adeoque latens periculum.

Variolæ, quæ jam suppurantur, ubi in suppuratione concidunt, & in medio sui foveam quodammodo acquirunt, periculosum est.

Hoc tamen hic observandum est: fit ordinariò, ut dum suppurantur, ex motu isto suppurationis fermentativo & turgescentia materiæ suppurandæ, quod semper pustulæ sint plenæ & turgidæ, quæ ubi factum est jam pus, nonnihil concidere videntur: sed hæc concidentia & depressio matura, non confundenda cum concidentia immatura & subitanea, quæ dum fit, est periculosa.

Erumpentes variolæ quò magis rubicundæ, eò meliores, benigniores & salubriores; quò magis lividæ eò, maligniores & sæpissimè lethales.

CURA.

Quoad *Curam variolarum & morbillorum* (quæ etiam potest adhiberi in Purpura infantum, quam ex utero materno habent:) mox in principio, quando infantes incipiunt ægrotare, vel altero die, principium, fiat laxando alvum per Mercurium dulcem, modò infantes fuerint ablactati. Sanè cùm ante hoc triennium variolæ populariter grassarentur inter infantes, ad imitationem BOUCHARDI & GRASSII in M.A.N.C. *Ann.* 3. *Observ.* 9. & 56. *pag.* 13. & 56. omnibus, quibus suspicio forsan imminentium variolarum aderat, mox in primo principio Mercurium dulcem dedi pro ætatis ratione, grano uno vel altero præter propter annorum numerum transcendens: v. g. infanti duorum annorum dedi gr. ij. vegetiori gr. iij. trium annorum gr. iv. quatuor annorum gr. v. vel vi. Pulvis hic nunc solitarius, nunc sub tegmine conservæ rosarum, in principio primo datus nunc vomitum, quod libenter vidi, & aliquot secessus, nunc alterutrum solum provocavit, & ferè semper felicem eventum appropriatis remediis adhibitis observavi: e. g. pro infante 1. 2. vel 3. annorum:

℞. *Conf. rosar.* ℈ß.
Mercurii dulc. gr. j. ij. vel iij. pro ratione ætatis.
Cum s. q. *Syr. rosar.* f. bolus.
D. S.
Bolus laxativus.

In forma pulveris:

℞. *Mercurii dulc.*
Sacch. an. gr. iij.
M. D. S.
Pulvis laxativus.

Detur in vehiculo liquido ex cochleari ligneo infanti 2. vel 3. annorum.

Interdum nihil operatur, unde pro stimulo granulum pulveris jalappæ addi potest, sequenti modo:

℞. *Mercurii dulc.* gr. v.
Pulv. Jalapp. gr. ß. ad gr. j.
Sacch. ℈ß.
M. f. Pulvis:
S.
Pulvis laxativus,

Puero 4. vel 5. annorum:

℞. *Conserv. rosar.* ℈ß.
Mercurii dulc. gr. v. ad viij.
Pulv. Jalapp. gr. ß. ad gr. j. (si robustior)
Cum *Syr. Ros. solut.* f. Bolus:
S.
Bolus purgans.

Sin verò graviùs affligat morbus mox cum prostratione virium, æstu, jectigatione corporis, in principio exhibetur pulvis epilepticus antimonialis cum euphoria. Principio autem præterlapso aliis insistendum.

Quando symptomata circa primas vias urgent cum murmuratione hypochondriorum, tensioneque abdominis, clysma blandum injiciatur ex decocto avenæ cum lacte, addito melle.

Præterlapso principio pro variolarum & morbillorum expulsione, seu acidi viscidi peccantis ex lympha & sanguine separatione, indeque natæ febrilis effervescentiæ mitigatione, emulsiones ex seminibus istis expulsivis dictis, aquilegiæ videlicet, napi, cardui benedicti, nasturtii, & similibus, additâ paucâ *myrrha*, optimæ sunt, factæ cum *aqua florum sambuci*, *scabiosæ*, fœniculi, veronicæ, tenellorum cornuum Cervi, & similibus, ad imitationem ZWELFFERI *Pharm. Reg. pag.* 209. quæ infantibus perquam salutariter porriguntur.

His si adsit epilepsia, vel immineat, grana pœoniæ simul possunt addi; ut etiam, si inquieti sint nimis infantes, sese jactitent, & stragula non ferant, id quod imprimis fit prioribus duobus diebus, tunc optimè aliquantulum seminis papaveris albi addi potest in his emulsionibus: v. g.

℞. *Sem. aquileg.*
Napi an. ʒj.
Papav. albi ℈ij.
Cum s. q. *aquæ Fœnic.* & *flor. Sambuci* f. Emulsio, quæ est optima:
D. S.
Emulsio expellens.

Huic possunt addi vel antimonium diaphoreticum, vel cornu Cervi sine igne, vel pulvis epilepticus Marchionis, vel unicornu fossile, & similia appropriata:

Vel

℞. *Sem. Napi*,
Aquileg.
Card. bened. an. ʒj.
Cum s. q. *aquæ Scabios.* vel *flor. famb.* f. Emulsio: adde
Ess. Myrrh. ʒj. ad ʒjß.
Cornu Cervi sine igne ʒß.
Edulcoretur parum:
D. S.
Emulsio expellens.

Ulterius & *antimonium diaphoreticum*, tam vulgare quàm, quod magis appropriatum hic creditur, ex *Mercurio vitæ* cum *nitro* præparatum, addito parum *myrrhæ*, item castorei, consultò in aqua vel vehiculo appropriato iisdem reiteratis vicibus exhibetur; non secus ac Bezoardicum solare & *cornu Cervi sine igne*, simili modo salubriter convenit; item magisterium coralliorum cum succo citri mistum cum myrrha: e. g. præmisso præsertim usu Mercurii dulcis:

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. xvj. ad ℈j.
Myrrh. el. gr. iv. vel vj.
Theriac. gr. ij.
M. f. Pulvis.
Divid. in 2. part.
D. S.
Pulvis expellent.

℞. *Cornu Cervi sine igne* ℈j.
Myrrh. el.
Sal. vol. cornu Cervi an. gr. iv.
M. f. Pulvis:
Divid. in 2. part.
S. *Ut ante.*

Item

℞. *Corn Cervi sine igne,*
Ebor. sine igne an. gr. vij.
Castor. gr. ij.
M. D. S.
Ut suprà.

℞. *Cornu Cervi sine igne* ℈j.
Antimonii diaph. ℈ß.
Myrrh. el. gr. vj.
M. pro Pulvere:
Divid. in 2. part. æqu. S.
Pulvis sanguinem purificans.

℞. *Antimonii diaphor.* ℈j.
Cinn. Antimonii ℈ß.
Myrrh. el. gr. v.
Castor. gr. iij.
M. pro 3. dos. S.
Pulvis expellens.

℞. *Pulv. Bezoard. D. Mich.* ℈j.
Salis card. bened. gr. iv.
Myrrhæ gr. ij.
M. pro 2. dos.
D. S. ut *ante.*

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. xvj. ad ℈j.
Myrrh. el gr. vj.
Salis absinth. vel *Card. bened.* gr. ij. vel iv.
M. pro Pulvere:
Divid. in duas part. S.
Pulvis sanguinem mundificans.

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. xij. ad ℈j.
Antimonii diaph. gr. iv ad ß.
Salis Card. bened. gr. iij. vel iv.
M. f. Pulvis:
Div. in 2 part. S.
Pulvis expellens confortativus.

℞. *Aquæ Scabiof.*
Card. bened. an. ℥vj.
Ess. Myrrh. ℨj.
Cornu Cervi sine igne ℈j.
Antimonii diaph. ℈ß.
Syr. scabiof. ℥iij.
M. S.
Ut ante.

Dicti pulveres imprimis propinantur in incremento morbi secundo vel tertio die, dum ęitus urget, ante eruptionem, quibus etiam, variolis erumpentibus, insistendum.

Castoreum singulare est in expellendis & curandis infantum variolis, miras habet virtutes in expellendo, & cum antimonialibus commodè permiscetur: v. g.

℞. *Cornu Cervi sine igne,*
Antimonii diaph. an. gr. vij.
Castor. gr. ij. vel iij.
M. f. Pulvis S.
Pulvis expellens.

Detur infanti trium vel quatuor annorum, potenter expellit.

Unde butyrum rubrum potabile est singulare remedium, si liquefactum propinetur infantibus contra variolas, quoniam ingrediens habet castoreum.

Castoreo non cedit *myrrha* jam aliquoties præscripta, nec unquam in variolis & morbillis negligenda est, tot experimentis jam confirmata, & in expulsione, nec non promovenda suppuratione, & impediendis cicatricibus mirabilis: e. g.

℞. *Antimonii diaphor.* ℈j.
Cinnab. antimonii ℈ß.
Myrrh. el. gr. v.
Castor. gr. iij.
M. f. Pulvis pro tribus dos.
D. S.
Pulvis sanans & sanguinem purificans.

Mihi aliquando evenit talis casus: Erat puella decem annorum, cujus variolæ jam erumpebant, & eruptæ incipiebant sine suppuratione evanescere, cum superveniente gravi diarrhœa, & cujus pedes jam omninò usque ad genua cum intenso calore livescebant; quæ omnia symptomata veniebant ex variolis retrocedentibus. Ut ergo easdem denuò promoverem extrorsum versus, præscripsi sequentia:

℞. *Antimonii diaphor.* gr. xij.
Castor.
Myrrhæ an. gr. iv.
Camph. gr. ij.
M. f. Pulvis:

Præparabatur in duplo.

Capiebatur dosis una manè, altera vesperi, & his ipsis denuò puella fuit restituta erumpentibus denuo & suppuratis variolis.

Unde & *Essentia myrrhæ* seu *salutis suprà laudata* comprobatæ hìc est efficaciæ; non secus ac *essentia castorei*, tam simplex, quàm, quæ magis est composita, è *castoreo & asa fœtida*, *cum tinctura tartari* aut spiritu vini tartarisato parata, præservativè pariter ac curativè ab aliis maximè commendantur.

Dum ergo variolæ plenè erumpunt & attolluntur:

℞. *Tincturæ tartari acerr.* ℥ij.
Ess. Myrrh. volat. ℨj.
M. D. S.
Essentia sanguinem purificans.
Vel

℞. *Tincturæ tartari acerr.*
Ess. Myrrh. tartaris. an. ℥ß.
M. S.
Ut ante.

℞. *Ess. Myrrh.* ℨij.
Tincturæ antimonii ℨj.
M. S.
Ut antea.

De his dosis gutt. xx. vel xxv. pro infante trium, quatuor & quinque annorum bis, ter & quater in die & noctis spatio, pro ratione circumstantiarum.

Dictis usibus, (nisi superfluè delicati in remediorum selectu esse velimus) similiter fimus equinus est summum remedium in variolis infantum, recens cereuisiæ vel potui ordinario infusus, subactus & expressus, vel ejus succus bis permixtus, promovet expulsionem & febrim potenter sistit, & in specie certissimè præservat ab angina, & ne variolæ partes internas, in specie fauces, infestent, quod periculosum est: præfertur tamen huic adhuc *stercus ovillum* in variolis, sicut in morbillis *caprillum* eminet.

Quodsi gravior malignitas & acrimonia in variolis sub eruptione convulsiones & *epilepticos insultus* inferat, in tenerioribus convenit *liquor cornu Cervi succinatus*, aut salia volatilia viperarum, aut cornu Cervi, cranii humani & succini; sicut robustioribus paulò pulvis epilepticus antimonialis, vel cinnabaris antimonii, & super ejus basin constructum specificum cephalicum; quæ mirè conferunt in infantum epilepticis affectibus in variolis. Nam cinnabaris antimonii malignitati potentissimè resistit, plus quàm omnia antimonialia, imprimis cum dictis volatilibus sociata: item bezoardicum solare: e. g.

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. v. vel viij.
Cinn. antimonii gr. iv.
Sal. vol. cornu Cervi gr. ij.
M. S.
Pulvis expellens alterativus.

℞. *Aquæ Card. bened.* ℥iß.
Cornu Cervi sine igne ℈j.
Cinn. antimonii gr. xij.
Sal. vol. cornu Cervi gr. v.
Syr. Card. bened. ℨiij.
M. S.
Potio confortativa expellens.

℞. *Aquæ Scabiof.* ℥iß.
Cornu Cervi sine igne gr. xij.
Cinnab. antimonii gr. viij.
Bezoard. solar. gr. iij.
Sal. vol. cornu Cervi gr. iv.
Theriac. gr. ij.
Syr. scabiof. ℨiij.

M. S.

M. S.
Ut ante.

Externè simul, si dolor abdominis tensivus adfuerit:

℞. *Ol. destill. succini* ℈j.
Spicæ gtt. v.
Corp. pro Bals. q. s.
M. D. S.
Balsamus lenitivus.

Quo regio umbilici & scrobiculus cordis inungatur, idque aliquoties; sic enim epilepsia evanescit.

In declinatione, si jam eruperint variolæ, corporis feruor tepescat, & suppurari incipiant, ut faciliter suppuratio fiat, & præcaveantur cicatrices, in specie in puellis, optimum est propinare lapillos cancrorum præparatos cum pauca quantitate myrrhæ, crebriùsque repetere; hæc duo temperant acrimoniam & corrosionem impediunt.

Vel

℞. *Lap. cancr. præp.* ℈ij.
Salis absinth. gr. xij.
Myrrhæ gr. vj.
M. f. Pulvis pro tribus dos.
D. S.
Pulvis sanguinem mundificans.

Externè spongiâ cum *lixivio salis tartari* ebriâ blandè tangantur pustulæ, sic mortificatur acidum, & tollitur erosio.

Nutrix interea, si infans est adhuc sub lactatione, quotidie utatur in potu communi *gelatina cornu Cervi* dissolutâ: item hauriat subinde decoctum radicis scorzoneræ, quod est optimum; id quod etiam potest infanti propinari felici cum successu.

Decoctum cornu Cervi cum ficubus commodissimè etiam propinatur infantibus, cùm ficus temperando acrimoniam salinam quemcunque efferuescentiæ motum nonnihil minuant, & nimium impetum uariolarum, imprimis in faucibus & collo aliisque partibus internis, corrigant; unde etiam quibusdam in usu decoctum milii est cum ficubus salubri cum successu.

Hoc tamen obseruandum est, ne ficuum nimia sumatur quantitas: Nam ficus laxant aluum infantum, quæ alui laxatio in uariolis & morbillis sæpissimè est lethalis: etiamsi per octo aut decem dies in his obstructa sit aluus, nihil periculi infert, sed sponte aperitur denuò. Cautissimus ergò sit Medicus, ne aperiat aluum infantum, dum laborant uariolis.

Cum crustæ iterum decidunt, pro interna mundificatione post duas uel tres septimanas à primo morbi insultu iterum purgatio instituatur ex Mercurio dulci; cum uerò minus laxare soleat, pro stimulo eidem granum unum uel alterum Jalappæ addi possunt.

Vomitus in principio urgentes nunquam tutò sistendi; si uerò excedant, optimum est Theriaca, uel g. iß. Laudani opiati pro aliquot dosibus. His non sufficientibus accedendum ad liquorem cornu Cerui succinatum, qui optimè prodest, & eosdem quietos reddit. Dosis sunt gtt. iij. iv. v. in potu ordinario.

Si uerò in incremento & statu *Diarrhœa* superueniat, ut plurimum funestum est, nisi in infantibus succulentis, præcipuè si in statu, occasione vel potus nimii vel frigidiusculi orta, & imprimis si murmurationes abdominis conjunctæ & excrementa spumosa fuerint, tunc infundatur ℨj. pulueris terræ sigillatæ in mensuram semis potus ordinarii, de quo infantes benè agitando bibant; sic breui post sedatur diarrhœa, & uariolæ progerminant.

Vel

℞. *Aquæ Menthæ,*
Flor. samb. an. ℥j.
Gel. cornu Cervi ℨvj.
Succ. Cydon. ℨß.
Terræ Sigill. ℈j.
Antimonii diaphor. ℈ß.
Syr. ex toto citro ℥ß.
M. S.
Mixtura adstringens, confortans, & expellens: capiatur cochleatim.

Si uerò in statu ob symptomatum syndromen *Vires* fuerint *prostratæ*, optima fuit Tinctura Coralliorum cum spiritu cordis Cerui ad gutt. viij. vel xij.

Si *Nimiis sudoribus* diffluant, & inde fiant imbecilliores, analepticum optimum est haustulus uini, uel panis similagineus uino intinctus, & ita propinatus. Aliàs non liberales simus in uino concedendo.

Ut à uariolis *præserventur nares*, odor aceti imprimis conducit.

Quodsi *periculum oculis immineat*, quod duplex est:

1. Ne uariolæ oculi bulbum occupent;
2. Palpebras obsideant, quibus suppurantibus oculus aperiri non potest.

Hinc ratione prioris mulier quædam sana allium masticet, & halitum oris oculis inflet, manè stomacho jejuno crebriùs repetat: uel crocus accipiatur, infundatur aquæ fœniculi, & infusum hoc (non tamen fit acre) instilletur: vel ex *ruta recenti* contusa exprimatur *succus*, qui per filtrum missus, & cum *aquis ophthalmicis* mistus, instilletur: Interdum aqua plantaginis cum pauca cerussa & camphora instillanda.

Si uerò *Palpebræ* sint *obsessæ & inviscatæ*, pro iisdem aperiendis, ne erodantur, sufficit Decoctum blandum uel florum meliloti, uel herbæ maluæ, calidè applicatum oculis cum linteo. Malè lac usurpatur, quia facilè acorem contrahit. His irritis, si oculi inquinentur, & post curatas variolas vel lippitudo, vel ophthalmia, vel uisus hebetudo supersit, appriatis succurratur, sed simul nuchæ applicandum vesicatorium: quo non sufficiente & clauso, bina vesicatoria pone aures applicentur, quæ impedimenta removent, ut oculi meliùs curari possint per reliqua remedia. Pro uesicatorio autem

℞. *Empl. vesic. ust.* ℨß.
Citrin. ℨj. vel ℨij.
Cum s. q. *Ungu. alth.* f. Emplastrum: S.
Emplastrum vesicatorium.

Quod inducatur super linteum, & applicetur.

Ut uerò diutiùs apertum servetur, recipiatur *Emplastrum de spermate ranarum*, & addatur quinta vel sexta pars dicti *emplastri vesicatorii.*

Ut Angina præcaveatur, fimus equinus, aut, si collum jam obsessum sit variolis, decoctum ficuum moderatâ dosi conducit: syrupus variolarum interdum lentè deglutitus maturat suppurationem.

Tussim & pectoris affectus optimè curant remedia ex scabiosa, vel sola, vel cum spiritu salis ammoniaci anisato mista; hic enim in affectibus pectoris in uariolis optimus est:

Vel

℞. *Tincturæ tartari* ℨij.
Elix. Propr. sine acido ℨj.
M. S.
Tinctura solvens: 30. *guttæ.*

Vel

℞. *Aquæ hyssopi,*
Tussilag. an. ℥iß.
Syr. de Juiub.
Violar.
Nicot. an. ℨvj.
M. D. S.
Succus tussim solvens.

Puer unius anni cum semisse, cum alii fratres morbillis correpti decumberent, ex improuiso à meridie cum graui stertore incalescere admodum & debilitari cœpit. Cum malum hoc ex imminentibus uariolis esse suspicarer, & alii fratres unà decumbentes graviter tussirent, præscripsi sequentem potionem:

℞. *Aquæ flor. samb* ℥iß.
Liqu. cornu Cervi succin. ℨj.
Syr. Papav. albi ℨiij.
Misc.

Hujus usus copiosissimi proruperunt morbilli, & stertor & difficultas anhelandi cessarunt: Nempe ex impetu lymphæ acrioris, & hinc inimica uellicatione & irritatione faucium, laryngis & pulmonum, malum ortum fuerat: ob id acrimonia suspecta maligna erat corrigenda per uolatilia, irritationis autem sensus sopiendus per papauerina.

Interdum superuenit *Aphonia*, quæ duplex: uel sonum formare non possunt, quod fit uitio laryngis & neruorum ejusdem; uel licèt sonum edant, loquelam tamen formare nequeunt, quod fit uitio linguæ & ejusdem neruorum. Primus casus reperitur in HILDANO *Cent. 6. Obs. 14.* sed est rarus. Secundus casus curatur per internos uolatilia antiparalytica, imprimis essentiam castorei, quæ linguæ in parte prima circa frenum crebrò affricetur: Vid. HORSTIUS *Obs. lib. 1. Observ. 29.*

ARTICULUS XXVIII.
DE
SUBLUXATIONE INFANTUM.

INfantes paulò adultiores vehementiori sub motu frequenter *Subluxationem* incurrunt, unde hypochondriorum tumor, difficilis respiratio, totius corporis æstus, appetitus dejectus, vigiliæ, &c. superveniunt.

CURA.

Curatur optimè, si infantes imponantur ventri, & manus & pedes per crucem sibi invicem admoventur; hoc enim modo curatur subluxatio.

ARTICULUS XXIX.
DE
MACIE ET ATROPHIA INFANTUM.

FRequens & sæpè difficillimum curatu, simulque periculosum malum est, quando sub nutritione subinde deficiunt infantes, ita ut eorum corpus succo nutritivo privetur, & ejus partes musculosæ flaccidæ & molles fiant; uno verbo: quando non nutriuntur & augentur, sed successivè, utut alimenta capiant, macilenti fiant, adeoque plus minus macie & atrophiâ corripiantur.

Macies hæc in genere est vel *symptomatica*, vel *morbosa*. *Symptomatica* est, quando alium morbum, febrim, diarrhœam, vel similem affectum sequitur. *Morbosa* est, quando citra talem prægressam causam, vel citra prægressum alium morbum, ex se ipso radices egerit, vel ex se ipso inceperit.

CAUSÆ.

Talis Maciei *Causæ* sunt plurimæ, quas ordine pertractabo.

CAUSA I.
DE
NUTRIMENTI DEFECTU.

PRima quidem *Causa* est defectus nutrimenti laudabilis, quando lac nutricis minus proportionatum est ad crasin fœtus seu infantis nutriendi, quin potiùs acrius & salsius existit; tunc enim minus nutriri possunt infantes. Id quod fit imprimis in nutricibus cholericis, ut sic dicam, seu habitus minus succulenti, & quæ quodammodo ad phthisin aut hecticam inclinant, in specie, si jam diutius lactaverint alios infantes: nam talium lac asperum nonnihil est, & minus aptum ad nutriendum infantem, qui nutrimentum temperatum, roscidum & quasi oleosum requirit; vel vitiatum: ubi illinc atrophia, hinc cachexia supervenit.

DIAGNOSIS.

Cognoscitur hoc ipsum vitium, si ipsa nutrix talis sit, & infantes citra manifestam aliam quamcunque causam successivè emacientur & parum vel nihil proficiant.

PROGNOSIS.

Affectus non est contemnendus; semper enim periculum infantis viribus intendet.

CURA.

Propterea in Cura lac & nutrimentum laudabile suggerendum; pro quo scopo imprimis mutanda est nutrix, & post mutationem nutricis, aut etiam si infans quodammodò sponte minus aptus sit nutritionis aut si contabescat & minus nutriatur propter vitium nutricis, post nutricis remotionem commodè balneatur infans in lacte bovino vel caprino: quo ipso subinde blandè fricanda sunt ejusdem membra, & postmodum capiatur hedera arborea, crescens in quercu, ex qua hedera arborea destillatur aqua, quæ mirè commendatur in tali infantum macie: sicuti etiam ipsa folia hujus hederæ pulverisata ad ℈j. cum pauco syrupo violarum sunt propinanda.

Præter hæc etiam aqua filicis destillata mirè laudatur, ex qua filice etiam culcitras sub dorsum ponendas suadent. Sunt etiam, qui in tali casu post balneum lactis commendant unguentum ex butyro non salito, quo subinde membra tenella fricanda sunt.

CAUSA II.
DE
LUMBRICIS.

CÆterum præter lactis vitium *Secunda Causa* maciei infantum est, quando nutrimentum, licèt laudabile, absumitur à *lumbricis*, item *crinonibus*, qui ubi sunt copiosiores, aut etiam diutiùs retenti fuerint in infantibus, tandem maciem inducunt. De *Lumbricis*, cum eorum *signis* & *cura*, *suprà dixi*.

CAUSA III.
DE
CRINONIBUS SEU COMEDONIBUS.

SEquitur *Causa tertia Maciei & Atrophiæ*, Dracunculi sive Vermiculi subcutanei capillares infantum, quatenus hi ipsi atrophiam simul junctam semper habere solent. Incognitus & indictus antiquioribus fuit morbus, cujus passim superiori ac hodierno seculo à Medicis non minus, quàm medicastris mulierculis, fit mentio, & ab istis quidem morbus pilaris infantum communiter appellatur, proprio autem nomine *Comedones* ab adjuncta infantis tabe, *quasi vermes* qui nutrimentum infantum comedendo largiùs absumant, item Crinones à figura, quod, si in balneo ritè tractentur, crinum seu pilorum curtorum nigrorum formâ foras interdum prominere per poros cutis soleant, appellantur. Germanis *die Mit-Eßer*, *die Zehr-wurme*, quæ pro animalculis intercutanea loca inhabitantibus ab aliis habita fuerunt. Differunt à Sironibus seu Cironibus, vermiculis minutis, quasi pediculáribus, in pustulis serosis prurientibus sub cuticula manuum imprimis & pedum enatis, de quibus vid. SENNERTUS *lib.* 5. *Prax. Part.* 1. *cap.* 24 *pag.* 118. LANGIUS *libr.* 2. *Epistol.* 42. GOEDARTIUS *Metamorphos. Part.* 1. *pag.* 126. sicuti & Sironum & Crinonum formæ, per microscopium consideratæ, differentes planè deprehenduntur. Dicti *Crinones* vermiculi capillorum spissorum seu setarum curtarum formâ nudo oculo aspicienti se exhibent, qui mellis dulcedine per frictionem allecti in loco calido foras prorumpere nonnihil, frigoris verò ipsis inimici sensu denuò introrepere, observantur; sic enim apparent vermiculi formâ singulari, oculis rotundis grandiusculis, coloris subcineritii & plus minus nigricantis, cornubus seu potius antennis binis longè prominentibus instructi, cum caudis oblongis in fine villosis, uno nomine: aspectu satis horridi; prout nuperrimè ab amico curioso & artificioso, nempe Dn. CHRISTIANO SCHÆFFERO *Serenissimi Ducis Saxoniæ* MAURITII *Apelle Aulico* dexterrimè (non secus ac alia talia minutissima insectula, in specie sirones, item termites seu potius lendes caseorum, &c.) hæcce sub forma accuratè per microscopium observati & delineati fuerunt: quorum iconismus videri potest in *Valetud. Infant. cap.* 2. §. 33. Occupare magis loca musculosa, imprimis dorsi, sive totius interscapilii tantum, maximè tamen scapularum, humeri, item surarum & crurum, sub cuticula assolent. Infantes imprimis teneriores, minus robustiores, affligere solent.

CAUSÆ.

Originem iis subministrat suppressa insensibilis transpiratio, ut rectè id suspicatur HORSTIUS *lib.* 4. *observ.* 53. *pag.* 254. quæ temperata si fuerit, minusque acris, dulcis & pinguis, retenta diutiùs ad putredinem ruit, unde occultata antea & oppressa penitus principia seminalia, quæ in minimo, seu, ut vocant, in atomo sensibus imperceptibili latere possunt, sui juris facta, destinationes naturales exequuntur,

quuntur, & in viva animalcula prorumpunt. Nempè in lacte, ratione alimentorum ex quibus generatur, non secus ac in pulte, milleformia insectulorum & vermiculorum latent semina, quæ in tenello infantis stomacho non adeò exactè alterata, facilè data occasione evigilare, & in actum secundum erumpere valent: hinc & quidam crinones hos illis vermiculis seu ascaridibus similes asserere volunt, qui in antiquis caseis innasci observantur. Hi ipsi crinones animati molestiam admodum prurientem & continuò lacessentem, plus minus tamen, sub cuticula admodum sensili excitant, indeque inquietos, ejulantes & vigiles reddunt infantes, quibus utut sæpius porrigant mammas nutrices, quas etiam exhauriunt, tamen inquietudine, vigiliis & ploratu confecti, minus dictum alimentum degerere aut ritè assimilare possunt, donec emacientur tandem, & ita successivè in tabem proruant: ut ob id existimem, non tam ratione nutrimenti à vermibus exhausti, quàm ratione symptomatum ab istis introductorum, maciem & tabem consecutivè supervenire. Ubi ergo adsunt talia symptomata, mulieres statim dicunt, aut subesse fascinationem, aut adesse crinones.

C U R A.

Quoad *Curam*: Crinones sunt eliciendi. Hi cognoscuntur & removentur simul, si infans deducatur in balneum aquæ dulcis, in quo benè fricetur cum melle farinâ subacto; sic enim sub lotione hujus dulcedine allecti cum sudore per poros erumpunt sub forma pilorum nigrorum crassiorum, qui tamen postmodum, dum ita emittunt capita, commodè vel cum unguibus acutioribus, vel novacula exigua, vel cum crusta panis acuta, subtiliter abraduntur, & ita tolluntur; id quod aliquoties reiterandum erit, unde melius habere infantes observantur. Aliis in more positum est, ut ablutos in balneo infantes manu melli intinctâ blandè perfricent: & hinc prolectos vermiculos vel crustâ panis duriore in formam aciei cultri rescissa, idque tutiùs; vel scalpello, idque minus securè, abradant & removeant. PETRUS à CASTRO *Tr. de Colostro* mulierum Lusitanarum experimento fuliginem caminariam cum melle & lacte mixtam, dorso illitam laudat. Quidam loco talis unguenti ex melle imponunt infantes in lixivium, in quo stercus pullorum gallinarum bullivit: Huic ipsi lixivio ad collum usque immergunt infantes, & ita nonnihil ad sudorem disponunt, postmodum levi manu melle illitâ crinones proritant, quos postmodum dicto modo vel novaculâ vel crustâ panis acutâ abradunt: repetitur toties (ad biduum, triduum) quamdiu præsentia talium hospitum se manifestat.

Quodsi copiosiores sint, aut subinde regenerentur, radicitus evellendi sunt secundùm modum TIMÆI *Von Guldenklee*, quem habet *in suis Casib. lib. 5. de morb. infantum cap.* 23. nempè ut propinentur internè tincturæ antimoniales; loco quarum tamen essentia myrrhæ & remedia viperina non erunt minoris pretii. Externè verò in balneis talibus & post talem frictionem quotidiè abstergendi sunt infantes cum *aqua* sua *aloetica*, parata ex *aquæ absinthii* ℔ij. in qua dissolutæ sint *aloes hepaticæ* ℥ij. Hac ipsa aqua fricati ita infantes omnino amittunt, & curantur ab istis crinonibus. Quin imò putarim, aquam hermeticam seu decoctionis Mercurii vivi, uti lumbricis & scabiei optimè conferre solet, etiam eandem in balneo cutim abluendo usurpatam, citra ullum periculum dictos crinones necare & tollere posse. Plura de his videb. in VELSCHIO *supra citatis locis*. Unguentum contra Sirones vid. in SENNERTO *Pr. lib.* 5 *pag.* 118.

C A U S A IV.
D E
VASORUN LACTEORUM & GLANDULARUM MESENTERII OBSTRUCTIONE.

Porrò quarta *Causa atrophiæ & maciei* infantum, hactenus ferè incognita, est, quando commodè nutrimentum distribui nequit, ex infarctu & obstructione viarum ac ductuum abdominis, vasorum lacteorum, & consequenter glandularum mesenterii, per quas vias naturaliter chylus deberet moveri ad massam sanguineam. Certum enim est, quod his ipsis locis obstructis & oppilatis, tandem deficiat necessariò corpori nutrimentum: unde tales infantes quoad membra sunt macilenti, & minus nutriuntur, quin potiùs decrescunt; abdomen autem ferè tumet; utplurimum secessus liquidi copiosi observantur. Vocant hunc affectum mulieres Germanæ *das unterwachsen der Kinder*, quando scilicet intumescit abdomen infra costas: conf. M. A. N C *Ann.* 2. *Obs.* 152. *pag.* 237. SYLVIUS *Prax. lib.* 1. *cap.* 14. §. 56. *pag.* 168. BARBETTE *in Prax. lib.* 3. *cap.* 2. *Observ.* 3. & *Anat. Pract. lib.* 1. *cap.* 14. HOEFERUS *Herc. Med. lib.* 7. *pag.* 349. & SYDENHAM. *de Feb. pag.* 89.

C A U S Æ.

Causæ sæpissimè sunt pulmenta viscidiora & tenaciora uberiùs ingesta; Nutrices enim interdum vix desistunt, quin infarciant talia pulmenta, ut tantum non digitis attingere ferè possint. Hinc fit, ut talia pulmenta loco nutritivi succi distribuendi sæpissimè degenerent in mucilaginem crassam, plus minus acidam viscidam, quæ successivè intestina aut admodum incrustando, aut orificia & ductus lacteorum obstruendo, etiam ipsas glandulas mesenterii consequenter infarciendo, debitum nutrimentum corporis deficere facit.

DIAGNOSIS.

Signa ex modò dictis facilè patent, imprimis ex causa prægressa, ex tumore abdominis, item ex aliquali ejus ad tactum duritie, quæ excernuntur, solent esse viscida, albicantia, & quæ sunt similia indicia.

PROGNOSIS.

Periculosum est hoc malum; nam atrophia lethalis tandem necessario sequitur.

C U R A.

Si ergo ex denegato nutrimenti transitu, & debitâ distributione cessante, *atrophia* infantes corripiat, pro cura hujus mali internè conveniunt alimenti depravationem corrigentia, & hujusmodi mucilaginosas sordes, vasa obstruentes, alterantia & resolventia. Conveniunt ergo laudata sæpius *salia volatilia*, quæ forti penetratione obstructos antea meatus reserant, præmisso & interdum iterato subinde blando laxativo, ob id lactationis tempore subinde iteranda: sicuti post ablactationem convenit *tartarus vitriolatus Tachenii*, ut & arcanum duplicatum Mynsichti, in brodio seu decocto passularum propinata, quotidie reiteranda. Pariter *liquor terræ foliatæ tartari* seu sal essentiale tartari resolutum in liquorem, infanti subinde guttulatim propinatum, à BARBETTE *laudatur in Praxi lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 3. Item tinctura tartari. Commodè etiam usurpantur Martialia, liquor seu *tinctura vitrioli Martis tartarisata*; vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *observ.* 150. *pag.* 454. & crocus martis aperitivus cum tartareis permistus. Hinc ceu præsentissimum sæpeque expertum remedium in tali casu commendat HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 349. Pulmentum illud, quod vertex ferreus rotæ molaris inter movendum colligit, extra illitum, quod nihil aliud est, nisi subtilissimus quidam crocus martis istâ agitatione è ferreo vertice abrasus. Unde HORSTIUS propinat in tali casu infantum aquam istam, quæ in acuandis instrumentis ferreis sub cote colligitur, Germ. *das wasser vom schleif-Stein*. Commodius est, ut usurpentur tincturę Martiales, imprimis permistæ cum remediis tartareis. Hæc interiùs oblata sunt optima.

Externè commodè fiunt unguenta & linimenta abdomini illinenda pro resolvenda & attenuanda ista mucilagine spissiore & meatibus reserandis, quæ attenuata postmodum in intestinis blandè per laxantia est evacuanda. Imprimis convenit *linimentum ex gummi ammoniaco supra laudatum*, ubi de Torminibus; vel *unguentum Martiatum*, *unguentum Althææ compositum*, & *oleum Philosophorum*, mixta, felle tauri acuata, & abdomini illita. Sequens unguentum BARBETTE, quod habet *in Anatomia Practica l.* 1. *cap.* 14. est egregium, quod etiam singulariter commendat:

Nempè

℞. *Ungu. Alth. compos.* ℥j.
Arthanit.
Martiat. an. ℥ij.
Ol. lil. alb.

Olei Chamomill. an. ℥iij.
M. f. Linimentum:

Quo inungitur abdomen.

Aliud habet *in sua Praxi citato loco*, scilicet:

℞. *Ungu. dialth. compos.*
Arthan. an. ℥ß.
Ol. mucilag. ℥j.
Misc. pro Linimento.

Conveniens etiam est, si fiat *unguentum Sylvii Prax. lib. 1. cap. 14. §. 56. pag. 167.* Nempè:

℞. *Ungu. dialth.* vel *simpl.* vel *compos.*
Ol. lil. alb. an. ℥ß.
Lateriti Philosoph. seu ℥ij.
M. f. Linimentum.

Quod commendat SYLVIUS insigniter, ut eodem inungatur abdomen infantis, dum lectulo imponitur, resolvit potenter visciditates intestinorum & glandularum mesenterii, ut postmodum feliciùs blandis evacuantibus possint evacuari.

CAUSA V.
DE
FASCINATIONE PUERORUM.

Quinta denique *causa macici puerorum* sæpius est aut saltem dicitur *Fascinatio* seu *Fascinum*, quod vocant, Germ. *Wendie Kinder beschrien sind.* Vim talis fascini cum PARACELSO multi moderni ex impressione imaginativa deducunt, quæ per solum visum potest nocere. Alii hoc ipsum negant, & totum negotium veneficio attribuunt: de quibus hic non est dicendi locus. Sufficiat subsumptionem esse fascini & veneficii, vel in tali statu, ubi nulla adest sufficiens causa, quæ monstret affectum alium: item quando cum macie simul præter spem nimis imbecilles & debiles fiunt infantes: item quando subsumptio est aut suspicio de vetula quadam, quæ familiariùs aliquando cum infante fuit conversata. Prolixum Tractatum de Fascinatione edidit D. FROMMANNUS. Sed ad hoc, ut cognoscatur, an fascinatus fuerit infans? *tum ponitur vas aqua fluente plenum sub cunis, in illud inijcitur ovum; quod si natat in alto, fascinatus est infans: si verò cadit fundum versus, nihil adest mali: Ratio est, quia Spiritus ligati volunt esse liberati, ideoque attrahunt ovum in altum.*

CURA.

Ad tollendum hunc fascinum & veneficium partim superstitiosa quamplurima, partim naturalia revocantur remedia. *Internè* suadentur aliàs contra fascina corallia, viscus coryli pulverisatus, aut etiam pulvis baccarum uvæ inversæ seu herbæ paridis: Item pulvis GANSII *in suo de Coralliis Tractatu* ex semine antirrhini, coralliis rubris & albis, & dente hominis mortui; Nam coralliis singularis adscribitur efficacia. Unde Tincturæ Coralliorum quacunque ratione paratæ, in specie in vehiculo ex hyperico propinatæ, insigniter laudantur. Essentia hyperici, spiritus secundinæ primiparæ, pulvis secundinæ primiparæ, quæ uti aliàs ad quæcunque veneficia, ita in specie ad fascinum seu maciem ex fascino insigniter commendantur, si remedia ex secundina parata interiùs propinentur infanti.

Externè conducit sacculus appensus ex floribus seu summitatibus hyperici, & baccis uvæ inversæ cum semine & herba antirrhini: item suffimigium ex herbis contra fascinum & veneficia decantatis, v. g. ex conyza flore cœruleo, hyperico, antirrhino, dentibus hominis emortui, visco corylino & quercino, ac similibus. Quibus adjungenda etiam sunt balnea, quæ inter præservat à macie balneum, cui cortices & folia salicis sunt incocta, quod insigniter commendatum ab HARTMANNO & GABELCHOVERO tam curat quàm præservat à macie. In ipsa macie cum foliis & corticibus salicum possunt simul incoqui flores aquilegiæ, adianthum, antirrhinum, hypericon, conyza, folia & baccæ inversæ. Sideritide cum filagine, vel solitario, vel cum hyperico & tanaceto, mulieres utuntur pro balneo, fricantes eosdem unà cum herbis, & tunc comparent copiosæ sordes extrinsecùs, incantationis indices habitæ, sed falsò: Conf. HOEFERUS *Herc. Med. pag.* 107. Convenit etiam inunctio ex unguento corylino ad venefi-cia HEINRICI *ab* HEER, quod videbitis in ejus observationibus; aut imponatur regioni stomachi emplastrum Mynsichti contra veneficia, malaxatum cum hoc ipso unguento seu *oleo corylino Heinrici ab Heer.* Ex sola Asa fœtida etiam potest fieri emplastrum contra maciem ex veneficio seu fascino oriundam, ventriculo imponendum. CASTRO *in suis Manuscr.* pro pueris fascinatis sequens unguentum commendat;

℞. *Ol. Rosat.*
Nardin.
Mastich.
Succ. Menthæ,
Absinth.
Cydonior.
Pom. redolent. an. ℥ij.
Corall. rubr.
Pulv. ras. Eboris,
Xyloaloes an. ℥ß.
Cum s. q. *Ceræ* f. Unguentum:

Quod bis vel ter in die stomacho applicandum suadet.

Solet etiam Hispanicæ mulieres suffumigare partes fascinatas gummi ammoniaco, cui commodè asa fœtida potest addi. Sepè etiam observavit *à Castro* sufficere suffitus ferrei calcei equini nigri, Germ. *aus einen Huff Eisen*, candentis, aceto ter excitatus, quo suffumigandus est puer.

ARTICULUS XXX.
DE
FEBRIBUS.

Denique quoad *Febres infantum*: hæ sunt variæ, quæ eos infestant, rariùs tamen intermittentes, nisi in infantibus paulo adultioribus, aliquot nempè annorum, ordinariò plus minus acutæ & continuò ardentes, hæque ipsæ sæpiùs cum pustulis & exanthematis conjunctæ, quæ vulgo vocantur variolæ & morbilli, pro varietate exanthematum.

Omnes autem febres, nisi malignæ ex contagio natæ fuerint, originem habent ex cruditatibus viscidis acidis primarum viarum, sive lactentur adhuc, sive ablactati fuerint.

FEBRES LENTÆ.

In specie, si succus nutritivus minus *viscidus*, *crudus* tamen, & *vitioso acore* inquinatus, vel saltim *acri-salso sapore* infectus, distribuatur ad massam sanguineam, pro hujus augmento & corporis nutrimento, necessariò ex tali alimento inepto depravatur massæ sanguineæ crasis, vitiaturque insigniter sanguificatio, & inde oritur *præternaturalis* ejus *effervescentia*, unde *Febres variæ*, imprimis tamen *lentæ*, sub vesperam præcipue exacerbantes, supervenire solent. Hinc etiam consequenter vitiatur *lympha*, & redditur *nimis acida, acris* & simul subindè nimis *viscida*, unde & circa glandulas *Tumores*, & varii *affectus catarrhales* infantibus superveniunt, in specie tusses siccæ nocturnæ, ex lymphæ talis acido-acris ad laryngem effusione; item per membranam pituitariam inferiorem transudatione oriunda: Obtunditur è contra bilis sal volatile oleosum seu balsamicum, unde perfectio digestionis primæ in intestinis deficit ultimò, & ita magis magisque propullulantes jam confirmantur ægritudines.

FEBRES ARDENTES.

Cæterum præter has & aliæ *febres* variæ, plus minus *acutæ & continuò ardentes*, aut periodicæ continuæ, aut catarrhales, similesve frequentes sunt inter tenellos, quarum ratio omnis ex *corruptione lactis* interna, aut ex *obstructione pororum cutis* externa, optimè explicatur. Nam præter *cruditatem acidam* lactis & pultis in stomacho infantili, unde ejus febres frequentissimè nunc lentæ nunc acutæ scaturiunt, & jam variæ aliæ omnino sunt lactis corruptiones, jam supra insinuatæ, sive in stomacho sub digestione prima, sive in intestinis sub hujus digestionis perfectione & fæcum separatione superveniant; in specie *cruditas nidorosa* appellatur, dum *flava* copiosa aut *fœtida* ab infantibus ejiciuntur. Excreta talia flava non sunt beneficio bilis tingentis, talis enim copia bilis in fœtu juniore non adest, nisi infantulos ferè omnes primo sui initio bilio-

biliosiores viris ipsis dicere velimus: neque amarescunt semper hæc ipsa, sed dulcescunt potiùs subinde, & avidè à canibus amari omnis osoribus comeduntur. Sed ista excreta nidorosa & flava sunt frequentissimè ex lactis vitiata digestione, & ejus multiplici corruptione; Lac enim vitiata quacunque ratione digestione ventriculi sponte de facili citrinescere, sufficienter declarat HELMONTIUS *Tr. Schol. Paß. Decept. cap.* 3. Adeò ut hujus digestionis primæ multiplicia errata ex alimentis, & hinc affectibus nutricis primariò oriunda, cum non corrigi possint in secunda digestione, necessariò sanguineam crasin in tantum alterent, & diversas vitiosas in sanguine effervescentias febriles inevitabiliter inferant: id quod pariter in quibuslibet infantum, etiam ablactatorum, *febribus*, tam lentis quàm acutis, observandum venit, quæ omnes ferè pro causa interna Errata digestionis primæ in ventriculo & intestinis, propter ordinariam eorum addiphagiam, agnoscunt. Et quidem si cruditate nidorosa, ex oleosa parte lactis corrupta, fuerit inquinatum lac, tunc febrem ardentem gravem infert cum insigni virium imbecillitate conjunctam: idque eò magis, si vel vigiliæ præcesserint, vel nutrix iracunda fuerit, vel alio quoque latente vitio fuerit correpta; Nam quæ dentitionem infantum superveniunt febres, cum fere tantum non sine symptomaticæ, huc non pertinent. Eò citiùs autem ex enarratis occasionibus fiunt febres, quantò minus transpirant infantes per cutim, vel ob defectum *caloris ambientis*, vel crebriorem *linteorum* non sufficienter calefactorum *mutationem*. Ad hæc pertinet neglectus *balneorum*, admodum nocivus infantibus, & eosdem ad *febres* disponens. Calidi sanè balnei lotio, ut sordes cutaneas infantis copiosas abstergit & removet, ita & fibras retis cutanei laxando pororum apertioni & copiosiori transpirationi amplam occasionem suggerit, cujus intermissio & poros constipat, & ex heterogeneorum coacervatorum impetu hujus febrili fermentationi uberrimam occasionem suggerit.

DIAGNOSIS.

Patent facilè febres infantum, dum inquieti sunt, facies rubet, artus infantis insigniter æstuant, infantes siticulosi sunt, &c.

PROGNOSIS.

Vacant autem utplurimum periculo hæ febres, utut, nisi in tempore occurratur corruptioni lactis, etiam lethales tandem fieri possint hæ febres.

Si superveniat Dirrhœa non nimis violenta, optimè curantur infantum febres spontè natura quasi per motum criticum.

CURA.

Quod *Curam*: hæc pro varietate febrium varianda venit.

Febres intermittentes, quæ rariores sunt in infantibus ablactatis, curantur ut febres adultorum, præmisso vomitorio, & interdum repetito, cum syrupo emetico, v. g. pro infante duorum annorum ad ℨj. bihorio ante paroxysmum; vel purgatione repetitâ cum Mercurio dulci, qui promptiùs confert, si simul vomitum moverit. Vel

℞. *Pulp. Tamarind.* ℨj.
Pulv. Mechoacam. gr. xv.
Sal. tartari gr. v.
Cum *Syr. de Stæchad.* f. Bolus.

Quem aliquando præscripsi infanti sex annorum in febre quotidiana intermittente, cum elixyr proprietatis sine acido, aut febrili cum essentia absinthii, & similibus, die intermittente crebrò usurpatis, ante paroxysmum propinando lapillos cancrorum cum sale absinthii fixo, vel sale Holsatico, dicto aliàs Arcanum duplicatum Mynsichti, oleo destillato caryophyllorum; aut loco horum spiritu salis ammoniaci, liquore cornu Cervi succinato, spiritu carminativo de tribus, &c.

Si verò *infans adhuc lactens febre intermittente corripitur*, qualiscunque fuerit, curatur præmisso vomitorio, aut purgatione Mercuriali, imprimis per aurum fulminans ante paroxysmum propinatum. Sic infans decem mensium quartana duplicata affectus, præmisso vomitorio antimoniali curabatur, propinando ante paroxysmum sequentem pulverem:

℞. *Auri fulmin.* gr. j.
Ebor. sine igne gr. viij.
M. pro Pulvere: S.
Aperiens pulvis febrilis.

Detur aliquoties, donec cesset paroxysmus, observando, ut aliquot horis ante paroxysmum jejunus servetur infans, ne lacte in ventriculo nondum digesto paroxysmus superveniat; quin etiam non priùs mamma porrigenda venit, nisi in statu paroxysmi, ubi æstus jam invaluit.

Lactis loco pro siti fallenda commodè propinetur:

℞. *Aquæ flor. samb.*
Card. bened. an. ℨvj. ad ℥j.
Spirit. sal. ammoniac. gtt. xv. plus minus.
Lap. cancr. præp. gr. xv.
Syr. fenic. ℨij.
M. f. Potiuncula: S.
Potiuncula febrilis.

Externè verò recipiatur *cepa*, hæc contusa applicetur carpis, & aliquandiu relinquatur.

Continuæ verò lentæ, ex *acido viscido*, ut & cognatæ *Febres Catarrhales* ex lympha nimis acida, curantur, præmissis laxativis & clysmatis, optimè spiritu salis ammoniaci, vel simplici vel anisato, aut liquore cornu Cervi succinato, in specie posteriores. Non curemus æstum, qui tempore vespertino adest, nam quia est ab acido, sistitur à talibus volatilibus. Item tinctura myrrhæ supra dicta salutariter convenit. Quodsi verò ablactati fuerint, optimè *liquor tartari suprà laudatus*, item sal ammoniacum cum dimidio lapillorum cancrorum sæpius reiteratum eas profligabit.

Item

℞. *Aquæ flor. samb.* ℥j.
Menthæ ℥ß.
Acet. vini ℨij.
Lap. cancr. præp. ℨß.
Antimonij diaphor. gr. xij.
Syr. flor. Tunic. ℨiij.
M. S.
Mixtura discutiens.

Quoad Febres verò continuas ardentes & benignas, aut his similes, utut rariùs affligant tenellos, nihil ferè peculiare habent, quàm quod has, præmisso imprimis vomitorio, vel aliis primas vias evacuativis, præ cæteris curent abstergentia, *cornu Cervi sine igne* præparatum, & cum eodem compositus pulvis febrilis LUDOVICI *in Pharm. pag.* 280. & 281. quàm etiam salia volatilia: v. g.

℞. *Aquæ flor. samb.* ℥ij.
Spirit. sal. ammoniac. gtt. xv.
Cornu Cervi sine igne,
Maxill. Lucii piscis an. gr. xv.
Syr. Papav. albi ℨij. ad ℨiij.
M. pro Potiuncula: S.
Potiuncula refrigerans.

Propinetur cochleatim.

Vel propinetur pulvis ex cornu Cervi sine igne, myrrha, &c. *supra de Torminibus* præscriptus: item Cinnabarina, *antimonium diaphoreticum* fixum, & similia probè conveniunt; non secus atque gelatina cornu Cervi recens parata, tam infanti, quàm in specie etiam nutrici, in potu ordinario frequenter dissoluta, temperando acre, & sale volatili corrigendo acidum, simulque conservando corpus in debita diaphoresi, multum infantibus prodest. Stercus equinum recens potui ordinario, quem præter lac avidè suppetunt, infusum in nodulo & subinde expressum, multum prodest in mitigando æstu harum febrium: vile quidem, sed non nisi à superstitiosè delicatis contemnendum est euporiston. Aliàs, si robustiores paulo extiterint, *nitrum antimoniatum*, uti & *arcanum duplicatum Mynsichtij* modò laudatum, cum modò dictis exhibita, sunt egregiè proficua: ex. gr.

℞. *Arcan. dupl.* gr. xxiv.
Cornu Cervi sine igne ℈ß.
M. f. Pulvis:
Div. in 2. part. æqu. S.
Pulvis refrigerans.

Quin & nitrum præparatum in jusculis aut cum pulticula commodè permiscetur & propinatur.

Sin ablactati infantes fuerint, etiam blanda acida addi possunt, Tinctura nempè rosarum cum spiritu nitri parata, item syrupus granatorum acidorum, syrupus de citro, & ex similibus paratæ misturæ blandè acidulæ pro compescendo æstu sitique molesta: v. g.

℞. *Aquę scorzon.*
Rubi idei an. ℥j.
Succ. Rub. id. ʒvj.
Tincturę flor. Papau. err. ʒj.
Cornu Cervi sine igne ℈j.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Syr. rubi idei vel Papau. alb. ℥ß.
M. pro aliquot dos.
S.
Mixtura refrigerans, capienda cochleatim.

Sicut & seri lactis cum succo citri acidulati potus non est ingratus.

Nutrici blanda laxativa sunt propinanda: hinc sępius propinetur cornu Cervi cum rob sambuci aut baccarum juniperi, idque imprimis dum cubitum est itura.

Externè convenit imprimis oleum rosarum, cui camphora sit permista, quod oleum rosarum camphoratum spinę dorsi illitum mirè confert ad ardentes infantum febres. Item ruta viridis contusa, ac aceto mista, optimo consilio plantis pedum alligatur. Lutum etiam fornatum cum succo rutę mistum, & aceto irroratum, ad temperandum ęstum febrilem commodè applicatur infantum plantis pedum. Optimum est, si recipiantur herbę anserinę M. v. quę planta contusa & probè concisa miscetur cum pauco *sale*: additur his *succus ex radice Armoracię* minutim rasa expressus, pulticula vel cataplasma ex his confectum excipitur linteis & applicatur plantis pedum. Mirè conducit ad febres infantum.

Quodsi etiam, quod interdum evenit, simul cum febribus infantum conjuncti sint *pedum tumores*, hi ipsi hoc ipso remedio promptè discutiuntur & resolvuntur.

Quodsi *malignitas* adfuerit, eodem modo curandę veniunt atque variolę aut morbilli, de *quibus suprà pluribus actum*. Unde, pręter modò enarrata, etiam *emulsiones* in variolis cum cornu Cervi sine igne, antimonio diaphoretico, terra sigillata, & similibus in specie conveniunt. *Pulveres* quoque ex cornu Cervi sine igne cum myrrha &c. *suprà laudati*, interdum etiam *Theriaca & Mithridatium*, uti & mixturę cum electuario diascordii Fracastorii, aut moderatâ theriacę dosi imprægnatę, in paulo robustioribus tutè in usum revocari possunt.

EPILOGUS.

Hęc & similia, quę hactenus tractata fuerunt, uti primariò de tenerioribus, & qui nutricis adhuc sustentatur lacte, intelligenda veniunt infantibus; ita etiam eadem mutatis mutandis de facili applicari possunt ablactatis, & vegetiore robore jamjam adolescentibus, & usque ad duodecimum annum provectis; saltem observando, quod quicunque infantes, & speciatim qui lautiori gaudent diętâ, & à teneris unguiculis luxuriosè magis, quàm salubriter, educari solent, propter communem iis addiphagiam, & quasi nimiam voracitatem, coacervent succos crudos acidos, & pituitam viscidam, quę se habent simili modo ac lac coagulatum, vel ex pulte congestus mucus, ex quibus ceu uberrima scaturigine similia iis, quibus sub lactatione, ex lactis pręternaturali acescentia & corruptione, &c. conflictari solent, mala in eosdem largiter redundare solent; unde eadem ferè aut similia medicamentorum genera ablactatis, quę infantibus lactentibus conveniunt, usurpari possunt.



LIBER VI.

CHIRVRGIA MEDICA,

PROOEMIVM.

Pergimus nunc ad *Chirurgiam*, & quidem *Medicam*: non enim omnia, quæ Chirurgo propria sunt, pertractanda suscipimus, sed quantum spectat ad Medicum, ut curationes Chirurgicas aut corrigere, aut dirigere, aut prompto consilio adesse possit ac debeat. Ob id, quæ ad operationes Chirurgicas in specie pertinent, omnia missa faciemus, eaque alii tempori reservabimus, & potius synopsin Theoretico-Medico-Practicam pertractabimus.

Chirurgia ergo est ista pars Medicinæ, quæ manuum operâ externâ mederi docet affectibus corporis humani externis.

Affectus autem huic Medicinæ parti subjecti quinario numero commodè comprehenduntur; suntque *Tumores*, *Vulnera*, *Ulcera*, *Luxationes*, & *Fracturæ*: quorum priores tres partibus mollibus; posteriores verò duo partibus duris sunt proprii.

Artifex Chirurgiæ dicitur *Chirurgus*, cujus descriptionem exactam præ ceteris docet CELSUS *in Proœmio in 7. suæ Medicinæ Partem*.

Jam harum partium affectarum, nempè aut durarum aut mollium, exacta notitia pernecessaria est, & in durioribus scienda est:

1. Earum *Conformatio*, *Situs* & *Connexio*.
2. Earundem *Usus*; &
3. Quod his omnia mucida, omnia *unctuosa* & *pinguia*, ac oleosa *vulgaria*, maximè nociva sint iisdem, nisi antea artificiosè ea volatilisata & destillata fuerint. Est enim in omnibus istis occultum acidum, quod pertinaciter adhærendo ossibus, facilè etiam carnem corrodit: hinc potius sicca & *amariuscula*, item remedia sale paulo acriori alcalino prædita, in ossium affectibus sunt convenientissima.

Hæc de partibus duris.

In partibus *mollioribus* præ ceteris accuratè notanda est *differentia inter partes sanguineas*, & *spermaticas* seu *nervosas*: quarum hæ ex colliquamento uterino ortæ immediatè postmodum succo chyloso nutriuntur & sustentantur; Sanguineæ è contra, productæ priùs & ortæ ex sanguine, sanguine etiam postmodum augmentantur & conservantur.

Distinctio ergo inter has duas partes vel maximè est observanda, quæ utramque paginam facit, tam propter prognosin in affectibus chirurgicis ferendam, quàm etiam propter curam & medicamentorum convenientium electionem & applicationem, quæ pro partium harum varietate variat.

Nam

1. *Sanguinearum partium affectus* Chirurgici, Tumores, Vulnera & Ulcera, sunt longè tutiores, quàm *nervosarum*, nec tantis symptomatis, in specie gangrenæ & morbis convulsivis adeò sunt obnoxii, neque etiam adeò sunt sensiles, nec adeò facilè irritabiles: unde vulnera articulorum v. g. longè periculosiora sunt & citiùs gangrenam contrahunt; item periculosiora obtinent symptomata atque vulnera partium musculosarum sive carnosarum.
2. Affectiones hæ in partibus sanguineis curatu sunt longè faciliores; quàm in partibus nerveis.

Hinc

3. Non sunt adeò dolorificæ sive dolorosæ, sanguineas si occupaverint partes, quàm si affixerint nervosas.
4. Etiamsi in partibus *sanguineis* superveniat aliquod *fermentum præternaturale corruptivum*, ut in vulneribus & ulceribus ordinariò fieri solet, hoc in sanguineis non adeò est acre & vitiosum, non adeò malignum, sed est mitius longè & correctu facilius, quàm in partibus *nervosis*: Unde in gangrænosa ulcera promptiùs longè abeunt in nerveis partibus, quàm in sanguineis.
5. *Sanguineæ* partes ablatæ aut detruncatæ faciliùs restituuntur, aut saltem quodam analogo resarciuntur; secus ac fit in nerveis, quorum jactura solet esse immedicabilis.

Hinc

6. *Sanguineæ* partes læsæ debilioribus etiam medicamentis faciliùs auscultant, & imprimis *temperata balsamica*, seu *sale volatili oleoso* temperato prædita, naturæ amica postulant. Ex errore verò applicata forsan pauló acriora meliùs perferunt: nervosæ verò, utut his balsamica temperata sint acceptissima, tamen eadem debilia subinde conducunt; acriora verò & fortiora easdem irritant, earumque affectus longè deteriores reddunt.
7. Denique quomodocunque curatæ læsiones dictarum partium *sanguinearum*, nec læsionem nec deformitatem tantam in corporis actionibus, neque etiam tantam membris deformitatem afferunt (contracturam, incurvationem, & sic porrò) quàm fit in partibus nervosis læsis.

Juxta partes has, tanquam primariò subjectas læsionibus & curationibus Chirurgicis, etiam qui eas abluunt exactè considerandi sunt liquores; primariò quidem sanguis, hinc etiam chylus nutritivus, cujus vehiculum separatum ex parte constituit lympham.

Sanguis salinus volatilis oleosus & balsamicus, spiritu salino similiter volatili balsamico turgidus, partium conservationi dicatur, ubi corruptionem incurrit, acorem quidem facilè contrahit, sed hunc aut arte facilè corrigibilem, aut sponte effervescendo sale volatili oleoso in pus salsum temperatum transmutatur.

Chylus verò latice aquoso dilutus, & hinc postmodum lympha, viciati insigniter acescunt, & in mucilagines varias sæpius, in specie in locis glandulosis in liquamen corrosivum corrumpuntur.

Jam verò *in dictarum partium* externa læsione, & earundem Curatione Chirurgica, tria imprimis observanda in genere:

1. *Naturale conservandum*: & hoc est imprimis naturalis humorum motus, tàm universalis sanguinis & lymphæ, quàm particularis succi uniuscujusque partis nutritii balsamici; nam hi humores facilè delent omnes affectiones.
2. *Præternaturale tollendum* seu delendum: & hoc est imprimis *acor vitiosus* sæpiùs putrefactivus, tam interdum in massa sanguinea, quàm in specie in stomacho & primis viis, primariò autem in parte læsa tanquam fermentum corruptivum præter naturam enatum. Deleto hoc acido & sic vel sponte curabuntur vulnera & ulcera.
3. *Symptomata mulcenda*: & inter hæc præ aliis est *dolor*, qui sæpissimè est vel tensivus, vel morsicans, & pungens seu corrosivus.

Hæc tria probè observanda in omni casu chirurgico; facilitant etenim curam, neglecta verò eandem difficiliorem reddunt. Nam *primum* si absit, corporis totius, in specie partis læsæ, œconomiam naturalem turbat; *secundum* læsionem morbosam sustentat & auget; *tertium* corpus partemque debilitat & 1000. accidentia advocat: Et hoc ipsum tertium ex primis duobus primariò dependet. Nam dolor tensivus ex impedito motu liquoris transeuntis, indeque partis dilatatione oritur, uti fit in tumoribus; corrosivus

verò

verò & pungens dolor ex acido habet originem præter naturam rodente & vellicante.

Auxilia ergo in genere, quę his conveniunt affectibus, ex *tribus petuntur fontibus*, imprimis Dięta, Pharmacia, & Chirurgia in specie sic dicta.

Manus artificiosa *Chirurgi* debet esse activa, partim removendo impedimenta seu impedientia, partim applicando conducentia remedia. Quę applicanda sunt, ex Pharmacia desumuntur, imprimis ex regno vegetabili, remedia nempè, quę sale volatili balsamico constant, ut sunt dicta vulneraria resinosa & similia, quę utramque paginam faciunt in Chirurgia. Nam hęc non tantummodò tribus superiùs monitis requisitis, quocunque usu interno & externo, optimè satisfaciunt, sed etiam pro aliis scopis hinc inde intervenientibus optimè unà succurrunt.

Imprimis autem, dum impedimenta removet Chirurgus, ea scilicet, quę naturam tanquam primariam Medicatricem in suis actionibus morantur, verè artificiosum se exhibet, dum nempè

1. Separata jungit.
2. A situ naturali dilapsa reponit.
3. Id quod inutile aut vitiosum est, à toto separat.
4. Deficiens, quantum possibile, restituit; &
5. Solvendo continuum & meatus aperiendo promptè succurrit.

Hę sunt operationes primarię, quę Chirurgo incumbunt in operatione manuali; quę optimè descripta videbitis tanquam in synopsi in *Microtechne Hornii*, item *in Armamentario Chirurg.* SCULTETI; sicuti etiam videnda sunt in *efficaci Medicina* MARCI AURELII SEVERINI Medici Neapolitani: quę tamen vix melius, quàm per αυτοψίαν ocularem, addisci, & per Praxin deduci possunt.

Jam ergo pro remediorum varietate *Chirurgia est duplex, vel Medica, vel Manualis*. *Medica* consistit in recta *cognitione affectuum præternaturalium* per manum chirurgicam tractandorum, & legitima *inventione remediorum* ex Pharmacia & Diæta convenientium: *Manualis* verò versatur saltem circa *operationes chirurgicas*, quę nos non tangunt.

Hęc in genere de Chirurgia monuisse sufficiat. Circa Therapiam affectuum & inventionem remediorum ex fonte diętetico & pharmaceutico considerandi sunt Autores: Inter omnes optimi sunt, & quidem in Chirurgia Rationali 1. AGRICOLA *in Chirurg. Parva*, 2. BARBETTE *in Chirurg. & Anatom. Practica* 3. FELIX WURTZ, qui rectè ab HELMONTIO Chirurgorum Antesignanus vocatus *in libro suo intitulato Wund-Artzney*: In Chirurgia verò Mechanica: vid. FABRICIUS ab AQUAPENDENTE, PARÆUS, SCULTETUS, & GUILLEMEAU.

In specie cum quinque dixerim esse affectus, qui Chirurgi manui sunt subjecti, jam inchoandum

CAPUT I.

DE TUMORIBUS IN GENERE.

Quod attinet *Tumores in genere*: nomine Tumoris in genere intelligitur Magnitudo partis præternaturaliter in longitudine, latitudine, & profunditate aucta, sive sit conjuncta cum materia purulenta, ut abscessus, sive non: Convenit cum abscessu in conceptu generali, qui internè differunt ut genus & species.

Excrescentiæ ergo præternaturales, in quibus non tam major fit pars, quàm nova moles quasi adnascatur ipsi, propriè non sunt tumores, utut respectivè harum pertractatio ad Tumores pertineat, & etiam pertractentur simul.

CAUSÆ.

Causa in genere omnium Tumorum seu auctę magnitudinis est (1.) vel pars quędam ex naturali situ dilapsa, & in proximam partem propulsa seu dislocata, aliam partem expellens; & est nunc mollis, uti apparet in Herniis; nunc dura, ut in Luxationibus; quibus semper conjuncti sunt Tumores. (2.) Vel est *Humor* quidam replens, indeque partis magnitudinem augens. Vel (3.) est *Flatus* distendens; unde etiam non rarò sunt *Tumores flatuosi*, qui interdum antequam aperiantur, abscessum mentiuntur, & hi imprimis in genubus solent esse frequentes.

Ex quibus causis tamen causa media, nempè Humor, solet esse frequentissima: Nam licet interdum etiam lapides, item vermiculi, pediculi, copiosa parva quasi ovula, item crines, & similia varia, in Tumoribus & inde natis abscessibus reperta fuerint, eaque in ipsis Tumoribus genita; (unde excludo hìc ea, quę extrorsum per Incantationem intenduntur;) tamen cum hęc sint rariora, ad insolita naturę opera meritò referenda, quę isti, quod fit utplurimum, nil derogare possunt. Humor ergo, qui partem replendo Tumorem producit, *in eadem colligitur* de novo, qui antea non aderat: & quidem *vel* ob motum humoris cujusdam trans partem impeditum, unde oritur humoris stagnatio; *vel* propter novam humoris in parte generationem.

Stagnatione fiunt Tumores, si humorum motus per partium meatus & vasa subtilia impeditur, & est hęc humorum stagnatio, & inde natus tumor, *vel* simpliciter *vel* paulatina congestio: *Illa* fit in Tumoribus aliàs vulgò notis; hęc fit etiam imprimis in *Tumoribus criticis*, hisque aliis analogis tumoribus: Ibi promiscuè hæret humor transiens; hic verò, quasi secretione quadam factâ, partes quædam adhærent, quibusdam adhuc transmissis. Hinc *illa stagnatio* propriè dicta; *hęc Congestio* dici potest.

Jam in specie *ex stagnatione morbosa simpliciter* dicta fiunt omnes Inflammationes, omnes Contusiones, Erysipelata & similes tumores, & hæ quidem omnes *ex sanguine*; *ex lympha* verò *stagnante* fiunt Tumores œdematosi & serosi quicunque, item hydrops, tam universalis quàm particularis. Pertinet huc *lac in mammis concretum, lochia circa uterum contenta*, &c.

Congestione verò paulatina seu successiva Tumores Critici & Abscessus, hisque similes, Excrementis scilicet febrilibus, ob crassitiem aut coagulationem seu coacervationem restitantibus, ipso sanguine aut lympha tenuiori sensim transeunte. Huc pertinent Bubones Pestilentiales, furunculi, Germ. *die Schweren*, phygethla, Parotides, Carbunculi, & his similes Tumores. Pro illustratione talium Tumorum consideremus saltem filtrum chymicum, quod per præcipitationem ex liquore continente separata retinet, reliqua trasmittit. Par ratio est in Tumoribus per digestionem obortis. Faciunt huc etiam viscerum scirrhi & strumæ circa glandulas enatæ. Hi enim Tumores sensim generantur ex viscidiore ex humore sanguine & lympha relicto, tenuiore transeunte. Hoc modo fiunt Tumores per stagnationem.

Per novi humoris in parte generationem & collectionem *fiunt Tumores* reliqui, *quando alimentum partis proximum coacervatur & colligitur* in parte *præternaturaliter*: idque vel corruptum, *vel* plus aut minus alteratum.

Corruptum quidem, quando fermentum vitiosum quoddam in parte adhuc latens alimentum affluens degenerare facit in varios vitiatos succos, qui successivè collecti dant Tumores, continuò in ulcera denuò degenerantes. Hinc enim fit, ut abscessus aut ulcera non ritè mundificata dent Tumores & abscessus recidivantes, qui vulgò malè fluxionibus corporis, ad certam partem decumbentibus, adscribuntur. Hinc caries ossium non ritè curata post ulceris consolidationem denuò novum infert Tumorem, novumque exinde natum abscessum. Pertinet huc *Bubo venereus* ex contactu scorti successivè in inguine enatus: item pertinent huc *Tophi*, *Cancer mammarum*, *ac gummata Gallica*, ex acido maligno, nutrimentum ossium corrumpente, & hinc istos tumores excitante, unde postmodum Gummata ac Tophi enascuntur.

Ex alimento verò ulterius affluente, minùs verò in parte al-

te alterato, oriuntur Tumores istis partibus quodammodò similes: quales sunt Tumores ossium fractorum callosi, item carnis in ulceribus mundificatis luxuria & excrescentia, auctæ viscerum insignes magnitudines, *nodi* item, & *ganglia*. Ex alimento verò congesto, sed magis alterato & coacervato, nascuntur *Tumores*, *partibus* quibus adhærent nonnihil *dissimiles*; quò quidem pertinent omnes excrescentiæ, ut sunt *Verrucæ*, *Polypi*, item *Cornua*, quæ ipsa commodè ad verrucas referuntur, quale in superiori parte pedis enatum memorant M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obs.* 180. item *Fungi*, & omnes isti tumores, qui in propria tunica observantur contineri, quales sunt *Melicerides*, *Atheromata*, *Steatomata*, vel similia, de quibus pluribus infra.

Hæ sunt Causæ Tumorum generales proximæ.

Quoad *Causas remotas*: Stagnatio humorum quæcunque *contingit aut vitio aviarum* transmissioni repugnantium ob earundem angustiam, *aut* propter humoris ipsius ad transeundum ineptitudinem, *vel* propter sui crassitiem, *vel* propter ineptitudinem particularum ejus respectu figurationis ad poros partium.

Viæ porique sunt angusti:

(1.) Propter *compressionem* ab incumbentibus quibuscunque.

(2.) Propter *constrictionem* à vinculis, & sic porrò.

(3.) Propter *obstructionem* à materia viscida mucilaginosa ve efficiente frigido imprimis inspissata, aut ab acido condensata.

(4.) Propter fibrarum partis contractionem ac crispationem, indeque natam porulorum partis angustiam, quæ oritur imprimis ex dolore seu dolorosa partis affectione.

Humorum verò crassities, & inde ejus orta stagnatio, accidit *vel* propter pituitam, quam vocant chylum crudiorem & viscidiorem, in prima vel secunda vel tertia digestione non ritè subactum, *vel* propter frigus humores inspissans, *aut* propter acidum humores coagulans, *aut* denique propter remedium externum malè adhibitum transeuntes humores incrassans: quo ipso rejiciuntur omnia *Repellentia* & *Adstringentia* in Fracturis & Luxationibus ineptè applicata.

Denique *Humoris particulæ malè figuratæ per poros transire nequeunt*, quin hæ per præcipitationem separatæ ex massa sanguinea, & hinc densiùs agglomeratæ, in liquore fluctuant, quo vehiculo seu liquore vehente transeunte, per poros ipsæ restitant, ut in abscessibus Criticis usu venire solet.

Ex alimento coacervato & collecto præternaturaliter, aut etiam alterato oriuntur Tumores, quando *fermentum* quoddam *corruptum*, utplurimum *vitiosè acidum*, *in parte latet*, quod ipsum alimentum partis proximum effluens degenerare facit, istudque transmutat in varios vitiosos succos, qui collecti sensim dant novos tumores atque abscessus, ut v. g. in *abscessu*, *carie ossium*, *ulceribus* non ritè mundificatis, &c.

Alimentum verò *minus alteratum dat tumorem*, quando utplurimum ex causa externa subinde propter labores ob poros partium dilatatos, fibrasque nonnihil laceratas, item propter membranas distinctas, alimentum copiosius recipitur, & ita uberiùs colligitur, unde Tumores oriuntur: Qua ratione ex tendinis cujusdam in manu ex labore distensione circa articulos supervenit successivè *Ganglion*; aut quando ex compressione aut dilatatione fibrarum ejus ex calceo supervenit in pede *Clavus*, & similes tumores pro partis læsæ constitutione.

Alimentum denique *plus* minus *alteratum* à statu naturali, non tamen corruptum, dat excrescentias membranis propriis inclusas, & pro alimenti alteratione ex varia in membrana colligente transcolatione, *nunc* serum, *nunc* sevum, *nunc* pultem, nunc aliam similem materiam, cum radice tamen, ex qua enascitur, aliqualem analogiam ob tinente, referentes tumores: Quin & *Polypi*, *Verrucæ*, & similes hujusmodi nascuntur, adeò ut raro citra externam quandam violentiam, aut citra impetum quendam externum, item si absit hæc externa violentia, raro citra interdum levem ab acido vitioso præcedentem corrosionem, subnascitur talis Tumor: Sic enim v. g. ex ulcusculis narium subinde propullulant *Polypi*.

CURA.

Ut ergo *curentur Tumores* in genere, necesse est, ut evacuetur continens eorum Causa, seu potiùs in tumore contenta materia, quacunque id fiat ratione, ut remotâ materiâ fibræ partium porique distenti denuò se contrahant, & ita naturalis parti redeat figura, & hanc postmodum insequens actio & functio naturalis antea in parte læsa.

A stagnantibus humoribus pars liberatur:

1. Restituendo ipsis motum naturalem, si fieri potest.
2. Evacuando ipsos immediatè ex parte, aut resolvendo, aut insensibiliter discutiendo, aut viam novam aperiendo, secando, vel urendo: Illud (nempè *discussio*) stagnantibus humoribus simpliciter; hoc verò (nempè apertio) humoribus congestis magis convenit.

Ut his duobus satis fiat, *Motus* stagnantibus *restituitur* vel vias angustas dilatando:

(1.) Removendo impedimenta externa angustantia, ut sunt vincula, ligamenta: id quod in fracturis & luxationibus considerandum.

(2.) Humoris coagulationem obstruentem solvendo.

(3.) Dolorem tensivum mulcendo.

(4.) Vel denique crassitiem ipsius humoris tollendo.

Tollitur hæc Stagnatio

1. Removendo externa incrassantia.
2. Temperando frigus inspissans: &
3. Corrigendo acidum coagulans.

Discutiuntur stagnantes humores vel insensibiliter; *quod fit vel* acidum coagulans temperando, & humores per medicamenta, partibus subtilibus constantia & penetrantibus prædita, sensim sensimque attenuatione dissipando; *vel apertione novi foraminis evacuando humores*; *vel* demulciti & temperati per suppurationem, si nempè mutationis in pus sunt capaces; aut saltim si à cruditate sua nonnihil sunt mitigati aut quasi alterati, si suppurationis perfectæ sint incapaces.

Illud (*suppuratio* nempè) sanguineis aut cum sanguine permistis liquoribus tantummodò convenit: Hoc verò reliquis saltem humoribus & tumoribus ex aliis occasionibus est proprium. Terenda tamen ubivis vestigia à natura præmonstrata.

Suppuratio fit, quando in sanguine stagnante & congesto evanescunt & dissipantur partes ejus spirituosæ subtiles ac tenues; unde id, quod remanet, spissescit sensim & grumescit (hinc omnis sanguis extravasatus in grumos tandem concrescit) & ex corruptione successivè acorem contrahit putredinalem, à quo acido fit effervescentia acris cum salibus volatilibus oleosis ipsius sanguinis, ex qua effervescentia aucta non tantum calor in parte affecta sentitur major, sed ipsa tumoris magnitudo successivè in medio sui turgescendo augetur: *& quasi florem acquirit*. Unde dolor & tensivus (ratione partium distensarum) & pulsatorius (ratione arteriarum in motu impeditarum) intenditur, & tandem sanguis in pus corrumpitur, acido adhuc nonnihil prædominante, unde pus album apparet: omnia enim alcalia oleosa vel sulphurea ab acido præcipitantur in album colorem, uti in Chymicis ex lacte sulphuris patet.

In hoc suppurationis negotio, *acidum* imprimis est considerandum: Nam hoc nimis excedente nulla fit suppuratio, sed aut partis in ulcus corrosio, aut tumoris in scirrhum induratio; *deficiente* verò acido non opus est suppuratione, cum liquor fluxilis tunc temporis aliâ ratione facilè removeri possit, aut tunc exactâ temperatura opus non habent. Hoc *ergo acidum* cum sale volatili oleoso sanguinis concurrendo dat inflammationis ac similium tumorum suppurationem. Ex dictis facilè patet, *qualia medicamenta* in genere *sint applicanda*? Nam *motum* naturalem humoribus restituunt omnia ea, quæ resolvunt, attenuant, & alcali seu sale volatili plus minus temperato factum coagulum tollunt ac mobile reddunt.

Per diaphoresin verò Tumores *discutiunt* primariò quæ participant de sale volatili seu alcali, nunc acri, nunc fixo, tam minus quàm magis temperato, acidum fixum temperante & absorbente, atque ita occasionalem causam stagnationis tollente.

Suppurationem verò, si fit legitimo modo, adjuvet Chirurgus, non applicando diaphoretica alcali acri constantia: quia

quia horum operatio dissiparet quasi tenuia & volatilia, reliqua verò spissiora induraret in scirrhum: nec applicet etiam his contraria acida, quia acida suppurationem impediunt, & facilè occasionem grumescentiæ dant, & sic ulcus inducerent. Applicet ergo Chirurgus remedia temperata, humectantia, & blandè laxantia, occulto tamen alcali, ut vocat HELMONTIUS, & temperato constantia, plus tamen minus acriora, pro ratione nempè materiæ suppurandæ. Imprimis tamen suppurantia debent esse nonnihil mucilaginosa, & suaviter humore quasi roscido laxantia: nam talia acrimoniam humoris suppurandi, imprimis acidum, suaviter temperant, unde acido temperato salia in liquore suppurando minus impetuosè effervescunt, & per consequens cum minore dolore & ardore inter se concurrunt, & blandè se in pus salsum uniunt & convertunt, dum interea per ista remedia applicata simul laxantur tensæ antea fibræ, unde dolor successivè mitigatur, & pus faciliùs exteriora versus viam invenire potest. Temperata ergo nonnihil mucilaginosa dixi supporantia esse.

Quodsi verò Tumor suppurandus constat materiâ crassiore & viscidiore & acidiore, qualis v.g. sit lac in mammis coagulatum ad suppurationem tendens, qui Tumor ob id minus fermentationi sese accinget, sed potiùs ad scirrhum degenerare velit, tunc cum ordinariis suppurantibus applicanda sunt paulo acriora, sale volatili magis acri impraegnata: qualia sunt cepacea, alliata & similia: de quibus inferiùs, prout conditio tumoris & humoris suppurandi requisiverit.

Apertio Tumoris (quæ est tertius modus curandi) aut *suppurati*, aut aliquantisper alterati, si ineptus sit ad suppurationem, fit *vel* spontè naturâ, dum supertensa cutis ob acrimoniam contenti humoris successivè eroditur; *vel* apertio ista fit arte: idque nunc ferro, *quod Lancettam vocant*, qui modus est optimus Gallis usitatus; *vel* apertio fit *igne*, qui modus ferè est Italorum, & hoc aut actuali per ferramenta ignita, quod tamen rariùs fit; vel potentiali caustico, *sive corrosivo*, quod constat ex sale quodam acerrimo: *Nunc* quidem ex *alcali fixo* acri, idque usitatissimè: hinc parantur *Cauteria* ex lixivio saponario inspissato, Ger. *aut Seifensieder Lauge*, vel fiunt cauteria ex calce viva cum cinere fraxini, vel fiunt ex sale tartari & cineribus clavellatis, & quæ sunt similia alia subjecta alcalia fixa: *Nunc* verò constant *cauteria ex acido*, nempè butyro antimonii, quod singularissimum est cauterium pro parandis v.g. Fontanellis, item quod bubones vel carbunculos quoscunque optimè aperit; item parantur talia ex magnete arsenicali, qui legitimè adhibitus est cauterium arcanissimum, quia indolens: sapienti sat; vel parantur ex lapide infernali, ex spiritu nitri concentrato cum luna (quod usitatum est Italis & satis conveniens;) vel fiunt talia ex opio in spiritu nitri dissoluto, quod tamen singulare est.

His viis, vel ferro vel igne potentiali, apertus tumor, ubi materia contenta jam erit evacuata, tunc *cavum restitans vocatur abscessus*, qui ubi per occultos quasi cuniculos hinc inde serpit, alio nomine vocatur *sinus*, German. *ein hohl Geschwür*. Et est talis abscessus reverâ nihil aliud, quàm ulcus post suppurationem relictum, simili modo curandum ut alia ulcera, de quibus *inferiùs plura*, mundificando, & hinc consolidando.

Hæc est curatio tumorum ex humoribus stagnantibus ortorum.

Quod attinet *Tumores ortos à materia per novam generationem introducta*, liberatur pars tumens; aut materiam collectam insensibiliter discutiendo, quod rariùs contingit; *aut* per factam aperturam materiam evacuando, quod fit frequentiùs, materiam ipsam euacuandam emollientibus aut suppurantibus plus minus antea alterando & mitigando; cavendo recidivam tumoris per fermenti ulcerosi & peregrini in loco affecto totalem destructionem. Nam aliàs v.g. dado exemplum: si in mammarum ex lacte coagulato suppuratione (quod frequentissimè fit) non ritè curetur abscessus, & mundificetur per fermenti peregrini extinctionem, demum, licèt consolidata fuerit mamma, recurrit tumor, & novus fit abscessus, qui postmodum per balsamica oleosa (uti habebimus) probè mundificatus est curandus.

Excrescentiæ verò tolluntur utplurimum, imprimis insigniores, omnimodâ earum ferro aut igne extirpatione; igne imprimis potentiali; rariùs, nisi more Italorum, actuali, præcavendo hìc recidivam talium excrescentiarum per radicis membranosæ omnimodam deletionem.

Hisce manuali artificio externè applicatis remediis commodè etiàm simul adduntur medicamenta interna: *nunc* quæ laxando primas purificant vias, aut quæ massam sanguineam quacunque ratione expurgant, imprimis quidem sudorifera; nunc quæ acidum vitiosum, tàm in primis viis quàm in toto corpore oberrans, subinde absorbunt & destruunt; *nunc* quæ labem massæ sanguineæ peculiarem corrigunt, v.g. cachecticam, & veneream, scorbuticam, aut similem; *nunc* verò, quæ blandum sudorem per subjecta de natura alcalium provocando, omnes liquorum stagnationes & coagulationes successivè solvendo, æqualem humoribus motum restituunt, & restitantes insensibiliter resolvunt, & talia sunt v.g. antimonium diaphoreticum, lapilli cancrorum, qui Chirurgorum debent esse arcanum quoad internum usum, myrrha, castoreum, viperina quæque, & hinc succinata balsamica internè usurpata: nam talia in omni Chirurgico casu commodè possunt applicari.

Quodsi febricula aut æstus adsit, nitrata sunt usitata, ut sunt nitrum antimoniatum imprimis, hinc nitrum per alcali purificatum, & tandem, quod vilissimum omnium est, (utut vulgò contrarium statuatur) lapis prunellæ, commodè internè usurpantur; sicuti milites ordinariò usurpant pulverem pyrium, cujus internus usus ratione nitri, sulphuris, & alcali fixi in carbonibus tiliæ, in chirurgicis casibus esse debet frequentissimus, nec sine ratione.

Hæc de Cura Tumorum in genere.

Quod attinet ergo *remedia* Tumoribus in genere applicanda, sunt ea *in triplici classe*, *vel* resolvunt, *vel* discutiunt, *vel* suppurant.

I. *Resolventia* sunt ea, quæ imprimis stagnationi humorum sunt opposita, utpote quos resolutos in naturalem motum revocare debent. Sub hunc titulum revocanda sunt omnia ea, quæ externè applicanda & crassum attenuuant, coagulata solvunt, grumos & visciditates incidunt & rarefaciunt, & concreta fundunt, exque his ortas durities varias emolliunt. Omnia hæc sub nomine attenuantium & resolventium comprehenduntur. Operandi rationes facilè patent.

In corpore humano dixi humores stagnare, incrassari & indurari, vel ob frigus externum coagulans, vel ob propriam visciditatem & crassitiem. Qui coagulantur humores, sunt vel sanguis solus, qui imprimis ab acore congrumatus hæret: vel est pituita seu chylus crassior & crudior, nondum in sanguinem perfectum assimilatus, tàm in sanguine quàm in lympha, tam ob frigus externum, quàm ob acidum internum inspissatus: nunc verò concurrit simul uterque humor, sanguis nempè crassus & viscidus, ob chyli portiones crudas ipsi permistas ex cacochylia natas: qui tertius modus est communissimus, & dat Tumores obstinatissimos, ad scirrhum nempè & scrophularum naturam inclinantes.

Medicamenta ergò, quæ has humorum affectiones curare valent, Emollientia ratione duritiei, & Attenuantia & Resolventia ratione crassi & coaguli dicta, hanc habent virtutem, ut acidum temperent, partes coagulatas penetrent, easque attenuent, & ita humores denuò molles, tractabiles ac mobiles reddant. Nam quæ à frigore fit coagulatio, admoto externo calore potest resolvi.

Medicamenta quæ huc valent, sunt

1. *Pinguia* & nonnihil mucilaginosa, quæ acidum temperant & quasi obtundunt, fibras & membranas laxant & emolliunt, vulgò *Emollientia* in specie sic dicta.
2. Deinde valent huc etiam paulò acriora, de sale volatili penetrantiori participantia, quæ & acidum omninò absumunt, & partibus volatilibus in poros penetrant, & coagulo isto absumpto humores tenues, mobiles ac fluidos reddunt: & hæc sunt propriè Attenuantia dicta.

Et quidem, prout nunc coagulum, & inde orta stagnatio, est magis vel minus fortis & contumax, ratione aut acidi inspissantis, vel humoris crassi & viscidi subsistentis, etiam remedia varianda, & nunc acriora, nunc temperatiora, adhibenda sunt. Unde tres sunt gradus Emollientium & Attenuantium, nempè sunt lenia, mediocria, & fortiora, diaphoreticis seu discutientibus cognata. Objiciat quis: Reperiuntur etiam acida, quæ attenuant & resolvunt: *Sed hæc*, quatenus sunt acida, hoc non præstant, sed salinarum partium volatilitate; unde vix sola usurpantur, sed pro vehiculo aliis adduntur.

Primi gradus *Emollientia* & *Resolventia* sunt sequentia:

Radix

Radix & herba malvæ, althææ, atriplicis, Mercurialis, brancæ ursinæ, violariæ, liliorum alborum, parietariæ; flores meliloti, malvæ, semen fœnu græci, lini, althææ, lupinorum, & ex his paratæ *mucilagines* atque farinæ; item *caricæ pingues* assatæ & calidè impositæ, *uvæ passæ* & similia; *adipes & axungiæ caponis*, *vaccina*, *porcina*, *humana*. *Pinguedines recentes* magis emolliunt, *veteres* attenuant, & illud magis, si sint pinguedines ex *fœmellis*, quàm si ex maribus; *medullæ* animalium recentes; *lac*, *butyrum*, *oleum amygdalarum* dulcium, violarum, liliorum alborum, unguentum de mucilaginibus, dialthææ, quod singulare est cum *unguento resumptivo*, & similia.

Attenuantia & Emollientia secundi gradus sunt: Radix & herba apii, pulegii, helenii, imprimis cepæ coctæ, quæ sunt egregiæ; ebuli, hyperici, chærefolii, betonicæ, verbasci, sambuci, rutæ, menthæ, artemisiæ, saturejæ, cicutæ, scabiosæ; flores hyperici, croci, sambuci, scabiosæ, chamomillæ; item adipes, v. g. anserina, ursina, cervina: sevum hircinum; medulla cervina, gummi tacamahaca, styrax liquidus, resina terebinthinæ, cera, mumia; farina fabarum cum aceto applicata, sperma ceti, spiritus tartari; oxymel scilliticum; oleum chamomillæ, amygdalarum amararum, hyperici, nucum, anethinum, laurinum & nicotianæ; unguenta & *emplastra* de *cicuta*, de *betonica*, *diachylon simplex*, de spermate ceti Mynsichti, *de meliloto*, &c.

In *tertio gradu Emollientia & Attenuantia sunt*: Radix & herba bryoniæ, cucumeris agrestis, raphanus, cepæ crudę (*antea dixi de cepis coctis*; nam in coctione avolat sal volatile, vincetoxici, cyclam; sigilli Salomonis, asari, squillæ, sabina, absinthium, centaurium minus, nicotiana; semen sinapi, erucæ, cumini cum aceto coctum; gummi ammoniacum, vel solum, vel cum emplastro de cicuta, galbanum, bdellium, sagapenum, opopanax, myrrha, elemi, ladanum, resina pini; stercora & urinæ animalium; nidus hirundinum cum excrementis; spiritus urinæ, salis ammoniaci, vini spiritus crocatus, acetum scilliticum, fermentum; oleum irinum, laterinum, scorpionum, terebinthinæ, ceræ, lumbricorum, petroleum, oleum tartari destillatum, oleum nicotianę, balsamus sulphuris; unguentum Martiatum; emplastrum diachylon cum gummis, oxycroceum, dia-sulphuris, cujus extemporanea compositio videri potest in *Collegio Pharmaceut. ad Ludovici Pharmaceiam*; de cicuta, de ammoniaco, & Vigonis de ranis cum Mercurio; Mercurius laminæ plumbeæ illitus & applicatus.

Ex his modò dictis simplicibus varia possunt fieri remedia composita:

1. *Fomenta*,
2. *Cataplasmata*,
3. *Linimenta & Unguenta*,
4. *Emplastra*.

Formula ergo *Fomenti Emollientis* sit hæc:

℞. *Rad. alth.*
Lil. alb. an. ℥iß.
Herb. & flor. malvæ,
Melilot.
Sambuc. vel *chamomill.* an. M. I.
Caric. pingu. No. vj.
Coqu. in s. q. *seri lactis* vel in *lacte caprillo*:
Colatura D. S.
Cataplasma emolliens.

Applicetur calidè cum linteis duplicatis, idque sæpius repetendo.

Vel loco *lactis* coqu. in s. q. *aquæ simplicis*:
Colat. ℔iß. adde
Succ. cepar. rec. vel *olei chamom.* aut *lil. alb.* ℥iij.
M. D. S.
Ut suprà.

Cataplasmata emollientia & resolventia fiunt hoc modo:

℞. *Rad. alth.* ℥iij.
Cucum. asin. vel loco hujus *Ireos rec.* ℥j.
Fol. brass.
Malvæ,
Herb. absinth. an. M. j.
Flor. chamom.
Melilot. an. M. ß.
Sem. lini ℥iß.
Contusa coqu. in s. q. *aquæ simpl.* vel *lactis*, vel *seri lactis* pro lubitu:

Trajice per setaceum, pulpæ trajectæ adde
Sterc. caball. ℥iij.
Olei chamom. ℥iß.
Cepar. sub cineribus coct. ℥iß. vel ij.
M. D. S.
Puls emolliens.

Wedelius de Med. Facult. lib. 1. Sect. 2. c. 1. pag. 31. & Tract. de Comp. Med. p. 159. simile parat Cataplasma emolliens ex rad. althææ, lil. alborum; flor. cham. meliloti, farina seminis lini, fœnu græci, caricis pingu. in lacte ad putrilaginem coctis. *Cataplasma resolutivum Foresti* egregiè convenit in Tumoribus duris: non secus euporiston quoque est insigniter emolliens & maturans Tumores, quod paratur ex sapone communi in lacte calido dissoluto.

Aliud & quidem sub forma Linimenti:

℞. *Mucilag. sem. alth.*
Fœnugr. cum *decocto ficuum extr.* an. ℥j.
Adip. anser. ℨvj.
Olei chamom.
Lil. alb. an. ℨiij. vel ℥ß.

M. super ignem ad consistentiam Linimenti: sub finem verò adde
Olei destillat. terebinth. ℨj.
Tartari fœt. ℈j.
(licèt fœtor si horribilis, est tamen potens)
M. pro Linimento: S.
Unguentum emolliens.

Denique sub forma *Emplastri*:

℞. *Empl. de melilot.*
Gumm. amm. in aceto sol. & inspiss. vel lento igne *liquat.* an. ℥iß.
Liquefacta malax. cum s. q. *olei irini & nicotianæ*: induc. super *alutam* in forma debita: S.
Emplastrum resolvens.

Conveniens est in Tumoribus duris ad scirrhos quodammodo inclinantibus. Item

℞. *Empl. de bosc.* ℥ij.
Gumm. ammoniaci lento igne *liquat.* vel cum *aceto sol.* & inspiss. ℥j.
M. S.
Ut antè.

II. Post Resolventia seu Emollientia proxima sunt *remedia Discutientia*, ea scilicet, quæ *insensibiliter* materiam Tumoris ex parte expellunt: aliàs etiam *Diaphoretica* appellantur, quæ si sint leniora, dicuntur *Rarefacientia*. Pertinent huc ea, quę aliàs interno usu *Carminantia & Aperientia* appellantur, quę poros partium, dum sunt occupati Tumore quodam, aperiant, humores penetrent & discutiant: id est, pori partis cujusdam, dum sunt oppilati humore retento, non possunt liberari, nisi ut resolutus humor iste vaporis aut halitus specie dissipetur, & insensibiliter evacuetur.

Ad hoc ipsum requiritur, ut humor sit fluidus & tenuis, resolubilis in halitus, expers ob id omnis crassitiei aut coagulationis; quæ si adsint, priùs corrigendæ. Quæ ergò talem humorem ita resolvere debent, necesse est, ut habeant partes subtiles, tenuiores & facilè penetrantes, simulque valeant in parte producere quendam calorem, quo ipso liquefacti & resoluti humores partim in meatus ordinarios remeent, partim verò per poros cutis exhalent.

Vitanda ergo *frigida* quæcunque, quæ pororum occlusioni occasionem præbent. Vitanda quoque quælibet *acida*, quę coagulando humorem magis inspissant, & parti noxam inducunt, nisi sint acida, quæ habent partes admodum subtiles & penetrantes, quales in vino, item in aceto, sunt conspicuæ.

Medicamenta ergo, quæ huc conveniunt, erunt imprimis penetrantia *aromatica*, *sale volatili oleoso prædita*, quæ penetrant & attenuant insigniter, & uti omnem humoris crassitiem, ita omnem ab acido inductam coagulationem tollunt, ac simul partis calorem suaviter fovent, nervisque amica sunt. Post hæc etiam salia alcalia, nunc volatilia, nunc fixa, lixivii forma applicata, sunt utilia: Sic spiritum salis ammoniaci ex calce viva cum oleis in consistentiam unguenti redactum adhibuit BURRHUS ex relatione BARTHOLINI.

Vicina ergò admodum sunt Diaphoretica Resolventibus seu Attenuantibus, gradu auctiori tantummodò distando. Nam quæ resolvunt continuato usu, tandem etiam discutiunt, & quæ in corpore densiore seu in duriore materiæ compage sunt Attenuantia & Resolventia, ea in corpore mol-

molliori, & in leviori materiæ concretione, erunt Diaphoretica.

Dum autem Diaphoretica semper præsupponunt humorem facilè resolubilem, eo ipso etiam postulant aut præcedentē aut conjunctū Attenuantium & Resolventium usum, ne, dum pars humoris incrassata diaphoresi resistat, ita ut subtilioribus & tenuioribus partibus dissipatis reliquæ crassiores magisque coagulatæ, & hinc contumaciores remaneant. Ob id Diaphoreticis commodissimè semper simul Attenuantia permisceantur.

Externis hisce commodissimè simul adduntur interna Diaphoretica ex alcalium republica desumpta: hæc enim attenuando & liquefaciendo succos, naturalem eorum motum concitatiorem reddunt, & præternaturalem eorundem stagnationem resolvunt. Unde liquefacti humores partim per poros discutiuntur, partim cum aliis in vasa resorbentur.

Remedia ergo Tumores discutientia sunt sequentia, imprimis aromatica, ut: Radix fœniculi, calami aromatici, Ireos, helenii, aristolochiæ rotundæ, sigilli Salomonis, cucumeris asinini, pyrethi, zingiberis; fol. & herbæ anethi, sambuci, ebuli, lauri, plantæque cæteræ aromaticæ, ut origanum, pulegium, cherefolium, thymus, calamintha, majorana, rosmarinus, absinthium, centaurium minus, salvia, ruta, sabina, lavendula, hyssopus, abrotanum, chamæpitys, Saturejа, & similia; flores chamomillæ, imprimis Romanæ, meliloti, sambuci, lavendulæ, anethi, salviæ, anthos, croci; baccæ juniperi, lauri; nux moschata, macis, ac alia aromata; semen anethi, cumini, carvi, anisi, fœniculi, rutæ, sinapi, petroselini; farina fabarum cum aceto applicata; castoreum, benzoe; storax calamita, camphora; spiritus vini camphoratus, essentiæ plantarum cephalicarum & aromaticarum; oleum lumbricorum terrestrium, chamomillæ Romanæ, anethinum, cumini, carvi, fœniculi, anisi, laurinum, juniperi, nardinum, laterinum, menthæ, irinum, costinum, spicæ, petroleum, oleum ceræ, terebinthinæ, tartari, succini, quæ inter primatum obtinent olea destillata; adipes & pinguedines animalium sylvestrium, canis, vulpis, ursi, cervi; etiam stercora & urinæ animalium, imprimis caprillum, hinc equinum; balsamus sulphuris, decoctum sulphuris cum stercoribus; lixivium sarmentorum vitis, aqua calcis vivæ, suffitus aceti super silicem candentem; emplastrum diachylon, ireatum, emplastrum Martiatum, diasulphuris, emplastrum Augustanorum ad hydropem, & similia.

Modus applicandi hæc Diaphoretica est

1. In Suffitu.
2. In Fotu.
3. In Cataplasmate.
4. In Linimento vel Unguento.
5. In Emplastro.

Emplastra tamen nimis unctuosa & Emplastica, quæ poros oblinunt & infarciunt, semper sunt vitanda.

Exemplum *Fomenti* aut Suffitus discutientis sit hoc:

℞. *Rad. enul.*
Ebul.
Bacc. junip. an. ℥j.
Herb. orig.
Calaminth.
Puleg.
Rorismar.
Fol. laur.
Samb. an. M. I.
Sem. anisi,
Fœnic.
Cumin. an. ℥ß.
Sterc. caprill. ℥iß.
Coqu. modicè in s. q. *aquæ simpl.*
Sub finem adde
Vini Rhenan. ℥iv.
Colatura D. S.
Fomentum discutiens.

Decoctum hoc pro Fotu cum linteis multiplicatis vel spongiis novis repetitis vicibus applicandum; aut ex Decocto suffitus excipiatur membro tumente.

Exemplum Cataplasmatis discutientis:

℞. *Fol. lauri,*
Rorismar.
Rutæ, an. M. j.
Flor. chamom. Rom.
Flor. Sambuc.
Summit. anethi an. M. ß.
Bulliant in s. q. *aquæ & vini* ad mollitiem:
Pulpæ trajectæ per setaceum adde
Far. fabar.
Furfur.
Sterc. vaccin. an. ℥iij.
Mellis opt. ℥iv.
M. pro Cataplasmate: S.
Cataplasma discutiens.

Exemplum Linimenti Diaphoretici:

℞. *Bals. sulphuris terebinth.* ℥iij.
Peruv. ℥iß.
Olei destill. fœnic.
Cumin. an. ℨß.
Camph. gr. vj.
M. pro Linimento, cum vel sine *Cera:* S.
Balsamus discutiens.

Denique *Emplastrum Diaphoreticum:*

℞. *Empl. dia sulphuris Ruland.* ℥ij.
Diachyl. cum Gumm. ℥j.
Malax. cum s. q. *olei destill. chamomillæ:*
Inducatur super *alut.* pro Emplastro, irrorando cum *oleo destill. succini:*
D. S.
Emplastrum discutiens.

III. Remedia Tumorum in genere sunt suppurantia. Dicuntur ea, quæ pus generant; alio nomine vocantur *Maturantia*, & ob sanguinis in pus alterationem, quam à calore fieri existimant Veteres, quibusdam dicuntur *Concoquentia*. Et hæc habent locum in Tumoribus vel sanguineis simplicibus, vel cum sanguine complicatis, nempe dum sanguinis pars coagulata alii que, sanguini tamen permisti, humores, aut cui sanguinis suffusio tandem supervenit, ex acido præternaturali incipit effervescere, tunc ex acido isto in sanguine congrumato orto, cum sale volatili massæ sanguineæ concurrente & effervescente, fit sanguinis totalis mutatio in aliam planè substantiam, quę vocatur Pus: Salsum hoc est, natura scilicet ex concursu acidi peregrini & urinosi sanguinis, quorum concursu fit sapor salsus puris: præponderare tamen in pure facto adhuc videtur acidum, ob quod albedo, cùm acida oleosa & sulphureo-salina in colorem album cogere soleant, & hinc ulcera remanent mundificata.

Medicamenta ergo, quæ ad promovendam hanc alterationem applicantur à Chirurgo, dicuntur Suppurantia, ad id adhibenda,

1. Ut Suppurationem reddant promptiorem, faciliorem, & jucundè aut brevi tempore absolvatur, & cum minori ægri incommodo seu molestia. Facilitant Suppurationem omnia ea, quæ leviter & blandè humectando salia ista duo resolvunt, & resoluta promptiùs & citiùs in se invicem agunt.
2. Quæ acidum modicè temperando, æquabilem cum urinoso fermentationem adjuvant.
3. Quæ penetrando coagulatum sanguinem nonnihil resolvunt, & ita suppurationem promovent: quamdiu acidum nimis præponderat, perfecta aut absoluta Suppuratio fieri nequit.

Monstrant ergo hæc, quod medicamenta Suppurationem facilitantia debeant esse leniter humectantia, & alcali occulto & blando prædominante prædita pro acido temperando, simulque nonnihil emollientia & resolventia; nunc magis nunc minus talia, pro acidi & humoris coagulati ratione varia. Ubi enim fortius est acidum, acriora; ubi contumacius est coagulum, magis resolventia requiruntur remedia.

Jucundiorem seu minus molestam Suppurationem reddunt:

1. Quæ salium acrimoniam temperant; sic enim majori impetu inter se agunt: unde & acor & etiam punctiones tolluntur, atque salium mutua actio cohibetur, ne adeò impetuosè effervescant.
2. Quæ partem adstrictam laxant, & ita fibrarum contractionem dolorosam tollunt: unde dolor tensivus sensim longè redditur mitior, & prætereà eruptio & apertio apostematis facilitatur.

Quæ hoc faciunt medicamenta, sunt mucilaginosa, & oleosâ substantiâ constant: nam hæc ambo salia (1.) temperant (2) partem tumentem laxant: & hæc inter lac primum locum meritò habere dicitur.

Suppu-

Suppurantia autē remedia ferè sunt sequentia: rad. altheę, liliorum alborum, tussilaginis, bryoniæ recentis, cucumeris sylvestris, cepæ coctæ, cyclaminis, sigilli Salomonis, allium sub prunis coctum, &c. folia & herbæ altheæ, malvæ, brancæ ursinæ, parietariæ, meliloti, chamomillæ, sambuci, ebuli, tussilaginis, Mercurialis; flores horum simplicium, violarum, crocus, semen lini, fœnugræci, hordei, tritici, orobi; mica panis albi cum lacte, caricæ pingues, passulæ, dactyli pingues, gummi ammoniacum, imprimis ubi opus est simul tumoris duri resolutione; terebinthina, thus, pix; adeps gallinarum, anserum, axungia porcina, medulla vituli, butyrum, pinguedo humana, sevum cervinum; vitellum ovi, cera flava, propolis, mel, lac; oleum dulce, oleum amygdalarum dulcium, liliorum alborum, chamomillæ, vulpinum, & similia; aqua calida, hydroleum, spiritus vini non adeò rectificatus; unguentum altheæ, resumptivum, basiliconis, arregonis, Agrippæ; emplastrum diachylon simplex & cum gummis; emplastrum de meliloto, de mucilaginibus, basilicon; fermentum, sapo Venetus; stercus bubulum, nidus hirundinum, lumbrici, & cum his parata externæ.

Forma utendi est:

1. In forma Cataplasmatis,
2. Unguenti,
3. Emplastri,
4. Interdum in Fomentis.

Cataplasma suppurans sit hoc:

℞. *Rad. althææ,*
Lil. alb. an. ℥ij.
Fol. malvæ,
Violar.
Senecion.
Mercurial. an. M. j.
Nid. hirund. cum excr. No. j.
Mista coqu. in s. q. *aquæ simpl.* vel *lactis:*
Pulpæ trajectæ per setac. adde
Axung. porc.
Butyr. recent. non salit. an. ℥ij.
Olei lil. alb.
Violar. an. ℥iß.
Farin. sem. lini ℥j.
Vitell. ovor. No. ij.
M. f. Cataplasma: S.
Cataplasma suppurans.

℞. *Cepar. sub ciner. coct.* ℥ij. ad iij.
Ficuum ping. No. vj.
Contund. in mortario calido, adde
Axung. anser. vel *anat.* ℥j.
Ungu. basilic. ʒvj.
Mell. Virgin.
Far. sem. lini an. q. s. pro consistentia Cataplasmatis:
D. S.
Ut antè.

Denique sit Emplastrum maturans:

℞. *Empl. de Melilot.* ℥ij.
Diachyl. cum gumm. ℥j.
Malax. cum oleo lilior. albor. vel *balsam. sulphuris.*
Inducatur super *alutam:*
D. S.
Emplastrum maturans.

℞. *Empl. de Melilot.*
Diachyl. cum gumm. an. ℥iß.
Dia sulphuris Ruland. ʒvj.
Malax. cum oleo lil. alb.
D. S.
Ut antè.
Inducatur super *alutam*, & applicetur.

Hæc est Theoria & Praxis Tumorum in genere.

ARTICULUS I.

DE

TUMORIBUS SANGUINEIS.

MEMBRUM I.

DE

INFLAMMATIONE.

QUoad Tumores sanguineos in specie, communissimus est *Inflammatio*. Loquor de Inflammationibus partium externarum; nam de internis *superiùs, ubi de sanguinis circulos per partes impedito*, actum fuit. *Inflammationes* sive *Phlegmones* omnes fiunt per motum sanguinis impeditum, & inde ortam sanguinis stagnationem, unde fit ut oriatur Tumor, ex tumore Tensio, ex tensione partisquè repletione ad tactum renitentia, propter sanguinem stagnantem Rubor, propter sanguinis in arteriis impeditum motum Dolor pulsatorius, & tandem propter sanguinem calidum effervescentem insignis Ardor. Jam verò prout variat sanguinis crasis & constitutio, eatenus etiam varia est inflammatio; nunc quidem *genuina* ex sanguine puro; nunc verò *spuria*, ad erysipelata, vel œdematosos tumores, vel scirrhos propiùs accedens.

CAUSÆ.

Causæ Inflammationum externarum sunt *vel* læsiones externæ, *vel* spina quædam interna. *Læsiones externæ* sunt interdum sola transpiratio insensibilis, à frigore externo impedita, unde feri & sanguinis in parte affecta stagnatio, & inde Inflammatio oritur. Interdum ab ictu, casu, contusionibus, fracturis, vulneribus, ulceribus, & reliquis rebus extraneis violentis oriuntur. Imprimis autem simul cum rebus lædentibus sordes & aliæ quisquilię partibus intruduntur; unde semper pro exactiori instituenda Cura semper Inflammationis causa probè inquirenda. Per *spinam* verò *internam, ejusmodi parti infixam*, intelligitur similitudo, quia, sicut spina extrinsecùs digito infixa infert inflammationem, ita in partibus internis heterogeneum, in vel sub digestione prima enatum, vel digestione publica obortum inflammationes infert.

PROGNOSIS.

Omnes Inflammationes vel insensibiliter discutiuntur, vel suppurantur, vel malè tractatæ in gangrænam transmigrant.

CURA.

Pro *Cura* ergo ritè instituenda *usurpentur* externa & interna. *Interna* sunt sudorifera moderata de natura alcalium, tàm fixa, quàm salibus volatilibus constantia, quæ sanguinem coagulatum resolvunt, & stagnationem tollendo eum in debitum motum revocant. Unde omnia ea, quæ aliàs in pleuritide sunt usitata, in quacunque inflammatione internè commodè possunt usurpari; v. g. sperma ceti cum antimonio diaphoretico, additis quibusdam salibus volatilibus; item spiritus nitri probè dulcificatus; nam hic sudorem movet. Ratione febris, in omni ferè inflammatione adjunctæ, si acuta magis eadem fuerit, internè conducunt nitrata, primariò nitrum antimoniatum, hinc trochisci de nitro Mynsichti, &c. *Externè* verò applicantur in principio post venæ sectionem revulsoriam, quæ sanguinem stagnantem resolvunt, denuò fluxilem reddunt: quę inter primariò sunt *Decoctum sulphuris cum urina*, decantatum à PARACELSO, quod crebriùs calidè applicatum optimè conducere asserit; item stercus vaccinum, caprinum, equinum, album græcum, &c. impositum. Convenit etiam *succus cancrorum fluviatilium recens calidè applicatus &* renovatus, *emplastrum de spermate ceti, balsamus sulphuris, emplastrum dia sulphuris Rulandi;* item fomenta & *fotus ex* vegetabilibus *blandis diaphoreticis & aromaticis, una cum vini spiritu* camphorato *extrinsecùs* applicati; item spiritus vini mixtus cum rob sambuci, imprimis ubi aliquid erysipelacei subest; flores sambuci siccè vel in forma Decocti

est aut cataplasmatis impositi; in inflammationibus malignis herba Paris sub forma decocti vel cataplasmatis cum fuligine, conveniunt. *Decoctum quoque calcis vivæ in forma Epithematis applicetur, vel solum, vel cum saccharo Saturni*: v. g.

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔j.
Sacch. Saturni ʒij.
M. D. S.

Cataplasma discutiens.

Vel cerussa cum oleo rosarum in mortario plumbeo in linimentum redigatur; loco cujus etiam *Epithema* convenit *ad discutiendos Tumores inflammatorios*:

℞. *Lixiv Ciner. sarment. vitis* ℔j.
Nitri ℥ß.
Salis ʒj.
Aceti vini optimi ℥j.
M. S. ut *antè*.

Confert non solùm ad simplices *Inflammationes erysipelaceas, vel œdematosas nothas*, sed etiam *imminentem gangrænam* & sphacelum præservat:

Vel

℞. *Vini spiritus camphor.* ℥iij.
Spiritus vitrioli volat. ℥ß.
M. S. ut *suprà*.

Quibus, ubi adhuc persistat Tumor inflammatorius, ut possit discuti, maturantia & suppurantia sunt subjungenda, temperata quidem, ubi est inflammatio legitima; quibus addantur acriora paulò ex cepis & similibus, ubi inflammatio est notha, seu, uti vocant, pituitosa, ubi nempè sanguis inflammatus pruriens chylo crudo & viscido est permixtus.

In æstu inflammationis & ardore magno vitanda sunt pinguia & oleosa, fiantque fotus & cataplasmata *emollientia*; *in sero lactis* benè depurato cocta, & applicata; vel ubi deest ardor, *in lacte* ipso.

Vel

℞. *Empl. de Melilot.* q. s.
Malax. cum oleo lil. alb.
D. S.

Emplastrum emolliens.

Vel

℞. *Empl. de Melilot.* ℥j.
Diachyl. compos. ℥ß.
Malax. cum ungu. dialthææ,
D. S. ut *antè*.

Præ reliquis egregium est suppurans *lac*, in quo coctus sapo Venetus, plus minus, prout magis vel minus genuina est Inflammatio, hoc appositum cum linteis multiplicatis mirè maturat & aperit abscessum. Si his suppurata fuerit Inflammatio, tumor aperiendus, & nisi spontè fiat, aperiatur primariò scalpello vel cauterio potentiali; hinc apertus abscessus purificandus & consolidandus: pro quo scopo vel balsamus sulphuris terebinthinatus, vel balsamus Peruvianus cum melle & vitello ovi permistus, instillatus & applicatus est optimus; e. g.

℞. *Terebinth. clar.* ℥j.
Mell. rosat ʒvj.
Bals. Peruv. cum vitello ovi sol. ℥ß.
M. pro Linimento mundificativo.

Hæc enim omnibus satisfaciunt indicationibus, resolvunt, maturant, & factum jam abscessum purificant & consolidant. Verissimum est effatum LINDANI, quod balsamus sulphuris & emplastrum dia sulphuris hic sufficiant. Sin sinuosi sint abscessus, pro mundificatione meliore conveniunt injectiones ex Decocto nicotianæ & plantaginis cum aloë & myrrha, vel ex aqua calcis vivæ cum spiritu theriacali temperata; quibus, si contumacior & malignior sit abscessus, pro majore mundificatione unguentum Ægyptiacum similiaque addenda sunt.

Factà mundificatione consolidatio spontè sequitur, pro qua facilitanda omissis mundificantibus unguentum de tutia vel betonica applicantur, vel emplastrum diapalmæ, aliaque similia desuper imponuntur. Vulgò in usu est in principio Inflammationum admovere Intercipientia, & Repellentia, Cataplasmata adstringentia ex bolo Armena, terra sigillata, sanguine Draconis, albumine ovi, mastiche, cum aceto vini & similibus, qui eum in finem faciunt, ut hisce humoribus affluentibus intercipiatur via, & qui jam effluxerint, retrò in sua vasa pellantur, & ita factus tumor atque inflammatio mox in prima radice curetur: Sed omnibus patet, quod hæc sententia cum circulatione sanguinis sit incompatibilis, quoniam intercipientia motui & regressui sanguinis per arterias sunt contraria, adeoque impossibiliter possunt conciliari cum sanguinis circulatione. Potius quæ adstringendo vias angustant porosque occludunt, aut quæ humores hac ratione & sanguinem inspissant, stagnationem sanguinis indeque ortam Inflammationem augebunt periculosè, & ita malum deterius reddunt. Propterea etiam hæc & similia Repellentia & Intercipientia, (vulgò vocantur Defensiva) talia ex adstringentibus parata ferè in desuetudinem abjerunt, quia in metu Inflammationis Refrigentia dicta, uti aqua spermatis ranarum, succus sempervivi majoris, plantaginis, aqua calcis vivæ, & aqua solutionis Saturni sacchari, & similia, commodiùs applicantur, non quod repellant talia, sed potiùs quod hæc & similia alcali occulto sunt instructa (quod imprimis ex aqua sperm. ranar. patet) ratione cujus alcali subtilis acorem occultum in incipiente inflammatione delent, & ita radicem inflammationis extirpant, ut ita inflammatio sedetur. Pertinet huc Decoctum sulphuris in aqua simplici commendatum à POTERIO, aut, quod melius est, Decoctum sulphuris cum aqua calcis vivæ. Hoc enim in principio impositum non repellendo, sed resolvendo & absorbendo acidum, inflammationem curabit. Plura de Curatione inflammationum in genere videbitis in BARBETTE *Chirurgia*.

MEMBRUM II.
DE
ECCHYMOMATE ET SUFFUSIONIBUS SANGUINIS.

PRæter Inflammationes subindè etiam ex sanguine oriuntur Tumores post contusionem partium violentam, dum nempè ex contusione ruptis vasculis & poris transformatis naturalis sanguinis circulus inhibetur & stagnare incipit. Vocantur tunc Ecchymomata, item suffusiones sanguinis, à CELSO Vexatio.

CAUSÆ.

Oriuntur ex *Causa externa* & ferè eandem cum Inflammationibus genuinis naturam habent. Nempè in suffusionibus stagnat in loco tumente sanguis ob poros vel vasa compressa aut lacerata; quæ enim contundunt, eâ occasione faciunt dislocationem pororum & meatuū in parte contusa, & conterunt vasa capillaria loci contusi, hinc non potest non ob poros distortos impediri sanguinis motus, & consequitur fit suffusio sanguinis & ejus extravasatio; hinc extravasatus & stagnans subitò corrumpitur, moritur seu vita privatur, unde ex colore primitus quidem rubeo successivè contusiones cærulescunt, livescunt, & tandem flavescunt. Hinc in cadaveritato sanguine mox emergit acor peregrinus, qui sanguinem in grumos coagulat. *Sanguis corruptus vel* insensibiliter discutitur, *vel*, si hoc fieri nequeat, fermentando in pus mutatur, apertoque abscessu evacuatur, *vel* putrefactus gangrænam infert. Prius fit in contusione leviori, posterius in graviori, ultimum in gravissima, cum laceratione partium carnosarum & nervosarum.

De sanguinis extravasatione in partes internas alio tempore locuti sumus: hac vice de Suffusione seu Ecchymomate in partibus externis à causa externa enata.

CURA.

Factâ jam contusione, & hinc nata sanguinis suffusione, sive fiat à casu, sive percussione, sive lapidibus, sive fustibus, &c. imprimis opera danda est, ut sanguis extravasatus congrumatus & acore inquinatus successivè resolvatur, isque insensibiliter absumatur, & per meatus seu porulos corporis eliminetur. Conveniunt ergo *remedia interna*, acidum absorbentia, *sanguinem congrumatum resolventia*, simul blandè nonnihil diaphoretica, ut simul cum sudore Massa sanguinea dissoluta, in meatibus partis contusæ impedita, faciliùs eos penetrare, & in debitum circulum remeare possit: *Observando* simul, ut imprimis, si sit suffusio partis cujusdam internæ læsæ, propinentur vel *blandè laxantia*, vel *blanda diaphoretica*; Si verò in locis externis hæreat, sufficiunt *sudorifera*. Eminent sperma ceti cum lapillis cancrorum, item cum succino albo præparato, cum

coralliis

coralliis rubris, in aceto vini dissolutis; vel etiam carbones tiliæ in vino hauriantur; sicut & *salia volatilia* in debita dosi sunt egregia. Cerefolium, & omnia ex eo parata liquida, etiam conducunt internè ad sanguinem congrumatum in Ecchymomatis. Alia interna vulneraria mitto.

Externè simul imprimis Resolventia, & sanguinem congrumatum insensibiliter dissipantia, sunt usurpanda. Communiter vinum calefactum applicant, quo adhuc potentior est *vini spiritus probè rectificatus & tartarisatus* externè illitus, vel cum linteis applicatus, nunc simplex nunc *camphoratus*, nunc *crocatus*, acorem sanguinis temperans, sanguinemque fluidum reddens; cui insuper applicetur mel cum spiritu vini subactum: Efficaciùs erit, si vini spiritus societur cum theriaca, à qua dissolutione aromatica sanguis grumosus arcetur ab ulteriori corruptione. Convenit etiam cum vino factum lixivium, *spiritus salis ammoniaci cum vini spiritu paratus*, sanguinem congrumatum in gravioribus suffusionibus potenter discutiens; & in specie balsamus Peruvianus dissolutus in vitello ovi & spiritu vini est egregium remedium, imprimis in contusionibus partium nervosarum (de quibus *infrà plura*). Fotus ex decocto radicis bryoniæ cum *vino*, item chelidonium majus recens contusum, suffusioni seu Ecchymomati applicatum, etiam egregiè conducit.

In Ecchymomate non adeò ingenti applicatio carnis crudæ, præsertim bubulæ, *sive etiam vitulinæ*, in tenues lamellas sectæ, optimè conducit, subinde repetatur. Emplastrum de spermate ceti est admodum egregium, item unguentum Mynsichti ad livorem faciei est expertum. Insigniter etiam conducit emplastrum in Ecchymomate à casu facto ex theriaca & rob sambuci, cui parum salis absinthii, vel saccharum Saturni, fuerit additum: si fortiora requirantur, melius non habetur remedium, quàm radix sigilli Salomonis, quæ contusa in aqua vel vino cocta, & sub forma fotus aut cataplasmatis applicata, mirè confert ad quæcunque ecchymomata tollenda. Melius adhuc est, si addatur simul radix symphyti majoris, quæ duo sunt expertissima ad Ecchymomata: v. g.

℞. *Rad. consol. mai.* ℥iß.
Sigill. Salom. ℥j.
Coqu. in vino ad consistent. Cataplasmatis.
D. S.
Cataplasma discutiens.

Vel

℞. *Rad. symph. mai.* ℥vj. iv. v. vel iij.
Sigill. Salom. ℥iij. ij. vel iß.
Herb. agrimon.
Cherefol.
Meliss. cum flor. vel summit. hyoscyami,
Flor. sambuc.
Chamomill. an. M. j.
Sem. lini,
Fœnugræc. an. ℥ß.
Coqu. in s. q. *Vini alb.* vel *aqua simpl.* ad consistentiam Cataplasmatis:
cui adde
Croci ʒj.
M. S. ut *antè*.

Applicetur Ecchymomatis, vel decoctum sub forma Fotus.

Item

℞. *Rad. symph. mai.* ℥ij.
Sigill. Salom. ℥j.
Summ. hyperic. M. j.
Albi Græci ʒvj.
Coqu. in s. q. *Vini* ad putrilag.
Trajiciantur per setaceum & f. Cataplasma,
cui adde
Olei hyper. ℥j.
Ungu. rub. potab. ℥ß.
M. S. ut *antè*.

℞. *Rad. consol. mai.*
Minor. an. ℔ß.
Sigill. Salom. ℥iv.
Herb. chamom. cum flor.
Melilot. cum flor. an. ℥ij.
Farin. fabar.
Fœnu Græc. an. ℥iv.
Croci ℥ß.
Butyri non salit. ℥v.
Coqu. radices usque ad consistentiam temperatam, deinde reliqua addantur.
M. pro Cataplasmate:
D. S. ut *suprà*.

Probatissimum est in gravioribus contusionibus post pregressam cum *spiritu vini camphorato* inunctionem. Quodsi partes nervosæ sint contusæ & Ecchymomate affectæ, id quod imprimis patet ex loco affecto circa articulos, item ex intensissimo dolore, quia aliàs talis esse non posset, tunc opera danda est, ut omne id, quod ex contusione fuit extravasatum, maturè discutiatur & resolvatur, quia periculum est aliàs, ne materia corrumpatur, putrescat, & ita tendines partesque nervosæ similiter putrescant, & in gangrænam abeant. Hoc ut præcaveatur, pro resolutione materiæ extravasatæ post istam contusionem inungatur locus affectus cum balsamo Peruviano & vini spiritu (ut antea monui, item cum oleo castorei, cum oleo lumbricorum terrestrium, cum oleo chamomillæ & rorismarini; vel foveatur pars affecta nervosa sequenti Decocto:

℞. *Rad. Ireos nostr.* ℥iß.
Fol. rorismar.
Menth.
Maior. an. M. ß.
Coqu. in s. q. *vini albi*:
Decoctum instar fomenti sæpiùs calidè applicetur.
D. S. ut *supra*.

Internè in tali casu optimè propinantur aliquot guttæ olei destillati lavendulæ, imprimis ubi simul tensiones nervorum observantur: hoc enim oleum est expertum ad tales partium nervosarum contusiones, & subsequentes tensiones, metumque convulsionis.

De *Cura magnetica* mediante persicariâ videbitis in PARACELSI *Herbario*. Refert non nemo, se in Gallia vidisse puellam, in tota facie per casum ab alto miserrimè contusam: huic, cum antè multa, sed in cassum adhibita fuissent, tandem muliercula suasit usum hujus herbæ, ut trahatur per aquam frigidam, post loco contuso imponatur, donec incalescat, planta adhuc tepida postmodum sepeliatur post fimum vel alium locum, ubi citò putrescere potest, & altero die statim sanata est. Exemplum de equo contuso & hoc remedio curato prostat, de quo *suprà* egi, *ubi de Odontalgia*: Vid. quoque HELMONT, & MARCUS *Marci*.

Quodsi his & similibus remediis nequeat dissipari Ecchymoma seu materia extravasata, vel si suffusio sit grandior, & ad suppurationem tendat, tunc opera danda est, ut sanguis iste extravasatus maturetur & suppuretur in pus, ut tandem facto abscessu ita aperiatur, & ulcus restitans convenienti modo consolidetur eàdem ratione ac inflammatio. Verùm non semper æquè tutum est, ut discutiatur suffusus sanguis & resolvatur; non minus quàm exspectare semper maturationem. Nam interdum imprimis in partibus carnosis contusio adeò magna est, ut pars brevi post livorem contrahat, atque gangrænam minitetur.

In tali casu, ubi metus adest *gangrænæ*, mox pars contusa profundè scarificetur, & sanguis extravasatus, congrumatus, quantum fieri potest, extrahatur: hinc Decocta aromatica cum vino applicentur, vel aqua calcis vivæ, acuata cum spiritu vini & Mercurio dulci imponatur, ut ita gangrænescen. pars salvetur & conservetur. Item præter dictum casum non tutum est expectare maturationem, quando contusiones non sunt præcisè in partibus intercutaneis, cùm sint sitæ paulo profundiùs, ita ut periculum sit, ne facta maturatione, antequam pus per partes subjacentes egressum inveniat, quandam partem vicinam, v. g. os, corrumpat vel corrodat, vel, ne partes vicinas perforando, in cavitatem corporis nobiliorem irrumpat: v. g. in contusione musculorum abdominis, ne per peritonæum perforatum pus irrumpat in abdomen. In his casibus non expectanda perfecta maturatio, sed maturè aperiendus est tumor mollefactus scalpello, & materia hærens extrahenda, hinc immittenda turunda, unguento Ægyptiaco, cum Digestivo vel simili mixto, illita, & factum ita ulcus solito modo consolidantibus & mundificantibus curandum.

Plura de Sugillationibus quibuscunque habent FORESTUS, HILDANUS, RULANDUS, RIVERIUS, SCULTETUS, BARBETTE, JOB *van* MEKERN, aliique plures.

MEMBRUM III.
DE
ERYSIPELATE seu ROSA.

POrrò quod si fiat, ut subitò cum gravioribus symptomatis, nempè cum præcedente rigore, & subsequente gravi ardore, erumpat Tumor inflammatorius non adeò insigniter protuberans, intensè tamen coloratus & quasi igneus, latè diffusus, ac subinde latiùs serpens, cum intenso partis ardore & æstu, ac sensu acutarum punctionum, qui tumor quidem digito pressus maculam albam ostendit, subitò tamen rubescentem rursus, & appellatur *Erysipelas* seu *Rosa*.

CAUSÆ.

Non oritur à bile, ut vulgò existimant, seu sale volatili oleoso simpliciter, *sed* potiùs occasionaliter à subtili ac volatili acido, quod cum sale volatili massæ sanguineæ febriliter effervescit, & in parte quadam cutanea diffusum ibidem sanguinem in vasculis extimis coagulat, & ad stagnationem disponit; unde scorbutici levi de causa laborant Erysipelate: hinc magis circa nervosa & sanguinea loca simul, non circa sanguinea solùm, oritur Erysipelas.

Tales inflammationes erysipelaceæ in genere in partibus externis ita dictæ, si sint in partibus internis, peculiaria obtinent nomina: nam tale Erysipelas in pectore dicitur Pleuritis & peripneumonia; in renibus dicitur Nephritis; in hepate Hepatitis, & sic porrò. Nec præsens affectus ab iis differt, quàm ratione loci; occupat namque inter partes externas caput, faciem, mammas, brachia, pedes, imò ipsum scrotum.

Subinde magis malignitas subest, ita ut in vitæ periculum conjiciat ægrum, imprimis quando erysipelas erraticum est, & per totum corpus vagatur, unde tunc ignis sacer, seu roster, interdum etiam Herpes erysipelaceus, à serpendo, vocatur. Interdum periodicè & tunc plerumque singulis mensibus affligit. Apud nos Scorbutici imprimis obnoxii sunt erysipelati, & sæpius in scorbuto, cum euphoria tamen ægri, talia erysipelata erumpunt.

DIAGNOSIS.

Signa interim ejus diagnostica cum signis inflammationis (de quibus *P.* 1. *Sect.* 18. *cap.* 1. *Artic.* 1.) eadem sunt, Calor scilicet, Rubedo, Dolor, & Febris, sub aliis paulò saltem circumstantiis observabilia. Nempè

1. Calor in erysipelate acrior & mordicans magis est.
2. Rubedo magis purpurea & splendens, quæ quidem ad levissimam compressionem cedit, & maculam albicantem, mox denuò rubescentem, relinquit; quod non fit in inflammatione, nisi pars inflammata fortiùs prematur.
3. Dolor exilis est, non tensivus, & saltem pungens.
4. Febris in erysipelate semper primaria seu comitata est, imò vehementior, tam ratione horroris quàm caloris.

Quibus omnibus accedit, quod erysipelas mox latiùs se extendat, & ad vicinas partes progrediatur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin* sciendum; Erysipelas à causa interna, præcipuè plethora, ac in adsuetis, item in parte externa, pronatum, sine singulari periculo esse; secus à causa externa, v. g. fractura, vulnere, &c.

Erysipelas in brachiis non ita frequens est, ac in pedibus; & quod in brachiis, diuturnius est quàm in pedibus, quia plerumque vel inflammationem aliquam conjunctam habet, vel bubonem sub alis, vel alium tumorem inflammatorium judicat.

Erysipelas mammarum puerperis ac lactantibus familiaris est, & plerumque ulcera post se trahit. Erysipelas malignum, in specie roster, sæpius lethale est, imprimis si vel in os, vel in anum per intestina, vel aliam corporis cavitatem, serpat. Erysipelas scorbuticum si incontinnè, aut per repellentia tractetur, periculosum est, cum facillimè exulceretur, & interdum aut in gangrænam, aut in ulcera cacoëthea maligna, chronica, aut facilè recrudescentia, ac sæpiùs longè latéque serpentia, (qualia in Italia sunt frequentissima) degeneret, & quibus vix, nisi generosioribus remediis, occurri potest: Conf. HIPPOCRATES *Sect.* 7. *Aphorism.* 20. Præ cæteris periculosum est Erysipelas in parte nobiliori, ut in capite, si partes capitis externas, faciem imprimis, occupat; præ reliquis enim hujus speciebus hoc erysipelas sæpius lethale esse solet.

Malum quoque est, quando erysipelas ab exterioribus ad interiora vertitur, juxta HIPPOCRATEM *Sect.* 6. *Aphor.* 25. quod aut naturæ imbecillitate in erysipelate maligno, aut ab aere frigidiore, aut repellentibus applicatis, facilè fieri potest.

CURA.

Curatur aliàs facillimè, si rectè procedatur, modò scilicet *acidum istud* vitiosum internis sudoriferis cum rob & remediis aliis ex baccis *sambuci* paratis jungendis, *infringatur*, & internis etiam temperatis alcalibus volatilibus, acidum subtile discutientibus, aut metallicis Saturninis, istud promptè absorbentibus, corrigatur.

Purgatio omnis est summè vitanda. Venæ sectio est periculosissima, nisi erysipelas à contusione, fractura ac vulnere, ortum fuerit; in quo casu venæ sectio revulsoria institui debet. SENNERTUS quidem *in Praxi*, *Wierus in Obs. lib.* 1. *cap. de Erysip.* multique alii, in plethoricis mox à primo principio purgationem & venæ sectionem commendant: cum autem erysipelas mox ad habitum corporis vergat, & sæpiùs cum malignitate complicatum sit, experientia quoque testetur, quod omnes cutaneæ excretiones purgantibus & venæ sectione facillimè retrocedant, è contra solis diaphoreticis & sudoriferis facilè expelli, ac per cutis spiracula efflorescere, ab illis omninò abstinendum.

Internè ergò solis diaphoreticis Cura inchoanda & absolvenda: pro quo scopo suprà dixi, quod primatum obtineant ex baccis sambuci parata diaphoretica, adeòque conveniat imprimis rob sambuci, quibusvis formulis additum, aut pro vehiculo pulverum usurpandum, ceu appropriatissimum erysipelatis remedium; præsertim quando motus naturæ excretorius deficit, nec debitè erysipelas efflorescere potest, tunc loco stimuli usurpatum rob sambuci, ad ʒj. cum aqua florum sambuci dissolutum, cum gr. xv. vel ℈j. salis volatilis Cornu Cervi optimum est: si aliquantulum de camphora adderetur, esset eò potentius sudoriferum. Conveniunt quoq; flores sambuci in lacte cocti, vid. SENNERTUS *de Febrib.* & SIMON PAULI *in Quadrip. Bot.* item essentia rob sambuci à ʒß. ad ʒj. vel ʒij. propinata, per sudorem optimè curat Erysipelas. Paratur scilicet hæc essentia ex rob sambuci mediante spiritu ex floribus sambuci per fermentationem parato. Prætereà antimonium diaphoreticum cum bezoardico minerali & cum cornu cervi sine igne, & similibus, & omnia illa, quæ *superiùs loco allegato de Inflammatione in genere* laudavi, per sudorem nempè, curant Erysipelas. Aliàs ubi faciem ac caput occupaverit erysipelas, ex cinnabari antimonii parata remedia, & hinc specificum cephalicum, sunt optima; e. g.

℞. *Cinnab. antimonii* gr. xxiv. ad ʒß.
Sal. volat. Cornu cervi ℈ß. ad gr. xij.
Volat. succin. gr. vj.
Laud. opiat.
Camph. an. gr. ij.
M. f. pulvis:
Div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis expellens.

Item

℞. *Cornu cervi sine igne* ʒß.
Antimonii diaphor. ℈j.
Cinnab. antimonii ℈ß.
M. f. Pulvis.
Dividatur in 2. part. æqu.
D. S. ut *antè*.

In declinatione demum lene purgans superaddendum.

Externè omnia unctuosa, omnia mucilaginosa, omnia pinguia, omnia quæ sunt *actu frigida*, item omnia adstringentia, magis quàm ipsum malum sunt fugienda: Hæc enim oblinendo poros ex Erysipelate aut ulcus depascens faciunt, aut erysipelas in gangrænam transmutant: vid. HILDANUS. Potius applicetur cortex sambuci medianus succulentus, vel folia raphani sylvestris contusa leniter; nam

nam horum sal volatile optimè corrigit acidum erysipelatis: Item optima est aqua spermatis ranarum imposita, item aqua stercoris bubuli mense Majo collecti & destillati. Convenit etiam Decoctum ex myrrha, thure seu olibano, in vino paratum, cui aliquantulum camphoræ & croci simul in fine additur; hoc enim Decoctum impositum mirè confert ad resolvenda erysipelata: Nempè

℞. *Myrrhæ*,
Olibani, an. ℥ß.
Coqu. *in vino:*
Colaturæ adde
Camph. ʒj. vel ʒii.
Croc. ʒß.
M. D. S.
Decoctum resolvens.

℞. *Flor. sambuc.* M. ii.
Lithargyr. ℥vi.
Olibani,
Myrrh. an. ʒii.
Croci (pro dolore leniendo) ʒß.
Pulverisata coqu. in
Vini part. ii.
Aceti part. i.
Colaturæ adde
Camph. ℈i.

Applicetur calidè cum linteis.

Convenit etiam Decoctum florum samb. cum vino, addito sapone Veneto & theriaca, quod LOSSIVS *lib. 1. obser. 25.* commendat. Etiam *vini spiritus* solus, aut *camphoratus*, aut *crocatus*, vel etiam spiritus theriacalis camphoratus, erysipelati illitus, hinc *sperma ranarum*, & *lintea hoc spermate probè impregnata*, & *pannus linteus crocatus Mynsichti*, optimè resolvunt tumorem.

Ubi intensus est ardor & dolor, opii nonnihil huic Decocto addendum erit, V. g. alio modo:

℞. *Myrrh.* ʒii.
Sacch. Saturni ʒß. vel ℈ii.
Camph. ℈i.
Opii gr. xv.
Vini alb. ℥vi.

Quæ invicem mista leviter bulliant, hinc confusa cum linteis duplicatis applicantur, & egregiè conducunt in erysipelate.

Nobile etiam *Epithema Zwelfferi in Pharm. Reg. pag. 91.* ad cujus imitationem aliud communicavi *in Idea Formular. Class. 4. §. 19.* quod cum linteis multiplicatis bis vel ter vel crebriùs in die applicetur. In usu aliàs sunt pulveres erysipelacei, qualis egregius est pulvis Mynsichti ad Erysipelas. Fieri etiam possunt ex floribus sambuci, saccharo Saturni, thure, minio, myrrha, creta, cerussa, croco & camphora, & similibus: quæ invicem pulverisata inspergantur tumori, vel cum papyro griseo melle illito, vel impraegnato spiritu vini crocato; absorbent enim acidum erysipelatis: e.g.

℞. *Flor. sambuc.*
Chamom. Rom.
Fol. hyoscyami an. M. I.
Myrrhæ ʒiii.
Cretæ ʒii.
Oliban. ʒi.
M. f. Pulvis.

Pulvis sperniolæ compositus Crollii, cum spiritu vini vel vino calente subactus, egregium erit remedium propter camphoram, myrrham, & crocum. Singularissimum est linteum tinctum cruore leporino, ex lepore quidem in venatione interempto, ex quo ipso sanguis collectus asservatur, cui lintea immerguntur postmodum exsiccanda, quæ ita sanguine leporino tincta sicca applicata erysipelati, probatissimum sunt remedium. Vid. HELMONTIVS *Imag. Ferm. §. 13.*

Non minoris est efficaciæ, quod certum est, linteum sanguine primo menstruo virginis tinctum, hoc linteum exsiccatum citra loturum applicatur erysipelati, & miros habet effectus. *Fel carpionum* applicatum specificum est, cùm alcali temperatum eius destruat acidum erysipelatis, item lintea cum solutione saponis in aqua appropriata imbuta & exsiccata tepidè admota: vid. SOLENANDER *Sect. 5. Consil. 12. & 13.* atque WIERUS *Observ l. 2. cap. de Erysip.* Unum etiam ex optimis remediis est theriaca linteo illita, probè calida erysipelati imposita. Melius est remedium, si ipsi addatur parum salis absinthii, subigatur & *in forma unguenti* erysipelati imponatur: e. g.

℞. *Pulv. flor. samb.* ℥iii.
Ceruss. ʒiß.
Salis absinth.
Theriac. q. s.
Misc.

Hoc enim subinde repetitum probè calidum optimè confert ad sistenda & resolvenda Erysipelata: sicuti etiam emplastrum seu unguentum ex rob sambuci cum saccharo saturni impositum probè calidè, est optimum.

Si facies & caput erysipelate laboret, suffumigetur mastiche & thure quinquies vel sexies de die.

Quodsi fiat, ut nihilominus erysipelas vel sponte vel malè curatum *exulceretur*, ad curam huius optima est aqua calcis vivæ cum aqua flor. sambuci parata, linteis duplicatis calidè, vel solùm vel cum saccharo Saturni apposita: item *succus nasturtii* inspissatus, cui saccharum saturni vel cerussa, lithargyrium, lac lunæ, crocus Martis per præcipitationem, sit additum, imponatur erysipelati exulcerato, estque optimum remedium. Aut fiat saltim tale unguentum saturninum, quod est *euporiston Foresti*, sequens:

℞. *Lithargyr.* ℥iii.
Ungu. popul.
De cerussa
Infrigid. Gal. an. ℥iß.
Olei rosat. camph ℥i.

M. & ducantur probè in mortario plumbeo, fiat Unguentum applicandum, usque ad Erysipelatis exulcerati consolidationem. Quia tamen hic morbus frequentiùs nonnullos ex quacunque causa externa, præprimis ira, facilè affligit, eius præcavendi gratiâ commendantur primò Evacuationes circa æquinoctium vernum atque autumnale, tàm per venæ sectionem, quàm purgationem instituendæ, pro diversa corporum constitutione: Deinde laudantur illa, quæ sanguinis æstum & acrimoniam temperant, v. g. lac cum floribus sambuci decoctum, singulis decrescentibus lunis ter vel quater vel per totum annum, bis de die ad ℥viii. haustum: vid. SOLENANDER *Sect. 5. Consil. 12. & 13.* Nec inutiles quoque sunt acidulæ sanguinis fervorem mitigantes.

ARTICULUS II.

DE

TUMORIBUS & ABSCESSIBUS CRITICIS.

PORrò ad hos Tumores sanguineos pertinent etiam *Tumores & Abscessus Critici*, vel, qui his similes, interdum symptomatici. In morbis acutis & febribus, tàm benignis quàm in specie malignis, oriuntur, & fiunt per congestionem in his morbis acutis, nunc celeriùs, nunc tardiùs, dum nempè fermentum morbosum malignum unà cum partibus massę sanguineę heterogeneis & corruptis beneficio fermentationis præcipitatum & correctum in locis extimis circa vasa capillaria in quodam loco hæret, sensimque coacervantur & stagnant, unde sanguini transitu præcluso tandem supervenit phlegmone & inflammatio suppuranda. Oriuntur tales Tumores nunc promiscuè in partibus carnosis, nunc & primariò in locis glandulosis: Et isti, qui in locis glandulosis emergunt, si in inguinibus aut sub axillis se manifestant, ordinariò *Bubones* appellantur: sin verò propè aures appareant tumores cum rubore, dolore pulsante & ardente, *Parotides* vocari solent: aliis in locis, ubi glandulæ sunt minores, si propullulent, speciali nomine carere solent.

MEMBRUM I.

DE

BUBONIBUS.

BUbonis vox utut propriè certam corporis partem, quæ posita est in flexura femoris circa inguina in utroque latere, tantum significet, tamen etiam tumori, huic parti inhærenti, propter similitudinem partis affectæ & ipsius affectus sub axillis tumoribus enatis tribuitur.

Fiunt autem Bubones, quatenus vasa cubitalia & cruralia majora glandulas has transeunt, inque transitu sanguinem pro seri segregatione (hic enim glandularum usus est, ut serum à sanguine segregatum recipiant, & vasa lympha-

ticâ aliorsum derivent) effundunt, qui propter crassitiem & viscidiratem stagnans tumorem producit.

Bubones hi sunt nunc critici in statu morbi cum levamine ægri; nunc symptomatici in principio cum virium dejectione: nunc tuti, quando circumscripti, prominuli, & quasi in acumen desinentes; nunc minus tuti vel infidi, depressi, occulti seu in profundo siti, & eadem est natura in hoc casu ac carbunculorum, nisi sint mitiores. Porrò Bubones hi aut benigni sunt, aut maligni; *Benigni*, qui in febribus ardentibus in statu & declinatione superveniunt, ubi per ἔκκρισιν heterogeneum cum lympha vitiosa in dictas glandulas protruditur, illicque stagnando ac suppurando tumorem inflammatorium suscitat: *Maligni*, qui etiam contagiosi sunt, & imprimis in pestilentialibus febribus solent esse frequentes.

CURA.

Benignus Bubo ut aliæ inflammationes præmisso sudorifero est discutiendus, & quidem iisdem remediis, quibus aliàs inflammationes solent suppurari: v. g. illinatur balsamus sulphuris, & applicetur desuper emplastrum de meliloto cum unguento dialthææ, & similibus.

In Bubone verò maligno pro malignitatis ratione Cura variat. Nempè sunt *vel* in febribus malignis *vel* in lue Venerea. In Bubonibus febrium malignarum, & pestilentialibus, omni studio cavendum, ne incautiorum Practicorum aut nasutulorum barbitonsorum nostratium more, vel purgantibus vel venæ sectione naturæ motus turbetur, & in bubonum retrocessione lymphæ hujus ferocientis & miasmatis maligni excretio impediatur. In primo ergo principio internè danda sunt diaphoretica & alexipharmaca, imprimis sulphurea antimonialia, ut *lib.* 1. *Sect.* 15. *de Morbis Pestilentialibus* monui. Post sudorem julepi moderatè aciduli propinandi eum in finem, ut malignum fermentum, de natura alcalium acrium participans, his ipsis corrigatur & emendetur, simul tamen corpus, quantum fieri potest, in diaphoresi blanda conservetur & retineatur.

Præterea malignus Bubo ita tractandus, ut cataplasmatis emollientibus sæpius impositis quamprimum maturetur & aperiatur, aut si profundus sit, aut minus prominens, foras quasi attrahatur, ne subitò iterum dispareat: Nam quando retrocedunt tales Bubones, factum est de vita. Ad hoc ergo, ut melius promineat & citiùs suppuretur, quod necessarium est, applicandæ cepæ & allium sub cineribus coctæ, quibus permiscetur theriaca & fuligo furni, cum succo chelidonii; aut etiam *bufo*, (certo tempore captus & interemptus) exsiccatus, & in vino maceratus, calidè imponitur buboni: vel *ex bufone paretur cataplasma*, ut meliùs temperetur malignitas, & promptiùs postmodum suppuretur tumor. Aliàs etiam cataplasma ex scabiosa cum fermento & sapone Veneto applicatum, tumorem maturat. Vel fiat Emplastrum vel Cataplasma ex foliis sambuci contusis, cum pulvere sinapi contuso subactis: hæc duo applicata maturant & promptè rumpunt abscessum seu bubonem.

Optimum tamen est, & optima methodus, ut nempè mox in principio, imprimis in cute densiori, vel bubone profundiùs latente, applicetur *vesicatorium*: hinc facta vesica promptè incidatur per transversum, quo facto applicetur emplastrum, quod vocant, tractivum tale:

℞. *Empl. diachyl. cum gumm.*
De mucilag. an. ℥ß.
Ungu. basil ℨiv.
Sem sinapi cont. ℨiij.

Mista sub forma Empl. imponatur vesicæ apertę; hoc enim maturat promptè & suppurat tumorem. Loco hujus emplastri melius longè est emplastrum ex magnete arsenicali Ang. Salæ, aut Friderici Hoffmanni, vesicæ apertæ superimpositum; hoc namque mox malignitatem ita elicit, ut densa crusta oriatur, quæ facilè & spontè ferè separari potest.

Crustâ separatâ & bubone aperto, ubi non fuerit sufficienter malignitas extracta, denuò imponendum erit idem emplastrum, & hinc denuò facta crusta removenda; postmodum, ubi ulcus factum, cum balsamo sulphuris & *unguento basilico & theriaca* mundificandum, aut cum emplastro diapompholygos cum oleo nicotianę digerendum, & cum emplastro dia-sulphuris Rulandi consolidandum. Conf. BARBETTE *Chirurgia*, DIEMERBROCK *in Tr. de Peste*, & NICOLAUS de BLEGNY *Tr. de Lue Venerea Gallicè conscripto*.

Præter Bubones autem pestilentiales etiam observandi sunt *Bubones Venerei*. qui non sine malignitate existunt, cùm ipsa lues venerea solo attactu seu contagio contrahatur: ideò non minus congesta hic purulenta materia contagium est, si ejus aura fœtidior vel ipsum pus alii, in eodem lecto decumbenti, communicetur. Oriuntur ex acido viscido maligno in dicto loco successivè coacervato, idque laudabili naturæ conatu; nam sic præservantur à lue Venerea, ut non eâdem corripiantur. Unde de his dicit CARDILUCIUS *in Offic. Sanitat. p.* 856. *Apparent verò crebriùs in sanguineis, alioquin rarò vel nunquam, nisi gravissimæ lui Venereæ obnoxiis, occultante scilicet elegante habitu corporis hostem inquilinum, eumque ad inguina protrudente.*

In *Cura* opera danda est, ut maturè aperiatur & virulentia eliciatur. Pro hoc scopo imponatur *emplastrum Vgonis cum Mercurio*, *malaxatum cum oleo destillato ligni guaiaci*, vel *emplastrum diachylon compositum. malaxatum cum oleo destillato ligni sancti*, vel *emplastrum diachylon simplex, malaxatum cum oleo* Philosophorum vel *tartari volatili*, quod CARDILUCIUS *loco citato* tanquam discutiens prçstantissimum commendat, ut horum medio emolliatur bubo; perfecta enim suppuratio hoc in loco rarò aut nunquam accidit. Maturatus aperiatur apertione largâ, & materia evacuetur, mundificetur ulcus cum *balsamo hyperici*, mixto cum *oleo destillato ligni sancti & tartari*, vel cum *unguento de apio*, cui additum sit parum de *Mercurio præcipitato* vel *arcano corallino*: superponatur dictum emplastrum exteriùs.

Internè usurpentur primò *lignorum Decocta*, posteà *purgantia*, in fine *sal & spiritus viperarum* Curam bubonum absolvunt.

Accidit sæpiùs, ut Bubones Venerei nullo modo maturentur, etiam legitimè institutâ diætâ sudoriferâ & salivatoriâ: in hisce tamen casibus, præter impositionem emplastri magnetici vel de cicuta, oleo Philosophorum vel saponis malaxati, vix quicquam applicandum, cum sensim sensimque tandem viscidissima hæc lympha in glandulis hisce quasi congelata resolvatur.

MEMBRUM II.

DE PAROTIDIBUS.

Parotides, Germ. *die ohrengeschwähre*, plerumque post malè judicatas febres, quando nempè ægroti aut non, aut non sufficienter, sudarunt, unde post cephalalgiam in glandulas ponè aures fausto naturæ conatu ex massa sanguinea præcipitatur heterogeneum, & protruditur.

CURA.

Si sint *benignæ*, maturationi opera danda, & tractantur sicut bubones benigni, & aliæ inflammationes ad suppurationem vergentes. Si verò ipsæ oriantur in febribus malignis aliisque morbis, semper ferè sunt suspectæ, quarum funestus est eventus: vid. in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *observ.* 4. *pag.* 6. Unde sudoriferis naturæ conatus erit adjuvandus, aerem externum cautè arcendo, & caput linteis, suffumigio quodam infectis, involvendo. Et si à natura spontè resolvantur, quod rariùs fit, resolventia blanda usurpanda.

Consultissimum potiùs erit maturatione succurrere, eidem imponendo cepam sub cineribus coctam, cui oleum scorpionum fuerit additum: emplastrum etiam diachylon commodè imponitur. Quodsi durior & pertinacior fuerit Parotis, emplastrum diachylon ireatum cum gummi ammoniaco in aceto dissoluto imponendum: quibus omnibus si olei destillati fœtidi, guajaci aut tartari parum addatur, multo promptiùs facilitatur suppuratio: post maturationem promptè aperiendus abscessus, & instar ulceris simplicis curandus.

Empyema à Parotide videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 3. *observ.* 50.

MEM-

MEMBRUM III.
DE
CARBUNCULIS.

Ad hos ipsos Tumores malignos primariò etiam pertinet *Carbunculus*, Græcis ἄνθραξ, Germanis *ein Carfunckel oder Pest Geschwühr*. Eadem enim est natura horum atque Bubonum malignorum, cum non rarò in febribus malignis & pestilentialibus, ipsaque peste, & bubones & carbunculi simul oriantur, atque etiam ex eadem proveniant *Causa*.

Nam rarissimus observatur Carbunculus benignus, quia utplurimum, si non semper, in Carbunculo adest malignitas; quæ tamen in bubonibus magis est correcta magisque subacta, in carbunculis verò minus est cicurata, adeòque insigniter maligna.

Malignitas ista videtur consistere in fermento salino acri volatili & quasi caustico instar cauteriorum potentialium, quando effervescentiâ febrili præcipitatum & nonnihil separatum ex Massa sanguinea in extima cute & carne hæret, ibique causticâ suâ acrimonia & dolorosissimum ardorem & subitam partis mortificationem, etiam livorem, hinc omnimodam nigredinem infert: propter talem enim partis in nigrum livorem corruptionem vocatur Carbo, item Carbunculus, cum inferat crustam in parte corrupta nigram instar carbonis; unde quibusdam etiam Pruna appellatur: Græcis verò eâdem ratione vocatur ἄνθραξ.

Corruptio ista in Carbunculo obvia, dico, quod oriatur ex sale acri & caustico maligno, in Carbunculo existente, quo inducitur parti omnimoda nigredo instar cauteriorum potentialium, ex salibus lixivialibus paratorum; cum hæc ipsa eundem planè habeant effectum. Nam acida corrosiva non inducunt nigredinem morficantem, sed primò intensam rubedinem, hinc consequentem albedinem insensilem, in partibus mollibus inducunt; acria verò lixivialia omnimodam partis mortificationem & nigredinem inducunt, quæ subinde ulterius proserpit cum dolore ardente: id quod similiter fit in Carbunculis, ubi etiam talis subitanea nigredo, livor & mortificatio cum diffusione in longum & latum mox sub primo conspectu se manifestat; unde patet, quod ejus venenum consistat in tali sale acri caustico lixiviali.

Carbunculus quidem, quando in febre vel morbo maligno oritur (in specie in peste) manifestat se primò exiguâ quadam pustulâ, aut albicante aut livescente, interdum simul plures tales exsurgunt pustulæ, à quibus brevi mora, subsequente cum ardore & dolore acerbo excitatur ulcus crustosum, simile ipsi, quod ferro ignito vel candente solet excitari: interdum citra ullam præcedentem pustulam mox talis crusta in carbunculo incipere solet, excitaturque ulcus crustosum in crusta modò livida, modò cinerea, modò omninò nigricante. Crusta tandem emortua decidente ulcus putridum in carne profundum, & hinc inde putrescendo latiùs serpens, subsequitur, carnem circum circa depascens & mortificans. Caro adhuc sana in confiniis carbunculi inflammatur cum intensa phlogosi & ardore, unde circa omnem anthracem seu Carbunculum simul adest circulus ex inflammatione admodum dolorosus, rubeus quidem instar erysipelatis, interdum cœruleus, in Carbunculis malignis aut lividus, aut nigricans.

PROGNOSIS.

Quò magis hic circulus est rubeus, eò salubrior est Carbunculus; quò verò lividus magis fuerit circulus, aut magis nigricans, eò periculosior est anthrax: sicuti etiam, quò magis rubet aut minus livet carbo, eò etiam securior est; quò verò magis livescit aut nigrescit, eò est periculosior: sicuti etiam periculosus est, qui in locis nobilioribus erumpit, cum optimus sit, qui in artubus carnosis se manifestat; minus enim periculi tunc subest.

CURA.

Malignitas ergo Carbunculi caustica & acris, de lixivialium acerrimorum natura, optimè mortificatur & curatur per suum *contrarium*, nempè *per acidum*: hinc enim est, quod nihil magis resistat Carbunculo, aut quod potentiùs enecet ejus malignitatem, quàm *butyrum* istud *Antimonii* acidissimum: quod ipsum sicuti in sphacelo, (quod obiter moneo) ubi pars est emortua, si cum eodem circumducatur circulus in termino, ubi pars mortua attingit sanam, separat promptè partem mortuam à sana, & sistit ulteriorem mortificationis sphacelosæ progressum; ita hoc ipsum butyrum antimonii in carbunculo eandem habet efficaciam, si scilicet in centro carbunculi, *sive in medio apicis*, cum pluma illinatur butyrum antimonii, ad quantitatem nummi, *sive solidi præter propter*, vel, quod melius est, ducatur circulus beneficio plumæ huic butyro intinctæ circa mortificatum anthracem, in confinio nempè cum parte sana; sic namque his modis optimè virulentia carbunculi caustica extinguitur, & ulterior mortificans progressus potenter inhibetur: & hinc separatur pars ægrota & mortua carbunculi à parte vicina sana, ut ulterius serpere nequeat, quin intra circulum contenta pars à carbunculo mortificata spontè excidat, & postmodum ulcus mundificandum, ac more consueto consolidandum relinquitur. Notum est aliàs, quod sympathetico modo circulus circa anthracem ductus à sapphiro, annulo incluso, etiam inhibeatur progressus ulterior carbunculi, quin carbunculus excidat, & ulcus cavum relinquat.

Loco butyri antimonii commodè etiam potest adhiberi nobile *emplastrum magneticum* arsenicale *Angeli Salæ*, quod ipsum applicatum etiam brevi inducit crustam, quæ separata illinatur unguento lenè maturante, crustam suppurante. Si adhuc malignitatis carbunculi quædam subest suspicio, denuò applicandum est emplastrum, donec virulentia ejus fuerit extincta; hoc facto, ulcus mundificandum, diù apertum servandum, ac consolidandum. Hoc ipsum tamen emplastrum, ut in corpore robusto cutique densiori meliùs & promptiùs operetur, commodissimè carbunculo priùs imponitur *vesicatorium*: v. g.

℞. *Sem. sinapi*,
Piperis an. ℨß.
Pulv. canthar. ℈ij.
Ferm. acerr. ℥ß. vel q. s.
F. Vesicatorium imponendum carbunculo.

Vesica post aliquot horas excitata incidenda est, & modò dictum emplastrum applicandum. Vel loco vesicatorii scarificetur Carbunculus, & post scarificationem dictum emplastrum applicandum. In defectu hujus emplastri post discissam vesicam, vel post factam scarificationem, communiter unguentum Ægyptiacum illinunt, quod ipsum etiam non contemnendum est.

Notum aliàs est, quod in vulgari Carbunculos curandi ratione soleant post factas scarificationes imponi Cataplasmata ex scabiosa, succisa, una inversa, calendula, cum cepis sub cineribus coctis, cum ficubus, cum fuligine, cum fermento, bufonibus pulverisatis & similibus: item imponi solet post scarificationem emplastrum de fuligine, emplastrum diachylon cum gummis, & similia. VALERIOLA insigniter commendat *in suis Observationibus Cas.* 6. sequentia duo remedia, post scarificationem tam carbunculis, quàm etiam bubonibus pestilentialibus, applicanda:

℞. *Succ. symph. mai.*
Scabiosæ,
Calend. an. ℥j.
Ther. vet. ℨiij.
Salis comm. ℨj.
Vitell ovor. No. ij.
Incorporentur simul.

Hoc ipso illinatur Carbo post scarificationem factam, quod aliquandiu continuandum, ubi tanquam secreto malignitas corrigitur, carbunculi progressus inhibetur, & crusta ac eschara facta promptè separatur, qua separatâ ulceris mundificativum optimum est sequens:

℞. *Succ. calend.*
Absinth.
Scabios.
Apii an. ℥j.
Myrrhæ,

Rad. Ireos Flor.
Aloes an. ℨj.
Sarcocoll. ℨiß.
Mell. rosac. ℥ij.

Quæ mista sub forma unguenti ulceri illinantur ad mundificandum & consolidandum illud. Loco hujus tamen posterioris, ruptus carbunculus unguento Ægyptiaco Wurzii, vel Hildani, aut basilico, mundificari, & postmodum ulceris probè detersi cavitas linteis carptis, oleo ovorum imbutis, iterumque expressis, impleri potest, superimposito emplastro diachylon cum gummis & supra emplastrum hoc defensionis loco vini spiritu theriacali camphorato. Aliàs quoque balsamus sulphuris ad mundificandos & curandos bubones & carbunculos optimus est.

Cum his externis etiam *internè* conveniunt *alexipharmaca* sudorifera, in specie antimonialia fixa: quibus Julepi blandè aciduli temperati ex citro, cydoniis, spiritu salis, spiritu vitrioli, & similibus adhibendi sunt, de quibus *lib. 3. Sectione 15. ubi de Febribus Malignis & Pestilentialibus* actum jam est.

Huic etiam pertinent Furunculi, Germ. *die Schwabren:* Item Phymata ac Phygethla.

MEMBRUM IV.

DE FURUNCULIS.

FUrunculi sunt inflammationes parvæ in locis extimis, tamen glandulosis, conspicuæ, in acutum tuberculum tendentes, ovum columbinum magnitudine non excedens, cum rubore & dolore, interdum atrocissimo cum ardore, ac si carbo igneus admotus esset.

Dicuntur ita à Furore, Germanis *die Blut-Schwahre*.

CURA.

In *Cura* applicandum est *emplastrum citrinum*, vel alia maturantia ac malactica, ut maturetur & suppuretur *Furunculus*. Repellentia quàm maximè nocent, cùm materia vitiosa repulsa longè deteriora excitet symptomata; sicut ex levi Furunculo sæpissimè anthraces satis malignos evasisse, CARDILUCIUS *in Officin. sanit. pag.* 856. observavit.

Furunculus apertus spontè coalescit: si hoc non fiat, tantillo balsami Peruviani consolidari solet, vel imponatur *emplastrum de meliloto*.

MEMBRUM V.

DE PHYMATIS.

PHyma est tumor glandularum rotundus, acuminatus instar plantæ seu arboris, quæ in parte inferiore est plana, in superiori acuminata, plus minus rubens ac dolens, qui statim augetur, & suppuratur. Dicitur ita à Græco φύω, nascor, Germanis *ein hitzige Beule*. HIPPOCRATES *Aphorismo 26. Sect.* 3. ad morbos pueriles refert, quia nos maximè affligit.

CURA.

In *Cura* à Repellentibus cavendum. Maturatio per emplastrum citrinum, imo solam inunctam salivam, promoveri potest, cùm natura potissimùm in hujus suppuratione occupata sit.

MEMBRUM VI.

DE PHYGETHLIS.

PHygethlon, Latinis *Panus*, est Tumor durus Phymate major magisque rubens ac dolens, expansus instar pani seu fungi arbori adnascentis, in locis glandulosis emergens.

CURA.

Curatur Discutientibus, pro quo scopo convenit oleum tartari fœtidum vel ligni guajaci. His interdum & Emollientia cum anodynis iunctis adduntur, unde laudatur cataplasma ex foliis & radice atriplicis, malvæ, althææ, farina triticea, &c.

Pus statim evacuandum, & vulnus consolidandum.

MEMBRUM VII.

DE PARONYCHIA.

PAronychia, Germanis dicitur *der Wurm oder das ungenandte*, cuius appellationis rationem videbitis in SENNERTO *lib. 5. Prax. Part. 1. cap. 14. pag.* 78. Hanc quod attinet, est tumor ordinariò obveniens in extremitatibus digitorum, ultimis nempè articulis digitorum, ita tamen, ut non excludantur reliqui articuli. Quandoque est erraticus, & ex uno digito in alium transit, ita ut uno persanato mox vicinus inquinetur, donec omnes successivè infestaverit: tantus est dolor, ut subinde universum brachium consensu afficiatur.

CAUSA.

Oritur ex humore acri admodum corrosivo, circa unguium radices effuso, immediatè periostium & ipsi adhærentes tendines occupante, & quidem mediatè. Supervenit *inflammatio*, eaque in *apostema* vergit, imò interdum, nisi ritè tractetur, antè factam apostemationem Paronychia ad *gangrænam* vergit: nam brevi officulum articuli extremum fit cariosum, nec curatur, nisi illo ablato, quod facilè fit, modò volsellà maturè extrahatur. Illustratur hoc à BONETO *in Anat. Pract. l. 4. Sect. 2. p.* 1544 qui observavit sphacelum in ancilla quadam, implorante auxilium cuiusdam matronæ, quæ certam opem omnibus pollicebatur beneficio herbæ cognominis: hac autem per plures dies frustra adhibità ancillæ digitus post ingentes dolores gangrænà & sphacelo corripitur, ut ad amputationem suprà secundum digiti articulum deveniendum fuerit: Et secundùm longitudinem post amputationem aperto digito caro & tendines omninò computruisse apparuit, ossa nigredine tetra affecta & quasi calcinata, cinerei coloris & friabilia evaserunt.

Occasio huiùs acidi est utplurimum ex læsione ossis, articulos constituentis; tunc enim ex osse transudat nutrimentum proximum, unde acorem contrahit & partes afficit, unde dolor.

CURA.

Pro dolore hoc sistendo, præmissà purgatione Mercuriali, nil melius est remediis ex *lumbricis*: nempè lumbricis sub cataplasmatis forma contusis, vel lumbrico vivo imposito, vel *liquore lumbricorum* in clibano facto, *spiritu lumbricorum*, & similibus, digitis illitis: quod etiam facit *balsamus sulphuris* & emplastrum diachylon cum gummis. Dolorem quoque & tumorem discutit, atque, si fieri potest, maturè ad suppurationem perducit *linimentum ex aurium sordibus cum sacchar o Saturni*, commixtum cum *pauco oleo avellanarum expresso*. Certum experimentum dicitur, si ovo recenter excluso & calido digitus imponatur, quo facto patiens illico à doloribus liberari: vid. SORBAIT *Med. Pract. Tr. 5. cap. 24. p.* 634.

Convenit etiam, si *digitus intrudatur in sterquilinium*; vel recipiatur *linteum*, quod *humectetur cum sterquilinio, & calidè digito dolenti applicetur*, sic dolor & tumor optimè discutitur & sistitur. Interdum tamen lanceola vel forfice aperiendus tumor, interdum fissura in ipso ungue cultello facienda, quo ichor illuc effluere possit: quò citiùs enim Ichor maturatur, eò minus periculum est ossis cariei. Ubi autem Paronchya altiores egerit radices, opus est incisione, quæ etiam tutissima est, & quidem per longitudinem & latitudinem fibrarum úsque ad ipsum os, ut rectè monet cum allegato BONETO SORBAIT *l. a.* vid. HILDANUS *Centur. 1. Observat.* 97. FORESTUS *observat.* 26.

26. nec non GLANDORPIUS *in peculiari de Paronychia Tractatu*, & ROLANDUS *in observ.* Factâ incisione ad prælaudati BONETI imitationem theriaca cum vini spiritu soluta digito applicanda; toti verò manui defensivum; quæ inter non inelegans est, quod *Sorbait loco allegato* commendat, nempè

℞. *Ungu. alb. camph.*
Popul. an. ℥j.
Opii Thebaic. ℈ß.
Theriac. rec. ʒiij.
M. pro Linimento sæpius reiterando.

Huc quoque pertinet affectus perniciosissimus, qui pollices pedum cum doloribus atrocissimis infestat, & nihil aliud est, quàm *Paronychia pedis digitorum*, cui gangræna & sphacelus, & tandem mors, subsequitur.

Febris plerumque conjuncta est, nunc continua, nunc sola ephemera, per longiora intervalla rediens.

Causa est eadem, ac *de Paronychia iam* dixi.

In *Cura* cavendum à Repellentibus, cùm horum usu pars affecta in gangrænam & sphacelum abeat: potius unà cum internis diaphoreticis, & acrimoniam temperantibus, emplastrum diachylon cum gummis aliaque emollientia & suppurantia anodynis juncta applicanda; quibus si ichor circa ungues stagnans in pus laudabile suppuretur, res salva erit: Ulcusculo instilletur vel balsamum vulnerarium Prevotii, vel de capaibe.

His nihil proficientibus, ipsa digiti resectio tentanda, de qua vid. HILDANUS, & JOB *van* MECKERN, & alii. Cum autem sola inflammatio partes vicinas occupet, ad præcavendam gangrænam vini spiritus, vel spiritus theriacalis camphoratus, applicetur; sublatâ enim inflammatione gangræna latiùs serpere non potest, modò portiuncula sphacelata ad vivum usque resecetur.

MEMBRUM VIII.

DE

PERNIONIBUS.

His subinde inflammationes superveniunt, affligunt imprimis partes extimas nerveas; tales enim partes si affectæ tument, & ex albedine ad aliquam cœrulescentiam inclinant, dolent, ita ut nunc cum, nunc sine exulceratione evanescant, ut tamen semper, quoties inclementia aeris & frigus instat, dolor increscat.

CURA.

Ut præserventur perniones, nil melius est, quàm *petroleum* illitum, quod & præservat, & factas jam curat. Pinguedo etiam anserina vel cati sylvestris contra frigus externum præservat, si membra eo illinantur. Item *terebinthina* loco refrigerato, dum imminet frigus, denuò cum *vesica bubula* imposita. Juxta hoc *oleum pini* destillatum nobile est præservativum & curativum. Vel

℞. *Olei terebinth.*
Petræ an. ʒiß.
Salv. ʒß.
Spicæ ℈j.
Camph. ℈ß.
Misc. S.
Oleum præservans.

℞. *Olei expreß. rapar.* ℥j.
Destillat. terebinth. ℥ß.
M. S. ut *antè*.

℞. *Olei expr. rapar.* ℥ß.
Petræ alb. ʒij.
Destillat. succin. ʒj.
Terebinth. ʒß.
Cum s. q. *Corp. pro Balsam.* f. Balsamus.
D. S.
Balsamus præservans.

Crocus cum spiritu vini, imprimis camphorato, membris frigore læsis applicandus. BORELLUS *Cent.* 3. *obs.* 32. frequentem manuum ac pedum frictionem cum fragis recentibus tempore verno commendat; unde & loco spiritus vini, spiritus fragorum, vel vini spiritus rectificatus, cui fraga recentia infusa, sæpius applicari potest. Si verò graviùs læsæ sint partes à frigore, tunc ad eliciendum frigus (ut vocant) optimum est cataplasma liquidum ex fermento, acetodestillato, & sulphure antimonii, calidè applicatum; sic omne frigus & dolor discutitur & resolvitur. Aliàs notum est, quod contra hos nil melius sit præ nive gelidissima, si partes frigore læsæ manè & vesperi hac vel glaciei frustulo probè fricentur; vel rapæ frigore conglaciatæ, in specie exsiccatæ, frigidè applicentur; sicut & horum decoctum est egregium; unde etiam *unguentum de rapis Mynsichti* est elegans ad perniones curandas.

Vel

℞. *Unguent. Saturnin. Zwelff.* vel *Bals. Saturni simpl.* ℥iß. ad ℥ij.
Olei Petræ vel *Philosoph.* ℥ß.
M. pro Linimento: S.
Linimentum calefaciens.

Quo partes affectæ manè & vesperi fricandæ, sic tumor imminuitur, & promptè tollitur.

Prodest etiam sevum cervinum, pernionibus manè & vesperi illitum.

Ruptis pernionibus imponi potest emplastrum spermatis ranarum camphoratum, quod acidum invertit; si verò iam exulceratæ sint Perniones, præter unguentum de rapis Mynsichtii egregium etiam est, si recipiatur rapa, & mediocriter excavetur, infundatur oleum rosarum vel hyperici, & assetur sub cineribus calidis: quo facto si post expressionem linimentum applicatur pernionibus, easdem solet restituere & consolidare.

Parari potest linimentum simplex ex rapis gelidis cum butyro. Aut perniones eluantur cum decocto raparum, & post imponatur unguentum tutiæ.

Aliàs expertum est *linimentum Sculteti* in Observationibus, constans ex *baccar. recent. iuniperi* M. j. *butyri cocti*, Germ. *geschmeltzte butter*, ℥iv. Antè applicationem pernionibus exulceratis inspergatur pulvis ex stercore humano combusto, vel spongia cynosbati calcinata & pulverisata. TACHENIUS *Tr. Morb. Princ. p.* 129. typham aquaticam inspersam mirabiliter sanare asserit.

Item *mucilago seminis cydoniorum cum aqua solani* extracta, addendo parum *tutiæ præparatæ*, convenit, si cum linteis multiplicatis applicetur *pernionibus exulceratis*. Modum, quo Boreales perniones, imò ipsam gangrænam à frigore oriundam, curare solent, videbitis apud BARTHOLINUM *Tr. de Nive*. Plura de Pernionibus legere potestis apud FORESTUM, SCHENCKIUM, SCULTETUM, & SEVERINUM.

Hi ferè sunt tumores sanguinei aut sanguineis cognati: Sequitur

ARTICVLVS III.

DE

TUMORIBUS EX LYMPHÆ VITIO.

Nempè si fiat, ut *ex impedito lymphæ motu*, propter vasa lymphatica, aut obstructa aut rupta, aut aliter affecta, lymphæ fiat præternaturalis collectio & stagnatio in parte quadam, oriuntur *Tumores*, qui vocantur *serosi* seu *aquosi*, molles nempè ad tactum, laxi, indolentes, in quibus impressionis à digito nullum vestigium remanet, & qui interdum ad lucem vel candelam lateraliter considerati ferè pellucidi apparent. Nam hæc ipsa lympha in cavitate quadam corporis collecta dat hydropes, uti notum est, particulares, quæ in totius corporis peripheria congesta, dat Anasarcam.

PROGNOSIS.

Tumores hi serosi sine ingenti sunt periculo, saltem, quia subinde sunt comites aliorum affectuum.

CURA.

Scopus pro *Cura* horum Tumorum est, ut potenter discutiatur & resolvatur lympha stagnans, quibus ipsis simul imprimis obstruentes humores in vasis lymphaticis liquefiunt & resolvuntur.

Conveniunt ergo imprimis *aqua calcis vivæ*, vel per se, vel *cum vini spiritu* ebria, sæpius calidè cum spongiis vel linteis applicata, & subinde renovata. Conveniunt impri-

mis stercora animalium, primariò quidem caprillum, hinc stercus bubulum; scilicet fiat Cataplasma ex stercore bubulo, cui permisceatur semen cumini pulverisatum: hæc duo excipiantur linteo vel spongiâ lixivio acri humectatâ, & imponantur ita (præmissis internis universalibus, de quibus postmodum) parti, in qua est tumor serosus seu aqua collecta. Insignis vis latet in stercore bubulo; sic enim, quando hoc applicant pedibus, qui podagrâ laborant, cum levamine id faciunt. Vel convenit emplastrum paratum ex baccis lauri, vel *hydropicum Augustanorum*, imprimis tamen de baccis lauri mixtum cum ana stercoris caprilli, quæ cum *melle* rediguntur in Emplastrum.

℞. *Empl. huius* ℥ij.
De Melilot. ℥vj.
M. D. S.
Emplastrum resolvens.

Applicetur calidè, & Tumores aquosos & serosos potenter resolvit.

Convenit etiam, ubi fortiùs agendum est, tale Cataplasma:

℞. *Sterc. vacc.* ℥ß.
Columb. ℥ij.
Sulphuris vivi ℥ß.
Nitri ℥ij.
Mellis,
Aceti destillati an. ℥iß.
Farin. fabar.
Bacc. lauri,
Sem. cumini an. ℥ß.
Olei anethin.
Nardin. an. ℥j.
Vini alb Gallic. q. s. pro miscendo cataplasmate.
D. S.
Cataplasma discutiens.

Quo applicato promptè discutiuntur tumores serosi.

Cùm his externis jungantur *interna*, tàm *diuretica*, quàm in specie *diaphoretica*, inter quæ Decocta sudorifera, in specie ex ligno juniperino & sassafras parata, optimè opem ferunt, externis appositis.

MEMBRUM I.
DE
OEDEMATE.

Eadem lympha, sed vitiata, imprimis crassa nimis, ex pituita, ut vocant, viscida, h.e. ex chylo crudo massæ sanguineæ permisto, & hinc inde distributo, si stagnet, id quod fit imprimis in extremitate manuum & pedum, dat Tumorem, qui vocatur *Oedema*.

Oedemata sunt tumores molles, laxi, & qui promptè cedunt digito prementi, pressionis etiam hujus vestigia diutiùs retinent, imprimis foveam, & successivè denuò protuberant, indolentes sunt & albicantes, sæpiùs in cruribus, rariùs in brachiis, se manifestant, & oriuntur à materia crassiori in partibus hærente. In Leucophlegmatia totum corpus œdemate laborare videtur. Rarum est, quod hæc œdemata per se oriantur, frequentiùs aliis superveniunt morbis, imprimis chronicis, ut phthisi, asthmati, &c. & ferè inchoamentum habent hydropis: interdum succedunt affectibus soporosis ac convulsivis, similibusque, febribus intermittentibus; & quidem his in declinatione superveniunt, in specie febribus acutis, & tunc fieri solent imprimis, quando præmaturè ægri lautiori diætâ utuntur. Gravidis etiam familiaria sunt.

PROGNOSIS.

Si per se apparent, malum signum est, quia metus est, ne morbi chronici superveniant.

In genere in junioribus minus periculi habent œdemata, quæ in senibus debent esse suspectissima, cum sæpius mortem imminentem portendant; sicuti etiam in phthisi contumaci seu confirmata œdemata pedum mortem fores pulsare indubitatò innuunt.

CURA.

In *Cura* præmissis internis, imprimis *stomachicis* & *aromaticis*, cum originem ducant ex vitiata chylosi, *elixir proprietatis antiscorbuticum*, remedia ex roremarino, ligno sassafras, & quæ ex eodem paratur *Essentia*, dicta *catarrhalis*, conveniunt: item remedia ex seminibus calidis majoribus, anisi, fœniculi, & similibus: etiam *noduli laxantes & alterantes* vino infundendi; in genere omnia ea, quæ aliàs ad cachexias usurpari solent, & intermistis interdum etiam simul *sudoriferis & diureticis*, imprimis in œdemate post febres intermittentes.

Externè optimè applicantur *diaphoretica* & potenter *resolventia*, nunc salinis alcalibus acrioribus, nunc verò aromaticis temperatioribus, constantia; nam resolvendo, & discutiendo curantur œdemata, rarissimè aut nunquam suppurantur. Conveniunt ergo omnia *aromatica*, in specie *Cataplasmata & Fomenta ex absinthio*, roremarino, *chamomilla*, pulegio, salvia, ruta, floribus sambuci, juniperi, radice cucumeris asinini & similibus, *in lixivio communi vel vino decocta*, quæ optimè discutiunt œdemata, in forma nunc fomenti mediantibus filicibus ferventibus excipiendi, nunc cataplasmatis applicandi. His convenientissimè stercora animalium adduntur, ceu optima ad resolvenda œdemata remedia: v. g.

℞. *Fol. tamarisci,*
Rorismar.
Rutæ an. M. j.
Bulliant in *aqua* vel *vino* ad mollitiem: adde
Farin. cicer.
Furfur. frum. an. ℥ij. vel iij.
Sterc. vaccin. ℥iij. vel iv.
Axung anat. ℥iß.
Mellis opt ℥iv.
M. f. Cataplasma: S.
Cataplasma resolvens.

Applicatur manè & vesperi œdemati & partibus œdemate tumentibus, donec detumuerint.

℞. *Herb. rorismar.*
Bacc. iunip an. q. v.
Ebulliant *in aqua simpl & lixiv.* q. s. Fiat Pediluvium, quod in pedibus œdematosis est egregium.

Lixivia in dictis casibus sunt optima: vid HARTMANNUS & PLATERUS. Conveniet etiam *emplastrum de baccis lauri*, malaxatum cum *petroleo*, vel *oleo destillato succini*, quotidie bis repetitum. Vel etiam præparetur *suffitus* aceti super lapides candefactos.

℞. *Succini pulveris.* ℥viij.
Aceti vini ℔j.

Infund. lapidibus candefactis, & excipiatur fumus pedibus aut partibus œdematosis, postmodum applicetur dictum emplastrum.

Juxta hæc, si acria desiderentur, eminet aqua benedicta Chirurgorum seu *aqua calcis vivæ*, & *lixivium ex cineribus sarmentorum vitis*; etiam hic optima sunt: applicatur cum spongia nova, ubi pars priùs fuerit illita cum adipe porcino. Meliorem successum habet hæc aqua applicata, si cum eadem bulliat sulphur commune aut baccæ lauri contusæ: Tale lixivium est, quod discutit dicta œdemata; sicuti & thermarum usus commendandus.

Ubi durius ac pertinacius sit œdema, recipiendum est *stercus caprillum*, & hoc benè subigendum cum *urina humana*, vel ipsius ægri: Coquuntur invicem ad crassitiem pultis seu cataplasmatis, quod calidè imponendum œdemati contumaciori. Vel *fimus equinus* misceatur cum farina *hordei & aceto*, & simili applicetur modo; promptissimè enim solet discutere tumorem.

Emplastrum hydropicum Augustanorum notum est in vulgus: item inunctio cum oleo laterino seu Philosophorum, cum oleo hyperici, in specie cum petroleo, aut cum oleo tartari fœtido rectificato aliquoties à cornu Cervi usto, quod etiã per se illitum mirum est. Non inferius est *oleum guaiaci destillatum*, quod commodissimè etiam discutit œdemata.

Si hujusmodi *œdemata* in declinatione febrium & morborum, vel acutorum vel chronicorum, dum ægri denuo strenuè edunt, oriuntur, imprimis vespertina, (nam matutino tempore solent cessare & evanescere,) optimè applicatur Geranium Rupertianum cum absinthio contusum instar cataplasmatis. Ejusdem efficaciæ & probatæ experientiæ est quoque *chelidonium maius* recens contusum, & plantis pedum imposi-

impositum. Laudatur etiam pediluvium ex cinere farmentorum vitis cum calamintha, origano, malva & chamomilla.

In tumoribus pedum œdematosis hecticorum ac phthisicorum omnia sunt frustranea, nisi quis ægris blandiri velit, ut aliquid agere videatur.

MEMBRUM II.
DE
SCROPHULIS.

Porrò juxta œdemata similis lympha viscida & vitiosa, simulque sapore non nihil adstringente & austero prædita, ac acido occulto impregnata, si in poris & meatibus glandularum colligatur, coaguletur, & ab acido proprio sensim inspissetur, ac ibidem indurescat, dat tumores glandularum, quos vocant *Strumas* seu *Scrophulas*, Germ. *Kropffe*, quæ frequentiùs equidem collum, utpote quod ubique glandulis obsessum, rariùs aliàs partes occupant, utut subinde mesenterium his repletum observatum fuerit.

Ipsæ *Scrophulæ* & *Strumæ*, imprimis in collo, sub duplici sunt *differentia*: vel sunt *mobiles* & pendulæ foras prominentes, vel *immobiles* seu *fixæ*, quæ aliarum partium vicinarum musculis profundiùs intertextæ, & iisdem firmiùs irradicatæ sunt. Porrò ad tactum strumæ sunt vel *duræ*, vel *molles*, colore albicantes, vicinis partibus colore similes, suntque vel *dolentes* vel *indolentes*, & tales sunt strumæ legitimæ: *dolentes* verò sponte & punctionibus spontaneis interdum molestæ, aut quæ colorem subcœruleum vel sublividum repræsentant, sunt non *legitimæ* seu *nothæ*, sed ex acidi vitiosi & corrupti abundantia sunt cancrosæ, unde non facilè curandæ. *Legitimæ sunt benignæ; illegitimæ verò malignæ*, pro cura nunquam attigendæ.

CURA.

In *Cura* ergo emolliendæ sunt strumæ & resolvendæ successivè, per remedia potenter resolventia & strumas emollientia ac discutientia, viscida *liquefacientia*, & acidum viscidum *corrigentia*: quæ inter est *gummi ammoniacum* ac reliqua gummata in aceto soluta, inspissata, emplastri formâ loco strumoso imposita. Loco hujus emplastrum Mynsichtii de Galbano crocatum, de ammoniaco, item emplastrum de cicuta Hildani, vel solitariè, vel cum gummi ammoniaco in aceto soluto, commodè imponuntur. Pinguedo viperarum in strumis incipientibus egregia medicina est, earumque progressum & incrementum præcavet. Item fotus cum spongia aquâ calcis vivæ ebria & hic est convenientissimus. *Cataplasma* etiam resolutivum Foresti, uti & *ex foliis* & radice *cucumeris asinini* paratum, *optimum est*, emollit & resolvit glandulas strumosas, quod potentius est adhuc, si cum stercore caprillo fuerit subactum.

Hæc si non suffecerint, ad potentiora accedendum est, quę inter præ cæteris eminent Mercurialia, sub viva forma addita, imprimis Mercurius vivus potenter penetrans & resolvens strumas. Hinc expertum est emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio, vel ex *gummi caranna cum Mercurio & terebinthina* subacta, fiat emplastrum ad imitationem BARBETTE: Habetur sic amalgama Mercuriale, ex quo & cum quo emplastra parata sunt egregia. Vel *emplastro diachylon cum gummis*, *v.g.* ℥j. addi *potest Mercurii vivi* ʒj.

Vel

℞. *Ungu. Martiat.* ℥j.
Olei myrtin.
Laurin. an. ʒß.
Mercurii viv. flor. sulph. extinct. ʒij.
M. f. Unguentum: S.
Unguentum emolliens.

Hoc scrophulis seu Strumis imponendum, & quotidie renovandum; hoc enim promptissimè resolvit & emollit.

In quibus tamen Mercurialibus semper inspiciendæ sunt fauces & gingivæ, an forsan ex eorum usu immineat salivatio.

GRUELINGIUS *lib.* 5. *Medicinæ Practicæ P.* 3. *c.* 19. omnia linimenta & emplastra corio canino denso illinit egregio cum usu.

Præ cæteris excellens est *oleum destillatum* HELMONTII *in Scriptis*, *in Tr. Tartarus Non Est in Potu* §. 15. quod oleum destillatum etiam invenitur jam olim descriptum *in Epistolis Medicinalibus* LANGII *Epist.* 4. *lib.* 3. Hoc illitum potenter resolvit & insensibiliter discutit Strumas & Scrophulas; quod etiam facit oleum Philosophorum & iridis nostratis per infusionem paratum.

Quodsi emolliri aut resolvi nequeant scrophulę seu strumę, usurpanda sunt successivè ad quandam suppurationem ducentia, ad quam scrophulę legitimę interdum spontè tendunt. Ad suppurationem pręstat imprimis *emplastrum* de meliloto cum oleo amygdalarum dulcium & pinguedine serpentum subactum, aut unguentum diachylon cum gummatibus commodè suppurat, & maturat scrophulas, vel *cataplasma ex cucumere asinino*; *emplastrum magneticum Angeli Salæ*, cum *emplastro diasulphuris mixtum*, ad imitationem FABRI *in Cura Cancri Curat.* 99. Vel applicetur emplastrum de nicotiana *Plateri*, quod videbitis *C.* 1. *Obs.* 28.

His & similibus suppurandę sunt Scrophulę. Scrophulę dum suppuratę sunt, non statim aperiendę, sed quamdiu fieri potest, clausus linquendus est abscessus, propterea, ut eò major glandulę strumosę pars per maturationem in pus abeat; Nam aperto abscessu tota glandula affecta per suppurationem est absumenda. Aperto ergò abscessu, ut hoc fiat, imprimis ut tota strumosa glandula absumatur, sufficit vel solum *commune digestivum* ex terebinthina, vitello ovi & melle illitum (de quo alio loco plura;) vel quod melius est, permisceatur *cum* tali digestivo Mercurius præcipitatus probè ablutus; sic enim blandè & ferè absque dolore absumit glandulam strumosam. Absumtâ in totum strumâ, ulcus glandularum relictum *mundificandum*, & solito modo consolidandum erit. Pro *mundificando* sufficit *balsamus sulphuris*.

Si verò glandulę sint *pendulæ*, commodè filo seu setâ equinâ pedetentim constringendę sunt, ut sensim marcidę spontè separentur: si verò *propriis tunicis* sint *inclusæ*, subinde necesse est, ut, cùm discutientia & suppurantia sint frustranea, Chirurgi manu curentur, prospiciendo ut membrana tota tollatur, quod saltem fieri potest, ubi non magna vasa aut nervi ad glandulas tendunt.

Hisce externis commodè subjungenda sunt interna, ut plurimum *fixa acidum* istud vitiosum, lympham scrophularum inquinans, *absorbentia*, qualia fiunt ex spongiis combustis, earum lapidibus calcinatis, osse sepię, pumice, cum zingibere, pipere, & similibus, remedia *viperina*, *arcanum duplicatum*, *pumex* pręparatus, pręmissâ tamen internâ purgatione ex helleboro nigro & Mercurio dulci. Facit quoque huc pulvis *Helmontii* contra strumas, qui vid. in *cit. loc.* item pulvis Arnoldi Villanovani contra strumas, qui vid. in *Pharm. August.* dosi ʒß. Vel fiat talis pulvis, in quo ferè sunt omnia ingredientia contra scrophulas:

℞. *Spong. marin. comb.* ℥iij.
Oss. sepiæ,
Maxill. lucii pisc.
Lap. cancr. præp.
Piper. long.
Zingib. albi,
Rad. pyrethri,
Gallarum,
Test. ovor. calcin. an. ℥j.
M. f. Pulvis.

Quotidie decrescente lunâ dosi ʒj. usurpatur.

Magis appropriati redduntur pulveres ad strumas, si cujusdam p.ij. vel iij. miscentur cum p.i. arcani duplicati Mynsichti, dosi ℈j. ad ʒß. vel ℈ij.

In potu commodè infunduntur vel decoquuntur rad. scrophularię, filipendulę, & harum herbę, genista, & similia. Vincetoxicum decoctum & exhibitum scrophularum Antidotus vocatur in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 57. *Lacertarum* cum aceto pręparatarum *pulvis* nobilis est contra scrophulas qui etiam redigitur in Electuarium: e. g.

℞. *Lacertar. præp. & pulveris.* ℥j.
Mellis ℥iv.
M. f. Electuarium.

Dosis ʒij. vel ʒiij. omni manè continuando per aliquot septimanas.

Huc quoque facit manus & sudoris mortui affrictio: Conf. WEDELIUS *Physiolog. Sect.* 3. *c.* 27. *p.* 189. Denique haustus potus ordinarius ex cranio hominis sepulti, ad tempus continuatus singulariter conducit ad strumas, in specie colli.

MEM-

MEMBRUM III. DE SCIRRHO.

Scirrhus vocatur *Tumor durus tactui renitens*, qui sensim utplurimum generatur in partibus mollioribus, & indolens est, & loco immobilis, & præter glandulas occupat alias partes, imprimis carnosas, sive *internas*, nempè viscera, sive *externas* quascunque.

CAUSÆ.

Nascitur ex coagulatione aut sanguinis, *aut* chyli crudioris, *aut* utriusque simul: Ex *sanguine coagulato*, quando inflammationibus male tractatis, imprimis per Repellentia dicta adstringentia, supervenit; tunc enim talis tumor durus remanet seu scirrhus. Ex *chylo crudo* & viscido, cum sanguine hinc inde distributo, vel etiam cum alieno vehiculo, cùm similiter in talem tumorem durum coagulando coeunt: qua ratione œdemata epithematis nimis validè discutientibus tractata in scirrhum degenerare solent: quò pertinet etiam Tumor mammarum ex lacte coagulato, qui & ipse interdum scirrhescit, & tandem tam durum scirrhum quàm scrophulam generat. Interdum simul & sanguis & talis chylus viscidus per poros partium, in specie viscerum, transeundo successivè hæret, congeritur & coacervatur, ibique coagulatur in talem scirrhum autore acido præternaturali, aut nimio, aut fixo, aut austero, aut alio simili modo vitiato, dictam materiam coagulante. Causa remota & occasionalis, præter febres chronicas, mensium aut hæmorrhoidum suppressionem, sæpè sunt fracturæ: (vid. WISEMANNUS *Chirurg. lib. 1. cap. 19.*) Item convulsiones, (vid. HILDANUS *cap. 3 Observ. 79.* & WISEMANNUS *l. 4.*)

In his scirrhis probè observanda est *differentia & distinctio*: *Scirrhus vel indolens est & legitimus*, vel *dolens* & præterea nonnihil livescens est & *nothus*, qui subinde est *cancrosus*, unde si curatur, periculum est ne in cancrum degeneret.

DIAGNOSIS.

Facilè patet scirrhus ex duritie & indolentia, quæ semper sunt in scirrho legitimo.

PROGNOSIS.

Scirrhus, imprimis inveteratus, difficulter curatur, cùm nec resolvi, nec commodè suppurari possit, & causa ejus sæpe maligna, & scirrhus facilè in cancrum degeneret: vid. HILDANUS *C. 3. Obs. 79.* & *C. 6. Obs. 75.*

CURA.

In *Cura* opera danda est, ut scirrhus emollitus successivè insensibiliter resolvatur & evanescat, idque maturè, aliàs enim facilè incurabiles fiunt scirrhi. Curantur imprimis maturè, aut, uti dico, insensibiliter resoluti, aut, quod rarius & etiam periculosius, si tandem suppurentur & degenerent in abscessum. *Acidum* ergo coagulans temperandum est, & *durities* facta emollienda.

Faciunt huc *Resolventia fortiora*, discutientibus moderatis nec adeò acribus permista, ut resolvatur tumor successivè. Id quod faciunt imprimis remedia ex nasturtio, erysimo, cochlearia, eruca, cicuta, mandragora, nicotiana, scrophularia, cucumere asinino, ac similibus, imprimis sub forma emplastri succulenti vel cataplasmatis applicata, donec tumor scirrhosus emollescat. Stercus bubulum aceto incoctum & applicatum scirrho, tumores scirrhosos quamplurimos mirificè dissipat. Oleum lumbricorum terrestrium, olei tartari destillati pauco mistum, & hæc duo vini spiritu diluta & illita, optimè curant scirrhum: Nam certum est, quod oleum tartari rectificatum, fœtidum licet, mirè resolvat, & tumores duros potenter discutiat & emolliat, quod etiam facit oleum Philosophorum, vel saponis.

Hæc juxta, Cataplasmata ex radice bryoniæ cum stercore caprillo imposita similiter egregia sunt ad discutiendum & emolliendum scirrhum; vel applicatur Cataplasma resolutum Foresti; aut fiat tale Cataplasma, quod expertus est feliciter THONERUS:

℞. *Farin. & fur fur. hord.* an. ℥ij.
Sterc. caprill. ℥iij.
Melilot.
Chamomill. an. M. ß.

Cum *lixivio* & *sapa* F. Cataplasma, addito pauco oleo *anethi*.

Præ cæteris tamen gummata sunt, quæ potentissimè scirrhos resolvunt, nempè bdellium, galbanum, opopanax, & hæc inter gummata ammoniacum primatum obtinet, si scilicet vel solum gummi ammoniacum in aceto solutum inducatur alutæ & applicetur sub forma emplastri, optimè resolvit scirrhum. Melius adhuc est, si emplastrum de cicuta vulgare misceatur cum gummi ammoniaco in aceto; Nam cicuta per se mirè laudatur ad quoscunque scirrhos curandos. Hinc emplastrum spleneticum Aquapendentis, paratum ex gummi ammoniaco & succo cicutæ, expertum est remedium ad percurandos scirrhos. Item *emplastrum diachylon*, vel de meliloto, cum duabus partibus *gummi ammoniaci* mixtum, scirrhum emollire solet. Elegans etiam est sequens emplastrum, efficax satis ad scirrhos curandos; nempè

℞. *Succ. cicutæ expr.*
Mandrag. an. ℥iv.
Coqu. in tigillo assiduè movendo ad extracti liquidioris consistentiam: adde
Galb. cum aceto sol.
Gum. ammon. cum aceto sol. an. ℥iij.
Empl. ad melilot.
Diachyl. simpl.
Terebinth. an. ℥ij.
Croci Orient. ℥iij.
Sal ammoniac. ℥j.
Olei tartari fœt. ℥iß.
Ceræ q. s.
M. F. Emplastrum applicandum scirrho.
D. S.
Emplastrum emolliens.

Hocce applicatum dolorem equidem primitus movet: sed propterea non est cessandum, sed tertiâ quaque die novum est reiterandum.

Aliàs etiam emplastrum Hildani tanquam singulare experimentum laudatur ab Autoribus, cujus descriptionem videbit. in *C. 6. Observ. 75.* Loco hujus emplastrum dia-sulphuris Rulandi, item *emplastrum diachylon* cum gummis, commodè etiam applicantur.

His non satisfacientibus, & Mercurialia ex Mercurio vivo parata commodè etiam scirrho legitimo imponuntur. Hinc emplastrum de ranis Vigonis cum duplo Mercurii applicari potest: Vel sequens:

℞. *Empl. diachyl. cum gumm.* ℥ß.
Mercurij vivi ℥ß. ad ℥ij.
M. D. S.
Ut supra.

Imponatur de scirrho.

Vel pinguedo suilla cum oleo laurino & Mercurio vivo in mortario lapideo cum pistillo ligneo subigatur, donec fiat unguentum. Convenit etiam solùm lamina plumbea hydrargyro illita & imposita, vel etiam ad scirrhos Clossæi, vel *emplastrum Magistrale*, quod habet AGRICOLA *in Chirurgia Parva p. 689.* sufficit ad tollendum & percurandum scirrhum.

Quodsi his ipsis & similibus, & imprimis Gummi ammoniaco, non possit legitimè discuti aut resolvi Scirrhus, tunc necessitate urgente ad maturationem in pus, quantum possibile, deducendus est, temperatis tamen, sed nonnihil acrioribus, quàm in inflammationibus fieri solet, non tamen nimis oleosis nec mucilaginosis remediis: talia nempè imponenda sunt, quę alcali quidem, sed temperato, constant, quæ imprimis acidum blandè resolvunt, alterant, & successivè materiam in pus transmutant: id quod ipsum tamen cautè similiter admodum faciendum est. Nam nimis suppurantia periculosa sunt, quia scirrhus quicunque sub maturatione facillimè abit in Cancrum, eumque exulceratum: quod observetur imprimis in scirrho dolente, & colore nonnihil livescente, qui *suppurantibus* tractatus abit in Cancrum; in scirrho enim indolente hoc non semper est metuendum. HILDANUS *cap. 6. Observ. 75.* habet unguentum in tumore scirrhoso ad Cancrum inclinante, quod

etiam in scirrho mammæ mulieris, ubi metus suberat *Cancri*, optimum fuit.

Dolens ergo *Scirrhus, puncturis occultis molestus* ad *tactum dolens, colore livescens*, in subjecto vel jam ad senectutem vergente, vel cui ordinarius aliàs hæmorrhoidum aut mensium fluxus est suppressus, talis, inquam, scirrhus, si non potest sensim resolvi & successivè absumi, insensibiliter & citra suppurationem, aut intactus omninò est relinquendus, aut applicatione nitri in aceto dissoluti in lapideam duritiem indurandus; nitrum enim hoc modo dissolutum cum linteis vel spongiis applicatum indurat scirrhum, & in lapideam concretionem ferè transmutat.

Quidam tumoribus scirrhosis, præmissis universalibus, cauteria potentialia applicanda commendant, (vid. HILDANUS *Cent. 3. Obs. 79.*) quæ tamen vitanda, præsertim quando scirrhi in Cancrum degenerare volunt: vid. HILDANUS *Cent. 6. Hist. 75.* Scirrhos hos dolentes, sicuti etiam strumas dolorosas, in subjectis modò citatis facilè in Cancros degenerare dixi.

Pergo igitur ad

MEMBRUM IV.

DE CANCRO.

Cancer est tumor planè singularis, ac omninò sui generis. Primò quidem vix ciceris ac pisi aut fabæ magnitudinem adæquat, ita tamen, ut in ipso subinde punctio percipiatur ab ægro, successivè modò citiùs, modò tardiùs incrementum capit, & sub isto parvo initio tuberculum istud durum, nigricans, interdum lividum, punctionibus quibusdam molestum, esse solet: Ubi Cancer augmentum accepit, apparet tumor durus, coloris plumbei aut lividi, dolens in principio moderatè, in augmento vehementiùs: Ubi verò est exulceratus jam, ardor est acerbissimus, instar aquæ fortis corrodens & depascens partes vicinas molliores, cum insigni in ulcere putrilagine ac fœtore: adest in incremento Cancri, aut ubi jam ad exulcerationem vergere incipit, fervidus ardor, pulsatio punctoria molesta, & ambiunt tumorem venæ hinc inde turgidæ, & nigro sanguine distentæ, tanquam pedes cancrini hinc inde extensi, donec exulceratus tandem Cancer, nisi ferro aut igne deleatur, miserà morte ægros occidat.

Qui tamen per se rariùs incipit, nisi forsan in mammis; cùm sæpius alios tumores, in specie scirrhos, & quæ his sunt cognatæ, strumas scilicet subsequi soleat, si malè tractentur: Nam Cancer creberrimè occupat mammas, in quibus quamplurimi oriri solent Cancri; post mammas etiam loca glandulosa alia; sic namque in locis glandulosis ulcera deteriora fiunt, quæ subinde ad cancri malignitatem accedunt.

Post has glandulas occupat Cancer frequentiùs, si per se incipiat, faciei partes externas, nempè os, nasum, labia, & similia. Si nasum, os, vel labia occupat, dicitur *Noli me tangere*; item *Lupus*. Pariter etiam genitalia, tam virilia quàm muliebria, sicut sæpiùs & ipse uterus ex partu difficili, aut impuro coitu, cum annexis, Cancro afficiuntur.

CAUSÆ.

Occasio hujus interdum est ex *causa externa*, nempè contusione, contrectatione inclementiori, vel alia læsione mammæ, aut aliarum partium glandulosarum, qua tunc in parte læsa colligitur tale fermentum malignum, quod sub seri vehiculo unà cum acido corrosivo sensim sensimque circa vasa capillaria varices efficit, dum illic stagnat, ac corrodendo latiùs serpit; ubi tamen simul vasa capillaria propter vim quasi illatam constringuntur, adeoque, dum sic toti massæ sanguineæ transitus præpeditur, Cancer oritur: Ubi principium ejus diu latere potest, donec sua sub dierum maturitate supervenientibus causis internis, in specie in scorbuticis quibusdam, hypochondriacis, melancholicis, hystericis, lue venerea affectis, &c. mensium fluxu suppresso, aut hæmorrhoidibus deficientibus, ut ferè in ætate consistente evenire solet, tandem se manifestet & augmentum capiat. Interdum etiam retentio viscidioris lymphæ in ipsis glandulis, accedente acido corrosivo, causa antecedens hujus affectus est. Cum ergo varia hæc ad Cancri generationem concurrant, hinc ejus productionem ad unam talem causam remotam vix referre possumus, excepto illo, qui à certis & jam dictis subjectis prædispositis contagio propagatur.

Causa proxima Cancri communiter statuitur humor melancholicus adustus, seu, ut alio nomine venit, atrabilis, id est, si intelligibili sensu explicetur, acidum volatile insigniter corrosivum, de natura quasi (si per simile explicandum est) arsenicali, in quo ipso, in specie si exuberat, duplex venenum esse, non ineptè asserit HILDANUS, nempè putrefactivum & corrosivum.

Hoc ipsum *acidum* est occultum in Cancro incipiente, increscente & nondum exulcerato; manifestum verò est in Cancro exulcerato.

Latet autem istud acidum, quamdiu à novo acido vitioso nullum augmentum capit, aut quamdiu per applicata externa non irritatur seu in effervescentias cogitur; aliàs enim levi irritatione effervescit, unde acor malignus sic se explicans ulcus constituit cancrosum, seu cancrum exulceratum, qui Veteribus, HIPPOCRATI & GALENO, citra totalem partis cancrosæ extirpationem ferro & igne fuit incurabilis; Modernis autem, licet paucissimis, per certum quoddam alcali sulphureum citra partis jacturam curabilis.

Cancer iste, qui adhuc latet, si nondum in ulcus degenerat, dicitur *Cancer occultus*; qui verò jam prodidit sese exulceratione, dicitur Cancer manifestus. Occultum fieri manifestum seu exulcerari ferè, patet ex superveniente dolore intensire, pulsatione punctoria molestiore, ardore, & cancri insolita intumescentia, donec perfectum prodeat ulcus.

PROGNOSIS.

Cancer est affectus gravissimus, quo plures moriuntur, quàm restituuntur; vid. FRANCISCUS *de Roma Cons. 21.* utut non absolutè lethalis sit, ille præprimis, qui à causa externa oritur, vid. WISEMANNUS *Chirurg. p. 20.* & quia non, nisi generosis remediis curari potest, periculosa etiam applicatione malum fit difficilius.

Cancer, qui totam Massam sanguineam & viscera interna inquinat, periculosus est: vid. AVICENNA *de Cura Cancri*, FORESTUS *lib. 4. Observ. 5.* & FRANCISCUS *de Roma Consult. 22. in Append.* qui experientia testatur, una mamma cancrosa rejecta alteram mox cancro affici.

Cancer, qui immediatè sub cute hæret, faciliùs curatur, quàm qui profundiùs latet; unde cancer oris, vaginæ uterinæ, facilè quidem exstirpatur, commodè tamen non cicatrisari potest.

Qui vasis majoribus propinquiùs, aut in mamma costis arctiùs cohæret, difficiliùs curatur.

Cancer cum dolore atrociore & hæmorrhagiis frequentioribus grave malum est.

Cancer exulceratus periculosior est Cancro non exulcerato.

CURA.

De modo curandi per remedia, vid. *Discurs.* ALLIOT *in P. 1. Act. Haffn. pag. 158.*

Cancros ergo hos occultos seu nondum manifestos, adeoque scirrhos & scropulas indolentes, non attingere melius est, monente HIPPOCRATE *lib. 6. Aphor. 38* cùm per medicamenta discutientia, suppurantia & erodentia attacti faciliùs exasperentur & alterentur, unde postmodum ægri citiùs intereant: aut si attingi debet hic ipse Cancer occultus, palliativè saltem tractetur, incrementum ejus præcavendo, & excessivum gradum acidi temperando & quasi edulcorando, per medicamenta imprimis Saturnina, acidum quodcunque, quale nempè est in aceto & spiritu nitri, edulcorantia, aut per vegetabilia temperata, alcali fixo & ferè insensibili prædita, vulgò refrigerantia dicta, nempè plantago, solanum, cicuta, quibus Cancri fluviatiles, stercus humanum, ranæ, bufones, & similia animalia accedunt: *quædam* internè, *quædam* externè conveniunt; internè remedia ex Cancris, acidum nimium in corpore absorbentia, ejusque proventum impedientia.

Inter externa ergo, quæ applicentur in Cancro occulto palliativè conservando, ne exulceretur, ex vegetabilibus est cataplasma ex cicuta recenter impositum; hoc nempè potenter mitigat Cancrum. Hinc omnes species intyborum, atque

atque Decoctum solani, aut similia, aut succi horum vegetabilium, item succus scabiosæ, geranii Robertiani, herniariæ, plantaginis, & similia mitigant Cancrum incipientem. Solani nempè folia teruntur in mortario plumbeo, & imponuntur locis, ubi Cancer occultus est, ut impediatur ejus progressus & ulterior exulceratio: vel subigitur succus in mortario plumbeo. Solo succo onopordi contusi quidam apud BORELLUM *Cent.* 2. *Observ.* 51. à Cancro narium curatus fuit; ubi plantago, si mammarum Cancris applicatur, laudatur: Vid. *Cent.* 2. *Observ.* 67. ubi egregia medicamenta contra Cancrum describit: Vid. pariter AGRICOLA, ubi idem arcanum reperietis. Præ cæteris poma putrida applicata, aut aqua pomorum putridorum, & cum hac parata aqua calcis vivæ applicata, est optima; quin & Cancri fluviatiles contusi in mortario plumbeo, & succus eorundem in simili mortario probè agitatus, optimè applicatur partibus Cancro occulto laborantibus.

Fiunt etiam unguenta ex Cancris fluviatilibus huic usui destinata. Hinc stercus humanum impositum, aut oleum & aqua stercoris humani destillata applicata, optimè conducunt ad palliandum Cancrum occultum. Ranę etiam virides dant unguentum & oleum, quod describit SENNERTUS, & valdè etiam commendatur ab aliis Autoribus pro Cancro occulto.

Saturnina imprimis dixi esse utilia & his cognata: hinc Saturnus calcinatus, lithargyrium, cerussa, saccharum Saturni, & similia optima sunt: unde usurpetur *emplastrum de Saturno*, nempè *ex oleo rosarum*, diutiùs in mortario plumbeo cum Saturno calcinato terendo tamdiu, donec fiat Linimentum crassum & lividum. Unde etiam unguenta, & liquida Cancro occulto applicanda, omnia subigenda sunt in mortariis seu vasis plumbeis; sicut etiam unguentum ex plumbo usto, plantaginis, solani succis, &c. habet AMATUS LUSITANUS *l. a.* quò etiam pertinet unguentum de tutia, diapompholygos, &c. imprimis si his oleum & cineres ranarum admisceantur.

Vel

♃. *Saturni usti* ℥j.
Olei rosar. ℥iiß.
Croci ʒvj.

Mista ducantur in *mortario plumbeo* calidè cum *pistillo plumbeo*:

D. S.

Unguentum præservans.

Hinc *emplastrum Saturninum Mynsichti*, item emplastrum de carne bubula ejusdem, optimè conducunt in hoc casu, *Oleum ranarum* ducatur diu in mortario plumbeo, addendo *cornu Cervi usti & saturni calcinati* q. s.

Convenit etiam in Cancro occulto lamina plumbea, primò simplex, postmodum Mercurio incrustata, cancroso tumori arctiùs applicanda: Vid. AMATUS LUSITANUS *Cent.* 3. *Cur.* 32. & PARÆUS *lib.* 7. *c.* 32. *Amalgama Mercurii cum saturno*, quale amalgama & inde paratum emplastrum est optimum. TULPIUS *lib.* 1. *Obs. cap.* 47. & *lib.* 6 *cap.* 31. etiam habet Ceratum de Saturno ad hujusmodi Cancrum palliandum convenientissimum, quod sequenti modo paratur:

♃. *Olei rosar* ℥ij.
Ceræ alb. ʒvj.
Plumb. ust. & lot. ʒß.

Cera cum *oleo* liquefiat, & addito *plumbeo* agitentur per sex horas in *mortario plumbeo*, fiat Ceratum. Cautè tamen mercandum in tumoribus cancrosis cum unguentorum applicatione: Vid. WEDELIUS *Tr. de Comp. Medicamentorum p.* 185.

Nec negligendi etiam sunt Fonticuli, e. g. brachiis in cancro mammarum inusti, quos commendant CLAUDINUS *in Respons. Med.* 35. HILDANUS *cap.* 6. *Observ.* 22. & LUDOVICUS MERCATUS *Chir. lib.* 2. *cap.* 7.

Internè his ipsis succurrendum est appropriatis: unde præmissis absorbentibus, & acidum causticum invertentibus, v. g. antimonio diaphoretico Joviali, sacchararo ac magisterio Saturni, & similibus, vel seorsim vel junctim, quotidie bis vel ter assumptis, imprimis usurpanda purgantia ex helleboro nigro, quæ etiam in scirrhis conveniunt, cum Mercurio dulci propinanda. Item conveniunt etiam in specie remedia ex fumaria, borragine, buglossa, portulaca, &c. quæcunque hinc Saturnina, saccharum Saturni, crystalli Saturni cum spiritu nitri, balsamus Saturni, &c. tinctura Antimonij tartarisata, tartarea etiam volatilia, spiritus tartari volatilis per fermentationem parandus, &c. quæ optimè ad præcavendum cancri progressum usurpantur. Convenit etiam lac, cui cancri fluviatiles incocti, quod commendat CLAUDINUS *l. a.* & pro acido diluendo serum lactis, decoctum theæ à KYPERO olim laudatum, decoctum radicis chinæ, sarsæparillæ, ligni sassafras, decoctum herniarię, de quibus vid. RIVERIUS *Tr. lib.* 15. *c.* 10. Præ cæteris pulvis millepedum præparatorum, à ℈j. ad ʒß. usurpatus, singularem habet virtutem contra Cancros occultos, in specie si mammas occupaverint: propinatur cum dimidio lapillorum cancrorum, ut acidum occulti Cancri temperent, ne exulcerationem inducat. Cum his legitima instituatur diæta, quâ solâ etiam multi cancrosi per plures annos sine incommodo vixerunt: Conf. AMATUS LUSITANUS *C.* 3. *Cur.* 32. Vitetur vinum, utpote acidum volatile corrosivum augens.

De Cura Cancri exulcerati *inferiùs Artic.* 6. *Cap.* 3. habebimus, *ubi de ulceribus cancrosis*, quæ vix nisi arsenico cedunt. In talem *Cancrum exulceratum*, ut *suprà dictum* est, gingiuarum cancer occultus, scirrhi & scrophulæ dolentes, uti etiam excrescentiæ quædam lividæ & dolentes, v. g. polypus narium, quædam verrucæ & similes, facilè degenerant, si scilicet nigrescant, vel livescant, vel sint dolorosę, aut malè tractentur.

Signum imprimis est *dolor* eorum *punctorius* & lancinans, qui oritur ex eo, quod acidum istud volatile corrosivum morsicat obscurè fibrillas quasdam nerueas & vicinas partes; *vel* ob sui excessum, dum non satis habet à quo imbibatur; *vel* in specie, quia infestat partes sensiles nerveas & fibrillas facilè irritabiles; *vel* fit dolor ob occultam, quam istud acidum jam concipit, effervescentiam ad exulcerationem dispositivam, cum qua semper simul ardor quasi & æstuatio in loco dolente concurrere solet; si tantillum ergò acidi in effervescentiam concitetur, etiam portò in exulcerationem promovetur. Quicquid in his casibus tentetur, irritando crabrones facilè in perfectum exulceratum cancrum mutabitur, idque imprimis si ducatur ineptè ad suppurationem tumor per propriè dicta maturantia aut emollientia, aut illegimo aut inconvenienti modo adhibita. Nam si talia adhibeantur acriora, acidum in fermentationis exsuscitatur motum, dolorosa oritur exulceratio, & cancer manifestatur: Sin hæc acriora fuerint *mucilaginosa* nimis & oleosa, tunc pori partis agglutinantur & incrustantur, unde exhalatio particularum acrium subtilium impeditur, quæ retrogressa acidum corrosivum augebunt, & ita promptiùs exulcerationem inferent: Sin *humectantia*, tunc resolvendo acidum occultum istud in actum deducitur, quo soluto supervenit corrosio & exulceratio, hinc dicunt; in scirrho dolenti fotus in humidi sunt nocivi; item fotus cum aqua sunt rejiciendi.

Scrophulæ ergo & scirrhi, & similes tumores dolentes, aut non sunt attingendi, aut tentandum ut iis, quibus cancri occulti ad tempus palliantur, successivè discuti ac removeri possint: id quod tamen, nisi appropriatis internis succurramus, vix fit citra metum recidivæ, aut orientis cancri occulti in alia corporis parte.

Hæc de Tumoribus ex congestione & stagnatione enatis.

Sequitur [illegible]

MEMBRUM V.

DE GUMMATIS GALLICIS.

QUod attinet alteram Tumorem speciem, ex alimento partis proprio corrupto aut alterato, paulatimque coacervato oriundorum: pertinent ad hos imprimis *Gummata Gallica*, quæ sunt tumores duri, tactui renitentes, interdum dolentes, in ossium medio enati, & iis immediatè incumbentes, subinde ipsi dolorem nocturnum gravissimum ferè intolerabilem *osteocopon* inferentes, tandem partes molles subjacentes & omnia subjecta eroduntur & cariosa redduntur.

CAUSÆ.

Originem ducunt ex acido maligno Venereo, quod aggreditur partes nerveas, in specie ossa, in his se firmiùs implantat, eorum alimentum corrumpit, quod corruptum acore inqui-

inquinatur, successivè in medio ossium coacervatur, & porrò coagulando in ista gummata indurantur, donec acidum vicina loca erodendo ulcera pessima excitet.

CURA.

In *mitiori* casu prosunt *sudorifera* ex lignis, aliaque lue Venereæ appropriata, in graviori salivatio Mercurialis, quibus etiam semper Viperina & Martialia fixa remedia sunt intermiscenda.

Præter interna applicanda sunt hic gummata emollientia & resolventia, antequam ulcera ossium & partium mollium inferant.

Conveniunt ergo emplastra ex gummis fortiter penetrantibus, in specie *oleo destillato ligni guajaci* malaxando, quod oleum imprimis *cariem* præservat & curat, iisdem tamen semper Mercurialibus concurrentibus, tanquam specificis alexipharmacis. Præter hæc, Gummata talia resolvuntur laminâ plumbeâ impositâ, cum Mercurio vivo illitâ, si scilicet sunt adhuc in principio; vel etiam imponendus est Mercurius vivus *fumo Saturni coagulatus*, & hinc quasi in laminam ductus; aut etiam emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio; vel miscendum est oleum terebinthinæ cum *oleo destillato guaiaci*, & ipsi addendum est opii q. s. pro leniendis nonnihil doloribus, unà *cum Mercurio vivo*, & instar linimenti illinendum est Gummatis dolorosis. Optimè convenit in tumoribus sanguineis opium; dolorem enim sistit, & simul resolvit. Vel

℞. *Empl. de hyoscyam. Lud.*

Misceatur cum *Mercurio, pinguedine subacto*:

D. S.

Emplastrum emolliens.

Item emplastrum, quod Patavii in usu est, cujus descriptionem videbitis in *Colleg. Pharmaceut. in* LUDOVICI, *Tit. 22. p.*......

MEMBRUM VI.

DE

TUMORIBUS RECIDIVANTIBUS.

PErtinent huc *Tumores* post curatos abscessus & ulcera sæpiùs *recidivantes*: Nempè sæpiùs post abscessum induratum non ritè mundificatum, & nimis maturè consolidatum, aut post ulcera partium, imprimis nervosarum, alcalibus balsamicis non ritè mundificata, aliquid de fermento ulceris corruptivo, tantillo licet, remanet, aut si post ulcera occulta ossis subinde caries, etiam carie non ritè sublatâ consolidata, recidivant tumores insignes, qui pedetentim de novo suppurati novos abscessus & ulcera faciunt, de quibus inferiùs.

In his & similibus casibus alimentum partis proximum alteratur, & in materiam acrem subacidam mutatur, & in novum tumorem collectioni ansam præbet: Unde successivè dolor oritur; his enim ex causis tumor & inflammatio & irritatio supervenit, & tandem per suppurationem abscessus renovatio; idque toties (decies v. g.) quoties occulta caries in osse non fuerit perfectè curata.

CURA.

Cura est eadem, quæ ulcerum, propinando internè potiones vulnerarias: in specie tamen opera danda est, ut salibus volatilibus Massa sanguinea purificetur, & fermentum stomachale in naturali vigore conservetur, & acidi proventus prohibeatur; *externè* verò probè mundificando ulcus vel abscessum de novo factum, & diutiùs apertum conservando. *Mundificatur* vel communibus digestivis cum balsamo sulphuris ritè præparato, vel balsamo Peruviano cum oleo nicotianæ, aut simili. Quodsi pertinacius fuerit malum, imprimis quando suspicio est latentis forsan malignitatis Venereæ, præter interna dictis mundificantibus semper de Mercurio, aut dulci aut præcipitato, parum addendum erit.

Ossium caries occulta inquirenda, &, ut alio loco dicetur, appropriatis curanda.

MEMBRUM VII.

DE

CALLIS, GANGLIIS, ET SARCOMATIS.

AD hos Tumores pertinent etiam *Calli*, *Ganglia*, & *Sarcomata*, quando nempè pars quæcunque, tam carnosa quàm nervea, imprimis tamen nervea, ex quacunque causa, imprimis externa, ita lædatur, ut ejus nimia extensio, staminum fibrosorum nerveorum laceratio, pororum & meatuum ex naturali figuratione confusio & inordinatio fiat; tunc enim fibrillis partium læsis alimentum proximum partis uberiùs recipiatur, diutiùs retinetur, & & magis, quàm pars requirit, assimilatur. Atque his occasionibus fiunt Tumores congeneres, seu ejusdem naturæ cum partibus, quibus adhærent; v. g. circa ossa fracta Calli, in tendinibus Nodi seu Ganglia, in partibus variis carnosis Sarcomata seu Excrescentiæ. Unde Ganglia admodum familiaria sunt Religiosis Romanensibus, quibus oriuntur à frequenti genuum prostratione in tabulas lapideas, imprimis hyberno tempore, quà sensim circa genua partes membranosæ & tendinosæ unà cum carnosis concutiuntur, simili modo ac pueri vesicas bubulas aut suillas concutiendo ampliores faciunt, adeòque successu temporis uberiori alimenti proximi receptione & assimilatione majus incrementum capiunt.

CURA.

Curantur facilè vel emolliendo & resolvendo eadem insensibiliter; id quod locum habet in *Callo* nimis excrescente in osse fracto, cujus curationem videbitis in SCHENCKII & HILDANI *Obs.* Idem locum habet in *Gangliis* & Nodis, ut nempè emolliantur & insensibiliter resolvantur: Vel curantur Tumores aperiendo & radicitus exscindendo; id quod imprimis in Sarcomatis seu Excrescentiis carnosis faciendum. Vel *Ganglia* & *Nodi resolvuntur* per folium sempervivi majoris detractâ pelliculâ internâ arctè ligatum, & quotidie, manè & vesperi, renovando. Item Nodos & Ganglia in principio discutit vel resolvit lamina plumbea, vel sola, vel cum *Mercurio vivo illita*, & superimposita: aut loco Mercurii lamina plumbea oleo destillato juniperino illita imponenda; sic enim aliquandiu gestata facilè etiam disparet; hujus loco etiam oleum tartari fœtidum, item saponis Veneti, expertum deprædicatur remedium. Conveniens etiam est, si applicetur gummi ammoniacum in aceto solutum, ac postmodum emplastrum figens, Germ. *ein Hefftpflaster*, super imponitur. Vel

℞. *Empl. diaphoret. Mynf.*

De ammon For. an. ℥j.

Olei tartari fœtid. ℥j.

M. D. S.

Emplastrum emolliens.

Vid. M. A. N. C. *Ann. 3. obs. 326.* & *Ann. 6. & 7. obser. 201.* Curantur denique etiam Ganglia, si illinantur cum spiritu vini temperato cum succo rutæ; hæc enim applicata sæpius, optimè discutiunt & resolvunt Ganglia: Vid. BORELLUS *Cent. 1. observ. 15.* Interdum solum gummi ammoniacum in forma emplastri impositum satisfacit. Pertinaci malo convenit *Emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio*: Vel *lamina plumbea*, infusa *spiritu vini & aceto destillato*, & adsperso *euphorbio* applicata Gangliis, successivè illa evanescere cogit.

Sarcomata verò abscindenda & exsiccanda sunt, in casu, quando nempè non adhærent nervis, vel quando sarcomata non conspirant cum vasis insignioribus arteriosis & nervosis, & in talem excreverunt magnitudinem, ut manibus commodè ea ad radices usque prehendi & exscindi possint. Sectio autem decussatim facienda, cutisque incisa crucis formâ à cystide avellenda, cystisque ad radicem sarcomatis liganda ac stringenda, trajectâ priùs acu sub ejus radice; hac probè constrictâ ac ligatâ sarcoma cultro vel novaculâ sub filo abscindatur. Sedatâ hæmorrhagiâ heterogenea substantia membranosa vel fibrosa crystallis lunaribus fricetur, vel pauxillo butyri antimonii attingatur, & blandè exedatur, ut radix emoriatur, nec novus denuò tumor excrescat: postmodum radicaliter est tollenda per suppurantia, alliàs enim revertitur. Suppurationi sufficit unguentum Ægyptiacum, vel suppurantia communia: postmodum per empla-

emplastrum quoddam glutinans, vel aliis consolidantia vulneraria adstringentibus mista, pars læsa consolidetur. Sic in M. A. N. C. *Ann. 2. Observ. 255. p. 379.* verruca linguæ & excrescentia ex loco dentis evulsi, per chordam resecta & curata refertur.

MEMBRUM VIII.
DE
EXCRESCENTIIS.

Simili ratione ferè generantur & alii Tumores suis propriis folliculis inclusi, qui omnis ex eo, quod foras adnasci soleant, *Excrescentiæ* vocantur, & in membranis propriis peculiarem & singularem humorem retinent: Germanis dicuntur *die Gewachse*: pro cujus humoris varietate distincta & varia ac distincta hi Tumores acquirunt nomina, ita ut nunc *Melicerides*, nunc *Atheromata*, nunc *Steatemata* appellari soleant.

Meliceris equidem dicitur, quando materia contenta est similis quodam modo melli vel pisis coctis: *Atheroma* dicitur, si materia contenta est instar pultis: *Steatoma* verò dicitur, quando materia contenta est instar sevi, vel adipis, vel saponis.

Reperiuntur etiam alia contenta varia, dum interdum sub forma farinæ contineri soleant, interdum etiam unà lapides in iisdem continentur, interdum filamenta oblonga ex iisdem extrahuntur, & quæ sunt hujusmodi contenta alia varia, quæ omnia propriâ tunicâ separatim ab ambiente cute sunt inclusa, & ita retenta. Oriuntur hæ excrescentiæ ex nutrimento partis cujusdam nerveæ, in specie membranæ aut tendinis, utplurimum membranæ copiosiori retento, sed nonnihil alterato, & hinc in aliam substantiam, quàm præcisè est pars alenda, transmutato.

CAUSÆ.

Causa autem, quod uberiùs colligatur tale nutrimentum & alteretur, est, quod membranæ & partes membranosæ aut à causa violenta distendantur, dilatentur & dilacerentur, quod utplurimum fit, vel quando à causa *interna*, levi tamen, nonnihil eroduntur. Unde fibris, quarum textura membranæ constituuntur, à se invicem separatis, & poris dilatatis & ampliatis, alimentum earum proximum distributum uberiùs recipitur, retinetur, & ita sensim extrorsum versus protuberans, tumor generatur: nam introrsum non patet spatium, ut eò vergere possit. Utplurimum dixi, præcedere causam externam: hinc enim est, quod Moniales & Monachi ex crebrioribus genuflexibus, adeoque dilatatione membranarum istius loci, sæpius patiantur tales tumores, in specie Melicerides, in genubus: Sic enim ex equitatione violenta & concussione, ingens Steatoma cuidam militi successivè in perinæo fuit enatum, de quo scripsit *Elsholz* in quadam Epistola. Observetur hoc, quod, si non semper, tamen utplurimum, tales tumores à causa externa violenta occasionaliter oriantur.

Quod verò attinet *folliculum* proprium, videtur fieri ita: nempè fibrillæ istæ membranarum erosæ aut laceratæ, aut à se invicem separatæ, cùm spontè non ampliùs redeant in naturalem situm & unionem, à nutrimento collecto & coacervato distendente successivè & ipsæ longiùs prætenduntur, & hinc inde aliàs emittentes fibrillas, tandem se uniunt, & mutuò concurrunt in perfectam talem membranam, talem tumoris materiam ex parvo initio propullulantem comprehendentem, estq; ipsa membrana, aliarum membranarum instar, & cum incrementum tumoris & ipsa accrescit sensimque augetur. Quoniam verò succus alimentitius per membranas læsas successivè transudans, non naturali ritu & situ disponitur & ordinatur, sed saltim conglomeratus coacervatur simpliciter, ob id nudam materiam, aut sevi aut pultis aut mellis, repræsentat, prout simul sub ista transudatione & collectione plus minus alteratur.

Observatum etiam fuit, quod hi tumores, propriis folliculis inclusi, subinde lunæ phases imitentur, quod videtur commune quibusdam tumoribus in partibus nerveis radicatis: item quod hi tumores sæpè & frequentiùs circa caput, collum, nucham & similia reperiantur, rariùs in aliis locis, etiam carneis, sarcomata protuberent.

DIAGNOSIS.

Facilè patet, an sint proprio folliculo inclusi? qualis autem materia contineatur? vix potest cognosci; hoc parum refert.

PROGNOSIS.

Tumores tale cystici per se præter molestiam ferè nihil habent periculi: attamen, quia interdum enormem excrescentiam, interdum deformitatem important, curandi sunt.

CURA.

In *Cura* ergo observandum est, ut materia contenta, tumorem constituens, omnimode tollatur; sive insensibiliter resolvatur & discutiatur, quod fit rariùs, & saltem in his tumoribus incipientibus, aut minus inveteratis, quorum cystis seu membrana nondum tàm firmiter coaluit, aut nondum adeò tenax fuit reddita; sive sensibiliter evacuetur, dum alteratur & quodammodo in materiam puri similem transmutatur, & hinc aperto cum laceola tumore exhauriatur; quod fieri potest tantummodo in Meliceride: nam alii tumores alterationem quamcunque respuunt. Interdum spontè aperiuntur tumores, & materiam contentam largiter effundunt: interdum institutâ sectione integra membrana cystim constituens penitus extirpanda est, qui modus est optimus. Verùm si tumor est confirmatus, & ejus membranæ firmiter coaluerint, sine sectione Chirurgica vix tolli solet: unde observandum in omnibus curandi modis, ut dicta cystis radicitus tollatur, quod fit *vel* cultro successivè separando, vel inunctione butyri antimonii, aut frictione cum cauterio lunari, vel similibus unguentis erodentibus, ne tantillum ejus supersit; aliàs namque à paucis ejus fibrillis relictis novi tumoris regeneratio supervenit: Vid. M. A. N. C. *Ann. 2. Observ. 93. p. 167.* & *Ann. 3. & 5. App. pag. 72.*

Resolvunt hoc Tumores balsamus Peruvianus, balsamus sulphuris, vel gummi ammoniacum, item lamina Saturnia Mercurio illita superimposita, item emplastrum oxycroceum applicatum, item emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio:

Vel
℞. *Picis naval.* ℥ij.
Gum. ammoniac.
Sulphuris an ℥ß.
M. f. Emplastrum.
D. S.
Emplastrum resolvens.

Potens satis est hoc emplastrum ad resolvendos & discutiendos hos tumores non inveteratos.

Facit hoc etiam *emplastrum diasinapios*, descriptum à SCULTETO *in Tab. ultima*, quo ipso curavit Melicerides, uti patet ex *Observ. 66.*

Quod si resolvi nequeat Tumor & suppurari possit, suppurandus venit per suppurantia paulò fortiora & acriora imposita; id quod tamen raro fit. Pro hoc scopo BARBETTE *in Chirurg.* parat *emplastrum* utile ex *gummi ammoniaco, pyrethro*, & oleo succini, quod impositum tumorem maturare & ad suppurationem deducere, solet sequenti modo:

℞. *Gum. ammon.*
Sagap. an. ℥ß.
Rad pyrethr.
Euphorb an. ʒß.
Sulphuris ʒiij.
Olei succin. ʒj.
M. f. Emplastrum:
D. S.
Emplastrum emolliens.

Tumor suppuratus aperiendus est vel medicamentis, vel sectione Chirurgicâ; & hinc evacuatâ materiâ membrana eam continens seu folliculus catheretciis seu exedentibus est absumenda. Id quod faciendum est, quando talis tumor spontè rumpitur: tunc enim & materia tumoris & membrana continens blandis corrosivis est tollenda; quia aliàs aut recidivam parit, aut relicto tantillo membranæ in fistulam abit, aut ulcus diuturnum ac fœtidum constituit. Absumunt ma-

materiam & folliculum *unguentum Ægyptiacum*, vel unguenta cum Mercurio præcipitato edulcorato applicata; aut

℞. *Unguent. Ægypt.* ℥ß.
Terræ vitrioli opt. edulc. ʒj.
Salis ℈j.

M. f. Unguentum, applicandum pro exedendo folliculo:

D. S.
Unguentum exedens.

Optimus tamen curandi hos Tumores modus est per exscissionem sive abscissionem: in specie si inveteratus & contumacior fuerit.

Fit sectio cutis per crucem, quæ ita facienda est, ne lædatur folliculus, hinc cutis separanda à folliculo, (quod facilè fit) & ipse folliculus ac cum eodem tumor juxta radicem (quæ semper est parva & angusta) abscindendus, & si quæ superveniat hæmorrhagia, applicatis debitis sistenda: hinc exempto folliculo factum ulcus mundificantibus, ut moris, est, curandum, sic abscessu mundificato caro succrescens tumorem denuò replet.

MEMBRUM IX.
DE
TESTUDINE, TALPA seu LUPIA.

Talis Tumor excrescit subinde in pericranio, qui ob densam capitis cutim, firmiter cranio circumtensam, non tàm extrorsum prominet, quàm quod latiùs expandatur, & ob id *Testudo*, item *Talpa*, seu *Lupia*, vocari solet. In hac Talpa, si materia proprio folliculo contenta (similis esse solet materiæ in modò dictis excrescentiis contentę) diutiùs retenta fuerit acrior, tunc ipsum cranium cariosum reddere incipit.

CURA.

Talis Talpa seu Tumor si fuerit immediatè super suturas cerebri, ita ut ex fibris membranæ cerebri duræ per suturas transmissis oriri videatur, ferè relinquendus est, propter periculum inflammationis duræ meningis, aut alios affectus capitis lethales: sin verò alio in loco fit, aut insensibiliter resolvenda est materia, aut cataplasmate emolliente aliqualiter suppuranda, aut ipse tumor lanceolà aperiendus more consueto, & membrana tollenda, facta capitis caries probè radenda, hinc pulvis contra cariem ossium ex rad. Ireos Flor. cum pauco euphorbio cranio affecto inspergendus, & cutis aperta cum emplastro diachylon simplici vel cum gummatibus denuò consolidanda, ut fit in aliis hujusmodi excrescentiis.

MEMBRUM X.
DE
VERRUCIS, CLAVIS ET CORNUBUS.

Quod si fibrillæ nerveæ, quæ copiosiùs extremitatibus vasorum capillarium intertextæ, cutis rete constituunt, nunc solitariè, nunc cum fibris subjacentibus aut laceratæ, aut nonnihil erosæ, nutrimentum suum foras emittant, hoc successivè coagulatur in *Verrucas*: quæ si ex attritione, hinc laceratione fibrillarum ex calceis fiant in digitis pedum, vocantur *Clavi*, qui Clavi interdum profundiùs radicati sunt & ex ipsis tendinibus, articulos digitorum pedum moventibus, attritis, instar gangliorum oriri solent. Verrucæ verò pro ratione radicum, quibus inhærent, *nunc sunt planæ seu sessiles, nunc* sunt *pensiles*, & ex angusto collo capite ampliore prominentes; quæ priores in specie vocantur *Myrmeciæ*; hæ verò Verrucæ pensiles dicuntur *Acrochordones*; sicuti tales Verrucę, si ulterius proveniant, & latiùs se expandant, & singularem habeant duritiem, in hominibus *Cornua* appellantur, quæ sæpissimè pro fundamento habent os, à cujus alimento, simul in Verrucam transfudante, structuram peculiarem singularemque duritiem obtinere videntur.

CURA.

Observandum autem est in *Cura* harum Verrucarum, *an* simpliciter ex fibris nerveis cutis originem ducant? *an* verò simul in subjectis tendinibus sint radicatæ? Si *prius*, nihil habent periculi, & facilè curantur: si posterius, vix radicitus extirpari possunt, citra ingentia supervenientia pericula, dolorem, inflammationem, convulsionem, & cancrum aut gangrænam. Id quod imprimis observandum est in Verrucis faciei, & Clavis pedum profundiùs radicatis: qui posteriores superficialiter equidem possunt tolli, sed ex ipso tendine vix possunt extirpari, quia gangrænæ metus interdum supervenit.

Verrucæ autem hæ, consideratis his circumstantiis *curantur eas absumentibus*, iisque variis. In genere Verrucas delet succus chelidonii majoris recens sæpius illitus, qui successivè absumit verrucam, donec in totum dispareat & evanescat; quod probatum est imprimis, si priùs nonnihil incidantur verrucæ duriores, ut leviter sanguinem fundant. Item est planta, quæ vocatur Cieporum, verrucis similis propter figuram, quæ contusa verrucis imposita eas evanescere facit. Lac esulæ verrucis illitum easdem exedit: si densior & tenacior sit, leniter vulneranda est, ut meliùs pateat introitus lacti esulæ. Succus lacteus dentis leonis etiam applicatus conveniens est admodum. Folia sempervivi detractâ pelliculâ tenui internâ applicata, sæpiusque repetita, successivè verrucas tollunt. Cineres bryoniæ, cum succo ejusdem misti, verrucas in quacunque corporis parte certissimo experimento tollunt HOPPERI, *Medici Oxoniensis*. Vid. VELSCHII *Mist. Cent.* 2. *Obs.* 94. Succum pomorum Borsdorffianorum, & alia ceu nota, taceo. Aqua, quę supernatat truncis quercus ex pluviis collecta, probatum est remedium, si illinatur ad delendas verrucas. Aqua, in qua solutum est sal ammoniacum, si aliquoties ea tangantur verrucæ, certissimum est experimentum BORELLI *C.* 2. *Obs.* 46. Convenit etiam egregiè unguentum plus minus ex *melle cum* tantillo spiritus sulphuris aut olei vitrioli, quod applicatum verrucis, easdem pedetentim erodendo solet mortificare. Experimentum est TIMÆI. *Limaces* sunt egregii, qui abstergendi sunt sale communi, sic produnt salivalem humorem, quo illitæ verrucæ crebriùs, insensibiliter evanescunt; quod etiam harum pinguedo præstat. Item fiat unguentum ex unguenti albi camphorati ʒij. & olei tartari per deliquium ʒj. aut loco hujus sal. tartari ℥ß. si enim hoc linimento seu unguento illinantur verrucæ crebriùs, insensibiliter evanescunt & disparent. Emplastrum oxycroceum, cui parum arsenici albi fuit admistum, absumit etiam & exedit verrucas, quod etiam facit emplastrum ex cera cum tantillo Mercurii dulcis. Omnium optimè cauterio actuali eradicari solent; vel quibus ferrum ignitum non placet, aut aliæ circumstantię prohibeant, attingantur butyro antimonii vel aquâ forti, partes vicinas muniendo simul emplastro aliquo defensivo. Verrucę autem si sint pensiles, facilè tolluntur constrictione cum seta equina aut filo serico, quia inde marcescunt, intercepto illorum nutrimento.

Prę cęteris tamen istę *Verrucæ*, merentur considerationem, quę in *locis pudendorum ex congressu Venereo* sunt natę, ad quas, Itali utuntur *aqua forti*: sed melius est *Mercurius sublimatus solutus in aqua plantaginis cum alumine*: v. g.

℞. *Aquæ plantag.* vel *aquæ rosar.* ℥j.
Mercurii sublimati ℈iv.
Alum. ℥ß.

Dissolvantur invicem, & cum penna huic liquori intinctà dictę verrucę attingantur; sic emarcitę pedetentim decidunt.

Vel si racemoticè sint consitę ad modum thymi & condylomatum in pudendis, curantur sequenti mixturâ: scilicet recipiatur *aqua calcis vivæ*, misceatur cum *Mercurio sublimato*. Hac mixtura in forma fluida, vel linteaminibus huic intinctis, solent exsiccari & curari.

Quod *Cornua*: Curantur cornua abscissione radicali, nisi immediatè ex suturis cranii emergant, tunc enim abscindi equidem possunt, ita tamen, ut radix maneat, ex qua radice denuo cornu novum crescit, ferè singulis mensibus aut singulo bimestri spatio denuò abscindendum, quale cornu vidi Parisiis.

Clavos pedum quod attinet; Interdum post sola pediluvia radicitus tolluntur, si prominentiores extiterint, ita

ut

ut ipsis unguibus evellantur: Si verò latiores & in ipsis tendinibus radicati fuerint, pediluvia non sufficiunt. Potiùs his præmissis cutis carnea detrahenda, aut cultello resecanda, & postmodum resina abjegna aut picea, item cera viridis, pauxillo olei Philosophorum, saponis vel ceræ malaxata, Clavo imponenda, emolliendi, & exedendi fine. Præ cæteris expertum est *emplastrum Mynsichtii de galbano crocatum* cum sale ammoniaco, quod ceu expertissimum ad clavos pedum prædicant TIMÆUS, & SENNERTUS; sic etiam pars emollita semper potest abscindi; nam solum galbanum aut gummi ammoniacum in aceto dissolutum & inspissatum, linteo extensum & impositum, optimè curat verrucas pedum seu clavos, quod pariter cum guttula una vel altera prædictorum oleorum malaxari potest; sicuti & ipsum oleum ipso clavo, per cultellum leviter vulnerato, instillari poterit. Succus item tithymali pluma illitus eosdem delet, & *emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio* admodum emollit Clavos pedum & verrucas; loco cujus emplastrum de cicuta cum Mercurio dulci permistum est illinendum, quod etiam verrucas pedum tollit. Item recipiatur caro bubula recens, Germ. *rohe Rind-Fleisch*, & ejus frustulum tantum, quanta est magnitudo Clavorum, instar emplastri iis alligetur, & sæpius renovetur; sic enim citò omninò & quasi sponte dilabi clavi dicuntur. Laudatur quoque allium recens cum sapone raso contusum, ac instar cataplasmatis impositum. PLATERUS à pediluvio & crassioris cutis remotione senecionem affrictum imposuit cum successu: vid. VELSCHIUS *Mission. Cent.* 2. *Obser.* 61.

Sunt etiam, qui corrosioni cauterium lunare, aquam fortem, butyrum antimonii, spiritum sulphuris, &c. commendant ceu probatissima; quod verum est, in specie si cum melle in unguenti formam redigantur, & post detractam cuticulam duriorem applicentur, aut solo cauterio lunari salivâ madido, clavi fricentur; unde eschara subsequitur, absque omni dolore posteà decidens. Ut verò hæc eschara eò citiùs maturetur, imponatur emplastrum diachylon cum gummis; vulnus autem post escharam delapsam modo aliarum læsionum simplicium consolidetur. In horum tamen cauteriorum applicatione hæ conditiones sunt observandæ: ut circa clavum imponatur emplastrum quodcunque fortiùs adhærens, quod præmuniat partes vicinas, ne linimentum easdem corrodere possit, in medio sit perforatum, ut emineat Verruca seu clavus. Hinc si radices habeat Clavus in tendine, seu ex tendine oriatur, cavendum est, ne corrosio ad tendinem usque perveniat, ne dolorem, inflammationem, ulcus & similia excitemus.

A sectione quoque aut eradicatione per cultrum abstinendum est, si infixi sint circa articulos, profundioresque radices egerint; facilè enim unà cum Clavis vicina vasa, tendines ac ligamenta, simul læderentur.

MEMBRUM XI.

DE

FUNGO.

Fit subinde, ut circa articulos, ex dilatatis aut laceratis membranis & tendinibus ibidem expansis, aut similibus partibus nervosis, ex casu vel contusione vel violenta luxatione in saltu, &c. læsis, excrescat tumor mollis, successivè incrementum capiens, qui si apertâ cute amplius spatium nanciscatur, subitò incrementum capit enorme, & instar fungorum velociter excrescit in substantiam carnosam, mollem, pallidam & indolentem, quæ ob id *Fungus articuli*, Germ. *ein Glied-Schwamm*, appellatur. Rarissimum est, quod præter articulos etiam alia loca infestare soleat; semper tamen membranis aut tendinibus, similibusque partibus adhærere & affigi observatur, unde etiam membranæ cerebri post vulnerationem capitis læsæ, ubi non benè præservantur ab aere ambiente, in tales fungos, qui tamen quasdam proprietates adhuc speciales habent, erumpere vel adnasci solent. Historias aliquot notatu dignissimas refert SENNERTUS *lib.* 5. *Prax. de morbis externis in Chir. P.* 1. *cap.* 39. item HILDANUS *Centur.* 2. *Obs.* 19. & *Cent.* 3 *Obs.* 1. *Cent.* 5. *Obs.* 62. Vid. quoque M. A. N. C. *Ann.* 9. *Obs.* 63. sunt enim rariores.

CAUSÆ.

Causa autem horum Fungorum est humor nutritivus retentus & collectus, cui cum se jungat synovia seu axungia illa glutinosa, quæ naturaliter oblinit articulos pro facilitando motu, exinde substantia mollis, rara, ac insigniter luxurians, generatur: interdum tamen corruptionem quandam, & hinc occultam acescentiam concipit materia, ex qua fungus generatur: unde facillimè, si malè tractetur, Fungus, malignitatem cancrosam acquirit.

CURA.

Cura est difficilis, sæpissimè nulla, nisi pars affecta extirpetur & radicitus tollatur, quandoquidem successivè ad tabem perducatur corpus ægri, omni nutrimento in fungo deperdito; eòque difficilior est Cura, quò magis in profundo originem trahant Fungi. Quod igitur circa genua aut cubitum fungus sese prodat, neque emollientia neque sectio per cultrum locum habet, cum mox ab aere ambiente labia in cancrum exitiosum degenerare, eademque symptomata, quæ in Cancro nondum exulcerato, sequi soleant. Nam auferendus est totus fungus ex toto, si scilicet radix ejus sit manifesta, ac si commodè fieri potest: quod si non fiat, exedentibus & absumentibus blandis erit tollendus, aut nimium saltem incrementum impediendum; quæ ipsa tamen exedentia cum sæpius sint periculosa, & istis fungus malignus sæpius in cancrum exacerbetur, ob id omissis omnibus linimentis nervinis ac unctuosis emollientibus, malum contumacius reddentibus, valida exsiccantia, & acidum occultum temperantia & mitigantia fungo sunt inspergenda & applicanda, v. g. ex radice aristolochiæ rotundæ veræ, Ireos Florent, ari, foliis sabinæ, rorismarini, tutia, *myrrha*, thure, *lapide calaminari*, terra vitrioli dulci, lapillis cancrorum calcinatis, cineribus cancrorum fluviatilium, *saccharo Saturni*, *vitriolo*, *calce viva*, & similibus.

Fungus mox in principio supprimendus est: Ergo mox adspergatur cornu Cervi ustum præparatum, myrrha, pompholyx & similia. MARCHETTE *in Observ. Medico-Chirurg.* 6. utitur pulvere ex spica & schœnantho: Vid. M. A. N. C. *Ann* 9 & 10. *Observ.* 124. Si nec hæc suffecerint, maturè usurpetur *Mercurius præcipitatus*: si & hic non suffecerit, lethale est malum. Videatur HILDANUS *in Centur.* 1. *Observ.* & SCULTETUS *Observ. Chirurg. Obs.* 17.

Quod si verò vel ferro vel arcta ligatura abscindi possit Fungus, post abscissionem similes pulveres inspersi locum adstringendo claudunt, & recidivam prohibent.

In vulneribus & ulceribus exorientes omnium optimè per pulverum prædictorum inspersionem tolluntur, imponendo simul emplastrum dia sulphuris Rulandi. Vitanda tamen acria & corrodentia, ne convulsiones accersantur, aut ulcus in cancrum degeneret.

ARTICULUS IV.

DE

TUMORIBUS VASORUM SANGUIFLUORUM.

MEMBRUM I.

DE

ANEVRISMATE.

Sequuntur singulares quidam & quasi anomali Tumores, qui sanguiflua vasa interdum occupant, & *Anevrismatis*, & *Varicis* nomine vulgò noti sunt, Illud, *Aneurisma* nempè, est, dum arteria est tumefacta, aut saltim tumor est ex & circa arteriam natus: Hoc verò, nempè varix, est, dum vena turgida & tumefacta cernitur & contrectatur.

Anevrisma est collectio sanguinis arteriosi, fit dum arteria aut exesa, aut laxata nimis, aut rupta ex quacunque violentia, aut vulnerata ex inepta ejus, loco venæ, sectione, aut in arteria per venam perfusam vulneratione, dum, inquam, his modis læsa arteria sanguinem spirituosum, quem vehit, in loco læsionis colligit, & hinc exista sanguinis

nis collectione in talem tumorem successivè attollitur.

Exesam dixi arteriam interdum, dum nempè ab interna successivè oritur causa; hinc enim interiore arteriæ tunica exesa aut erosa, externa ambiens successivè dilatatur & ampliatur, etiam ulterius interdum exeditur, simulque vicina loca hinc affliguntur; quale exemplum videatur in *Praxi* BARBETTE. Frequentia etiam sunt Aneurismatà à vehementi cordis palpitatione, ita ut ramus arteriæ descendentis intumescat. Sed hæc ad Chirurgum non pertinent.

Laxata sæpiùs reperitur arteria aut rupta ex nimio conatu in artuum violenta commotione, vociferatione, in partu, in firma spiritus retentione. Ex his enim causis Aneurismata in collo sunt frequentia; nam frequentissimè collum occupant Aneurismata: hinc etiam interdum brachiis & cruribus, rariùs licet, observata fuerunt.

Frequentissimè fiunt ex venę sectione inepta. Exempla talia sunt frequentia in regionibus, ubi crebriùs celebrantur venæ sectiones.

DIAGNOSIS.

Affectus hic facilè cognoscitur ex impetuosa floridi sanguinis ejaculatione, qui pro ratione rythmorum in pulsu subsultim magis floridus ac dilutior prodit, unde mox tumor cum dolore successivè assurgit, colore partibus vicinis similis, interdum ubi immediate sub cute est, ut à venę sectione, nonnihil rubicundior pulsatilis est, & tactui recedens: dum, nisi nimis inveteratum sit Aneurisma, digito compressus tumor successivè subsidet, & omnino intromeat; ditigitis verò remotis denuo redit: augetur successivè ad magnitudinem interdum ovi anserini. Sanguis in eo est utplurimum corruptus, nonnihil tamen spissor & paulo obscurior reliquo sanguine, atque hæc magis locum habent in Aneurismate non adeo ingenti aut inveterato; & quò magis inveteratum est Aneurisma, eò magis talis conspicitur contentus sanguis, uti etiam in tali inveterato Aneurismate minùs pulsans minusque tactui cedens tumor, & etiam *sanguis semigrumosus*, esse solet, unde non tam subitò in arterias potest propelli.

In partibus externis facilè patent, in partibus verò internis subinde imperscrutabilia sunt, & rupto aneurismate ad mortem perducitur æger. HORSTIUS *in Obs. Anatomicis* dicit, quod interdum *Aneurismata* oriantur *in partibus internis* lethalia in iis, qui morbo Gallico curari volunt.

PROGNOSIS.

Tumor hic Aneurismaticus externus nihil periculi habet, nisi quod interdum ab imperitis Chirurgis habeatur pro abscessu suppurato; unde si aperiatur tunc temporis tumor, subitò sub manibus ægri cum sanguine animam emittunt.

Rarius est, ut in gangrænam ex sanguine corrupto detento Tumor abeat, quod tamen rarissimum est: Vid. BORELLUS & HORSTIUS *de eodem*.

CURA.

Cum *frequentissima causa* sit *pertusio arteriæ loco venæ*, mox forti ligatura ligetur pars læsa, vel moneta minor aut lamina plumbea, superimposito emplastro de chalcitide, applicetur, & fortiter ligata pars læsa firmetur; in opposita, verò parte mox secetur vena. Hoc neglecto fit Aneurisma, quod, dum est in principio, fortiter adstringentibus applicatis ex terra sigillata, bolo Armena, terra vitrioli dulci, colophonia, thure, sanguine draconis, sperniol. Crollii & similibus, cum laudano opiato mixtis, sub forma emplastri forti ligaturà applicatis, tumoris progressus tolli, et ipse tumor tunc facilè curari potest. Quies simul severe imperanda, nec emplastrum nimis citò removendum, quin mox recens ligetur; aliàs autem corporis motu frequentiori tumor facilè increscerer, & tandem lipothymiæ, affectui huic familiares, subsequerentur.

Curiosum est, quod observat HORSTIUS, *& ex eo* HOEFERUS, quando arteriæ applicaverit *laudanum opiatum*, & mox hæmorrhagia steterit. Quibusdam expertum est hoc *emplastrum* SANCHEZ *in Obs. Medicis*.

℞ *Pulv. sumach.*
Hypocist.
Acaciæ,
Sangu Drac.
Aloes,
Thuris an. ℥j.

Ex his cum *albumine ovi* subactis fiat Emplastrum, addito, loco ceræ, *emplastro contra rupturas*.

Applicandum hoc est emplastrum statim in principio, ut tangere ferè possit arteriam, forti ligatura subjecta, & sic consolidetur locus læsus: ubi grumus sanguinis in loco est collectus, frustra applicatur.

Aliàs notum est emplastrum Galeni ex thure, aloë, pilis leporinis, & albumine ovi. Etiam lamina plumbea, vel sola applicata, vel cum succo plantaginis priùs illita; cum forti ligatura Aneurisma tollit; aut ex toto istud curat, si mox in principio applicetur, v. g. post ineptam venæ sectionem; vel etiam istud palliativè ad multos annos sustentat, si continuò alligata loco arteriæ læsæ circumgestetur.

Quodsi verò jam factum sit Aneurisma, & sanguis contentus in tumore jam spissior nonnihil fuerit, ad imitationem HILDANI *in C. 3. Observ.* 44. corrigendus est priùs sanguis imposito emplastro de calcithide, hinc correcto sanguine, & eodem retropulso, addendo laminam plumbeam aut ferream, super hanc iterum emplastrum fortiter adstringens ex *supra dictis* est imponendum: huic pulvilli, Germ. *Bauschlein*, & demum fasciæ fortiter adducendæ.

Quodsi verò his irritis nihilominus Aneurisma persistat, aut his remediis cedere nolit, similibus adstringentibus ulterior progressus præcavendus, evacuetur sanguis contentus, & super locum læsionis arteriæ injicienda est fortis ligatura, & infra ligaturam per transversum dissecandus ramus arteriosus, quod tamen periculosum; hinc vulnus factum digestivis ac consolidantibus consolidetur.

Galli moderni Aneurismata post ineptas Venæ sectiones vitriolicis blandè erodentibus optimè curant, ut labia crassa successivè coalescant & coëant, posmodum locum ipsum & foramen consolidantibus restituunt. Hæc methodus est nova, & reperitur apud DECKERS, quale exemplum ipsemet vidi Parisiis. Modus est hic: scilicet Chirurgi minister arripit brachium, & fortiter premit, ubi arteriæ ex ramo axillari decurrunt in brachium, tamdiu, ut nullus percipiatur pulsus in carpo: Postea Chirurgus tumorem seu Aneurisma factum (quod dimidium ovum æquabat) in flexura cubiti aperit largà incisione, sanguis semigrumosus evacuatur, postea in loco arterioso mox patet, ubi sit læsio hæc facta: denuò in superiori brachii parte adstantes digitis fortiter comprimunt arteriam, ut post coagulatum sanguinem nihil amplius effluere possit, & Chirurgus imponit foramini arterię per venæ sectionem ineptam relicto globulum parvum unum vel duo magnitudine pisi paratos ex *vitriolo albo* vel Cyprio ad albedinē calcinato, eosque bombaci probè involutos: postmodum inspergitur vulneri seu tumori aperto *pulvis ex sarcocolla, colophonia*, & thure cum stuppis cannabinis, hoc pulvere imprægnatis, desuper applicando plumaceolos digestivo ordinario illitos, & ita convenienter fasciatur & fortiter ligatur vulnus: quotidie removeātur plumaceoli superficiales, ut in labiis tumoris aperti pus evacuari possit, ipse verò globulus & immediatè super injecti plumaceoli nō removentur, nisi spontè cadant, quod non fit, nisi arteria sit consolidata; sic enim fit, ut à sanguine successivè transudante resolvatur successivè vitriolum, & liquefactum erodat nonnihil labia arteriæ apertæ, quæ corrosa simul blandè adstringuntur ab isto vitriolo, & ita, ut successivè labia arteriæ, quasi renovato vulnere sauciata, per nutrimentum proximum denuo conglutinentur. Si ceciderit globulus, & nondum sufficienter conglutinata sit arteria, novus imponitur donec obtineatur scopus. Hinc caro musculorum vicinorum facilè supercrescit, & tandem tumor ulcusque ex toto consolidatur.

Chirurgi incauti, simul ac errorem hunc commiserint, statim confugiunt ad unguentum de althæa, populeum nervinum, aliaque unctuosa; quibus tamen Tumor hic maximè augetur. Vitanda ergo sunt omnia pinguia emollientia, balnea pariter ac exercitia omnia vehementiora, nec non aromatica spirituosa pulsum accelerantia & purgantia, massam sanguineam magis exagitantia.

Hęc de Aneurismate.

MEMBRUM II.
DE
VARICIBUS.

Juxta Aneurisma in venis observantur *Varices*: nempè sunt nihil aliud, quàm venæ laxatæ tunica, seu quando venę tunica laxatur, ut fibrę ejus molliores valdè distēdātur, & post-

& postmodum in loco venæ distento hæreat sanguis, & stagnando tumorem inferat, qualis tumor vocatur *Varix*. Malum hoc frequens est mulieribus in ultimis à partu mensibus, uti & post partum difficilem.

CAUSÆ.

Causa interna sæpius est sanguis crassior, qualis Melancholicus dicitur, id est, qui ab acido nimio crassiorem nonnihil habet consistentiam. Talis ergo sanguis in motu suo in quodam venæ ramo insigniter impeditus, in specie circa venarum valvulas, non nihil vas continens ex succedente sanguine novo ita distendit, ut atoniam ejus nimiamque laxationem tunicæ venosæ inferat, ut postmodum in isto loco laxato sanguis uberius collectus & tanquam alveo ampliori contentus, talem tumorem inferat. Præter hanc tamen causam internam etiam ipse sanguis, naturaliter licet constitutus, in trunco tamen venoso ex hujus compressione vel simili causa in motu suo impeditus, in istius trunci ramis potentioribus extrorsum, adeoque minus à partibus vicinis angustatus, hærens nonnihil distendere, & ita Varicem inferre potest: qua ratione ultimis gestationis mensibus, propter vasa iliaca venosa in mulieribus ab utero tumido compressa, varices crurum grauidis familiares esse solent.

DIAGNOSIS.

Sequuntur hi tumores venarum ductum, & tanquam venæ ampliores & insigniter turgidæ, colore ex cœruleo livescente aut nigrescente, conspiciuntur, idque imprimis in cruribus circa genua.

Tumor hic pressus quidem retrocedit nonnihil, qui tamen mox redire solet.

PROGNOSIS.

Malum hoc cum minus sit molestum, quin potius quibusdam non parum proficuum ad conservandam corporis sanitatem, in specie in Melancholia hypochondriaca, minus curationi subjicitur, nisi aut nimis distenta vasa tandem rumpantur, aut sanguine acescente corrupto, & hinc inflammationis modo suppurando effervescente, ulcus parvum inducat, aut etiam partis gangrænam minetur, aut etiam insignis partium valdeque molestus dolor adsit.

De Varicum apertione spontanea, item propter hæmorrhagiam incoercibilem lethali, vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 54. & 204. item *Ann.* 6. & 7. *Obs.* 26. p. 59.

CURA.

Hæc & similia ubi imminent pericula, necesse est subinde, ut curentur & removeantur Varices. Nempè si nimius fuerit tumor, varix acu aureâ vel argenteâ pungatur, sanguisque crassior exprimatur; quo facto applicanda remedia adstringentia & lamella plumbea desuper alliganda pro tumoris incremento coercendo: Aut etiam citra talem puncturam:

℞. *Alum.*
Salis comm.
Fruct. acac.
Hæc coqu. in *aceto acerrimo*.

Spongia hoc aceto ebria pro fomento applicetur mane & vesperi loco varicoso, & hinc arctissimè deligetur, & hoc continuandum per mensem integrum: postmodum ubi exsiccatæ apparent Varices, removenda est spongia, & solùm strictè per 5. vel 6. menses locus varicosus est ligandus, donec omnino disppareat. Expertum fuit in Varicibus costarum à FERRARA. Vel in tumoribus varicosis levioribus fiat Unguentum ex *butyro Maiali* cum duplo *succi cancrorum fluviatilium expresso*, quæ invicem mista leni ebullitione coquantur ad consistentiam unguenti. Laudatur ab HARTMANNO *in Praxi Chymiat.* ad curandas Varices pro illitu. Vel

℞. *Farin. lupinor.* ℔j.
Sterc. capr. exsicc. ℔iij.
Aceti non valdè fortis, in quo *ferrum ignitum* quinquies sit extinctum, q. s.
M. S.
Epithema externum.

Et vel in forma emplastri spissi applicetur; vel fortiter ligetur, aliquandiu continuando.

Quodsi varices apertæ sanguinem copiosiùs funderent, hic cauterio actuali mox sistendus erit.

Optimum etiam euporiston ad sanguinem sistendum est stercus suillum, quod pulveris formâ adspersum mox omnem hæmorrhagiam sistit: Vel lintea solutioni vitrioli Martis & aluminis immergantur, & varicibus apertis applicentur, ita tamen involuendo & ligando, ne refluxus sanguinis ejusque motus omnino intercipiatur, aliàs periculum est disruptionis varicum sub ipsa ligatura; sanguinis enim circulus magis promovendus, quàm impediendus est.

Denique pro Varicibus dolentibus & tumentibus:

℞. *Ungu popul.* ℥ij.
Mucilag. sem. psyll.
Lini,
Fœnugræc. an. ℥ß.
Olei chamomill.
Farin. fabar. an. ℥ij.
Ceræ q. s.
M. F. Ceratum seu Emplastrum imponendum varicibus.
D. S.
Emplastrum emolliens.

Interdum Varices, harumque venæ capillares, præcipue in pedibus, propter lympham acriorem exulcerantur, unde pruritus intolerabilis. In his elegans est emplastrum de spermate ranarum, vel griseum, inspergendo simul acidum absorbentia, e. g. cornu Cervi ustum præparatum, &c. cum mastiche & thure; quibus aliquid Mercurii dulcis addi potest.

His internè subveniendum est appropriatis sanguinis dyscrasiam corrigentibus. In communi usu Decocta lignorum guaiaci, radicis chinæ & sarsaparillæ cum herbis appropriatis usurpari solent, idque non infeliciter, uti apparet ex FORESTO *l.* 19. *Obs.* 25.

Hi sunt Tumores, tanquam prima pars affectuum, qui subsunt Curæ Chirurgi: Pergo à Tumoribus ad Vulnera.

CAPVT II.
DE
VVLNERIBVS IN GENERE.

Vulnus est divisio unionis naturalis in parte molli, facta ab impetu & vi externa, secante, pungente, mordente, rumpente, aut fortiter contundente.

Infestat promiscuè nunc partes nervosas, nunc partes sanguineas, quarum tamen diuersitas vel maximè observanda est in Cura.

Differentiæ verò *Vulnerum* accidentales sunt variæ atque diuersæ pro ratione Vulneris; dum nunc est *simplex*, nunc *complicatum* adjunctione aliorum affectuum, imprimis aut *cum inflammatione*, aut *contusione*, aut virulentia, aut aliis similibus; nunc ratione subjecti aut *partis affecta* Vulnus dicitur *partium nervearum*, *sanguinearum*, *thoracis*, *capitis*, &c.

Quoad *Vulnera in genere*: In omnibus corrumpitur ab aere ambiente nutrimentum partis proximum, & sanguis effusus propter spiritus vitalis dissipationem successivè corrumpitur & putrescit; unde nascitur acor vitiosus, qui subitò omnem ludit Tragœdiam, infert dolorem rodendo partes fibrosas nerveas, tumorem erysipelaceum, &c. totusque spiritui vitali balsamico partis præservativo prorsus hostilis, instar fermenti peregrini partem affectam ejusque alimentum proximum, multifariè alterat, illudque in pus salsum de natura alcalina, saniem & ichores, transmutat. Unde tandem, nisi acor maturè temperetur, facilè ulcera depascentia emergunt.

DIA-

DIAGNOSIS.

Quoad signa diagnostica: his in vulneribus externis, qua talibus, opus non est. Quæ autem partibus profundiùs jacentibus inflicta fuerint, cognoscuntur

1. Ex *Vulneris externi situ*: cujus ratione in hypochondrio dextro hepatis, in sinistro verò lienis læsio colligi potest.
2. *Ratione doloris*: unde dolor acutus partium nervosarum & membranosarum; obtusus verò carnosarum Vulnera indicat.
3. Ratione *loci*: sic vulnera v. g. sub hypogastrio vesicæ, uteri, &c. læsionem innuunt.
4. *Partis vulneratæ actione læsa*: sic e. g. ex facultatis animalis læsione aut pertubatione, cerebri; ex dyspnoeia & asthmate, pulmonum & diaphragmatis; ex vomitu, ventriculi; ex urinæ profluvio involuntario, sphincteris vesicæ, &c. vulnera colligi possunt.
5. *Excretis*: partim *qua talibus*, quando e. g. in læsionibus abdominis chylus effluens ventriculi & intestinorum tenuium; alvi verò excreta intestinorum crassorum; sicut & urinæ per abdomen effluxus renum, ureterum & vesicæ, vulnera indicat: partim *excretionis modo*, quando e. g. sanguis effluit cum pulsu; tunc enim arteriam esse vulneratam patet.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin Vulnerum*: primariò requiritur Medici judicium, an vulnus sit *lethale*? an verò *non lethale*? quod non confundendum cum eo, an vulnus sit *sanabile*? an *insanabile*? multa enim vulnera sunt insanabilia, & perfectè sanari nequeunt per longum tempus, quæ tamen non sunt lethalia. Distinguendum ergo est, an vulnus sit *sanabile*, vel *insanabile*? & hoc, an sit *lethale* vel *non lethale*? v. g. vulnus penetrans *per pulmones*, nisi *majora vasa* fuerint læsa, est *sanabile*, aut abit in *abscessum*; si verò *vasa majora* læsa sunt, est lethale; sicuti lue Venereâ affectis si infligantur Vulnera, hæc difficulter sunt sanabilia, sæpius insanabilia, quia degenerant in ulcera contumacia maligna, quæ tamen vulnera, uti dixi, in se non sunt lethalia.

Jam verò *fundamentum legitimæ Prognoseos vulnerum consistit in his tribus*:

(1.) *In functione seu usu partis læsæ*, plus minus ad vitam necessariæ.
(2.) *In modo læsionis*.
(3.) *In curandi ratione possibili & impossibili*: & hæc est talis vel *simpliciter*, vel *secundum quid*, in tali vel tali subjecto.

Adeoque *Vulnus* istud est *lethale*, quod necessariò & ex summa ac inevitabili necessitate, seu simpliciter & absolutè, mortem infert, ut nullâ arte dignosci, nullisque remediis curari, nec æger conservari possit, hinc semper & ut plurimum intra paucos dies moriatur: id quod fit, vel quatenus spirituum & sanguinis atque seri nimius partim & incoercibilis oritur effluxus; partim jam dicti & alii succi vitales extravasati in certa corporis aut visceris cavitate, ex qua arte educi nequeunt, colliguntur, & ibi aut corrumpendo aut comprimendo viscerum nobiliorum functiones lædunt; vel quando viscus tale, quod ad vitam simpliciter necessarium est, enormiter læditur. Hinc *ratione* prioris, nempè *usus* partis læsæ, *Vulnera ventriculorum cordis, vasorum internorum insignium*, &c. sunt lethalia: unde illa punctura gladii, qua læditur *ramus iliacus cruralis* (Germ. *die grosse Brand Ader*) est vulnus lethale: quare? quia hæmorrhagia ista est incoercibilis: hac ratione etiam vulnera hepatis profundiora sunt lethalia, quatenus vasa majora (imprimis in centro ejus) læsa incoercibilem hæmorrhagiam inferunt. *Ratione* secundi, vulnera *cerebri profunda*, & substantiam ejus graviter lædentia, sunt lethalia; superficialia verò minus. *Ratione* tertii, v. g. *substantia diaphragmatis nervea* læsa est lethalis, quia ipsi succurri nequit.

Verùm quoad *secundum requisitum*: observetur etiam, quod non semper sufficiat, quod pars graviter læsa sit, sed quod cum alia parte habeat *consensum*, v. g. si *ex vulnere apparenter levi, nervo tamen læso, superveniat Convulsio lethalis*, tale vulnus lethale est. In genere ergo in vulnere lethali necesse est, ut vel spirituum animalium motus vel distributio deleatur; sin hoc enim fit, animal interit.

Hi ferè sunt casus, in quibus vulnera solent esse lethalia. *Vulnera cordis* non semper sunt lethalia, nisi sint majora, ac penetrent usque in ejus sinus, in specie in ventriculum sinistrum usque: superficiales cordis læsiones, quæ saltim tangunt ejus parenchyma musculosum, non sunt lethales, ut ut forsan propter læsa majora pulmonum vasa in transitu instrumenti lædentis sequatur mors. Vidi ego Romæ apud egregium Chirurgum cor canis, in cujus parenchymate tres globuli ferrei erant, & ita quidem, ut isti globuli omnino coaluerint in parenchymate cordis; nam canis erat mortuus sub cultro anatomico: sic etiam in SCHENCKIO, PARÆO, SCHNEIDERO, &c. habentur Observationes talium vulnerum cordis superficialium non lethalium.

Pulmonum Vulnera propter nimium & incoercibilem sanguinis effluxum, hujusque in thoracis cavitatem collectionem, lethalia sunt; nisi leviora & supeficialia sint, utpote quæ interdum curantur, testante GLANDORPIO *Spicil. Chirurg. Obs.* 24.

Asperæ arteriæ intra pulmones latentium *bronchiorum Vulnera* lethalia sunt, propter profusionem aeris inspirati in thoracem. Ventriculi vulnera, quę lędunt vasa majora & orificia, primariò sinistrum, hinc dextrum, ord nariò sunt lethalia, propter alimentorum & chyli effluxum: minus, quę reliquas lędunt partes, imprimis superiores; non verò circa fundum, cavitatem nempè illam, quę orificia interjacet.

Vulnera diaphragmatis semper ferè sunt letha'ia, sive carnosę, sive nerveę seu medię ejus parti inflicta fuerint; nam suffocati intereunt ægri: minora tamen, tam carnosę parti, quàm tendini diaphragmatis secundùm fibrarum tractum inflicta, curari possunt, quod videbitis in GLANDORPIO *l. a. Obs.* 27. HOLLERIO *in Hippocrat. sect. 6. aphor.* 18. SENNERTO *l* 2 *Prax. p.* 224. *&* *l* 5 *p* 366. nec non DIEMERBROCK. *Anat p.* 422. *Mirabile est in diaphragmatis vulneribus, quod scilicet per unnus factum stomachus, intestina, &c. ex abdomine penetrent in cavum thoracis*: quale exemplum, præter PARÆUM *l.* 9. *c.* 30. ipse vidi Wittebergę cum D. SCHNEIDERO in rustico, cui ab alio cum cultro diaphragma erat perforatum, ita ut venticulus in thoracem retractus continuos vomitus, singultus, & tertiâ die mortem, inferret. Vid. etiam SENNERTUS *l. a.* HEINRICUS *ab* HEER *Observ.* 25. & GLANDORPIUS *l. a. c.* 28.

Oesophagi vulnera, prępri mis in parte interna, lethalia sunt; cum non solùm per hęc assumpta in thoracis cavitatem effluant, sed & propter dolorem ac inflammationem ipsa alimentorum deglutitio ac respiratio impediatur: in parte tamen exteriori interdum sanari possint: Vid. SCHENCKIUS *in Observat. pag.* 316. *&* PIGRÆUS *Epit. Med. & Chir. p.* 376.

Intestinorum vulnera semper sunt lethalia, imprimis transversalia, qualia exempla videbitis in SCHENCKII *Observationib. pag.* 38. TIMÆO *von Güldenklee Resp. Med.* 17. SALMUTH *Cent.* 1. *Obs.* 18. *&* WELSCHIO nostro *de Lethalit. Vulnerum p.* 103. nec non diversis in locis inflicta; vid. VALERIOLA *lib.* 11 *Obs.* 9. & SALZMANNUS *in Observ. Anatom. p.* 10. quia non solùm chylus & stercora in abdominis cavitatem effluunt, ex qua evacuari nequeunt, unde putrescendo & rodendo intestina reliqua & abdominis integumenta afficiunt, sicque mortem inferunt, (conf. FALLOPIUS *de Vulneribus cap.* 57.) sed & ipsa intestina vulnerata brevi gangręnescunt; vid. WUERZIUS *in Chirurg. P.* 1. *cap.* 13. *pag.* 704. Contrarium observatur in intestini recti extremitate vulnerata, cùm remedia externa commodè applicari possint, nec excrementorum ad abdominis cavitatem effluxus metuendus.

Mesenterii Vulnera, nisi vasis ejus majoribus inflicta fuerint, lethalia non sunt.

Vulnera autem *omenti*, propter nimiam & incoercibilem hęmorrhagiam, per se lethalia sunt.

Idem etiam judicandum de *Pancreatis vulneribus*.

Vulnera hepatis juxta GLYSSONIUM *in Anat. hepatis* lethalia sunt, pręsertim cum hujus substātia sine vasorum lęsione, & hinc enormi sanguinis effusione, vix vulnerari possit; contra GLANDORPIUM *in spicil. Chirurg. Obs.* 38. & HILDANUM *c.* 2 *Obs.* 34 *&* *Cent.* 4 *Obs.* 2. aliosque, qui vulnera hujus vasorum tantum notabilium lethalia, substantię vero hepatis inflicta minus lethalia dicunt.

Vulnera vesiculæ felleæ, nec non *ramorum maiorum ductus hepatici*, & *ductus cholodochi*, per se lethalia sunt, propter bilis, ad corporis conservationem adeò necessariæ, profusionem, & in abdominis cavo collectionem.

Huc etiam pertinet *ligamenti umbilicalis ruptura* vel *præcisio*, quam SPIGELIUS *Anat. l. 8. cap. 5.* LAURENTIUS *in Histor. Anat. l. 6. cap. 9.* HILDANUS *Cent. 1. Obs. 52. & 53.* item MOEBIUS *in Fund. Med. Physiol. cap. 14. & 20.* lethalem pronunciant.

Receptaculi lumbaris & Ductus Thoracici Vulnerum lethalitatem confirmat experimentum LOWERI *Tr. de Corde*, cum non solùm chylus & lympha in cavitatem quandam corporis effluant, & ibidem coacerventur, sed etiam sanguinis circulatio turbetur, & corporis nutritio impediatur. Contrarium quidem exemplum refert LANGELLOTTUS *in* BARTHOLINI *Epist. Med. C. 3. Epist. 37.* de quodam Equitum Magistro Brandenburgico, circa mediam dorsi vertebram sclopeto vulnerato, cui similis liquod chylosus effluxerit, qui non tam lintea quintuplicia, indusium & lodices imbuerit, quàm etiam lumbos inundaverit, sine vitæ periculo. Verùm potiùs credendum, in hoc ægro non ipsum ductus thoracici truncum, sed hujus saltem ramum quendam, læsum fuisse.

Lienis Vulnera profundiora, sive vasa simul, sive non læduntur, lethalia sunt, utut plurimi de lienis substantiæ vulneribus contrarium defendant: Verùm cum ex VESALIO, HIGHMORO, WEPFFERO & MALPIGHIO notum sit, quod tota lienis structura, præter vasa, ex cellulis membranosis & fibrosis contexta sit, ad quas sanguis arteriosus, à venis resorbendus, omnis deponitur, non mirum, quin cellulis his læsis hæmorrhagia incoercibilis oriatur.

Renum pariter *Vulnera*, imprimis majora, ubi majores tubuli urinarii lacerati, sine etiam vasorum emulgentium, aut horum insigniorum ramorum læsione, lethalia sunt; cum non solùm per hæc serum urinarium ad cavitatem abdominis effluat, sed etiam mox inflammationes & dolores ingentes superveniant: ut taceam, Renum substantiam sine vasorum hujus sanguiferorum notabiliorum læsione, profundiùs vulnerari vix posse, uti ex Anatome Publica nuperrime vobis demonstratum fuit.

Vesicæ vulnera quod attinet: hæc cervici inflicta, præsertim quando simul vasa majora lacerata, propter inflammationem, gangrænam, convulsiones, & sphacelum, sæpissimè lethalia sunt: utut contrarium per calculi vesicalis exscissionem plurimi defendere soleant; conf. SALMUTH *Cent. 2. Obs. 44.* quæ ipsa tamen operatio circumspectè & prudentis artificis manu instituta cum Vulneribus fortuitis & casualibus non confundenda: ut taceam, ipsam etiam vesicæ lithotomiam propter dicta symptomata frequentiùs observata periculo plenissimam esse. Fundi autem vesicæ vulnera propter tunicam carneam exteriorem, hujusque cum peritonæo & abdominis musculis contiguitatem, & faciliorem cum his coalescentiam ac consolidationem, sanari possunt; quod etiam contra GLANDORPIUM *in Spic. Chir. cap. 38.* aliique quamplurimos, testantur BAUHINUS *in Append. ad Russetum pag. 192.* FELIX WURZ *in Chir. P. 2. c. 13. pag. 205.* PLATERUS *Observat. l. 3. p. 831. & 832.* & SIMON PAULI *Flor. Dan. P. 2. pag. 53.* testantur.

Uteri vulnera per se lethalia non sunt, nisi majora, & cum vasorum majorum læsione, & inde orta hæmorrhagia copiosiori, fuerint: in gravidis autem propter hæmorrhagiam incoercibilem, sanguinis in abdominis cavitatem collectionem, & fœtus extra uterum, & cum sanguine ibidem putrescentis, prolapsum, per se lethalia pronuncianda.

Cerebri vulnera sunt varia: si *cortex* solùm lædatur, & rectè tractetur, imprimis si sanguis extravasatus & congrumatus extra cranium evacuari possit, nec gravis contusio adsit, minus solent habere periculi: sin verò *medulla* profundiùs & corpus callosum *vulneretur*, nec sanguis in cerebro collectus evacuari possit, lethalia esse solent. Tamen uti fiunt interdum miracula in Medicina, observationem quandam habet SCHENCKIUS *de vulnere cerebri* ad ventriculum usque sanato: an Observatio rectè sit facta? nescio, sit fides penes Autorem.

Pertinet huc *Cerebri compressio*, tam à cranii subsidentia, quàm sanguinis extravasati & congrumati copia: dum enim cerebri meatus angustantur, & sanguinis in vasis cerebri circulatio, simulque spirituum animalium dispensatio, impeditur aut saltem turbatur, nec cranium relevari, nec sanguis extravasatus & congrumatus, aut etiam non maturè satis evacuari potest, lethalis est. Similiter *cranii fracturæ & fissuræ*, quarum fragmenta cerebro aut hujus involucris ita compacta, ut eximi non possint, lethales pronunciandæ; utut sæpè per aliquot septimanas, imò menses, vulnerati ex improviso quasi & nihil mali metuentes demum intereant; qualia exempla, præter quotidianam experientiam, referunt PAW *in Hippocratem de vuln. cran. p. 82.* SALMUTH. *C. 1. Observ. 12.* & WEPFFERUS *de Apopl. p. 336.* quæ lethalitas magis promovetur, ubi *sanguis* simul *supra cerebrum effusus, & vascula intra cranii duplicaturam læsa* fuerint.

Lethalia etiam sunt omnia *Cerebelli*, nec non quædam *medullæ spinalis, vulnera*, superiori nempè intra colli & dorsi vertebras parti inflicta, & inferioris transversim dissectæ, de quo vid. TULPIUS *l. 3. Obs. 27.* sicut quoque hac in parte, ubi *nervus intercostalis paris vagi* dissectus & laceratus, respirationem impediendo, pulsum intercipiendo, &c. lethalis esse solet.

Vulnera musculi temporalis vulgo lethalia dicuntur: verùm non per se & semper lethalia esse, experientia testatur, v. g. CHATTIER *Observ. 4.* qui in contusione hujus musculi, item VOORDE *Chir. pag. 481.* IOB *van* MEECKERN *Obs. 1.* RIVERIUS *in Obs. comm. p. 333. & 361.* & PAW *in Hippoc. de vulneribus cranii p. 174.* qui in fractura cranii musculi temporalis incisionem feliciter factam perhibent: imò PAW *l. 4.* & GLANDORPIUS *Spicil. Chir. Obs. 12.* vulnera hujus musculi casu illata, sine notabilibus symptomatis curata testantur. Testatur etiam inspectio Anatomica, quod nihil in musculi hujus conformatione observetur, cujus læsione actio quædam nobilis & ad vitam simpliciter necessaria turbetur, aut cui non quævis remediorum genera applicari possint.

Specialia plura de vulnerum Prognosi videb. in SEBIZIO *de vulnerum lethalitate*, hinc etiam WELSCHIO *de Rationali Vulnerum Judicio*, & *Medicina Crit.* AMMANNI: In specie etiam videri potest SENNERTUS *ubi de vulneribus*, qui satis prolixus est quoad Prognosin vulnerum. Nunquam enim potest generaliter Prognosis institui propter varietatem subjectorum & circumstantiarum.

CURA.

Cura vulnerum consistit in unione partium separatarum, earumque conglutinatione; quod opus est solius naturæ, quæ beneficio succi nutritii ad omnes partes distributi, appositi & agglutinati, tanquam balsamo quodam salino oleoso temperato, sensim semque easdem reunit & reducit: cui cum vix reperiatur adæquatè simile quoddam remedium in rerum natura, sequitur hoc esse solius naturæ opus ac laborem. Chirurgi autem hic opus est adjuvare eam in hoc bono opere, sequendo ejusdem ductum, *removendo* imprimis impedimenta externa, quæ sunt alimenti partis coridi & sanguinis effusi superinductæ alterationes, & successivæ corruptiones & putredines, quas inseparabiliter comitatur acor vitiosus, ex ista corruptione natus; *adducendo* divisa labia, *applicandoque* medicamenta, succum partis nutritium, tanquam balsamum ejus naturale, quæ conservent, ejusdem corruptionem impediant, factam jam denuo emendent, adeoque parti familiaria ac amica sint, quæ medicamenta aliàs Vulneraria, Agglutinantia, item balsamica, vocantur.

Pro his à Chirurgo scopis meliùs attingendis notandum est, quod *balsamus* hic *naturalis* seu alimentum partis proximum, cum consideratur ut conservans partem læsam, sit in naturaliter constitutis salinus volatilis oleosus, seu humor roscidus tenuis, impregnatus sale *volatili oleoso temperato*, investito substantiâ humidâ, non nihil glutinosâ & pinguiusculâ: variat tamen insigniter pro constitutione ætatum, sexuum, vitæ generis, & in specie pro varietate ipsarum partium varia, prout hæ ipsæ nunc sanguineæ sunt, nunc nervosæ; prout etiam variant subjecta in latitudine sanitatis, etiam hic balsamus variat: *Unde vulgò dicunt; hic sanabilem, illę insanabilem vel immedicabilem à natura nactus est cutē.* Et quò vitiatę magis sunt corporis digestiones, indeque plus minus alterata massa sanguinea, eò etiam vitiosior & magis degener est hic balsamus; unde etiam nunc faciliùs nunc difficiliùs consolidabit partem læsam. Nam & hinc *mulieribus* inflicta *vulnera* sæpe deteriorantur & in pejus ruunt sub tempore menstruali: & qui vel scorbuto vel lue venereâ sunt

sunt inquinati, iis leves, in specie in nervosis partibus, acceptæ læsiones & vulnerationes in gravia subinde ac periculosa abeunt ulcera & symptomata.

Et quidem *alteratio & mutatio balsami naturalis partis læsæ dependet à causis internis*, vel *externis*. Ab *internis causis* dispositio *nutrimenti balsamici corruptibilis*, uti de se ipso vulnus difficulter glutinat; ita facillimè quasvis *externas impressiones* recipit, quæ leves licet, in malè tamen constitutis gravem inferunt noxam, cum in benè constitutis, graviores licet, impressiones facilè corrigantur & eluantur.

Ab internis causis & morbis *oriundas* balsami naturalis corruptiones Medicus curet tollendo earum radices, rectificando digestiones & fermentationes, & *corrigendo partium noxam*; unde consequenter balsamus facilè naturalem reinduit statum: quod eò faciliùs fiet, si præmissis aut purgantibus temperatioribus, aut *sudoriferis salinis volatilibus blandis*, *remediis balsamum naturalem confortantibus*, seu sale volatili oleoso temperato & spiritu volatili mediocri imprægnatis, ipsi succurratur, nempè vulnerariis internis dictis, & balsamicis, alcali temperato & oleoso constantibus; quod confirmat HELMONTIUS, & post eum TACHENIUS *in Hipp. Chym.* quia horum succus revivificat Mercurium: myrrhâ, trochiscis & essentiâ myrrhæ, viperinis, antimonialibus paratis remediis.

Externa autem *ab iniuria*, præprimis ab *aeris impressione* illatos defectus succi nutritii, omnibus ferè Vulneribus communes, & qui in sanissimis etiam contingunt subiectis, Chirurgus applicatis debitis *remediis externis* emendare debebet: Nam vulnera spontè coeunt, nisi impediantur. Hujusmodi defectus à Medico & Chirurgo emendandi alii non sunt, quàm *balsami naturalis* partis vulneratæ, & *sanguinis* unà in labiis vulnerum hærentis *corruptio & putredinalis alteratio*, quam primariò infert alteratio & impressio aeris ambientis. Hujus corruptionis putredinalis indivisibilis comes est *acor vitiosus & peregrinus*, qui uti aliàs excessivus omnibus partibus insigniter est hostilis, ita in specie partibus vulneratis est autor omnium symptomatum supervenientium. Nam tanquam vitiosum fermentum labia vulneris inquinat, nutrimentum balsamicum & sanguinem affluentem inficit, corrumpit, & fermentando in pus mutat, nisi violentior majorque corrupta *aciditas* loco puris ichorem aut saniem manare cogat. Unde si *vulnus recens* apto balsamo à corruptione & acore putredinali defendatur, citra puris generationem facilè istud conglutinabitur. Et hoc est, quod quasi per transennam observarunt MAGATUS & SEPTALIUS *in Nova Ratione Curandi Vulnera*; unde & ordinariam Vulnera medendi methodum nonnihil immutarunt. Nam eleganter MAGATUS improbat GALENO, quod solummodo fuerit occupatus circa sordes vulnerum & ulcerum, circa pus, saniem & ichores abstergendas, non verò consideravit causam, à qua istæ sordes producantur: hac in parte accuratè respondet cum HELMONTIO, qui & ipse scholis & Medicorum & Chirurgorum, in specie hoc in loco Chirurgorum, exprobrat, eas magis esse sollicitas circa producta morbosa, quam circa eorundem causas radicales; unde fermenta ista vitiosa, à quibus producuntur per fermentationem istæ sordes, pensitanda esse sedulò & studiosè inculcat. Id quod etiam SEPTALIUS & MAGATUS studiosè monuerunt, nempè in vulnerata parte temperamentum partis esse conservandum, quoniam hoc, ab aere ambiente læso, generantur excrementa: unde Vulnera rarò religanda suadent, iisque sola medicamenta balsamica applicanda, quæ ex horum hypothesi temperamentum partis vulneratæ, ejusque calorem nativum conservent. Ex principiis verò Helmontianis applicanda sunt balsamica, quæ corruptionem balsami naturalis in acorem vitiosum inhibeant, ulterioremque progressum coerceant; his enim observatis studiosè vel spontè coire vulnera, quod verissimum est.

Acor ergo vitiosus, qui in vulnere enatus, consolidationem ejus à natura instituendam impedit, qui sæpissimè inducitur ab alteratione per contactum aeris ambientis; nam & in culinis si carnes corrumpi incipiant, earum juscula acescunt, & ex simili ratione vulnera degenerant facilè in ulcera ex acore isto magis intenso, magisque rosivo & corruptivo, depascente partes vicinas. Hinc etiam est, quod Chirurgi & mulierculæ omnia acida, adeo etiam, & rectè quidem, vini usum interdicunt vulneratis, perperam tamen assignantes causam, quod vinum calefaciat, adeoque sanationem impediat; sed vera causa est vini aciditas, ne accendatur, ac dolorem, inflammationem & putrefactionem promovendo pervertat vulnera; sicuti in ipso vulnere quandoque vermes exorti fuerunt: quæ tamen vini aciditas, ubi mitigata fuerit ab alcali *lapillorum cancrorum*, ut in saporem lixivialem abeat, utile potius & conveniens vulneratis est remedium; sicuti etiam hac ratione lapsos ab alto restituit: aut si ad ℨß. lapillorum cancrorum præparatorum vel coralliorum, vel eadem soluta in aceto succove limonum, quotidie bis ad cochlear Vulneratis propinentur, etiamsi moderatè tunc vinum biberint, vulnus nihilominus citò, tutò & jucundè, etiam absque febre, cicatrizabitur; non quod hi lapilli vel in pulvere, vel soluti, materialiter ad vulnera à primis viis remota properent, sed quia dicta concreta absorbeant acidum vini vel aceti, & fiat mixtura saporis salsi de alcalina natura: vid. TACHENIUS *in Princip. Morborum pag.* 124. Et hoc ipsum in remediis aliis vulnerariis, tam internis sub potionum forma usurpatis, quàm externis sub balsamorum ratione applicatis, est obvium, quorum balsamica vis, ratione cujus conducunt ad curanda vulnera, fundatur primariò in alcali volatili temperato plus minus oleoso, prout ipsa variant vulneraria: sicuti postmodum nata ulcera ex vulneribus *Saturnus* & Saturnina remedia curant, non quatenus refrigerant, non quatenus exsiccant, non quatenus detergent, sed quatenus acidum nimium absorbent; sicuti aliàs acida, quæcunque Saturni attactu transmutantur in dulcedinem aluminosam adstringentem: id quod patet omnibus in aceto destillato; hoc sanè minio seu Saturno calcinato affusum dulcescit manifestè instar sacchari, unde & exinde paratum sal sapore dulci saccharum Saturni appellari consuevit.

Acorem hunc vulneratis partibus & vulneribus adeo nocivum ex corruptione & putredine oriri dixi, nutimenti puta & balsami naturalis in parte hærentis, quæ inducitur primariò ab aere externo ambiente, aliave quadam concurrente causa externâ: v. g. halitus Chirurgi si attingat labia vulneris, est nocivus; unde etiam accuratiores Chirurgi halitum semper aliorsum efflant, & à vulneribus vitandum suadent, & quæ sunt hujusmodi externa alia; Nam ab his alteratus succus alimentitius in putredinem ruit. Unde *acor* semper est intensior in partibus nervosis quàm sanguineis. Alteratus etiam sanguis circa labia vulneris effusus congrumatus hæret, & similiter acescit. Corrumpuntur hi succi plus minus, prout aut externa impressio aut alteratio plus minus intensa fuerit, aut ii ipsi faciliùs vel difficiliùs corruptibiles existunt. Hic acor peregrinus omnium ferè accidentium & symptomatum vulneribus supervenientium, eorumque curationem & consolidationem remorantium, primarius est auctor: nam proximum alimentum & sanguinem salsum volatilem fermentando *calorem*, *ruborem*, & dolorem infert; hinc vicinos succos coagulando *tumorem* & *inflammationem* excitat; fermentando hinc se ipsum multiplicat & *ulcus* generat; cum salso volatili alimentario concurrendo, sub efferuescentia istud in *pus* transmutat.

Hæc vitiosa aciditas putredinalis in vulnere *nunc* simplex est, corruptiva tantum per fermentationem, *nunc* verò combinata est cum aliis extraneis qualitatibus, aut *à causa lædente*, aut *ab aere ambiente*, aut à *sanguine & humoribus affluentibus* oriunda.

Ratione *causæ lædentis* quidem combinatus est hic acor cum aliis qualitatibus, si instrumentum veneno tinctum sit, & sic plagæ inferantur venenatæ, ad quod & *animalium* omnium *morsus* pertinent; nam omnis fere morsus, uti rectè loquitur CELSUS, habet quoddam virus, adeo ut etiam hominis irati morsus sub iræ fervore impressus vel inflictus non minus periculosus sit, quàm alius cujusdam bestiæ virulentiæ morsicatio; cum hominis irati morsum, si non graviora symptomata, sæpissime gangræna partis morsæ, putredo ac corruptio, sequatur. *Observandum* etiam *est*, quod instrumentum lædens aut vulnerans nunc solùm secando, uel pungendo, interdum etiam imprimis contundendo, partem lædat, ut in pessimis *sclopetorum* uulneribus usu uenit.

Hæc ratione Causæ lædentis.

Ratione *aeris ambientis* etiam uariat *acidum* uulnerum peregrinum pro aeris diuersa constitutione, quæ temperata facillorem, minus temperata difficiliorem promittit Curam; ita ut tempore uernali uulnera ac contusiones quæuis faciliùs sanentur, quàm æstate aut hyeme. Pariter prout aer pro climatum ratione uariat, etiam in uno loco faciliùs, in alio difficiliùs ulnera curari solent: sic in uno loco capitis, ut

ut Bononiæ, in alio loco crurum uulnera, ut Romæ, citiùs curantur: sic GUIDO de CAULIACO vulnera capitis Lutetiæ difficiliora quàm Avenioni; crurum autem vulnera Avenioni difficiliora quam Lutetiæ, esse observavit: sicut etiam PARÆUS in Chir. p. 55. testatur, omnia ferè vulnera sclopeto inflicta in prælijs obsidionis Rotomagensis, in agro Dionysiaco consertis, lethalia fuisse. Item variat vulnerum cura, si aer frigidus, nebulosus, temperatus, aut abdita ratione loci Endemica inquinatus, aut adstantium halitibus & occultis aporrhæis infectus fuerit: hinc enim est, quod Chirurgi non promiscuè omnes admittant, ut inspiciant ligationes vulnerum, in specie in nervosis partibus, ut mulieres propter menstrua, item potui deditos & inebriatos. Pertinent huc etiam *lunares radii* vulnera illustrantes, sed simul deteriorantes, quod, qua ratione fiat, illustrari potest Observatione istius Medici Galli, qui vocatur GUIDO de la BROSSE, *Tr. de Natura Planetarum*.

Hic observavit, quod radii lunares, luna existente plena, si concentrentur, dent materiam lacteam seu albicantem, intensissimè frigidam; sicuti aliàs radii Solares collecti dant flammulam seu ignem, &c. Observationes sunt satis curiosæ.

Denique ratione succi nutritii & sanguinis affluentis combinatus est acor fermentativus vulnerum, si magis vel minus balsamus nutritius à statu naturali declinaverit; v. g. si sanguis affluens veneno venereo aut cruditate cachectica inquinatus fuerit, item si hæmorrhoidibus suppressis & mensibus stagnantibus fuerit repletus; qualium vulnera difficillimè sanantur, quia sæpius in ulcera cacoethea degenerant. Nam hæc omnia modò dicta acidum vulneris corruptivum pejus plus minus reddendo, variorum symptomatum vulneri supervenientium sunt causa.

Hanc ergo balsami nutritiui & quasi glutinosi vulnerum naturalis *corruptionem acidam impedire*, aut jam factam leviorem corrigere, & balsamum naturalem per sibi amica & familiaria conseruare, debet Chirurgus; idque per *medicamenta dicta balsamica*, mox in principio adhibenda, quæ debent esse salina volatilia temperata oleosa ad instar balsami istius naturalis: nam talia & acidum corrigunt, & naturale balsamicum conseruant, & ulteriorem corruptionem ejus præcavendo, brevi sanitas sperata & desiderata succedit. Talia v. g. sunt *balsamus Peruvianus*, balsamus de capaibe, terebinthina Cypria, mastix, olibanum, *oleum momordicæ*, *hyperici*, succus seu liquor folliculorum ulmi, theriaca in vini spiritu soluta, *oleum terebinthinæ* cum balsamo Peruviano temperatum, *balsamus sulphuris*, aliaque balsama & unguenta infinita, quorum apex est balsamus samech Paracelsi. Paratur ex sale tartari uolatilisato à vini spiritu, ut ambo coeant in dulcedinem aluminosam blandè adstrictoriam; qui balsamus samech omnium vulnerum corruptorem enecando, brevi consolidationem & sanitatem optatam adiuuat. Pauca tamen sufficiunt, quæ Chirurgum nobilitant; Compositionum enim multitudo ostendit ingredientium ignorantiam.

Dixi, quod debeant esse applicanda salsa *volatilia temperata*, dicta aliàs balsamica, non verò salsa excessiva seu acria; nam acria, tam acida quàm salsa, sunt nociva: acida quidem malum augerent, & omnem balsamum naturalem destruerent; ut nil dicam de horrendo dolore, quem inferrent, cùm partibus sint inimica. Hinc & olea communia solâ *expressione facta*, citra aliqualem præparationem tutò adhiberi non possunt, seu applicari nequeunt uulneribus, non tam ob unctuositatem viscidam, ratione cujus vulneribus & partibus nerveis sunt inimica, sed preterea etiam, quia in se habent *acidum* occultum satis potens, quod argentum & ferrum corrodit, & corruptionem balsami naturalis insigniter promoveret, & uulnus pejus redderet.

Observandum tamen etiam est, ne applicentur nimis acria urinosa volatilia, seu sale volatili acriori constantia, aliàs detersiua, abstergentia seu *mundificantia* dicta; quia hæc experientiâ teste vulnus diu nimis apertum detinent, eiusque coagulationem impediunt: ratio, quia colliquefaciunt, fundunt, & consumunt nutrimentum balsamicum partis, carnem ejus, & sanguinem: Ergo acrimoniâ suâ & facultate detersiuâ fluxiónes, dolores, aliaque symptomata inferunt.

Talia ergo acriora solis ulceribus conueniunt, non vulneribus, quia vulnus diu apertum retinent; Talia enim colliquefaciunt & consumunt funditus nutrimentum partis balsamicum, acrimoniâ suâ fluxum, dolores, & alia inferunt. Ulceribus ergo conferunt, ubi potentius acidum potentiora postulat corrigentia, & ubi productæ in labiis ulceris sordes potentiora urgent detersiua. Applicanda esse *alcalina oleosa seu temperata* balsamica, notandum & obseruandum est tam in vulneribus partium sanguinearum, quàm neruosarum seu articulorum vulneribus. Licet enim partes neruææ balsamica requirant paulo fortiora, quibus nempè leuia corrosiua sint simul admissa, dum in partibus neruosis semper reperiatur acor magis intensus, subtilior & penetrantior, quàm in sanguineis; & præterea copiosior sordium in vulneribus partium neruearum fiat generatio: tamen acriora vix ferunt, quin potius exinde irritatæ dolorem & multa alia symptomata inferant. *Temperata* ergo *acriuscula & amaricantia* conducunt.

His ipsis tamen externis admotis, simul administranda sunt interna, & quidem uulneraria, quæ alcali occulto Mercurii reuiuificatiuo, tamen temperato, constant, & aciditatem qualemcunque, aut in stomacho aut primis viis, aut etiam consequenter in ipsa uulnerata parte, enatam aut auctam mitigant & corrigunt. Obseruauit enim FELIX WURZIUS, quod si simul Chirurgi adhibeant uulneraria internè, non opus sit tanta copia balsamorum externorum. Talia interna sunt *plantæ uulnerariæ*, potionum forma usurpatæ, quales fiunt ex alchimilla, hedera terrestri, sanicula, plantagine, pyrola, ueronica, hyperico, consolida saracenica, hepatica stellata, geranio Rupertiano, perfoliata, pulmonaria, maculosa, scabiosa, uinca peruinca, floribus hyperici & similibus: quibus & *Album Græcum* meritò annumerandum est, non minus quàm ex lumbricis parata remedia, partibus neruosis læsis appropriata interno & externo usu, uti & sanguis hirci. Huc pertinent *lapilli cancrorum* in uino bulliti & ita assumti; sicuti ustus totus *cancer* fluuiatilis interno pariter & externo usu est Chirurgorum Patronus, & insigniter uulnerarius.

Dixi, quod hæc remedia uulneraria etiam contineant in se occultū alcali, ratione cujus reuiuificent Mercurium, eumque tàm præcipitatum quam sublimatum; transfiguratur enim Mercurius in uarias larvas, beneficio nempè salium & spirituū acidorum. Reuiuificatur autem denuo ex istis variis, quas assumpsit, formis beneficio succi plantarum uulnerariarum, si in his bullierit: quare? quia acidum, quod antea induerat in forma præcipitati aut sublimati, destruitur in Vulnerariis, unde destructo acido denuo sub natiua forma emergit. Unde uerò destruitur acidum? nihil aliud est, quod magis uel potentiùs & à priori quasi acidum destruat, quàm alcali: necessariò ergo hoc erit in uulneriis: Iam uerò temperatum est, & minus acriter linguam ferit, unde occultum uocatur ab HELMONTIO, uel blandum & minus apertum. A simili alcali lapilli cancrorum & totus cancer fluuiatilis uim obtinent uulnerariam: nam hinc est, quod aceto injecti efferuescant, concursu acidi cum alcali: hinc est, quod uino infusi lapilli cancrorum omnem aciditatem ejus interimant præcedente blanda quadam & obscura efferuescentia, alcali cancrorum in acidum uini operante.

Per talia ergo interna, & balsamica dicta externa uulneraria, curanda sunt mox in principio uulnera recentia. Non enim imitanda est uulgaris Chirurgorum consuetudo, qui neglectis uulnerariis balsamicis, uulneribus etiam recentibus imponunt primò *Digestiua & suppurantia*, hinc, dum genitum est pus, *Mundificantia*, & denique *Sarcotica* & conglutinantia. Hæc methodus est frustranea, imprimis in uulneribus recentibus, curam in longum protrahens, partem inflammans, & succum nutritium alterans, ut exinde interdum facta plaga levis degeneret in ulcus sordidum: sed potius, ubi repressa est hæmorrhagia, & nil extranei in uulnera transierit, quod eximendum sit, aut nulla conjuncta sit contusio, ut fit in sclopetorum uulneribus, uel in quibus necessario expectanda sit suppuratio, optimè uulneribus talibus recentibus applicatur unicus balsamus Peruuianus, in specie uulnerarius, qui sale acri præditus uulneri si instillatur, cum pauco, interdum nullo (quod aliquoties vidi etiam in periculosis vulneribus) puris, & sine symptomatis, proventu citò vulnus conglutinat, nisi aliquid de partis substantia secando ablatum fuerit: unde in hoc postremo casu cum vulnerariis blandè adstringentia, & humiditates superfluas imbibentes, vulgò *Sarcotica*, simul admisceantur. Interdum tamen necesse est, ut neglectis *balsamicis*, *digestiua* applicentur methodo uulgari, nempè eo in casu, ubi uulnus studio ad aliquod tempus apertum seruandum sit, in *uulneribus* v. g. *capitis*, aut ubi conjuncta est cum vulneribus contusio, ut in specie in diabolicis *sclopetorum uulneribus* evenit, aut ubi vulnus

iam

jam degenerare incipit in ulcus, aut nimis ab aëre alteratum fuerit, ita ut balsamica sola his noxis corrigendis non sufficiant; aut etiam, si quid heterogenei continetur in vulnere, quod eximendum & separandum est, & quæ sunt similes circumstantiæ.

In his necesse est ex methodo communi priùs applicare *Digestiva* seu suppurativa, quæ pus in vulnere producant, & hinc post *suppurationem Mundificantia*, & tandem *sarcotica*. Nam ista *digestiva* successivâ supuratione aut id, quod contusum aut extravasatum & corruptum fuerit, removent, aut id, quod contentum est peregrinum, tandem excludunt, aut lentâ sanatione aliis circa vulnus agendis occasionem subministrant.

Digestiva seu suppurantia talia ordinario constant ex *terebinthina* & *vitello ovi* tanquam basi, quibus pro re nata nunc mellis parum cum myrrha aut balsamo Peruviano, aut gummi elemi, aut simile quid, addendum est; imprimis si circa partes nerveas, quæ aliàs facilè putrescunt, suppuratio expectanda: v. g.

℞. *Terebinth. opt.* ℥vj.
Sevi cerv. ℥iij.
Ceræ alb. mastisch.
Oliban. an. ℥ß.
Olei rosar. ℥iß.
Camph. ʒj.
M. f. l. a. Unguentum.

Vid. WEDELIUS *de Compos. Medic. Sect.* 3. *c.* 3. *p.* 181. BORELLUS *C.* 1. *Obs.* 96. deprædicat sequens in puncturis, ulceribus & vulneribus:

℞. *Vini alb. haustum* j.
Mell. alb. seu *comm.* ℥jv.
Vitell. ovor. No. iij.

M. & super ignem leniter spatulâ agita, donec vinum in fumum abierit, & quod residuum, consistentiam acquisiverit, eoque utendum sæpe renovando.

Talia oleosa temperata, vulnerariis balsamicis cognata, acidum vitiosum in vulnere inveterato etiam mitigant, ne à mundificativis veris tanquam pauló acrioribus in principio irritatum, effervescendo ulcus pejus reddat, quin à digestivis alteratum faciliùs mundificantibus cedat: deinde & talia ulteriorem acoris in vulnere progressum inhibent, & interea, quod vitiosum est, effervescendo suppuratum spontè naturæ separari & excludi possit. Ubi per digestiva pus genitum laudabile profluit, tanquam ulcus quoddam benignum per mundificantia, hinc incarnantia, & cicatrisantia, tractandum erit, de quo plura, ubi de ulceribus.

Ex his patet, omnia *balsamica* vulneribus recentibus dicata, ut *mundificantia & digestiva*, cognatæ esse naturæ inter se, quatenus alcali constant, & acidum destruunt vulnerum & ulcerum, si nempè temperata sunt balsamica; si non sunt temperata, sed acriora, digerentia sunt & *mundificativa* ulcerum; si verò nimis oleosa sunt temperata, sunt *digestiva* seu *pus promoventia*: Unde unum idemque horum medicamentorum, v. g. terebinthina, pro ratione sub ecti, nunc mundificativi, nunc digestivi, nunc consolidativi nomen habet. Hisce tamen alia alcalia subinde addenda erunt, qualia metallica fixa, quæ successivè absorbendo omnia acida vitiosa privata vulnerum & ulcerum conducunt, ut creta, *terra vitrioli dulcis*, remedia *saturnina*, item quæ ex *Venere* adhibentur ad curam vulnerum. Naturæ conatui ergò in consolidando vulnere succurrit Chirurgus, primariò equidem per modò dicta remedia applicando balsamica, secundariò tamen etiam mechanicè succurrat naturæ, non removendo tantùm ex vulnere omnia heterogenea, quacunque etiam ratione illa extrahere aut eximere possit, sed etiam conjungendo vulneris labia, ut interveniente naturali balsamo, tanquam glutine, promptiùs cohæreant: id quod fasciis communibus labia vulneris ad se invicem adducendo, nunc futuris eadem fortiùs uniendo, sic quæcunque recentes læsiones ac vulnera citra suppurationem omnem, inflammationem & tumorem facilè & tutò coëunt, & omnia istis optimè mundificata, novâ carne replentur.

Heterogenea extrahenda moneo: cùm certum sit, omne peregrinum & non vitale naturæ esse inimicum, idque eò plus, quò faciliùs & ipsum heterogeneum est alterabile aut corruptibile. Hinc namque globuli sclopetorum præ aliis externis commodiùs relinqui possunt in corpore, si ossi hæreant infixi, seu saltim in partibus musculosis, lateant. Hi, inquam, globuli faciliùs possunt retineri in corpore ex eo, quoniam nullam alterationem inferunt parti, nisi quod pondere ipsum gravent: aliàs verò ipsi globuli nec alterantur, nec ullo modo corrumpuntur, utut tandem proprio pondere successivè deorsum & extrorsum ferantur, atque ita à provida natura excludantur. Res quoque extraneæ in vulneribus hærentes ordinariò sunt *grumi sanguinis*, &c. qui tamen non penitus in principio removendi sunt, sed crusta sanguinis grumosi circa labia vulneris relinquenda est; hæc enim defendit labia vulneris ab impressione aeris externi, defendit balsamum nativum, quò minus alteretur, item promovet suppurationem. Alia verò heterogenea, v. g. *frustula vitri*, *festucæ*, *ossium frustula*, *furculi lignorum*, & *similia*, nunc arte extrahuntur, vel variis instrumentis, rostro corvino, gruino, ciconiæ, & similibus, vel eadem obscurè & profundè sita beneficio suppurationis successivè foras ejiciuntur cum pure.

In specie autem *ad extrahenda heterogenea ex vulneribus optimè conducit* pinguedo leporis, quæ quorundam Chirurgorum est arcanissimum, si vel sola illinatur, vel cum ana aut duplo unguenti seu emplastri ex betonica applicetur vulneri, vel etiam ex *pinguedine leporina* cum *gummi Arabico* fiat emplastrum vulneri imponendum, pro extractione peregrinorum. Alii pro extrahendis vitiosis infixis commendant admodum picem sutoriam, Germ *das Schuster-Pech*, quæ fortissimè res alienas ex vulneribus eliciat; uti & hoc à quibusdam laudatur:

℞. *Ferment.*
Mellis opt. an. ℔ß.
Visci quercin. quartar. j.

Quæ invicem combinantur in formam Emplastri applicandi ubi res heterogeneæ sunt eliciendæ.

Quin & raphanum fortiter cum axungia subactum, & vulneri impositum, peregrina fortiter elicere affirmant. Dictamnus Creticus cum pinguedine leporina etiam applicatur. Non inconsultum est, dum recipiunt alii cancros vivos, eosque contusos miscent cum pinguedine leporina, & res alienas prodire juvat. Vel

℞. *Ovor. cancror. viv.*
Pingu. lepor. an. ℥ß.
Succin. albi ʒ ij.
M. D. S.
Unguentum extrahens.

Applicetur ad extrahendas res alienas.

Juxta hæc nonnullis in maxima secreto est *lingua vulpis*: evellitur nempè Mense *Martio* ex vulpe viva vel violenter mortua, exsiccatur, & usurpatur suo tempore in vino: scilicet macerata vulneribus applicatur, sic omnia heterogenea prorumpunt.

Composita quibus placent:

℞. *Ceræ alb.* ℔j.
Colophon.
Terebinth. an. ℥vj.
Liquescant super *igne*:
adde
Gummi ammon. ʒj.
Bdellii ʒij.
Succini iij.
Axung lepor.
Aprugn. an q. s.
M. f. Emplastrum; S.
Emplastrum extrahens.

Hisce externis succurrendum est per vulneraria, in specie quidem per sabinam, vincam pervincam, & lapillos cancrorum, qui primariò tunc debent ingredi potiones vulnerarias, ubi extrudenda sunt heterogenea infixa; videatur FELIX WURZ: Sic WEDELIUS *de Med. Facultatib. lib.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 6. refert studiosum, qui ictus erat globulo plumbeo in pede, quem instrumentis exui renuerat, decocto vulnerario ex radice dictamni extractum & curatum. Pertinet huc experimentum Arculani, qui ibidem videatur.

Juxta hanc extractionem etiam fasciis succurrat Chirurgus. *Fasciarum* variæ sunt & species & modi. In vulneribus præ cæteris in usu est fascia seu *ligatura incarnativa* seu agglutinativa dicta, quæ nempè fit cum fascia duorum capitum: Applicatur ita, ut medium ejus imponatur in membro læso in parte plagæ opposita, & ducatur hinc supra plagam ipsam cruciatum, repetendo hanc viam aliquoties, ut labia plagæ ita ad se invicem adducantur; sic enim beneficio fascitionis seu fasciæ adducuntur labia vulneris. Et hæc fasciatio vel sola sufficit *in vulneribus*, vel non adeo insi-

insignioribus, vel in iis, quæ *secundùm longitudinem membri*, vel secundùm *fibrarum* protensarum *ductum*, inflicta fuerunt: sed *in vulneribus* & *sectionibus* quando partes quædam ferro abscissæ sunt, ut in narium, aurium & digitorum tali separatione, ut tamen adhuc pendeant; aut etiam quando in articulis graviores infliguntur plagæ; aut quando ampla vulnera per transversum membri aut fibrarum musculosarum sunt illata; aut quando frusta integra carnosa ferè sunt decisa, in his & similibus casibus non sufficit fasciatio sola, ut adducantur labia vulneris ad se invicem, & ita adducta maneant; sed in talibus casibus *suturæ labiorum vulneris* (Germ. *das hefften*) sunt instituendæ. *Suturæ* hæ fiunt nunc per *acus*, & *fila* illarum medio traducta; nunc verò fiunt per gluten utrinque vulneri applicatum (*per emplastrum figens*.) Illud convenit in subjectis durioribus & fortioribus in partibus à visu remotis minusque sensibilibus: hoc verò, nempè sutura per gluten, in partibus contrariis. *Modus per gluten* est hic: Applicentur utrinque labiis vulnèris lintea suis ansulis seu filamentis instructa (Germ. *mit Bandern*) ut horum medio ipsa emplastra, & per consequens vulneris labia, ad se invicem adduci possint, postquam ipsa lintea hoc linimento, tanquam glutine, priùs fuerint illita:

℞. *Gum. tragacanth.*
Arabic.
Mastich.
Thuris,
Sarcocoll. an. ʒj.

Pulverisata subigantur probè cum *ovi albumine*, agitataq; optimè cum spatula, donec in spumam, hinc in liquorem, resolutum fuerit, & ita lintea hoc linimento illita applicanda sunt.

D. S.
Emplastrum figens.

Interim utrinque *sutura* diversimodè instituitur pro ratione partis vulneratæ, observando in ambabus, tàm quæ fiunt cum acu, quàm cum glutine, hoc imprimis, ne

(1.) Applicetur, nisi necessitas urgeat in supra dictis casibus.
(2.) Ne nimis arctè adducantur labia vulneris, quia in omni vulnere hæc ipsa aliquantulum intumescunt.
(3.) Ne nimis prope sint ad se invicem adducta, ne puri & sordibus è vulnere egressus, balsamis verò & unguentis applicandis ingressus, inhibeatur.
(4.) Ne in suturis nervus simul cum acu attingatur.

Quæ quatuor requisita in suturis legitimè instituendis vel maximè sunt observanda; aliàs enim plus nocent suturæ, quàm prosunt. Imprimis quidem, si nimis arctè labia vulneris adducantur, aut ipsæ suturæ, sive per acus sive per ansulas, sint nimis propè ad se invicem sitæ, tunc imprimis ingens dolor ex impedito tumore labiorum vulneris exoritur & inducitur: & præterea pus factum in fundo vulneris non rectè egreditur; unde postmodum fundus vulneris non probè mundificatur, ipsa verò labia interna coalescunt; adeoque fit tandem, ut ex remanentiis puris & fermenti vitiosi in parte vulnerata & consolidata oriatur abscessus occultus, successivè non absque periculo se manifestaturus: qui antequam fit, pus acre retentum subinde cuniculos agit in partibus subcutaneis, easdem hinc inde erodit, & ita postmodum abscessum sinuosum producit; imò interdum ipsa ossa aggreditur, eaque cariosa reddit, interdum alia incommoda post se ducit, à vitiatis applicatis suturis oriunda. Imprimis autem in locis nervosis cautè applicentur suturę per acum, propter dolorem, aut etiam propter metum puncturæ tendinis aut nervi: Nam à priori, nempè dolore, partes nervosæ irritatæ plorant synoviam (*accedit Pituita seu phlegma per omnia diffluens*:) si verò posterius fiat, si scilicet pungatur nervus vel tendo, metus est supervenientium convulsionum: Ob id ergo quàm paucæ applicentur suturæ, imprimis per acum, propter nervos, &c.

Jam verò ut *suturæ* insigniter conducunt *in vulneribus* gravioribus *cæsim* factis; ita etiam *in vulneribus* levioribus *punctim* inflictis *Turundarum* rectè administratarum egregius est usus, quod certum est (dico rectè administratarum:) quæ ipsæ tamen turundæ (Germ. *Meissel-wiecken*) in nec *abscessibus sinuosis*, uti nec in ulceribus & fistulis, minoris sunt utilitatis, quin in his posterioribus casibus etiam insigniter conducunt.

In specie usus earum est, quoad vulnera, ut nempè per his turundas applicatas vulnus ramsio in superficie apertum servetur, donec ex fundo probè purificato succrescens caro summitatem labiorum successivè attigerit; cum aliàs in superficie citiùs caro ipsa ipsaque cutis promptè coalescens, pus & sordes in fundo occludant, unde necessariò aut dolores, aut inflammationes, aut abscessus recidivi, aut fistulæ, aut sinus profundi, similiaque supervenient mala: cùm è contra ipsæ *turundæ* rectè fabricatæ si illitæ fuerint unguento & balsamo convenienti, vehiculum sunt, ut ubique unguentum aptiùs distribuatur, & ad fundum vulneris usque derivetur vis medica balsami vulnerarii.

Parantur autem turundæ aut ex lino contorto, aut ex linteo teneriori convoluto & filo alligato in forma quasi pyramidali, ita ut basis turundæ, seu latior & amplior pars, dividatur in quatuor lacinias, quæ impediant, ne nimis profundè turunda in vulnus intrudatur; aliàs enim hoc esset dolorosum, quod in usu turundarum est observandum: idque

(1.) Si partes nervosæ aut in vicinia, aut in fundo vulneris reperiantur: nam in talibus longiores aut crassiores turundæ magnum dolorem excitant, qui partium nervosarum læsiones insigniter exasperat, ad convulsiones ægros disponit, & synoviam & consequenter partis ariduram tandem producit.
(2.) Observandum est in usu turundarum, ne nimis sint crassę, nempè circa medium sui sint crassissimę, ita quidem, ut modicè repleant vulnus, cùm ordinariò turundæ nonnihil intumescere soleant: in apice sint turundæ teneræ & molles, ne durior apex & acutus partes sensiles lædat & irritet, nec carnem teneram ex fundo succrescentem lædat, ejusque augmentum impediat; quin potiùs ipsæ turundæ non nimis crassæ facilè cedant genito puri, nec hujus retentionem indeque ortam majorem acrimoniam inferant; quin & crassæ nimis turundę hoc habent periculi, ut labia vasorum sanguifluorum coalescentia, & à sanguine grumoso nonnihil constipata, denuò reserent, novasque hæmorrhagias inducant.
(3.) Ne turundæ frequenter nimis, aut ubi minùs necessarium est, applicentur, in specie, ubi partes nervosę fuerint simul læsę: nam nimis frequenter aut diu usurpatæ consolidationem impediunt; item partes cutaneas circa labia occallescere successivè faciant seu ad occalescentiam disponere solent. Sufficit per turundam vulnus in quodam loco servare apertum, ut vel sanies vel simile possit excerni.

His ita probè observatis coalescunt tandem vulneris labia & nutriuntur denuò partes antea separatæ; nihilominus tamen inęqualitas, asperitas duritiesque in loco consolidato remanere solent, id quod *cicatricem* appellant. Nam dum balsamus nutritivus successivè denuò unit labia, tamen fibrę cutaneę nerveę antea separatę vix adeò exactè sibi denuò circa extremitates junguntur; pori quoque & meatus in ęquali tractu aliàs juxta se invicem situati pervertuntur, & minùs aptâ serie collocati ita inter se cōfunduntur: unde glutinans succus nutritius in istis locis detentus & implicatus in ossibus callum, in partibus mollioribus cutaneis cicatricem talem constituit: idque eò magis, quò adstringentia magis & exsiccātia, cicatrisantia vulgò appellata, applicata fuerint: nam hęc poros angustādo, fibrasque duriores & minus tractabiles reddendo, tandē insigniori cicatrici occasionem prębent, & quidem eò magis, quò asperior minusque roscidus fuerit nutritius balsamus: nam propter hanc ultimam causam in adultis majores magisque deformes cicatrices nascuntur, quę in junioribus minus tales existunt, quin potiùs hi ipsi rectè tractati vix cicatricis vestigium relinquere solent. Pinguedo asciæ piscis vulneribus, dum coeunt, instillata, consolidat citra cicatricem.

Remedia ergo vulnerum in genere Glutinantia seu *vulneraria* appellata, sunt ista, quę partes molles naturaliter quidem unitas, pręternaturaliter verò divisas, denuò conjungere juvant, ut quasi conglutinatę videantur, unde *Glutinantia* dicuntur. Pertinent huc ea, quę tam ad vulnera recentia consolidanda adhibentur, ut *vulneraria*, unde balsami vulnerarii pręparantur, tam ad ulcera cava replenda, ut *Sarcotica* dicta, tam ad cicatricem inducendam, ut *Epulotica*.

Supe-

Superiùs monitum fuit, quod natura simpliciter impositione & agglutinatione sui balsami seu succi nutritii, partes divisas uniat, aut imminutas restituat, modò non impediatur per hujus balsami aut alterationem aut corruptionem. Non ergo medicamenta generant carnem, sed naturæ tantùm adjumentum præstant, conservando balsami integritatem naturalem: quod ea faciunt, quæ sale volatili occulto seu oleoso temperato constant, *vulneraria* communiter dicta, & quæ simul imprimis adjunctam habent *moderatam* quandam *adstrictionem*.

Prout autem jam alimentum partis balsamicum alterationem quandam & corruptionem acidam suscipit, aut majorem aut minorem, eligenda etiam sunt medicamenta, quorum sal volatile nunc magis nunc minus erit acre, aut addenda erunt *temperatis metallica*, *imprimis Saturnina*, acidum quodcunque *absorbentia*. Dum autem semper cum succo partis nutritio tenuis quidam & serosus humor, istius scilicet vehiculum, in partem læsam transudat, quod aut impedit partis reunionem & alimenti agglutinationem, aut saltim partem regenitam humectando, nimis laxam, flaccidam & mollem reddit, indeque nimiæ carnis luxuriei & excrescentiæ occasionem præbet: ob id interdum sunt addenda remedia, vel *exsiccantia* dicta, quæ nempè nimiam humiditatem in se absorbent, vel *adstringentia moderata*, quæ laxitatem corrigunt, & debitum tonum ac consistentiam carni regenitæ tribunt: quod imprimis observandum est, ubi simul vel pars carnis, vel cutis, vel alia quæcunque ablata, regenerari debet; tunc enim modò dicta remedia, pro necessitate partis regenerandæ, vel augenda vel minuenda sunt: Nam talia si sunt debilia, *sarcotica*: si *fortiora*, *epulotica* dicuntur, quoniam in partis solâ per vulnus divisione non tanta imminet necessitas, atque in partis ab ulcere erosione.

Remedia ergò vulneraria sunt multifaria, v.g. herbæ & folia agrimoniæ, geranii, saniculæ, pyrolæ, pilosellæ, herniariæ, cynoglossæ, plantaginis, hyperici, equiseti, verbenæ, scabiosæ, chamæpityos, centaurii minoris, millefolii, quod recens contusum vulneribus recentibus impositum, vel ejus succus recens instillatus ea citra suppurationem consolidat; betonicæ, bugulæ, prunellæ, nicotianæ, pimpinellæ, myrti, nummulariæ, vincæ pervincæ, bellidis minoris, cherefolii, telephii, veronicæ, scabiosæ, sabinæ, caprifolii, virgæ aureæ, eorumque succi: radix aristolochiæ utriusque, tormentillæ, symphyti majoris, cyperi, Ireos Florentinæ, galangæ, valerianæ, vincetoxici, sigilli Salomonis: cortices granatorum: flores rosarum, balaustiorum, hyperici, bellidis, verbasci, crocus: fructus momordicæ, nux moschata, caryophylli, nuces cupressi, *gallæ* immaturæ, glandes quercinæ, sarcocolla, sanguis draconis, tacamahaca, tragacanthum, gummi elemi, hederæ, galbanum, olibanum, benzoë, succinum, bdellium, gummi juniperi, resina pini & omnium arborum resiniferarum, terebinthina, colophonium, myrrha, quæ imprimis est conservativum mumiæ, & per centum & plures annos homines à corruptione arcere potest, beneficio spiritus vini myrrhati conditos, unde elixyr proprietatis omnes corporis nostri putredines arcet; pix, mastix: Ex succis inspissatis sunt hypocistidis, acaciæ veræ, aloë, liquor vesicularius ulmi, saccharum cum spiritu vini temperatum: farinæ hordii, fabarum, orobi, fœnu Græci, &c. Ex animalibus mumia, lumbrici terrestres & omnia lumbricalia, cerumina aurium sunt singularia, cera, mel, cornu cervi ustum, os sepiæ, ebur ustum, cancri fluviatiles, lapilli cancrorum, & omnia ex cancris desumpta; quia cancri constant sale alcalino temperato & minus oleoso, ratione cujus successivè destruunt acidum in parte vulnerata: exuviæ serpentum, *tela aranearum*, pinguedo canis, *usnea cranii humani*, urina, &c. Ex mineralibus colcothar vitrioli, quod commendatur ab Helmontio, & omnem vulnerum corruptorem tollit, ex quo Felix Wurz suum unguentum fuscum parat. Idem etiam præstat Saturnus & Saturnina, ut lithargyrium, plumbum calcinatum, cerussa, minium, cadmia, lapis calaminaris, tutia, bolus Armena, terra sigillata, pompholyx, creta alba, lac lunæ, lapis hæmatites, gypsum, alumen, sulphur, calx viva lota, terra vitrioli dulcis balsamica, crocus Martis, &c. Hinc vini spiritus, oleum hyperici, oleum momordicæ, quod vim habet vulnera consolidandi, oleum nucistæ expressum, oleum mastichis, nicotianæ, oleũ lumbricorum terrestrium, & in vulneribus non adeò magnis oleum liliorum alborum; balsamum Peruvianum in omnibus corporis vulneribus, vel, quod reliquis præfertur, balsamum Indicum seu de Capaibe, balsamum sulphuris, balsamum sulphuris antimonii cum oleo succini aut terebinthinæ, balsamum Saturni terebinthinatum; theriaca. Sic solum oleum seminis hyperici expressum cum floribus sulphuris blandissimè emolliendo dat balsamum sulphuris nobilissimum. Vnguentum de lithargyrio aureum, de betonica, de pompholyge, de nicotiana, de cerussa, unguentum Wurzii fuscum, unguentum album Rhasis, unguentum de tutia, de minio: emplastrum diasulphuris Rulandi, emplastrum stiticum Crollii, emplastrum Oppoteldoch Paracelsi, emplastrum diapalmæ, de betonica, de gratia Dei, &c. quæ recentia vulnera subitò ad consolidationem perducunt.

Vsus horum simplicium & compositorum est multiplex: Vsurpantur enim

(1.) *Vel internè in Potionibus vulnerariis*.
(2.) *Vel externè in Iniectionibus* sub forma Decoctorum.
(3.) Tanquam *olea & balsama*.
(4.) Tanquam *Vnguenta* cum turundis aut filamentis siccis applicanda.
(5.) Tanquam *emplastra*.

V.g. sic præscribo: sit. 1. *Potio vulneraria*:

♃. *Cancr. fluviat.* No. xij.
Rad. symph mai ℥j.
Fol. bugloss. Alchymill. Heder. terrestr.
Summit hyper. an. M. j.
Concisa & contusa bulliant in s. q. *aquæ* & *vini*:
(*Vinum* additur propter cancros:)
Colaturæ adde
Syr. caprill. Vener. Heder. terrestr. an. q. s.
M. D. S.
Potio vulneraria pro aliquot vicibus.

Sin sitis urgeat, etiam de *syrupo è succo citri*, &c. addatur, bis in die hauriendo semper ℥iv. ad vj. tribus vel quatuor horis ante pastum, in utroque haustu aliquot guttæ *balsami sulphuris terebinthinati*, vel *succinati* in nervorum affectibus, assumi possunt:

Vel

♃. *Cancr. fluv.* No. x. vel xx.
Rad aristol. rot. ℥j.
Fol. bugul.
Beton. vel *plantag.*
Alchimillæ vel *millefol.*
Sanicul. an. Mj.
Alb. Græc. ʒij. ad ʒj.
Bulliant in *aquæ* p. ij. & *vini* p. j.
Colaturæ ℔iij. adde
Syr. de symph. Fern. ℥iiß.
(vel hujus loco *syr. de hed. terrestr.* ℥iij.)
M. D. S.
Potio vulneraria sanans.

Dosis ℥iij. ad v. bis in die, cui semper *balsamus sulphuris* gutt. x. ad xv. addantur.

Vel

♃. *Herb. plantag.* Miij.
Pyrol. Alchim. an. M. ß.
Com. hyperic. floresc. M. j.
Ras. cornu Cervi ℥j.
Coqu. in s. q. aquæ:
Colaturæ ℔iij. adde
Sacch. vel *syr. de symph. Fern.* q. s.
M. S.
Vt antè.

♃. *Lap. cancr. præp.* ʒij.
Aceti vini ℥vj.
M. S.
Sanans Mixtura vulneraria.

Hujus mixturæ cochlear. j. propinetur in haustu Decocti calidi. Vel

♃. *Herb. scabios.* M. ij.
Hed. terr. M. j.
Rad. enul. ℥iß.
Ireos Flor. ʒvj.
Sem. anisi vel *Fœnic.* ʒiij.
Coqu. in *aqua simpl.*
Colaturæ ℔iß. adde
Oxym. squillit. q. s. pro grato sapore.
M. D. S.
Sanans potio vulneraria.

In forma sicca:

♃. Mu-

℞. *Mumiæ* ℥ß.
Sperm. ceti ʒij.
Lapill. cancr. præp. ʒiij.
Rhabarb. el. ʒj. vel ij.
Cinnam. ʒß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis vulnerarius.

II. Si ordinanda sit *Injectio in vulnera profunda*, in sinus, item ulcera cavernosa, &c.

℞. *Herb. veron.*
Pyrol. Sanic.
Fol. nicot. an. M. ij.
Alb. Græc. ℥iij. vel iv.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. q. s. adde
Spiritus vini vel mell. pro lubitu.
M. D. S.
Aqua inspergenda.

Hoc externè vulnera & ulcera eluuntur, vel etiam plagulæ in eo madefactæ imponuntur.

Vel

℞. *Astacor. fluv.* No. xx.
Rad. aristol. rot. ℥j.
Herb. bugul.
Alchimill.
Sanicul.
Betonic. an. M. j.
Coq. in s. q. *aquæ comm. & vini.*
Colatura D.

Qui volunt habere plures compositiones Decoctorum vulnerariorum, adeant POTERIUM *Pharm. lib.* 1. *Sect.* 1. *pag.* 320.

III. Sequuntur *oleosa seu balsama vulneraria*, quæ, utut simplicia, sunt tamen optima: v. g. sufficit *balsamus Peruvianus* vel *Tolutanus*, item *balsamus sulphuris cum oleo hyperici.* Quibus tamen placent *composita*,

℞. *Balsam. Peruv.*
Olei hyperic.
Momord. ritè par. an. ʒij.
(Vidi hoc solo oleo momordicæ mirabiles peractas curationes)
Balsam. sulphuris ʒj. ad ʒiß.
Gummi elemi q. s. pro consistentia balsami liquidioris vulnerarii.

Misceantur blando calore, asservetur usui, instilletur vulneri. Vel

℞. *Olei flor. hyper. tripl. infus. cum oleo sem. expresso par.* ℥iij.
Terebinth. opt. ʒij.
M. D. S.
Unguentum vulnerarium.

℞. *Olei hyperic.* ℥j.
Momord. ʒß.
Balf. sulphuris ʒiij.
Olei express. nuc. mosch. q. s. pro incorpor.
Alius:

℞. *Flor. sulphuris* vel *sulphuris pulverisat.* ℥j. ad ℥ij.

Bulliant lege artis in *oleo hyperici, expresso ex seminibus* (nam infusum hic nil valet) ℔j. vel q. s. ad solutionem *sulphuris*; Hinc adde

Gumm. elemi,
Tacamach.
Terebinth. an. ℥iß.
Thuris el.
Myrrh. an. ʒiij.
Balf. Peruv. ʒvj.
Terræ vitrioli dulc. ritè par. ʒij.
M. & leniter ebull. in arena, f. Balf. pro digestivo;
D. S.
Balsamus vulnerarius.
Alius:

℞. *Terebinth. Venet.*
Resin. abietin. pelluc. an. ℥iij.
Gumm. elemi,
Thuris an. ℥iß.
Myrrhæ,
Mastich.
Benzoes,
Aloes hepat. an. ʒß.
Spiritus vini ℥iv.

Subacta probè invicem destillentur lege artis per retortam, & fiat balsamum, separandum à phlegmate & magmate, temperandum nonnihil vel cum *balsamo de Peru* vel cum *oleo hyperici expresso*:

D. S.
Ut suprà.

Temperandum dixi: destillata enim balsama statim volatiliora fiunt & acriora, adeóque sunt temperanda, & postmodum potius in partibus nervosis læsis, quàm in sanguineis affectis, conducunt.

Plures compositiones videbitis in POTERII *Pharm. Spagyr.* WURZIO, HILDANO, BARBETTE, &c.

IV. Si *Unguentum Vulnerarium* expetatur:

℞. *Summ. hyper. floresc.*
Centaur. Min.
Veron.
Sanic. an. ℥j.

Concisa & contusa infunde in s. q. *Olei Oliv. puri* & *butyri non salsi* v. g. an. ℥iv.

Digere in Balneo Mariæ per octiduum, hinc fortiori igne ad exhalationem humiditatis inspissa probè agitando, post per linteum exprime: Materiæ trajectæ adde

Terebinth. ʒvj. vel ℥j.
Balf. Peruv. ʒiij.
Pul. mastich.
Myrrh.
Oliban.
Flor. sulphuris an. ʒvj. vel ℥j.
M. pro consistentia *Unguenti*:
D. S.
Unguentum vulnerarium.
Vel

℞. *Flor. sulphuris* ℥j.
Olei expr. sem. hyperic. ℔iß.

Hæc cum blanda ebullitione redigantur in balf. sulphuris: cui adde

Ceræ nov. ℥iij.
Terebinth. ℥ij.
Oliban.
Myrrh.
Terræ vitrioli dulc. an. ʒiij.
M. S.
Ut suprà.

Et si V. Postuletur *Emplastrum* vulnerarium, imminutione olei, & auctione ceræ & reliquorum siccorum ingredientium, unguentum hoc facilè in consistentiam emplastri redigi potest: qualia emplastra vulneribus adducendis inserviunt, & instar operculorum esse poterunt: quæ inter eminet emplastrum stypticum Crollii seu oppoteldoch Paracelsi.

Vel

℞. *Ceræ,*
Resinæ,
Sevi hirc.
Terebinth. an. ℔ß.
Super igne liquefactis & colatis adde
Pulv. rad. consol. mai.
Ulmar. an. ℥j.
Terræ vitrioli dulc. ℥ij.
M. f. emplastr. S.
Emplastrum vulnerarium.

℞. *Rad. aristol. rot.*
Consol. mai. an. ℥ß.
Mumiæ,
Mastich.
Aloes,
Colophon.
Tutiæ præp.
Lithargyr. an. ʒij.
Gumm. elem. ℥ij.
Terebinth. q. s.
Cum pauca *cera* etiam f. emplastr.
D. S.
Ut suprà.

Inducatur super linteum, priùs cum *balf. Peruv.* leviter irroratum aut humectatum. Vel

℞. *Lithargyr.*
Olei olivar. an. ℔j.

Coqu. ad consistentiam spissam & colorem obscurum: hinc successivè adsperge

Aloes succot.
Myrrhæ an. ℥ij.
Sevi hirc.

Ceræ

Ceræ flav. an. ℥iij.
Agitata ab igne remove, & adjice denuò
Camph. in oleo hyperic. sol. ℥iß.
M. f. Emplastr. in Magdaleones
Malaxandum, aut in vesica oleo illita asservandum.
D. S.
Ut suprà.

Cæterum in selectu remediorum internorum & externorum judicium nonnihil adhibendum est, ut interna præstantiora, & *simplicia* sint *optima*: unde ex internis pauca quædam *vulneraria* suprà dicta, item lapilli cancrorum, & *antimonium diaphoreticum*, sufficiunt; interdum tamen *spiritus* vel *liquor cornu Cervi succinatus* in partium nervosarum læsione usurpatur.

Internè in æstu aut phlogosi febrili *nitrum antimoniatum* imprimis sub largiori dosi concedendum est, quibus semper lapilli cancrorum esusque *cancrorum fluviatilium* addenda erunt: e. g.

℞. *Lapill. cancr. præp.* ℈j.
Cinnab. antimonii ʒß.
Laud. opiati g. j.
M. f. Pulvis: S.
Febrilis pulvis vulnerarius.

In forma Mixturæ:

℞. *Aquæ plantag.* vel *hed. terrestr.* ℥iij.
Aceti destill. ℥ß.
Extr. succos. plant. vel *vulner. Mich.* ʒiij.
Lapill. cancr. præp. ʒj.
Laud. opiat. gr. ij. ad iij.
Syr. corall. vel *de symph. Fernel.* ʒiij. vel ℥ß.
M. S.
Potio vulneraria, cochleatim capienda.

Vel

℞. *Aquæ Hyssopi* ℥ij.
Menthæ ℥j.
Aceti vini ℥ß. ad ʒvj.
Lap. cancr. præp.
Syr. de hyssop. ʒiij.
M. pro 2. vel 3. dosib.
D. S.
Ut suprà.

℞. *Aquæ betonic.*
Scabios. an. ℥ij.
Aceti ʒiij.
Spirit. theriac. camph. ʒiß.
Lap. cancr. præp. ℈ij.
Antimonii diaph. ℈j.
Syr. betonic. ℥ß.
M. D. S.
Ut antè.

Talem etiam in febre vulneraria, capitis vulneribus superveniente, præscribere soleo.

Qui volunt habere selectum Potionum vulnerariarum, adeant FELICEM WURZIUM.

Par ratio est & *Balsamorum & unguentorum vulnerariorum*, quæ inter simpliciora & selectiora sunt optima; *Balsamus sulphuris*, *balsamus Peruvianus & Tolutanus*, sunt optimi; vel *oleum hyperici expressum ex seminibus*, cui *proprii flores* infusi sunt, est egregium.

Cujusdam Chirurgi Neapolitani singulare experimentum in omnibus vulneribus, sive sclopetis, sive ictu, sive alia ratione factis, fuit sequens: Recepit scilicèt *spiritum vini phlegmaticum*, vel etiam in ejus defectu *spiritum vini rectificatum*, cum *aqua communi* diluit, calefacit & imposuit vulneribus cum linteis, vel injecit in sinus, aut fistulas vel profunda vulnera, per siphonem, semper tamen calidè, & hoc effectum edit planè mirabilem; impedit non tantummodò supervenientem inflammationem, sed quamcunque etiam ex vulnere arcet corruptionem.

Alii ad vulnera biduo curanda commendant seq.

Recipitur *Vini spiritus rectificatissimus*, quo eluuntur vulnera recenter inflicta; deinde imponitur *pulvis* subtilissimus *aloes hepaticæ* cum *gossypio*, oleo *hyperici imprægnato*, ligatura comprimitur, & superimponitur *emplastrum dia sulphuris Rulandi*; sic sanabitur vulnus intra biduum. Item

℞. *Benzoes* ℥j.
Spir. vini ℥iß.
Mastich. ʒj.
Balsam. nigr. ℥ß.
M. in form. *Linimenti*:
D. S.
Balsamus vulnerarius.

Consolidat & cicatrizat quæcunque vulnera recentia simplicia.

Certum est, quod vini spiritus singulare quid obtineat: unde theriaca cum spiritu vini subacta & diluta, vulneri applicata, putredinem & corruptionem quamcunque in vulnere arcet, & promptè consolidat. Mucus seu *cerumina aurium* sunt singularissimum vulnerarium: *cum oleo nucum inglandium* expresso vel oleo seminum hyperici mista, & nonnihil inspissata in formam unguenti, dant balsamum seu linimentum vulnerarium egregium, imprimis ad vulnera nervorum nulli æquiparandum; cui balsamum Peruvianum vel sulphuris addi potest; vim enim abstergendi possidet mucus iste, nec sinit aliquid crescere in pus. Sic *liquor folliculor. ulmi* solus instillatus, in vulneribus, & imprimis *oculorum*, sufficit. Qui verò volunt habere plura *balsama vulneraria*, videant HENRICUM *ab* HEER *Observ.* 10 *de herba hyperici*, & ZWELEFERUM *in Pharm Regia*.

AGRICOLA *in sua Chirurgia Parva pag.* 245. etiam commendat sequens unguentum, ex basi ceruminum aurium confectum, quo mirabilia se præstitisse brevi tempore asserit:

℞. *Cerum. aur.* ʒij.
Sacch. Saturni ʒi.
adde
Olei anell. vel *nuc. ingland. expr.* q. s.
M. S.
Balsamus vulnerarius.

Et si desideretur in forma paulò solidiori, tunc igne inspissa.

Moderni in usu habent balsamum quoddam Indicum, quod vocant balsamum de Capaibe, quod paucos ante annos nobis innotuit; de quo uti aliàs monui, quod expertum sit remedium ad gonorrhœam internè; ita mirabiliter sæpius intra vigintiquatuor horas vulnera recentia sanat, idque citra ullam suppurationem, & ferè sine insigniori cicatricis vestigio; id quod per primam intentionem vulnus curare appellat HELMONTIUS. Hic ipse HELMONTIUS aliàs præ cæteris commendat ad curam vulnerum vitriolacea, non tantummodò pulverem sympathteticum ex vitriolo Veneris ad solem calcinato, qui curat vulnera in distans, si cruor ex vulnere effluens, aut linteum cruore tinctum & madidum, hoc ipso certo modo imbuatur vel eius virtute imprægnetur, de quo vid. *Dygby in Oratione.* Sed vel maximè colcothar vitrioli probè elotum, sive inspersum sive dissolutum in liquore & infusum, nempè vino coctum, seu alia ratione applicatum, tanquam egregium commendat ad quemcunque vulnerum corruptorem tollendum. Sic etiam pro Cura sympathetica Persicaria recens trahitur per aquam frigidam, posteà loco contuso imponitur, donec nonnihil incalescat: postea planta adhuc tepida sepelitur sub fimum vel alium locum, ut eilò putrescat; sic enim vulneratus citò convalescit. In gravioribus vulneribus usus eius repetendus est, & experimentum est haud contemnendum. Videatur PARACELSUS *in Herbario*, qui primus huius vires pro Cura magnetica eleganter scrutatus est, vocans eam Germ. *Blut-Kraut*, id est, *Herbam sanguinis*.

Aliàs quoad potiones vulnerarias, notanda est earundem varietas, ita ut pro partium vulneratarum ratione etiam delectus subinde habendus sit in simplicibus potionum vulnerariarum: v. g. ubi opus est, ut sordes mucilaginosæ, pus, officula fracta & similia ex vulnere eiiciantur, egregiè conducit in potione vulneraria sanicula, artemisia rubra, veronica, consolida saracenica, agrimonia, cuius succum RIVERIUS ad vulnera verminosa commendat; hedera terrestris, chamæpitys, pyrola, sabina, &c. Ex his parata potio fortificatur additione singulis haustibus spermatis ceti aut lapillorum cancrorum.

Præ cæteris autem sabina fortiter adiuvat excretionem heterogeneorum ex vulneribus, si scil. eius p. i. cum partibus vi. *ingredientium reliquorum*, combinetur in potionibus vulnerariis, non omittendo pulverem lapillorum cancrorum præparatorum.

Et quidem potiones hæ, aut dicta vulneraria non usurpanda, nisi quando vitium est insignius in vulnere; subitò enim atque vulnus probè mundatum denuò coire incipit, abstinendum est ab his potionibus vulnerariis successivè. Hinc etiam, quando propinantur potiones vulnerariæ, non opus est tot unguenta & balsama applicare vulneri, quonlam

niam ipsa potio sponte succurrit naturæ in medendo vulneri.

Facit huc imprimis, quod refert FORESTUS *lib. 6. Chirurgiæ Observ. 17.* scilicet de vulnere thoracis utramque partem perforante, quod nempè omnes, cùm vulnera eius tractarent, persuasi fuerint, per vulnera aperta odorem decocti vulnerarii transudare, & quasi roridum quid illius per vulnera transmitti; quod ipsum etiam aliquoties se observasse mihi affirmavit Patavii MARCHETTI *Junior*. Chirurgo-Medicus excellentissimus.

De Vulnerum Cura Magnetica videbitis in HELMONTIO, DIGBY *in Theatro sympathetico*, MAXVELLI *Medicina Magnetica*, & BARTHOLINO *de Transplantatione Morborum*.

Hæc de Vulneribus in genere; pergo ad vulnera in specie: & quidem, quæ dicta sunt hactenus, omnibus vulneribus partium *sanguinearum & nervearum* in genere, & speciatim quæ cæsim & punctim inferuntur, optimè applicari possunt.

ARTICULUS I.
DE
VULNERIBUS *cum* CONTUSIONE.

INter Vulnera autem in specie considerationem subeunt primò *Vulnera cum contusione facta*, in quibus istud, quod contusum est, facilè mortificatur, putrescit, & consolidationem vulneris impedit. Itaque in hoc casu istud, quod contusum est & mortificatum, separetur, & per turundas foras excernatur. Equidem *quæritur*, an suppuratio expectanda sit? & an non potius pars scarificanda & profundiùs incidenda sit, & sanguis extrahendus secundùm WURZIUM, quia sanguis tardiùs in pus mutatus in gangrænam abit? Respondeo cum distinctione: Contusio cum vulnere vel est levior, ut spes sit per suppurationem eam posse curari pedetentim; in tali casu sufficiunt *digestiva & suppurantia*: si verò cum vulnere graviori conjuncta sit contusio, & metus sit, ne gangræna superveniat ante suppurationem abscessus, præter vulneraria mox *scarificando* aut *incidendo* contusionis locus aperiendus erit, & sanguinis exitus promovendus; hinc *digestivis*, quod reliquum est, sub forma puris promovendum; digestivis tamen aliquid de *unguento Ægyptiaco* addendum est, ut præcaveatur gangræna.

Cum his etiam applicanda *externa* in specie in principio morbi corruptionem ulterius præcaventia: eminet *oleum ceræ* illitum, desuper imposito *emplastro de cumino*, seu illinatur oleum hyperici ex seminibus expressum, aut *oleum Philosophorum*, imposito *emplastro de baccis lauri*:

Vel

℞. *Rad. consol. mai* ℥iß.
Sigill. Salom ℥j.
Coqu. in *vino*, vel solo, vel cum aqua misto, pro Fotu.
D. S.
Fotus externus.

℞. *Rad. consol. mai.*
Minor. an. ℥iij.
Herb. chamomill.
Melilot. an. ℥j.
Croci ℈j.
Farin. fabar. ℥iß. vel ℥ij.
Fænugræci ℥j. vel ℥iß.
Coqu. cum aqua, & in specie primò radices, addendo
Pulv. absinth.
Cumin. an. ℥ß.
M. D. S.
Emplastrum externum.

Applicetur externè.

Hisce sedatâ maximam partem contusione, pro reliquiis tollendis convenit illitus spiritus salis ammoniaci cum calce viva destillatus.

MEMBRUM UNICUM.
DE
SCLOPETORUM VULNERIBUS.

QUod verò attinet *Sclopetorum Vulnera*, propter istam contusionem sunt omnium pessima, adeòque periculosa; cùm in omni sclopetorum vulnere semper insignis contusio & partium dilaceratio conjuncta sit; nam globulus, quousque penetrat, omne secum contundendo, & dilacerando absumit.

Quæstio est: an etiam *ardor* adsit? vix probabile est, quod calor cum globo communicetur parti, nisi propiùs fuerit læsus patiens. In tali casu, si propiùs vulneratus adstiterit instrumento, tunc globulus intenso ardore seu calore fervens partem quasi nonnihil amburit. Dico qui propiùs adstant: Nam qui sunt remotiùs, in iis ardor & æstus à globulis quodammodò frigefactis non ita sentitur, de quo vid. imprimis HORSTIUS *in Observ. lib. 1. de Casibus Chirurgicis*, ubi ventilat hanc controversiam, & aliquot habet observationes, quod reverà sclopetorum vulnera quoddam empyreuma habeant conjunctum, si propiùs fuerint inflicta; impetus imprimis celerrimus globulorum cum actuali ignis contactu conjunctus necessariò introrsum fervorem concipit.

Hoc certum est, quod globi majores tormentorum bellicorum, si infixi hæreant in pariete, & brevi post attingantur, intensè calidi semper soleant percipi.

CURA.

Ut ergo curentur sclopetorum vulnera (nam *Diagnosis* per se patet) præter *internas potiones vulnerarias* hic imprimis proficuas, & præter usum nitri, nunc solummodò depurati, nunc cum antimonio fixati; item præter usum pulveris pyrii (qui ratione sulphuris, nitri, & carbonum tiliæ optimè convenit) externè omne contusum in pus est maturandum; idque fit tardè: nam vulnera sclopetorum vix ante tertium vel quartum diem suppurari solent: ob id etiam sufficit, si inter hoc tempus singulis 24. horis semel tantum deligentur.

Factâ autem suppuratione, & inde nato abscessu, & eo, quod contusum est, sub forma puris separato, mundificantibus & incarnantibus debitis denuò vulnus est curandum, modò omne extraneum ex vulnere priùs fuerit exemptum: Globi enim non semper extrahi possunt, & etiam tutò remanere poterunt.

Jam ergo pro scopo *suppurationis substantiæ contusæ*, optimum est, ut applicentur ante omnia *digestiva* & maturantia (de quibus, ubi de ulceribus) quibus semper *spiritus vini*, item *balsamus Peruvianus* in minori dosi, est addendus, ne hæc ipsa digestiva nervosis partibus noceant, nec labia vulneris contusa ad gangrænam ruant, cum & ipse spiritus vini in ambustionibus egregiè conducat: hinc turundæ, quibus illinuntur unguenta digestiva & suppurantia, optimo consilio priùs immerguntur in vini spiritum, & deinceps digestivo illinuntur, præprimis etiam, quoniam sola digestiva partibus nervosis non semper æquè conveniunt: proptereà optimè additur vini spiritus, qui omnem metuendam noxam corrigit: & quidem ita applicantur, ut utrinque puri pateat exitus.

Loco digestivi communis optimè applicatur balsamum Paræi singulariter commendatum ad curam vulnerum sclopetis inflictorum, quod describitur à SENNERTO & BARBETTE. Descriptio est hæc:

℞. *Olei lil. alb.* vel *violar.* ℔iv.
In hoc coqu. *catelli* duo *nuper nati* ad ossium usque dissolutionem:
postea adde
Lumbr. terrestr. in vino coct. ℔j.
Coqu. simul, & Colaturæ adde
Terebinth. Venet. ℥iij.
Spir. vini ℥iß.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum leniens.

Quod egregiè conducit ad sedandum dolorem, & maturanda vulnera sclopetorum.

Applicantur hæc Digestiva cum turundis (imprimis hoc balsamo Paræi) iisque nunc unà, si scilicet vulnus non penetrat,

netrat, nunc verò applicantur cum turunda duplici, si scilicet vulnus sit penetrans.

Ubi ergo per hæc & similia suppuratum est vulnus, & omne contusum separatum, applicandum est *mundificativum* sequens *Vigierii*, vel quodcunque aliud pro purulentiis abstergendis & ulceribus detergendis:

℞. *Terebinth. Venet.* ℥v.
Olei rosat. ℥j.
Mell. rosat. col. ℥iij.
Myrrhæ,
Aloes,
Mastich.
Rad. aristol. rot. an. ℥iß.
Farin. hord. ℥iij. ad ℥vj.
M. f. Linimentum:

Impraegnandum & irrorandum nonnihil cum *spiritu vini*.

Hoc ipso mundificandum est vulnus suppuratum, donec sponte caro nova succrescat.

Quòd si verò aut in suppuratione, aut subsequente mundificatione, putredo ac corruptio adsit insignior, in specie in loco non nimis nervoso, suprà dictis remediis nonnihil de *Mercurio præcipitato*, quantum fieri potest, dulcificato commodè addi potest, idque imprimis, ubi partes nervosæ minus fuerint læsæ vel affectæ.

Interdum in sclopetorum vulneribus superveniunt *dolores ossium in profundo*, imprimis si vulnera non benè fuerint curata; in his singulare est *oleum terebinthinæ*, in specie si adsit suspicio *fractionis vel fissuræ*, quæ Germanis dicuntur *ein Kleck oder Schlitz Bruch*; hoc enim oleum illitum mirè emollit & lenit partem consolidatam, & promovet in fissuris ossium, ut coeant, & si osculum est abscissum, huius separationem promovet, adeò ut quicquid præternaturale relictum sit, extrudatur foras.

Sufficit hæc vulnerum sclopetorum Curatio: placet tamen quibusdam Autoribus in prima horum vulnerum deligatione ad ardorem à globulo inductum corrigẽdum, linimentum ex *cremore calcis vivæ cum melle mixto*, ad imitationem AGRICOLÆ *in Chirurgia Parva*, applicare: quo tamen, ut anteà monui, non semper opus est. Nempè

℞. *Calcis vivæ* ℥iij.
Crem. lactis,
Mell. despum. an. ℥iß.
M. probè & cum turundis mollioribus applicetur vulneri, vix ultra tres vel quatuor horas tamen relinquatur.

Hoc probè corrigit ardorem & empyreuma vulneris: postmodùm aliàs usitata suprà dicta erunt adhibenda. Vel

℞. *Aquæ calcis vivæ*, cui adde *olei rosar.* q. s.
Agita in mortario lapideo in Linimentum butyri formæ.
D. S.
Unguentum refrigerans.

Loco hujus quoque convenit ipsa aqua calcis vivæ cum succo cancrorum fluviatilium cum phlegmate aluminis expresso.

ARTICULUS II.
DE
VULNERIBUS MALIGNIS & VENENATIS.

Porrò inter *Differentias Vulnerum* etiam est, quod vulnus quoddam dicitur *penetrans*, aliud *non*; quod fit ratione instrumentorum: Fit namque interdum, ut præter læsionem simpliciter inductam, ipsa causa lædens malignitate venenosâ sit tincta, sive armis venenatis, sive morsu animalium iratorum aut venenosorum infligantur, unde etiam dantur *vulnera maligna & venenata*.

DIAGNOSIS.

Morsu animalium vulnera inflicta facilè patent; semper enim suspicio est, in omni animalium morsu latere venenum.

Sed si arma, aut globuli, aut alia *instrumenta* veneno sint infecta, hoc ipsum à priori cognosci nequit. Cognoscitur autem ferè à posteriori, scilicet ex supervenientibus gravioribus symptomatis, dum nempè partem vulneratam urget dolor atrocior, quàm naturaliter fieri potest; item si brevi post læsionem partis vulneratæ color nativus seu naturalis mutetur, & cœruleus, lividus ac nigricans fiat, adeòque ipsa gangræna immineat; item si non tantum in parte vulnerata, sed in ipso toto corpore atrocia superveniant symptomata, in specie angustia præcordiorum, sudores symptomatici, frigidi & glutinosi, syncope, ardores, cephalalgiæ horrendæ, ac similia pessima symptomata.

PROGNOSIS.

Vulnera hæc, sive ab animalibus venenosis, sive ab armis veneno tinctis, inflicta fuerint, utplurimum lethalem eventum habere solent, quorum venenositas consistit in hoc, quod idea furoris & rabiei corpori nostro communicetur.

CURA.

Animalia ergo *venenata* si læserint, aut mordendo aut pungendo, observetur diversitas animalium lædentium, ut læsus locus nunc *scarificatione*, nunc *sine scarificatione*, appropriatis curetur. Scarificandum est, quando vulnus profundius, ac metus est, ne venenum, quod penitus immissum est, & elicere volumus, mediante sanguine ad cor deferatur: aut *sine scarificatione*, ubi minus virulentiæ communicatum fuerit. Theriaca sola cum spiritu vini applicata, item pulvis bufonum, viperarum & scorpionum, decantata sunt remedia optima. Optimum remedium est bufo in vulneribus venenatis malignis contusus & applicatus; uti & stercus humanum cum allii capitibus impositum, quod certum levamen affert. Conducit quoque succus cydoniorum recens instillatus, si vulnera venenata à telis infectis, v. g. à sclopetis, inflicta fuerint. Sic in *vesparum puncturis* sufficit oleum scorpionum vetus, item *emplastrum de ranis* Vigonis cum Mercurio. In aranearum punctura allium & cepæ contusæ, item folia salviæ: (vid. M. A. N. C. *Ann.* 8. *obs.* 35.) commodè imponuntur.

Sin *Viperæ momorderint*, præmissâ, uti dixi, scarificatione *bufo* uiuus contusus & applicatus optimè conducit: aut si desit uiuus, in serpentum & viperarum morsu sufficit bufo aridus, uel nudè, uel, quod melius, priùs in aceto uel ulno maceratus, & applicatus, uel pulverisatus & inspersus: aut saltem ferrum probè candefactum priùs loco morsuræ est applicandum, citra tamen ambustionem; nam hoc singulare est remedium curandi morsum uiperæ, uti hoc propriâ experientiâ recenset BOYLE *in Philos. Experim.* Succus foliorum fraxini etiam commendatur, uulneri applicatus, & haustus urinæ.

Quod si uerò *Canes* aliaue *animalia rabiosa mordendo vulneraverint*, optimum est applicare lapidem serpentinum, qui in serpentibus pileatis Indiæ Orientalis reperitur, aut etiam ex iisdem fabricatur: de quo præter experimenta alia imprimis uidendus est KIRCHERUS in *Tr. Regn. Natur. Magneticum* inscripto: hic habet egregia aliquot experimenta de hoc lapide serpentino, uulneri animalium rabidorum applicato, & postmodum in lac deposito, qui in genere ad quæcunque uulnera ab animalibus uenenatis inflicta certo experimento conducit: uid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *& 5. Obs.* 2. In huius defectu, cùm sit rarus & carus, sufficit, ut morsui canis rabidi uel alius animalis post factam scarificationem imponatur *emplastrum magneticum Angeli Salæ*, cui puluis cancrorum fluuiatilium, uel per se, uel calcinatorum, addi debet.

Quodsi inflammationem uel dolorem inferre uellit, illinitur locus uicinus oleo scorpionum cum pauco saccharo saturni.

Est aliàs hoc emplastrum magneticum catholicum ad quoscunque morsus animalium uenenatorum, modò additione uel pulueris cancrorum, uti dixi, uel pulueris bufonum, uel pulueris uiperarum, pro uarietate bestiæ lædentis, approprietur plagæ inflictæ. Communiter expertum remedium est cataplasma morsui canis uel alius animalis rabidi imponendum, paratum ex

Cepa acri,
Cap. allii an No. I.
Theriac. opt.
Ferm. vulg. an. ℥ß.

Quæ omnia inuicem pistata instar cataplasmatis applicantur loco morsuræ.

His ita applicatis, correcto & elicito sic ueneno, postmodum ipsum uulnusculum sæpiùs leue uel sponte, uel leni applicato balsamo uel digestiuo, si in morsu contusio quædam facta sit, curari potest; cui digestiuo semper aliquid *unguenti Ægyptiaci*, uel *communis*, uel ab HILDANO *correcti*, addendum erit.

Inter-

Internè interea non cessandum, sed appropriatis remediis, imprimis sale volatili & spiritu viperino, item spiritu & decocto cancrorum fluviatilium, in rabiosis simul progressus veneni, ejusque activitas est cohibenda.

Quod si verò *venenatis armis inflictum sit vulnus*, tunc imprimis, ut extrahatur virulentia, opera danda est; applicando scilicet Cataplasma sequens:

℞. *Cepar. coct.* ℥iij.
Ster. capr. ℥j.
Theriac. ℥ß.
Ol. scorpion. ℥iß.
Mellis,
Ceræ an. q. s.
F. Emplastrum vel Cataplasma:

Quod promptè elicit malignitatem ex vulnere venenato.

Vel etiam *Emplastr magnet. Angeli Salæ* imponendum, cujus descriptio suprà, ubi de Peste, & passim obvia: aut usurpandum est emplastrum singulariter expertum Guidonis, mirè commendatum à plurimis Autoribus ad corrigenda vulnera venenata: nempè

℞. *Galb.*
Sagapen.
Opoponac.
Asæ fœt.
Myrrhæ,
Piperis,
Sulphuris an. ℥ß.
Sterc. Columb.
Anat. an. ℥ij.
Calaminth.
Menthæ an. ℥j.

Dissolvantur gummata in *vino*, misceantur omnia cum *oleo hyperici*, & fiat emplastrum, imponendū vulneri venenato.

Internè appropriatis sudoriferis alexipharmacis, qualia sunt nota, in specie aceto destillato cum *theriaca* aut electuario diascordii Fracastorii, tinctura bezoardica, spiritu theriacali camphorato, antimonio diaphoretico, & similibus antimonialibus fixis cum nitro præparatis, virulentiæ maturè est occurrendum. Elegans est observatio FORESTI, qui *lib* 11. *Chirurgiæ Obs.* 10. refert, cum in bello Turcico plures vulnerati ex telis venenatis subitò morerentur, supervenisse tandem Medicum senem, qui vulneribus poma cydonia, dentibus contrita, & ita salivâ ieiunâ permista, apposuit, nullis remediis anteà juvantibus. Facit huc occasione cydoniorum, quod refert MINDERERUS *in Medic. Militari*, vinum seu succum cydoniorum sine saccharo optimum esse ad corrigendum empyreuma vulnerum sclopetis inflictorum.

Extracto veneno ex vulnere, vulnus ad sui consolidationem perducendum est.

ARTICULUS III.
DE
VENARUM & ARTERIARUM VULNERIBUS.

Cæterum præter hæc vulnera imprimis consideranda sunt *Vulnera* vasorum sanguiferorum, nempè *Venarum & Arteriarum*, propter gravissimam supervenientem hæmorrhagiam, sæpiùs lethalem: minùs quidem periculosam, si fuerit læsa vena; nam & faciliùs sistitur: magis periculosam, ubi arteria fuerit læsa; periculosum namque est malum. Et quidem vix erit vulnus, quod non habeat comitem *hæmorrhagiam*.

PROGNOSIS.

Imprimis tamen hæc est periculosa, ubi maiora læsa sunt vasa, adeòque primum, quod urget Chirurgum, est, *ut hæmorrhagia nimia sedetur*.

CURA.

Vulgò ad sanguinem sistendum utilissimus est *crepitus lupi*, fungus nempè iste hoc nomine insignitus, qui in specie probè exsiccatus & compressus, vasi læso applicatus arctè, ut ex sanguine eò magis turgescat, & turgescendo orificia vasorum læsa obturet, optimè sanguinis fluxum cohibet. Si hic solus non suffecerit, immergatur solutioni *vitrioli Martis* non adeò forti. Ad hæc præter talia convenit liquor stypticus modernorum, qui fit ex solutione vitrioli Martis, cui additur dimidium aluminis soluti in decocto quodam vegetabili blando & adstringente, quæ frigida cum *bombace* vel *stuppis cannabinis* applicentur vulneri, sic cessat omnis fluxus. Vel, si *vulnera* fiant *profunda*, conveniens est, ut immittatur pulvis ex *lunæ lacte*, *bolo Armena*, & *capite mortuo vitrioli* probè eloto. Isti pulveres optimi sunt in sistenda nimia hæmorrhagia. Locus hujus *pulvis Galeni* compositus ex *aloe*, *thure*, sanguine Draconis, & bolo Armena invicem mistis, & stuppis *albumine ovi* madefactis inspersis & applicatis, internè confert ad sistendam hæmorrhagiam. Melius adhuc est, si *terra vitrioli dulcis*, nunc sola, nunc cum parum terræ sigillatę mista, cum albumine ovi subacta, cum stuppis intrudatur vel applicetur arctè vasi læso; quin & tinctura sulphuris vitrioli cum stuppa applicata, in specie arterię, optimè confert. *Fuligo furni* cum albumine ovi subacta & applicata vulneri sistit hęmorrhagiam. Bursa pastoris contusa imponatur vulneribus recentibus pro sistendo sanguine: succus foliorum fraxini vulneribus infunditur, vel ipsa folia vulneribus illis & locis, per quę hęmorrhagię contingunt, applicantur. Muscus quercinus pulverisatus, aut medulla sambuci pulverisata inspersa, etiam compescit hęmorrhagiam vulnerum: quibus tamen longè pręferenda est *usnea cranii humani vera*, quę applicata infallibile est experimentum. Conducit etiam *stercus asininum* recens, aut pulverisatum, aut *succus* ex eodem *expressus*, aut cum sanguine effluente exsiccato permixtus, si applicentur vulneris fundo. Sperniola Crollii in aqua spermatis ranarum soluta, in hęmorrhagia arterię ex inepta venę sectione utilis est, & citra aneurisma curat. Linteum etiam *alumine & spermate ranarum* probè imprægnatum, exsiccatum, atque iterum imprægnatum, atque impositum vulneri, multum conducit ad hęmorrhagiam sistendam. Huc facit pulvis stypticus expertissimus ex alumine, & lacca pictoria, qui describitur in M. A. N. C. *Ann.* 1. *obs.* 24. *pag.* 86. *Ann.* 2. *pag.* 403. & *Ann.* 9. & 10. *obs.* 151. *pag.* 326.

In *arteriarum puncturis minoribus* applicata pilula ex laudano opiato, est experimentum ab HORSTIO recensitum *lib.* 9. *obs.* 12.

Denique quibusdam secretum est ad hæmorrhagiam venarum & arteriarum resectarum, & quidem unum ex *fortissimis*:

℞. *Acet. vin. fortiss.* ℥j.
Croci Martis ℥j.
Colcothar sive terræ vitrioli dulc. ℥ß.

His probè invicem subactis madefiant vel *lintea* vel *stuppa*, conspergantur *pulvere lumbricorum terrestrium*: Hæc enim ita applicata sanguinem sistere dicuntur.

De pulvere sympathetico & similibus, tanquam vulgò notis, nihil addo.

Quodsi his nequeat compesci hæmorrhagia, ligatura interdum vasorum applicanda est, imprimis quidem in membris abscissis, cæteroquin autem locum non habet. In aliis locis, sicuti etiam in membris abscissis, sunt qui cauteria admovent, nunc actualia, nunc potentialia, in specie vitriolacea, uti de aneurismate monui. Actualia sunt periculosissima propter gravia supervenientia symptomata, item quoniam decidente crustâ seu escharâ nihilominus sæpius nova supervenit hæmorrhagia. Tutiora sunt caustica potentialia; non quidem spiritus acidi, qui pessimi; sed, si quid tentandum per caustica, convenit vitriolum ab albedinem calcinatum, vel cum bombace applicatum, vel cum crepitu lupi permistum, & ita loco sanguinem ploranti impositum, modò, quod sedulò cavendum, non pateat nervus vel tendo insignior in vulnere, ad quem scilicet vis vitrioli corrosiva perveniat, & ita periculosissima symptomata inducat.

De remediis internis pauca monenda sunt, quia hoc loco non adeò conveniunt. Interim tamen, quia observatur quotidie, quod vel iracundia ægri, vel ebrietas, vel incalescentia à vino, &c. agitent massam sanguineam, & hæmorrhagiam atrociorem reddant, hinc pro sanguinis impetu compescendo nitrum & omnia nitrata, item omnia stercora, ex porco vel asino desumpta, sunt optima: hinc *nitrum antimoniatum*, *tinctura sulphuris vitrioli*, *mixtura acidulæ cum tinctura antiphthisica seu saturni composita*, *tinctura Martis adstringens*, & similia aliàs nota. Observando, ut affectus graviores, imprimis iræ, hinc amoris, sedulò viten-

vitentur: item quodcunque corporis exercitium, uti etiam paroxysmi morbosi, sub quibus interdum recrudescunt hæmorrhagiæ, studiosè præcavendi.

ARTICULUS IV.
DE
NERVORUM VULNERIBUS.

Post vasorum vulnera, *vulnera nervorum* imprimis, & *partium nervosarum* læsiones, cautissimè sunt tractandæ.

1. Propter dolorem inflammatorium & convulsiones, quæ sæpissimè superveniunt læsionibus nervorum.
2. Propter facilem partium nervosarum alterationem ab aere externo, hinc corruptionem ac gangrænam.
3. Propter synoviæ fluxum, qui sæpissimè vulnerum consolidationem impedit, & periculosam partis atrophiam, interdum totius corporis tabem, post se trahit.

PROGNOSIS.

Vulnera hæc sunt periculosissima, ut etiam punctura insectorum adeò sit periculosa, quia utplurimum læditur *nervus ac tendo*.

CURA.

In genere ergo, ubi in parte quadam vulnerata nervus simul vel partes nervosæ sensiliores fuerint læsæ, totum membrum usque ad principium nervorum, ad membrum derivatorum, inungendum est oleo lumbricorum, acuato cum oleo destillato lavendulæ; nam & hoc internè convulsiones partium nervosarum læsarum curat: aut cum oleo salviæ, aut succini, aut similibus. Item optimum est, si inungatur membrum sequenti unguento:

℞. *Olei lumbricor.*
Vulpin.
Axung. hum. vel *viperar.* an. ℥j.
Succ. lumbr. ℥j.
M. probè & illinantur membro.

Cataplasma etiam ex radice consolidæ majoris, & sigilli Salomonis cum vino & aqua coctis convenit.

Vel

℞. *Fol. beton. rec.* p. I.
Rad. symph. rec. p. ij.
Contusa applica in forma cataplasmatis.

Vel si recens haberi nequit, symphytum pulverisatum cum vino calido in cataplasma redigatur & apponatur.

In specie nervis læsis ac partibus nervosis omnia unctuosa, omnia nimis mucilaginosa, & expressa oleosa aut pinguia, sunt admodum nociva; sæpè enim dolores, gangrænas & inflammationes inducunt, inde etiam oriuntur vermiculi innumeri. Quin potius volatiliora paulò penetrantiora, & quæ vulgò dicuntur calidiora, usurpanda: qua ratione *balsamus Peruvianus*, oleum ceræ, *oleum destillatum lavendulæ*, oleum *Philosophorum*, oleum *lauri* destillatum, succini, quod vocatur Balsamum Europæum seu sacratum, mistum cum terebinthina & sacchero saturni, balsamum hyperici, spiritus vini, gummi elemi, tacamahacæ & carannæ, imprimis conducunt. Hinc elegans est mistura Wurzii:

℞. *Ungu. di Alth* ℥iv.
Ol. destill. lauri ʒiß.
Succini ʒij.

Quæ mista convenienter vulneri, ubi nervus est punctim læsus, possunt applicari.

Si verò *Nervus per transversum læsus sit*, vel *tendo*, vel *ligamentum*, inter remedia usitata semper simul dicta *balsama vulneraria* acuenda sunt cum aliquot guttis *olei destillati* cuiusdam. Præ cæteris *oleum terebinthinæ*, *salviæ*, *succini*, &c. conveniunt. Specialissimè lumbricalia optima læsorum nervorum consolidandorum sunt solamina, qua ratione *Oleum hyperici Carpi compositum* optimè confert:

℞. *Summ. hyperic. flor.* M. II.
Ol. comm. ℔vj.

Hæc probè invicem digerit, postea addit
Terebinth. ℔j.
Verm. terrestr. pulverisat. ℥ij.
Croci parum.

M. pro Linimento, nervis, tendinibus, aut similibus partibus vulneratis, aut punctim aut cæsim convenientissimo. Vel

℞. *Lumbr. terr.* q. s.
Exsicca blandè & pulverisa.

Vel pulverisatos *lumbricos latos contritos* misc. cum *terebinthina*, quo per 24. horas supra vulnus posito istud sanatur; vel sine terebinthina pulvis inspergatur venis vel tendinibus dissectis denuò consolidandis.

Nobile est remedium CNOEFFELII, aliàs usitatum ad nervos per transversum incisos:

℞. *Exuvias serpentum*, quas spontè deponunt,
Lapill. cancr. prap. an. part. æqual.
Invicem mista pulverisantur.

Qui pulvis nervis læsis inspersus mirè convenit pro eorundem unione.

Et quidem periculosius est, si pungantur nervi, quàm si transversim dissecentur, propter doloris ac convulsionis metum, ut etiam punctura insectorum adeò sit periculosa, quia utplurimum læditur *nervus* aut *tendo*. In tali casu, in nervo punctim læso, (quod etiam locum habet in inepta venæ sectione, quando tendo pertunditur) nil melius est, quàm immittere, instillare, aut illinire *oleum destillatum terebinthinæ*: Vid. SYLVIUS *in Praxi lib.* 1. *cap.* 42. §. 18. & *lib.* 2. *cap.* 23. §. 80. *seqq.* item SCULTETUS *in Observationib. Chirurg. Observatione* 64. Loco hujus etiam *oleum ceræ* adhiberi potest vulneribus.

℞. *Ol. destill. Terebinth.* ℥I.
Spiritus vini ʒi.
Camph. vel *Euphorb.* ʒß.
Misc.

Instilletur vulneri aut ulcusculo, in quo nervus punctim læsus fuit. Experimentum est PARÆI *lib.* 9 *cap.* 38.

Aliàs *aurium cerumina* sunt specificum Helmontii contra nervorum puncturas; sicuti GALENUS usurpavit Euphorbium, quod & hoc tempore adhuc ad nervos punctim læsos ex inepta venæ sectione est optimum, si scilicet fiat unguentum sequens:

℞. *Euphorb.* ℈i.
Terebinth. ʒß.
Ceræ parum.

Quæ mista extendantur super *linteum*, & applicentur per quàm calidè, ubi nervus per venæsectionem fuerit læsus: id quod non tantummodo est experimentum SCULTETI *in obs.* 64. sed præterea HELIDÆI PADUANI *in Observ. pag.* 310.

Quæ nervorum, eadem & tendinum, est ratio: puncti scilicet aut non ex toto dissecti dolorem acerbum & convulsivum minantur; per transversum autem dissecti motum, sicuti nervi sensum & motum simul, perire faciunt.

Hoc ne fiat, si hactenus dicta non sufficiant, *Moderni per suturas conjungunt tendines dissectos*. Res primâ fronte videtur paradoxa & periculosa, si scilicet punctura tendinis minatur convulsionem, quomodò possint acubus consui? Nihilominus huius experimentum factum esse Parisiis ipse observavi, cum cuidam juveni in carpo manus omnes tendines per transversum erant dissecti: Hinc Chirurgus per acum valdè latam, sed admodum subtilem, intra fibras, ex quibus constant tendines, tàm artificiosè intrusam, denuò per subsequens filum consuebat, & hinc balsamo vulnerario efficaci vulnus & suturas illinebat; sic enim postmodum brevi consolidabantur iterum tendines, & dissecti denuò uniebantur, citra hoc, ut motum digitorum perderet æger.

Cura est mira, & à nemine adhuc notata. Hoc tamen post curam supervenit incommodi, ut toties, quoties tempestatum mutationes ingruerent, æger in loco antiqui vulneris perciperet dolorem quodammodò similem podagræ. Postmodum etiam inveni huiusmodi suturam tendinum per filum in VESLINGIO, nempè in eius *Epistol. & observ.* à BARTHOLINO *editis p. m.* 90. & 91.

Aliàs tendines, ligamenta, & per consequens articulorum vulnera, uti hæc sunt frequentissima, per Balsama vulneraria apparenter calidiora debent curari, omissis imprimis, nisi summa urgeat necessitas, turundis, utpote à quibus

quibus propter dolorem sępius exasperantur partium nervosarum & articulorum vulnera.

ARTICULUS V.
DE
PECTORIS VULNERIBUS.

QUædam etiam monenda sunt de *Vulneribus pectoris & capitis*.

In *Vulneribus pectus penetrantibus*, *vel pulmones lædentibus*, sanabilibus, observandum est:

I. Ut semper habeatur respectus & metus *pleuritidis imminentis & peripneumoniæ*; unde *internis remediis*, hos affectus curantibus, tàm præservativè, quàm curativè, semper insistendum est.

II. Quod etiam in his vulneribus subinde necesse sit, ut applicentur *turundæ*, ut sanguini & saniei pateat liberior exitus, ne superveniat *empyema*. Hæ turundæ parandæ sunt, ut habeant extrinsecùs ansulas, ne possint intrudi, unde etiam applicandæ sunt sub exspiratione.

III. Observandum etiam, quod in hisce partibus vulneratis semper sint seligenda talia remedia, quę simul habeant vim *diureticam*, aut potionibus vulnerariis *diuretica* addenda sunt: observatum enim est, quod optimè, subinde sponte, subinde arte, in vulneribus pectoris tàm sanguinis grumi, quàm pus & sanies, evacuata sint à natura *per copiosum urinæ fluxum*. Propterea hic videat Medicus opus naturæ.

IV. Quod ea vulnera, quæ inferiores costas penetrant, infrà septimam costam, sint simpliciter *vulnera abdominis*, non *pectoris*, quia non penetrant diaphragma: unde etiam nullum signum læsi pectoris ex respiratione læsa potest haberi; sed potius *abdominis pathemata* investiganda erunt.

ARTICULUS VI.
DE
CAPITIS VULNERIBUS.

QUod attinet *Capitis vulnera*, de his paucis. Qui plura cupit, adeat limatissimum scriptum PETRI PAW, *Anatomici succenturiati*, quod est *Commentar. in Hippocr. de Vulner. capitis*; item MARCHETTUM *in obs. Chirur.* rarissimis & curiosis, & SCULTETUM *in Armam. Chirurg.*

Vulnera *Capiti inflicta* sunt vel *cæsim* vel *contusim*. Vulnera capitis *cæsim* inflicta lædunt *vel* saltem partes extimas supra cranium, *vel* simul cranium, ut tamen non penetrent universum, vel dividunt etiam cranium & meninges, vel etiam ipsum cerebrum,

CURA.

In omnibus capitis affectibus *alvus sit aperta*. In specie verò, si *vulnera* saltim sint *superficialia*, facillimè curantur vel cum betonica contusa & succulenta imposita, vel *oleo hyperici*, vel *balsamo Peruviano*, vel alio quodam vulnerario imponendo desuper *emplastrum de betonica* malaxatum cum balsamo Peruviano, vel *simpliciter*, vel *emplastrum* sequens:

℞. *Empl. de beton.*
Gumm. Tacamahac. an. q. s.
Malax. cum *Bals. Peruviano*:
D. S.
Emplastrum cephalicum.

Sicut & sola hæc ingredientia seorsim sufficiunt.

Loco hujus sit *emplastrum de gummi hederæ Alexandri Benedicti*: *Videatur* HENRICUS ab HEER. Vel emplastrum sequens Arcæi contra vulnerationes capitis:

℞. *Gummi elemi* ℥iij.
Terebinth. ℥iß.
Axung porcin.
Human. an. ℥j.
M. f. Emplastrum molle.

Sin verò *vulnus cranium lædat*, *non tamen penitus perforet*, necesse est, ut habeatur ratio cranii læsi, & sic inspergatur cranio pulvis ex *radice iridis*, *aloe*, *myrrha*, *cum spiritu vini imprægnatus*; vel pulvis ex bolo Armena, Iride Florentina, Aristolochia rotunda, & similibus, tantillo *olei destillati terebinthinæ* impręgnatus. Hi cranio læso inspergantur, ut impediatur ejus corruptio aut caries; desuper verò imponantur filamenta sicca. *Caveamus* etiam in cranio læso à quocunque *unctuoso*, aut *viscido*, aut pingui; disponit enim cranium ad cariem. Si *vulnera* autem penetrant, & cranium divisum, & meninges læsæ, necesse est, ut *hæmorrhagia interna* maturè sistatur; quod fit *pulvere Galeni ex aloe*, *thure*, *& albumine ovi conquassato*: quibus parum *boli Armenæ* addendum. *Hæmorrhagia* sedata sufficiens est natura; cujus opus ut adjuvemus, immittatur intra cranium linteola, impregnata tantillo *olei ex terebinthina*, vel *balsami Peruviani*, vel de capaibe, ut quasi odoretenus afficiatur cerebrum ejusque membranæ, & disponantur meliùs ad consolidationem. Ipsi cranio læso suprà dicti pulveres applicentur & foveatur linteis siccis: *Vulnera* verò curantur *externè* per *balsamum vulnerarium*. In usu est, ut cerebro læso applicetur *oleum rosarum*, *sed male*, quia talia membranam lædunt. *Mel* etiam applicatur, *sed convenit* saltem, ubi cerebrum corrumpitur, & membranę incipiunt putrescere, tunc mel impregnandum est aliquot guttis *olei destillati terebinthinæ*, aliàs nocet.

Vulnera contusim facta sunt *vel* superficialia, *vel* graviora. *Superficialia* parum habent in recessu. Illinitur loco contuso *oleum hyperici* impregnatum cum *oleo destillato anisi*. Si verò sint *graviora*, ut magnus tumor immineat, considerandum est, an spes sit insensiliter posse discuti? si hoc est, fiat: si non, *aperiatur* in principio, quod observandum, ut contusio suppurata quantocyùs aperiatur, ne pus ex retentione acrius factum pericranium & cranium erodat, & cariosum reddere incipiat. Si verò *contusio* fuerit *gravior*, est *vel* sine vulnere, & tunc modo dicto curetur; *vel* cum vulnere, & tunc est *vel* sine cranii læsione, *vel* cum lęsione. *Contusio gravior cum vulnere sine cranii læsione* curatur more reliquorum vulnerum contusorum, nempè *digestivis & suppurantibus*: pro quo casu præ reliquis commendatur gummi elemi, aut *unguentum Arcæi* sequens:

℞. *Terebinth. clar.*
Gumm. elemi an. ℥iß.
Pingu. Castoris ℥ij.
Porci antiqu. ℥j.
M. f. Unguentum.

Convenit etiam gummi elemi cum terebinthina mistum in forma emplastri in cranii vulneribus.

Si *verò cranium simul fuerit læsum*, hujus læsiones admodum sunt variæ: nam interdum fit, ut cranium ex contusione deprimatur, & *nunc* cum, nunc sine fractura; *sine fractura* in capite infantum, quorum ossa sunt mollia, & possunt cedere; *cum fractura* in adultis, quorum durius cranium.

Porrò *gravior contusio capitis*, quæ *cranium* lædit, istud interdum *findit*, *vel* in loco contuso, *vel* in loco opposito, quod vocatur *contrafissura*. Fissura *nunc* penetrat utramque laminam, *nunc* externam illæsâ internâ, *nunc* internam externâ sanâ. Hic observandum, ut cognoscatur *Depressio Cranii*, & *Fissura*. *Signa* desumuntur

1. Ex symptomatibus.
2. Ex causis lædentibus.
3. Ex ipsis sensibus.

I. *Symptomata* sunt multiplicia; in specie vomitus biliosi, vertigo, sanguinis per os, nares, aures, & simil. *effluxus*, *subitanea obtumescentia*, & brevi superveniens *delirium*, *convulsiones*, *paralysis*. Symptomata hæc *superveniunt nunc* mox in principio, ubi gravior fuerit læsio, *nunc* quarto, vel septimo die, ubi levior. *Origo* horum symptomatum est, quod festuca pungat cerebri membranas, *vel* quod sanies destillet in membranas cerebri, & acrior facta easdem vellicet, *vel* sanguis grumosus intra cranium ex ipsis meningibus collectus, inferat hæc symptomata.

II. Suspicio etiam desumitur à majoribus instrumentis.

III. Visus ipse. Præter apertionem cranii, nempè præter specillum & ocularem inspectionem, *ad fissuras cognoscendas* est experimentum *Cataplasma* ex *farina fabarum* capiti raso applicatum: hoc, ubi non sunt fracturæ, exsiccatur; secundùm ductum verò fissuræ non exsiccatur: Vid. BORELLUS *Cent. 2. Observat. 20.* Ubi de fissuris inscii sunt Chirurgi, jubent, ut ægri accipiant funiculum, firmiter teneant inter maxillas, quem fortiter Chirurgus post se trahat;

trahat; si ita æger habeat fissuram in cranio, in loco fisso percipit dolorem: quod etiam fit, si fortiter contineat mandibulas, aut nucleum cerasi frangat; quodsi fissura adsit, in in loco quodam dolorem insigniorem percipiunt. Quo in casu utplurimum necesse est, ut *perforetur cranium*, ut sanguini effuso & saniei pateat exitus, ubi etiam *festucæ*, si quæ sint, removeantur & tollantur. Unum adhuc observandum, quod observavit GLANDORPIUS *in speculo Chirurg. Observ.* 4. Nempè fieri interdum, ut in graviori capitis contusione & læsione, ex sanguine collecto intra meninges, etiam integras, generetur pus, quod graviora infert symptomata; ubi aperiendum cranium, & dura mater scalpello, ut sanies educatur. Ad hæc *observandum*, quod nempè vulnera interdum capitis simplicia post quartum vel septimum diem contrahant *dolores*, hinc *rigorem* & *febrim*. Hæc si superveniant in graviori capitis læsione & contusione, suspicio est fracturæ cranii & fissuræ, adeoque necessum est, ut cranium aperiatur *trepano*: si non apparent, non statim debent perforari, quia dicta symptomata etiam interdum ex alia causa superveniunt. Nisi ergo adsint alia symptomata, quæ cranii fracti vel fissi suspicionem inferant, non statim ad trepanationem accedendum est. Præcipitur etiam, ut in trepanatione vitetur musculus temporalis: interdum tamen quidam Chirurgi etiam hunc musculum per transversum secant; vid. RIVERIUS *Observ. Communicat.* & BORELLUS *Cent.* 2. *Obs.* 20.

ARTICULUS VII.
DE
VULNERUM SYMPTOMATIS.

Circa vulnera subindè urgent quædam *symptomata*, quæ specialem merentur considerationem. Hæc sunt vel *generalia*, vel *specialia*. *Ista* sunt, quæ vulneribus quibuscunque solent evenire: *Hæc* verò, quæ saltem superveniunt vulneribus in hac vel ista persona, idque ex peculiari conditione ægri, qualia sunt v. g. quæ superveniunt viro vulnerato, cui *hæmorrhoides* suppressæ sunt. In his casibus *causis symptomatum prospiciendum est*, fluxus tamen promovendus, non tam *internis*, quàm *externis*. *Interna* quidem humoribus motum largiuntur, sed, ut omnis impetus transferatur in locum læsum, & sic exasperentur symptomata.

MEMBRUM I.
DE
VULNERUM INFLAMMATIONE.

Inter symptomata ergo est *Inflammatio*, quam præ reliquis sistit aqua calcis vivæ, vel crudè applicata, vel cum *saccharo saturni* aut *cerussa* imprægnata: Hæc enim Epithematis instar crebriùs applicata inflammationem solent sistere: Item imprægnetur cum *camphora*, & erit eò magis efficax. Hinc remedia *cancrina*, aqua nempè *cancrorum* putrefactorum nonnihil destillata, applicata vulneri & inflammationem sistit, & sanguinis fluxum in vulneribus *articulorum* & *partium nervosarum* solet præcavere & sistere. *Cancri fluviatiles* etiam contusi fundunt *succum*, qui expressus, & cum multiplicatis linteis applicatus, est conveniens. Internè convenit succus plantaginis, qui etiam externè non inelegans est.

Vel

℞. *Lapill. cancr. præp.* ℨi.
Mum. patib.
Sangu. hirc. Ritè collect. an. ℈ß.
M. f. Pulvis: divide in partes æquales:
D. S.
Refrigerans pulvis vulnerarius.



MEMBRUM II.
DE
VULNERUM ERYSIPELATE.

Si *Erysipelas* affligit vulnera, illinatur erysipelas cum *spiritu vini*, in quo dissoluta sit *theriaca*, & additum parum *salis absinthii*; vel inspergantur *pulveres erysipelacei ex floribus sambuci, creta, farina, cerussa*, & similibus, qui, loco priùs cum spiritu vini probè illito, inspergantur.

MEMBRUM III.
DE
CARNE IN VULNERIBUS LUXURIANTE.

Si in vulnerum consolidatione observatur *Caro luxurians*, Germ. *wild Fleisch*, (quod fit imprimis ex ignorantia Chirurgi,) non debitis *epuloticis* curandum vulnus; tunc enim fibræ aut stamina nervea laxata partem reddunt spongiosam, unde pars ista recrescit. *Curatur* autem adspergendo *alumen ustum*, vel *crocum metallorum*, aut illinat carnem luxuriantem cum *unguento Ægyptiaco*. Præ reliquis conveniunt *aquæ virides*, inter quas excellunt *aqua viridis Plateri, Hartmanni*, & *Barbette*. Instar omnium sit *lapis infernalis* seu *pulvis* crystallorum lunæ in *aqua forti* solutæ: nempè ex luna purissima, *spiritu* nitri soluta, & denuò coagulata, fiunt crystalli, & ex his pulvis, qui adspersus huic carni, illam exedit statim: unde postmodum applicetur *emplastrum epuloticum* seu *cicatrizans*.

MEMBRUM IV.
DE
VULNERUM DOLORIBUS.

Interdum *Dolores graves* urgent ægrum vulneratum; qui varii sunt: quidam tertio aut quarto die superveniunt, quando vulnus incepit suppurari: *Dolor* verò *præternaturalis* & *intensus*, quando supervenit *partibus nervosis*, aut circa *articulos* læsis, item *dolor*, qui supervenit cum quadam *tensione*, quæ tensio sunt incipientes spasmi partium nervosarum & tendinosarum. Hos dolores, præter *interna blanda* opiata, imprimis sistunt *externa*, & cùm proprii sint partibus nerveis, *olea nervina* conveniunt: Quapropter

℞. *Olei lumbr. terr.* ℥iv.
Destill. lavend. vel *bacc. Lauri* ℥iß.
Succini ℨß.
M. f. Oleum balsamicum:
D. S.
Oleum leniens.

Quo illinatur pars dolens.

Vel cum *unguento dialthææ*, imprægnato *balsamo Peruviano*, & additis aliquot guttis *olei destillati lavendulæ* seu *spicæ*.

MEMBRUM V.
DE
SYNOVIA.

Locutus sum suprà de *Synovia*, seu fluxu aquæ articulorum ex vulneribus articulorum, Germ. *wenn das Glied-Waßer fließet*. Hoc ipsum est nihil aliud, quàm fluxus nutrimenti nervosarum partium albicans, acescit successu temporis, & est in partibus nervosis obvia potissimùm.

PROGNOSIS.

Periculosum & ferè funestum est symptoma, & subinde partium atrophiam relinquit.

CURA.

Ut compescatur:

℞ *Pulv. testar. ostr.* ℥j.
Cicon. calcin. vel *lap. calamin.*
Ossis sepiæ,
Maxill. lucii pisc. calc. an. ʒij.
Spodii præp.
Terræ sigillat. vel *alum.* an. ʒiß.
M. f. Pulvis.

Qui inspergatur vulneri synoviam ploranti; sic namque citò evanescit synovia.

Chirurgus quidam recepit usneam cranii humani & laccam pictorum ana; aut in defectu usneæ pulverem ex ipsis ossibus humanis seu calvariæ, linteo concerpto vulneribus applicare solebat, & pro summo habuit secreto: vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *obs.* 53. *pag.* 104. Optimum quoque est *Unguentum fuscum* Wurzii. Quia tamen præparatio est laboriosa, & proptereà difficulter potest parari, recipiatur loco ejus *vitrioli* toties calcinati simpliciter terra vitrioli dulcis, speciatim ex *vitriolo Martis*, & dicto modo cum hoc procedatur, atque vult *Autor*; Nempè immittatur in *acetum* quoddam vulnerarium, & ita addatur *mel*, *flores æris*, sicque porrò misceantur. Vel recipiatur *Unguentum Ægyptiacum simplex*, & addatur *terra vitrioli dulcis*, in *aceto* dicto permistum, quantum postulat ingredientium proportio: quod potest esse loco *unguenti fusci Wurzii*, & *unguenti Ægyptiaci* magistralis compositi.

Aliàs singulare experimentum est, si stercus porcinum cum sanguine vulneris invicem mistum coquatur, & ita vulneri applicetur instar cataplasmatis; hoc enim compescit synoviam. Quin & linteum sanguine primo menstruo virginis tinctum, sive humidum sive siccum applicatum, certissimum habetur remedium ad compescendam synoviam. Polychrestum est, si destilletur aqua ex *cancris fluviatilibus* contusis: hæc enim cum linteis duplicatis imposita, non tantummodò synoviam sistit, sed præterea omnes inflammationes, erysipelata, dolores, &c. partium vulneratarum. NB. Cancri fluviatiles multum prosunt in casibus Chirurgicis.

MEMBRUM VI.

DE

PARTIUM VULNERATARUM CONVULSIONE.

Tandem, si superveniat *Convulsio* partibus vulneratis, magnum imminet periculum ægro, ne inter has *epilepsia* superveniens eum interimat.

CAUSA.

Causa semper est in parte læsa.

CURA.

Præter *interna spasmo resistentia*, & in specie *specifica cephalica, succinata*, & *salia volatilia* ex regno animali, *externè* investiganda est *causa*: & si adest *punctura*, læsio curatur, ut supra dictum; si *incisio* nervi, non tamen perfecta, necesse est, ut per transversum discindatur nervus aut tendo; melius est enim, partem sensu privare, quàm ægrum vitâ. Conveniunt *Linimenta* hoc in casu ex balsamo Peruviano, quibus oleum destillatum succini & similia addenda sunt.

MEMBRUM VII.

DE

PARTIUM VULNERATARUM ATROPHIA.

Post vulnera articulorum & nervorum ordinariè supervenire solet *Atrophia*, de qua suo loco actum: vid. WURZIUS, & excellit ejusdem *arcanum aluminis ex alumine plumoso*.

MEMBRUM VIII.

DE

FEBRIBUS VULNERARIIS.

Quod si verò fiat, ut vulneribus jungantur *Febres*, pro varietate febrium res majoris vel minoris est periculi; sive febris hæc symptomatica sit ex nimia sanguinis commotione in vulnerato, ex iracundia, terrore, &c. aut sive sit ex generatione puris in vulnere, quod die quarto, septimo, nono fit; aut ex inflammatione, superveniente vulneri.

DIAGNOSIS.

Tales febres præcedere solet sensus ardoris in vulneribus, oculorum rubedo, phlogoses & dolores insoliti in vulneribus.

PROGNOSIS.

Facilè curantur, imò interdum vel spontè evanescunt. Verùm si sint continuæ, aut si ex læsa sanguinis crasi superveniant, periculosæ sunt admodum, & quæ non parum curam vulneris remorantur, quin subinde vulnus ipsum asperius reddunt.

CURA.

Hæ ipsæ febres optimè curantur remediis *acidum* in vulneribus *peccans*, & *sanguinem* inficiens, absorbentibus & corrigentibus: proptereà primatum obtinent blanda diaphoretica, si scilicet propinetur ℈j. antimonii diaphoretici in aqua fumariæ, vel convenienti mistura, cum spiritu theriacali camphorato, & lapillis cancrorum præparatis in vino vel *aceto destillatò* propinatis; vel *corallia*, & *magisterium coralliorum* cum *succo citri*, *sal ammoniacum* & *spiritus salis ammoniaci* cum debitis *Mixturis Vulnerariis*.

Si *ardor* & *sitis* nimis urgeant, ad nitrum accedendum est, & sumatur vel nitrum purum, vel *nitrum antimoniatum*, & similia convenienter in his febribus conducunt, quæ etiam Julepis possunt addi: vel fiat *Julebus* ex *aqua fontana*, cui *syrupus ribium & berberum* additus fuit, addito parum de spiritu nitri dulci. Continuentur simul vel *cancrina*, vel *antimonialia fixa*; nam blandus sudor optimum est harum febrium remedium, observando simul alia tunc temporis appropriata. Hæc omnibus Vulneribus partium externarum, & mutatis mutandis internarum, applicari possunt.





CA-

CAPUT III.
DE
VLCERIBUS IN GENERE.

PErgo jam ad *Vlcera*, seu tertium Objectum, circa quod uersatur Chirurgus Medicus.

Vlceris nomine uenire solet *solutio unitatis*, *facta ab acredine corrodente & absumente substantiam partis, mollis pariter ac duræ*; & si huiusmodi exesio & corrosio fit solùm in parte molli, dicitur propriè *ulcus*; si uerò sit in parte dura, dicitur *caries*, ossibus propria.

CAUSÆ.

Corrodens hoc in Vlceribus est acre acidum, quod instar fermenti corruptivi, nunc simul corrosivi, nunc virulenti, &c. labiis vulneris ejusque parietibus affixum, pervertit omne alimentum partis proprium, illudque in excrementum acre & liquamen sordidum immutat, seu in saniem, cujus mitior species est pus; illudque acidum simul fibras & carnosas substantias partis sensim sensimque rodit, absumit, & depascit in abscessibus, post inflammationes imprimis oriundis, vel ex aliis causis natis, qui sunt ulcera inchoata, & in vulneribus, quæ facilè in ulcera degenerant. Hoc per se patet: In his enim alimentum partis corruptum acescit, & labiis vulneris adhærens, alimentum balsamicum pervertit & corrumpit, unde tandem aciditatis incrementum, & ulceris augmentum.

Acidum hoc *confirmatur* ulterius ex eo, *quod emplastra ulceribus admota*, nisi interdum proprius medicamenti odor vel fœtor puris prævaleat, si removeantur, subinde acidum spirent subtile; (quod aliquoties observavi in nosocomiis Paduæ & Parisiis;) & quod corrosio dolorosa, quæ etiam ossa absumit & exedit, vix nisi per acorem commodè explicari possit, cum alcalia caustica non tam corrosionem quàm mortificationem seu omnimodam putredinem cum partis nigredine & corruptione inducant. Unde etiam metallica, Saturnina, aut Mercurialia, Venerea, Caput mortuum vitrioli & similia, promptè acida aut edulcorantia aut absorbentia, & *vegetabilia vulneraria* etiam acriora, *vi alcalina prædita*, acidum corrigentia & in salsum transmutantia, ulcera optimè curant.

Acidum hoc corrosivum, *Vlceris causa*, *oritur vel*

I. *Ab alimento partis proximo corrupto* & degenerante, cujus corruptionis inseparabilis comes est aciditas, uti fit in vulneribus, quæ semper degenerant in ulcera, nisi maturè curentur, in contusionibus, in ambustionibus, in ipsis ulceribus contagiosis, & externis corrosivis admotis, &c. Hinc enim v. g. lues Venerea seu Gallica, aut scabies per contactum externum manus, est contagiosa, quibus contagia, per contactum manui sanæ adhærentia, in hac alimentum proximum pervertunt, vitiant, & ipsi acorem vitiosum imprimunt, unde per consequens ulcuscula leviora in scabie, aut majora periculosiora in lue Venerea, & similibus ulceribus contagiosis pluribus, oriuntur.

II. Oritur acidum ulcerum ab aciditate peregrina, quacunque de causa in sanguine aut lympha oborta, quæ aciditas cum subjecta materia in parte quadam, quacunque ex causa, sæpiùs ex paulatina congestione defixa, alimentum partis proximum pervertere, partem corrodere, & ita abscessum ac ulcus inferre solet: Manifestum hoc est in ulceribus sponte natis, in *scorbuticis*, in *cachecticis*, in *lue Venerea laborantibus*, & similibus: Nam v. g. scorbuto confirmato sæpiùs superveniunt ulcera in cruribus ex acore vitioso scorbutico in sanguine enato: Et hinc talium subjectorum cachecticorum, venereorum, &c. ulcera sunt vix curabilia, nisi ipse morbus primarius prius curetur & corrigatur; quin & curentur licèt ulcera talia, tamen sæpius, nisi primarius morbus sit solutus, in aliis locis recidivas inducunt, quale exemplum legi in HILDANO, item SCULTETO, & *horum Observationibus*. Unde etiam est, quod interdum, palliativè licèt, fonticuli in talibus subjectis sint excitandi, ut ita ulceris contumacia mitigetur, & ex eodem occluso recidiva periculosior præcaveatur. Patet etiam *in abscessibus ab inflammatione suppurata* natis, ubi sanguis stagnans ab acido fermentativo transmutantur in pus, ita tamen, ut præponderet acidum, & alimentum partis corruptum acescit, quod labiis abscessus adhærens, sequentis ulceris propriè sic dicti autor est.

III. *Causa*, unde oritur acidum hoc, est ex *vitio ipsius sanguinis*, ipsique permisso excremento quocunque, aut alius cujuscunque humoris in corporis statu præternaturali, à quo in parte quadam vel nutrimentum parti nutriendæ ineptum suggeritur, vel nutrimenti proximi perversioni occasio subministratur: unde vitiosus ejus acor ulceri inde enascenti primam originem seu occasionem subministrat. Patet hoc in ulceribus, quæ aliis morbis superveniunt.

Acidum ergo hoc, quacunque ex causa in ulcere obortum, proximum, quod ad partem distribuitur, alimentum corrumpit, & quod salinæ volatilis oleosæ quasi balsamicæ naturæ esse debet, acescit similiter, fitque parti alendæ omninò hostile; unde ulcus ejusque fermentum acidum valdè augetur, & hujus activitas validior redditur.

Prout verò vel major vel minor est aciditas, aut etiam hæc ipsa simul variantis nonnihil saporis deprehenditur, uti ratione graduum diversitatis variat, cum aliis adjunctis proprietatibus diversis, varia est etiam alimenti exinde orta corruptio, & exinde etiam contumax plus minus solet esse ulcus, quod aut *purulentum*, aut *saniosum*, aut *verminosum*, aut dysepuloticum seu *phagedænicum*, aut *cancrosum*, aut *corrosivum*, aut *dolorosum*, aut *malignum*, aut *contagiosum*, aut *cariosum*, aut *gangrænosum*, aut aliâ speciali proprietate est distinctum, pro varietate acidi specifica.

In specie nervosarum partium ulcera ut faciliùs oriuntur, ita etiam omnia sunt pejora & difficiliùs curantur, ob acidi in his vulneribus majorem gradum: nam alimentum partium nervosarum, cum sit admodum temperatum, nec adeò impprægnatum sale volatili acri, ut sanguis in partibus sanguineis, ob id facili corruptione & alteratione acescit, & ob defectum sufficientis correctionis fit acrius, ipso spiritu animali subtiliore in his partibus celeriùs aut distributo, & promoto, aut faciliùs exhalante.

Sanguineæ verò partes abundant sale volatili acriori oleoso, unde difficiliùs ipsis inducitur acor, qui etiam contra faciliùs temperatur, fiuntque hinc ulcera benigniora; unde *ulcera partium sanguinearum sunt faciliora*, quàm *nervearum*. Hinc & *in glandulosis locis*, cum in his aliquid acidi subtilis ex sanguine secerni, & unà cum aliis lympham constituere videatur, *contumaciora & magis dolorosa ac corrosiva oriuntur ulcera*, & quæ facillimè degenerant in *fistulas*, ex quacunque causa sint producta: imò hæc ulcera frequentiùs *cancrosam malignitatem* solent habere conjunctam.

Lympha hæc in locis glandulosis elaborata, subtili acido sale imprægnata, cum facillimè acidi corrosivi in articulis recipiat impressionem, ulcera & vulnera articulorum reddit & difficiliora & periculosiora.

Certum est, contumacissima esse ulcera & summè dolorosa in partibus glandulosis, in specie sub axillis, & hinc circa inguina, quæ acore corrosivo latiùs serpunt, & vicinas partes acriter depascere solent.

Acor ergo talis, aut à vicino ulcere ad os subjectum delatus, aut ex corruptione ipsius ossis, ab aeris contactu orta, genitus, aut etiam ex acido peregrino ad os cum alimento distributo enatus, os ipsum corrodit, & cariosum reddit, ulcusque cum ossis carie conjunctum constituit simpliciter immedicabile, & vel centies recidivans, *iterumque erumpit*, nisi ossis caries primò emendetur.

De cætero observanda est *differentia*, *nempè vel* immediatè & primariò ab aciditate peregrina afficitur os, & hujus occasione demum ulterius partes molles ossi instratæ afficiuntur, & postmodum harum contagio ipsum os, quod fit in ulceribus cum ossium carie conjunctis. Utres exemplis fiat clarior: In fracturis, in quibus os est denudatum, nisi hoc probè & citò curetur, successivè livescit, & nigrescit, sicque tandem cariosum evadit, propter subitam alterationem ab aere impressam: similiter in lue Venerea in medio ossium oriuntur gummata, à quibus successivè os subiectum eroditur & cariosum evadit, (quod etiam fit in spina cariosa,) quibus alimentum partium nervosarum in lue Venerea maligno acore inquinatum, etiam ad ossa distributum hæc ipsa erodit ac inficit.

Quodsi corrosiva sanies in ulceris labiis producta per interstitia partium latiùs serpat, aut molliores substantias inter stamina fibrosa duriora exedat, & ita per cuniculos longiùs latiùsque serpat, hinc inde ulcus sinuosum seu cavernosum constituit, quod Germani vocant *einen locherichten Schaden*: cujus orificia aut etiam canales in locis membranosis imprimis & nervosis, ex alimenti vitiati congestione & conglomeratione indurata, & in callum quasi osseum transmutata, Fistulam & ulcera fistulosa constituunt.

Occallescentia hæc & *durities* circa membranas, imprimis in orificiis horum ulcerum sinuosorum nata, oritur *ex acido vitioso satis intenso*, dictas partes corrugante, & pedetentim indurante, ac in callum seu cartilaginem transmutante: Exinde orificia fistularum semper sunt angusta.

Proximum ergo partis alimentum, prout faciliùs ab acido ulcerum impressionem recipit, exinde plus minus diuturna aut maligna efficit ulcera, ut in *hydropicis*, *cachecticis*, *lue venerea* inquinatis, aut iis, quibus aut *hæmorrhoides*, aut *menses* suppressi stagnant, luculentissimè patet; & talia ulcera solent esse graviora, propter alimenti partis corrupti facilem impressionem ab acido. Hinc ulcera cum humorum affluxu esse conjuncta dicuntur.

Faciliùs verò corruptio hæc in alimento partium fit, imprimis ex defectu particularum spirituosarum & salino-volatilium, quæ contraria dum sunt acido fermento ulceris, ejus vim infringunt: quibus dum caret interdum præternaturaliter pars sanguinis alimentitia, aut etiam aliàs ex vitiosa prima aut secunda digestione ad recipiendam corruptelam acidam magis est disposita, promptiùs sic corrumpitur, & ulcus ipsum sic augetur, fit *manans*, & difficulter curabile.

Acidum hoc ulceris fermentativum & corruptivum non ritè correctum & sublatum, dum vel eius aliqua, tantilla licet, portio post curam ulceris relicta est, aut in labiis ejus, aut, quod sæpius contingit, in osse carioso; vel eius aliqua portio per sanguinis vel lymphæ motum aliorsum delata, pervertendo alimentum loci proximum, aut recidivam antiqui, aut per metastasin, generationem novi ulceris inducit. Sic in SCULTETO exemplum est ulceris præposterè curati, unde postmodum ulcus in pectore enatum fuit: sic & FABRICIUS HILDANUS *Centur.* 3. *obs.* 39. *observavit* ulcus inveteratum in crure sinuosum, quo intempestivè curato supervenit pleuritis, ubi materia simillima per os fuerit rejecta, ac ista, quæ ex ulcere cruris emanaverat.

Ulceris ergo ordinaria & adjuncta, & fermenti ejus acidi producta sunt:

1. *Canitas* ab acore exedente, & labia vulneris depascente plus minus, inducta.
2. In partibus carnosis *pus laudabilius* ex sanguine.
3. In partibus nervosis seu spermaticis *ichor* seu *sanies tenuis*, aut saltem pus minus laudabile, hoc est, quod labia ulceris sicca & citra sordes inveniantur.

Rarissimum enim est, quod *labia ulceris sicca* & citra sordes inveniantur; id quod tamen fit interdum, *quando* nempè ulcera aeri aperto diu nimis fuerunt exposita; aut quando labia dura & callosa fiunt; aut quando loco suppurantium & mundificantium exsiccantia aut cicatrisantia intempestivè fuere applicata. Quodsi citra tales causas manifestas *spontè* & subitò (dico subitò, quod benè observandum) sicca aut minus humida deprehendantur ulcera, malum signum est; nam vel innuit imminentem mortem totius; *vel* si ulcere ex succo accedat aliqualis *livor* vel *decoloratio* labiorum, imminentis *gangrænæ* est indicium; omnia enim ulcera, si immineat mors, solent exsiccari.

PROGNOSIS.

Prognosis ex his facilè est formanda de quocunque ulcere. Nempè fundamenta prognoseos in ulceribus *desumuntur ex tribus circumstantiis*:

(1.) *Ab ipsa conditione ulceris*, an sit *simplex*? an *complicatum*? an *sinuosum*, *fistulosum*, *cariosum* &c. Nam hæ conditiones ulcus plus minus reddunt difficile.

(2.) *Ab ulceris excretis*, pure nempè & sanie: Nam quò citius ulcus reddit pus, idque magis laudabile vel minus acre, candidum, mediocris consistentiæ, eò melius est ulcus: contrarium est, si ploret saniem tenuem, ichorem acrem, flavum & fœtidum, aut similia.

(3.) *Ab ipso subiecto ulceris*, tàm particulari quàm universali. Ratione subjecti particularis, ab ipso loco ab ulcere affecto, an sit carneus, glandulosus? ratione subiecti universalis, an æger sit sanus, vel non? an sit laudabilis constitutionis, &c. hæc enim ulceris naturam & curam plus minus gravem ostendunt.

Ulcera antiqua maciem, febres lentas, aliaque mala, æquè excitant, ac ulcera pulmonum.

CURA.

Ex hactenus dictis facillimè patet, quod *Cura ulcerum* chirurgica primariò *in acidi mortificatione consistat*, quò tollatur alimenti depravatio, & partis ulcerosæ erosio, & inhibeatur sordium proventus; reliquum ipsâ naturâ agente, alimenti appositione & convenienti assimilatione carnem generando, & foramen claudendo.

Ea, quæ acidum hoc corrigere valent, sunt nulla alia, nisi quæ vel apertè huic sunt contraria, ut alcalia omnia, præsertim volatilia, imprimis vel vegetabilia, vel fixa mineralia, imprimis naturæ metallicæ, aut huic cognata, quæ acidum absumunt avidè & absorbent. Nam ex regno animali, præter cancros aut fella animalium, aut urinam humanam, vix singularia contra ulcera habentur remedia.

Ex his vegetabilia imprimis agunt positivè, temperando & delendo acidum per sal suum volatile seu alcalinum, quod ipsum nunc est occultum & temperatum oleosum, *nunc* verò manifestum & acrius. Temperatum est v.g. in betonica, in veronica, in plantagine, in vinca pervinca, in bugula, in agrimonia, & similibus; acrius verò est in absinthio, mentha, chelidonio majori, in sabina, in nicotiana, quæ in specie in expurgandis fistulis & ulceribus mundificandis valdoperè conducit, & vi narcotica pollet; in aloe & myrrha, in spiritu vini, & similibus. Mineralia verò & metallica operantur utplurimum privativè, absorbendo *acidum*, & istud sui attactu quodammodò dulcificando, sub qua ipsa actione simul virtutem adstrictoriam aluminosam acquirere solent. Talia sunt caput mortuum vitrioli, terra vitrioli dulcis seu balsamica, quæ in omnibus ulceribus immiscenda est, saturnus, & hinc paratum saccharum saturni, ac omnia saturnina, quæ sunt solatia Chirurgorum in ulceribus partium; post cerussa, minium, venerea, æs viride, pompholyx, Mercurius sublimatus, item Mercurius præcipitatus, Mercurius dulcis, & quæ huc pertinent sulphurata, & in specie ad ulcera maligna & cacoethea usurpata arsenicalia fixa, & in alcali naturam transmutata, hinc balsamum Paracelsi ex fuligine & arsenico; quia, uti loquitur HELMONTIUS, arsenicum est quasi fumus metallicus.

Hæc medicamenta, dum destruendo acidum, ulteriorem eius activitatem inhibent, & simul excrementorum generationem seu alimenti perversionem sistunt, sicque ulcera nitida & labiorum carnem rubeam, sanam, & naturali modo dispositam reddunt, unde *Mundificantia* seu detersiva vulgò appellari solent, quatenus ulcera purificant, & ablatis sordibus labia naturaliter constituta reddunt. Et quidem ulcera purgare, & sordes detergere, est superficialis tantummodò cura & palliativa, cùm sordes, pus & saniles effectus tantum sint, & productum ulceris: modò tollatur tantum causa horum effectrix, & palma facilè acquiritur: id quod superiùs de Vulneribus, partim ex SEPTALIO & MAGATO, partim etiam HELMONTIO, monui. Sordes hæ sunt nihil aliud, quàm alimentum, sive san-

sanguineum sive chylosum, ad partem ulceratam demandatum, quod dum vitiatur & corrumpitur in sordes varias, saniem acrem, ichorem varicolorem, pus fœtidum, sordes nigricantes, & excrementa tandem ex putredine verminosa reddita, degenerat. *Graduum autem ac similium proprietatum in his detergentibus & mundificantibus observanda est diversitas*, pro ulcerum nempè varietate variandis.

In genere eorum quædam sunt *acriora*, quædam verò magis *temperata*. A *temperatis* ceu inferioribus successivè inchoanda est cura ulcerum, nisi forsan ulceris prava conditio nimis progressa aliud suadeat, ne acrioris acidi vigor per acre contrarium effervescendo & irritando fiat malignior, & putredo in ulcus inducatur; sed potius lenioribus acrimoniam temperantibus priùs utamur, donec fortiora tutiùs tandem applicentur.

Temperata ista vulgò *digestiva* seu *pus generantia* appellari solent, quæ usurpantur in casu, ubi ulcus non nimis progressum est. Si verò *ulcus* jam est *putridum* aut alio modo *malè affectum*, statim *fortiora detergentia & acria* usurpanda sunt. Temperata autem ista, temperando acidum in ulcere vitiosum, alimenti corruptionem in excrementum acre & saniosum inhibent, ut temperatus acor ulceris moderata fermentatione cum alimento partis concurrere possit, & excrementum similiter temperatum quasi coctum in meliori consistentia, colore & temperatura generare possit, ut id, quod antea tenue, acre, & quasi crudum esset, nunc crassius, temperatius, & quasi maturius profluat. *Quod ipsum mitius excrementum pus appellatur, sicuti peius istud acrius & tenue, ichor seu sanies* usitato nomine appellari solet. Hinc etiam hæc digestio suppuratio dicitur.

Quoad generationem puris: dictum fuit *suprà cap. 1. Membro 1. Articuli 1. ubi de Inflammatione*, quod generetur per motum & per modum effervescentiæ, ex concursu acidi & urinosi, temperatorum tamen utrorumque mediante oleo, ita tamen, ut in pure adhuc præpolleat acidum, hinc albedo. Hæc in genere, ubi de Tumoribus; jam in specie quoad ulcera.

Dum enim concurrunt hæc duo in ulceribus, alimentum partis, quod naturaliter est salinum volatile oleosum in sanis, & ita temperatum, ab occurrente acido corrosivo excessivo sine resistentia pervertitur, & in liquamen acre & ichorem vitiosum corrumpitur: sin verò acidum sit moderatum, hoc à nutrimento partis aliqualem percipit resistentiam, ut ita mutuo concursu & actione degenerent in excrementum mitius, pus dictum.

Temperata talia remedia, de quibus suprà dictum, sola ulceris simplicis possunt absolvere curam: ulceris verò, vel corrosivi, vel putridi, vel cancrosi, vel maligni, virulentia acriora & validiora, utplurimum ulceri & ejus specifico fermento appropriata, nunc *Mercurialibus*, nunc arsenicalibus permixta, requirit remedia. Observanda tamen simul *partis affectæ* erit *conditio*: nam *partes sanguineæ* temperata imprimis vegetabilia requirunt; *nervosæ verò paulò acriuscula* aromatica & saturnina magis postulant, & sic etiam pro varietate reliquarum partium affectarum.

Frequentiùs tamen fit, ut, præter simplicem ab acido corruptionem, singularis partis concurrat putredo aut corruptio in ipsa parte, ubi præter degenerationem alimenti in varias sordes putrilago simul cadaverosa, & incipiens quædam quasi gangræna, solet adesse. In hoc casu ergo fortissimis omne putridum ad partem usque sanam absumendum, & putredinis ulterior processus inhibendus, quod sæpius fit per acida, uti est unguentum imprimis Ægyptiacum, aut in perfecta gangræna per butyrum antimonii, aut similia: quibus tamen laudabiliter suo officio defungentibus aut defunctis, post operationem peractam subitò removenda sunt, ne partes sanæ etiam absumantur aut afficiantur.

Factâ ergo acidi fermentativi & corruptivi in ulceribus abstersione alimentum partis, ceu ejus balsamus naturalis, sensim labiis ulceris agglutinatum, partem cavam nova carne replet, dum interea fibræ & vascula cutanea & ipsa successivè longiùs extensa, inæquali tamen concursu variaque textura in cicatricem coeunt.

Ne impediatur autem hæcce partis deperditæ seu erosæ per carnis regenerationem restauratio, sed potius ut promoveatur naturæ motus in generatione carnis, (nam facile impeditur, dum nempè vel ab aere ambiente sub deligatione alterantur ulcera, vel dum ab interno vitio nova alimenti corruptio & ulceris succedit renovatio) ob id post mundificatum ulcus, dum caro nova succrescit, balsamica *glutinantia* vel *vulneraria*, sarcotica tunc appellata, tunc applicantur, quæ nempè denuò solent consolidare ulcus recens, & mundificatum carne replere. Hæc nempè, temperatâ suâ virtute nonnihil adstringente, & balsamum naturale conservant, & omnem acorem forsan de novo subortum promptè delent, quæ ipsa blandâ adstrictione impediunt simul, ne caro enata laxior aut nimis mollis, aut nimis superflua, luxuriet: id quod fieri solet, si citrà emplastri sarcotici convenientis applicationem soli naturæ negotium committatur: Hinc etiam promptè luxuries ejus coercetur, si applicetur v.g. emplastrum vel unguentum de tutia, quod optimum est ad ulcera carne replenda, item emplastrum seu unguentum diapompholygos, de spermate ranarum, defensivum vulgare, de lapide calaminari, de lithargyrio, item emplastrum dia sulphuris Rulandi, imprimis si malaxentur cum oleo nicotianæ.

Similia remedia glutinantia & consolidantia, sed magis adhuc adstrictiva & humidi absumptiva, per modum exsiccationis cicatricem firmiorem generari adjuvant, si desuper applicentur; unde *Epulotica* seu *cicatrisantia* appellantur; nam *vulneraria balsamica*, *sarcotica* & cicatrisantia gradualiter tantum differunt; unde in corporibus delicatis & mollioribus cicatrisantia sunt in subjectis durioribus sarcotica, & contrà.

Non ergo ad pretiosiora emplastra oppoteldoch & similia confugiendum, cùm emplastra hìc solummodò instar operculi sint, ne aer ambiens & frigidus subintret. Imò sunt, qui solo decocto calcis vivæ, in quo plantæ vulnerariæ bullierint, ulcera ope syringæ eluunt; post unguentum simplex digestivum, ex terebinthina cum vitello ovi dissoluta, & oleo hyperici paratum, mediante turundâ breviori os ulceris claudunt, superimponendo emplastrum aliquod, acidum absorbens seu defensivum, ut jam dixi.

Rustici, & qui PARACELSUM *in Chirurgia* imitantur, plantam aliquam euporistam vulnerariam, vel foliatim vel contusam, superimponunt, & sæpè magna ulcera sanant, quæ etiam meo judicio omnibus unctuosis præferenda. Verùm cùm Chirurgia, ars olim præstantissima, nostris temporibus à Barbitonsoribus & Balneatoribus imperitis exerceatur, qui omnia ulcera ac vulnera suis unguentis ac emplastris, à magistrorum suorum magistris commendatis, sine judicio curare audent, concinnior curandi methodus negligitur; quæ solis dictis simplicibus & euporistis sæpissimè absolvi posset.

Externis talibus applicandis, quæ vulgò quatuor capitibus comprehenduntur, sub nomine digestivorum, mundificativorum, sarcoticorum, & epuloticorum seu cicatrisantium, ad promovendam curam externam commodissimè simul adjungenda sunt interna, acidum tàm in primis viis, quàm in ulceribus, *correctiva & destructiva*, & quantum possibile, succum nutritium ita alterantia, quò minus à fermento ulceris acido corrumpi possit, quæ nempè alcali plus minus acri pollent; his enim neglectis frustrà Chirurgicum imploratur auxilium.

Talia ex vegetabilibus *vulnerariis* seu ulcerariis, ex cancris fluviatilibus, albo Græco, pulmonaria maculosa, consolida media, summitatibus hyperici, & similibus, potionum vulnerariarum forma parari solent, de quibus vid. PARACELSUS, FELIX WURTZIUS, HELMONTIUS, BARBETTE, E g.

℞. *Herb. heder. terr.*
Veron. *Sanic.*
Summ. hyperic. floresc. an. M.j.
Rad. Polypod.
Caryophyllat. an. ʒvj.
Ras. cornu Cervi,
Albi Græci an. ʒij.
Coqu. in s. q. *aquæ*.
Colat. ℥xvj. adde
Syr. Corall. Querc.
De symph. Fern. an. ℥ß.
M. D. S.
Potio sanguinem mundificans.

Aut *Essentiæ vulnerariæ* formâ:
℞. *Herb. Cherefol.* M.iij.
Flor. hyperic. M. ij.
Bellid.
Calcatr.
Herb. Pyrol. *Sanic.*

Herb. Vineæ pervinc.
Consol. Sarac.
Alchimill.
Veron.
Heder. terrestr.
Plantag.
Scabiosæ,
Equiseti,
Auric. Muris,
Millefol an. M. I.
Rad. rub. tinctor.
Consol. mai. an. ℥iij.
Card ben.
Aristol. rot.
Sigill. Salom. an. ℥iß.
Myrrhæ ℥ß.
Spiritus Cherefol. ℔vi.

Digerantur per aliquot septimanas, exprime & filtra:
Speciebus residuis affunde
Aquæ roris Maial. q. s.

Destilla per arenam, residuum exprime, & inspissa ad extracti consistentiam, quod conjungatur cum *essentia* per digestionem: adde
Aquam destillatam, filtra & asserva pro Essentia Vulneraria.
Dosis gutt. xxx. ad L. bis vel ter in die.

His addenda simul *remedia sudorifera*, tam *ex lignis*, imprimis essentia lignorum, tinctura coralliorum cum spiritu lignorum, & *decocta lignorum* quæcunque, quæ cum diæta *sudorifera* usurpata multùm conferunt; quàm ex antimonio, viperis & serpentibus parata, in specie *tincturæ antimoniales* genuinæ, essentia viperarum, *spiritus & sal volatile viperarum*, quæ usurpata nobilia sunt, & multum conferunt. Additur his usus frequens lapillorum cancrorum cum myrrha & croco, coralliis, & lapillis cancrorum cum aceto propinatis, cum Bezoardico Joviali, antihectico Poterii, antimonio diaphoretico, simplici & Martiali, non omissa, si opus sit, purgatione. Inter *purgantia* autem eminet *Mercurius dulcis*, vel turbith minerale, si crebriùs usurpentur cum *extracto hellebori nigri*, vel *panchymagogo Crollii*, vel catholico.

Quod si *verò deteriora fuerint ulcera, ipsa salivatio Mercurialis in auxilium est vocanda.*

Quoad remedia externa, ferè sunt sequentia; *digestiva* quidem *oleum rosarum*, mastichinum, *butyrum recens non salitum. Maiale, vitellum ovi, mel, gummi elemi, terebinthina, thus, mastix, farina triticea, hordei, fænugræci*, & similia. Ex his v. g. sit *Unguentum digestivum* hoc modo:

℞. *Terebinth.* ℥I.
Vitell. ovi No. I.
Mell rosar. ℨii. ad ℥iß.
Ol. hyperic. ℨj.
M. f. Linimentum vel Unguentum digestivum: S.
Unguentum digestivum. Vel

℞. *Terebinth.* ℥j.
Mellis ℥ß.
Succ. apii ℨii.
Far. hordei,
Fænugr. an. ℨiß.
Myrrhæ parum.
M. S. ut *anteà.*

Pus ubi genitum est, & quidem laudabile, simul *mundificantia*, & *acidum* in ulceribus peccans *corrigentia*, sunt admiscenda & usurpanda, eaque acriora, mitiora, positivè & privativè operantia, pro ulcerum conditione & varietate.

Talia mundificantia sunt radix apii, Aristolochiæ utriusque, althææ, bryoniæ, cyperi, plantaginis, sigilli Salomonis, tormentillæ, aronis, cucumeris asinini, dracunculi, iridis, gentianæ, hellebori nigri; herbæ & folia cichorii, item absinthii & apii, anagallidis minoris, brassicæ, origani, chamædryos, betæ, marrubii, plantaginis, sempervivi maioris, solani, scrophulariæ, betonicæ, veronicæ, vincę pervincę, artemisię, fumarię, nicotianę, hyperici, centaurii minoris, chelidonii maioris, sabinę, &c. item folia farfaræ succulenta contusa, ulceribus calide imposita; flores rosarum rubrarum, hyperici, centaurii minoris; cortices pini; lignum guaiacum, sassafras; semen urticę, plantaginis, apii; baccæ iuniperi; farina seminis lini, fœnugræci, ciceorum, lupinorum, hordei, fabarum, furfures; purgantia externo usu, imprimis scammoniata: succi absinthii, agrimoniæ, rosarum rubrarum, apii, chelidonii maioris; Extractum aristolochiæ rotundæ, & alia vulneraria cum spiritu vini parata; item cum sacchar o ex dictis succis parati syrupi, simplices & compositi vulnerarii; item saccharum, macis, aloë, & similia: vinum & spiritus vini, lixivium commune, muria halecum cum passulis, animalium urinę & fella, serum lactis, mel, mel rosatum, mumia, succus serpentum, cancrorum fluviatilium, sperma ranarum & eius aqua, stercus canis ossa rodentis; camphora & camphorata, resina, terebinthina, balsamus Peruvianus, thus, myrrha, euphorbium; item *sulphur*, & omnia sulphurea, sulphur vegetabile siue farina lycopodii, ulceribus manantibus inspergenda; plumbum calcinatum, & omnia saturnina, nempè minium, creta, cerussa, lithargyrium, bolus Armena, marga saxorum, crocus Martis adstringens, & *crocus vitrioli Martis per præcipitationem paratus, terra vitrioli dulcis*, rubrica *tutia, æs ustum, alumen crudum & calcinatum, nitrum*, imprimis *æs viride, arsenicum*, in specie fixum, pulvis sympatheticus ex vitriolo Veneris, qui ulcera in distans curat, decoctum scoriarum reguli antimonii, quod est singulare; spiritus salis, sulphuris, vitrioli, aqua fortis, butyrum antimonii, Mercurius dulcis, Mercurius præcipitatus, arcanum corallinum; aquæ virides quæcunque ex ære viridi paratæ, in specie Hartmanni & Plateri; aqua calcis vivę benedicta, thermæ naturales & artificiales, quę in ulceribus inveteratis egregię sunt; oleum nicotianæ, terebinthinæ, ceræ, ovorum, oleum tartari per deliquium, balsamum sulphuris, tam ex sulphure communi, quàm in specie ex sulphure aurato antimonii secundùm methodum POTERII, &c. unguentum dialthææ, nicotianæ, iridis, fuscum officinarum, citrinum, album, album camphoratum, diapompholygos, de tutia in ulceribus crurum, Ægyptiacum, & fuscum Wurtzii, linimentum de amiantho Schrœderi; porrò Emplastrum de betonica, de gratia Dei, diuinum, cum emplastro diasaturni Mynsichtii, diasulphuris Rulandi, item emplastrum de carne bubula ejusdem.

Utendi horum modus est:

1. In Injectionibus in ulcera cancrosa, sinuosa, fistulosa, tam liquidis, quàm siccis, in forma pulveris inspergendis.
2. In Unguentis.
3. In Emplastris. Verbi gratiâ fit

I. *Injectio* in ulcera sinuosa & sordida:

℞. *Fol. Nicot.* M ij.
Summ. absinth.
Herb. Veronic. an. M. I.
Rad. Aristol. rot. ℥j.
Bacc. iuniperi ℥ß.
Aluminis crud. ℨiii. ad vj.
Coqu. in s. q. *aquæ ferrarior.*

Colatura servetur usui pro injectione in ulcus, addendo omni injectionis dosi *spirit. vini* ℨj. plus minus, pro ratione quantitatis liquoris iniiciendi, & capacitatis ulceris.
D. S.
Externa mundificatio.
Item

℞. *Fol. Nicot.*
Herb. Veron. an. M. j.
Coqu. in s. q.
Aquæ calcis vivæ cum aqua Plant. fact.
Colat. ℥x adde
Mercurii dulc. ℨj. ad ℨiß. vel ℨii.
Camphor. ℨß.
M. D. S.
Aqua injetiva.
Vel

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔j.
Mercurii dulc. ℨii.
Spirit. theriac. camph. ℨj.
M. S.
Mixtura mundificans.

Hac eluantur ulcera, vel applicetur hæc ipsa cum linteis.
In forma pulveris:

℞. *Croc. Martis per præcipit.* ℨij. vel ℨiii.
Lap. calamin. vel *terræ sigill.* ℨj.
Lact. Lunæ ℨiß.
Macis,

Myrrhæ,

Myrrhæ,
Olibani,
Aloes an. ℈j.
Campb. ℈ß.
M. f. Pulvis, qui irroretur cum *spiritu theriacali camph.*
D. S.
Pulvis externus sanans & mundificans.

Qui ulceribus manantibus inspergatur, in specie ulceribus tibiarum, quæ difficillimè consolidantur.

Huc facit etiam *pulvis ad ulcera maligna Marci Barebai*, qui extat in *Mictomimet.* VELSCHII *Cent.* 1. *Obs.* 5. *annex. Ann.* 4. & 5. M. A. N. C.

II. *Unguentum mundificans* ulcera fit hoc:
℞. *Succ. Nicot.* ℥iv.
Plantag.
Absinth.
Beton. an. ℥ii.
Mell rosat. col. ℥iv. vel v.
Coqu. & subigantur probè lento *igne*:
adde
Terræ vitrioli dulc.
vel loco hujus
Croci Martis per præcipitat. ʒiij. vel ℥ß. ad ʒvj.
Pulv. aloes,
Myrrhæ,
Flor. sulphuris an. ʒj.
Misc. probè, addendo simul
Terebinth. Venet. q. s. v. g. ℥iij.

Pro consistentia Unguenti plus minus spissi: in fine etiam nonnihil
Balsami Peruv. est intermiscendum:
D. S.
Unguentum mundificans.

Denique III. *Unguentum Sarcoticum*, ex quo facilè fieri potest emplastrum, sit hoc:
℞. *Ungu. diapompbol.*
De Tut. an. p. j.
Dia-sulphuris Rul. p. ij.
Cum s. q. *olei Nicot.* f. Unguentum, applicandum cum petiis.
D. S.
Unguentum sanans.

Vel additione paucæ *Ceræ* fiat Emplastrum, quod inducatur linteo.

Inter hæc autem remedia pauca sufficiunt, & secundùm HELMONTIUM ad ulcera *benigna terra vitrioli dulcis*, ad *maligna* verò *arsenicum*. Eminet etiam *balsamus sulphuris terebinthinatus*, *balsamus sulphuris*, *vel communis*, *vel antimonialis* cum *oleo lini* aut *nucum inglandium* expresso paratus: vid. de hoc POLEMANNUS *de Sulphur. Philosophor.* qui habet simul egregium emplastrum; ubi tamen loco *vitrioli* Veneris *dulcis* potest substitui vel *caput mortuum vitrioli elixiviatum* solum, vel addito tantillo *æris viridis*. Convenit etiam *balsamum Peruvianum*. Habeatur tamen delectus, an *pinguia* conveniant, an non? Si possunt ferre, conveniunt dicta *balsama*; si non, sufficit *mel* cum *succo vulnerario*. In rebellibus ulceribus respiciendum est ad *Mercurium vivum*, à quo spiritus nitri fuerit abstractus. In ulceribus putridis æs viride cum *aceto destillato* est optimum; unde *unguentum Ægyptiacum*, *Apostolorum*, *fuscum* Wurzii, &c. conveniunt. Sic ex *vitello ovi* & *melle* fit unguentum utile in quibuscunque vulneribus:
℞. *Vitell. ovor. ad durit. coct.* No. iii.
Mellis ℥iß.
M. cum haustu *vini*, in unguentum.
D. S.
Unguentum mundificans.

Quod optimè purgat ulcera, & etiam à gangræna præservat. Si ulterius progrediatur malignitas, addatur *mercurii præcipitati* ʒß. vel ʒj. plus minus, pro ratione circumstantiarum.

Emplastrum polychrestum cicatrizans est seq.
℞. *Mastich.* ʒj.
Terebinth. ℥iij.
Ceræ flav. ℥iv.
Hisce liquefactis adde *Mastichen*, & redigantur simul in *Emplastrum* præstans ad *consolidanda* & *cicatrisanda ulcera*:
D. S.
Emplastrum consolidans.

Non cedit huic ad *consolidanda ulcera* sequens:

℞. *Calcis vivæ vel ter lotæ & parum exsicc.* q. pl.
Misc. cum *ol. lini* q. s. Tingatur cum *bolo Armena* vel *bolo rubra* ad carneum quasi colorem; f. Emplastrum,
Egregium in ulceribus vetustis:
D. S.
Ut antè.

Fit interdum, ut ulcera quædam omninò arida reddantur, ita ut paucam vel nullam suppeditent materiam seu excrementa. In tali casu optimum est unguentum impositum ex terebinthina, melle, succo apii, & farinis: hæc ipsa enim probè permista, faciunt, ut pus laudabile ulcus suppeditet.

Quod si in ulcere purificato denuò, jam carne replendo & cicatricem inducendo, carnis regeneratæ uberior luxuriet copia, quod fit, quando applicata sunt emplastra vel nulla, vel nimis oleosa & pinguia, quæ fibras reddunt laxas, sive naturalis fuerit caro, sive flaccidior & præternaturaliter laxa; tunc optimum est, ut inspergatur pulvis ex gallis, corticibus granatorum, & spongiis combustis ana. Hæc ipsa omnia carnem superfluam optimè absumunt. Præterea pulvis ex aloë & myrrha, quibus commodè parum aluminis usti admiscetur, cum stuppis siccis imponitur; hoc enim blandè carnem superfluam cohibet: non minus etiam, quàm crocus metallorum pulverisatus; hic enim si inspergatur, subitò carnem nimis excrescentem mortificat, & insensibiliter absumit: Experimentum singulare est *Rulandi*.

Galli in usu habent ad coercendam carnis luxuriem applicare lapidem, quem vocant infernalem, paratum scilicet ex luna soluta in aqua forti ad cuticulam evaporata, & in loco frigido crystallisata. Crystalli istæ egregium dant cauterium indolens pro Fontanellis, uti superiùs alio in loco monui, & hoc ipso cauterio si contingatur caro luxurians, in momento comburitur & resolvitur in spumam albam; id quod tamdiu repetendum est, donec luxuria carnis reprimatur & totum absumatur: etiam probè elotus, nec corrosivus applicatus, prodest; sed in leviori casu sufficit Crocus metallorum, in graviori lapis infernalis.

Unguentum etiam Ægyptiacum in casu hoc conducit ex basi æris viridis paratum, uti & omnes aquæ virides, & ipsæ etiam ex ærugine compositæ hic imprimis conducere solent.

Hæc est doctrina ulcerum & remediorum ad eadem pertinentium in genere: Pergo paucis ad ulcera in specie.

ARTICULUS I.
DE
CARIE OSSIUM.

IN *specie* quod attinet *ulcera* secundùm *Differentiam*: merentur considerationem *ulcera cum ossis carie*. Ulcera enim quædam conjuncta sunt cum *ossium carie*, quæ caries interdum est manifesta *oculo*, interdum fit manifesta *specillo*: si subest, necesse est hæc auferatur; aliàs enim ulcus nunquam curabitur.

Caries autem nihil est aliud, quàm ossis corrosio, nunc major nunc minor, prout magis vel minus fuerit inveterata; & quidem si oculis pateat *os denudatum*, facilè caries cognosci potest: primò enim oleosum quodammodò & pingue evadit os, hinc successivè flavescit, deinde successivè magis nigrescit, & post nigredinem etiam hinc foraminulatum redditur, quasi teredinibus pertusum & perforatum. *Prius est signum imminentis cariei*; sicut *nigredo*, *perforatio* & *inæqualitas* est signum *iam perfectæ cariei*. Sin verò fit absconditum os, tunc vix cognoscitur, nisi per specillum aut stylum expiscetur fundus ulceris; tunc enim os in fundo non glabrum, sed inæquale & scabrosum percipitur; quia & quæ effluunt ex ulcere sordes & excrementa, pinguia, oleosa, & acria, majorique copiâ effluere foras solent, quàm in ulcere rectè se habente. Quod si ulteriùs lateat caries, ex eo ferè patescit, quod ulcera talia nequeant ad perfectam cicatricem perduci, & etiam optimè suppurata aut subinde recidivent, aut difficillimæ sint curationis, & optimis etiam non auscultent remediis: non enim potest firmiter conglutinari caro cum osse carioso, quia sanies ex osse plorans semper novum ulcus generat, quod etsi consolidetur, caro tamen, quæ ulceri supervenit, est flaccida, mollis, & minus dolens.

Si ergo adsit tale *ulcus cariosum*, impossibile est, ut consolidetur, quin potiùs continuò recidivet, nisi priùs caries ossis sit ablata.

PROGNOSIS.

Caries, quò magis est inveterata, eò difficiliùs aufertur: hinc etiam, quò magis occupat ossa circa articulos, aut ubi est copia partium nervosarum, ibi etiam difficiliùs tolli solet.

CURA.

Pro *Cura* internè conveniunt *universalia* cum suis pro hoc scopo externis. Vt autem cariosum ulcus meliùs possit tractari vel separari, congruum est, ut labia ulceris nonnihil dilatentur, vel scalpello, vel immissis turundis intumescentibus. Tales fiunt, si volumus acriùs procedere, ex *radice gentianæ*, si non, ex *medulla sambuci* compressa; hæc enim imbibit copiosam humiditatem, unde intumescit, & orificia ulceris aperta reddit. Post etiam consideratur, an caries ulceris sit talis, quæ possit remediis cedere? an verò necesse sit adhibere remedia Chirurgica?

Vt ergò curetur os cariosum, vitanda sunt omnia oleosa & mucilaginosa; quin potiùs fortiora corruptioni & putredini resistentia applicanda: quà ratione *spiritus vini rectificatus* seu aqua vitæ cum petiis imposita optimè convenit. Itidem, si quid aliud, Euphorbium est singulare experimentum ad cariem ossium corrigendam & tollendam, si *pulvis euphorbii* cum plumaceolis ossi carioso immediate imponatur, de quo vid. HILDANVS *Cent.* 2. *obs* 76. & 92. *Cent.* 4. *observ.* 21. & 96. & *Cent.* 5. *obs.* 12. item RIVERIVS *Cent.* 2. *obs.* 76. & 73. est enim expertissimum remedium. Applicatur vel solum, vel etiam permiscetur commodè cum aliis: v.g.

℞ *Mumiæ*,
Sarcocoll. an. ℨß.
Euphorb. ℨj.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis mundificans.

Applicetur ossi carioso.

Mitiùs agit, quàm Euphorbium, pulvis radicis Ireos Florentinæ, qui & ipse juxta Euphorbium semper est optimus, & fuit experimentum HEURNII in ossibus cariosis, sive per se, sive cum spiritu vini irroratus, sive, quod melius, cum *euphorbio* adjunctus, inspergatur: quin & pumex ustus, radix aristolochiæ rotundæ, pulvis aloes & myrrhæ impositus ossi carioso, egregiè confert. Huc pertinet quoque pulvis cathæreticus pro ossibus his Clossæi, cu additur oleum destillatum caryophyllorum: (vid. SCHROEDERVS *Pharm.*) qui optimè convenit in carie ossium. Oleum ligni guajaci destillatum, oleum caryophyllorum destillatum, cum pluma ossi carioso illitum (olea expressa & infusa dixi vitanda in ossibus; de destillatis alia est ratio) usitatissimum est in moderna Praxi Gallis Chirurgis ad ossium cariem corrigendam: uti etiam spiritus vini parum cum spiritu vitrioli acuatus, ubi fortiùs agendum est, imponi potest. Quin & injectiones instituendæ, imprimis in fistulis & ulceribus sinuosis, quæ sæpius diuturnitatem obtinent à latente ossis carie; tunc ergo vel optimè inicitur succus chelidonii majoris cum spiritu vini, cum quibus aloe & myrrha probè sunt permista: aut etiam, ubi fortiùs agendum est, parum vitrioli additum sit: Hæc ipsa injecta subinde solent tollere cariem, & etiam os mundificare, ita ut interdum squamulæ ossis abscedere soleant. Melius adhuc est, & quod vix aliis cedit remediis in vulneribus, fistulis & similibus ulceribus cum ossis carie, Mercurius dulcis solutus in aqua plantaginis, qui calidè iniectus in ulceribus ossis cariem absumit, simulque egregiè ulcus mundificat. Singulare est, quod ad os cariosum commendat TVLPIVS *lib.* 1. *cap.* 39. nempè de oleo sublimati (per quod forsan intelligit butyrum antimonii) cum oleo lini mixto, mediante quo graves ossium caries notat se observasse curatas. Veteres Turbith, æs viride aliaque commendant; sicuti unguentum etiam Ægyptiacum, pulvis terebinthinæ ad duritiem coctæ cum unguento fusco Wurzii, hic prosunt. Quod si profundior sit caries, ut his remediis non velit cedere, ferro aut igne corrigenda est, ita quidem, ut *limia* aut etiam *scalpello* radatur locus cariosus, si sit in superficie, aut terebrâ perforetur caries eò usque, donec os album, solidum & transudantibus vel emanantibus hinc, inde sanguineis guttulis se manifestet, postmodum dicta remedia applicentur. Quod si rasio non videatur sufficiens, vel hac omissa, vel post peractam rasionem cum scalpro, ad cariem funditus delendam cauterio actuali seu ferro ignito adurendum est os cariosum, ita ut ardor ab igne inductus totam cariem penetret, vitando cautè, ne partes vicinæ nervosæ aut carnosæ tangantur. Facta rasione vel ustione expectandum est, donec spontè naturâ fiat separatio ossis cariosi ab osse sano: quod ut fiat promptiùs, Batavi moderni applicant spiritum vini felici cum successu: quod si hic minus videatur efficax, oleum destillatum caryophyllorum applicatum est convenientissimum: postmodum os consolidetur *spiritu vini*, *myrrha*, *aloe*, & similibus.

Iuxta ossium cariem & inde nata ulcera rebellia, considerationem meretur

ARTICULUS V.

DE FISTVLIS *seu* VLCERIBVS SINVOSIS.

Fistulæ seu ulcera profunda & sinuosa sunt unum idemque, nisi quod interdum in ulcere diuturniore aut malè tractato superveniat Callus, qui nunc cingit simpliciter ambitum seu orificium ulceris ipsius, nunc verò totum sinum ulceratum incrustat, & occupat, & talia ulcera sinuosa cum callo interno vocantur *Fistulæ*.

Vlcus tale sinuosum seu fistulosum nunc interius est unum, utut plura habeat orificia, vel extrinsecùs habet orificium unum, utut interiùs in plures canales sit excavatum.

DIAGNOSIS.

Per se facilè patet, ex callo nempè enato: saltim observandum est, an fistula sit simplex? an verò multiplex? item observandum est, quousque pertingat? an scilicet desinat in osse? an verò in parte molli, v.g. nervea, in carne, in vena aut quadam arteria finiatur?

Simplicem aut multiplicem esse fistulam ex quantitate materiæ effluentis ferè colligitur, item expressione eius, & ex situatione ægri, an in uno latere? an in altero nunc hoc nunc aliud pus effluat? item si plura orificia fuerint fistulæ, ita quidem, ut injectus liquor per unum orificium non effluat per alterum foras, fistulam multiplicem esse, tunc ferè colligitur seu innuitur: item an recta an verò tortuosa sit fistula & sinus? ex stylo colligitur, qui si rectà penetret, rectam fistulam; si verò penetrare aut sine dolore immitti nequeat, tenuis candela ex cera & terebinthina intrudenda, & ex hujus curvatione figura fistulæ est expiscanda, cum hæ sine dolore sinus & fistulas, etiam carnosas & tortuosas, possint penetrare.

Quousque terminetur fistula, ex stylo patet facilè; Nam stylus in rem duram impingens os ostendit: Et quidem dum absque ullo dolore sentitur, periostio jam os denudatum innuitur: sin durum & glabrum sit cum pure non pingui seu oleoso, os adhuc integrum est; sin verò os inæquale & asperum tangatur, est cariosum. Si stylus intrusus circa fundum intensum dolorem inferat, nervum aut partem nervosam admodum sensilem in fundo subesse innuitur; si fundus mollis minusque dolens est, in partem carnosam terminare præsumitur, & materia effluens est similis puri laudabili. Fistulæ verò partium nervosarum plorant pus acre & tenue. *Si desinat in vas* sanguiferum, materia est obscuri coloris propter sanguinem; *si ipsum vas erosum sit*, subinde sanguis ex fistula profluit vel rubicundus, vel obscurus, ratione vel venæ vel arteriæ.

Imprimis autem in locis glandulosis frequentes oboriri solent fistulæ; quin & ulcera diuturna in locis glandulosis oborta, si non fiunt cancrosa, sæpiùs fiunt fistulosa & sinuosa.

Habent & hoc vitium adjunctum fistulæ, ut orificium habeant admodum angustum, quod continuò saniem acrem plorat: unde etiam dolentes sunt fistulæ, nisi durior callus omnem sensum abstulerit.

PROGNOSIS.

Fistulæ difficiles sunt curatu propter callum, qui, nisi auferatur, sunt incurabiles.

CURA.

Vt ergo curentur fistulæ, callus est absumendus, hinc fistula probè purgantibus seu mundificantibus, ut uocantur, & hinc conuenientibus sarcoticis, consolidanda.

Hoc ut fiat, conueniens est, ut priùs amplietur orificium callosum, quia aliàs ad callum aut absumendum, aut fistulam purgandam, minus commodè pertingere possunt remedia.

Amplificatur orificium fistulæ callosum per penicillos ex medulla sambuci intrusos, item ex radice aristolochiæ confectos & immissos. Facit etiam huc turunda ex *radice gentianæ* sicca, uid. HOEFERVS *in Herc. Med.* quæ est optima; uel nudè intrusa, uel, quod melius est, unguento quodam emolliente illita, immittitur: sic enim optimum habet effectum ad emolliendum callum, & amplificandum orificium fistulæ, sicque post extractionem radix duplo crassior inueniri solet. Fortiùs ubi agendum est, ipsa radix gentianæ adspergenda est priùs alumine usto, & ita applicanda; sic enim conuenienter admodum dilatatur orificium, & absumitur callus. Callis ulcerum exserendis Patauii in nosocomio publico succum chelidoniç cum pinguedine uitulina & cera permistum, cum successu adhibitum uidit à MARCHETTE VELSCHIVS *in Mißcell. Centur. 3. Obseru 86.*

Hoc facto, præter *remedia interna*, ut omnia uulneraria, speciatim ex *agrimonia, gentiana, centaurio minori, sabina*, cum *lapillis cancrorum*, item præter usum *millepedum*, *externè* ad mundificandam fistulam, & exedendum callum, uaria in usu sunt remedia plus minus acria. Fiet ergò remotio calli, & fistulæ mundificatio, uel remediis Pharmaceuticis, uel Chirurgicis. Quoad remedia: per siphonem iniicitur succus nicotianę, permistus cum spiritu uini & puluere exuuiarum serpentum, qui mirabiliter sanat fistulas; aut expurgari debet sanies ulceris fistulosi cum aqua mulsa uel simili; uel iniiciendum est hoc:

℞. *Mell. rof.* ℥iij.
Spirit vini ℥ß.
Mercurii præcipitati edulc. uel *Mercurii præcipitati vulg.* ʒß.
Misc.

Et ita iniiciantur; sic enim optimè purificantur ulcera saniosa & fistulosa.

Minui potest dosis præcipitati pro ratione scilicet circumstantiarum.

Item ad purificandum iniici potest *aqua calcis uina* benedicta ista Chirurgorum, uel *sola*, uel cum *spiritu uini acuata*, cui si addatur *Mercurius dulcis*, erit remedium eò potentius; uel sufficit sola aqua plantaginis, in qua Mercurius dulcis solutus est, si calidè probè in fistulas iniiciatur. Conuenit etiam *succus cancrorum fluviatilium*, subactus probè cum *succo foliorum nicotianæ*, qui uel soli, uel addito *Mercurio dulci* iniecti in fistulas, egregiè easdem admodum mundificant. Omnia Mercurialia hic palmam præripiunt, si cum uulnerariis probè mista iniiciantur. Hinc etiam *turundæ* immitti possunt, illitæ cum *unguento fusco Felicis Wurzii*, item cum unguento Ægyptiaco. Balsamum sulphuris terebinthinatum, vel solum, uel cum *camphora* mistum, fistulas mundificat, & callum absumit, quod etiam faciunt crystalli mineræ Iouis cum melle rosato. Alii commendant unguentum, paratum ex melle despumato & inspissato, permistum cum thure, aloë, & asa fœtida, quo turundas illiniunt: e.g.

℞. *Mell. despum.* ℥ij.
Coqu. ad aliquam glutinositatem:
Hinc dum incipit refrigerari, adde
Aloes,
Thuris minutim *pulverisat.* an. ʒj.
Af. fœtid. pulverif. ʒiß.
Diu terantur in mortario, f. Unguentum:
D. S.
Unguentum mundificans.

His & similibus mundificantur & purificantur fistulæ, & deterguntur calli; unde postmodum facillimè consolidantur, & cicatrisantur successiuè fistulę citra sectionem & ustionem.

Si uerò in malo pertinaciori, aut callo grauiori, non sufficiant, necesse est subinde, ut addantur *mercurialia* aut *antimonialia*, v.g. flores Cheiri Paracelsi, qui in loco frigido in oleo liquefacti tanquam arcanum contra fistulas laudantur: Vel

℞. *Unguent. Ægypt.* ℥ß.
Mercurii sublimat. ʒj.
Lixiv. ℥iv.
Aquæ rosar. ℥j.
Plantag. ℥iv.
Arsen. ℈j.

Coqu. ad consumptionem tertiæ partis, quod reliquum est, fistulis illinitur & ejus loco calloso, ut exedatur & absumatur callus.

Verùm non semper propter dolorem & alias circumstantias possunt applicari, unde necesse est, ut tota fistula cultro incidatur & aperiatur: factâ apertione dictis remediis callus vel exedatur, uel etiam pedetentim sectione auferatur: ablato callo ulcus tanquam simplex blandis mundificantibus & consolidantibus curari potest. Nam ubi cedere nolunt remediis fistulę, necesse est fiat accessio aut ad sectionem, aut ad ustionem, dolorosissimam tamen; quæ ipsa cùm rarò admittatur ab ęgris, potiùs palliatiua cura instituenda uenit.

Vnum adhuc moneo; aquę uirides dictę ex ęris uiridi paratę, ad ulcera sinuosa & fistulosa mundificanda & curanda sunt optimę.

Palliatiua Cura consistit in eo, ut conuenientibus sudoriferis, purgantibus & diętâ subtrahatur materia affluentis saniei, quantum possibile, hinc fistula consolidetur in superficie; nam cum conuenienti dięta ad aliquod tempus interdum satis diu conseruari potest clausa, utut successiuè denuò soleant recidiuare siue exulcerari denuò. Vnde continuanda uenit talismodi palliatiua Cura.

ARTICULUS III.
DE
FISTVLA LACHRYMALI.

Pertinet huc etiam *Fistula Lachrymalis*, ad quam celebre experimentum est D. de LORT, nempè

℞. *Tutiæ præp.* ʒj.
Pulu. Saturni subtiliss.
Antimonii crudi an. ʒß.
Cerussæ,
Lithargyr. an. ℈j.
M. cum *Cerato dia Chalcit.*

Vid. VELSCHIVS *Mißcellan. Cent. 1. Obs. 36.* annexis *Anno 4. & 5.* M. A. N. C.

ARTICVLVS IV.
DE
VLCERIBVS SORDIDIS & PVTRIDIS.

Porrò, pręter fistulosa ulcera uel sinuosa, interdum etiam reperiuntur *Ulcera* admodum *sordida*, ita dicta propter copiam sordium crassarum, & mucosorum excrementorum, quę effunduntur liuidi, nigricantis, aut similis coloris abscessu; quod si hęc ipsa simul odorem graueolentem & quasi cadauerosum exspirant, tunc *Ulcus putridum* appellari solet. Quod si simul cum tali excremento peripheria ulceris in latum & longum magis magisque extendatur, & partes uicinas inquinet, tunc dicitur *Ulcus corrosivum*.

CAUSÆ.

Causę horum ulcerum sunt uarię, internę & externę, quę ex suprà dictis de ulceribus in genere facilè patere possunt. Hoc saltim moneo, sordida interdum fieri ulcera ab unguentis & linimentis nimis oleosis, & nimis unctuosis aut uiscidis applicatis, specialiter si sit ulcus in locis neruosis.

DIA-

DIAGNOSIS.

Sponte patent hæc ipsa ulcera.

CURA.

Quoad *Curam* ulcerum sordidorum, putridorum & corrosivorum, præter interna optimum est, ut mundificentur cum spiritu vini, vel simpliciter rectificato, vel camphorato, vel theriacali camphorato, myrrhato, &c. quo dissoluta si *Theriaca*. Abluto ulcere usurpandum *unguentum Ægyptiacum* vel Apostolorum, quæ mundificant & detergunt dicta ulcera. Conveniens etiam est decoctum scordii cum vino paratum, succus taraxaci, nicotianæ, sabinæ cum melle mistus, vel sequens unguentum frequentis & experti usus apud Gallos:

℞. *Succ. depur. apii,*
Absinth.
Beton. an. ℥j.
Plantag. ℥iv.
Agrimon. ℥ij.
Mell. rosat. col. ℥iv.
Bulliant ad consumptionem succorum:
Remota ab igne incorporentur hoc pulvere:
℞. *Gallar.* ʒß.
Myrrhæ el. ℈j.
Thuris,
Mastich.
Aloes,
Sangu. Dracon.
Sarcocoll. an. ℈j.
Flor. rosar. rubr.
Balaustiorum,
Cin. sarment. vitis an. ʒj.

Hæc incorporentur cum modò dicto unguento: quo feliciter uti dixi, utuntur adhuc temporis Galli.

Huc facit quoque efficax aqua SENNERTI *lib. 1. Prax. Part. 3. Sect. 4. cap. 1.* quam etiam Album Græcum ingreditur: Vid. HILDANUS *Cent. 2. Obs. 23.* Quin & stercora animalium, in specie stercus canis ossa rodentis applicatum, imprimis ubi nimiùs unctuosa antea sunt applicata, optimè conducit. Convenit etiam stercus bovinum cum vino veteri expressum & applicatum. Elegans hic est observatio FORESTI *in l. 7. Obs. 4.* de quodam, qui ulcus desperatum habuit, ita ut à nullo curari potuerit: huic apposuit quidam stercus caprinum cum vino generoso expressum, & eo modo ulcus consolidatum fuit; id quod etiam in aliis postmodum adhibuit.

Mercurialia etiam conducunt in his ulceribus; hinc unguentum Saturni Mynsichti cum arcano corallino vulgari, vel cum Mercurio præcipitato mistum, imponendum est: vel abluantur cum *decocto calcis vivæ*, cui addatur Mercurius dulcis, qui talia ulcera optimè curare solet. *Vt Mercurius præcipitatus* tutiùs externè possit usurpari, optima est præparatio AMATI LUSITANI *Cent. 4. Curat. 51.*

℞. *Mercurii vivi,*
Aquæ fortis an. part. æqual.

Misc. & aqua fortis abstrahatur per retortam, pulvis præcipitatus remanens misceatur cum *spiritu vini*, digeratur aliquamdiu, & aliquoties ab eodem abstrahatur, semper novum *spiritum vini* affundendo, donec spontè exsiccetur super Mercurio.

Loco hujus etiam *arcanum corallinum* commodè potest administrari. Additur hic Mercurius præcipitatus aliis quibusdam unguentis aut balsamis, aut emplastris plus minus, pro ratione circumstantiarum.

ARTICULUS V.

DE

ULCERIBUS DYSEPULOTICIS *seu* PHAGEDÆNIS.

HUjusmodi ulceribus putridis & sordidis vicina sunt Ulcera, quæ aliàs dicta *Vlcera dysepulotica, Chironia, Telephia*, & quæ sunt alia nomina, in specie *Phagedænæ*, scilicet omnia Ulcera, quæ inveterata sunt, & specialiter in tibiis occurrunt, & hinc tam profundè radicata sunt, ut vix possint denuò consolidari & curari, dicuntur dysepulotica, item Chironia, quod nempè Chirone Centauro, famoso isto Chirurgo, opus habeant. Aliàs etiam Phagedænæ dicuntur à φάγομαι, Comedo, Exedo, quod talia ulcera, subinde ad vicinia serpendo, accrescant, & augmentum capiant.

CURA.

Ad hæc ergo ulcera *curanda* optimum est, ut, præmissis internis, eluantur frequenter *aqua pomorum putridorum destillata*, quæ vel sola, vel cum linteis multiplicatis applicata, est insigne remedium in hujusmodi ulceribus plus minus depascentibus: vid. SCHMUCK *in Thes.* & AGRICOLA *in Chirurg. Parva*. Aut etiam, si volumus hanc aquam ulterius reddere medicamentosam, in eadem dissolvatur extractum radicis aristolochiæ rotundæ, paratum cum spiritu vini. Talis enim aqua cum extracto, optimè mundificat & purificat hæc ipsa ulcera. Vel loco hujus extracti commodè in eadem aqua destillata dissolvi potest *Mercurius dulcis*, vel solus, vel cum *saccharo Saturni*, in casu, ubi ardoris vel inflammationis adest suspicio, quæ mistura imponatur cum linteis duplicatis pro cura horum ulcerum: e. g.

℞. *Aquæ calcis vivæ* vel *pom. putrid.* ℔j.
Spiritus vini rectif. vel *theriacal. camph.* ʒj. ad ʒiß.
Mercurii dulc. ʒj. ad ʒij.
vel solum, vel additâ
Sacch. Saturni ʒß.
M. D. S.
Epithema mundificans.

Nam ad hujusmodi contumaciora ulcera certum est, quod Mercurialia imprimis requirantur: unde etiam POTERIUS felicissimè in usu pro cura horum ulcerum habuit suum calcinatum majus, ut vocat, quod nil aliud fuit, quàm Mercurius certo modò præcipitatus. Aliàs Mercurius vulgari modo præcipitatus commodè etiam applicari potest ad imitationem RULANDI:

℞. *Aquæ Plantag.* ℔j.
Rosar. ℔ß.
Flor. Aurant. ℥iij.
Mercurii præcipitati pulverisat. ʒß.

Coqu. lento igne per horæ quadrantem, removeantur & applicentur hinc ulceribus; admodum enim exinde hæc ad consolidationem properant.

Vel applicetur *Fernelii aqua benedicta*, quæ talis:

℞. *Aquæ Plantag.* ℥vj.
Mercurii præcipitati gr. xij.
Misc.

Convenit etiam in his ulceribus, si abluantur cum aqua plantaginis, decocto nicotianæ, in quo aliquid aluminis dissolutum est; nam & hæc multum confert ad curanda hæc ulcera. Loco hujus solutio scoriarum reguli antimonii in aqua appropriata habetur experimentum singulare in contumacioribus curandis ulceribus. RIVERIUS agrimoniam ad ulcera verminosa commendat. Denique experimentum militare est, si pulvis pyrius sive pulvis nitratus (qui erit optimus, certum est) solvatur in vino, & ita solutio excepta linteolis imponatur ulceribus dysepuloticis, etiam malignis; consolidat enim & mundificat. Hinc ulceribus sic abstersis & elotis, applicetur postmodum commodè etiam *unguentum diapompholygos*, vel nudum, vel *cum Mercurio præcipitato* mistum: vel *balsamus* Saturni & *sulphuris terebinthinatus*, & cum petiis istis ulceribus potest imponi:

Vel

℞. *Vngu. diapomph.* ʒß.
Sacch. Saturni ʒj.
M. pro Linimento.

Post eluitionem cum aqua calcis vivæ, curandis applicetur, desuper imponendo emplastrum gryseum. Hæc enim talia contumaciora ulcera commodè ad consolidationem disponunt: vid. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Obs. 10.*

Medulla quoque saxorum vel lac lunæ cum paucis granis myrrhæ, aloës, &c. inspersa, egregiè promovet consolidationem. Vel inspergantur pulveres suprà dicti de ulceribus in genere. Singulare quid latet in stercore humano, quod ad ulcera phagedæna corrosiva & cancrosa, etiam in mammis, singulare exhibet specificum: nam dum destillatur stercus humanum, ultimo loco per retortam adscendit oleum admodum fœtidum, aliquoties rectificandum: quod

quod ipsum imprimis illinendum est peripheriis seu circumferentiis hujusmodi ulcerum; impeditur enim sic ulterior progressus, & ulcus pedetentim ad naturalem redit statum.

Non incommoda etiam est compositio PLATERI ad ulcera serpentia, quæ est hæc:

℞. *Ceruss.*
Tutiæ,
Sarcocoll. an. ℥iß.
Myrrh. ℥i.
M. & f. Pulvis subtilissimus, cujus media pars addatur
Vngu. popul. ℥i.
Succ. plantag. ℥ß.
Terebinth. laric. q. s. ut f. Unguentum.

Reliqua medietas inspergenda est ulceri, & desuper applicandum modò dictum unguentum.

ARTICULUS VI.

DE

ULCERIBUS CANCROSIS.

Mentio facta est modò *Vlcerum* phagedænorum *exedentium*, quæ propriè loquendo sunt *Vlcera cancrosa*, corrosione arsenicali ad cancri naturam accedentia, & imprimis occupare solent vel loca glandulosa, vel glandulis vicina. Ipsos quod attinet Cancros, de his sufficienter dictum fuit *suprà, ubi de Tumoribus.*

Dictum fuit, eos esse vel occultos vel manifestos: Per manifestos intellige eos, quorum arsenicalis maligna aciditas corrodendo jam in perfectum abiit ulcus corrosivum & putrefactivum. De his ergo cancrosis ulceribus jam sermo erit.

DIAGNOSIS.

Eorum signa suprà fuerunt prolata; sive oriantur ex cancris antea occultis, sive exulceratis, sive sint scirrhi & scrophulæ, qui malè tractati in cancros exulceratos abeant; quod fit vel per se, vel præpostero remediorum usu, quale exempl. habet TULPIUS *lib. 1. obs.* 47. sive sint alia ulcera, quæ putredine & corrosione arsenicali ad cancrorum naturam proximè accedant.

CURA.

Hæc ipsa & similia cautè admodum specificis sunt tractanda; nam si tantillo acri exasperantur, in deterius abire solent; si verò levioribus tractentur, frustrà fieri eorum curationes solent. Vt ergo citra irritationem dolorosam venenum arsenicale corrigatur & tollatur, juvat imprimis Inspersio absorbentium terreorum, cadmiæ, boli, cornu cervi usti præparati, pulveris bufonum calcinatorum: scilicet bufo & lacerta calcinantur ambo in olla nova benè clausa, postmodum cancer exulceratus seu ulcus cancrosum oblinitur aquâ plantaginis, & inspergitur huic modò dictus pulvis, qui brevi curat cancrum. Quodsi fortiùs agendum sit, recipiatur bufo in olla nova exsiccatus & pulverisatus, addatur hinc parum auripigmenti, piperis nigri, salis communis, & fuliginis siccæ, quæ invicem pulverisentur, & pulvis inspergatur cancro exulcerato seu ulceri cancroso, & hinc petia salivâ madida desuper est applicanda. Singulare etiam auxilium apud quosdam commendatur stercus felis, simpliciter cancris fluviatilibus nutritæ, quod in pulverem redactum mirabiliter iuvat in ulceribus cancrosis. Felis, uti dico, clausa & asservata solis cancris fluviatilibus est alenda & nutrienda; hinc enim eius excrementa tam singulares virtutes obtinent. Convenit etiam cremor calcis vivæ.

Hæc si parum emolumenti afferant, aut in ulceribus cancrosis malignis frustranea sint, ad arsenicum confugiendum erit, quod est specificum ad ulcera cancrosa funditus sananda & curanda, modò ita applicetur, ne nimis irritet ulcus cancrosum acrimoniâ suâ atque nociva sua malignitate: sive ergo hoc sub forma pulueris cum aliis applicetur, quò pertinet *pulvis benedictus* ad cancros ex arsenico, radice ari, fuligine, & similibus, cuius compositio & usus: vid. In FALLOPIO, HARTMANNI *Praxi Chymiatr. de Cancro*, item in *Ep. Libanii*, & aliis quamplurimis locis: sive, quod melius est, arsenicum priùs ritè fuerit fixatum beneficio nitri, & hinc per deliquium resolutum in oleo sine insigni agrimonia: vid. SCHROEDERI *Pharm. lib.* 3. *pag.* 500. Tale enim *oleum arsenici fixi*, cum spiritu vini edulcoratum, aliis omnibus meritò palmam præripit in cura cancrorum exulceratorum, cui simul addendum oleum myrrhæ, ut habet SCHROEDERUS *loc all.* sive etiam ipsum arsenicum fixum commodè permiscetur balsamo sulphuris Rulandi, addita simul fuligine furni; hæc enim dant unguentum singulare contra cancros exulceratos. Nam cancri cura perfecta in arsenico consistit.

Oleum stercoris humani in ulceribus cancrosis summum est remedium; sic enim oleo hoc illinitur, ulterior progressus præcavetur.

KERKRINGIUS *Comment. in* BASILII VALENTINI *Currum Triumphal.* laudat balsamum antimonii, tanquam summam cancri medelam, applicatum, quo desperatissimum cancrum exulceratum se persanasse testatur.

Post hæc, quæ apta nata sunt, ut curent cancrum exulceratum, imprimis conducunt saturnina remedia, acidum acre corrosivum malignum cancrosorum ulcerum, depascens & exulcerans, mirè absorbentia & edulcorantia. Vnde balsamus Saturni terebinthinatus cum camphora & oleo fuliginis mistus est conveniens admodum remedium. Item saccharum saturni cum fuligine probè attemperatum, & cum succo sonchi & plantaginis illitum, si priùs ducatur in mortario plumbeo, commodè ibidem applicari possunt ad ulcera cancrosa. Item *emplastrum* ex saturno, quod habet TULPIUS *lib. 1. cap.* 47. Pertinet huc etiam *pulvis Tulpii* ibidem descriptus ex saturno, liquefacto cum ana Mercurii vivi, & qui ab eodem mirè commendatur ad ulcera cancrosa: aut ex hoc amalgamate possunt fieri emplastra appropriata: vid. SCHROEDERUS *cap. de Empl.* ubi habet tale emplastrum, quod multum habet in recessu, & si addatur aliquid mercurii vitæ, erit mirabile. Nam certum est, quod saturnus, ut aliorum pertinacium, ita & ulcerum cancrosorum, egregium existit mitigativum: unde etiam unguenta omnia ulceribus cancrosis applicanda, ducenda & miscenda sunt cum pistillo plumbeo in mortariis plumbeis calidis. Aut fiant etiam communi modo unguenta contra ulcera cancrosa satis proficua ex succis vegetabilium, *nempè solani*, uvæ inversæ, virgæ aureæ, *agrimoniæ* vel *geranii Rupertiani*, & similium, subactis cum pulveribus saturninis, minio, cerussa, plumbo usto &c. in mortario plumbeo; quibus vel ex fuligine vel ex arsenico parata remedia commodè admisceri, aut horum posteriorum acrimonia suspecta illis probè edulcorari potest.

Cavendum tamen ab omnibus unctuosis, cùm cancer ab his exasperetur, & latiùs serpat: hinc prudentiores saltem crocum Martis per reverberationem paratum, aut cornu cervi ustum subtilissimè lævigatum, inspergunt.

Ad hos ipsos tumores cancrosos & ulcera cancrosa, ne latiùs serpant, commendatur à quibusdam sequens emplastrum:

℞. *Vngu. diapomphol.* ℥ij.
Empl. demucilag. ℥i.
Rad. scrophul.
Ari. an. ℨii.
Cornu Cerv. ust. præp.
Cin. canc fluv.
Ranar. an. ℥ß.
Misc. in mortario calido: addendo
Ol. nitell. ovor. rec. expr. q. s. ad consistentiam debitam Emplastri:

Applicetur, ne ulteriùs serpant.

Quodsi ulcus cancrosum sordidum videatur, necesse est sanè, ut blandè tractetur, ne excitetur dolor, ob id sequens medicamentum imponendum est:

℞. *Aqua cancrorum*,
Ranar.
Plantag.
Card. bened. an. ℥iß.
Sem. Cydon. subtiliß. pulv. ℈ii.
Cornu Cervi ust. præp.
Tut. præp.
Saturni usti,
Ciner. ranar.
Gammar. sive *Canc. fluv.* an. ℥i.
Theriac. ℥ß.
Misc.

Et

Et imponantur tepidè cum filamentis bis in die.

Hæc ipsa si non sint sufficientia, ferro & igne aggrediendi sunt cancri: scilicet ulcus cancrosum ferro priùs abscindendum, & si sit pars, quæ potest abscindi, v. g. mamma, hæc tota abscindenda; factâ abscissione vel exsectione ferrum candens applicandum, ut radix cancri tota extirpetur; nisi enim hoc fiat, & vel tantillum de fermento ulceris cancrosi remaneat, repullulat ulcus antiquum. Imo si ex causa interna oriatur ulcus cancrosum, metus sanè erit, ne ablatum & curatum in uno loco, nihilominus tamen in alio denuò enascatur. Unde etiam HIPPOCRATES & GALENUS cancros exulceratos non nisi ferro & igne curabiles asseruerunt.

Haud ita pridem tamen monui, repertum esse novum quendam Medicum eximium, Archiatrum Ducis Lotharingiæ, qui vocatur ALLIOT, qui citra ferrum & ignem, per alcalia fixa temperata curare ausus fuit cancros exulceratos, imprimis in mammis, ob id vocatus fuit Parisios ad hoc, ut Reginam Matrem cancro mammæ exulcerato laborantem curaret. Ut autem certus esset ipse Rex de ejus arte, priùs mulieres quasdam plebejas cancro exulcerato laborantes curare debuit, quod etiam in quibusdam præstitit citra ferrum & ignem. Ut autem Medicis Parisiensibus suggeret notitiam suæ methodi, ob id sequens scriptum edidit Parisiis, breve quidem, sed elegans, quod, quia haberi nequit, paucis communicabo.

Inscriptio est hæc:

NUNTIUS
Profligati sine ferro & igne carcinomatis,
missus
ducibus itineris Hippocrate & Galeno
ad
Chirurgiæ studiosos
à
PETRO ALLIOT, Barroducæo, Ducis à Lotharingia Consiliario, & Medico ordinario.
Parisiis, M. DC. LXV.

An φαγέδαινα carcinomata ἀγιώτικῶς curari possunt arcano alcali ἀγαμικῷ remedio?

I.

Spiritus in nobis seu influus, seu insitus, salsus est, de alcalium prosapia, balsamicus item, quia partem, cujus est spiritus, custodit, ac præservat: hujus autem vel alteratio plus minus intensa, vel seu dissipatio, seu exstinctio, seu suffocatio januam pandit putredini, cujus individuus & inseparabilis comes est acor, spiritui illi balsamico prorsus hostilis: ut verò nullum ulcus, seu purulentum sit, seu saniosum & ichorosum, datur absque putredine, sic planè nullum ulcus absque acore, qui quidem, pro diverso ulcere multiplex est, alius leprosi narcoticus, alius gangrænosi necroticus, alius scabiei pruriginosus, alius carcinomatis ἀναβρωτικός, alius luis Venereæ, anthracis, erysipelatis, lichenis, herpetis, morbillorum atque id genus, instarque fermenti partem affectam, ejusque alimentum multifariam labefactat, ac corrumpit.

II.

Atenim verò sal alcali, seu lixiviosum (aut quocunque tandem alio nomine sal omnis acoris expers appellare licet) seu naturale sit, quale est in animalibus fel, seu artificiale, quale est sal tartari, & ejus liquor per deliquium, seu volatile, quale est in lapillis astacorum, seu fixum, qualia sunt omnia salia elixiviata, seu saporis salsi, qualis est spiritus incoercibilis nitri, magnarum in medicina virium, seu amari, quale est in absinthio, seu denique acris, quale est in antiscorbuticis, aro, serpentaria, hoc, inquam, salis genus cuilibet acido est verè ἀντίπαλον, alterumque ab altero contemperatur, sitque neutrum ex utroque teste passim experientiâ: non juvat propterea quodlibet ulcus ab alcali qualicunque curare, imprimis carcinoma, cujus acidum & volatile fermentum instar aquæ chrysulcæ corrosivum, ut spernit mitiora quæque alcalia, ita tantum abest, ut à validioribus, si liquabilia sint, (qualia sunt pyrotica) mitescat, ut contra propter subitam fermentationem, & partis vicinæ colliquationem plurimùm ab iis exacerbetur febris, aliaque superveniant symptomata: igitur sic præparentur, necesse est, ut & fixa sint, & in aqua insolubilia; quod certè remedii genus non est ἀνώνυμον, necdum hactenus à quoquam descriptum, benè autem atque exactè paratum si parti ulcere cancroso obsessæ imponatur, sensim ac sine doloris ἀξιολόγου sensu, tutò, citòque acorem καρκινώδη necat, (quo ferro, & igne non obtinebis) idque quod carcinomate deturpatum fuit, desiccat in escharam intactâ parte sana & fermenti acidi experte, ipsa verò eschara vel à natura, vel ab arte separata, ulcus ante ichorosum, fit purulentum, quod tum mundificandum & mundificatum cicatrice claudendum.

III.

Etsi verò Medici omnes post Hippocratem & Galenum, omnium carcinomatum, tam quæ φανερὰ in corporis habitu tangi possunt, & μετὰ τῶν ῥιζῶν ἐκτέμνειν καὶ καίειν δύναταί τις, quàm quæ μὴ φανερὰ ἐν βάθει τῶν σωμάτων delitescunt, quæque propriè κρυπτὰ dicuntur Hippocrati, cum vel sine ulcere facta per ἀπογένεσιν, vel tantum vitio partis oborta continentem causam statuant μέλαιναν ἀκριβῶς χολήν, humorem nempè, seu ex bile flava adusta, seu ex succo melancholico retorrido genitum; in eoque agnoscant τὸ ὀξῶδες acidum, non qualecunque, sed τὸ δριμὺ acre, τὸ διαβρωτικὸν corrosivum, καὶ τὸ δακνῶδες mordax instar aceti acerrimi, quodque ζυμοῖ τὴν γῆν terram fermentat; possitque ejusmodi acidum ut aliud quodcunque longè potentius à contrario alcali contemperari, & sub jugum trahi, non tamen indifferenter omni carcinomati sal alcali etiam exactissimè, & ut suprà insinuatum est, paratum opponi debere censendum est, sed illi tantum, in cujus radices, ut ita dicam, omnes & singulas penetrare potest, ne, minima illius fermenti maligni particula superstite, malum tandem de integro repullulet, ut liceat concludere:

Ergo φανερὰ carcinomata ἀγιώτικῶς curari possunt, arcano alcali ἀγαμικῷ remedio.

Epistola hæc edita ab Autore conturbavit totam Scholam Parisiensem Medicam, quæ ob id spartam contulit Domino BLONDEN, uni ex eorum primariis, ut refutaret hoc ipsum assertum ALLIOT, & ejusdem falsitatem demonstraret, quod facere conatus est hic ipse. Sed hoc scriptum ex principiis Helmontianis elaboratum refutavit iste BLONDEN per argumenta & assertiones ex principiis Galenicis. Verùm cum in fundamentis adeò discrepent, facilè patet, hanc refutationem fuisse nullam.

Fonticuli etiam in cancro exulcerato magnæ sunt efficaciæ, de quibus vid. HILDANUS, & WISEMANNUS *l. a.*

ARTICULUS VII.
DE AMBUSTIONE.
CAUSÆ.

Porrò inter *causas* ulcera inducentes externas frequens est causa ignis, & inde deducta *ambustio*, quæ ordinariò ulcus grave plus minus post se relinquere solet.

Et quidem hæc ipsa ambustio observatur trium graduum, quæ differentia probè consideranda: Nempè in *Primo gradu* solummodo Calor & Ardor in externa epidermide seu cuticula excitatur, quem insequitur postmodum vesicularum aquâ acriusculâ plenarum proventus, idque successivè. *Secundus gradus est*, quando præter epidermidem ipsa cutis aduritur, unde in continenti vesiculæ exsurgunt, ipsaque cutis corrugari & contrahi nonnihil incipit. *Tertius denique gradus* est, ut præter cutim ipsa etiam caro aduratur, unde cutis ex toto emoritur, & consequenter in escharam seu crustam transit, quâ separatâ ulcus profundum admodùm relinqui solet.

Varietas hæcce graduum oritur imprimis ex diversitate rerum ignitarum, à quibus fit, & etiam ex magis plus minus diuturna mora, qua res amburens partem ambustam afficit.

Levissimus ambustionis gradus est, quando *aqua fervens*, *stramen*, *stipula*, *lintea*, & similia ignita partem contin-

tingunt; ab his enim empyreuma saltem superficiale induci solet. *Maiorem ambustionem* inferunt *olea & oleosa omnia*, pix, mel, cera & similia, imprimis si diutiùs in parte hæserint. *Maximam ambustionem*, & quæ utplurimum escharam efficiunt, sunt metalla liquefacta, v. g. plumbum fusum, stannum liquefactum aut similia, si hæc contingant partem; in his enim concentratus ignis periculosissimam infert ambustionem.

In omni igne acidum; quod confirmat experientia, vid. TACHENIUS: Nam ignis est actus dissolutionis corporum sulphureorum. Omne autem corpus sulphureum habet occultum acidum. Hoc præsupposito, ab omni subiecto igneo, præter motum celerrimum, quem ignis infert, acidum ignis se insinuat in partem, & subitò liquefacit nutrimentum partium roridum, unde emergunt pustulæ albæ, quę nihil aliud sunt, quàm nutrimentum partium roridum, ab acido ignis subtili, mediante celerrimo motu, liquefactum. Ab urinosis enim colliquefactum nutrimentum exhibet pustulas nigras.

DIAGNOSIS.

Malum ipsum ab ęgris per se patet, & non absque ejulatu refertur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: uti aliàs notum est, quod, quò gravior sit ambustio, eò sit pejor, hoc in specie observandum venit, ut quò profundior est ambustio, & quò majores venę aut arterię aut etiam nervi fuerint læsi, eò etiam periculosior soleat adesse status; partim quoniam post ablatam escharam vasa ex toto non conglutinata periculosissimas inferunt hęmorrhagias; partim verò, quia in his locis ex sanguinis impedito motu in partibus vicinis gangręna oriri solet.

CURA.

In *Cura* ergo removeatur hoc acidum, & ambustio curatur. Interdum simul cum externis primariis usurpantur interna, eaque nitrata, quæ febrim ambustioni supervenientem interdum optimè compescunt: Hinc nitrum fixum, nitrum antimoniatum, pulvis pyrius & similia, internè sunt optima, quibus celeberrima ex lapillis cancrorum parata chirurgia, aut solum ipsi lapilli cancrorum, simul commodè subiungi possunt.

Externa quod attinet: quoad eorum usum studiosè observandi sunt ambustionis gradus: Nam in primo gradu combustionis remedia ordinaria Empyreuma, & inde ortam nutrimenti in parte alterationem, tollentia, *Unguenta ad ambusta* Germ. *die Brand-Salben*, ut vocant, applicanda sunt: qualia primariò ferè fiunt ex cepis, ex calce viva, ex stercoribus animalium, ex succo cancrorum, & similibus: v. g. ex calce viva lota usitatissimè fiunt unguenta ad ambusta, seu applicetur mox spiritus theriacalis camphoratus, aut aqua calcis vivæ, vel lixivium ejus, imprimis si paretur cum decocto raparum, recipiendo nempè decoctum raparum, (vel etiam aquam simplicem) in quo colato calx viva recens aliquoties extinguatur, ita ut liquor aliquot digitos, 4. vel 5. supereromineat. Hæc aqua calcis vivæ cum linteis duplicatis calidè aliquoties imposita, mirè curat ambusta.

Aliàs usitatum est, ut recipiatur calx lota sæpiùs, & ab omni acri sale probè temperata, ac cum quocunque alio permisceatur ingrediente: v. g. recipienda calx aliquoties lota, eaque probè subigenda est butyro Maiali non salito in mortario saturnino, ut fiat unguentum, quod ipsum applicandum est, idque liquidum, loco ambusto.

Loco calcis vivæ recipi potest cerussa.

Melius est unguentum, quod fit ex

℞. *Calcis vivæ* p. ij.
Crem. lactis,
Mell. despum. an. p. j.

Hæc omnia probè mista in consistentiam unguenti liquidioris seu Linimenti optimè convenient ad tollenda ambusta.

Melius est, si recipiatur aqua calcis vivæ dicto modo parata, cui infundatur oleum lini vel rosarum, quantum sufficit, ut hæc mixtura congelascat in consistentiam butyri, quod unguentum loco ambusto miro cum successu potest illiniri, vesicas certò prohibens.

Melius vix habetur.

Vel

℞. *Calcis vivæ lotæ*,
Tut. Alex an. ℥ij.
Album. ovor. No. ij.
Cum *Aceto destillato* & *ol. rosar.*
F. Linimentum in mortario plumbeo.

Succus etiam allii aut ceparum illitus recenti ambustioni ratione salis volatilis aeris, destruentis acidum in ambustis, exulcerationem inferêns, optimum est; aut ex his fiat tale unguentum insignis commendationis:

℞. *Cepar. crud.* ℥iß.
Salis,
Sapon. Venet. an. ℥ß.
Misc. in mortario, affundendo
Ol. rosar. q. s.
F. Unguentum egregium in ambustis.

vid. HILDANUS *Cent.* 4. *Obs.* 93.

Aut cepæ cum melle contundantur & imponantur, quod mirè prodest.

Optimum est Linimentum, si cum *aceto* solvatur *minium*, aut *lithargyrium*, aut *cerussa*, aut *plumbum ustum*: solutioni filtratæ addatur *oleum ovorum*, vel *oleum caparum recens expressum*, vel *florum sambuci*, vel *rosarum* q. s. ut coeant in consistentiam Linimenti liquidi: quæ aliquamdiu ducantur in *mortario plumbeo*, donec fiat griseum, & asservetur pro usu. Addi potest *camphora* cum *oleo appropriato* soluta, ℥ß. pro ℔j. Linimenti.

De Cancris itidem dixi, quod mirabile suppeditent remedium contra ambustiones: id quod fit, si cancri fluviatiles vivi contundantur in mortario, & succo inde expresso calidè fomentetur pars.

Vel

℞. *Cancr. fluviat.* q. v.

Contusi vivi in mortario misceantur cum *butyro Maiali recenti non salito*, ferveſiant commodè & probè despumentur, coquendo tamdiu, donec fiat unguentum subrufum, quod transcolandum est, & experiemini usum efficacissimum contra recentia ambusta.

Nam etiam ex cancris composita remedia conducunt insigniter, si ex pulvere pyrio orta sit ambustio, contundendo scilicet cancros fluviatiles cum aqua rosarum, aut, quod melius, cum *aqua ranarum* aut *spermatis ranarum*, ex contusis mucilago crassior aquæ permista separetur, eaque pars seu membrum pulvere pyrio ambustum fomentetur & illinatur; nam hæc sunt egregia in tali casu. Notum aliàs est, quod etiam mucilagines, aut, quod melius, mucilago seminis cydoniorum, parata cum spermate ranarum, & cui parum sacchari saturni & camphoræ sit permistum, illita cum pluma parti ambustæ optimè conducat ad tollendam ambustionem.

Vel

℞. *Mucil. sem. Cydon.*
Ungu. saturnin. iam dicti,
Album. ovor. an. ℥ß.
M. pro Linimento: S.
Ambustionis extinctio.

Quo pars ambusta illinatur.

Vulgare est & primâ fronte vilissimum remedium, compositum ex p. j. *olei olivarum*, mista cum *albuminis ovi* p. ij. quæ duo conquassentur & exactè misceantur: & nihilominus hoc ipsum applicatum verè est unguentum singularissimi effectus. Cui tamen adhuc præferendum est, similiter primâ fronte vile apparens, quod fit ex *olei lini recentis*, vel *olei momordicæ* cum *oleo lini recens parati*, vel olei nucum recens expressi ℥ß. vitellis ovorum No. jv. quæ probè ad albedinem usque conquassata applicantur calidè parti ambustæ, idque egregio cum successu: Vid. AGRICOLA *Chir. Parv. Tr.* 3. *pag.* 342. & BORELLUS *Observ. Cent.* 1. *obs* 40.

Solum etiam oleum albuminis ovorum valdè conducit, cujus præparandi modum videbitis *in Coll. Pharm. in Schrœderum*; uti & Rob Sambuci cum spiritu vini dilutum & applicatum.

In *graviori verò combustione*, nempè *in secundo gradu*, talia etiam, sed tamen pauló fortiora, applicanda sunt remedia: nempè ubi pustulæ jam sunt exiguæ, citra hoc cutis subjecta sit reddita corrugata, relinquendæ hę sunt ad diem tertium, quo tempore nisi spontè rumpantur, aperiendę sunt, & modò dictis unguentis pars ulterius curanda.

Sin verò à graviori ambustione cum subitaneis pustulis ipsa

ipsa cutis sit combusta, subitò pustulę sunt aperiendę, & statim apertis pustulis modò dicta remedia applicanda: aut in apertis vesiculis imponendum est *unguentum* emolliens, quod fit ex stercore gallinæ cocto cum butyro non salito, quæ duo imposita optimè talia curant empyreumata.

Potentius adhuc est, ℞

℞. *Flor. salv. rec.* M. j.
Plantag. M. ij.
Butyr. rec. non salit. ℥vj.
Sterc. gall. rec. & quantum fieri potest, *albiss.* ℥iij.

Frixentur mutuò per horæ quadrantem, &, inde factâ expressione servetur usui.

Notetur, hoc quia bonum. Vel unguentum emolliens aliud quoddam imponendum est, ut cutis corrugata denuo laxetur. Aut

℞. *Pom. dulc.* No. iij. vel jv.
Coqu. in *aqua sperm. ranar.* vel *rosar.* ad mollitiem:
Pulpæ trajectæ addantur
Sacch. albiss. ℥iij.
Camph. gr. xv.
Croci gr. v.
Misc.
Vel
℞. *Pulp. pom dulc. sub ciner. coct.* ℥ij.
Farin. hordei,
Fœnugr. an. ℥ß.
Croci ℈ß.

M. f. *Linimentum*, vel Cataplasma molle, quod illitum & dolores sistit, & cutim corrugatum planam & mollem reddit.

Cataplasma hæc etiam in oculorum ambustione usurpari possunt.

Vel applicetur mucilago seminis cydoniorum cum camphora; & saccharo saturni, item albumen ovi cum frustulo aluminis agitatum.

Quodsi verò *in tertio gradu ex cute omnino combusta facta sit crusta* & eschara, tunc mox apertis omnibus pustulis opera danda est, ut primo vel secundo die separetur eschara, applicando scilicet desuper Linimenta, præter empyreuma corrigentia, imprimis emollientia & laxantia; quæ inter mucilago seminis cydoniorum cum spermate ranarum aut aqua ejus extracta, addito butyro non salito, oleo liliorum alborum, & vitello ovi, *vel* ejus oleo, non ultimum meretur locum. Quin & commodè applicatur Linimentum emolliens, paratum *ex butyro recenti, bene agitato in mortario plumbeo cum decocto malvæ*; hoc enim tanquam linimentum illitum, applicando desuper folia brassicæ tepida, subitò separat escharam, id quod fit primo vel secundo die.

Quodsi durior & contumacior non separetur eschara, tunc hæc ipsa ferro aliquot incisuris est incidenda, & sordes ac ichores subtus latentes evacuandæ, ne harum acore ulcus profundum depascens & putridum generetur.

Factâ humoris evacuatione modò memorata Emollientia applicanda, donec separetur eschara, qua separata convenientibus Digestivis & Mundificantibus relictum ulcus est consolidandum: in quo casu etiam unguentum ex calce viva, in aqua frigida sexies vel septies lota, cum oleo rosarum & vitello ovi paratum, unguentum album camphoratum, unguentum alabastrinum, &c. convenienter possunt usurpari & imponi; item emplastrum ex alcalibus Tachenii & Norimbergense.

CAPVT IV.

DE LVXATIONIBVS.

HÆc sufficiant de ulceribus: Pervenimus usque ad *Luxationes*; nam mollium Affectiones Chirurgicas, nempè Tumores, Vulnera & Ulcera absolvimus. Supersunt Affectiones partium durarum, nempè ossium Luxationes & Fracturæ, faciles & cognitu & curatu.

Notum autem est, quod *luxari* dicantur *Ossa*, quando eorum capita ex situ naturali removentur, ita ut *Luxatio* propria sit *ossibus*; *molles* enim ex sede remotæ *non luxari dicuntur, sed transponi*, & affectus tales proprio nomine dicuntur *Herniæ*.

Ossa ex partibus tribus potissimùm constant: quarum prima, ossis media, maxima & durissima portio est: altera Apophysis seu processus dicitur, qui ossis reliquo quidem continuus, ultra tamen illius superficiem protuberans cernitur: tertia Epiphysis seu Appendix dicitur, dum os ossi per contiguitatem immediatam tantùm adnascitur, ejusque superficiem inæqualem reddit. (2) Notandæ in ossibus cavitates; & quidem vel interiores ac medullam recipientes, vel externæ seu sinus dictæ: quarum hæ, quæ circa articulos, si profundiores, κότυλαι seu acetabula; si superficiales γλῆναι appellantur; extra articulos verò quæ deprehenduntur, nomen sinus generale retinent. (3) Membranâ cinguntur, periostium dictâ, exceptis dentibus & ossibus sesamoideis, item extremitatibus ossium reliquorum, quæ mutuò articulantur; & ab hac, quicquid ossa duriora & perfectiora sensus habent, recipiunt, seu potiùs periostium, non autem ossa, sentiunt. (4) Ratione connexionis sciendum, illam fieri aut κατ' ἄρθρον seu per articulationem, aut per σύμφυσιν seu coalescentiam. Articulatio cum motu est, eòque vel obscuro, qualis in costis & harum vertebris, item in ossibus carpi aut tarsi deprehenditur; vel manifestiore, & διάρθρωσις audit, cujusmodi tres numerantur species: prima vocatur ἐνάρθρωσις, inarticulatio, ubi ossis recipientis cavitas insignis est, & illius, quod excipitur, caput satis prominens: altera dicitur ἀρθρωδία, ubi sinus excipiens superficiarius est, & extremitas, quæ excipitur, depressa magis est: tertia γίγγλυμος, cùm os idem excipit & excipitur, ita ut se invicem subintrent. Quæ autem per σύμφυσιν ossium connexio contingit, absque motu est, fitque vel sine medio, vel per medium: Sine medio est (α) sutura in ossibus capitis tantum, ῥαφή; (β) harmonia per lineam simplicem; (γ) per γόμφωσιν seu inclavationem, quæ dentibus & maxillis intercedit. Cum medio iterum triplex est, scilicet aut interveniente cartilagine, & vocatur συγχόνδρωσις; aut ligamento, & dicitur συννεύρωσις; vel carne seu musculo, quam vocant συσσάρκωσιν.

Quando ergo ossa dicto modo connexa ex situ naturali removentur, dicitur Luxatio.

CAUSÆ.

Ista verò remotio fit *duplici ex causa*: vel ob *vim externam*, vel ob *causam internam*. *Luxatio*, quæ fit per *vim externam*, satis manifesta est sensibus & notissima ægro; causa verò interna utplurimum solet esse occulta, & vix sensibilis à priori, sed à posteriori per effectum cognosci potest.

Avi externa fit e. g. in contusionibus, lapsu seu casu, plaga, rupturis violentis, membrorum contorsionibus, & similibus. Uno nomine: quicquid per violentiam ossa loco suo removere, & ita luxationem procurare potest. Si fit *propter causam internam*, utplurimum est obscura; fit tamen manifesta, si consideremus, quod ad hoc, ut os in suo loco naturali & receptaculo debito contineatur, duo requiruntur.

1. *Spatium debitum*, quod in se recipiat os, & cui ossis caput commodè inseri possit. Hoc ipsum receptaculum pro capitulo ossis recipiendo est nunc majus, nunc verò minus. Quod si fiat, ut caput magnum recipiendum sit in cavitate parva, tunc vel vicinorum ossium processibus, vel utrinque adnatis cartilaginibus cavitas talis efformatur seu excavatur, quæ sufficiens sit recipiendo capiti ossis insignioris: Sic enim v. g. in articulatione humeri cum scapula cavitas ista minor pro processu cornoideo & vicinis aliis insignis satis firmandò humero efficitur: sicuti in insertione ossis femoris

ris in os coxæ cavitas hujus superficialis per adnatas cartilagines usque eò ampliatur, ut optimè sufficiat firmando femori.

Hoc est primum requisitum ad firmationem ossis, nempè cavitas sufficiens.

Sequitur

II. Requisitum: Hoc est funiculus, qui firmiter alligat os ita ut motum licet, non tamen loco moveri possit. Tales funes sunt primariò ligamenta, deinde tendines, & tandem musculi: Nam hæ partes tanquam chordæ aut funes super articulos hinc inde pansæ & extensæ, ossium articulationes firmant.

Ex his duobus requisitis ad ossium firmam insertionem ac motum debitum possumus delabi ad cognoscendas causas internas occultas Luxationum: Scilicet quando cavitas ossis, capiti alterius ossis recipiendo dicata, repletur ab alia quacunque materia, necessariò ossis caput extruditur, & ita luxatur; vel quando funiculi ossis, articulationem firmantes, vel relaxantur à causa interna, vel dissecantur à causa externa, os necessariò sua sede excidit. *Repletur* quidem *ossis cavitas* seu receptaculum, aut, ut vocant Anatomici, sinus, imprimis *ob acidum vitiosum & præternaturale*, synoviam, seu liquorem illum blandum glutinosum, pro ossis humectatione ad facilitandum motum & capitis ossis in ejus receptaculo rotationem necessarium, inspissans, incrassans, & coagulans. Nam synovia ab acido vitioso incrassata successivè in gypseam & quasi tartaream coagulatur materiam, à quo coagulo sinus ossis repletur, indeque os insertum sensim sensimque suâ sede extruditur, & ita luxatur.

Pejus adhuc est, si istud coagulum peregrinum os seu caput ossis & annatos nervos successivè jungat cum sinu, & quasi *ferruminando* uniat; hinc enim *immobilitas ossis & membri* tandem sequitur: & quidem *hoc* rariùs fit, *prius* frequentiùs.

Malum *prius*, nempè luxatio à causa interna, familiare esse solet *affectibus arthriticis* obnoxiis, oriundis scilicet *ex acido præternaturali, stomachi* vitio in corpore coacervato: unde etiam in iis, qui *ischiadico malo* laborant, subinde talis luxatio ex tali tartareo coagulo supervenire solet in femore: quia & arthriticorum nodi & tophi in articulis manuum & pedum aliam non agnoscunt originem, quàm talem synoviæ coagulationem ab acido vitioso ortam. Unde etiam tales nullum motum in articulis habent, nec retinere valent.

Ex altera autem parte Ligamenta similesque funiculi nervei laxantur & flaccidi fiunt, & quasi enervantur, unde ossa ex sede sua dilabi patiuntur, ex humiditate serosa salina, fibras nerveas istarum partium laxante, resolvente, simulque stuporem quendam insensilem inferente. Malum hoc iis, qui scorbuto laborant, aut etiam qui affectibus catarrhalibus sunt obnoxii, non infrequens esse solet: nam in his à vitioso scorbutico, aut acido, aut salso rancido sale, vehiculo laticis in partes translato, funiculi nervei laxati & resoluti & ferè insensiles fiunt: unde paralysi scorbuticæ talis subinde articulorum seu ossium in articulis luxatio, & loco suo remotio, supervenit; utut etiam ab externis causis, nempè à contusionibus, à vulneribus transversim factis, ligamenta vel tendines dissecti similem luxationem occasionaliter inferre possunt, qui affectus ad *vulnera* potius pertinent.

DIAGNOSIS.

Os luxatum facilè potest cognosci, si conferatur cum membro altero in longitudine, in figura, & in situ; luxatum enim os seu membrum utplurimum longius evadit parte non luxatâ.

Deinde luxatum membrum vix aut non naturali modo moveri potest, secus atque fit in membro non luxato. Item non habet eandem figuram pars luxata cum non luxata: sæpius minùs recta, minusque extensa est.

Situs denique partis cum aut introrsum, aut extrorsum, aut in alium situm differentem, detortum est os luxatum, facilè monstrat, quodnam malum subsit?

Et quidem luxatio nunc est perfecta, nunc imperfecta: Perfecta, quando articulus seu os omnino è sede sua remotum est: Imperfecta, quando non totaliter è sede sua remotum est os, quin extrusum quidem sit, adhuc tamen in margine receptaculi hæreat.

PROGNOSIS.

Differentia hæc attendenda propter *Prognosin*: nam quò magis perfecta est luxatio, eò difficiliùs curatur; quò minus perfecta, eò faciliùs.

Præ cæteris omnibus luxationibus luxatio ossis femoris curatu est difficillima; sicuti luxatio ossis in talo seu in pedio est omnium periculosissima.

Difficillima est ossis femoris luxatio, quoniam non potest fieri, nisi à causa violentissima, propterea quod os ipsum femoris cum forti ligamento sit alligatum suo receptaculo in osse coxæ, & præterea ambientes musculi insigniores, qui nates constituunt, & femora investiunt, facilè impediunt, quò minus os femoris nisi à violentissima & insigniori causa luxari possit.

Non potest ergo luxari os femoris, Germ. *die Huffte*, nisi ligamentum illud internum (vid. *Anatomia* VESLINGII, ubi habet egregia de structura & usu hujus ligamenti) aut ruptum omnino, aut insigniter laxatum sit.

Quæcunque sit causa, difficulter corrigi potest: Nam ruptum ligamentum consolidationem respuit; laxatum verò difficulter in naturalem tonum restitui potest, cùm in profundo nimis loco situm sit, ita ut applicata topica nihil ferè operari possint, quin eorum virtus & efficacia à musculis ani ferè tota impediatur, interna verò nihil aut parum præstant.

Ergo os femoris luxatum rarò potest restitui, quin sæpius claudicationem per vitam durantem inferat, nisi in tenellis subjectis, v. g. infantibus, in quibus propter diuturniorem quietem, propter fasciationes instituendas, faciliùs potest talis luxatio femoris curari, quàm in adultis.

Periculosissimam verò dixi istam luxationem, quæ fit in pedio, ubi nempè est os tali, calcanei tria ossa Innominata, os cubiculare, &c. Horum luxatio est periculosa, propterea, quoniam ibidem copiosissimi sunt tendines, & ipsa articulatio ossium est talis, ut sede sua remota vix adeo commodè possint restitui, utut rarò perfectè luxentur.

Jam ergo in luxatione hujus pedii, in restitutione sæpissimè dolor; distentis aut laceratis nonnihil tendinibus convulsiones: si mitius est malum, sæpiùs inflammationes; sin læsio tendinum sit insignior, sæpius Fungi articulares superveniunt: imprimis convulsio est metuenda. Ex his ergo & similibus causis periculosissima omnium est luxatio pedii, nam sunt septem ossa.

CURA.

Quoad *Curam* luxationis: hæc pro varietate causarum subinde varianda est; nam si luxatio est *ob vim externam*, vulnus, contusionem, lapsum, & sic porro, tunc membro *extenso* maturè os *reponendum est*, quo facto, nil aliud incumbit Chirurgo, nisi ut commodis ligaturis os firmet, aptèque collocet, ac *inflammationem* facilè superventuram & alios affectus maturè arceat.

Primaria ergo cura luxationis *consistit* in *Repositione*, secundaria in *Firmatione* & symptomatum remotione.

Ad *repositionem* requiritur *Extensio*, ad firmationem Ligatura, ut *in figura media reponatur* membrum luxatum. *Extensio* requiritur, quia in parte luxata partes vicinæ musculosæ firmius contrahuntur; musculi enim omnes sunt tensi, & in se contrahuntur, & breviores redduntur. Necesse est ergo, ut pars *extendatur*, extensa *reponatur*, reposita *firmetur*, & in debito situ collocetur.

Firmatio articuli repositi fit commodis *ligaturis* & *fasciationibus*, fasciis mundis lineis, nunc latis, nunc brevioribus, pro varietate circumstantiarum instituendis.

Fasciationes factæ non sint nimis arctæ seu strictæ, ne compressis aut coarctatis vasis, tam sanguifluis quàm lymphaticis, oriantur Tumores; ex vitio quidem vasorum sanguifluorum inflammatio; ex vitio verò vasorum lymphaticorum œdema, tumorve serosus: ob id Repellentia dicta & Adstringentia, Ger. *die Dorbande*, & cataplasmata ex modò dictis parata, cùm sanguinis & lymphæ motum impediant, in luxationibus sunt vitanda, utut contrarium fieri adhuc soleat in vulgari Chirurgorum Praxi.

Dixi jam fasciationes non nimis esse debere strictas; neque tamen etiam sint nimis laxæ, ne pars semel restituta denuo elabatur ex loco, novamque luxationem inferat.

Ve-

Verùm cum subinde luxationi in principio, vel ante, vel post factam repositionem luxationis, supervenit *inflammatio*, necesse est, ut præcaveatur vel removeatur per medicamenta interna, salina alcalia, imprimis volatilia, aut alia *terrea* vel fixa *diaphoretica*, acidum enervantia, & sanguinem fluidum & mobilem reddentia, sive cum sive sine sudoris provocatione propinentur; sic enim impeditur sanguinis stagnatio: quibus adjungantur *externa*, nunc quidem in loco opposito venæ sectio; postmodum admovenda etiam medicamenta externa pro sanguine resolvendo, eumque fluidum reddendo, & moderatè, si quid restitet, discutiendo.

Quod si fiat, ut jam facta sit inflammatio, antequam membrum repositum sit, nihil priùs tentandum est, quàm inflammatio discussa fuerit, & omninò remota quādiù enim inflammatio durat, tamdiu pars inepta est extensioni; sin verò violentiùs luxatio inflammata extendatur, supervenit ex nimio dolore convulsio interdum lethalis.

Ut ergo inflammatio imminens præcaveatur, vel etiam præsens discutiatur, abluendus est articulus repositus, partesque vicinæ vino tepido, aut, quod melius est, *vino decoctionis* seu ebullitionis vegetabilium aromaticorum, *florum* aut summitatum *hyperici*, *chamomillæ*, verbasci, *rorismarini*, *stæchados Arabicæ*, & similium: E. gr.

℞. *Summ. hyperic. floresc.* M. iß.
Herb. Betonic.
Chamomill.
Rorismar. an. M. j.
Rad. Consol. mai. ℥iij.
Aristol. rotund. ʒvj.
Sem. 4. cal. mai. an. ʒß.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.*
Colat. ℔iß.
adde
Vini infus. salviæ vel *flor. hyper.* ℥vj.
M. S.
Fotus articulorum externus.

Hoc ipso calidè pars foveatur; & ut restituantur fibræ in debitum tonum, humectandæ sunt fasciæ vel sacculi largiter, successivè pro cura luxationis tepidè circumvolvendæ; quandoque etiam fasciæ tali decocto per spongiam imbutæ humidæ & calidæ sunt servandæ: nam tali fomento & sanguinis stagnatio & inflammatio præcavetur, & fibrarum, aut laceratarum, aut dissolutarum, aut distentarum, in luxatione tonus spontè quasi & facilè redibit; unde eò faciliùs luxatio denuo sanabitur. Ubi major adfuerit contusio, augmentanda radix symphyti; ubi vero levis, augeatur radix aristolochiæ; ubi urgent dolores, capita papaveris possunt addi.

Interim in membro luxato, nunc sub luxatione, nunc post repositionem, supervenit *Tumor quandoque œdematosus*. Dicunt fieri affluxum in membrum. In tali *tumore* removendo nihil melius est, quàm ut præmittantur *interna sudorifera*, & loca *externa oleo volatili fortiter penetrante illiniantur*, tam in loco luxato, quàm tumido, ut discutiatur tumor, & pars firmetur. Conveniunt ergo *Litus cum oleo destillato tartari & ossium humanorum*, oleo pinguedinis humanæ, & quæ, quando fiunt nimis fœtida, rectificentur priùs cum *cornu cervi usto*, vel simili parte animalium, uti supra *calcē vivam*; sic fiunt admodum penetrantia & discussiva. Si suspicio sit, hujusmodi *luxationes à coagulo gypseo vel tartareo excitari*, illinantur partes *petroleo*; vel *balsamum Peruvianum*, *cum vitello ovi dissolutum*, *misceatur cum spiritu baccarum iuniperi* temperato, & sub forma linimenti illinatur parti luxatæ; & locis vicinis imponatur vel *fascia sicca calida*, vel, quibus placet, *emplastrum* quoddam *nervinum*, vel *fiat emplastrum ex cera flava & resina albissima*, quibus liquefactis immittatur succini & gummi elemi sufficiens quantitas, ut ita coëant in massam homogeneam, quæ postmodum malaxetur cum *balsamo Peruviano*, & tum abit in emplastrum plus minus spissum; hoc illinantur lintea & applicetur membro luxato, *ita ut non exactè coeat*, *sed extremitates emplastri saltem se contingant*, quia ordinariò aliqualis tumor & intumescentia supervenit partibus luxatis: unde si emplastrum tenacius sibi superimponatur, impedit dictum tumorem, quod non semper consultum est.

Communiter partem, scilicet externam, & membrum totum luxatum, inungunt cum oleo rosarum, liliorum alborum, cum oleo omphacino & similibus, quæ tamen *illinitiones* potius sunt *fugiendæ*, nisi forsan *oleum hyperici* cum *oleo destillato Terebinthinæ* temperatum, commodè admitti possit. Nam ista supra dicta *olea mucilaginosa* oblinendo poros, insensibilem transpirationem impediunt, imprimis cùm luxatio primis diebus sæpè ad aliquod tempus pro robore partis luxatæ sine repetita deligatione relinquenda sit: unde ex talibus oleosis nimius *pruritus* tollitur, dum pars religata fovetur, & abluitur cum *decoctis plantarum nervinarum aromaticarum*, *in aqua coctarum*, quibus tantillum *lixivii communis* additum sit. Item dicta *olea ideo non sunt adhibenda*, cum sint emollientia & laxantia, uti notum est, & si penetrant, nihil aliud præstant, quàm ut fibras nerveas ulteriùs laxent, & ita humorum, ut vocant, affluxui seu stagnationi, aut saltem faciliori reluxationi, ut ita dicam, occasionem dent.

Qui non admovent olea Chirurgi, admovere solent emplastra aut cataplasmata constipantia & adstringentia, ex bolo Armena, terra sigillata, sanguine Draconis, thure, mastiche, cum albumine ovi aut *cera* aut similibus. Hujusmodi tamen cataplasmata & emplastra adstringentia nullo modo adhibenda; utut enim interdum cerā in viscentur, tamen nihil aliud faciunt, nisi quod poros oppleant, cum eorum vis adstrictoria, quæ non nisi per corporalem contactum fit, intus penetrare nequeat: & posito hoc fieri, si validè partes nerveæ fibrosæ à luxatione extensæ adstringantur, firmabitur equidem membrum, sed metus est, ne dum semper circa articulum luxatum aliqualis fieri soleat intumescentia, ne, arctatis porulis intimis, sanguinis motus impediatur, & inflammatio aliusque tumor exinde inducatur. Adhæc insulsum est, velle *fibras laxas in tonum naturalem redigere hisce adstringentibus*; genuina enim restrictio aut restauratio fibrarum nervearum fit per *aromatica volatilia* nervosa, vel *fotuum* formâ, vel *emplastrorum*, applicanda, v. g. ex *gummi elemi*, *succino*, *balsamo Peruviano*, &c. & aliquod tempus continuanda.

Hæc est cura luxationis, factæ à vi externa. Quæ verò *luxatio* fit propter os, *ob coagulum gypseum* à sua sede remotum, alia requirit remedia, nempè talia, quæ materiam istam coagulatam denuo resolvere & attenuare valent, quod in incipiente faciliùs fieri potest: in facta verò coagulatione & firmata luxatione negotium est penitus difficile, imo ut plurimum frustraneum. Conveniunt ergo, speciatim imminente coagulatione, interna remedia, quæ acidum quodcunque destruunt, tam fixa quàm volatilia, & *acriora resolventia*, quæ & præcavent talia coagula, & eadem jam facta imprimis resolvunt. Ex horum censu comperta partim, partim laudanda sunt remedia ex tartaro, ex quo parata volatilia utramque faciunt paginam in hujusmodi morbis articularibus, ab acido vitioso ortis; hoc enim ablato coagulum solvitur sensim: sive sit spiritus tartari volatilis ex fæcibus vini paratus, sive sit spiritus tartari volatilis cum ana nitri per retortam tubulatam pulsus, sive, qui modus est optimus, qui ex tartaro per fermentationem cum proprio alcali præparatur, spiritus insigniter penetrans. Hujusmodi tartarea medicamenta coagula talia continuato usu optimè resolvunt. Post hæc tartarea, *salia volatilia quæcunque*, ut *sal ammoniacum*, spiritus & *sal* volatile *ossium humanorum*, sunt appropriatissima remedia, præmissis tamen pro ratione circumstantiarum appropriatis laxantibus & sudoriferis ac similibus.

Externè similia acidum destruentia & coagulum resolventia applicanda sunt. Mitius remedium est petroleum, item *balsamus Peruvianus cum vitello ovi* dissolutus, & *cum spiritu vini*, vel simpliciter rectificato, vel cum spiritu iuniperi temperato, *subactus & illitus*. Melior adhuc est *spiritus lumbricorum terrestrium per putrefactionem* paratus, crebriùs inunctus, vel solus, vel mistus cum ana *spiritus salis ammoniaci*; nam hi in loco calido crebriùs inuncti tandem penetrant, & peregrina coagula, quantum possibile, egregiè dissolvunt. *Oleum tartari fœtidum* destillatum horrendum est ratione odoris; nihilominus tamen nobile admodum ratione efficaciæ, vel per se, vel cum *oleo ossium humanorum* aliquoties destillando mixtum, & illitum. Item *emplastrum stipticum Crollii cum oleo Philosophorum malaxatum* & applicatum, sicut etiam convenit *emplastrum de pice Poterii*, quod habet *Cent. 2. Obs.* 10. 13. 39. & 86. Ad cujus imitationem:

℞. *Pic. naval.* ℥ij.
Terebinth. ℥ij.

Liquefactis, & ubi opus fuerit, cum *olei chamomillæ* q. s. subactis, adde successivè inspergendo & bene agitando,

Flor.

Flor. sulphuris ℨij.
Pulv. succini,
Mastich: an. ℨi.
Mista inducatur super *alutam* aut *linteum crassum* in forma quadrata oblonga absque sindone:

D. S.

Emplastrum dissolvens.

Egregium est in doloribus circa os sacrum ac ischium ex nimia onerum gestatione, aut simili causa externa, internarum partium nexum plus minus lædente, natis.

Uno nomine: omnia ea remedia externa, quæ aliàs in *confirmato malo ischiadico* usurpari solent, commodè etiam hic in usum vocantur, cùm omnia sint acidum destruentia & resolventia.

Interdum per accidens evenit, ut, nisi maturè reponantur ossa luxata, tale coagulum peregrinum in ossis sinu reperiatur, à quo enato impeditur postmodum ossis repositio, adeo, ut nisi coagulum istud fuerit remotum, & os reponi nequeat: pro quo egregium est sequens oleum destillatum admodum penetrans, sed gravis odoris:

℞. *Ol. oss. hum. destill.* part. j.
Tartari fœt. part. ij.

Hæc mista affunduntur *calci vivæ* (hæc enim absorbet acidum exoleis, ut ratione salis volatilis fiant penetrantiora) & ita per retortam destillatur oleum penetrans, extrinsecùs illinendum, egregii usus.

Remedia etiam hactenus dicta usurpanda sunt in *luxatione ex coagulatione synoviæ incipiente & imminente*; nam factam jam dissolvere difficillimum est, nisi forsan *Mercurialia* aliquid faciant.

Quodsi verò funiculi laxati aut resoluti quasi occasionem subministrent luxationibus, tunc hæ ipsæ restituuntur præmissis universalibus internis *sudoriferis*, additis *nervinis*, seu sale volatili oleoso constantibus: hinc conveniunt omnia ex ligno *sassafras* parata remedia, quin & spiritus salis ammoniaci oleosus & aromaticus crebrius usurpatus; nam sunt diuturni affectus. Hinc imprimis conducit spiritus lumbricorum terrestrium per fermentationem paratus, & cum eodem parata essentia contra arthritidem vagam erit egregia in hoc casu, in specie, ubi ex radice scorbutica hujusmodi proveniat luxatio & laxatio funiculorum nerveorum. Præ ceteris convenit *Aurum diaphoreticum Poterii*.

Hisce crebriùs & aliquandiu expectando sudorem usurpatis & continuatis, applicanda sunt prætereà externè *nervina aromatica*, & diaphoretica seu discutientia, quæ ipsam partem luxatam & partes nerveas laxatas in naturalem tonum denuò restituunt: quibus subjungenda sunt adstringentia, nervinis temperata, ut firmetur pars læsa in naturali tono.

Pro qua cura optima & satis accurata est methodus, quæ præscripta & usu experta est ab HILDANO *Cent. 6. Obs.* 100. methodus non est inelegans, & quæ facilè in quibusdam potest emendari. Ergo Lumbricalia etiam hic externè palmam obtinent; unde ex lumbricis paratus spiritus, & liquor, eo modo, quo præscribitur ab HILDANO *loco citato*, & externè illitus, conducet ad hujusmodi luxationes. Item *essentia contra arthritidem vagam Timæi* internè & externè est proficua. Convenit quoque emplastrum Hildani, aut etiam, quod parari potest, aliud ex sola Tacamahaca & caranna, cum oleo succini destillato malaxatis. Emplastrum tale post frictionem & illinitionem cum lumbricalibus toti articulo, vel ubi tendines sunt articulum firmantes, impositum commodè conducit: aut etiam *emplastrum stipticum Crollii* cum oleo tartari, vel cum *oleo terræ*, modernorum *oleo Philosophorum*, vel cum *petroleo*, subactum, alutæ inductum & applicatum, insigniter in tali casu conferre solet, ubi laxati & resoluti funiculi nervei sunt occasionalis causa luxationis. Oleum terræ illitum ligamentis & tendinibus artuum relaxatis, experimentum fuit BARBETTE; resolvit enim lympham, & firmat ligamenta, non neglectâ vel omissâ debitâ & convenienti fasciatione & deligatione.

In specie, quod attinet encheiresin, pertinet ad Chirurgiam mechanicam. Hæc verò omnibus luxationibus, mutatis mutandis, applicari possunt.

Fit etiam interdum, ut à causa externa simul frangatur, & luxetur os, malum perquam difficile, circa quod necesse est, ut simul curetur *fractura* & *luxatio*. Fiat vel sub puncto *extensionis* & *repositionis*; dum enim extenditur membrum, necesse est, ut luxata & fracta pars eàdem vice reponatur, & sub ista extensione coadaptetur, quo facto ligatura debita instituenda venit.

In *luxata maxilla*, si est à vi externa, repositio est facilis, si ex *utraque* parte luxata sit; si *altera* verò parte maxilla luxetur, promptum remedium est *alapa inflicta*.

Porrò parvum est os, quod *luxatum* varia infert mala, nempè *os coccygis*, quod luxatur tam introrsùm, quàm extrorsùm, ut in partu difficili. Hanc utramque luxationem qui vult cognoscere, & reponendi modum considerare, *vid. Ann. 3.* M. A. N. C. *Obs.* 135.

Luxatio ossis femoris difficillimè curatur, ut maneat firma, quia os femoris conjungitur cum suo acetabulo per firmum ligamentum: quod si luxatum, difficillimum vel planè frustraneum est repositu: *si fractum*, impossibilis est restitutio fibrarum, & claudi fiunt ægri. Hæc de luxatione.

CAPVT V.

DE

FRACTVRIS.

Supersunt tractandæ Fracturæ. Dicitur idem in osse Fractura, quod in parte molli vulnus, ut partes corporis duræ seu ossa à quacunque causa, sæpissimè quidem ab insigni vi, tam externa quàm interna, subitò discontinuata, fracta dicantur.

CAUSÆ.

Utut enim *causæ* omnis fracturæ frequentissimè sint violentiæ externæ, nihilominus tamen observatum est, quod à causa interna, nempè à nimiis convulsionibus artuum, manus & pedes fracti & discontinuati fuerint: Exemplum tale refert *Medicus Norimbergensis* in M. A. N. C. *Ann.* 2. *obs.* 225.

Frangitur os vel secundùm latitudinem, adeòque *transversim*, in quo casu interdum simul insigniter conteritur; *vel* frangitur os *secundùm longitudinem*, adeòque saltem *finditur*, diciturque propriè *Fissura*. Chirurgi nostrates priorem fracturæ speciem vocant German. *einen Schlitzbruch*, imprimis si sit fractura cum vulnere, ita ut aliquid de osse fracto foras promineat; posterior verò species, nempè fissura, vocatur iisdem Germ. *ein Klackbruch*.

Hæ duæ fracturarum species probè sunt discernendæ, cùm differentis admodum sint naturæ, & diversissima etiam post se trahant symptomata.

Per transversum quidem *factæ fracturæ* etiam ab imperitis facillimè *cognosci possunt*, idque tunc imprimis, quando ossa fracta etiam à loco suo commota fuerint: & sive externa vis lædens accesserit, sive ex solo casu ossa fracta sint, non possunt tamen non *urgentes dolores* molestiasque inferre partibus membranosis & fibrosis superjacentibus, qui sunt atrociores, si festuca ossis separata atrociùs partes cutaneas vel membranas læserit aut punxerit. Accedit *Tactus sensus*, quo potest percipi fractura in osse, & eò magis, si sede suâ motum fuerit. Accedit *motus in osse fracto per transversum cessans vel depravatus*, quatenus figura membri circa os fractum mutata est. Accedit, quod sæpissimè membrum fractum appareat brevius aut distortum à simili figura, dum musculi ossa separata trahunt versus suum principium.

Accedunt & *causæ externæ* aliæ, à quibus facillimè ossis

fractura patet. Imprimis autem hoc consideratu dignum est, quod in fractura partium superjacentium musculosarum & nervosarum pori naturales ex contusione à fractura laceratione transformati, simulque ob dolorem & hinc junctam fibrarum nervearum crispationem angustati, facilè cursus motusque sanguinis naturalis & lymphæ impediant, remorentur & sistant; unde præter ordinariam aliqualem partis fractæ intumescentiam, nunc *inflammationes*, nunc *œdemata*, familiares fracturarum sunt comites, sæpius in principio supervenientes.

Non autem confundendi sunt hi tumores, qui in principio fracturæ superveniunt, cum inflammatione aut erysipelate (Chirurgi vocant Germ. *ein Wund-Fieber*, id est *Febris vulneraria*) quæ interdum quarto, quinto aut septimo die post fractum & repositum os supervenire solent, ita ut nunc simpliciter aliquod erysipelas in loco fracturæ efflorescat, nunc horror & rigor, & insequens æstus, erysipelas tale soleat comitari.

Hujus *causa* est varia, in specie tamen supervenit, quando occasione fracturæ partes nerveæ, tendinosæ & membranosæ ; læsæ fuerint, idque in specie in corpore cacochymico, ubi occasione partium nervosarum læsarum, harum nutrimentum proximum alteratur, quod læsum contrahit acorem, & irritando partes nerveas erysipelas infert; qua occasione commota camarina succorum facilè febrem excitare solet, ubi subinde solet esse suspicio *festucarum*, hinc inde ex osse fracto procedentium, & partes vicinas lædentium aut pungentium plus minus.

Hæc ita quidem quoad fracturas transversim factas se habent: quæ quò simpliciores, eò minus periculosæ; sin cum vulnere, sunt multo periculosiores; sin cum abscessu ossis, ita ut officula separata incipiant suppurari, sunt omnium periculosissimæ.

Quod attinet *Fissuras*: hæ etiam sæpissimè in occulto latent, in specie si minores fuerint, & non nisi tardè per varia ac gravia supervenientia symptomata se manifestant: scilicet ex casu vel ex lapsu vel ex saltu fortiori, vel in contusione membri in lapidem perpendicularem, vel similibus, fit subinde, ut findatur in quodam loco os, idque pro constitutione ægri vel naturali, vel præternaturali seu morbosa, vel faciliùs vel difficiliùs.

Hinc *senes* levi occasione & violentiâ incurrunt fracturas ossium, tam transversales quàm longitudinales, quia eorum ossa sunt arida & facilè scissilia, facilèque finduntur; & ii, quibus ex *contagio luis venereæ* per nutrimentum ossium corruptum ipsa ossa cariosa facta sunt, facillimè eorum fracturam patiuntur. Si ergo finditur os, pedetentim *dolor* ibidem locorum exoritur, profundus tamen, & in principio osteocopos, nunc maior nunc minor, pro ratione scissuræ, patiens tamen munera solita adhuc cum isto membro ferè obire potest: hinc levis quidam tumor, interdum rubescens nonnihil, simul successivè se manifestat: verùm hicce in minoribus fissuris tardiùs supervenit, quia ex fissura nutrimentum ossis proximum dilapsum & quasi transudans, intra periostium & partes vicinas successivè alteratur & corrumpitur, & sensim secundùm longitudinem membri defluens usque ad loca articulationi vicina congeritur, ubi tendines copiosiores & arctiùs tensi, progressum ulteriorem impediunt, unde ibidem tandem congestum in abscessum & ulcus transmutatur; dum interea ipsum os in loco scisso corruptionem & cariem concipit, unde infra fissuram enatum ulcus continuo quasi fomite sustentatur & conservatur.

Hæ fissuræ, quæ non sunt adeo raræ, nisi tempestivè fuerint cognitæ, si tandem ulcera ista producant, *vulgo pro abscessibus ex defluxionibus corporis habentur*, quæ Germanis vocantur *Leib Flusse*, cum in loco abscessus facti, omnis cura sit irrita, propterea quoniam obortus abscessus sæpius remotus est longiùs à loco ossis læsi: unde etiam in his casibus internà purgantia & sudorifera, externa verò balsamica quæcunque malum diu protrahunt, nunquam curant, nisi latens & abscondita fissura detegatur.

DIAGNOSIS.

Necesse ergo est, ut Chirurgus sit admodum accuratus & judiciosus in cognitione harum & similium fissurarum & fracturarum secundùm longitudinem, expiscando sedulò causam antecedentem, & dolens & tumens membrum totum pertentando, & hinc inde digitis investigando, utrum per omnia sibi æqualesit, neque aliquid rimulæ vel inæqualitatis, instar fissuræ in baculo quodam fisso, vel in profundo asperitas, signum cariei, percipi queat: perquirat etiam, an in casu v. g. vel motu, sonus quidam & strepitus vel similis in membro læso exaudita fuerint? an brevi post tumor ibidem suborsus fuerit? an non perceperit successivum motum materiæ lentè descendentis quasi in abscessum? & quæ sunt similia signa, ex quibus acutâ conjecturâ fissuras cognoscere debet. Vid. FELIX WURZIUS.

PROGNOSIS.

Fracturæ hæ, prout variant tam ex se, quàm ratione partis fractæ, & ratione partium in consensum tractarum, atque ratione symptomatum, &c. variant.

In genere fissuræ seu *fracturæ ossium secundùm longitudinem*, utut ex omnibus fracturis sint facillimè curatu, tamen difficiliùs cognoscuntur; hinc non ritè curatæ aut neglectæ ulcus post se trahunt: imprimis si in loco fisso ossium caries superveniat, admodum periculosæ sunt, & sæpiùs ad membrorum abscissionem deducunt.

Fracturæ transversales cognitu sunt faciliores, curatu difficiliores.

Fracturæ, in quibus loca ossium sunt minus retusa, ut non habeant multas prominentias acutas, pungentes, ossaque fracta transversim non penitus loco suo remota, faciliùs curantur; quæ verò remotè, difficiliùs longè.

Si in fractum & comminutum fuerit os in frustula & fragmenta, periculosum est; omnino enim conjunctum solet esse vulnus, nunc sensibile nunc occultum, quod sub cute partes membranosas lædit, adeoque abscessus imminet.

Porrò si sit fractura ossium, ubi ossa duo conjuncta sunt, si alterum saltem fractum, minus periculosum est, si verò utrumque, malus est: Nam in osse uno fracto reliquum os firmat membrum, & non tam validâ extensione opus est. Postmodum os sanum etiam fulcri instar se habet, quo alterum non potest loco moveri.

Os fractum in medio sui dat fracturam leviorem, quàm circa articulum: Nam hujus repositio & firmatio longè sunt difficiliores: item circa articulum sunt plures tendines, multi nervi, &c. unde periculum est, ne inferantur varia symptomata.

Item *os fractum, quod tegitur multis musculis*, minus periculi habet ratione symptomatum, quàm quod frangitur circa loca tendinosa & fibrosa: v. g. si tibia circa suras frangitur, minus periculum est, quàm in talo.

Si os fractum sit absque vulnere, & læsione partium mollium, eò levior est cura; si verò cum vulnere partium mollium & contusione, periculosa est fractura, & periculosas inflammationes, dolores, convulsiones, interdum gangrænam, infert.

Si est fractura ossium in plura frustula, subinde necessarium est, ut ossa separentur à se invicem; quod fit nunc citiùs in minoribus, nunc tardiùs in majoribus: citiùs, si ossa penitus fuerint separata; tardiùs, si oscula adhuc hæreant cum membranis.

Ossa præter reliquas substantias, prout sunt vel maiora vel minora, vel magis vel minus porosa, nunc citiùs nunc tardiùs solent consolidari, pro varietate ætatis, constitutionis ægri, vitæ generis, ac similium circumstantiarum; ut plurimùm consolidantur à die 20. ad 25. alia subinde ad 40. 50. vel 60 in majoribus, extenduntur. Minora ossa fracta intra 7. aut 14. diem ferè sanantur; ossa maiora ferè intrà 20. ad 40. præter propter curationem recipiunt.

Præ reliquis *ossa femoris* fracta rarò consolidantur in integrum, quia femur circumseptum est vastissimis musculis, mediantibus quibus fractum os vix ritè reponi vel firmari potest, quin denuò elabatur, vel figuram vitiosam contrahat: adeoque instar regulæ erit, si femur fractum sit, in specie in adultis, sine claudicatione non posse restitui.

CURA.

CURA.

In *Cura* ergò fracturarum *duo scopi* incumbunt Chirurgo, *ossa fracta* in locum naturalem *reponere*, & *reposita firmare*: sic enim supervenit naturæ motus, ferruminans ossa fracta. Fracta ergo ossa *extendantur*, & extensa coaptentur in situm naturalem, tunc necesse est, firmentur, quod fit per *fascias*, vel per *ferulas*. *Firmatum os fractum* postmodum in figura debita est situandum, *media nempè*, & *quæ est consueta agro*: *media* est, quando membrum est in quiete; sic enim quiescunt omnes musculi: Item *consuetudo* hic etiam attendatur. Facto hoc, dum ossa fracta sunt reposita, & oræ sæparatæ denuo ad se invicem admotæ, tunc natura eadem firmiter denuo *conglutinat*, proprium nempè eorum suggerendo alimentum, quo in spatiola ossis separati infuso & indurato, reuniuntur firmiter, ac denuò conglutinantur ipsa ossa. Quod fit *nunc* citiùs, *nunc* tardiùs, pro ratione (1) *ætatis*; in senibus enim tardiùs fit, propter defectum nutrimenti: (2) Ratione sexus: sic imprimis notatu dignum est, quod in *gravidis*, si forsan frangatur os, difficillima & tardissima fit hujus fracti consolidatio, quæ tamen, si supervenit partus naturalis & legitimus, postmodum facillimè ferruminari soleat: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Observat.* 25. *pag.* 91. (3) Ratione *habitus ægri*: succulenti, εὐσάρκοι, sani, &c. citiùs conglutinantur, quàm aridi, phthisici, &c. quò magis accedit nutrimentum.

Modus ferruminandi est is: *Liquor alimentosus chylosus ossium*, spermatico eorum principio similis, per meatus ac poros eorum secundùm longitudinem fibrarum, ex quibus primitus ossa coaluerunt, rependo ea nutrit & auget: dum verò in loco fracturæ rectus & naturalis pororum ac meatuum situs est vitiatus & impeditus, quoque impeditur naturalis & legitimus alimenti cursus, unde hoc circa locum fracturæ stagnat, & per foramina aperta hinc inde uberiùs transudat, successivè congeritur, & ita tandem in similem ossibus duritiem coagulatur, sicque tandem callus appellari solet, qui substantiâ quidem similis est ossi, conformatione verò solâ ab eodem differt.

Nullum ergo aliud directè Chirurgi officium est circa *Fracturas*, nisi, ut ossa extensa priùs probè circa extremitates oris *reponat*, mutuòque conjungat: quorum prius in fracturis per transversum factis tantum locum habet, nempè Extensio; posterius verò, nempè Coniunctio extremitatum, etiam in fissuris probè observandum est. Postmodum ossa reposita ita, in situ naturali conservat, nempè fasciarum circumligatione & ferularum adaptatione, ac denique membri aptâ collocatione. Indirectè tamen etiam circa *conglutinationem ossium* fractorum mediante *callo* Chirurgus est occupatus, facilitando opus naturæ, præcavendo aut tollendo inflammationem, aliaque *symptomata*, & admovendo ea, quæ *balsamum naturale* seu alimentum proximum ossium fractorum conservent, & ita conglutinationem & calli generationem promoveant. *Externè* ergo locum fractum consideret, an adsit *inflammatio* vel *non*? Si adest, hanc priùs curet, antequam tantillum circa fracturam tentet. Curatâ hac, fractura curetur, atque reposito osse, locum fracturæ inungat *spiritu vini calido*, *vel solitario*, *vel cum infusione florum hyperici*: vel illinatur cum *spiritu vini*, cui tertia pars *spiritus lumbricorum terrestrium per putrefactionem* admixta sit, ut se insinuet in poros, & partes nerveas læsas restituat: vel applicetur fotus supra in Luxatione commendatus. *Si insignis* simul *adsit contusio partis*, illinatur *mel cum spiritu vini probè temperatum*; hoc enim loco, nempè in *fractura cum contusione plus minùs intensa*, optimè confert, & contusionem dictam removet, imminentiaque symptomata lenit. Illinatur etiam locus fractus cum *oleo hyperici*, aut fomentando eundem cum vino decoctionis rorismarini, aut inungendo oleum *lumbricorum terrestrium*, quæ debent esse *acuata* cum pauco *oleo destillato terebinthinæ*, & pauco *oleo destillato rorismarini*, aut oleo pinguedinis humanæ ab ossibus humanis calcinatis *rectificato*; quæ singulariter ossibus fractis convenire dicuntur: facto hoc, applicetur *emplastrum* ex tacamahaca, malaxatum cum oleo destillato rorismarini, quò simplicius, eò melius; aut, quod utplurimum usu venit, applicandum emplastrum ad rupturas seu fracturas, Germ. *ein Bruch-Pflaster*, parandum nempè ex cera, resina, & terebinthina: vid. WURZIUS, qui habet simplex emplastrum ex

Resin. albæ pur. ℔j.
Terebinth. ℥iij.

Quæ liquefacta & probè permista super igne, impraegnentur *pulvere radicis nimariæ*, *bistortæ*, & *aristolochiæ rotundæ*, donec invicem subacta coeant in consistentiam emplastri, sub finem addendo parum *olei destillati ossium humanorum*.

Potest meliorari, si addatur *extractum radicis aristolochiæ rotundæ cum spiritu vini*; item si istis invicem liquefactis addatur *pulvis succini*, ut unà liquescant; vel factum emplastrum malaxetur blandè cum *oleo destillato succini*, vel tempore usus cum *balsamo Peruviano*.

In loco ergo fracturæ, postquam conjunctum & repositum fuerit os, imponitur tale emplastrum, ita ut non exactè extremitates emplastri se contingant, non verò sibi invicem supesimponantur, sed ut aliquantisper hiscant, ne superveniat intumescentia. Ceratum mirabile ad concussiones & fracturas videb. in BAPTISTÆ SITONI *Miscell. Med. Tract.* 23. *pag.* 116. Præmitti potest, uti dixi, inunctio loci cum oleis appropriatis, imprimis cum oleo lumbricorum terrestrium, acuato cum oleo destillato rorismarini.

Emplastro applicato imponuntur ferulæ, quæ postmodum conjunguntur per tria ligamenta.

Ligationes & *fasciationes* sint moderatę, ita, ut nec sint nimis arctę, nec nimis laxę: Nam nimis arctę partem suffocant: semper enim in loco fracturę aliqualis supervenit intumescentia, quę impediri nec potest nec debet; Non ergo deligationes nimis strictè sunt adducendę, quia aliàs, si ista intumescentia impediatur, gangręna partis supervenire assolet. A medio seu ipso loco ossis fracti fasciarum deligatio est instituenda, & eędem nunc sursum nunc deorsum pro lege artis sunt ducendę.

Quæritur, an *plures fasciæ* circumligandę sint? an verò saltem sufficiat *emplastrum cum ferulis*? *Resp.* Pars fracta *vel* est fracta in loco musculis destituto, & magis tendinoso & membranoso, *vel non*: *Si prius*, musculi sunt loco multiplicium fasciarum circumvolutarum, & non opus est multis fasciis involvendis: *Si posterius*, ut firmentur meliùs ossa, convenienter fasciis duabus contrario situ circumductis (*una scilicet ad dextram*, *altera ad sinistram ducta*) pars est fascianda, & adaptentur ferulę.

Ferularum numerus nimius, earumque arcta nimis collectio seu connexio est nociva; sępissimè tres sufficiunt, rarius ultra quatuor adscendendum est; eęque ad digiti distantiam à se invicem sint remotę, ne comprimendo dolorem, aut etiam intumescentię impedimentum afferant.

Fugienda ergo *sunt in fracturis cataplasmata quæcunque* ex pulveribus adstringentibus, bolo Armena, rosis, balaustiis, *thure*, sanguine Draconis, & similibus, cum ovi albumine exceptis, sed pravâ consuetudine, parata; quia poros obstruunt, partem incrustant, insensibilem transpirationem impediunt, & nihil juvant, quin potius nonnulla mala inducunt. Ista etiam ex *succino*, *mastiche*, *terra lemnia*, &c. quia ex illis nullus major fructus, quàm ex cera, expectari potest. Sin applicanda sint cataplasmata, ea paranda sunt ex vulnerariis appropriatis, nempè ex geranio Robertiano, contuso & instar cataplasmatis imposito: inungatur locus fractus oleo hyperici, hinc imponatur cataplasma ex pulvere radicis bistortę in vino infuso: Hoc enim fit commodè pro adiuvanda consolidatione ossis fractis, & impedienda aut pręcavenda inflammatione.

Non incongruum est *Unguentum* BARTHOLINI *C.* 6. *Histor.* 25. si post tres vel quatuor dies & noctes fascię resolvantur, & consideretur locus fractus; ibi, ubi consultum est, *abluantur vel aqua simplici*, *vel cum vino Decoctionis plantarum nervinarum & vulnerariarum*, *vel similium*.

Cum his externis coniungi etiam possunt commodè *interna* quędam, quæ *promouent callum & præcauent symptomata*; inter quę eminent *vulneraria*, quibus semper *Rosmarinus* addendus est: eminet etiam *herba agrimoniæ*, *consolida maior*, *Geranium Robertianum*, *sabina*, aliaque ulceraria in vulnerum & ulcerum cura recensita.

Prę cęteris osteocollę lapis, à ʒß. ad ʒi. in aqua symphyti majoris, vel *vino*, vel aceto, vel *decocto vincæ pervincę*, repetitis vicibus usurpatus, est appropriatissimus, cuius mi-

ra est efficacia in adjuvanda consolidatione ossium fractorum, & in promovendo callo, adeo ut interdum etiam, si nimis diu usurpetur, magnum nimis callum producat: Vid. TACHENIUS *Princ. Morbor. pag.* 140. HILDANUS *Cent.* 1. *Obs.* 91. & *Cent.* 3. *Obs.* 90. Per experientiam hoc certum est, quod osteocolle lapis sit mirabilis. Quo autem modo operetur, est ferè obscurissimum; tam durus enim est, ut neque igne calcinari, neque menstruis corrosivis commodè corrodi possit: multò minus ergo à stomacho erit resolubilis. Quicquid sit, tamen singularissimus est in callis ossium fractorum generandis, & augmentandis. Eminet quoque *pulvis Fabricii* Hildani ex lapide osteocolle:

℞. *Lap. osteocoll. præp.* ℥j.
Cinnam. el. ʒiij.
Sacch. ℥j.
M. f. Pulvis. Dos. ʒij.

Quodsi in fracturis, imprimis cum contusionibus, Nervi, *Ligamenta*, *Tendines*, & similes partes nerveæ, circa fracturas sint dislocatæ & quasi contortæ, tunc ad torsiones istas partium nervosarum sequens *Ceratum Foresti* est admodum commendatum, quod post diem septimum fracturæ imponit ad læsionem tollendam:

℞. *Rad. sigill. Salom.* ℥iv.
Alth. ℥j.
Fol. Plantag. M. ij.
Pulverif. coqu. ad consistent. pultis;
cui adde
Ceræ alb. q. s. pro Cerato molli, miscendo cum
Ol. Rosar.
Myrtillor. an. ℥ij.
Terebinth. clar. ℥iß.
Vngu. Ægypt.
Dialth. an. ℥j.
Boli Arm. ʒvj.
Sangu. dracon. ʒiij.
Thuris ʒj.
Santal omn. ʒij.
M. f. Ceratum.

Cujus usus est, ut post septimum diem calidè imponatur contra prædictos nervorum affectus.

Hæc modò dicta imprimis locum habent in ossium fracturis per transversum factis.

Fissuras quod attinet: si recentes sint, facilè curantur, si loco tumenti & nonnihil dolenti, ubi suspicio est fracturæ, applicetur emplastrum ad fracturas conveniens ex supra dictis, v. g. ex resina cum radice symphyti & similibus paratum; vel etiam omissis *ferulis*, pro ratione circumstantiarum, membrum deligatum quietum contineatur, sic namque nutrimenti ossis corruptio impeditur, quin cum facta jam corrigetur, & fractura facilè consolidabitur.

Quodsi in fissura recenti *tumor insignis*, *mollis* tamen & *tractabilis*, adsit, quod signum est collecti circa locum affectum aut sanguinis aut alius liquoris ex osse fisso transudantis, tunc aperiendus est tumor scalpello, ex liquori contento parandus est exitus: vulnusculum servetur apertum per turundam, & hinc tractetur tanquam fractura cum vulnere; sic enim facilè consolidabitur & os fractum, & etiam vulnus inflictum.

Quodsi verò, aut ignorantia Chirurgi, aut ex neglectu ipsius ægri, temporis diuturnitate fissura degeneravit in ulcus & abscessum, tunc tumor & abscessus facta aliquali maturatione *aperiendus*, & apertura usque *ad locum fissuræ* continuanda, ut ibidem os fractum, sæpissimè simul successu temporis redditum cariosum, commodè curari possit, &c. vel *pulvis euphorbii*, vel solus vel cum ana radicis iridis Florentinæ, inspergatur; tunc enim abscessus facilè mundificantibus ac consolidantibus curari in totum poterit: de quibus casibus nemo unquam meliùs scripsit, quàm FELIX WURZ *in sua Chirurgia*, qui sanè Chirurgorum Germanorum optimus & antesignanus est, ut eum vocat HELMONTIUS.

Hæc in genere de Fracturis per transversum & cum Fissuris.

Et quidem *Fracturæ* hæ nunc sunt simplices, nunc sunt *complicatæ cum vulnere*, ita ut & os frangatur, & superstratæ partes molles musculosæ lacerentur atque pungantur.

Post extensionem ergò & repositionem ossis vulnus considerandum venit: Et ubi nihil de osse abscessurum metuitur, labia vulneris vel *suturis* vel *glutine* conjungenda sunt, & *balsamo vulnerario* tractanda: *Emplastrum* in loco vulneris perforatum seu foraminulatum fracturæ applicandum, ut ita beneficio foraminis commodè vulnus tractari possit: hinc *ferulis & fasciis* convenienti modo pars læsa tractanda & deliganda, & quotidie semel aut bis pro ratione circumstantiarum est medicanda vel religanda; quod in simplici fractura tertio demum die fieri solet, ut nempè religetur fasciatio prima.

Quod si verò ossis fracti particulæ insignes extra vulnus promineant, ita ut jam ab ambiente aere alteratæ, & quod citò fit, cadaverisatæ fuerint, tunc pars ossis eminens aut lima abradenda, aut tenaciùs adhærens separanda: id quod etiam fieri necesse est, si eminens os & cutim perforans, dextrè reponi nequeat. Sin verò os adhuc sanum & non alteratum sit, tunc denuò in *situm convenientem* more solito restituendum est, *vulnusque factum per unguenta digestiva* imposita diutiùs apertum servandum. Ulcusculum, si est majus, per cutem adducatur; si parvum, relinquatur, apertum tamen servetur, idque eum in finem, ut particulæ & frustula ossium interdum in fracturis per transversim à toto separatæ, si forsan coalescere cum reliquo osse nequeant, per vulnus foras extrudi aut etiam extrahi possint.

Quodsi mox in principio officula talia omninò separata se manifestent, volsellâ saltim sunt extrahenda; sin verò tantillum adhuc cum toto aut cum periostio saltim cohæreant, naturæ integrum committendum negotium, quæ nunc talia ossa omnino separat, nunc verò denuo eadem consolidat; hoc ipsum verò cum lentè fieri soleat, adjuvanda est ossis facilior conglutinatio unguento parato ex

Mellis virg. ℥iß.
Misti cum
Pulv. lumbric. terrestr. ʒiij.

Quod applicatum convenienter ossis separationem adjuvat: vid. BARBETTE *in Chirurg.*

Vel etiam, quod melius est:

℞. *Pulv. aloes*,
Myrrhæ an. ℥ß.
Rad. consol. mai.
Aristol. rotund. an. ʒiij.
Euphorb. ʒij.
Terebinth.
Ceræ an. q. s.

M. in formam Linimenti seu unguenti, quo illitum vulnus promovet officulorum separationem, si denuo cum toto consolidari nequeant.

Si osse fracto denuo coalito *callus* nimis magnus genitus sit, corrigendus & imminuendus est, si quod docet HILDANUS *Cent.* 1. *Obs.* 91. Si non habeat *debitam figuram*, opus est interdum, ut corrigatur, quod facilè fit callus nondum est firmatus; si verò est firmatus, sine noxa deformitas non potest curari. Si os iterum frangatur, non frangitur in callo, sed circa callum.

De *Fractura* vid. in specie Autores Chirurgici.





CA-

CAPUT VI.

DE

GANGRÆNA & SPHACELO.

DEnique communis omnium affectuum Chirurgorum affectio est partis omnimoda corruptio, *Gangræna* & *Sphacelus*: quæ voces ex modernorum usu, uti alio in loco monui, ubi nempè de Phrenitide, longè aliud quid significant, quàm apud Veteres. Nihil novi est, ex *luxationibus* partim per se, partim ex *inflammatione* superveniente, corripi partes gangræna & sphacelo: Fracturæ obnoxiæ sunt gangrænæ & sphacelo: Vulneribus non ritè curatis facilè gangræna supervenit: Ulcera cacoethea subinde gangrænam concipiunt: *Tumores*, imprimis *sanguineos*, comitari solet gangræna & sphacelus. Imprimis distinguendum inter gangrænam & sphacelum est: Gangræna jam *significat incipientem partis mortificationem*; hinc Germanis audit, *der heiße Brand*, quia cum dolore & aliquali ardore adhuc est conjuncta: *Sphacelus* verò, ut propriè loquuntur, *Necrosis*, è contrà *est perfecta mortificatio partis*, & omnimoda *vitalitatis carentia*; Germanis *der Kalte Brand*. *Differunt* ergo saltem *gradualiter gangræna* & imminens *spacelus*.

CAUSÆ.

Oritur *vel* à *Causa* externa *vel* interna: *Externæ* sunt contusiones, luxationes, lacerationes, morsus animalium venenatorum, & similes: *Internæ* verò morbi pestilentiales, variolæ, morbi chronici cum tumoribus juncti; hujusmodi enim in morbis supervenit gangræna, in specie in pollice pedis, qui nonnihil lividus fit, accipit pustulam, sub hac maculam nigricantem, subitò tamen pergit, & integram tibiam occupat.

Ut sim brevis:

Causa gangrænæ & sphaceli in genere sunt ea, quæ quacunque ratione sanguinis & spirituum vitalium distributionem, & per partes circulationem, inhibere valent. Hâc enim ex parte toto in quodam loco aut membro impeditâ & sublata pars nativum vigorem omnem amittit: hinc est, quod vix sæpius oriantur gangrænæ & sphaceli, quàm ex inflammationibus malè curatis, imprimis si parti inflammatæ per emplastica imprudenter admota impediatur insensilis transpiratio; tunc enim sanguis extravasatus stagnans corrumpitur, ex toto putrescit, & partis inflammatæ gangrænam post se trahit: quæ quidem incipiens, est gangræna, confirmata est sphacelus. Imprimis erysipelata per unguenta oleosa aut mucilaginosa insulsè tractata subitò serpentem inducunt gangrænam.

Quoad *Causas proximas*: communiter & rectè dicunt, gangrænam & sphacelum esse partis mortificationem, hujusque causam esse calidi nativi extinctionem. Calidum verò hoc consistit in acido volatili & spirituoso, quod principii agentis instar se habet in structura & coagulatione partis seu formatione partis. Hoc acidum ergo vitale conservatur & restauratur continuò à sanguine & spiritu vitali influentibus salsis, & occultè acidis. Quæcunque ergo acidum istud destruunt, vel fomitem ejus impedire valent, omnia gangrænam & hinc sphacelum inferunt, adeò *ut exinde sequatur*, quod *in gangræna & sphacelo peccet imprimis alcali*, quatenus propter acidi destructionem emergit, vel quatenus in se genitum acidum destruere valent. Hinc subindè post gangrænam & sphacelum supervenit partis fœtor & putredo, signum alcali agentis in acidum, & dissolventis sulphur partis. Et quidem oriuntur hę ipsę mortificationes imprimis in partibus nervosis, minus in partibus sanguineis.

Causæ remotæ sunt, quæ illud acidum dissolvunt, & sulphuris partes destruunt. Causæ remotæ, quæ ita acidum destruere valent, *agunt* hoc loco *vel* immediatè *vel* mediatè. *Mediatè*, quæ fomitem ejus, nempè influxum sanguinis & spiritus vitalis, impedire solent, ut *ligatura fortis*, *contusiones*, *lacerationes*, & *similia*, quorum occasione propter vasa læsa impeditur influxus sanguinis & spiritus vitalis; & propter hanc causam *partes nerveæ* præ reliquis maximè proclives sunt ad gangrænam & sphacelum, quòd minus sanguine & spiritibus vitalibus irrorari soleant. *Immediatè* verò partem lædunt imprimis *insensibilis transpiratio prohibita*, quæ detenta acrior redditur, & acidum vitale destruendo partem mortificat: *Venena* & *morbi maligni*, *morsus animalium venenatorum*, quæ fermento suo maligno alcalinæ prosapiæ acidum destruunt, & sphacelum inferre possunt. Conducunt etiam ad gangrænam ulcera maligna, item inveterata quæcunque, item ulcera cancrosa, uti etiam *refrigeratio partium* nimia; hinc enim interdum ex frigore extrinsecùs irruente partes gangrænosæ fiunt, quia occlusis poris impeditur transpiratio, & affluxus sanguinis grumescit, unde gangrænam contrahit; Uti etiam nimis firmæ ligaturæ externæ interdum hoc malum inducunt: id quod fit interdum, si in ossium fracturis locus fractus arctè nimis ligetur; nam uti suo loco habebimus, in omni fractura aliqualis circa locum fractum supervenit necessariò tumor, unde si nimis arctè ligetur tunc fractura, periculum est, ne hinc sanguinis motu impedito, inflammatio ac gangræna superveniat.

DIAGNOSIS.

Signa gangrænæ imprimis monstrat in inflammationibus, in ulceribus, item in vulneribus partim nervosarum, color floridus nativus plus minus rubicundus, qui mutatur in pallidum obscurum, sublivescentem aut cœruleum seu cœrulescentem, qui in sphacelo exactè nigrescit. Sub his colorum mutationibus caro partis gangrænosæ antea tensa mox evadit flaccida, mollis, & quasi omni tono ac vigore destituta, ita ut in facto iam sphacelo cutis sponte à partibus separetur, & aqua quædam decolor pravi odoris effluere solet. In parte ipsa nullus arteriarum pulsus sentitur, in incipiente verò igniter pulsat; sicuti etiam sensatio ipsa tactus successivè imminuitur, quæ ex toto aboletur in sphacelo; in ipso pars nigrescens odorem cadaverosum spirare incipit. In imminente quidem est acerbus dolor, sed pedetentim evanescit. Calor in parte imminuitur, & pars antea calida remittit, hinc manifestè tepet, tandem friget. Hæc manifesta sunt in gangræna & sphacelo, quæ insequuntur inflammationem.

Quod si ulcus evadat gangrænosum, præter dicta signa nullas sordes seu nullam materiam, ut vocant, generare solet, aut si quid est materiæ, est pauca, decolor ac fœtida.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: præter modò dicta sphacelus est incurabilis, nisi pars mortua ex toto fuerit separata.

Gangræna & sphacelus, quando oriuntur à causa interna, sæpissimè sunt lethales: Auferatur enim licèt integra pars gangrænosa, in opposita tamen vel alia parte iterum regerminabit malum, & necessariò mortem post se trahit. Hoc certissimum est.

Si ab interna causa gangręna exsurgat in extremitate pedum, tunc certus fit ęger de morte, quę successivè, dum serpit gangręna, necessariò supervenit, sive manus sive pedes amputentur: *Fermentum* enim istud inquinans sanguinem, & ejusdem sulphur vitale per modum malignitatis destruit, & sic ad mortem perducit.

Partes quò magis sunt sanguineę, vel carneę, eò minus corripiuntur gangręnâ & sphacelo, & facilius curantur; partes verò nerveę ut faciliùs corripiuntur his affectibus, ita difficiliùs curantur.

Gangręna ab externa causa orta curari potest, si maturè succurratur; ablata enim parte corruptâ, reliquum corporis permanet sanum.

Prę ceteris *nota est cautela servanda*, ne decipiamur in cognoscenda gangręna & sphacelo: nempè si fiat, ut pars sphaceli interdum motum adhuc habeat, quatenus movetur aten-

à tendine oblongo, cujus musculus sit sanus: Ne ergo partem mortificatam pro sana habeamus, cautissimus, ut reliqua signa conferamus.

CURA.

In *Cura* ergo Gangrænæ ejusdem progressus est inhibendus; in *sphacelo* verò pars jam mortificata separanda, & ulterior mortificatio præcavenda ac sistenda venit. Præstamus hoc internis & externis. *Interna* sunt omnia sudorifera alexipharmaca, qualia sunt *Camphora*, quæ interné & externè est optima, *spiritus vini camphoratus*, *spiritus theriacalis camphoratus*, essentia & spiritus baccarum sambuci, spiritus cornu cervi proprio sale acuatus, theriaca in spiritu vini camphorato propinata, elixyr proprietatis præservativum, sive cum spiritu vini camphorato, vel spiritu theriacali camphorato præparatum, & similia putredini potenter resistentia; *aqua scordii*, *cornu cervi citrata*, cum *camphora* & similibus, sunt remedia, quæ in morbis malignis usurpantur, hìc possunt administrari. Fuit hæc *mixtura Tilemanni*:

℞. *Theriac.*
Flor. sulphuris an. ℥ß.
Rad. Ireos flor. ʒvi.
Spirit. vini ℥vj.

Mixturæ hujus propinentur duo vel tria cochlearia, & exspectetur sudor:

℞. *Aqua card. bened.*
Scord. an. ℥iß.
Spiritus theriac. camphor. ʒß. ad ʒvii.
Theriac. Androm. ʒj.
Cornu cervi sine igne ℈ij.
Antimonii diaphor. ʒß.
Syr. ex toto citro ℥j.
M. D. S.
Potio præservans & confortativa.

Externè in metu gangrænæ, aut hac saltem incipiente, mirè conducit spiritus vini vel simplex, vel spiritus vini theriacalis, vel spiritus theriacalis camphoratus, cum linteo calidè impositus; aut, quod melius est, spiritus vini permisceatur probè cum aloe, thure & myrrha, & hæc invicem permista imponantur: Hæc enim mirè conducunt ad gangrænam incipientem. Loco spiritus vini simplicis longè præferendus est spiritus vini theriacalis vel camphoratus: Nam in camphora singularia latent ad curam gangrænæ experimenta. Item cùm in gangræna immineat mortificatio acidi, externè vel acida, vel salso-acida primatum obtinent: Hinc muria seu brodium brassicæ acidæ experimentum est elegans ad sistendam gangrænam. *Decoctum calcis vivæ* mirabile est in gangræna, *vel* solitarium, *vel* si in eodem *decoquatur sulphur*, *vel* in decocto calcis vivæ dissolvatur *Mercurius dulcis*, addito spiritu vini, quod vocant *Galli aquam phagedænicam*, quam mox ceu expertissimum experimentum ulceribus applicant, præmissa, si opus est, scarificatione. Certè singulare experimentum, uti monui, habetur hæc aqua calcis vivæ cum Mercurio dulci, & spiritu vini, si cum hac abluantur membra, vel ulceribus ipsis lintea duplicata hàc aquâ calidâ madefacta continuò imponantur, & sæpissimè repetantur. *Decoctum scoriarum* antimonii in aceto sistit gangrænam; vid. RIVERIUS *Cent.* 4. *Obser.* 50. vel ex MINDERERO *decoctum salis ammoniaci in urina ægri* applicetur. In usu etiam est scordium applicatum, quod ex vegetabili regno vix ulli cedit remedio ad curam gangrænæ, sive lixivium decocti scordii solum, aut cum radice scorzoneræ & vincetoxici, imponatur; nam hæc lixivia commoda admodum sunt & proficua; sicut & succus urticæ cum linteis duplicatis applicari solet contra ulteriorem gangrænæ progressum. Vel

℞. *Rad. Valerian.*
Obstrut.
Angel. an. ℥i.
Herb. Scord.
Salu.
Summ. absinth.
Flor. chamomill.
Sambuci,
Bacc. iunip. an. M. I.
Myrrh. ʒil.
Incis. & contus. coqu. in
Vini generosi Mens. ii. in vase clauso:
Colaturæ adde
Camph. ʒil.
Misc. & calidè applicetur.

Gangræna faciei à morbillis relicta aquâ marinâ, cui incoctum fuit absinthium, curata vid. in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 2. *pag.* 2. & *Ann.* 4. & 5. *obs* 60. *pag.* 50.

Quin & apud multos usus obtinuit, ut imponatur cataplasma ex scordio, scabiosa, alliaria, absinthio, hyssopo, salvia, agrimonia & similibus, quæ cum aqua calcis vivæ dilutiore simul decoctæ dant cataplasma admodum egregium. Radix bryoniæ recens contusa aut rasa in forma cataplasmatis imponatur, vel sola, vel cum cherefolio mista. His cataplasmatis sunt qui præferunt *cataplasma* paratum ex *farina lupinorum*, *fabarum*, ac similium cum lixivio dulci vel oxymelite, & gangrænæ impositum, cùm quidam asserant, decocto lupinorum cum vino albo & lixivio, addito parum *croci*, nihil requiri posse potentius ad coercendam gangrænam. Item poma putrida contusa sine liquoris ullius affusione cocta in gangræna felicissimo cum successu adhibita, vid. in M. A. N. C. *Anno* 3. *obs.* 321. Pertinet huc etiam fermentum cerevisiæ, vid. BARTHOLINUS *Cent.* 5. *Hist.* 41.

Caput mortuum aquæ fortis contusum, & decoctum cum aqua rosarum, in qua summitates panni lintei sunt intincti, & applicati aliquoties calidè gangrænæ.

In graviori gangræna, præmissa partis profunda scarificatione, conducit *fimus equinus*, coctus in vino, aut aceto, aut urina humana, cum vel sine mica panis, & instar cataplasmatis applicatus fuit remedium expertum & secretum SYLVII atque BARBETTE. Vel cum eodem fimo sequens parari potest cataplasma:

℞. *Summ. absinth.*
Flor. Chamomill.
Samb. an. M. iß.
Herb. Scord. M. iß.
Rutæ M. i.
Micæ panis similag. (potest etiam omitti) ℥vii.
Fimi caball. sive *equini* ℥iii.
Coqu. ex *aqua muriat.* (Germano nomine *Laacke*)
Sub finem addendo
Atram. ℥il.
Spirit. vini ℥iil.
Mista hæc imponantur.

Vel eluatur scarificata pars cum muria, vel cum decocto calcis vivæ, vel *decocto Riverii in Obs.* 24. *à Fomio communicata*, acuato cum vino Hispanico, spiritu vini rectificato, camphorato theriacali, aut cum spiritu salis ammoniaci, essentia myrrhæ, &c. in quibus aliquid unguenti lithargyrii dissolvendum. Huc etiam pertinet *Lotio Hildani de Gangræna & Sphacelo*; vel *Riverii l. a. obs.* 22. ex vino, sale, melle, & aceto. Vel

℞. *Muriæ* ℥iv.
Spir. vini camph. ℥ii.
Ungu. Ægypt. ʒii.
Misc.

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔j.
Spir. theriac. camphor. ℥iii.
Mercur. sublimati ʒß.
Misc.

Scarificationis hoc modò probè elotis imponatur vel Mercurius sublimatus solus, vel cum alumine, capite mortuo vitrioli, myrrha & aloë mixtus; item lapis medicamentosus Crollii, similiaque escharotica; aut cum plumaceolis applicetur butyrum antimonii, cujus singularem usum RIVERIUS *Cent.* 1. *obs* 84. commendat.

Quodsi gangræna sit gravior, & incipiens iam *sphacelus*, loco scarificato largiter inungendum est unguentum Ægyptiacum, & modò dicta unguenta vel cataplasmata imponenda. Sanguis talpæ, si in papyro exsiccetur, illudque postmodum sub usu humectetur cum aqua, & imponatur, contra sphacelum & gangrænam laudatur.

Quodsi verò jam in sphacelum degeneraverit gangræna, mortuum ex toto separandum est à parte sana.

Quæritur: quomodo pars ægra à corpore separanda? Usus obtinuit amputare membra, quod fit *vel* ferro candente *vel* candefacto, inurendo partem tamdiu, donec ægri percipiant. De loco controvertitur, an in articulo, an prope articulum instituenda sit amputatio? v. g. an in gangræna tibiæ amputandus sit pes sphacelatus infra genu? an verò permittendus sit progressus mortificationi usque ad articulum, & ita instituenda amputatio? Experientia hac in parte

parte ferat judicium, quę docet, cum minori symptomatum proventu, & cum minori ęgri jam convalescentis incommodo in actionibus fieri amputationem infrà articulum, latitudine præterpropter unius palmæ, German. *eine Hand breit unter dem Gelencke*; sic enim optimè potest curari, ac æger partem, mutilatam licèt, pro actionibus usurpare potest.

Ulterius *quæstio* est: an amputatio sit facienda in parte præcisè, ubi cessat mortificatio? an in parte sana? an verò in parte mortificata? *Respondeo*: Si à causa oriatur interna gangręna, necesse est semper, ut largiter in parte sana fiat amputatio, ut nempè sic possit impediri recursus gangrænæ in aliam partem; periculum enim est, ne sub cute ulterius serpserit malum, quàm extrinsecùs appareat. Si verò gangręna aut sphacelus simpliciter ab externa proveniat causa, sufficit in contermino partis mortuæ cum sana instituere amputationem, & ęgra cutis tam firmiter ducatur deorsum, ut sic aliquid de parte sana amputetur; vel in ipsa etiam parte mortua amputatio institui potest, modò id, quod adhuc de sphacelo restitat, admoto ferro candente removeatur.

Amputatio fit cum cultris falcatis (Germ. *mit Krummen Messern*,) iisque nudis, qui mos est Gallorum; vel cultris ignitis, qui mos est Italorum: (Prior est convenientior, posterior magis dolorosus, utut non tanta succedat hemorrhagia:) postmodum cum serra pro ossibus. BORELLVS habet singulare instrumentum, cum quo in ictu possit separari pars ęgra. Hęmorrhagia impeditur applicatione pulveris cujusdam styptici, vel solius terrę vitrioli dulcis, vel, quo nil prestantius, pulveris stercoris suilli. Quidam vitriolum Martis & alumen anatica proportione in succo plantaginis, vel aqua ejusdem destillata solvunt, quâ solutione lintea madefacta imponunt. Quidam inspersis pulveribus stypticis crepitum lupi superimponunt, & ultimò cum *emplastro diachalcitidis Hildani* cooperiunt. Aliàs quomodo partes amputandę, & hęmorrhagia reprimenda, vid. *Scriptores Chirurg.*

Nostrates nimis abhorrent amputationem: hinc alius est modus separandi mortuum à sano beneficio butyri antimonii, si scilicet hoc ipso ducatur circulus ibi, ubi desinit mortificatio. Hoc ipso enim, uti aliàs monui de anthrace & carbunculo, circumductus circulus si fit sanabilis sphacelus & gangræna, promptè separatur sanum ab ægro seu mortuo, ita ut dehiscat mortuum à sano, & progressus ulterior mortificationis impediatur, hinc postmodum instar ulceris recentis, nempè suppurantibus & mundificantibus pars sana curari possit. Vel si sphacelus non adeò profundus processerit, necesse est, ut locus scarificetur profundè, locus scarificatus eluatur lixivio, cui addita sit farina lupinorum & aloë; vel eluatur cum *aceto*, *mixto cum spiritu vini*, postmodum applicetur *unguentum Ægyptiacum*, vel *vulgare*, vel *Hildani*, quo loca scarificata illinantur; vel loco hujus recipiatur Mercurius præcipitatus, & misceatur cum unguento quocunque mundificativo, & illinantur scarificatæ partes; vel ad imitationem HARTMANNI est *elegans remedium* Mercurius præcipitatus cum oleo nucum coctus in consistentiam linimenti obscuri, quo illinatur pars sana & ægra. Facit huc curiosa observatio THIERMAYERS *Conf. lib. 1. pag.* 106. ubi scrotum in variolis sphacelatum per præcipitatum rubrum cum unguento rosato digestivo mixtum, separatum & resarcitum.

Dum hæc fiunt, ultra talia, quę hinc inde applicantur, ad mortificationem tollendam *Epithema* imponatur, v. g. ex scordio, aristolochia rotunda, radice hirundinariæ, absinthio, baccis juniperi, myrrha, aloë &c. coctis in aqua vel aceto, item vino vel lixivio, addito alumine, vitriolo, sale marino, & similibus, &c. ut impediatur ulterior progressus. *Instar omnium sit Epithema & Cataplasma* HOFFMANNI *in Meth. Medendi p. 411.*



APPEN-

APPENDIX.

PRAXIS EXTRAORDINARIA.

Medicina Practica vulgaris est adhuc manca in quamplurimis, & mutila, idest, defectuosa. Causa verò, propter quam Medicina, in specie Practica, est manca, duplex est.

I. In Theoria, defectus nempè experimentorum in macro & microcosmo, super quę Theoria Medica solet fundari. Sed quia adhuc multa experimenta deficiunt, fit, ut etiam in Theoria multi sint defectus, qui se exerunt quotidie in Praxi. Et hinc tam studiosè excolitur Chymia & Anatomia, nempè ex his duobus Pathologia seu morborum diagnosis & fiendi ratio petenda est.

II. Causa est defectus genuinorum, & hinc generosiorum remediorum, tàm universalium, quam particularium, seu specificorum, id est, defectus remediorum, quę in se efficacia sint, ut sine insigni stomachi molestia vim suam exercere, & morbos statim tollere possint. Hinc qui supra ordinariam Praxin excellunt, hoc pręstant vel ope solidioris theorię, & observationum circa ęgros, vel ope generosiorum remediorum, quibus etiam altiora pręstiterunt sublimiores Chymici VALENTINUS, PARACELSUS, POTERIUS, & similes.

Res ut pateat, notum est, quod in Praxi vulgari ratione defectus *sufficiat Theoria*. Sępius evenit, ut vix circa radicem morborum versetur Medicus, sed saltim circa producta. (2.) Quod non rarò anus aut empiricus melius interdum curet, quàm etiam studiosus Medicus. Propterea fit, ut tam sępè affectus incurabiles habeantur, non tàm propter morbum incurabilem, quàm propter generosiorum remediorum defectum.

In Praxi vulgari propter Theoriam mancam sępiùs vix circa radicem morborum versantur Medici, sed utplurimum vel circa causam occasionalem, vel productum morbosum; unde etiam à posteriori, rariùs à priori, solent curari ęgri. V.g. spina digito infixa, vel vitiatum fermentum spinę instar partes lędens; ista spina dat tumorem, inflammationem, abscessum, &c. sicuti vitiata fermenta interna affectus chronicos & acutos inferunt. Si verò in isto casu externo spina evellitur, fit ut omnia evanescant symptomata: Si verò relicta spina saltem anodynis dolor sistitur, si discutitur tumor, aut ad abscessum perducitur, adiuvatur quidem naturę motus, sed saltem à posteriori producta morbosa curando.

Par ratio est in morbis internis, v.g. in malignis, ubi fermentum exteriùs haustum massam sanguineam inquinat, infert varia symptomata; quo remoto, tollitur febris; si non, à posteriori per sudorem & similia curantur ęgri. Sic contagium luis Venereę leve est, quo destructo, omnia curantur; si non fiat, mediante dięta sudorifera, tędiosa salivatione Mercuriali, inquinamentum istud à posteriori saltem evocatur. Si talis spina est v.g. istud acre tantillum, quod alterat nervos, vellicat & totum corpus in convulsiones excitat: Si tollitur, morbus cessat; si non, per opiata & similia à posteriori occurrendum. Sic v.g. tantillum effluvium acrius, nares vellicans, statim sternutationem efficit: Curatur sternutatio à posteriori per opium; per sudorifera à priori temperando acre, quod nares vellicat. Sic tantillum acidum est, quod instar spinę radici dentis infixum est, dolorem gravem inferens: si evellitur, omnis dolor, hemicrania, tumor, palpitationis sensus, &c. evanescunt; à posteriori verò per externa si quis sistere velit, saltem à posteriori symptomata curabit, radice intacta relicta. Exilis sępè est calculus, qui universum corpus interdum cruciat: si diffringitur & expellitur, omne malum sublatum est; si non, à posteriori anodynis, balneis, linimentis, opiatis, diureticis, & similibus succurrimus quidem ęgris, radicem verò morbi non attingimus. Medicus tamen qui attendit radicem morbi, ritè se operari existimat; alius verò generosiorum remediorum defectum admodum deplorat: vid. POTERIUS.

Qui ergo ultra Praxin vulgarem excellere cupiunt, duplici hoc consequuntur medio: vel mediantibus remediis, vel mediante modo extraordinario medendi. Illud ii, qui vel appropriato specifico, vel universalibus instructi sunt; posterius ii, qui magneticè aut transplantatoriè morbos quosdam chronicos curare satagunt.

Quoad prius: qui appropriato specifico particulari vel universali instructi sunt, uti citiùs curant ęgros, ita quamplurimis remediis commodè supersedere possunt. Sic qui instructus est appropriato remedio, supersedere potest omni venę-sectione, scarificatione, fonticulis, hirudinibus, & similibus, quia scit per remedium appropriatum radicem morbi curare: si verò subitò evenit plethora apparens ex sanguinis orgasmo, & appropriato remedio mox sedat effervescentiam, hinc non opus erit venæsectione. Qui instructus appropriato particulari, vel generoso universali, non opus habet purgantibus, malignis nempè & venenatis remediis; quin, quicquid heterogenei forsan in corpore collectum fuerit, per appropriatum remedium à secundante natura spontè eliminatur vel per urinam, vel per sudorem; unde etiam nobilia remedia insensibiliter operantur.

Sola ergo blanda Vomitoria requiruntur in tali casu: nempè Medicus instructus generosis remediis saltem peccantia in primis viis evacuat: vel opus erit interdum lenissimo abstergente primas vias.

Ut reformetur ergò & exaltetur Praxis, ad hæc duo respiciat Medicus; nempè

1. Theoriam magis exaltet, & promoveat per experientiam, & observationes.
2. Remedio. vel appropriato particulari, vel generoso universali, sedulò incumbat.

Prius non est unius hominis nec seculi; ob id quilibet industriam adhibeat, ut communicatis pluribus observationibus Theoriam exaltet; posterius potest acquiri ab artifice sedulo, qui generosis remediis incumbit.

Hæc remedia sunt vel *particularia*, vel *universalia*. *Particularia* dicuntur specifica, & quæ præcisè hunc vel istum morbum levibus quibusdam præmissis solent curare: *Universalia* sunt, quæ quemcunque morbum tollere valent. His posterioribus insistendum est in specie, quia specifica subinde à natura ægrorum solent alterari. Multis exosum, paucis cognitum est nomen remedii universalis. Posse tamen dari, ut illustrem ex Praxi vulgari, consideremus saltem opium, quæcunque symptomata ex spirituum impetu sistens, sed saltem palliativè, & quia cum opio est adiuncta quædam virulentia narcotica: Sic de absinthio res nota est in febribus intermittentibus cachexiis, hydrope, &c. Sal volatile urinæ seu spiritus salis ammoniaci in quamplurimis affectibus est optimus: De Marte res nota est, quod in chronicis morbis sit artifex; à Marte enim omnes acidulæ efficaciam habent, quæ in chronicis morbis curant eos, quos Medici ad acidulas ablegant: Notum est de Thermis, quod varios morbos curent. Si autem ritè evolveretur natura acidularum, forsan haberi posset tale remedium efficax. Par ratio hic est atque cum *remedio Drebelliano*, quo vim vitalem in aere ita concentrant, ut homines quosdam sub aqua suffocatos curaverit; nec deest experientia: Vid. POTERIUS, qui multum præstitit suo *specifico stomachico*; *aurum* ejus *diaphoreticum* in affectibus nervorum & similibus fuit polychrestum. De RULANDO notum est, quantum præstiterit beneficio aquæ terræ sanctæ, olei Heraclini, balsami, & similium. Quæ habet BASILIUS VALENTINUS de solo antimonio, notum est. Verissimus Scriptor est BASILIUS; quod potest comprobari, modò consideretur KERCKRINGIUS *in Comm. in Currum Triumphalem Basilii Valentini*.

Quæritur ergò: an verum sit, quod dari possit Panacea? Affirmat. Nempè remedium universale datur, modò huc non trahantur vitia, quæ nec ab ipsa natura sunt corrigibilia, verb. gr. conformationis defectus, &c.

Quales verò sunt hæ panaceæ? Remedia sunt universalia, ea, quæ sunt valida & generosa, restaurantia vires naturæ, id est, quæ vitæ radicem conservant, & eam labefactatam restituunt. Nempè omnes morbi vitæ insidiantur; unde

unde remedia vitam & eius radicis vim conservantia, consequenter quosvis morbos curabunt.

Restat pateat, notum est, vitæ radicem consistere in sanguine, ejusque debita crasi. Crasis hac variat, vel essentialiter vel accidentaliter: Essentialiter ratione principii seminalis, unde vita in radice vel longa vel brevis erit, & dispositivè vel sana vel ægra: Accidentaliter variat ratione rerum externarum & digestionis primæ, ratione sex rerum non-naturalium plus minus labefactatæ. Seminalis vis vitalis consistit in ejusdem principio sulphureo, quod est humidum radicale seu acidum pingue, quod coagulat & specificat acidum in determinatum corpus. Quicquid ergo hoc sulphur fartum tectumque conservare valet, potens erit totam naturam conservare & restaurare.

Mediatè seu indirectè hoc fit ratione digestionis primæ, ceu fundamenti totius œconomiæ vitalis. Remedium tale vix sperandum est ex regno vegetabili: Nam huius simplicia, si non sunt venenata aut maligna, sunt alimentitia, & à stomacho nostro subigi solent; nec ex regno animali, cum nobis maximè sint cognata, vel, si quæ sint, sunt saltem particularia. Ergo ex regno minerali investigandum erit. Hinc imprimis à sole, hinc antimonio, cujus sulphur ex parte naturæ est solaris; hinc ex Venere & vitriolo veneris, cuius sulphur it via est ad naturam solarem, quærunt talia remedia, & juxta hæc tandem in Marte, eiusque genuino sulphure. Hinc tantum tribuitur tincturæ antimonii genuinæ, vitriolo veneris, & ejus igni seu oleo, sive sulphuri ex HELMONTIO: Tinctura lilii *Paracelsi* nota est; Mercurius diaphoreticus *Paracelsi* seu *Helmontii* est Mercurius fixatus à sulphure Veneris, propterea etiam, quia fixius est, & sulphure auri tinctus, vocatur ab HELMONTIO *Aurum Horizontale*. Cinnabaris antimonii particulare est remedium, sed quod multum habet in recessu in febribus malignis & nervorum affectibus: sulphur ex scoriis antimonii singulari modo præcipitatum, in epilepsia & morbis infantum est mirabile, partim vomitus, partim sudorem excitans.

Alterum, in quo Praxis solet variari, est *cura sympathetica & transplantatoria*.

Circa has tria sunt consideranda:

1. Quid per hæc nomina sit intelligendum?
2. An dentur?
3. Quodnam sit harum curarum fundamentum?

Cura sympathetica ita dicitur, quia fit quasi per consensum, ut in distans curetur morbus à remedio absente, ut tamen fiat certo quodam consensu, quem remedium fovet cum corpore ægro aut parte ægra. *Transplantatoria* vocatur, quando morbus transfertur in aliud subjectum vivum, vel vegetabile, vel animale.

Hæ Curæ fiunt *medio intercedente tertio*, mediante quo à corpore ægro separato in distans fiunt, & istud medium vocatur Magnes. Dicuntur aliàs *Curę Magneticæ*, quasi magnes ex corpore ægro morbum eliciat, vel quod alteratus similiter alteret ipsum morbum. Equidem multa prostant exempla hujusmodi curationum, quæ tamen non omnia sunt bonæ fidei.

Quod *Curam sympatheticam* in specie attinet; res nota est de pulvere sympathetico, ex vitriolo Veneris per calcinationem solis, sole in leone versante. Usus eius notus est pro cura hæmorrhagiarum externarum, sive forma sicca vel humida, si dissoluto in aqua simplici immergatur linteum cruentum, & applicetur. In internis affectibus subinde utiliter usurpatur, speciatim hemoptysi, mictu cruento, &c. Sic D. MICHAELIS retulit, se aliquando gravem mictum cruentum cum exulceratione vesicę curasse, ægro excrementa in dictum pulverem excernente: CNOEFFELIUS excretis fecibus dysentericorum super caput mortuum vitrioli, dysenterias curavit. Notus etiam nasus restitutus ex TALIACOTIO. Multum etiam facit observatio BARTHOLINI *Cent. 5. Obs.* 41. qui observavit in quodam viro, cui cutis capitis cum capillis fuit decisa, unde cutim istam asservavit in scrinio, ubi eodem modo atque pili in capite ejus in colore mutati fuerint, ita etiam isti pili in cute decisa restitantes etiam mutati fuerint. Facit huc exemplum de viro pica laborante, quoties uxor fuit gravida, quod vitium etiam fuit in filium translatum. Quidam equis contusis vel compressis *Persicariam* recentem in aqua frigida maceratam imponunt, donec intepuerit, quo facto sepeliunt in locum, ubi potest facilè putrescere. Idem effectus est in hominibus graviter contusis: vid. MEYSONERIUS *de Pulvere sympathetico*, annexus est scripto DIGBY *de Immortalitate animę*, ubi refert, se vidisse puellam, graviter contusam ex casu ab alto, admotione Persicarię curatam: Unde etiam ad odontalgiam, & curam vulnerum & ulcerum fuit traducta, ubi usus ejus repetendus est. De *unguento magnetico* simplici & *armario* res nota est. Mulieres lactantes lacte abundantes non melius remedium habent, quàm ut emulgeant suum lac, vel in prunas candentes, vel laminam ferream candefactam. Sic res nota est de *verrucis*, quod curentur per affricationem lardi recentis, quo putrefacto verrucę evanescunt: Vir huius rei testis est FRANCISCUS BACO *de* VERULAMIO *in Sylv. Sylvar. Centur.* 10. *Hist.* 997. Videatur etiam HELMONTIUS *Tractatu: Magnum Oportet*. Pertinet huc *manus cadaveris lento morbi interempti*, quę attactu curat excrescentias; quod HELMONTIUS quidem refert sine exemplo: Sic quędam puella in majori oculi cantho habuit excrescentiam fragiformem, quę pueri mortui manum mortuam applicavit huic excrescentię, & inde curata, quamprimùm infans mortuus putresceret. Hoc etiam testatur D. BOYLE *in Philosophia Experimentali*, ubi refert, observasse se tale exemplum, quod mediante tali contactu excrescentię fuerint curatę. Facit huc exemplum in hac civitate, ubi quędam mulier, laborans doloribus chronicis crurum, post varia remedia frustrà usurpata, tandem sensim levamen habuit per curam sympatheticam: nempe empiricus quidam in urina eiusdem decoxit ovum ad duritiem, quod in minutissima frusta discidit, & denuò in eius urina de novo blandè ebullivit, & sepelivit in acervum formicarum; Sic *atrophiam* curavit HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr.* per ovum in urina ęgri coctum, & in acervum formicarum sepultum: Sic Medicus quidam Anglus seipsum ex atrophia curavit, teste BOYLEO.

Transplantatoriæ Curæ fiunt, quando transplantantur morbi in aliud quoddam subjectum vivum, ut transplantati in animalia sint magis pręsentaneę curę, quàm in vegetabilia. Et quidem transplantantur solùm in specie morbi chronici, & qui firmas radices egerunt in corpore ęgri.

Ad hujusmodi curationes pertinet, quando vel per immediatum contactum ęgri cum corpore animalis, vel mediato alio, curatur. Immediatè fit v.g. quod refert RIVERIUS, se vidisse bis curatam paronychiam immisso digito in aurem felis, morbo in felem transplantato: vid. RIVERIUS *Cent.* 4. *Obs.* 19. & 63. De catellis podagricos & colicos dolores mitigantibus, & eos dolores, sanatis ęgris, sibi contrahentibus, vid. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Hist.* 66. *Centur.* 6. *Hist.* 53. *Icterum* à se refert PETRUS à CASTRO *in* M. S. curatum, dum ex urina ęgri cum farina placentas fecit, & blandè exsiccatas obtulit feli vel cani esurienti, ictero sublato: Similem historiam refert BOYLE *citat. loc.* Sic podagra curatur per transplantationem, nimirum quando ungues & capilli in salicem vel radicem juglandis fodiuntur: vid. TIMÆUS *von Guldenklee*, *in lib.* 5. *Epistol.* 7. & 8. Sic podagra quandoque curata est in Hortulano Electorissę Saxonię, qui accepit caseos & butyrum, recentia nondum salita, & applicavit pedibus dolentibus, à quibus sensim levamen percepit; caseos abjecit, quos comedit canis, qui breui post eodem laborauit. Idem LAURENTIUS pręstitit sanguine ęgri in radicem juglandis immisso. Sic odontalgia transplantari potest in sambucum uel corylum, nempè ramus insignis transuersim discindatur, & colligatur ex eo festuca, qua fricandę & nonnihil lędendę sunt gingiuę, ut sanguis stillet; illa festuca immitti solet in locum coryli, ex quo fuit desumpta, & loco iterum ligato, ut possit concrescere festuca cum reliquo trunco, curatur. Sic certum est de quodam, qui laborauit febre intermittente supra sex septimanas, qui accepit carnis suillę libram unam, & maceravit in urina propria, aliquot horas ante paroxysmos emissa, coxit, & proiecit cani esurienti, fecit hoc ter, unde febris euanuit. Biennii spatio noua ingruit febris, quæ remedio hoc iterato iterum curata est.

Quoad scrutinium causarum, variant sententię. Quidam easdem ceu ueras considerant, & nunc admirantur, nunc scrutantur. Alii easdem reiiciunt, & ubi experimentis sunt conuicti, ad dæmonis opem confugiunt. Alii uerò, qui rationibus has curas uolunt impugnare, ut HELMONTIUS, in hoc peccant, quod ad tribunal suę rationis huiusmodi curas examinent, & ex pręconcepta hypothesi easdem malè reiiciant; multa enim latent in natura recondita, quę non scimus, & multa,

multa, quę scimus, sed quorum causę latent.

Potius ergo cum sint curæ hæ confirmatæ, earum scrutinium sagaciùs instituendum est. Quod autem hujusmodi curationes reddantur suspectæ, est hoc, *quod sint raræ*, & *quod non semper succedant*. Quoad prius, pauci eas sciunt administrare, & à plurimis reiiciuntur: quoad posterius, hujusmodi curationibus commune cum quibusdam, etiam optimis, remediis particularibus est, quæ non in omnibus succedunt, propter idiosyncrasiæ diversitatem. Ratio, quod non semper succedant, inter alias primaria est hæc, quod subinde lateant adhuc quædam circumstantiæ, vel ratione temporis, vel modi, vel aliarum circumstantiarum; modò crebrò instituerentur, ut collatis pluribus experimentis redderentur certiores, forsan magis certæ forent. Observetur autem, quod fundamentum curationum sympatheticarum & transplantatoriarum ferè in eo consistat, quod omnia corporis humani excreta semper participent aliquid vitale, seu de spiritu vitali, nunc insito, nunc influo, ratione cujus, quamdiu perstat ista spirituum vitalium portio, tamdiu habent commercium ista excrementa cum ipso corpore, unde prout citiùs vel tardiùs evanescit, aut corrumpitur iste spiritus vitalis, eò diutiùs & tardiùs solet durare iste consensus excreti cum integro corpore.

Jam verò, ut diutiùs conserventur istæ portiones spirituum vitalium, necesse est habeatur medium conservans, quod vocatur *Magnes*.

Magnetes hi sunt in quadruplici differentia; nempè inserviunt

I. Excreta alvi, de quorum præparatione ex PARACELSO videri potest TENZELIUS in *Medicina diastatica*.

II. Est caro humana siccata, quę regioni cordis applicanda venit, ut acquirat vim magneticam: imprimis convenit caro ex corpore violenter interempto assumpta.

III. Est ipse sanguis ex homine sano desumptus, qui grumefactus potest ita pręparari, ut decantetur serum supernatans; grumus verò in umbra exsiccatus sero decantato humectatur tamdiu, donec serum imbibitum.


IV. Si sumatur urina, sudor, siue excreta alui, eaque omnia pręparata misceantur & usurpentur.

De his optimè scripsit SAMUEL BOULTON, Anglus natione. Hæc spiritus vitalis portio in hoc casu vocatur Mumia vitalis, sive Mumia spiritualis microcosmi.

Ista ergo Mumia est medium, mediante quo peragitur hujusmodi cura magnetica, ut quamdiu hæc mumia à toto separata conservatur in suo vigore, & alteratur eo modo, quo extra corpus alteratur, etiam totum spirituum systema in corpore alterari solet, & effectus vel ad sanitatem, vel alios, exercere solet.

Unicum subest dubium; qua ratione nempè fiat in distans actio & reactio? seu quo medio communicetur mumia vitalis extra corpus alterata cum mumia vitali in corpore residuo? quod etiam in medio relinquitur.

Tamen qui curiosi sunt, possunt videre imprimis *Theatrum Sympatheticum*. Conferatur cum *his* JOANNES MARCUS MARCI *in Philosophia Veterum restituta*, & MEYSONNERIUS.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS TOMI SECVNDI.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google